CORNELII A LAPIDE

COMMENTARIA

IN

SACRAM SCRIPTURAM.

COMMENTARIA

IN

SACRAM SCRIPTURAM

AUCTORE R. P.

CORNELIO CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE IESU

SACRÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII POSTEA ROMÆ PROFESSORE

EDITIO

XYSTO RIARIO SFORTIÆ

CARDINALI ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

DICATA

TOMUS VI.

COMPLECTENS COMMENTARIA IN QUATUOR PROPHETAS MAIORES.

NEAPOLI

APUD I. NAGAR EDITOREM


IN VIA TRINITA' DE' SPAGNOLI N.° 33.

M.D.CCC.LVI.

SANCTISSIMÆ TRINITATI

DEO UNI ET TRINO.

Tibi, o sacrosaucta Trinitas, et trina Unitas, offero meum, imo ex asse tuum refero reddoque tertium hoc trinumque in Prophetas opus. A te principium, tibi desinet. Tuus sum ab utero; ubi me formasti ad imaginem et similitudinem tuam. Tuus ab ortu; ubi in nomine tuo baptizatus et renatus sum. Tuus a primo rationis usu; ubi te fide, spe et charitate, quas mihi in baptismo indideras, colere cœpi. Tuus ab adolescentia; ubi tuo instinctu, tribus Religionis votis me tibi volens lubensque astrinxi. Tuus a iuventute; ubi sacerdos tuo munere consecratus, unam trinamque Christi victimam, tibi quotidie ad hanc usque diem quasi iuge sacrificium immolavi. Tuus a viro; ubi hosce meos labores et fructus quos mihi donasti, tibi dicavi; omnia studia, omnem doctrinam, omnem commentationem tuæ gloriæ consecravi, optavique, ut omnis mea actio, omnis passio, totaque vita non esset aliud, quam continua laus tua. Te enim decet hymnus in Sion, et tibi reddetur votum meum in Ierusalem. Psal. 64. imo vero tibi silet hymnus in Sion, ut ait Psaltes: quia omnis laus nostra, præ te tuaque maiestate, merum mutumque est silentium. Accipe trinam tui in meis hisce Commentariis imaginem, menti manuique meæ a te impressam. Edidi Pentateuchum, Paulum, Prophetas; puta legem, Evangelium (huius enim præco est Paulus) prophetiam. Lex te Patrem legislatorem repræsentat: Evangelium te Filium incarnatum: prophetia te Spiritum sanctum, qui locutus es per Prophetas. Trimembre pariter est opus: Isaias refert te, o Pater æterne, quem vidit sedentem in celso et augusto divinitatis throno: Ieremias calamitosissimus, ut ait Isidorus Pelusiota, te, o Christe, patientem adumbrat: Ezechiel te, o Spiritus alme, in Apostolos et fideles effundendum vaticinatur. Tua sunt, tua sunt, o sanctissima Trinitas, quæ es Pater luminum, fons omnis triadis, origo et causa omnium quæ fuerunt, sunt, erunt, et esse possunt. Tu menti meæ ab olim te revelasti, ut te unum æstimarem et quærerem, cætera omnia velut exilia, inania et fugacia flocci ducerem et fastidirem. Talia enim ea reperit rex, mortalium Deo iudice sapientissimus, qualia et pronuntiavit, dicens, *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, Eccle. 1. Docuit me Doctor Gentium omnia arbitrari ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Auribus meis intonat Isaias: *Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, etc. verbum autem Domini nostri manet in æternum*, Isaiæ 40. 6. Insonat mihi crebro illud Psaltis regii: *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra*, Psal. 45. 11. Quocirca aulas et auras fugio, silentium et secessum mihi iucundum, aliisque non inutilem sequor cum S. Basilio, Gregorio, Hieronymo, cuius sanctam Bethlehem ab eo in Palæstina sollicite quæsitam, ego Romæ inveni. Olim iunior egi Martham, nunc in devexa ætate magis Magdalenam ago et adamo, memor brevis ævi, memor Dei, memor instantis æternitatis. Cellæ (quæ mihi fida amica, tota terra est charior, adeoque cælum terrestre videtur, quale S. Bernardo visa est) silentis et solius sum incola: cellicola et musæi sacri assecla, celicola esse contendo; sanctæ contemplationis, lectionis, scriptionis otium, imo negotium persequor; Deo uni et trino, eiusque oraculis et inspirationibus excipiendis, meditandis, celebrandis incumbo; ad Christi pedes sedeo, ut ab ore eius pendulus verba vitæ hauriam, quæ deinde in alios effundam. Quid enim dignius, quid salubrius, quid sapientius, quid divinius, quam illi uni intendere, a quo omnia, ut dicas sapiasque cum Psalte: *Mihi autem adhærere Deo bonum est?* Psal. 72. 28. illi totum vacare, illi placere, illum cogitare, imitari, sequi; illum diligere, illum sonare more, ore et amore; illum unum vita, lingua et corde laudare; illum manu, calamo et mente celebrare? Hoc Angelorum continuum est opus, hic vitæ cælestis prægustus, hæc æternæ beatitudinis inchoatio; nimirum Deo uni et trino contemplando fruendoque insistere, eique cum Seraphinis præ stupore et veneratione oculos pedesque velantibus, iugiter concinere: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloria eius;* atque cum Apostolo exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* o sacra Trinitas, et trina unaque deitas, quam incomprehensibilis, quam investigabilis es! ut in confessione veræ sempiternæque deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in maiestate adoretur æqualitas. Ex te, per te, in te sunt omnia. *Totus Pater*, ait S. Augustinus, *in Filio et Spiritu sancto est: totus Filius in Patre et Spiritu sancto est: totus quoque Spiritus sanctus in Patre est et Filio: nullus eorum extra quemlibet ipsorum est: quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas*, S. Aug. de Fide ad Petrum, lib. 1. c. 1. S. Athan. in Symb. Tanti enim est Filio gigni, quanti Patris gignere; tam augustum Spiritui sancto spirari, quam Patri et Filio spirare: spirando enim eamdem numero accipit essentiam et maiestatem, quam habet Pater et Filius. *Te ergo unum in substantia, Trinitatem in personis, confitemur.* Te invocamus, te laudamus, te adoramus, spes nostra, salus nostra, honor noster, o beata Trinitas. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, in sempiterna sæcula. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur et benedicimus. Verum quibus te elogiis celebrem, quibus nominibus compellem? conceptus vocesque ho-

minum et Angelorum in immensum trascendis, et caliginem habitas inaccessibilem, ideoque magis casto, ut ait S. Dionysius, es veneranda silentio, quam exili depressæ mentis celebranda eloquio. Tu numen τριπροσωπον, Triformis relatio, Divinitatis triangulus, natura trigemina, Maiestas trisagia, Trias τρισμακαρια, Tripartita hypostasis, Personarum ternio, Triumviratus (ut ita dicam) Homousii. Quibus ideis, parabolis, similitudinibus te repræsentem? Omne nostrum simile, tuo multum est dissimile. Omne tui in terris vestigium, tantum a te distat, quantum creatura a Creatore, umbra a corpore, nihilum ab ente, finitum ab infinito. Si infantibus balbutire licet, adeoque congruit; si ima summis, humana divinis componere; si nostris mentibus te per nostros conceptus, species, formas, licet admodum difformes, aliquatenus effingere; tu Tridigitus παντοκρατωρ, Deus trismegistus, Speculum trifaciale, Mens tripotens, Parelius trilustris, Sol trifulgidus, Anima tricorpor, Fulmen trisulcum, Gladius triceps, Arbor trifida, Triphyllum paradisi, ignis triflammeus, Lampas trilucens, Dioptra triquetra, Concentus τριφονως, Triglyphum elegantiæ, Tricolon pulchritudinis, Trigonum alpha, Triglotton eloquentiæ, Tribrachium potentiæ, Trivium sapientiæ, Trioculus providentiæ, Arx τριεμβολα, Triclinium ambrosiæ, Triremis abyssi, Tripodium æternitatis, Trivertex celsitudinis, Triculmen gloriæ, Tridens creationis, Tripes substantiæ, Tristegum cælorum, Triradius lucis, Iris tricolor, Manus τριδακτυλος, Fons τριστομος, Frons tricornis, Hasta tricuspis, Adamas trigemmis, Funis trinodis, Licium trilix, Trimodium entis, Tristrophon essentiæ, Trimetrum latriæ, Tricoronis imperii, Tripolis universi, Tricosmus magnificentiæ,  Trinus iehova, Trinum α et ω.

Tu rerum, tu principium, tu terminus idem;
Filius, æterno proles æquæva parenti;
Amborum communis amor, cæli aurea flamma,
Spiritus ignipotens, implens ardoribus orbem.
Unum numen idem tribus, et tribus una voluntas,
Maiestas, natura eadem, tribus una potestas.

Alius enim est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus; non tamen aliud. Et vice versa, hi tres unum sunt, non tamen unus. Quælibet enim persona, per se una est, ideoque unus: sed unum, sive unitas essentiæ est in tribus personis, et in singulis integra. Explosus est iampridem, et in seipsum illisus sponte dissiliit Abailardi error, qui in SS. Trinitate ponebat gradus personarum, contra quem sublimiter S. Bernardus: *Ille,* inquit, *digne, pro sua possibilitate divinam æstimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat dispar, ubi totum est summum; nil distans, ubi totum est unum; nil hians, ubi totum est integrum; nil denique imperfectum vel egens, ubi totum est totum. Totum nempe est Pater, quod Filius et Spiritus sanctus. Totum Filius, quod et ipse et Pater et Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod et ipse et Pater et Filius. Et totum, unum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis: nec enim verum summumque bonum quod sunt, inter se particulariter dividunt; quoniam nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt,* Ep. 19. ad Innoc. Pontif. Quod admirans et profunde venerans S. Augustinus: *Soli tibi,* inquit, *o Trinitas, integre nota es; Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, et superinenarrabilis, et superinaccessibilis, superincomprehensibilis, superintelligibilis, superessentialis, superessentialiter exsuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem essentiam supercælestium animorum: quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est, etiam oculis Angelorum,* In Soliloq. cap. 31.

Porro licet SS. Triadis opera, æque ac natura, potentia, mens et voluntas sint indivisa, tamen ob affinitatem proprietati personæ cuiusque congruentem, recte Patri, ait D. Thomas 1. p. q. 45. a. 6. attribuitur omnipotentia; Filio omniscientia, quia ipse est Verbum et idea Patris, Spiritui sancto summa et immensa bonitas, quia ipse est notionalis amor Patris et Filii. Rursum: *In Patre,* ait S. Augustinus, *est unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum,* Lib. 1. de Doctrina Christ. c. 5. Insuper Patri ascribitur æternitas, Filio veritas, Spiritui sancto charitas; Patri providentia, Filio sapientia, Spiritui sancto ordo et unio; Patri creatio, Filio gubernatio, Spiritui sancto conservatio; Patri prædestinatio, Filio redemptio, Spiritui sancto sanctificatio; Patri vocatio, Filio iustificatio, Spiritui sancto glorificatio; Patri purgatio, Filio illuminatio, Spiritui sancto perfectio; Patri præterita, Filio præsentia, Spiritui sancto futura; Patri principium, Filio medium, Spiritui sancto finis et terminus. Nam, ut ait S. Bernardus serm. 80. in Cant. *Sanctissima Trinitas loca omnia continet, et quæque suis ordinat locis, nusquam contenta locorum; tempora sub ea transeunt, non ei: futura non expectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur.* SS. Trinitas enim est immensitas, cui omnis locus, summus, medius, imus; et æternitas, cui omne tempus, præsens est et coexistit; ac consequenter præteritum ei non præteritum, sed præsens est; futurum ei non futurum, sed præsens est. Quocirca perfecta Trinitatis cognitio, plena sapientia et vita æterna est: cui proinde suspirans S. Gregorius Nazianzenus in hymno ad Deum, ita canit:

O viva Trinitas, te unum canam Monarcham,
Origo cui nec ulla est, versio nec ulla.

Idem orat. 40. SS. Trinitatem vocat *trium infinitorum infinitam coniunctionem: Vix unum,* inquit, *animo concepi, cum tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere incipio, cum ad unum statim sublimis feror, etc. Unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere aut dimetiri nequeam.* Nam, ut idem ait in carmine de Spiritu sancto, in SS. Triade est monas, ideoque monarchia, quæ concordiam; non polyarchia, quæ discordiam, lites et bella gignit. Toto ergo corde et ore celebremus triadem, adoremus monadem, benedicamus Patrem, Filium et Spiritum sanctum, laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Iam vero SS. Trinitas seipsam Christo et nobis multipliciter communicavit, et trinitatem quamdam operata est, ac in dies operatur et communicat. *Tres sunt,* ait S. Ioannes, *qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt,* Epist. 1. c. 5. v. 7. Et S. Bernardus: *Sicut in illa singulari divinitate, trinitas est in personis, unitas in substantia: sic in ista speciali commixtione* (in Christo) *trinitas est in substantiis, in persona unitas. Et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit trinitatem: ita et hic persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, et super omnia opera sua. Verbum enim, et anima, et caro, in unam convenere personam; et hæc tria unum, et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ,* Serm. 3. in Vigil. Nat. Benedicta sit ergo sancta Trinitas, atque indivisa unitas confitebimur ei, quia in Christo magnam fecit nobiscum misericordiam suam.

Creaturæ vero pendent a SS. Trinitate, sicut radius a sole. Pater enim est, ex quo omnis paternitas in cælo et in terra nominatur: Filius, ex quo omnis filiatio, progenies et propagatio: Spiritus sanctus, ex quo omnis amor, omnis gratia, omnis liberalitas, omne donum. In homine autem, ait S. Bernardus, *est Trinitas creatrix, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio et voluntas. Et est trinitas, in quam cecidit impotentia,*

cæcitas, immunditia. Est trinitas, per quam resurgit, fides, spes, charitas. Quæ trimembres habent subdivisiones. Est enim fides præceptorum, signorum, promissorum: est et spes veniæ, gratiæ et gloriæ: est et charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, Ser. 1. inter parvos. Pari modo S. Augustinus l. 11. de Trin. sub finem, docet SS. Trinitatem sui imaginem expressisse in anima et tribus eius potentiis: *Hæc,* inquit, *tria, memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita; nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia. Quocirca hæc tria eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia:* Sicut in Deo tres personæ, sunt una vita, una mens, una essentia divina. Idem initio l. 12. ostendit vestigium SS. Trinitatis esse in corpore et in quolibet sensu, v. g. in visu, inquit, sunt tria, scilicet res visa, ipsa visio, et animi intentio. Et c. 5. et 20. docet in solis iustis esse perfectam Dei imaginem. *Hi enim soli,* ait, *vivunt secundum Trinitatem interioris hominis,* quæ sita est in fide, spe et charitate. Iam sicut memoria parit intellectionem, intellectio amorem; et sicut fides parit spem, spes charitatem: ita Pater generat Filium, Filius cum Patre spirat Spiritum sanctum. Rursum, imago aut vestigium SS. Trinitatis ab ea impressum est Soli; nam sicut sol spargit radios, radii calorem: ita Pater ex se spargit Filium, Filius cum Patre Spiritum sanctum. Insuper arbori: sicut enim arbor ex radice profert ramum, ramus cum radice profert fructum: sic Pater profert Filium et per Filium ac cum Filio Spiritum sanctum. Imago est in Adamo, uti insinuat Nazianzenus orat. 39. Adam enim fuit ingenitus, quia formatus a solo Deo, qui mox ex Adamo plasmavit Evam: Adam deinde ex Eva procreavit Seth. Ita Pater est ingenitus, Filius ab eo genitus, per quem et cum quo producit Spiritum sanctum. Imago est in anima, quæ eadem est in capite, collo et pectore; et ex capite per collum influit, et spiritus animales traducit in pectus: similiter enim eadem divinitas est in Patre, Filio et Spiritu sancto, quæ ex Patre per Filium influit et communicat se Spiritui sancto. Imago est in oculo et speculo. Sicut enim idem obiectum, v. g. idem numero homo, per sui speciem est et apparet quasi triplex in tribus speculis, et in tribus oculis: ita eadem deitas est et apparet trina in tribus personis. Imago, eaque clarissima et præclarissima, est in Venerabili Eucharistia. Sicut enim idem numero Christus existit in tribus hostiis consecratis, et hostiæ realiter a se invicem distinguuntur; cum tamen essentiam habeant plane eamdem nimirum idem corpus Christi: ita eadem essentia divina existit in tribus personis, quæ in ratione personæ realiter differunt, cum essentiam habeant eamdem et individuam. Imago est in catena, ait S. Basilius ep. 43. ad Greg. Nyssen. *Sicut enim, qui unius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul et alterum insertum attrahit: ita et hic qui Spiritum trahit, ut Propheta inquit, per ipsum, et Filium et Patrem, una simul attraxerit. Hic enim nove et insolite est coniuncta discretio* notionum et proprietatum personalium, *ac discreta coniunctio* personarum in eadem numero essentia. Imago, ait idem ibidem, est in iride: sicut tres colores faciunt in circulo cælesti iridem: ita tres personæ in deitate faciunt Triadem, puta unum Trinumque Deum. Denique SS. Trinitatis imago est quilibet spiritus, et quodlibet corpus; in spiritu enim trinitas est, natura, potentia, operatio: in corpore, materia, forma, proprietas. Vis amplius? Omnia in trinitate, puta in numero, pondere et mensura, creavit et ordinavit Deus. Quocirca Plato in Timæo censuit mundum factum esse per cubum ternarii, puta per viginti septem (cubus numerorum est, cum numerus primum in se deinde in productum ducitur et multiplicatur, ut ter tria sunt novem, ter novem sunt viginti septem) in quo omnis harmonia et consonantia consistit. Hinc et primitus Angelos trinis ordinibus distinctos, in trinis æque hierarchiis creavit, ut in eis primam sui puta SS. Triadis, imaginem exprimeret. Nam ter tria sunt novem, ter novem sunt viginti septem, qui est cubus ternarii.

Da, Domine, ut in hisce tui vestigiis, ac præsertim in tui imagine, quam animæ nostræ impressisti, iugiter te intueamur. Da, ut in memoria nostra, semper præsentem habeamus nostrum prototypum, Patrem æternum, ut ubique eius recordemur et memoremur. Da ut in intellectu, verbo mentis nostræ, Verbum primævum, a quo omne verbum nostrum, cogitemus et sapiamus. Da ut in voluntate et amore nostro, Spiritum sanctum, qui fontalis noster est amor, perenniter diligamus, ut in ea ipse quasi in templo suo sancto habitare, eamque ad omne bonum agere et impellere dignetur.

Hæc ineffabilia tua, o SS. Trinitas, mysteria Prophetæ a te revelante primi didicerunt, primi enuntiarunt, primi scripto posteris tradiderunt. Vidit Isaias Deum, non tantum qua unum, sed et qua trinum, visione illa admirabili et inexplicabili, in augusto solio residentem, ideoque pariter Seraphinos trisagio eum salutantes et adorantes audivit. Idem crebro dicit docetque, Patrem Filio incarnato communicasse Spiritum sanctum: *Ecce,* inquit, *servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi Spiritum meum super eum,* cap. 42. 1. *Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus eius,* cap. 48. 16. Et: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me,* cap. 61. 1. Ieremias ab eodem sua, quæ proloqueretur oracula, accipiens, obstupescens suam, trino suspirio et lamento, SS. Trinitati confitetur infantiam: *A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui quia puer ego sum,* cap. 1. 6. Idem, trina terræ obiurgatione monet eam, ut trini Dei sui vocem audiat: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini,* cap. 22. 29. Idem: *Creavit Dominus novum super terram: fœmina circumdabit virum,* cap. 31. 22. Et mox de Spiritu sancto: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam* (quod est opus Spiritus sancti) *et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum,* v. 33. Ezechiel vidit SS. Trinitatem in curru gloriæ, quatuor Cherubinis stipatam, super throno sapphirino residentem, trina specie, hominis, electri et ignis. *Statura quoque erat rotis et altitudo, et horribilis aspectus: et totum corpus oculis plenum, etc. Spiritus enim vitæ erat in rotis,* cap. 1. 18. Idem assidue a Deo audit: *Filii hominis, hæc loqueris,* hæc vaticinaberis; ut repræsentet Filium Dei quasi legatum a Patre missum ad homines. Spiritus sancti vero meminit, cum ait: *Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam,* cap. 11. 24. Et: *Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum,* v. 19. Et: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri,* cap. 36. 26. Daniel tribus pueris in fornace Babylonica, repræsentat SS. Triadem, cuius ope in igne illæsi manserunt, cap. 3. quocirca eidem hymnum insignem concinuerunt, cap. 7. 9. Idem: *Aspiciebam,* inquit, *donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, et capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei, etc. Et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur; et regnum eius, quod non corrumpetur. Horruit spiritus meus,* v. 9. 14. Et rursum: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum,* c. 9. 24. Ungens enim est Pater; unctus, puta Christus est Filius; unctio et oleum est Spiritus sanctus. Tua ergo, imo de te sunt, o SS. Trinitas, hæc oracula, quibus te Prophetis revelasti, teque per eosdem nobis depinxisti. Da, ut te in iis cognoscamus, revereamur, amemus, colamus. Da, ut quicumque hasce in eos commentationes lecturi sunt, ex iis in tui amorem et venerationem accendantur. Te negant et lacerant Saraceni et Turcæ in Asia, schismatici in Africa, hæretici in Europa, pagani in India. Eia Domine, tua virtute et gratia finem accipiant hæresis, schisma, mahometismus, paga-

nismus: adveniat regnum tuum, sanctificetur nomen tuum sanctum tota Asia, Africa, Europa, India; ut totus orbis te confiteatur, te laudet, te celebret; ut omnes in idipsum uno ore parique concentu, iugiter tibi modulemur *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum Amen.* Gloria Patri, qui nos creavit: gloria Filio, qui nos suo sanguine redemit: gloria Spiritui sancto, qui nos sua gratia sanctificavit. Gloria Patri, qui nos prædestinavit: gloria Filio, qui nos iustificavit: gloria Spiritui sancto, qui nos beabit et glorificabit. Atque hac fide et laude, mereamur te frui in cælo, et in te vitam regnum et gloriam æternam (quæ utique tu es) possidere tibique cum hierarchiis cælestium spirituum, cum myriadibus, inquam, Angelorum, in omnes æternitates iubilemus: Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, uni et trino, in sæcula sæculorum. O sacra Trinitas, o trina unitas, o una immensitas, immensa charitas, chara veritas, vera suavitas, suavis felicitas, felix æternitas, Deus noster, amor et honor noster, iubilus noster, et omnia. Amen.

HIEROGLYPHICA

ET SACRA SYMBOLA

EX IV. PROPHETIS COLLECTA,

ORDINE DIGESTA ET BREVITER EXPLICATA.

EX ISAIA.

Cap. 2. v. 2. 1. Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem. Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium. *Mons hic hieroglyphicum est Ecclesiæ, quæ quasi mons omnibus collibus humanæ politiæ, sapientiæ, religionis eminet, ad quam confluxerunt gentes ex toto orbe: quia de Sion monte, ubi cœpit Ecclesia, exiit lex Christi, et verbum Evangelii, id est læti nuntii de pace hominum cum Deo, et inter se: Christus enim nos Deo reconciliavit, ac sua lege docuit, et induxit homines ad pacem, ut positis armis unionem colerent et servarent. Vide dicta Isaiæ* 2.

v. 22. 2. Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse. *Est hoc hieroglyphicum Christi, in quo eius humanitas et ira significatur per hoc quod dicitur,* cuius spiritus in naribus eius est, *q. d. Qui more cæterorum hominum per nares halitum attrahit, et respirat, ac iras naribus efflat: deitas vero per hoc quod vocatur* Excelsus, *id est ipsa celsitudo (ut habent Hebræa) et maiestas summa ac divina.*

Cap. 4. v. 2. 3. In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel. *Hoc germen est hieroglyphicum Christianorum, et propaginis Ecclesiæ, quæ magnifice non tantum totum terræ orbem, sed et cælum occupavit.*

v. 5. 4. Et creabit Dominus super omnem locum Montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte, *q. d. Sicut Deus Hebræos per desertum in Chanaan deduxit, viamque præivit in columna nubis per diem, et ignis per noctem, tutando eos ab æstu, pluvia et hostibus; ita pariter ipse Christianos e terra in cælum deducet, tutans eos ab omnibus adversis die et nocte. Unde explicans subdit.* Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia. *Columna enim ignis et nubis fuit hieroglyphicum Spiritus sancti, eiusque gratiæ et protectionis.*

Cap. 5. v. 1. 5. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, *id est, oleato, pingui et fertili.* Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio eius, et torcular exstruxit in ea: et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. *Vinea hæc hieroglyphicum est Synagogæ Iudæorum, quæ plantata et exculta a Deo protulit, non uvas, sed labruscas, id est opera iniqua et impia.* Cornu olei *est Iudæa robusta ut cornu, fertilis et pinguis ut oleum: seps est lex: turris est templum: torcular altare, etc.*

Cap. 6. v. 1. 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, et duabus velabant pedes eius, et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant; Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. *Thro-*

A *nus hic fuit hieroglyphicum maiestatis sanctissimæ Trinitatis. Unde Seraphini velant eius faciem, id est, deitatem; et pedes, id est, humanitatem Verbi, puta mysterium incarnationis Christi, quod operata est tota SS. Trinitas, ideoque ei iugiter acclamant ter Sanctus. Porro Isaias hic a Deo per Seraphinos consecratur Propheta ut utrumque hoc mysterium, scilicet tam Trinitatis, quam Incarnationis prædicet: illudque non tam Iudæis, utpote excæcandis et reprobandis, quam Gentibus, puta Christianis, annuntiet. Unde subdit:*

7. Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu eius v. 6.
calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade, et dices populo huic, etc. *Seraphini ardentes repræsentant Deum qui est ignis consumens, et amor ardorque increatus et immensus, quem maxime patefecit in incarnatione Verbi.* B *Rursum significant Isaiam, et quemlibet prædicatorem debere purum esse a tabe peccati, ac ardere charitate, et verbo vitaque spirare ignes et flammas amoris divini, quibus algentia peccatorum corda calefaciat et accendat.*

8. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Cap. 7.
virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius v. 14.
Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. *Hæc virgo pariens, eiusque filius Emmanuel, id est, nobiscum Deus, sunt signum et hieroglyphicum divinæ opis et redemptionis tum Iudæorum a minis Rasin et Phacee, tum generis humani e manu et potestate diaboli, peccati et inferni. Emmanuel comedit butyrum et mel, quia infantilibus hisce cibis quasi infans vescetur, crescet et adolescet ad ætatem, qua infantes sapere, et bonum a malo discernere solent: et quia totus erit placidus et suavis, ac si butyraceus esset et melleus.*

9. Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo flumi- v. 18.
num Ægypti, et api, quæ est in terra Assur, et venient, C et requiescent, etc. in omnibus frutetis *Iudææ. Musca symbolum est Ægyptiorum, ob eorum copiam, impudentiam, strepitum ac iactantiam inanem; apis Assyriorum, ob eorum aculeum, id est, noxas et clades, ac variegaturam vestium et armorum: utrosque enim Deus quasi apes et muscas, sibilo evocavit ad depascenda arva Iudææ.*

10. Radet Dominus in novacula conducta, in his qui v. 20.
trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pedum, et barbam universam. *Tonsor hic hieroglyphicum est Dei, qui per Assyrios quasi per novaculam totondit barbam et pilos pedum, id est, principes ac plebeios Iudæorum.*

11. Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo ho- Cap. 8.
minis: Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui v. 1.
mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ: et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: Festina prædari. *Prophetissa hæc hieroglyphicum est B. Virginis, quæ peperit Christum, cuius nomen est Velox spoliator, festinus prædator: quia Christus brevi tempore spoliavit mortem et infernum, magnamque ex eo prædam abstulit. Porro iubetur hoc scribere*

Isaias in libro, adhibitis testibus Uria et Zacharia, ut Iudæi et Gentes sciant certo id futurum; et cum factum fuerit, agnoscant hanc Isaiæ de Christo prophetiam fuisse veram, ac in Christo esse adimpletam. A

v. 6. 12. Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, *id est, regiam Davidis stirpem, puta regem Achaz;* et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ: propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, etc. et ibit per Iudam, inundans, et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ *(Iudææ, in qua quasi rex Israel nasciturus es)* o Emmanuel. *Aquæ Siloe quæ vadunt cum silentio, symbolum sunt regni et stirpis Davidis, ob eius humilitatem, modestiam, pietatem, et quia ex ea prognatus est Christus rex mansuetissimus et modestissimus: quem qui abiicit, incidet in aquas fluminis fortes, id est, in manus violentas et truculentas regis Assyriorum, id est, Luciferi.*

v. 13. 13. Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel; in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem, *q. d. Deus credentibus et fidelibus suis, se timentibus et colentibus, erit sanctificatio, sanctaque tutela et protectio: incredulis vero impiisque Iudæis erit quasi petra scandali, in quam impingentes corruant; et quasi laqueus, quo capiantur.* B

v. 18. 14. Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel. *Isaias et Christus, eorumque discipuli, id est Prophetæ et Apostoli, eorumque sequaces, fuerunt portentum doctrinæ et vita Israeli, totique orbi. Prædicarunt enim verbo et vita, beatos esse pauperes, humiles, patientes, Martyres, etc. quæ mundo videntur esse paradoxa et portenta.*

Cap 9. v. 6. 15. Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. *Hæc omnia elogia sunt hieroglyphica Emmanuelis, id est, Christi: ipse enim primo, natus est parvulus ei filius Virginis. Secundo, datus est nobis. Tertio, crucem, quasi insigne sui principatus, gestat humero. Quarto, est, et vocatur admirabilis, consiliarius, Deus, etc.* C

Cap. 16. v. 1. 16. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion, *q. d. Fac, o Domine, ut ex Ruth Moabitide, quæ olim ex Arabia Petræa commigravit in Iudæam, puta ex eius posteris, tandem aliquando nascatur Christus: Christus enim est agnus, qui orbem Deo et sibi subiget.*

Cap. 19. v. 1. 17. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie eius, *q. d. Deus per castra Assyriorum, quasi per nubem levem, vectus debellabit Ægyptum, eiusque idola. Allegorice Christus vectus ulnis sanctæ matris suæ, delatusque in Ægyptum, prostravit idola.*

Cap. 20. v. 2. 18. Locutus est Dominus (ad Isaiam) Vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, et discalceatus. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum, et super Æthiopiam: sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, iuvenum et senum, nudam et discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti, *q. d. Iussu Dei, per triduum Isaias ambulavit nudus, ut significaret per tres annos Ægyptios et Æthiopes a Sennacherib suis opibus et vestibus nudandos esse et dispoliandos.* D

Cap 22. v. 22. 19. Dabo clavem domus David super humerum eius *(Eliacim)* et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat, *q. d. Constituam Eliacim pontificem*
v. 23. *et principem templi.* Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domus patris eius. Et suspendent super eum vasorum diversa genera, etc. *Idem dicit, alio paxilli symbolo, scilicet Eliacim fore principem templi.*

20. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. *Convivium hoc est, quod Christus nobis exhibet in Evangelio, et Sacramentis, præsertim Eucharistiæ.* Cap 25. v. 6.

21. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum: et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie. *Vinculum hoc est peccatum originale cum suis asseclis, scilicet concupiscentia, peccato actuali, morte, etc.* v. 7.

22. Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale. *Sion nostra fortitudo, est Ecclesia; cuius murus et antemurale est Christus, in quam ingrediuntur iusti. Unde subdit:* Aperite portas, et ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. Vetus error *idololatriæ, errorum et vitiorum*, abiit: servabis pacem; pacem quia in te speravimus. Cap. 26. v. 1.

23. Expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere: quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam, *q. d. Sicut ros noster lucem et vitam affert plantis, sic tua gratia, o Domine, affert mortuis vitam, et resurrectionem gloriosam.* v. 19.

24. Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio, *q. d. Ite, o Martyres, o iusti, ad sepulcra, modicum ibi dormite, donec puniam impios: eo enim facto, vos a somno mortis, excitabo ad beatam vitam.* v. 20.

25. In die illa vinea meri cantabit ei, *q. d. Ecclesia, cæso Leviathan, id est diabolo, cantabit et gratulabitur ei, id est sibi.* Cap. 27. v. 2.

26. Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exsultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino, *q. d. Væ superbis, ebriosis et gloriosis Samaritis, illos enim excindet Deus per Assyrios* Cap. 28 v. 1.

27. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exsultationis residuo populi sui: et spiritus iudicii sedenti super iudicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam, *puta militibus Ezechiæ, cæso Sennacherib, cum triumpho redeuntibus in Ierusalem.* v. 5.

28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum: qui crediderit, non festinet. *Hic lapis angularis Sionis, id est Ecclesiæ, est Christus, qui in se quasi in angulo et fundamento, nectit Iudæos et Gentes, ut unam domum, id est Ecclesiam constituant.* v. 16.

29. Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, et caminus eius in Ierusalem, *q. d. Dixit Dominus se percussurum castra Sennacherib, ac ab eius manu liberaturum Ierusalem, et templum; quia in eo est eius ignis et caminus, quo iugiter colitur, dum eo ipsius sacrificia et victimæ concremantur. Quocirca Deus hunc suum ignem ac caminum, templum et urbem a vi Assyriorum tutabitur, eosque disperdet.* Cap. 31. v. 9.

30. Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi eius in sempiternum, et omnes funiculi eius non rumpentur. *Sion hæc est hieroglyphicum cælestis patriæ, et æternæ beatitudinis.* Cap. 33. v. 20.

31. Victima Domini in Bosra, *q. d. Impii Idumæi quasi victimæ mactabuntur et immolabuntur Deo, Deique iustitiæ et vindictæ: unde explicans subdit:* Et interfectio magna in terra Edom. Cap. 34. v. 6.

32. Et convertentur torrentes eius in picem, et humus eius in sulphur: et erit terra eius in picem ardentem. *Hoc verum fuit in excidio Idumææ, sed verius erit in excidio orbis et in gehenna.* v. 9.

33. Et possidebunt illam onocrotalus et ericius: ibis et corvus habitabunt in ea. Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum, *q. d. Ita desolabitur Idumæa, ut sit habitaculum, non hominum, sed dæmonum et ferarum.* v. 11. et 14.

Cap.35. v. 1. 34. Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli et Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. *Hæc solitudo hieroglyphicum est gentilitatis, quæ viso et audito Christo, eiusque Apostolis, protulit lilia castitatis, et germina virtutum omnium. Unde subdit:* Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdo-
v. 5. rum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et iunci. Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus. Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude: et lætitia sempiterna super caput eorum.

Cap.38. v. 7. 35. Hoc tibi erit signum *sanitatis recuperandæ:* Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum decem lineis. *Regressus ergo hic umbræ et solis fuit hieroglyphicum regressus sanitatis, annorum et vitæ Ezechiæ regis.*

Cap.40. v. 3. 36. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. *Hæc vox fuit hieroglyphicum S. Ioannis Baptistæ; cuius concio, victus, vestitus, totaque vita non fuit aliud quam contenta et continua vox pœnitentiæ et contemptus mundi, præparans homines ad gratiam et salutem accipiendam a Messia.*

v. 6. 37. Vox dicentis: Clama: et dixi: Quid clamabo? *cui respondit Deus, Clama:* Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos: Verbum autem Domini nostri manet in æternum. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, dic, etc. Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur.

Cap.41. v. 18. 38. Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ: ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul: ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, et sanctus Israel creavit illud. *Omnes hæ arbores et flumina sunt hieroglyphicum viroris, et copiæ gratiarum et virtutum, quæ per Christum in solitudine Gentium succreverunt.*

Cap.42. v. 1. 39. Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum. *Hic servus hieroglyphicum est Christi, unde de eo subdit:*

v. 2. et 3. 40. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet, *q. d. Christus erit tam mansuetus et patiens, ut infirmos in fide et charitate non abiiciat, sed sustentet, foveat, sanet et accendat.*

v. 6. Dedi te in fœdus populi, *ut conderes et sancires novum testamentum, sive novum fœdus inter Christianos et Deum,* in lucem Gentium: ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

v. 11. 41. Sublevetur desertum, et civitates eius: in domibus habitabit Cedar: laudate habitatores Petræ: de vertice montium clamabunt. *Desertum hoc est symbolum gentilitatis, quam desertam et barbaram excoluit et cicuravit Christus, ut Gentiles et Cedareni antea vagabundi, iam in domibus et urbibus civiliter habitent, ibique non blasphement, uti olim, sed laudent et glorificent Deum.*

Cap.44. v. 27. 42. Qui dico profundo: Desolare. Dico, *id est, facio et reipsa desolo: Dei enim dicere est efficax, idemque quod facere; unde explicans subdit:* Et flumina tua arefaciam.

Qui dico Cyro: Pastor meus es, *q. d. Qui constituo Cyrum regem, ut quasi pastor regat populum meum, eumque in patriam reducat.*

Qui dico Ierusalem: Ædificaberis; et templo: Fundaberis, *q. d. Ego sum qui Ierusalem per Zorobabel reædificabo, et templum concrematum a Chaldæis restaurabo.*

Cap.45. v. 8. 43. Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem. *Nubes et germina sunt hieroglyphicum Christi nascentis ex Virgine: sicut enim nubes e cælo, et germina e terra virgine prodeunt; sic B. Virgo concepit Christum non ex viro, sed obnubilante et obumbrante eam Spiritu sancto e cælo.*

Cap.46. v. 11. 44. Vocans ab Oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ. *Avis symbolum est Cyri, qui, Deo vocante, celeriter e Perside advolavit contra Babylonem, eaque eversa inde Iudæos iuxta Dei voluntatem liberavit: unde vocatur vir voluntatis Dei.*

Cap.47. v. 1. 45. Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon. Tolle molam, et mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina. *Hæc omnia sunt hieroglyphica captivitatis, et servitutis, q. d. O Babylon, rerum domina, descendes de solio tuo regali, ad terram prosterneris, quasi ancilla seminuda incedes, damnata ad pistrinum; unde subdit:* Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas et viduitas.

Cap.49. v. 2. et 6. 46. Posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. *Gladius, quo cominus pugnatur; et sagitta, qua eminus, significant efficaciam prædicationis Christi, qua et Iudæos vicinos, et remotas gentes sibi subegit; unde ait:* Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

Cap.50. v. 1. 47. Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? *Liber repudii hieroglyphicum est repudii Synagogæ, creditor diaboli, q. d. Ego prior non repudiavi Synagogam, nec reprobavi Iudæos, nec tradidi eos diabolo; sed ipsi sponte sua hoc repudium petierunt, imo a me invito extorserunt, atque per scelera sua tradiderunt ipsi se diabolo. Unde sequitur:* Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.

v. 3. 48. Induam cælos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum, *q. d. Inducam cælis tenebrosum et atrum, id est, lugubrem, habitum, faciam eos lugere: saccus enim, et pulla vestis sunt symbola luctus.*

v. 5. 49. Dominus Deus aperuit mihi aurem, *id est, docuit me, revelavit et indicavit mihi suam voluntatem; unde ei se subdens, Christus subdit:* Ego autem non contradico: retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam.

Cap.51. v. 16. 50. Posui verba mea in ore tuo (*o Christe*) et in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cælos, et fundes terram: et dicas ad Sion: Populus meus es tu. *Novi cæli et terra, quæ Christus condidit, est Ecclesia, tam militans quam triumphans. Sionidæ, et populus eius sunt Christiani, puta sancti Martyres, Virgines, Confessores, etc.*

v. 17. et 19. 51. Consurge, Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius: usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces. *Calix significat mensuram pœnæ mensuræ culpæ commensam et adæquatam; unde subdit:* Duo sunt quæ occurrerunt tibi; quis contristabitur super te? vastitas, et contritio, et fames, et gladius; quis consolabitur te? Filii tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum sicut oryx illaqueatus. Idcirco audi hoc paupercula, et ebria non a vino. Ecce tuli de manu tua calicem soporis, etc. et ponam illum in manu eorum qui te humiliaverunt, et dixerunt animæ tuæ, Incurvare, ut transeamus.

Cap.52. v. 1. 52. Induere vestimentis gloriæ tuæ, Ierusalem, civitas sancti: quia non adiiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. Excutere de pulvere, consurge, sede, Ierusalem: solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Quia hæc dicit Dominus: Gratis venumdati estis,

et sine argento redimemini. *Ierusalem hieroglyphicum est
Ecclesiæ, quam Deus gratis per merita Christi liberavit a
statu servitutis, qua quasi mancipium serviebat Chaldæis,
id est, peccato et dæmoni, eamque transtulit in libertatem,
gloriam et regnum filii dilectionis suæ.*
v. 7. et 10. 53. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et
prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis sa-
lutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. *Hi pedes sunt
symbolum Apostolorum toto orbe discurrentium, et evan-
gelizantium regnum Dei. Unde subdit:* Et videbunt om-
nes fines terræ salutare Dei nostri.
Cap. 53. v. 2. 54. Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut ra-
dix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et
vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum:
despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et
scientem infirmitatem. *Hoc est hieroglyphicum, imo viva
imago Christi, in virgulto crucis crucifixi et deformati.*
Cap. 54. v. 1. 55. Lauda, sterilis quæ non paris: decanta laudem, et
hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, ma-
gis quam eius quæ habet virum, dicit Dominus: *Vidua et
sterilis pariens hieroglyphicum est Ecclesiæ Gentium: con-
iugata et habens virum, Synagogæ Iudæorum, cuius ma-
ritus erat lex. Sed Christus viduam sibi despondit, eamque
fœcundam effecit, ut plures Deo pareret filios quam Syna-
goga, antea Deo coniugata et copulata. Unde explicans
subdit:* Dilata (*o Ecclesia olim vidua*) locum tentorii tui,
etc. ad dexteram enim et ad lævam penetrabis: et semen
tuum Gentes hæreditabit. *Vide ad Galat.* 4. 27.
v. 11. et 12. 56. Fundabo te in sapphiris, et ponam iaspidem propu-
gnacula tua: et portas tuas in lapides sculptos, et omnes
terminos tuos in lapides desiderabiles. *Sapphirus symbo-
lum est cælestis conversationis, iaspis fortitudinis, lapides
sculpti mortificationis et charitatis, lapides desiderabiles
insignium virtutum et gratiarum Ecclesiæ et fidelium.
Unde explicans subdit:* Universos filios tuos doctos a Do-
mino, etc. in iustitia fundaberis, etc.
Cap. 55. v. 1. et 4. 57. Omnes sitientes, venite ad aquas: et qui non habe-
tis argentum, properate, emite et comedite: venite, emi-
te absque argento, et absque ulla commutatione vinum
et lac. *Aquæ, vinum et lac, sunt symbolum doctrinæ Evan-
gelicæ, qua Christus animas suorum cibat et potat, unde
de Christo sequitur:* Ecce testem populis dedi eum, du-
cem ac præceptorem Gentibus.
v. 12. 58. In lætitia egrediemini *e captivitate, non tam Baby-
lonis quam dæmonis et peccati*, et in pace deducemini:
montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia
ligna regionis plaudent manu, *q. d. Tanta erit fidelium,
orbisque lætitia sub Christo, ut montes iubilare, et arbo-
res eis applaudere videantur.*
Cap. 56. v. 3. 59. Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum ari-
dum, etc. Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum,
et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum.
*Hi eunuchi sunt symbolum virginum, qui se castraverunt
propter regnum cælorum: hi enim in eo habebunt locum
separatum, gloriam et nomen æternum.*
Cap. 57. v. 15. 60. Hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternita-
tem; et sanctum nomen eius in excelso et in sancto ha-
bitans, et cum contrito et humili spiritu: ut vivificet spi-
ritum humilium, et vivificet cor contritorum. *Hoc est hie-
roglyphicum Dei, qui est excelsus, rex sæculorum, rex
æternitatis, et tamen humilia respicit, et alta de longe co-
gnoscet.*
Cap. 58. v. 10. 61. Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam
afflictam repleveris, *primo*, orietur in tenebris lux tua;
secundo, requiem tibi dabit Dominus semper; *tertio*, im-
plebit splendoribus animam tuam; *quarto*, ossa tua libe-
rabit; *quinto*, eris quasi hortus irriguus, et sicut fons a-
quarum, cuius non deficient aquæ; *sexto*, ædificabuntur
in te deserta sæculorum, fundamenta generationis et ge-
nerationis suscitabis; *septimo*, vocaberis ædificator se-
pium, avertens semitas in quietem. *Est hoc hieroglyphi-
cum pietatis, et eleemosynæ, pandens septem eius fructus
per totidem elogia.*
v. 13. 62. Si averteris a sabbato pedem tuum, facere volun-
A tatem tuam in die sancto meo, *q. d. Si sabbata et festa
rite colas, quiescendo non tantum ab opere, sed a sequen-
da tua voluntate, eiusque cupidinibus, ut eius loco meam
unius expleas voluntatem, atque hac ratione,* vocaberis
sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, etc.
Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super
altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Iacob patris tui,
*q. d. Tunc Deus delicias tibi divinas præbebit, ac te ma-
iorem terra efficiet, ut in cælo consistens Deoque unitus de-
spicias totum hoc terræ punctum: ibi enim longe maiori
et meliori hæreditate, Iacobo et Abrahæ, eiusque semini
promissa, cibabit te.*
63. Indutus est (*Deus*) iustitia ut lorica, et galea salu- Cap. 59.
tis in capite eius: indutus est vestimentis ultionis, et o- v. 17.
pertus est quasi pallio zeli. *Est hoc hieroglyphicum et pa-
noplia Dei, procedentis ad duellum contra dæmonem et
peccatum, ut ea per Christum debellet. Ergo Dei lorica
est iustitia, galea salus, vestes ultio, pallium zelus.*
B 64. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: *fœdus* v. 21.
*scilicet novum, quo per Christum contulit nobis suum spi-
ritum et salutem:* Spiritus meus, qui est in te, et verba
mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore seminis
tui, etc. amodo et usque in sempiternum.
65. Surge, illuminare, Ierusalem: quia venit lumen Cap. 60.
tuum, et gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt v. 1. et
Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. I- 14.
nundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et E-
pha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes,
et laudem Domino annuntiantes. *Est hieroglyphicum Ec-
clesiæ, cui tres Magi, aliique principes et populi se, sua-
que dona et bona obtulerunt. Unde subdit:* Et venient ad
te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt
vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et
vocabunt te Civitatem Domini, Sion sancti Israel. Ponam
te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et
generationem: et suges lac Gentium, et mamilla regum
lactaberis.
C 66. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec v. 19.
splendor lunæ illuminabit te (*o Ecclesia tum militans,
tum magis triumphans*) sed erit tibi Dominus in lucem
sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam.
67. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Domi- Cap. 61.
nus me (*Christum*) etc. ut prædicarem annum placabi- v. 1.
lem Domino, *puta tempus gratiæ, salutis et christianismi:
hic enim est iugis et continuus nobis annus iubilæi:* et da-
rem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pal-
lium laudis pro spiritu mœroris: et vocabuntur in ea for-
tes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. *Hi sunt
fideles Christiani: hi enim sunt milites fortes pro iustitia
decertantes, et arbores fructiferæ plantatæ a Domino, eum-
que glorificantes.*
68. Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima v. 10.
mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, et
indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum deco-
ratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.
D *Hæc sunt symbola ornatus sponsæ Christi, puta Ecclesiæ,
quæ non auro, non bysso, non gemmis, sed fide, spe, cha-
ritate, patientia, fortitudine, aliisque Dei donis et virtuti-
bus ornatur.*
69. Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema Cap. 62.
regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra Derelicta, etc. v. 3.
sed vocaberis Voluntas mea in ea. *Corona gloriæ et dia-
dema Dei est Ecclesia, et fidelis sanctaque anima, quæ est
in manu, id est in cura et tutela Dei.*
Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes, tota v. 6.
die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. *Hi custodes
sunt Ecclesiæ pastores: item sancti Angeli.*
Et vocabunt eos (*fideles, Ecclesiæ Christique filios*) Po- v. 12.
pulus sanctus, redempti a Domino. Tu autem (*o Ecclesia*)
vocaberis Quæsita civitas, et non Derelicta.
70. Ecce ego creo cælos novos, et terram novam, *pu-* Cap. 65.
ta Ecclesiam. Unde de ea subdit: Ecce ego creo Ierusa- v. 17.
lem exultationem, et populum eius gaudium. Et exsulta-
bo in Ierusalem, et gaudebo in populo meo: et non au-

dicetur ultra in eo vox fletus.
Cap. 66. 71. Et erit mensis, *hebr. neomenia*, ex mense, et sabba-
v. 23. tum ex sabbato, *q. d. In cœlo erit continuum et perpetuum
festum ac lætitia.*

EX IEREMIA.

Cap. 1. 1. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum:
v. 9. et dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo:
ecce constitui te hodie super Gentes, et super regna, ut
evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices,
et plantes. *Hic tactus manus Dei fuit hieroglyphicum, quo
Ieremias a Deo primo, consecratus fuit Propheta; secundo
roboratus, ne manus et plagas Iudæorum pertimesceret;
tertio, os eius apertum, dispositum et formatum est ad ver-
ba Dei rite enuntianda: ut nimirum sincere et libere præ-
diceret, has gentes a Deo evellendas esse et destruendas,
illas ædificandas ac stabiliendas.*
v. 11. 2. Quid tu vides, Ieremia? Et dixi: Virgam vigilantem
ego video. *Virga hæc vigilans fuit hieroglyphicum vigilan-
tiæ Dei, eiusque vigilis et celeris ultionis, quod nimirum
ipsa per Chaldæos, quasi per virgam, Iudæos percuteret
et flagellaret; unde explicans subdit:* Et dixit Dominus
ad me: Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo
ut faciam illud.
v. 13. 3. Quid tu vides? Et dixi: Ollam succensam ego video,
et faciem eius a facie Aquilonis. *Olla hæc succensa fuit
hieroglyphicum Nabuchodonosoris qui quasi olla succensa
ignem furoris ebulliit et efflavit in Iudæos; unde explicans
subdit:* Ab Aquilone (*a Chaldæa, quæ est ad Aquilonem
Iudææ*) pandetur omne malum super habitatores terræ.
Cap. 2. 4. Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam
v. 2. et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me
in deserto. *Adolescentiam vocat ætatem iuvenilem Syna-
gogæ, qua sub Mose desponsata fuit Deo, quasi eius Ec-
clesia et sponsa.*
v. 3. 5. Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius. *Quod
primitiæ sunt in frugibus, hoc in Gentibus fuit Israel: præ
omnibus enim, et pro omnibus quasi primitiæ oblatus et con-
secratus fuit Deo.*
v. 21. 6. Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum:
quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena?
*Vinea hieroglyphicum est Synagogæ, et Ecclesiæ. Vide
Isaiæ* 5. 1.
Cap. 6. 7. Probatorem dedi te in populo meo robustum: et scies,
v. 27. et probabis vias eorum. Omnes isti principes declinantes
ambulantes fraudulenter, æs et ferrum: universi corrupti
sunt. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plum-
bum, frustra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non
sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia
Dominus proiecit eos. *Ieremias est probator, id est, ar-
gentarius conflator: argentum purgandum et conflandum
sunt Iudæi, qui ita fuere moribus corrupti, ut in fornace
correptionis Ieremiæ excocti, non argentum, sed æs, ferrum
et scoriam dederint: consumptis enim omnibus, eorum ma-
litia non est consumpta. Quocirca Deus eos, quasi argen-
tum reprobum, proiecit et reprobavit.*
Cap. 7. 8. Tonde capillum tuum, et proiice, et sume in dire-
v. 29. ctum planctum, *q. d. Tu, o Ieremia, tonde capillum mo-
re lugentium, ut Iudæorum luctum portendas; et crines
abs te proiice, ut portendas eorum dispersionem et exi-
lium,* quia proiecit Dominus, et reliquit generationem fu-
roris sui, *puta gentem Iudaicam in quam sævire, et quasi
furere decrevit.*
v. 31. 9. Ædificaverunt excelsa Tophet, quæ est in valle filii
Ennom: ut incenderent filios suos, et filias suas igni. I-
deo ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur am-
plius, Tophet, et Vallis filii Ennom; sed Vallis interfe-
ctionis, et sepelient in Tophet, eo quod non sit locus, *q.
d. Quia in Tophet cremarunt filios idolo Moloch cum gau-
dio et tympanis: idcirco eos in Tophet per Chaldæos occi-
dam et sepeliam, itaque faciam, ut vallis hæc non vocetur
Tophet, id est pulchra vel tympani, sed vallis interfectionis.*
Cap. 11. 10. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam,
A vocavit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ, gran- v. 16.
dis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta eius: *O-
liva hæc hieroglyphicum est Synagogæ et Ierusalem: sicut
enim dum fulmine per tonitru vibrato, afflantur olivæ,
mox earum frondes et fructus exuruntur; sic Ierusalem a
Chaldæis, quasi a fulmine, subito percussa, omnes suos
cives, opes et gloriam vel igne vel gladio hostium perdidit.*
11. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad vi- v. 19.
ctimam: et non cognovi, quia cogitaverunt super me con-
silia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, et era-
damus eum de terra viventium. *Agnus hic fuit symbolum
patientis Ieremiæ, Ieremias Christi: unde lignum hic ty-
pus est crucis.*
12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: Cap. 12.
dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius, v. 7.
*q. d. Ierusalem et templum, quæ dilexi ut animam meam,
tradidi Chaldæis. Causam subdit:* Facta est mihi hæredi-
tas mea quasi leo in sylva: dedit contra me vocem suam.
13. Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? num- v. 9.
B quid avis tincta per totum? venite, congregamini, omnes
bestiæ terræ, properate ad devorandum, *q. d. Chaldæi
persequentur et devorabunt Iudæos, sicut aves persequun-
tur et devorant avem peregrinam et invisam, v. g. noctuam.
Unde eos invitat et vocat ad hanc prædam, dicens:* Veni-
te congregamini etc.
14. Tolle lumbare, quod possedisti quod est circa lum- Cap. 13.
bos tuos, et surgens vade ad Euphratem, et absconde ibi v. 4.
illud in foramine petræ. Et abii, et abscondi illud in Eu-
phrate. Et factum est post dies plurimos, tuli lumbare de
loco, ubi absconderam illud: et ecce computruerat. *Hie-
roglyphicum hoc explicat subdens:* Hæc dicit Dominus:
Sic putrescere faciam superbiam Iuda, et superbiam Ie-
rusalem. *Lumbare enim, sive cingulum lumborum, symbo-
lum est Iudæ et Ierusalem. Causam dat v.* 11. Sicut enim
adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi o-
mnem domum Israel, ut essent mihi in populum, et in
nomen, et in laudem, et in gloriam: et non audierunt.
C 15. Omnis laguncula implebitur vino: *sic ecce ego im-* v. 12.
plebo reges, sacerdotes, et Prophetas, et omnes habitato-
res Ierusalem, ebrietate: et dispergam eos, neque mise-
rebor ut non disperdam eos, *q. d. Propinabo eis calicem
ultionis et vindictæ tam acris, ut eo hausto quasi ebrii, et
mentis impotes furere videantur.*
16. Expectatio Israel, salvator eius in tempore tribu- Cap. 14.
lationis: quare quasi colonus futurus es in terra, et qua- v. 8.
si viator declinans ad manendum? Quare futurus es ve-
lut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare? *q. d. Cur,
o Domine, Israelem tuum negligis, eum quasi viator per-
transis, ac permittis eum a Chaldæis opprimi? unde orans
subdit.* Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum
invocatum est super nos, ne derelinquas nos, *q. d. Licet
nos negligere videaris, revera tamen in nobis, et nobiscum
es. Nos enim sumus populus tuus, ergo ne derelinquas nos.*
17. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, Cap. 16.
et piscabuntur eos: et post hæc mittam eis multos vena- v. 16.
D tores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni col-
le, et de cavernis petrarum. *Piscatores sunt Apostoli, ve-
natores viri Apostolici, ut qui hodie Indos et Barbaros,
quasi feras in cavernis scrutantur, cicurant, et Christianos
efficiunt.*
18. Verbum quod factum est ad Ieremiam a Domino, Cap. 18.
dicens: Surge, et descende in domum figuli, et ibi audies v. 1.
verba mea. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse fa-
ciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod
ipse faciebat e luto manibus suis: conversusque fecit il-
lud vas alterum, sicut placuerat in oculis eius ut faceret.
Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Numquid
sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel,
ait Dominus? ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in
manu mea: *ac proinde ego vos, quasi vasa in captivitate
fracta et dissipata, refingere, et in libertatem patriamque
reducere, ibique ditare et dotare possum.*
19. Vade, et accipe lagunculam figuli testeam a senio- Cap. 19.
ribus populi, et egredere ad vallem filii Ennom. Et con- v. 1.

teres laguncnlam in oculis virorum, qui ibunt tecum. Et
dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Sic conte-
ram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur
vas figuli. *Ecce hieroglyphicum a Deo explicatum.*
Cap.22. 20. Quæ sedes in Libano, et nidificas in cedris, quo-
v. 23. modo congemuisti, cum venissent tibi dolores, quasi par-
turientis? *q. d. O Ierusalem, decore et gloria par Libano,*
quæ quasi aquila in præcelsis e cedro domibus habitas,
quomodo gemes cum exscinderis a Chaldæis?
v. 24. 21. Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias,
etc. annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.
Hieroglyphicum hoc clare hic explicatur, uti et sequens.
v. 29. 22. Terra, terra, terra, audi verbum Domini. Scribe vi-
rum istum (*Iechoniam*) sterilem, virum qui in diebus suis
non prosperabitur; nec enim erit de semine eius vir, qui
sedeat super solium David.
Cap 23. 23. Suscitabo David germen iustum et regnabit rex, et
v. 5. sapiens erit: et faciet iudicium et iustitiam in terra. In
diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confiden-
ter; et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iu- B
stus noster. *Hoc Davidicum iustitiæ germen, est Christus*
Salvator.
v. 33. 24. Si interrogaverit te populus iste, etc. dicens: Quod
est onus Domini? dices ad eos: Vos estis onus: proiiciam
quippe vos.
Cap 24. 25. Quid tu vides, Ieremia? Et dixi: Ficus, bonas,
v. 5. bonas valde, et malas, malas valde. *Ficus bonæ valde re-*
præsentant Ioachin, eiusque asseclas, qui obedientes Deo
et Ieremiæ, trudiderunt se Chaldæis, de quibus dicit v. 5.
Sicut ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationem
Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum,
in bonum, *q. d. Bonus et beneficus eis ero; faciam ut*
hæc eorum transmigratio cedat eis in bonum. Ficus ma-
læ valde repræsentant Sedeciam et socios, qui contra ius-
sum Domini rebellarunt Chaldæis, ideoque perierunt, de
quibus ait, v. 8. Sicut ficus pessimæ, quæ comedi non
possunt, eo quod sint malæ: hæc dicit Dominus: Sic da-
bo Sedeciam regem Iuda, et principes eius, etc. et dabo C
eos in vexationem, in opprobrium, et in maledictionem.
Cap 25. 26. Sume calicem vini furoris huius de manu mea: et
v. 15. propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam
te. *Calix hic est mensura vindictæ et excidii, quam cui-*
que genti pro mensura culpæ, per Ieremiam intentat Deus.
Unde sequitur: Et bibent, et turbabuntur, et insanient a
facie gladii, quem ego mittam inter eos.
Cap.27. 27. Fac tibi vincula, et catenas: et pones eas in collo
v. 2. et tuo, et mittes eas ad regem Edom, Moab, Tyri, Sido-
6. nis, etc. *Hæc vincula significant iugum Nabuchodonosoris,*
et catenas, quibus ab eo vinciendi erant Iudæi, et aliæ gen-
tes; unde ea explicans subdit: Itaque ego dedi omnes ter-
ras istas in manu Nabuchodonosor, etc. Et servient ei o-
mnes gentes, etc. Quicumque non curvaverit collum suum
sub iugo regis Babylonis, in gladio, et in fame, et in pe-
ste visitabo super gentem illam.
Cap 28. 28. Et tulit Hananias Propheta (*pseudopropheta*) cate-
v. 10. nam de collo Ieremiæ, et confregit eam, dicens: Hæc di-
cit Dominus: Sic confringam iugum Nabuchodonosor. Et D
factum est verbum Domini ad Ieremiam: Vade, et dices
Hananiæ: Hæc dicit Dominus: Catenas ligneas contrivi-
sti: et facies pro eis catenas ferreas, quia, etc. iugum fer-
reum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut
serviant Nabuchodonosor. Audi, Hanania: Hoc anno mo-
rieris. Et mortuus est in anno illo.
Cap 31. 29. Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et
v. 15. fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari
super eis, quia non sunt. *Hæc vox est matrum plorantium*
stragem filiorum, in infanticidio Herodis nato Christo.
v. 31. 30. Feriam domui Israel et domui Iuda fœdus no-
vum, etc. dabo legem meam in visceribus eorum, et in
corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum, et ipsi erunt
mihi in populum. *Lex vetus scripta fuit in lapide, nova*
in corde.
v. 38. 31. Ædificabitur civitas Domino, a turre Hanameel us-
que ad portam anguli, etc. *Significatur ædificatio et pro-* A
pagatio Ecclesiæ.
32. Emi (*iubente Deo*) agrum ab Hanameel filio patrui Cap.32.
mei. Hæc enim dicit Dominus, etc. Adhuc possidebuntur v. 9. et
domus, et agri, et vineæ in terra ista, *q. d. In obsidio Ie-* 15.
rusalem emi agrum mei patruelis, ut hoc facto repræsen-
tarem, et Iudæis spem darem, quod post 70. *annos capti-*
vitatis quisque ad suos agros in Iudæam rediret. Unde ca-
put hoc claudit dicens: Convertam captivitatem eorum.
33. Sume lapides grandes, et abscondes eos in crypta, Cap.43.
quæ est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis in v. 9.
Taphnis, cernentibus viris Iudæis: et dices ad eos: Hæc
dicit Dominus Deus exercituum: Ecce ego mittam, et as-
sumam Nabuchodonosor, etc. et ponam thronum eius su-
per lapides istos, quos abscondi, et statuet solium suum
super eos veniensque percutiet terram Ægypti. *Iubetur*
hic Ieremias prophetare victoriam Nabuchodonosoris de Æ-
gypto, eique ibidem symbolicum solium struere.
34. Ecce quasi aquila volabit, et extendet alas suas ad Cap.48.
Moab. *Aquila hieroglyphicum est Nabuchodonosoris, ob* v. 40.
eius celeritatem, rapacitatem, fortitudinem. Hic enim alas
equitum et peditum contra Moab expandit.
35. Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis ad Cap.49.
pulchritudinem robustam, *q. d. Sicut leo irruit in præ-* v. 19.
dam: sic Nabuchodonosor, transito tumido Iordane, ir-
ruet in Idumæam, quam eius incolæ putant esse pulcher-
rimam et robustissimam.
36. Grex dispersus Israel, leones eiecerunt eum: pri- Cap.50.
mus comedit eum rex Assur (*Salmanasar*) iste novissimus v. 17.
exossavit eum (*id est, Ierusalem, et templum, quæ erant*
fulcra, et quasi ossa Israelis, evertit) Nabuchodonosor.

EX THRENIS.

1. Candidiores Nazaræi eius nive, nitidiores lacte, ru- Cap. 4.
bicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Deni- v. 7.
grata est super carbones facies eorum, non sunt cogniti
in plateis, *q. d. Nazaræi Iudæorum speciosi olim, et can-*
dore roseo perfusi, iam fame et macie squalidi sunt et a-
tri, ut non agnoscantur. Hi Nazaræi hieroglyphicum sunt
Clericorum et Religiosorum, cum e sua sanctitate et gloria
in vitia et probra Dei hominumque corruunt.
2. Spiritus oris nostri (*non Iosias, non Sedecias, sed Sal-* v. 20.
vator Iesus, qui est halitus, anima et vita nostra) Christus
Dominus in peccatis nostris captus est, cui diximus: In
umbra tua vivemus in gentibus.

EX EZECHIELE.

1. Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, Cap. 1.
et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circui- v. 4.
tu eius quasi species electri. *Est toto hoc cap. hierogly-*
phicum currus Cherubici, qui est symbolum maiestatis,
fortitudinis et gloriæ Dei properantis ad bellum, et exci-
dium Iudæorum, aliarumque gentium. Turbo ergo symbo-
lum est iræ, item tempestatis et cladis Iudææ a Deo immi-
nentis: nubes significat densa castra Chaldæorum; ignis
involvens, mox futurum urbis et templi incendium.
2. Et in medio similitudo quatuor animalium: quatuor v. 5.
facies uni, et quatuor pennæ uni: et pedes eorum, pedes
recti, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, et
scintillæ quasi aspectus æris candentis. *Quatuor anima-*
lia repræsentant quatuor Cherubinos, id est, principes An-
gelos, qui sunt quasi stipatores Dei; unde et quatuor eius
insignia gestant, de quibus subdit:
Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, et fa- v. 10.
cies leonis a dextris ipsorum quatuor: facies autem bo-
vis a sinistris ipsorum quatuor: et facies aquilæ desuper
ipsorum quatuor. *Facies hominis insigne est repræsentans*
Dei bonitatem, et mansuetudinem: facies leonis repræsen-
tat Dei fortitudinem: facies aquilæ, eiusdem sapientiam et
providentiam: bovis, eiusdem iustitiam, religionem et cul-
tum. Alleg. homo repræsentat Christi incarnationem, bos
immolationem, leo resurrectionem, aquila ascensionem in
cœlum.
Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec re- v. 12
vertebantur cum ambularent. Et animalia ibant, et re- et 14.

vertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. *Significatur hoc symbolo Angelos esse agillimos, et promptissimos ad omnem Dei nutum.*

A

v. 15. 3. Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram iuxta animalia, habens quatuor facies etc. quasi sit rota in medio rotæ. Per quatuor partes earum euntes ibant, et totum corpus oculis plenum; cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ. Spiritus enim vitæ erat in rotis. *Rotæ hæ significant Dei æternitatem, efficacitatem, vigilantiam, et celeritatem in operando, puta in mundi et Ecclesiæ gubernatione.*

v. 22. 4. Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis.

v. 26. Et super firmamentum quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni, et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.

Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum a lumbis eius et desuper: et a lumbis eius usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu; velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviæ. *Firmamentum significat cælum empyreum, quod est quasi scabellum Dei. Thronus significat Dei, primo, maiestatem et celsitudinem; secundo, regiam dignitatem; tertio, iudiciariam potestatem. In hoc solio visus est sedere Deus specie humana, habens quasi corpus superne ex electro, sive aurichalco; inferne ex igne, puta habens pedes ignitos. Electrum significat præstantiam deitatis; pedes ignei iram et vindictam in Iudæos, aliosque eius hostes. Iris in eius circuitu significat clementiam, quæ temperat eius iram et vindictam.*

B

Cap. 2. 5. Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat in-
v. 9. volutus liber, et expandit illum coram me: qui erat scriptus intus et foris, et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ. *Liber hic continebat minas Dei, et clades Iudæis imminentes, quas Ezechiel in hac sua Prophetia conscripsit.*

Cap. 3. Filii hominis, comede volumen istud. Et aperui os meum,
v. 1. et cibavit me volumine illo. Et comedi illud: et factum est in ore meo sicut mel dulce. *Quia cognoscere consilia et iudicia Dei Prophetæ erat dulce et iucundum: at ubi per ea dira suis intentari cognovit, eaque ruminavit, amaricatus est venter eius, indoluit et ingemuit.*

v. 25. 6. Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est. Cum autem locutus ero tibi, aperiam os tuum. *Ligavit Deus manus et linguam Ezechielis ad tempus, ut hoc silentio quasi perculsus et obstupescens commoveret dura Iudæorum corda. Inde enim coniicere debebant, eum mira et horrenda audisse a Deo, ac proinde iis credere, similique metu et horrore percelli, ac vitam mutare.*

Cap. 4. 7. Fili hominis, sume tibi laterem: et describes in eo
v. 1. civitatem Ierusalem. Et ordinabis adversus eam obsidionem, munitiones, castra, et pones arietes in gyro. Et tu, sume tibi sartaginem ferream, et pones eam in murum ferreum inter te, et civitatem: et obfirmabis faciem tuam ad eam. Et tu dormies super latus tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israel super eo numero dierum, quibus dormies super illud. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos et nonaginta dies. Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dextrum: et assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus; diem pro anno dedi tibi. Cibus autem tuus quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die. Et aquam in mensura bibes, sextam partem hin. Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud: et stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum. Et dixit Dominus: Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter Gentes, ad quas eiiciam eos. Et dixi: A, a, a, Domine Deus, ab infantia usque nunc non est ingressa in os meum omnis caro immunda. Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: et facies panem tuum in eo.

Hoc hieroglyphico ad vivum repræsentavit Ezechiel Hierosolymæ per Chaldæos obsidionem et excidium. Nam 390. diebus decumbens in latus sinistrum, repræsentavit urbis obsidionem (ea enim totidem diebus duravit.) 40. vero diebus decumbens in latus sinistrum repræsentavit eiusdem excidium. Unde comedens fimum boum, repræsentavit tantam fore in obsidione famem, ut et stercora comederent. Hoc enim est quod explicans Deus ait v. 16. Ecce ego conteram baculum panis in Ierusalem: et comedent panem in pondere, et in sollicitudine: et aquam in mensura, et in angustia bibent.

8. Fili hominis, sume tibi gladium (*novaculam*) acu- Cap. 5.
tum, radentem pilos: et duces per caput tuum, et per v. 1.
barbam tuam: et assumes tibi stateram ponderis, et di- et 3.
vides eos. Tertiam partem igni combures: tertiam partem concides gladio: tertiam vero aliam disperges in ventum. *Novacula Dei fuit Nabuchodonosor; hic rasit barbam, id est principes et sacerdotes; et pilos, id est, populum Iudæorum. Unde una eorum pars peste, secunda gladio interiit, tertia capta est et dispersa in Babylone. Hinc explicans subdit v.* 12. Tertia pars tui peste morietur et fame, et tertia pars tui in gladio cadet: tertiam vero partem tuam in omne ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos. *Porro de reliquiis quæ cladem evadent, addit:* Et sumes inde parvum numerum, et ligabis eos in summitate pallii tui. Et ex eis rursum tolles, et proiicies eos in medio ignis, et combures eos igni: et ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel. *Hi sunt Iudæi, qui post reditum e Babylone, ob nova peccata, ab Antiocho Epiphane instar ignis grassante, et postea a Tito occisi sunt.*

9. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cin- Cap. 8.
cinno capitis mei: et elevavit me spiritus inter terram et v. 3.
cælum: et adduxit me in Ierusalem in visione Dei, iuxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. *Ezechiel in Babylone degens inde spiritu hic rapitur in Ierusalem, ut videat idololatriam, et abominationes quas Iudæi faciebant in templo. Porro vocatur idolum zeli: quia Deum provocabat ad zelum et æmulationem. Deus enim zelotes non patitur alium Deum, præsertim in suo templo collocari et coli. Unde indignans subdit:* Fili hominis etc. adhuc conversus videbis abominationes maiores. Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem, vers. 14.

C

10. Ecce sex viri veniebant: et uniuscuiusque vas in- Cap. 9.
terfectionis in manu eius: vir quoque unus in medio eo- v. 2.
rum vestitus erat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes eius. Et dixit Dominus ad eum (*virum qui vestitus erat lineis*) Transi per mediam civitatem in medio Ierusalem: et signa thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis (*sex viris*) dixit, audiente me: Transite per civitatem sequentes eum, et percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentem, et virginem, parvulos et mulieres interficite usque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis, et a sanctuario meo incipite. *Iubet hic Deus Angelo, ut Hierosolymæ signet pios, lugentes peccata populi, signo thau, id est, crucis; unde gestat atramentarium, ut quasi notarius atramento litteram thau frontibus piorum inscribat. Deinde iubet sex aliis Angelis, ut signatis parcant, reliquos omnes non signatos per Chaldæos occidant, et urbem incendant, unde subdit:*

D

Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait: In- Cap. 10.
gredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim, et v. 2.
imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, et effunde super civitatem. *Iubet hic Deus Angelo, ut ex suo curru Cherubim ignem, quo comburenda est Ierusalem, accipiat, ut significet urbis incendium non casu, non Chaldæorum consilio et fortitudine, sed Dei providentia et decreto eventurum.*

11. Dixitque ad me: Fili hominis, hi sunt viri qui co- Cap. 11.
gitant iniquitatem, et tractant consilium pessimum in v. 2.
urbe ista, dicentes: Nonne dudum ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes, *q. d. Domus et muri*

Ierusalem instar lebetis sunt ferrei et fortissimi; nos ergo, esto simus carnei, tamen quia ea continemur et munimur, non timemus Chaldeos. Hisce respondet Propheta subdens: Propterea hæc dicit Dominus Deus: Interfecti vestri, quos posuistis in medio eius, hi sunt carnes, et hæc est lebes, *q. d. Non vos, o Iudæi, estis carnes in Ierusalem; sed carnes sunt Prophetæ, quos quasi victimas Deo mactastis.* Et educam vos de medio eius. Gladium metuistis, et gladium inducam super vos. Hæc non erit vobis in lebetem, et vos non eritis in medio eius in carnes; in finibus Israel iudicabo, *id est puniam et occidam vos, q. d. Educam vos ex Ierusalem ad Nabuchodonosor in Reblatha, ut ibi ab eo occidamini. Quocirca Ierusalem non erit vobis lebes et tutamen; nec vos in ea eritis quasi carnes ab hostibus intactæ et illæsæ.*

Cap.12. v. 3. et 11. 12. Fili hominis fac tibi vasa transmigrantis, et transmigrabis coram eis. Ante oculos eorum perfode tibi parietem, et egredieris per eum. In conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine effereris: faciem tuam velabis et non videbis terram: quia portentum dedi te domui Israel. *Iubetur hic in se ad vivum repræsentare Ezechiel fugam Sedeciæ, et Iudæorum capta urbe noctu, eiusque excæcationem; unde explicans subdit:* Quomodo feci, sic fiet illis: in transmigrationem, et in captivitatem ibunt. Et dux (*rex Sedecias*) qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur: parietem perfodient ut educant eum: facies eius operietur ut non videat oculo terram. Adducam eum in Babylonem, et ipsam non videbit (*utpote excæcatus a Nabuchodonosor*) ibique morietur.

v. 18. Fili hominis, panem tuum in conturbatione (*in pavore et trepidatione*) comede: sed et aquam tuam in festinatione et mœrore bibe. *Causam et significationem subdit:* Et dices ad populum terræ: Panem suum in sollicitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent.

Cap.15. v. 2. 13. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis *a vite præciso*? Ecce igni datum est in escam: sic tradam habitatores Ierusalem *igni et gladio.*

Cap.16. v. 4. 14. Quando nata es (*o Ierusalem, o Synagoga*) in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, et dixi: Vive, etc. et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo. Et vestivi te discoloribus, et calceavi te ianthino, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum, et coronam decoris in capite tuo. Et sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa: oleum meum et thymiama meum posuisti coram eis, et fornicata es cum filiis Ægypti et Assyriorum, et cum Chaldæis. Propterea, meretrix, audi verbum Domini: Iudicabo te iudiciis adulterarum, et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis. *Est hieroglyphicum Israelis, sive Synagogæ, quæ in deserto pauper et misera, a Deo per Mosen collecta, eique quasi matrimonio copulata, bonisque omnibus dotata, mox quasi meretrix ab eo ad idola descivit; quocirca iuste a Deo per Chaldæos punita et vastata est. Vide dicta Ezechielis* 16.

v. 52. 15. Mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus. Et soror tua maior, Samaria: soror autem tua minor Sodoma. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua sicut tu: et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit. *Vocantur hæ sorores Ierusalem, quia ei vicinæ, et quia æque sceleratæ; unde et ei in pœna et excidio similes fuere.*

v. 15 Ergo et tu porta confusionem tuam quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis; porta ignominiam tuam quæ iustificasti sorores tuas, *ut illæ te videantur meliores, et iustiores, id est minus malæ, minus iniquæ et impiæ quam tu, adeoque, si tecum, et cum tua impietate comparentur, videantur esse iustæ et piæ.*

Cap.19. v. 1. 16. Et tu, assume planctum super principes Israel, et dices: Quare mater tua leæna inter leones cubavit? et eduxit unum de leunculis suis et leo factus est: et didicit

A capere prædam, hominemque comedere. Et audierunt de eo Gentes, et non absque vulneribus suis ceperunt eum, et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. *Leæna est Synagoga, leunculus Ioachaz rex, quem Pharao captivum duxit in Ægyptum.*

Quæ (*leæna, puta Synagoga, sive Ierusalem*) cum vidisset quoniam infirmata est et periit exspectatio eius, tulit v. 5.
unum de leunculis suis, leonem constituit eum. Et didicit prædam capere, et homines devorare, viduas facere, etc. Et convenerunt adversus eum Gentes, et expanderunt super eum rete suum, et miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis. *Hic leunculus est Ioachin rex, aut potius tyrannus, quem proinde Chaldæi ceperunt, et abduxerunt.*

17. Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam v. 10.
plantata est: fructus eius et frondes eius creverunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, etc. Et evulsa est in ira, in terramque proiecta: ignis comedit eam. Et nunc transplantata est in deser-
B tum. Planctus est, et erit in planctum. *Vinea hæc est Ierusalem: sanguis regius enim est quasi liquor uvæ rubeus. Hæc vinea quasi plantata ad aquas, crevit opibus et gloria, sed ob peccata ab ira Dei eradicata est, incensa, et translata in Chaldæam.*

18. Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius erant, Cap.23.
et fornicatæ sunt in Ægypto. Nomina autem earum, Oolla maior, et Ooliba soror eius minor. v. 2.
Quænam sint hæ, explicat dicens: Porro earum nomina, Samaria Oolla, et Ierusalem Ooliba. *Oolla enim hebr. significat*, tabernaculum eius: scilicet *Samariæ, est in Dan et Bethel, continens vitulos aureos, quos pro Deo colit. Ooliba vero significat* tabernaculum meum in ea: *Deus enim suum tabernaculum habebat in Ierusalem. Fornicationem vocat idololatriam utriusque, de qua subdit*: Fornicata est igitur super me Oolla, et insanivit in amatores suos, in Assyrios: *Quia Samaria coluit deos Assyriorum.* Propterea tradam eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum
C Assur. *Samaria enim eversa est a Salmanasar Assyrio, anno 6. Ezechiæ.* Quod cum vidisset soror eius Ooliba (*Ierusalem*) plus quam illa insanivit libidine: *Quia ut sequitur, coluit deos Chaldæorum et Ægyptiorum.* Propterea, Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, filios Babylonis, et universos Chaldæos: nasum tuum et aures tuas præcident: et quæ remanserint, gladio concident: et ipsi filios tuos et filias tuas capient, et novissimum tuum devorabunt igni. Calicem sororis tuæ bibes profundum et latum. Ebrietate, et dolore repleberis. Et bibes illum, et epotabis usque ad fæces, et fragmenta eius devorabis. Ubera tua lacerabis: tu quoque porta scelus tuum, et fornicationes tuas. *Calix hic est mortis et excidii, puta mensura suppliciorum peccatis Iudæorum commensa, quem eis miscuit et propinavit vindex Deus.*

19. Filii hominis, pone ollam, et mitte in eam aquam. Cap.24.
Congere frusta eius in eam, omnem partem bonam femur v. 3.
et armum, electa et ossibus plena. Pinguissimum pecus
D assume, compone quoque strues ossium sub ea. Efferbuit coctio eius, et discocta sunt ossa illius in medio eius. *Olla est Ierusalem, in qua carnes, id est, cives a Chaldæis coquendi et consumendi sunt. Unde explicans subdit*: Væ civitati sanguinum, ollæ, cuius rubigo in ea est, et rubigo eius non exivit de ea. Væ civitati sanguinum, cuius v. 6. et
ego grandem faciam pyram. Congere ossa, quæ igne suc- 9.
cendam, consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent.

20. Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculo- v. 16.
rum tuorum in plaga (*q. d. Faciam ut ex morbo moria-* et 21.
tur uxor tua dilecta) et non planges neque plorabis: *ut hac re portendas excidium urbis et templi, in quo tanta erit strages, ut nemo fratrem, patrem vel uxorem sit plancturus.* Et mortua est uxor mea vespere, fecique mane sicut præceperat mihi. *Porro hæc explicans subdit;* Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluam sanctuarium meum superbiam imperii vestri, et desiderabile oculorum vestro-

rum, et super quo pavet anima vestra: et filii vestri gladio cadent. Et facietis sicut feci, *q. d. Non plangetis eos.* Eritque Ezechiel vobis in portentum.

Cap.28. 21. Fili hominis, dic principi (*regi*) Tyri: Dixisti, Deus
v. 2. ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei: *Tantos habuisti animos ac spiritus, ac si esses Deus.* Idcirco morte incircumcisorum morieris in manu alienorum. *q. d. Incircumcisi, puta Gentiles Chaldæi, occident te pariter incircumcisum.* Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore; in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Tu cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, donec inventa est iniquitas in te, et peccasti. Et eieci te de monte Dei, et perdidi te, o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. Omnes, qui viderint te in Gentibus obstupescent super te. Nihili factus es, et non eris in perpetuum. *Regem Tyri ob sapientiam, opes et gloriam comparat Cherubino, quem ob superbiam per Chaldæos regno bonisque omnibus privavit. Vide dicta Ezech.* 28.

Cap.29. 22. Ecce ego ad te Pharao, rex Ægypti, drago magne,
v. 3. qui cubas in medio fluminum (*rivorum Nili*) tuorum, et dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et ponam frænum in maxillis tuis, et extraham te de medio fluminum tuorum; bestiis terræ, et volatilibus cæli, dedi te ad devorandum. *Sicut c. 28. prædixit superbo regi Tyri excidium, ita hic idem prædicit superbo Pharaoni. Causam subdit;*
v. 6. Pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel: *Fulcivisti enim eorum rebellionem contra Chaldæos, ideoque quasi arundo cum iis a Chaldæis es confractus et contritus.*

v. 18. 23. Fili hominis, Nabuchodonosor servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum (*per tredecim annos eam obsidendo*) omne caput (*militum eius comportantium saxa, ligna et terram ad implendum mare cingens Tyrum*) decalvatum, et omnis humerus depilatus est, et merces non est reddita ei. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti, et diripiet spolia eius, et erit merces exercitui illius, pro eo quod laboraverit mihi; *ut meam vindictam contra Tyrum exsequerentur, q. d. Chaldæis pro expugnata Tyro dabo spolia Ægypti, quasi pro mercede. Unde subdit:*

Cap.30. Ululate (*o Ægyptii*) væ, væ diei: quia iuxta est dies,
v. 2. et appropinquat dies Domini (*quo vos excindet*) dies nubis, tempus Gentium erit.

Cap.31. 24. Fili hominis, dic Pharaoni: Ecce Assur quasi ce-
v. 3. drus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen eius. *Pharao vocatur Assur; quia opibus, potentia et gloria comparabat se cum Sennacherib, aliisque monarchis Assyriorum: hinc et vocatur cedrus.*
v. 8. Cedri, *inquit*, non fuerunt altiores illo in paradiso Dei. Propterea hæc dicit Dominus: Pro eo quod sublimatus est, etc. tradidi eum in manus fortissimi Gentium (*Nabuchodonoris*) et succident eum alieni, et crudelissimi nationum. Ipse est Pharao, et omnis multitudo eius, dicit Dominus Deus.

Cap.32. 25. Leoni Gentium assimilatus es (*o Pharao*) et draco-
v. 2. ni qui est in mari, et ventilabas cornu in fluminibus tuis. Expandam super te rete meum, et proiiciam te in terram. Et operiam cum exstinctus fueris, cælos, et nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cæli mœrere faciam super te, *q. d. Tanta erit strages tua et tuorum, o Pharao, ut hominibus cæli obscurari et mœrere videantur. Est hyperbole. Unde de eodem subdit:*

v. 19. Descende, et dormi cum incircumcisis, cum his qui descendunt in lacum. Ibi Assur et omnis multitudo eius, qui dederant quondam formidinem in terra viventium. Ibi Ælam, ibi Mosoch, et Thubal. Ibi Idumæa, et reges eius. Ibi principes Aquilonis omnes, et universi venatores, qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio,

A et portaverunt confusionem suam cum his qui descenderunt in lacum.

26. Effundam super vos aquam mundam (*in baptismo* Cap.36.
Christi) et mundabimini ab omnibus inquinamentis ve- v. 26.
stris. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam ut in præceptis meis ambuletis. *Vide cap.* 11. v. 19.

27. Facta est super me manus Domini, et dimisit me in Cap.37.
medio campi, qui erat plenus ossibus. Et dixit ad me: v. 1.
Fili hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi; Domine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, et dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini. Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et vivetis. *Subiungit Ezechiel se eis id vaticinatum, eaque mox cute, carne, et*
B *nervis, ac spiritu et vita fuisse donata. Erat hoc schema resurrectionis; sed sub eo significat, Iudæos qui in Babylone erant quasi emortui, et velut ossa arida, ad libertatem et patriam, itaque quasi ad vitam redituros. Hoc est enim quod explicans subdit:*

Fili hominis, ossa hæc universa domus Israel est: ip- v. 11.
si dicunt: Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra (*liberationis ex Babylone et reditus in patriam*) ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, et reducam in terram Israel.

28. Fili hominis, sume tibi lignum unum et scribe su- v. 16.
per illud: Iudæ, et filiorum Israel sociorum eius: et tolle lignum alterum, et scribe super illud: Ioseph ligno Ephraim, et cunctæ domui Israel, sociorumque eius. Et adiunge illa unum ad alterum tibi in lignum unum: et erunt in unionem in manu tua. *Hoc symbolo significat Deus, se Iudæos et Israelitas, sive Samaritas, iam inter se contrarios, uniturum in Ecclesia per fidem et gratiam Chri-*
sti. Unde explicans subdit: Ecce ego assumam filios I- v. 21.
C srael de medio nationum, ad quas abierunt, etc. Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel. Et servus meus David (*Christus Davidis filius*) rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum. Et percutiam illis fœdus pacis. Et erit tabernaculum meum in eis: et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus.

EX DANIELE.

1. Tu rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis: Cap. 2.
caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de v. 31.
argento, porro venter et femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: et percussit statuam in pedibus eius ferreis, et comminuit eos. Hoc est somnium: interpretationem quoque eius dicemus coram te. Tu rex regum es, tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: et regnum tertium aliud æreum,
D quod imperabit universæ terræ: et regnum quartum erit velut ferrum; quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. Porro quia vidisti pedum, et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream: regnum divisum erit. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum. *Caput aureum fuit monarchia Nabuchodonosoris: pectus argenteum, regnum Cyri et Persarum; venter æreus, regnum Alexandri et Græcorum; tibiæ ferreæ, regnum Romanorum: sed hæc omnia comminuit lapis sine manibus de monte abscissus, id est, Christus ex virgine natus, cuius* Cap. 4.
regnum gloriosum erit et æternum. v. 7 et
2. Videbam, et ecce arbor in medio terræ: et proceri- 22.

tas eius contingens cælum. Folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius: et ex ea vescebatur omnis caro. Et ecce vigil et sanctus de cælo clamavit: Succidite arborem, cor eius ab humano commutetur, et cor feræ detur ei, et septem tempora mutentur super eum. *Arbor hæc est Nabuchodonosor, vigil est Angelus intentans ei eiectionem e regno, et commutationem in bestiam. Ita explicat Daniel.* Eiicient te, *inquit*, ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fœnum ut bos comedes et rore cæli infunderis; septem quoque tempora (*id est, septem anni*) mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud. Quamobrem, rex consilium meum placeat tibi: et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.

Cap. 5. 3. Mane, Thekel, Phares. Mane: numeravit Deus re-
v. 25. gnum tuum, et complevit illud. Thekel: appensus es in statera, et inventus es minus habens. Phares: divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis. Eadem nocte interfectus est Balthasar, et Darius Medus successit in regnum. *Hic eventus clare visionem explicat.*

Cap. 7. 4. Quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari. Pri-
v. 3. ma quasi leæna, et alas habebat aquilæ, et cor hominis datum est ei. Et ecce bestia alia similis urso, et tres ordines erant in ore eius, et in dentibus eius; et sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas. Et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quasi avis, quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia. Et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans: et habebat cornua decem. Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum: et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie eius: et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu, et os loquens ingentia. *Hæc quatuor animalia sunt quatuor monarchiæ: leæna sunt Assyrii, ursus Persæ, pardus Græci, quarta bestia sunt Romani. Ex quarta oriuntur decem cornua, id est, decem reges in fine mundi: et cornu parvulum, id est Antichristus, qui tres reges debellabit; unde mox reliqui septem ei sponte se subdent.*

v. 9. 5. Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, et capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie eius: millia millium ministrabaut

A ei, et decies millies centena millia assistebant ei. *Hic est Pater æternus, qui regnum Antichristi adiudicabit Christo et Christianis, unde subdit:* Iudicium sedit; *id est iudices sederunt*, et libri aperti sunt, et vidi quoniam interfecta esset bestia (*Antichristus*) et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit. Et dedit ei potestatem, et honorem et regnum.

6. Ecce aries unus stabat ante paludem, habens cor- Cap. 8.
nua excelsa, et unum excelsius altero: ecce autem hir- v. 3.
cus caprarum veniebat ab occidente, et non tangebat terram: et percussit arietem. *Aries est Darius, quem percussit hircus, id est, Alexander Magnus.*

Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cum- v. 8.
que crevisset, fractum est cornu magnum, et orta sunt quatuor cornua: de uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum: et factum est grande, et magnifica-
B tum est usque ad cælum: et deiecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas. *Cornu magnum est Alexander, eo fracto, id est mortuo, regnum eius divisum est in quatuor cornua, id est, primarios eius duces: e quorum uno prognatus est Antiochus Epiphanes, qui Iudæam, Deique templum vastavit, eiusque cultores occidit.*

7. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super po- Cap. 9.
pulum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consum- v. 24.
metur prævaricatio, et finem accipiat peccatum. *Hæ* 70. *hebdomades annorum sunt, faciuntque* 490. *annos. q. d.* 490. *anni fluent usque ad Christum.*

8. Et ecce vir unus vestitus lineis, et renes eius accin- Cap. 10.
cti auro obrizo: et corpus eius quasi chrysolithus, et fa- v. 5.
cies eius velut species fulguris, et oculi eius ut lampas ardens; et brachia eius, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis: et vox sermonum e-
C ius ut vox multitudinis. *Hic vir est Archangelus Gabriel, qui c. seq. victorias Machabæorum, Christi et Christianorum Danieli enarrat: quocirca augustam hic formam assumit, ut per eam illas repræsentet. Primo ergo linea vestis significat sacerdotium Machabæorum et labores. Secundo, zona aurea significat eorumdem charitatem, bella et regnum. Tertio, chrysolitus, eorumdem gloriam et triumphum. Quarto, facies fulgurans eorumdem zelum violentum in hostes. Quinto, oculi, ut lampas ardens, eorumdem prudentiam et vigilantiam. Sexto, brachia et crura ænea, eorumdem fortitudinem, et armorum splendorem. Septimo, vox multitudinis, exercitum et phalanges tam Machabæorum quam Angelorum pro eis pugnantium.*

PARABOLÆ ET SIMILITUDINES.

EX ISAIA.

Cap. 1. 1. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe
v. 3. Domini sui: Israel autem me non cognovit: *magis ergo ingratus et stolidus est, quam bos vel asinus.*

v. 5. 2. Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas: vulnus et livor, et plaga tumens, *q. d. Tota respublica Iudæorum, eorumque corpus politicum totum, puta tam principes et sacerdotes, quam laici sceleribus corrupti sunt, saucii et putridi.*

v. 8. 3. Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, *q. d. Desolabitur Ierusalem, fietque quasi vinea, aut hortus, collectis uvis et fructibus, deserta et squalida.*

v. 9. 4. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. *Semen vocat paucos ex excidio reliquos, quos Deus servavit in semen et propaginem gentis. Nisi enim Deus gentem servare voluisset, omnes Iudæi periissent, uti perierunt omnes Sodomitæ et Gomorrhæi.*

v. 10. 5. Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ, *q. d. Iudæa in impietate par fuit Sodomæ et Gomorrhæ; fuisset ergo et par in pœna et excidio, ni Deus semen gentis ser-*

D *vasset, propter Christum ex ea nasciturum iuxta promissa Davidi et Abrahæ facta.*

6. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix v. 18.
dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt, *q. d. Si pœniteat vos, moresque mutetis, ego conscientiam vestram tot sceleribus vulneratam et cruentam emundabo, ut fiat pura et candida quasi nix, et lana alba.*

7. Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? *q. d. Quo-* v. 21.
modo Ierusalem, olim sponsa Deo fidelis, nunc quasi meretrix fornicata est cum idolis?

8. Erubescetis super hortis, quos elegeratis, cum fue- v. 29.
ritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua, *q. d. In hortis sub quercubus erexistis aras, et sacrificastis idolis: ideo desolabimini uti quercus in hieme, cum defluunt folia; et sicuti hortus in æstate arescens ex siccitate ob defectum aquæ.*

9. Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, et opus ve- v. 31.
strum quasi scintilla: et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat. *q. d. Ego vestra idola, quæ putatis fortissima et invicta, ac vestra opera opesque delebo, et comburam instar stupæ, quæ levi flamma absumitur.*

10. Ungulæ equorum eius (*Nabuchodonosoris erunt ca-* Cap. 5.
lidæ et duræ) ut silex: et rotæ eius quasi impetus tem- v. 28.
pestatis. Rugitus eius ut leonis, etc. aspiciemus in ter-

ram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est
in caligine eius. *Parabolæ hæ claræ sunt.*
Cap. 9. 11. Lætabuntur (*Gentes, accepta prædicatione Evange-*
v. 3. *lii, gratiæ et salutis*) coram te, sicut qui lætantur in mes-
se, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt
spolia. Iugum enim oneris eius, et virgam humeri eius et
sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian,
q. d. Sicut olim in die conflicti cum Madianitis, tu, Do-
mine, per Gedeonem eosdem superasti, et profligasti, ita-
que eorum iugum, virgam et sceptrum abstulisti a cervici-
bus Iudæorum: ita in die quo verus Gedeon, id est, exci-
sor iniquitatis et peccati, puta Christus, confliget cum dæ-
monibus, principibus, Iudæis et gentibus impiis, tu, Domi-
ne, aderis Christo, ut hostes hosce suos et nostros profliget,
eorumque quasi exactorum et tyrannorum iugum et sce-
ptrum a fidelium cervicibus excutiat.
v. 18. 12. Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spi-
nam vorabit, et succendetur in densitate saltus, et con-
volvetur superbia fumi, *q. d. Sicut ignis in sylva succen-*
sus, primo vepres et sentes corripit, deinde sylvam totam
depascitur, ut tota densitas saltus convolvatur in superbia,
id est, in elatione et altitudine fumi: ita impietas sensim
pervasit populum, ut totum Israel convolverit, ac proinde
convolvet eumdem quoque sua pœna.
Cap. 10. 13. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem
v. 14. populorum: et sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt,
sic universam terram ego congregavi: et non fuit qui mo-
veret pennam, et aperiret os, et ganniret, *q. d. Ego Sen-*
nacherib tam facile cœpi gentes et regna, quam facile au-
ceps capit ova, et pullos avis in nido, cui avis ipsa obstre-
pere et oggannire, aut potius obgarrire non audet. Sed hanc
regis barbari arrogantiam retundit Deus, dicens:
v. 15. 14. Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat
in ea? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur?
quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exal-
tetur baculus, qui utique lignum est. *Sic et tu, o Senna-*
cherib, non debes gloriari nec mihi adimere, et tibi ascri-
bere tot victorias, et gentium excidia: quia tu fuisti tan-
tum securis, et quasi serra, qua ego gentes quasi ligna dis-
secui et serravi! atque quasi baculus et virga, qua easdem
flagellavi.
v. 16. 15. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum
in pinguibus eius tenuitatem: et subter gloriam eius suc-
censa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel
in igne, et sanctus eius in flamma: et succendetur et de-
vorabitur spina eius, et vepres in die una, *q. d. Deus per-*
cutiet milites Sennacherib ardore et peste, qui eos ita are-
faciet et aduret, sicut ignis solet afflare et adurere spinas
et vepres in sylva.
Cap. 14. 16. Quomodo cessavit exactor (*rex Babylonis*) quievit
v. 4. et tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam
8. dominantium. Abietes quoque lætatæ sunt super te, et ce-
dri Libani, ex quo dormisti, non ascendet qui succidat
nos. Infernus subter conturbatus est in occursum adven-
tus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ
surrexerunt de soliis suis: et dicent tibi: Et tu vulnera-
tus es sicut et nos, nostri similis effectus es. Detracta est
ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum. *Figura-*
te inducit hic reges et principes in inferno, suscipientes et
subsannantes regem Babylonis occisum.
Cap. 16. 17. Sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes: sic e-
v. 2. runt filiæ Moab in transcensu Arnon. *Sensus est clarus.*
v. 8. 18. Vineam Sabama Domini gentium exciderunt, fla-
gella (*ita vocantur propagines vitis*) eius usque ad Iazer
pervenerunt: erraverunt in deserto, propagines eius reli-
ctæ sunt, transierunt mare, *q. d. Populus Moab vasta-*
tus a Chaldæis ab iis captivus trans aquas ducetur in Ba-
bylonem.
Cap. 17. 19. Et relinquetur in eo (*in Israele*) sicut racemus,
v. 6. et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in sum-
mitate rami, *q. d. In excidio Samariæ et decem tribuum,*
tam pauci relinquentur Israelitæ, quam pauci relinquun-
tur racemi in vinea post vindemiam, et quam paucæ relin-
quuntur olivæ in olea, dum ea excutitur. Sic allegor. mul-
A *ti sunt vocati, pauci electi et salvandi.*
20. Quiescam et considerabo in loco meo, sicut meri- Cap. 18.
diana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis, *q.* v. 4.
d. Ego Deus clare contemplabor, quasi in luce meridia-
na, stragem Ægyptiorum: eroque serenus in pace et refri-
gerio, cum ipsos uret sol et æstus excidii.
21. Ante messem enim totus effloruit, et immatura per- v. 5.
fectio germinabit, et præcidentur ramusculi eius falcibus:
et quæ derelicta fuerunt abscindentur et excutientur. Et
relinquentur simul avibus montium, et bestiis terræ, *q.*
d. Ægyptii florebant, et magnam quasi messem opum et
gloriæ promittebant; sed quasi fructus præcoces ab Assy-
riis sunt excisi, nec ad maturitatem pervenerunt.
22. Ecce Dominus asportari te (*o Sobna*) faciet (*in Ba-* Cap. 22.
bylonem) sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi a- v. 17.
mictum sic sublevabit te, *q. d. Tam facile quam amictus*
et vestis attollitur et effertur, tollet et efferet te ex Iudæa
Deus.
23. Coronans coronabit te tribulatione: quasi pilam v. 18.
B mittet te in terram latam et spatiosam. *Sensus patet.*
24. Et erit sicut populus, sic sacerdos: et sicut servus, Cap. 24.
sic dominus eius: sicut ancilla, sic domina eius: sicut e- v. 2.
mens, sic ille qui vendit, *q. d. Excidium orbis erit uni-*
versale et commune, nec discernet servum vel ancillam ab
hero vel hera, sed omnes quasi pares pari clade involvet.
25. Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et aufe- v. 20.
retur quasi tabernaculum unius noctis: et gravabit eam
iniquitas sua, et corruet, et non adiiciet ut resurgat, *q.*
d. Tanto terræ motu concutietur terra, ut tota a funda-
mentis convelli et everti videatur, idque propter scelera,
quæ incolæ eius in ea perpetrarunt.
26. Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regna- v. 23.
verit Dominus exercituum in monte Sion. *q. d. Sol et lu-*
na obtenebrescent, itaque quasi pallescere, et pudore suf-
fundi videbuntur ob scelera incolarum terræ, quæ in die
iudicii Deus toti orbi patefaciet, et puniet. Unde præces-
sit v. 22. Et congregabuntur in congregatione unius fa-
C scis in lacum, et claudentur in carcere, et post multos dies
visitabuntur, *q. d. Scelerati colligati quasi in fascem proii-*
cientur in ignem gehennæ, ut in eo iugiter claudantur,
et ardeant: nam post multos dies visitabuntur, *id est, pu-*
nientur per omnia sæcula in æternum.
27. Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humilia- Cap. 25.
bis: et quasi calore sub nube torrente, propaginem for- v. 5.
tium marcescere facies, *q. d. Sicut nubes æstuans torret*
vineas, ita Christus in die iudicii exuret omnes impiorum
delicias, quibus ipsi se oblectabant.
28. Triturabitur Moab sub eo (*Deo*) sicut teruntur pa- v. 10.
leæ in plaustro. Et extendet manus suas sub eo sicut ex-
tendit natans ad natandum, *q. d. Dæmones, omnesque im-*
pii ita a Christo vindice calcabuntur, ut dent speciem ho-
minis plane victi et desperati, qualis est species naufragi
in naufragio natantis.
29. Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus gran- Cap. 28.
dinis; turbo confringens, sicut impetus aquarum multa- v. 2.
rum inundantium, et emissarum super terram spatiosam,
D *q. d. Deus fortiter sternet per Assyrios agros Samariæ si-*
cut grando, turbo et fluvius exundans solent sternere sata
læta, boumque labores.
30. Numquid tota die arabit arans ut serat, proscindet v. 24.
et sarriet humum suam? Nonne cum adæquaverit faciem
eius, seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum
per ordinem? Et erudiet illum in iudicio: Deus suus do-
cebit illum, *q. d. Impii dicunt: Non est Deus; quia ipse*
sæpe scelera dissimulat, nec statim ea punit. Hisce respon-
deo: Sicut agricola non semper arat, sed iam arat, iam se-
rit, iam metit, iam triturat, et quodlibet agit suo tempo-
re: sic et Deus suas habet opportunitates; et scit quando
dissimulare, quando punire debeat. Deus enim agit, non
satagit, nec tumultuatur; sed tempora novit, et opportuni-
tates rei gerendæ.
31. Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium Cap. 29.
te: et sicut favilla pertransiens: et sicut somnium visio- v. 5 et
nis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicave- 7.

runt contra Ariel, *q. d. Hostes qui vastaverunt Ierusalem,*
conterentur, et evanescent instar pulveris, facillæ et so-
mnii; unde subdit:
v. 8. 32. Et sicut somniat esuriens, et comedit; cum autem
fuerit expergefactus, vacua est anima eius: et sicut so-
mniat sitiens, et bibit, et postquam fuerit expergefactus,
lassus adhuc sitit, et anima eius vacua est: sic erit mul-
titudo omnium gentium, qui dimicaverunt contra mon-
tem Sion.
Cap 31. 33. Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super præ-
v. 4. dam suam, et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a
voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non
pavebit: sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur
super montem Sion.
v. 5. 34. Sicut aves volantes *protegunt pullos suos, pugnant-*
que pro eis rostro et alis contra accipitrem: sic proteget
Dominus exercituum Ierusalem, protegens et liberans,
transiens et salvans.
Cap.32. 35. Et erit vir *sub umbra et alis pii regis Ezechiæ ab-*
v. 2. *sconditus et protectus ita securus*: sicut qui absconditur a
vento, et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in si-
ti, et umbra petræ prominentis in terra deserta.
Cap.38. 36. Generatio mea (*ætas vitæ meæ*) ablata est, et con-
v. 12. voluta est a me, quasi tabernaculum pastorum.
Præcisa est velut a texente vita mea: dum adhuc ordi-
rer, succidit me: quasi leo, sic contrivit omnia ossa mea.
v. 14. 37. Sicut pullus hirundinis, sic clamabo: meditabor, *id*
est, meditabundus gemam, ut columba.
Cap.40. 38. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo
v. 11. congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse por-
tabit. *Pastor hic est Christus, agni Christiani: fœtæ, sive*
gravidæ, quæ pariunt agnos, sunt Apostoli virique Apo-
stolici; hos omnes pascit, portat et dirigit Christus.
v. 12. 39. Quis mensus est pugillo aquas et cælos palmo pon-
deravit? quis appendit tribus digitis molem terræ, et li-
bravit in pondere montes, et colles in statera? quis adiu-
vit spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit et os-
tendit illi? *q. d. Deus tam potens est, ut cælum et terram*
tribus digitis sustineat: ac tam sapiens, ut nullus ei con-
silium dare possit, quin imo omnes sapientes ab eo suam
sapientiam et consilium accipiant et emendicent.
v. 15. 40. Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momen-
tum stateræ reputatæ sunt, *si cum Dei magnitudine et*
maiestate immensa conferantur: ecce insulæ quasi pulvis
exiguus. Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et
animalia eius non sufficient ad holocaustum, *si illud Deo*
pro eius excellentia et dignitate offerendum sit. Omnes
gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum
et inane reputatæ sunt ei.
v. 22. 41. Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores eius
sunt quasi locustæ, qui extendit velut nihilum cælos.
v. 23. 42. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iu-
dices terræ velut inane fecit.
v. 26. 43. Qui educit in numero militiam eorum (*astrorum*
et cæterorum creatorum) et omnes ex nomine vocat.
v. 27. 44. Quare dicis, Iacob: Abscondita est via mea a Do-
mino, et a Deo meo iudicium meum transivit? numquid
nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui
creavit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec
est investigatio sapientiæ eius.
v. 29. 45. Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt forti-
tudinem et robur multiplicat.
v. 30. 46. Deficient pueri, et laborabunt, et iuvenes in infirmi-
et 31. tate cadent: qui autem sperant in Domino, mutabunt for-
titudinem, assument pennas sicut aquilæ; current, et non
laborabunt; ambulabunt, et non deficient.
Cap.41. 47. Noli timere, vermis Iacob, qui mortui estis ex I-
v. 14 srael: ego auxiliatus sum tibi dicit Dominus, et redem-
et 15. ptor tuus sanctus Israel. *Israelitas abiectos comparat ver-*
mi et mortuis. Ego posui te quasi plaustrum triturans no-
vum, habens rostra serrantia; triturabis montes, et com-
minues: et colles quasi pulverem pones: ventilabis eos, et
ventus tollet, et turbo disperget eos: et tu exultabis in
Domino, in sancto Israel lætaberis. *Israelem a Deo adiu-*

A *tum et roboratum comparat plaustris terentibus segetes, i-*
tem plaustris, quæ serratis dentibus armata, obvia quæ-
que secant.
48. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina Cap.43.
non operient te: cum ambulaveris in igne, non combure- v. 2.
ris, et flamma non ardebit in te, *q. d. In mediis periculis,*
angustiis et tormentis adero tibi, teque tutabor et protegam.
Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam pec-
cata tua. *Sicut enim nubes et nebulæ a sole ita dissipan-*
tur, delentur et evanescunt, ut nullum earum vestigium
supersit: ita et Deus condonando peccata, ea plane delet
et abolet, ut nihil eorum supersit.
49. Audite me, domus Iacob, etc. qui portamini a meo Cap.46.
utero, qui gestamini a mea vulva, *q. d. Quos quasi mater* v. 3.
pario, formo, educo et foveo. Usque ad senectam ego ipse,
et usque ad canos ego portabo, *q. d. Ab utero usque ad*
ultimum vitæ vos ego tueor, rego et curo.
50. Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset si- Cap.48.
cut flumen (*copiosum et redundans*) pax tua et iustitia v. 18.
B tua (*ingens*) sicut gurgites maris: et fuisset quasi are-
na semen tuum, et stirps uteri tui uti lapilli eius, non
interiisset.
51. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, Cap.49.
ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, v. 15.
ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis de-
scripsi te. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos?
ego sterilis et non pariens. *Ecclesiam Gentium comparat*
mulieri prius sterili, postea fœcundæ.
52. Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super v. 22.
humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ
nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, et
pulverem pedum tuorum lingent. *Eidem Ecclesiæ tam fau-*
sta et augusta pollicetur Deus.
53. Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea Cap.50.
comedet eos. *Hostes Christi ita perdendos asserit, ut vestis* v. 9.
atteritur et exeditur a tinea.
54. Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes Cap.51.
C ruinas eius: et ponet desertum eius quasi delicias, et so- v. 3.
litudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia
invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. *Ecclesiæ*
gloriam et delicias comparat paradiso terrestri.
55. Cæli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimen- v. 6.
tum atteretur, et habitatores eius sicut hæc interibunt,
per ignem conflagrationis in fine mundi: salus autem mea
in sempiternum erit, et iustitia mea non deficiet.
56. Sicut vestimentum, sic comedet eos (*homines*) ver- v. 8.
mis; et sicut lanam, sic devorabit eos tinea: salus autem
mea in sempiternum erit.
57. Ego, ego ipse consolabor vos: quis tu ut timeres v. 12.
ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum
ita arescet?
58. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in Cap.53.
viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquita- v. 6.
tem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et
non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur,
et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non ape-
D riet os suum. *Christum patientem comparat agno, et ovi*
quæ ducitur ad lanienam.
59. Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuravi ne in- Cap.54.
ducerem aquas Noe ultra supra terram: sic iuravi ut non v. 9.
irascar tibi (*o Ecclesia*) et non increpem te. Montes enim
commovebuntur, et colles contremiscent: misericordia au-
tem mea non recedet a te, *q. d. Sicut cum Noe inii fœ-*
dus æternum de prohibendo deinceps diluvio; sic tecum, o
Ecclesia, novum fœdus æternum ineo, quod numquam de-
relinquam te, nec sinam te ab hostibus obrui.
60. Sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ Cap 55.
meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus v. 9.
vestris.
61. Et quomodo descendit imber et nix de cælo, et il-
luc ultra non revertitur, sed inebriat terram, etc. sic erit
verbum meum, etc. non revertetur ad me vacuum, sed
faciet quæcumque volui. Cap.59.
62. Expectavimus lucem, et ecce tenebræ: splendorem, v. 9.

et in tenebris ambulavimus. *Lux sunt prospera, tenebræ adversa.*

Palpavimus sicut cæci parietem: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.

63. Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus.

Cap. 62. 64. Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non
v. 1. quiescam *orare, et obsecrare Deum*, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator eius ut lampas accendatur. *Splendor et lampas Sionis, id est, Ecclesiæ, est Salvator Iesus: pro illius ergo ortu et adventu assidue oravit Isaias et Prophetæ.*

Cap. 66. 65. Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum; qui
v. 3. mactat pecus, quasi qui excerebret canem; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat; qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. *Iudæorum impiorum victimas comparat Deus mactationi hominis, canis et suis, imo idolotytis.*

v. 15. 66. Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem in flamma ignis, *præsertim conflagrationis mundi: nam Christo veniente ad iudicium ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius. Unde sequitur:*

v. 18. 67. Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum, *supple, acriter puniam. Nam* venio ut congregem opera, et operantes impie cum omnibus gentibus et linguis: et venient, et videbunt gloriam meam, *puta potentem et acrem meam iustitiam et vindictam in impios in die iudicii.*

v. 19. 68. Et ponam in eis signum, *tum signum crucis, tum signa Spiritus sancti, quibus Apostoli signati sunt in Pentecoste.* Et mittam ex eis qui salvati fuerint ad Gentes.

v. 20. 69. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et in quadrigis, et in lecticis, etc. *q. d. Tam facile, læte et alacriter venient Gentes ad Ecclesiam, ac si equis et lecticis veherentur. Adde: Evangelium esse vehiculum quo nos ad cælum vehit Christus.*

v. 22. 70. Sicut cæli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. *Significat Ecclesiæ per Christum tum innovationem, tum perpetuitatem.*

DE IEREMIA.

Cap. 1. 1. Ego dedi te hodie in civitatem munitam, et in colu-
v. 18. mnam ferream, et in murum æreum super omnem terram, *q. d. Faciam, te, o Ieremia, fortem, ut sis quasi urbs inexpugnabilis, quasi columna immobilis, quasi murus æreus, omnium Iudæorum maledictis impenetrabilis et invincibilis.*

Cap. 2. 2. Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii:
v. 11. populus vero meus mutavit gloriam suam (*Dei sui: Deus enim est Israelis gloria*) in idolum.

v. 12. Obstupescite, cæli, super hoc, et portæ eius, desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. *Idola comparat cisternis rimosis et vacuis, quæ opem et aquam sitienti præbere nequeunt.*

v. 20. 3. In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternaberis, meretrix, *colendo et adorando idola.*

v. 22. 4. Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, *q. d. Tantæ ac tam pertinaces sunt in te idololatriæ et scelerum maculæ, ut nullo nitro, nullo sapone elui possint.*

v. 26. 5. Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur; sic confusi sunt domus Israel etc. dicentes ligno: Pater meus es tu; et lapidi: Tu me genuisti.

v. 30. 6. Quasi leo vastator generatio vestra, *q. d. Vestri cives sæviunt in Prophetas, sicut leo sævit in transeuntes.*

v. 32. 7. Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris.

Cap. 4. 8. Ventus urens in viis quæ sunt in deserto viæ filiæ
v. 11. populi mei, non ad ventilandum et ad purgandum, *q. d.*

A *Chaldæus hostis imminet, qui quasi ventus urens non ventilabit et purgabit, sed concremabit Ierusalem et templum: unde subdit de eodem:*

9. Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas cur- v. 13.
rus eius: velociores aquilis equi illius: væ nobis quoniam vastati sumus.

10. Vocem quasi parturientis audivi, angustias ut puer- v. 31.
peræ: Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos, *q. d. Ierusalem videns suos filios et cives a Chaldæis trucidari, instar puerperæ ex dolore partus emorientis, dolore deficiet et corruet.*

11. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum ple- Cap. 5.
na dolo, *q. d. Sicut aucupes decipiunt aves, captasque* v. 27.
mittunt in caveam sive decipulam, ita Iudæorum domus plenæ sunt opibus per fraudes et dolos partis.

12. Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic (*Ie-* Cap. 6.
rusalem) frigidam fecit malitiam suam, *q. d. Sicut aqua* v. 7.
frigore conglaciatur in crystallum, sic cor Iudæorum sua B *malignitate obduruit quasi lapis.* Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens, *q. d. Zelo æstuo, non possum me cohibere, quin eis Domini furorem et excidium denuntiem.*

13. Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit Cap. 17.
carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius. v. 5.
Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in terra salsuginis, et inhabitabili, *q. d. Sterilis et inanis est spes defixa in hominem, spes vero in Deo est solida et fœcunda. Unde subdit:*

14. Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Do- v. 7.
minus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium eius viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. *Sperantem in Deo comparat arbori humectæ, frondenti semper et fructificanti.*

15. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Cap. 23.
C Dominus, et quasi malleus conterens petram? *q. d. Ver-* v. 29.
ba hominum frigida sunt et evanida: at verba Prophetarum spiritu Dei animata, ignita sunt et fortia, ut instar mallei saxea hominum corda confringant, et confracta igniant.

16. Sion quasi ager arabitur: et Ierusalem in acervum Cap. 26.
lapidum erit: et mons domus in excelsa sylvarum, *q. d.* v. 18.
Sion et mons templi ita vastabitur, ut ex urbe fiat sylva, et ager arabilis.

17. Sicut enumerari non possunt stellæ cæli, et metiri Cap. 33.
arena maris: sic multiplicabo semen David servi mei, et v. 22.
Levitas ministros meos, *ut scilicet præ multitudine numerari nequeant.*

18. Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem u- Cap. 34.
nusquisque fratri suo, et unusquisque amico suo (*ut se-* v. 17.
ptimo anno remissionis, liberos dimitteretis servos vestros, iuxta legem Exodi 21. 2.) *Hac de causa*, Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem, *q. d. Ego pariter vos a meo imperio* D *liberos dimittam, tradamque gladio, fami et pesti.*

19. Posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos ple- Cap. 35.
nos vino, et calices: et dixi ad eos; Bibite vinum. Qui re- v. 5.
sponderunt: Non bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum, etc.

Numquid non recipietis disciplinam ut obediatis verbis v. 13.
meis, dicit Dominus? *q. d. Filii Rechab obediunt patri in re libera et dura: at vos Iudæi in re facili et necessaria, ut scilicet me colatis, non idola, obedire non vultis. Idcirco vobis exitium intento.* Domui autem Rechabitarum hæc dicit Dominus etc. Non deficiet vir de stirpe Ionadab, filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

20. Quis est iste (*Pharao*) qui quasi flumen ascendit: et Cap. 46.
veluti fluviorum intumescunt gurgites eius? *Castra Pha-* v. 7.
raonis comparat flumini tumido et exundanti, quod vicinis ingentem stragem minatur. Cap. 51.

21. Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ eius: v. 33.

adhuc modicum, et veniet tempus messionis eius, *q. d. Babylon est quasi area, in qua mox cives et gentes, quasi segetes in messe collectas et constipatas, triturabo et affligam, partem occidendo, partem ventilando, et in omnem plagam dispergendo.*

EX THRENIS.

Cap. 1. v. 1. 1. Quomodo sedet sola civitas (*Ierusalem, alleg. Ecclesia afflicta, tropol. anima pœnitens*) plena populo: facta est quasi vidua domina Gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo.

Cap. 2. v. 1. 2. Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram (*de summo culmine felicitatis et gloriæ, ad imam voraginem miseriæ et ignominiæ*) inclytam Israel, et non est recordatus scabelli pedum suorum (*id est, arcæ et propitiatorii*) in die furoris sui, *q. d. Quomodo Deus permisit vastari, non tantum urbem, sed et templum suum? unde subdit:*

v. 7. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, *id est, sanctum suum templum male a Chaldæis tractari et comburi permisit.*

Cap. 3. v. 5. 3. Ædificavit in gyro meo (*vallum ærumnarum et angorum, q. d. Deus undique afflictionibus me obvallavit*) et circumdedit me felle, et labore.

v. 6. 4. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.

v. 10. 5. Ursus insidians factus est mihi; leo in absconditis.

v. 12. 6. Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, *puta per sagittas et plagas suas, intima mea confixit.*

v. 16. 7. Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere, *dedit mihi manducandum panem cinereum, durum et lapidosum, qui dentes meos confringit.*

Cap. 4. v. 1. 8. Quomodo obscuratum est aurum (*quo templum erat obductum*) mutatus est color optimus, *in ignis, quo combustum est, fuliginem*: dispersi sunt lapides sanctuarii (*sancti templi*) in capite omnium platearum?

v. 2. 9. Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? *q. d. Iuvenes Iudæorum olim nobiles et gloriosi, iam facti sunt viles et inglorii: olim erant vasa aurea, nunc testea et lutea.*

v. 3. 10. Sed et lamiæ nudaverunt mammam: lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto, *q. d. Feræ et monstra, licet immania, tamen catulos suos lactant: at tanta est Hierosolymæ fames, afflictio et perturbatio, ut matres Sionides filios fame hiantes deserant, et emori sinant, instar struthionis, avis stolidæ et crudelis, quæ sua ova, et pullos derelinquit.*

v. 5. 11. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, *q. d. Qui vestiebantur et dormiebant in vestibus croceis et sericis, iam dormire coguntur in sterquilinio et stercore se operire.*

v. 19. 12. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

EX EZECHIELE.

Cap. 7. v. 16. 1. Salvabuntur qui fugerint ex eis (*Iudæis vastatis a Chaldæis*) et erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua.

2. Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in Cap. 11. visceribus eorum: et auferam cor lapideum de carne eo- v. 19. rum, et dabo eis cor carneum: ut in præceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant, faciantque ea: et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. *Promittit et sancit Deus hic novum testamentum, in quo per Christi gratiam aufertur a Christianis cor lapideum, et datur cor carneum, id est, molle, flexile, obediens ad omnem Dei nutum.*

3. Quasi vulpes in desertis, Prophetæ tui, Israel, erant. Cap. 13. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum v. 4. pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini, *ut vos per preces Deo, pro Chaldæis pugnanti, opponeretis, eiusque iram mitigaretis:* vident vana, et divinant mendacium.

4. Et erit manus mea super Prophetas, qui vident va- v. 9. na, et divinant mendacium: in consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, *q. d. Non redibunt e captivitate, nec in catalogo redeuntium et viventium scribentur.*

5. Eo quod deceperint populum meum, dicentes, Pax, v. 10. et non est pax: et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit: erit enim imber inundans, et dabo lapides prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem, *q. d. Pseudoprophetæ temere, et sine fundamento prophetant Iudæis prospera; sed hæc eorum falsa oracula instar parietis luto absque paleis illiti, imbre, vento et grandine divinæ vindictæ prosternentur.*

6. Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, v. 18. et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. *Hi sunt, qui peccatoribus in peccatis adulantur, eaque excusant et fovent, metum Dei et divinæ vindictæ hominibus eximendo. Unde Deus v. 20. de pulvillis hisce dicit:* Dirumpam eos de brachiis vestris: et dirumpam cervicalia vestra.

7. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Cap. 34. Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum v. 2. erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abiectum est, non reduxistis, et quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia.

8. Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum v. 10. de manu eorum; ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum. In pascuis uberrimis pascam eas. Quod perierat requiram, et quod abiectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam.

9. Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat v. 23. eas, servum meum David (*puta Christum filium Davidis*) ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum.

EX DANIELE.

1. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firma- Cap. 12. menti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ v. 3. in perpetuas æternitates.

ADAGIA ET GNOMÆ.

EX ISAIA.

Cap. 1. v. 22. 1. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua, *q. d. Pura Dei religio in te, o Ierusalem, versa est in impuras superstitiones; atque iustitia tua mista est cum avaritia et iniustitia.*

v. 25. 2. Excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum, *q. d. Igne tribulationum, puta vastitate Chaldæorum, abstergam a te idololatriam, iniustitiam, omnesque peccatorum sordes.*

3. Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas Cap. 2. in falces, *q. d. Christiani bella in pacem, et instrumenta* v. 4. *belli in instrumenta agriculturæ convertent.*

4. Non sum medicus, *q. d. Non possum mederi tantis* Cap. 3. *malis et cladibus reipublicæ.* v. 7.

5. Agnitio vultus eorum respondit eis, *q. d. Vultus lo-* v. 9. *quitur scelera eorum, ac si rogetur de causa tantarum cladium, respondebit causam veram esse, scelera Iudæorum.*

Cap. 5 6. Propterea dilatavit infernus animam suam, et ape-
v. 14. ruit os suum absque ullo termino.
v. 18. 7. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et
quasi vinculum plaustri peccatum, q. d. *Væ qui peccatum peccato additis, et implectitis quasi funem quo trahamini ad tartara.*
v. 20. 8. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.
Cap. 7. 9. Noli timere (*o Achaz*) et cor tuum ne formidet a
v. 4. duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ. *Duæ caudæ titionum fumigantium vocantur Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ rex Samariæ, eo quod fumos minarum spirarent, et intentarent Iudæis; sed fumos tantum, non ignes id est vanas sine viribus iras. Nam ambo mox evertendi erant a rege Assyriorum, unde vocantur caudæ.*
Cap. 8. 10. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis,
v. 16. *id est conscribe et consigna hæc oracula pro futuris meis discipulis, puta Christianis qui eis fidem habituri sunt.*
v. 19. 11. Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis? q. d. *Quæ est ista stoliditas, ut viventes et sapientes homines a mortuis et inanimis idolis veritatem et consilium in rebus dubiis quærant et sciscitentur?*
v. 20. 12. Ad legem magis, et ad testimonium, q. d. *Consulite potius legem Dei, Deumque in testimonio, id est in arca et propitiatorio residentem.*
13. Non erit eis matutina lux, q. d. *Nil eis erit prosperum, nil lætum, nil lucidum; sed omnia obscura, tristia, adversa.*
Cap. 9. 14. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem ma-
v. 2. gnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis, q. d. *Gentilibus degentibus in tenebris infidelitatis, in statu peccati et damnationis, per prædicationem Evangelii oborta est lux fidei, gratiæ et salutis.*
v. 8. 15. Verbum misit Dominus in Iacob, et cecidit in Israel, q. d. *Quod Dominus promisit Iacobo sive Israeli, hoc reipsa præstitit et ut fieret effecit.*
v. 10. 16. Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus, q. d. *Hostes diruerunt et incenderunt domos nostras lateritias et sycomorinas: parvi id facimus; nam pro eis meliores, puta lapideas et cedrinas ædificabimus.*
v. 14. 17. Disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incurvantem et refrænantem, *id est principem, Prophetam, nobiles et plebem.*
v. 20. 18. Unusquisque carnem brachii sui vorabit, q. d. *Quisque suum proximum et cognatum carne et sanguine ita coniunctum, ac si esset brachium eius, occidet et lacerabit tanto furore, ac si eum vellet devorare.*
Cap. 10. 19. Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in
v. 5. manu eorum indignatio mea, q. d. *Væ Assyriis, qui sunt virga et baculus furoris mei per quorum manum indignationem meam exero et exerceo; nam peracta hac indignatione, virgam et baculum in ignem proiiciam, hoc est, Assyrios ipsos disperdam. Ergo væ eis.*
Cap. 11. 20. Erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cin-
v. 5. ctorium renum eius, q. d. *Iustitia et fidelitas ita cingent et ornabunt Christum, ac si ei cohærerent instar cinguli.*
Cap. 13. 21. Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo, q.
v. 12. d. *Pluris facient Persæ vitam Babyloniorum, quam eorum aurum et opes; unde eam illis adiment, nec pro ea aurum inclytum acceptabunt; quia malent eos occidere quam eorum aurum possidere.*
v. 21. Habitabunt ibi (*in Babylone iam eversa et excisa*) struthiones et pilosi saltabunt ibi: et respondebunt ibi ululæ in ædibus eius, et sirenes in delubris voluptatis, q. d. *Ita desolabitur Babylon ut deficientibus hominibus qui eam incolant, habitent in ea ululæ, struthiones, dracones, aliæque feræ.*
Cap. 14. 22. Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum e-
v. 11. runt vermes, q. d. *Cadaver tuum operietur vermibus qui te rodent, et usque ad ossa depascentur o Balthasar rex Babylonis.*

Et quid respondebitur nuntiis gentis *inquirentibus, un-* v. 32.
de tanta victoria Iudæorum de Philistinis? utique respondebitur causam victoriæ esse; quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi eius.
23. Vectes eius usque ad Segor vitulam consternantem, Cap. 15.
q. d. *Vectes, id est fortes Moab in excidio eius fugient us-* v. 5.
que ad Segor, quæ olim fuit dives, potens et lasciviens, instar vitulæ triennis.
Ad torrentem salicum ducent eos, q. d. *Ad Euphratem* v. 7.
qui abundat salicibus, id est, in Babylonem Chaldæi captivos ducent Moabitas.
24. Pone quasi noctem umbram tuam in meridie, q. d. Cap. 16.
Refrigera et solare vastatos et afflictos: æstus enim meri- v. 3.
diei symbolum est afflictionis, umbra et nox refrigerii et consolationis.
25. Arrogantia eius, et indignatio eius (*Moab*) plusquam v. 6.
fortitudo eius, q. d. *Iactavit se plus posse quam reipsa posset.*
26. Super hoc (*super clade Moab*) venter meus ad Moab v. 11.
quasi cithara sonabit, q. d. *Super clade Moab intime doleo et compatior, ut præ compassione viscera mea instar citharæ distendi et resonare videantur, vel potius audiantur.*
27. Plantabis plantationem fidelem et germen alienum Cap. 17.
seminabis. *Plantatio fidelis est, quæ fideliter satisfacit co-* v. 10.
lono, eique exspectatos reddit fructus, germen alienum, est fallax et spurium.
In die plantationis tuæ labrusca, q. d. *Cum plantave-* v. 11.
ris vineam, invenies non vineam, sed labruscam: et mane semen tuum florebit: ablata est messis in die hæreditatis et dolebit graviter, q. d. *Vinea tua, agerque ante tempus florebit, ac proinde præcox erit, nec maturescet.*
28. Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pha- Cap. 19.
raonis, dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis v. 11.
Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum, q. d. *Vos vestra adulatione decepistis Pharaonem; persuasistis enim ei quod ob suam sapientiam et antiquitatem, firmus consisteret, et esset inexpugnabilis: cum ecce a Chaldæis debellatus et prostratus sit. Ægyptii enim ob sapientiam a scriptoribus Ethnicis vocantur eruditi (sicut Iudæi superstitiosi) et ipsa Ægyptus dicta est mater artium.*
29. Vocabit Dominus in die illa ad fletum, et ad plan- Cap. 22.
ctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci: et ecce gau- v. 12.
dium et lætitia, occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum: Comedamus, et bibamus: cras enim moriemur. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus. *Adagium hoc clarum est, et hodie crebro illud a voluptuariis occini audimus.*
30. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam corona- Cap. 23.
tam, cuius negotiatores principes, institores eius inclyti v. 8.
terræ? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.
31. Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivio- v. 16.
ni tradita: bene cane, frequenta canticum, q. d. *Uti meretrix omnes illecebras adhibet, ut amasios ad se alliciat: ita Tyrus omnia adhibet invitamenta, ut mercatores in sui excidio dilapsos ad se revocet.*
32. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus læ- Cap. 24.
tantium, conticuit dulcedo citharæ. Cum cantico non bi- v. 8.
bent vinum, attrita est civitas vanitatis. *Adagium hoc audiant et ruminent epulones.*
33. Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habita- v. 17.
tor es terræ. Et erit, qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam: et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo, q. d. *Qui unum periculum et cladem effugerit, incidet in aliam.*
34. In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit Cap. 26.
gloriam Domini. *Terra sanctorum est Ecclesia, præsertim* v. 10.
clerus. Unde S. Bernardus in declamation. In clero, *ut* quasi in cælo existens iniqua gessit; ideo inventa est iniquitas eius ad odium nec remittetur.
35. Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt v. 18.
habitatores terræ, q. d. *Quia non fecimus opera salutis, tum nostræ, tum proximorum, ideo non ceciderunt a sua*

superbia et malitia incolæ terræ. Dicant hoc Pastores, e- A
tiam sancti.
Cap.27. Iste omnis fructus ut auferatur peccatum eius.
v. 9. 36. Dixistis : Percussimus fœdus cum morte , et cum
Cap.28. inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum trans-
v. 15. ierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium
spem nostram, et mendacio protecti sumus, *q. d. Sic vi-*
vitis, et sic secure futuram Dei ultionem ridetis, ut ipsa
vestra securitate clamare videamini: Percussimus fœdus
cum morte, etc. hoc est securi sumus a morte et inferno,
ac si cum eis fœdus iniissemus; hinc nullas Prophetarum,
ea nobis intentantium, minas timemus.
v. 17. Idcirco, etc. subvertet grando spem mendacii, et pro-
tectionem aquæ inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum
cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit;
flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculca-
tionem; et tantummodo sola vexatio intellectum dabit
auditui.
Cap.29. 37. Humiliaberis (*o Ariel, o Ierusalem*) de terra loque-
v. 4. ris, et de humo audietur eloquium tuum : et erit quasi B
pythonis de terra vox tua , et de humo eloquium tuum
mussitabit, *q. d. Ad terram prosterneris; indeque tenui et*
lugubri voce mussitabis, et gemes. Cessabit, o Ariel, leo-
ninus tuus rugitus, ac desinet in mussitationem omnium
timidissimam. Magnæ enim et abiectæ timiditatis et depres-
sionis animi argumentum est, vox humilis, submissa et
mussitans.
v. 10. 38. Miscuit vobis Dominus spiritum soporis , claudet
oculos vestros, Prophetas, etc. Et erit vobis visio omnium
sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litte-
ras, dicent: Lege istum : et respondebit : Non possum,
signatus est enim. *Minatur Deus Iudæis excæcationem,*
ut non intelligant litteras sacras, nec oracula Propheta-
rum. Unde subdit:
v. 14. Peribit sapientia a sapientibus eius, et intellectus pru-
dentium eius abscondetur.
v. 15. 39. Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscon-
datis (*abscondere putetis*) consilium: quorum sunt in te- C
nebris opera, et dicunt : Quis videt nos? et quis novit nos?
Perversa est hæc vestra cogitatio: quasi lutum contra fi-
gulum cogitet, et dicat opus factori suo : Non fecisti me:
et figmentum dicat fictori suo: Non intelligis. *Adagia hæc*
sunt politicorum et atheorum.
Cap.30. 40. Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem , et
v. 3. fiducia umbræ Ægypti in ignominiam, *q. d. Spes, quam*
in hominibus, puta Ægyptiis, ponitis, vos fallet et confun-
det: spem ergo ponite in Deo non in homine.
v. 10. 41. Qui dicunt videntibus: Nolite videre: et aspicien-
tibus: Nolite aspicere nobis ea , quæ recta sunt: loqui-
mini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me
viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra san-
ctus Israel. *Voces sunt libertinorum.*
v. 13. 42. Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio
(*muri fissi*) cadens, et requisita in muro excelso, quoniam
subito, dum non speratur, veniet contritio eius, *q. d. Si-*
cut murus interruptus, et minans ruinam, subito cadit, et
ex insperato sub eo degentes obruit; ita et vos, o Iudæi, D
qui Ægypto quasi muro ruinoso incumbitis, eo ruente op-
primemini. Unde subdit: Et comminuetur sicut conteri-
tur lagena figuli contritione prævalida.
v. 15. 43. In silentio et in spe erit fortitudo vestra, *q. d. Si,*
o Iudæi, quiescatis in Iudæa, ac speretis in Deo, ipse for-
titer vos proteget, ac a Chaldæis tutabitur.
v. 16. 44. Et dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus:
ideo fugietis. Et super veloces ascendemus, ideo velocio-
res erunt, qui persequentur vos, etc. Donec relinquamini
quasi malus in vertice montis, et quasi signum *naufragii*
et syrtium, ut eas prænavigantes hoc signo moniti devi-
tent, q. d. O Iudæi, si ad Ægyptios fugiatis, cum eis oc-
cidemini tantumque ex vobis pauci superstites relinquen-
tur, qui sint quasi signum divinæ vindictæ toti orbi, ut eum
homines hoc exemplo moniti caveant, et sapiant.
v. 20. 45. Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam
brevem, *id est paucam et modicam, q. d. Affliget vos fa-*
me et siti. Panis enim arctus, sive angoris et angustiæ; at-
que aqua brevis, sive tribulationis, ut vertunt alii, id est
parca et putida, cibus et potus est eorum, qui carcere in-
cluduntur, ibique macerantur et castigantur.
46. Aures tuæ audient verbum (*Dei, quasi pædagogi*) v. 21.
post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea.
47. Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit se- v. 26.
ptempliciter sicut lux septem dierum. *Nimirum post diem*
iudicii, mundique innovationem.
48. Ægyptus, homo , et non Deus: et equi eorum, ca- Cap.31.
ro, et non spiritus, *q. d. Vana est ergo et fragilis spes ve-* v. 3.
stra, o Iudæi, et confugium ad Ægyptios.
49. Stultus fatua loquetur. Cap.32.
50. Fraudulenti vasa pessima sunt. v. 6.
51. Princeps ea, quæ digna sunt principe, cogitabit. v. 7.
52. Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui v. 9.
spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris de- Cap.33.
prædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris con- v. 1.
temnere, contemneris.
53. Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ salutis sa- v. 6.
pientia et scientia : timor Domini ipse est thesaurus eius,
q. d. Tempore Messiæ fideliter Deus præstabit bona, quæ
per eum promisit, nimirum opes spirituales, puta sapien-
tiam et scientiam salutis, ac timorem Domini.
54. Concipietis ardorem, parietis stipulam; spiritus ve- v. 11.
ster ut ignis vorabit vos, *q. d. Vanæ erunt spes vestræ, et*
conatus vestri, irrito spiritu et molimine vestro peribitis, et
comburemini, quasi spinæ collectæ, ut vertamini in cineres.
55. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? v. 14.
quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *Ada-*
gium hoc damnatis nimis clarum est, et voluptuariis mox
damnandis nimis clarum erit.
56. Ecce confidis super baculum arundineum confra- Cap.36.
ctum istum, *id est,* super Ægyptum, cui si innixus fuerit v. 6.
homo, intrabit in manum eius, et perforabit eam: sic Pha-
rao rex Ægyptii omnibus qui confidunt in eo.
57. Misit me Dominus meus, ut loquerer, etc. ad viros, v. 12.
qui sedent in muro, ut *præ fame* comedant stercora sua,
et *præ siti* bibant urinam pedum suorum.
58. Venerunt filii usque ad partum et virtus non est Cap.37.
pariendi, *q. d. Molimur, et parturimus bellum contra Sen-* v. 3.
nacherib; sed illud eniti et parere non possumus.
59. Et factum est in eradicationem collium compugnan- v. 26.
tium, et civitatum munitarum, *q. d. Deus iusto suo iudi-*
cio permisit, et fecit, ut colles, id est principes, qui ante
inter se pugnabant, eradicarentur, et exscinderentur mul-
tæ urbes munitæ.
60. Ponam circulum in naribus tuis, et frænum in la- v. 29.
biis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti, *q. d.*
Ego Deus te, o Sennacherib, quasi bubulum circulo in na-
res adacto circumagam, et quasi equum fræno in os im-
misso reflectam, et ex Iudæa reducam, id est, redire co-
gam in Assyriam. Zelus Domini exercituum *erga populum*
suum, ut eum salvet, faciet istud.
61. Dispone domui tuæ (*o Ezechia rex*) quia morieris tu, Cap.38.
et non vives. v. 1.
62. Ecce in pace amaritudo mea amarissima, *q. d. Ego* v. 17.
Ezechias ægrotans in flore ætatis et regni mei, patior ama-
rissima.
63. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors lau- v. 18.
dabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum, ve-
ritatem tuam, *q. d. Non mortui, sed viventes expectant,*
ut promissum Messiam mihi, meoque parenti Davidi, vere
præstes, faciasque eum ex semine meo nasci, ut ita laude-
mus publice tuam fidelitatem et misericordiam.
64. Bonum verbum Domini quod locutus est, *de rapina* Cap.39.
thesaurorum meorum; fiat tantum pax et veritas in die- v. 8.
bus meis, *q. d. Tantum peto, ut vivam incolumis, quod*
mihi Deus promisit; me vita functo, Deus cladem et rapi-
nam hanc immittat.
65. Loquimini ad cor (*id est blandimini*) Ierusalem, et Cap.40.
advocate eam: quoniam completa est malitia (*id est, mi-* v. 2.
seria et afflictio) eius: suscepit de manu Domini duplicia
pro omnibus peccatis suis.

Cap.41. 66. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et scie-
v. 23. mus quia dii estis vos: *Divinatio enim est testimonium divinitatis, ait Tertull.*

v. 24. 67. Ecce vos, *o idola, o dii Gentium*, estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est: abominatio est qui elegit vos.

Cap.42. 68. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam
v. 8. alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus.

v. 18. 69. Surdi, audite, et cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies?

Cap.42. 70. Ipse autem populus direptus et vastatus, laqueus
v. 22. iuvenum omnes, *q. d. Israel ita Deo dilectus, ob sua peccata fecit se prædam tum dæmonibus, tum Romanis; unde in iuvenum fortissimorum laqueum incidit, et in carcere detinetur.*

v. 24. Quis dedit in direptionem Iacob, et Israel vastantibus? nonne Dominus ipse, cui peccavimus.

Cap.43. 71. Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi
v. 24. laborem in iniquitatibus tuis: *Peccator quasi cogit Deum servire, id est, obsequi, et concursu suo generali cooperari suis concupiscentiis et peccatis. Rursum laborat, et quasi servit Deus in tot tantisque hominum peccatis tum sufferendis, tum corrigendis. Multi enim peccatis suis patientiam Dei quotidie fatigant.*

Cap.45. 72. Numquid dicet lutum figulo suo, Quid facis, et opus
v. 9. tuum absque manibus est? Væ qui dicit patri, Quid generas? et mulieri, Quid parturis? *q. d. Sic nec homines Deo, ob datam sibi ab eo sortem, esto ea sit vilis, pauper et misera, obstrepere debent, vel obmurmurare. Ipse enim nobis est pater et mater: ipse figulus, nos lutum.*

v. 15. 73. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.

v. 24. 74. Mihi curvabitur omne genu, et iurabit (*id est, colet me*) omnis lingua.

v. 26. In Domino iustificabitur, et laudabitur omne semen Israel.

Cap.46. 75. Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam,
v. 13. *q. d. Ego Deus gloriam meam ostendam in Sione, id est, in Ecclesia; et in Israele, id est, in fidelibus.*

Cap.48. 76. Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua,
v. 4. et frons tua ærea.

v. 6. 77. Laude mea infrænabo te, ne intereas, *q. d. Fræno meæ castigationis revocabo te, ne ruas in scelera, et in interitum. Unde subdit*: Ecce excoxi te, sed non (*plane et pure*) quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.

v. 22. 78. Non est pax impiis, dicit Dominus.

Cap.50. 79. Iuxta est (*Deus*) qui iustificat me, (*Christum*) quis
v. 8. contradicet mihi?

Cap.51. 80. Consurge, consurge, inducre fortitudinem brachium
v. 9. Domini etc. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? *Puta Pharaonem, qui quasi draco, id est, crocodilus, innatabat suis Nili rivis et aggeribus, et quasi balæna in mari rubro insecutus est Hebræos.* Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? *Puta maris rubri, ut transirent ex Ægypto Hebræi. Pari brachio et fortitudine percuties draconem, id est diabolum, et electos tuos per mare huius sæculi salvos deduces in cælum. Unde sequitur*: Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum.

Cap.55. 81. Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate
v. 6. eum, dum prope est.

Cap.56. 82. Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis po-
v. 7. pulis.

Cap.57. 83. Iustus perit, et non est qui recogitet in corde suo:
v. 1. et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat: a facie enim malitiæ collectus est iustus.

v. 13. 84. Omnes eos (*qui sperant in idolis*) auferet ventus, tollet aura: Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meum.

v. 17. 85. Propter iniquitatem avaritiæ eius iratus sum, et percussi eum: et abscondi a te faciem meam, et indignatus sum: et abiit vagus in via cordis sui. *Pœna ingens ira-*

A *ti Dei est, quod sinat peccatores vagari, et explere suas concupiscentias ad libitum; ita enim ruunt in omnia scelera, et tandem in gehennam.*

86. Quare ieiunavimus, et non aspexisti: humiliavimus Cap.58
animas nostras, et nescisti? *Respondet Deus, datque cau-* v. 3.
sam: Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Numquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere (*ieiunando*) hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, etc. frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum.

87. Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem, Cap.59.
q. d. Concipiunt nocendi consilia, ut deinde ea pariant et v. 4.
exsequantur, ac simplices inique divexent.

88. Corruit in platea veritas, et æquitas non potuit in- v. 14.
gredi, *q. d. Tota urbs plena est iniquitate et dolis, nullus est veritati et iustitiæ locus, nullus aditus.*

B 89. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem for- Cap.60.
tissimam, *q. d. Fidelis, præsertim prædicator, plurimos* v. 22.
fideles, sibique similes procreabit, uti S. Franciscus humilitate parvulus et minimus, crevit in familiam numerosissimam.

90. Ego Dominus diligens iudicium, et odio habens ra- Cap.61.
pinam in holocausto. v. 8.

91. Omnes qui viderint eos (*fideles meos*) cognoscent v. 9.
illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.

92. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ prærara- Cap.64.
sti exspectantibus te. v. 4.

93. Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi v. 6.
pannus menstruatæ universæ iustitiæ nostræ, *scilicet iustificationes legis veteris, sive iustitiæ quas quæsivimus ex aspersionibus et sacrificiis Aaronicis. Est enim vox Iudæorum. Tales quoque erant iustitiæ Gentium, quas sibi ob philosophiam, et virtutes morales arrogabant.*

94. Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lu- v. 8.
C tum: et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.

95. Domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi v. 11.
laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis. Numquid super his continebis te, Domine, tacebis, et affliges nos vehementer?

96. Expandi manus meas tota die ad populum incredu- Cap 65.
lum. Qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, v. 2.
quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.

97. Ecce servi mei comedent, et vos esurietis: ecce ser- v. 13.
vi mei bibent, et vos sitietis: ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini; ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.

98. Electi mei non laborabunt frustra, neque genera- v. 23.
bunt (*spiritualiter, faciendo fideles et sanctos*) in conturbatione: quia semen benedictorum Domini est: et nepotes eorum cum eis. Eritque antequam clament, ego exau-
D diam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.

99. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et con- Cap.66.
tritum spiritu, et trementem sermones meos? v. 2.

100. Eligam illusiones eorum: et quæ timebant, addu- v. 4.
cam eis: quia vocavi, et non erat qui responderet, locutus sum, et non audierunt.

101. Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domi- v. 6.
ni reddentis retributionem inimicis suis, *q. d. Videor mihi audire vocem populi eiulantis, ob urbis et templi excidium; ac ex adverso vocem Domini sævientis per ora hostium conclamantium, ac de victoria exsultantium, et populo capto insultantium.*

102. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pa- v. 9.
riam, dicit Dominus?

103. Lætamini cum Ierusalem, et exsultate in ea, om- v. 10.
nes qui diligitis eam, etc. ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis eius: ut mulgeatis, et deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.

v. 12. 104. Ecce ego declinabo super eam (*Ierusalem, id est, Ecclesiam*) quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.
v. 13. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Ierusalem consolabimini.
v. 14. 105. Ossa vestra quasi herba germinabunt, *q. d. Ossa vestra in captivitate Babylonis, et potius peccati, ac dæmonis, tabida, sicca et emortua præ tristitia et ærumnis, hac nova libertate et lætitia revirescent et reflorescent, sicut herba in hieme emortua, in vere revirescit et reviviscit.*

EX IEREMIA.

Cap. 2. 1. Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt
v. 16. te usque ad verticem, *q. d. Ægyptii qui te totum, o Israel, a capite ad pedes sua idololatria et vitiis polluerunt et inquinarunt.*
v. 18. 2. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam (*Nili*) et quid tibi vis cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis (*Euphratis*) *q. d. Ut quid cursitas nunc ad Assyrios, nunc ad Ægyptios, ut eorum auxilium implores, eorumque deos colas, qui uti aquam, ita et opem turbidam, tibique tristem et exitialem afferent.*
et 19. 3. Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.
v. 20. 4. A sæculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam.
v. 25. 5. Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti, *q. d. Parce vanis et noxiis tuis laboribus, quibus pedes tuos nudas, ut per flumina transeas in Ægyptum vel Assyriam, itaque te labore et siti conficis, idque frustra; nec enim illi te iuvare, et ab hostibus liberare poterunt. Unde subdit*: Ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.
Cap. 3. 6. Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et re-
v. 1. cedens ab eo (*uxor*) duxerit virum alterum: numquid revertetur ad eum ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa, *ut ad virum priorem redire nec possit, nec audeat?* tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus.
v. 3. 7. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ es tu, *q. d. Voca me: Vir meus primus, et legitimus sponsus meus ab initio es tu, Domine. Sunt verba Synagogæ. Hanc enim, cum nasceretur in Ægypto, mox sibi per Mosen in Sina copulavit, et in sponsam assumpsit Deus.*
Cap. 4. 8. Et iurabis: Vivit Dominus in veritate, et in iudicio,
v. 2. et in iustitia. *Has tres dotes requirit iuramentum: primo, veritatem, ne iures falsum; secundo, iudicium, ne temere, sed circumspecte, præmeditate et reverenter fiat: tertio, iustitiam, ne eo promittas, vel mineris aliquid iniustum.*
v. 9. 9. Peribit, *veniente hoste Chaldæo*, cor regis, et cor principum. *Cor symbolum est: primo, animi et fortitudinis; secundo, consilii et prudentiæ.*
v. 10. 10. Ecce pervenit gladius usque ad animam. *Ad intima, ut animam, id est, vitam, a corpore dividat et discindat.*
v. 15. 11. Vox annuntiantis a Dan, et notum facientis idolum de monte Ephraim, *q. d. Excubitores ex Dan et Ephraim clamant adventare hostem Chaldæum; vident enim eius idolum, puta ignem, quem tamquam Deum et belli ducem, castris præferunt Chaldæi.*
v. 18. 12. Viæ tuæ, et cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum. *q. d. Mali tui mores accersiverunt tibi hoc fel et absynthium, ipsi gladium hostilem in cor et viscera tua adegerunt. Ecce enim:*
v. 19. 13. Ventrem meum, ventrem meum doleo, *q. d. Dum in spiritu prævideo clades Iudæis a Chaldæis inferendas, ipsum mihi cor et viscera amaritudine et dolore findi rumpique videntur; multo ergo magis idipsum eis continget, qui clades istas reipsa excipient et sentient.*
v. 22. 14. Quia stultus populus meus me non cognovit: sa-
A pientes sunt ut faciant mala, bonum autem facere nescierunt.
15. Percussisti eos, et non doluerunt: attrivisti eos, et Cap. 5.
renuerunt suscipere disciplinam: induraverunt facies suas v. 3.
supra petram.
16. Audi, popule stulte, qui non habes cor: qui haben- v. 21.
tes oculos, non videtis; et aures, et non auditis.
17. Stupor et mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ v. 30.
prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis: et populus eius dilexit talia: quid ergo fiet in novissimo eius?
18. Sanctificate super eam bellum. *Sanctum bellum Iu-* Cap. 6.
dææ indicite, o Chaldæi, sanctum inquam; quia nocentes v. 4.
et reos, Deique hostes ipsi mactabitis, eosque quasi victimas divinæ iustitiæ immolabitis.
19. Hæc est civitas visitationis. *Visitationi id est, puni-* v. 6.
tioni et excidio, a Deo destinata et devota: *quia* omnis calumnia in medio eius.
20. A minore usque ad maiorem omnes avaritiæ stu- v. 13.
B dent: et a Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.
21. State super vias, et videte, et interrogate de semi- v. 16.
tis antiquis *patrum et Patriarcharum vestrorum*, quæ sit via bona, et ambulate in ea.
22. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Tem- Cap. 7.
plum Domini, templum Domini, templum Domini est. v. 4.
23. Numquid qui cadit, non resurget? et qui aversus Cap. 8.
est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste v. 4.
in Ierusalem aversione contentiosa?
24. Milvus in cælo cognovit tempus suum, turtur et hi- v. 7.
rundo, et ciconia, custodierunt tempus adventus sui: *In vere enim redeunt et nidificant*: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.
25. Vere mendacium operatus est stylus mendax scri- v. 8.
barum, *q. d. Nostri doctores non tam veritatem et sacram Scripturam, quam sui cerebri figmenta nobis enuntiant.*
26. Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad igno- v. 11.
C miniam, dicentes: Pax, pax, cum non esset pax.
27. Exspectavimus pacem, et non erat bonum: tempus v. 15.
medelæ, et ecce formido.
28. Numquid resina non est in Galaad? aut medicus v. 22.
non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei? *Resina Synagogæ et animæ ægræ est pœnitentia; medicus est sacerdos et pastor: sed qui utrumque respuunt, curari nequeunt.*
29. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in o- Cap. 9.
mni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater v. 4.
supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. *Quocirca* habitatio tua in medio doli, *q. d. Habitas, o Ieremia, in urbe tam dolosa, ut videatur esse ipse dolus: dolose enim simulat se colere Deum, cum colat idola; hinc et dolose simulat amicitiam cum proximis, cum eorum machinetur interitum: Unde subdit:* Sagitta vulne- v. 8.
rans lingua eorum, dolum locuta est, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.
30. Ecce ego cibabo populum istum absynthio, et potum v. 15.
D dabo eis aquam fellis. *Fel et absynthium afflictionis et amaritudinis sunt symbola.*
31. Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glo- v. 23.
rietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me. *Non speculative, sed practice, ut nimirum me colat mihique obediat, agnoscens et sperans meam misericordiam, ac timens meam iustitiam.*
32. Omnes gentes habent præputium, omnis autem v. 26.
domus Israel incircumcisi sunt corde, *q. d. Gentes sunt incircumcisæ carne, sed Israel incircumcisus est corde et mente.*
33. Iuxta vias Gentium nolite discere, et a signis cæli Cap. 10.
nolite metuere, quæ timent Gentes, *q. d. Nolite timere et* v. 2.
colere quasi Deum solem, lunam, stellas, ut Gentes faciunt.
34. Quis non timebit te, o Rex gentium? tuum est e- v. 7.
nim decus.

v. 11. 35. Dii, qui cælos et terram non fecerunt, pereant de
terra, et de his quæ sub cælo sunt.
v. 16. 36. Non est his similis pars (*Deus, quem ut suam par-
tem et sortem colit*) Iacob: qui enim formavit omnia, ipse
est, et Israel virga hæreditatis eius: Dominus exercituum
nomen illi.
v. 19. 37. Ego autem dixi: Plane hæc infirmitas mea est, et
portabo illam.
v. 23. 38. Scio, Domine, quia non est hominis via eius; nec
viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos, *q. d. Non ho-
minis, sed Dei est. dirigere actus gressusque hominum.*
Cap. 11. 39. Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit
v. 15. scelera multa? *Inducens in templum idola, aliaque ibi
scelera perpetrans.* Numquid carnes sanctæ auferent a te
malitias tuas in quibus gloriata es?
Cap. 12. 40. Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum:
v. 1. verumtamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum pro-
speratur? bene est omnibus qui prævaricantur et inique
agunt?
v. 3. 41. Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sancti-
fica eos in die occisionis, *q. d. Macta impios quasi victi-
mas, et quasi catharmata et piacula mundi immola eos
tuæ iustitiæ et vindictæ.*
Cap. 13. 42. Dic regi (*Ioachin*) et dominatrici (*reginæ*): Humilia-
v. 18. mini, sedete: quoniam descendet de capite vestro corona
gloriæ vestræ.
v. 23. 43. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus
varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didice-
ritis malum.
Cap. 15. 44. Si steterit Moses et Samuel coram me, non est ani-
v. 1. ma mea ad populum istum. Eiice illos a facie mea, et e-
grediantur. Quod si dixerint: Quo egrediemur? dices ad
eos: Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem (*a me destinati
sunt, eant*) ad mortem: et qui ad gladium, ad gladium:
et qui ad famem, ad famem: et qui ad captivitatem, ad
captivitatem.
v. 9. 45. Occidit ei sol, cum adhuc esset dies, *q. d. In plena
lætitia et prosperitate, corruit in extremam adversitatem
et tristitiam, perinde ac si sol in meridie subito deficeret.*
Cap 17. 46. Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue
v. 1. adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum,
et in cornibus ararum eorum, *q. d. Peccatum Iudæorum
est indelebile, ac quasi in adamante, puta in corde eorum
adamantino, æque ac in aris idolorum ipsorum incisum et
insculptum.*
v. 5. 47. Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit
carnem (*hominem carneum, non Deum*) brachium suum.
v. 9. 48. Pravum est cor *hominis* et inscrutabile: quis cogno-
scet illud? Ego Dominus, scrutans cor et probans renes.
v. 13. 49. Exspectatio Israel, Domine, omnes qui te derelin-
quunt, confundentur: recedentes a te, in terra scriben-
tur (*oblivioni tradentur, interibunt, evanescent*) quoniam
dereliquerunt venam aquarum viventium.
v. 14 50. Sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et
salvus ero: quoniam laus mea tu es, *q. d. Quoniam tu me
salvando felicem et laudabilem efficis.*
v. 16. 51. Et ego non sum turbatus, *quasi ovis* te pastorem
sequens, et diem hominis (*laudem, plausum et gloriam
hominum*) non desideravi, tu scis.
Cap. 22. 52. Omnes pastores tuos pascet ventus, *q. d. Spes va-
v. 22. na, quam principes Iudæorum ponunt in Ægyptiis, eos i-
naniter lactat et pascit, ac si esset ventus: nec enim Ægy-
ptii Iudæos a Chaldæis liberare poterunt.*
Cap. 23. 53. Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et
v. 19. tempestas erumpens super caput impiorum veniet.
Cap. 31. 54. Vadet ad requiem suam Israel. *Scilicet e captivita-
v. 2. te Babylonica redibit in patriam, ac potius spiritalis Israel,
id est fidelis, e captivitate dæmonis vadet ad Ecclesiam,
et quietem æternam.*
v. 3. et 55. In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te mi-
7. serans. *Sunt verba Dei ad Israel; unde subdit*: Exsultate
in lætitia, Iacob, et hinnite contra caput Gentium: per-
sonate, et canite, et dicite; Salva, Domine populum tuum
reliquias Israel, etc.

A Factus sum Israeli pater, et Ephraim primogenitus v. 9.
meus est. *Loquitur de conversione Israelis, id est, Sama-
riæ ad Christum. Samaria enim prima præ aliis gentibus
conversa est per Petrum, Ioannem et Philippum, Actor 8.*
56. Postquam convertisti me, egi pœnitentiam: et post- v. 19.
quam ostendisti mihi *peccata mea, statumque damnatio-
nis in quo versabar*, percussi femur meum, *ex admiratio-
ne et dolore.*
57. Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te, Baruch: Ec- Cap. 45.
ce quos ædificavi, ego destruo: et quos plantavi, ego evel- v. 2.
lo, et universam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia?
*q. d. Tota Ierusalem est in labore et dolore: et tu, o Ba-
ruch, solus quæris quietem, omniaque mollia et blanda?*
58. Fortis impegit in fortem, *scilicet Pharao cum Na-* Cap. 46.
buchodonosore conflixit: et ambo pariter conciderunt. v. 12.
59. Vocate nomen Pharaonis, tumultum adduxit tem- v. 17.
pus, *q. d. Vocate Pharaonem tumultum: quia tempus tu-
multus, perturbationis et excidii eius instat.*
60. Venit calvitium super Gazam. Calvitium, *id est lu-* Cap. 47.
B *ctus et servitus. Lugentes enim, æque ac servi, solebant* v. 5.
decalvari.
61. O mucro Domini, usquequo non quiesces? ingre- v. 6.
dere in vaginam tuam, refrigerare, et sile.
Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adver-
sus Ascalonem, etc. ibique condixerit illi?
62. Date florem Moab, quia florens egredietur: et civi- Cap. 48.
tates eius desertæ erunt. *Est sarcasmus, q. d. Opibus et* v. 9.
*gloria floret Moab; sed hunc florem carpent Chaldæi, eam-
que facient desertam.*
63. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. O- v. 10.
pus Domini *vocat vindictam Domini de Moab. Unde ex-
plicans subdit:* Maledictus qui prohibet gladium suum a
sanguine.
64. Quomodo confracta est virga fortis baculus glorio- v. 17.
sus? Descende de gloria, et sede in siti, *q. d. O Moab, o-
lim domina tenebas sceptrum, et quasi virga percutiebas
Iudæos; nunc quasi ancilla captiva descende, et sede in ter-*
C *ra arida.*
65. Relinquite civitates, et habitate in petra, habita- v. 28.
tores Moab: et estote quasi columba nidificans in summo
ore foraminis, *q. d. Fugite o Moabitæ, Chaldæos, et ur-
bium vestrarum excidium: fugite, inquam, quasi columbæ
timidæ ad cavernas montium et petrarum; unde subdit:*
66. Pavor, et fovea, et laqueus super te, o abitator v. 43.
Moab. *Et:* Væ tibi, Moab, periisti, popule Chamos. et 46.
67. Arrogantia tua decepit te (*o Idumæe*) et superbia Cap. 49.
cordis tui: qui habitas in cavernis petræ, et apprehende- v. 16.
re niteris altitudinem collis; cum exaltaveris quasi aqui-
la nidum tuum, inde detraham te: *Idumæi enim, habitan-
tes in montibus et petris, putabant se esse inexpugnabiles:
sed inde per Chaldæos detraxit eos Deus.*
68. Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Me- Cap. 50.
rodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt ido- v. 2.
la eorum.
69. Quomodo confractus est, et contritus malleus uni- v. 23.
versæ terræ? quomodo versa est in desertum Babylon in
D Gentibus? *Chaldæi enim quasi mallei percusserunt Iudæos
omnesque gentes.*
70. Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, etc. gladius ad v. 35.
divinos eius qui stulti erunt: gladius ad fortes illius, qui
timebunt. Gladius ad equos eius et ad currus eius, et ad
omne vulgus etc. gladius ad thesauros eius, qui diripientur.
Hic gladius est Cyri et Persarum, qui Babylonem everterunt.
71. Collidis tu mihi vasa belli, et ego collidam in te gen- Cap 51.
tes, *q. d. Sicut tu, o Babylon, collisisti arma aliarum gen-* v. 20.
*tium: ita ego iam te tuosque cives et incolas per Persas col-
lidam et conteram.*
72. In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo v. 39.
eos ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, *q.
d. Faciam ut Cyrus Babylonem et Balthasarem convivia a-
gitantem invadat civesque somno vinoque sepultos trucidet
ut æternum dormiant somnum; unde sequitur:*
73. Deducam eos quasi agnos ad victimam, et quasi v. 40.
arietes cum hædis.

*

v. 50. 74. Qui fugistis gladium, venite, nolite stare: recordamini procul Domini, et Ierusalem ascendat super cor vestrum, *q. d. O Iudæi in Babylone captivi, qui eius excidium vidistis et effugistis, pergite, properate in avitam patriam, tot annis et votis exoptatam: iugiter Dominus, eiusque templum, et urbs Ierusalem menti vestræ obversentur.*

EX THRENIS.

Cap. 1. v. 4. 1. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Lugent, *id est squalidæ sunt et desertæ. Est catachresis.*

v. 6. 2. Egressus est a filia Sion omnis decor eius.

v. 8. 3. Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est. *Stabilis est virtus, quæ stabili lege, ratione et Deo nititur: instabile peccatum et peccatores, qui instabili concupiscentia, mundo et dæmone aguntur.*

v. 12. 4. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus. *Vox est Hierosolymæ a Chaldæis vastatæ.*

v. 13. 5. De excelso misit ignem (*iræ et vindictæ suæ fulmen*) in ossibus meis; expandit rete pedibus meis, *ut a Chaldæis caperer, vincirer, et illaquearer.*

v. 20. 6. Foris interficit gladius, et domi mors similis est, *q. d. Nec domi, nec foris mihi est salus et quies: utrobique enim Chaldæi filios et cives meos trucidant.*

Cap. 2. v. 11. 7. Effusum est in terra iecur meum, *q. d. Præ dolore quasi effudi viscera mea. Iecur enim sedes est amoris et concupiscentiæ, ac consequenter et doloris oppositi et commiserationis.*

v. 13. 8. Magna est velut mare contritio tua: *venisti, o Sion, in fluctus et mare dolorum et malorum.*

v. 15. 9. Sibilaverunt, et moverunt caput super filiam Ierusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?

v. 18. 10. Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem: non des requiem tibi, neque taceat (*non quiescat a ploratu*) pupilla oculi tui.

v. 19. 11. Consurge, lauda (*laudando invoca Deum*) in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.

v. 20. 12. Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulus ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et Propheta.

Cap. 3. v. 17. 13. Repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum. Et dixi, Periit finis meus, *q. d. Non erit finis malorum meorum,* et spes mea a Domino.

v. 22. 14. Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti. Novi diluculo, (*beneficiorum soles quotidie exoriuntur et a Deo nobis proveniunt*) multa est fides (*fidelitas in iis, utpote nobis promissis, præstandis*) tua.

2. 24. 15. Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.

v. 25. 16. Bonus est Dominus, sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

v. 27. 17. Bonum est viro, cum portaverit iugum (*disciplinæ et tribulationum*) ab adolescentia sua.

v. 28. 18. Sedebit solitarius et tacebit: quia levavit se super se, *q. d. Vir pius silenter assumet in humeros, feretque onus tribulationum sibi a Deo immissum et impositum.*

v. 30. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. Quia non repellet in sempiternum Dominus.

v. 37. 19. Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non iubente? *Quis atheus dicat hasce cruces nobis non a Dei providentia immitti, sed casu, fato aut a natura obvenire?*

v. 39. 20. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? Scrutemur vias nostras, et quæramus et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos.

v. 44. 21. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.

v. 45. 22. Eradicationem et abiectionem posuisti me in medio populorum.

v. 51. 23. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ, *q. d. Oculus meus videns filias Sion capi, illudi, violari, animam quasi et vitam mihi eripuit, ut præ dolore inciderem in deliquium, et quasi exanimarer.*

24. Manus mulierum (*alias*) misericordium (*sed præ fame crudelium*) coxerunt filios suos, facti sunt cibus earum, Cap. 4. v. 10.
in contritione filiæ populi mei.

Complevit Dominus furorem suum. v. 11.

25. Completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. v. 18.

26. Recordare Domine quid acciderit nobis: intuere et Cap. 5.
respice opprobrium nostrum. v. 1.
Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ; aquam nostram pecunia bibimus: cervicibus nostris minabamur: lassis non dabatur requies: servi dominati sunt nostri: mulieres in Sion humiliaverunt: principes manu suspensi sunt: pueri in ligno corruerunt.

27. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia pec- v. 16.
cavimus. Quare in perpetuum oblivisceris nostri? Converte nos, Domine, ad te, et convertemur: innova dies nostros, sicut a principio.

EX BARUCH.

1. Domino Deo nostro iustitia: nobis autem, et patri- Cap. 2.
bus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc, *sicut hodie* v. 6.
apparet.

2. Aperi oculos tuos (*Domine*) et vide, quia non mortui, v. 17.
etc. sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva, et infirma; et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et iustitiam Domino.

3. Audi Domine, quia tu sedes in sempiternum, et nos Cap. 3.
peribimus in ævum. *Semel enim mortui, semper manebi-* v. 2.
mus mortui, nec ad vitam præsentem redibimus.

4. Audi, Israel, mandata vitæ: auribus percipe, ut v. 9.
scias prudentiam. Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum, dereliquisti fontem sapientiæ; nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax.

5. O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens lo- v. 24.
cus possessionis eius!
Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus.

6. Beati sumus, Israel: quia quæ Deo placent, mani- Cap. 4. v. 4.
festa sunt nobis.

7. Exui me stola pacis, indui me sacco obsecrationis, v. 20.
et clamabo ad Deum altissimum in diebus meis. *Sunt verba Ierusalem excisæ, quæ pro filiis et civibus suis Deum obsecrat; unde subdit:*

8. Emisi vos (*in Babylonem*) cum luctu et ploratu: re- v. 23.
ducet autem vos Dominus cum gaudio et iucunditate in sempiternum.

9. Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo: de- v. 28.
cies tantum iterum convertentes requiretis eum.

10. Circumspice, Ierusalem, ad Orientem et vide iu- v. 36.
cunditatem a Deo tibi venientem. Ecce enim veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes in honorem Dei.

11. Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sem- Cap. 5.
piternum: Pax iustitiæ, et honor pietatis. *Loquitur de Ie-* v. 4.
rusalem, ut dixi; sed assurgit ad spiritualem puta ad Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem, cui hæc optime conveniunt.

EX EZECHIELE.

1. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus ipso- Cap. 3.
rum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut ada- v. 8.
mantem, et ut silicem dedi faciem tuam.

2. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Si v. 17.
dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntia-

veris ei, ut avertatur a via sua impia, et vivat: ipse im-
pius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de
manu tua requiram.
Cap. 7. 3. Argentum eorum, et aurum eorum non valebit libe-
v. 19. rare eos in die furoris Domini.
Cap.12. 4. Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in ter-
v. 22. ra Israel, dicentium: In longum differentur dies, et peri-
bit omnis visio? *q. d. Minæ Prophetarum differuntur, nec
reipsa explentur; ergo peribunt, et cassæ erunt et evani-
dæ.* Ideo dic ad eos: Quiescere faciam proverbium istud:
Non *enim* erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio
ambigua: quodcumque locutus fuero verbum, fiet, et non
prolongabitur amplius.
Cap.14. 5. Si fuerint tres viri isti in medio eius (*Hierosolymæ*)
v. 14. Noe, Daniel et Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas
suas, etc. sed nec filios, nec filias liberabunt.
Cap.16. 6. Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa, *q. d.*
v. 3. *O Israel, ita es impius, ut non Abrahæ, sed Amorrhæorum
et Cethæorum filius esse videaris.*
v. 49. 7. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, super-
bia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius et fi-
liarum eius: et manum egeno et pauperi non porrigebant.
Cap.18. 8. Quid est quod inter vos parabolam vertitis in prover-
v. 2. bium istud in terra Israel? dicentes: Patres comederunt
uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt, *q. d. Pa-
tres nostri peccaverunt, et nos eorum peccata luimus, pro
v. 3. iisque punimur. Hisce respondit Deus:* Vivo ego, dicit Do-
minus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in prover-
bium in Israel. Ecce omnes animæ, meæ sunt: anima,
quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniqui-
tatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: iu-
stitia iusti super eum erit, et impietas impii erit su-
per eum.
v. 21. 9. Si autem impius egerit pœnitentiam, etc. omnium
iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.
v. 24. Si autem averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit
iniquitatem, etc. omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non
recordabuntur.
v. 31. 10. Quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem
morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite.
Cap.21. 11. Gladius, gladius exacutus est et limatus. Ut cædat
v. 9. victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est.
v. 16. Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quo-
cumque faciei tuæ est appetitus.
v. 28. Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut
interficias et fulgeas.
Cap.22. 12. Fili hominis, versa est mihi domus Israel in sco-
A riam: omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum v. 18.
in medio fornacis: scoria argenti facti sunt. Propterea ec-
ce ego congregabo vos in medio Ierusalem, ut succendam
in ea ignem ad conflandum.
13. Fili hominis, dic ei: Tu es terra immunda, et non v. 24.
compluta in die furoris. Coniuratio Prophetarum in me-
dio eius, sicut leo rugiens rapiensque prædam, animas
devoraverunt, opes et pretium acceperunt, viduas eius
multiplicaverunt.
Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes
prædam.
14. Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et v. 30.
staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam,
et non inveni.
15. Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, Cap.33.
sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. v. 11.
16. Et tu (fili hominis) es eis quasi carmen musicum, v. 32.
B quod suavi dulcique sono canitur: et audiunt verba tua,
et non faciunt ea.

EX DANIELE.

1. Non oportet nos de hac re respondere tibi Ecce enim Cap. 3.
Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino v. 16.
ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. Quod
si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non coli-
mus, et statuam auream quam erexisti, non adoramus.
2. Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in v. 40.
millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum
in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est
confusio confidentibus in te.
3. Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora Cap. 6.
leonum, et non nocuerunt mihi: quia coram eo iustitia v. 22.
C inventa est in me.
4. Tibi, Domine, iustitia: nobis autem confusio, sicut Cap. 9.
est hodie. v. 7.
5. Angustiæ sunt mihi undique: si enim hoc egero, Cap. 13.
mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus v. 22.
vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in ma-
nus vestras, quam peccare in conspectu Domini. *Aurea
hæc vox est Susannæ.*
6. Semen Chanaan, et non Iuda, species decepit te, et v. 56.
concupiscentia subvertit cor tuum. Sic faciebatis filiabus
Israel, et illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Iuda
non sustinuit iniquitatem vestram.
7. Recte mentitus es et tu in caput tuum: manet enim v. 59.
Angelus Domini gladium habens, ut secet te medium.

ÆNIGMATA.

EX ISAIA.

Cap.10. 1. Consummatio abbreviata inundabit iustitiam, *q. d.*
v. 22. *Paucitas Iudæorum a Deo abbreviata adeo, ut videatur
esse consummatio, id est, consumptio et interitus eorum-
dem, faciet ut iustitia et salus Dei se propaget et diffundat
per omnes gentes, easque quasi inundet: vide dicta Is.* 10.
v. 27. 2. Computrescet iugum a facie olei, *q. d. Omnis servi-
tus evanescet a facie gratiæ et consolationis Dei.*
Cap.11. 3. Egredietur virga de radice Iesse et flos de radice e-
v. 1. ius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini.
*Virga Iessæa est Beata Virgo, de qua germinavit flos Chri-
stus super quem requievit septuplex spiritus Domini.*
v. 6. 4 Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo ac-
cubabit: vitulus, et leo, et ovis simul morabuntur, et puer
parvulus minabit eos. *Lupi, pardi, leones sunt gentes bar-
baræ, quæ ad fidem Chisti conversæ ferociam posuerunt,
et cum vitulo, et ove, id est, cum fidelibus Christianis,
pacifice et amice versantur sinuntque se a puero, id est, a
simplici pastore, regi.*
v. 10. 5. In die illa (*erit*) radix Iesse, *puta Christus gloriosus,*
qui stat in signum, *id est vexillum,* populorum, ipsum
Gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum.
D 6. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, *q.* Cap. 12.
d. Uti Iudæi olim sitientes de petra quasi de fonte bibe- v. 3.
*runt, ita Christiani de Christi fontibus bibent aquas do-
ctrinæ et gratiæ ad satietatem.*
7. Onus Babylonis, *q. d. Minæ et oracula tristia contra* Cap. 13.
Babylonem. Super montem caliginosum, *q. d. Contra Ba-* v. 1.
*bylonem, quæ caligine vaporum Euphratis et fumi pro-
deuntis ex tot eius domibus et focis obtegitur, vos, o Per-
sæ, levate signum, id est, vexillum militare.* Ego manda-
vi sanctificatis meis, *puta Persis, qui quasi milites et sa-
cerdotes mihi consecrati sunt, ut meæ iustitiæ mactent et
immolent impios Babylonios.*
8. Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane orie- Cap. 14.
baris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui di- v. 12.
cebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra
Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti,
in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nu-
bium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum
detraheris, in profundum laci, *q. d. Quomodo, o Baltha-
sar monarcha, qui splendore et gloria videbaris esse quasi
lucifer stella, ac in fastu quasi Lucifer, Angelorum olim
princeps de throno monarchiæ tuæ, quasi de cælo, corrui-
sti spoliatus regno et vita, ac deiectus in tartara?*

v. 29. 9. De radice colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens volucrem, *q. d. Ex Davide et Ozia nascetur Ezechias, qui gravius quam ipsi vos, o Philisthæi, affliget, ut videatur vobis esse basiliscus, qui suo aspectu et afflatu etiam aves volantes necat et absorbet.*

Cap.16. v. 14. 10. In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab, *q. d. Post tres annos vastabitur Moab a Chaldæis, qui eius opes quasi pro mercede a Deo accipient, quia ei servierunt in expugnatione Ierusalem, et punitione aliarum gentium.*

Cap.18. v. 1. 11. Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius; ad gentem exspectantem et conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius, *q. d. Væ Æthiopiæ, quæ superbe ostentat suas copias; cum ex nihil habeant præter inanem ostentationem, strepitum, et velut cymbali tinnitum; quæ sita est trans Nilum, et per illum in navibus ex papyro mittit suos legatos et milites in Ægyptum: nam vastabitur per Sennacherib, et postea per Nabuchodonosor. Vos ergo, o Sennacherib et Nabuchodonosor, quasi angeli mei, ita et vastate Æthiopes, qui sunt gens convulsa, id est, a me per vos convellenda et dilaceranda, esto videantur esse terribiles.*

Cap.19. v. 18. 12. In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, et iurantes per Dominum exercituum. Civitas solis vocabitur una, *q. d. Quinque metropoles Ægypti, id est tota Ægyptus suscipiet fidem Christi, Deumque verum colet et laudabit.*

v. 19. 13. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini iuxta terminum eius erit in signum, et in testimonium Domino. *Titulum vocat crucem, statuas, columnas, et templa, quæ Ægyptii conversi ad Christum ipsi erexerunt.*

v. 24. 14. In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio, benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio: hæreditas autem mea Israel, *q. d. Ægyptii et Assyrii iam inter se inimici, sub Christo conspirabunt in unam Ecclesiam, ac cum Israelitis colent verum Deum, ideoque ab eo benedicentur: Dei enim hæreditas est Israel, id est, populus Christianus in Israele ortus.*

Cap.21. v. 1. 15. Onus deserti maris, *q. d. Prophetia minax contra Babylonem, quæ cum fuerit mare gentium, nunc a Deo per Cyrum desolabitur, et redigetur in desertum.* Sicut turbines ab Africo veniunt, *ita* de deserto venit *turba et turbo Persarum et Medorum contra Babylonem.*

v. 6. 16. Vade, et pone speculatorem. Et vidit *speculator* currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli. *Ascensor asini, id est, Persarum vilium et servilium rex, est Cyrus; ascensor cameli, id est, Medorum nobilium rex, est Darius: hosce duos speculatus est hic Isaias, viditque eos iunctis curribus et copiis invadere Babylonem.*

v. 8. 17. Et clamavit leo: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, *q. d. Ego Isaias, quasi leo vigil, iugiter excubo, ut futura ex revelatione Dei discam et aliis prænuntiem.*

v. 10. 18. Tritura mea, et filii areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis, *q. d. O Iudæi, qui in Babylone fuistis, quasi in tritura, annuntiabo vobis ea quæ a Deo audivi de Babylonis excidio, et vestra liberatione.*

v. 11. 19. Ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Dixit custos: Venit mane et nox: si quæritis, quærite: convertimini, venite, *q. d. Ego Isaias videor audire Idumæos, adventantibus Chaldæis, pavidos, dicere excubitori: O excubitor, quid vidisti, quid sensisti nocte de Chaldæis? Quibus ipse respondet:* Venit mane et nox, *q. d. Instat aurora, et tamen adhuc est nox; quare si quo vultis excurrere, si quid foris quærere, festinate et quærite, ac mox in urbem redite, antequam hostis evigilans persentiscat, vobisque reditum præcludat.*

20. Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii, et auferetur omnis gloria Cedar. *Vide dicta superius cap. 16. v. 14.* v. 16.

21. Onus vallis visionis. *Ierusalem vocatur vallis visionis, id est Prophetiæ; erat enim sedes Prophetarum. Alludit ad montem Moria, id est, visionis.* Cap. 22. v. 1.

22. Onus Tyri. Ululate, naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant. Cap.23. v. 1.

In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius, *q. d. Ægyptus ex aquis Nili exundantis fit fertilis, et copiosam dat messem ac fruges.* v. 3.

23. Erubesce, Sidon, *quia tua colonia, et quasi filia, puta Tyrus, vastata est.* Ait enim mare: Non parturivi, et non peperi, et non enutrivi iuvenes: mare, *id est, Tyrus maris domina, ita incolis et filiis per hanc cladem orbata est, ac si nunquam eos peperisset vel aluisset.* v. 4.

24. Transi terram tuam quasi flumen, filia maris, non est cingulum ultra tibi, *q. d. O filia maris, id est, o Tyre, Chaldæus cingulum maris undique te ambientis tibi ademit: illud enim terra implevit: itaque te expugnavit; transi ergo quasi captiva, non per flumen, sed per terram in Babylonem.* v. 10.

25. Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi, *q. d. Væ mihi, quia explicare nequeo horrenda supplicia peccatoribus a Deo decreta, quæ mihi secreto ab eo revelata sunt.* Cap.24. v. 16.

26. Morientes non vivant, gigantes non resurgant, *q. d. Superbi et tyranni, quales fuerunt gigantes, moriantur morte æterna in gehenna, nec ad vitam beatam resurgant.* Cap.26. v. 14.

27. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum qui in mari est. *Leviathan, sive cetus, hic est ænigma diaboli, qui est serpens antiquus, fortis ut vectis: hunc occidet Deus, cum in die iudicii eum omni sua potestate, quam in hoc mundo exercuit, privabit, eumque detrudet in tartara ad mortem æternam.* Cap.27. v. 1.

28. Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine, *q. d. Apostoli, qui magno spiritus impetu concionabuntur Iacobæis, id est, Iudæis, facient eos florere virtutibus, ac implebunt orbem semine Evangelii.* v. 6.

29. In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam, *q. d. Æqua mensura punies eam, ut magnitudo pœnæ adæquet magnitudinem culpæ.* v. 8.

30. In siccitate messes illius conterentur, mulieres venientes, et docentes eam: non est enim populus sapiens, *q. d. Iudæi ita fame affligentur, ut inopes consilii ab uxoribus suis docendi sint, quid in tanta afflictione facto sit opus.* v. 11.

31. Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, *q. d. Deus dat scientiam iis, qui se avellunt a deliciis carnalibus.* Cap.28. v. 9.

32. Quia manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi. *Sunt verba sannionum, qui per irrisionem repetunt verba Prophetarum.* Manda remanda, etc. v. 10.

33. In loquela enim labii, et lingua altera loquetur ad populum istum, *q. d. Sicut Hebræi subsannant lingua blæsa Prophetas, ita subsannabunt eos Chaldæi loquentes chaldaice, non hebraice; unde subdit:* v. 11.

Et erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda; exspecta reexpecta, expecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi: ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur, *q. d. Quia illuserunt verbum Domini, eiusque præcones dicendo,* Manda remanda, etc. *idcirco prosternentur et capientur.* v. 13.

34. Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat: et pallium breve utrumque operire non potest, *q. d. Non potestis me colere cum idolis, nec me cum iis in eodem templo collocare: templum enim meum, meaque religio angusta est, et me solum capit, non idola.* v. 20.

v. 21. 35. Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus : A
sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur : ut faciat o-
pus suum, alienum opus eius: ut operetur opus suum ,
peregrinum est opus eius ab eo, *q. d. Sicut Deus in Baal
Pharasim, id est, in monte divisionum, pugnans pro Da-
vide divisit et dispersit Philisthæos; et sicut in Gabaon pro
Iosue stitit solem , ut cæderentur Chananæi , ita et nunc
suos hostes disperget et cædet , esto hoc opus vindictæ ab
eo sit quasi alienum: invitus enim punit is, cuius proprium
est misereri.*
Cap.29. 36. Væ Ariel, Ariel, civitas, quam expugnavit David.
v. 1. Ariel, *id est, leo, vel aries Dei, est Ierusalem; quia in ea
erat altare, in quo arietes Deo immolabantur: quocirca
ipsa defensa a Deo, erat gentibus terribilis ut leo: at iam
ab eo deserta et vastata, erit quasi aries iugulatus et im-
molatus divinæ vindictæ.*
v. 2. Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens, et e-
rit mihi quasi Ariel, *puta quasi aries meæ iustitiæ immo-
latus.*
v. 17. 37. Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Li- B
banus in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur? *Li-
banus pars Phœniciæ, ænigma est Gentilium, Charmel Iu-
dæorum , q. d. Phœnices, hoc est Gentiles per Christum
florebunt fide et gratia, Iudæi vero ipsi rebelles arescent et
sylvescent.*
Cap.30. 38. Onus iumentorum Austri , *q. d. Minæ Dei contra*
v. 6. *Iudæos, qui quasi iumenta suis bonis onusta fugiunt in Æ-
gyptum, quæ Iudææ est ad Austrum: in itinere enim, pu-
ta in deserto, occurrent eis leones, viperæ et reguli, qui eos
laniabunt. Hoc est enim quod subdit*: In terra tribulationis
et angustiæ leæna, et leo ex eis, vipera, et regulus volans,
portantes super humeros iumentorum divitias suas, et su-
per gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui
eis prodesse non poterit.
v. 33. 39. Præparata est ab heri Tophet, a rege præparata ,
profunda , et dilatata. Nutrimenta eius ignis , et ligna
multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens
eam. *Tophet est ænigma inferni, quia sicut in Tophet in-* C
*fantes cremabantur in honorem Moloch, ita in gehenna cre-
mantur damnati ad libitum diaboli.*
Cap.32. 40. Gaudium onagrorum pascua gregum, donec effun-
v. 14. datur super nos spiritus de excelso, *q.d. Durabit Iudææ
vastitas, ut in ea non homines, sed onagri pascantur, do-
nec Christus in eos mittat spiritum fidei et gratiæ, qui eos
ad Deum et salutem convertat.*
v. 17. Et erit opus iustitiæ pax , et cultus iustitiæ silentium ,
et securitas usque in sempiternum, *q. d. Merces fidelium
erit, ut iustificati a Christo consequantur, primo, pacem
conscientiæ; secundo, silentium, id est, quietem et tranquil-
litatem summam ; tertio , securam fiduciam beatitudinis
æternæ.*
v. 19. 41. Grando autem in descensione saltus, *id est, q. d.
Ira Dei grandinabit, et percutiet Iudæos, qui a vero Dei
cultu, suaque gloria desciverunt et descenderunt, factique
sunt instar agri deserti et sylvescentis.*
v. 20. 42. Beati qui seminatis super omnes aquas, immitten-
tes pedem bovis et asini, *q. d. O vos beatos, Apostoli, qui* D
*in omnes aquas, id est in omnes populos, immittitis boves
et asinos, id est, operarios et prædicatores Evangelii.*
Cap.34. 43. Et tabescet omnis militia cælorum, et complica-
v. 4. buntur sicut liber cæli : et omnis militia eorum defluet,
sicut defluit folium de vinea et de ficu, *q. d. In fine mun-
di stellæ de cælo cadent, cælique ita obscurabuntur, ut ta-
bescere et evanescere videantur.*
Cap.41. 44. Quis suscitavit ab oriente iustum (*Abrahamum*) voca-
v. 2. vit eum ut sequeretur se? dabit (*id est dedit*) in conspectu
eius Gentes, et reges obtinebit : dabit quasi pulverem gla-
dio eius, sicut stipulam vento raptam arcui eius, *q.d. Quis
vocavit Abrahamum, cumque gloriosum effecit et trium-
phatorem de quatuor regibus, Genes.* 14 *nonne ego Deus?*
v. 4. Quis hæc operatus est, et fecit, vocans generationes ab
exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum.
*Deus enim est rex sæculorum, ea constituens, disponens
et ordinans.*

45. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt *Apostoli, et præ-* v. 27.
cones Evangelii, et Ierusalem Evangelistam, *id est Evan-
gelistas et prædicatores Christi et salutis*, dabo.
46. Educ foras populum cæcum, et oculos habentem ; Cap.43.
surdum, et aures ei sunt, *q. d. Populus meus habet ocu-* v. 8.
*los, et tamen est cæcus ; quia eos claudit: atque habet au-
res, et tamen est surdus; quia eas obturat monitis Dei. Rur-
sum videns non videt , audiens non audit; quia non vult
visa et audita intelligere, et opere complere.*
47. Glorificabit me bestia agri, dracones et struthio- v. 20.
nes: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut da-
rem potum populo meo, electo meo, *q. d. Gentiles , qui
in gentilismo vixerunt ut bestiæ et dracones, iam per Chri-
stum facti homines, imo Angeli glorificabunt Deum; quia
dedi eis flumina gratiarum.*
48. Hic scribet manu sua, Domino. *id est, Domini ego* Cap.44.
sum servus: et in nomine Israel assimilabitur, *id est, co-* v. 5.
gnominabitur Israel, sive Israelita.
49. Confractus est Bel, contritus est Nabo, *q. d. Baby-* Cap.46.
lon cum suis diis, Bel et Nabo, eversa est et contrita. v. 1.
50. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flam- Cap.50.
mis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas v. 11.
succendistis. *Peccator per peccata quasi per follem et li-
gna arida, accendit sibi ignem iræ Dei, vindictæ et gehen-
næ; unde fit id quod sequitur*: In doloribus dormietis.
51. Attendite ad petram unde excisi estis, et ad caver- Cap.51.
nam laci de qua præcisi estis. *Excisio e petra et caverna,* v. 1.
*ænigma est generationis Abrahæ et Saræ sterilium, uti pe-
tra est sterilis. Hebræi enim generare vocant ædificare do-
mum, et filios vocant* banim , *quasi* abanim , *id est, lapi-
des, ex quibus quisque domum construit.*
52. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tan- Cap.52.
gere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Do- v. 11.
mini, *q. d. Exite e Babylone, o Israelitæ, ne eius sceleri-
bus, æque ac clade et strage polluamini.*
53. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius e- v. 14.
rit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios ho-
minum. Iste asperget gentes multas, super ipsum contine-
bunt reges os suum. *Est ænigma Christi qui inglorius fuit
in nativitate, vita et morte , sed sanguine suo aspersit et
abluit gentes omnes , ideoque ei ipsæ cum regibus suis se
subdiderunt. Unde sequitur* : Quia quibus non est narra-
tum de eo, audierunt; et qui non audierunt, contemplati
sunt, *q. d. Gentiles ignorantes Deum et salutem, per Chri-
stum eam exsasperunt.*
54. Dabit impios pro sepultura , et divitem pro morte Cap.53.
sua, *q. d. Deus impios et divites Christo subdet , in præ-* v. 9.
*mium suæ mortis et sepulturæ, ac nominatim faciet ut Io-
seph ab Arimathia, vir nobilis et dives, eum honorifice se-
peliat.*
55. Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet Cap.55.
myrtus, *q. d. In Ecclesia pro vitiis crescent virtutes.* v. 13.
56. Et erit Dominus nominatus in signum æternum ,
quod non auferetur, *q. d. Deus in Ecclesia habebit no-
men et laudem et monumentum perpetuum.*
57. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt universi: Cap.56.
canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormien- v. 10.
tes, et amantes somnia : et canes impudentissimi nescie-
runt saturitatem. *Hi canes speculatores et excubitores sunt
ænigma pravorum pastorum , qui non saluti gregis , sed
suæ gulæ, acediæ, avaritiæ student. Unde explicans sub-
dit:* Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in
viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam,
a summo usque ad novissimum : venite, sumamus vinum,
et impleamur ebrietate.
58. Vos autem accedite huc, filii auguratricis ; semen Cap.57.
adulteri et fornicariæ. Super quem lusistis? super quem v. 3.
dilatastis os, et eiecistis linguam , numquid non vos filii
scelesti, semen mendax? *Hæc sunt ænigmata et tituli ido-
lolatrarum et impiorum, qui auguriis et superstitionibus
dediti, non Dei, sed dæmonis et impietatis sunt filii. Unde
de iis subdit*: Suscepisti adulterum (*Deum alienum*) dila-
tasti cubile tuum , et pepigisti cum eis fœdus: dilexisti
stratum eorum manu aperta. Et ornasti te regi (*Moloch*

idolo) unguento, ut multiplicasti pigmenta tua.
v. 16. 59. Spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam. *Est ænigma Dei, qui solus creat animas hominum, eisque spiritum vitalem, tum naturalem halitus, tum supernaturalem gratiæ indit et inspirat.*
v. 19. 60. Creavi fructum labiorum pacem, *q. d. Pietatis et orationis fructus est pax. Nam* impii *sunt* quasi mare fervens, quod quiescere non potest.
Cap.59. 61. Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt:
v. 5. qui comederit de ovis eorum, morietur: et quod confotum est, erumpet in regulum. *Est ænigma improborum, qui alios sua improbitate inficiunt, q. d. Sicut aspis ovum ponere nequit, nisi aspidum et venenatum; ita hi improbi adeo improbitate referti sunt, ut nil nisi improbum et noxium emittant: qui ergo eis se sociaverit ab ipsis et cum ipsis non nisi exitium et pestem hauriet. Eosdem comparat telis aranearum futilibus, q. d. Improbi suis actibus semper nocent, prosunt nunquam.*
Cap 60. 62. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi colum-
v. 8. bæ ad fenestras suas? *Nubes et columbæ sunt ænigma fidelium, qui prædicantibus Apostolis turmatim ad Ecclesiam convolarunt, sicut flante vento densæ per aera volant nubes, ac imminente pluvia gregatim columbæ ad nidum revolant.*
v. 17. 63. Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum; et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum; et ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos iustitiam. *Alludit ad templum Iudæorum, illique Ecclesiam comparat et præfert, q. d. Synagogæ succedet Ecclesia, in qua omnia augustiora erunt, magisque magnifica quam fuerint in templo. In ea enim adducam pro figura veritatem, pro umbra lucem, pro spiritu timoris et servitutis spiritum amoris et libertatis, pro paucis Iudæis gentes omnes, pro bonis corporalibus charismata spiritualia, pro terrenis cælestia, pro temporalibus æterna, pro humanis divina.*
Cap 61. 64. Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra: et filii
v. 5. peregrinorum agricolæ et vinitores vestri erunt. Vos autem, Sacerdotes Domini, vocabimini, Ministri Dei nostri. *Pastores, agricolæ et vinitores sunt Episcopi, et pastores Gentium: sacerdotes sunt apostoli et hierarchæ.*
Cap.63. 65. Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de
1. Bosra? iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ. *Hoc ænigma Angeli proponunt de Christo decertante, et debellante dæmones, omnesque principes et populos Gentium, eis per idololatriam et scelera subditos, quibus Christus id resolvens respondet*: Ego, qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum. *Instant Angeli*: Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? *respondet Christus.* Torcular calcavi solus, etc. conculcavi eos in ira mea, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, *q. d. Rubricatus sum tum sanguine proprio, in passione mea effuso; tum potius sanguine hostium, quos per passionem et mortem meam debellavi.*
v. 16. 66. Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos: tu, Domine pater noster, redemptor noster; a sæculo nomen tuum, *q. d. Abraham nos curare et salvare nequit; unde videtur nos nescire et ignorare: at tu, Christe nos curas et salvas: tu ergo es pater et redemptor noster.*
Cap.64. 67. Utinam dirumperes cælos, et descenderes: a facie
v. 1. tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igne. *Est enigma adventus Christi summe desiderati. Alludit ad adventum Dei in Sina, cum legem dedit Mosi: tunc enim præter morem imbribus violentis ignes et fulgura permista fuerunt, q. d. Utinam similiter nunc ad nos, o Christe, in carnem descenderes, et gelu cordis nostri igne amoris tui divini liquefaceres, aquasque torporis et vitiorum nostrorum in flammas fervoris et zeli converteres.*
Cap.65. 68. Erunt campestria in caulas gregum, et vallis Achor
v. 10. in cubile armentorum, populo meo qui requisierunt me. *Pro* campestria *hebr. est* Saron, *qui fuit locus Iudææ laudatissimus ob pascua. Similis fuit* vallis Achor. *Uterque locus est ænigma et symbolum Ecclesiæ. Illi ergo promit-*
A *tit hic Deus, quod instar Saron, et vallis Achor, erit compascua; quia nimirum in ea fideles pascentur verbo Dei, Sacramentis, aliisque Dei charismatibus. Armenta sunt pii robustiores in fide, qui apti sunt ad docendum et regendum: greges sunt infirmiores et subditi.*
69. In quo (*Domino*) qui benedictus est super terram, v. 16.
benedicetur in Deo amen: et qui iurat in terra, iurabit in Deo amen, *q. d. In Ecclesia Christi fideles iurabunt, et colent Deum amen, id est verum, non falsum, puta idola quæ antea coluerunt, ideoque pariter vere a Deo amen, id est vero, benedicentur.*
70. Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui v. 20.
non impleat dies suos, *q. d. Veri Christiani erunt perfecti in fide et virtutibus:* quoniam puer centum annorum morietur, et (*id est*) peccator centum annorum maledictus erit.
71. Secundum dies ligni *vitæ*, erunt dies populi mei, v. 22.
q. d. Christiani vivent in æternum, ac si ex ligno vitæ in paradiso comederent.
B 72. Egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui Cap.66.
prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et v. 24.
ignis eorum non exstinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. *Est ænigma inferni et damnatorum: horum enim corpora erunt quasi cæsorum cadavera, pabulum ignis et vermis, spectaculum et probrum æternum Dei, Angelorum, et Sanctorum omnium.*

EX IEREMIA.

1. Cursor levis explicans vias suas. *Cursor levis et ve-* Cap. 2.
lox, est ænigma camelæ, quæ a cursu veloci dicitur dro- v. 23.
medaria, q. d. Sicut camela, dum æstro libidinis agitatur et furit, procurrit ad marem: ita tu, o Ierusalem, insana superstitione agitata procurristi ad idola.
2. Onager assuetus in solitudine, et in desiderio ani- v. 24.
mæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus avertet eam: omnes qui quærunt eam non deficient, in menstruis eius
C invenient eam, *q. d. Sicut onager æstuans libidine auram attrahit, ut æstum refrigeret, ac æstuans procurrit ad onagram: ita tu tota contento animo et cursu procurris ad idola. Si quis te quærat ibi in menstruis et sordibus tuis fornicationis, id est, idololatriæ, te inveniet.*
3. Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra se- v. 31.
rotina? *q. d. Numquid inutilis et sterilis fui Israeli uti est solitudo, aut terra quæ extra se nihil producit, vel sero? q. d. Minime: ego enim dedi eis terram lacte et melle manantem.* Quare ergo dixit populus meus: Recessimus, non veniemus ultra ad te?
4. In alis tuis inventus est sanguis animarum paupe- v. 34.
rum et innocentum: non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi. *Est ænigma accipitris, qui dum prædam occidit, eius sanguine alas suas inficit, q. d. Tu, o Israel, instar accipitris involans in pauperes et innocentes, eorum sanguine vestes tuas cruentasti: idque* non in fossis *more furum et latronum, sed in lucis et sylvis i-*
D *dolorum, quibus eos quasi victimas immolasti.*
5. Novate vobis novale, et nolite serere super spinas, Cap. 4.
q. d. Sicut in agro, ut is sit capax seminis, spinæ prius v. 3.
evellendæ sunt, et ager arandus, ut fiat novale: ita et vos a spinis vitiorum agrum cordis vestri expurgate; eumque humilitate et contritione arate; ut fiat novale capax seminis divini, puta gratiæ et virtutum. Unde explicans subdit: Circumcidimini Domino, et auferte præputia, *non carnis sed* cordium vestrorum.
6. Ascendit leo de cubili suo, et prædo Gentium se le- v. 7.
vavit. *Hic prædo et leo est Nabuchodonosor, et quivis tyrannus; cubile eius est Chaldæa.*
7. Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili; et cæ- v. 23.
los, et non erat lux in eis. Vidi montes, et ecce movebantur, *q. d. Tantus erit in excidio Iudæorum pavor et consternatio, ut eis cælum et terra concuti, perire et interire videantur.*
8. Circuite vias Ierusalem, etc. et quærite in plateis e- Cap. 5.
ius, an inveniatis virum facientem iudicium, et quæren- v. 1.

tem fidem: et propitius ero ei, *scilicet Hierosolymæ propter unum virum. Virum, qui virtute solida sit vir, quærit Deus; hunc pluris facit quam centum fœminas: fœminæ sunt in virtute molles et instabiles. Similem virum Athenis quærebat Diogenes.*

v. 6. 9. Idcirco percussit eos leo de sylva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum. *Triplex hic est ænigma Nabuchodonosoris. Ipse enim primo, vocatur leo, ob terrorem et fortitudinem; secundo, lupus, ob voracitatem; tertio, pardus ob celeritatem et vigilantiam.*

v. 14. 10. Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et vorabit eos, *q. d. Faciam ut oracula tua et minæ tuæ sint efficacia; et reipsa compleantur, ut quasi ignis comburant Iudæos tamquam arida ligna.*

v. 16. 11. Pharetra eius (*gentis Chaldæorum*) quasi sepulcrum patens, *q. d. Chaldæi suis sagittis validis configendo Iudæos, mittent omnes ad mortem et sepulcrum.*

Cap. 9. 12. Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est
v. 21. domos nostras, disperdere parvulos de foris, iuvenes de
plateis: *Mors est ænigma Chaldæorum, ac tropologice dæmonum et illecebrarum, qui non nisi cædes spirant et mortes.*

Cap.12. 13. Si cum peditibus currens laborasti, quomodo con-
v. 5. tendere poteris cum equitibus? *Si non potes minora, quomodo poteris maiora? si, o Ieremia, persecutiones civium tuorum Anathothitarum ferre non vales, quomodo feres vim et furorem Hierosolymitanorum? Tropologice, si verba mendacia sustinere nequis, quomodo sustinebis verbera et martyrium?*

v. 13. 14. Seminaverunt triticum, et spinas messuerunt, *q. d. Iudæi prospera sperant, sed adversa sentient: felicitas eorum in miseriam, copia in inopiam, sementis in spinas convertetur.*

Cap.13. 15. Date Domino Deo vestro gloriam, *Deum colite, il-*
v. 16. *lique obedite,* antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos, *ad quos diffugietis in excidio urbis:* exspectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis, et in caliginem. *Umbra mortis ænigma est rerum tristissimarum, summique angoris et periculi. Unde subdit:*

v. 25. Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ a me, dicit Dominus, quia oblita es mei, et confisa es in mendacio.

Cap.15. 16. Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, et
v. 12. æs? *q. d. Duri et ænei sunt Iudæi, æque ac Aquilonares Chaldæi; ergo sociari non poterunt, nec fœdus inter eos initum durabit.*

v. 19. 17. Si separaveris pretiosum a vili quasi os meum eris, *q. d. Si te, o Ieremia, a ludentibus, impiis et incredulis Iudæis separaveris, si mentem tuam et os mihi meoque verbo, non nugis, nec vanitatibus, consecraveris, eris os meum: quia iisdem quibus ego conceptibus et sermonibus uteris, egoque per te, quasi per os meum, verba mea eis totique orbi enuntiabo; eiusque efficacia et fructus erit quem subdit:* Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.

Cap.17. 18. Perdix fovit quæ non peperit: fecit divitias, et non
v. 11. in iudicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas. et
in novissimo erit (*id est apparebit*) insipiens, *q. d. Sicut perdix furans ova aliena, iis incubans pullos excludit; sed hi dum adolescunt, et vocem veræ matris audiunt, ad eam avolant: ita et opes furto et fraudibus partæ, a furibus et fraudulentis ad alios veros dominos avolabunt.*

v. 12. 19. Solium gloriæ altitudinis a principio locus sanctificationis nostræ, *q. d. Spem meam non defigo in homine sed in Deo, ad eiusque solium preces meas transmitto: inde enim exspecto sanctitatem, libertatem, et omne bonum.*

Cap.18. 20. Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut e-
v. 14. velli possunt aquæ erumpentes frigidæ et defluentes? Quia oblitus est mei populus meus, *q. d. Sicut nix et aquæ de Libano deficere nequeunt, sic neque in me, qui sum fons aquæ vivæ, bonorum et beneficiorum fluxus in homines, præsertim fideles, ut sunt Iudæi, deficere potest. Quomodo ergo ipsi eorum et mei oblivisci possunt?*

Cap.20. 21. Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pa-
A vorem undique. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo v. 3.
te in pavorem, te et omnes amicos tuos, et corruent gladio.

22. Maledicta dies, in qua natus sum: dies in qua pe- v. 14.
perit me mater mea, non sit benedicta. *Maledictio hæc est ænigma malorum et miseriarum, in quæ per nativitatem quasi per ianuam ingredimur. Unde mox subdit:* Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei?

23. Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mor- Cap.21.
tis. *Via mortis est*: Qui habitaverit in urbe hac morietur v. 8.
gladio et fame, et peste. *Via vitæ est:* Qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldæos, qui obsident vos, vivet, et erit ei anima sua, quasi spolium, *q. d. Si resistatis Chaldæo, occidemini; sin vos ei dedatis, vivetis: vult enim Deus ut vos ei subiiciatis, hancque subiectionis et captivitatis pœnitentiam, pro peccatis vestris sponte subeatis.*

24. Galaad tu mihi caput Libani, *q. d. Sicut Galaad* Cap.22.
caput est Libani, sic domus regia Davidis caput est Hiero- v. 6.
solymæ.

B 25. Sepultura asini sepelietur (*puta in sterquilinio, rex* v. 19.
Ioakim occisus a Chaldæis) putrefactus et proiectus extra portas Ierusalem.

26. Fœmina circumdabit virum: *Puta beata Virgo con-* Cap.31.
cipiet et pariet Christum. v. 22.

27. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons v. 23.
sanctus, *q. d. Benedicat tibi Deus, o Ecclesia, quæ decorata es omni iustitia et sanctitate.*

28. Vitula elegans atque formosa, stimulator ab Aqui- Cap.46.
lone veniet ei, *q. d. Ægyptus opibus et deliciis instar vi-* v. 20.
tulæ lascivientis exsultat; at mox cohibebit eam Nabuchodonosor veniens e Chaldæa, qui suis stimulis ita punget eam, ut nesciat quo se vertat.

29. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit Cap.48.
in fæcibus suis: nec transfusus est de vase in vas, et in v. 11.
transmigrationem non abiit: idcirco permansit gustus eius in eo, et odor eius non est immutatus, *q. d. Moab vicina Sodomæ, ex ea traxit malos sapores et odores, id est ma-*
C *los mores et amores, quibus quasi fæcibus semper insedit: quia numquam fuit translata de vasa in vas, id est quia numquam suam sedem et viciniam Sodomæ reliquit, nec umquam abiit in captivitatem. Quocirca ut hos mores mutet transferam eam in Babylonem; sicut vinum in fæcibus suis vapidum ut saporem et odorem mutet et emendet, ex eis in aliud vas transfunditur. Unde subdit:*

30. Mittam ei ordinatores et stratores laguncularum et v. 12.
sternent eam, et vasa eius exhaurient, et lagunculas eorum collident, *q. d. Mittam ei Chaldæos, qui sicut viatores sternent lagungulas, quasi vinum ex una in aliam transfusuri; sed revera vinum exhaurient, et lagunculas conterent, id est cives et opes Moab diripient et absument.*

31. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians o- Cap.51.
mnem terram. de vino eius biberunt Gentes, et ideo com- v. 7.
motæ sunt, *q. d. Deus calicem iræ et vindictæ suæ, licet extrinsecus aureum et fulgidum, propinavit Iudæis et aliis Gentibus, quem haurientes turbati sunt, et præ dolore quasi ebrii et mentis emotæ effecti. Calix hic est bellum et stra-*
D *ges, quam omnibus intulit Nabuchodonosor.*

32. Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelin- v. 9.
quamus eam, et eamus unusquisque in terram suam: quoniam pervenit usque ad cælos iudicium (*id est supplicium et vulnus*) eius. *Est vox angelorum, vel potius gentium vicinarum, quæ quasi medici curare volebant Babylonem, eamque contra Cyrum defendere; sed videntes eius cladem et excidium, diffugerunt et ad sua redierunt.*

33. Quæ habitas super aquas multas locuples in the- v. 13.
sauris, venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ. *Est ænigma Babylonis eiusque excidii, q. d. O Babylon quæ Euphrate circumdaris, et opibus affluis, venit clades quæ tibi finem afferet, teque exscindet, eaque* pedalis, *id est æqua, et quasi ad pedem eius tuis sceleribus commensa.*

34. Quomodo capta est Sesac, et comprehensa est in- v. 41.
clyta universæ terræ? Sesac *est ænigma Babylonis; si enim primas alphabeti Hebraici litteras cum ultimis ordine retrogrado commutes,* Sesac, *idem est quod* Babel. *Unde*

explicans subdit: Quomodo facta est in stuporem Babylon
inter Gentes?
v. 60. 35. Scripsit Ieremias omne malum quod venturum erat
super Babylonem, in libro uno, et dixit ad Saraiam: Cum
veneris in Babylonem, et videris et legeris omnia verba
hæc, dices: Domine tu locutus es contra locum istum, ut
disperderes eum. Cumque compleveris legere librum istum
ligabis ad eum lapidem, et proiicies illum in medium Eu-
phratem. *Hoc symbolum et ænigma explicat, dum subdit:*
Et dices: Sic submergetur Babylon, et non consurget a fa-
cie afflictionis, quam ego adduco super eam, et dissolvetur.

EX THRENIS.

Cap. 1. 1. Vigilavit iugum iniquitatum mearum: in manu eius
v. 14. convolutæ sunt et impositæ collo meo. *Peccata sunt quasi
funis et catenæ, ex quibus fit iugum implexum, quod collo
peccatoris imponitur. Hoc vigilat, quia Dei vigilantis ocu-
lis semper obiicitur eumque stimulat ut stato tempore, pu-
ta impleta peccatorum mensura, ea puniat et ulciscatur.
Unde sequitur:*
v. 15. 2. Vocavit adversum me tempus *(vindemiæ, id est vin-
dictæ)* ut *me* contereret; torcular calcavit Dominus vir-
gini filiæ Iuda, *cum eam in excidio quasi in torculari, per
Chaldæos pressit et oppressit.*
Cap. 3. 3. Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide: ego
v. 63. sum psalmus eorum, *q. d. Vide ut in omnibus locis, acti-
bus et concentibus me irrideant, in me psallant, et dicteria
iactent.* Reddes eis vicem, Domine, iuxta opera manuum
suarum: dabis eis scutum cordis laborem tuum: *ut labo-
re et dolore quasi scuto undique tegantur et cingantur.*

EX BARUCH.

Cap. 3. 1. Quis invenit locum eius *(sapientiæ et prudentiæ)* et
v. 15. quis intravit in thesauros eius? *Est ænigma de vera sa-
pientia, practica scilicet, quæ beat; non speculativa, quæ
inflat: quærit enim locum eius ac modum, et viam eam
consequendi, docetque eam non apud philosophos, sed a-
pud angelos; non in terra, sed in cælo: non apud homines,
sed apud Deum degere, indeque accersendam esse. Unde
subdit:*
v. 16. 2. Ubi sunt principes Gentium, qui in avibus cæli lu-
dunt, qui argentum thesaurizant et aurum? exterminati
sunt, et ad inferos descenderunt: viam autem disciplinæ
ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque vi-
sa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt pru-
dentiam quæ de terra est, fabulatores, et exquisitores pru-
dentiæ et intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt.
v. 26. Ibi fuerunt gigantes scientes bellum. Non hos elegit Do-
minus. Et quoniam non habuerunt sapientiam, perie-
runt propter suam insipientiam. *Subdit deinde, eam esse
in cælo apud Deum.* Quis ascendit in cælum, et accepit
eam, et eduxit eam de nubibus? Non est qui possit scire
vias eius: sed qui scit universa, novit eam, et adinvenit
eam prudentia sua. Qui emittit lumen, et vadit, et voca-
vit illud, et obedit illi in tremore.
v. 34. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et læ-
tatæ sunt: vocatæ sunt, et dixerunt: Adsumus: et luxe-
runt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus no-
ster. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit il-
lam Iacob *(et Iacobæis, puta Mosi et Hebræis)* puero suo,
et Israel dilecto suo.
v. 38. 3. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus con-
versatus est. *Ibique nos docuit ore suo veram et perfectam
sapientiam, viamque ad cælum et beatitudinem. Subdit
deinde sapientiam consistere in observatione mandatorum*
Cap. 4. *Dei, dum ait:* Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est
v. 1. in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam;
qui autem dereliquerunt eam, in mortem.

EX EZECHIELE.

Cap. 7. 1. Afflictio una, afflictio ecce venit: finis venit, venit fi-
v. 5. nis, evigilavit adversum te: ecce venit, *q. d. Tuum, o Ie-*
A *rusalem, excidium imminet, instat tibi finis et ultima dies.*
Unde subdit: Venit contritio super te, qui habitas in ter- v. 7.
ra: venit tempus, prope est dies occisionis, et non gloriæ
montium, *hebr.* non celeusmatis vindemiatorum, *q. d. Nu-
per vindemiantes in montibus lætum canebant celeusma,
nunc canunt threnos, plangentque in iis suorum stragem.*
2. Ecce dies, ecce venit: egressa est *contractio (id est* v. 10.
germen primum, puta folliculus contractus) floruit virga,
germinavit superbia, *q. d. Superbia et impietas Iudæorum
primo quasi gemma, sive folliculus contractus, egressa est,
mox floruit, et germinavit in virgam, qua Deus eos flagel-
labat. Hoc est enim quod subdit:* Iniquitas surrexit in vir-
ga *(id est excrevit in virgam)* impietatis.
3. Fac conclusionem *(minas hasce omnes brevi sermo-* v. 23.
ne, quasi summa conclude) quoniam terra plena est iu-
dicio *(id est damnatione)* sanguinum *(puta sanguinibus
iniusto iudicio ab ea damnatis, et effusis)* et civitas plena
iniquitate.
B Conturbatio super conturbationem veniet, et auditus v. 26.
super auditum, *q. d. Calamitas una super aliam veniet,
rumor unus et nuntius tristis mox alium adducet et ex-
cipiet.*
4. Fili hominis, propone ænigma. Aquila grandis ma- Cap. 17.
gnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis v. 2.
et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.
*Hæc aquila est Nabuchodonosor, potens copiis, et late do-
minans, qui ex Iudæa cepit Ioachim regem, eumque trans-
tulit in Babylonem.*
Et facta est aquila altera grandis, magnis alis, multis- v. 7.
que plumis: et ecce vinea ista quasi mittens radices suas
ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam
de areolis germinis sui. *Hæc aquila est Pharao, vinea est
Sedecias et Iudæa, quæ contra Chaldæos imploravit opem
Pharaonis, sed frustra: nam uterque a Chaldæis cæsus est.
Ita explicat Propheta v.* 12.
5. Stetit rex Babylonis in bivio, in capite duarum via- Cap. 21.
rum, divinationem quærens, commiscens sagittas: inter- v. 21.
C rogavit idola, exta consuluit. Ad dexteram eius facta est
divinatio super Ierusalem. *Nabuchodonosor omen cepit per
duas sagittas, an contra Ammonitas, an contra Iudæos per-
gere deberet; cumque sagitta et sors caderet versus Ierusa-
lem, contra eam perrexit.*
6. Tu autem, profane, impie dux Israel cuius venit dies v. 25.
in tempore iniquitatis præfinita: Hæc dicit Dominus Deus:
Aufer cidarim, tolle coronam, nonne hæc est quæ humi-
lem sublevavit, et sublimem humiliavit? *Loquitur Sedeciæ,
impio et fœdifrago, q. d. Cum humilis esses, corona regni
te evexit: nunc cum superbis, eadem te humiliabit et re-
gno deiiciet. Unde subdit:*
7. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam.
Pro iniquitatem, *hebr. est* curvitatem, obliquitatem, *q. d.
Curvabo et deprimam secundo et tertio coronam Sedeciæ.*
8. Ecce ego super te, Gog, principem capitis Mosoch Cap. 38.
et Thubal, et circumagam te, et educam te, et ascendere v. 3.
te faciam de lateribus Aquilonis: et adducam te super
D montes Israel. *Gog et Magog erunt reges et gentes feræ ac
barbaræ, quæ pugnabunt pro Antichristo in Iudæa residen-
ti. Unde ibidem a Christo cædentur, et sepelientur in loco,
qui inde vocabitur vallis multitudinis Gog, iuxta urbem
Amona, ut ait v.* 11. *et* 16.
9. Ecce vir, cuius erat species quasi species æris, et fu- Cap. 40.
niculus lineus in manu eius, et calamus mensuræ in ma- v. 3.
nu eius: stabat autem in porta. Et mensus est latitudinem
ædificii calamo uno, etc. *Vir hic est angelus repræsentans
Christum qui metitur et designat fabricam novi templi, o-
mnesque eius partes. Hæc est idea fabricæ Christi, puta
novæ Ecclesiæ Christianæ, tam militantis quam trium-
phantis. Vide dicta c.* 40.
10. Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterio- Cap. 44.
ris, quæ respiciebat ad Orientem: et erat clausa. Et dixit v. 1.
Dominus: Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir
non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel in-
gressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse
sedebit in ea. *Porta clausa est B. Virgo, ex qua sine viri*

copula conceptus est Christus, in eaque habitavit novem mensibus, ac per eam clausam transiit, et saliit in mundum. Deus Israel ingressus est per eam, puta SS. Trinitas, scilicet Deus Pater, eam sibi desponsans et maritans: Deus Spiritus sanctus, eam obumbrans et fœcundans: Deus Filius, in ea carnem assumens.

Cap 47. v. 1. 11. Ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem, et ecce aquæ redundantes, et traduxit me per aquam usque ad talos. Rursumque mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. *Hæ aquæ et hic torrens est sapientia et doctrina Evangelica et S. Scriptura, quæ abyssus est impenetrabilis.*

v. 12. 12. Et super torrentem orietur in ripis eius ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ eius de sanctuario egredientur: et erunt fructus eius in cibum, et folia eius ad medicinam. *Hæc ligna, id est arbores, sunt Christiani, qui rigati aquis Evangelii, et sacræ Scripturæ, semper virtutibus frondent et fructificant. Fructus ergo sunt opera virtutum, quibus animus pascitur; folia sunt cæremoniæ, quæ salutarem conferunt instructionem et medicinam. Anagog. hæ arbores et fructus sunt dotes beatitudinis, puta visionis Dei, quibus Beati fruuntur in cælo, ut patet Apoc. 22. v. 1. Unde et Ezechiel concludens hanc totam novi templi et urbis fabricam cap. ult. v. ult. ait:* Et nomen civitatis, Dominus ibidem.

EX DANIELE.

Cap. 9. v. 25. 1. Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades 62. erunt, *id est universim hebdomades* 69. Et post hebdomades 62. (*additis septem iam dictis, id est, post* 483 *annos*) occidetur Christus.

v. 27. 2. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una (*q. d. Christus prædicabit, novumque testamentum instituet tribus annis cum dimidio*) et in dimidio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium. *Christus enim sua morte et sacrificio abolebit omnes Iudeorum victimas.*

A 3. Et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio, *q. d. Post, et ob necem Christi, Ierusalem eiusque templum a Tito et Romanis desolabitur, hæcque desolatio durabit usque ad finem mundi.*

4. Et confortabitur rex Austri, etc. et post finem an-
norum fœderabuntur: filiaque regis Austri veniet ad re- Cap. 11. v. 5.
gem Aquilonis facere amicitiam, etc. *Recenset Daniel hoc capite toto usque ad v. 36. bella gesta per 140. annos inter reges Austri, id est, Ægypti, et reges Aquilonis, id est, Syriæ; puta inter Ptolemæos et Seleucidas, sive Antiochos: vide dicta Danielis* 11. *Totum ergo hoc caput est continuum ænigma.*

5. Et Deum patrum suorum non reputabit (*rex Aqui-* v. 37.
lonis, puta non tam Antiochus Epiphanes, quam Antichristus, cuius ille fuit typus et prodromus) et erit in concupiscentiis fœminarum, nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget. Deum autem Maozim (*id est fortitudinis*) in loco suo venerabitur.

6. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, su- v. 45.
B per montem inclytum et sanctum: et veniet usque ad summitatem eius, et nemo auxiliabitur ei, *q. d. In Apadno in monte sancto cædetur Antichristus.*

7. Usquequo finis horum mirabilium? Et audivi virum Cap. 12.
qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, v. 6.
cum elevasset dextram et sinistram suam in cælum, et iurasset per viventem in æternum, quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis, *q. d. Per annum, et duos annos, et dimidium anni puta per tres annos cum dimidio, durabit persecutio Antichristi. Unde subdit:*

8. Et a tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium v. 11.
(*ab Antichristo*) et posita fuerit abominatio in desolationem, dies 1290, *q. d. Persecutio Antichristi durabit dies* 1290. *id est, tres annos cum dimidio.*

9. Beatus qui exspectat, et pervenit usque ad dies 1335. *nam post mortem Antichristi dabuntur fidelibus sub eo lapsis, ut minimum* 45. *dies ad pœnitendum.*

10. Tu autem (*Daniel*) vade ad præfinitum (*ad mortem* v. 13.
quæ omnibus statuta et præfinita est) et requiescens et stabis in sorte tua (*inter electos et Beatos*) in finem dierum *in die iudicii.*

COMMENTARIA

IN

PROPHETAS MAIORES

PROOEMIUM

IN PROPHETAS.

Post Pentateuchum, aggredior Prophetas, qui totius veteris testamenti pars sunt nobilissima et utilissima, æque ac difficillima et obscurissima. Hebræi, et ex iis S. Hieronymus, vetus testamentum faciunt tripartitum: תורה *Thora*, sive legem aut Pentateuchum; נביאים *Nebiim*, id est Prophetas; כתובים *Ketubim*, id est hagiographa. Prophetæ ergo proxime legi associantur; uti et Christus et Apostoli ea associarunt, Matth. 7. 12. *Hæc est enim lex, et Prophetæ;* et c. 11. 13. *Omnes enim Prophetæ et lex, usque ad Ioannem prophetaverunt:* et c. 22. 40. *In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ;* et Lucæ 24. 44. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi et Prophetis, et Psalmis de me;* et alibi.

Itaque quæ Christus coniunxit, ego non divellam. Post Pentateuchum ergo Prophetas do, atque os illi associo; præsertim, cum valetudo a triginta annis infirma et dubia, viresque debiles sensim mihi atterantur et imminuantur; ut, si cæteros S. Scripturæ libros qui faciliores sunt et a multis explicati, commentando pertexere non valeam, Prophetas saltem, quasi tertium opus, tertio loco et ordine SS. Trinitati, eorum auctori, offeram et consignem; imo reddam ei, cuius in solidum est, utpote a quo totum quantum quantum est accepi; ut, sicut obtuli nuper aurum Paulinum, et thus Leviticum, ita nunc cum tribus Magis offeram myrrham Propheticam, quæ vere myrrha, per minas et onera lacrymas ciet, omnesque ad pœnitentiam provocat. Equidem hic mihi dicere liceat, id quod in hac eadem causa æque ac argumento olim sensit et dixit S. Hieron. procem. in lib. 14. comment. in Isaiam: *Dominus qui respicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigant; qui loquitur in Deuteron. Ego occidam, et ego vivificabo; percutiam, et ego sanabo: frequentibus morbis meam quoque terram fecit contremiscere, cui dictum est: Terra es, et in terram ibis: et oblitum conditionis humanæ crebro admonet, ut hominem et senem etiam, iamque moriturum esse me noverim. De quo scribitur: Quid gloriatur terra et cinis? Unde qui me subito languore percusserat, incredibili velocitate sanavit, ut terreret potius quam affligeret; et emendaret magis quam verberaret. Itaque sciens cuius sit omne quod vivo, et quod idcirco forsan dormitio mea differatur, ut cœptum in Prophetas opus expleam; totum me huic trado studio, et quasi in quadam specula constitutus, mundi huius turbines atque naufragia, non absque gemitu et dolore contemplor; nequaquam præsentia cogitans, sed futura; nec hominum famam atque rumusculos, sed Dei iudicium pertremiscens.*

Prophetas ergo pertractabo, non meis, sed Dei viribus qui infirma mundi eligit, ut divina eius virtus in nostra infirmitate perficiatur; Prophetas dico maiores, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem et Danielem, quatuor Synagogæ Evangelistas currum et quadrigam Cherubim, cui Dei ma-
A iestatem insidentem, eumque aurigantem vidit Ezechiel. Hi veteris Ecclesiæ principes et doctores orbem illuminarunt, Christo et Ecclesiæ facem prætulerunt: hæc organa Spiritus sancti mirabili harmonia Dei sapientiam, et fidei mysteria nobis præcinuerunt. Hoc est quod Symbolo perenniter profitemur: *Credo in Spiritum sanctum, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.* In his studuit S. Paulus edoctus ad pedes Gamalielis, ab his omnem suam sapientiam et spiritum hausit. Idem Timotheum discipulum suum pastorem, Episcopum et Apostolum commendat, quod ab infantia sacras litteras didicisset, veteris utique testamenti quod solum tunc exstabat; et maxime Prophetas, qui omnibus veteris testamenti libris longe sublimitate, varietate, profunditate sapientiæ æque ac patho et efficacia dicendi movendique antecellunt, suntque quasi pala et
B smaragdus in annulo aureo: atque cum ut in cœpto pergat hortatur. *Dum venio,* inquit 1. Timoth. 4. v. 13. et 16. *attende lectioni, exhortationi, doctrinæ: Attende tibi, et doctrinæ et insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt:* et Tim. 2. 15. *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis*, scilicet verba sancti Spiritus, verba Prophetarum. Quocirca iampridem damnata, et oblivione sepulta est blasphemia et hæresis Ebionis, qui teste Epiphanio hæresi 30. post Abraham, Isaac, Iacob, et Mosen nullos alios admittebat Prophetas, nisi solum Christum. Hunc enim solum fuisse Prophetam veritatis; Isaiam vero, Ieremiam, Danielem et Ezechielem fuisse *Prophetas intelligentiæ, non veritatis.*

Quadriga Cherubim 4. Prophetas.

Prophetæ ergo fuerunt magistri orthodoxæ fidei, doctores veritatis, qui arcana Dei consilia hominibus enuntiarent, quique Ecclesiam Dei a synagoga Satanæ secernerent, et dono prophetiæ, quasi certissimo veræ Ecclesiæ
C indicio et signo, interstinguerent totique mundo ostenderent. Hoc est quod ait Gentium doctor et propheta: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei etc.* Ephes. 4. 11.

Prophetia est certa nota veræ Ecclesiæ.

Quinimo ipse Deus cum idolis et idololatrarum synagoga de divinitate veraque religione contendens, hoc quasi indubitato invictoque argumento eam illis adimit, sibi vero astruit. *Annuntiate,* inquit, *quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos,* Isaiæ 41. 23. *Testimonium* enim *divinitatis est veritas divinationis*, ait Tertul. Apolog. c. 20. et c. 18. *Voces,* ait, *eorum* (Prophetarum) *et virtutes, quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent.* Hac de causa omni sæculo Deus Ecclesiam suam Prophetis illustravit, per eosque illam ma-

nifestavit, obsignavit et confirmavit, ut nemo inter tot errorum et hæresum caligines et labyrinthos, de veritate, veraque Ecclesia dubitare posset.

Prophetæ legis naturæ. In lege naturæ vera Dei Ecclesia habuit Prophetas: Primo, Adamum, qui Genes. 2. v. 21. et 23. in exstasi præcognovit connubium Christi cum Ecclesia, illudque suo cum Eva coniugio præsignavit. Ergo cum Ecclesia, imo cum mundo cœpit prophetia. Secundo Abel, cuius sanguis et martyrium etiamnum clamat et prophetat, Heb. 11. 4. Tertio, Henoch, qui cum Deo ambulavit, et raptus est in paradisum, ut det Gentibus pœnitentiam. *Prophetavit autem*, inquit Iudas in sua epist. v. 14. *et de his septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium, etc.* Quarto, Noe, qui prædixit diluvium, ideoque arcam fabricavit, qua illud evasit. Quinto, Abraham, qui multas a Deo prophetias de Isaac et Christo ex se nascituris, de stirpis suæ multiplicatione, de possessione Chananææ, et Gentibus per Christum benedicendis, etc. accepit, Gen. 12. et seq. Abraham secuti sunt Isaac et Iacob, quorum prophetiæ enarrantur Gen. 26. 4. et c. 27. 27. et cap. 49. toto.

Legis Mosi. In lege Mosaica Prophetæ fuerunt Moses, Aaron, Iosue, Samuel, David, Elias, Eliseus, et nostri hi canonici scriptores. Quin et voluit Deus in veteri Ecclesia et templo perenne extare oraculum. Pontifex enim urim et tummim, id est, pontificalibus indutus, consulensque Deum de quacumque re, audiebat vocem eius respondentis, et loquentis ex propitiatorio, Exodi 25. 22. Quocirca Sanctum sanctorum, in quo erat propitiatorium, hebr. vocabatur דביר *debir*, quod Aquila et Symmachus vertunt, χρηματιστήριον, id est oraculum, uti vertit Noster et alii.

Legis novæ. In novo testamento Prophetæ fuerunt Christus, Apostoli, eorumque sequaces. Testis est Sanctus Iustinus Martyr. dial. contra Tryphonem, usque ad sua tempora continua quasi successione extitisse Prophetas in Dei Ecclesia. Idem de suo sæculo astruit S. Aug. l. 5. de Civit. c. 26. ubi inter alia, oracula S. Ioannis Anachoretæ recenset, qui illustrem illam contra Eugenium tyrannum victoriam, qua tela hostium a Deo in ipsosmet hostes retorta et repulsa sunt, prædixit, quam Claudianus, Gentilis licet, admirans ita celebrat in Panegyr. ad Honorium Imp.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.

Idem de aliis sæculis demonstrat Thom. Bozius lib. de Notis Ecclesiæ, signo 19. Nostro hoc sæculo prophetiæ spiritu claruisse S. Carolum Borromæum, S. Franciscum de Paula, B. Ludovicum Bertrandum, S. Ignatium, S. Xaverium, Gasparem Belgam, Aloysium Gonzagam, Teresiam, pluresque alios, ex Vita eorum a viris fide dignis conscripta liquet.

Hoc viderunt, et inviderunt hæresiarchæ, ideoque ut sibi suæque hæresi fidem arrogarent, prophetiæ donum ambierunt. Verum uti Magi Pharaonis, Mosis miraculorum æmuli, cum eo concertantes ab eo victi et confusi sunt: ita et hi a veris Ecclesiæ Prophetis mendacii convicti, nil nisi pseudoprophetæ nomen et famam retulerunt: itaque suo se gladio iugulantes, sua vaticinandi falsitate et probro, magis Ecclesiæ fidem et gloriam illustrarunt et corroborarunt. Pseudoprophetæ hæresiarchæ: Montanus. Ita *Montanus* hæresiarcha sub annum Domini 182. Prophetam imo Paracletum a Patre missum se esse iactavit: quin et Priscam et Maximillam, nobiles duas meretrices, eodem fanatico spiritu imbuit, ac prophetare docuit. Prædixit inter alia, sub Commodo Imperatore (quod ex moribus eius præsagiebat) fore bella, seditiones et immanem in Christianos persecutionem: sed eventus eum mendacii coarguit: sub Commodo enim pax fuit Imperio, pax Ecclesiæ et Christianis, adeoque Commodus ipse quasi ultor sanguinis Christiani, sæviit in eos qui Christianos afflixerant; eo quod Martia ipsius concubina Christianorum esset studiosissima, inquit Dio in Commodo. Sed quis eius cum suis fuit exitus? ipse Montanus eodem vesano spiritu impulsus laqueo sibi mortem

A conscivit: idem fecerunt eius prophetissæ. Testis est Eusebius lib. 5. histor. c. 5.

Curbicus, qui se *Manichæum*, quasi mannæ effusorem Manes. et datorem, vere autem *Manem*, hoc est insanum appellabat, Paracletum se esse, ac futura scire mentitus est. Prædixit et promisit, se per orationem curaturum filium regis Persarum ægrotantem; sed cum pro vivo eum mortuum exhiberet, a rege vivus excoriatus est. Testis est Cyrillus Hierosolymitanus catech. 6.

Sub annum Domini 700. Hebræus quidam maleficus Ezidi Arabum regi Mahumetano prædixit et promisit triginta annos vitæ et regni, si in suo imperio iuberet imagines Christi et Sanctorum ex Christianorum ecclesiis auferri et comburi. Iussit ille; sed, cum Christiani non parerent, immisit Arabes et Hebræos in ecclesias, qui id impigre perfecerunt. Atque hic primus fuit iconoclasta, sed Sarracenus, quem mox secutus est Leo Isaurus Christianus Imp. qui pariter a Iudæis seductus, imagines e B templis tolli et aboleri iussit, unde Iconomachi cognomen accepit. Sed quid? verane fuit Hebræi prophetia? minime gentium. Nam rex Ezides anno seq. mortuus est, eiusque filius et successor Hebræum pseudoprophetam turpissima morte mulctavit, uti narratur in Synodo VII. atque a Cedreno, Zonara, et Niceta in Vita Leonis Isauri.

Fridericus II. Imp. Ecclesiæ hostis et flagellum, circa Fridericus secundus. annum Domini 1240. quasi Propheta prædixit et intentavit Ecclesiæ Romanæ, ipsique Gregorio IX. ac post eum Innocentio IV. aliisque Pontificibus, a quibus exauctoratus fuerat excidium, scribens ei hoc carmine:

Fata volunt, stellæque docent, aviumque volatus,
Quod Fredericus ego malleus orbis ero.

Rescripsit ei totidem antistrophis Pontifex:

Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.

Uter fuit Propheta? Utique Pontifex; stetit enim ipse, stat stabitque Ecclesia Romana et orthodoxa: Fridericus vero anno Domini 1250. a proprio filio Manfredo strangu- C latus fuit: ita ex Alberico refert Cuspinianus, Pontificum licet hostis, atque ex iis Bozius signo 19. et alii.

Hoc sæculo Germaniæ fax *Martinus Lutherus*, quintus, Lutherus. si diis placet Propheta, quintus novi Evangelii, hoc est cacangelii, non Dei, sed cacodæmonis Evangelista, Cerbereo fastu prædixit interitum Papæ, seque Papatum eversurum: sic enim fatidicus ipse cecinit:

Pestis eram vivens, moriens tua mors ero, Papa.

At mortuus est pseudopropheta, descenditque ad inferos: vivit, et vivet Papa et Papatus, firma consistet petra, super quam Christus ædificavit Ecclesiam, adeoque nec portæ inferi prævalebunt adversus eam.

Michael Stifelius Lutheri discipulus, et verbi eius mi- Mich. Stifelius. nister, dignum patella operculum, ex sua credo Algebra, suis parochianis ex cathedra asseveranter et constanter prædixit anno 1533. certo die, quem ipse nominabat, fore finem mundi, et sæculi consummationem. Credidere Ita Chronic. German. anno 1533. et ex eis Laurentius Surius. suo Parocho miselli; alii gemere; rustici nolle laborare, nec agros colere; alii potare, et sua, quasi eis deinceps D opus non foret, largiter consumere; alii Eucharistia quasi morituri se communire: pavide expectare omnes. Venit dies, et quid tandem? parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Fanaticum vatem explosit populus, eumque accusavit apud Lutherum, ursitque ut eum quasi impostorem puniret, ac ministerio abdicaret. Lutherus cum Stifelio, quasi augur cum augure, colludens, errore dissimulato, populum increpavit, iussitque ut suum reciperent Ministrum, illique parerent, ab eo verbum Dei audirent. Vere poeta:

Plures triobolos, paucos est cernere vates.

Hic competit vetus dictum: *Multi qui boves stimulant, sed pauci aratores.*

Anno Domini 1535. *Ioannes Leidanus* sartor, fanatica audacia cum suis Anabaptistis Monasterium urbem Westphaliæ invasit et occupavit: regem se imo Messiam novi templi in Sion indigitavit: instar Christi duodecim Apostolos et Prophetas ad vicinas urbes quaquaversum lega-

vit, qui cunctos ad novum hunc Messiam, quasi solem a Deo datum, audiendum colendumque invitarent, imo Dei nomine citarent, cum recipientibus aurea sæcula promittentes, respuentibus Dei iras et diras omnes intentantes. Ibant illi enthusiastæ furore, imo dæmone pleni, fundebant oracula, minas, diras. Ac ne deesset altera Iudith Holofernem obtruncans, Hilla, mulier Frisia, auro gemmisque gravis, urbe ab Episcopo urbis domino obsessa, egressa, Episcopum in sui amorem illicere, ac veneno necare destinabat : sed prodita temeritatis scelerisque pœnas capite luit. Accessit et novus Samson *Ioannes Mathisson* Harlemius, qui ipso Paschatis festo, a cælesti Patre sibi nuntiatum dixit, exiret in obsidentis Episcopi castra, futurum ut ipse solus hostes omnes funderet cæderetque. Approbarunt Prophetæ omnes : et ille bipenni instructus egreditur, statimque hasta transverberatus corruit. At quis huius prophetiæ, et enthusiasmi exitus? Episcopus armata manu urbem in potestatem redegit, hæreticos subiugavit, novos Prophetas trucidavit, regem et Messiam Leidanum, vivum ex alta turri, crati vimineæ alligatum, suspendit, eumque Soli torrendum, muscis et avibus laniandum exposuit, vorandumque in prædam dedit. Historia toti orbi nota a Surio, aliisque præcedentis sæculi chronologis tragice enarratur, uti et a P. Serario præfatione in Iudith.

Calvinus.

Calvinus, teste Hieron. Bolseco, eius discipulo, in Calvini Vita, prædixit et spopondit se in suæ hæreseos sectæque confirmationem defunctum a morte suscitaturum. Quid agit? audi strophas. Bruleum quemdam tenuis fortunæ hominem magnis promissis inducit, ut se mortuum simulet, ac a morte publice evocatus a Calvino, ab ea se resurgere fingat. Dictum, factum. Evocat eum Calvinus, iubetque si vera sit fides quam prædicat, Dei nomine ab inferis ad vitam redeat. Sed quid? non erat in Bruleo vox, non sensus, non vita. O efficacem Calvini vocem et fidem, quæ ex vivo mortuum effecit, novo et a sæculis inaudito miraculo! Hic scilicet est alter Elias, alter Eliseus.

Quis negct Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Talia oracula, talia miracula tales decent Prophetas : scilicet hi sunt qui purum putum verbum Dei, qui primas veritates docent, hi nugivenduli quibus orbis animas suas credit, quorum dicta sunt irrefragabilia, quibus applauditur: αυτος εφα. Hi impostores, qui pro vita mortem, pro cælo tartarum, pro salute gehennam suis accersunt : qui hæc audent, quid non audebunt?

Certum ergo clarumque est, prophetiam fidei, veræque religionis esse notam et tesseram indubitatam illi a Deo datam, uti pseudoprophetia nota est hæreseos et synagogæ Satanæ, qui pater est mendacii. Idipsum disce te asserit Deus Deuter. 18. 21. et 22. *Si*, inquit, *responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non evenerit : hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confixit.*

Quocirca hosce quatuor Prophetas per quatuor Ezechielis Cherubinos, stipatores primæ Veritatis et Sapientiæ increatæ repræsentari mystice (nam ad litteram alios intelligi suo loco docebo) facile est ostendere. Leo enim congruit Isaiæ, bos Ieremiæ, homo Ezechieli, aquila Danieli.

Leonem esse Isaiam liquet ex eius c. 21. 6. ubi audit a Domino: *Hæc*, inquit, *dixit mihi Dominus : Vade. et pone speculatorem : et quodcumque viderit, annuntiet.* Et mox vers. 8. *Et clamavit leo: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem: et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.* Leo enim quia vigilans, symbolum est vigilis et speculatoris. Hac de causa Isaias rugit, tonat et fulminat, ut leo. *Audite*, inquit c. 1. 1. *cæli, et auribus percipe, terra. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis : dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Et v. 10. *Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.* Et v. 21. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.*

Ieremiam esse bovem, patet ex assiduis eius laboribus, quibus agrum Domini excoluit, et ex iugibus eius afflictionibus, quibus eum Iudæi exagitarunt, ac tandem quasi victimam Deo mactarunt, et lapidibus obrutum Martyrem auctorarunt. Audi eum cap. 11. 19. *Et ego quasi agnus mansuetus* (hebr. *alluph*, id est, *bos*, ut vertit Vatabl. Pagnin. et alii, q. d. *Ego quasi agnus, et quasi bos*) *qui portatur ad victimam: et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium.*

Ezechielem per hominem denotari, docet ipse Deus, qui ei revelans oracula iugiter vocat eum filium hominis. Ita c. 2. 1. *Et dixit*, inquit, *ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquor tecum.* Et v. 3. *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices.* Et c. 3. 1. *Fili hominis, quodcumque inveneris comede.* Et c. 4. 1. *Fili hominis, sume tibi laterem.*

Danielem per aquilam repræsentari, liquet ex eo, quod Daniel omnium mortalium isto sæculo fuerit sapientissimus : quocirca Deus regem Tyri, qui sibi sapientissimus videbatur, per ironiam irridens: *Ecce*, inquit, *sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum a te*, Ezech. 28. 3. Daniel enim vir abstemius et vir desideriorum, in cælum quasi aquila se librans, et cum Deo iugiter colloquens, ex alta illa æternitatis specula, quasi aquilinis oculis clare conspexit sæculorum omnium seriem, iisdemque ipsa mundi novissima penetravit: nimirum ipse unus quatuor monarchiarum decursum, revolutionem, successionem: ipse gesta Darii et Alexandri: ipse bella Antiochi cum Scipione et Romanis: ipse prælia inter Seleucidas et Ptolemæos, inter Antiochos et Iudæos: ipse Christi ortum et necem in fine septuaginta hebdomadum: ipse Antichristi vitam, mores, persecutionem, interitum: ipse resurrectionem, Beatorum gloriam, regnumque Christi felix et æternum ita ad vivum depingit, ut cominus illud spectare, aliisque spectandum exhibere videatur. Ac tandem hac aurea sententia concludit: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Porro Prophetis optime congruit, quod de his animalibus ait Ezechiel, ea fuisse oculis plena. Prophetæ enim fuerunt oculi Synagogæ, æque ac Ecclesiæ. Et illud: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur;* et: *Animalia ibant et revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.*

Verum ne longius excurram, ad rem propositam, puta ad prophetiam et Prophetas, accedo: sed antequam eos loquentes et ratiocinantes audiamus, quinque de iis quæstiones præmittendæ sunt. Prima, quid sit prophetia. Secunda, quotuplex. Tertia, quæ Prophetarum causa, materia, modus dicendi, argumentum, quæ munia et officia. Quarta, quando, quo ordine, de qua re singuli Prophetæ vaticinati sint. Quinta, de eorum obscuritate et difficultate, ac qua via et ratione ea superanda sit.

Quæst I. Quid est prophetia?

I. Quæritur ergo primo. Quid est prophetia? quæ eius est natura et essentia? Cassiodorus præfat. in Psalmos : *Prophetia*, inquit, *est divina inspiratio, rerum a nobis procul distantium eventa immobili veritate et maxima cum certitudine prænoscens atque prænuntians.* Ex hac definitione docet S. Gregor. hom. 1. in Ezech. Prophetam amplecti trinum et omne tempus, scilicet præteritum, præsens et futurum : horum enim omnium eventa procul distantia esse possunt; ideoque triplicem esse prophetiam.

Prophetia de præsenti et præterito, quæ.

Prophetia, inquit, *de futuro est: Ecce virgo concipiet et pariet filium. Prophetia de præterito: In principio creavit Deus cælum et terram; de illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo.* Sic et Daniel ex prophetiæ spiritu regi somnium, quod oblitus erat, enarravit, illudque deinde interpretatus est, Daniel. c. 2. *Prophetia de præsenti*

est, quando Paulus Apostolus dicit 1. Cor. 14. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt. Ergo recte prophetia dicitur, non quia prædicit futura, sed quia prodit occulta. Sic Giezi longe a Propheta recesserat, cum Naaman Syri munera percipiebat; cui tamen Propheta dicit: Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi?* 4. Reg. 5. Sic Ioannes Baptista Propheta fuit, quia Christum incognitum mundo ostendit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* Ioan. 1. Sic Ahias cœcus prophetavit, cum uxorem Ieroboam aliam se esse simulantem ex Dei inspiratione agnovit dixitque: *Ingredere, uxor Ieroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius,* 3. Reg. 14. 6. Sic Elisabeth per prophetiæ spiritum, Verbum in beatæ Mariæ utero incarnatum agnovit, dum ei dixit: *Unde mihi hoc ut veniat mater Domini mei ad me?* Lucæ 1. Æqualis enim difficultatis et potentiæ ac sapientiæ est, revelare occulta, v. g. arcanas hominum cogitationes, ac prædicere futura: ad utrumque enim lumen supernaturale et divinum, puta revelatio Dei, requiritur, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 171. art. 3. Idem docet S. Chrysost. proœmio in Psalmus, tom. 1. *Universum*, ait, *prophetiæ genus tripliciter dividitur, in futurum, præsens et præteritum. Quoniam prophetia est eius quod est occultum, inventio: ut a Petro factum est qui furtum Ananiæ et Sapphiræ detexit,* Actor. 5.

Dico *occulta*, qua scilicet occulta: fieri enim potest ut quæ uni sunt aperta, visa aut scita, alteri sint occulta; tunc enim huic prophetice revelari possunt ea quæ alii sciunt per sensum vel demonstrationem; uti uxorem Ieroboam alii ex forma cognoscebant; Ahias vero cæcus non nisi ex prophetia eam agnovit. Ita D. Thomas.

Verum recte ibidem admonet S. Gregorius dicens: *In duobus temporibus prophetia etymologiam perdit; quia cum ideo prophetia dicta sit, quod futura prædicat, quando de præterito aut præsenti loquitur, rationem sui nominis amittit.* Et Tertull. Apolog. 18. *Prophetia*, inquit, *de officio præfandi vocatur.* Ergo prophetia propria tantum est de futuris: *Omnis prophetia imago est futurorum. Domus ergo Dei futura in imagine prophetiæ prædicata est*, ait S. August. in Ps. 131. Quocirca cum D. Thoma et Scholast. 2. 2. q. 171. a. 3. Ita proprie prophetiam definiemus: *Prophetia est divina inspiratio vel revelatio, futurorum contingentium eventus certa et immobili veritate prævidens et prænuntians.* Hinc prophetia hebraice vocatur subinde חזון *chazon*, id est, visio; prophetæ חוזים *chozim*, id est, videntes, id est, prospectores et prævisores. Erant enim ipsi quasi os Domini, et oculi Ecclesiæ: quia visiones a Deo ostensas videbant communicandas toti Ecclesiæ. Unde S. Basilius præfat. in Isaiam: *Prophetæ*, ait, *dicti sunt Videntes, quia futura tamquam præsentia conspiciunt.*

Prophetiæ propria definitio.

Dico in definitione *Divina:* quia solus Deus futura contingentia certo præscire et præsignificare potest. Soli enim Deo, quia æternus est, omniscius et immensæ virtutis, tam futura quam præterita et præsentia omnia iugiter obiiciuntur, et obiective ob oculos versantur, etiam cum non existunt in rerum natura. Infinita enim mentis eius acies, visque cognoscendi superat rerum existentiam, atque pervadit et penetrat omnia tempora, æque ac loca, et adæquat, imo transcendit omne verum. Omne enim verum, sive existens, sive non existens: sive præsens, sive præteritum, sive futurum: sive absolutum, sive conditionatum, sive possibile, ab infinita illa mente, Deique oculo attingitur et pervidetur. Quocirca recte nonnulli dixerunt: *Prophetas æternitatis a Deo participes fieri.* Prophetia ergo non est aliud, quam revelatio et locutio divina, menti Prophetæ a Deo obiecta, et immissa eo modo et lumine, ut illam non aliunde quam a Deo sibi immitti certo sciret. Deus enim sive per se, sive per Angelos loquatur, menti potest dare sui signa certissima, licet ea inexpertis sint incognita, ut anima sciat hæc Deum in se loqui.

Deus dabat Prophetis certa signa sui, scilicet se loqui.

A non dæmonem, non naturam.

Hoc est quod ait S. Gregorius l. 4. Dialog. c. 48. *Sancti viri inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces aut imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant vel quid a bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur.* Sic de matre sua prodidit S. Augustinus in Confessionibus eam certo quodam spiritali gustu solitam dignoscere et distinguere inspirationes et revelationes Dei ab aliis naturæ, vel dæmonum suggestionibus. Hac de causa Prophetæ fide divina tenebantur credere sua oracula, sive quæcumque audiebant a Deo, utpote a prima veritate revelata. Hæc enim sunt proprium et adæquatum fidei obiectum materiale, cuius formale est ipsa revelatio divina, sive prima Veritas revelans: Deus enim Prophetis ita certo demonstrabat, tam ipsa vaticinia a se revelata, quam se esse qui ea revelaret, ut ipsi fide divina utrumque crederent: alioqui enim ipsi et se et Deum falsitatis et ludibrii periculo exposuissent; quod, præter in-

B famiam, ingens fuisset sacrilegii crimen. Quando vero Prophetæ tantum per instinctum aliquem (quem, ut ait S. August. aliquando etiam nescientes mentes humanæ patiuntur) locuti sunt, non fuerunt plane certi eum esse a Deo; unde tunc eum, quasi Dei oraculum populo proponere non sunt ausi. Cæterum iam per Ecclesiæ declarationem certum est, nostros hos Prophetas omnia quæ hisce libris conscribunt, ex Deo locutos esse. Hæ enim eorum prophetiæ et libri sunt canonicæ Script.

Quocirca solerter annotat S. Gregor. hom. 1. in Ezech. *Sciendum*, inquit, *est, quod aliquando Prophetæ sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt, et se hæc ex prophetia dicere suspicantur: sed quia sancti sunt, per Spiritum sanctum citius correcti, ab eo quæ vera sunt audiunt, et semetipsos quia falsa dixerint reprehendunt.* Sic Nathan probavit consilium Davidis de ædificando templo; sed mox a Deo contrarium edoctus, dictum suum retractavit, 2. Reg. 7. 5. Atque in hoc Prophetæ veri distant a falsis: *Falsi* enim,

C inquit S. Gregor. *et falsa denuntiant, et alieni a Sancto Spiritu in sua falsitate perdurant.* Si ergo solerter advertant Prophetæ, facile sentiunt an Deus in se loquatur, an dæmon, vel ratio, aut cupiditas propria: Deus enim certis signis se manifestat, certosque eos facit quod hæc audiant a Deo. Hoc est quod ait S. Petrus epistola 2. c. 1. v. ult. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Vide D. Thom. 2. 2. q. 171. a. 5. Hac de causa Prophetæ initio sermonis nomen Dei præferebant: *Ne quid viderentur suopte ingenio loqui; sed quia, quæ a se dicerentur, divina essent quædam oracula, ac litteræ e cælis delatæ*, ait S. Chrysost. in c. 1. Isaiæ v. 1.

Atque hac ratione prophetia secernitur ab augurio et necromantia, v. g. qua pythonissa suscitavit Sauli Samuelem, 1. Reg. 28. omnique alia divinatione quæ ope dæmonum, vel etiam Angelorum naturali sagacitate depromitur. Multa enim naturaliter præscire posse dæmo-

D nem et prædicere, quæ homo non potest, docet S. Aug. lib. de Divinat. dæmonum, ubi quinque modos, quibus dæmones naturaliter futura prædicunt recenset.

Eadem ratione secernitur prophetia a sortibus consultoriis, etiam licitis: *Sortes*, inquit Sapiens Prov. 16. 33. *mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur: temperantur*, inquam sive ordinaria Dei gubernatione et providentia, uti res aliæ; sive extraordinario Dei se miscentis concursu et dispositione, uti per sortes Deus designavit Mathiam Apostolum, Actor. 1.

Eadem ratione distinguitur prophetia a coniectatione, quæ fit solertia naturali ex signis sive physiognomicis, sive aliis naturalibus, quorum etiam exempla videre est in sacris Litteris, imo de chiromantia, non magica, sed naturali multi et bene exponunt illud Iob 37. 7. *Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua*, ut ibidem ostendi. Addunt ei nonnulli Astrologicam divinationem, ex Iudicum 5. 20. ubi dicitur: *De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cur-*

su suo, adversus Sisaram pugnaverunt. Sed hoc superstitionem olet et Rabbinorum commentum. Nam locus ille Iudicum 5. longe aliam habet intelligentiam, uti ibidem demonstravi. Ita S. Chrysost. in cap. 3. Isaiæ t. 1. Propheta, ait, distinguitur a coniectore, sicut Eliseus a Salomone: ille revelatione, hic ratiocinationis discursu ex signis et ex experientia arcanas res detegit et pervidet. Sic enim Salomon litigium duarum meretricum de prole diremit, tentans utramque, utra prolem plus diligeret. Eliseus vero Giezi avaritiam et auri acceptionem nullo signo, nullo discursu, sed sola Dei revelatione cognovit.

Actus liberi soli sunt contingentes. Dixi Secundo, in definitione prophetiæ, eam esse *Futurorum contingentium*, id est, actuum liberorum, vel ab iis dependentium, quæ scilicet a libera hominis vel angeli voluntate futura, vel immediate vel mediate dependent, ut libere ab ea emanent, ac suo tempore in actum exeant. Hæc enim sola proprie sunt contingentia. Alia enim naturalia quæ Physici contingentia vocant, uti futuræ pluviæ, æstus, frigora, tempestates, etc. cum pendeant a causis naturalibus, vapore scilicet, cælo, ventis, etc. quæ determinatæ sunt; hinc et ipsa determinata sunt et necessaria, ac determinate ab Angelis et dæmonibus, qui causarum naturalium, Physices et Astronomiæ sunt peritissimi, presciri et prævideri possunt, nisi libera alicuius voluntas se misceat, causarumque secundarum combinationem et cursum invertat et immutet. Soli ergo actus liberi futuri sunt contingentes, quia indeterminati, donec liberum arbitrium libere se in hanc illamve partem determinet, prout libere se determinabit in tempore futuro, cum existet, et operabitur: eos ergo nec angelus, nec dæmon præscire potest; sed solus Deus, qui infinita sua intelligendi vi penetrat et comprehendit libertatem omnium creaturarum, videtque ex immensitate suæ intelligentiæ clare et distincte, quid ipsa quolibet tempore, loco et circumstantiis libere sit determinatura, factura vel non factura.

Dixi Tertio: *Certa et immobili veritate;* quod aliqui arctant ad prophetiam præscientiæ sive absolutam, ut excludant prophetiam comminationis, vel promissionis, sive conditionatam: hanc enim censent non esse immobilis veritatis: quia non semper adimpletur. Ubi nota. D. Thom. 2. 2. q. 174. a. 2. triplicem ponit prophetiam: primam prædestinationis, qua Deus præscit et prænuntiat quæ ipse facere decrevit et prædestinavit, ideoque certissimo evenient. Secundam præscientiæ, qua præscit actus bonos et malos futuros tam ab homine quam ab angelo. Tertiam comminationis, qua comminatur, v. g. Ninivitis per Ionam excidium. Duæ priores sunt certæ, immobilis et absolutæ veritatis: tertia non item: patet enim Ninivitas per pœnitentiam evasisse excidium sibi comminatum; ac proinde hanc prophetiam et comminationem non fuisse reipsa completam. Verum rectius dicitur, duas priores prophetiæ species esse absolutas ac proinde habere veritatem absolutam, tertiam vero cum sit conditionata, habere quoque suam veritatem sed conditionatam sibi commensuratam: nec enim absolutam habere potest, cum ipsa in se non sit absoluta, sed conditionata. Comminatio enim Ninivitis facta a Iona hæc erat: Nisi pœnitentiam egeritis, subvertemini. Hæc propositio conditionata erat, et vera conditionate; sed quia Ninivitæ pœnitendo hanc conditionem sustulerunt, hinc et sustulerunt ei annexum excidium, feceruntque ut absolute non esset futurum, quod Deus eis comminabatur; quia præstiterunt quod Deus per hanc comminationem intendebat, nimirum pœnitentiam et morum mutationem, ut per eam evaderent intentatam ab eo cladem, uti pœnitendo eam reipsa evaserunt.

Dixi Quarto: *Prævidens et prænuntians.* Nam, ut ait S. Athanas. de passione Domini: *Sicut nos conspicientes ea quæ sunt sub oculis nostris, videndo non fallimur, nec aliter videmus quam sunt, sed sicut fiunt ita videmus: sic et Prophetæ futura tamquam præsentia videbant, et quæ videbant, fieri erat necesse. Namque quæ fiebant* (in futuro, id est, quæ futura erant) *omnino videbant: verum quæ* A *prævidebant, aliter fieri non poterant: si enim aliter facta fuissent, non fuissent Prophetæ:* quia non vidissent futura, sed ea quæ non erant futura, ideoque in sua visione falsi et decepti fuissent.

Addidi *Prænuntians.* Propheta enim proprie est, non qui futura cognoscit, sed qui ea prænuntiat. Inde enim græce προφήτης, latine Propheta dicitur, a προφημι, id est, præfor, præloquor, prædico. Hebraice vero vocatur נביא *nabi*, q. d. præfator, vel potius præfactor, a rad. בוא *bo* (huc enim potius alludit etymon *nabi* ut patet ex littera א utrique addita, quam ad radicem נוב *nub*, id est, locutus est, vel בן *ban*, id est, intellexit) id est, venit. Inde enim dicitur נבא *naba*, id est venire fecit, venturum prædixit, quia Prophetæ suo verbo et oraculo, utpote certo et indubitato, ex phrasi Hebræorum, et ex more loquendi hominum, quasi venire faciebant ea quæ nondum erant, eaque sua prædictione quasi advocabant ut venirent, ac ut certo evenirent quasi efficiebant. Sic Prophetæ dicebantur adducere pluviam, siccitatem, pestem, gladium, mortificare, vivificare, etc. quia ea certo et infalli- B biliter eventura prædicebant. Propheta dicitur nabi, cur?

Hæc ergo propria est prophetiæ ratio, significatio et essentia. Verum quia Isaias, Ieremias, aliique Prophetæ non tantum futura prædicebant, sed et docebant, concionabantur, orabant, psallebant, faciebant miracula; hinc prophetare et Propheta per catachresin varia significat. Variæ Prophetiæ acceptiones.
1. Primo, prophetare idem est quod ex afflatu Spiritus sancti docere, et exhortari ad pietatem. Sic sumit *prophetare* S. Paulus 1. Corinth. 14. ubi doctores et hortatores vocat Prophetas, asseritque, melius esse prophetare quam loqui linguis.
2. Secundo, prophetare idem est quod ex instinctu Spiritus sancti divinas laudes insolentius canere. Sic Saul inter Prophetas psallentes correptus spiritu Dei, dicitur fuisse Propheta, et prophetasse, id est, cum psallentibus psalmos Deique laudes, quasi enthusiasmo actus cecinisse, 1. Reg. 19. 24.
3. Hinc Tertio, prophetare simpliciter est canere et psallere. Sic omnes cantores vocantur C Prophetæ, 1. Paralip. 25. 1. *David*, inquit, *et magistratus segregaverunt filios Asaph, et Heman, et Idithun; qui prophetarent* (id est, psallerent et pulsarent instrumenta) *in citharis, et psalteriis, et cymbalis.*
4. Quarto, prophetare per antiphrasin sumitur pro delirare, et ex afflatu maligni spiritus delira et insana proloqui. Sic rursum Saul correptus a spiritu malo et melancholico dicitur prophetasse, id est, aliena a ratione et delira prolocutus, 1. Reg. 18. 10.
5. Quinto, prophetare significat miracula facere, iisque sua oracula confirmare. Sic Eccli. 48. 14. dicitur Elisei corpus mortuum profetasse, id est suscitasse, cadaver mortui in suum sepulchrum iniecti, 4. Reg. 13. 21. Hisce de causis *omnes Prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, et angeli sunt vocati, sicut scriptum est: Qui accepistis legem in præceptis angelorum, et non custodistis,* ait S. Chrysost. in 11. Matth. hom. 27.

Quæst. II. Quotuplex est Prophetia? **Quæritur secundo.** Quotuplex est prophetia? D. Thomas 2. 2. q. 174. art. 2. et 3. et ex eo Franc. Suarez 3. p. q. 30. art. 4. disp. 9. sect. 2. respondet esse du- D plicem, intellectualem et sensilem sive imaginariam. Intellectualis est, quæ non ducit originem a sensu vel imaginatione, sed oritur immediate per lumen infusum intellectui, et per species intellectuales de novo inditas, vel præesistentes, sed divina virtute ad supernaturalem aliquam apprehensionem vel conceptionem faciendam applicatas. Intellectualis duplex. Porro id dupliciter contingit:
I. Primo, quando intellectus sic illustratur et elevatur, ut sine operatione phantasiæ rem cognoscat, quod rarum est: videtur tamen id concessum S. Paulo, quando raptus est in tertium cælum; tunc enim audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, 2. Cor. 12. 2. Hunc etiam modum concessum fuisse B. Virgini post Verbi in ea incarnationem ut mysterium hoc clare per intellectum cognoverit et viderit, censet noster Suarez loco citato in fine.

II. Secundus modus est, quando phantasia intellectui cooperatur, non quidem intellectu primum a phantasia moto, sed ipsa phantasia mota et applicata ab intellectu, ut

secum operetur et concurrat ad intellectionem et visionem propheticam. Talis videtur fuisse visio Isaiæ c. 6. ut docet ibidem S. Hieronym. Ibi enim vidit tres personas divinas in una essentia, ut ibi ostendam; et si quæ aliæ fuerunt ei similes et æque sublimes. Porro uterque hic modus fieri nequit ab angelo, sed a solo Deo. Solus enim Deus illabi potest menti et intellectui, eique immediate lumen et species infundere, atque intellectionem et visionem in ea operari. Quocirca hæc Dei revelatio et locutio est actus vitalis intellectus, in illo a Deo elicitus.

Sensilis vel imaginaria.

Sensilis vero, sive imaginaria prophetia dicitur non quod ad intellectum non pertingat, sed quia fit primo et primario per sensibilem, vel imaginariam aliquam repræsentationem, ex qua oritur mentis conceptio, illique quodammodo commensuratur. Prior intellectualis hac sensili perfectior est, quia est abstractior et spiritualior, unde a solo Deo fit: sensilis vero ab angelo fieri potest et solet.

Prophetarum fere fuit sensilis.

Porro Prophetarum visiones et revelationes communiter fuerunt sensiles, tum quia viderunt obiecta quædam sensibilia, uti Ieremias vidit ollam succensam, virgam vigilantem, canistrum ficuum: Daniel vidit arborem, somnium regis, quatuor bestias, etc. Ezechiel vidit currum, rotas, animalia, etc. Tum quia per angelos eas communiter esse factas, censent S. Dionys de Cælesti Hierarchia c. 4. et S. Aug. lib. 3. de Trinitate c. ult. et Damascenus lib. 2. de Fide 3. Porro angelus Prophetis communiter non in sua sed in Dei persona loquebatur, eamque repræsentabat. Unde passim dicunt Prophetæ: *Hæc dicit Dominus*, non angelus. Hic enim est ordo suavis et congruus divinæ providentiæ, ut per angelos illuminet Prophetas aliosque homines. Unde et Moses, qui fuit primus et princeps Prophetarum, legem a Deo accepit in Sina per angelum, teste Apostolo Galat. cap. 3. v. 19.

Per Angelos.

Ideoque communiter censent Patres, omnes apparitiones Dei exhibitas patribus in veteri testamento, factas esse per angelos, uti dixi can. 17. in Pentateuch. Fateor tamen, angelo in phantasia Prophetæ loquente, suaque visa vel verba ei proponente, Deum subinde in intellectu Prophetæ lumen divinum et supernaturale solito clarius et sublimius, infudisse, cum rei sublimitas id poscebat, ut eam digne, hoc est solito plenius et altius, conciperet et intelligeret: sicut ad concionem externam hominis, solet Deus interius in mente audientis idipsum clarius loqui et repræsentare, per gratiam quæ intellectum illuminat, et affectum commovet, sine qua frustranea esset omnis concio exterior.

Ut plurimum ergo Deus revelabat prophetiam et voluntatem suam angelo, angelus deinde eamdem revelabat, et loquebatur in imaginatione Prophetæ, idque variis modis. Varii enim sunt gradus visionum harum propheticarum, quorum alii aliis sunt perfectiores. Primus et infimus est, ait D. Thomas a. 3. loco citato, cum aliquis, ex interiori arcano instinctu et impulsu, sine expressa revelatione, movetur ad aliqua exterius facienda, sicut de Samsone dicitur Iudicum 15. quod irruit spiritus in eum, cum vincula sua dissolvit. Hoc modo multi Eremitæ et Sancti præsagierunt, et etiamnum præsagium et præsentiunt futura.

Gradus prophetiæ.

I.

II. Secundus est, cum prophetantes prophetias diserte concipiebant et enuntiabant, sed ignorabant se prophetare, quomodo prophetavit asina Balaam, et Caiphas pontifex prædixit mortem et redemptionem Christi, quam tamen non cognovit: quia ad suam malitiam et sævitiam in Christum eam detorsit, Ioan. 11. 51.

III. Tertio, alii solo visu prophetias excipiebant, ita ut uni tantum fieret apparitio symbolorum vel imaginum, alteri vero revelaretur eorumdem significatio. Tales fuere imagines spicarum visæ Pharaoni, Gen. 41. 1. et arboris proceræ visa Nabuchodonosori, Daniel 2. quarum significatio aliis scilicet Iosepho et Danieli a Deo est revelata. Rursum alii dormiendo, alii vigilando videbant visionem: posterior priore erat clarior et sublimior.

IV. Quarto, alii prophetiam hauriebant solo externo auditu vocis loquentis, uti Samuel dicens: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*. 1. Reg. 3. 10.

Quinto, alii viderunt per imaginationem visa quædam portendentia futura, alii vero audiebant vocem interius loquentem, et futura enuntiantem. Hoc posterius frequentius accidit Prophetis, fuitque perfectius. Auditus enim sermo distinctius et clarius enuntiat rem, quam symbolum aut signum eius visum. Perfectissimus vero modus fuit, cum simul viderent visionem, et audirent vocem illam explicantem, sicuti c. 1. Ieremias vidit ollam succensam, et mox audivit, quod illa portenderet incendium et excidium Hierosolymæ, et aliarum gentium per Nabuchodonosorem. V.

Sexto, alii audierunt res naturales, ut eventa et successus bellorum, regum, monarchiarum: alii res supernaturales, ut vocationem Gentium, reprobationem Iudæorum, mysteria Trinitatis, Incarnationis, passionis Christi: hoc illo fuit perfectius. VI.

Septimo, aliquando iussi sunt a Deo non tantum verbis, sed et factis prophetare et portendere futura, ut cum Isaias nudus incessit cap. 20. portendit spoliationem et nuditatem Ægypti et Æthiopiæ: cum Ieremias cap. 27. 2. vincula et compedes collo gestavit, portendit captivitatem Babylonicam: cum Ezechiel trecentis nonaginta diebus in uno latere cubavit, ac fimum boum comedit portendit obsidionem et famem Hierosolymæ, Ezech. 4. v. 4. et 11. VII.

Octavo, non tantum rem videbant, et verba audiebant, sed et subinde videbant personam loquentem et res demonstrantem, idque erat perfectissimum; quia per hoc ostendebatur, quod mens Prophetæ magis appropinquabat ad causam revelantem. Rursum perfectius erat, si persona loquens videretur in specie angeli quomodo visa est passim a S. Ioanne in Apocalypsi: quam si videretur in specie hominis, quomodo Ieremias et Onias apparuerunt Iudæ Machabæo, 2. Machab. 15. 15. dicente Ieremia: *Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel*. Denique utroque perfectius erat, si persona loquens videretur in specie Dei, quomodo vidit Isaias c. 6. Deum sedentem in solio, indeque secum colloquentem. Ita D. Thomas a. 3. citato. VIII.

Secunda divisio prophetiæ septuplex Isidori.

Huic divisioni similis et subalterna est divisio Isidori lib. 7. Etymol. c. 8. et ex eo D. Thomæ 2. 2. q. 174. a. 1. ad 3. *Prophetiæ*, inquit, *genera sunt septem. Primum est exstasis, quod est mentis excessus, sicut vidit Petrus vas submissum de cælo cum variis animalibus. Secundum est visio, sicut apud Isaiam dicitur: Vidi Dominum sedentem. Tertium est somnium, sicut Iacob scalam dormiens vidit*, Genes. 28. 12. *Quartum genus est per nubem, sicut ad Mosen loquebatur Dominus. Quintum est vox de cælis, sicut ad Abraham sonuit Deus dicens: Ne mittas manum in puerum*, Genes. 22. 12. *Sextum est accepta parabola, uti contigit Balaam, Num.* 23. 7. *Septimum est repletio Spiritus sancti, sicut pene apud omnes Prophetas.*

Hæc divisio sumitur ex varietate tum modorum, tum obiectorum et formarum imaginabilium vel sensibilium prophetiæ. Tria enim prima, puta exstasis, visio et somnium, sunt tres modi prophetandi; tria vero sequentia sunt obiecta et signa sensibilia, quæ perceperunt Prophetæ. Inter quæ primum est, res quædam corporea exterius apparens visui, quam ponit quarto loco. Secundum est, vox formata, exterius ad auditum hominis delata, quam ponit quinto loco. Tertium est, vox per hominem formata cum similitudine alicuius rei, quod pertinet ad parabolam, quam ponit sexto loco.

Rursum quoad modum prophetandi, Isidorus ibidem et S. August. lib. 12. de Genesi ad litter. c. 7. et seq. ponunt tria genera visionum: primum secundum oculos corporis, alterum secundum spiritum imaginarium, tertium per intuitum mentis. Hæc divisio petitur a potentiis cognoscitivis in homine, quæ sunt tres, sensus, imaginatio et intellectio, uti explicat D. Thom. 2. 2. q. 174. a. 1. ad 3.

Tertia divisio S. Aug.

Denique S. Aug. l. 19. contra Faustum c. 2. triplices distinguit Prophetas: primos Gentilium, uti Balaam et Sibyllæ; secundos Iudæorum, uti fuerunt hi nostri vates; tertios Christianorum, sive novi testamenti, uti est S. Ioan-

nes in Apocalypsi, Paulus, Apostoli et post eos alii multi. Ubi nota discrimen Sibyllarum, et aliorum Gentilium Prophetarum a fidelibus sive nostris hisce: illi enim mente abalienati quasi coacti, et subinde inviti, utpote quasi enthusiasmo abrepti, aut furiis perciti prophetabant, quod idem contigit Montani prophetissis, et dæmoniacis aliis. Hinc Cicero lib. 1. de Divinat. *Negat*, inquit, *Democritus sine furore poetam magnum esse posse*, et rursum: *Inest igitur animis præsagitio extrinsecus iniecta, atque inclusa divinitus. Ea si exarsit acrius furor appellatur, cum a corpore animus abstractus, divino instinctu concitatur.* Horum vero mens sibi constabat, sciebant quid dicerent, sponte loquebantur, non in exstasi, ne illa quidem quæ prius in exstasi acceperant, uti docet S. Hier. præfatione in Isaiam, et S. Paulus: *Spiritus*, ait, *Prophetarum Prophetis subiecti sunt*, 1. Cor. 14. 32. Porro Sibyllæ, non dæmonis, sed Dei fuerunt prophetissæ, quæ merito virginitatis, uti asserit S. Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum, donum prophetiæ adeptæ de futuris, ac præsertim de Christo tanta prænotionis certitudine ac claritate vaticinantur, ut præterita magis scribere videantur quam futura. Fuerunt illæ decem, quarum cognomina patria sunt hæc: Cumæa, Cumana, Persica, Hellespontica, Libya, Samia, Delphica, Phrygia, Tiburtina, Erythræa. Hinc nonnulli Sibyllam dictam volunt quasi σιὸς βουλὸν, id est, Dei consilium, quod nimirum illud ipsæ hominibus enuntiarent. Æolice enim Deus vocatur σιὸς pro Θεός. Unde S. Hier. l. 1. contra Iovinian. post tertiam libri partem: *Quid*, inquit, *referam Sibyllas, etc. quarum insigne virginitas est, et virginitatis præmium divinatio? Quod si Æolici sermonis genere Sibylla* Θεοβουλὴ *appellatur, recte consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* Sic et Epiphanius hæresi 78. *Philippo*, ait, *Evangelistæ quatuor fuerunt filiæ prophetantes.* Actor. 21. 8. *prophetabant autem propter virginitatem; quam habere dignæ factæ erant.* Hinc et Virgil. lib. 6. Æneid. Sibyllam Cumæam Æneæ fata, puta casus ei obventuros, vaticinantem ita depingit:

Magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.

Et inferius:

Ventum erat ad limen, cum virgo: poscere fata
Tempus, ait, Deus, ecce Deus. Cui talia fanti
Ante fores, subito non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ: sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propiore Dei.

Et inferius:

Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans fingitque premendo.

Vide de Sibyllis earumque oraculis, tum carmine earum apud S. August. Euseb. et alios, tum Suidam verbo *Sibylla*, et Sixtum Senensem lib. 2. Biblioth. verbo *Sibylla*.

Sibyllæ quæ, quot, et quales (margin)

Rogabis, an Prophetæ prophetias suas omnes intellexerint, hoc est, an semper oraculorum, tum auditorum, tum potius visorum, hoc est symbolorum suorum significationem et explicationem a Deo acceperint? Respond. Id incertum est; certum est illos eam accepisse cum eam scribunt et enarrant; cum autem eam non scribunt, nec enarrant, an eam acceperint, ignoramus. Credibile est subinde accepisse, subinde non. Voluit enim Deus eos, utpote Prophetas, secretorum suorum conscios facere præ aliis hominibus, ac plura scire quam scribere; ex alia tamen parte voluit et quædam secreta sibi servare, nec ipsis communicare. Perinde ac rex quædam secreta sibi servat, quæ nulli consiliario patefacit. Sic et Christus parabolarum quarumdam, et aliarum rerum secreta sibi servavit quæ nec Apostolis, nec ulli alteri reseravit. Ita Ezechielis cap. 1. cum vidit Ezechiel currum Dei, Cherubim, rotas, firmamentum, ignem, ventum, sedentem in solio speciei electri, etc. credibile est eum intellexisse omnia significare currum bellicum Dei, Deumque cum Cherubinis, et copiis Angelorum properare ad excidium Hierosolymæ:

An Prophetæ omnes suas prophetias intellexerint? Resp. negative (margin)

A hoc enim ipse in sequentibus clare prædicit. Verum non est necesse dicere, eum in particulari intellexisse, quid singula illa iam dicta (cum ipse ea non explicet) portenderent aut repræsentarent. Pari modo c. 40. et octo sequentibus describit fabricam templi et urbis, minutim per singularum eius partium descriptionem et dimensionem; credibile est, eum non intellexisse, quid hæc omnia symbolice significarent; vix enim quidquam horum explicat. Sic Daniel c. 7. vidit visionem quatuor bestiarum, sed eam non intellexit. Unde v. 16. ab angelo petiit eius explicationem, et accepit. Idem ei contigit c. 8. in visione arietis et hirci: nam quærens eius intelligentiam v. 15. eam accepit a Gabriele v. 17. Idem accidit ei cap. 10. ubi ieiunans et orans v. 2. visionis explicationem accipit ab angelo v. 11. et 19. Rursum c. 12. diserte ait Daniel v. 8. *Et ego audivi, et non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc? Et ait? Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones, usque ad præfinitum tempus.* Unde liquet Danieli quoque fuisse clausos, nec eum illorum exB plicationem accepisse. Sic Zacharias c. 4. vidit candelabrum cum septem lucernis, et duas olivas; nec tamen intellexit, quid hæc significarent. Unde dixit angelo v. 5. *Quid sunt hæc, Domine mi?* Cui respondens angelus eadem explicuit. Sic c. 6. videns quatuor quadrigas variorum colorum dixit angelo v. 5. *Quid sunt hæc, Domine mi?* Et ab eo audivit: *Isti sunt quatuor venti.* Porro qui et quales sint hi venti, an litterales, an potius parabolici et mystici, non audivit. Sic cap. 9. vers. 11. quasi ex abrupto inquit: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Et vers. 17. *Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* An intellexerit ipse hæc dici de Christo et Eucharistia incertum est: nec enim ea explicat. Similia sunt cap. 14. Talia quoque sunt Ieremiæ 31. vers. 15. *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari, quia non sunt.* Et vers. 22.
C *Creavit Dominus novum super terram: mulier circumdabit virum.* Et vers. 33. ad finem describit terminos civitatis novæ ædificandæ. An hæc intellexerit dici de Innocentibus martyribus, de conceptu Deiparæ, de fabrica Ecclesiæ, eiusque partibus et mensuris in particulari, non constat. Nihil enim horum ipse reserat aut enarrat. Similiter S. Ioannes in Apocalypsi, licet maiores et clariores aliis Prophetis acceperit revelationes, utpote existens Propheta novi testamenti, isque ultimus inter scriptores hagiographos, atque discipulus ille quem diligebat Iesus; tamen an omnia symbola quæ vidit intellexerit dubium est; v. g. an intellexerit c. 4. præcise et clare, quid significarent viginti quatuor seniores, et quatuor animalia, quorum primum simile erat leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ. Rursum c. 6. quatuor equos et equites, scilicet album, rufum, nigrum et pallidum. Adhæc c. 8. plagas septem Angelorum. Et cap. 9. quid significent locustæ habentes in capite coronas aureas, facies hominum, capillos mulierum, dentes leonum,
D loricas ferreas, caudas scorpionum. Et c. 10. septem tonitrua. Et c. 11. quid significet divisio templi, altaris, etc. Cap. 12. mulier amicta sole, habens lunam sub pedibus et duodecim stellas in capite, pariens masculum; ac prælium Michaelis cum dracone, etc. Cap. 13. bestia habens capita septem, cornua decem, et numerus eius 666. Cap. 15. mare vitreum mixtum igne. Cap. 16. quid significent septem phialæ, et plagæ septem Angelorum. Cap. 17. et 18. mysterium Babylonis. An hæc, inquam, aliaque his similia plane intellexerit S. Ioannes, non constat. Nihil enim horum explicat, quæ causa est, cur tam obscura sit Apocalypsis, adeoque interpretes in eius explicatione et coniectent et varient. Quocirca S. Hier. in prologo Galeato, de Apocalypsi scribit, eam *tot habere sacramenta, quot verba*, quæ sane omnia non intellexisse Ioannem, nec quemquam mortalium credibile est. Denique Prophetas non intellexisse omnia sua oracula, docent S. Ambr. l. 1. de Abraham c. 8. Cyrill. (vel potius

Clicthovæus, Doctor Parisiensis: hic enim octo medios S. Cyrilli libr. in Ioan. deperditos supplevit) lib. 8. in Ioan. c. 3. et S. Aug. l. 7. de Civit. c. 33. *Prophetæ*, ait, *quædam intelligebant, quædam non intelligebant*. Et D. Thom. 2. 2. q. 173. a. 4. Porro cum Prophetæ sua visa viderunt, nec intellexerunt, non fuerunt perfecti et proprie dicti prophetæ, sed imperfecti, dimidiati et inchoati, uti fuit Caiphas, dum nescius mortem Christi prædixit, Ioan. 11. 49. Et Pharao ac Nabuchodonosor videntes somnia, nec intelligentes, Genes 41. Daniel. 2. 1. Ita S. Aug. lib. 12. de Genesi ad litter. c. 9. *Non est*, inquit, *Propheta, qui signa videt, nisi ea intelligat: ideo Videntes Prophetæ appellati, quia magis spiritui quam corpori visio congruit*. Idem docet lib. contra Adimantum c. 28. Et S. Gregor. lib. 11. Mor. c. 12. *Cum aliquid*, inquit, *vel ostenditur vel auditur, si intellectus non tribuitur, Propheta non est*. Idem sentiunt S. Basil. in prooemio Isaiæ, Origen. 3. Periarch. c. 3. S. Chrysost. homil. 29. in 1. ad Corinth. Ubi contra Montanistas docent, Prophetas non fuisse enthusiasmo actos, nec extra se raptos (uti sunt arreptitii et Prophetæ Gentilium) sed sui mentisque compotes, intellexisse ea quæ vaticinabantur, iuxta illud 1. Corinth. 14. *Spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt*.

Quæstio III de causa et materia Prophetarum.

QUÆRITUR TERTIO, quænam fuerit causa, argumentum et munia Prophetarum.

Resp. Causa mittendi Isaiam aliosque Prophetas fuit varia et multiplex, sed maxime illa quam sæpe tangunt Prophetæ, præsertim Osee, ac diserte enarrat lib. 3. Reg. cap. 12. scilicet Ieroboam cum Dei nutu, et iusta Salomonis et Roboami punitione et vindicta, decem tribus a duabus et a stirpe regia Davidis immani scelere dissecuisset, veritus ne, si populus de more verum Dei templum Hierosolymis adiret, paulatim ad pristinam unitatem gentis, regni et regiæ stirpis rediret, Apin Ægyptium idolum conflavit, quod tum in Ægypto, tum in deserto coluerant Hebræi: duos, inquam, vitulos aureos, quorum unum in Dan, alterum in Bethel, duobus regni sui limitibus collocavit. Hic auctor et choragus idololatriæ, ex qua velut lerna omnia deinceps vitiorum genera promanarunt, quæ omnia cum sua matrice decem tribus in duas vicinas sibi gentiles pari impietate proseminarunt. Subinde resecta hæc matrix, velut hydra in alia et alia capita prorupit. His Deus suos hos Prophetas quasi antagonistas immittit, ut idololatriam tollant, plebem ad avitam religionem revocent: ni pareant, Assyriacam, et magis Babylonicam, captivitatem denuntient, atque Babyloniis contra Iudæos classicum canant. Atque hoc est quod ait S. Chrys. in c. 8. Isaiæ: *Prophetia est medicamentum a Dei clementia confectum, delinquentes erudiens ex præscientia pœnarum, ut earum experientiam pœnitendo evaderent*.

Ubi adverte, Prophetas hosce omnes raro decem tribubus, sæpe et passim duabus. puta Iudæ et Beniamin, prophetari et concionari. Causa fuit, quod decem tribus per impios reges vitulis aureis addictæ, et quasi mancipatæ, incorrigibiles essent: unde et paulo post, puta anno 6. Ezechiæ Salmanasar capta Samaria, eas abduxit in Assyriam, 4. Reg. 18. 10.

Atque hinc patet Prophetarum argumentum multiplex, et dicendi methodus modusque varius. Nam primo, arguunt peccata, tum idololatriæ, tum superbiæ, avaritiæ, gulæ, iniustitiæ, etc. ac Iudæos ad pœnitentiam vocant, pœnas intentant, pulsant Iudæorum obstinationem, eisque Dei repudium et reprobationem comminantur, tandemque certo prædicunt. Secundo, comminationes leniunt, atque afflictos spe veniæ et promissionis boni futuri, Messiæ dico, consolantur. Tertio, simpliciter futura prænuntiant, tum Iudæis, tum aliis gentibus: id passim et sæpe faciunt. Quarto, pro populo precantur, Deoque preces nuncupant. Quinto, quid faciendum omittendumve sit docendo, præcipiendo, vetando, tum ore et verbis, tum opere et factis docent.

Tria munia Prophetarum.

Hinc rursum sequitur, tria maxime fuisse munia et officia Prophetarum. Primum, docere populum, tum credenda, tum agenda; tum res fidei, tum viam virtutis et salutis: fuerunt enim Prophetæ Theologi doctissimi, non ab homine, sed a Deo instructi, ideoque θεοδίδακτοι. Quocirca S. Chrys. hom. 10. in c. 7. Matthæi: *Sicut*, inquit, *nubes baiulant pluviam, ita et Prophetæ et Apostoli verba accipiunt a Deo, et effundunt super rationalem terram*. Idem prooemio in Ps. 50. hom. 1. *Prophetæ*, inquit, *pictores quidam sunt virtutis et malitiæ: describunt illi peccatorem, iustum, pœnitentem, stantem, surgentem, titubantem*. Hac de causa Ecclesiast. c. 39. 1. sapientem et Theologum pingens, indefessum eius in prophetis studium cum pia prece deposcit: *Sapientiam*, inquit, *omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis* (gr. ἐν προφητείαις, in prophetiis) *vacabit: Narrationem*, græce διήγησιν, enarrationem, explicationem, *virorum nominatorum conservabit, et in versutias* in acumina abdita et intorta, *parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur. Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ et in lege testamenti Domini gloriabitur*. Hoc est quod tribus verbis complexus, Theologo suasit et sanxit S. Basilius: *Orationi succedat lectio et lectioni oratio*; et S. Cyprianus l. 2. epist. 2. ad Donatum sub finem: *Sit tibi oratio assidua vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum*: in oratione enim loquimur Deo, in lectione Deus loquitur nobis: lectio docet, oratio impetrat lectionis intelligentiam, saporem et fructum. Ut alios hic præteream instar omnium sit S. Hieron. qui præfat. in Isaiam ista de eo scribit: *Quidquid sanctarum est Scripturarum, quidquid Logica, Physica, Ethica, quidquid humana potest lingua proferre et mortalium sensus accipere, isto volumine continetur*.

I. Docere.

Prophetæ sunt pictores virtutis et vitii.

Vidit hoc Cardin. Hosius Concilii Tridentini Præses, et hæreticorum terror, magni illius Hosii Cordubensis in Concilio Niceno contra Arrianos dimicantis assecla, qui quotidie creber erat in Prophetis et Script. etsi in publicis Ecclesiæ et Concilii Tridentini negotiis esset occupatissimus, adeo ut Hieronymi Osorii paraphrasim in Isaiam, quæ tunc prodierat, plus triginta vicibus perdiligenter volverit; maxime quod istum Prophetam Augustino ut legeret, commendatum ab Ambrosio commeminisset. Ita ipse suam Theologiam, et cælestem sapientiam gestiebat haurire a Prophetis; ita pectus suum bibliothecam Christi efficere satagebat. Auctor est Protonotarius Reschius αὐτόπτης et illius συνεργός in eius Vita.

Porro non solum Theologum aut Præsulem, sed et quemvis fidelem ac Christianum docent Prophetæ. Quid enim sunt aliud S. Litteræ, ac præsertim prophetiæ, nisi oracula fidei, oracula sanæ doctrinæ, oracula orthodoxæ veritatis, quam Prophetæ, Christus, Apostoli toto mundo tum voce, tum scripto prædicarunt? Quid sunt Prophetæ, nisi Philosophi divini, secretarii Altissimi, cælestes fistulæ, organa Spiritus sancti? quæ ipsa arcana SS. Trinitatis ad nos derivant, quæ ipsummet verbum Dei nobis enuntiant, quo prima illa et increata Veritas fideles omnes erudit quid credere, quid sperare, quid timere, quid colere et amare debeant. *Multifariam*, ait Paulus Hebr. 1. 1. *multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula*. Prophetæ ergo sunt liber ipsius Dei, liber Spiritus sancti, liber SS. Trinitatis, liber, inquam, a Patre et Filio et Spiritu sancto compositus et dictatus, quo se suaque attributa, mysteria Trinitatis, Incarnationis Verbi, prædestinationis, providentiæ, gratiæ, vocationis Gentium, sua Sacramenta, suas leges æternas, suam voluntatem, suam beatitudinem et bona immensa, quæ diligentibus sibique obedientibus præparavit, viam, inquam, rectam in cælum ad beatam æternitatem, quasi in viva imagine descripsit et depinxit; ut quod Sapiens de tota S. Scriptura dixit Eccli. 24. 32. quod sit liber mandatorum Dei, et *liber vitæ*, hoc imprimis Prophetis competat.

*

S. Iustinus conversus ex lectione Prophetar.

Refert S. Iustinus Philosophus et Martyr, initio Dialog. A contra Tryphonem, de seipso, suaque ad Christi fidem et cultum conversione, quod Gentilis existens, Philosophiæ veræque illius sapientiæ quæ ad Deum ducit, avidus, mirabili circo sectas quasque Philosophorum illustriores, velut Odyssæam errorum pervagatus frustra, in Prophetis tandem, et in Christiana S. Litterarum philosophia, tamquam sola solida conquieverit. Primum, inquit, Stoico cuidam me discipulum addixi, a quo cum nil de Deo audirem, Peripateticum delegi magistrum; quem mercede sapientiam nundinantem despiciens, in Pythagoricum sum devolutus; sed quod neque Musicus, neque Astronomus, neque Geometra essem, quas ille artes uti ad beatam vitam præambulas exigebat, ab hoc in Platonicum sum delapsus, subventanea et inani ab omnibus sapientiæ spe delusus; donec inopinato in divinum quemdam Philosophum, sive homo, sive angelus is fuerit, incidi: qui protinus suasit, abdicata omni illa circulari disciplina, SS. Prophetarum legere libros, utpote quorum auctoritas omni demonstratione maior, et sapientia foret saluberrima, in his omne meum sciendi desiderium acuerem. Atque abiit ille, neque amplius Iustino est visus; sed tanta tamque incensa studii huius, lectionisque sacræ iniecta ei cupiditate, ut protinus omni aliorum doctrina valere iussa, unam hanc ambiret avidissime, et constantissime retineret, ubere adeo fructu, ut ipsa nobis Iustinum et Christianum, et Philosophum, et Martyrem pepererit. Vere ergo dixit S. Gregorius l. 4. ep. 84. *Quid est sacra Scriptura, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam?* qua scilicet Deus ei sua placita, quidque ab eo credi et agi velit, præscripsit. Epistola enim hæc sensa Spiritus sancti, sapientiamque æterni Verbi enuntiat et explicat. *Deum nemo vidit umquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit nobis*, arcana utique et abscondita a constitutione mundi. Cum ergo Prophetas legi, audis, non Aristotelem, non Platonem, non regem, non pontificem, non angelum, non Seraphim; sed Deum ipsum omnibus hominibus, tibique et tuæ conscientiæ sigillatim loquentem, docentem, monentem, exhortantem, bona æterna pollicentem, terrentem, et, ni eius legi pareas, pœnas æternas minitantem audis.

II. Munus Prophetarum est concionari.

Secundum munus Prophetarum, ad quod a Deo missi et destinati sunt, fuit concionari: hinc eorum scripta videntur esse perennes et perpetuæ conciones, eæque ardentes et efficaces quasi mallei conterentes petras: agebant enim cum petris, hoc est, cum duris, rebellibus et obstinatis Iudæorum cordibus; ad quæ frangendum et emolliendum quanta putas dicendi vi, quo animo, quo spiritu fuit opus? Iure ergo dixeris Prophetas non tantum Theologos doctissimos, sed et præcones esse facundissimos, æque ac efficacissimos, imo igneos; utpote qui non suo, sed Dei spiritu et afflatu, non suas, sed Dei ipsius conciones promant et enuntient, imo per quos quasi per ora sua Deus ipse concionetur.

Exemplum S. Borromæi.

Quamobrem S. Carolus Borromæos, priscæ doctrinæ et sanctitatis exemplar, alter Ambrosius, Mediolanensis Archiepiscopus et Cardinalis; tum in omni S. Script. (quam D cum divo Thoma, præmissa oratione quotidie, et sex annos ante mortem numquam nisi genuflexus legere consueverat) tum maxime in Prophetis, quos quasi cælestes oratores habebat, multum ac diu versabatur, ex iisque locos difficiliores et pulchriores pro concione pertractabat, eo fructu quem etiamnum Mediolani in Cleri et civium prisca patrum pietate et religione quasi postliminio revocata conspicimus et suspicimus. Prophetæ ergo Borromæum antea Iurisperitum, Theologum et concionatorem effecerunt. Testis est eius familiaris August. Valerius Veronensis Episcopus in eius Vita.

Franc. Forerii.

Franciscus Forerius e S. Dominici familia illustris regum Lusitaniæ Ecclesiastes, prooemio Comment. in Isaiam, Tridenti in Concilio Tridentino conscripto, palam profitetur se omnem illam suam concionandi vim et gratiam, quam tota Lusitania celebrabat, Prophetis et sacris litteris ac Hebræis fontibus acceptam referre.

Edmundi Augerii.

Edmundus Eugerius e nostra Societate, ob concionandi efficaciam vulgo tuba Franciæ appellatus, adeo ut populi frequentiam templa non caperent, sed in campos et agros ei verba facturo egrediendum esset; populus enim ab eius ore, perinde ac infans a matre pendebat; quem proinde ipse sua mira dicendi persuadendique vi et energia quocumque volebat impellebat; hic, inquam, non alios terebat, quam Isaiam et S. Paulum, singulisque concionibus unum Isaiæ, alterum Pauli locum pertractabat fuse et nervose: qua re ita suis placuit, ut omnes primum in sui admirationem, deinde in sententiam suam traheret, imo raperet. Ferunt Franci ipsum ad quadraginta hominum millia ad frugem et sanctimoniam convertisse.

Hoc ipsum vidit et sensit S. Augustinus lib. 18. Civit. 41. cum ait: *Ipsi* (Prophetæ) *eis* (Israelitis) *erant philosophi, hoc est amatores sapientiæ, ipsi sapientes, ipsi theologi, ipsi Prophetæ, ipsi doctores probitatis ac pietatis. Quicumque secundum illos sapuit et vixit, non secundum hominem sed secundum Deum, qui per eos locutus est, sapuit* B *et vixit. Ibi si prohibitum est sacrilegium, Deus prohibuit. Si dictum est: Honora patrem tuum et matrem tuam, Deus iussit. Si dictum est: Non mœchaberis, non homicidium facies, non furaberis, etc. non hæc ora humana, sed oracula divina fuderunt.*

Prophetæ ergo vitia carpendo dedocent, virtutes exhortando docent et inserunt. Hæc ipsorum sparta, hoc opus est, ut pietatem, verum Dei cultum, humilitatem, patientiam, charitatem, zelum, omnemque sanctimoniam animis legentium et audientium instillent et afflent; non enim nuda præcepta nudas exhortationes, aut verba tantum sonantia auribus, sed et energiam, spiritum, et impulsum mirificum mentibus suggerunt, quo eas pulsant, et pene cogunt ad vitam iustam et sanctam. Deus enim, qui potentissimus et perfectissimus est concionator, per illorum voces animæ illabitur, atque quod ipsi suadent exterius, ipse interius in anima loquitur et persuadet, cælestes illuminationes intellectui, piasque affectiones volun- C tati immittendo, ut quod foris percipit, intus capiat, sapiat, amet, amplectatur, et opere exsequatur. Hinc orat Psaltes: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua*; et Paulus Hebr. 4. 12. *Vivus*, ait, *est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem medullarum.*

Atque hæc est causa, cur S. Scripturam et Prophetarum oracula non tantum Theologis, sed et fidelibus omnibus assidue prædicari velit Deus. Omnis enim prædicatio et concio humana, nisi divina, puta verbo Dei ac Prophetis (qui fuerunt præcones Dei) nitatur, illaque populo proponat et exponat, frigida est, theatralis et evanida, uti demonstrat S. Gregorius libr. 18. Moral. c. 14. Viderunt hoc Patres omnes, priscique Ecclesiæ doctores ac præcones: S. August. S. Ambros. Hieron. Cyprian. Athanasius, Chrysostomus et cæteri, qui Prophetis et sacræ Scripturæ omne pene tempus, omnem operam impenderunt, indeque fervidas et efficaces ad populum homilias, tractatus, conciones habuerunt, quibus vitia sustulerunt, mores Christianos et sanctos insruerunt. Certe S. Thomas, Scholasticæ Theologiæ auctor et princeps, impense cum ea S. Scripturæ et Prophetis incubuit, indeque insignis æque concionator ac doctor evasit, atque eruditos in Prophetas commentarios posteritati reliquit.

Porro Prophetæ primo ipsum concionatorem docent et movent, ut ipse deinde iisdem populum doceat et moveat, quæ sane est efficax et optima concionandi ratio. Quis enim alteri det quod in se non habet? quis frigidus alios frigentes accendat? quis cor habens durum aut terrenum alios ad compunctionem et lacrymas moveat? *Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi,* ait poeta.

Hac de causa veteres Sancti Prophetas semper coluerunt, non tam ut alios, quam ut seipsos sapientia, virtute et spiritu divino imbuerent. Legite Vitas Patrum: invenietis Antonios, Hilariones, Paulos, Bernardos, Dominicos, Franciscos, et quotquot ad insignem sanctimoniam pervenerunt, non aliud fere quam sacram Scripturam, et

præsertim Prophetas lectitasse, ex iisque mores suos ad eorum normam, ac Dei legem et voluntatem iis expressam, composuisse, itaque ad perfectionis apicem conscendisse. *Omnis* enim *Scriptura*, inquit Apostolus, et per Apostolum Spiritus sanctus, 1. Timoth. 3. 16. *divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Nimirum Deus in hisce suis Libris docet terrena contemnere, amare cælestia, honores et mundi pompas uti fumos statim evanescentes fastidire, opes, divitias, et quidquid sub sole blanditur, vanum æstimare. *Vanitas vanitatum,* inquit Dei Ecclesiastes, *et omnia vanitas*, præter amare Deum et illi soli servire. Nil enim magnum, altum, sublime in orbe, nisi Deus, et in Deo defixa mens. *Sustollam te*, ait Isaias c. 58. 14. *super altitudines terræ*, ut in cælo habitans nil terrenum metuas, nil concupiscas; *et cibabo te hæreditate Iacob patris tui,* ut cælestia sapiens et gustans, despicias hoc terræ punctum, quod inter mortales ferro et igne dividitur; ut æternorum bonorum spe, animo excelso et prospera et adversa superes, ac Dei amore nullum laborem, nullam disciplinam, nullum periculum, nullam mortem aut martyrium defugias, sed ambias, ut Angelorum societati adscriptus, quasi civis Sanctorum et domesticus Dei, velut Angelus inter homines vivas, et in terra cælestem Angelorum vitam æmuleris; quin et alios ad tantorum bonorum participationem incites et impellas; atque animas, præsertim pauperum et rudium, Christi sanguine redemptas docere, curare, et ad salutem ac beatitudinem æternam perducere satagas; pauperes enim evangelizantur, ait Christus. Denique ut brevitatis vitæ novissimorum et æternitatis memoriam tibi aliisque semper ob oculos ponas, vivasque non tempori huic modico et exili, sed ÆTERNITATI, dicasque cum Paulo: *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis;* ut vita tua non sit aliud quam continuus amor, continua laus Dei, ut instar Seraphim iugiter sancta vita, sanctisque eloquiis laudes et celebres Deum, aliosque omnes ad Dei cultum, amorem et laudem incites et impellas. Hoc est enim omnis homo. *Virtus*, ait S. Chrysostomus homilia 72. ad Populum, *est omnia humana despicere, et per omnes horas futura cogitare, nulli inhiare præsentium, sed scire quod omnia humana umbra sunt et somnium. Virtus quasi mortuum ad huius vitæ res efficit; ad spiritualia vero sola vivere et operari, sicut et Paulus dicebat: Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Atque seria hac cogitatione, quasi acri stimulo, non ad vulgaria et communia, sed ad ardua, rara et heroica virtutum excelsarum opera, ac præsertim ad plenam tui tuarumque passionum et rerum omnium victoriam ad omnimodam animi in Deum Deique voluntatem resignationem, ad ardens divinæ gloriæ promovendæ studium quotidie, te excites et extimules, ideoque in tuis actibus non hominum, sed Dei iugiter te intuentis oculos semper aspicias; non pompam, non speciem externam, non vanam rerum tuarum ostentationem, non instabilis vulgi plausum; sed Dei et Angelorum gratiam, æque ac honorem, in omni tuo opere veneris et ambias. Spectaculum enim facti sumus Deo, Angelis et hominibus. Uni ergo Deo in omnibus placere satagas, illique pura conscientia servias in sanctitate et iustitia coram ipso, omnibus diebus vitæ tuæ: ille efficiet, ut et Angelis et hominibus placeas. Quid enim? præterit figura huius mundi, et sine Christo vanum omne quod vivimus. Ipsam rerum omnium vicissitudinem, ipsam fugacitatem, ipsam mortem quotidie ante oculos nostros aspicimus: dum nunc hunc, nunc illum a latere nostro abripi et emori videmus; imo vero mortem in visceribus nostris habitantem quotidie sentimus, et manu tangimus. Quid enim sunt continua pituitæ rheumata, et tot humorum sordiumque defluxus, nisi initium corruptionis, nisi inchoatio mortis? quæ iugiter muta voce nobis inclamant: Vive Deo, vive Æternitati. Hæc causa impulit olim viros sapientes et religiosos, et etiamnum impellit ad frequentem, diligentem et assiduam S. Scripturæ et Prophetarum lectionem et commentationem. Videmus enim in Clero, in monasteriis, in societatibus, in collegiis, ubicumque ea viguit et viget, ibi pariter viguisse et vigere divinam sapientiam, et hunc spiritum, hosce animos; ubi ea languit, languisse pariter cælestem sapientiam et spiritum, hominesque in humanis suis studiis et conceptionibus evanuisse, quin et in mundanis variisque desideriis, ambitionibus, vexationibus, murmurationibus, humi repentes, vitam inquietam, molestam, abiectam et miseram, quin et irreligiosam ac periculosam, transegisse ac transigere.

Quapropter S. Hieronymus mire celebrat Pammachium generum S. Paulæ, quod, mortua uxore, monachum professus, suas opes in pauperes erogarit, domum suam in ecclesiam converterit (quæ etiamnum exstat, estque Ecclesia S. Ioannis et Pauli, iuxta ædes et templum S. Gregorii; ibi enim in tribuna S. Pammachium habitu monachi depictum cernimus, cum hac inscriptione: *S. Pammachius huius Ecclesiæ conditor*) totumque se Deo consecrarit: atque hortatur eum ad lectionem et studium Prophetarum, ut hac ratione culmen perfectionis Christianæ conscendat. *Nobis*, ait, *post dormitionem somnumque Paulinæ* (fuerat hæc filia S. Paulæ, uxor Pammachii) *Pammachium monachum Ecclesia peperit posthumum, et patris et coniugis nobilitate patricium, eleemosynis divitem, humilitate sublimem. Nostris temporibus Roma possidet, quod mundus ante nescivit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles christiani: nunc multi monachi sapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus sapientior, potentior, nobilior, magnus in magnis, primus in primis, ἀρχιστράτηγος monachorum, munerarius pauperum et egentium candidatus, sic festinat ad cælum.* Et inferius: *Prophetarum quotidie medullas bibas, Christi mystes, patriarcharum symmystes.* Fructum mox subiungit: *Sive legas, sive scribas; sive vigiles, sive dormias; amor tibi semper buccina in auribus sonet; hic lituus excitet animam tuam: hoc amore furibundus, quære in lectulo tuo quem desiderat anima tua, et loquere confidenter: Ego dormio et cor meum vigilat: cumque inveneris eum, et tenueris ne dimittas.*

III. Munus Prophetarum fuit prædicere futura.

Tertium munus Prophetarum eisque proprium fuit vaticinari et prædicere futura, tum Iudæis, tum Gentibus, præsertim Ecclesiæ et Christianis. Christus enim est finis legis et Prophetarum, et in Christum quasi in scopum collimant lex et Prophetæ. Vere Theodoret. de Curand. Græcor. affect. *Sicut*, ait, *in regiam viam reliqui calles a pagis agrisque conveniunt: ita Prophetæ* (qui etiam viæ sunt ad cælum et salutem) *hunc Christum viam esse credentibus ostenderunt.* Christus enim est via, veritas et vita. Manichæus olim et Marcion impugnabant legem et Prophetas, hoc est Vetus Testamentum, quasi imperfectum et Evangelio contrarium, ideoque ab alio et contrario deo traditum. Deum enim bonum Novi Testamenti, deum malum Veteris esse auctorem; ac proinde Prophetas esse reiiciendos, Apostolos amplectendos, fanatici homines somniabant, imo blasphemabant. Verum hosce fuse et exacte refellit Augustinus lib. 33. quos contra Faustum Manichæorum principem elaboravit, et libris duobus quos contra adversarium legis et Prophetarum erudite conscripsit: quibus clare demonstrat Vetus Testamentum cum Novo per omnia consentire et cohærere, tamquam umbram cum corpore; Vetus Novo prælusisse, illique fidem conciliasse, Novum vicissim Veteris typos et oracula explicuisse et implesse, itaque eius fidem sanxisse et confirmasse. *Vetus* enim *Testamentum in Novo revelatum, et Novum in Vetere relatum vides*, ait S. Augustinus in Psalmum 105. Rursum, *in Veteri Testamento est occultatio Novi, in Novo Testamento est manifestatio Veteris*, ait idem S. August. lib. de Catechizandis rudibus, c. 4. Quocirca nihil aliud est prophetia, quam Evangelium signatum: nihil vicissim aliud est Evangelium nisi prophetia resignata et completa per Christum. Prophetæ ergo Christi incarnationem, nativitatem, vitam,

Prophetia est Evangelium signatum.

passionem, mortem, crucem, redemptionem, totamque eius æconomiam, ac præsertim Synagogæ Iudæorum reprobationem, ac Ecclesiæ Christi successionem, et Gentium vocationem, alii sexcentis, alii septingentis, alii octingentis annis ante prædixerunt. Quæ sane prædictio Iudæos omnesque Gentes convincit, ut, si oculos aperire velint, videre possint, et credere debeant Iesum esse Messiam a Deo per Prophetas tot sæculis ante promissum. Ipsi enim Iudæi hostes nostri, invicti nobis sunt testes apud Gentiles, hæc oracula Prophetarum a Christianis non esse conficta, sed ante Christum ab ipsis edita, uti recte argumentatur S. Augustinus, tractatu 35. in Ioan. Rursum, non unus Isaias, aut Osee id prædixit, sed omnes simul et sigillatim, idque uno et consono ore, ut ne in hilo unus ab alio discrepet, quod sane evidens est argumentum, unum eumdemque Spiritum veritatis per singulorum ora esse locutum. Hoc est quod canit Zacharias pater S. Ioannis Baptistæ: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ, et erexit cornu salutis nobis* (puta Iesum Christum) *in domo David pueri sui: sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt Prophetarum eius.* Deinde conversus ad filium Ioannem quasi coronidem Prophetarum (fuit enim S. Ioannes horizon Novi et Veteris Testamenti, atque Veteris terminus, Novi initium) subiungit: *Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis*, Lucæ 1.

Consonantia Prophetarum arguit eos uno Spiritu veritatis locutos.

Rursum voluit Deus eminus per tot sæcula Christum mundo ostendere, et per figuras et oracula adumbrare, ut homines eius magnitudinem, dignitatem, utilitatem et necessitatem animo conciperent, atque ad eum, eiusque salutem anhelando congrue se compararent. *Habemus*, inquit S. Petrus ep. 2. c. 1. v. 19. *firmiorem* ipsa gloria et maiestate Christi, quam vidimus in eius transfiguratione. *propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Nam, ut ait S. August. in serm. 26. de Tempore: *Præbentes ei* (Christo) *obsequium et testimonium tamquam lucernæ venturæ diei, omnes Prophetæ prænuntiantes, et ante ipsum nascendo venerunt, post credendo adhæserunt. Oportebat enim ut prænuntiaretur venturus, facturus miracula: quibus miraculis bene intelligentibus appareret homo parvus ad parvos, sed humilis ad superbos, parvitatem suam docens hominem, ut se agnosceret parvum.* Idem in Psalm. 142. *Ipse* (Christus) *se in prophetis prædicabat, quoniam ipse est verbum Dei: nec illi tale aliquid dicebant, nisi pleni verbo Dei. Annuntiabant ergo Christum pleni Christo, et illi eum venturum præcedebant, quos præcedentes non deserebat.*

Constituit Marcion, inquit Tertull. lib. 4. contra eum c. 6. *alium esse Christum qui Tiberianis temporibus a Deo quodam ignoto revelatus sit in salutem omnium gentium: alium qui a Deo creatore in restitutionem Iudaici status sit destinatus, quandoque venturus. Inter hos magnam et omnem differentium scindit, quantam inter iustum et bonum, quantam inter legem et Evangelium, quantam inter iudaismum et christianismum.*

Quocirca Prophetæ omnes quasi typi et figuræ præluserunt Christo, eumque in se suisque dictis et factis quasi in imagine describentes, repræsentarunt, ac vicissim Christus in iis operabatur, Christus in iis patiebatur, Christus in iis se per umbram priscis patribus videndum et spectandum exhibebat. *Quis enim alius in Isaac lignum sibi portabat ad victimam, nisi qui crucem sibi ad passionem ipse portabat? Quis alius aries immolandus in vepre cornibus adhærebat, nisi qui crucis patibulo pro nobis offerendus affigebatur? Quis alius in angelo cum Iacob luctatus, etc. nisi qui prævalere adversus se passus populum Israel, quosdam qui crediderunt benedixit in eis? latitudo autem femoris Iacob in multitudine carnalis populi claudicavit*, ait S. August. l. 12. contra Faustum c. 26. Et c. 31. *Videat*, ait, *Iesum introducentem populum in ter-* A *ram promissionis. Videat botrum de terra promissionis in ligno pendentem. Videat in Iericho tamquam in hoc mortali sæculo, meretricem per fenestram domus suæ, tamquam per os corporis sui coccum mittentem; quod est utique sanguinis signum propter remissionem peccatorum confiteri ad salutem.* Et c. 32. *Videat tempora, primo Iudicum, postea Regum, sicut erit primo iudicium, deinde postea regnum: inque ipsis temporibus Iudicum et Regum multis et variis modis Christum et Ecclesiam figurari. Quis erat in Samson obvium leonem necans, cum petendæ uxoris causa ad alienigenas tenderet, nisi qui Ecclesiam vocaturus ex Gentibus dixit: Gaudete, ego vici mundum? Quid sibi vult in ore ipsius leonis occisi favus extrusus, nisi quia ecce conspicimus leges ipsas regni terreni, quæ adversus Christum ante fremuerant, nunc perempta feritate, dulcedini Evangelicæ prædicandæ etiam munimenta præbere? Quæ est illa mulier plena fiduciæ, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiæ cruce Christi regna diaboli perimens? Quid vellus compluium in area* B *sicca, et postea compluta area sicco vellere, nisi primo una gens Hebræorum habens occulte in sanctis mysterium Dei, quod est Christus, quo mysterio totus orbis vacuus erat? nunc autem in manifestatione totus orbis id habet, illa vacuata est?* Et paulo inferius: *Mittitur Elias pascendus ad alienigenam viduam, quæ volebat duo ligna colligere priusquam moreretur: non hic solo ligni nomine, sed etiam lignorum numero signum crucis exprimitur. Benedicitur farina eius et oleum, fructus et hilaritas charitatis, quæ cum impenditur non deficit. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et c. 35. *Eliseo pueros insultantes et clamantes: Calve, calve, bestiæ comedunt: puerili stultitia deridentes Christum in loco Calvariæ crucifixum invasi a dæmonibus pereunt. Mittit Eliseus per servum baculum super mortuum, et non reviviscit: venit ipse, coniungit et coaptat se morti eius, et reviviscit: misit sermo Dei legem per servum suum, nec profuit in peccatis mortuo generi humano: venit ipse, conformavit se nobis, factus* C *particeps mortis nostræ, et vivificati sumus.* Hæc et plura S. August. Quocirca *satores fuerunt Prophetæ, messores Apostoli*, ait Chrysost. hom. 34. in Ioan. 4. imo Christus ipse Ioan. 4. 38. Testatur Clemens Alexand. lib. 6. Strom. S. Petrum in suis concionibus professum esse, se prophetias perlustrasse, ex iisque didicisse Christi ortum, necem, crucem, resurrectionem, ascensionem; atque per ea Deo et Christo credidisse: ideoque se nil sine Scriptura docere et prædicare. Hinc rursum S. Petrus ep. 1. c. 1. v. 10. ait, de hac salute exquisiisse atque scrutatos esse Prophetas. Et S. Ioan. Apoc. 19. 10. *Testimonium*, inquit, *Iesu est spiritus prophetiæ.* Quocirca testimonia hæc prophetarum de Christo congesserunt S. Cyprian. ad Quirinum, Prosper l. de prædic. et promiss. Galatinus, Finus, Iosephus Acosta l. de Christo revelato, ex iisque convincunt Iudæos. Præclare Lactant. l. 4. Instit. *Non idcirco*, ait, *a nobis Deus creditur Christus quia mirabilia fecit, sed quia in eo vidimus facta esse omnia, quæ nobis annuntiata sunt vaticinio Prophetarum, etc.* D *Agnoscamus itaque fructum prophetiæ, et tantam partem Christianæ professionis ne negligamus.* Et S. Ignatius epistola ad Philadelphios scribit, se Evangelio non crediturum, nisi id prædictum videret in antiquis. Denique de Christo ait S. Petrus Actor. 10. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.*

Quæstio IV quando, quo ordine, et de qua re prophetarint? Prophetæ fuerunt antiquiores Pythagora et Philosophis.

Quæritur quarto, quando, quo ordine, et de qua re singuli Prophetæ prophetarint? Sanctus Augustinus lib. 18. de Civitate cap. 37. docet, Prophetas hosce antiquiores esse Pythagora (hic enim, ait, floruit sub Cyro, qui solvit captivitatem Iudæorum Babylonicam) et multo magis Socrate ac Platone, quin et Thalete (qui sub Romulo floruit) Anaximandro, Anaximene, Anaxagora, et aliis, qui Pythagoram præcesserunt: posteriores vero eos fuisse Orpheo, Lino et Musæo, sed his omnibus priorem et antiquiorem esse Mosen, et multo magis Abrahamum. Hucusque S. Augustinus. Sapientia ergo fidelium prior fuit

sapientia Gentilium; imo hi suam ab illis mutuati sunt.

Hoc est quod Gentibus in faciem obiicit Tertullianus in Apolog. c. 19. *Cæteri quoque Prophetæ etsi Mosi posthumant; extremissimi tamen eorum non retrociores* (id est posteriores) *deprehenduntur primoribus vestris sapientibus et legiferis et historicis.*

Sic et Euseb. l. 10. de Præpar. in fine, et Lactant. lib. 4. Divin. instit. c. 5. docent Prophetas nostros septem Græciæ sapientibus, et cunctis Philosophis, imo Olympiadibus, fuisse vetustiores, indeque docent canam et vetustam fuisse sapientiam apud Hebræos, cum apud Græcos et Gentiles nasceretur, essetque infans. *Temporibus Achaz* (aut potius sub finem Oziæ qui fuit avus Achaz) inquit Euseb. *Olympiades cœperunt, primusque Olympico stadio victor Argivus Corylus fuit declaratus. Olympiade quinquagesima sub Cyro floruit Thales præceptor Anaximandri, hic Anaximenis, hic Anaxagoræ, hic Periclis: Anaxagoræ vero temporibus Xenophanes et Pythagoras fuerunt.* Discrepat hic nonnihil Eusebius a S. Augustino: nam Thaletem ponit sub Cyro, quem Augustinus ponit sub Romulo. Licet enim Thales in multam ætatem vixerit, scilicet a 35. Olympiade usque ad 58. uti ait Euseb. in Chronico, tamen non potuit pertingere a Romulo ad Cyrum: inter utrumque enim interfluxerunt pene 200. anni, quot annis nemo ea ætate vixit.

Porro primus horum Prophetarum fuit Osee. Hoc est enim quod cap. eius 1. 2. dicitur, *Principium loquendi Domino in Osee.* Osee autem cœpit prophetare sub Ozia vel Azaria rege Iuda, puta sub initio regni Oziæ: ultimus fuit Malachias, qui prophetavit post reditum e Babylone, et restauratum templum sub Dario Hystaspis rege Persarum. Unde sequitur, Prophetas omnes spatio trecentorum annorum vixisse et floruisse: tot enim anni effluxerunt ab Ozia ad Darii tempora. Iam singulos suo ordine consignemus, singulorumque argumentum brevi quasi hypotyposi oculis subiiciamus, imo non tam periocham quam mellilegium quoddam ex omnium horum vatum encyclopædia libemus.

Omnes vixerunt intra 300. annos.

Tempus et ordo cuiusque Prophetæ petendus ex ipso prophetiæ eius initio; ibi enim indicare solent reges sub quibus prophetarunt. Sic primus Osee ait se prophetasse sub Ozia: mox sub eodem rege secutus est Ioel, Amos et Isaias, qui ad tempora Manassis pervenit. Deinde sub Ioathan filio Oziæ prophetarunt Abdias, Ionas et Michæas. Quocirca Osee, Isaias, Amos, Ioel, Abdias et Michæas σύγχρονοι, sive contemporanei fuerunt, ait S. Hieron. in Osee c. 1. Consequenter sub Ezechias floruit Nahum, et sub Manasse Habacuc. Deinde sub Iosia Sophonias, mox Ieremias, qui paulo ante captivitatem et in ipsa captivitate, quæ contigit sub Sedecia, prophetavit. Post eum in ipsa captivitate anno transmigrationis Ioachin quinto Ezechiel; deinde post Ierusalem a Chaldæis eversam anno quinto Baruch; anno octavo Daniel. Demum post reditum e captivitate anno 18. prophetarunt Aggæus, Zacharias et ultimus Malachias.

I. *Fuit Osee.*

Primus ergo tempore et ætate fuit Osee. Hic fornicariam ducere, et ex ea fornicationis filios procreare iussus, magnæ obedientiæ specimen dans, suo hoc coniugio idololatras Iudæos religionis et fidei cum Deo initæ violatæ arguit: et in tribus trium ex ea prolium nominibus; primo, *Iezrahel*, id est, semen Dei; secundo, *Lo rachuma*, id est, absque misericordia; tertio, *Lo ammi*, id est, non populus meus, Iudæorum et Synagogæ repudium, ac Gentium surrogationem velut in quotidiana imagine Iudæis obiicit, ut proles has compellantes, seipsos suo nomine compellent. Tractat ex Osee hoc prædestinationis et reprobationis argumentum Apostolus profunde epist. ad Romanos, maxime c. 9. 10. 11. quæ epistola sine hoc Osee intelligi nequit.

II. *Ioel.*

Secundus Ioel, ait S. Hieron. in prologo galeato, describit terram duodecim tribuum eruca, erucæ residuum brucho, bruchi residuum locusta, locustæ residuum rubigine vastante consumptam; et post eversionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super servos Dei et

A ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina in cœnaculo Sion in Pentecoste. Idem iudicii extremi diem in valle Iosaphat adeo graphice depingit, ut horridius illum quis mente concipere, aut verbis populo ob oculos ponere non possit.

III. *Amos.*

Tertius *Amos, pastor et rusticus* (pergit S. Hieron.) *et ruborum moros distinguens, sed a Spiritu sancto Propheta factus, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne explicet tria et quatuor scelera Damasci. Gazæ, Tyri, et Idumææ, filiorum Ammon et Moab, septimo octavoque gradibus Iudæ et Israel? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ sunt in Samariæ monte, et ruituram domum maiorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locustæ, et stantem Dominum super murum litum vel adamantinum, et uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, et famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.*

IV. *Isaias Prophetarum Homerus.*

Quartus Isaias sacrorum vatum Homerus, et Talthybius ille cælestis, præconio urbano et eleganti ac figuris B illuminato adventantis sapientiæ et veritatis sacramentum vociferans, sacrisque, ut ita dicam, leporibus et divinis salibus conditus et iucundus, a quo tandem satis explicari per totam vitam potest? Nec opus parerga rhapsodum asciscere. Fecit hoc Thomas Hasselbachius, Viennæ S. Theologiæ Professor anno Domini 1410. qui cum 21. annis needum primum Isaiæ caput absolvisset, demum reliquit in idem caput libros 24. inquit Sixtus Senensis l. 4. Bibliot. littera T. Si doctrinam Isaiæ et vaticinia spectes, non tam prophetiam videtur texere, ait S. Hieron. quam Evangelium: de Virginis partu, de Emmanuele, de puero qui natus est nobis parvulus, quam pie dissuaviatur! vocationem Gentium, Ecclesiæ ortum, auroram, meridiem, victoriam, quam canoris tibiis occinit! quam hic gestit! quam spiritu exultat! Videor mihi hic chorum Ecclesiæ, et tripudium Sanctorum cernere Isaia præcentore. Denique admirabili sua providentia ad æternum veritatis et Christi testimonium, voluit Deus Iudæis C et omnibus Gentibus, quæcumque habent Evangelia, idque sæpe verbo tenus, ab Isaia ipsos octingentos annos ante Christum prædici. Collegit Leo Castrius harmoniam singulorum capitum Evangeliorum quæ Isaiæ respondent, ut omnia Evangelia ex Isaia petita videantur. Atque hæc est nova et hactenus inaudita dicendi et concionandi ratio, quam qui inire et tentare volent, admirationi erunt; ut videlicet dum Evangelium tractant, ostendant illud ipsum ab Isaia prædictum et pertractatum esse locis a Castrio annotatis. Si dictionis leporem et elegantiam, si concionis vim spectes, qui nervi, quod pondus? ex uno disce omnes; ita orditur: *Audite, cæli: auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum* D *Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem? Audite verbum Domini, principes Sodomorum, populus Gomorrhæ*, et quæ sequuntur: quot hic verba, tot tonitrua, tot fulmina os animamque pervadunt.

Et cap. 14. quam forti ardore superbo non angelo, sed Babylonio regi insultat! *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. Universi respondebunt, et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos, detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.*

E contrario quam pauperes, mites, pœnitentes, humiles consolatur! Cap. 40. *Consolamini, consolamini*, ait, *popule meus. Loquimini ad cor Ierusalem. Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, exalta, noli timere. Dic civitatibus Iudæ: Ecce Deus vester veniet, et brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* Cap. 61. *Spiritus Domini super me, etc. ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, annum placabilem Domino, ut consolarer omnes lugentes, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Cap. 58. 12. *Ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis: tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Iacob.* Cap. 60. 15. *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem.*

V. Abdias. Quintus Abdias, id est, servus Dei: *Pertonat*, inquit, S. Hieron. *contra Edom, sanguineum terrenumque hominem: fratris quoque Iacob semper æmulum percutit hasta spiritali.* Parvus ipse quam suaviter superbiam premit, ut recte de eo dicas: *Brevis in volatilibus apis, initium dulcoris habet fructus illius;* dulcoris, sed et aculei.

VI. Ionas. Sextus Ionas, *columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini præfigurans*, a ceto absorptus, et tertio die e ventre ceti eductus Christum e sepulcro resurgentem adumbrans, *mundum ad pœnitentiam revocat, et sub nomine Ninive gentibus salutem nuntiat.*

VII. Michæas. Septimus *Michæas de Morasthi, cohæres Christi, vastationem annuntiat filiæ latronis, et obsidionem ponit contra eam: quia maxillam percusserat Iudicis Israel.* Idem Bethlehem de Christo filio gratulatur: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab initio, a diebus æternitatis.*

VIII. Nahum. Octavus *Nahum, consolator fortis, increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur. Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem.*

IX. Habacuc. Nonus Habacuc, luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam, ut Christum in cruce contempletur, et dicit: *Operuit cælos gloria eius, et laudis eius plena est terra. Splendor eius, ut lux erit, cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors.*

X. Sophonias. Decimus Sophonias, *speculator et arcanorum Dei cognitor*, magno clamore et ululatu rugit vastitatem Hierosolymæ urbis, et orbis universi in fine mundi: *Quia conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt universi qui involuti erant argento.*

XI. Ieremias. Undecimus Ieremias, sacerdos, in matris utero a Spiritu sancto initiatus et consecratus Propheta quasi alter Idæus Troiæ, Hierosolymorum captivitatem fatidico præconio atque lamentabili municipibus suis prenuntians, videt virgam vigilantem, et ollam succensam a facie Aquilonis et pardum spoliat suis coloribus, et quadruplex diversis metris nectit alphabetum: exitii imminentis threnodus gemit passim. Exprimit Christum et voce et vita, carcere et mille opprobriis a Iudæis divexatus quod Ierusalem vastandam ediceret: *Mittamus*, ait, *lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi.* Alias hortatur, minatur, orat, exsecratur.

Necnon Threicius longa cum veste sacerdos,
Proloquitur numeris septem discrimina vocum.

In omnes sese partes verus Dei præco versat, ut populum ad pœnitentiam et meliorem vitam impellat. *Et dixit*, inquit cap. 14. 11. *Dominus ad me: Noli orare pro populo isto. Et dixi: A, a, a, Domine Deus;* mox: *Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem: et non taceant: quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer;* et c. 22. 29. *Terra, terra, terra, audi verbum Domini;* et c. 15. 2. *Qui ad mortem, ad mortem: et qui ad gladium, ad gladium: et qui ad famem, ad famem: et qui ad captivitatem, ad captivitatem.*

XII. Baruch. Duodecimus Baruch, a calamo et commentariis Ieremiæ, captivos in Babyloniam abeuntes præmonet ne gentium illarum idola et vitia sequantur. Veram sapientiam docet non a Philosophis, non a terra, sed e cælo accersendam: *Disce*, ait c. 3. 14. *Israel, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus ubi sit lumen oculorum, et pax. Ubi sunt principes gentium, qui in avibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant, et aurum? ad inferos descenderunt: viam autem disciplinæ ignoraverunt: non est audita in Chanaan, neque in universa terra. Hic est Deus noster, cui stellæ luxerunt cum iucunditate, et vocatæ, dixerunt, Adsumus: hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Iacob puero suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

XIII. Ezechiel. Decimus tertium Ezechiel initio videt Deum curru Cherubim inequitantem; in fine architecturam templi: quare principia et finem, ait S. Hieron. tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebræos istæ partes cum exordio Geneseos a nemine ante annum trigesimum legantur: in cæteris Ieremiæ et Isaiæ similis est. Ezechielem in multis imitatur, et sequitur S. Ioannes in Apocalypsi.

XIV. Daniel. Decimus quartus Daniel, temporum conscius, et totius mundi polyhistor, monarchiarum omnium ex ordine seriem, ortum et occasum; et denique Christi regnum, quasi lapidem præcisum de monte sine manibus, et regna omnia subvertentem, claro sermone prænuntiat. Mox percurrens Machabæorum tempora, regum Syriæ, et maxime Antiochi impiissimi, gesta, eius antitypi Antichristi tyrannide et desolatione concludit. Isaias ergo mente et stylo exultat, Ieremias lamentatur, Ezechiel minatur, Daniel visionibus abripitur. Ita suus cuique Prophetæ est genius, suus spiritus et stylus aspiratus a Deo, qui sua dona partitur et dividit cuique prout vult. Ecquid mirum? Ita suus cuique Philosopho, oratori, doctori est, fuitque semper, et erit genius ac spiritus. Audi Sidonium Apollinarem lib. 4. ep. 3. suum cuique solerter assignantem: *Nemo*, ait, *affirmat, ut Claudianus: sentit, ut Pythagoras: dividit, ut Socrates: explicat, ut Plato: implicat, ut Aristoteles: blanditur, ut Æschines: irascitur, ut Demosthenes: vernat, ut Hortensius; moratur, ut Fabius: simulat, ut Crassus: dissimulat, ut Cæsar: suadet, ut Cato: dissuadet, ut Appius: persuadet, ut Tullius. Iam si ad sacrosanctos Patres pro comparatione veniatur, nemo instruit, ut Hieronymus: destruit ut Lactantius: astruit ut Augustinus: attollitur, ut Ilarius: submittitur, ut Ioannes: corrigit, ut Basilius: consolatur, ut Gregorius: affluit, ut Orosius: stringit, ut Ruffinus: ut Eusebius, narrat: ut Paulinus, provocat: ut Ambrosius, perseverat.* Idem epist. 1. ad Probum, cuique in genere suum assignans stylum: *Si quid*, ait, *Heroicus arduum, Comicus lepidum, Lyricus cantilenosum, Orator maturum, Historicus verum, Satyricus figuratum, Grammaticus regulare, Panegyrista plausibile, Sophista serium, Epigrammatista lascivum, Commentator lucidum, Iurisconsultus obscurum, multifariam condiderunt, id te omnifariam tradidisse quis nesciat.*

XV. Aggæus. Decimus quintus Aggæus, festivus et lætus, destructum templum ædificat, Christi doctrina celebrandum: *Adhuc*, ait, c. 2. 7. *unum modicum, et ego commovebo cælum et terram, et mare, et arida, et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus.*

XVI. Zacharias. Decimus sextus, *Zacharias, memor Domini sui, multiplex in prophetia, impietatem ore occluso in amphora inclusam, a duabus alatis mulieribus in terram Sennaar transferri videt: Iesum vestibus sordidis indutum, et lapidem oculorum septem candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis cernit: ut post equos nigros, rufos, albos, et varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, pauperem regem vaticinetur, sedentem super pullum filium asinæ subiugalis*, nobis frumentum electorum, et vinum germinans virgines propinantem.

XVII. Malachias. Decimus septimus, et ultimus, Malachias, sacerdotum dignitatem et sacrificium Eucharistiæ celebrat: *In omni*, ait c. 1. 11. *loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda*. Eliam Thesbiten, Christi Iudicis prænuntium, ex paradiso redeuntem videt.

Quæst. V. De obscuritate Prophetarum, et modo eam superandi. QUÆRITUR QUINTO de obscuritate Prophetarum, ac modo et methodo eam superandi. Sane eos obscuros et difficiles esse liquet, tum quia de rebus arcanis et abditis, præsertim futuris, vaticinantur, tum quia futura, per symbola sæpe ac hieroglyphica significant; unde et phrasin propriam habent, symbolicam sæpe, parabolicam et ænigmaticam: quin et plura, pulchra æque ac recondita, apud eos ænigmata vera invenies. Ut hisce difficultatibus occurram, Canones præmittam, qui quasi in tenebris facem præferant, et præluceant. Vere S. Hieron. in Nahum c. 3. sub medium: *Et dicemus*, inquit, *ideo sacram Scripturam hisce difficultatibus esse contextam, et maxime Prophetas qui ænigmatibus pleni sunt, ut difficultatem sensuum difficultas quoque sermonis involvat: ut non facile pateat sanctum canibus, et margaritæ porcis, et profanis sancta sanctorum*.

S. Augustini exemplum. Narrat de se S. Aug. l. 9. Confessionum 5. quod cum recens conversus, deserta Rhetoricæ professione ad sacra studia totum animum transtulisset, consuluerit S. Ambrosium, quid potissimum sibi legendum esset: at ille suasit Isaiam. Verumtamen ego, ait, primam huius lectionem non intelligens, totumque talem arbitrans, distuli repetendum, dum exercitatior forem in Dominico eloquio. Hæc S. Augustinus, Augustinus inquam, illud acumen, qui per se Porphyrium legens, Aristotelis Prædicamenta, multaque talia, ea suopte ingenio intellexisse se confitetur; vir in omni humana litteratura et Philosophia excultus: quid ergo nos pusiones præ illo Atlante, si desit magister, si desit qui lumen præferat? *Divinatio* enim *in ore doctoris, in doctrina non errabit os eius*. Sic S. Thomas, cum in Isaiæ locum quemdam difficilem incidisset, nec eum expedire posset, de more ieiuniis per complures dies preces miscuit: tandem missi ad eum SS. Petrus et Paulus locum explicarunt; ut ille accito mox suo Reginaldo loci commentationem faciliter, quasi ex libro legens dictaret. Idem Aug. epist. 2. ad Volus. tantam hic agnoscit altitudinem sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: *Cum consummaverit homo, tunc incipiet*.

S. Thomæ. (margin)

S. Gregorii. Gregorius magnus, et Pontifex et doctor, in Ezechielem commentans, tot tamque abdita in his libris agnoscit mysteria, ut asseveret quædam mortalibus necdum reserata, solis cælestibus patere spiritibus. Sane vix quemquam mortalium ultima Ezechielis capita plane intelligere arbitror: tentet qui volet. Credo, ubi omnes vires intenderit, solam referet mentis defatigationem. Ego de me illud possum dicere, quod Ezechiel de se c. 47. et post eum docti interpretes: *Torrentem non potui pertransire, quoniam intumuerunt aquæ profundi torrentis quæ non possunt transvadari*. Sed hac appendice omissa, quæ rari forsan est usus; age, Isaiæ, aut Minorum Prophetarum caput quodlibet, tractatum, vel librum quemlibet evolve; ni nebulas, ni labyrinthum, ni vel dubitationum Iliada, vel tenebrarum Odysseam repereris, animoque conceperis, faxo quod voles. Quare S. Clemens lib. 1. Constit. Apost. cap. 4. 5. et 6. ex Apostolorum doctrina ita sancit: *Scripturas sanctas assidua memoria meditare. Scriptum est enim: In lege eius meditaberis die ac nocte, deambulans in agro, et domi sedens, cubans et experrectus, ut in omnibus sis intelligens*; et mox: *Lege legem, libros de Regibus, Prophetas: cane psalmos David: percurre diligenter Evangelium, in quo sunt hæc consummata*; subdit: *Abstine ab omnibus libris Gentilium. Nam quid in lege Dei desideras, ut ad illa Gentilium scripta animum velis appellere? sive enim historias legere cupis, habes libros de Regibus: sive sophistica, id est, quæ argute ad sapientiam referuntur, et poetica, habes Prophetas, Iob, Proverbia; in quibus plus acuminis, quam in omni poesi, et sapientia* A *sophistarum reperies: quod is qui solus sapiens est, illa effatus est*; et lib. 2. cap. 5. ita sancit de Episcopo: *Meditetur de libris Domini, et studeat eis. Sit multus in lectione, ut Scripturas accurate interpretetur: Evangelium, ut Prophetis et legi consonet; legem et Prophetas, ut Evangelio. Ait enim Dominus: Scrutamini Scripturas*.

Interpretes Prophetarum. Illud vero non parum difficultatem auget, quod in hosce libros non perinde ut in Evangelia, aliosque similes, commentatores exstent. Scripserunt, fateor, plurimi in aliquos, Origenes, Apollinaris, Didymus, Pierius, Eusebius; sed hi interciderunt; hisce tamen usus est S. Hieronymus: post hos S. Hier. Cyrillus, Theodor. Greg. Basilius, sed horum fere aliqui mysticum sensum: alii nunc mysticum, nunc litteralem sine discrimine proferunt, ut nescias quænam expositio litteralis sit, quænam mystica. Scripsit et D. Thomas, de quo quid sentiam in Isaia dicam, Lyranus, Hugo, Dionysius. E recentioribus Leo Castrius, Adamus Sasbout, Guevara, Arias Montanus, Vatablus, Andreas Capella, Franc. Forerius et qui nulli B cedit, mea sententia, noster Franc. Ribera in Minores Prophetas, Bened. Pererius, Hieron. Prado et Ioan. Bapt. Villalpando, qui in Ezechiele elucidando sumptu Regis Hispaniæ sedecim annos strenue laborarunt, et tres ingentes tomos nuper Romæ ediderunt. Ex hæreticis Calvinus, Œcolampadius, Musculus, et alii. Verum ex hisce recentioribus singuli in unum alterumve tantum Prophetam commentantur: at qui breviter ac methodice ex Patribus et Græcis Hebræisque fontibus, sensum dumtaxat litteralem nostræ versionis Latinæ pertractet, hactenus vidi neminem. Noster Emmanuel Sa brevis est; sed doctioribus, et qui ex verbo totam quasi ex usu coniectent sententiam, fere servit: subinde quidem lucem perstringit, sed alias sæpe incipientem in salebris deserit, et fere verborum sensum verbo reddit, non rerum aut quæstionum incidentium difficultatem persequitur. Consulat qui volet eum uno alterove capite in Prophetas Minores, maxime ubi latet difficultas; et statim hærere se videbit. Unus hic nobis lucifer tædam præfert noster S. Hieronymus phœnix ille sui C ævi, vir græce, hebraice, latine peritissimus, et Ecclesiæ calculo in exponendis sacris Scripturis doctor maximus: quippe qui in hisce ad extremam canitiem consenuerit, et teste S. Augustin. veteres omnes Græcos et Latinos commentatores legerit; qui sane nisi hic primus glaciem perfregisset, posteris omnibus Prophetarum invia fuisset via; sed Dei benefica providentia in hoc toto opere ita labor et doctrina Hieronymi constitit, ut hæc laureæ eius doctoralis et scriptorum gemma præ omnibus emicet: opus dico operum eius præstantissimum, in quo ipse seipsum vicit. (S. Hieronymus phœnix sui ævi.)

In S. Hieronymo duo observanda. Verum ne quis in eo erret, unum alterumve advertat. Solet S. Hieronymus litteralem sensum primo paucis perstringere, uti ab Hebræis eum accepit: in quibus si quid falsum putat, reiicere continuo solet; quod autem non reiicit, probat. Hunc sensum litteralem subinde iudaicum vocat, quod Iudæi huic soli insistant. Deinde ad allegoriam et tropologiam transit, et fusius evagatur, ut et alii D Patres, qui sæpe litteralem omittunt, eo quod elegantior et pientior eis videatur allegoria aut tropologia, quodque Christum in omnibus quærant, qui ut superius ostendi, fructus et scopus est legis et Prophetarum.

Alterum est. Solet S. Hieronymus aliorum tantum sententias referre: unde singulorum Prophetarum prooemiis Origenem, Apollinarem, Didymum, aliosve quos secuturus est, recenset. Hinc eorum etiam errores subinde adfert, nec reiicit, quasi relator, non iudex, iudicium lectori relinquens. Sic ipse se contra Ruffinum, errores Origenis, Apollinaris et aliorum ei obiectantem, purgat. Videat ergo non oscitans lector; quos prooemio quoque secuturum se spondeat Hieronymus; et si quid falsi deinde afferat, illis tribuat, non S. Hieronymo.

S. Hieronymi elogia. Ego igitur, licet plurimos volverim, unum tamen maxime sequar S. Hieronymum, qui, ut dixi, ætatem vitamque suam longævam in S. Scriptura contrivit, ultimamque Prophetis consignavit, atque iis immortuus est: unde in Ieremiam commentarium imperfectum morte præven-

tus reliquit. Audiemus hic ergo cycneam eius vocem: de quo illud legimus, quod, licet varie morbis doloribusque tentaretur, tamen corporis incommoda solitus sit piis laboribus, et perpetua lectione aut scriptione superare. Eadem mihi causa, et valetudo cum ipso communis: quocirca et eodem cum ipso remedio ad eam leniendam et superandam utar. Ad eum, quasi ad oraculum, ex omnibus orbis terræ partibus S. Scripturæ quæstiones explicandæ referebantur: illum de talibus sæpe Damasus Pontifex consuluit, sæpe S. Augustinus, aliique Ecclesiæ pastores et doctores: illum et ego assidue consulo et consulam, ita tamen, ut, si quis aliud quid melius afferat, aut Deus suggerat, aut ratio evincat, bona Hieronymi pace dicam: *Amicus S. Hieronymus, magis amica veritas;* nam ipsi S. Hieronymo semper fuit, et nunc maxime veritas ipsa magis amica est seipso suoque sensu. Ter a viginti et pluribus annis, in Belgio Lovanii publice Prophetas explicui; Romæ iam quarto eosdem docui et pertractavi, ultimamque manum et limam adieci. Verum est illud Afranii de sapientia: *Usus me genuit, mater peperit memoria;* et Plinii l. 26. *Usus efficacissimus rerum omnium magister.* Porro usum adfert ætas, et ut ait Ovid. 6. Metam. *seris venit usus ab annis.* Hinc illud Solonis: *Assidue addiscens ad senium propero.* Multa ex interpretibus, aliisque auctoribus ab olim sensim collecta, exactius discussi et digessi: multa ex meipso, vel potius suggerente auctore luminum, ipsaque æterna Sapientia, addidi. Ubi tamen alios semitam et interpretationem veram quæ menti satisfaceret, capessentes vidi, præeuntes sequi malui, quam novam, incertam, et de proprio sensu (cuique enim placent plus æquo propriæ inventiones mentisque fœtus, æque ac matribus suæ proles, quas licet deformes, putant esse formosissimas) suspectam viam inire. Veritas enim ubique eadem est, veraque interpretatio sanctæ Scripturæ apud omnes eadem esse debet. Quocirca sapienter monet Vincentius Lirinensis in aureo suo libello contra profanas hæresum novitates: *Nove dicas non nova.* Nam veritas cum sit publica, et Iuris communis, perinde ac sol, cana est et prisca eademque omnium sæculorum, æque ac doctorum hominum. Quapropter ingens testimonium est veritatis, veræque fidei, expositionis et doctrinæ, doctorum et interpretum in ea consensus, et verbis licet ac methodo discors, re tamen et sensu consona concordia. Atque quæ talis est in Ecclesia insignem, mireque gratam parit harmoniam, adinstar harmoniæ tetraphonæ Evangelistarum qui quatuor vocibus dispariter pares, et pariter dispares, idem, sed alio modo et quasi tono dicentes unam eamque divinam edunt Evangelii melodiam et concentum.

Usus parens sapientiæ.

Veritas publica et cana.

Methodus auctoris.

Mea methodus hæc est, ut quoscumque illustriores nanscisci possum interpretes, legam, ex eisque medullam exsugam, eorumque dicta in pauca contraham. Quare quæ alii fuse, alii etiam confuse aut obscure dicunt, ego breviter, methodice et clare dicere conor; ut qui hæc legerit omnes sibi legisse videatur, ac rursus neminem. Præter enim propriam methodum, multa in sensu et litterali et morali inveniet propria quæ apud neminem alium. Quocirca brevitatis causa discursibus prolixis abstineo, et multo magis iis qui ad speciem et pompam compositi sunt, aut anfractuosi, et per varias sermonis ambages et flexus more Rhetorum deducti et circumducti: atque illico ipsum rei punctum quasi acu tango; sapienti enim pauca. Insuper verbis quoad possum parco, ut quod uno dicere queo, non dicam duobus, sciens de omni verbo superfluo et otioso Deo reddendam esse rationem: ac secutus S. August. lib. 1. Retract. in prologo, qui citans hanc Christi de verbo otioso sententiam, et alteram Sapientis: *Illud etiam,* inquit, *quod scriptum est, Ex multiloquio non effugies peccatum, terret me plurimum: quia de tam multis disputationibus meis sine dubio multa colligi possunt, quæ si non falsa, at certe videantur, sive etiam convincantur non necessaria.* Unde subdit se hac de causa scripsisse libros Retractationum, dicens: *Restat igitur ut me ipse iudicem sub magistro uno, cuius de offensionibus meis iudicium evadere cupio. Et* anterius: *Iamdiu istud facere cogito, quod nunc aggredior, ut opuscula mea iudiciaria severitate recenseam, et quod me offendit, velut censorio stylo denotem: ut qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat modestiæ; ut qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat, quæ cognoverit dicenda non fuisse.* Accedit, quod alii et varii in varias Scripturæ partes prolixe scripserint, quos consulat qui prolixitate gaudet. Meus enim scopus est, breviter potiorem vel totam, si Deus dederit, S. Scripturam pertractare, eiusque sensum litteralem et genuinum paucis assignare, ne, si prolixior sim, tomi et numero et mole ita excrescant, ut vix a quoquam omnes evolvi et perlegi possint: quin vero propositum meum est ea de causa studere brevitati, ut S. Scripturæ avidi commentarios meos a capite ad calcem evolvere, totamque S. Scripturam penetrare et intelligere queant. Scio enim breve esse tempus vitæ nostræ, illudque multis aliis tum studiis, tum negotiis distineri et distringi, ut pauci sint, qui vel otium vel animum habeant prolixos in S. Scripturam commentarios evolvendi. Horum ergo desiderio et studio, perinde ac occupationibus brevitate hac occurrere, et quantum licet satisfacere statui, æque ac eorum, qui celeri et perspicaci ingenio præditi, præsertim Itali, non ferunt moras et flexus verborum, sed rem in ictu verbi et oculi sibi exhiberi cupiunt: alioqui mihi, uti et aliis passim, facilius esset conceptus meos per multa verba explicare et amplificare, quam eos, eorumque vim, succum et nervum in pauca quasi distillando, reiectis minus necessariis, contrahere, et ut aiunt, purum cribratumque dare pollinem reiectis furfuribus. Hic enim facile addita aqua sermonis inflari, distendi et amplificari potest ab eo cui nec cerebrum, nec facundia deest. Denique malunt omnes arborem onustam fructibus, quam frondibus et floribus: ita pariter et malunt commentarium rebus sensibusque densum, quam verborum foliis floribusque luxuriantem.

Verum enimvero uti alii interpretes mihi non sunt obstaculo, nec incommodo, sed potius commodo et adiumento: ita velim ut hæc mea brevitas nulli sit remoræ, quin, si quos fusiores in Prophetas commentarios paratos habeat aut paret, illos in lucem det, et ad publicam Ecclesiæ utilitatem edat. Sentio enim, dicoque ex animo illud Mosis ad Iosue, cupientem vetari Eldad et Medad ne prophetarent: *Quid æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus Spiritum suum?* Numer. 11. 29. Quid enim aliud spectamus et quærimus omnes, nisi illustrare Dei gloriam, et Ecclesiæ commodare, non tantum per nos ipsos, sed et per quosvis alios? Charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei, quæ Ecclesiæ: de qua canit Psaltes: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate;* nimirum Ecclesia ornatur cyclade variegata varietate et diversitate tot statuum, ordinum, graduum, Sacramentorum, Sanctorum, virtutum, gratiarum (hic est eius decor, hæc species et pulchritudo) quidni et doctorum ac scriptorum? Prophetæ enim non unum, sed centum merentur commentatores et commentarios: quin da quotquot voles, numquam dabis qui eorum sensa fundumque exhaurient, sed posteris multa eruenda, commentanda, scribenda, relinquent. Profundum est hoc mare, profundi sermones Spiritus sancti, qui exhauriri nequeunt.

Iam vero in hac commentatione, uti alibi feci, ita hic quam possum exactissime insisto sensui litterali rimando et vestigando tum ex Patribus, tum ex Hebræo fonte, tum ex Sept. et aliis interpretibus, tum ex antecedentibus, et sequentibus, tum ex usu S. Script. et variorum eius locorum mutua inter se collatione. Ad phrasis enim et vocis notionem genuine percipiendam, via et ratio optima est conferre loca S. Scripturæ, in quibus illæ aut similes voces aut phrases iterantur. In iis quæ facilia sunt, non immoror, sed levi manu pertranseo. Sequor S. Augustinum l. 18. de Civit. c. 28. ubi cum citasset sententiam claram et apertam Osee, subdit: *Hoc si velimus exponere adhuc, eloquii prophetici obtundetur sapor;* et S. Hier. in proœm. l. 3. comment. in Epist. ad Galatas dicentem: *Officii mei*

est obscura disserere, manifesta perstringere, et in dubiis immorari. A

Locos morales ipsi Prophetæ copiosos et patheticos habent, ut, si eos ad litteram intelligas, aliisque proponas et urgeas, vix alios requiras: subinde tamen eos interseram, breves tamen et nervosos ex Patrum aut veterum sententiis, exemplis, historiis, apophthegmatibus, sicuti feci in Pentateucho, ut iis et legentes animum suum pie et fructuose pascere, ac concionatores iisdem ad populum pascendum et permovendum uti possint. Qua in re duo monenda occurrunt, prius, me in S. Gregorio, epistolis S. Cypriani, et S. Ambrosii, aliisque nonnullis Patribus Romæ ex editione Vaticana aut simili, aliam invenisse distinctionem epistolarum et capitum, quam viderim Lovanii. Quocirca nec Itali, nec Transalpini errorem in citatione admissum cogitent, si in suo codice alibi edito, aliterque distincto locum capite a me citato non inveniant. Rursum non mirentur dispariter iuxta diversas editiones me loca Patrum citare. Nam partem operis huius conscripsi Lovanii, partem Romæ, ubi aliis et aliis editionibus uti me oportuit. Quamquam non diffiteor in numero facillime errari, sive a descriptore, sive a typographo, sive ab ipso auctore: cum enim cifræ sint variæ minutæque, ac multoties occurrant, totque oculos ac manus transire debeant, quam facile est aliquem aliis intentum in una alterave hallucinari? Condonandum hoc est humanæ imbecillitati. Ita se excusat S. Hieronymus ad Lucinium epist. 28. *Si*, inquit, *paragrammata ita repereris, vel minus aliqua descripta sint, quæ sensum legentis impediant; non mihi debes imputare, sed tuis, et imperitiæ notariorum, librariorumque incuriæ, qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt; et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos.*

Posterius, ut lector commentarium hunc non metiatur ex intuitu unius alteriusve loci, sed totum et perfectum opus (quale tantum a rudibus spectari merito volebat Apelles) perlustret et consideret, videatque quam ultima primis, media primis et ultimis respondeant; quam Daniel et Ezechiel cum Isaia et Ieremia consentiant. Ita enim quadrigam hanc, an æquo, pari et concinno passu incedat, diiudicare poterit. Hæc forma operis nostri, ut inspecta magis placitura sit quam aspecta: *Quæ enim cito placent, non diu placent.* Plato apud Stobæum in Ethic. Eclog. *Pleraque scriptorum cum Adonidis hortis comparabat, qui subito uno die nati celerrime pereunt.* Spero id non eventurum huic nostro, quod per multos annos elaboratum et satum, vires magis a tempore capiet ac *crescet occulto velut arbor ævo*, ut futuris sæculis robustius, meliores et maturiores in legentium animis fructus edat. *Ingenii præclara facinora, sicut anima, immortalia sunt*, ait Sallust. in Iugurth. Idcirco bombyces imitatus sum, qui prius dies noctesque commessant, et comessando grandescunt et crassescunt: deinde sericum nere, globumque conficere incipiunt, dum ex eodem ore et ventre assidue filando texendoque tantum educunt, quantum comederunt: nimirum quod per multos annos legendo, meditando, docendo collegi, et in mente recondidi, hic evolvo, et depromo, aliisque comunico. Secutus quoque sum illud S. Bernardi ser. 18. in Cant. *Si sapis, concham te exhibebis, non canalem. Implere prius, et sic curato effundere. Ipse fons vitæ prius interna replevit, et sic exundans in multis miserationibus visitavit terram, et inebriavit eam.*

Interpretum duplex genus. Porro duplex hic reperio interpretum genus invicem adversum. Unum Iudaicum, eorum scilicet qui omnia quæ a Prophetis de Iuda, Ierusalem, Sione, Babylone, Chaldæis, Moab, Edom et similibus dicuntur plane et crasse

1. Iudaicum. uti sonant, accipiunt. Alterum allegoricum, eorum qui e contrario omnia ista de Ecclesia, de Christo, de Gentium

2. Allegoricum. vocatione, de lege nova, de bonis spiritualibus accipiunt. Tertii proinde sunt, qui tutius inter hos medii incedunt, atque nunc his, nunc illis se coniungunt. Primi generis

3. Et sincerum est medium. auctores sunt Rabbini, iudaismi propugnatores, et Christi ac christianismi hostes, quos incaute nimis sequuntur subinde Hugo, Lyranus, commentar. S. Thomæ adscriptus, et aliqui alii orthodoxi. Hi enim clarissimas de Christo et Ecclesia prophetias, ad Cyrum et Iudæorum synagogam detorquent. Exempli sit instar, quæ Isaias cap. 8. de prophetissa concipiente et pariente filium, cui nomen, *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, scribit prophetatque de B. Virgine pariente Christum: ipsi ad uxorem vel Isaiæ, vel Achaz regis Iudæ, eiusque filium referunt. Nonnulli alii eo usque progressi sunt, ut illud c. 7. *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, etc.* pari modo litteraliter dictum velint de uxore Isaiæ, cum tota Ecclesia et S. Matthæus cap. 1. 23. diserte doceant, id non nisi de Virgine Deipara intelligendum esse. Illud Isaiæ cap. 60. 1. *Surge illuminare, Ierusalem, etc. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, etc.* ad litteram de Ierusalem terrena reflorescente, allegorice tantum de Ecclesia Christiana, interpretantur. Illud Zachariæ c. 9. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti* B *tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*, ad litteram de Iudæorum e Babylone liberatione, allegorice tantum de patrum e limbo, per Christi descensum, redemptione exponunt; multaque talia, quæ passim in decursu operis occurrent. Indignantur hisce non pauci interpretes et Doctores, atque acriter eos perstringunt, nec immerito. Quid enim hoc est aliud, quam prophetias illustres et sublimes deprimere, abiicere et enervare? quam clara de Christo et christianismo oracula si non elidere, certe refrangere et debilitare, aut etiam detorquere? quam Iudæorum cæcitatem fovere, iisque arma suggerere quibus Christianos oppugnent? Esto enim fateantur ipsi, allegorice saltem hæc vaticinia ad Christum et Ecclesiam pertinere: tamen litteram et litteralem sensum, qui S. Scripturæ basis est et fundamentum, Christianis eripiunt; quo erepto quam facile allegoricum eludent Iudæi? illum enim sensum esse sacræ Scripturæ pernegabunt, dicentque eum humani cerebri esse commentum, et a Christia- C nis confictum. Qui in alio extremo sunt, hi ea quæ passim de Sennacherib, Nabuchodonosor, Ezechia, Sedecia, etc. ad litteram dicuntur historice, de diabolo, de Christo, de Apostolis accipi volunt. Ita Leo Castrius totum Isaiam ad Christum torquet, ut eum quantus quantus est, Iudæis extorqueat. Hi quoque licet minus periculosi sint, affectui tamen suo præter rationem indulgent, ideoque a veritate veroque sensu aberrant.

Media ergo hic via sinceris interpretibus ineunda, ut ex circumstantiis solerter indagent, quid historice Synagogæ, quid Ecclesiæ; quid Cyro, quid Christo; quid Iudæis, quid Christianis conveniat: quod quia implexum est et difficile vestigatu, hac de causa ad illud explicandum et vestigandum aliquot canones dabo, causamque assignabo.

Concludo: quod S. Hieronymus, quod S. August. quod S. Thomas aliique sacræ Scripturæ et Ecclesiæ doctores propalam confitentur, lumine cælesti hic opus esse, certum est. *Omnis* enim *prophetia Scripturæ propria inter-* D *pretatione non fit*, ait S. Petrus 2. epistol. 1. 20. ut Deus ipse verba sua tam obscura et implicata nobis illustret, ut intellectui nostro ipse irradiet, iudicium dirigat, memoriam confirmet. Itaque invocemus nostrum Isaiam, Ieremiam, Ezechielem et Danielem, ut suum prophetiæ lumen nobis communicent, faciant nos Prophetas, doctores, præcones, æternitatis satores, ut cum Isaia Seraphim aliquis ad nos advolet, calculoque ignito os vaticinaturum tangat, purget, aperiat. Cum Ieremia exclamemus: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Cum Ezechiele a facie Cherubim cadamus proni in terram, petamusque a spiritu erigi, et hos nobis pandi. Cum Daniele verbum Dei in corde conservemus, et stupeamus ad visionem, eo quod desit interpres, atque ab angelo interpretationem demisse flagitemus.

Sane Deo sim ingratus et iniurius, si vicennales hasce meas lucubrationes quantulascumque ingenio potius, studio, aut labore meo, cui tamen per Dei gratiam numquam

defui, quam divinæ beneficentiæ et liberalitati, immeritæque opi et illustrationi tribuam. Quam sæpe pelagus hoc exhorrui, portum desperavi, viribus meis diffisus sum, dixi: Quis introibit in potentias Domini? quis scrutabitur secreta Altissimi, ut cognoscat sensum Domini? quis aperiet librum signatum, scriptumque intus et foris? Non ego, quia omnia in me pusilla novi, et tu, Domine, melius nosti, qui me penitus in veritate cognoscis, et tamen tacere non licet, quia loqui me iubes. Da quod iubes, tu qui linguas infantium facis disertas, et iube quod vis. Minor sum cunctis miserationibus et veritate tua, quam explevisti servo tuo. Tibi gloria, nobis autem confusio et gratiarum actio. In baculo meo transivi, non Iordanem, sed oceanum, et ecce cum duabus, imo tribus turmis codicum utriusque Testamenti regredior. Tu solus nosti, et direxisti viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia. Da mihi ergo sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis: quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum. Mitte illam de cælis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret. Sensum enim tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? Confirma, et perfice, Domine, quod operatus es in nobis, ut Prophetarum arcana nobis patefacias, qui solus habes clavem David, claudis et nemo aperit, aperis et nemo claudit: ut coronidem hanc triplicis coronæ sacris tuis libris imponam, atque eam tibi, o sacratissima Trinitas, offeram ad tuam gloriam meam consolationem, et eorum quos tibi per hæc mea scripta docere placuerit, instructionem et fructum. Da ergo tantum te diligere, quantum cognoscere, utque alii per nos te cognoscant et diligant. Da insuper, ut quando tibi visum fuerit e misera hac peregrinatione dimittere servum tuum in pace, videant oculi mei salutare tuum, a Videntibus hisce nostris prævisum et prænuntiatum, quod ipsi iam coram vident, eoque fruuntur facie ad faciem: utque sim minimus eorum, qui cum ad iustitiam erudierint multos, iam fulgent quasi stellæ in perpetuas æternitates: atque cum Daniele, Isaia, Ieremia et Ezechiele, ante thronum tuum consistens, cum illorum coronis coronidem hanc etiam offerens (tua enim est, non mea) æternis hymnis concinam tibi sedenti in throno, et Agno: *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.*

CANONES
QUI FACEM PRÆFERUNT PROPHETIS.

Can. 1

PROPHETÆ aliquando per voces, aliquando per visiones oculis, aut potius imaginationi obiectas, quasi per symbola erudiebantur de rebus futuris. Sic Daniel cap. 7. v. 3. vidit quatuor animalia portendentia quatuor Monarchias. Ezechiel c. 1. vidit currum Cherubim, portendentem Dei magnificentiam, magnamque victoriam et vindictam, tum de Iudæis aliisque gentibus per Chaldæos, tum de peccato et dæmone per Christum. Visiones omnes propheticas collegit et explicuit uno tomo nuper noster Antonius Fernandius. Sæpius tamen et passim prophetia et lumen propheticum erat revelatio, et vox sive locutio divina, imaginationi et menti Prophetæ a Deo obiecta et immissa. Unde sæpius vocatur *verbum*, quam *visio*: ubi tamen hunc canonem accipe et observa.

Prophetia nunc vocatur verbum, nunc visio, cur?

Cum de Dei locutione agunt Prophetæ, sæpe quæ rerum sunt verbis, et quæ verborum sunt rebus tribuunt, ut dicant se vidisse verbum, visionem audivisse, imo idem verbum vel visionem nunc se vidisse, nunc audisse asserant, ut patet Isaiæ 1. v. 1. et c. 2. v. 1. cum tamen sola visio videatur, solum verbum audiatur.

Ratio phrasis huius est, quia Deus loquebatur Prophetis non lingua, nec voce, ut homines; sed rebus et factis, per species rerum aut vocum, quæ rerum erant significativæ, imaginationi aut menti eorum obiectas: quare verba Dei sunt non tam ipsæ voces, quam ipsa facta et res gestæ. Rebus autem et gestis quando geruntur, magis proprium est videri, quam audiri. Deum ergo sic loquentem audiebant Prophetæ, quasi res ipsas coram se geri cernerent. Simili modo S. Ioannes in Evangelio sæpe ait, Filium videre et audire omnia a Patre: quia in simplicissima deitate, idem est videre et audire. *Deus*, inquit Cicero in Somn. Scipion. *est qui videt, qui sentit, qui meminit, qui regit et moderatur.* Idem suo modo participat mens humana in Christo, æque ac in nobis, dum revelationem accipit. Sicut enim mens Dei eminenter continet visum, auditum, omnemque sensum et sensationem: sic et suo modo mens creata hominis et angeli. Est enim ipsa imago mentis divinæ, facta ad eius exemplar et similitudinem. Mens ergo nostra dum rem quampiam percipit et clare cognoscit, dicitur eamdem videre et audire. Hæc ergo causa est, cur prophetia, sive locutio et revelatio divina, puta res a Deo revelata, modo vocetur *verbum*, modo *visio*. Ita S. Basilius in Isaiæ c. 1. v. 1. qua de re plura ibid. dicam.

Mens eminenter continet visum omnemque sensum

Secundo, prophetiæ vocantur *verbum:* quia passim non visiones, sed verba Dei loquentis audiebant Prophetæ; et quia auditus, cuius est percipere verbum magistri, est sensus disciplinæ, ut ait Arist. Eædem vocantur *visio:* quia videre, et visus, cum omnium sensuum sit nobilissimus et certissimus, capitur sæpe pro auditu, gustu, tactu, omnique sensu et sensatione, uti ostendi Exodi 20. 18. ut idem sit videre, quod certo percipere et cognoscere, sive videndo, sive audiendo. Ita S. Ioannes in Apocalypsi, c. 5. et deinceps, ait se vidisse librum signatum septem sigillis, eoque ab Agno reserato, narrat c. 12. et sequent. se vidisse, non autem audisse et legisse visiones in libro hoc descriptas: quia scilicet apud Prophetas idem sunt visio, lectio, auditio, tantumque significant revelationem, et cognitionem spiritalem mentis, uti ibidem docui.

Videre est certo cognoscere.

Can. 2.

Prophetæ habebant spiritum propheticum, non quasi habitum permanentem, sed per modum cuiusdam divinæ motionis, afflatus et illuminationis brevi transeuntis, ac per intervalla eos corripientis et illuminantis. Quocirca S. Chrysost. in Evangelium S. Marci hom. 3. quærit, cur toties dicant et repetant Prophetæ τὸ *hæc dicit Dominus*, ac respondet: Quia, inquit, Sanctus Spiritus, qui ab eis antea recesserat, tunc ad eos redibat. De solo enim Christo dicitur: *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem.* In Prophetis ergo verum est illud S. Augustini, *Mentium rex Deus est.* Hinc prophetiæ eorum, licet consequenter in eodem libro scribantur, tamen diverso tempore sunt factæ et dictæ, imo sub diversis regibus, ut patet ex Isaiæ c. 1. v. 1. Ita S. Hieron. ibidem. Hinc rursum mirum non est eos idem iterum et sæpius repetere et inculcare; hoc enim boni concionatores suggerente Spiritu sancto facere solent. Hinc tertio, statim eodem capite ad aliam prophetiam et materiam non raro transeunt. Hinc quarto, posteriores Prophetæ subinde priorum verba repetunt et confirmant. Sic Michæas cap. 4. 1. dictum Isaiæ c. 2. v. 2. Sic onera Babylonis, Ægypti, Moab, Ammon, Idumææ, Tyri, etc. quæ Isaias cap. 13. et sequent. assignat, Ieremias iterat et confirmat c. 46. et sequent.

Deus est rex mentium.

Can. 3.

In Prophetis, et præsertim in Ieremia et Ezechiele (ut patebit in Chronotaxi, quam eis præfigam) sæpe non servatur ordo regum et temporum; sed præponitur prophetia quæ posterius contigit, et e contrario. Rationem assignat S. Hieron. in c. 25. Ieremiæ sub initium: *Non enim*, ait, *Prophetis cura erat tempora conservare, quæ historiæ*

leges desiderant, sed scribere utcumque audientibus atque lecturis utile norant. Unde et in Psalterio male quidam iuxta textum historiæ psalmorum requirunt ordinem, qui in Hebræo carmine non observatur. Adde, videri prophetias aliquas diverso tempore dictas, et diversis schedis a Prophetis conscriptas, postea ab aliquo alio in ordinem quem iam habemus, esse compilatas et digestas, ordinis tamen neglectu: ita in Ieremia fecisse videtur Baruch. Atque inde videntur emanasse illa ultima fragmenta Danielis, puta historiæ Susannæ c. 13. et Beli ac draconis c. 14. Sic Proverbia Salomonis non ab ipso, sed ab eius viris esse digesta, patet Prov. 25. 1.

Ubi Nota, Prophetas ordinarie suas revelationes quas a Deo accipiebant, primo viva voce instar præconum, vel concionatorum populo enuntiasse et promulgasse. Unde toties dicit eis Deus: *Dic populo huic: Dices ad eos, etc.* Rursum: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum*, Isaiæ 58. 1. Deinde post concionem, hanc eamdem, aut eius summam conscribebant, atque, ut censent nonnulli, scriptam valvis templi affigebant, ut omnibus etiam iis qui eam non audierant, pateret; utque iis qui audierant, eius memoriam refricarent, et ad ei obtemperandum exstimularent. Quæ cum per aliquot dies satis patuisset, auferebatur a ministris templi, atque reponebatur in exedris templi, ut perpetuum eius monumentum exstaret. Hinc confectos esse libros Prophetarum verosimile est. Id innuit Habacuc c. 2. 2. dicens: *Et respondit mihi Dominus, et dixit: Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Et Isaias c. 8. 16. dicens: *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.* Singulari autem Dei providentia effectum est, ut sacerdotum opera, quorum officium erat hæc scripta conservare, et ad posteros transmittere, hæc ad nos pervenerint. Erant enim ipsi sæpe Prophetis infensissimi, eo quod a Prophetis eorum scelera detegerentur, et acriter perstringerentur. Deus ergo ad hoc præstandum eos impulit et direxit. Esto enim Prophetæ domi quoque eadem scripta conservarent, tamen pontifices ea eripere illis et abolere potuissent. Ad hæc illa apud posteros auctoritate sua caruissent, nisi pontificum et Synagogæ testimonio et calculo communita fuissent; perinde ut iam libri hagiographi Ecclesiæ testimonio indigent. Unde enim sciremus hæc esse ipsissima oracula Isaiæ, nisi id Synagoga nobis tradidisset?

Can. 4. Prophetæ quia amplum habebant lumen, ad plures, et plura diversis temporibus futura sua oracula extendunt: cupiunt enim pluribus prodesse: qua de causa et sua oracula, quæ prius quasi concionantes voce pronuntiarunt, postea vel per se, vel per alios conscripserunt, ut omnibus sæculis concionentur et vaticinentur. Quocirca Isaias, Ieremias, et alii, cum Iudæos sui ævi arguunt, arguunt etiam Iudæos postea futuros, præsertim tempore Christi avos suos imitantes, ut patet Isaiæ 1. 7. Hinc cum eis comminantur captivitatem Babylonicam, sub ea posteris eorum comminantur similem captivitatem Romanorum per Titum et Vespasianum: similis enim fuit utraque captivitas, tum quia eidem genti, tum quia ob similia peccata, tum quia simili modo, crudelitate et vastitate inflicta est. Rursum in excidio urbis Ierusalem dant speciem et typum excidii orbis in fine mundi: unde Christus Matthæi 24. sub illo hoc depingit, et ab illo ad hoc transit v. 29. Simili modo transeunt a captivitate Assyriaca decem tribuum, ad captivitatem Babylonicam duarum tribuum, Iudæ scilicet et Beniamin, atque hæc omnia faciunt citissime, saliendo a priore ad posteriorem, et statim ad priorem resiliendo: subinde vero id faciunt post longam orationem, et quasi parenthesim. Denique Prophetæ sæpe transeunt ab historia, et concione ad Christum; eum enim habent pro scopo: et a Christo rursus redeunt ad historiam, et res sui temporis. Porro id faciunt tribus de causis. Prima est, ut videatur esse prophetia, non ordinata narratio aut historia: unde in ea quasi in cyclade variegata et auro intertexta præcidunt sæpe historiæ filum, ut Christum historiæ attexant et intertexant. Ita S. Hieron.

Prophetæ saliunt ab uno ad aliud, cur?

Causa. 1.

A in Osee cap. 1. Secunda est, quia Prophetæ elevati lumine prophetico et divino, omnia (quæ nobis remota et longe dissita videntur) sub se quasi exilia, coram et coniuncta intuebantur, uti revera sunt si cum æternitate Dei (in qua hæc videbant Prophetæ) conferantur. Quomodo S. Benedictus in Deum elevatus, vidit totum mundum collectum quasi in parvo globo, ut narrat S. Gregorius 2. Dialog. c. 35. Tertia, quia, ut ait S. Chrysost. mos Prophetarum est diversorum temporum coniungere prophetias, ut ex eo quod ipsimet audientes, vel eorum successores viderent impletum, etiam crederent quod in posterius tempus differtur, v. g. de Christo et Ecclesia fore implendum. Tradit hunc canonem S. Hieronymus sub initium comment. in c. 2. Nahum. *Hinc*, ait, *vel maxime obscuri sunt Prophetæ, quia repente dum aliud agitur, ad alios persona mutatur;* et in c. 1. Malachiæ canonem hunc figit: *Prophetæ futurorum texunt vaticinium, ut præsens tempus non deserant: nam utriusque miscent sermonem, et ex occasione huius felicitatem Christi prædicunt.* Vide Driedo-

2.

3.

B nem l. 3. de Dogmat. Eccles. c. 5. tract. 2. Crebræ ergo, ait S. Cyrillus in c. 16. Isaiæ v. 3. et 4. apud Prophetas sunt metabases, sive transgressiones, idque ad velanda prophetiæ sacramenta.

Ubi tamen adverte, Prophetas has metabases facere non importune, nec ex abrupto, sed commode, congrua occasione, lenique et molli transitione, præsertim cum historia fuit typus Christi aut Ecclesiæ. Sic Isaias c. 7. a liberatione Iudæorum et Achaz de manu Rasin regis Syriæ, et Phacee regis Samariæ, subito transit ad partum Virginis, et Emmanuelis ortum, ac liberationem hominum e potestate diaboli per Christum, cuius illa erat typus. Sic sæpe vastitatem urbis (quasi allegoriam litteræ) miscent cum excidio orbis, et die iudicii, cuius illa fuit speculum et præludium. Ita S. Hieron. in Osee c. 1.

Hinc rursum, cum aliqua umbra sese ostendit Messiæ, aut aliquid quod ipsius memoriam excitare possit, excitatur Propheta, et affectu magno in eum rapitur, ac in C figura illa latentem explicat, salutat, et omnibus agnoscendum proponit. Deinde, quasi de stupore et exstasi se ipsum recipit, ac ad institutam narrationem sese refert. Itaque data occasione, repente quasi per suspirium Propheta avolat ad Christum, quasi ad scopum, amorem et delicias suas, moxque redit ad historiam, vel materiam cœptam. Exempla sunt Isaiæ c. 16. v. 1. ubi cum prædiceret excidium Moab per Chaldæos, prævidens Christum ex Moab per Ruth Moabitidem nasciturum, subito ad eum avolat, dicens: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion;* moxque post hoc suum suspirium, quasi per parenthesin insertum, redit ad vaticinandam cladem Moab. Sic Isaias cap. 45. vaticinans de Cyro liberatore Hebræorum ex Babylone, prævidens Cyrum fore typum Christi redemptoris mundi, mox ad eum abripitur, aitque v. 9. *Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant Iustum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Deinde statim ad Cyrum et Iudæos redit. Sic D Iacob benedicens filio Dan, prævidensque ex eo nasciturum Antichristum, suspirat ad Christum eius debellatorem, dicens: *Salutare tuum exspectabo, Domine,* Genes. 49. 18. Sic Zacharias c. 13. 7. cum tenuis umbra Christi pastoris præcessisset, ad Christum avolat dicens: *Framea suscitare super pastorem meum, etc. Percute pastorem, et dispergentur oves.* Ita solent amantes visa imagine, aut re quæ amati memoriam eis refricat, mox de eo cogitare, loqui, ad eum anhelare. Hæc enim est natura amoris.

Christus est Prophetarum scopus et suspirium.

Dubium sæpe est an Prophetæ loquantur de typo, an de antitypo: hoc est, an de historia, an de allegoria per historiam significata. Ut hoc secernas, duplicem hunc canonem observa. Prior est, cum Prophetæ aliquid enuntiant aut prædicunt de Sione, de Iudæis, de Ierusalem, de Cyro, de Zorobabel, etc. si verba nihil habeant sanæ doctrinæ fidei aut morum contrarium, sique omnia recte cum præcedentibus et sequentibus cohæreant; tunc ipsa proprie de illis ipsis sicut sonant accipienda sunt, hicque est sensus litteralis. Ita S. August. lib. 3. de Doctrina Chri- Can. 5.

stiana cap. 10. et 11. et S. Hieron. prologo in Isaiam, et commentans passim in Isaiam: ubi ipse primo sensum litteralem de Sione et Iudæis, deinde mysticum de Christo et Ecclesia, aut tropologicum ad morum conformationem tradit et prosequitur. Sin autem promissiones, aut ea quæ dicuntur a Prophetis, maiora sint quam ut possint convenire Ierusalem, Iudæis, Cyro, etc. tunc certum est eos ad litteram de iis non loqui, sed ad eorum antitypa avolare, v. g. Si loquantur de Ierusalem, non terrenam, sed spiritalem intelligunt, id est, Ecclesiam, quam terrena figurabat. Ita S. Hieron. in c. 30. Isaiæ.

Prophetæ litteraliter subinde complectuntur typum et antytypum.

Posterior est, Propheta subinde in sensu litterali simul complectuntur et rem quam verba proprie significant, et simul allegoriam quam res illa repræsentat: tuncque duplex est sensus litteralis, prior quasi historicus, posterior quasi propheticus. Sic ingeniosi adolescentes sæpe ludunt et rident socios, dicendo v. g. Tu es Plato, id est, Philosophus, et simul planis magnisque pedibus: inde enim vocatus est Plato. Tu es longis naribus, id est, tu habes longas nares, et simul es curiosus ac sagax; tu es bene nasatus æque ac nasutus. Ita ludit Cicero act. 3. in Verrem: *Homines*, inquit, *negabant mirandum esse, ius tam nequam esse verrinum.* Nam verres et hominem et suem significat; ac ius, tam civile est quam suillum. Rursum act. 6. *Siculi*, inquit, *Sacerdotem exsecrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset.* Nam C. Sacerdos prætor Sicilia abiens successorem reliquerat Verrem: et sacerdos, id est, mactator, reliquit verrem, id est, suem victimam, quam non mactavit. Rursum: *Nam ut Verres*, ait, *prætor factus est, qui cum auspicato a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanæ provinciæ.* Ludit in voce *Chelidon:* nam ita vocabatur meretrix Verris, quæ in prætura ipsius omnia transigebat: et ex Chelidonis, id est, hirundinis, volatu et garritu novi prætores captabant auguria et auspicia sui officii.

Quidni ergo Spiritus sanctus uno conceptu et oratione complecti possit signum et signatum, typum et antitypum? Sic 2. Reg. 7. 12. loquitur Deus de Salomone, eique multa bona promittit: sed quædam attexit quæ ei non nisi per hyperbolem, Christo autem, qui verus est Salomon. proprie et adæquate ad litteram conveniunt. Sic Isaiæ 14. describitur casus Balthasaris ultimi regis Chaldæorum, per schema casus Luciferi. Fuit enim ipse quasi alter Lucifer. Sic Ezech. 28. 14. describitur rex Tyri quasi alter Cherub. Ubi multa sunt quæ proprie non nisi Balthasari et regi Tyri conveniant; quædam tamen intexuntur quæ magis typo, id est, Lucifero et Cherubim, conveniant; ut quod dicitur: *Dixisti: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, etc. similis ero Altissimo.*

Parabolæ duplicem habent sensum.

Quocirca hic et aliis similibus locis est quasi parabola, in qua duplex est sensus litteralis: primus ipsius parabolæ, secundus rei per parabolam significatæ: ubi quædam parabolæ proprie, quædam hyperbolice vel figurate tantum conveniunt: hæc vero ipsa proprie competunt rei per parabolam significatæ: uti ex adverso illa quæ proprie parabolæ conveniunt, subinde non nisi figurate rei per eam significatæ competunt.

Rursum, Prophetæ aliquando assurgentes sensim a typo ad antitypum (v. g. a Cyro ad Christum, a Sione ad Ecclesiam) initio utrumque sensu litterali complectuntur. Mox pergentes hærent litteraliter in suo ascensu, puta in antitypo, alludentes tantum ad typum, demum ad typum redeunt Quocirca difficile est iudicare an unum litteraliter intendant, et ad alterum tantum alludant; an vero utrumque litteraliter significare velint. Quare hoc solerter ex scopo, ex phrasi, ex rei quæ dicitur maiestate, ex argumento, et ex aliis circumstantiis investigandum est et secernendum. Unde Franciscus Forerius in Isaiæ 45. 8. *Quotiescumque*, ait, *Prophetæ inserunt historiæ rerum gestarum aut gerendarum, verba talia, quæ aptius rei figuratæ quam historiæ conveniunt: toties eam interpretandi rationem tamquam a Spiritu sancto amplectendam putato, quæ simul cum historia mysterium enarrat.* Ita nimirum, ut aliquando utrumque sensu litterali significare intendant, uti dixi; aliquando vero unum tantum significent, ad alterum tantum alludant, aut illud obiter tantum quasi typum vel umbram perstringant; quod maxime fit cum increvit oratio, iamque quasi in sui culmine versatur. Tunc enim figura vel parabola seposita, aut potius præsupposita, toti feruntur in rem figuratam, eamque graphice et magnifice depingunt. Res hæc Isaiæ 14. Ezechiel 28. et aliis exemplis in ipso decursu evadet clarissima.

Can. 6. Prophetæ loquuntur de Sione terrena et spiritali, quasi de una et eadem, cur?

Quidquid repromissionum talium maiorum, Sion vel Ierusalem factarum, legimus, non generaliter ad omnes Iudæos, sed ad eos tantum, qui in Apostolis et per Apostolos electi sunt ex Israel, et Christo crediderunt, referre, deque iis specialiter intelligere debemus. Ita S. Hier. in c. 59. Isaiæ in fine. Ubi Nota, Prophetas de Sion et Ierusalem proprie dicta, id est urbe Iudaica; et mystica, id est, Ecclesia, quasi de una eademque loqui, et ab illa ad hanc assurgere; ut Isaiæ 2. 3. et c. 60. 1. et cap. 62. 1. et alibi sæpe; tum quia una eademque est Ecclesia vetus Iudæorum et nova Christianorum; tum quia nova cœpit in Ierusalem, et veteri labenti ibidem surrogata est; tum denique quia Ierusalem prius Iudaica, postea per prædicationem Apostolorum Christiana facta est. Sic enim eadem est Roma olim Gentilis, nunc Christiana. Sic eædem vocantur Gentes olim idololatræ, nunc fideles.

Prophetæ per Sion et Ierusalem, nunc Iudæos in iudaismo manentes, et Christo incredulos; nunc vero Iudæos ad Christum conversos intelligunt: et statim ab his ad illos transeunt, et e contrario; hoc enim patitur, imo exigit raptus propheticus. Exemplum est Isaiæ c. 51. v. 17. et 21. Sic S. Ioannes in Evangelio per Iudæos, nunc solos principes, Scribas et Pharisæos, Christi æmulos; nunc solum populum, et turbam Christi sequacem intelligit; ideoque Iudæos nunc Christo adversos, nunc faventes inducit; nunc eos increpat, nunc laudat, ut patet c. 7. v. 11. et 13. c. 8. v. 31. c. 9. 13. et alibi. Can. 7.

Solent Prophetæ felicitatem bonorum spiritualium, et gratiam Evangelii Christi comparare cum ubertate terrena legis veteris et priorum temporum, illamque per hanc significare, ut dicant Deum per Christum daturum abundantiam olei et vini, et copiam pecorum ac pascuorum, aurum et argentum, domos et palatia; per quæ non hæc ipsa materialia, sed spiritualia bona et charismata intelligunt, idque faciunt, tum quia illa horum erant typus, tum quia Iudæi quibus loquebantur Prophetæ, fere alia bona non norant, nec æstimabant. Id patet Ioel. 2. 23. Isaiæ 35. 1. et sequent. Ierem. 31. 38. et alibi. Can. 8

Hæ prophetiæ et promissiones incipiunt impleri in Ecclesia præsenti, sed perfecte implebuntur in Ecclesia cælesti. Rursum pertinent tantum ad genuinos Ecclesiæ filios, qui ex eius fide et legibus sancte vivunt, non autem ad degeneres, puta ad impios, inobedientes et sceleratos, qui fidem sanctam improbis moribus dedecorant et corrumpunt. Sic Isaias cap. 2. v. 4. ait quod fideles tempore Christi conflabunt gladios in vomeres, nec exercebuntur ultra ad prælium. Idem dicit c. 11. 6. Quod clarum est ad bonos tantum sanctosque Christianos pertinere; uam inter superbos et impios videmus esse iurgia et bella eosque quasi lupos et pardos grassari in innocentes et pauperes. Simili modo prophetiæ de Iudæorum conversione ad Christum cœperunt impleri tempore Christi et Apostolorum, atque quotidie pergunt impleri: sed perfecte implebuntur in fine sæculi, cum omnis Israel salvus fiet, Rom. 11. 26. Can. 9.

Can. 10. Christus ut duellator inducitur, cur?

Prophetiæ de œconomia Christi, et de salute parta per Christum, quasi de acri certamine loquuntur: unde inducunt Christum quasi militem armatum, pugnantem, vincentem et triumphantem, dicuntque eum orbem calcasse, hostes necasse, etc. tum quia typus Christi fuit David bellator et victor; tum quia Iudæi talem Messiam exspectabant, qui bello eos vindicet, et ab hostibus liberet; tum denique quia Christus acre gessit bellum, imo duellum contra hostes suos et nostros. Hisce ergo phrasibus significant, primo, Christum conflixisse cum diabolo et

peccato, eosque vel fugasse vel interemisse. Secundo, quod infideles, impios et reprobos hostes suos, tum in hac vita, tum maxime in die iudicii profligabit, punietque morte æterna, ut patet Isaiæ 63. 3. uti ibi explicat S. Hieron. Tertio, quod Christus, cum impias gentes suæ fidei subiget, in eis impietatem et vitia necabit, de quo plura can. 46.

Can. 11. Per familiaria nomina gentium barbararum, quæ populo Dei, id est, Iudæis, erant vicinæ et hostiles, puta per Philisthinos, Arabes, Ægyptios, Moab, Ammon, Idumæos, significant synecdochice omnes gentes impias subigendas a Christo, totumque mundum ad eum fore convertendum. Ita S. Hieron. in c. 60. Isaiæ. Sic et alibi ex una persona aut gente omnes alias similes intelligunt. Ita S. August. l. 4. de Doctrina Christ. c. 7. in fine.

Can. 12. Solent Prophetæ auditores suos primo terrere, deinde quos terruerunt consolari, in spem erigere, et ad pœnitentiam excitare: et e contrario desides et obduratos minis percellere. Hoc enim est munus boni concionatoris. *Moris est S. Scripturarum*, ait S. Hieron. l. 6. in Isaiam in fine, *ut postquam desperationem mentis humanæ læto animo sublevaverint, rursum negligentes et nolentes agere pœnitentiam, comminatione deterreant, ne bonitas Dei induret cor nostrum.* Ad hæc, solent adversis læta subiungere, ut cum imminentia supplicia populo prædixerint, continuo Deum quasi placatum ostendant; quin et beneficia promittant Dei, quasi certantis et ulciscentis malefacta suis beneficiis, quibus afflictos præteritis suppliciis consolantur. Cor enim humanum ita in medio spei et timoris librandum est, ut nec nimia lætitia infletur, nec nimio metu aut tristitia absorbeatur et desperet. Porro hæc beneficia fere non temporaria sunt, nec tunc accipienda; sed spiritualia, et tempore Evangelii implenda: hoc enim intelligunt cum dicunt. *In tempore illo, in diebus illis.* Unum enim idemque erat illis omne tempus futurum, idque eis modicum videbatur et exiguum respectu luminis prophetici, quo intuebantur immensam Dei præscientiam et æternitatem. Nam, ut ait Psaltes, *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit.* Exempla sunt Ierem. 31. Daniel. 9. Osee 13.

Cor in medio spei et metus librant Prophetæ.

Can. 13. Hebræi sæpe commutant tempora, ut præteritum capiant pro futuro aut præsenti; rursum futurum pro præterito, ut cum narrant rem factam. Id patet Habacuc 3. v. 7. 9. 11. Prophetis autem peculiare est, ut præteritis utantur pro futuris, ac res futuras quasi iam factas prædicant et narrent, idque ob prophetiæ certitudinem, scilicet ut significent eas ita certo futuras, ac si iam factæ essent. Porro hæc enallage temporum maxime locum habet, quando simile tempus præcessit, v. g. quando præteritum antecessit, et sequuntur futura cum copula *et:* hæc enim copula cum tempora copulet, significat in eodem tempore præterito, futura esse exponenda, et connectenda. Vice versa si futurum antecessit, et sequantur præterita cum copula *et*, illa per futurum exponenda sunt. Eadem est ratio, si præsens antecessit, et sequantur futura vel præterita: tunc enim illa per præsens verti debent. Vide Pagninum l. 3. Instit. c. 12. Exempla passim sunt obvia. Vide Ps. 106. et 107. ubi sæpissime futurum quod est in Hebræo, Noster vertit per præteritum, quia præteritum antecessit, ut Ps. 105. v. 12. *Et laudaverunt*: v. 17. *Aperta est terra;* v. 18. *Combussit;* v. 19. *Fecerunt vitulum.* Et Ps. 106. v. 6. *Eripuit eos;* v. 13. *Liberavit;* v. 14. *Eduxit eos;* v. 18. *Abominata est.* Sic et v. 19. 20. 27. 28. 29. 30. 33. 35. quibus omnibus locis in Hebræo sunt futura.

Rursum usitatum est in Scripturis, ut unum tempus quodcumque illud sit, pro omnium temporum differentia usurpetur, quando significatur rei perduratio et permanentia, ut Ps. 1. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit. Non abiit*, id est, non abit, nec abiit, nec abibit: *non stetit*, id est, non stat, non stetit, non stabit. Sic Ioan. 1. 1. *In principio erat Verbum: erat*, id est semper erat, ab æterno erat. Peculiare autem est Hebræis, ut per futurum significent rei naturam, morem, consuetudinem, perdurationem, ut Eccl. 8. 17. *Quanto plus laboraverit*, hebraice *laborabit*, id est, laborare solet. Isaiæ 6. 2. *Duabus volabant*, hebraice *volabunt*, id est, volare solebant. Sic explicamus difficilem locum Isaiæ 24. 22. ubi de damnandis dicit: *Et post multos dies visitabuntur;* τὸ enim *visitabuntur* non significat liberationem et consolationem, uti voluit Origenes, sed continuationem punitionis, et perdurationem in supplicio. Sensus enim est, q. d. Quantamcumque durationem animo concipias post diem iudicii evolvendam, vel evolutam, adhuc manebit eorum visitatio, id est, punitio et supplicium.

Prophetæ sæpe mutant personas quasi per dialogismum. Can. 14.
Iam enim se, iam Deum, iam populum, iam hostes inducunt loquentes, nec tamen personas hasce exprimunt. Hinc magna obscuritas oritur, quæ ex adiunctis solvenda est, ut quidque suis locis, causis, temporibus et personis reddatur. Ita Ieremias ad pathos movendum, iam Deum, iam populum, mox Chaldæos alloquitur: atque iam in sua, iam in Dei, iam in populi, iam in Chaldæorum persona loquendo terret, agitatque populum ad pœnitentiam: sicut boni concionatores nunc ad Deum, nunc ad animam, nunc ad Sanctos, nunc ad Christum crucifixum faciunt apostrophes, seque in omnes partes vertunt versantque populum, ut eum commoveant et compungant. Ita Hieron. in Ieremiæ c. 8. et S. Chrysost. in Ps. 136. tom. 1.

Mimesis, id est, imitatio verborum quæ ab alio dicuntur tacito nomine dicentis, frequens est in Scriptura. Sic Can. 15.
enim Prophetæ sæpe loquuntur in persona impiorum, eorumque verba usurpant. Ita Isaias c. 28. v. 13. usurpat verba Iudæorum subsannantium et irridentium Prophetas, ac dicentium: *Manda remanda, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi.* Ita Ieremias c. 8. 14. usurpat verba Iudæorum ab hoste afflictorum et vastatorum, ac dicentium: *Quare sedemus? convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi: quia Dominus silere nos fecit, et potum dedit nobis aquam fellis.* Sic Psaltes Ps. 2. 3. usurpat verba regum obluctantium Deo et Christo, ac dicentium: *Dirumpamus vincula eorum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum.* Sic S. Paulus 1. Corinth. 15. 32. ex Isaia c. 22. 13. usurpat verba Epicureorum: *Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur.* Sic Ieremia c. 10. 11. imitatur verba chaldaizantium, loquiturque chaldaice: *Elahaia discemaia, vearka la abadu, iebadu mearа umim techot seemaia*, id est, *Dii, qui cælos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cælo sunt.* Simili modo per mimesin sancta Scriptura alludit, et citat subinde fabulas Gentilium, uti dicam in fine can. 56. Rursum ad opiniones vulgo creditas, licet fabulosas, quales sunt de viribus hyacinthi, sapphiri, carbunculi, etc. fugandi melancholiam, morbos, dæmones, etc. uti ostendi Apoc. 21. 19. Non enim asserit Scriptura has opiniones esse veras de gemmis in se, sed esse veras in Apostolis, qui ibidem sigillatim per gemmas hasce designantur, uti recte ibidem annotavit noster Alcazar.

Prophetæ utuntur multiplici enallage. Primo, personæ, Can. 16.
ut licet de eadem loquantur, tamen a secunda in tertiam, et vicissim a tertia in secundam transeant, imo de se ipsis loquantur in tertia persona.

Enallage multiplex Prophetarum.

Secundo, numeri, ut a singulari transeant in pluralem, et e contrario, præsertim cum agunt de populo, vel cœtu hominum: hic enim collective qua populus, est singularis; distributive vero qua multos complectitur, est pluralis. Quocirca tunc singulare nomen aut verbum accipitur collective, et significat *quisque.*

Tertio, generis et suppositi, ut de eadem re loquentes, nunc masculino genere utantur, subaudientes v. g. populum; nunc fœminino, subaudientes vineam vel Synagogam: ita enim sæpe populum appellant. Exemplum clarum est Isaiæ 27. v. 3. 5. 6. Rursum viris qui non viriles sed molles sunt, aut timidi, aut concupiscentes, tribuunt genus fœmininum, eosque vocant fœminas. Sic ait Isaias c. 3. 12. *Et mulieres* (id est mulierosi principes, et effæ-

minati, uti dixit v. 4.) *dominatæ sunt eis*. Simile est c. 51. 12. et 2. Reg. 13. 37. in Heb. Sic Poeta dixit:

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

Quarto, nominis et verbi: nomen enim verbale sæpe sumunt pro verbo, adeoque ipsum construunt cum casu verbi, ut Osee 13. 1. in Hebr. *secundum dilectionem Dei filios Israel*, id est, sicut dilexit Deus filios Israel. Simili enallage et Hebraismo utitur subinde S. Paulus, ut Rom. 2. 7. *Iis qui secundum patientiam boni operis*, id est, iis qui patienter perseverant in bonis operibus, et mox: *Iis autem qui sunt ex contentione*, id est qui sunt contentiosi, qui contendunt et rixantur. Sic cap. 8. 5. ait: *Qui secundum carnem sunt*, id est qui carnales sunt, qui carnaliter vivunt, *quæ carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt*, id est, spirituales, qui Spiritus sancti ductum sequuntur et spiritaliter vivunt, *quæ sunt spiritus sentiunt*. Simili enallage utuntur et Græci.

Quinto, verbi pro adverbio, ut Ierem. 4. 5. Hebræa habent, *Clamate, implete*, id est, clamate plene et fortiter, ut vertit Noster, omnia clamoribus implete. Isaiæ 31. 6. *Convertimini sicut in profundum recesseratis, filii Israel*, hebraice est, *sicut profundastis*, vel profundum fecistis, hoc est, sicut longe et profunde recessistis ac descendistis. Osee 9. 9. *Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa*. Hebr. est: *Profundarunt, corrupti sunt sicut in diebus Gabaa*. Ionæ 4. 9. *Putasne bene irasceris tu?* Hebraice: *Putasne bene fecit, venit ira tibi?* Ubi *bene fecit* idem est quod bene.

Can. 17. Hebræi sæpe subticent suppositum verbi, illudque quasi notum ex circumstantiis supplendum lectori relinquunt. Sic Amos c. 5. 6. ait: *Extinguat Bethel*, id est ignem Bethel. Sic Ioan. 19. 14. *Erat Parasceve Paschæ*, id est, sabbati paschæ vel hebdomadæ paschæ. Sic Isaiæ 1. 28. *Conteret*, scilicet Deus *peccatores*.

Can. 18. S. Scriptura de provinciis et civitatibus loquitur, ac si viri, aut potius mulieres essent et filiæ, ob earum pulchritudinem et luxum. Hinc quando urbibus idololatriam exprobrat, vocat eas *meretrices*. Notum est enim Prophetas idololatriam vocare *fornicationem* vel *adulterium*: quia scilicet, per eam anima, vel urbs, relicto Deo sponso suo, adhæret idolo, quasi adultero. Alias urbes vocant *virgines*, idque primo, ob earum opes et decorem. Secundo, quod urbs quasi virgo domi studiose servata, numquam hostium libidini, id est potentiæ et armis, succubuerit, nec eorum gladio fuerit violata, excisa, aut in captivitatem ducta, sed suum quasi imperii et libertatis florem ac speciem illibatam servaverit. Sic enim mel virgineum vocamus, quod proxime ab apibus venit, nec ab humana manu subactum est, tinctum et fucatum: sic terra vocatur virgo, quæ vomere non est aperta, aut conscissa, ad semen accipiendum. Tertio, quod quasi virgo tenere et molliter a Deo, aut rege vel accolis fuerit habita, nutrita et custodita. Sicut enim matres filias suas virgines tenere amant, delicate tractant, et quidquid ad earum ornatum spectat, tota urbe et subinde toto orbe conquirunt: ita ad eas urbes quas Prophetæ vocant *virgines*, convehebatur quidquid in aliis locis pulchrum erat, deliciosum et pretiosum. Ita Babylon vocatur *virgo* Isaiæ 47. v. 1. quia orbis deliciæ, opes et merces eo confluebant; unde mox subdit: *Ultra non vocaberis mollis et tenera*. Sic sæpe Ierusalem et mystice Ecclesia vocatur *virgo filia Sion*, q. d. O Sion, o Ierusalem, o Ecclesia, tenere a Deo adamata, quasi virgo, quæ recens desponsata nobili iuveni, eidem in amore et deliciis est.

Urbes vocantur virgines ob tres analogias.

Can. 19. Prophetæ gaudent metaphoris et allegoriis, ac parabolicis phrasibus, idque tum ob obscuritatem, ut videatur esse stylus propheticus, non historialis; tum ad elegantiam. Hinc Gentes vocant lupos, serpentes, leones, dracones, eosque dicunt per Christum cicurandos, et quasi vertendos in agnos. *Habitabit*, ait Isaias c. 11. 6. *lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur*. Ubi nomine leonis, lupi et pardi significat barbaras et efferas nationes, quæ ad Christum conversæ, deposita pristina sævitia et barbarie, sancto

A studio conspiraturæ erant in unitatem fidei cum simplici et humili populo Christiano, et hic est sensus eius loci litteralis.

Ex adverso de animalibus, plantis et rebus inanimis subinde loquuntur ac si homines essent, cum per prosopopœiam dant eis sermonem, sensum, lætitiam, dolorem, etc. Ut cum dicunt: *Exultet cælum, iubilet terra, lætabitur deserta, et exultabit solitudo*, Isaiæ 35. 1. Sic idolis et simulacris lapideis dant animam: *Anima eorum in captivitatem ibit*, ait Isaias c. 46. 2.

Simili tropo homines hominumque vitia aut virtutes comparant deserto arido, et campo vernanti et fœcundo arboribus, vineis, montibus, fluminibus, urbibus, incolis. Exemplum clarum est toto c. 35. Isaiæ.

Solet Scriptura ab una metaphora ad aliam transire, Can. 20. ac subinde redire ad priorem. Sic Osee 2. in fine, Synagoga vocatur mulier, deinde vinea. Sic Isaiæ 27. 1. diabolus vocatur *Leviathan*, id est balena, mox *vectis*, mox rursum *draco* sive *balena*. Sic Isaiæ 45. 7. Cyrus compa-

B ratur luci et soli; et mox c. 46. 11. avi et aquilæ. Solent etiam a metaphora ad rem ipsam divertere, indeque iterum ad eamdem metaphoram redire. Sic Ioel c. 2. de Chaldæis loquitur quasi de locustis, et nunc epitheta locustarum, nunc hominum usurpat. Hoc imitatur S. Ioan. in Apoc. c. 9. 7. ubi innumerabilem exercitum barbarorum in fine mundi a dæmone immittendum in impios, ut eos per quinque menses cruciet, vocat locustas, eisque tribuit coronas similes auro, id est galeas micantes ut aurum; faciem hominum, capillos mulierum, dentes leonum, loricas ferreas, et sonitum curruum bellicorum.

Nomen figuræ tribuitur rei figuratæ. Sic festa Christia- Can. 21 norum vocantur *sabbata*, Isaiæ 56. 4. eadem vocantur festum tabernaculorum Zach. 14. 16. quia hæc festa Iudaica fuerunt typus festorum Christianorum. Sic Christus vocatur *David*, ut Ezech. 34. v. 23. *Suscitabo super eas pastorem unum, servum meum David*, id est Christum. Osee 3. 5. *Post hæc revertentur filii Israel, et quærent Do-*

C *minum Deum suum, et David regem suum*, id est, Christum. Ita S. Aug. l. de octo quæst. Dulcitii q. 5. Sic Christus vocatur *Zorobabel*, Aggæi 2. 24. cuius ratio est duplex: prior, quia David et Zorobabel duces populi fuerunt typus Christi, ducis fidelium; posterior quia ex iis prognatus est Christus: solet enim nomen parentis patronymice pro eius filiis et posteris accipi, ut cum Israel, Iacob, Abraham capitur pro Israelitis, Iacobæis, et Abrahæ posteris. Rursum nomen viri in aliqua re illustris, pro alio quovis in eadem re excellenti accipiunt. Sic Samson capitur pro forti, Daniel pro sapiente, Salomon pro potente et opulento, rex Assur pro quovis monarcha et tyranno, uti ostendam Isaiæ 8. vers. 4. Ita apud profanos *Achilles* capitur pro bellicoso et robusto, *Cicero* pro eloquenti, *Cæsar* pro imperatore et monarcha. Sic Virgil. Æneid. 6. ait: *Alius Latio iam partus Achilles*, id est Turnus. Sic Iuvenalis Domitianum cuius uxor a Paride mimo fuerat corrupta, vocat *Atridem*, et ipsam adulteram vo-

D cat *Clytemnestram quadrantariam*, id est diabolarem, quod quasi quadrante prostaret. Sic apud Plautum *homo trium litterarum* est fur.

Simili schemate nomina propria gentium pro moribus Can. 22. vel morum similitudine et imitatione commutant, ut verum Israel vocant homines fideles et probos, infideles vero et impios vocant Chananæos, Amorrhæos, Sodomitas, Gomorrhæos. Sic Isaias 1. 10. loquens Iudæis, ait: *Audite verbum Domini, principes Sodomorum; percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ*. Sic Ezechiel c. 16. 45. iisdem concionans: *Mater*, ait, *vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus*. Sic et Daniel senem Susannæ insidiantem compellans c. 13. 56. ait: *Semen Chanaan, et non Iuda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum*. Sic S. Ioannes Apoc. c. 18. 2. et S. Petrus epist. 1. c. ult. v. 13. Romam vocat *Babylonem*. Sic mundus a Prophetis nunc vocatur *Ægyptus*, ob superstitionis tenebras; nunc *Edom*, ob feritatis et maledictionis similitudinem. Ita Euseb. l. 7. Demonst. Evangelic. c. 4. et Ter-

tull. l. 3. contra Marcion. ubi et subdit: *Neque enim novum est Creatori figurate uti translatione nominum ex comparatione criminum.* Sic quarumdam gentium nomina in convitium transierunt, ut Lacones, Lesbii, Ambrones, Osci, Opici, Cilices, Sibaritæ, etc.

Can. 23. *In* præpositio generalis est, et pene sola frequens Hebræis: hanc enim semper fere in ore habent. Itaque *in* usurpant iam pro *per*, iam pro *cum*, iam pro *apud*, iam pro *propter*, iam pro aliis præpositionibus. Sic dicitur, *Factum est verbum in manu Isaiæ, Aggæi, Zachariæ Prophetæ*, id est, per Isaiam, Aggæum, Zachariam Prophetam. Manus enim est organum organorum, ait Aristoteles: hinc sæpe causam instrumentalem significat. Prophetæ enim fuerunt organa et instrumenta Dei.

Can. 24. Hebræi sæpe omittunt notas similitudinis, *sic*, *sicut*, *veluti*: eæ ergo supplendæ sunt ut patet Isaiæ 54. 9. Subinde etiam alterum tantum membrum similitudinis ponunt, alterum omittunt, ut patet Osee 11. 2. Sic sæpe omittunt litteras serviles, *beth*, *lamed* et alias quæ significant coniunctiones, vel adverbia, *cum*, *tamen*, *etc.* Rursum unam cum alia commutant, ut *eo quod* sumunt pro *ita ut; propterea* pro *verumtamen*, ut patet Ierem. 30. 16. Sic *quia* sæpe non causam, sed connexionem vel appositionem significat, idemque valet quod *at vero*, *verumtamen*, ut Ps. 36. 20. cum dixisset de iustis: *Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur;* opponens eis peccatores, subdit, *Quia* (id est, *at vero*) *peccatores peribunt.* Idem Ps. 13. 5. cum dixisset de impiis: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor;* de piis subdit, *Quoniam* (id est *at vero*) *Dominus in generatione iusta est.* Isaiæ 66. 8. cum dixisset: *Numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul?* q. d. *Non;* subdit, *Quia* (id est *at vero*) *parturivit et peperit Sion filios suos.* Insuper *quia* et *quoniam* capiuntur subinde pro *quamvis*, ut Ps. 43. 19. *Non recessit retro cor nostrum, etc. quoniam humiliasti* (id est, quamvis humiliaveris) *nos in loco afflictionis;* et Ps. 77. 20. *Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ etc. numquid et panem poterit dare?* id est, quamvis Deus percusserit petram, ex eaque dederit aquas, num idcirco etiam panem dare poterit in deserto? Pari modo *ut* sæpe non causam, nec finem, sed eventum et consecutionem significat. Hinc toties in novo testamento dicitur, *Ut* (id est *unde consecutum est ut*) *adimpleretur quod dictum est per Prophetas.* Sic Rom. 5. 20. dicitur: *Lex subintravit ut abundaret delictum.* Et Ps. 50. 6. *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.* Ioan 9. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.*

Can. 25 Prophetæ, præsertim Isaias, quia elegans est et rhythmicus, more poetarum Hebræorum, sæpe idem, aut pene idem, dicunt posteriori hemistichio et versu, quod aliis verbis dixerunt in priori: quod pariter creberrimum est in Psalmis, utpote carminibus rhythmo et metro conscriptis. Ut, *Deus in adiutorium meum intende*, idem est cum eo quod sequitur, *Domine ad adiuvandum me festina.* Et Ps. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea*, idem est cum eo quod subdit, *Et a peccato meo munda me.* Sic, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, idem pene est quod, *Et peccatum meum contra me est semper.* Sic, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, idem est quod, *Et in peccatis concepit me mater mea.* Idem videre est in Isaia c. 13. v. 2. 3. 4. et seq. et c. 14. v. 13. 14. 15. et seq.

Can. 26. Quidquid, ait S. Hier. in c. ult. Isaiæ, pungit, percutit, torquet, cruciat, S. Scriptura vocat *gladium*, quo vulnerabuntur, vel interficientur qui non fecerint Dei voluntatem. Idem intelligunt per ignem, tempestatem, turbinem, grandinem, procellam, etc. significant enim hæc per catachresim quodvis tormentum, aut cladem vel stragem.

Can. 27. Prophetæ dicunt sæpe Deum Iudæos, aliosque impios excæcasse, obduruisse, miscuisse spiritum vertiginis, quod intelligendum est non positive, directe et causaliter, quasi Deus proprie causarit et produxerit in iis duritiem vel cæcitatem, uti blasphemat Calvinus, sed permissive, indirecte et occasionaliter, ut fusius explicui Exodi 7. v. 3.

Prophetæ cum decem tribus a duabus distinguunt, duas vocant *regnum Iuda, domum David Ierusalem* vel *Sion;* decem vero vocant primo, *Israel* vel *Iacob*, appropriando eis, utpote pluribus, nomen primi parentis sive patriarchæ Iacob: secundo, *Samariam*, quia urbs hæc erat caput regni Israel; tertio, *Ioseph* vel *Ephraim*, quia ex Ephraim filio Ioseph ortus est Ieroboam, qui primus fecit schisma et decem tribus a domo David abduxit, sibique ascivit, iuxta vaticinium Ahiæ, 3. Reg. 12. 19. Can. 28.

Prophetæ verba mentalia vel vocalia subinde pro realibus accipiunt. Sic *vocari* capiunt pro *esse*. Ut cum Christus Isaiæ 7. 14. dicitur vocandus *Emmanuel;* et c. 8. 3. vocandus *Accelera spolia detrahere*, *Festina prædari;* et c. 9. 6. vocandus *Admirabilis*, *consiliarius*, *Deus fortis*, *pater futuri sæculi*, *princeps pacis;* non significantur quod revera tale nomen proprium habebit, eoque vocandus sit; sed quod talis sit futurus, ut res significatæ his nominibus ei conveniant, q. d. *Vocabitur Emmanuel*, id est, erit nobiscum Deus: vocabitur *Accelera spolia detrahere*, id est, erit celer spoliator hostium, et festinus eorum prædo. Sic Ierem. 4. 12. dicitur: *Loquar iudicia mea cum eis*, id est, infligam eis iustas pœnas. Vide P. Salmeron. proleg. 10. quinquagena 2. can. 6. Can. 29.

Ex adversa sæpius verba activa realia pro mentalibus aut vocalibus accipiuntur v. g. *facio* pro *cogito*, prævideo, destino facere. Sic Ierem. 1. 10. dicitur: *Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes*, id est, ut prædicas et prophetes has gentes et hæc regna fore evellenda, destruenda, disperdenda et dissipanda; illa vero ædificanda et plantanda. Et Daniel c. 2. 23. ait: *Fortitudinem dedisti* (id est, declarasti) *mihi.* Et sæpe alibi Prophetæ dicuntur futuras clades aut prosperitates afferre et adducere: quia eas ita certo prædicebant, eæque ita certo, uti ab eis prædictæ erant, eveniebant, ac si ab iisdem illatæ et adductæ fuissent. Unde Propheta hebraice dicitur נביא *nabi*, id est, præfator, ut dixi quæst. 1. Hinc et prophetia vocatur *oraculum* aut *fatum*. Fatum autem est sanctio, vel vox divinæ mentis, uti docet S. Aug. lib. 5. de Civit. cap. 9. nimirum, ut ait Statius 1. Theb.

Grave et immutabile sanctis
Pondus adest verbis, et vocem fata sequuntur.

Notandæ phrases variæ Hebræis et Prophetis propriæ; ut, *sicut est dies hæc*, id est sicut hodie apparet, liquet, cernitur. Sic *omnes*, id est, multi, plerique: unde mox nonnullos excipiunt, ut patet Michææ, 1. 7. Osee 9. 15. Sic *mandare*, *præcipere*, *iubere* Hebræis valde generalia sunt: unde Deus dicitur mandare nubibus, bestiis, gladio, id est, mandato et imperio suo illa evocare et producere, aut movere et ordinare quo ei libuerit, v. g. ad vindictam hominum et castigationem impiorum. Sic dicunt, urbs vel populus *super quem invocatum est nomen tuum*, id est qui vocatur nomine tuo, scilicet, urbs templum, aut populus Dei, Deo addictus, Deum colens, non idola, ut aliæ gentes. Est hypallage, ut patet Eccli. cap. 36. v. 14. nam ubi Vulgatus habet, *miserere plebi tuæ*, *super quam invocatum est nomen tuum;* Græca habent, *miserere populi vocati nomine tuo.* Sicut enim olim uxores vocabantur nomine maritorum, ut a Caio vocabatur Caia, a Iulio Iulia, a Titio Titia, a Tullio Tullia, a Salomone Sulamitis, q. d. Salomonia, Cantic. 6. v. 12. sic Ecclesia, quasi sponsa Dei, ab eo sortiebatur suum nomen decus et gloriam, æque ac tutelam et præsidium. Can. 30.

Nomina apud Hebræos aliquando simul ut propria, et simul ut appellativa sumuntur: quia Scriptura alludit ad eorum etymon et significationem, quæ personæ præsenti apte congruit et convenit. Sic Osee c. 1. 6. iubetur filiam suam vocare *Lorachuma*, id est, *Absque misericordia:* et filium vocare v. 9. *Loammi*, id est, *Non populus meus;* quia hæ eius proles portendebant repudium et reproba- Can. 31.

tionem Iudæorum. Sic Michæas c. 1. 10. ait, *In domo* עפרה *ophra*, id est, Pulveris, עפר *aphar*, id est *pulvere vos conspergite.* Sic Sophon. c. 2. 13. ait: *Ponet speciosam in solitudinem, et in invium, et quasi desertum.* Pro *speciosam* Hebræa, Chaldæa et Sept. habent *Ninivem*, quæ hebraice speciosam significat, et huc alludit Propheta, q. d. omnis Ninive species, decor et gloria ab ea auferetur, ipsaque convertetur in solitudinem et desertum. Sic Esau ait de fratre suo Iacob Genes. c. 27. v. 36. *Iuste vocatum est nomen eius Iacob*, id est, supplantator, *supplantavit enim me in altera vice.*

Atque hæc est causa, cur interpres subinde loco nominis proprii ponat eius interpretationem, uti facit in Osee, Sophonia, Michæa, locis iam citatis. Hinc S. Hier. (si tamen is est auctor) in Tradition. in libro Paralipom. ait: *Ingentia sæpe mysteriorum arcana in ipsis nominibus continentur.* Quocirca omnia Hebræorum nomina sunt significativa. Hinc Isaiæ 10. 21. hebraice est: *Voca nomen eius Sear Iasub;* quod Noster vertit: *voca nomen eius, Reliquiæ convertentur* (hoc enim significat *sear Iasub*) ob mysterium quod ibidem explicabo. Sic Ps. 75. 3. *Factus est in Salem locus eius, et habitatio eius in Sion.* Noster pro *in Salem*, vertit *in pace*, ob mysterium.

Can. 32. Excidium Babylonis, Ierusalem et aliarum urbium Prophetæ ita describunt, ut dicant solem, lunam, stellas tunc obscuratas fuisse, aut cecidisse de cælo, ut patet Isaiæ 13. 9. Ioel 3. 15. Ezech. 32. v. 7. Non quod vere ceciderint, sed primo, ut significent acerbitatem cladis et excidii, quæ tanta fuit ut Babyloniis, Hierosolymitis, aliisque nimio metu et anxietate attonitis, sol, luna et stellæ obscurari aut cadere viderentur, ut sit hyperbolica hypallage. Causa cur ita mœstis et perculsis videatur est quod iis qui ægro sunt animo, omnia apparent amara et tristia, ex eo quod animus res omnes concipiat non ut in se sunt, sed ut ipse est affectus, æger et afflictus. Quod enim in aliquo recipitur, id ad modum recipientis recipitur, ait Philosophus: v. g. si vas est putidum eique vinum etiam optimum infundas, fiet putidum: ita quoque se res habet in anima. Hinc vere dixit Poeta: *Pessimus in dubiis augur timor:* omnia enim pessima auguratur. Quocirca vere Theod. in Ierem. 4. *Mœstis*, ait, *et afflictis lux non videtur esse lux, nec dies videtur esse dies, nec dulcia habere dulcedinem; sed omnia mutantur eis in contrarium. Adeo enim doloris anxietas oculos obnubilat, ut serenum cælum tenebris offusum videatur, stabiles montes collesque moveri.* Vehemens enim dolor et anxietas vertiginem capiti inducit, qua omnia eis verti et gyrari videntur; non quod in se gyrentur, sed quod species et phantasmata, ex turbatione spirituum, in capite eorum vertantur et gyrentur; quod cum ipsi non videant, putant res ipsas gyrari: perinde ac qui navigant, cum ipsi navim, seque cum navi moveri et progredi non sentiant, et tamen revera moveantur, videntur sibi videre arbores, et omnia quæ in littore sunt moveri et progredi.

Secundo, quia excidium Babylonis, Ierusalem, Samariæ, etc. fuit typus excidii orbis, in quo vere Sol et luna obscurabuntur, ac stellæ de cælo cadent, Matth. 24. 25. Itaque hæ phrases non tam in typo quam in antitypo, quem allegoriæ respiciunt, proprie et plene verificantur.

Can. 33. Solet Scriptura vel interpres pro genere ponere certam speciem, pro specie individuum aut exemplum, vel claritatis, vel auxesis causa. Sic Aggæi 2. 17. *viginti modios et lagenas* vertit, ubi in Hebræo tantum habetur *viginti;* intelligitur enim *mensura*, puta modii in segete, lagenæ in vino. Sic peccatum quodvis vocatur *sanguis et homicidium*, Isaiæ 1. 15. quia inter peccata humano generi noxia primum et gravissimum est homicidium. Sic quævis clades vocatur pestis aut gladius, ut dixi canon. 26. Sic quævis virtus et sanctimonia vocatur nunc *iustitia*, nunc *misericordia*, ut Ps. 111. 9. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia* (id est eleemosyna) *eius manet in sæculum sæculi.* Sic rursum omnes iusti et sancti vocantur hebraice חסידים *chasidim*, id est, pii, misericordes, quia propria Sanctorum virtus et index est pietas et misericordia.

Can. 34. Solet Scriptura promittere quædam, quæ non in eo cui promittuntur, sed in posteris eius, implenda sunt. Sic Genes. 13. 15. Deus promittit Abrahæ terram Chanaan, quam tamen non ipse, sed posteri eius post 400. annos sub Iosue occuparunt. Sic Zorobabeli Aggæi 2. 24. promittitur non in se, sed in Christo ex eo nascituro regnum æternum. Sic illud Noe maledicentis filio suo Cham, patri Chanaan, *Sit Chanaan servus eius*, Gen. 9. 26. in posteris eius, puta in Chananæis, qui sub Iosue servierunt Hebræis, impletum est. Sic illud Isaaci ad Iacobum Genes. 27. 29. *Esto dominus fratrum tuorum*, non in Esau, qui non servivit, sed potius dominatus est Iacobo, verum in Idumæis posteris eius, qui tempore Davidis ab eo subacti servierunt Hebræis, effectum habuit. Ita S. Chrysost. hom. 8. in Matth. et Euthym. in Matth. 2. Denique nomina propria sæpe patronymice sumuntur pro filiis et posteris, ut Isaac est Isacides, David est Davidides, puta Christus ex Isaaci et Davidis stirpe prognatus. Sic *Israel* vocantur Israelitæ, id est, posteri Israelis, sive Iacobi.

Can. 35. Scriptura potest habere varias versiones et sensus canonicos etiam litterales, uti docet S. August. Addit Leo Castrius prooemio in Isaiam, eam habere subinde varias lectiones etiam in originali Hebræo, intentas a Spiritu sancto, uti fusius explicui can. 8. in S. Paulum. Nota. Difficile, imo impossibile est subinde versionem Septuag. conciliare cum Nostra, aut cum Hebræo; sive quia ipsi aliter in Hebræo legerunt, sive quia corrupti sunt eorum codices, sive quia Spiritu sancto aliud suggerente, alio rapti sunt: interpretatio enim eorum laxior est et liberior, et subinde textu uberior.

Can. 36. Nabuchodonosor, Chaldæi, Assyrii aliique tyranni vocantur servi, milites et sacerdotes consecrati et missi a Deo ad vindictam scelerum et impiorum, ut Iudæos, Idumæos, Moabitas, Ægyptios aliasque gentes spolient, subigant, exscindant: non quod ipsi Dei iussu et revelatione id fecerint, ut vult Abulens. in Isaiæ 5. 26. et in cap. 10. 5. sed quod illis Deus arma, opes, vires, animos, prosperos successus et victoriam dederit, quibus tamen illi inique et iniuste contra Iudæos aliasque gentes sunt abusi; sed Deus hunc eorum abusum permisit, eoque usus est ad Iudæos et gentes iuste puniendum. Ita S. Aug. l. de Gratia et lib. arbit. c. 20. et 21. ubi docet Deum iis nescientibus, et aliud intendentibus, scilicet imperium et spolia, usum esse ad suam vindictam.

Nabuchodonosor non Dei iussu, sed ex se invasit Iudæos. Prob.

Prior pars, quod scilicet Dei iussu hæc non fecerint, patet ex eo quod Deus non miserit ad eos Prophetam aliquem, qui eos crearet imperatores, eisque ius daret in alios reges et gentes, uti misit Prophetam ad Ieroboam, qui ei deferret regnum decem tribuum, et ad Iehu, qui eum ungeret in regem; uterque ergo propriis dominis rebellando, et regnum occupando iuste fecit, uti docet S. 1. August. 17. Civit. 21. et patet 3. Reg. 11. Secus est de aliis, uti dixi. Secundo, patet ex eo, quod ipsi vel non sci- 2. verint, vel non curarint hanc Dei voluntatem, sed suæ ambitioni servierint. Hoc enim est quod de Sennacherib ait Isaias c. 10. v. 5. et 7. *Assur, virga furoris mei; ad gentem fallacem mittam eum, ut auferat spolia, etc. ipse autem non sic arbitrabitur, et cor eius non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor eius, et ad internecionem gentium non paucarum.* Et Cyro ait Isaias 45. 3. et 4. *Dabo tibi thesauros, etc. et non cognovisti me.* Tertio, quia eos 3. vocat *prædones* et *latrones;* Ieremia 4. 7. *Prædo gentium*, scilicet Nabuchodonosor, *levavit se:* et c. 18. 22. *Adduces super eos latronem repente.* Quarto, quia Script. eos ty- 4. rannidis et ambitionis arguit, prædicitque statim eorum perditionem, idque quia alias gentes, maxime Iudæos, invaserunt et vastarunt, ut de Babyloniis ait Deus Ierem. 51. 24. *Reddam* (eis) *omne malum quod fecerunt in Sion:* et c. 50. 29. *Quia contra Dominum erecta est, adversum Sanctum Israel.* Idem patet de Moabitis, Ammonitis et Idumæis, Ierem. 48. 27. Quinto, quia pari modo Attila, 5. Totila, et iam Turcæ fuerunt et sunt flagellum Dei, quo

castigat Christianos; et tamen certum est Deum eis non dedisse imperium in Christianos; imo Lutherus hoc ipsum fatetur, esto docuerit Turcæ non esse resistendum, eo quod Dei voluntate ad nos veniat ad nos castigandum; Sicut, inquit, virgæ patris filius resistere non debet. Qua in re turpiter errat; aliud est enim virga inanima, aliud tyrannus: huic resistere licet, illi non, cum a patre aliove ius habente infligitur.

Deus tamen ordinavit Nabuchodonosoris tyrannidem ad punitionem Iudæorum

Posterior pars, quod scilicet tyranni dicantur servi Dei, eo quod Deus iis usus sit, et ordinarit eorum tyrannidem ad punienda Iudæorum et aliarum gentium peccata, patet primo, ex eo quod Deus se facturum dicit, id quod Chaldæi et Assyrii facturi erant: quod enim quis facit per alium, perinde est ac si ipse faciat, ut habet regula Iuris.

I. Secundo, hac de causa Deus dicitur præcepisse Persis, ut invadant Babylonem, Ierem. 50. 21. utque omnes interficiant, et nihil in ea relinquant ibid. v. 26.

II. Tertio, quia Ierem. 27. 6. dicitur Deus dedisse Nabuchodonosori omnes gentes, ut serviant ei septuaginta annis.

III.

IV. Quarto, quia excidium Babylonis vocatur opus Dei, id est, divinæ iustitiæ et vindictæ, Ierem. 50. v. 25.

V. Quinto, quia Deus pro opere hoc suo, in quo ei materialiter servierat Nabuchodonosor, tredecim annis obsidendo et expugnando Tyrum, quasi in præmium et mercedem materialem promittit ei Ægyptum, Ezech. 29. 19. Dico materialiter: non enim fuit hic formale et intentum meritum: ergo nec formalis merces.

VI. Sexto, quia benedicuntur, et benedicti dicuntur qui Deo in hoc opere sancto iustitiæ subserviunt, esto materialiter id tantum faciant, cum formaliter non Deo, sed suæ ambitioni et avaritiæ servire intenderent. Sic Psal. 136. 8. dicitur: *Beatus* (Cyrus) *qui retribuet tibi* (o Babylon) *retributionem, quam retribuisti nobis: beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.* Sic benedictum dicitur lignum (arcæ Noe) per quod facta est iustitia, Sapient. 14. 7. Arca enim servans iustum Noe, laxavit quasi manus Deo, ut cæteros peccatores perderet diluvio. Sicut enim opus iustitiæ sanctum et beatum est, ita qui ei quoquo modo cooperantur, etiamsi materialiter tantum, sancti et beati vocantur; sed eatenus dumtaxat, quatenus illi operi sancto cooperantur.

E contrario de Babyloniis punientibus et vastantibus Moabitas dicitur Ierem. 48. 10. *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine*, q. d. Infelix sit ille et male illi cedat qui opus hoc iustitiæ divinæ remisse peragit, qui reos Moabitas non occidit, sed eis parcit: nimirum loquendo in genere et abstrahendo ab hoc vel illo qui tyrannice eos vel iniuste invadit, tantumque spectando opus hoc prout est opus iustitiæ et vindictæ divinæ, quam Deus vult peragi. Sic enim lictor vel carnifex, qui in hoc opere eiusque exsecutione negligens est, maledici et puniri meretur. Opus ergo hoc, puta excidium Moabitarum, prout erat opus iustitiæ divinæ ab eaque decretum, iustum et sanctum erat; et quicumque ei cooperabantur, iuste et sancte agebant, erantque benedicti: quatenus vero idem opus peractum est a Chaldæis, suas opes et imperium augere volentibus, eatenus fuit opus tyrannidis et rapinæ, ideoque iniustum et maledictum.

Can. 37. Deus Chaldæis, Assyriis, aliisque tyrannis dicitur præcepisse, et evocasse, excitasse, immisisse eos ad invadendam Iudæam, aliasque gentes, non quod positive et directe eos excitarit ad hanc tyrannidem, sed quod tyrannidem eorum prævisam sua providentia ita rexerit et flexerit ut non nisi in Iudæos et gentes punitioni a se destinatas erumperet. Omnis enim Dei providentia et ordinatio in Scriptura vocatur præceptum, evocatio, suscitatio. Deus enim præsidet ipsis voluntatibus malis, easque regit et gubernat, ut, licet vitio proprio malæ sint, tamen Dei providentia ad unum potius malum quam ad aliud ferri sinantur. Docet id S. Aug. in Psal. 73. *Impietas*, inquit, *eorum tamquam securis Dei facta est: facti sunt instrumentum irati, non regnum placati.* Adducit deinde S. Aug. exemplum virgæ, qua pater castigat filium, deinde ipsam virgam in ignem conicit. Impii enim sunt virga qua Deus pios castigat; sed iis castigatis impios in gehennam conicit. Clarius idipsum docet Hugo Victorin. lib. 1. de Sacram. p. 5. c. 29. *Deus*, inquit, *malis voluntatibus non dat corruptionem, sed ordinem: Velle enim malum, malum est, et a mala voluntate est: quod autem potius ad hoc quam ad illud est, bonum est; quia ordo est, et ex bene disponente* (Deo) *est. Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, et resolvi per proprium vitium, quod ei aliunde non datur: sed non potest per velle extra se præcipitari, nisi qua ei via aperitur. Et qui præcipiti qua vult, ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinat non impellendo, sed permittendo et non tenendo; nec auctor illi est ruendi, sed incedendi ordinator.* Sicut ergo qui leonem vel canem furiosum manu ligatum tenet, et nunc eum continet, ne hunc illumve amicum mordeat, nunc hoste transeunte eum laxat et dimittit, dicitur in eum leonem vel canem immisisse: ita Deus omnipotentiæ suæ manu ligatas tenet omnes impiorum voluntates: et cum eas laxat, atque in hoc malum, non in aliud ferri sinit, dicitur eas ad hoc excitare, vel immittere: quia sine eius laxatione, et quasi consensu sive venia imo concursu, in hoc malum erumpere non potuissent. Ita ergo laxavit Chaldæos, permisitque eos invadere Iudæos non Indos.

Omnis Dei ordinatio, vocatur præceptum.

Quomodo Deus excitarit Chaldæos contra Iudæos. Resp.

Adde, Deum dici eos excitasse. Primo, quia, ut dixi canone præcedenti, eis ingentes animos, vires, opes et victorias dedit. Animos, inquam, ad magna audendum, et ad imperium longe lateque propagandum. Secundo, quia menti eorum obiecit Iudæos et alias gentes, quasi opulentas et facile subiugabiles. Tertio, quia per Ieremiam aliosque Prophetas prædixit, Nabuchodonosorem illas subiugaturum, seque velle ut omnes ei serviant septuaginta annis. Quid hoc erat aliud, quam illi classicum canere, illumque quasi evocare ad invadendas alias gentes? nec enim dubium est, quin Nabuchodonosor partim ex nuntiis et legatis, partim ex transfugis, partim ex communi rumore et fama id cognoverit; ideoque ipse præcepit Nabuzardan in expugnatione Hierosolymæ, ut Ieremiæ, quasi sibi faventis curam gereret, eumque benigne tractaret cap. 39. v. 11. Quarto, quia exterius obiiciebat impedimenta, quæ diverterent Nabuchodonosorem ne invaderet alias gentes, et amovebat impedimenta quæ planam quasi viam ei facerent ad invadendum Iudæos, et gentes quas per eum punire volebat. Sic Ezechiel 21. 21. cum Nabuchodonosor iaceret sortem per duas sagittas, ex eaque quæreret omen, an contra Ammonitas, an contra Ierusalem pergere deberet; Deus fecit ut sors caderet contra Iudæos, itaque eum quasi impulit ad invadendam Ierusalem. *Sortes* enim, ait Sapiens, *in sinum mittuntur, sed a Domino temperantur* et disponuntur. Porro quomodo Deus hoc bellum ad quod convocat Chaldæos, vocet *sanctum*, dicam Ierem. 6. 4.

1.

2.

3.

4.

Nomina abstracta pro concretis poni solent, tum active, ut *formido* vocatur Nabuchodonosor terribilis, qui formidinem incutiebat Iudæis totique orbi, Isaiæ 2. v. 19. Sic Priapus in hortis vocatur ab Horatio *avium formido.* Tum passive, præsertim cum actus aut potentia ponitur pro obiecto. Sic Deus dicitur *amor*, *spes*, *timor noster*, id est a nobis summe amandus, sperandus, timendus. Sic Psal. 70. 5. dicitur: *Tu es patientia mea, Domine*, id est, tu es propter quem patior. Sic Ecclesia, et S. Paulus Ephes. 3. 10. et Coloss. 1. 16. angelos vocat alios *Dominationes*, id est dominantes; alios *Potestates*, id est potentes; alios *principatus*, id est principes, etc. Sic Isaias c. 60. 17. ait: *Ponam visitationem* (id est visitatores) *tuam pacem* (id est pacificos) *et præpositos tuos iustitiam*, id est iustissimos, ita ut videantur esse norma iustitiæ, ipsaque iustitia. Can. 38.

Climata, seu plagæ orbis in Scriptura consignantur iuxta situm Ierusalem et templi, inquit S. Hieron. in illud Zachar. 2. 6. *De terra Aquilonis.* Hinc Ægyptus dicitur esse ad Austrum, scilicet respectu Hierosolymæ. Ita Daniel c. 11. prædicit *reges Austri*, id est reges Ægypti conflicturos cum regibus Aquilonis, id est Syriæ, puta Can. 39

*

Ptolemæos cum Antiochis. Sic Assyrii et Chaldæi vocantur Aquilonares, scilicet respectu Iudææ. Unde Ieremiæ c. 1. 14. ait: *Ab Aquilone,* id est a Babylone, *pandetur omne malum.* Hinc et per *mare* communiter significant Occidentem: quia mare Mediterraneum maiori ex parte est ad occidentem Iudææ; quia tamen idem ex parte eidem est ad Austrum, hinc subinde *mare* significat Australem plagam, ut Psal. 88. 13. *Aquilonem et mare*, id est Austrum sive Meridiem, *tu creasti*: et Psal. 106. 3. *A solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari*, id est Austro: nominantur enim hic quatuor plagæ mundi.

Can. 40. Quæ de Christo dicuntur in Scriptura, aliquando de solo capite, id est Christo ipso; aliquando de solo corpore, id est Ecclesia; aliquando de utroque dicuntur; et solerter dispiciendum, quid de quo dicatur: Scriptura enim latenter ab uno transit ad aliud. Ita S. Aug. ex Tichonio, lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 31. et seqq.

Can. 41. Multa prædicunt Prophetæ quæ certum est impleri debuisse, etiamsi quomodo et quando impleta sint, nec sacra Scriptura, nec historiæ profanæ narrent. Sic Isaias c. 23. 17. prædicit Tyrum vastandam a Chaldæis, et post 70. annos redituram ad pristinum splendorem. Idem de Ammonitis prædicit Ieremias cap. 49. 6. Simile de Ægypto a Chaldæis vastata, et post 40. annos restauranda prædicit Ezechiel c. 29. v. 12. et 13. Quæ quando impleta sint, nescimus. Sic Aggæus, Zacharias, Abdias et Malachias multa a regressu Iudæorum ex Babylone usque ad Christum futura prædicunt, quæ nec Esdras, nec libri Machabæorum, nec alii historici facta esse commemorant.

Can. 42. Solent Prophetæ postquam contra Iudæos prophetarunt, ad inimicas Iudæis nationes sermonem et minas convertere, ad Iudæorum consolationem, et ad ipsarum gentium tum iustam punitionem, tum consolationem, ex salute afferenda per Christum. Sic Sophonias postquam c. 1. 4. prædixit cladem Iudæ et Ierusalem, mox cap. 2. prædicit excidium Gazæ, Ascalonis, Moab, Æthiopiæ, Ninives et Assyriorum. Sic Isaias post onus Iudææ transit c. 13. et seq. usque ad 24. ad onera Babylonis, Moab, Ammon, Idumææ, Tyri, et aliarum gentium, quæ Iudæos afflixerant. Idem facit Ieremias c. 46. et seq.

Can. 43. Quod ad sensum allegoricum attinet, notant S. Basilius in Isaiæ cap. 2. et S. August. epist. 99. ad Evodium, unam rem in Scriptura simul esse figuram duorum etiam contrariorum; ut diluvium fidelibus fuit typus baptismi, infidelibus mortis et gehennæ. Sic Christus credentibus fuit lapis salutis, non credentibus vero lapis offensionis, et petra scandali. Sic vir fortis vocatur leo, et aquila, itidem et tyrannus, ait S. Hieron. in Ezech. 17.

Can. 44. In sacra Scriptura omnes sententiæ, omniaque verba debent applicari rei significatæ in sensu litterali, non autem allegorico. Ita S. Hieron. in c. 5. Osee. Vide can. 40. in Pentateuch.

Can. 45. Quoad tropologiam, facile est ea quæ Prophetæ prædicunt, promittunt, comminantur, præcipiunt, suadent, exprobrant Iudæis, aliisque gentibus, mutato nomine transferre ad Christianos. Rursum ea quæ de Synagoga, quasi muliere una ab iis dicuntur, facile est per tropologiam applicare ad animam fidelis cuiusque. Unde recte S. Hieron. in cap. 23. Ierem. *Quidquid*, inquit, *de terra Iudææ dicitur ad litteram, refer tropologice ad congregationem fidelium, quoniam propter eorum adulteria, mendacia, periuria, etc. virtutum et donationum Dei sterilitas in Ecclesia fit.*

Sic per regem Babylonis tropologice accipe diabolum; per Philisthinos, Idumæos, Moabitas, aliosque hostes Iudæorum, accipe infideles, hæreticos et impios, ac vitia et vitiosos; per Cyrum accipe Christum.

Can. 46. Solent Prophetæ redemptionem Christi describere quasi bellicam victoriam, in qua hostes cæduntur, subditi liberantur et salvantur. Hinc eam simul vocant stragem et salutem, ultionem et redemptionem, indignationem et pacem. Hinc rursum Christum inducunt quasi militem cataphractum cædentem et proterentem omnia; tum quia Christus protrivit hostes suos, puta dæmonem, peccatum, carnem, mortem; tum quia homines infideles et impios sibi subegit, itaque occidit in eis impietatem et scelera, atque ex eis novos homines, pios, sobrios, castos suscitavit. Vide canon. 42. in Pentateuch. Hoc est quod ait Isaias c. 59. 17. *Indutus est iustitia ut lorica, et galea salutis in capite eius: indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli: sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, et vicissitudinem inimicis suis: insulis vicem reddet.* Et c. 63. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Quare ergo rubrum est indumentum tuum? Torcular calcavi solus, etc. calcavi eos in furore meo, etc. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* Nimirum, ut ait Claudianus in 6. consul. Honorii:

Nulla est victoria maior,
Quam quæ confessos animo quoque subiugat hostes.

Sic explicat S. Augustin. illud Ps. 149. 6. *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, etc. Pagani,* ait, *occiduntur, cum Christiani fiunt: quia quæro Paganum, et non invenio: ergo mortuus est Paganus. Nam si non occiduntur, unde dictum est Petro, Macta et Manduca? Sic occisus est Paulus persecutor, et erectus est Paulus prædicator.*

Prophetæ anthropopathῶς, sive humano more loquuntur de Deo. Hinc tribuunt ei humanam figuram, os, oculos, manus, pedes, etc. item iram, indignationem, amorem, gaudium, exsultationem, aliasque passiones hominis. Harum enim affectus naturales et boni sunt in Deo, si ab eis demas quod vitiosum, excessivum, turbidum, et præter rationem est. Affectus enim amoris et gaudii circa bonum, æque ac odii ac detestationis circa malum, vere sunt in Deo. Can. 47

Deus dicitur non pluere, sed stillare suas plagas, quia iram suam misericordia temperat. Hinc Ezech. c. 20. 46. dicitur, *Stilla ad Africum*: ut non tota Dei ira videatur effusa, sed stilla quædam et pars. *Si autem stilla tantæ sævitiæ est, quid in totis imbribus æstimandum erit?* inquit S. Hieron. ibid. Sic et Ezechiel. c. 21. v. 2. et Daniel c. 9. v. 11. *Stillavit super nos maledictio, et detestatio, quæ scripta est in libro Mosis servi Dei, quia peccavimus ei.* Hinc etiam Apocal. 15. ira Dei dicitur phialis contineri, et ex iis effundi: phialæ enim angusto sunt ore, unde ex iis ira non potest nisi guttatim fluere. Misericordia enim divina iudicia comprimit et constringit, ne fundant, sed stilleut iram, iuxta illud Psalm. 77. 38. *Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum: et non disperdet eos. Et abundavit* (Dei misericordia) *ut averteret iram: et non accendit omnem iram suam: et recordatus est quia caro sunt.* Can. 48

Prophetæ utuntur metalepsi, ut ex antecedentibus intelligant ea quæ naturaliter consequi solent. *Sic audire* sumunt pro audita facere, et obedire: *nescire* pro scita non agere; qui enim quæ agenda sunt scit, et non agit, perinde est ac si nesciat. Sic Isaiæ 30. 2. Iudæis fugientibus in Ægyptum dicitur: *Os* (Domini) *non interrogastis*, id est interrogationem et responsionem Domini non estis secuti: vere enim interrogaverant audierantque a Ieremia responsum Dei ne fugerent in Ægyptum, sed illud sequi noluerant. Sic poetæ sæpe utuntur metalepsi; ut Virgil. eclog. 1. *Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas.* Per *aristas* enim segetes, per segetes æstates, per æstates annos intelligit. Sic, *Speluncis abdidit atris*, id est profundis: profunda enim umbrosa sunt, umbrosa atra videntur. Can. 49.

Similiter, tam Prophetæ quam poetæ sæpe utuntur catachresi, sive usurpatione nominis alieni, v. g. cum parricida vocatur is qui fratrem occidit, piscina quæ pisces non habet. Sic Virgil. 7. Æneid. ait: *Aut acres tendunt arcus.* Ubi Servius, *acres*, id est, fortes per catachresin; nam acrimonia proprie mentis est. Ita Prophetæ *apertam* vocant, quod transeunti nullam adfert remoram, etiamsi sit clausum. Sic Stephanus vidit cælos sibi apertos, Act. 7. 55. Sic Christus solus dicitur aperuisse uterum matris,

id est, per eum clausum penetrasse, et in lucem ac orbem exsiliisse ac si apertus fuisset. Ita loquuntur S. Hieron. S. Ambros. S. Chrysost. Origen. et Theophyl. quos citavi Exodi 13. 1. sicque ipsi de Christo explicant illud Lucæ 2. v. 23. *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.*

Can. 50. Oracula Prophetarum singulis sæpe capitibus sunt alia et alia, ac novo et diverso tempore edita: unde et subinde diversos habent titulos, ut patet Isaiæ 14. 28. et c. 21. v. 11. et 13. Quocirca capita (imo partes eiusdem capitis subinde) sæpe non habent inter se connexionem et continuationem, nec servant seriem temporum: sed singula capita singulæ sunt prophetiæ, et quasi singuli libri diverso tempore dictati et scripti, qui postea fuerunt in unum volumen collecti. Hac de causa crebra hic est hysterologia.

Can. 51. Vocula *si* Hebræis est nota iurantis, estque aposiopesis ad euphemismum boni ominis causa. Verbi gratia: *Vivit Dominus si veniat hostis,* id est, iuro quod non veniat hostis, adeoque si veniat, non habear Deus aut verax. Potest secundo, sine aposiopesi *si* pro *non* accipi. Ubi Nota, cum post verba iurandi sequitur dictio *si,* tunc *si* orationem affirmantem vertit in negantem, orationem vero negantem vertit in affirmantem: ut Ps. 94. 11. *Sicut iuravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam,* id est, quod non introibunt. Vice versa Isaiæ 14. 24. *Iuravit Dominus: Si non, ut putavi, ita erit,* id est, iuravit quod uti ipse putavit, ita erit. Ita Maldon. in Ezech. c. 18. v. 3.

Can. 52. Hebræi cum in genere aliquo significare volunt omnia, genus fœmininum iungunt masculino, ut Isaiæ 3. 1. *Auferet a Ierusalem validum et fortem*; Hebr. est, *sustentantem et sustentatricem*; Septuaginta, *validum et validam*; id est, omnes fortes tam viros quam fœminas, qui urbem tueri et sustentare poterant. Sic Eccles. 2. 8. *Feci mihi cantores, et cantatrices,* id est, omne musicorum genus. Ierem. 7. 34. *Quiescere faciam vocem sponsi et vocem sponsæ,* id est, omnis nuptialis plausus. Simile est Isaiæ 22. 16. et c. 38. 16. et alibi in Hebræo.

Can. 53. Relativum aliquando refertur non ad id quod expressum est, sed ad id quod quis tacite secum cogitat. Ut Cantic. 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui*; ubi illud *sui*, refert *sponsum*, qui prius non expressus, sed cordi sponsæ alte erat infixus. Psal. 86. 1. *Fundamenta eius in montibus sanctis*; ubi *eius*, refert *Ierusalem*: quam licet non nominasset Propheta, animo tamen volvebat. Psal. 113. 2. *Facta est Iudæa sanctificatio eius*, nempe, *Dei*, cuius opera secum admirabatur David. Threnor. 3. 1. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius*, scilicet *Dei*: illius enim indignationem animo pertractabat. Ioan. 20. 15. ait Magdalena Christo quem non agnoscebat, putans esse hortulanum: *Domine, si tu sustulisti eum*, nempe *Christum*, in quo erat tota, et de quo credebat hortulanum cogitare.

Can. 54. Ludunt subinde Prophetæ in eadem voce contrarie accepta, ut Isaiæ 29. 1. *Væ Ariel, Ariel*; et vers. 2. *Erit mihi quasi Ariel*, q. d. Ierusalem, quæ erat ariel, id est leo Dei, prædando alias gentes, erit mihi prædæ quasi ariel, id est, quasi ariel maledictionis. Sic Apostolus ludit in voce *peccatum*: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum* (id est hostiam pro peccato) *fecit*, 2. Corinth. 5. 21.

Sic *benedicere* capiunt pro maledicere per euphemismum, ut *Naboth benedixit*, id est maledixit, *Deum*, 3. Reg. 21. 13 Sic *sanctificare* capiunt pro polluere; ut Deuter. 22. 9. Sic קדש *kades*, id est sanctus, vocatur cinædus, et *kedesca* scortum, q. d. minime sanctum. Sic *sacer* Latinis capitur pro exsecrando, ut apud Horat. ode 7. *Sacer nepotibus cruor*; et Virgil. 3. Æneid. *Auri sacra*, id est exsecranda, *fames*. Sic *anathema* vocatur donum Deo oblatum, item res exsecranda, morti et diris devota.

Rursum ludunt eleganter in eadem voce per antiphrasin, ut videantur ænigma proponere. Sic ludit Isaias c. 26. 11. *Domine, exaltetur manus tua, et non videant: videant, et confundantur.* Et Osee 1. 10. *Et erit in loco ubi dicetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filii Dei viventis.* Et c. 2. 24. *Dicam non populo meo: Populus meus es tu*, sive, ut Apostolus citat Rom. 9. 25. *Vocabo non plebem meam, plebem meam: et non dilectam, dilectam: et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Sic Gentiles et sæculares per antiphrasin elegantia formant ænigmata, quale est illud Platonis lib. 5. de Legib. et apud Athenæum lib. 10. Dipnosophist. *Vir non vir, videns non videns, lapide non lapide, percussit avem non avem, sedentem super arborem non arborem*, hoc est, eunuchus luscus pumice percussit vespertilionem sedentem super sambucum.

Tale antiphrasticum ænigma est Bononiense apud Franciscum Schotti cent. 2. ænigm.

Ælia Lælia Crispis, nec vir, nec mulier,
Nec androgyna, nec puella, nec iuvenis,
Nec anus, nec meretrix, nec pudica,
Sed omnia:
Sublata neque fame, nec ferro, nec veneno,
Sed omnibus:
Nec cœlo, nec aquis, nec terris,
Sed ubique iacet.
Lucius Agatho Priscius, nec maritus,
Nec amator, nec necessarius, neque
Moriens, neque gaudens, neque flens,
Hanc neque molem, nec pyramidem,
Nec sepulcrum,
Sed omnia.
Scit et nescit cui posuerit.
Hoc est sepulcrum intus cadaver non habens;
Hoc est cadaver sepulcrum extra non habens;
Sed cadaver idem est et sepulcrum sibi.

Quod multi de anima hominis, alii de cupidine, alii de aqua nubium, alii (et forte verius) de Niobe filia Tantali, quæ vi oppressa ex dolore in saxum a poetis dicitur versa, interpretantur.

Tale est et illud Alexidis Poetæ in ὕπνῳ: *Non mortalis, neque immortalis, sed habens quoddam utriusque temperamentum, ut neque hominis parte vivat, neque Dei, sed nascatur semper.* Hic est Somnus.

Est apud Hebræos ὑποκαλισμος: honestis enim verbis rem inhonestam declarant. Sic *cognoscere uxorem* apud eos significat actum coniugii: sic *aquam pedum* vocant urinam quæ ad pedes solet defluere. Sic Ezech. c. 7. 17. ait: *Omnia genua fluent aquis*, id est urina, q. d. Præ metu comingent se. *Sic mingentem ad parietem* vocant canem. *Canis* enim nomen Hebræis vile est et inhonestum, ac pessime sonat, ut 1. Reg. 25. 34. ait David ad Abigail: *Nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal, etc. mingens ad parietem*, q. d. Ex domo Nabal omnes occidissem, et ne vel canem superstitem reliquissem, nisi tu mihi occurrisses, meque tua blandiloquentia et humilitate placasses. Sic *magnas carnes* Ezechiel. 16. 26. et *carnes asinorum* Ezech. 23 20. vocant magna genitalia. Sic ibidem et sæpe alibi dicunt Prophetæ, *divisit pedes suos*, id est, prostituit se. Can. 55.

Gaudent Prophetæ, præsertim Ezechiel et Daniel, ænigmatibus, emblematibus, proverbiis. Ita Daniel per ænigma arboris c. 4. describit imperium Nabuchodonosoris. Et c. 2. per ænigma statuæ quadrifidæ repræsentat quatuor monarchias, easdem repræsentat per quatuor bestias c. 7. Cap. 5. per *mane, tekel, phares,* portendit excidium regis et regni Babylonici. Cap. 8. per emblema hirci pugnantis et debellantis arietem, prædicit pugnam et victoriam Alexandri Magni contra Darium. Ezechiel. c. 1. per quatuor animalia et currum Cherubim, depingit Dei magnificentiam, potentiam et vindictam. Cap. 5. per ænigma novaculæ radentis pilos et barbam, Chaldæos occidentes tum plebem, tum principes Iudæorum. Cap. 9. per signum thau repræsentat crucem, et patientiam Christi et Sanctorum. Cap. 16. per fornicationem sponsæ redarguit idololatriam Ierusalem. Cap. 17. per pugnam duarum aquilarum, oculis subiicit pugnam Nabuchodonosoris et Pharaonis. Cap. 19. per leones et leunculos, depin- Can. 56.

git regnum et tyrannidem Ioachaz, Ioakim, et Sedeciæ. Cap. 23. per meretricium Oollæ et Oolibæ, describit idololatriam Samariæ et Ierusalem, etc. Sic c. 18. 2. dicunt Iudæi: *Patres nostri comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt*; hoc est, patres peccaverunt, filii puniuntur. Sic Ierem. c. 6. 29. de pertinacibus Iudæis ait: *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.* Tale est et Thren. 4. 7. *Candidiores Nazaræi eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Talibus et gaudet Isaias, ut c. 1. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua.* Et c. 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Et c. 14. 29. *De radice colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens volucrem.* Et c. 16. 1. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion.* Et c. 18. 1. *Væ terræ cymbalo alarum, etc. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam.* Et c. 29. 1. *Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David: et circumvallabo Ariel, et erit mihi quasi Ariel.*

Causæ sunt duæ: prior, quia prophetia cum sit arcana et obscura, gaudet stylo arcano et obscuro: posterior, quia prisci sapientes suam sapientiam tradebant per ænigmata, ut eius desiderium et studium in discipulis acuerent. Ita Ægyptii sua dogmata celabant, et tradebant per figuras hieroglyphicas. Ita Sophista regis Ægyptii Nectanebo hoc ænigma Æsopo proposuit: *Est*, inquit, *templum magnum, et in ipso columna duodecim habens urbes, quarum quælibet triginta trabibus sustinetur, has vero trabes duæ circumeunt mulieres.* Cui Æsopus: *Templum*, ait, *est mundus, columna annus, urbes menses, trabes dies, at mulieres ipsæ duæ dies et nox.* Porro Æsopus ipse per fabulas, id est emblemata, ingeniose et facete suam mythologiam, id est Philosophiam moralem, conscripsit. Cratetis Thebani dogma fuit, teste Plutarcho: *Pro lente olla non est augenda, ne in seditionem coniiciamur*, hoc est, cibis non est opplendum aut gravandum corpus, ne in perturbationem profluviumque deducatur. Amphion apud Pacuvium hoc de testudine ænigma proposuit: *Quadrupes, domiporta, tardigrada, agrestis, humilis, aspera, capite brevi, cervice anguina, aspectu truci, eviscerata, inanima cum animali sono.* Tale est illud medici ægro imperantis, ut sumeret *terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam*, id est cochleam. Tale fuit oraculum datum Philippo: *Omnia tu vinces, fuerint si argentea tela.* Docuit enim eum lanceis argenteis, id est pecuniis, expugnandas esse urbes, præsidiariis argento corruptis.

Tale fuit illud Virgilii in Bucolic. ecloga 3. quo se crucem Grammaticis fixisse asserebat:

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores?

Quod de flore hyacintho passim interpretantur: de quo duplex narratur fabula, Hyacinthi scilicet Œbalii adolescentis ab Apolline amati, et Aiacis Telamonii, qui ambo in eumdem florem conversi feruntur: in quo quidem flore flebilis illa Græcorum vox αι, αι a natura efformata et inscripta invenitur. Noster tamen Ioan. Cerda hoc ænigma exponit de Augusto Cæsare, cuius effigies et nomen in nummis cudebatur inter flores: atque inde videri ortum nomen Florinorum in re nummaria. Tale est et hoc eiusdem:

Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas.

Quod de puteo in Syene facto interpretantur, quem Mathematici ea ratione effoderant, ut solstitium indicaret: eo enim tempore nusquam umbras sol ibi flectere dicitur. Tale fuit et Sphingis ænigma de homine: *Mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes.* Atque hæc est causa, cur Scriptura subinde per mimesim citet μύθους, apologos, et fabulas Gentilium, ut fabulam Titanum Iudith 16. 8. cornu Amaltheæ Iob. 42. 14. iuxta Septuag. fabulam Centaurorum Isaiæ 34. 14. uti ibi pluribus dicam.

Can. 57 Pari modo utuntur symbolis, et symbolicis figuris, ideis, ac phrasibus, præsertim in rebus divinis. Idem fecerunt prisci Gentium Theologi, et divini, ut ipsi censebant, legumlatores, ut Zoroastres, Zamolxis, Zaleucus, Dardanus, Charondas, Numa. Idem fecit et impostor Mahomet in suo Alcorano. Idem fecit et Christus docens per parabolas et symbola, Matth. 13. 34. Nam ut sancte, impius licet ipse, Iulianus Cæsar ait: *Amat divina natura celari, et abdita eius substantia non patitur nudis verbis in aures introire pollutas.* Et ut Macrobius ait: Deus, sicuti vulgaribus hominum sensibus, intellectum sui vario rerum tegmine operimentoque subtraxit: ita a prudentibus arcana sua voluit per arcana tractari, ut scilicet figuris et involucris tecta, a vilitate sint secreta ac debitam obtineant venerationem. Quare Numenium philosophum offensam pertulisse numinis ferunt, quod Eleusinia sacra interpretando vulgasset. Vidit enim in somnis deas ipsas habitu meretricio, in fornice prostantes: id cum admirans quid hoc esset percunctaretur, ei responsum fuit ipsas deas iratas ab ipso pudicitiæ adyto vi abstractas, passimque ab eo prostitutas. Theodectem oculis, Theopompum mente fuisse captum, quod quædam dicta Mosis et S. Scripturæ carmine publicassent et profanassent, scribit Aristæas. Quocirca S. Dionysius hæc sacra symbola vocat, eademque de causa a Theologis nonnullis triplex Theologia dicitur symbolica, mystica et telestica.

Ubi nota. S. Dionysius l. de Divin. nom. et lib. de Mystica Theolog. S. Thom. 1. p. qu. 12. et 13. ac passim Scholastici docent, Deum et divina tripliciter a nobis cognosci. Primo, per viam ascensus a creaturis ad creatorem, quasi ad eorum originem et auctorem. Nam, ut ait Apost. Rom. 1. 20. *Invisibilia ipsius* (Dei) *a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus et divinitas.* Secundo, per viam negationis, v. g. cogitando et dicendo: Deus non est lapis, non cælum, non homo, non angelus, sed essentia et maiestas hæc omnia in infinitum transcendens, de quo S. Dionysius c. 2. et 4. Cælest. hierarc. Tertio per figuras et symbola corporalia, quæ incorpoream eius naturam corporeis nobis repræsentant, quasi per umbram et imaginem. Hic tertius modus facilior est et suavior; suavius enim et iucundius Deum per symbola quasi per speculum intuemur. Quocirca tertio hoc modo Scripturæ, et præsertim Prophetæ crebrius utuntur.

E Gentilibus hac in re excelluit Pythagoras, qui aurea sua de Deo, deque moribus et virtutibus dogmata per symbola tradidit et conscripsit eaque cum a Mose et Prophetis didicisse, docet Eusebius lib. 10. de Præpar. Evang. c. 2. Theodor. l. 2. de Principiis. Origen. lib. 1. contra Celsum, S. Ambros. lib. 3. epist. 20. ad Irenæum, Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. Iosephus lib. contra Apionem, Lilius Gyraldus in præfat. Symbolorum Pythagoræ, ac aperte ostendit Hermippus lib. 1. de Pythagora: unde et nonnulli Pythagoram circumcisum imo eumdem fuisse cum Ezechiele Propheta (qui symbolis abundat) censuerunt, ut ostendam præfat. in Ezech. Eum secuti non tantum Græci, sed et Romani, sua habuere symbola, quibus papaver fertilitatis et urbis symbolum fuit, malum cydonium connubii, Adon fructuum, Liber pater libertatis, Atys florum, spuma genituræ, Satyrus libidinis, teste Eusebio et Plutarcho.

Porro Pythagoræ triplicia fuere symbola: primo, theologica et divina; secundo, ethica; tertio, politica. Divina sive de Deo, hæc præcipue fuere. Primo, *Ne coacerva ligna cupressina*, id est, Deo consecrata in proprios usus ne converte: ex cupresso enim fiebat Iovis sceptrum, ait Hermippus. Secundo, *Ignem gladio ne scalpas*, id est, Deo linguæ acumine ne maledicas. Ita aliqui: licet alii aliter, et forte melius de quo mox. Tertio, *Dei figuram in annulo ne insculpas*, id est, sententiam et sermonem de Deo ne facile manifestes et divulges, ne abeat in contemptum. Ita Cyrillus, aut, ut Gyraldus, ne in deliciis, vel in propatulo Dei effigiem et memoriam habeas. Quarto, *Gallum nutrias, ne tamen sacrifices*, id est, milites alas qui urbem custodiant, sed sacris eos ne admisceas.

Symbola Pythagoræ Theologica.

Quinto, *In sacrificio ungues ne seca*, id est in sacris ne te rebus supervacaneis aut sordidis occupes. Sexto, *Surgens e lecto stragula complicato*, id est, mane erigens te ad rerum divinarum contemplationem, corporeos sensus deserito. Septimo, *In iussu imperatoris* (id est, Dei) *ex statione*, id est vita, *ne decedas*, hoc est, vitam temere ne perde sive prodige. Octavo, *Ex imputatis vitibus Diis ne liba*, id est, actiones et victimas tuas puras, id est putatas et purgatas, Deo offer; Deus enim odit omne impurum. Nono, *Nudis pedibus rem divinam facito*, id est, purgatis affectibus (horum enim symbolum sunt pedes) rem sacram facito. Decimo, *Adoraturus sede*, id est, dum oras, pacato et tranquillo animo sis, ut eum totum in Deum colligas et transfundas. Undecimo, *Cum veneris in templum adora, nec interea aliud facias.* Duodecimo, *Ex itinere præter propositum in templum non ingreditor*, id est, rebus profanis et irreligiosis sacra et divina ne commisceas. Decimo tertio, *ne absque lumine de rebus divinis loquare*, id est, ne sine cælesti illustratione, puta sine fide et sapientia divina, de Deo loquere. Decimo quarto, *Cum tonat terram tange*, id est, cum instant signa iræ Dei, te humilia memor tuæ originis, itaque Deum obsecra. Decimo quinto, *Linguam coerceto Deum imitans*: nam *proximus ille Deo qui scit ratione tacere.* Unde Pythagoras primo discipulos suos quinquennio silere iubebat. Decimo sexto, *Inter cætera colenda est perfectissima trinitas.* Videtur Pythagoras ab Ægyptiis et Hebræis hausisse tenuem aliquam notitiam Sanctissimæ Trinitatis, aut certe ternarium numerum, utpote primum perfectum, Deo dicandum censuit. Vere enim dixit Theodor. lib. 2. de Principiis: *Anaxagoras, Pythagoras, Plato, ænigmata quædam de Deo ab Ægyptiis Hebræisque collegerunt.*

Ethica. Secundo, ethica Pythagoræ insignia sunt, quæ ab Hebræis et Chaldæis hausit. Nam et Salomon suam Ethicam per symbola tradidit; unde et eamdem Proverbia et parabolas inscripsit. Illustriora ergo in hoc genere Pythagoræ hæc sunt. Primo, *Iugum stateramve ne transilito*, id est, æquitatis et iustitiæ normam ne transgreditor. Ita S. Hieronym. et Plutarch. licet aliter exponat Cyrill. Alexand. Stateram, ait, ne transilito: id est, avarus ne esto. Secundo, *Hirundines familiares non habe*, id est, cum garrulis et nugacibus non conversare, silentes et silentium cole. Tertio, *Cum profectus fueris ne redeas, ne reflectas*, id est, cum vitam mutaveris in melius noli reverti ad tuas cupiditates. Quarto, *Per viam publicam ne vadas*, id est, vulgi errores et mores ne sequare. Quinto, *Ignem igni ne addas, et ignem gladio ne scalpas*, id est, cum irato, præsertim divite, ne contendas, ne ei bilem acuas. Ita Clemens Alexand. l. 6. ἀναγνωστέων. Sexto, *Animalia unguicurvia ne nutrias*, id est, cave ne domi fures aut rapaces habeas. Septimo, *Annulum angustum ne feras*, id est, ne anxie vivas, ne servituti aliique obligationi te implices, ex qua explicare deinde te non possis. Ita S. Hieron. Octavo, *A fabis abstineto*, id est, a suffragio ferendo (hoc enim fiebat per fabas) et a iudiciis, id est, a magistratu, abstine; aut, ut Cicero lib. de Divinat. *Fabas suis vetuit Pythagoras. quia faba habet inflammationem magnam* (unde et fertur incitare ad libidinem) *ac proinde hic cibus tranquillitatem mentis quærentibus contrarius est.* Nono, *Cor ne edito*, id est, ne te angas, ne te curis conficias. Ita Cyrillus. Decimo, *Sal appone*, id est, ubique utere discretione et prudentia. Undecimo, *Ne frangas dentes*, id est, ne detrahas cuipiam aut maledicas. Duodecimo, *Coronam ne carpito*, id est, principes et magistratus ne carpas aut lacessas. Decimo tertio, *In cinere ollæ vestigium confundito*, hoc est, post inimicitiam nullum iræ vestigium serva, sed omnem eius memoriam abole. Decimo quarto, *Adversus solem ne mingas*, id est, omni loco pudorem et verecundiam serva. Decimo quinto, *Adversus solem ne loquere*, id est, veritati manifestæ ne obstrepas. Decimo sexto, *In via ne ligna seces*, id est, quæ communia et publica sunt noli turbare. Decimo septimo, *Elixum ne asses*, id est, mansuetos ne irrita; est enim eorum ira tarda: sed longa et implacabilis. Decimo octavo,

A *Gladium acutum averte*, id est, a periculo abstine. Decimo nono, *Quæ ceciderunt ne colligito*, id est, ne sis tuarum rerum amator ardentior. Vigesimo, *Non propter opes ducenda est uxor:* magis enim morum et virtutis habenda est ratio. Vigesimo primo, *Adoranda est Echo cum flant venti*, id est, occasioni et tempori serviendum est, neque ventis reflandum. Vigesimo secundo, *Mitem arborem ne viola nec cæde*, id est, innocentes et mansuetos ne inquieta, ne vexa. Vigesimo tertio, *Super modium ne consistas*, id est, otium fuge. Vigesimo quarto, *Oleo sedem ne commacula*, id est nihil agas quod cuiusquam quietem turbet. Vigesimo quinto, *Sepiam piscem ne edas*, id est, res implicatas ne suscipe. Vigesimo sexto, *In astrum numquam digitum intende*, id est, de supremis viris nihil temere loquere. Vigesimo septimo, *In arundineto non confabulare*, id est, cum levissimis hominibus familiaritatem non habe. Vigesimo octavo, *Candelam ad parietem non applica*, id est, tardis et frigidis hominibus sapientiæ laudes non commoda. Vigesimo nono, *In nive non* B *scribe*, id est stupidis et mollibus animis nihil committe. Trigesimo, *Vulturem avem in augurio esse infelicissimam*, id est, noxios homines facile esse infelices. Trigesimo primo, *Facilius emori hominem cui oculi claudantur*, id est, hominem ipsum ex negligentia facile in miseriam cadere.

Politica. Tertio, symbola Pythagoræ politica, sive partim politica, partim œconomica, partim ethica hæc sunt. Primo, *Extra publicam viam ne eas*, id est consuetudines et publica instituta serva. Secundo, *Progredienti gregi de via decede*, id est, multitudini te non oppone. Tertio, *A mustela e transverso retrocede*, id est, homines delatores fuge; nam mustelam ore parere affirmant. Quarto, *Arma a muliere subministrata reiice*, id est, non sume animos a fraude vel effœminata aliqua consuetudine. Quinto, *In tenebris absque vestitu aliquo non vade*, id est, nudam et apertam sententiam in obscuris rebus non profer. Sexto, *Rectum pedem promove*, id est, recta et iuxta profer. Septimo, *In poculi fundo residuum non relinque*, id est, ar- C tes quas cœperis, funditus exhauri. Octavo, *Colubrum intra ædes collapsum non perime*, id est, hospitem quamvis nocivum perhumaniter tracta. Nono, *Offensa in vestibulo obscœna vetula, non egredere*, id est, res quarum turpia sunt principia, non prosequere. Decimo, *Noctu in tenebris deambulare cave*, id est, enitere, ut fuisse in vita videaris. Undecimo, *Sole collucente ignem non defer*, id est, rebus claris et perspicuis rationem non affer. Duodecimo, *Lapidem in fontem iacere scelus*, id est, in eum qui det operam utilitati publicæ, durum aliquod iniicere, scelus. Decimo tertio, *Pede in limine illiso retrocede*, id est, quæ in ipso principio noxia sunt, non prosequere. Decimo quarto, *Lumen post caput appensum non detine*, id est, industriam et providentiam non in postremis habe. Decimo quinto, *Sinistra manu cibum ne sumito*, id est, non nisi recto et legitimo lucro vive. Decimo sexto, *In sacrato sepulcro non dormi*, id est, res consecratas superis ad voluptatem et socordiam non substerne. Decimo D septimo, *Minuta panis pedibus non calca*, id est, quamvis minimam degendæ vitæ rationem non pessumda. Decimo octavo, *Egrediens introiensque, valvas exosculare*, id est initia et fines actionum et institutorum complectere. Decimo nono, *Lyram illotis manibus non attinge*, id est, purissimum eum qui dicat esse oportet. Vigesimo. *Sudorem ferro non absterge*, id est, labore parta nemini vi et viribus eripe. Vigesimo primo, *In solitudine sine baculo non ambula*. id est, cum amicis in necessitatibus confer. et consule. Vigesimo secundo, *Apud quadrupedem poema non cane*, id est, apud ignaros seria non profer. Vigesimo tertio, *Faciem in fluvio non lava, vel specta*, id est, ex labili re, et pœnitus instabili specimen non appete. Vigesimo quarto, *Hominis vestigia ferro non confige*, id est, hominis memoriam non lacera. Vigesimo quinto, *Integrum fasciculum in igne non pone*, id est, non una opes omnes in unum discrimen pone. Vigesimo sexto, *Egrediens e laribus sinciput, rediens occiput scalpe*, id est, præcautionem et diligentiam ad res agendas excita, his

peractis memoriter examina. Vigesimo septimo, *De rheda iunctis pedibus non exili*, id est, de statu in quo sis, in alium nisi sensim transi. Vigesimo octavo, *Puerum aut fœminam stricto vagari gladio, omen malum*, id est, non defuturum malum, si gubernatio ineptis et levibus tradatur hominibus. Vigesimo nono, *In chœnice non sede*, id est, non tantum præsentis, sed et futuri curam habe: est enim chœnix diurna esca. Trigesimo, *Duorum temporum quam maxime habe curam, matutini et vespertini*, id est, eorum quæ acturi sumus, et eorum quæ gesserimus.

Porro hieroglyphica, parabolas, adagia et ænigmata singulorum Prophetarum collegi et ordine digesta assignavi initio huius operis: unde liquebit, ex hisce fontibus sua hausisse Pythagoram, Platonem, aliosque Philosophos.

A *Sciat Lector*, ait S. Hieron. in Ezech. 40. *omnia prope verba Hebraica et nomina, quæ in Græca et Latina translatione posita, nimia vetustate corrupta scriptorumque vitio depravata, et dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, imo nullius gentis; dum et Hebræa esse desierint, et aliena esse non cœperint.* Ita Ezech. 40. vers. 7. et sequ. pro Hebræo תאים *taim*, id est, thalami, corrupte in Septuag. legitur θεε. Gen. 41. 44. pro Hebræo, aut potius Ægyptio, *tsophnath paneach*, id est, salvator mundi (quod nomen Pharao imposuit Iosepho) corrupte in Sept. legitur ψονθομφανηχ. Ita pro Hebræo חוה *chava*, latine et græce dicimus *Eva*; pro *pesach pascha*, pro *Iescua* vel *Iehoscua Iesus*, pro *Maschiach Messias*, pro *Tsor Tyrus*, pro *Casdim Chaldæi*. Col. 58.

HARMONIA CHRONOLOGICA
PROPHETARUM.

Hoc est, tabula chronologica, per annos mundi et Christi consignans singula oracula Isaiæ, et aliorum Prophetarum, conformis illi quam quasi probabilem Genesi præfixi. Scio varios varie hæc consignare, sed paucis annis, quibus una chronologia ab alia distat, additis vel demptis hæc tabula cuilibet illarum serviet.

REGES IUDA *sibi continuo succedentes, sub quibus prophetarunt Prophetæ.*

Ozias vel Azarias regnavit annis	52
Ioathan	16
Achaz	16
Ezechias	29
Manasses	55
Amon	2
Iosias	31
Ioachaz mensibus	3
Ioachim annis	11

A Ioachim anno 11. finito, puta ab eius cæde, et filii eius Ioachin transmigratione in Babylonem, incipiunt anni 70. captivitatis Babylonicæ, de quibus Ieremias c. 25. 11. Unde hinc annos prophetiæ suæ inchoat et consignat Ezechiel in tota sua prophetia.

Ioachin mensibus	3
Sedecias annis	11

Anno 11. Sedeciæ Nabuchodonosor regnum Iuda et Ierusalem evertit, anno regni sui 18.

Regnavit post excisam Ierusalem Nabuchodonosor annis 26. Universim enim regnavit annis 44.

Ei successit filius Evilmerodach sive Balthasar, qui regnavit annis 34. Balthasarem capta Babylone occidit Darius et Cyrus.

Itaque post Balthasarem in Babylone regnavit Darius anno uno, post Darium Cyrus annis 3.

In anno 3. Cyri finiuntur prophetiæ Danielis qui ultimus omnium quatuor prophetarum prophetavit.

ANNO MUNDI 3136. ante Christum 814.

qui fuit a diluvio annus 1479. a nativitate Abrahæ annus 1187. ab exitu Hebræorum ex Ægypto annus 682. ante Christi nativitatem annus 814. cœpit regnare Ozias, sive Azarias, rex Iuda regnavitque per annos 52. Sub quo Prophetavit Osee, Ioel, Amos et Isaias, qui, si credimus Eusebio, præcise cœpit prophetare anno 17. Oziæ, qui fuit annus ante Christum 797. Rursum sub Ozia cœperunt olympiades. Annus enim 40. Oziæ, qui fuit ante Christum 774. fuit annus 1. primæ Olympiadis.

ANNO MUNDI 3187. ante Christum 762.

qui fuit Oziæ 52. et ultimus, vidit Isaias c. 6. Dominum sedentem super solium excelsum, et duos Seraphim clamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum*: a quo per Seraphim carbone ignito purgatus, mittitur ad prophetandum, ac ad prædicendam futuram tempore Christi Iudæorum incredulitatem et desolationem, Gentium vero vocationem, fidem et multiplicationem.

B ANNO MUNDI 3198. ante Christum 751.

qui fuit Ioatham filii Oziæ 11. Roma condita est a Romulo, qui in ea regnare cœpit, regnavitque 39. annis.

ANNO MUNDI 3207. ante Christum 742.

qui fuit Achaz filii Ioatham 4. regnante apud Medos Deioce, prædixit Isaias Christi ex Virgine ortum, dicens c. 7. *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Addiditque, regnum Israel æque ac Syriæ brevi fore destruendum, quod et contigit: nam eodem anno Phacee rex Israel cum regnasset 20. annis, occisus est a duce equitum suorum, puta ab Osee, qui ei in regno successit. Rursum Teglath-Phalasar rex Assyriorum vastavit eodem anno regnum Israel, et regnum Syriæ, eiusque regem Rasin, qui cum Phacee contra Achaz et Iudæos coniuraverat occidit.

Sub hoc tempus floruit Sibylla Erithræa, cuius de Christi nativitate, iudicio et resurrectione versus recenset S. August. l. 8. de Civit. c. 23.

C ANNO MUNDI 3219. ante Christum 730.

quo moriente Achaz successit ei filius Ezechias, puta anno 1. Ezechiæ prophetavit Isaias cap. 14. 28. Ezechiæ victoriam et triumphum de Philisthinis. Sub idem tempus idem prophetavit cap. 13. et seq. onus, id est, excidium, Babylonis per Cyrum, atque Moab, Damasci, Ægypti, Æthiopiæ, Idumææ, Arabiæ et Tyri per Nabuchodonosorem.

ANNO MUNDI 3224. ante Christum 725.

qui fuit Ezechiæ regis Iuda sextus, Osee regis Israel nonus et ultimus, Salmanasar capit Samariam cum rege Osee, regnum Israel evertit, decem tribus abducit in Assyriam, iuxta onus et vaticinium Isaiæ c. 7. et 8.

Tunc contigit historia Tobiæ. Nam inter alios Tobias cum Anna uxore, et Tobia filio suo unico, ex tribu et civitate Nephthalim a Salmanasar abductus fuit in Ninivem: qui cum ab infantia idola fugiens Deum sedulo coluisset, etiam in captivitate a lege et timore Dei non recessit: quocirca nactus gratiam Salmanasar, accepit potestatem ut quocumque vellet iret: unde circumiens Israelitas concaptivos consolatus est, egentibus succurrit, Gabelo mutuavit decem talenta argenti.

D ANNO MUNDI 3232. ante Christum 717.

qui fuit Ezechiæ 14. Isaias c. 20. incedens nudus per triduum, hoc suo facto portendit, et reipsa prophetavit spoliationem Ægypti et Æthiopiæ, quæ eodem anno facta est a Sennacherib, duravitque ad triennium.

Quocirca eodem anno Sennacherib obsidens Ierusalem, blasphemas contra eam et Deum minas per Rabsacen evomuit; sed ad preces Ezechiæ et Isaiæ Deus eius arma ab ea avertit, alioque divertit. Exivit enim contra eum Taraca regem Æthiopiæ, de cuius adventu audiens Sennacherib, coactus est copias a Ierusalem contra Taraca abducere; ac cum eo confligens victor vastavit Ægyptum et Æthiopiam, uti iam dixi, Isaiæ 36. et 37.

Eodem anno ægrotavit Ezechias, mortemque ei denuntiavit Isaias: flet ille Deumque pœnitens precatur: preces

exaudit Deus, quindecimque annos se vitæ eius adiecturum per Isaiam promittit. Ezechiæ petenti signum dat portentum regressus solis et umbræ in horologio Achaz per decem lineas. Ergo Isaias admovens ulceri Ezechiæ cataplasma ficuum, illum curavit, qui sanatus die tertio ingressus templum, canticum eucharisticum Deo cecinit, Isaiæ 38.

Eodem anno Merodach rex Babylonis solem retrocessisse obstupescens, mittit legatos et munera ad Ezechiam, ut quærerent quomodo et quare tale portentum accidisset: unde elatus Ezechias ostentat eis omnes thesauros domus suæ: ob quod ab Isaia increpitus, ab eo audit eosdem thesauros filiosque suos futuro tempore auferendos in Babylonem. Excipit patienter sententiam Prophetæ humilis rex, tantumque precatur: *Fiat pax et veritas in diebus meis;* illudque impetravit: cum enim feliciter 29. annos regnasset, in pace obdormivit, Isaiæ c. 39.

Anno mundi 3234 ante Christum 715.

qui fuit Ezechiæ 16. et 3. Sennacherib ab invasione Iudææ, Sennacherib victor rediens ex Ægypto et Æthiopia, obsidensque rursum Ierusalem, plagam accipit ab angelo, cæsis 185. millibus Assyriorum, iuxta oraculum et promissa Isaiæ c. 37. v. 30. et 36. Quocirca fugit ipse, reditque in Niniven, iramque suam evomit in Israelitas eo nuper abductos. Sic enim habet Tobias c. 1. 21. *Cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam; et iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. At ubi nuntiatum est regi, iussit eum occidi, et tulit omnem substantiam eius. Tobias vero cum filio suo et cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius, et reversus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.*

Ab hoc anno 16. usque ad 29. et ultimum Ezechiæ, Isaiam edidisse omnes reliquas prophetias, quas a c. 40. ad finem libri describit, censet S. Hieron. in c. 1. Isaiæ. Has enim post cladem Assyriorum c. 37. receptam subiungit Isaias. Porro illæ sunt de Christo et Ecclesia. Nam obiter prædicit Cyrum relaxaturum Iudæos e captivitate Babylonica; prolixe autem prophetat Christum Cyri antitypum omnes homines redempturum ex servitute peccati et diaboli, ac, relictis Iudæis, vocaturum Gentes ad salutem, pro eis passurum, moriturum, ascensurum in cælum, daturum abundantiam bonorum spiritualium et temporalium: omnes enim Gentes Christo et Ecclesiæ se subdituras, ac reges et reginas fore eius nutritios et nutrices, omnesque suas opes et gloriam in illam illaturos, eamque vultu in terram demisso adoraturos. Denique Christum, retributurum fidelibus et piis felicitatem ineffabilem; infidelibus vero et impiis ignem inexstinguibilem.

Anno mundi 3247. ante Christum 702.

cœpit regnare Manasses filius Ezechiæ, impius et idololatra, regnatque per 55. annos, qui proinde Isaiam sua scelera increpantem, licet cognatum suum, serra lignea medium serrat, et secat in duas partes iuxta fontem Siloe. Insuper et sanguinem innocentium fudit multum nimis, donec impleret Ierusalem usque ad os. Quocirca immisit Deus principes regis Assyriorum, qui Manassem vinctum catenis ducerent in Babylonem, ubi ipse agens pœnitentiam, Deumque precans exauditur, ac post 10. annos ab eo restituitur regno: qui restitutus idola et aras aufert, altare cultumque Dei restaurat, eique totus servit, subditosque servire iubet, 4. Reg. 21. et 2. Paral. c. 33.

Anno mundi 3317. ante Christum 632.

qui fuit annus 13. Iosiæ pii regis, Ieremias sacerdos in utero matris sanctificatus, etiamnum puer mittitur a Deo ad prophetandum; cumque causaretur pueritiam, manu Domini tactus ad os accipit donum prophetiæ, audaciam ac robur invincibile ad libere prophetandum et concionandum. Hoc ergo anno 13. Iosiæ videt cap. 1. ollam succensam, et virgam vigilantem venientem a facie Aquilonis, per quæ portendi enuntiat adventum Nabuchodonosor e Babylone, qui Iudæam et Hierosolymam ob eius sce-

A lera evertat, populum aut trucidet, aut captivum abducat, terramque desolet.

Anno mundi 3335. ante Christum 614.

qui fuit Iosiæ 31. et ultimus, ascendit Nechao rex Ægypti contra regem Assyriorum. Iosias autem volens impedire transitum eius per Iudæam pergit ad resistendum. Cui Nechao ait: *Non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit: desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te.* Noluit Iosias acquiescere Dei verba loquenti; sed pugna congressus, in campo Mageddo a sagittariis vulneratur, ac relatus in Ierusalem moritur, lugetque eum universus populus, Ieremias maxime, cuius lamentationes super Iosiam in exsequiis cantatæ, longo deinceps tempore replicatæ sunt.

Iosias sagitta necatur.

Ioachaz, qui et Sellum, filius Iosiæ, vigesimus rex Iuda, inique crudeliterque regnat 3. mensibus. Interim Nechao potitus victoria venit in Ierusalem, Ioachaz vinctum mittit in Ægyptum, et tributo Iudæis imposito, fratrem B eius Eliakim, qui et Iechonias, regem constituit, vertitque nomen eius Ioakim. Hic regnat annis 11. occidit Uriam prophetam, eo quod prædicaret Ierusalem destruendam, et proiecit cadaver eius in sepulcris vulgi ignobilis. Hunc et Ioachaz prædictum Leones vocat Ezechiel, quia populum violenter oppresserunt.

Genebrardus anno mundi 3337. 4. Reg. 23. 2. Par. 36. 3 Esdr. 1. Ioakim fit rex Iudæ.

Tunc Dei iussu Ieremias intrans domum regis Iuda, ait de primogenito Iosiæ: *Nolite flere mortuum.* Mox de Ioachaz subdit: *Plangite eum qui egreditur; quia hæc dicit Dominus ad* (eum) *Non revertetur huc amplius: sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur.* Deinde ait Ioakim: *Hæc dicit Dominus ad Ioakim: Non plangent eum,* sed *sepultura asini sepelietur, proiectus extra portas Ierusalem.* Ac demum ad filium eius Ioachin, sive Iechoniam adiecit: *Vivo ego, dicit Dominus: quia si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. Et dabo te in manu regis Babylonis, et mittam te et matrem tuam in terram alienam, ibique moriemini.*

Ier. 26. Ezec. 19. Ier. 21. Prophetia contra domum regis.

Sub hæc Ieremias prædicans in templo omni populo, C nisi resipiscant, templum urbemque destructum iri, apprehenditur a sacerdotibus et pseudoprophetis, ac coram principibus accusatur ut occidatur: quibus respondet se a Deo missum, ut ista nuntiaret: unde per principes et seniores absolvitur; Ahican enim filius Saphan eum liberavit, Ierem. 26. v. ult.

Ieremias occidendus.

Sub idem tempus iubetur Ieremias a Deo facere vincula et catenas, eaque gestare et imponere collo suo, ac postea sub Sedecia eadem mittere ad reges Tyri, Sidonis, Edom, Moab, Ammon, ut per illa significet et portendat, eis vincula et captivitatem imminere a Nabuchodonosor, ut patet Ierem. 27. v. 1. et seq.

Anno mundi 3338. ante Christum 611.

anno 3. regni Ioakim ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, obsidet Ierusalem, capit Ioakim regem cum multis nobilibus, inter quos erat et Daniel adhuc puer, et Ananias, Misael et Azarias. Regem vinctum catenis cum aliis, partemque vasorum templi quam celerrime potuit, D abducit in Babylonem, ubi vasa ponit in templo Dei sui. Danielem autem, et tres socios eius, eo quod semine regio prognati, cæteros forma et ingenio præcellerent, ibi cibis regiis nutriri, ac lingua et litteris Chaldæorum erudiri facit, ut post triennium starent coram rege, qui consensu præpositi eunuchorum abstinentes a dapibus regiis, et solis leguminibus et aqua victitantes, vultus corpulentiam, ac sapientiam supra cæteros coævos suos, qui cibo regio vescebantur, a Deo obtinent: et Daniel præterea intelligentiam somniorum: triennioque expleto, stant coram rege decuplum omnes magos Chaldæorum superantes.

Translatio Danielis et sociorum eius.

Anno mundi 3339. ante Christum 610.

qui fuit 4. Ioakim, prophetat Ieremias c. 46. v. 2. et seq. quod Chaldæi profligabunt Ægyptios cum suo rege Pharaone Nechao. Nechao enim ex victoria et strage Iosiæ Iudæos sibi subiugaverat. Collecta ergo multitudine Egyptiorum, Libyum et Lydorum, venit vindicaturus se de Chaldæis quod vectigales suos Iudæos abegissent in Ba-

bylonem. Anno igitur 4. regni Ioakim Babylonia captivitate detenti, commissum est prælium iuxta flumen Euphratem in Charcamis; ubi rex uterque cecidit, inquit Adrichomius in Chronico, scilicet Nechao senior et Nabuchodonosor senior: (sed de hoc alias). Ægyptii cæsi: Chaldæi vero superiores effecti, tollunt ab Ægyptiis quidquid illi abstulerant Assyriis, ab Euphrate Ægyptum usque: tunc restitutus Ioakim regno suo fit tributarius regi Babylonis, servitque ei sub tributo 3. annis. Et hic primus annus est regni Nabuchodonosor iunioris, cognomento Magni, regis Babylonis, qui deinde regnavit annis 45.

Ioakim tributarius Babylonis. 4. Reg. 24.

Hoc eodem anno 4. Ioakim, clamat Ieremias ad Iudæos, se iam per annos 23. prophetasse: at quia nec se, nec reliquos Prophetas hortantes ad pœnitentiam audire voluerunt, prænuntiat ipsos a rege Babylonis, capiendos, eique servituros 70. annis. Ierem. capitibus 25. 46. 47. 48. 49. 50. et 51.

Captivitas 70. annorum prænuntiatur. Babylon calix et virga furoris Domini.

Prophetatque omnes in circuitu gentes, Ægyptios, Philisthæos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, etc. bibituras de calice Babylonis vinum furoris Domini: et post 70. annos ipsam etiam Babylonem bibituram et a Medis penitus subvertendam, ac in perpetuam solitudinem redigendam, et tum demum Israelem reversurum in terram suam atque ibi bene beateque victurum.

Liber Ieremiæ scribitur.

Eodem anno 4. rex Ioakim claudit Ieremiam in carcere: ubi anno 5. Ioakim, mense Novembri, Dei iussu Baruch scriba et notarius Ieremiæ scribit in libro ex ore Ieremiæ, omnes prophetias eius contra Iudam et Gentes. Inde missus a Ieremia cum libro ad populum in templo congregatum, atque ieiunia celebrantem, ibi legit eum coram omni populo, ut resipiscant. Deinde accersitus ad principes, legit eumdem coram omnibus principibus in domo regis: qui obstupescentes, dicunt ad Baruch: *Vade, et abscondere tu et Ieremias.* Solvunt ergo Prophetam et ingressi ad regem nuntiant ei verba libri: quem rex statim legit, et paucis in eo lectis, cultro scindi, et in igne comburi facit, Ieremiam et Baruch quærit ad mortem, sed abscondit eos Dominus. Cuius iussu mox Baruch ex ore Ieremiæ easdem prophetias in alio libro scribit; et insuper addit, quod ob combustionem prioris libri, cadaver Ioakim proiicietur ad æstum per diem, et gelu per noctem. Ierem. 36.

Legitur. Exuritur. Rescribitur.

Tunc Ieremias arguit Baruch pusillanimitatis, quod quereretur se dolorem habere, non requiem; cui tamen in cæterorum vastatione promittit animæ salutem.

Anno mundi 3342. ante Christum 607.

qui fuit anno 7. Ioakim, Ioakim, Ægyptiorum fisus auxilio, rebellans contra Nabuchodonosorem, negat ei tributum, nolens ultra servire Chaldæis: unde missi a Deo exercitus Chaldæorum, Syriæ, Moab, Ammon, disperdunt Iudam propter peccata Manassis. Tunc Ieremias Dei mandato accedit ad Rechabitas, qui ex præcepto patris sui religiose vivebant, non bibentes vinum, nec habentes agros aut vineas, in tabernaculis pro domibus habitantes, iamque necessitate belli in urbe habitantes: et propinat eis vinum; quod cum bibere nollent, exemplo obedientiæ ipsorum arguit pertinacem Iudæorum inobedientiam, Dei præceptum negligentium: quapropter his supplicium, illis autem præmium prænuntiat.

Susanna a Daniele liberatur.

Erant tunc in Babylone duo senes presbyteri, iudices Iudæi, Achaz et Sedecias, qui castissimam Susannam Iudæam, clam in orto se lavantem, ad libidinem seu stuprum concupiscentes, cum eius concubitu frui non possent, ipsam coram populo falso adulterii accusant; quæ cum damnata duceretur ad mortem, Deumque oraret, Dei spiritu suscitatus puer Daniel c. 13. retractat iudicium, ipseque senes separatim interrogatos, proprio ipsorum ore de falso testimonio convincit: quos lege talionis populus lapidare properabat; sed iussu Nabuchodonosor igne combusti sunt, sicut prædixerat Ieremias c. 29. v. 23.

Anno mundi 3346. ante Christum 603.

Mors Ioakim.

anno 11. regni Ioakim, Nabuchodonosor veniens Hierosolymam, occisum Ioakim proiicit extra Ierusalem a bestiis avibusque lacerandum, regem constituit filium eius Ioakim, qui et Iechonias. Hic regnat menses tres, dies 10. malitia patri similis, nomine dissimilis. 4. Reg. 24. 2. Par. 36. 3. Esd. 1.

Anno mundi 3347. ante Christum 602.

Post tres autem menses verno tempore, Nabuchodonosor reversus obsidet Ierusalem; ad quem exiens de consilio Ieremiæ, rex Ioachim et mater, uxores et principes eius, omnesque nobiles et optimates Iuda, inter quos erat et iuvenis Ezechiel, et Mardochæus, et Iosedec pontifex, ultro se tradunt regi Babylonis, qui eos una cum cæteris vasis ac thesauris templi ac palatii, ac ditioribus, robustis et optimis quibusque artificibus transfert in Babylonem, ubi Ioachin carceri traditur: regem autem constituit eius patruum Mathaniam, filium Iosiæ, facitque eum iurare per Deum, quod fideliter sub tributo serviet Chaldæis; in signum cuius vertit nomen eius, vocatque eum Sedeciam, quod iustitiam Domini sonat. Hic impie regnat annis 11. faciens malum, ut Ioakim, nec obediens consilio Ieremiæ. Hier. super Matth. et Danielem. 4. Reg. 24. 2. Par. 36. 3. Esd. 1. Ier. 37. 52.

Transmigratio Babylonis.

Visio ficuum.

Anno 1. regni eius videt Ieremias (cap. 24.) ficus optimas et pessimas, divinitus positas ante templum, auditque priores significare Iudæos iam pridem translatos in Babylonem, eosque a Domino reducendos in Iudæam; posteriores vero designare eos qui manserant in Ierusalem, eosque gladio, fame et peste perdendos. Statimque scribit Ieremias, et mittit litteras ad eos qui traducti erant in Babylonem, quod post 70. annos reversuri sint in terram suam: eos vero qui Ierosolymis remanserant, gladio, fame et peste consumendos. Prophetat et veram populi liberationem per Christum futuram, novamque legem in cordibus scribendam, ac Ierusalem reædificandam, ubi libere, secure, et læte in cunctorum affluentia bonorum serviant Domino, Ierem. cap. 29. 30. et 31.

Epistola Ieremiæ ad captivos Babylonæ.

Sub idem tempus mense Iulio, Ananias pseudopropheta tollens in templo coram sacerdotibus et omni populo catenam ligneam de collo Ieremiæ, quam iussu Dei in signum futuræ captivitatis portabat, eamque confringens ait: Sic conteret Deus post duos annos iugum regis Babylonis de collo omnium gentium, et rex Iechonias omnesque transmigrati cum vasis templi huc revertentur: sed Ieremias iussu Dei pro lignea catena ferream portans, Ananiam falsa vaticinari, ideoque brevi moriturum denuntiat, qui secundo post mense obiit. Ieremiæ 23.

Ieremias catenam portat.

Tunc quoque Ieremias misit catenas ad quinque reges, Edom, Moab, Ammon, Tyri et Sidonis per legatos ipsorum, qui venerant ad Sedeciam, quibus monet illos, simul ac regem Iuda, si servire velint regi Babylonis, permansuros in terra sua, alioqui perituros gladio, fame, peste: prædicit etiam sacra vasa, quæ reliqua sunt Hierosolymis, transferenda in Babylonem, et tandem referenda Hierosolymam.

Anno mundi 3350. ante Christum 599.

qui fuit quartus Sedeciæ, Ieremias, c. 19. conterit laguunculam in atrio templi, ut ostendat populum sic esse conterendum. Hinc c. 20. incarceratus a Phassur minatur ei interitum, atque ex tædio vitæ, et ærumnarum acerbitate maledicit diei nativitatis suæ.

Eodem anno prophetat (c. 50. et 51.) excidium Babylonis per Cyrum: unde v. 50. scribit in libro omnia mala quæ imminebant Babyloni, atque librum tradit Serviæ oratori Sedeciæ, eunti cum eo in Babylonem, eique præcipit, ut coram Iudæis eum legat, deinde alligatum lapidi proiiciat in Euphratem, ac dicat: *Sic submergetur Babylon.* Ierem. 51. 59.

Eodem anno Ieremias c. 13. 18. mittitur a Deo ad Sedeciam rebellantem Chaldæis, et ad reginam, ut nuntiet eis regni eversionem, ut patebit ex chronotaxi Ieremiæ.

Anno mundi 3351. ante Christum 598.

Ezechiel incipit prophetare captivis in Babylone.

qui fuit transmigrationis Ioachim in Babylonem 5. et regni Sedeciæ quintus, die 5. Iunii, Ezechiel sacerdos Iudæus in Babylone anno 30. ætatis suæ, vidit in nube ac igne similitudinem quatuor animalium, nempe hominis, leonis, bovis et aquilæ, impetu spiritus recta inceden-

tium, et effigiem hominis sedentis in throno gloriæ Dei, A mystice repræsentantes Christum ac quatuor Evangelistas: iussusque comedit librum cœlitus missum, scriptum intus et foris, continentem lamentationes, carmen et væ: atque ita constantia spiritus accepta, divinitus mittitur ut prophetet Iudæis concaptivis suis in Babylone: cumque per septem dies taceret, visa rursum in campo gloria Domini iubetur in domo sua includi quasi vinctus ac mutus, et figurare ac depingere in tabula obsidionem Ierusalem, et inter se et civitatem sartaginem ferream ponere pro muro, qui remedium cælestis auxilii capiendi excluderet: atque assumptis iniquitatibus Israel dormire super latus suum sinistrum 390. diebus, deinde super latus dextrum 40 diebus, assumptis iniquitatibus Iuda, et quotidie comedere panem in pondere, cibum vilem, modicum, confectum stercore boum, et bibere exiguum aquæ in mensura. Iubetur et pilos capitis et barbæ sibi detondere, detonsos tripartitim consumere. Atque his omnibus designabat et denuntiabat, propter perpetratas iniquitates futuram arctissimam civitatis Ierusalem obsidionem, B famem, pestem, cædem atque afflictionem totiusque Iudææ extremam ac inevitabilem vastationem ac desolationem, Ezech. capitibus 1. 2. 3. 4. 5. 6. et 7.

Destructio Ierusalem diversimode variis signis præfiguratur.

Anno 6 transmigrationis, die 5. Augusti, Ezechiel raptus in spiritu et ductus in Ierusalem, videt ibi in templo pessimas Iudæorum abominationes idololatriæ, et ob eas, variaque scelera quibus Sodomam et Samariam superabant, etiamsi Noe, Daniel et Iob pro ipsis orarent, omnes et singulos, qui a viro lineis vestito non essent signo thau in fronte notati, occidendos, urbemque exurendam: Sedeciam autem regem, eo quod confœderatus regi Ægypti, rupto ac fracto iuramento rebellaret contra Nabuchodonosor, capiendum et abducendum in Babylonem, ipsum tamen eam non visurum, ibique moriturum; eos vero qui se dedentes Chaldæis transmigrarant in Babylonem, reversuros in patriam.

Anno 7. transmigrationis die 10. Iulii, Ezechiel Iudæis a se responsum divinum quærentibus, replicat beneficia C Dei Israelitis in Ægypto, in deserto, et in terra promissionis exhibita; semperque tamen eos fuisse rebelles imperio ideoque Hierosolymæ irrevocabilem minatur gladium, cladem et excidium. Ezech. capitibus 20. 21. 22. et 23.

Anno mundi 3355. ante Christum 594.

anno 9. Sedeciæ, die 10. Decembris, venit Nabuchodonosor cum exercitu arctissimeque obsidet Ierusalem sesquianno, nisi quod medio tempore duobus mensibus propter Ægyptios abfuerit, interea fames tanta in civitate obsessos pressit ut parentes comederent liberos suos et liberi parentes. 4. Reg. 25. Ierem. 39. 52. et 19. Ezech. 5.

Ierusalem obsidetur.

Eodem die, mane Ezechiel per ollam electis carnibus et ossibus plenam, ignique admotam et liquefactam, significat transmigratis fore incendium Ierusalem, populique excidium. Vespere eiusdem diei obiit dilecta uxor eius, pro qua prohibetur a Deo lugere, in signum futuræ desolationis templi; prophetatque imminere etiam Ammonitis, Moabitis, Idumæis et Palæstinis seu Philisthæis exitium, quod de afflictione Ierusalem exsultaverint. Ezech. 24. et 25. D

Ezechielis uxor moritur.

Tunc mittit Sedecias rex nuntios ad consulendum Ieremiam: quibus respondet Propheta Sedeciam regem capiendum, urbemque exurendam; qui vero e populo manserint in urbe, fame, peste ac gladio morituros; qui autem profugerint ad Chaldæos, victuros. Ierem. 21.

Prophetia Ieremiæ.

Anno mundi 3356. ante Christum 593.

anno 10. Sedeciæ, Ieremias missus a Domino ad Sedeciam, dicit ei, quod civitas caperetur ac incenderetur et rex non effugeret, sed captus visibiliter coram cum Nabuchodonosore loqueretur, non tamen gladio occideretur, sed ductus in Babylonem, ibi in pace morte naturali moreretur: quam ob causam claudit rex Prophetam in carcere ad dies aliquot. Ieremiæ 32. et 34.

Ieremias incarceratur.

Ieremias autem positus in carcere, iussu Domini emit a patruele suo agrum qui erat in Anathot, præcipitque ipsi Baruch, ut curet litteras emptionis sigillatas poni in vase fictili et servari; testificans Ierusalem quidem destruendam, populumque captivandum: sed iterum reversurum ac secure possessurum agros suos in prosperitate. Prophetat etiam Christum nasciturum, factaque redemptione, feliciter in omni gaudio super domum Iacob et David regnaturum sine fine. Ierem. 32. 23. et 33.

Ieremias agrum emit.

Post hæc Sedecias in arcto positus ob imminens periculum, eo quod adesset septimus annus, hoc est sabbatum terræ, dimittit Prophetam, et convocat populum in templum: feriunt pactum coram Domino, ut unusquisque dimitteret servos suos liberos: et in signum firmitatis pacti, inter partes conscissi vituli transeunt, imprecantes sibi novissimas pœnas, nisi pacta servarent; itaque servos dimittunt. Ierem. 34.

Dimissio servorum.

Interea exercitus regis Ægypti venit in Iudæam, promissum Iudæis allaturus auxilium: quo audito Chaldæi solventes obsidionem Ierusalem, pergunt obviam Ægyptiis eosque retrocedere compellunt. Ierem. 37.

Adventus Ægyptiorum.

Eodem anno 10. in Decembri prophetat Ezechiel, eo quod rex Ægypti auxilium præstitisset Iudæis, Ægyptum per Nabuchodonosor esse vastandam, destruendam et in solitudinem redigendam: post 40. autem annos restituendam, licet non ad pristinam gloriam. Ezechiel. 29. et 30.

Prophetiæ contra Ægyptum.

Cum recessissent autem Chaldæi, Iudæi rati se omnino esse liberatos, statim servos dimissos retrahunt in servitutem. Unde Dominus per Ieremiam fœdifragos increpans dicit ipsos gladio, peste et fame perituros. Ierem. 34.

Retractio servorum.

Quin etiam Ieremias Sedeciæ regi ab ipso divinum responsum petenti respondet: Ægyptios reversuros in terram suam, et Chaldæos redituros Hierosolymam urbemque exusturos. Ierem. 37.

Tunc Ieremias volens exire in Anathot viculum, unde fuit oriundus, ad possidendum agrum, quem emerat, comprehenditur in porta a custodibus falso accusantibus, quod ad Chaldæos transfugeret, ac iussu principum cæsus mittitur in carcerem, seditque ibi diebus multis. Inde eductus a rege Sedecia, et abscondite veritatem interrogatus, ait ipsum vere capiendum. Itaque reponitur in carcere, assignata ipsi quotidie torta panis, donec consumerentur omnes panes civitatis obsessæ. Ierem. 37.

Ieremias capitur.

Interea fugatis Ægyptiis, continuatur obsidio Ierusalem. Ieremias autem incessanter prædicabat e carcere omni populo urbem capiendam, ac manentes in ea gladio fame et peste morituros: qui vero ad Chaldæos transfugissent, mortem evasuros; quare principes petunt a rege Prophetam occidi, eiusque consensu exemptum e carcere fune demittunt in lacum lutosum, ut ibi moreretur fame; sed connivente rege extrahit eum Abdemelech Æthiops eunuchus, ac reponit et recludit in carcere: qui Abdemelech propter hoc beneficium, et maxime quia semper confidebat in Deo, audit a Ieremia se divinitus a captivitate et morte liberandum. Ierem. 38. et 39.

Ieremias mittitur in lacum.

Post hæc Ieremias iterum clam ductus ad regem, ac secrete interrogatus, suadet ac consulit ei, ut se dedat Chaldæis, sic ipsum urbemque salvos fore: alioquin urbem ab eis comburendam, ipsumque non effugiturum: quo dicto reducitur, ac recluditur in carcere, manetque ibi usque dum capiatur. Ierem. 38.

Sedecias consulit Ieremiam.

Anno mundi 3357. ante Christum 592.

Anno autem 11. prima mensis Martii, prophetat Ezechiel Tyrum, urbem maris inclytam, ac frequentia negotiatorum opulentissimam a Nabuchodonosor evertendam, eo quod super afflictione et destructione Ierusalem exsultaverit: regem autem Tyri ob eius superbiam qua se Deum, ac sapientiorem Daniele, viro iam tunc magni nominis et famæ, propter interpretationem somniorum regis liberationemque Susannæ, iactabat occidendum: Iudæos vero reducendos in terram suam. Ezechiel. capitibus 26. 27. et 28.

Prophetia contra Tyrum.

Eodem anno 11. die 5. Maii, comparat Ezechiel Pharaonem cum rege Assyriorum: quod sicut Assur sublimis deiectus est, ita deiiceretur et regnum Ægyptium. Ezec. 32.

Eodem anno 11. Sedeciæ, qui erat 19. Nabuchodonosor, die 5. Iunii. (Genebrar. anno mundi 3568.) Chaldæi perrumpunt exteriorem murum Ierusalem, et intrant usque ad portam interiorem secundi muri: quo viso rex

Sedecias capitur, excæcatur, incarceratur.

Sedecias nocte per viam subterraneam cum suis principibus fugiens, a Chaldæis comprehenditur in campo Iericho, et ducitur ad Nabuchodonosor in Reblata; qui obiurgato eo de infidelitate et periurio, filios eius principes Iuda in conspectu eius occidit: deinde eruit oculos eius, et vinctum catenis mittit et abducit in Babylonem, ubi mancipat eum carceri usque ad mortem: 4. Reg. 25. Ier. 39. et 52. impletumque est verbum Domini quod dixerat: *Adducam eum in Babylonem et ipsum non videbit*. Ez. 12.

Die 9. Iunii Chaldæi capiunt urbem Ierusalem, populum occidunt, non parcentes adolescenti, virgini, seni. Die 7. Iulii venit Nabuzardan princeps exercitus, et comburit palatium regis, omnesque domos Ierusalem. Porro die 10. Iulii incendit templum Domini, cum stetisset annis 410. simulque combusti sunt libri sacri, qui passim in Scriptura citati iam non exstant. Insuper universas turres, et muros urbis Ierusalem per circuitum, et reliqua ædificia destruit: populum residuum cum transfugis ac vasis templi abducit in Babylonem: reliquit Hierosolymæ tantum pauperes aliquot rusticos ad colendam terram, quibus præficit Godoliam. Ieremiam vero Nabuzardan ex mandato Nabuchodonosor solvit a catenis, et educit e carcere, datque ei libertatem, facultatem et optionem vel proficiscendi in Babylonem, promittens se eum ibi honorifice habiturum, vel habitandi ubicumque voluerit. At Propheta malens in patria residere, multis cibariis ac muneribus ab eo donatus, ac Godoliæ commendatus, una cum Godolia habitat in Masphat: ubi Godolias Iudæos passim dispersos benigne recipit, eisque securitatem promittit, dummodo servire velint regi Babylonis: a quibus monetur, ut caveat sibi ab Ismaele intentante ei mortem; qui tamen non credit, nec audit bene monentes. 4. Reg. 25. 2. Par. 36. Ierem. 39. et 52. 3. Esdr. 1.

Ierusalem capitur, exuritur, destruitur

Ieremias liber dimittitur.

Habitat in Masphat.

Threni Ieremiæ

Porro Ieremias amaro animo sedens, dolens, ac flens quadruplici alphabeto metrico lamentatur destructionem Ierusalem, ac in sua afflictione antitype plangit Christi passionem, mortem et sepulturam, ac Ecclesiæ desolationem, oratque Deum pro desolatis, Thren. capitibus 2. 3. 4. et 5.

Occisio Godoliæ

Tertia autem Septembris Ismael Iudæus proditorie occidit in Masphat Godoliam, aliosque complures Iudæos ac Chaldæos qui cum eo erant. Unde cum et ipse a reliquiis Iudæorum quæreretur ad necem, fugit cum octo viris ad Ammonitas. Ierem. 41. 4. Reg. 25.

Reliquiæ Iudæorum.

At reliquiæ Iudæorum timentes a Chaldæis facti ultionem, statuunt fugere in Ægyptum, rogant Ieremiam, ut oret et consulat Dominum quid facere debeant, iurantes facturos se quidquid ille iusserit. Decima post die respondet Dominus per Ieremiam, ipsos Dei præsidio fore salvos, si in Iudæa maneant: sin autem in Ægyptum fugiant, protestatur eos omnes ibi gladio, fame et peste morituros. At illi spreto Dei oraculo, cogentes Ieremiam et Baruch secum proficisci, simul abeunt ac proficiscuntur in Ægyptum, habitantque iuxta Taphnis. Ubi Ieremias prædicit illis, Nabuchodonosor venturum, et vastaturum Ægyptum cum idolis suis, eique dominaturum. Ier. 42. et 43.

Fuga in Ægyptum.

Anno mundi 3358. ante Christum 591.

Iudæi persistunt in idololatria.

Post hæc Iudæi in Ægypto reprehensi a Ieremia super idololatria, quod ibi sacrificarent idolis, obstinate respondent una cum multitudine mulierum, permansuros se in idololatria inveterata, ac sacrificaturos reginæ cæli, id est lunæ, quos Ieremias prædicit universos gladio et fame penitus consumendos, regemque Ægypti Pharaonem capiendum: et quia non destitit ipsos arguere, lapidaverunt eum ibidem; quem honorantes Ægyptii, ob fugatos ipsius oratione serpentes ab eodem loco, sepelierunt eum iuxta sepulcrum regum suorum, magnaque cum ibi religione venerantur. Ierem. 44.

Ieremias a Iudæis lapidatur.

Post hæc emergunt alii Iudæi de locis vicinis, ad quæ profugerant, et dicunt: Unus erat Abraham, et possedit terram: nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem; itaque euntes habitant ibi in ruinis et maceriis urbis. Ezechiel. 33.

Anno 1. desolationis Ierusalem, qui erat transmigrationis 12. die 5. Decembris, venit quidam fugitivus de Ierusalem in Babylonem ad Ezechielem, dicens: Vastata est civitas: quo tempore prophetat Ezechiel, quod reliquiæ Iudæorum, qui habitabant in ruinosis, propter iniquitates suas, a bestiis, et gladio ac peste perderentur, et terra in solitudinem redigeretur. Ezech. 33.

Prophetia Ezechielis.

Eodem anno, die 1. Februarii, Ezechiel plangit super futura Pharaonis e Nabuchodonosor occisione, eiusque ac plurium nationum ad inferos descensu: eo quod dederint terrorem suum in terra viventium, hoc est Iudæorum et Patriarcharum: quos propter notitiam et cultum Dei, Dominus in Evangelio viventes appellat, Matth. 22. Describit etiam Evangelici prædicatoris officium, ac pro pastoribus Iudæorum neglecto grege seipsos pascentibus promittit verum pastorem Christum, qui suas oves congregabit, sanabit, et pascet in pace et ubertate. Ad hæc prædicit Idumæam vastandam et destruendam, eo quod populum Dei afflixerit: Israelem vero a captivitate reducendum, ac restituendum in terram suam, ubi uniti sub uno rege ac pastore Christo in felicitate habitabunt, et in præceptis Dei ambulabunt. Cuius restitutio ostenditur Prophetæ in campo per ossa arida reviviscentia, mystice etiam resurrectionem generalem mortuorum præfigurantia. Postremo vaticinatur Gog et Magog in novissimis diebus cum instructo ingentique exercitu, ab Aquilone venturos in terram Israel, ibique perituros. Ezechielis capitibus 32. 33. 34. 35 36. 37. et 38.

Anno mundi 3362. ante Christum 587.

qui fuit ab excidio et desolatione Ierusalem 5. Nabuchodonosor iuxta vaticinia Isaiæ c. 31. et Ieremiæ c. 46. 13. invasit et occupavit Cœlesyriam, Ammonitas et Moabitas; ita Ioseph 10. Antiq. 11. ac cœpit obsidere Tyrum, quam 13. annis obsedit, tandemque expugnavit. Ita Ezechiel. c. 29. 18. et Iosephus. Eodem anno, qui fuit Nabuchodonosoris 24. die 17. mensis quinti, Baruch librum a se conscriptum legit Babylone coram Iechonia, et toto populo, quo Iudæis in Babylone dat monita salutis, eos nimirum ob peccata abductos in captivitatem, sed cum gloria reducendos in Ierusalem. Rursum per Christum Deum, hominem futurum, ac in terra cum hominibus conversaturum, plenius et perfectius homines fore docendos viam sapientiæ ac salutis, ab eoque redimendos, ac æterno honore, splendore ac iucunditate exhilarandos, et condecorandos in lumine maiestatis Dei. Baruch c. 1. et seq.

Anno mundi 3371. ante Christum 578.

Visio Ezechielis.

anno 14. ab excidio Ierusalem, qui est 25. transmigrationis, die 10. Martii, Ezechiel in spiritu ductus in terram Israel, angelo ei ostendente, videt sub figura civitatis (Ierusalem) et templi, certa mensura ac dimensione super montem reædificandi, ac gloria Dei replendi, Ecclesiæ Christi sacrosancta mysteria. Ezech. capitibus 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. et 48.

Anno mundi 3373. ante Christum 576.

qui fuit ab excisa Ierusalem 16. a transmigratione Ioachin 27. Nabuchodonosoris 35. post longam et molestam obsidionem 13. annorum Tyrus capta est a Nabuchodonosore: quocirca Deus ipsi, eiusque exercitui promittit quasi pro mercede, se daturum ei Ægyptum in prædam, eo quod tot annis servierat ei in oppugnando et vastando Tyrum, Ezech. 29. 17. Quapropter a Nabuchodonosor hoc eodem anno invasit et occupavit Ægyptum, eaque subacta factus est monarcha.

Tandem Ezechiel apud Babylonem a iudice populi Israel, quod eum de cultu idolorum argueret, interfectus ac martyrio laureatus, sepultus est in sepulcro Sem et Arphaxad, Abrahæ progenitorum: ad quod multi orationis causa confluere consueverunt, uti habet Martyrol. Roman. quarto Idus Aprilis.

Anno mundi 3375. ante Christum 574.

qui fuit a vastata Ægypto, et consequenter a monarchia Nabuchodonosoris 2. regni vero eius 37. Nabuchodonosor iam superbus, et gloriosus triumphator reversus in Babylonem vidit in somnio statuam quadriformem, scilicet capite aureo, pectore argenteo, ventre æneo, tibiis ferreis,

portendentem quatuor imperia mundi, quæ a lapide de monte abscisso, id est, a Christo, contrita est, prout ei explicuit Daniel c. 2. ideoque a rege honoratus fuit, et toti Babyloniæ præpositus. Mox insolescens rex, eo quod audiret a Daniele se suumque regnum esse caput aureum, statuam suam auream erigit, atque in ea ab omnibus se adorari facit: quam cum cæteris adorantibus, Ananias, Azarias et Misael adorare nollent, iussu regis coniiciuntur in fornacem ignis ardentis; at iniectoribus a flamma combustis, illi in medio ignis cum angelo Dei illæsi et intacti ambulantes, cantico benedicunt Domino, atque ad laudem eius omnem creaturam exhortantur: quod Nabuchodonosor animadvertens obstupescit, ac illis de fornace evocatis, benedicit Deum ipsorum, iubens ac mandans edicto, ut occidatur quisquis eum blasphemaverit.

Post hæc vidit Nabuchodonosor somnium de excelsa arbore succidenda, quod solus Daniel interpretatur de futura septenni regis eiectione, et habitatione cum bestiis, eiusque tandem in regnum restitutione, quæ propter eleemosynas regis, monitu Danielis factas, ad annum dilata est. Deinde rex ob suam superbiam versus in dementiam, regnoque pulsus tamquam bestia cum bestiis sylvas incolens, annis septem gramen ut bos comedit, ac æstu roreque cæli perfunditur. Deinde precibus ac oratione Danielis menti regnoque restitutus, Deum cæli recognoscit ac glorificat; hæcque omnia per epistolas suis subditis divulgat.

ANNO MUNDI 3383. ante Christum 566.

qui fuit regni Nabuchodonosoris 45. monarchiæ eius 10. excisæ Ierusalem 26. transmigrationis Ioachin 37. moritur Nabuchodonosor, eique in regno succedit filius Evilmerodach, qui et Balthasar vocatus est: qui eodem anno 1. regni sui elevat et educit Ioachim regem Iuda de carcere, et exaltat eum super omnes principes Babylonis, adeo ut deinceps tota vita in mensa regis cum eo vesceretur. Ierem. c. ult. v. 31.

Eodem anno 1. regni Balthasar, videt Daniel c. 7. in somno quatuor bestias, leonem, ursum, pardum, et quartam terribilem innominatam, e cuius capite cornu parvum exoriens crescebat, multosque debellabat: quæ designabant quatuor monarchias, Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum, e qua orietur Antichristus sanctos persequens, et quasi monarcha toti orbi dominans per tres annos cum dimidio: quem filius hominis accepta ab antiquo dierum potestate disperdet et conteret, ipseque regnabit in æternum.

Sub idem tempus contigit historia Belis et draconis, quæ Daniel contrivit. Daniel. c. 14.

ANNO MUNDI 3385. ante Christum 564.

Visio pugnæ hirci cum ariete.

qui fuit Balthasar tertius, videt Daniel hircum pugnare contra arietem, ipsumque devincere; deinde cornu modicum ex hirco prognatum multam in populum templumque Dei exercere tyrannidem: auditque a Gabriele, ita regem Persarum olim prælio vincendum a rege Græcorum, atque ex eo oriturum regem impudentem (nempe Antiochum Epiphanem figuram Antichristi) qui sanctos interficiet, templum violabit, sacrificia cultumque Dei auferet et abolebit, tandemque sine manibus conteretur. Dan. 8.

ANNO MUNDI 3417. ante Christum 532.

Visio manus scribentis.

qui fuit Balthasaris 34. et ultimus, Cyrus rex Persarum, et Darius rex Medorum avunculus eius obsident Babylonem. Balthasar autem rex urbis munitione fretus, vacans conviviis bibit vinum cum suis principibus, uxoribus et concubinis, ex vasis templi Ierusalem, laudando idola sua:

Destructio Babylonis et regni eius.

quapropter videt manum scribentem in pariete, *Mane, thecel, phares:* quam scripturam cum magi Babylonis neque legere, neque interpretari valerent, solus Daniel eam perturbato regi et legit, et interpretatur significare ipsum regno deturbandum, idque a Deo dandum Medis et Persis. Unde Daniel torque aurea et purpura honoratur, ac tertius regni constituitur. Daniel. 5.

Eadem nocte Medi et Persæ fluxu Euphratis alio ducto, per siccum alveum Babylonem ingressi, Balthasar regem, populumque interficiunt, urbem turremque destruunt; regnum suscipit Darius Medus annos natus 62.

Monarchia Persarum.

A Ierem. 51. Cyrumque præcessit, quia senior, quia avunculus, quia potentioris regni dominus: hanc enim triplicem rationem assignat S. Hieron.

Daniel autem assumptus a Dario in Mediam, constituitur princeps super satrapas regni. Cumque ob sapientiam præ cæteris regi charus esset, invidia principum eius accusatur apud regem, quod contra regium edictum quotidie ter Deum cæli oraret. Unde renitente licet multum rege, proiicitur in lacum leonum, advolutoque lapide, os laeus obsignatur. Primo diluculo rex Danielem a Deo servatum, et a leonibus illæsum inveniens, ipsum educit, et accusatores eius leonibus obiicit, quibus subito devoratis, decreti publicatione per totum regnum Deum Danielis timendum prædicat. Danielis c. 6.

Daniel in lacu leonum.

Eodem anno 1. imperii Darii Medi super Chaldæos, an. 69. transmigrationis, Daniel, 9. intelligens ex libro Ieremiæ appropinquare terminum 70. annorum desolationis Ierusalem, et captivitatis Babyloniæ, prostratus coram B Domino in ieiunio, sacco et cinere, confitetur Iudæos propter peccata sua iuste captivatos, oratque ut iuxta suum promissum misericorditer reducere dignetur eos in terram suam. Cui apparens angelus Gabriel respondet, et indicat orationem eius exauditam esse, et insuper revelat ei, quando templum, quando urbs et civitas Ierusalem rursum ædificanda sint; quodque maius erat omnibus, prædicit ei tempus, quando vera libertas Christus venturus esset, nempe 70. hebdomades (quarum unaquæque iuxta Scripturæ consuetudinem 7. annos continet: faciunt ergo illæ annos 490.) a Deo determinatas et definitas esse usque ad Christum; quando abolito et expiato peccato, Deus veram adduceret libertatem iustitiamque sempiternam. Itaque ab exitu sermonis regis permissuri ut iterum ædificetur Ierusalem, hoc est ab anno 7. Artaxerxis Longimani regis Persarum, quando misit Nehemiam reædificare Ierusalem, usque ad illum diem, quo Christus Sanctus sanctorum, in suo baptismate cœlitus a Deo Patre per Spiritum sanctum ungeretur dux ac doctor Christianorum, fore hebdomadas 69. C annuas, id est, annos 483. hebdomada vero septuagesima, id est, ultima ac postrema, Christum confirmaturum pactum, id est, legem Evangelicam, novum testamentum, suumque Evangelium multis miraculis: in medio autem eiusdem hebdomadæ Christum occidendum, et cessaturum sacrificium veteris legis: populum qui eum Christum negaret, abiiciendum: abominationem desolationis in templo futuram, seu collocandam (*quæ dicta est*, inquit Christus Matthæi c. 24. *a Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit intelligat*) urbem vero ac templum dissipandum et devastandum a duce et populo venturo, eorumque desolationem duraturam usque ad finem mundi.

70. hebdomadæ Danieli revelantur.

ANNO MUNDI 3418. ante Christum 531.

anno 70. desolationis Ierusalem, peracto iam sabbato terræ, mortuo Dario Medo, Cyrus rex Persarum monarchiam adeptus, statim monarchiæ suæ anno 1. divinitus inspiratus, publicato ubique per totum regnum edicto, dat Iudæis licentiam redeundi in Ierusalem et Iudæam patriam D ac terram suam, atque impensis regiis iubet ædificari ibi templum Deo Israel reddens eis 5400. aurea et argentea vasa templi, quæ abstulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, 2. Par. 36. 1. 3. Esd. 2.

Relaxatio captivitatis Babylonicæ.

ANNO MUNDI 3420. ante Christum 529.

qui fuit tertius et ultimus monarchiæ et vitæ Cyri, ubi Daniel se luctu, ieiunio et oratione per tres hebdomadas afflixisset, vide die 24. Martii iuxta fluvium Tigrim virum lineis vestitum, fulgentemque; unde timens et tremens ab eo confortatur, et docetur de Michaele principe Synagogæ Iudæis auxiliante, et de variis bellis futuris inter reges Persarum et Græcorum, et inter reges Austri, id est Ægypti, et Aquilonis, id est, Syriæ: idem de Antiocho Epiphane, eiusque antitypo Antichristo se contra Deum deorum elaturo, et ablato iugi sacrificio, Iudæos per annos tres et semis persecuturo. Denique post magnam afflictionem mortuos resurrecturos, quosdam ad opprobrium sempiternum, quosdam ad vitam æternam: ubi docti ac doctores ut stellæ fulgebunt. Dan. cap. 10. 11. et 12.

COMMENTARIA

IN ISAIAM.

ARGUMENTUM.

QUÆRES primo, Quis fuit Isaias? Resp. Fuit Filius Amos, ut patet c. 1. 1. non Amos minoris Prophetæ, uti putavit S. Epiphan. in Vita Amos, et Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. et Cedrenus in Compend. histor. ille enim scribitur per *ain* initio, et per *samech* in fine; fuitque armentarius et rusticus, vellens sycomoros; sed alterius Amos, qui initio per *aleph*, et in fine per *tsade* scribitur, atque hebr. significat firmamentum, virtutem, fortitudinem; radix enim אמץ *amats* significat firmare, roborare.

Isaias fuit ex stirpe regia.

Porro hic Amos Isaiæ pater fuit e regio sanguine; unde in stylo Isaiæ tanta est urbanitas, nitor, decor et gratia, ut vel ex eo solo eum in aula regiis moribus educatum fuisse colligere liceat. Creditur ab Hebræis Amos hic fuisse frater Amasiæ regis Iuda, qui fuit pater Azariæ vel Oziæ regis, sub quo cœpit prophetare Isaias. Nec desunt qui addant Isaiam fuisse etiam socerum (id est prosocerum sive patrem soceri; nam Isaias erat tunc 126. annorum, ut mox ostendam) Manassis, ut testatur S. Hieron. lib. 3. comment. in Isaiæ c. 20. quod etiam sentit Isidorus lib. de Vita et morte Sanct. cap. 28. Imo S. Hieronymus in Quæstion. in 2. Paralipomenon c. 33. refert Hebræos tradere, Manassem fuisse filium filiæ Isaiæ, ergo Manassis avum fuisse Isaiam. Hinc patet Isaiam cœpisse prophetare fere eodem tempore quo Osee et Ioel, anno 17.

Fuit ante Romam 80. annis.

Oziæ, inquit Eusebius: Ozias autem regnare cœpit anno mundi 3137. quod fuit ante initium Olympiadum: hæ enim numerari cœperunt sub annum 40. Oziæ, ideoque ante conditam Romam: hæc enim iuxta chronologiam quam Genesi præfixi, condita est circiter anno 11. Ioathan. Olympiades enim Romam antecesserunt 23. annis. Quare Romulus iuvenis erat cum senesceret Isaias, adeoque Roma condita est sub annum vitæ Isaiæ 76. Favet Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. dicens: *Isaias a regno Salomonis, cuius tempore ostensum est Menelau venissem in Phœniciam, ducentesimo anno adhuc prophetasse cernitur.* Nam 200. annus a morte et regno Salomonis incidit in annum 34. Oziæ, vel Azariæ, quo adhuc prophetabat Isaias: quia scilicet multis iam annis anteactis cœperat, puta anno 17. Oziæ, et deinceps. Cœpit ergo pro-

Ante Christum 800.

phetare Isaias ante Christum pene annis 800 nam a 1. anno regni Oziæ usque ad Christum fluxerunt anni 813.

Fuit coniugatus.

Porro Isaias fuit coniugatus, habuitque uxorem, et filium nomine Iasub, ut patet c. 7. 3.

Isaiæ præcellentia.

QUÆRES secundo, Quanta sit prophetæ Isaiæ dignitas, excellentia et obscuritas præ aliis Prophetis? Resp. Pulchre ea hic describit S. Hieron. eaque patent ex multis.
1.
Quod vidit Deum ab eoque creatus est Propheta.

Primo, quia, sicut S. Paulus raptus fuit in tertium cælum ibique doctor et Apostolus creatus missus est ad Gentes: ita Isaias vidit Deum, ab eoque creatus est Propheta, ut dicetur c. 6. unde Eccli. 48. 25. Isaias vocatur *Propheta magnus, sanctus et fidelis;* quia quæ Deus illi revelarat, alacriter, libere, constanter et fideliter nuntiavit: alacritatis testimonium est c. 6. 8. ubi Deo quasi hæreuti quem mitteret ad duros Iudæos, fidens ipse et lætus se
offert. Secundo, quia a Seraphim accensus calculo ignito 2

A Seraphim factus est Seraphicus

consecratus est Propheta, factusque quasi Seraphinus et ordinis Seraphici, c. 6. 6. Destinabatur enim a Deo ad hoc, ut frigida et gelida hominum corda ardenti sua concione, vita et charitate, Dei cognitione et amore inflammaret.
Tertio, quia in Hebræo est eloquentissimus, te- 3.

Est eloquentissimus.

ste S. Hieron. Unde et S. Thomas, (vel quisquis est Auctor) prologo in Isaiam: Isaias, inquit, tripliciter excellit alios Prophetas, scilicet pulchris similitudinibus, expressione sententiæ, venustate verborum; quia nobilis erat et eloquens. Solet enim Spiritus sanctus organis suis se attemperare, ut in urbanis urbanus, in rusticis rusticanus, in eloquentibus videatur eloquens; perinde ac tibicen in tibiis subtilibus subtiliter modulatur, in crassioribus crassius, inquit noster Antonius Fernandius prologo in visiones Isaiæ.
Quarto, quia amplissimum, sublimissimum 4.

Sublimissimus est.

et clarissimum habuit lumen propheticum. Nihil enim fere est quod ad Hebræorum aliarumque Gentium statum pertineat, atque ab aliis Prophetis prædictum sit quod non multo luculentius et gravius in Isaia reperias. *Isaias*, ait Nazian. orat. 3. in princip. *vocis sublimitate Prophetas omnes antecellens*: unde alibi eum vocat Grandiloquum.
Quinto, quia de Christo et Christianis ita prophetat, ut 5.

Eius prophetia est quasi Evangelium.

non videatur de futuris vaticinari, sed de præteritis historiam texere, ait S. Hieron. ut qui Isaiam legerit, versari se putet in Evangelio. Quare in Evangeliis totoque novo Testamento unus Isaias sæpius citatur et auditur, quam omnes reliqui Prophetæ simul iuncti. Isaiæ enim testimoniis quasi stellis ita interpunctum et irradiatum est Evangelium, ut qui illud exponere voluerit, simul Isaiam; et qui hunc simul Evangelium interpretari debeat. Hic enim Virginem parientem, Christum conceptum, natum, quæsitum et adoratum a Magis, fugientem in Ægyptum, docentem, concionantem, miracula patrantem, patientem, morientem, resurgentem, venientem ad iudicium, iudicantem et triumphantem, non tam in Scriptura descriptum legimus, quam in viva imagine expressum intuemur, ut merito hæc prophetia præ reliquis vocetur et inscribatur Visio. Certe parvulum Emmanuelem nobis natum, eiusque dolores, cruciatus et tormenta tam graphice et pathetice depingit Isaias, ut tam passio Iesu Christi secundum Isaiam, quam secundum Matthæum aut Marcum legi et indigitari possit. Quapropter Isaias plenus est spiritu, non tantum prophetico, sed et Christiano atque Apostolico, eiusque prophetia, non tantum prophetia est, sed et Evangelium.
Sexto, quia non tantum 6.

Prædixit ultima Christi et mundi.

prævidit et prædixit ea quæ paulo post, nec tantum ea quæ ultimis sæculis Christi; sed etiam quæ tempore Antichristi in fine mundi eventura sunt: hoc est enim quod ait Eccli. cap. 48. vers. 27. *Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion usque in sempiternum.*
Septimo, quia fuit thaumaturgus, et sua oracula mira- 7.

Oracula sua mi-

culis confirmavit: nam per suas preces evocavit ange-

raculis confirmavit. lum, qui cecidit in exercitu Sennacherib una nocte 185. millia Assyriorum. Rursum reduxit Solem, eiusque umbram in horologio Achaz, eoque signo Ezechiæ regi sanitatem restituit, et quindecim annos vitæ addidit, Isaiæ
8. Prophetavit 96. annis. 36. et seq. Octavo, quia plurimis annis prophetavit, videlicet sub Ozia, qui 52. annis regnavit; sub Ioatham, qui 16 sub Achaz, qui 16. sub Ezechia, qui 29. pervenitque ad regnum Manassis filii Ezechiæ. Iam pone illum cœpisse prophetare anno 17. Oziæ, uti tradit Euseb. in Chronico, restabunt ex regno Oziæ anni 36. his adde 16. Ioathan, 16. Achaz, et 29. Ezechiæ, colliges annos 96. quibus prophetavit Isaias. Quare si dicamus eum instar Christi et Ioannis Baptistæ, ex more Hebræorum non cœpisse prophetare ante annum ætatis trigesimum; hinc sequetur eum ad decrepitam ætatem vixisse, usque ad annum ætatis 126. et ulterius: occidit enim eum Manasses idque non statim initio regni (cœpit enim ipse regnare puer anno 12. ætatis) sed cum iam grandior et nequior esset effectus. Nono, quia Isaias non tantum Propheta fuit
9. Fuit Apostolus. et Evangelista, sed et Apostolus, inquit Cyrillus et Chrys. hom. de S. Ioanne Baptista tom. 3. nam mitti petens missus est a Deo ad Iudæos c. 6. 8. Merito ergo Isaias in Synagoga Iudæorum præ cæteris Prophetis maximi semper est habitus. Decimo, quia insignis fuit vitæ sanctitate et
10. Fuit sanctus, suique ac vitæ contemptor. sui contemptu: totus enim nudus plena luce in ipsa sua patria et Iudææ metropoli, puta Hierosolymis, vir nobilissimus, et fama ac auctoritate clarissimus, per triduum Dei iussu ambulavit, uti patebit c. 20. Rursum illustris fuit eius pietas et misericordia: nam maximam operam posuit in consolando populo et Ecclesia: *Consolatus est* enim *lugentes in Sion*, ait Ecclesiaste, adeo ut ipse omnem respueret consolationem, quia intimo sensu tangebatur et sentiebat afflictionem sui populi, c. 22. 4. Denique enituit Isaiæ fortitudo, constantia et libertas dicendi ac carpendi vitia regum et principum, iisque comminandi et prædicendi pœnas a Deo infligendas, ut patet. c. 1. 10. et c. 39. 3. et alibi. Illustrior fuit hæc libertas in Isaia, ex eo quod ipse haberet uxorem et familiam ac filium: quos omnes intrepide odiis regum et principum pro Deo et veritate obiecit. Atque hac de causa Isaias martyrio coronari meruit. Unde S. Paulus Rom. 10. 20. ait: *Isaias autem audet, et dicit:* ubi Origenes, Audet, inquit, et libere prædicat, cum sciret sibi ex eo imminere mortem. Unde

QUÆRES tertio, An Isaias sit Martyr? Resp. esse: nam communis Hebræorum et Patrum, ut Origenis hic homil. 1. Dorothei, Isidori, Epiphanii in Vita Isaiæ, Chrysost. epist. ad Cyriac. Iustini contra Tryphon. August. 18. Civit. 34 et aliorum, traditio est, Isaiam sub Manasse rege
Fuit Martyr, sectus serra. serra dissectum esse. Quam traditionem S. Hieron. lib. 15. in Isaiam in fine certissimam vocat, ubi et illud Hebr. 11. *secti sunt*, vel ut ipse legit, *serrati sunt*, intelligit de Isaia. Audi Tertull. in Scorpiaco c. 8. *David*, inquit, *exagitatur, Elias fugatur, Ieremias lapidatur, Isaias secatur, Zacharias inter ædem et altare trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus assignans.* Unde Rom. Martyrolog. 6. Iulii de Isaia sic habet: *In Iudæa sancti Isaiæ Prophetæ, qui sub Manasse rege sectus in duas partes occubuit.* Et Chronicum Alexandrinum, sive Fasti Siculi sic habent: *Isaias Vates a Manasse serra divisus occubuit; vaticinatus est annis nonaginta: tumulatus subter quercum Rogel.* Et S. Ambros. in c. 20. Lucæ: *Quis ille*, inquit, *in capite vulneratus? Nimirum Isaias cuius facilius compagem corporis serra divisit, quam fidem inclinavit, constantiamque detrivit aut vigorem mentis exsecuit.* Audi et S. Zenonem Episcopum Veronens. et Martyrem serm. de Isaiæ martyrio mira, sed obscure dicentem: *Isaias*, ait, *cum Christum prædiceret, vel cum futuræ damnationis elogium Israelitico populo nuntiasset, atroci feritate blasphemantium commota barbaries, sectum a capite duabus eum violento supplicio quasi offulis bifidavit; iussitque a capite per aures usque ad scapulas secari cervicem.* Et inferius: *Cum in capite, hoc est collectæ sensualitatis umbilico, serra viam faceret, et stridore reciproco sulcos dentium duceret, labebatur credo lamina* (serræ) *dum den-*

A *tes infigit. Mox se ut ad cubile cordis concinamenti nisu sector sollicitus defixisset, fontis fluenta purpureis laxatis venarum lapsibus, ne venas vermiculatim pollice profanus intenderet, croceus se affatim imber infudit.* Et mox: *Patuerunt quippe internorum viscerum castidici iuvenis laqueata commercia, sonus buccinæ ferientis, profunda vivacitas, et sicca ieiunia voluptatum. Sed Belial filius Ezechiæ* (Manasses) *vir cruentus et prodigus genealogiæ, pythonicorum antistes, intra loricam sacri pectoris fidei comitium, prædicationis politicæ litterarum curiam requirebat.* Quare temere hanc traditionem negat Abulens. in 4. Reg. 21. quæst. 17. Argumentum Abulensis est hoc: Isaias in prooemio non nominavit Manassem, sed tantum Oziam, Ioatham, Achaz et Ezechiam; ergo sub Manasse non prophetavit, ergo sub eo non est passus. Sed hoc argumentum infirmum est: utraque enim consequentia negari potest; nam cur non nominarit Manassem causæ variæ esse potuerunt, ut, quod Manasses iam tum esset puer
B quodque non diu sub eo prophetarit, imo forte non prophetarit, sed tantum eum docere et redarguere voluerit, ideoque ab eo sit occisus: nam ab eo occisum esse affirmant communiter Patres. Audi et Auctorem operis imperfecti in Matth. hom. 46. in illa verba: *Ierusalem quæ occidis Prophetas, et lapidas eos;* inquit: *Misi ad te Isaiam et serrasti eum; misi ad te Ieremiam, et lapidasti eum; misi Ezechielem, et tractum super lapides excerebrasti eum.* Vide hic quæ sit merces Prophetarum, doctorum et concionatorum, scilicet persecutio, passio et martyrium. Hanc lauream sectati ed adepti sunt Prophetæ, Christus, Apostoli omnes, S. Ioannes Baptista, S. Stephanus, S. Chrysostomus, et alii. Idem hodie exspectent boni Pastores et prædicatores putentque hanc suæ libertatis, constantiæ et laborum mercedem esse magnam nimis. Imo Iustinus supra, et Tertul. lib. 3. carm. contra Marcion. Lignea.
docent serram hanc ligneam fuisse: loquens enim Tertull. de Isaia sic canit:

Quem populus sectum ligno, sine labe repertum,
C *Immeritum demens crudeli morte peremit.*

Quod sane atrox fuit tormentum, præsertim in homine sene 126. annorum. Unde patet Isaiam morte sua per lignum præfigurasse mortem Christi in ligno crucis, perinde ut vita sua vitam Christi, imo nomine suo nomen Iesu præfiguravit. Isaias idem est quod Iesus Deus. Isaias enim hebr. idem est quod *salus*, vel *Salvator Domini*, aut, *Iesus Deus*, ut vult Leo Castrius. Quod enim nos dicimus Isaias, Hebræi dicunt Iesaias, quod exponi potest ישוע יה *Iesciua Ia*, id est, Iesus Deus: totus enim Isaias id unum spectat, ut Iesum Christum Redemptorem et doctorem nostrum aut annuntiet verbis, aut moribus exprimat. Merito ergo ait hic S. Hieron. *Ignoratio Scripturarum* (præsertim Isaiæ) *ignoratio Christi est.*

Porro mortis et martyrii Isaiæ causa fuit duplex. Prior Martyrii Isaiæ causæ duæ.
vera, quod videlicet tam libere Manassem regem, principes et populum increpasset, ut dixi, ac præsertim quod c. 1. 10. eos vocasset principes Sodomorum et populum
D Gomorrhæ. Rursum quod dixisset Deum Iudæos excæcaturum et reprobaturum, ac pro eis vocaturum Gentes; hoc enim innuit Paulus Rom. 10. 20. *Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum a non quærentibus me; palam apparui iis, qui me non interrogabant:* hoc enim summe pupugit corda Iudæorum. Simili ratione captavit martyrium S. Stephanus, dicens Iudæis: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis;* et S. Paulus Actor 22. v. 21. Dicens: *Et dixit* Dominus *ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te, audiebant autem* Iudæi *eum usque ad hoc verbum, et levaverunt vocem dicentes: Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum vivere.* Simili modo Ioas reprehensus a Zacharia filio Ioiadæ eum occidi curavit in templo, 2. Paral. 24. 22. et Amasias rex alteri Prophetæ se increpanti minatus est mortem, ibidem c. 25. 16. et Asa rex Hanani Prophetam, a quo stultitiæ arguebatur, in nervum: id est, in durum carcerem, coniecit, ibidem c. 16. 10. Posterior colorata et quæsita ad pretextum,

quod scilicet cum Mosi dixerit Dominus Exodi 33. 20. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, et vivet;* Isaias contrarium dixerit et scripserit c. 6. 1. scilicet se vidisse Deum sedentem super solium excelsum: itaque crimen blasphemiæ Isaiæ impegerunt, ob illudque eum ad mortem damnarunt. Ita S. Hieron. S. Basil Haymo et alii, quin et Hebræi apud Galatin. l. 4. c. 23. qui tamen more suo fabulas admiscent de cedro quæ Isaiam, dum Manassem fugeret, se aperiens exceperit, in qua et cum qua a Manasse dissectus sit.

Dices: illæ Isaiæ increpationes principum et prophetiæ iam præterierant sexaginta annis. Resp. Ita est, sed eam principes refricarunt novo regi Manassi, qui homo impius et sanguinolentus cum rursum simili modo corriperetur ab Isaia, tum ob suas recentes, tum ob alias præteritas principum increpationes ab Isaia factas, et scriptis mandatas vulgatasque, quæ quotidie a multis legebantur, cum occidit.

Audi S. Hier. enarrantem in Isaiam calumnias, aliaque ad ipsum et Manassem spectantia l. q. in l. 2. Paral. sub. finem. *Tradunt Hebræi*, ait, *eumdem Manassem filium fuisse filiæ Isaiæ et ideo in hoc loco, quamquam nomen matris scribatur, patris tamen illius non scribitur; quia indignus erat profanus rex tanto avo. Tradunt Hebræi idcirco occisum Isaiam, eo quod eos appellaverit principes Sodomorum et Gomorrhæ. Et quia dixit: Vidi Dominum sedentem; cum per Moysen dixerit: Non enim videbit me homo, et vivet. Et quia dixit: Addet Deus ad dies tuos quindecim annos; eo quod per Moysen dixerit: Et numerum dierum tuorum implebis. Et quia dixerit: Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est: cum dicatur: Quis est tam propinquus, quomodo Dominus Deus noster, quando eum invocamus? Et cognovit Manasses quod Dominus ipse est Deus. Dum enim in Babylonem ductus fuisset, et in vase æneo perforato missus, admoto igni, invocavit omnia nomina idolorum quæ colebat: et cum non fuisset ab eis exauditus, neque liberatus, recordatum fuisse, quod a patre crebro audierat: Cum invocaveris me in tribulatione et conversus fueris, exaudiam te, ut in Deuteronomio scribitur; exauditum esse a Domino, et liberatum et reductum in regnum suum, et in modum Habacuc reductum, sicut ille deductus fuerat in Babylonem.*

Mira de fonte Siloe — Tradunt S. Epiphan. et Dorotheus in Vita Isaiæ eum suis precibus impetrasse fontem et aquas Siloe, additque, cum hostes Hierosolymam occuparent, Iudæis advenientibus fontem hunc aquas dedisse; cum vero hostes venirent, aquas suas subduxisse: ideoque Iudæos Isaiam sepeliisse iuxta Siloe, ut aquas eius suis precibus in finem usque mundi perennaret. Addit Dorotheus Isaiam antequam secaretur petiisse aquam eamque divinitus ex hoc fonte missam esse: unde eum vocatum esse Siloe, quod interpretatur Missus. Alii rem hanc sic narrant, scilicet Isaiam ante mortem postulasse a carnifice aquam quam cum negaret carnifex, in os Isaiæ cælestem aquam divinitus influxisse, indeque aquam illam dictam esse Siloe, quia missa erat e cælo: ut Isaias serratus fuerit typus Christi, cui pariter in cruce distento et sitienti vinum et aquam negarunt Iudæi et pro iis fel præbuerunt. Verum horum fides sit penes ipsos. Denique tradit Cedrenus anno 35. Theodosii iunioris reliquias Isaiæ Paneadem translatas, in templo S. Laurentii fuisse repositas. Denique audi elogia Isaiæ in unum congesta ab Ecclesiastico c. 48. 23. *Purgavit eos* (Iudæos) *in manu Isaiæ sancti Prophetæ. Deiecit castra Assyriorum, et contrivit illos Angelus Domini. Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, et fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias Propheta magnus, et fidelis in conspectu Dei. In diebus eius retro rediit sol, et addidit regi vitam. Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum ostendit futura, et abscondita antequam evenirent.*

Argumentum Isaiæ — Quæres quarto, Quodnam sit totius huius operis et libri Isaiæ argumentum? Resp. Operis quasi compendium est ipsum eius caput primum. Nam tam cap. 1. quam toto deinceps opere reprehendit peccata populi sui temporis, puta ignorantiam et neglectum Dei, superbiam, fiduciam suarum virium et operum, contemptum fratrum miserorum, fraudes in iudiciis publicis, sodomiam, et maxime idololatriam. Inde secundo, transit sæpe ad Iudæorum reiectionem, vocationem Gentium, aliaque Christi et Ecclesiæ mysteria: idque sæpe facit latenter et subito quasi avolans a typo ad antitypum, a Iudæis ad Christum et Christianos: hic enim est mos et raptus Prophetarum, maxime Isaiæ, qua de causa ipse obscurior est. Quare duæ operis huius sunt partes principales: prior habet oraculum triste, obiurgatorium et comminatorium; — Duæ libri partes — continetque quinque sectiones, et porrigitur a cap. 1. usque ad 40. Prima sectio est a cap. 1. ad 7. qua Iudæorum scelera arguit, eisque minatur cladem tum Assyriacam per Sennacherib, tum Babylonicam per Nabuchodonosor, tum Romanam per Titum, ac denique cap. 6. eorum excæcationem et reprobationem tempore Christi. Secunda sectio a cap. 7. ad 13. extenditur, qua Emmanuelis ex virgine ortum victoriam, nomina, imperium, gratiam, prædicationem, conversionem Gentium, septem dona Spiritus sancti, crucem, sepulcrum gloriosum, et triumphum per epinicium graphice depingit. Tertia sectio a cap. 13. ad 24. continet onera, id est, prophetias de excidio Babylonis, Philisthinorum, Moab, Damasci, Æthiopiæ, Ægypti, Idumææ, Arabiæ, Iudææ, et Tyri per Nabuchodonosor. Quarta a c. 24. ad 28. continet onus, id est, prophetiam de excidio orbis ob impietatem hominum, in fine mundi; de gehenna reproborum, de gloria paucorum salvandorum: eorumque canticis et hymnis Eucharisticis, deque vindicta et excidio regni Leviathan, id est, diaboli. Quinta a c. 28. ad 40. redit ad onera temporis præsentis, eaque varia mistim pertractat, puta de excidio decem tribuum, deinde duarum, mox Sennacherib, mox totius orbis, mox infidelitatis et impietatis per adventum Christi usque ad c. 36. ibi enim usque ad c. 40. a prophetia transit ad historiam Sennacherib et Ezechiæ, narratque ea quæ de iis prædixerat, reipsa fuisse impleta.

Posterior principalis Isaiæ pars habet oraculum suave et lætum de Christo et Ecclesia, constans adhortationibus, consolationibus, promissis; atque licet hæc pars cum priore sæpe commisceatur, proprie tamen incipit a c. 40. et porrigitur usque ad finem libri. In ea sæpe gestit et exsultat Isaias præsertim ubi (quod sæpius facit) agit de vocatione Gentium ad Christi fidem, gratiam et salutem.

Porro Isaiæ stylus et facundia in hoc tam multiplici — Stylus. — argumento multiplex et admirabilis est: nunc enim sublimis assurgit, nunc supplex se demittit; nunc stylum hilarat effuse, nunc stringit et acuit, nunc tardat et incitat; nunc minatur, nunc blande solatur; nunc dociles benigne excitat, nunc renitentes violenter exagitat et quasi detonans sternit. Unde Isaias a S. Chrysost. homil. 8. in Genes. vocatur *Propheta vocalissimus*, et hom. 40. in 1. ad Corinth. *Magniloquentissimus*.

Nota primo. Præter hunc librum Isaias scripsit alium de gestis regis Oziæ, ut patet 2. Paralip. 26. v. 22.

Secundo, hæretici commenti sunt librum Isaiæ, qui di- — Alii Isaiæ libri. — citur ἀναβατικός, id est, ascensio, quo utuntur Archontici, teste S. Hieronymo et Epiphan. Hic liber præter alia docet Melchisedech fuisse Spiritum sanctum, qui exploratus est error et hæresis.

Tertio, Venetiis prodiit liber sive visio Isaiæ hoc titulo: *Visio admirabilis Isaiæ Prophetæ in raptu mentis, quæ divinæ Trinitatis arcana, et lapsi generis humani redemptionem continet.* Testis est Sixtus Senensis in Isaia.

Denique putant Iudæi, teste R. David Kimchi, Isaiam scripsisse Proverbia, Ecclesiasten et Cantica Canticorum. Verum hæc non Isaiæ, sed Salomonis esse communis Catholicorum est sententia.

Quæres quinto, Qui et quales hic sint commentatores? — Veteres commentatores. — Resp. Scripsit, inquit S. Hieronymus, primo, Origenes in Isaiam 30. volumina, et 25. homilias (iam tamen tan-

Veteres. tum exstant novem, eæque fere in caput 6.) Secundo, Eusebius Pamphili scripsit volumina 15. Tertio, Didymus 18. Quarto, Apollinaris etiam punctim, et quasi per intervalla. Quinto, Martyr Victorinus latine: sed nec ipse, nec cæteri huc usque recensiti iam exstant. Sexto, præ his omnibus docte commentatus est Cyrillus. Septimo, scripsit S. Basilius in 16. prima capita, atque hinc inde egregios quosdam morales locos interserit. Notat Leo Castrius pag. 68. Latinam versionem Cyrilli et Basilii videri Iudaicis traditionibus, vel fabulis ab aliquo hinc inde inspersam; eo quod illæ in Græco exemplari desiderentur. Octavo, S. Chrysostomus in fine tom. 1. habet 8. homilias in Isaiam, e quibus quinque sunt in caput 6. Scripsit et Procopius Gazensis more suo breviter, nervose et erudite. Inter Latinos primas iam et tempore et doctrina, in sensu præsertim litterali vestigando, obtinet S. Hieronymus, cuius laus vel maxima exstat in comment. hisce in Isaiam aliosque Prophetas. S. Hieronymum quasi abbreviator sequitur Haymo Episcopus Halberstadiensis, qui breviter et dilucide Isaiam et Prophetas explicat. Post Haymonem scripsit Rupertus, qui maxime allegoriam tractat, et omnia pene de Christo interpretatur: more suo est moralis. Post Rupertum scripsit Ioachim Abbas Florensis qui novo miroque modo explicat Isaiam et Ieremiam, nimirum prophetice. Nam prophetias de gentibus priscis ante Christum explicat de gentibus fidelibus post Christum. Tam ergo Prophetam agit quam Isaias vel Ieremias, iisque sæpe obscurior est: v. g. onera Babylonis, Philisthiim, aliarumque gentium, de quibus agit Isaias c. 13. et seq. sic generatim explicat et adaptat: *Onus*, inquit, *Babylonis secundum concordiam tangit Romam, sicut Chaldæa Alemanniam* (cur non potius Italiam? sicut enim Babylon erat metropolis Chaldææ, sic Roma est Italiæ.) *Onus Philisthiim secundum concordiam Lombardos et alios Italos; Onus Moab et filiorum Ammon, Principes Latinos et Græcos; Onus deserti maris, Africanos et alios Saracenos; Onus Duma vel Idumææ, tangit negotiatores Iudæos, sapientes, et Legistas, et Græcos; Onus Arabiæ, Hispanos et Marchianos; Onus vallis visionis, cuiuscumque Ordinis Regulares; Onus Tyri, Siculos et regnicolas sibi subiacentes; Onus Ægypti, Iudæos, Danos et Francos; Onus Damasci tangit Thuscos et Ligures, in gladio verbi Domini, et ferro effundendos et conterendos.* Similiter scribens in c. 4. Ieremiæ, et in c. 14. Apocal. prophetat duos fore Ordines qui reformaturi sint Ecclesiam, eosque adumbratos fuisse per corvum et columbam, quos Noe emisit ex arca Gen. 8. Quin et ferunt eius iussu depictos fuisse S. Dominicum et S. Franciscum cum stigmatibus, et habitibus suis, supra fores veteris sacristiæ S. Marci Venetiis, qui usque in præsentem diem manent, cum constet Ioachim ætate præcessisse S. Dominicum et S. Franciscum, sed modica. Nam iam tum vivebant S. Dominicus et S. Franciscus, qui paulo post Ordines suos instituerunt, ut notat P. Possevinus in Biblioth. verbo *Ioachim*. Multa alia prophetat de Friderico Imper. Henrico, et aliis, sed sæpe tam obscure et ænigmatice, ut Œdipo sit opus: de quibus quid sentiendum sit, dicam Proœmio in Apocalypsin, quam post Prophetas edere destino. Videtur ipse prophetias S. Scripturæ, suæ ætati, suisque temporibus, puta sæculo XII. et XIII. post Christum (floruit enim ipse anno Domini 1200.) accomodare voluisse; sed quam concinne et vere, non satis liquet; præsertim quia indefinite et generaliter loquitur, nec certum designat tempus, quo ea quæ prophetat implenda sint. Iam ergo eius prophetiæ parum utiles sunt, tum quia generales, tum quia obscuræ, tum quia præteritæ, tum quia ambiguæ. Plerumque enim per parabolas prophetat de septem Ecclesiæ temporibus, et de oneribus sexti temporis: eumque proin- A de hac in re secuti videntur Petrus Galatinus, Ubertinus de Casalis, et similes scribentes in Apocalypsin, eamque adaptantes septem futuris Ecclesiæ statibus. Fundamentum eorum est, quod censeant nihil in veteri testamento gestum esse, quod in novo pariter non geratur aut gerendum sit; qua de re scripsit Ioachim libro de Concordia novi et veteris testamenti. Post Ioachimum scripsit D. Thomas in Isaiam et Ieremiam: hunc tamen commentarium non esse S. Thomæ Aquinatis, aut certe multa ei infarta esse censent Sixtus Senensis, Adamus Sasbout, et noster Delrio: nam in multis iudaizat. Exempli instar sit illud cap. 8. 2. *Accede ad prophetissam*, hoc est, inquit, accede ad uxorem tuam, o Isaia: qui sensus Iudaicus est. Antonius tamen Senensis in Bibliotheca Ordin. Prædicat. cum aliis contendit hoc opus esse S. Thomæ Aquin. quia eius doctrinam et stylum redolet: more enim D. Thomæ sæpe terminis Scholasticis utitur, atque hinc inde quæstiones Scholasticas immiscet. Verius est hæc comment. esse Thomæ Doctoris non Angelici, sed Anglici, qui B ex Ord. Prædicat. Theol. Scholasticæ Professor floruit sub annum Christi 1400. Eiusdem enim sunt comment. in Genesin, quæ hisce similia sunt, et falso S. Thomæ Aquinati ascribuntur; plane enim videtur hic auctor R. Salomone et Lyrano esse posterior, ab iisque Iudaicas hasce traditiones accepisse.

Ex recentioribus scripserunt multi. Eminent Franciscus Forerius Ulyssiponensis ex Ordine S. Dominici, et Recentiores. Regum Lusitaniæ concionator, qui ex Hebræo textu reconditos rimatur et affert sensus; item Adamus Sasbout e S. Francisci familia, olim Lovanii Professor, qui litteram docte et pie, apteque ad mores expendit. Leo Castrius ingens scripsit volumen: hic totus est in versione Septuag. explananda, estque in Patribus versatissimus, ac hostis acerrimus Iudæorum, contra quos omnia pene Isaiæ dicta torquet. Vatablus brevi scholio suam, id est, Leonis Hebræi Tigurini, ex Hebræo versionem de more illustrat. Scripsit et Hector Pintus luculente: sæpe enim C ad moralia excurrit. Hieron. Osorius bonam Isaiæ paraphrasim edidit. Denique scripsit fuse et eloquenter Arias Montanus; qui hic tamen brevior et doctior est quam sit alibi: item Didacus Alvarez, et Paulus a Palatio. Novissime scripsit iustum volumen in Isaiam noster P. Gaspar Sanchez, illudque doctum æque ac elegans, cum insigni paraphrasi singulorum capitum. Noster Martinus Delrio in Adagia lib. multas obscuriores Isaiæ et cæterorum Prophetarum sententias et phrases accurate docteque explicat.

Ex hæreticis scripserunt Œcolampadius, Zuinglius, Hæretici commentatores. Lutherus, Calvinus, Pellicanus, Musculus: ex quibus Catenam suam consarcinavit Augustin. Marloratus, quam totam evolvi. Sane tædet cacodoxos et verbosos hosce spermologos legere: sed pro veritate orthodoxa firmanda legendi et refellendi sunt: inter quæ, quod Ennium lectitans dixit Cicero, subinde *de stercore gemmas colligo*. Quidni enim *et in mala segete bonum aliquod spicum?*

Denique exstat Romæ in Bibliotheca Vaticana et Me- D dicea, versio Bibliorum Syriaca: item Arabica anonymi auctoris, utraque vetusta. Arabicæ duplex est exemplar, unum Antiochia allatum, quod Antiochenum vocant; alterum ex Ægypto, quod Alexandrinum nuncupant. Utramque in Latinum convertit Reverendissim. Dom. Sergius Risius Marouita, Archiepiscopus Damascenus, cui Arabica lingua materna est, Syriaca familiaris: Syriaca enim utuntur Damasceni et Maronitæ in sacris. In Syriaca operam ei strenuam navat R. P. Ioan. Baptista Ferrarius, Societatis nostræ, publicus linguæ Syriacæ in Collegio Romano Professor. Citabo utramque in locis illustrioribus, ubi vel lucem afferunt, vel novum sensum, ad copiam. Illis auctoribus attribuat et accepta referat lector.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, peccata populi exaggerat et coarguit. Secundo, pœnam comminatur, scilicet gentis excidium, cum ait v. 7. Terra vestra deserta, etc. Tertio, ostendit quomodo per pœnitentiam Deum placare possint, cum ait v. 16. Lavamini, mundi estote, etc. Huc usque concionatorem agit Isaias, docetque modum et ordinem concionandi, quem nostri concionatores imitentur. Quarto, proprie Prophetam agit, cum v. 26. avolat ad Christum et Apostolos, et v. 31. ad ignem gehennæ.

1. Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit super Iudam et Ierusalem in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, et Ezechiæ, regum Iuda. 2. Audite cæli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. 3. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. 4. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. 5. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, et omne cor mœrens. 6. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. 7. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili. 8. Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur. 9. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. 10. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. 11. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum; holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum, nolui. 12. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? 13. Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: 14. Calendas vestras, et solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. 15. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. 16. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationem vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, 17. Discite benefacere, quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. 18. Et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. 19. Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. 20. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est. 21. Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. 22. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua. 23. Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant: et causa viduæ non ingreditur ad illos. 24. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel: Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. 25. Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum. 26. Et restituam iudices tuos, ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas iusti, urbs fidelis. 27. Sion in iudicio redimetur, et reducent eam in iustitia: 28. Et conteret scelestos, et peccatores simul: et qui dereliquerunt Dominum, consumentur. 29. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverunt: et erubescetis super hortis, quos elegeratis, 30. Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua. 31. Et erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, et opus vestrum quasi scintilla: et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat.

Vers. 1. VISIO ISAIÆ FILII AMOS, QUAM VIDIT SUPER IUDAM ET IERUSALEM IN DIEBUS OZIÆ, etc.) Est hic titulus libri continens nomen ipsius auctoris sive Prophetæ, et populi cui ipse prophetat, et tempus quo prophetavit, videlicet sub Ozia sive Azaria, Ioathan, Achaz et Ezechia regibus Iuda.

Prophetia vocatur visio, cur? Resp. I. Nota primo, *visio*, id est visum sive res visa, puta prophetia quam vidit Isaias oculis non corporis, sed phantasiæ, aut potius mentis et intellectus: ubi *videre* et *audire* sæpe idem sunt, puta clare rem cognoscere. Licet enim Isaias quandoque viderit symbola quædam, ut cap. 6. vidit Deum in throno cum Seraphinis; tamen communiter tantum audiebat Deum sibi loquentem.

II. Secundo, dicit *visio* potius quam prophetia, tum ut indicet certitudinem suæ prophetiæ; quia, ut ait S. Basil. visus est sensuum certissimus: tum ut sciamus Isaiam in hac illuminatione Dei non quasi futuræ rei prænotionem, sed quasi præsentis claram inspectionem accepisse: in Dei enim præscientia et prævisione omnia, etiam futura, sunt quasi præsentia. Ita Cyrill. Refert S. Gregorius l. 2. Dialog. c. 35. de S. Benedicto, quod ipse in oratione ita mente in Deum elevatus fuerit, ut sub eo viderit mundum totum quasi parvum globum in radiis Solis collectum.

A Quærenti quomodo id fieri potuerit, respondet, causamque et modum assignat, dicens: *Quia videnti Deum angusta est omnis creatura*, et mens S. Benedicti in Deo dilatata sub eo mundum quasi globulum vidit. Simili modo nostri Prophetæ ita spiritu elevabantur in Deum, ut res etiam remotas quasi coram se positas cernerent, ideoque eorum prophetia vocatur Visio, ipsique vocantur Videntes, ut liber Addo Videntis, id est Prophetæ, et Saul ad Samuelem: *Ubi est domus Videntis?* cui Samuel; *Ego sum Videns*, id est Propheta, 1. Reg. 9. 18. Hanc prævisionem Deus Prophetis, sed maxime Isaiæ, communicavit. Isaias enim ea quæ prædicit, ita distincte et dilucide proponit, ut qui ea legit, cernere se potius putet præsentia, quam sperare futura. Ita Thales rogatus, *quantum a mendacio distaret veritas*? respondit, *Quantum oculi ab auribus*. Sensit vir sapiens, ea demum esse indubitatæ fidei quæ hominum oculis cernuntur, non quæ auribus audiuntur.

Tertio, Prophetæ sæpe pro eodem accipiunt hæc tria, III.
scilicet, *visio*, *verbum*, *onus*, nimirum pro prophetia, de quo c. 13. 1. Vide can. 1.

Quarto, dicit *visio*, non mea, sed *Isaiæ*: non tam mo- IV.
destiæ quam historiæ causa, scilicet ut sequentibus sæ-

culis sciatur hunc esse librum Isaiæ, non alterius: hac enim de causa scriptores libris quos edunt suum nomen præfigunt.

Filii Amos.) Alius est hic Amos ab Amos qui est tertius inter minores Prophetas, ut dixi in Procœmio. Utrumque Prophetam fuisse censent Hebræi: tradunt enim ipsi hanc regulam: quoties in titulo Prophetarum nominatur pater Prophetæ, vel avus, vel abavus, significatur singulos eorum fuisse Prophetas: sed hæc regula dubia et eruditis falsa videtur, de qua re alibi agam.

Quam vidit (id est audivit a Deo) super Iudam et Ierusalem.) Septuag. *quam vidit contra Iudam et Ierusalem.* Hebræum enim אל *al* et *super* et *contra* significat; hic melius vertas *super.* Isaias enim non tantum adversa, sed et læta Iudæ prænuntiat. Sub *Iuda* accipe et tribum Beniamin: hæc enim in schismate decem tribuum sub Ieroboam cum Iuda adhæsit Roboam, et domui Davidis, q. d. Hic liber Isaiæ continet tam prospera quam adversa, quæ ipse in spiritu prævidit in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, et Ezechiæ, posteris Iudæ et Beniamin, ac maxime Hierosolymitis obventura, partim sub illis ipsis regibus, partim post eos. To enim *in diebus Oziæ* referendum est ad *vidit,* ut patet: nam licet Isaias cap. 13. et seq. prophetet etiam contra Babylonios, Medos, Syros, Ægyptios, etc. tamen præcipue et communissime prophetat Iudæis. Unde eis suam prophetiam inscribit.

Notat S. Hieronymus, aitque: *Quod in titulo ponitur Isaiam prophetasse sub Ozia, Ioatham, Achaz et Ezechia, non ut in aliis Prophetis, confuse intelligendum est, ut nesciamus quid sub quo specialiter rege dictum sit; sed usque ad finem voluminis scriptum refertur, quid seorsim sub Ozia,* scilicet dicta a c. 1. ad c. 6. v. 1. *et quid sub Ioatham,* scilicet dicta cap. 6. *et quid sub Achaz,* scilicet dicta a c. 7. v. 1. ad 14. 28. *et quid sub Ezechia et a Domino revelatum sit,* scilicet reliqua a c. 14. 28. ad finem libri. Ita ipse. Hoc generaliter verum est; patitur tamen exceptionem, ut patebit cap. 17. 1.

Vers. 2 Audite cæli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.) Attentionem sibi conciliat Isaias per pathos invocando cælum et terram ut audiant verba, non sua, sed Domini. Iam Haymo per *cælum* intelligit viros probos, spirituales et cælestes: per *terram* homines rudiores et terrenos, vel etiam pravos et incredulos. Verum hic sensus est tropologicus.

Ad litteram ergo S. Basil. Hieron. et Cyrillus per *cælos* accipiunt cæli incolas, puta angelos: per *terram* terrigenas, puta homines, ut sit metonymia.

Cælos invocat ob tres causas. Secundo, magis litteraliter et genuine idem Cyrillus et Rupertus proprie ipsos cælos et terram accipiunt: utitur enim Isaias prosopopœia ad inanimes creaturas, ut oratio sit gravior et plena indignationis, idque primo, ut significet Iudæos omnia sua bona a cælo et terra accepisse per Deum, cui iam adeo fuerunt ingrati; secundo, eo quod Iudæi adorarint solem, lunam, sidera in cælo, et in terra bestias ac lapides, ideo ea ipsa nunc quasi eorum iudices invocat; tertio, et maxime, quia cum homines rationales puta Iudæi, nollent audire Deum et Prophetas, hinc Isaias invocat creaturas inanimes quæ semper obediunt Deo, ut gravissima sit querela et exprobratio; invocat, inquam, eas quasi testes mutos et æternos, ut nimirum cælum et terra testes sint tum pacti præteriti a Deo cum Iudæis initi Deuter. 30. 19. *Testes invoco hodie cælum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem;* tum præsentis Iudæorum perfidiæ, qua pactum hoc violarunt: hæc enim verba Isaiæ illis Mosis iam citatis ad amussim respondent; tum futuri eorum supplicii, ut nimirum cælum et terra non tantum testes sint, sed et vindices creatoris sui. Nam *pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos,* Sapient. 5. 21. Similia sunt Psal. 49. 4. et Deuter. 32. 1. *Audite,* ait, *cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Ita S. Ambrosius in Psal. 118. ser. 14. *Testatur,* ait, *elementa Deus ad redarguendos eos, qui nolunt præcepta divina servare; ut refugia omnia excusationis obsepiat.* Et S. Chry-

A sostomus hic, qui et exempla addit: *Eam ob rem,* ait, *missus ad Ieroboam Propheta, omisso rege ad quem mittebatur, scite admodum sermonem ad altare convertebat,* 3. Reg. 13. *Et Ieremias terram ipsam advocabat dicens: Terra, terra, terra, scribe virum hunc, virum excommunicatum, sive eiectitium,* Ierem. 22. Dicit itaque: quoniam tanta est hominum impietas, ut ad verba Dei obdurescant, loquar cælo et terræ. Cælum quamvis sit remotissimum, audiet: terra, quamvis lapidosa et crassa, auscultabit. Surdæ autem sunt hominum aures.

Sensus ergo est, q. d. Vos, cæli insensiles et inanimes, tu, terra bruta et surda, audite ea a me quæ populus meus audire non vult, audite iustam meam de eo querimoniam: ut, sicut muti et æterni testes fuistis pacti mei cum Iudæis initi, legisque eis a me datæ, sic et nunc sitis testes tum eorum inobedientiæ, ingratitudinis et rebellionis; tum iustæ meæ de eis querelæ et comminationis, atque in futurum sitis testes meæ vindictæ, qua mala quæ eis hic comminor exsequar, eisque infligam: nec
B testes tantum sitis, sed et lictores ac vindices, scilicet tu, terra, impiis Iudæis præbe te ferream: tu, cælum, esto eis æneum. Rursum et magis, in die iudicii tu, cælum, vibra in eos tonitrua et fulmina, tu terra, iis dehisce. Ita Rupert. vide dicta Deuter. 4. v. 26. Idem concionator dicat nomine Dei cuilibet peccatori: Audite, cæli, audite, elementa, audite, saxa, audite, bruta, rem vobis novam, audite facinus inauditum, audite portentum sæculorum. Hic peccator quem creavi, redemi, gratia mea bonisque omnibus dotavi, sprevit me, blasphemavit me, mihi Venerem, mihi Baccum anteposuit: ventrem pro Deo habuit, itaque me divinitate mea spoliavit, eamque in venerem et ventrem suum transtulit: quin ergo, o cæli, o fulmina, in scelestum hunc irruitis? quin iniuriam hanc creatoris vestri ulciscimini? quin reum læsæ maiestatis divinæ afflatis, percutitis, excruciatis, perimitis?

Allegorice, *hæc res est impleta in Domini passione, qua cælum in medio die perdidit diem, terra tremore nimio*
C *firmitatem. Hinc æstimare licet, quid eis sit reservatum, quorum in causa funerei luctus pœnæ pertulit natura supplicium,* inquit, Zeno Episc. Veronens. serm. 5. de Isaia, qui doctrina, sanctitate miraculis et martyrio clarus floruit sub Galieno Imper. cuius et meminit S. Gregor. lib. 3. Dialogor. cap. 19. Exstant eius scripta tom. 2. Biblioth. SS. Patrum.

Quoniam Dominus locutus est.) Parat attentionem a dignitate loquentis, q. d. Non ego, sed sacra et divina maiestas hæc edicit per me: lingua enim mea est calamus scribæ divini, puta Spiritus sancti, et guttur meum est tuba divino inflata et clangens anhelitu.

Filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me.) *Filios* proprie et primo, intelligit Iudæos sui temporis, non autem eos qui fuerunt tempore Christi, ut vult Hieron. licet ad eos, imo ad omnes homines, a simili hæc verba extendi et applicari possint: omnium enim ingratitudo hic taxatur. Te ergo, o popule mi, quasi fi-
D lium *enutrivi,* et, ut Theodot. vertit, *educavi;* Septuag. vertunt, *genui,* cum scilicet te creatione servum, per vocationem et adoptionem mihi in filium adoptavi, Exodi 4. v. 22. Hebraice est הגדלתי *higdalti,* id est *magnificavi,* hoc est alui, crescere, adolescere te feci. Alui enim te cum parvulus et paucus esses, per Ioseph in terra Gessen, ut cresceres in immensam multitudinem. Rursum alui te manna in deserto, atque lacte et melle in Chanaan. Secundo, et potius, alui te spirituali cibo, scilicet data lege in Sina, tot prophetiis, tot sacris libris, tot monitis, tot promissis. Hoc est quod ait Osee c. 11. v. 3. *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis:* Et Isaias c. 46. 3. *Qui portamini a meo utero.* Denique, *exaltavi,* hoc est, præ aliis omnibus gentibus te opibus, miraculis, victoriis, regno, templo, aliisque donis cumulavi et excelsum ac gloriosum, aliisque gentibus formidabilem effeci.

Ipsi autem spreverunt me.) Non ait, Obliti sunt, neglexerunt, sed positive, *spreverunt me,* quasi directe

*

me meaque iussa contemnentes, aspernantes, violantes et prævaricantes, ut habent Hebræa, ac tandem me crucifigentes, inquit Zeno Veron. ser. I. de Isaia. Quanta est hæc, o Iudæe, o Christiane, impudentia tua, quanta ingratitudo, quanta superbia? Hæc verba Isaiæ rursum quasi antistropha respondent verbis Mosi Deuter. 32. 6. *Hæccine reddis Domino, popule stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? etc.* Lycurgus contra ingratos legem ferre noluit, quod prodigiosa res esset beneficium non agnoscere. Duplex ergo portentum est ingrati filii erga patrem: triplex vero erga liberalem et beneficum patrem.

Vers 3. COGNOVIT BOS POSSESSOREM SUUM, ET ASINUS PRÆSEPE DOMINI SUI: ISRAEL AUTEM ME NON COGNOVIT.) Est argumentum a minori ad maius, scilicet a brutis ad homines, idque ad pathos. Notat S. Hieron. Iudæos rebelles et ingratos hic assimilari non equo generoso, aut cani sagaci et grato, sed stolido bovi et asino; quid enim stolidius est bove? quid stupidius asino? his tamen stolidiores sunt Iudæi et ingrati omnes. Sic e converso Plato Aristotelem vocabat mulum: mulus enim cum saturatus est lacte materno, matrem calcibus petit; sic et Aristoteles optimis quibusque Platonis dogmatibus suffartus, scholam contra eum in Peripato aperuit, eique perpetuus adversarius esse cupivit. Ita Ælian. lib. 4.

Nota secundo, *bos cognovit*, id est, cognoscere solet, *possessorem suum*, eique blandum et gratum se exhibere arando, triturando et vehendo eius onera. Sic et *asinus præsepe domini sui*, id est, dominum præsepis sui, seu dominum qui se in præsepio alit (est hypallage) agnoscit eique servit et obedit, scilicet vel arando, vel cum eiusque clitellas portando. Pro *bos* hebr. est שׁור *scior*, chald. תור *tor*, (Chaldæi enim *schin* mutant in *tau*) unde Latinum taurus. Hinc Franc. Forerius per *scior*, accipit taurum admissarium, qui armenta præit velut dux, ferusque est et iugi impatiens, q. d. Taurus hic licet ferus dominum suum agnoscit, et gregem vaccarum quem præit, in caulas domini sui reducit. At Israel me Dominum suum non cognoscit, imo meos greges, puta populum meum, a me ad idola abducit. Verum Hebræum *scior* non tantum taurum, sed et bovem quemlibet domitum et mansuetum significat, et de eo magis videtur loqui Isaias.

Exemplum leonis grati.

Vis exemplum rarum feræ agnoscentis et rependentis beneficium homini? Accipe quod ex Appione oculato teste narrat Gellius lib. 5. 14. suis verbis, quæ ego ut vitarem prolixitatem, abbreviavi. Romæ in circo dabatur pugna hominum cum bestiis; erat leo inter alios vastus et terribilis. *Introductus erat inter complures cæteros ad pugnam bestiarum Dacus, servus viri consularis. Ei servo Androdus* (vel potius Androcles, uti scribit Ælianus) *nomen fuit. Hunc ille leo ubi vidit procul, repente, inquit, quasi admirans stetit: ac deinde sensim atque placide, tamquam noscitabundus, ad hominem accedit. Tum, caudam, more atque ritu adulantium canum, clementer et blande movet; hominisque sese corpori adiungit, cruraque eius et manus prope iam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum recuperat, paulatimque oculos ad contuendum leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta, lætos, inquit, et gratulabundos videres hominem et leonem. Ea re prorsus tam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit; accersitumque a Cæsare Androdum, quæsitamque causam, cur ille atrocissimus leonum uni parcisset.* Androdus rem narravit admirandam: *Fugi, inquit, herum sævum, venique in speluncam ubi leonem offendi pedem ostendentem, et opem petentem: ibi ego spinam ingentem ex pede eius revulsi, saniem expressi, vulnus siccavi: ille levatus pede in manibus meis recubuit et requievit. Atque ex eo die triennium totum ego et leo in eodem specu eodemque victu viximus. Nam quas venabatur ferus membra opimiora ad specum mihi suggerebat, quæ ego, ignis copiam non habens, sole meridiano torrens edebam. Sed ubi me, inquit, vitæ illius ferinæ iam pertæsum est, leone in venatum profecto, reliqui specum, et viam ferme tridui permensus a militibus visus apprehensusque sum, et ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias curavit. Intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem me tunc separato captum, gratiam nunc mihi beneficii et medicinæ referre.* Hæc Appion dixisse Androdum tradit; eaque omnia scripta circumlataque tabella populo declarat, atque ideo cunctis petentibus dimissum Androdum, et pœna solutum: leonemque ei suffragiis populi donatum. Postea, inquit, videbamus Androdum, et leonem loro tenui revinctum, urbe tota circum tabernas ire, donari ære Androdum, floribus spargi leonem, omnesque fere ubique obvios dicere: *Hic est leo hospes hominis; hic est homo medicus leonis.* Leo brutus et ferus agnoscit beneficium, ei parcit, blanditur et servit: et homo rationalis non agnoscit creatorem suum, ei non obedit, non servit, cui animam debet?

Non minus rarum et mirabile est quod scribit Democritus, et ex eo Lilius Giraldus l. de Ingratis, draconem servasse Thoantem in Arcadia: Thoas, inquit, draconem puer nutriverat, qui cum adolevisset, veritus draconis naturam magnitudinemque in solitudinem detulit: digressus inde, cum in latronum insidias incidisset, exclamavit; cuius vocem audiens draco, eamque educatoris sui Thoantis esse cognoscens, accurrit illico, et eum e latronum manibus eripuit.

Simile ibidem narrat ex Demetrio Physico de panthera, quæ ferocissimum est animal: cum enim eius catuli in foveam incidissent, nec eos inde educere per se sola sufficeret, tamdiu ibi moram traxit, quamdiu hominem prætereuntem conspiciens, eum leniter unguibus per vestem trahens, nutuque et gestibus lapsum catulorum innuens, eiusque opem postulans, eo adiuvante catulos e fovea exemit. Quare panthera gestiens, et gratiam referens, hominem eousque per sylvarum et nemorum devia cum catulis comitata est quousque eum in viam tutumque reduxit.

Verum omnia superat, quod ex Philarcho commemorat de aspide. Aspis, ait, ab Ægyptio homine educata, cum in hospitis ædibus peperisset, accidit, ut ex catulis unus hospitis filium venenato morsu peremerit. Aspis tum domo forte aberat: reversa, iniquum rata hospitis filium a catulo necatum; præsente hospite, ne ingrata videretur; imo ut ingratum puniret, proprium catulum homicidam interemit.

Huc refert leonem S. Gerasimi Abbatis (errat vulgus, putans fuisse S. Hieronymum, cui ex hoc errore pictores leonem appingunt) cui ob exemptam sibi ab eo spinam, viventi per omnem vitam sedulo servivit, et morienti ex luctu commortuus, eidem sua morte parentavit, uti refert Sophronius in Prato spirit.

Bos et asinus venerati sunt Christum in præsepio.

Nota tertio. Locus hic generatim loquitur de quibusvis bobus, asinis et dominis. Veteres tamen, ut S. August. contra Iudæos cap. 13. S. Ambros. lib. 2 in Lucam cap. 2. Origen. hom. 13. et alii quos citat hic Leo Castrius (quos petulanter nimis et arroganter Calvinus hic subsannat, vocatque fabulones et asinos: ita nimirum vitulus ipse vitulatur) hæc adaptant Christo puero et Domino in præsepi inter bovem et asinum reclinato, et ab eis vel ordinaria et naturali obedientia, vel forte etiam extraordinaria et miraculosa aliqua (ut vult S. Bonavent.) reverentia agnito et adorato. Si enim agnus S. Francisci flexit genua ad S. Eucharistiam; si alaudæ et aves suo silentio et applausu S. Franciscum sibi concionantem reveritæ sunt et honorarunt; si feræ Antonium, Paulum, Hilarionem, aliosque ad primævam Adæ innocentiam accedentes coluerunt; si apes non semel S. Eucharistiam tutatæ sunt: quidni bos et asinus in præsepio præsentem et recens natum Christum innocentissimum, Dominum suum et nostrum, peculiari aliquo cultu honorasse, eique se inclinando, fœno eum tegendo, halitu suo eum calefaciendo, aliisque modis serviisse credantur? præsertim cum non tantum Angeli et pastores, sed et stella eidem servierit tunc, vocans, et præiens Magos ad eum in Bethle-

hem. Certe ita ad litteram Sanctos Christi reveriti sunt et honorarunt boves, equi et asini. Illustre est quod legimus in Vita S. Kiliani Franconiæ Apostoli: cum enim a Geila uxore Gosberti Ducis Franconiæ, quod illicitum eius coniugium reprehenderet, in eum immissi essent carnifices, dixit: *Vos implebitis præceptum, nos cursum consummabimus.* Ergo ab eis cæsus, cum Geila ad tegendum scelus, stabulum equorum ubi Martyr sepultus fuerat, fieri iussisset; iumenta eo in stabulo manentia, super sepulcrum Martyris nec stercora, nec urinam reddiderunt, quasi honorem Martyri exhibentia; ut quod de capite Propheta vaticinatus est, in eius membris quoque cerneretur. *Cognovit* (inquit Isaias) *bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit,* inquit auctor Vitæ S. Kiliani, quam edidit noster Serarius, et ex eo Baron. anno Christi 689.

Hic sensus accomodatitius est. Ad litteram enim loquitur Isaias de bobus et asinis, æque ac de Iudæis sui temporis, uti docent S. Hier. Basil. Cyril. et S. Thom. vel potius Thom. Anglicus.

Israel autem me non cognovit.) Ita et Septuag. Sed Hebræa omittunt pronomen *me*, tumque aptius et vehementius est pathos: repetendum enim ex antithesi præcedenti τo *possessorem suum et præsepe domini sui,* hunc enim cognovit bos: Israel autem eum non cognovit, q. d. Israel, quod est stupor, non cognovit Deum suum Dominum, et se pascentem in Chananæa quasi in opimo quodam præsepio, cum tamen bos et asinus ibidem agnoscant suum herum se alentem.

Et populus meus non intellexit.) Scilicet linguam et vocem meam, q. d. Bos et asinus intelligunt vocem heri sui, et per eam in omnem partem ad heri nutum se flectunt: Israel autem me pascentem, vocantem, iubentem, minantem, obsecrantem non intellexit, quasi illi essem barbarus, vel importunus et tyrannus, quasi illi iaponice aut turcice aut tartarice loquerer.

Vers. 4

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.) Est hic Propheta in tertio tono concionis. Pro *væ* hebr. est הוי *hoi*, quod Vatabl. vertit, *heu*: est enim *hoi*, inquit, vox commiserantis et deplorantis alienam miseriam et calamitatem. Sed melius alii passim *hoi* vertunt *væ*: est enim hic sermo Dei minantis et indignantis. *Væ* significat minas, decretum et sententiam, tum vastationis temporalis, tum æternæ damnationis, inquit S. Gregor. homil. 9. in Ezech. Vocatur hic Israel primo, *gravis iniquitate*, id est, scelerum pondere et multitudine degravatus, et incurvatus quasi ad terram. Secundo, *semen nequam*, quia Iudæi gratiæ Dei, qua eius filii facti fuerant, degeneres exstiterunt, et voluntatis pravitatem quasi in naturam verterunt, inquit S. August. lib. 7. contra advers. legis et Proph. c. 22. Est hic climax sive gradatio: sensim enim increscit, fitque gravior et vehementior oratio. Sunt enim hic quinque gradus impietatis et impiorum. Primus, cum dicitur, *Væ genti peccatrici*, id est, a lege Dei aberranti: hoc enim est חטא *chote*. Secundus, cum ait, *populo gravi iniquitate*, qui scilicet iam occalluit ad scelera, corumque pondere ad solum usque deprimitur. Tertius, cum ait, *semini nequam*, q. d. Pessimorum parentum sunt pessimi filii, qui scilicet quasi ex parentibus ipsoque genere et natura suxerunt et hæreditarunt idololatriam et malitiam, eamque quasi in suam indolem et naturam commutarunt. Quartus, cum ait, *filiis sceleratis*, qui scilicet peccatis parentum addiderunt atrociora flagitia et non nisi flagitiosa ac scelera cogitant et moliuntur. Unde Vatablus vertit, *filiis perditissimis*, hebr. est בנים משחיתים *banim maschitim*, id est, *filiis excisis*, q. d. Similes sunt arbori excisæ, quæ nequit reviviscere et repullulare, actum est de eis, nulla spes frugis reliqua in eis est. Secundo et magis genuine, *maschitim* utpote benoni activum in hiphil, vertas, exscindentes, vastantes, corrumpentes, q. d. Hi se et alios, omniaque corrumpunt, vastant et perdunt. Ita Vatabl. Quintus esse potest, cum subdit: *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum,* q. d. Iudæi nostri relinquentes, blasphemantes et exsecrantes Dominum, atque in eius præsentia ad summam eius iniuriam et contumeliam ei terga vertentes, addixerunt se idolis, ut patet 4. Reg. 17. v. 8. et 13.

Væ notat exitium præsens et æternum.

Quinque gradus impietatis.

Blasphemaverunt sanctum Israel.) Hebr. est נאצו *niatsu*, id est, abiecerunt, contempserunt, irritaverunt. Summus autem Dei contemptus est blasphemia. Rursum idololatria eorum est blasphemia, tum realis, tum verbalis. Idololatræ enim hoc ipso quo pro Deo colunt idola, Deum reipsa blasphemant, et verbis ac hymnis celebrantes idola, Deumque spernentes, verbaliter eum blasphemant. Loquitur Isaias primario Iudæis sui temporis: S. Basil. tamen, Hieronym. et Cyrill. hæc referunt ad Iudæos tempore Christi: idem enim eorum, utpote patrissantium, fuit genius: cumque prævidit et prædixit hic Spiritus sanctus per Isaiam: hi enim proprie Christum blasphemarunt, vocantes eum vini potorem, dæmoniacum et quod in nomine Beelzebub eiiceret dæmonia.

Sanctum Israel.) Est emphasis, q. d. Blasphemaverunt Deum, qui est Sanctus sanctorum, ipsaque sanctitas adoranda, summeque reverenda et glorificanda, præsertim ab Israele, utpote quem sibi populum peculiarem et sanctum elegit, cuique suam sanctam legem, sanctam fidem, sanctas victimas et cæremonias tradidit. *Israel* enim hic est genitivi casus: *sanctus* ergo *Israel* est Deus Israelis, cuius sanctitatem impii profanarunt et polluerunt. Blasphemia enim directe violat sanctitatem Dei: unde summum est peccatum.

Sanctus Israel est Deus, cur?

Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem?) Est hic triplex sensus, isque commodus. Primo, *super quo*, id est, ad quid, quorsum, percutiam vos, cum sitis in malo obstinati, ita ut non sperem vestri emendationem? Ita Vatabl. Vers. 5.

Secundo, *super quo*, id est, quo membro, qua corporis parte? q. d. Nullum invenio in corpore vestro reliquum membrum, in quo pateat novæ plagæ locus. Omnia enim sunt unum vulnus, unus livor et tumor, ut sequitur. Ita S. Hieron. et Nazianz. orat. de plaga grandinis. Sic ait Ovid. l. 4. de Ponto:

Quid iuvat exstinctos ferrum demittere in artus?
Non habet in nobis iam nova plaga locum.

Tertio, *super quo*, id est, qua plaga percutiam vos? Ita S. Hieron. q. d. Frustra vos percutiam deinceps: nam omne genus plagarum in vos immisi, frustraque consumpsi, nec ulla facti estis meliores: afflixi vos fame, bello, peste, servitute, totamque meam hoplothecam in vos quasi exhausi: non habeo ulterius quo vos percutiam: restat ergo ut vos deseram, et a me omnino proiiciam. Ita Cyrillus. Hæc derelictio et abiectio est gravissima Dei plaga, de qua Psalm. 80. 13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis;* et Ezech. 16. v. 42. *Auferetur zelus meus a te, nec irascar amplius;* et Rom. 1. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.*

Omne caput languidum, et omne cor moerens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.) Ecce hic est effectus defectionis a Deo, sive eius quod dixit: *Abalienati sunt retrorsum.* Deus enim est fortitudo, sanitas et lætitia animæ ac reip. Si ergo a Deo deficis, fies languidus et tristis. Audi S. Cyprianum, vel potius Origenem (uti ex stylo aliisque colligit Pamelius) lib. de Singul. Cleric. *Sicut,* ait, *modica aquæ gutta multo vino infusa a se tota deficit, vinique colorem et saporem induit: ferrum candens pristina propriaque forma exuitur, et igni simillimum efficitur; solis radio aer perfusus in eamdem transformatur luminis claritatem; speculum radiis solaribus directe irradiatum solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse solem: ita et Sancti in intimis suis totaliter Dei charitate penetrantur, sicque deiformes effecti in Dei similitudinem trasformantur:* Mystice in hæc Isaiæ verba Richard. Victor. scripsit tractatum de Statu interioris hominis. Vers. 6.

Deus est robur et sanitas animæ.

Nota. Isaias hic loquitur non tam de morbis, vulnere et plagis corporis, quam animi, puta de vitiis et pecca-

tis: transit enim ab effectu ad causam, scilicet a plaga ad culpam, q. d. Totum corpus vestrum plagis meis saucium est; quia idem totum culpa et peccatis infectum et languidum est. Ita S. Hieron. et Basil. Hinc secundo, per caput et cor quasi primarias corporis partes, synecdochice intelligenda relinquit cætera membra, adeoque totum corpus politicum Synagogæ, puta totum populum Israel, male se habere, vitiis esse corruptum: nam ad litteram Isaiam loqui de corpore sui populi, non autem de Corpore Christi in passione flagellis et plagis undique laniati et afflicti (cui hæc applicant concionatores plerique) patet ex antecedent. et seqq. Tertio, per enallagen *omne* sumitur pro toto, ut patet ex sequent. dicit tamen *omne*, quia caput accomodari potest principibus, pedes populo eis subdito, cor sacerdotibus. Primo, quia sicut in capite sensus vigent, ita in principe vigere debet sapientia et provida gubernatio. Secundo, sicut cor est principium motus et directionis in homine; cor enim primo recipit vitam ab anima, eamque per spiritus vitales diffundit in totum corpus, unde cor in animali est primum vivens et ultimum moriens (sicut ex adverso oculi, quia remotissimi a corde, sunt ultimum vivens et primum moriens) ita sacerdos medius est inter Deum et homines, ac spiritualia charismata et motus quos a Deo recipit, transfundit in populum: itaque eum in via Dei movet et dirigit. Tertio, moriente corde moritur corpus, eo vivente vivit: ita vigente sacerdote viget populus, eo languente languet et emoritur in spiritu. Ita Cyrillus, Haymo, D. Thom. et alii. Unde et Chald. vertit: *A populo u que ad principes omnes rebelles sunt.* Nam, ut ait Seneca ad Neronem: *A capite bona valetudo in omnes vegeta est atque erecta, aut languore demissa.* Et Eccli. c. 10. 3. *Rex insipiens perdet populum suum.* Et Hesiodus: *Unius ob crimen pœnas urbs tota rependit.* Nominat ergo cor et caput, quia sicut corpus naturale a capite animales, a corde vitales spiritus accipit: sic corpus politicum, puta respubl. a regio et sacerdotali ordine suum vigorem viresque accipit, eoque languente languet et emoritur. Suspicatur non male Sanchez Isaiam, cum ait, *Omne caput languidum*, notare et perstringere Oziam regem qui arrogans sibi ius sacerdotii in adolendo incenso, in capite et fronte percussus fuit lepra, idque forte sub idem tempus quo hæc dixit Isaias. Denique ait, *omne*, vel totum, hoc est multi, maior pars, non omnes vel totum omnino. Nam semper mansit Ecclesia sancta, id est, cœtus aliquis fidelium, piorum et sanctorum, licet exiguus, et ut Christus ait, pusillus grex. Ita S. August. lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 12. Similia Gentilium adagia citat Delrio adagio 133.

Cor sunt sacerdotes, caput principes, pedes subditi, cur?

VULNUS, ET LIVOR, ET PLAGA TUMENS.) Ob saniem scilicet et pus: unde pro *tumens* hebraice est טריה *teria*, id est, plaga saniosa, purulenta et putrida. Ita Pagninus, q. d. Totum corpus huius populi vitiis ita infectum est et morbidum, ut non videatur esse aliud quam unum continuum vulnus, ulcus, livor et plaga peccati. Alii speciatim hæc adaptant, ut *vulnus* sit intimum peccatum cordis, *livor* sit peccatum externum oris, *plaga* sit peccatum publicum operis. Alii per *vulnus* intelligunt apertam malitiam, per *livorem* latentem invidiam, per *plagam tumentem* animi tumorem et superbiam, inquit Sasbout. Huc accedit noster Sanchez: *In vulnere,* inquit, *quod est divisio continui, et quod quasi aperto ore hiat et clamat, intelligitur peccatum publicum; per livorem, qui est humor putris intra cutem collectus, peccatum occultum; per plagam tumentem, peccatum diuturnum,* quod iam putet et fœtet.

NON EST CIRCUMLIGATA (plaga iam dicta) NEC CURATA MEDICAMINE, NEQUE FOTA OLEO.) q. d. Nemo fuit qui hanc plagam peccati vestri curaret. Secundo et genuine, q. d. Vos obstinati in morbo peccatorum vestrorum noluistis ullam medici manum et curationem admittere: un-Sept. vertunt: *Non est malagma imponere,* q. d. Defectus curationis provenit ex obstinatione vestra, qua medicinam omnem respuitis: non autem ex defectu medici; quia Prophetæ, qui quasi medici animæ vos ad pœnitentiam

A adhortantur, vobis non desunt: sed vos eorum monita contemnitis. Longe verius hoc dicetur iam Christianis, qui tot habent Sacramenta, gratias, aliaque salutis media, et tamen ea negligunt vel respuunt.

TERRA VESTRA DESERTA, CIVITATES VESTRÆ SUCCENSÆ IGNI: REGIONEM VESTRAM CORAM VOBIS (vobis spectantibus, famentibus, gementibus et frendentibus) ALIENI DEVORANT.) Huc usque Isaias proposuit populi scelera, in iisque obstinationem: iam culpa dignam pœnam intentat. Sanchez et aliqui alii τὸ *deserta*, *succensæ*, proprie accipiunt, ut præterita vel presentia, uti sonant: sæpe enim Iudæi vastati sunt ab Ægyptiis, Ammonitis, Moabitis, Palæstinis, Madianitis et Syriis tempore Amasiæ, et ab Assyriis tempore Achaz et Ezechiæ. Verum quia hæc prima (uti hic ponitur) videtur fuisse prophetia Isaiæ, facta sub Ozia rege, quando florebant res Iudæorum, et quia sequuntur futura *desolabitur*, *derelinquetur*, *etc.* hinc melius dicemus in Hebræo non esse præterita, sed participia; quæ tam per futurum quam per præteritum B aut præsens exponi possunt: quod ergo Noster ait, *Terra vestra deserta*, supple *erit; civitates vestræ succensæ*, supple *erunt; regionem vestram alieni devorant*, hebraice *devorantes*, supple *erunt*, id est, devorabunt: aut Interpres posuit participia præterita (quæ in Hebr. sunt præsentia) pro futuris: *deserta*, id est, certo deseretur: *succensæ*, id est, certo succendentur: *devorant*, id est, certo devorabunt, scilicet Babylonii sub Nabuchodonosor, ait Basilius, et multo magis Romani sub Tito et Vespasiano: hi enim in Ierusalem non reliquerunt lapidem super lapidem. Ita Cyrill. Hieron. Haymo et alii, idque magis patebit v. 9. Vers. 7.

Ubi Nota. Isaias et Prophetæ licet præsentibus loquantur Iudæis sui sæculi, tamen spiritu prophetico extendunt se et loquuntur etiam futuris, qui parentum suorum scelera, ac consequenter et pœnam eorum erant participaturi, maxime tempore Christi. Unde veteres passim (videre est eos apud Leon. Castrium) hæc omnia ab Isaia C dicta populo sui ævi, accipiunt etiam quasi dicta Iudæis tempore Christi: hic enim fuit Sanctus Israel, quem ipsi blasphemaverunt, ideoque a Tito excisi et desolati sunt.

Tropolog. S. Clemens l. 4. Constitut. Apost. c. 1. hæc recte adaptat divitibus, qui cum liberis careant, non suscipiunt pupillos, quos loco filiorum habeant, quibus accidere solet iusto Dei iudicio, ut alieni bonis eorum fruantur. *Si quem divitem,* inquit, *pudet pupilli, pupillo quidem prospiciet pater orphanorum, et iudex viduarum; ipse vero dives incidet in eum, qui bona, quibus ille pepercit, et quibus abstinuit, consumat; evenietque ei quod dictum est: Quæ non comederunt sancti, comedent Assyrii, sicut ait Isaias: Regionem vestram in conspectu vestro alieni devorant.* Huc spectat illud S. Aug. *Quod non capit Christus, rapit fiscus.*

ET DESOLABITUR SICUT IN VASTITATE HOSTILI.) *Sicut* hic est nota veritatis, non similitudinis, significatque vere, plane, et plene, q. d. Vera et plena vastitate, qualis solet esse hostilis, ab hostibus Chaldæis desolabitur Iu-D dæa. Sic Ioan. 1. 14. dicitur: *Vidimus gloriam eius quasi unigeniti a Patre*, q. d. Vidimus gloriam Christi tantam, quantam decebat habere eum, qui vere erat unigenitus Dei Patris.

ET DERELINQUETUR FILIA SION UT UMBRACULUM (Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 3. legit *sicut casa*, et l. 3. contra Marcion. cap. 23. *tamquam specula*, ut alludat ad etymon Sion, quod speculam significat) IN VINEA, ET SICUT TUGURIUM IN CUCUMERARIO.) Sion sive Ierusalem vocatur *filia*, tum ob causas dictas canon. 18. tum speciatim quia urbs Ierusalem monti Sion subiecta est, ut ex eo quasi filia descendere et nasci videatur; et quia Deus eam singulariter quasi filiam diligebat et protegebat. Iam sensus est, q. d. Ierusalem a Chaldæis, et deinde a Romanis, desolabitur, fietque deserta, perinde ac facta vindemia solet deseri et everti umbraculum seu teges, in quo ante vindemiam vineæ custos degebat, ut uvas et fructus a furibus et bestiis tutaretur: ita ut, sicut ex umbraculo hoc Vers. 8.

disiecto nihil superest præter tigna et statumina hinc inde proiecta, ita ex Hierosolyma vastata et incensa, præter ruinas, et dispersos hinc inde sanctuarii lapides, nihil supersit antiquæ gloriæ: imo succendetur ipsa, sicut lectis et ablatis uvis et fructibus succenduntur tuguriola custodum in cucumerariis. Secundo, apposite Sanchez per *filiam Sion* accipit arcem Sion, quæ urbi Ierusalem imminebat ut propugnaculum, eratque ei quod tugurium est cucumerario, aut tabernaculum vineæ, q. d. Ubi hostis urbem quasi vineam vindemiavit, arx Sion et templum sicut tugurium pariter dissipata sunt.

Cucumerarium quid? Nota. *Cucumerarium* est hortus vel locus in quo crescunt cucumeres, sub quibus citrulos, pepones, melones et cucurbitas intellige: magna enim horum est copia in Palæstina, utpote regione calida. Unde solent ibi custodes in locis hisce cucumerariis tuguria construere, et in iis contra fures excubare. Idem vel simile tugurium in pomariis ad poma custodienda erectum intelligunt Septuag. hic et alibi per ὀπωροφυλάκιον, id est, pomorum custodiam: quam vocem ipsi crebro et libenter usurpant. Tertull. et Cyprian. contra Iudæos vertunt, *custodiarium*. (ὀπωροφυλάκιον.)

Et sicut civitas quæ vastatur.) Hebraice, *et sicut civitas obsessa*, id est, obsidendo capta et vastata; est metalepsis. Ita Vatablus.

Vers. 9 Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.) Hebraice est, *nisi Dominus* צבאות *tsebaoth*, id est, exercituum: *sabaoth* enim nomen, vel potius epithetum est Dei, significans Dei potentiam instructam copiis maximis, promptissimis et invictissimis exercituum cælestium et terrestrium, puta Angelorum, stellarum, fulminum, grandinum, tonitruorum, ursorum, leonum, vesparum, omniumque creaturarum, quibus nemo resistere potest, q. d. Cur ergo vos, o Iudæi, audetis resistere Deo sabaoth? Prima Deum sabaoth nominasse et invocasse legitur Anna mater Samuelis, 1. Reg. 12. Vide de decem Dei nominibus dicta Exodi 6. 3. (Deus Sabaoth dicitur, cur?)

Nota. Pro *semen* Hebr. est שׂריד *sarid*, id est, reliquum, paucæ reliquiæ, q. d. Nisi Deus ex illa communi et universali vastitate hostili paucos aliquos, quasi reliquias et semen gentis (uti Noe fuit semen generis humani) conservasset, fecissetque superstites; nos omnes Iudæi fuissemus omnino ut Sodoma deleti: tanta enim fuit impietas Hierosolymæ æque ac Sodomæ, ut Iosephus l. 6. Belli c. 16. dicat: *Puto*, *si* Romani *contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum ac Sodomæ incendia passuram: multo enim magis impiam progeniem tulit*, *quam illa protulerat*. (Mira impietas Hierosolymæ.) Ad litteram loquitur Isaias tum de paucis illis Iudæis, qui superfuerunt captivitati Babylonicæ, et cum Zorobabel ac Iesu filio Iosedec reversi sunt Hierosolymam; tum de paucioribus, qui superfuerunt cladi Romanæ per Titum. Iudæi ergo, quia æque, imo magis peccarunt, quam Sodomitæ, hinc et magis quam illi puniti sunt: hoc enim est quod ait Ieremias Thren. 4. 6. *Maior effecta est iniquitas* (id est, pœna iniquitatis) *filiæ populi mei peccato* (id est, pœna peccati) *Sodomorum*. Hic sensus respondet Hebræo *sarid*, estque planissimus et simplicissimus, ideoque genuinus. Paulo aliter explicat Sanchez, q. d. Propter paucos iustos, ut Oseam, Amos, Ioel, Ionam, Michæam, qui fuerunt verum Dei semen, id est, viri sancti, Deus non funditus delevit urbem et gentem Iudæorum: sicut non delevisset Sodomam si in ea inventi fuissent decem iusti.

Allegor. Allegorice, Apostolus Rom. 9. 29. hæc transfert ad Christum, q. d. Nisi Deus ex Iudæis parum reliquiarum, videlicet B. Virginem, Apostolos, et paucos alios in Christum credentes selegisset et reservasset, reprobatus fuisset totus Israel ob infidelitatem, et periisset ut Sodoma et Gomorrha. Ita S. Hier. Cyrill. Rupert. et Haymo. Huc accedunt Origen. et Œcum. in Rom. 9. qui per *semen* accipiunt Christum, vel doctrinam Christi. Sic et S. Basil. et Hugo exponunt, q. d. Nisi Deus ex Iudæis suum semen, id est, Christum nasciturum, decrevisset, ideoque aliquos Iudæos, ex quibus nasceretur, in hoc excidio servasset, omnes fuissent deleti. Christo ergo debent Iudæi quod non plane fuerint excisi. Sic de Fabio Maximo dixit Ovidius l. 1. de Ponte elegia 2.

Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit una dies.

q. d. In tanta clade Fabiorum per Hannibalem facta, Deus servavit unum, ex quo nasceretur Fabius Maximus reip. columen.

Quocirca solerter S. Chrys. hom. 5. de Pœnitentia, docet Deum magnos etiam peccatores tolerare non raro, ob sanctas proles quas ex eis vel prævidet, vel prædestinat nascituras. *Thare*, ait, *pater Abraham*, *idolorum et cultor et factor, impietatis tamen pœnam non dedit; et merito. Si enim Deus radicem amputasset, unde tantus fidei fructus* (Abraham) *germinasset? Quid Esau nequius? sed si excisus fuisset, maximum iustitiæ fructum mundus amisisset, et qualem audi. Esau genuit Raguelem, Raguel Zaram, Zara Iob. Cernis quantus elanguisset patientiæ flos, si præveniens Deus a radice pœnas exegisset. Ea quoque usus est providentia supra Ægyptios ultra fidem blasphemos: expectavit enim quousque ibi essent monasteria, in quibus florerent qui angelicam imitarentur vitam. Sed et humanæ leges matrem gravidam, etsi peccatricem, ad partum usque servant illæsam, ne fœtum innoxium tollant. Denique si velox fuisset ad pœnam Deus, Paulum Ecclesia non possedisset: distulit ergo blasphemantem, ut pœnitentem ostenderet Dei longanimitas. Et quot proles Deo Paulus genuit?* Hæc et plura Chrysost.

Tropolog. dicat hoc sibi pœnitens anima: Nisi Dominus in corde meo reliquisset semen bonæ inspirationis, timoris, compunctionis et pœnitentiæ, periissem ut Sodoma: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: misericordias Domini in æternum cantabo.* Hoc sensit, hoc dixit S. Maria Ægyptiaca. Tropol.

Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.) Nota. Iudæi hic vocantur *populus Gomorrhæ*: siculi *principes Sodomorum* vocantur principes Iudæorum, tum qui fuerunt tempore Isaiæ, tum, ut Basil. et Hier. qui fuerunt tempore Christi, puta Annas, Caiphas, Scribæ, Pharisæi, ipsique magistratus: idque primo, quia peccata Sodomæ fuerunt *superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius, et filiarum eius: et manum egeno et pauperi non porrigebant*, ut ait Ezech. c. 16. v. 49. inde enim in omnia scelera se immerserunt, factique sunt pessimi. Eadem fuerunt peccata Iudæorum. Unde diserte Deus per Ezechielem ibid. v. 48. per vitam suam iurat dicens: *Vivo ego, quia non fecit Sodoma, et filiæ eius, sicut tu; vicisti eas sceleribus tuis.* Secundo, quia ipsi nefando vitio sodomiæ Iudæi fuerunt obnoxii, ut patet c. 2. 6. Ita Cyrill. Tertio, quia in suis sceleribus fuerunt effrontes et impudentes æque ac Sodomitæ: hoc enim est quod dicitur c. 3. 9. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Quarto, quia, uti in Sodomis pauci inventi sunt iusti, puta Lot cum suis; ita et in Iudæa, inquit Cyrillus. Quinto, quia, *Sedom sive Sodoma*, hebraice, inquit Basilius, significat declinationem, Gomorrha, rebellionem: hi autem principes cum populo Iudæorum erant prævaricatores Deoque rebelles. Vide can. 22. q. d. Audite verbum Domini olim Israelitæ, nunc Sodomitæ; olim Abramhæi et Iacobæi, nunc Gomorrhæi. Alludit ad Deuter. 32. 32. *De vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, et botri amarissimi.* Sic ait Ezech. cap. 16. v. 3. *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa;* et Daniel ad senem incestum cap. 13. 56. *Semen Chanaan, et non Iuda.* (Vers. 10. Iudæa vocatur Sodoma, cur? Causa 1. 2. 3. 4. 5.)

Eadem libertate Agapetus Pontifex missus a Theodato rege Gothorum ad Iustinianum Imp. cum pace inter utrumque confecta, a Iustiniano premeretur, etiam additis minis, ut Eutychianam hæresim confirmaret, respondit: *Ego ad Iustinianum Christianissimum principem venire optavi, sed Diocletianum inveni*, Christianorum hostem acerrimum; testis est Cedrenus et alii. Idem eidem Iustiniano postea dixit Vigilius Papa. Ita Constantium Imp. (Agapeti ad Iustinianum vox libera.)

Christianos persequentem S. Hilarius vocat *tyrannum et Christi hostem ;* Lucifer Calaritanus vocat eumdem *Iudam proditorem*, et *Arii vermem;* S. Athanasius vocat eumdem *Antiochum, Herodem*, imo *Antichristum*. Ita Leoni Isauro Imp. qui primus fuit Iconomachus S. Germanus Constant. Patriarcha in faciem dixit : *Tu es Antichristus*, ut habent eius Acta, et ex iis Baronius.

Vers. 11. Quo (quorsum) mihi (offertis) MULTITUDINEM VICTIMARUM VESTRARUM? PLENUS SUM.) Refutat hic Iudæorum inanem et noxiam confidentiam in suis victimis et cæremoniis, q. d. *Plenus*, id est, ut hebr. *satur, sum* victimis vestris. Illæ tam crebro repetitæ mihi nauseam pariunt : quia licet in se bonæ sint, et a me præceptæ, tamen quod a vobis offerantur, mihi displicent. Primo, quia vos impuro corde plenoque peccatis eas offertis. *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, ut sequitur : nam *victimæ impiorum abominabiles Domino : vota iustorum placabilia*, Proverb. 15. v. 8. Secundo, quia in externis illis sacrificiis omnem sanctitatem ponitis, atque internam, quæ vera est, negligitis : imo putatis vobis impune licere rapere, inebriari, fornicari, etc. eo quod peccata hæc victimis vestris expiare cogitetis : hoc enim est quod eis improperat Ieremias c. 7. 4. *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est, etc. Furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim; et dixistis: Liberati sumus, eo quod* (id est quamvis) *fecerimus omnes abominationes istas.* Qua in re gravissime erratis. Deus enim externis vestris sacrificiis non pascitur, sed internis, adeoque per externa quasi per imaginem et umbram tantum vult vos excitare ad interna, puta ad actus religionis, pietatis, amoris, obedientiæ legis divinæ, quibus ipse delectatur. Vos ergo in sacrificiis et inanibus umbris vestris ambitiose hærentes, eaque sola Deo offerentes, perinde facitis, ac si quis invitans amicos ad prandium eis famelicis lepores et carnes non veras, sed pictas et adumbratas apponeret : quomodo Heliogabalum ludificasse suos convivas docet Lampridius, idem de Caligula docet Svetonius c. 37. Ita exponunt hunc locum Iren. l. 4. c. 32. Theodoret. lib. de Sacrificiis ante medium, S. Chrysost. in hunc locum, tom. 1. Haymo, S. Thom. Hugo, Adamus, Forerius; et clare S. Hier. *Hostiæ*, inquit, *non principaliter a Deo quæsitæ sunt, sed ne idolis offerrentur, et ut de carnalibus victimis quasi per typum et imaginem ad spirituales hostias transiremus.* Tertio, hæc vetera sacrificia tempore Christi Deo displicebant : quia per Christum a Iudæis occisum omnino abolita, reprobata et mortifera effecta sunt. Ad Christum enim Isaiam quoque respicere docet S. Cyprian. l. 1. contra Iudæos c. 16. Cyrillus, Basilius, Procop. Dionys. et Leo Castrius, qui id negantes pene Iudaicæ perfidiæ arguit.

Iudæorum victimæ displicebant Deo, cur? Causa 1. 2. 3. 4.

HOLOCAUSTA ARIETUM, etc. NOLUI.) Ob causas iam dictas : quibus aliam addunt S. Hier. Cyrill. Rupert. quod videlicet vetera sacrificia per se noluerit Deus quia ea non placuerunt illi ex opere operato, uti placent sacrificia legis novæ, sed ex opere operantis, quod hic deerat : erant enim ipsi operantes sive offerentes impii. Adduntque vetera sacrificia a Deo Iudæis fuisse præscripta, quod illa grata essent Deo, quodque Deus illa appeteret, sed ut per ea populum iis occupatum avocaret a sacrificiis Gentilium et idolorum: qua de re dixi in Levit. in Proœmio.

Vers. 12. QUIS QUÆSIVIT HÆC DE MANIBUS VESTRIS? (egone ea quæsivi? minime) UT AMBULARETIS IN ATRIIS MEIS.) Repete τὸ *quis quæsivit, ut ambularetis*, hebraice *ut calcaretis atria mea? q.* d. In templo meo non facitis aliud, quam calcare atria, et terere pavimentum : hoc ego non quæro, imo censeo hac ratione calcari potius et pollui sacra, quam ornari et coli : atrium enim ante Sanctum et Sanctum sanctorum erat templum tam populi quam sacerdotum : hi enim in atrio sub dio cremabant suas victimas.

Vers 13. INCENSUM ABOMINATIO EST MIHI.) *Incensum*, id est, victimæ mihi incensæ et crematæ : de iis enim fuit sermo, illæque vocantur incensum, vel ignitio aut ignitum; quia A per ignem offerebantur Deo, ut dixi in Levit. Secundo, tamen proprie *incensum* capi potest pro thymiamate : hoc enim æque ut victimas sacrificabant et adolebant in altari thymiamatis; quod licet in se aromaticum esset et gratum naribus, tamen ex eo quod ex sordidis impiorum manibus fœtorem contrahebat, grave aliquid et putidum Dei naribus aspirabat. Quare inepte et impie Wolfgangus Musculus hic hæc Isaiæ verba torquet contra thurificationes quæ fiunt in Missa, et contra thuribula Ecclesiæ aurea et argentea, quæ ipse vocat abominabilia, cum sint angelica. Angeli enim S. Ioanni Apocal. 8. 4. et alibi sæpius visi sunt cum thuribulis, in iisque adolere thymiama Deo.

Incensum sunt victimæ incensæ.

NEOMENIAM, ET SABBATUM, ET FESTIVITATES ALIAS NON FERAM.) Hebr. חודש *chodes*, græce *neomenia*, latine est novilunium, sive calendæ, ut sequitur : puta prima dies cuiusque mensis (utebantur enim Hebræi mensibus lunaribus, eosque computabant ab uno novilunio ad aliud) quæ celebris et festa erat tum sacrificiis, tum clangore tubarum, uti dixi Num. 28. v. 11. Festa alia erant B Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum, Tubarum, Expiationis, de quibus dixi Levit. 23. Eadem de causa respuit Deus festa Iudæorum, qua sacrificia, nimirum quia, ut sequitur.

Neomenia quid?

INIQUI SUNT COETUS VESTRI.) Hebr. עצרה *atsara*, id est *congregatio vestra et iniquitas*, id est, pariter est iniquitas, id est, iniquissima est æque ac numerosissima; cœtus vestri iniquissimi sunt, quia scilicet sunt cœtus hominum impiorum et in peccatis obstinatorum. Rursum quia convenitis non tam ad sacrificandum quam ad epulandum, potandum et luxuriandum : in atrio enim epulabantur laici ex victimis pacificis. Hinc pulchre S. Chrysost. *Festa*, ait, *in lascivia traducere, est propitiationem in reatum vertere ;* et S. August. lib. de 10. chordis : *Melius*, ait, *faceret Iudæus in agro suo aliquid utile, quam in theatro otiosus existeret ; et melius fœminæ eorum die sabbati lanam nerent, quam tota die in neomeniis suis im-* C *pudice saltarent.*

Luxus in festo quantæ culpæ.

Proprie *atsara*, id est, festum cœtus et collectæ, erat octava et ultima dies azymorum sive Paschæ, et octava festi Tabernaculorum : illo enim die popolus domum rediturus, quasi festis iam peractis, prius in templo Deo gratias acturus et vale dicturus conveniebat, indeque vocabatur hic dies cœtus sive collectæ, ut dixi Levit. 23. 36.

Festum cœtus, quod?

Septuag. vertunt, *ieiunium et otium*, quod S. Hier. explicat, q. d. Illud ieiunium non placet Deo, quod otium bonorum operum habet, id est, quod ab operibus bonis vacuum est. Sanchez vero sic, q. d. Ieiunium vestrum otiosum est, quia licet laboriosum est, tamen inutile: quæ autem honesta utilitate carent, quantumvis operantem fatigatione conficiant, otiosa sunt.

CALENDAS (neomenias) VESTRAS etc. ODIVIT ANIMA MEA.) Deus proprie non habet animam, uti nec corpus. Sed anthropopathῶs deitas eius, quæ purissimus est spiritus, vocatur *anima*. Vers. 14.

FACTA SUNT MIHI MOLESTA.) Septuag. vertunt : *Facti* D *estis mihi in satietatem, non amplius remittam peccata vestra*, q. d. Excutiam seu evomam vos cum peccatis vestris, sicut stomachus noxio cibo plenus vomitione levatur.

ET CUM EXTENDERITIS MANUS VESTRAS (cum extensis manibus in tribulatione ad me confugeritis, meamque opem imploraveritis) AVERTAM OCULOS MEOS A VOBIS.) Preces enim vestræ olent fœtentem animam, a qua formatæ et profusæ sunt. Causa sequitur: Vers. 15.

MANUS ENIM VESTRÆ SANGUINE PLENÆ SUNT.) *Sanguine*, id est, sanguinis effusione et homicidiis, q. d. Estis sanguinarii, crudeles ad vindictam, acres ad odia, ad vim et rapinam: hæc enim omnia sunt initium et inchoatio homicidii, ideoque recte per sanguinem significantur.

Secundo, *sanguine*, id est, sceleribus. Ubi Nota, sanguinem in Prophetis esse symbolum peccati, ut patet v. 18. et Osee 4. v. 2. *Sanguis sanguinem tetigit*, id est, peccata peccatis cumulant, uti explicat Chaldæus et S. Hieronym. et Greg. l. 13. Moral. c. 6. *Sanguis*, ait, *sangui-* 1.

Peccatum vocatur sanguis? cur.

2. *nem tangit, cum culpa culpam cumulaverit.* Tum quia sanguinis effusio sive homicidium gravissimum est peccatum; tum quia sanguinis esus Iudæis erat vetitus et detestabilis, Levit. 7. 27. tum denique quia sanguine
3. menstruo nihil est immundius et virulentius, uti dixi Lev. 15. 25. Pari modo peccata hominum, maxime carnalia, ut gula et libido, immundissima sunt, et mentem æque ac sanguinem et carnem corrumpunt. Merito ergo sanxit Christus: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt;* quia hæc in se per peccatum originale corrupta sunt, et in dies per peccata actualia magis corrumpuntur.

Denique Tertullianus et Cyprianus ac Leo Castrius referunt hæc ad Iudæos crucifigentes Christum et clamantes, *Sanguis eius super nos, et super filios nostros.*

Vers. 16. Lavamini, mundi estote, etc.) Hactenus per minas terruit Iudæos impios: nunc ne desperent invitat ad pœnitentiam, spemque dat reconciliationis, et eius modum edocet; ait ergo, *Lavamini*, non aqua, non baptismatibus vestris crebris: hæc enim sordes legales corporis, non autem mentis abstergunt: sed lavate et depurate cor vestrum a superbia, crapula, ira, odio, invidia, aliisque pravis cogitationibus, desideriis et machinationibus; ideo enim sacrificaturi tam Iudæi et Gentiles quam Christiani manus lavant, ut moneantur prius animæ vitia abluere. Qua de re vide dicta 1. Timoth. 2. 8. Hæc verba et has adhortationes Isaiæ, *Lavamini, mundi estote, etc.* audiens legi in ecclesia fornicator quidam, compunctus conversus est, planeque vitam incestam in castam commutavit. Unde S. Paulus discipulus S. Antonii cum prius ingredientem in ecclesiam vidisset nigrum et nebulosum a dæmonibus fræno in os misso trahi et regi, et angelum sanctum eius a longe sequentem tristem: iam egredientem vidit eum clara facie et candido corpore, ac dæmones a longe sequentes eum; sanctum autem angelum eius prope eum hilarem et gaudentem nimis, uti refert Ruffin. l. 3. in Vitis Patrum, n. 167.

Mira conversio cuiusdam fornicarii.

Tropolog. iis qui baptismo initiantur dicitur, Lavamini, mundi estote, ait S. Clem. l. 8. Constit. Apost. c. 8.

Quiescite agere perverse: consuetudines pessimas induistis, assuevistis ebrietati, rixis, odiis, fraudibus, rapinis, etc. nunc illa dediscite, desuescite, et contrarias consuetudines bonas sensim induite, discite benefacere.) *Christianorum omnis religio est, sine scelere et sine macula vivere*, ait Lactant. l. 5. c. 9. et Mercurius Trismeg. *Unicus Dei cultus est, non esse malum.*

Vers. 17. Quærite iudicium.) Disquirite utrius litigantium causa iusta sit; nolite ob munera, favores aut metus præcipitare aut pervertere sententiam. Hic versus pertinet ad iudices, advocatos, procuratores et similes: hi enim si avari et iniqui sint, iura omnia ipsamque remp. pervertunt. Unde sequitur:

Subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus.) Ecce hic ad reconciliationem et iustificationem non solam fidem, ut volunt hæretici, sed et opera quibus ad eamdem se disponant, requirit Deus, q. d. Si hæc opera præstiteritis, iisque serio veram contritionem, pœnitentiam et emendationem vestram testemini, arguite me infidelitatis et inconstantiæ, nisi vos in gratiam recepero, nisi vobis benefecero, nisi præstitero id quod sequitur. Pro *arguite* hebraice est נוכחה *nivachecha*, id est, *disceptemus*, ut vertunt Sept. Vatablus et alii, q. d. Arguamus nos vicissim, ego vos impietatis et violatæ fidei, si in peccatis perseveretis; vos me perfidiæ, nisi promissis stetero.

Nota hic humanitatem Dei, qui ad iudicia nostra descendit, et quasi par cum pari disceptat. Hinc ait Isaiæ c. 43. v. 26. *Iudicemur simul: narra si quid habes.*

Vers. 18. Si fuerint peccata vestra ut coccinnum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.) Si fuerint peccata vestra in modum coccini sanguinea, id est valde enormia et horrenda, plane diluentur. Alludit ad habitum meretricium. Ierusalem enim vocat *meretricem* v. 21. nam meretrices olim cocco se ornabant. Unde Martialis:

Coccina famosæ donas adianthina mœchæ.

Aut purpura. Unde Plautus in Penulo:

Meretricem pudorem gerere magis decet quam purpuram.
Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.

Hinc et Babylon, ait S. Hieron. vocatur purpurata meretrix, Apoc. 17. v. 4. Comparat peccata cocco et purpuræ ob ruborem sanguinis, non ob eiusdem splendorem, ait S. Cyrill. Haymo, Rupert. et alii. Longius abit Caiet. qui putat per rubedinem significari vindictam Dei, per albedinem gloriam. Scurram hic agit Wolfang. Musculus, dum sic explicat: *Si fuerint peccata vestra rubra sicut peccata Cardinalium.* Non enim peccata peccatis, sed pannis cocco tinctis hic comparantur: sed ludiones isti in Scriptura non nisi nugari et conviciari norunt.

Nota hebraismum. Peccata enim proprie non possunt dealbari: quod ergo ait, *Peccata vestra dealbabuntur*, idem est ac si dicat, Vos peccatores a peccatis vestris emundabimini et dealbabimini. Est metonymia, qua qualitas pro persona, cui qualitas inhæret ponitur. Sic Levitici 14. sæpe dicitur lepram mundari, id est leprosum mundari a lepra; et 3. Regum 14. *Sicut mundari solet fimus*, id est domus a fimo. S. Basilius legit ex Septuaginta: *Si fuerint peccata vestra ut phœniceum*, putatque peccata comparari hic elephantiasi et lepræ; hi enim morbi græce vocantur φοινικαι, quod sint colore rufo instar palmæ, quæ φοινιξ, dicitur inquit Galenus; peccatum enim est lepra animæ, ait S. Basil. Verum Hebræum שני *sciani*, non lepram, sed coccinum significat. Unde

Peccatum est lepra.

Nota. Coccus est granum tinctorium, quod arbusto cuidam adnascitur, de quo Plinius l. 9. 41. et lib. 16. 8. et Dioscorid. lib. 4. 43. in hoc grano innascitur vermiculus quidam parvus, rubicundus et odoratus, qui e grano prodiens vino albo forti inspergitur, arefit et confunditur in pulverem infectorium et rubricantem pannos, qui inde coccinum vel coccinei dicuntur: sicut sanguine piscis, qui purpura dicitur, panni tincti sunt et dicuntur purpura vel purpurei. Porro color hic, præsertim iteratus, sive dibaphus et bis tinctus, pertinax est, fulgidus et radians. Unde Silius l. 17.

Coccus quid?

At contra ardenti radiabat Scipio cocco.

q. d. Si peccatis vestris primam candidam innocentiæ stolam quasi rubeis cruoris maculis fœdaveritis, quin et alios quasi vermiculus cocci iisdem infeceritis; pœnitentiam agite, vitam commutate, bona opera facite, et mox peccata omnia velut nix et lana candescent, id est, prorsus eluentur et condonabuntur, vosque pro tinctura nequitiæ, inquit Chrysost. recipietis primam vestem gratiæ et iustitiæ, stolam candidam et splendidam. Adverte hic: Lana si semel coccineum succum biberit, elui et dealbari naturaliter non potest: Deus autem animam quæ peccata ebibit, ab iis plane purificat, ita ut nullam peccati cicatricem aut vestigium relinquat, quod in vulnere curando nullus facere potest medicus, inquit S. Chrysost. hom. 80. ad popul.

Aliter hæc explicat Tertul. in Scorpiaco c. 11. et ex eo mordicus Leo Castrius: Maculæ, inquit, animæ cocco (Tertul. legit roseo) et vermiculo, id est martyrio aut sanguine Christi, candidantur, iuxta illud Apoc. 7. 14. *Hi sunt, qui laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Verum hic sensus non convenit huic loco et litteræ: hic enim ipsa peccata comparantur coccino et vermiculo, non autem sanguis Christi vel martyrium.

Si volueritis, et audieritis me, bona terræ (Chanaan; loquitur enim Iudæis, per hanc tamen anagogice terram viventium in cælis accipe. Unde Tertul. l. de Resurrect. carn. c. 26. hæc explicat de dotibus corporis gloriosi, et (ut ipse loquitur) angelificati) comedetis. Quod si nolueritis, gladius (Babyloniorum, et postea Romanorum, ait S. Hieron.) devorabit vos.) Cur ergo hæretici negant in peccatore esse liberum arbitrium? potest enim peccator pro arbitrio velle et nolle obedire Deo, ut ait hic Isaias. Respondent Musculus et Calvinus, peccatorem non quidem libere, sed tamen sponte, non coacte,

Vers. 19. Vers. 20.

male agere, ideoque a Deo argui et plecti. Sed et asini ac bruta sponte agunt; quis tamen tam stolidus sit, qui asino præcipiens dicat: Si volueris et obedieris iussis heri tui, laute pasceris ab eo? quis eum iussis non parentem minis ac morte plectat? Pro *gladius*, hebr. est חרב *chereb*: quod si aliis punctis legas חרב *choreb*, erit siccitas et sterilitas, quæ directe opponitur bonorum terræ fertilitati et copiæ. Ita Sanchez.

Symbol. S. Iustin. orat. ad Antonin. Pium illud Isaiæ 1. *gladius devorabit vos*, sic explicat: Gladius, inquit, est ignis gehennæ, cuius esca fiunt qui perpetrant mala: hinc ait, gladius, id est, ignis, devorabit vos: alioquin dixisset, Gladius secabit vos: devorare enim est ignis, non gladii.

Vers. 21. QUOMODO (nota est admirantis et cum admiratione deplorantis) FACTA EST MERETRIX CIVITAS FIDELIS? Ierusalem scilicet, quæ antea fidelis Deo, ei quasi marito fidem pudice servavit, eique soli adhæsit, indeque fuit PLENA IUDICII, id est, pios et iustos habuit iudices, iustaque tribunalia: nunc *facta meretrix* ad idola quasi ad adulteros, indeque ad fraudes et iniustitias deflexit: unde IUSTITIA HABITAVIT IN EA, NUNC AUTEM HOMICIDÆ.) Pro *meretrix* hebr. est זונה *zona*, quod verti potest cauponaria, stabularia, quæstuaria, quæ undecumque quæstum facit; ideoque quosvis hospitio recipit. Talis enim fuit Ierusalem, quæ omnes Gentes eorumque vitia et mores, præsertim fraudes et iniustitias, ut sequitur, in se recepit, ita ut omnium nationum scelera quasi proluvies quædam, in illud commune diversorium influerent. Ita Sanchez. Secundo, pro *habitavit*, hebr. est ילין *ialin*, id est pernoctavit: Septuag. ἐκοιμήθη, id est dormivit, q. d. Antea iustitia molliter quievit et secure dormivit in Ierusalem, quasi in lecto suo: nunc in ea quieti et sine metu dormiunt latrones et homicidæ. Tertio, Duo, inquit Hieron. Prado in Ezech. c. 9. sub finem, vitia capitalia improperat hic Isaias Iudæis: primum meretricium et defectionem a Deo viro suo; secundum, homicidium. Primum contra primam tabulam decalogi, secundum contra secundam: primo opponit fidem, secundo iustitiam quæ duo floruerunt in nobili civitate, dum illa utramque tabulam, id est, totam legem custodivit.

Nota hic. Fidei et veræ religionis comes et effectus est iustitia, sicut infidelitatis et impietatis comes et effectus est iniustitia: qui enim fidem Deo non servant, quomodo servabunt eam hominibus? Apud hæreticos ergo fidei prodigos non potest esse vera iustitia, uti nec vera castitas.

Vers. 22. ARGENTUM TUUM VERSUM EST IN SCORIAM: VINUM TUUM MISTUM EST AQUA.) Fidem, inquit Prado, hic vocat *argentum*, iustitiam *vinum*: quæ duo cum scoria et aqua mista et corrupta esse deplorat, succedente scilicet
Argentum. I. Est pura religio. primo, pro fidelitate in Deum spurcitia idolorum, pro religione superstitione; secundo, pro vino fervidæ charitatis et iustitiæ in proximum, succedente aqua effusæ libertatis et audaciæ ad omne genus fraudis et flagitii. Est ergo adagium, q. d. *Argentum tuum versum est in scoriam*, sive in fæces et spumam, hoc est, pura Dei religio versa est in impuras superstitiones; *vinum tuum mistum est aqua*, id est iustitia tua mista est cum avaritia et iniustitia.

II. Dei lex. Secundo, Sasbout et alii: Argentum, inquiunt, hic et Ps. 11.7. *Eloquia Domini, eloquia casta* (sicut *argentum igne examinatum*; et alibi significat eloquia, legem et doctrinam puram Domini. Idem denotat vox *vinum* hic, uti, et Prov. 9. 5. Apoc. 6. 6. Per *scoriam* vero et *aquam* significatur ipsa legis depravatio, per traditiones quas induxerunt Scribæ et Pharisæi, inquit S. Hieron. Cyrill. et Basil.

III. Doctores. Tertio, Leo Castrius, per *argentum* accipit ipsos doctores et sapientes Iudæorum, additque: Plato, inquit, l. 3. de Repub. ex Isaia et Ieremia mutuatus est, ut aureos homines nominet viros cælesti sapientia et virtute præditos; argentum vero cæleste ait illorum animis insitum esse, qui sapientia communi et virtutibus communibus sunt insignes: reliquis hominibus pro varietate morum aut æs, aut ferrum, aut stannum animis inditum esse.

A Pari modo apud Iudæos Isaias aliique Prophetæ cælestes et incorruptibiles erant quasi aurum, scribæ et sacerdotes erant quasi argentum. Sensus ergo est, q. d. Isaias: Tui doctores et sacerdotes, o Ierusalem, doctrina et moribus depravati sunt, aliosque depravant.

Favent S. Hier. Cyrill. Basil. qui tropologice hæc referunt ad hæreticos, Basil. etiam ad concionatores qui hominum gratiam blanditiis suis adulando cauponantur, faciuntque Evangelium servire suæ cupiditati, avaritiæ et ambitioni: hi enim sunt argentum et vinum adulteratum et vitiatum, de quibus dici possit quod Ennius dixit in dolosos milites et duces: *Cauponantes bellum, non belligerantes*. Sic enim hi sunt cauponantes Evangelium (ut ait Apostolus 2. Cor. 2. 17.) non evangelizantes. Vide Ambrosium in Ps. 118. serm. 12. Hi tres sensus appositi sunt et fere eodem tendunt.

VINUM TUUM MISTUM EST AQUA.) Idem dicit alio adagio. Septuag. vertunt: *Caupones tui miscent vino aquam*.
B Eos sequitur S. Hieron. in comment. Caupones sunt Scribæ et Pharisæi, qui Pharisaicis suis expositionibus legem depravarunt. Ubi Nota. S. Hieron. subinde aliter vertit in commentar. quam verterit in Bibliis; sed Ecclesia recepit eius Bibliorum versionem: illa ergo præ commentariis sequenda est, cum ab iis dissentit.

Secundo. Hector Pintus sic exponit: *Vinum tuum mistum est aqua*, hoc est, nulla est in te mera atque germana virtus: iustitia tua mista est crudelitate, ultione, et malitiosa quadam iuris interpretatione: fortitudo mista est temeritate et animi elatione: temperantia coniuncta est cum negligentia et ignavia: prudentia malitiam sibi et calliditatem copulavit. Religiosus miscet vinum aqua, quando cum obedientia miscet propriam voluntatem et iudicium, cum oratione curiosa et sæcularia colloquia, cum cælestibus cogitationibus et delectationibus consolationes viles et humanas. Concionatores vinum aqua miscent, si cum verbo Dei iungant lenocinia verborum, cum reprehensionibus assentationes, cum Dei gloria gloriam
C hominum. Hic sensus accommodus est, sed moralis.

Perperam ergo ex hoc Isaiæ loco Lutherus in scripto contra regem Angliæ anno 1522. edito, probare nititur aquam non esse miscendam vino in calice Eucharistiæ. *Habet enim*, ait ipse, *hoc pessimam significationem, dicente Isaia: Vinum tuum mistum est aqua*. Respondet enim ei recte Bellarm. l. 4. de Eucharist. c. 11. pessimam habere significationem, si caupones (de quibus agit hic Isaias) vinum aqua misceant: hoc enim significat eorum avaritiam, fraudulentiam et iniustitiam. Non autem, si ipsi bibentes ea misceant: hoc enim arguit eorum temperantiam. Sed helluo Lutherus merum bibere vult, non mistum; hinc mistum ei pessimam habet significationem, quod scilicet per illud gulæ suæ et ebrietati satisfacere nequeat.

PRINCIPES TUI INFIDELES.) Hebraice est paronomasia Vers. 23.
inter שרים *sarim*, id est, principes, et סוררים *sorerim*, id est, infideles, perinde ac si dicas, *primi sunt pravi*. Sic voces, inquit Calvinus apud Marloratum, Episcopos
D Episcotos vel Aposcopos, Cardinales Carnales vel Carpinales, Canonicos Cenonicos, Præpositos Præposteros. Ita sannio iste virulenta lingua non nisi calumniari et maledicere a patre suo diabolo didicit: sed abeat stigmaticus, et sui stigmatis memor sileat.

SOCII FURUM: quia, ut sequitur, OMNES DILIGUNT MUNERA.) Et propterea, iura omnia pervertunt. Vide quam iudices munera contemnere debeant, exempla et sententias veterum, quas citavi Exodi 18. 21. et Exodi 23. 8. Porro admirabilis hac in re fuit hoc sæculo B. Thomas Morus, qui cum Angliæ totius supremus esset iudex et Cancellarius, invenissetque suum tribunal plenum causis et litibus, spatio biennii omnes expedivit et decidit, ut ne unam quidem reliquam fecerit, idque ea fide ut nemo de eo queri posset: tantus vero fuit avaritiæ hostis et munerum contemptor, ut, cum a puero in repub. usque ad annum ætatis quinquagesimum esset versatus, summisque muniis perfunctus, annuum tamen censum suum

toto hoc tempore non auxerit ultra septuaginta aureos. Quot hodie videmus tenues, qui cum ad dignitates evehuntur, paucis annis per multa millia censum suum adaugent. Hi sunt mori, non sunt Mori.

Hunc locum Prælatis avaris adaptat B. Petrus Damiani epist. 2. l. 2. quam scripsit ad S. R. E. Episcopos Cardinales, in qua docet omnes Ecclesiæ clades promanare ex vitio avaritiæ, præsertim in accipiendis muneribus. Sic ergo incipit: *Vir sapiens ait*, Eccli. 20. *Xenia et dona excæcant oculos iudicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. Armat enim muneribus adventantes, et per eos expugnat, ac cæcat eorum corda, qui suggerendi locum apud aures obtinent principales, de quibus per Isaiam Dominus conqueritur dicens: Principes tui infideles, socii furonum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Dicet aliquis: Ego quidem nihil quæro, sed si quid gratis offertur, accipere non recuso. Ecce hic non notantur ii qui munera quærunt, sed qui tantummodo diligunt. Qui etiam socii furonum* (italice enim fur vocatur *furbo* quasi furo) *non immerito dicuntur: quia dum furtiva dona suscipiunt, etiam a comministris suis et sodalibus deprehendi velut in furti crimine perhorrescunt. Et notandum quod dicitur: Sequuntur retributiones; quia quamvis munificis suis auxilium, quod postulantur, impendunt, reatus tamen maculas non evadunt: quia dum beneficii sui talionem recipiunt, fructus æternæ mercedis amittunt. De quibus et paulo post dicit*: *Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.* Causam subdit: *Acceptis quippe muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt; locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentia præpeditur. Mens quippe percepti muneris conscia, debilitat iudicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem. Nam et si iudicii rectitudo funditus non adimitur, iudicandi tamen auctoritas enervatur. Iuxta Prophetam ergo* (Isaiam c. 33.) *excutiamus manus nostras ab omni munere, et nocendi, sive iuvandi servemus nobis ingenuam libertatem: ut non litigemus sub servitute pecuniæ, sed serviamus in libertate iustitiæ.*

Nota. Pro *infideles* hebr. est סוררים *sorerim*, a rad. סור *sur*, id est, declinavit, recessit, perversus et rebellis fuit. Unde Aquila vertit, *recedentes*; Pagninus, *declinantes;* Pintus, *perversi;* Septuag. et S. Hieron. in comment. *inobedientes;* obedientia enim non tantum est subditorum, sed et boni principis. Ut enim populus principi, sic ille Dei legibus parere debet. Populo præest princeps, principi lex. Hinc Deuter. 17. 18. præcipit Deus ut rex habeat legem secum, eamque legat cunctis diebus vitæ suæ. Unde 4. Reg. 11. 12. de Ioiada pontifice dicitur: *Produxitque filium regis* (Ioas puerum) *et posuit super eum diadema, et testimonium: feceruntque eum regem.* Per *testimonium* lex intelligitur, quæ regi simul cum regia corona dabatur ut iuxta eam gubernaret. Idem senserunt Gentiles. Bias rogatus *quisnam esset vere princeps?* Resp. *Ille qui primus se legi subiicit.* Pindarus ait: *Lex est omnium mortalium regina.* Ratio est, quia, cum iustitia sit finis legis, contempta lege fieri non potest quin princeps iustitiam contemnat; quo facto sequitur seditiosus ac turbulentus reipublicæ status, indeque eius pernicies et interitus. Recte ergo dixit Iustinianus: *Principe digna vox est legibus se subditum profiteri.* Perperam vero adulator ille Alexandro Magno ingemiscenti quod temulentus Clitum amicum occidisset, dixit, iustitiam pingi astantem Iovi, eo quod iustum sit quidquid Iupiter sive rex præcipit.

Principis est obedire legi.

Denique hæc congrue adaptat S. Bernardus, ser. 1. de Adventu, protoplastis nostris: *Princeps*, ait, *ut infideles, vel, ut alia translatio habet, inobedientes, socii furum. Revera enim principes nostri Adam et Eva, principia propaginis nostræ, inobedientes et socii furum: qui quod filii Dei est, serpentis, imo diaboli per serpentem, consilio surripere tentant. Nec dissimulat iniuriam filii pater, sed continuo in ipsum hominem vindictam retribuit, et aggravat super nos manum suam. Omnes enim in Adam peccavimus, et in eo sententiam damnationis accepimus.*

A

CAUSA VIDUÆ NON INGREDITUR AD ILLOS.) Quia a viduis pauperculis non sperant munera, aut favores, hinc earum causas non suscipiunt defendendas aut iudicandas, sed eas semper ditioribus postponunt; aut si cogantur iudicare causam non eis, sed parti adversæ, quia dives est vel amica, adiudicant.

Nota hic et vers. 17. quam Deus curam habeat viduarum et pupillorum, iubeatque eis ius suum reddi, easque opprimentes puniat. Illustris hac in parte fuit Theophilus Imp. nam, ut narrat Cedrenus et Zonaras tom. 3. in eius Vita: Dux quidam militem equo insigni spoliaverat, hic miles in prælio occubuit, dux equum hunc Theophilo Imp. donavit: uxor militis occisi Theophilum Imper. ad templum Blachernense equitantem de more conspicata mariti sui equo vehi, concitato cursu aggressa, frænum equi apprehendit, suum hunc esse vociferans, et non alius; sed ipsum Imperatorem cædi mariti sui causam præbuisse. Perterritus Imperator manere eam iubet, dum in palatium ipse rediret; ac reversus statim eam ad se vocat, ac de re tota accuratius inquirit. Quam cum ea a principio ad finem usque recitaret, illico etiam dux iste sistitur, et muliere iussu Imperatoris occultata, de equo acriter interrogatur. Quem cum asseveraret suum fuisse, neque raptu paratum; producitur extra velum mulier, reum de vi peractura. Qua is conspecta diriguit, et aliquamdiu mutus adstitit, tandemque ad se reversus, supplex pedibus Imperatoris sese advolvit lacrymans, ac peccatum confitens. Ergo Imperator eius facultates viduæ eiusque liberis iure hæreditario addicit; ipsumque dignitate spoliatum exsilio perpetuo damnat.

Theophilus Imperator viduarum iura tutatus.

B

Ibidem de eodem narrat Zonaras: mulierem adiisse Theophilum, et accusasse Petronam Augustæ fratrem, quod in vicinia sua ædes ita alte exstrueret, ut suis luminibus officeret. Petronas ab Imperatore accersitus, et quid mulier diceret, interrogatus, nugas eam agere dixit. Tum Imperator: Cave, inquit, ne denuo eadem de re me appellet, quod tibi bono non est futurum; ac mulierem ad Petronam abire iussit, et, nisi ei damnum resarciretur, ad se redire. Quod cum illa fecisset, neque a Petrona quidquam impetrasset, re desperata rursus Imperatorem interpellavit: is statim quibusdam senatoribus mandavit, ut viderent num damnum mulieri daretur. Abiere illi statim, damnumque cognitum Imperatori renuntiarunt: qui in forum progressus, atque ibi certo loco stans, Petronam vestibus direptis, et in tergo et in pectore verberari iussit, et quæ in fraudem mulieris struxerat, destrui, materiamque et solum ipsum mulieri attribui.

C

PROPTER HOC AIT DOMINUS DEUS EXERCITUUM.) Hic incipit Isaias proprie Prophetam agere, et sternere viam ad Christum, qui malis omnibus hactenus enarratis remedium dabit. Est ergo hæc pars capitis læta et consolatoria. Vers. 24.

HEU, CONSOLABOR SUPER HOSTIBUS MEIS, ET VINDICABOR.) Forerius putat τὸ *heu*, vel הוי *hoi*, esse interiectionem non dolentis, sed insultantis, q. d. Deus: Exsulto, quia consolationem accipiam in Iudæorum hostium meorum vindicta et interitu. Simili enim modo ait ipse Ezech. 5. 13. *Complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor;* et Deuteron. 28. *Sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans*: *sic lætabitur disperdens vos atque subvertens.* Verum proprie Hebr. *hoi*, et Latinum *heu*, dolentis est, non insultantis. Significat ergo Deus hac voce, primo, se dolentem et invitum punire peccatores, ut a sua indole et a seipso abire videatur. Secundo, pœnam fore gravem. Sic enim medicus gemit cum quem videt ita ægrum, ut uri vel secari debeat. *Vir fortis tunc ingemiscit, quando se componit ad firmitatem*, ait Cicero in Tuscul. Ita fissores lignorum gravem daturi ictum, cum gemitu et suspirio eum eliciunt. *Heu* ergo dolentis est, *consolabor* gaudentis: *consolabor*, id est, vindicabor: prius enim hemistichium, *consolabor de hostibus meis*, more hebræo explicatur per posterius, dum sub-

D

*

dit, *et vindicabor de inimicis meis.* Solent enim homines iniuria affecti gaudere et consolari: si se ulcisci de hostibus possint: ita hic de se loquitur Deus humano more, ita tamen ut significet se, quia benignissimus est, longe secus quam homines contra voluntatem lugentem et gementem ad vindictam descendere, licet illa eius iustitiæ sit consolationi. Sic ergo vindicta eius et iustitia mista est cum clementia et misericordia, adeoque vindicta ipsa non tam peccatorem quam Deum ipsum affligit anthropopathωs; quia Deus nolens, et quasi dolens peccatorem punit et affligit: quin imo idem in Deo est affectus quo vindicat punitque et quo punito condolet et compatitur. Unde Hebræum *hoi,* tam dolentis quam gaudentis est, et tam *heu* quam *væ*, ut vertunt Septuag. significat; quia Deus solatium quod vindicta afferre solet cum dolore percipit, vere pius pater etiam in iudicio et castigatione. Adde, hæc Dei vindicta summa est misericordia: per hanc enim castigationem peccatorem convertit et emendat, eumque ex inimico facit amicum, ex iniusto iustum, ex mancipio diaboli et inferni servum Dei, et hæredem cæli. Vide can. 46. Unde sequitur :

Deus punit nolens et dolens.

Vers. 25. Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum.) Vatablus vertit: *Purgabo instar saponis scorias tuas.* Verum scoria non solet sapone purgari, et Hebræum בור *bor* non tantum saponem, sed omnem rem quæ vim habet purgandi, significat: *bor* etiam purum significat uti aperte vertit Noster. Rursum Vatabl. et Hebræi referunt hæc ad Sennacherib, qui obsedit Ierusalem anno 14. Ezechiæ. Verum hæ tantum fuerunt minæ Dei : nec enim Sennacherib cepit aut vastavit urbem, quin imo per preces Isaiæ et Ezechiæ ipse cum suis ab angelo contritus est; quare melius hæc referas ad captivitatem tum Babylonicam, tum Romanam, idque patebit v. 27. Porro verba hæc sunt Dei irati peccatis, sed propitii peccatoribus: hæc enim est mira Dei vindicta, qua peccata in homine persequitur, occidit et abolet: sed mira sua clementia peccatorem immutat, in aliam vitam transfert, eique gratias et dona sua confert: facit enim ut, v. g. moriatur Petrus impurus, ebrius, incestus, superbus, et resurgat Petrus purus, sobrius, castus, humilis, etc. Estque metaphora ab aurifabris et argentariis, qui per ignem argentum liquant; a scoria, stanno, aliisque metallis secernunt et expurgant, q. d. Sicut argentarius argenti massam impuram igne liquat et excoquit, idque diu et sæpius (unde hebr. pro *convertam* est אשיבה *ascib*, id est, *reducam et reversabo manum,* uti facit aurifaber ut opus expurget, elimet et expoliat) donec purum argentum a stanno et scoria secernatur : ita et ego igne tribulationum, plagarum, et hostium Chaldæorum et Romanorum tamdiu vos, o Iudæi, excoquam et affligam, donec idololatria, iniustitia, traditiones Pharisaicæ, aliæque sordes peccatorum a vobis plene secretæ et expurgatæ fuerint; et ex plumbeis, stanneis ac ferreis hominibus fiatis argentei et aurei. Rursum puniam, et e medio tollam impios iudices, principes, Pontifices, Scribas et Pharisæos. Hi enim per scoriam et stannum accipi possunt, ut dixi v. 22. Unde simili metaphora conflatoris et argenti reprobi utitur Ieremias c. 6. in fine.

Nota. Hic tribulatio est fornax et conflatorium, quo purgantur electi, improbi comburuntur. Vide dicta Threnor. 1. v. 13. et Daniel. 11. v. 35.

Vers 26. Et restituam iudices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus.) Priores Hebræorum boni iudices fuerunt Moses, Iosue, Gedeon et alii in libris Iudicum, ac post eos David, Salomon, Iosaphat, etc. Restituit vero Deus tales post captivitatem Babylonicam, cum dedit eis Esdram, Nehemiam, Iesum filium Iosedec, Machabæos, etc. Ita S. Hieronymus, Chrysostom. Haymo, Hugo, et Sanchez.

Rursum et magis, post captivitatem Romanam cuius illa Babylonica præambulum fuit et typus, tempore Christi restituit Deus Iudæis pro Scribis et Pharisæis impiis pios et sanctos Apostolos, aliosque Ecclesiæ Principes, qui primos illos iudices tum sapientia, tum diligentia, tum docendi regendique facilitate et felicitate superarunt. De Apostolis enim hæc accipiunt S. Hieron. Cyrillus, Hugo, Haymo, Dionys. et Forer. unde sequitur :

Post hæc vocaberis civitas iusti.) Sept. et Hebr. *civitas iustitiæ*, ut scilicet iusti principes, Esdras, Nehemias et alii habitent in Ierusalem, eamque iuste regant et iudicent, utque iustitia et iustus Deus in ea dominentur : illi enim principes regent populum iuxta iustas Dei leges ab eo præscriptas et sancitas. Alludit ad priscum regem Solymorum, qui a probitate dictus est Melchisedech, id est, rex iustitiæ. Secundo, et magis vere, *vocaberis civitas iusti*, scilicet Christi, cum is nascetur, teque docebit et sanctificabit; maxime cum in Pentecoste in te mittet Spiritum sanctum. Ita S. Hier. Christus enim antonomastice in Scriptura vocatur Iustus et Sanctus sanctorum, adeoque omnes iustificans et sanctificans : unde effecit ut Apostoli et eorum successores regerent Ecclesiam non ad sua commoda vel gloriam, sed unam iustissimam et sanctissimam Christi Domini voluntatem et gloriam in ea gubernanda intuendo.

Urbs fidelis.) Scilicet Deo, in eius unius fide, cultu et obedientia persistens : hoc ergo spectat custodiam primæ tabulæ decalogi; sicut *civitas iustitiæ* spectat secundam, ut dixi v. 21. Ecclesia enim fuit Deo fidelis, quia fidem coniugalem Deo datam constanter servavit, cum Synagoga eam sæpe violarit, et quasi adultera iterum iterumque ad idola deflexerit.

Sion in iudicio redimetur.) q. d. Israel per Cyrum liberabitur e Babylone post iustam satisfactionem, scilicet pœnam 70. annorum captivitatis toleratam : illa enim hic vocatur *iudicium*, quia iusto Dei iudicio eis fuit inflicta. Hinc Septuag. vertunt : *Cum iudicio salvabitur captivitas eius.* Unde tunc Esdras, Nehemias, aliique iusti iudices et principes *reducent* regentque *eam in iustitia,* uti explicuit v. præcedenti. Aliter Sanchez, *in iudicio*, inquit, id est, non temere, sed cum delectu; quia scilicet illi reducentur, qui erunt timentes Deum, ut ait Tobias c. ult. v. 7. et quorum spiritum Deus suscitavit, ut dicitur 1. Esdræ 1. v. 1. Secundo, plenius et verius hoc factum est per Christum (ad quem de more hic avolat Propheta, iuxta can. 6. et 12.) qui *in iudicio*, id est ex rigida iustitia, redemit Sion, id est, Ecclesiam Iudæorum et Gentium, quæ cœpit in Sion et Ierusalem. Vers. 27.

Ubi Nota. Hæc Christi redemptio licet fuerit opus summæ clementiæ et misericordiæ, hic tamen vocatur *iudicium et iustitia.* Primo, quia Christus ex iustitia soluto lytro, puta pretio sanguinis sui, nos redemit. Secundo, quia dæmon, utpote tyrannus, iniuste captivos tenebat Iudæos, aliosque homines licet peccatores, agens eos pro suo libito ad omne scelus: unde iuste hac tyrannide a Christo privatus est. Tertio, quia licet dæmon a Deo potestatem tortoris in peccatores acceperit, ut eos occideret morte præsenti et æterna: tamen non accepit potestatem in Christum iustum et Dei filium. Unde quia ipse hac potestate sua abusus est, dum eum per Iudæos curavit occidi, hinc iuste meruit eadem in totum privari: Christus etiam morte sua tam iniqua et indigna hoc ipsum meruit: et hoc est quod ait Christus Ioann. 12. v. 31. *Nunc iudicium est mundi : nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Ita S. Hieronymus et Rupert. Quarto, quia Christus Ecclesiæ et peccatoribus dat et infundit iustitiam, dum eos a peccato redimit et iustificat.

Christi redemptio vocatur iustitia ob quatuor causas.

Anagog. Christus perfectissime redimet Sionem, id est, Ecclesiam, ab omni malo tam culpæ quam pœnæ in resurrectione novissima, idque ob meritum pœnitentiæ et patientiæ Sionis in hac vita.

Et conteret (scilicet Deus, vide can. 17.) scelestos, et peccatores simul : et qui dereliquerunt Dominum, consumentur.) Hic a tempore Christi revolat Propheta ad suum suorumque supplicia; hæc ergo connecte cum v. 24. *Vindicabor de inimicis meis.* Secundo, tamen possunt hæc quoque ad tempus Christi referri, q. d. Deus redimet Sion, id est, fideles et pios Sionis, qui Vers. 28.

Christo credent et obedient; alios vero Sionis filios secundum carnem, puta Iudæos, qui Christo credere et obedire nolent, *conteret* tamquam scelestos vel peccatores (plus enim est esse scelestum quam peccatorem) ideoque non tam filios quam spurios, imo hostes Sionis. Vide cau. 7. Conteret, inquam, illos partim in hac vita per Titum et Vespasianum, partim in iudicio tum particulari, tum universali, eos ad gehennam condemnando: tunc enim omnes *qui dereliquerunt Dominum*, id est Deum, et Christum, *consumentur.*

Et qui dereliquerunt Dominum, consumentur.) Paupertate et ærumnis captivitatis in Babylone: sicut enim ex tot Hebræorum millibus qui ex Ægypto sunt egressi, ob eorum murmur pauci, scilicet Iosue et Caleb, ingressi sunt terram promissam, ita et pauci e Babylone in Iudæam redibunt. Ita Sanchez.

Vers. 29. Confundentur enim ab idolis.) Perfide Castalion vertit, *a divis*, ut insimulet invocationem Sanctorum. *Confundentur* ergo *ab idolis*, id est, propter idola (sic sumitur *a* vel *ab* pro *propter*, Ier. 22. 22. Osee 7. 16.) quia scilicet videbunt idola sua quæ coluerunt, et in quibus speraverunt, non posse se nec illos ab hac Dei clade liberare. Hæc verba proprie pertinent ad tempus captivitatis Babylonicæ, non Romanæ tempore Christi, quia tunc Iudæi non coluerunt idola; sed in fine mundi sub Antichristo rursum ea colent. Unde tunc rursum in iis confundentur, quando eorum dux Antichristus cum suis cædetur, et detrudetur ad tartara.

Et erubescetis super hortis quos elegeratis.) In quibus lascive et impudice colebatis idola, maxime obscœnum Beelphegor, sive Priapum. Vide 2. Paral. 15. 16. Sub *hortis* intellige et nemora idolis consecrata. Est enallage personæ: transit enim a tertia ad secundam, significans hanc cladem non esse remotam sed imminere, et præsentibus quibus loquitur obventuram. Vide cau. 16.

Vers 30. Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis.) Quæ quondam florens iam in hieme aut senio defrondescens marcescit, arescit, emoritur; ita fiet et vobis: in hortis peccastis, ut horti marcescetis et puniemini.

Et velut hortus absque aqua.) Qui sine humore aret et squallet, nullumque virens producit, ita et vos fame et ærumnis in corpore tabescetis: in anima vero aqua gratiæ destituti absque fructu bonorum operum vitam agetis, non angelicam, non humanam, sed brutalem, sed diabolicam, sed infernalem.

Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ (hebraice, *ut stupa* scilicet accensa quæ mox in favillam abit) et opus vestrum quasi scintilla: et succendetur utrumque simul: et non erit qui exstinguat.) *Utrumque*, scilicet *opus* et *fortitudo*. Iam *fortitudinem* Iudæorum vocat tum eorum urbes, muros, arma, arces; tum potius idola, in quibus ipsi omnem suam spem et robur ponebant: unde pro חסן *chosen*, iam aliis punctis legunt חסן *chason*, id est fortis. Unde Vatablus vertit, *erit fortissimus* (deorum vestrorum) *ut stupa*. Per *opus* intelligit ornatum, pompam et cultum quem exhibebant idolis: rursum opes, fundos, palatia ope idolorum et dæmonum per fraudes, iniustitias et rapinas parta; ac consequenter ipsas fraudes, iniustitias et rapinas aliaque impietatis opera, q. d. Hæc omnia putabatis esse fortissima foreque perpetua; at ego per Iudææ excidium illa delebo et comburam instar stupæ, quæ levi flamma absumitur; comburam, inquam, tum per Babylonios, tum potius per ignem inferni: hic enim proprie erit inexstinguibilis, in quo opera impiorum, omnisque eorum gloria, opes et fortitudo in ipso impio exurentur. Ita S. Basil. quem sequitur S. Hieron. et Haymo, qui utrumque incendium, scilicet temporale et æternum, terrenum et gehennale, hic permiscent. Unde et Chald. vertit: *Comburentur impii et eorum opera prava.* Aliter hæc accipit Sanchez. Fortitudo, inquit, sunt mœnia et turres, ignis sunt peccata, q. d. Mœnia, quæ alias riderent suós hostes, iam erunt stupæ: quia etiamsi nullus hostis ea invaderet, peccata tamen vestra quasi hostes intus grassantes ea consumerent, et in cinerem redigerent, sicut ignis consumit aridam stipulam, sed hoc videtur esse mysticum.

Vers 31. | Fortitudo et opus quid?

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Avolat ad Christum, prædicitque Ecclesiam quasi montem a Christo erigendam, quodque ad eam confluent omnes gentes, quæ bella in pacem, gladios in ligones convertent. Secundo, v. 6. redit ad sua tempora, suorumque scelera arguit. Tertio, v. 10. prædicit cladem et vastationem Iudæis a Chaldæis inferendam. Denique, v. ultimo avolat ad Christum, monetque ne eum, utpote Deum, lacessant et exacerbent.

1. Verbum, quod vidit Isaias filius Amos, super Iuda et Ierusalem. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. 3. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem. 4. Et iudicabit gentes, et arguet populos multos: et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. 5. Domus Iacob venite, et ambulemus in lumine Domini. 6. Proiecisti enim populum tuum, domum Iacob: quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philisthiim, et pueris alienis adhæserunt. 7. Repleta est terra argento et auro: et non est finis thesaurorum eius: 8. Et repleta est terra eius equis: et innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta est terra eius idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. 9. Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis. 10. Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a face timoris Domini, et a gloria maiestatis eius. 11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum; exaltabitur autem Dominus solus in die illa. 12. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem: et humiliabitur. 13. Et super omnes cedros Libani sublimes, et erectas, et super omnes quercus Basan. 14. Et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos. 15. Et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum. 16. Et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est. 17. Et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa: 18. Et idola penitus conterentur: 19. Et introibunt speluncas petrarum, et in voragines terræ, a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. 20. In die illa proiiciet homo idola argenti sui, et simulachra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret, talpas et vespertiliones. 21. Et ingredietur scissuras petrarum, et in cavernas saxorum, a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. 22. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse.

Vers. 1. **Verbum, quod vidit Isaias filius Amos, super Iuda et Ierusalem.**) Eventurum non iam, sed tempore Messiæ, quando scilicet ex Iuda nascetur Christus, Apostoli, et Ecclesia nova. De ea enim hic agi patet ex v. sequ. cum ait: *Et erit in novissimis diebus, etc.* et de eadem egit in fine c. præc. v. 26. et 27. eo ergo hæc pertinent. Unde Septuag. pro *et erit,* vertunt, *quia erit*, quasi causam dantes dictorum in fine c. præced. Nota *verbum,* id est, visio, puta visum, sive res visa. Vide can. 1.

Rursum symbolice S. Hier. *Hic*, inquit, potius *verbum* dicitur quam *visio*, eo quod priori capite *Isaias videat visionem, hic vero Verbum quod erat in principio apud Deum* (non in se, sed ut caro factum nos docuit in Ecclesia) *et in illa Iudæis comminans ad Gentium veniat salutem: in ista Gentium salute incipiens, punito Israele, ex utraque vocatione credentes in Christi Ecclesiam congreget.*

Vers. 2. **Et erit.**) Tὸ *et* per hebraismum redundat, estque prophetiæ exordium: solent enim Hebræi librum vel orationem ordiri per ו *ve*, id est, *et*.

In novissimis diebus.) In novissimo tempore, puta Messiæ. Est synecdoche. Dies enim, et, ut S. Ioan. vocat, *hora novissima*, ponitur pro tempore ultimo legis Christi satis prolixo. Ita S. August. epist. 80. ad Hesychium.

Christi tempus dicitur novissimus. Cur? — Nota. Christi tempus dicitur *novissimum*, id est, posterius aut sequens (hoc enim tantum significat Hebr. אחרית *acharit*) etiamsi proprie non sit ultimum et novissimum. Sic Iacob moriens filiis ait Genes. 49. 1. *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis,* id est, temporibus sequentibus, puta post meam mortem Secundo, proprie tempus Christi vocatur *novissimum*, tum quia Christus est finis legis et Prophetarum, tum quia est novissimum respectu originis et durationis mundi, ac præcedentium ætatum et statuum: puta si tempus omne ab origine mundi dividas in primum medium et novissimum; sive in legem naturæ, Mosis, et gratiæ: tum enim lex gratiæ est ultima, nec alia lex aut status ei succedet. Frustra ergo argumentantur Iudæi: Necdum est tempus novissimum, ergo Messias necdum venit.

Præparare pro firmare. — **Præparatus mons domus Domini.**) Hebræum נכון *nachon* significat non tantum præparatus, erectus, directus, sed etiam fundatus, munitus, instructus, firmatus et stabilitus; ut nullæ vires, imo nec portæ inferi ei possint prævalere. Sic et alibi sæpe *præparare* capitur pro *firmare,* ut Prov. 8. 27. *Quando præparabat*, id est, fundabat, *cælos, aderam*. Psal. 23. 2. *Super flumina præparavit*, id est, firmavit, *eam*, scilicet terram.

Quis hic mons? Resp. I. — Quæres, Quisnam est iste mons? Respondent primo, Iudæi, esse Sion, qui sub Messia, inquiunt, imponetur monti Carmelo et Thabori, atque per tres leucas sursum attolletur. Sed hæ eorum solitæ sunt næniæ. Vide Galat. l. 5. c. 3.

II. Secundo, aliqui Catholici per montem accipiunt Sionis gloriam, quam scilicet ipse accepit quando Christus in templo est præsentatus, docuit anno duodecimo, multa fecit miracula, et tandem Spiritum sanctum in Apostolos e cælo misit. Verum hic sensus symbolicus est.

III. Tertio, S. Cyprianus, vel quisquis est auctor libri de Sina et Sion, montem hunc aiunt esse crucem Christi. Rursum S. Gregorius libr. 1. in 1. Regum ait, montem hunc esse Beatam Virginem: eius enim sanctitas super omnes Sanctos et Angelos effulsit, et instar montis eminuit. Ipsa enim *meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium deitatis erexit*, inquit S. Gregor. in l. 1. Regum c. 1. sub initium. Verum etiam hæc symbolica et mystica sunt.

IV. Quarto, S. Hieron. Basil. Rupert. et multi alii veterum censent montem hunc esse Christum. Hic enim est mons in vertice montium, id est Apostolorum et Prophetarum, quos sua doctrina et gratia superat et excellit. Hic sensus cum sequenti cohæret: Christus enim est Ecclesiæ caput; unde Christus et Ecclesia unum quid censentur, iuxta regulas Ticonii apud S. August. Quidquid ergo de Ecclesia dicitur, dicitur etiam de Christo; et e converso.

A Quinto, et aptissime, Cyrill. hic, et Euseb. lib. 2. Demonstr. c. 32. Athanasius initio epist. ad Epictetum, per montem intelligunt Ecclesiam; hæc enim est domus Domini altissima, et maxime conspicua, perinde ac si in monte esset sita. Est catachresis. Vide can. 6. Unde Septuag. pro *præparatus* vertunt ἐμφανὴς, id est, *manifestus.* Alludit tum ad veterum templa et altaria, quæ in montibus erigebantur, ibi enim sacrificabant, indeque vocabantur Excelsa; tum ad montes Sion et Moria, ut mox dicam, q. d. Excelsum sive altare Domini, puta Ecclesia, longe se attollet supra aliorum excelsorum cacumina. Hinc patet Ecclesiam Christi esse visibilem, illamque Novantium quæ lucem fugit, aitque se esse invisibilem, non Christi, sed Antichristi esse Ecclesiam. — V. Et genuine est Ecclesia.

Anagogice, mons hic est regnum cælorum, puta Ecclesia triumphans, inquit S. Bernardus serm. in illud, *Quis ascendet in montem Domini? Erit enim*, ait, *ibi mons pacis, mons gaudii, mons vitæ, mons gloriæ. Et hi omnes montes unus mons consummatæ felicitatis.*

B **In vertice montium.**) Ecclesia est in vertice montium. Primo, quia sua altitudine, dignitate et gloria superat Iudæorum montes, scilicet Sion, in quo erat arx Davidis, et Moria, in quo erectum erat templum; adeoque Sion et Moria subsunt Ecclesiæ, quasi vertici et capiti suo, et a se adumbrato: sicut in ichnographia exemplar domus subest fabricæ et domui quam delineat, adumbrat et repræsentat. Sic enim umbra subest suo corpori, et imago subest suo exemplari. Ita Sanchez. Secundo, quia iisdem superat omnia templa, et sacra Iudæorum et Gentium. Tertio, quia eius doctrina, vita et mores omni philosophia et sapientia, omni ingenio, omni veterum religione et cœtu, omnibus etiam locis et montibus cultu aliquo sacris longe eminet et excellit; utpote e cælo profecta, supernaturalis et divina. Ita Cyrill. Hieron. Basilius et alii. Quarto, ex S. Augustin. et Procopio Leo Castrius, Montes, inquit, vocantur Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli et alii Sancti illustres; quia licet corpore degant in terra, C mente tamen, conversatione et virtutibus transcenduut sidera: super hos montes ædificata est Ecclesia, quasi mons altissimus: colles sunt minores Sancti. — Hæc est in vertice montium. 1. 2. 3. 4.

Et fluent ad eum omnes gentes.) Nota miraculum: flumina enim deorsum fluunt, hic vero fluunt sursum in altissimum montem ascendendo. Hoc facit gratia Christi, quæ sursum corda rapit. Rursum per *fluent* significatur affluentia et ad morem fluminis rapidus cursus gentium omnium ad Ecclesiam. Tertio, *fluent* significat cursum hunc fore spontaneum, q. d. Ad Ecclesiam quasi montem sapientiæ et virtutum, contra naturam sursum, vi gratiæ cælestis, ex omnibus orbis nationibus plurimi aggregabunt se, ea animi propensione, contentione ac impetu, quo solent flumina in imas valles e montibus defluere. Hoc est quod Christus ait Ioan. 4. se daturum aquam salientem sursum, puta in vitam æternam; et Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Quin et Euripides in Medea: *Sursum*, inquit, *sacrorum fluviorum feruntur fontes omnes.* Iam *fluent*, non simul, sed D successive: primo enim ad Christum accesserunt Iudæi, deinde Samaritæ, mox Syri, inde Græci, Latini; nunc Indi, Iapones et Sinenses. — Fluent significat tria.

Et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini (ad Christum et Ecclesiam) **et ad domum Dei Iacob.**) Est mimesis. Alludit ad Bethel, ubi Iacob vidit Deum scalæ innixum Genes. 28. 17. dixitque: *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli*, indeque locum vocavit Bethel. Hinc Ecclesia vocatur *cælum*, et a Christo *regnum cælorum;* in cælo enim quasi in domo sua habitat Deus. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 27. in Cant. *Ecclesia in sua universitate est ingens quoddam cælum: extentum a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum*, Psal. 71. In hoc cælo luna est fides, hesperus est spes, sol est charitas, astra sunt singulæ virtutes, singulique Sancti. Bethel enim significat domum Dei, puta Ecclesiam. Sensus ergo est, q. d. Apostoli Christi prædicant nobis non ignotum aliquem Deum, sed illum — Vers. 3. Ecclesia est cælum terrenum. Astra sunt virtutes.

ipsum quem coluit pater noster Iacob. Rursum invitant nos ad eamdem Ecclesiam, in qua vixit Iacob, quamque sua Bethel præfiguravit. Ergo cum Deus iam figuram hanc impleverit, Christumque in carne revelarit, accurramus ad eum eiusque Ecclesiam; quod uti olim in typo fecit Iacob, ita iam reipsa faceret si viveret. Domus ergo Dei Iacob iam est Ecclesia, v. g. templum S. Petri, et S. Pauli, S. Ioannis etc. Ita cum Galatino lib. 5. cap. 5. respondendum Iudæis obiicientibus, Christianos non dicere, Ascendamus ad domum Dei Iacob, sed ad Ecclesiam S. Petri, S. Pauli, etc. nimirum hæc ipsa iam unum idemque esse.

Et docebit (Deus Iacob) nos vias suas.) Est vox Gentium confluentium ad Christum et Ecclesiam, q. d. Docuit nos Plato, docuit nos Socrates, docuit Aristoteles, Diogenes, Pythagoras et alii, promiserunt nobis veram sapientiam et viam ad virtutem et salutem, sed falso; nam, ut ait Psaltes Psal. 118. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua.* Et Baruch c. 3. 22. Sapientia vera *non est audita in terra Chanaan, nec visa est in Theman.* Rursum docuit nos Abraham, docuit Iacob, docuit Moses; sed nos perficere, Christianam et plenam sapientiam docere, cælum aperire, gratiam et robur ad ea quæ docebant opere præstanda conferre non potuerunt. *Lex* enim *per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* Ioan. 1. Hi ergo quasi indices et duces nos ad Christum transmiserunt. Eia ergo, agite, sine hæsitatione, sine mora venite, læti et alacres ascendamus cum Iacob patre nostro ad Bethel, ad montem Domini, ad domum Dei, ascendamus ad Messiam nostrum, ad Christum, verum orbis doctorem: ille nos in Ecclesia docebit vias Dei, vias in cælum, scientiam Sanctorum; ille gratiam simul conferet, ut facile hanc viam ineamus, imo curramus, non passibus corporis, sed mentis, puta credendo, sperando, pœnitendo, amando, obediendo, et pie casteque vivendo, utque alios ad eadem præstanda invitemus: hoc enim est τὸ *venite ascendamus.* Christiani enim est non tantum suam, sed et aliorum salutem curare; et ad hoc nos prævenit et incitat gratia Christi.

Moraliter Christiani est semper ascendere ad maiora et meliora. Unde S. August. in Psal. 45. ad illa verba: *Venite et videte opera Domini: Quid est,* inquit, *Venite, ascendamus? venite, id est, credite; ascendamus, id est, proficiamus, et ad perfectionem enitamur.*

Quia de Sion exibit lex (non Iudaica, sed Christiana; puta lex gratiæ, lex vivificans, data tam Gentibus quam Iudæis) et verbum Domini (Evangelium et Evangelii prædicatio) de Ierusalem.) Quando nimirum Apostoli recepto Spiritu sancto in Pentecoste ex Ierusalem et Iudæa exibunt, seque divident et dispergent per omnes orbis regiones, ut impleant præceptum Christi Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes,* q. d. Venite, ascendamus ad Sion, id est ad Ecclesiam natam in Sion, quia inde prodibit lex gratiæ et salutis. Frivolum ergo est cavillum Musculi: non dici, de Tarpeia rupe, non, de Capitolio et Roma, sed, de Sion exibit lex. Nam certum est primos Evangelii præcones, puta Apostolos de Sion exisse in totum orbem, non de Roma: sed ubi relicta Sion caput Ecclesiæ statuerunt Romæ, deinceps de Roma exierunt prædicatores, missi a Rom. Pontifice in omnes gentes, uti C. Baronius. omnesque omnium gentium Annales docent. Sion enim Christiana est Roma.

Vers. 4. Iudicat Deus quadrupliciter. Et iudicabit Gentes.) Scilicet Deus Iacob (de quo v. 3.) per Christum eiusque Apostolos et eorum successores.

I. Vox *iudicabit* quadrupliciter hic accipi potest. Primo, q. d. Christus iustam sententiam proferet pro Gentibus contra calumniatorem diabolum, et eas absolvet iusto suo iudicio. Ita Sasbout. Hoc enim subinde significat *iudicare,* non tantum cum iungitur dativo, sed etiam cum accusativo, ut Ps. 42. 1. *Iudica me* (id est, iustam sententiam pro me profer) *et discerne causam meam de gente non sancta;* et Ps. 71. 4. *Iudicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum.* Ubi obiter nota, in psalmis quasi in rhythmis sæpe posterius hemistichium explicare prius, imo idem vel quasi idem dicere quod dixit prius, sed aliis verbis, ut, *Deus in adiutorium meum intende;* idem est cum eo quod sequitur, *Domine ad adiuvandum me festina. Cor mundum crea in me, Deus,* idem est cum eo quod sequitur, *et spiritum rectum innova in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui,* pene idem est cum eo quod sequitur, *et spiritu principali confirma me.* Spiritus enim lætus confirmat Sanctos, et animat ad constantiam, omneque bonum; sicut ex adverso spiritus tristis animum deiicit, ut in opere perdurare nequeat.

Secundo, *iudicabit,* id est, vindicabit Gentes a tyrannide diaboli. Sic enim Gedeon, Samson, Iephte et alii vocantur iudices, id est vindices, *Israelis.* Sic dicitur Psal. 34. 1. *Iudica* (id est vindica) *Domine, nocentes me, expugna impugnantes me.* II.

Tertio, et simplicius, *iudicabit,* id est, reget et dominabitur; sic rursum Gedeon, Iephte, Samson et alii vocantur iudices, id est, principes et rectores Israel. Per *iudicare* ergo hic significatur plenum imperium Christi in omnes gentes, uti et Ps. 71. 1. *Deus, iudicium tuum regi da, etc. iudicare populum tuum in iustitia.* Unde sequitur: *Et arguet populos multos,* scilicet Scribas, Pharisæos, aliosque quosvis infideles et inobedientes sibi, etiam Philosophos et sapientes. Hos enim arguet Christus tum hic per se et Apostolos, aliosque præcones, vel ut convertantur, vel ut confundantur: hoc est enim quod ait Christus de Spiritu sancto a se mittendo: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato,* Ioan. 16. 8. tum in iudicio generali cum eos condemnabit. Ita S. Basil. et alii. III.

Quarto, et sublimius, *iudicabit Gentes,* id est lites et odia Gentium iusto iudicio dirimet et componet, eosque qui lites et bella movent *arguet* et compescet. Unde Sept. vertunt, *iudicabit inter gentes.* Ita Tertull. libr. 3. contra Marcion. 21. et Athanas. lib. 1 de Incarnat. Verbi, q. d. Christus per legem Evangelicam charitatis, modestiæ, iustitiæ, mansuetudinis et patientiæ, omnes Gentium rixas et dissidia componet, odia et antipathias evellet, rixosos et feroces compescet, facietque ut in eadem Ecclesia amice versentur quasi fratres, Romani et Græci, Iudæi et Gentiles, Hispani et Franci, Germani et Galli, Angli et Scoti, etc. quia pro spiritu iræ, superbiæ, aversionis et vindictæ, indet eis spiritum lenitatis, humilitatis, amoris et concordiæ: quo fiet id quod ait Isaias c. 11. 6. *Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: et leo quasi bos comedet paleas.* Rursum hoc spiritu fiet id quod sequitur: IV. Christus Gentium dissidia componit.

Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces.) Cessantibus discordiis et bellis ex militibus fient agricolæ, armaque sua convertent in ligones, in vomeres et falces: quia omnes studebunt concordiæ et paci, atque in pace terram agrosque colent. *Unde enim bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* ait S. Iacobus c. 4. Sic de ense conflato in falcem tempore pacis canit Martial. l. 14. epigr. 34. Gladios vertit in falces

Pax me certa ducis placidos conflavit in usus:
Agricolæ nunc sum; militis ante fui.

E contrario de falce conflata in ensem tempore belli canit Virgil. l. 1. Georg.

Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.

Et Ovidius 1. Fastor.

Sarcula cessabant, versique in pila ligones,
Factaque de rastri pondere cassis erat.

Et Ioel c. 3. *Concidite aratra vestra in gladios, et ligones vestros in lanceas.* Huius pacis Christianæ præambula et quasi inchoatio fuit pax totius orbis, quæ fuit in nativitate Christi. *Revolvamus,* inquit S. Hieron. *veterum historias, et inveniemus usque ad vigesimum octavum annum Augusti Cæsaris, cuius quadragesimo primo anno natus est Christus in Iudæa, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, et singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio præliandi ita ut cæderent et cæderentur. Orto autem*

Domino Salvatore, quando sub præside Syriæ Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, et Evangelicæ doctrinæ pax Romani Imperii præparata, tunc omnia bella cessaverunt, et nequaquam per oppida et vicos ad prælia, sed ad agrorum cultus exercebantur. Hinc de tempore Augusti canit Virgil. l. 1. Æneid.

Aspera tunc positis mitescent sæcula bellis,
Claudentur belli portæ, etc.

Non diu post Augustum Romæ a Vespasiano Imp. instauratum fuit templum pacis, cuius magnificentiam hodiernæ ruinæ testantur. De eo ita scribit S. Hieron. in Ioelem: *Vespasianus et Titus, Romæ templo pacis ædificato, vasa templi Hierosolymitani, et universa donaria in delubro illius constituerunt, quæ Græca et Romana narrat historia.*

Porro id inter alios fecisse Paulum docet Tertull. contra Gnosticos c. 13. *Paulus,* ait, *Apostolus de persecutore, qui prius Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans et convertens machæram in aratrum, lupus rapax Beniamin, deinde afferens ipse etiam escam.*

Symbolice hæc Pintus; Apostolus, ait Rom. 6. 13. asserit membra hominis flagitiosi esse gladios et arma iniquitatis, quibus animam suam sauciat et vulnerat, cum deberent esse arma iustitiæ, quibus adversus vitia pugnaret, et in quibus Deum portaret, iuxta illud 1. Cor. 6. 20. *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Nihil igitur aliud est gladios in vomeres convertit, et hastas in falces; quam sensus et membra omnia, quæ erant arma diaboli, effici vomeres agrum Domini operibus charitatis scindentes et arantes, vertique in falces fructus pietatis Deo gratissimos metentes.

Christus sustulit omnia bella, quomodo? Resp. I.

NEC EXERCEBUNTUR ULTRA AD PRÆLIUM.) Quæres, Quomodo id sit verum? nam post Christum non tantum inter Christianos, et infideles; sed etiam inter ipsos Christianos fuerunt et sunt bella.

Respondent primo, Anabaptistæ, Erasmus, Agryppa, et olim Manichæi, bellum in se esse malum; unde Iudæis quidem, utpote imperfectis, fuisse permissum, sed a Christo et Apostolis esse vetitum et sublatum. Stolidior et impudentior, vel potius impientior, fuit Lutherus, qui non tantum bellum offensivum, sed et defensivum sustulit. Eius enim hoc est paradoxum: *Turcæ Christianos invadenti resistere non licet.* Ratio est: *quia Turca est flagellum Dei: qui ergo ei resistit, Deo resistit.* Sed pari ratione conclusisset, nec diabolo, nec scelerato ulli esse resistendum, quos tamen Deus iubet compesci, imo occidi. Deus ergo sicut vult permittere utTurcæ nos bello lacessant, ut dæmon et impii nos tentent et vexent: sic ex adverso vult nos iis resistere, nisi contrarium expresse revelet, uti revelavit Iudæis velle se ut dederent Ierusalem Nabuchodonosori. Sic Deus reliquit Chananæos aliquos in Iudæa, ut in iis erudiret et exerceret Israelem, eumque cogeret ad sui cultum, æque ac ad iugem militiam, Iudic. 3. v. 11. Hic ergo est error et hæresis, quæ satis refellitur ex bellis Machabæorum, Iosue, Constantini, et aliorum, Dei non tantum permissu, sed etiam iussu susceptis.

II. Unde secundo, magis catholice et vere respondet Cyrillus, post Christum in lege nova bella non esse tot, nec tanta, nec in ipsis visceribus orbis, uti erant ante Christum. Sic 4. Reg. 6. 23. dicuntur Syri non ultra venisse in fines Israel, quia rarius venerunt quam ante: nam venisse aliquando constat. Verum ut hoc sit verum, non tamen satisfacit, nec exhaurit vim et fundum sententiæ propheticæ.

III. Tertio, S. Hieron. et Eusebius libr. 1. de Præparat. 1. respondent hæc accipi de ortu Christi, quando Iano tertium clauso diu in orbe altissima fuit pax. Sed nec hæc explicatio verba Isaiæ adæquat: iis enim videtur non diuturna, sed absoluta et æterna pax promitti. Hoc enim significat τὸ *nec ultra.* Adde, quod hæc pax hic non insinuetur non præcessura Christum, sed invehenda per redargutionem et increpationem, id est, prædicationem Christi iam nati: ait enim: *Et indicabit* (Christus) *Gentes, et arguet populos multos,* qui ab eo redarguti et conversi *conflabunt gladios suos in vomeres, etc. nec exercebuntur ultra ad prælium.*

IV. Et solvitur.

Dico ergo ex can. 6. cum Deus aliquid Synagogæ vel Ecclesiæ promittit, quantumvis amplis et universalibus verbis, id tamen de bonis et probis tantum, qui fœdus et amicitiam cum Deo promittente et paciscente servant, intelligendum esse. Hæc ergo pax hic promissa, et ab Angelo in Christi ortu decantata, universalis et perpetua viget inter veros Christi fideles, qui Christi regis et doctoris sui institutionem, doctrinam et leges (hæ enim ubique pacem, concordiam et charitatem inculcant) sequuntur, de quibus hactenus hic egit Isaias. Hi enim ex Christi sancta disciplina, superbiæ, avaritiæ, aliisque pravis animi motibus et cupiditatibus edomitis, et secum, et cum Deo, et cum aliis hominibus perpetuam agunt pacem, et, si ex necessitate alicui iniuste se vel sua invadenti litem, vel bellum iustum moveant, odio abstinent, non alium lædere, sed suum recipere cupiunt: itaque non bellum in se, sed per bellum pacem et iustitiam quærunt. Ita Tertullianus et Athanas. supra, et Irenæus l. 4. c. 67. et Origen. l. 5. contra Celsum.

Bella Gentilium fuere latrocinia.

Non ergo bella vera et iusta, qualia gesserunt etiam piissimi Imperatores, sed ambitiosa, iniusta et tyrannica, quibus ex libidine dominandi invadebantur innocentes, hic per Christum Christique legem elidenda et abolenda prædicit Isaias, qualia ante Christum gesserunt Nemrod, Nabuchodonosor, Alexander, Cæsar, aliique Assyrii, Chaldæi, Persæ, Græci et Romani: quorum bella non tam bella quam latrocinia fuere, uti docet S. August. l. 3. de Civit. c. 13. et seq. Christiani ergo, qui ex libidine dominandi, vel ditescendi, aut ex invidia, ne scilicet princeps vicinus nimis magnus et potens fiat, ei bellum iniquum movent, non tam Christiani sunt quam Pagani.

Moral de bono pacis.

Moraliter, disce hic quantum bonum sit pax et concordia, utpote ob quam Christus in hunc mundum venit. Hoc est quod Angeli Christo nato cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ubi τὸ *bonæ voluntatis,* S. Ambr. et alii nonnulli referunt ad τὸ *hominibus,* hoc sensu, q. d. Pax sit hominibus, non omnibus, sed iis qui sunt bonæ voluntatis; vel ut S. Leo (serm. de nativit. Domini) pax sit hominibus, quæ scilicet eos faciat esse bonæ voluntatis. Verum quia Græcum εὐδοκία et Hebr. רצון *ratson,* in Sacra Scriptur. fere non hominibus, sed Deo tribuitur, et significat Dei gratiam, benevolentiam, beneplacitum erga homines; hinc melius Theoph. Euthym. Nyssen. et alii hunc dant sensum: Pax sit hominibus, hominibus inquam, quos Deus hac gratia, et bona voluntate ac benevolentia sine eorum merito prosequitur, ut det eis Salvatorem talem et reconciliatorem, qui pacem inter homines, Deum et Angelos, inter cælum et terram componat. Sic homines bonæ voluntatis alibi vocantur filii dilectionis, id est, filii voliti et dilecti a Deo. Vide dicta Ephes. 1. 9. Hac de causa rursum Christus abiens e mundo pacem nobis testamento reliquit, nosque in ea sibi suorumque bonorum omnium hæredes instituit, dicens: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis:* hoc est quod ait Apostolus: *Pax Christi exultet in cordibus vestris,* Coloss. 3. 15. Vide ibi dicta. Ita Barnagasius Præfectus exercitus regis Abyssinorum, cum prætore Lusitano fœdus initurus, apprehensa cruce nixus genibus: *Quam,* inquit, *pacem Iesus Christus generis humani redemptor discipulis reliquit, eadem esto inter nos, qui eiusdem profitemur cultum et fidem.* Ita noster Maffeius Historiæ Iudicæ libr. 7. Alphonsus Aragonum rex dicebat: *Pacem ego dare, non vendere sum solitus*: nolebat scilicet pro pace pecuniam magnam, quam poterat extorquere, a Venetis accipere; sed eam gratis dare. Fridericus III. Saxoniæ Dux pacis amans, nullas arces aut munitiones condidit, imo conditas ab aliis solo æquavit; nec pecunias congregabat, sed in usus utiles et pios expendebat. Rogatus cur id faceret? Respondit: *Ne ego leviter offensus aliquando, arcibus et pecuniis meis confisus, nimis facile vicinos me inferiores bello lacessam, et pacem cum eis violem.* Quod utique facturus non erat arcibus et pecunia, qui belli est nervus, destitutus: sciebat nimirum, quod

Exempla.

Pax optima rerum,

Quas homini novisse datum est: pax una triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem,
Et cives æquare potens.

Iovianus Imper. *Odi*, inquit, *omne contentionum genus, concordiam autem unice amplector et amo.* Ita Socrat. l. 3. c. 21. nimirum

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Ita B. Nazianzenus ob æmulos pacis causa cessit Archiepiscopatu Constantinopolitano*: Si*, inquit, *propter me orta hæc est tempestas, proiicite me in mare*: et ad Theodosium Imper. *Non pecunias*, ait, *non dignitates ambio, sed ut liberer Episcopatu obsecro; cesset invidia, pacem colant Episcopi, tu maxime in eam rem annitere: sacerdotum bellum comprime, qui barbarorum audaciam compescuisti, maxima Imperii tui trophæa una re exorna, nimirum Episcoporum concordia; hoc ego donum a te peto, hoc beneficium ultimum porrige.* Ita Gregor. presb. in eius Vita.

Marcus et Marcellianus fratres stipitibus infixi Psalm. illum alternis decantarunt: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!* cumque irriderent tormenta, erubuit Diocletianus, et ambos lanceis confodi iussit. Dicant idem Christiani, hacque concordia et pace Turcas, hæreticos, omnesque hostes superabunt.

Vis etiam Gentiles? Probus Imper. dicebat: *Brevi milites necessarios non habebimus.* Sperabat tantam pacem, ut nihil opus esset exercitu. Hanc mentem utinam Deus immittat omnibus nostri sæculi principibus! Ita Vopiscus.

Crœsus a Cyro captus hoc argumento bello pacem prætulit, quod *pacis tempore filii sepelirent patres, in bello contra patres sepelirent filios.* Philo, *Pax*, ait, *vel cum magno damno coniuncta, melior est bello. Pax maximum bonum est et divinum, quod nullus mortalium præstare potest.* Antoninus Pius acclamabat illam Scipionis sententiam*: Malo servare unum civem, quam mille hostes occidere;* pacem videlicet bello præferens, et in ipso bello sentiens hanc primam oportere esse ducis curam, ut quam minima civium iactura comparetur victoria. Ita Iul. Capitolin.

Otho Imp. cum videret aut deponendum imperium, aut magna civium strage tuendum, statuerat sponte mori, ac amicis et militibus hortantibus ne tam cito de belli eventu desperaret, negavit sibi vitam suam esse tanti, ut hac de causa bellum civile nasceretur. Quis non miretur hunc animum in Ethnico principe, eoque triginta tres annos nato? Cicero lib. 7. ad Attic. epistol. 14. *Pax vel iniusta*, inquit, *utilior est iustissimo bello.* Livius libr. 30. *Melior*, ait, *tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. Illa in tua, hæc in deorum manu est.* Quocirca : *non ita aliena appetes, ut de tuis dimices.* Nam, ut ait Homerus Iliad. 6. *Mars communis interimit quoque iam perimentem.*

Antisthenes *fratrum inter se concordiam dixit quovis muro firmius esse munimentum.*

Musonius dicebat nullas nuptias sine concordia esse honestas, nec ullam societatem utilem. Improbos vero concordiam inter se alere non posse: sicut lignum rectum cum curvo, aut duo ligna curva inter se convenire nequeunt.

Isæus, cum Spartani de civitate mœnibus cingenda cogitarent, illud Homeri recitavit: *Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir.* Et adiecit: *Sic mihi state, Lacedæmonii, et muris cincti sumus.* Ita Philostr. in Sophist.

Scilurus octoginta habens filios masculos, moriturus fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere. Id cum singuli quasi impossibile recusassent, ipse singula iacula exemit, atque facile confregit omnia, filios admonens his verbis: *Si concordes eritis, validi invictique manebitis; contra si dissidiis et seditione distrahamini, imbecilles eritis et expugnatu faciles.* Ita Plutarch. in Apophthegm.

Micipsa rex moriturus filios ad concordiam hortatus est hac aurea sententia*: Concordia res parvæ crescunt, discordia autem maximæ dilabuntur.* Ita Sallust. in Iugurtha.

Severus Imper. moriturus vocavit filios M. Antoninum

A et Getam, aitque: *Facite ut conveniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite.* Recte monuit: nam alter alterum postea interemit, ipsumque et se cum familia perdidit. Ita Dion. et Xiphil. in Vita Severi.

Domus Iacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.) Est vox Gentium conversarum et Christianarum ad Iudæos: illa enim cœpit vers. 3. et hic finitur, ut vult Rupert. aut potius est vox ipsius Prophetæ Isaiæ, posteros suos Iudæos futuros tempore Christi invitantis ad lumen fidei Christianæ, q. d. O Iacobæi, o posteri fidelis et sancti patriarchæ Iacob, recipite lumen, id est, Evangelium Christi: nolite in eo cedere Gentibus barbaris et idololatris: quin potius cum eis et pro eis Messiam vestrum adite, ut ab eo lumine fidei, gratiæ et salutis, æque ac illi, illuminemini. Vers. 5.

Proiecisti enim populum tuum, domum Iacob.) Vatablus vertit, *proiecisti autem;* sed Hebr. כי *ki* significat *enim*, non *autem*. Quæres, cuius rei causam det τo *enim*. Respond. aliqui; succensionis et eversionis Hierosolymæ, Vers. 6.
B de qua egit in fine cap. præcedentis, eo enim hæc pertinere. Verum hoc nimis remotum et durum est: sequitur enim c. 2. 1. *Verbum Domini, etc.* Dico ergo, sensus est, q. d. Nemo miretur quod ego Isaias, aut Gentes, quæ antea Deum ignorabant, Iudæos quibus solus notus erat Deus ad agnitionem veri luminis, puta Christi, adhortentur dicentes: *Domus Iacob, venite, et ambulemus in lumine Domini*, quia tu, Domine, eos, licet populum tuum, proiecisti, id est, iam proiicere cœpisti, et plane proiicies tempore captivitatis Babylonicæ, et omnino tempore Christi: redit enim hic Isaias ad sua tempora, et suo populo de more concionatur. Causam subdit, scilicet multitudinem peccatorum, puta augurium, obscœnitatem, avaritiam, superbiam, idololatriam. Ita Forer. Unde sequitur.

Quia repleti sunt ut olim.) q. d. Uti Iudæorum maiores et parentes, ita et hi eorum posteri repleti sunt opibus, et consequenter peccatis, quæ opes consequi solent, puta idolis, ut vertit Chaldæus (hæc enim sunt olitana et antiqua Iudæorum peccata, ut patet ex vitulo au-
C reo, quem adorarunt in Sina) et auguriis, ut vertunt Septuag. aliisque quæ sequuntur. Ita S. Hieron. et alii, et patet ex sequentibus. Pro *ut olim* hebr. est מקדם *mickedem*, id est, ab Oriente, inquit Lyran. et Vatablus, q. d. Repleti sunt magis, divinis et auguribus: augurio enim Orientales erant dediti. Unde Balaam ariolus dicitur habitasse in partibus Orientis, Num. 24. Verum nostro Interpreti consentiunt Septuag. et Chaldæus, qui *mickedem* vertunt, *sicut ab initio. Kedem* enim significat prius, initium; et quia talis est Oriens, hinc quoque Orientem significat.

Et augures habuerunt ut Philisthiim.) Augurium est divinatio, quæ fit ex garritu aut gestu avium; dicitur enim augurium quasi avigerium: inde augurium extensum est ut significet quamlibet magiam et divinationem, imo et coniectationem: unde ait Cicero Philip. 4. *O mea semper frustra, verissima rerum futurarum auguria*, id
D est, coniectationes.

Augurium quasi avigerium. quid?

Pueris alienis adhæserunt.) Primo, q. d. Gentibus alienigenis se coniunxerunt in cultu idolorum: ita aliqui. Verum hoc obscurius et alienius est, præsertim cum mox clare eorum idololatriam arguat, v. 8.

Secundo ergo et melius, Cyrillus cum Septuag. hæc accipit de matrimoniis, quæ Iudæi cum alienigenis contra legem Exodi 34. 16. contraxerant, ideoque pueros semiiudæos et semigentiles procrearant: hi enim pueri erant alieni, id est, alienigenæ, quia ex matre alienigena, quibus quasi prolibus suis adhærebant Iudæi.

Tertio, proprie et genuine S. Hieron. Rupert. Haymo, et S. Thomas, vel potius Thomas Anglicus, putant Iudæos hic reprehendi de nefaria pæderastia, sive sodomia cum pueris: quod peccatum Iudæi a vicinis Gentibus didicerunt, illudque apud eos ita invaluit, ut ad hoc mancipia peregrina coemerent, inquit Haymo, idque significat vox *alienis*. Sic Augustus Cæsar, Adrianus, Traianus, aliique fuerunt pæderastæ. Audi S. Hieron. hic: *In tantum*,

inquit, *Græci et Romani hoc quondam vitio laboraverunt, ut et clarissimi Philosophorum Græciæ haberent publice concubinos: et Adrianus Philosophiæ artibus eruditus, Antinoum consecrarit in deum* (uti Iupiter suum Ganymedem) *templumque ei ac victimas et sacerdotes instituerit, et ex eo Ægypti civitas* (Antinopolis) *et regio nomen acceperit. Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicæ libidini expositi: donec sub Constantino Imperatore, Christi Evangelio coruscante, et infidelitas universarum gentium et turpitudo deleta est.*

Hæc expositio probatur primo, quia sæpe in Scriptura legimus de ephebornm apud Iudæos prostitutione; deque effœminatis, quibus ædiculæ non tantum in urbe, sed et iuxta templum ædificatæ sunt a Menelao impio pontifice, ita ut templum quasi in lupanar verterint, ut patet 2. Mach. 4. v. 9. et 12. Secundo, quia hac de causa c. 1. 10. vocavit eos principes Sodomorum et populum Gomorrhæ. Tertio, quia hebr. est *conglutinati sunt;* et Symmachus vertit, *applauserunt pueris alienis.*

Vers 7. Repleta est terra argento et auro.) Primum Iudæorum peccatum, ob quod a Deo proiecti sunt, fuit augurium; secundum, pæderastia; tertium est hoc scilicet avaritia et habendi cupido insatiabilis, quæ nusquam opum finem et terminum figit, sed quo plus habet, eo plus habere et accumulare studet.

Moraliter nota. Non dicit, Repletum est cor, sed terra, auro; fieri enim potest ut terra impleatur auro, sed cor avari eo repleri nequit. Non sine causa Plato et Archytas Tarentinus animum hominis cupidi vasi perforato compararunt, ob insatiabilem et infinitam voraginem appetendi. Totus mundus cor hominis non implet: huius rei symbolo mundus figuram habet rotundam, cor pyramidalem; figura autem sphærica pyramidali quadrare nequit. Tunc satiabimur, cum Deo fruemur in gloria. *Satiabor*, ait Vates Psal. 16. *cum apparuerit gloria tua.* Cum igitur exiles et caducæ divitiæ animum non expleant, sed potius irritent et accendant, cur eas tantopere concupiscis? cur quæris thesauros in terra, cum sortem habeas in cælo? pereunt Christi pauperes fame et nuditate, et tu pecuniam, qua illi poterant vivere, in arca recondis. Nonne intelligis te in arca habere inclusam vitam pauperum? Quid dico inclusam, imo sepultam. Quid est arca avari nisi sepulcrum, ubi sepelitur vita pauperum? Cur sepelis eorum vitam, imo tuam et teipsum? Gazophylacium tuum tumulus est tui ipsius. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Non hoc ego dico, sed Christus Matth. 6. 21. Ita Hector Pintus. Vere dixit Apostolus, quod avaritia sit idolorum servitus, et cupiditas omnium malorum radix.

Arca avari est sepulcrum pauperum.

Vers. 8. Et repleta est terra eius equis, et innumerabiles (id est plurimæ, est hyperbole) quadrigæ eius.) Quartum est hoc peccatum fastus. Vetuerat enim Deus Iudæorum regibus, et magis populo, Deut. 17. v. 16. et 18. ne sibi equos et quadrigas multiplicarent, tum ne iis superbirent ad pompam, tum ne in iis, sed in Deo victoriæ spem tempore belli reponerent. Ita S. Hieron. Basilius et alii. Vide dicta Deuter. 17. et Exodi cap. 13. v. 13. Aliter hæc exponunt Forerius et Sanchez, q. d. Ego Deus dedi Iudæis copiam auri, argenti, equorum; cur ergo confugiunt ad idola, eaque ab eis expetunt, imo ea in eorum usum convertunt, et ex auro quod eis dedi, idola conflant?

Vers. 9. Et repleta est terra eius idolis.) Quintum est hoc peccatum Iudæorum, scilicet idololatria.

Et incurvavit se (idolis) homo plebeius, et humiliatus est vir.) Scilicet primarius et princeps, q. d. Tam proceres quam plebs colunt idola humiliando se coram illis. Hæc spectant tempora non Christi, sed Isaiæ. Iam enim ab uno ad aliud avolat, iam utrumque miscet Propheta, iuxta can. 4. Notat enim S. Hieron. Iudæos post reditum ex Babylone numquam, ac consequenter nec tempore Christi, sponte et communi consensu idola coluisse, idque prædixit Tobias cap. ult. v. 8. itaque reipsa evenisse testatur Talmud Hierosolymitanum apud Galat. l. 4. c. 23. et R. Samuel Marochianus ex Iudæo Christianus lib. de Adventu Messiæ cap. 1. qui inde concludit, non idololatriam, uti olim, sed cædem Christi causam esse ruinæ et desolationis, quam Iudæi in hanc usque diem ubique patiuntur. Calvinus hæc torquet contra cultum sanctarum imaginum. Censet enim hic damnari omne reverentiæ signum, quod operibus manuum, id est, statuis et imaginibus defertur. Sed errat et fallit impostor. Nam idola hic tantum damnantur, non imagines: quia non hæ, sed illa sunt Gentium dii manibus eorum facti. Ait enim, *Repleta est terra idolis.* Idola enim sunt opera manuum hominum, non tantum materialiter, sed et formaliter: quia non tantum sculpturam vel picturam materiæ, sed et formam, scilicet Dei nomen et numen, ab hominibus acceperunt, cum ex se et in rei veritate nihil sint, ut ait Apost. 1. Cor. 8. v. 4. Hisce ergo incurvari, id est, ea adorare latria, nefas est.

Iudæi post captivitatem Babylonicam non coluerunt idola.

Ne ergo dimittas eis.) Ex zelo hoc ait Isaias, q. d. Perde, Domine, tam scelestos, excinde idololatras. Rursum τo *dimittas* pro *dimittes*, prophetice accipi potest. Unde Septuag. personam commutant, itaque vertunt: *Non ergo dimittam eis.* Quasi Deus hic loquatur, et minetur, ac prædicat futuram ultionem, eamque irrevocabilem.

Ingredere in petram, et abscondere.) Est sarcasmus, q. d. Ob hæc scelera tua, et quia mea monita contemnis, nec pœnitere vis, certa et terribilis te, o Israel, manet Dei vindicta, certum excidium: hoc enim in te vibrabit et fulminabit Deus ut tuum fastum sternat, ut duram cervicem tuam frangat; quod ut evadas, fugies in cavernas, speluncas et fossas, ibique latitabis, sed non effugies: ibi enim hostes te scrutabuntur, teque trucidabunt, ut si salus ipsa (quod vulgo dicitur) te servare velit, non possit. Vers. 10.

Nota. Loquitur de excidio Chaldaico, et captivitate Babylonica, eiusque terrorem, et in ea pavorem Iudæorum, graphica hypotyposi hoc versu et sequentibus usque ad 22. describit. Ulterius quoque, scilicet ad excidium Romanorum, et ad excidium futurum in die iudicii, quorum illud Chaldaicum fuit typus (qua de causa hæc excidia sæpe permiscent Prophetæ) acies Prophetæ pervasit. Vide can. 4. Tunc enim diu latuisse Simonem et alios in fossa humo, testis est Ioseph. lib. 7. Belli c. 16. qui et lib. 1. c. 12. docet Iudæam, utpote confragosam, abundasse speluncis, ad easque Iudæos in extrema fortuna confugere solitos, utpote quæ vix ab hoste adiri aut expugnari possent; ubi et earum formam situmque describit: unde et ipse Iosephus capta Iotapata in puteum et speluncam se abdidit, ex qua ad Vespasianum evocatus et abductus est, ut ipse refert lib. 3. Belli, c. 14. Sic vidua Hectoris filium abdens in latebras monumenti, ait ei:

Fata si miseros iuvant,
Habes salutem: fata si vitam negant,
Habes sepulcrum.

A facie timoris, id est a facie terroris, hoc est terribili, Domini, quæ formidinem vobis et toti orbi incutiet: et a gloria maiestatis eius.) Quæ scilicet gloriosam suam iustitiam ostendet in Iudæos, cum eos persequetur et occidet per Chaldæos tam fortes, pugnaces et gloriosos milites. Chaldæi ergo hic vocantur *timor* sive terror, et *gloria Domini*, metonymice; quia a Deo missi terrorem incutient Iudæis, in eosque gloriosam Dei vindictam exercebunt.

Posset secundo, *timor* hic proprie accipi, q. d. Fugite a facie timoris, id est ob timorem et pavorem conceptum ex gloria plena maiestatis quam facies Dei, id est Deus præsens et persequens vos, ostendet in punitione vestri per Chaldæos. Nam *pessimus in dubiis augur timor*, ait Plautus in Mostellar. Unde et Ovidius lib. 2. de Amore:

Multa miser timeo, quia feci multa proterve,
Exemplique metu torqueor ipse mei.

Sed prior sensus aptior est, magisque convenit cum τo *a facie.*

Oculi sublimes hominis humiliati sunt.) Id est humiliabuntur: prophetice enim præteritum ponitur pro fu- Vers. 11.

turo ob futuri certitudinem, patet ex seq. Sensus est, q. d. Chaldæi humiliabunt, deiicient, calcabunt omnes Iudæos tam plebeios quam nobiles et proceres (hi enim vocantur *viri*, sicut plebei vocantur *homines*) excidium hoc et calamitas omnes tam parvos quam magnos et elatos comprehendet, tumque solus Deus hanc vindictam exercens apparebit potens, terribilis et gloriosus, ipsique antea tumidi et cervicosi Deum ultorem agnoscent, et ante illum supplices incurvabuntur. Unde Septuag. vertunt: *Nam oculi Domini sublimes et homo humilis.* Verum vox *Domini* uti non est in Latino, ita nec in Hebræo aut Chaldæo. Causam subdit:

Vers. 12. Dies Domini est dies vindictæ. QUIA DIES DOMINI.) *Dies Domini* vocatur dies iudicii et vindictæ, quam Deus exercebit per Chaldæos: et allegorice dies extremi iudicii; tum Deus per Christum severissime et acerrime vindicabit hæc scelera Iudæorum, aliorumque impiorum omnesque superbos prosternet et proteret.

Vers. 13. ET SUPER OMNES CEDROS LIBANI.) Lyran. plane hæc ad litteram accipit de armis aliisque machinis Iudæorum factis ex cedris Libani, et ex quercubus Basan, quæ per Chaldæos disiectæ et confractæ sunt. Verum melius alii cedros, quercus, montes et colles figurate et symbolice accipiunt, ut significent regem, proceres et principes, qui honoribus et opibus cæteris eminebant: sic enim hæc accipiuntur Ezech. 17. 3. et alibi. Unde

Ierusalem vocatur Libanus ob tres analogias. Nota cum Cyrillo, Chaldæo et Eusebio l. 8. Demon. 4. per *Libanum* accipi urbem Hierosolymam, non autem templum, ut vult S. Hieron. in Zachar. 11. idque primo, quia Hierosolyma in vertice montis Sion et Moria, qui est instar Libani, erat posita. Secundo, quia in ea multæ erant domus magnificæ, factæ ex cedris Libani. Tertio, quia urbs ipsa candido structa lapide, murorum et ædificiorum albicatione nivosi montis Libani speciem a longe spectantibus præbebat. Iam rex et principes in ea quasi in Libano vocantur *cedri* et *montes*, eo quod gloria et dignitate, æque ac superbia et fastu cæteris eminebant, perinde ac montes vallibus, et cedri aliis arboribus eminent.

Basan regio quæ? ET SUPER OMNES QUERCUS BASAN.) *Basan* fuit regnum Og gigantis, quo occiso Moses illud dedit Gaditis, Rubenitis, et dimidiæ tribui Manasse, Iosue 12. 4. continebat autem partem Galaaditis, Trachonitidem et Gaulanitidem,

Vaccæ Basan id est pingues. fuitque uberrima et lætissima pascuis. Hinc Hebræi Basan et Carmelum proverbialiter usurpant, pro ubere et divite terra: unde arietes, tauri, vaccæ Basan, vocantur arietes, tauri, vaccæ bene saginatæ et pingues, uti vertit S. Hier. et Symmachus. Per *quercus Basan* ergo intellige homines in Iudæa, primo fortes, militares et superbos. Ita S. Basilius. Secundo, divites et opibus ac deliciis abundantes. Tertio, luxui et libidini ignominiose deditos. Unde Basan hebr. significat ignominiam, ex opibus enim et deliciis itur in gulam et venerem pudendam. Vide can. 19. Hosce ergo omnes Deus per Chaldæos deiiciet et conteret.

Vers. 15. ET SUPER OMNEM TURRIM EXCELSAM.) Chaldæi enim turres et muros urbis deiecerunt.

Vers. 16. Tharsis quid? ET SUPER OMNES NAVES THARSIS.) *Tharsis*, id est, maris. Ita Septuag. S. Hieron. et Chaldæus. Nam a Tharsis nepote Iaphet Genes. 10. orti sunt Cilices, indeque eorum metropolis dicta est Tharsus. Ita S. Hieron. in Quæst. Hebraic. in Genesi, et Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 7. Inde quia Tharsenses et Cilices potentes erant in navibus, et maris domini, hinc et Tyrus Isaiæ 23. in Hebræo vocatur *filia Tharsis*, quod Noster vertit *filia maris*. Late enim olim dominatos fuisse Tharsenses, patet ex eo, quod de Holoferne dicitur Iudith 2. *Prædavitque omnes filios Tharsis;* et Solinus c. 41. *Cilicia*, inquit, *antea ad Pelusium Ægypti pertingebat.* Ulterius a parte totum ipsum mare Mediterraneum, tandemque Oceanus et vastum quodvis mare dictum est Tharsis. Sic Ionas fugit in Tharsis, id est ad mare. Sic dicuntur naves et reges Tharsis, id est maris et insularum. Sic classes Salomonis dicuntur navigasse in Tharsis, id est in mare Indicum. Denique hinc chrysolithus lapis hebraice dicitur Tharsis, quia est coloris marini, puta cærulei. Significat ergo hic Isaias classes Æ-

A gyptiorum et Tyriorum, aliorumque Iudæis obsessis opitulari volentium, a Chaldæis fundendas et evertendas fore. Ita Cyrillus. Notat Sanchez, naves Tharsis vocari naves magnas, robustas, et validas, quæ mare vastum ventisque frementibus obnoxium sulcare possunt. Dici enim *Tharsis*, ut distinguantur a phaselis papyri, quibus abundat Nilus et Ægyptus, et a navibus piscatoriis, quæ erant in Iudæa et Genezareth. Hinc enim dicitur Psalm. 47. *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, q. d. Naves quamtumvis fortes et firmæ, non sustinebunt ultricem et infensam manum Dei. Addit Sanchez per naves Tharsis significari naves magnas regum Iudæorum, quæ, ut olim tempore Salomonis, magnam auri vim in eorum ærarium comportarint. Verum cum hæc spectent tempora Sedeciæ et Hierosolymæ obsessæ, quando Iudæi fuerunt pauperrimi, ut non videantur habuisse classes tantas: hinc potius ad classes vicinorum Tyriorum et Phœnicum hæc referenda videntur, uti dixi.

ET IDOLA PENITUS CONTERENTUR.) Hoc factum est Vers. 18.
B primo, et proprio post vastationem Chaldæorum, et captivitatem Babylonicam, ut dixi vers. 9. Secundo, id factum est post Christum sub Theodosio seniore Imperatore, qui edicto publico non tantum Iudæis, de quibus hic proprie agitur, sed et Gentibus per totum orbem idololatriam sustulit, ut patet lib. 10. 11. 12. de Paganis Cod. Theodos.

Tertio, et plenissime id fiet in die iudicii: tunc enim impii fugient in speluncas et cavernas a facie iræ Dei, ut sequitur, dicentque *montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos.*

QUÆ FECERAT SIBI UT ADORARET TALPAS ET VESPERTILIONES.) Ita Ægyptii alique stolidi homines olim crocodilos, simias, feles, scarabæos, talpas, mures, id est, eorum imagines et idola, pro diis coluerunt, ut fuse docet S. August. de Civitate Dei lib. 4. c. 8. et 11. Aliter S. Hieron. Idola, inquit, metaphorice, et per sarcasmum vocantur talpæ et vespertiliones: quia æque ut talpæ et vespertiliones oculis et sensu ac mente carent. Forerius quo- Vers. 20.
C que per talpas et vespertiliones, qui sunt quasi alati talpæ, ideoque lucifugi et tenebrarum amantes significari putat diabolum, qui est princeps tenebrarum, ut sagittet in obscuro rectos corde.

Moraliter, talpæ sunt homines in terrena et in ventrem abiecti, quales sæpe erant idololatræ idola sua imitantes. Scriptum est enim: *Similes illis fiant qui faciunt ea.* Vidi in Collegio Lovaniensi hortulanum sæcularem, qui vocabatur talpa horti nostri, eo quod perpetuo terræ prono pectore et corpore incumberet, eam fodiendo, serendo, sarriendo, velleudo, rigando, etc. Pari modo qui bonis terrenis semper inhiant, talpæ sunt. Moral. talpæ sunt terreni; vespertiliones, lucifugi et amphibii.

Vespertiliones sunt qui amant tenebras, quique sunt amphibii, id est, aliquid a spiritalibus, aliquid a carnalibus participant. Sic Varro: *Factus sum*, inquit, *vespertilio; neque in muribus plane, neque in volucribus sum.* Vespertilio enim dicitur quod vespere evolet: unde alas habet et volat, quod ei cum muribus non convenit; sed animalia
D parit, non ova, in qua re non cum volucrum, sed cum murium natura congruit. Secundo, vespertilio fœtus admotos uberibus lacte nutrit, cum volucres cibum in os pullorum inserant. Tertio, habet dentes, quibus carent volucres. Quarto, caput habet simile muri, atque alas non ex plumis, sed ex membranis: est ergo mus alatus. Hæc adapta hominibus vagis et variis, qui nec piscis sunt nec caro, nec cælestes nec terreni, sed participium ex utroque.

Quocirca pulchre S. Basilius hic dæmonem eiusque asseclas comparat vespertilioni. Nam hic lucem, inquit, fugit, et dæmon est lucifuga. Secundo, hic pro alis membranulam habet carneam, et dæmon incorporeus quidem est, sed nullo Dei accensus desiderio alis provolat: verum materialium rerum affixus desiderio et intabescens, carnis instar concretioris obduruit. Tertio, hic est volatile et quadrupes, infirmus pedibus et volatu: sic et dæmon neque angelus est, neque homo, qui vires mentis et animi peccando debilitavit. Quarto, hic habet dentes, quibus carent aves: et dæmon appetens est vindictæ, qua

*

carent Angeli. Quinto, hic fœtum parit, non ova: et dæmon ocyssime malignæ suæ operationi finem imponit. Qui igitur venerabundi procidunt dæmonibus, allegorice dici possunt vespertiliones. Hucusque S. Basilius.

Vers 21. Et ingredietur scissuras petrarum.) Repetit et inculcat id quod dixit v. 10. quia terribile est, ut percellat auditores. Ita sæpe vindictam Dei, et memoriam novissimorum concionatores inculcent populo.

Vers. 22. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est.) Pro *spiritus* hebr. est נשמה *nesciama* id est, *halitus*. Est conclusio et epiphonema totius capitis, estque prophetia de Christo, inquit Origen. Hieron. et veteres Rabbini. Ad Christum enim quasi ad scopum avolat et revolat Propheta, iusta can. 4. q. d. Cum hoc cap. vaticinatus sim Christum erecturum Ecclesiam, quasi montem et domum Domini; quodque ipse subvertet omnem Iudæorum statum et Synagogam: hac de causa serio vos moneo et præcipio, ut quiescatis a vexando et occidendo Christo, qui secundum carnem quidem est homo fragilis, ait S. Hier. animamque humanam et halitum habet, quæ naribus respirat (ut habent Septuag.) æque ac alii homines (hinc Threnor. 4. 20. Christus vocatur *spiritus*, id est, halitus *oris nostris*) sed secundum divinam naturam et maiestatem excelsus, vel, ut hebr. est ipsa celsitudo est et sublimitas (de quo mox. Christus enim maxime est is, qui, ut dicitur v. 19. surget *percutere terram*, scilicet in die iudicii: ipse etiam, qua Deus, omnem illam vastitatem quam prædixi a v. 10. ad 22. per Chaldæos Iudæis inducet. Hunc sensum indicat versio Arabica Alexandrina, quæ sic habet: *A facie timoris Domini, et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit ut arguat terram de homine* (id est, pro homine, propter hominem) *qui olfacit ventum* (odorem, aerem, flatum) *naribus suis: quia cum quo* (vel in quo) *mensuratur?*

Spiritus in naribus significat furorem. Nota τὸ *cuius spiritus in naribus eius est*, non tantum significat Christi humanitatem, itemque longanimitatem, et patientiam, sed etiam magnanimitatem, iram, indignationem et vindictam. Hebræum enim אף *aph*, id est, *nasus* et *furor*, id sæpe significat: furor enim naso flammante sæpe se prodit. Hinc dicitur 2. Reg. 22. *Ascendet fumus de naribus eius:* et Martial. ne

Fumantem nasum vivi tentaveris ursi:

et de equo Virgil. lib. 3. Georgic.

Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Quod S. Iob cap. 39. 20. ait: *Gloria narium eius terror;* sic et Plautus ait: *Fames et mora bilem in nasum conciunt.* Sic et *spiritus* sæpe furorem significat, ut Isaiæ 30. *Spiritus eius velut torrens inundans;* et Iudic. 8. 3. *Et requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.* Sensus ergo est, q. d. Nolite persequi Christum, quia esto sit

A mitis et humilis, est tamen et magnanimus, læsaque eius patientia fiet furor. Idem ait Psal. 2. *Apprehendite disciplinam* (hebr. *osculamini*, vel *adorate filium*) *nequando irascatur Dominus, et pereatis.* Ita Sanchez, et Delrio adagio 139. et Luisius Legion. in Cant. 7. *Quiescite*, inquit, *ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, hoc est, ab homine magni multique spiritus, qui præditus est animo magno et excelso. Nam ut sequitur, Excelsus est ipse. Nasus enim significat excandescentiam, item gravitatem maiestatemque vultus quæ oritur ex spirituum fervore et multitudine. Creber enim et multus spiritus magni animi indicium est*, ut patet in equo. Hoc valde appositum est.

Alii aliter vertunt. Chaldæus prorsus contrarie ita vertit: *Cessate vobis, ne subiiciamini homini cum factus fuerit terribilis, cuius spiraculum in naribus eius est; quia hodie est vivus, et cras non est, et quasi nihilum reputatus est ipse.* Et versio Arabica Antiochena: *Abstinete vos ab homine, cuius halitus in naribus eius: ipse autem est velut vas.*

B Arias Montanus vertit: *Quiescite ab Adam*, scilicet veteri imitando, ut novum et cælestem Adamum, scilicet Christum, induatis, *quia in quo reputatus est ipse*, q. d. Quia Adam vetus apud Deum et Sanctos nullius est pretii.

Leo Castrius vertit: *Nolite fidere homini*, scilicet Cæsari, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem: quia ille, utpote homo, nullius est pretii, ille etiam habet spiritum in naribus, id est, iram: quia vos puniet et evertet. Sic etiam exponunt Iudæi, nisi quod ipsi per hominem non Cæsarem, sed regem Assyriorum aut Ægyptiorum intelligant.

Quia excelsus reputatus est ipse.) Pro *excelsus*, hebr. est במה quod per *daghesee* et *segol* iam legunt בַּמֶּה *bamme*, id est, *in quo*. Ita et Chaldæus vertit et Aquila (idque fecit in odium Christi, ait S. Hieron.) quin et Septuag. Verum, ut recte docet S. Hieron. tunc sensus non cohæret; quid enim est dicere, Quiescite ab homine, quia in quo reputatus est ipse? id est, quia nullius est pretii. Christus
Nemo enim sic aliquem laudat: Cave ne offendas eum, est ba-
C quia ipse omnino nihil est. Hoc enim insulse diceretur; ma, id
unde infert S. Hieron. non esse legendum *bamme*, sed est ipsa
במה *bama*, id est, excelsum, altitudo, sublimitas: Chri- celsitudo.
stus enim qua Deus est ipsa celsitudo et maiestas divina.

Symbolice, S. Gregor. 31. Moral. c. 12. *Redemptoris*, inquit, *nostri spiritus esse in eius naribus dicitur; ut videlicet scientia illius esse in præscientia designetur: quia quæcumque se scire in natura humanitatis innotuit, hæc nimirum ante sæcula ex divinitate præscivit.* Unde subdit: *Quia excelsus reputatus est ipse, ac si diceret: In inferioribus ventura desuper præscivit: quia ad ima de cælestibus venit.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prophetat excidium Iudæorum per Titum et Vespasianum ob occisum ab eis Christum, ita tamen ut pleraque quæ hic dicit, adoptare sibi possint Iudæi qui erant tempore Isaiæ, hæcque ab eo audiebant. Secundo, v. 8. causam excidii assignat, scilicet peccata populi, et principum stuporem ac fraudem. Tertio, v. 16. aliam dat excidii causam, scilicet procacem et superbum ornatum fœminarum, quas proinde decalvandas, ac funibus et ciliciis vestiendas prædixit.

1. Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet a Ierusalem et a Iuda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ: 2. Fortem, et virum bellatorem, iudicem, et prophetam, et ariolum, et senem: 3. Principem super quinquaginta, et honorabilem vultu, et consiliarium, et sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici. 4. Et dabo pueros principes eorum, et effœminati dominabuntur eis. 5. Et irruet populus, vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum: tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem. 6. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua. 7. Respondebit in die illa, dicens: Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi. 8. Ruit enim Ierusalem, et Iudas concidit: quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos maiestatis eius. 9. Agni-

tio vultus eorum respondit eis: et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt; væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. 10. Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. 11. Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. 12. Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. 13. Stat ad iudicandum Dominus, et stat ad iudicandos populos. 14. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, et principibus eius: vos enim depasti estis vineam, et rapina pauperis in domo vestra. 15. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum? 16. Et dixit Dominus: Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant: 17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. 18. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, 19. Et torques, et monilia, et armillas, et mitras, 20. Et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoriola, et inaures, 21. Et annulos, et gemmas in fronte pendentes, 22. Et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, 23. Et specula, et sindones, et vittas, et theristra 24. Et erit pro suavi odore fœtor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. 25. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio. 26. Et mœrebunt atque lugebunt portæ eius, et desolata in terra sedebit.

Vers. 1. ECCE ENIM.) Vox *enim* significat, hæc pendere et connecti præcedentibus, q. d. Monui ut quiescatis a Christo, eumque non vexetis, nec occidatis: sed scio vos contrarium facturos, Christumque occisuros; quare prædico vobis quod Titus et Vespasianus in ultionem sanguinis Christi evertent et succendent Ierusalem. Ita S. Basilius, Hieron. Cyrill. Rupert. et passim veteres. Non ergo loquitur Isaias de excidio Iudæorum per Babylonios, uti vult Haymo, sed per Romanos, idque usque ad cap. 6. ut patet ex toto Isaiæ discursu et connexione: quæ enim c. seq. ait de germine Domini magnifico, de libro vitæ, de ablutione peccatorum in spiritu iudicii et ardoris: et cap. 5. de cantico dilecti et patruelis; manifestum est ex communi interpretum sententia ad Christum, Christique, et Ecclesiæ tempora pertinere. Prædicit itaque hoc capite quod Deus a Iudæis ob cædem Christi auferet primo, omne robur, omnesque validos milites; secundo, omnem annonam, ut fame tabescant; tertio, prophetiam et Prophetas: quarto, senes et principes; quinto, consiliarios; sexto, architectos; septimo, viros pios et spirituales; denique omne lumen S. Scripturæ, omnem religionis cultum, omnem gratiam et favorem Dei. Ex quibus fiet ut Dei ope destituti Iudæi cæci et miseri inopesque consilii in suum exitium ruant, utque diro bello, fame et peste vexentur, cædantur et in servitutem abripiantur. Ita Patres iam citati.

Octo pœnæ ruentis Reipubl.

DOMINUS EXERCITUUM AUFERET, etc. VALIDUM ET FORTEM.) Hebr. *validum et validam*, aut sustentatorem et sustentatricem: τὸ ergo *fortem* est fœmininum, q. d. Deus auferet a Iuda validos duces, quales olim fuerunt Moses, Iosue, Gedeon; et validas ducissas, quales fuerunt Debora, Iahel, Iudith. Ita S. Basil. Secundo, solet Scriptura per utrumque genus, scilicet masculinum et fœmininum, significare universitatem rei, ut Eccles. 2. *Cantores et cantatrices*, id est, omne musicorum genus; Ier. 7. *Vox sponsi et sponsæ*, id est omnis nuptialis plausus: sic hic *validum et validam*, id est omne præsidium, omne firmamentum. Ita Sanchez. Per *fortem*, animosum æque ac robustum et potentem intellige. Recte enim dixit Lampridius: *Nemo provocare audet, aut facere iniuriam ei regno aut populo, quem intelligit expeditum ac promptum ad vindicandum.*

AUFERET, etc. OMNE ROBUR PANIS, ET OMNE ROBUR AQUÆ.) q. d. Deus auferet a vobis omnem commeatum ut famæ et siti pereatis; auferet a vobis quidquid alimento aut munimento esse poterat; inducet sterilitatem et famem. Quam id verum fuerit, patet ex Iosepho et Hegesippo, qui docent in obsidione Hierosolymæ per Titum matres præ fame devorasse suos filios.

Panis est scipio vitæ. Nota hebraismum. Hebræi enim *robur*, et ut, hebr. est משען *miscian*, id est fulcrum, baculum, scipionem, vocant panem, cibum, et omne id quod hominem in vita sustentat et fulcit; hinc panis vocatur virga vel baculus Levit. 26. 26. Ezech. 4. 16. et c. 5. 16. et 14. 13. Sicut enim baculus senile corpus incurvum et pendulum, ita panis vitam nutantem et deficientem sustentat. Alii Patres hæc

A aliter explicant q. d. *Auferam robur panis*, id est faciam ut panis vester careat robore, succo, vi alendi, sitque evanidus et exsuccus, nec famem expleat; sic et faciam ut aqua sitim non restinguat. Sic enim Deus etiamnum evanida facit poma et fructus nascentes in Sodoma. Et sic segetes sæpe immissa aurugine facit intus aridas et evanidas.

Allegorice, in eadem obsidione et deinceps usque nunc abstulit Deus a Iudæis panem spiritualem, id est primo, veram intelligentiam S. Script. Ita S. Hieron. Cyril. Haymo. Unde Philo Carpathius in Cant. c. 4. *Notandum*, inquit, *quod robur panis prius dicitur, et postea robur aquæ auferetur: quia dum gravia dicta S. Scripturæ non perquiruntur, nec fiunt ut mandantur, paulatim a scientia decidet mens, ut aliquando vel levia non intelligat.* Secundo, panem Eucharisticum et aquam baptismi. Ita Cyrill. et Basil. quem vide: pulchre enim docet quomodo Deus in pœnam peccatorum auferat usum sacramentorum. Tertio, omnia charismata spiritualia. Ita Chrysost. oratione B 3. contra Iudæos. Sic iam eadem magna ex parte abstulit a Græcis, Afris, Syris, etc. olim sanctitate et doctrinâ florentissimis, quos ob peccata posterorum permisit in manus Turcarum et Saracenorum tradi. Allegor.

PROPHETAM.) In excidio enim Hierosolymæ per Chaldæos, inquit Sanchez, pauci fuerunt prophetæ, scilicet solus Ieremias. Unde Azarias ait: *Non est in tempore hoc princeps, et dux, et Propheta*, Daniel. 3. 38. Addit Sanchez, dici quod deerunt Prophetæ, quia licet futuri essent, tamen populus eos non erat auditurus aut curaturus, perinde ac si non fuissent. Dicitur enim non fuisse, quod frustra fuit, quod inutile fuit. Si enim medicina non sanet, dicimus nullam medicinam fuisse; si nullum consilium utile fuit, consiliarium defuisse; si rex sit puer aut stultus, regem non esse. Verum dico Isaiam loqui de excidio Iudæorum, non per Babylonios, sed per Romanos: tunc enim nullos habuerunt Prophetas: neque enim Iesus ille clamans continue, *Væ Hierosolymis*, teste Iosepho lib. 7. Belli cap. 12. Propheta fuit, sed omen potius et porC tentum. Vers. 2.

ET ARIOLUM.) Hebræum קוסם *cosem*, tam in bonam partem capi potest, ut significet coniectorem, sagacem et prognosticum, qui ex observatione præterita causarum, effectum et signorum de futuris vel arcanis coniectat: ita accipiunt Septuag. vertentes στοχαστὴν, Vatablus et alii recentiores, quam in malam, ut significet ariolum vel divinum, ita S. Hieron. et alii veteres, q. d. Deus auferet a Iudæis omnem prophetiam, tam veram quam falsam, omnesque Prophetas tam veros quam mendaces.

PRINCIPEM SUPER QUINQUAGINTA.) Qui quinquaginta militibus præest. Habebant enim Iudæi pentacontarchos, sicut nos habemus hecatontarchos sive centuriones, qui centum militibus præsunt, q. d. Auferet Deus a Iudæis duces et capitaneos, ut non sit inter eos qui possit ducere bellum, et aciem instruere. Hinc Epaminondas, teste Plutarcho, dux Thebanorum et Bœotorum, moriens suis suasit quavis conditione cum hostibus pacem componere: Vers. 3.

Bellum pendet a duce.

videbat enim inter Bœotos nullum esse, qui quasi dux sapienter bello præesse posset; cum eo ergo cœpit et desiit imperium Thebanorum. Verum est illud: *Formidabilior est exercitus cervorum, duce leone, quam leonum duce cervo,* uti inquiebat Chabrias, et ex eo Philippus rex apud Plutarch.

Et honorabilem vultu.) Qui sua maturitate, gravitate et auctoritate aliis præsit, eosque dirigat, q. d. Non erit qui possit labenti patriæ succurrere ullo modo, scilicet nec oraculo divino, ut Propheta; nec sua auctoritate, ut vir honoratus; nec humano consilio, ut senex; nec bellico stratagemate, ut quinquagenarius; nec machina mathematica, ut solent architecti; nec sua eloquentia, ut prudens eloquii mystici: licet enim Iudæi a Romanis obsessi contra eorum machinas et consilia eruptiones crebras, vix tamen machinas moliti sunt, teste Iosepho. Rursum machinæ inutiles eis fuerunt, nec excidium avertere potuerunt, quin urbe et arce Sion munitissima potiti sint Romani. Unde non ait, architectum, sed, *sapientem de architectis* auferam.

Prudens eloquii mystici quis? I.

Et prudentem eloquii mystici.) *Prudens eloquii mystici,* ait Hieron. Prado, est vir pius et pollens dono orationis, qui suis laudibus quasi incantationibus divinum furorem sopire et mansuefacere possit.

II. Secundo et aptius, est is, qui pollet facundia, gratia et efficacia persuadendi, verbi gratia discordes conciliandi, iratos leniendi, refractarios flectendi, improbos emendandi: tales enim in repub sunt necessarii, ut tumultus et seditiones plebis imminente hoste dissipent et sedent. Unde S. Hier. *Prudens,* ait, *eloquii mystici, sive, ut Theodotion vertit, prudens incantator; et, ut Aquila, prudens susurrator, est vir eruditus et exercitatus tam in lege et Prophetis, quam in Evangelio et Apostolis: qui possit singulas animi perturbationes sua sanare doctrina, et ad integrum mentis statum reducere, dum et scortator recipit castitatem, et ganeo frugalitatem, et quondam avarus dat eleemosynam.* Hoc eloquium vocatur *mysticum*, tum ex modo, quia mystice, id est arcane et latenter, in animam irrepit eamque flectit: tum ex fine et fructu, quia mysticum, id est spiritualem, motum et conversionem, ac mystica dona et virtutes in anima operatur. Septuag. vertunt, *prudentem auditorem,* id est prudentem censorem, qui scilicet auditis consiliariis aut Prophetis, possit inter bonos et malos, inter veros et falsos discernere. Sic enim Propheta uno dicente, alii audiebant et censebant, 1. Corinth. 14. 29. et hic etiam censor posset intelligi per prudentem eloquii mystici, id est prophetiæ, qui scilicet habet donum discretionis spirituum, ut quasi expertus et peritus prophetiæ, possit genuinam a spuria internoscere.

Moral. ruit resp deficiente prudentia Rectorum.

Nota hic modum quo ruunt respubl. puniente Deo, scilicet deficientibus sensim Præfectis civilibus et Ecclesiasticis, atque viris probis et sapientibus, qui alios verbo et exemplo dirigant. Sagaciter dixit auctor Politicus: *Quinque declarant remp. bene aut male habere: 1. Ædes precum, 2. curia, 3. schola, 4. forum, 5. horologium: prout hæc bene aut male habent et reguntur, ita et respubl.* Sic Carolus V. Imp. dum urbes lustraret, solebat respicere ad horologium, num illud bene dirigeretur, ad templum, et ad plateas, an mundæ essent et compositæ. Idem tria P. quærere solebat: *Ecquis in urbe esset Prætor, Pastor, et Præceptor?*

Porro viros sapientes et prudentes esse aurigas reipubl. atque prudentiam esse columen vitæ humanæ censuerunt etiam Gentiles. Plato dixit *beatus fore respubl. si aut philosophi eas regerent, aut reges philosopharentur.* Philosophiam intellexit non speculativam et aridam, sed practicam, puta politicam, et œconomicam et ethicam. Euripides dictitabat: *Unum consilium rectum magnum militum manum vincere.* Antisthenes: *Prudentia, ait, est murus tutissimus, qui nec collabitur, nec proditur.* Architas: *Sicut,* ait, *exercitum ducit imperator, gubernator navigia, mundum Deus, animam ipsa mens: sic ipsam felicitatem præsentis vitæ temperat regitque prudentia.* Nam ut docet Isocrates: *Prudentis est præteritorum meminisse, caute agere præsentia, futura prospicere et cavere.* Hæc enim sunt tria munia prudentiæ, quibus servatis, felix erit tam resp. quam vita humana. Quod ergo oculus est in corpore, hoc est prudentia et vir prudens in republ. Quocirca *rex* vel *princeps carens prudentia est quasi cyclops exoculatus,* qui nihil ex iudicio, sed omnia facit ex phantasia et libito cum tumultu, ideoque infelicitatem reip. et sibi conciliat. Ita Plut. Vere dixit Polit. *Plura in summa fortuna auspiciis et consiliis, quam telis et manibus geruntur.* Ex adverso: *Omnia,* inquit Tacitus, *inconsulti impetus cœpta initiis valida spatio languescunt;* et, *Consilia callida et audacia prima specie læta, tractu dura, eventu tristia sunt.*

Et dabo pueros principes.) q. d. Non tantum auferam senes, Prophetas, et prudentes principes, sed pro eis dabo principes pueros, non tam ætate, quam imprudentia, stultitia et moribus, puta temerarios, fatuos, imbelles, lascivos, dissolutos. Hæc enim ingens reip. est pœna, ut patet Eccles. 10. 16. Romæ in porticu tabernæ meritoriæ (ex qua sub nativitatem Christi miraculose oleum fluxit) in qua olim veterani et emeriti milites alebantur, hæc carmina litteris aureis inscripta erant: Vers. 4.

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat:
Defunctis patribus successit prava iuventus,
Cuius consilio præcipitata ruis.

De talibus ait Lucan. l. 8.

Ætas Niliaci nobis suspecta tyranni est:
Ardua quippe fides robustos exigit annos.

Nichomachus Vopiscus apud Vopiscum in Tacito Imper. *Dii,* ait, *avertant principes pueros, et patres patriæ dici impuberes, quos ad consulatus dandos dulcia, et circuli, et quæcumque voluptas puerilis invitet.* Fingunt Poetæ Phaetontem puerum a patre Sole petiisse currus eius aurigationem. Cui pater: *Magna petis, Phaeton, et quæ non viribus istis conveniunt.* Extorsit tamen: at quantum orbi dedit imperitus incendium! Verissime Eccles. c. 10. 16. *Væ tibi, terra, cuius rex puer est:* nimirum *Heroum filii noxæ.* Tales pueri fuerunt insipientes et indocti Scribæ et principes sacerdotum ac populi: rursum factiosi illi Zelotæ, qui suis temerariis seditionibus et cædibus magis urbem et cives suos perdiderunt, quam Romani, teste Iosepho l. 5. et 6. Belli. Idque Iudæis contigit iusto Dei iudicio, eo quod ipsi Barabbam seditiosum Christo regi gloriæ prætulissent, ut ait S. Athanas. serm. de passione et cruce. Sic hoc sæculo Angli schismatici, quia Pontifici subesse noluerunt, iusto Dei iudicio caput non tantum reip. sed et Ecclesiæ habuerunt, primo, hominem laicum Henricum VIII. secundo, non virum, sed puerum Eduardum; tertio, non marem, sed fœminam Elisabetham. An non hæc monstra sunt quæ mirabitur posteritas? an non propudia ævi nostri?

Secundo, per *pueros* hos accipi possunt Titus et Romani pæderastæ, ut mox dicam: his enim Deus dedit, id est, puniendos tradidit, Iudæos, sicut rei dantur carnifici: licet Sanchez exponat *dabo*, id est prædico dandos esse.

Et effœminati dominabuntur eis.) Notat libidinem et pæderastiam principum tam Iudæorum, quam Romanorum: puta Titi Iudæorum domitoris, quem Svetonius inter exoletorum greges ponit, et Adriani Imper. qui scortum masculum (ut vertit hic Aquila) fuit Traiano; uti eidem Adriano fuit Antinous, ut patet ex Dione et Xiphilino in Vita Adriani. Rursum Romanos eo tempore fuisse effœminatissimos, patet ex Iuvenali satyra 6. et. 7.

Turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles, etc.

Hinc consequenter et animo fuerunt non virili, sed effœminato, id est, muliebri, timido, infirmo et pusillanimi.

Secundo, LXX. et Theodotion pro *pueros* vertunt, ἐμπαῖκται, id est, illusores: Hebr. enim עולל *olel*, venit ab עלל *alal*, id est, illudere, deturpare. Iudæi enim capti a Romanis fuerunt illusi, sicut ipsi Christum illuserant. Ita ex S. Athanasio et Procopio Leo Castrius. Denique *effœminati* sunt γυναικοκρατούμενοι, id est, fœminarum impe-

rio subditi, qui ab iis et a filiis reguntur. Celebre est illud de puero Diophanto dictum, *Diophantus Græciæ imperat:* quia eius pater Græciæ imperabat, mater patri, filius matri.

Vers. 5. Et irruet populus, vir ad virum.) q. d. Ex eo quod pueros et effœminatos habeant principes, sequetur quod nec ætatis, nec gradus ullus servabitur ordo, sed sine respectu puer contra senem, plebeius contra nobilem, quisque contra proximum suum consurget. Ita factum est sub Tito: nam, ut docet Ioseph. urbs Ierusalem a factiosis illis Zelotis, de quibus v. 4. in tres partes fuit divisa: quidam enim arcem et templum, secundi inferiorem, tertii superiorem urbis partem occuparunt. Ita S. Hier. Hæc discordia est certa ruina imperii; sicut e contrario unio eiusdem est conservatio. *Nulla enim vel minima natio potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis simultatibus se ipsa consumpserit,* ait Vegetius.

Vers. 6. et 7. Vestimentum tibi est; princeps esto noster, q. d. Singuli dicent ad singulos ditiores, vel honestius vestitos: Tu vestimentum habes pulchrum, et splendidam togam; ergo opes et annonam habes; sis itaque princeps noster. Ruina autem hæc sub manu tua. Est hypallage, q. d. Manus tua sit sub hac ruina, id est, fulci manu rempubl. nostram labantem ac desperatam, ne corruat; at ille dicet; Non sum medicus, non possum mederi tanto malo: morbus hic et infirmitas reipublicæ meam artem, ruina hæc meas vires et opes superat, non possum eam fulcire aut restituere. Ita fere Cyrill. Hoc est quod prudenter monuit Adrianus Imper. *In caducum parietem ne inclina.* Et in domo mea non est panis.) Quem in populum famelicum distribuam, ut eius fami succurram, eumque sustentem. Pro *medicus* hebr. est חובש *chobes*, id est, chirurgus, qui vulnus obligat. Alludit ad illud c. 1. *Plaga tumens non est circumligata*, q. d. Civitas hæc non tam est resp. quam nosodochium; magis ergo indiget chirurgo (qualis ego non sum) quam principe et gubernatore; nolite ergo me eligere principem. Ita Sanchez. Pro *non sum medicus*, Septuag. vertunt, *non ero princeps;* Pagninus, *non ero dominus;* alius, *non ero curator;* Pintus, *non ero ligans*, sumpta translatione a chirurgis: Chaldæus, *non sum dignus ut sim caput* aut *princeps.* Hinc collige principem sive Præsulem esse caput et medicum, et chirurgum; ac debere non solum subditos iustis præceptis ligare, sed etiam eorum vulneribus et animi languoribus mederi. Quocirca rex a Græcis vocatur ἄναξ ab ἄκος, id est, medela, pharmacum et sanitas, uti notant Plutarch. et Eustat. et ex his Lexicon.

Princeps est medicus reip.

Alciatus emblema 143. depingit principem subditorum incolumitati studentem, specie anchoræ circumvoluto delphino, qui teste Plinio l. 18. tempestatem præsagit, et mari a ventis agitato, ac navi anchoram humano quasi instinctu dirigit, ut tutius figatur. Sic enim studere debet princeps, ne turbetur resp. tempestate bellica.

Monet hic S. Hieron. vulgus fere ditiores in pastores et principes deligere, non sapientiores, nec aptiores; ac proinde ab eo electos non debere acquiescere eius iudicio, nisi se pares oneri cognoscant.

Vers. 8. Ruit enim Ierusalem. Verba sunt non excusantis se a principatu, sed Prophetæ, q. d. Ideo nemo volet suscipere regimen Iudæ, et Ierusalem, quia ipsa ruet et exscindetur. Causam excidii subdit: quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum.) q. d. Quia suis verbis maledicis et blasphemis, suisque pravis machinationibus et operibus Deum irritarunt. Nam Christum vocarunt dæmoniacum, vini potorem, Samaritanum, cumque æque ac Apostolos eius persecuti sunt, et occiderunt.

Vers. 9. Agnitio vultus eorum respondit eis.) Apertio et intuitus vultus contestatur ipsos hanc ruinam, hoc excidium meritos esse. Quæruntur ipsi rogantque. Quomodo tantum supplicium obvenit nobis? cur tantis malis obruimur? quod tantum peccatum nostrum cladem hanc meruit? Respondet Propheta: Non longe eant, intueantur tantum invicem vultus suos, ibi agnoscent scriptamque legent causam et culpam suam: perfricta enim et expli-

A cata impudensque frons respondebit, dabitque luculentum procacitatis et nequitiæ eorum testimonium: nam vultus loquitur scelera, aliis licet omnibus tacentibus: in vultu enim eorum videtur lascivia, arrogantia, fastus, etc. facies eorum clamat eos turgere superbia, ira, odio, libidine. Unde explicans subdit: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt.* Idem ait Ierem. cap. 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Id de fœminis clare explicat v. 16. dicens: *Elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant,* q. d. Explicata frons illis dat procacitatis testimonium. Viros similes fuisse fœminis hic significat, nec est dubium: scelera ergo in facie lucentia significant eos hanc cladem esse promeritos. Unde S. Hier. non tam phrasim quam sensum reddens, explicat dicens: *Ipsi sua recepere peccata.* Simili modo ait Ierem. c. 14. *Peccata nostra responderunt nobis.* Et Osee c. 5. *Respondebit arrogantia Israel in faciem eius.* Hebræum הכרת *haccarat* verti potest primo, agnitio, apertio, denudatio, uti vertit

Vultus loquitur scelera.

Hebr. haccarat significat quatuor.

B Noster, a rad. נכר *nachar*, id est, agnovit, cognovit. Secundo, alienatio, q. d. Alienatio et exterminatio vultus, sive facies eorum pallida et lurida significat fraudes et scelera eorum. Unde Septuag. vertunt, *confusio vultus eorum restitit eis.* Tertio, simulatio, fictio, fucatio vultus eorum respondit eis: *nachar* enim in hitpael, התנכר scilicet *hitnacker,* significat alium se fingere, ignotum se simulare, alienum se gerere: tam enim viri quam fœminæ v. 16. fucant facies suas, et quasi larvam faciei induunt: nam se bonos, amicos, iustos, castos esse simulant, cum sint toti alii, scilicet mali, inimici, fraudulenti, incesti: hæ ergo scelerum larvæ testantur eorum reatum, vocantque eos ad merita supplicia. Quarto, valde apte *haccarat* verti potest *durities, asperitas, impudentia;* hanc enim vultu præferebant. Unde R. Iona ait, arabice *haccar,* significare duritiem, a rad. Hebr. הכר *hachar*, id est, ostendit se asperum, durum, impudentem; vultu fuit effronte, et quasi stupente. Ita recentiores aliqui.

1. 2. 3. 4.

C Nota hebraismum, quo abstracta ponuntur pro concretis: *agnitio vultus*, id est, peccata agnita in vultu, quæ Sept. vocant confusionem; quia pudorem præsentem et æternum pariunt: sic timor vocatur res timenda; laus, res laudanda; custodia vocatur præceptum custodiendum; auditio, res audita; visio, res visa.

Tropolog. disce vultum esse simulacrum mentis, idque non tantum naturale, sed et supernaturale. Ita sanctus ille Episcopus in Vitis Patrum l. 3. n. 166. in sacra communione per facies singulorum accedentium videbat et eorum animos: facies enim peccatorum videbat esse nigras ut carbones, et sanguine repletas; facies vero iustorum videbat candidas et claras. Idem vidit B. Paulus Simplex ibidem n. 167. sequor editionem ultimam nostri P. Heriberti. Vere dixit Sapiens Eccles. 8. 1. *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* Ratio est, quia mens et sensus vigent in capite et vultu.

Vultus est simulacrum mentis.

Vere Ovidius:

D *Heu! quam difficile est crimen non prodere vultu!*

Et Claudianus;

Frons expirantis præportat pectoris ignes.

Et Seneca:

Vultusque ipsi scelera truculenti ferunt.

Et:

Vultus loquitur quodcumque negas.

Vers. 10. Dicite iusto quoniam bene.) Ab iniustis eorumque pœna, per antithesin convertit se ad iustos, eorumque præmium: sicut enim illi eam ex malorum operum; ita hi ex bonorum operum semine metunt fructus gaudii, gloriæ et exultationis, tum in hac vita, tum maxime in futura. Unde pro *quoniam bene* hebræum est כי טוב *ki tob*, quod verti potest, *quoniam bonum*, id est, iucundum et suavissimum fructum adinventionum suarum comedet. Adinventiones in Scriptura vocantur studia, machinationes et opera tam piorum, quam impiorum. Sicut enim pii student adinveniendis novis modis beneagendi, vivendi, et placendi Deo: ita impii student adinveniendis novis vo-

luptatibus novisque modis se ditandi, se extollendi et placendi mundo.

Septuag. pro אמרו *imru*, id est, dicite, legerunt אסרו *isru*, id est, ligate: unde vertunt, *alligemus iustum, quoniam inutilis nobis est,* quasi sint verba Iudæorum volentium Christum capere, ligare et occidere.

Pro *comedet* hebr. est *comedent*: unde S. Hieron. sic exponit, q. d. Vos qui lecturi estis hanc prophetiam dicite iusto, scilicet Christo, hoc est, laudate Christum, quod bene Iudæos everterit, feceritque eos comedere fructum suarum iniquitatum. Verum hic sensus arctior et alienior est. Primus ergo sensus genuinus est, et Hebræum *comedent* per syllepsin Hebræis usitatam distributive exponendum est, q. d. Singuli comedent, quisque eorum comedet. Ita Vatabl.

Vers. 11. Væ IMPIO IN MALUM.) Id est in malitiam omnem effuso: unde hebr. est, *væ impio malo*, vel *maligno*. Ita Vatabl. *væ* in Scriptura interitum significat tum præsentem, tum æternum, q. d. Et præsens et æterna damnatio manet omnes impios. Secundo, Adamus sic exponit: *Væ impio in malum*, scilicet destinato; quia nimirum a Deo destinatur ad gravia tormenta; ut idem sit cum eo quod præcessit, *Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.*

RETRIBUTIO ENIM MANUUM, id est operum quæ fiunt manibus, FIET EI.) Est metonymia.

Vers. 12 POPULUM MEUM EXACTORES SUI SPOLIAVERUNT.) Dedit internam ruinæ reip. causam, scilicet peccata populi; nunc dat externam, quam meruerunt eadem peccata populi, scilicet principes et Prælatos avaros, rapaces, imbelles et incurios.

Per *exactores* ergo intelligit principes et magistratus qui non tam prætores erant quam prædatores populi; item Prælatos et doctores, puta Scribas et Pharisæos; hi enim avari exigebant plurima a populo, adeo ut iuberent filiis negare alimoniam parentibus, dicereque קרבן *corban*, id est munus hoc dedicatum est Deo, dandum est Scribis et sacerdotibus, Marci 7. v. 11.

Pro *spoliaverunt* hebr. est מעולל *meolel*, id est racemarunt, id est, usque ad ultimum pene obolum spoliarunt: racematur enim vinea, cum, peracta vindemia, paucnlæ uvæ, quæ hinc inde remanserunt, studiose rursum perquiruntur et colliguntur; sic enim hi populi opes compilabant et deglubebant.

MULIERES, id est, mulierosi scribæ, et effœminati Romani, DOMINATÆ SUNT EIS.) Vide dicta v. 4. Sic ait poeta, ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' ἀχαιοί, Achivæ estis, non Achivi, et Virgil. l. 9. Æneid. *O veræ Phrygiæ, neque enim Phryges*, q. d. Ex viris degenerastis in fœminas.

Secundo, proprie *mulieres*, id est, uxores Scribarum et Pharisæorum dominatæ sunt eis, puta Scribis, maritis suis, utpote mulierosis, et consequenter Iudæis cæteris. Sic Cato dixit: *Mulieres regunt nos, nos senatum, senatus Romam, Roma orbem.* Est hæc ingens plaga. Mulier enim in suo dominatu est impotens, insipiens, avara, exactionesque magnas imperat ad sui et familiæ ornatum: suaque agit non tam ex ratione ac iudicio, quam ex affectu et libidine, vel ex impetu et præcipitatione. Ita Adamus.

POPULE MEUS, QUI TE BEATUM DICUNT, IPSI TE DECIPIUNT.) Monet populum ex sinceræ compassionis affectu, ut agnoscat se decipi a suis Scribis, q. d. Sacerdotes et Scribæ, ob dona et oblationes templo sibique factas, dicunt te beatum et benedictum a Deo: sed fallunt, teque a lege, a virtute, a Deo, a benedictione et salute avertunt et abducunt: non enim student tuis, sed suis commodis et avaritiæ; utque suas bursas impleant, docent te vana et impia, tuisque peccatis adulantur, omniaque per tua dona et sacrificia se expiaturos pollicentur; sed falso. Deo enim hæc dona et cæremoniæ non placent, neque eum placant; sed id facit contritio et charitas ex corde puro, ac fides, quæ per dilectionem operatur.

Adulatio quam sit noxia. Moral. Nota hic quantum malum sit adulatio. Vere dixit Sapiens Proverb. 27. 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Et Plato in Phædro A *adulatorem* vocat *bestiam humano generi pestilentem*; et in Menexeno eum ait esse *similem præstigiatori*, quippe qui quocumque latrone deterior, a nobis rationem et iudicium abripiat, imo ipsa Circe crudelior sit et perniciosior: ea enim exteriora hominum in bruta transformabat; at adulator suis lenociniis interna transmutat. Secundo, ut umbra quidquid facis imitatur; si stas, stat; si curris, currit: sic adulator quocumque te vertas sequitur; si taces, laudat tuum silentium; si loqueris, celebrat et admiratur tuam orationem; si gaudes, fingit se gaudere; si doles, se dolere. Rursum sicut accrescente umbra, aut decrescente, corpus ipsum nec augetur, nec minuitur; sic nec laudibus meliores sumus, nec detractione deteriores. Hinc Antisthenes teste Laertio cuidam dicenti: *Multi te laudant;* respondit. *Quid mali feci?* Censebat philosophus ille turpe esse a turpibus laudari, atque a cæca et temeraria multitudine celebrari. Tertio, Plutarch. opusc. de discret. adulator. et amici, *adulatorem* vocat B *patriæ et virtutis inimicum;* Diogenes *adulationem* vocat *mellitum laqueum;* Epictetus in Enchirid. adulatores comparat corvis. Nam *ut illi mortuorum oculos, sic adulatores vivorum animos ac mentes perdunt et excæcant.* Quarto, adulatores similes sunt heliotropio herbæ, cuius est tantus amor solis, ut cum ipso circumagatur, et quocumque se verterit sol, eodem flectat cacumen; noctu etiam tamquam desiderio solis, contrahat florem: sic gnathones se regibus et populo per omnia accommodant, eorumque vitiis applaudunt. Quare Agesilaus rex Lacedæmoniorum dicebat eos insectandos esse, non secus quam propriæ vitæ insidiatores.

ET VIAM GRESSUUM TUORUM (vitæ tuæ rationem, statum, salutem, et felicitatem tum privatam, tum publicam) DISSIPANT.) Omnem enim metum mali, hostis et excidii tibi adimunt, ut securius obdormias in peccatis, et obruaris ab hoste imminente: dicunt enim ait Ierem. c. 6. *Pax, pax: et non erat pax.* Hæc enim est causa, cur Iudæi traditi sint Chaldæis, scilicet quia ut dicitur Thren. C 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Sic moraliter peccator, qui omnem metum seponit, qui misericordem tantum Deum agnoscit, et non timet eumdem malorum vindicem, nec se suppliciis æternis obnoxium cogitat; hic plane dissipat gressus suos, et pronus in omnia mala tam pœnæ quam culpæ ruit: qui enim Deum timet, in via salutis pedes ponit, iuxta illud Psal. 127. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Qui sine timore est, non poterit iustificari*, Ecclesiastici c. 1. v. 28. Unde, ut tam proceres quam populum ad timorem excitet, dat stimulum dicens:

STAT AD IUDICANDUM DOMINUS. Loquitur proprie de Vers. 13. et 14.
iudicio, non extremo et universali, sed Iudæorum proprio, quod exercuit in excidio per Romanos, etiam CUM SENIBUS POPULI.) Id est, contra senes sive senatores populi, quos ante vocavit *exactores*, eos scilicet iuste puniendo, et occidendo, vel captivando, eo quod iniuste oppresserint populum, eumque deceperint. Ita S. Hier.

D Nota. Senatores vocantur *senes*, quia senes esse debent maturitate, sapientia et probitate; ideoque senes ætate solebant et solent deligi in senatores: senes enim iuvenibus sunt maturiores et sapientiores.

Alii exponunt, q. d. *Cum senibus*, id est, cum Patriarchis, Prophetis et Apostolis veniet Dominus ad iudicandum populos.

VOS ENIM DEPASTI ESTIS VINEAM MEAM.) Vos, o Scribæ et Pharisæi, qui debebatis esse custodes vineæ, id est, Synagogæ, sive populi mei, eam depasti estis, spoliando eam bonis suis, Septuag. vertunt, *combussistis*: utrumque enim significat Hebræum בער *biar*, q. d. Vos causa fuistis, cur Ierusalem exscinderetur et combureretur a Romanis.

QUARE ATTERITIS (sensim absumitis) POPULUM MEUM, Vers. 15.
ET FACIES PAUPERUM COMMOLITIS?) Id est, macie et inedia attenuatis et deficere facitis, ut ait Amos c. 8. v. 4. Secundo, pro *commolitis* Vatablus vertit, *colaphis ce-*

ditis; alii, *contunditis;* Septuag. *confunditis*, q. d. Ignominia, verbis asperis, quin et pugnis afficitis et affligitis pauperes. Pauperes hic tum quosvis accipe, tum maxime pauperes Christi, puta Christi discipulos et Apostolos: de his enim cæsis a concilio ait Lucas Actor. 5. 41. *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Hæc sibi etiamnum dicta putent principes et Prælati; quin et Ecclesiastici, qui bona Ecclesiæ in suos luxus aut veneres absumunt.

Vers 16. Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion.) A viris et principibus transit ad uxores et filias, quæ ut pretiose se ornarent, viros fecerunt exactores compilatoresque pauperum, quorum ipsæ sudore ac sanguine ad lasciviam comptæ luxuriabantur et splendebant. Taxat tria mulierum, maxime puellarum, vitia: primum, est superbia; secundum, procacia; tertium, libido. Superbiam significat *to elevatæ*, q. d. Ut viris eminerent, et ab omnibus spectarentur, subiiciebant sibi cothurnos, ut iis proceræ incederent, et quasi reginæ aut deæ quædam esse viderentur.

Tria puellarum vitia.

Et ambulaverunt extento collo.) Superbissime cervicem extenderunt, instar gruum, vel cycnorum: habitus hic est insolentis et procacis.

Et nutibus oculorum ibant.) Obliquando oculos, oblique scilicet oculum iaciendo in iuvenes et amasios, et petulanter eis annictando, quod illicis et meretricis certissimum est signum, ait S. Chrysost. *Tactus, ioci, nutus, sibili morituræ virginitatis sunt principia*, inquit S. Hier. in Vita S. Hilarionis. Recte S. Basil. hasce fœminas comparat basilisco; quia uterque suo aspectu viros inficit et necat. Vide S. Chrysost. hom. 27. in illud Matth. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, etc.* Chald. vertit, *stibio linitis oculis ibant, et crinibus circumvolutis, et pedibus suis provocantes;* quod Noster vertit, *et plaudebant.*

Puella est basiliscus.

Et plaudebant.) Id est, vestibus sericis inter se, et ad pavimentum allisis sonitum edebant; ut significarent se sericis vestiri. Hebr. enim טפף *taphaph* videtur significare concussum et strepitum vestium, qualis esse solet ab eo textu serico, quem inde vulgo *tafeta* vocant.

Plaudebant quintupliciter.

I. (as above)

II. Secundo, alii Hebr. *taphaph* vertunt, tympanizabant, ibant pulsando tympanum; uti faciunt pueri in dedicatione et nuptiis. Hebr. enim תוף *toph* significat tympanum. Ita Vatabl.

III. Tertio et proprie, *plaudebant*, id est incedebant molli motu, fracto incessu et supplosione, quasi tripudiantium; ut in choris fieri solet. Unde Virgil. *Pars pedibus plaudunt choreas.* Item puerorum, quorum proinde gressus hebr. vocatur טף *taph*, Ezech. 9. v. 6.

IV. Quarto, *plaudebant*, id est, excitabant sonitum crepitaculorum, inquit Vatabl. sic enim compti iuvenes et puellæ novis et crepitantibus calceis et crepidis incedentes sese ostentant: et forte hæ calceis addebant crepitacula et cymbala; hæc enim mollem Gabinium calceis suis addidisse testatur Cicero in Pisonem.

V. Quinto, *plaudebant*, inquit Sanchez, id est, margaritarum in calceis collisione, sonitum edebant: nam id fieri solitum docet Plinius l. 9. c. 35. *Tunc*, inquit, *crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, et collisu ipso margaritarum, affectantque iam et pauperes, lictorem fœminæ in publico unionem esse dictitantes.* Ubi dicit sonantes has margaritas fœminis esse pro lictoribus; quia sicut lictores præcedentes submovent turbam, significantes adesse consulem: sic margaritarum sonus significabat adventare nobilem heroinam; ut ipsi ab omnibus de via decederetur.

Et composito gradu incedebant.) Pompatice ad maiestatem et elegantiam concinnato gressu incedebant: forte etiam ad calceorum seu cothurnorum soleas gerebant clavos capitatos interpunctos eo ordine, ut terræ cum sonitu impressi signa quædam amatoria relinquerent. Ita ex Clemente Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 11. Sanchez.

Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.) q. d. Hanc superbam Sionitarum libidinem puniet Deus maxima earum ignominia, ut scilicet præcipuum earum ornamentum, puta capillitium, tollat et decalvet; idque primo et potissimum, per hostes Chaldæos; hostes enim solent captivos decalvare. Unde Septuag. pro שפח *sippach* per *sin*, id est, *decalvabit*, legentes שפח *scippach* per *scin*, id est, ancillabit, ancillas faciet, vertunt, *humiliabit dominatrices.* Rasura enim et decalvatio erat habitus debellatorum, indeque servorum et servarum, etiam apud Gentiles. Ita de Scipionibus dictum: Vers. 17.

Sub quorum titulis Africa tonsa iacet.

Secundo, a Deo, qui caput hoc gloriosum superbarum percutiet iusta pœna, scilicet alopecia, tinea et lepra, quæ non modo capillis, sed et carnibus caput nudabit: hoc est enim *sippach*, per *sin*.

Addunt alii tertio, eas decalvandas ab onere et pondere, quod assidue in capite gestabunt captivæ: sic enim milites Nabuchodonosor comportantes onera ad expugnationem Tyri habuerunt caput decalvatum, et humeros depilatos, ut ait Ezech. c. 29. Quantum fœminæ ornamentum (in quo proinde ita sibi placent) sit capillitium, et quanta deformitas calvitium, docet Apuleius l. 2. Metamorph. et ex eo S. Ambros. lib. 6. Hexam. 9. *Si*, inquit Apuleius, *cuiuslibet eximiæ et pulcherrimæ fœminæ caput capillo spoliaveris; licet illa cælo deiecta, licet omni gratiarum choro stipata, et toto cupidinum populo comitata, et baltheo suo cincta, cinnama fragrans, et balsama rorans, calva processerit, placere non poterit.* Huc spectat illud Ovidii:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

Et Dominus crinem earum nudabit.) Pro *crinem* hebr. est פת *pat*, id est angulum, puta comam, quæ ad angulos frontis est, et artificiose crispatur, in qua maxime superbiunt iuvenes et puellæ. Alii *pat* vertunt *nates*, q. d. Quæ longis vestibus incedebant, suoque syrmate verrebant humum, iam quasi ancillæ et servæ curtis incedent vestibus, ut partes verendas vix contegant. Sic ait Isaias c. 20. 4. *Minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, etc. discalceatam, discoopertis natibus, ad ignominiam Ægypti.* Sic filii Ammon servis David vestes usque ad nates præciderunt.

Tertio, alii *pat* vertunt *partes pudendas*. Unde Septuag. vertunt αποκαλυψει το αισχυνωμα αυτων, *revelabit ignominiam earum*, q. d. Deus filias Sion per Chaldæos nudabit, nudasque exponet iis ad ludibrium irridendas et violandas: hoc est enim quod lamentatur Ieremias Threnor. 5. *Mulieres in Sion humiliaverunt.* Aut, ut alii, q. d. Faciet Deus, ut filiæ hæ patiantur menstrua, et sanguinis profluvium; ut obscœna illa sanguinis illuvie fœdent calceorum ornamenta.

Ornamentum calceamentorum.) Septuag. ex Hebr. addunt, και τους κοσυμβους, quod alii fimbriatas vestes, alii reticulos et cincinnos vertunt. Cum Sanchez sequor S. Basilium, qui, κοσυμβοι, ait, sunt ea ornamenta, quæ assuta sunt extremæ oræ vestium, aut ex ea pendent, qualia sunt tintinnabula, et mala punica, quæ ex tunica pontificis pendebant; eaque forte hæ superbæ fœminæ sacrilege in sua veste imitari voluerunt. Vers. 18.

Cosymbi qui?

Lunulas.) Erant monilia corniculata instar lunæ; hæc vel in capite, quasi diademata, vel in collo, vel in veste gestabant. Vers. 19.

Monilia.) *Monile* ornamentum gutturis est, quod ex collo pendet; ita dictum, quod admoneat virtutis: olim enim ob aliquod insigne facinus donabantur monilia.

Armillas.) Sunt brachialia, sive circuli et catenulæ ornantes brachia: dicuntur armillæ ab armis; quia olim humeri cum brachiis vocabantur *armi*.

Mitras.) Sunt vela, vel fasciæ byssinæ capitis, gemmis et bracteolis aureis tremulisque collucentes. Hebr. רעלות *realot*, significat quoque *venena*, idque apposite: nam, ut ait S. Hieron. *si vir aut mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se provocaverit; et si nullum inde se-*

Mitra.

quatur damnum, iudicium tamen patietur æternum; quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.

Vers 20. Discriminalia triplicia. DISCRIMINALIA.) Sunt instrumenta ad discernendos et segregandos capillos, itemque ad eos torquendos et crispandos, puta calamistra; aut, ut Lyran. pectines. Secundo, Sanchez, discriminalia, ait, sunt vittæ, fasciæ et teniæ; quæ capillos in cirros et procamos discriminant, et ita discriminatos conservant, sustentant et illuminant, quæ vulgo crinalia vocantur: quod genus excolendi cæsariem Iuvenalis appellat *ædificare caput*, et Nazianz. πυργουν κεφαλην, id est, *turrificare caput*, seu in turris similitudinem attollere. Tertio, S. Hier. Ezech. c. 24. 17. Hebr. פארים *pearim* vertit coronas: illis nobiles et divites a plebeis discriminabantur.

PERISCELIDAS.) Sunt armillæ tibiarum sive pedum, inquit Chald. Dicuntur *Periscelides* a περι et σκελος, q. d. *Circa tibiam.*

MURENULAS.) *Murenulæ* sunt torques sive catenæ flexuosæ ex auro; cum scilicet ex eo in virgulas lentescente, quædam ordinis flexuosi catena contexitur, inquit S. Hier. ad Marcell. Hebr. vocantur קשורים *kisciurim*, id est, colligationes. Vocantur *murenulæ* a murena pisce, quia eius adinstar ex auro et argento virgatæ et variegatæ orbiculantur, et cingunt collum; vel potius imum brachium, sive carcum. Ita S. Basil. et Pollux interpretantur Græcum ψελλια, quod habent Septuag. Vide et de iis Clement. Alexand. l. 2. Pædag. c. 12.

OLFACTORIOLA.) Sunt myrothecia, sive pyxides perforatæ et ocellatæ, quæ odores suos, et suaves halitus per foramina sua exspirant. Unde hebr. vocantur *domus animæ*, id est, halitus. Sanchez per *domus animæ*, intelligit vasa, in quibus fœminæ domi servabant unguenta, quibus mensam, lectum aut vestes aspergebant: quale fuit alabastrum S. Magdalenæ, quæ eo fracto effudit unguentum super caput Christi: quale et habuit meretrix illa dicens Proverb. 7. 17. *Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo.*

INAURES.) Sunt circuli aurei, vel argentei, qui cum gemma ex aure dependent. Inaures primo adhibitæ sunt, ut essent amuleta aurium contra incantationes, inde enim hebr. vocantur לחשים *lachascim*, a mussitando: sed exinde in ornatum et delicias abierunt. Sic et annuli, qui primum a Prometheo ignominiæ, ut est in fabulis: nunc honoris causa gestantur. Ita Hyginus in Prometheo, et ex eo noster Sanchez.

Vers. 21. GEMMAS IN FRONTE PENDENTES.) *Usque hodie*, inquit S. Hieron. in Ezech. 16. *inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere, et imminere naribus.* Unde Theodot. vertit επιρρινον, id est, ornamentum nasi: et hoc significat Hebr. נזם *nezem*. Alii proprie intelligunt gemmam, vel annulum nasum perforantem, et ex eo pendentem, qualem gestant nonnulli Indi. Sed hoc barbarum est et invenustum.

Vers. 22. MUTATORIA.) Nobiles et divites sæpe vestes mutant, unde varias habent vestes mutatorias, estque hoc opulentiæ et lautitiæ signum. Adde, *mutatoria* esse vestes pretiosiores, quæ raro ad pompam induuntur, ut foris se ostentent, ac statim ut domum quis redit, exuuntur. Sic enim Romanorum vestis domi erat synthesis, foris toga. Unde Septuag. has vestes mutatorias vocant περιπορφυρα, id est, prætexta purpura, quæ Romanis laticlaviæ vocabantur.

PALLIOLA.) Palliolis hisce etiamnum nobiles matronæ utuntur præsertim in itineribus; hæc Iudæarum erant pretiosa et superba.

LINTEAMINA.) Erant vela candida et pellucida, quibus pectus, vel femur, vel totum corpus lascive ostentabant in conviviis et tripudiis. Unde Septuag. vertunt, *Laconica pellucida.* Laconicæ enim virgines dictæ sunt φαινομηριδες, quod nudum femur in incedendo ostenderent. Ita S. Basilius.

ACUS.) Scilicet crinales aureæ et argenteæ, quæ ad speciem gestabantur in capite, quibus capilli dividebantur, et ne rursum diffluerent fibulabantur. Audi Martial.

Tenuia ne madidos violent bombycina crines,
Figat acus madidas sustineatque comas.

Acus ergo hæ non erant calamistra, quibus crispabantur capilli, sed longæ et crassæ erant acus, quibus crines et caput ornabantur. Ita S. Hieron. et Isidorus l. 19. c. 31.

SINDONES.) Hebraice est סדנים *sedinim*, unde Latinum *sindones*, inquit Forer. Ita vocat lintea velamina, vel pepla extima delicatissima et subtilissima, qualia apud nos gerunt viduæ nobiles ex tela Cameracensi. Sept. significant has sindones fuisse tinctas purpureo, violaceo et coccineo colore. Causam reddit S. Basilius, quod scilicet hæ fœminæ superbæ sicut in aliis, sic in hoc quoque habitum sacerdotalem sacrilege imitari vellent. Pontifex enim pro toto universo oraturus induebat tunicam ex purpura, hyacintho, bysso et cocco contextam, ut hisce coloribus quatuor elementa mundi, pro quo orabat, repræsentaret, ut dixi Exod. 28. 5. Fuit etiam hyanthinus iste color, uti et coccineus, famosarum fere mulierum, puta impudicarum: uti iam est coniugatarum, et amoris coniugalis symbolum. Vers. 23.

VITTAS.) Hebraice צנפות *tseniphot*, id est, cidares et tiaras. Ita Forerius et Hebræi. Cidaris, seu tiara erat pileolum capitis rotundum, non acuminatum, quo sacerdotes et pontifices utebantur. Vide hic rursum simias ornatus pontificii.

THERISTRA.) Vestes æstivæ, ita dictæ, quod εν θερει, id est, in æstate, ab æstu et caumate protegebant corpora fœminarum. S. Hieron. ait fuisse palliola, quale habuit Rebecca, et nunc habent fœminæ in Arabia; palliola, inquam, sine villis levia et subtilia, quæ non gravant, nec calefaciunt, uti sunt nostra bombycina. Forerius tamen putat theristra fuisse vela capitis: hæc enim hebraice vocantur רדידים *redidim*, quam vocem S. Paulus, I. Cor. 11. 10. vertit, εξουσιαν, id est, potestatem; quia velamen in capite fœminæ signum est eam subesse potestati et dominio viri. Unde per *therista* possunt quoque accipi galeri quibus mulieres contra solem utebantur, uti nunc peregrinæ et itinerantes galeris latioribus ex stipula utuntur. Theristra.

ET ERIT PRO SUAVI ODORE (ex musco et aliis aromatibus) FOETOR.) Ex illuvie et sordibus captivitatis et carceris. Rursum Iudæis post Christi mortem naturalis et peculiaris inest fœtor; unde Ammianus Marcellinus l. 2. vocat *fœtentes Iudæos*, additque eos idcirco Marco Imper. gravi fuisse fastidio; et Martialis l. 4. epigram. ad Bassam: *Oles*, inquit, o Bassa, *quod ieiunia sabbatariorum*, id est, Iudæorum: dicit *ieiunia*, quia ieiunus stomachus gravem emittit anhelitum. Hunc hæreditarium Iudæorum fœtorem baptismo elui asseruit Fortunat. l. 5. Vers 24. Fœtor Iudæorum tollitur baptismo.

Abluitur Iudæus odor baptismate divo.

Ita Sanchez. Unde et Saraceni olim suos infantes curabant baptizari, ut per baptismum fœtorem ab eis depellerent; uti patet ex VI. Synodo in Trullo can. 85. et Baronio tom. 12. anno Christi 1148.

ET PRO ZONA aurea et gemmea erit FUNICULUS.) Quo quasi iumenta captivæ trahentur in Babylonem.

ET PRO CRISPANTI CRINE CALVITIUM.) Quod vel ipsæ in signum luctus, vel hostes, vel Deus per morbum eis inducet. Vide dicta v. 17.

ET PRO FASCIA PECTORALI, qua constringuntur mamillæ ne turpitudinem ingerant sua magnitudine, erit CILICIUM.) Hebr. *cingulum sacci*, sive *ex sacco*. Hebræa iam addunt hic כי תחת יפי *ki tachat iophi*, id est, *quia pro pulchritudine*, in qua lasciviebant, hæc scilicet deformitas reddita est eis, ut sit epiphonema.

Forerius vero vertit, *adustio pro pulchritudine. Ki* enim vertit adustionem, a radice כיה *caia*; id est adussit, q. d. Facies earum, et corpora olim ita pulchra, nunc exesa, consumpta et quasi combusta sunt. Sic enim dicitur Thren. 5. v. 10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est*; et Isaiæ 13. 8. *Facies combustæ vultus eorum.* Unde Chaldæus hic clare vertit: *Hæc vindicta sumetur ex eis, quia fornicatæ sunt in pulchritudine sua.* Pœna pulchritudinis superbæ.

ET MOEREBUNT ATQUE LUGEBUNT PORTÆ EIUS.) *Eius*, scilicet Hierosolymæ, de qua mihi dilectissima est omnis Vers. 26.

hic sermo meus, æque ac cogitatio et sollicitudo mea. Sic Sponsa ait Cantic. 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui*, quis? sponsus, quem amo, et mente revolvo. In verbo *mœrebunt* et *lugebunt*, est catachresis: sicut enim prata florida dicuntur ridere; ita portæ combustæ, vel desolatæ, et civibus vacuæ, ipsaque urbs mœrere et lugere dicitur.

Desolata in terra sedebit.) Est prosopopœia: loquitur enim de Ierusalem, quasi de matrona afflicta: hæc enim in terra mœrens, et dolore oppressa sedet. Hinc Thren 1. v. 1. de ea dicitur: *Quomodo sedet sola civitas?* sic et Vespasiani nummus exstat, in quo Iudæa quasi mulier sedens ad palmæ radices pingitur, cum hac epigraphe: *Iudæa capta.*

Morale contra luxum vestium. I. Ex Cypriano.

Est hic locus illustris contra ornatum muliebrem et luxum vestium: si enim in Iudæis olim ille ita Deo displicuit, punitusque fuit totius gentis excidio; quomodo iam displicebit et punietur in Christianis? Audi et disce idipsum primo, ex S. Cypriani lib. de Habitu virginum, idipsum docentis ex hoc Isaiæ loco: *Virgines*, inquit, *comptæ turpitudinem fœditatemque meruerunt; sericum et purpuram indutæ, Christum induere non possunt; auro, margaritis et monilibus adornatæ, ornamenta cordis et pectoris perdiderunt.*

II. Ex Basilio.

Secundo, S. Basilius serm. in divites avaros, qui opes non in pauperes, sed in luxum uxorum impendunt, sic ait: *Primo, dum nugas mulier superba et delicias ardet, voluptatis illecebras marito augebit; circa margaritas, smaragdos, hyacinthos, aurum, eius cura noctes atque dies versatur. Secundo, mille assentatores adsunt adducentes fullones, aurifices, unguentarios, textores, discriminatores, qui ex illius imperiis nullo tempore virum respirare sinunt. Tertio, nullus muliebri concupiscentiæ sufficiens thesaurus, non si e fluminibus fluxerit: gemmæ aliæ cervici, aliæ collo, aliæ zonæ, aliæ manibus et pedibus ornandis adaptantur. Quarto, vir ergo muliebrem sequens appetitum, quando animæ curam gerat? sicut enim procellæ dispergunt debiles naves; ita pravi uxorum affectus virorum debiles animas corrumpunt et pessumdant.*

III. Ex Nazianz.

Tertio, S. Nazianz. adversus mulieres ambitiosius se ornantes: *Nobilibus*, ait, *fœminis non aurum, non purpura, non pigmenta ornamentum afferunt: sed earum ornatus est morum probitas et elegantia, domi ut plurimum manere, colloqui cum divinis oraculis, fuso ac lanæ operam dare, ancillis opera mandare, etc.*

IV. Ex S. Ambros.

Quarto, S. Ambr. Exhort. ad virg. citat hunc Isaiæ locum, additque: *Unde et S. Petrus dixit, non in plicatu capillorum, neque in tortis crinibus, aut auro et argento vel veste pretiosa: sed magis interioris hominis ornamenta fœminis esse requirenda, quoniam absconditus ille cordis homo qui est pauper sæculo, ipse est locuples Deo;* et in 1. ad Timoth. 2. *Quanto fœmina hominibus splendidior videtur, tanto magis despicitur a Deo.*

V. Ex S. Hieronymo.

Quinto, S. Hier. epist de vitando contubernio, nimis ornantes se et ostentantes comparat lupanaribus. *Caliga* (calceus) inquit, *ambulantis nigella, ac nitens stridore ad se iuvenes vocat; papillæ fasciolis comprimuntur; et crispanti angulo angustius pectus arctatur; capilli vel in frontem, vel in aures defluunt: palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros; et quasi videri noluerit, celare festinat quod volens detexerat. Et quando in publico, quasi per verecundiam operit faciem, lupanarium arte id solum ostendit, quod aperte ostensum magis placere potest.*

VI. Ex S. August.

Sexto, S. August. serm. 18. de verbis Apostoli sic ait: *Exterioris hominis ornamenta quanto magis appetuntur, tanto sunt interioris maiora detrimenta: quanto autem minus appetuntur, tanto magis moribus pulchris homo adornatur.*

VII. Ex S Chrysost.

Septimo, S. Chrysost. hom. 30. in epist. ad Rom. *Deposito*, ait, *vilis fœni onere (hoc enim est vestium sumptus) ornatum accipe cælestem virtutum. Hic est Ecclesiæ ornatus, ille theatrorum; hic cælis dignus, ille equis et mulis; ille et mortuorum corporibus circumdatur, hic in sola splendet anima, in qua habitat Christus.* Idem hom. 18. in 1. ad Cor. *An non censes*, ait, *cum avaris et aliis, quos Paulus enumerat 1. Corint. 6. diabolum simul accumbere? mulieres autem ornatas ad libidinem non censes cum eo coire? si quis contradicat, exuat animam mulierum, quæ se adeo indecore gerunt, et videbit plane sceleratum illum dæmonem vehementer cum eis coniungi et commisceri.* Idem lib. de Virgin. c. 62. *Mulier si formosa est, nimius onatus eius venustatem obscurat; si deformis, eo turpiorem reddit ornatus; deformitas enim semper emicat et apparet, ut spectatores mulierem rideant, et ornatum mirentur.*

VIII. Ex S. Petro.

Octavo, S. Petrus eremita ad matrem Theodoreti comptam ait: *Si pictor egregius pinxisset imaginem, et alius plebeius ei alios colores iniiceret, pictor sane excandesceret: ita et Deus naturæ nostræ opifex et pictor iure irascitur, quod eius naturam et sapientiam accusetis inscitiæ ipsumque creatorem damnetis imbecillitatis. Nolite ergo Dei corrumpere imaginem, neque tentetis ea addere, quæ sapienter non dedit; neque hanc adulterinam excogitare pulchritudinem, quæ vel pudicis affert excidium, vel videntibus insidias.* Ita refert Theod. in Vitis SS. Patrum, Vita 9.

IX. Ex Tertulliano.

Nono, acerrime hunc vestium luxum insectatur Tertul. l. de Habitu mulierum, ex quo pauca illustriora decerpam. *Tu*, ait, *es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legis prima desertrix, tu hominem elisisti: propter tuum meritum, id est, mortem, etiam Filius Dei mori habuit, et adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas?*

Secundo, *Duplex est cultus fœminæ: scilicet mundus muliebris in auro, gemmis et vestibus; et ornatus quem immundum muliebrem convenit dici: in cura capilli, cutis, et earum partium corporis, quæ oculos trahunt, illi crimen ambitionis intendimus, huic prostitutionis.*

Tertio, *Lapides et gemmæ sunt terræ minutalia, qui non domos, non tecta, sed solum hunc mulierum stuporem ædificare noverunt.*

Quarto, *Aiunt de frontibus draconum gemmas erui. Hoc quoque deerit Christianæ, ut de serpente cultior fiat: sic calcabit diaboli caput, dum de capite eius suis cervicibus ornamenta struit.*

Quinto, *Semper abundantia contumeliosa in se ipsa est.*

Sexto, *Quis est vestium honor iustus de adulterio colorum iniustorum? non placet Deo, quod non ipse produxit; nisi si non potuit purpureas et hyacinthinas oves nasci iubere.*

Idem Tertullianus l. de Cultu fœminarum.

Primo, hunc ornatum ait esse Ethnicorum.

Secundo, *Non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus.*

Tertio, *Perit simul vir in tua forma, o mulier; et facta es tu gladius illi.*

Quarto, *Vos solis maritis vestris placere debetis: in tantum autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaveritis.*

Quinto, *Indignum est Christiano faciem fictam gestare, cui simplicitas indicitur; effigiem mentiri, cui linguam non licet: appetere quod datum non sit, cui studium pudicitiæ est: quomodo præcepta Dei custodietis, lineamenta Dei non custodientes?*

Sexto, *Utinam miserrimus ego in illo die Christianæ exsultationis, vel inter calcanea vestra caput elevans videam; an cum cerussa et purpurisso, et croco, et in illo ambitu capitis resurgatis: an taliter expictas angeli in nubila sublevent obviam Christo?*

Septimo, *Ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adiutrix et socia eius: quo pacto ergo pudicitiam sine instrumento eius, id est sine gravitate et severitate vestitus, tractabimus?*

Octavo, *Tempus hoc breve est, ait Apostolus, quid ergo illud das vanitati?*

Nono, *Iubet Apostolus ut magnificetur Deus in corpore nostro; magnificatur autem per pudicitiam, et per pudicitiæ habitum competentem.*

Decimo, *Liceat videri pudicam, certe impudicam non licet*

Undecimo, *Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verum et videri; ut emanet ab animo in habitum, et eructet a conscientia in superficiem.*

Duodecimo, *Proiiciamus ornamenta terrena spei nostræ retinacula, si cælestia optamus.*

Decimo tertio, *Tempora Christianorum semper, et nunc vel maxime, non auro, sed ferro transiguntur, stolæ Martyrum præparantur, angelis baiulis sustinentur. Prodite iam vos mulieres ornamentis instructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, et spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus iugum Christi: caput maritis subiicite, et satis ornatæ eritis: manus lanis occupate, pedes domi figite, et plus quam in auro placebitis: vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ; taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.*

X. Ex S. Cyprian. Decimo, Tertullianum sequitur S. Cyprian. qui nervose et eleganter idem agit lib. de Disciplina et habitu virginum.

Primo, *Continentia*, ait, *et pudicia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultus et ornatus honore pariter ac pudore.*

Secundo, *Nefas est virginem ad speciem formæ suæ comi, aut de carne, et de eius pulchritudine gloriari, cum nulla sit illis magis quam adversus carnem colluctatio, et vincendi corporis ac domandi obstinata certatio.*

Tertio, *Dicit Paulus; Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt; et quæ se concupiscentiis carnis et vitiis renuntiasse profitetur, quomodo in iisdem quibus renuntiaverat invenitur?*

Quarto, *Neminem Christianum decet, et maxime virginem non decet, claritatem ullam computare carnis, et honorem; sed solum appetere sermonem Dei, bona in æternum mansura complecti. Aut si in carne sit gloriandum, tunc plane quando in nominis confessione gloriatur, quando fortior fœmina viris torquentibus invenitur, quando ignes, aut cruces, aut ferrum vel bestias patitur, ut coronetur: illa sunt carnis pretiosa monilia, illa corporis ornamenta meliora.*

Quinto, *Ornamentorum ac vestium insignia, et lenocinia formarum non nisi prostitutis et impudicis fœminis congruunt; et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. In Apocalypsi c. 17. describitur meretrix illa perdita, cum qua fornicati sunt reges terræ, amicta pallio purpureo et coccino, adornata aureo, et lapidibus pretiosis, tenens poculum aureum in manu sua.*

Sexto, *An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, et mali sæcularis ignara, crucietur, ut postea de aurium cicatricibus et cavernis pretiosa grana dependeant, gravia etsi non suo pondere, mercium quantitate?*

Septimo, *Angeli apostatæ oculos circumducto nigrore fucare, et genas mendacio ruboris inficere, et mutare adulterinis coloribus crinem, et expugnare omnem oris et capitis veritatem, corruptelæ suæ impugnatione docuerunt.*

Octavo, *Fœminæ manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit reformare et transfigurare contendunt: nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur.*

Nono, *Dominus tuus dicit: Non potes facere capillum unum album, aut nigrum: et tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiorem? Audaci conatu et sacrilego contemptu crines tuos inficis, etc.*

Decimo, *Non metuis, oro, quæ talis es, ne cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, et ad sua præmia et promissa venientem removeat et excludat? increpans vigore censoris et iudicis dicat: Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est: cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti; expugnata est mendacio facies, figura corrupta est; vultus alienus est; Deum videre non poteris; quando oculi tui non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit.*

Undecimo, *Vince vestem, quæ virgo es, quæ Deo servis:* A *vince aurum, quæ carnem vincis et sæculum: nec monilium aut vestium quære ornamenta, sed morum.*

Merito ergo B. Nonnus Episcopus videns Pelagiam tanto vestium luxu et pompa totius urbis oculos ad se rapientem et illicientem, ubertim flevit: rogatus causam dixit: *Duæ res sunt quæ me movent: una quidem huius mulieris perditio; altera, quod ego qui nomen Christianum profiteor, non tantum studeo placere Deo vitæ innocentia, quantum hæc mulier turpibus placere cupit hominibus.* Verum orans pro ea, et concionans ita pupugit cor eius, ut ex ea alteram Magdalenam effecerit, videlicet Pelagiam pœnitentem, cuius vitam et actus mirabiles conscripsit magna fide oculatus testis, Iacobus Diaconus eiusdem Nonni: exstat apud Surium, 8. Octobris. Exemplum S. Pelagiæ.

Et S. Bernardus sororem splendidius ornatam ad se venientem videre noluit: unde ipsa compuncta ex eius præscripto luxum omnem vestium deposuit, quin et consentiente marito monasterium ingressa est, ut habet auctor Vitæ S. Bern. l. 1. c. 6.

B Sed audi exemplum horribile Prætextatæ, quod refert S. Hieron. epist. ad Lætam: *Prætextata quondam nobilissima fœmina, iubente viro Hymettio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum eius cultumque mutavit, et neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens et virginis propositum, et matris desiderium. Et ecce tibi, eadem nocte cernit in somnis venisse ad se angelum terribili voce minitantem pœnas, et hæc verba frangentem: Tune ausa es viri imperium præferre Christo? tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ iam nunc arescent, ut sentiant excruciatæ quid feceris: et finito mense quinto ad inferna duceris: sin autem perseveraveris in scelere, et marito simul orbaberis et filiis. Omnia per ordinem expleta sunt, et seram miseræ pœnitentiam significavit interitus.* Et Prætextatæ.

Audi et Gentiles. Lycurgus fucandi artificium Sparta eiecit, idque primo, eo quod malis artibus urbem corrumperet: unde tanta tunc Spartæ fuit mulierum pudicitia, C ut adulterium pro incredibili haberetur. Secundo, ut quivis in mores puellæ intuens, virtutem in delectu sequeretur, cum uxorem quæreret; non vero fuco illiceretur. Eadem de causa voluit eas accipi sine dote: item exerceri cursu, lucta, disci et iaculi iactu, ut validæ fierent, validasque gignerent proles. Unde Gorgo Leonidæ uxor cuidam obiicienti, *Vos solæ Spartanæ maritis imperatis;* respondit: *Solæ enim viros parimus.* Testis est Plutarch. in Lycurgo. Et Gentilium.

Diogenes ad iuvenem quemdam se nimis ornantem: *Siquidem*, inquit, *ob viros, infelix es; sin ob mulieres, iniurius.*

Theophrastus, *Mulier*, inquit, *nec alios videre, nec ipsa videri debet, præsertim quæ eleganter ornata fuerit; utrumque enim ad res inhonestas incitamentum est.*

Hyperides, *Domi*, inquit, *coram viro liceat uxori ornare se, ut lubet: ornamenta autem quæ sumet egressura domum, non ad maritum, sed ad alios spectant.*

D Crates, *Ornat*, inquit, *mulierem quod honestiorem facit: talem vero præstat non aurum, non smaragdus, non coccus; sed quæcumque gravitatis, moderationis et pudoris specimen habent.*

Democritus, *Sermo*, inquit, *parcus ornat mulierem, et ipsius ornamenti parcitas ei decora est.* Testis est Stobæus serm. 32.

Audi et poetas. Terentius:

Nosti mores mulierum;
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Ovidius:

Auferimur cultu, gemmis auroque teguntur
Omnia; pars minima est ipsa puella sui.

Propertius:

Quid iuvat ornato procedere vita capillo,
Teque peregrinis vendere muneribus,
Naturæque decus mercato perdere vultu?
Nudus amor formæ non amat artificem.

Plautus:

Nequaquam exornata est bene, si morata est male.
Magis meretricem pudorem, quam aurum gerere condecet:
Pulchrum ornatum turpes mores peius cœno collinunt.

Audi reges et imperatores. Aurelianus Imp. petenti uxori, ut se unico pallio serico uti sineret, respondit: *Absit, ut auro fila pensentur;* libra enim auri tunc libra serici fuit.

Alphonsus rex Aragonum vestiebatur ut populares: monitus ut regio ornatu incederet, respondit: *Malo moribus et auctoritate meos excellere, quam diademate et purpura.*

Aristoteles præfat. ad Alexand. Magnum ita eum docet: *Multo pulchrius magisque regium, animum præferre cultum et compositum, quam corporis vestem.*

Alexander Severus ait, *Imperatoriam maiestatem constare virtute, non corporis cultu.* Idem censuit regias matronas contentas esse debere unico pallio auro sparso, et cyclade, quæ plus sex unciis auri non haberet, teste Lampridio. Hic cultus hodie vix sufficit uxoribus negotiatorum.

Augustus Cæsar teste Svetonio dicebat: *Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ.* Idem pro concione videns multos palliatos indignans: *En,* inquit, *Romanos rerum dominos gentemque togatam.* Adeo
A studebat priscos renovare mores et vestitum.

Dionysius Siciliæ tyrannus filiabus Archidami vestes splendidas dono misit. Recusavit eas accipere Archidamus, dicens: *Vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes videantur.* Denique vere dixit Cæsar Augustus: *Conviviorum et vestium luxus ægrotantis ac labentis reipubl. signa et prænuntia sunt.* Testis sit Belgium, quod luxum hunc luit bello et cladibus assiduis per quinquaginta pene annos; et quod antea erat paradisus terrestris deliciarum, nunc est vallis miseriarum. E contrario prisca simplicitas et modestia vestitus elucet in Germanis, quæ eorum resp. in pace et flore conservat. Vidi Norimbergæ matronas nobiles et prædivites simplici pallio et ocreis indutas, quasi viragines et masculas priscorum ducum uxores incedere. Vidi Herbipoli matronas omnes, etiam nobilissimas, pallia sive heucas habere non sericas aut laneas, sed ligneas. Omnes enim pro heuca gestant hottam (qualem Leodii gestant carbonariæ) magis vel minus pulchram pro conditione personæ: adeo ut quæ hottam non gestat, non censeatur honesta. Hottas has ingressuræ templum ante illud deponunt, egredientes recipiunt et dorso adaptant. Credo in vitifera regione olim omnes uvas hottis exportasse, uti etiamnum faciunt, ideoque hottarum usum conservasse.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in minis excidii, docetque tantam fore virorum stragem, ut septem mulieres unius viri nuptias ambiant. Deinde v. 2. residuos solatur, promittens eis Christum salvatorem, per quem Deus eos illuminabit, deducet et proteget instar columnæ ignis et nubis, quæ fuit dux Hebræorum in deserto, et instar tabernaculi, quod suos incolas quasi umbraculum ab æstu et pluvia tutatur.

ET apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, et ve-
1. stimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.
2. In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, et exultatio his,
qui salvati fuerint de Israel. 3. Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem. 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Ierusalem laverit de medio eius in spiritu iudicii, et spiritu ardoris. 5. Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio. 6. Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine et a pluvia.

Vers. 1. ET APPREHENDENT SEPTEM MULIERES.) Hæc pertinent ad caput præced. q. d. In excidio Ierusalem per Romanos, de quo a c. 3. hucusque egi, tanta erit virorum cædes, fames et tabes, ut ob eorum paucitatem septem, id est, multæ mulieres vix unum maritum acquirere possint, atque de eo certaturæ sint. Ita S. Hieron. et Cyrill.

Allegorice, S. Hieronym. *Septem mulieres*, id est, septem dona Spiritus sancti, *apprehendent virum unum*, scilicet Christum. Sed hanc allegoriam suggillat S. Cyrillus quasi parum aptam et congruam sensui litterali, præsertim in iis quæ sequuntur. Secundo aptius S. Basilius, *Septem*, inquit, *mulieres*, id est, tota Synagoga, suo pane, id est sua lege, vivens, apprehendet virum unum, scilicet Christum, petens, ab eo liberari ab opprobrio sterilitatis spiritualis.

Tropologice, S. Cyrillus: *Septem mulieres* sunt multæ animæ, quæ per fidem Christum receperunt, quæque ipsum ut panem et vestem salutis requirunt; et ab ipso prolem et fructum virtutum et bonorum operum postulant.

TANTUMMODO INVOCETUR NOMEN TUUM SUPER NOS.) q. d. Ne prætendas inopiam, quodque non possis nos alere, nos ipsæ nos alemus et vestiemus: tantum esto noster maritus, nosque vocemur uxores tuæ; ut auferatur a nobis opprobrium sterilitatis, quod ingens erat in lege veteri. Tenentur mariti dare uxoribus suis victum, vestitum, et debitum coniugale: at unum tantum petimus, nempe

Fœminæ nomen capiebant a marito.

B debitum; alia labore aut ære nostro comparabimus. Sic Romanæ fœminæ assumebant nomen maritorum: dicebatur enim Caia, Tullia, Cornelia, Lucia, Publia, a marito Caio, Tullio, Cornelio, Lucio, Publio, teste Valerio lib. 10. Sic apud Hebræos vocatur Maria Cleophæ, Maria Iacobi, Zebedæi, etc. scilicet uxor: et in Canticis sponsa vocatur *Sulamitis,* q. d. Salomonia, a Salomone marito. Ita Sanchez. Sic Martia redire volens ad Catonem maritum, ait apud Lucan. l. 2.

Da tantum nomen inane
Connubii; liceat tumulo scripsisse, Catonis
Martia.

Hactenus tristis, nunc sequitur læta prophetia

C IN DIE ILLA ERIT GERMEN DOMINI IN MAGNIFICENTIA.) Sanchez hæc accipit de restitutione populi ex captivitate Babylonica per Esdram et Zorobabel, q. d. Germinare ac pullulare faciet Dominus Iudaicum populum arentem, et pene putrem in alieno solo, facietque eum redire ad pristinam ubertatem et gloriam. Verum Patres et interpretes passim hæc accipiunt de Christo et Ecclesia; unde pro *germen* hebr. est צמח *tsemach*, quo nomine Christus vocatur a Ieremia c. 23. 5. et a Zacharia c. 6. 12. in Hebræo. Rursum Christus ab Isaia c. 11. vocatur terræ fructus et germen. Vers. 2.

Christus est germen Iuda.

Sensus ergo est, q. d. Christus virginis Mariæ filius in terra natus, gloriosus et sublimis erit eo tempore, quo

Romani vastabunt Iudæam; quia per eum eiusque Apostolos Ecclesia Christiana propagabitur; adeo ut etiam principes, aliique primores et viri insignes cum gaudio ad Christi Ecclesiam accurrant, Christoque credant: præsertim reliquiæ Israelis et Iudæorum. Ita S. Hieron.

Vocat Christum *germen* Iudææ, quia Iudæa quasi arbor excisa per Christum repullulare et reflorescere cœpit, de quo plura c. 11. Vocat magnificum: quid enim gloriosius, quid sublimius quam cæcis visum restituere, leprosos verbo mundare, mortuos ad vitam revocare, aliaque clarissima miracula suo nomine et virtute efficere, quibus Christus suum numen ostendebat? Quid magnificentius quam genus humanum a diaboli potestate eripere, et ad æternam beatitudinem vocare et perducere? quam superbos humiles, incestos castos, divites spiritu pauperes, virgines et pueros Martyres efficere, ut ignibus et tyrannis insultent? Audi S. Bern. serm. 2. de Pentecoste: *Istud germen quod de virga Iesse virore virgineo pullulavit, in magnificentia fuit, cum resurrexisset a mortuis; quia tunc, Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, confessionem et decorem induens, amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem ascendentis gloria, cum medius Angelorum et animarum sanctarum ad Patrem deduceris, et triumphatrice palma cælis invectus, susceptum hominem in ipsa divinitatis claudis identitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quam sit fructus terræ sublimis in consessu ad dexteram Patris, quod utique cælestium oculos reverberat naturarum, quod angelicus intuitus contremit, non attingit? Veniat ergo exsultatio, Domine Iesu, his qui salvati sunt de Israel, Apostolis tuis, quos elegisti ante mundi constitutionem. Veniat spiritus tuus bonus, qui sordes abluat, et infundat virtutes in spiritu iudicii, et spiritu ardoris Dei.*

Rursum sicut Christus vocatur *germen*, ita Ecclesia Christi vocatur *germen*, id est, germinans, et pullulans, crescensque in magnam arborem, puta in pristinam Synagogæ magnificentiam et gloriam: imo longe eam superans: crescente enim Christo crescit Ecclesia; et contra.

Et exultatio.) q. d. Magna erit lætitia Israelitis, qui Christum quasi Messiam suum recipient, ab eoque iustificabuntur, et salvabuntur. Christus enim suis ingens affert gaudium, ex pace et fiducia iustæ et sanctæ conscientiæ, et ex spe salutis vitæque æternæ, quam eis largitur. Unde *fructus Spiritus* est *gaudium, pax, etc,* Galat. 6. Christiani ergo est cum S. Laurentio aliisque Martyribus semper exsultare, etiam in crucibus et tormentis; hæc enim æternitati beatæ eos transcribunt.

His qui salvati fuerint De Israel.) Hebræum לפלטת ישראל *liphletat Israel*, id est, evasioni Israelis, id est, qui communem gentis suæ cladem et ruinam evaserint, reliquiæ quas Deus excidio superstites conservavit; excidio, inquam, tum corporali, tum spiritali, puta incredulitati et reprobationi Iudæorum, q. d. His qui e Iudæis vel occisis, vel incredulis, ideoque a Deo reiectis, fuerint servati a Deo ut in Christum crederent, et salvarentur.

Vers. 3. Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, etc. sanctus vocabitur.) P. Hier. Prado in Ezechielis 13. sic exponit, q. d. Quisquis Iudæorum ex captivitate Babylonica superfuerit, indeque redierit, erit sanctus; id est, rarus et admirationi futurus, scribeturque in catalogo viventium, puta civium Hierosolymæ. Verum loquitur Propheta, ut dixi, de tempore Christi, et Titi Imp. alluditque ad semen, de quo dixit c. 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen.* Per Sion ergo et Ierusalem intelligit spiritualem, puta Ecclesiam Christi, quæ cœpit in Ierusalem, iuxta can. 5. et 6. q. d. Qui cladi et excidio Iudæorum superstes relictus fuerit in Sion, non tam carnali quam spirituali, hoc est, qui a Synagoga transierit ad Ecclesiam Christi, eique fuerit ascriptus, puta omnis Christianus, sanctus vocabitur; omnis inquam, qui scriptus est in vita, puta in præsentia et prædestinatione Dei, qua ipse suos, conscripsit ad vitam æternam: si tamen prius Deus eius sordes, et sanguinem, id est homicidia, aliaque crassa et gravia peccata abluerit, ut sequitur. Omnes Christiani a Paulo et aliis vocantur *sancti*, quia vocati sunt ad sanctitatem, et quia baptismo et gratia Christi sunt sanctificati. *Sanctus* ergo, id est Christianus, vocabitur. Et hi omnes scripti sunt in libro vitæ, quasi cives futuri cælestis Ierusalem; scripti, inquam, inchoate, quia ordinantur ad vitam æternam, a qua tamen multi sua negligentia excidunt: unde complete solum scripti sunt in hoc libro ii, qui in sanctitate perseveraturi et morituri a Deo prævisi sunt. Vide canonem 13. in Paulinas. Sanctus, id est Christianus, cur?

Nota. Sancti et electi scribuntur in cælis, impii et reprobi in terra et gehenna. Ierem. 17. vers. 13. *Recedentes a te in terra scribentur.* Vide ibi dicta. Alludit ad censum populi redeuntis e Babylone: singuli enim redeuntes numerati sunt, et scripti in catalogo quasi cives Hierosolymæ, ut patet 1. Esdræ 8. et Nehem. 7. et Ezech. 13. v. 9. qui ait: *In consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur.* Atque hinc analogice sumptus est liber vitæ, sive Ierusalem cælestis. Sicut enim soli viventes scribebantur in catalogo Hierosolymæ, mortui vero delebantur; ita soli Beati victuri in æternum, scribuntur in libro Ierusalem cælestis, qui proinde est et dicitur liber vitæ. Ita Sixtus Senensis lib. 2. c. 2. in voce *thau* testatur, Gentiles, eos qui in acie et prælio fuissent superstites, notasse littera *thau* sive signo crucis: eos vero qui cecidissent, in censu aut catalogo militum proposita littera mortifera *thita* (hæc enim initialis est vocis θανατος, id est, mors, habetque in sua figura infixum quasi iaculum mortis) prænotasse, quasi qui de vita et de libro viventium deleti essent. Eadem usi sunt iudices, cum reum damnarent ad mortem. Unde Poeta:

O nimium ante alias infelix littera thita.

Si (id est cum) abluerit, etc. in spiritu iudicii, et spiritu ardoris.) Sanchez, *Spiritus*, inquit, *iudicii et ardoris* significat acrem punitionem, qua Deus per Babylonios iudicavit, id est, punivit, et instar ignis lustravit, id est purgavit et expiavit, Iudæos a scoria peccatorum, de quo Malachias c. 3. *Ipse enim quasi ignis conflans;* et Isaias cap. 1. *Excoquam ad purum scoriam tuam.* Vers 4. Spiritus iudicii et ardoris quis? Resp. I.

Secundo et genuine, Spiritus sanctus et spiritus iudicii, quia facit primo, ut nostra videamus, iudicemus et damnemus peccata. Secundo, quia iudicat, id est discernit, fidelem ab infideli, pium ab impio. Tertio, quia mentem illuminat per fidem tribuens remissionem peccatorum, faciensque ut pia, sancta, cælestia iudicemus, id est æstimemus, discernamus et amplectamur præ vanis, fœdis et terrestribus opibus et voluptatibus. II. Est Spiritus sanctus.

Idem dicitur *spiritus ardoris*, vel, ut Vatablus vertit, *incendii*, id est, charitatis, tum divinæ, tum nostræ nobisque infusæ, qua nos ipse accendit, carnisque vitia et carcinomata adurit. Unde de hoc spiritu ait Ioannes Baptista: *Qui post me venit ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igne.* Ita Cyrillus et Chrysostomus hom. de Spiritu sancto. Unde ait Christus: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Domine Iesu, accende et inflamma hunc divinum charitatis ignem in nobis, eoque frigus cordis nostri exure.

Tertio, *pro spiritu ardoris* alii vertunt, *spiritu eiectionis*, q. d. Potestatem abluendi peccata habebit Christus cum spiritu iudicii, et eiectionis, id est, ita ut etiam habeat potestatem iudicandi incredulos, sitque eos damnaturus et eiecturus cum principe huius mundi. Ita Vatabl

Quarto, Pagnin. vertit, *in spiritu excisionis*: Christus enim tribuens nobis vitam, ipsam mortem excidit, iuxta illud Osee 13. *Ero mors tua, o mors.* Denique H. Pintus vertit, *in spiritu pascuæ*: Christus enim de se ait Ioan 10. *Ego sum pastor bonus*; et de eo dicitur Ps. 22. *Dominus regit* (hebr. *pascit*) *me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.* Nam Hebr. בער *baer* significat, primo, ardorem et incendium; secundo, pastionem et pascua; tertio, excisionem; quarto, eiectionem et separationem. Denique aliqui per hypallagen exponunt, *In spiritu iudicii et ardoris*, id est in iudicio, sive rectitudine et ardore spiritus; ad quæ nimirum impellit spiritus Dei,

et Spiritus sanctus animam excitans et exstimulans.

Anagog.

Anagogice, S. August. 10. Civit. 25. refert hæc ad diem iudicii, et ad ignem purgatorium: illo enim Deus iudicat, id est, punit et expiat, sordes animarum sanctarum in spiritu iudicii, et igne ardoris, id est, ardente.

Vers. 5.

ET CREABIT DOMINUS, etc. NUBEM PER DIEM, ET FUMUM ET SPLENDOREM IGNIS.) Sanchez exponit, q. d. In monte Sion Deus ita amanter amplectetur suos reduces ex Babylone, sicut olim, cum nube per diem et igne per noctem, illorum cursum ex Ægypto in Chanaan moderatus est. Verum hic sensus aliis exilior et frigidior videtur; nec enim legimus Deum columnam ignis et nubis, aut simile quid illustre præstitisse Iudæis e Babylone redeuntibus, sicut præstitit venientibus ex Ægypto in Chanaan. Hæc ergo tam augusta spectant ad tempora Christi. Unde

Columna nubis dux Hebræorum quid significet?

Nota. Alludit Isaias clare ad columnam, quæ Hebræorum castra præibat in deserto, quasi dux viæ in terram promissam; eaque de nocte instar ignis illuminabat, et hunc vocat *fumum* (id est ut Chaldæus, *caliginem*) et *splendorem ignis flammantis in nocte*. Erat enim hæc nubes fumosa, id est caliginosa, habens in se splendorem ignis instar faculæ de nocte: rursum flamma ignis non est aliud quam fumus accensus. Per diem vero eadem erat ut nubes, quæ obumbrabat castra, eaque præiens deducebat, et simul ab æstu protegebat, de qua dixi Exodi 13. 21. et c. 14. 19. ubi hæc columna interposuit se inter castra Hebræorum, ea illuminando; et castra Ægyptiorum, ea obtenebrando.

Secundo, per *nubem, fumum*, id est caliginem, et splendorem, symbolice significatur singulare Dei auxilium, gratia et beneficia; per diem significantur res prosperæ, per noctem adversæ, per montem Sion Ecclesia. Sensus ergo est, q. d. Faciet Deus cum Christianis per Christum spiritualiter, quod olim cum Iudæis fecit corporaliter et typice, eosque omni ope ac gratia præveniet, diriget, deducet, et proteget ab omni hostium et adversorum incursu ut eos secure et recto itinere per desertum huius vitæ in patriam cælestem perducat: hoc enim significabat columna ducens Hebræos per desertum in Chanaan. Deus enim quasi columna ignis præfulget, et ostendit suis viam salutis: idem quasi nubes caliginosa obumbrat, refrigerat et protegit eos ab æstu tentationis, ut dixi Exodi cap. 13. Ita S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus, item Theodoretus et Procop. apud Leon. Castrium.

Christus nobis est omnia.

Quare recte S. Ambr. in Ser. *Omnia*, ait, *habemus in Christo, et omnia in nobis Christus: si a vulnere curari desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, iustitia est; si indiges auxilio, virtus est: si mortem times, vita est; si tenebras fugis, lux est; si cælum desideras, via est; si cibum quæris, alimentum est.* Et S. Bern. ser. 15. in Cant. *Nomen Iesu*, inquit, *lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit et ungit invocatum. Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, castas fovet affectiones? Nihil ita sicut hoc nomen Iesu iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, livoris vulnus sanat, luxuriæ fluxum restringit, libidinis flammam exstinguit, sitim avaritiæ temperat, ac totius dedecoris pruriginem fugat.* Et rursum: *Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi pro his sapientia Christus: ne seducaris spiritu mendacii et erroris, lucescat tibi veritas Christus: ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus.*

Deus consolatione afflictione temperat.

Symbolice, nubes hæc in nocte lucens significat divinam consolationem, qua Christus Sanctis tenebras et calamitates mitigat et lenit. Contra vero nubes per diem est afflictio, qua Deus iustorum prosperitatem et mundi gloriam (ne ea capiantur et insolescant) temperat et moderatur. Itaque Deus in die prosperitatis protegit suos nube afflictionis, et in nocte afflictionis visitat eos igne divinæ oblectationis et lætitiæ. Tam enim nocet nimia prosperitas quam adversitas. Natura enim nostra in hoc exsilio nec magnum ferre potest dolorem, nec magnam lætitiam: illo enim percellimur, et in desperationem labi-

A mur; hac vero superbimus et evanescimus. Quare oportet ut mœror oblectatione aliqua spiritali temperetur, et oblectatio mœrore. Non ergo semper lætitiam quæramus, nec dolorem detestemur. Nam utraque, scilicet lætitia in afflictione, et afflictio in lætitia, columna dicitur, sine qua ruet ædificium nostrum. Rursum hæc lux in nocte, hoc est interna consolatio in afflictione, mista est cum fumo lacrymas movente, hoc est cum compunctione. Nam Beatis in cælo purum erit gaudium, et lumen absque fumo, et requies absque labore. Ita H. Pintus.

Vers. 6.

SUPER OMNEM ENIM GLORIAM PROTECTIO. ET TABERNACULUM ERIT IN UMBRACULUM DIEI AB ÆSTU.) Alludit ad tabernaculum Mosaicum, et arcam testamenti quæ erat gloria Israel, et cui maxime incubabat columna nubis, indeque se spargebat circumquaque per omnia castra ea obumbrans et ab æstu protegens: hæc autem arca significabat Ecclesiam, omnesque fideles, ut dixi Exodi 25. 10. q. d. *Super omnem gloriam*, id est super omnem Ecclesiam, vel super omnem locum, in quo fuerint B viri gloriosi et sancti, id est, in Christum credentes, erit divina protectio, et gratia Spiritus sancti (cuius columna illa nubis erat typus, uti S. Ambros. et veteres docent) qua velut tabernaculo et umbraculo ab æstu ardoris et concupiscentiæ, et ab omni pluvia ac turbine tentationum, persecutionum et adversitatum protegentur et abscondentur, eruntque tuti et securi. Ita S. Hieron. et Cyrill. Hicque sensus est genuinus: hæc enim omnia spectant ad gloriam Christi et Ecclesiæ.

Gloria Israel erat arca, quæ erat typus Ecclesiæ.

Arca fuit gloria Israel tripliciter.

Nota. Arca dicitur *gloria* Israel, primo, quia in arca erant tabulæ legis, quas Moses a Deo acceperat, et iuxta eas virga Aaron, et urna cum manna; quæ erant gloria Israel. Secundo, quia supra arcam erant Cherubim et propitiatorium quasi thronus Dei, ex quo responsa dabat pontifici induto Urim et Tummim. Tertio, quia arca duxit Hebræos per Iordanem et per desertum 40. annis, fuitque terror hostium, et scutum ac victoria Hebræorum. Unde capta a Philisthæis arca tempore Heli, uxor Phinees C ait: *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei*, ideoque filium enixa vocavit eum *Ichabod*, id est ubi est gloria? q. d. Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens gloria Teucrorum, puta Isacidum et Israelitarum, 1. Reg. cap. 4. 21.

Christus Ecclesiæ quasi sponsæ est umbella.

Aliter Sanchez: putat enim hic alludi ad sponsalia et nuptias Synagogæ; hæc enim vocari gloriam, q. d. Super illam gloriam, id est super sponsam ita gloriose ornatam, puta super Synagogam Iudæorum, erit divina protectio instar umbellæ, quæ olim in nuptiis novæ sponsæ obtendi solebat; aut instar vestimenti, quo olim sponsus initurus coniugium sponsam tegebat: uti Booz ducturus Ruth texit eam pallio suo, Ruth. 3. atque in tabernaculo suo hoc est in templo quasi thalamo suo, Deus sponsam hanc suam amplectetur, et ab omni malo proteget.

Iucunda vita piorum in Deo.

Moraliter Nota, viros pios a mundo deseri, sed a Deo protegi. Mundani et voluptuarii non capiunt quam suavis, secura et tranquilla sit vita eorum qui veram pietaD tem colunt. Hoc est, quod canit Psaltes Psal. 30. 21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum*: et Psal. 26. 5. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Alludit ad principem qui eum quem tutissimum esse vult, in suum cubiculum recipit, ne a persequentibus lædatur. Sic enim pro iusto se obiicit Deus, ut qui eum lædere velit, prius Deum ferire et lædere debeat. Hinc rursum ait Psaltes Psal. 90. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*: et Paulus Coloss. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Idem ergo est esse sanctum et esse a Deo absconditum et protectum.

Quocirca Pintus τὸ *super omnem enim gloriam protectio*, sic exponit, q. d. Hæc divina protectio, qua Dominus iustos tuetur, excedit omnem huius mundi gloriam: illa enim brevi hominum interitu, et oblivione posteritatis exstinguitur. Unde ait Isaias c. 40. 6. *Omnis caro fæ-*

num, et omnis gloria eius quasi flos agri. Hinc et Euripides apud Plutarchum ait, eam unum tantum diem durare, et statim extingui. Quo in loco reprehensus fuit a Demetrio Phalereo, quod non unum diem debuisset dicere, sed unum temporis punctum. At divina protectio et gloria æterna est.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Queritur de Synagoga quasi de vinea, quæ rite exculta pro uvis dedit labruscas, scilicet avaritiam, crapulam, iniustitiam, aliaque vitia, quæ a v. 8. usque ad 24. enumerat. Unde, v. 24. ei minatur excidium per Romanos, quorum vires et robur describit. Porro utitur hic sæpe carmine et rhythmo lugubri, tum ut concinnius Deum laudet, tum ut suavius influat in animum populi, eumque efficacius moveat, et ingratitudinis erga Deum coarguat.

CANTABO dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.
1. 2. Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio eius, et torcular extruxit in ea: et expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. 3. Nunc ergo habitatores Ierusalem, et viri Iuda, iudicate inter me et vineam meam. 4. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? an quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas? 5. Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem eius, et erit in direptionem: diruam maceriam eius, et erit in conculcationem. 6. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur: et ascendent vepres et spinæ: et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. 7. Vinea enim Domini exercituum domus Israel est: et vir Iuda germen eius delectabile: et expectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas: et iustitiam, et ecce clamor. 8. Væ qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ? 9. In auribus meis sunt hæc, dicit Dominum exercituum: Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes et pulchræ, absque habitatore. 10. Decem enim iugera vinearum facient lagunculam unam, et triginta modii sementis facient modios tres. 11. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. 12. Cythara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris: et opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. 13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit. 14. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino: et descendent fortes eius, et populus eius, et sublimes gloriosique eius, ad eum. 15. Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. 16. Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, et Deus sanctus sanctificabitur in iustitia. 17. Et pascentur agni iuxta ordinem suum, et deserta in ubertatem versa advenæ comedent. 18. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. 19. Qui dicitis: Festinet, et cito veniat opus eius, ut videamus: et appropiet, et veniat consilium sancti Israel, et sciemus illud. 20. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. 21. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. 22. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. 23. Qui iustificatis impium pro muneribus, et iustitiam iusti aufertis ab eo. 24. Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit; sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium sancti Israel blasphemaverunt. 25. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum: et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. 26. Et elevabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ: et ecce festinus velociter veniet. 27. Non est deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius. 28. Sagittæ eius acutæ, et omnes arcus eius extenti. Ungulæ equorum eius ut silex, et rotæ eius quasi impetus tempestatis. 29. Rugitus eius ut leonis, rugiet ut catuli leonum: et frendet, et tenebit prædam: et amplexabitur, et non erit qui eruat. 30. Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris: aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine eius.

Vers. 1. CANTABO (hebr. אשירה *ascira*, id est, præcinam, præibo quasi præceptor et præcentor, ita Forerius) DILECTO MEO CANTICUM PATRUELIS MEI VINEÆ SUÆ.) Per *patruelem*, vel, ut Vatabl. vertit, *patruum*, Forerius intelligit avunculum Isaiæ, puta Amasiam regem, aut eius fratrem: qui hoc dicterium sæpe in ore habebat, ut cum vellet significare aliquem in re quapiam oleum et operam perdidisse, diceret: Amicus meus habuit vineam in loco uberi, etc. exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas, q. d. Isaias: Ego canam dilecto meo hoc canticum de vinea ipsius, quod patruus meus solet canere de amici sui vinea, quodque iam abiit in proverbium.

Idem est patruelis et dilectus, scilicet Christus, cur?

Verum hic sensus frigidior videtur et Iudaicus: unde S. Hieron. et alii passim per *patruelem* accipiunt Christum. Pro quo Nota. Idem est *patruelis* et *dilectus*. Unde Vatablus vertit: *Canam dilecto meo cantilenam patruo meo vineæ eius*: pro *dilectus* enim hebr. est ידיד *iedid*; unde Salomon a Deo vocatus fuit *Iedidia*, id est, dilectus Domini vel amabilis Domino, 2. Reg. 12. 25. Pro *patruelis*, vel, ut Vatabl. vertit, *patruus*, est דוד *dod*. Idem ergo quasi est utrumque hoc nomen, et ab eadem radice descendit. Unde Septuag. hic, et S. Hieron. in Canticis Cantic. sæpe *dod* vertunt *dilectum;* hic tamen Hieron. secutus Aquilam vertit πατραδελφον, id est, patruelem, idque est aptius: vocat enim Isaias Christum patruelem, sive cognatum suum, eo quod ex eadem gente secum, scilicet Iudaica, esset nasciturus. Tertio, *dod* verti potest *amator*. Unde H. Pintus vertit: *Cantabo dilecto meo canticum, amatori, inquam, meo*. Quarto, *dod* significat amorem et charitatem. Quinto, ubera. Unde illud Cant. 1, *Meliora sunt ubera tua vino*, verti potest, *meliores sunt amores tui vino*. Unde colligas, Christum esse dilectum a

viris iustis, et ipsorum amatorem, et ipsum amorem ac charitatem, iuxta illud 1. Ioan. 4. *Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

Nota secundo. More Hebræo ponitur hic antecedens loco relativi. Christum enim, quem *dilectum* vocavit, mox vocat *patruelem*: dicit ergo, *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei;* pro eo quod nos diceremus, Cantabo dilecto meo canticum eiusdem, scilicet dilecti mei, qui est et patruelis meus. Sensus ergo est, q. d. Lubet canere, imo præcinere meo dilecto, et patrueli, sive cognato, quem unice diligo, puta Christo, carmen ipsiusmet Christi quod scilicet ipse cantabit vineæ suæ, id est, populo Iudaico, dicens Matth. 21. *Homo erat pater familias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei.*

Iudæa vocatur cornu ob tres causas.

VINEA FACTA EST DILECTO MEO IN CORNU FILIO OLEI.) Nota. Synagoga et Iudæa vocatur *cornu*, Primo, quia cornu symbolum est potentiæ et roboris, ac consequenter regiæ potestatis et magnificentiæ, quam Deus dederat
1. Davidi, Salomoni et Iudæis. Secundo, quia Iudæa in cor-
2. nu, id est, in alto loco, est sita: unde Pagninus pro *in* B *cornu*, vertit, *in colle:* cornu enim est locus excelsus et montosus; quia cornu acutum est, et altissimam partem animalis, puta caput, obtinet. Ita Vatablus, Arias et Sanchez. Vineæ enim plantari debent in monte conversæ ad Austrum, clausæ vero ad Aquilonem; nam *Bacchus amat*
3. *colles, Aquilonem et frigora sylvæ, etc.* Tertio, quia Iudææ situs speciem habet cornu, ait Forerius, sicut Belgii situs speciem habet leonis: unde vocatur leo Belgicus. Unde Syriaca versio habet: *Vinea fuit dilecto meo in angulo loci*, vel *regionis;* vel, ut Arabica, *in extremitate terræ.*

Et filius olei, id est fertilis.

Allegor. S. Basil. Iudæa, inquit, habet cornu, id est contra inimicos arma tutelaria, puta crucem Christi: hinc ait Habac. 3. 4. *Cornua in manibus eius.*

Nota secundo. Hoc cornu vocatur *filius olei*, id est, oleatum, olei ferax, oleo abundans et plenum: sic dicitur *filius iniquitatis*, id est, iniquitate plenus, iniquissimus. Vel potius *filius olei,* id est, pinguis, hoc est, fertilis ac si natus esset ex oleo. Unde Septuag. et Chaldæus vertunt, C *in cornu in loco pingui*, q. d. Vinea hæc plantata est in loco sublimi, in monte non sterili, sed fertili, cuius gleba felix est et uber, ac copiosum dans proventum. Rursum *cornu* significat robur; *oleum*, abundantiam, q. d. Ego Deus Israelem et Iudæam evexi ad potens et forte regnum, simul et pingue: fluit enim melle et lacte; ut videatur esse Amaltheæ cornu. Ita S. Hieron. Unde Symmachus vertit, *in cornu in medio olivarum*; Arabica et Syriaca, *vinea culta et pinguis.* Aliqui ergo putant Iudæam vocari *filium olei* ob olivarum copiam, ut dixi. R. Ioseph putat eam ita vocari ob regem et sacerdotem, qui erant in ea, et oleo ungebantur. Unde Zach. 4. dicitur: *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ,* ubi per *filios olei* intelligitur princeps et sacerdos, hoc est Zorobabel, et Iesus filius Iosedec. Rursum H. Pintus censet Ierusalem vocari montem pinguem et oleatum, quia ibi Christus docuit, et inde exivit Evangelium, quo impinguatus est mundus, qui antea aridus et macilentus erat.

Oleum pro deliciis.

Secundo, Sanchez, Oleum, inquit, quia mollit, lenit, D fovet, et titillat sensus, capitur pro deliciis, indulgentia et blandimentis, Psal. 140. 5. Proverb. 5. 3. q. d. Populus Iudaicus Deo, et per Deum fuit fortis instar cornu, simulque fuit ei filius olei, id est, filius dilectionis et deliciarum, cui scilicet Deus prolixam liberalitatem suam ostendit, nec solum necessaria ad victum et vitam, sed et oblectamenta ac delicias effudit.

Mystice, H. Pintus, Iudæa, ait, vocatur *filius olei*: quia sicut oleum in lampade est materia ignis et splendoris, sic Hebræi multis gentibus clarum notitiæ Dei lumen præbuerunt.

Notat S. Basil. traditionem esse antiquissimam, quod Adam exclusus paradiso amœnissimo, ut dolorem leniret, occuparit Iudæam omnium terrarum fertilissimam; unde Pentapolis, quæ fuit pars eius, vocatur *Paradisus Dei*, Genes. 13. 10. Hinc et communis Patrum traditio est, cranium Adæ sepultum esse in monte Calvariæ, ubi A Christus crucifixus est, indeque nomen Calvariæ accepisse.

Adam habitavit in Iudæa

Allegorice, vinea, id est, Ecclesia, facta est Christo in cornu filio olei, id est, in hæreditatem, et regnum potens et fertile æque ac misericors; utriusque enim symbolum est oleum. Christus enim qui nobis fuit filius olei, id est, summe misericors, voluit et Ecclesiam esse filium, vel potius filiam olei, ut scilicet regimen Ecclesiæ esset benignum, clemens et gratiosum, cum Synagogæ regnum fuisset minax et terribile. Hac de causa paulo ante Christi nativitatem Romæ in Transtiberina regione, ex taberna meritoria fontem olei (qui erat instar cornu filii olei) voluit scaturire, qui integrum diem sine intermissione manavit: ut portenderet Christum mox nasciturum, ubi primum in terris pedem posuisset, simul dexterum misericordiæ pedem mox ostentaturum, eoque suæ clementiæ et misericordiæ fontem aperturum, ex quo omnia beneficiorum genera in Ecclesiam continenter dimanarent. Huius fontis testes sunt Eusebius in Chron. Orosius lib. 6. cap. 19. et alii. Locus nunc in Ecclesiam B. Virginis conversus est, in qua ipsissimus fontis olei locus mihi ostensus est: cui introrsum hæc inscripta sunt prisca carmina:

Hinc oleum fluxit, cum Christus Virgine luxit;
Hic et donatur veniæ quodcumque rogatur.

Fuit enim olim in eo loco sedes Pœnitentiariæ.

Vers. 2. Vinea est Ecclesia

SEPIVIT EAM, ET LAPIDES ELEGIT EX ILLA, etc.) Solent enim ex solo lapidoso lapides colligi et auferri, ut in eo vites serantur. Hac parabola pene ad verbum usus est Christus, Matth. 21. uti prædixit Isaias v. 1. Tam Isaias, uti ipse explicat v. 7. quam Christus per vineam intelligunt Ecclesiam, sive Synagogam, uti et Psaltes Ps. 79. v. 9. *Vineam*, inquit, *de Ægypto transtulisti: eiecisti Gentes* ex Chananæa, ibique *plantasti eam.* Sepes, torcular, turris, elapidatio, etc, significant in genere, Deum Ecclesiam per omnia excoluisse, eique de omnibus necessariis providisse. Particulatim tamen et distincte sepes primo, fuit murus Hierosolymæ, ait S. Hieron. Secundo, et aptius, sepes fuit lex et præcepta quæ quasi seps data sunt populo, ut eum munirent, et in officio ac pietate continerent. Ita auctor imperfecti, Theophyl. et Euthym. in Matth. 21. et Irenæus lib. 4. c. 70. Rursum tertio, sepes fuit custodia Dei et Angelorum, inquit S. Ambros. Hieron. et Origenes, qui homil. 19. in Ioan. sic ait: *Custodia Dei fuit sepes vineæ, turris templum, torcular locus libationum.* Hoc est quod ait Zachar. c. 2. *Absque muro habitabitur Ierusalem*, id est, Synagoga et Ecclesia: nam *ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Sic dicitur Isaiæ 26. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion*, *salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Rursum Psal. 33. v. 28. *Immittet* (hebr. חונה *chone*, id est, *castrametabitur*) *Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Denique Zach. 9. *Circumdabo*, ait, *domum meam ex his qui militant mihi euntes et revertentes:* ubi hebr. est חניתי *chaniti*, id est, *castrametabor domui meæ ex milite transeunte*, scilicet per Angelos. Quarto, H. Pintus per sepem accipit viros sanctos, qui populo pro muro sunt apud Deum, quibus ablatis conculcatur populus; uti exeunte Lot, Sodoma conflagravit; Hebræis exeuntibus, Ægyptus periit.

Sepes est lex vel custodia angelorum.

Torcular est altare.

Torcular autem est altare, quo victimarum sanguis exprimebatur, inquit Origenes, S. Hieronym. Beda, Euthym. Theophyl. in Matth. 21. Mystice, torcular est crux Christi, cuius prælo premuntur martyres, virgines, omnesque Christi sequaces: indeque vinum gaudii exprimitur.

Lapides quos abstulit ex vinea sunt idola, peccata, omniaque divini cultus ac religionis impedimenta.

Turris primo, accipi potest regia dignitas; secundo, sacra Scriptura, ait H. Pintus: ad eam enim quasi ad turrim et arcem in nostris tentationibus et periculis confugere debemus, et sicut ex turri conspicimus longinqua, ita ex lege et Prophetis prospiciebant Christum post tot sæcula venturum. Nota. In vinetis solent erigi turres, tum ut ad eas se recipiant vinitores, tum ut uvæ et vinearum instrumenta ibi tuta asserventur, tum maxime ad

excubias, uti scilicet in iis quasi speculis excubent custodes, et circumquaque prospiciant ne qui fures vel bestiæ vineam invadant et populentur. Tales turres vidi in locis vitiferis, ut iuxta Romam et in Germania, præsertim iuxta Herbipolim: ibi enim vineta abundant, adeo ut viri graves, imo principes, ibidem mihi asseverarint, in urbe Herbipolensi plus esse vini quam aquæ. Unde ibidem spectavi ingentia vini dolia, quorum quodque plusquam centum vini vasa, sive amas continebat, habebatque ostia, per quæ vinitores in dolia (perinde ut Diogenes in suum) ingrediebantur ad ea concinnanda et expurganda. Quocirca tertio, aptius per turrim accipias doctores et pastores speculatoresque populi, aut templum Hierosolymitanum, Deique cultum et religionem, uti explicant Chald. hic, Origenes, S. Hieron. Beda, Euthym. Theoph. supra: ex templo enim quasi turri et arce Deus auxilio erat et perfugio laboranti populo.

Turris est templum et doctores.

Et plantavit eam electam.) Pro *electam* hebr. est שורק *sorec*: quod Hebræi dicunt esse genus vitis optimæ, quæ nullos, id est, paucos et exiguos, habet acinos: forte dicta est *sorec*, a Sorec regione, generosis vitibus abundante; ubi Samson vidit et adamavit Dalilam, Iudic. 16. 4. Ita Sanchez.

Sorec, vitis optima.

Talis optima Dei vinea fuit Synagoga tempore Patriarcharum, Abrahæ, Isaac, Iacob, qui sanctissimi fuerunt, uvasque et fructus sanctorum operum Deo reddiderunt.

Labrusca vitis agrestis, qualis.

Fecit labruscas.) Nota. *Labrusca* hic ponitur pro fructu labruscæ: est enim labrusca vitis agrestis, cuius flos, teste Dioscor. lib. 5. cap. 5. œnanthe, q. d. Vini vel vitis flos, vocatur: est ergo labrusca uva immatura, acerba et vilis. Unde Septuag. pro *labruscas*, vertunt, *spinas*; Symmachus, ἀτελῆ, id est, *imperfectas*, id est, immaturas. Est enim, ait Plinius lib. 16. c. 27. agrestis vitis, quam ipse *insanam* vocat, quæ trifero proventu, sed evanido luxuriat: nam in ea eodem tempore alia maturescunt, alia turgent, alia florent; sed nihil maturum est et utile: ostentant enim fructum potius quam porrigunt; hebr. est באשים *beuscim*, id est, *fœtentes*, unde Aquila vertit, σαπριάς, id est, *putres;* nam ut ex Varrone tradit Casius Dionysius: *Sunt quædam vites, quæ fructum recens productum putrefaciunt, priusquam racemi connutriantur et maturescant.* Iam sensus est, q. d. Dilectus meus, puta Deus Pater, eiusque Filius et hæres Iesus Christus, exspectavit ex vinea ita a se culta uvas suaves et stomacho suo gratas et iucundas, sed ecce invenit insuaves et amaras, quæ molestiam ei movent et nauseam: nimirum a populo Iudaico exspectabat lætum et dulce vinum virtutum, fidei et bonorum operum: at ille omphacium et acetum infidelitatis, iniustitiæ (uti ait v. 7.) superbiæ, libidinis, etc. reddidit ei, ipsumque acetum pro vino vere in cruce Christo Domino propinavit: eo enim sigillatim respicere aciem Prophetæ docet S. Chrysost. homil. 2. de cruce et latrone; et passim Patres hæc referunt ad passionem Christi.

Tropol. labruscæ sunt inconstantes.

Tropologice, fœtentes uvas parit qui a fide et pietate, quam præstare Deo debuit, ad insanias falsas et stultas cogitationes animum et studium convertit, ait Sanchez, de quo Eccles. 11. 32. *Sicut eructant præcordia fœtentium, etc. sic et cor superborum.*

Rursum luxuriantes, sed imperfectæ et immaturæ uvæ sunt Religiosi, aliique qui magno fervore viam virtutis inchoant; sed mox intepescunt, nec cœpta perficiunt. Item qui ex levitate et inconstantia nunc hoc vitæ, virtutis et studii genus, nunc illud amplectuntur, dumque omnia tentant ab omnibus excidunt, et, ut ait Sanchez, in illo non tam labore, quam multiplici ludo nihil maturum proferunt, quod Dominus carpat et capiat: nihil enim ita progressum in via spirituali impedit, atque hæc inconstantia, et crebra mutatio consiliorum et studiorum.

Vers. 3. Nunc ergo, etc. viri Iuda iudicate.) Deus hic ex humanitate permittit se iudicio populi; ut ipse Deum in causa tam evidenti iustificare, et seipsum suo testimonio et gladio iugulare cogatur.

Vers. 4. Quid est quod debui ultra facere, etc. an quod

A expectavi.) Est gravis exprobratio, q. d. Ecquod vinitoris officium omisi? quid in vinea colenda neglexi? quid ei facere debui quod non feci? Anne in hoc peccavi quod exspectavi uvas? hæccine est culpa, hoc peccatum meum, scilicet longa exspectatio fructuum, et nimia mea longanimitas? hæccine ex uvis fecit labruscas? longa mora et tempus maturat uvas; meane ergo sola mora fecit immaturas? Ita Deus. E contrario homo vere dicere potest, et debet: *Quid debui facere Domino meo quod fecerim? quis ego, qualis ego, quid non mali ego?* ait S. August. homo enim sanctus se servum Deo inutilem reputare debet. Simili modo queritur Deus per Ieremiam cap. 2. 21. *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conversa es in pravum, vinea aliena?*

Auferam sepem eius.) q. d. Nudabo populum Iudaicum lege æque ac protectione mea, et Angelorum custodia, ut vastetur a Romanis, eaque transferam ad Gentes. Unde Iosephus libr. 7. Belli c. 12. ait, paulo ante excidium Hierosolymæ portam templi gravissimam sponte B reseratam fuisse, et vocem auditam (Angelorum) in templo: *Migremus hinc.* Tale est et illud Angelorum aut militum, Ieremiæ cap. 51. 9. *Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus eam.* Vers. 5.

Non putabitur, et non fodietur.) Solet enim vinea luxurians putari et secari, item fodi, sive ablaqueari, hoc est, effodi terra quæ ad radices eius erat ut illæ aerem, cælestemque humorem sugant, quod ad fertilitatem vitium et arborum necessarium esse docent omnes rei rusticæ periti. Unde S. Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 12. *Circumfodit*, ait, *vineam, quando eam exoneravit terrenarum mole curarum.* Rursum solet fodi terra viti vicina, sicut foditur ager, ut semen ex terra effossa et subruta maiorem et meliorem succum trahat. Unde Forerius vertit, *non sarculabitur*, vel *non coacervabitur;* nam עדר *adar* in passiva coniugatione est congeri, cogi et congregari in unum, verbi gratia, cumulum, ut sit circa vites, ad quas terra sarculo contrahitur: sicut etiam fit arando C in sulcis agrorum. Perpetuam enim eamque variam et continuam culturam requirit vinea: unde merito dicunt Itali, *Vinea est tinea.* Vers. 6.

Vineam ablaqueari quid?

Sensus est, q. d. Deus deseret hanc suam vineam, non resecabit, nec compescet luxuriantem populi sui malitiam: rursum cor eorum non suffodiet, non tanget, non compunget, non excolet; sed sinet illud vepribus et spinis peccatorum oppleri, abscondi et suffocari. Ingens hæc est pœna, cum peccator a Deo derelinquitur, et impune sinitur sequi suas libidines, ac volutari in concupiscentiis. Nam, ut ait S. Gregorius hom. 12. in Ezech. *Qui a Deo avertitur, et prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto a zelo disciplinæ invenitur alienus.*

Tropologice, anima putanda et excolenda est tam præceptis Dei, quam adversitatibus, ait S. Basil. hic.

Pluvia, est cælestis doctrina.

Nubibus mandabo ne pluant.) Pluvia, quæ vineæ a Deo reiectæ, id est, Synagogæ, negatur, est cælestis doctrina: unde ab eadem radice apud Hebræos utraque vox D deducitur. Nam a ירה *iara*, id est, emisit, demisit, proiecit, deducitur מורה *more*, id est, doctor suam emittens doctrinam; et יורה *iore*, id est pluvia cælo demissa; et תורה *tora*, id est, lex, sive doctrina in aures et animum discipuli a doctore immissa, unde Apostoli virique Apostolici vocantur *nubes;* quia per hos Deus cælestem hunc imbrem in Ecclesiam depluit. Isaiæ 60. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* et Ioel. 2. 23. *Quia dedit vobis doctorem iustitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum.* Ita S. Hieron. Sensus ergo est, q. d. Ego Deus vetabo Apostolis eorumque asseclis, ne Iudæos rigent imbre sanctæ doctrinæ et Evangelii, sed eo Gentes perfundant. Ita S. Hieron. Cyrill. et fuse Basil.

Vinea Domini exercituum, domus Israel est.) Hic explicat canticum et parabolam vineæ, q. d. Vinea hæc est populus Israel.

Et vir Iuda, germen eius delectabile.) Septuag. *germen eius dilectum*; Chaldæus, *plantatio lætitiæ eius*; alii, *germen eius deliciosum*, q. d. Tribus Iuda (sub qua

et Beniamin, quæ Iudæ adhæsit in schismate Ieroboam, A intellige) in hac totius Israelis vinea est germen, sive vitis, quæ Deo unice placuit, eique fuit in deliciis. To enim *eius* refert, non vineam, sed Dominum exercituum, qui præcessit. Causa fuit, quia Iuda retinuit Dei fidem, cultum et templum; et quia ex Iuda nasciturus erat Christus, qui est desiderium collium æternorum.

Exspectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas; et iustitiam, et ecce clamor.) q. d. Ex hac vinea ita a me elaborata exspectavi uvas, scilicet iudicium et iustitiam; sed illa dedit labruscas, scilicet iniquitatem et clamorem. *Iudicium* vocat iustitiam, sive id quod iustum est: noster tamen Prado hæc distinguit. *Iudicium*, inquit, significat potestatem iudiciariam, quatenus reos punit: *iustitia* significat eamdem, quatenus insontes absolvit et vindicat, q. d. Espectabam a Iudæis iudicium; *et ecce iniquitas*, quia absolvunt reos: et iustitiam; *et ecce clamor, quia* damnant innoxios, qui proinde clamant et eiulant propter hanc iniuriam.

B Verum per *clamorem*, utpote iustitiæ oppositum, aptius intelligas clamorem ipsorum iniustorum, iratorum et violentorum: qualis solet esse latronum, dum vi et clamosis minis ac vocibus viatores percellunt, ut spolient, vel obtruncent. Rursum hac voce respicit proprie Isaias ad clamorem Iudæorum contra Christum: *Crucifige, crucifige*. Ita S. Hieron. et Cyrill. Simili modo ait Ierem. c. 12. 8. *Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylva: dedit contra me vocem* (clamorem) *ideo odivi eam.*

Aliter Sanchez: *clamor*, inquit, est omne peccatum, quod clamat in auribus Dei, eumque excitat, ut evigilet ad vindictam; ac præsertim quatuor illa enormia, quæ proinde vocantur peccata in cælum clamantia, scilicet primo, oppressio pauperum, viduarum et pupillorum; secundo, homicidium et parricidium voluntarium; tertio, merces operariorum defraudata; quarto, peccatum Sodomiticum.

Nota. In Hebræo est elegans paronomasia: *exspectavi* משפט *mispat*, id est, *iudicium; et ecce* משפח *mispach*, C id est, *iniquitas: exspectavi* צדקה *tsedaka*, id est, *iustitiam; et ecce* צעקה *tseaka*, id est *clamor*, q. d. Exspectavi æquitatem et ecce iniquitas: iustitiam, et ecce iniustitia: exspectavi iustitiæ dispensationem, et ecce dissipatio.

Vers. 8. Væ qui coniungitis domus ad domum, etc. usque ad terminum loci.) Usque ad finem loci, puta agri vel urbis, q. d. Væ avaris vobis, qui omnia per fas et nefas vultis occupare, qui agros agris, domos domibus copulatis, donec totum possideatis urbis aut regionis spatium, quod vestræ cupiditati vel ambitioni præfinistis. Hic particulatim explicat acerbitatem harum labruscarum, scilicet iniquitatis et clamoris; unde hoc versu Iudæorum, maxime opulentorum et potentiorum, taxat fastum et avaritiam; versu vero 11. eorumdem ebrietatem; vers. 18. eorum obstinationem perstringit.

Labrusca prima est ambitio. Hic ergo ambitionem et cupiditatem redarguit quasi iniuriæ et violentiæ principium, quæ ut supra alios emineat, alios expoliat, et ex aliorum præda suam pompam et statum sustentat: uti fecit Nero, qui totam Romam suis deliciis aut ambitioni servire fecit, inquit Martialis. Cupiditas enim insatiabilis est, ideoque omnium malorum mater est et origo, teste Apostolo: ac proinde tam Christus, quam Isaias væ æternæ damnationis divitibus et cupidis intentat: hæc ergo prima est labrusca.

Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?) q. d. Tanta vestra est cupiditas, ut videamini velle soli occupare, imo habitare totam terram, esseque reges mundi universi. To enim *in medio terræ*, idem est quod in tota terra, ut tota terra sit quasi una domus vestra; in cuius medio vos resideatis, sicut rex residet in medio regni, circumquaque imperans et dominans.

Morale in avaros. Ita Nero Romæ tam vastum ædificavit palatium (adhuc hodie eius muros et macerias ingentes videmus) ut magnam urbis partem occuparet: unde in eum et eam luserunt hoc carmine:

Roma domus fiet: Veios migrate, Quirites,
Si non et Veios occupet ista domus.

Quid facies, o infelix avare? Nonne tres cubiti terræ solum te exspectant? nonne parvus lapis ad tuum miserum corpus tegendum satis est, cur ergo tot fundos et opes tam ardenter quæris, et impedimenta æternæ beatitudinis concupiscis et accumulas? Vere dixit poeta: *Unus Pellæo iuveni* (Alexandro magno) *non sufficit orbis: Sarcophago contentus erit.* Nimirum *heri totus mundus non capiebat Alexandrum: hodie defunctum terra sex pedum capiet et sepeliet.* S. Bernard. epist. 51. ad Henricum Senon. Archiepisc. hanc Isaiæ sententiam intorquet in avaros Ecclesiasticos, qui beneficia et dignitates accumulant. *O*, inquit, *infinita semper ambitio, et insatiabilis avaritia! Cum factus quis fuerit in quacumque Ecclesia Decanus, Præpositus, Archidiaconus, etc. non contentus uno in una, plures sibi, imo quotquot valet, conquirere honores satagit tam in una quam in pluribus. Sed numquid sic satiabitur? Factus Episcopus, Archiepiscopus esse desiderat. Quo forte adepto, rursum nescio quid altius somnians, laboriosis itineribus et sumptuosis familiaritatibus Romanum statuit frequentare palatium. Væ qui coniungitis domum ad domum, etc.*

Præclare S. Ambros. lib. de Naboth et Achab c. 1. tom. 1. *Quousque*, ait, *divites, extenditis insanas cupiditates vestras? Numquid soli habitabitis super terram? Cur eiicitis consortem naturæ, et vindicatis possessionem? In commune omnibus divitibus atque pauperibus terra fundata est, cur vobis ius proprium soli, divites, arrogatis? Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra quos edidit, nescit fines possessionum sepulcro includere. Cespes angustus æque pauperi abundat et diviti; et terra quæ viventis non cepit affectum, totum iam divitem capit.* Et cap. 3. *Avis avibus se associat, pecus pecori adiungitur, piscis piscibus: nec damnum ducunt, sed commercium vivendi, cum plurimum comitatum capessunt, et quoddam munimentum solatio frequentioris societatis affectant. Solus tu, homo, consortem excludis: includis feras, struis habitacula bestiarum, destruis hominum.* Et cap. 6. *Ditem dicunt Gentiles inferorum præsulem, arbitrum mortis. Ditem appellant et divitem, quod nisi mortem dives inferre non noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sunt? Quid est enim dives, nisi quidam inexplebilis gurges divitiarum? inexplebilis auri fames? quo plus hauserit, plus inardescit.* Et c. 12. *Pauperiorem enim se iudicat omnis abundans, quia sibi deesse arbitratur quidquid ab aliis possidetur. Toto mundo eget, cuius non capit mundus cupiditates; eius autem qui fidelis est, totus mundus divitiarum est.*

Quin et Gentilis Seneca epist. 90. Olim, inquit, iuxta Virgil. 1. Georgic.

nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant, ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

D At nunc, ait, *irrupit in res optime positas avaritia; et dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena: et in angustum res redacta, paupertatem intulit, et multa concupiscendo omnia amisit. Licet agros agris adiicias, nulla nos finium propagatio eo reducet, unde discessimus: multum habebimus, universum habebamus.*

In auribus meis sunt hæc.) q. d. Audio clamosas vestras lites, fraudes, rapinas, oppressiones pauperum, eorumque vicissim lamenta et clamores; nec surdas, sed patulas eis aures præbeo: ut vindictam meam excitent, eaque in vos furibunda prosiliat. Vers. 9.

Nisi domus multæ desertæ fuerint.) *Nisi* apud Hebræos est vox iuramenti execratorii, in quo per aposiopesin subaudire oportet, *Alias non habeat Deus aut verax*: sicut Latini dicunt, *Dispeream nisi hoc fecero*: sed Hebræi ad euphemismum, quasi boni ominis causa, subticent illam imprecationem, quæ tanta est tamque horrenda, ut ne iurans quidem ex reverentia divinæ maie-

statis eam exprimere audeat, q. d. Iuro per deitatem et veracitatem meam, quod domos et agros vestros, quos tam cupide et avare sine mensura et termino accumulatis, excindam, redigamque in solitudinem et sterilitatem; ita ut ex decem vinearum iugeribus tam paucas colligatis uvas, ut ex iis unam tantum vini lagenam exprimere possitis; et ex copiosa triginta modiorum semente vix tres modios, id est, decimam sementis partem, in messe colligatis: hæc est congrua avaritiæ merces, scilicet sterilitas et paupertas, quam Iudæis obvenisse non est dubium, præsertim in bellis, obsidione et excidio per Romanos.

Moral. quam opes sint perniciosæ. Moraliter disce hic, quam vanæ et perniciosæ sint divitiæ et possessiones, si quis avare eas coacervet, in iisque spem et cor suum defigat. Id ipsum veteres docent. Primo, David. Psal. 41. a v. 7. usque ad ultimum: *Ne timueris*, inquit, *cum dives factus fuerit homo: quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius;* et Psal. 61. v. 10. et 11. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

Secundo, Salomon Eccles. 5. v. 9. 10. 14. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: et hoc ergo vanitas. Ubi multæ sunt opes, multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo;* et Sapient. 5. *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra etc.*

Tertio, Christus Matth. c. 6 v. 19. et seq. *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra: ubi ærugo et tinea demolitur: et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, etc. Non potestis Deo servire et mammonæ.* Idem Matth. 19. 24. *Facilius*, ait, *est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Vide et histor. de divite Epulone Luc. 16.

Quarto, S. Paulus 1. Timoth. 6. 6. et seq. *Est quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, etc. Radix enim omnium malorum est cupiditas;* et v. 17. *Divitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, etc.*

Quinto S. Iacobus c. 1. v. 9. *Glorietur*, ait, *frater humilis in exaltatione sua; dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit, etc.* et cap. 5. 1. *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus, etc.*

Sexto, S. Cyprianus de Disciplina et habitu virginum: *Sciant*, inquit, *primo divitem esse, quæ Deo dives est. Terrena, et in sæculo accepta, et hic cum sæculo remansura tam contemni debent, quam mundus ipse contemnitur, cuius pompis et deliciis iam tunc renuntiavimus, cum meliore transgressu ad Deum venimus.* Et infra: *Divitem te sentiant pauperes, patrimonium tuum Deo fœnera, Christum ciba, possessiones tibi cælestes compara. Tentatio est patrimonium grande nisi ad bonos usus impendatur: quo enim quisque est locupletior, magis redimere debet quam augere delicta.* Idem alibi: *Cur*, ait, *de crastino cogitamus, et quærimus in sæculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire?*

Septimo, S. Basil. ser. de divitiis: *Fluxa*, ait, *divitiarum natura torrente celerius possidentes prætermeat et alias alium præterlabi solet: dispensator tantum earum es.*

Divitiæ sunt idola. Octavo, S. Nazianz. orat. 16. divitias impiorum vocat calamitatis arrhabonem, vitiorum magistras, idola, perditionis instrumenta; harum cupiditatem vocat rem fœdissimam et exitialem. Idem, *Utinam*, ait, *pereant divitiæ, nisi pauperibus subveniant: quid enim opus est multa reponere latronibus, et furibus, et mutationibus temporum, quæ ea in alios transferant?*

Nono, S. Chrysost. apud Antonium in Melissa serm. 131. de divitibus: *Pauper*, ait, *non tam necessaria desiderat, quam dives superflua: nec rursum tantam vim aut facultatem habet pauper ad exercendam improbitatem, quantam dives; periculosa divitum vita est, et intractabilis mutatio; nihil ex iis habent nisi iuges curas, sollicitudines, iras, perturbationes; neque enim dives multos implet ventres, pauper vero unum solum; sed unum hic et ille; verum hic sine metu et anxietate; ille tremens, et timens adversitates.* Scripsit S. Chrysost. homilias de avaritia, beneficentia, charitate, dilectione, divitiis, eleemosyna, misericordia; ex quibus hæc collige axiomata: *Divitiæ non sunt peccatum, sed peccatum est, eas non distribuere pauperibus, et eis male uti. Non sunt monimentum gloriæ, sed avaritiæ; sunt gravia vincula, et sævi tyranni male utentibus; immanes item belluæ, corruptionis adiutrices, hostes continentiæ, inimicæ temperantiæ, occultæ prædatrices virtutum, similes feris et servis fugitivis; bonos mores numquam fecerunt; reconditæ sunt belluis reclusis similes; occultant viperas et scorpios; multos habent fructus et perturbationes; sunt abundantibus opprobrium; non sunt cum eo qui habet illas; suffocant mentem; suis dominis sunt periculosæ et lethales: dum includuntur, acrius rugiunt quam leones, ac omnia perturbant; reddunt homines insanos, coniiciunt in tentationes, contumelias verborum in Deum pariunt; sunt omnis absurditatis parentes, sunt instabiles, fugaces, fallaces, homicidæ, probrosæ. Divitiæ non sunt bonum, sed voluntas nostra: sunt feræ; si contineantur, fugiunt; si spargantur, manent: sparge igitur, ut maneant; ne occultes et defodias, ne fugiant. Tum demum nostræ sunt, cum dantur pauperibus. Ei sunt bonæ, cui peccatum non est coniunctum. Divitias qui male expendunt, avaris sunt peiores. Divitiæ maximæ sunt non egere divitiis. Cupiditas divitiarum est omnium vitiorum arx et metropolis; opera bona facere non sinit, est tyrannus per totum terrarum orbem diffusus, est soboles Satanæ, qui eas congregat, cum peccato spem suam ponit in terra, inflant, et nocendi virtutem præstant. Divitiæ inferorum tormenta suscipiunt, non sunt filiis relinquendæ, ut relinquant ipsi virtutem, in divitiis defuncti sunt deflendi, quia nullam ex divitiis sibi comparaverunt consolationem.* (Sunt feræ.)

Decimo, S. August. serm. 13. de verbis Domini: *Quales*, ait, *sunt divitiæ, propter quas times servum tuum ne te occidat, auferat, et fugiat? si vere divitiæ essent, securitatem tibi præstarent; illæ ergo veræ divitiæ sunt quas cum habemus, perdere non possumus.* Et serm. 33. *Amor*, inquit, *temporalium est viscus spiritualium pœnarum.* Idem lib. 1. de Civit. cap. 10. *Paulinus*, inquit, *Nolæ Episcopus ex opulentissimo divite voluntate pauperrimus, cum a barbaris teneretur, precabatur: Domine, non excrucier propter aurum et argentum; ubi enim sunt omnia mea tu scis.* (S. Paulini vox divina.)

Undecimo, S. Ambros. lib. 8. in Lucam: *Divitiæ*, inquit, *uti impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutum.* Idem tract. de Nabuchodonosor: *Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat, et nudos fundit in lucem, nudosque recipit sepulchro.* Idem in Hexam. *Nulla*, ait, *est distinctio inter cadavera mortuorum, nisi quia gravius fœtent corpora divitum distenta luxuriæ.* (Natura omnes generat pauperes et nudos.)

Duodecimo, S. Hieron. epist. 69. *Omnis*, ait, *dives aut iniquus est, aut iniqui hæres.* Idem in Matth. 6. *Qui divitiarum servus est, eas custodit, ut servus: qui autem servitutis iugum discusserit, distribuit eas ut dominus.* Idem ad Paulinum: *Crates*, inquit, *Thebanus ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, neque putavit se posse et virtutem et divitias simul possidere, nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur, etc.* Sic et Diogenes: *Nobilitas*, ait, *gloria, divitiæ, malitiæ sunt velamenta.*

Decimo tertio, S. Gregor. hom. 15. in Lucæ c. 8. *So-*

læ, ait, *divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus efficiunt. Si ergo, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate: si culmen veri honoris quæritis, ad cæleste regnum tendite: si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia ascribi festinate.* Idem lib. 18. Mor. c. 9. *Dives*, ait, *cum dormierit, nihil secum auferet: res suas cum moritur secum effert, qui eas petenti contulit: nam terrena omnia, quæ servando amittimus, largiendo servamus; patrimoniumque nostrum retentum perditur, manet erogatum; diu enim cum rebus nostris durare non possumus: quia nos aut illas deserimus, aut illæ nos viventes quasi deserunt pereundo. Agendum est ergo nobis, ut res absolute perituras in non pereuntem cogamus transire mercedem.* Vide sequentia, ubi divitias somno comparat, post quem divites superbi a diabolo impelluntur in incendia tormentorum.

Decimo quarto, S. Bernard. de Convers. ad Clericos, c. 12. *Divitiarum*, inquit, *amor insatiabilis longiore amplius desiderio torquet animum, quam refrigeret usu suo, utpote quarum acquisitio laboris, possessio vero timoris, amissio plena doloris invenitur.* Quid ergo concupiscitis ea, quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant? Et cap. 14. *Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te; et quæ parasti cuius erunt?* Idem serm. 4. de Adventu: *Fili Adam, genus avarum, quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? aurum et argentum vere est terra rubea et alba, quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosam. Denique si vestra sunt tollite ea vobiscum.* Et lib. de Consider. *Aurum, argentum, etc. nec bona sunt, nec mala: usus horum bonus, abusus malus, sollicitudo peior, quæstus turpior.*

Denique sapientissimus mortalium rex Salomon hoc Deo votum nuncupat: *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* Causamque subdit: *Ne forte satiatus illiciar ad negandum et dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et periurem nomen Dei mei*, Proverb. 30. v. 8. Fuerant Sigismundo Cæsari ex Hungaria allata quadraginta millia aureorum, quæ ubi nocte adventante in quos converteret usus sollicite cogitaret, per cubicularios ocius consiliarios omnes ac militum duces ad se vocat: *Ecce*, ait, *crudelissimi hi hostes ac carnifices* (nummos ostendens) *somnum mihi eripuerunt: accipite et inter vos dividite, ut mihi tranquille dormire liceat.* Distributa itaque pecunia inter eos, cum exirent viri a consiliis, dixit, *Recedit iam a me tortor ille qui me flagellavit: securius iam quiescam.* Refert hoc Æneas Sylvius l. 4. comment. in Alphonsum. (Exempla.)

Poeta Anacreon cum a rege quinque auri talenta accepisset, noctu dormire non potuit: anceps enim cogitatio et cura eum discruciabat, qua in re illa impenderet, et ne fures illa surriperent: quare orto mane redit ad regem, aurumque reddit dicens, *malle se esse pauperem cum quiete, quam opulentum cum inquietudine.*

Vers. 11. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.) Secunda est hæc vineæ, id est Iudæorum, labrusca, scilicet ebrietas, eaque intempestiva, puta matutina. Nam, ut ait Apostolus 1. Thessal. 5. *Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* (Secunda labrusca Iudæorum, ebrietas.)

Ut vino æstuetis.) Septuag. vertunt, *vinum enim succendet* vel *comburet eos*, scilicet tum spirituum et vaporum, tum affectuum flammis et incendio. Nam uti hunc locum explicat S. Basilius homil. de ebrietate: *Vini fervor corpori infusus, incendium fit ignitorum inimici vinculorum: rationem enim ac mentem deprimit, voluptates et cæteros animi affectus malos, velut apum examen excitat. Quis currus equorum indomitorum ita preceps fertur dominum suum excutiens? quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum et concussum quod non sit securius ebrio?* Et inferius: *Ebrietas est dæmon voluntarius, ex voluptate animabus inditus, malitiæ mater, virtutis inimica.* De ebrietate plura dicam Daniel. 5. 2. Insuper vide de ea S. Chrysost. hom. 71. ad pop. et S. Ambr. lib. de Elia et ieiunio c. 15. Hinc Græci Poetæ vinum vocarunt *Bacchum ignigenam*, tum quia iuxta Vesuvium et Ætnam montes incendiis notissimos, præstans et ardens quasique ignitum nascitur vinum, tum quia ignes rixarum, libidinum et scelerum omnium suscitat, ut quasi ignitum et ex igne natum videatur. Alexander Magnus vinositate omnes suas virtutes obscuravit: ea enim accensus amicos occidit. Quod si Androciden sapientem audisset, regum fuisset maximus. Scribebat enim ipse ad Alexandrum: *Vinum potature rex, memento te bibere sanguinem terræ. Cicuta homini venenum est, cicutæ vinum.* (Ebrietas est dæmon voluntarius.)

Secundo, *succendet*, quia vinum, quod immoderate hauserunt, fax erit et naphtha incendii gehennæ, quo aliquando conflagrabunt. Vere dixit Pythagoras, *primum luxum civitates ingredi, deinde saturitatem, postea contumeliam, postremo exitium.* Quocirca Bacchus ipse tres crateres convivio præfinivit, quorum tertium dixit esse Iovis Servatoris. Audi eum apud Eubulum ita loquentem:

Tres tantum ego sanis crateras misceo;
Unum valetudinis, secundum amoris, saporis tertium:
Quo qui sapere solent eunt hausto domum,
Nam quartus haud est amplius crater meus,
Sed contumeliæ. Velut huic proximus,
Clamoris. Hunc sequitur comessandi furor.
Ita septimus habet vulnera, octavus forum,
Nonusque stomachum. At decimus est insaniæ.

Cithara.) Nota. Tam Hebræi et Gentiles quam Christiani olim in conviviis adhibebant musicam ad exhilarandum convivas, ut dixi Ephes. 5. 19. Vers. 12.

Et opus Domini non respicitis.) *Opus Domini* est duplex. Primum creationis, q. d. Vos ebrietatibus dediti non respicitis cælum, terram, et quæ in eis creata sunt, ut ex illis Deum creatorem agnoscatis et laudetis. Ideo enim Deus homini vultum excelsum præ pecoribus, quæ terram prona spectant, dedit, ut cælum cælique præsidem intueretur, amaret et coleret, q. d. Vos excelsum illum animum ad pastum et ebrietatem abiicitis; ut bestiarum more, quæ mane ad pascua egrediuntur, totoque die vorant, a mane in vesperam potetis, nec habeatis tempus quod operibus Dei contemplandis impendatis. Recte Claudianus lib. 3. de Raptu: (Opus Domini. I. Est creatio et gubernatio.)

Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
Erexisse caput, pecudum si more pererrant
Avia?

Opera ergo *Dei* sunt creaturæ, quæ ad Creatorem nos ducunt, sicut rivuli ad fontem. Unde Trismegistus dixit, *sæculum esse speculum rerum invisibilium.* Et Anaxagoras dixit *se natum esse ut videret solem*, et ex astro tam admirabili mirabilem eius opificem contempläretur. *Cæli* enim *enarrant gloriam Dei.* Et, *Invisibilia* (Dei) *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et divinitas*, Rom. 1. Maxime autem *opus Domini* vocat providam et beneficam Dei gubernationem, qua tum animalia, tum homines, præsertim Iudæos in Chanaan, annua messe et frugibus, quasi novo opere creationis quotannis pascebat; quæ proinde in mensa recoli volebat, ut ex iis datorem Deum agnoscerent, eique gratias agerent: *Cum comederis*, inquit, *et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi*, Deut. 8. 10. At Iudæi hic in escam et ventrem proiecti, Deique obliti, eius creaturis ad suam gulam et crapulam contra Dei voluntatem abutebantur. Unde inculcans et explicans subdit: *Et opera manuum eius non consideratis.*

Secundum *opus Dei* est opus redemptionis per Christum, de quo Habacuc 3. 2. iuxta Septuag. *Consideravi opera tua, et expavi*, q. d. Vos, o Iudæi, o bibones, non consideratis mysterium redemptionis Christi, sanguinem pro vobis effusum, Christum in cruce patientem, sitientem, aceto et felle potatum. Prior sensus magis est genuinus. (II. Redemptio Christi.)

Tertio, non male Forerius et Sanchez, *opus* hoc *Dei*, non præteritum, nec præsens, sed futurum intelligunt; scilicet vindictam Dei eis imminentem. Sic enim accipitur *opus* v. 19. q. d. Indulgetis citharæ, tympano ac vino; nec consideratis quantum vobis ab irato Deo impendeat exitium. (III. Est vindicta Dei.)

Vers. 13. PROPTEREA CAPTIVUS DUCTUS EST POPULUS MEUS.) Nota, hic et in sequent. præterita pro futuris accipi ob certitudinem prophetiæ: nam ita certo futura sunt quæ prædicit, ac si iam facta essent: *ductus est* ergo, id est ducetur; *interierunt*, id est interibunt; *exaruit*, id est exarescet; *dilatavit*, id est dilatabit; *aperuit*, id est aperiet. Vide can. 13.

QUIA NON HABUIT SCIENTIAM.) Quia abdomini suo serviens, non respexit opus Domini, de quo v. 12. quasi nesciret se ad cæleste et æternum, non ad carnale et periturum pabulum creatum esse. Unde Septuag. vertunt: *Quia non cognoverunt ipsi Dominum* se pascentem et alentem: sed proiecti in escam mancipaverunt se suæ gulæ; nec Deum creatorem suum, et largitorem tam munificum agnoverunt.

ET NOBILES EIUS INTERIERUNT FAME.) Tanta fuit fames Hierosolymæ obsessæ a Tito, ut matres coxerint et et comederint filios, teste Iosepho. Hebræa habent: *Et gloria eius viri famis*, hoc est, *viri gloriæ eius*, id est, gloriosi, *viri famis*, q. d. Quos olim celebrabat gloria, nunc celebres facit fames.

Vers. 14. Inferni anima est sinus. PROPTEREA DILATAVIT INFERNUS ANIMAM SUAM.) Id est, sinum et capacitatem suam; vel *animam suam*, id est, seipsum (vide can. 19.) q. d. Hac de causa infernus dilatavit se in immensum, ut innumeros absorberet. Est hyperbole et prosopopœia, qua inferno datur anima, os, aviditas et ingluvies ad vorandum: sicut homo famelicus et gulosus assidens opiparæ mensæ, dilatat gulam et rictum oris sui, sic a Poetis orcus vocatur rapax et vorax, et trifauci Cerbero dantur ora hiantia: et Salomon Prov. 30. 16. infernum vocat *insatiabilem*, nam

Inferus insatiabiliter cava guttura pandit.

Vel os. Secundo, Sanchez, *dilatavit infernus animam*, id est os suum: dilatatur enim anima, id est spiritus sive anhelitus, cum maxime aperitur os, ut posterius hemistichium sit explicatio prioris more Hebræo, q. d. Avari, potentes et rapaces inhiant opibus pauperum sine fine et termino, eosque devorant, ac si essent infernus, et *pauperum sepulcra*, inquit S. Ambrosius. Merito ergo et congrue pa- (Avari sunt pauperum sepulcra.) ratur eis infernus alius qui pariter aperto semper ore hiet, et in immensum se dilatet, ipsosque avidissime devoret. Volunt esse inexplebiles bestiæ; ergo aperiam illis insatiabilis inferni (quasi voracissimæ bestiæ) ventrem et gulam, ac tradam eos illi in cibum.

Infernus est sepulcrum. Tertio, idem Sanchez per *infernum* accipit sepulcrum commune Iudæorum, quod erat in valle Cedron, in ea parte, quæ Gehenna seu Topheth appellatur, ut patet 4. Reg. 23. v. 6. q. d. Tanta erit Iudæorum nobilium æque ac plebeiorum strages, tanta cadaverum multitudo, ut commune illud Iudæorum sepulcrum, puta Gehenna, eam capere non possit, sed sese latissime dilatare debeat: sic et Ieremias c. 7. v. 31. prædicit Iudæos sepeliendos in Topheth, quia ibi infantes suos immolarunt idolo Moloch. Verum duo priores sensus magis sunt genuini.

Tropol. Tropol. hæc facile est adaptare cum S. Hier. peccatoribus, qui scientiam Dei non habent, quasi abdomini suo nati essent, non Deo: hi insipientes sunt quia funibus peccatorum suorum constricti, ad infernum hiantem vincti rapiuntur, quorum cum ingens sit numerus, infernus ad eos absorbendos dilatat os et animam suam sine termino.

Vers. 15. ET INCURVABITUR HOMO, ET HUMILIABITUR VIR.) Notat Haymo, cum iungitur *homo* cum *viro*, per *hominem* plebeios, per *virum* nobiles et primarios significari, q. d. Omnes tam nobiles quam ignobiles sine discrimine punientur et humiliabuntur, descendentque in infernum: sicque Deus iustus vindex ab omnibus laudabitur, *et exaltabitur in* hoc suo *iudicio* iustaque vindicta; et *sanctificabitur*, id est, sanctus esse declarabitur, et ut sanctus ab omnibus celebrabitur, *in* hac sua *iustitia*.

Vers. 17. ET PASCENTUR AGNI IUXTA ORDINEM SUUM, ET DESERTA IN UBERTATEM VERSA ADVENÆ COMEDENT.) q. d. *Agni* id est pauperes et mansueti ante a potentioribus oppressi, nunc iis cæsis vel captis, spatiose pascentur. Nabuzardan enim reliquit de pauperibus terræ vinitores et

A agricolas, 4. Reg. 25. et possessiones desertæ a suis heris, iam uberem ferentes messem, venient in manus advenarum, puta Chaldæorum vel Romanorum. Ita Sanchez.

Secundo, S. Thom. sic exponit: *Agni pascentur*, id est comedentur ab hostibus vestris, *iuxta ordinem suum*, quia meliores prius comedentur. Verum *pascentur* hic idem est quod comedent, non, comedentur, ut patet ex Hebræo רעה *raa*.

Verum tertio Nota. Pro *iuxta ordinem suum*, hebraice est כדברם *chedobram*, quod S. Hieron. Michææ 2. v. 12. vertit, *iuxta caulas suas;* Pagnin. et Vatablus, *iuxta morem suum*. Iam per *agnos* et *advenas*, intelligit iustos et innocentes e Gentibus, in Christo per baptismum renatos, quos S. Petrus vocat *modo genitos infantes*: *deserta* vero vocat pascua Ecclesiæ, puta pascua fidei, Evangelii, Sacramentorum, et cælestium charismatum promissa Abrahamo eiusque posteris Iudæis, quæ cuncta ipsi Iudæi deseruerunt et Gentes occuparunt, q. d. Cum Iudæi non habentes scientiam Dei et Christi, occisi a Tito descendent
B in infernum; tunc Gentiles Christiani quasi advenæ, et quasi novelli agni, pascentur in uberrimis Hierosolymæ et Sionis spiritualis, id est Ecclesiæ, pascuis, et fruentur magnificis illis promissis Abrahæ, Isaac et Iacobo factis, a quibus Iudæi ob suam impietatem exciderunt.

Aliter vertunt Septuag. scilicet *pascentur direpti quasi tauri, et deserta eorum qui capti sunt, agni comedent.* Quod Sanchez sic explicat, q. d. Potentes illi pauperum prædatores, qui direpti, id est diripiendi sunt ab hominibus, quasi aris et cædi destinati, pascentur, eruntque tamquam in sagina, dum alienis opibus pinguescant, ut pingues effecti mactentur: sicut pecudes destinatæ macello, quo magis incrassantur, eo iugulationi propiores sunt. Et *agni*: id est pauperes, per vim et contumeliam ab illis vexati eorum imo suis possessionibus utentur, quasi postliminio in illas restituti. Aliter Septuag. explicat H. Pintus: Christiani, inquit, qui innocentia sunt agni, animi fortitudine sunt tauri, præsertim Martyres qui quasi
C tauri in circis et theatris a tyrannis exagitabantur usque ad martyrium; uti hic Romæ in amphiteatro, S. Ignatius et plurima Martyrum millia a feris agitata et occisa sunt.

Aliter quoque ex Hebræo vertit Forerius, sic: *Pascentur agni iuxta ordinem suum, et siccitates* vel *gladii ruminantia medullata devorabunt*, q. d. Pauperes a potentibus expilati ditescent; potentes vero saginati et crassi a gladio et fame vorabuntur; tuncque apparebit tam in pauperibus, quam in eorum oppressoribus, iustum Dei iudicium, quod his iustam pœnam, illis iustum præmium retribuet.

VÆ QUI TRAHITIS INIQUITATEM IN FUNICULIS VANITATIS.) Hæc est tertia labrusca pertinaciæ, vel impœnitentiæ, q. d. Væ vobis quibus plane insedit ambitio, cupiditas, ebrietas, libido, etc. quique illis quasi funibus astricti estis, et callum obduxistis, ut ex ea per longam moram et consuetudinem roborata vos extricare non possitis. Sicut boves loris assueti plaustrum trahunt assidue, sic ambitiosi, cupidi, ebriosi, etc. assidue trahunt lon- Vers. 18. (Tertia labrusca pertinaciæ.)
D gum funem, et plaustrum peccatorum; ut enim obtineant id quod suæ ambitioni aut cupidini præfixerunt, alia ex aliis peccata accumulant, eaque ob res inanes et vanissimas, uti pulchre ostendit S. Basil.

Ubi Nota. Peccatum vocat *vanitatem: quia facientibus peccatum facile texitur, et adeo inane in se est ac futile, uti aranearum telæ; sed cum inde exire voluerimus, solidissimis vinculis nectimur*, inquit S. Hieronymus. Sicut ergo aranea e suis visceribus longa ducit fila, et inutilem orditur telam; qua postea densata quasi fune et reti seipsam implicat: ita peccator sese eviscerat vanis laboribus et curis, in iisque vires, spiritus, succum et sanguinem suum impendit et exhaurit, ut suæ voluptati satisfaciat; iisque tandem ita se implicat, ut quasi laqueo et funibus constrictus videatur, ut ait sapiens Prov. 5. 22. Peccata ergo sunt funes, primo, quia fiunt ex filis, id est, ex rebus et voluptatibus vanissimis et levissimis; secundo, quia distorta sunt, ut funes; tertio, quia fortia sunt (Impii trahunt funes peccatorum.) (Peccata sunt funes ob 3 causas.)

ut funes; quarto, quia invicem connexa et implicata sunt ut funes. Hoc repræsentavit Samson, qui cedens suæ Dalilæ, eique revelans secretum, scilicet robur suum esse in crinibus, ab ea tonsus indeque enervis et imbellis a Philisthinis funibus vinctus et excæcatus est. Quid enim est Dalila, nisi concupiscentia? quid sunt Philisthiim, nisi impetus animæ? Cum ergo homo se concupiscentiæ tradit, mox diabolus, mundus et caro animi eius oculos eruunt, et peccatorum vinculis astringunt. Si peccator ab his vinculis voluerit absolvi, conteratur et confiteatur, audiatque sacerdotem dicentem: *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis*, uti præcepit Christus Ioan. 20. 23.

Secundo, S. Cyrill. et Sanchez per *iniquitatem* et peccatum, metonymice accipiunt peccati pœnam et supplicium, q. d. Væ peccatoribus, quia post se trahunt peccatorum suorum supplicium, quasi plaustralia vincula, quibus instar boum alligati sunt ut ea abrumpere nequeant. Sic dicitur Thren. 1. 14. *Vigilavit iugum iniquitatum mearum: in manu eius convolutæ sunt, et impositæ collo meo.* Hic sensus appositus et priori connexus est; pœna enim individuus est comes culpæ: unde peccatores quibus funibus culpæ, iisdem et pœnæ obstricti sunt.

Et quasi vinculum plaustri peccatum.) Sicut plaustrum a bobus trahitur vinculo vel loro, non aliter vos trahitis peccatum, quod quasi plaustrum onustum et gravissimum animam mergit in infernum. Simile est Psal. 37. 5, et Zachar. 5. v. 7. ubi pulchrum est emblema et hieroglyphicum iniquitatis, quæ quasi mulier amphoræ inclusa proponitur, et exire nequit, quia talento plumbeo os amphoræ occlusum est: captiva ergo in Babylonem trahitur.

Hinc Chaldæus hic vertit: *Væ qui incipiunt paulatim peccata, augentque ut crescant, et fortia fiant ut vinculum plaustri;* Syriaca: *Væ qui protrahunt peccata sua tamquam funem oblongum, et quasi vinculum currus peccatum suum;* Arabica Antiochena: *Væ qui multiplicant peccata sua, et ea prolongant* (vel continuant et in longum protendunt) *sicut funis longus, et circulo revolvunt peccata sua, sicut circumit rota;* Arabica Alexandrina: *Væ quos sequuntur peccata sua velut funis longus, et iniquitates sicuti incessus curruum.*

Triplices funes peccati. I. Tropologice, hic tria hominum genera reprehenduntur. Primo, qui peccatum prius, altero alterius speciei nituntur obtegere: v. g. est aliquis malus Religiosus, peccavit; negat peccatum, ecce, additur mendacium; respuit correctionem, accedit contumacia; quæritur ad carcerem, aufugit, ecce apostasia; excommunicatur, fit Minister Calvinianorum, ecce hæresis. Ita S. Aug. tract. 10. in Ioan.

II. Secundo, qui ad unum magnum perficiendum, quod sibi præstituerunt, alia plurima præmittunt quasi media; ut qui proposuit ditari mentitur, calumniatur, fœnus exercet, furatur: qui cogitat virginem corrumpere, se ornat superflue, adhibet musicam, convivia, tripudia, mittit litterulas, lenas et conciliatrices, sæpe etiam ad magica dilabitur. Ita S. Basil.

III. Tertio, qui, ut ait S. Gregorius 33. Moralium cap. 12. per augmentum culpam protelant, id est, eam augent continuatione et extensione eiusdem peccati, puta ebrietatis, luxuriæ, usuræ, etc, nam consuetudine paratur habitus, et quasi vertitur in naturam. Sicut enim virgula facile potest revelli; sed si sinatur crescere, fit arbor vasta et robusta, quæ securi vix exscindi potest; sic et peccatum eiusque concupiscentia initio est instar fili; sed si ei indulgeatur, crassescit instar lori aut rudentis. Ita Basil. Recte ergo poeta:

Principiis obsta: sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Ita Delrio adagio 693. Quam valida fuerint hæc vincula malæ consuetudinis, puta concubinatus, in S. August. ante conversionem, docet ipse lib. 8. Confess. c. 5. *Suspirabam,* ait, *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, ac constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consue-*A*tudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis (unde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus.* Vide dicta Ierem. 13. 23. Sicut ergo bos vel equus dum primum currui adhibetur alligaturque, salit, recalcitrat, iugumque conatur excutere, et manere liber: at ubi iugum subiit eique assuetus est, sponte illum subit, imo ex habitu eum adit, mox ut e præsepio solvitur, esto in illo ipsi sudandum et gemendum sit: ita homo initio peccati onus aversatur; at ubi ei assuevit, sponte illud subit, et quasi in dolore et gemitu suo ridens, ad illud ex consuetudine procurrit.

Audi eumdem S. August. in Psal. 139. *Optime,* inquit, *dicitur restis peccatorum: ut enim torqueatur restis additur, et non adduntur recta fila, sed torta: pravitas sibi connexa ducitur in longum, et non cogitat præcidere quod male texuit: sed addere, producere in longum, protendere, ut habeat in fine unde illi ligentur manus et pedes, et proiiciatur in tenebras exteriores.* Idem in Psalm. 52. citans

B hunc Isaiæ locum: *Væ,* inquit, *his qui trahunt peccatum suum sicut restem longam; quid est aliud quam, Væ his, quorum manus connectunt iniquitatem? sed non vis modo dirumpi vincula tua, quia non sentis vincula tua; etiam delectant te, et voluptati sunt: senties in fine cum dicetur, Ligate illi manus et pedes, etc.* Idem rursum alibi: *In modum,* ait, *funis, qui ex pluribus minimis* (filis) *crescit in multum* (in magnum), *peccata semper, tamquam longo fune trahuntur ut scilicet convalescant in crassum rudentem plaustri:* quo scilicet ad pœnarum et suppliciorum plaustrum firmiter ligentur peccatores, ut curru in præceps perpetuæ damnationis ruente, haud secus quam iumenta alligata pertrahantur.

Qui dicitis: Festinet, et cito veniat opus eius, ut videamus.) Est vox Iudæorum irridentium verba Prophetæ: dicunt enim, Veniat ira, pœna, et captivitas Dei, quam tu, o Isaia, vosque Prophetæ, comminamini, et assidue nobis intonatis, quasi inevitabilem, et æterno Dei Vers. 19.

C decreto sancitam, nostrisque cervicibus impositam, q. d. Frustra hæc iactatis, inanes sunt minæ vestræ, iis non movemur; satis contra eas, contraque hostes omnes sumus instructi et armati; veniat Titus, experietur nostras vires, videbit quam Ierusalem sit munita et inexpugnabilis. Ita impii, imo athei censent Deum otiosum esse, nec curare res humanas: sicut Epicurus summam Dei felicitatem statuebat: quod omni negotio vacaret. Hinc aiunt, *Festinet, et cito veniat*: quia ex tarditate colligunt vanas esse Dei minas, quas non statim exsequitur. Sic S. Petrus 2. ep. 3. 4. impios loquentes inducit, ex quo creatus est mundus, omnia eodem tenore et cursu fluere, ideoque frustra post tot sæcula expectari diem iudicii divini.

Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum.) Vers. 20.
Aquila vertit: *Væ qui dicunt malo, Bonus es; et bono, Malus es.* Ecce huc evadit funis peccatorum, de quo v. 18. ut scilicet tandem dicant malum esse bonum, suaque scelera excusent, dicantque esse virtutes; idque didicerunt a patre suo diabolo, de quo S. Greg. hom. 8. super illud Vitia palliant se virtute.

D Psal. 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Hostis,* ait, *noster tanta se arte palliat, ut culpas nostras virtutes fingat; ut inde quisque quasi exspectet præmia, unde dignus est æterna subire tormenta. Plerumque enim in ulciscendis vitiis crudelitas agitur, et iustitia putatur; atque immoderata iusti zeli ira, meritum creditur: similiter effusio, misericordia; tenacitas, parcitas; pertinacia, constantia reputatur. Tales sunt,* ait B. Maximus serm. de malis, *adulatores, qui scurram vocant, gratiosum; obscœna loquentem, civilem; iracundum, strenuum; parcum, providum; prodigum, liberalem. Tales laudatores illis quidem ore bene precantur; sed corde exsecrantur: nam hac laude omnem exsecrationem in illorum vitam inducunt; imo eos æternæ damnationi obnoxios faciunt, ipsa vitia approbantes.*

Væ qui sapientes estis in oculis vestris.) Qui humano et politico vestro consilio vos regitis, non lege et voluntate Dei, non prudentia et consilio divino; qui ve- Vers. 21.

stro iudicio plus tribuitis quam Prophetis, dum bonum malum, et malum, bonum dicitis. Vide S. Basil. interr. 207.

Vers 22. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum (væ helluones, qui ad omnia invalidi, infirmi, inepti et insulsi estis; solum valetis et sapitis in vino) et viri fortes ad miscendam ebrietatem.) Hebr. *ad miscendum*, id est, infundendum, *siceram*, id est, vinum, cerevisiam, et quidquid inebriare potest. Unde apte veteres Græci siceram, ad verbum vertunt μέθυσμα, æque ac Latini *inebriamentum*. Solent enim veteres sobrii vinum aqua miscere; inde *miscere* significat propinare, vel infundere. Sic Sapientia miscuit vinum Prov. 9. 2. q. d. Fortes estis et strenui non contra hostes, sed ad exhauriendos calices: gigantes estis non ad bellandum, sed ad potandum.

Secundo, et proprie, *fortes estis ad miscendum siceram*, id est, varios liquores et potus inebriantes: v. g. miscetis varia vina fortia, quæ per se, et propter commistionem hanc magis cerebrum feriunt, turbant et inebriant. Simile est Psal. 74. 9. Isaiæ 29. 14. Et hoc proprie est Hebr. מסך *mesech*, unde Latinum *misceo*.

Vers. 24. Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis.) Id est, flamma ignis, quæ linguæ habet speciem: nam rubet, et in acutiem tendit: unde dicitur *lambere lingua*, q. d. Romani hanc vineam vitiis luxuriantem et sylvescentem, quasi stipulam aridam ita comburent, ut vix eius vestigium remaneat. Videre id est hodie in urbe veteri Hierosolymitana cuius ruinæ vix extant: nam Ierusalem quæ nunc visitur, nova est urbs.

Sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet.) q. d. Sic tota planta, vel arbor cum radice, et germine ac surculis, id est, totus Iudæorum populus cum suis familiis et stirpibus internecione peribit, evanescet et in fumum ibit. Est hyperbole.

Vers. 25. Conturbati sunt montes,) Tam horridum erit excidium Iudæorum per Titum, ut etiam montes turbari et admirari videantur; et, si sensu præditi essent, reipsa turbarentur et contremiscerent. Est hyperbole. Vide can. 32. Arias Mont. per *montes* accipit duces et principes.

Et facta sunt morticina eorum, quasi stercus.) q. d. Cadavera eorum putruerunt et fœtuerunt ut stercus. Sic tropol. frater S. Bernardi comptam mulierem vocavit *stercus involutum*, ut habetur l. 1. Vitæ eius c. 6. Quid enim est corpus pulchrum, nisi saccus stercorum, sepulcrum dealbatum, theca et esca vermium?

Adhuc manus eius extenta.) Quia in dies Deus adhuc punit Iudæos exilio et cæcitate: et, ut ait Daniel cap. 9. v. 27. *Usque ad finem perseverabit desolatio.*

Vers. 26. Et elevabit signum.) q. d. Deus quasi dux belli ipse tuba clanget, ipse præibit, ipse faciet erigi signum militare in nationibus procul, ut Gallos, Hispanos, et alias gentes evocet ad Romanorum exercitum, ut is festinus veniat contra Iudæos: faciet, inquam, hæc ea ratione et modo, quo dixi can. 36. Iudæi, Lyran. et Sanchez hæc omnia accipiunt de excidio per Chaldæos: verum ex dictis patet agi de Tito et Romanis.

Et sibilabit (q. d. minimo signo, quasi sibilo evocabit) ad eum.) Scilicet exercitum Romanorum, et Titum contra Iudæos. Alludit, ait Cyrill. ad sibilum apiariorum, qui apes educunt ad flores et pastum, ac reducunt sibilo. Unde c. 7. v. 18. *Sibilavit*, inquit, *api quæ est in terra Assur.* Rursum alludit ad navarchos: ad horum enim sibilum præsto sunt nautæ iussa facturi; ut videre est in triremibus. Denique alludit ad pastores, qui verno tempore solent ex caulis sibilo greges educere in pascua: quam vocem pastoris illi audiunt, eique obediunt et sequuntur, Ioan. 10.

Vers. 27. Non est deficiens neque laborans in eo.) Est hypotyposis, quæ graphice depingit vires, celeritatem, aviditatem, fortitudinem et feritatem exercitus Romanorum contra Iudæos.

Vers. 28. Ungulæ equorum eius ut silex.) Quia Iudæa petrosa est, neque ideo apta equestri excursioni; hinc equorum Romanorum ungulis duritiem instar silicis attribuit.

Vers. 29. Et sonabit.) Magno sonitu et impetu irruet Titus cum Romanis super eum, scilicet populum Iudæorum.

Vers. 30. Et lux obtenebrata est.) Est hyperbole, q. d. Præ magnitudine vastitatis et tribulationis, etiam lux ipsa miseris et attonitis Iudæis obscura, et nox esse videbitur. Vide can. 32.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Isaias videt Deum in throno magnifico, et Seraphim ei acclamantes: Sanctus, sanctus, sanctus. Secundo, v. 6. a Seraphim calculo ignito tactus, purgatus et accensus mittitur ut prophetet Iudæis. Tertio, v. 9. iubetur prophetare Iudæorum excæcationem et desolationem, ita tamen, ut semen sanctum in eis remaneat.

Potuisset totum hoc caput tribus verbis comprehendere dicendo: Futurum est ut Iudæi a Deo reprobentur; sed quia hæc prophetia gravis erat et odiosa, hinc Deus eam sua tam magnifica apparitione præmunivit et confirmavit. Scripsit in hanc Isaiæ visionem S. Bernardus sermones morales quinque.

In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et ea quæ
1. sub ipso erant, replebant templum. 2. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, et duabus velabant pedes eius, et duabus volabant. 3. Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. 4. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo. 5. Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis. 6. Et volavit ad me unus de seraphim, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. 7. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. 8. Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. 9. Et dixit: Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere. 10. Excæca cor populi huius, et aures eius aggrava: et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. 11. Et dixi: Usquequo Domine? et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta. 12. Et longe faciet Dominus homines, et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ. 13. Et adhuc in ea decimatio, et convertetur, et erit in ostensionem sicut terebinthus, et sicut quercus, quæ expandit ramos suos: semen sanctum erit id, quod steterit in ea.

Vers. 1. IN ANNO, QUO MORTUUS EST REX OZIAS.) Puta anno 52. regni Oziæ vel Azariæ: hic enim fuit ultimus tam regni quam vitæ eius. Chald. per mortem accipit separationem, qua Ozias percussus lepra, eo quod vellet adolere thymiama, vixit in domo separata, et eius loco Ioatham filius regnavit: hæc enim separatio civilis quædam est mors. Verum alii passim hæc de naturali eius morte accipiunt. Ita S. Hieron. Cyrill. Origen. hom. 1. in cap. 2. Iudic. Chrysost. in hæc verba Isaiæ, tom. 1. causamque reddunt, cur mortuo Ozia prophetare cœperit, aut potius intermissam prophetiam resumpserit Isaias; quod scilicet Deus spiritum prophetiæ subtraxerit Isaiæ et Prophetis, eo quod Iudæi leprosum regem non exturbassent urbe, sed permisissent eum vivere in domo separata: aut esto dederit eis oracula, noluerit tamen, ut ea Iudæis regis sui sacrilegio contaminatis manifestarent: mortuo vero rege, quasi remora sublata, rursum eis communicasse sua oracula. Verum incertum est an mortuo Ozia, an ante eius mortem hæc visio obtigerit Isaiæ: nam Sanchez et alii censent obtigisse ante mortem; idque magis insinuant verba: *In anno, quo mortuus est rex Ozias.* Rursum parum aut nihil videntur peccasse Iudæi, quod permiserint Oziam leprosum habitare in domo separata: nam ut taceam incertum esse, an hæc domus fuerit intra urbem, an extra; certum est domum hanc ita fuisse separatam, ut urbem et cives lepra inficere non posset. Unde Script. cum factum hoc narrat 2. Paralip. 26. 21. nullo modo illud carpit: præsertim quia regiæ dignitati aliquid tribuendum erat, et lex communis in eo mitius erat interpretanda; scilicet sufficere ut rex leprosus seorsim habitaret ne quem inficeret, nec esse necesse ut more plebeiorum urbe pelleretur: alioqui enim sacerdotes qui regem leprosum eiecerant templo, etiam urbe eiecissent. Idem enim ad utrumque animus sufficiebat.

Cessavit prophetia ob peccatum Oziæ.

Quare si verum est cessasse prophetiam ob peccatum aliquod, verius est illud fuisse ipsummet Oziæ peccatum, quo voluit invadere iura et munia sacerdotum atque adolere thymiama: quod peccatum regis, quasi capitis, punivit Deus in toto corpore, puta in toto populo Iudæorum, præsertim quia aliqui, maxime primores et aulici, de more regi in hoc ausu et conatu favisse videntur: ob hanc enim causam visioni huic signanter præmittit Isaias, dicitque: *In anno, quo mortuus est rex Ozias.* Unde colligas, quam peccata principum perniciosa sint populo. Sic enim ob peccata filiorum Heli cæsus est populus 1. Reg. c. 4. et 5. et ob peccatum Davidis totus populus magna clade a Deo percussus est, 2. Reg. c. 24. v. 15.

Scilicet quo obtulit incensum.

Tropolog. S. Gregor. hom. 11. in Ezech. *Quando Ozias rex superbus et præsumptor moritur, Dominus videtur: quia cum mundi huius elatio a desiderio mentis occiditur, tunc ipsa mens Dei gloriam contemplatur.*

VIDI DOMINUM SEDENTEM.) Isaias vidit hic Deum sedentem in augusto solio, idque in templo, ut patet ex eo, quod sequitur: *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Ubi Nota. Deus apparet ea forma et habitu, quem res ipsa exposcit: sic Mosi visus est in ardenti rubo, ut ostenderet se quasi pungi et uri ærumnis populi sui ab Ægyptiis oppressi; sic Stephano decertanti apparuit stans, quasi simul cum eo certaturus: sic Magdalenæ apparuit quasi hortulanus, discipulis euntibus in Emmaus quasi peregrinus, quia in horto, et peregre peregrinis apparebat; et quia hortulanus et peregrinus erat in mente et opinione eorum, qui de eius resurrectione dubitabant, et eius passione ac cruce obnubilati, in fide Christi vacillabant. Sic Isaiæ hic apparet quasi rex et iudex magnificus sedens in illustri et regali solio; quia maiestatis suæ speciem Isaiæ, et per eum populo incredulo exhibere volebat ut Deo credere, eumque revereri addiscerent, ac iudicem et vindicem expavescerent.

Deus apparet accommode rebus.

Quæres primo, Cur hæc visio Isaiæ sit obiecta? Resp. primo, ut per eam v. 7. quasi consecraretur Propheta et Apostolus. Ita Nazianzen. orat. 2. de Theolog. Secundo, ut a cælestibus spiritibus disceret, quomodo divina tractanda sint, ait S. Dionys. c. 17. Cælest. hier. Tertio, ut animaretur a Deo ad libere v. 9. arguendam cæcitatem Iudæorum. Quarto, Isaias hic mysterium SS. Trinitatis, et incarnationis Verbi (sedens enim Deus in throno habuit faciem et pedes, quasi futurus homo) cognovit, et nobis adumbravit, uti patebit ex sequentibus.

Cur hæc visio Isaiæ obiecta?

Quæres secundo, Quomodo vidit Deum? Resp. non vidisse divinam essentiam: si enim *Deum nemo vidit umquam*, Ioan. 1. ergo nec Moses, nec Paulus, nec Isaias. Ita Theophyl. Euthym. et alii ibid. Vidit ergo Deum, per speciem aliquam et imaginem corpoream, uti et vidit Abraham, Iacob et Moses: hæc autem species fuit quasi hominis, puta regis. Unde sedisse visa est v. 1. et 2. eius pedes et facies describuntur: et sic passim Deus in veteri testamento specie humana apparuit, quia futurus erat homo. Rursum hæc species gloriose adornata fuit ingenti lumine et maiestate. Unde Ioan. c. 12. 41. vocat eam gloriam Christi.

Quomodo?

Quæres tertio. An oculis corporeis hæc viderit Isaias? Nonnulli probabiliter affirmant ex v. 5. *Vidi*, inquit, *oculis meis.* Sic enim oculis corporeis gloriam Domini vidit Moses, uti dixi Exodi 33. 22. et S. Pachomius, ut patet ex eius Vita. Sed contrarium verius est scilicet hanc speciem fuisse imaginationi, ut vult S. August. libr. contra Adimantum c. 28. aut potius menti Isaiæ obiectam. Primo, quia fuit sublimissima; secundo, quia non est verisimile eum audisse auribus corporeis vocem Dei et Angelorum clamorem, nec vidisse in cælo templum, alas, prunas, iisque revera adustum fuisse os Isaiæ; tertio quia sicut Isaias Seraphim, sic Ezechiel c. 1. vidit Cherubim: illa autem visio fuit partim imaginaria, partim intellectualis: ergo et hic talis fuit; quarto, id magis patebit ex quæst. 4. Vide dicta in proœmio quæst. 2.

Fuit spiritalis, non corporalis.

Quæres quarto, An viderit Deum tantum, an vero etiam tres in eo personas? Alcazar in Apocal. 4. v. 2. notat. 3. censet, quod Isaias solum Deum Patrem viderit, non Filium, non Spiritum sanctum, et citat pro hac sententia S. Athan. Irenæum et Origenem. Ex adverso Procopius, Arias et Sanchez censent solum Filium hic apparuisse. Idem censent omnes illi Patres et Doctores, qui putant in omnibus apparitionibus Dei factis in veteri testamento, apparuisse Filium, idque ad hoc, ut patribus daret specimen suæ incarnationis futuræ. Ita sentiunt Theodoret. Iustin. Tertull. Hilar. Ambros. Cyrill. et alii quos citavi Genes. 32. v. 24. imo Concilium Sirmiense can. 14. Ubi Nota, hosce Patres non negare, quin una persona SS. Trinitatis apparente, aliæ quoque concomitanter adfuerint; imo idipsum confitentur, tum quia omnes coniunctæ sunt in divina essentia, quam unam eamdemque habent: tum quia una persona est in alia per περιχώρησιν, sive circuminsesssionem; tum quia opera Dei ad extra, quale est apparitio, communia sunt toti SS. Trinitati. Ita diserte docet S. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 23. imo cæteri omnes fatentur Seraphinos hic ter clamasse *sanctus*, quia illud acclamabant SS. Trinitati. Unde Procop. *Seraphim*, inquit, *qui Dominum sabaoth dicunt, in una divinitatis natura Trinitatem ponunt.* Vide Damascenum de Trisagio.

Vidit Deum trinum.

Verum dico, Isaiæ hic apparuisse tres personas SS. Trinitatis, non per concomitantiam, sed per se directe et expresse; ac proinde dico cum Toleto in Ioann. 12. et Maldonat. ibidem, hanc imaginem non tantum unitatem essentiæ, sed et tres personas repræsentasse divino quodam et ineffabili modo: sicuti si quis videret verbum mentis Beatorum, abstractive in eo videret Deum unum et trinum; ac proinde excellentior fuit Isaiæ visio quam Abrahæ, qui oculis suis tres vidit, sed mente unum adoravit. Probatur id primo: nam Filium hic apparuisse clare dicitur, Ioan. 12. 41. Idem de Spiritu sancto patet Actor. 28. 25. coniuncto cum hoc loco Isaiæ: ait enim ibi S. Lucas Spiritum sanctum dixisse hæc verba quæ hic habentur v. 9. et 10. per Isaiam: atqui ut hic dicitur v. 1. Isaias vidit eum, qui dicebat hæc verba, sedentem in solio: ergo vidit Spiritum sanctum. De Patre docent omnes Patres, quos vide apud Damasc. tract. de Trisagio: nec dubium esse potest.

Prob. I.

II. Secundo, quia, sicuti ob unitatem essentiæ, Seraphim semel tantum clamarunt *Dominus Deus sabaoth;* ita ob tres personas eidem sedenti in throno ter acclamarunt *Sanctus,* ut docet Alexander I. Epist. 1. decretali, et Benedictus I. Epist. 1. decretali, S. Dionys. cap. 7. Cælest. hierar. et alii mox citandi: estque communis Patrum et Ecclesiæ sensus, teste Leone Castrio. Hinc ergo patet vera divinitas Filii Dei et Spiritus sancti, contra Arrianos et Macedonianos. Hoc enim argumento Cardin. Bellarminus convicit Palæologum Arrianum: *Ille quem vidit Isaias fuit verus Deus, ut patet, et admittunt Arriani: atqui Isaias vidit Filium Dei, ut patet Ioannis* 12. 41. *ergo Filius est verus Deus.*

III. Tertio, quia graves Theologi docent Deum posse creare et infundere alicui speciem quæ repræsentet essentiam divinam, et tres personas: quam speciem si quis perfecte intelligendo comprehenderet, is divinam essentiam quidditative, et per proprium conceptum, non intuitive, sed abstractive cognosceret. Si enim datur species Dei expressa, puta verbum mentis Beatorum; cur non possit dari species Dei impressa et indita a Deo? Ergo Isaiæ talis species vel imago dari potuit; et datam esse, ea quæ iam dicta sunt concludunt.

Similitudine SS. Trinitatis. Homo tricorpor. Afferunt aliqui simile, scilicet Isaiam vidisse Deum in tribus personis, sicut Poetæ fingunt Geryonem tricorporem fuisse. Sed hoc simile in eo dissimile est, quod deitas non sit in tribus personis, sicut anima Geryonis fingitur fuisse in tribus corporibus: hæc enim tria corpora singula suam habebant essentiam ab essentia alterius distinctam: personæ autem divinæ omnes unam eamdemque numero habent essentiam. Unde similior esset imago, si una ponatur anima in eodem corpore ter quasi replicato. Visus enim hic est Deus, quasi homo et rex sedens in solio: sicut in parelio tres soles apparent, ex radiis solis in nube reflexis, qui tres soles revera tantum sunt unus sol: perinde ac in speculo vultus hominis apparens, iterumque in alio speculo reflexus, non est alius, sed idem et unus cum ipsomet vultu hominis. Mille alios modos repræsentandi SS. Trinitatem habet Deus quos nos ignoramus, iisque hic uti potuit.

Parelius. Speculum reflexum.

IV. Quarto, quia veteres Rabbini sic exponunt, ut R. Simeon filius Ioai: Sanctus, inquit, hic est Pater; sanctus hic est Filius; sanctus hic est Spiritus sanctus, teste Galatino l. 2. c. 1. additque eos sanxisse, ut minimum bis in die, scilicet oriente et occidente sole tam hæc Isaiæ, vel potius Seraphim verba, quam illa Mosis Deuter. 6. 4. iuxta Hebraicum textum: *Audi, Israel, Deus, Deus noster, Deus unus est,* a quolibet Iudæo quotidie recitentur, quod apud eos ad sua usque tempora perseverasse asserit: nimirum ut ita personarum trinitatem cum divinæ essentiæ unitate profiterentur. Nam nomen *Deus* in Deuter. ter repetitum, æque ut *sanctus* apud Isaiam significat tres personas. Secundo vero loco additum τὸ *noster,* significat Verbum assumpsisse carnem nostram, nobisque datum et nobis natum esse Emmanuelem: qua ratione etiam David dixit Ps. 66. 7. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Citat et Genebrardus in fine l. 1. Chronolog. veterem Rabbinum R. Ibba qui, dicit hos tres קדוש *kados,* id est, *sanctus,* alibi vocari tria specula, tria luminaria, tres supremos patres principio et fine carentes; alibi vocari coronam, sapientiam et intelligentiam, alibi tria *iodim* ייי designantia tres *Iehova,* id est, tres personas divinas.

Trinitatis professio quotidiana apud Iudæos. Varia eius epitheta.

Super solium excelsum et elevatum.) Solium hoc simile erat propitiatorio templi, sustentato a duobus Cherubinis. Exodi 25. Erat enim in templo, ut iam dicam. Dicitur solium hoc *excelsum*, respectu terræ in qua stabat Isaias: solium enim hoc videbat ipse in cælo excelso: dicitur *elevatum*; quia in ipso cælo altum et a pavimento elevatum apparebat. Solium hoc est Dei iudicis, ideoque significat definitam esse Dei contra Iudæos sententiam de eorum excæcatione et reprobatione. Symbolici aliqui per solium excelsum accipiunt solium Ecclesiæ et Pontificis Romani, in quo sedet et præsidet Deus. Hinc pro *excelsum* hebr. est רם *ram*: unde Roma, id est celsitudo, teste

A S. Hieron. l. 2. contra Iovin.

Et ea quæ sub ipso erant (Symmachus et Theodot. vertunt, *quæ sub pedibus eius erant*) replebant templum.) Hinc patet Isaiam non tantum vidisse Deum sed et templum, puta Deum in templo magnifico et glorioso residentem. Putant aliqui, ut noster Pradus in prima visione Ezechiel. sect. 6. hoc templum fuisse templum Salomonis, quasi in eo sedentem Deum viderit Isaias, sicut pontifex ingrediens Sancta sanctorum audiebat vocem Dei sedentis in propitiatorio. Verum quia hæc sublimis et divina fuit visio, et quia Isaias ait se vidisse Deum super solium excelsum et elevatum: rursum se vidisse et audisse cælestes spiritus, puta Seraphim, clamantes, *Sanctus, sanctus, sanctus:* hinc verius est, eum hoc templum vidisse non in Iudæa, nec in terra, sed in cælo, uti et vidit S. Ioannes Apocal. 8 3. In cælo ergo vidit hoc templum augustum, quod tamen erat simile templo Hierosolymitano, unde vidit in eo altare, et solium Dei instar propitiatorii, et Seraphim instar Cherubim.

Isaias vidit Deum in templo cælesti.

B Nota. Pro *ea quæ sub ipso erant*, hebr. est שוליו *seiulav,* id est, fimbriæ, vel oræ vestium, q. d. Poderis, et vestis regalis, sive paludamentum Dei, ita longum erat, latum et sinuosum, ut fimbriæ et oræ eius replerent templum, quomodo reges et reginæ, æque ac Cardinales, longissima habent syrmata quæ a pedissequis elevantur et sustinentur. Sept. et Chaldæus has fimbrias vocant gloriam: quia augustæ erant et gloriosæ. Unde vertunt, *et plena erat domus gloria eius:* quod in nonnulla exemplaria versionis Latinæ irrepsit. Unde et Ecclesia utramque versionem coniunxit in respons. 1. Dominic. Novembr. dicens: *Plena erat omnis terra maiestate eius: et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.*

Fimbriæ et syrmata Dei.

R. David putat fimbrias has non fuisse vestium Dei, sed stragulorum, quibus regium eius solium sternebatur; sed *seiulav* significat fimbrias vestium potius quam solii.

Ad litteram hæ fimbriæ erant symbola et significabant immensam potentiam, maiestatem et gloriam (uti vertunt C Septuag. Chald.) divinitatis in se, sed nobis absconditam et velatam; revelatam tamen per fidem in ænigmate, obscure et tenuiter ab hominibus etiam Isaia et Prophetis cognosci.

Significant Dei maiestatem nobis velatam.

Mystice, hæ fimbriæ et vestes significant humanitatem Christi, quæ quasi est fimbria divinitatis, id est vestis extima et infima Verbi, sive Filii Dei, cuius doctrinæ, Evangelii, miraculorum, Sacramentorum, gratiæ et charismatum gloria totum templum, id est, tota Ecclesia, impletur. Ita Rupert. qui hæc refert ad gloriam Christi, quam habuit post ascensum in cælum, cum Seraphim, id est, Apostoli, recepto Spiritu sancto ignei, Christi fidem et gloriam toto mundo proclamarunt et propagarunt.

Symbol. humanitatem Christi.

Templum.) Hebraice est היכל *hechal*, id est, templum prius, puta *Sanctum*, in quo erant candelabrum, mensa panum propositionis, et altare thymiamatis; nam posterior pars templi, puta *Sanctum sanctorum*, dicebatur דביר *debir*, id est, oraculum; in quo erat arca cum propitiatorio, et Cherubim. Verum *hechal* hic, ut et alibi, cum solum ponitur, nec distinguitur a *debir*, significat totum D templum, tamque Sanctum sanctorum quam Sanctum complectitur. Iam sensus est: fimbriæ hæ tam longæ et latæ erant, ut non tantum implerent Sanctum Sanctorum, in quo sedebat Deus in suo solio augusto, quasi in propitiatorio inter Cherubim; sed etiam diffunderent se per *hechal*, sive per Sanctum, illudque pariter implerent, q. d. Gloria hæc et maiestas Dei ac Christi implebat Ecclesiam, tam cælestem et triumphantem (hanc enim repræsentabat *Sanctum sanctorum*) quam terrestrem et militantem (hanc enim repræsentabat *Sanctum*) puta implebat cælum et terram. Hinc ex hoc loco canit Ecclesia: *Plena erat omnis terra maiestate eius.* Significant ergo hæ fimbriæ minimum divinæ maiestatis maius esse tota hominum gloria, totoque orbe.

Templum duplex.

Seraphim stabant super illud.) *Seraphim* est vox Hebræa a rad. שרף *saraph*, id est, accendit, ussit. Inde *Seraphim* dicuntur, quasi ardentes et incendentes, ob Vers. 2.

Seraphim, id

est ardentes septuplicitér. substantiam eorum, primo, purissimam, et maculæ omnis expertem; secundo, pervigilem; tertio, mire excitatam; quarto, agillimam; quinto, vi et efficacia singulari præditam; sexto, splendentem instar ignis; septimo, et maxime, ob charitatis ardorem, quæ est summum bonum, et beatitudo hominis in hac vita; ab hominum enim usu, sensu et æstimatione in hac vita, Angelis nomina sunt imposita. Atque licet omnia iam dicta cæteris Angelis sint communia; unde de eis dicitur Ps. 103. 4. *Qui facit angelos suos, spiritus; et ministros suos, flammam ignis;* tamen in Seraphinis, qui Deo proximi lucis et ignis divini illustrationem et ardorem immediate et proxime excipiunt, peculiari et perfectiori quodam modo reperiuntur, uti docet S. Dionysius de Cælesti hierarchia, quem S. Chrysost. hom. 64. ad populum, et cæteri Patres sequuntur. Pulchre S. Bernard. ser. 3. in hanc Isaiæ visionem: *Ut quid*, ait, *tu qui mane oriebaris, Lucifer, in veritate non stetisti, nisi quia Seraphim non fuisti? Seraphim quippe ardens, vel incendens interpretatur. Tu vero habuisti miser lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi si ignifer magis esses quam lucifer; nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem. Dixisti enim: Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in lateribus Aquilonis.*

Prædicatores sint Seraphim. Moraliter, *Seraphim* significant, eos, qui Isaiæ similes, id est, Prophetæ et præcones Dei esse volunt, debere ardere charitate. Sic Seraphinorum uti nomine, ita reipsa imitatrix et æmula fuit S. Seraphia virgo et martyr, quæ Christi amore accensa, utrumque ignem carnalem, nimirum venereum et vulcanium superavit; eo denique plures alios, ac imprimis S. Sabinam accendit, atque ad eamdem martyrii lauream incitavit, cuius diem natalem recolit Ecclesia die 4. Septembris, ut merito de ea canat Poeta Christianus:

Ardentes illæsa tulit Seraphia tædas,
Quæ tulerat Cyprias inviolata faces.

Exempla. Talis præco fuit Elias, de quo Eccli. 48. v. 1. *Surrexit Elias Propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat;* unde curru igneo raptus est in cælum. Talis præco fuit S. Basilius, quem S. Ephrem absens vidit instar columnæ igneæ, et præsens vidit linguam igneam loquentem per os eiusdem, teste S. Amphilochio in Vita S. Basilii. Talis præco fuit S. Franciscus, de quo S. Bonavent. c. 12. Vitæ eius: *Erat*, inquit, *verbum eius velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanæ inventionis ornatum, sed divinæ revelationis afflatum redoleret.* Deinde narrat exemplum; quod cum coram Pontifice et Cardinalibus concionaturus concionem composuisset, totius oblitus sit: quare conferens se ad orationem, *tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum virorum sublimium mentes ad compunctionem inflectere; ut aperte clareret, quod non ipse, sed spiritus Domini loquebatur: veritatem enim fidentissime prædicabat; nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur, et parvis, eademque spiritus iucunditate paucis loquebatur, et multis* (notent concionatores qui minuunt animos et studium cum minuitur auditorium) *omnis ætas, omnisque sexus properabat virum novum, mundo cælitus datum, et cernere et audire; ipse vero per diversas regiones progrediens evangelizabat confidenter, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Talis non tantum concionator, sed et Doctor fuit ipse S. Bonaventura, qui in suis libris, etiam Scholasticis, auditorem æque ad pietatem inflammat, ac sapientia illustrat: quare merito vocatur Doctor Seraphicus. Hunc imitentur Doctores Scholastici, præsertim Religiosi, ut se æque Religiosos esse ac doctos ostendant. Similiter Ezechiel cap. 1. 4. et 7. vidit Cherubinos stantes in igne scintillantes et fulgurantes: *Et scintillæ*, inquit, *quasi aspectus æris candentis.* Quod explicans mystice S. Gregor. hom. 3. in Ezech. *Vis*, inquit, *prædicantium et sonat et ardet: ardet desiderio, sonat verbo. Æs*

A *ergo candens est prædicatio accensa; sed de candenti ære scintillæ procedunt; quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt, quæ quos in corde tetigerint, incendunt.* Quocirca noster Alcazar ad litteram per duos Seraphim intelligit Petrum et Paulum, virosque Apostolicos, de quo v. 6.

STABANT SUPER ILLUD.) Scilicet solium; *stabant*, inquam, *super* (hebr. אל *al*, id est, iuxta vel circa solium) puta super pedem aut pavimentum solii; decebat enim eos esse humiliori gradu, quam erat ipsa sedes et solium Dei. Sic enim videmus reges alto throno considere, et inferne assistere ei principes.

Nota. Hi Seraphim stipant solium instar Cherubim stipantium propitiatorium, Exodi 25. Imo noster Prado loco iam citato putat hos Seraphim Isaiæ eosdem esse cum Cherubim Mosis et Ezechielis; verum verius est esse diversos. Hinc enim Ecclesia inter novem choros Angelorum, ordinem Seraphim distinguit et præponit ordini Cherubim quasi summum. Nec enim ordo Seraphim alibi in B Scriptura nominatur, quam hic. Porro cur Moses et Ezechiel viderint Cherubim, Isaias vero Seraphim, ratio est, quia currus Cherubim, quem vidit Moses et Ezechiel, symbolum erat tum sapientiæ et providentiæ divinæ, qua ipse regit mundum, et maxime Ecclesiam ac Synagogam; tum pugnæ et victoriæ divinæ, qua Pharaonem aliosque hostes populi sui debellavit et protrivit: Isaias vero vidit Seraphim, quia ab eo ignito purgandus erat a phlegmate et timiditate, atque igne divino accendendus et inflammandus, ut patet v. 7. Cur Isaias vidit Seraphim, Ezechiel Cherubim?

Pulchre S. Bernar. ser. 3. in hanc visionem notat, Dei esse sedere, Angelorum stare, ac Luciferum cecidisse, quia dixit: *Sedebo in lateribus Aquilonis. Stant*, inquit, *plane Seraphim, quia charitas numquam excidit. Stant attoniti, et suspensi in contemplatione sedentis in throno; stant in æterna incommutabilitate, et æternitate incommutabili. Tu* (Lucifer) *sedere tentasti, o impie; propterea tui moti sunt pedes, et effusi sunt gressus tui. Filius est* C *qui sedet in throno, Dominus sabaoth, cum tranquillitate iudicans omnia. Sola sedet Trinitas, quæ sola habet immutabilitatem; Seraphim vero stant.* Deus sedet, Angeli stant.

SEX ALÆ UNI, ET SEX ALÆ ALTERI.) Hinc patet, hanc visionem non fuisse realem, sed imaginariam et symbolicam: nam Seraphim non habent alas, quibus vere et realiter volent: unde et volatus unius Seraphim ad Isaiam, contactusque labiorum eius non fuit realis, sed imaginarius.

Nota primo, symbolice Seraphim cum alis fingi et pingi, ut significetur eos esse cælestis naturæ evolantis ad Deum, et velocissime quocumque commeantis. Alæ Seraphim quid?

Secundo, quisque eorum non duodecim, ut quidam volunt, sed sex tantum alas habebat, ut patet ex seq. duabus enim velabant faciem, duabus pedes, et duabus volabant. Nam quod hebr. est, *sex alæ, et sex alæ uni*, non significat unum bis sex, id est, duodecim, habuisse alas; sed est hebraismus; significans quemque sex habuisse alas, ut vertit Noster, et Chald.

D Tertio, sex alæ significant eos primo, agillimos, et maxima vi motiva præditos esse; ut ad sex differentias positionum, scilicet sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum, celerrime moveri ac volare possint: ita ut celeritate superent ventos, fulmina, solem, cælosque omnes. Ita Pererius in Apocal. 4. disp. 24. secundo, eos perfectissima cognitione et amore in Deum tendere. Ita S. Dionys. Cælest. hierarch. c. 4. et 13. *Sex alarum*, inquit, *sacratissima fictio absolutissimam summamque in Deum intentionem in primis, mediis et ultimis intelligentiis signat.* Causa est, quod ternarius teste Aristotele perfectionis sit symbolum; geminatio ergo ternarii, id est, senarius, magnum cumulum addit perfectioni, duplamque perfectionem significat. Est enim senarius primus numerus perfectus, qui ex primis sui partibus componitur; nam unum, duo, tria, quæ sunt primæ partes senarii, coniuncta et addita faciunt sex. Cur sex?

Rursum sex differentiæ positionum, quibus respondent

*

sex alæ, ut dixi, oriuntur ex ternario, sive ex trina dimensione quantitatis et corporis, puta ex longitudine, latitudine et crassitie; horum enim sunt termini. Nam ante et retro sunt termini longitudinis; dextrum et sinistrum latitudinis: sursum et deorsum crassitiei sive profunditatis. Porro hæ trinæ dimensiones oriuntur ex tribus lineis perpendiculariter ad angulos rectos se intersecantibus, puta ex trina cruce, ut dixi Ephes. 3. v. 18. Proprie vero Seraphinis congruebant sex alæ; quia binæ ad velandam faciem, binæ ad velandos pedes, binæ ad volandum requirebantur.

Mystice, sex alæ fidelis et prælati.

Tropologice, S. Bonavent. in fine tomi 2. scripsit librum de sex alis Seraphim, quas habere debet tum quivis fidelis, tum Superior et Prælatus. Fidelis ergo fide et caritate Dei præditi, Prima ala, inquit, est confessio; secunda, satisfactio; tertia, carnis munditia; quarta, puritas mentis; quinta, dilectio proximi; sexta, dilectio Dei. Superior vero alam, primo, habeat zelum iustitiæ; secundo, pietatem et paternam compassionem; tertio, patientiam et constantem longanimitatem; quarto, ut sit exemplar omnis virtutis; quinto, discretionem, et prudentiam; sexto, familiaritatem, et unionem cum Deo: hisce alis se et suos ad perfectionem et ad Deum evolare faciet.

Seraphim velant ne facies suas, an Dei?

Duabus velabant faciem eius, et duabus velabant pedes.) Hebræum פניו *panav*, tam *facies suas*, quam *facies eius*, scilicet Dei, significat; sic et רגליו *raglav*, tam *pedes suos*, quam *pedes eius* significat. Est hic ergo duplex versio: prior: *Duabus velabant facies suas, et duabus velabant pedes suos.* Ita vertit Chaldæus, Forerius, Vatablus, Sanchez et S. Chrysost. hom. 4. in hanc visionem, itaque legitur in præfatione Liturgiæ S. Iacobi et Æthiopum. Posterior est: *Duabus velabant faciem eius, et duabus velabant pedes eius.* Ita vertit Noster interpres, S. Cyrillus, Hugo, Petrus Damiani epistol. 6. S. Hieron. epist. 142. ad Damasum.

Resp. utriusque.

Utraque hæc lectio vera est, unaque alteri connexa est. Nam Seraphini hi alas superne coniungebant, itaque iis velabant faciem suam, ac consequenter iisdem sibi quoque velabant faciem Dei. Alæ enim interpositæ inter faciem Seraphinorum et inter faciem Dei, eis tam faciem Dei, quam suam propriam velabant, nec poterant aliter alis suis velare faciem Dei quam iis velando faciem suam; et e contrario non poterant iis velare faciem suam, nisi iisdem velarent faciem Dei, id est, faciei Dei conspectum sibi adimerent. Eadem est ratio de alis pedum: coniungendo enim alas, quæ erant inferne, iis pedes suos velabant; illisque velatis consequenter sibi velabant pedes Dei, præsertim cum facies iam esset obvelata.

Suas ex reverentia.

Primo ergo velabant facies suas præ intima reverentia, quod tantum divinitatis iubar irretorto oculo aspicere non possent: pedes vero velabant præ verecundia, ne quis aspiceret imperfectum eorum amorem, et affectum, cuius symbolum sunt pedes. Ita S. Chrysost. serm. 4. de hac visione. Discamus igitur et nos, quo metu, quo pudore, et qua reverentia accedere debeamus ad Deum in orationibus nostris, qua modestia ac religione assistere in laudibus eius. Hac de causa veteres orabant obtecto capite, et facie; unde *amictus* usus, quo sacerdos sacrificaturus caput velat et tegit, dimanavit.

Rursum, pedes sunt symbolum actionis et exsecutionis. Velant ergo pedes, ut significent se pro suo ardenti ad explendam Dei voluntatem studio, esse tardo atque impedito gradu, tametsi senis alis instructos; sicut etiamsi perspicacissimis sint oculis, tamen adversus tantum splendorem, qui a divino emicat vultu, velata facie atque oculis se cæcos fatentur, ait Sanchez.

Qui et addit, per pedes non tam tibias (nam stabant parati et expediti ad Dei obsequium, et ad volandum; ergo pedes habebant liberos, non velatos) quam femora, ac præsertim partes obscœnas accipi (sic enim Hebræis aqua pedum vel femorum, vocatur urina.) Has ergo velabant Seraphini, ut docerent, quam sibi gratus sit casti animi habitus, quem populus ille iam magna ex parte perdiderat. Nam illis annis, maxime sub Achaz, inhonesta plurima fiebant tam in templo quam in urbe.

A Seraphim ergo erant hic schema religiosæ et perfectæ obedientiæ; hæc enim, quasi velatis oculis cæca, præceptum non discutit: rursum velat femora, id est, casta est neque tam suis affectibus aut voluntati servit, quam paret alienæ, eique manus et pedes offert et accommodat. Significatur ergo hic, verum obedientem debere esse totum alatum, ut Superioris mandata alata aure, alatis humeris, alatis pedibus, quin et alato iudicio suscipiat et exsequatur.

Dei, ob tres causas.

Secundo, Seraphim quoque velabant faciem et pedes Dei, eo modo, quo dixi; ut significent primo, divinitatem, eiusque faciem, id est, principium et æternitatem; ac pedes, id est, finem et abyssum, esse incomprehensibiles. 1.
Ita S. Cyrillus. Secundo, ut significent neminem posse scire faciem Dei, id est, quid ante mundum Deus fecerit; nec pedes, id est, quid post mundum futurum sit, quidve facturus sit Deus; media enim quæ inter hæc iacent tantum cognoscimus, inquit S. Hieronym. Tertio et optime, Rupertus: Facies, inquit, est divinitas Christi, pedes sunt eius humanitas, et humanitatis mysteria, uti sunt nativitas, passio, crux, resurrectio, ascensio, etc. q. d. Tam Trinitatis, quam Incarnationis, et totius œconomiæ Verbi incarnati mysterium, ipsis etiam Seraphinis est impenetrabile, neque illud propter celsitudinem et splendorem, neque hoc propter humilitatem et abiectionem satis mirari et suspicere possunt. Unde admirabundi aiunt c. 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* nam, ut Christus de se ait Ps. 21. *Ego sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Timantes excellens pictor cum tristissimam immolationem et cædem Iphigeniæ pingeret, lacrymas et mœrorem cæterorum expressit, vultum autem Agamemnonis patris eius velo cooperuit; quia vidit se nulla re melius posse exprimere summum patris dolorem et tristitiam, quam eum non exprimendo et velando. Simili de causa Deum hic velant Seraphini. Ita S. Ephrem. tr. de Passione Domini, loquens de Caipha damnante Christum, eiusque ministro alapa illum cædente: *Contremuerunt*, inquit, *cæli, fundamenta orbis concussa sunt, expaverunt Angeli omnes atque Archangeli, Gabriel et Michael facies suas alis contexerunt, Cherubim trementia sub rotis se abdiderunt, Seraphim illa hora alas ad invicem collisisse visa sunt, cum daret minister iniquitatis alapam Domino maiestatis. Quomodo igitur non protulerunt fundamenta terræ motum atque tremorem, cum hora illa contumeliis affici creatorem suum cernerent?*

2.

3.

B

C

Volaturiunt ob tres causas

Et duabus volabant.) Non circumvolando Dei solium. Hoc enim leviculum et indecens fuisset; sed extentis alis, quasi volaturi in eodem loco consistentes. Unde stetisse dicuntur v. 2. Hic enim habitus primo, designat, eos esse paratos et agiles ad omne Dei imperium: secundo, volaturiunt, ut significent ingens desiderium quo rapiuntur ad videndum Deum, utque in eum se totos immergant; tertio, Sanchez, librant alas, inquit, ut incendium amoris quo vicini Deo quasi uruntur, alis quasi flabello refrigerent; hac ergo alarum agitatione significatur vis amoris ardentissimi et violentissimi.

1.

2.

3.

D

Morale.

Moraliter, alæ duæ, quibus ad Deum et cælum evolamus, sunt intellectus, et voluntas, meditatio, et dilectio, contemplatio, et actio. Sed quomodo Seraphim stant simul, et volant? Respondet Eucherius (vel quisquis est auctor) quæst. veteris testamenti c. in Isaia, Deo astare idem esse, quod volare. Festinas ad Deum? sede in quiete et silentio orationis, elevaberis, et in Deum deorum in Sion evolabis. Ad litteram, stabant Seraphini, id est, erant erecti, non sedebant, sed stabant alis expansis quasi volaturi, ut dixi.

Si stant quomodo volant?

Mystice S. Bern. serm. 5. in hæc Isaiæ verba, per duas alas accipit naturam et gratiam: *Vivaci siquidem*, inquit, *per naturam intellectu, et ferventi nihilominus affectu per gratiam, in eum qui supra ipsos est extenti iugiter et intenti, stare quidem per ministerium, sed volare per studium perhibentur. Licet enim velent caput Domini, velent*

etiam pedes, sed sibi ista non velant; magis autem sedule volant, et volitant, inter ista, et alta potentiæ eius, et profunda sapientiæ vestigantes; et mox: *Superbus ille Lucifer lucem præferens, non ignem habens, alteri tantum innixus alæ, casum facere potuit, non volatum. Exultavit enim lucidus esse, non fervidus, non incensus, quod Seraphim sonat. Sustulit eum naturæ vivacitas, sed in suam plane perniciem, quippe quem defectus gratiæ mox deiecit.*

Vers. 3.

Non quatuor Seraphim, sed duos vidit Isaias.

Et clamabant alter ad alterum.) Scilicet Filius ad Spiritum sanctum, ait Origenes homil. 4. sed perperam. Constat enim ex præcedentibus Seraphinos hic intelligi. Putant P. Prado supra, et Pererius in Apocal. 4. disp. 7. quatuor Seraphinos visos esse ab Isaia; unde viginti quatuor (quater enim sex faciunt 24.) alas significasse viginti quatuor seniores, de quibus Apocal. c. 4. v. 10. Ubi etiam v. 8. quatuor animalia, puta quatuor Cherubim, clamant: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus;* idque videtur insinuare S. Dionys. c. 13. Cælestis hierarch. qui tamen alibi contrarium significat; secundo, Forerius et Arias putant, ab Isaia visos esse plurimos Seraphinos: sunt enim innumeri; utitur enim Isaias numero plurali, non duali; tertio, alii, et verius putant duos tantum Seraphim visos esse ab Isaia. Idque primo, quia hoc proprie significant hæc verba: *Clamabant alter ad alterum;* secundo, quia Seraphim hi fuerunt instar Cherubim propitiatorii; illi autem erant duo Exodi 25. tertio, quia Ecclesia in octavo resp. Dominicæ post Pentecosten canit: *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum.* Ita S. Dionys. Eccles. hierarch. c. 4. part. 3. bis faciens mentionem duodecim alarum, et Origen. l. 1. Periarchon c. 3. S. Hier. hic, Philastr. hæres. 161. S. Bern. tract. de Verbis Isaiæ serm. 3. Quod intellige, duos tantum illustriores et quasi principes Seraphim apparuisse Isaiæ, cæteros autem a tergo suos stipasse principes; est enim Deus Dominus sabaoth, id est, exercituum. Et sic hanc sententiam concilia cum secunda. Hac de causa versio Arabica habet disagion, non trisagion: *Clamabant,* inquit, *Sanctus, sanctus,* ut significet eos alternis cantasse per modum chori, non quod neget trisagion. Nam hæc verba *alter ad alterum,* significant eos ἀντιφώνως, id est, alternis vocibus cantasse, uti fit in choro psallentium. Ita communiter Patres; unde Damascenus tractatu de Trisagio docet, ab his Seraphinis Ecclesiam didicisse chorum, id est, modum alternis canendi et psallendi. Sic et S. Ignatius martyr teste Socrate l. 6. hist. c. 8. Nicephoro l. 13. c. 8. Cassiodoro, Amalario, et aliis, vidit Angelos alternis psallentes, indeque alternam psalmodiam in Ecclesiam induxit. Eosdem septies per diem elevata audivit S. Magdalena, pœnitens in sua Bauma. Psalmodia ergo est opus cæleste et angelicum, ut merito dicat Psaltes Psal. 137. v. 1. *In conspectu angelorum psallam tibi,* q. d. Summam officium Angelorum, coram Angelis, et cum Angelis psallam tibi. Unde notat Cyrillus, Seraphinos alternis cecinisse *Sanctus;* non quod canendo defatigarentur, sed quia sibi ipsis mutuum honorem tribuunt; omnia enim cælestia ordinata sunt et concinna; maxime vero id fecerunt, ut homines docerent in choro alternis psallere, itaque continuo et concinne laudare Deum, ac se mutuo omnesque homines ad Dei laudem excitare. Pari modo Angelus psallens duodecim Psalmos cum orationum interiectione, docuit eumdem psallendi modum Ægyptios monachos, teste Cassiano lib. 2. Institutione 5.

Seraphim docuerunt chorum, id est alternis psallere.

Canunt ter Sanctus ob tres causas.

Sanctus, sanctus, sanctus.) Ter repetunt *Sanctus.*

I. Primo, ut significent SS. Trinitatem in unitate essentiæ. Ita docet S. Ambros. l. 3. de Spiritu sancto, c. 23. Nazianz. orat. de Pascha, Damasc. fuse in Trisagio, S. Hier. et Cyrill. Procop. Origen. homil. 4. hic, et alii passim. Audi Damascenum: *Deitas,* ait, *trine sanctificatur gloriaque afficitur; cum dicitur ter Sanctus, sanctus, sanctus; ac rursum tres hypostases una tantum gloria afficiuntur, cum dicitur, Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Sanctus ergo Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus. Ter sanctam ergo dicimus deitatem et Trinitatem, non vero unicam eius personam.* Additque: *Non*

A

propter numerum Trinitati divinitas inest; sed quia divinitas in Trinitate est, idcirco ternarius numerus perfectus est. Idem docet S. August. lib. de Fide ad Petrum cap. 1. tom. 3. et V. Synodus generalis, quæ fuit Constantinop. II. totaque Ecclesia. Quocirca perperam hic Calvinus idipsum negat, asseritque contra Arrianos apertioribus locis utendum esse, ne eis ridiculi simus. *Et certe,* inquit, *hac repetitione potius indefessa assiduitas notatur, ac si dixisset Propheta, nullum angelicæ melodiæ finem esse in canendis Dei laudibus: sicut inexhaustam earum materiam nobis suppeditat eius sanctitas.* Ita thraso ille applaudit Arrianis, et Patres omnes eis ridiculos facit. Annon merito Hunnius Calvinomastigem scripsit hoc titulo: *Calvinus arrianizans?* Docte ergo hunc locum, uti et totum Isaiam, heroico carmine ita reddidit Carpenteius Belga:

O sanctum, sanctum, o Dominum, ter denique sanctum,
O regem armorum Dominum, bellique potentem!
Sanctus enim Pater ille ingens totius origo

B

Fonsque boni, magnum qui complet numine mundum.
Sanctus et ille Patris supremi Filius, ante
Luciferum genitus, melioris conditor ævi,
Vox summi sensusque Dei, quem fudit ab alta
Mente Pater, magnique dedit consortia regni.
Sanctus et ille ignis, divini fomes amoris.
A Genitore fluens per Natum Numine eodem,
Amborum communis amor.

Secundo, ut significent Deum esse abyssum sanctitatis, ex qua tam Angeli, quam homines et Christus omnem suam sanctitatem participant: sicut radii a sole hauriunt suum lumen. Tria enim sunt omnia, inquit Aristotel. Unde hoc canticum dicitur τρισάγιον, id est, ter sanctum, hoc est, sanctissimum: sicut Mercurius dictus est τρισμέγιστος, id est, ter maximus: quia simul fuit rex, sacerdos et doctor, sive Theologus. Quocirca Chaldæus vertit: *Sanctus in cælis excelsis, domo maiestatis eius; sanctus super terram, quæ est opus potentiæ eius; sanctus in sæculum, et* II.

C

in sæcula sæculorum, Dominus exercituum. Hac de causa ingeminant, nec aliud canunt quam *Sanctus,* quasi totum et assiduum sit hoc eorum officium et negotium, scilicet laudare Dei sanctitatem: sic et nos assidue verbo et vita Deum laudare debemus. Audi Procop. *Seraphini,* ait *sanctas laudes non semel tantum, sed sæpe, imo etiam infinitis vicibus iterant,* puta iterant trisagion.

Tertio, ut significent eum, qui ad Deum in cælum ire velit, sanctum esse debere; nec Deum aliquid pollutum, vel immundum in suo orbe inultum, aut in suo conspectu impune permissurum, ac præsertim Iudæorum impietatem et scelera, quæ hoc cap. et præcedentib. Isaias redarguit, acriter puniturum, maxime per excæcationem et obdurationem eorum. III.

Hinc Trisagium Ecclesia usurpat.

Ex hoc ergo Seraphinorum hymno, trisagium quasi angelicum, imo Seraphicum, usurpat Ecclesia in præfatione Missæ, idque iam inde a tempore Apostolorum, toto scilicet populo, vel Clero et choro pro populo occinente: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth,* uti

D

testatur Clemens lib. 8. Constitut. c. 16. Porro Græci, et ex eis Latini in parasceve, trisagio addiderunt epitheta dicentes: ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* Qui hymnus, aut potius Litania, sub Theodosio Iuniore Imperat. anno Christi 446. tempore terræmotus Constantinopoli, revelata est a Deo ad extirpandam hæresim Eutychetis (qui docebat unam tantum in Christo esse naturam, uti est una persona; cumque ea videatur esse divina potius quam humana, inde sequebatur, Deum in se esse mortalem, et deitatem in Christo esse passam ac crucifixam: quod est hæreticum) tunc grassantem puero cuidam in aera rapto, qui eamdem ab angelis acceptam Proclo Archiepiscopo aliisque enarravit, ut eamdem canendo implorarent Dei opem et misericordiam. Ita fecerunt, et mox terræmotus cessavit, uti refert Damascen. tract. de trisagio, et Niceph. l. 14. c. 46. Vide et Felicem Papam, et Acacium Constantinop. in epist. ad

Ex revelatione angeli.

Petrum Gnapheum, sive Fullonem, Eutychetis asseclam quibus eum damnant, eo quod addidisset trisagio, *qui crucifixus est pro nobis,* quasi tota Trinitas sit crucifixa; aut trisagium soli competat Filio, sitque SS. Trinitas una tantum persona, scilicet Filius, ut volebat Sabellius. Vide Concil. Constantinop. II. contra eum celebratum, et Baron. anno Christi 483. Porro Mercurius Trismegistus, et ex eo Rhodiginus l. 12. c. 4. hanc de Deo dictis coronidem imponit: *Sanctus Deus, Pater omnium. Sanctus, Deus, cuius voluntas a propriis impletur potestatibus. Sanctus Deus, qui tuis familiaribus innotescis. Sanctus es, quem numquam creavit natura. Sanctus es omni potestate validior. Sanctus es omni excellentia maior. Sanctus es omni laude melior. Excipe verborum sacrificia sancta ab anima et tibi dedito corde manantia ineffabilis, solo silentio prædicande.*

Vide hic quidnam Seraphinorum sit opus, scilicet iugiter celebrare abyssum sanctitatis Dei. Dicamus ergo et nos: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. Sanctus in creatione: sanctus in redemptione: sanctus in sanctificatione nostra. Sanctus in cælo: sanctus in terra: sanctus in gehenna. Sanctus in gloria: sanctus in gratia: sanctus in iustitia. Sanctus glorificans angelos: sanctus iustificans homines: sanctus puniens dæmones. Sanctus ante sæcula: sanctus in sæculis: sanctus in æternum et ultra. Sanctus in Seraphim: sanctus in Cherubim: sanctus in Thronis. Sanctus in utero: sanctus in præsepio: sanctus in patibulo. Sanctus in miraculis: sanctus in doctrinis: sanctus in exemplis. Sanctus in labore: sanctus in cruce: sanctus in resurrectione. Sanctus in Christianis: sanctus in Iudæis: sanctus in Gentibus. Sanctus in fidelibus: sanctus in infidelibus: sanctus in electis et reprobis. Sanctus in consolatione: sanctus in desolatione: sanctus in iubilatione. Sanctus in potentia: sanctus in sapientia: sanctus in providentia. Sanctus in charitate: sanctus in misericordia: sanctus in vindicta. Sanctus in generatione: sanctus in filiatione: sanctus in spiratione. Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus sanctus, Amen, Amen, Amen.

Moraliter, quid sit sanctitas Dei, quamque omnes ipse velit esse sanctos, vide dicta Exodi 28. 36. Levit. 20. 26. et c. 22. in fine, et c. 27. 28. Porro quam horreat dæmon hunc hymnum et doxologiam SS. Trinitatis, liquet ex eo quod narrat Sophronius in Prato spirit. c. 119. *Dicebat,* ait, *nobis Abbas Eusebius, quod dæmon in habitu monachi profectus fuit ad cellam senis; et cum pulsasset ianuam aperuit senex, et dixit illi: Ora. Dæmon autem ait: Et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen. Senex autem rursum dixit: Ora, et dæmon similiter ait: Nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen, Tunc senex: Et dic: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etiam nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen. Hoc autem cum dixisset, dæmon quasi vim passus ab igne, evanuit.*

Doxologia SS. Trinitatis fugat dæmones.

Mirum vero est quod ex Nicolao Aragon. Sigonio, et aliis refert Baronius anno Domini 1055. scilicet, cum simonia in orbe grassaretur, Victorem II. Pontificem misisse Hildebrandum Archidiaconum, ut ad eam exstirpandam Concilium Lugduni celebraret: in quo Archiepiscopus de simonia accusatus, cum crimen negaret, dixit ei Archidiaconus: *Dic: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Tunc ille: *Gloria Patri et Filio* expedite dixit, sed Spiritum sanctum proferre non potuit: quod cum sæpius tentaret, nec proficeret; videns se per divinum iudicium confusum, processit ad pedes Archidiaconi, et confessus est se esse simoniacum: postquam vero a sacerdotali et episcopali officio est depositus, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto,* libera et clara voce decantavit: quod factum adeo simoniacos perterruit, ut præter alios Prælatos, Episcopi quadraginta quinque simoniacos se esse confessi sint, et suis honoribus absque ulla accusatione renuntiarint.

Qualem Seraphim hic Isaiæ, talem S. Gregorio Thaumaturgo S. Ioannes Apostolus SS. Trinitatis confessionem et laudem tradidit in Symbolo, quod exstat apud Greg. Nyssenum in Vita Thaumaturgi.

Denique miraculum, quo id comprobatum est, narrat Gregor. Turonens. l. 1. de Mirac. c. 13. et Sigebertus anno Domini 458. scilicet, urbe Vasatensi ab Hunnis obsessa, cum sacerdos Missam celebraret pro liberatione populi, vidit ex alto cadere tres guttas, æquales magnitudine, claritate et candore crystallum vincentes; quæ dum per altare vago cursu rotantur, defluentes in ipsam patenam, statim in se coniunctæ, quasi unam gemmam pulcherrimam effecerunt; itaque patuit evidenti signo contra Arrianam hæresim tunc suppullulantem, tres personas æquales SS. Trinitatis in unam naturam convenire. Gemmam hanc cruci ex auro factæ incluserunt, per quam Deus multa fecit miracula: nec mora, fugatis Hunnis, civitas liberata est.

Plena est terra gloria Dei. I.

Plena est omnis terra gloria eius.) Primo, quia omnis terra per sui creationem, gubernationem, ac nominatim per continuam productionem herbarum, florum, arborum, animalium et hominum, assiduam et copiosam suppeditat materiam divinæ potentiæ, bonitatis et maiestatis collaudandæ.

II. Secundo, magis divine ac prophetice cum S. Cyrillo, Hieron. et Haymone, per gloriam accipe Christi vitam, et miracula, ac prædicationem per Apostolos eorumque successores, per quos mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis toto mundo celebratur, q. d. Fastidit iam Dominus templi et Hierosolymæ angustias; laxiores ædes suæ destinat habitationi; universa terra erit deinceps templum, cultorumque eius et gloriæ eius sanctuarium; ubique concinent *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth.*

Notent hic orantes, psallentes et meditantes optimam esse compositionem loci, qua mentem cum Deo collectam teneant, elevent, et acuant, si cogitent se cum Isaia, et Daniele c. 7. v. 9. et 10. assistere ante Deum in solio divino residentem, et millia millium ministrantium et assistentium ei, clamantiumque: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth.*

Compositio loci in oratione sit hæc visio Isaiæ.

Rursum hoc angelico hymno monentur non tam Ecclesiastici, sed et fideles omnes, ut assidue noctes et dies tam voce quam actione, bonisque operibus Deum laudent, ut vita eorum pia et sancta sit assidua laus Dei, qua alios homines, angelos, et creaturas omnes invitent pariter ad Deum laudandum; de qua re plura dixi Exodi 13. v. 2. et 11. et Deut. 10. 21. Ideo enim vocantur *Seraphim*, id est, accendentes, quod omnes angelos, et consequenter omnes homines ad Dei laudem accendant. Ita S. Dionys. c. 7. Cælest. hierarch.

Seraphim nos docent semper laudare Deum.

Hinc tropolog. *Anima sancta*, ait Orig. hic hom. 4. (quem vide) *plena est gloria Dei, cum omnia, quæ agit et patitur, refert ad laudem et gloriam Dei*: dumque cum Psalte Ps. 148. canit: *Laudate Dominum de cælis; laudate eum, omnes angeli; laudate eum sol et luna; laudate eum ignis, grando, nix, glacies, reges terræ, iuvenes et virgines. etc.* Et cum tribus pueris Daniel. 3. Benedicite, cæli et angeli, Domino; benedicite, rores, pruina, montes, colles, fontes, Domino; benedicite, sancti et humiles corde, Domino. Rursum cum Psaltes Ps. 102. *Benedic, anima mea, Domino: et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic, anima mea, Domino: et noli oblivisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus: qui replet in bonis desiderium tuum.* Duplici enim titulo Deus summe laudandus est, uti docet D. Thom. 2. 2. q. 91. art. 1. Primus est divina eius essentia, maiestas, sapientia, bonitas, etc. quæ cum in se immensa sint, immensam exigunt laudem. Secundus est, innumera, eaque quotidiana in nos beneficia, quibus nos circumquaque coronat et replet: eaque tum communia, tum propria: ob quæ ex toto corde iugiter Deo gratias agere, iubilare et exsultare debemus. Accipe ergo hosce tres hymnos iuges Ecclesiæ militantis et triumphantis, eosque crebro per diem noctemque instar

Anima sancta plena est gloria Dei.

orationis iaculatoriæ usurpa, et in cælum ad Deum trinum et unum, in quo est omne bonum, eiaculare. Primus est hic Seraphicus: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth; plena est omnis terra gloria eius.* Secundus est Angelicus Apoc. 7. 12. *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen.* Tertius est Ecclesiasticus: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.* Quinimo ex hisce vel singulis, vel simul iunctis et recitatis contexe et offer corollam, sive rosarium SS. Trinitati: ut sicut recitas rosarium B. Virginis, legendo quinquies *Pater noster*, et quinquagies *Ave Maria*, ita recites rosarium SS. Trinitatis ad eosdem globulos, legendo ad quinque maiores quinquies *Pater noster* cum *Ave Maria*, et ad quinquaginta minores quinquagies *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth; plena est omnis terra gloria eius. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.* Nimirum ad parvos globulos rosarii loco *Ave Maria*, substituendo, doxologiam, iam dictam. Ita in praxi faciunt multi docti et pii viri magno fructo; est enim hæc brevis doxologia primo, professio fidei SS. Trinitatis contra Paganos, Turcas, Iudæos, Arrianos veteres et novos. Secundo, est exercitium religionis, spei, charitatis, aliarumque virtutum. Tertio, est excitamentum devotionis et lætitiæ spiritalis, qua fortiter ferimus adversa quæque et tentationes, ac difficilia omnia et ardua generose superamus, dicentes cum Psalte: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Quarto, facit ut vita nostra sit angelica ut nimirum sanctitatis et puritatis angelicæ æmuli, ipsorum officium hic usurpemus, et inchoemus, quod brevi cum illis ipsis in cælis consummabimus in omnem æternitatem; ut tota vita nostra, omne tempus nostrum, tota æternitas nostra non sit aliud quam assidua Dei laus, gratiarum actio et glorificatio. Ita incipimus esse beati: altiorem enim terra vitam agimus, omniaque in terra velut exilia mente transcendentes, ad angelos in cælum evolamus, cumque iis ac Beatis conversantes læti et alacres in omnibus laudamus SS. Trinitatem, quæ fons et auctor est omnium. Edidit hoc rosarium P. Nicolaus Serarius, societatis nostræ Theologus, piæ memoriæ, in Germania; ac ut spero, rursum in Italia, et in Belgio edetur. Nihil enim sanctius, nihil Deo dignius et gratius, nihil homini utilius, ab eo orari aut fieri potest.

Rosarium Seraphicum SS. Trinitatis.

Quocirca S. Ephrem tract. de Beatitudinibus: *Beatus est*, ait, *qui factus est sicut Seraphim et Cherubim, et in divino ac spiritali officio numquam est segnis, sed assidue glorificat Dominum.*

Beatus, qui in cella sua in Domino, tamquam angelus cælestis, castas retinet cogitationes, suoque ore collaudat eum, qui omnium spirituum potestatem habet.

Beatus, qui semper spirituali gaudio plenus est, nec in portando suavi iugo Domini pigrescit: coronabitur enim in gloria.

Vers. 4 Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, et domus repleta est fumo.) S. Hieron. Cyril. et S. Thomas putant hic significari eversionem templi; quia illud combustum a Chaldæis et Romanis abiit in fumum: unde Deus eo excessit, abiitque ad Gentes. Hinc Septuag. vertunt, *elevatum est superliminare*, ut scilicet ostium fieret maius Deo magno per id exituro. Sed obstant sequentia; scilicet quod Deus in solio et templo remanens, miserit Seraphin cum calculo, quem tulerat de altari, ad purificandum labia Isaiæ; ergo stabat adhuc templum et solium, Deusque non excesserat, sed in eo adhuc residebat: non nego tamen hic portendi excidium templi, uti mox dicam.

Commota sunt superliminaria vi clamoris

Dico ergo, sensus est: *Commota sunt superliminaria, etc.* q. d. Tanta erat vis et robur vocis, ac ardor utriusque Seraphini clamantis *Sanctus, sanctus, etc.* ut etiam ipsum templum, puta ipsum cælum, e cardine videretur commoveri et convelli. Alludit ad prodigium illud Iudaici exeidii per Titum, de quo Iosephus l. 7. Belli c. 12. scilicet portam æneam templi gravissimam esse reseratam, auditamque vocem: *Migremus hinc.* Seraphim enim clamans *Sanctus* Deo, Isaiæ acclamavit v. 10. *Excæca cor populi huius.* Unde patet, quod hæc visio spectet ad Iudæorum reprobationem, quæ contigit sub tempora Christi: quocirca sequitur:

Et repleta est domus fumo.) Fumus, vel nubes et nebula erant olim symbolum gloriæ Domini, adeoque vocantur sæpe gloria Domini: per illa enim Deus se ostendebat, aut potius celabat, ut significaret se inhabitare lumen inaccessibile, maxime Iudæis, donec Unigenitus qui est in sinu Patris, nobis illuxit, et divina revelavit ac enarravit. Sic Deus Mosi in Sina apparuit, et locutus est per caliginem, Exodi 20. Sic et Salomoni in templo apparuit gloria Domini, id est nebula tegens totum templum, 3. Reg. 8. Sic et apparere solebat pontifici in propitiatorio tectus nebula, Levit. 16. Sic et visus est Ezechieli in nube c. 10. 3. hinc et Psaltes ait Psal. 17. *Posuit tenebras latibulum suum.*

Fumus est symbolum, I. Gloriæ Dei.

Secundo, S. Hieron. sic explicat, q. d. Cum tota terra impleta est gloria et splendore gratiæ et doctrinæ Christi; tunc sola domus et templum Iudæorum obtenebratum est; idque ex fumo, id est, ex ira Dei, qui parans se ulcisci quasi naribus efflabat fumum et ignem, iamque illud ipsum fumo et igni destinabat; et sic primus sensus de incendio templi quem paulo ante adduxi, hic locum habere potest. Hinc symbolice, Pintus per fumum sive caliginem accipit excæcationem Iudæorum, cum gloria Dei et splendor Evangelii Gentibus illuxit.

II. Incendii templi.

Et dixi: Væ mihi, quia tacui.) Septuag. *quia compunctus sum.* Unde primo, Prado in Ezech. 2. v. 1. sic explicat. Heu me! perii, occidi, defeci ex consternatione tantæ visionis; ut per metalepsin *tacere* significet consternari, pavere, percelli, ita ut loqui non possis, sed tacere debeas. *Tacui* ergo, id est, consternatus obmutui. Sic 1. Machab. 1. dicitur terra siluisse in conspectu Alexandri, id est, ita pavore concussa, ut mutire, eique resistere non sit ausa. Idem dicitur de Moab infra c. 15. et de Ascalone Ierem. 47. Idem videtur hic contigisse Isaiæ: si enim Seraphim coram Deo velant facies et ora; quidni cadat Isaias, mortalis homo, videns Deum eum Seraphinis? Addit Sanchez, Isaiam licet facundum, in conspectu Domini, et audita ea suavitate, et ardore, quo a Seraphinis laudatur Deus, mutum se putasse et elinguem, q. d. Væ mihi, quia tacui, neque laudavi maiestatem tantam, quam ab Angelis nunc tanto spiritu laudari cerno; tacui, inquam, cum loqui poteram: nunc autem ex quo Deum et Seraphim vidi, cogor tacere, etiamsi loqui cupiam: ipsorum enim conspectus et maiestas me elinguem fecit, sed iure hæc patior: quia quando poteram loqui nolui, et succumbens timori tacui; nunc cum maxime volo loqui non possum. Sic videmus viros etiam eloquentissimos, coram regibus, quasi regiæ maiestatis intuitu attonitos et repercussos obmutescere.

Vers. 5. Tacere pro pavere.

Tacet Isaias auditis Seraphinis.

Secundo, aptius et plenius S. Hier. notat, Isaiam cum videret Seraphinos tanta reverentia, tremore et clamore laudare Dei maiestatem, optasse illis se in hoc cantu et hymnodia iungere; sed ob peccati conscientiam id facere non ausum. Dicit ergo, *Væ mihi*, quia mihi tacendum iudicavi, eo quod pollutus sim labiis, et peccator similis populo polluto cum quo habito, q. d. Miserum me, qui nihilo sum civibus meis hac in re sanctior; cum ipsi mere profani et polluti sint: ideoque in hoc Angelorum concentu tacere cogor, et mutire non audeo: non enim est speciosa laus Dei in ore peccatoris.

Tacet Isaias ob peccatum suum.

Nota. Pro *væ* hebr. est אוי *oi*, quod clarius Prado et alii vertunt *heu*, et Septuag. *o miser ego.* Est enim vox Isaiæ non minantis, sed dolentis.

Porro hoc Isaiæ peccatum fuisse locutionis censet Origenes hic hom. 5. ex eo quod subdit Isaias: *Quia vir pollutus labiis ego sum.* Facillime enim, ut ait S. Iacobus cap. 3. 2. lingua peccamus: ergo aliquid timide, vel imprudenter dixisse videtur Isaias, cuius culpam hic agno-

Quod?

scit, etsi non exprimat quid illud fuerit, aut quod vana et otiosa locutus sit; hoc enim vix ullus hominum evadit, maxime qui inter vanos et loquaces degit, inquit Origenes et Gregor. 3. Dialog. 5. aut quod, cum alios redargueret, seipsum non reprehenderet, inquit Nazianz. in Apolog. ad patrem; quod intellige de levibus et venialibus culpis.

Taciturnitatis in increpando Oziam. Secundo et potius S. Hieron. Cyrillus et Haymo (esto id improbet Chrys.) censent hoc peccatum Isaiæ fuisse linguæ, at non tam locutionis quam taciturnitatis; scilicet quod peccata populi ac procerum, vel tædio vel metu victus, insectari destiterit, ac nominatim quod Oziam regem, cum sacerdos non esset, volentem adolere incensum, et sacerdotium invadentem labiis audacibus ipse utpote Propheta et e regio sanguine oriundus, non corripuerit.

Porro hoc Isaiæ peccatum non mortale fuisse, sed veniale, colligitur ex eo quod Deus eum quasi amicum suum tam sublimi visione sui et Seraphinorum dignatus sit; quia sane peccatorem et hostem suum non decorasset.

Addit Sanchez, peccasse Isaiam, quod metu regis tacuerit, et permiserit eum iam leprosum in urbe habitare; nec curaverit eum iuxta legem Levit. 13. 46 urbe expelli. Unde apposite subdit: *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito*, q. d. Ego factus sum quasi unus e plebe, quæ in tam gravi casu mutire non est ausa, cum tamen aliis tacentibus ego utpote præco Dei, loqui eumque intrepide increpare debuerim: sicuti Elias et Eliseus increparunt Achab, Ioram, aliosque reges Israel. Verum exiguum, vel nullum fuisse hoc peccatum ostendi v. 1. Impie Œcolampadius censet Isaiæ labia fuisse polluta: Quia, inquit, homo ex se nil nisi sordidum et fœtoris plenum proferre potest.

Moraliter Dei cognitio parens est humilitatis. Moraliter, disce hic, Dei cognitionem in nobis humilitatem gignere: qui enim videt Deum, videt seipsum: videt, quantum distet a Deo, quam parum, imo quam nihil sit: et quo clarius videt Deum ac seipsum eo magis Deum admiratur et reveretur, seipsum vero deprimit et despicit. Hoc ergo signum est boni spiritus, sicut e contrario signum mali spiritus est, si quis ex eo intumescat, se suaque magni faciat; putet se doctum, sanctum, perfectum, etc. Ita Abraham coram Domino: *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis*, Gen. 18. v. 27.

Exempla. Ita Moses audiens Deum ex rubo, *abscondit faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum*, Exod. 3. v. 6. Ita Tobias cum suis agnito Angelo Raphaele, *prostrati per tres horas in faciem, benedixerunt Deum*, Tob. 12. 22. Ita Ieremias audiens a Deo: *Priusquam te formarem in utero, novi te, etc.* dixit: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum*, c. 1. 6. Ita Daniel videns antiquum dierum in throno, et millia millium assistentium ei: *Horruit*, inquit, *spiritus meus, territus sum, et visiones capitis mei conturbaverunt me*, c. 7. 15. Et c. 10. 8. viso angelo: *Non remansit*, ait, *in me fortitudo, emarcui, nec habui quidquam virium: et audivi vocem sermonum eius: et audiens iacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ.* Et Ezechiel, viso Deo in curru Cherubim, cecidit in faciem, et quasi in deliquium mentis, cap. 2. 1. Ita viginti quatuor seniores coram throno Dei *procidebant ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem*, Apocal. cap. 4. vers. 10. Ita S. Franciscus spiritu elevatus dicebat: *Quis tu, Domine, quis ego? tu abyssus essentiæ, veritatis et gloriæ; ego abyssus nihili, vanitatis et miseriæ.*

Et in medio populi polluta labia habentis ego habito.) *Polluta*, id est, primo, contaminata, tum locutione, tum silentio, ut dixi; secundo, *polluta*, id est profana et communia, q. d. Labia mea sunt Deo consecrata: deberem ergo loqui sacra et divina, uti decet Prophetam; at nunc cum populo versans, ab eo didici loqui, ut ipse, sæcularia, vulgaria et communia. Unde notant hic S.

A Hier. et Cyril. quam noxia sit etiam Sanctis et Prophetis sæcularium, præsertim improborum, societas, quæ tantum Prophetam inquinavit. Vere dixit Sapiens: *Hæc tria non possunt non inquinari: Figulus, rota plaustri in profundo cæno, versantes cum malis.* Et Eccli c. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Et S. Paulus 1. Cor. 15. *Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* Ita S. Petrus agens inter ministros pontificum negavit Christum; et Deus Abrahamum e Chaldæa eduxit, ne infidelium societate contaminaretur.

Rursum S. Bernardus: *Nugæ*, inquit, *in ore sacerdotis* (et Prophetæ) *sunt blasphemiæ. Labia enim sacerdotis custodient* (custodire debent) *scientiam et legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.*

Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis.) q. d. Antea parvi feci peccatum meum; nunc videns Dei puritatem et sanctimoniam, ac Seraphim clamantes *Sanctus, sanctus;* video quam impurum et horridum sit hoc meum, et omne aliud peccatum: perinde ac si simul videas tenebras et lucem, solem et cloacam, regem et scurram, magis perspicis quantum unum ab alio distet: quia *imperfectum meum viderunt oculi tui*, pariter et mei in lumine tuo.

Et volavit ad me unus de Seraphim.) Quæres, An hic Angelus vere fuerit ex ordine Seraphim? S. Dionys. c. 13. Cælest. hierarch. ex doctrina sui magistri Hierothei, distinguit choros Angelorum ex Daniel 7. 10. in Assistentes, qui semper Deo assistunt; et in Ministrantes, qui foras mittuntur. Assistentes docet esse quatuor summos Angelorum choros, eosque sua multitudine longe superare inferiores quinque qui Ministrantes sunt: hunc ergo Angelum, quia missus est, non vere fuisse ex ordine Seraphim, sed ex aliquo ordine Ministrantium; vocari tamen *Seraphin*, vel quia illuminatus et missus fuit ab aliquo Seraphino, vel ab officio, quia missus est ad urendum labia Isaiæ. Contrarium tamen est verius, scilicet eum vere fuisse ex choro Seraphim. Hinc enim doctores, C et Ecclesia probant nonum ordinem Angelorum esse Seraphim: nec enim aliunde ex Scripturis probari potest. Ita docet S. Ambros. l. 1. de Spir. sancto c. 10. et multi Scholastici, favetque Apostolus Hebr. 1. 14. ubi ait omnes esse administratorios spiritus in ministerium missos. Vide ibi dicta. Vers. 6. An Seraphim fuerit ex choro Seraphim?

Et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.) Pro *calculus* hebr. est רצפה *ritspa*, græce ἄνθραξ, id est carbo, vel pruna ignita, quæ calculo candenti, id est carbunculo seu pyropo, est similis: prunam enim fuisse patet, tum quia forcipe, tum quia de altari accepta est, ut ureret labia Prophetæ. Et sic Apoc. 8. 5. *Accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris.* Idem fecit Cherubim Ezech. 10. 2. Ita *ritspa* vertunt *carbonem accensum* Syriaca, Arabica, Forer. Vatabl. Pagnin. et passim recentiores, et ita legit Damasc. lib. 4. de Fide c. 14. רצפה *ritspa* enim vel רצף *retseph* per metathesin alludit ad צרף *tsaraph*, vel שרף *saraph*, id est urere, accendere, conflare. Unde apposite ad nomen D suum שרפים *Seraphim* habet in manu רצף *retseph*. Calculus est retseph id est, carbo et carbunculus.

Secundo tamen, S. Hieron. *ritspa* vertit calculum, id est lapillum, sive gemmam, cui versioni cæteri interpretes, scilicet Aquila, Symmachus, Theodotion, consentiunt inquit S. Hieron. Sept. vertunt, ἄνθρακα, quod et carbunculum et carbonem significat. S. Hieron. epist. 143. ad Damasum interpretatur *carbunculum*, quæ gemma est flammeo et igneo colore; additque: *Sive calculum vertamus, sive carbunculum, in calculo divini sermonis veritas et rigor, in carbunculo eiusdem lucens doctrina manifeste ostenditur, iuxta illud Psal. 18. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Unde a *retseph* deducitur רצוף *ratsuph*, et מרצפת *martsephet*, quod significat stratum lapide, sive pavimentum lapideum, 4. Reg. 16. 17. et Cant. 3. 10. ubi pro *charitate constravit*, hebr. est *ratsuph*, quod Septuag. vertunt λιθόστρωτον, id est, stratum lapide, et quinta editio vertit, *medium eius calculis* (id est carbunculis, inquit S. Ambrosius, Theodoret. et

Nyssenus) *composuit*. Quare noster Alcazar in Apocal. c. 2. v. 17. notat 5. omnino contendit hunc Isaiæ calculum fuisse carbunculum, huncque dat sensum: Vidit, ait, Isaias thronum, quem Deus habet in Ecclesia Christiana: quare Seraphim sunt Apostoli, et viri Apostolici, qui Evangelium erant prædicaturi, quod quia erat summæ difficultatis, et quasi ignem complecti; hinc timide forcipe acceperunt carbonem ex altari, id est timide accesserunt ad labores et persecutiones Evangelii; sed ubi cum acceperunt, et inspexerunt, viderunt eum non esse carbonem sed carbunculum; quia labores hi et cruces pro Christo per charitatem qua accensi erant, et per unitionem Spiritus sancti, eis dulcissimi æque ac pretiosissimi evaserunt. Hic sensus pius, et moralis est, non tamen litteralis, nec genuinus, ut vult Alcazar et Rupertus.

Labores pro Deo videntur carbones, sed sunt carbunculi.

Carbo Isaiæ fuit carbunculus.

Dico, ergo, utrumque esse verum, scilicet, et calculum hunc fuisse prunam accensam, et fuisse calculum sive carbunculum; nam in cælesti templo, et altari, ubi hæc vidit Isaias, omnia pretiosa sunt, æterna et cælestia: ergo carbones eius non sunt lignei, sed lapidei, ut semper durent; imo gemmei, quia tales decent Deum. Ignis ergo ille cælestis nutritur pyropis et carbunculis: carbunculus enim præ omnibus gemmis pretiosissimus est. Nam carbunculus qui ponderat unam drachmam, sexaginta millibus aureorum æstimatur, id est, pluris quam adamantes quatuor eiusdem ponderis. Et licet noster carbunculus ignem nostrum terrestrem respuat, ita ut eum ignis calefacere non possit, ut docet Plinius et Aristot. lib. 4. Meteor. cap. 48. tamen cælestis ille carbunculus cælestem illum Dei ignem facile suscipit. Huic sententiæ favet Ecclesia, quæ orat in Sacro: *Deus qui labia Isaiæ calculo mundasti ignito*. Fuit ergo calculus, sed ignitus.

Carbunculus pretiosior adamante.

Respuit ignem.

Quæres, Cur Seraphim hoc calculo tetigit labia Isaiæ? Resp. Ut peccatum laborium eius puniret et expiaret, hinc ea calculo hoc adussit; præsertim quia peccarat Isaias non reprehendendo Oziam, qui prunas et thymiama altaris invaserat; prunis ergo punitur, hoc est enim quod ait Seraphim: *Ecce tetigi hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur*. Calculus ergo hic primo, symbolum est pœnitentiæ et contritionis. Notat cum Alcazare in Apocal. 2. v. 17. Viegas in Apoc. 8. comment. 1. sect. 4. in fine, carbonem hunc fuisse carbunculum, uti dixi: Si quis obiiciat, quomodo ignis altaris nutriri potuit carbunculis? Respondetur, in ignem immissos fuisse carbones, sed vi ignis conversos fuisse in carbunculos: ut significaretur vis nostri altaris holocausti, pœnitentiæ scilicet, per quam peccatores qui erant instar carbonum frigidi et nigri, in carbunculos gemmasque evadunt, puta fiunt vel carbunculi per charitatis ardorem, vel smaragdi per castitatem, vel adamantes per patientiam et fortitudinem: hinc dicitur Psalm. 17. *Carbones succensi sunt ab eo*; nec tantum succensi, sed et in gemmas divinitus conversi. Hæc speculatio pientior est et acutior quam solidior: nec enim carbunculi ex carbonibus gignuntur, nec ignis potest carbones in carbunculos commutare: Sed responderi posset, hanc visionem (eiusque visa) utpote symbolicam, non naturalem, sed miraculosam et divinam fuisse. Ita legimus S. Vincentium Ferrerium duos reos, cum ad supplicium ducerentur, sua exhortatione ad tantum dolorem accendisse, ut facies eorum in carbones quasi versæ fuerint, itaque exspirarint. Dolor ergo et amor fuit quasi eorum carnifex, imo opifex novorum hominum.

Calculus ignitus symbolum fuit I. Pœnitentiæ.

Pœnitentia ex carbone facit carbunculum.

II. Gratiæ Spiritus sancti.

II. Secundo, calculus hic ignitus symbolum erat gratiæ Spiritus sancti, quæ a peccatis Isaiæ et cuiusvis pœnitentis animam purificat et sanctificat. Ita S. Ambros. l. 1. de Spiritu sancto c. 9.

III. Prophetiæ.

III. Tertio, calculus hic symbolum erat gratiæ gratis datæ, scilicet prophetiæ, q. d. Ecce hoc signo, scilicet imaginario (fuit enim hæc visio: unde omnia per visionem, non realiter sunt gesta; non ergo realiter combusta sunt labia Isaiæ: sic enim blæsus et ineptus ad prædicandum factus esset) contactu labiorum per prunas, significat Deus se, et tibi peccata remittere, et te implere spiritu prophetico, ac simul fiducia et magnanimitate, ut superato metu magnatum intrepide deinceps prophetes, et populi ac procerum cæcitatem arguas: unde S. Hier. Haymo et Philastrius libro de hæres. in fine, per calculum accipiunt verbum Dei, quod petitur ab altari, id est e sacra Scriptura. Sic Ieremias consecratus fuit Propheta tactu manus divinæ c. 1. 9. Unde S. Hier. Dionys. Carthus. Sanchez et alii, censet hanc fuisse primam visionem et prophetiam Isaiæ, illasque quæ quinque capitibus iam enarratæ sunt, fuisse hac posteriores, adeoque Isaiam animatum hac visione intonasse: *Audite verbum Domini, principes Sodomorum*, uti dictum est cap. 1. Hæc sententia est probabilis; sed contraria videtur verior: nam ante hæc prophetasse Isaiam, colligitur non tantum ex capitibus præced. sed ex eo quod ait hic Isaias: *Væ mihi, quia tacui*, q. d. Væ mihi, qui cum sim Propheta, tacere non debui, uti passim exponunt Patres et interpretes. Secundo, quia Eusebius in Chronico tradit, Isaiam cœpisse prophetare anno 17. Oziæ, et Isaias c. 1. ait se prophetasse sub Ozia rege, regnante videlicet; ergo prophetavit ante eius mortem, imo antequam percuteretur lepra, et separaretur: tunc enim regere desiit. Tertio, quia non est verisimile eum suam prophetiam inchoasse sic: *Excæca cor populi huius*, uti ipse hic incipit vers. 10. Prius enim solet Deus per Prophetas populum monere et arguere, uti fecit per Isaiam quinque cap. præced. antequam ei excæcationem et obdurationem intentet.

An fuerit hæc prima visio Isaiæ?

IV. Amoris et zeli.

Quarto, Isaias optans se iungere Seraphinis in laude Dei, calculo hoc charitatis et ardoris eorum inflammari debuit, simulque per eum quasi consecrari non tantum Propheta, sed et Evangelista et Apostolus (mittitur enim ad Iudæos v. 9.) perinde ac Apostoli consecrati sunt per linguas igneas, quas acceperunt in Pentecoste: hoc ergo calculo os igneum, et linguam igneam, accepit Isaias, æque ac Apostoli, ut Iudæos igne divino inflammaret, iuxta illud Ieremiæ 23. *Numquid non verba mea quasi ignis?* et Psal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Hic ergo candens calculus consignat Isaiam Evangelio; ut nihil ab ore eius sonet nisi purum, nisi evangelicum, nisi divinum; nihil labia eius aspirent nisi igneum ab illo cælesti igne, quem Christus venit mittere in terram. Ita S. Franciscus per Seraphim calculo amoris Dei accensus fuit: nam, ut ait S. Bonav. c. 13. Vitæ eius: *Cum Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, circa festum Exaltationis sanctæ crucis, dum oraret, vidit Seraphim unum sex alas habentem ignitas et splendidas de cælo descendere, atque inter alas apparuit effigies hominis crucifixi: duæ alæ super caput ipsius elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Hoc videns obstupuit cum gaudio: intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Hæc enim visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem; et in manibus eius ac pedibus impressit signa clavorum, quemadmodum in effigie illa crucifixi conspexerat.*

Allegorice carbo ignitus est humanitas in Verbo.

Allegorice, calculus hic nos accendens est Christus. Ita S. Basil. et Cyrillus: sicut enim ignis unitur carboni, et carbo igni; sic humanitas unita est Verbo, ut Verbum incarnatum sit quasi carbo ignitus.

II. Est Eucharistia.

Rursum hic carbo est S. Eucharistia, quæ ab omni peccato nos purgat, roborat et inflammat: *Ut tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles*, ait S. Chrysost. hom. 61. ad pop. Ita calculum hunc exponit S. Iustinus in respons. ad q. 44. a Gentibus propositum, et Damascen. mox citandus.

Unde moraliter, hic monetur sacerdos, qui purus et fervens debet esse ut Seraphim, ut corpus Christi in Eucharistia ab altari capiat forcipe, quæ biceps est, id est fide et charitate; vel gemina legis perfectione, puta dilectione Dei et proximi: illudque tradat Isaiæ, id est peccatori-confesso, plangenti et venerabundo. Copiose hoc explicat S. Cyril. l. de incarnat. Unigenit. c. 8.

Audi et S. Damasc. l. 4. de Fide c. 14. *Accedamus*, ait,

desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus, et apponentes oculos et labia et frontem divinum carbonem concipiamus, ut ignis in nobis insiti desiderii, assumpta ea, quæ ex carbone oritur inflammatione, comburat peccata nostra, et illuminet corda nostra, et participatione divini ignis inardescamus, et deificemur. Carbonem vidit Isaias: carbo autem non simplex lignum est, sed unitum igni; sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus Divinitati. Hoc experta est S. Monica, quæ in S. communione præ dulcore se continere non poterat, quin exsultaret, cum suspirans ad Christum in aerem a terra raperetur ac diceret: *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.*

III. Est potestas clavium.

Denique Rupertus hoc accommodat ad claves et potestatem clavium datam B. Petro eiusque vicariis. Seraphim enim est sacerdos, qui calculo suæ sententiæ Isaiam, id est pœnitentem, a peccatis absolvit.

Tropol. est confessio.

Tropologice, S. Cyrillus per calculum hunc ori Isaiæ admotum accipit confessionem, qua fidem ore profitemur æque ac peccata nostra: hæc enim in ore nostro assidua et constans sit oportet, ut a peccatis emundemur, et Spiritus sancti fervore accendamur. Insulse ergo Calvinus hic ait, *in Papatu meram esse corruptelam, ubi Sacramenta in actionem histrionicam vertuntur.* Inde enim a pari sequitur, angelum hunc forcipe accipientem calculum de altari, eoque tangentem et efficaciter purgantem labia Isaiæ, fuisse histrionem. Respondet Calvinus, angelum suæ actioni addidisse verbum, in quo præcipua ratio Sacramentorum consistit. Verum hoc pariter verbo utuntur Catholici in suis Sacramentis. Nosti, Calvine, illud Augustini tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* Nosti Catholicos rationem formæ dare verbis in Sacramentis; forma autem potior est materia, et dat esse rei, puta sacramento. Sed scio tuum ulcus, verbum vis concionatorium non consecratorium: nimirum vis abolere sacramenta, eaque in conciones convertere. Hæc mens tua, hic scopus.

QUEM TULERAT DE ALTARI.) Altare hoc simile erat Mosaico, et illi, quod vidit Ioannes Apocal. 6. 9. eratque vel altare holocaustorum, vel potius thymiamatis, de quo Apoc. 8. 3. inde enim ascendebat fumus incensi, quo replebatur templum. Altaris meminit, quia vidit Deum in templo, cuius monile est altare: altare enim repræsentat sacrum arcanum maiestatis divinæ, æque ac cultus, religionis et sacrificiorum illi debitorum: hisce enim colendus est in altari; et quia carbones in templo ex altari accipi solebant. Quid significet symbolice altare utrumque, dixi Exodi 27. v. 1. et c. 10. v. 1. et sequent.

Altare symbolum est cultus Dei.

Vers. 7. ET PECCATUM TUUM MUNDABITUR.) Id est, emundabitur, auferetur et everretur sicut everri solent sordes e domo. Hinc videtur, quod Isaias in hac visione intellectuali illuminatus et compunctus a Deo, elicuerit libere actus contritionis et amoris Dei, per quos fuit dispositus ad purgationem peccati, et infusionem novæ et heroicæ gratiæ ac virtutis. Accepit enim hic a Deo libertatem, et audaciam, zelumque intrepide prophetandi et prædicandi: unde v. 8. ait Deo: *Mitte me*; et mox ex eo libere edicit v. 10. *Excæca cor populi huius.*

Isaias fuit hic compunctus ut a peccato purgaretur.

Vers. 8. QUEM MITTAM, ET QUIS IBIT NOBIS?) Rursum hic innuitur mysterium Trinitatis in voce *nobis*, et unitatis essentiæ in voce *mittam.*

Morale, de missione Dei.

Moraliter, Nota humanitatem Dei principibus, Prælatis, et cuivis Superiori bene regere volenti imitandam. Poterat Deus imperare Isaiæ: Ecce iam te consecravi Prophetam, adsum et adero tibi: quare mitto te ad Iudæos, vade. Sed noluit eum ad rem tam arduam suo præcepto cogere: unde eum invitat proponens tantum ei suum desiderium, quod proinde Isaias, ut decet, statim amplectitur, seque ultro offert. Secundo τὸ *nobis* stimulus est Isaiæ et Apostolis, ut sincero et magno animo missiones Dei suscipiant, cogitantes, primo, se in hac re Seraphinorum esse socios, atque se ire ad opus divinum, non ex se, sed a Deo vocatos et electos; secundo, se Deo hac re peculiare et gratissimum obsequium præstare; tertio, se in

A hoc munere, non suam, sed Dei gloriam spectare et curare debere inquit S. Thomas et Hugo.

Pulchre S. Bern. in ser. de SS. Petro et Paulo: *Hi sunt, ait, viri misericordiæ, sive quia misericordiam consecuti, sive quia misericordia pleni, sive quia misericorditer a Deo donati sunt nobis: scimus quod viri isti nec sibi vixere, nec sibi sunt mortui; sed ei qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus. Facit eorum vita, eorum doctrina, et etiam mors ipsa in conversatione eminentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam: hæc nobis beati Apostoli contulerunt: quæ etiam usque hodie conferre non cessant, misericordia pleni, et sanctarum orationum fructibus.*

Et S. Chrysostom. in homiliis de laudibus S. Pauli tom. 3. *Paulus cæli civis, Ecclesiarum columna, angelus terrestris, cælestis homo. Sicut enim missum in igne ferrum totum profecto ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus effectus est charitas.* Paulus ergo fuit Seraphim, et Seraphicus Apostolus. Et rursum: *Misit*, inquit, *Christus Apostolus quasi sol radios suos; quasi rosa suavitates odoris sui; quasi ignis scintillas suas dispersit; ut sicut sol in radiis apparet: sicut rosa in odoribus suis sentitur: sicut ignis in scintillis suis aspicitur: sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscatur. Quis enim videns discipulos bene instructos, non scientiam magistri collaudet?* S. August. in serm. de Apostol. *Dedit Dominus Apostolis potestatem super naturam, ut eam curarent; super dæmones, ut eos everterent; super elementa, ut ipsa immutarent; super mortem, ut eam contemnerent; super angelos, ut corpus Domini consecrarent. Hæc etiam potestas data est eorum successoribus, secundum illud* Apoc. 11. v. 6. *Hi habent potestatem claudendi cælum, et aquas convertendi in sanguinem.*

Paulus alter Seraphim.

Apostolorum potestas quanta?

ET DIXI: ECCE EGO, MITTE ME.) Video enim te ad hoc me designare, ex eo quod sentiam labia mea calculo mundata, linguam solutam, et animo meo novam libertatem, et desiderium prophetandi a te inseri; præsertim cum simul me stimulet gloria maiestatis tuæ quam conspicio, et Seraphim quos volantes et paratos ad omne tuum obsequium intueor. Hæ rationes addebant animos Isaiæ, ut ex liberali et alacri magnanimitate Deo ad rem tam arduam se offerret, etiamsi sciret se propterea dissecandum, inquit Origenes in illud Rom. 10. *Isaias autem audet*: e contrario Moses ex humilitate, imo ex pusillanimitate quadam Dei missionem tertio et quarto detrectavit, uti dixi Exodi 4. et docet S. Hieron. epist. 142.

Ait igitur: *Ecce ego*, quæ locutio promptum animum ad parendum significat. Sic Abraham a Deo vocatus respondit: *Adsum*, Genes. 22. v. 1. seu, ut est in Hebræo et Græco: *Ecce ego.* Sic Ananias similiter vocatus a Deo, ait: *Ecce, ego Domine*, Act. 9. v. 10.

Sic et Isaias audiens a Deo, *Quem mittam, et quis ibit nobis?* promptus occurrit: *Ecce ego, mitte me*, Isaiæ 6. v. 8. Qua promptitudine nihil Deo gratius esse solet. Unde D. Ambrosius serm. 14. ad illa verba: *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine*, Ps. 118. v. 108. quærit, cur Deus ad illam legationem non miserit Isaiam, antequam ille sua sponte ad eam se offerret? apteque respondet: *Utique*, inquit, *servulo suo poterat imperare, quem dignum qui mitteretur invenerat, sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui ut ipse se offerret præstolatus est; et quamvis eius sciret affectum, expectavit tamen vocem, ut cumularet gratiam.*

Isaias ergo dat hic schema et exemplum perfectæ obedientiæ, qua Deo non iubenti, sed insinuanti tantum suam voluntatem sponte prompteque se offert in omne discrimen. Hoc imitentur fideles, præsertim Religiosi, cogitantes se a Deo invitari ac vocari, ac consequenter Deum iis affore, ut ardua omnia generose et facile superent. Hæc enim est obedientiæ tam liberalis vis et merces. Vere dixit Religiosus ille: *Non timeo vocem obedientiæ: ad quidlibet, quantumvis arduum, me vocantis: ad eam me offero, præsto sum*: certus enim sum Deum, qui per Superiorem iubet, mihi affore. *Qui enim instat præ-*

cepto, prævenit auxilio, ait S. Leo. Hinc perfecto obediens, instar Isaiæ, *prævenit præcipientem*, ut docet S. Bernard. ser. de obedientia. Nam *acceptus est regi minister intelligens*, Prov. 14. 35. Hinc Regula nostra præscribit, ut non expectemus Superioris præceptum, sed mox ut dat signum voluntatis suæ, prompte statimque illam exsequamur, et innuenti tantum pareamus, ac ad omnem eius nutum quoquoversum procurramus. Hæc enim melior, Deoque, æque ac Superiori gratior est obedientia, quam illa quæ præceptum exspectat, uti docet D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2. Et Albertus Magnus in Paradiso animæ c. 3. *Verus*, ait, *obediens numquam præceptum exspectat, sed solum voluntatem Prælati sciens, vel credens, ferventer exsequitur pro præcepto.* Denique S. Bernardus loco citato: *Fidelis obediens*, inquit, *nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem.* Ita fecit hic tam Isaias, quam Seraphini expansis alis sistentes se Deo, ad omnem eius nutum quolibet volaturi.

Nota, Isaiam et Apostolos mitti debere a Deo: hæretici qui sponte se prædicationi ingerunt, nec a Christo, Apostolis et Episcopis sunt missi, Apostoli sunt non Christi, sed diaboli. Unde Christus vocat eos fures et latrones, Ioan. 10. inquit Chrysost. hom. 5. de Ioanne Baptista.

Vers 9 AUDITE AUDIENTES, ET NOLITE INTELLIGERE: ET VIDETE VISIONEM, ET NOLITE COGNOSCERE.) Hoc est, audietis et videbitis, sed non intelligetis, vel non voletis intelligere et cognoscere, uti explicant Septuag. et ex iis S. Paulus Actor. ult. v. 26. Est hebraismus, et enallage modorum; ponitur enim imperativus pro futuro: nam certum est Deum non imperasse Iudæis peccatum; quinimo evidens est, eum voluisse et mandasse ut Iudæi intelligerent, cognoscerent et exsequerentur sua oracula: ideo enim Prophetis iussit ut ea illis proponerent et edicerent.

Nota. Isaias prophetat hic de excæcatione Iudæorum, tum sui temporis cæcorum et surdorum ad minas Isaiæ et Prophetarum, tum maxime temporis Messiæ; ac consequenter de eorum reiectione et reprobatione: sicut enim idem est fluvius, etiamsi alia et alia affluat et succedat aqua; ita idem fuit semper Iudæorum populus, etiamsi alii et alii homines in eo invicem sibi successerint, inquit S. Basilius, q. d. Scio, o Iudæi, vos avide Messiam promissum exspectaturos: sed cum venerit, vos eum reiicietis: conciones eius et miracula audietis et videbitis, sed non voletis cognoscere, nec credere ea esse opera Messiæ: quinimo dicetis eum in Beelzebub eiicere dæmonia. Ita S. Basil. Chrysost. Cyrillus, Hieronymus.

Vers 10. EXCÆCA COR POPULI HUIUS, ET AURES EIUS AGGRAVA.) Pro *excæca* hebr. est השמן *hasmen*, id est, impingua, incrassa, hoc est, excæca et obdura. Cor enim crassum et pingue, scilicet luxui et ventri serviens, ineptum est ad capiendum cælestia, ac proinde hebes et cæcum.

Excæcatio quid. Excæcatio enim non est aliud, quam mentis quædam obesitas, et hebetudo ad videndum et gustandum divina, atque obstructio impediens cælestis doctrinæ admissionem, influxum et intellectum, ut indicant verba sequentia. Cor enim et aures non corporis, sed mentis intelligendæ sunt: mens enim ipsa est cor, est auris, est oculus, scilicet spiritalis; mens enim per se videt ut oculus, audit ut auris, sapit ut cor: eminenter enim in se continet cor, oculos, aures, nares, omnesque sensus corporis. *Mens est auris, oculus, etc.*

Secundo, excæcatio proprie ad intellectum pertinet, aggravatio sive obduratio ad voluntatem; utraque et peccatum est, et pœna peccati, et causa peccati. *Cæcitas*, inquit S. August. l. 5. contra Iulianum c. 3. *quam solus removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur; et pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur: et causa peccati, cum aliquid mali, cæci cordis errore committitur. Ita concupiscentia carnis et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; et pœna peccati, quia reddita est meritis* *Cæcitas est peccatum, et pœna et causa peccati.*

A *inobedientis; et causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Sic Iudæi ex cæci cordis errore et duritie Christum vexarunt et occiderunt.

Tertio, ad excæcationem duo requiruntur. Primo, pravus affectus, quo quis non vult recipere lumen, vel etiam impedimenta obiicit (ut qui claudit fenestram, radios solis a se excludit) illuminationi divinæ, qua Deus per se, vel per Prophetas aut Apostolos, res ad salutem necessarias sufficienter proponit, explicat et confirmat. Secundo, inde sequitur carentia, sive privatio luminis divini, indeque moralis impotentia ad videndam veritatem. Sic Iudæi videntes Christum tot facere signa, ut per ea credere possent et tenerentur ipsum esse Messiam, lucem hanc repudiarunt, et sic excæcati fuerunt, idque propter suam avaritiam, ambitionem, invidiam, etc. quam a Christo taxari videbant. Sic et obduratio primo, est improbitas, sive malitia volentis peccare, et nolentis facere officium debitum; secundo, est pertinacia et firma adhæsio ad illam, puta ad aliquam voluptatem, vel bonum illicitum, *Excæcatio est pravus affectus, indeque carentia luminis.*

B ita ut nec monitis, nec consiliis, nec minis, nec promissis, nec præmiis, nec flagellis, nec ordinariis Dei inspirationibus et gratiis inde avelli se sinat. Audi miram excæcati et obdurati duritiem. Irenæ piæ Imper. successit Nicephorus Iconoclastarum et Manichæorum patronus: hic dum Ecclesiam gravibus premeret exactionibus, omnium ordinum suscitavit querimonias et lamenta. Monitus hac de re a Theodosio Salibara patricio respondit: *Si Deus obduravit cor meum ut Pharaonis, quid boni erit his qui sub manu mea sunt a Nicephoro? Theodosi, noli exspectare præter ea quæ vidisti.* Hic ergo omnes fere Imperat. ambitionibus, luxuriis et barbaricis crudelitatibus superavit. Quocirca Deum vindicem sensit: nam Sclavinorum princeps Crumus eius recisum caput, per dies complures e sublimi ligno suspendit, posteaque ipsum cute nudans, et argento forinsecus vestiens, bibere ex eo Sclavinorum principes exemplo suo docuit gloriabundus. Ita Zonaras t. 3. et alii.

C Quarto, S. Hier. S. Thomas, Hugo, Haymo, et Glossa putant hæc esse verba Isaiæ, quasi ipse oret, dicatque: Excæca, Domine, Iudæos, ut sic Apostoli eant ad Gentes, easque illuminent. Verum S. Cyrill. Lyran. Forer. Adamus et passim recentiores verius censent hæc esse verba Dei ad Isaiam: hoc enim exigit filum et connexio orationis. Cœpit enim Deus loqui et pergit, ac tandem concludit: *Ne forte convertatur, et sanem eum.* Quæ sine dubio sunt verba Dei. *Sunt hæc verba Dei non Isaiæ.*

Dices: Ergone Deus præcipit Isaiæ ut decipiat et excæcet Iudæos? Respondeo, nequaquam. Sed duplex est sensus. Prior, *excæca*, id est, ita obscure per ænigmata et parabolas tua Iudæis propone, ut ipsi non intelligant, sed obnubilentur et excæcentur: sic enim fecisse Christum docet S. Ioannes cap. 12. 40. ubi citat hunc Isaiæ locum. Posterior et verior sensus est, *excæca*, id est, prædic eos excæcandos: sæpe enim verba realia per mentalia exponenda sunt, uti ostendi canon. 29. q. d. Omnino Iudæi per peccata sua excæcati a me deserentur, magis *Excæca dupliciter.*

D excæcabuntur et obdurabuntur: et ita fiet, ut frustra eis concioneris, tam tu, o Isaia, quam tu, o Christe; nec enim ipsi suos inveteratos mores mutabunt, nec iustitiam et salutem assequentur; ito tamen, o Isaia, et prædic eos excæcandos, ut sciant hæc a me prævisa et prædicta, ut Christus hoc eis obiicere possit; unde Septuag. vertunt: *Incrassatum est cor eorum;* S. Ioannes vero c. 12. vertit, et legit: *Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum.* Id factum est, quia eidem verbo Hebræo alia et alia sub同stituerunt puncta. Si enim punctes השמן *hasmen*, erit *impingua, excæca;* si השמן *husman*, erit *excæcatum est;* si השמין *hismin*, erit *excæcavit:* quæ omnia sensu idem sunt, pro quo Nota.

Quinto, hominem proprie obdurare et excæcare seipsum: hoc enim est, quod ait Sapiens c. 2. 21. *Excæcavit enim illos malitia eorum;* positiva ergo causa excæcationis, est propria excæcati malitia. Deus vero indirecte excæcat et obdurat, quia impiis lumen veritatis et gratiæ *Homo directe se excæcat, Deus indirecte. etc.*

*

sensim subtrahit, atque errorum et excæcationis occasiones eis obiici sinit, ad punienda eorum peccata, ut fusius dixi can. 27. q. d. Prædic, o Isaia, quod Iudæi ob pravos suos affectus directe se excæcabunt et obdurabunt, ne audiant tuas æque ac Christi prædicationes; ego vero indirecte eosdem ob peccata excæcabo, eo modo quo dixi. Ergo Iudæi excæcati sunt primo, a se; secundo, a Deo; tertio, ab Isaia: a se directe et positive; a Deo indirecte et permissive; Isaias vero excæcavit eos, id est, prædixit eorum excæcationem. Quare exsecranda est blasphemia Calvini dicentis, Deum proprie et directe Iudæos, Pharaonem, aliosque impios excæcasse et obdurasse, contra quam egi ad Rom. 9. 17. et Exodi 7. 1. Quocirca cavendus est hic Vatabli commentarius, ab hæreticis depravatus, qui τὸ *aures eius aggrava*, sic explicat: *Velut mole aliqua obtura, sordibus aut alia re imple, ne possint exaudire;* et aliorum qui vertunt: *Inunge, obline, obtura unguento pingui;* item: *Obstina cor populi huius.* Hæc enim nimis dure dicuntur, Deumque active, directe et positive impios obdurare significant.

Denique S. Clemens lib. 3. Constit. Apost. c. 6. hæc Isaiæ verba recte adaptat iis, qui negligenter et dormitanter audiunt verbum Dei eiusque doctores et præcones.

Ne forte videat oculis suis.) Rursum hæc prophetice per futurum exponenda sunt, q. d. Ex hac Iudæorum excæcatione omnino fiet, ut non videant, non intelligant, ac consequenter ut non convertantur ac sanentur. Nam ut pulchre ait vetus doctor: *Deus non hic sanitatem volentibus denegat: qui enim sic intelligit, absolvit hominem, damnat auctorem* (Deum) *sed contradicentes se sanare nolle pronuntiat: frustra enim ad conferendum remedium promissa est bonitas medici, si intemperantia contradicat infirmi;* si videlicet infirmus nolit sequi consilia, et diætam a medico præscriptam, uti Iudæi noluerunt sequi fidem et legem Christi.

Vers. 11. Et dixi: Usquequo, Domine?) q. d. Quamdiu hac pœna excæcationis Iudæi mei populares punientur? secundo, et aptius, q. d. Quo evadet hæc Iudæorum cæcitas et durities, æque ac tua, o Domine, derelictio et furor in eos? huic enim interrogationi apte congruit sequens responsio Domini.

Donec desolentur civitates absque habitatore.) Pro *donec* hebraice est עַד *ad*, id est, *usque* ad desolationem civitatum totius Iudææ, q. d. Eorum cæcitas et durities quæ meam iram inflammat, huc evadet, ut gens tota desoletur, nec ante cessabit donec omnes eorum urbes vastentur a Tito et Vespasiano, a quibus Iudæi vel occidentur, vel fuga aut captivitate in totum orbem dispergentur, ita tamen ut toto orbe terrarum non intereant, sed per propagationem subolescant et multiplicentur ut seq. Ita S. Hieron. Basil. Cyrill. Haymo et Ruper. qui docent Isaiam loqui de excidio Iudæorum per Romanos, non per Assyrios, ut vult S. Chrysost. nec per Chaldæos, ut vult Vatabl.

Vers. 12. Et longe faciet Dominus homines.) Loquitur de se in tertia persona, q. d. Ego Dominus ablegabo Iudæos a sua patria, faciamque eos extorres, ut toto orbe vagentur.

Et multiplicabitur.) Gens Iudaica, licet pene excisa, tamen quia natura sua fœcunda est, et quia multas habet uxores, rursum multiplicabit se. Sept. vertunt: *Et multiplicabuntur derelicti super terram.* Chaldæus et Vatabl. aliter vertunt sic: *Eritque desolatio multa in terra.*

Vers. 13. Et adhuc in ea decimatio.) Scilicet facienda vel tollenda est, q. d. Gens Iudaica ita multiplicans se post excidium Titi, rursum post 50. annos ab Adriano Imp. ita vastabitur, ut quasi e decem vix unus relinquatur; hoc enim est hic decimare: non enim capitur proprie, ut sit idem quod unum e decem tollere; nam Adrianus Iudæos iterum rebellantes maiore clade quam Titus affecit, et pene delevit, adeo ut edicto prohibuerit fugitivos ad terram suam regredi, eamque aspicere: unde sic dispersi Iudæi miserrimi, ostentui et derisui fuerunt, sunt et erunt, uti prædicit hic Isaias. Ita S. Hier. Cyrill. Rupert. Haymo et alii.

A Nota: Pro *decimatio* hebr. est עֲשִׂירִיָּה *asiria* quod denarium, decimam vel decadem significat. Unde varie a variis explicatur. Decimatio sextuplex.

Primo sic, *decimatio*, id est, decem tribuum abductio in Assyriam, fiet in Israel. I.

Secundo, Vatabl. sic q. d. Adhuc in Iuda erit decas, id est, decem reges (tot enim fuerunt a Ioatham filio Oziæ usque ad Sedeciam) et decimo (Sedecia) regnante iterum eiicientur Iudæi, et destruentur. II.

Tertio, Adamus, q. d. Novem Iudæorum partes vastabuntur a Romanis, decima pars Deo debita ei dabitur, eritque semen sanctum (ex frugibus enim decimæ erant sacræ Deo) hoc est decima Iudæorum pars convertetur ad Christum. Ita et S. Basil. Arias, Osorius, Pintus et Alcazar in Apoc. 11. v. 13. notat. 11. III.

Quarto, Sanchez, q. d. Novem Iudæorum partes perdentur ab hostibus, puta Chaldæis vel Romanis; decima pars reliqua a Deo racemabitur et perdetur, eritque quasi gens furori eius addicta et devota non aliter quam victima altari et cultro. IV.

B

Quinto, idem, Decimare, inquit, est decies vastare, et *decimatio* est decies repetita vastitas, q. d. Sæpius et multoties vastabitur Iuda: denarius enim est symbolum multitudinis; unde aliqui decem Iudæorum vastationes post tempora Isaiæ enumerant hoc modo: prima, facta est a Salmanasar, qui decem tribus abduxit; secunda, a Sennacherib; tertia, ab Asaraddon, qui Manassem regem vinctum abduxit; quarta, a Pharaone Nechao, qui Iosiam occidit; quinta, a Nabuchodonosor; sexta, a Nabuzardan; septima, ab Antiocho Epiphane: octava, a Pompeio; nona, a Tito; decima, ab Adriano. V. Decem Iudæorum vastationes.

Sexto, aptissime Chaldæus, Iudæi, inquit, decimabuntur, id est unus ex decem relinquetur; decima Iudæorum pars tantum remanebit, sicut post vindemiam vinea racematur, id est, racemi reliqui colliguntur ut ex decem vix unus remaneat. *Decimare* ergo hic idem est quod racemare. Ita enim racemavit Iudæos Adrianus, ut dixi. VI. Et genuina.

C Et convertetur, et erit in ostensionem.) Nota enallagen Hebraicam, qua verba *convertor, revertor, addo, adiicio*, ponuntur pro adverbiis *rursum, iterum, ultra: convertetur* ergo, *et erit in ostensionem*, id est, iterum erit in ostensionem. Sic dicitur Ps. 84. v. 7. *Tu conversus vivificabis nos*, id est tu iterum vivificabis nos; et Ps. 77. 41. *Conversi sunt, et tentaverunt Deum*, id est iterum tentaverunt Deum: eadem phrasis crebra est in Psalmis. Ita Forerius.

In ostensionem.) Primo, ut omnibus gentibus Iudæa vastata ostendatur in exemplum iustæ vindictæ Dei, quo percellantur aliæ gentes, ne sua impietate Deum irritent.

Secundo et melius, *in ostensionem*, ut scilicet Iuda sit ostentui et risui Gentibus, ut ab illis digito ostendatur quasi stultus et stolidus (Hebr. enim בַּעַר *baar* stultum significat) vel quasi infamis ob tanta crimina, æque ac supplicia sua, iuxta id quod comminatus est eis Moses Deut. 29. *Et dicent omnes Gentes: Quare sic fecit Dominus terræ huic? Quæ est hæc ira furoris eius immensa? Et* D *respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini.*

Tertio, Hebr. לְבָעֵר *lebaer* verti potest, *erit in depastionem*, id est, ut Septuag. vertunt. *in deprædationem;* male enim aliqui codices legunt, *in deprecationem.*

Quarto, verti potest cum Chaldæo, *erit in combustionem.*

Sicut terebinthus, et sicut quercus, quæ expandit ramos suos.) Scilicet aridos et demortuos, ideoque deformes: pro *expandit* enim hebr. est בְּשַׁלֶּכֶת *bescial-lechet*, id est, defluit, emittit, deiicit folia, ut solos nudosque ramos aridos eosque paucos et curtos expandat et ostendat, qui idcirco hebr. vocantur מַצֶּבֶת *mattsebet*, id est, subsistentia (בָּם *bam*: id est in eis, scilicet terebintho et quercu) ex qua rursum in vere germen novum revirescat, et semen sanctum quod sequitur suppullulet. Unde Chaldæus vertit: *Erunt sicut terebinthus, et sicut quercus quæ cum defluunt folia eius, videntur quasi arida; et adhuc retinent humorem ut ex eis sustentetur se-*

men; et sic dixit c. 1. 30. *Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis.*

Secundo, Septuag. *mattsebet* vertunt thecam; habent enim: *Erunt sicut glans quæ excidit de theca sua.* Sicut enim hæc est pabulum porcorum, sic Iuda erit præda hostium. Alii vertunt; *Erunt sicut castanea quæ excidit e theca sua,* q. d. Sicut castanea quamdiu spinosa theca includitur tuta est; sed ubi ea se aperit præda est porcis; ita Israel quamdiu Dei vallabatur præsidio, tutus erat ab hostibus; nunc eo nudatus eis erit in direptionem. Ita Sanchez.

Tertio, Vatablus vertit: *Sicut ulmus et quercus cum fulcrum eis submittitur, sic semen sanctum erit fulcrum eius,* sicque explicat: sicut in ulmo et quercu abiectis foliis est vis quædam generatrix, cuius ope vere novo rursus folia et frondes emittunt: sic se habebunt incolæ Iudæ, qui cum mortui esse putabuntur in Babylone, tum reduces reflorescent, producentque semen sanctum, id est filios sanctos, ita ut ex eis nascatur Sanctus Sanctorum Christus Dominus.

Semen sanctum est Christus et Christiani. SEMEN SANCTUM ERIT ID, QUOD STETERIT IN EA.) Theodotion vertit: *Semen sanctum erit columna fundationis eius.* Hebræum enim *mattsebet* significat statuam, columnam, fulcrum, statumen. Aquila vertit: *Semen sanctum erit germen eius,* q. d. Licet arbor hæc (terebinthus vel A quercus) id est, Iudæorum populus videatur in clade Titi et Adriani esse emortuus; tamen servabitur in ea aliquod germen et semen sanctum, scilicet Christus Dominus, qui columna est, et basis totius sanctitatis: cuius mox rami totum orbem implebunt, per quem reliquiæ Iudæorum salvabuntur, et cui quasi olivæ fructiferæ Gentes quasi oleastri inserentur, Rom. 11. 25. Ita fere S. Hieron. Chaldæus et alii. Solet enim Propheta a tristibus ad læta, a terrenis ad spiritualia avolare, Iudæisque afflictis promittere Christum Salvatorem. Unde secundo, *semen sanctum,* hoc est propagatio sancta sunt Iudæi in Christum credentes. Idem enim hic dicitur cum eo quod dixit c. 4. 3. *Et erit: omnis qui relictus fuerit in Sion, etc. sanctus vocabitur. Semen* ergo *sanctum* sunt Apostoli, aliique primi Christiani, ex quibus sanctorum genus toto orbe propagatum est.

Nota, זרע *zera,* id est, *semen,* Hebræi vocant non tantum grana seminis, sed et ipsas stirpes, surculos ac germina, ex quibus quasi ex semine progenerantur folia, frondes et fructus. Non ergo ipse truncus arboris, sed rami sive stirpes in trunco vocantur hic *semen*: truncus enim est ipsa arbor, in qua stat hoc semen, id est, stirpes et rami, quos proinde vocat hebr. *mattsebet,* quasi statumen futuræ germinationis et propagationis, uti vertit noster Interpres.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Incipit hic secunda generalis Isaiæ prophetia, quæ protenditur usque ad c. 13. factaque est sub Achaz rege pessimo (prima enim est ea, quæ a cap. 1. huc usque exposita est, factaque est sub Ozia et Ioatham.) Hæc præcipue agit de Emmanuele ex virgine nascituro, eiusque salute, victoria, gratiis et triumphis. Hæc ergo capite Achaz et Iudæis timentibus excidium a Syris et Samaritis, promittit Isaias opem et liberationem, Syris vero et Samaritis excidium intentat. Secundo, v. 10. huius rei offert et dat signum Emmanuelis nascituri ex virgine. Tertio, v. 17. Achaz et Iudæis incredulis cladem per Ægyptios, et excidium per Chaldæos comminatur.

Nota. Sequentia capita 7. 8. 9. 10. esse connexa, et idem quod iam dixi repetere et inculcare; nam c. 8. docet Emmanuelem vocandum celerem prædatorem: quia per Assyrios regnum Syriæ et Samariæ, per se vero regnum diaboli vastabit. Cap. 9. sex alia nomina, potentiam et dotes Emmanuelis significantia, assignat, rursumque Syriæ et Samariæ vastitatem comminatur. Cap. 10. Iudæorum et Ezechiæ obsidionem et afflictionem per Assyrium Sennacherib, deinde fuse ipsius Sennacherib exitium et cladem ei ab angelo illatam denuntiat.

1. ET factum est in diebus Achaz filii Ioathan, filii Oziæ regis Iuda, ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee
filius Romeliæ rex Israel, in Ierusalem, ad præliandum contra eam: et non potuerunt debellare eam.
2. Et nuntiaverunt domui David, dicentes: Requievit Syria super Ephraim, et commotum est cor e-
ius, et cor populi eius, sicut moventur ligna sylvarum a facie venti. 3. Et dixit Dominus ad Isaiam; Egredere in
occursum Achaz tu, et qui derelictus est Iasub filius tuus, ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via
Agri fullonis. 4. Et dices ad eum: Vide ut sileas: noli timere, et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum
fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ: 5. Eo quod consilium inierit contra te
Syria in malum Ephraim, et filius Romeliæ, dicentes: 6. Ascendamus ad Iudam, et suscitemus eum, et avella-
mus eum ad nos, et ponamus regem in medio eius filium Tabeel. 7. Hæc dicit Dominus Deus: Non stabit, et non
erit istud: 8. Sed caput Syriæ Damascus, et caput Damasci Rasin: et adhuc sexaginta et quinque anni, et desi-
net Ephraim esse populus: 9. Et caput Ephraim Samaria, et caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis,
non permanebitis. 10. Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: 11. Pete tibi signum a Domino Deo tuo in
profundum inferni, sive in excelsum supra. 12. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. 13. Et
dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo
meo? 14 Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur no-
men eius Emmanuel. 15. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. 16. Quia ante-
quam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum re-
gum suorum. 17. Adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui, dies qui non
venerunt a diebus separationis Ephraim a Iuda cum rege Assyriorum. 18. Et erit in die illa: Sibilabit Dominus
muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api quæ est in terra Assur; 19. Et venient, et requiescent o-
mnes in torrentibus vallium, et in cavernis petrarum, et in omnibus frutetis, et in universis foraminibus. 20. In
die illa radet Dominus in novacula conducta in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput et pilos pe-
dum, et barbam universam. 21. Et erit in die illa: nutriet homo vaccam boum, et duas oves, 22. Et præ uber-
tate lactis comedet butyrum: butyrum enim et mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ. 23. Et
erit in die illa: omnis locus ubi fuerint mille vites mille argenteis, in spinas et in vepres erunt. 24. Cum sagit-
tis et arcu ingredientur illuc: vepres enim et spinæ erunt in universa terra. 25. Et omnes montes, qui in sarcu-
lo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum et veprium, et erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris.

Vers. 1. ET FACTUM EST IN DIEBUS ACHAZ.) Præcedens prophetia, c. 6. contigit Isaiæ anno quo mortuus est Ozias: ergo ab illa usque ad hanc fluxerunt sexdecim anni, quibus regnavit Ioatham pater Achaz. Sub Ioatham prophetasse quædam Isaiam, patet ex c. 1. v. 1. quænam illa fuerint non liquet: non enim in serie capitum servatur series temporum, ut patet in Ieremia: nonnulli censent visionem cap. præced. contigisse mortuo Ozia, cum iam regnaret Ioatham.

ASCENDIT RASIN.) Vide historiam l. 4. Reg. c. 15. et 16. et 2. Paralip. 28. ubi dicitur, Iudæam ob peccata Achaz graviter et sæpius Deo puniente fuisse vastatam a regibus Syriæ et Samariæ, ac tandem cum ab eis Achaz metueret obsidionem et excidium, implorasse opem Theglatphalasar regis Assyriorum.

ET NON POTUERUNT DEBELLARE EAM.) Est prolepsis: hæc enim verba postponenda sunt; nam hæc Isaiæ prophetia præcessit, fuitque causa huius liberationis: nam cum iam ingrueret rumor belli, et metus Rasin et Phacee Iudææ inhiantium, promisit Isaias Deum, qui antea immiserat Rasin et Phacee in Iudæam ut eam punirent, nunc eamdem tutaturum, irritosque eorum conatus redditurum, eo quod ipsi non missu et nutu Dei, ut ante, sed proprio motu et ambitione Iudæam iam plane perdere et evertere cogitarent. Ita S. Thom.

Vers. 2. ET NUNTIAVERUNT DOMUI DAVID.) Id est, duabus tribubus quæ adhæserunt stirpi Davidis, cum decem aliæ facerent schisma, crearentque sibi regem Ieroboam. Secundo, et aptius, *domui*, id est, familiæ regiæ Davidis, puta regi Achaz, eiusque fratribus et cognatis. Unde sequitur: *Et commotum est cor eius,* scilicet regis. Vide can. 17.

REQUIEVIT SYRIA.) q. d. Syria et Rasin eius rex iunxit se, et, ut Septuag. vertunt, *conspiravit;* et ut Vatabl. *societatem iniit* cum Ephraim, id est, cum decem tribubus, quarum caput erat Samaria sita in tribu Ephraim, puta cum Phacee rege Israel, contra Achaz et duas tribus Iuda et Beniamin illi adhærentes, illique subiectas. Sic 1. Reg. 7. dicitur: *Requievit Israel post Dominum*, id est, iterum sociavit se Domino, cœpit rursus Deo adhærere, eumque colere.

ET COMMOTUM EST COR EIUS, expavit, perculsus est, contremuit, SICUT LIGNA A FACIE VENTI.) Commoventur et impelluntur. Significatur summa Achaz et Iudæorum trepidatio. Qualis enim erat rex, talis erat et populus: similes habebant labra lactucas. Regis est esse cordatum in rebus tristibus, et pavida populi corda animare; verum rex impius et pavet ipse primus, et pavoris auctor est subditis. Semper enim pavet mala conscientia.

Vers. 3. EGREDERE.) Achaz impius afflictus non confugit ad Deum in templo, sed urbe egreditur ut secum deliberet de modo bellum hoc evadendi; unde ei licet indigno iubetur occurrere Isaias, et promittere victoriam.

Sear Iasub filius Isaiæ. QUI DERELICTUS EST IASUB FILIUS TUUS.) Hebraice est, *Sear Iasub filius tuus*: filius ergo Isaiæ dictus est *Sear Iasub.* Ita Vatabl. Pagnin. Osorius, Forerius. Noster interpres cum Sept. decurtat nomen, solumque eum vocat *Iasub*, tum ut innuat mysterium latens in voce *Sear* quod mox explicabo, tum quia sic sæpe alibi fit, ut cum Idumæa vocatur *Duma*, Isaiæ 21. 11. Ierusalem vocatur *Salem*, Hierosolyma *Solyma*, Ben ammi vocatur, *Ammon*, Gen. 19. 38. Bethlemites vocatur *Lemites* 1. Paral. 20. v. 5. in Hebræo. Sic Mardochæus dicitur fuisse *de stirpe Iemini,* Esther 2. id est, de Beniamin, sive Beniaminita, uti explicatur Esther 11.

Nota: Deus non tantum per res et symbola, sed etiam per nomina solet prophetare. Sic enim Osee c. 1. iussit proles suas nuncupare: *Non misericordiam consecuta. Non populus meus.* Sic Christo cap. seq. imponit nomen: *Accelera spolia detrahere. Festina prædari.* Ita et hic Isaias Dei instinctu filio suo imposuit nomen *Sear Iasub*, id est, derelictus redibit, vel reliquiæ convertentur, ut significaret populum Iudaicum, qui cladibus præcedentibus a Rasin, Phacee, et aliis illatis supererat, ab excidio

Significat reliquias Iudæorum convertendas.

A quod eis hi duo reges iam intentabant, liberandum esse: hacque de causa iussit Deus, ut Isaias pater filium hunc suum secum duceret ad Achaz.

Fabulantur Iudæi, Isaiam duos habuisse filios, scilicet Rabsacem, qui transfugit ad Assyrios, et hortatus est Iudæos, ut se pariter Assyriis dederent, 4. Reg. 18. et hunc, qui propterea dictus est *Sear*, id est, derelictus, quod alio fugiente ad hostes, hic apud patrem relictus sit.

Alii filium hic non carnis, sed disciplinæ accipiunt ut filius sit idem quod discipulus Isaiæ, quomodo 4. Reg. 6. vocantur filii Prophetarum eorum discipuli. Ita R. Salomon et R. David ex R. Ionatha. Unde Chaldæus vertit: *Egredere nunc in occursum Achaz tu et reliqui, qui non peccaverunt, et qui conversi sunt a peccato discipuli tui:* quasi iubeatur hic Isaias cum discipulis suis egredi in occursum Achaz. Hos secuti nonnulli Catholici, opinantur Isaiam non fuisse uxoratum, sed cœlibem. Verum τὸ *qui derelictus est filius tuus Sear Iasub*, simpliciter et plane significat eum fuisse filium Isaiæ naturalem et secun-
B dum carnem non discipulum.

Trop. *Sear Iasub* significat, iustos et sanctos, qui sunt verum Dei semen ex Deo nati, ex omni suo periculo et angustiis tandem incolumes Deo duce evasuros. Tropologia.

Allegor. Achaz sunt Iudæi, Isaias est Christus, Iasub sunt Apostoli Christi, qui multos Iudæorum ab exitio æterno liberarunt, et ad Christum ac salutem converterunt.

Anagogice, quomodo a terrenis ad cælestia quis convertatur, et perducatur, vide apud S. Basil.

IN VIA AGRI FULLONIS.) Ubi ob vicinum aquæductum piscinæ, id est, lacunæ, superioris plures erant officinæ fulloniæ, quæ in urbe ob inopiam aquarum et loci esse non poterant: fullones enim ad pannos purificandos et tingendos copia aquarum indigent, et loco aperto ad eos siccandos.

VIDE UT SILEAS.) Vide ut quiescas, ut quieto sis animo, et secure recumbas in mea hac promissione et protectione, ne timeas Syros et Samaritas, q. d. Tu, o Achaz, Vers. 4
C cum tuis percelleris et trepidas audito rumore hostium, pone hos metus, hos fletus, sis animo tranquillo; ego tuebor te cum urbe. Ita Cyrill. Procopius et Haymo. Unde sequitur: *Noli timere.* Secundo, *vide ut sileas*, q. d. Noli desperare, et desperabundus Deum blasphemare (erat enim Achaz impius) noli etiam trepidus cogitare de imploranda ope Assyriorum; sed quiesce fidenter in Deo, eiusque auxilio quod tibi promitto.

NOLI TIMERE A DUABUS CAUDIS TITIONUM FUMIGANTIUM. Quæ sint hæ caudæ titionum explicat subdens: IN IRA (hebr. enim *bet*, id est, *in*, sæpe capitur pro מִן *min*, id est, *a, ab*) FURORIS RASIN ET FILII ROMELIÆ.) Hos ergo duos reges Syriæ et Israel assimilat duabus caudis, sive extremitatibus titionum qui igne extracti fumigant, sed mox exstinguuntur: quia pari modo hi duo reges ira, superbia et animositate bellandi contra Iudæos accensi, solum fumum, id est, molestiam, scilicet metum aliquem Iudæis attulerunt; nam ignis, id est vis et potentia eorum, mox cum regno extincta et deleta est a Theglath-
D phalasar rege Assyriorum 4. Reg. 16. et 17. Duæ caudæ titionum quid?

ASCENDAMUS AD IUDAM (ad Iudæos) ET SUSCITEMUS EUM.) Bello eum lacessamus. Vers. 6.

ET AVELLAMUS EUM.) Hebr. נבקענה *nabkienna*, id est, *diffindamus*, vel *abscindamus eum*, scilicet ab Achaz, et a corona ac stirpe Davidis, trahamusque eum ad nos Secundo, findamus eum in duas partes, q. d. Partiamur inter nos regnum Iudæorum, ut partem unam occupent Syri, alteram Samaritæ.

ET PONAMUS REGEM IN MEDIO EIUS (in eo) FILIUM TABEEL.) *Tabeel* hebraice significat bonum et commodum Deum. Unde aliqui putant *Tabeel* esse nomen idoli, sive Dei Gentium, cuius epithetum est bonus, vel optimus et maximus, q. d. Ponamus in templo Iudæorum Deum nostrum Tabeel excluso Deo ipsorum, ut sic nobiscum coalescant in unum regnum, æque ac fidem et religionem: hac enim de causa Ieroboam fecit idola, puta vitulos aureos, ut populum sibi devinctum detineret. Secundo, Tabeel quis?

Chaldæus vertit: *Ponamus in eo regem qui nobis bonus sit et commodus.* Verum τὸ *filium* significat *Tabeel* hominem fuisse, non idolum: rursum non Tabeel, sed eius filium designatum fuisse regno Iudæ. *Tabeel* ergo fuit nomen proprium viri, qui vel sanguine, vel arcta amicitia et obligatione iunctus fuit cum Rasin et Phacee regibus, cuius proinde filium virum strenuum, sibique obstrictum voluerint creare regem Iudææ, ita tamen ut eis maneret devinctus, verbi gratia subiectus aut feudatarius. Ita Cyrill. et alii.

Vers. 7. et 8. HÆC DICIT DOMINUS: NON STABIT, ET NON ERIT ISTUD, q. d. Ego Deus evertam hoc Rasin et Phacee consilium, faciamque ut CAPUT SYRIÆ, scilicet solius, sit DAMASCUS, ET CAPUT, id est rex solius DAMASCI, puta Syriæ, cuius metropolis est Damascus, sit RASIN.) q. d. Non ergo Rasin quidquam Iudææ sibi subiiciet, aut adiunget regno Damasci, sed soli Syriæ et Damasco, uti hactenus fecit, dominabitur. Ita S. Hieron. Basil. et Haymo.

Secundo, Sanchez ex his verbis colligit, quod Rasin et Phacee hæredem suum, æque ac regem Iudææ destinarint hunc filium Tabeel, ita ut ipse tam Iudææ quam Syriæ et Samariæ dominaretur, quodque voluerint metropolim, caput et arcem horum trium regnorum constituere Ierusalem: unde Deus hoc elidens ait: Non Ierusalem, sed Damascus erit caput Syriæ.

Tertio et optime, Cyrillus per zeugma in omnibus hisce repetit verbum *desinet*, quod sequitur, hoc modo: non stabit hoc eorum arrogans consilium: sed e converso *caput Syriæ Damascus desinet corruetque, et caput*, id est rex, *Damasci Rasin desinet, et desinet Ephraim esse populus; et caput*, id est, metropolis, *Ephraim*, puta *Samaria, desinet, et caput*, id est, rex, *Samariæ filius Romeliæ desinet.* Hic sensus maxime planus est et appositus. Duorum enim regum superbum supercilium, quo Iudææ excidium cogitabant, in ipsorum caput retorquet, ac ipsismet idem exitium et ruinam intentat, idque clare explicat c. sequent. v. 4. itaque reipsa contigisse patet: nam Theglatphalasar et Assyrii vastarunt et subegerunt tam Syriam quam Samariam, 4. Regum c. 16. et 17. et 18.

Vers. 9. ADHUC SEXAGINTA ET QUINQUE ANNI, ET DESINET EPHRAIM ESSE POPULUS.) Tradunt Hebræi in Seder Olam c. 19. et ex iis S. Hier. Haymo, S. Thomas, Procopius, Hugo et Dionysius, hos 65. annos computandos esse non ab Achaz, sub quo hæc vaticinatus est Isaias, sed a prophetia Amos c. 5. 27. et c. 7. 11. qui idem quod hic Isaias prophetavit anno 25. Oziæ regis Iuda biennio ante terræmotum, qui contigit anno 27. Oziæ. Nam si a 25. anno Oziæ computes, restabunt ex annis Oziæ (qui 52. annis regnavit) anni 27. his adde 16. annos Ioatham, et 16. Achaz, denique 6. Ezechiæ (nam anno eius 6. capta est Samaria) invenies annos 65. q. d. Ego Isaias repeto et confirmo prophetiam Amos, quæ vulgo nota et trita est, scilicet quod ab eius vaticinio inchoando, post 65. annos vastabitur Samaria.

65. Anni vastationis Samariæ, qui

Dices, Terræmotus ille, ante quem Amos prophetavit, contigit sub Ozia, ut patet Zachar. 14. 5. et sub Ieroboam, ut patet Amos I. 1. Atqui Ozias cœpit regnare anno 27. Ieroboam, ut patet 4. Reg. 15. 1. Porro Ieroboam regnavit 41. annis: ergo quatuordecim annis tantum regnavit Ozias cum Ieroboam, quibus consignanda est iam dicta prophetia Amos; quia sub utroque hoc rege contigit, ut dixi: ergo non 27. sed ut summum 14. annos Oziæ prophetavit Amos, indeque hos 65. annos inchoare oportet.

Respondeo, Oziam cœpisse regnare anno 27. Ieroboam, scilicet regnantis cum patre, qui annus regni Ieroboam, solius post patrem regnantis, erat annus 14. ut colligitur ex 4. Reg. 14. v. 23. collato cum 2. Paralip. 25. 1. ubi dicitur Amasias pater Oziæ regnasse 29. annis, eiusque anno 15. cœpisse regnare Ieroboam. Ergo cum Ieroboam regnavit Amasias 14. annos, tuncque mortuus est, et statim successit ei Ozias filius eodem anno 14. a quo usque ad 41. Ieroboam numerantur anni 27. quibus cum Ieroboam regnavit Ozias vel Azarias. Ita Caietan. ibidem, et alii.

Porro quod nonnulli addunt, Oziam lepra percussum eo tempore quo factus est terræmotus (utraque enim hac pœna punitum fuisse eius sacrilegium) difficultatem habet: nam sic 25. annis fuisset leprosus ideoque separatus a populo, ac consequenter totidem annis regnum pro eo administrasset filius Ioatham; hoc autem falsum est: nam Ioatham, moriente patre Ozia, tantum erat 25. annorum, ut patet 2. Paralip. 27. nisi dicas optimates pro Ozia et Ioatham puero administrasse regnum, donec Ioatham adolesceret in eam ætatem, qua per se posset illud administrare.

Secundo, paulo aliter hos annos computant Vatablus et Forerius, scilicet ab anno 17. Ieroboam filii Ioas; illo enim anno prophetasse hæc Amos: ergo ex Ieroboam (qui 41. annis regnavit) regno supersunt 24. anni: his adde decem Manahem, 2. Phaceia, 20. Phacee, et 9. Osee (nono enim eius anno capta est Samaria) habebis annos 65. quos quærimus. Sed hic computus non consentit cum communi Hebræorum computu, quem iam assignavi: nam Oziæ annus 27. a quo Hebræi hos 65. annos inchoant, incidit non in 17. sed in 14. Ieroboam.

Tertio, Sanchez putat hos 65. annos non futurum sed præteritum spectare, sensumque esse, q. d. *Adhuc*, id est, abhinc 65. annis prædicta est ab Amos vastitas Samariæ, eaque illi revera, uti prædicta est, obtinget. Sed τὸ *adhuc*, et *desinet*, futurum significare solet, non præteritum, neque ab Amos ad Isaiam interfluere potuerunt 65. anni, ut patet ex dictis.

SI NON CREDIDERITIS, scilicet mea ope vos liberandos ab excidio, quod vobis intentant Rasin et Phacee, quodque ipsosmet cum regnis suis puniam et evertam, NON PERMANEBITIS.) In regno vestro, sed æque ut ipsi captivi abduceemini cum decem tribubus fratribus vestris, sustinentes eorum pœnam quorum secuti estis infidelitatem. Ita S. Hier. Haymo, S. Thomas, Rupert. et alii. Vers. 10.

In Hebræo autem pulchra est paronomasia אם לא תאמינו כי לא תאמנו *im lo taaminu ki lo teamenu*, q. d. *Qui non confidit, non confidet;* אמן *aman* enim in cal significat credere, in niphal esse firmum, stabilem, considere et permanere. Septuag. vertunt: *Si non credideritis, non intelligetis*, quod sæpe citant S. August. Chrysost. Cyprianus et alii Patres.

PETE TIBI SIGNUM.) Erat Achaz incredulus æque ac impius, diffidebatque prophetiæ Isaiæ et Dei auxilio: offert ergo ei Deus per Prophetam probationem per signum et miraculum, q. d. Pete in confirmationem prophetiæ meæ, et veritatis quam prædixi, scilicet vos liberandos, et hostes vestros evertendos, signum quod lubet: visne ut scindatur terra, et grandi hiatu infernus pateat, an vero ut cæli aperiantur, aut sol stet, uti feci Iosue, rursumque faciam filio tuo Ezechiæ? dic, elige, præstabo et efficiam quod elegeris. Ita Chald. et Abulens. in hunc locum Isaiæ. Vers. 11.

NON PETAM.) S. Ambros. in Ps. 118. ser. 8. v. 4. et alii, putant Achaz ex modestia et humilitate noluisse petere signum, ne videretur tentare Deum: sed quia Propheta contra eum v. sequenti excandescit, et quia Achaz erat idololatra; hinc verius videtur, eum ex hypocrisi et impietate ita respondisse; quia a Deo aversus, eique diffidens fidebat dæmoniis, et idola sua statuerat consulere, atque opem Assyriorum implorare. Ita S. Hieron. Cyrillus, Basil. Rupert. Secundo, Forerius et Sanchez censent Achaz confisum opibus suis et auxilio Assyriorum, noluisse rem hanc plane Deo committere, ne videretur Deum tentare per miraculum, cum humana posset adhibere media et subsidia, quibus se rem confecturum putabat. Verum regis impietas, et Isaiæ increpatio quæ sequitur, eum ulterius progressum ostendunt, præsertim quia Achaz facile videbat nullam hic esse tentationem Dei, si acceptaret signum quod Propheta ultro offerebat; ficte ergo dicit: *Non tentabo Dominum.* Vers. 12. Achaz recusat signum cur?

AUDITE ERGO, DOMUS DAVID: NUMQUID PARUM VOBIS EST, MOLESTOS ESSE HOMINIBUS?) q. d. Vestra impietate, incredulitate et diffidentia, o Achaz, vosque eius pro- Vers. 13.

ceres et consiliarii, qua oraculis meis diffiditis, eaque quasi falsa aut vana contemnitis, ideoque signa quæ offero despicitis et respuitis; non tantum mihi, sed et Deo, cuius ex ore loquor, hæcque promitto, molesti, increduli et iniurii estis, et, ut Septuag. vertunt, *agonem redditis*, q. d. Videmini cum Deo velle colluctari, eumque fatigare et tædio afficere, dum assidue vestra impietate eum irritatis, et nunc maxime cum eum tam magna ultro promittentem contemnitis, quin et falsitatis vel impotentiæ, quasi non possit vos a Rasin et Phacee liberare, tacite accusatis.

Vers. 14. Triplex sensus. I. PROPTER HOC DABIT DOMINUS IPSE VOBIS SIGNUM.) q. d. Quia tu, o Achaz, cum tuis non facitis quod debetis, ut occurratis Deo vestro, et non creditis Deum vos posse liberare a Rasin; hinc Deus faciet aliquid dignum se, non quod debet, sed quod misericorditer decernit, scilicet dabit longe mirabilius et potentius, quam sit hæc liberatio vestra a me hic prædicta, signum potentiæ, bonitatis et misericordiæ suæ; dabit, inquam, vobis non in persona vestra, quia vos increduli et indigni estis, sed in nepotibus vestris, iuxta can. 34. ut, cum illi hoc signum viderint, scilicet per Christum se liberatos esse ab hostibus longe potentioribus, puta morte, peccato et diabolo, cuius typus est hæc liberatio Hierosolymæ ab invasione Syrorum et Samaritarum; tunc credant me vera prophetasse tam de typo hoc, quam de eius antitypo, puta tam de liberatione hac a Rasin et Phacee, quam de redemptione generis humani a potestate diaboli per Christum. Avolat enim Propheta more suo a typo ad rem significatam, puta ad Christum, iuxta can. 4. Simile signum non prævium et prognosticum, sed sequens et quasi posthumum, rememorativum videlicet et confirmativum prophetiæ præcedentis, scilicet liberationis Ierusalem ab obsidione Sennacherib, datur Ezechiæ, 4 Reg. 19. 29. *Tibi*, ait, *hoc erit signum: comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur: porro in tertio anno seminate et metite.* Hæc autem messis facta est postquam Angelus cecidit 185. millia in exercitu Sennacherib. Simile signum datur Mosi educturo filios Israel ex Ægypto. Exodi 3. 12. *Hoc*, inquit, *habebis signum, quod miserim te: Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.* Simile signum datum est Sauli 1. Regum 10. 1. Hic sensus planus est et obvius. Adde, cum rex Achaz signum sibi a Deo oblatum respueret, Propheta ipsum revocat ad fundamentum fœderis, quod ne impii quidem palam reiicere auderent, puta ad Messiam, a quo pendebat omnis populi salus, idque Iudæi credebant et sperabant. Sensus ergo est, q. d. Tu quidem, o rex impie, promissionem respuendo, decretum Dei evertere velles: sed frustra. Nam sancta et inviolabilis manebit eius sanctio: nec obsistet tua perfidia et ingratitudo, quo minus Deus populo suo perpetuus sit liberator. Tandem enim Messiam Iudæorum Gentiumque redemptorem et salvatorem ex Virgine suscitabit.

II. Secundo, Sanchez putat hoc signum dari, non quasi futura conceptio Virginis, et incarnatio Emmanuelis signum sint victoriæ Iudæorum contra Rasin et Phacee, sed e converso, scilicet quod victoria Iudæorum contra Rasin et Phacee signum erit conceptionis Virginis et partus Emmanuelis, q. d. Nunc cum minus dignus apparet rex Achaz impius et incredulus ut in illum Deus sit beneficus, magis efferet et ostendet se Dei misericordia: dabit enim vobis promissæ opis contra Rasin et Phacee complementum, in signum alterius maioris beneficii, nempe spiritualis salutis, quam afferet aliquando de Virgine natus Emmanuel, qui ex te tuisque posteris, o Achaz, descendet, tuumque et Davidis regnum labans restituet, c. 11. 1. Simile est c. 15. 16. 28. *Quia dixistis*, inquit, *Percussimus fœdus cum morte, etc. idcirco ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem.* Et clarius Ezech. 36. *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis*, q. d. Deus magnificus ut vestram impietatem superet sua pietate et liberalitate, confirmat quod per me dixit de vestra liberatione, deque excidio Syriæ et Samariæ; adeoque hoc ipsum statuit signum maioris beneficii quod iam designat et pollicetur, quodque hic subdo dum dico: *Ecce virgo concipiet.* Quæ verba usque ad v. 16. per genitivum exponenda sunt, hoc modo: Deus hanc liberationem vestram dabit vobis signum virginis concepturæ, nascituri Emmanuelis de virgine, pascendique butyro et melle donec ab infantilibus annis excedat. Unde hoc signum explicans et designans v. 16. ait: *Quia antequam sciat puer* (Emmanuel quem promitto) *reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum*, q. d. Signum, quod v. 14. promisi, sic explico et enuntio, scilicet *quia*, id est, *quod*, derelinquetur quasi desolata Syria et Samaria, dum vastabitur ab Assyriis: hæc enim vastatio erit signum nascituri Emmanuelis qui vastabit diabolum, eiusque regnum prædabitur. Hic ergo versus pendet a v. seq. 15. et 16. ibique expletur. Unde ex Hebræo verti potest pro *ipse*, *ipsum* (scilicet quod iam dixi de vera liberatione et hostium vestrorum excidio) dabit vobis Deus signum eius quod sequitur, quod scilicet virgo concipiet et pariet Emmanuelem.

III. Et plenissimus esse hic signum reciprocum. Tertio, plenissimus erit sensus, si utrumque iam dictum coniungas: vox enim *signum* hic indeterminate et ample sumitur, ut sit idem quod res nova, stupenda, ac portentum, tamque typo quam antitypo convenit; nam tam liberatio hæc Hierosolymæ a Syriis et Samaritis, signum erat futuræ liberationis generis humani a peccato et diabolo per Emmanuelem Christum, quam e converso; unde utrumque hoc caput ita coniungit et innectit Isaias, quasi unum idemque sit, et utrumque alteri mire congruit et correspondet. Nam primo, sicut mira fuit Dei benignitas, quod Iudæos liberarit a Rasin et Phacee: ita mira, imo maior fuit quod homines per Christum liberarit a tyrannide diaboli. Secundo, sicut Deus hic Iudæos, quia non crediderunt Dei promissis, permisit captivos duci in Babylonem: ita eorum posteros tempore Christi ob incredulitatem permisit capi et vastari a Romanis. Tertio, tam hic quam ibi fuit, Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Hisce ergo de causis hoc signum virginis parientis Emmanuelem, potius quam aliud aliquod hic datur a Deo. (Triplex analogia typi et antitypi.)

Adde, signum proprie hic posse capi novo sensu, q. d. Cum videritis virginem parientem, tunc ex eo quasi signo certo scitote, instar tempus redemptionis mundi, cuius typus erit hæc redemptio et liberatio vestra de manu Rasin. Nam virgo pariens non alium pariet, quam redemptorem mundi, quem omnibus hisce capitibus vobis prænuntio, nunc clare et expresse, nunc obscure et implicite per umbram et figuram. Quia enim Achaz contemptor signorum Dei iis est indignus, hinc non ei, sed posteris eius fidelibus futuris, hoc nascituri Messiæ do signum, scilicet partum virginis, ut cum eam cognoverint peperisse, sciant ex partu hoc natum esse Messiam. Nec enim decet Messiam nasci nisi ex virgine, nec vicissim virginem decet alium parere quam Messiam.

Denique noster Blas. Viegas in c. 12. Apoc. com. 3. sect. 14. et 15. et Barrad. t. 1. l. 8. c. 6. ad illa verba, *Ecce virgo: Nec nos*, inquit, *affirmamus, partum Virginis fuisse signum liberationis Achaz. Pollicebatur quidem regi signum liberationis, si petere vellet. Cum nollet, a præsentibus ad futura, a typo ad veritatem Prophetæ intellectum traduxit.* Subdit, *signum sumi non pro signo liberationis, sed pro miraculo hoc sensu: Dabit vobis Dominus signum, id est ingens, miraculum virginei partus.*

Symbolice, S. Gregor. in Ps. 4. pœnit. *Signum*, ait, *fuit populis illa Christi sine virili commistione nativitas, quod his qui credunt in nomine eius, daturus erat potestatem filios Dei fieri: his videlicet qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Sicut namque B. Maria Christum peperit virgo, et post partum incorrupta permansit: ita et mater Ecclesia filios Deo sine dolore generat, et virgo semper illibata perseverat. Qui in hoc quoque quod Deum toto*

corde diligunt, patrem se Deum habere evidenter ostendunt.

Moral. beneficiis vincere inimicos, divinum est.

Moraliter, Nota τὸ *propter hoc:* hinc enim vide indolem Dei aliam esse quam hominum, qui cum incidunt in homines difficiles, aversos, inimicos et impios contrahunt et retrahunt se, concipiunt odia et iras, et optant vindictam, etc. Deus vero qui magnifico et liberalissimo est animo, sua pietate certat cum impietate hominum, nec patitur se ab ea vinci: quocirca tunc maxime se beneficum ostendit, cum videt homines esse miserrimos et pessimos, uti hic Achaz ingrato et pessimo ultro promittit Verbi incarnationem. Pari modo cum Christus incarnatus est, mundus erat maxime corruptus, ideoque egebat maximo medico, scilicet Christo, quem Deus mira sua clementia tunc eis submisit, ut ubi abundavit iniquitas, ibi abundaret gratia, uti per Christum effectum est, qui per se et Apostolos homines bestiarum more viventes in homines, imo in angelos, commutavit. Impiis ergo et inimicis benefacere divinum est. Hoc imitentur sancti Religiosi et Christiani omnes: ita vincent in bono malum, nec tantum Dei, sed et hominum gratiam sibi conciliabunt, atque sua bonitate et beneficentia expugnabunt aliorum malitiam et maledicentiam. Hoc novum victoriæ genus docet philosophia non Aristotelis, sed Dei et Christi. Ita dicebat Sancta illa rogata quomodo ad sanctitatem pervenisset: *Numquam a quoquam læsa sum, quin ei peculiare beneficium rependerim.*

Exempla

Sigismundus Imp. hostes bello superatos, non modo a delicti offensa liberare, sed et inter familiares adoptare solitus, et ob id a Laurentio Hungariæ Palatino reprehensus: *Tibi*, inquiebat, *utile videtur hostem occidere, quia mortui bella non excitant. At ego inimicum occido, dum parco; et amicum facio, dum extollo.* Præclare sentiebat pulchrius esse et gloriosius hostem benefaciendo quam pugnando vincere et amicum facere. Ita Æneas Sylv. l. 2. de gestis Alphonsi.

Alphonsus Aragonum rex expugnato Stephano centuriones ac milites qui sibi maledixerant, mira cum humanitate excepit; cum alii eos morte mulctandos censerent, ait: *Malim ex clementia et humanitate erga hostes quam ex victoria laudem pacisci.*

David regno pulsus ab Absalomo filio, eo in acie cæso misit Sadoc et Abiathar sacerdotes ad seniores Iuda, dicens: *Fratres mei vos, os meum, et caro mea vos, quare novissimi reducitis regem? Et Amasæ* (qui castris hostium præfuerat) *dicite: Nonne os meum, et caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Audi fructum et successum huius clementiæ et beneficentiæ: *Et inclinavit cor omnium virorum Iuda, quasi viri unius: miseruntque ad regem, dicentes: Revertere tu, et omnes servi tui.* Hæc ergo munificentia Davidis omnium etiam rebellium animos inflexit ut eum accerserent regnumque ei restituerent, 2. Reg. 19. 12.

Theodosius Imper. interrogatus, cur neminem qui intulisset iniuriam, morte mulctasset? respondit: *Utinam potius mihi potestas esset, eos qui mortui sunt ad vitam denuo revocandi! sic enim Deum imitarer, qui solus mortuos resuscitat.* Testis est Socrates l. 7. c. 22.

Leo Imper. solebat dicere: *Sicut sol quibus affulserit, eis calorem suum impertit: ita etiam Imperator eis clemens et beneficus sit quos aspexerit.* Testis est Zonaras tom. 3.

Spiridion Tremithuntis in Cypro Episcopus a fastu alienus, pavit oves: media nocte fures stabula aggressi dum surripere pecudes student, invisibili vi apud stabula vincti sunt; cumque diluxisset accessit ad gregem, illosque videns vinctos solvit, fures multum hortatus ut iustis laboribus, et non per iniuriam victum quærerent, arieteque donatos dimisit, festive addens, *Ne frustra*, inquit, *vigilasse videamini.* Ita Socrat. l. 2. c. 8.

Adolescens quidam ab Arrianis subornatus, S. Gregorium Nazianz. interficere tentans, cum arcana Dei potentia ita fuisset repressus, ut tantum scelus detestaretur, et ad pedes Nazianzeni provolutus cum lacrymis veniam postularet, respondit Nazianzenus: *Propitius tibi Christus sit, o charissime, tibique ipse ignoscat qui me quoque servavit: hoc solum ad facinoris purgationem a te peto, ut hæresim exsecreris, meusque fias, atque ad Deum accedas, ipsique sinceram et voluntariam servitutem offeras.* Idem ad suos cives volentes affligere hæreticos, a quibus fuerant afflicti: *Hoc ego*, ait, *pro ultione habeo, ut ii a quibus iniuria lacessiti fuimus, salutem consequantur, veraque et divina esse confiteantur ea, quæ non ita pridem insectabantur.* Testis est Gregor. presbyter in Vita Nazianz.

Apollonius monachus et Martyr, cum in carcere Philemon choraules omnibus eum opprobriis oneraret, suspirans: *Fili*, ait, *misereatur tui Deus; et nihil horum quæ in me modo obloquendo effudisti, reputet ad peccatum.* His dictis ille corde compunctus, et fidem quam persequebatur suscepit, et non recusavit martyrium.

Hebræum alma non est iuvencula. Probatur. I.

Ecce virgo concipiet.) Perfide Symmachus Ebioneus, Aquila et Theodotion, qui fuerunt Iudæi proselyti, nostrique Iudæi, et nuper Castalion et Œcolampadius verterunt, *ecce iuvencula concipiet.* Quod Iudæi sic explicant, q. d. Iuvencula, scilicet uxor Achaz, antea sterilis, nunc concipiet et pariet filium, vel Ezechiam vel aliquem alium. Verum prius aperte falsum est: nam Ezechias iam erat natus. Achaz enim regnavit sexdecim annos tantum: Ezechias vero succedens in regnum erat 25. annorum; ergo natus est ante regnum patris.

II. Secundo, nec Ezechias, nec quis alius filius Achaz vocatus fuit Emmanuel, id est nobiscum Deus.

III. Tertio, insulse et impie Hebræum, עלמה *alma*, vertunt, *iuvencula:* et quod est signum, quid mirum, quid novum, si iuvencula quæ genuit Ezechiam, alium pariat filium? Et si iam genuerat Ezechiam, quomodo erat sterilis?

Sed virgo

Dico ergo, de fide est sic vertendum esse, *ecce virgo concipiet;* et hæc verba intelligenda esse de B. Virgine Deipara, integra et intacta virginitate Christum Dominum concipiente et pariente; ita ut qui hoc neget, sit hæreticus, ut fuit Helvidius, contra quem scripsit S. Hier. Id patet Matth. 1. v. 20. et 23.

Probatur. I.

Et probatur, quia Hebræum *alma*, præsertim cum articulo *he* העלמה *haalma*, uti hic est, non iuvenculam (hanc enim significat נערה *naara*, et subinde בתולה *betula;* quod communiter virginem, cum adiuncto tamen coniugatam significat, ut patet Ioel. 1. v. 8. ubi Septuag. *betula* vertunt nuptam) sed virginem significat; ita enim verterunt Septuag. Chaldæus, Noster, et veteres Rabbini apud Galatinum l. 7. c. 15. Radix enim עלם *alam*, significat abscondere; inde *alma* vocatur virgo abscondita et incognita viro. Hinc et lingua Punica, quæ Hebrææ affinis est, virgo vocatur *alma*, ait S. Hieron.

II. Ex Sibyllis

Secundo, virginem hanc Isaiæ parituram, et Christum ex virgine nasciturum prædixerunt decem Sibyllæ, inter quas Phrygia ita canit:

Virginis in corpus voluit demittere cælo
Ipse Deus prolem, cum nuntiat Angelus almæ
Matri, quæ miseros contracta sorde levabit.

Et Cumana apud Virgil. ecloga 4.

Ultima Cumæi venit iam carminis ætas.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam nova progenies cælo demittitur alto,
Chara Deum soboles, magnum Iovis incrementum.
Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos heroas, et ipse videbitur illis.

Quæ Sibyllæ carmina licet Virgilius vel ignoranter, vel adulando transtulerit ad Saloninum Asinii Pollionis Romani Consulis, tempore Augusti Cæsaris, filium, tamen S. Aug. l. 10. de Civit. 27. et Euseb. lib. 4. de Vita Constant. aliique passim, tamquam de B. Virgine et Christo dicta accipiunt, idque patet ex ipsis verbis, et ex tota ecloga; tam enim magnifica prædicit, ut ea non Salonino, nec alteri homini, sed soli Christo conveniant. Aliarum Sibyllarum oracula vide apud Canisium l. 2. Marial. c. 7.

III. Tertio, B. Virginem parituram Christum prædixit Ieremias c. 31. 22. *Creavit Dominus novum super terram: Fœmina circumdabit virum.* Vide ibi dicta.

Obiiciunt Iudæi: Proverbiorum 30. 19. dicitur: *Quartum penitus ignoro*, scilicet, *viam viri in adolescentula.* Hebraice enim est בעלמה *baalma*: ergo *alma* significat adolescentulam viro cognitam, etiamsi eam esse cognitam, si id ipsa neget, difficile sit probare, cum vix ullum copulæ præteritæ remaneat vestigium.

Locus Proverb. 30. exponitur.

Respond. Sanchez sensum esse: Ignoro viam viri *baalma*, id est, ad virginem absconditam, quæ fugit oculos virorum et domi se abdit, q. d. Facilius invenies in aere
I. viam aquilæ, et in mari viam navis, quam vestigia virorum ad ianuam virginis illius, quæ numquam se viris videndam offert, imo eos aversatur et fugit, ideoque est *alma*, id est abscondita.

II. Secundo, R. Haccados et veteres Rabbini apud Galatinum sic explicant, ut ibi sit prophetia eadem quæ hic de Christo ex Virgine nascituro, q. d. Difficillimum est cognoscere Christi (qui vir fuit ab initio conceptionis suæ, perfectus omnibus potentiis animæ, æque ac membris corporis) in Virgine conceptionem et nativitatem.

III. Tertio simplicissime, *via viri in adolescentula* cognosci nequit, quia post congressum et copulam carnalem nullum eius remanet vestigium: nam quod nonnulli putant in copula cum virgine rumpi membranulam, quæ sit virginitatis signaculum, falsum esse docent Franciscus Valesius aliique medici: *alma* ergo etiam hic significat virginem, non quæ iam sit virgo, sed quæ virgo fuerit ante copulam, seu potius quæ in ipsa copula a viro inventa sit virgo.

IV. Quarto, et optime, legendum est cum Latinis et Sept. *viam viri in adolescentia*, non *adolescentula*: corrupte ergo in Hebræo legitur *baalma* pro בעלמות *baalmut*. Sensus ergo est, q. d. Difficillimum est cognoscere quid fecerit, quidve faciet adolescens, qui fervore sanguinis et spirituum in alia et alia studia, cogitationes, opera, æque ac loca statim abripitur.

Obiectio Calvini.

Obiicit secundo Calvinus (qui negat penetrationem corporum, ita ut duo sint in eodem loco, Deo esse possibilem; ac proinde negat Virginem manentem virginem peperisse, sicuti negat Christum post resurrectionem clausis ianuis ad discipulos introiisse) non convinci B. Virginem manentem virginem concepisse et peperisse Christum: quia hæc verba, *Ecce virgo concipiet*, possunt accipi in sensu diviso, non composito, q. d. Quæ antea fuerat virgo, illa iam post copulam non virgo, sed corrupta concepit.

Responsio.

Verum hoc commentum clare refellit S. Matth. c. 1. v. 20. et 23. ubi ut omne dubium tollat dicit: *Quod in ea natum est* (non de viro Ioseph, sed) *de Spiritu sancto est.* Ergo virgo manens virgo concepit ex Spiritu sancto. Deinde subdit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Idem refellunt Patres omnes, totaque Ecclesia, quæ ita hæc verba Isaiæ et Matthæi accipit in sensu composito, ideoque firmiter credit quod B. Virgo fuerit virgo tam in partu et post partum, quam ante partum. Citat Patres noster Canisius l. 2. Marial. c. 14. et 15. Et quale, quæso, esset hoc signum, quod virgo iam corrupta conciperet? hoc enim quotidianum et naturale est: unde in Hebræo hic significatur quod hoc signum erit insolitum et admirabile cum dicitur: הנה העלמה הרה *hinne haalma hara*, id est *ecce illa virgo* (admiranda) *gravida erit et prægnans.* Hinc ergo contra Calvinum patet Virginem in sensu composito peperisse Christum, ac consequenter penetrationem corporum Deo esse possibilem. Rursum mysterium Eucharistiæ esse possibile, quod pari blasphemia negat Calvinus. Si enim Deus potest facere ut duo corpora, v. g. corpus Virginis et corpus Christi, sint in eodem loco, cur non possit facere, ut unum idemque corpus Christi sit in pluribus locis et altaribus? Rursum cur non possit facere, ut totum corpus Christi sit in parva hostia? Si enim potest plura

A tota corpora ponere in eodem loco, cur non possit partes eiusdem corporis ponere in eodem loco, v. g. in parva hostia, imo in puncto? Hæc enim tria plane paria sunt, scilicet æque difficilia et naturæ repugnantia, paremque virtutem et potentiam, ut fiant, requirunt. Tam enim impossibile est unum locum adæquari pluribus corporibus, quam unum corpus adæquari pluribus locis. Denique miraculo idipsum non semel confirmavit Deus. Illustre est quod refert S. Aug. l. 22. de Civit. 8. de Petronia clarissima fœmina, quæ ex desperato morbo miraculose adiens memoriam sancti Stephani sanata est. Cum enim pro remedio annulum superstitiosum a Iudæo prius accepisset, quem capillitia zona insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur; pergente illa ad S. Stephanum, annulus integer integra et illæsa zona ad pedes eius exsiliit; quod miraculum ipsa futuræ salutis pignus accepit. *Non credunt hoc*, ait S. Aug. *qui etiam Dominum Iesum per integra virginalia matris enixum, et ad discipulos suos ostiis clausis ingressum fuisse non credunt. Sed*
B *hoc certe quærant: et si verum invenerint, illa credant. Clarissima fœmina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat; ampla civitas, ampla persona, rem quærentes latere non sinunt. Martyr certe ipse, quo impetrante illa sanata est, in filium permanentis virginis credidit, in eum, qui ostiis clausis ad discipulos ingressus est.* S. Stephanus credit, S. Augustinus credit; non credis, Calvine?

Ubi Nota. Hebr. est העלמה *haalma*, Septuag. ἡ παρθένος, id est, illa virgo rara et unica, illa *phœnix mundi*, illa Virgo illustris, et toto orbe sæculisque omnibus celebranda, quæ nimirum prima votum continentiæ et virginitatis Deo nuncupavit, eiusque vexillum posteris omnibus erexit, ad quod post eam tot millia SS. virginum, fœminarum æque ac virorum, convolarunt. Præclare S. Hieron. ad Eustachium de custod. virg. *Inveniebatur*, ait, in veteri testamento, *in viris tantum hoc continentiæ bonum* (in Elia, Eliseo, Ieremia et filiis Prophetarum) *et in do-*
C *loribus iugiter Eva pariebat. Postquam vero Virgo concepit in utero, etc. soluta maledictio est. Mors per Evam, vita per Mariam. Ideoque et ditius virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit a fœmina. Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab angelis adorabatur in cælo, haberet angelos et in terris.* Audi et Poetam in hymno Ecclesiast.

Haalma est illa virgo quæ phœnix est mundi.

Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Rursum:

Partus et integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Nam quod scribunt Gellius lib. 9. c. 4. et Plinius libr. 7. c. 4. P. Licinio Crasso et C. Cassio Coss. (erat is annus ante Christi epocham 172.) virginem peperisse, pro ficto, non pro facto habendum est, uti et illud quod ævo nostro sub Henrico II. Franciæ rege scribit Genebrard. Ambianis in Francia factum, ut virgo pareret.

D Unde S. Chrysost. Basil. Hieron. Prudent. Bernardus, et ex iis Canisius l. 2. c. 16. docent B. Virginem sua angelica virginitate, ac mentis et corporis puritate meruisse de congruo ut fieret mater Dei. Quocirca Venantius Fortunatus canit:

B. Virgo sua virginitate meruit fieri mater Dei.

Virginitas felix quæ partu est digna tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Et Prudentius in Cathemerino: *Edere namque Deum meruit*, scilicet Virgo sua virginitate. *Omnia Virgo venena domat.* Plura vide apud Canisium toto l. 2. et Suarez, 3. p. tom. 2. q. 27. disp. 5.

Miraculis probata virginitas Deiparæ

Denique, Deus hoc mysterium virginitatis Deiparæ miraculis confirmavit. Referunt histor. Hispan. et ex iis Baron. anno Domini 657. S. Ildephonsum Toletanum Archiepiscop. contra Helvidianos renascentes propugnasse libro edito perpetuam virginitatem Deiparæ. Quare cum ipse in festo Annuntiationis B. Virginis ad templum noctu pergeret, templum cœpit cælesti fulgore micare. Cæteris dilapsis, apparuit ei B. Virgo dicens: *Cultæ in tuo corpore*

virginitatis, cum mentis puritate fideique ardore coniunctæ, nostræque virginitatis defensæ præmium erit ex cælesti theatro munus allatum. Inter hæc verba vestem suis manibus capiti inseruit: *Hac*, inquiens, *Filii mei meaque quæ toto anno recurrunt festa celebrato.*

In vita S. Ægidii socii S. Francisci 23. April. narratur, quemdam Doctorem ordinis S. Dominici dubitantem de Virginitate Deiparæ, cogitasse hac de re consulere S. Ægidium: cumque eum eminus videret S. Ægidius prævenit, terramque pulsans dixit: *Frater prædicator, S. Deipara Maria virgo est ante partum;* statimque ut hæc dixit, pulcherrimum illic exortum est lilium. Iterum percussa humo repetit: *Frater Prædicator, S. Maria virgo est in partu*, et confestim secundum exortum est lilium. Tertio, baculo feriens terram: *Frater*, inquit, *concionator, S. Maria virgo est post partum;* simulque tertium exstitit lilium candoris et formositatis admirandæ. Ita omnem ei scrupulum exemit.

Porro causæ cur ex Virgine nasci voluerit Deus, sunt. Prima, quia, ut ait S. Bernardus, Deum decebat nova, insolita, propria et sublimis generatio: talis autem est ex virgine. Secunda, quia, ut ait Theodorus Ancyræ Episcopus in Concilio Ephesino orat. 2. *Incorruptionis largitor corruptionem non inducit, nihilque incorruptionis auctor corrumpit.* Tertia, quia Deus et SS. Trinitas est prima virgo, ut ait S. Nazianzen. in carm. Hinc Pater virgo mente generat Verbum, id est, Filium suum, et cum Filio similiter spirat Spiritum sanctum, per actum amoris sive spirationis. Decuit ergo, ut Christus quasi Melchisedech noster in terris esset ἀπάτωρ, id est, sine patre: sicut in cælis secundum generationem divinam est ἀμήτωρ, id est sine matre, ut utrobique virgo ex virgine nasceretur. Quarta, ut ex vi originis suæ excluderet peccatum originale: hoc enim omnes carnaliter prognati ex Adamo contrahunt, non autem nati ex virgine. Rursum ut concupiscentiæ et peccati victor sine concupiscentia et peccato conciperetur. Denique ut purissima esset eius conceptio, qui omnes homines erat purificaturus, et ex hominibus angelos effecturus. Quinta, ut ostenderet quanta quamque sibi et Deo chara sit virginitas.

Nota. Sicut hebraice, ita et latine Deipara vocatur *alma*, ut cum dicimus, *Alma parens, alma Dei genitrix, Ave maris stella, Dei mater alma* Idque primo, quia *alma* subinde Latinis idem est quod virgo. Sic vocatur *alma Ceres;* et Sibylla a Virgilio Æneid. 6. vocatur *alma*, eo quod fuerit virgo. Secundo, quia *alma* idem est quod sancta vel pulchra, ait Festus. Hinc Deæ, ut Musæ, vocantur *almæ;* sic a Lucretio l. 6. Pallas nuncupatur *alma*. Proprie vero mater deorum vocata est *alma*. Unde Virgil. Æneid. 10. *Alma parens Idæa Deum;* et Æneid. 1. *Venus alma*. Tertio, quia *almus* significat quoque clarissimum. Unde sol dicitur *almus* ab Horatio in carm. sæculari:

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas.

Hinc et dies felix et clara vocatur *alma*. Iam quid clarius, quid felicius B. Virgine? Quarto, *almus* dicitur ab alendo, quasi alens, ait Festus: unde Lucret. l. 2. *Liquor almus aquarum.* Et lux dicitur *alma*, quod alat universa; nam per lucem et diem omnia crescere docent Physici, ait Servius, qui et addit Æneid. 2. *Alma proprie est tellus, eo quod nos alat: abusive etiam aliis numinibus hoc epitheton datur.* Et Columella l. 3. c. 21. *Quibus*, ait, *alma tellus annua vice velut æterno quodam puerperio læta mortalibus distenta musto demittit ubera.* Talis est Deipara, quæ Christum aluit, et Christianos iugiter alit fovetque. Nunc singula verba pressius expendamus.

Ecce.) q. d. Adeste proceres, adeste Iudæi, audite omnes gentes, videte et stupete, ecce rem miram et omni ævo inauditam, ecce ostentum sæculorum, ecce novum numquam visum, quod creabit Dominus, Ierem. 31. 22. Ecce rem post multa sæcula futuram, quam quasi certam et præsentem coram intueor. Ecce post 730. annos virgo concipiet et pariet. Hoc tu, o Achaz incredule, non mereris cernere, cernent posteri tui et fruentur, dicentque:

A Ecce hoc portentum prædixit Isaias a tot sæculis, nunc illud impletum conspicimus, nunc credimus, imo scimus, Virginem peperisse Salvatorem mundi.

Virgo.) Hebr. העלמה *haalma*, illa virgo, Angelis, etiam Seraphinis, suspicienda, *Quæ simul est genitrix, filia, sponsa Dei:* quæ Deum homini, cælum terræ, maternitatem virginitati, peccatores sanctitati coniunxit et copulavit: ac proinde non dulia, sed hyperdulia ab hominibus et Angelis colenda. Nam in hoc virginei conceptus et incarnationis Verbi opere tria præ cæteris sunt stupenda, quæ ita describit S. Bernardus serm. 3. in vigilia Nativ. *Tria*, inquit, *opera, tres misturas fecit omnipotens illa Maiestas in assumptione nostræ carnis, ita mirabiliter singularia, et singulariter mirabilia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Verbum enim, anima et caro in unam convenere personam, et hæc tria unum, et hoc unum tria sunt, non in confusione substantiæ, sed in unitate personæ. Hæc est*
B *prima et superexcellens mistura. Secunda, est virgo et mater, utique et admirabilis et singularis. A sæculo non est auditum, quod virgo esset quæ peperit, et mater esset quæ virgo permansit. Tertia, est fides et cor humanum, et hæc quidem inferior, sed non minus forsitan fortis: mirum enim quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit; quomodo credi potuit quod Deus homo esset, quod virgo manserit quæ peperisset?*

B. Virgo est genitrix, filia, sponsa Dei.

Tres misturæ Incarnationis miræ.

Mirum quid refert Hegesippus lib. de Supplemento Evangelicæ veritatis, et ex eo Michael Caranza lib. de Virginitate B. Mariæ c. 14. scilicet Simeonem, qui Lucæ 2. Christum in ulnas accepit, fuisse eximium inter sui sæculi Rabbinos, et hoc Isaiæ oraculum de virgine paritura in scholis aliquando exposuisse. Verum pro eo quod scriptum repererat *haalma*, quo certo virgo paritura significabatur, primorem litteram expunxisse, ac legisse *alma*, quasi in sensu diviso pareret illa quæ fuerat virgo, iam vero erat mulier corrupta: sed cum Scripturas denuo re-
C legeret, *haalma* præfixo articulo, sicuti aute erat, repperisse: itaque secundo articulum dispunxisse, eumque iterum divinitus restitutum fuisse, hocque etiam tertio iterasse: unde vim numinis agnovisse et intellexisse virginem vere parituram, ideoque supplicem Deum rogasse, ut tamdiu superstitem se conservaret, donec Emmanuelem ex ea natum videret et adoraret: ac responsum tum accepisset, se non visurum mortem, donec videret Christum Domini. Verum huius historiæ fides sit penes Hegesippum: nam olet Cabalam, id est, fabulam alicuius Rabbini. Et quomodo S. Simeon e sacra Scriptura ausus fuisset litteram *he* dispungere. Quis credat hoc de Rabbino, eoque sancto, cum etiamnum Rabbinos alias perfidos, in tuenda Script. Hebraica religiosos, imo superstitiosos videamus? Adde, quod *alma* æque ac *haalma* proprie vereque virginem significet.

Mirum quid de S. Simeone.

Verius S. Basilius hom. de humana Christi generatione, censet diabolum ex hoc oraculo exspectasse virginem quæ pareret, ut inde agnosceret Salvatorem mundi, eique
D insidias strueret, ideoque B. Virginem nupsisse Iosepho, ut diabolus putaret eam ex Iosepho concepisse: *Virgines namque*, inquit, *in primis observabat, quarum unam parituram e Propheta cognoverat, dicente: Ecce virgo concipiet et pariet filium: virginitatis igitur insidiator observatorque, sub matrimonii specie factum ignorans, a malignitate abstinuit. Sciebat enim suum imperium ob Dominicam carnis generationem perditum iri.* Et S. Hieron. in c. 1. Matth. *Martyr Ignatius*, ait, *quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit, ut partus eius celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.* Licet enim naturaliter dæmon scire posset B. Virginem intactam esse a Ioseph, tamen a Deo impediebatur, ne quod inter B. Virginem et Ioseph agebatur, cognosceret.

Denique hoc vaticinium de virgine paritura Christum Isaias edidit post initium regni Achaz, cum scilicet ipse cladibus a Rasin et Phacee acceptis afflictus, ab eisdem

Anno 3. Achaz hæc dixit Isaias.

obsidionem et excidium metuens, cogitaret non Dei, sed Assyriorum opem implorare, puta anno 3. Achaz; nam anno Achaz 4. impleta sunt, quæ Isaias prædicit de strage Rasin et Phacee, uti ostendam c. 8. 4. Quocirca multum errant Beza et Vatablus, qui putant hanc prophetiam ab Isaia editam anno decimo Achaz. Aberrant et alii, qui 24. annos numerant a die huius vaticinii usque ad sextum annum Ezechiæ. Hinc enim sequitur, illud editum esse ante regnum Achaz. Aberrat et Sixtus Senensis l. 2. Biblioth. littera G. dum hoc oraculum habuisse exitum quoad interitum Phacee et Rasin censet anno 6. 7. et 8. Achaz.

Moraliter, hic discat virgo qualis esse debeat. Primiceria virgo, et virgo virginum docebit eam, quod debeat esse *alma*, id est, abscondita, fugiens oculos hominum, domi latens, secreti amans, publici fugax. *Alma* ergo non tantum custos, sed et prima pars est pudicitiæ. Docet hoc, graphiceque demonstrat Tertull. lib. de Velandis virginibus: *Ipsa*, ait, *concupiscentia non latendi non est pudica: patitur aliquid, quod virginis non sit: studium placendi utique et viris, quantum velis bona mente conetur: necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis et multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic discitur aliter iam placere desiderare.*

S. Cyprianus libr. de Habitu et disciplina virginum: *Virgo*, ait, *non tantum esse, sed et intelligi debet et credi: ut nemo cum virginem viderit, dubitet an virgo sit. Parem se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet.*

S. Ambros. l. 2. in Lucam, ad illud Luc. 1. *Et ingressus Angelus ad eam*: *Sola*, ait, *in penetralibus, quam nemo virorum videret, sola sine comite, sola sine teste, ne quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo salututur.* Nam, ut idem ait Exhort. ad virgines, *Decet solitudo verecundiam, et gymnasium pudoris secretum est.*

S. Hieron. ad Lætam de instit. filiæ: *Imitetur*, ait, *Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit, et ideo forsitan timore perterrita est, quia virum quem non solebat aspexit. Æmuletur eam de qua dicitur* Ps. 44. 14. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Loquatur et ipsa electo charitatis iaculo vulnerata: Introduxit me rex in cubiculum suum*, Cant. 1. 4. *Numquam exeat foras ne inveniant eam qui circumeunt civitatem, ne percutiant et vulnerent, et auferant theristrum pudicitiæ, et nudam in sanguine derelinquant: quin potius, cum aliquis ostium eius pulsaverit, dicat: Ego murus, et ubera mea turris: lavi pedes meos, non possum inquinare eos*, Cant. 8. 10.

Talis fuit B. Asella virgo Romana, quam ita laudat S. Hieron. epistol. 15. ad Marcellam: *Unius cellulæ clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur. Idem terræ solum, et orationis locus exstitit et quietis. Ita se semper moderate habuit, et intra cubiculi sui secreta custodivit, ut numquam pedem efferret in publicum, numquam viri nosset alloquium, et, quod magis sit admirandum, sororem virginem amaret potius quam videret. Ad Martyrum limina pene invisa properabat. Et cum gauderet proposito suo, in eo vehementius exsultabat, quod se nullus cognosceret; ut solitudinem putaret esse delicias, et in urbe turbida inveniret eremum monachorum. Sermo silens, et silentium loquens.* Vide quæ de Dinæ curiositate et violatione dixi Genes. 34. v. 1.

Virginitas est fœcunda.

CONCIPIET ET PARIET.) Vide hic quam virginitas non sit sterilis, sed fœcunda et fertilis, quæ genuit Deum creatorem omnium. *Talis partus*, inquit S. Bernardus ser. 2. de Adventu, *congruebat virgini, ut non pareret nisi Deum; et talis nativitas decebat Deum, ut non nisi de virgine nasceretur.* Præclare ergo S. Ambros. lib. 1. de Virg. *Virginis*, inquit, *corpus cælum*, id est sedes et thronus, *est Dei.* Et Poeta:

Nec genitrice tua fœcundior ulla parentum est,
Tot bona per partum quæ dedit una suum.

Ita spiritaliter S. Cæcilia virgo Valerianum maritum, Tiburtium, aliosque multos convertit et Christo peperit, ut merito de ea canat Ecclesia: *Cæcilia famula tua tibi, Domine, quasi apis argumentosa deservit.* Lege vitam S. Iuliani et Basilissæ, et miraberis tot millia hominum eos coniuges simul et virgines Deo peperisse. Hanc fœcunditatem promittit Deus virginibus Isaiæ 56. 3. *Non dicat eunuchus: Ego* sum *lignum aridum etc.* de qua re plura ibidem.

ET VOCABITUR.) Id est, erit; vide can. 29. Hebr. est וקראת *vekarat*, fœminini generis et secundæ personæ, id est, *et vocabis*, ut vertunt Septuag. Pagnin. et alii, scilicet tu, o virgo. Alias enim in veteri testamento patres indebant nomina filiis, non matres. Sed quia hic Virgo concipit et parit sine patre, hinc ipsa quasi pater æque ac mater, nomen *Emmanuel* filio suo imponit. Hoc est quod Gabriel eidem annuntians hunc partum prædixit, Lucæ 1. 31. *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.* Iesus enim idem est quod Emmanuel, uti mox patebit.

Perperam ergo Iudæi negant hic agi de Christo, eo quod ipse vocatus sit Iesus, non Emmanuel: nam Primo, *vocari* in Script. sæpe significat esse talem, qualem nomen significat, ut iure eo vocari possit. Sic Christus cap. 9. dicitur vocandus consiliarius, admirabilis, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi; non quod hæc fuerint nomen proprium ipsius, sed quod talis fuerit, ut merito hisce nominibus et titulis insigniri possit. Secundo, nomen hic non significat nomen proprium, sed agnomen sive elogium, q. d. Iesus nomen, id est, elogium, erit Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Sic epitheta et honorum tituli vocantur nomina, ut cum Traianus Imper. a devicta Dacia accepit nomen Dacicus, Scipio a devicta Africa vocatus est Africanus, et frater eius a devicta Asia Asiaticus. Tertio, nomen Emmanuel reipsa idem est quod nomen Iesus, id est Salvator; salvare enim nos a peccato, morte et inferno nemo potuit, nisi Emmanuel, id est, Deus homo, cuius nomen proprium est Iesus. Quarto, nomen proprium est duplex: unum, quod ab ortu a parentibus imponitur, ut eo ab omnibus vocetur, et tale Christi nomen est Iesus: alterum significans propriam rei vel personæ naturam et conditionem: tale est Emmanuel; significat enim hunc hominem non esse merum hominem, sed hominem Deum, ideoque Christo est proprium: nulli enim alteri competit. Et sic in festis natalitiis sæpeque alias fideles iubilando Christum natum vocant et invocant *Emmanuel*, ac per aphæresin *Noel.*

EMMANUEL.) Id est nobiscum Deus, q. d. Deus iam erit nobiscum spiritaliter, o Achaz et Iudæi, nos liberans a Rasin et Phacee; sed cum virgo concipiet et pariet, erit nobiscum corporaliter Verbum caro factum, q. d. Virgo pariet non Ezechiam, non Sear Iasub, puros homines, sed Emmanuelem, id est hominem Deum; hic tamen Emmanuel pariet *Sear Iasub*, id est, reliquias Israel convertet, et renasci faciet Deo per baptismum. Hanc ob causam in hac prophetia iussit Deus Isaiæ, ut filium suum Sear Iasub secum adhiberet.

Ex *Emmanuel* Itali decurtarunt *Manuel*, Galli, *Noel*, id est, nobis Deus, vel noster est Deus, quod in hymnis natalitiis iubilando ingeminant; indeque hoc festum vocant *Noel*, id est, parvi Emmanuelis festum.

Noel decurtatum tantum est Emmanuel.

Quid est ergo Emmanuel? est nobiscum אל *el*, id est, fortis, puta Deus, qui dæmonem, carnem, mundum, peccatum, omnesque hominum hostes potenter debellabit.

Quid est Emmanuel? est filius prophetissæ, cuius nomen *Accelera spolia detrahere, Festina prædari*, c. 8. 3.

Quid est Emmanuel? est *admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis, magni consilii angelus*, cap. 9. 6.

Quid est Emmanuel? est magnus Dominus et laudabilis nimis, qui factus est nobis puer parvulus, et amabilis nimis.

Quid est Emmanuel? est *Deus noster qui præparavit terram in æterno tempore: qui emittit lumen, et vadit: et vocavit illud, et obedit illi in tremore. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt. vocatæ sunt, et di-*

xerunt: *Adsumus: et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, etc. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est,* Baruch 3. 38.

Quid est Emmanuel? est *Iesus nostra redemptio, amor et desiderium, Deus creator omnium, homo in fine temporum.*

Quid est Emmanuel? est Verbum infans, puer sapiens, Deus lactens, ait S. Bernardus.

Quid est Emmanuel? est parvulus de Bethlehem, uti cum iubilo aiebat S. Franciscus, regnans in cælo et iacens in præsepio.

Quid est Emmanuel? est Verbum carne vestitum, est Deus φιλάνθρωπος, ad Tit. 3. 4.

Quid est Emmanuel? est verbum vitæ, *quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt, ut societas nostra sit cum Patre, et cum Filio eius Iesu Christo,* 1. Ioan. cap. 1. v. 1.

Quid est Emmanuel? est *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria,* 1. Timoth. 3. v. 16.

Quid est Emmanuel? est Elohim habitans in nobis, frater, convictor, familiaris, amicus et socius noster. Ergo, o filii Adæ, amate fratrem vestrum, osculamini filium Deiparæ; dissuaviamini cum Emmanuele vestro, specioso forma præ filiis hominum: sed et diligite ac colite matrem eius benedictam inter mulieres, quæ Deum vobis corporavit. Hæc est scala cæli, Domina mundi, Angelorum regina, mater Dei.

Porro Emmanuel fuit θεὸς ἀνὴρ, Deus vir; hinc actiones eius a S. Dionys. c. 2. de Divin. nom. vocantur theandricæ, id est, Deiviriles: in Christo enim triplices fuerunt actiones, scilicet primo divinæ, ut creare et regere mundum, spirare Spiritum sanctum, etc. Secundo, humanæ, ut comedere, fabricare, laborare, etc. in his subditus fuit matri. Tertio, theandricæ, quæ partim Dei, partim hominis erant, propriæque Emmanuelis. Tales erant docere, facere miracula, creare Apostolos, omniaque opera Redemptoris. In his soli Deo Patri subditus fuit: erant enim altioris ordinis, et a solo Patre acceptæ et directæ: unde Christus eas vocat opera Patris, et parentibus eas petentibus quasi ex imperio, respondet, illas non ad parentum, sed ad Dei nutum esse faciendas, Ioan. 2. 4. Matth. 12. 48.

Denique Nota. Non dicit: Vocabitur nomen eius, *Nos cum Deo,* sed *Deus nobiscum.* Non enim nos Deum, sed ipse prior quæsivit nos. Sic etiam hodie ipse cupit esse nobiscum: nos sæpe eum fugimus, et ruimus in nostram perniciem. Cur enim mundi opes et voluptates tam ardenter quærimus, nisi quia quamvis ipse venerit ut sit nobiscum, nos tamen sine eo esse volumus? Vide hic immensam Dei erga nos pietatem, et incredibilem nostram erga eum ingratitudinem.

Christus est Emmanuel quintupliciter. 1. Moraliter, Christus est Emmanuel, id est nobiscum Deus. Primo, realiter et corporaliter in Ven. Sacramento: ibi ergo reipsa idem mysterium peragitur, et quotidie renovatur, quod hic prædicit Isaias, quodque in incarnatione Verbi peractum est: per verba enim consecrationis vere et realiter uti transubstantiatur panis, ita producitur et quasi generatur Christus in altari, adeo potenter et efficaciter, ut, si Christus necdum esset incarnatus, per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, incarnaretur, corpusque humanum assumeret, uti graves Theologi docent. Sacerdos ergo est quasi virgo Deipara, præsepe est altare, parvulus Emmanuel quem parit, est Christus sub parva hostia productus per virtutem Altissimi, et per obumbrationem Spiritus sancti. Cum ergo accedis ad altare, cogita illud vere æque ac pie dictum Thomæ a Kempis l. 4. de Imitat. Christ. c. 2. *Ita magnum, novum et iucundum tibi videri debet, cum celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens, homo factus esset; aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur et moreretur.* Ideo enim Christus nasci voluit, vocarique Emmanuel, quia iugiter nobiscum esse, manere et versari volebat in Eucharistia. Deliciæ enim eius sunt, esse cum filiis hominum.

Secundo, per providentiam, custodiam et gubernationem; sicut enim rex est in toto regno, quod eminus regit et administrat, ita Christus est in tota Ecclesia, quam e cælo regit et moderatur. II.

Tertio, per suos vicarios Episcopos et sacerdotes, quibus dixit ipse: *Pasce oves meas;* et: *Qui vos audit, me audit.* III.

Quarto, per S. Evangelia, aliosque similes libros, figuras et imagines, per quas ipse se assidue menti nostræ obiicit, et in memoria nostra vivit, ut viva eius vestigia et virtutum exempla sequamur. IV.

Quinto, per suam opem, gratiam, illuminationem, consolationem, corroborationem et protectionem assiduam: ipse enim tentatis et afflictis peculiariter adest, eosque consolatur et confortat, sicut promisit, dicens: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Ita affuit S. Stephano, qui proinde lætus intrepide lapides excepit dicens: *Ecce video cælos apertos, et Iesum stantem a dextris virtutis Dei;* et: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Sic in naufragio et alias sæpe affuit et apparuit S. Paulo, et S. Petro e carcere fugienti dicens: *Vado iterum crucifigi;* itaque eum in carcerem reduxit, et ad crucem ac martyrium direxit. Exstat sacellum in loco ad rei memoriam erectum iuxta Romam, quod sæpius video et visito. Ita visibiliter S. Antonio et multis aliis affuit: invisibiliter omnibus Martyribus patientibus, laborantibus et certantibus pro sua gloria adest. Hoc certum est, hoc fixum nobis esse debet, nostramque spem et animos acuere, ut dicamus cum Paulo: (Deus est) *qui triumphat* (triumphare facit) *nos in Christo;* et: *Vivo ego, iam non ego: vivit vero in me Christus;* et cum Habacuc, cap. 3. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Iesu meo. Deus Dominus fortitudo mea; et ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Si ergo acris insurgat tentatio, si dæmon, si melancholia, si ira, si cupiditas, si amici, si inimici ingruant, Emmanuelem cogita, eum invoca. Ipse est *el*, id est, fortissimus, qui tuam infirmitatem roborabit, ut facile omnia adversa, omnia terriculamenta, quin et tormenta superes; virtus enim eius et gloria in nostra infirmitate perficitur. Si ergo Emmanuel, si Deus nobiscum, quis contra nos? V. Deus suis adest per opem. Exempla.

Vers. 15. Butyrum et mel comedere, quid? BUTYRUM ET MEL COMEDET, UT SCIAT REPROBARE.) Primo, Abulens. tract. in hæc verba, *Ecce virgo concipiet,* hisce verbis, inquit, significat Isaias quod Christus qua homo futurus sit valde prudens et intelligens, et ad huius indicium additur esus mellis et butyri, quæ solent homines facere valde acutos et intelligentes. Sed hæc carnalium Rabbinorum est sententia, licet eam Ioannes Huartus medicus in examine ingeniorum, multis argumentis physicis conetur astruere.

Secundo, et recte, S. Hieron. Cyrill. Rupert. et Bern. mox citandi censent, hisce verbis Isaiam tantum significare, hunc divinum puerum non fore phantasticum, ut voluerunt Manichæi, sed fore verum hominem similem aliis infantibus, et infantilibus cibis nutriendum, q. d. Eo se demittet Deus natus ex virgine, ut instar infantis melle et butyro indigeat, iisque vescatur: idque ad hoc, *ut sapientia Dei infantiæ humanæ lactescat,* ut ait quidam Doctor. Alludit ad cibos quibus alebantur infantes in Iudæa, quæ ita lacte et melle abundabat, ut dicatur sæpe manare lacte et melle. Hic ergo puer butyrum et mel comedet, idque ut sciat reprobare malum, id est, ita, ut quando esuriet cibos gustu possit discernere, item sensim quasvis res alias per experientiam, bonæ ne sint an malæ, q. d. Puer hic cibo congruo aletur, crescet et adolescet in robur et ætatem maturiorem, qua acquisita per scientiam experimentalem sciet discernere, non tantum cibos, sed et res quasvis bonas a malis. Ita S. Basil. Hieron. Cyrillus, Chrysost. hic et S. Iustin. Dialog. contra Tryphon. et

S. August. l. 8. de Genesi ad litt. c. 14. et alii. Addit Isidorus Clarius et Delrio adagio 695. significari, Christum ut puerum electurum dulcia, et amara repudiaturum. Hebræi enim per mel omnia dulcia designant, ut saccharum, uvas, ficus, dactylos, omnesque fructus dulces et mellitos, uti notat R. David, et Genebrard. in Ps. 80. 17. et Prado in Ezech. 16. 13. Sic Iudæa dicitur terra fluens lacte et melle, id est, fructibus dulcibus et sapidis instar mellis. Hinc de ea dicitur Deut. 32. 13. *Ut sugeret mel de petra.* Et Martialis l. 7. in malum poetam, ait: *Infanti melimela dato*, id est, dulces fructus. Perperam ergo recentiores aliqui sic exponunt, q. d. Christus ut cæteri pueri morbis puerorum erit obnoxius. Solent enim pueri cum dentescere incipiunt, dolere et infirmari; cui malo adhibendum mel et butyrum suadent medici, ut Galenus l. 10. de Medic. simplic. c. 10. et Plinius l. 28. c. 19. Perperam, inquam: nam Christus per omnem vitam nulli morbo fuit obnoxius, sed sano robustoque semper corpore, uti passim docent Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 14. art. 4.

Porro mel non tantum cibum esse puerorum, sed et ad sanitatem tuendam, ac ad longævitatem valere docent physici, et experientia. Ita senex ille validus rogatus, quo medio ad tantam tamque robustam senectutem pervenisset: *Melle*, inquit, *intra corpus, et extra oleo utendo.*

Lac symbolum est matris, mel virginis.

Hinc symbolice lac significat maternitatem et fœcunditatem (huius enim est effectus et signum) B. Virginis; mel virginitatem, mel enim prodit ex apibus quæ sine coniunctione corporum generantur: hinc de B. Virgine dicitur Cant. 4. 11. *Mel et lac sub lingua tua.* Licet enim de generatione apum variæ fuerint opiniones, et nonnulli eas ex maris et fœminæ congressu gigni censuerint, eaque de re dubitet Plinius lib. 11. 16. tamen communis pene sententia est, apes esse virgines, eo quod numquam congredi sint visæ, uti fatetur Plinius; ac proinde eas sexu carere: nec alias esse fœminas, alias mares: sed ex seipsis ponere ovum, vel semen, illudque fovere et excludere, ut ex illo primo nascatur vermiculus, deinde apicula, quæ nympha dicitur. Ita censet Aristot. libr. de Generat. anim. c. 10. Virgilius in Georg. S. Ambrosius, S. Gregor. Prudentius, Albertus Magnus, Scaliger et alii, quos citat et sequitur Ulysses Aldrovandus l. 1. de Insectis, cap. de generatione apum.

Symbolice quoque Richard. de S. Victor. l. 1. part. 1. de Emmanuele cap. 14. *Si Dominus*, inquit, *Angelorum propter homines comedendo et bibendo factus est particeps iumentorum, cur e converso homo propter ipsum non multo magis fiat particeps Angelorum? Butyrum*, inquit, *et mel comedet; cur non potius panem et carnem dicit? quid sunt mel atque butyrum, nisi deliciæ muscarum? et certe hoc immundarum, illud venenosarum. Nam apes aculeum portant, et venenum habent. Et vide quomodo pro melle laborant ac pugnant, ita ut sæpe et animas in vulnere ponant. Et muscæ lacti se ingerunt et immergunt, modo et vitam deponunt. Emmanuel itaque noster butyrum et mel comedit, et propter nos ad muscarum participationem descendit. Siccine Deo parum fuit propter homines participare cum iumentis, nisi participaret propter nos etiam cum muscis?*

Mystice, idem ibidem part. 1. l. 2. c. 21. *Mel*, inquit, *de cælo venit mediante rore, butyrum de carne mediante lacte: quid est enim butyrum, nisi quædam pinguedo lactis? et quid est mel, nisi quædam dulciflua crassitudo roris? In lacte intelligitur cordis dulcedo, in butyro cordis exsultatio: butyrum de lacte colligitur, et vera cordis exsultatio de vera cordis dulcedine generatur. Iuxta abundantiam benignitatis erit et abundantia iucunditatis. Si cor Christi attendimus, nihil illo dulcius, nihil illo benignius, nullum cor corde illo uberius exsultavit.* Unde c. 23. et 24. docet quod a Patre et Spiritu sancto dulcedo omnis gratiæ, consolationis et gloriæ instillata sit nostro Emmanueli, ab hora conceptionis eius.

Tropol. S. Ambr. vel quisquis est auctor libr. posterioris de Fide resurrectionis initio, Replebitur, inquit, puer Spiritu sancto, cuius doctrina nobis melle et favo est dulcior: melle enim sapientiæ est symbolum, Prov. 24. v. 13. lac innocentiæ. Unde Homerus viros iustos vocat γαλακτοφάγους, id est lacte vescentes, teste Clemente Alexandr. l. 1. Pædag. 6. Et id mystice innuitur hic v. 22. teste Chaldæo, hoc est quod ait Christus Matth. 11. 28. et seq. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*

Pulchre S. Bern. serm. 2. de Advent. In hac, ait, ove, scilicet Christo, reperies naturam dulcem, naturam bonam; et bonam valde quasi butyrum, non autem coagulum aut caseum peccati. Sic et Christus est apis quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum; unde et ad Nazareth quæ interpretatur flos, ad florem virginitatis Mariæ advolavit, nobisque tantum mel misericordiæ attulit, sed aculeum impiis in die iudicii reservavit.

Mel et lac olim in baptismo dabantur, cur?

Hac de causa olim recens baptizatis, et alba veste indutis dabatur lac et mel (idem etiamnum faciunt Æthiopes, ut patet ex eorum Rituali tom. 4. Biblioth. SS. Patrum) ut significaretur primo, eorum infantia in Christo; secundo, vitæ Christianæ suavitas; tertio, humilitas et mansuetudo infantilis. Unde et primo Sacro quod ipsi audiebant, scilicet sabbato Dominicæ in albis, recitabatur illa epistola B. Petri: *Quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite.* Ita Tertull. l. 1. contra Marc. 14. *Mellis*, inquit, *et lactis societate suos infantat creator Deus*; et libr. de Corona milit. c. 3. *Inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus.* Ita et S. Hieronym. in cap. 55. Isaiæ. Hinc et S. Agnes dicebat: *Mel et lac suscepi ex ore eius.*

Denique Origen. hom. 2. in hæc Isaiæ verba, *Emmanuel*, inquit, *butyrum et mel manducat, et quærit ab unoquoque nostrum butyrum manducare. Quomodo a singulis nostrum butyrum quærit et mel, sermo edocebit. Opera nostra dulcia, sermones nostri suavissimi et utiles, mella sunt, quæ manducat Emmanuel, quæ manducat iste qui natus est de virgine. Si vero sermones nostri amaritudine pleni sint, ira, animositate, molestia, turpiloquio, vitiis, contentione, dedit in os meum fel, et non comedit ab his sermonibus Salvator. Comedet autem Salvator de sermonibus qui sunt apud homines, si fuerint sermones eorum mel. Approbemus hoc de Scripturis: Ecce sto ad ostium et pulso: si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum, et cœnabo cum illo, et ille mecum. Igitur ipse pollicetur se ex nostris cœnaturum nobiscum esse: certum est autem, quia et nos cum illo cœnamus, si cœnemus illum. Comedens quippe de nostris bonis sermonibus, operibus et intellectu, repascit nos suis escis spiritualibus, et divinis, et melioribus. Propterea, quia beatum est suscipere Salvatorem, apertis ostiis principalis cordis nostri, præparemus ei mella, et omnem cœnam eius, ut ipse nos ducat ad magnam cœnam Patris in regno cælorum, quæ est in Christo Iesu, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

Calvinus Christi infantiæ adimit usum rationis.

Ut sciat reprobare malum.) Calvinus hic ex hoc versu et sequenti contendit, animam Christi tempore infantiæ caruisse usu rationis atque intelligentiæ. *Et de hac*, ait, *Christi ignorantia testatur Lucas*, dum ait: *Et proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. Oportuit ergo ipsum, ad tempus similem esse pueris infantibus, ut quoad humanitatem intelligentia destitueretur.* Calvino consentiunt Bucerus et Wittakerus.

Refellitur.

Verum hic error refutatur primo, ex Ieremia cap. 31. v. 22. *Fœmina*, ait, *circumdabit virum.* Fuit ergo Christus in utero vir non mole corporis, sed sapientia et gratia. I.

Secundo, ex Isaiæ cap. 9. 6. ubi parvulus hic vocatur, *Admirabilis, consiliarius*; et, ut Septuag. vertunt, *magni consilii Angelus.* Et cap. 11. 1. *Egredietur*, ait, *virgo de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, etc.* Flos ascendens ex virga est Christus nascens ex Virgine: super florem ergo, non tantum super fructum, hoc est super Christum infantem, non virum tantum, requievit spiritus sapientiæ. II.

Tertio, ex S. Paulo Hebr. 10. vers. 5. *Ingrediens*, ait, *mundum dicit*, utique Christus Iesus in die et hora qua III.

Verbum caro factum est: *Hostiam, et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio.* Demum subiungit Apost. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Ergo Christus ab initio suæ incarnationis habuit actum rationis et voluntatis, quo se suamque mortem obtulit Patri pro hominum redemptione. Rursum primo instanti conceptionis Christi, inhabitavit in eo *plenitudo divinitatis corporaliter*: ergo et tunc *omnes thesauri sapientiæ et scientiæ* (in eo fuerunt) *absconditi*, ut ait idem Apost. et S. Lucas cap. 2. 40. *Puer*, ait, *crescebat, et confortabatur plenus sapientia.* Hæc enim plenitudo sapientiæ, æque ac gratiæ et gloriæ debebatur ei ex vi unionis hypostaticæ cum Verbo, ex eaque quasi naturaliter manabat.

IV. Quarto, S. Ioannes Bapt. in utero sauctificatus pollebat usu rationis: unde et *exultavit infans in utero,* mox ut B. Virgo salutavit matrem Elisabeth de quo canit Ecclesia:

Ventris obstruso recubans cubili
Senseras regem thalamo manentem ;
Hinc parens nati meritis uterque
Abdita pandit.

Quod datum est Ioanni, non datum est Christo?

V. Quinto S. Hieron. hic: *Adhuc,* ait, *pannis involutus, et butyro pastus ac melle, habebit boni malique iudicium, ut per hæc verba noscamus, infantiam humani corporis divinæ non præiudicasse sapientiæ.* Ita et cæteri Patres, Interpretes, et Doctores Scolastici cum S. Thoma, qui præter scientiam divinam, quam Christus habuit qua Deus, eidem qua homo fuit, in primo incarnationis instanti duplicem tribuunt scientiam: primo, beatificam, puta visionem Dei et rerum omnium in Deo; secundo, infusam, qua extra Deum per lumen infusum omnia cognoscebat: addunt tertiam, acquisitam, qua Christus per experientiam didicit expertusque est eadem, quæ iam sciebat per scientiam infusam. Vide D. Thom. et Scholast. 3. p. q. 10. 11. 12. Et de hac tertia loquitur hic Isaias et S. Lucas. Sensus ergo est, *ut sciat reprobare malum, etc.* q. d. Quod ironice dictum est Adæ post peccatum Genes. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum,* id de Emmanuele vere dicetur.

Secundo, S. Hier. Haymo et S. Thomas vocem *ut* accipiunt pro *quamvis*, q. d Hic puer erit sapientior aliis pueris, scietque reprobare malum, et eligere bonum; et quamvis erit talis, tamen more aliorum butyrum et mel comedet. Huc accedunt Vatabl. et Adamus, qui τὸ *ut* accipiunt comitanter, q. d. Hic puer ita comedet quasi infans mel ut tamen simul sciat reprobare malum; erit enim verbum infans puer sapiens. Sed Hebr. *lamed* significat *ut*, non *quamvis*.

Tertio, S. Thomas τὸ *ut* accipit causaliter et antecedenter, q. d. Hic puer comedet ut crescat ad adultam ætatem, in qua per experientiam discet et sciet reprobare malum, et eligere bonum, quod antea tantum sciebat per scientiam infusam. Unde Sept. pro *ut* vertunt, *antequam sciat etc.*

Quarto et planissime. Sanchez *ut* accipit pro *usque dum*, unde Chaldæus vertit *donec*: hoc enim significat Hebr. ל *lamed* in לדתו *ledato*, q. d. Emmanuel vescetur infantilibus cibis, melle et butyro, usque dum in illam ætatem crescat et adolescat, qua pueri solent sapere et discernere inter bonum et malum, q. d. Non tantum nascetur Emmanuel, sed et nutrietur ac crescet ut alii pueri ad adultam ætatem.

Morale voluptas est mala, quia Christus eam sprevit.

Moraliter, S. Bernardus ser. 3. de Nativit. hinc infert: Malum ergo est voluptas corporis, sic et laus, et honor: bonum vero est afflictio, contemptus et opprobria: quia hæc elegit, illa reprobavit puer sapiens, Verbum infans. Aut enim Christus fallitur, aut mundus errat: sed divinam Sapientiam falli est impossibile; errat ergo mundus, errant ergo omnes mundi et vanitatis sectatores, iuxta illud Psalmi: *Dixi: Semper hi errant corde.* Christus vero, qui est via, veritas, et vita, docet verbo et exemplo quid vere sit bonum, quid malum, quid fugiendum, quid amplectendum ut beatam vitam assequamur. Utinam hoc digne uti par est ponderent, cordi imprimant et moribus exprimant omnes Christiani! In hoc enim discursu eiusque praxi latet medulla sapientiæ Christianæ. Ratio est, quia voluptas concupiscentiam naturæ corruptæ accendit, crux exstinguit.

QUIA ANTEQUAM SCIAT PUER REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM, DERELINQUETUR TERRA QUAM TU DETESTARIS.) Vers. 16.
Tὸ *quia* iuxta secundum sensum datum vers. 14. exponendum est per *quod;* secundum vero primum sensum exponendum est per *sane, certe, verum, enimvero:* hoc enim sæpe significat Hebr. כִּי *ki*, q. d. Verum enimvero ut confirmem promissionem meam de liberanda Ierusalem a manu Rasin, insuper assero et promitto, quod antequam puer iste nascatur et adoleseat, ipse qua Deus est liberabit Ierusalem et Iudæos a duobus regibus, quos tu, o Achaz, adeo perhorrescis, imo terram et regnum eorum per Assyrios omnino desolabit. Ita S. Hier. et Haymo: vide dicta v. 14. redit enim Isaias a Christo puero ad sua tempora. Rursum *quia* innuit causam cur vocandus sit puer hic Emmanuel, id est, nobiscum fortis, quia scilicet duos reges, et regna hostilia fortiter debellabit et desolabit.

Mystice, Richardus de S. Victore part. 1. l. 2. de Emmanuel c. 18. antequam, ait, puer per experientiam sciat non solum mala reprobare, verum etiam bona eligere, et inferioribus bonis sepositis optima apprehendere, antequam, inquam ad cælos ascendat, *derelinquetur terra,* id est regnum diaboli et angelorum eius in terra destruetur: hoc enim fecit Christus in passione, illud in ascensione.

A FACIE DUORUM REGUM SUORUM.) Id est a duobus regibus suis, vel propter scelera duorum regum suorum derelinquetur eorum terra. Secundo, Vatabl. refert hæc ad *detestaris*, q. d. *A facie*, id est propter duos reges qui te obsidere et exscindere cogitant, tu o Achaz, eorum terram et regnum detestaris. Loquitur de strage Rasin et Phacee. Rasin enim ab Assyriis, Phacee ab Osee præfecto suo et successore occisus est, ut patebit c. 8. Secundo, nove (sed proprie ad Christi tempus) R. P. Ioan. Deckerius insignis Chronologus æque ac Theologus, et meus olim Lovanii collega, per regem Samariæ intelligit Herodem; per regem Syriæ, Obodam; sub his enim regibus natus est Christus, eosque adhuc infans regno et vita spoliavit. Herodes enim misere mortuus est, et vix quindecim mensibus vixit post natum Christum: Oboda obiit paucis mensibus ante Herodem, teste Iosepho lib. 16. v. 19. et Strabone lib. 16. Geograph. Unde signanter inquit: *Derelinquetur terra a facie regum*, non istorum, scilicet Rasin et Phacee, sed *suorum* (vel ut Symmachus, Aquila, Theodotiou et Chaldæus vertunt, *ipsius*) scilicet Herodis et Obodæ, quorum typus et antecessores fuerunt Phacee et Rasin. Hi enim reges, ac præsertim Herodes, fuerunt hostes Iudæorum, conatique sunt regiam stirpem Davidis et Achaz exstinguere. Quocirca Herodes licet Iudææ et Hierosolymæ quoque rex esset, vocatur tamen rex Samariæ tum ab Isaia, tum ab Appiano Alexandr. libr. 5. Bellor. civil. eo quod esset alienigena, et Iudæorum tyrannus et hostis, uti patuit tum in infanticidio SS. Innocentium, tum in crudeli illo decreto quo moriens iussit primores Iudæorum in circo conclusos occidi, ne Iudæi in morte eius gauderent, sed cogerentur vel inviti plorare ob suorum stragem. Sensus ergo est, q. d. Hi reges, ac præsertim Herodes sataget Iudææ regnum a tua, o Achaz, stirpe ad se tranferre, tuosque posteros evertere, sed ecce Emmanuel ex te nasciturus, adhuc infans celeriter eum evertet, et pediculari morbo interimet, itaque regnum Iudææ ad se tuamque stirpem revocabit, augebit et illustrabit. Alludit ergo Isaias ad Herodis infanticidium, asseritque quod Emmanuel infans infanticidam Herodem, a quo quærebatur ad necem superabit et occidet. Hunc sensum quoque esse litteralem, patebit c. 8. v. 4.

Ubi Nota, apte Phacee fuisse prodromum et typum Herodis: uterque enim fuit maleficus et iniustus: armis u-

terque optimus, moribus pessimus: tyrannico ambo præditi ingenio; concussionibus et rapinis suorumque civium viscerationibus assueti: ambo inexplebili dominandi cupidine laborantes contra dominos suos insurrexerunt. Phacee contra Phaceia regem Israeleum occidendo; Herodes non tantum contra Christum, sed et contra Hyrcanum regem suum et pontificem, a quo dux Galilææ fuerat creatus, et cuius neptem Mariamnem coniugem duxerat: per quam postea accessus illi fuit ad regnum Iudææ. Sed homo ingratissimus et crudelissimus hanc coniugem suam, eiusque matrem Alexandram, duosque filios a se ex ea susceptos, quos annuente Augusto Cæsare regni statuerat hæredes, Alexandrum et Aristobulum interemit. Alterum quoque Aristobulum Mariamnes fratrem aquis præfocavit. Rursum Antipatrum, filium suum quinto ante mortem suam die interfecit. Taceo SS. Innocentes, et alios innumeros, quos vario supplicio, ferro, veneno, laqueo sustulit. Simili modo Phacee occidit de Iuda 120. millia die uno, cepit ducenta millia mulierum et puerorum, ac infinitam prædam abduxit in Samariam, 2. Paralip. 28. 6.

Sic Rasin rex Damasci prædationibus assuetus, elatus victoriis, Hierosolymæque inhians, typus fuit Obodæ regis Damasci, qui Arabiam fecerat latronum receptaculum, qui effusi per agros Iudæam assidue infestabant. Quin et Aretas Obodæ in regno successor Iudæis infestus fuit. Rursum sicut rex Assyriorum cæso Rasin et Phacee, occupavit regnum Damasci et Samariæ: ita mortuo Oboda et Herode, Augustus Cæsar utriusque regnum quasi spolium occupavit, et ad se revocavit; unde et Samaria Sebaste in honorem Augusti est appellata: et licet Augustus regnum Herodis inter filios eius diviserit, regum tamen nomen et ius eis ademit. Sic in Syria diu noluit ut Obodæ Aretas succederet: tandem tamen ei regnum hoc concessit. Hic est ille Aretas, cuius præfectus Damasci S. Paulum comprehendere voluit, cum ille per sportam e muro demissus manus eius evasit, 2. Cor. 11. 32.

Ex dictis liquet, illud Patriarchæ Iacob vaticinium Genes. 49. 9. litteraliter de Iuda, allegorice de Christo editum: *Catulus leonis Iuda: Ad prædam, fili mi, ascendisti;* non ad virilem tantum Christi spectare ætatem sed etiam infantilem. Nam agnus ipse anniculus cornua producens et ungulas, leonem et ursum occidit, et exemplo patris sui David de ore illorum prædam extorsit. Sagittæ parvuli factæ sunt plagæ illorum, quarum indignatio ebibit spiritum ipsorum. Denique completum est oraculum Michææ 4. v. 13. *Cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas, et comminues populos multos, et interficies Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ.*

Secundo, liquet, falso Calvinum hæc Isaiæ verba sic interpretari: *Priusquam pueri qui mox nascituri sunt adolescant, utrumque regnum Samariæ et Damasci suis est privandum regibus.* Neque enim adolescentiam, quæ late evagatur, suæ prædictionis limitem figit Propheta, sed infantiam, et antequam Emmanuel verba sonare possit articulata.

Tertio, liquet, falli Eusebium qui putat hic prædici a Propheta, quod Damascus et Samaria paulo ante Christi ortum sublatis regibus relinquentur desertæ et sine rege. Nam constat Christo nascente Herodem regnasse in Samaria, Obodam in Damasco, et post Obodam Aretam.

Vers 17. ADDUCET DOMINUS SUPER TE.) Hic transit Propheta a Rasin et Phacee ad Achaz et Iudæos, eorumque incredulitatem et scelera pari excidio plectit, iuxta illud quod eis v. 9. comminatus est, *Si non credideritis, non permanebitis.* Sensus ergo est, q. d. Prædixi excidium Syriæ et Samariæ per Assyrios; nunc idem tibi, o Iuda, prædico, scilicet quod adducet Dominus super te dies inauditæ ultionis, quales non es experta in tot cladibus, quot passa es a tempore quo Ephraim, id est, decem tribus sub Ieroboam se a te separarunt: *adducet*, inquam, *cum rege*, id est, per regem, *Assyriorum* (est hyperbaton: τὸ enim *cum rege Assyriorum*, referendum est ad *adducet*) quem tu ipse tibi in flagellum ascivisti; cum enim pressus a Syris et Samaritis, non Dei sed eius opem implorasti, ipse videns fertilitatem tuæ terræ, illa inescatus, eidem inhiare cœpit, tandemque invasit et occupavit.

Per regem Assyriorum accipe Sennacherib, vel Nabuchodonosorem, qui eversa Ninive factus monarcha, Assyriis æque ac Babyloniis dominabatur: et Babylonii vicini erant Assyriis, eisque permisti: unde a multis eadem ponitur monarchia Assyriorum et Babyloniorum, et utrique Iudææ opibus degustatis, illis inhiarunt. Ita S. Hier.

SIBILABIT DOMINUS.) q. d. Sicut sibilo convocatæ ab apiariis muscæ et apes celeriter advolant, sic et hic ad imperium, id est, nutum et instinctum, Dei volentis punire Iudæos, statim quasi lictores accurrent Ægyptii et Assyrii. Sibilo tantum Dei erit opus ut advolent in Iudæam. Vers. 18. Sibilus Dei quid?

Nota primo, sibilum hunc Dei non fuisse revelationem aliquam peculiarem Assyriis et Ægyptiis factam, sed tantum internum stimulum et inspirationem Dei, excitantis scilicet eos ut bello peterent Iudæos, si iuste id poterant, puta si iustam belli habebant causam: sin autem, obiicientis tantum eis paratis quosvis invadere (ad augendos suos fines et opes) Iudæos, quasi facile a se subiugandos, idque verisimilius est. Vide can. 36.

Nota secundo, Ægyptios vocari *muscas:* primo, ob vocis absonæ stridorem; secundo, ob impudentiam; tertio, quia instar muscarum fœtidi erant et immundi; quarto, quia instar muscarum crescebant et multiplicabantur: Ægyptios enim naturaliter valde fœcundos esse docet Aristoteles l. 7. Histor. animal. cap. 4. quinto, quia Ægyptus, utpote calidissima regio, in qua vix umquam pluit, scatet muscis et culicibus. *Apes* vero vocat Assyrios, primo, quia potentes erant sagittis, uti apes suis aculeis. Ita S. Hieron. Secundo quia instar apum auratis armis et variegatis vestibus conspicui erant. Ita Cyrill. Tertio, quod in bellis et actibus suis instar apum seduli essent, industrii, laboriosi et constantes. Ægyptii vocantur muscæ, Assyrii apes, cur?

Nota tertio. Loquitur hic Propheta tum de bello Pharaonis Nechao, quo in punitionem idololatriæ Manassis regis cæsus est Iuda et Iosias rex Manassis nepos, 4. Regum 23. tum de Sennacherib contra Iudæos expeditione.

ET VENIENT, ET REQUIESCENT OMNES IN TORRENTIBUS VALLIUM.) Persistit in metaphora muscarum et apum, quæ ita obsident valles et torrentes, ut omnia corrodant et fœdent: sic Ægyptii et Assyrii omnia in Iudæa populati sunt. Vers. 19

IN DIE ILLA RADET DOMINUS (pergit idem dicere alia metaphora) IN NOVACULA CONDUCTA IN HIS.) Est appositio, q. d. In novacula mercede conducta, quæ non est alia quam hi qui degunt trans flumen Euphratem, puta Assyrii cum rege suo. Vers. 20.

Nota. Sennacherib cum Assyriis vocatur *novacula mercede conducta;* quia ipse spoliorum et regnorum, ad quæ punienda et vastanda mittebatur a Deo quasi conductus, levissime quasi tonsor usque ad cutem abrasit omnia, quæ Iudæis et aliis gentibus saluti et honori erant, quæ pilorum nomine significantur; imo totum corpus politicum, puta *caput*, id est, principes; et *barbam*, id est, sacerdotes et consiliarios; ac *pedes*, id est, artifices et vilem plebeculam Iudææ, abrasit et abstulit, ait Cyrillus. Ita Ægyptus Nabuchodonosori a Deo data est pro mercede Tyri ab eo expugnatæ, ut patet Ezech. 29. v. 18. et 19. Pro *conducta* Septuag. vertuut μεμεθυσμένῳ id est *inebriata*, scilicet pilis, hoc est spoliis hostium: legerunt enim שכירה *scechira* per *scin:* Noster vero et alii legunt per *sin*, tumque significat *mercedem conductam*, quæ vox notat Dei clementiam, quod scilicet misericors Deus non alat domi istos lictores, sed aliunde conductos accersat, ut faciant opus suum: nam ut ait Isaias cap. 28. v. 21. *alienum* est hoc *opus eius ab eo. Deus* enim *mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent omnia: et sanabiles* (salutiferas) *fecit nationes* (creaturas) *orbis terrarum: et non est illis medicamentum exterminii* (venenum exterminans et mortiferum) *nec inferorum regnum in terra*, Sap. 1. 13. Assyrii fuerunt novacula.

Nota secundo. Tonsio et rasio capillorum erat signum

Tonsio signum fuit servitutis. servorum et servitutis, in quam a Chaldæis redigendi erant Iudæi. Unde Aristophanes ait: *Servus cum sis, comam nutris?* et Pomponius Lætus de triumpho Diocletiani: *Consuetudinis*, ait, *fuit liberatos e captivitate currum triumphantis sequi abraso capite, in argumentum præcedentis servitutis.* Sic T. Flaminii qui de Macedonia triumphavit, currum duo millia Romanorum captivorum quos libertate donaverat, capitibus rasis sequebantur. Sic et S. Petro Antiochiæ prædicanti caput ab improbis abrasum fuit ad ludibrium, quasi homo esset vilis et servilis conditionis, teste Beda in histor. Anglorum. Quod Ecclesia vertit in honorem et decus: iussit enim sacerdotes et Religiosos caput radere, et comam rasam gestare, quasi diadema regni divini et cælestis: hoc est enim *regale sacerdotium* Christi et Christianorum, ut ait S. Petrus epistol. 1. cap. 2. 9.

Porro Rabbini hunc capite et barba rasum, accipiunt ipsum Sennacherib, de quo hanc historiam vel potius fabulam narrant, quam refert S. Hieron. in Quæst. in l. 2. Paral. c. 32. *Tradunt*, inquit, *Hebræi illi* (Sennacherib) *caput et barbam rasam ab Angelo in ignominiam, et hoc fuisse quod per Isaiam dictum est: In illa die radet novacula acuta in rege Assyriorum caput et barbam, etc. Quem cum eadem ignominia pervenisse ad templum Dei sui Hesroch, quem dicunt in reliquiis arcæ Noe culturam habuisse. Cum ergo quæreretur deprecans, cur se non adiuvisset, qui etiam filios suos Adramelec et Sarasar sibi offerret, si hoc ille votum duceret; illi hoc audientes post tot clades, ruinas et ignominias, timentes ab eo interfici, interfecerunt eum.*

Vers. 21. NUTRIET HOMO VACCAM.) q. d. In hac vastatione Babylonica tanta erit hominum paucitas, ut divites olim iam vix unam vaccam et duas oves sint habituri: tanta quoque eorum erit paucitas, ut integræ familiæ lac unius vaccæ et duarum ovium, non tantum sufficiat ad potum, sed et ad butyrum ac cibum; præsertim quia agris desertis et incultis omnia vertentur in germina et pabula pecorum, quibus pastæ vaccæ et turgidæ copiosum dabunt lac, in- A deque butyrum. Ita S. Hieron. et Cyrillus.

BUTYRUM ENIM ET MEL, quæ terra inculta ultro quasi fundit, MANDUCABIT OMNIS QUI RELICTUS FUERIT.) Non triticum, non hordeum, etc. quæ terra non profert nisi colatur et seratur, q. d. Terra tunc erit omnino deserta, ac proinde homines non tritico, sed lacte et melle victitabunt. Vers. 22.

OMNIS LOCUS UBI FUERINT MILLE VITES, MILLE ARGENTEIS, IN SPINAS ET IN VEPRES ERUNT.) q. d. Vineta, quia a vepribus et spinis occupabuntur, tam vili erunt pretio, ut vinea uno emenda sit argenteo, id est, ut Sept. siclo, et mille vineæ mille argenteis. Ita Cyrillus. Vers. 23.

Secundo, et melius, q. d. Agri olim adeo feraces, ut singulæ vites, id est, vitium annui proventus, singulis æstimarentur argenteis, et mille vites mille argenteis, redigentur in spinas et vepres. Ita Forer. et Sanchez.

CUM SAGITTIS ET ARCU.) q. d. In hosce saltus desertos, in hæc non iam vineta, sed vepriceta et senticeta, ob feras et prædones nemo ingredi audebit, nisi bene armatus. Vers. 24.

B ET OMNES MONTES, QUI IN SARCULO SARRIENTUR. etc.) q. d. Valles et agri uberes deserentur, fugientque homines metu hostium cum pecoribus ad munitos natura montes, eosque non aratro, ut olim agros, sed sarculo sarrient, id est, a spinis et vepribus purgabunt ut possint seminari et coli, aut sint in pascua: inde spinæ non erunt illis terrori, etiamsi ab eis pungantur et lædantur, quia necessitas et fames coget eos non curare has puncturas: et tamen post omnem hunc eorum laborem, illa boves depascentur, et conculcabunt pecora. Ita S. Hieron. Vers. 25.

Secundo et aptius Sanchez, q. d. Montes olim vitiferi, qui non aratro, sed sarculo proscindebantur, quique sedulo a domino spinis circumcirca quasi sepe cingebantur et defendebantur, disiectis iam ab hoste spinis et sepe, nemini erunt terrori, quo minus eo libere quivis irrumpat: unde boves in illa quasi pascua irruent, ab eisque et aliis pecoribus conculcabuntur.

Nota hebraismum: *et omnes montes, etc. non veniet illuc*, hoc est, non veniet ad omnes montes.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur partum virginis prophetissæ, et ortum Emmanuelis. Unde in libro iubetur scribere eius nomen: Velociter spolia detrahe, Festina prædari. Secundo, v. 6. incredulis minatur Assyrios, quos tamen paulo post perituros denuntiat. Tertio, v. 11. monet ne timeant coniurationem Rasin et Phacee, sed Deum exercituum. Quarto, v. 19. illis qui non Deo, sed pythonibus credunt, eosque consulunt, exitium comminatur.

1. ET dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe, cito prædare.
2. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ:
3. Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere, Festina prædari.
4. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum,
5. Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens:
6. Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ:
7. Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam eius; et ascendet super omnes rivos eius, et fluet super universas ripas eius.
8. Et ibit per Iudam, inundans, et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.
9. Congregamini populi, et vincimini, et audite universæ procul terræ: confortamini, et vincimini, accingite vos et vincimini:
10. Inite consilium, et dissipabitur: loquimini verbum, et non fiet: quia nobiscum Deus:
11. Hæc enim ait Dominus ad me: Sicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi huius, dicens:
12. Non dicatis, coniuratio: omnia enim quæ loquitur populus iste, coniuratio est: et timorem eius ne timeatis, neque paveatis.
13. Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester.
14. Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel: in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem.
15. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.
16. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.
17. Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Iacob, et præstolabor eum.
18. Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.
19. Et cum dixerint ad vos: Quærite a pytonibus, et a divinis, qui strident in incantationibus suis: Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis?
20. Ad legem magis, et ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.
21. Et transibit per eam, corruet, et esuriet: et cum esurierit, irascetur, et maledicet regi suo, et Deo suo, et suspiciet sursum.
22. Et ad terram intuebitur, et ecce tribulatio et tenebræ, dissolutio et angustia, et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua.

Vers. 1 SUME TIBI LIBRUM GRANDEM.) Iubet Deus Isaiæ, ut grandi membrana in cylindrum convolvibili (tales enim erant veterum libri: unde alibi vocantur volumen) scribat magnis literis hæc quinque verba, *Velociter spolia detrahe, cito prædare,* idque

STYLO HOMINIS.) Id est, calamo, seu graphio, ac consequenter charactere et litteris apud homines usitatis, hoc est aperte et clare, ita ut ab omnibus legi et intelligi possint. Unde Chaldæus vertit, *scripturam claram,* idque primo, ut hæc scriptura sit publicum testimonium prophetiæ et promissionis huius, quo illa, si falsa deprehendatur, mendacii convinci possit; sin vera inveniatur, uti certo invenietur, quo illa apud omnes auctoritatem, celebritatem et venerationem obtineat.

Secundo, ut illa futuris sæculis, imo æternitati transcribatur. Hæc omnia non reipsa, sed per visionem facta sunt, uti mox patebit: quæ tamen visio publice omnibus proponenda, et posteritati per Isaiam in hoc libro et capite consignanda erat: et hoc symbolice significabat stylus hominis et testes adhibiti, etc.

VELOCITER SPOLIA DETRAHE, CITO PRÆDARE.) Huius scriptionis causam et mysterium Isaias explicari sibi audiet vers. 3. et 4. nam vers. 3. vidit hoc fore nomen pueri nascituri, idque ob causam quam audiemus v. 4.

Vers. 2. ET ADHIBUI MIHI TESTES.) Scilicet scripturæ vel potius accessus ad prophetissam, de quo sequitur, idque ut per testes authentice hæc omnia conscriberem et consignarem futuris sæculis. Testes hi quoque non revera, sed per visionem ab Isaia adhibiti sunt, uti ostendam v. 3.

Testis Zacharias. URIAM SACERDOTEM, ET ZACHARIAM FILIUM BARACHIÆ.) Fuerunt hi testes viri graves et omni exceptione maiores, imo videntur fuisse Prophetæ, quibus idem revelatum sit quod hic Isaiæ revelatur, quique idem prophetarunt de Christo. Unde per visionem ostensi hic sunt Isaiæ, uti et sequentia: sicut in transfiguratione Christi testes fuerunt Moses et Elias, ut significaretur legem et Prophetas attestari Christo, in eoque terminari. Ita S. Cyrillus et Basilius. Urias enim, utpote sacerdos, erat legis doctor instar Mosis; Zacharias erat Propheta instar Eliæ.

Quisnam fuerit hic Urias, uti et Zacharias, incertum est. Aliqui volunt hunc Zachariam esse eum, qui est ultimus inter Prophetas minores: uterque enim fuit filius Barachiæ: et ille, æque ut hic, Messiæ ortum et redemptionem hominum, licet diu post Isaiam (scilicet post ducentos annos, prophetavit enim post solutam captivitatem Babylonicam) exsultanter prædixit, de quo mox plura.

S. Hieron. vero putat hunc Zachariam esse sacerdotem illum, qui cum aliis sub Ezechia domum Dei ab Achaz pollutam expiavit 2. Paral. 29. v. 13. Fuit tertius Zacharias filius Ioiadæ, sed hic a centum annis erat mortuus, occisus a Ioas rege, qui fuit avus Oziæ. Denique potuit esse alius nobis incognitus, cognitus tamen et famosus tempore Isaiæ: qui patrem habuerit nomine Barachiam, æque ut ille ultimus Prophetarum.

Et Urias, quis? Porro Urias hic nonnullis fuisse videtur sacerdos summus, tum quidem vir fidelis, qui tamen post hanc prophetiam, puta post expugnatam ab Assyriis Damascum, metu Achaz regis, eius iussu erexit aram idolis ritu Damascenorum et Gentilium, 4. Reg. 16. Verum quomodo Deus talem, tamque levem, timidum et inconstantem vocasset et adhibuisset ad res tantas, ut testem fidelem, qui tam infidus fuit Deo, tamque facile a fide Dei ad idola deflexit?

Alii forte verisimilius censent hunc Uriam esse Prophetam illum, qui diu post Isaiam vixit tempore Ieremiæ, et prædixit multa mala eventura duabus tribubus, ideoque occisus est a Ioakim rege, uti testatur Ieremias c. 26. 20. Iidem putant Zachariam filium Barachiæ, alterum Isaiæ testem, esse Zachariam qui est ultimus inter minores Prophetas, de quo paulo ante dixi. Cum enim hi testes per visionem sint exhibiti Isaiæ, non mirum si needum nati, sed nasciturи citentur: Deo enim præsentia sunt quæcumque futura sunt. Idque fecit Deus primo, ut Isaias hoc vaticinio prophetiam futuram Uriæ et Zachariæ, et hi

A vicissim suis oraculis Isaiæ prophetiam iam præteritam confirmarent. Secundo, quia hæc prophetia Isaiæ duo præcipue complectitur, scilicet calamitates imminentes Iudæis, quas copiose Urias prædixit, et futuram liberationem per adventum et nativitatem Messiæ, quem lætanter cecinit Zacharias c. 2. 10. *Lauda et lætare, filia Sion,* et c. 9. 9. *Exulta satis, filia Sion.* Hæc est sententia S. Chrys. Procopii, Chaldæi, R. Akibæ apud Galatin. l. 7. c. 16.

ET ACCESSI AD PROPHETISSAM, ET CONCEPIT.) Rabbini, quos sequitur Richardus Victor. lib. 1. de Emmanuele cap. 8. S. Thomas, S. Chrysost. Sixtus Senensis, Vatabl. Isidorus Clarius, Forerius et Montanus, *prophetissam* hanc intelligunt uxorem Isaiæ, ad quam accesserit Isaias eam cognoscendo, quæ inde concepit et peperit filium, cui Isaias pater nomen imposuit, *Accelera spolia detrahere, Festina prædari:* ut hic filius suo nomine Iudæis portenderet, brevi spoliandam et prædæ Assyriorum exponendam esse Syriam ac Samariam, uti prædixit Isaias c. præc. v. 16. Unde de eo subdit: *Quia antequam sciat puer* Vers. 3. Prophetissa quæ?

B *vocare patrem, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ,* q. d. Antequam puer hic sit trium vel quatuor annorum ut possit fari, et vocare patrem ac matrem, Assyrii spoliabunt Syriam et Samariam. Id ita accidisse probant, quod hæc prophetia edita videatur in principio regni Achaz, qui regnare cœpit anno 17. Phacee regis Israel: Phacee autem tantum 20. annos regnavit, et in fine regni Phacee Theglatphalasar rex Assyriorum multas urbes Samariæ vastavit, earumque incolas transtulit in Assyriam, 4. Reg. 15. 29. Ergo vastari cœpit Samaria, cum hic Isaiæ filius needum explesset triennium. Achaz enim cum Phacee tantum triennium regnavit.

Porro hunc Isaiæ filium asserunt fuisse typum Christi Emmanuelis nostri, qui cito spoliavit regnum diaboli: ideoque matrem huius filii vocari prophetissam: tum quia erat uxor Prophetæ Isaiæ; sicut olim uxor Episcopi, vocabatur Episcopa; presbyteri, presbytera: diaconi diaconissa, quæ scilicet eius ante ordinationem fuerat uxor:

C nam post ordinationem Episcopi, presbyteri et diaconi uxore abstinere, et cœlibes iuxta Canones vivere debebant: tum quia uxor hæc erat pia et orationi addicta, et forte assumpta ex cœtu virginum quæ Deo serviebant in templo, sicut ex eodem Ioseph accepit coniugem B. Mariam: tum quia forte vere habuit spiritum propheticum: tum denique quia typus fuit B. Virginis, quæ vere fuit prophetissa. Huic expositioni favet illud quod ait Isaias v. 18. *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel:* tam enim Sear Iasub, quam hic alius Isaiæ filius suo nomine *Accelera spolia detrahere*, fuit portentum, et prophetavit excidium Israelis.

Verum S. Hieron. Cyrill. Basil. et Chaldæus hic, R. Haccados apud Galatinum lib. 7. c. 18. Procop. Rupert. S. August. 17. Civit. c. ult. Epiphan. hæres. 78. Euseb. l. 7. Demonstr. c. 2. Ambros. in c. 1. Lucæ ad v. 41. et 44. et passim alii veteres ac recentiores hunc sensum ut crassum et Iudaicum, imo spurcum et obscœnum, æque ac Calvinianum reiiciunt, atque hunc locum explicant de Fuit B. Virgo.

D conceptione Virginis et partu Emmanuelis. Primo, quia de Virgine et Emmanuele uti cœpit c. præced. ita agere pergit hoc c. et seq.

Secundo, quia v. 8. hunc puerum vocat *Emmanuel;* ait enim: *Et erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.* Quæ verba filio Isaiæ competere nequeunt.

Tertio, hic puer idem est cum puero cap. præced. v. 15. et 16. nam quod ibi ait: *Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum;* hic de eodem iisdem pene verbis ait v. 4. *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.* Ille autem puer de quo cap. præced. non potest intelligi filius Isaiæ (qui tum needum natus erat, imo Isaias needum eius ullam mentionem fecerat: nam hoc c. dicitur concipiendus) sed Emmanuel sive Christus, ut patet ex eo quod imme-

diate præcedit: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel;* ergo et hoc capite non alius puer intelligi potest quam Emmanuel.

Quarto, quia Septuag. v. 4. dicunt quod hic puer spoliabit Samariam. Pro eo enim quod nos habemus *auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariæ;* ipsi vertunt, *accipiet fortitudinem Damasci et spolia Samariæ:* quod proprie soli Christo, filio Isaiæ non nisi improprie, convenire potest, hoc modo, *accipiet*, id est accipienda portendet.

Quinto, quia præcedens explicatio non satis cohæret cum verbis Prophetæ et cum historia. Nam regnum Samariæ eversum est anno 6. Ezechiæ, cum puer hic Isaiæ iampridem sciret vocare patrem et matrem: erat enim tum facile 16. annorum: cuius contrarium hic asserit Isaias. Respondent aliqui, tunc quidem eversum esse regnum Samariæ, sed longe ante cœpisse Assyrios eam deprædari, quod hic tantum prædicit Isaias. Sed contra, Isaias non tantum deprædationem, sed et interitum regni prædicit: nam c. 7. 8. expresse ait: *Adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus.*

Dico ergo cum Patribus et Doctoribus iam citatis, prophetissam hanc esse B. Virginem Deiparam, quæ non tantum prophetissa fuit, eo quod esset sanctissima et religiosissima, Dei laudibus in totum addicta, educataque in templo apud virgines Deo consecratas; sed et proprie, quia futura prædixit, uti in suo hymno *Magnificat*, prædixit illud: *Beatam me dicent omnes generationes:* quod etiam hodie ubique impleri et verificari cernimus. Secundo, fuit prophetissa, quia genuit summum orbis Prophetam, scilicet Christum. Tertio, quia in ea peractum est magnum illud pietatis sacramentum, scilicet ut virgo conciperet et pareret nobis Emmanuelem, uti dixi cap. præced. eo enim alludit. Prophetare enim in Scriptura subinde significat miracula facere, uti dixi in proœmio. Maximum autem miraculum et portentum fuit Verbum in Virgine caro factum. Prophetavit ergo B. Virgo dum concepit et peperit nobis Deum eumque sua carne induit et corporavit. Sensus ergo est: in visione ostensa est mihi prophetissa augusta virgo Maria, indicatumque est mihi ut ad eam accederem: illam enim explicaturam mihi quid esset illud quod audieram v. 1. *Scribe, Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Venerabundus ergo eam adii, salutavi, et vidi illam per obumbrationem Spiritus sancti concipere et parere Emmanuelem, cui iussus sum dare nomen illud quod audieram v. 1. *Velociter spolia detrahe, cito prædare;* in eoque completam et explicatam meam visionem vidi et intellexi.

Series et synopsis totius visionis. Ut hæc omnia melius connectantur et intelligantur, nota, omnia hæc non realiter contigisse sed per imaginationem et visionem obiecta fuisse Isaiæ. Itaque sicut cap. 6. Isaias per mentalem visionem vidit Deum in throno, et Seraphim ei acclamantes Sanctus, unumque ex eis calculo urentem labia sua: ita et hic vidit non corporaliter, sed mentaliter librum grandem, in quo visus est sibi scribere stylo hominis, *Velociter spolia detrahe*, atque mentaliter testes suæ scriptionis adhibuit Uriam et Zachariam: cumque quid hæc scriptura sibi vellet non intelligeret Isaias, innuit ei Deus ut adiret venerandam quamdam matronam ac prophetissam, quam eius imaginationi obiecit. Visus ergo est sibi Isaias eam adire, ac videre quod illa conciperet et pareret filium, cui ipse iubetur imponere illud nomen quod in libro iussus erat scribere, scilicet *Accelera spolia detrahere*: *Festina prædari*. Mox causam et mysterium in hoc nomine latens discit, dum audit, *Quia antequam sciat puer, etc.*

Symbolice, S. Hieron. et Origen. per prophetissam accipiunt Spiritum sanctum: רוח *ruach* enim, id est, spiritus, hebr. est fœminini generis. De Spiritu sancto enim conceptus et natus est Christus. Dicitur prophetissa, quia ex eo Prophetæ hauserunt et conceperunt suas prophetias, iuxta illud, *Accedite ad eum, et illuminamini.* Hic sensus est duriusculus: nec enim Spiritus sanctus concepit et peperit Christum, quod hic de prophetissa asserit Isaias. Planius Eusebius lib. 7. Demonstr. Evangel. cap. 2. censet hæc verba attribui posse Spiritui sancto, q. d. Ego Spiritus sanctus accedam ad virginem, illamque obumbrabo et fœcundabo ut pariat Messiam. Accedit huc Epiphan. hæresi 30. quæ est Ebionæorum, qui hæc accepit de accessu et ingressu Archangeli Gabrielis ad Virginem, ut ei annuntiaret conceptum et partum Messiæ ex Spiritu sancto.

VOCA NOMEN EIUS, ACCELERA SPOLIA DETRAHERE.) *Voca*, id est, prædic talem fore hunc puerum, *ut* iure sic vocari possit: nec enim de facto Christo hoc nomen, sed aliud, scilicet *Iesus*, impositum est. Vide can. 37. et 29.

Nota. Isaias iubetur vocare Christum duobus nominibus quæ idem significant, scilicet primo, *Accelera spolia detrahere;* secundo, *Festina prædari*, ut certa et magna celeritas huius prædationis significetur, q. d. Tu puer, o Christe, eris celerrimus prædator, tu citissime nos qui eramus spolia diaboli ab eo tibi detrahes, orbemque convertes et pervades quasi fulgur, uti Apelles pinxit Alexandrum Magnum fulgur manu tenentem, quia ipse celerrime, scilicet sex annis, orbem subiugavit, factusque est monarcha, q. d. Christus celeriter spoliabit et prædabitur regnum diaboli, dum ascendens in altum captivam ducet captivitatem, item regnum Damasci et Samariæ, uti sequitur. Hoc est quod de Christo ait Paulus: *Expolians principatus, et potestates, traduxit confidenter; palam triumphans illos in semetipso.* Coloss. 2. 15. Talis prædo et spoliator diaboli fuit Paulus, de quo Iacob Genes. cap. 49. 27. *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.* Secundo, hæc duo nomina innuunt quod Christus duos reges, scilicet Rasin et Phacee, rursum Herodem ac Obodam, sit vita et regno spoliaturus: denique quod idem sit bis facturus, primumque velut in signum et præludium posterioris; strages enim Rasin et Phacee fuit signum stragis Herodis et Obodæ.

Repetit nomen ob duas causas. 1. 2.

QUIA ANTEQUAM SCIAT PUER VOCARE PATREM, etc. AUFERETUR FORTITUDO DAMASCI ET SPOLIA SAMARIÆ.) Vers 4.
Septuag. vertunt: *Quia antequam sciat puer vocare patrem vel matrem, accipiet fortitudinem Damasci et spolia Samariæ*, q. d. Puer hic nasciturus ex Virgine Deipara mirus erit, existetque antequam nascatur: erit enim Deus: nam antequam sciat naturali et vulgari modo fari, ac dicere quod primo dicunt infantes, Pater mi, mater mea, ut habent Hebræa, imo antequam ex utero matris prodeat, hostes suos spoliare et prædari incipiet: nam liberabit duas tribus regi Achaz subiectas, et hostes earum, puta Rasin et Phacee, eorumque regna Damascum et Samariam perdet per regem Assyriorum. Ita S. Hieronym. Chald. Sept. et alii.

Notant exacti Chronologi, hæc de Virgine paritura Emmanuelem ab Isaia prædicta esse anno 3. Achaz, aut sub initium anni quarti: quæ autem hoc c. 8. prædicit, ad annum 4. regni Achaz præcipue pertinere, eoque compleri cœpisse. Nam ex 4. Reg. 16. et 2. Paralip. 28. constat, hoc anno 4. Theglatphalasar regem Assur Nephtalitas, magnamque Samariæ partem transtulisse in Assyrios: Phacee quoque occisus est ab Osee, qui regnum invasit, ultimusque fuit Samariæ rex, eversus eum regno a Salmanasar anno 9. regni sui, qui fuit sextus Ezechiæ. Similiter Theglatphalasar tunc cepit Damascum occiso Rasin, eiusque incolas transtulit Cyrenen. Hæc enim contigerunt anno 20. Ioatham, ut dicitur 4. Regum 15. 30. hoc est, ex quo regnare cœpit Ioatham anno 20. qui fuit Achaz annus 4. Ioatham enim 16. annis tantum regnavit, eique statim successit Achaz. Ita Hebræi in Seder Olam. Rursum Phacee occisum esse anno 4. Achaz, patet ex 4. Reg. 15. 27. ubi dicitur Phacee cœpisse regnare anno 52. Oziæ et 20. annis regnasse. Oziæ autem anno 52. successit Ioatham, qui 16. annos regnavit: ei deinde successit Achaz, cuius annus 4. fuit vigesimus et ultimus Phacee. Quare turpiter errat Calvinus, dum hic ad v. 11. affirmat, Phacee interiisse anno 12. Achaz, tuncque ei successisse Osee: nam ex dictis constat hæc ante octennium scilicet anno 4. Achaz, contigisse. Vide hic, quam celeriter impleta sit hæc Isaiæ prophetia, scilicet eodem an-

*

no, ut merito nomen Emmanuelis qui hæc patravit ab eo vocatum sit: *Accelera spolia detrahere, etc.*

Rursum hæc prophetia impleta est in Herode, et Oboda rege Damasci, ut dixi c. 7. 16. hos enim Emmanuel iam natus regno et vita deiecit. Fortitudo ergo Damasci et Syriæ sunt Herodes et Herodiani, ac Iudæi et Gentes cum Herode eumdem funem trahentes, ac Christum et Christianos persequentes. Hos enim omnes aut evertit aut subegit, suæque fidei subiecit Emmanuel, itaque Iudæos, id est, veros fideles Deum confitentes, eorum servitute et tyrannide liberavit. Quinque ergo prædationes hic prædicit Isaias.

Quinque prædæ Christi.

I. Primo, quod huius Iudææ a Rasin et Phacee liberationis, ac Samariæ Syriæque prædationis antitypo, Emmanuel recens natus Iudæam et Ecclesiam a tyrannide Herodis et Obodæ liberabit: ac prædari incipiet, cum tres Magos antea infideles duce stella ex Damasco, id est, ex Oriente, cum suis opibus et gazis, de spoliis Samariæ, id est, idololatriæ, cui in primis dedita erat Samaria, ad suas cunas et præsepe vocabit, ut illi quasi regi ac Domino suo offerant aurum, thus et myrrham, quæ prius idolis ac diabolo offerebant.

II. Secundo, Damasco et Samariæ, id est, regno diaboli, adimet parvulos innocentes, ab Herode in odium parvuli regis nati occidendos, quos ipse parvulus rex in cunis martyrii corona laureabit. Ita Ireneus lib. 3. cap. 18.

III. Tertio, parvulus hic adhuc in ulnis matris existens, Herodem fugiens, et Ægyptum ingressus, ibi idola confringet: uti eum de facto fecisse habet traditio, de qua infra cap. 19. 1. Itaque ex tunc idololatriam ex ea et ex orbe fugare et dispellere incipiet.

IV. Quarto, quod parvulus hic fidei lumen afferet pastoribus, quos per Angelum ad præsepe vocabit, item Simeoni, Annæ et aliis electis, dum præsentabitur in templo.

V. Denique, antequam nascatur, infidelitatem, peccatum et dæmonem ex multorum cordibus fugabit, per gratiam et fidem sui, quasi unius et solius mediatoris, atque Sanctos omnes tam in lege naturæ, quam Mosaica, diabolum vincere faciet per merita sua prævisa, quæ Deus in sua præscientia iam acceptavit, et remuneratus est, dando propterea gratiam iustis omnibus qui Christum præcesserunt. Ita S. Athanas. l. de Incarnat. Verbi c. 1. Vides ergo ut parvulus hic ab utero, imo ante uterum, spoliare et prædari cœperit.

Hinc patet, hos quinque ultimos sensus litterales esse: quia primario et maxime a Propheta et Spiritu sancto intenti sunt; alludunt tamen simul ad primum, eumque ut propriissimum obiter quasi perstringunt. Ita S. Cyrill. et Irenæus ac Athanas. iam citati, et Tertull. lib. 3. contra Marcion. c. 8. et lib. contra Iudæos c. 9. qui hæc omnia de Christo figurate dici, ex absurdo ita probat: *Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans, et signum belli non tuba, sed crepitaculo daturus; nec ex equo vel de muro, sed de nutricis et gerulæ suæ dorso, sive collo hostem designaturus, atque ita Damascum et Samariam pro mammis subacturus. Aliud est, si penes vos infantes in prælium erumpunt, credo ad solem uncti prius, dehinc pannis armati, et butyro stipendiati, qui ante norint lanceare quam lancinare.* Quare ipse per fortitudinem Damasci intelligit aurum, thus et myrrham, quæ Magi Christo recens nato obtulerunt. Per Samariam accipit idololatriam, quam Christus in Magis destruxit. Regem Assyriorum interpretatur diabolum, vel Herodem infanticidam. Sic et Iustinus contra Tryphon. *Herodem*, ait, *verbum propheticum regem Assyriorum appellat.* Sic et S. Epiphan. in Ancorato, S. Hieron. hic, S. Ambros. lib. 3. in Lucam, Chrysost. homil. 2. in cap. 2. Matthæi, Procop. hic, qui omnes per regem Assyriorum Herodem aut diabolum, pauci Augustum Cæsarem intelligunt: per Samariam et Damascum ac virtutem eorum, accipiunt sapientes Magos: quippe qui relicta idololatria, totos se Christo infanti Deoque devoverunt. Audi et S. August. ser. 4. de Epiph. *Puer*, ait, *accepit virtutem Damasci, illius scilicet unde Damascus præsumebat. In divitiis siquidem civitas illa secundum sæculum florens aliquando præsumpserat. In divitiis autem principatus auro defertur, quod Christo Magi suppliciter obtulerunt. Spolia vero Samariæ iidem ipsi erant, qui eam incolebant. Samaria namque pro idololatria posita est.*

Nota. Apposite regnum Damasci et Samariæ repræsentat et significat regnum peccati et diaboli. Primo, quia regna hæc erant impia et infidelia, plenaque sceleribus. Secundo, quia hæc regna erant hostilia regno Iudæ et Davidis, sive populo et templo Dei. Tertio, quia colebant idola, ac consequenter diabolum. Hic ergo erat eorum rex, imo Deus. Quarto, quia Damascus, vel, ut hebraice dicitur, דמשק *Dammesec*, idem est quod דם שק *dam sac*, id est, sanguinis saccus, uti dixi Genes. 15. 2. tale autem est regnum diaboli, qui sanguinarius est et homicida ab initio, atque ut leo rugiens circuit quærens quem devoret.

Damascus designat regnum peccati ob quatuor analogias.

Vocare patrem.) Christus enim Iosephum vocabat patrem, non tantum quia vulgus putabat eum esse patrem Christi, sed etiam quia vere erat pater Christi hoc sensu, quod Christus ei in matrimonio cum eius matre Deipara existenti legitime, licet per miraculum, divino quodam modo natus, et a Deo donatus esset filius. Sic ergo Christus vere erat filius Ioseph, et Ioseph vere erat pater Christi. Sicut enim fructus in agro meo nati, etiamsi a me non sint seminati, mei tamen sunt: sic et Christus Iosepho in coniuge sua legitime natus eius est filius, estque quasi fructus agri, id est, coniugis suæ, uti dicam Lucæ c. 2. v. 48.

Christus vere fuit filius Iosephi, quomodo?

Coram rege assyriorum.) Id est, ad præsentiam, et ad vim regis Assyriorum, hoc est, a rege vel viribus et copiis regis Assyriorum. Simili hebraismo dicitur: Domus est combusta a facie ignis, id est, ad præsentiam ignis, vi et activitate ignis. Ad litteram enim Theglatphalasar spoliavit Syriam et Samariam.

Rursum nato Christo rex Assyriorum, id est, orbis monarcha Augustus Cæsar, regnum Herodis et Obodæ, id est, Syriam et Samariam, ad se revocando occupavit, ut dixi c. 7. v. 16. Porro Augustus vocatur *rex Assyriorum*, quia erat monarcha: unde et Assyriis dominabatur. Tempore enim Isaiæ monarchia erat penes Assyrios, eaque fuit prima et celeberrima. Hinc per catachresin quilibet orbis monarchæ, sive Græci, sive Romani, vocati sunt reges Assyriorum: sicut ab Augusto dicti sunt Augusti, a Pharaone Pharaones. Sic 1. Esdræ c. 6. v. 22. et lib. 3. c. 7. v. 15. Darius Hystaspis Persarum Imp. vocatur *rex Assur*. Sic Nabuchodonosor rex Babylonis vocatur *rex Assur* lib. 2. Esdræ c. 9. v. 33. et 4. Reg. 23. 29. et a Iosepho lib. 10. Antiq. c. 6. Sic et Herodotus lib. 1. Histor. Balthassarem magni Nabuchodonosoris filium vocat Labinitum, quem et Assyriæ regem, et a Cyro devictum fuisse scribit. Suidas quoque in Cyro, Cyrum tametsi Persam, appellat regem Assyriorum. Quocirca Euseb. lib. 7. Demonstr. Evang. c. 1. *Nomine*, inquit, *Assyriorum, quodcumque per singula tempora gentibus impositum est regnum, significari arbitror: quia Assyrii hebr. gubernantes significant.* Radix enim שרה *sara* significat dominari: unde *Sara*, id est, domina, vocata est uxor Abrahæ. Inde et *sar*, quod Syri, Arabes, indeque Galli dicunt *Sir*, est princeps et dominus.

Monarcha vocatur rex Assur, cur?

Secundo et potius, signanter dicit non *per*, sed, *coram*, rege Assyriorum; quia per regem Assyriorum, utpote tyrannum, intelligit diabolum, coram quo gemente et frendente Christus spolia Damasci et Samariæ, id est, gentilitatis, rapuit, inquit, dum Gentes idololatras sibi suæque fidei subiugavit: nec enim in typo omnia possunt aut debent respondere et congruere antitypo. Simile enim per omnia non est simile, sed in eo tantum in quo collocatur similitudo: sic hic non ponitur similitudo inter Christum et regem Assyriorum; sed inter spoliationem Syriæ et Samariæ, quam fecit rex Assyriorum, et inter spoliationem gentilitatis, quam fecit Christus.

Si tamen velis per omnia esse simile, dicito et concedito Christum assimilari regi Assyriorum: ille enim quasi Dei minister, et quasi executor iustæ vindictæ Dei, apte repræsentat Christum, Dei legatum, iustumque vindicem:

Christus rex Assyriorum.

idem tamen quatenus ex se superbus, non tam Dei vindictam peragere, quam suæ ambitioni subigere Syros et Samaritas satagebat, diaboli fuit typus. Sic ergo hic puer abstulit spolia Damasci et Samariæ, coram rege Assyriorum, id est, coram se, adventu et præsentia sua, vi sua, robore suo, qui est typicus rex Assyriorum, id est, peccatorum. Pari modo Christus vocatur leo ob fortitudinem, et diabolus vocatur leo ob crudelitatem. Sic S. Paulus persequens Ecclesiam, fuit lupus rapax diaboli: postea persequens iudaismum et gentilismum, fuit lupus Dei.

Trop. I. Tropologice, Christus infans in ipso suo ortu cœpit debellare Damascum et Samariam, id est, mundi fortitudinem, sapientiam et gloriam, domuitque in præsepio æque ac in cruce orbem, non ferro sed ligno, non feriendo sed patiendo. Quid enim aliud fuit novi regis nostri nativitas et in mundum adventus sine armis, sine copiis, sine famulis, omnique bellico et regali apparatu, quam inanis mundi fortitudinis et ostentationis, quæ in hisce gloriatur, eversio? Vicit ergo tunc hæc mundi robora eorum contemptu, docuitque, verum et Christianum robur ac victoriam non in iis consistere, sed in pura Dei religione et obedientia, in forti patientia, in animi humana cuncta transcendentis celsitudine et constantia: hæc enim insuperabilis est omniaque subiugat. Quid aliud fuit Christum nasci inter paleas et fœnum, ac reclinari a B. Virgine in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio, quam humanæ pompæ, vanitatis ac sapientiæ mundanæ clarissima damnatio? Quid aliud fuit nasci peregre in itinere et in stabulo, nisi docere vitam hanc viam esse et diversorium, non permanens domicilium? Quid aliud fuit illa profunda humiliatio Filii Dei, quam mundi superbiæ et iactantiæ evidens confutatio? Quid aliud fuit illa summa eius paupertas, quam auri et argenti quæ mundus ita admiratur et ambit, quam opum lluxarum, inconstantium et in casu sitarum risus, et animi celsi in cælo commorantis ludibrium? In illa abiectione et inopia voluit delitescere summus ille rerum opifex, cælorum moderator, et totius universi invictissimus imperator, qui naturam universam immensa virtute coercet, continet, regit et gubernat; ut reipsa ostenderet fundamentum Christianæ philosophiæ, veræque religionis, æque ac invictæ fortitudinis situm esse in rerum humanarum despicientia, ut cælestis patriæ desiderio ab hisce vanis et caducis bonis ad solida et semper mansura transeamus, ut quasi conscripti in cælo cives et æternitatis candidati, temporalia omnia tam læta quam tristia, velut exilia et momentanea superemus et pedibus premamus, vivamusque non tempori huic modico et exili, sed æternitati. Hoc est quod ait S. Paulus 1. Corinth. 1. v. 20. *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi;* et, v. 27. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.* Tunc ergo Christus sua paupertate prostravit mundi opes et pompas, sua humilitate mundi fastum, sua austeritate mundi mollitiem et delicias, suis latebris et tenebris inanem mundi gloriam, sua infantia mundi iactantiam, sua patientia omnem mundi potentiam evertit et destruxit: effecitque ut hoc ducis sui exemplo tot millia martyrum, Virginum, Religiosorum et Sanctorum iisdem armis easdem mundi pompas, opes et vires fortissime superarent et supplantarent: quinimo omnes mundi reges et principes per Apostolos et eorum successores, ad hasce suas cunas, ad hanc suam infantiam et paupertatem venerandam et adorandam induxit et compulit. Sicut ergo regnavit a ligno Deus, sic et regnavit a cunis parvulus Emmanuel.

Vers. 5. Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens.) Hæc omnia ad eamdem prophetiam pertinent, et eodem tempore prædicta sunt; imo et ea quæ sequentibus aliquot capitibus enarrantur.

Vers. 6. Siloe fons qualis? Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio.) Nota primo. Siloe fons est ad radices montis Sion, qui non iugiter, sed incertis horis diebusque, inquit S. Hieron. ebullit cum sonitu; inde silet, id est, abscondit se sub terra, et per canales in piscinam Siloe defertur, unde per tubos cum silentio et suaviter derivatur in hortos regios, eosque rigat: quocirca Siloe dicitur hebr. quasi *emissus*, Ioann. 9. v. 7. Rursum Siloe dicitur quoque *Geon*, quo nomine etiam Nilus hebr. vocatur, a radice גוח *guach*, id est, pectori quasi incumbere, influere et effluere, eo quod, sicut Nilus effluendo et stagnando Ægypto quasi incumbit, eamque oblimat et fœcundat: sic et Siloe vel Geon hortis et agris Hierosolymæ incumbat, eosque fœcundet. Iuxta aquas Siloe vel Geon unctus est Salomon in regem, 3. Reg. 1. 45. Hinc aquæ Siloe significant hic regiam stirpem et sceptrum Davidis et Salomonis. Solent enim Prophetæ per fluvios significare provincias adiacentes, ut per Nilum significant Ægyptum, per Euphratem Babylonem, per Tigrim Mesopotamiam, per Araxem Armeniam.

Quæres. Quis sit iste populus qui contempsit aquas Siloe? Resp. S. Hieron. S. Thomas et alii, esse decem tribus quæ se separarunt a Siloe et Iuda. Melius S. Cyrill. Procop. Forerius, et alii, censent esse duas tribus, quæ cum viderent se tot cladibus affectas a Rasin et Phacee, multi ex iis videntes suorum paucitatem, et desperantes de ope Dei promissa ab Isaia, meditabantur defectionem ab Achaz, et a sceptro familiæ Davidis, quod aquis Siloe modicis et lenifluis simile erat, atque cogitabant se subdere Rasin et Phacee, regemque recipere filium Tabeel, quem eis destinabant Rasin et Phacee.

Hisce ergo minatur Isaias regem Assyriorum Sennacherib, quem comparat primo, flumini Euphrati exundanti: sic enim ipse copia militum obruit Iudæam. Secundo, aquilæ magnæ, quæ extensione alarum suarum multum terræ obumbrat: sic enim ipse alis et aciebus suis militaribus multas regiones occupavit, sibique subiecit.

Aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio.) Hinc symbolice, aquæ Siloe abierunt in proverbium, et per eas significatur quies, fiducia et animi secura tranquillitas, q. d. Quia populus iste abiecit aquas Siloe, id est, quia silere, Deoque confidere, et in eius ope a me promissa secure conquiescere noluistis, imitando fontis vestri Siloe silentium; idcirco immittet vobis Deus aquas non lenes et silentes Siloe, sed Euphratis validas et sonantes, id est, Assyrios, qui vestram regionem inundabunt et perdent.

Allegorice, et præcipue, Siloe est Christus lenis, mansuetus, et quasi agnus ductus ad mortem: ipse enim missus et emissus est a Patre, a quo arcano silentio procedit qua Deus in cælis, et qua homo per Virginem in terris. Rursum Christus est Siloe, id est, fons aquæ salientis in vitam æternam. Hunc contempserunt Iudæi, et invocarunt Rasin, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem; ideo Assur, id est, Titus et Romani perdent eos. Ita S. Cyrill. Basil. et Euseb. lib. 7. Demonstr. c. 2. Siloe est Christus: cur?

Moral. de bono silentii et quietis. Nota hic quietem et silentium Christi, qui ut ad silentium tam oris quam cordis nos induceret, siluit usque ad annum 30. item tempore passionis. Cum enim reus capitis ageretur, de eo dicitur: *Iesus autem tacebat;* et Isaiæ 53. *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Unde Climachus: *Iesu*, ait, *silentium admirationi et reverentiæ Pilato fuit;* et S. Bernardus serm. 1. de Epiphan. *O*, inquit, *humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, et iam silere non possum: impudenter me et imprudenter ingerens et ostentans: promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum abscondebat, numquid inanem gloriam metuebat? non sane, sed ut nos doceret silere, et silendo ostentationem fugere.* Fluvii qui placide et silenter fluunt sunt profundissimi: ita corda silentium profundæ sunt sapientiæ. *Altissima quæque flumina minimo sono labuntur*, ait Q. Curtius. Similiter, *Viri fortes, in opere sunt acres, ante id placidi*, ait Aristot. lib. 3. Ethic. Et, *Fortissimus in ipso discrimine est exercitus, qui ante discrimen modestissimus*, ait Tacitus l. 1. Histor. Nam, ut ait Livius lib. 7. *Pectus*

animorum iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis differt. Ita videbis *viros natos militiæ, factis magnos, ad verborum linguæque certamina rudes esse,* ait idem lib. 10. E contrario *ignavissimi quique, et in periculis minimum ausuri, nimii sunt verbis, et lingua feroces,* ait Tacitus lib. 1. sicut timidi canes vehementer latrant, sed vix mordent.

Quocirca recte senex ille apud Ioann. Moschum in Prato spirit. c. 156. Philosophis petentibus verbum ædificationis dixit: *Sit Philosophiæ vestræ opus semper meditari mortem, silentioque et quieti vos assuefacite.* Hinc et Arsenius audivit ab Angelo: *Arseni, vis esse salvus? fuge, tace, quiesce.* Et Abbas Pastor l. 5. in Vitisp. tit. 11. n. 26. *Clavis,* inquit, *silentii sit interrogatio,* ut non aperias os tuum nisi rogatus. Alius lib. 7. cap. 32. n. 3. interrogans senem: *Usquequo servandum est silentium, pater?* audivit: *Usquequo interrogeris. In omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis.* De fructu silentii plura dicam c. 30. 15.

Vers. 7 AQUAS FLUMINIS FORTES, aquas Euphratis, id est, copias Assyriorum. Unde explicans subdit: REGEM ASSYRIORUM.) Quia Achaz oppressus a Rasin et Phacee, neglecta Dei ope et Isaiæ vaticiniis, cogitabat implorare opem Assyriorum: hinc Deus eumdem ipsi fore flagellum et vastatorem comminatur, imo certo prædicit.

ET ASCENDET (flumen Euphrates iam dictum) SUPER OMNES RIVOS EIUS.) Suos, q. d. Euphratis aquæ, id est, copiæ Assyriorum, inundabunt et occupabunt non tantum Babyloniam, Mesopotamiam, Assyriam, aliasque regiones Euphrati, eiusque rivis (quos varios habet teste Herodoto) adiacentes, sed inde eluvione quasi egressæ inundabunt et obruent Iudæam. Factum hoc est per Sennacherib, qui tempore Ezechiæ filii Achaz magnam Iudææ partem vastavit; nam de Nabuchodonosore, qui longe fuit posterior, postea fuse aget Propheta.

Vers. 8 USQUE AD COLLUM VENIET.) Caput Iudææ erat Hierosolyma, collum erant urbes illi vicinæ quas omnes occuparunt Assyrii et Sennacherib; sola Ierusalem, obsessa licet, Deo tamen tutante evasit, et ab eo capta non fuit, ut patet infra c. 32. et 4. Reg. 18.

Secundo, et simplicius, *Usque ad collum veniet*, est proverbium significans, Iudæam fore in summo periculo capitis et vitæ, id est, regni et excidii: nisi enim Deus per Angelum cecidisset 185. millia Assyriorum, eversa ab eis fuisset Ierusalem et Iudæa. Est metaphora ab aquis inundantibus et intumescentibus, ita ut ad collum hominum excrescant, si enim paululum ultra extollant se, capita obruent, hominesque submergent, sic si paululum increvisset obsidio et impetus Assyriorum, capta ab eis et obruta fuisset Ierusalem. Ita Sanchez.

ET ERIT EXTENSIO ALARUM EIUS, IMPLENS LATITUDINEM TERRÆ TUÆ, O EMMANUEL.) Sennacherib vocatur aquila, alæ eius sunt copiæ militares: hæ impleverunt terram Emmanuelis, id est, Iudæam, in qua natus Emmanuel regnavit, regnatque in domo Iacob et David in æternum. Nota. Cum ait, o *Emmanuel,* est apostrophe admiratoria ad puerum ex prophetissa et virgine nasciturum, q. d. Cum tu, o Emmanuel, sis noster dux et custos, sisque fortissimus et potentissimus, qui fit ut tantam vastitatem ab Assyriis nobis, imo terræ tuæ, inferri patiaris?

Vers. 9. CONGREGAMINI POPULI, ET VINCIMINI.) Isaias, qui e specula prævidens robur et multitudinem hostium Assyriorum, iam quasi expaverat, ad nomen Emmanuelis spiritum et animum resumit, atque per sarcasmum hostibus insultat; hostibus, inquam, tum præsentibus, Rasin et Phacee, tum paulo post futuris sub Ezechia, scilicet Sennacherib et Assyriis, de quibus egit v. 7. et 8. q. d. Agite, Syri, Samaritæ, Assyrii, pugnate contra Ierusalem, arma et machinas instruite, facite quidquid potestis: nihil proficietis, sed vincemini et cædemini ab Angelo, quia Emmanuel (ita est in Hebræo) id est, quia nobiscum est Deus; Emmanuel est noster dux et protector, est tota spes et causa victoriæ nostræ. Idem cogitandum et dicendum fidelibus, cum belli rumores et tribulationes ingruunt.

A SICUT IN MANU FORTI ERUDIVIT ME, NE IREM IN VIA POPULI HUIUS.) q. d. Deus admirabili æque ac terribili sua inspiratione ac prophetia, qua nobis opem promittit, Assyriis cladem intentat, quasi manu forti erudivit, id est, corripuit, et quasi manu iniecta cohibuit ac coegit me Isaiam, ne sequerer viam et consilium populi desperabundi, quo vult a suo rege Achaz ad hostes Rasin et Phacee deficere: imo erudivit et iussit, ut idem aliis persuaderem, diceremque eis: *Non dicatis, Coniuratio,* id est, nolite cum hoste contra regem vestrum coniurare. Idem faciendum est et dicendum viris fortibus cum imminet timor belli vel seditionis, aut coniuratio privata in aliquo collegio vel congregatione. Aut: *Ne dicatis, Coniuratio*, id est, ne assidue loquamini, ut soletis, de coniuratione Rasin et Phacee contra Ierusalem: hic enim tunc erat omnis eorum sermo: Coniuratio est contra nos, coniurarunt Syri et Samaritæ contra Iudæam. Ita Sanchez. Vers. 11.

TIMOREM EIUS, scilicet hostilis exercitus Syrorum, sive Rasin, de quo v. 6. NE TIMEATIS,) sed Vers. 12.

B DOMINUM EXERCITUUM IPSUM SANCTIFICATE.) Id est, colite et glorificate ut pium, fidelem et sanctum, qui promissis stet, suisque opituletur: id facietis sperando in ipsum, ipsi vos vestraque committendo, ipsi per opera bona placendo, ipsum timendo, reverendo ipsius legi et voluntati per omnia obediendo: ipse enim est Dominus exercituum, ipsi militant Angeli, militat æther, militant venti, militant omnes creaturæ, quibus Syros omnesque hostes vestros facillime quasi pulices occidet. Taxat regem Achaz, qui secutus reges Israel relicto Deo ad idola et Assyrios confugiebat. Vers. 13.

Moraliter, disce hic Deum sanctificari per spem: honoratur enim eius bonitas, potentia et fidelitas, si illi nos nostraque credamus, qui unus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. Deus honoratur per spem.

Huc alludit S. Petrus epist. 1. c. 3. cum ait: *Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini: Dominum autem Christum sanctificate.* Vere Seneca: *Optimus animus* (qualis est sperantis in Deum) *est pulcherrimus Dei cultus.* C

IPSE (sit) PAVOR VESTER.) Id est, obiectum pavoris vestri, scilicet quem paveatis, id est, revereamini et religiose colatis. *Exigit Deus timeri ut dominus, honorari ut pater, ut sponsus amari,* ait S. Bernardus serm. 83. in Cantic. Sic Iacob *iuravit per timorem patris sui Isaac,* id est, per Deum quem timebat et colebat Isaac, Genes. c. 31. v. 53. hinc aliqui θεός, id est Deus, a δέος, id est timor, deducunt; nam θεός, quasi δέος.

Primus in orbe Deos fecit timor.

ET IPSE (sit) TERROR VESTER.) Tum passive, quem scilicet ut terribilem vindicem metuatis; tum active, qui scilicet faciat vos hostibus terribiles. Unde Chaldæus vertit: *Ipse sit fortitudo vestra,* et hoc significat Hebræum מעריץ *maarits.*

ET ERIT VOBIS IN SANCTIFICATIONEM,) q. d. Deus vos credentes et sperantes in se sanctificabit et segregabit sibi, atque ut sanctos, sibique fideles et segregatos proteget D ab omni hostium incursu, eritque vobis quasi sanctuarium et asylum, uti ex Hebræo verti potest, vertitque Vatablus. Vers 14.

IN LAPIDEM AUTEM OFFENSIONIS, ET IN PETRAM SCANDALI (erit) DUABUS DOMIBUS ISRAEL.) Duas domos sive familias vocat duo regna Israel, unum duarum, alterum decem tribuum, puta Iuda et Samariæ. Convertit hic se Propheta ad impios et incredulos, quales plerique erant in Iuda et Samaria, q. d. Sicut Deus piis in Iuda afferet sanctificationem, tutelam et salutem, uti iam promisi: ita vice versa impiis et ad idola conversis Iudæis, maxime Hierosolymitis, afferet offensionem, ruinam et cladem. Rursum erit eis quasi petra scandali et offensionis; videntes enim se capi et vastari scandalizabuntur, dicentque: Deus noster non est tam fortis uti putabamus; ipse enim non potuit nos liberare ab hostibus.

Allegorice, hæc de Christo, qui Iudæis fuit lapis offensionis et petra scandali, explicat S. Paulus Rom. 9. 32. Vide ibi dicta.

Vers. 16. **Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.**) Primo, noster Sanchez putat volumen in quo Isaias v. 1. iussus est scribere, *Velociter spolia detrahe, cito prædare*, vocari hic primo, *testimonium*, quia per testes Uriam et Zachariam erat confirmatum; secundo, *legem*, id est edictum, q. d. Ego Deus iussi tibi, o Isaia v. 1. volumen hoc explicari, populoque clare mysteria eis proponi (uti Isaias huc usque fecit) nunc iubeo illud ligari, id est, complicari et signari, id est claudi; quia video imperitam multitudinem illud non intellecturam, ut servetur discipulis meis qui illud explicabunt, legent et intelligent. Prophetia enim dicitur claudi et signari, cum obscura est, et post multa tempora explicanda, cum reipsa eveniet tarde et sero.

Secundo, Adamus censet *testimonium* et *legem* vocari hanc prophetiam, qua Deus per Isaiam Iudæis revelavit et testatus est voluntatem suam, atque esse metaphoram in voce *liga*, petitam ab iis qui timentes oblivisci rei alicuius ligant quippiam in manu vel digitis, quo rei admoneantur, eamque in memoriam revocent, q. d. Etsi vulgus hasce tuas prophetias negligat, tu tamen consigna eas, conscribe et colliga; quia saltem pueri mei, id est discipuli qui in me credunt præsertim Apostoli tempore Christi, eas intelligent et observabunt; Christus enim tradet et resignabit eis clavem S. Scripturæ. Hic sensus valde planus et appositus est: nam τὸ *in discipulis*, hebraismo idem est quod *in*, vel *ad discipulos*, aut *pro discipulis*.

Unde et Vatabl. sic exponit, q. d. *Liga*, id est tege involucris hanc prophetiam de Christo venturo, ubi eam discipulorum meorum, eorumque quos per te et alios docuero, oculis subieceris, illisque exposueris, et ita eam tege, ut ab aliis non possit intelligi. Est metaphora a mercatoribus, qui consarcinant merces suas, quas postea tela colligant et contegunt.

Tertio, Ribera in Heb. 2. sic explicat, q. d. Iudæis claudetur et obsignabitur lex Evangelica in discipulis, id est per discipulos meos, qui a Iudæis illam ad Gentes transferent. Unde Sept. vertunt: *Tunc manifesti erunt sigillantes legem*, id est, quibus sigillata et clausa est lex, *ne discant*.

Vers. 17. **Exspectabo Dominum.**) q. d. Licet Dominus videatur oblitus populi sui, atque ab eo abscondisse et avertisse faciem suam; tamen ego non abiiciam spem sed exspectabo eum, etiamsi moram fecerit: quia Dominus populi sui miserebitur, ideoque iam nonnulli, sed tempore Christi multo plures ex eo convertentur; nam illi populo ego et pueri mei dati sumus in signum et portentum, ut sequitur.

Et præstolabor eum.) Sept. et ex iis S. Paulus Hebr. 2. vers. 13. vertunt: *Et ero fidens in eum*, q. d. Ego confido quod Deus nunc populum suum liberabit ab hostibus; et magis quod tempore Christi per Christum convertet aliquos ex Iudæis, puta Apostolos, qui deinde reliquias Iudæorum omnesque gentes convertant, itaque prædentur et spolient totum regnum Syriæ et Samariæ, id est, infidelitatis æque ac diaboli.

Vers 18 **Ecce ego et pueri mei.**) Primo, noster Sanchez sic explicat, q. d. Exspectabo et sperabo in Deum; nam sperare me iubent filii mei, qui nomine suo portendunt salutem; sicut nomine suo salutem Gentium et derelictionem Iudæorum portendunt duæ proles Osee cap. 1. sicque fuerunt portentum Israelis: nam unus filius meus, scilicet Sear Iasub, nomine suo significat reliquias populi convertendas; alter, cui nomen est *Velociter spolia detrahe*, significat brevi liberandam esse Iudæam a duobus regibus Rasin et Phacee.

Allegorice vero sperat Isaias, id est Christus, mundi fidem et salutem, cuius pueri, id est Apostoli facti sunt in portentum mundo. Duo enim eius filii primarii sunt, scilicet Simon, quem vocavit Petrus, ob robur et firmitatem fidei; ac Iacobus et Ioannes fratres, quos vocavit *Boanerges*, id est filios tonitrui, quia sua prædicatione percellent et convertent Iudæos et Gentes. Verum de hoc sensu dixi v. 3.

Secundo ergo et verius, loquitur Isaias in persona Christi, quasi typus, os et vox Christi, q. d. Sicut ego Isaias et mei discipuli ac sequaces, puta alii Prophetæ, ut Ezechiel c. 24. 24. Zacharias c. 3. v. 8. et alii quia divitias et honores contemnimus, atque tam mira, et concupiscentiæ ac moribus eorum repugnantia populo duro et carnali prædicamus, hinc quasi portenta habemur, et quasi stulti irridemur: ita et Christus, cuius ego sum præcursor et figura, cum suis pueris, id est Apostolis, ob novitatem suæ doctrinæ, vitæ et miraculorum, superbis Iudæis et Philosophis videbitur esse portentum, spectaculum et ludibrium: per illa tamen multi cordati et pii Iudæi compungentur et convertentur, cupientque et ipsi fieri pueri, id est discipuli Christi: de Christo enim hæc explicat Paulus Hebr. 2. 10. Ita Origen. Basil. Cyrill. et passim veteres.

Moraliter, Clemens Alexandr. l. 1. Pædagog. toto c. 5. pulchre ostendit quo modo Christiani omnes ad instar Christi pueri, de quo ait Isaias. c. 9. 6. *Parvulus natus est nobis*, debeant esse et vocari pueri, ob animi et morum, primo, innocentiam; secundo, simplicitatem et candorem; tertio facilitatem et teneritudinem; quarto, humilitatem. Apposite Haymo in illud Matth. 18. *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, etc. Sicut parvulus*, ait, *mulierem non concupiscit, alienas divitias non appetit, læsus non lædit, non aliud cogitat aliud loquitur, et iratus non perpetuas tenet discordias: ita et vos nisi talem innocentiam habueritis in mente qualem iste habet in corpore, regnum cælorum, quod humilibus et simplicibus præparatum est, intrare numquam potestis.* Vide et ibidem S. Chrysost. Pulchre et breviter S. Ambrosius ser. 55. *Habet*, ait, *et Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non novit, referire non audet, ita et Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat. Denique, sicut iussit Dominus, etiam orat pro inimicis, auferenti tunicam relinquit et pallium, verberanti maxillam præbet et alteram.* Christiani sint pueri quadrupliciter.

In signum, et in portentum Israel.) A consuetis non fit passio, aiunt Philosophi, præsertim apud homines in inveterata sua peccandi consuetudine obduratos: fecit ergo Deus, ut Isaias et Prophetæ a communi concionandi consuetudine recedentes, novum, insolitum et prodigiosum dicendi, agendi et vivendi modum induerent, fierentque portentum Israelis et orbis, ut hac ratione stupentes et duras hominum mentes excitarent, ferirent, mollirent et flecterent. Ita fecit Deus Isaiam portentum, cum ostendit ei suum solium, gloriam et Seraphim, misitque unum ex eis, qui calculo labia eius adureret et purgaret, diceretque: *Excæca cor populi huius, et aures eius aggrava;* et cum c. 7. prædixit: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Portentum fuit Isaias quomodo?

Secundo, *portentum* fuit Isaias, quando sacco quasi cilicio super nuda carne indutus instar Capuccini, habitu pœnitentiæ, ut populum ad compunctionem commoveret, assidue concionabatur. Rursum cum ipse vir nobilis et e regia stirpe oriundus, iussu Dei per celeberrimam urbem Hierosolymam pleno die, toto corpore, etiam pudendis, ut habet Chaldæus, nudus per triduum, vel ut alii volunt, per triennium incessit, uti videbimus c. 20.

Tertio, *portentum* fuit Isaias, cum Ezechiæ desperato, sed pœnitenti et lacrymanti quindecim annos vitæ adiecit, atque ad prophetiæ huic suæ fidem faciendam, in horologio Achaz umbram, ac consequenter solem omnesque orbes cælestes, decem lineis et horis retrogredi ac reverti inaudito a sæculis miraculo coegit.

Quarto, Isaias fuit *portentum*, sanctitatis, abstinentiæ, mortificationis, ac præsertim misericordiæ, qua assidue consolatus est lugentes in Sion.

Denique *portentum* fuit, cum identidem dicens: *Hæc mandat Dominus*; et, *Iterum hæc mandat Dominus*, irrisus a Iudæis subsannantibus *manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta:* constanter nihilominus ac libere eorum vitia arguere et castigare perrexit, donec

præmium prophetiæ martyrii lauream, lignea serra a Manasse dissectus, obtinuit.

Et Ieremias. Talia portenta fuerunt pueri, id est, discipuli et socii, Isaiæ ac Christi. An non portentum fuit Ieremias in utero sanctificatus et consecratus Propheta? *Priusquam,* ait Deus c. 1. *te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in Gentibus dedi te, etc. ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. Ego dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream et in murum æreum, super omnem terram.*

An non portentum fuit, cum ait ei Dominus, *Quid tu vides, Ieremia?* et ille, *Virgam,* ait, *vigilantem ego video,* scilicet Dei oculum, potentiam et vindictam excubantem, et dura verbera intentantem impiis Iudæis.

Et rursum, *Quid tu vides? Ollam,* ait, *succensam ego video, et faciem eius a facie Aquilonis. Ab Aquilone pandetur omne malum, etc.*

An non ipse portentum fuit continentiæ, virginitatis, zeli, misericordiæ, gemens ut turtur, et lamentans assidue peccata et flagella populi? maxime vero portentum fuit patientiæ, dum per 41. annos prophetans et prædicans a proceribus et Iudæis contemptus, irrisus, divexatus et cæsus, hæc omnia fortiter æque ac mansuete sustinuit, dum audiit: *Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium,* dum tertio in carcerem trusus, compedibus oneratus, victitans in pane doloris et aqua tristitiæ, ac tandem in Ægypto a Iudæis suis, in præmium prophetiæ et charitatis suæ, lapidibus obrutus martyr occubuit.

Daniel. Tale portentum abstinentiæ et sapientiæ ac gubernationis fuit Daniel, qui in aula regia inter pueros regios educatus, cibo et vino regio abstinuit, atque legumine ac ieiunio vivens formosior ac pinguior cæteris pueris qui cibo regio vescebantur apparuit; unde præmium temperantiæ accepit donum prophetiæ, omnisque scientiæ ac prudentiæ, qua Babyloniorum monarchiam sub Nabuchodonosore admirabili industria et felicitate rexit et moderatus est. Rursus cum tribus sociis portentum fuit castitatis, cuius merito Daniel a sævitia leonum, tres socii ab igne fuerunt inviolabiles, ut quos ignis libidinis non usserat, ignis Babylonius urere non posset.

Ezechiel. Tale portentum fuit Ezechiel, cum vidit currum Cherubim, et quatuor animalia quadriformem faciem habentia, ac rotas plenas oculis, habentes spiritum vitæ et motum. An non ipse portentum fuit, cum missus ad Iudæos dura facie et indomabili corde, protulit librum in quo lamentationes, carmen et væ? cum a Deo audiit: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaveris ei, sanguinem eius de manu tua requiram?* cum in latere Hierosolymam descripsit, ordinavit adversus eam obsidionem, dormivit super latus sinistrum 390. diebus: *Ut portes,* ait, ad eum Deus, totidem *annos iniquitatis eorum: diem pro anno dedi tibi?* cum iussus comedere panem stercore humano opertum, ac deprecans vix impetravit, ut pro eo stercore boum coopertum comederet?

Christus. Verum portentum portentorum fuit Christus, cuius nomen Admirabilis, Deus, fortis, consiliarius, princeps pacis, pater futuri sæculi, magni consilii angelus. An non eius vita et doctrina mundo fuit portentum, cum dixit: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati, qui lugent. Beati, qui esuriunt et sitiunt. Beati, qui persecutionem patiuntur?*

Mundus iubet odisse inimicos, persequi vindictam famæ et honoris, dicit: Si quis te percusserit, repercute: si quis det alapam, duas redde. Christus vero edicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Vince in bono malum.* Nobilissima enim vindicta est, ut beneficiis hostem vincas, tibi subiuges, et ad redamandum cogas. Rursum: *Si quis,* inquit, *te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram.*

Mundus iubet alta petere, honores ambire. Christus vero: *Qui se,* inquit, *exaltat, humiliabitur: qui se humiliat, exaltabitur.* Nonne hoc est paradoxum? via ad exaltationem est, si in contrarium eas, si descendas, si te humilies: hæc tamen verissima philosophia certissima via est ad sublimitatem; quia sola humilitas exaltat. Filii Adam, magni esse, dii esse vultis? eritis si velitis. Erratis in via: viam initis fastus, viam ambitus, viam ostentationis. Erratis ex diametro, via contraria est. descende, late, ama nesciri, submitte te:

Nulli vel minimo quavis ratione repugnes,
Cedere te potius quam superare iuvet.

Sic extolleris, sic scandes ad astra.

An non vita Christi fuit portentum humilitatis, portentum charitatis, portentum paupertatis, portentum crucis et austeritatis? Rex regum, Dominus dominantium, cuius sunt cæli et terra, natus est in stabulo, vixit semper in hospitio, mortuus est in patibulo, *Ego,* ait, *sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Reclinatus est in præsepio, *quia non erat ei locus in diversorio. Vulpes,* inquit, *foveas habent, et volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Vixit in fame et egestate, quadraginta dies et noctes sine cibo et potu ieiunavit, vixit ex eleemosynis, et subinde mendicato, dicens: *Ego autem mendicus sum et pauper.*

An non portentum fuit crucis? in perpetuis laboribus, itineribus, persecutionibus versatus in vita; in morte excarnificatus, flagellatus, coronatus, distentus quasi latro occubuit. Et tamen orbem universum subegit non gladio, sed ligno; non lancea, sed cruce. *Ego,* inquit, *si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Ad hoc vexillum vocatus es, o Christiane, sub cruce militas. Turpe est sub capite spinoso delicata vivere membra. Turpe, ubi imperator laborat, alget, famet; militem torpere, mollescere, deliciari. Clamat Christus: *Videte ne graventur corpora vestra crapula et ebrietate.* Ego abstinentissimam vitam duxi, imo pauperrimam per 34. annos: tunc vino et deliciis afflues? Ego in cruce in extremo agone ardentissima siti, cum etiam latronibus vina dantur, felle et aceto potatus sum, ut tuam gulam expiarem, tollerem, abolerem: tu illi indulgebis? mero te infarcies? Inspice ducem tuum, inspice, fac secundum exemplar quod tibi in monte monstravit.

Portentum fui amoris: me nascens dedi socium, convescens in edulium, me moriens in pretium, me regnans do in præmium. Tibi natus sum, tibi sudavi, tibi concionatus, tibi crucifixus. Ego me totum tibi tradidi, et tu totum mihi trade: dilata cor tuum; frigus torporis et amoris proprii expelle. Da, consecra mihi labores tuos, vitam tuam, studia tua, corpus, sudorem, sanguinem, vitam et animam. Huc usque ego te amavi; redde par pari: imo redde unum pro mille, punctum unum pro infinito. Quid enim es ad Christum, nisi quod punctum ad maiestatem immensam et infinitam?

Ecce ego et pueri mei: Apostoli mei portentum fuerunt mundi. Audi Paulum: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Propter* Christum *omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam,* Ergo, Paule, opes, dignitates, deliciæ, scientiæ stercora sunt? Omnia sine Christo, præ Christo stercora sunt? omnino sunt. Rursum, propter Christum, inquit, *ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, quinquies quadragenas, una minus, accepi: nocte et die in profundo maris fui, in periculis, in persecutionibus, in ieiuniis, in vigiliis multis, in labore et ærumna.* Propter Christum *castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Tunc, Paule, damnari, reprobari times? Castigas corpus tot laboribus attritum: nos otiosi et inertes carnis desideria sequimur, et de salute securi erimus? Paulus.

An non portentum Apostoli fuerunt? qui dicunt: *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus,* quasi er- Apostoli.

rones et exsules incertis vagamur sedibus; *et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc*, ὡς περικαθάρματα, tamquam scobs, ramentum, sordes toto mundo verrendo collectæ, ὥσπερ καθάρματα, tamquam piacula et lustramenta mundi facti sumus. *Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus*: græce est θέατρον, *theatrum facti sumus*: in theatro quasi rei cum bestiis pugnaturi, quasi fures, quasi latrones iugulandi spectamur.

Campianus. Ita noster Campianus Angliæ Apostolus, Angliæ martyr, vere Campianus, vere athleta uncialibus litteris hoc titulo insignitus, *Hic est seductor Iesuita Campianus*. toto Londino spectante ad carcerem ductus est; damnatus capitis, quasi proditor et perduellis, Deo egit gratias, ac cycnæum canens, *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur;* productus in theatrum, quo tota non tam urbs quam Anglia confluxerat, *Spectaculum*, ait, *facti sumus mundo, et angelis, et hominibus;* ego hic spector suspendendus, in quatuor partes vivus dissecandus, quasi seductor, proditor, patriæ hostis; spectaculum factus sum mundo. Tu, Domine, scis innocentiam meam, nosti quid spectaverim, scis me non aliud spectasse, quam fidem et salutem Angliæ. Quod si aliud spectassem, in Anglia amplas opes et honores mihi oblatos ab iis, qui me morti addicunt, acceptassem. Veniet dies, veniet, Elisabetha, dies, qui revelabit secreta tenebrarum et occulta cordium; qui ostendet utrum ego et socii mei sincere te amaverimus, qui pro te et salute tua tot laboribus, periculis et morti ipsi nos exposuimus; an Ministri tui, qui a te non aliud quam opes, quam dignitates expectant, tibi adulantur, te in hæresim ducunt et in cædes sanctorum, cædes eorum qui tuam salutem sitiunt. Deum oravi et oro, ut hæc mors mea quam libentissime patior, sit piaculum peccatorum tuorum, tibi veniam, tibi fidem, tibi felicitatem æternam impetret; quam utinam hac morte mea mihi a te illata, tibi emam et conciliem! Ecce pueri mei portentum facti sunt, inquit Christus. Fœminam accipe.

S. Paula. Portentum fuit S. Paula Romana, quæ e regibus oriunda, Romanorum nobilissima, relictis parentibus, filiis, familia amplissima, opibus et provinciis, Hierosolymam navigavit, ut in Bethlehem ad præsepe Domini viveret vitam Christianam, imo Religiosam in humilitate, paupertate, devotione et amore Christi. Quinque ibidem monasteria ædificavit: viris præerat S. Hieronymus, ipsa virginibus. Prima erat in Psalmis, prima in obsequiis, prima in humilitate, prima in ieiuniis. Ita in pauperes et sanctos omnia distribuebat, ut, quod optarat, moriens non haberet linteum in quo sepeliretur, sed filia Eustochium illud emendicare debuerit: suo ita se spoliarat, ut cum Christo sepeliretur in alieno. Ecce portentum, ecce novum et insolitum epitaphium:

Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles, quæ
Pauperiem Christi et Bethlemica rura secuta est.

Paulus Eremita. Tale portentum fuit S. Paulus primus Eremita, qui ab anno 15. ætatis usque ad 113. in spelunca vixit, hominem non vidit, non est allocutus, sed Deum, sed Angelos. Aqua ei erat potus, cibus dimidium panis, quod quotidie ei corvus e cælo afferebat. Venienti Antonio, *Sexaginta*, ait, *anni sunt ex quo quotidie dimidium panis a corvo accipio; nunc veniente te integrum affert: militibus suis Dominus duplicavit annonam, vere pius, vere misericors.* Ac mox abiens Antonius vidit animam Pauli inter Sanctorum et Prophetarum choros, in cælum ab Angelis deferri.

Antonius. Tale orbis miraculum fuit S. Antonius, qui ad 105. ætatis annum solitarius in summa abstinentia et rigore vixit, et cum monstris et legionibus dæmonum assidue certavit, ac triumphavit.

Tale fuit et S. Romualdus, qui ab anno ætatis 20. ad 120. in mira austeritate, lacrymis et sanctitate vitam egit angelicam.

Tales fuerunt et Sancti illi, *qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ.* Quare? quia aspiciebant in remunerationem. Assidue cogitabant illud: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Momentaneum enim et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Alexius. Vis portenta nobilium et adolescentium? Alexius Romanorum nobilissimus celebratis nuptiis ex ipso convivio et consortio procerum, parentum, sponsæ se abripit, vestem mutat, quasi mendicus toto orbe peregrinatur. Edessæ in templo B. Virginis ad portam cum mendicis stipem petit, septemdecim annos ibi latet; proditur a B. Virgine, quis esset: fugit, Romam redit, in conspectum se dat parentis, quasi mendicus admittitur: videt quotidie parentes, sponsam eiulantem: Ubi meus Alexius? ipsos septemdecim annos quasi canis sub gradibus iacet, ridetur, tunditur a famulis; moritur cum hac scheda in manibus; Ego sum Alexius filius vester, sponsus tuus. Quis nosset Alexium, nisi per heroicas has latebras, per fugam honorum et deliciarum? Alexius fuit, est, et erit gloriosior in suo antro, quam Augustus in imperiali solio.

Simeon Salus. Vis portenta stultitiæ, imo sapientiæ inauditæ? Simeon cognomento Salus, id est, stultus, apud Leontium, ita stultitiæ nomen et opinionem affectavit, ut faceret se ludibrium mundi. Currebat per plateas quasi amens et fatuus; a pueris quasi insanus luto et sordibus petebatur: stultissima ad speciem hominum fecit et gessit. Quare? ut impleret illud: *Nos stulti propter Christum. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Stulti hi damnant mundi sapientiam, damnant vanitatem, contemnunt opes, honores, fastum, ambitionem et quidquid mundus admiratur, cælestia spectant, terrena et caduca, *immoto rident cuncta supercilio.*

Franciscus. Tale portentum fuit S. Franciscus, qui quasi stultus cucullo et cappa indutus, stultam fecit sapientiam huius mundi; tantus paupertatis amator, quantum alii divitiarum sunt. Tantus fuit contemptor sui, ut a suis sibi exprobari iuberet: Tu rustice, tu idiota, tu peccator, tu helluo, tu hypocrita; quibus ipse: *Benedicat*, ait, *o filii, vobis Deus, quia vera dicitis: talia filium Petri Bernardonis audire decet.* Quare? ut suos et mortales omnes doceret comprimere arrogantiam, exstirpare innatum laudis et gloriæ desiderium, inserere et imprimere animo intimam Christi humiliationem, et sui contemptum, quasi diceret: Si insanire libet, mecum sapienter insanite; si stultescere, en vexillum præfero; si bacchari, mecum pie bacchamini. Ne te excuses, ne pudeat, ne solus sis, en me et meos, tot millia stulto-sapientium, qui te præeunt.

Simeon Stylites. Atque ut concludam, accipe portentum sæculorum Simeonem Stylitem, qui, ut narrat Theodoretus oculatus testis, et Simeonis in spiritu filius (utpote quem Simeon matri filium precibus suis impetravit) pastor ovium exsistens templum ingressus audivit Evangelicam vocem, quæ beatos pronuntiat eos, qui flent, lugent, et mundo sunt corde; miseros, qui rident et saturantur. Illico rogat Deum, ut ad hanc viam perfectam pietatis et religionis se deducat, secedit inter ascetas et monachos: mox totam hebdomadam ieiunus traducit: asperrimo fune lumbos succingit, ut tota illa corporis pars exulceraretur: in laboribus ac pœnitentiis ad stuporem constans, et alacer. Quadragesimam totam sine cibo ieiunat. Columnam conscendit, catena pedem illi colligat: pes ad talos putrescit: stat continuo noctes et dies, in hieme et æstate, in pluvia et gelu, in nive et grandine, in æstu et Solis ardore. Tota nocte vigilat et orat, æque ac mane usque ad horam nonam. Inde toto orbe ad se confluentes excipit, sanat, docet, lites componit, ac sub vesperam redit ad orationem. Ita vixit ipsos octoginta annos, ac mortuus est cum centesimum ætatis superasset annum. Concurrere ad eum

turmatim Persæ, Armeni, Galli, Æthiopes, Britanni, Duces, Principes et Reginæ, ut angelum terrestrem viderent, miracula impetrarent, charismata quælibet spiritualia poscerent.

Quid non voce, sed vita hac doces? quid concionaris, o Simeon? Audite, mortales, discite ex me spernere temporalia, sectari cælestia: videte in me quid possit natura cum gratia Dei, quæ nemini negatur. Nimis vobis blandimini dum dicitis: Non possum istum laborem, istam inediam, illam mortificationem sustinere. Ecce ego homo fui vobis similis, vestra carne indutus: ego ista sustinui, lætus et fortis sustinui: inter homines ut angelus vixi. Quid ergo in columna meditaris, o Simeon? Vivo, inquit, æternitati: pingo imaginem vitæ, quam tota posteritas, omnia sæcula mirentur, ut et imitentur: pingo animam, ut in æternitate coram Deo et Sanctis omnibus hoc virtutum fulgore et gloria resplendeat. Quidni pingam exactissime et pulcherrime 70. 80. 100. annis imaginem, non centum, non mille, non centum millibus, non decies centenis millibus, non mille millies annorum millibus, sed in omnem æternitatem duraturam, et coram Deo, Angelis et hominibus effulsuram?

Pingamus et nos æternitati, vivamus æternitati, ideoque faciamus nos portentum constantiæ et fortitudinis, ut quasi adamantes simus: nullis sociis, nullo pudore, nullis irrisionibus a timore et pietate Dei deflectamus; sed magna, rara et heroica virtutum facinora animo designemus, et reipsa efficiamus. Simus portentum humilitatis, pietatis, sobrietatis; ut quasi Angeli sobrie, iuste et pie vivamus in hoc sæculo, ut in sanctitate et iustitia coram Deo ambulantes, serviamus illi omnibus diebus vitæ nostræ. Simus portentum charitatis et zeli, igne cælesti afflati (de quo ait Christus Lucæ 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?*) ignem spiremus, habeamus mentem igneam, linguas igneas, ut spiritu Apostolico et socios, et urbes, et totum orbem accendamus amore divino. Sic erimus cum Christo et Sanctis omnibus portentum temporis, portentum æternitatis, portentum laborum et virtutum, portentum denique gloriæ et gaudiorum sempiternorum. Det nobis Deus multos Isaias, det Christos, det Apostolos, det doctores, det concionatores, qui sint portenta mundi, ut mundanos homines in cordibus raro vitæ exemplo, igneisque vocibus feriant, convertant, et ad cælum traducant. Amen.

Vers. 19. QUÆRITE A PYTHONIBUS, ET A DIVINIS, QUI STRIDENT, etc.) *Pythones* dicuntur spiritus divinatores, qui humanis corporibus se insinuantes edunt vaticinia: item et homines ipsi qui tales habent spiritus et dæmones familiares, vel ab iis correpti aut possessi sunt. Sic *Pythia* dicebatur fœmina sacerdos Apollinis apud Delphos, quæ consulentibus oracula reddebat; ita dicta παρα το πυνθανεσθαι, hoc est a consulendi interrogandique consuetudine. *(Pythones quid?)*

Septuag. vertunt, ἐγγαστριμύθους, id est, ventriloquos: quia sæpe per pectus vel ventrem hominis loquebantur: unde hebraice vocantur אבות *obot*, id est, *utres*: quia per ventrem quasi per utrem obscuras, stridulas, hiulcas, confusas, ambiguas et perplexas sæpe dabant voces: modum quo id faciebat dæmon, explicat Aristophanis Scholiastes in Pluto.

Strident. Hac de causa dicuntur stridere, vel ut hebr. est mussitare et submurmurare. Adde, hi enthusiastæ sæpe a dæmone quasi furiis acti, aut quasi phrenetici stridebant et spumabant. Rursum dæmon cum stridore et violentia coactam vocem per os vel ventrem eorum exprimebat. Denique ipsimet advocantes dæmonem, et petentes ab eo divinationem, carmen magicum recitabant mussitando et submurmurando. Secus fiebat in oraculis quæ dæmon per idola edebat: illa enim per os, vel ad os idoli, claram efformando vocem, edebat, quasi ipse esset anima, vel inssessor et habitator idoli. Quocirca et idoloplastæ idolo dabant patulum ingensque os, qualia multa hic in palatio Vaticano vidi, quæ ita hiant, ut integrum ovum in illud iniicere liceret.

Iam sensus est, q. d. Cum in his rerum angustiis, quibus, o Iudæi, a Rasin et Phacee premimini, suadent vobis nonnulli politici et impii homines, ut a pythonibus, divinis et magis futurum huius obsidionis eventum sciscitemini; libere et audacter eis respondete quod ego hic doceo et suggero, scilicet: Numquid non est Deus in Israel, a quo populus exquirat visionem, id est, oraculum de futuro eventu? numquid pro vivorum salute consulet mortua idola, vel damnatos dæmones, ab iisque petet prophetiam et prænotionem futurorum? Impie ergo hæc torquet Marloratus contra invocationem Sanctorum. Hi enim licet mortui sint, Deo tamen vivunt et fruuntur.

AD LEGEM MAGIS, ET AD TESTIMONIUM.) q. d. Ad legem potius et ad arcam ac propitiatorium recurrendum est: ibi audiemus verum oraculum. Lex enim docebit nos quid agendum, quid cavendum sit, tum alias, tum tempore belli, scilicet consulendum esse, non dæmonem, sed Deum in propitiatorio residentem. Vers. 20.

Nota. Arca vocatur *testimonium*: quia continebat legem sive tabulas decalogi, quæ erant testimonium voluntatis divinæ: testabantur enim Iudæis quid ab eis fieri vellet Deus. *(Testimonium est arca.)*

Secundo, divini consulebant mortuos. Primo, quia sæpe evocabant manes et umbras mortuorum, et ab eis sciscitabantur futura, uti fecit pythonissa Saulis 1. Reg. 28. Unde hæc magia vocatur *necromantia*, id est, divinatio ex mortuis. Secundo, quia consulebant dæmones, qui mortui sunt morte æterna, id est, damnati sunt, atque assidue dolores et agoniam extremam, qualem hic subeunt morientes, patiuntur: unde omnes tam dæmones quam homines damnati, dicuntur versari in regione umbræ mortis. Tertio, quia subinde consulebant idola, quæ mortua, id est, inanima, sunt.

QUOD SI NON DIXERINT IUXTA VERBUM HOC: si Iudæi aliter responderint quam ego hic doceo et iubeo, putarintque a divinis et magis, non a Deo petendum esse oraculum de futuro belli Syriaci eventu, NON ERIT (orietur) EIS MATUTINA LUX.) Id est veritas, sed in tenebris errorum et falsorum oraculorum degent. Secundo, *lux*, id est, lætitia et prosperitas, q. d. nihil habebunt lucidum, id est, felix, iucundum et prosperum, sed omnia infausta, tristia et adversa.

ET TRANSIBIT, scilicet hæc matutina lux, PER EAM.) Scilicet domum Iacob, de qua v. 17, id est Iudæam, q. d. Si credatis divinis, lux veritatis et felicitatis transibit et recedet a Iudæa, tum iam, tum tempore Christi: tunc enim lux Evangelii a Iudæis ad Gentes transibit, inquit S. Hier. et S. Thom. Sic ergo Iudæam occupabit caligo ignorantiæ, infidelitatis et peccatorum: unde subdit cap. seq. v. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam:* Quid autem Iudæa passa sit dum pythones Deo, tenebras luci, magos Isaiæ prætulit, subdit dicens: Vers. 21.

CORRUET, ET ESURIET, IRASCETUR, ET MALEDICET REGI SUO, ET DEO SUO, scilicet non lux, ut patet, sed *ea*, scilicet Iudæa; sic enim Hebræi sæpe mutant suppositum, illudque ex circumstantiis lectori mutandum et intelligendum relinquunt: et rursum, SUSCIPIET SURSUM, ET AD TERRAM, etc.) q. d. Sive in cælum sursum, sive in terram deorsum aspiciat, non nisi tribulationem, tenebras, tristitiam, et miseriam, dissolutionem virium corporis et animi, atque undique angustias se persequentes, quas evadere non poterit, inveniet et intuebitur: sursum enim cælum clausum Deumque iratum et sævientem, deorsum terram undique ab hostibus insessam aspiciet. Ita Sanchez.

Aliter Forerius, *et transibit*, scilicet, inquit, quisque Iudæorum impiorum, *per eam*, scilicet legem Dei, eam non curando et prævaricando, unde corruet, esuriet, etc. Sed prior sensus magis planus et connexus est. Loquitur Propheta de vastatione Iudææ per Sennacherib et per Nabuchodonosor; tunc enim plenissime hæc mala Iudæis obvenerunt.

Moraliter, Nota hic pœnam eorum qui divinos consulunt. Deus enim vult se consuli, non diabolum; legem et S. Scripturam, non oracula magorum. Ita Moroveus Chil- *(S. Scriptura consulenda,)*

non magi. Exempla.

perici regis Francorum filius, ambiens regnum de patre et noverca multa crimina loquebatur: quadam die invitavit ad convivium Gregorium Episcopum Turonensem petens aliquam animæ instructionem. Gregorius aperiens librum Proverb. incidit in illud cap. 30. v. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, etc. effodiant eum corvi de torrentibus.* Consuluit deinde Moroveus pythonissam anno Christi 580. quæ respondit Chilpericum eo anno moriturum, et Moroveum solum, exclusis fratribus, in omne eius regnum successurum. Cumque hæc narraret ipse, corripuit eum Gregorius Episcopus Turonensis, dicens a Deo hæc poscenda esse; dæmonem enim esse mendacem. Moroveus ergo adiit sepulcrum S. Martini, in eoque posuit tres libros, scilicet Psalterii, Regum et Evangeliorum, et vigilans tota nocte petiit, ut S. Martinus ostenderet quid sibi circa regnum eveniret; post triduana ieiunia, vigilias et orationes accedit ad tumulum, et revolvit librum qui erat Regum; versus autem primus paginæ quam reseravit, hic erat: *Pro eo quod reliquistis Dominum Deum vestrum, et ambulastis post deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum eius, ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum,* 2. Paral. 7. Psalterii autem versus hic est inventus: *Veruntamen propter dolos posuisti eis mala: deiecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitates suas,* Psal. 72. In Evangeliis autem hoc est repertum: *Scitis quia post biduum pascha fiet, et filius hominis tradetur ut crucifigatur.* In his responsionibus confusus ille et flens discessit. Merito, nam hæc ei obvenerunt, eodem enim anno Moroveus pressus ab hostibus, ne in eorum manus veniret, spontanea nece Fredegundis artibus interiit, uti narrat Gregorius Turonensis lib. 5. histor. Francor. cap. 14. et 18.

Ibidem c. 49. narrat Gregorius de se ipso, quod cum A Leudastes calumniator potens, Turonis Platonem Archidiaconum et Galienum in vincula coniecisset, ipse mœstus et turbatus adiit oratorium, ibique Psalterium aperiens, reperit illud Psal. 77. *Deduxit eos in spe, et non timuerunt: et inimicos eorum operuit mare.* Interea ingressi in fluvium, navis illa quæ Leudastem vehebat demergitur, navis vero alia quæ huic innexa erat et vinctos habebat, super aquas auxilio Dei vehebatur. Audi tertium.

Cum S. Martinum populus optaret Episcopum, reclamavit quidam nomine Defensor cum suis, dicens eum esse simplicem et parvæ scientiæ, sed repressus est: cum enim sumpto Psalterio lector unus sacras Litteras de more consuleret, aperto libro incidit in illud Psalm. 8. *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum et defensorem* (sic enim habebat antiqua Gallorum lectio.) Quo lecto clamor tollitur, et pars adversa confunditur, et S. Martinus cathedram infantium et lactentium oraculo Spiritus sancti confirmatam accepit, inquit B Sulpitius in eius Vita.

Ita S. Antonius, S. Franciscus et alii vitæ statum, ut scilicet religiose Deo servirent in paupertate et Christi sequela, captarunt ex lectione vel inspectione S. Scripturæ.

Denique Gregorius Turonens. lib. 2. histor. Franc. cap. 37. narrat Clodoveum moventem castra contra Alaricum, misisse suos ad ecclesiam S. Martini, ut inde victoriæ vel cladis auspicium peterent. Illis ingredientibus ecclesiam, primicerius incepit: *Præcinxisti me* (Domine) *virtute ad bellum; et supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti,* Psalm. 17. Quare animose cerva duce Pictavos perrexit, ibique vicit Alaricum ope S. Hilarii: *Pharus enim ignea de basilica S. Hilarii egressa, visa est ei tamquam super se advenire.*

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit quod, sicut Assyrii prædati sunt Samariam et Galilæam, ita et Christus easdem prædabitur spiritualiter; unde mira eis lux affulgebit et gaudium: quia parvulus natus est nobis, cuius nomen est Deus, fortis, etc. Secundo, v. 9. redit ad sua tempora, atque Syriæ et Samariæ ob scelera cladem et exitium comminatur.

1. PRIMO tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthali: et novissimo aggravata est via maris trans
Iordanem Galilææ gentium. 2. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus
in regione umbræ mortis, lux orta est eis. 3. Multiplicasti gentem, et non magnificasti lætitiam. Læ-
tabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.
4. Iugum enim oneris eius, et virgam humeri eius, et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.
5. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, et vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, et cibus
ignis. 6. PARVULUS enim NATUS est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius:
et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. 7. Multi-
plicabitur eius imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum eius sedebit ut confirmet
illud, et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc.
8. Verbum misit Dominus in Iacob, et cecidit in Israel. 9. Et sciet omnis populus Ephraim, et habitantes Sama-
riam, in superbia et magnitudine cordis dicentes: 10. Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: sy-
comoros succiderunt, sed cedros immutabimus. 11. Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum, et inimicos e-
ius in tumultum vertet: 12. Syriam ab oriente, et Philisthiim ab occidente: et devorabunt Israel toto ore. In o-
mnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta: 13. Et populus non est reversus ad percu-
tientem se, et Dominum exercituum non inquisierunt. 14. Et disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, in-
curvantem et refrænantem, die una. 15. Longævus et honorabilis, ipse est caput: et propheta docens mendacium,
ipse est cauda. 16. Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes: et qui beatificantur, præcipitati: 17. Pro-
pter hoc super adolescentulis eius non lætabitur Dominus, et pupillorum eius et viduarum non miserebitur: quia
omnis hypocrita est et nequam, et universum os locutum est stultitiam. In omnibus his non est aversus furor eius,
sed adhuc manus eius extenta. 18. Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit: et succen-
detur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi. 19. In ira Domini exercituum conturbata est terra, et
erit populus quasi esca ignis: vir fratri suo non parcet. 20. Et declinabit ad dexteram, et esuriet: et comedet ad
sinistram, et non saturabitur: unusquisque carnem brachii sui vorabit: Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen;
simul ipsi contra Iudam. 21. In omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

Vers. 1. PRIMO TEMPORE ALLEVIATA EST TERRA ZABULON.) Prosequitur id quod dixit c. præc. v. 3. puerum nasciturum fore velocem prædatorem Samariæ, tum corporalem, tum spiritualem: perstringit enim duas Samariæ vastationes corporales per Assyrios, atque per eas repræsentat eiusdem deprædationes duas spirituales factas per Christum. Quocirca Syriaca versio et Arabica hæc connectunt cum fine capitis præcedentis. Sensus ergo est, q. d. Primum alleviata, id est, leviter spoliata, levi plaga afflicta, est Samariæ pars: puta tribus Zabulon et Nephthali (utpote extimæ, per quas Assyriis transeundum erat ad alias tribus) per Theglathphalasar regem Assyriorum expugnatæ sunt:

ET NOVISSIMO, id est posterius, deinde (hoc enim est Hebr. אחרון *acharon*) AGGRAVATA.) Id est graviori clade affecta et vastata est a Salmanasar reliqua Samariæ pars, maxime Galilæa, quæ Gentium dicebatur. Salmanasar enim regnum Samariæ evertit, omnesque decem tribus in Assyriam captivas abduxit anno 6. Ezechiæ. Unde ex Hebræo sic clarius vertas cum Vatablo: *Prius levigavit* vel *levem fecit*, id est leviter spoliavit et afflixit, Emmanuel qua Deus, terram Zabulon, et terram Nephthali: postea vero aggravavit, id est gravius afflixit, etc. Galilæam Gentium. Ita S. Th. Hugo, Vatabl. Adamus, Iansenius in c. 25. Concord. Evan. gel. et passim Hebræi.

Duplex sensus. Verum hic non sistit Propheta, ut multi ex eis volunt, sed hunc sensum quasi obiter innuens, alludens et perstringens, per eum alium longe sublimiorem et potiorem intelligit, q. d. Pari, imo longe potiori modo Christus iam natus homo, incipiens exercere nomen et officium prædatoris celeris, quod ei dedi c. præced. v. 3. primo alleviabit, id est leviter prædabitur rapietque e faucibus diaboli, idololatriæ et inferni terram Zabulon et Nephthali: ibi enim Christus primo prædicavit (uti conceptus est in Nazareth, quæ pertinebat ad tribum Zabulon) indeque collegit pene omnes Apostolos, uti docet S. Hieron. Cyrill. Basil. Procopius hic, et S. Chrysost. in demonstrat. quod Christus sit Deus: hinc Apostoli Ps. 67. 28. vocantur *Principes Zabulon*, et *Principes Nephthali*. Hæc ergo prædatio ipsi terræ eiusque incolis felix erit et salutaris; per eam enim ab eis excutietur grave iugum diaboli. Unde Noster vertit, *alleviata est*. Christus enim levi prædatione statim eam alleviavit ab onere infidelitatis et peccatorum, dum multos ex iis ad suam fidem et salutem convertit. Deinde vero gravius prædatus est eamdem, maxime Galilæam Gentium, quando assidue ibi prædicans (non tantum per se, sed et per Apostolos) faciensque miracula, longe plures ex iis convertit. Verum hæc prædatio fuit ei commoda, fecitque eam in fide et gratia opulentam. Unde Forerius τo *aggravata est* exponit *gravis facta est honore et divitiis spiritualibus*.

Probatur. Hunc esse sensum patet primo, ex sequentibus: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam etc.* Secundo, ex S. Matthæo, qui ita hunc locum explicat, nam c. 4. v. 13. de Christo incipiente prædicare ait: *Habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthali: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Terra Zabulon, et terra Nephthali, via maris trans Iordanem, Galilæa Gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Ubi clare hunc sensum exprimit, ideoque omittit τo *alleviata et aggravata est*, quia hæc verba obscura sunt.

Tertio, quia iuxta hunc sensum optime per omnia respondet typus antitypo, scilicet deprædatio Samariæ per Assyrios deprædationi eiusdem per Christum: utramque enim hisce tribus capitibus 7. 8. 9. ita coniungit Propheta, quasi una eademque sit: unde nunc de una, nunc de altera, nunc de utraque simul loquitur.

Quarto, quia Christi prædicationem comparat spoliationi et prædationi militari: ideo enim vocavit eum *Velociter spolia detrahe*, q. d. Christus fuit velox prædator Samariæ et regni diaboli. Quia in Zabulon et Nephthali, ubi cœpit prima Hebræorum idololatria et legis oblivio, ibi et per Christum facta est prima legis novæ prædicatio, ait Glossa. Ideo et hic v. 3. ait: *Lætabuntur, etc. sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Et rursum: *Iugum oneris, et virgam humeri eius, et sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.* Ubi Christum comparat Gedeoni liberatori Israelis et vastatori Madian. Et rursum: *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu.* Mox enim hunc prædatorem explicat subdens: *Parvulus enim natus est nobis, etc. et factus est principatus super humerum eius.*

Quinto, quia Septuag. vertunt: *Hoc primum bibe, velociter fac, regio Zabulon*, q. d. Tu, o terra Zabulon et Nephthali, uti prima bibes calicem vindictæ Dei per Assyrios, ita et prima bibes calicem vindictæ salutaris Christi, qua ipse te de diaboli tyrannide liberabit: nam prima hauries avide et sitibunde doctrinam Evangelicam, quasi cælestem pluviam Christi et Apostolorum, ait Cyrillus: prima etiam bibes aquam in vinum conversam primo miraculo Christi, in nuptiis factis in Cana Galilææ; hæc enim pertinebat ad tribum Zabulon. Favet versio Syriaca, quæ sic habet: *In tempore primo festinavit terra Zabulon, et terra Nephthali; et invaluit dominium* (potestas, imperium) *et via maris, fines Iordanis fluminis, Galilæa gentium;* et Arabica Antiochena: *In tempore pristino properavit terra Zabulon, et terra Nephthali; et id super quo inclinarunt dominium* (potestatem) *suum, et confirmata est* (invaluit) *et roborata est via maris, medium Iordanis fluminis Galilææ;* et Arabica Alexandrina: *Tempore antiquo festinavit terra Zabulon, et terra Nephthali: et roborati sunt præsidentes in via maris, quæ est transitus* (traiecto) *Iordanis Galilæa populorum.* Zabulon enim et Nephthali primo festinarunt ad Christum, primoque eius dominio se subiicientes, robur et vim gratiæ eius senserunt.

Nota. Aliter nec male hæc accipit Hieron. Prado in Ezechiel. pag. 275. Alleviari, inquit, est vilipendi, aggravari est honorari; nam hoc quoque significat Hebr. הקל *hecal* et הכביד *hicbid*, q. d. Olim nihil a Iudæis ducebatur Galilæa, tum quia longius aberat a Ierusalem, tum quia defecerat a Iuda et templo, tum quia habebat abiecta oppida, ut fuerunt viginti illa quæ Salomon dedit Hiram regi Tiri, quæ proinde terra Chabul, id est vilis et ignobilis, sunt appellata: unde et Christus a Iudæis et a Iuliano Apostata per probrum vocabatur *Galilæus*: verum in novissimis diebus hæc Galilæa, eam visitante, incolente et prædicante Messia, erit honoratissima. Simili enim modo dixit Aggæus cap. 2. 10. templum a Zorobabele constructum fore augustius Salomonio, ob Christi in eo præsentiam et prædicationem. Et Michæas c. 5. v. 2. Bethlehem extollit ex eo quod in ea nascetur Christus.

Denique aliqui sic exponunt: Terra Zabulon et Nephthali primo a Christo alleviata est ab onere infidelitatis et peccatorum, quando multi ex ea crediderunt et sunt conversi: postea vero aggravata est eodem onere et iisdem malis, quando multi alii manserunt increduli, in eoque se obdurarunt et obfirmarunt, præsertim Galilæi qui vicini erant Gentibus, ut fecerunt Scribæ et Pharisæi. Unde Zabulon et Nephthali a Christo audivit: *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*, Matth. c. 11. 21. Ideoque Galilæa uti et Iudæa, excisa est a Vespasiano. Verum primus sensus per omnia magis convenit et congruit.

VIA MARIS.) Zabulon et Nephthali dicuntur *via maris*, id est, ora maritima maris, sive lacus Tiberiadis, inquit S. Hieron. huic enim multæ earum urbes adiacebant, uti Bethsaida, Corozain, Capharnaum, etc. erantque ibi multi piscatores, ex quibus vocati sunt Apostoli; unde Sanchez viam maris exponit institutum piscatorium, q. d. Ubi multi vacabant piscaturæ, ubi multi erant piscatores: sic enim vulgo Belgæ dicunt: *t'is een zeeman*, id est vir maris, id est, nauta et piscator. Sed prior sensus est planior.

Secundo, alii, ut Lyran. mare Mediterraneum accipiunt: ad hoc enim venientibus a Iordane via est Galilæa Gentium.

Via maris quæ ? Tertio, optime Adrichomius hanc viam maris ponit inter utrumque mare, eamque ita describit pag. 115. num. 100. in sorte tribus Nephthali: *Via*, inquit, *maris, cuius in prophetia Isaiæ, libro Tobiæ, et Evangelio Matthæi fit mentio, indeque nomen habet quod e Syria in Occidentem ad mare Rubrum, seu Mediterraneum ducat; publica quædam via est, quæ initium in Syria sumens, per montana Trachonitidis regionis, et civitates Cedar et Corozain, atque Iordanem fluvium tandemque urbem Capharnaum transit; illincque per littus maris Galilææ procedens, iuxta civitates Bethsaidam, Nephthali, Sephet, et Naason præterit, et per Galilæam Gentium, ac vallem Aser, quæ nunc S. Georgii appellatur, Ptolemaidem decurrens, merces suas in universum Occidentem distrahendas, ad mare magnum exonerat.*

Trans Iordanem.) Erat hæc via vel ora maris citra Iordanem; dicitur tamen esse trans Iordanem respectu Ierusalem, scilicet quia erat ultra partem illam nobilissimam Iordanis, quam mare Tiberiadis vocamus, quod medium est inter Ierusalem et Galilæam Gentium, inquit Sanchez. Nam, uti dixi can. 39. Scriptura consignat situs locorum respectu Hierosolymæ. Verum quia mare Tiberiadis non solet vocari Iordanis, et quia hoc mare ad latus est Galilææ Gentium, ita ut Galilæa hæc sit quidem ultra, non tamen trans hoc mare; hinc facilius dicemus, hanc Galilæam dici trans Iordanem respectu Syriæ: ex Syria enim ultra Iordanem incipiebat via maris iam dicta, eaque pergebat trans Iordanem, per Galilæam Gentium ad urbem Ptolemaidem, et ad mare Mediterraneum, ut patet ex tabulis Adrichomii, et ex verbis eius iam citatis.

Galilææ Gentium.) Ita Romana. Verti potest Galilæa gentium, uti vertit Matth. c. 4. 15. idemque est sensus: ipsa enim Galilæa vocatur *via maris*, id est, ora maritima: rursum hæc ora erat ora Galilææ Gentium: perinde ergo est sive vertas *Galilææ*, sive *Galilæa*: clarior tamen sensus erit si vertas, *Galilæa*.

Galilæa duplex. Nota. Duplex erat Galilæa, superior et inferior, idque respectu Iordanis cui utraque adiacet. Sicut enim dicitur Germania superior, quæ vicinior est fonti sive origini Rheni defluentis inferius; inferior vero, quæ a fonte longius abest, in quam quasi ex loco supero defluit Rhenus, ita et Galilæa inferior erat, quæ longius aberat a fonte seu scaturigine Iordanis; et in quam sursum oriens Iordanes defluebat: superior vero erat, quæ ipsi scaturigini erat propinquior, eratque vicina Gentibus Tyriis et Sidoniis; unde et *Gentium* dicebatur, quia a Gentibus habitabatur ea illius pars, quæ a Salomone data fuit Hiram regi Tyri, 3. Reg. c. 9. In Galilæa superiori sive Gentium erant Bethsaida, Corozain, Capharnaum, etc. quas Christus sua habitatione, miraculis et concionibus illustravit, uti hic prophetat Isaias.

Vers. 2. Populus, qui ambulabat in tenebris, populus Galilææ, populus Zabulon et Nephthali, versans in tenebris infidelitatis, id est iudaismi mixti cum gentilismo, vidit lucem magnam, Evangelicam veritatem, et Christum ipsum qui est lux mundi: habitantibus in regione umbræ mortis, id est in densissima caligine ignorantiæ et peccatorum, lux orta est eis.) Hoc est, Christi fides, gratia et claritas affulsit. De umbra mortis plura dicam Ierem. 13. 16.

Aliter hæc explicat Iansenius in c. 25. Concord. scilicet non de Galilæis, sed de Iudæis sub Ezechia obsessis a Sennacherib: hi enim viderunt lucem, id est liberationem et lætitiam magnam, cum Angelus cecidit in eius exercitu 185. millia Assyriorum. Verum de Sennacherib et Iudæis nulla hic facta est mentio, atque de Galilæis hæc dici, non de Iudæis, patet tum ex versu præcedenti, tum ex S. Matth. c. 4. 15. Ex quo patet, hæc Isaiæ verba a Christo prædicante in Galilæa ad litteram fuisse adimpleta: Propheta ergo totus ad Christum hic transit.

Vers. 3. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.) Primo, S. Thomas, Lyran. Hugo et Adamus hæc rursum referunt ad Sennacherib, qui multis copiis invasit Iudæam, sed iis cæsis ab Angelo inglorius et tristis ad suos rediit.

Secundo et genuine, alii hæc referunt ad tempus Christi: de eo enim dixit: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, q. d. Tu, o Emmanuel, per te et Apostolos, multos e Galilæis æque ac Iudæis et Gentibus convertes: sed tibi et Apostolis lætitiam non magnificabis: quia videbis tu, et videbunt ipsi multo maiorem eorum partem manere incredulam; et consequenter videbunt cum dolore gentis suæ, puta tam Galilæorum quam Iudæorum, pro quibus ipsi cum Paulo optabant esse anathema, excidium per Titum. Ita S. Hieronymus, Haymo et alii. Hinc dolens et gemens Christus aiebat: *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida.*

Pro *multiplicasti* hebr. est הרבית *hirbita*, quod Forerius et Sanchez vertunt, *magnificasti, auxisti*, id est, ornasti et ditasti eos tuis doctrinis et miraculis, et sic accipi potest nostrum *multiplicasti*, scilicet tuis donis, gratiis et beneficiis: tuncque sensus est planior et commodior. Sic per enallagen sæpe *multus* capitur pro magno, et vicissim *magnus* pro multo: sic enim Hebræi ab eadem radice רבה *raba*, id est, multus fuit, vocant רב *rab*, vel רבי *rabbi*, id est, magnum, puta doctorem vel principem, qui scilicet multa doctrina vel potentia præditus est: sic vocatur multitudo magna, id est multa; populus magnus, id est multus: sic Exodi 8. 24. quarta plaga Ægypti vocatur *musca gravissima*, id est plurima. Vide ibi dicta.

Nota Sept. Chald. et recentiores pro לא *lo* per *aleph*, id est *non*, legunt לו *lo* per *vau*, id est *ei*. Unde contrarie vertunt hoc modo, *multiplicasti gentem, ei magnificasti lætitiam:* quæ lectio et versio etiam verum habet sensum, q. d. Multi ex Galilæis convertentur, unde magna et eorum, et Christi ac Apostolorum erit lætitia.

Lætitiam.) Lætitia hic primo, proprie capitur pro gaudio; secundo, per metalepsin pro fructu prædicationis, puta pro conversione, pietate et profectu Galilæorum in fide et vita Christiana; hic enim Apostolos et præcones lætificare solet, uti messis lætificat agricolam, q. d. Non tam magnus erit fructus concionum Christi et Apostolorum, atque res tanta merebatur.

Apposite hæc adaptat multitudini Clericorum S. Bernard. ser. de convers. ad Clericos c. 29. *Etsi*, inquit, *multiplicasti gentem, Domine, non magnificasti lætitiam, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quam numeri accessisse. Currunt passim ad sacros Ordines, et reverenda quoque spiritibus angelicis ministeria homines apprehendunt, sine reverentia, sine consideratione. Neque enim signum regni occupare cælestis, aut illius timent imperii gestare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia; sed et iniquitas et luxuria etiam principatur, etc.* Vide Concil. Trident. sess. 23. de Reformat. c. 7. usque ad 17.

Toti vero Ecclesiæ hæc adaptat S. Hieronymus in Vita S. Malchi, sub initium, cum ait: *Historiam scribere disposui ab adventu Salvatoris usque ad ætatem nostram, id est ab Apostolis usque ad nostri temporis faciem, quomodo, et per quos Christi Ecclesia nata sit, et adulta persecutionibus creverit, martyriis coronata sit, et postquam ad Christianos principes venit, potentia quidem et divitiis maior, sed virtutibus minor facta sit.* Alii permulti æque vere et congrue hæc attribuunt Religiosis Ordinibus, præsertim iis qui ad proximorum opem instituti sunt: in his enim nulla certior est pestis, quam multitudo et turba hominum, uti experientia nos docet. Nam quæ dicuntur pestes Religionis, et sunt, ambitiones, avaritiæ, voluptates, contentiones, odia, ex multitudine oriuntur. Ac si quis putat in magna hominum turba pacem, concordiam humilitatem, mortificationem, disciplinam, zelum et spiritum conservari posse diu, id putat, quod neque in hunc diem uspiam factum est, neque fiet. In tanta turba necesse est irrepant multi sensuales, torpidi, melancholici, cervicosi, turbatores, cupidi, et aliis titulis inhabiles. Pauci, qui perfecti essent, aut qui ex toto corde ad perfectionem contenderent, omni sæculo inventi sunt: multi qui diu, nullo. Senex est iam mundus, nec mutabit mo-

res, opinor. Quod pretiosum est, rarum semper fuit, et stultorum infinitus est numerus. Pauci ergo et exacte probati in Religionem admittendi sunt, ait noster Ribera in Osee 2. num. 101. Hi enim in Ecclesia debent esse exemplar sanctitatis, et quasi stellæ lucentes in cælo. Quam ergo errant hodie, qui non aliud curant, quam ut suos Ordines augeant numero et propagent, ut novas domos, monasteria, residentias conquirant, vel extruant, parum de disciplina et spiritu solliciti. Hinc scandala, hinc laxatio disciplinæ, hinc votorum violatio, hinc monasteriorum et Ordinum ruinæ. Merito ergo dixit S. P. N. Ignatius, ut ex eo noster Borgia: *Religiosi ordinem suum et gradum non numero, sed virtute tenent.* Ita duodecim Apostoli pauci numero, sed magnæ virtutis, totum orbem converterunt. Quocirca illi ipsi nonnisi paucos et selectos in Societatem nostram admittebant, et posteris ut idem facerent præscripserunt: quin et hac de causa noxios et inidoneos a societate dimittendos censuerunt, uti de facto magno sui et Ecclesiæ bono, hoc onere se levat, iisque se expurgat Societas; uti corpus humanum humores pravos, politicum cives pestiferos amandat et excernit.

LÆTABUNTUR CORAM TE, SICUT QUI LÆTANTUR IN MESSE.) q. d. Nihilominus Galilæi æque ac Iudæi et Gentes a Christo et Apostolis conversi, videntes tantam lucem, gratiam et salutem sibi præ aliis tot incredulis et infidelibus esse impertitam, lætabuntur sicut lætantur agricolæ in messe. Pariter cum eis gaudebunt Christus et Apostoli, qui eos converterunt, perinde ut gaudent victores cum opima ab hoste referunt spolia. Vides hic Christum et Apostolos esse veloces prædatores, uti eos vocavit c. 7. 16. et c. 8. vers. 3.

Vers. 4. IUGUM ENIM ONERIS EIUS. Hæs omnia de copiis Sennacherib ab Angelo cæsis accipiunt S. Thomas, Lyranus et Adamus. Verum nos persistimus in nostra explicatione de Christo; unde Nota *eius*, scilicet Galilææ Gentium, non diaboli. Sensus ergo est, q. d. Iugum servitutis, quo ipsa scilicet Galilæa Gentium quasi onere gravissimo premebatur a peccato et diabolo, eorumque VIRGAM et flagellum humeris et dorso eiusdem incumbens, crucians et affligens; ET SCEPTRUM EXACTORIS, id est, imperium dæmonis qui quotidie quasi durus exactor imponit et exigit a suis peccatoribus iniquissima et gravissima peccatorum tributa ad quæ eos incitat et pene compellit, SUPERASTI, o Emmanuel, o Christe. Ita S. Cyrill. qui apte notat, virgam qua dæmon peccatores verberet, esse suos ipsorum affectus et passiones: hisce enim eos coercet et flagellat; concupiscentiæ ergo dominatus, est Satanæ dynastia. SICUT IN DIE MADIAN,) sicut Gedeon confregit Madianitas famosa illa victoria et die, quæ ab omnibus celebratur. Sic vulgo dicimus *La iournée de Pavie*, dies et victoria quam de Francis retulit Carolus V. apud Ticinum, capto eorum rege Francisco. Sic vocantur *Vesperæ Siculæ*, quibus Galli, et *Matutinæ S. Bartholomæi Parisienses*, quibus Huguenotti sunt trucidati. *Dies* ergo metonymice victoriam et cladem eo die peractam significat.

Gedeon fuit typus Christi. Apposite comparat victoriam Christi victoriæ Gedeonis, qua Israelem Iudic. 7. liberavit cædendo Madianitas; quia ut docent Origen. homil. 8. et 9. in l. Iudic. S. August. ser. 108. de Tempore, Theodoret. quæst. 14. et 15. in lib. Iudic. Gedeon liberator et victor expressus fuit typus Christi redemptoris et triumphatoris. Nam

I. Primo, Gedeon hebraice significat eum qui conterit, confringit, sive exscindit iniquitatem; et ut ipse destruxit aram Baal et lucum succidit, atque altare Domino extruxit: ita Christus Dominus Synagogam subvertit, idola destruxit, Ecclesiam et verum altare ædificavit, iuxta dictum Ierem. cap. 1. 10. *Constitui te ut evellas, et destruas, etc. et ædifices, et plantes.*

II. Secundo, purgabat Gedeon frumenta in torculari: in Christi manu ventilabrum est, ut purget aream suam, idque facit in torculari afflictionum et crucis, sicut et ipse illud calcavit solus.

III. Tertio, obtulit Gedeon sacrificium ex carnibus hædi et

A farina: Christus obtulit se hædum immaculatum per se in cruce, et sub specie panis et vini in Eucharistia.

Quarto, Madianitæ gravarunt servitute populum Dei: diabolus et adversariæ eius potestates genus humanum oppresserunt. Rursum, Madian hebr. dicitur litigans sive iurgator, cum quibus nobis iurgia sunt et colluctatio, si non cum adversariis istis spiritualibus nequitiis et principibus tenebrarum? nonne Christus etiam adversarios nactus fuit rixatores, de quibus Psal. 2. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania, etc. adversus Dominum, et adversus Christum eius?* IV.

Quinto, Gedeon convocavit ad opem sibi ferendam domum Abiezer, id est, patris mei auxilium: Christus solitus est invocare et orare Patrem æternum, et eius in cunctis auxilio niti. V.

Sexto, Gedeon collegit copias ex Aser, Nephthali et Zabulon, qui et occurrerunt ei: nonne ex iisdem tribubus accesserunt ad Christum primi eius milites et duces, puta Apostoli? VI.

B Septimo, Gedeon vellus in area posuit ut rorem exciperet: ros, ut ostendit S. Augustinus, fides est et verbum Dei: hæc primum fuere penes Iudæos tantum qui sunt istud vellus. In area posuit Gedeon vellus; quia illic frumenta triturantur: hæc area est Ecclesia, in qua messis multa, operarii pauci, et in ea vult Christus triturari frumentum sanæ doctrinæ. Expressit rorem in concham Gedeon: Christus in ultima cœna sordes Apostolorum ablutarus aquam in pelvim misit, et quotidie id facit expresso rore in baptismi fonte. VII.

Octavo, postea sicco vellere ros in totam aream migravit: sic verbum Dei et fides transiit in Gentium populum. VIII.

Nono, Gedeon multos dimittit de exercitu; scilicet primo, omnes formidolosos et timidos: sic Christus repudiat ut ignavos milites et indignos discipulos, eos qui non tollunt crucem suam, qui parentes et animam suam non oderunt, qui omnibus non renuntiant; secundo, eos qui curvo genu biberant: ita Christus reiicit eos qui animo C remisso tentationi succumbunt; tertio, paucos Gedeon retinet qui more canum tantum lambuerant aquas: nonne a Christo multi vocati, et pauci electi? tantum scilicet ii qui canibus comparari merentur, quod animal est vigilantissimum, mire velox, domino suo gratissimum et fidissimum, et qui manu haurientes aquam lingua lambuerunt, qui nec strati, nec proni ob peccati sitim vitiis indulserunt; verum flecti nescii ad terrena desideria, et fiducia Domini succincti, stantes audacter pronuntiant illud: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Dominus est salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo.* Ita stantes hauriunt aquam manu, et lambunt lingua quando verbo et opere militant, quando faciunt ipsi iussa Dei, et docent alios eadem facere. IX.

Decimo, fuere cum Gedeone trecenti, ut ipso numero indicent centenum fructum per Christum triplicandum, D et perfectionem virtutum omnium Trinitatis beneficio exhibendam. Præterea Græcis littera T. trecentorum est nota, quæ exprimit crucis formam: crucis autem trophæo spirituales hostes Christus subegit, et sic Gentes, quæ Græcorum nomine in novo testamento solent designari, ad fidem attraxit. Ita D. August. cap. 37. in lib. Iudic. ubi addit hunc numerum etiam in vernaculis Abrahæ consignari, additis tantum decem et octo, ut singulis temporibus senarium tribuentes, tertio tempore quod est tempus gratiæ, id implendum intelligamus. Similia habet S. Ambrosius libro de Noe et arca cap. penult. et lib. de Ioseph patriarcha c. 13. et lib. 1. de Abraham c. 3. X.

Undecimo, descendit Gedeon speculaturus in castra hostium cum puero suo Phara sive Pura. *Pura* torcular significat, quod Dominus solus calcavit. *Phara* divisionem significat, quia divisis per orbem Apostolis Christus spirituales Madianitas subiugavit; et Apostoli in hoc torculari fiduciam habentes intrepide castra verterunt exterorum. XI.

Duodecimo, vidit quidam panem subcinericium volvi, XII.

et castra hostium subvertere. Quid hæc torta panis est aliud, quam sacrosancta Eucharistia, quæ sub humili humanitatis cinere in ardentissimi amoris clibano, passione dico Dominica, excocta fuit, et subruit quotidie omnes acies infernales, omnesque exercitus hostium Ecclesiam Dei impugnantium?

XIII. Decimo tertio, militibus Gedeonis dantur lampades ardentes in vasis testaceis: ita Apostoli, ut de se scribit D. Paulus, thesaurum luminis Evangelici in vasis fictilibus habuerunt, quibus per martyrium fractis persecutores suos vicerunt; nos etiam iubet Christus stare succinctos, habentes lucernas ardentes in manibus, et luce operum fulgere cum tempus est, ut qui nos viderint, laudent patrem nostrum qui in cælis est. Rursum, lagena fictilis, quæ intus continet splendorem ardentis lucernæ, optimum est symbolum Emmanuelis, qui cum tectam divinitatem absconderet in carne mortali, ubi ea per passionem collisa atque confracta est, Divinitas emicuit in resurrectione, atque etiam ipsa eius morte obscurato sole, concussu terræ, et petrarum crepitu fractæ sunt vires Madian, id est, diaboli et tartari.

XIV. Decimo quarto, buccinas sive tubas tenebont in manu læva, inermes cætera milites: ita Apostoli de rebus divinis semper disserebant. Sed cur in Græco hæ tubæ dicuntur corneæ? forte quia de Christo et Sanctis dicitur: *Cornu eius exaltabitur in gloria.* Hoc accidit quando Apostoli edisseruerunt sacramenta scientiæ Christi; mysterium sane crucis cornibus solet designari, ut patet Habac. 3. v. 4. *Cornua in manibus eius.* Rursum in Gedeonis victoria, ubi sine ulla opera hominum deleti sunt hostes, palam apparuit Dei brachium. Quid enim habebat Gedeon præter inanem strepitum lagenarum, quo vix mures abigi potuissent? Et trecentos habebat milites, quos tot millibus hostium opposuit, quibus pro armis dedit hoc inane strepitus terriculamentum. Itaque huic Gedeonis victoriæ divinæ futuram comparat, in qua non minus nuda et illustris Dei manus palam refulgebit, quæ velut igne cœlitus demisso, et contortis repente fulminibus hostes Ecclesiæ delebit. Christus enim dux belli inimicorum exercitus solo nutu et verbo suo profligabit et interficiet, uti dicet c. 11. 4. et 2. Thessal. 2. 8.

XV. Decimo quinto, Madianitæ mutua se cæde truncarunt: sic et hostes Christi Iudæi potius intestina discordia et seditionibus, quam Romanorum armis perierunt: Philosophorum sectæ altercationibus et contentionibus se invicem destruxere; hæretici nostri quotidie ut Cadmæi fraterculi mutuis sese vulneribus conficiunt. Ita allegor. Madianitæ sunt hæretici, qui mutuis dissidiis se invicem conficiunt et interimunt, uti omni sæculo factum vidimus, et hocce tempore in Hollandia fieri videmus. Cum enim hæresis sit superba, sitque proles Satanæ, qui est pater dissensionis, æque ac mendacii, impossibile est inter hæreticos esse pacem et concordiam; unus enim alteri cedere non vult, quisque se sapientem præ aliis reputat, quisque novi aliquid comminiscitur, suisque commentis, uti simia suo fœtu, gaudet, eique abblanditur. Error errori contrarius est, ut vitium vitio. Sola veritas habet pacem et concordiam, quia una est et indivisa. Vere dixit S. Hieronymus in Ezechiel. *Hæreticorum compugnatio nostra victoria est.* Et Hilarius libr. 7. de Trinit. *Bellum hæreticorum, pax est Ecclesiæ.*

XVI. Ultimo, Gedeon Madianitas obiecit iugulandos Ephraimitis: ita Christus et Apostoli reliquere Iudæos incredulos et contentiosos Romanis delendos, ut sequens versus docebit.

Vers. 5. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu.) Primo Forerius sic exponit, q. d. Omnes sanguinarii milites, qui miserorum sanguine conspersa arma et vestes gerunt, cedent igni divino charitatis Christi, atque per eius gratiam truculentiam vertent in mansuetudinem, iram et rixas in charitatem.

Secundo, Sanchez, q. d. Christus prædam hominum e dæmonis manibus extorsit; habebat enim dæmon apud se miserorum hominum, quos in peccatum impulerat,

A quasi vestimenta ipsorum notata et inscripta sanguine, hoc est, chirographum et obligationem, qua se victos et dæmonum servituti addictos fatebantur; has ergo exuvias et hæc servitutis pignora eripuit Deus, atque ita abolevit, ut instar ignis redegerit in cineres, id est, annihilarit.

Tertio, Vatablus hæc de ultione Christi per Titum et Vespasianum accipit, vertitque et explicat hoc modo; quia omnis pugna confligentium cum strepitu, id est, pugna bellantium Romanorum contra Iudæos, hostes Christi et Christianorum, erit cum impetu, vibratione et agitatione hastarum, erit acris; et vestes pugnantium contaminabuntur sanguine cæsorum, ideoque erunt in incendium et cibus ignis, id est, comburentur, q. d. Non erit incruenta victoria.

Quarto, D. Thomas et Hugo hæc de militibus Sennacherib accipiunt, qui cum vestimenta sua Iudæorum sanguine imbuissent, per Angelum cælesti igne, ut tradunt Hebræi, consumpti sunt.

B Quinto et genuine, τὸ *quia* dat causam cur dixerit: *Superasti sicut in die Madian.* Sensus ergo est, q. d. Sicut Gedeonis violenta prædatio facta est cum tumultu castrorum Madian, et cuiusvis ducis violenta prædatio solet fieri cum tumultuosa hostium strage ac fuga: ita Christi prædatio violenta tumultum movit tum in tartaro, tum in castris mundi et dæmonis, demonesque inter se tumultuantes fugavit et prostravit, adegitque in tartara.

Rursum, sicut vestis quæ in bello humano sanguine cruentata est, lavari non potest, sed igne comburitur, uti vestes Madianitarum tinctæ sanguine, vel Iudæorum quos occiderant, vel proprio cum ipsi cæderentur, a Gedeone combustæ sunt cum ipsis eorum cadaveribus: ita dæmonum cohortes cruentatæ quasi sanguine, tum hominum, quos vel occiderunt vel perdiderunt, tum proprio, cum a Christo profligatæ et cæsæ sunt, gehennæ ignibus deputatæ iis exurentur. Ita S. Hieron. Basil. et Rupertus. Hic

C sensus videtur præ cæteris appositus. Est enim catachresis et metaphora a militia et prælio, in quo corpora et vestes hostium cruentæ comburuntur: sic enim Christus hostes ipsos, scilicet, dæmones, eorumque asseclas comburet. Vestis ergo pro milite cuius est, puta pro dæmone, ponitur. Loquitur enim de dæmonibus quasi militibus anthropopathῶs; unde iis attribuit vestes et sanguinem. Simile est cap. 63. 3.

Septuag. vertunt: *Quia omnem stolam congregatam fraude, et vestimentum cum commutatione restituent, et cupient ipsi esse combusti.* Quod Euseb. l. 7. Demonstr. 3. accipit de Iudæis Christum per vim et fraudem ac subornationem falsorum testium occidentibus, vestemque eius cruentantibus, rapientibus et dividentibus, ideoque igni tum Romanorum, tum æterno gehennæ adiudicatis. Ait ergo Euseb. vestimenta illa fore quasi facem illius incendii, quo postea Iudæi conflagrarunt. Hæc enim fuit iusta eorum commutatio et quasi restitutio.

Alii vero versionem Septuag. exponunt, q. d. Christus homines a potestate dæmonum eripiet, idque tam ægre

D ferent dæmones, ut minus horreant gehennale incendium, quam sibi prædam illam extorqueri. Ita S. Hieron.

Parvulus enim natus est nobis.) Ecce hic est victor et prædator, causa victoriæ iam dictæ, de quo c. 8. v. 4. et cap. 7. 16. dixit, quod a pueritia et ab utero prædari incipiet, scilicet parvus Emmanuel; qui tamen simul est admirabilis, Deus, fortis, etc. Hic est Gedeon noster, qui spirituales Madianitas confecit. Hebraice est pulchra paronomasia ילד ילד לנו *ieled iullad lanu*, q. d. *Gnatus*, scilicet puer, *natus est nobis*; puer, inquam, tum ætate et statura, tum simplicitate et innocentia, sed vir, imo gigas maximus sua virtute et fortitudine. Hinc fideles et sancti vocantur *pueri*; nam ut ait S. Ambros. in Psal. 36. *Christus docuit nos pueritiam esse virtutem*, *dicens*: *Nisi efficiamini sicut parvuli*, *non intrabitis in regnum cælorum.* Vide dicta cap. præced. vers. 18. Vers. 6.

Nota. Τὸ *Parvulus natus est nobis*, quasi idem est cum eo quod subdit, et ob elegantiam, ac delicias amoris re-

petit: *Et filius datus est nobis.* Euseb. tamen Emissen. (vel potius Eucherius, huius enim stylum redolent hi sermones) hom. 1. hæc distinguit: *Natus est*, ait, *nobis, qui sibi erat; datus est ergo ex divinitate, natus ex virgine. Natus, qui sentiret occasum; datus, qui nesciret exordium. Natus, qui et matre esset iunior; datus quo nec Pater esset antiquior. Natus, qui moreretur; datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic qui erat datus est, qui non erat natus est. Illic dominatur, hic humiliatur; sibi regnat, et mihi militat.* Similia habet Isidorus l. 1. de Fide c. 6. Rursum S. Ambr. l. 3. de Spiritu sancto c. 2. Datus est, ait, nobis Christus et a Patre, et a Filio (a seipso) et a Spiritu sancto. Apage ergo impia Nestorii vox: *Nunquam ego Deum bimestrem aut trimestrem dixerim*, nunquam parvulum, nunquam hominem natum.

Pulchre S. Aug. ser. 27. de Tempore, loquens de Christo nascente: *Magnus*, ait, *dies angelorum parvus fit in die hominum. Conditor solis, conditus sub sole. Effector cæli et terræ, sub cælo exortus in terra. Ineffabiliter sapiens, sapienter infans. Mundum implens, in præsepio iacens. Sidera regens, ubera lambens. Ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi, ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur. Neque enim, quando membra humana suscepit, opera divina deseruit, etc. Ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, et nos gustaremus quam suavis est Dominus.* Et S. Bernardus ser. 4. super *Missus est: Magnificetur*, ait, *a nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus. Parvulus, ait, natus est nobis, non sibi, non Angelis, qui cum magnum haberent, parvulum non requirebant.* Unde infert: *Iam de nobis nato et dato faciamus ad quod natus est et datus. Utamur nostro in nostram utilitatem, de Salvatore salutem operemur. Ecce parvulus in medio statuitur. O parvulus, parvulis desideratus! Studeamus effici sicut parvulus iste; discamus ab ipso quia mitis est et humilis corde, ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus eius humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lavemur in sanguine eius, ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris; quoniam ad hoc ipse natus et datus est nobis.*

Et factus est principatus super humerum eius.) q. d. Hic parvulus erit, imo nascetur princeps, rex et imperator orbis, cæli et terræ dominus; talis enim fuit Christus ab initio conceptionis suæ, idque ex vi originis suæ, scilicet propter unionem hypostaticam cum verbo. Quocirca potuisset Christus qua homo Augustum, omnesque reges suo regno deponere; verum noluit in hac vita corporali hoc imperio et regno uti, sed tantum spiritali.

Porro ait hunc principatum esse in humero, Primo, quia magistratus, vel pro iis satellites, humeris gestant virgas vel fasces, quasi signa regiminis et imperii. Principatus ergo, id est, sceptrum vel fasces, quæ sunt symbola principatus, portantur humero. Secundo, principatus vel sceptrum gestatur humero, ut significetur principem debere esse quasi humerum populi, ut eum eiusque onera instar humeri ferat et sustentet, sicut Atlas dicitur humeris suis sustentare cælum. Hinc princeps hebraice dicitur נשיא *nassi*, id est portitor, baiulus sui populi ac reip. Hinc et Elisæus Eliæ dum raperetur, acclamabat: *Pater mi, currus Israel et auriga eius*, q. d. Quo raperis, o Elia? quis iam sustentabit Israelem? tu enim eum sustentabas, tu quasi currus onera Israelis portabas, eumque dirigebas, sicut auriga dirigit equos in curru iugatos. Princeps ergo in republica quasi in curru aurigatur et præsidet, et simul quasi currus, et quasi humerus, eam baiulat et portat. Tertio et peculiariter ac pientius, *humerus* in Scriptur. præsertim cum Christo tribuitur, significat obedientiam, submissionem et patientiam; alludit ad *virgam humeri*, v. 4. q. d. Diabolus et tyranni suam virgam et sceptrum, puta onera imperii sui, imponunt humeris subditorum: at Christus suis humeris sustinebit virgam et onus sui principatus, præsertim quia Christus insigne et sceptrum imperii sui, puta crucem, humeris suis baiulabit, atque regnabit a ligno Deus, uti canit Ecclesia. Ita exponunt Hebræi apud Galatin. l. 3. 19. et S. Basilius, Cyrillus, August. et passim alii Patres, quos fuse hic citat Leo Castrius.

Princeps est baiulus reip.

Audi inter alios Tertull. l. contra Iudæos: *Quis*, ait, *omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert et non aut in capite diadema, aut in manu sceptrum? sed solus rex novus novorum sæculorum, Christus Iesus, novam gloriam, potestatem et sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet, ut secundum Davidis prophetiam* (Ps. 95. 10. iuxta Septuag.) *exinde regnaret.* Aquila, ait S. Hier. deceptus pro משרה *misra*, id est principatus, legit משרה *mesura*, id est mensura: quod tamen recte applices mensuræ et dimensionibus crucis Christi, de quibus dixi Ephes. 3. 18. Aliqui per cabalam subtiliter hic explicant vocem משרה *misra*, quasi per crasin idem sit quod מסיר שרה *missir sara* (littera enim *sin* æquipollet litteræ *samech*, hoc est, *ex spina imperium*, ut significetur, quod Christus per spinas et cruces adeptus sit imperium, ut quia olim gestavit coronam spineam, nunc gestet imperialem, auream, et gemmeam. Sicuti Christus apparuit B. Catharinæ Senensi, offerens ei duas coronas, unam spineam, alteram gemmeam, iubens ut alterutram eligeret in hac vita, alteram habitura in futura. Quare ipsa elegit spineam, eamque capiti suo valide impressit, ut in futuro haberet gemmeam. Ita regnavit a ligno Deus, et regnant eius Sancti.

Et vocabitur nomen eius, Admirabilis.) Sex hic nomina dantur parvulo nostro Emmanueli: primum est, admirabilis; secundum, consiliarius; tertium, Deus; quartum, fortis; quintum, pater futuri sæculi; sextum, princeps pacis; septimum addunt Septuag. Magni consilii Angelus, de quo mox: hæc enim singula a singulis aliis distinguenda, et commate dispungenda sunt, uti dispungunt Biblia Romana, Theodotion, Aquila et Symmachus, teste S. Hieronymo.

Christus vocatur Admirabilis, cur?

Audi S. Bernard. ser. 10. inter parvos, singula hæc paucis explicantem: *Admirabilis, ait, est in nativitate, consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in passione, pater futuri sæculi in resurrectione, princeps pacis in perpetua beatitudine.* Deinde tropologice singula hæc nomina conversis et iustificatis adaptans, docet ea omnia includi in nomine Iesu, id est salvatoris; ait enim tam hic quam clarius serm. 2. de circumcisione: *Numquid non vere admirabilem eum singuli sumus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum? Hoc nempe est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere quod diligebamus, dolere unde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane, qui hæc operatur mirabilia. Sed nihilominus et consiliarium sese exhibeat necesse est in electione pœnitentiæ, et vitæ ordinatione; ne forte sit nobis absque scientia zelus, et voluntati bonæ prudentia desit. Sane opus est ut Deum quoque probemus in remissione videlicet priorum delictorum, quia nec sine hac salus nobis constare potest; et nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus.* Subdit deinde cætera tria eius nomina. *Verum ne id quidem sufficit ad salutem, nisi fortem quoque experiamur in expugnando impugnantes nos, ne ab eisdem rursum concupiscentiis superemur, et fiant novissima nostra peiora prioribus. Videtur ne iam aliquid deesse Salvatori? Plane deesset quod maximum est, nisi et pater esset futuri sæculi, ut per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per præsentis sæculi patrem generamur ad mortem. Neque hoc satis, si non etiam princeps pacis patri nos reconciliaret, cui traditurus est regnum; ne forte sicut filii perditionis utique non salutis, resurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicabitur sane eius imperium, ut merito Salvator dicatur etiam pro multitudine salvandorum; et pacis non erit finis, ut veram noveris esse salutem quæ non possit timere defectum.*

Admirabilis.) Hebr. est פלא *pele*, id est mirabilis, mirificus. Significat hac voce Propheta, in Christo recon-

ditos esse inæstimabiles rerum mirabilium thesauros. In voce *pele* alludit ad angelum Christi prodromum, qui ad Manue ait Iudic. 13. 18. *Cur quæris nomen meum quod est mirabile?* imo S. Augustinus q. 52. 53. 54. in l. Iudicum, censet angelum illum dictum *pele*, id est mirabilem, fuisse Christum magni consilii angelum, ut vertunt hic Septuaginta; ideoque cum in flamma cum sacrificio ascendisse, ut significaret Christum hominem factum non accepturum sacrificium, sed ipsummet fore sacrificium. Verum verius est angelum illum fuisse verum angelum, non Christum, sed Christi typum. Symmachus, teste Eusebio l. 7. Demonstr. 3. vertit παραδοξασμος, q. d. Paradoxum quiddam, incredibile, inopinatum, ipsa admirabilitas, vocabitur hic parvulus: nam primo, admirabilis est et incomprehensibilis eius divinitas, æternitas, maiestas.

Secundo, quia mirabilis est eius potentia, et operatio, ac præsertim creatio et gubernatio totius universi.

Tertio et proprie, quia mirabilis fuit eius conceptio et nativitas ex Virgine per inoperationem Spiritus sancti. Mirabilis quoque fuit eius vita, doctrina, passio, mors et resurrectio: unde Isaias vocat eum *portentum*, c. 8. v. 18. Præclare S. Cyprian. tract. de Nativit. Christi: *Mirabitur*, ait, *et dilatabitur cor tuum, quando intelliges profundissimum sacramentum, in eo quod contemptibilis factus est admirabilis; et qui literas non didicit, nec legibus instructus est, sufficiens sit divinarum humanarumque rerum consiliarius; quomodo divinitas et humanitas in unam personam convenerint; et ubi æstimata est infirmitas, fortitudo inventa sit, et corpus humilitatis nostræ divinæ claritati configuratum, non in hoc mundo, sed in cælesti gloria perpetuum habeat principatum.* Et infra: *O Domine, quam admirabile est nomen tuum! vere tu es Deus qui facis mirabilia. Non modo mundi huius staturam admiror, non stabilitatem terræ, non lunæ defectum, non solem semper integrum, et laborem eius perpetuum, etc. Miror Deum in utero Virginis, miror Omnipotentem in cunabulis, miror quomodo Verbo Dei caro adhæserit.* Et mox: *Miror ieiunium, miror tentationes, miror Omnipotentem in sepulcro iacentem, miror occisum et resurgentem, etc.*

Quarto, quia mirabilis est eius gratia in Sanctis suis Martyribus, Confessoribus, Virginibus, adeoque Christus cuilibet Sancto dat propriam aliquam gratiam, qua aliis præcellat, sitque admirabilis, uti experientia quotidiana nos docet. Invocent ergo Emmanuelem ut *pele*, id est, admirabilem, quicumque magna et heroica animo destinant, ut virtute et gratia huius *pele* faciant illustria et mirabilia; ipse enim est qui facit mirabilia magna solus; ipse est mirabilis in Paulo (qui vere fuit *pele*, ut dixi Galat. 1. v. 15.) omnibusque Sanctis suis; et mirabilior erit iisdem in futura gloria, ut docet S. Paulus 2. Thessal. 1. v. 10. Vide ibi dicta.

Porro e Iudæis hunc locum de Christo ita exponit Rabbenu Haccados, id est magister noster sanctus qui ante adventum Christi temporibus regum Antiochorum, qui in Syria regnabant, floruit, in libro, cui nomen גלא רזיא *Gale razeya*, id est, revelator arcanorum. Is ergo (licet fuerit quidam alius eiusdem nominis sub Severo et Antonino Imperatoribus) ita scripsit: *Quia Messias Deus et homo futurus est, vocatum est nomen eius Emmanuel, hoc est nobiscum Deus, nempe in corpore et carne nostra, quemadmodum testatur Iob cap. 10. Ex carne mea videbo Deum. Excogitavit enim mirabile consilium animas a dæmone eripiendi, quæ propter Adæ peccatum damnatæ erant, neque possunt ullo modo esse salvæ, nisi rex Messias mortem acerbissimam multaque subeat tormenta: ob eam causam dictus est vir: et quia ipsius est omnis fortitudo, Deus fortis vocatur; et quia est æternus, pater sempiternus dicitur; item quia in diebus eius pax multiplicabitur, princeps pacis appellatur; et quia ipse festinabit ut auferat animarum spolia, vocatur expeditus spoliator, festinus prædator, quia autem eos salvos faciet, et ad paradisum adducet, vocatur Iesus, hoc est salvator.* Hæc Rabbinus ille, quæ divinitus illustratus videtur ante adventum Christi cognovisse in Isaia.

Consiliarius, cur?

CONSILIARIUS.) Sept. iuxta editionem Romanam (nam aliæ editiones hic variant) quam sequitur S. Basilius, Cyryllus, Procopius et translatio Arabica et Syriaca, quæ Romæ exstant ex Græco Septuag. traductæ; Septuaginta, inquam, tot augustorum Emmanuelis nominum maiestate perterriti, ait S. Hier. pro iis omnibus, puta sex, posuerunt unum, scilicet *Magni consilii Angelus*. S. Cyprianus Græcum βουλης, vertit: *Magnæ cogitationis Angelus*, id est legatus et nuntius; inde ab Orpheo, qui multa didicit a Iudæis vocatur *phanes*, id est angelus, a φαινω, id est manifesto, declaro, nuntio, ut testatur Proclus lib. 4. in Timæum. Rursus Chaldæus hoc epithetum iungens cum primo vertit: *Admirabilis consilii Deus*. Noster melius hæc separat, seorsumque vertit *consiliarius*. Parvulus ergo noster est consiliarius, primo, ob scientiam et sapientiam eius divinam, in qua eadem sunt consilia Patris, et Filii, ac Spiritus sancti, et per quam angelorum et creaturarum omnium est magister et director. Ita Clemens l. 6. Strom et Lactant. l. 4. de Relig. c. 6. ubi asserit Verbum incarnatum a Sibylla quoque vocari *consiliarium*, eo quod per eum mundus hic sapientissime, uti fabricatus est, ita et regatur a Patre. Huc etiam allusisse videtur Plato in Epinomide, cum ait Deum sedere in cælo quasi magistrum in cathedra, ut doceat omnes homines, qui intenti esse volent, ea quæ sunt sapientiæ et salutis.

Secundo, Emmanuel est consiliarius quo homo, ob scientiam eius beatam, qua a primo instanti conceptionis suæ perfectissime in ipso Deo conspiciebat omnia Dei consilia circa sæculum præsens et futurum, circa Angelos et homines, circa electos et reprobos.

Tertio, et propriissime, est consiliarius; quia prudentissime et fidelissime peregit consilium et dispensationem œconomiæ Dei de humana redemptione facienda per eius incarnationem et passionem; quod omnium Dei operum maximum et divinissimum fuit, ac præsertim mysterium vocationis omnium Gentium, ac reprobationis Iudæorum, ait S. Hieron. et Basilius.

Huc pertinet illud S. Cyrilli, et S. Cypriani lib. de Nativitate Christi in fine: Christus, ait, consiliarius dicitur, quia docuit homines arcana Dei et SS. Trinitatis, cæteraque ad salutem necessaria, puta divina mandata et instituta, quibus homines ad vitam novam et cælestem erudivit, omniaque diaboli consilia, artes et fraudes detexit et discussit; hinc enim lex Dei sæpe vocatur *consilium*, ut Psalm. 118. *Consilium meum iustificationes tuæ*. Ita et S. Dionysius lib. de Cæl. hierarch. c. 4. et Iustinus contra Triphonem: *Christus*, inquiunt, *vocatur magni consilii Angelus; quia Patrem nemo novit nisi Filius, qui quæ a Patre accepit, revelat nobis, ipse verbum Patris, ipse mundo evangelizavit.*

Christus factus est homo, ut daret in se exercitium omnium virtutum.

Ubi Nota inter alia, unum mirabile Dei et Christi consilium in eius incarnatione, nimirum quod inter alias causas, cur voluerit incarnari, una fuit, ut daret nobis obiectum et exercitium heroicum omnium virtutum, nimirum primo, fidei, qua credimus Verbum carnem factum. Quis enim crederet hunc parvulum iacentem in præsepio ac vagientem, esse Deum Creatorem, nisi fides heroica id dictaret et imperaret? Secundo, spei. Quis enim non speret a Deo salutem omneque bonum, cum eum videt pro se et sua salute hominem factum, passum et mortuum? Tertio, amoris. Quis enim non summe redamet eum qui nos ita amavit, ut voluerit fieri frater noster, caro nostra, quique ait: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum?* Quarto, religionis. Heroicus enim religionis actus est hunc hominem similem nobis, miserum et infirmum; puta Iesum Christum, adorare eadem latria, qua adoratur ipsa SS. Trinitas. Quinto, iustitiæ. Quis enim non summe amet iustitiam, cum pro ea videt Deum suum crucifixum, ut scilicet hac cruce iniuriæ Deo per peccata nostra irrogatæ, ex iustitia satisfaceret? Sexto, patientiæ. Quis enim non generose patiatur omnia etiam acerbissima, cum videt Deum tam patienter et fortiter omnes contumelias, omnes cruciatus, omnem pauperiem sustinere? Septimo, obedientiæ. Quis enim non obediat, cum videt Filium Dei

Patri obedientem usque ad mortem et mortem crucis? Nono, humilitatis. Quis enim non se humiliet et deprimat usque in abyssum, cum aspicit Deum in humanitate omnino quasi se exinanire? Quis sibi non dicat: Quid superbis, terra et cinis? Deus se summe humiliat, et tu te exaltas. Idem est de temperantia, modestia, prudentia, aliisque virtutibus.

Pari modo mirabile fuit Dei consilium in instituenda Eucharistia. Ut enim alia taceam, Deus in ea se recondens, voluit nobis dare continuum heroicæ fidei, spei, et aliarum virtutum exercitium. Hic enim fides heroica credit et dicit: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Salvator.* Hic spes a Deo præsente, quem realiter sumit et manducat, bona omnia fidenter exspectat. Hic amor inardescit, cum fidelis reipsa corpori Christi unitur, dicitque: *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Hic latriæ heroicæ præsens semper et visibile habemus obiectum, illudque arduum, et sensus omnes transcendens. Hic humilitatem Christi miramur qua ad speciem panis, imo eius punctum quodlibet se demittit, ac quasi coarctat et abbreviat. Hic obe- B dientiæ, temperantiæ, mortificationis, patientiæ, etc. Vivos semper habemus stimulos et obiecta, cum in hac manducatione iuxta præceptum Apostoli mortem Domini annuntiare, repræsentare, memorari et imitari satagimus.

Denique Haymo: Christus, ait, est consiliarius, quia ab ipso omne sanum consilium procedit, ac præsertim castitatis, paupertatis, aliaque consilia Evangelica, quæ sunt supra naturam mundique ac humanæ rationis captum excedunt. Ita et S. Cyprianus supra, qui et addit: Noli in hisce eius consiliis sequendis metuere difficultates et tentationes. Nam qui hæc tibi consulit, idem est et Deus, et fortis. *Quia*, inquit, *qui mundum vicit, victoriam suis promittit militibus, et qui victores sunt sui, cælo vim inferunt. Regnum enim cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. In parvuli huius nomine cum hoste antiquo congredimur. Defectui carnis nostræ, quæ a primitivis fæcibus originalis mali infecta langueral, ex Christi carne redditur fortitudo; et Sacramentorum communicatio, per* C *quam illius corporis sinceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut de mundo et de diabolo et de nobis ipsis victoria potiamur. Sic hi ad quos sermo fit, dicuntur dii, et filii Excelsi, nominis et hæreditatis et æternitatis participes, fortitudine societatis Christi subigentes certamina; et cum homines sint ex indigniore materia, in captivitatem redigunt, et conspuunt ligantque dæmonia.* Et S. Bernardus de iis qui audiunt Deum in corde vocantem ad statum perfectionis, et tamen eum sequi trepidant: *Quid times?* inquit, *quid dubitas? vocat te magni consilii Angelus, quo nemo est sapientior, nemo fortior, nemo fidelior.*

Moraliter idem Bernard. serm. 23. inter parvos: *Tria*, inquit, *proposuit Christus magni consilii Angelus animæ rationali ad imaginem Trinitatis factæ: scilicet servitutem, vilitatem, asperitatem. In abnegatione sui servitus, in toleratione crucis vilitas, in imitatione Christi designatur asperitas: ut quæ per inobedientiam de statu trinæ felicitatis ceciderat, humiliata trinæ afflictione miseriæ per obedientiam resurgat. Ceciderat enim a seipsa, a societate An-* D *gelorum, a visione Dei, id est, a libertate, a dignitate, a beatitudine. Audiat ergo consilium, ut abnegando seipsum, id est, propriam voluntatem, sui libertatem recuperet; tollendo crucem suam, id est, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo, per continentiæ bonum recuperet societatem Angelorum: sequendo Christum, id est, eius passionem imitando, recuperet claritatis eius visionem: quia si compatimur ei, et conregnabimus.*

Si ergo hæres in dubio, fluctuas, nescis quid agendum, quid eligendum sit; adi magni consilii Angelum. Si parvi es animi, depressæ mentis et consilii; invoca magni consilii Angelum. Si in salebris versaris, perplexus es, non potes te expedire, te resolvere; consule magni consilii Angelum. Si de statu vitæ deliberas, ignoras quis tibi sit salutaris, quis capessendus; implora magni consilii Angelum, is tibi instar columnæ Hebræorum in deserto viam ostendet, et præibit in cælum. Si in periculis, in perse- A cutionibus, in ærumnis, in arctis positus exitum non vides, obsecra magni consilii Angelum, dicito cum Iosaphat rege siti presso et ab hoste obsesso: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*, 2. Paralip. 20. 12. Et cum Esther c. 14. 3. *Domine mi, qui rex noster es solus, adiuva me solitariam, et cuius præter te nullus est auxiliator alius. Periculum meum in manibus meis est, etc. Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, etc.* Et cum Iudith. c. 9. 12. *Fac, Domine, ut gladio proprio eius superbia amputetur: capiatur laqueo oculorum suorum. Da mihi in animo constantiam, etc. Da verbum in ore meo, et in corde meo consilium corrobora.* Sic quoque fecit Ezechias obsessus a Sennacherib, 4. Reg. 19. 15. et David fugiens Absalonem, Psal. 3. et Saulem, Psal. 7. et 53. et 55. et 56. et 57. Et Daniel exquirens a Deo somnium regis, Daniel. 2. 18. Et Iudas ac Machabæi obsessi ab Antiocho, Nicanore, aliisque hostibus. Denique illustre exemplum est in Vita Iosaphat apud Damascen. cap. 30. cum enim ipse fraudulenter a fœmina Gentili instinctu patris tentaretur, ut secum una nocte cubaret, adderetque illa sponsionem, si id faceret, se futuram Christianam; videret ergo ne animam perderet, quam tam parva re lucrari posset: hæsit ille perplexus: sed conversus ad orationem, cognovit fraudes serpentis, tentationemque superavit, et astum patris et mulieris sua sapientia et constantia discussit.

Deus.

Deus.) Hebr. est אל *el*, id est, Deus, qua robustus et invictus, qui facile ardua omnia superabit, bella omnia conficiet, hostesque profligabit. Perfide ergo Aquila, Symmachus et Theodotion, ac Lutherus, et auctores versionis Flandricæ Embdensium et Delphensium Bibliorum *el* vertunt *fortis* tantum, omisso nomine *Deus.* Quibus opponimus Chaldæum, R. Haccados, S. Hieron. quin et alios hæreticos, ut Œcolampadium, Strigelium, Leonem Tigurinum, Castalionem, et Genevenses, qui omnes *el* vertunt *Deus*, et ita vertendum esse patet, quia sequitur *fortis*; esset enim tautologia dicere *fortis*, *fortis.* Rursum Ieremias cap. 33. 16. in Hebræo Christum vocat *Iehova*, id est, Deum. Quocirca recte noster Possevinus lib. de Atheismis hæreticorum c. 2. et 3. inter atheismos et arrianismos Lutheri ponit et hunc, quod hoc loco parvulo Emmanuel sustulerit nomen *Deus*, nec monitus licet de hac re illud reposuerit; quodque ex epistola S. Ioannis expunxerit illud: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*, quodque ex Litaniis eraserit illud: *SS. Trinitas unus Deus, miserere nobis.* Nota. Christus, qua natus parvulus; qua homo, vocatur Deus, per communicationem idiomatum. Hæc enim nomina omnia illi, qua natus est parvulus, imponuntur.

Fortis.

Fortis.) Hebr. est גבור *ghibbor*, id est, potens, vir validus quasi gigas, et, ut Vatablus vertit, heros fortis. Unde eius ortum annuntiavit *Gabriel*, quod nomen interpretatum significat potentiam et fortitudinem Dei, vel Virum Deum. Christus enim heroica et incomparabili fuit fortitudine. Primo, quia tot labores exantlavit, tantas superavit difficultates, mortem tam crudelem constantissime pertulit, uti explicat S. Bernard. Secundo, quia ipse quasi iudex vivorum et mortuorum potentes potenter condemnabit, inquit Rupert, et malos in virga ferrea regens, tandem sicut vasa figuli confringet. Tertio, quia sine eius auxilio vana est omnis creaturæ fortitudo, inquit Haymo. Quarto, quia nos in omni tribulatione protegit et roborat, atque a nobis aereas potestates arcet et repellit, inquit S. Bernard. Quinto et maxime, quia potentissimum regnum diaboli, peccati et concupiscentiæ evertit.

Pater futuri sæculi.

Pater futuri sæculi.) Primo, quia Christus futurum sæculum, id est, futuros Christianos, ad novam et Evangelicam vitam, atque ad sanctitatem futuri sæculi instituit. Ita Sanchez. Sicut ergo Noe, ita et Christus novi sæculi fuit auctor et parens. Unde de eo canit Sibylla apud Virgil. eclog. 4.

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, et toto surget gens aurea mundo,
Casta, fave, Lucina.

Secundo, quia Christus post passionem resurgens, et in cælum ascendens cæli ianuam nobis patefecit; atque resurrectionem, ac vitæ æternæ præmia patiendo et moriendo nobis promeruit, inquit S. Hieronym. Haymo, Rupert. Unde Chaldæus vertit, *vir permanens in æternum.* Proprie vero vertit Vatablus, *pater æternitatis.* Adam genuit nos tempori, Christus æternitati: Adam genuit nos morti, Christus resurrectioni: Adam genuit nos terræ, Christus cælo. Unde S. Gregor. homil. 8. in Evang. *Quid est*, ait, *quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quod ille apparebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate?*

Princeps pacis. PRINCEPS PACIS.) Hoc est nomen Christi etiam ex consensu Rabbinorum; unde eius typus fuit Salomon, id est, rex pacificus. Ratio nominis est: primo, quia Christus pacem orbi dedit, et moriens testamento legavit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, Ioan. c. 14. v. 27. Secundo, quia Christus morte sua parietem medium, qui inter Deum et homines erat, dissipavit; et hominem Deo, summa imis reconciliavit, Ephes. 2. v. 18. Roman. 5. v. 10. Ita S. Hieron. Rupert. et Haymo. Quocirca pie et nervose S. Leo serm. 6. de Nativit. *Natalis*, ait, *Domini, natalis est pacis: ergo singuli fideles offerant patri pacificorum concordiam filiorum.*

Tertio, quia fines nostros posuit pacem sempiternam, et hic et in cælis, Ps. 140. v. 14. Ita S. Bernardus.

Quarto, quia ipse auctor est et dator pacis internæ, qua iustorum conscientiæ perfruuntur. Si ergo conscientia tua ob peccata aut scrupulos te angit et lancinat, adi principem pacis, eum invoca, illius gratiam ambi: ille mentem tuam serenabit.

Quinto, quia ipse est ex omni parte dives et fortunatus, ditium ditissimus et felicium felicissimus, qui suos cælestibus et æternis bonis ditat et beat. Mos enim Hebræis est nomine *pacis* significare omne bonum, omnes opes, omnes prosperitatem et copiam. Ita Ludovic. Molina 1. p. q. 27. art. 1. disp. 2.

Vers 7 MULTIPLICABITUR EIUS IMPERIUM.) Dixerat parvulum nasciturum fore principem pacis: nunc dicti rationem subdit, quia multiplicandi imperii eius pacis nullus erit terminus, nullæ metæ: nam *dominabitur a mari usque ad mare, et adorabunt eum omnes reges terræ*, Psal. 71. cum antea soli Iudæi Deum colerent, et ab eo Messiam exspectarent.

In Hebræo est לםרבה *lemarbe*, id est, multiplicabitur, ubi præter normam in medio est *mem* clausum sive quadratum, cum deberet esse rotundum et apertum, quo aliqui significari putant perpetuam virginitatem Deiparæ, sive matris parvuli huius principis, sicuti eadem significata fuit per portam clausam Ezech. 44. v. 2. Alii per *mem* quadratum putant significari, quod per quatuor mundi plagas dilatandum esset Christi imperium. Tertii *mem* quadratum arithmetice accipiunt, ut significet annos sexcentos, quos putant fluxisse ab hac prophetia usque ad ortum Christi. Ita R. Hammay in lib. Sanedrim, Finus contra Hebræos l. 2. c. 7. et Galatinus l. 7. c. 13. Sed errant; nam fluxerunt plures quam septingenti. Ego hæc ad Massoretarum et Cabalistarum inventa, et symbola Iudaica refero. Multa enim talia ab eis in textu Hebraico passim facta esse videmus.

ET PACIS NON ERIT FINIS.) Nec imperium, nec pax ista alia accipienda est, quam spiritualis, quæ sita est in animi tranquillitate, et mentium interna consolatione. Unde Roman. c. 14. v. 17. regnum Dei dicitur esse iustitia, pax et gaudium in Spiritu sancto. Hoc regnum quotidie petimus, ut nobis adveniat Lucæ 11. v. 2. non enim petimus, ut statim in cælum rapiamur, sed ut evertatur regnum diaboli et peccati, in eiusque locum succedat regnum Christi, et is per gratiam in nostro et cuiuslibet hominis corde regnet. Quocirca Christus hoc regnum intra nos esse affirmavit Lucæ 17. 21. Huius pacis in iustorum mentibus nullus est finis, ut docet S. Basilius et Cyrill. et optime S. Chrysost. hom. in istum locum, ubi hanc pacem quadrupliciter explicat: nam primo, inquit, Christus docuit nos carnem spiritui subiicere; quo facto, bella cessant in anima, ipsaque pace fruitur. Secundo, quia cum hostes essemus, ipse nos Patri reconciliavit. Tertio, quia Iudæos et Gentes vinculo pacis copulavit. Quarto, quia quos copulavit, eis etiam gratiam perseverandi largitur, ut iugi pace fruantur: finis vero huius imperii et pacis non erit, quia Christus usque hodie cum Patre æque operatur, et operabitur usque in finem sæculi, quando pax gloriosa in æternum duratura incipiet.

Dices, Ecclesia et fideles assidue inter bella versantur, certantque cum infidelibus et hæreticis, cum dæmone, carne et mundo. Resp. Pax hæc Ecclesiæ et animæ fidelis in hac vita sita est non in debellatione hostium, sed in assidua cum eis lucta, et victoria, quæ sæpe consistit in patientia, et in constanti adversitatum sustinentia, ac tentationum tolerantia potius quam in earumdem exclusione et profligatione, ut docent S. Cyprianus, et Tertull. libr. de Patientia.

SUPER SOLIUM DAVID.) Hoc pariter solium Christi et regnum non tam terrenum est, quam spirituale, quo Christus in Ecclesia regnat per vicarium suum Romanum Pontificem, uti docet Epiphan. hæres. 29. et alii. Ad hunc Isaiæ locum respexit angelus Lucæ 1. 32. cum ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius: et regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis.*

Nota. Regnum Christi dicitur, *sedes* vel *solium David*: primo, quia regnum eius spirituale adumbratum fuit regno corporali Davidis. Secundo, quia David sub typo regni sui promissum fuit hoc regnum Messiæ, tamquam filii sui. Sic etiam dicitur Christus regnaturus in domo Iacob Luc. 1. 33. non temporali, sed spirituali, id est, in Ecclesia seu populo fideli, qui olim erat populus Israel, seu filii Iacob. Simile est Rom. 9. 6. Solium ergo David, et domus sive familia Iacob, est regnum Christi, scilicet Ecclesia. Solium David est regnum Christi, cur?

Nota secundo. Hoc solium et regnum dedit Deus pater Christo quasi in actu primo, in incarnatione; sed in actu secundo cœpit Christo prædicante et convertente homines; promotum et propagatum est per Apostolos, perfectum fuit post Christi resurrectionem, et ascensionem in cælum; consummatum et gloriosum erit post iudicium generale. Quando cœperit?

Nota tertio. Triplici titulo hoc regnum obtinuit Christus: primo, titulo unionis hypostaticæ et hæreditatis. Secundo titulo redemptionis; ex quo enim ipse nos sanguine suo emit, magis est Dominus absolutus noster, quam herus sit dominus servi emptitii. Tertio, titulo meriti, Philip. c. 2. v. 9. *Propter quod et Deus exaltavit illum, etc. ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium et infernorum.* Quo titulo?

SUPER REGNUM EIUS (Davidis patris sui) SEDEBIT.) Id est, in regno eius regnabit, regnum eius quasi rex reget. Secundo, *sedebit*, id est, permanebit, iugiterque in regno hoc rex erit. Ita Chrysostomus.

UT CONFIRMET ILLUD, ET CORROBORET IN IUDICIO ET IUSTITIA.) Id est, iusto iudicio. Est hendyadis: sic dicitur: Feci iudicium et iustitiam, id est, feci id quod æquum et iustum est: iam iustitiam non particularem, et strictam; sed generalem accipe, quæ est complexio omnium virtutum, quæque est ipsa sanctitatis totiusque hominis rectitudo, qua tam Deo, quam proximo, et sibi ipsi tribuit homo id quod debet: iustitia enim est virtus, quæ cuique ius suum tribuit.

ZELUS DOMINI EXERCITUUM FACIET HOC.) Est epiphonema omnium præcedentium. *Zelus* est φιλανθρωπια, quam vocat Apostolus Tit. 2. 11. q. d. Ingens ille, et singularis Christi amor erga Ecclesiam, et ingens eius indignatio adversus hostes eius, inquit Cyrillus, faciet *hoc*, scilicet ut extorqueat prædam acceptam ab hoste cum tumultu, comburatque vestes cruore maculatas, et sumat sceptrum super humeros suos, utque tamquam admira- Zelus Dei quid?

bilis, consiliarius, Deus, fortis, etc. populi sui saluti consulat, eumque ab omni hostili vi et insidiis tueatur: τὸ ergo *hoc*, respicit totum Incarnationis Verbi mysterium, quod præcessit.

Nota. *Zelus*, sive zelotypia est animi affectus inde natus, quod timet aliquis ne ab alio occupetur, quod sibi soli optaret: eius fons est amor, et dilectio; nemo enim zelat id, quo vellet carere, sed id quod appetit et ambit: hinc sæpe zelus capitur pro amore. Zeli comes individua est æmulatio in rivalem, et cum eo contentio: quia partis appetitivæ, sive concupiscibilis conatum iuvat semper facultas irascibilis: hac de causa *zelus* sumitur subinde pro indignatione et contentione: unde et Paulus Roman. 13. 13. zelum coniunxit contentioni, dicens: *Non in contentione et æmulatione.* Contentio enim semper est effectus æmulationis. Sic ergo Filius Dei primo vehementer dilexit genus humanum, ideo ægre tulit illud in diaboli venisse potestatem: hoc zelo et æmulatione incitatus voluit incarnari, atque in carne assumpta prælio diabolum corrivalem suum vicit et expugnavit. Hinc redemptio Christi sæpe in Scriptura tribuitur zelo eius, quasi fonti. Quocirca S. Anselmus scripsit librum hoc titulo, *Cur Deus homo?* ac respondet hisce Isaiæ verbis, *Zelus Domini exercituum fecit hoc.*

Vers. 8 Verbum misit Dominus in Iacob, et cecidit in Israel.) Miscuit Propheta a cap. 7. hucusque spoliationem Samariæ per Assyrios cum spoliatione eiusdem spirituali per Christum. Christum enim quasi signum vastationis Syriæ et Samariæ dedit regi Achaz c. 7. 17. Unde identidem ab una spoliatione et prædatione ad aliam transit, avolat et revolat. Hic ergo a parvulo Emmanuele redit ad sua tempora, hoc est ad excidium Samariæ. Sensus ergo est, q. d. Sicut Deus Iacobo, sive Israeli, id est, decem tribubus, puta Samariæ, verbo prædixit et comminatus est, ita reipsa cecidit, id est, accidit: vastata enim est et interiit ipsa ob superbiam, qua præ se Iudam contemnebat, et propter idololatriam vitulorum aureorum in Dan et Bethel, quam, licet monita tot plagis et cladibus, deserere noluit. Est metaphora a sagittariis peritis, qui telis suis scopum, quem destinant, configunt: pari enim modo Deus minas quasi sagittas intendit in Iacob, et comprehenderunt Israel, illum scilicet, in quem intentæ fuerant. Septuag. pro דבר *dabar*, id est, verbum, legerunt דבר *deber*, id est, pestem; nam verbum illud quod Dominus misit in Iacob, illi pestem et exitium comminabatur, ac reipsa intulit. Ita Sanchez et alii recentiores. Hæc expositio est planissima.

Secundo, S. Hieron. et ex eo Haymo, Voluit, inquit, Deus regnare Iacob, id est, Iudam, puta Davidis posteros Genes. cap. 49. v. 10. sed Israel, id est, decem tribus duce Ieroboam imperium sibi vindicarunt, quæ Iudam quasi parvum et abiectum contempserunt.

Tertio, alii putant has minas dirigi non contra Samaritas, sed contra Iudæos, qui Christum non erant recepturi, et hos vocari Iacob; itaque illorum excidium per Romanos hic proponi. Israel vero capi pro Israele spirituali, id est pro conversis Gentibus, et reliquiis Iudæorum. Ita S. Gregor. 2. Moral. 30. *Quid per Iacob*, inquit, *nisi Iudaicus populus? quid per Israel nisi Gentilis populus designatur? quia quem Iacob studuit per carnis mortem supplantare, hunc nimirum per oculos fidei gentilitas vidit. Ad Iacob ergo verbum missum in Israel cecidit: quia cum, quem ad se venientem Iudaicus populus respuit, hunc repente populus Gentilis invenit.*

Vers. 9. Et sciet omnis populus Ephraim.) q. d. Solent arrogantes Ephraimitæ, id est, Samaritæ, irridere et exsibilare hasce Prophetarum minas, quasi vanas et futiles; sed ipso eventu et experientia discent eas fuisse veraces prophetias. Causam minarum et excidii Samariæ assignat: primo, eius superbiam; secundo, hypocrisin, et pseudoprophetarum fraudem; tertio, mutuum odium; quarto, deprædationem viduarum, pupillorum, et similium miserorum.

Vers. 10 Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus) Est duplex proverbium idem significans, q. d. Nos Samaritæ clades aliquas tum a Iuda, tum ab aliis accepimus; sed confidenter et animose dicimus nos illas non curare, quia illas facile sarciemus: nam vilia ædificia nostra hostes destruxerunt; nos pulchriora restituemus: ipsi communes arbores, puta sycomoros, succiderunt: nos pro eis pretiosas cedros plantabimus. Ita S. Hieronym. Aut hostes succenderunt domos e fragili sycomoro constructas; nos alias ex nobili cedro ædificabimus; cedrus enim aspectu pulchra, odore grata, duratione æterna est.

Nota. Sycomorus, inquit Dioscorides, est arbor magna, foliis moro, cætera ficui similis, nisi quod poma non ramis, sed ipso caudice effundat: poma hæc lactuosa et dulcia sunt, internis granis carentia, non maturescunt, nisi ungue aut ferro scalpantur, et propter insipidum fructum vocatur sycomorus, id est, ficus fatua, hoc est insipida. Hebraice vocatur שקמין *scichmin*, quod Septuag. passim vertunt *sycaminus.* Unde viri docti censent sycomorum, eamdem esse cum sycamino. Idem sentire videtur Theophrastus, et Dioscorides l. 1. histor, plant. c. 23. et l. 4. c. 2. Galenus tamen putat sycaminum eamdem esse cum moro; sycomorum vero medium quid esse inter morum et ficum, ut dixi. Palæstina tempore S. Hieronym. desierat ferre has arbores, quemadmodum et hodie Libanus cedros. Sycomorus quid?

Et elevabit Dominus hostes Rasin, q. d. Deus hostes Rasini regis Syriæ, puta Assyrios, superiores et victores faciet. super eum, id est, primo, contra Rasin; hunc enim proprie respicit vox *eum*: mox deinde contra Ephraim et Israel, eosque in tumultum vertet.) Ita ut Rasinum Israelitarum socium eisque confœderatum evertant; quo superato faciet ut Assyrii omne pondus et tumultum belli iunctis iam sibi Syris (qui sunt ad Orientem Israelis) et Philisthinis (qui sunt ad Occidentem) a se debellatis, vertant contra Israel, eumque avidissime et crudelissime quasi hiantes toto ore devorent. Ita S. Hieron. Vers. 11.

In omnibus his non est aversus furor eius: (non regis Assyriorum, sed Domini Dei: quia per hanc vastationem Assyriorum Israelitæ non resipuerunt, vitulos aureos non deseruerunt, nec ad Deum suum redierunt: unde) adhuc manus eius extenta.) Est ad eos feriendos, et graviore plaga mulctandos. Vers. 12.

Et disperdet Dominus ab Israel caput et caudam.) Summos et infimos. Nam *caput* vocat senes et proceres, *caudam* pseudoprophetas, uti mox explicat Isaias: quia sicut cauda vile est membrum, quo canis adulatur, et turpitudinem, scilicet podicem suum, occultat: ita pseudoprophetæ erant homines vilissimi, qui suis falsis promissis et blanditiis adulantes populo eius et sua pariter vitia tegebant, Deique ac Prophetarum minas infringebant. Est ergo metaphora a canibus, vel a serpentibus, qui cauda blandientes sensim illabuntur, et venenum evomunt. Vers. 14.

Incurvantem et refrænantem.) Ita Romana. Hebr. est כפה ואגמון *kippa veagmon*, id est, ramum et iuncum: ramus enim hebr. dicitur *kippa*, id est, incurvans se frondesque et fructus sibi subditos: ex iuncis vero fiunt funes, et fræna, sed iuncea, quibus pueri et rustici sua pecora infrænant. Est proverbium, idem significans quod *caput et cauda* (sed hoc ab animalibus, illud a plantis petitum est) hoc est, nobiles et ignobiles, fortes et infirmi, q. d. Omnes, tam summi, quam imi; tam senes, quam pueri, tam principes, quam plebei: cui simile est illud, *Parvi properemus et ampli.* Ita Hebræi, Vatabl. et Septuag. qui vertunt, μεγαν και μικρον, id est, magnum et parvum ex Israel disperdet Deus.

Incurvans ergo est ramus expansus, qui se suaque curvat: et per hunc proverbialiter denotatur senex, rector, validus, qui in alios vires et imperium expandit, eosque curvat et regit. Refrænans est iuncus, quo pueri et pauperes solent frænare iumenta. Ex iunco enim, æque ac

ex canabe et sparto plectuntur funes, quibus pauperes pro frænis utuntur. Unde Iob. 40. 21. *Numquid pones circulum in naribus eius?* pro *circulum* hebr. est *agmon*, id est, iuncum. Iunco enim solent piscatores maiorum piscium nares traiicere, ut penduli portari possint, ait ibidem Pineda. Hinc et iuncus a iungendo dicitur, quod eius usus sit ad iuncturas, puta ad funes, crates, sportas, etc. Sic Ovid. 4. Fastor. vocat *vincla iuncea*. Hic proverbialiter denotat iuvenem, tenerum et imbecillem (talis enim est iuncus: inde vocatur virgo iuncea, ea quæ mollis est et flexilis) qui suas passiones lege Superiorum, quasi fræno, regere et frænare debet.

Rursum, noster Interpres generalius, et vicinius ad rem significatam, pro *ramus et iuncus* vertit *incurvans* (pro כפה *kippa*, id est, *ramus*, videtur aliis punctis legisse כפה *kophe*, id est, incurvans) *et refrænans*, q. d. Senex et equiso, senator et stabularius, consul et camelarius, primus et imus. Stabularius enim sive camelarius, vel equiso vocatur refrænans, quia eius est infrænare, curare, fricare et regere equos vel camelos. Sic camelarius fuit Mahomet pseudopropheta, conditor saraceuismi.

Est ergo hic triplex parœmia idem significans. Primo, caput et cauda; secundo, ramus et iuncus; tertio incurvans et refrænans. Porro hoc loco proprie caput, ramus et incurvans vocatur senex, senator, rector; cauda vero, iuncus et refrænans, sive stabularius vocatur pseudo propheta. Ita enim hæc explicat Isaias, dum subdit: *Longævus* (id est, senex, ideoque senator) *et honorabilis*, *ipse est caput*: *et Propheta docens mendacium*, *ipse est cauda*. Senex ergo et senator, vocatur *caput*, quia honorabilis præ cæteris, quos consilio vel imperio regit, uti *caput* regit cætera membra. Idem vocatur *incurvans*: quia non minus fructibus operum anteactæ vitæ, quam pectore et dorso recurvus esse, aliosque exemplo, consilio et legibus curvare et dirigere debet. Hic vero τὸ *incurvans*, notat hosce senes et consiliarios recta et æqua iudicia curvasse, ac causas pauperum ob favores et munera pervertisse. Ita Adamus. Idem vocatur *ramus*, tum quia cæteris celsior, tum quia recurvus, tum quia frondibus et fructibus pietatis et iustitiæ abundare, iisque iuvenes et subditos tegere et obumbrare debet.

Pseudopropheta vocatur *cauda*. Primo, quia vilissimus, uti hoc sæculo vidimus sutores, cerdones, agasones, pollinctores, fieri prophetas, id est, ministros, et prædicatores verbi Dei apud hæreticos. Secundo, quia instar canis cauda suis adulatur, sed eadem instar scorpionis venenum suæ hæresis et impietatis instillat. Idem vocatur *refrænans*, quia suis falsis oraculis et dogmatibus frænat flectitque populum. Idem vocatur *iuncus*. Primo, quia hoc eius frænum iunceum est, id est, fragile, futile et inane. Secundo, quia instar iunci sugentis aquam, sugit et exhaurit opes plebis. Tertio, quia aculeatus est magis quam iuncus suosque aculeo mortis æternæ configit. Quarto, quia ut iuncus, mollis est et flexilis, docetque mollia, et carni grata. Quinto, quia uti iuncus facile curvatur, ita ipse curvat cervicem et caput, ut pietatem et humilitatem simulet. Est enim hypocrita, unde de talibus ait Isaias cap. 58. 5. *Numquid contorquere quasi circulum caput suum?* ubi pro *circulum* heb. est אגמון *agmon*, id est, iuncum. Quocirca Vatablus et Marinus vertunt, *ut curvet*, vel *retorqueat quasi iuncum caput suum*.

Tropologice, S. Hieronym, *Caudam*, inquit, *appellans, non homines, sed iumenta, hæreticos esse demonstrat, quæ hoc membro utuntur ad stercora protegenda et ad arcenda parva animalia*.

Chaldæus et aliqui alii utrumque referunt ad principes: hi enim subditos curvant et frænant. Unde ex Hebr. *agmon*, quod Noster vertit *refrænantem*, chaldaice vocatur אגמון *hegmon* is qui præest et imperat, indeque græce ἡγεμὼν vocatur dux et princeps. Sic ergo vertit Chald. c. 19. v. 15. *Et non erit Ægyptiis rex qui regnet, nec princeps, nec satrapa, nec præfectus, nec dominator*.

Alii sic exponunt: Incurvans est senex, qui curvus incedit: refrænans est pseudopropheta, qui populum a bono refrænat, retardat et cohibet: aut potius, refrænans est adolescens audax et fortis qui fræno indiget, ne præceps feratur sequendo æstus et impetus adolescentiæ suæ.

Alii per incurvantem accipiunt plebem, quæ se curvat et flectit ad iussa potentum: per refrænantem principes, qui plebem suis edictis et legibus quasi freno regunt.

Tertio, Hieron. in commeut. vertit *incurvantem et depravantem*, atque utrumque refert ad caudam, id est, ad pseudoprophetam. Hic enim recta Dei oracula et præcepta incurvat, detorquet et depravat: sicuti serpens suam caudam sinuoso flexu incurvat, multisque spiris intorquet et convolvit. Hoc proverbium repetit Isaias 19. 19. sed aliter, et aliis applicat.

Et erunt, etc. præcipitati.) In mortem, et captivi- Vers. 16.
tatem.

Propter hoc super adolescentulis eius non lætabitur Dominus.) Vers. 17. q. d. Hac falsorum doctorum et prophetarum adulatione atque mendacio, et populi istius vanitate ac impœnitentia offensus Dominus, ne molliori quidem et blandiori ætati, puta adolescentiæ, quæ solet parentibus esse curæ et oblectationi, benevolus aut beneficus erit, atque ne miserabilium quidem personarum, ut sunt pupilli et viduæ, quas solet speciali studio protegere, miserebitur; quia omnes sunt mali et transgressores legis. Est metalepsis: ex lætitia enim amorem prævium, benevolentiam et beneficentiam intelligit, q. d. *Non lætabitur*, id est, non miserebitur, non erit clemens, misericordia non commovebitur, non parcet, non benefaciet.

Nota. Deus dicitur lætari super, vel, in populo, quando populus Dei præceptis obedit, et propterea Deus illi benefacit: tristari vero dicitur super peccatoribus, quando eorum scelera aversatur, eaque punire destinat. Unde Genes. 6. 6. dicitur *tactus dolore cordis intrinsecus*. Hinc et Apostolus ait, *Nolite contristare spiritum sanctum*, Ephes. 4. 30. Vis ergo lætificare Deum? fac virtutum opera, quæ illi placent, quibus ipse delectatur et pascitur. In Deo enim vera est delectatio et gaudium, sicut et amor circa bona: perinde atque in eodem est odium et tristitia, id est aversio et detestatio circa mala: hæc tamen tristitia nullum Deo dolorem, anxietatem aut molestiam affert, uti facit in nobis.

Succensa est enim quasi ignis impietas.) Impieta- Vers. 18.
tem Israelis late grassantem et dominantem comparat igni omnia populanti, q. d. Sicut ignis in sylvam immissus primo vepres et sentes, corripit, deinde per frutices, arbores, totamque sylvam proserpit et pervadit: ita ut tota densitas saltus convolvatur superbia, id est, in elatione, et altitudine fumi ad cælum usque ascendentis: ita impietas in Israele primo stipulas et vespres, id est, ignobiles corripuit, deinde per arbores et cedros, id est, nobiles et proceres, grassata omnia peccati incendio populata est, ut totum Israelem sua noxa et culpa convolverit, ac proinde et eumdem totum sua pœna, et hostili incendio ac vastatione convolvet. Ita S. Hieron.

Convolvetur superbia fumi.) Hebr. *Elevabunt se secundum elevationem fumi*, q d. Eorum superbia instar fumi dissipabitur et evanescet: vel, Spina et saltus simul altissimo igni et fumo involventur, ut dixi.

In ira Domini exercituum conturbata est terra.) Vers. 19.
Ostendit materiam paratam, causamque incendii, q. d. Crescente Dei indignatione totus Israel involutus fuit fumo erroris, et obtenebratus cæcitate, flammis etiam passionum totus correptus et concussus est: adeo ut in reprobum sensum datus, factus sit quasi esca et alimentum ignis futuri, quo absumetur. Intellige ignem seditionum intestinarum, quibus et Israelitæ inter se, et Iudæi quoque postea corruerunt. De Iudæis id docet historia Machabæorum, Iosephi et Hegesippi: de Israele id patet ex eo, quod servi in dominos insurgentes eos occiderint: ut cum Phacee rex occisus est ab Osee, quod licet breviter transeat historia Regum, tamen non est verisimile id sine cædibus et tumultu peractum esse. Postea quoque Osee voluit deficere ad Sua regem Ægypti, quod statim ab aliis significatum fuit regi Assyriorum, estque indicium

tunc fuisse dissensiones in Israel, 4. Reg. 18. et sequent.

Vers. 19 et 20. VIR FRATRI SUO NON PARCET, ET DECLINABIT AD DEXTERAM.) q. d. Tanta erit Israelitarum tum rabies et crudelitas, tum fames, ut sicut fera pressa fame sævit inter armenta, et modo a dextris, modo a sinistris pecus iugulat; ita et ipsi inter fratres et proximos suos grassaturi sint. Ita S. Hieron.

Vers. 20. UNUSQUISQUE CARNEM BRACHII SUI VORABIT: MANASSES EPHRAIM.) q. d. Quisque filios, fratres, et quosque proximos opibus et vita spoliabit, sicut stultos et insanos videmus in manus et brachia sua sævire. Fratres ergo et cognati vocantur *caro brachii*, quia hi sunt quasi unum corpus cognationis, et alter alterius est quasi membrum. Quare a Christo et a Paulo proximi nostri vocantur manus, pedes et oculi nostri. Sicut enim rami ex uno nascuntur trunco, indeque in diversa abeunt; et sicut brachia ab uno funduntur corpore: ita et fratres, filii et cognati ab uno promanant stipite, puta patre vel avo. Nota. Carnes alterius comedere, aut sanguinem sitire, symbolum est summi odii et crudelitatis.

MANASSES EPHRAIM.) Una tribus aliam. Has duas nominat, quia hi duo erant fratres germani, scilicet filii Ioseph ex eadem matre geniti, inter quos solet et debet esse maior coniunctio, quam inter uterinos vel consanguineos tantum.

SIMUL IPSI CONTRA IUDAM.) q. d. Ephraimitæ et Manassenses, qui prius odiis inter se dissidentes in mutuas cædes ruebant, iidem postea conspirabunt more suo contra Iudam. Hic est mos impiorum: sic fecerunt contra Christum Herodes et Pilatus. Sic tempore Iuliani Apostatæ Iudæi et Gentiles contra Christianos. Sic nunc et olim contra Catholicam Ecclesiam lacerantes invicem hæretici, ut notant S. Hieron. et Rupert. hic.

SED ADHUC MANUS EIUS EXTENTA.) Tertia hic est versus huius repetitio, qua transit ad Iudam solum, q. d. Vidistis supplicia decem tribuum, vos eorum exempla imitamini, nec terremini; supplicia itaque graviora exspectate ab extenta Dei manu. Ita solet fieri: cum vicinos et proximos nostros percutit Deus, tunc vult nos resipiscere: si nolumus, nos quoque ferit. Hoc est quod dicitur Ps. 59. 7. *Dedisti metuentibus te significationem: ut fugiant a facie arcus: ut liberentur dilecti tui*, scilicet emendatione sua consimilem pœnam evadentes. Sic Osee 5. 8. Ephraim excitatur ad pœnitentiam proposito supplicio urbium quæ illi erant quasi a tergo, et iubetur eas respicere. Vers. 22.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit ab Israele ad Iudam, id est, a decem tribubus ad duas, quarum peccata arguit, eisque minatur Assyrium, scilicet Sennacherib: deinde v. 8. ipsum Sennacherib, qui suæ virtuti et sapientiæ tribuebat victorias, stuporis et amentiæ redarguit, eique exitium intentat, reliquiis vero Iudæorum v. 21. liberationem pollicetur. Ita S. Hieron. Cyrill. et alii. Allegorice, Apostolus Rom. 9. 27 hæc refert ad Iudæorum reprobationem; ita tamen ut reliquiæ, id est, pauci ex eis credentes Christo, salventur.

1. VÆ qui condunt leges iniquas: et scribentes, iniustitiam scripserunt: 2. Ut opprimerent in iudicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei: ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent. 3. Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram. 4. Ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. 5. Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. 6. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. 7. Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor eius non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor eius, et ad internecionem gentium non paucarum. 8. Dicet enim: 9. Numquid non principes mei simul reges sunt? numquid non ut Charcamis, sic Calano: et ut Arphad, sic Emath? numquid non ut Damascus, sic Samaria? 10. Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulachra eorum de Ierusalem, et de Samaria. 11. Numquid non sicut feci Samariæ et idolis eius, sic faciam Ierusalem, et simulachris eius? 12. Et erit: cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion et in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum eius. 13. Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi, et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublimi residentes. 14. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi: et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et gannirct. 15. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. 16. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem: et subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis. 17. Et erit lumen Israel in igne, et Sanctus eius in flamma: et succendetur, et devorabitur spina eius, et vepres in die una. 18. Et gloria saltus eius, et carmeli eius, ab anima usque ad carnem consumetur, et erit terrore profugus. 19. Et reliquiæ ligni saltus eius præ paucitate numerabuntur, et puer scribet eos. 20. Et erit in die illa: non adiiciet residuum Israel, et hi qui fugerint de domo Iacob, inniti super eo qui percutit eos: sed innitetur super Dominum sanctum Israel in veritate. 21. Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Iacob ad Deum fortem. 22. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo, consummatio abbreviata inundabit iustitiam. 23. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. 24. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum: Noli timere populus meus habitator Sion, ab Assur: in virga percutiet te, et baculum suum levabit super te in via Ægypti. 25. Adhuc enim paululum modicumque, et consummabitur indignatio et furor meus super scelus eorum. 26. Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian in petra Oreb, et virgam suam super mare, et levabit eam in via Ægypti. 27. Et erit in die illa: auferetur onus eius de humero tuo, et iugum eius de collo tuo, et computrescet iugum a facie olei. 28. Veniet in Aiath, transibit in Magron: apud Machmas commendabit vasa sua. 29. Transierunt cursim Gaba

sedes nostra: obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit. 30. Hinni voce tua filia Gallim: attende Laisa, paupercula Anathoth. 31. Migravit Medemena: habitatores Gabim confortamini. 32. Adhuc dies est, ut in Nobe stetur: agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Ierusalem. 33. Ecce dominator Dominus exercituum confringet laguneulam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur. 34. Et subvertentur condensa saltus ferro: et Libanus cum excelsis cadet.

Vers. 1. VÆ QUI CONDUNT LEGES INIQUAS.) Sanchez pergit hæc usque ad v. 3. interpretari de Israele. Unde quædam exemplaria, teste Lyrano, hæc verba referunt ad finem capitis noni: caput vero decimum inchoant a v. 3. Melius alii interpretantur de Iuda: sic enim omnia hoc capite erunt connexa. Taxat ergo Iudæorum sub Achaz et Ezechia iniustitiam, qua pupillos et viduas deprædabantur, et suis furtis atque calumniis leges iniquas prætendebant.

Allegorice, taxat Iudæorum tempore Christi impietatem, qui per Corban, aliasque pravas traditiones, et legis interpretationes cogebant homines Dei legem prævaricari; ita S. Hieron. et Cyrillus, quique post Christi mortem multa maligne contra eum finxerunt, eiusque fideles calumniati sunt, qui denique valde impia statuerunt contra Christianos in suis synagogis, eosque crudelissime sunt persecuti, teste S. Iustino contra Tryphonem.

Vers. 3. QUID FACIETIS IN DIE VISITATIONIS, id est, punitionis, qua Deus gladium ultionis ET CALAMITATIS DE LONGE, id est, ex Assyria, VENIENTIS.) In vestram iniquitatem distringet?

UBI DERELINQUETIS GLORIAM VESTRAM?) Opes scilicet, status et pompam, in quibus gloriamini, q. d. Quid tunc vobis opes male partæ, quid honores, quid officia proderunt? nam hæc omnia diripiet vel evertet hostis.

Tropolog. Nazianz. et eius interpres Nicetas in oratione de plaga grandinis, hæc refert ad peccatores, et ad extremum iudicium.

Oecolampadii sycophantia. Nota hic sycophantiam Œcolampadii. Fœdissime, inquit, ad firmandam suam sedem et primatum hoc loco Antichristus abutitur cap. *Aliorum*, 9. quæst. 3. Sic appellat S. Symmachum Papam, qui canone illo (quem habes etiam in Ennodii libro) cum dixisset Romanam Sedem a nullo mortalium iudicari, sed solius Dei subesse iudicio, subdit, de hac Sede Petri per Prophetam prædictum videri: *Si hæc humiliabitur, ad cuius confugietis auxilium? ubi derelinquetis gloriam vestram?* Quod dicit, quia censebat id, quod Propheta de alia re dixerat, accomodari posse Ecclesiis singulis, quibus si refugium ad Sedem Romanam tollatur, omnis refugii in terris spes sublata est: tolleretur autem si Romana Sedes ab hominibus esset iudicanda; isti enim homines rursus ab aliis essent iudicandi, et isti ab aliis, et ita in infinitum iret appellatio. Non vero hoc dixit Symmachus, quod vellet hunc esse sensum Prophetæ litteralem. To enim *prædictum*, ample sumitur: verba enim S. Scripturæ quia omni ætati, homini et sexui scribuntur, hinc dicuntur prædicere id quod apte cuique tempori et ætati congruit eique adaptari et de eo dici potest. Quid ergo queritur sycophanta? an ille solus Symmachus est Antichristus, cum tot alii Pontifices sanctissimi, ut Innocentius, Gelasius, Anterus, Nicolaus, Sixtus idem professi sint, ut habetur eadem quæstione?

Vers. 4. NE INCURVEMINI SUB VINCULO.) Id est cavete ne captivi abducamini: captivi enim colla subdunt iugo, et catenis gravati curvi incedunt. Est metalepsis.

Vers. 5. VÆ ASSUR.) Vatablus vertit, *heus Assur*, q. d. O Assyrii venite perditum regnum Iudæorum, ut Hebr. הוי *hoi* sit adverbium hortandi, vel vocandi. Melius Noster, Septuag. et Chaldæus *hoi* vertunt *væ*: minatur enim Assyriis cladem duas ob causas. Primo, quia licet ipsi essent virga et flagellum Dei, tamen castigationem Iudæorum, quam Deus iuste intendebat, ipsi tyrannice executi sunt, nec Deo, sed suæ ambitioni servierunt. Secundo, quia limites ultionis a Deo designatos transgressi sunt, plusque sævierunt in Iudæos, quam eis a Deo erat concessum. Similem enim ob causam ait Zachar. c. 1. *Ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi vero adiuverunt in malum.* Ubi Nota Dei humanitatem et clementiam, qui prius væ in Assyrios, quam in Iudæos ab Assyriis puniendos intentat.

ASSUR.) Ad litteram intelligit Sennacherib et Assyrios, qui fuerunt quasi virga et securis, ut ait v. 15. qua Deus utebatur ad puniendum et exscindendum alias gentes: nam verba eius tumida v. 8. similia, imo eadem sunt cum verbis Sennacherib 4. Reg. 19. 13. Ita S. Basilius, Hieron. Cyrill. Haymo et alii.

Allegorice, Assur fuit Titus, Adrianus et Romani, a quibus Iudæi ultimo excidio sunt obruti. Ita Iustinus contra Tryphon. Chrysost. orat. 2. contra Iudæos, et fuse Leo Castrius.

Symbolice, superbus Assur est diabolus, qui tot calamitatibus afflixit Christianos, et in dies affligit Ecclesiam Christi, ideoque ei Deus minatur Iudicium extremum, et pœnam ignis æterni. Ita Nazianz. supra, Origen. hom. 11. in Numeros, Eusebius lib. 4. Demonst. cap. 9. Hilar. in Psalm. 118. littera *ain*.

Tropologice, Assur virga furoris Dei est Turca, et quivis tyrannus. Sic Attila rogatus a S. Lupo Trecensi Episcopo, quis esset? *Ego*, inquit, *sum Attila rex Hunnorum flagellum Dei.* Sic Tamberlanes, Totila, Hunni, Gothi, Wandali fuerunt flagellum orbis. Sic peccantibus Hebræis Deus quasi flagellum in eos immisit, nunc Chusan Rasathaim regem Mesopotamiæ, Iudic. 3. vers. 8. nunc Eglon regem Moab, ibid. vers. 12. nunc Iabin regem Chanaan, Iudic. 4. 2. nunc Madianitas, Iudic. 6. 1 nunc Philisthæos Iudic. 13. vers. 1. Sic Nabuchodonosor vocatur *malleus universæ terræ*, Ieremiæ 50. 23.

VIRGA FURORIS MEI.) Mali sunt virga et instrumenta quibus Deus homines, maxime quos diligit, punit et exercet permittendo, et laxando habenas eorum potentiæ, cupiditati et sævitiæ, non ergo Deus tyrannidis et peccati est auctor, ut vult Œcolampadius, sed permissor et director.

Nota. Assur dicitur *virga* respectu filiorum teneriorum *baculus* autem respectu peccatorum obstinatorum, dicitur *virga furoris*, quia Deus eo non utitur nisi valde iratus. Hoc est enim quod ait: *in manu eius indignatio mea*, q. d. Eius manu opera et armis indignationem meam exsequor, et peccata ac peccatores ulciscor.

AD GENTEM FALLACEM.) Ad Iudæos, qui toti ex hypocrisi conflati fidem mihi datam toties fefellerunt, ac mentiti sunt se me culturos, et mea præcepta observaturos, cum ea negligant, et idola colant, quibus proinde iusto furore succensens mittam hanc virgam. Ita S. Hieron. Unde sequitur: Vers. 6.

ET CONTRA POPULUM FURORIS MEI (contra Iudæos quibus furor meus irascitur) MANDABO ILLI UT AUFERAT SPOLIA.) Nota, Dei mandatum, iussio, præceptum vocatur omnis et quævis Dei providentia, atque altissimum eius dominium et imperium, quo primo res et voluntates omnes, etiam impiorum, continet, comprehendit, arctat, vel laxat; secundo, quo eas in se malas in hanc potius partem et gentem, v. g. ad Iudæos invadendos potius, quam Ægyptios, agit et dirigit; vel effective per diabolum, vel obiective per se, obiiciendo scilicet eorum menti ea quibus per præscientiam conditionatam præscit, eos in hanc partem se sponte et libere inclinaturos; tertio, quo hæc omnia ordinat ad iustam impiorum, v g. Iudæorum castigationem; consequenter impii tyranni, v. g. Assyrii, iisdem de causis vocantur virga, securis et arma Dei vindicis. Sic David 2. Reg. 16. ait: *Dominus præcepit ei* (Semei) *ut mihi malediceret David. Præcepit*, id est, ordinavit sua providentia ad mei punitionem, qua eum

maledicere paratum permisit, ut suam maledicentiam in me evomeret, ad puniendum meum adulterium et homicidium. Ita Hugo Victorin. tract. 1. de Sacram. p. 5. cap. 27. et 29. Vide can. 30.

Ponat illum (populum Iudæorum) in conculcationem.) Quidam exponunt, ut solum calcet non vero absumat. Melius alii, q. d. Ut sic prosternat, deiiciat et conculcet, uti solent calcari stercora, lutum et res vilissimæ. Sic enim dicitur aliquid removeri, vel succidi, sicut fimus aut sterquilinium, 3. Reg. 14. 10. Item esse vel fieri stercus terræ, Ps. 82. 11.

Vers. 7. Ipse autem non sic arbitrabitur.) Scilicet quod ipse tantum sit virga mea ad castigandum Iudæos, aliasque gentes; nam ipse volet eas omnino delere, putabitque suis viribus, se auctore, non a Deo hæc fieri, ut sequitur.

Symbolice, hæc omnia apte conveniunt diabolo, cuius insatiabile est odium contra Deum et proinde contra totum genus humanum. Unde de eo ait Iob cap. 40. vers. 18. *Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur: et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius;* in quæ verba vide S. Gregorium et Philippum Presbyterum.

Vers. 9. Numquid non ut Charcamis.) En quam superbus *proiicit ampullas, et sesquipedalia verba*, q. d. Numquid non ego Sennacherib Charcamis excidium attuli, atque Emath, aliasque munitissimas urbes, quin et Damascum et Samariam expugnavi pari fortitudine et felicitate? quid ergo obstabit quominus Iudam et Ierusalem expugnem?

Septuag. pro *Charcamis* vertunt, *regiones quæ sunt supra Babylonem*, q. d. Numquid arma mea non protuli supra Sinum Persicum ultra Carmaniam? Ita quidam. Sed præstat cum S. Hieronymo, per *Charcamos* accipere urbem Syriæ, ita dictam sitamque ad ripam Euphratis.

Sic Calano.) Supple, a me expugnata est. *Calano* urbs est prope Babylonem; postea dicta est Ctesiphon, fuitque regia Parthorum teste Plinio lib. 6. cap. 26. Septuag. docent iuxta hanc urbem fuisse ædificatam turrim Babel; et recte dicunt *iuxta*, quia Ctesiphon a Babylone tertio tantum milliari est dissita; qua de causa Nazianz. orat. 7. turrim Babel vocat turrim *Calanes*. Calane diversa fuit a Seleucia, licet aliqui has duas urbes confundant ex male intellectis verbis S. Hieronymi.

Porro ne credas Annio Viterbiensi, qui Babylonem scribit uno murorum ambitu integram tetrapolim, sive quatuor ingentes urbes conclusisse, nimirum Babylonem, Harad, Ached et Chalanne; nam Chalannem distinctam fuisse a Babylone docet S. Hier. in Locis Hebr. et Plinius lib. 6. cap. 26.

Et ut Arphad sic Emath.) q. d. Tam Emath quam Arphad a me subacta est, *Arphad* urbs est non longe a Damasco, de qua Ieremiæ 49. 23. Mendose pro *Arphad* Septuag. habent *Arabiam*.

Emath est duplex: una minor, quæ postea dicta est Epiphania, de qua Amos 6. 15. altera maior, quæ postea dicta est Antiochia, quam Iosephus lib. 3. Belli cap. 1. scribit fuisse metropolim Syriæ, et inter omnes Romani imperii urbes tertium obtinuisse locum. De hac videtur loqui Isaias.

Vers. 10. Quomodo invenit manus mea regna idoli.) q. d. Sicut regna Gentium idolis dedita, quæque magnam colebant idolorum multitudinem, mihi, iis etiam mutis, subieci, itaque videor non tantum regna, sed et deos tutelares ac numina eorum mihi subiugasse: ita pariter Ierusalem, eiusque simulacra ac Samariæ, si quæ restant, mihi subiiciam, nec poterit per ea a manu mea liberari; præsertim quia Samariam iam subegi, ac pleraque eius simulacra abstuli: quidni ergo idem faciam Hierosolymæ quæ eosdem cum Samaria deos et simulacra colit? Hoc enim putabat Sennacherib, eo quod Samaritæ et Iudæi ab iisdem patribus et patriarchis prognati essent, eratque ex parte verum: nam Achaz idola in templum invexerat, 4. Reg. 16. 15. sed ea iam sustulerat eius filius Ezechias, 4. Reg. 18. 4.

Nota fastum tyranni, cum ait: *Invenit manus mea*, q. d. Adeo facile regna expugnavi, ut non digner vocare expugnationem, sed inventionem quamdam obviæ prædæ. Simili fastu ait Mezentius apud Virgilium:

Dextra mihi deus, et telum quod missile libro.

Vers. 12. Et erit: cum impleverit Dominus cuncta opera sua.) Cum per Assyrios obsederit et afflixerit Ierusalem, atque ex ea opes et spolia extulerit, 4. Reg. 18. 15. q. d. Cum usus fuero virga Assur, eaque flagellavero Iudæos, tunc virgam ipsam in ignem coniiciam, uti faciunt parentes liberis flagellatis.

Visitabo super fructum magnifici cordis.) Id est, super cogitationes et opera superbissimi cordis Sennacherib: hæc enim sunt *fructus cordis*, sicut arboris et radicis fructus sunt folia et poma. *Gloria* vero *altitudinis oculorum* est elatum supercilium. Oculi enim elati certi sunt indices arrogantis et superbi animi. Hinc collige, quantum homo possit in iis, ad quæ quasi instrumentum a Deo destinatur; quod si ulteriora tentat, frustra laborat, imo sibi sæpe perniciem conciliat, quia Deum non habet fautorem, nec auspicem. Ita Sennacherib regna, ad quæ a Deo destinabatur, devicit: sed ubi Ierusalem, contra Dei voluntatem, evertere voluit, ab Angelo percussus est.

Vers. 13. Detraxi.) Septuag. vertunt, σεισω, id est, commovebo, concutiam. Ita S. Basilius, Cyril. et alii: perperam ergo Biblia Regia legunt πειςω, id est, persuadebo.

Vers. 14. Et invenit quasi nidum manus mea.) q. d. Tam facile et cito regna subegi, quam ova, vel pullos in nido colligit rusticus, qui cum implumes sint, strepere nequeunt; nec matres ei pennis obsistere, aut ore oggannire audent; ita et nemo contra me, measque victrices copias hiscere aut mutire est ausus.

Universam terram (universæ terræ opes et populos) ego congregavi.) Opes deprædando, populos subigendo.

Aperiret os, et ganniret.) *Gannire* proprie est vulpium; dicitur tamen et de canibus, cum claro ululatu dolorem aliquem gaudiumve testantur: inde ad aves transfertur (uti hic) ut *gannire* idem sit, quod garrire; et hoc significat hebræum מצפצף *metsaptseph*, et Græcum στρουθίζων. Denique et ad homines translatum est. Unde Terentius in Adelph. *Quid ille gannit? quid vult?* et Persius satyra 5. Gannire quid?

Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem.

Porro *gannire* hic sumitur pro oggannire, id est, obstrepere et obsistere. Sic enim oggannire solent vulpes et canes advenis et peregrinis.

Vers. 15. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea?) Increpat superbiam et stoliditatem Sennacherib, sibi suisque viribus tot victorias attribuentis, q. d. Non tuis viribus hæc peracta sunt; ego te ut instrumento usus sum. Quid stolidius, quam si securis dicat secanti: Ego sum quæ virtute mea lignum dolavi? si serra dicat serranti: Ego per me lignum serravi? si baculus per se immobilis dicat verberanti: Ego me sustuli in altum, et istos omnes verberavi? Cur ergo tu o Sennacherib, cum tantum sis securis, gladius et instrumentum (licet animatum et humanum) voluntatis et iræ Dei, superbis et tibi tot victorias ascribis? Deus enim est, qui tibi dedit vires, animos, milites, felicitatem et victoriam; Deus est, qui metum et pavorem iniecit Iudæis aliisque gentibus, ut tibi non auderent resistere. Rursum, Deus tuis armis non eguit, potuit per se, potuit per alios, potuit per solos culices et crabrones perdere Iudæos, suosque hostes, uti per eos perdidit Chananæos, Iosue 14. v. 12.

Vers. 16. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem.) Id est, pingues, torosos et validos milites Sennacherib faciet macros, debiles et imbecilles, quando eos per Angelum cædet 4. Reg. 19.

Vers. 17. Et subtus gloriam eius succensa (tenuitas et macies Assyriorum quæ præcessit) ardebit quasi combustio ignis) q. d. Consumam gloriosum exercitum Sennacherib, perinde ac consumuntur fasces et stipulæ, si eis ignem subiicias. Tradunt Hebræi teste S. Hieron. ex eius

exercitu decem tantum evasisse, et corpora militum feriente Angelo occulto igne, illæsis vestibus et armis, esse exusta.

Vers. 17. Et erit lumen Israel in igne, et Sanctus eius in flamma.) Lumen Israelis, et Sanctus eius est Deus vindex, qui a Mose et Paulo vocatur *ignis consumens*; sicut enim sol hos lumine suo recreat, illos æstu torret, ita Deus bonis est lux et gaudium, malis est ignis comburens. Vel certe est Angelus Dei, qui percussit 185. millia Assyriorum, idque occulto igne, flamma et tabe, si credimus Hebræis; vel igne, id est clade velocissima, efficacissima et quasi ignita, quæ tota castra pervasit. Adde cum Forerio Prophetam alludere ad ignem cælo lapsum (ut patebit cap. 31. vers. ult.) qui in templo perennis ad sacrificia comburenda alebatur, quasi hic ignis sacer, cultus Dei et religionis vindex, instar columnæ ignis quæ Hebræis erat luci et gaudio, Ægyptiis terrori et caligini: Iudæis sanctificationem et liberationem, Assyriis vastitatem intulerit, e templo in eos quasi insiliens; quia scilicet Deus in templo hoc et igne habitans, in eos instar B ignis insiluit. Unde subdit:

Succendetur, et devorabitur spina eius et vepres.) Id est milites Assyrii, tam maiores quam minores, ab Angelo occidentur.

Vers. 18. Et gloria saltus eius: et Carmeli (id est, duces et principes exercitus) ab anima usque ad carnem (id est, omnino, sive toti) consumetur.) Tum morte præsenti, tum æterna gehennæ.

Sylva vocatur exercitus. Ubi nota. Metaphorice sicut *ignem* vocavit plagam Dei, sic *saltum*, sive sylvam vocat constipationem armatorum militum Sennacherib qui cristis, galeis et hastis densissimam sylvam referebant. *Carmelum* vocat vel eosdem armatos armis suis speciosos, vel copiosum commeatum, et omnium rerum abundantiam in eorum castris. *Carmelus* enim ob loci fertilitatem et amœnitatem in proverbium abiit, sicut apud Latinos *Thessala tempe*, aut *Hesperidum horti*.

Eusebius lib. 2. Demonstrat. 40. hæc accipit de totius C Iudææ incendio sub Adriano.

Allegorice, significatur hic incendium peccatorum qui in die iudicii igni æterno tradentur, iuxta id quod dicitur c. 60. vers. 19. Dominum iustis futurum in gloriam et lucem sempiternam, et cap. 66. vers. 15. perfidis venturum in igne, et increpationem eius in flamma ignis, et vers. ult. ignem hunc eorum non extinguendum.

Symbolice, S. Athanas. lib. de Incarnat. Christi sub medium, dicit Christum esse lucem, Spiritum sanctum esse ignem; quasi loquatur Isaias de igne Spiritus sancti, qui in festo Pentecostes descendit, et corda discipulorum accendit; Iudæorum vero incredulitatem et scelera coarguit, eaque in pœnitentibus et conversis exussit. Unde Septuag. vertunt: *Sanctificabit eam in igne*, quia, ut ad litteram explicat S. Aug. lib. 4. quæst. in cap. 30. Numer. correptio et pœna unius alios admonet, et facit sanctiores.

Et erit terrore profugus.) Fugit enim hac clade ab angelo accepta Sennacherib, et paulo post occisus est D a suis filiis Adramelech et Sarasar, 4. Reg. 19. Vatablus vertit: *Fiat ut pulvis teredinis*; alii, *erit quasi dissolutio signiferi*, q. d. Tanta erit clades, quanta esse solet in exercitu cuius vexillifer cecidit, ac vexillum captum aut dilaceratum est; tunc enim dissolvuntur milites, et cæduntur ac diffugiunt. Septuag. vertunt: *Et erit fugiens quasi fugiens*, id est plane et omnino fugiet, totus erit fugibundus instar exercitus fugientis. Videntur ipsi pro כמסוס *kimsos*, id est, in liquefactione, hoc est *in pavore*, quo deficit et quasi liquescit animus ac vires, legisse כנסוס *kinsos*, id est, *quasi fugiens*. Legendo *kimsos*, uti passim legunt, optime et planissime vertit Noster: *Erit terrore profugus*. Unde cap. 13. 7. pavorem Babyloniorum describens: *Omnes*, inquit, *manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet*; hebr. est idem verbum quod hic, scilicet מס *mas*, vel *masas*, id est, *liquefiet*.

Vers. 19 Et reliquiæ ligni saltus eius præ paucitate numerabuntur, et puer scribet eos.) q. d. Adeo pauci A post hanc cladem supererunt ei milites, ut puer possit eos describere, eorumque catalogum facere. Hebræi, ut dixi, tradunt decem tantum superfuisse; sic enim pueri super digitos numerare possunt decem.

Nota. To *numerabuntur*; hebr. est *numerus erunt*, id est, pauci erunt. Sic enim Hebræi *viros numeri*, vocant viros paucos, quod enim numeramus, exiguum est. Unde Poeta: *Pauperis est numerare pecus*; divites enim qui innumeras habent opes et pecora, ea non numerant. Longe aliud Latinis est *numerum esse*; significat enim esse hominem nihili, ut:

Nos numerus sumus, et fruges consumere nati.

Non adiiciet residuum Israel.) *Residuum Israel et Iacob* vocat residuos Hebræos Iacobi posteros, sive illi Iudæi sint, sive Samaritæ, q. d. Residui ex clade Samariæ æque ac Iudææ, videntes stragem Sennacherib, amplius non in eo qui eos percussit et vastavit; sed in Deo spem suam collocabunt, idque *in veritate*, id est vere, sincere et firmiter, non ficte, non timide et vacillanter. Alludit ad Achaz, eumque perstringit qui timens Rasin et Phacce invocavit opem Assyriorum, 4. Reg. 16. 7. Vers. 20.

Reliquiæ convertentur.) Hebr. est *Sear Iasub*, quod erat nomen filii Isaiæ, uti dixi cap. 7. v. 3. eo enim alludit, ait S. Hier. Significat ergo reliquias paucas Iudæorum, quæ stragi huic superfuerant, quasque figurabat et significabat nomen filii Isaiæ, ad Deum esse convertendas, tum tempore Ezechiæ uti explicant S. Hieron. et Cyril. tum maxime tempore Christi. Sub Ezechia id factum esse patet 2. Paral. 30. vers. 7. et sequent. et de eo loqui Isaiam patet ex antecedent. et sequent. Antecedit enim: *Non adiiciet Israel inniti super eo qui percutit eos*, id est, super Assyrio; sequitur: *Propter hoc, etc. noli timere, populus meus, ab Assur.* Sub Christo id esse factum patet Rom. 9. 27. Avolat Propheta, vel potius extendit se a typo ad antitypum, scilicet ab Ezechia ad Christum; uterque enim fuit liberator et salvator reliquiarum Israelis. Vers. 21.

Quasi arena maris.) Alludit ad Genes. 22. ubi Deus pollicetur Abrahæ semen, id est, posteros, tum secundum carnem, tum secundum fidem et spiritum, sicut arenam maris innumerabiles. Sic enim fuerunt tempore Davidis et Ezechiæ ante stragem Assyriorum; per eam enim abbreviati et pauci facti sunt, adeo ut una die a rege Israel ex Iudæis cæsa sint 120. pugnatorum millia et 200. millia captiva abducta, 2. Paral. 28. non pauci etiam cæsi sunt a Theglatphalasar et a Sennacherib. Vers. 22.

Consummatio abbreviata inundabit iustitiam.) *Consummatio*, id est consumptio, hoc enim est Hebr. כליון *killaion*; *abbreviata*, id est ad breves, id est, ad paucos redacta; hebr. enim est חרוץ *charuts*, id est, concisa, accisa. Sic dicuntur 70. hebdomades abbreviatæ, id est, paucæ decretæ Daniel. 9. vers. 24. Sic et Christus ait de persecutione Antichristi: *Nisi breviati*, id est, pauci facti, *essent dies illi, non salvaretur omnis caro*. Est enallage quantitatis: ponitur enim continua pro discreta, brevis pro pauco. Sensus ergo est, q. d. Tempore Ezechiæ vastatio illa Assyriorum, quæ plurimos Iudæorum consumpsit, et abbreviavit, id est, paucos fecit, faciet ut in paucis reliquiis superstitum abundet iustitia, eosque hac clade et terrore ad Deum, Deique cultum compellet. Frigide ergo et impertinenter Marloratus *charuts* vertit *decisa*, id est, *decreta*. De paucitate enim Iudæorum hic agitur, non de Dei decreto præcise.

Allegorice, quod maxime intendit hic Spiritus sanctus, q. d. Faciam consummationem, id est, finem, et quidem, brevi, iudaismi et Iudæorum per Titum et Romanos: ita tamen, ut abbreviati, id est pauci, ex eis convertantur ad Christum; et tum iustitia, quæ ex fide Christi est, inundabit, exsuberabit et propagabitur per omnes gentes. Hic sensus plenus, et adæquatus est iuxta nostram versionem; unde consequenter

Secundo, Sanchez sic explicat, quasi prædicat Isaias exiguum illum numerum, quem primitivæ Ecclesiæ Christi adiunget Iudæorum natio, fore sanctissimum; nam con-

summatio abbreviata, id est, parvus ille Iudæorum Christo credentium numerus, qui redactus est pene ad consumptionem, et ad nihil, *inundavit*, id est, exuberanter stillavit et diffudit, *iustitiam*, q. d. Paucitas illa abundavit illustri sanctitate, et perfecta iustitia.

Tertio, alii, q. d. Illa paucitas Iudæorum Christo credentium et salvandorum in tanta non credentium et reproborum multitudine, ostendet quanta fuerit Dei iustitia, qui propter tot tantaque peccata tantam abiecit multitudinem, et tam paucos assumpsit, q. d. Iustissime reprobatis aliis plurimis, pauci ex eis salvabuntur. Ita Forerius hic, Salmeron et Gabr. Vasquez. ad Rom. 9. Huic expositioni favet versio Septuag. quam sequitur S. Paulus; habent enim: *Verbum consummans, et abbrevians in iustitia*, de quo plura mox. Favet et versio Syriaca, quæ sic habet: *Amputavit, decidit, traxit* (Syriace גרף *garaph*, id est, *verrit, scopavit, inundatione devolvit*, uti fluvius inundans solet devolvere et abstergere sordes) *in iustitia*; et Arabica Antiochena: *Et decidet iudicium veritatis, propterea quod visitationem et iudicium faciet Dominus fortis in universa terra;* et Arabica Alexandrina: *Verbum in veritate adimplebitur, et decidetur in iustitia, quia Dominus fortis descendere faciet perditionem in eos qui sunt in terra.* Hi ergo omnes per iustitiam videntur accipere iustam Dei vindictam, qua Deus consumpsit et occidit gentem Iudaicam.

Quarto, *Consummatio abbreviata*, id est, pauci credentes, puta Apostoli inundabunt iustitiam, id est, instar fluminum inter Gentes fidem et iustitiam dispergent. Hic sensus, uti et secundus, valde appositus est.

Vers. 23. CONSUMMATIONEM ENIM ET ABBREVIATIONEM DOMINUS, etc. FACIET.) Septuag. tam hic quam vers. præced et ex iis S. Paulus Rom. 9. 27. vertunt: *Verbum abbreviatum faciet Dominus*, scilicet duplex illud iam dictum hoc est, Deus paucos faciet Iudæos tempore Ezechiæ, et paucos credentes tempore Christi. Unde

Secundo, per *verbum* hoc, id est, per rem abbreviatam intelligi potest populus Iudæorum consumptus, q. d. Ita Deus populum suum rescindet, ut quod eis erit residuum, videri queat quædam consumptio, et quasi solum vestigium ingentis ruinæ; hæc tamen ipsa paucitas quæ superit, idonea erit contestandæ universo orbi iustitiæ divinæ, tum proprie dictæ, et vindicativæ, qua sceleratos Iudæos ita punivit et attrivit; tum iustitiæ, id est, fidelitatis et misericordiæ, qua Gentes hac occasione ad eamdem vocavit et iustificavit; propter hanc enim paucitatem Iudæorum Evangelium suscipientium, Apostoli ad Gentes se converterunt; atque ita abbreviatio salutis Iudæorum redundavit in dilatationem conversionis iustitiæ et salutis Gentium. Hic sensus plenissimus est, tamque versionem Septuag. et Pauli, quam nostram hic complectitur et adæquat. Deus enim sicut iustitiam ostendit in impios et infideles, eos conterendo: ita et iustitiam ostendit in pios et fideles, eos sua gratia cumulando et propagando; et sic tam in pios quam in impios inundat, id est, abundat, Dei iustitia. Insuper nonnulli docti sic explicant apposite: pro *verbum*, inquiunt græce est λογον, id est rationem, supputationem, q. d. Deus est is qui λογον, id est, rationem et computum Hebræorum, consummat et abbreviat; Deus est qui numerum filiorum Israel supputat, eorumque rationes subducit; quocirca eos ad minutissimos calculos numerabit, ac licet ipsi sint quasi innumerabiles et infiniti, excidioque et cladi destinati; paucissimos tamen quos sibi selegit, et in libro vitæ conscripsit itaque prædestinavit ex numero pereuntium subducet, salvosque faciet, q. d. Deus rationem et numerum servandorum brevem id est, exiguum conficiet.

Denique Syri et Arabes, Roman. 9. 28. vertunt: *Isaias verificat sermonem de filiis Israel per verbum definitum et abbreviatum* (hoc est definite et resolute, sive definitis, præcisis ac brevibus paucisque verbis, nimirum hisce) *Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo*, et servabuntur. Hæc rite conveniunt versioni Septuag. quos sequitur S. Paulus; at non æque textui Hebræo, et Latinæ versioni hoc loco, quæ habent: *Consummationem et abbreviationem Dominus faciet.* Quæ verba sensum initio datum exposcunt: qui etiam recte adaptari potest versio Septuag. et S. Pauli: ille ergo genuinus est. Adde, Isaias dicit quod Deus abbreviabit verbum (non *per verbum*, ut habent Syri) et faciet consummationem, sive, ut alii vertunt, consumptionem Israelis. Plura vide Roman. 9. v. 27. et 28. ubi dixi symbolice verbum abbreviatum esse tum Verbum incarnatum, tum eius Evangelium. Unde S. Bartholomæus Apost. uti scribit S. Dionysius Areopagita de Mystica Theolog. cap. 1. dictitabat, *Theologiam esse magnam et parvam; atque Evangelium esse amplum et grande, ac simul breve et concisum;* scilicet breve verbis et præceptis, amplum rebus, spiritu, documentis, et virtutum omnium gradibus.

IN MEDIO OMNIS TERRÆ.) Id est in tota Iudæorum terra, et ubicumque degent Iudæi. Nam, ut ait S. Hieronymus in Isaiæ 13. *Idioma est Scripturæ sacræ, ut omnem terram illius significet provinciæ, de qua sermo est.* Rursum, medium non præcise medium, sed loco aliquo contentum significat. Sic enim Hebræi dicunt: In medio populi, id est in populo: In medio mari, id est in ipso mari magno et vasto.

PROPTER HOC.) Hinc patet præcedentia de consummatione abbreviata, spectare quoque ad tempora Isaiæ et Ezechiæ; nam eo hæc spectant: præmunit enim Ezechiam cum populo ne timeant Sennacherib. Vers. 24.

IN VIRGA PERCUTIET TE.) Leviter percutiet te, q. d. Vapulabis, et, ut pueri virga cæderis, sed non occideris.

ET BACULUM SUUM LEVABIT SUPRA TE IN VIA ÆGYPTI.) Per epistolam minabitur tantum; sed minas non perficiet, arma et sceptrum suum quasi baculum tibi intentabit, sed non feriet; nam ego iræ et furoris mei stimulos exacuam, eumque per angelum cædam. Historia hæc est: cum Sennacherib appropinquaret Hierosolymæ, audivit Taracam Æthiopiæ regem, ipsum bello petere, et per Ægyptum transire. Itaque per viam qua itur in Ægyptum, contra eum pugnaturus profectus est. Ex itinere tamen scripsit litteras ad Ezechiam superbiæ et minarum plenas, 4. Reg. 19. Ita S. Hieronymus. Unde Septuaginta vertunt: *Ut videat viam Ægypti.*

Secundo, Sanchez et alii τὸ *in* via, accipiunt pro *instar viæ;* sæpe enim Hebræum ב *bet*, id est, *in*, ponitur pro כ *caph*, id est, *sicut*, q. d. Sicut olim, cum mare Rubrum transisti, minatus vobis fuit Pharao rex Ægypti, sed vanæ fuerunt illius minæ; ita etiam erit de minis Sennacherib; nam, sicut in via Ægypti virga Mosis percussus et mersus est Pharao; ita ibidem virga divina percutietur Sennacherib, ut dicitur v. 26.

ET SUSCITABIT SUPER EUM DOMINUS FLAGELLUM, IUXTA PLAGAM MADIAN IN PETRA OREB.) q. d. Sicut Deus Vers. 26. per Gedeonem non armis, sed pavore subito, divinitus et miraculose Madianitis incusso, eos cecidit, eorumque principem Oreb occidit in petra, quæ inde dicta est Petra Oreb: ita et per angelum subito et miraculose cædet castra Sennacherib.

ET VIRGAM.) Repete *suscitabit*, et supple *sicut*, hoc enim sæpe subaudiunt Hebræi, q. d. Sicut Deus olim virgam suam suscitavit et levavit super mare Rubrum contra Pharaonem reducendo aquas maris, cumque cum suis copiis submergendo: ita simili ultione et virga plectet Sennacherib, idque pariter in via Ægypti, ita factum est; nam cum inde ab expeditione Æthiopica rediret Sennacherib, ut Ierusalem, cui minatus erat, expugnaret, obsidens urbem Lachis misit Rabsacen Ierusalem, qui in ea suas minas et blasphemias in Deum evomuit. Quare iratus Deus vindictam acceleravit, et totum exercitum Sennacherib una nocte delevit, Isaiæ 36. et 37.

COMPUTRESCET IUGUM A FACIE OLEI.) Iugum intellige Vers. 27. servitutis Sennacherib; illi enim Iudæi serviebant, et pendebant annuum tributum trecentorum talentorum argenti, et triginta talentorum auri, 4. Reg. 18. 14. maiusque eius iugum exspectabant, expugnata ab eo Hierosolyma. Unde clare vertit Arabica translatio Antiochena: *Confrin-*

getur iugum de medio manuum bestiæ: et Alexandrina: *Cessabit iugum eius.*

Vatablus et Forerius vertunt: *Præ pinguedine laxabitur et solvetur iugum eius;* Hebræum enim שמן *scemen*, oleum, omnemque pinguedinem significat; חבל *chubbal* vero significat dissolvi, laxari, rumpi, corrumpi. Sensus est, q. d. Sicut lora, nodi (hos enim ungendo oleo vel pinguedine solvere solent agricolæ) et funes, ex quibus fit iugum boum, oleo imposita lentescere, mollescere, dissolvi, oleascere et tandem putrescere solent: ita iugum Sennacherib solvetur, rumpetur et quasi putrescet a facie olei, id est a præsentia divinæ opis et misericordiæ, inquit S. Hieron.

Oleum significat Dei opem, cur? Nota: Divinum auxilium, quo Ezechias superavit et excussit iugum Sennacherib, comparatur oleo; primo, quia durum eius iugum fecit molle et languidum, illudque dissolvit; secundo, quia tranquille et sine strepitu, uti fluit oleum, cladem Assyriis intulit; ita ut deletos se prius, quam deleri viderint; tertio, quia oleum facit nitidos, pingues, alacres, robustos ac validos; tales hic facti sunt Ezechias et Iudæi per opem Dei, cum antea obsessi essent luridi, macilenti, deiecti, imbelles et imbecilles; quarto, quia oleum facit lora putrescere, id est ea facit pinguia, mollia, resoluta; putre enim sæpe capitur pro pingui et resoluto. Sic ait Virgilius Georg. 1. *Zephyro putris* (id est pinguis) *se gleba resolvit*; Columella l. 2. *Idem pinguis et putris.* Sic ab Ovidio vocatur, *Bos putris*; a Statio, *Arenæ putres*, et *cineres putres.* Adde: Vox *computrescet*, innuit iugum, id est Assyrios a Deo per angelum occidendos, futurosque cadavera quæ reipsa computrescant.

Posset secundo, sic exponi per metonymiam: *iugum* id est iugi asperitas, tollitur, et quasi computrescit et perit, cum tam colla boum, quam iugum coriaceum oleo, id est pinguedine vel arvina, inungitur: ea enim fit molle et glabrum. Id magis verum et proprium est in iugo et oleo spiritali, ad quod maxime hic respicit Spiritus sanctus; de quo mox.

Nonnulli non comparative, sed adversative sic explicant: Iugum corporale solet etiam pinguia boum colla deterere, eaque ulcerare ac facere saniosa et putida: at iugum spiritale, puta durities et asperitas servitutis, qua Iudæi premuntur ab Assyriis, et mystice peccatores a dæmone et peccato, deteritur, computrescit, et evanescit ab ipso oleo, id est a Dei auxilio, gratia et spiritu. Ita fere Delrio adagio 703.

Aliter explicat Sanchez, idque dupliciter: primo, oleum, inquit, olivarum solet ferrum et iugum ferreum penetrare, mollire, exterere et consumere. Unde fabri ferrarii testantur ab oleo arma corrumpi, ideoque, cum ea poliunt, oleo olivarum abstinent; et Pierius hierogl. 54. *Fabri*, inquit, *qui ferrum lentescere atque emollire volunt, candefactum id oleo intingere consueverunt.* Verum, quia hoc non adeo certum est uti et incertum est agi hic de iugo ferreo: hinc secundo, inquit, *computrescet*, id est fatiscet, et corrumpetur iugum a facie olei, id est ob defectum olei, quia non est unctum oleo, id est pinguedine, quo crudum corium solet macerari et subigi, ne arescat et rumpatur. Sic dicitur Psal. 108. *Caro mea immutata est propter oleum*, hebr. *ab oleo*, id est, quia oleum defuit. Unde Symmachus vertit: *Præ non unctione*; nam Hebr. מן *min*, id est, *ab*, sæpe negationem significat, ut 1. Reg. 15. 26 מהיות *mihiot*, *ab essendo*, id est ne esset, 1. Reg. 23. 28. מרדף *miredoph*, *a persequendo*, id est, ne persequeretur. Verum obstat τὸ *a facie*; facies enim præsentiam significat, non absentiam et negationem olei. Adde hic sensus elidit insignem tropologiam quam passim dant Patres; de qua mox.

Tertio, Vatablus per *oleum* metonymice accipit unctum oleo, scilicet Ezechiam regem, q. d. Ob merita Ezechiæ regis Deus aufert a Iudæis iugum Sennacherib. Hinc

Quarto, allegorice, alii ex Chaldæo sic explicant, q. d. Deus a nobis aufert iugum dæmonis propter Messiam, sive Christum, qui unctus est oleo exultationis præ consor- A tibus suis, et cuius nomen est oleum effusum, quod omnem iugi peccatorum duritiem mollit et solvit; denique a quo quasi a capite unctio in omnia membra dimanat, qui si nos liberaverit, vere liberi erimus. De hoc Christi oleo vide S. Bernardum, sermone 15. in Cantica. Vere enim de Christo, id est uncto a Deo, dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.*

Tropologice, S. Gregor. 19. Moral. c. 12. et 13. explicans illud Iob 29. *Quando petra fundebat mihi rivos olei. Hoc est*, *inquit*, *cum corda discipulorum Spiritus sancti unctione Christus implevit; oleo enim Spiritus sancti unctio designatur, de qua dicitur: Computrescet iugum a facie olei; iugum enim a facie olei computrescit; quia, dum Spiritus sancti gratia ungimur, a captivitatis nostræ servitute liberamur; dumque maligni spiritus dominatio superba repellitur, iugum conteritur, quo libertatis nostræ colla premebantur. Hinc ait Psaltes: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, etc.*

Denique S. Bernard. serm. 1. de Dedicatione Eccles. B hæc derivat et accomodat iugo, id est disciplinæ et pœnitentiæ Religiosorum: Sæculares, inquit, mirantur arctam disciplinam monachorum et Religiosorum, quia iugum vident, oleum et unctionem non vident. Deus enim hunc vitæ rigorem tanta gratia, totque consolationibus lenit et mulcet, ut nullum hoc esse iugum videatur. Hoc est quod ait Christus: *Venite ad me, omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve*, Matth. 11. 28.

Moraliter ergo oleum hoc est triplex: primum, est suavitas amoris sive charitatis, quam aspirat lex et spiritus Christi, cuius iugo suavi qui colla subiicit, non atteritur pondere, sed reficitur dulcedine. Unde S. Augustinus lib. de Natura et gratia, c. 69. *Omnia*, inquit, *fiunt facilia charitati, cui Christi sarcina levis est: aut ea una est sarcina ipsa quæ levis est. Secundum hoc dictum est: Et præ-* Moral. de oleo amoris et consolationum. C *cepta eius gravia non sunt, ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitus dici, Gravia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt, et petat quo destituitur, ut impleat quod iubetur;* et mox: *Quomodo est enim grave, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, et ideo grave est; aut diligit, et grave esse non potest.* Semitæ ergo iustitiæ *duræ sunt timori, leves amori.* Nam, ut ait S. Bernardus: *Ubi est amor, ibi non est labor.* Si est labor, non est amor. Ut ergo non labores, ama. Sic et B. Gregor. Nyssen. Orat. 2. *De pauperibus amandis*: *Tollite*, inquit, *iugum meum super vos: Mandatorum observationem iugum appellat; iubenti pareamus, efficiamur iumentum Christi, induentes vincula charitatis. Tale iugum ne detrectemus, ne excutiamus: suave est, leve est, subeuntis cervicem non atterit, sed demulcet.*

Secundum, est consuetudo; hæc enim omnia dura lenit. Ubi Gillebertus in Allegoriis recte urget τὸ *computrescet: Quod computrescit*, inquit, *lento deficit, non deficit* D *semel. Propositum voluntatis præcidi quidem potest, et quasi dirumpi; sed inveterata passio non tam deciditur quam dediscitur. Et quando operandæ salutis impossibilitas aufertur per gratiam, tunc quasi dirumpitur captivitatis iugum: sed quæ residet adhuc boni difficultas, dum paulatim tollitur, eius videtur iugum computrescere.*

Tertium est gratia et consolatio divina. Unde S. Leo serm. 5. de Epiph. *Nihil*, ait, *arduum est humilibus, nihil asperum mitibus; et facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando et gratia prætendit auxilium, et obedientia mollit imperium.* Hinc sponsa dicit sponso: *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. 2.

Hoc oleum sentiens, Psaltes canebat: *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis*, Psal. 115. 8. et Psal. 22. 5. *Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam præclarus est!* Oleum consolationis Dei quantum?

Præclare S. Bernardus in Sententiis: *Verba*, inquit, *consolationis Dei sunt ablutio culpæ, restitutio gratiæ, evasio exsilii, consecutio regni, consortium divinitatis, ade-*

ptio æternitatis. Ita noster S. Xaverius in Indicis illis laboribus et ærumnis maximis, cælestibus gaudiis abundabat, ut exclamaret: *Satis est, Domine, satis est: aut minue gaudia, aut tolle me de hac vita; nec enim cor mortale tanta gaudia capere potest.*

Hoc est quod prævidens in spiritu Psaltes aiebat Psal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Magna, sed abscondita, iisque tantum cognita, qui Deum timent; et Ps. 117. *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum;* et Ps. 34. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* et Psal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Torrentem vocat propter copiam, et quia e cælo large demittitur; ebrietatem autem, quia qui talibus solatiis saturantur, quasi a vita mundi et a seipsis alienati, nihil in terra vident aut curant, sed intus fervent spirituali æstu, qui fervor ad multa impellit, quæ mundanis inepta, vel etiam stulta videntur. Ita S. Franciscus hoc æstu quasi ebrius fecit se ludibrium mundi, quia non aliud in corde et ore habebat, quam *Deus meus et omnia.*

Idem prævidit Isaias cap. 51. *Ponet*, ait, *desertum eius quasi delicias, et solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.*

Hoc oleum et manna sapiebat Abbas Ioannes, de quo Cassianus collat. 19. refert eum tanta perfundi solitum interiori dulcedine, ut ne id quidem recordaretur, an pridie comedisset; et S. Ephrem qui cum eius præcordia cælesti lætitia pene rumperentur, dicebat: *Recede a me, Domine, parumper, quoniam vasis huius infirmitas ferre non potest.* S. Bernardus quoque ita iisdem gaudiis absorbebatur, ut toto die lacum obequitans numquam cum viderit, et toto anno in una cella degens, adhuc ignoraret an ea tectum haberet; qui proinde epist. 114. *Revera*, ait, *illud verum et solum gaudium est, quod non de creatura, sed de Creatore percipitur, et quod, cum possederis, nemo tollet a te, cui comparata omnis aliunde iucunditas mæror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare possit molestum.*

Agedum ergo, o serve, o athleta Christi, ne fugias iugum, disciplinam et crucem Christi; uncta est enim oleo mire suavitatis et consolationis cælestis. Scito hanc legem fixam a Deo: quo maius iugum, quo maior crux pro Deo suscipitur, eo maior a Deo infunditur consolatio, adeoque mensura crucis est mensura consolationis, imo hæc illam non tantum adæquat, sed et longe superat. Hoc non ego assero, sed Psaltes, sed Paulus, sed Spiritus sanctus, Ps. 93. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam;* et 2. Corinth. 1. 5. *Sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Hoc experti sunt et hodie experiuntur Martyres, Religiosi et omnes qui arduam et austeram perfectionis vitam ineunt, qui iugum hoc et crucem Christi non horrent sed amant et ambiunt, ob dulcedinem internam, quam in ea sentiunt. Ergo *in cruce refrigerium*, non alibi.

Vers. 28. VENIET IN AIATH.) Pulchra hypotyposi describit iter superbi Sennacherib, et pompam redeuntis ex Ægypto, quanto strepitu, quantaque celeritate ad oppugnandam Ierusalem venerit. Itaque ut ostendat certitudinem prophetiæ suæ, nominat urbes, quas vel capturus vel transiturus erat, subitis victoriis ita cuncta pervadens, ut in Machmas vasa, id est sarcinas, relinqueret; indeque celeri cursu ad alia pergeret. Quare

Vers. 29. TRANSIERUNT CURSIM.) Assyrii victores, dicentes: Festinato opus est; vesperi enim in Gabaa pernoctabimus. Est mimesis; imitatur enim voces hostium. Unde Rama tam celerem hostium reditum obstupuit, et cives Gabaath, quæ fuit quondam regia Saulis, fugerunt.

Vers. 30. HINNI VOCE TUA FILIA GALLIM, *filia*, id est urbs; Hebræi enim urbes speciosas vocant *filias*, q. d. O Gallim,

A eiula quantum potes, quiritare, et voca in auxilium amicos et vicinos tuos: sed frustra: nam certa tibi imminet vastitas. Tuque tibi ATTENDE LAISA pariter et ANATHOTH.) Nam vobis quoque imminet hostis.

Nota. Urbes istæ varia habuerunt nomina; aliter enim vocantur in libro Iosue et a Septuag. Unde *Aiath* est Hai, quam expugnavit Iosue, cap. 7. et 8. *Machmas* etiam tempore S. Hieron. vicus erat grandis, ab Ierusalem tantum distans nono lapide. *Laisa*, sive Lais, aut Lesem, est Dan, quæ postea Paneas et Cæsarea Philippi est dicta. Ponit ergo Propheta hic urbes in itinere positas, quas Sennacherib cepit, et aliquas etiam remotiores, quas terrore implevit, missa forte eo exercitus parte. Porro videtur ipse ex Ægypto progressus per Iudam et Beniamin illa fere via, qua olim Israelitæ, cum transmisso Iordane a campestribus Moab in Galgala et Ierichuntem aciem direxerunt, atque inde progressi ceperunt Hai, et postea adiunctis sibi Gabaonitis superarunt regem Hierosolymor. et alios.

MIGRAVIT MEDEMENA.) Scilicet incolæ præ metu ur- Vers. 31.
B bem deseruerunt. Medemena est Bersabee, inquit Adrichomius, quæ postea vocata est Gibelina, ait S. Hieron.

HABITATORES GABIM, CONFORTAMINI.) q. d. Metu hostis fugistis; sed animum resumite, parum vobis est periculi; causam subdit dicens: *adhuc dies, etc.* q. d. Sennacherib per vos tantum festinus transibit; properat enim Ierusalem, quam certa spe devoravit: atque ante 24. horas pertinget in Nobe, quæ urbs erat sacerdotum, ex qua conspici poterat Ierusalem, inquit S. Hieron.

Aliter Sanchez: nam per *Gabim*, quod hebr. significat excelsa, accipit Ierusalem sitam in monte Sion, et Moria; ut sit sarcasmus, q.d. Robur et arma parate, o Hierosolymitæ, adventat hostis: verum vestrum robur tantum non est, ut ei resistat; nisi Deus pro vobis contra eum pugnet, actum est de vobis.

AGITABIT MANUM SUAM.) Sennacherib eminus ex No- Vers. 32.
be agitans manum, minabitur excidium Hierosolymæ. Ita S. Hieron.

C ECCE DOMINATOR DOMINUS EXERCITUUM CONFRINGET Vers. 33.
LAGUNCULAM IN TERRORE, etc.) q. d. Cum videberis tibi, o Sion, perdita, et in acie novaculæ constituta; tunc Dominus potentiam et protectionem suam tibi ostendet; confringet enim copias Sennacherib tam facile et valide, quam ab aliquo lagunculа testea confringitur, si lapidi allidatur. Alludit ad victoriam Gedeonis, qui confringendo lagunculas perculit et prostravit Madianitas: lagunculæ ergo hæ symbolum sunt illustris, celeris, incruentæ et miraculosæ victoriæ.

Allegorice, hic significatur Christi victoria, idque varie; nam pro lagunculа hebr. est פארה *pura*, quod primo, significat lagunculam: tunc sensus de Christo est, q. d. Deus permittet Christum morti tradi, cuius divinitatis thesaurus in humano corpore sicuti in fictili vasculo, et fragili lagunculа continetur, ut ea diffracta, iubar divinitatis emicet et prosternat diabolum: sicut, diffractis lagunculis, Gedeonis emicuerunt lampades quæ perculerunt et prostraverunt Madianitas. Ita testæ nomine Christum
D significari, Ps. 21. 16. censet ibidem S. Augustin.

Secundo, *pura*, a radice פאר *paar*, significat gloriam; unde nascitur alius egregius sensus: nam quod præcedit מסעף *mesaeph*, etiam significat ramificans, a radice סעיף *saiph*, id est ramus, vel, cacumen arboris; quare sic vertas: Dominus ramificabit, seu exaltabit in cacumen arboris gloriam. Quid clarius potest de Christi in crucem, deque sanctæ crucis exaltatione dici?

Tertio, si *pura* cum Theodotione et Symmacho vertas *torcular;* quis, quæso, torcular passionis calcavit solus, nisi Christus Dominus?

Denique, si cum Aben Ezra, et Kimchi, omnibusque recensioribus *pura*, vertas ramum, nonne Christus tenerrimus ille et minimus ramusculus fuit, quem ex ingenti populi Iudaici cedro avulsum Deus in verum Israelem insevit? qui in tantam excrevit arborem, ut sub eius ramos, omnes volucres se recipiant? Unde sequitur: *Et egredietur virga de radice Iesse.*

Vers 34. Et excelsi statura succidentur.) Fortissimi et maximi quique milites Sennacherib cædentur ab angelo.

Subvertentur condensa saltus.) Comparat copias Sennacherib numerosas et validas saltui et Libano nemoroso, in quo arbores sunt milites hastati. Vide dicta v. 7.

Allegor. et tropolog. Nyssen. homil. 14. in Cant. notat duos esse Libanos, unum electum et pretiosum, cuius elegantia sit divina, qui est Christus Dominus; alterum A vero malum, vilem, et cum cedris suis reprobandum, et comburendum, qui est cacodæmon. Hinc fieri, ut Libanus in Script. aliquando in bonam partem pro iustis, aliquando in malam sumatur pro superbis: uti hic Libanus est quivis glosiosus et superbus. Significat ergo allegorice Isaias, quod arrogantia et malitia dæmonis cum cunctis eius sublimitatibus contra veritatem erectis nato Christo Domino, sit corruitura.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit ad suum Emmanuelem quasi ad amorem suum, cuius oblivisci nequit, eiusque ortum inchoatum cap. 7. 14. gratiam, prædicationem et conversionem Gentium pertexit. Ita S. Hieron. et Hebræi. Nam totum hoc caput et sequens, ut ait S. Hieron. de Messia tam Christiani, quam tota Circumcisio loqui fatentur: hoc tantum discrimine, quod Iudæi de venturo, et de regno eius temporali omnia simpliciter ad litteram accipiunt; Christiani pleraque metaphorice de spirituali regno eius, qui iam venit, Christi Dei intelligunt.

Primo ergo prædicit Christum quasi florem de radice Iesse ascensurum, quodque requiescent super eum septem dona Spiritus sancti. Secundo, v. 6. quod sub ipso lupus habitabit cum agno. Tertio, v. 10. quod sepulcrum eius erit gloriosum æque ac vexillum crucis, ad quod omnes Gentes et Iudæi unanimiter confluent. Quarto, v. 14. quod Apostoli prædabuntur Philisthinos, Idumæos, Moabitas, Ægyptios, etc.

1. Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. 2. Et requiescet super eum spiritus
Domini: spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, 3.
Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum
auditum aurium arguet: 4. Sed iudicabit in iustitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ: et per-
cutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. 5. Et erit iustitia cingulum lumbo-
rum eius: et fides cinctorium renum eius. 6. Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit: vitulus
et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. 7. Vitulus et ursus pascentur: simul requiescent
catuli eorum: et leo quasi bos comedet paleas. 8. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: et in
caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. 9. Non nocebunt, et non occident in universo monte
sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. 10. In die illa radix Iesse, qui
stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum eius gloriosum. 11. Et erit in die il-
la: adiiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis,
et ab Ægypto, et a Phetros, et ab Æthiopia, et ab Ælam, et a Sennaar, et ab Emath, et ab insulis maris. 12.
Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terræ.
13. Et auferetur zelus Ephraim, et hostes Iuda peribunt: Ephraim non æmulabitur Iudam, et Iudas non pugna-
bit contra Ephraim. 14. Et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul prædabuntur filios orientis: Idu-
mæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt. 15. Et desolabit Dominus linguam ma-
ris Ægypti, et levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui: et percutiet eum in septem rivis, ita
ut transeant per eum calceati. 16. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis: sicut fuit Israeli
in die illa, qua ascendit de terra Ægypti.

Vers. 1. Et egredietur virga de radice Iesse.) Pro *virga*, Symmachus et Theodotion vertunt, *germen*, quod dedit florem; alludit ad gloriam saltus et Carmeli, id est ad Sennacherib, et Assyrios, quos cap. præced. v. 18. dixit plane comburendos et exscindendos, ita ut eorum imperium florens et viride intereat, ac transferatur ad Chaldæos, q. d. Hæc arbor, imo sylva politica Assyriorum, quæ iam ita floret et viret, excindetur radicitus, nec umquam revirescet; at vero arbor Iudæorum et stirps regia Davidis, licet per Sennacherib sit vastanda et abbrevianda usque ad reliquias, ut dixit ibidem vers. 22. et deinde per Chaldæos pene exscindenda, tamen remanebit truncus et radix, ex qua revirescet et reflorescet, dans novam virgam et novum florem, cuius gloria et regnum numquam deficiet.

Porro virga est B. Virgo Maria, flos est Christus, radix est familia Davidis iam ablato sceptro quasi emortua et succisa (hoc enim significat Hebr. גזע *gheza*) ita ut sola eius radix in plebe latere et virere videatur: sed hæc ipsa reflorescens proferet florem Christum, tamquam Regem regum. Ita S. Hieron. Tertull. Augustin. Ambros. lib. de Benedict. patriarch. c. 4. qui sic ait: *Radix, familia Iudæorum: virga, Maria: flos Mariæ; Christus est, qui fœtorem mundanæ colluvionis abolevit, odorem vitæ æternæ infudit.* Ita et S. Leo, Bernardus, et passim alii Patres quos fuse hic citat Leo Castrius. Unde Chaldæus clare ver- B tit: *Et egredietur rex de filiis Iesse, et Christus de filiis filiorum eius ungetur.*

Nota. Christus vocatur *flos* ob decorem, et suavitatem odoris tam sanctæ vitæ, famæ, doctrinæ et passionis. Pro *flore* hebr. est נצר *netser*: unde Maldon. Iansen. et alii apud S. Hieron. Christum dictum putant Nazaræum vel Nazarenum, q. d. Floridum omni virtute et gratia, atque excrescentem in magnam et gloriosam arborem, quæ multos et magnos dedit fructus Martyrum, Confessorum et Virginum. Unde et in titulo S. Crucis qui exstat Romæ, נצרי *notsri*, id est Nazarenus, scribitur per tsade, quasi a *netser* hoc descendat, uti testatur Santes Pagninus (quamquam mihi titulum hunc in basilica S. Crucis Romæ studiose diuque intuenti, litteras Hebræas in eo iam non posse discerni certo, et si discernantur, *notseri* potius scribi per zain, quam per tsade, visum sit) et eum C secuti Ians. Maldon. Salmeron, Barradius, Caiet. Franc. Lucas, et alii in Matth. 2. v. ult. quin et S. Hieron. scribens ad Pammach. de optimo genere interpretandi Scriptur. vertit hic, *Et Nazaræus de radice eius crescet*; atque reprehendit Sept. quod hoc omiserint: sed de hac re dixi Matth. 2. v. 3. et 23. Pulchre S. Ambr. l. 2. de Spiritu sancto c. 5. *Virga*, ait, *Maria, flos Mariæ Christus, sicut ipse dixit: Ego flos campi, et lilium convallium. Flos odorem suum succisus reservat, et contritus accumulat, nec avulsus amittit: ita et Dominus Iesus in illo patibulo cru-*

Christus dicitur Nazarenus quasi floridus.

ris, nec avulsus evanuit, nec contritus emarcuit; sed illa lanceæ punctione succisus speciosior fusi cruoris colore vernavit, mori ipse nescius, et mortuis æternæ vitæ munus exhalans. Hinc cruci Christi vice tituli inscriptum fuit *Nazaræus rex.* Ubi prodigium illud accidisse videtur, de quo quærit poeta:

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores?

In cruce enim nomen regis nostri nomine *Nazaræus*, id est, floris et floridi inscriptum apparuit.

Secundo, paulo aliter S. Basil. Cyrill. Hilar. in Ps. 2. ad illud, *Reges eos in virga ferrea*, et Origen. hom. 9. in fine, hæc explicant. Nam per radicem intelligunt B. Virginem, per virgam et florem Christum, qui est virga malis, flos bonis. Christus enim est virga, quia fuit rex, pastor et iudex; secundo, quia instar virgæ fuit flexilis paupertate, humilitate et mansuetudine.

De radice Iesse.) Non dicit *David*, cui hic flos fuit promissus, sed *Iesse*, quia sicut regnum David ex humili stirpe Iessea sumpsit initium, sic etiam ex humili prosapia Christi Salvatoris fuit restitutum. Dei ista potentia est, de minimis facere maxima. Secundo, ne Christus a Davide gloriam accepisse, sed potius eius familiæ gloriam dedisse videatur.

Nota. Pro *de radice* Symmach. et Theodot. vertunt *de trunco*: sed Noster et Septuag. melius vertunt, *de radice*, quia Hebr. גזע *gheza* non est quivis truncus, sed truncus cuius pars extra terram quasi emortua, pars autem maior eaque viva, nempe radix tota, intra terram est: significat ergo non ex ipso trunco, qui extra terram emortuus et inglorius sine ramis, id est, sine regibus suis, extabat; sed ex ipsa radice, quæ in plebeia familia, quasi in terra latebat, virgam hanc et florem enascitura. Christo enim nascente regia Davidis familia redacta erat ad homines privatos et pauperes: talis enim fuit Ioseph pater Christi, eiusque avi et abavi.

Vers 2 Et requiescet super eum spiritus Domini.) Vox *requiescet*, significat primo, firmitatem; secundo, plenitudinem; tertio, locum proprium et connaturalem, q. d. Spiritus Domini firmiter et plene replebit Christum, in eoque requiescet necessario et constanter, quasi in loco et supposito sibi proprio et connaturali, scilicet ex vi unionis hypostaticæ cum Verbo. Hic enim spiritus naturaliter est et existit in Deo incarnato, q. d. Nec in Adamo, nec in ullo cæterorum hominum potuit constanter manere et quiescere Spiritus sanctus, nisi in solo Christo: omnes enim alii declinaverunt, inquit Psaltes. Ita Cyrillus. Dixit Isaias c. 9. 6. Emmanuelem futurum admirabilem, consiliarium, patrem futuri sæculi, principem pacis. Nunc ei dotes et dona ad hos status necessaria assignat, q. d. Talis tantusque erit Emmanuel, ut dixi c. 9. quia Dominus replebit eum suo spiritu septemplici: nam a spiritu consilii, erit consiliarius; a spiritu fortitudinis, erit fortis; a spiritu sapientiæ, erit princeps pacis: a spiritu pietatis, erit pater futuri sæculi, etc.

Opponit Christum regem regi Assyriorum, regi Samariæ, regi Achaz et aliis, qui stulta habuerunt consilia et consiliarios, vitam inertem et effœminatam egerunt, pauperes oppresserunt, leges iniquas sanxerunt, ut suas opes et gloriam augerent, q. d. E contrario Christus regnum suum, scilicet Ecclesiam, moderabitur, et instituet spiritu sapientiæ, fortitudinis, pietatis, etc.

Spiritus Domini) Aliqui per *Spiritum Domini* intelligunt ipsam substantiam Spiritus sancti, quæ semper futura erat cum Christo, quia Christus, qua Filius Dei, una cum Patre spirat Spiritum sanctum. Ita Origen. et Iustinus contra Tryphonem. Unde Galatin. libr. 2. cap. 6. pro *Spiritus Domini*, vertit *Spiritus Dominus*, id est, Spiritus sanctus, qui est Deus; itaque verti potest ex Hebræo. Verum hic non agitur de spiratione, sed de donis septem Spiritum sancti. Spiritus ergo in genere est incitatus animi motus, impetus et ardor immissus vel a natura et cupiditate, vel etiam a dæmone, tumque dicitur furor et insana cupido; sic vocatur spiritus superbiæ, iræ, acediæ, etc.

(Spiritus quid?)

A vel a Deo tumque dicitur spiritus Domini: estque aliquando permanens, aliquando cito transiens. Rursum, vel est in intellectu, et tunc est spiritus sapientiæ, consilii, intellectus, scientiæ; vel est in voluntate, et tunc est spiritus pietatis, timoris, vel fortitudinis. Sic Exodi c. 31. v. 33. dicitur Deus implesse Beseleel spiritu scientiæ in omni opere, id est, inspirasse illi artem fabricandi tabernaculum. Sic Apostolus 2. Tim. 1. v. 7. inquit: *Non dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, et dilectionis.* Sic passim alibi spiritus metonymice vocatur virtus vel res aspirata, ut spiritus lenitatis, humilitatis, charitatis vocatur ipsa lenitas, humilitas, charitas a Deo aspirata.

Spiritus sapientiæ.) Nota primo. Hinc Patres et Theologi recte, quidquid ogganniat Œcolampad. colligunt septem dona Spiritus sancti, scilicet primaria. Secundo, sub hisce septem, quasi sub numero plenitudinis, intelligit Propheta omnia alia eius dona, q. d. Spiritus sanctus cum plenitudine suorum donorum requiescet super Christum. Ita S. Hier. et Cyrill. Tertio, S. Thomas et aliqui alii di- B stinguunt dona a virtutibus hoc modo: Virtutes, inquiunt, acquisitæ dantur homini, ut recte suos actus dirigat secundum legem et normam rationis; virtutes vero infusæ et Christianæ dantur ei, ut se dirigat secundum normam et legem supernaturalem fidei, spei, charitatis, etc. dona vero dantur ei ut se dirigat secundum impulsum et afflatum vehementiorem Spiritus sancti, quo præter communes leges ad actus fidei, spei et charitatis divinitus rapitur, vel, ut ait D. Thom. *Dicuntur dona, quia secundum ea homo disponitur, ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina, sicut dicitur Isaiæ 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii.*

Verum probabilius alii censent, ordinarie, hæc dona non distingui nisi ratione a virtutibus eiusdem nominis, ut donum pietatis, fortitudinis, sapientiæ, a virtute pietatis, fortitudinis, sapientiæ: dicuntur enim virtutes, quia animam perficiunt: dicuntur dona Spiritus sancti, quia ab eo donantur et aspirantur animæ, vel ut habitus, vel C ut actus; maxime cum actus sunt heroici, ad quos vehementi impulsu movet et incitat Spiritus sanctus, quia sunt effectus Spiritus sancti; sicut Samson heroica illa fortitudinis opera irruente in se spiritu Domini, patrasse legitur Iudic. 14. et seq. Unde ad heroica opera opus fere est nova ac valida aspiratione et excitatione Spiritus sancti. Hunc ergo crebro invocent, qui ad talia aspirant. Ita S. Hieron. Basil. Nazianz. Ambros. Athanas. August. Hilar. et Cyprian. quos citat Leo Castrius, et plerique Scholastici moderni.

(Dona Spiritus sancti sunt iidem cum virtutibus.)

Hinc sequitur, cuivis fideli in iustificatione infundi hæc dona, saltem illa, quæ virtutibus moralibus identificantur: hæc enim cum gratia et charitate simul infunduntur: Christo tamen soli infusa sunt excellentissime et perfectissime, ideoque de eo solo inquit Isaias, quod requiescet super eum Spiritus Domini.

Dico. *Quæ virtutibus moralibus identificantur;* nam donum intellectus, et ex parte donum sapientiæ et scienD tiæ, cum non sunt virtutes morales, non infunduntur cuilibet in iustificatione.

Moraliter, disce hic ingens Dei donum esse sapientiam (quæ primo loco hic ponitur, estque parens cæterorum) et prudentiam, tum supernaturalem, de qua hic agitur; tum etiam naturalem: hæc enim dirigit omnes actiones hominum ad finem eorum naturalem, vel supernaturalem. Quocirca prudentem esse beatum hoc sorite concludit Seneca epist. 85. *Qui prudens est, et temperans est. Qui temperans est, et constans est. Qui constans est, et imperturbatus est. Qui imperturbatus est, sine tristitia est. Qui sine tristitia est, beatus est. Ergo prudens beatus est, et prudentia ad beatam vitam satis est.*

(Moral. de prudentia.)

Rationem dat, quia sapiens malis non premitur, sed utitur: novit enim in adversis æque ac in secundis suam explicare virtutem. Idipsum duplici similitudine declarat. Prior est: *Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simulacra, faciebat ex ære: si marmor illi, si adhuc viliorem materiam quis obtulisset, fecisset quale ex illa fieri o-*

optimum posset. Sic sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit; si minus, in paupertate: si poterit, in patria; si minus, in exilio: si poterit, imperator; si minus, miles: si poterit, integer; si minus, debilis: quamcumque fortunam acceperit aliquid ex illa memorabile efficiet.

Posterior est: *Domitores ferarum sævissima animalia docent pati iugum, imo usque in contubernium mitigant, Leonibus magister manum insertat: osculatur tigrim suus custos: elephantem minimus Æthiops iubet subsidere in genua, et ambulare per funem. Sic sapiens est artifex domandi mala: dolor, egestas, ignominia, carcer, exsilium, quæcumque horrenda, cum ad hunc pervenere, mansueta sunt.* Socrates apud Platon. in Phædro asserit, *animi sapientiam esse aurum divinum.* Iamblicus apud Stobæum serm. de prudentia: *Prudentia*, inquit, *virtutum princeps est, reliquisque omnibus utitur, atque ipsarum ordinem, modum et occasionem tamquam oculus mentis undequaque lucidissimus ostendit: ipsa sui possessores efficit Deo similes.* Socrates rogatus quid esset prudentia? *Est*, ait, *animæ concinnitas.* Philo: *Prudentia*, ait, *est mentis sanitas.* Auctor apud S. August. ad Fratres in eremo sermon. de prudentia: *Prudentia*, ait, *te docet ut in cunctis semper idem sis, tam in prosperis quam in adversis, sicut manus quæ eadem est, et cum in palmam extenditur, et cum in pugnum restringitur.* Bion apud Laert. lib. 4. c. 7. asserit prudentiam tanto cæteris virtutibus antecellere, quanto cæteris sensibus præstat visus; prudentiam animi esse virtutibus, quod oculus est sensibus. *Nam quomodo*, ait, *iustus redderet, cuique suum, nisi prudentia commonstret quid cuique debeatur?* Vis præcepta prudentiæ Gentilium? Accipe tria e multis. Bias aiebat: *Considera, et postea rem aggredere.* Item: *Aggredere tardus; aggressus age constans. Nec cito desistas, nec temere incipias.* Ita Laert. Periander: *Ea facito*, ait, *quorum te non pœniteat.* Rursum: *Nihil aggredere, nisi quod vides te posse perficere.* Democritus rerum omnium pretiosissimam dicebat esse prudentiam, quæ nihil admiraretur.

Septem dona Spiritus sancti, quid?

Spiritus sapientiæ, et intellectus, etc.) Spiritus sapientiæ, sive sapientia est donum sive virtus Christiana, qua contemplamur divina et æterna, et secundum ea de rebus omnibus iudicamus. Secundo, scientia est donum seu virtus, quo cognoscimus temporalia ad salutem conducibilia et modus illis bene utendi: hæc maxime elucet in Proverbiis, Ecclesiastico, Ecclesiaste. Tertio, intellectus est virtus seu donum penetrandi obscura, maxime in Scripturis, eorumque figuras allegoricas, cæremonias: hoc donum habent doctores. Quarto consilii donum est pene idem quod virtus prudentiæ Christianæ (puta eius pars) quæ una cum fide infunditur omnibus Christianis in baptismo, qua omnes nostras actiones honeste et christiane dirigimus: consilium enim præcipuus est actus prudentiæ. Hinc Gentiles consilio Deum Consum præfecerunt. Plutarc. in Romulo, dicit repertam ab eo *aram conditam sub terra in Circo*, eique nomen indidisse *Conso*, a consilio: aramque ipsam reliquis latere temporibus, in equestribus vero certaminibus aperiri. Unde de ea Tertul. lib. de Spectaculis c. 5. *Ara*, ait, *Conso illi in Circo defossa est ad primas metas sub terra, cum inscriptione huiusmodi; Consus consilio, Mars duello, Lares comitio potentes.* Quinto, fortitudinis dono adversa et martyria sustinemus. Sexto, donum pietatis est iustitia Christiana, cuius præcipua pars est pietas seu religio, qua Deum ut summum parentem veneramur et colimus maxima reverentia, atque cum proximis quasi fratribus æquitatem et benevolentiam servamus unius Dei communis parentis causa. Septimo, timor est quasi fons et complementum omnium, timor, inquam, filialis ex amore nascens, seu potius consummatio quædam dilectionis. Ita Hilar. in Ps. 27. et Ambros. in Psal. 118. serm. 5. in illa: *Statue servo tuo in timore tuo eloquium tuum:* de quo plura Prov. 1. v. 7. Hic timor in Christi anima nascebatur ex intima reverentia, et clara cognitione divinæ maiestatis, et vilitatis suæ humanitatis, quæ ex nihilo venerat, et ad nihilum a Deo reduci poterat. Rursumque ex eo, quod considerabat Christus, quid de ea futurum fuisset, nisi gratuita sua misericordia Deus illam sic adiuvisset, et ad eum unionis gradum evexisset: potuisset enim peccari et damnari æque ac Iudas et alii damnati: quæ omnia sacrum quemdam horrorem mixtum suavi lætitiæ, gaudio, amori et reverentiæ, id est, quemdam timorem securitati permixtum in Christo pariebant; quo non tam quod futurum erat metuebat, quam quid fieri poterat considerabat. De hoc timore casto vide S. August. in Psal. 18. ad illud: *Timor Domini castus permanet in sæculum sæculi.* Ex hoc ergo Isaiæ loco timorem reverentialem et filialem fuisse in Christo, docent S. Thom. Alens. Magister sent. Bonav. Gabriel. Caiet. et alii, quos citat et sequitur Gabriel Vasquez 3. p. q. 7. art. 6. disp. 44. c. 2.

Ordo donorum Spiritus sancti.

Quoad ordinem donorum, Hilar. et Ambros. superius citati videntur velle hic Isaiam ascendere ab imo ad supremum; alii contra a supremo ad imum descendere: omnes optime; ut enim in circulo undecumque incipias, et quocumque loco desinas, potes rursum inde incipere ubi desieris, et desinere ubi inceperis: ita fit in diversis istis donis: unde enim ad sapientiam quis pervenit? ab intellectu: unde ad intellectum? a consilio: unde ad consilium? a fortitudine: unde ad fortitudinem? a scientia: unde ad scientiam? a pietate: unde ad pietatem? a timore Domini. Potes iterum regredi per eadem vestigia: nam timorem Dei sapientia informat, sapientiam instruit intellectus, intellectum dirigit consilium, consilium roborat fortitudo, fortitudinem regit scientia, scientiam decorat pietas, pietatem stabilit timor castus, qui permanet in æternum. De quo ascensu vide Greg. homil. 19. super Ezech. ante medium.

Symbolice, hæc dona septem beatitudinibus adaptat S. Bernard. serm. de donis Spiritus sancti, qui sequitur parvos eius sermones. Vide de his donis S. Thom. 1. 2. tota q. 68. et 3. p. q. 7. art. 2.

Vers. 3. Quintuplex versio.

Et replebit eum spiritus timoris Domini.) Pro *replebit* hebr. est בריחו *baricho*, quod primo, Vatabl. vertit: *Odorari faciet illum spiritus timoris Domini*, id est, spiritus Domini dabit Christo sagacitatem et acre iudicium, ut statim possit percipere an homines timeant Deum, nec ne, perinde ac si id, non visu, nec auditu, sed solo olfactu perciperet. Unde sequitur: *Non secundum visionem oculorum iudicabit.* Sic S. Hilarion, S. Maria Oigniacensis, et alii Sancti ex solo odore cognoscebant an quis esset in gratia Dei, nec ne: nam accedentibus peccatoribus mirum sentiebant fœtorem. Secundo, alii vertunt: *Odoriferum faciet illum spiritus timoris Domini*, iuxta illud in Canticis: *In odorem unguentorum tuorum curremus;* et illud Isaaci de Iacob, Genes. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Tertio, Sanchez vertit: *Spiritus olere faciet Christum timorem Domini*, id est, faciet spiritus, ut Christus in omni opere et loco ex se emittat odorem timoris Domini. Quarto, Forerius vertit, *Respirare eius erit in timore Domini*, q. d. Spiritus Domini faciet, ut respiratio, id est, omnis vita et actio, Christi sit in timore Domini: timor Domini erit spiraculum, halitus, vita et anima Christi. Quinto, optime vertas: *Spiritus Domini spirare faciet eum* (Christum) *timorem Domini;* quia faciet, ut Christus nil nisi Dei timorem, religionem et pietatem corde, ore, oculis, manibus, totoque corpore exhalet et spiret: sicut rosæ et lilia undique odorum fragrantiam emittunt et exspirant: sic ait Apostolus: *Christi bonus odor sumus.*

Heb irah significat timorem et pietatem.

In Hebræo, pro *pietas* et *timor*, est eadem vox יראה *irah*, unde utrobique *timor*, vertunt Pagnin. Vatabl. et Forerius: inde Œcolampad. vult sex tantum dona hic recenseri, non septem. Respondet Leo Castrius *irah* posteriori loco deduci a ירא *iare*, id est, timuit, et significare timorem; priori vero loco deduci a ראה *raa*, id est, vidit, et significare visionem vel illuminationem, quæ εὐσέβειαν, id est, pietatem, parit. Sed hoc longe est petitum.

Dico ergo, *irah* duo significare: primo, timorem et reverentiam; secundo, pietatem: hæc enim naturaliter consequitur reverentiam. Timor enim hic est amor Dei, o-

mniaque alia dona consummat et complectitur. Ita Arabica versio hæc duo distinguit, ponitque septem spiritus. Ait enim: *Descendet super eum spiritus sapientiæ, etc. et timoris Domini, et orietur in* (eum) *fiducia Domini*, vel spe in Deum. Ubi per *timorem* accipit pietatem, per *fiduciam* Dei invocationem, cultum et reverentiam. Sic et Syriaca: *Descendet super eum spiritus sapientiæ, etc. et timoris Domini, et orietur in timore Domini*, vel *in religione et cultu*, modoque colendi Deum. Abbas Chæremon apud Cassian. collat. 11. c. 13. notat, non dici *requiescet*, uti dicitur in aliis, sed, *Replebit eum spiritus timoris Domini: Tanta enim*, inquit, *ubertatis eius est magnitudo, ut quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam eius occupet mentem, nec immerito: illi enim quæ numquam excidit charitati cohærens non solum replet, sed etiam perpetua et inseparabili eum, quem ceperit, possidet iugitate, nullis lætitiæ temporalis, vel voluptatum oblectationibus imminutus, quod nonnumquam illi, qui foras mittitur timoris* (servili qui proinde in Christo non fuit, ut ait ibidem Chæremon) *evenire consuevit.*

Timor, id est amor replet cor.

Quocirca S. Ambros. in Psal. 118. octon. 5. ad illud v. 38. *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo*, notat hic timorem inter dona Spiritus sancti ultimo loco poni, quasi formam et complementum cæterorum. *Quantis*, inquit, *subiecit timorem, ut haberet quod sequi possit: informatur per sapientiam, instruitur per intellectum, consilio dirigitur, virtute firmatur, cognitione regitur, pietate decoratur.*

Vers. 3. Non secundum visionem oculorum iudicabit.) Primo, aliqui sic explicant, q. d. Christus non curabit, nec magnifaciet ea, quæ oculi hominum curiose spectant et magnifaciunt, scilicet vanas opes, et mundi pompas.

Secundo, et genuine, q. d. Homines iudicant secundum speciem et apparentiam externam, quæ sæpe fallit; nam hypocritæ per eam iudicibus fucum faciunt, cum se bonos simulant: sed Christus plenus spiritu sapientiæ, consilii, pietatis et timoris, iudicabit non secundum apparentiam externam, nec etiam ex relatione aliorum, aut rumoribus, quia visus et auditus in his sæpe falluntur; sed secundum ipsam causæ æquitatem, quam in seipsa introspiciet. Videbit enim interna et intima rei, scrutabitur corda et renes, et, ut ipse ait, *filius hominis scit, quid sit in homine*, quare fucum detrahet et deteget, atque in fucata sanctitate, et in velata malitia iniquitatem et fraudem, in fallaci sermone, et lingua duplici dolum et imposturam deprehendet et patefaciet. Ita S. Hieron. Sanchez et alii.

Huc pertinet quod Platonici tradunt, omnes homines iudicandos esse anima eorum nudata ab omni ornatu bonorum operum exteriorum, et in ea apparentibus solis virtutum luminibus, vel maculis vitiorum: ex quorum sententia nonnulla cecinit Claudianus l. 2. contra Ruffin.

Vers. 4 Iudicabit in iustitia pauperes.) Id est, inculpatum et sincerum iudicium reddet pauperibus, quos potentes sæpe opprimunt, vel mali iudices contemnunt et inique condemnant. Unde Irenæus l. 3. c. 2. vertit: *Iudicabit humili iudicium.*

Et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.) q. d. Christus pauperes suos discipulos, qui se mansuete subdent eius prædicationi, defendet contra duros et superbos Scribas, Pharisæos, et similes adversarios, quorum fastum, fraudes et scelera arguet et increpabit, uti fecit Matth. 12. et 23.

Septuag. vertunt: *Arguet humiles terræ*, scilicet id fecit Christus, cum dixit Petro: *Vade post me, Satana*; et alibi: *Nescitis cuius spiritus estis*; et alibi: *Nescitis quid petatis.* Unde Clemens Alexandrinus l. 1. Pædagog. 7. sic explicat: Castigabit mansuetos in utilitatem eorum erudiens, et a morte servans eos, iuxta illud: *Castigans castigavit me, et morti non tradidit me.*

Nota. In Scriptura iusti et sancti vocantur mansueti, mites, humiles: propria enim Sanctorum virtus, et sanctitatis nota est humilitas et mansuetudo.

Et percutiet terram virga oris sui.) *Virga oris* A est acris obiurgatio et increpatio, q. d. Christus peccatoribus non adulabitur; sed spiritu fortitudinis armatus liberrime, gravissimis verbis obiurgabit homines terrenis desideriis deditos. Ex hoc spiritu, et hac virga manant illæ voces, imo fulmina contra Pharisæos Matth. 23. et contra divites ac voluptuarios Lucæ 6. quibus væ damnationis intentat.

Hanc virgam oris a Christo participant concionatores, non theatrici, non politici, non frigidi; sed Apostolici, zelosi et efficaces, qui urbes et orbem convertunt, uti fuerunt S. Dominicus, S. Vincentius Ferrerius, S. Bernardinus, et alii.

Et spiritu labiorum suorum interficiet impium.) Primo, iussu suo pellendo, non tantum peccata, sed et dæmones, tum ex animabus hominum, ut ex impiis faciat pios, tum ex corporibus: dæmoni enim hæc expulsio est acerba instar mortis et interfectionis.

Secundo, et proprie, *impium*, id est, caput impiorum, scilicet Antichristum, occidet, uti explicat Paulus 2. Thes- B sal. 2. 8. et simul cum Antichristo omnes impios sententia secundæ mortis, id est, damnationis æternæ, plectet.

Et erit iustitia cingulum lumborum eius: et fides cinctorium renum eius.) q. d. Iustitia et fides, id est veracitas sive fidelitas (hanc enim significat Hebr. אמונה *emuna*) perpetuo Christo adhærebunt more cinguli eum stringentes, ornantes et roborantes. Sicut enim Christi humanitas tota cingebatur a divinitate, ita et a iustitia ac fidelitate, ut quæcumque diceret vel faceret, illa prompte, strenue et constanter secundum iustitiam et fidelitatem semper diceret et faceret. Vers. 5.

Nota. Hebræi per *cingulum* significant primo, adhærentiam et coniunctionem; secundo, robur et vires. Unde *dissolvi cingulum lumborum*, est vires amittere. Daniel. 5. 6. et *accingere lumbos* fortitudine, est strenuo et virili animo aliquid aggredi et facere, Proverb. 31. 17. Tertio, alacritatem et expeditionem, q. d. Christus erit accinctus ad iustitiam et veritatem tuendam super terram. Quarto, C pretium et amorem: sicut enim virgini fascia pectoralis, ita viro baltheus est in deliciis, q. d. Christo regi iustitia et fides erunt chara, et numquam deponentur, ac si essent eius baltheus. Ita Sanchez. Quinto, iustitiam et fidem Christo fore propriam, perpetuam et immutabilem: tale enim suum cuique est cingulum.

Cingulum quinque res notat.

Hinc secundo, aliqui per *cingulum* accipiunt gladium, quo per cingulum accingimur: hic enim decet Christum iudicem et regem, Psal. 44. 1. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, propter veritatem, et mansuetudine, et iustitiam.*

Tertio, Chaldæus per *iustitiam* intelligit fideles et iustos, quibus circumdabitur Messias, iuxta illud Isaiæ 49. *His omnibus* (fidelibus) *velut ornamento vestieris.*

Moraliter disce hic, quam principi cordi et curæ debeat esse, primo, iustitia. Vere S. August. l. 4. de Civitate 4. *Remota*, ait, *iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* et Cicero in Paradox. *Ius et æquitas vincula sunt civitatum.* Augustus apud Senecam in Ludo: *Pietate et* D *iustitia principes dii fiunt.* Hesiod. in Theogon.

Iustitia et fides principi esse cordi debent.

Hoc uno reges olim sunt fine creati,
Dicere ius populis, iniustaque tollere facta.

Aristot. l. 5. Polit. 10. *Rex*, ait, *debet et vult esse custos, ut nec opulenti iniustum aliquid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat.* Quare barbara est illa barbari vox apud Tacit. l. 15. *In summa fortuna id æquius, quod validius.* Et illa apud Lucan. l. 8.

Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta
Incipit.

Et illa Spartiani in Caracalla, *Licet si libet.*

Secundo, fides. *Fides enim iustitiæ fundamentum est*, ait Cicero l. 1. Offic. et *sanctissimum humani pectoris bonum*, ait Senec. epist. 89. Audi Silum Italic. ad fidem:

Ante Iovem generata, decus divumque hominumque,
Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt:
Iustitiæ consors, tacitumque in pectore numen.

Quocirca Romani in Capitolio fidem vicinam Iovi optim.

max. esse voluerunt, ut aiebat Cato: ut enim ille tutor humani generis, sic ista: *Nec ulla res vehementius remp. continet, quam fides*, ait Cicero l. 3. Offic. Est ergo fides iustitiæ, ut sic dicam, παρήλιος: æque ac de clementiæ lumine, modestiæ lumen refulget.

Vers. 6. Lupus cum agno sub Christo habitabit, quo sensu?

HABITABIT LUPUS CUM AGNO.) Primo, Iudæi hoc ad litteram accipiunt ut sonat, q. d. Tempore Messiæ lupus, pardus, leo, aliæque bestiæ cicurabuntur, nec amplius iustis et bonis nocebunt. Unde ipsi colligunt necdum venisse Christum, quia adhuc leo lacerat, lupus vorat, serpens mordet. Quidam Catholici hoc applicant et explicant de Apostolis et Martyribus, quibus viperæ, leones et bestiæ in eos immissæ sæpe nocere non potuerunt. Verum non satis apposite; nam dicit Propheta: *Habitabit lupus cum agno*: iam si lupus proprie accipitur, ergo et agnus; nusquam autem videmus tempore Christi lupos habitare cum agnis. Secundo, quia dicit hoc universaliter futurum: constat autem multos Martyres a bestiis esse laniatos. Tertio, quia sequitur, *leo quasi bos comedet paleas.* Quid hoc ad Martyres? Quare merito Iudæos refutat ex veteribus Rabbinis Galatin. l. 5. c. 8.

Secundo, Lactant. l. 7. Institut. cap. 24 putat hæc ad litteram ut sonant, vere futura post iudicium per mille annos, quibus Sancti cum Christo regnabunt in terra. Erit enim tunc aureum sæculum: et ita Sibyllas, quæ idem prophetarunt, quod Isaias hic, intelligit. Sic enim canit Cumana apud Virgilium ecloga 4.

Nec magnos metuent armenta leones:
Occidet et serpens, et fallax herba veneni.

Verum hic fuit error Chiliastarum, sive Millenariorum, quorum auctor fuit Papias discipulus S. Ioannis, ut dixi Apocal. 20. 4.

Dico ergo cum Patribus et Christianis interpretibus, hæc omnia metaphorice dici de hominibus quorum mores similes sunt bestiis istis. Quidam per efferatas, intelligunt Gentes; per mansuetas, Iudæos, q. d. In Ecclesia Christi simul pacifice degent Iudæi et Gentes. Ita Clemens Alexandr. 6. Strom.

Rectius alii per *leonem, lupum, aspidem* accipiunt quosvis homines fortes, potentes, rapaces et noxios; uti per *pardum*, irretitos variis erroribus et vitiis: hæ enim sunt maculæ pardi; per *agnum* vero, *hædum, vitulum, bovem*, infirmos, pauperes, mansuetos et laboriosos, q. d. In Ecclesia Christi simul quiete versabuntur iusti et peccatores, mites et feroces, patientes et cholerici, pauperes et divites, infirmi et potentes. Per has ergo metaphoras significatur, quod Gentes feræ et barbaræ deposita feritate mansuescent, et cum hædis et agnis, id est, cum humilibus et simplicibus Christianis sanctissime conspirabunt in unitatem fidei et Ecclesiæ, ut verbi gratia lupus, id est S. Paulus, qui spirans minarum et cædis in Christianos iure comparatur lupo Gen. 49. 27. habitet cum agno, id est cum S. Ioanne et Petro, inquit S. Hieron. Sic et Origen. hom. 2. in c. 6. Gen. et ibidem Chrysost. hom. 23. Basilius hom. 10. Hexam. Greg. super Ezech. homil. 16. qui similiter accipiunt locum Osee cap. 2. 18. ubi ait: *Et percutiam cum eis fœdus in die illa cum bestia agri, et cum volucre cæli, et cum reptili terræ.* Significat ergo Isaias, per Christi gratiam fore Gentium omnium unionem et concordiam, quæ omnis prosperitatis et felicitatis est mater. Id significavit Vespasianus Imp. nummo, in quo sculptæ erant pulchræ plenæque spicæ ex duabus manibus datis, simulque iunctis egredientes: hoc enim innuit ex concordia et fide rerum felicium abundantiam dimanare. Idem significavit Iulius Cæsar sculpens in nummo suo caduceum cum cornu copiæ: caduceus enim concordiam, cornu copiæ rerum affluentiam significat. Vide dicta c. 2. vers. 4.

Concordiæ ditantis symbola.

Pulchre hæc verba, *Habitabit lupus cum agno*, accommodat S. Ambr. lib. 3. de Virgin. militi Christiano, qui ut virginem pro fide Christi ad lupanar damnatam a stupro eriperet, commutans cum ea vestes, se pro ea substituit ideoque ad mortem damnatus, accurrente virgine, cum eoque de martyrio concertante, cum ea illius lauream adeptus est. Plura de hac sententia dixi Eccli. 13. 22. in fin.

ET PUER PARVULUS MINABIT EOS.) Fabulantur Gentiles Herculem adhuc in cunis existentem elisisse serpentes: sed vere hoc fecit noster parvus Emmanuel, qui ab ortu cœpit Magos, pastores et alios sibi suoque Evangelio subiicere. Ita S. Iustinus contra Tryphon. Rursum *puer parvulus* est humilis quivis Apostolus et prædicator, qui populum minat, id est, ducit, docet et regit. Ita S. Cyrill. Hier. et alii passim. Hæc clarissime contigerunt in primitiva Ecclesia Actor. c. 4. v. 32. et etiamnum contingunt in conversione Brasiliorum, Iaponum, Indorum: item in Religionibus bene constitutis, ubi maxime servatur et viget spiritus Christi: ibi enim videre est superbos et feroces fieri humiles et mites quasi agnos, ut etiam a parvulis et simplicibus se regi sinant. Hoc est enim quod aiebat S. Franciscus: *Quanto contemptibilior est qui præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet.* Unde et ipse ait S. Bonavent. in Vita eius cap. 6. *Fratri, cum quo solitus erat ire, semper obedientiam promittere consueverat et servare, dicens obedienti nullum tempus transire sine lucro, aiebatque: Inter alia quæ dignanter mihi pietas divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri; nam subditus Prælatum suum non ut hominem considerare debet, sed in eo illum pro cuius est amore subiectus.* Vide similia apud Climacum gradu de obedientia. Significat ergo hic Isaias, in Ecclesia Christi fore summam humilitatem, pacem, subordinationem et omnium obedientiam sub quovis Prælato, etiam ignobili, indocto et imperfecto.

Vers. 7.

REQUIESCENT CATULI EORUM.) q. d. Pax Christi perveniet ad natos natorum, et qui nascentur ab illis. Hoc est quod eleganter ait Tertull. libr. contra Hermogen. c. 11. sub Christo *pecora bestiis condixisse*, id est se consociasse quasi ex conventione et pacto.

LEO QUASI BOS COMEDET PALEAS.) Idem dicit et inculcat hic, uti et in sequenti metaphora, q. d. Sævi homines, superbi et sapientes deposita sævitia, superbia et tumore sæcularis doctrinæ, induent mansuetorum mores, cum iisque simul vivent, et utentur eadem cum illis mensa et cibo, tum corporali, tum spirituali: comedent enim non carnes, ut ante, sed paleas, id est mansuetorum et simplicium cibum, puta prima fidei rudimenta. Unde S. Ambros. lib. 1. de Pœnit. c. 13. legit: *Leo cum bove paleas comedet.* Ita Æschylus dixit, non esse in republ. alendum leonem, id est, homines immanes, superbos et tyrannos. Et Plato asseruit in sua republ. nos domi alere diversa genera brutorum. Quin et Aristotel. in Polit. hominem a lege et iustitia alienum, ait esse pessimum omnium animalium. Denique S. Chrysost. *Quælibet*, inquit, *bestia unum habet et proprium malum: homo autem omnia.*

Alii per *leonem* intelligunt homines indoctos, sed fide plenos; per *paleas*, simplicia Scripturæ verba sive ipsam litteram; per *triticum* vero, interiorem eius medullam et sensum reconditum; atque prædici, quod homines idiotæ quales dixi, non capientes mysteria Scripturæ, nuda et simplici eius lectione pascentur. Ita S. Hieron. et alii.

Vers. 8.

ET DELECTABITUR INFANS AB UBERE SUPER FORAMINE ASPIDIS.) Id est, infantes vix ab ubere depulsi non horrebunt aspides, sed cum eis ludent in eorumque antra manus fidenter immittent, hoc est, recenter conversi, etiam iuvenes et pueri, libere et fiducialiter agent cum idololatris et tyrannis, cum regulis intrepide congredientur, iisque fidem annuntiabunt nec horrebunt, sed ambient mortem et martyrium: gaudebunt enim concionari tyrannis, qui initio volent eis nocere, sed ab eis edocti et cicurati abiecto infidelitatis veneno, credent Evangelio.

Exempla puerorum tyrannos vincentium.

Audi exempla puerorum cum tyrannis certantium et triumphantium: Iosaphat adolescens cum Abennar patre et rege certavit, et vicit; patremque ac totum regnum ad Christum convertit: testis est Damasc. in eius historia.

Apud Homeritas, inquit Procop. et ex eo Baron. egregium virilis animi specimen edidit quidam puer Martyr,

qui matrem aspiciens coniici in ignem, femur tyranni momordit, et ad illam procurrit, atque ita una cum matre sacrificium suaveolens per litationem ad Deum est transmissus: de quo plura Thren. c. 3. v. 27.

Victor Uticensis lib. 3. Wandal. narrat duodecim puerulos symphoniacos, segregatos per vim a Confessoribus orthodoxis, tentatos fuisse ab Arrianis, primum blanditiis, deinde iterata fustigatione; sed constantes illi steterunt, ut Arriani erubescerent se superatos a pueris, et orthodoxi exsultarent et confirmarentur. Hos pueros, inquit, nunc *Carthago miro colit affectu, et quasi duodecim Apostolorum, chorum conspicit puerorum. Una degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur.*

Narrat Prudentius libro Peristephanon seu De coronis, puerulum non adhuc septennem Romani Martyris nobilissimi rogatu, coram Asclepiade præfecto Dei unius essentiam et Christi deitatem, explosa deorum Ethnicorum multitudine, constanter asseruisse. Matre accersita iussit tyrannus carnificibus, ut pusionem in sublime tollerent, et virgis verberarent; cunctis flentibus ad tam immane spectaculum, mater imperterrito vultu, et serena fronte amore Christi contumax in doloribus stetit. *Parvulus se sitire exclamat;* mater autem eum increpans, dicit, *Christianum cedere morti non debere, aquam vitæ in Christo sufficere: fontem illum perennem esse proximum, calicem infantium Bethleemiticorum esse exhauriendum.* Isaaci parvuli obedientiam, et septem puerorum ex Machabæorum historia constantiam commemorat. Puerulus virili animo virgas strepentes, et dolores vulnerum ridet, tortoribus et tyranno insultat victor. In rabiem actus Asclepiades puerulum capite mulctari iubet: mater natum gerebat amplexu, et sinu. Puerum poposcit carnifex, mater nec lacrymata est, tantum osculo impresso ei valedixit, et dum amputat cerviculam carnifex, mater psallere docta ex Davidis Psal. 116. canebat: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.*

Cum Valentis Imper. Præfectus Edessæ multorum militum manu stipatus, ut Imperatoris in Christianos iram exsequeretur, ad templum, quo ipsi convenerant properaret; mulier quedam paupercula filiolum suum manu trahens ad martyrium currebat, et ordinem satellitum Præfecti interrumpebat. Indignatus autem Præfectus mulierculam ad se duci iubet, illamque alloquitur, dicens: *Quo tam incondite curris, infelix mulier?* Cui illa: *Quo alii,* inquit, *currunt.* Ille vicissim: *Non audisti,* inquit, *Præfectum cunctos intercmpturum, quos ibi repererit?* Mulier: *Audivi,* ait, *et ob eam causam festino, ut et ipsa ibi inveniar. Sed cur,* inquit, *adducis et puerum?* Respondit illa: *Ut et ipse eiusdem coronæ sit particeps.* Audito hoc Præfectus admiratur convenientium dementiam, Imperatoremque accedit, ac instruit, cunctos esse pro fide sua mori paratos, nec consonum esse rationi, ut tantus hominum numerus brevi tempore occidatur, atque ita Imperatori, ut iram poneret, persuasit. Ita Socrates l. 4. histor. cap. 18. De Iberis per ancillam Christianam captivam ad fidem Christi perductis, mira ex Ruffino et Eusebio narrat Baron. anno Christi 327.

Rursum *delectabitur infans super foramine aspidis,* id est, simplices fideles gaudebunt eiicere dæmones de corporibus obsessorum, qui recte vocantur foramen aspidis. Completum est hoc in Apostolis, quibus a Christo datum est calcare super serpentes et scorpiones, et super omnem fortitudinem inimici. Ita S. Hieronymus.

Et ablactatus, id est, provectior iam in fide, etiam ad cavernam reguli.) Id est, ad gentes feras, irrumpet, imo in eorum antris, specubus (uti fit apud Indos) fanis et delubris Christi fidem prædicabit. Ita S. Hier. et alii, præter S. Cyrillum, qui per aspidem hæreticos intelligit: per regulum dæmonem.

Ita S. Franc. Xaverius in India mittebat pueros, qui fidem Christi docebant parentes et vicinos, idola eorum demoliebantur, atque per crucem et pias preces infirmos curabant, et dæmones ab energumenis pellebant, uti narrat Tursell. in eius Vita l. 2. c. 6. et 7.

A Ita et Gaspar Barzæus Xaverii discipulus, puerorum agmen in processionem ducens Armuziæ in mosquitam sive ecclesiam Mahometis irrupit, et in culmine crucem Christi defixit: perculsi Saraceni fugerunt, ædemque occuparunt Christiani, quam expiatam B. Virgini victrici a monte cognominatæ dedicarunt, uti narrat P. Nicolaus Trigantius in eius Vita l. 2. 19.

Ita Brasilios et alios Indos nostri Patres aliique converterunt, maxime per eorum pueros. Hi enim pueri quasi rasæ tabulæ tenacius imbibebant christianismum, eumque parentibus aliisque instillabant.

Non nocebunt.) Scilicet qui prius erant virulentissimi idololatræ, iam ad Christum conversi, non amplius nocebunt fidelibus in Ecclesia, quæ est mons Dei sanctus. Ita S. Hieronym. Quare perperam ex hoc loco infert Lutherus: Ergo in Ecclesia non licet occidere hæreticos; inferre enim debuisset: Ergo hæretici (hi enim sunt serpentes et aspides) non occident, neque nocebunt Christianis in Ecclesia: licet enim videantur eis nocere, tamen revera B non nocent; sed eos exercent, et in doctrina ac virtute crescere faciunt. Vers. 9.

Quia repleta est terra scientia Domini.) Cognitione Dei; hoc est quod ait Psaltes Ps. 8. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Ita S. Hieron. Cyrill. et alii. Porro τὸ *quia* significat mutationis huius causam esse scientiam Domini: hæc enim animos mutat et mansuefacit: quis enim noscens serioque cogitans Christum Deum humilem, mitem, pauperem, sobrium etc. non statim ponat cristas, iras, avaritiam, gulam, etc. Ita qui serio ad Christum convertuntur, cum ante crudelitate essent leones, voracitate lupi, veneno reguli; fiunt mansuetudine agni, sobrietate hædi, candore vituli: hæc est admiranda Evangelii vis, quod feros animos perdomet. Inepte colligunt ex hoc loco Lutherus et Œcolampad. licere laicis et idiotis sacræ Scripturæ cognitionem et explicationem profiteri: hæc enim scientia non est doctrina doctorum; sed disciplina fidelium quam ipsi ut discipuli hau-C rire et augere debent per instructionem et prædicationem Apostolorum et Doctorum. Scientia ergo hæc est fides in Christum, quam habent omnes Christiani, in qua tamen crescere et perfici debent audiendo doctiores se.

Sicut aquæ maris operientes.) Scilicet terram aliquam, q. d. Sicut aquæ maris exundantes, terram vicinam occupant et operiunt: sic Ecclesia toto orbe et in omni terra dispersa, doctrina prædicationis Evangelicæ inundabitur, et operietur. Ita S. August. lib. de Unitate Eccles. cap. 7. et Eusebius lib. 2. Demonstr. 4. Aut, ut Guevara in Habacuc 2. q. d. Sicut mare tellurem cingit et ambit, ita et fides Deique cognitio totum orbem ambiet.

Carpit hic nostrum Interpretem Forerius: negat enim ex Hebræo verti posse *aquæ maris operientes,* quia inquit, in Hebræo dicendum fuisset כמי לים *chamme laiam,* in regimine; iam autem habetur in statu absoluto, כמים לים *cammaim laiam,* id est, *sicut aquæ mare operientes.* Verum respondeo. Familiaris est Hebræis enallage casuum, æque ac modorum et temporum: sæpe enim po-D nunt statum absolutum pro regimine, sive nominativum pro genitivo, et vice versa. Unde et Leo Hebræus hic vertit: *Sicut aquæ maris operientes.*

Fateor tamen proprie verti posse cum Septuag. Pagnino, Forerio et Vatabl. *Sicut aquæ mare operientes,* ut mare ponatur pro alveo, vel cratere maris, q. d. Sicut aquæ operiunt alveum maris, aut etiam superficiem maris cum exæstuant, uti aqua vel vinum operit craterem, cum is superplenus est, et supereffluit: sic etiam cognitio Dei in lege nova exuberat, et super omnes funditur. Simili enim modo ait Habacuc c. 2. 14. *Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare,* hebr. על הים *al haiam,* id est, *super mare,* id est, sicut aquæ copiosæ et fluctus exæstuant et ebulliunt supra mare, ut supereffluant, et terras vicinas inundent et obruant. Ita Theoph. ibidem et Guevara. Tertio, idem Guevara ibidem vertit, *sicut aquæ e mari operientes* (ut ל ponatur pro מן *min*) id est, veluti si mare redundaret,

ut operiret terram, sicut in diluvio accidit, et alias sæpe. Nam Pyrrham et Antissam circa Mæotim Pontus abstulit; Elicen quoque et Buram in sinu Corinthio, quarum in alto vestigia exstitisse suo ævo testatur Plinius. Atlantis insulam mare sorbuit; et, si credimus Platoni, quidquid contegit Atlanticum mare, olim insula fuit.

Vers. 10. IN DIE ILLA, RADIX IESSE, QUI STAT IN SIGNUM POPULORUM, IPSUM GENTES DEPRECABUNTUR.) Est hebraismus, quem latine ita clare exprimas: *Erit radix Iesse stans in signum populorum;* vel ut Vatabl. *Tunc usu veniet, ut radicem Iesse quæ stat in signum populorum, gentes quoque requirant.* Nota primo. Radix Iesse vocatur surculus ex radice Iessæa natus, puta Christus: hinc ait *qui*, non, *quæ*, quia transit a typo ad antitypum, scilicet a radice ad Christum.

Secundo, Hebræi repetunt idem, ponendo pronomen demonstrativum vel relativum simul cum suo antecedente, ut *radix Iesse et ipsum;* ideoque τo *radix* ponitur in nominativo absolute, quia sequitur accusativus *ipsum*, quem poscit, verbum *deprecabuntur*: suffecisset enim dicere: *Radicem Iesse gentes deprecabuntur.* Sic Ps. 10. 4. dicitur: *Dominus in cælo sedes eius*, id est Domini sedes est in cælo. Tertio, *signum* hebr. est נס *nes*, id est vexillum, quo significatur Emmanuelem fore imperatorem, qui elevabit vexillum, ad quod omnes gentes confluent. Sensus ergo est, q. d. Cum ita prædicabitur Evangelium, uti dixi, tunc surculus iste e radice Iessæa germinans, puta Christus, exaltatus in crucem, ibique erectus in vexillum, omnes, tam Iudæos quam Gentes, trahet ad se et sua castra, ut illum requirant, in eum sperent, eiusque opem invocent, qua hostes suos, diabolum, peccatum, carnem et mundum devincant. Hoc est quod ait Christus Ioannis 12. 32. *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Ita S. Hieron. imo S. Paulus Rom. 15. 12. Vide ibi dicta.

ET ERIT SEPULCRUM EIUS GLORIOSUM.) Quia de signo crucis, quod infame erat, egit Propheta, hine hanc infamiam abstergit dicens, quod crucifixi Christi ducis nostri sepulcrum erit gloriosum. Hebr. est: *Et erit requies eius gloria.* Iam per requiem accipi potest quidquid Christi mortem consecutum est, ait Sanchez. Nam primo, mors Christi fuit gloriosa, quia eam terræmotus, lapidum crepitus, et cæli luctus solisque eclipsis honestarunt. Secundo, resurrectio Christi fuit gloriosa. Tertio, nominis eius ante despecti mira facta est exaltatio. Unde Septuag. vertunt: *Et erit requies eius honor.* Quarto, sepulcrum eius fuit gloriosum, q. d. Requies Christi a labore et morte, et id quod opprobrio crucis et mortis successit, ut sepulcrum, nominis exaltatio, resurrectio, triumphus, gloriosa fuerunt. Quocirca S. Chrysost. hom. *Quod Christus sit Deus*, diserte docet, quod Christi passio, crux, sepulcrum, omnesque ignominiæ post requiem, id est mortem, in gloriam et triumphum sunt versæ, quod S. August. l. 1. de Consensu Evangelist. 31. ostendit fuisse insolubile signum divinitatis.

Christi post mortem gloria.

Mystice, *erit requies eius gloria*, id est Christus post mortem requiescet, et gloriosus erit in animis credentium, ait S. Hieron. et Cyrill. unde sequitur: *Et erit in die illa: Adiiciet Dominus, etc. ad possidendum residuum populi sui.*

Rursum, *requies* hæc est Ecclesia, eiusque Sacramenta maxime Eucharistia, in qua Christus requiescit, quæ vere gloriosa est, unde Chald. vertit: *Et erit locus mansionis eius in gloria.*

Anagogice, *requies*, id est, beatitudo Christi, eiusque fidelium, erit gloria cælestis. Ita S. Basilius.

Porro per *requiem* Noster optime accepit *sepulcrum*: ibi enim post vitæ labores et agones Christus mortuus requievit.

Sepulchri Christi gloria.

I. Sepulcrum autem Christi fuisse gloriosum patet primo, ex terræmotu et resurrectione Sanctorum, quæ ex morte Christi iamiam sepeliendi secuta est, Matth. 27. 51.

II. Secundo, quia S. Helena sepulcrum Domini magnificentissimo templo exornavit, in quo postea Godefridus Bullonius recuperator terræ sanctæ, et primus Hierosolymæ rex, ac deinceps omnes alii Hierosolymæ reges sepulti sunt, uti Willelmus Tyrius in historia Belli sacri testatur: unde etiamnum ibidem nobiles decorantur titulo Equitum, fiuntque Equites Aurati, teste Adrichomio, p. 177.

Tertio, quia a multis sæculis etiamnum ad sepulcrum Domini, licet inter medios Turcas situm, celeberrima est fidelium ex toto orbe peregrinatio, ad quos recipiendos Franciscani Patres suum ibi semper habent Patriarcham, et sui ordinis perpetuam residentiam: nec Turca licet infensus Christianis umquam illud evertere ausus est, licet id Pontifici se facturum minatus sit, nisi ipse cogeret Emmanuelem regem Lusitaniæ Indicam expeditionem dimittere; sed partim ob lucrum et vectigal, quod a peregrinantibus percipit, partim ex reverentia et metu, ne Deus hoc eius sacrilegium puniat, hactenus minas hasce exsequi non sustinuit, uti Osorius et alii narrant. III.

Quarto, quia ibi multa facta sunt et fiunt miracula: nam peccatores convertuntur, dæmones fugantur, morbi curantur: testis est S. August. 22. Civit. 8. Unde ibi Maria Ægyptiaca peccatrix conversa est, indeque ivit in eremum, ubi per 47. annos sine cibo in oratione et lacrymis sanctissimam egit vitam: testis est Zozimas oculatus testis, qui eius Vitam scripsit. IV.

Miracula sepulchri Christi.

Narrat Sophronius in Prato spir. c. 48. Cosmianam uxorem Germani patricii, hæresi Severi infectam, adiisse sepulcrum Domini; sed a B. Virgine apparente fuisse repulsam, ne illud ingrederetur, nisi veram fidem amplecteretur. Quare confusa et pœnitens, fidemque amplectens, et communicans admissa fuit ad sanctum sepulcrum, illudque venerata est. Et cap. 49. narrat Palæstinæ Ducem volentem ingredi sanctum sepulcrum, ab ariete apparente, et cornibus eum impetente, fuisse reiectum, idque sæpius, eo quod Severianus esset: quare abiecit hæresim, et communicans calici Domini, libere permissus est illud intrare et venerari.

Audi quid ex S. Augustino scribat Gregor. Turonens. de Gloria Martyr. c. 7. *Terra ipsa insuper quæ Domini adiacet sepulcro, divinam quamdam ex Dominico corpore proxime posito virtutem hausit, ut merito fideles illuc peregrinantes avide solerent ex ea accipere, qua tum ad morbos curandos, tum etiam ad dæmones fugandos uti consueverunt.* Deinde idipsum confirmat testimonio S. August. *Est eius rei locuples testis S. Augustinus, dum hæc ait de Hesperio viro tribunitio*: *Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit; eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At ubi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de terra illa fieret cogitabat, quam diutius in cubiculo suo reverentiæ causa habere nolebat. Forte accidit, ut ego et collega meus Maximinus Episcopus in proximo essemus, ut veniremus rogavit, et venimus; cumque omnia nobis retulisset, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, ubi etiam possent Christiani ad celebranda quæ Dei sunt congregari.*

Quinto, sepulcrum Christi gloriosum est annua repræsentatione et pompa, qua fideles multis in locis Sabbato sancto quotannis solent magnificum Christo passo et mortuo sepulcrum excitare, eiusque sepulturam gloriosam repræsentare. V.

Denique sepulcrum Christi gloriosum fuit, magnifica Christi ex eo resurrectione, qua illud per dotem subtilitatis penetravit. VI.

Rupertus Tuitiensis l. 8. de Divin. officiis c. 4. narrat anno Domini 1111. contigisse Leodii in monasterio S. Laurentii, cum Sabbato sancto caneretur antiphona, *Mulieres sedentes ad monumentum;* Religiosi cuiusdam cingulum, quo erat succinctus, ante pedes eius quasi proiectum exsilivisse, quod arripiens ipse ut se rursum cingeret vidit nodo astrictum et clausum, atque sibilum audivit:

Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro.

Simili miraculo annuli e zona clausa elabentis in terram

sine ulla annuli aut zonæ fractura, Christum e clauso virginis matris utero prodiisse, demonstrat S. Augustin. lib. 22. de Civit. c. 8,

Christianorum sepulcra gloriosa. S. Catharina ab angelis sepulta.

Pari modo sicut Christi, ita et Christianorum illustrium sepulcra voluit Deus esse gloriosa, ut etiam in iis, non tantum in suo Christus esset gloriosus. Ita S. Catharina martyrium subitura oravit: *Da, Domine Iesu Christe Deus meus, ut hoc corpus meum, quod pro te fuit conscissum, non possit ab iis aspici qui quærunt illud.* Deus itaque honorans et exaudiens Martyrem suam, misit angelos, qui corpus eius composuerunt, visique sunt ab iis qui præsentes erant, illud in Sina montem deducere. Ita habet eius Vita.

S. Sebastianus a sancta Lucina.

S. Sebastianus telis confixus proiectus in cloacam noctu apparuit S. Lucinæ, iubens ut corpus suum e cloaca tolleret, illudque perduceret in Catacumbas, et sepeliret iuxta vestigia Apostolorum: quod ipsa præstitit.

S. Armogastes Episcopus, insignis fidei contra Arrianos propugnator anno Domini 456. moriturus se iussit sepeliri sub arbore, quam suffodientes conspiciunt sarcophagum splendidissimi marmoris præparatum, qualem forte nullus omnino regum habuit, inquit Victor lib. 1. Wandal.

Theodoricus Abbas S. Remigii discipulus, qui a mortuis suscitarat filiam Theodorici, filii Clodovei regis Francorum, cum multas virtutes operatus esset, et angelis eum suscipientibus cum gloria migrasset; Theodoricus rex ad monasterium veniens sanctum corpus propriis humeris ad sepulcrum evexit. Ita Usuardus in Martyrolog. Iulii 1.

S. Ermelendis ab angelis.

S. Ermelendis virgo corpus affligens: ieiuniis et pœnitentiis, moritura honorata fuit angelorum choris Christo canentibus gloriam, et quia Christo fuit dilecta ab ipsis est officiosissime sepulta, inquit auctor Vitæ 29. Octobris.

Lumina visa.

S. Petrus Abbas in mari demersus, ignobili loco a loci incolis sepultus est. Sed Deus, ut quanti esset meriti ostenderet, omni nocte supra sepulcrum eius misit lucem radiantem: quod advertentes incolæ, eum Bononiam transtulerunt, et in ecclesia honorifice sepelierunt, ut refert Beda lib. 1. histor. Anglic. c. 33.

B. Sigismundus Burgundiæ rex, cum a Clodomiro tribusque eius fratribus filiis Clodovei Franciæ regibus iniuste regno et vita spoliatus esset, atque cum coniuge et liberis in profundum puteum præcipitatus, mox in puteo clara lux refulsit, ac S. Mauritius cum Thebæis (quorum corpora in eadem urbe Agaunensi quiescebant) S. Avito apparens, eorum in cælis gloriam demonstravit, uti narrat Gregor. Turon. lib. 3. de Gest. Franc. cap. 6. et lib. de Gloria Martyr. cap. 71. et 75. Baron. et alii.

S. Cerbonius Episcopus Populonii iussit moriens se in sua ecclesia, licet a Longobardis insessa, sepeliri: factum id est eis insciis et invitis; nam coorta ingenti procella, quæ omnes dispulit, sola navis qua vehebatur Sancti corpus, immunis fuit a pluvia circumquaque depluente, uti refert S. Greg. l. 3. Dial. 11.

Anno Domini 1007. mortuus est Ratisbonæ S. Romualdus Abbas S. Emmeranni, cuius feretro Henricus Germanorum Rex, et postea Imperator, proprium supposuit humerum, ut illud ad sepulturam deferret, uti ex Arnulpho Comite refert Baronius.

Anno Domini 1079. elevatum est S. Gerardi Martyris corpus, et Ladislai regis Hungariæ ac principum humeris translatum, honorificeque depositum miraculis coruscat, ut habet eius Vita 24. Septembris.

S. Constantinus Episcopus Perusinus et Martyr sub Antonino Pio, cum cælesti monitu honorifice sepeliretur a Leviano viro probo, irrisus fuit tam Levianus quam ipse Sanctus a duobus viris: qui mox cæcitate percussi, pœnitentes, tactu corporis Martyris oculorum lumen receperunt. Ita habet eius Vita 29. Ianuarii.

Ornatus sepulturæ Christianæ.

Hinc secundo, voluit Deus et Ecclesia, fidelium sepulturam cantu, tædis, cereis, floribus, campanarum pulsu, vestibus pretiosis, etc. ornari. Narrat Ven. Beda lib. 4. hist. Anglor. cap. 7. et ex eo Baron. anno Christi 681. cum in quodam monasterio Britanniæ pestis multos ab- A sumeret, atque Abbatissa Edilburga dubitaret, quo loco defunctas sorores sepeliret, locus ei divinitus ostensus fuit. Nam post psalmodiam matutinam lux cœlitus dimissa, velut linteum magnum venit super omnes, in cuius comparatione sol meridianus videbatur obscurus: inde in meridianam monasterii partem secessit, ibique aliquamdiu morata, et ea loca operiens, sic videntibus cunctis ad cæli alta se subduxit, ut nulli esset dubium, quin ipsa lux quæ animas famularum Christi esset ductura, vel receptura in cælum, et corporibus earum locum, in quo requietura, et diem resurrectionis essent exspectatura, monstraret.

Audi sepulturam S. Paulæ ex S. Hieronymo: *S. Paula vidua nobilissima Romana, ut audivit sponsum vocantem ad mortem; Surge: veni, proxima mea, speciosa mea, columba mea, quoniam ecce hiems transiit et recessit, pluvia abiit, sic læta respondit: Flores visi sunt in terra, tempus sectionis advenit. Et, Credo, videre bona Domini in* B *terra viventium. Ex hinc non ululatus, non planctus, ut inter sæculi homines fieri solet; sed psalmorum linguis diversis examina concrepabant: translataque Episcoporum manibus et cervicem feretro subiicientibus, cum alii Pontifices lampades cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent, in media ecclesia speluncæ Salvatoris est posita.* Sed audi funeris pompam: *Tota ad funus eius Palæstinarum urbium turba convenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit? quam virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegum putabant qui non tali fœminæ ultimum præstitisset officium. Viduæ et pauperes, in exemplum Dorcadis, vestes ab ea præbitas ostendebant. Omnis inopum multitudo matrem et nutritiam se perdidisse clamabat. Quodque mirum sit, nihil pallor mutaverat faciem: sed ita dignitas quædam et gravitas ora compleverat, ut eam putares non mortuam, sed dormientem. Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordine personabant, non solum triduo, donec et subter ecclesiam et iuxta specum Domini conderetur; sed per o-* C *mnem hebdomadam, cunctis qui venerant suum funus, et proprias lacrymas credentibus. Venerabilis virgo filia eius Eustochium, quasi ablactata super matrem suam, abstrahi a parente non poterat, deosculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari, et se cum matre velle sepeliri.*

S. Paulæ.

S. Danielis Stylitæ.

Dum magnus ille Daniel Stylites extremum ageret spiritum, aderat Antistes Episcoporum, is erat Euphemius, cum aliis ad emigrationem animæ eius: aderat et Rais mulier fidelissima, et vir quidam qui possidebatur a dæmone, ac pergebat ad columnam: qui et Sanctorum ad Sanctum adventum clamando aperte significabat, et eos suis appellabat nominibus; et ipsorum, ut qui convenissent, meminerat Angelorum. Deinde adiiciebat, fore, ut tertia hora eius diei Daniel excedat ad Dominum, et a diuturna habitatione immundus expellatur spiritus. Quæ utraque suo tempore evenerunt. Quæ autem prius dicta est Rais, magnifice parabat ea quæ pertinebant ad sepulturam: et cum multos adduxisset artifices, et iussisset fieri tumulum in inferiori parte columnæ, et usque ad fa- D stigium; statuit ex utraque parte tumuli homines, qui faces ferrent, et lampades tenerent in manibus, et ea canerent, quæ cani solent in decessu. Hæc ergo peracta sunt, et expulsus est immundus dæmon, cum multum hominem discerpsisset, inquit Auctor Vitæ S. Danielis.

S. Gallus Arvernorum diaconus, et postea Episcopus, cernens ad tumulum S. Amabilis multa fieri miracula, ædificavit ei in prima templi fronte egregii operis testudinem, et sub ea altare, eoque transtulit solemniter sacrum illius corpus, psallente clero, populoque cereos et lampades gestante, ut habet eius Vita.

Refert Iacob. Meyerus lib. 3. Annal. Flandr. anno Domini 1062. cum quidam fame enectus repertus esset iuxta Aldemburgum, dum sepeliretur, sacerdos prohibuit ne pulsarentur campanæ, eo quod homo esset ignotus; sed ecce stupentibus cunctis per se æra illa miraculose personuerunt.

Tertio, bestiæ feræ Sanctorum corpora sepelierunt, vel

Bestiæ sepelierunt Sanctos. tutatæ sunt. Ita cum S. Antonius vellet sepelire S. Paulum, duo leones plorantes pedibus suis terram effodientes foveam illi paraverunt.

Sic leo pedibus eruit terram, fossamque effecit, in qua Zozimas corpus S. Mariæ Ægyptiacæ sepelivit. Porro invenit Zozimas corpus eius mortuum cum hac inscriptione in terra: *Sepeli, Abba Zozima, miseræ Mariæ corpusculum, redde terræ quod suum est, et pulverem pulveri adiice, et ora Dominum pro me.* Ita habet eius Vita 2. Apr.

S. Anastasii Martyris in Perside corpus anno Domini 627. canes illæsum servarunt, quod fideles deinde in S. Sergii Martyris monasterio honorifice sepelierunt. Ita habet eius Vita, et ex ea Baron.

S. Stanislai Episcopi Cracoviensis et Martyris, a Boleslao rege occisi, corpus feris proiectum aquilæ inusitatæ magnitudinis defenderunt a canibus et avibus.

Templum vocatur Martyrium, unde? Rursum, sepulcrum Martyrum erat altare: quia enim Martyres instar holocausti erant immolati Deo supra altare, hinc sub eo sepeliebantur, iuxta illud Apoc. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant.* Id fiebat primo, ut loco tam sacro honorarent Martyres; secundo, ut Martyrum corpora orantibus essent excitamentum devotionis et virtutis; tertio, ut Martyres eorum preces apud Deum offerrent et adiuvarent. Hinc altare vocabatur Sepulcrum Martyris, Martyrium, sive Confessio. Hinc rursum hisce eorum sepulcris et altaribus superædificata ecclesia, vocabatur Martyrium. Ita in Concil. Chalcedon. vocatur Martyrium, id est ecclesia, S. Euphemiæ. Inde quævis ecclesia dicta est Martyrium, uti ecclesia Resurrectionis Hierosolymis in Golgotha erecta, dicta est Martyrium, ait Cyrill. Hierosol. catechesi 16. Vide Baronium in Martyrol. 6. Iulii. Atque hæc est origo et causa cur Romæ hic in Vaticano, in templo S. Pauli, S. Laurentii, S. Sebastiani, S. Cæciliæ, S. Susannæ, et alibi passim in templis videamus gradus et descensus in cryptas, sive in sacella subterranea. In hisce enim cryptis proprie sepeliebantur Martyres: unde vocabatur ipsa crypta sive sepulcrum Martyris, Confessio vel Martyrium: supra quam deinde ædificabant altare et templum, quod exinde quoque Martyrium dicebatur. Atque hinc intelligimus illud quod toties in Vitis Sanctorum legimus: *Hic sanctus sepultus est in Confessione S. Laurentii, S. Susannæ, S. Priscæ, etc.* Nam *in confessione*, idem est quod in crypta vel sepulcro. Nec enim totum templum vocabatur Confessio, sed Martyrium, uti solerter annotavit Baronius.

S. Lucianus a delphino. Audi miram S. Luciani sepulturam ex eius Vita, et ex Baron. anno Christi 326. Lucianus Martyr cum iussu Imperatoris Maximiani in mare proiectus esset, magno lapide appenso, ut submersus nusquam appareret, et corpus eius nullam assequeretur sepulturam; Martyr in somnis apparens cuidam Glycerio discipulo suo, qui tunc versabatur in adversa regione Nicomediæ, dixit ei: O tu, cum primum mane surrexeris, abi in hunc locum, ostendens locum littoris; te enim ibi conveniam. Ille assumens socios venit in locum, qui fuerat ei significatus. In eo autem ingens delphinus ascendebat e mari, et ad terram contendebat. Ferebat autem extensum mortuum, tamquam in lecto iacentem. Cumque accederet ad littus, fluctu sublime fuit sublatus, et terræ mortuum appulit. Atque ille quidem statim exspiravit. Hæc autem omnia cum S. Helena percepisset, ut erat Sanctorum Martyrum studiosissima, digno trophæo triumphum Martyris ornare decrevit, atque illic sumptuosam desuper basilicam erigendam curavit.

Narrat Baron. anno Christi 878. quemdam instinctu Photii violantem sepulcrum S. Ignatii Patriarchæ, cuius æmulus erat Photius, morte fuisse percussum. Quomodo irreverentia in sepulcrum S. Equitii sit punita, narrat S. Gregor. 1. Dialog. c. 4.

Exstat hic Romæ sepultura Thomæ de Vio Cardin. Caietani, qui in D. Thomam et sacram Scripturam subtiles edidit Commentarios, humilitate eius illustris: voluit enim sepeliri non in ecclesia Fratrum Prædicatorum, sed ante eam: eo quod ecclesia tali se indignum existimaret. Vidi ego sæpius lapidem sepulcralem, simpliciter eius tantum nomine inscriptum: vidi et celebravi tanti viri humilitatem.

Denique gloriosa sunt Sanctorum sepulcra, quæ corpora eorum a multis annis, imo sæculis emortua, integra adhuc et incorrupta cum carne et membris omnibus conservant. Vidi Tridenti integrum corpus S. Simonis pueri a Iudæis occisi: vidi et Bononiæ integrum corpus S. Catharinæ Bonon. sedentis in cathedra. Ita hic nuper a Clemente VIII. Pont. integrum repertum est corpus S. Cæciliæ, quod omnibus sacrum horrorem et reverentiam incussit: ut merito iam templum eius marmore et lampadibus plurimis semper ardentibus resplendeat, et ingredientibus cæli speciem obiiciat. Pari modo gloriosum hic est S. Agnetis sepulcrum, æque ac S. Pudentianæ, S. Praxedis, S. Felicitatis, S. Susannæ, S. Alexii, cuius gradus (sub quibus in domo paterna delituit) ac imago B. Virginis, quæ Edessæ eius latebras et sanctitatem patefecit, in eius templo marmoreo ostenduntur, ac miro hominum concursu et veneratione celebrantur. Quin et ipsæ cryptæ et catacumbæ, in quibus sævientibus Imper. Christiani latebant et sepeliebantur, iam a fidelibus mire coluntur. Videre est multos prostratos ipsam terram, ipsa pavimenta, quæ olim calcarunt, demisse exosculari, suspiria et gemitus in cælum emittere. Integra corpora Sanctorum.

Porro quam gloriosa sint SS. Petri et Pauli sepulcra quis explicet? Videre est tres fontes ex reciso S. Pauli capite exsilientes, et eius gloriam sæculis omnibus celebrantes. Videre est basilicas a Constantino in eorum honorem erectas, ac basilicam S. Petri in Vaticano a S. D. N. Paulo V. vere orbis miraculum, effectam et perfectam. Videre est Prælatos et Principes ad sepulcra eorum prosterni, pavimenti pulverem osculari, vota nuncupare, etc. Hæc est fama eorum posthuma, hæc est gloria omnibus Sanctis eius, hæ coronæ, hi triumphi. Nulla iam supersunt sepulcra Pompeii, Scipionis, Augusti, Neronis, Traiani; periit memoria eorum cum sonitu: at sepulcra Apostolorum, Martyrum, Virginum marmore, auro et gemmis coruscant, celebrantur, et adorantur: quia beatam resurrectionem exspectant in gloria, qua iam animæ eorum fruuntur. Hæc virtutis est laurea. Constantinum Imper. vita functum Constantius filius intra basilicam SS. Apostolorum tumulare non est ausus, sed in eius atrio. Quod expendens S. Chrys. homil. 26. in epist. 2. ad Corinth. ait: *Hic quoque* (Constantinopoli) *Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet: quodque Imperatoribus sunt in aulis ianitores, hoc in sepulcro piscatoribus sunt Imperatores. Atque illi quidem, velut domini, interiores loci partes obtinent, hi autem velut accolæ ac vicini, præclare secum agi putarunt, si vestibuli ianua ipsis assignetur.* Ostiarii ergo SS. Apostolorum sunt reges.

ET ERIT IN DIE ILLA: ADIICIET DOMINUS SECUNDO MANUM SUAM AD POSSIDENDUM RESIDUUM POPULI SUI.) Vers. 11. Quænam est hæc secunda populi a Deo possessio? Primo S. Hieron. putat primam Dei possessionem fuisse Gentes, quæ prius ad Christum conversæ sunt; secundam Iudæos, qui post Gentes credituri sunt.

Secundo, S. Thomas, Haymo, Dionys. Lyranus respondent primam possessionem fuisse fideles, quos Christus prædicans per se convertit; secundam fuisse eos, quos Apostoli post Christi ascensionem converterunt.

Tertio, alii primam possessionem censent fuisse in primo Christi adventu, secundam fore in secundo; tunc enim reliquiæ Iudæorum salvabuntur.

Quarto, Sanchez primam possessionem fuisse dicit Ezechiam et Iudæos quos Deus e manibus Sennacherib eripuit sibique vindicavit: secundam fuisse Iudæos, qui a Cyro e Babylone in Iudæam remissi sunt. Verum alludit quidem Propheta, et quasi obiter perstringit reditum e Babylone quasi typum; sed sub eo alium nobiliorem intelligit. Unde

Quinto et optime, prima populi a Deo vocatio et pos-

sessio fuit, quando Deus Iudæos per Mosen evocavit, et eduxit ex servitute Ægyptiaca, sibique in Sina per legem devinxit. Secunda fuit, qua Christianos per Christum a diaboli servitute liberavit, sibique in Sion per Evangelium astrinxit: illa enim prior fuit typus et figura posterioris, ut patet ex v. ultimo. Sensus ergo est, q. d. Sicut Deus ex Ægypto salvavit populum suum, et illis primam legem in tabulis lapideis dedit, itaque eos fecit suum populum suumque peculium, Exodi 19. 5. sic Christus adventu suo a peccato, et morte æterna liberabit fideles, dabitque novam legem, qua quædam ad veterem legem adiiciet, quibus illa perfectior reddetur; atque per prædicationem, fidem et gratiam suam possidebit corda credentium, totamque Ecclesiam in sempiternum.

Quod relinquetur ab Assyriis, et ab Ægypto, etc.) Recenset varias provincias, per quas ob bella et clades diversas dispersi sunt Israelitæ colligendi ab Apostolis, ut possideantur a Christo et Ecclesia: nam primo, abducti sunt in Assyrios a Salmanasar.

Secundo, in Ægyptum multi cum rege Ioachaz a Pharaone Nechao abrepti sunt, 4. Reg. 23. v. 33.

Tertio, fugerunt in *Phetros*, id est, in Arabiam Petræam, cuius metropolis erat urbs Petra; vel ad Parthos, vel potius in Phaturas, quæ est urbs Ægypti: ad hanc enim Iudæi fugientes Chaldæos se contulerunt, ut patet Ierem. 44. 2. *Phetros* enim et *Phatures* hebr. iisdem litteris scribuntur, et solis punctis discriminantur. Ita Sanchez.

Quarto, nomine *Ælam* olim continebantur Persæ, Medi, Sogdiani et Bactriani: postea tamen Elamitarum regio contracta fuit, et pars, quæ supra Eulæum flumen sita est, dicta est Elamitica; quæ infra, dicta est Susiana. Ita conciliandus est S. Hieron. qui cum Daniele c. 8. Susan collocat in Elamitide cum Gentilibus scriptoribus, qui volunt Susan partem fuisse Persidis, nempe regiam illorum, et quæ denominarit Susianam provinciam. Vide Pererium in c. 8. Daniel. l. 9. quæst. 4. *Ælam* urbs regioni nomen dedit, quam Beniamin in Itinerario male confundit cum urbe Susan.

Quinto, *Sennaar* est Babylonia. *Emath* ad Libanum spectat, non longe distans a Damasco, a qua ad rivum, seu torrentem Ægypti longitudo terræ promissionis describitur in sacra Scriptura.

Sexto, *insulæ maris* vocantur Græcia, Italia, Hispania, et tota Occidentalis plaga, quæ quasi clauditur Oceani ambitu, longe contractior, quam vasta illa Asia et Africa. Ita S. Hieron. et Cyrill. Iam sensus est, q. d. Ubilibet locorum et gentium dispersi fuerint reliquiæ Iudæorum, inde a Deo evocabuntur, et convertentur ad Christum, ut dixi cap. præc. v. 21. Ita S. Hier. Basil. Cyrill. et Procop.

Vers 12. Et levabit signum in nationes.) Sicut dux vexillum erigit, eoque convocat suos milites dispersos, vel profugos in alias regiones: ita Christus eriget vexillum crucis, cruxque Christi prædicabitur et erigetur apud omnes gentes, quæ ad Christum conversæ, confluent ad hoc eius vexillum, uti et reliquiæ Iudæorum et Israelitarum: id cœptum est ab Apostolis, sed perficietur in fine mundi.

Vers 13. Auferetur zelus Ephraim, et hostes Iuda peribunt.) Sanchez per *zelum* accipit studium vindictæ, quo Deus et hostes Ephraim, id est, Samaritas et Iudæos, puniendo persecuti sunt.

Verum S. Hieron. Basil. Cyrill. Vatablus et alii per *zelum* accipiunt simultates et odia, quæ inter regnum Ephraim, id est, decem tribuum, et regnum Iuda fuerunt maxima. Unde explicans Propheta subdit: *Ephraim non æmulabitur Iudam, etc.* q. d. Schisma, simultas et bella, quæ decem tribus contra duas assidue exercent, tunc cessabunt: *et hostes Iuda peribunt*, id est, esse desinent; quia utrique simul redibunt, et convenient in unum ovile Christi. Id cœptum est impleri in Apostolis, quorum alii oriundi fuerunt ex decem, alii ex duabus tribubus, ait Eusebius, in diesque magis impletur, sed plenissime id fiet in fine mundi. Idem prædixit Ezech. c. 37. 17. dicens duo ligna simul unienda.

Œcolampadius ex hoc loco colligit, hæreticos varias doctrinas proferre, et inter se dissectos esse; Christianos autem veros idem sentire, et inter se concordes esse. Euge, tenebrio, nihil umquam verius dixisti. Sed nonne contrarium Luthero in multis dogma fovisti? et in Eucharistico mysterio ab illo dissectus Zuinglianis adhæsisti? Igitur, te iudice, tu Lutherusque tuus hæretici fuistis: Catholici, qui idem semper in omnibus fidei dogmatibus senserunt, et inter se concordes sunt, fuerunt et erunt, veri et orthodoxi sunt Christiani.

Et volabunt.) Doctus interpres hæc refert ad tempora Machabæorum, qui ulti pristinas iniurias Philisthæam sibi subegerunt. Porro volare in humeros Philisthiim, inquit, nihil est aliud, quam eos habere ad sarcinarum pondera, et ad omnia munera servorum obeunda subiectos. Vers 14

Verum nos cum Patribus hæc de Gazensibus, Ascalonitis, aliisque Philisthinis ad Christum conversis accipimus, apud quos quam floruerit Ecclesia tempore S. Athanasii et Chrysost. videre est apud Adrichom. et Baron. hæc enim, uti et præcedentia, spectant Christi tempora et triumphos, q. d. Reliquiæ Iudæorum, id est Apostoli, et alii ex eis credentes alacerrime ad Philisthæos, Syros, aliasque gentes etiam Orientales tum per terram, tum per mare navibus proficiscentur, ut eas e diaboli iugo ereptas Christo prædentur et subigant. Ita Thomas prædatus est Indiam, Bartholomæus Armeniam, Matthæus Æthiopiam. Ita S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus. Vide can. 11. Porro involare in humeros vel cervices hostium, est militum acerrimorum, qui non nisi martem spirant, ita ut etiam in humeros et cervices gigantum involent et insiliant. Sic Iacob Genes. c. 49. inquit Iudæ; *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.*

Per mare.) Philisthæa enim mari Mediterraneo adiacet. Vatablus vertit, *ad Occidentem*, ut opponatur filiis Orientis. Scriptura enim per *mare*, quod est Occidentale Iudææ, significat Occidentem, q. d. Apostoli subigent Christo tam Occidentales quam Orientales populos.

Prædabuntur filios Orientis.) Hi sunt Idumæi, Ammonitæ, et Moabitæ; aut potius Madianitæ, aliique posteri Abrahæ nati ex Cetura. Hi enim habitarunt ad Orientem posterorum Isaaci et Ismaelis (qui fuerunt primi Abrahæ filii) ideoque in Scriptura vocantur filii Orientis, ut dixi Genes. c. 25. v. 6.

Idumæa et Moab præceptum manus eorum.) Scilicet sequentur, q. d. Iussis et nutibus Apostolorum obedient. Solent enim principes et magistri non solum ore, sed et manu aut digito indicare subditis et discipulis sua iussa; sed obstat quod Hebræa habeant: *Edom et Moab erit immissio manus eorum, et filii Ammon obedientia eorum*, id est, ut Septuaginta et Chaldæus, immittent (Apostoli) et iniicient manus in Idumæam et Ammonitas, multosque ex eis facient obedientes et morigeros, id est, convertent ad Christum. Ita Vatabl. Hoc est quod ait Psaltes in persona Christi Ps. 59. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.*

Rursum imponent eis manus baptizando et confirmando eos. Nonne hoc impletum est Actor. 10. 20. misso Petro Ioppen? et Actor. 8. 40. a spiritu translato Philippo in Azotum? nam Azotus et Ioppe sunt urbes Idumææ, ait Strabo. Aliter S. Hieron. Rupert. et Haymo, hæc non victoribus, sed victis et subactis tribuunt, q. d. Idumæi victi et subacti de more victoribus Apostolis manus dabunt. Solent enim victi supplices manus ad victores extendere, veniamque precari. Verum vox *eorum* victores respicit, non victos, ut patet.

Sed cur Noster pro *immissio* vertit, *præceptum?* Primo, aliqui causam dant, q. d. Idumæi et Moabitæ tam pii erunt, tamque sancte colent legem Evangelicam, ut possint esse quædam regula, norma, lex et præceptum manus Apostolicæ, id est Spiritus sancti gratiæ, quam manus impositione acceperunt. Sic multi satis violenter explicant.

Secundo, alii, q. d. Præbebunt se faciles et obedientes Apostolis, ut manibus eorum formentur. Hoc melius est, sed non satisfacit.

Præceptum pro ante captum.

Tertio ergo, videtur interpres *præceptum* nove usurpare, pro eo quod ante reliqua capitur, ut præceptum sit idem quod ante captum, a verbo præcipio, id est, antecapio, prævenio, præoccupo: tunc enim apte nostra versio respondet Hebræo, Sept. et Chaldæo, q. d. Primo, Apostoli immittent manum, primo capient, et fidei subigent Idumæos et Moabitas: hi enim Iudæis sunt vicinissimi. Sic vocem *præceptus* et *præceptum* capit Livius, cum ait, *Tempore illi præcepto;* et Cicero 3. Tuscul. cum ait: *Hæc cogitantem fore beatum, præsertim si et tuis præceptis bonis contentus esset, nec mortem, nec deos expavescerct: præceptis,* id est prægustatis, et ante captis, et vocem *præcipio* Virgil. ecloga 3.

Cogite oves, pueri: si lac præceperit æstus:

et Cicero l. 2. Offic. *Præcipiant* (id est præoccupent) *oratione benigna multitudinis animos, ad benevolentiam alliciant milites.* Utitur vero interpres hac voce *præceptum* potius, quam ante captum, vel, ut est hebraice, *immissio manus*: quia hoc præceptum Apostolorum vere quoque et proprie fuit præceptum; id est, instructio, doctrina, iussio, scilicet activa in Apostolis sed passiva in Idumæis; quia ipsi eam in se receperunt, eique se subdiderunt.

Vers. 15 Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti.) Iudæi omnia hæc ad litteram exspectant, quasi futura sub Messia, sicut facta sunt sub Mose in mari rubro.

Lingua maris est sinus maris.

Nota. *Lingua maris* hebraice significat sinum, ostium, aut brachium maris, quod e mari in terram instar linguæ excurrit, eamque allambit. *Lingua* ergo *maris Ægypti* est sinus maris Rubri, quo Oceanus in terram ad Ægypti fines, usque se insinuat. Ita Forerius, Vatabl. Sanchez hic, Masius, et Serarius in Iosue 15. 2. Hunc enim Hebræi exeuntes Ægypto sicco pede transierunt, ut sequitur. *Flumen* est Nilus, qui septem rivis et ostiis in mare decurrit.

Iam est hic continua allegoria, quæ tantum significat, quod nullus fluvius, nullum mare, nulla obstacula viarum vel hominum impedimento sint futura Apostolis et aliis Christum prædicaturis; quia Deus hæc omnia vel amovebit, vel superare eos faciet: sicut Hebræis aquæ maris Rubri in transitu non obstiterunt, sed Dei nutu cesserunt; hoc enim illius fuit typus. Ita S. Hieron. Cyrill. Procop. Theodor. et alii, quos citat Leo a Castro.

Secundo, *lingua maris* vocantur scopuli et promontoria, quæ e terra in mare instar linguæ prominent et excurrunt. Ita Plinius l. 37. et Cæsar l. 3. de Bello Gallico.

Augustus quomodo occuparit Ægyptum.

Lingua ergo maris Ægypti vocatur promontorium, sive scopulus, in quo situm est Pelusium, ut respiciat Isaias ad ea quæ ibi gesta sunt ab Augusto Cæsare, sub quo natus est Christus. Is enim bellum gerens contra Antonium et Cleopatram, exercitum admovit ea parte, qua

A Ægyptus pene est inaccessa, nempe ad promontorium Pelusiacum, quod undique circumdatum est paludibus, cœno et voraginibus, teste Strabone l. 17. Hæc autem Ægypti claustra tam facile et celeriter occupavit Augustus, ut fama fuerit id accidisse ipsa Cleopatra per Seleucum prodente, uti narrat Plutarchus in Antonio, et Dio Cassius l. 51. Revera autem id contigerat, quia tunc Dei nutu ventus Auster violentissimus aquas paludum et Nili in mare propulerat, itaque paludes siccarat; quo factum est, ut milites Augusti, sicco pede, potuerint transire, et Augustus, victo et cæso Antonio imperii consorte, occuparit Ægytum, factusque sit monarcha: idque factum est Dei consilio, ut scilicet hac ratione aditus Christi Evangelio tum in Ægypto, tum per totum orbem, utpote pacificum, et ad unum monarcham redactum, pateret. Et sic plane ad litteram hæc Isaiæ verba ut sonant, accipiunt S. Hieron. Procopius, et clarissime S. Cyrillus.

Summa ergo huius prophetiæ est, quod Deus omnia B impedimenta removebit, quæ fidei propagationi possent obesse, imo faciet ea ipsi prodesse.

Tropologice, S. Gregorius l. 33. cap. 9. Moral. per linguam Ægypti intelligit sæcularem mundi doctrinam quam Dominus sua incarnatione destruxit.

Et levabit manum suam super flumen.) Iam dixi flumen hoc esse Nilum; hoc enim Deus percussit, id est, flante vento, siccavit transeuntibus Apostolis, sicut siccavit mare Rubrum transeuntibus Hebræis, scilicet eo sensu quo explicui. Aliter Sanchez; censet enim hic continuo agi de reditu Iudæorum e Babylone: Flumen ergo, inquit ipse cum Chaldæo, est Euphrates, qui in septem fossas et rivos dissectus et derivatus est a Cyro in gratiam Iudæorum, qui cum illius imperio libertatem aspexerunt, ut tradunt Herodotus in Clio, Xenophon l. 7. Orosius, l. 2. c. 6. Nam quo loco Euphrates in urbem Babylonem influit, ibi Cyrus altas et latas fecit fossas: cumque Babylonii ludis et poculis vacarent, Euphratem in C has fossas derivavit, sicque sicco pede, milites in urbem immisit, et incautos oppressit. Verum, ut dixi, hæc Isaiæ oracula sublimiora sunt, nec Iudæos Babylone redeuntes, sed Christum et Christianos spectant: et per flumen hic Nilum intelligi, patet ex septem rivis; hi enim in solo Nilo reperiuntur. Eadem Nili siccitas prædicitur inferius, c. 19. v. 5. Quod vero indicat S. Hieron. Nilum prius uno alveo fluentem, tunc primum in septem alveos fuisse derivatum, id cum veteribus historicis non consentit.

Theodoretus per *flumen* intelligit regnum et imperium, quod cum antea esset unum, a Romanis in septem provincias dicit dissectum; sed hoc tropologice dici iam ante Theodoretum annotavit S. Hieronymus.

Qui relinquetur ab Assyriis.) Vide dicta v. 11.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Est hoc caput epinicion Iesu Christi victoris et salvatoris. Dixerat Propheta in fine cap. præced quod Deus Apostolis et fidelibus complanaret omnia avia et invia, sicut Hebræis siccavit et complanavit mare rubrum. Quocirca sicut post transitum maris rubri, et liberationem a Pharaone, Moses et Hebræi cecinerunt Deo carmen eucharisticum Exodi 15. ita hic Isaias similia, imo maiora Emmanuelis beneficia, quibus nos a peccato et morte liberavit, de quibus hactenus egit, hoc carmine quasi epiphonemate concludens, omnes Sionidas, id est, Christianos, ad gratiarum actionem invitat, utque in eo uno, venia et gratia iam ab eo accepta, contempta morte, diabolo, peccati conscientia, infirmitate carnis et mundo, fidenter conquiescant, admonet. Docet enim redemptionis Christi effectum positum esse in animi tranquillitate et fiducia, in qua populus redemptus sancte conquiescit, et fretus ac subnixus Iesu auxilio nullum amplius malum metuit, sed haurit in iubilo aquas vivas salientes de fontibus salvatoris.

1. Et dices in die illa: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me. 2. Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris: 4. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, et invocate nomen eius: notas facite in populis adinventiones eius: mementote quoniam excelsum est nomen eius. 5. Cantate Domino quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. 6. Exulta, et lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israel.

Vers. 1. ET DICES, o turba conversa et redempta a Christo, IN DIE ILLA.) Quando completa in te videbis omnia, quæ hic de Christo Christique gratia et donis prædixi.

CONFITEBOR, laudabo et gratias agam TIBI, O DOMINE.) Quoniam, cum esses mihi ob peccata iratus, per mortem Filii tui Christi conversus est furor tuus in clementiam et gratiam, qua condonans peccata mea consolatus es me.

Nota: Hoc tantum est Dei donum, ut Christianus in hac quiete conscientiæ, et spe salutis æternæ hilarescens, iugiter Deo gratias agere, psallere et exsultare debeat; adeoque tota vita eius non aliud sit oportet, quam continua lætitia et laus Dei, ut quidquid cogitat, loquitur, agit, patitur, læto id faciat animo, ac in omnibus tam adversis quam prosperis laudet Deum, imo omnia alacris faciat et subeat ex amore et laude Dei. Ita iubilabit perpetuo, ac inchoabit vitam Sanctorum in cælis, qui in felici pace gaudio et deliciis perenne canunt Alleluia. Hæc est vita excelsa, humana et terrena cuncta trascendens, cælestis et beata. Hanc agunt Angeli omnes, tum ministrantes, tum magis assistentes, qui Dei immensam maiestatem, gloriam, pulchritudinem ac beneficentiam contemplantes, semper exsultant, et admirabundi canunt: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Hoc est iuge eorum negotiosum otium et otiosum negotium. Beati qui hoc capiunt, beati qui hanc viam vitamque ineunt. Ita S. Franciscus accepta revelatione suæ prædestinationis et salutis, qua certo huius doni se compotem esse et fore intellexit, noctes et dies nec edere, nec bibere, nec dormire, nec aliud quid facere poterat quam iubilare, ut gaudio ebrius nil eructaret, nisi hoc: *Laudetur Deus, laudetur Deus!*

Septem modi laudandi Deum. Porro varii sunt gradus et modi laudandi Deum: primus est celebrando eum verbis et hymnis, v. g. iterando sæpius per diem: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto;* et *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, etc.

Secundus, vitando peccata (hæc enim sunt summa Dei contumelia et vituperium) etiam minima.

Tertius, insistendo sanctis actionibus et virtutibus præsertim charitatis et humilitatis (de quo dixi Daniel. 3. 87.) eas referendo ad Dei laudem et gloriam, ut monet Apost. 1. Corinth. 10. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.*

Quartus, studendo perfectioni, et insistendo heroicis operibus (uno enim tali sæpe plus honoratur et celebratur Deus, quam decem communibus) omnesque tentationes, dolores et difficultates omnia dura et contraria generose superando ex amore et laude Dei.

Quintus, meditando sæpe infinitam Dei excellentiam, sanctitatem, potentiam, amorem, etc. indeque se excitando ad abyssalem Dei reverentiam, laudem et glorificationem ut præ Deo nihil in mundo altum, nil magnum et sublime, nil laude dignum existimes, quin et teipsum despicias, dicasque cum Daniele: *Tibi, Domine, gloria; nobis autem confusio faciei nostræ;* et cum S. Francisco: *Quis tu, Domine? quis ego? Tu es abyssus maiestatis sapientiæ, virtutis et gloriæ: ego sum abyssus nihili, ignorantiæ, peccatorum et miseriarum.* Utque optes ardenter in vita et morte, in lætis et tristibus, in tempore et æternitate mille (si fieri posset) linguis, mille cordibus celebrare Dei laudes.

Sextus, invitando alios vita et voce ad Dei laudem, præsertim eos qui Deum ignorant aut blasphemant, v.g. convertendo peccatores, Iudos, Iapones, etc. atque orando assidue: *Domine, sanctificetur nomen tuum*, ut omnes gentes et homines te agnoscant, colant, ament, glorificent. Rursum, invitando omnes Angelos et creaturas, etiam inanimes, ad Dei laudem, uti faciunt tres pueri in fornace Babylonis Danielis c. 3. *Benedicite, omni opera Domini, Domino; etc. Omnis spiritus laudet Dominum.*

Septimus et perfectissimus est, multa opprobria, persecutiones, ærumnas, verbera et mortem fortiter patiendo pro Dei gloria. Hinc maxima Dei laus est martyrium. Sic Christus in cruce patiendo acerbissima tormenta, convitia et mortem, maxime glorificavit Deum. Ita et SS. Innocentes, omnesque Martyres magis moriendo quam loquendo Deum confessi sunt, eiusque nomen celebrarunt. Ita S. Theodorus Martyr, dum ungulis costæ nudarentur, lætus canebat: *Benedicam Dominum in omni tempore;* alii: *Laus tibi Christe;* alii: *Gloria Patri;* noster Campianus: *Te Deum laudamus.*

ECCE DEUS SALVATOR MEUS.) Sic canit Moses Exodi Vers. 2.
15. *Iste Deus meus, et glorificabo eum.* Vox *ecce* significat miram in rebus desperatis salutem eamque æternam quam attulit Salvator sive Iesus. Unde aliqui vertunt: *Ecce Deus Iesus meus*, quasi hic pueri et Emmanuelis nasciturі, de quo hactenus egit, nomen significet; sic enim gaudii magnitudo, et amoris deliciæ magis exprimuntur. Ad verbum in Hebræo est: *Ecce Deus salus mea. Salus*, id est Salvator sive Iesus, q.d. Ecce Iesus, qui mihi tantam e tantis malis salutem attulit; quidni in eo totus exsultem? quid ulterius horream? quid timeam? quid amem? quid sperem? quid dicam, nisi, Deus meus, Iesus meus, et omnia? Hinc nomen salutis, id est Salvatoris, sive Iesu, hoc versu et sequenti ter repetit.

NON TIMEBO.) Quia nihil mihi amplius conscius sum nec ulla pallesco culpa: *Nihil* enim *damnationis* (nihil damnabile) *est iis, qui sunt in Christo Iesu*, Rom. 8. 1. In Hebræo elegans est rhythmus et paronomasia in voce אבטח *ebtach*, id est sperabo, et אפחד *ephchad* id est timebo.

FORTITUDO MEA.) Accepi a Iesu omne robur meum quo iugum dæmonis excussi et quo deinceps eius illecebras, vires et peccata superabo. Pulchre et solide ex hoc loco docet S. Prosper. lib. 3. de Vita contemplativa cap. 20. quæ et quanta sit fortitudo Christiana, ac cui nitatur, scilicet uni Deo: *Hæc*, ait, *animi fortitudo ab illo est nobis, cui cum Propheta cantamus: Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Fortitudo nostra est, quia ita nos contra omnia vitia, invicta protectione, corroborat, ut animum nostrum nec blanda dissolvant, nec adversa deiiciant; et tunc laus nostra Dominus fit, si non nos de muneribus Dei, sed divina in nobis cupiamus munera prædicare.* Subdit deinde in quibus sita sit: *Is ergo cui est Dominus fortitudo animi, nullis carnalibus desideriis cedat, nullis voluptatibus acquiescat, ambitionem ac popularem gloriam vincat, non eum pecuniæ amor adducat, non acerbitas passionum damnorumque subiiciat; sit illi Deus laus tota, perfecta gloria, delectatio pura, spes certa, securitas firma, possibilitas sana, sanitas incorrupta, ut ei, quidquid carnalibus placet, displiceat; quidquid pretiosum videtur esse, vilescat; quidquid nitidum, futurorum contemplatione sordescat; nec ab his quæ per gratiam elisit, se patiatur elidi.* Denique addit eam non uni vitio, sed omnibus dominari debere: *Quando non ille fortis haberi solet, qui in adeundis laboribus periculisque claruerit, aut frænandis voluptatibus, ac domandis institerit; sed ille magnus, ille sublimis, ille potens, atque dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi vitii rebellare aut dominari permiserit.* Verum hoc et aureum.

ET LAUS MEA, id est materia et obiectum laudis, quem scilicet laudare assidue teneor, quemque iugiter laudo, et in quo exsulto; ET, id est quia, FACTUS EST MIHI IN SALUTEM.) In Salvatorem et Iesum; secundo, Iesus est laus mea active; quia scilicet facit me apud omnes laudabilem, et laude dignum. Alii pro *laus mea*, vertunt: *Musica mea, cantio*, sive *canticum meum est Dominus.* Iesus est laus nostra active et passive.

DOMINUS.) Deus: hebr. est יה יהוה *Ia Iehova;* quod verti potest *Deus Dei*, vel *Deus de Deo.* Rursum, *Ia*, est abbreviatum *Iehova;* hic est Iesus, qui per incarnationem semetipsum et exinanivit et abbreviavit.

HAURIETIS AQUAS IN GAUDIO DE FONTIBUS SALVATORIS.) Alludit ad fontem Siloe, cui comparavit Emmanuelem c. 8. 6. rursum ad petram, quæ Mosis virga percussa dedit fontem aquæ suavissimæ, ex qua populus siti aridus cum gaudio bibit: hæc enim petra typus erat Christi, qui flagellis et virga crucis percussus factus est fons

aquæ spiritualis, quæ animas arentes, mœrentes et squalidas reficit et recreat. Unde huc allusit Paulus dicens, 1. Corinth. 10. 4. *Omnes eumdem potum spiritalem biberunt bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus*, imo Christus ipse Ioan. 7. *Si quis sitit*, ait, *veniat ad me, et bibat;* et c. 4. 14. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ita Sanchez. Unde

Quinque fontes Salvatoris. Primo, S. Cyrillus et S. Hieronymus hic, et Origenes hom. 12. in Numeros, et Procopius in cap. 1. Genesis, per *aquas* has accipiunt sacram Scripturam et doctrinam
I. Evangelicam, quam haurimus a Christo.

II. Secundo, S. Ambrosius in Psalmum 4. et 37. per *aquas* has intelligit Ecclesiæ Sacramenta, quæ de vulneribus Christi, quasi de fontibus fluxerunt, maxime calicem Eucharisticum; unde et Origenes supra intelligit baptismum. Hæ enim sunt aquæ salutiferæ.

III. Tertio, alii per *aquas* accipiunt abundantissimam Spiritus sancti gratiam, consolationem, devotionem, charitatem, lacrymas: quæ omnia manant de Christi meritis, et fonte sanguinis eius. Unde aliqui pro *de fontibus*, vertunt *de visceribus Salvatoris;* tum quia viscera Christi fuere fontes sanguinis pro nobis effusi; tum quia Hebræum מעיני *maiane*, id est *fontibus*, per apocopen est מעי *mee*, id est, *visceribus*, illudque includit.

IV. Quarto, S. Bernardus serm. 1. de Nativitate, qui est de fontibus Salvatoris, accipit aquas remissionis, discretionis, devotionis, zeli et vitæ æternæ: *Sicut*, inquit, *in paradiso terrestri fuere quatuor fontes, qui universam irrigarent terram: ita in Christo, qui noster est paradisus, quatuor est reperire fontes: primus fons est misericordiæ, ad diluendas culpas aquis remissionis; secundus fons sapientiæ, ad potandam sitim nostram aquis discretionis; tertius fons gratiæ, ad irrigandas plantas bonorum operum aquis devotionis; quartus fons est charitatis, ad condiendum et decoquendum nostras affectiones aquis æmulationis, et de istis intelligi potest illud Isaiæ: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Adde quintum qui est fons vitæ, quem post hoc sæculum repromittit, ad quem sitiebat Propheta, cum diceret: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Fortasse propter hos quatuor fontes quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in cruce; propter quintum cum iam tradidisset spiritum, transforatus est in latere.*

V. Quinto, idem Bernardus serm. 66. inter parvos, per *fontes* hos accipit primo, fontem veritatis, e quo fluunt aquæ iudiciorum; secundo, fontem sapientiæ, e quo manant aquæ consiliorum; tertio, fontem virtutis, e quo scaturiunt aquæ præsidiorum; quarto, fontem charitatis, ex quo profluunt aquæ sanctorum desideriorum; quæ deinde ipse fusius prosequitur. De his verum est illud Euripidis in Medea:

Sursum sacrorum fluviorum feruntur fontes.

Hæ omnes expositiones veræ sunt, et fere eodem recidunt.

Hinc unum Christi nomen est *fons patens*, Zachar. 13. A *Erit fons patens domui David;* de cuius aquis multa pulchra habet sanctus Gregorius, homilia 29. in Ezechielem.

Et dicetis, id est propterea dicetis: Confitemini Domino.) Celebrate Dei in nos beneficentiam. Solent memores beneficii, et lætitia gestientes impares se agnoscere, ut gratias referant Deo tam benefico: quare et alios etiam Angelos et Sanctos, quin et creaturas omnes inanimas invitant, ut secum et pro se gratias agant Deo, eumque laudibus celebrent. Ita fecerunt tres pueri in fornace Babylonia, et David. Psal. 148. uti dixi v. 1. Vers. 4.

Notas facite in populis adinventiones eius.) Id est consilia, cogitationes, vias et molimina eius in redemptione generis humani. Septuag. vertunt, *gloriosa eius*, scilicet opera miraculosa eius.

Quoniam excelsum est nomen eius.) Quamquam nomen Iesu Christi sit laude omni et gloria excelsius, vos tamen, o redempti, laudibus et festis celebrate quantum potestis nomen quod ipse passione et resurrectione sua promeruit, ut scilicet in nomine Iesu omne genu flectaB tur, cælestium, terrestrium et infernorum.

Magnifice fecit.) Septuag. *Fecit excelsa*, id est res Vers. 5.
admirandas, sublimes et magnificas.

Exsulta.) Iubila quantum potes: quidam vertunt: *Hinni;* alii: *Exalta* vel *intona*. Hebræum צהל *tsahal* significat valide et totis viribus clamare, uti faciunt equi hinnientes. Vers 6.

Sion cœtus fidelium, Ecclesia sancta; quia magnus, exaltatus et gloriosus, in medio tui est Sanctus Israel.) Scilicet Deus Israelis; ipse enim longe aliter, et sublimius est in medio tui, quam fuerit in medio Synagogæ, vel etiam in medio tui dum viveret, ante ascensionem in cælum; nam tunc fuit in te homines docens, miracula faciens, moriens, et in viscera terræ descendens; post ascensionem vero gloriosus est in cælo; et adhuc in Venerabili Sacramento in Ecclesiæ militantis medio permanens.

Alludit ad nomen Emmanuelis, id est nobiscum Deus, nam: *In medio tui*, idem est quod tecum, aut inter te.

Huius hymni et iubilationis exempla clarissima exstiC terunt in primis Christianis et Martyribus. Atque, ut alios taceam, sancti Processus et Martinianus custodes sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in carcere Mamertino, videntes eorum cælestem vitam et doctrinam, conversi sunt ad Christum: cumque aqua deesset, sanctus Petrus, facto in saxo Tarpeio signo crucis, fontem elicuit, quem etiamnum fluentem cernimus et gustamus, indeque eos baptizavit. Qui mox tanta gratia, robore et iubilo dotati sunt, ut, cum Paulinus præfectus saxo os eorum, maxillas et dentes contundi iuberet, illi oculis in cælum fixis canerent: *Gloria in excelsis Deo.* Rursum, cum equuleo, candentibus laminis, scorpionibus, aliisque diris tormentis cruciarentur, non aliud resonabant, quam: *Benedictum sit nomen tuum, Domine, in sæcula.* Tandem, securi percussi via Aurelia, læti et exultantes martyrium obierunt. Ita habet eorum Vita 2. Iulii. An non hauserant illi aquas exsultationis de fontibus Salvatoris?

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc cap. est tertia pars Prophetiæ (secunda enim est a cap. 7. hucusque) Isaiæ, duratque usque ad c. 24. et continet oracula minacia de Babyloniis, Idumæis, et aliis gentibus; tum ne Gentes insultent Iudæis, audientes vel legentes in Isaia oracula de eorum excidio; tum ut Iudæorum cladem, aliorum, præsertim hostium, clade solctur. Hoc ergo cap. et seq. graphice depingit excidium Babylonis, et sub eius typo diem iudicii, excidium orbis, damnationem Luciferi (quem et nominat c. 14. 12.) et reproborum. Idem argumentum tractat Ieremias c. 50. et 51.

Hoc ergo capite, primo, Deus quasi dux belli elevans vexillum, evocat Cyrum et Persas contra Babylonem. Secundo, v. 6. prædicit, quam horribilis sit ille dies excidii futurus; ita ut sol, luna et stellæ de cælo cadere videantur. Tertio, v. 12. prædicit non tantum viros, sed et infantes occidendos, et mulieres constuprandas. Quarto, v. 19. ait Babylonem subvertendam sicut Sodomam; ita ut non homines, sed feræ et dæmones ibi habitent.

1. ONUS Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos. 2. Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces. 3 Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. 4. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus regum gentium congregatarum: Dominus exercituum præcepit militiæ belli, 5. Venientibus de terra procul, a summitate cæli: Dominus, et vasa furoris eius, ut disperdat omnem terram 6. Ululate, quia prope est dies Domini: quasi vastitas a Domino veniet. 7. Propter hoc, omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet, 8. Et conteretur. Torsiones et dolores tenebunt, quasi parturiens, dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. 9. Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores eius conterendos de ea. 10 Quoniam stellæ cæli, et splendor earum, non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. 11. Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum, et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo 12. Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo. 13. Super hoc cælum turbabo: et movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris eius. 14. Et erit quasi damula fugiens, et quasi ovis: et non erit qui congreget: unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient. 15 Omnis, qui inventus fuerit, occidetur: et omnis, qui supervenerit, cadet in gladio, 16. Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, et uxores eorum violabuntur. 17. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: 18 Sed sagittis parvulos interficient, et lactantibus uteris non miserebuntur, et super filios non parcet oculus eorum. 19. Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham. 20. Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur usque ad generationem, et generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. 21. Sed requiescent ibi bestiæ, et replebuntur domus eorum draconibus: et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi: 22. Et respondebunt ibi ululæ in ædibus eius, et sirenes in delubris voluptatis.

Vers. 1. ONUS BABYLONIS.) *Onus* a Prophetis vocatur prophetia tristis et calamitosa, tum quia illa quasi onus grave, et pondus pœnæ his illisve impendet, et imponetur a Deo: tum quia Prophetæ cum molestia, et ægre eam quasi pondus in os levant, enuntiant, et imponunt audientibus, eaque illos gravant. Ita S. Hieronymus, Septuaginta et alii. Secundo, pro *onus*, hebr. est משא *massa*, quod varia significat, scilicet onus, pondus, assumptionem, elevationem. Unde Septuaginta vertunt, λῆμμα, id est assumptio, eo quod prophetia quasi mandatum Dei aure et mente Prophetæ excipiatur, ut illud perferat ad eos, ad quos a Deo dirigitur. Rursum, prophetia vocatur assumptio et elevatio, eo quod mens Prophetæ in ea elevetur ad Deum ut eius oracula audiat. Syri vertunt, משקלא *miskela*, id est asportatio, decessus, eo quod mens Prophetæ a se discedere videatur, et asportari a Deo ad videndum ea quæ remota et futura sunt: quamquam syre *miskela* plura significet, omnia scilicet quæ hebraice *massa*.

Moraliter vide quantum sit onus peccati, quod tantum onus pœnæ secum trahit.

Mystice onera undecim, quæ? Mystice, S. Bernardus, sermone de undecim oneribus Isaiæ, sigillatim ea exponit, aitque: *Sanctus Isaias undecim nobis onera prophetico sermone describit: primum, onus Babylonis; secundum, onus Philisthiim; tertium, onus Moab; quartum, onus Damasci; quintum, onus deserti maris; sextum, onus Ægypti; septimum, onus Duma; octavum, onus in Arabia; nonum, onus Vallis visionis; decimum, onus Tyri; undecimum, onus iumentorum Austri.* A *Et quid est onus nisi pondus quoddam deprimens animam, et ad terram inclinans, faciens eam ad inferiora respicere, et negligere superiora? Tale nobis onus aliquando ex mundi provenit delectatione, et hoc onus Babylonis; aliquando ex immundorum spirituum immissione, et hoc onus Philisthiim; aliquando ex naturali quadam et inevitabili necessitate, et hoc onus Moab; aliquando ex tenebris ignorantiæ, et hoc onus Ægypti; aliquando ex innata nobis infirmitate, et hoc onus Damasci aliquando ex malorum persecutione, et hoc onus deserti maris; aliquando ex occulta animi vexatione, et hoc onus Duma: aliquando ex timore mortis. et hoc onus in Arabia; aliquando ex vanitate, quando proficimus, et hoc onus Vallis visionis; aliquando ex angustia pro his quæ toleramus, et hoc onus Tyri: aliquando ex charitate, quando aliis prodesse desideramus, et hoc onus iumentorum Austri.* Deinde singula B ordine prosequitur, quæ suis quibusque locis intexam, ac tandem singulis oneribus singula assignans remedia, ita concludit: *Inspiciat unusquisque seipsum, videat et quod onus sustineat, et quod in futurum sustinere formidet. Si sub onere Babylonis est, detestetur illud et abiiciat, ne si fuerit conformis operibus eius, a pœnis eius non sit immunis. Sub onere Philisthiim videat, ne potationibus eorum inebrietur, eisque fiat similis in culpa, futurus eis similis in pœna. Quod si sub onere Moab se senserit laborare, satagat sic necessitatibus corporis indulgere, ne Nabuzardan muros destruat Ierusalem; nec sic ei satisfaciat, ut cum illo in æternum ardeat. At si onus Damasci humerum pres-*

serit, caveat ne ipse sibi manus iniiciat; et ita seminans in carne, de carne metat corruptionem. Sane, si onus Ægypti incubuerit, abiiciat opera tenebrarum, et armis lucis induatur; ne, si hic interioribus tenebris mentem libens tradiderit, quandoque in exterioribus nolens crucietur. Porro, si onus deserti maris malis eum persecutionibus infestaverit, non deficiat, nec frangatur, ne quod ipsi iniecerint per malitiam, ille per impatientiam patiatur. Si autem onus Dumæ, id est silentii, effecerit impatientem, vel pudor et confusio obstruxerit confessionem, caveat pondus pœnæ, quod talibus silentibus Propheta intentat. Verum, si onere Arabiæ pressus mortem timuerit, secundum naturam sese habeat, ut eam non timeat propter conscientiam; ne non solum ab Arabia prematur, sed insuper eum Arabia æternæ damnationis onere comprimatur. Præterea, si sub Vallis visionis onere suspirans contra vanitatem pugnaverit, caveat ne a monte contemplationis cadat in vallem erroris, eo utique onere obruendus, quod in onere Vallis visionis Propheta describit. At, si sub onere Tyri, ob præsentes labores et dolores, mentem pusillanimitas in desperationem deiecerit, caveat præ omnibus propriæ voluntatis angustiam; ut, corde dilatato, per omnes huius vitæ angustias gratanter incedat, et sic æternum miseriæ pondus, quod Tyro intentatur, evadat. Postremo, si sub onere iumentorum Austri affectus tædio defecerit, cogitet, sciatque quia, si onus charitatis abiecerit, onus damnationis non immerito sustinebit. Denique docet S. Bernardus ab his omnibus oneribus Christum nos liberare, per gratiam inchoate in hac vita, per gloriam perfecte in futura. Eius ergo opem onerato assidue esse implorandam. Omnia satis apposite, nisi quod in ultimo onere per iumenta Austri accipiat pios et compatientes, cum ad litteram ita vocentur Iudæi impii et impatientes.

Vers. 2. Mons caliginosus est Babylon, cur?

SUPER (id est contra) MONTEM CALIGINOSUM.) Ita per tropum vocat Babylonem, licet in loco campestri sitam, scilicet *montem*, ob magnificentiam et fastum palatiorum, turrium, murorum, etc. *Caliginosum* vero, primo, ob o-
1. mnium rerum in ea caliginosam confusionem, ob quam
2. hebr. dicta est *Babel*. Ita S. Hieron. Secundo, quia ido-
3. lolatriæ et errorum tenebris erat involuta. Tertio, *caliginosum*, id est calamitosum; caligo enim symbolum est calamitatis, præsertim quia noctu in caligine capta est Babylon illa inclyta, cum non minor civitati a nocte,
4. quam civium animis a perturbatione et crapula offusa fuit caligo. Ita Sanchez. Quarto, et magis ad litteram, *caliginosum*, quia Babylon loco humido et palustri sita iuxta Euphratem, ob densos vapores et nebulas inde ascendentes, aerem habebat nubilum et caliginosum, accedentibus præsertim hortis pensilibus quos in gratiam Nitocris uxoris suæ fecit Nabuchodonosor. Hi enim horti fuerunt orbis miraculum; erant enim alti, et sua altitudine umbram et caliginem inducebant urbi, præsertim accedentibus nebulis iam dictis, et fumo ex foco et igne tot domorum et familiarum.

De hortis hisce audi Iosephum l. 10. Antiq. 13. *Moles saxeas fornicibus suspendit* (Nabuchodonosor) *montium speciem referentes, superne consitas variis arborum generibus: atque ita celebratos illos pensiles hortos absolvit, eo quod uxor educata in Media concupisset quamdam patriæ suæ similitudinem.* Vide de iisdem et Curtium lib. 5.

Pro *caliginosum* hebr. est נִשְׁפֶּה *nispe*, id est *excelsum*, elevatum; Septuag. vertunt, *campestrem*; Syriaca, *calcatum*, tritum, æquum, planum; Arabica, *calvum*, abrasum, sine arboribus. S. Hieron. *nispe* deduxit a נֶשֶׁף *neseph*, id est crepusculum, quod male taxat Pagn. Nam Ierem. 13. 16. vocantur montes *neseph*, id est crepusculi, montes caliginosi. Ita Forerius.

LEVATE SIGNUM.) Deus hic quasi classicum canit, eoque Darium ac Cyrum cum Persis et Medis evocat ad excidium Babylonis, q. d. Vos, o Dari et Cyre, elevate signum, id est, ut hebr. est vexillum contra Babylonem, ut eam expugnetis; *exaltate vocem*, uti solent clamores edere milites, dum invadunt urbem: *levate manum* contra urbem, vestro gladio direptioni et triumpho devotam: *Ingrediantur duces* Cyri *portas* Babylonis, quas ego eis pandam.

MANDAVI SANCTIFICATIS MEIS.) Persas et Medos vocat suos *sanctificatos*, id est, a se destinatos, et quasi consecratos milites ad sanctum hoc bellum, et sanctam vindictam Dei complendam; de quo plura Ierem. 6. 4. Hinc Syriaca et Arabica vertunt, *mandavi sanctitati*, sanctimoniæ, vel sanctificationi *meæ*, hoc est militibus sanctissimis, Cyro sanctissimo, utpote ad bellum sanctissimæ vindictæ destinato. Vers. 3.

Aliter alii: *Sanctificati*, inquiunt, id est sancto iuramento adacti, q. d. Sacramentarii milites.

EXSULTANTES IN GLORIA MEA.) Quia scilicet ego eis gloriosas victorias dedi; per eos enim punivi et debellavi Gentes, ob earum scelera. *Gloria* ergo hic significat gloriosam vindictam et victoriam.

VOX MULTITUDINIS.) q. d. Videor mihi in spiritu audire turbas et tumultus Persarum et Medorum, contra Babylonem turmatim adventantium. Vers. 4.

DOMINUS EXERCITUUM PRÆCEPIT.) Potest verti cum Vatablo: *Dominus exercituum recenset* vel *lustrat exercitum bellicum*, scilicet Persarum, sicut dux solet agere delectum, et lustrare suas copias; Deus enim hic inducitur, quasi dux belli sacri.

A SUMMITATE CÆLI.) q. d. Venient Persarum copiæ ab extremitate terræ, ubi videtur terra cælum tangere. Accommodat se Scriptura phrasi vulgi, quod putat cælum esse hemisphæricum instar arcus, ibique finiri ubi terminatur visus, ibique terræ iungi. Nec id mirum; nam et S. Chrysostomus et Lactantius, et alii, quos citat noster Acosta l. 1. de Novo orbe cap. 1. opinantur (et S. August. l. 1. de Genes. ad litteram c. 2. dubitat) cælum non esse sphæricum, nec ambire et complecti totam terram; sed instar semicirculi terræ medietatem circumdare, eique in terminis suis copulari. Vers. 5. Cælum iungi terræ censuit S. Chrysost.

DOMINUS, scilicet adest ulturus scelera Babylonis, ET VASA FURORIS EIUS.) Id est, instrumenta iræ eius, scilicet Darius et Cyrus cum suis copiis, armis et quadrigis quasi lictores Dei advolant.

OMNEM TERRAM.) Scilicet Babyloni subiectam, de ea enim hic agitur. Simile est v. 10. Allegorice hæc veriora erunt in die iudicii, cuius hic est typus.

ULULATE, QUIA PROPE EST DIES DOMINI.) Licet enim 150. annis abesset hoc excidium Babylonis; tamen hoc tempus exiguum est respectu æternitatis, imo respectu regni alicuius; licet respectu ætatis et unius hominis multum sit. Vide cap. 4. Vers. 6.

QUASI VASTITAS A DOMINO VENIET.) Τὸ *quasi* hic est nota veritatis, non similitudinis, q. d. Tanta et tam horrenda vastitas incumbet Babyloni, qualis et quanta decet Deum offensum et iratum. Unde Hebr. est nervosa paronomasia; שֹׁד מִשַּׁדַּי *sciod misciaddai*, id est, vastitas a vastante Deo veniet. De nomine Dei *Sciaddai*, vide dicta Genes. 17. 1. et Exodi 6. 3.

OMNES MANUS DISSOLVENTUR, ET OMNE COR HOMINIS CONTABESCET.) Corde deficiente, a quo ad membra diffunduntur spiritus vitales, ac per eos motus et sensus, omnia membra concidunt, tremunt, virtute destituuntur, et quasi paralysi resolvuntur. Quocirca Septuag. pro *omnes manus dissolventur*, eleganter vertunt, ἐκλυθήσονται, id est, solventur quasi paralysi, fientque instar paralyticorum. Sensus est, q. d. Deus iniiciet Babyloniis adventante Cyro tantum pavorem, desperationem et stuporem, ut manus eorum tremant et languescant, nec possint arma continere, ut mens consilii inops stupescat, utque animi concidant et contabescant. Id ita Balthasari contigisse scribit Daniel c. 5. 6. Vers. 7.

UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM STUPEBIT.) Sic enim solent rebus perditis homines attoniti invicem se aspicere, quasi stupefacti et elingues. Vers. 8

FACIES COMBUSTÆ VULTUS EORUM.) Intelligitur more Hebræo τὸ *sicut*, q. d. Sicut facies combustæ, scilicet aridæ, luridæ, nigræ et tetræ (talis enim coloris sunt quæ exusta sunt) erunt vultus eorum. Sic Ioel cap. 2. de Iu-

dæis a Chaldæis obsessis et arctatis ait: *Omnes vultus redigentur in ollam*, id est, ut Nahum ait c. 2. Erunt *sicut nigredo ollæ*. Facies ergo combustæ sunt luridæ, exsangues et tetræ ex pavore, mœrore et anxietate.

Hebr. est *facies flammarum*, quod Vatablus et Sanchez explicant, q. d. Rubore quasi flammeo ex pudore suffundentur, uti contingit iis, qui in scelere et re pudenda ex inopinato deprehenduntur. Sic de Lavinia canit Virgil. Æneid. 12.

Flagrantes perfusa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, et calefacta per ora cucurrit.

Solet enim facies eo sanguine, quem pudor ad maxillas evocat, rubere et quasi ridere.

Noster Interpres recte per *facies flammarum* accipit facies flammis exustas, ut sit metalepsis. Alii de colore flammarum, hoc est de pallore, interpretantur, qualem habent non tantum ipsæ flammæ, sed et fabri ferrarii antelucano tempore ad ignem operantes; quorum facies sic apparent pallidæ et luridæ, ac si prorsus essent factæ exsangues.

Vers 9 Ecce dies Domini veniet, crudelis.) Aliqui hæc ad litteram accipiunt de die iudicii, sed patet ex præced. et sequentibus, ad litteram hæc diei de excidio Babylonis, quod tamen consummationis sæculi, et diei iudicii viva fuit imago. Ita S. Hieron.

Ad ponendam terram (Babyloniorum) in solitudinem.) Dices: Etiam post Cyrum floruit Babylon tempore Alexandri Magni, qui eam denuo vastavit. Resp. hanc Babylonis vastationem cœptam esse a Cyro, perfectam vero ad Alexandro et aliis, uti dicam Ierem. 50. 39.

Vers. 10. Quoniam stellæ cæli.) Est hyperbole et hypallage, qua Prophetæ solent significare extremam cladem, calamitatem et afflictionem. Ita enim afflictis, ob spirituum vitalium et animalium debilitatem, et reditum ad cor, atque ob capitis deliquium et vertiginem, omnia videntur esse caliginosa, imo volvi et inverti. Contrarium accidit in lætitia.

Allegorice, hæc ut sonant vere contingent in die iudicii, uti et ea, quæ dicuntur v. 13. Vide can. 32.

Vers 11. Super orbis mala.) Babylonem vocat *orbem*, quia erat ob frequentiam hominum, opificum et mercium, instar parvi mundi. Sic Romam, Parisios, Venetias, Constantinopolim vocamus parvum mundum. Hebr. vox תבל *tebel*, id est, *orbis*, alludit ad בבל *Babel*.

Vers. 12. Pretiosior erit vir auro.) q. d. Miles Medus Dei vindicis nutu et instinctu nulli Babylonio parcet, etiamsi lytrum et pretium auri maximum offerat: quia gloriosus et ferus malet gloriam et vitas, quam opes, ut dicitur v. 17. Ita Vatabl. et Sanchez.

Aliter Adamus, q. d. Pretiosus, id est rarus, supererit vix; nam plurimi occidentur a Chaldæis.

Mundo obrizo.) Hebr. et Chaldæus, *auro ophir*, id est optimo. Vide dicta Ierem. 10. 9.

Vers. 13. Movebitur terra.) Est hyperbole et hypallage; afflictissimis enim videtur terra et cælum moveri, rotari et confundi. Sic vulgo dicimus: *Cælo terram misceri, aut mari cælum*, id est, omnia commisceri et confundi.

Vers. 14. Et erit quasi damula fugiens.) q. d. Exercitus Chaldæorum fugiet veniente Cyro, sicut damula et ovis inermis et imbellis fugit ad rugitum leonis, vel lupi.

Unusquisque ad populum suum convertetur.) Loquitur de exteris et auxiliaribus copiis, quæ ex aliis subditis, vel fœderatis provinciis venerant auxilio Babyloniis contra Persas; hæ enim videntes castra Cyri fugerunt, et redierunt ad suos.

Vers. 16 Infantes eorum (Babyloniorum) allidentur.) Signum hoc est extremi odii et crudelitatis, idque factum est iusto Dei iudicio, qui parentum scelera etiam in infantibus eorum innoxiis vindicavit. Idem prædictum fuit Ps. 136. 9. *Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos* (o Babylon) *ad petram*.

Vers. 19 Et erit Babylon illa gloriosa.) Supple, excisa et subversa, *sicut Sodoma*. Babylon hic vocatur *gloriosa in regnis*, hebr. צבי *tsebi*, id est decor, deliciæ, gloria, ma-

A gnificentia regnorum.

Inclyta superbia Chaldæorum.) Ita enim legunt S. Hieron. in Commen. Complut. Plantin. et alia passim: hebr. est, *gloria superbiæ* (id est, magnificentiæ) *Chaldæorum*, id est, ob quam gloriari et superbire solent Chaldæi, ait Vatabl. sic et Pagnin. Tigur. *Decus splendoris Chaldæorum*, q. d. Babylon est urbs inclyta, superba et magnifica Chaldæorum. Nihilominus lectio Romana uti nervosior, ita germanior videtur. Babylon enim vocatur *inclyta superbia*, id est, inclyta gloria et magnificentia Chaldæorum, de qua nimirum uti urbe superbissima et magnificentissima ipsi superbire et gloriari solent apud omnes gentes, hoc est, ipsa erat *domicilium superbiæ, et sedes luxuriæ*, ut loquitur Cicero lib. 2. de Legibus. Sic et ait Virg. 2. Æneid. *Barbarico postes auro spoliisque superbi Procubuere*. Sic vocantur urbes superbæ, agri superbi, coniugium superbum, forma superba, fortuna superba, honor superbus, sceptra superba, et *belli insigne superbum*, Æneid. 8. *Babylon omnium quas sol aspexit*
B *urbium maxima*, inquit S. Hieron. *Iam nihil præter muros reliqui habet*.

Nec ponet ibi tentoria Arabs.) Qui solet habitare Vers. 20.
in tentoriis, et vagari per loca compascua (quales iam sunt multi in Africa, qui de loco in locum migrant, vocanturque Arabes Scenitæ, vel Nomades) pecoris et gregum, quos alunt, causa: idque quia ob Babylonis ruinas multi erunt specus et antra, in quibus latere solent leones et feræ gregibus inimicæ; et quia Babylon exusta erit in tumulum aridum, nec herbas aut gramina proferet.

Arabum præ aliis meminit, tum quia Arabes sunt pastores pecorum, ut dixi; tum quia Arabia Deserta vicina est Chaldææ. Hoc vaticinium etiamnum perdurat, et experientia liquet. Narravit mihi Romæ vir eruditus et religiosus, qui recenter illa loca peragravit, ruinas Babylonis etiamnum cerni; easque ingentes et immanes, et extendi ad tres diætas, esseque plane desertas et desolatas.
C Causam, inquit, percunctatus sum, ac præsertim cur Arabes et pastores in locis adeo vacuis et compascuis, saltem greges non pascerent? qui illico mihi responderunt, loca illa plena esse spectris ferarum et dæmonum, quæ hic recenset Isaias, ideoque neminem ad illa audere propius accedere. Dæmones ergo Babylonem tot nominibus et vitiis sibi debitam, ideoque adeo iusto iudicio sibi datam possident, ut hominibus terrorem incutiant, ne Babylonis scelera sequantur, sciantque si id fecerint, se pariter dæmonum habitaculum fore, et ludibrium æque ac pabulum in gehenna, iuxta illud Ps. 48. 15. *Positi sunt sicut oves in inferno: mors depascit eos*.

Pilosi.) Fauni, et Satyri, de quibus Plinius lib. 7. 2. Vers. 21.
hoc est, ut Chald. et Septuag. dæmones, scilicet qui in sylvis et locis desertis apparent hirsuti specie hircorum, quasi dii nemorum, de quibus plura c. 34. 14. Hoc est, quod ait S. Ioannes huc alludens Apocalypsi 18. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna: et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi*.

D Saltabunt.) Alludit ad lusum, quo lascivientes hæduli, militarem in modum ex diversis stationibus emissi, adversis frontibus congrediuntur, insultant et cornutant.

Et respondebunt ibi ululæ.) Sept. *onocentauri*. U- Vers. 22.
lula est avis nocturna gemens, sic dicta, quod semper gemat et ululet. Ita Babyloni factum; nam, ut ait S. Hier. *Didicimus a quodam fratre Eremita, qui de illis finibus egrediens, nunc Hierosolymis vitam exigit monachorum, venationes regis esse in Babylone, et omnis generis bestias murorum eius ambitu tantum contineri*. Mystice, Babylon est mundus, ululæ sunt mundani et sæculares, qui ob mundi curas, fastidia, lites, milleque ærumnas assidue gemunt et ululant, sed tamen sicut ululæ suis in Babylone cavernis egredi nolunt; imo, si eas extrahas, resistunt: sic mundani mundi miseriis quas perdite amant eximi nolunt, ut ad vitam quietam et religiosam transeant, sed in iis vivere et morari cupiunt. Est hæc maledictio Babylonis, id est mundi.

Sirenes.) Chaldæus, *dracones;* Septuag. *ericii;* hebr. est תנים *tannim*, id est, ut ait S. Hieron, dæmones, aut monstra, aut dracones magni, cristati et volantes; hi enim vere sunt in locis desertis, et horum speciem sæpe assumunt dæmones. Noster pro genere speciem vertit. *Siren* enim est species monstri aquatici et marini, ore et pube tenus virgo, inferne piscis; qualis nostro sæculo in Frisia captus, vixit inter homines multos annos, didicitque nere. Hac etiam specie homines ludificat dæmon. Minus recte Scholiastes Græcus in Isaiæ 34. 23. *Sirenes*, inquit, *vocantur ea, quæ inter volatilia emittunt noctu querulam vocem, ac prope ululant, uti noctua, et similia.* Nota. Hac phrasi significat Propheta extremam loci vastitatem, quod scilicet ita desolandus sit, ut fiat habitaculum dæmonum et monstrorum, ita ut nemo eo ire audeat.

Tropol. Siren est dæmon.

Tropol. Siren, ait S. Basilius, est dæmon, qui animam voluptate illicit et decipit. Unde de Sirenum Ulyssis fabula, eiusque mystica mythologia, et victoria per crucem, vide S. Ambrosium. l. 4. in Lucam initio.

In delubris voluptatis.) Vatablus: *In palatiis voluptuosis.* Babylon enim erat constructa et comparata ad omnem voluptatem et pompam; at post excidium in ea pro deliciis erunt dracones, pro citharœdis ululæ et bubones, pro famulis et asseclis Fauni et Satyri horribiles.

Mystice, S. Bernard. tract. de undecim oneribus Isaiæ serm. 1. *Primum,* ait, *onus Babylonis est quod necesse est ut auferatur ab humeris nostris. Babylon significat mundum, cuius amor cupiditas est; onus itaque grave, multos premens et ad inferiora incurvans. Tripliciter autem miseros onerat, labore, timore. dolore. Cum labore pervenit* A *homo ad hoc quod cupit, cum timore possidet, cum dolore amittit. Eia, fratres, quis regum non cum labore acquirit, quod cupit? quis regum ita securus, ut nullum timeat? quis non cum dolore aliquid amittit? Sed retorqueamus ad nos parabolam istam. Nullusve nostrum sub huius oneris pondere suspirat? Nullæne in nobis mundanæ delectationes resederunt? Quid? quod qui sua reliquerunt, aliena quærere non formidant, pro quibus, laboribus fatigantur, cruciantur doloribus, timoribus conteruntur? Numquid vel ille ab hoc onere liber est, qui cum nihil vel parum in monasterium attulerit, tamen ut alii det, quidquid potest de monasterio auferre non desinit; qui importune petit; qui irascitur, si non accipit; dolet, si corripitur; sævit, si proclamatur? Quid illi, qui tanto parentum stringuntur affectu, ut Religionis dispendium, maximosque labores pro eis subire non dubitent, et ob hoc etiam dies vacuos et noctes ducunt insomnes? Quid de illis dicam, qui honores ambiunt? quid oneris non sustinent? nunc adu-* B *lantur, nunc detrahunt, nunc pro aliorum commotione insaniunt; nunc frustrati spe sua, in ipsos etiam patres suos maledictis insurgunt. Itaque fratres, omnes hi conformantur huic sæculo. Unde et nomine Babylonis censentur, illo pœnarum onere, quod Propheta super Babylonem describit, miserabiliter opprimendi.* Hisce ergo adapta singulas Isaiæ hoc cap. et sequenti, contra Babylonem sententias et minas, ac præsertim illam cap. 14. 11. *Concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. Detracta est ad inferos superbia tua. Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? etc.*

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit depingere excidium Babylonis (quod fiet propter Iudæos, ut ipsi ex ea liberentur) atque Balthasaris regis fastum et ruinam quasi alterius Luciferi, cui proinde vers. 10. alios reges in inferno insultantes inducit. Tertio, v. 18. eius nomen, sobolem et memoriam interitura prædicit. Quarto, v. 27. Philisthinis cladem per Ezechiam denuntiat.

1. Prope est ut veniat tempus eius, et dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam: adiungetur advena ad eos, et adhærebit domui Iacob. 2. Et tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum: et possidebit eos domus Israel super terram Domini, in servos et ancillas: et erunt capientes eos, qui se cœperant, et subiicient exactores suos. 3. Et erit in die illa: cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute dura, qua ante servisti: 4. Sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? 5. Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, 6. Cædentem populos in indignatione, plaga insanabili, subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. 7. Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exultavit: 8. Abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos. 9. Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. 10. Universi respondebunt, et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. 11. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. 12. Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? 13 Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. 14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. 15. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci: 16. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna. 17. Qui posuit orbem desertum, et urbes eius dextruxit, vinctis eius non aperuit carcerem? 18. Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in domo sua. 19. Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis pollutus, et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, et descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum. 20. Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura: tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti: non vocabitur in æternum semen pessimorum. 21. Præparate filios eius occisioni in iniquitate patrum suorum: non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum. 22. Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum: et perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus. 23. Et ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum, et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum. 24. Iuravit Dominus exercituum, dicens: Si non, ut putavi, ita erit: et quomodo mente tractavi, 25. Sic eveniet: ut conteram Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcem eum: et auferetur ab eis iugum eius, et onus illius ab humero eorum tolletur. 26. Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, et hæc est manus extenta super universas gen-

tes. 27. Dominus enim exercituum decrevit: et quis poterit infirmare? et manus eius extenta: et quis avertet eam? 28. In anno, quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud: 29. Ne læteris Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens volucrem. 30. Et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent: et interire faciam in fame radicem tuam, et reliquias tuas interficiam. 31. Ulula porta, clama civitas: prostrata est Philisthæa omnis: ab aquilone enim fumus veniet, et non est qui effugiet agmen eius. 32. Et quid respondebitur nuntiis gentis? Quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi eius.

Vers. 1. **Prope est ut veniat tempus.**) Scilicet excidii Babylonis, de quo cap. præced. (unde Hebræi hunc versum iungunt cap. præced.) quo excidio Deus misertus est Iudæorum, scilicet solvendo captivitatem eorum per Cyrum, et faciendo ut victi antea Iudæi victoribus Chaldæis, mutata iam fortuna devictis, insultarent et dominarentur, ut sequitur.

Vers 2 **Tenebunt.**) q. d. Honorifice Iudæos excipient aliæ gentes, uti fecisse Cyrum et Artaxerxem patet Esdræ lib. 1. et 2. Unde S. Hieron. sic explicat, q. d. Multi e Gentibus, puta Medis, Persis, Babyloniis, et aliis, invitati exemplo sanctæ vitæ Iudæorum Babylone redeuntium, venient Hierosolymam relinquentes idola. Et sic Iudæi spiritualiter subiicient eos quibus ante subiecti fuerant; corporaliter vero subiicient eos, qui se sponte illis subdent, aut pauperie pressi se eis in servos et ancillas vendent.

Allegor. et verius, omnes gentes obedient Israel spirituali, id est Ecclesiæ Christi.

Vers. 4. **Sumes parabolam.**) *Parabolam* vocat parabolicum; elegans et eximium carmen, canticum et dicterium (hoc enim significat hebræum משל *mascial*) quod quasi lugubre et patheticum est Babylonis epitaphium.

Quomodo cessavit exactor?) Est pulchra hypotyposis tyrannici imperii, quo reges Chaldæi alias gentes duris tributis et oneribus gravabant et exhauriebant. Unde subdit: *Quievit tributum*, hebr. מדהבה *madheba*, id est, aurum tributarium, inquit Vatabl. Alii vertunt: *Cessavit aurata*, vel *auraria*, id est auro plena et superba, vel avara et auri avida. Quocirca alii vertunt, *cessavit congregatrix auri.*

Vers. 8. **Abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri.**) Metaphorice comparat principes et regna Gentium abietibus et cedris; regem vero Babylonis, lignatori, sive cæsori, q. d. Reges et principes a rege Babyloniorum subacti, afflicti et vexati, lætati sunt Babylone excisa, et rege occiso, sicut naturaliter quasi gaudent arbores, si moriatur lignator vel cæsor earum. Quocirca lætantes dixerunt id quod sequitur.

Vers 9. **Infernus subter conturbatus est.**) Est sarcasmus, sive hostilis irrisio regis Babyloniorum occisi, et fictio poetica, ait S. Hier. qua tantum vult significare Propheta, quod infernus, id est, incolæ inferni, præsertim principes olim et tyranni, admirati sint casum regis Chaldæorum, eumque irriserint et subsannarint. Huic schemati similes sunt dialogi Luciani, in quibus Alexander, Mausolus, et alii principes a mortuis irridentur.

Porro per *infernum*, tum infernum, tum sepulcrum accipe; priori enim regis gloriæ obiicit squalorem sepulturæ, deliciis præteritis opponit tabem et putredinem cadaveris, pristino nitori et elegantiæ opponit tineas et vermium stragula.

Sensus ergo est, q. d. Uti principi in bello victo et capto occurrunt alii principes, novitatis, admirationis et irrisionis causa: ita tibi, o Nabuchodonosor; vel potius tibi, o Balthasar, cum occisus es a Cyro, et descendisti ad inferos, occurrerunt principes et gigantes, id est, heroes, et viri fortes ac terribiles iam mortui, et positi in inferno, præsertim ii, quos tu ante regno, vel etiam vita spoliaveras, hi te irriserunt, tibique insultarunt dicentes: Ecce tu vulneratus es et occisus, sicut nos vulnerasti et occidisti; descendisti ad inferos, sicut et nos: veni ergo, o princeps noster, occupa primum, id est, imum et deterrimum in inferno locum: illum tibi cedimus, illum tibi offerimus, tamquam victori nostro, imo monarchæ. Sic enim veniente rege omnes principes assurgunt, cum sessum invitant, et ad primum locum, quasi ad thronum regium deducunt.

Nota: Hæc potius Balthasari, quam patri eius Nabuchodonosori conveniunt: nam Nabuchodonosor gloriose vixit, mortuus et sepultus est, atque regnum ad posteros transmisit. Balthasar vero turpiter a Cyro victus et occisus est, in eoque stirps regia defecit, atque excisa est urbs et monarchia Babyloniorum, Daniel. 5. v. 30. et 31. Adde, multos probabiliter affirmare Nabuchodonosorem non descendisse ad inferos, id est, ad gehennam, sed esse salvatum, uti dixi Daniel. 4. 34. Lucifer hic est Balthasar.

Ex dictis patet, non congrue, imo perperam, Leonem Castrium hæc intelligere de Christo crucifixo, quasi hic sit Lucifer, qui corpore ad sepulcrum, anima ad inferos descendit, cui quasi mortuo, et a morte superato insultarint dæmones. Citat Leo Eusebium lib. 10. Demonst. ult. sed frustra, et perperam, uti et alios plures. Nam Eusebius ibi nil aliud dicit, quam Christo descendenti ad inferos occurrisse dæmones, et Luciferum, de quo ait Isaias: *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer? infernus subter conturbatus est, etc. detracta est ad inferos* (ad sepulcrum, et etiam proprie ad inferos) *superbia tua*, hebr. גאונך *gheonecha*, id est, gloria tua, ut vertunt Sept. et Chaldæus; item fastus, elatio, arrogantia tua, ut vertit Noster, et alii.

Concidit cadaver tuum.) Proiectum est instar canis, Vers. 11.
vel asini mortui, qui in fimetum proiectus ibi vel putrescit, vel a canibus et feris devoratur. Sic de Ioakim rege dicitur Ierem. 22. 19. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus et proiectus extra portas.* Legit interpres pro המית *hemiat*, id est *sonitus*, aliis punctis המית *hemit*, id est, *occidit*, scilicet Deus vel Cyrus, hoc est occisum est, concidit. Rursum legit נבלתך *niblatecha*, id est, *cadaver tuum*: iam legunt נבליך *nebalecha*, id est, *nabla tua.* Unde Vatablus et alii vertunt, *sonitus nablorum tuorum;* vel, ut Chald. *strepitus laudis musicæ tuæ;* vel ut Sept. *multa lætitia tua*, q. d. Tua gloria, tuæ epulæ et convivia, o Balthasar, in quibus musica et nabliis personantibus te recreabas, defecerunt, detracta sunt te moriente et descendente ad inferos.

Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.) q. d. Reges mortui solent aureo tapete et peristromate tegi et ornari; rursum reges Assyrii, teste Strabone libr. 16. et reges Babylonii, teste Herodoto l. 1. solent post mortem condiri unguentis et aromatibus, ne male oleant et putrescant, sed ut bene olentes diu conserventur. At tu, o Balthasar, in turba populi occisus, nihil horum habebis, sed inter cæsorum cadavera, iacebis oppletus sanie et vermibus, qui e tuo corpore putido, et aliorum occisorum enascentur, q. d. Tuum cadaver putrescet, fietque esca vermibus, uti et cæterorum.

Notent hoc superbi, molles et delicati: quid enim saginando corpus faciunt aliud, quam ut opiparum vermibus epulum parent, qui adipem, quo se impinguant, rodant et vorent? Pie et sapienter nuper adolescens quidam, fastidiens solitas carnis et mundi illecebras, factus Capuccinus, cum a socio postmodum visitatus audiret: Eheu! quam pallidus, quam macilentus in Ordine effectus es! Respondit: hoc curo, hoc satago, ut abstinentia, mortificatione, oratione adipem et sanguinem Deo consecrem et exhauriam: nolo enim corpus brevi moriturum impinguare vermibus, ut illi in eo epulentur; nolo saginam præparare lumbricis; nolo esse obsonator et cocus bufonum. Ita sæcularis ille, quem memorat noster Platus l. 3. de Bono status Relig. c. ult. cum in deliciis mollem vitam ageret, ac nullum sibi de conversione verbum fieri pateretur; Re- Delicati parant vermibus epulum.

ligiosus quidam comiter eum invisens ad extremum in digressu: Scis, inquit, quis post mortem erit lectus tuus? quæ stragula? docebit te Isaias, dicens: *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes*: qui versus ita eum pupugit, ut iam nihil aliud animo volvere posset, quam vermes illos et illas tineas: quin etiam eum molestam hanc recordationem ludis variis, et æqualium solatiis abstergere conaretur, ita nihil proficiebat, ut potius magis ac magis infigeretur. Quare hoc reputans, si ipsa cogitatio illius pœnæ tam erat intolerabilis, quanto intolerabilior futura esset ipsa pœna; manus denique Deo dedit, seque ei in Religione dicavit. Denique præclara B. Petrus Damiani l. 7. ep. 19. ad Blancam ante finem, docet carnem in vita delicatius nutritam, mortuam magis quam aliam fœtere; idque confirmat exemplis Sophiæ Marchionissæ, et Ducissæ Venetiarum, quæ tunc recenter mortuæ fœtorem intolerabilem exhalabant, eo quod delicate nimis corpus enutriissent.

Symbolice, S. Athanas. serm. de passione et cruce Domini: Subter Satanam, inquit, sternitur putredo, ut eum iam passione Christi quasi mortuum, id est enervatum et debilitatum nemo metuat; sed Christum, et per Christum Patrem omnes adorent.

Vers. 12. Quomodo cecidisti de cælo, lucifer, qui mane oriebaris?) Pro *lucifer* hebr. est הילל *helel*: quod verti potest, *ulula*; unde Aquila vertit, *ulula, fili auroræ*. Sic et Syrus. Verum alii passim vertunt *lucifer*.

Quæres primo, quis sit hic *Lucifer*? Primo, Leo Castrius, ut dixi, accipit Christum, quasi hic sit vox dæmonum irridentium Christum crucifixum et mortuum. Secundo, Origenes, Euseb. Ambros. Athan. et passim veteres, quos citat Leo Castrius, hæc ad litteram intelligunt de casu diaboli e cælo. Tertio, S. Cyprian. epist. 55. ad Cornelium, per Luciferum, accipit Antichristum, Quarto, et

Quis hic Lucifer? genuine, S. Hieronym. Cyrill. Basil. S. Thomas, Haymo, et S. August. lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 37. per luciferum accipiunt regem Chaldæorum: hoc est enim onus Babylonis, eiusque regis, de quo egit toto cap. 13. et 14. Porro licet S. Hieron. et alii per luciferum accipiant Nabuchodonosor, qui quasi alter Lucifer divinitatem sibi arrogavit, voluitque coli ut Deus in statua aurea, quam erexit Daniel. 3. 1. tamen verius est per luciferum hic intelligi Balthasarem, ut dixi. Petulanter et imperite Calvinus hic taxat Ecclesiam, quod principem dæmonum vocet Luciferum. Ait enim: *Crassior etiam ignorantia fuit, quod Luciferum diabolorum regem, eique a Propheta hoc nomen inditum esse finxerunt. Sed cum hæc figmenta nihil prorsus habeant coloris, tamquam inanes fabulas omittamus.*

Omnes enim Patres et Interpretes docent per luciferum hic intelligi principem dæmonum: per catachresin vero luciferum vocari regem Chaldæorum, ob causam quam mox afferam. Cui enim competunt ea quæ hic de Lucifero dicuntur, nisi dæmonum principi? ut, *Qui dicebas: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo, etc.* Ergo Isaias hoc nomen Luciferi proprie dat principi dæmonum, metaphorice Balthasari.

Est Balthasar, cur? Quæres secundo, cur Balthasar vocetur Lucifer: an quia similis fuit stellæ Veneris, quæ Lucifer et Hesperus dicitur? an quia similis fuit diabolo, qui dictus est *Lucifer?* Respondeo primo, eum vocari Luciferum, quia similis fuit stellæ Veneris. Nam ait Propheta: *Quomodo cecidisti de cælo, lucifer, qui mane oriebaris?* hebr. est *lucifer*, *fili auroræ*, id est, lucifer, qui cum aurora et ex aurora quasi filius nasci videbaris: unde Septnag. pro *lucifer* vertunt, ἑωσφόρος, id est, auroræfer, qui scilicet in aurora luces, eamque quasi deferas. Hinc et Arabica Alexandr. versio habet: *Quomodo cecidit stella auroræ* (vel sidus eruptionis auroræ) *de cælo, oriens in diluculis?* hinc enim hæc stella hebr. vocatur *helel*, latine lucifer, græce ἑωσφόρος, quod mane primam lucem et auroram orbi afferat: eadem vocatur Hesperus et Vesperugo, quia vesperam et noctem affert: nam sicuti mane in aurora præcedit solem orientem, ita vesperi eum occidentem sequitur. Quocirca hæc stella imaginem refert utriusque fortunæ et conditionis, (Lucifer typus fortunæ secundæ et adversæ.) scilicet nigræ et adversæ, cum solem occidentem sequitur. et dicitur Hesperus; secundæ vero et candidæ, cum solem orientem præcurrit, et dicitur Lucifer. Hinc enim ait Sophar ad Iob c. 11. 17 *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Nam, ut canit Boetius:

Et qui primæ tempore noctis
Agit algentes Hesperus horas,
Solitas iterum mutat habenas
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Hinc et Virgil. l. 8. Æneid. Pallantem splendidum comparat lucifero, mane radios solis primo excipienti, indeque splendenti, dum ait:

Ipse agmine Pallas
In medio chlamide et pictis conspectus in armis:
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda
Extulit os sacrum cælo.

Quare sicut Horatius Iulium Cæsarem comparat syderi dicens:

Micat inter omnes
Iulium sydus:

ita sponsa pulcherrima in Canticis comparatur auroræ et lucifero c. 6. *Quæ est ista*, inquit, *quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Et Eccli. cap. 50. 6. de Simone Oniæ filio ait: *Quasi stella matutina in medio nebulæ, etc. sic ille effulsit in templo Dei.*

Balthasar ergo vocatur hic *lucifer*, primo, quia illustre et splendidum habebat imperium, ita ut eius claritas, maiestas et fulgor videretur non tam esse terrenus quam cælestis et sidereus. Secundo, quia erat monarcha, atque inter homines et reges velut lucifer inter astra eminebat et elucebat, inquit Cyrill. Hoc est enim quod de lucifero sive Hespero canit poeta: Resp. 1. 2.

Hespere, qui luces cælo iucundior ignis,

id est, iucundissima stella: putabant enim veteres stellas esse igneas. Rursum luciferi cursus est soli coævus, firmus et perpetuus, q. d. Quam incredibile est ut lucifer de cælo cadat, tam incredibile videbatur ut Balthasar e suo regali solio, celsitudine, maiestate et gloria deiici posset. Tertio, quia, sicut lucifer primo lucet, et mox deveniente sole non comparet; ita prima fuit monarchia Babyloniorum, quæ mox evanuit adveniente Cyro, id est sole: Cyrus enim persice solem significat, ait Herodot. Quarto, quia reges Chaldæi lucem et ignem, quem ut Deum colebant, sibi præferri curabant, quasi ipsi essent soles et dii, quos præcederet lucifer. Idem postea imitati sunt Romani Imper. nam ignem sibi præferri curarunt, teste Herodiano; quia ignis symbolum est principatus, felicitatis, potentiæ et gloriæ. Sic Holofernes, ut habent Sept. Iudith 10. vers. ult. cum egressus est ad Iudith in proscenium, lampades honoris causa eum præcedebant: nam iam ortus erat sol, ut lampadibus ad lumen non indigeret. Hac de causa reges Chaldæorum primi sui capiti coronam imposuerunt radiis distinctam, ut speciem præ se ferrent radiantis solis. Hinc etiam solis nomine vocari et salutari voluerunt, uti vocatus est Cyrus, q. d. Sol. Sic a Deo filius Manue vocatus est Samson, id est, soliculus, parvus sol, qui scilicet Hebræis inter tenebras afflictionum, quibus a Philisthinis premebantur, cœlitus quasi sol salutaris illuxit, easque sua fortitudine discussit et depulit. Balsasar ergo vocantur *lucifer*, quia cum radiata corona instar solis splendidum antecedebat collucens ignis; sicut lucifer solem antegreditur, inquit Sanchez. Quinto, quia, sicut lucifer mane oriens in occasu fit Hesperus, ita et Balthasar, q. d. Quomodo tu, o Balthasar, qui in ortu tuo fulgebas ut lucifer, iam in occasu tuo versus es in Hesperum, imo de cælo in terram quasi corruisti? 3. 4. 5.

Quocirca apposite S. Bernardus ser. 3. in visionem Isaiæ c. 5. *Quid*, ait, *festinas mane oriri ut Lucifer? Quid gloriaris super sydera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Brevis omnino erit gloriatio tua: sequitur sol iustitiæ, quem te esse vana simulatione iactabas, cuius fervore pariter et splendore in nihilum redactus omnino dispereas. Quam melius Ioannes Baptista lucifer fuit, qui*

solem iustitiæ Christum præcurrens magis fervere studuit quam lucere? Bonum erat tibi, si ignifer magis esses quam lucifer. Quomodo ergo, o lucifer, factus es noctifer, imo furcifer? Quomodo de cælo in cœnum, de summo in imum, de vita in mortem, de gloria in gehennam corruisti? Vide eumdem S. Bernard. ser. 17. in Cant. qui totus est de luciferi deiectione.

Balthasar comparatur etiam Lucifero, id est diabolo. Dico secundo, Balthasarem comparari quoque lucifero, id est diabolo: hic enim dictus est lucifer, quod gratia et gloria in cælo fulgeret, ut stella quæ dicitur lucifer; sed per casum factus est obscurus ut Hesperus: superbiam enim Luciferi imitatus est Balthasar, unde et simili cum eo pœna mulctatus descendit ad inferos: nec enim stellæ hic descensus congruit.

Poetico ergo schemate graphice depingit hic casum diaboli, et sub eo quasi typo intelligit ad litteram casum Balthasaris, uti fieri solet in parabolis. Sic enim Thren. 2. 1. Ierusalem a Chaldæis vastata dicitur de cælo in terram deiecta. Simili prorsus schemate Ezechiel c. 28. sub typo angeli Cherubini, gloriam et casum regis Tyri describit; fuit enim ipse quasi alter Cherub: sic et Balthasar fuit quasi secundus Lucifer. Vide canon. 22. Sic ait Virgil. *Alius Latio iam partus Achilles,* scilicet Turnus; et rursum:

Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo;

Argo, id est quævis navis; *Tiphys* id est quivis nauclerus et gubernator.

Assero ergo, quod, sicut in parabolis est primo, veritas ipsius parabolæ seu historiæ aut rei quæ parabolice narratur; et secundo, est veritas rei per parabolam significatæ, quæ secunda est sensus litteralis ipsius parabolæ: ita in hoc schemate describitur fastus et casus Luciferi instar parabolæ, sed per eum ad litteram intelligitur fastus et casus Balthasaris. Hunc esse sensum docet ipse contextus, et unanimiter Patres, ut S. Aug. Ambros. Cypr. Tertull. Athanas. et alii, quos citat hic Arias Montan. Huc allusit Christus Lucæ 10. 18. dicens: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.*

Mystice significatur hic mystica ruina diaboli, quæ contigit in aurora, id est in initio creationis ipsius et mundi. Unde Syriaca habet. *Quomodo cecidisti de cælo? ulula, mane* (in matutino) *corruisti;* et Arabica Antioch. *Quomodo cecidisti de cælo super terram in aurora mane corruisti?* Porro Christus eidem dominium in homines et in Ecclesiam ademit. Hinc dicitur in Script. proiectus iam esse accusator ille fratrum, et a Christo catenis alligatus; imo Forer. putat hunc esse sensum litteralem huius loci.

Vers. 13. IN CÆLUM CONSCENDAM, SUPER ASTRA DEI EXALTABO SOLIUM MEUM.) S. Damasc. l. 2. de Fide c. 4. censet superbum hunc dæmonem creatum in aere, et rebus terrestribus præpositum fuisse, ideoque superiora ambientem dixisse: *In cælum conscendam.*

Secundo, S. Hieron. censet Luciferum conditum in firmamento, inde in cælum empyreum ascendere voluisse. *Vel antequam de cælo corrueret ista dicebat, vel postquam de cælo corruit. Si adhuc in cælo positus, quomodo dixit, Ascendam in cælum? Sed quia legimus, Cælum cæli Domino, cum esset in cælo, id est in firmamento, in cælum, ubi solium Dei est, cupiebat ascendere; non humilitate, sed superbia. Sin autem postquam de cælo corruit loquitur ista verba, arrogantiam debemus intelligere, quod nec præcipitatus quiescat, sed adhuc sibi grandia repromittat; non ut inter astra sed super astra Dei sit.* Verum communis sententia est Luciferum, angelosque omnes creatos esse in cælo empyreo. Ita ex Strabo et Beda Magister sent. l. 2. distinct. 2. Iunilius initio Hexam. Hugo Summæ sent. tract. 2. c. 1. D. Thom. 1. p. q. 61. a. 4. et alii.

Pro explicatione ergo Nota: Uti in parabolis quædam magis, imo soli litteræ, id est parabolæ; quædam vero magis rei per eam significatæ conveniunt: ita et hic fit. Fingitur enim parabolice Veneris stella quæ in cælo suo erat, in cælum altissimum super omnia astra ascendere cupivisse; quia a Saracenis culta fuit ut numen. Audi S. Hieron. in Vita S. Hilarionis: *Hilarion,* ait, *pervenit Elusam eo forte die, quo anniversaria solemnitas omnem*

A *opidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum cuius cultui Saracenorum natio dedita est.* Et Theod. in Hist. Patrum c. 26. testatur Simeonem Stylitem convertisse Ismaelitas a cultu Veneris ad cultum Christi: *Simulacra,* ait, *conterentes, et Veneris orgiis renuntiantes* (*ab alio enim repetitis temporibus acceperant cultum huius dæmonis*) *divina percipiunt Sacramenta.* Hinc et Mahomet in Alcorano astri, quod Cubar vocant, id est luciferi, cultum suis indixit. Fingitur ergo hæc stella deitatem appetiisse, quia scilicet Lucifer, id est diabolus, in cælo suo existens, cælum divinitatis et æqualitatis Dei appetiit, in illudque conscendere voluit: ita et rex Babylonis quasi alter lucifer, non quidem tam demens fuit, ut in cælum proprie volare vellet; sed summum gloriæ, maiestatis et honoris etiam divini thronum, qui proprie est cælum, ambivit: voluit enim haberi et coli ut Deus; unde explicans subdit: *Similis ero Altissimo,* q. d. Colar ab hominibus eo honore et reverentia, qua Deus

B in cælo colitur: hoc enim tantum, non aliud significant omnes hæ parabolicæ et hyperbolicæ exaggerationes. Tyranni enim volentes coli ut dii, et subinde ut soli, ideoque abolentes omnes alios deos, reipsa invadebant ipsum solium Dei, volebantque quasi in cælum conscendere, et Deum de suo solio deturbare, aut certe cum eo in eodem solio sedere. Simili hyperbole ait Callimachus.

Tellurem pedibus, capite attingebat Olympum.

Quem imitatus Virgilius.

Ingrediturque solo, et caput intra nubila condit.

Et Horatius:

Sublimi feriam sidera vertice.

Et Seneca:

Altum superbo vertice attingens polum.

Quam vere dixit Timon.

Ambitionis homo est vanæ plenissimus uter.

Addit S. Thom. Gentiles fuisse tam ventosos et stolidos, ut crederent principes et heroes post mortem inter astra referri, aut inter cælestes deos numerari; quomodo

C Hercules, Castor, Pollux et alii cælo insiti et infixi dicuntur.

Denique tumidus tyrannorum animus ita subinde erat inflatus et elatus, atque ex elatione ita amens et stolidus, ut se mari, ventis, et cælo dominari posse iactarent, imo putarent: hoc enim de Antiocho tradit Scriptura 2. Machab. 9. 8. *Qui,* ait, *sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, etc. et qui paulo ante sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Sic Balthasar hic impius et amens ait: *Super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium,* q. d. Dominabor astris et nubibus, inde iaculabor tonitrua et fulmina, ero Iupiter altitonans. Audierat ab Hebræis captivis Deum per columnam nubis eos deduxisse, Mosique in nube sæpe apparuisse. Unde David de eo canit Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Quocirca S. Chrysost. hom. 2. in Acta, nubem vocat *vehiculum Dei.* Hinc et

D Christus, quasi Deus ascendens in cælum, nube eo vectus est. Idem ergo vehiculum hic sibi arrogabat Balthasar.

Sic tumidus Pharao dicebat, *Meus est fluvius, et ego feci memetipsum,* Ezech. 29. 3. Sic Diocletianus Imp. post triumphum de Persis mortalitatis oblitus, ut Deus adorari, et ut frater solis ac lunæ haberi voluit: unde coram eo homines venerabundi se in terram proiiciebant, atque osculum pedibus figebant. Proinde hæc eius superbia a Deo acriter punita fuit: nam toto corpore intumuit, eo deinde varie disrupto lente ita emarcuit, ut lingua eius blasphema intra fauces ipsas vermium vim proferret, qui ex ore illius prorepentes, fœtore pessimo locum habitationis omnem replebant. Postremo autem more canis latrans sceleratam animam exhalavit. Ita Niceph. l. 7. 20. et Sigonius l. 1. de Occident. Imper. an. Domini. 297. Diocletianus voluit haberi frater Solis.

Heliogabalus Imp. hoc nomen assumpsit, quia sol esse et vocari voluit; ἥλιος enim solem significat: nam antea Gabalus vocabatur, cuius mores impurissimos videre est apud Lampridium.

C. Caligula pro Deo haberi, adeoque rem cum luna habere videri voluit. Quocirca quæsivit a Vitellio senatore, vidissetne se cum dea congredi? Cui Vitellius astute adulando respondit: *Solis, Domine, vobis diis licet invicem videre.* Ecce quo stoliditatis agit fastus mortales. Testis est Dio l. 59. Ratio Caii Caligulæ, inquit Philo in l. de Legat. ad Caium, erat hæc: Ovium pastor non est ovis, boum pastor non est bos, nec caprarum capra; ergo hominum pastor non est homo: quid ergo? Deus. Fecit itaque se Deum. Deorum insignia, Mercurii caduceum, talaria, chlamydem, Apollinis radiatam coronam, arcum et sagittas; Martis thoracem, gladium et clypeum assumebat, eaque ratione divinitatem ostentabat. Ita vesanus ille homines pecora faciebat, ut se faceret Deum.

Xerxes Hellespontum ratibus, quasi ponte, iunxit, ac deinde iniecta humo pedibus per eum cum toto exercitu iter fecit. Verum cum pontem qui primo factus fuerat, tempestas disiecisset, Xerxes mare illud virgis iussit verberari. Audi Herodotum lib. 7. *Xerxes indigne ferens*, quod mare naves disiecisset, *iussit trecenta Hellesponto verbera infligi, et in eius pelagus par compedum dimitti. Iam audivi, misisse quoque cum his qui stigmata Hellesponto inurerent. Certe mandavit, ut colaphos Hellesponto incuterent, dicentes barbara verba ac vesana: O aqua amara, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quod cum læsisti, qui de te nihil male meritus erat. Te tamen rex Xerxes, velis nolisve, transmittet.*

Iulianus Deus. Iulianus Apostata, ut Deus haberetur, moriens fingere voluit se ex oculis hominum evanuisse, et quasi in cælum conscendisse, ideoque secreto in fluvium se mergere cogitavit; sed a suis rem odorantibus impeditus est, uti refert S. Gregorius Nazianz. orat. 2. in Iulianum.

Cosrhoes Cosrhoes Persarum rex victoriis insolens, voluit coli ut Deus. Hinc currum ex auro fabricavit, in quo inter subtiles et occultos ductus, quasi Deus desuper aquam infundebat, ut pluviam dare videretur, et in specu subterraneo equi quadrigas trahebant in circuitu, sonitumque tonitrus æmulum edebant, ut ipse tonare videretur. In tali fano profanus resedit, quasi Deus Pater, et iuxta se crucem Domini a dextris posuit loco Filii, et gallum a sinistris loco Spiritus sancti: se ergo iussit Deum Patrem nominari et coli. Quocirca a Deo punitus, ab Heraclio victus, et tandem a filio trucidatus est. Ita Siffridus presbyt. lib. 1. epitom. an. Domini 612. et Baron. anno Domini 614.

Canutus. Audi quid de Canuto rege scribant Chronica Danorum, et ex iis Polydorus Virgil. Canutus, inquiunt, rex Daniæ et Angliæ sedili in littore posito dixisse fertur: *Mare regni mei pars es, itaque mihi obtemperes;* sed illud mox impetu facto sinum eius undis perfudit. Quare territus rex de solio surrexit, *Vana*, inquiens, *omnium regum potestas, et solus Deus omnipotens est:* ac corona cruci imposita, postea egregius pietatis et modestiæ cultor exstitit, magis quam ante idemque suis (quorum causa hæc faciebat) ut facerent persuasit.

Sedebo in monte testamenti.) Intellige per hebraismum *sicut*, q. d. Sicut Deus cultus fuit in monte testamenti, id est in templo Hierosolymitano, antequam illud a patre meo Nabuchodonosore everteretur: ita et ego Balthasar colar ut Deus in solio meo, vel in delubris Babylonis.

Templum vocatur mons testamenti, cur? Nota: Templum Salomonis vocatur *mons*, tum quia altum erat instar montis, tum quia situm in monte Sion. Vocatur *testamenti*, id est, fœderis, quia in eo tabulæ legis et arca fœderis conservabantur. Idem templum vocatur *latera Aquilonis*, quia erat ad Aquilonarem urbis partem situm, ut patet ex illo Psalm. 47. 2. *Mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni.* Unde Septuag. hic vertunt: *Super montes excelsos* (Sion et Moria) *qui sunt ad Aquilonem.*

Parabolice notat primo, sub hoc schemate superbiam diaboli, quod tam in cælo quam in terra æquali cum Deo throno sedere voluerit, puta in templo, ut ibi adoraretur. Hinc S. Chrysost. hom. de Adam et Eva tom. 1. censet angelum hæc dicentem vocatum fuisse. *Sathael*, id est, *po-*

A *silio Dei*, vel *ponens se ut Deum*: *Unus*, inquit, *angelus primus, qui Sathael dictus est, malignam et nefariam præsumptionem assumens, dixit: Ponam sedem meam ad Aquilonem, et similis ero Altissimo.* Qui ergo latine dicitur Lucifer, hebraice vocatur Sathael. *Et ita pro tali præsumptione cecidit irreparabiliter, ut angelus primus præcipitatus de culmine angelico, diabolus nominaretur.* S. Bern. ser. de S. Benedicto: *Dixit*, ait, *Lucifer (sed non iam lucifer, sed tenebrifer et vesperus) Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo. O impudens, o impudens! Millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei: et tu sedebis? Cherubim stabant, et non sedebant. Quid laborasti, ut iam sedeas?*

Secundo, sub hoc schemate, inquit Hieron. Cyrill. et Basil. significat superbiam regis Babylonis, quasi dixerit: Ego studebo efferre meum nomen et regnum super omnes et omnia, ut toti universo dominer; et quasi abiecta omni Dei reverentia vix mortalem se esse sciret, B putaretque sibi divinum aliquod numen inesse, ideoque ut Deus in templis coli et adorari voluerit.

Addunt Hebræi, voluisse Nabuchodonosorem ut Deum adorari et coli in templo Hierosolymitano, quod vix est credibile: nam ipse illud evertit. Simili tropo Ezechiel cap. 28. v. 14. inquit de rege superbo Tyri: *Tu Cherub extensus et protegens, et posui te in monte sancto Dei: in medio lapidum ignitorum ambulasti.*

Mystice, S. August. l. 3. de Doctrin. Christ. cap. ult. iuxta regulam 7. Ticonii hæc accipit de diabolo, id est, diaboli corpore, quod est cœtus infidelium, impiorum et reproborum; et S. Bernardus tract. de 12. grad. humil. gradu 1. in fine per Aquilonem intelligit reprobos: *O Lucifer*, inquit, *qui mane oriebaris imo iam non lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer. Rectus tuus cursus erat ab Oriente ad Meridiem, et tu præpostero ordine tendis ad Aquilonem; quanto magis ad alta festinas, tanto celerius ad occasum declinas: nimirum Aquilo hic frigidus sunt reprobi; sedes tua, potestas in illos.* Idem serm. 85. in C Cant. *Diabolus*, ait, *in veritate non stetit, quia non innixus est Verbo, qui in sua virtute confisus est. Et ideo fortasse sedere voluit quia stare non valuit. Dicebat enim: Sedebo in monte testamenti. Cæterum Deo aliter iudicante nec stetit, nec sedit, sed cecidit dicente Domino: Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ergo qui stat, si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur Verbo. Verbum loquitur: Sine me nihil potestis facere.* Idem serm. 4. de Ascens. *Heu miser*, inquit, *in lateribus Aquilonis? Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiæ. Quanti tamen usque hodie fœda sequuntur infeliciaque vestigia, imo vero quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Quem sequimini, miseri homines, quem sequimini? Annon videtis Satanam tamquam fulgur de cælo cadentem? Nonne iste est mons in quem ascendit angelus et diabolus factus est?*

Similis ero Altissimo.) q. d. Ut verbo dicam ero Vers. 14.
D summa et sacra maiestas, non tantum humana et regia, sed et divina: et ut talis adorabor. Didicit hoc Balthasar a patre suo Nabuchodonosore, qui in statua aurea altissima, scilicet sexaginta cubitorum, adorari voluit, Daniel. 3. Sic rex Tyri Ezech. 28. 2. dicebat: *Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi, in corde maris:* cui proinde Deus v. 9. replicat: *Homo es, et non Deus; in manu occidentium te morte incircumcisorum morieris.* Sic Augustus Cæsar divinos honores usurpavit, et aras sibi poni voluit. Unde Horatius lib. 1. Epist. 16. Augustus ut Deus coli voluit.

Attingit solium Iovis, et cælestia tentat.

et Virgil. ecloga 1.

Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Neque aliud ille Phæton, ille Icarus Gentilium, suo in cælum volatu significarunt.

Nota τὸ *similis ero.* Lucifer enim sive diabolus initio non fuit tam stolidus, ut vellet esse Deus, aut Deo æqualis, et secundus quasi Deus; sciebat enim hoc esse im-

possibile et stultum: sed initio considerans eximiam naturæ suæ pulchritudinem, sapientiam, potentiam et gratiam, sibi in ea nimis complacuit: inde fastu intumuit, qui crescens eo processit, ut, quasi sibi ipse sufficeret, nollet pendere a Deo, nollet Deo subdi, nollet eius legi et imperio subiacere. Unde fuit excæcatus, potuitque hæc cæcitas cum superbia ita crescere, ut vere æqualitatem Dei et divinitatem appeteret, uti videmus tyrannos quosdam eam appetiisse. Sed initio antequam excæcaretur, eam ambire non potuit. Quocirca verisimilis est illa Doctorum sententia, diabolo revelatam fuisse Christi hominis unionem hypostaticam cum Filio Dei, eumque hanc Christo invidisse, et sibi eam appetiisse. Sciebat enim hoc fieri posse, putabat et ipse ita fieri debere, quod ipse, utpote angelus, nobilior esset homine. Et sane si hoc mysterium unionis ei revelatum fuit, vix dubium est quin illud superbus angelus ambiverit, et Christo inviderit. Sed hoc ei revelatum esse, opinari licet, demonstrare ex Scriptura vel Patribus non possumus.

Vers. 15. VERUMTAMEN AD INFERNUM DETRAHERIS.) Nota iustam superbiæ pœnam. Balthasar et diabolus ascendere voluerunt in summum cæli; ideo descenderunt in imum laci; opponit enim Propheta imum summo, infernum cælo, latera laci, ut habent Hebræa, lateribus Aquilonis. Huc spectat Homeri adagium, *A Tartesso in Tartarum.* Tartarus enim est locus infelicitatis, Tartessus felicitatis: est enim Tartessus urbs in finibus Hispaniæ, ob loci fertilitatem celebris.

Michael humilis sedem Luciferi obtinuit.

Recte Climachus gradu de humilitate: *Superbia*, inquit, *ex angelis dæmones facit*, *humilitas ex dæmonibus angelos facit.* Sic S. Michael humiliter dicendo מי כאל *mi ca-el, quis sicut Deus?* Luciferi sedem, eo deturbato, obtinuit. Deus enim deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Recte S. Ioannes Abbas, qui Theodosio Imp. victoriam contra tyrannos prædixit, apud Palladium in Lausiaca c. 44. narrat monachum quemdam superbientem de sua virtute, tentatum fuisse ac superatum a dæmone apparente ei in specie mulieris, eumque illiciente ad libidinem. Cui cum tandem ille consensisset, dæmon evasit evanescens ex manibus eius sicut umbra aliqua. Risus autem in aere auditus est multorum dæmonum clamantium: *Qui se exaltat*, *humiliabitur. Tu autem ad cælos quidem exaltatus es, humiliatus vero es usque ad abyssos.* Quocirca surgens ipse lamentans et desperans de sua salute, ad sæculum reversus est.

E contrario senex ille in Vitis Patrum lib. 7. c. 13. *Quantumcumque*, inquit, *se deposuerit homo in humilitate*, *tantum quoque proficit in altum: sicut enim superbia si ascenderit in cælum, usque ad infernum deducitur: ita et humilitas si descenderit in infernum*, *tunc exaltabitur usque ad cælum.*

Moraliter ambitio est peccatum Luciferi.

Moraliter ergo disce hic quid sit superbia, quid ambitio: nimirum est peccatum Luciferi, quod ex angelo pulcherrimo fecit teterrimum diabolum. Qui ergo ambiunt
episcopatus, prælaturas, vel principatus, sciant primo, se
1. ambire regimen animarum, de quibus rationem ab eis
exiget Deus, earumque damnationem, si pereant, eis imputabit: est ergo prælatura onus etiam angelicis hume-
2. ris formidandum. Secundo sciant ambitionem, æque ac
avaritiam, multa peccata secum trahere: ambitiosi enim
parati fere sunt quaslibet occasiones arripere crescendi
3. per fas et nefas. Tertio, sciant plerasque hæreses ortas
esse ex ambitione; ambitiosi enim cum ad suas spes et
dignitates, quas prætendebant in Ecclesia, pervenire non
4. potuerunt, facti sunt Ecclesiæ hostes et hæresiarchæ vereque Luciferi. Quarto, cogitent illud S. Chrysost. homil.
34. in epist. ad Hebr. *Mirabile est si salventur multi Prælatorum*, plures enim damnantur; sciantque multos damnari in dignitate positos, qui salvarentur, si viverent
privati; proportionaliter enim multo plures in humili
subditorum, quam in alto Prælatorum statu salvantur;
nimirum multi tolluntur in altum, ut lapsu graviore
5. ruant, feriuntque summos fulmina montes. Quinto, cogi-
A tent illud Sapientis: *Potentes potenter tormenta patientur.* Audiant Origenem: *Omnes*, inquit, *adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio*, *si se iudicandos potius, quam iudicaturos, hi qui præesse volunt populis, cogitarent.* Sexto, sciant ambitionem numquam satiari; 6.
quia semper ad maiora tendit: sicut Lucifer non quievit,
donec thronum Dei invaderet; nam, ut ait Seneca, *ambitioso non tam iucundum est multos post se videre*, *quam aliquem ante se habere molestum.* Ita superbum Aman
magis torsit unus Mardochæus illi prælatus, quam recrearint omnes populi et principes ei se submittentes. Se- 7.
ptimo, cogitent illud Iulii Cæsaris: *Qui in excelso vitam agunt*, *eorum facta ab omnibus notantur;* suntque expositi multorum censuræ, invidiæ, detractionibus, odiis. O- 8.
ctavo, cogitent quod honor et dignitas cito perit, ut flos;
unde Psaltes ait: *Periit memoria eorum cum sonitu.* No- 9.
no, quod variis fluctibus agitentur ambitiosi, ut mare;
tum ob multas distractiones et curas, quibus honorem aucupari vel tueri volunt; tum ob æmulos: tum ut suis,
B vel Superioribus, vel subditis adulentur. Decimo, cogi- 10.
tent exemplum Christi, qui quæsitus ad regnum fugit, et
privatam egit vitam; quin et subditus fuit parentibus.
Undecimo, quod Sancti fugerint dignitates, et, cum coa- 11.
cti illas subierunt, quasi sub gravi onere ingemuerint.
Ambrosius populi vocibus Mediolanensis Episcopus postulatus nocte ex urbe aufugit. S. Chrysost. episcopatum metuens, in solitudinem secessit. S. Martinus, teste Sulpitio, ne diaconatum quidem suscipere voluit, nedum episcopatum nisi coactus. S. Gregorius electus in Pontificem, non tantum fugit, sed etiam ad Mauricium Imper. scripsit, rogans, ne consentiret suæ electioni. S. Ammonius eremita aurem sibi præcidit ne Episcopus fieret. S. Malachias, ut scribit S. Bernardus in eius Vita, nisi Episcopi congregati illi anathema comminati fuissent, non suscepisset episcopatum. *Omnem enim*, ait Bernard. *locum sublimem velut præcipitium reformidabat.* S. Augustinus, cognita sui Episcopi morte, fugit ab urbe. Audi
C eum serm. 1. de communi Vita Cleric. *In quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem cavebam; et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer.* Idem fecit S. Fulgentius, qui per vim tandem creatus est Ruspensis Episcopus. Sic et S. Leo electus in Summum Pontificem exhorruit. Audi eum sermone 2. in sua assumptione: *Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua*, *et expavi. Quid enim tam insolitum, tam pavendum*, *quam labor fragili; sublimitas humili, dignitas non merenti?* Vere Seneca in Hercul. fur.

Dominare tumidus, spiritus altos gere.
Sequitur superbos ultor a tergo Deus.

Humilitatis fructus.

E contrario *humilitas* et fuga dignitatum, primo, est
tutissimus virtutum omnium thesaurus, inquit S. Basilius
c. 17. Constit. monast. Secundo, *est custos pudicitiæ*, *et*
mater patientiæ, inquit S. Bernardus tractat. de Ordine 1.
vitæ. Tertio, *est totius spiritualis structuræ solidissimum* 2.
fundamentum, inquit Cassianus collat. 19. c. 12. Quar- 3.
D to, *est tota Christianæ sapientiæ disciplina*, inquit S. Leo 4.
serm. 7. de Epiphan. Quinto, Deus humiles exaltat, su- 5.
perbos humiliat, ait Christus. Sexto, humilitas gratiæ et 6.
opis divinæ est efficacissima conciliatrix. Sicut enim pluvia et flumina in valles defluunt, ita gratia Dei in animam humilem depluit et descendit. Septimo, omnia Dei 7.
dona omnesque virtutes pessum eunt, nisi adsit humilitas, inquit S. Gregor. 27. Moral. cap. ult. Octavo, humi- 8.
lis est amabilis Deo et hominibus, superbus omnibus est
exosus. Nono cogitet illud Christi Lucæ 6. *Væ vobis, cum* 9.
benedixerint (laudarint) *vobis homines.* Decimo cogitet 10.
illud S. Aug. ep. 56. ad Dioscorum: Non aliam ad capessendam et obtinendam veritatis viam tibi munias, quam
quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum verus
Deus videt infirmitatem. Ea autem prima est humilitas,
secunda humilitas, tertia humilitas; sic fiet ut illud Annæ impleatur: *Sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est.* Denique, humilis est quasi

Via ad Deum est humilitas.

alter Michael, superbus est quasi alter Lucifer: sicut S. Franciscus per humilitatem factus est Seraphicus, et per Seraphim impressa sibi accepit stigmata Christi, atque post mortem in cælis ad chorum Seraphinorum evectus est, uti cuidam viro sancto in visione revelatum est, teste S. Bonavent. Ita Pharao, Arrius, Calvinus per superbiam in abyssum, et in ima tartari demersi et deiecti sunt, ut in sedibus igneis Lucifero assideant. Audi Patrum sententias in Vitis Patrum l. 7. c. 13. *Quidam ex patribus dicebat: Humilitas est præcursor charitatis, sicut Ioannes Baptista Christi: et sic attrahit ad Deum: quia Deus charitas est;* alius rogatus, quid esset humilitas, dixit: *Arbor est vitæ in altum excrescens;* alius: *est terra in qua iussit Deus sibi sacrificium offerri;* alius: *Perfectio hominis est humilitas;* alius: *Humilitas nec irascitur, nec alios irasci permittit.*

Signa humilitatis. Porro signa humilitatis paucis ita describit Albertus Magnus in Paradiso animæ cap. 2. Humilitas, inquit, vera et perfecta est, cum exhibita gloria contemnitur nec exhibenda appetitur. Secundo, verus humilis semper timet, ne sibi aliqua gloria exhibeatur; et cum sibi exhibita fuerit, expavescens medullitus contristatur. Tertio, verus humilis numquam de aliqua gloria vel gratia gloriatur, nisi ex hoc audientibus confidentiam ad Deum præstare intendat. Quarto, verus humilis nec maiori, nec minori, nec æquali se comparat: imo nullum inferiorem se credit, nullum omnino spernit, et se solum ex corde despicit, et ab omnibus despici ferventer appetit, gaudetque cum despectus fuerit: talis nullam timet contumeliam, quia nullam amat gloriam. Ita Albert.

Vers. 18. OMNES REGES GENTIUM, etc. DORMIERUNT IN GLORIA.) Gloriose sepulti sunt, scilicet non cum plebe, sed *in domo*, id est, in parentum et regum sepulcro, sive mausoleo.

Vers. 19. TU AUTEM (o Balthasar) PROIECTUS ES DE SEPULCRO TUO.) Balthasar sepulcro extrahi non potuit, quia caruit sepulcro. Sensus ergo est, q. d. Tu, o Balthasar, occisus a Cyro proiectus es, nec illatus in sepulcrum regum, quod maiores tui, tuque ipse tibi destinaveras et magnifice adornaveras. Unde Vatab. vertit: *Abiectus es de sepulcro*, id est, abiectus es procul a sepulcro, ne in illud inferreris.

Hebræi hæc accipiunt de Nabuchodonosor, quem fabulantur extractum fuisse de sepulcro a filio Evilmerodach, ut sic ipse Babyloniis ostenderet patrem non in bestiam, ut ante, esse mutatum, sed vere mortuum, itaque ab eis in regni successionem, quasi filius et hæres admitteretur; idque fecisse ex consilio Iechoniæ, ac propterea eum exaltasse. Ita refert S. Hier. hic. Addunt Abulens. in lib. 4. Reg. c. 25. q. 37. Haymo et Hugo hic, eiusdem consilio divisum esse cadaver in trecentas partes, easque in totidem vultures (ut eas devorarent) fuisse dispertitas, ne ulla spes esset reditus eius. Credo trecenta hæc esse, non prodigia, sed mendacia.

QUASI STIRPS INUTILIS.) Quasi surculus sterilis, vel amarum et malum ferens fructum, qui terræ non inseritur, quin et insertus evellitur.

POLLUTUS ET OBVOLUTUS.) Sanie et sanguine et cadaveribus occisorum, vermibusque inde scaturientibus; hoc est quod dixit v. 11. *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.*

DESCENDERUNT AD FUNDAMENTA LACI.) Ita vocat profunditatem tam sepulcri quam inferni; verisimile est enim cadaver Balthasaris, cum aliis cadaveribus Babyloniorum cæsorum proiectum fuisse in lacum, vel fossam aliquam ingentem. Unde quod sequitur: *Non habebis consortium*, *neque* (ne quidem) *cum eis in sepultura: cum eis*, subaudi, *regibus gentium;* his enim eum opposuit v. 18. non autem *interfectis gladio;* his enim eum assimilat hoc versu.

Vers. 20. NON VOCABITUR IN ÆTERNUM SEMEN PESSIMORUM.) q. d. Delebitur memoria seminis et stirpis impiorum; nam Balthasari nemo de stirpe Nabuchodonosor successit, sed cum ipso omnis stirps regia exstincta est. Ita S. Hier.

Vers. 21. PRÆPARATE FILIOS EIUS OCCISIONI.) Hinc patet, Balthasaris filios vel naturales vel adoptivos, puta destinatos ab eo regni hæredes, pariter fuisse occisos; plures eum habuisse naturales, cum tot haberet concubinas, satis est verisimile.

NEQUE IMPLEBUNT FACIEM ORBIS CIVITATUM.) Id est, non implebunt superficiem civitatum orbis, id est, non implebunt civitates orbis; est hypallage: vel orbis civitatum, id est, orbis qui civitatibus abundat, q. d. Deus succidet eos ne orbem et urbes repleant præfectis et hominibus sibi similibus, scilicet impiis, Deoque exosis: qualis enim est rex, tales sunt et aulici et populi et urbes. Ita Vatabl.

Secundo, Arias et Forerius vertunt: *Non implebunt faciem orbis urbibus*, ut scilicet multas in eo urbes condant vel illustrent.

Tertio, Sanchez explicat, q. d. Filii Balthasaris non implebunt faciem orbis, id est, totum orbem, civitatibus suis id est, non habebunt sub ditione sua civitates totius orbis, uti iactabant: facies enim orbis, venti, gladii, vocatur ipse orbis, ventus, gladius.

Aliter Chaldæus, Septuag. et Pagnin. pro עָרים *arim* id est, urbibus, legentes צָרים *tsarim*, id est, adversarios, vertunt, *non implebunt* Balthasaris filii *orbem infensis castris*, uti fecerunt eius parentes, qui bellicis motibus omnia turbent, ut regnum amissum recuperent et propagent. Ita S. Cyrillus.

ET IN PALUDES AQUARUM.) Babylon enim est in paludibus iuxta Euphratem, quem in varios rivos et fossas Persæ deduxerant: ipsa ergo eversa remanserunt solæ paludes et rivi Euphratis.

ET SCOPABO EAM IN SCOPA TERENS.) Id est, ut Vatablus: *Scopa vastatrice verram eam*, q. d. Ita studiose et exacte Persæ vastabunt et diripient Babylonem, sicut studiose ancilla scopis verrit pavimentum, ut illud scopando et fricando quasi atterat, uti faciunt ancillæ Hollandicæ nitoris amantissime. Simili tropo ait Plautus: *Converret hic iam me totum cum pulvisculo*: et de Tyro ait Ezechiel c. 26. *Radent pulverem eius de ea.* Vers. 23

IURAVIT DOMINUS, etc. SI NON, UT PUTAVI, ITA ERIT.) Vers. 24.
q. d. Iuravit dicens, si non ita eveniat ut dico, non sim Deus, non habeam verax. Vox enim *si* Hebræis est nota iuramenti exsecratorii, in quo ipsam exsecrationem per euphemismum subticent.

UT CONTERAM ASSYRIUM.) Id est Sennacherib: hunc Vers. 25.
enim in terra sua, id est, in Iudæa, contrivit Deus. Redit enim Propheta ad sua tempora, et ad Sennacherib urbi iam incumbentem, de quo egit cap. 7. et deinceps: ut scilicet Iudæi videntes Isaiam de clade Sennacherib vera prædixisse, crederent quoque ea quæ de Babyloniis, aliisque longe post futuris prædixerat, vera fore, vereque eventura. Alii nonnulli per Assyrium accipiunt Holofernem: hic enim missus a Nabuchodonosor regnante in Assyria, puta in Ninive, contritus est in montibus Israel iuxta Bethuliam cum toto exercitu, cum caput ei amputatum est ab heroina Iudith.

HOC CONSILIUM, QUOD COGITAVI SUPER OMNEM TER- Vers. 26.
RAM, etc. ET SUPER UNIVERSAS GENTES.) Commode hoc accipe pro subiecta materia, scilicet omnem terram et omnes gentes Assyriis subiectas, aut confœderatas, quæ cum eis contra Iudæos arma tulerunt, uti fuerunt Syri, Samaritæ, Moabitæ, Idumæi, Philisthini et Ægyptii: quibus proinde cladem in sequent. capitibus ex ore Dei Propheta denuntiat. Ita S. Hieron.

IN ANNO, QUO MORTUUS EST REX ACHAZ.) Cui suc- Vers. 28.
cessit filius Ezechias; ergo 1. anno Ezechiæ pii regis facta est hæc prophetia contra Palæstinos hostes Iudæorum, ut per eam erigerentur Iudæorum animi, scirentque fore felix et auspicatum novum pii regis regnum. Ex hoc loco censet S. Hieron. omnia deinceps oracula usque ad finem libri facta esse sub Ezechia, uti dixi cap. 1. 1.

NE LÆTERIS, PHILISTHÆA, etc. QUONIAM COMMINUTA Vers. 29.
EST VIRGA PERCUSSORIS TUI.) *Percussorem* vocat non Achaz regem, ut vult S. Hieron. Haymo, et S. Thom. Achaz enim a Philisthæis cladem magnam accepit, 2. Paral. 28. 18. sed Samsonem, Davidem, et Oziam avum A-

chaz: hic enim valde attrivit Philisthæos, ut patet 2. Paral. 16. q. d. Nolite lætari, o Philisthini, quod vestri olim percussores sunt mortui, scilicet Samson, David et Ozias, qui vobis videbantur esse colubri, id est, asperi et crudeles, suo tactu et plaga vos ferientes; quia ab eis nascetur Ezechias filius Achaz, Oziæ pronepos, quasi regulus, id est, basiliscus, longe vobis nocentior. Sicut enim basiliscus non tantum tactu, sed et visu puta pestilenti halitu, quem ex oculis emittit, homines enecat, quin et aves volantes interficit, itaque eas ad se trahit et absorbet: ita et Ezechias sua vi et armis omnia vestra pervadet, et potentissimos vestrum quasi eminus solo aspectu præsentia et imperio suo percellet et absorbebit, inquit S. Hieron. Ita contigisse narrat l. 4. Reg. 18. cum ait: *Ipse* (Ezechias) *percussit Philisthæos usque ad Gazam, et omnes terminos eorum a turre custodum usque ad civitatem munitam.*

Ezechias fuit basiliscus, cur?

Alludit primo, Propheta ad virgam Mosis, quæ versa est in colubrum, et rursum in virgam, quæ percussit et tot plagas intulit Ægypto, q. d. Talis virga et coluber vobis, o Philisthæi, erit Ezechias.

Secundo, ad Samsonem, qui valde afflixit Philisthinos, de quo prædixit Iacob Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, q. d. Nondum periit coluber ille, qui in vos, o Philisthini, desæviit et venenum mortiferum evomuit: ex illo enim nascetur, id est, illi succedet, non iam coluber, sed eo peior basiliscus, scilicet Ezechias.

Nota: Apud Hebræos proverbium est: *De radice colubri egredietur regulus;* quo utuntur cum minori cladi, calamitati, hosti aut vastitati succedit maior et infestior; cui simile est illud Roboam: *Pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus;* tale est illud: *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim;* et illud: *Leonem fugiens occurrit urso;* et illud Iob 6. v. 16. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Ita Sanchez.

Mystice, S. Bernard. tract. de undecim oneribus, serm. 2. sic ait: *Sequitur onus Philisthiim, qui interpretantur cadentes potione, illos significans, qui superbia inebriati ceciderunt de habitatione cælesti. Isti miseros onerant nunc tentatione, nunc afflictione. Hi Ægyptios onerabant plagis multis et magnis, sicut habes in psalmo: Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem et iram et tribulationem: immissiones per angelos malos. Hi cor Iudæ oneraverunt avaritia, et cor Pharisæorum invidia, et cor Pilati stultitia. Hi cor fidelium multis tentationibus onerant: insultantes animæ consentienti, et dicentes: Incurvare, ut transeamus.* Hisce ergo attribue Isaiæ contra Philisthiim minas.

Et semen eius absorbens volucrem.) Semen colubri est regulus, puta Ezechias filius Oziæ, solo quasi spiritu et halitu suo afflans, comburens (hoc enim est Hebræum שׂרף *saraph*) enecans et absorbens Philisthæos, ut dixi. Huic adagio simile est illud Eubuli Poetæ: *Locustæ habens oculos, non prolato ore utrimque mobilis, depugnator filiorum ingenitorum semen perimens:* quo significatur ichneumon Ægyptium animal, quod crocodilorum ova perrumpit et absumit, priusquam in feras semen evadat. Est enim *αμφιστομος*, id est, ancipiti ore: nam pungit inferius, labris autem mordet.

Septuag. vertunt: *Et semen eius serpens pennatus.* Pro *serpens* hebraice est *saraph*, id est, serpens ardens et urens, quales fuerunt illi immissi in Hebræos murmurantes, Num. 21. Porro serpentes aliquos pennatos esse et volare constat, talesque esse dracones Arabicos asserit Solinus cap. 35. contra quos pugnant ibes aves; unde Ægyptii eas quasi deos colebant. Hic ergo serpens pennatus idem est qui paulo ante *regulus* vocatus est: nam et Isaias c. 30. 6. regulum habere alas et volare asserit. Talis ergo Philisthæis fuit Ezechias. Talis et allegorice est Christus, diabolum ac reprobos mordens, fideles vero et pios salvans: hinc enim quasi serpens alatus exaltatus fuit in ligno, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam; et sub eo principes Apostoli, pauperum pauperrimi, securi vitam duxerunt.

Paulo aliter vertit Syriacus interpres, scilicet: *De radice serpentis egreditur serpens biceps* (amphisbæna, de qua Solinus cap. 40. et Plinius lib. 20. cap. 20.) *et fructus eius regulus qui volat;* et Arabicus Antiochenus: *De stirpe serpentis egreditur vipera, et de progenie serpentis surdæ serpens volans;* et Arabicus Alexandrinus: *De serpente egreditur basiliscus, et serpens volans devorans primogenitos.*

Et pascentur primogeniti pauperum.) *Primogenitum* in Scriptura sæpe vocatur id, quod est præcipuum et primarium, inquit Forerius, Vatablus et Sanchez: talis enim in domo inter filios est primogenitus: primogeniti ergo pauperum et successores inopiæ parentum, sunt Iudæi sub Ezechia iam paulo ante a variis gentibus vastati, ut patet 2. Paral. 28. q. d. Erit pax et rerum copia in Israel, etiam apud pauperes, cum Philisthæa fame conficietur; hoc est enim quod sequitur:

Et interire faciam in fame radicem tuam.) Loquitur de Philisthæa, quasi de arbore desiccanda, vel exscindenda radicitus, q. d. Quando vires et copias Philisthinorum siccabo, omnesque eorum reliquias consumam; tunc populus meus Iudaicus antea miser et pauper requiescet et lætabitur.

Ulula porta, clama civitas.) Ululate porta et urbes Philisthinorum. Nota in *portis* magistratum et principes (hi enim sedebant et iudicabant in portis) in *civitate* plebem et vulgus, q. d. Ululate, tam principes quam populus. Vers. 31.

Ab Aquilone enim fumus veniet.) q. d. A Ierusalem, quæ Philisthinis est ad Aquilonem, veniet non Sennacherib, ut vult S. Hieronymus; sed Ezechias (de eo enim Prophetam loqui patet ex dictis, et ex anteced. et sequent.) cum copioso militum agmine, quod magnum pulverem et fumum pedibus suis adveniens excitabit. Unde hic pulvis signum est adventantis exercitus: hinc Virgil. Æneid. 9. Vers. 32.

Quis globus, o cives, caligine volvitur atra?...
Hostis adest.

Quid respondebitur nuntiis gentis.) Id est, gentium, qui scilicet de more e vicinis provinciis et gentibus venient, ut de statu belli rogent, an Philisthini, an Iudæi superent et vincant: aut potius, ut victoria iam parta Ezechiæ congratulentur; quibus Ezechias et Iudæi non sibi, sed Deo tribuentes victoriam respondebunt id quod sequitur:

Quia (quod) Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi eius.) q. d. Gratias agimus Deo, qui nobis hanc dedit victoriam, eo quod amet Sionem et Ierusalem, eamque firmare et stabilire destinaverit: quocirca deinceps pauperes et afflicti in populo nostro hoc videntes et cogitantes, in quavis calamitate ardentius in eum sperabunt, eumque invocabunt.

Allegorice et Tropologice, hæc facile est adaptare spirituali Sioni, id est Ecclesiæ, et animæ fideli.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit vastationem et planctum Moab.

1. Onus Moab. Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit: quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit.
2. Ascendit domus Dibon ad excelsa in planctum super Nabo, et super Medaba, Moab ululavit: in
cunctis capitibus eius calvitium, et omnis barba radetur. 3. In triviis eius accincti sunt sacco: super te-

cta eius et in plateis eius omnis ululatus descendet in fletum. 4. Clamabit Hesebon, et Eleale, usque Iasa audita est vox eorum: super hoc expediti Moab ululabunt, anima eius ululabit sibi. 5. Cor meum ad Moab clamabit, vectes eius usque ad Segor vitulam conternantem: per ascensum enim Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt. 6. Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. 7. Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum: ad torrentem salicum ducent eos. 8. Quoniam circuivit clamor terminum Moab: usque ad Gallim ululatus eius, et usque ad Puteum Elim clamor eius: 9. Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine: ponam enim super Dibon additamenta; his qui fugerint de Moab leonem, et reliquiis terræ.

Vers. 1. Moab est Arabia Petræa. ONUS MOAB.) Chaldæus: *Onus calicis maledicti ad propinandum Moab.* Moab est pars Arabiæ Petrææ, ita dicta a Moab filio Lot, qui cum posteris eam incoluit. Cum enim Lot fugeret ex Sodomis cælesti igne conflagrantibus, et versis in mare mortuum, filia eius minor inebriavit patrem, et accedens ad ebrium concepit ex eo filium, quem vocavit *Moab*, id est ex patre, q. d. Ex patre meo genui hunc filium, qui proinde mihi filius est simul et frater. Moab adiacet et terminatur mari mortuo versus occasum, versus Orientem Euphrate, versus Aquilonem torrente Arnon, versus Meridiem deserto Cadesbarne et Idumæa. In Moab metropolis erat Ar; urbes illustriores erant Dibon, Nabo, Medaba, Hesebon, Eleale, Luith, Oronaim. In hac Arabia Petræa est ampla urbs Mecha, distans itinere tridui a mare rubro, in qua celebre est Mahometis delubrum, longum passus centum, latum octoginta, quod quadringentis columnis fulcitur: eiusque undique parietes auro obducti, qui cum lychnorum pensilium ad tria millia semper ardentium lumen recipiant, miro fulgore intuentium oculos perstringunt, uti ex Borchardo, Bredenbach, Ludovico Romano et aliis tradit Adrichomius p. 78.

Moab erat fertilis, utpote vicina Pentapoli fertilissimæ, feraxque tum frugum, tum magis pecorum, ait S. Hier. Hinc incolæ in luxum et venerem soluti, coluerunt suis symposiis et lasciviis Chamos sive Bacchum, ut dixi Ierem. 48. 7. Rursum Moabitæ hostes erant populi Dei, scilicet Iudæorum, eosque sæpe vexarunt: hinc eis hic excidium intentat Deus vel per Sennacherib, ut vult S. Hieron. et Cyril. vel potius per Nabuchodonosor, inquit idem S. Hieron. Cyrillus, S. Thomas, Haymo, Dionysius. Nam Moab vastatam esse per Sennacherib non liquet ex sacra Scriptura, Iosepho, aut aliis historicis; sed per Nabuchodonosor id factum esse constat Ierem. 48. ubi Ieremias iisdem pene verbis, quibus hic utitur Isaias, Moabitis cladem intentat. Unde videtur Isaias de eodem quo Ieremias excidio agere, scilicet, per Chaldæos illato: nam clades Sennacherib, si quæ fuit, diu præcessit tempora Ieremiæ; unde ab eo prædici non potuit.

Quæ hoc cap. dicuntur, obscura nobis sunt, tum quia urbes, quæ in eo nominantur, iam pridem perierunt, et nescimus quo loco præcise fuerint sitæ; tum quia modum vastationis Moab Scriptura non enarrat.

Mystice, S. Bernard. tract. de undecim oneribus, serm. 3. sic pergit: *Additur onus Moab: qui interpretatur, de patre. Naturalem illam exprimit necessitatem, quam pater generatione transfundit in filium: sicut est inevitabilis manducandi, bibendi, dormiendique necessitas, et cætera quæ ad necessariam pertinent corporis curam. Quale hoc onus fratres charissimi, quo cogimur, post solis splendorem, ad carnis huius curam, quasi ad fœtidum cadaver redire, et post spirituales cibos mentis procurare onera ventris? Quale hoc onus? quod quotidianum a nobis miseræ servitutis tributum exigit: et quem quotidie implevimus, evacuatum, crastino ventrem reimplere compellit? Quid dicam? quantarum sollicitudinum ac curarum onus miseris mortalibus necessitas ista imponit? adeo ut quorumdam hominum Deus venter sit, pro cuius non dicam delectatione, sed onere, ipsam iustitiam, et divinam doctrinam venalem habent? Huiusmodi, ut ait Apostolus, Domino Iesu Christo non serviunt, sed suo ventri. Quid præterea oneris in ipsa ciborum distinctione sustinentes, hos desiderantes, illos reiicientes: cum alii ventrem torqueant, alii caput gravent, alii pectus oppilent, alii cor corruptis humoribus premant, Verum de illis quid dicam, quos ista necessitas nunc murmurare, nunc detrahere, nunc insuper litigare, compellit? Contristantur, si cibus vilior sit, si potus minus sapidus apponatur, si præparetur tardius, si negligentius accurretur. Fratres, qui huiusmodi sunt secundum carnalem generationem viventes, Moab dici possunt, pondere pœnæ quod in onere Moab Propheta commemorat, damnandi.*

NOCTE VASTATA EST AR.) Apposite nocte vastatus est Moab, qui nocte ex incesto concubitu, tenebris et silentio involvendo, natus est, inquit S. Hieron. Unde hoc convitium, quod scilicet essent noctis filii, Moabitis obiicere solebant aliæ gentes. *Ar* erat metropolis Moab. Unde hebr. dicta est עיר *ir*, moabitice *Ar*, id est urbs, scilicet prima regni, per antonomasiam, inde postea dicta est Areopolis, q. d. *Ar* πολις, id est Ar urbs, non autem quod αρεως, id est Martis, esset πολις, id est civitas, ut multi existimant. Moabitæ noctis filii.

NOCTE VASTATUS EST MURUS.) q. d. Moab conticuit capta urbe Ar, quæ murus erat et propugnaculum totius provinciæ. Cyrill. ex historicis docet, venientibus Chaldæis muros Ar terræmotu corruisse, itaque urbem facile ab eis fuisse occupatam.

Pro *murus* hebr. est קיר *kir*, quod Vatablus et alii accipiunt quasi nomen urbis Moab, quæ æque vastata sit ac Ar; idque valde est verisimile, ut patebit cap. seq. v. 7. Unde et correctiora Biblia τo *Murus* scribunt maiuscula M.

ASCENDIT DOMUS.) Id est ut S. Hieron. domus et familia regia, item tota urbs Dibon ascendit ad excelsa, id est ad fana, quæ erant in montibus excelsis, ubi colebant Chamos deum suum, ut ibi plangant, Chamos invocent, et in eum quasi tutum a Chaldæis locum se recipiant. Vers. 2.

Secundo, Pagninus et Vatabl. vertunt *ascendit* (*Ar* vel *Kir* urbs, id est incolæ urbis) *in Baith*, id est, in ædem ipsam, hoc est ad templum Chamos, ut rogent idolum suum.

Tertio, Forerius et Sanchez censent, *Baith* vel *Beth*, id est domus, esse nomen proprium urbis, et forte decurtatum esse ex Bethgamul, vel Bethmaon, vel Bethoron, quæ erant urbes Moab.

CALVITIUM.) In luctu enim veteres caput decalvabant, et barbam radebant. Idem de Moab ait Ieremias c. 48. 37.

EXPEDITI MOAB ULULABUNT.) Pro *expediti* hebr. est חלוצי *challutse*, id est accincti armis, parati, et expediti Moabitæ ad tuendam patriam, hi fracti animis arma deponent, et ululabunt. Ita Vatabl.

ANIMA EIUS ULULABIT SIBI.) *Eius*, id est eorum; vel *eius*, id est cuiusque Moabitæ: *sibi*, id est in sinu suo ululabit. Porro *anima* significat hunc ululatum non fore fictum vel compositum, qualis est præficarum, sed serium et ex intimo corde et dolore manantem. Vers. 4.

COR MEUM AD MOAB CLAMABIT.) Est vox Isaiæ compatientis Moab, licet hosti Israelis, q. d. Licet hostes nostri sint Moabitæ, tamen revera doleo, et ex dolore eiulo et exclamo ob tantam eorum cladem et miseriam, quia Vers. 5.

VECTES, id est fortes, EIUS, qui suo robore Moab tutabantur, sicuti vectes tutantur portas urbis, USQUE AD SEGOR.) Id est usque ad terminos regni fugient. Segor, inquam, quæ est vitula conternans, id est, ut habent Hebr. et Græca, triennis, vel triennizans, id est populus fortis, validus, et copia rerum abundans, similis vitulæ trienni: ea enim ætate vitulæ et vituli sanissimi sunt, pinguissimi, robustissimi, pariter et petulantissimi. Vide dicta Ierem. 48. 24. Vitula conternans quæ?

Secundo, Sanchez putat Segor et Moab dici vitulam

triennem, quia post triennium gravem accipiet cladem, ut dicitur c. 16. 14. de quo ibi.

PER ASCENSUM ENIM LUITH FLENS ASCENDET.) Videtur Luith urbs fuisse via ex Moab in Babylonem, in sita in colle: quare Moabitæ abducendi in Babylonem flentes eo ascenderunt indeque pervenerunt Oronaim, quæ erat terminus Moab versus Babylonem: ibi ergo quasi extremum vale dicentes patriæ, ex intima animi contritione et dolore clamores et eiulatus ediderunt.

Vers. 6. AQUÆ ENIM NEMRIM DESERTÆ ERUNT.) q. d. Tota urbs et regio Nemrim deserta est, quia vastatione hostili omnis viror absumptus est et exaruit. Simili tropo cap. 8. per aquas Siloe, regnum Iuda significavit. Secundo, et aptius, q. d. Aquæ Nemrim ab accolis in hac vastitate deserentur, nec suis aggeribus concludentur, ideoque ex aquis maris Mortui adiacentibus salsæ in eas influent, easque inficient, ut fiant amaræ et pessimæ, ut ait Ieremias, c. 48. 34. Vide ibi dicta.

QUIA, id est, ut Vatab. vertit, et Septuag. *unde*, ARUIT HERBA, DEFECIT GERMEN, etc.) Causa enim cur arescat herba est, quia aquæ deficiunt, non contra. Sic hebr. כי *ki*, id est *quia*, sæpe non causam, sed concomitantiam, eventum, effectum, et id quod consecutum est, significat.

Vers. 7. SECUNDUM MAGNITUDINEM OPERIS.) q. d. Pro magnis demeritis malorum operum graviter punientur Moabitæ. *Visitatio*, enim hic, uti et alibi sæpe, idem est quod punitio.

Torrens salicum quid? AD TORRENTEM SALICUM DUCENT EOS.) Id est captivos Moabitas ducent Chaldæi in Babylonem: nam torrens salicum, ait S. Hieron. vel est vallis Arabiæ, per quam ex Moab itur in Assyriam et Babyloniam, vel Euphrates, cui adiacet Babylon; hic enim de more abundant salices. Unde Psal. 136. dicitur: *Super flumina Babylonis, etc. in salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra.*

Septuag. vertunt: *Inducam super vallem* (Moabitarum) *Arabes.* Arabes enim vicini Moabitis videntur iuvisse Chaldæos in vastatione Moab. Unde et alii vertunt: *Asservata illorum ad flumen portabunt Arabes*, puta latrones et prædones opes eorum reliquas rapient et asportabunt.

PONAM ENIM SUPER DIBON ADDITAMENTA.) Quidam legunt *Dibon*, alii *Dimon*: sed idem est *Dibon* et *Dimon*: nam litteræ b et m, cum utraque sit labialis, ideoque sono affinis, facile inter se commutantur. Iam per *additamenta*, primo, Vatabl. et Forerius accipiunt novos rivos, q. d. Tunc plurimis novisque rivis defluet sanguis cæsorum Moabitarum in flumen Dibon. Vers. 9.

Secundo, S. Hieronym. sic explicat, q. d. Occludam incolis Dibon omnes ad evasionem et salutem aditus.

Tertio, Chaldæus per *additamenta* accipit exercitum Chaldæorum.

Quarto et planius Haymo, *additamenta* plagarum intelligit, q. d. Addam eis plagam ad plagam, ut scilicet *his qui fugerint de Moab et reliquiis terræ*, id est, reliquiis Moabitarum profugis, inducam *leonem*, id est, leones, vel proprie dictos; vel potius leones, id est, milites Babylonios feroces instar leonum, quos Nabuchodonosor in viis disposuit, ut omnes fugitivos Moabitas exciperent, captivarent vel occiderent. Est proverbium, quod aliis verbis explicat et Moabitis intentat Ieremias, dicens c. 48. 44. *Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam: et qui conscenderit de fovea, capietur laqueo;* et simile est illi Isaiæ: *De radice colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens volucrem,* de quo dixi c. 14. 29. q. d. Qui unam cladem effugerit, incidet in aliam, eamque maiorem: hanc enim significat leo, laqueus, regulus, etc. Leo enim terribilis symbolum est formidabilis et horrendæ sævitiæ et cladis; unde Ægyptii in hieroglyphicis leonem pingebant, cum significare vellent hominem horrendo ac terribili aspectu, inquit Pierius: quin etiam si quis somniasset se leoninum habere caput, eum oniroeritæ terrificum fore hostibus denuntiabant. Unde 1. Paralip. 12. 9. de pugnacissimis militibus Davidis dicitur: *Facies eorum, quasi facies leonis.*

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Optat v. 1. mitti de Moab Agnum dominatorem terræ. Inde v. 2. dat eis consilium, ut benigne excipiant Iudæos profugos. Tertio, v. 6. ait superbiam Moab maiorem esse quam sit eius fortitudo. Quarto, vers. 7. pergit in clade et planctu Moab, quam v. 14. ait in tribus annis futuram.

1. EMITTE agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion. 2. Et erit: sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. 3. Ini consilium, coge concilium: pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, et vagos ne prodas. 4. Habitabunt apud te profugi mei; Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris: finitus est enim pulvis, consummatus est miser: defecit qui conculcabat terram. 5. Et præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, iudicans et quærens iudicium, et velociter reddens quod iustum est. 6. Audivimus superbiam Moab, superbus est valde: superbia eius, et arrogantia eius, et indignatio eius, plusquam fortitudo eius. 7. Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit: his, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas. 8. Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, et vineam Sabama domini gentium exciderunt: flagella eius usque ad Iazer pervenerunt: erraverunt in deserto, propagines eius relictæ sunt, transierunt mare. 9. Super hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sabama: inebriabo te lacryma mea Hesebon, et Eleale: quoniam super vindemiam tuam, et super messem tuam vox calcantium irruit. 10. Et auferetur lætitia et exultatio de Carmelo, et in vineis non exultabit neque iubilabit; vinum in torculari non calcabit qui calcare consueverat: vocem calcantium abstuli. 11. Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris. 12. Et erit: cum apparuerit quod laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, et non valebit. 13 Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc: 14. Et nunc locutus est Dominus, dicens: In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab super omni populo multo, et relinquetur parvus et modicus, nequaquam multus.

Vers. 1. EMITTE AGNUM.) Codices Sept. Sixtini, Basil. et Cyrill. habent: *Mittam quasi reptilia super terram,* id est, mittam serpentes in Moab; nimirum in Hebræo pro כר משל ארץ *car moscel erets*, id est agnum dominantem terræ, legerunt per diastolem כרמש לארץ *keremes laarets*, id est, sicut reptile terræ.

Secundo, Hebræi et R. Salomon ex Hebræo vertunt; *Mittite agnum dominatori terræ*, et interpretantur sic, quod, cum Moabitæ consuessent pendere regi Israel annuum tributum centum millium agnorum, mortuo Achaz id detrectarint, 4. Reg. 3. Quocirca sub Ezechia pio et felice rege animos et vires resumens Israel, nunc Moabitis

insultans dicit: Mittite, o Moabitæ, ut soletis, tributum, scilicet agnos, dominatori terræ, id est, novo et potenti regi Ezechiæ, de Petra deserti, id est, de Moab. Verum frustra hæc a Christo torquent ad Ezechiam: nec enim Ezechias fuit rex Israel, sed Iuda: multo minus dici potest dominator terræ; nec ipse in Scriptura Moabitis bellum intulisse, aut tributum imposuisse legitur. Adde, tam Septuag. quam Nostrum vertere: *Emitte agnum dominatorem* (non dominatori) *terræ*. Pluribus id refutat Leo Castrius. Multo minus potest hic locus accipi de Osee ultimo rege Israel, quia is iam erat occisus, et regnum Israel eversum, non a Moabitis, sed ab Assyriis.

Tertio, Hebræi aliqui et Forerius pro *agnum* vertunt *arietem*, et per arietem accipiunt vel machinas bellicas, quæ ob similitudinem arietum arietes vocantur, vel duces et milites fortes instar arietum, quasi per ironiam et irrisionem dicat Propheta: O Moabitæ, instruite arietes, duces et milites ad oppugnandum Sion, qui dominentur terræ sanctæ, eamque sibi subiiciant: sed frustra id facietis, quinimo arrogantiæ vestræ pœnas dabitis.

Agnus Moab est Christus ex Ruth prognatus.

Verum dico cum S. Hieron. Hugone, Lyrano, Adamo, Vatablo et aliis, per *agnum* hic accipi Christum, qui ex Ruth Moabitide prognatus est. Cum enim Isaias vaticinaretur de excidio Moab, videretque gentem pene interituram, indoluit. Unde altera ex parte videns ex Ruth Moabitide nasciturum Christum, ad eum more suo obiter (unde Biblia Plantin. hunc versum parenthesi includunt) avolat, eiusque nativitate consolatur tam se quam Moabitas, indeque statim redit ad institutam narrationem, et ad onera Moab: vide can. 4. q. d. Mitte, o Domine, vel, ut hebr. est, שלחו *scilehu*, id est mittite, et rorate, scilicet, o cæli vel vos, o Pater, o Fili, o Spiritus sancte, non agnos illos mutos et vectigales Moabitarum, sed Agnum dominatorem terræ, id est, Christum, qui quasi agnus Dei tollat peccata mundi, totique Ecclesiæ et orbi dominetur: mittite, inquam, eum de Petra urbe deserti quæ est in Moab, puta de Ruth Moabitide, quæ in hac urbe nata, iam olim ex ea migravit ad Iudæos. Quare quod Vatabl. sic exponit: O Domine, ne perdas Moabitas, ut tandem nascatur Messias, sic accipi debet, scilicet ut nascatur Messias, qui salvet suos cognatos, videlicet Moabitas. Nam ipse nascetur ex Ruth, quæ olim ex Moab hoc Dei consilio ad Iudæos transiit, ut scilicet ex ea descenderet Christus, qui Moabitis salutem afferret. Nam alioqui etiamsi omnes Moabitæ fuissent deleti, adhuc Christus descendisset ex Davide et Ruth; utpote quæ diu ante hanc cladem, Iudæorum genti fuerat inserta. Booz enim ex Ruth genuit Obed, Obed genuit Iesse, Iesse genuit David, ex quo prognatus est Christus.

Cur ?

Christum vocat *agnum* vel *arietem*: utrumque enim significat Hebr. כר *car*. Primo, quia alludit ad vectigal agnorum, quod pendebant Moabitæ regi Israel. Secundo, quia Moabitæ rei pecuariæ erant studiosissimi, et ovibus ditissimi. Tertio, quia agni et arietes Moab corpore et viribus superabant agnos et arietes aliarum provinciarum, erantque quasi duces gregum: unde recte agnus vel aries hic significat ducem et dominatorem Christum. Unde Syrus vertit: *Mitte filium dominatoris terræ*. Perperam Arabicus Alexandrinus vertit: *Mittam ad eos muscas, vel bruchos;* et Antiochenus: *Mittam ad eos dominantes super terram.*

Ruth an filia regis Moab.

Porro, quod Hebræi nonnulli tradunt, Ruth fuisse filiam regis Moab, nomine Eglon, quem occidit Aod iudex, Hebræorum fabula est; nam inter Eglon et Ruth interfluxerunt 230. anni, nec credibile est regem dedisse filiam suam uxorem homini plebeio, qualis fuit maritus Ruth. Ita Abulens. et Lyran.

Denique pro *dominatorem* verti potest o *dominator:* Hebræi enim cum careant casibus, idem nomen usurpant pro quolibet casu, q. d. O dominator terræ, mitte nobis Agnum, id est filium tuum dilectum qui quasi agnus piacularis nos redimat et salvet.

De petra deserti.) Urbs hæc dicta est Petra, quia in circuitu rupibus et præcipitiis est murata, inquit Strabo

A l. 16. et ab ea tota regio dicta est Arabia Petræa. Hanc urbem auxit Balduinus rex post bellum sacrum. Deinde Soldanus ea recepta collocavit ibi thesaurum Ægypti et Arabiæ. Ita Adrichomius.

Arabia Petræa dicta a Petra urbe.

Nota. Christus emissus dicitur de Petra Moab, non in se, sed in sua avia Ruth; hæc enim inde a Deo quasi emissa venit in Sion: sicut nepotes Iudæ dicuntur ex Chanaan egressi, et ingressi in Ægyptum non in se, sed in suo parente Iacob; nam ipsi nati sunt post ingressum parentis in Ægyptum. Vide dicta Genes. 46.

Petra est B. Virgo.

Mystice, Petra deserti est B. Virgo, quæ iis qui ab omni auxilio deserti sunt, præsidio est instar petræ, inquit Hugo; hæc enim proximius quam Ruth edidit nobis hunc Agnum. Vide Viegas Apocal. 12. comment. 3. sect. 24.

Demum, ad Moab, id est ad peccati, excidium missus est Christus. Ita Alcazar in Apocal. 14. v. 1. notat. 1. ubi contendit hunc sensum esse litteralem: sed ex dictis liquet esse mysticum.

Vers. 2.

Et erit: Sicut avis.) Redit Propheta post paren-
B thesin, qua breviter aspiravit et avolavit ad Christum, ad inchoatam cladem et captivitatem Moab, q d. Moabitæ trans fluvium Arnon, ubi sunt termini Moab, in Babylonem violenter et celeriter abducentur, ibique dispergentur sicut disperguntur aves e nido avolantes, cum aliquis prædo nidum invadit.

Vers. 3.

Ini consilium.) q. d. Inquit S. Hieron. Vis cladem evadere, o Moab, Deumque tibi propitium et protectorem reddere, accipe consilium tum a tuis, tum potius a me; fac, inquam, quod suggero; dum subdo:

Pone quasi noctem.) Symbolice, sicut meridies et æstus significat ingentem afflictionem et calamitatem, quia in meridie sol maxime urit; ita umbra et nox significat eius remedium, refugium et refrigerium. Unde cap. 4. v 6. dicitur: *Erit in umbraculum diei ab æstu*. Sensus ergo est, q. d. O Moabitæ, vultis esse salvi, vultis evadere manus Nabuchodonosoris? facite quod dico: nimirum Israelitas cognatos et vicinos vestros patria exsules et
C profugos, tum ob metum Sennacherib, tum ob alios tyrannos, tum maxime ob vastationem Nabuchodonosoris, humaniter excipite, fovete, protegite, vicesque eis rependite. Nam sic Abraham pater eorum Lot patrem vestrum excepit, iuvit, fovit, et a Chodorlahomor captum liberavit. Porro exigit umbram quasi noctem, id est umbram densissimam, q. d. Susceptio, pietas et humanitas vestra non sit levis, arcta et brevis, sed copiosa, larga et liberalis.

Remedium miseriæ tuæ est misericordia in alium.

Tropol. Nota hic, optimum remedium ad evadendam instantem afflictionem et Dei vindictam esse misericordiam: vis evadere miseriam? esto misericors in miseros; vis suscipi cælo? suscipe peregrinum hospitio: nam *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hinc ait S. Nazianz. *Esto calamitoso Deus, et Dominum in calamitate Deum invenies;* et Daniel Nabuchodonosori, ut impendens exitium evaderet, suasit: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

D Ita Lot in Sodoma hospitio suscepit Angelos, putans esse homines peregrinos, eosque contra procaciam Sodomitarum defendit, ut potuit. Unde ab eis ex incendio Sodomæ liberatus et eductus est, Gen. 19.

Rahab exploratores, quos miserat Iosue in Iericho, hospitio excepit, et fideliter custodivit ac dimisit. Proinde domus eius tota sola ab Hebræis in clade Ierichuntis servata est, Iosue 2. et 6.

Mulier Sunamitis Eliseum transeuntem hospitio recepit, qui ei ob id filium impetravit, eumque mortuum suscitavit, 4. Reg. 4.

Zachæus gaudens suscepit Christum in domum suam, ideoque ab eo audivit: *Hodie salus domui huic facta est*, Lucæ 19.

Narrat S. Gregor. lib. 3. Dialog. c. 11. quod Cerbonius Populonii Episcopus quosdam milites transeuntes hospitio exceperit, eosque a Gothis supervenientibus absconderit, et in vita conservarit. Quod dum Totilas rex Gothorum audisset, iussit eum ursis obiici coram toto

populo, ut ab eis devoraretur. Sed ursus in eum immissus ferocitatis suæ oblitus, deflexa cervice, submissoque humiliter capite lambere cœpit pedes Episcopi: *Ut patenter omnibus daretur intelligi, quia erga illum virum Dei et ferina essent corda hominum, et quasi humana bestiarum.* Quare populus, et rex ipse ad venerationem eius permotus est.

Idem Gregor. homil. 23. in Evangel. narrat de quodam viro valde hospitali, qui per hospitalitatem meruit Christum in sua persona recipere, a quo per visionem audivit: *Cæteris diebus me in membris, heri me suscepisti.*

Narrat S. Aug. l. 22. Civit. 8. Innocentium quemdam hospitalitati deditum, miraculose curatum fuisse a vulnere periculosissimo.

Leo IX. Pontifex vir mire fuit hospitalis, adeo ut, cum semel ante fores suas leprosum invenisset, eum in lectulo suo collocari iusserit: sed apertis mane a ianitore foribus, nusquam leprosus inventus est: creditum est Christum pauperis nomine eo loci recubuisse. Ita Platina, et alii in eius Vita sub annum Domini 1050.

Vers. 4. FINITUS EST ENIM PULVIS.) Martinus de Roa vir doctus l. 4. Singul. c. 3. sic explicat, q. d. Misera et vilis tua o Moab, conditio, pariter et luctus abiit: depulsa est servitus, atque hostis defecit, cui in pulvere sedendo, vel fronte tangendo humum et pulverem supplicare cogaris. Hæc enim omnia pulvere significantur apud Hebræos, Romanos et Græcos: omnes enim in luctu caput inspergebant pulvere, vel in eo sedebant. Verum sequentia ostendunt, non agi hic de pulvere Moab et amicorum, sed Sennacherib et hostium. Licet enim agat Propheta de excidio Moab, peracto non a Sennacherib, sed a Nabuchodonosor; tamen meminit imminentis Iudææ Sennacherib, quia multi e Iudæa propter eum fugituri erant in Moab. Monet ergo Isaias Moabitas, ut eos humaniter excipiant, si Dei gratiam et opem promereri velint. Si enim in eos sint duri et inclementes, eos propter hoc peccatum et alia plura, impleta tandem mensura, vindictam Dei experturos, et immisericorditer pariter vastandos esse a Nabuchodonosor.

Sensus ergo est, q. d. Ne te, o Moab, excuses ab excipiendo Hebræos profugos, dicendo te metuere Sennacherib, aut quem alium eorum hostem et vastatorem, quia is brevi finietur et evanescet quasi pulvis, atque cito consumetur miser; *et præparabitur etc.* id est atque vetus solium regni Hierosolymis, et Ezechiæ regi iusto et bono, eiusque posteris præparabitur, id est confirmabitur et corroborabitur, *in*, id est per, misericordiam Dei. Ita Adamus et alii.

Allegor. solium hoc est regis Christi, qui iudicat tam pauperes quam divites in iudicio et iustitia, Psal. 88. Imo Sanchez et alii volunt hunc sensum de Christo esse litteralem; sed verius et planius est esse allegoricum.

Nota, per hebraismum intelligi notam similitudinis *sicut*, sic enim hæc explicanda sunt: finitus est vastator, quasi pulvis. Comparatur Sennacherib eiusque similes pulveri. Primo, ob innumerabilem exercitum, qui videbatur esse instar arenæ vel pulveris. Secundo, quia levi plaga angeli cæsus est, sicut levi flatu venti totus pulvis difflatur et dispellitur, ita ut terra solida et nitida appareat, ac si scopis esset versa.

Vers. 6 AUDIVIMUS SUPERBIAM MOAB.) Hæc superbia evertit Moab: eversa enim est, eo quod suis armis et mœnibus lateritiis superbiens et præfidens contempserit hostem se potentiorem. Vide dicta Ier. 48. 29

Vers. 7. IDCIRCO ULULABIT MOAB AD MOAB.) q. d. Ululabit alter ad alterum, cives unius civitatis ad cives alterius. Secundo, *Moab ad Moab*, id est, Moabitæ superstites lugebunt Moabitas occisos, inquit Vatabl. Aliter Sanchez: *Moab ad Moab*, inquit, hoc est *Moab vel seipsum*, vel *secum* ululabit, uti mœrentes et desperantes solent.

SUPER MUROS COCTI LATERIS.) Super muros lateritios. Secundo, et melius, hoc est nomen proprium urbis, quæ hebr. dicitur קיר חרשת *kir charescet*, id est habens muros lateritios. Id patet ex 4. Reg. 3. 25. ubi cum di-

A xisset scriptor: *Ita ut muri tantum fictiles remanerent:* subdit: *Et circumdata est civitas a fundibulariis*: quæ verba plane significant τὸ *muri fictiles*, esse civitatem iam dictam *Kirchareseth*, ad quam utpote munitissimam rex Moab in extremo discrimine confugit. Sensus ergo est, q. d. Dicite Moabitis, quod *Kirchareseth*, quæ eis est arx inexpugnabilis, in qua superbiunt, non eos tutabitur, sed capietur ab hoste.

ET VINEAM SABAMA.) Solet Script. civitates vocare vineas, tum ob propagines filiorum et familiarum, tum ob fertilitatem: uti Moab vinetis, vino et frugibus erat fertilis: quo allusit Ieremias c. 48. 11. Hanc ergo vineam, id est urbem Sabama *domini gentium*, id est principes, vel Sennacherib, vel potius Nabuchodonosor, exciderunt. Vers. 8.

FLAGELLA EIUS USQUE AD IEZER.) *Flagella* vineæ vel vitis vocantur eius propagines et surculi circinantes, quibus vitis se ad palum vel arborem alligat et retinet ne cadat: unde et claviculi vocantur. Per has autem propagines metaphorice intelligit populum Moab profugum, B qui transiit mare, cum abductus est in Babylonem. Ita S. Hier. Vide dicta Ierem. 48. 32. Flagella vitis quæ?

PLORABO IN FLETU IAZER.) Iazer erat ultima civitas Moab iuxta Iordanem, quæ videtur prius vastata quam Hesebon et Sabama; nam ait Isaias se ploraturum in excidio Sabama, sicut comploratum fuit in excidio Iazer. Vers. 9.

VOX CALCANTIUM, id est Chaldæorum deprædantium tuam messem et vindemiam, eamque calcantium et exprimentium, IRRUIT.) Nota: Hostium vastatio metaphorice recte comparatur conculcationi uvarum et segetum. Hæc omnia fusius et clarius exprimit Ieremias c. 48.

AUFERETUR LÆTITIA, etc. DE CARMELO.) Carmelus non est in Moab, sed in Iudæa: sed, ut notat S. Hier. solet Scriptura proverbialiter per *Carmelum* significare quemvis locum uberem et fertilem: talis enim est mons Carmelus. De *Carmelo* ergo, id est, de agris Moab pinguibus et fertilibus, *auferetur lætitia*: solent enim lætari et exsultare vinitores in ubere vindemia, et messores in co- C piosa messe. Vers. 10.

VOCEM CALCANTIUM ABSTULI.) Ieremias habet, *Nequaquam calcator uvæ solitum celeusma cantabit.* Vide ibi dicta.

SUPER HOC VENTER MEUS AD MOAB QUASI CITHARA SONABIT.) q. d. Intima viscera mea tacta dolore edent lugubrem cantum et gemitus ob Moabitarum, hostium licet nostrorum, vastationem: sicut cithara plectro tacta dat sonitum in funere funereum. Ieremias habet: *Cor meum ad Moab quasi tibia resonabit.* Nota: Citharæ et tibiæ, quia lugubre quid sonant, solebant olim adhiberi luctui et funeribus, ut dixi Ierem. c. 48. v. 36. Vers. 11.

ET ERIT: CUM APPARUERIT, q. d. Moab adveniente hoste videns se frustra laborare in excelsis suis aris et idolis colendis, nec ab iis ferri opem, alia SANCTA, scilicet templa sua publica, INGREDIETUR, id est ingredi conabitur, ut deos suos exoret; sed NON VALEBIT.) Partim ob pavorem, fatigationem et virium dissolutionem; partim ob subitum hostium impetum, qui eum opprimet. Vers. 12.

D HOC EST VERBUM.) q. d. Hucusque enarravi oracula et minas contra Moab: hoc est quod ait Ierem. cap. 48. *Hucusque iudicia Moab.* Vers. 13.

QUOD LOCUTUS EST, etc. EX TUNC.) Id est, ab olim, iampridem, scilicet per Amos, qui cap. 2. idem excidium Moab ante Isaiam prædixit.

IN TRIBUS ANNIS.) Non quod hæc clades Moab facta sit a Sennacherib post triennium ab hac prophetia; facta est enim a Nabuchodonosor, ut dixi initio cap. sed quod Nabuchodonosor post tres annos ab excisa a se Ierusalem, id est, quinto ab eius vastatione anno, vastaverit Moab: hoc enim diserte docet Ioseph. lib. 10. Antiq. 11. vel certe quod trium annorum spatio vexaverit et vastaverit Moab. Ita S. Hieronym. Hugo, Pintus, Leo Castrius et alii. Audi D. S. Hier. *Potest*, ait, *et de Babylonica captivitate prædici, quod post captam Ierusalem, transitis annorum trium circulis, Moab a Chaldæis vastata sit; sive quod trium annorum spatio nulla ei data sit requies.* Vers. 14.

Anni mercenarii, qui? QUASI ANNI MERCENARII.) Id est, qui (scilicet tres anni iam dicti) sunt *quasi anni mercenarii*, id est præfixi, integri et certi, quibus nihil addi aut demi potest. Mercenariis enim certum tempus præstituitur, cui ipsi nihil patiuntur addi; nec qui conducit eos, aliquid ex eo tolli patitur. Ita Vatabl. Forerius, Arias, Osorius et alii, imo S. Cyrill.

Secundo, sicut mercenarius finitis conductionis suæ annis recedit: ita recedet et auferetur condicto tempore, scilicet triennio, gloria Moab, ita ut vix racemus in ea remaneat, ut sequitur.

Tertio, proprie hi anni direptionis Moab vocantur *mercenarii*, eo quod hisce quasi pro mercede excisæ a se Ierusalem, et divinæ vindictæ exercitæ, regnum et spolia Moab accepturus sit Nabuchodonosor, inquit S. Hier. uti idem pro expugnata Tyro, in mercedem quasi a Deo accepit Ægyptum, Ezech. 29.

Quarto, hi anni vocantur *mercenarii*, id est laboriosi et molesti ab hoste vexante et spoliante. Sic enim mercena- A rius diem agit laboriosum et ærumnosum, assistente semper et ad opus urgente hero. Ita Sanchez et Adamus. Vide Pinedam in Iob 7. v. 2.

Symbolice, S. Basilius, qui hic finit suum commentarium in Isaiam: Qui ad gloriam, inquit, populi captandam bona opera faciunt, horum gloria vertetur in ignominiam in tribus annis, id est in omni dimensione temporis, scilicet præteriti, præsentis et futuri.

SUPER OMNI POPULO.) De tam numeroso populo Moab in quo ipse gloriatur, post hanc cladem relinquentur paucissimi, sicut paucissimæ relinquuntur uvæ post vindemiam. Unde aliqui codices legunt: *relinquetur sicut racemus parvus.* Vide hic in Moab vanitatem regnorum omnisque pompæ et fastus. Brevi enim, Deo puniente, eorum gloria in probrum, multitudo in paucitatem, potentia in imbecillitatem, sapientia in stultitiam, opes in egestatem, magnificentia in sordes, excellentia in humilitatem, gratia in odium, securitas in angustiam, pax in mille discrimina commutatur.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit exitium Damasco et Syris æque ac Samaritis, quodque tam pauci relinquentur, quam paucæ remanent spicæ post messem. Secundo. v. 7. dicit reliquias per hanc cladem, quæ eis obtigit eo quod obliti sint Dei, ab idolis ad Deum convertendas.

1. Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina. 2. Derelictæ civitates Aroer gregibus erunt, et requiescent ibi, et non erit qui exterreat. 3. Et cessabit adiutorium ab Ephraim, et regnum a Damasco: et reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel erunt: dicit Dominus exercituum. 4. Et erit in die illa: attenuabitur gloria Iacob, et pinguedo carnis eius marcescet. 5. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium eius spicas leget: et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. 6. Et relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus eius fructus eius: dicit Dominus Deus Israel. 7. In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum, et oculi eius ad sanctum Israel respicient: 8. Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus eius: et quæ operati sunt digiti eius non respiciet, lucos et delubra. 9. In die illa erunt civitates fortitudinis eius derelictæ sicut aratra, et segetes quæ derelictæ sunt a facie filiorum Israel, et eris deserta. 10. Quia oblita es Dei salvatoris tui, et fortis adiutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, et germen alienum seminabis. 11. In die plantationis tuæ labrusca, et mane semen tuum florebit: ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter. 12. Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis: et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. 13. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, et increpabit eum, et fugiet procul: et rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate. 14. In tempore vesperæ, et ecce turbatio: in matutino, et non subsistet; hæc est pars eorum qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos.

Vers. 1. ONUS DAMASCI.) Nota: Prophetiæ Isaiæ, uti et aliorum Prophetarum, non eo ordine sunt editæ, quo sunt in hoc volumine collectæ; nam Damascus ab Assyriis eversa est ante mortem Achaz, ac consequenter ante cladem Philisthinorum, quæ facta est ab Ezechia filio Achaz, de qua egit cap. 14. v. 29. et multo magis ante cladem Moab, de qua c. 15. et 16. hæc enim facta est diu post, scilicet tempore Nabuchodonosor.

Prædicit ergo Propheta hic Syriæ, cuius caput erat Damascus, excidium imminens per Theglathphalasar, 4. Regum 16. 9. qui tamen nonnullas in ea reliquias dimisit, quas post 134. annos Nabuchodonosor delevit, uti prædixit Ieremias c. 49 23. sed postea Damascus sub Macedonibus et Ptolemæis restaurata est, inquit S. Hieron. estque etiamnum nobilis Orientis urbs, de qua plura Ierem. 49.

Mystice, S. Bernardus tract. de Undecim oneribus Isaiæ, ita hoc onus Damasci exponit: *Damascus interpretatur fundens sanguinem, illam nobis innatam exprimens corruptionem, quæ quodammodo nolentes et invitos trahit ad peccatum. Ipsa est lex in membris nostris, repugnans legi mentis nostræ, et captivos nos ducens in legem peccati, quæ est in membris nostris. Omnis sensus vitalis in corpore, ex sanguine est; vitalis autem sensus in anima, ex* B *ratione est. Et scitis, naturalis motus peccati quomodo nonnunquam in quamdam delectationis pœnam, ipsam rationem absorbeat, et totam animam, ut ita dicam, reddat exsanguem. Sed quidam sentiunt, sed non consentiunt; impugnantur, sed non expugnantur; onerantur, sed non prosternuntur. Hi onus quidem sustinent a Damasco; sed Damascus non sunt. At ille qui consentit, et præbet arma iniquitatis peccato, profecto Damascenus est, proprium sanguinem fundens, et suis se manibus interficiens. Hic, procul dubio, pondere pœnæ, quod in onere Damasci describitur, se noverit opprimendum.*

AROER.) Civitas hæc erat Syriæ, diversa ab Aroer urbe Vers. 2.
Iudææ: ita dicta, quod esset arida instar deserti, in quo crescunt myricæ. *Aroer* enim hebraice significat myricam. *Aroer* ergo Syris talis erat qualis est Campinia Belgis.

CESSABIT ADIUTORIUM AB EPHRAIM.) Solet enim *E-* Vers. 3.
phraim (id est decem tribus) confœderatus esse Syris et Damascenis, præsertim pugnando contra Iudam. Samaria enim, quæ mox vocatur *gloria filiorum Israel, et gloria Iacob.* sub idem tempus, puta anno sexto Ezechiæ, ab eodem rege Assyriorum vastata est; unde tunc non poterant Syri amplius ab Ephraim, id est a Samaritis, auxilium exspectare.

Vers. 4. Et erit sicut congregans in messe.) Nota cum S. Hieronymo et Haymone, hic inopiam et paucitatem tam Israelitarum sive Samaritanorum, quam Syrorum, ad quam redigentur a vastatore Assyrio, describi per triplicem comparationem: prima est, quod erunt tam pauci, quam paucæ sunt spicæ, quæ post messem in agro amplissimo, verbi gratia Raphaim, remanent, et a pauperibus colliguntur: secunda, quod erunt tam pauci, quam pauci racemi vindemiatores fugiunt, et post vindemiam relinquuntur; tertia, quod erunt tam pauci, quam quatuor vel quinque olivæ quæ in olea excussa remanent, vel quia latent sub foliis, vel quia sunt in summitate aut cacumine arboris, ut manus collectoris eas attingere nequeat.

Paucitas salvandorum. Allegorice, tam pauci erunt salvandi et electi, quam paucæ remanent post messem spicæ, uvæ et olivæ, et, ut ex aliis ait S. Hieronymus, reliquiæ Israel salvabuntur; multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Ita B. Nilus vir miræ sanctitatis, qui floruit ante sexcentos annos, fuitque fundator monasterii Cryptæ Ferratæ iuxta Tusculum, in quo eius sepulcrum vidi et colui; cum visitaretur a primoribus Constantini Imperatoris, ex S. Simeonis libro et doctrina eis dixit: *Intelligite, quia nisi virtute, et magna virtute præditi fueritis, nullus vos liberabit a pœnis inferni;* addiditque: *Ex decem millibus hominum vix unum salvari*, idque asserere S. Basilium, Chrysostomum, Ephrem et alios. Cumque a primoribus istis rogaretur, an Salomon salvus esset, necne, respondit: *Nihil in S. Scriptura legimus, quod post peccatum pœnitentiam egerit, sicut Manasses. Quis ergo de illo dicere poterit, quod salvus sit?* Ita habet eius Vita, et ex ea Cardinalis Baronius anno Christi 976. tom. 10. Vide dicta Num. 14. v. 30. et 38.

Vers. 6. Sive quatuor aut quinque in cacuminibus eius (oleæ) fructus eius.) Hoc est olivæ, q. d. Sicut quatuor vel quinque fructus oleæ, id est olivæ quæ remanent in olea. Noster legit פריה *pyria*, id est *fructus eius;* iam leguut פֹרִיָּה *poria*, vertuntque: *In cacuminibus eius* (oleæ) *frugiferis.* Ita Vatablus.

Vers. 7. In die illa inclinabitur.) q. d. Residui ex hac clade Samaritæ, uti et Syri nonnulli, qui Assyriorum manus effugerint, relictis idolis fallacibus, quæ ipsos salvare ab hoc excidio non potuerunt, ad Deum, verum in adversitatibus asylum et protectorem, confugient, eiusque fidem et cultum amplectentur. Factum id est, monente et excitante Ezechia, 2. Paralip. 30. et 31. Ita S. Hieronymus. Unde subdit: *Ad sanctum Israel respicient*, id est revertentur et convertentur, a quo antea fuerant aversi

Vers. 9. Erunt civitates fortitudinis eius derelictæ.) q. d. Assyrii quasi torrens Syriam et Samariam uno impetu pervadent et prosternent, ita ut ex eorum pavore et formidine civitates Israel munitissimæ a civibus fugientibus deserantur, non secus quam olim ad adventum filiorum Israel ex Ægypto venientium perculsi Chananæi et Amorrhæi dereliquerunt sua aratra et segetes, fugeruntque in sylvas et latebras. Ita S. Hieronymus.

Vers. 9. et 10. Et eris deserta (o Samaria) quia oblita es Dei.) Quia avitam Dei veri, qui tibi in adversis solet esse præsidio, fidem et religionem deseruisti.

Vers. 10. Propterea plantabis plantationem fidelem.) Primo, S. Hieronymus censet esse ironiam. Unde Septuaginta pro *fidelem* vertunt, *infidelem*, quæ mox vocatur *germen alienum*, id est spurium et adulterinum. Per hæc autem intelligit plantas et arbores degeneres, quod scilicet Deus iis ob peccata incolarum sterilitatem inducet.

Ager fidelis quis? Secundo et aptius, Sanchez: Ager, ait, *fidelis* est qui agricolæ spem et laborem non fallit, sed ei reddit quod accepit cum usura et ubere fructu; infidelis est qui, aut A nihil reddit, aut, si quid profert, id non domino, sed alieno producit. Unde pro *germen alienum*, ex Hebræo verti posset: *Germen alieno seminabis:* id ita factum est; nam quod seminarunt Israelitæ, hoc messuerunt alieni, scilicet Assyrii. Sensus ergo est, q. d. In agros tua manu plantatos et excultos grassabuntur alieni; et licet in se fidelis futura sit planta, fructusque reddítura, tibi tamen erit infidelis, quia non tu, sed alieni eos colligent. Hoc eis minatus erat Dominus, Deuter. c. 28. v. 51.

Tertio, aliqui hæc referunt ad filios Israelitarum, quos ipsi pessimi pessimos, et a Patriarcharum sanctitate degeneres ac quasi spurios genuerunt. Verum hic sensus non est litteralis, sed symbolicus.

In die plantationis tuæ labrusca, q. d. Dum plantaveris vineam, invenies ex ea excrescentem non vineam, sed labruscam: et mane semen tuum florebit.) q. d. Ante tempus florebit, ac proinde præcox erit, nec maturescet. Vers. 11

Tales tropologice, sunt ii, qui toti sunt in studiis, nec B ea referunt ad Dei gloriam, ad suam et aliorum salutem, nec ea virtute et pietate condiunt; hæc enim florem dant, sed non fructum: his enim evanescit omnisque labor consumitur in vana quadam cognitione, et inani speculatione.

Secundo, q. d. In die quo plantam et vitem fidelem et fertilem serere aut plantare videbaris, revera labruscam plantasti, quæ te inani spe et specie lactabit; sed amarum tibi dabit fructum; nam illa quidem florebit, sed cum ad fructum et messem pervenerit, auferet eam hostis, quod tibi cordis, dolorem et amaritudinem pariet. Loquitur enim Propheta de more parabolice.

In die hæreditatis.) Id est, cum advenerit tempus possidendi et hæreditandi eam, scilicet tempus messis et vindemiæ.

Et dolebit.) Scilicet messis se ab alieno et hoste carpi; est prosopopœia. Vel *dolebit*, id est dolebis tu, videns tuam messem ab alienis colligi; ut sit enallage personæ; tertio, et planissime, *dolebit*, id est dolere te faciet; in Hebræo enim est כאב *kieb* in Piel, quod est activum. C

Væ multitudini (ita Roman. non *multitudo*, ut habent Plantin.) populorum.) Aliqui putant Isaiam hic transire ad Sennacherib, eiusque pœnam prædicere; ipse enim vastavit Iudæam et Syriam. Unde ait, *et increpabit*, id est coercebit et compescet Deus eum vespere, id est nocte, cædendo 185. millia, ita ut mane cum summa turbatione fugere ipse debeat. Verum dura et insolens videtur hæc transitio. Quare melius dicemus Prophetam hic pergere intentare væ Damascenis et Israelitis, qui contra Iudam sæpe coniurarunt. Unde exercitus eorum copiam, impetum et fremitum comparat fluctibus maris; hos enim Deus increpavit, id est contudit et contrivit per Assyrios; perinde ac pulvis a vento, et turbo a vehementi tempestate dispellitur, idque *vespere et mane*, id est brevissimo tempore; hoc enim significat istud proverbium c. 38. 12. et Psal. 89. 6. Vers. 12.

Nota: De hoc exercitu nunc loquitur in singulari, dicens: *Increpabit eum;* nunc in plurali, dicens: *Sonabunt* D *populi multi.*

Sicut turbo coram tempestate.) Septuag. vertunt: *Sicut pulverem rotæ tempestatis impellentis;* Vatablus: *Sicut globus ante turbinem.* Hebræum enim גלגל *galgal*, significat rem volubilem, qualis est turbo, rota et globus, qui, ubi a turbine corripitur, totus impetu illius rotatur ac proiicitur. Exercitus ergo Damascenorum videbatur esse mons ingens, superbus et immobilis; sed ecce coram Deo fuit quasi rota et globus, non tantum mobilis, sed et volubilis ac instabilis. Vers. 13.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit cladem Æthiopum instantem per Sennacherib, et futuram per Nabuchodonosor : quam enim inchoavit Sennacherib, hanc Nabuchodonosor complevit. Deinde vers. 7. eos ad Dominum convertendos prædicit.

1. VÆ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ. 2. Qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas. Ite angeli veloces ad gentem convulsam, et dilaceratam : ad populum terribilem, post quem non est alius : ad gentem exspectantem et conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius. 3. Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, et clangorem tubæ audietis : 4. Quia hæc dicit Dominus ad me : Quiescam, et considerabo in loco meo sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis. 5. Ante messem enim totus effloruit, et immatura perfectio germinabit, et præcidentur ramusculi eius falcibus : et quæ derelicta fuerint, abscindentur, et excutientur. 6. Et relinquentur simul avibus montium, et bestiis terræ : et æstate perpetua erunt super eum volucres, et omnes bestiæ terræ super illum hiemabunt. 7. In tempore illo, deferetur munus Domino exercituum a populo divulso et dilacerato : a populo terribili, post quem non fuit alius ; a gente expectante, expectante et conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.

Vers. 1. Terræ cymbali alarum quæ? Resp. I. Esse Indiam.

VÆ TERRÆ CYMBALO ALARUM.) Primo, Ludovicus Legionensis et Montanus in Abdiam, putant hic, uti et apud Abdiam, in fine, esse prophetiam de Indis, et novo orbe subiugando et convertendo; pro *Væ* enim hebr. est הוי *hoi*, quod potest verti: Age, heus, ut vertit Forerius: quasi Deus hortetur hic Hispanos cymbalo alarum, id est classibus instructos, ut gentes illas convulsas, et expectantes opem ad salutem, adeant et adiuvent. Unde Vatablus (cui et consentit Forerius) sic vertit et explicat : *Heus, terra umbræ alarum, quæ es ultra flumina Æthiopiæ, id est, quæ navibus abundas, quæ recipis umbram velorum multarum navium. Vocatio Gentium describitur, et liberatio de manibus mundi et Satanæ per Christum facta. Heus, inquit, terra, quæ es sita ultra Æthiopiam; quæ scates fluminibus, id est, terra in extremo orbe posita; synecdochice intelligens quoque alias regiones ultimas. In omnem terram exivit sonus eorum, q. d. Evangelium ubique prædicabitur. Populos remotissimos invitat ad Christum.* Hucusque Vatablus. Confirmat id Bozius, tom. 2. de Notis Ecclesiæ, l. 20. signo 84. primo, quia cum ait: *Trans flumina Æthiopiæ, et post quem non est alius*, notat extremos Indiarum populos; secundo, quia Indi e *vasis papyri*, id est e suberibus et corticibus arborum, cymbas excavabant, quibus legerent littora: carebant enim magnis navibus, magnete arteque navigandi altum mare; tertio, quia ait: *Cuius diripuerunt flumina terram eius*, ut ostendat populos illos divulsos a nobis, nostroque continenti, vel absorptam ab intercurrenti Oceano terram. Refert enim Plato in Timæo et Critia maximam insulam Atlantidem, et quæ amplitudine Europam et Asiam superaret, Hispaniis olim adiunctam, sed Oceani verticibus demersam; vel ob plurimas aquarum inundationes, quibus illa tellus obnoxia fuit; et quarum memoria et fama permanet etiamnum in Indorum mentibus, ut scribit Franciscus Gomez, Hist. Indicæ part. 2 cap. 122. Sic de Indis hunc locum accipiunt Arias Montanus, Iosephus Acosta, Fridericus Lumnius, Ioannes Fernandes, quos citat et sequitur Delrio adagio 723.

Verum patet ex v. 5. et 6. hanc prophetiam, uti et reliquas hisce capitibus, continere onus, id est, prophetiam minacem contra Æthiopiam vel Ægyptum, eique væ intentare.

II. Iudæam.

Secundo, Iustinus contra Tryphon. Œcumen. in Prologo epistol. ad Rom. et Leo Castrius putant hic agi de Iudæa. Sic enim Apocal. 11. 8. Hierosolyma vocatur *Ægyptus*, q. d. Væ Iudææ, quæ mittit undique litteras ad Christi nomen et fidem blasphemandam et perdendam. Hoc mysticum est, non litterale, uti patebit ex sequ. Tale est et illud S. Gregorii 13. Moral. 7. in Rom. edit. 5. *Væ terræ, etc.* inquit, hoc est, væ Antichristo superbo, qui præcones suos per totum orbem mittit.

III. Ægyptum.

Tertio, S. Hier. Cyrill. Haymo, Procop. D. Thom. Lyran. Adam. et Ribera in Sophon. 3. putant hic agi de Ægypto, q. d. Væ Ægypto, quæ in umbra alarum suarum, et, ut Septuag. *in navibus alatis*, auxilium pollicetur Iudæis. Notum enim est Iudæos ab Assyriis aliisque afflictos, ad Ægyptiorum opem confugere solitos, perinde ac Israelitæ confugiebant ad opem Syrorum seu Damascenorum, ut dixit cap. præced. Ita sub hoc tempus rex Ægypti pollicitus erat opem Ezechiæ contra Sennacherib, ut patet 4. Reg. 28. Sicut ergo cap. præced. Syrorum, ita hic Ægyptiorum pœnam et cladem denuntiat, quæ a Chaldæis peracta est. Nam Nabuchodonosor anno quinto post excidium Hierosolymæ vastavit Ægyptum teste Iosepho, l. 10. Antiq. 11. hunc sensum de Ægyptiis secutus noster Carpenteius, ita cum docte heroico carmine expressit:

Væ tibi, quæ reducem sistris crepitantibus Apim
Concelebras, crotalos et inania cymbala pulsans,
Amne superba sacro tellus, quem nobile munus
Æthiopes mittunt ignotis fontibus ortum.

IV. Et optime, esse Æthiopiam. Probat

Verum dico hic non de Ægypti, sed de Æthiopiæ clade agi, quæ est sub Ægypto, puta de Abyssinia ubi regnat Preto-Ioannes, qui imperium habet iuxta Nilum, et late dominatur usque ad mare Rubrum. Probatur id

I. Primo, quia capite sequenti incipit onus Ægyptii ergo non hoc.

II. Secundo, quia Æthiopes sunt vicini Ægyptiis; unde æque ut Ægyptii infestarunt Iudæos, ut patet de Æthiopibus, qui cum Sesac rege Ægypti contra eos coniurarunt, 2. Paralip. 12. 3. et de Zara Æthiope, qui cum innumeris copiis venit contra Asa regem Iuda, 2. Paral. 14. 9. ergo sicut Ægyptii, Idumæi, Syri et alii Iudæorum hostes hic a Deo plectuntur, et suum excipiunt onus, ita et Æthiopes. Unde iis Sophonias, c. 2. 12. et Ieremias c. 30. gladium et exitium intentant.

III. Tertio, quia quod hoc capite dicitur de Æthiopibus, idem dicitur de Ægyptiis, capite sequenti; si enim utrobique loqueretur de Ægyptiis, frustra idem capite sequenti repeteret.

IV. Quarto, quia verisimile est Æthiopes, æque ac Ægyptios, per legatos opem promisisse Iudæis contra Assyrios; ideo enim Tharaca rex Æthiopum videtur venisse contra Sennacherib, ut scilicet eum a Iudæa et Ægypto depelleret; quia non cupiebat hostem adeo potentem tam habere vicinum.

V. Quinto, quia Ægyptus proprie non est trans, sed intra rivos Nili; Æthiopia est autem trans eos. Rursum, papyrus et naves ex papyro tam sunt in Æthiopia, ubi incipit Nilus, quam in Ægypto; unde naves papyraceæ vocantur Æthiopicæ; imo Æthiopia pene solum habet Nilum, et per eam descendit in Ægyptum.

VI. Sexto, quia Æthiopibus competit τὸ *cymbalum alarum*,

id est apes et muscæ suis alis, id est copiis, cymbalizantes, id est strepitum instar cymbali excitantes. Sicut ergo Assyrios comparavit apibus et muscis c. 7. v. 11. ita et hic iisdem comparat Æthiopes: primo, ob eorum nigrorem; secundo, ob eorum frequentiam, quæ etiamnum est innumera; tertio, ob eorum turbam et strepitum; item ob eorum in suis copiis et armis inanem gloriationem; bombizabant enim instar apum et muscarum, quæ præter bombos et streperum alarum sonitum, nihil habent virium: unde quinto, significatur hic, quod in armis sint imbelles et invalidi.

VII. Septimo, quia eadem congruitate aptari possunt Æthiopibus, qua Ægyptiis, imo nonnulla maiori, ut illud: *Post quem non est alius.* Ita de Æthiopibus hæc exponunt Pineda in Salomone prævio l. 4. c. 14. v. 3. Sanchez et Forerius. Porro, Æthiopia post Ægyptum, cui adiacet, vastata est primo a Sennacherib, ut ostendam c. 20. 1. deinde a Nabuchodonosor, ut docet Sophonias, cap. 2. 12. cum ait: *Et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis;* et Megasthenes apud Iosephum, lib. 1. contra Apionem. Hic magis agi de prima vastatione, patebit c. 20. Denique, id clare docet versio Arabica Alexandr. quæ sic habet: *Væ terræ, cuius fines umbrosæ sunt extremitates, quibus includitur, in qua incessus prolongatus est, videlicet terra Æthiopiæ, de qua opinati sunt filii Israel, quod ea protegerentur.*

Cur? VÆ TERRÆ CYMBALO ALARUM.) Est appositio, q. d. Væ terræ Æthiopiæ, quæ est cymbalum alarum, id est cymbalata in alis, vel habens alas sonantes instar cymbali; quia Æthiopes magno strepitu, prædicatione et glo-

Causa. riatione, instar apum et muscarum, ut dixi, alarum com-

I. plosione, id est virium et copiarum suarum ostentatione ac iactatione personantes instar cymbali opem suam Iudæis spondebant. Sic Tiberius Cæsar Apionem grammaticum, qui gloriabatur se eos quos scriptis suis laudasset, immortales facere, vocabat *cymbalum mundi,* teste Plinio in præfatione ad Vespasianum et Apostolus 1. Cor. 13. scientiam charitate carentem et eloquentem vocat *cymbalum tinniens.*

II. Secundo, quia instar cymbali tantum tinnitum, id est sonitum inanem et futilem, edebant, promittentes opem quam reipsa non erant præstituri; hoc est, ut vulgo dicitur, erant baculus arundineus, cui nemo ob inanitatem tuto innititur, Isaiæ 36. 6. hic ergo baculus, uti et cymbalum, significat auxilium inane et fallax.

III. Tertio, Sanchez: Æthiopia, inquit, abundans navibus in Nilo et mari, vocatur *cymbalum alarum,* quia cymbalum sua cavitate est quasi navis; unde alii pro *cymbalum* vertunt, *cymba*, et, ut Vatablus, *nassa*, in qua vela sunt quasi alæ; unde Septuag. vertunt, *navium alis.* Ab hoc alarum remigio naves vocantur velivolæ, ait Delrio, adagio 171. Rursum Æthiopicæ naves vocantur cymbalum, cymbalatæ; quia Æthiopes, et post eos Ægyptii, molles, inter navigandum lituis ac sistris concrepare solebant; Unde Plutarchus in Vita Antonii describit navem Cleopatræ, in qua remi ad fistulæ tibiæque modulos movebantur et personabant.

IV. Quarto, aliqui putant Æthiopiam vocari *cymbalum alarum,* propter Nilum, qui ad Catadupa cum strepitu præceps ruit instar avium (hinc Theodotion pro cymbalo vertit, *aves.*) Unde Catadupi sunt Æthiopum populi ad novissimum Nili cataractem, ubi inter occursantes scopulos tanto fragore Nili aquæ ruunt, ut nimia soni vehementia accolas surdos efficiant, de quo Plinius l. 5. c. 9.

Pro *cymbalo alarum* hebr. צלצל *tsiltsel*, quod verti potest *inumbrantialis;* Aquila aliis punctis legit per diastolen צל צל *tsel tsel*, ut sit nomen geminatum significans *umbra umbra*, id est maxima umbra. Unde et Syrus vertit: *Væ terræ umbræ alarum.* Sicut enim mater pullos protegit velo et umbra alarum suarum, ita Æthiopia spondebat se suis copiis et alis militaribus tutaturam Iudæos. Sic et Vatablus ac Forerius: *Nomen*, ait, *tsel geminatum frequentiam umbrarum notat, id est frequentiam et copiam velorum, quæ sunt instar alarum, q. d. Heus terra quæ fre-*

A *quentibus navium velis mare obumbras et flumina.* Talis enim fuit Æthiopia, indeque Ægyptus. Vide Plinium lib. 13. c. 11. et Strabonem lib. 17.

QUÆ EST TRANS FLUMINA ÆTHIOPIÆ.) Id est trans Nilum, quem de Æthiopia in Ægyptum fluere nemo dubitat, ait S. Hieronymus. Porro Nilum vocat *flumina*, quia Nilus habet septem rivos instar septem fluminum, quibus se in mare septem hostiis exonerat. Unde et Ezechiel hos Flumina rivos vocat *flumina* c. 29. 3. Dicitur Æthiopia trans flumi- Æthiona, id est, trans septem rivos Nili, respectu Hierosolymæ; piæ sunt rivi Nili. eius enim respectu plagas orbis consignat Scriptura. Sed cur utitur hac periphrasi Propheta? cur non clare dicit: Væ Æthiopiæ? Respondeo: Primo quia Prophetæ gaudent obscuritate; secundo, fluminum meminit, quia sequitur: *Qui mittit in mare legatos, etc.* tertio, hoc ipso quo nominat flumina Æthiopiæ, significat se de Æthiopia loqui; solet enim Scriptura per flumina designare provincias et regna, uti ostendi cap. 8. 6. Unde τὸ *Æthiopiæ* tam ad τὸ *trans flumina* (eo enim pertinere patet ex regimine He-

B bræo) quam ad τὸ *Væ terræ* referri potest, q. d. *Væ terræ Æthiopiæ, quæ est trans flumina Æthiopiæ*, id est *sua;* solent enim Hebræi pronomine meum, tuum, suum, etc. ponere et repetere ipsum nomen antecedens. Sic Ps. 121. dicitur: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem: Ierusalem quæ ædificatur ut civitas. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem.* Ubi secundo repetitur nomen antecedens, scilicet *Ierusalem*, poniturque pro pronomine *quæ et eius.*

QUI MITTIT IN MARE LEGATOS.) *Qui*, scilicet *rex*. Est Vers. 2. enallage personæ, transit enim a terra et regno ad regem. Vide can. 16. q. d. Rex Æthiopiæ, v. g. Tharaca, mittit per mare legatos in vasis, id est, in navibus papyri, tum ad alias gentes, tum ad Iudæos, promittens eis opem contra Assyrios.

ET IN VASIS PAPYRI SUPER AQUAS.) q. d. Mittit legatos et milites auxiliares in navibus, quæ in Æthiopia, uti et in Ægypto, fiunt ex papyro frutice. Vide dicta Ex. 2. 5.

C Notat rursum in papyro levi et fragili, licet picturata, fucatam et fragilem opem et vires Æthiopum. Hæc enim Æthiopiæ conveniunt, non Ægypto; nam Ægyptii copias suas in Iudæam mittebant terra, non fluvio: Æthiopes vero fluvio; nam Nilo descendebant secundo flumine in Ægyptum, inde pedestri itinere pergebant in Iudæam.

Septuag. vertunt, *qui mittit epistolas byblinas* (hæ enim æque ut naves fiebant e papyro) scilicet ad Iudæos, quibus eis auxilium pollicetur. S. Cyrillus hæc refert ad superstitionem Ægyptiorum, qua litteras mittebant in mare, quasi gaudentes de reperto Adonide Veneris amasio, de quo Ezech. 8. v. 14.

Sanchez per *epistolas byblinas* accipit naves papyraceas; epistola enim græce significat *aliquid missum et extrusum*, aut potius, inquit, epistolas vocat naves perferentes legatos cum epistolis, per metonymiam; tales enim naves a Seneca l. 11. c. 78. vocantur *tabellariæ.* Arabicus vertit, *mittit scripturas* vel *libros papyri*, sive chartæ.

D ITE, ANGELI VELOCES, AD GENTEM CONVULSAM.) S. Vers. 3. Hier. et alii putant esse mimesim, sive imitationem vocis Angeli regis Ægypti, q. d. Ite, o legati, o nuntii mei, per Nilum veloces qui? ad Iudæos, qui sunt gens bello convulsa; licet olim sub Resp. Davide et Salomone fuerit terribilis, cui alia non fuit si- I. milis (nam pro, *post quem* alii legunt, *præ quo*, *non est alius*) nunc vero afflicta est expectans auxilium: quia flumina, id est reges Israel, Assyriorum et Chaldæorum instar fluminum eam obruunt.

Secundo, alii cum Vatablo censent hic gentes maxime II. remotas et Indicas, vocari ad Christi fidem, ad easque mitti angelos, id est, Apostolos, quia ipsæ a dæmone, infidelitate et peccatis convulsæ sunt: ut per Christi gratiam restaurentur et salventur, doceanturque ferre crucem, et mortem optare pro Christo, ideoque hos angelos opponi angelis sive legatis Iudæorum, de quibus iidem accipiunt v. 1. ut dixi. Ita Œcumen. Procop. Castrius, q. d. Ite, o angeli, o Apostoli; ite, o Xaveri, o Gaspar; ite, o Religiosi zelosi ad Barbaros, ad Indos vitiis convulsos,

et ad tartara ruentes, vestramque opem exspectantes, afferte eis fidem, gratiam, salutem.

III. genuine. Tertio et genuine, Sanchez censet legatis Æthiopum infirmis et papyraceis, de quibus v. 1. opponi angelos, id est legatos Dei, puta Sennacherib et Assyrios, quos Deus misit contra Tharaca aliosque Æthiopes, qui proinde sunt gens ab eis convulsa, conculcata et dilacerata, id est ex Dei decreto brevi convellenda et dilaceranda, licet antea videretur esse terribilis; hi etiam proprie sunt *populus, post quem non est alius*: sunt enim in fine orbis versus Meridiem. Pertingunt enim per regnum Congi et Monomotapæ ad promontorium Bonæ Spei, in quo terminatur terra, sive continens versus Meridiem: nam ultra illud non est nisi Oceanus, ut patet ex tabulis Cosmographicis Ortelii et aliorum.

Ad gentem exspectantem (aliqui legunt *exspectantem exspectantem*, id est plane et omnino exspectantem; Hebræa enim geminant קו קו *kav kav*) et convulsam.) Id est mox certo convellendam, et in Dei præscientia ac decreto iam convulsam. Nota Hebr. *kav* primo significat *extensum*, puta *lineam*: inde secundo, spem et exspectationem; spes enim sperantis animum quasi lineam extendit ad rem speratam. Ad verbum ergo Hebræa sic vertas cum Vatablo, Pagnino, Forerio et aliis: *Ad gentem lineæ lineæ, et conculcationis.* Gens lineæ vocatur, cui ad lineam, quasi ad amussim, pro demeritis ad mensa et commensa, hoc est decreta, est a Deo pœna et vindicta. Est metaphora a fabris et architectis: hi enim ad lineam, quasi ad normam, perpendiculum, regulam et directorium fabricant et ædificant. Sic et Deus ad lineam meritorum vel demeritorum cuique destinat, cudit et fabricat præmium vel pœnam. Sic c. 34. 11. dicitur: *Extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem;* hoc est ut Chald. vertit: *Extendetur super eam linea desolationis, et perpendiculum destructionis.* Et, ut Sept. σπαρτιον γεωμετριας ερημου, id est *funiculus geometriæ deserti*, ut scilicet iusta mensura diruatur, et redigatur in desertum. Sic 4. Reg. 21. 13. dicitur: *Extendam super Ierusalem funiculum Samariæ*, hoc est eadem linea, sive norma et mensura pœnæ ac vastationis demoliar Ierusalem, qua demolitus sum Samariam. Rursum sicut fabri materiam secandam vel deasciandam prius filo seu linea signant, quæ Græcis γραμμη dicitur: sic Deus delineat quasi gentes, quas exitio destinat, et deasciare decernit. Hunc esse sensum patet primo, ex eo quod paulo ante hanc gentem vocavit *convulsam et dilaceratam*, et subdit *direptam.* Inde enim homines macilenti, exhausti et extenuati dicti sunt μονογραμμοι, quasi *unicæ lineæ*, inquit Delrio adagio 724. Secundo, quia Chald. vertit, *populum oppressum et direptum;* Sept. *gentem sine spe* (id est desperatam, deploratam) *et conculcatam;* Syrus, *gentem depilatam, cuius pennæ detractæ sunt, et eradicatam:* Arabicus, *gentem sine robore, fœdam, despectam* (vel nequam, absurdam.) Tertio, quia Noster vertit, *gentem exspectantem.* Æthiopes enim vocantur gens exspectans, scilicet adventum Assyriorum, quia timent eos, avidæque præstolantur eventum expeditionis ipsorum. Rursum exspectant, id est experientur certam cladem, quam Assyrii eis inferent. Sic de legatis Ezechiæ ad Sennacherib dicitur c. 33. v. 7. *Angeli pacis amare flebunt.*

Aliter Sanchez: Exspectant, inquit, quotannis inundationem Nili, ut per eum agri oblimentur et fœcundentur. Secundo, idem pro *gens exspectans*, ait, hebr. est *gens lineæ lineæ*, ut vertunt Forerius, Pagnin. et Vatabl. q. d. Æthiopes, uti et Ægyptii, quia adiacent Nilo, qui exundans obruit agros, hinc utuntur linea, sive regula et gnomone, quo agrorum spatia dimetiantur, ut sciat quisque quid suum fuerit et sit. Hinc ex hac Nili inundatione ortam esse apud eos Geometriam, docet Strabo l. 7. et Diodorus l. 2. q. d. Æthiopes et Ægyptii sunt gens, quæ lineis aliisque instrumentis geometricis utitur, ut designet cuique suos agros et limites, quos egressus ex alveo Nilus obruerat, confuderat et occæcaverat. Porro sicut in vasis papyraceis eorum infirmitatem; sic nunc in limo et cœno Nili, atque in linea agrorum mensuratrice regionis sordes, et fortunam incertam et instabilem demonstrat. Hucusque Sanchez.

Geometria apud Ægyptios inventa ob Nilum.

Cuius diripuerunt flumina terram eius.) Significat Nilum exundantem, qui Æthiopiam, uti et Ægyptum, inundando obruit. Symbolice significat Assyriorum et Babyloniorum copias turmatim coeuntes, instar fluminum obruituras Æthiopiam, ut eam conculcent et vastent. Vers. 3.

Omnes habitatores orbis.) Pergit loqui Deus, q. d. Cum Assyrios et Babylonios quasi legatos meos misero, tunc videbunt omnes gentes bellum acre, quod per eos contra Æthiopes geram.

Quiescam et considerabo in loco meo, q. d. Eminus e throno meo tacitus, imo gaudens spectabo quasi ludos, scilicet hæc spectacula vindictæ meæ, puta stragem Æthiopum: sicut meridiana lux clara est.) q. d. Cum Æthiopes erunt in tenebris, id est, angustiis, ego in clara et serena luce mea habitans, clarus, serenus, imo gloriosus eos contemplabor. Sic Moses et seniores viderunt gloriam Dei, *quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cælum cum serenum est*, Exodi 24. 10. Vide ibi dicta. Simili adagio usus fertur Heraclitus philosophus. Nam cum aquæ intercutis morbo laboraret, sic solebat medicos interrogare: *Num ex imbre sudum et ex nubilo serenum efficere nossent?* per imbrem hydropem, per sudum et serenum sanitatem intelligens. Quod cum medici non intelligerent, ille se boum fimo totum obruit, ut illius calido vapore noxius corporis humor exudans exsiccaretur: ubi cum diutius obrutus permausisset, interiit, si credimus Laertio et Plutarcho. Vers. 4.

Et sicut nubes roris in die messis.) q. d. Æthiopes erunt in ardore, tum solis quo torrentur (sunt enim in Zona torrida) tum cladis et excidii: ego autem ero in refrigerio beatus, perinde ac si essem in nube roscida, quæ tempore messis solet messores refrigerare; indeque vastationi Æthiopum aliquid roris instillabo, id est, moderationem afferam, eamque clementia temperabo, ne penitus deleantur.

Ante messem enim totus effloruit.) Persistit in metaphora messis, quæ dum in flore luxuriat, omnemque succum et vires in flores effundit, segete et fructu destituitur. Idem fit in arbore, quæ antequam maturescat fructus, in flores, germina et surculos totam se effundit: de ea enim dicit, quod *immatura perfectio*, id est, immaturi surculi et ramusculi, licet in se perfecti, germinabunt, sed fructus non dabunt maturos. Causam dat cladis Æthiopum, scilicet eorum præproperam gloriationem et provocationem hostium, q. d. Æthiopes florebant et superbiebant suis viribus gloriose præfidentes, et sibi promittentes amplum imperium: ideoque audientes Sennacherib eminus in Iudæa versari, præpropere arma moverunt, ac contra eum aciem direxerunt, eumque ad prælium provocarunt. Sed hic omnis eorum flos fuit intempestivus et præcox, nec maturuit, sed in herba periit et succisus est: nam primo a Sennacherib, deinde a Nabuchodonosor succisi sunt: hoc est quod ait: *Et præcidentur ramusculi eius falcibus*, id est, iuvenes et milites ardentiores Æthiopum, gladiis Assyriorum occidentur; *et quæ derelicta fuerint, abscindentur et excutientur*, id est, reliquias Æthiopum ex bello profugas persequentur Assyrii et Chaldæi, easque partim occident, partim capient, spoliabunt et dissipabunt. Ita iuvenes animosi et temerarii dum milites validos lacessunt, suæ efflorescentis audaciæ dignam referunt messem: scilicet cædem et cladem. Vers. 5.

Nota *totus*, id est, fere totus, plerique; nam mox aliquos v. 7. excipit. Vide can. 30.

Et relinquentur simul avibus montium.) q. d. Tanta erit Æthiopum strages, ut cæsorum cadavera sufficiant integra æstate et hieme, ad voraces feras et carnivoras aves alendum. Vers. 6.

In tempore illo, scilicet in diebus Messis, vide can. 12. deferetur munus Domino.) Solent Prophetæ post tristia, ut ea leniant, læta subiungere, ita hic fit, q. d. Post hanc Æthiopum cladem, Æthiopes relicta vana spe, Vers. 7.

quam habebant in suis, tum viribus, tum idolis, agnoscent verum Deum, eumque colent in monte Sion, id est in Ecclesia. Factum hoc est, cum Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum conversus a Philippo, Actor. 8. fidem Christi per Æthiopiam sparsit; cumque S. Matthæus Apostolus eo profectus, regem et regnum convertit: unde in Æthiopia mire floruit christianismus. Hoc est quod ait Psaltes

A Psal. 77. *Coram illo procident Æthiopes;* et Psal. 67. *Æthiopia præveniet manus eius Deo.* Vide nostrum P. Cotignium et alios, qui de Ecclesia et historia Æthiopiæ scripserunt.

A GENTE EXSPECTANTE, EXSPECTANTE.) Ita legendum cum Roman. id est, plurimum exspectante. Est auxesis.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit cladem Ægypti, ob incolarum dissidia, et superba ac stulta consilia principum, quibus Pharaonem in bellum et cladem induxerunt, v. 11 Deinde v. 15. prædicit salutem et gratiam, quam Ægypto afferet Christus: ita ut simul Ægyptii et Assyrii cum Iudæis in Christi cultum et Ecclesiam conspirent.

1. ONUS Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie eius, et cor Ægypti tabescet in medio eius. 2. Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios: et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum. 3. Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus eius, et consilium eius præcipitabo: et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos, et pythones, et ariolos. 4. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. 5. Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur, atque siccabitur. 6. Et deficient flumina: attenuabuntur, et siccabuntur rivi aggerum. Calamus et iuncus marcescet: 7. Nudabitur alveus rivi a fonte suo, et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, et non erit. 8. Et mœrebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. 9. Confundentur qui operabantur linum, pectentes et texentes subtilia. 10. Et erunt irrigua eius flaccentia; omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. 11. Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? 12. Ubi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum. 13. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum eius. 14. Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis: et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens 15. Et non erit Ægypto opus, quod faciat caput et caudam, incurvantem et refrænantem. 16. In die illa erit Ægyptus quasi mulieres, et stupebunt, et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam. 17. Et erit terra Iuda Ægypto in pavorem: omnis qui illius fuerit recordatus, pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam. 18. In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, et iurantes per Dominum exercituum: civitas solis vocabitur una. 19. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini iuxta terminum eius. 20. Erit in signum, et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos. 21. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et in muneribus: et vota vovebunt Domino, et solvent. 22. Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam, et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos. 23. In die illa erit via de Ægypto in Assyrios, et intrabit Assyrius Ægyptum, et Ægyptius in Assyrios, et servient Ægyptii Assur. 24. In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio: benedictio in medio terræ. 25. Cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio: hæreditas autem mea Israel.

Vers. 1 ONUS ÆGYPTI.) Mystice S. Bernard. de onere Ægypti, serm. 5. sic philosophatur: *Ægyptus interpretatur tenebræ. Sunt autem tenebræ ignorantiæ, sunt et iniquitatis. Eia, fratres, non est leve hoc onus, quod de ignorantiæ nostræ cæcitate portamus, nescientes in multis quid expediat, quid laudemus, quid improbemus; ita ut sæpe dicamus malum bonum, et bonum malum. Sed et quid oremus sicut oportet nescimus, et in luce Scripturarum sicut in nocte incedimus. Qui ergo huiusmodi sunt, ab Ægypto onerantur, sed cum Ægypto non onerantur, cum illis scilicet qui Ægyptus sunt et tenebræ, filii tenebrarum, de quibus Dominus in Evangelio: Omnis qui male agit, odit lucem. Et Apostolus: Qui dormiunt, inquit, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Hi nimirum eo pondere pœnæ punientur, quo Ægyptum Propheta docet esse puniendam.*

Nubes levis quid? Resp. I ECCE DOMINUS ASCENDET SUPER NUBEM LEVEM.) Symbolice et poetice hoc dicitur: solent enim Poetæ, ut celeritatem et cælestem maiestatem, robur, pugnam et victoriam Dei significent, dicere, Deum nubibus vehi, nubibus insidere et inequitare, quasi inde procellas, ventos, grandines et tonitrua in hostes iaculetur, si velit. Ita facit Psaltes Ps. 17. 11. Unde S. Athanasius. lib. de Incarn.

B Verbi legit, *super nimbum levem.*

II. Secundo, *nubes levis* significat exercitum Assyriorum velocissimum, cuius quasi dux et ductor fuit Deus, qui eos in Ægyptios celerrime et potentissime immisit, ut instar nubis densæ fulmina, id est tela et sagittas, in Ægyptios vibraret, eosque prosterneret. Ita S. Hier. S. Thom. Haymo, Hugo, et Lyranus. Vastata fuit Ægyptus, tum a Sennacherib, ut patebit c. seq. tum a Nabuchodonosor, ut prædixit Ieremias c. 46. et Ezechiel c. 30.

Allegorice, S. Cyrillus, Hieron. Procop. Theodor. hic. Eusebius lib. 2. Demonst. c. 4. S. Athanas. August. Bernard. et alii quos citat Leo Castrius: veniet Christus in nube levi, vel, ut Aquila vertit, *in crassitudine levi,* id est, in corpore concepto de Spiritu sancto, ex sacra Virgine Maria; sicut enim nubes ex spiritu et vapore terræ generatur: sic Christi corpus formatum est ex Spiritu sancto, et terrena substantia deitatis solem temperante, quo vectus est Christus puer, fugiens Herodem in Ægyptum, pariens quasi pluviam, id est doctrinam spiritualem, qua paulo post Ægypto impluit tot sancta germina Monachorum, totque flores illustres Ecclesiæ Alexandrinæ sub S. Marco, et deinceps. Allegorice est corpus Christi.

Secundo, idem S. Hieron. Cyrillus, Procop. et S. Am- Et B. Virgo.

bros. exhortatione ad virgines, docent *nubem levem* esse B. Virginem, cuius ulnis Christus puer delatus est in Ægyptum, ibique statim deorum simulacra confregit, uti S. Hieronymus et alii multi tradunt. Vide dicta Ieremiæ 44. in fine. Unde Palladius in Lusiaca, c. 52. et Ruffinus l. 2. c. 7. *Vidimus,* inquit, *in Thebaide in finibus Hermopolis templum, in quo ingresso urbem Salvatore ceciderunt omnia simulacra in faciem super terram.* Porro B. Virgo dicitur *nubes levis*, quia nullius concupiscentiæ, aut coniugii onere prægravata, inquit S. Hier. super omnes res terrenas, quasi nubes, ait Procop. eminebat, mundumque suo peccatorum fœnore et onere alleviabat. Hæc nobis pluit Christum: et per eum interna mentis nostræ humectat, ac concupiscentiam restinguit. Ita S. Ambr. lib. de Institut. virginis.

Et Baptismus. Tertio, Procopius per *nubem* accipit baptismum. Christus ergo primum ingressus est in Ægyptum in nube levi, cum incarnatus corpore ex Virgine assumpto, eius brachiis veluti curru Cherubico eo delatus est. Postea vero ingressus est, veluti in nube gravi aquis onerata, quæ rorem pluviamque baptismi cælestem, post ascensionem in Ægyptios effudit.

Egregie ergo solvit hospitium Christus Ægypto, quando illam tot idolorum monstris superstitiose addictam, ad Dei unius cultum salutemque traduxit, imo tot Religiosorum et virginum examina in ea erexit, ut dicat S. Chrysost. homil. 8. in Matth. Ægyptum a Christo in paradisum esse conversam, ibique innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. (Ægyptus Dei templum.) *Non ita variis,* inquit, *astrorum choris cælum refulget, ut Ægyptus innumeris monachorum ac virginum distinguitur et illustratur habitaculis.* Mercurius Trismegistus apud S. August. l. 8. de Civ. c. 14. *Ægyptus,* inquit, *imago est cæli, imo totius mundi templum.* Hoc verum fuit tempore non Trismegisti, sed Christi: tunc enim ipsa fuit imago cæli, et vitæ angelicæ, Deique templum.

Et commovebuntur simulacra Ægypti.) q. d. Assyrii spoliabunt et diripient templa, deosque aureos et argenteos Ægyptiorum, eosque cum Ægyptiis in Babylonem captivos abducent, uti ait Ierem. c. 43. 12. Porro ex Ægypto quasi ex fonte fluxisse idololatriam in Græcos, docet Herodot. in Euterpe.

Allegorice, idola Ægypti corruerunt, cum Christus puer illam ingressus est, uti iam dixi; sed perfecit id Theodosius Imp. qui in Ægypto templa Canopi, Isidis, Serapidis, et in toto orbe delubra idolorum evertit anno Christi 379. Vide Baronium. Rursum Ægyptus est mundus, quem debellavit Christus, cum eius idola, errores et vitia per Apostolos deiecit et contrivit. *Ægyptus totus orbis intelligitur superstitionis et maledictionis elogio,* ait Tertullianus lib. contra Iudæos c. 9.

Et cor Ægypti tabescet.) Vatabl. *liquescet*, q. d. Sicut cera tabescit, liquescit et defluit coram igne: ita animus et spiritus Ægyptiorum frangetur, mollescet et concidet coram Assyriis et Babyloniis.

Vers. 2. Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios.) Quia, cum Assyrii Ægyptum invaderent, facta est inter Ægyptios discordia, primo animorum, deinde armorum: cum enim alii se Assyriis dedere, alii repugnare vellent, orta est inter eos seditio, ut mutua se cæde conficerent.

Regnum adversus regnum.) Sept. νομος επι νομον, quod non bene vertit interpres Bibliorum Regiorum, *lex contra legem.* Nam Sept. νομον, metonymice vocant provinciam, vel diœcesim, quæ vulgo territorium, vel iurisdictio dicitur: hæc enim quæque suas habet peculiares leges et iura. Ita ex Procopio et Epiphanio Leo Castrius. Unde Plinius, et ex eo Ortelius in Theatro, *nomos* interpretatur præfecturas quas in Ægypto Ortelius numerat sexaginta sex.

Vers. 5. Et arescet aqua de mari.) Scriptura *mare* vocat aquarum copiam. Nilus ergo hic vocatur *mare:* hic enim nisi supra duodecim cubitos intumescat, et oppleat Ægypti agros, famem inducit Ægypto, ut alibi dixi ex Plinio

A l. 5. c. 9. q. d. Inducam raritatem aquæ Nilo, ut non exundet, itaque sterilitatem et famem afferam Ægypto. Addit S. Hier. Naturale, inquit, est, ut Dei iram, et gentis cladem sequatur siccitas et pestilentia, atque adversus peccatores omnia elementa deseviant.

Secundo, hæc uti et sequentia usque ad v. 11. accipi possunt metaphorice et figurate, scilicet ut in fluvio, regnum, in rivis duces, in virore, calamo, iunco, papyro, cunctam Ægypti abundantiam et opes intelligamus, inquit S. Hieron. q. d. Hæc omnia ab Assyriis siccanda, id est, vastanda et rapienda sunt. Nominat *calamum* (id est, arundinem) et *iuncum*, quia his abundat Ægyptus, iisque vestitur et ornatur in ripis Nili: atque ex iis naves, vela, funes, stragula, chartam, quin et succum ad cibum conficit, teste Plinio lib. 13. c. 11. Sicut ergo palma Indis est cornu copiæ omniaque eis suppeditat: ita calamus est Ægyptiis.

Confundentur qui operabantur linum.) Linum præstans et subtile producebat Ægyptus, teste Plinio l. 19. Vers. 9.
B c. 1. eratque eius usus in sacris: unde Sacerdotes Ægyptii a Martiali vocantur *linigeri.* Dicit ergo arescentibus aquis viridia omnia, ac linum, quo gloriatur Ægyptus, interitura, ut lini carminatrices, netrices, et textores, depauperandi sint et confundendi: *et* id est quia, *irrigua eius* erunt arida et *flaccentia*, hoc est, flaccida, vel flaccescentia. Idem mox dicit de piscatoribus, qui lacunas faciunt iuxta Nilum, ut in eas ex Nilo exundante deferantur pisces, ibique eo refluente capiantur: hi enim pariter deficiente Nilo eiusque exundatione, depauperandi sunt et confundendi, atque fame et ærumnis tabescent et marcescent. Nota: Pro *texentes subtilia* hebr. est חורי *chorai,* quod Vatabl. et alii vertunt, *texentes plagas foratas,* vel *foraminulentas* (חור *chur* enim significat foramen) id est, texentes retia. Verum de retibus iam dixit, et hebr. non est *churai* sed *chorai:* quod significat vestes subtiles et byssinas, quales sunt heroum et principum. Unde Sept. vertunt, *operantes byssum.* Et notum est telas
C pretiosissimas fuisse confectas in Ægypto. Forte etiam notat indecorum et inhonestum luxum fœminarum, quæ tam subtilibus vestibus sese induebant, ut nuditas membrorum per illas transpareret et ostentaretur.

Stulti principes Taneos.) *Tanis* erat metropolis Ægypti, et regia Pharaonis, unde ibi Moses olim cum Pharaone disceptavit, decemque plagas ei et Ægypto inflixit, de quo plura Exodi 7. in fine, q. d. Superbi et stulti consiliarii et principes Pharaonis superbum, ideoque stultum consilium dederunt Pharaoni, scilicet illud quod sequitur. Verum est illud Ciceronis in Officiis: *Parva sunt arma foris, nisi consilium sit domi;* et illud Vegetii: *Dux belli callidior sit quam fortior;* facilius enim et tutius hostis arte quam armis vincitur. Vers. 11.

Quomodo dicetis (persuadetis) Pharaoni, ut ipse cogitet, et dicat (est enim mimesis) Filius sapientium ego, filius regum antiquorum.) q. d. Hæreditaria, et quasi naturalis ex prosapia tot sæculorum, mihi est sapientia æque ac regia maiestas; ergo ea excidere, aut ab
D Assyriis vel Chaldæis deiici non possum. Ita Haymo, Forerius et Sanchez. Tacite ridet Ægyptios qui suam antiquitatem iactabant, quasi ipsi fuissent hominum primi, et ante multa annorum millia exstitissent. Sic Lucianus in lib. de Astrologia, tradit Arcades ob eam causam stupidos habitos quod astrologiam contempserint, seseque fecerint antiquiores ipsa luna. Unde et προσεληναιοι, id est, antelunares, sunt dicti. Aristophanes in Avibus variis titulis irridet eos qui iactant antiquitatem suam, aitque

Antiquiores et Chrono et Titanibus fuistis.

Et alius:

Antiquior quam chaos, et Saturnia regna.

Alii putant consiliarios hæc dicere de seipsis, quasi ipsi suam sapientiam ab avis acceptam, et stemma regium apud Pharaonem deprædicent, itaque apud eum sibi auctoritatem concilient; nam, ut inquit S. Hier. Ægyptii sui generis conditores, Heroes et Deos esse putant, nempe Oron, Isin, Osiridem, Typhonem: et ob id se, non iam

ex regio, sed ex divino semine productos iactant; unde et Sept. vertunt: *Quomodo dicitis regi, Filii sapientium nos.* Ita S. Hier. Cyrillus, S. Thomas et Hugo. Vere Satyricus: *Noli respicere ad phaleras et nomina vana Catonum.* Et rursum: *Et genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi; Vix ea nostra voco.* Grande est, nobilem esse, non videri; nobilem vivere, non nasci; nobilem esse non gente, non genere, sed virtute et gestis.

Vers. 13. DECEPERUNT ÆGYPTUM, ANGULUM POPULORUM EIUS.) *Angulus* quia in ædificio principem tenet locum et utrumque parietem continet et stringit; hinc metaphorice ab Hebræis usurpatur pro principe, qui populum suis legibus stringit et continet, estque firmamentum, columna et decus regni ac reipubl. Ita Christus dicitur *factus in caput anguli*, et esse lapis angularis Ecclesiæ Ps. 117. 22. et Matth. 21. 42. Sic Helvetiorum respublicæ vocantur *Cantones*, id est, anguli.

Angulus est princeps, cur.

Sensus ergo est, q. d. Consiliarii deceperunt Pharaonem dicentes, Ægyptum esse angulum, id est, principem populorum, qui scilicet vicinis populis præemineat, cuiusque sit eos in officio et pace continere, eosque contra hostes tueri, q. d. Tuum est, o Pharao, tueri Iudæos contra Nabuchodonosor, hic tuus est titulus, hoc tuum avitum stemma; scilicet Pharao est angulus populorum, Pharao est defensor et protector Iudæorum aliarumque vicinarum gentium. Hoc est consilium eorum stultum, de quo dixit v. 11. nam hac ratione Pharaoni et Ægypto exitium attulerunt; irritarunt enim et provocarunt Chaldæos, eorumque potentissimum et bellicosissimum regem, qui proinde invaserunt et vastarunt Ægyptum. Alii, ut Leo Castrius, Arias et Lyran. hæc accipiunt de excidio Ægypti per Romanos. Unde argute Lyran. *Angulus,* ait, *qui duabus lineis concurrentibus efficitur, hic dicitur coniunctio Antonii et Cleopatræ.*

Vers. 14. SPIRITUM VERTIGINIS.) Quo caput turbatum verti solet, ut putet omnia quæ videt gyrari et rotari. *Spiritus* ergo *vertiginis* est spiritus perturbatus et erroneus. Unde Chald. et Sept. vertunt, *spiritum erroris.* Hinc et Noster mox explicat, subdens: *Et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo*, q. d. Deus excæcavit eos, Deus invertit et infatuavit consilium eorum: quomodo id faciat Deus, dixi can. 27.

Vers. 15. ET NON ERIT ÆGYPTO OPUS QUOD FACIAT CAPUT ET CAUDAM.) q. d. Consilia et opera Ægyptiorum erunt imprudentia, inutilia et noxia; ita ut non sit opus eorum aliquod, quod *faciat*, id est, arguat et demonstret in eo gerendo fuisse *caput*, id est, senem et sapientem virum; et *caudam*, id est, iuvenem vegetum ac validum, qui exsequeretur ea quæ senes et sapientes prudenter decreverant.

Nota hebraismum: *facere caput*, id est, principem, est facere opus principis, dignum principe, ob quod mereatur fieri vel esse princeps, ita ut opus illud videatur quasi ipsum facere principem. Unde Antiochena versio habet: *Non erit Ægyptius vir qui fiat primarius* (princeps) *neque cauda, et in illa die erit Ægyptius quasi mulier, timebit et pavebit a manu Dei potentis*; et Arabica Alexandr. *Non erit Ægypto vir, quem constituat caput et caudam, primum et ultimum.*

INCURVANTEM ET REFRÆNANTEM.) Idem est cum eo quod præcessit *caput et caudam*. Ita Arabica et Syriaca iam citata. Unde Septuag. vertunt, *principium et finem*, q. d. Opus Ægyptiorum, quasi ebriorum, erit imprudens, insulsum et mancum, non habens caput et caudam, principium et finem. Audi S. Hieron. *Dominus*, ait, *miscuit eis spiritum erroris, et errare fecerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut errat ebrius, et vomens, qui inebriatus est vitiis, de quibus ebriis Ioel loquitur: Væ qui ebrii estis absque vino. Et non solum ebrii, sed et vomentes furorem draconum, et furorem aspidum insanabilem, ut, postquam huiuscemodi vinum evomuerint, intelligant ebrietatem suam, atque cognoscant, quod quamdiu ebrii fuerint, nec principium habuerint nec finem, id est, nec caput nec caudam, sed truncum ex utraque parte animal. Unde Septuag. et Symmach. transtulerunt, ἀρχὴν καὶ τέλος: Aquila, incurvum atque perversum, in incurvo senes intelligi volens, in perverso lascivientes pueros qui omnia perversa faciant, ac per hoc esse sensum, quod in Ægypto non solum caput desit et cauda, sed et senes et pueri, id est, et principium et finis.* Iuvenes ergo et pueri vocantur perversi et refrænantes, quia aguntur æstibus passionum, quæ frænari debent.

Pagnin. et Vatabl. hæc vertunt in nominativo, hoc modo: *Nec erit Ægypto opus, quod faciat, sive caput, sive cauda; sive ramus, sive iuncus*, sicque explicant, q. d. *Neque magnates, neque plebei agent quidquam, quod prosit reip. neque eorum opera aut industria liberari poterit Ægyptus ab Assyriis: caput et ramus sunt homines primi ordinis; cauda et iuncus, plebei et ignobiles.* Vide dicta c. 9. 14.

ERIT TERRA IUDA ÆGYPTO IN PAVOREM.) q. d. Etiam ipsum Iudæ nomen pavori erit Ægyptiis, eo quod cum illi opitulari voluerunt, tantam cladem ab Assyriis acceperunt. Unde Aquila pro *pavorem* vertit, γύρωσιν, *cum quis pavidus et tremens circumfert oculos, et advenientem formidat inimicum*, uti ait et explicat S. Hieron. Secundo, S. Cyrillus: Iuda, inquit, erit terror Ægyptiis, propter Christum ex se natum, qui conteret idola Ægyptiorum. Tertio, et optime Sanchez: Pavor, inquit, significat reverentiam, religionem, observantiam et admirationem. Unde S. Hieron. in comment. pro *pavorem* vertit *solemnitatem*, q. d. Veniet tempus, cum Ægyptus Christiana sacra suscipiet, tuncque eamdem religionem, eademque festa colet, quæ colit terra Iuda, id est, Ecclesia, quæ cœpit in Sion et Iuda. Ita diserte explicat Zacharias c. 14. 16. Transit enim hic Propheta a clade Ægypti ad eius restaurationem per Christum, ut de more læta tristibus subnectat, et vetera omnia patrum facta Christi liberatoris consolatione et redemptione concludat: patet ex sequentibus. Vers. 17.

IN DIE ILLA ERUNT QUINQUE CIVITATES.) *Quinque*, id est, multæ; ponitur enim numerus definitus pro indefinito, q. d. Ægyptii nunc valde abhorrent a Iudæis, eorumque lingua et religione, licet eis contermini sint; sed futurum est, ut ipsi studiosi sint linguæ Hebraicæ (quæ hic Chananæa vocatur; quia Hebræi incolebant terram, quæ olim fuit Chananæorum) vel Syriacæ illi affinis, et non tantum linguæ, sed et religionis. Perinde ac si ex adverso hodie in Hungaria urbes aliquæ ita impiæ inveniantur, ut Christiani nominis pertæsæ, usque adeo ad mahometismum aspirent, ut ipsam etiam linguam Arabicam, in qua scriptum est Mahometis Alcoran, vulgo discant et loquantur: *Lingua Chanaanitis*, ait S. Hieron. *media est inter Ægyptiam et Hebræam, et Hebrææ magna ex parte confinis.* Vers. 18. Urbes quinque Ægypti quid?

Porro inter illas Ægypti civitates erit una Heliopolis (id est civitas solis; quia in ea erat templum solis, unde solis, quasi dei sui, cultui erat dicata.) Hoc, inquit S. Hieron. usque hodie factum esse patet: Ostracina enim civitas, et cæteræ iuxta Rinocoluram, et Casium, quæ conterminæ sunt Iudææ, loquuntur syriace, et putant nonnulli vicinos Syros a Nabuchodonosor eo esse translatos. Secundo, verius et clarius hæc impleta sunt tempore Christi, et S. Marci, uti patebit v. 19. q. d. Ægyptus suscipiet fidem et cultum Christi, loqueturque pie et christiane, uti loquuntur Apostoli, aliique Iudæi ad Christum conversi. Ita S. Cyrill. et alii passim. Numerat quinque civitates, quia quinque erant primariæ urbes, et quasi metropoles in Ægypto, quas nominat Ezechiel c. 30. scilicet Memphis, Tanis, Alexandria, Bubastus, et Heliopolis. Præ aliis autem nominat Heliopolim, quæ sita est inter Alexandriam et Coptum, tum quia Heliopoli vigebat solis et deorum cultus; unde erat illa civitas sacerdotum, teste Strabone l. 17. quocirca maxime illa initio restitit Evangelio Christi: tum quia subacta a Christo et Apostolis, tantum Christo quantum soli et idolis addicta fuit, mireque in ea floruit Christiana religio et monachismus. Unde Heliopolis, eiusque monasteriorum et

monachorum totius apud Palladium, Ruffinum, et alios fit mentio.

Turpiter ergo errat Calvinus, qui pro *civitas solis*, vertit, *civitas desolationis una vocabitur*, huncque dat sensum: *His verbis sextam quamque urbem exitio designat, significans omnes sine spe restitutionis perire, qui non convertuntur ad Deum, ut ipsum colant. Opponit enim urbes Ægypti quæ incipient cum agnoscere, aliis quæ exitio devotæ sunt.* חרם *cherem enim exsecrationem et maledictionem significat, quam* desolatio id est, *excidium et mors æterna, consequitur.* Errat, inquam, nam pro חרס *cheres*, id est, *sol*, uti legunt et vertunt S. Hieron. Septuag. Chald. Symmach. Vatabl. et alii passim, legit *cherem*, id est, anathema; atque patet ex ipsa textus serie nullam esse hic oppositionem, sed eiusdem materiæ et sententiæ continuationem. Denique, quia Hebr. *cheres* non tantum solem, sed et testam significat, hinc aliqui ὄστρακον, id est, testam, vertunt, per eamque putant significari Ostracinam urbem, ait S. Hieron.

Mystice, S. Hieron. aliqui, inquit, per has quinque civitates, intelligunt quinque Ecclesiæ ordines tempore Christi; scilicet Episcopos, presbyteros, diaconos, fideles et catechumenos.

Examina monachorum Ægypti. Tropologice, Procop. Ambros. August. et ex iis Leo Castrius, quinque civitates, inquiunt, sunt multæ Religiosorum familiæ, lauræ et mandræ, id est monasteria in Ægypto; adeo ut in una eius urbe, scilicet Oxirincho, fuerint viginti millia monachorum; unus Abbas Or habuerit sub se tria millia, Abbas Serapion decem millia monachorum; in aliis pluribus Thebaidis urbibus, multa eorum fuerunt millia; ita ut urbes non tam laicorum essent, quam Religiosorum habitacula, in quibus ipsi quasi formicæ innumerabiles degebant, operi manuum et orationi dediti. Hi corporis et animi sensibus quinque toti ferebantur in Deum, et lingua loquebantur Chanaanitide, id est, Iudaica, qua Psalmos, Deique eloquia assidue canebant, Deumque laudabant; quinario enim perfectio, et plenitudo servorum et Religiosorum Christi significatur, ut docet S. Ambros. in Ps. 118. serm. 22. ad illa verba: *Erravi sicut ovis quæ periit;* et S. August. tom. 10. in Matth. serm. 23. ubi pariter mystice sic explicat quinque virgines prudentes, de quibus Christus in Evangelio. Addit S. Hieronym. quinque sensus loqui lingua Ægyptia, cum carnales voluptates sectantur; Chanaanitide vero, cum spiritales. Vide eum.

Iurantes per Dominum.) Id est, Dominum colentes et invocantes. Scriptura enim per iuramentum, omnem Dei cultum significat, scilicet ex parte totum per synecdochen.

Vers. 19. In die illa.) Nota: Prophetæ dicunt *in die illa*, id est, in tempore illo, licet diu post futuro. Hoc autem *diem* vocant, licet post, vel per plures annos evolvatur, quia in præscientia Dei decursus unius regni, imo totius sæculi, unus quasi idemque est: respicit autem ad diem novi testamenti, de quo egit v. 17. Vide can. 4.

Oniæ templum in Ægypto. Nota secundo: Onias, Oniæ sancti pontificis, de quo 2. Machab. 3. et 4. filius, cum tempore Machabæorum Iudæam ab Antiochis, Demetriis, et aliis Syriæ regibus vastari videret, fugit in Ægyptum ad Ptolemæum Philometorem, eique hunc Isaiæ locum allegavit, quasi iuberet hic Deus, sibi exstrui templum in Ægypto, illudque ei persuasit; qui Heliopoli templum Iudæis exstruxit, eiusque pontificem constituit Oniam iam dictum. Ita Ioseph. 13. Antiq. 6. Verum perperam; nil enim tale voluit Isaias; nam Onias vituperatus fuit a Iudæis, qui merito hoc eius factum improbarunt; quia non licebat in lege veteri extra Ierusalem altare vel templum Deo erigere, hi vero altaris erectores laudantur ab Isaia.

Dico ergo, Prophetam avolare ad tempora Christi, quem Deus misit Ægyptiis, omnibusque gentibus redemptorem, adeo ut in Ægypto sub S. Marco, et deinceps maxime viguerit christianismus, imo ibidem a S. Marco et Essæis cœperit vita monastica et religiosa. Ita S. Aug. l. 1. de Unitate Ecclesiæ c. 14. Vota enim Evangelica (id est, de servandis consiliis Evangelicis) et præsertim monastica, paupertatis, castitatis et obedientiæ, hic notantur, foreque asseruntur in Christianismo cum dicit Propheta: *Et vota vovebunt Domino et solvent.* Frustra ergo hic se torquet Calvinus, ut ea elidat hoc titulo, quod non sint consona verbo Dei, sed sint ἐθελοθρησκεία, quam Paulus damnat Coloss. 2. 23. Verum hoc probandum est Calvino; contrarium enim ostendi Coloss. 2. Monastice cœpit in Ægypto.

Et titulus Domini iuxta terminum eius.) *Titulos* vocat, vel templa ut Cyrillus, vel crucem Christi, vel statuas, vel columnas erectas in honorem Christi, q. d. Ægyptii per suas provincias et terminos erigent cruces, templa, altaria, etc. Christo; hunc enim, non autem idola, ut olim, invocabunt cum erunt in tribulatione, qui mittet eis salvatores, scilicet insignes Prælatos et principes, qui eos ab hostibus tum corporalibus, tum spiritualibus liberent et defendant.

Et percutiet Dominus.) q. d. Vastabit Deus Ægyptum, tum per Assyrios, tum per Chaldæos; sed post 40. annos eam sibi restituet, uti prædixit Ezechiel. c. 29. 13. Secundo, et potius, q. d. Deus Ægyptios, iam Christianos effectos castigabit, tum ad expiationem peccatorum, tum ad probationem, et maiorem coronam eorum. Vers. 22.

In die illa erit via de Ægypto in Assyrios.) q. d. Tempore Christi erit mutua pax, commercium et societas inter gentes olim hostiles, quales fuerunt Ægyptii et Assyrii. Christianismus enim est lex pacis, quæ gentes inimicas in unam fidem, et charitatem, et Ecclesiam cogit et unit. Vers. 23.

Et servient Ægyptii Assur.) Scilicet, iis obsequiis quibus Christiani per charitatem sibi invicem serviunt, præsertim mittendo eo prædicatores et sacerdotes insignes.

Secundo, planius ex Hebræo verti potest cum Vatablo et Montano: *Colent Dominum Ægyptii cum Assyriis,* sub quibus et Babylonios accipe. Et sic Sanchez nostram versionem explicat, q. d. Servient (Deo) Ægyptii Assur, sive Assyrio, id est, simul cum Assyrio. Unde sequitur:

In die illa erit Israel tertius Ægypto.) *Tertius,* qui scilicet æque ut Ægyptii et Assyrii fidem et cultum Christi recipiat, ideoque *benedictio*, id est, maxime benedictus, erit. q. d. Tres hæ nationes, scilicet, Israelitæ, Ægyptii et Assyrii, quæ nunc ita inter se dimicant, conspirabunt in christianismo. Vers. 24.

Benedictio in medio terræ.) Sicut Israel erat medius inter Ægyptios et Assyrios, ita ex eo, utpote Dei populo, benedictio per Christum effundetur in Ægyptios aliasque gentes. Unde licet aliæ gentes sint a me benedicendæ, tamen hæreditas mea est, eritque Israel; sicut enim Israel olim fuit populus peculiariter a Deo electus, ita et nunc erit. Nam, ex eo nascetur Christus, B. Virgo, Apostoli, primi Christiani, imo christianismus et Ecclesia Dei, *opus manuum mearum* (scilicet, *tu es*, dicit Deus) *Assyrio.*

CAPUT VICESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quæ c. 18. de Æthiopia, et c. 19. de Ægypto vastanda seorsim prædixit, hic coniunctim prædicit, et utrique imminens exitium per Assyrios intentat. Quocirca iubetur Isaias nudus incedere, ut portendat Ægypti et Æthiopiæ spoliationem, et captivorum nuditatem.

1. In anno, quo ingressus est Tharthan in Azotum, cum misisset eum Sargon rex Assyriorum, et pugnasset contra Azotum, et cepisset eam: 2. In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens: Vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, et discalceatus. 3. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, et discalceatus, trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum, et super Æthiopiam: 4. Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, iuvenum et senum, nudam et discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti. 5. Et timebunt, et confundentur ab Æthiopia spe sua, et ab Ægypto gloria sua. 6. Et dicet habitator insulæ huius in die illa: Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum: et quomodo effugere poterimus nos?

Vers 1. IN ANNO, QUO INGRESSUS EST THARTHAN IN AZOTUM, CUM MISISSET EUM SARGON.) Sanchez putat *Sargon* esse Salmanasar, patrem Sennacherib, qui anno sexto Ezechiæ vastavit Samariam, tumque irruisse in Philisthinos vicinos, et obsedisse Azotum, misso eo suo duce Tharthan.

Verum passim alii, teste S. Hieron. censent *Sargon* esse Sennacherib, qui plura habuit nomina. Nam Tharthan, qui hic dicitur missus a Sargon, idem 4. Reg. 18. 17. dicitur missus a Sennacherib; ergo *Sargon* est Sennacherib. Nam non Salmanasar, uti omnes fatentur, sed Sennacherib vastavit Ægyptum et Æthiopiam. Id diserte docet Ioseph. 10. Antiq. 1. *Ezechiæ*, inquit, *anno 14. Sennacherib cum instructissimo exercitu eum aggressus est, cepitque omnes urbes Iuda et Beniamin, iamque moturus erat castra Hierosolymam; sed Ezechias per legatos pacem cum eo iniit, ea conditione, ut solveret argenti talenta trecenta, auri triginta. Accepit Assyrius pecuniam, sed pacta non præstitit. Nam profectus ipse cum copiis contra Ægyptios et Æthiopes, Rabsacem ducem ad continuandum Hierosolymitanum bellum reliquit.* Citat Iosephus in fine capitis Berosum, qui pariter Sennacherib totam Asiam et Ægyptum bello infestasse narrat. Unde colligas Berosum Annianum, apud quem nulla Sennacherib est mentio, a vero Beroso valde esse diversum. Idem quoque docet Herodot. l. 2. sed ex eo, quod audierat ex sacra historia, castra Sennacherib cœlitus esse deleta, finxit eum ab Ægyptiis et Æthiopibus esse profligatum per mures, quos ipsi a diis suis impetrarint: *Nam una nocte*, inquit, *in castris Sennacherib tanta murium vis exstitit, ut hostium arcus et reliqua arma corroderent; quo factum est ut exarmatus rex a Pelusio suum exercitum abduceret.* Sed hæ sunt Gentium Iudæis invidentium fabulæ. Ex dictis patet, hanc Isaiæ prophetiam contigisse anno 14. Ezechiæ. *(Fabula murium.)*

Dices: Sennacherib 4. Reg. 18. dicitur tantum venisse contra Iudam. Resp. Directe, et in persona venit contra Iudam, sed concomitanter venit etiam contra vicinos: unde manens ipse in Iudæa misit Tharthan in Azotum cum parte copiarum. Prophetat ergo hic Isaias contra Ægyptios et Æthiopes, ne adventante Sennacherib, ad eorum opem de more confugiant Ezechias et Iudæi; sed in Deo spem suam reponant.

Vers. 2. SOLVE SACCUM.) Errant, qui putant hanc tantum fuisse visionem imaginariam, nec revera Isaiam incessisse nudum, sed ita sibi in visione visum esse. Nota: Saccus Isaiæ et Prophetarum, nudum erat cilicium, contextum ex pilis caprarum vel camelorum, eoque vestiebantur super nuda carne, ut Cappuccini, uti fecit rex Israel 4. Reg. 6. 30. et Iudith cap. 8. 6. (uti et modo est; si enim quis modo non super nuda carne, sed exterius tantum se vestiret cilicio, haberetur hypocrita) erat enim vestis austeritatis et pœnitentiæ, ut eius exemplum darent populo, cumque ad pœnitentiam commoverent, et simul pro populi peccatis apud Deum satisfacerent, eique veniam et gratiam a Deo impetrarent. Id patet ex eo, quod pseudoprophetæ fingentes se Prophetas, induebantur cilicio, ut ait Zach. c. 13. 4. *Nec operientur*, inquit, *pallio saccino, ut mentiantur.* Et hic fuit habitus Eliæ Prophetæ; erat enim *vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus*, 4. Reg. 1. 8. et S. Ioannis Baptistæ, cuius vestis erat aspera ex pilis camelorum. Hunc habitum obiice mollibus hæreticis, qui ornantur quasi sponsi Penelopes, ideoque carpunt peculiarem habitum Capuccinorum et monachorum. Ita Clemens Alexand. lib. 2. Pædagogi, ostendit asperum fuisse vestitum Isaiæ et Prophetarum: *Ovina*, inquit, *pelle Elias utebatur indumento, et ovinam pellem stringebat zona facta ex pilis. Isaias vero nudus erat, et nullis utebatur calceis: sæpe autem sacco quoque utebatur, quod est indumentum humilitatis. Quod si etiam vocas Ieremiam, is cingulum solum habuit lineum. Quemadmodum autem bene nutrita corpora, si nuda sint, vires ac vigorem apertius indicant: ita etiam pulchritudo morum si ineptis nugis non involvatur, magis indicat animi magnitudinem et magnificentiam.* *(Cilicium vestis Isaiæ.)*

Nota secundo: Hugo, Forerius et Sanchez putant Isaiam non omnino fuisse nudum, sed extimam vestem, quæ erat cilicina et prophetalis (sine qua incedebat indecore, ac si plane plebeius fuisset) deposuisse, ac interiorem tunicam breviorem retinuisse, quæ verenda contegebat, quomodo Saul 1. Reg. 19. 24. *nudus*, id est, deposito amictu regio, dicitur cecinisse; et David *nudus*, id est, deposito cultu regio, saltasse ante arcam; nam dicitur amictus fuisse ephod lineo, non ergo erat omnino nudus. Ratio est: nam Isaias hac nuditate portendebat captivorum Æthiopum et Ægyptiorum nuditatem; illi autem non omnino futuri erant nudi, sed laceris et brevibus vestibus vestiendi. Similis esset mortificatio, si Religiosus deposita veste Religionis, iuberetur cum solo thorace et femoralibus prodire in publicum. Hæc sententia probabilis est, et castior ac honestior in speciem. *(An Isaias plane nudus incesserit? Negant multi.)*

Verum S. Hieron. S. Cyrill. (et indicat S. Ambros. in Psalm. 39.) Haymo, Dionys. et Adamus censent Isaiam omnino fuisse nudum, etiam iis partibus, quas naturalis verecundia maxime tegit. Idque probatur primo, quia vers. 4. dicitur, quod, sicut Isaias incessit nudus, *sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, etc. discoopertis natibus* (Chaldæus vertit, *pudendis*) *ad ignominiam Ægypti*; ergo pariter Isaias incessit nudis natibus. Si nudis natibus, quid mirum si reliquo corpore nudus incesserit? imo si reliquo corpore tectus, natibus nudis incessit, eo turpius fuit hoc ludibrium, eo ignominiosius hoc Prophetæ spectaculum. Quod ergo Pintus et Montanus Isaiæ subligacula relinquunt, id non tantum gratis dicitur, sed et huic Scripturæ adversatur, atque mori He- *(Verius asserunt alii. Probat. 1.)*

bræorum, qui subligaculis sive femoralibus uti non solent, sed tunicis longis, instar Orientalium. Id colligimus ex eo, quod Deus iusserit sacerdoti sacrificanti vestire se femoralibus, quasi alias sacerdos, æque ac laici, more gentis iis caruerit; vestis ergo non laicorum, sed sacerdotum et sacra, erant femoralia; idque ad hoc, ne scilicet, si inter sacrificandum toga sacerdotis aperiretur aut spargeretur, apparerent eorum femora nuda, uti dixi Exodi 28. 42.

II. Secundo, quia saccus erat pœnitentiæ vestis super nuda carne, ut dixi: ergo exuens saccum sive cilicium, totus erat nudus.

III. Tertio, quia Isaias dicitur hic factus in portentum populi: portentum autem est, si quis omnino nudus incedat, non, si in veste plebeia. Et sic Ezechiel factus est portentum, comedens limum boum, et dormiens 390. dies in uno latere; et Ieremias, cum catenis onustus incessit; et Zacharias, cum sumpsit vasa, id est, instrumenta stulti pastoris; et Osee, cum duxit fornicariam. Iubebat enim subinde Deus Prophetis, ut quædam plane exotica facerent, ad hoc, ut duras Iudæorum mentes, alioqui immobiles et inflexiles, ferirent et flecterent.

IV. Quarto, quia hac nuditate portendit extremam tum ignominiam, tum spoliationem, et paupertatem Ægyptiorum; ergo plane fuit nudus.

V. Quinto, quia allegorice, Christi in cruce nuditatem repræsentavit, quæ fuit plena et omnimoda ad expiandum Adæ peccatum et concupiscentiam, indeque prognatam verecundiam et erubescentiam: erubescebant enim quod viderent se omnino nudos in membris illis, in quibus dominatur libido et concupiscentia rebellans rationi. Hoc enim homini pudendum et erubescendum est. Ad hanc enim Adæ nuditatem et verecundiam expiandam, Christus in cruce eam in se luendam suscepit, fuitque hæc ingens Christo virgineo ignominia, pudor et crux. Christus ergo in cruce totus nudus, uti ex matris utero prodierat, pependit. Ita docent S. Ambrosius, Athanasius, S. Bonaventura, et ex iis Franciscus Suarez 3. p. q. 46. art. 8. sect. 4. et Iacob. Gretserus l. 1. de Cruce c. 12. et seq. Franciscus Lucas in Matth. 27. et alii.

Dei iussio honestat inhonestum. Dices: Incedere plane nudum, est turpe et scandalosum, ac incentivum libidinis; ergo hoc Isaiæ non præcepit Deus. Resp. ad antecedens, id verum esse, si sponte et ex petulantia fiat, non autem si fiat ex necessitate, ut cum quis nudus fugit ex incendio, aut excidio urbis; aut si fiat ex voluntate et iussu Dei: tum enim Dei mandatum omnem ab hac nuditate fœditatem abstergit. Hic autem Iudæis constabat Isaiam esse Prophetam Dei, et ex Dei iussu nudum incedere, idque ad hoc, ut populum pari modo ab hoste nudandum repræsentaret, unde eum magis ad metum et pavorem, quam ad libidinem hac nuditate sua incitabat: præsertim quia corpus eius iam effectum hirsutum, macie et inedia confectum, horrorem potius movebat quam concupiscentiam. Sic Deus iubens Osee Prophetæ et viro honorato, ducere vilem meretricem (quod turpe erat et indignum) omnem ab hac re fœditatem abstersit. Sic Deus concedens polygamiam Abrahæ, Iacob et aliis, omnem ab ea turpitudinem hac sua dispensatione ademit. Sic Iudæis iussit non tantum nudari, sed et circumcidi partes genitales.

Nota secundo, cum S. Hieron. et aliis, insignem hic obedientiam et mortificationem Isaiæ, quod vir nobilis e regia stirpe, non erubuerit per triduum celeberrima urbe, concionabundus media die plane nudus incedere; licet enim hoc in se indecorum et fœdum esset, tamen honestabatur, eratque actus insignis virtutis per Dei mandatum: *Nihil enim honestius est Dei præceptis*, inquit S. Hieron. Idque ad hoc, ut illo ternario, et triduana sua

Triduum nuditatis symbolum est triennii spoliationis. nuditate, ipso facto et incessu suo repræsentaret ternarium captivitatis, scilicet, quod per triennium vastanda, omnibusque rebus nudanda esset Ægyptus et Æthiopia, hominesque inde nudi abducendi essent ad ignominiam: dies enim hic Isaiæ, uti et Ezech. c. 4. 6. pro anno computabatur. Ita S. Hieron. et Cyril.

A Forerius vult Isaiam, non triduum tantum, sed totum triennium nudum ambulasse; idque habent Septuaginta iuxta editionem Caraffæ, licet editio Complut. et aliæ omittant τὸ *per tres annos*. Sed hoc non videtur verum: nam hoc ternario nuditatis, portendit ternarium annorum captivitatis Ægypti futurum: ille autem fuit futurus, non post triennium, sed post triduum ab ac prophetia. Nam Sennacherib hoc eodem anno 14. Ezechiæ, quo aggressus est Iudam perrexit contra Tharacam et Æthiopes, uti dicam v. 3.

Sicut ambulavit.) Refer hæc ad v. 4. *Sic minabit rex:* Vers. 3.
ibi enim similitudo per redditionem expletur; reliqua ergo quæ intercurrunt, scilicet, *Trium annorum signum*, usque ad *sic*, parenthesi intercipienda sunt.

Trium annorum signum et portentum erit.) Subaudi *quod*, vel *quæ*, scilicet, ambulatio Isaiæ erit portentum trium annorum. Dupliciter hoc exponi potest. Primo, quod hæc triduana nuditas Isaiæ portendat vastitatem Ægypti et Æthiopiæ fore post tres annos ab hac prophetia. B Secundo, et melius, quod hæc vastitas durabit per triennium. Cœpit enim anno 14. Ezechiæ, quo Sennacherib audiens adventare Tharacam regem Æthiopum, contra eum perrexit, relicto in Iudæa Rabsace, uti docet Iosephus 10. Antiq. 1. et Scriptura 4. Reg. 19. 9. atque post tres annos rediit Hierosolymam, ubi ab Angelo cæsus est, ut patet ibid. v. 29. et Isaiæ 37. 30. Abfuit ergo distentus bello et vastatione Ægypti et Æthiopiæ per triennium. Ita Sanchez. Quare quod ibidem subdit Iosephus: *Sennacherib multum temporis contrivit in apparanda oppugnatione Pelusii, iamque aggerem pene mœnibus æquaverat, et videbatur assultum propediem facturus, cum audivit adventare Tharsicem* (hic est Tharaca) *regem Æthiopum Ægyptiis laturum suppetias: territus hoc rumore, propere cum suis abiit.* Hæc, inquam, non satis consentiunt præcedentibus eius dictis, nec Scripturæ, quæ docet Sennacherib non Pelusii, sed in Iudæa audiisse adventum Tharaca: atque videtur Iosephus hausisse C hæc ex Herodoto, qui hic plane fabulosus est. Quocirca immerito vir doctus, motus hisce verbis Iosephi, hanc Ægypti et Æthiopiæ cladem hic ab Isaia prædictam refert ad tempora Assarhaddon filii Sennacherib; vel potius ad Nabuchodonosor, qui post triennium a vastata Ierusalem, vastavit Ægyptum et Æthiopiam.

Nudus, et discalceatus.) Peculiariter exprimit, et ad *nudus* addit τὸ *discalceatus*; quia præter ignominiam, nudis Prophetæ pedibus accedebat magna molestia et afflictio incedendi per loca aspera et saxosa; maiorque erat futura Ægyptiis et Æthiopibus, nudis pedibus ex Ægypto ituris longissimo et difficillimo itinere Babylonem usque. Ex hoc Isaiæ præcepto et facto orta est hæresis Nudipedum, de qua S. August. lib. de Hæres. in 68. *Est alia hæresis*, inquit, *nudis pedibus semper ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Mosen vel ad Iosue: Solve calceamentum de pedibus tuis*, Exod. 3. Iosue 5. *et quod Propheta Isaias nudis pedibus iussus fuerit ambulare. Inde ergo hæresis est: quia non propter corporis afflictionem* D *sic ambulant, sed quia testimonia taliter intelligunt.*

Sic minabit (quasi pecora, puta quasi mancipia in Vers. 4.
bello manu capta: hæc enim proprie ante se minant victores; uti pastores sua pecora) captivitatem (captivos) Ægypti, et transmigrationem (transmigrantes et abductos) Æthiopiæ. iuvenum et senum.) Iuvenes enim armis, senes consiliis remp. administrant et propugnant. *Consilia* enim *senum*, *hastæ sunt iuvenum*, ait Pindarus apud Plutarch. in Lycurgo. Et Aristot. lib. 7. Politic. c. 9. *Vires*, ait, *in iuvenibus*, *prudentia est in senibus*. Et Poeta:

Εργ' ανδρων, πολεμοιτε νεων, βουλαιδε γεροντων.

Opera virorum, *prælia iuvenum*, *consilia vero sunt senum*.

Discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.) Aliqui τὸ *discoopertis natibus* explicant, q. d. Præsectis vestibus usque ad nates, uti fecit Hanon servis David, 2. Reg. 10. 4. Verum aliud est præsectis, aliud discooper-

tis. Solebant victores barbari vel ad ludibrium, vel ad libidinem, hostium captivorum membra, quæ pudor tegit, detegere. Docet id Isaias hic, et Ierem. 47. 2. de Babylone: *Denuda*, inquit, *turpitudinem tuam, revela crura, etc.* et Nahum c. 3. v. 5. *Revelabo*, inquit, *gentibus pudenda tua, et ignominiam tuam;* et alibi sæpe minatur Deus, quod *discooperiet ignominiam*, *revelabit pudenda* aut *verecundiora*, huius illiusve gentis.

Vers. 5. ET TIMEBUNT.) q. d. Iudæi, qui hactenus habuerunt spem in Ægyptiis et Æthiopibus, et in quorum ope et copiis gloriati sunt, timebunt, et confundentur cum viderint eos tam ignominiose capi et vastari.

Vers. 6. Iudæa insula cur? ET DICET HABITATOR INSULÆ HUIUS.) Iudæa hic metaphorice vocatur *insula*. Primo quia sita erat inter mare Mortuum et Mediterraneum. I.

A Secundo, quia parva erat respectu Babylonis, quæ *mare* dicitur cap. seq. v. 1. II.

Tertio, et potius, quia, ut explicat S. Hieron. vicinarum gentium, Assyriorum maxime et Ægyptiorum, fluctibus ac bellis tundebatur, sicut insula fluctibus maris circumquaque tunditur. III.

Quarto, quia, sicut insula sola in mari eminet, et caput exerit, cum reliqua mari obruantur: ita Ierusalem sola caput extulit, et evasit, cum Sennacherib Iudææ urbes, ut mare suis copiis obrueret: hoc est enim quod dixit c. 8. 8. *Ibit per Iudam, inundans, et transiens usque ad collum veniet*, q. d. Sennacherib Iudæam obruet usque ad collum, ita ut sola Ierusalem, quæ caput est, emineat et salvetur. Ita Sanchez. Hi duo ultimi sensus præ aliis sunt appositi et genuini. IV.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit ad excidium Babylonis, quod per magnum pathos graphice depingit, idque propterea quod sub hoc tempus Ezechia cum Merodach rege Babyloniorum fœdus et amicitiam colebat, eiusque legatis omnes suos thesauros ostendit: qua de causa reprehensus fuit ab Isaia 4. Reg. 20. 12. Ne ergo eis nimis innitatur ipse et Iudæi, nimisque eis familiares sint et amici, prædicit eorum ruinam. Prædicit ergo Babylonem evertendam, per currum cameli, et asini, id est, Darii et Cyri. Secundo, v. 11. contra Idumæam. Tertio, v. 13. contra Arabiam vaticinatur.

1. ONUS deserti maris. Sicut turbines ab africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. 2. Visio dura nuntiata est mihi: qui incredulus est, infideliter agit: et qui depopulator est, vastat. Ascende Ælam, obside Mede: omnem gemitum eius cessare feci. 3. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis: corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. 4. Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. 5. Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes: Surgite principes, arripite clypeum. 6. Hæc enim dixit mihi Dominus: Vade, et pone speculatorem: et quodcumque viderit, annuntiet. 7. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli: et contemplatus est diligenter multo intuitu. 8. Et clamavit leo: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem: et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. 9. Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum, et respondit, et dixit: Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram. 10. Tritura mea, et filii areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis. 11. Onus Duma ad me clamat ex Seir: Custos quid de nocte? custos quid de nocte? 12. Dixit custos: Venit mane et nox: si quæritis, quærite: convertimini, venite. 13. Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim. 14. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti. 15. A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii: 16. Quoniam hæc dicit Dominus ad me: Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii, et auferetur omnis gloria Cedar. 17. Et reliquiæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur: Dominus enim Deus Israel locutus est.

Vers. 1. Babylon erat mare, cur? ONUS DESERTI MARIS.) Babylonem vocat *mare*, primo, quia sicut mare sorbet omnia flumina, nec expletur: ita Babylon sorbebat opes gentium omnium, nec saturabatur. Secundo, quia sita erat iuxta Euphratem: *mare* enim vocatur ab Hebræis omnis aquarum copia. Tertio, et magis genuine, vocatur *mare*, ob multitudinem incolarum, platearum et domorum amplitudinem, atque omnium gentium eo confluxum: sic enim dicimus Romam, Venetias, Parisios esse mare, esse mundum, ob hominum frequentiam. Ita S. Hieron. Cyrillus et alii. Quarto ob motus et fluctus bellorum, quibus assidue quasi mare agitabatur, et exagitabat omnes gentes.

Secundo, Babylonem vocat *desertum*, substantive, id est, eremum et solitudinem: hoc enim significat Hebr. מדבר *midbar;* quia in desertum et solitudinem a Deo vindice erat redigenda. Ita S. Hieron.

Sensus ergo est, q. d. Hoc est onus, id est, prophetia minax et onerosa contra Babylonem, quæ cum fuerit mare gentium: nunc a Deo vastabitur, ita ut videatur esse eremus et desertum.

Nota: Prophetiæ a Prophetis, aliis et aliis temporibus sunt editæ: unde non mirum, si idem obscurius repetant. Uti Isaias quod c. 13. et 14. clare de Babylonis clade prædixit, hic obscuræ iterat et replicat. Vide can. 3. et 4.

B Adde, non constare, an hæc prophetia sit prior an posterior illa c. 13. nec enim in prophetiarum collectione servatus est ordo temporis, ut patet in Ieremia.

Mystice, S. Bernard. de onere deserti maris sermone 6. ita disserit: *Mare desertum est multitudo reproborum, qui derelicti a Deo, et a sanctorum numero separati, suo pondere et persecutione sanctam premunt Ecclesiam, ipsi pœnarum pondere, quæ in hoc onere a Propheta notantur, postmodum puniendi. Præterea mare sunt illi, qui diversis passionum ac vitiorum tumultibus quatiuntur. Qui semper in motu sunt, semperque vagi, numquam stabiles, numquam in eodem statu permanentes, nunc superbia intumescunt, nunc ira fervescunt, nunc tristes, nunc leves, nunc pressi silentio, nunc risu dissoluti, transgrediuntur præcepta seniorum et fratrum pacem turbant. Quamdiu tamen timent, quamdiu dolent, quamdiu admittunt correptionem, nec fugiunt satisfactionem, desertum mare non sunt. At si venientes in profundum malorum, contemnunt; si correpti reclamarint, nihil honestum, nihil quietum, nihil insuper ordinatum responderint, sed tumidi, sed inflati etiam in ipsum a quo corripiuntur, verbis indignationis insurrexerint, ita ut necesse sit relinquere eos sibi, desertum mare non dubites eos nominare.* Horum deinde onus pœnasque exaggerans, subdit: *Væ illis qui a Deo*

derelicti et hominibus dimittuntur secundum desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis. Quibus etiam Dominus per Prophetam: Auferam zelum meum a vobis et ultra non irascar. Scitis, fratres charissimi, quam grave onus in humeros sanctorum imponunt qui tales sunt. Sub hoc onere Propheta gemebat, qui dicebat: Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Vere supra dorsum nostrum fabricant, qui huiusmodi sunt, quotidianis suis contumeliis nos onerantes; qui addunt peccata peccatis, contemptum iungunt contemptui, contumeliosi, elati, detractores, Deo odibiles, senioribus non obedientes, sociis non contemperantes. Tales pœnarum pondus quod in onere deserti maris continetur, se noverint incursuros.

Sicut turbines ab africo veniunt, de deserto venit.) To *de deserto* tam ad *veniunt turbines*, quam ad *venit* referendum est. Africus ventus est flans ab Africa, ideoque Occidentalis; sed lateralis vergens in Austrum. Hic turbidus est et procellosus: unde Africas procellas ab Africo excitatas, vocat Horatius l. 1. Carm. ode 3. et Virgil. 1. Æneid. *Creberque procellis Africus.* Sensus est, q. d. Sicut flante Africo surgit ingens, subita et procellosa tempestas arenæ de deserto, ita (per hebraismum enim usitatum intelligitur nota similitudinis *ita* vel *sic*) hoc onus, et hic turbo Persarum venit, id est veniet, de simili deserto, qui similem Babyloni afferet tempestatem. Ita S. Hier. Turbo enim ventus est rapidissimus et violentissimus, qui in gyrum omnia obvia versat et abripit.

Mediam et Persiam vocat *desertum*, tum proprie, quia scilicet inter eas et Babylonem vasta deserta interiacent; tum metaphorice, quia scilicet Medi et Persæ Babyloni erunt perniciosi instar turbinis, qui venit de deserto.

Alludit ad arenas deserti, v. g. Pharan et Arabiæ, quod transierunt Hebræi venientes ex Ægypto in Chanaan, quod proinde eis erat notissimum; aut Cyrenaicæ provinciæ, quæ flante Austro volvit ingentes arenarum fluctus instar sævientis maris; uti testatur Plinius l. 2. c. 45. Pompon. Mela l. 1. c. 8. Solinus c. 40. et Herodotus in Thalia, ubi exercitus in Ammonios ductos, flante Austro ita arenis obrutos esse narrat, ut ne unus quidem evaderet, aut superstes maneret. Simili ergo modo a Persis docet obruendos esse Chaldæos; hoc est enim quod de iisdem prædixit Ieremias c. 51. 36. *Et desertum faciam mare eius, et siccabo venam eius, et erit Babylon in tumulos*, scilicet *arenarum*, inquit S. Hieron. hic.

Vers. 2. Visio dura (Babyloni futura) nuntiata est mihi.) Isaiæ; eius enim sunt verba, non Babylonis, uti aliqui volunt.

Qui incredulus est, infideliter agit (Hebr. *Qui prævaricator est* aliis, *prævaricator est* Babyloni; Hebr. בגד *bagad* significat prævaricari, fidem fallere, rebellare, iugum excutere) et qui depopulator est, vastat.) q. d. Persæ et Medi, populus infidelis et fœdifragus, non servant Babyloni, uti nec aliis gentibus fidem; et sicut alias gentes populari solent, ita et vastabunt Babylonem. Medos enim et Persas fuisse Babyloniis confœderatos, patet ex eo, quod Nabuchodonosor cum Cyaxare rege Medorum expugnarit Niniven, et Assyriorum monarchiam everterit, uti docent S. Hieron. Eusebius, et alii quos citabo Ierem. 1. 2. Unde et Nabuchodonosor uxorem duxit Nitocrin filiam Cyaxaris; hinc etiam Ælamitæ, id est Persæ, cum Chaldæis venerunt contra Ierusalem, ut dicitur cap. seq. v. 6. Quare hic sensus est genuinus. Ita Adamus et alii.

Secundo, Sanchez putat hæc intelligi de Gedata et Gobria, qui a Balthasare ad Cyrum transfugerunt, atque primi in Babylonem, et in regiam irrepserunt, ibique Balthasarem occiderunt, ut docet Xenophon l. 7. Pædiæ Cyri: additque Sanchez in voce שדד *sciadad*, id est, *vastat*, alludi ad כשדים *Casdim*, id est, Chaldæi, q. d. Duo principes Chaldæi iam dicti prævaricabuntur in regem suum, et iuxta nomen suum erunt *Casdim* (Chaldæi) hoc est vastatores Babylonis.

Tertio, idem Sanchez hanc explicationem omnibus præfert, qua prior pars ad Babylonios, secunda ad Medos et

A Persas applicatur, q. d. *Ut Babylonius incredulus est et infideliter agit, sic Persa aut Medus depopulator est, et vastat.* Unde hebr. est: *Prævaricator*, *prævaricator*, *et vastator, vastator,* hoc est, ut ille, scilicet Babylonius, obstinate prævaricatur, et peccat in Deum ac homines: ita iste, scilicet Cyrus, obstinate eumdem vastabit.

Quarto, Vatablus vertit: *Prævaricator prævaricatori et vastator vastatori*, scilicet erit vel adveniet. Est proverbium, q. d. Chaldæus, qui aliis iniuriam faciebat, iniuria afficietur a Persis; idem qui alios vastabat, ipse vastabitur.

Quinto, Forerius vertit: *Depopulator depopulatur, et vastator vastat*, atque S. Hieron. in commentar. *Qui cædis cæde*, *qui vastas vasta*, q. d. O Medi et Persæ, qui alias gentes cæditis et vastatis, cædite et vastate Babylonios; hoc vestrum munus est, hæc vestra Sparta, eam adornate.

Ascende, Ælam; obside, Mede.) q. d. Adesdum, o prævaricator, o vastator Babylonis, tu, inquam, o Ælam,
B id est Persa, et tu, o Mede, invadite urbem mihi invisam, vestræque cædi addictam. Sept. pro *Mede* vertunt *Persa*, forte, inquit Leo Castrius, alludentes ad Græcum πέρθειν, id est, vastare et perdere, q. d. Medi erunt Persæ, id est, perditores Babylonis. Sic Apocal. 9. angelus ille vocatur Hebr. אבדון *abaddon*, græce ἀπολλύων, latine perditor vel exterminator.

Omnem gemitum eius cessare feci.) *Eius* scilicet Persæ et Medi. Ita aliqui. Secundo, *eius*, scilicet populi Iudaici, quem Isaias in mente et corde semper gerebat. Tertio, et aptius, *eius*, scilicet Babylonis, gemitum cessare feci, quia ita subito a Persis obruetur ut perculsa præ stupore flere et gemere non possit, aut gemitum, id est planctum, publicum et funebrem auferam, q. d. Faciam, ut Chaldæi a Persis occisi careant exsequiis, et funebri pompa ac planctu. Ita Sanchez. Quarto, et optime Vatablus active hæc accipit, q. d. Cessare feci gemitum eius, scilicet Babylonis, quo ipsa sua tyrannide et oppres-
C sione cogebat alios flere et gemere. Unde Chaldæus vertit: *Omnes qui gemebant a facie regis Babylonis, cessare feci*, illo scilicet interempto.

Propterea repleti sunt lumbi mei dolore.) Cyrillus et Adamus putant esse mimesim; loqui enim Prophetam in persona Balthasaris, quando vidit manum scribentem in pariete: *Mane tekel phares*, atque ex eis Daniele explicante, cognovit exitium sibi et regno impendere. Vers. 3.

Verum, quia sequitur, *pone mensam*, quod antequam scriberet hæc manus, factum est: hinc melius S. Hier. censet hæc esse verba Isaiæ amantis Babylonem, licet genti suæ inimicam, eique more suo compatientis, cum prævideret in spiritu eam a Cyro obsessam, et positam in miraculum, id est, admirandis angustiis constringi. Meminit doloris lumborum, quia alludit ad dolores parturientium, uti mox explicat, qui vehementissimi sunt in lumbis; hi enim in puerperio mire convelluntur, ut plane luxari et distrahi videantur.

Conturbatus sum cum viderem.) Hinc videtur spe-
D cies conflagrantis Babylonis, oculis mentis Isaiæ fuisse a Deo obiecta.

Tenebræ stupefecerunt me.) Ex dolore et pavore caligo oculis meis offusa fuit, indeque animo stupor et horror. Vers. 4.

Babylon dilecta mea.) Hebr. pro *Babylon*, est נשף *nesceph*, id est caligo, obscuritas. Sic Babylonem vocavit *montem caliginosum* c. 13. 2. ob causas ibi allatas. Addit S. Hier. eam vocari *caliginem*, quia ad cælum usque (ubi caligat noster oculus) superbiæ verticem attollebat. Unde secundo, Vatabl. Adamus et alii vertunt: *Crepusculum, vel noctem desiderii mei posuit mihi in pavorem*, sicque explicant; ut sint verba Balthasaris, q. d. Noctem ultimam, qua epulari et gaudere cogitabam, vertit mihi Deus in luctum et horrorem: hic sensus valde accommodus est, si Hebræa spectemus. Tertio, Sanchez putat exitium Babylonis vocari *crepusculum*, quia erat aurora quasi lucis, id est, initium lætitiæ, quæ ex libertate inde futura obo-

ritura erat Iudæis sub Cyro. Crepusculum desiderii est exordium desideratæ adeo libertatis: hoc versum est Isaiæ in pavorem et luctum, quia indoluit Iudæos liberandos esse cum tanto Chaldæorum dolore et damno. Sept. pro *neseph*, per metathesin legentes נפש *nephes*, id est anima, vertunt: *Anima mea institit in timorem.*

Dilecta mea.) Aliqui putant ironice et per antiphrasin hoc dici, *dilecta*, id est, mihi et Iudæis exosa civitas. Secundo, Sanchez putat τo *mea* esse paragogicum; respondere enim Hebræo *iod*, quod hic non est pronomen affixum, sed littera paragogica. Simile est Cant. 1. 9. סוסתי *susati*, id est, *equitatui meo*, ubi *iod*, id est, *meo*, videtur esse paragogicum. Babylon ergo absolute vocatur *dilecta*, hebr. חשקי *chiski*, id est desiderabilis, ob opes, speciem et delicias.

Posita est mihi in miraculum.) Babylon, ob splendorem murorum et domorum, erat unum e septem orbis miraculis: iam est miraculum ruinæ, angustiæ, pavoris et tremoris; hoc enim est Hebr. חרדה *charada*.

Vers 5. Pone mensam contemplare in specula.) Est ironia, q. d. Age, Balthasar, instrue mensam, epulare, interimque statue speculatores, qui e specula contemplentur, ne quam irruptionem in urbem moliatur Cyrus, qui eam obsidet. Hi mecum tibi tuisque inclamabunt; Surgite, principes,qui laute cum Balthasare comeditis et bibitis, arripite clypeum, hostis adest, Babylonem ingressus est, ad regiam advolat; grassanti in urbe occurrite,inquitVatabl. Adamus et alii. Ita factum esse narrat Xenophon lib. 7. ubi ait Balthasarem posuisse hos speculatores: unde Persas qui in regiam irruperunt, invenisse regem cum acinace districto, ibique illum trucidasse.

Aliter speculam accipit S. Thom. Hugo et Sanchez, scilicet pro pariete, q. d. Speculare, o Balthasar, et contemplare in pariete Dei manum scribentem: *Mane tekel phares*, tibique exitium intentantem; unde hebr. est: *Speculare speculationem*, vel *vide visionem*.

Comedentes et bibentes: surgite.) S. Thom. Hugo et Haymo putant Cyrum et Darium, invitatos a Balthasare ad convivium, post compotationem invasisse Balthasarem, eumque occidisse, idque hic ab Isaia prædici. Sed nec Scriptura, nec Xenophon, vel quis alius, tale quid dicit; imo potius contrarium asserunt, scilicet rege convivante, Cyrum in fossas iam ante paratas derivasse Euphratem, et per eius alveum sicco pede cum suis ingressum in urbem. Adde, non in convivio captam esse Babylonem et regem interfectum; sed diu post convivium, scilicet postquam vidisset manum scribentem in pariete, convocasset sapientes qui Scripturam explicarent; cumque nemo id posset, vocasset Danielem, qui scripturam legit et explicuit, ideoque a rege honoratus est, quæ omnia multi fuerunt temporis. Quare Cyrus in convivio regem occidere non potuit. Ita Lyran. et alii.

Secundo, Sanchez *comedentes* ab Babylonios, *surgite* ad Persas refert, q. d. Comedentibus et bibentibus Babyloniis, surgite, principes Persarum, arripite arma, urbem invadite. Verum sensus, quem paulo ante dedi, magis connexus et genuinus videtur.

Arripite clypeum.) Videtur interpres legisse משכו *mischu*, id est trahite, arripite: unde et Sept. vertunt, *parate*: iam legunt משחו *mischu*, id est, *ungite clypeum*, q. d. Ne caput et corpus de more ungatis, o convivæ Balthasaris, ne cibos lautius condiatis, sed ungite clypeos, arma capessite; non convivandi, sed pugnandi tempus est. Rursum *ungite clypeum;* solent enim milites arma ungere, ut sint polita et fulgentia. Unde Virgil. l. 7. Æneid.

Pars leves clypeos et spicula lucida tergunt,
Arvina pingui.

Et Vegetius l. 2. c. 14. *Decurio*, inquit, *cogat milites loricas, contos et cassides frequenter tergere; plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat;* et: *Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulatione ferrum et arma situ et rubigine fœdantur?* Quocirca Chaldæus vertit: *Tergite, et lucidā facite arma.* Ita Sanchez. Notat socordiam Babyloniorum, qui sinebant rubigine arma obduci, ut ea ipsis aptanda et polienda essent quando iis utendum, et cum hoste conserendæ erant manus. Rursum *ungite clypeum;* forsan oleo levis clypeus et lubricus, hostium eludet iacula, ictusque avertet, quibus asperitas viam solet aperire. Ideo enim veteres ungebant clypeos, inquit Forerius, R. Salomon et Vatabl. Secundo, Hector Pintus et Pagnin. Ungite clypeum, inquiunt, id est, ungite regem alium pro Balthasare iamiam occidendo qui vobis sit clypeus: puta ungite Cyrum, illi vos subdite. Solebant enim in creatione regis, eum eiusque clypeum ungere, ait Vatabl. et R. Salomon, sicque explicant illud 2. Reg. 1. 21. *Quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* Verum ibi τo *unctus* ad *Saul*, non ad *clypeus* referendum est.

Vade, et pone speculatorem.) Hæc comice aut potius tragice dicuntur, q. d. Dixi tibi, o Balsasar, Contemplare in specula: nunc ob periculum imminens iterum dico: Pone speculatorem, meque, si placet, pone, q. d. Si velis hanc meam prophetiam legere, vel audire, ego Isaias tibi verissimus et fidelissimus ero speculator. Quocirca v. seq. nuntiat Isaias, se speculatum currum hostilem, qui trahebatur ab asino et camelo, cum duobus equitibus. Minus congrue ergo aliqui per speculatorem accipiunt Deum, vel Angelum, qui hæc speculetur, dicatque Isaiæ, ut ipse ea annuntiet Chaldæis. Vers. 6.

Et vidit currum duorum equitum.) Hi duo equites sunt Darius et Cyrus, qui uno quasi curru, id est uno exercitu, et coniunctis copiis, invecti in Babylonem, eam expugnarunt. Hic currus trahebatur ab asino et camelo; asinus significabat Persas, camelus Medos. Vers. 7.

Secundo, et aptius, *vidi currum*, id est, vidi currus duorum equitum, scilicet currum protractum ab asinis, cui insidebat Cyrus Persa; et currum alterum protractum a camelis, cui insidebat Darius Medus: erant tamen similes et pariles hi currus, ita ut unus, idemque videretur esse currus: unde hebr. est, *vidi currum paris*, vel *parilem equitum*. Singuli ergo reges suum habebant currum: uti constat de Achab et Iosaphat pugnantibus contra Ramoth Galaad. Rursum idem currus non poterat trahi ab asino et camelo, qui longe maior est, aliumque plane habet gressum quam asinus. Unde Symmachus pro *duos ascensores* vel *equites*, vertit, *duas bigas*. Hebr. enim est, *vidi currum*, id est currus, *paris equitum*, puta, *currum asini et currum cameli*, q. d. Vidi duos currus: unus trahebatur ab asinis, alter a camelis. Ita Vatablus, Forer. Pagninus, quin et Cyrill. et Procopius.

Camelo comparantur Medi, et Darius eorum rex; quia Medi erant bellicosi et potentes, ac camelis inequitabant. atque Darius regio Medorum sanguine ortus, illustris erat et magnanimus. Ita S. Hieron. Currus Cameli sunt Medi, cur?

Asino vero comparantur Cyrus et Persæ, quia usque in hanc diem abiecti fuerant et ignobiles. Secundo, quia gens erat laboriosa, et malorum patiens. Tertio, quia non tam solertia militari quam corporum robore, et hominum turba, vel eorum quibuscum belligerabant ignavia, imperium sunt adepti. Iisdem de causis a Daniele, c. 7. 5. urso comparantur. Quarto, quia licet priores Persæ continentissimi fuerint, et maxime frugales, teste Xenophonte; posteriores tamen luxu et libidinibus diffluxerunt, ut factum patet tempore Xerxis et Darii Codomanni, etc. imo Theodoret. in Levit. quæst. 24. *Persæ*, ait, *in hunc usque diem non sororibus tantum: sed et matribus et filiabus nuptiarum lege permiscentur.* Ita et Augustin. ibid. q. 58. Salaces enim asinis comparantur. Unde Ezech. 23. 20. de Ægyptiis et Chaldæis dicitur: *Quorum carnes sunt ut carnes asinorum: carnes*, id est, pudenda tam grandia, ait S. Hieron. Denique Eusebius l. 9. de Præparat. cap. ult. ex Alphæo et annalibus Chaldæorum docet Nabuchodonosorem enthusiasmo correptum prædixisse Chaldæis: *Veniet Persa semiasinus, qui vobis iugum servitutis imponet:* id est veniet Cyrus, qui dicitur semiasinus, id est mulus, ex equa et asino, vel camela et asino, generatus, quia Cyrus matre Mandane Astyagis Medorum re- Asini sunt Persæ. 1. 2. 3. 4. Cyrus vocatur mulus, cur?

gis filia, patre vero obscuri generis Persa natus est. Unde et aliqui putant unum eumdemque Cyrum vocari hic ascensorem asini, quia natus ex Persis iis dominabatur; et ascensorem cameli, quia natus ex matre Meda mortuo Dario avunculo, regnum Medorum adiit. Sed verius est duos hic poni ascensores sive equites, puta Darium et Cyrum.

Allegorice, Isychius l. 2. in Levit. 11. Christus, ait, est ascensor cameli, id est populi Iudaici, qui grave legis iugum portabat, et distortis ac superbis erat moribus, instar cameli: est et ascensor asini animalis immundi, id est, populi Gentium, et biiugum ex iis currum unum Ecclesiæ effecit: vel, ut Castrius, Christus cameli, id est, cælestium Angelorum; et asini, id est, terrenorum hominum, ascensor et dominus est. Denique Alcazar in Apoc. 17. not. 1. pulchre hæc adaptat S. Petro et Paulo, qui Babylonem mysticam, id est, Romam et idololatriam, everterunt, eamque Christo subegerunt. Ascensor enim asini est S. Petrus, utpote Apostolus Iudæorum, qui quasi asini oneri legis erant assuefacti. Ascensor cameli est Paulus, utpote Gentium superbarum et indomitarum Apostolus: imo ipse contendit hunc sensum esse litteralem; sed ex dictis patet esse mysticum.

Et contemplatus est.) Non Cyrus, sed speculator, puta Isaias, qui hic iuxta officium paulo ante assumptum speculatur, et annuntiat adventum Cyri; unde clamat quasi leo, ut sequitur. Loquitur Isaias de se in tertia persona, quod in Scriptura, et apud Hebræos frequens est.

Vers. 8. Leo est custos pervigil. Et clamavit leo.) Aliqui, ut Vatablus, sic exponunt clamavit speculator: Leo scilicet Cyrus, adventat, parans vobis, o Chaldæi, exitium. Unde Aquila vertit, *voca leonem;* Symmachus, *voca leænam;* Theodotion, *voca ariel,* q. d. Voca Cyrum, ut quasi leo irruat in Babylonem. Secundo, et melius, Isaias clamavit et rugiit quasi leo: Isaias enim positus speculator et Propheta, semperque ad visitationem Dei excubans, ac fortissime futura prænuntians, quasi custos hominum, recte comparatur leoni; quia leo est pervigil, eo quod brevissimas habeat palpebras, et splendescentes pupillas, ut etiam dormiens videatur vigilare. Hinc a veteribus creditus est leo numquam dormire: qua de causa Græci in valvis templorum solebant pingere duos leones, quasi custodes loci, uti etiamnum fieri videmus in multis palatiorum, urbium et templorum foribus. Sane hic Romæ in palatio Pontificis in Vaticano vidi effigiem leonis dormientis cum hac inscriptione: *Dormiens vigilat.* Rursum ex omnibus animalibus curvos ungues habentibus solus leo videt, cum primum in lucem editur: unde a Plutarcho *animal solare* vocatur. Ita Ægyptii, inquit Horus Apollo hierogl. 19. *Vigilantem sedulumque hominem, aut etiam custodem ostendentes, leonis caput pingunt: quoniam leo vigilans oculos claudit, eosdem cum dormit, apertos habet, quod custodiæ et excubiarum signum est. Quocirca templorum claustris leones qui custodum loco sint, appinxerunt.* Septuaginta retinent Hebr. אריה *arie,* id est leo, quasi nomen proprium; unde aliis punctis legentes vertunt: *Voca Uriam in speculam Domini,* quasi speculator hic vocetur Urias, sitque Christus, qui hebr. dicitur Urias, id est, lux Domini, inquit S. Hieron.

Super speculam Domini ego sum.) q. d. Ego Isaias sum speculator et Propheta Domini iam dictus, qui iuxta officii mihi commissi exigentiam, nocte et die assidue excubo, ut verbum Domini excipiam et futura prospiciam, eaque aliis denuntiem, sicut in specula speculatores, et in excubiis excubitores adventum militum et hostium civibus annuntiant.

Moral. de vigilia. Moraliter, discant hic præcones et ductores fidelium, ipsique fideles speculari ventura futuraque pericula et clades. Audivit hic speculator vigilantissimus: *Cecidit, cecidit Babylon, tritura mea, et filii areæ meæ,* id est Babylon, et vos Babylonii filii areæ in qua fiet tritura, omnes triturandi estis: nos pariter impiorum ruinam, et æternum supplicium, quasi ex specula prævideamus, mirabilemque trituram, quæ in valle Iosaphat et in morte fiet, speculemur, eamque caveamus. Hinc Christus monet

A Matth. 24. v. 42. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* S. Ambros. lib. 5. de Fide c. 8. *Certa,* inquit, *futuri iudicii momenta nescimus, ut semper tamquam in excubiis constituti, et in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat.* Petrus Chrysolog. serm. 23. *Vigilias,* inquit, *ad omnia esse salutares nullus ignorat: plus vigilare, plus vivere est; nam quid morti similius quam dormientis aspectus? Rex pervigil, hostis prævavet insidias; miles nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit: nauta vigilando incertas vias intrat: pastor adiungit noctes diebus, ne qua lupis grassandi in gregem præbeatur occasio; viator solers per auras noctis æstus solis prævenit.* Ita vigila et tu, o Christiane, qui miles, nauta, pastor, et viator es in cælum. Sponsa Cant. 5. 2. ait, *Ego dormio, et cor meum vigilat:* dormit mens quæ se ad iudicium præparat: dormit, inquam rebus caducis, mundique næniis; vigilat autem rebus æternis. Ibidem c. 3. 7. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, propter timores nocturnos.* Animalia cernit Ioannes Apoc. 4. plena oculis ante et retro: sic Christianos decet esse Argos et centoculos, ne dormiantes mors et iudicium opprimant. Sic enim Isboseth, id est, virum confessionis, dormientem mors percussit et in orcum deturbavit, 2. Reg. 4. Sic Holophernem dormientem Iudith cap. 13. vigilans oppressit. Sisara dux exercitus a Iahele fœmina lactis potu sopitus et occisus est, Iudic. 4. Sopore oppressus Samson a Dalila tonsus, et fortitudine spoliatus est, Iudic. 16. Sauli dormienti David hastam abstulit et scyphum. 1. Reg. 26. Quocirca cogita assidue illud: *Vita mortalium vigilia.* Vigil ergo esto, et vigila iugiter cum S. Vigilio. Dic cum Psalte: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Vita mortalium vigilia.

Ecce iste venit ascensor vir bigæ.) Hic speculator nuntiat ea quæ vidit, rugitque ut leo, clamans: Video adventare Persicas acies, casque in urbem irrumpere; video Babylonem ab eis eversam cadere et ruere. Vers. 9.

Nota *ascensor,* id est ascensores, id est equites duo, scilicet Darius et Cyrus. Sic vulgo dicimus: Miles vel eques adest, id est, milites vel equites adsunt. *Vir,* id est, quilibet eorum (Hebr. enim אִישׁ *is,* id est *vir,* distribuit, idemque est quod *quivis, quilibet*) insidet suæ *bigæ equitum,* id est equestri et bellicæ, in qua vel ex ipsa biga, vel ex eius equis, asinis aut camelis pugnant equites: aliæ enim sunt bigæ rurales et onerariæ, quæ sunt ad vehendum onera et merces, non ad pugnandum. Unde hebraice est: *Ecce venit currus,* vel *biga virorum,* currus, inquam, *paris equitum.* Ita Vatabl. *biga,* id est, duæ bigæ, et duo currus duorum equitum. Noster interpres pro רכב *recheb,* id est currus, legit רכב *rocheb,* id est ascensor vel eques.

Posset secundo, *ascensor* proprie sumi in singulari, ut unum notet Cyrum, qui bellum hoc confecit: hic vocatur *vir bigæ equitum,* quia duarum gentium, scilicet Medorum et Persarum, iuncto exercitu venit contra Babylonem: licet enim v. 7. duos ponat equites, scilicet, Darium Cyri avunculum sexagenarium, et ipsum Cyrum; tamen hic unum ponit Cyrum, qui iuvenis erat animosus et bellicosus, solusque quasi rem hanc peregit.

Et respondit.) Scilicet speculatur Isaias, *respondit,* id est clamavit ultro, nemo enim hic eum interrogat. Sic sæpe Christus in Evang. dicitur respondisse, id est dixisse, cœpisse loqui.

Cecidit, cecidit Babylon.) *Ruit alto a culmine Troia,* prorsus prostrata fuit Babylon: hoc enim significat geminatio verbi *cecidit.* Huius typo Roma urbis, quæ in fine mundi ad idololatriam redibit, vocatur Babylon, diciturque vastanda Apoc. 18. 2. ait ibidem Franc. Ribera. Est enim in Babylone hic expressus typus excidii, tum mundi, eiusque regis diaboli per fidem et gratiam Christi; tum maxime urbis et orbis in fine sæculi.

Tritura mea, et filii areæ meæ.) *Tritura* idem est, quod *filii areæ,* puta frumentum, et grana trituratione in area excussa (sic *filiæ pharetræ* vocantur sagittæ, Thren. 3. 13.) ita vocat vel Babylonem, vel potius, ut S. Hieron. Vers. 10.

Ierusalem et Iudæos, qui ab Assyriis et Chaldæis fuerant triturati, calcati, attriti, et ad paucos redacti. Hinc Septuag. vertunt, *derelicti et dolentes*, q. d. Babylonios non triturabo, sed conteram et disperdam; vos vero, o Iudæi, qui estis gens mea, triturabo, sicut trituratur seges in area : ita ut ex magno segetum acervo, paleis eventilatis, et culmis ac stramine reiecto, pauca remaneant grana, quæ ex eis excussa sunt : sic enim et vos per tot clades triturabo, non ut perdam, sed ut probem et purgem, condamque ut grana selecta in horreum Ecclesiæ ac reip. meæ.

Secundo, alludit ad aream Ornan Iebusæi, ubi ædificatum est templum : ibi enim quasi in area sua Deus vitiorum et errorum populi sui paleas, vera sua lege, doctrina et cultu eventilavit, eumque quasi frumentum excussum et expurgatum, in horreum suum condidit.

Tribulatio est tritura Dei. Moraliter hic et Ierem. 51. 33. et sæpe alibi, *tritura* vocatur tribulatio, et gens, vel anima tribulata : *tribulatio* enim dicta est a *tribula*, qua segetes tribulantur et triturantur, ut grana excutiantur. *Tribula* vero dicta est a terendo, quasi teribula, quia segetes terit, ut grana excutiat.

Quocirca disce hic, quam sit utilis tribulatio, scilicet est tritura, facitque nos filios areæ Dei, dum nos a paleis secernit, ut dicamus cum S. Ignatio : *Frumentum Dei sum, dentibus bestiarum molar, ut panis Christi mundus inveniar.* Hoc est quod ait Sapiens c. 3. vers. 5. *In paucis vexati, in multis bene disponentur : quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum.* Pulchre S. August. in Psalm. 61. *In fornace*, ait, *ardet palea, et purgatur aurum ; illa in cineres vertitur, et a sordibus illud exuitur : fornax est mundus, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: ubi ponit me aurifex, tolero. Iubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et quasi consumendum me illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? quia Deo subiicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea. Quis est tibi iste, a quo est patientia tua? quoniam ipse est Deus meus, et salutaris meus, susceptor meus non emigrabo.* Idem rursus : *Nullus*, ait, *servus Christi sine tribulatione est ; si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus.* Idem alibi : *Flagellum*, inquit, *interius et exterius glorificat peccatorem, compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit currentem, protegit infirmantem, excitat torpentem, initiat ad mortem semper viventem.* Idem de temp. barbarico cap. 3. tom. 9. *Si aurum es, quid times ignem? si frumentum es, quid times tribulam? non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo a te separaverit paleas : si oleum es, quid times pressuram præli? non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis a te separaverit amurcam.*

Vers. 11. Onus duma.) Septuag. *onus Idumææ*, quæ a suo parente rufo, *Edom* sive Idumæa; ab eodem piloso, *Seir* dicitur.

Duma an Roma? Ineptiunt Iudæi, dum pro *Duma* legunt *Roma*, quasi Romani non ab Ænea et Troia, sed ab Esau et Idumæis sint oriundi, ut, quoties Prophetæ contra Idumæos, toties contra Romanos vaticinentur. Ridet id hic et alibi S. Hier.

Nota : Nomina propria sæpe patiuntur aphæresim : sic enim Idumæa vocatur *Duma ;* sic Ierusalem vocatur *Salem ;* sic Abraham vocatur *Ram*, Iob 32. 2. sic Beniamin vocatur *Iemini* : filius enim Iemini, idem est quod Beniaminita, uti vertunt Septuag. et Caietan. in Iudic. 3. ait hoc esse indubitatum apud Hebræos; sic Adeodatus Bethlemites vocatur in Hebræo *Lemites*, 1. Paral. 20. 5. uti advertit S. Hieronym. ibi in Tradition. Hebraic.

Sic Belgæ passim nomina propria decurtant, ut pro Nicolaus dicunt *Claes*, pro Elisabeth *Lysbet*, pro Ioannes *Hans*, pro Dorothea *Thozie*, pro Sebastianus *Bastiahen*, pro Cæcilia *Cilie*.

Mystice, S. Bern. de onere Duma, serm. 7. ita commen- A tatur: *Duma interpretatur silentium. Scitis, fratres, quod multos silentium onerat, et gravat quies : ita ut tacentibus et quiescentibus omnia oneri sint; caput doleat, venter rugiat, caligent oculi, et renes pene solvantur; exeuntibus autem, huc illucque vagantibus et loquentibus iucunda sint omnia, tradantur oblivioni dolores, singulis membris sua reddantur officia. O quanta est virtus linguæ, quæ oculos serenat, caput alleviat, renes consolidat, genua dissoluta corroborat! Hæc infirmum in laboribus infatigabilem reddit, patientem in iniuriis, paratum ad iter, promptum ad obedientiam. Itaque si videris monachum in claustro residentem huc illucque respicere, oscitare crebrius manus et pedes extendere, nunc librum ponere, nunc resumere : postremo, quasi quibusdam stimulis agitatum de loco in locum, de auditorio in auditorium cursitare, sub onere Duma eum suspirare non dubites. Est præterea aliud quoddam silentium, quod æternæ pœnæ pondus multis imponat. Ipsum est silentium, quod ex pudore et confusione procedens confessionem obstruit peccatorum, vel* B *excludit remissionem: quod onus pœnæ tale silentium mereatur, propheticus sermo non tacet.*

Ad me clamat ex Seir (male Plantin. legunt *rex Seir*, ut patet ex Hebræis, Græcis et Romanis. Sensus est, q. d. Videor ego Isaias constitutus a Deo speculator, videre belli pavorem ac strepitum, atque audire Idumæos consternatos ex Adventu Nabuchodonosor, anxie rogantes suos excubitores) Custos, quid de nocte?) Scilicet vidisti, vel sensisti de hostibus? aut potius *quid de nocte ?* id est, quota est noctis hora ? Anxie enim in hoc metu et pavore diem et lucem expectamus : noctu enim vel ipsa silentia terrent, præsertim ubi ab hoste vel aliunde imminet periculum. Sic vulgo Belgæ et Germani dicimus : *mat ist ban den dach:* quid est de die ? id est, quota est diei hora ? *wat ist ban den nacht?* quid est de nocte ? id quota est noctis hora ? Ita Adamus. Alii, q. d. *Quid de nocte*: id est, quo evadet hæc nostra nox ? id est afflictio et periculum; eritne perpetua, an vertetur in lucem?

C Venit mane et nox.) Primo, aliqui sic exponunt, Vers. 12.
quasi respondeat custos: illucescit quidem mane sed nobis durabit nox, id est, afflictio et calamitas imminens ab hoste.

Secundo, alii, q. d. Mane et nocte identidem quæritis, *Custos, quid de nocte?* agite, quoties lubet euntes et revertentes idem quærite, mihi aures idem rogando obtundite. Nam frustra rogatis, operam perditis, actum est de vobis, pereundum est. Ita Vatabl. Quasi custos per impatientiam repetat, et importunis in os regerat id quod ipsi toties rogabant, dicatque: *Venit, venit mane et nox, venit, venit.*

Tertio, Sanchez, q. d. Quid quasi pueri toties quæritis mane et nocte : *Custos, quid de nocte?* et interim arma non capitis, acies non instruitis, ut hosti resistatis? non enim eiulatu et interrogando, sed gladiis et pugnando repellendus est hostis. Unde subdit: *Si quæritis, quærite, convertimini, et venite*, q. d. Si serio et cordate rogatis et D quæritis, quærite a speculatore, qua via et ratione hosti sit occurrendum, quibus præsidiis urbs munienda, quibus armis utendum; et tunc demum venite aptis instructi armis, non molli atque muliebri eiulatu: sic vulgo dicimus: *Age quod agis: age* scilicet serio et strenue.

Quarto et planissime, Arias Montanus: Quæsierant, inquit, Idumæi a suo speculatore : *Custos, quid de nocte?* id est, quota est noctis hora? respondet custos: *Venit mane et nox*, q. d. Instat mane, et tamen adhuc nox est; quare *si quæritis, quærite*, q. d. Si ergo ad prædam aut alio excurrere velitis, festinate, *convertimini et venite*, id est rursum venite, citoque redite in urbem antequam hostes mane vos persentiscant. Est hebraismus, quo verbum ponitur pro adverbio vel participio, *convertimini et venite*, id est, iterum venite, vel revertentes venite.

Quinto, Procopius et Theodoret. exponunt, q. d. O Idumæi, recte facitis quod pro muris vestris consistitis, et de nocte, deque mane custodem vestrum interrogatis: si tamen salutem certamque ad eam viam quæritis, ad me qui

sum vester Deus et custos venite, agite pœnitentiam, peccata abdicate, studete iustitiæ, itaque vos mihi reconciliate; ego vos defendam, quia filii Abraham et Isaac estis. Verum sic hoc consilium, et hæc verba essent Dei, aut Isaiæ, cum pateat esse custodis Idumæorum, uti dixi.

Mystice, S. Gregorius 16. Moralium 25. et S. August. tract. 43. in Ioann. et ex iis Leo Castrius exponunt, q. d. Propheta, O Deus, qui es Samaritanus, id est, custos hominum, ad te clamat Seir, id est, populus Gentilis et peccator, *Quid de nocte?* quid de tanta tribulatione fiet? quamdiu in hac nocte ignorantiæ peccatorum et miseriarum versabimur? quando aderit mane, quo sol iustitiæ Christus oriatur? quibus respondet Deus: Si sincere et ex animo quæritis Christum, in quærendo perseverate, et invenietis.

Rursum S. Gregor. 6. Moralium 13. *De nocte*, ait, *custos venit, quia humani generis protector, et manifestus in carne apparuit; et tamen hunc pressa perfidiæ suæ tenebris Iudæa minime cognovit. Ubi bene ex voce custodis additur: Venit mane et nox, quia per eius præsentiam et nova lux mundo inclaruit, et tamen in corde infidelium vetusta cæcitas remansit.*

Vers 13 ONUS IN ARABIA.) Id est, prophetia minax contra Arabes habitantes in Arabia, qui a progenitoribus dicuntur Ismaelitæ et Cedareni. Cedar enim fuit filius Ismael, Gen. 25. 13. Hi erant, uti etiamnum sunt, homines feri, habitantes in tabernaculis in locis desertis, vacant pecoribus pascendis, venationibus et prædationibus; sunt enim optimi sagittarii, ut dicitur v. 17. et Ierem. 49. 28. Iuxta id quod angelus de eorum patre Ismael prædixit matri eorum Agar, Genesis 16. 12. *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum.* Quocirca etiamnum Turca, licet dominetur Arabiæ, Arabes tamen omni sua potentia domare, et a prædationibus cohibere non potest.

Mystice S. Bern. de onere in Arabia serm. 8. *Arabia*, ait, *vespera interpretatur, quæ diei finis est, noctisque principium: horam mortis non incongrue, ut puto, signans, quæ cunctis fere mortalibus timoris non leve pondus imponit. Quis enim hominum hoc onus evitet, cui se Salvator exempli causa spontanea voluntate submisit? Imminente enim morte cœpit, ut ait Evangelista, pavere et tædere. Sub hoc timore totum vivit genus hominum: nisi forte aliquis talis sit, cui certa sit beata vita post mortem, cuius desiderio etiam amaritudinem mortis non sentiat. Præterea vespera (quæ, ut diximus, diei finis est, noctisque principium) eius exprimit easum, qui post opera lucis, ea inchoat quæ sunt tenebrarum, cuius fiunt novissima peiora prioribus: qui profecto eo pondere opprimetur, quod in Arabiæ onere continetur.*

IN SALTU AD VESPERAM DORMIETIS.) S. Hieronym. Haymo, Forerius, Hugo et Sanchez hæc de Iudæis intelligunt, qui vastata Ierusalem Chaldæorum manus effugerunt in vicinam Arabiam; proinde moneri Arabes ut eis occurrant, eosque in fame et siti recreent et reficiant, et quia hoc non præstiterunt, hinc v. 16. eis simile intentat excidium.

A Verum, quia hoc onus est contra Arabiam, non contra Ierusalem, hinc dico esse metalepsin, qua significat concitam Arabum veniente hoste fugam, ex eo quod sub noctem fugere cogantur, et in sylva dormire, ac in via quæ ducit ad urbem Dedanim.

Nota. Omnino verisimile est, non Salmanasar, ut vult Forer. sed Nabuchodonosorem, cum vicinam Idumæam, Iudæam, Ammonitidem, cæteraque omnia vastaret, vastasse etiam Arabiam: nam idem Arabiæ excidium prædixit Ierem. cap. 25. 23. et cap. 49. 28. et Ezechiel cap. 25. 13. Hi autem prænuntiant imminens omnibus gentibus Nabuchodonosoris flagellum. Cyrillus tamen id tribuit Dario Medo, quando cum Cyro Babylonem cœpit.

Pro *ad vesperam* hebraice est בערבה *baaraba*, quod primo, verti potest, *in Arabia;* secundo, *ad vesperam;* tertio, *in occasu*. Alludit ad nomen Arabiæ, quod Arabum cladem innuit, q. d. O Arabes in Arabia, id est ad vesperam, ad occasum dormietis, cum scilicet occidet vobis lux et dies, tum solis, tum felicitatis, lætitiæ et gloriæ; cum

B in occasu regni vestri dicetis:

Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum.

Quarto, alludit τὸ *baaraba* ad ערב *oreb*, id est corvus, q. d. Dormietis in Arabia, id est, in regione corvorum, hoc est suspendemini in patibulo, pascetis in cruce corvos; aut descendetis et dormietis in inferno inter atros et tetros dæmones. Hæc enim est Arabia, id est, regio corvorum.

DEDANIM.) Dedan et Theman, inquit S. Hier. in solitudine sunt, et videntur præcipuæ fuisse Ismaelitarum provinciæ.

OCCURRENTES SITIENTI (Arabi ex pavore et fatigatione in fuga) FERTE AQUAM (date potum) QUI HABITATIS TERRAM AUSTRI.) Qui ad Meridiem (qua fugiebant hostem venientem a parte adversa) habitatis, et vicini estis Arabiæ. Vers. 14.

ADHUC IN UNO ANNO, QUASI IN ANNO MERCENARII.) Vers 16.
q. d. Post certum definitumque a Deo, ac breve tempus, et forte post annum ab excisa Ierusalem, gloria Cedar,

C id est Arabum, ut dixi v. 13. auferetur, et exspirabit, sicut exspirat anno finito tempus et lucrum mercenarii: vel *quasi in anno mercenarii*, id est, in anno quo dabuntur in prædam, quasi in mercedem, hostibus suis Chaldæis, pro labore quo Chaldæi Dei vindictæ in exscindendis aliis gentibus servierunt. Vide dicta c. 26. in fine.

RELIQUIÆ NUMERI, id est numerabiles, id est paucæ Vers 17.
Arabum (qui alias solent esse innumeri et peritissimi sagittarii) quæ ex clade Chaldæorum supererunt IMMINUENTUR.) Id est, erunt minuto et exiguo numero. Unde clare Forerius vertit: *Et residuus numerus arcus fortium filiorum Cedar paucus erit.*

Verum, quia non facile erat credere huiusmodi gentem debellandam, quæ desertis assueta, sagittandi perita, cursu velocissimorum equorum hostes facile eludere solebat, neque civitates habebat quæ obsideri possent: hinc ad confirmationem addit: *Dominus enim Deus Israel locutus est*, ad cuius iram vitandam nullæ vires aut artes valent. Ita Forerius.

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iungitur hic clades Hierosolymæ cladibus aliarum gentium, ut quarum imitata est culpam, earum sortiatur et pœnam: non enim Dominus propter locum gentem, sed locum propter gentem elegit. Secundo, v. 15. Sobnæ, præposito templi indigno et superbo minatur depositionem et captivitatem; eique pium et mitem Eliakim surrogandum prædicit cui stabilem et gloriosum pontificatum promittit.

1. ONUS vallis visionis. Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti et tu omnis in tecta? 2. Clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans: interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello. 3. Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt: omnes qui inventi sunt, vincti sunt pariter, procul fugerunt. 4. Propterea dixi: Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere ut consolemini me super vastitate filiæ

populi mei. 5. Dies enim interfectionis, et conculcationis, et fletuum, Domino Deo exercituum in valle visionis, scrutans murum, et magnificus super montem. 6. Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, et parietem nudavit clypeus. 7. Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, et equites ponent sedes suas in porta. 8. Et revelabitur operimentum Iudæ, et videbis in die illa armamentarium domus saltus. 9. Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt: et congregastis aquas piscinæ inferioris, 10. Et domos Ierusalem numerastis, et destruxistis domos ad muniendum murum. 11. Et lacum fecistis inter duos muros ad aquam piscinæ veteris: et non suspexistis ad eum, qui fecerat eam, et operatorem eius de longe non vidistis. 12. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci: 13. Et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et iugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum: Comedamus, et bibamus: cras enim moriemur. 14. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum. 15. Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, et dices ad eum: 16. Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. 17. Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te. 18. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam: ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui. 19. Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. 20. Et erit in die illa: Vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ. 21. Et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu eius: et erit quasi pater habitantibus Ierusalem, et domui Iuda. 22. Et dabo clavem domus David super humerum eius: et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat. 23. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domui patris eius. 24. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum. 25. In die illa dicit Dominus exercituum: Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur, et cadet, et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

Vers. 1. Vallis visionis est Ierusalem, cur? ONUS VALLIS VISIONIS.) Id est, onus Ierusalem. Ita S. Hieron. Septuag. et alii, ut patet v. 4. Dicitur Ierusalem *vallis*, primo, quia subiecta erat monti Sion; secundo, quia sicut vallis e cælo imbrem accipit, ita Ierusalem Prophetas et visiones, id est oracula, a Deo hauriebat; tertio, quia urbs olim pietate et sapientia, æque ac opibus et gloria inclyta, ita ut mons altissimus dici posset, essetque in Sion: nunc ob scelera, æque ac clades, puta ob onus hoc excidii, facta est humillima atque abiectissima, ut a Chaldæis, et postea a Romanis excisa, vallis et vorago dici posset. Ita S. Hieron. Procop. et alii. Unde Septuag. vertunt, *verbum vallis Sion*, q. d. O Sion, quæ olim fuisti mons templo, arce, gloria inclytus, nunc in vallis ingloriæ vilitatem et profunditatem es depressa. Talem iam videmus Ierusalem, ob cæsum ab ea Christum, adeo ut vix in ea domus sit ulla alicuius momenti; sed incolæ, qui in ea pauci sunt, in casis et antris potius, quam domibus habitare videantur, uti oculati testes referunt.

VISIONIS.) Id est prophetiæ, quia Ierusalem parens fuit aut nutrix omnium fere Prophetarum. Alludit ad montem Moria, id est visionis, inquit Forer. ubi Abraham volens immolare filium vidit Deum, id est, Angelum Dei vicarium, Genes. 22. 2. Moria enim erat in Ierusalem, eratque Sion, in quo ædificatum est templum, ut patet 2. Paral. 3. 1. q. d. O Sion, fuisti *Moria*, nunc es *Mara;* fuisti mons visionis, nunc es vallis lacrymarum et tenebrarum; fuisti Dei templum, nunc es spelunca latronum.

Mystice, S. Bernard. tract. de Undecim oneribus Isaiæ serm. 9. sic ait: *Subditur onus vallis visionis; visio refertur ad contemplationem, vallis ad humilitatem vel deiectionem. Est enim quorumdam contemplatio humilis, quorumdam deiecta. Humilis sanctorum, abiecta peccatorum. Sancti autem quo magis proficiunt, eo maiori onere vanitatis fatigantur; et sic ad altiora se erigunt, ut quandoque inviti ad inferiora trahantur; si enim virtus proficit, servatur humilitas; si onera, vanitas est. Scitis, fratres, qualem necesse est ut sustineat pugnam mens proficientis, ne favor humanus subrepat, ne dissolvat adulatio, ne cor ambitu intumescat. At illi, qui quod notum est Dei, notum est illis, qui invisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciunt, evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, et a monte contemplationis ceciderunt in vallem erroris. Ideo mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, quadrupedum et serpentum. Et si scire volueritis quo isti digni sunt onere, audi quod sequitur: Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, et passiones ignominiæ: et tradidit eos Deus in reprobum sensum.* Aliis deinde hoc onus applicat, dicens: *Sed et illi qui scientia Scripturarum, vel doctrina cælesti, intentione non recta, puta ad laudes hominum, vel ad temporale lucrum retorquentur, ad vallem visionis pertinere noscuntur, ut scientia visionem, vallis intentionem significet. Quos omnes quale pœnæ pondus exspectet, propheticus sermo declarat.*

QUIDNAM QUOQUE TIBI EST (o Ierusalem) QUIA ASCENDISTI ET TU OMNIS (omnes tui cives, filii et filiæ) IN TECTA?) Ut ibi spectetis, et communi eiulatu comploretis commune urbis incendium, gentisque excidium: erant enim tecta in Iudæa plana instar tabulatorum, ut in iis ambulare, et spectare plateas urbemque possent.

CLAMORIS PLENA, URBS FREQUENS, CIVITAS EXULTANS.) Olim eras frequens populo, atque exultabas choreis, tubis, tympanis: nunc dum vastaris, clamoris es plena. Vers. 2.

INTERFECTI TUI, NON INTERFECTI GLADIO, NEC MORTUI IN BELLO.) q. d. Solatium est militi eiusque cognatis, si pugnans fortiter cadat in bello: hæc enim est gloriosa mors. At tui cives, o Ierusalem, non gladio, sed fame tempore obsidionis, inquit Theodor. ceciderunt: superstites, non pugnantes, sed fugientes, quasi imbelles fœminæ, capti et ligati aut occisi sunt. Rursum, non gladio Chaldæorum, sed Dei vindictæ tuum excidium, o Ierusalem, attribue. Deus enim tibi animos et vires ademit, ipse tibi pavorem iniecit, ut fugeres, et in fuga hostium furori te obiiceres. Sic ait Virgil. de excidio Troiæ:

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ.
Culpatusve Paris, verum inclementia Divum
Has evertit opes.

Sic Titus Imp. ad quem hæc ad litteram refert Euseb. et ex eo Leo Castrius. Hierosolymam captam ingressus, eiusque et turrium munitiones admirans: *Deus*, ait, *Iudæos ab istis munitionibus detraxit*: *nam quæ manus hominum, aut quæ machinæ ad ista valerent?* Testis est Ioseph. lib. 7. Belli c. 16.

Malim tamen cum S. Hieronymo et aliis hæc ad litteram accipere de excidio Hierosolymæ per Chaldæos, idque satis innuit v. 15. et seq. typice, de excidio eiusdem per Titum et Romanos.

Quod enim aliqui hæc referunt ad vastationem Sennacherib, id plane reiicit S. Hieron. nec habet probabilitatem, ut patet verba Prophetæ expendenti.

DIES ENIM INTERFECTIONIS.) Vatabl. vertit, *dies per-* Vers 5

turbationis, vel contritionis, conculcationis ac perplexitatis, *a Domino*, q. d. Adest dies quo Deus conturbabit, conteret et conculcabit omnia, tam sacra quam profana, in Ierusalem quoque omnes qui in ea erunt faciet perplexos, ut nesciant quo se vertant.

Scrutans murum, et magnificus super montem.) Subaudi *qui*, scilicet Deus vindex, et dux belli Chaldæorum scrutatur murum Ierusalem, ut videat qua parte eum commode evertere et diruere possit. Pro *scrutans* hebraice est מקרקר *mekarker*, quod verti potest cum Vatabl. *Dominus exparietavit*, vel suffodit et disiecit *murum;* ipse enim est *magnificus super montem*, q. d. Ipse est qui montem Sion eiusque gloriam suis pedibus subiectum habet, ut eum deiiciat, et in imam quasi vallem deprimat.

Vers. 6. Et Ælam.) *Ælam* hæc civitas fuit Assyriorum, inquit S. Hieron.

Secundo, Forer. *Ælam*, ait hic metaphorice sumitur pro quovis peritissimo sagittario: tales enim erant Ælamitæ sive Persæ, sicut Arabs sumitur pro quovis latrone.

Tertio, et proprie, *Ælam*, est urbs Persidis, ex qua tunc equites sunt missi Babyloniis adhuc monarchis in auxilium contra Ierusalem. Ita Cyrill.

Sumpsit pharetram.) Pulchra hypotyposi describitur hic exercitus Chaldæorum, ex Persis aliisque gentibus conflatus, instructus pharetris et clypeis; ita ut paries, ubi clypei suspenduntur, iam sit nudus: exercitus, inquam, Ierusalem intrans, montem Sion occupans, et quadrigis per plateas, valles et portas superbe incedens, inquit S. Hier.

Vers. 8 Et revelabitur operimentum Iudæ.) q. d. Chaldæi pandent velum quod est ante Sanctum sanctorum, illacque ingredientur et profanabunt. Unde Thren. 1. 10. dicitur: *Vidit Gentes ingressas sanctuarium suum etc.* Ita S. Hieron.

Secundo, Forerius explicat, q. d. Iudæi obsessi, ut suæ urbisque necessitati consulant, ac solvant militi suo, revelabunt thesauros opertos et absconditos: hi enim erant operimentum Iudæ.

Tertio, alii per *operimentum* accipiunt antemurale, aliasque munitiones urbis, q. d. Hæc a Chaldæis revelabuntur et capientur. Unde Septuaginta pro *operimentum*, vertunt, *portæ*. Hic sensus præ cæteris planus est et appositus.

Quarto, Vatabl. sic explicat, q. d. Iuda videbatur antea sperare in Deo, et esse sub eius protectione cui Deus erat vice tegminis: tunc autem hostis manifestabit Iudam esse destitutum Dei auxilio, quia peccavit, nec resipuit.

Et videbis in die illa armamentarium domus saltus.) Hebr. est: *Respicies ad armamentarium domus saltus.* Ita Vatabl. Forer. et alii, q. d. Ut resistas Chaldæis, non recurres ad Deum, ut dicitur v. 11. sed ad arma quæ Salomon reposuit in palatio, quod appellavit domus saltus Libani, eo quod columnarum multitudine, arboribus et viridariis saltum vel sylvam Libani referret, 3. Reg. 7. 2. Ita Procop. et alii.

Aliter S. Hieronymus, q. d. Videbitis, o Iudæi, armamentarium ab hoste dissipatum, et scissis ac dissipatis muris hostes in urbem ingressos.

Unde Septuag. referunt hæc ad Chaldæos, qui visuri sunt et occupaturi hoc armamentarium, æque ac scissuras murorum urbis.

Verum prior sensus conformior est Hebræo et iis quæ sequuntur.

Vers. 9 Et scissuras civitatis David videbitis.) Primo, Adamus explicat, q. d. Arx Sion, quæ videbatur esse inexpugnabilis, scindetur a Chaldæis et evertetur.

Secundo, Septuag. pro *scissuras* vertunt κρυπτα, id est speluncas, q. d. Intrante hoste respicietis ad speluncas et latibula, in quæ vos abdatis: id enim fecisse eos in obsidione Chaldæorum, patet c. 2. v. 10. et Romanorum, patet ex Iosepho lib. 3. Belli c. 14.

Tertio, et aptius ad sequentia, q. d. Inspicietis scissuras murorum Sionis, ut eas instauretis ac sarciatis.

Et congregastis aquas piscinæ inferioris.) Ad temperandam scilicet et diluendam terram, qua refeceritis muros scissos et ruptos, inquit Vatabl. vel potius ad levandam civium sitim in obsidione: Ierusalem enim laborabat penuria aquarum; unde Ezechias 4. Reg. 20. 20. fecit piscinam aquarum, ex eaque aquas in urbem per canales induxit. Iudæi ergo obsessi puteos et lacunas fecerunt in urbe, ut patet vers. 11. in easque aquas ex Siloe, eiusque piscina derivarunt, ut haberent aquam quam biberent, quaque ad coquendum cibos, lavandum, etc. uterentur.

Et domos Ierusalem numerastis.) Vel ad excubandum vicissim, vel ad dimetiendum aquam et annonam. Vers. 10.

Ad aquam piscinæ veteris.) Scilicet hisce lacunis, ex piscina veteri excipiendam. Vers. 11.

Et non suspexistis ad eum, qui fecerat eam.) Scilicet piscinam, q. d. Toti intenti fuistis ad conquirenda humana præsidia, unde potissimum neglexistis: nam ad Deum non suspexistis, qui piscinam, aquam aliaque vitæ subsidia vobis per pios reges David et Ezechiam contulit, et sine quo illa sunt evanida. Ita homines mundani, quasi talpæ terræ et obviis vitæ commodis inhiant, non suspiciunt ad divina et cælestia, quæ potiora sunt; ideoque evanida et frustranea sunt eorum consilia et conatus.

Et vocabit.) q. d. Deus imminente Chaldæo Iudæos per Ieremiam et alios Prophetas excitabit ad lamenta, et ad pœnitentiam in sacco et cinere agendam, sed illi non tam desperantes de liberatione, quam eorum oraculis increduli eos contemnent, ac gulæ et luxui se dedent, occidendo et comedendo vitulos, ac bibendo vinum dicentes: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.* Similis vesania est voluptuariorum et Epicureorum, qui putant animam cum corpore interire, unde præsentes tantum captant voluptates, quam graphice describit sapiens c. 2. v. 6. nimirum: Vers 12.

Sic vivunt homines tamquam mors nulla sequatur.
Et velut infernus fabula vana foret.

Citat hunc locum Apostolus 1. Cor. 15. 32. indeque probat resurrectionem mortuorum, ut ibi dixi. Vide hic quo gula hominem deducat: ut enim libere voluptatibus indulgeat, tollatque metum futuræ vindictæ et gehennæ, persuadet ei ipsum habere animam mortalem, instar bruti et porci. Inde persuadet ei Deum hominis non habere curam aut certe non magis quam porci, nec magis gulosum puniturum quam porcum. Tollit ergo homini numen numinisque metum: tollit Dei providentiam, iudicium et vindictam; tollit denique Deum et divinitatem e mundo. Nam, ut ait Cicero, si tollis e mundo numen et providentiam, tollis et Deum. Quis enim sit Deus homini metuendus aut colendus, qui res eius non curat, qui nullam eius habet providentiam? Ita gula ducit in atheismum, omniaque scelera.

Idem fuit sensus, eadem vox Sardanapali, qui moriens hoc condidit epitaphium: *Ede, bibe, lude: post mortem nulla voluptas.* De quo Cicero Tusculan. 5. *Quomodo*, inquit, *iucunda vita potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ regis error agnoscitur, qui incidi iussit in busto:*

Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit: at illa iacent multa et præclara relicta.

Quid aliud (inquit Aristot.) *in bovis, non in regis sepulcro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat quam fruebatur.*

Et revelata est in auribus meis vox Domini.) Chaldæus, Haymo et Forerius censent *aures* esse Prophetæ; *vocem*, Domini: illudque exigit nostra versio. Septuag. tamen, Hugo, Vatablus et Sanchez putant, *aures* esse Dei, *vocem* populi peccantis, q. d. Vox Iudæorum plena impudentiæ pervenit ad aures meas, qui sum Dominus exercituum. Vers 14.

Si dimittetur.) Id est, iuro quod non dimittetur vobis hæc iniquitas; nam, ut ait S. Hieron. *Nihil sic offendit Deum, quam post peccatum erecta cervix, et ex desperatione contemptus.*

Vide hic quam Deus odiat et puniat Epicureos, gulæ et

Moral. quam Deus puniat gulam et comessationes.

vino deditos. Ita epulantes Philisthæos et lætantes capto Samsone, per eum elisis columnis, ruina domus obruit, Iudic. 16.

Ita Benadad regem Syriæ temulentum maximo licet exercitu stipatum, per pueros principum oppressit, 3. Reg. 20.

Ita Holofernem ebrium per Iudith capite truncavit, Iudith. 13.

Ita diviti Epuloni in flammis sitienti, ne guttulam aquæ concessit, Lucæ 16.

Cum Michael III. Imperator se vino ingurgitare consuevisset, quo tempore ebrius erat absurda multa fieri imperabat; aliis enim aures amputari, aliis nares, aliis caput, quæ fieri Basilius vetabat, non tam aliis quam sibi ipsi metuens. Ut igitur sibi ipsum obstare Michael vidit, contra ipsum tales molitur insidias: cuidam præcepit, ut hastam iaciat verbo contra feram, sed re contra Basilium, idque plane factum est: nam moriturus qui iussus fuerat id facere, rem confessus fuit. Iecit igitur hic hastam, sed aberravit, atque Basilius servatus est, qui de inferenda nece Michaeli consilio cum aliis communicato, cum denuo Michael vino in cœna obrutus torperet, manuque ductus in cubiculum regiæ, quæ est ad Divi Mamantis, somno profundissimo oppressus in eo iaceret; egressus primum claustra cubiculi Imperatorii confregit, ne fores a cubiculariis claudi possent, deinde cum coniuratis advenit. Iis autem qui ante cubiculum excubabant (qui pauci erant) percussores aditu prohibere conantibus, orto tumultu Imperator experrectus; quidam stricto gladio ambas illi manus resecuit, eoque facto ad cæteros rediit. At Michael cum ex vino titubans, ebrietate impediente fugere non posset, miserabiliter eiulans iacebat: in quem alius quidam ex Basilianis adhuc eum vivere conspicatus insiliit, ensemque in eius pectus adegit, ut ventre etiam traiecto intestina elaberentur. Ita Curopal. et Zonaras, ac Baronius tomo 10. anno 867.

Zeno Imperat. Orientis gulæ et ebrietati deditus errore mentis sic affici solebat, ut prolapsus a mortuo nihil differret. Cum vero ipse coniugi Ariadnæ invisus esset, sic inebriatus, pro mortuo in monumentum Imperatorium ab illa coniectus est lapide maximo, qui pro operculo esset, imposito: factusque sobrius inter lamentationes et eiulatus, misera et horrenda morte ibi exstinctus est, cum Ariadne prohiberet, ne quis monumentum aperiret, aut illum extraheret. Ita Zonar. tom. 3. Annal.

Phocas Imper. cum eo die quo ludi equestres peragebantur, in edendo et bibendo modum excessisset, a plebe per ignominiam verbis huiusmodi notatus est: *Rursus e canco* (poculi genus est, a sono quem edit effluente vino simul et aere) *bibisti, rursus mentem amisisti.* Ob id convitium complures morte mulctavit. Itaque cum viderent proceres ac magistratus reip. magnam hominum multitudinem multis malis affici, bona per publicationem adimi, capita præcidi, ad Africæ prætorem Heraclium litteras mittunt: qui precibus eorum motus continuo classem parat, et contra Phocam proficiscitur, adferens secum illam imaginem Christi quæ manibus facta non erat. Hoc modo Phoca superato Photinus quidam unus ex magnatum numero, cuius uxoris pudicitiæ Phocas antea struxerat insidias, subito in palatium irruit, et Phocam Imp. pulla veste indutum, mox ad Heraclium deducit, qui cum Phocam verbis hisce compellaret: *Itane, miser, rempublicam administrasti?* respondit Phocas: *Tibi vero per me licet, ut rectius eam geras.* Hinc ei recta manus et pedes amputati, cutis dorso detracta, exsecta verenda et hastæ affixa, caput denique gladio præcisum: reliquus vero corporis truncus in foro quod boarium nuncupant, per contumeliam hinc inde tractus, tandem igni traditur. Ita Michael Glycas 4. p. Annal. Byzant.

Anno Domini 912. Alexander Imp. 6. die mensis Iunii moritur infami exitu; de eo enim ita Ioann. Curopalates: Alexander autem sexta mensis lotus, et pransus vinoque ebrius, post meridiem pila lusurus descendit, exortoque labore quodam in ipsius intestinis, præ cibis quibus se in-

A gurgitaverat atque ebrietate, reversus in palatium, multo e naribus ac pudendis effuso sanguine, postridie mortuus est. Ita Baronius tom. 10. ann. 912.

Audi aliud memorabilem narrantem S. Hieron. ep. 3. ad Vitalem: *Quædam*, ait, *muliercula, cum expositum nutriret infantem, et instillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, cubaretque cum ea parvulus, qui usque ad decimum iam pervenerat annum; accidit ut, plusquam pudicitia patitur, se mero ingurgitaret, accensaque libidine, obscœnis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas alterius noctis et cæterarum deinceps fecit consuetudinem. Necdum menses duo fuerant evoluti, et ecce fœminæ uterus intumuit. Quid plura? dispensatione Dei factum est, ut quæ contra naturam simplicitate parvuli in contemptum Dei abutebatur, a naturæ Domino proderetur, impleto sermone quo dicitur: Nihil occultum quod non reveletur.*

Vis recentia nostri ævi? Horribile est quod refert noster Delrio tom. 2. Disquis. Magic. l. 3. p. 1. q. 7. de Monacho quodam in Flandria crapulæ dedito, qui cum finito

B symposio cæteri Deo gratias agere vellent, dicens dæmoni potius agendas esse gratias, a dæmone arreptus, vivus assatus, et in cineres redactus est.

Simile est quod refert Gabriel Prateolus in Chron. anno Domini 1580. de quodam bibone Nekerkovii in Germania, qui murmurans contra Deum, illique præbibens, dicensque, *Tibi, Deus: si melius hoc anno fecisses vinum, melius bibisses*, obriguit, ac immobilis permansit: nec funibus aut equis a magistratu adhibitis extrahi aut loco moveri potuit.

Tertium recenset Michael ab Isselt anno Domini 1595, quod contigit in Baccharach, inter Confluentiam et Moguntiam. Ebriosus quidam uxori gravidæ dæmonem in ventre imprecatus est: peperit illa subito monstrum. Ebriosus domum redit, mox monstrum instar falconis, in eum insiliens et sibilans, caudæ suæ implicatum hominem venenosis ictibus pupugit, et occidit.

Ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo.) Vers. 15.

C Hebr. est *ingredere ad* סכן *sochen*, quod alii, *apothecarium*; alii, *thesaurarium*, vertunt; Noster optime vertit: *Habitantem in tabernaculo*: nam inde urbes מסכנות *mischenot*, vocantur urbes tabernaculorum Exodi 1. 11. et Septuag. vertunt: *Vade in pastophorium*, id est in exedram sive cubiculum prope templum in quo morabantur sacerdotes, qui inde pastophori sunt dicti: παστὸς enim vel thalamum, vel pallium sacerdotale significat, ut ex S. Hieronymo et aliis dixi 3. Reg. 6. in fine: erat enim hic Sobna præpositus templi; habitabat ergo in tabernaculo, id est in pastophorio templi.

Quare nimis licenter et audacter Adamus hic, uti et alibi carpit interpretem nostrum S. Hieronymum, dicens: *S. Hieronymus non consuluit litteram sed sensum adduxit quem præsumpsit.* Expresse enim S. Hieron. in Comment. ait: *Sochen vel tabernaculum interpretantur, vel pastophorion, hoc est thalamus in quo habitat præpositus templi.* Ipse autem æque ut Sept. Hebrææ linguæ fuit peritissimus.

Ad Sobnam.) Tradunt Hebræi, inquit S. Hieronymus,

D hunc Sobnam fuisse Pontificem, qui Assyriis et Sennacherib prodiderit Hierosolymam. Sed quia hoc traditionis est Iudaicæ, nec eius Scriptura meminit, imo potius contrarium insinuat, cum dicit Sennacherib adeo Ierusalem non occupasse, ut nec sagittam in eam miserit, cap. 37. 33. hinc potius videtur hic Sobna peccasse arrogantia, et fuisse homo superbus ac tumidus, suisque commodis consulens, populumque calcans, ut patet ex magnifico sepulcro quod sibi construxerat, quodque illi hic obiicit Isaias. Unde ei opponit, et successorem designat Eliakim mansuetum et populi amantem, qui, inquit, erit quasi pater populi. Ita S. Hieronymus.

Præpositum templi.) Hebr. *præpositum domus*, id est templi; hoc enim antonomastice vocatur *domus* quia est domus Dei. Ita Forerius et alii; unde et habitabat iuxta templum in pastophorio. Quare non recte R. Abraham et Vatablus pro *præpositum templi* vertunt: *Præpositum domus regiæ*, sive aulæ Ezechiæ.

Hunc Sobnam fuisse Pontificem patet ex hoc loco et ex v. 18. et seq. vel summum, ut vult S. Hieronymus et Sanchez; quibus favet v. 21. ubi dicitur: *Induam illum tunica tua, etc. et erit quasi pater habitantibus Ierusalem:* vel certe unum ex dignioribus sacerdotibus, cui cura templi et ærarii sacri erat commissa. Unde Septuag. et S. Cyrillus hunc Sobnam vocant quæstorem, et alii thesaurarium; nam non fuisse eum summum Pontificem suaderi videtur ex eo quod vocetur non Pontifex, sed *præpositus templi*, et quia Iosephus 10. Antiq. c. 11. ubi recenset catalogum summorum Pontificum, non nominat hunc Sobnam. Rursum, quod sub hoc tempus alius fuerit Pontifex, scilicet Azarias, ut patet 2. Paral. 31. 13. Adde quod pontificatus a tempore Aaron et Sadoc non sit translatus ad aliam familiam, usque ad tempora Machabæorum. Hic autem officium Sobna dicitur translatum ad Eliakim.

An sit idem hic Sobna cum Sobna scriba, qui fuit præfectus aulæ et œconomus Ezechiæ regis, de quo 4. Regum c. 18. v. 18. ut idem fuerit præfectus templi et aulæ, incertum est. Asserit Arias Montanus; nam Eliakim idem videtur hic esse qui et ibi; utrobique enim dicitur filius Helciæ. Negant alii ex eo quod inconveniens fuisset, æque ac difficile unum eumdemque hominem præesse templo et aulæ: nisi dicas cum Sanchez Sobnam hunc, ab Ezechia audiente hoc oraculum Dei, privatum fuisse præpositura templi, quæ ei ab impio Achaz fuerat tradita. Ezechiam vero, ne eum omnino abiicere videretur, eum a templo transtulisse ad aulam, suumque scribam constituisse. Porro Ioseph. l. 10. Antiq. c. 1. Abulensis in l. 4. Regum c. 18. q. 33. et ex iis Torniellus anno mundi 3322. censent tam Eliakim quam Sobnam Isaiæ, diversos esse ab Eliakim et Sobna, de quibus 4. Reg. 18. 18. et c. 19. 1. quia, inquiunt, hi Isaiæ erant sacerdotes; illi in libris Regum, laici. Sobna enim erat scriba; Eliakim erat præpositus domus, nimirum regiæ, puta procurator regius, ut ait Iosephus.

Vers. 16. QUID TU HIC?) Quid facis in templo Dei, o Sobna, o homo profane? q. d. Ineptus et indignus es hoc loco.

AUT QUASI QUIS HIC?) q. d. Qui se putat esse aliquem et magnum, cum nullus sit, putat se esse pastorem et præpositum, ideoque sibi magnificum excidit sepulcrum quasi æternum sui monumentum cum sit tantum larva et umbra pastoris, iuxta illud Zachar. 11. 17. *O pastor et idolum!* ubi est et hendyadis, q. d. O pastor, non pastor, sed idolum et simulacrum pastoris, es fictus et pictus pastor!

Vers. 17. ECCE DOMINUS ASPORTARI TE FACIET.) Tradunt Hebræi Sobnam, cum videret Sennacherib, expugnata Iudæa, imminere Hierosolymæ, transfugisse ad eum cum aliis Iudæis: Sennacherib vero, accepta clade ab angelo, indignatum sævisse in Iudæos, et maxime in eorum principem Sobnam, tuncque eum asportatum esse in Niniven, eaque passum quæ hic prædicit Isaias. Ita ipsi.

SICUT ASPORTATUR GALLUS GALLINACEUS.) Præsertim castratus, puta capo, ligatis alis et pedibus, ut vendatur in foro; hic enim satis repræsentat miseram sortem Sobnæ et captivorum, qui abducendi erant in Assyriam. Hebr. est גבר *gaber*, id est *vir;* Vatablus vertit, *heros*, quasi ita vocetur Sobna gloriosus, qui se in magnificentia sepulchri et aliarum rerum heroibus et principibus æquabat. Verum metaphorice *gaber*, id est *vir*, vocatur gallus gallinaceus, quia talis est inter gallinas. Sic dicitur, *vir gregis ipse caper*, præsertim quia gallus est pugnax, vigil, acer, imperiosus ut vir. Vide Viegas in Apocal. 2. Com. 1. sect. 9. et Delrio adagio 730. qui contra Forerium exacte idipsum probant.

Apte Sobnam superbum comparat gallo, qui in suo fimeto inter gallinas superbit et cristas attollit; at victus et captus cristas et alas demittit, præsertim cum ligatus in forum vendendus ducitur. Talis enim fuit Sobna; forte etiam notat luxuriam Sobnæ, quod inter pellices quasi gallus inter gallinas versaretur.

ET QUASI AMICTUM SIC SUBLEVABIT TE.) *Amictus:* primo, potest capi adiective, ut idem sit quod vestitus,

A coopertus, velatus, q. d. Et velato capite de terra tua levabit te, et abducet te, sicut abduci solent sontes, qui ad mortem damnati velatam habent frontem et oculos: sic enim et captivis facies velabantur, ut patet de Sedecia, Ezech. c. 12. v. 6. et 12.

Secundo, *amictus* potest capi substantive, ut sit idem quod vestis aut pallium. Unde S. Hieronymus, Haymo, Adamus, Lyranus et alii sic explicant, q. d. Tam facile, o Sobna, Deus e patria expellet et exportabit te, quam facile quis pallium involutum e terra sublevat et exportat.

Tertio, Sanchez vertit: *Vagando vagari te faciet.*

Quarto, Syrus vertit: *Obliviscens obliviscetur tui;* et Arabicus: *Delendo delebitur nomen tuum, et memoria tui,* qui voluisti eam æternare.

CORONANS CORONABIT TE TRIBULATIONE.) Chaldæus: *Auferet a te tiaram, et circumdabunt te inimici quasi murum;* Septuaginta: *Auferet stolam et coronam tuam gloriosam*, q. d. Pro corona et tiara pontificali coronabit, id est undique te cinget, tribulatione et ignominia. Vers. 18.

B Secundo, Vatablus et Forerius vertunt; *Circumligando circumligabit te fascia, velut trochum in terram spatiosam proiiciet te*, q. d. O Sobna, qui vestiebaris diademate, id est fascia byssina, nunc te quasi fasciam gyrabit, ut quasi globus aut pila facile ab Assyriis gyrari, et in quamvis partem aut regionem versari et rotari possis, nec ullo loco certus fixusque consistas; unde sequitur

QUASI PILAM MITTET TE IN TERRAM LATAM.) q. d. Dabit tibi formam pilæ, quæ facile volvitur per agrum latum, et longius iacitur; instar enim pilæ te coniiciam in longinquam Assyriam in exilium. Pro *pila* Vatablus, *trochum;* alii, *globum* vertunt. Hebræum enim דור *dur* significat omne rotundum et revolubile.

Notat Lyranus pilam a ludentibus de manu in manum mitti; alii, solere etiam longissime et facillime proiici. Addit Arias pilam non retineri, sed repercuti et id maxime conari ludentes ne uspiam conquiescat; sic indicatur Sobnæ magna peregrinatio, facilis expulsio, longinquum

C exsilium, iugis vagatio, et perpetua quædam instabilitas atque vexatio.

Moraliter, pila significat vitam hominum volubilem, et iugibus mutationibus obnoxiam. Rursum hominem quasi pilam a Deo huc illucque iactari. Vere Satyricus: *Etenim dii nos quasi pilas habent;* imo totus mundus est quasi pila in manu Dei, quia *ludit in humanis divina potentia rebus.* Nonne pila ludit, quando coronas, sceptra, tiaras, imperia modo in hanc, modo in illam partem iacit? quando tyrannos potentissimos de solio deturbat, et agasones ac subulcos de pulvere suscitans evehit ad monarchias? Quid pilam dico? transire facit Deus regna *quasi spumam super faciem terræ*, Osee 10. 7. et, ut ait Philo lib. de Immutabilitate Dei, res humanæ, adeoque florentissima imperia tantum sunt umbra, auraque levissima, et ultro citroque tamquam maris æstuaria commeant. Ita Zeno Imperator imperio deiectus, dixit: *Ludibrium Dei est homo.* Vide Delrio adagio 732.

D IBI (in terra lata, puta in Assyria, non in tuo sepulcro, quod tibi splendidum excidisti) MORIERIS, ET IBI ERIT CURRUS GLORIÆ TUÆ, IGNOMINIA DOMUS DOMINI TUI.) Subaudi ibi *erit*, et omnibus patebit; vel repete, *morietur*, q. d. Ignominia templi, ei per te inducta, te abducto morietur, et gloria eius pristina resurget. Pontifices enim probi sunt decus, improbi sunt dedecus templi. Quocirca Episcopus sibi dictum existimet illud Pii I. Pontificis, qui Martyr occubuit anno Christi 167. epist. ad Iustum Episcopum Viennensem. *Plebs universa tua sanctitate protegatur.* Vatablus et alii vertunt: *Ibi erit currus gloriæ tuæ*, o (Sobna, qui es) *ignominia, dedecus et probrum domus Domini tui.*

ET ERIT IN DIE ILLA: VOCABO SERVUM MEUM ELIAKIM.) q. d. In præpositura templi arroganti Sobnæ substituam humilem et pium Eliakim. Quando id factum, incertum est. Probabile est quod ait Sanchez, hoc factum esse ante adventum Sennacherib; nam, eo adveniente, misit ad eum Ezechias Eliakim præpositum domus (tem- Vers. 20.

pli) et Sobnam scribam. Erat ergo iam tum Eliakim præpositus templi loco Sobnæ. Probabiliter quoque Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei c. 12. censent hunc Eliakim esse illum qui tempore Iudith obivit Iudæam, omnesque excitavit ad pugnandum contra Holophernem; ipse enim ab omnibus, etiam a Manasse rege iam e captivitate reduce, ideoque pœnitente et pio, colebatur quasi pater. Favet ratio temporis; nam Manasses successit in regno patri Ezechiæ, sub quo gesta sunt ea, quæ hic de Eliakim habet Isaias. Unde sequitur victoriam Iudith de Holopherne contigisse sub Manasse, post eius captivitatem et pœnitentiam. Sic et Serarius in Iudith cap. 4. quæst. 1. Hinc rursum aliqui censent hoc capite agi de clade et captivitate Iudææ tempore Manassis, quando ipse cum aliis vinctus ductus est in Babylonem. Tunc enim pariter cum eo abductus est Sobna pontifex, et suffectus ei Eliakim.

Allegorice, veteri sacerdotio et pontificatu labente successit novum per Christum, qui est Eliakim, id est Deus resurgens. Ita S. Hieron. et Cyrillus.

Vers. 22. Et dabo clavem domus David super humerum eius.) Primo, Arias et Pradus in Ezech. 17. v. 23. sic exponunt, q. d. Præficiam eum domui regiæ. Verum domus David æque ac Salomonis vocatur templum, quia ædificatum erat sumptibus a Davide præparatis in Sion, quæ erat civitas et domus David. Rursum, fieri potest, ut Ezechias rex pius videns sanctitatem Eliakim pontificis, eum coluerit ut patrem, domuique regiæ pariter præfecerit. Sensus est ergo, q. d. Dabo Eliakim pontificatum et summam potestatem in templo. Huius enim symbolum est clavis; qui enim habet clavem domus, potest pro libito eam aperire et claudere, egredi et ingredi, admittere et excludere quos vult. Hinc regibus, dum possessionem urbium capiunt dantur claves earum, hocque symbolo earum fiunt domini. Ita S. Hieronymus. Rursum, clavis notat industriam, dexteritatem et sapientiam regendi, quæ debet esse in Pontifice et Principe: nam clavis dextere seræ imponi, aptari et circumagi debet, ut ostium aperiatur. Sic ars artium est regimen animarum, ait S. Gregorius.

Clavis symbolum est prælaturæ, cur?

Allegorice, Eliakim est Christus, cui hisce Isaiæ verbis pontificiam simul et regalem dignitatem a Patre dari, censent Cyrill. et Theodor. imo Castrius ad litteram hæc accipit de Christo, sed non recte. Quocirca huc allegorice alludens S. Ioannes Apocalypsis 3. 7. de Christo ait: *Qui habet clavem David, aperit, et nemo claudit.* Has pontificis claves Christus Petro se resignaturum promisit Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo claves regni cælorum.* Origo ergo clavium Ecclesiæ, Christi Domini et S. Petri est in hisce clavibus Synagogæ et Eliakim: sic passim alia Novi Testamenti alludunt et petita sunt ex Veteri.

Origo clavium S. Petri

Super humerum eius.) Transit de more Scriptura a metaphora clavis ad metaphoram sceptri seu virgæ; clavis enim non humeris, sed manu gestatur: sceptrum vero humeris, q. d. Eliakim dabo sceptrum et virgam sive pedum pastorale, quod humero gestat pastor, dum oves pabulatum educit. Ita aliqui. Verum huic expositioni obstant præcedentia et sequentia. Sic enim dicitur: *Dabo clavem* (non sceptrum) *domus David super humerum eius: et aperiet, et non erit qui claudat, etc.*

Secundo ergo aptius Forerius: Claves, inquit, magnas, quales sunt urbium, solent clavicularii super humerum ferre, ac perinde virgas lictores in humero præferunt iudicibus, et sceptra regibus.

Allegorice, Procopius: Clavis, inquit, hæc Christi est crux, quam ipse humero gestavit. Unde de eo dictum est cap. 9. 6. *Et factus est principatus super humerum eius.* Christus enim sua cruce et passione promeruit, ut hæc universalis imperii Ecclesiæ potestas ei daretur: unde crux fuit ei quasi clavis, qua ille cælum aperuit, et velut instrumentum omnipotentiæ Christi, quod est clavis eius regia, qua omnes res ab eo claudi et aperiri possunt; qua in re alluditur ad claves optimas ferreas, quæ in crucis figuram serratæ conspiciuntur, ait Alcazar in Apoc. 3. 7.

Et aperiet.) q. d. Quidquid faciet, statuet, et sanciet Eliakim, et allegorice Christus: hoc ratum erit, et nemo erit qui infringat. Notat hanc clavem, id est summam potestetem unam esse; ubi enim plures sunt, iam clavis esse desinit, siquidem non certus est is qui clausit ostium, neminem id mox reseraturum: ut ergo de eo certus et securus sit, solus habeat clavem necesse est. Hic ergo est origo pontificatus et monarchiæ Ecclesiasticæ.

Et figam illum paxillum in loco fideli.) Potestatem pontificiam significavit per claves; nunc eam significat per paxillum hebr. יתד iated, id est clavum sive ferreum, sive ligneum, ex quo crateres et vasa quælibet, et instrumenta musica ac culinaria, omnisque supellex suspenditur, Ezechielis 15. 3. q. d. Ita ego efficiam, ut ex Eliakim pendeant summi, medii, infimi, ac præsertim cantores et musici templi, totaque Ecclesia et Resp. Vers. 23.

Quare non recte aliqui putant comparari hic pontificem paxillo, id est ligno præalto ac firmo, quod totum papilionis pondus per vela et funes, quasi columen et statumen sustinet.

In loco fideli.) Id est in pariete forti et firmo, ex quo excidere aut evelli nequeat. Hebr. enim נאמן neeman significat fidelem, stabilem, firmum. Notat Eliakim non excisurum pontificatu sicut excidit Sobna, sed sortem et gradum eius fore stabilem.

Et erit in solium gloriæ domui patris eius) q. d. Eliakim paternam familiam reddet nobilissimam et splendidissimam suo solio et dignitate pontificali.

Vasorum diversa genera.) Persistit Interpres in metaphora paxilli: hebraice est צאצאים tsećtsaim, quod Symmachus, inquit S. Hieronymus, vertit, *nepotes;* Vatablus, *stirpes et posteri*, vel *filii et filiæ;* alii, *progeniem et propagines.* Radix enim יצא iatsa significat egredi, et propagari ab aliquo. Unde Vatablus hunc versum ita vertit: *Et pendebunt ab eo* (Eliakim) *omnis gloria patris ipsius, stirpes et posteri.* Vers. 24.

Mystice Hieron. Prado in Ezechielem, pag. 227. a paxillo, inquit, id est ab Eliakim, id est a Deo sustentante pendent omnia vasa musicorum, id est omnes iusti, qui laudibus assiduis Deo ipsi solatio sunt; et crateres, id est ii, qui temporalibus ministeriis et curis impenduntur. Vel vasa musica sunt angeli, quorum proprium munus est laudes Deo canere; crateres sunt homines sancti, qui corporis necessitatibus inviti serviunt.

Auferetur paxillus (Sobna) qui fixus fuerat in loco fideli.) Scilicet in loco qui fidelis et firmus Sobnæ videbatur, revera autem erat infidelis et infirmus; nam eo excidit. Ita Vatablus. Unde, eo cadente, ceciderunt et vasa, id est filii, amici, et quotquot ex eo pendebant. Vers. 25.

Aliter S. Hieronymus, S. Thomas, et Haymo: Auferetur, inquit, paxillus, id est pontificatus Iudæorum in captivitate Babylonica. Verum *paxillum* hic passim vocat non pontificatum, sed Sobnam, qui eo excidit; vel Eliakim, qui in Babylonem non est ductus, sed ante eam cladem mortuus; unde firmus fuit ad mortem usque pontifex.

Moraliter discant hic Pontifices exemplo Dei, Sobnæ indigno surrogantis dignum Eliakim, scandalosis Clericis et Pastoribus substituere pios et probos, qui plebem verbo et exemplo ædificent.

Morale, malis Clerici boni surrogandi.

Ita fecit S. Dunstanus: audi auctorem Vitæ eius. Tempore Ottonis Imperatoris hoc nomine secundi sub annum regni eius octavum, circa annum Redemptoris 970. ordo clericalis plurimum erat corruptus, et carnis voluptatibus plus æquo deditus. Quod malum S. Dunstanus Cantuariensis Episcopus corrigere cupiens, auctoritate Ioannis Apostolicæ Sedis Antistitis apud regem obtinuit, quatenus Canonici qui caste vivere nollent, Ecclesiis quas tenebant depellerentur, et monachi loco eorum intromitterentur. Cum vero Clerici adversus S. Dunstanum reclamarent, Calnæ Synodus constituitur: ubi cum in cœnaculo, absente rege, propter imbecillem ætatem, considentibus totius regni senatoribus, magno conflictu hinc inde allegantium res ageretur, et Dunstanum quasi Ecclesiæ murum multorum iacula conviciorum impeterent, nec vincerent; solarium subito totum quo considebant, cum axibus dissolvitur et trabibus, omnibusque interim trucu-

lenter elisis, solus Dunstanus stans super unam, quæ superstes erat, trabem absque læsione evasit. Cæterum omnes partis adversæ, vel exanimati sunt vel languore perpetuo sunt detenti. Hoc miraculum contulit pacem beato Dunstano, et monachis ab impetu Clericorum et aliorum, gratia hæc et similia operante divina. Ita habet Vita S. Dunstani, ex qua accipe aliud verbis auctoris.

Eadem tempestate præsidebat Wentanæ Ecclesiæ Ethelwoldus, vir eximiæ sanctitatis, et educatione Patris Dunstani insignis. Hic, re cognita de Canonicis Ecclesiæ suæ, quod nimium sæculares existebant, voluntate Dunstani monuit eos semel et sæpius mores et actus mutare, correctioris vitæ semitas, relictis fœminis, arripere. Hi ipsi in præsentiarum quidem id sibi possibile esse negantes, voce corvina, semper in crastinum correctionem sui pollicebantur. Quod ipse gnarus non diu sustinuit. Paratis itaque quam plurimis monachorum cucullis, die quo Communio, *Servite Domino in timore*, cantabatur; cho- A rum intravit, vestes quas paraverat secum deferri faciens: et proiectis illis in medium, Canonicis ait: *Animadvertistis quid modo cantaveritis?* Animadvertimus, inquiunt. *Igitur*, inquit, *si servire Domino in timore, et ei vultis exsultare cum tremore, apprehendite disciplinam, vestem scilicet monachalem, ne pereatis (sicut cantasti) de via iusta.* Ad quod illi obstupefacti, more solito, inducias petunt, id se facturos in futuro promittunt. Tunc ille: *Mihi credite, amplius non credam huic vestræ responsioni corvinæ; sed aut disciplinam in præsenti apprehendetis, aut loci istius beneficiis et conversatione hinc eliminati iamiam cedetis.* Itaque nonnulli ex istis statim abiecto clericali habitu, monachi facti sunt, cæteris verbo Pontificis de Ecclesia eliminatis. Cæterum, quia isti qui noviter fuere conversi; regularis disciplinæ normam sine aliorum magisterio docente servare nequibant; monachi de Aberdonia illuc ab eodem Pontifice adducti sunt, qui monasticæ institutionis tramitem ibi docerent.

CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit excidium Tyri per Nabuchodonosor, eo quod Tyrii hostes Iudæorum in expugnatione Hierosolymæ gavisi sint. Tyri ergo cladem ex pristina eius gloria et opibus describit. Secundo, v. 15. Tyrum post 70. annos restaurandum, et ad pristinas merces et opes rediturum prædicit. Porro Alcazar Apocal. 20. v. 1. notat 4. per Tyrum accipit, Romam Ethnicam, quasi hic eius et gentilismi excidium, per conversionem ad Christum, describatur. Verum hoc mysticum est, non litterale, nec genuinum.

1. Onus Tyri. Ululate, naves maris: quia vastata est domus, unde venire consueverant: de terra Cethim
revelatum est eis. 2. Tacete, qui habitatis in insula: negotiatores Sidonis transfretantes mare, repleverunt te. 3. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius: et facta est negotiatio gentium. 4.
Erubesce, Sidon: ait enim mare, fortitudo maris, dicens: Non parturivi, et non peperi, et non enutrivi iuvenes,
nec ad incrementum perduxi virgines. 5. Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cum audierint de Tyro: 6.
Transite maria, ululate qui habitatis in insula: 7. Numquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. 8. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terræ? 9. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ. 10. Transi terram tuam quasi flumen, filia maris; non est cingulum ultra tibi. 11. Manum suam extendit super mare, conturbavit regna: Dominus mandavit adversus Chanaan, ut contereret fortes eius. 12. Et dixit: Non adiicies ultra ut glorieris, calumniam sustinens virgo filia Sidonis: in Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi: 13. Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit, Assur fundavit eam: in captivitatem traduxerunt robustos eius, suffoderunt domos eius, posuerunt eam in ruinam. 14. Ululate naves maris, quia devastata est fortitudo vestra. 15. Et erit in die illa: in oblivione eris o Tyre septuaginta annis, sicut dies regis unius: post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. 16. Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita: bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit. 17. Et erit post septuaginta annos, visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam ad mercedes suas: et rursum fornicabitur cum universis regnis terræ super faciem terræ. 18. Et erunt negotiationes eius, et mercedes eius sanctificatæ Domino: non condentur, neque reponentur: quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio eius, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.

Vers. 1. Onus tyri.) Nota: Tyrus hebraice, et syriace dicitur צור *tsor*, (unde *Tor*, unde *Tyrus*) q. d. Munita, vel arcta, aut rupea, quia in rupe est sita. Gellio et aliis *Sarra*, hodie *Suri* vocatur. Phœniciæ est metropolis, domina maris, totiusque orbis ob loci opportunitatem, emporium; navigatione, et consequenter opibus, luxu et vitiis in sacris æque ac profanis historiis celeberrima. Ad quod iuvit non parum, quod Tyrii ex rubro marinorum incisorum muricum sive conchiliorum succo, qui et ostrum dicitur, purpurant pannos. Unde hic color purpura Tyria et Sarrana dicitur quæ regum et principum est vestis; hinc Virgilius: *Tyrioque ardebat murice lana*. Idem: *Ut gemma bibat, et Sarrano dormiat ostro.* Hinc flandrice pannus hic *scharlaken*, quasi *sarlaken*, dicitur.

Tyri opes et luxus. Secundo, Tyrus olim quatuor stadiis distabat a continenti, iuxta Q. Curtium libr. 4. in Vita Alexandri; iuxta B S. Hieronymum autem et Plinium l. 5. 19. 700. passibus. Unde Ezech. ait eam sitam in corde, id est in medio maris. Sed audi Plinium: *Tyrus quondam insula, præalto mari septingentis passibus divisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens. Olim portu clara urbibus gentis, Lepti, Utica, et illa Romani imperii æmula, terrarum orbis avida, Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis eius nobilitas conchilio atque purpura constat. Circuitus novemdecim millium passuum est, intra Palætyro inclusa. Oppidum ipsum viginti duo stadia obtinet. Inde Euhydra, Sarepta et Ornithon oppida; et Sidon artifex vitri. Thebarumque Bœotiarum parens.*

Hinc tertio, ita Tyrus florebat, ut ei Venetiæ, Parisii, Antuerpia comparari non possint, adeo ut, si Tyri negotiationem spectes, mundi totius forum fuerit; si munitionem, arx magis dicenda sit quam urbs; si magnificentiam

et gloriam, regina fuerit urbium. Unde hic v. 8. dicitur coronata; et Ezech. cap. 28. 14. regem eius Angeli Cherubini comparat gloriæ et superbiæ, consequenter et cladi ac pœnæ. Si opes, fastum et luxum spectes, orbis potius quam urbs videbatur. Adeo ut S. Hieronymus v. 8. de Tyro dici aiat, quod legatus Pyrrhi de Roma dixit: *Vidi civitatem regum*, quot vidi Romæ in curia senatores, tot vidi reges. Denique, si antiquitatem quæras, docent annales et Berosus Tyrum paulo post diluvium initium et nomen sumpsisse a Tyras, qui septimus fuit filiorum Iapheth; unde hic v. 7. dicitur gloriata in sua antiquitate. Ita Guilliel. Tyrius lib. 13. Belli sacri c. 1.

Quarto, ob hanc superbiam et luxum primo eam obsedit mari Salmanasar; sed frustra teste Iosepho 9. Antiq. 15. Secundo, Nabuchodonosor post excidium Ierusalem, tredecim annis eam obsedit et vastavit, adeo ut piscatores ibi retia et sagenas suas siccarent, ait Ezechiel; quia enim in mari erat longius a terra sita, hinc iussit infinitam exercitus multitudinem saxa et aggeres comportare, et fretum hoc implere, ut ex continenti oppugnari posset, et sic ex insula fecit peninsulam: qui tantus fuit labor, ut Ezech. omne gestantium lapides et cophinos terræ caput decalvatum, et omnes humeros militum depilatos dicat; ideoque Deum, cuius vindictæ servierunt, eis pro quali quali mercede, id est, pro liberali dono, dedisse Ægypti spolia et opes. Simili modo rursum post 250. annos vastata est ab Alexandro Magno, teste Curtio lib. 4. Vide Guillielm. Tyrium et Adrichom. in Tyro.

Mystice, S. Hieron. in Ezech. c. 28. Nabuchodonosor est diabolus: Tyrus est anima superba et luxu diffluens, quam arctat, angustat, interficit dæmon. Rursum S. Bernard. de onere Tyri serm. 10. *Tyri*, ait, *nomen angustia interpretatur; cuius onus est in amaritudine pœnitentiæ, in labore continentiæ, in corporali ægritudine. Quid enim? Nihilne oneris est in hac corporali exercitatione, vel disciplinæ regularis observatione? Quidni laboret continentia? quid laboriosius, quid difficilius, quid periculosius servatur? quid facilius amittitur? Et est alia quædam cordis angustia, quam facit amor sui: cui contraria est cordis latitudo, quam facit amor Dei et proximi. Amor autem sui ex propria voluntate procedit. Qui igitur amat propriam voluntatem, oneri illi est voluntas aliena: et ideo quæ sua sunt quærit, non quæ aliorum. Ad omnia quæ sibi voluntas propria suggerit, promptus: ad ea quæ sibi iniunguntur, piger et tardus. De talibus dicit Apostolus: Erunt homines seipsos amantes. Qui profecto pondus pœnæ, quod in onere Tyri scribitur, non evadent.*

Naves maris.) Hebr. *naves Tharsis*, id est, maris: vide dicta c. 22. Septuag. vertunt, *naves Carthaginis*, quia Carthago fuit colonia Tyriorum, et navibus in mari abundabat, quibus cum Tyro aliisque magna exercebat mercimonia. Hinc Virgil. 1. Æneid.

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago.

Vastatus est domus.) Urbs Tyri cum suis domibus, vel vastatæ sunt domus urbis Tyri. Hebraice ad verbum est, *vastatu est* (Tyrus) *a domo*, id est, funditus, ita ut ne una quidem domus supersit, et *a veniente*, ut scilicet nullus mercator deinceps ad eam veniat, quod Noster vertit, *unde venire consueverant*, scilicet mercator et naves, quibus proinde dixit, *ululate*. Ita Forer. Vatabl. Pagnin. et alii.

De terra Cethim revelatum est eis.) Primo, aliqui hæc accipiunt de excidio Tyri per Alexandrum Magnum peracto, q. d. Tyrii primum belli rumorem acceperunt ex Cethim, id est, ex Græcia: ibi enim bellum contra eos comparavit Alexander.

Secundo et melius, alii accipiunt hæc de excidio Tyri per Nabuchodonosor: hoc enim prius fuit excidio Alexandri, et propinquius temporibus Isaiæ. Ita S. Thom. Procop. Cyrill. et alii. Itaque *Cethim*, inquit S. Hieron. sunt insulæ Cypri (ubi etiamnum est *Citium* urbs, Zenonis Stoici patria) Italiæ etiam et Macedoniæ: unde ex *Cethim* egressus dicitur Alexander Macedo, 1. Machab. c. 1. v. 1. Sensus ergo est, q. d. Ex Cethim, id est, ex insulis maris Mediterranei, *eis*, scilicet navibus maris, id est, negotiatoribus marinis (est enim metonymia) revelatum est vastatam esse Tyrum, cum qua negotiabantur, ideoque ulularunt.

Revelatum est eis.) Septuag. vertunt: *Tyrus de terra Cethiorum ducta est captiva*, id est, de terra sua translata est. Nam ipsa inter Cethim computabatur; Hebræum enim גלה *gala*, et revelare, ut vertit Noster, et migrare, ut vertunt Septuag. significat.

Tacete qui habitatis in insula.) q. d. Tacete, o Vers. 2.
Tyrii, ex dolore, pudore et metu, quia subegit et vastavit vos Nabuchodonosor. Silentium enim signum est servitutis, æque ac pavoris et stuporis.

Insulam vocat Tyrum, quia olim erat insula; sed a Nabuchodonosor et Alexandro facta est peninsula accessibilis, et a peditibus expugnabilis. Sept. vertunt: *Cui similes facti sunt habitantes in insula.* Hebr. enim דמה *dama* et tacere et similem esse significat, q. d. Tyri iam obsessi et vastati facti sunt similes gentibus aliis: sicut enim olim omnes gentes cum suis mercibus confluebant Tyrum, ita nunc cum suis opibus profugiunt ad alias gentes.

Negotiatores Sidonis, etc. repleverunt te.) Suis opibus et mercibus: erat enim Tyrus vicina Sidoni, et Sidonis colonia. Aliter hæc dispungit S. Hieron. connectit enim hæc cum præcedentibus hoc modo: *Tacete qui habitatis in insula, negotiatores Sidonis*, q. d. O Sidonii, plangite æque ac Tyri, tum quia vastata Tyro mercimonia vestra cessabunt, tum quia a Tyro ad vos perget, vosque pariter vastabit Chaldæus.

In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius (Tyri) et facta est negotiatio gentium.) Vers. 3.
Semen Nili vocat fruges et opes Ægypti. Has enim ei affert, et quasi serit Nilus sua exundatione oblimans et fœcundans agros, unde easdem vocat *messem fluminis*, scilicet Nili: copiosam enim messem affert copiosa exundatio Nili, q. d. Semen et messis frumenti quæ in Ægypto non ex pluvia, sed ex multis aquis Nili exundantis provenit, fuerunt fruges Tyri, et merces in Tyrum delatæ, ut inde per negotiationem in reliquas insulas et provincias distraherentur. Erat enim Tyrus emporium celeberrimum omnium gentium. Unde Arabicus vertit: *Mercaturæ tuæ quas afferebas in aqua multa* (per aquam) *semen mercaturæ mercatoris, quo sibi proderat quæstu ad messem frumenti, et fruges factæ sunt mercatura gentis.* Sic Veneti aiunt in mari annonam sibi esse, quod nihil nascatur domi, sed omnia ad victum necessaria ex mercatura conficiant, et ex mari navibus invehant.

Addit Sanchez vocari *semen Nili*, quia Nilus æque ac Indus, teste Cicerone, semina secum volvit, quæ aut ventus excutit, aut maturitas aufert ab his plantis quæ ad ripas nascuntur, eaque cum exundat in agros, dispergit et disseminat: et hac ratione Nilus dat semen æque ac messem Ægypto. Verum illud semen exiguum est et incertum: constat enim Ægyptios æque ac alias gentes suos agros serere.

Ægypto ergo messem et fertilitatem dat, non pluvia, uti alibi fit, sed Nilus exundans et oblimans agros: atque inde dictum putant Nilum, a novo inferendo luto, quo feracem reddit Ægyptum. Unde Servius censet Nilum dici quasi νεαν ἰλυν, hoc est, novum trahentem limum quo opplet campos. Hinc Claudian. epigram. 6. de eo sic canit:

Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis quas ipsa vehit, Niloque redundat.

Sunt tamen, qui a Nileo rege appellatum putant Nilum. Hebræis dicitur שיחור *Seichor*, Græcis μέλας, id est niger; quia turbidus est, ob limum quem vehit. Censent aliqui a μέλας vocatum esse Melo, vel Milo: Melo enim vocatur ab Ennio, Servio, et aliis. Porro a Melo dictum esse Nilum contendit vir doctus, littera M in N mutata. Nam hæ litteræ alternant, uti in Noph et Moph, id est, Memphis.

Erubesce, Sidon: ait enim mare.) Primo, S. Hie- Vers. 4.

ron. sic exponit: Mare, id est mercatores maris aiunt Sidoni: Erubesce, quia Tyrus filia tua, in quam tot opes congessisti, vastata et in solitudinem redacta est. Rursum erubesce, inquit S. Thomas, quia non defendisti ab hoste filiam tuam Tyrum. Dic ergo: Non parturivi, nec peperi filios, qui meam Tyrum propugnarent.

Secundo et genuine; Erubesce, Sidon, quia tua colonia Tyrus a suis filiis deserta, tam fœde et misere vastata est: ait enim mare, imo ipsa fortitudo, arx et columen maris, puta Tyrus filia tua, teque non in mari, sed in continente sitam, per marina commercia ditans, dicens: *Non parturivi etc.* q. d. Videbar mihi olim genuisse fortissimos iuvenes et pulcherrimas virgines; at iam vastata nihil horum agnosco: omnibus enim ab hoste occisis aut captis nudata, orbata et viduata sum: erubesce ergo, o Sidon mater, de hac Tyri filiæ tuæ nuditate, similemque propediem ab eodem hoste exspecta. Ita Cyrill. Procop. Lyran. et Vatablus.

Moral de avaritia mercatorum. Moraliter, S. Ambros. de Elia et ieiunio c. 29. docet, hic mare accusare avaritiam mercatorum: *Fatigati*, inquit, *elementi*, maris scilicet, *hæc vox est: Erubesce, Sidon, hoc est, meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse inquietior, et erubesce velut pudore, quoniam periculo non moveris; verecundiores venti sunt quam vestræ cupiditates: illi habent otia sua, numquid vestra quærendi studia feriantur? et cum otiosa tempestas est, nusquam otiosa sunt vestra navigia: non parturivi, inquit, nec peperi, nec nutrivi iuvenes: quid me inquietant quos nescio, quos non cognosco?* Et inferius: *Horum igitur mercatorum semen in aqua, merces in fluctibus est: in aqua enim labores suos seminant, ut pericula metant; ipse in aqua est, numquam tutus et solidus.* Et, ut ille ait: *Qui navigat, tantum quatuor digitis distat a mari, a submersione, a morte.*

Mystice, S. Gregor. 3. p Pastor. c. 29. *Quasi*, ait, *per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ sæcularium atque in hoc mundo fluctuantium, eius qui Deo dedicatus et quasi munitus et stabilis cernitur, vita reprobatur;* et ut pie æque ac vere ait Thomas a Kempis l. 3. c. 3. *Erubesce, Sidon, ait mare: et, si causam quæris, audi quare: pro modica præbenda longa via curritur, et pro æterna vita vix a multis pes semel a terra levatur.*

Non parturivi.) S. Hieron. putat esse verba Sidonis deplorantis suam cladem, quod suis iuvenibus et virginibus ab hoste orbata sit.

Verum alii passim melius censent esse verba Tyri. Unde primo, Pintus et Forer. hæc per interrogationem accipiunt: *non*, id est, nonne parturivi et peperi iuvenes validissimos, qui pro me fortissime depugnarent? q. d. Peperi, sed frustra; nec enim hosti tam valido resistere potuerunt, sed una mecum occubuerunt.

Secundo, Emmanuel Sa sic explicat: *Non parturivi etc.* id est, utinam numquam parturiissem eos, scilicet filios, qui nec me, nec se salvare potuerunt.

Tertio, Sanchez per iuvenes et virgines intelligit filias, id est, colonias Tyri, qualis fuit Carthago, Utica, Gades, et Tartessus Hispaniæ urbes, quæ Tyro contra Chaldæos suppetias miserunt, ideoque ad quartum annum eis restitit, inquit Megasthenes apud Ioseph. lib. 10. Antiq. c. 11. sed eius incerta est fides. Sensus ergo est, q. d. Erubesce, Sidon, quia neque tu cum esses mater Tyri, neque nepotes et neptes tuæ, puta urbes quæ erant filiæ et coloniæ Tyri, matri suæ, scilicet Tyro, opem tulerunt, eamque ab hoste liberarunt: quare perinde fuit Tyro, ac si nullos peperisset filios et filias.

Quarto et simplicissime, q. d. Ita civibus filiis et filiabus destituta sum, utpote ab hoste captis vel cæsis, ac si numquam eos peperissem vel aluissem.

Vers. 5. Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt.) Tum quia Ægyptii magna habebant commercia cum Tyro; dolebunt ergo eius excidium, quia peribit eorum quæstus: tum quia timebunt ne post Tyrum Chaldæus Ægyptum invadat, uti reipsa contigit: nam Deus Chaldæis quasi ministris suis, pro longa et molesta obsidione Tyri in mercedem dedit Ægyptum eiusque spolia, ut patet Ezech. 29. 19. idque ex eius prophetia, uti et ex hac Isaiæ, et simili Ierem. c. 47. 4. cognoscere potuerunt Ægyptii, ideoque doluerunt.

Transite maria, etc. qui habitatis in insula.) In Tyro. Sermo est ad Tyrios negotiantes, ut imminente excidio alias sedes, et alia emporia quærant. Id fecisse Tyrios, et conscensis navibus fugisse Carthaginem, et ad alias insulas, ex priscis historiis docet hic S. Hieron. Vers. 6.

Numquid non vestra hæc (civitas Tyrus) est, quæ gloriabatur in antiquitate sua?) Quasi antiquissima urbs et in æternum duratura. Tyrus antiquior fuit Roma et Carthagine: nam Carthago colonia fuit Tyri, in qua Dido hospitio excepit Æneam, a quo descendunt Latini et Romani, Iosephus 8. Antiq. 3. asserit Tyrum conditam esse 240. annis ante templum Salomonis. Berosus longe antiquiorem facit Tyrum; nam a Tyras paulo post diluvium eam conditam esse tradit, ut dixi initio capitis. Eleganter Carpenteius hunc versum ita carmine reddidit: Vers. 7.

Urbs fuit illa Tyros, priscis quæ condita sæclis,
Innumerosque suo repetens ab Agenore soles,
Æternos demens spe præsumebat honores.

Ducent eam pedes sui longe.) q. d. Tyrii captivi abducentur, pedibusque ibunt in Babylonem.

Super Tyrum quondam coronatam.) Sicut enim rex cæteris eminet corona regia: sic Tyrus auro, gemmis, purpura, opibus et mercibus omnibus præ aliis urbibus eminebat quasi regina, ait S. Hieron. corona enim symbolum est, non tantum regni, sed et rerum copiæ. Vers. 8.

Secundo, quia Tyrus in rupe et scopulo erat sita; unde et hebr. dicitur צור *tsor*, id est, rupes, inquit Masius in Iosue 19. quocirca mœnia et turres Tyri, montis et rupis eius caput cingentia, coronæ castrensis imaginem præ se ferebant.

Tertio, quia inter fluctus eminebat quasi domina et regina maris.

Quarto, Hebr. מעטירה *maatira* non tantum coronatam, sed et proprie coronantem significat. Tyrus vocatur coronans: quia multos adeo ditabat, ut videretur eos reges vel regulos facere. Unde subdit: *Cuius negotiatores principes.* Sic hodie mercatores Veneti putant se dignitate principes exceptis regibus, superare. Quin et Antuerpiæ mercatores vidimus adeo potentes, ut sumptus facerent, quos principes non sustinuissent, ut non nemo ex ipsis a civibus Regulus vocaretur.

Quinto, Arabicus Antioch. vertit: *Quis cogitavit, quod Tyrus regnum conturbatum* (commotum) *in suis habitatoribus perveniret in hanc iacturam*, vel calumniam? et Arab. Alexandr. *Quis est qui hoc dedit consilium super Tyrum bene cultam et ædificatam?*

Inclyti terræ.) Tyri scilicet: de ea enim loquitur. Tyrii enim potentes erant, et quasi domini maris ac terræ. Vide S. Hieron. et ea quæ dixi initio capitis.

Transi terram tuam quasi flumen, filia maris.) q. d. O Tyre, olim eras filia maris, et quasi vastum mare (ut dixi v. 4.) tum aquarum, tum opum et gentium: nunc facta es flumen, hebr. יאור *ieor*, id est, rivulus exiguus, qui sensim ad loca declivia dilabitur et minuitur, donec deficiat et a terra absorbeatur: ita enim et tu decides a tuo splendore et gloria, transibisque per terram tuam, ut eas in Babylonem, ibique spargaris, miscearis et absorbearis ab aliis gentibus. Vers. 10

Aliter S. Hieron. *Sicut fluvius*, inquit, *sive rivulus facile transitur pede, ita tu terram tuam in captivitatem ducta transibis.*

Aliter et Vatabl. q. d. Transi et fuge, o Tyre, celerrime instar fluvii, antequam te occupet hostis.

Filia maris.) Quia Tyrus fuit accola et incola maris, ut a mari quasi a matre nasci, educari et foveri quasi filia videretur. Sic Delon insulam Athenæus vocavit *filiam maris*, quod subito e mari emerserit. Simili modo Venetiæ possent dici *filia maris:* unde de iis eleganter ita ludit Poeta:

Aut Venus a Venetis sibi fecit amabile nomen,
Aut Veneti Veneris nomen et omen habent.
Orta maris spuma fertur Venus, et Venetorum
Si videas urbem, creditur orta mari.
Iupiter est illi genitor, sed Mars pater huic est:
Mulciberi coniunx illa, sed ista maris.

Simili ænigmate et adagio, *filia maris et aquæ* vocatur glacies. Unde illud:

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

Glacies enim in aquam ex qua nata est, resolvitur. Rursum *filia maris* est sal, de quo illud ænigma:

Filia maris sive mare concretum in creta,
Ligneo in campo, ubi caro humana ossibus ludit.

Nam, ut explicat Diomedes, *mare concretum* est sal, qui ex maris aqua conficitur: *in creta*, id est, in fictili salino, ex argilla et creta facto: *in campo ligneo*, id est, in mensa: *ubi caro humana*, id est, hominis manus, *ludit ossibus*, tesseris scilicet et astragalis.

Hebr. est *filia Tharsis;* quia Tyrus pertinet ad illam regionem maris Mediterranei, quæ habitata est a Tharsis filio Iavan, Genes. 10. 4.

Rursum *filia Tharsis,* id est, maris Rubri; quia Tyrus fuit colonia eorum qui iuxta mare Rubrum sive Erythræum, puta iuxta sinum Arabicum, habitabant, uti docet Plinius lib. 4. cap. 22. Strabo lib. 1. Dionys. Afer vers 906. Hinc et in Bætica Tartessus iuxta Gades, urbs et colonia Tyriorum, dicta quoque fuit Erythria; eo quod Tyrii eorum aborigines ab Erythræo mari orti ferantur, inquit Plinius ibidem.

Putant aliqui Tharsis fuisse urbem iuxta mare Rubrum quæ coloniam duxerit condideritque Tyrum, ideoque Tyrios filiæ suæ, puta Carthagini, nomen aviæ indidisse, vocasseque eam Tharsis: unde Septuag. hic et alibi sæpe, et Noster interpres Ezech. 7. 12. pro *Tharsis* vertit *Carthaginem.*

Non est cingulum ultra tibi.) Primo, Sanchez sic exponit, q. d. Nobile illud Tyri emporium ita spoliabitur, ut ne reliquum quidem futurum sit cingulum unum, quod in scrutariorum circitorumque mercibus tenuissimum est.

Secundo, Chald. et Symmachus: *Non est cingulum,* id est, non est fortitudo militum tibi: hi enim cingulo gladium sibi accingunt, q. d. Non poteris ultra resistere Chaldæo.

Tertio, et aptius: *cingulum*, scilicet maris, *non est tibi*, q. d. Ante circumquaque mari cingebaris, quasi cingulo, erasque fortissima et inexpugnabilis: nunc hoc cingulum tibi ademit Chaldæus opplens mare, et ex mari faciens continentem: itaque iam cingulo destituta, infirma et hosti exposita, ab eo capieris, quasi iam terræ, non maris filia. Pari modo Tyrii condiderunt Gades, easque Punica lingua (quæ Syriacæ et Hebraicæ affinis est) vocarunt *Gadir,* id est, septum, eo quod undique mari et monte, quasi septo et cingulo valletur et cingatur, ac vicissim ipsum mare sepiat, stringat et muniat: sunt enim Gades in stricto freto Gibraltar. Ita docet Plinius lib. 4. c. 22. ubi perperam pro *septum* irrepsit *septem.* Gadir enim hebraice, syriace et punice non septem, sed septum, significat. Porro ex Gadir factum est Gades: Pœni enim uti et Galli aliæque gentes, facile R in S commutant. Id ita esse patet ex hisce versibus Avieni:

Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat:
Pœnus quippe locum Gadir vocat undique septum.

Et ex Solino c. 26. *Pœni sua lingua Gadir, id est sepem, nominarunt.* Ita enim legendum docet Delrio adagio 219. Perperam ergo Eustathius Γαδειρα, interpretatur, quasi γης δειρα, id est *terræ cervix.* Gadir enim et Gadira, non Græcum, sed Punicum est nomen. Sic ab Hebræo *mammon*, descendit Punicum *mammona,* id est divitiæ, ait S. August. ser. 35. de verbis Domini. Sic *Dido* descendit ab Hebræo *Dod*, et *David*, id est dilectus: *Hanno* a חנן *Chanaan;* est *Eucharius,* et pene Ioannes: *Carthago* idem est quod *Cartada,* id est nova civitas, ait Solinus. Plura vide apud Serarium in c. 2. Iosue q. 25.

Vers. 11. Manum suam extendit super mare, conturbavit regna: Dominus mandavit adversus Chanaan.) Alludit primo, ad priscos Hebræos, qui expulerunt Chananæos ex Chanaan, q. d. Ne spernas, o Tyre, Deum Israel: ipse enim olim manu et potentia sua siccavit mare Rubrum, et omnia regna vicina, præsertim Chananæorum, turbavit, et magno timore perculit ad egressum Hebræorum ex Ægypto: ipse etiam mandavit deleri Chananæos.

Secundo, magis proprie et genuine, per mare et Chanaan intelligit Tyrum: Tyrus enim a Chananæis condita et habitata fuit: unde et tribui Aser a Iosue c. 19. 29. fuit attributa: licet Aseritæ numquam eam expugnare et occupare potuerint. Sic mulier Chananæa in Evangelio dicitur egressa de finibus Tyri et Sidonis. In voce Chanaan alludit ad mercimonia Tyri: Chanaan enim hebr. vocatur, mercator. Unde Proverb. ult. dicitur: *Cingulum tradidit Chananæo,* id est cingulum vendidit mercatori: et Osee 12. 7. *Chanaan, in manu eius statera dolosa.*

Recte notat Sanchez *mandare* esse verbum militare idemque esse quod mittere exercitum: duces enim belli mandant chiliarchis et capitaneis, ut talem locum vel urbem invadant, cum illos eo ad id peragendum mittunt. Sic dicitur Psalm. 67. 29. *Manda, Deus, virtuti tuæ ;* et Isaiæ 10. v. 6. *Contra populum furoris mei mandabo illi:* et 13. v. 3. *Ego mandavi sanctificatis meis;* et cap. 45. v. 11. *Omni militiæ eorum mandavi;* Amos 9. v. 4. *Ibi mandabo gladio.* Similia sunt 1. Machab. 6. v. 62. et c. 7. v. 9. et 26. et c. 15. 39.

Non adiicies ultra ut glorieris; Vatablus vertit: *Non ultra luxu exsultabis;* calumniam sustinens.) Vatablus, *vim passa et oppressa*, scilicet ab hostibus Chaldæis. Hebr. עשק *asciak* significat fraudare aliquem suo ære, iure aut debito, ut faciunt mercatores iniqui, præsertim dum cedunt foro, q. d. Vos, o Tyrii mercatores, fraudastis et spoliastis vestros creditores: nunc vicissim a Chaldæis spoliabimini. Vers. 12.

Virgo filia Sidonis.) O Tyre, quæ pulchra es instar virginis, et filia es, id est, colonia, Sidonis. Rursum *virgo,* quia hactenus non es expugnata, sed iam defloranda et corrumpenda es per Chaldæos.

In Cethim, in Cyprum aliasque insulas, in Græciam et Italiam transfreta.) Ita fecisse Tyrios dixi vers. 6.

Ibi quoque non erit requies tibi.) Quia Deus ibi te quoque persequetur, et peste, fame vel bello affliget.

Ecce terra Chaldæorum.) Scilicet, evertet te, o Tyre, quibus non est populus similis robore, potentia et antiquitate: quia Assyrii *fundarunt eam,* scilicet terram et ditionem Chaldæorum, puta Babyloniam: prius enim Assyrii, omnesque gentes condiderunt turrim et urbem Babel, indeque egressus Assur in Assyriam condidit Niniven, Genes. 10. 11. Vers. 13.

In captivitatem traduxerunt robustos eius.) Scilicet Tyri. Ita Lyran. q. d. Populus Chaldæorum, id est Chaldæi, ceperunt robustos Tyri. Prophetæ enim saliunt a persona una ad aliam. Ita Isaias alloquutus Tyrum v. præc. in secunda persona, hic ad audientes et legentes sermonem convertens, loquitur ad eamdem in tertia persona.

Secundo, alii τo *eius* referunt ad Assur, eiusque regiam, puta Niniven, q. d. Chaldæi ceperunt robustos Assyriorum et Ninives. Nam Isaias Tyriis, ne mirentur urbis suæ tam potentis, magnificæ et opulentæ excidium, proponit excidium Assyriorum et Ninives, quæ Tyro erat maior et potentior. Ita Vatablus. Ninive enim capta et excisa fuit ante Tyrum, tempore Sardanapali ab Arbace Medo et Beloso Babylonio, teste Diodor. lib. 3. c. 7. Eadem rursum cum Tyro eversa fuit a Nabuchodonosor, uti ostendi Nahum 2.

Tertio, plane et simpliciter, *eius*, scilicet terræ Chaldæorum. Totum ergo hunc versum sic expone, q. d. Non mirum quod vastanda sis, o Tyre, licet urbs inclyta, quia pariter vastanda est terra Chaldæorum, puta Babylon, cui similis non fuit urbs aut populus, fundata ab Assyriis, te longe augustior et robustior. Ita Forerius, qui censet hic notari excidium Babylonis factum ab Alexandro Magno: hic enim primo Tyrum, deinde Babylonem cepit: pari, i-

mo potiori iure, ad Nabuchodonosorem idipsum referas qui cepit Tyrum, et post eum capta est similiter Babylon a Cyro. Ita Cyrillus.

Aliqui moderni Chronologi, ut ostendant excidium Babylonis fuisse prius excidio Tyri, quod hic innuere videtur Isaias, dum Tyriis idipsum in exemplum et speculum proponit, censent Babylonem captam esse tempore Iudith, a Nabuchodonosor devincente Arphaxad. Hunc enim Nabuchodonosor aiunt fuisse filium Assarhaddon, quem ipsi cum Genebr. et aliis nonnullis volunt fuisse Sardanapalum, victum et occisum ab Arphaxad, id est, Arbace Medo et Beloso Babylonio, teste Diodoro l. 3. c. 7. ideoque Nabuchodonosor, ut patris Assarhaddon necem ulcisceretur regnumque avitum reciperet, expugnasse Babylonem cæso Beloso, et mox debellasse Arphaxad, ac deinde crescentibus ei animis cæteras omnes gentes (ideoque et Tyrum ac Tyrios) subiugasse, ut narratur Iudith c. 1. et 2. Quod Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei, Serarius, Præfatione in Iudith, et alii censent contigisse sub Manasse rege Iuda: inde ergo arcessendos esse hos 70. annos desolationis Tyri. Prophetæ enim acie mentis elevata tempora semota combinant et de futuris loquuntur quasi de præteritis, ob eorum certitudinem. Quæ sententia nova quidem est, sed probabilibus nixa coniecturis. Favent Sept. hic, vertunt enim: *Ecce terra Chaldæorum desolata est ab Assyriis.* Nabuchodonosor enim hic eam capiens, fuit filius Assarhaddon regis Assyriorum: sed de hoc alibi.

Pro *in captivitatem*, hebr. est לציים *letsiim*, quod Forer. vertit, *navibus*, scilicet *traduxerunt robustos eius*, puta in captivitatem; Tigurin. vertit: *Qui vasta loca inhabitabant:* quod Vatabl. explicat, q. d. Assyrii construxerunt in Chaldæa urbes iis, qui prius in deserto sub tentoriis habitabant; ציה *tsia* enim significat locum aridum, desertum, squalidum, hinc *tsiim* vocantur naves, quod in mari quasi siccum quid emineant, ait Forer. Unde aptius sic vertas: *In locis squalidis statuerunt robustos eius*, quod Noster clare vertit: *In captivitatem traduxerunt robustos eius.* Theodotion et alii veteres apud S. Hieron. retinent nomen Hebræum, vertuntque: *Fundavit eam tsiim;* additque S. Hieronym. *Citii interpretantur plaga consummata, Chaldæi quasi ubera, Assyrii arguentes; tsiim etymologiam nec nos potuimus invenire.* Sed Tropolog. explicans subdit: *Chaldæorum autem tsiim fundamenta iecerunt, quos intelligo dæmones pessimos, qui et propugnacula et turres superbissimas urbis Chaldææ contra scientiam Domini suscitarunt: sed omnis eorum ædificatio in ruinas concidit; sequitur enim; Paries eius cecidit. Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Sæpe videmus in sæculo quosdam de alio proposito transire ad aliud, v. g. ut qui militiam male experti sunt, transeant ad negotiationem: rursumque causidicos bellatorum arma corripere. Mutant industriam, ut mutent infelicitatem: et nihilominus dispensatione Dei his, quos salvare dignatur, omnia nitentibus evenire contraria; ut per inopiam ac miserias cogantur non in se, sed in Creatore suo habere fiduciam.*

Vers. 15. IN OBLIVIONE ERIS, O TYRE, SEPTUAGINTA ANNIS.) Septuaginta annos manebis vastata et desolata; deinde reædificaberis, uti factum esse patet 2. Esdræ 13. 16. et ex eo quod postea Alexander Magnus rursum Tyrum expugnarit. Per quem et quomodo Tyrus restaurata sit, nec sacra, nec profana narrat historia; nam diu post excidium Hierosolymæ excisam esse Tyrum, ac proinde Tyrios cum Iudæis non rediisse Babylone, sed diu post, ostendam Ezechiel cap. 29. v. 17.

Dices, Ezech. 26. 14. dicitur Tyro: *Non ædificaberis ultra.* Respondet Leo a Castro id verum esse quia post 70. annos non eadem, sed alia alio loco ædificata est Tyrus; unde prior Palætyrus, id est, antiqua Tyrus, est dicta. Verum tam Tyrum quam Palætyrum ante Nabuchodonosorem sub Salmanasar exstitisse, docet Ioseph. lib. 9. Antiq. 15.

Secundo, alii respondent: *Non ædificaberis ultra*, scilicet in tali et tanta gloria, qualem et quantam ante habui-

A sti, ut scilicet imperes, quia subiicieris et parebis Chaldæis, Græcis, Romanis. Ita S. Hieron. in Ezech. 26. Emmanuel Sa et alii.

Tertio, et facillime, *ultra*, id est, ad longum tempus, scilicet 70. annis, non ædificaberis. Sic *ultra* capitur 1. Reg. 7. 13. 3. Reg. 10. 5. Ioel. 2. 19.

SICUT DIES REGIS UNIUS.) Quantum solet vivere homo, præsertim qui læte et liberaliter vivit, qualis est rex, id est, 70. annis; hæc est enim ætas et vita hominis, Psalm. 89. 10. Alludit ad regem famosissimum David, qui vixit 70. annis.

POST SEPTUAGINTA AUTEM ANNOS ERIT TYRO QUASI CANTICUM MERETRICIS.) q. d. Rursum post 70. annos Tyrus specie, ostentatione et proclamatione mercium suarum alliciet ad se mercatores, sicut meretrix cantu illecebroso allicit amasios.

Nota: Isaias mercaturam Tyri vocat meretricium: e contrario S. Ioannes Apoc. 18. 3. meretricium, id est, idololatriam Babylonis, id est, Romæ in fine mundi paganæ futuræ, vocat mercaturam. Sic enim ait: *Et reges terræ cum illa fornicati sunt: et mercatores terræ de virtute* (id est, de copia: hanc enim significat Hebr. חיל *chel*, cui respondet Græcum δύναμις, et Latinum virtus vel potentia) *deliciarum eius divites facti sunt.* Ubi Romam vocat primo, fornicatricem, sive meretricem; secundo, mercatricem, quæ suos mercatores ditat; tertio, cauponam, quæ suis deliciis et vino omnes inebriat. Ratio est, quia Hebræum זונה *zona* significat fœminam cauponam, quæ scilicet tam domum et esculenta, quam se aut suas prostituit, sive quæ mercimonia tractat, cauponatur, convivatur, lascivit; sive quæ meretur vel paratis obsoniis ut caupona, vel mercibus expositis ut mercatrix, vel corporis prostitutione ut scortum, quæ antonomastice dicitur meretrix; licet nomen commune sit omnibus prædictis; meretrix enim idem est quod quæstuaria, venditrix, mercatrix: sic et Græcum πορνη et meretricem et venditricem significat: descendit enim a περνωμαι, id est, vendo. Sic ergo Babylon Apoc. 17. et 18. inducitur ut caupona, meretrix et mercatrix. Hac etiam de causa mercatura Tyri ab Isaia hic vocatur meretricium, scilicet ob Hebræum *zona*: quod generale et commune est, et ob communem utriusque analogiam: tam enim meretrix quam mercatrix meretur, suasque merces exponit et divendit. Rursum, quia non raro tunc, uti et iam subinde fit, cædem erant cauponæ, meretrices et mercatrices: unde et Iura præsumunt eam, quæ in diversorio, seu caupona servit, honestam non esse. Hinc et Plato lib. 4. de Legibus, docet civitates maritimas et mercatorias, qualis erat Tyrus, male esse moratas; quia ex opibus et colluvie hominum in luxum et vitia abeunt. Sicut ergo Cicero l. 1. de Offic. ait: Hostis olim vocabatur peregrinus, vel hospes: sed peregrinorum et hospitum mores id effecerunt, ut iam hostis pro inimico sumatur: ita et in nomine cauponæ et meretricis accidisse videtur. Tyrus ergo vocatur *zona*, quia tota erat in lucrum intenta, et ut commune totius orbis emporium, sic et diversorium erat. Quare *orbis hospita*, *caupona* seu *tabernaria* dici potuit, cui hospites æque ac mercatores magnum quæstum afferunt. Ita Sanchez. Addit Leo Castrius, blandas illas mercatorum allectationes et laudes quibus merces suas commendant et extrudunt, posse vocari canticum meretricis. Et Forerius: *Vides*, ait, *mercaturam rei meretriciæ comparari: habent enim maximam inter se similitudinem concupiscentia carnis ac divitiarum.* Et Isidorus Clarius: Ostentatio, inquit, opum et mercium vocatur carmen et cithara; negotiatio vero vocatur fornicatio.

Meretrix vocatur mercatrix, cur?

SUME CITHARAM.) q. d. Uti meretrix citharas, cantus omnesque illecebras adhibet ad alliciendum iuvenes: ita Tyrus omnia adhibebit lenocinia et invitamenta, ut merces et mercatores ad se suasque nundinas revocet. Vers. 16.

FORNICABITUR CUM UNIVERSIS REGNIS.) Id est, commercia contrahet et negotiabitur cum omnibus gentibus, easque hospitio excipiet: hoc enim est Hebræum זון *zun* et *zona*, de quo iam dixi. Vers. 17.

*

Vers. 18. ET ERUNT NEGOTIATIONES EIUS, ET MERCEDES EIUS SANCTIFICATÆ DOMINO.) Primo, Sanchez: *Sanctificatæ*, inquit, id est pollutæ et exsecrabiles Domino: sunt enim merces meretricis, de qua sancitur Deut. 23. 18. *Non offeres mercedem prostibuli, etc. quia abominatio est.* Unde sequitur: *Non condentur*, id est, non acceptabuntur hæ meretricis oblationes, ut condantur in templo. Sic *sanctificare* per antiphrasin, pro polluere sumitur Deut. 22. 9. et alibi.

Secundo, idem Sanchez proprie hæc accipit, putatque esse sermonem de Machabæis, a quibus superatos fuisse Tyrios, et prædam captam, Deoque dicatam tradit Ioseph l. 12. Antiq. c. 12. et 1. Machab. 11. v. 59. dicitur Ionathas imperasse a finibus Tyri usque ad terminum Ægypti. Unde LXX. vertunt: *Erit negotiatio eius et merces sancta Domino: non ipsis congregabitur, sed habitantibus coram Domino omnis negotiatio eius, comedere et bibere, et impleri in symbolum, memoria coram Domino*, q. d. Id spectant Tyrii suis mercimoniis, ut habere possint quo vescantur et inebrientur; sed Deus aliud cogitat, scilicet ut ipsis spoliatis, alii fruantur eorum opibus et deliciis.

Tertio, S. Hieron. putat post restaurationem Ierusalem et templi Tyrios iniisse fœdus cum Iudæis, et ad templi sumptus sæpe dona misisse, idque colligitur ex 1. Par. 22. 4. et Zachar. 14. 16.

Quarto, et perfectissime, hæc facta sunt tempore Christi, inquit S. Hieronym. ad illum enim quasi liberatorem et consolatorem, a tristi clade de more avolat propheta, A q. d. Tyrii convertentur a Christo et Christianis, tumque consecrabunt suas opes Domino, neque avare eas recondent, sed negotiatio, id est lucrum, eius cedet templo Dei et ministris, ac pauperibus, *ut inde manducent in* (id est usque ad) *saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem*, id est vestibus bonis et firmis ad multos annos et usque ad vetustatem duraturis. Vatablus vertit: *Ad operimentum senum*, id est ut vestiantur veste honesta et decora, qualis decet senes et presbyteros. Hoc est quod prædixit Psaltes Psal. 44. *Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, etc.* Christus enim in finibus Tyri versatus est prædicando et miracula faciendo, ibique filiam Chananææ curavit Matth. 15. 21. et trecentis post Christum annis in Tyro valde floruit christianismus per sexcentos annos: inde a Saracenis occupata fuit Tyrus, ac rursum a Christianis, scilicet a Venetis ac Hierosolymitis, duce Guaremundo Patriarcha Hierosolymorum in bello sacro, annno Domini 1124. expugnata et recepta per 165. annos in fide claruit: donec anno 1289. a Saracenis et Ægyptiis capta, demum in Turcarum potestatem venit. Ita ex Guilielmo Tyrio, Adrichom. et aliis. *Tyri floruit christianismus.*

Dices: Hæc sunt lucra meretricis; ergo abominanda Deo.

Resp. Sunt lucra meretricis, id est, mercatricis, ut dixi. Secundo, sunt lucra meretricis, id est, quæ olim fuit meretrix, id est, idololatra: iam vero per Christum facta est casta, et virga, in fide et cultu Dei veri, de qua ait Apostolus: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo;* unde eius oblatio olim ingrata, nunc grata est Deo.

CAPUT VICESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Theodor. Eusebius, et ex eis Leo Castrius et Vatablus, putant hoc capite agi de vastitate invecta Iudæis post et propter Christum crucifixum. Secundo, Cyrillus et Procop. putant hic recapitulari ea quæ dicta sunt de excidio Babylonis, Moab, Damasci, Ægypti, Idumææ, et Ierusalem. Tertio et genuine, S. Hieron. et pulchre S. Ambros. de Elia et Ieiunio c. 21. et alii passim censent, Isaiam hic post onera et excidia aliarum gentium, de quibus egit a cap. 13. hucusque per undecim capita, ac nominatim post onus Tyri, quæ erat quasi microcosmus, uti dixi c. præced. transire de more ad onus totius mundi ac diem iudicii, ut sciamus per exempla variarum gentium hæc passurum esse totum orbem, quæ passa est Tyrus, Babylon, Ierusalem et alia regna, quarum excidium et conflagratio fuit typus et umbra tantum conflagrationis mundi, et ignis æterni: sic Christus ab excidio urbis Ierusalem transit ad excidium orbis Matth. 24. 29. Vide hic, quam apposite novum testamentum veteri, et Christus Isaiæ respondeat, quamque exacte Isaias Christo præluserit. Hoc ergo cap. pathetice illud ipsum describit Propheta, scilicet primo, horribilem eius speciem. Secundo, v. 5. eius causam: nimirum impietatem et scelera hominum, quibus terram conspurcarunt. Tertio, v. 13. paucos inde salvandos et beandos, eorumque exultationem prædicit. Quarto, v. 17. angustias et terrores illius excidii, ac denique v. 22. æterna gehennæ supplicia describit. Hoc ergo cap. usque ad cap. 28. est quarta sectio Isaiæ, qua prædicit onus totius orbis, gehennam reproborum ac diaboli, et gloriam Beatorum.

1. ECCE Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, et affliget faciem eius, et disperget habitatores eius.
2. Et erit sicut populus, sic sacerdos: et sicut servus, sic dominus eius: sicut ancilla, sic domina eius:
sicut emens, sic ille qui vendit: sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui
debet. 3. Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur: Dominus enim locutus est verbum hoc. 4.
Luxit, et defluxit terra, et infirmata est; defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ. 5. Et terra infecta
est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt fœdus sempiternum. 6. Propter hoc maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores eius: ideoque insanient cultores eius, et relinquentur homines pauci. 7. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. 8. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. 9. Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam. 10. Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte.
11. Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis lætitia: translatum est gaudium terræ. 12. Relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas. 13. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum: quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea; et racemi, cum fuerit finita vindemia. 14. Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. 15. Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in insulis maris nomen Domini Dei Israel. 16. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam iusti. Et dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi: prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt. 17. Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. 18. Et erit: Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam: et qui se explicaverit de fovea, tenebitur la-

queo: quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, et concutientur fundamenta terræ. 19. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra. 20. Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis; et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adiiciet ut resurgat. 21. Et erit: in die illa visitabit Dominus super militiam cæli in excelso; et super reges terræ, qui sunt super terram. 22. Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere: et post multos dies visitabuntur. 23. Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Ierusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

Vers. 1. ECCE DOMINUS DISSIPABIT. Hebr. בּוֹקֵק *bokek*, id est, inanem et vacuam reddet, TERRAM (unde Ambros. loco citato: *Faciet*, inquit, *terram quasi stadium vacuum athletis quiescentibus*) ET NUDABIT EAM.) Tum hominibus, tum animalibus, tum aliis suis ornamentis.

ET AFFLIGET FACIEM EIUS.) Exuret superficiem terræ igne conflagrationis, 2. Petri 3. 10.

ET DISPERGET HABITATORES EIUS.) Sicuti in urbis excidio incolæ dispergi solent dum conantur fugere, sed sæpe non effugiunt; nam in mortem, aut captivitatem incidunt: ita in fine mundi, plagas prævias excidio multi evadent, ipsum vero ignem et excidium nemo effugiet.

Vers. 2. ET ERIT SICUT POPULUS, SIC SACERDOS.) Eadem communi orbis clade involventur omnes, tam sacerdotes quam laici, tam nobiles quam plebei, tam servi quam domini, tam creditores quam debitores: nullum tum erit gradus et dignitatis discrimen, nulla patrocinabitur infula, opes, aut sceptrum: hæc enim respiciunt homines, non Deus.

Moral. S. Bern. in declamat. hæc pathetice adaptat sacerdotibus, qui vitam laicorum agunt.

Vers. 3. DIREPTIONE PRÆDABITUR.) Geminatio hæc habet auxesim, q. d. Omnino diripietur et vastabitur terra ab igne iam dicto.

Vers. 4. LUXIT, ET DEFLUXIT TERRA.) Hebr. est paronomasia: אָבְלָה נָבְלָה *habela nabela* quam interpres apte imitatus est vertens, *luxit et defluxit*, id est, lugebit et defluet, sive corruet terra, id est, terræ, domus, arces, oppida, item columnæ, pyramides, mausolea, quin et arbores ac sylvæ.

INFIRMATA EST ALTITUDO, id est, fortitudo vel excellentia, puta principes et nobiles, POPULI TERRÆ.

Vers. 5. TERRA INFECTA EST.) Peccatis (unde Chald. et Sept. vertunt. *peccavit*) æque ac fuco et hypocrisi; hoc enim est Hebr. חָנְפָה *chanepha:* hoc est quod orat Ecclesia: *Sunt multa fucis illita, quæ luce purgentur tua.* Vere enim in hac vita homines pleni sunt fucis, multi personati sunt, multi externam et simulatam habent sanctimoniam, castitatem, amicitiam; intus pleni sunt superbia, ira, libidine, odio, invidia, atque aguntur suis passionibus et cupiditatibus; hos fucos in iudicio aperiet, totique mundo ostendet Deus, imo igne comburet.

Fuco plenus est mundus.

DISSIPAVERUNT FOEDUS SEMPITERNUM.) *Fœdus* vocat Dei *leges* et *ius:* leges enim Dei sunt conditio fœderis cum hominibus initi: vocatur *sempiternum*, quia lex Dei, præsertim naturalis æterna est, et in æternum duratura, q. d. Deus exscindet orbem, quia homines eius incolæ violarunt fœdus, puta leges et iura Dei.

Alii hæc tria distinguunt. Primo, Forerius per *leges* accipit præcepta iudicialia, per *ius* cæremonialia, per *fœdus* decalogum. Verum priora duo non omnes homines, sed solos Iudæos obligabant. Secundo, S. Thomas per *leges*, accipit ius scriptum, per *ius* consuetudines, per *fœdus* pacta. Tertio, Hugo per *ius* legem naturalem, per *leges* positivas, per *fœdus* amicitiam accipit.

Vers. 6 PROPTER HOC MALEDICTIO VORABIT TERRAM.) Pro *Maledictio* hebr. est אָלָה *ala:* quod primo, cum Chald. et Vatablo verti potest, *periurium*, q. d. Periurium, quo homines violarunt fœdus et leges Dei, quas se servaturos iuraverant, id est sancte promiserant, erit causa et culpa, cur hæc clades devoret orbem: sic iuramentum capitur pro promissione Ps. 118. 106. *Iuravi, et statui* (id est, firmiter statui, perinde ac si iurassem) *custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Est catachresis.

Secundo et melius, *ala* verti potest exsecratio, maledictio, id est extrema calamitas tantis sceleribus debita, vorabit terram, id est, omnes terræ delicias, opes et sordes, quas luxus et peccata hominum in eam iuvexerunt.

ET PECCABUNT HABITATORES EIUS.) *Et* est causale, significans *quia;* unde Septuag. vertunt, *quia peccaverunt homines,*

IDEOQUE INSANIENT CULTORES EIUS.) q. d. Quia insanierunt homines in peccatis, quasi furentes libidine et cupidinibus, adeo ut videntes et sentientes pestem, famem, aliasque Dei et septem Angelorum plagas horribiles, quæ describuntur Apocal. c. 8. et quasi nolint tamen pœnitere, ut dicitur Apocal. 9. 20. ideo pariter insanient dolore et horrore tantæ cladis: ita enim percellentur, ita cruciabuntur, ut in furorem et rabiem agi videantur, iuxta illud quod minatus est Deus Deuter. 28. 28. *Percutiat te Dominus amentia et cæcitate et furore mentis:* hoc est quod ait Christus Lucæ 21. 26. *Arescentibus hominibus præ timore, et exspectatione, quæ supervenient universo orbi.*

ET RELINQUENTUR HOMINES PAUCI.) q. d. Ab hac trepidatione atque insania dolorum eximentur pauci qui scilicet vivent non ut bruta, sed ut homines creati ad Dei imaginem, quique proinde hanc cladem videntes eam non sentient: anhelabunt enim ad meliorem vitam per et post mortem in cælo ineundam: hoc est quod ait Christus Lucæ 21. 28. *Levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.* Ita S. Hieron. et Haymo. Innuitur hic paucus sanctorum et salvandorum numerus fore in fine mundi.

LUXIT VINDEMIA, INFIRMATA EST VITIS.) *Luxit*, id est, lugere fecit; *infirmata est*, id est, infirmari fecit vitis eos qui se vino et gulæ dederunt; quia deducet eos ad horribile Dei iudicium, et ad æterna gehennæ tormenta. Vers. 7.

Secundo et genuine, sicut metaphorice dicuntur ridere prata et vineæ, cum fronde et fructu luxuriant: ita ex adverso dicuntur lugere et infirmari, cum præ ariditate squalent, nec uvas proferunt et vinum, quo deliciari et exsultare solent homines voluptuarii. Deus ergo in fine mundi vinetis et agris sterilitatem inducet tum per ignem conflagrationis, tum per plagas prævias.

CUM CANTICO NON BIBENT VINUM.) Conviviis et vino solere tam Iudæos et Gentiles quam Christianos adhibere cantiones et musicam, ostendi Ephes. 5. 19. Vers. 9

ATTRITA EST CIVITAS VANITATIS.) Primo, S. Hieron. S. Thom. et Haymo, civitas vanitatis, inquiunt, est Babylon, id est Roma, quæ in fine mundi tota vanitati, luxui et ambitioni dedita scelestissima erit, ideoque vastabitur cum suis filiabus, id est aliis urbibus ei subiectis, Apoc. 18. v. 2. Audi et B. Petrum Damiani epist. 9. ad Nicolaum II. Rom. Pont. qua ab eo petit licentiam, ut abdicato episcopatu Ostiensi et cardinalatu, liceat sibi ad quietem et silentium monasterii redire: *Cur*, inquit, *ego non deseram pro cavendis tot animæ vulneribus Romam? Quamquam et ipsi corpori non sit prorsus innoxia, utpote ferax febrium, nec vagarum. Unde et Tetrastichon hoc olim protulisse me memini:* Vers. 10.

Civitas vanitatis quæ? Roma.

Roma vorax hominum, domat ardua colla virorum:
Roma ferax febrium, necis est uberrima frugum,
Romanæ febres stabili sunt iure fideles:
Quem semel invadunt, vix a vivente recedunt.

Secundo, Sanchez, urbs, ait, vanitatis, id est, lucro et vanitati dedita, fuit Tyrus, de qua cap. præc. Porro Tyrus, luxus et vanitatis totius mundi fuit typus et imago, q. d. Totus mundus instar Tyri civitatis vanissimæ atteretur, et igne comburetur, fietque ipsissima vanitas, et vacuitas tam civium quam rerum omnium. *Tyrus.*

Quælibet. Tertio, idem Sanchez, civitas, inquit, id est, civitates omnes mundi, quæ videbantur esse munitissimæ et futuræ æternæ, in fine mundi atterentur et exscindentur, tumque apparebit quod fuerint civitates vanitatis, omnesque earum opes, arces, munitiones, etc. fuisse meram vanitatem. Ita Solon legislator Atheniensium teste Beroaldo lib. de terræmotu, dicere solebat, *civitates non esse aliud, quam habitacula miserorum, imo miseriarum et infortuniorum*, in quibus absconderentur infinitæ ærumnæ, dolores, fastidia, gemitus et planctus.

Mundus. Quarto, plane et genuine, civitas vanitatis est ipse mundus, in quo ut ait Ecclesiastes c. 1. 2. est *vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Nihil enim in eo est stabile, nihil solidum, sed omnia fugacia sunt, fluunt et pertranseunt. Unde Arabicus vertit *direpta est creatura*, vel terra. Vide S. Aug. l. de Civit. Dei initio, ubi duas constituit civitates invicem oppositas, unam Dei, alteram diaboli; unam veritatis, alteram vanitatis.

Nota: Sicut Deus et cælum, in quo est vita æterna, est veritas, et civitas veritatis: ita terra et omnia quæ in ea sunt, sunt vanitas. Porro sicut veritas multiplex est, ita et vanitas. Primo, veritas est veracitas: ita vanitas est fallacia et falsitas. Verax est Deus, veraces Angeli et Beati, vera bona quæ in cælis sunt: vani et fallaces sunt homines, falsa bona quæ in terris sunt. Sic dicitur Exodi. 20. 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, id est ad mendacium. Unde alii vertunt, *non peierabis.* Sic Sinon Æneid. 2.

Nec, si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Vere Philosophus mundum definivit dicens: *Quid est mundus? Est schola vanitatis, forum impostorum, scrinium dolorum.* Vis illustre exemplum? Q. Cæcilius L. Luculli studio et liberalitate amplam dignitatem et patrimonium consecutus, cum præ se semper tulisset unum illum sibi fore hæredem, moriens etiam annulos ei suos tradidisset, Pomponium Atticum testamento adoptavit, omniumque bonorum reliquit hæredem: sed fallacis et insidiosi cadaver populus Rom. cervicibus reste circumdatum per viam traxit. Itaque nefarius homo filium quidem et hæredem habuit quem voluit; funus autem et exsequias quales meruit, inquit Valer. Max. lib. 7. c. 8. et Cornel. Nepos in Attici Vita.

Secundo, veritas est in Deo, cælis et Beatis, quia habent esse plenum et solidum: vanitas est in terra eiusque bonis, quia essentiam habent tenuem et umbraticam. Deliciæ tantum titillant gulam ad momentum, non penetrant, non satiant. Honor non est res solida, sed tantum æstimatio et opinio hominum: aurum et argentum quid sunt, nisi terra rubra et alba? uniones quid sunt, nisi excrementa concharum? nobilitas unde, nisi ex factis alienis avorum et proavorum. Quid est terra tota, nisi centrum et punctum respectu cæli? Audi Nazianz. in carmine de vitæ itineribus: *Pulchritudo, ait, brevis; gratia fulgetro similis; iuventus nihil est aliud quam temporis fervor; canities, tristis vitæ occasus; gloria, aer; nobilitas, vetus sanguis; robur cum apris commune; satietas, petulans; matrimonium, vinculum; liberorum copia, curæ necessariæ mater; orbitas, morbus; forum, vitiorum schola; artes, abiectorum hominum angustus et alienus panis; omnia denique humana metus sunt, risus sunt, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, navis vestigium, aura.*

Caninius Rebilius unico tantum die fuit Romæ Consul: quo enim die consulatum iniit, eodem et depositus est; ut postea quæsitum fuerit, quibus Consulibus Consul fuerit. Quare lusit in eum Cicero l. 7. epist. 30. *Vigilantem*, inquit, *habemus consulem, qui in toto consulatu somnum non vidit.*

Tertio, in Deo et vita æterna est veritas, id est constantia; hoc enim est Hebr. אמונה *emuna*, et אמן *amen*; in terris est vanitas, id est mutabilitas, et rerum omnium constans inconstantia.

Sesostris, Ægyptiorum rex, illustris admodum et felix, A plurimas et maximas sibi subiecit nationes. Atque ex eo successu in protervam arrogantiam sublatus, currum sibi aureum, pellucidis pretiosisque lapillis interstinctum, faciendum curavit. In quo considens, quatuor ex devictis regibus currui, qui cum traherent, iugo illis imposito, iunxit. Hoc vero, cum sæpius fieret, et celebri quodam festoque die ex quatuor istis regibus unus, oculis conversis, continuo retrospiceret, et rotæ volubilitatem intueretur, Sesostrisque eum, cuius rei gratia tam frequenter oculos in rotam coniiceret, percunctaretur; respondisse is fertur: *Cum stupore admiror rotam, cum eam instabili modo ferri, atque aliter volvi, et nunc quidem sublimia demittentem, rursus autem demissa sublimantem conspicio.* Sesostris porro ubi dictum id intellexit, statuit, ne illi posthac currum traherent. Quam rei gestæ historiam cum Theodorus Mauricii Imperatoris legatus Chagano Persarum regi olim narrasset, Barbari fastum sic contudit, ut vicissitudinis rerum humanarum memor, cum populo Romano pacem fecerit. Ita Nicephorus l. 18. Eccles. B historiæ c. 39. Audi Boetium de Consolatione

Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat æterna positumque lege est,
Ut constet genitum nihil.

Quarto, in Deo et cælis est veritas, id est æternitas; in terris omnia sunt varia, id est caduca et momentanea. Ubi iam Ninive illa inclyta? ubi Tyrus? ubi Babylon? ubi Roma orbis domina? nimirum *Romæ Roma sepulta iacet.* Miratus sum Romæ me nullum invenire vestigium palatii Cæsaris, Augusti, Tiberii, nullam domum, nullum monumentum Scipionum, Fabiorum, Camillorum, imo nullam ex hisce aliisque Gentilium familiis ne nomine tenus quidem superesse. Periit omnis eorum memoria. *Nunc Roma Romam quærimus in media.* Verum in memoria æterna erit iustus: hinc Romæ exstant gloriosa sepulcra C sanctorum Petri et Pauli in Vaticano, domus S. Cæciliæ, S. Agnetis, martyrum S. Laurentii, S. Sebastiani, S. Susannæ, ecclesiæ Sanctorum plurimæ et antiquissimæ. Porro id non tantum olim priscis familiis accidit, sed et in dies novis præsentibusque Romæ contingit. Vulgare est proverbium: *Nihil tam mutabile quam aura et aula Romana.* Hoc oculis cernimus, hoc manibus palpamus. De aura Galenus medicorum princeps testis est, dum asserit sæpe se quotidie Romæ quatuor anni tempestates sensisse, scilicet mane auram vernam, meridie æstivam, vesperi autumnalem, noctu hiemalem. Hinc Roma habenti caput est rheuma et catarrhus. Qualis est aura, talis est aula. Ergo Roma est rota fortunæ, in qua nunc hi, nunc illi, vicissim ascendunt et descendunt. Iam quod in capite fit (nam *Roma caput mundi*) hoc et in reliquis corporis huius politici membris, puta totius mundi provinciis et urbibus, usuvenire non est dubitandum. Annon ergo orbis hic totus est *civitas vanitatis?* Annon est globus et sphæra volubilis in qua alia oriuntur, alia occi- D dunt, volvuntur omnia, summi descendunt, imi ascendunt, et ascendunt mox descensuri? Porro omnis hæc mundi vanitas maxime apparebit in eius fine, et in die iudicii, quo omnia quæ in eo sunt igne conflagrabunt. Quocirca S. Macarius cum socio Nilum transiturus, totus pannosus et squalidus, cum a Tribuno legionis audiret: *Beati vos qui mundum illuditis;* respondit: *Nos mundum illudimus, sed vos mundus illudit.* Testis est Palladius in Lausiac. c. 20.

Quinto, in Deo Deique fruitione est veritas, id est, plenitudo entis, et possessio bonorum omnium. Ipsius enim nomen est: *Ego sum qui sum*, Exodi 3. 14. Vide ibi dicta. Ac proinde terræ, hominum, et creatorum omnium nomen est: *Non sum*, ut interrogati cum S. Ioanne Baptista: *Tu quis es*, cum eo respondere debeant: *Ego non sum;* hæc est vanitas. S. Tiburtius Martyr a Valeriano fratre, eiusque coniuge S. Cæcilia, ad Christum conversus, cum ab Almachio Præfecto insaniæ argueretur, re-

spondit: *Utinam dignetur nos referre in numerum servorum suorum, qui respuerunt id quod videtur esse et non est, et invenerunt illud quod videtur non esse et est!* Ecquid, infert Almachius, videtur esse quod non est? *Omnia*, ait, *illa quæ in mundo sunt, quæ et cultores suos ad æternum exitium per brevis temporis lætitiam ducunt.* Quid vero, ait, est quod non videtur: *Vita iustis*, respondit, *et supplicium iniustis.* Ita habet Vita S. Cæciliæ.

Quocirca prudenter B. Thomas Morus carceri inique inclusus ab Henrico VIII. Angliæ rege, ita eos qui ad se consolandum venerant, alloquebatur: *Mundus hic carcer est, ex quo omnes ad causam dicendam suis singuli diebus evocantur. Quod autem meus carcer aliorum principum carcere sit minor, beneficii loco habeo; cum e malis pluribus minimum sit eligendum.* Ita Sanderus lib. 1. de Schismate Anglicano, et Stapletonus in Vita Mori.

S. Elisabeth Hungariæ regis filia audierat a Sophia parente maritum esse defunctum, et vix perculsa, dixit: *Si mortem frater meus obiit, et mihi quoque posthac mundo, eiusque vanitatibus defunctæ, morietur mundus ipse.* Ita habet eius Vita. Sapienter Poeta:

Esse, fuisse, fore, tria florida sunt sine flore:
Nam simul omne perit quod fuit, est et erit.
Quod fuit, est et erit, perit articulo brevis horæ:
Ergo quid prodest esse, fuisse, fore?

Expergiscimini ergo, o filii Adæ, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Cælum conscendite, hoc terræ punctum despicite. O æterna veritas, funda cor nostrum in te, ut nulla nos moveat vanitas!

Vers. 11. CLAMOR ERIT SUPER VINO IN PLATEIS.) *Super vino*, id est super vini penuria. Ita S. Thomas, Lyranus et Vatabl. Patet ex dictis v. 7.

Vers. 13 IN MEDIO TERRÆ.) In ipsa terra, in tota terra: sic enim alibi sæpe capitur *medium* non geometrice, sed vulgariter: ita enim vulgo dicimus: In medio mari, id est in ipso vasto mari; secundo, *in medio terræ*, id est in Ierusalem, inquit Sanchez; hæc enim est in medio terræ promissionis; vel in medio terræ tunc habitatæ. Nam iuxta Ierusalem, scilicet in valle Iosaphat, quæ urbem a monte Olivarum dividit, fiet iudicium universale, ut dicitur Ioel. 3. v. 2. Tertio, S. Thomas, Forerius et Vatablus hæc connectunt cum sequentibus. Unde Vatablus ita vertit: *Quoniam sic erit in medio terræ, in medio populorum, ac si quis oleas residuas decutiat, aut faciat consummata vindemia racemationem.*

QUOMODO SI PAUCÆ OLIVÆ.) q. d. In fine mundi, præsertim tempore Antichristi, tam pauci erunt fideles constantes in fide, quam paucæ olivæ remanent in olea post eius excussionem, et quam pauci racemi remanent in vinea post vindemiam. Hi, Antichristo deiecto, cum Christus gloriosus venerit ad iudicandum, laudabunt Deum, eique exsultantes quasi adhinnient de mari huius mundi, cum videbunt se iam illud, eiusque iactationes, procellas et pericula evasisse, atque ad portum salutis appulisse. Ita S. Hieron. Amant hoc mare voluptuarii, in eoque quasi pisces mergunt se, et tandem submerguntur; Sancti vero hoc mare horrent, et ad portum eluctantur et anhelant.

Vers. 15 PROPTER HOC IN DOCTRINIS GLORIFICATE DOMINUM.) Pro *in doctrinis*, Sept. Vatab. et Pagn. vertunt, *in vallibus*; alii, *in speluncis*, q. d. Qui habitatis in vallibus et in insulis maris, glorificate Deum: quo moraliter significat eos qui hic depressi sunt, et humiliant se, exaltandos esse, et in sua exaltatione exsultaturos.

Secundo, S. Hieron. sic explicat: *Propterea qui nunc in S. Scripturis eruditi estis, et scitis vobis tantum gaudium, tantaque præmia reservari in doctrinis*, id est ob doctrinam hanc a Deo acceptam, *glorificate Deum.*

Tertio, optime et plenissime S. Thomas, Lyranus et Sanchez: Monentur hic, inquiunt, viri Apostolici ut glorificent Deum percurrendo orbem, docendoque omnes gentes (etiam Indos in antris et speluncis habitantes) mysteria fidei, ac præsertim extrema bonorum gaudia et malorum supplicia, quæ hic a Deo per Isaiam audierunt et didicerunt. Apostoli enim et præcones Dei debent esse satores æternitatis, et novissimorum spe ac terrore homines impellere ad cælestem vitam, instar Christi et S. Ioannis Baptistæ, quorum conciones fuerunt de ventura ira, de ventilabro iudicii et examinis divini, de igne inextinguibili, de regno cælorum, ut patet Matthæi 3.

Pro *in doctrinis*, hebr. est באורים *baurim*, id est, *in lumine* vel *in igne*, q. d. Igne zeli vestri, et lumine prædicationis vestræ illuminate totum orbem.

A FINIBUS TERRÆ LAUDES AUDIVIMUS.) Exsultat Propheta, videturque sibi Indorum, Sinarum et extremorum orbis populorum per Apostolos conversorum, voces audire laudantium Christum Dominum. Unde Sept. pro *laudes* vertunt *miracula*, scilicet facta in India et aliis gentibus, quibus ipsæ conversæ sunt. Rursum, ingentia miracula fuerunt et sunt, tot tamque barbararum gentium conversiones, et mutationes morum. Vers. 16.

GLORIAM IUSTI.) Explicat quænam sint hæ *laudes*; dicitque eas esse quibus celebratur gloria iusti, puta Christi redemptoris et iustificatoris. Unde Vatab. hæc technice accipit, quasi harum laudum canticum sit hoc: *Gloria sit ipsi iusto*, q. d. Glorificetur Christus iustus noster.

SECRETUM MEUM MIHI.) Primo Vatablus et Pagninus vertunt: *Macies mihi est;* alii: *Tabes mihi est*, q. d. Macresco et contabesco ex intimo dolore dum video extrema mala peccatori imminere, et tamen totum orbem in peccata proruere. Ita contigit Davidi, cum diceret Ps. 118. *Vidi prævaricantes, et tabescebam.*

Secundo, hebr. רזי *razi* ex idiotismo et significatione Chaldaica significat *secretum meum mihi*, q. d. Cum in fine mundi tantam electorum in fide et sanctitate perseverantium gloriam, eos tamen fore tam paucos, atque ex adverso tanta damnandorum tormenta, eos tamen esse tam multos prospicio, ut ea et illos eloqui non possim, nec si eloquerer audientes crederent: hac de causa illa secreto mecum rumino et meditor. Unde Chaldæus vertit: *Secretum præmium iustorum monstratum est mihi, secreta vindicta impiorum revelata est mihi: væ iis qui vim faciunt, quia vim patientur; et direptoribus, quia ecce diripientur;* et S. Hieron. *Non possum*, ait, *cuncta narrare quæ cerno, hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur: væ mihi, quantus ordo pœnarum ante oculos versatur meos.* Ita et Hebræi. Hic sensus est genuinus.

Tertio, S. Aug. in Ps. 7. et ex eo Leo Castrius, hoc secretum accipiunt mysterium vocationis Gentium et reprobationis Iudæorum, cuius altitudinem et silentium non tam expositione quam admiratione commendat Apostolus, Rom. 11. cum ait: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, etc.*

Unde Theodotion, teste S. Hieron. vertit: *Mysterium meum mihi.* Addunt aliqui, *et meis.*

Tropologice S. Bernardus serm. 23. in Cant. hæc adaptat sponsæ quæ in secreto conscientiæ sponsum quærit et invenit: *Thomas*, ait, *in latere, Ioannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cælo, secreti huius gratiam sunt assecuti. Thomas in solido fidei, Ioannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis, Magdalena in tuto humilitatis.*

VÆ MIHI.) Heu mihi, quia in fine mundi inundabit omnis prævaricatio, omne scelus; et ego eloqui non valeo horrenda supplicia eis a Deo decreta: hinc intime crucior.

FORMIDO, ET FOVEA, ET LAQUEUS.) Hæc symbola sunt, significantque extrema mala peccatoribus in fine mundi imminentia, et extremas eorum angustias. Alludit ad venationes in quibus avibus et feris proponitur *formido*, ut eam fugientes in foveam, et ex fovea emergere volentes in laqueum sibi tensum incidant; *formido* enim hic est μορμολυκεῖον sive terriculamentum, quod avibus et feris obiicitur, ut in adversam partem impellantur, et in casses paratos agantur. Sic Horatius de simulacro Priapi ait: Vers. 17. Formido pro terriculo.

Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido.

Et Baruch c. 6. v. 69. *Sicut*, inquit, *in cucumerario formido* (id est terriculamentum, v. g. puer stramineus) *nihil custodit.*

Quocirca recte notat Sanchez *formidinem* hic vocari lineam, vel funem versicoloribus pennis intextum, qui certo loco a venatoribus positus terrebat cervos pennarum agitatione, ut pavidi in adversam partem fugerent, ibique in venabula, vel foveas et retia sibi parata inciderent; hoc est enim quod ait Seneca l. 2. de Ira c. 2. *Cum maximos ferarum greges linea pennis distincta conterreat, et in insidias agat, ab ipso effectu dicta est formido;* et S. August. l. 1. de Nuptiis et concup. *Et cum verentur infamiam falsam, veram incurrunt, instar ferarum quæ circumdantur pennis, ut cogantur in retia;* et Arrianus l. 2. de Vita Epicteti c. 1. ait idem nobis evenire quod cervis, qui, cum pennas fugiunt, convertunt et recipiunt se in retia, permutatis his quæ timenda erant, et forti animo toleranda. Utitur et Seneca lib. 2. de Clementia, ut doceat sic plerumque homines, dum non fortiter se opponunt minoribus, sed terga vertunt, in deteriora vitia atque incommoda maiora incidere. Ita Delrio Adagio 742. Sensus est, q. d. Sicut cervi et feræ omnimode obsidentur et arctantur ut capiantur: ita in extrema illa mundi clade Deus tot parabit fossas et laqueos, ut impii evadere non possint, sed si unum evadant, in alium incidant. In Hebræo pulchra est paronomasia: nam pro *formidine, fovea et laqueo* est פחד ופחת ופח *pachad vapachat vapach.* Unde Græcum παγίς.

Vers. 18. Quia cataractæ de excelsis apertæ sunt.) Strabo lib. 5. c. 17. *Cataractes*, inquit, *est ad medium fere flumen petrosum quoddam supercilium, in superiori parte planum, ut fluvium recipere possit; desinens vero in præcipitium, ex quo aqua præcipitatur.* Sic in molendinis et fluminibus retinacula aquarum, quibus solutis aqua in præceps cum impetu et fragore ruit, vocantur græce cataractæ. Alludit ad diluvium Noe, in quo *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cæli apertæ sunt,* Genesis 7. q. d. Ea copia et fremitu inundabunt plagæ in orbe terrarum sub finem mundi, qua tempore Noe aquæ inundaverunt, et quasi solutis cæli cataractis proruerunt in terram; Deus enim tunc iræ et vindictæ suæ laxabit habenas, ut pluat plagas, quas nunc clementia sua et Sanctorum precibus quasi cataractis conclusas inhibet et continet, iuxta illud Psal. 10. v. 7. *Pluet super peccatores laqueos: ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

Septuag. pro *cataractis*, vertunt, *fenestras,* q. d. Apertis quasi cæli fenestris Deus aspexit orbis peccata, ut ea vindicaret, quæ prius, quia non puniebat, videbatur velut clausis cæli fenestris non videre, sed ignorare, inquit S. Hieronymus. Aspexit, inquam, et iratus misit ignem aliasque plagas per Angelos, Apocal. 7. et 9. quibus terram ita percussit ut hominibus terrenis pavore et angore quasi ebriis, illa verti et tremere videatur. Vide cap. 33. Forte etiam, et verius, tunc tota terra tremet, et e centro convelletur, uti id ipsum in terræmotu, qui fuit in passione Christi, contigisse docet Didymus, ut dixi Iob 9. 6. Tunc enim erit summa rerum omnium perturbatio, tumque Deus extremam iram et horrorem infliget improbis; hocque significant sequentia cum ait: *Confractione confringetur terra, contritione conteretur, etc. agitatione agitabitur terra sicut ebrius.*

Vers. 20 Et auferetur quasi tabernaculum unius noctis.) q. d. Sicut proficiscentes per avia vel deserta loca, tabernacula quæ secum deferunt, noctu figunt, ut in iis pernoctent; mane ea auferunt: ita et terra auferetur, non quoad substantiam, sed quoad incolas, et quoad speciem et figuram, et ut ait S. Hieronymus, non terra, sed omnia terrena, puta omnis terrena mansio, conversatio, omnes terreni homines, et pristina vita, moresque et actus transibunt.

Visitabit Dominus super militiam cæli in excelso.) Primo *militia cæli* in Scriptura significat solem, lunam et stellas, quæ agmine composito et ordine pul- A chro, quasi instructa acie incedunt, ac Deo quasi milites deserviunt. Ita accepit S. Hieronymus hic: *Has,* ait, *stellas quasi ægrotantes Deus visitabit, et ferro ac cauteriis inuret, ut fiat cælum novum et terra nova : stellæ* enim, ut ait Iob cap. 25. 5. *non sunt mundæ in conspectus eius,* maxime cum iam idololatria, aliisque sceleribus, cultæ aut pollutæ sunt; has ergo stellas Deus visitabit, id est obscurabit, imo cælos deturbabit, Matth. 24. 29.

Forte etiam S. Hieronymus loquitur ex sententia Origenis, uti solet, qui putabat stellas esse animatas, animasque omnes simul esse creatas ante corpus, et ob peccata quæ tum admiserunt, quasdam astris alligatas esse, quasdam in corpora humana detrusas, et quotidie detrudi, qui exploratus est error.

Secundo et genuine, hic *militia cæli* vocatur exercitus Angelorum, id est dæmonum, qui olim cælo deiecti, iam in aere hoc versantur, et homines divexant, ac in fine mundi a Deo visitabuntur, id est punientur et condemnabuntur; licet enim etiam nunc damnati sint, tamen tunc B publica sententia coram toto orbe damnabuntur, atque omni libertate, qua in aere hoc versantur, ac dominio, quod in peccatores hic usurpant, spoliabuntur, atque in carcerem gehennæ, in æternum concludendi et comburendi relegabuntur; quæ ingens eis erit pœna. Hac de causa Scriptura ita loquitur, quasi tum primum damnandi sint dæmones, scilicet eo sensu quem iam dixi.

Tertio, Forerius, *milites cæli*, ait, sunt ministri templi, id est, sacerdotes, quia, sicut Angeli in cælo, ita ipsi in templo Deo semper assistunt et ministrant; quique quasi cælum terræ, et quasi angeli hominibus, laicis dignitate præstant, pariterque sanctitate præstare debent: quod si non faciant, graviter præ laicis a Deo visitabuntur et cruciabuntur. Nam ingredi in militiam phrasi Script. significat fungi ministerio Ecclesiastico, ut dixi Num. 4. v. 3. et 30. Sed hoc licet Forerio videatur maxime litterale, mihi tamen videtur hoc loco mysticum.

Et super reges.) Reges non eximet a iudicio et ira C Dei potentia aut maiestas: *Quia potentes potenter tormenta patientur.*

Et congregabuntur.) q. d. Reges æque ac dæmones, cum aliis impiis et plebeis colligati quasi in fasciculos, proiicientur in ignem gehennæ, sicut in ignem proiicimus fascem lignorum maiorum et minorum. Haymo putat fasciculos hosce faciendos varios, iuxta varia scelera: *Congregabuntur*, inquit, *congregatione unius fascis, ut qui pares sunt in culpis, damnentur pariter et in pœnis: avari cum avaris, luxuriosi cum luxuriosis.* Vide S. Gregorium l. 9. Moral. c. 39.

Et post multos dies visitabuntur.) Origenes sic exponit: Damnati claudentur quidem carcere gehennæ; sed non erit perpetuus carcer, quia, cum ibi fuerint per multos dies, id est per centum annorum curriculum a Deo definitum, visitabuntur ut liberentur. Ita voluit Satan per eum tollere fidem et memoriam æternitatis pœnarum, quæ maxime cohibet homines a peccato. Unde S. Gregor. 34. Mor. 16. explicans illud Iob 41. *Æstimabit abyssum quasi* D *senescentem*, id est, inquit, *æstimari faciet ab hominibus.* Verum hic est error; nam ignis ille in Scriptura vocatur æternus et inexstinguibilis. Vide S. Augustinum libr. 21. de Civitate 23. et can. 13. initio libri.

Secundo, Haymo, post multos, inquit, dies, id est annos, visitabuntur, ut scilicet resurgant, et in corpore ac anima crucientur.

Tertio, Lyranus vertit: *A multis diebus visitabuntur*, sicque explicat, q. d. In iudicio et gehenna peccata a multis diebus et olim admissa punientur.

Quarto, et genuine, *post multos dies*, id est post multa sæcula visitabuntur, id est punientur, q. d. Quamvis multis diebus et annis sint in gehenna, tamen numquam pœnæ eorum finientur; sed post quantoslibet dies et annos erit iugis inchoatio pœnarum; τo enim *visitabuntur*, significat actum continuatum et perpetuatum. Significatur ergo hic æternitas pœnarum. Ita S. Hieron. Adamus et Suarez loco mox citando. Unde Septuag. vertunt: *Per*

multas generationes visitatio erit eorum, et ita verti potest ex Hebræo. Sic ex adverso salus æterna iustorum significatur, cum dicitur c. 25. 9. *Ecce Deus noster iste, etc. et salvabit nos.*

Quinto noster Turrianus, libro de Eucharistia c. 31. et Alcazar in Apocal. 20. v. 1. notat. 4. per hanc visitationem futuram post multos annos, intelligunt solutionem Satanæ ligati a Christo, futuram post mille annos; per militiam enim cæli et per reges terræ intelliguntur dæmones, quos Paulus vocat mundi rectores. Censet enim Alcazar c. 23. et 24. et 25. et 26. et 27. Isaiæ, plane respondere c. 17. et 18. et 19. et 20. Apocalypsis, nimirum excidium Tyri, quod describit Isaias c. 23. esse Romæ ethnicæ, sive gentilisimi excidium, quod Ioannes, Apocal. 17. et 18. sub nomine Babylonis enarrat. Cap. 24. Isaiam describere reprobationem Iudæorum, et excidium Hierosolymæ per Titum, de quo egit Ioannes in Apocalypsi a capite sexto usque ad duodecimum. in septem sigillis libri signati. Tunc ergo a Christo ligatus est Satanas per mille annos, id est usque ad tempora Antichristi, quando solvetur ad modicum tempus, uti ait Ioannes, Apocalypsis 20. Hinc tria sequentia Isaiæ capita, scilicet 25. 26. 27. impenduntur in gratias Deo agendas, quod Romam ethnicam devastarit, eamque in novam Sionem, id est Ecclesiam Christianam converterit; eiusque obedientiæ Leviathan, sive bestiam maris, hoc est Romanum imperium Ethnicum, subiecerit, perinde ac Apocal. 19. cœlites ob eamdem causam ingeminant *Alleluia*. Atque hoc esse arcanum, de quo Isaias ait c. 24. 16. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Hinc c. 26. de ea canit Isaias: *Urbs fortitudinis nostræ Sion, etc. Aperite portas, et ingrediatur gens iusta. Vetus error abiit, quia incurvabit habitantes in excelso*, hebr. מרום *marom*, q. d. *In Roma.* Roma enim hebr. a רום *rum*, id est a celsitudine dicitur. Verum hæc mystica sunt. et ingeniosæ potius applicationes, quam genuinæ explicationes sacræ Scripturæ, uti patet ex dictis, et patebit ex dicendis in Apocalypsi.

Huc referri potest expositio S. Thomæ 3. p. q. 52. art. 6. ad 1. quæ talis est: *Christo*, inquit, *descendente ad inferos, omnes qui erant in quacumque parte inferni, sunt aliqualiter visitati; sed quidam ad suam consolationem et liberationem: quidam autem ad suam confutationem et confusionem, sicut damnati. Unde ibidem subditur: Et erubescet luna, et confundetur sol.* Sic etiam explicat S. Hieronymus. Pergit S. Thomas: *Potest etiam hoc referri ad visitationem qua visitabuntur in die iudicii, non ut liberentur, sed ut amplius condemnentur, secundum illud Sophon. 1. Visitabo super viros defixos in fœcibus suis.* Ubi addit Suarez: *Quia*, inquit, *in die iudicii Christus quasi de novo damnatos condemnabit.*

Mystice. S. Cyrillus hanc visitationem explicat de eversione idololatriæ, et potestate dæmonibus ablata per Christum; ipse enim eos sua vi repressit, et quasi in custodia conclusit.

Vers. 23 Erubescit luna quomodo. **Et erubescet luna.**) Primo, Chaldæus vertit: *Cultores solis et lunæ erubescent* in die iudicii coram Deo, et iudice Christo.

Secundo, luna et sol significant idolum solis et lunæ: idolum vero significat dæmonem idolum inhabitantem, inquit Adamus; q. d. Cum viderint dæmones qui iam pro diis coluntur in terra, Christum devicta morte simpliciter et absolute regnare, tunc confundentur.

Tertio, alii, q. d. Sol et luna erubescent, cum videbunt tantam gloriam et lumen Beatorum, quia eius respectu suum lumen exile videbitur.

Quarto, et genuine, q. d. Ipsa luna et sol stupescent et erubescent, cum viderint tantam reproborum damnationem et pœnam, atque tantam Christi iudicis et Beatorum maiestatem in consessu senum, id est Patriarcharum et Apostolorum, q. d. Hæc omnem hominum et creaturarum captum et analogiam excedent.

Erubescet ergo luna, id est, ut ait Ioel, et ex eo S. Petrus, Actorum 2. *Luna convertetur in sanguinem*, id est erubescet instar sanguinis, et, ut ait Christus: *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum.* Causam ruboris et confusionis dat S. Hieronymus: *Erubescet*, aut, *luna, et confundetur sol, cernens homines qui suo fruebantur lumine, nihil dignum Dei bonitate fecisse, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.*

Erubescent ergo astra, quod luxerint homini impio, qui hac luce abusus est ad multa et nefanda scelera perpetranda, quibus terram, aerem et cælum infecit et contaminavit. Si sol, quomodo ergo erubescet et confundetur ipse impius? Ita S. Cæsarius frater S. Gregorii Nazianz. Dial. 3. causam cur luna nunc rubescat, nunc pallescat, dat cædes, veneficia, aliaque scelera, quæ noctu ad eius lucem fiunt. *Idcirco*, inquit, *luna præ dolore æstuat, exhorret, abdit sese nubem induens, fratris exemplo* (fratrem lunæ vocat solem, qui in passione Christi Iudæis Christicidis indignans, radios suos subtraxit) *splendorem suum indignis largiri dedignatur, cœlitus velut ex aliqua specula per ipsam immutationem sui clamans et caligine puniens, atque coercens homicidas ab impio facinore.* Hæc si litteraliter ut sonant accipias, Platonis errorem olent, qui censuit solem, lunam et sidera esse animata; sin mystice et symbolice, uti Isaias hic, vera sunt.

Porro Septuag. vertunt: *Liquefiet later, et cadet murus;* Hebr. enim *leban*, vel *labena*, et laterem et lunam significat; חמה *chamma* vero, id est *sol*, si alio puncto legas חמה *choma* significat murum. Rursum pro חפרה *chapera*, id est *erubescet*, legerunt הפרה *haphera*, id est, *frangetur, dilabetur, cadet.* Sensus est, q. d. In excidio urbis Hierosolymæ, vel potius totius orbis, per ignem conflagrationis liquefient omnes lateres, et corruent omnes muri. In editione vero Sept. Complutensi aliisque nonnullis additur pariter id quod Noster vertit: *Et erubescet luna, et confundetur sol.* Verum hæc non leguntur in editione Sept. Romana, nec apud S. Cyril. et apud Procop. sunt addita margini, tamquam ex alia editione; et S. Hier. testatur pro his Sept. vertisse: *Liquefiet later, et cadet murus.* Non enim videtur credibile Sept. eodem loco eamdem vocem dupliciter, aliter scilicet et aliter vertisse.

Cum regnaverit Dominus.) Cum regnare incipiet in valle Iosaphat iuxta montem Sion, iudicando et damnando improbos, Sanctos vero glorificando.

CAPUT VICESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sicuti cap. 12. primi adventus Christi beneficia cantico clausit, ita hic secundi adventus munera hymno eucharistico concludit. Est ergo hic laus Dei glorificatoris, quam assumit Isaias in persona salvandorum per Christi passionem, qui pauci in tanto damnandorum numero mire exsultabunt, Deoque et sibi gratulabuntur. Has laudes et iubilos Beatorum sæpe imitatur S. Ioannes in Apocal. ita S. Hier. et patet ex connexione cum cap. præcedenti. Primo ergo Beati hic gratias agunt Deo, quod hostibus eorum impiis et superbis depressis mundoque vastato, ipsi ad portum salutis pervenerint. Secundo, v. 6. per convivium medullatorum et vindemiæ, atque per vinculi colligati dissolutionem, Sanctorum libertatem et delicias describit Tertio, v. 10. Moab, id est, reprobos, plaustro iræ Dei triturandos atque calcandos prænuntiat.

1. DOMINE Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. 2. Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum: ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur. 3. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te. 4. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua: spes a turbine, umbraculum ab æstu; spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. 5. Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis: et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies. 6. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. 7. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. 8. Præcipitabit mortem in sempiternum: et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est. 9. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, et lætabimur in salutari eius. 10. Quia requiescet manus Domini in monte isto: et triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro. 11. Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum: et humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius. 12. Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, et humiliabuntur, et detrahentur in terram usque ad pulverem.

Vers. 1. FECISTI, id est, certo facies, ac in tua præscientia et A decreto iam fecisti, COGITATIONES ANTIQUAS FIDELES, q. d. Quæ ab æterno cogitasti et decrevisti, quæque per sanctos Patriarchas et Prophetas olim minatus es, et promisisti de orbis et impiorum excidio, deque piorum gloria, illa fideliter adimplesti, id est adimplebis. Unde optans id fieri subdit, AMEN,) id est, fiat, uti vertunt Sept.

Secundo, Vatab. et Sanchez Hebr. אמונה אמן *emuna amen* vertunt: *Fecisti cogitationes antiquas, quæ sunt fidelitas fidelitas*, id est fidelissimæ et firmissimæ. Mirum est quod S. Thomas hic in fine capitis exponat *amen*, quasi sit vox Græca conflata ex α privativo, et μήν, id est luna, q. d. Sine luna, hoc est, sine defectu, puta solidum et stabile. Costat enim *amen* Hebræum esse, et Hebræum, non Græcum habere etymon.

Vers. 2. QUIA POSUISTI CIVITATEM IN TUMULUM.) *Civitatem* vocat orbem terrarum, qui maiori sui parte est civitas impiorum: hinc gratias agit Deo de illa excisa, et *in tumulum*, id est in acervum lapidum, redacta. Eamdem vocat *domum*, (Hebr. ארמון *armon*, id est palatium, notat superbas domos potentum et divitum in orbe) *alienorum*, id est impiorum, ut vertunt Septuag. impii enim cum naturaliter per creationem, et sæpe supernaturaliter per regenerationem in baptismo, aut per Sacramentum pœnitentiæ facti fuerint filii Dei, ipsi tamen sua prava voluntate ad idola aut vitia, quasi ad deos suos degenerarunt et alienarunt se.

Vers. 3. SUPER HOC LAUDABIT TE POPULUS FORTIS.) Sanctorum scilicet et electorum, qui fortiter se suasque cupiditates, mundi illecebras et dæmonis tentationes superarunt. Ita Lyranus. Unde Septuag. pro *populus fortis* vertunt, *mendicos et iniquitatem sustinentes*: hi enim fortes mendicitatem, hi iniurias et calumnias generose tolerant. Vertunt ergo ipsi: *Propter hoc benedicet tibi populus mendicus, et civitas hominum iniquitatem sustinentium benedicet tibi*; quia, ut sequitur, *tu factus es fortitudo pauperum*, q.d. Pauperes hi hanc suam fortitudinem non suis, sed tuis, tuæque gratiæ viribus acceptam ferent: agnoscent enim naturæ suæ infirmitatem, seque ex se esse imbecilles, sed fortes ex Deo. Hæc ergo est fortitudo Christiana, quæ adversis non succumbit, sed instar palmæ magis se erigit. Sicut calx aqua, ignis flabello, ferrum cote magis acuitur et accenditur: ita fortitudo et patientia Sanctorum afflictionibus et persecutionibus increscit, magisque inflammatur, nimirum *virescit vulnere virtus*, et, ut aiebat Cato:

Serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.

CIVITAS GENTIUM ROBUSTARUM, hoc est, Ecclesia ex validis gentibus congregata, TIMEBIT TE.) Reverebitur te, uti filii observant et reverentur parentes: Ita Septuag. Cælum ergo et cælestis Ierusalem est civitas fortium, quorum typus fuerunt fortes athletæ Davidis 2. Reg. 23. 8. Audi hac de re illustrem visionem quam narrat Ioan. Moschus in Prato spiritual. c. 10. *Narravit nobis Abbas Athanasius de se: Venit, inquit, mihi aliquando cogitatio dicens: Quid putas erit certantibus, et non certantibus? Et cum factus essem in exstasi, venit ad me quidam dicens mihi: Sequere me. Adduxit me in quemdam locum plenum luminis et gloriæ, statuitque me iuxta unam ianuam, cuius species enarrari non potest. Audiebamus autem interius qua-* B *si multitudinem innumerabilem laudantium Deum. Cumque pulsaremus, audivit quispiam intus, et dixit; Quid vultus? Ait ductor meus: Ingredi volumus. Respondit ille: Non huc ingredietur quispiam in negligentia degens. Sed si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates sæculi.*

Secundo, Vatablus vertit: *Civitas gentium violentarum et tyrannicarum* (hæ enim hebraice vocantur עריצים, *aritsim*, v. 4. et 5. ubi pariter Noster robustos vel fortes vertit, ut ibi patebit) *timebit te*, q. d. Civitas impiorum qui pios oppresserunt; de qua iam dixi, videns tantam sui cladem, serviliter timebit carnificem: hic sensus magis congruit Hebreo *aritsim*.

SPES A TURBINE, UMBRACULUM AB ÆSTU.) q. d. Deus Sanctis in omni turbine, id est persecutione et æstu, id est tentatione, fuit protector instar umbraculi, in quo sperarunt et ad quod confugerunt.

SPIRITUS ENIM ROBUSTORUM (hebr. *aritsim*, id est, Vers. 4
violentorum tyrannorum) QUASI TURBO.) Est hic triplex

sensus. Primus ut explicet hic Propheta quantus fuerit impiorum turbo et æstus in pios, q. d. Vis et furor, quem violenti homines et dæmones fragilibus fidelibus et sanctis intulerunt, et tempore Antichristi (de eo enim agit) inferent, fuit critque validus et impetuosus quasi turbo, qui etiam parietem impellit et deiicit, q. d. Ergo merito dixi, quod tu solus fueris eis fortitudo, quia inter medios hostium assultus, quasi inter turbines et fluctus steterunt immobiles quasi rupes et saxa. Idem eorum furor fuit sicut *æstus in siti*, id est, sicut æstus qui mire affligit sitibundos. Quare tu, o Domine, merito *tumultum* horum *alienorum humiliabis*. Ita hæc connectunt et dispungunt Lyran. Vatabl. et Forerius.

Secundus sensus est, ut hæc non ad impios, sed ad Christum pertineant, quasi explicet Propheta quantus sit futurus turbo et æstus, id est furor, Christi in impios: repetendum enim est per Zeugma verbum *humiliabis*, quod sequitur, q. d. Tu, Domine, altos et superbos spiritus arrogantium et tyrannorum humiliabis, sicut turbo vehemens qui parietem impellit et deiicit; et rursum *tumultum*, id est, vim et potentiam eorum humiliabis, sicut æstus nimius conficere solet homines in arena ardente et sitiente.

Tertio, aptissime versio nostra iuxta editionem Romanam, et Chaldæus hæc ita dispungunt, ut prior pars pertineat ad impios, iuxta sensum primo loco datum: posterior vero pars pertineat ad Christum eorum iudicem et vindicem, scilicet qua ait: *Sicut æstus in siti tumultum halienorum humiliabis*. Ibi enim est dispunctio, ibique incipit v. 5. q. d. Quia spiritus robustorum, id est, violentorum et impiorum, quasi turbo grassati sunt in pios, hinc tu, o Christe iudex, sicut æstus in siti, id est, sicut æstus maximus qualis est in loco arido et siticuloso (ubi nulla est umbra quæ æstum temperet, aut aqua quæ æstuantem refrigeret) mire viatores sudantes et sitibundos affligit: ita et tu in die iudicii valde affliges alienos, id est impios, qui se a te alienarunt, ob eorum tumultus quibus fideles tuos vexarunt, eosque calore et igne æterno exures, ibique ariditate et siti intolerabili conficies, ut cum divite Epulone petant aquam qua linguam refrigerent, et ne vel guttam impetrabunt.

Vers 5 Et quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium (hebr. *aritsim*, id est, violentorum, ut supra) marcescere facies.) Pagn. vertit: *Sicut æstus sub umbra nubis propago fortium humiliabitur*, q. d. Sicut frangitur æstus superveniente nube: ita propago impiorum frangetur et debilitabitur a Deo vindice. Verum melius vertit Noster. Pro cuius expositione. Nota, æstum qui ex densis nubibus provenit esse vehementissimum: solares enim radii angustiis nubium constricti et condensati validius agunt, feriuntque homines, agros et vineas. Symbolice, hic æstus nubis notat sententiam Christi iudicis in nube residentis, qua impios cruciabit uretque dicens: *Ite maledicti, in ignem æternum*. Rursum pro *propaginem* hebr. est זמיר *zamir*, id est putatio, id est proventus vitium, puta uvæ quæ putantur, et vina quæ ex uvis putatis et calcatis proveniunt, per quæ synecdochice omnes impiorum deliciæ et voluptates significantur: voluptuarii enim maxime gaudent vino et symposiis. Sensus ergo est, q. d. Sicut nubes æstuans torret terram et vineas, ita Christus in die iudicii perdet et exuret omnes impiorum delicias, quibus se oblectabant.

Quocirca apte et pie notat Sanchez illustre æstus, id est tribulationis, iustorum et iniustorum, discrimen. Æstuant, inquit, iusti iurgentibus et urentibus impiis; sed æstus ille brevis est, et temperatus a Deo, qui eis est umbraculum ab æstu, id est, nubes opposita a tyrannorum ardore. Æstuant impii, sed æstu ad dolorem atque ardorem gravi et ad durationem æterno: imminet eis Deus quasi nubes ardens et torrens, quæ eos æternis flammis, cruciet, et marcescere faciat propaginem, id est, omnes superioris vitæ voluptates.

Vers 6. Et faciet Dominus, etc. in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ.) Opponit convivium A hoc vindemiæ sanctorum, propagini, id est, vino et deliciis, impiorum marcescentibus et exurendis, de quo vers. præced. Nota, quod ait, *in monte hoc*, erat tum Hierosolymis Isaias, et digito demonstrabat montem Sion, aut ei vicinum montem olivarum. Nam iuxta hunc montem Christus sedens in aere quasi super Sion, et super vallem ipsam Iosaphat, ac super montem olivarum, peraget iudicium, ibique suos electos glorificare, et æternis deliciis pascere incipiet, idque facere perget in Sione cælesti per omnem æternitatem.

Iam primo, Euseb. lib. 1. de Demonst. cap. ult. Cyrill. Procop. Cyprian. vel potius Ruffinus in expositione Symboli, et ex iis Leo Castrius, hæc accipiunt de convivio Eucharistico corporis et sanguinis Christi, quæ summæ Sanctorum sunt deliciæ: utriusque enim speciei meminit, scilicet panis et carnis, cum vocat convivium medullatorum; et vini ac sanguinis Christi, cum vocat convivium vindemiæ, id est, vini ex vindemia expressi. Eucharistia enim præ omnibus epulis mentem saginat, impinguat et inebriat; B adeo ut sancta quædam virgo solita sit dicere: *Mihi certum est vel unicam Eucharistiæ sumptionem, si fiat cum vero spiritu et sensu devotionis, aptam natamque esse efficere, ut anima perveniat ad magnam vitæ virtutisque perfectionem*. Unde et S. Monica sumpta Eucharistia, quasi mente ebria exclamabat: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum*. Unde Sept. hic vertunt: *Bibent in lætitia, bibent vinum, ungentur unguento*. Unctionem hanc ad Sacramentum Confirmationis, in quo chrismate ungimur exterius, et interius robore Spiritus sancti, ut quasi athletæ Christi, eius fidem profiteamur et propugnemus usque ad mortem et martyrium, referunt S. Cyrilli Hierosol. et Alexandr. et post eos Theophanes Episcopus Nicææ, in Concordia novi et veteris testamenti.

Verum dico, ad litteram hic agi de deliciis Beatorum in cælo: quare per convivium hoc medullatorum non intelliguntur carnales, sed spirituales et summæ deliciæ, per catachresin: deliciæ, inquam, Sanctorum in cælo, C quas hic prælibamus in Eucharistia. Unde ad Eucharistiam hic alludit, præsertim quia caro Christi in Eucharistia propter unionem hypostaticam cum Verbo, habet vim, vel physicam, ut aliqui Doctores volunt, vel potius moralem vivificandi; ita ut eius virtute ad gloriam et immortalitatem, atque ad delicias cælestes resurrectura sint corpora Sanctorum, ut patet Ioan. 6. 50. et 57. uti explicat S. Cyrill. et Leontius. Quocirca huc videtur allusisse Christus in ultima cœna Lucæ c. 22. v. 16. et Matth. c. 26. 29. dicens: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*, scilicet in cœna magna nuptiarum Agni, de qua Matth. 22. et Apoc. 19. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*.

Convivium medullatorum, quod?

Nota: Convivii huius cælestis deliciæ denotantur per duo: primo, per *pinguia* (id est bene saginata) *medullata*; medulla enim ossium est delicatissima, et arguit carnes esse delicatissimas.

D Secundo, per *vindemiam*, id est, vinum defæcatum, hoc est purissimum, limpidissimum et suavissimum. Pro *vindemia* hebr. est שמרים *scemarim*, id est, fæces quæ sunt in fundo vasis, quæque vina ipsa conservant, a rad. שמר *sciamar*, id est servavit, conservavit: optimum enim vinum est, quod in suis fæcibus quasi residet, ibique nativum saporem et vigorem retinet et conservat. Rursum in dolio vinum optimum, id est, quod non longe a fæcibus distat. Aiunt enim physici, et inter eos nostri Conimbric. tract. 7. in meteor. c. 9. in dolio mellis optimum esse mel, quod est in imo sive fundo: in dolio olei optimum oleum esse, quod est in summo: in dolio vini optimum esse vinum, quod est in medio: horumque hanc dant causam: quia optimum id mel habetur, quod minus fluit, et quasi saccharum concrescit: tale vero suo pondere ad ima labitur. At oleum id excellit, quod nitidius est et defæcatius, magisque aereum: hoc autem quia levius, innatat. Denique, vis vini in calore consistit, qui ut noxam fugiat, maxime colligitur circa medium: summa enim pars ab aere pro-

Mel optimum in imo, oleum in summo, vinum in medio cur?

ximo læditur, et vanescit. Sensus ergo est, q. d. In cælis erunt deliciæ suavissimæ et plenissimæ, quales in hac vita æstimantur esse in convivio, ubi non nisi altilia medullata, et vinum *scemarim*, hoc est optimum et delicatissimum, gustanda proponuntur. Innuit Propheta vinum, id est consolationem, etiam spiritualem, a Deo immissam in hac vita non esse omnino defæcatam, sed semper cum aliqua fæce, et acore crucis et tribulationis permistam esse: consolatio enim liquida et limpida cælo reservatur. Pari modo in hac vita Sancti læti in Domino comedunt quasi carnem et ossa, sed in cælo comedent medullam.

Cyri stratagema. Refert Xenophon Cyrum hoc stratagemate suos Persas ad bellum, eiusque labores incitasse: iussit eos in sylvam ire, ibique toto die ingenti labore ligna cædere: postero die omnes opiparo et splendido convivio excepit. Deinde quæsivit ex eis, uter dies eis videretur melior, pridianus an hodiernus, utrum mallent? Responderunt omnes extemplo, hodiernum, utpote gaudii et deliciarum, cum pridianus fuisset laboris et afflictionis. Tum Cyrus: Si talem diem perennem habere vultis, modico tempore vobis laborandum est, ac certandum cum hostibus: ita enim eos vincetis, eorumque opibus ac deliciis immensis iugiter fruemini. Idem dicit Christus athletis suis: *Vos estis*, ait, *qui permansistis mecum in tentationibus meis: et ego dispono vobis regnum sicut disposuit mihi Pater meus, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo: et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel*, Lucæ 22. 30. Et alibi dicitur quod *faciet illos discumbere* in regno Patris, *et transiens ministrabit illis*. Age ergo, o miles Christiane, certa viriliter, vince teipsum, et omnia vicisti; sustine parumper, alge, abstine, humiliare, ægrota, suda, fer verba dura et verbera; brevi coronaberis, brevi epulaberis in mensa Christi, omnibusque bonis afflues. *Momentaneum* enim *et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*.

Vers. 7 Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati.) Id est oppressionem diaboli, ait Haymo; unde Symmachus vertit: *Præcipitabit faciem Dominatoris*. Secundo, S. Hieron. *Absorberi*, ait, *faciet faciem mortis, et vincula quibus universi populi ligabantur:* de quo dicitur Ecclesiast. 40. 1. *Iugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium*. Tertio et plenius, *præcipitabit faciem vinculi*, id est ipsum vinculum, hoc est peccatum originale, eiusque effectus et vincula; unde Hebr. est הלוט הלוט *hallot hallot*, id est, *vinculum, vinculum*, id est plurima omniaque vincula. Noster vertit *colligatum*, id est replicatum et involutum, ut multis spiris quasi vinculis hominem constringat, et arctius vinciat: omnia enim hæc mala et vincula dependent, et quasi colligata sunt tum inter se, tum cum primo Adæ peccato. Vincula ergo hæc sunt ærumnæ huius vitæ et mortalitatis post lapsum Adæ, q. d. Deus dirumpet omnia vincula errorum, morborum, persecutionum, miseriarum, tribulationum et mortis, quæ mox ut Adam peccavit, omnibus hominibus cœpit infligere, quibusque omnes homines astricti et colligati tenebantur.

Et telam quam orditus est super omnes nationes.) Quod prius vocavit *vinculum*, hic alia metaphora vocat *telam*, ex tela enim fiunt involucra, funes et vincula. Sic Poetæ fatum, sive decretum Dei de quolibet homine explicant per telam et stamina Parcarum quæ cuique nent, id est dispensant, bonam vel malam sortem pro meritis, et pro voluntate Dei: de iis enim dicitur:

Clotho rotat fusum, Lachesis net, et Atropos occat.

Vers. 8 Præcipitabit mortem in sempiternum.) Ecce hic præcipuam vinculi et telæ partem nominat et explicat, scilicet mortem: hanc locum citat S. Paulus 1. Corinth. 15. *Absorpta est*, ait, *mors in victoria: pro* בלע *billa* enim in *piel*, id est præcipitabit, absorbebit, legit בלע *bulla* in *pual* id est præcipitata, absorpta est: deinde Hebr. לנצח *lanetsach*, tam verti potest *in victoriam*, quam *in sempiternum*.

Et auferet Dominus Deus lacrymam.) Ecce alia pars *vinculi*, scilicet ploratus, gemitus et lacrymæ in tot ærumnis et afflictionibus huius vitæ. Huc allusit S. Ioan. Apoc. 21. 4. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*. Ecce vincula quæ Deus a Beatis auferet.

Et dicet in illa die: Ecce Deus noster iste, (scilicet Christus Iesus, id est Salvator noster, quo alludit Hebr. יושיענו *ioscienu*, id est salvabit nos salute æterna, q. d. Semper durabit ista Christi salvatio. Ita S. Hieron. et lætabimur בישועתו *bisciuato*, id est, in salutari eius.) Ut vertit Noster, id est, *in salute eius*, ut vertunt Septuag. Vers. 9.

Requiescet manus Domini in monte isto.) *Manus*, id est, potentia Dei, q. d. Deus suas opes, suas delicias, suam magnificentiam exeret, et potenter ac liberaliter effundet Beatis in Sion, id est in cælo. Ita Adamus. Hic sensus est genuinus. Secundo, Sanchez, *manus*, scilicet ultrix Dei, requiescet, id est, cessabit in cælo, q. d. Deus amplius suos Sanctos non castigabit ut purget et expiet, uti fecit in hoc mundo. Tertio, alii, q. d. Deus sua manu, id est potentia, immenso gaudio beabit Sanctos, dando eis æternam quietem. Vers. 10.

Et triturabitur Moab sub eo.) S. Thomas per *Moab*, proprie accipit Moabitas, quasi hic Isaias de iis prædicat, quod subigendi sint a Machabæis. Verum non de Machabæis sed de Beatis hic agitur, eorumque hostibus, scilicet dæmonibus et damnatis, quos synecdochice vocat *Moab*: quia Moabitæ fuerunt perpetui hostes populi Dei, sive Iudæorum, eosque ad libidinem et cultum sui dei Beelphegor, id est Priapi, illexerunt, Numer. 25. q. d. *Moab*, id est, populus impiorum, ideoque damnatorum, *sub eo*, scilicet Christo iudice, eiusque populo sancto et beato, *triturabitur*, id est, calcabitur et affligetur. Vers. 10.

Sicuti teruntur paleæ in plaustro.) Alludit primo, ad Orientales, qui ob fœni penuriam paleas dant iumentis. *Habent autem carpenta serrata, rotis per medium in serrarum modum se volventibus, quæ stipulam conterunt et comminuunt in paleas*, inquit S. Hieron.

Secundo, alludit ad Davidem, patrem et typum Christi, qui Moabitas concidit et conculcavit, 2. Reg. 8. v. 2.

Pro *plaustro* hebr. est מדמנה *madmena*, quod a rad. דמה *dama*, id est, *succidere*, descendit, significatque plaustrum serratum et scindens, uti vertit Noster et Sept. Verum Chaldæus, Symmachus, Vatab. et passim recentiores Hebræi *madmena* vertunt *sterquilinium*, a rad. דומן *domen*, id est stercus, q. d. Deus calcabit Moab, id est impios, sicuti calcantur paleæ in sterquilinio, ut fiant stercus.

Et extendet manus suas sub eo. sicut extendit natans ad natandum.) Pro *sub eo* hebr. est *in medio eius*. Unde Vatablus hoc de Christo exponit, q. d. Sicut peritus natandi solet porrigere et extendere utramque manum secundum aquam: ita porrecta utraque manu hostes suos, scilicet impios, cædet Christus, idque virtute et merito crucis, ubi manus suas inter impios extendit, quasi natans in aqua doloris, æque ac amoris. Crux ergo fuit plaustrum, quo Christus serravit et comminuit impios: unde pro *allisione manuum* quæ sequitur, aliqui vertunt, *in perforationibus manuum*. Vers. 11.

Verum Noster, Septuag. et alii hæc referunt ad Moab, q. d. Dæmones, et omnes impii ita a Christo iudice calcabuntur, ut dent speciem hominis plane victi, qualis est species natantis, qui explicans et reiectans brachia, gestum præfert hominis omnino desperati et victi. Ita S. Hieron. Adamus et alii. Comparat ergo eos naufrago natanti in mari; quia, sicut talis in abysso maris volvitur, ita impii facto salutis naufragio, volvuntur in abysso gehennæ ignis et tormentorum. Secundo, sicut in vasto mari natans manus quaquaversum extendit, ut arborem, vel rupem in quam evadat, comprehendat, sed frustra; nihil enim invenit quod capiat, quo effugiat: ita damnati frustra captant pœnarum effugia aut levamina; quocumque enim se iactent, flammis cinguntur et obruuntur. Tertio, sicut natans in mari desperat de vita, ita et improbi desperant de salute.

Et humiliabit (Christus) gloriam eius.) Scilicet, *Moab*, id est reproborum. Hebræi enim sæpe silenter commutant personas, uti hic a Moab ad Christum transitur: vide can. 14. et 16. Sanchez tamen pergit hæc accipere de Moab, q. d. Moab *humiliabit*, id est deprimet, fastum et *gloriam*, id est gloriationem, *eius*, id est suam: Hebræum enim *vau* affixi tam *suam*, quam *eius* significat.

Vers. 12. Et munimenta.) q. d. O Moab, o reprobi, Christus in die iudicii omnia in quibus nunc confiditis evertet. Est enallage personæ: transit enim a tertia ad secundam.

Moral de gaudiis Beatorum. Moraliter S. August. vel quisquis est auctor, l. de Anima et spiritu, tom. 3. operum S. Augustini, certe non est indoctus, multaque habet digna lectu. Trithemius putat esse Hugonis Victorini: nam non esse Augustini patet c. 37. ubi citat Boetium, qui Augustino fuit posterior; hic inquam auctor graphice gloriam et gaudia Beatorum in cælis, quæ hic perstringit Isaias, depingit, ordineque

1. ita recenset. Primo, mutuam omnium charitatem, et exinde mutuum gaudium: *Contemplemur*, inquit c. 57. *quæ sit ipsa societas beatorum spirituum, quæ maiestas visionis Dei, et quomodo Deus æternæ visionis suæ dulcedine Sanctos suos reficiat: nemo enim in hac vita digne pensare potest, quanta sit illa felicitas, Deum facie ad faciem videre; quanta suavitas, melos illud angelicum audire; quanta iucunditas, omnium Sanctorum societatem habere: tantum enim unusquisque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de suo gaudio ineffabili; et quot socios habebit, tot gaudia habebit. In illa gloria nihil delectabilius ad contemplandum invenio, quam intimi amoris affectum, quo unusquisque tantum amabit alterum, quantum seipsum, et Deum plusquam se, et Deus plus illos, quam illi*

2. *semetipsos; et hoc perpetuo gaudio.* Secundo, omnium bonorum copiam et affluentiam: *Quidquid*, inquit, *expedit, et quidquid delectat, ibi est, omnes videlicet divitiæ, et deliciæ, omnis requies, et omne solatium: quid enim ibi deesse potest, ubi Deus est, cui nihil deest? Quotquot ibi sunt, Dii sunt: omnes cognoscunt Deum sine errore, vident sine fine, laudant sine fatigatione, amant sine fastidio.*

3. Tertio, delectationem, quam percipiunt ex visione Dei: *Semper vident*, inquit, *et semper videre desiderant; tam desiderabilis est ad videndum: semper amant, et semper amare desiderant: tam dulcis est ad amandum. In hac delectatione requiescunt pleni Deo; adhærentes semper beatitudini, beati sunt; contemplantes semper æternitatem, æterni sunt; iuncti vero lumini, lux facti sunt. O beata visio, videre Regem Angelorum in decore suo, videre Sanctum sanctorum, per quem omnes facti sunt. Gaudete, et exsultate, iusti, quia videtis, quem amastis; habetis, quem desiderastis diu; tenetis, quem amittere numquam timetis:*

4. *ipse est salus, vita, pax et omnia bona.* Quarto, plenissimam pacem et suavitatem: *Quanta pax ibi est, ubi nulli vestrum quidquam repugnat, vel ab alio, vel a seipso; sed ipse Dominus regit vos, et nihil vobis deerit; gustate ergo et videte quoniam suavis est Dominus, suavis est ad gustandum. Tantæ suavitatis magnitudinem vos qui experti estis, nobis qui numquam tale quid gustavimus intimare non potestis: tamquam si quis mellis dulcedinem ei, qui*

5. *numquam dulce gustavit, verbis indicare velit.* Quinto, possessionem boni immensi, quod est ipse Deus: *Excita nunc*, inquit c. 64. *anima mea, et erige totum intellectum, et cogita quantum potes, quale et quantum sit Dei bonum: si enim singula bona delectabilia sint, cogita attente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, et non qualem in rebus creatis sumus experti; sed tanto differentem, quanto differt creator a creatura: si enim bona est vita creata, quam bona est vita creatrix? si ita iucunda est salus facta, quam iucunda est salus quæ facit omnem salutem? si amabilis est sapientia in cogitatione rerum creatarum, quam amabilis est sapientia quæ omnia creavit ex nihilo? Denique si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta est delectatio in illo qui fecit ipsa delectabilia? o qui hoc bono fruetur, quid erit, et quid illi non erit? certe*

6. *quidquid volet, erit, et quidquid nolet, non erit.* Sexto, possessionem pulchritudinis, sanitatis, sapientiæ, melodiæ, honoris, divitiarum, et omnium bonorum, quæ hic vel gustare, vel concipere possumus: *In cælo*, inquit, *est quidquid amatis, quidquid desideratis: si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol; si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erunt similes angelis Dei: quia seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale, potestate utique, non natura; si delectat longa et salubris vita, ibi est sana æternitas, et æterna sanitas, quia in perpetuum vivent, et salus iustorum a Domino; si satietas, satiabuntur cum apparuerit gloria Domini; si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei; si melodia, ibi angeli sine fine concinunt Deo; si quælibet munda voluptas, torrente voluptatis deitatis suæ potabit eos Dominus; si sapientia, omnes erunt docibiles Dei; si concordia, cibus erit illis una voluntas Dei; si potestas, introibunt in potentias Domini, et omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum, ita poterunt illi quod volent per illum; si honor et divitiæ, Deus servos suos bonos et fideles super multa constituet, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si vera securitas, certe ita erunt certi nusquam illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt nec se sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum.* Septimo, quod non sua solius, sed 7.

et singulorum aliorum beatitudine gaudebit quisque, eritque beatus non semel, sed centies millies: *Præterea in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum angelorum, et hominum, ubi nullus minus diliget alium quam seipsum, erit gaudium innumerabile; si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum, quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum in perfecta illa felicitate? Ubi, sicut unusquisque plus amabit sine comparatione Deum quam seipsum, et omnes alios secum: ita magis gaudebit absque æstimatione de Dei felicitate, quam de sua et omnium aliorum secum.* Octavo, fruitionem Dei, 8.

indeque gaudium tantum, ut cor humanum naturaliter illud capere non possit, sed hoc gaudio rumperetur et funderetur, nisi Deus illud supra naturam in tanto gaudio roboraret et conservaret: *Sic Deum diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor non sufficiat dilectioni; et sic gaudebunt toto corde, ut totum cor non sufficiat plenitudini gaudii: tantum est gaudium. In illa æterna beatitudine et perfecta Deo tripliciter fruemur, videntes eum in omnibus creaturis, et eum in nobis ipsis, et, quod his omnibus ineffabiliter iucundius erit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, et contemplantes. In hoc enim est vita æterna et perfecta, ut videamus Deum sicuti est in seipso. Pax Dei est in illa beatitudine, quæ exsuperat omnem sensum et intellectum, et multo magis omnem sermonem nostrum: quod ergo nulli donatum est experiri, nullus conetur effari. Mensuram, ait Dominus, bonam dabit in sinus vestros, confertam in interiore homine, coagitatam in exteriore, supereffluentem in Deo ipso: ibi cumulus felicitatis est, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens beatitudo.* Nono, dotes corporis 9.

gloriosi: loquens de dotibus hisce inquit: *Habebit terra nostra immortalitatem, ne timeat denuo se in pulverem redigendam: resurgens enim corpus nostrum iam non moritur: habebit etiam impassibilitatem, ne miseriis subdatur: tanta etiam in eo erit agilitas, ut possint Beati, si velint, absque ulla mora et difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Deest adhuc pulchritudo: hanc pulcherrimam habituri sumus. Salvatorem enim exspectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ exhibens quod promisit: Quoniam fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum: et sic replebitur maiestate Domini omnis terra nostra. Deus erit finis desideriorum nostrorum, quem sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine fatigatione laudabimus.* Idem anterius c. 36. *Amor*, inquit, *sensus est: nam sicut exterior homo circa ista temporalia quinquepartito sensu afficitur, id est, visu, auditu, gustu et cæteris: sic interior homo in beata vita circa quinque*

ineffabilia Dei, ineffabili amore officietur. Cum enim Deum suum amabit, quamdam lucem, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum, et quemdam amplexum interiorem amabit: ibi enim fulget, quod non capit locus; ibi sonat, quod non rapit tempus; ibi olet, quod non spargit ventus; ibi sapit, quod non minuit edacitas; ibi hæret, quod non divellit satietas: ibi siquidem videtur Deus sine intermissione, cognoscitur sine errore, amatur sine offensio- A *ne, laudatur sine fatigatione.*

Ex quibus omnibus recte infert S. Gregor. hom. 37. in Evangelia: *Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores: unde et Paulus egregius prædicator dicebat: Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.*

CAPUT VICESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, est canticum Beatorum, quo gratias agunt Deo de sua felici sorte. Secundo, v. 10. orat Propheta Deum, ut impios per flagella ad rectam vitam et ad salutem compellat; eo quod prosperitas ad luxum, flagella ad virtutem et ad Deum homines reducant. Tertio, v. 19. spe resurrectionis hortatur iustos, ut alacriter mortem et dura omnia sustineant, quasi ad cœlum aspirantes.

1. In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale. 2. Aperite portas, et ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. 3. Vetus error abiit: servabis pacem: pacem, quia in te speravimus. 4. Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. 5. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit. Humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem. 6. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum. 7. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum. 8. Et in semita iudiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te: nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ. 9. Anima mea desideravit te in nocte: sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis. 10. Misereamur impio, et non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini. 11. Domine exaltetur manus tua, et non videant: videant, et confundantur zelantes populi: et ignis hostes tuos devoret. 12. Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis. 13. Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui. 14. Morientes non vivant, gigantes non resurgant: propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum. 15. Indulsisti genti Domine, indulsisti genti: numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ. 16. Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. 17. Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tua Domine. 18. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ. 19. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere: quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. 20. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. 21. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos.

Vers. 1 CANTABITUR CANTICUM ISTUD (a Beatis) IN TERRA IUDA.) Puta in Sion, id est, in Ecclesia cælesti, de qua hactenus egit. Ibi enim erit æterna Dei laus et confessio: hanc enim significat Iuda, præsertim cum videbunt tantam suam gloriam, et tantam Moab, id est damnatorum, pœnam se evasisse. Ita S. Hieron.

Secundo, S. Cyrillus hæc adaptat quoque Ecclesiæ militanti, quæ est via et inchoatio Ecclesiæ cælestis et triumphantis.

URBS FORTITUDINIS NOSTRÆ SION SALVATOR, PONETUR IN EA MURUS ET ANTEMURALE.) Septuag. περιτειχος, id est, *circummurale;* Symmach. *firmamentum:* hoc enim est Hebr. חיל *chel.* Vox *salvator* referri potest, vel ad præcedentia, vel ad sequentia. Ad præcedentia referunt Biblia Romana et S. Hier. et Adamus, tumque sensus est, q. d. *Urbs fortitudinis nostræ,* id est fortitudo nostra, protectio nostra secura, et habitatio quieta instar urbis Sionis est Christus Dominus; quia ipse erit murus et antemurale nostrum, id est, instar muri et antemuralis fortissimi tutabitur et muniet Beatos in cælo. Simili tropo dicitur Prov. 18. v. 10. *Turris fortissima, nomen Domini; ad illam currit iustus, et exaltabitur;* et Ier. 1. 18. *Dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, etc. regibus Iuda, etc.* Aliter S. Greg. hom. 14. in Ezech. *In sancta,* inquit, *Ecclesia Dominus,* (Christus) *murus nobis, et Prophetæ eius antemurale sunt positi: quia ad nos, quos ipse perfecte protegit, etiam Prophetarum verba in fidei constructionem venerunt.* Aliter B quoque S. Hier. Murus, ait Ecclesiæ est fides; antemurale, sunt bona opera. Et S. Bern. serm. 5. de Assumpt. B. Mariæ: Murus, inquit, est continentia, antemurale patientia. Quod eleganter prosequitur serm. 3. de dedicat. Ecclesiæ. Sic Alcidamas dixit, Philosophiam esse vallum et septum legum, quasi in ea sita sit summa et robur legum; quod citans Aristot. lib. 3. Rhetor. immerito reprehendit.

Secundo, τὸ *salvator* ad sequentia cum Hebræis referri potest, idque est aptius et concinnius, q. d. Urbs nostræ beatitudinis, puta Sion cælestis, erit munitissima et fortissima, ita ut nulla vis, nulla ætas eam convellere, nec portæ inferi ei prævalere possint. Causa est: quia Salvator Christus erit ei murus et antemurale, id est fortissimus circumquaque custos et protector. Ita S. Thom. C Hugo, Forer. Vatabl. Sanchez et alii. Unde significantius Hebræa pro *Salvator* habent ישועה *iesciua,* id est, *salus,* hancque exhibent sententiam: *Urbs fortitudinis nobis est salus ponet muros et propugnaculum.* Ita Vatablus vel, ut alii: *Deus salutem ponet ei in muros et propugnaculum,* q. d. Vis scire quam fortis sit illa Beatorum civitas? Audi: ipsa salus suis muris et propugnaculis eam cinxit. Deus posuit ipsam salutem ei pro muris et propugnaculis: ipsa ergo salus urbem undique cingit et propugnat. Nemo autem est qui ipsi saluti et incolumitati nocere possit. Rebus quidem quæ salutem non habent, crastina die salus auferri potest: at salutem ipsam quis labefactabit? Simili modo dicitur cap. 60. 18. *Occupabit sa-*

lus muros tuos, etc. ut qui salvus et incolumis esse velit, ad te confugiat. Ita Forerius. Unde et Arabicus vertit: *Urbs cuius roborata est* (vel invaluit) *salus, posuerunt murum et filium muri,* hoc est antemurale. Iam noster interpres pro *Salus* vertit, *Salvator:* hic enim est salus causalis Sionis cælestis: quia ei plenam salutem affert. Nec enim salus a Salvatore, aut Salvator a salute divelli potest. Opponit urbem Sionem Moab, id est cælum inferno, Beatos damnatis; nam de Moab dixit: *Munimenta sublimium murorum tuorum concident, et humiliabuntur, et detrahentur in terram usque ad pulverem.* De Sione vero ex adverso dicit, quod salus ei erit murus et antemurale, ita ut ruinam, excidium aut cladem timere non debeat. Per antemurale intelligit vel vallum et semilunam, quæ fit ante portam et muros, ut ab iis cives hostem arceant, vel ipsa rotunda valla, quæ instar turrium inter muros excurrunt et prominent, ut ex iis incolæ hostem ad muros accedentem iaculis configere et depellere possint. Ita ad litteram Salvator fuit murus et antemurale Clodoveo regi Francorum adhuc pagano. Cum enim in bello contra Alemannos succumberet, invocavit Iesum Christum quem colebat eius uxor Clotildis, promittens si vinceret, se fore Christianum. Quare conversa belli sorte ipse vincere cœpit, Alemanni cedere, qui tandem ei se subdiderunt; itaque ipse Christianus effectus est, ut narrat Greg. Turonensis de Gestis Francorum l. 2. c. 30.

Morale, Iesus est nobis murus. I. Moraliter, Iesus, id est Salvator, est fortitudo nostra, murus et antemurale: nam primo, nos curat ab omni infirmitate et vitio; itaque ad amorem sui nos incitat et inflammat: quis enim salutem suam et suum non amet Salvatorem? Audi S. August. in Psal. 102. *Ligari se volunt homines et secari, daturi pro incerta sanitate et certum dolorem, et magnam mercedem: Deus te quem fecit, et certo curat, et gratis.*

II. Secundo, dirigit rectam intentionem ad Deum et ad salutem. Hinc Paulus docet 1. Cor. 10. omnia in nomine Iesu facienda. Si enim, ut ait Chrysost. hom. 9. in epist. ad Coloss. Consulum nomina securitatem litteris addunt, multo magis Christi nomen. Igitur in nomine Iesu omnia facias, et prospere succedent: omnia ista discamus non solum verbo tenus, sed et ipsis operibus adimplere.

III. Tertio, est excitamentum humilitatis et spei: quia dum salutem a Iesu et speramus et petimus, nostras miserias, et morbos, ac peccata et confitemur et accusamus, et tamquam medico nos ipsos offerentes, malorum nostrorum ab eo remedium exspectamus: quis enim a salvatore non speret salutem?

IV. Quarto, est ad devotionem stimulus, ut, sicut ipse in mei beneficium ac salutem seipsum mihi totum tradidit, ita et ego eius totus sim, qui totus factus est meus, et dulcescat cor meum, et labia in hoc suavissimo Iesu nomine: quemadmodum S. Franciscus tanta cordis dulcedine recreabatur, dum illud proferret, ut etiam labia lingeret; sicuti ii faciunt qui dulcissimum aliquid ore gustarunt.

V. Quinto, gratitudinem docet, quam ei pro tanto salutis beneficio debemus, præsertim si attendamus, quanto pretio ei nostra hæc salus constitit: si quidem, ut recte S. Bernard. ait: *Quando me creavit, dixit, et facta sunt: cum me redemit, dixit multa, fecit mira, pertulit dura, et non tantum dura, sed et indigna.*

VI. Sexto, provocat ad obedientiam, quia hoc sibi tam magnum nomen ipsum promeruisse ex obedientia, Paulus affirmat Philip. 2. quia nempe factus est obediens usque ad mortem, donavit ei Deus pater nomen quod est super omne nomen.

VII. Septimo, invitat ut in omni necessitate ad hoc sanctissimum nomen invocandum, tamquam ad sacram anchoram confugiamus. Audi S. Bernard. serm. 15. in Cantic. *Cui, ait, in periculis palpitanti et trepidanti, invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? cui in adversis diffidenti, iam iamque deficienti, si nomen adiutorii sonuit, defuit fortitudo?*

VIII. Octavo denique, hoc sacratissimum Iesu nomen omnem

A plane Christianam edocet perfectionem. D. Paulus I. Cor. 1. ad unionem ac perfectionem hoc titulo urget: *Obsecro,* ait, *per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et scientia,* q. d. Per hoc gloriosum nomen vos adiuro, cui tantum debetis, qui est princeps pacis ac salutis, qui inimicitias in corpore suo interfecit, qui a vobis hoc merito exposcit, ut perfecti sitis, hoc est interius exteriusque uniti. S. Bernardus loco citato: *Cum nomino,* ait, *Iesum, hominem mihi propono mitem, et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, omni denique sanctitate ac honestate conspicuum; eumdemque ipsum Deum, qui suo me exemplo sanet, ac roboret adiutorio: sumo itaque mihi exempla de homine, et auxilium a potente.*

Denique S. Hieronym. *Salvator,* ait, *est murus bonorum operum, et antemurale fidei. Non enim sufficit murum habere fidei, nisi fides bonis operibus confirmetur.* Nota hoc, Luthere, nota Calvine. Iesus ergo Ecclesiæ et fideli est murus et antemurale, est prora et puppis, est fossa et vallum. Sic Scipio Romanis, contra Annibalem et Carthaginenses, dicitur fuisse fossa et vallum, puta omne præsidium, omne tutamentum, omne robur.

B

Aperite portas, et ingrediatur gens iusta.) Notat S. Hieronym. hic mutari personas: est enim quasi dialogus. Vide can. 14. Censet ergo ipse hæc esse verba Christi ad Angelos, q. d. O Angeli, reserate cælum, ut Sancti mei asseclæ intrent ad illam visionem pacis, quam per fidem et gratiam meam hic sperarunt. Vers. 2.

Secundo, probabiliter Sanchez censet hæc esse verba Beatorum, qui audientes a iudice: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum;* exsultantes dicunt ad Angelos: Aperite, o Angeli, portas cæli, ad quod iam ascendimus cum triumphali plausu, ut ingrediatur gens quæ iustitiam coluit, et veritatem servavit.

C Tertio, Cyrill. putat hæc esse verba Dei ad Apostolos, q. d. Vos, o Apostoli, corumque imitatores, patefacite Gentibus aditum per prædicationem in Ecclesiam, ut fiant gens iusta, et custodiant veritatem. Verum patet ex dictis hæc non dici de Gentilibus in Ecclesiam, sed de Beatis in cælum ingressuris.

Vetus error abiit.) Hebr. est יצר סמוך *ietser samuch:* quod primo, Symmachus et Aquila vertunt: *Cogitatio nostra, firmata est,* q. d. Gaudemus quia mens nostra in contemplatione primæ veritatis, scilicet in Dei visione, defixa et stabilita est. Vers. 3.

Secundo, Pagninus vertit: *Desiderium coniunctum est,* q. d. Iam fruimur votis nostris, quidquid desideravimus possidemus. Deo enim iungimur, Deum tenemus, qui implet in bonis omne desiderium nostrum.

Tertio, et optime Noster *ietser* vertit figmentum, errorem, q. d. Nunc patet vetus voluptuariorum et damnatorum error, quo stulti et insani ab eis iudicabamur, quod arctam et asperam Christianæ vitæ semitam ingrederemur: nunc enim patet nos fuisse sapientes, illos vero stulte errasse. Ecce enim adepti sumus *pacem,* id est, bonorum omnium abundantiam, quam nobis, o Domine, contulisti, et conservabis in æternum, quia eam a te speravimus, ac propter eam dura omnia sustinuimus. Vide hunc reproborum errorem pathetice ab ipsismet agnosci, et plangi, Sapient. 5. 3.

D

Sperastis in Domino in sæculis æternis.) Pro *sperastis* hebr. est *sperate,* ut sit Beatorum invicem sibi gratulantium vox et congratulatio, q. d. O beati, qui iam beatam vitam inchoatis, sperate et confidite in Deo per omnia sæcula: ille enim per omnem æternitatem hanc beatitudinem vobis certam præstabit et conservabit. Vers. 4.

Alii putant esse verba Isaiæ ad homines, vanis sæculi opibus et pompis deditos, q. d. Nolite, o sæculares, o mundani, hæc vana et caduca sectari, sed instar Beatorum ambite æternas opes et honores, Deo serviendo et in illum sperando.

Verum Noster interpres vertit *sperastis:* quia Hebræi sæpe commutant tempora, et imperativum aut infinitivum

sumunt pro præterito. Iam Dionys. exponit: *Sperastis in sæculis æternis*, id est, iam inde ab initio mundi conditi. Melius Lyranus, *in sæculis æternis*, inquit, id est, ad consequenda sæcula æterna. Sic enim Hebr. *bet*, id est, *in*, non tantum dativum vel ablativum, sed et accusativum indicat, valetque idem quod *lamed*, id est *ad*. Sunt verba Prophetæ aut Angelorum Beatis congratulantium, q. d. Sperastis, o viri sapientes et divini, in Domino, exspectastis ab eo beatam æternitatem: nunc capite spei vestræ fructum, ipsam scilicet beatam vitam possidete in sempiterna sæcula. Ita Haymo, Lyran. Sanchez et alii.

In Domino Deo forti in perpetuum.) Hebr. *Quia in Domino Deo est* צור עלמים *tsur olamim*, id est, *petra sæculorum*, id est constantia, firmitas et robur perpetuum, quod numquam finem inveniet; ut merito in eum spes vestras deficere possitis, scientes eas numquam per omnem æternitatem frustratum iri.

Vers. 5. Quia incurvabit habitantes in excelso.) Ostendit Deum esse fortem in perpetuum, ac proinde in ipso esse sperandum, ex eo quod ipse incurvabit et deprimet omnes qui habitant in excelso, id est, omnes principes atque potentes et superbos, qui in sublimi erant dignitate et officiis, habitantes in altis palatiis, qui magnos gerebant spiritus et ad magna aspirabant: et *civitatem sublimem*, scilicet non Romam, ut Iudæi volunt, nec Ierusalem, ut S. Hieronym. sed mundum, *humiliabit*, et in pulverem rediget per ignem conflagrationis, ac eius habitatores ambitiosos, avaros, etc. disperdet.

Vers. 6. Conculcabit eam pes, pedes, inquam, pauperis.) *Pauperes* et *egenos* vocat Apostolos aliosque fideles qui Christi paupertatem sunt secuti; hi enim mundum, id est, mundi superbos et impios, calcabunt, id est, iudicabunt et condemnabunt. Ita S. Hieronym. et Septuag. Deus enim elegit infirma et ignobilia mundi, ut confundat fortia, potentes et sapientes sæculi.

Secundo, idem S. Hieronym. Origen. S. Chrysostom. Euseb. et ex iis Leo Castrius, hæc accipiunt de excidio Ierusalem, ob neglectam prædicationem Christi et Apostolorum. Verum, ut dixi, hæc spectant excidium orbis, non urbis.

Tertio, aliqui cum S. Cyrill. referunt hæc ad Ecclesiam militantem et Romanam. Unde Galatinus lib. 4. cap. 26. Urbem sublimem, inquit, id est, Romam et Italiam, Deus humiliabit. Nam cum sublimitas Romani imperii cælum pene tangeret, iugo Christianæ fidei humiliter collum subiecit. Tunc conculcavit eam pes pauperis, scilicet S. Petri piscatoris, qui iam Vaticanum, urbem et orbem occupat, adeo ut reges et imperatores eius pedes in ipsius successore Pontifice exosculentur.

Vers. 7. Semita iusti recta est.) Ostendit hic viam quæ iustos in cælum ad tantam gloriam deduxit, impiis perditis et conculcatis, fuisse rectam, esseque ipsam rectitudinem, id est amorem et studium recti et equi: scilicet fuisse semitam iudiciorum, id est mandatorum Domini. Hebr. ad verbum habent, *Semita iusto rectitudines*, scilicet sunt.

Secundo, *semita iusti recta est*, id est, æqua, plana, directa, sine ullo, non modo casu aut prolapsu, sed ne offensione quidem. Hoc enim significat Hebr. *misor*, et ei affine *mesarim*. Unde Pagnin. vertit: *Semita iusto recta: tu, o Deus, recta callem iusti liberabis;* Forer. *Semita iusto, æquitates: rectam orbitam iusti regulabis;* Vatabl. *Via iusto erit æquitatum* (id est, æquabilis et plana) *tu, o Deus, ad libellam æquabis*, ne scilicet offendat. Hoc est quod Deus iustis promittit Prov. 4. 11. *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.* Tales semitæ rectæ et planæ, sunt semitæ virtutis: hæ enim sunt semitæ voluntatis et legis divinæ, quæ peccati, ruinæ, offendiculi, et vindictæ non habent scandalum, uti habent semitæ tortuosæ et inæquales vitiorum. Unde orandum quotidie cum Psalte Ps. 26. 11. *Dirige me in semitam rectam:* et Psal. 24. 4. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi: et semitas tuas edoce me*, quæ me recta ducant ad te in cælum, ad felicitatem et gloriam æternam.

Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.) q. d. Desideravimus et assidue desideramus, ut tuum, o Domine, nomen et memoria tum a nobis tum ab omnibus gentibus iugiter recolatur et celebretur, ideoque desideravimus vindictam de impiis, ut sequitur, quia ipsi nomen tuum negligunt, imo profanant. Sancti enim desiderant Deum semper habere præsentem et coram eo ambulare, uti fecit Noe Genes. 6. 9. et Abraham Genes. 17. v. 1. Vide ibi dicta. Unde hebr. ad verbum est: *Ad nomen tuum et ad memoriam tuam est desiderium animæ nostræ.* Vers. 8.

Ita desiderabat, ita liquescebat ad nomen Dei et Domini Iesu Christi anima S. Iuliani, ut ubicumque illud in libris scriptum reperiret, lacrymis ablueret, earumque copia lituras multas libris induceret, uti refert oculatus testis S. Ephrem in eius Vita: *Quadam*, ait, *die dixi ad ipsum: Quis hosce libros* lituris *corrumpit? Beatus vero ad me: Nihil, inquit, a te penitus abscondam. Fornicatrix mulier ad Salvatorem accedens, lacrymis pedes illius rigavit, et capillis capitis sui abstersit; et ego, ubicumque Dei nomen scriptum comperio, lacrymis meis rigo, ut et ego ab eo remissionem peccatorum accipiam. At ille dixit: Non irrigatur cor meum, nisi plorem coram Domino Deo meo.* De S. Francisco narrat S. Bonavent. quod cum psalmos legendo, nomen Domini *in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur. Nomen autem Iesu cum exprimeret vel audiret, iubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum.* Et S. Bernardus: *Iesus*, ait, *est mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.* Dum enim Iesum cogitas et nominas, salutem et Salvatorem tuum cogitas et nominas. Quocirca Arnobius lib. 1. ait hoc nomine *magorum frangi actiones, dæmonum infirmari conatus, non horrore, ut dicitis, o Gentiles, nominis, sed maioris licentia potestatis;* quia scilicet hoc nomen torquet fugatque dæmones, ut patet Lucæ 9. 49.

Anima mea desideravit te in nocte.) Hic videtur finiri canticum Beatorum; nunc eo admonitus et excitatus Isaias, vidensque quem exitum habuisset tum piorum paupertas et afflictio, tum impiorum fucata et fallax prosperitas, atque ad Beatos aspirans, dicit se pariter velle iugiter Deum mente et animo gerere, illum colere, illum desiderare tam nocte quam interdiu, idque serio et studiose, ut etiam lucem prævertat; hoc est enim quod subdit: *Et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Sic ait David Psal. 62. *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.* Vers. 9.

Aliter Sanchez: *De nocte*, ait, id est de tribulatione et cruce, per quam nos ducis ad gloriam, suspirabo ad te.

Aliter et Theodor. *De nocte*, inquit, id est, ante incarnationem Christi, et *mane*, id est in incarnationem et post eam, desideravi te. Verum hoc est mysticum. Uti et istud S. Gregor. lib. 23. Mor. 12. *De nocte*, ait, q. d. *In hac obscuritate vitæ præsentis videre et appeto, sed adhuc infirmitatis nubilo circumscribor.* Pulchre et pie Carpenteius hunc versum ita reddit:

Interea, seu nox tenebras inducat inertes,
Seu roseum lux alma diem, te pectore toto
Quærimus, o hominum superumque æterna voluptas:
Te mentes sitiunt unum, præcordia anhelant
Nostra, Deus, nostræ custos auctorque salutis.

Cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis.) q. d. Ex zelo quo desidero ut nomen tuum et memoria, o Domine, ab omnibus etiam impiis sanctificetur, opto ut subinde iudicium aliquod et vindictam publicam in impios in hac vita exerceas, per quam illi te tuamque iustitiam cognoscant et addiscant; plerique enim ita suis vitiis sunt affixi, ut non nisi per gravia flagella corrigi possint. Ita S. Thomas, Adamus, Sanchez et alii.

Secundo, S. Hieron. refert hæc ad diem iudicii, q. d. Cum pro qualitate operis unicuique in die iudicii reddideris quod meretur, tunc iustitia tua cognoscetur in or-

hæ terrarum, quæ prius apud incredulos videbatur iniusta. Sed sera et inutilis erit illa disciplina, nisi eam accipiant ii qui adhuc vivunt, ab exemplis eorum qui iam post iudicium particulare in infernum detrusi ibi torquentur, quomodo Virgil. lib. 6. Æneid. ait de Phlegyas:

Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos.

Vers. 10. MISEREAMUR IMPIO, ET NON DISCET IUSTITIAM.) q. d. Iuste desiderio iudicium tuum in vindicta impiorum. Nam si eis miserearis et parcas, non discent iustitiam, sed manebunt in sua impietate: at si eos punias, vel ipsi, vel certe alii eorum exemplo et pœna territi convertentur, aut certe tuam potentiam et iustitiam laudabunt; esto ipsimet impii, quos flagellas, magis flagellis indurentur, ut iis obduruit Pharao; quare hæc in impios clementia et misericordia immisericors videtur. Talis est indoles hominum suis cupediis addictorum, ac durorum et obstinatorum, quales sunt hæretici, barbari et agrestes, qui lenitate exasperantur, asperitate leniuntur et domantur. Unde Poeta:

Ungentem pungit, pungentem rusticus ungit.

Audi S. Bernard. serm. 42. in Cant. *Tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur: Misereamur, inquit, impio, et non discet facere iustitiam: misericordiam hanc ego nolo; super omnem iram miseratio ista, sapiens mihi vias iustitiæ. Satius profecto mihi iuxta Prophetæ consilium apprehendere disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et peream de via iusta. Volo irascaris mihi pater misericordiarum, sed illa ira qua corrigis devium, non qua extrudis de via; illud nobis tua benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio: cum enim sentio te iratum, tunc maxime confido propitium: etenim cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Deinde id probat exemplo: *Deus,* inquit, *tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones ipsorum,* Psalm. 98. *Mosen loquitur, Aaronem et Samuelem, quos præmiserat, et hoc vocat propitiationem, quod eorum non pepercit excessibus. I nunc tu ergo, atque hanc tibi excludito in æternum, defendendo errorem, et accusando correptionem. An non istud est, malum dicere bonum, et bonum malum? An non ex hac odiosa impudentia pullulabit mox impœnitentia, mater desperationis?*

Terra Sanctorum quæ. I. IN TERRA SANCTORUM INIQUA GESSIT, ET NON VIDEBIT GLORIAM DOMINI.) Primo, Forerius; *Terra,* inquit, *sanctorum,* est Iudæa. Iudæi enim filii sanctorum dicebantur: et in Iudæa tantum erat vera Dei cognitio, iura et leges divinæ, q. d. Iudæi in terra sancta, quam a sanctis patribus veluti sanctificatam in hæreditatem acceperunt, iniuste agunt: *et non,* id est ne ergo videant, *gloriam Domini,* id est gloriam quam sibi Christus per prædicationem Evangelii peperit. Hic sensus accomodus est, sed arctior.

II. Secundo, Adamus: Terra tota, ait, vocatur *terra sanctorum,* quia in ea multi sunt sancti, omnesque deberent esse sancti: ad hoc enim a Deo constituta est, ut sit habitaculum sanctorum, non impiorum. q. d. Cum impii inter sanctos in terra versati sint, et tamen impie vixerint, hinc non videbunt gloriam Domini. Uti præcedens sensus arctior, ita hic æquo amplior est.

III. Tertio, Sanchez: Esse, inquit, in sanctorum terra, est dura pati, exerceri incommodis, et nullis mulceri corporis animique deliciis; hæc vero est efficacissima ad morbos animi sanandos medicina, q. d. Si ergo hæc medicina ægris impiorum animis nihil affert sanitatis, actum est de iis: si inter sanctos qui dure et austere vivunt aut deliciantur, aut austere cum sanctis, v. g. in monasterio, viventes impie tamen agunt; quid superest, nisi ut a domo et gloria Dei excludantur?

IV. Quarto, Vatabl. pro *terra sanctorum,* ait hebr. est terra נכחות *nechochot,* id est rectitudinum, id est recta et plana, in qua est via expedita, non aspera, non salebrosa, qualis est illa quam ingrediuntur delicati et molles, q. d. Si improbi in via et vita molli ac delicata im-

A pie agunt; ergo traducantur ad viam et vitam asperam ut discant continenter et sancte vivere.

Quinto et aptissime, est hic auxesis: auget enim et exaggerat peccatum impii, quod in terra sanctorum id perpetraverit: terra sanctorum est Ecclesia, cuius epithetum et titulus est *sancta.* In ea enim regnat Spiritus sanctus, multosque sanctificat: in ea sancta tractantur, ac præsertim sanctum Evangelium Deique verbum prædicatur, q. d. Impii in Ecclesia quasi in terra sanctorum, ubi tot habebant sanctas leges, tot sancta sacramenta, tot sancta exempla, tot sanctas exhortationes, tot sanctas inspirationes, sancte cum sanctis vivere debuerant: at ipsi in hac terra sanctorum, vel, ut hebr. est, rectitudinum, iniqua, hebr. est *perversa et distorta,* gesserunt: ergo nisi seriam agant pœnitentiam, planeque vitam mutent, non videbunt gloriam Domini, sed cælo et salute excludentur. Loquitur de solis fidelibus, qui sunt in Ecclesia: nam infideles iam iudicati et damnati sunt. Porro omnis Ecclesia, sed maxime Romana, est terra sanctorum, utpote B in qua sedem fidei et sanctitatis fundavit S. Petrus, quamque tot sancti Pontifices, Virgines, Doctores, ac trecenta Martyrum millia sanctificarunt, et etiamnum suis reliquiis sanctificant; ut merito dixerit B. Catharina Senensis Romæ stationes obiens: *Ego calco sanguinem Martyrum.* Quocirca ipsa Romæ et vivere et mori voluit, sepulta in templo B. Virginis supra Minervam. V.

Tropol. hæc sibi adaptent qui in sancta societate aut Religione dissolute vel irreligiose vivunt. Gravis enim in eos incumbet divini iudicii censura, quod in terra sanctorum inter sanctos Religiosos, ubi omnis peccatis aditus videbatur exclusus, planaque et facilis ad omnem virtutem et sanctitatem patebat via, laxe et remisse vixerint, atque iniqua gesserint. Unde S. Bernard. in declamation. post initium: *In terra sanctorum,* inquit, id est, *in clero, existens, tamquam in cælo iniqua gessit: ideo inventa est iniquitas eius ad odium, nec remittetur.* Hoc enim peccatum est quasi sacrilegium: est enim violatio et infamatio C rei sacræ, puta status Ecclesiastici aut Religiosi.

Idem ser. 23. in Cant. *Timeant,* ait, *Clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti sint; superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant, atque in usus suæ superbiæ et luxuriæ, victum pauperum consumere non vereantur; duplici profecto iniquitate peccantes, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus ac turpitudinibus abutuntur.*

DOMINE, EXALTETUR MANUS TUA, ET NON VIDEANT: VIDEANT, ET CONFUNDANTUR.) S. Hieron. putat hic esse dialogum inter Deum et Isaiam, q. d. Isaias: O Domine, exalta Christum Dominum, qui est manus, id est potentia tua, ut eum non videant infideles et impii, quia indigni sunt. Cui respondet Deus: Imo vero videant eum iudicem, et confundantur ac damnentur ab eo. Vers. 11

Secundo, Sanchez censet esse ironiam subamaram ut D cum dicimus: *Ale luporum catulos, et canes qui te lanient,* q. d. Exalta, Domine, manum tuam, eamque cohibe ab inferenda impiis plaga; et impii numquam aperient oculos, numquam non errabunt in tenebris cæci, q. d. Si cohibueris tuas plagas, impii permanebunt in sua cæcitate.

Tertio, alii, q. d. Manu tua percute impios, eosque puni cæcitate, ut non videant iustitiam tuam in hac vita, ut eam amplectantur et salventur; sed videant eam sero in die iudicii, ad suam damnationem et confusionem.

Quarto, et genuine Forerius: Dixerat Propheta: *In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini;* nunc idipsum confirmat, dicens et orans, *Domine, exaltetur, etc.* q. d. Domine, potenti tua manu effice, ut tam impii et indigni non videant gloriam tuam: deinde per correctionem subdit: Imo vero videant eam eminus, et quasi per umbram in die iudicii, sed ad suam confusionem, *zelantes populi,* scilicet impii, qui zelo et invidia tabescent, videntes Sanctos ad illam gloriam vocari, se

vero ab ea excludi, cum æque facile ac ipsi eam adipisci potuissent. Sic Iudæi zelo et indignatione movebantur, et movebuntur tunc videntes Gentes sibi præferri in gratia et gloria. Vide parabolas Christi hac de re Matth. 20. v. 1. et c. 21. v. 33.

Et ignis hostes tuos devoret.) Primo S. Hieron. *Ignis*, inquit, seræ pœnitudinis corda eorum excruciet, quod tantam gloriam perdiderint.

Secundo, *ignis*, scilicet tribulationis, hostes tuos devoret, usque ad consumptionem et favillam, ut scilicet eos erudiat, consumat, et ex hostibus in amicos convertat. Vide hic quæ sit tribulationis utilitas.

Tertio et planissime, Theodor. per ignem accipit ignem gehennæ.

Vers. 12. Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.) Ab impiorum scelere et pœna convertit se hic ad pios et sanctos, iisque iugem pacem optat et apprecatur.

Primo, Sanchez hæc explicat, q. d. Tribula, o Domine, impios qui nos vexant et turbant, ut vitam mutent, fiantque sancti et quieti, itaque pacem habeamus: a tua enim liberalitate pacem et omnia bona expectamus, tuumque est corda impiorum convertere, et omnia bona opera in eis et in nobis operari.

Secundo, S. Hieron. q. d. Da pacem nobis in cælo: quæcumque enim per Prophetas promisisti, explesti et operatus es in hac vita.

Tertio, Sept. vertunt: *Da nobis pacem, omnia enim reddidisti nobis*, q. d. ut explicat S. Hier. Da nobis pacem, quia operibus nostris malis iustas reddidisti pœnas, itaque ea iuste punivisti et expiasti. Da ergo veniam et pacem quia sat pœnarum dedimus.

Quarto et genuine, est hic vox Ecclesiæ et Sanctorum, quorum opera duplicia sunt, scilicet primo, passiva, quæ operante Deo patimur: secundo, activa, quæ cum eo operamur. Hebræum enim מַעֲשֶׂה *maase* non tantum opus et actionem, sed et omne factum, omnem eventum significat. Unde primo, hic est sensus: Da, vel, ut hebr. תשפת *tispot*, id est constitue, et firmiter colloca intra limites nostros (ut a nobis numquam abeat) pacem: nam tu alia omnia opera operatus es nobis, q. d. Omnia quæcumque nobis facta sunt, quæcumque nobis evenerunt, hæc a te evenerunt: ergo et da pacem, tu enim omnium es dator, et operator; in manibus tuis est omnis sors nostra. Unde apte Forerius sic explicat: tu, Domine, qui opera redemptionis nostræ per Christum operatus es nobis (*nobis* enim ait, non *in nobis*) qui per Apostolos eorumque successores tot miracula fecisti, tot gentes convertisti, Ecclesiam ita dilatasti et exaltasti, eiusque hostes ita sæpe vel prostravisti, vel subiugasti: da etiam eidem plenam pacem et quietem a persecutoribus, eamquem in hac vita inchoa, ut eamdem perficias in cælo, cum, ut præcessit, ignis devorabit impios, hostes tuos æque ac nostros. Sic et S. Cyrill. qui per opera accipit beneficia et miracula divina, q. d. Dabis nobis pacem, quandoquidem omnia mirabilia nostra, id est, quæ facta sunt in nobis, munera tua sunt; et tamen possederunt nos domini absque te.

Sumendo vero *opera nostra* active, hic est sensus: cum, ut ait Apostolus, fructus iustitiæ et bonorum operum sit pax; da, Domine, nobis te nocte et die desiderantibus, ut ait v. 9. pacem conscientiæ tecum: da, inquam, id est da et dare perge (*da* enim hic significat actum continuatum, non inchoatum) dedisti enim nobis bona opera, quasi pacis radicem et arborem. Ubi nota, Deum ita hæc opera nobis operari, ut tamen et nos libere Deo cooperantes eadem operemur. Unde Chald. vertit: *Domine, ordinabis nobis pacem: quia omni tempore quo separati sumus a peccatis nostris, operatus es nobiscum.* Deus ergo operatur hæc opera in nobis, primo, per gratiam operantem et prævenientem ad ea nos excitando; secundo, per gratiam comitantem sive cooperantem: quia nostra voluntate per gratiam Dei excitata, libere bonum opus volente et faciente, Deus eidem cooperatur. Dicit ergo: Dedisti arbo-

A rem, da fructus: dedisti opera, da pacem: dedisti meritum, da præmium.

Possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui.) Hi domini primo, sunt idola; secundo, reges et tyranni. Ergo primo, sensus est, q. d. Tuum erat, o Domine, possidere nos; tu enim omnia opera nostra operatus es. At, proh dolor! dii alieni, sive idola quæ coluimus, possederunt nos, *absque te*, id est tuo iniussu, te reluctante, imo te possessione tua deiecto; sed nostra amentia nobis eos accivit, et præfecit dominos, imo tyrannos: quare oramus ut eos auferas, nosque ad te convertas et compellas, ut te unum verumque Deum et Dominum colamus et invocemus. Id re ipsa factum est sub hoc tempus, quo Ezechias templum purgavit, arasque idolorum evertit. Vers. 13.

Secundo, Sanchez, q. d. Dum ab iniquis vexamur, non tu solus, o Domine, possides nos: nam *absque te*, id est, præter te, qui solus in animis nostris dominari debueras, alieni etiam domini, scilicet reges Syriæ, Samariæ, etc.
B dominantur nobis; dum ab hostibus pressi, eorum opem imploramus, aut ipsi sponte sua nos inter nos dissidentes, et a te derelictos invadunt. Dabis itaque pacem; ut non sit necesse externos hos dominos et reges advocare, aut timere; ita ut de te uno cogitemus, te unum intueamur, in tuo nomine nostra consilia, studia et conatus conquiescant.

Nota pleonasmum, *in te*, et *nominis tui*: alterutrum enim redundat. Sensus est, q. d. *In te*, id est apud te, versetur iugiter acies mentis, et memoria nostra, ut semper te habeamus præsentem, ac recordemur nominis tui. Vatabl. vertit, *tantum tui, nominisque tui recordemur.* Hebr. enim בך *becha*, id est, *in te*, sæpe capitur pro regimine genitivi, idemque est quod *tui*.

Mystice, q. d. Alieni domini, scilicet mundus, caro, dæmon et peccatum, *absque te*, id est contra te (sunt enim hostes tui) possederunt nos; sed obsecramus, ut ab iis nos liberes, ut tui tantum recordemur, tibi uni simus
C addicti in perpetuum. Da ergo nobis gratiam tuam, et donum perseverantiæ. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, et Septuag. qui vertunt: *Posside nos, Domine.*

Morientes non vivant, gigantes non resurgant.) Vers. 14.
Explicat qui domini possederint eos, scilicet *gigantes*, id est, tyranni potentes, et præditi giganteo robore et animis: iidem vocantur *morientes*, sive mortui, tum hic, tum alibi: quia gigantes omnes ante diluvium, de quibus Gen. 7. diluvio submersi et mortui sunt, iuxta illud Iob 26. 5. *Ecce gigantes gemunt sub aquis.* Unde Scriptura passim gigantes, quasi damnatos ob insignem superbiam et impietatem, in inferno ponit, et infernum vocat locum gigantum, Proverb. 9. 18. et c. 21. 16. Sapient. 14. 6. Imo Gentiles, teste Macrobio l. 1. Saturn. c. 20. gigantes poetarum aiebant significare impiam gentem, deos contemnentem et negantem; ideoque draconum pedes eis affinxerunt, ut significarent nihil eos rectum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna vergente, q. d. Hi domini et tyranni nostri, qui gigantibus sunt similes æ-
D que ut illi moriantur, atque deiiciantur de suo robore, insolentia et tyrannide, neque ad eam, aut ad vitam resurgant; sed eorum nomen et memoria pereat, ut tu sis Dominus noster, tuique semper recordemur. Ita Forerius.

Secundo, alii generatim explicant: *Morientes*, scilicet impii, in peccatis non vivant, sed moriantur morte et cruciatu æterno; et *gigantes*, id est oppressores aliorum, *non resurgant* ad vitam beatam. Ita Adamus. Unde Septuag. vertunt: *Mortui vitam non videbunt, neque medici suscitabunt.* Hebr. enim רפאים *rephaim* et medicos et gigantes significat.

Tertio, Symmachus vertit: *Mortui non vivificabunt, gigantes non suscitabunt*, q. d. Oravi, ut alieni domini non possiderent nos, sed tu Domine, utque tui iugiter recordemur, quia domini illi, puta idola, cum sint mortua non possunt vivificare; et reges illi ac tyranni instar gigantum, cum æque ut illi sint morituri non possunt nos suscitare, et in pristinum statum restituere. Ita Sanchez.

Propterea (ut scilicet morientes non viverent, et gigantes non resurgerent) **visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.**) Ex iam dictis planus huius loci est sensus, scilicet, primo de idolis, q. d. Dum Iudæos per Sennacherib et per reges Syriæ et Samariæ afflixisti, sustulisti ex eorum mentibus omnem idolorum memoriam, eosque hac afflictione ad te tuique cultum et invocationem per Ezechiam compulisti; similiter ergo gentes impias affige, itaque eas ad te compelle. Secundo, de regibus et tyrannis, q. d. Perdidisti, et perdes reges et tyrannos, qui nos affligunt, coguntque de se cogitare; itaque eorum memoriam ex animis nostris eximes, ut te solum cogitemus, tui iugiter recordemur.

Vers. 15 **Indulsisti genti.**) Probat ab eventu quod dixit v. 10. et deinceps, scilicet impiis utilem esse afflictionem, et noxiam esse clementiam sive indulgentiam, q. d. Pepercisti diu impiis, v. g. Iudæis non tamen ad te redierunt, nec te glorificarunt; sed potius hac ratione magis eos a te elongasti et alienasti iuxta illud Deuter. 32. 15. *Incrassatus est dilectus et recalcitravit;* et Osee 10. vers. 1. *Iuxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris.* Patet enim ex libris Iudicum et Regum, Iudæos in prosperitate deflexisse ad idola, in tribulatione et afflictione Philisthinorum, aliorumque hostium ad Deum rediisse, eumque supplices invocasse.

Elongasti omnes terminos terræ.) q. d. Inquit S. Hieron. Ex hac tua indulgentia ingrati populi recesserunt a te, usque ad ultimos terræ terminos.

Secundo, et melius, q. d. Permisisti Iudæos in pace agere et sine metu pervagari omnes terminos terræ suæ, scilicet promissionis, repete, *numquid* inde *glorificatus es?* q. d. Non: imo tunc populus idola maxime coluit; contra vero, angustiati requisierunt te, ut sequitur.

Tertio, Vatablus et Leo Castrius: *Elongasti terminos*, id est, prorogasti eorum fines et latifundia: numquid ideo glorificarunt te? q. d. Minime. Hic sensus planissimus est.

Vers. 16. **In tribulatione murmuris doctrina tua eis.**) q. d. Impii, dum tribulantur, acceptant et faciunt doctrinam et disciplinam tuam, licet cum murmure. Ita S. Hieron. Sicut enim boum doctrina est stimulus, sic insipientes non aliter discunt nisi stimulis compuncti: unde heb. eadem vox מלמד *malmad* stimulum et doctrinam significat, inquit Sanchez. Alii, ut Vatabl. et Forer. per *murmur* accipiunt orationem, ad quam excitat tribulatio.

Alii contritionem et indignationem, qua peccator tribulatione edoctus seipsum redarguit. Unde Chaldæus pro *murmur* vertit *silentium*, quo scilicet peccator silens intra se compungitur. Sept. vertunt: *In tribulatione parva doctrina tua nobis:* q. d. Tribulatio licet in se magna sit, parva tamen pœnitentibus videtur; quia affert eis disciplinam, et mutationem vitæ.

Vers. 17. **Sic facti sumus a facie tua.**) Est vox populi flagellis attriti et pœnitentis, q. d. Sicut mulier a dolore partus, ita nos a facie tua, id est a te nos exterius affligente, et interius compungente, concepimus, et magno molimine et nisu parturivimus, et tandem peperimus spiritum salutis, scilicet quasi novam prolem et novum fœtum: unde Sept. hæc sequentibus nectentes ita vertunt: *Peperimus spiritum salutis quem fecimus* (Regii codices legunt *fecisti*) *in terra.* Discant præcones verbi Dei hunc spiritum suis auditoribus ingenerare cum S. Paulo dicente: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Vatabl. per *spiritum* accipit ventum, q. d. Puerpera post dolores parit fœtum; at nos impii post dolores longi partus peperimus ventum, id est, rem evanidam. Unde sequitur: *Salutes non fecimus.* Hic sensus subtilis est, sed non accommodus.

Porro hisce verbis describit Isaias, quid in animæ nostræ utero efficiat Dei timor, scilicet conceptum et partum gratiæ, quem spiritum salutis appellat. Unde Theodoretus ex Eusebio: *Timor Domini*, ait, *fœcundam reddit animam, et motum concupiscentiæ, qui ex carne consurgit, compescit. Mulieris utero enim similis est humana*

A *mens, quæ quidem si recipit a Deo pietatis semina, parit omnino bonos fructus.* S. Cyrill. autem sic vertit: *Propter timorem tuum, Domine, nos uterum gessimus et parturivimus et peperimus spiritum salutis, quo gravidi fuimus super terram.* Timor ergo Domini animam sanctis cogitationibus et propositis ingravidat, et ad partum boni spiritus, id est charitatis perducit.

Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ.) Est vox Isaiæ, Prophetarum et prædicatorum: q. d. Quia non fecimus opera sancta, opera præclara et heroica salutis, tum nostræ, tum proximorum; quia lenti sumus ad opera pietatis; ideo non ceciderunt a sua superbia et malitia incolæ terræ. Dicant hoc etiamnum Sancti, præsertim præcones verbi Dei: Ideo pauci deserunt vitia quia nos prædicatores flaccide munus nostrum obimus, quia parvo spiritu concionamur, quia quæ docemus verbo, non prius docemus exemplo. Vers. 18.

Secundo, apposite S. Hieron. S. Thomas, Hugo et Sanchez, q. d. Iudæi: Ideo habitatores terræ, scilicet nostræ nobisque vicinæ, puta Iebusæi, Philisthini et alii non ceciderunt, non sunt deleti, sed adhuc nos vexant et impugnant; quia non fecimus salutes id est opera sancta, quæ salutem pariunt; illi ergo relinquuntur nobis ad stimulum et ad lixivium, ut sua impugnatione eluant et expurgent quidquid in nobis vitii est reliquum.

B

Tertio, aliter vertit et explicat Vatabl. q. d. Salus non est facta in terra, id est, tribulatio non cessavit, neque tamen incolæ terræ corruerunt sub manum Dei, id est, Deo non paruerunt, qui nos affligebant, victi nostra patientia.

Vivent mortui tui, o Domine; est hic mira enallage; Vers. 19.
hic enim est vox Isaiæ ad Deum: *Vivent mortui*, q. d. Resurgent, eruntque beati mortui qui in Domino moriuntur. Sequitur vox Dei: **interfecti mei resurgent**, q. d. Omnino ita fiet: ut dicis, o Isaia. Interfectos suos vocat Deus Martyres, qui æque ut Isaias, pro Deo serra lignea secti, aut alio modo occisi sunt. Denique sequitur vox Isaiæ ad defunctos, ut resurgant ad immortalitatem, et laudent Deum, dicens: **Expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere.**) Pro *laudate* Sept. vertunt, ευφρανθησονται, id est *lætabuntur;* Aquila, αινεσουσι, id est, *laudabunt;* Theodotion, αλαλαξουσι, id est *iubilabunt;* alii αγαλλιασονται, id est *exsultabunt.* Ex Hebræo aliter vertunt Vatabl. et Pagn. scilicet: Mortui tui, *o Domine, resurgent cum cadavere meo*, in fine sæculorum. Aliter hæc explicat noster Hieron. Prado in Ezech. c. 20. v. 4. notat. 5. ubi mortuos et interfectos resurgentes intelligit Martyres, quorum constantia et virtus vivit in Ecclesia præsenti, eamque stabilivit et auxit, prostratis gigantibus, id est Deciis, Diocletianis, et aliis tyrannis eam impugnantibus. Verum hæc resurrectio symbolica est et mystica, non litteralis. Est ergo hic plausus Isaiæ et Sanctorum ob futuram resurrectionem, cui applaudit Deus. Ita legimus in Vita S. Leocadiæ, 9. Decembris, quæ nobilis fuit virgo et Martyr Toleti in Hispania, sub Diocletiano Imperatore et Daciano præside, quod post eius mortem S. Ildefonsus Archiepiscopus Toletan. et Recesuintus rex Hispaniæ in festo S. Leocadiæ eius sepulcrum adiverint venerationis et orationis causa; et ecce immane saxum sepulcri eius sponte revolutum est, surrexit S. Leocadia, manuque apprehendens manum S. Ildefonsi, dixit: *O Ildefonse, per te vivit gloria Dominæ meæ;* ipse enim virginitatem B. Virginis contra hæreticos propugnavit. Respondit ei Ildefonsus: *O gloriosa virgo, merito regnas cum Deo in cælo, quia pro eius amore vitam tuam prodegisti. Respice hanc tuam civitatem, quæ tuum festum concelebrat, eamque tuere et consolare.* Redeunte Sancta ad sepulcrum, S. Ildefonsus cultro a rege accepto, particulam veli ipsius abscidit ad miraculi memoriam: quæ in Ecclesia Toletana instar thesauri asservatur.

C

D

Quia ros lucis ros tuus.) Noster Hieron. Prado in Ezech. c. 26. v. 20. putat hanc esse laudem, et canticum resurgentium, q. d. Isaias: Expergiscimini a pulvere et

sepulcro, o mortui, et laudate Deum, ac cantate id quod sequitur, scilicet: *Quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam.* Pro *lucis* hebr. est אורות *orot*, quod primo, lumina; secundo herbas et olera virentia et lucentia significat. Unde aliqui sic vertunt et explicant: Sicut ros cadens super herbas eas crescere et exsurgere facit: sic ros gratiæ tuæ cadens super ossa mortua, ea resuscitabit. Sic dicitur Isaiæ 66. 14. *Ossa vestra, quasi herba germinabunt;* et Ecclesiastici 48. 12. *Ossa pullulent de loco suo.* Ita Vatabl. noster vertit, *ros lucis*, id est antelucanus et prænuntius lucis: hic enim fœcundat herbas. Rursum *ros lucis*, id est vitæ. Est vox Isaiæ, vel resurgentium ad Deum, q. d. Sicut ros noster lucem et vitam affert plantis, sic ros tuus divinus, id est tua gratia vivifica, tua benignitas et halitus vitalis, tuum verbum, tua iussio, tua vox per Archangelum, *Surgite, mortui;* lucem et vitam, eamque priori terrestri illustriorem, utpote beatam et gloriosam, afferet defunctis, ut resurgant. Ita Irenæus lib. 3. c. 41. Tertull. lib. de Resurrectione carnis, c. 31. S. Hieron. et Cyrillus hic. Unde et S. August. l. 20. de Civit. c. 21. et serm. 3. de Consolatione mortuorum, hæc accipit de corporum gloriosorum splendore, quo sicut stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Unde Arabicus Antioch. vertit: *Ros tuus splenduit* vel *fulsit eis.*

Tropologice, Procopius: Lux, inquit, sive vita, est remissio peccatorum, quam Christus, qui est ros Patris, stillat in animas peccato mortuas. Unde Arabicus Alexandr. habet: *Ros qui est ex te* (abs te) *sanavit eos.*

Symbolice, *ros* ac manna *lucis*, id est veritatis Evangelii, est Eucharistia; Iudæorum enim manna et ros erat noctis; quia typicum erat et umbraticum. Rursum, dicitur *lucis*, propter gloriam resurrectionis, et immortalitatis claritatem, quæ per illud datur; assignans enim rationem cur mortui et interfecti resurrecturi sint, ait: *Quia ros lucis ros tuus,* q. d. Noster ros, nostrum manna, scilicet Eucharistia, mortuos revocabit ad vitam et lucem, eiusque vi et efficacia mortui resurgent ad immortalem gloriam, iuxta illud Ioannis 6. 52 *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Ita noster Vincentius Regius l. 4. Disquisit. Evangel. c. 21.

Porro Arias Montanus hæc refert ad plasticam sive figulinam, in qua argilla sicca a figulo irroratur, et aqua aspergitur, ut ex ea formet sua vasa. Verum hoc frigidius, exilius, et alienius est; Deus enim hic rori, non figulo comparatur.

Et terram gigantum detrahes in ruinam.) Id est terram istam, quæ est sedes superborum et violentorum, omniumque impiorum, succendes, et in pulverem rediges. S. Hieron. per *terram gigantum*, accipit corpora impiorum.

Vers. 20. Vade, populus meus, intra in cubicula tua.) Est vox Dei ad Sanctos qui in Domino moriuntur, q. d. Ite ad modicum, o Sancti, ad cubicula, id est sepulcra vestra, ibi dormite et quiescite; quia brevi, scilicet in die iudicii, vos resuscitabo. Mors enim Sanctis non molesta est, sed suavis instar somni unius noctis respectu resurrectionis et æternitatis: cubile est sepulcrum; unde cœmeteria græce vocantur quasi dormitoria. Ita S. August. epist. 36. ad Casulanum, et Tertullianus lib. de Resurrectione carnis, c. 27. ubi pro *cubicula* legit *cellas promas*, id est cellaria sive penuaria. Sic enim habet: *Populus meus, introite in cellas promas aliquantulum, donec ira mea prætereat. Sepulcra erunt cellæ promæ, in quibus paulisper requiescere habebunt, qui in finibus sæculi sub ultima ira per Antichristi vim excesserint.* Quærit deinde cur cellas promas vocet potius quam receptorium? ac respondet: *Quia in cellis promis caro salita et usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore. Proinde enim et corpora medicata condimentis sepulturæ, mausolæis et monumentis sequestrantur, processura inde cum iusserit Dominus.* Ita noster Hieron. Prado de facto commentarium suum in Ezech. c. 26. cum vita conclusit hac Isaiæ sententia: *Vade ergo, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia super te, abscondere modicum ad momentum;* hæc enim scribens ipsemet intravit in cubiculum suum, et clauso ostio corporalium sensuum, absconditus modicum ab oculis nostris quiescit ad monumentum præsentis sæculi, resurrecturus brevi, ut speramus, ad beatam æternitatem. Pari modo animæ Martyrum iubentur ad tempus quiescere sub altari, Apocal. 6. 11. Similiter, uti narrat Helinandus in Vita S. Gereonis et Thebæorum Martyrum, S. Evergislus Archiepiscopus Coloniensis, cum dolore capitis correptus ecclesiam Thebæorum Martyrum, oraturus adiret inchoaretque hunc versum: *Exsultabunt sancti in gloria;* Martyres responderunt: *Lætabuntur in cubilibus suis.* Itaque Evergislus sacros eorum pulveres tangens a dolore liberatus est.

Idipsum dicit Deus tot centenis millibus Martyrum qui Romæ ab Ethnicis Imper. varie necati ibique sepulti sunt. Sane mire me affecit hæc Isaiæ sententia, cum vidi in Vaticano sepulcra SS. Petri et Pauli: in Panis perna ipsissimum locum in quo S. Laurentius sub Decio in craticula assatus et tostus fuit; in templo sanctæ Cæciliæ domum eius et balneum, in quo ipsa gladio fuit percussa; et cryptam, in qua cum SS. Valeriano, Tiburtio, aliisque sepulta, et nuper sub Clemente VIII. integra reperta, octoginta lampadibus semper ardentibus circumdata, quasi in rore et exspectatione lucis æternæ requiescit; in S. Agnete eius domum et ecclesiam, in qua ipsa nuper pariter reperta, cum SS. Emerentiana et Constantia Constantini Magni filia recondita est. Cor vero mihi pene exsiliit, cum in S. Pauli sacello vidi ipsissimum locum et columnam, in qua doctor Gentium Neroniano gladio capite truncatus fuit, atque tres limpidissimos fontes, qui ex trino eoque ingenti capitis eius saltu, stupendo et sæculis omnibus inaudito miraculo exsilierunt, et per 1600. annos continuo exsiliunt. Rursum, cum vidi in Montorio collem et sacellum, in quo S. Petrus instar Christi, sed capite deorsum verso crucifixus fuit, et in S. Pudentiana puteum, in quo ipsa suis manibus tria Martyrum millia sepelivit. Denique cum vidi præter alia multa Martyrum et Virginum sepulcra, cœmeteria S. Lucinæ, S. Callisti, S. Priscillæ et aliorum, olim sanguine Martyrum rubricata, imo natantia, in quibus innumeri Martyres conditi sunt. Vere, Domine, Roma est terra sancta, in qua te laudaverunt Patres nostri magis factis quam verbis, magis sanguine quam voce, magis moriendo quam loquendo. Merito ergo eis dicis: *Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua, abscondere modicum ad momentum*, donec ros lucis et resurrectionis illucescens resplendeat, ut tunc in gloriam resuscitati, fulgeatis quasi stellæ, imo soles, in perpetuas æternitates; atque pedibus prematis Neronem, Domitianum, Decium, Diocletianum, etc. vestros olim tortores et tyrannos, nunc supplices et reos. Hoc est quod ipsi suis cryptis inscribi curarunt; hoc est quod muta, non tam voce, quam inscriptione quasi sub altari clamant: *Exspectamus hic requiem et resurrectionem.*

Claude ostia tua super te.) Claude oculos, claude sensus; cura et occludi sepulcrum tuum, ut ibi silenter sine interpellatione quiescas. Alludit ad rationem agendi eorum, qui imminente aut urgente tempestate, intrant sua cubicula, iisque clausis, domi se continent. Ita Vatablus.

Moral. S. Gregor. 4. Moral. 24. *Cubicula,* ait, *ingredimur, cum secreta mentis nostræ intramus. Ostia autem claudimus, cum desideria illicita coercemus.*

Donec pertranseat indignatio.) Tum illa, qua Adæ peccatum vestraque singula communi omnium morte et putrefactione punire statui; tum potius qua impios puniam, præsertim sub finem mundi, per tot plagas iudicio et resurrectioni prævias; iubet enim dormire Sanctos, ut hasce plagas non sentiant.

Ecce enim Dominus egredietur.) E cælo descendet cum omnibus angelis ad iudicandum orbem, et tunc terra reddet sanguinem iustorum ac Martyrum, quem sorbuit et imbibit, nec amplius eum sorbebit. Unde ait: *Et non operiet ultra interfectos suos*, id est, terra reddet et Vers. 21.

refundet omnes Martyres, omnes mortuos et sepultos quasi ex gremio, quo iam eos concludit, ne amplius eos in se suscipiat, q. d. In die iudicii, revelabuntur omnia homicidia, martyria et peccata, ipsique tyranni et peccatores punientur a Deo; Sancti vero resurgent ad beatam immortalitatem, et glorificabuntur a Deo.

CAPUT VICESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A Cap. 24. hucusque egit de orbis vindicta et excidio: hic agit de clade et excidio diaboli, qui princeps est mundi: quod inchoavit Christus in hac vita, sed perficiet in die iudicii, de quo hic proprie agit Propheta. Simili modo cap. 13. cum egisset de excidio Babylonis, mox cap. 14. agit de excidio regis Babylonis. Secundo, v. 2. inducit canticum vineæ, id est, Ecclesiæ Beatorum a Deo mire benedictæ. Tertio, v. 6. prædicit Apostolos impleturos orbem semine verbi Dei eo tempore, quo urbs Ierusalem vastabitur, tumque reliquias Iudæorum convertendas esse. Denique, v. 12. docet Iudæos exules et profugos venturos ad Ecclesiam Christi.

1. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super levialhan serpentem vectem, et super leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum, qui in mari est. 2. In die illa vinea meri cantabit ei.
3. Ego Dominus, qui servo eam, repente propinabo ei: ne forte visitetur contra eam, nocte et die servo
eam. 4. Indignatio non est mihi: quis dabit me spinam et veprem in prælio: gradiar super eam, succendam eam
pariter? 5. An potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi? 6. Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine. 7. Numquid iuxta plagam percutientis se percussit eum? aut sicut occidit interfectos eius, sic occisus est? 8. In mensura contra mensuram, cum
abiecta fuerit, iudicabis eam: meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus. 9. Idcirco super hoc dimittetur
iniquitas domui Iacob: et iste omnis fructus ut auferatur peccatum eius, cum posuerit omnes lapides altaris sicut
lapides cineris allisos, non stabunt luci et delubra. 10. Civitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur, et
dimittetur quasi desertum: ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit, et consumet summitates eius. 11. In siccitate
messes illius conterentur, mulieres venientes, et docentes eam: non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur eius, qui fecit eum; et qui formavit eum, non parcet ei. 12. Et erit: in die illa percutiet Dominus ab
alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti, et vos congregabimini unus et unus filii Israel. 13. Et erit: in die illa clangetur in tuba magna, et venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum, et qui eiecti erant in terra Ægypti, et adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem.

Vers. 1. VISITABIT, puniet, et quasi trucidabit, IN GLADIO SUO.) Suo robore, suis viribus et armis; arma enim Dei sunt ipsa eius potentia, quæ ex se omnipotens est et efficax, nec externis armis eget. Theodor. Nazianz. Basilius, Tertull. et ex iis Leo Castrius per gladium accipiunt Christum, qui resecat in nobis animi cupiditates, et dæmonem occidet, id est, omnem vim nocendi hominibus ei adimet. Arabica versio habet: *In die illa mandabit Dominus hasta sua districta, magna, potenti super vipera, et rege serpentum, et super delphino; et occidet draconem qui est in mari.*

Leviathan est balæna, cur? LEVIATHAN.) Est cetus sive balæna, ita dicta ob vastitatem corporis; Leviathan enim hebr. significat *copulatio eorum;* balæna autem partes corporis vastas habet invicem sibi cohærentes et copulatas; aut quia omnia ad se copulat et trahit, ut gulam suam impleat, uti faciunt potentes et tyranni. Inde *Leviathan* significat hic dæmonem potentissimum et superbissimum, puta Luciferum, qui in hoc mundo, quasi cete in mari, discurrit, ut omnia voret, quique est caput dæmonum et impiorum, eosque sibi quasi concorporavit; superbi enim capiti draconis huius quasi coalescunt, luxuriosi ventri, rapaces manibus, pedibus, qui vagi sunt ad vana et prava. Ita Leo Castrius. Sensus est, q. d. Agite, certate, electi mei, cum diabolo; licet enim lucta cum eo sit difficilis, tamen ego vobis adero, et brevi, scilicet in fine mundi, omnem ei vim et potentiam adimam, eumque evertam. Quidam e Neotericis per *Leviathan* accipit Turcam. Hic enim multa regna et gentes sibi copulavit; estque *serpens oblongus,* ob longe propagatum imperium: isque *tortuosus*, si spectes situm regionum quas occupat. Tuber enim quasi caput apparet in Græcia, Thracia, Macedonia, et reliqua Europa: protensum aliquantum corpus in Asia minori, quæ nunc Anatolia dicitur, cernitur; venter se gyrans videtur per Syriam et Phœniciam; cauda longo syrmate sequitur per Ægyptum, et Libycam oram, ubi tamquam in spiram se colligit. Sedem habet in mari, puta in ipsis faucibus Ponti et Propontidis, scilicet Constantinopoli. Hunc Deus, definito a se tempore, visitabit et disperdet. Hæc ingeniosa est accommodatio. Nam ad litteram agitur hic de excidio mundi et diaboli, ut dixi.

Serpens vectis est dæmon, cur? SERPENTEM VECTEM.) Diabolus dicitur *serpens*, ob astutiam et venenum peccati, quod hominibus callide suffundit. Dicitur *vectis*, primo, ob robur; unde Theod. vertit: *Serpentem robustum;* secundo quia multos sua potestate et carcere gehennali claudet; unde Symmachus vertit: *Serpentem concludentem.* Diabolus enim, ait Sanchez, quasi vectis plusquam ferreus obstruxit fores inferni et peccati (ne quis inde emergat) consequenter et cæli, ne quis eo penetret; idque adeo fortiter et anguste, ut non nisi gladio Dei duro et grandi vectis ille, ad liberum hominibus et expeditum ingressum, diffringi aut revelli potuerit; tertio, quia transit ab extremo ad extremum mundi: unde alii vertunt: *Serpentem longum;* alii, *penetrantem*, vel ob virulentos morsus, vel ob violentiam; Sept. *Serpentem fugientem*, id est cito transeuntem a loco in locum; licet mystice S. Hieron. ita explicet: Quia diabolus, inquit, in die iudicii fugiet, qui numquam fugere consueverat. Denique, pro *vectem*, Forerius, vertit, teretem, sive lubricum, qui facile fugit et elabitur (hoc enim significat radix ברח *barach*) talis enim est serpens et eius antitypus diabolus; Syrus vertit: *Serpentem subsilientem.*

Audi qualis vectis, quamque longus et terribilis sit diabolus. Theodosius Abbas apud Sophronium in Prat. spir. c. 66. hæc de seipso narrat: Priusquam ad vitam solitariam transissem, factus in exstasi aspexi virum quemdam cuius species claritatem solis vinceret: hic tenens manum meam: *Veni*, ait, *quia pugnare et luctari te convenit;* et induxit me in theatrum plenum viris ex una parte candido amictu, ex alia vero nigro vestitis. Cum ergo iniecisset me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis æthiopem, cuius caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait iuvenis ille, qui mihi apparuerat: *Cum hoc luctari te oportet.* Ego qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere ac pavere cœpi, dicens: *Quis homi-*

num mortali conditione et infirmitate circumdatus, cum A *hoc luctari posset? non ipsum universum genus hominum, si in unum confluat, huic resistere prævalet.* Ait autem ad me iuvenis: *Prorsus cum illo te luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate et fiducia; mox enim ut tu illum adorsus fueris, ego adiutor ero, tibique victoriæ coronam reponam.* Ut ergo ad certamen sum ingressus, luctarique invicem cœpimus, continuo præclarus ille iudex nostri certaminis adfuit, mihique coronam dedit; atque plebs illa obscura, æthiopumque multitudo ingens, eiulantes evanuerunt; pars vero reliqua candidatorum, gratias illi et laudes referebant, qui me iuverat, ac præclara victoria donaverat.

S. Hilarion, ait S. Hieron. in eius Vita, *quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, belatus pecorum, mugitus boum, planctum quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, et rursus variarum portenta vocum, ut ante sonitu, quam aspectu, territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria; et provolutus genibus, Christi crucem signavit in fronte; talique armatus casside et lorica fidei* B *circumdatus, iacens fortius præliabatur, amodo videre desiderans, quos horrebat audire, et sollicitis oculis, huc illucque circumspiciens; cum interim ex improviso, splendente luna, cernit rhedam ferventibus equis, super se irruere: cumque inclamasset Iesum, ante oculos eius repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait: Equum et ascensorem proiecit in mare. Et: Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur.* Alia vice cameli specie dæmon ferociens, accolasque omnes percellens grassabatur, processit ei obviam S. Hilarion: *Non me*, ait, *terres, diabole, tanta mole corporis; et in vulpecula et in camelo unus atque idem es.* Alia die per philtrum dæmon ab amasio immissus in puellam, irrisus a sancto audivit: *Grandis fortitudo tua, qui licio et lamina strictus teneris. Dic quare ausus es ingredi puellam Dei? ut servarem, ait, eam virginem. Tu servares, proditor castitatis? cur non potius in eum qui te mittebat es ingressus? Ut quid respondit, intrarem in eum, qui habet collegam meum amoris dæmonem?* Alio tempore Orionum virum primarium a legione dæmonum obsessum, ac furibunde irruentem in Sanctum, arridens compescuit: *Sinite*, ait, *et mihi meum palæstritam dimittite; atque plantas utroque calcans pede; Torquere; ait dæmonum turba torquere. Cumque ille eiularet: Domine, inquit, Iesu, solve miserum, solve captivum: ut unum, ita et plures vincere, tuum est. Curatus itaque et hic est.* Hoc est quod ait S. Iacobus c. 4. 7. *Resistite diabolo, et fugiet a vobis*, q. d. Resistite, et negate consensum diabolo tentanti, et vicistis; fugiet enim a vobis confusus, quasi canis cauda truncatus. Hinc dæmon a S. Iob c. 4. 11. iuxta Sept. vocatur *Myrmicoleon*, id est formica leo, quod se ostentet timidis terribilem ut leo; fortibus vero et resistentibus sit imbellis et imbecillis ut formica. Quocirca S. Bernardus: *Videte*, inquit, *fratres, quam debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentes;* et S. Hier. in Matth. 4. 6. explicans tentationem diaboli dicentis Christo: *Mitte te deorsum: Vox*, ait, *diaboli est qui semper omnes cadere* D *deorsum desiderat. Persuadere* enim *potest, præcipitare non potest.* Ita S. Antonius diabolum apparentem in forma gigantum, leonum, ursorum, etc. irridebat, dicens: *Si habes potestatem a Deo in me, exerce: ecce ego; si non, quid frustra conaris me hisce monstrosis phantasmatibus territare, qui nihil potes?*

Serpentem tortuosum.) Syrus: *Serpentem ebullientem, incitatum, commotum;* Arabicus: *Serpentem tortuosum, insidiosum, callidum.* Tortuosus est diabolus, primo, ob pravitatem animi; nihil enim in se rectum habet, ait S. Hier. imo nullum opus, etiamsi moraliter tantum bonum et honestum, amare aut velle potest. Cuius rei causa est extremum odium quo prosequitur Deum, qui ei summos et æternos cruciatus infligit; quia enim summe odit Deum, hinc et odit omnia quæ Deo grata sunt, qualia sunt omnes actus boni et honesti. Huc eum agit desperatio et rabies. Secundo, ob fraudes; unde et in o-

A raculis suis est implexus, fallax et mendax; qua de causa Apollo vocatus est λοξίας, id est obliquus et tortuosus. Tertio, quia, ut ait S. Basilius in Ps. 32. varios habet flexus, quibus hominem invadit, et impellit ad varia et contraria vitiorum genera.

Et occidet.) Morte æterna relegando et religando eum in inferno, ubi semper cruciabitur igne et doloribus mortis immortalis; qui enim in eo sunt, semper moriuntur, at numquam sunt mortui.

In die illa vinea meri cantabit ei.) Pro *cantabit* Vers. 2.
Sept. vertunt, ἐξάρχειν, quod significat, primo, incipere; secundo, dominari et esse principem. Unde, primo, ex iis verti potest hoc modo: *In die illa vinea bona desiderium incipere* (scilicet cantare, sive canticum dicere) *ei;* secundo, sic, *Desiderium eius princeps illius sit* (quidam enim legunt ἐξάρχει) quod Ecclesia pulcherrima et dilecta sit princeps Synagogæ genitricis suæ. Verum melius Noster vertit, *cantabit*. Est enim prophetia de futuro. Iam primo, S. Hieron. Haymo et Hugo putant hic describi B luctum Iudæorum, vel Synagogæ in fine sæculi; ipsi enim omnia a c. 24. usque ad finem huius, referunt ad consummationem sæculi. Synagogam ergo plangere suam cladem ei a Deo inflictam, eo quod illa a Deo vinitore ita exculta et custodita, ut sequitur, non dederit uvas, sed labruscas; unde *cantabit* exponunt, id est *planget*.

Alii et melius censent has non esse minas, sed laudem et gratulationem Ecclesiæ, quod illa non fecerit labruscas, ut Synagoga (contra quam proinde c. 5. expostulavit, eamque ad spinas, et ad conculcationem condemnavit) sed uvas et vinum merum. Ita Sanchez, Dionys. et Adamus.

Quæres, quis canat hoc canticum, et cui? Nota τὸ *ei* hebr. esse fœmininum לה *la;* quare non Deum, sed vineam, id est Ecclesiam, respicit; licet enim כרם *kerem*, id est vinea, sit masculinum, tamen קהלה *kchala*, id est Synagoga, quæ hic in vinea intelligitur, est fœmininum. Iam primo, aliqui putant ipsam vineam, id est Ec- C clesiam, canere, q. d. Ecclesia, in qua est vinum purum gratiæ et bonorum operum, lætificans cor, *cantabit ei*, id est sibimet; quia scilicet, sibi gratulabitur de Leviathan cæso.

Secundo, alii putant esse canticum Angelorum ad Beatos, sive ad Ecclesiam triumphantem: nam hebr. pro *cantabit*, est *cantate;* unde Vatabl. sic vertit: *In die illa alternis canite vineæ chemer*, quasi Deus dicat Angelis: Canite, Angeli, ei (scilicet vineæ, ut patet ex Hebræo) O vinea, præstans meri vini ferax. Verum noster Interpres pro ענו לה *anu la*, id est *cantate ei*, legit ענה לה *ana la*, id est *cantabit ei*.

Tertio, ergo et aptissime, Sanchez censet esse canticum Dei; sequitur enim.

Ego Dominus, qui servo eam, etc.) Ex hoc ergo v. Vers. 3.
3. usque ad v. 6. est Canticum Dei, qui hæc cantabit Ecclesiæ suæ, ei applaudens et congratulans, quod vinum sibi reddiderit tale, quale sitiebat, scilicet merum, et, ut D Sept. ἄκρατον, id est impermixtum, purum et generosum, quod vulgo meracum vocamus. Vatabl. vertit: *Vinum ruboris* sive *rubrum;* hoc enim significat *chemer;* et vinum rubrum, imo atrum (quale est Creticum, quod Homerus vocat αἴθοπα) tantum fert Iudæa, non album; uti viri graves e Societate nostra, qui recenter Hierosolymæ et Damasci fuerunt, mihi Romæ asseverarunt. Hocque symbolice apte significat afflictiones et martyria Christi et Sanctorum in Ecclesia.

Sensus ergo est: In die illa, iudicii scilicet, cum Leviathan et impii ibunt in mortem æternam, *cantabit*, id est publica lætaque voce et sententia proclamabit, scilicet Deus, *ei*, scilicet vineæ, id est, Ecclesiæ suæ, laudans eam dicensque: O vinea (est enim hic metathesis, sive traiectio verborum) mea, quæ mihi protulisti merum, beata et felix es. Ego enim deinceps te servabo, beabo et inebriabo, ut sequitur, *Repente* (hebr. לרגעים *lirgaim*) quod verti potest primo, *repente;* quia brevi accidit Beatis hæc voluptas; secundo, *assidue*, iugiter, per singula

momenta; quia æterna erit. *Propinabo ei* vinum dulce et generosum, quale ipsa protulit, q. d. Quia hæc Beatorum vinea protulit egregios fructus bonorum operum, hinc egregia felicitate et voluptate eam decorabo et potabo; hoc est quod ait Psaltes: *Torrente* (non scypho, non poculo, sed integro torrente) *voluptatis tuæ potabis eos*, Ps. 35. 9.

Vatabl. vertit: *Tempestive irrigo eam;* et sic accipi potest nostrum *propinabo*, pro *irrigabo;* quod enim homini est propinatio, hoc terræ est irrigatio; et sicut homo vinum, sic terra pluviam bibit dum ea rigatur. Vineæ enim proprie convenit irrigatio, non propinatio.

Ne forte visitetur contra eam.) Ne quid agatur contra eam, ne quid mali ei accidat: hac de causa ego nocte et die servo et tutor eam. Vatabl. vertit: *Ne forte visitet eam hostis.*

Vers. 4 Indignatio non est mihi.) Non possum irasci et indignari vineæ tam bonæ, tam fertili, uti indignatus fui vineæ sterili, scilicet Sinagogæ c. 5.

Quis dabit me spinam et veprem?) q. d. Quis faciet, ut tam electæ vineæ sim in spinas? quis me faciet illi aculeatum ob levia eius peccata, ut eam conculcem et succendam? q. d. Nemo.

Nota, Deum quasi vim sibi facere dum punit. Unde S. Hieron. sic explicat: *Quis me faciet durum atque crudelem, ut vincam naturam meam?* Abit ergo Deus quasi a natura sua, dum a clementia it ad vindictam. Hoc est quod canit Ecclesia: *Deus, cui proprium est misereri semper et parcere.* Unde principum et animi generosi propria virtus est clementia. Alii vertunt: *Quis me committit cum vepre et spina?* id est, cum improbis, qui in mundo sunt id, quod spinæ et vepres in vinea selecta, et optimi vini feraci. Alii: *Quis mihi veprem opponat, ut cum eo congrediar velut spina?* Verum nostra versio melior est et verior; Hebr. enim יתן *itten* significat *dabit*, non *committit*, vel *opponit*. Unde et Vatabl. vertit: *Quis me reddat ut sim vepris et spina?* idque exigunt sequentia.

In prælio gradiar super eam, succendam eam pariter?) q. d. Minime gentium. Est enim vinea mihi dilecta et electa; non ergo prælio eam impugnabo, aut succendam, uti succendi Ierusalem et Synagogam: interrogative enim omnia hæc legenda sunt.

Vers. 5. An potius tenebit fortitudinem meam?) q. d. Omnino tenebit, scilicet vinea hæc mea sua gratia et decore tenebit fortitudinem, id est fortem meam vindictam, ne eam contra illam exeram; quia ipsa, esto venialiter subinde peccet, mecum iugem faciet pacem, semper mihi serviet, amica erit, fructusque proferet gratissimos.

Secundo, Sanchez per *fortitudinem* accipit clementiam: sic enim accipitur *fortitudo* Num. 14. v. 17. q. d. Non tenebit hæc vinea fortitudinem, id est, clementiam meam, id est, non efficiet, ut ego ei clemens non sim.

Tertio, alii hæc referunt ad Leviathan, et contrarium subaudiunt, scilicet, *minime tenebit*. q. d. Certus sit Leviathan et eius ministri, quod fortitudinem meam, quam contra ipsum pro Ecclesia ostendam, evertere non poterunt, sed eam contra ipsum exeram, nec tum ulla spes pacis erit.

Vers. 6. Qui ingrediuntur impetu ad Iacob.) Ita Romana, non *a Iacob*, uti vertit Syrus: habet enim sic: *Qui sunt de radice Iacob lucrabitur: et germinabit Israel et replebunt faciem terræ fructibus;* et Arabicus Alexandr. *Qui sunt de radice Iacob duplicabuntur, et germinabunt domus Israelis, et replebunt orbem fructibus.* Quin et S. Hieron. in comment. (ubi non raro a textu Scripturæ quam ipsemet vertit, quemque probavit Ecclesia, dissentit) vertit: *Qui egredientur de radice Iacob*, id est, Apostoli nati ex Iudæis, etc. *hi implebunt orbem semine* Evangelii. In textu ergo paraphrastice, non verba, sed sensum reddidit: ad verbum enim est in Hebræo: *Venientibus* vel *ingredientibus* Apostolis, *radices aget Iacob, pullulabit et florebit Israel, ita ut proventus* eius *faciem orbis impleat.* Hæc enim omnia tam subito facta, significant magnum fuisse eorum in prædicando fervorem et impetum: alioqui τὸ *impetu* non est in Hebræo. Hic finitur canticum transitque Propheta ad Apostolos, eorumque prædicationem et fructum. Sensus est, q. d. Apostoli, qui impetu spiritus ad Iudæos convertendos ingrediuntur, facient ut reflorescat Israel per novam hanc Christi gratiam: hi etiam implebunt orbem totum *semine*, verbi Dei; vel *semine*, id est posteritate fidelium. Unde Chaldæus vertit, *filiis filiorum.* Nota: Ab initio fere c. sensim Isaias a die iudicii, et ab Ecclesia triumphante redit ad militantem, et ad Israelem ab Apostolis conversum eo tempore, quo reliquus Israel et Iudæa ob infidelitatem, et Christi necem est eversa. Vide can. 4. et 7. Unde sequitur, *numquid, etc.*

Aliter Sanchez, pergit enim ipse hæc accipere de Beatis: Ostendit, ait, hic Propheta, quinam futuri sint illi, quibus amplius non irascetur, sed in æternum eos amplexabitur; scilicet non fore carnalem, sed spiritualem Israelem, puta fore Gentes ad Christum et Ecclesiam conversas. Hæc ergo sic ordinat: *Ex numero eorum qui venient magna frequentia ad Iacob,implebuntque terram* (*hi vero sunt qui Christi religionem amplectentur*) *florebit et germinabit ille, qui vere dici potest Israelita.*

Rursum Forerius vertit per subiunctivum hoc modo: *Si pacem facerent mecum venientes, radices agerent Iacobitæ, florerent et germinarent Israelitæ, et replerent superficiem orbis proventu.*

Numquid iuxta plagam percutientis se percussit eum? Scilicet Israelem et populum Iudæorum. Transit a reliquiis Iudæorum fidelibus ad reliquos Iudæos infideles, iuxta can. 7. q. d. Numquid Deus Iudæos punivit æqualiter ex lege talionis, ut sicut ipsi Christum et sanctos eius dire vexarunt, flagellarunt et necarunt: ita et flagellarit ac necarit eos? q. d. Minime, necdum hoc fecit, sed erit tempus, cum Vers. 7.

In mensura contra mensuram, hebr. *in mensura mensuræ*, id est pari et contraposita mensura (vel duplici mensura, sive semel et iterum mensurando, ut significet acre et exactum Dei examen in iudicando et puniendo. Ita Prado in Ezech. c. 5. in fine) iudicabis, o Domine, eam, scilicet Iudæorum vineam, id est Synagogam; cum ipsa a te prorsus erit abiecta: meditatus est enim Deus contra eam dura in spiritu suo duro per diem æstus.) Id est tempore vindictæ a se faciendæ, ut scilicet eius cives per Titum et Romanos exscindat, ac disperdat per totum orbem exsules. Ita S. Hieronymus, Cyrill. Procop. Hebr. est *iuxta mensuram in dimittendo eam* (potest etiam verti *in propagine eius*) *contendes cum ea: auferet eam vento suo gravi in die Euri*, q. d. Deus instar Euri auferet propagines Iudæorum, sicut illi conati sunt auferre propagines Christianorum, itaque par pari eis reddet. Vers. 8

Aliter Sanchez: *eum*, inquit, scilicet Leviathan, ut redeat ad v. 1. q. d. Deus percutiet Leviathan non ea plaga qua aliquis solet seipsum percutere; quæ quia percutienti dolorem adfert, gravis et hostilis esse non solet: tali vero plaga Deus amicos percutit, neque Deus occidet Leviathan eo modo, quo amicos et qui moriuntur in ipso, interficit: hi enim aliquando resurgent; ille vero numquam non morietur, iuxta illud Ierem. 30. 14. *Plaga inimici percussi te castigatione crudeli.*

Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob.) Redit ad v. 6. et ad Iudæorum reliquias credentes in Christum, præsertim eas, quæ ex clade et terrore excidii eorum, de quo v. præc. egit, convertuntur. Causam enim dat, ait S. Hieron. cur, postquam Iudæi Christum occiderint, veniam consequantur si pœnitere voluerint. Causa est; quia per Apostolos, qui erunt de stirpe Israel, in toto orbe Evangelium seminabitur, destruetur idololatria, luci et aræ, ac delubra eo tempore, quo pariter Ierusalem, eiusque templum et altare destruetur, atque Dei unius et trini notitia prædicabitur, hoc uno fine et fructu, ut auferatur peccatum infidelitatis, aliaque Iudæorum. Cum enim viderint Iudæi, passim inter Gentes aras et idola destrui eo tempore, quo suum templum et altare a Vers. 9.

Tito in cineres convertetur, atque a Gentibus templa erigi, ibique unum Deum coli pie et sancte; tunc incitabuntur, ut et ipsi in Christum credant, itaque peccatorum remissionem et gratiam consequantur: hæ ergo aræ et delubra Gentium sunt, non Iudæorum: nam tempore Christi Iudæos habuisse aras et idola nusquam legimus. Unde Forerius, qui concedit has aras esse Iudæorum, per eas symbolice intelligit avaritiam, invidiam, superbiam, aliaque vitia Iudæorum.

Nota hebraismum: *Cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos*, id est, cum Deus templum et altare Iudæorum in cineres converterit, per Titum comburendo illud, eiusque lapides allidendo, conterendo et incinerando.

Vers. 10. Civitas enim munita desolata erit.) Ierusalem, quæ Christum occidit, per Romanos desolabitur, adeo ut non homines, sed vituli et feræ in ea, quasi in vinea pascantur, et depascantur vitium summitates, quæ flagella vocantur, q. d. Hæc vastitas reliquias Iudæorum adiget ad pœnitentiam, et ad Christum.

Vers. 11. In siccitate messes illius conterentur, q. d. Hierosolymitæ siccitate, penuria et fame affligentur: itaque inopes erunt consilii, ut videre sit mulieres venientes, et docentes eam.) Hierosolymam scilicet, id est, ut fœminæ stultæ maritos suos doceant, eisque consilium dent: aut mulieres vocat mulierosos principes, Prophetas et doctores, qui perdiderunt Iudæam sua mollitie, ignavia et insipientia, ut dixi c. 3. 12.

Aliter Sanchez: refert enim hæc ad cladem Iudæorum sub Iosia per Pharaonem, et postea per Nabuchodonosorem, quasi mulieres hic invitentur ut plangant, doceantque alios cladem, et planctum tantæ cladis.

Septuag. vertunt: *Mulieres venientes a spectaculo*, vel *a visione, venite huc, illuminate;* quod S. Hieron. Cyrill. Origenes, Theoph. Ambr. Procop. Tertull. quos citat Leo Castrius, accipiunt de Maria Magdalene, eiusque sociabus, quæ venientes a sepulcro visis Angelis et Christo, omnibus testatæ sunt Christum resurrexisse, quasi ipsæ hic iubeantur omnes, etiam Iudæos, fide resurrectionis Christi illuminare. Unde pro *mulieres docentes*, Pagnin. Forerius et Vatablus vertunt, *mulieres accedentes*. Notum est quomodo Magdalena quasi fax, et sociæ Apostolos aliosque hoc nuntio, Christi amore æque ac gaudio succenderint. Verum hæc spectant excidium Ierusalem: quocirca primus sensus est litteralis et genuinus.

Non est enim populus sapiens, ergo meretur regi a mulieribus; propterea non miserebitur eius, qui fecit eum, puta Deus factor eius et fictor, qui puniet hanc populi insipientiam.

Vers. 12. Et erit: In die illa percutiet.) Hebr. est יחבוט *iachbot*, id est, *excutiet*, sicut excutiuntur olivæ ex olea. Unde Biblia Regia pro *percutiet*, legunt: *Excutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti*, q. d. Percutiet Deus totam Iudæam, quæ olim erat terra repromissionis, ita ut nihil fidei, nihil scientiæ Scripturarum, nihil veræ pietatis in ea amplius reperiatur: tales enim iam sunt Iudæi. Ita S. Hier. Cyrillus, Procopius. Loquitur, ut dixi, de excidio Ierusalem per Titum: licet Sanchez putet Isaiam loqui de excidio, tam decem tribuum per Assyrios, quam duarum per Chaldæos. Unde Aquila et Theodot. pro *percutiet*, vertunt, ραβδισει, id est virga percutiet; Septuag. συμφραξει, id est concludet; alii, συρραξει, id est confliget.

Nota, per *flumen*, Iordanem; vel potius, ut Chaldæus et S. Hieron. Euphratem accipi: per *torrentem Ægypti*, Nilum: inter hosce enim duos fluvios Iudæa intercluditur, hique duo alibi ponuntur termini terræ sanctæ. Nilum dico, vel potius rivum Nili, qui torrens est de eremo veniens, qui inter urbem Rhinocoluram et Pelusium mare ingreditur: unde alibi *torrens Ægypti*, alibi *torrens deserti* vocatur: hinc Septuag. hic vertunt, *usque ad Rhinocoluram*. Rhinocolura unde dicta. Rhinocolura enim est urbs Arabiæ Petrææ, atque limes est Iudææ versus Meridiem, sive versus Ægyptum et Arabiam. Nomen accepit, ait Strabo lib. 16. a ριν, id est, nasus, et κολουρος, id est, truncus: eo quod Ægyptii vel Æthiopes eo duxerint coloniam facinorosorum et maleficorum, quibus vitam condonantes, naribus tantum eos truncarunt, et in hoc quasi exsilium relegarunt, ne alios sua deformitate offenderent, et ut ipsi conscii scelerum, iam notati pœna tam infami, abstinerent deinceps a maleficio, aliisque essent exemplo et terrori.

Et vos congregabimini unus et unus.) Hebr. *ad unum unus*, id est, *unus ad unum*, id est, sigillatim in unum omnes colligemini. Nota το *unus et unus*, fore paucos Iudæos residuos, qui colligantur a Tito, ut vel vendantur, vel in triumphum ducantur. Secundo, et forte aptius, Adamus censet Isaiam loqui de congregatione ad Christum, et christianismum, de qua dicitur Ioan. 11. *Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*, q. d. Quicumque estis veri Israelitæ non carne, sed spiritu, singuli, esto pauci, tunc congregabimini ad Christum in Ecclesiam. Unde sequitur:

Et erit: In die illa clangetur in tuba magna, Vers. 13.
et venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum.) q. d. Clangente tuba prædicationis Evangelicæ *venient* et confluent ad Christum et Ecclesiam filii Israel, qui captivi ducti fuerant in Assyriam et Babyloniam a Salmanasar et a Nabuchodonosor: hi, inquam, venient et redibunt *de terra Assyriorum:* item qui eodem tempore Iudæa profugi et eiecti fugerunt in Ægyptum, hi *de terra Ægypti*, venient et redibunt ad montem Sion, et ad Ierusalem, id est ad Ecclesiam Christi, ibique adorabunt Dominum. Ita S. Hieron. Cyril. Theodor. Quod de Iudæis hic dicitur, a pari, imo a maiori, de Gentibus accipe: solent enim Prophetæ redemptionem Christi describere per schema reditus e captivitate Babylonica, vel Assyriaca: hæc enim gratissima et optatissima fuit Iudæis, quibus loquebantur Prophetæ; uti fidelibus iucundissima est redemptio Christi a captivitate peccati et diaboli.

Sanchez hæc ad litteram accipit de reditu Iudæorum ex captivitate Babylonica, et ex Ægypto. Mihi cum aliis verius videtur eo tantum alludi: loqui enim Prophetam de redemptione hominum per Christum ut dixi.

Anagogice, hæc accipe de tuba Archangeli, quæ electos ex Iudæis æque ac Gentibus convocabit ad Sionem supernam, id est, ad regnum cælorum. Ita S. Hieron.

CAPUT VICESIMUMOCTAVUM.
SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite est quinta sectio prioris partis principalis Isaiæ, continentis onera sive prophetias minaces. Hac sectione ab onere orbis redit ad onera Gentium, eaque varia et mistim. Hoc ergo cap. agit de excidio decem tribuum; cap. 29. de excidio Ariel, id est, Hierosolymæ et duarum tribuum; c. 30. de clade Iudæorum fugientium in Ægyptum, vetante id Ieremia, a qua avolat ad Topheth et gehennam damnandorum; c. 31. redit ad cladem decem tribuum; c. 32. sub typo regni Ezechiæ describit felix et sanctum regnum Christi; c. 33. prædicit stragem Sennacherib per angelum; c. 34. avolat rursum ad excidium orbis; c. 35. transit ad aureum Evangelii sæculum, atque vocationem et gloriam Gentium describit; c. 36. a prophetia transit ad historiam Sennacherib et Ezechiæ, narratque ea quæ de iis prædixerat, reipsa fuisse impleta. Ex hisce liquet, hæc onera et has prophetias alio et alio tempore fuisse editas, ac neglectu ordinis et temporis postea a collectore hoc ordine fuisse collocatas, quem iam cernimus. Vide can. 50. Prædicit ergo hoc c. 28. excidium Ephraim, id est Samariæ et decem tribuum, ob earum superbiam et ebrietatem. Secundo, v. 7. idem prædicit duabus tribubus ob easdem causas, et quia verba et minas Prophetarum irriserunt, ac proinde ait quod pactum eorum cum morte et inferno non stabit: quocirca v. 16. promittit eis lapidem angularem et solidum, ut in eo recumbant: nec enim cultum Dei secum pati cultum idolorum. Denique v. 24. docet Deum instar agricolæ suos nunc serere, nunc purgare, nunc metere, nunc triturare tribulatione; quia vexatio dat intellectum auditui.

1. Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino. 2. Ecce validus et fortis Dominus sicut impetus grandinis: turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, et emissarum super terram spatiosam. 3. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim. 4. Et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni: quod cum aspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illud. 5. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui: 6. Et spiritus iudicii sedenti super iudicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam. 7. Verum hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt: sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium. 8. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus. 9. Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. 10. Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. 11. In loquela enim labii, et lingua altera loquetur ad populum istum. 12. Cui dixit: Hæc est requies mea, reficite lassum, et hoc est meum refrigerium: et noluerunt audire. 13. Et erit eis verbum Domini: manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: ut vadant, et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur. 14. Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Ierusalem. 15. Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. 16. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum: qui crediderit, non festinet. 17. Et ponam in pondere iudicium, et iustitiam in mensura: et subvertet grando spem mendacii: et protectionem aquæ inundabunt. 18. Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. 19. Quandocumque pertransierit, tollet vos: quoniam mane diluculo pertransibit in die et in nocte, et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. 20. Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat: et pallium breve utrumque operire non potest. 21. Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus: sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus eius: ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo: 22. Et nunc nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra: consummationem enim et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram. 23. Auribus percipite, et audite vocem meam, attendite, et audite eloquium meum. 24. Numquid tota die arabit arans ut serat, proscindet et sarriet humum suam? 25. Nonne cum adæquaverit faciem eius, seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem, et hordeum, et milium, et viciam in finibus suis? 26. Et erudiet illum in iudicio: Deus suus docebit illum. 27. Non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustri super cyminum circuibit: sed in virga excutietur gith, et cyminum in baculo. 28. Panis autem comminuetur: verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec ungulis suis comminuet eum. 29. Et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, et magnificaret iustitiam.

Vers. 1. Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim.) q. d. Væ regno superbo et guloso Israel: nam *Ephraim* vocat Israel, hoc est decem tribus: vide can. 28. Illis intentat væ excidii, utpote superbis et ebriis, aitque similes fore flori decidenti, qui mox ut floruit, marcescit et perit. Apposite ait *coronæ*, quia Samaria metropolis Ephraim, ædificata ab Amri rege in vertice montis Somer, ab eodem cincta fuit admirabili ædificiorum superbia in modum coronæ, atque prospectum exhibebat amœnissimum et quaquaversus longissimum, ait Adrichom. iu Samaria.

A

Qui erant in vertice vallis pinguissimæ.) Id est, qui habitabant in urbe Samaria, quæ sita est in vertice montis, cui vallis fertilissima vinetis et olivetis abundans subiacet.

Allegorice, S. Hieron. Cyrill. Procop. Euseb. Nazianz. et Theodor. apud Leonem Castrium: Corona, inquiunt, gloriæ, vel, ut Septuag. iniuriæ (solent enim Septuag. pro superbia ponere iniuriam, scilicet pro causa effectum; superbi enim solent aliis esse iniurii. Ita S. Hieron.) est Hierosolyma et Iudæi, præsertim Scribæ et Pharisæi, qui Allegoria de corona spinea Christi.

coronam spineam capiti Christi imposuerunt, ait Procopius. Iidem sunt ebrii, non tam vino, quam avaritia et furore, vel, ut Septuaginta, sunt mercenarii (Hebr. enim שכור *sickor* vel *socker*, per *sin* mercenarium, per *scin* vero ebrium significat) Ephraim, quia mercede conduxerunt Iudam ad prodendum et perdendum Christum; Iudam, inquam, qui oriundus erat ex vico Ephraim, cui nomen Iscarioth; quique olim flos erat gloriæ Apostolicæ, uti illi Iudaicæ; sed cecidit ebrius in Gethsemani, id est, in valle pingui, quando ibi cum Iudæis a Christo in terram deiectus et prostratus est, prodiditque Christum. Leo Castrius vult hunc sensum esse litteralem: unde ipse pro הוי *hoi*, id est *ve*, vertens *heu*, iuxta Sept. paraphrastice hunc versum ita reddit: *Heu corona ignominiosa Domino imposita! heu mercede conducentes Iudam! heu flos moriens, et magnificentia et decus patris! heu plebis Israel gloria manibus Iudæorum moriens! heu vallis Gethsemani! heu malleatos pedes sacros! malleatas sacras manus!* Verum verius est hunc sensum esse allegoricum, ut dixi; præsertim, quia *Gethsemani*, cui imminet Ierusalem, non significat *vallem pinguem* (hanc enim significat *Gethsemani*) sed *torcular olei*.

Tertio, Vatabl. sic vertit et explicat: *Væ coronæ et gloriæ, etc. quæ est super caput vallis opimæ percussorum vino;* aut, *super quorum caput est vallis unguentorum, suntque percussi vino.* Per vallem intelligit amnem, qui per valles fluit, id est copiam magnam, q. d. Væ Ephraimitis, in quorum capita descendit ut amnis unguentorum copia, quique vino inebriari solent: hominem madidum unguentis per hyperbolem vocat vallem unguentorum. Verum hic sensus symbolicus est et mysticus, non litteralis.

Vers. 2. ECCE VALIDUS ET FORTIS DOMINUS fortiter sternet et populabitur agros Samariæ, SICUT IMPETUS GRANDINIS, ET TURBO CONFRINGENS.) Sternere et confringere solet segetes: τὸ enim *sicut* repetendum est ante *turbo*.

Vers. 4 QUASI TEMPORANEUM.) Id est, quasi præcoces fructus, ut poma, pira. Unde Sept. vertunt, *quasi primæ et præmaturæ ficus* (has enim hebr. significat בכורה *biccora;* unde Punicum *abbocoras*. Est proverbium simile illi quo utitur Plautus: *Tam facile fiet quam vulpes pirum comest*, q. d. Sicut primi fructus, v. g. ficus utpote novæ, irritant palatum, et avidissime ante maturitatem aliarum devorantur: ita et vos, o Samaritæ, qui ob montes præruptos putabatis vos esse inexpugnabiles, devorabimini facillime, avidissime et cito, antequam universi plenam gloriam et opes acquiratis. Factum hoc est cum decem tribus a Salmanasar abductæ sunt in Assyriam, 4. Reg. 17.

Vers. 5. et 6 IN DIE ILLA, q. d. Decem tribubus vastatis et abductis, Dominus duas tribus reliquas, puta Iuda et Beniamin, instar coronæ cinget et decorabit, ac gloriose proteget contra Sennacherib, Philisthæos, aliosque hostes, eritque SEDENTI SUPER IUDICIUM, id est, regi Ezechiæ iudici et principi populi, SPIRITUS IUDICII, quasi regi assistens, eumque dirigens, ut iudicio recto et iusto iudicet et regat populum: militibus vero REVERTENTIBUS DE BELLO AD PORTAM Ierusalem, *erit* FORTITUDO) Est metonymia, q. d. Deus faciet, ut a labore et contentione prælii milites parta victoria, fortes, recentes et validi redeant ad portam qua ad bellum exierant, perinde ac si non exissent nec pugnassent.

Allegor. Cyrill. Theodoretus et Leo Castrius (qui vult hunc sensum esse litteralem) Christus dedit Apostolis spiritum iudicii, id est, Spiritum sanctum, ut docerent homines iudicia, id est, veritatem et mandata Evangelii: imo dedit eis potestatem per impositionem manuum communicandi aliis hunc Spiritum sanctum: et *revertentibus de bello*, id est, sanctis Martyribus, qui revertentur de certamine martyrii victores ad portam urbis, erit fortitudo et constantia, ut rursum in carcerem retrusi ad novos agones et tormenta se comparent, eaque pari constantia superent.

Vers. 7. VERUM HI QUOQUE PRÆ VINO NESCIERUNT.) A decem tribubus convertit se ad duas, earumque cladem, prædi-

A citque quod ebrietatem Samaritarum sint imitatæ.

PROPHETA, pseudopropheta, sub quo sacerdotes omnemque clerum intelligit; taxat enim omnium, scilicet tam populi quam cleri Hierosolymitani, crapulam: NESCIERUNT VIDENTEM.) Scilicet, Deum: Deus enim est oculus, qui omnia videt, Prov. 15. 3. Secundo, *videntem*, id est, videntes, puta Prophetas, præ vino non intellexerunt, aut audire et intelligere noluerunt. Tertio, ex Hebræo verti potest, *hallucinati sunt videndo*. Ebriorum enim oculi vino humidi spiritibus turbatis vacillant et hallucinantur, ne recte et certo aliquid videre possint. Sept. vertunt, *erraverunt: hoc est phasma*. Nam Hebr. ראה *roe*, quod Noster vertit, *videntem*, Septuag. acceperunt ut abstractum, ut sit idem quod visio, phasma, spectrum. Phasmata, inquit S. Hieron. sunt umbræ quædam et imagines, quæ cito pereunt et solvuntur, qualia crebro habent ebrii. Sensus ergo est, q. d. Visio eorum non est prophetia, sed est inane ebriorum phasma, spectrum et somnium: prophetant id quod vinolentia suggerit, quod in ebrietate

B somniarunt, somnia et phasmata sua vendunt pro oraculis.

IGNORAVERUNT IUDICIUM: præ ebrietate recte iudicare, discernere et decernere nequiverunt, sed in iudicando errarunt, et ut hebr. est פקו *paku*, id est impegerunt. Quare sapienter Alphonsus Aragonum rex rogatus, cur vino dilutissimo sitim expleret? *Quia*, inquit, *vino sapientia obscuratur*. Testis est Panormit. l. 1. Vitæ eius.

OMNES ENIM MENSÆ REPLETÆ SUNT VOMITU SORDIUMQUE.) Alii vertunt, *vomitu et stercore;* alii, *vomitu stercoreo*. Fuit illa apud veteres barbara et porcina ingluvies, quam etiamnum apud quasdam gentes, etiam quæ Christi nomine gloriantur, cernimus, ut convivia et symposia non celebrent, nisi se suosque convivas inebrient, imo vomitoria et matulas sub mensa ponant quibus superne et inferne effundant vina et cibos, quos hauserunt, ut rursus vorare et potare possint. Factitabat hoc Iulius Cæsar teste Cicerone, Orat. pro Deiotaro, et Caius Caligula teste Philone in legat. ad Caium, et Vitellius teste Svetonio in eius Vita. Tiberius vero ita vino fuit deditus, ut a militibus pro *Claudius Tiberius Nero*, vocaretur *Caldius Biberius Mero*, inquit Sveton. in eius Vita. Porro Plutarch. lib. de Præceptis salubr. sub finem, hoc usitatum fuisse docet, dum ait: *Vulgus hominum qui vacuationis gratia implent corpus, et vice versa explendi gratia invita natura evacuant, ingluvie non minus quam inanitate torquentur; imo vero tamquam deliciarum vinculo gravantur ingluvie: inanitatem semper ut locum voluptatibus machinantur*. Et Seneca Consolat. ad Helviam: *Vomunt*, ait, *ut edant: edunt ut vomant. Epulas quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur*. Dixit S. Bernardus gulones non aliud facere, quam *ingerere, digerere, egerere;* hi vero non digerunt, sed tantum ingerunt et egerunt: quare tantum habent fœtoris et tormenti in egerendo, quantum odoris et voluptatis in ingerendo. An non recte dixit Diogenes: *Venter vitæ charybdis est?*

Vers. 8. Gulonum exempla.

C

ITA UT NON ESSET ULTRA LOCUS.) Ad vomendum, q. d. Mensæ, pavimentum, anguli, omniaque plena sunt vomitu, ut non sit locus nitidus, ubi ulterius vomere libeat aut liceat.

D

QUEM DOCEBIT SCIENTIAM, etc. ABLACTATOS A LACTE.) Vers. 9.
q. d. Deus docere solet scientiam et sapientiam eos qui avulsi a deliciis puerilibus, a vita imperfecta et carnali, quasi viri capaces sunt solidi cibi, id est, veræ scientiæ: hi autem Iudæi hisce deliciis vini et ebrietatis gaudent, nec supernas et solidas capiunt; ergo quasi pueri indociles sunt doctrinæ et monitionis divinæ ac veræ sapientiæ incapaces. Huc allusit Paulus dicens ad Hebr. 5. *Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ*. Ita S. Hieronymus, Haymo, Dionysius et Hugo.

Secundo, Vatabl. Forerius et Sanchez, qui hæc omnia per interrogationem legunt: *Ablactatos a lacte? avulsos ab ubere?* contrarie exponunt, q. d. Ecquis erit iam, qui non otiose et vane sermones meos excipiat, quando hi sacerdotes et Prophetæ Iudæorum, qui magistri existimantur in populo, perinde sunt ac pueri, qui modo a ma-

ternis uberibus sunt avulsi. Hæc expositio congrua est, apteque cohæret cum sequentibus, si omnia legas per interrogationem. Verum Biblia Romana Plantin. et alii passim τὸ *ablactatos a lacte, etc.* legunt assertive, non interrogative: quare prior sensus aptior est, estque communis Patrum. Porro Septuag. pro דע *dea*, id est, *scientiam*, legentes רעה *raa*, id est, *malum*, vertunt, *cui annuntiamus mala?* ut scilicet ea declinet et fugiat per scientiam, ut habent Hebræa et Vulgata.

Allegorice et tropol. Cyrill. *Deus*, ait, *sanctos et vocat et docet, qui ablactati a lacte et uberibus legis veteris, per Christum provecti sunt in virum perfectum, ut pro eo fortiter, omne discrimen subeant.* Sic et S. Ambr. in Ps. 118. ad illa verba: *Anticipavi in maturitate et clamavi: Talis*, ait, *ablactatus fuit Isaac, qui gladium patris percussoris non exhorruit.*

Hinc S. Paula, teste S. Hieron. in eius Vita, hunc locum Isaiæ iuxta Septuag. in tribulationibus et angustiis replicabat: *Qui ablactati estis a lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate, spem super spem, adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et Scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat, ablactatorum esse eorum scilicet, qui ad virilem ætatem pervenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, ut spem super spem mereantur accipere, scientes quod tribulatio patientiam operatur, etc.*

Vers. 10. Quia manda remanda.) Dat causam cur Iudæi quasi pueri indociles et incorrigibiles cælestem scientiam doceri non possint, nec debeant, quia scilicet ipsi eam eiusque doctores irrident.

Pro *manda remanda*, hebr. est צו לצו *tsav latsav manda mandando*, hoc est *manda remanda*, קו לקו *kav lakav, exspecta exspectando*, id est, *exspecta reexspecta*. Notat S. Hier. Haymo et Lyranus, in hisce verbis esse mimesin, sive ethopœiam, quæ est relatio doctorum alienorum cum derisu. Isaias enim et Prophetæ sæpe edicebant: *Hæc mandat Dominus;* hinc isti vino dediti in conviviis per irrisionem hæc repetebant dicentes: *Manda remanda*, id est, iterum manda, o Isaia, o Propheta; *Exspecta reexspecta*, id est, iterum exspecta. q. d. Prophetæ obtundunt nobis aures toties repetendo: *Hæc mandat Dominus*, et minantur aut promittunt ea quæ non eveniunt, iubent exspectare modicum, nunc hic, nunc ibi, et nihil sequitur. Sic subinde etiamnum concionatoribus fit, ut improbi eorum conciones et minas rideant, repetant et subsannent.

Quare hæc Isaiæ verba frigide Iudæi, R. David, R. Abraham, et post eos Vatablus, Isidorus Clarius, Pagninus et Forerius vertunt sic: *Lineam post lineam, præceptum post præceptum, parum ibi, parum ibi*, q. d. Isaias: hi tamquam pueri ruditer et sensim lentissime docendi sunt, lineam post lineam, præceptum post præceptum, perinde ac pueri docentur alphabetum. Nam non puerorum docendorum, sed illusorum et sannionum hæc esse verba patet ex pœna quam v. seq. eorum sannis intentat Isaias. Unde Septuag. sic vertunt: *Tribulationem super tribulationem exspecta, spem super spem, adhuc parum, adhuc parum, propter irrisionem labiorum, et linguam alteram quia loquentur populo huic dicentes eis: Hæc requies esurienti, et hæc est contritio, et noluerunt audire.* Ubi: Nota Septuag. pro צו *tsav*, id est manda, legerunt צר *tsar*, id est tribulatio; *vau* enim et *resch* Hebræis vicinæ sunt litteræ.

Ex Hebr. *kav lakav*: id est, *exspecta reexspecta*, Nicolaitæ spurcum suum numen *Caulaucam*, quasi concubitus præsidem, efformarunt, ut docet Epiphan. hæresi 15. et Nicetas lib. 1. Thesauri orthodoxiæ, quos tacito nomine perstringit hic S. Hieron.

Moral. Richardus Victor. et eius verba recitans Delrio adagio 747. hæc Isaiæ verba referunt ad acedos et tepidos, etiam Religiosos, qui vitæ emendationem procrastinant.

Denique Syrus et Arabicus pro *tsav* legentes צא *tse*, id est exitus, excrementum, a radice יצא *ialsa*, id est exi-
A vit; et pro *kav* legentes קוא *ko*, id est vomere vertunt; Syrus quidem sic: *Quia stercus supra stercus, et stercus supra stercus, et vomitus supra vomitum, et vomitus supra vomitum, modicum illuc, et modicum illuc;* Arabicus vero sic: *Apud quos scientia, vel doctrina est veluti vomitus supra vomitum, et stercus supra stercus in secessu, modicum in loco. modicum in loco, hic et ibi plenum est stercore:* ut respiciat ad v. 8. *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque.* Hinc patet, versiones Syram et Arabicam factas esse ex Hebræo.

In loquela enim labii.) Hebr. בלעגי שפה *belaaghe* Vers. 11.
sapha, id est, ut Lyranus, Forerius, Pagninus, *in balbutie labii;* Arias, *in blæsitatibus labii*, uti solent irridentes cum gestu linguæ et labiorum ad balbutiem composito loqui: quod Noster vertit *loquelam labii:* blæsi enim et balbi videntur labiis pene solis loqui et pappare, uti et infantes cum incipiunt fari et balbutire. Unde Sanchez, cum dicitur *in loquela labii*, putat alludi ad litteras labiales, quæ pueris familiares sunt, nempe B. M. P. quare illi *ba-*
B *bam* abbam, id est, patrem, *mamam* matrem, *papa* pultes appellant; hæ enim litteræ compressis labiis formantur; hinc labiales vocantur, et iure infantiles vocari possunt. Unde clare Septuag. et alii vertunt, *in irrisione* vel *subsannatione labii:* qui enim blæse et balbutiendo cum viris, qui ætate grandes, ingenio vero et moribus infantes sunt, agit, ridet eorum infantiam. Hebraicum enim לעג *laagh* proprie competit balbis, blæsis, sannionibus. Et forte alludit Isaias ad Ephraimitas qui blæsi erant: unde Iudicum 12. 6. pro שבולת *scibbolet* dicebant blæse סבולת *sibbolet:* sic hic pro צו *tsav*, id est, manda, dicebant Iudæi sanniones blæse סו *sav*. S. Paulus hæc verba non ad verbum, sed ad sensum reddit, dicens: *In aliis labiis* (unde et Chald. vertit, *in mutatione loquelæ*) quia locum Isaiæ adaptat dono linguarum Apostolis dato, quia aliis linguis non ad irrisionem, sed ad ædificationem loquebantur. Quamquam Salmeron tom. 1. pag. 33. putet in Hebræo vitiate *ghimel*, pro vicino *zain* irre-
C psisse, et pro בלעגי *belaaghe*, uti iam legitur in Isaia, legendum esse בלעזי *belaaze*, id est, *in barbaris linguis*, ac consequenter aliis ac diversis a vestra lingua: Hebræum enim לועז *loez* barbarum significat. Sensus ergo est, q. d. Isaias vel potius per Isaiam Deus: Mea exhortatio ad pœnitentiam facta Iudæis per Isaiam aliosque Prophetas, visa est vobis, o Iudæi, molesta et ridicula, perinde ac si labiis blæsis, et lingua barbara locutus vobis fuissem: hinc Prophetarum quasi balbutiem imitando et subsannando blæse et balbutientes dicitis et repetitis: *Manda remanda.* Quare ego per Chaldæos (qui videntur vobis blæsi et balbi) milites et ministros iustitiæ meæ vos puniam, ut sannis peregrinæ suæ linguæ Chaldaicæ vos incredulos arcessant et compescant, vosque iam devictos et captivos irrideant, vestraque Hebraica verba suis Chaldaicis subsannent et refutent: atque horum typo, figura et similitudine, tempore Christi mittam Apostolos qui dono aliarum linguarum vestram pariter, o Iudæi, incredulitatem arguent, vobisque videbuntur blæsi, et a vo-
D bis, mundique sapientibus quasi stulti prædicatores crucis Christi subsannabuntur. In hunc enim sensum hæc verba Isaiæ citat Apostolus 1. Cor. 14. 21. Ita S. Hieron. et Cyrill.

Nota. Vox *enim* non proprie, sed adversative capitur pro *sed;* nam cum ait, *in loquela enim labii*, perinde est ac si diceret: *Sed*, vel *veruntamen, in loquela labii, et lingua altera loquetur* Deus per Chaldæos *ad populum istum*, ut eum redarguet.

Cui dixit: Hæc est requies mea, reficite lassum, etc.) q. d. Deus dixit: Ego multo tempore optavi Vers. 12.
requiescere in Iudæis tum iam, tum maxime tempore Christi, nec tantum optavi, sed et oravi et obsecravi eos, dicens: *Reficite* me, orando et obsecrando vos, *lassum.*

Secundo, et potius, *reficite lassum*, id est, reficite debiles, miseros et fatigatos; in hac enim misericordia est mea quies et consolatio. Unde Deus per Prophetas non aliud quasi clamabat quam: *Misericordiam et miserationes*

facile unusquisque cum fratre suo, ut patet Zachar. 7. sed ipsi noluerunt me audire, et contempserunt. Ita S. Hier. et Cyrill.

Vers. 13. ET ERIT EIS VERBUM DOMINI: MANDA REMANDA. Hic sanniones Deus punit, et sannas in ipsosmet retorquet, q. d. Quia ipsi Prophetarum verba riserunt, dicendo *manda remanda*, hinc vicissim Deus, cum eos premet calamitas et clades, ridebit eos, dicetque: MANDA REMANDA, EXSPECTA, REEXSPECTA, EXSPECTA REEXSPECTA; hinc fiet, UT VADANT ET CADANT RETRORSUM.) Tamquam turpiter ab hoste superati, et resupinati, ut resurgere non possint, itaque ab eo conterantur et pedibus conculcentur, ac quasi inducti in venatorum retia capiantur. Ita iuste illusores illudit et punit Deus, iuxta illud Proverb. 1. 25. *Despexistis omne consilium meum, etc. Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit.* Sic narrat Suidas verbo *Datis*, quod Datis et Artaphernes Darii duces legatos in Græciam miserunt, urbium facturi periculum, et terram atque aquam postulaturi. Ac insulares quidem omnes assenserunt; Lacedæmonii vero utramque se daturos polliciti, coniectos in puteum terra obruerunt; se, quod postulatum fuisset, præstitisse testati.

Vers. 14. ILLUSORES.) Qui illuditis minas Prophetarum, dicentes: *Manda remanda.*

Vers. 15. PERCUSSIMUS FOEDUS CUM MORTE.) q. d. Securi sumus de Assyriis et Chaldæis, non timemus eorum vastationem, nec mortem et infernum, id est locum et statum mortuorum, quæ nobis minantur Prophetæ, quasi pactum cum iis fecissemus. Est catachresis. Secundo, proprie Sanchez: Sicut, ait, Gentes mortem, id est Atropon aut fatum, et infernum, nempe Plutonem, aut ᾅδην, in diis numerabant: sic Gentilium ritum imitati illusores hi, eosdem quasi deos venerabantur, certisque adhibitis ritibus et cæremoniis putabant se eos sibi demereri, et quasi cum iis pacisci ut ab iis nihil mali timendum esset.

ET CUM INFERNO FECIMUS PACTUM.) Pro *pactum* hebr. est חזה *choze*, id est visionem, q. d. Venimus in colloquium cum inferno: cum eoque transegimus et pepigimus. Dicunt Prophetæ multa visu horrenda esse in inferno: nos iam ea vidimus, nec horremus. Sic vulgo dicunt impii: *Diabolus non est tam ater ac pingitur.* Ita Vatabl.

Secundo, Viegas in Apocal. 2. comment. 4. sect. 4. n. 5. *chose* vertit provisionem, commeatum, qui est multorum conviventium, aut simul navigare volentium: id quod non faciunt, nisi fœderati, q. d. Cum inferno fecimus provisionem, seu commeatum, quasi simul navigaturi, et ad eumdem inferorum portum appulsuri. Ita sagis apparens dæmon, cum eisque ludens, persuadet eis sibi bene esse, se esse lætum ac felicem, nec igne inferni multum cruciari; ac proinde ipsas post mortem eadem cum ipso læta sorte potituras.

Tertio, aliqui per mortem et infernum accipiunt regem Assyriorum: cum hoc enim pactum pepigerant Samaritæ eiusque erant vectigales: unde sub eius alis securi degebant, nihil timentes. His ergo denuntiat Propheta, hoc pactum esse periculosum et perniciosum; eo quod rex Assyriorum sit eos vastaturus, ac in mortem et infernum missurus. Addunt nonnulli, hunc regem vocari mortem et infernum, quia dominabatur Ponticis et Cimmeriis, ex eisque colligebat exercitum. Hi autem vocantur Inferi et infernus, quia in Ponto est Cerberion mons et oppidum; item Heraclea et specus, unde Hercules Cerberum extraxisse fertur; item Cocytus, Phlegethon et Tartarus. Denique apud Cimmerios inferni sedem collocat Homerus, sive ob perpetuas tenebras, sive ob metallorum frequentes fodinas, sive ob valles opacissimas et hiberno soli inaccessas: unde Gentiles censebant illic esse inferni ostium.

Moraliter S. Gregor. lib. 6. in libr. Regum cap. 2. *Impœnitentes*, inquit, *ut Saul, percusserunt fœdus cum morte et inferno. Cum morte quidem fœdus percutere, est mala audacter perpetrare, et ea semper agenda promittere. Mala quippe indesinenter faciunt: sed diligendo quod faciant, quasi a mortis amicitia se numquam recedere polliceantur. Hi quippe in mortis fœdere quanto insensibiliores fiunt, viscera matris Ecclesiæ tanto acrius miserando quatiuntur.*

FLAGELLUM INUNDANS CUM TRANSIERIT, NON VENIET SUPER NOS.) q. d. Assyriorum flagellum et calamitas, cum pervaserit decem tribus, non veniet super nos.

Secundo, et proprie sicut Attila, sic Nabuchodonosor vocatur hic *flagellum Dei inundans*, et absorbens omnes gentes Iudæis vicinas.

QUIA POSUIMUS MENDACIUM.) Causam dat Propheta præsumptæ securitatis, q. d. Securitatis vestræ basis non est nisi spes mendax, quam habetis vel in idolis vestris, vel in nimia Dei misericordia, vel in fortitudine et opibus vestris: quam licet vos vocetis veritatem et securitatem, ego tamen voco mendacium et fallaciam, uti revera est. Adde, esse verba illusorum, qui usurpant nomen et vocem Prophetarum, q. d. Posuimus spem nostram in idolis, etc. quæ vos, o Prophetæ, mendacium appellatis. Denique Sanchez censet, mendacii nomen idolis additum apud Gentiles, ex continuo usu non male audiisse, sed quasi honestum transiisse in communem nomenclaturam. Sic honestati sunt apud Romanos *Bruti*, *Porcii*, *Asinii*, etiamsi nominum etymon significet aliquid indecorum. Sic Leodienses aurigæ et nautæ socios suos etiam amicissimos, ex usu communi vocant *Dal*, id est diabolos. E contrario voces Latinæ et Græcæ *dæmones* et *dæmonia* male sonant, etiamsi etymon fuerit honestum, et a scientia deductum. Sic et voces *hostes* et *tyranni* olim peregrinos et principes significabant, nunc ex eorum abusu male audiunt. Nomina infamia ex usu honestantur.

IDCIRCO HÆC DICIT DOMINUS.) Avolat Propheta de more ad Christum, quem mendacio illusorum opponit, ut doceat in Christo solidam spem collocari, quam ipsi in mendacibus idolis collocabant: solet enim Deus ulcisci hominum scelera in lege nova non puniendo, sed sua clementia ea curando, et condonando per Christum. Vide can. 46. Sapienter Bias et ex eo Ausonius: Vers. 16.

Quod prudentis opus? cum possit nolle nocere.

Sensus est, q. d. Idcirco, ut scilicet vestrum pactum futile, et fiduciam mendacem sapientiore et solidiore consilio evertam, imo corrigam et emendem, hac de causa vobis licet indignis misericorditer mittam Christum, qui Sionem, id est Ecclesiam, ædificet cuiusque ipse sit lapis angularis, id est fundamentum primum et imum, ut habet Apostolus Ephes. 2. 20. quod solidum firmiter omnes eius partes connectet, et præsertim duos parietes, id est duos populos invicem contrarios, scilicet Iudæorum et Gentium. Ita S. Cyrill. Theodor. et Augustin. in Psal. 94. imo S. Petr. epist. 1. c. 2. v. 6. et Paulus ad Roman. 9. v. 33. et Christus ipse Matth. 21. 42. Hebr. est: *Ecce ego pono in Sion lapidem probatum anguli, pretiositatis, fundamenti*, id est angularem, pretiosum, fundamentalem, solidissimum; hunc enim lapidem ob soliditatem opponit arundini, id est vanæ et mendaci spei, quam Iudæi in suis idolis reponebant: unde ait v. 18. *Delebitur fœdus vestrum cum morte et pactum vestrum cum inferno non stabit:* quia arundineum est, non in solido lapide, puta Christo et Deo fundatum.

QUI CREDIDERIT, NON FESTINET.) Scilicet volens statim lapidem hunc Sionis hic promissum, puta Christum, sibi exhiberi, non dicat cum illusoribus: *Manda remanda, modicum ibi*, q. d. Exspectavimus eventum oraculorum, et nihil videmus secutum; sed exspectet patienter: quia suo tempore certissime promissionem meam complebo, iuxta illud Habacuc 2. 3. *Si moram fecerit, exspecta illum: quia veniens veniet et non tardabit.*

Nota, Septuag. et ex iis S. Petrus et Paulus pro *non festinet*, vertunt, *non confundetur*, q. d. *Non festinet*, id est, non trepidet: non enim confundetur, sed spe sua potietur. Sic Virgilius de apibus ait:

Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt.

ut sit metalepsis. Ita Leo Castrius.

Secundo, Sanchez, *non festinet*, ait, id est non fugiat:

non enim confundetur. Solent enim qui confunduntur et pudefiunt, festinato se subducere, ut fugiant hominum oculos: hinc fit, ut festinatio pro pudore et confusione sumatur. Est et hic metalepsis, sed aliunde petita.

Denique Ioannes Morinus præfat. in Septuag. censet Septuag. pro יחיש *iachis*, id est, *festinet*, legisse יבוש *iabis*, id est *confundatur*.

Vers. 17. Et ponam in pondere iudicium et iustitiam in mensura.) A Christo suo revolat Propheta, et redit ad sua tempora, et ad ea quæ dixit v. 13. q. d. Ego Iudæos illos illusores recte et accurate, quasi iusto pondere et mensura iudicabo, puniendo eos nunc per Chaldæos, et tempore Christi per Romanos ac damnationem æternam. Patet ex seq. Septuag. pro *iustitiam in mensura*, vertunt, *misericordia tua in stateris*, quod S. Nazianz. orat. de misericordia sic explicat, q. d. Misericordia Dei præstatur nobis pro ratione et mensura misericordiæ, quam nos miseris præstiterimus: *Nulli enim*, ait, *rei misericordia Dei magis rependitur, quam misericordiæ, ab eo qui iuste omnia pensat et rependit.* Sic et S. Basil. in Ps. 129. putat his Isaiæ verbis significari, misericordibus misericordiam impertiendam pro modo et ratione meriti cuiusque, iudicium vero expertibus misericordiæ.

Et subvertet grando spem mendacii.) *Grando* per catachresim significat subitam et fortem Dei punitionem, quam per Chaldæos, Romanos et alios exercuit, qua subvertit mendaces spes Iudæorum, quas in idolis et regibus Ægypti aliisque reponebant. Idem significant aquæ, quæ inundatione sua protectionem, id est murum, quo se protegendos putabant, everterunt, quod v. 18. clare vocavit *flagellum inundans*.

Vers. 19. Mane diluculo pertransibit in die et in nocte.) q. d. Hæc grando, hoc flagellum cito et tempestive, quasi summo mane vos comprehendet, et durabit continuo integros dies et noctes. Significatur ergo hic celeritas et continuatio flagelli.

Sola vexatio intellectum dabit auditui.) q. d. Hæc calamitas Chaldæorum Iudæos faciet intelligere oracula, et minas quas audiunt a Prophetis, docebit eos Deum timere et colere, non idola: nec enim utrorumque amor et cultus se compatiuntur, ut sequitur. Sicut ergo asinus non movetur minis, nec promissis, sed baculo: ita et hi. Sic de Phrygibus olim dicebatur: *Phryx non nisi plagis emendatur.* Pro *vexatio* hebr. est זועה *zevaa*, quod alii vertunt *terror*. Sic enim pueri duri minis et terrore coguntur ad officium subeundum. Sed nostra versio magis apta et genuina est. Sic c. 26. v. 9. dixit: *Cum feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis.* Et Ps. 77. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum.* Sic et Plato in Symposio: *Stultus*, ait, *post acceptam plagam sapit.* Hinc Agesilaus de quibusdam Asiæ populis dicebat, *Si libertate fruerentur, malos; si servirent, bonos fore.* Prudenter S. Bern. l. 1. de Consider. c. 3. *Hebetati*, ait, *cordis indicium est propriam non sentire continuam vexationem. Vexatio dat intellectum auditui, sed si nimia non fuerit: nam si sit, non plane intellectum dat, sed contemptum. Denique impius cum in profundum malorum venerit, contemnit.*

Vers. 20. Coangustatum est enim stratum.) Primo, Iudæi sic exponunt: Per Chaldæos redigemini, o Iudæi, in eas angustias, ut duo coniuges non sint habituri locum ubi simul cubent, sed alter eorum loco et lecto extrudendus sit; utque lodices et stragula non habeant tam magna, quibus uterque simul operiatur. Sed hic sensus frigidus est et Iudaicus.

Secundo, ergo et genuine, q. d. Deus: Vos, o Iudæi, præter me sponsum vestrum alios amatores, scilicet idola et diabolum, admittitis; itaque non potestis mecum in coniugio permanere, quia lectus amoris mei ita arctus est, ut non nisi sponsam et sponsum unum admittat, tertium scilicet adulterum, omnino excludat: nec capere possit Deum et diabolum, Deum et mundum, Deum et mammonam: quocirca ego per Chaldæos aliosque vos flagello, ut vos ad me reducam, utque deos alios a thoro hoc vestro et meo extrudatis. *Duo*, inquit Ausonius, *socios non reci-*

A *piunt: amor et principatus. Omnisque potestas impatiens consortis erit*, ait Lucan. Unde et Iulius Cæsar dicebat: *Malo esse in Gallia primus quam Romæ secundus;* cumque Pompeium se superiorem non pateretur, uti nec Pompeius eum parem, bello ei imperium cum vita extorsit. Sic et Alexander rogatus a Dario ut secum divideret imperium, respondit: *Sicut mundus non fert duos soles, ita nec terra duos reges. Quare aut te mihi subde, aut in crastinum aciem para;* paravit, et cæsus regnum Alexandro cessit. Sic et Tragœdus: *Nec regna socium ferre, nec tædæ* (coniugia) *sciunt.* Simile proverbium est: *Nemo potest duobus dominis servire*, Matth. 6. 24. Et: *Quæ autem conventio Christi ad Belial?* 2. Cor. 6. Ita S. Hier. Deus ergo solus vult occupare totum stratum cordis nostri; unde mandavit dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua*, Deut. 6. 5. Vide ibi dicta. Hinc et Apostolus 1. Cor. 10. 20. *Non potestis*, inquit, *calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ idolorum.* Vere B Lyranus in illud Matth. 6. 24. *Non potestis servire Deo et mammonæ; Cor humanum*, ait, *non potest simul capere Deum et diabolum; sed suscepto diabolo per peccatum exit Deus; suscepto Deo per charitatem, exit diabolus.*

Allegorice, Leo Castrius: Stratum Dei, inquit, id est Ecclesia non capit umbram et veritatem, Mosem et Christum, legis onera et suave iugum gratiæ.

Ut alter decidat.) Hebr. est מהשתרע *mehistarea*, id est, a superfluendo, vel a superessendo, q. d. Ut non supersit alteri locus, sed alter decidat, uti recte vertit S. Hieron.

Sicut enim in monte divisionum.) q. d. *Sicut in* Vers. 21. *Baal Pharasim*, quod significat *locum divisionum*, Deus pro Davide deiecit Philisthæos, 2. Reg. 5. ibique Davidem victorem a Philisthæis devictis et dispersis divisit et segregavit: sic consurget et stabit contra vos Dominus.) Ut vos dispergat, dividat et disperdat; et sicut pro Iosue in valle Gabaon stitit solem, et percussit Amor-C rhæos, non tam armis, quam grandine et saxis e cælo in eos deiectis, Iosue 10. ita pariter ipse contra vos, o Iudæi, quasi adulteros et apostatas irascetur, atque iratus vos deiiciet et percutiet. Ita S. Hieron. qui allegor. hæc refert ad excidium mundi: tum enim erit *Baal Pharasim*, id est, locus divisionum in valle Iosaphat, ubi Christus separabit agnos ab hædis, atque agnis, id est sanctis, cælum, hædis et impiis gehennam assignabit.

Ut faciat opus suum, opus a se decretum, scilicet vindictam et punitionem, exigentibus id Iudæorum peccatis, quod tamen opus non est proprium Deo, si eius indolem et innatam bonitatem spectes, sed alienum, et quasi peregrinum ab eo.) Quia invitus et quasi coactus ab impiis hoc facit. Sic cum induxit diluvium orbi, fecit hoc tactus dolore cordis intrinsecus, Genes. 6. sic puniturus gemit dicens: *Heu consolabor super hostibus meis*, Isaiæ 1. 24. Secundo, *opus alienum et peregrinum*, est opus, puta punitio insolita et admirabilis. Quia enim Deus patribus Iudæorum ob eorum pietatem, fuerat benignus D et beneficus: hinc posteris eorum impiis videbatur res insolita et aliena a Dei more, experiri Dei iram et vindictam. Rursum quia hæc vindicta futura erat acris et inaudita, utpote inducens gentis et populi Dei excidium; hinc eis videbatur admirabilis et plane extraordinaria. Unde Sept. vertunt *perditio* (σαπρια, pro quo Complut. legunt πικρια, id est *amaritudo*) *eius aliena*.

Et nunc nolite, illusores, qui illusistis Prophetas, et Vers. 22. dixistis vers. 10. *Manda remanda*, pariter illudere has meas minas, ne forte constringantur (Vatabl. vertit *validiora fiant*) vincula vestra.) Id est ne citius et arctius ab hoste constringamini, ne Deus per eum vos severius et graviori captivitate puniat. Sicut enim vulpes quæ in laqueum incidit, eo magis astringit nodum et laqueum quo magis se ex eo expedire et extricare conatur: ita impii tergiversando et illusores irridendo Dei minas et pœnas, magis et magis se iisdem involvunt et astringunt. Unde sequitur:

CONSUMMATIONEM ENIM ET ABBREVIATIONEM.) q d. Consumptionem et destructionem, eamque brevi futuram super totam terram, scilicet Iudæorum, AUDIVI A DOMINO.) q. d. Non dicetis ultra, *Manda remanda*, quia brevi Deus cladem, quam vobis comminatus est infliget: vestræ enim irrisiones et scelera brevi complebunt mensuram peccatorum vobis a Deo statutam, itaque accelerabunt eius vindictam.

Vers. 24. NUMQUID TOTA DIE ARABIT.) Nota: Ab hoc loco ad finem usque capitis est continua parabola agricolæ, qua hortatur Iudæos omnesque gentes ad bona opera, et ad frugem, q. d. Non semper arat arator, ut sementem faciat, sed primo, arat. Secundo cum aliquot diebus aravit, postea solvit boves, et glebas contundit, terræque superficiem æquat et occat. Tertio, ubi hoc fecit, sementem iacit, eamque germinantem sarrit, id est purgat a lolio. Quarto, messem maturam demetit et colligit. Quinto triturat, quæque secundum suam conditionem, scilicet omnia legumina, ut gith et cyminum, levius: puta per virgam aut baculum; frumenta vero, quæ difficilius excutiuntur, gravius, scilicet in Palæstina plaustris, quæ quasi serras et dentes inferne habent, quibus circumactis super segetes grana excutiunt; aut etiam bobus, qui ungula sua calcando ea exprimunt.

Deus quasi agricola nunc serit, nunc metit, nunc triturat.

Iam hæc sic Iudæis et hominibus applica. Primo, agricola est Deus; secundo, ager est Israel; tertio, agrum hunc serit Deus; semina sunt lex, gratia et dona Dei; quarto, deinde metit, colligitque fructus bonorum operum, quos ut eliciat, triturat, id est, affligit nos, alios quidem gravius, alios levius pro constantia et robore fidei.

Sensus ergo est, q. d. Sicut agricola suis quodque locis ordinibus, temporibus, modis serit, metit et triturat: ita Deus in Israele, et in magno hoc mundi agro nunc gratiam serit, nunc monet, nunc corripit, nunc punit, nunc miseretur. Vos ergo, o Iudæi, et quæque gens studiose advertat et reflectat, quid quolibet tempore in se agat Deus: imo idipsum in se quisque advertat, quid hac die et hora in se operetur Deus: an serat, an metat, an trituret, studeatque Deo operanti cooperari et respondere, atque per eius tribulam et afflictionem dare grana patientiæ, charitatis et aliarum virtutum. Ita S. Hieron. Vatabl. et alii. Quocirca Sancti studiose et attente exceperunt omnes Dei inspirationes, monitiones, correptiones, tribulationes, etc. eisque vel cooperati sunt, vel eas patienter tolerarunt, ex iisque fructum quem Deus volebat, elicuerunt. Ita Samuel ad Deum: *Loquere*, ait, *Domine, quia audit servus tuus.* Ita David: *Audiam*, ait, *quid in me loquatur Dominus.* Et Paulus: *Domine, quid me vis facere?* Et Isaias c. 6. *Ecce ego, mitte me.* Ita S. Franciscus audiens aliquam Dei inspirationem, subsistebat, totumque se colligebat ad eam percipiendam, eaque percepta statim quod audierat exsecutioni mandabat. Quocirca iure dicebat S. P. N. Ignatius, paucos scire quantum ipsimet Dei in se operationem impediant, eique magna operaturo obicem ponant, quod vel non audiant Dei vocem, vel ei non cooperentur, uti deberent. Nimirum sola B. Virgo semper Dei voluntatem et gratiam attente excepit, eique ex æquo cooperata est, ut v. g. si reciperet gratiam intensam ut mille, eliceret actum intensum ut mille, idque continuo et assidue. Nullus cæterorum Sanctorum idipsum præstitit: infirmitas enim humana nunc in intentione, nunc in continuatione deficit, ut gratiam Dei non adæquet: qui tamen generosi sunt, eam quam maxime adæquare conantur; et hi maximos in virtute et gratia progressus faciunt.

Viderunt idipsum per umbram Gentiles; unde Alexander Magnus in Ægypto audivit Psammonem Philosophum, idque eius dictum maxime probavit, quo affirmabat, *Omnes homines a Deo regi; divinum enim esse id, quod in quolibet præsit atque imperet.* Ipsumque magis philosophice de eadem re sensisse, cum asseruit, *Deum omnibus hominibus communem esse patrem, sed proprios sibi filios eos adsciscere, qui hominum essent præstantissimi, hos nimirum formare, expolire, perficere.* Ita Plutarchus in Alexandro.

Moraliter, S. Ambr. l. 3. de Interpellat. c. 2. docet virum iustum esse agricolam instar Dei: Nam, inquit, *hic quasi bonus agricola arat agrum suum quodam rigidioris abstinentiæ vomere; hic exstirpat quadam falce virtutum, amputatrice vitiorum; hic stercorat humiliando se usque ad terram, sciens quia Deus de terra suscitat inopem, et de stercore erigit pauperem; hic custodit fructus suos, ut illic uberibus recondat.* Hac agriculturæ metaphora sæpe agens de Deo et rebus divinis utitur Scriptura, ut patet Ioan. 4. 35. Matt. 21. 33. Ioan. 15. 1.

GITH.) Genus est seminis calidi et nigri: unde græce μελάνθιον, vulgo *nigella* dicitur. Vide Columellam l. 7. et Plinium l. 20. c. 17. Ruellius opinatur esse semen illud, quod rustici in Gallia sua lingua vocant *poivretum*, quasi minutum piper; eo quod tenuiores hoc semine cibos condire soleant vice piperis. Vers. 25.

Allegorice, S. Hieron. *Gith* et *cyminum*, id est, populus rudis, leniter baculo corripietur: at frumentum, id est, sacerdotes et sapientes, dura rota plaustri calcabuntur, atque potentes potenter tormenta patientur.

ET ERUDIET ILLUM IN IUDICIO.) q. d. Deus docebit agricolam cum iudicio, et sapienter hæc omnia distribuere. Ita S. Hieron. Vers. 26.

PANIS AUTEM COMMINUETUR.) Est metonymia. *Panis*, id est, triticum et frumentum, ex quo fit panis, solet in Palæstina rota plaustri et dentibus tribulæ comminui et maiore vi excuti, tamen cum modo et moderamine: non enim in æternum sive perpetuo tribulatur; sed sic tribula ipsa circumducitur, aut ungula bovis calcatur, donec e folliculis excidant, non autem ut frangantur grana tritici, q. d. Ita pariter Deus vos, o Iudæi, aliosque suos fideles non affligit, ut perdat et exscindat, sed ut a paleis vitiorum expurget, et quasi grana selecta in horreo, id est, in Ecclesia sua, recondat. Ita S. Hieron. Vers. 28.

NEC UNGULIS SUIS COMMINUET EUM.) Hinc videtur quod in Iudæa tempore Isaiæ triturarint quoque ungulis equorum vel boum segetes calcantium: hæ enim calcando excutiebant e suis folliculis grana, uti etiamnum fit in nonnullis provinciis; licet id videatur negare S. Hieron. forte quod eius tempore hic modus triturandi apud Iudæos in desuetudinem iam abierat: aut, ut Sanchez, quod ab equis solis tritæ non fuerint segetes, sed equorum ungulis, qui simul tribulas dentatas trahunt, aut plaustra serrantia.

UT MIRABILE FACERET CONSILIUM, ET MAGNIFICARET IUSTITIAM.) Pro *iustitiam* Chald. vertit, *sapientiam*. Nota: In parabola sunt tria. Primo, est προμύθιον, sive proparabola, quasi prologus parabolæ; secundo, est ipsum μῦθος, id est, fabula aut parabola; tertio, est ἐπιμύθιον, sive postparabola, applicans parabolam ad mores vel instructionem nostram, ex qua colligendus est sensus, et scopus parabolæ. Pro parabola hic fuit v. 22. *Nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra.* Parabola fuerunt varia opera agricolæ, quæ narravit a vers. 24. hucusque. Postparabola est hic. Ita Forer. Vers. 29. Tres partes parabolæ.

Sensus ergo est, q. d. Sicut in agricolatione, puta in subigendo agro, serendo, metendo, triturando suis locis et temporibus, Deus ostendit magnam sapientiam et iustitiam, quasi distributivam, ut cuique tribuat, quod res et tempus exposcunt: ita pariter ipse in prophetia huius capitis variam ostendit providentiam suam, et distributionem circa decem, et circa duas tribus, ac circa Christum. Quocirca non est, quod eam miremini: facit enim ipse ut sapiens agricola, qui pro rei exigentia agrum, id est orbem, ac præsertim Synagogam, et Ecclesiam suam, sive populum fidelem varie exercet et regit: nunc enim sarrit, et purgat; nunc triturat, et punit; nunc miseretur, et parcit; nunc colligit fructus, suosque sibi seligit et seponit.

Ita primo, vos, o Iudæi, coluit assidua et paterna sua indulgentia. Deinde in vobis sevit semina legis, et S. Scripturæ. Videte ergo, ut dignos virtutum et meritorum fructus ei reddatis. Post vero vocabit ad aream et

trituram tribulationis, a qua tamen liberabit, reducetque in patriam, sicut agricola purgata per duram trituram frumenta in horrea recondit. Hoc enim proxime præcessit, et hanc trituram, eiusque examen, et finem ac fructum maxime in hac parabola urget Propheta. Cum ergo Deus vos trituret et castiget, ut grana pœnitentiæ et virtutum ac mutationis vitæ eliciat et excutiat, videte ne hoc opus Dei vestra duritie et pertinacia evertatis, et cogatis eum vos triturare usque ad consumptionem et excisionem, quam vobis impendere audivi in proparabola v. 22. Sed potius tribulationem hanc patienter excipite, et per eam ad cor et ad Deum redite; ita fietis tritura et filii areæ Domini, ut dixit c. 21. v. 10. Est enim hæc tritura amoris, non odii.

Allegorice, Leo Castrius, q. d. Deus iam arat, occat, sarrit, id est, præparat agros, id est animos Iudæorum, ut tempore Christi in iis serat Evangelium, ac metat opera Christiana, digna Christo, digna Evangelio.

Ut mirabile faceret consilium etc.) Alii vertunt: *Qui mirificus est consilio, et magnificus opere.*

CAPUT VICESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit excidium, quam ob munitionem vocat Ariel, id est, leonem Dei. Secundo, v. 5. digreditur ad Chaldæos eam exscindentes, dicitque victoriam eorum fore instar somnii; brevi enim ipsosmet perdendos. Tertio, v. 9. redit ad Iudæorum cladem, quodque Deus auferet ab eis intelligentiam Prophetarum. Quarto, v. 15. increpat sapientes eorum atheos, qui putabant se suaque consilia Deum latere. Quinto, v. 17. prædicit excæcationem Iudæorum, et vocationem Gentium.

1. Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David: additus est annus ad annum: solemnitates evolutæ sunt.
2. Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens, et erit mihi quasi Ariel. 3. Et circumdabo quasi
sphæram in circuitu tuo, et iaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam. 4. Hu-
miliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum: et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de
humo eloquium tuum mussitabit. 5. Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te: et sicut favilla pertrans-
iens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt: 6. Eritque repente confestim. A Domino exercituum visi-
tabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis et tempestatis, et flammæ ignis devorantis.
7. Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, et omnes
qui militaverunt, et obsederunt, et prævaluerunt adversus eam. 8. Et sicut somniat esuriens, et comedit, cum
autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: et sicut somniat sitiens, et bibit, et postquam fuerit exper-
gefactus, lassus adhuc sitit, et anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt con-
tra montem Sion. 9. Obstupescite, et admiramini, fluctuate, et vacillate: inebriamini, et non a vino: movemi-
ni, et non ab ebrietate. 10. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas
et principes vestros, qui vident visiones, operiet. 11. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem
cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: et respondebit: Non possum, signatus est enim. 12. Et da-
bitur liber nescienti litteras, diceturque ei: Lege: et respondebit: Nescio litteras. 13. Et dixit Dominus: Eo quod
appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, et timuerunt me
mandato hominum et doctrinis: 14. Ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi
et stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus eius, et intellectus prudentium eius abscondetur. 15. Væ qui
profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt
nos, et quis novit nos? 16. Perversa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus
factori suo: Non fecisti me: et figmentum dicat fictori suo: Non intelligis. 17. Nonne adhuc in modico et in bre-
vi convertetur Libanus in charmel, et charmel in saltum reputabitur? 18. Et audient in die illa surdi verba libri,
et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. 19. Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homi-
nes in sancto Israel exultabunt: 20. Quoniam defecit qui prævalebat, consummatus est illusor, et succisi sunt
omnes qui vigilabant super iniquitatem: 21. Qui peccare faciebant homines in verbo, et arguentem in porta sup-
plantabant, et declinaverunt frustra a iusto. 22 Propter hoc hæc dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit
Abraham: Non modo confundetur Iacob, nec modo vultus eius erubescet: 23. Sed cum viderit filios suos, opera
manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, et sanctificabunt sanctum Iacob, et Deum Israel præ-
dicabunt: 24. Et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem.

Vers. 1 Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David.) *Ariel* hic significat Ierusalem, ut patet ex seq. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procop. Dicitur *Ariel*, id est, mons Dei, inquit R. David; sed tunc *Ariel* per *he* scribendum esset, dicendumque *hariel:* iam autem dicitur *Ariel* per *aleph. Ariel* ergo idem est, quod *leo Dei*, idque

Ierusalem vocatur Ariel, id est leo Dei, cur? 1.

primo, ob fortitudinem et principatum. Sicut enim leo bestiarum, ita Ierusalem urbium erat princeps, et intes eas arte et natura ita munita, ut Iebusæi eius arcem Sionem occupantes riserint Davidis copias eam oppugnantes, posuerintque in muris cæcos et claudos, quasi ab iis solis urbs defendi posset, 2. Reg. 5. Sic Iudas, cuius sedes erat in Ierusalem, vocatus est leo vel leæna a Iacob Patriarcha Genes. 49. vers. 9. et a Balaam Numer. 23. vers. 24. quo alludit hic Isaias: hinc vocatur *leo Dei,* quia quæ Dei sunt, magna sunt. Sic vocantur cedri et montes Dei, id est magni. Rursum *Dei*, quia erat populus Dei cultui addictus: unde

II. Secundo, Ierusalem dicitur *Ariel*, ob templum et altare in ea existens, quod Ezech. 43. 15. dicitur *Ariel,* quia in altari maxime relucet fortitudo, maiestas et cultus Dei: et quia *Ariel*, transposita littera *iod*, ut transpouit Ezechiel, significat maledictionis seu peccati arietem qui scilicet pro peccato in altari offerri solebat a rad. ארר *ararar*, id est maledixit, et אל *el*, id est, aries. Ita Arias. Addit Vilalpando tom. 2. pag. 298. in fine, communem esse Doctorum sententiam templum habuisse formam leonis; nam a fronte erat latum, et a tergo angustum instar

leonis, inquit Vatablus: hinc vocatur *Ariel*, id est, leo Dei: sicut Belgium suo situ leonem refert: unde vocatur Leo Belgicus. Belgium ergo vocari potest *Ariel*, eique ita iam vastato recte competunt ea, quæ hoc cap. Arieli prædicit Isaias. Simili schemate Apollonius, teste Strabone, Alabandam urbem vocabat *cistam scorpionibus plenam inversam;* hoc ænigmate significans Alabandæ cives pessimos. Ea enim civitas ita montibus supposita esse videtur, ut cistæ formam imitetur: ea quoque regio scorpiis abundabat.

III. Tertio, si pro *Ariel* uno puncto mutato legas אריאל *uriel*, id est, lux Dei, vel ignis Dei, notabit Prophetiam et Prophetas, item scientiam legis et Prophetarum, quæ erat in Scribis et Pharisæis, ac sacerdotibus Hierosolymæ: pontifex enim in pectore gestabat urim et tummim, id est, doctrinam et perfectionem, ut dixi Exodi 28. 30. Unde 4. Esdræ 5. vers. 20. Uriel est nomen Angeli revelantis arcana, sicut est Gabriel, Raphael, Michael. Unde Lexicon Syriacum: *Ariel*, inquit, *civitas dicta est a nomine fundatoris, qui dicebatur Ariel: et Ariel, id est, lux Dei, est Ierusalem.* Verum omnes interpretes legunt *Ariel*, id est leo Dei, non Uriel, id est lux Dei.

Sensus ergo est, q. d. Væ Ariel, id est Ierusalem, quam a Iebusæis occupatam expugnavit David, quæ olim ut leæna fortissima frendebat in gentes, illa nunc miserrime a Chaldæis vastabitur et postea a Romanis: sicut enim primo eam cepit David cæsis claudis et cæcis, quos Iebusæi loci munitioni præfidentes ad derisionem Davidis constituerant: ita secundo eamdem capiet Christus alter David, et Davidis filius ac hæres, atque per Titum et Romanos occidet cæcos Iudæos et claudos in semitis Dei, Christi irrisores. Ita S. Cyrillus. Hieronymus, Procopius.

Civitas, quam expugnavit David.) Aquila vertit, πολίχνη παρεμβλήσεως Δαυίδ, id est, *civitatula* (ut vertit S. Hieronymus) *castrametationis David;* Symmachus, *castrum David;* Theodotion, *circumvallatio David.*

Additus est annus ad annum: solemnitates evolutæ sunt.) Primo, sensus est, q. d. Post duos, id est paucos annos Hierosolymæ maiestas evertetur, tumque eius festa erunt evoluta et cessabunt: Ita Adamus et Forerius. Hic sensus genuinus est, sequitur enim: *Et circumvallabo Ariel, etc.*

Secundo, Dionys. q. d. *Additus est annus ad annum*, id est, evoluti sunt iam anni decreti a Deo excidio Hierosolymæ.

Tertio, S. Thomas, Haymo, Hugo et Sanchez putant hic significari calamitatis et vastationis Hierosolymæ durationem, q. d. Succedent anni annis, et tempora temporibus; neque tamen cessabit vastitas Hierosolymæ, neque longum solemnitatum eius silentium, q. d. Multis annis et festis in exsilio et sordibus hærebunt Iudæi.

Vers. 2. Et circumvallabo Ariel.) Scilicet Ierusalem, primo, per Chaldæos, ait S. Hieronym. Secundo, per Romanos, ait idem S. Hieronym. et Cyrill. Huc allusit Christus Lucæ 19. 43. prædicens obsidionem et cladem Hierosolymæ per Titum.

Calvini paralogismus. Insulse Calvinus ex excidio Arielis, id est Hierosolymæ, infert excidium Romanæ Ecclesiæ. Audi eum more suo vitulantem et subsannantem: *Hinc colligi potest quam ridiculi hodie sint Romanenses, qui cathedræ Petri Ecclesiam affigunt, ac si nusquam domicilium in toto orbe reperire possit Deus, quam in Romana Sede. Anne ulla huiusmodi promissio Romæ data est qualis Hierosolymæ? Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam,* Psal. 131. vers. 14. *Quod si data esset, nonne videmus quid de Hierosolyma pronuntiet Isaias? Deum scilicet expelli ubi doctrinæ locus non est, ubi cultus Dei corrumpitur? Quid igitur Roma, quæ nullum testimonium habet?* Insulse, inquam, aliud est enim Romæ, aliud Romana Ecclesia et cathedra Petri. Fatemur Romam, æque ac Ierusalem, everti posse ac sæpius eversam esse: negamus Romanam Ecclesiam et cathedram Petri everti posse. Firma enim et clara est Christi promissio Petro, eiusque Sedi et successoribus data: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* Matth. 16. v. 18. Ecclesia vetus et Iudaica audivit a Deo: *Hæc requies mea in sæculum sæculi,* quamdiu nimirum durabit Mosaica lex, et vetus hic rerum umbrarumque status. Nam Ieremiæ 13. v. 10. et alibi docet ac prædicit Deus eam abrogandam per Christum et Ecclesiam Christianam, uti demonstrat Apostolus Hebr. 7. v. 7. At vero nulla Scriptura docet Ecclesiam Christi abrogandam per aliam quæ ei successura sit: imo vero omnes asserunt eam fore perennem planeque perpetuam. Porro Ecclesia est monarchia Christi, qui sui loco in monarchia hac caput et vicarium suum constituit S. Petrum, eiusque successores. Ecclesia enim visibilis acephala et sine capite visibili esse ac regi nequit: perinde ac regnum sine rege, aut regis vicario esse et regi nequit. Ergo si æterna est Ecclesia Christi, æternus quoque est Pontifex Romanus, qui eius est caput et rector: æternus quoque Spiritus sanctus utriusque director, ne in fide et religione erret.

Et erit mihi quasi Ariel.) Aliter hic accipitur Ariel quam v. 1. Primo S. Hieron. putat hic agi de instauratione templi et urbis, prædicique quod ad pristinum splendorem non perveniet, unde non vocari *Ariel*, sed *quasi Ariel.* Verum hic non agitur de restauratione, sed de eversione urbis. I.

Secundo, alii *Ariel* accipiunt in dativo, q. d. Ariel, id est Ierusalem, erit, vel occurret mihi Deo, quasi si occurrat Arieli, id est leoni fortissimo, a quo laceretur: ego enim ero illi crudelis, ut leo, imo ut leæna, dum lactat catulos, uti dicitur Osee 5. 14. Unde Forerius: Comparat, ait, se Deus leoni, urbem prædæ, q. d. Tu quæ aliis eras leo et prædator, mihi nunc quasi leoni et prædatori tuo vicissim præda eris. II.

Tertio, alii, Ierusalem, inquiunt, *erit mihi quasi Ariel*, id est quasi leo: sicut enim leo circum se multa habet cadavera, ita Ierusalem plena erit civium cadaveribus. Rursus alii: *Erit mihi quasi Ariel.* q. d. Oppugnabo hanc civitatem, sicut leo ferox et noxius a pastoribus circumdari oppugnarique solet: tractabo eam non ut עריאל *ariel*, id est ut civitatem Dei, sed ut אריאל *ariel*, id est ut leonem Dei. III.

Quarto et melius, Chaldæus, Vatabl. Lyran. et Adamus *Ariel*, aiunt, hic vocatur altare, uti et Ezech. 43. q. d. Sicut altare circumdatur sanguine victimarum, et in eo quasi natat: ita ego Deus per Chaldæos quasi sacerdotes meos, hanc urbem, quasi altare sanguine impiorum civium cruentabo, et quasi consecrabo Deo, id est mihi meæque vindictæ (vide cap. 36.) ut sicut iuxta altare stratæ iacent iugulatæ pecudes, ita in Ierusalem strata iaceant incolarum cadavera. Sic ait Ierem. c. 12. 3. *Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis.* Et Isaias c. 34. 6. *Victima enim Domini in Bosra.* IV.

Quinto, valde apposite Arias Montanus explicat, q. d. Ierusalem, quæ olim erat Ariel, id est leo fortissimus, iam erit Ariel, id est maledictio fortis, aut aries maledictionis; ut scilicet pro peccato suo quasi aries Deo immoletur et occidatur. Unde Arabicus vertit: *Et erit* (fiat) *sicut terra Ariel.* Ludit eleganter in voce Ariel, sicut si dicas: *Ara ab hoste facta est hara.* Sic ludit Poeta in voce *sustulit*, cum ait: V.

Quis neget Æneæ magni de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Nero enim matrem sustulit, id est occidit: Æneas vero patrem Anchisem in humeros sustulit, ut eum ex excidio Troiæ educeret.

Sic lusit in voce *exstinguere* Argeus faciens iter per Selinuntem. Cum enim in monumento quodam hoc elegiacum carmen vidisset scriptum:

Hos exstinguentes, Mars, forte tyrannida, sævus
Pone Selinuntis mœnia, stravit humi.

Iure peristis, ait, *qui tyrannidem ardentem conati sitis exstinguere: contra oportuit illam sinere, donec tota deflagraret.* Arripuit iocum ex occasione verbi *exstinguere:*

exstinguitur enim quod opprimitur; et exstinguitur incendium, dum rebus omnibus combustis desinit.

Allegorice, Leo Castrius: Iudæi, ait, qui olim erant *Ariel*, id est leo Dei, iam erunt Ariel, id est leo contra Deum; quia Christum agnum Dei, imo Deum, Deique Filium occident et crucifigent. Unde de eo dicitur Psal. 22. v. 14. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens;* et v. 22. *Salva me ex ore leonis.*

Vers. 3. CIRCUMDABO QUASI SPHÆRAM IN CIRCUITU TUO.) Id est circumquaque, ait Vatablus, per Chaldæos instar sphæræ vel coronæ cingam et obsidebo te. Septuag. pro כדור *caddur*, id est *quasi sphæram*, legunt כדוד *caddavid*, mutatis punctis, et pro *resch* legendo ei affine *daleth*: unde vertunt, *et circumdabo sicut David super te*, q. d. Sicut David obsedit et expugnavit Sionem, ita ego te, o Ierusalem, o Sion, obsidebo et expugnabo.

Vers. 4. DE TERRA LOQUERIS, etc. ET ERIT QUASI PYTHONIS DE TERRA VOX TUA.) q. d. O Sion, o popule Iuda, qui antea attollebas cristas, et magno tonabas eloquio, æque ac supercilio, iam in vastitate petes cryptas et cavernas, atque ibi ab hoste inventa et vulnerata ad mortem, gemes de terra in quam corrues, eritque vox tua quasi pythonis, id est exilis et lugubris qualis est spirituum vel umbrarum, quas python, id est, necromanticus (python enim dicitur a πυνθανομαι, id est interrogo, quod animas mortuorum evocet et interroget secreta, quæ scire cupit) evocat ab inferis, et facit loqui sub terra, vel ex ventre hominis aut animalis (quæ proinde et ipsæ *pythones* vocantur) harum enim vox est gracilis, flebilis, hiulca, confusa, gemebunda: talis erit et vox tua, o Sion, sub terra morientis. Sic Ovidius lib. 5. Fastor. ait de umbra Remi:

Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui.

Et Virgilius de animabus, vel umbris principum Græcorum Æneæ in inferno occurrentium ait:

Pars tollere vocem
Exiguam, inceptus clamor frustratur hiantes.

Vers. 5 ET ERIT SICUT PULVIS TENUIS MULTITUDO VENTILANTIUM TE.) Hoc est, copiæ Chaldeorum ventilantium et exagitantium Iudæos erunt innumeræ, celerrimæ et violentissimæ instar pulveris, qui a turbine, et favillarum, qui incendio a vento excitantur. Ita S. Hieron. Secundo, et melius, q. d. Chaldæi, qui *contra te*, o Sion, *prævaluerunt*, teque ventilarunt, mox a tua clade Deo vindice conterentur et dissipabuntur, sicut pulvis et favillæ a vento dissipantur et evanescunt. Ita Adamus, Sanchez et alii. Digreditur hic Propheta, incipitque vaticinari contra Babylonios eversores Iudæorum, pergitque in eo usque ad v. 9.

Vers. 6. VISITABITUR IN TONITRUO ET IN COMMOTIONE TERRÆ.) Aliqui hæc referunt ad Ierusalem: unde Adamus putat esse catachresin, qua tantum significetur crudelissimum fore hoc eius excidium; aut, ut Vatablus et Castrius, quod proprie tonitrua, terræmotus, etc. in expugnatione Hierosolymæ contigerint, licet in Scriptura non narrentur. Sic enim Iosephus lib. 7. Belli cap. 12. narrat, ante obsidionem Titi, in Ierusalem visa esse in aere prælia et currus equorum, cometem gladiatum, vocem Angelorum dicentium: *Migremus hinc;* portæ templi gravissimæ commotionem et apertionem ultroneam. Verum, ut dixi, hæc usque ad v. 9. spectant Babylonios, non Iudæos, q. d. Babylonii instar pulveris et favillæ difflabuntur; quia Deus eos quasi tonitruis concutiet et exanimabit, terræ quoque horribili motu terrebit, turbine et procella vehementi convolvet, et desuper erumpente flamma consumet. Quando, et quomodo hæc facta sint, Scriptura non narrat. Quocirca secundo, certius et verius hæc accipiemus per catachresin, ut tantum significent acrem et gravem fore plagam Chaldæorum: hanc enim, qualiscumque ea sit, in Scriptura significat ignis, gladius, tonitru, terræmotus, turbo et procella; præsertim, quia hæc hominibus afflictis, pavidis et attonitis in mente et phantasia obversantur, ut undique omni plaga se feriri putent, iuxta can. 32.

Vers. 7. ET ERIT SICUT SOMNIUM.) q. d. Chaldæi victores Iudæorum non ditabuntur, nec diu lætabuntur: nam instar somnii evanescent tam ipsi quam eorum opes et spolia quæ a Iudæis retulerunt. Sic et Vespasianus eiusque filius Titus, qui Hierosolymam everterunt, cito perierunt, ut patet ex Dione et Svetonio. Ita S. Hieronym. Unde Ambros. libro de Ioseph. cap. 6. ex hoc loco docet, bona et delicias huius mundi, ut somnium nos pascere: quia postquam transierunt, æque famelicos nos relinquunt; sicut qui somniat se comedisse, post somnium inanem se reperit. Sic recte dixit Plato et Philo: *Spes mortalium sunt somnia vigilantium.* Sic dæmon magis et sagis sæpe illudit, et per eorum præstigias aliis, ut putent se mira videre, mire epulari, esse in conviviis omni deliciarum genere instructissimis: at, paulo post desinentibus præstigiis, quibus dæmon phantasiæ eorum illudit, omnia evanescunt, et ipsi se inanes ac famelicos reperiunt, videntque se vere non comedisse.

OBSTUPESCITE.) Redit ad Iudæorum vastitatem: ad Iudæos enim hæc pertinere docet Christus Matth. 15. vers. 8. ubi ex hoc Isaiæ loco Iudæos arguit dicens: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Assurgit hic zelosus Propheta ad tertium concionis tonum, q. d. O stupidi, fluctuantes, cæci, et non vino sed vesania ebrii illusores Iudæi, tum moderni, tum futuri tempore Christi: Deo nimirum iuste vos ob peccata hac cæcitate puniente. Vers. 9.

QUONIAM MISCUIT VOBIS DOMINUS SPIRITUM SOPORIS.) Vers. 10.
Pro *soporis* primo, Chaldæus vertit, *erroris;* secundo, Theodotion, εκστασιν, id est, *mentis excessum;* tertio, Aquila, καταφοραν, id est, *gravem somnum*. Hebræum enim תרדמה *tardema*, significat altissimum soporem, et quasi veternum, qui homini, oculorum et aurium usum omnemque sensum adimit, qualis fuit ille immissus Adæ, ita ut non senserit sibi costam detrahi, ex qua formata est Eva, Genes. 2. et sopor immissus Ionæ, cap. 1. vers. 5. et Abrahæ, Genes. 15. 12. Unde quarto, Septuag. vertunt, κατανυξιν: videntur enim ipsi κατανυξιν posuisse pro κατανυστασιν, id est, soporatione, ut vult Leo Castrius. Noster tamen interpres Rom. 11. vers. 8. vertit, *compunctionis*, non illius, quæ animum pungit, et ad pœnitentiam ducit, sed potius illius quæ mentem in malo transpungit et defigit. Vide ibi dicta. *Compunctionis* ergo, id est, pertinaciæ in malo defixæ. Unde sequitur: Spiritus soporis quis?

CLAUDET OCULOS VESTROS, PROPHETAS ET PRINCIPES VESTROS, QUI VIDENT VISIONES, OPERIET.) q. d. Deus excæcabit corda vestra, velabit et operiet vobis Isaiam, aliosque Prophetas, ne eos intelligatis. Ita S. Hieron. Cyrill. et Procop. Vide can. 27. *Operire* enim *Prophetas*, est ita occultare illorum sensa, ut, etiamsi eos audias aut legas, non intelligas, sed videaris tibi legere Hebræa aut peregrina, aut sicut in libro signato, ut sequitur. Quod subdit, *principes vestros*, per congeriem additum est, ut patet ex eo quod sequitur: *Qui vident visiones;* frequens enim erat apud Iudæos, ut duces et principes populi visiones et revelationes a Deo acciperent, essentque Prophetæ. Ita Adamus.

Secundo, Forer. putat esse appositionem, et per *oculos vestros* intelligi *Prophetas et principes vestros*. Sunt enim Prophetæ, inquit, oculi populi, per quos videt: sicut sol dicitur *oculus mundi, per quem videt omnia tellus.* Est ergo irati Dei signum, ut sæpe in Scriptura dicitur, Prophetas auferre, et facere ut populus doctore careat; neque minus id molestum esse hominibus deberet, quam corporis oculis privari. Sic pro *principes* hebr. est *capita vestra*, quia principes toti populo quasi capita prospiciunt, ipsumque moderantur. Dixit quoque *operiet*, persistens in metaphora capitis: qui enim obvolutum habent totum caput, nihil vident. Ergo pro peccatis populi, Prælati ac principes occæcantur, ne intelligant quæ toti corpori, id est, reip. providere oporteat. Qui ergo errores principum notant et illis obtrectant, consultius agerent, si peccata sua deflerent, ex quibus obtenebratio principum ortum sæpe habet. Hucusque Forerius, sic et Vatablus.

Tertio, alii accipiunt hæc de falsis prophetis: his enim Deus operit oculos, ut ex spiritu erroris et mendacii falsa prophetent.

Verum primus sensus est genuinus: loquitur enim de veris Prophetis, qui habebant operculum seu velamen, ut, cum legerentur a Iudæis, non intelligerentur: hoc est enim quod sequitur:

Vers. 11. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, q. d. Scripta et oracula Prophetarum erunt vobis tam obscura, abscondita et non intellecta, ac si essent verba libri obsignati, complicati et clausi, quem cum dederint iis qui scientiam legis profitentur, videlicet Scribis, Pharisæis et Rabbinis, dicentque Lege et interpretare nobis vaticinia huius libri et Prophetæ, respondebunt: Non possum; signatus est enim: si vero dederint eum nescienti litteras, id est, indocto et rudi populo ad legen-
Vers. 12. dum, respondebit: Nescio litteras.) q. d. Oracula hæc tam sapientibus, quam insipientibus, erunt abstrusa et incognita. Secundo, *signatus*, id est, scriptus per arcanas notas, characteres et signa, ita ut legi nequeat nisi ab B eo, qui arcanam notarum artem calleat, quomodo veteres notarii Romani per ciphras, aliaque signa scribebant omnia dicta Martyrum et tortorum. Ita Pineda lib. 5. de Rebus Salom. cap. 13. De hisce signis ait Martial. 14. epigram. 179.

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Vers. 13. Eo quod appropinquat. Causam hic dat excæcationis Iudæorum; quia scilicet Deum nominabant et honorabant oretenus, corde vero erant ab eo elongati et aversi; et timuerunt me mandato hominum et doctrinis.) Id est coluerunt (timere enim Deum, est Deum revereri et colere) me non iuxta id quod a me præceptum est, sed iuxta hominum et Scribarum suorum traditiones partim futiles, partim perversas, et meæ legi contrarias, ut cum filius docerent parentibus egenis dicere *corban*, Marc. 7. 11.

Nil ergo hic habent hæretici, quod opponant traditionibus Ecclesiæ; hæ enim sunt mandata, non hominum, C sed Christi, qui vel per se, vel per Apostolos, eorumque successores (de quibus ipse dixit: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit*) ea sanxit, et tradidit Ecclesiæ.

Nota, congrue et iuste illusores hos puniri: sicut enim ipsi labia sua tantum dabant Deo, cum ore laudando, cor vero dabant vanitati et mundo: ita Deus vicissim dabat eis litteras tantum, scilicet voces et corticem Scripturarum quasi litteram occidentem; medullam vero, animum scilicet, spiritum et sensum eorum eis adimebat, ut cum non gustarent. Ita apposite Sanchez.

Adverte: Septuaginta, quos sequitur Christus Matth. 15. vers. 9. addunt μάτην, id est, *gratis*, frustra, sine causa, quia hoc intelligitur, vel potius legitur in Hebræo. Licet enim iam legant: ותהי יראתם אותי מצות אנשים מלמדה *vattehi iratam oti mitsvat anascim melummada*, id est, *et erit timor eorum me præceptum hominum edoctum;* tamen verba hæc videntur absona sensuque carere, nisi τὸ *me*, exponas *erga me*, et eradunt τὸ μάτην, id est *sine causa*, cui argumenti Christi vis innititur. D Igitur cum Septuag. et Christo unica littera *iod* in vicinam *vau* protracta, sic aliis punctis legendum est: ותהו יראתים אתי מצות אנשים מלמדה *vetohu ieretim oti mitsvot anascim malmada*, id est, *et in vanum timuistis* (id est coluistis) *me præceptis hominum et doctrina.*

Vers. 14. Admirationem.) Chald. *percussionem.*

Peribit enim.) Sept. et ex iis S. Paulus vertunt: *Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo.* Hoc est miraculum, quod dixit: sapientia enim est sapientis; ergo quasi miraculum est separare et divellere sapientiam a sapiente; perinde ac si visionem ab oculo, albedinem a cycno, dulcorem a saccharo divelleres, maxime si hæc ad alia et adversa transferres, v. g. si dulcorem in absynthio, albedinem in corvo, visionem in lapide collocares, uti fecit hic Deus: nam sapientiam hanc a sapientibus Iudæis transtulit ad insipientes, cæcos et surdos Gentiles, ut dicitur v. 18. *Sapientiam*, intelligit Pha-A risaicam et Rabbinicam, q. d. Faciam ut Iudæorum magistri, qui præ cæteris videbantur sapere, fiant insipientes, et stolide desipiant, dum suas doctrinas et mandata hominum pro doctrina et lege Dei substituent. Paulus idipsum extendit ad sapientiam Gentilium, v. g. Stoicam, Platonicam vel Epicuream: hæc enim vana est: nec hominem bonum efficere, aut ad beatitudinem perducere potest: ista enim in Evangelio et Christo crucifixo posita est, ubi proinde tantum invenire est veram et Christianam, uti docet S. Paulus.

Væ qui profundi estis corde, ut a Domino absconDATIS consilium.) Hebr. *Væ qui profundatis*, vel, ut Vers. 15.
Vatabl. *in profundum vos abstruditis*, q. d. Væ qui adeo profunda et secreta initis consilia, ut putetis ad ea pervidenda non posse penetrare Dei oculos, sed ea ab illis abscondi.

Nota, *abscondatis*, id est, abscondi putetis, vel practice, vel etiam speculative: significatur enim actus non realis, quia hic est impossibilis, sed mentalis, iuxta can. 29.

Ecce quo sapientum et illusorum impietas et insipientia devenit, ut dicant: Non est Deus, non est iudex, non est vindex scelerum; ut ita libere in omnes veneres et scelera ruant. Sic Iob 22. v. 14. dicunt impii: *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, et circa cardines cæli perambulat;* et Ezech. cap. 9. v. 9. *Iniquitas domus Israel et Iuda magna est nimis valde, et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione: dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt.*

Quorum sunt in tenebris opera.) Qui lucem fugiunt, tenebras quærunt, ut pudenda faciant, quæ homines et Deum celent, id est celare se putant.

Quasi si lutum.) q. d. Isti impii et athei negantes Dei Vers. 16.
scientiam et providentiam, faciunt perinde ac si lutum cæcum diceret figulo: Tu non habes oculos, non habes scientiam et artem me formandi, et ex me faciendi vas figulinum: unde ait: *Non intelligis;* Chald. *Non intelligis me;* Septuag. *Non sapienter fecisti me.*

Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Vers. 17.
Libanus in charmel, et charmel in saltum reputabitur?) q. d. Post modicum et breve tempus charmel, id est Iudæa, a Chaldæis desolabitur, ut sit similis Libano monti inculto et deserto. Ita Sanchez.

Secundo, et genuine, q. d. Post breve tempus, puta post 700. annos (hi enim modicum quid sunt in oculo Prophetæ elevato coram Deo, respectu æternitatis, ait S. Hieronym. et respectu temporis quo duratura est lex Christi) *Libanus*, id est, steriles et incultæ Gentes colentur ab Apostolis, et fertiles fient bonorum operum per fidem et gratiam Christi: et e converso *charmel*, id est, ager ante fertilis, scilicet Iudæi, olim sanctis Patriarchis, Prophetis et aliis viris probis abundantes, fient steriles, et in saltum infrugiferum et incultum degenerabunt. Nota: Prophetat hic Isaias reprobationem Iudæorum et vocationem Gentium. Ita S. Hieron. Cyrill. Procop. Theodoret. et Castrius, qui et addunt, *charmel* significare Iudæam quia Carmelus mons est in Iudæa, isque fertilis, unde in Scriptura symbolum est fertilitatis, de quo Ierem. 2. 7. et quia *charmel* Hebr. componitur ex כר *car*, id est *agno, et* מול *mol*, id est, *circumcisus est;* unde significat sacrificia, et circumcisionem legemque veterem: *Libanus* vero significat Gentes. Primo, quia Libanus erat mons in Phœnicia, et habitabatur a Phœnicibus et Gentilibus. Secundo, quia, ut Libanus pinis, cedris aliisque thuriferis et odoriferis arboribus (unde *Libanus* dicitur לבנון *lebanon*, id est *thus*, ait Masius) ita Ecclesia odore virtutum, Libanus significat gentes, cur?
et sanctitate illustrium virorum floret. Tertio, *Libanus* hebr. deduci potest a לבן *laban*, id est albus, quod albo thure vel nive semper albescat; unde per prolepsin sive anticipationem, significat Gentes baptismo Christi dealbandas. Quarto לבנה *lebana* (unde Libanus) dicitur luna, quia candorem et lumen a sole accipit: ita Ecclesia lumen fidei accipit a Christo, qui est sol iustitiæ, inquit Leo Castrius. Sed hoc alienius videtur: quid enim lunæ cum Libano monte?

Tropol. *charmel*, id est homines montesque quæ antea per diligentem culturam erant bonorum fœcundæ, per acediam fiunt Libanus, id est steriles, nivosæ, algidæ. Rursum, si Libanum pro monte, charmel pro planitie capias, sic exponas, q. d. Sensus superbi humiliabuntur, humiles exaltabuntur, hoc est, fient aspera in vias planas. Rabbinicas interpretationes videre est apud Pagninum in voce כרמל *charmel*.

Vers. 18. ET AUDIENT IN DIE ILLA SURDI.) *Surdi*, et *cæci* hic vocantur Gentiles, ob ignorantiam et tenebras infidelitatis; sed hi per Christum audierunt, viderunt et intellexerunt verba libri, puta oracula sacræ Scripturæ et Prophetarum, quæ Iudæis fuerunt velata et incognita. Ita S. Hieron. Procopius, Cyrillus, Theodor. et passim alii. Hoc est quod ait Christus Ioann. 9. v. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.* Ecce hoc est miraculum, quod dixit v. 14. scilicet quod per Christum doctores facti sunt stupidi et rustici, atque piscatores et rustici facti sunt sapientes et doctores.

Vers. 19. ET ADDENT MITES IN DOMINO LÆTITIAM.) q. d. Gentiles mansuefacti per Christum, qui miti animo obedient Evangelio, illique se formandos et docendos committent, hi addent, id est augebunt, Ecclesiæ *lætitiam*: iidem *pauperes* tum censu, tum spiritu; tum qui antea inopes fuerant fidei et gratiæ, ac peccatis quasi ære alieno a diabolo oppressi: hi iam per Christum iis liberati *exultabunt in sancto Israel*, id est in Deo, qui veros Israelitas sanctificat, et ab iis colitur. Ita Christus ait. *Confiteor tibi Pater, Domine, cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

Vers. 20. QUONIAM DEFECIT QUI PRÆVALEBAT.) Id est, quia princeps huius mundi, scilicet diabolus, qui superbissime eis illudebat, deiectus est. Secundo, et proprie, q. d. Quia Iudæi qui erant administri diaboli, ac gentibus in religione et scientia usque ad Christum prævalebant, quique erant illusores Prophetarum, dicentes: *Manda remanda, etc.* defecerunt, ET SUCCISI SUNT a Tito. QUI VI-

Vers. 21. GILABANT SUPER INIQUITATEM, id est, qui toti erant intenti ad malum, ut summo mane non aliud cogitarent, quam quomodo die et nocte explerent suas cupiditates: QUI PECCARE FACIEBANT HOMINES IN VERBO, quo scilicet docebant alios doctrinas et mandata hominum, non Dei; quoque homines a pietate et cultu Dei avertebant, per suas adulationes, mala consilia, minas et subsannationes; ET ARGUENTEM IN PORTA SUPPLANTABANT, id est Prophetas, qui eorum scelera in portis, id est, publice etiam coram iudicibus (iudicia enim fiebant in portis urbium) et principibus arguebant, irridebant, vexabant struendo eis calumnias, et falsas accusationes, quibus eos ad damnationem et mortem adigebant. Sic enim occiderunt Amos, Ieremiam, Isaiam, Zachariam et alios: ET DECLINAVERUNT

A FRUSTRA, temere sine causa, A IUSTO, id est, ab æquitate et iustitia, vel potius *a iusto* adiective (hoc enim significat Hebr. צדיק *tsaddic*) id est, ne audirent iustos, scilicet Prophetas iuste eos arguentes, et maxime Christum, qui est iustus iustorum, inquit S. Hieronymus.

QUI REDEMIT ABRAHAM, qui Abraham liberavit et eduxit de Ur Chaldæorum. Vers. 22.

NON MODO CONFUNDETUR.) Primo, Cyrillus et S. Thom. exponunt, q. d. *Non modo confundetur*, id est, pœnitentiam aget Israel pro peccatis suis, et pro Christo occiso, sed in fine mundi, cum plenitudo Gentium in Ecclesiam intraverit: tunc enim agnoscens sua scelera confundetur et pœnitebit.

Secundo, Procopius, Adamus et Pintus hæc accipiunt de Gentibus, q. d. Iacob, id est, Iacobæi, sive Iudæi confundentur non modo, id est non tempore Isaiæ, sed tempore Christi, *cum* videbunt *filios suos*, id est, Aposto-
B los, ex sua prosapia prognatos sanctificare, id est, prædicare et celebrare nomen Domini eiusque Christi. Apostolos vocat opera manuum Dei, puta Christi, quia Christus eos ante rudes in Apostolos instruxerat, et formaverat, *Sanctus Iacob*, et *Deus Israel*, vocatur Christus, quia ortus est ex Iacob, et quia Iacob omnesque Iacobæi sancti a Christo suam sanctitatem acceperunt. Hic sensus est genuinus.

Tertio, Forerius exponit: *Non confundetur Iacob*, q. d. Gentium conversio Iacob et Iudæis non erit pudori, sed gloriæ; quia Gentes per fidem in Abrahami, Iacobi et posterorum familiam aggregatæ, eamdem augebunt tum numero, tum gloria.

ET SCIENT ERRANTES SPIRITU.) Id est, mente, animo, Vers. 24.
intellectu. Lyran. Forer. Adam. et alii hæc accipiunt de Gentilibus: hi enim errabant in cultu et natura deorum: hi etiam vocantur *mussitatores*, id est murmuratores et
C irrisores iudaismi et Iudæorum, quos magnis conviciis afficiebant, ut patet ex Tacito, Martiali et Iuvenali sat. 14. ubi inter cætera ita Iudæos ridet:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes et cæli numen adorant.

Verum per Apostolos edocti acceperunt intellectum, id est, intellexerunt qua re Deus coli velit, quæ sit vera Dei religio et cultus; nimirum acceperunt fidem et legem Christi, qua cum Iudæis in unam religionem et Ecclesiam conspirarunt.

Secundo, S. Thomas, Cyrillus, Sanchez et alii aptius hæc accipiunt de Iudæis (de his enim agitur immediate ante) qui videntes per Apostolos tot Gentiles converti, conversi sunt et ipsi ad Christum: Iudæos enim toto hoc capite vocavit *errantes*, *mussitatores*, id est, murmuratores contra Deum et illusores Prophetarum: sed hi ab Apostolis edocti facti sunt intelligentes, laudatores et prædicatores Dei et Christi.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Est prophetia contra Iudæos, qui post 150. *annos, tempore Ieremiæ, occiso ab Ismaele Godolia, timentes Chaldæos qui eum Iudææ præfecerant, ne eius necem vindicarent, fugerunt in Ægyptum contra præceptum Dei, uti narrat Ieremias c.* 42. *et* 43. *Ita S. Hieron. et Cyrillus, Theodoret. Procop. et patet ex seqq. Lyranus et alii putant esse prophetiam contra Iudæos, qui sub Sennacherib vastante Iudæam, opem ab Æpyptiis petendam censebant: et sunt in hoc cap. quæ huic sententiæ favent, quæ recenset Sanchez tum hic, tum num.* 40. *Verum verius est, hæc spectare tempora Ieremiæ et Chaldæorum, uti dixi: unde v.* 8. *iubet ea scribi in buxo, quasi diu post futura. Secundo, v.* 9. *arguit eos, qui a Prophetis cupiunt audire placentia, licet falsa et perversa. Tertio, v.* 19. *sub typo sanctitatis et felicitatis regni Ezechiæ, describit sanctum et felix regnum Christi. Quarto, v.* 26. *transit ad diem iudicii, aitque quod tum sol et luna septuplo clarius lucebunt. Denique, v.* 30. *docet impiis præparatam esse Topheth et gehennam ignis.*

1. VÆ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me: et ordiremini telam, et non per
spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum: 2. Qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum,
et os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbra

*

Ægypti. 3. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam 4. Erant enim in Tani principes tui, et nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt. 5. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit: non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium. 6. Onus iumentorum austri. In terra tribulationis et angustiæ leæna, et leo ex eis, vipera et regulus volans, portantes super humeros iumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit. 7. Ægyptus enim frustra et vane auxiliabitur: ideo clamavi super hoc: Superbia tantum est, quiesce. 8. Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usque in æternum: 9. Populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. 10. Qui dicunt videntibus: Nolite videre: et aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. 11. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel. 12. Propterea hæc dicit sanctus Israel: Pro eo quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumnia et in tumultu, et innixi estis super eo: 13. Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio eius. 14. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida; et non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. 15. Quia hæc dicit Dominus Deus sanctus Israel: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis: in silentio et in spe erit fortitudo vestra. Et noluistis: 16. Et dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et super veloces ascendemus: ideo velociores erunt, qui persequentur vos. 17. Mille homines a facie terroris unius: et a facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis, et quasi signum super collem. 18. Propterea expectat Dominus ut misereatur vestri: et ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus iudicii Dominus: beati omnes qui expectant eum. 19. Populus enim Sion habitabit in Ierusalem: plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi 20. Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem: et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum: et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. 21. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea: et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. 22. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. Egredere, dices ei: 23. Et dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra: et panis frugum terræ erit uberrimus, et pinguis; pascetur in possessione tua in die illo agnus spatiose: 24. Et tauri tui, et pulli asinorum, qui operantur terram, commistum migma comedent sicut in area ventilatum est. 25. Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum cum ceciderint turres. 26. Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ eius sanaverit. 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, et gravis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, et lingua eius quasi ignis devorans. 28. Spiritus eius velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, et frenum erroris, quod erat in maxillis populorum. 29. Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis, et lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad fortem Israel. 30. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, et flamma ignis devorantis: allidet in turbine, et in lapide grandinis. 31. A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus. 32. Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis et citharis: et in bellis præcipuis expugnabit eos. 33. Præparata est enim ab heri Topheth, a rege præparata profunda, et dilatata. Nutrimenta eius, ignis et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

Vers. 1. VÆ, FILII DESERTORES.) Væ Iudæis, qui deserto et spreto Dei consilio, quod acceperunt per Ieremiam, ut non fugiant Chaldæos in Ægyptum, sed maneant in patria sua, secuti sunt suam voluntatem, fugeruntque in Ægyptum.

ET ORDIREMINI TELAM, ET NON PER SPIRITUM MEUM, id est, ut inchoaretis opus hoc fugæ, me non inspirante, sed reclamante, UT ADDERETIS PECCATUM.) Ut scilicet pristina peccata novo inobedientiæ, contemptus et superbiæ augeretis. In voce *telam* innuit eos hac fuga sibi texere rete et laqueum, cui ita implicandi et involvendi sint, ut se extricare nequeant.

Vers. 2. ET OS MEUM NON INTERROGASTIS.) Interrogaverant os et voluntatem Domini, ut patet Ierem. 42. sed eam sequi noluerant. Est ergo metalepsis: *non interrogastis*, id est interrogando non estis mihi obsecuti: quia perinde est consulta non facere, ac non adhibere consultationem. Sic non audire dicitur, qui non obedit; et nescire, quem scientia et cognitio in recte operando non dirigit. Ita Sanchez. Vide can. 55.

Vers. 3. IN UMBRA ÆGYPTI.) Septuag. *ut protegamini ab Ægyptiis*; est metaphora ab umbra arborum, quæ viatores ab æstu protegit.

ET ERIT VOBIS FORTITUDO PHARAONIS IN CONFUSIONEM.) Nam Nabuchodonosor persecutus est Iudæos in Ægyptum, ibique eos cum Ægyptiis cecidit, Ierem. 42. v. 15. et seqq.

Vers. 4 ERANT ENIM IN TANI PRINCIPES TUI.) *Tanis* erat regia Pharaonis, ubi Moses coram eo fecit sua portenta, Psal. 77. 43 Sic *Hanes*, ait S. Hier. erat ultima civitas Ægypti iuxta Æthiopas et Blemmyos. Significat Propheta Iudæos præmisisse nuntios, scilicet aliquos e principibus suis ad Pharaonem, qui ab eo peterent veniam, et locum Iudæis omnibus, Chaldæos fugientibus, in Ægypto commorandi.

Nota: Pro *nuntii tui* Septuag. vertunt: *Angeli mali frustra laborabant ad populum*. Quod S. Iustinus contra Tryphon. et Procop. accipiunt de dæmonibus, qui magis Pharaonis opem tulerunt, ut ederent miracula, quibus cum Mose contenderent. Verum hic non agitur de tempore Mosis, sed Ieremiæ.

CONFUSI SUNT.) Confundentur: sic et sequentia præterita per futurum sunt exponenda: sunt enim verba prophetica, ut patet ex præced. et seqq. Vers. 5.

ONUS IUMENTORUM AUSTRI.) Septuag. vertunt: *Visio quadrupedum in deserto*: hocque quasi titulum sequenti prophetiæ præfigunt. Porro non est hic nova prophetia, sed prosecutio prioris contra Iudæos, Deo invito fugientes in Ægyptum. Patet ex seq. præcedentia ergo huc usque fuerunt quasi præfatio, et narratio præambula ad sequentem prophetiam cuius hic ponitur titulus. Ita S. Hieron. Vers. 6.

Hos ergo Iudæos vocat *iumenta*, primo, quia stolide et brute deserto Deo, cuius toties, adeoque recenter nunc opem, nunc vindictam erant experti, ad Ægypti regem et idola confugerunt. Secundo, quia bonis suis, quæ ex- Iumenta Austri sunt Iudæi, cur?

cidio Iudææ extulerant, incedebant onusti, quasi iumenta. Dicuntur *Austri*, quia Iudæa ad Austrum, id est, ad Meridiem, est confinis deserto, quo itur in Ægyptum, et quia fugiebant in Ægyptum, quæ Iudææ est ad Austrum. Ita S. Hieron. et alii, q. d. ait Forerius. *Onus*, id est prophetia minax et dura in Iudæos, qui contra Dei voluntatem, quasi iumenta, bonis suis onerati versus Austrum, id est versus Ægyptum, proficiscuntur.

Mystice, S. Bern. de onere iumentorum Austri sermone 11 etsi minus apposite ad sensum litteralem: *Auster*, ait, *qui ventus est calidus, signat Spiritum sanctum, sicut habes in Cantico Canticorum: Surge, Aquilo; et veni, Auster, perfla hortum meum. Felix anima, quæ huius Austri iumentum est, quæ fræno moderationis huius regitur, quæ in omnibus eius subditur voluntati. Felix plane anima, cui Spiritus sanctus præsidet, et omnia opera eius dirigit, cogitationes eius disponit, motus ordinat, moresque componit. De talibus scriptum est: Ubicumque erat impetus spiritus, illuc gradiebantur cum ambularent. De quibus Propheta: Viam fecisti in mari equis tuis. Huius iumentum Austri Paulus erat, qui dicebat: Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Et videte quomodo iumentum Austri ubique regitur fræno præsidentis*, etc. Et mox: *Ille igitur qui iumentum est Austri, oneratur aliena infirmitate, oneratur aliena iniquitate, oneratur aliena necessitate et perversitate. Onus est esuries pauperis, oppressio inopis, miseria ægrotantis, tentatio proficientis, casus deficientis. Sed et vos, fratres, qui fugistis ab Aquilone de medio Babylonis, et iam habitatis in terra Austri, alter alterius onera portate, et sic iumentum Austri adimplebitis legem Christi*. Et superius: *Iumenta Austri sunt, ideo onerantur ab Austro*, puta a Spiritu sancto, cuius charitas diffusa est in cordibus nostris.

In terra tribulationis.) Scilicet fuerunt, vel transierunt, q. d. Transierunt iumenta Austri, id est Iudæi terram tribulationis, id est desertum, in quo magna est rerum inopia, fames et sitis: unde Deuter. 32. 10. vocatur locus horroris, et vastæ solitudinis; in quo rursum *leones ex eis*, scilicet terræ locis et antris, prodeunt, qui viatores invadant; pariter et *viperæ* et *reguli*, ut patet Deuter. 8. v. 15. transierunt, in quam, Iudæi *portantes super humeros iumentorum divitias suas*: sic enim hæc connectenda et explenda sunt. Ita Vatabl. Pagnin. Adamus et Sanchez, q. d. Videre mihi videor fugientes Iudæos per desertum, atque iumenta et camelos eorum portantes dorsis suis opes, quas ex excidio Hierosolymæ extulerunt.

Secundo, Procopius per leonem, viperam, regulum accipit dæmones et numina Ægyptiorum: hæc enim coluisse Ægyptios docet Herodotus in Euterpe, q. d. Miseri Iudæi, ut quid a Deo vero ad idola, imo ad bestias confugitis? v. g. ad Iovem Hammonium, quem colebant Ægyptii specie capri. *Hammon* enim Ægyptiis caprum significat teste Herodoto.

Tertio, S. Hieron. Haymo, Forerius, et favet Cyrillus, putant leonem, viperam, regulum hic vocari ipsos Iudæos, q. d. Iumenta hæc, puta Iudæi, qui sunt leoni, aspidi, regulo, feritate et venenata conscientia similes, in terra tribulationis, id est, in deserto, ibant, portantes suas divitias per camelos in Ægyptum.

D

Mystice, Origen. hom. 16. in Levit. et ex eo Cyrillus per leonem, aspidem et regulum accipit dæmones, qui divitias deceptionum suarum, id est, opes et voluptates, quibus homines decipiunt, collocant super dorsa camelorum et iumentorum, id est, super animas stolidas et perversas. Porro aspis est serpens maxime venenatus, qui tenui morsu sine sensu et dolore, suavi somno (unde et somniculosus appellatur) hominem morte resolvit: tales rursum sunt voluptates et peccata, quæ cum suavi titillatione animam necant. Unde monet Origen. et ex eo Castrius, ut quisque nostrum consideret, quantas opes aspidum ante portaverit, divitiasque bestiarum in animo suo, ut peccare desistat, ni aspidis morsus persentiscere velit.

Regulus volans.) Hebr. מעופף שרף *meopheph saraph*, id est volans serpens igoitus, sive prester, quales fuere illi immissi in Hebræos murmurantes Num. 21. 6. Vide dicta c. 14. 29.

Superbia tantum est, quiesce.) q. d. In Ægypto Vers. 7.
nihil est nisi superbia, id est, inanis opum et roboris ostentatio, ac *vanæ sine viribus iræ*: falleris ergo, o Iudæe, qui speras in Ægypto: quare noli eo fugere, sed quiesce et remane in solo patriæ tuæ.

Vatabl. et Rabbini ex Hebræo vertunt: *Robur eorum quiescere*, sive *mansio et quies*, q. d. Salus et fortitudo istorum fugitivorum sita est in eo, ut maneant in Iudæa, et non fugiant in Ægyptum.

Nunc ergo ingressus.) Scilicet in cubiculum. Præci- Vers. 8.
pitur hic, non Ieremiæ postea nascituro, ut volunt Hebræi, et Hugo; sed ipsi Isaiæ, ut populo hæc scribat super tabula, utpote post 150. annos futura, ut in die novissimo cum hæc evenerint, sciant esse prædicta, seque a Deo esse præmonitos, imo ut sit æternum quoddam testimonium, et divinæ erga eos curæ ac providentiæ, at-
B que ipsorum obstinatæ malitiæ et proterviæ contra tot monita et iussa Dei.

Super buxum.) Hebr. *super tabula* scriptoria, quæ olim fere fiebat ex buxo, cuius lignum est imputribile, inquit S. Hieron. ut diutius et clarius exponi possit Iudæorum oculis. Spectat enim remota Ieremiæ tempora, ut dixi. Sic ait Propert. l. 3. eleg. 3. *Vulgari buxo* (id est tabula) *sordida cera fuit*, et Prudent. lib. 9. in martyrio S. Cassiani a suis discipulis stylis et tabulis confixi:

Coniiciunt alii pugiles, inque ora tabellas
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis.

Cerata vocat, quia stylis scribebant in cera, qua obducta erat tabula buxea: erat ergo tabula hæc cerata.

Filii mendaces.) Filii perfidi, ideoque adulterini et Vers. 9.
degeneres a fide et pietate suorum patriarcharum.

Loquimini nobis placentia.) Quæ nostris cupidita- Vers. 10.
tibus faveant. Tales sunt hodie molles voluptuarii, qui non ferunt austeros concionatores et conciones de mor-
C te, iudicio, gehenna, æternitate. Atque hæc fuit causa hæreseos: populus enim quæsivit audire placentia de libertate carnis. Hæc ei ingessit Lutherus et Calvinus. Quid mirum, si tot post eos abierint? Arcesilaus philosophus, cum quæreretur cur quam plurimi ab Academia ad Epicurum desciscerent, valde pauci resilirent, peracute respondit: *Ex viris eunuchos gigni posse, ex eunuchis autem viros nequaquam*. Sic a sapientia in erroris puteum omnes facile præcipites feruntur, sed ab errore in viam veritatis redire paucorum est. Ita Laert. l. 4.

Ita Strato Physicus obiicientibus quod Menedemus plures haberet discipulos, quam ipse, ait: *Quid mirum si plures reperiuntur, qui lavari malint quam ungi?* lavantur enim delicati, unguntur qui se parant certamini: significans se non aures titillare, sed praxin vitia debellandi et virtutes exercendi docere.

Errores.) Scilicet blanda et grata auribus, oculis et palato nostro; hæc enim sæpe falsa et erronea sunt. Rursum, *errores*, id est falsa oracula de prospero fugæ nostræ in Ægyptum successu. Dicebant hi impii: Loquimini nobis oracula placentia, sed quia hæc erant erronea; hinc Propheta verum rei nomen substituens ait: *Loquimini, etc. errores.*

Auferte a me viam.) *A me*, id est a nobis; populus e- Vers. 11.
nim loquitur de se nunc in singulari, nunc in plurali. Per *viam* et semitam accipit vel tritos sermones, et crebro usurpatos a Prophetis de sancto Israel audiendo et colendo, vel potius vitæ modum et rationem, quam Prophetæ eis præscribebant.

Sanctus Israel.) Pro quo Septuaginta et Chaldæus vertunt: *Verbum sanctum Israel*, q. d. Quid toties, o Prophetæ, nobis ingeminatis? *Hæc dicit sanctus* (Deus) *Israel: Convertimini ad me in ieiunio, fletu, planctu, etc.* Tædet hæc audire, cessent hæ ingratæ et amaræ voces, cesset hæc lugubris concio. Est mimesis: est enim vox pervicacium Iudæorum ut patet.

Sperastis in calumnia et in tumultu.) Id est in Vers. 12.

opibus et luxu per fraudes, rapinas, et tumultus partis. Ita Vatablus. Secundo, Adamus et Sanchez, q. d. Sperastis in Ægyptiis, qui sunt calumniatores et tumultuosi. Tertio, et proprie, sperastis et innixi estis in calumnia et tumultu, quo scilicet tumultuose calumniati estis Ieremiam vetantem hanc fugam, quasi falsum Prophetam, ut eum opprimeretis, Ierem. 42. 2. Sic Geusii hoc sæculo in Belgio, Francia, Anglia res suas auxerunt per tumultus et calumnias; didicerunt enim piscari in aquis turbidis.

Vers. 13. PROPTEREA ERIT VOBIS INIQUITAS HÆC SICUT INTERRUPTIO CADENS.) q. d. Sicut murus interruptus et pronus in ruinam, subito tandem et repente cadit, gravique sua mole et casu opprimit eos, qui sub eo degebant: sic iniquitas hæc, id est fiducia hæc superba et vana, quam contra Dei iussum collocatis in Ægyptiis, vos opprimet. Rursum, ipsi Ægyptii cæsi a Chaldæis, quasi murus corruens, suo casu vos sub eorum præsidio latitantes obruent et obterent: sicut turris Siloe labens obtrivit octodecim viros Luc. 13. v. 4. Comparat Iudæorum contritionem, id est vastationem, primo, ruinæ muri, secundo, contritioni laguneulæ, quæ ita obteritur, ut nullum fragmentum supersit.

ET REQUISITA IN MURO EXCELSO.) Pro *requisita* hebr. est נבעה *nibe*, quod Arias, Vatablus et Forerius vertunt, tumens, inflata, prominens extra perpendiculum, quia pars est a muro avulsa et procumbens in ruinam. Verum radix בעה *baa*, significat eruere, elicere aliquid ex persona, aut re quod latebat; hoc autem in persona, est interrogare et requirere. Ergo Noster recte vertit *requisita*. Iam primo, Arias *requisita* exponit *exquisita;* secundo, alii *requisita*, id est quam quærit hostis ad perrumpendum; tertio, Hugo *requisita*, id est resarcita; quarto, Emmanuel Sa *requisita*, scilicet, a Iudæis, qui sub hoc Ægyptiorum muro interrupto salvari sperabant et optabant; quinto, alii *requisita*, id est visitata a fabris, quasi suspecta et periculosa, ideoque indigens inquisitione, visitatione et examine; sexto Sanchez, *requisita*, inquit, id est absens et deficiens; sic enim requiri, aut desiderari dicimus in acie eos, qui ceciderunt: sic etiam, requisita pars muri, est pars illa, quæ ubi cecidit non invenitur in muro, aut cuius firmitas requisita est, id est non inventa: septimo et aptissime, Adamus, *requisita*, id est ingens subita et improvisa, cuius proinde post lapsum causa, quæ non apparet, per admirationem inquiritur. Sic de subito et tristi casu Saul et Ionatæ inquirit David: *Quomodo ceciderunt fortes?* 2. Reg. 1. et Isaias c. 24. de casu Balthasaris: *Quomodo cecidisti Lucifer?* et Ieremias de casu Ierusalem: *Quomodo sedet sola civitas?* Thren. c. 1. v. 1.

Requisita septupliciter.

Vers. 15 SI REVERTAMINI ET QUIESCATIS, SALVI ERITIS.) q. d. Molimini fugam, et initis viam, ut pergatis in Ægyptum: si ab hoc molimine et via redeatis domum, ibique quiescatis, salvi eritis ab incursu Chaldæorum. Agi enim hic de fuga in Ægyptum, patet ex antecedentibus et sequentibus. Secundo, si ab inobedientia vestra, qua contra Domini voluntatem vultis pergere in Ægyptum, omnique alio scelere, per veram contritionem redeatis ad Deum, ac proponatis deinceps quiescere ab omni peccato, salvi eritis, id est iustificabimini, vobisque Dei gratiam et amicitiam in hac vita, ac gloriam eius in futura conciliabitis. Unde Septuag. vertunt: *Si conversus ingemueris, tunc salvaberis* (ex quibus verbis desumpta videtur illa sententia vulgo iactata: *In quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit.*) Unde ex hoc loco recte inferunt S. Leo, Chrysost. August. Hieron. et alii quos citat et sequitur Franc. Suarez tract. de Pœnitentia, quæst. 8. art. 1. disput. 4. sect. 2. contritionem veram abolere peccata, semperque coniunctam esse cum infusione gratiæ iustificantis; quia veritas conditionalis postulat, ut posito antecedente, infallibiliter ponatur consequens, nimirum, ut posita conversione, ponatur salus inchoata, id est iustitia: convertitur autem homo cum primum contritionis actum elicit.

IN SILENTIO ET IN SPE.) Hoc est, si sileatis et quiescatis in terra vestra, et speretis in Deo, nec laboriose in Ægyptum curratis, fortes eritis et salvi a Chaldæis: alludit ad Exod. 14. v. 13. et 14.

Moraliter, disce hic quam utilis et fortis sit spes, quies et silentium, si videlicet ad humana præsidia anxie non respectemus, sed in Deo fidamus, et silenter quiescamus. Vis nosse fructus silentii linguæ, æque ac mentis? Accipe:

Morale, de quiete et silentio.

Primus est, quod evitet et compescat tam peccata linguæ, quam mentis tumultus. S. Laurentius Iustinianus l. de Discipl. c. 15. enumeratis vitiis linguæ: *Omnia*, ait, *sola taciturnitatis censura vitantur;* idque antea docuit S. Aug. in Ps. 88. *Contra hæc* (vitia linguæ) ait, *optimum remedium est silentium.* Auctor regulæ monachorum apud S. Hieron. *Maledicam*, ait, *linguam indictum silentium emendat.*

Fructus eius. I.

Secundus est, quod mentem doceat sapere; linguam, prudenter et pie loqui. Unde S. Laurentius Iustinianus, loco iam citato, ait, *taciturnitatem esse bene loquendi principium.* Richardus victor. in illud Cantic. 4. *Sicut vitta coccinea, labia tua*, docet vitta quæ constringit ac ligat, linguæ custodiam ac disciplinam significari: coccineo colore charitatem. Silentium enim docet sponsam Christi pia, et quæ charitatis sunt loqui. S. Gregorius hom. 2. in Ezech. *Ille*, ait, *loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit.* Atque hac de causa in monasteriis tanta est cura silentii. Audi de Claravallensi sub S. Bernardo quid scribat auctor Vitæ eius, l. 1 cap. 7. *Media die mediæ noctis silentium a supervenientibus inveniebatur, præter laborum sonitus, vel si fratres laudibus Dei occuparentur. Porro silentii ipsius ordo et fama tantam etiam apud sæculares homines supervenientes sui faciebat reverentiam, ut et ipsi, non dicam prava vel otiosa, sed aliquid etiam quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur.* II.

Tertius est, quod, ut ait quidam Sanctorum: *Silentium sit mater sapientissimarum cogitationum*, faciatque hominem cælestem et divinum. Audi B. Petrum Damiani ad Agnetem Imperatricem epist. 130. *Dum strepitus*, inquit, *humani cessat alloquii, construitur in te per silentium templum Spiritus sancti. Hinc est quod de Israelitici templi constructione sacra testatur Historia, quia malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo Domini, cum ædificaretur. Templum quippe Dei per silentium crescit; quia, cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificii structura consurgit; tantoque succrescens in altiora sustollitur, quanto per silentii custodiam circumclusa sese extrinsecus fundere prohibetur; custos enim iustitiæ silentium, et per Ieremiam dicitur: Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini.* III.

Exempla silentii illustria sunt. E Christianis S. Thomas Aquinas a silentio dictus est Bos mutus, et silendo ac meditando omnem suam scientiam hausit. S. Romualdus iam senex per septennium inclusus iugiter siluit. Theodosius in Prato spirituali c. 67. annos 35. egit in solitudine semper silentium servans. De Monachis B. Dominici Loricati Petrus Damiani in eius Vita sic ait: *Tenebant autem per totam hebdomadam districta censura silentium; quod die Dominica post vesperam solventes habebant loquendi invicem usque ad completionis officium libertatem.*

Exempla.

Radulphus Tacens monachus Affligemiensis iuxta Bruxellas, sexdecim annos tacuit: ortum fuit incendium, cumque restingui non posset, silentium solvit Radulphus, dixitque: *Stes, ignis, hac hora, flamma, penitus conquiescas.* Mira res! protinus paruit ignis et exstinctus est. Ita refert Thom. Catiprat. l. 2. Apum c. 14. §. 4.

S. Ioannes Silentiarius ex Episcopo Monachus totos 47. annos usque ad annum ætatis 104. siluit.

S. Arsenius audivit ab angelo: *Si vis esse salvus, fuge, tace, quiesce.* Idem fratri se invisenti post salutationem nihil amplius locutus est, sed sibi assidue dicebat: *Arseni, cur egressus es?* Et: *Locutum fuisse sæpe pœnituit, siluisse numquam.*

Thalassius apud Theodor. in Relig. histor. c. 22. cum linguam sciret esse lubricam, longissimo tempore nihil lo-

cutus est. Eadem de causa gestavit Agatho lapidem in ore per triennium, teste Palladio in Lausiaca c. 50.

Theonas 30. annos siluit, ut patet in Vitis Patrum in Theona. S. Gregor Nazianz. tota Quadragesima silebat: causam dat Orat. de silentio. Quadragesimal. *Piorum virorum*, inquit, *præscriptis obtemperans labia mea quasi pessulo quodam obdidi: cuius facti mei si causam quæris; idcirco a sermone prorsus abstinui, ut sermonibus meis moderari discam.*

S. Arnulphus Svessionens. Episcopus annos tres et menses sex tacuit perpetuo, ut habet eius Vita c. 8. apud Surium Augusti 15.

Severus Sulpitius in senectute sua a Pelagianis deceptus, et agnoscens loquacitatis culpam silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret, ait Gennad. in Viris illustribus in Severo.

Pambo Abbas audiens illud Psal. 38. *Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: Sat est*, ait, *reliqua audiam, cum istud complevero.* Post multum temporis rediens, rogatus cur tam diu tardasset, respondit: *Nondum id quod didici perfeceram.* Ita Tripar. l. 8. c. 1. Quare silentio id assecutus est ut moriens dixerit: *In hanc horam non me pœnitet alicuius verbi, quod dixerim: et sic ad Deum recedo, quasi qui nec pius nec religiosus esse cœperim.* Testis est Palladius in Lausiaca c. 10.

Bestiarum silentium. Quin et bestiæ stato tempore servant silentium: aves mane cantant, per diem silent; cicadæ mane, lusciniæ meridie tacent: non taceat Religiosus horis a regula definitis? Anseres e Cilicia volantes turmatim, Taurum montem transituri, metu aquilarum illic degentium, quas infestas sentiunt, ore lapidem capiunt grandem, osque obturant ne strepant tantisper dum periculum prætervehantur. Testis est Plutarch. l. de Solertia animal. Apes, dum volant, strepunt, sed in alveari silent et laborant. Hirundines nidificantes in oppido Alviano, et magnis garritibus perstrepentes concionem S. Francisci impediebant. Is imperat eis silentium: silent donec verbum Dei compleatur, ait S. Bonaventura.

Refert S. Ambros. lib. 3. ad Virgin. cum plurima ranarum murmura religiosæ plebis auribus obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse ut conticerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi; tunc subito circumfusos strepitus quievisse: *Silent igitur paludes*, ait S. Ambr. *homines non silebunt?*

Inter Ethnicos illustris fuit Pythagoras, qui suis discipulis per quinquennium silentium indixit, ut sermonis moderationem, recteque loqui silendo condiscerent, ait Nazianzenus.

Philostratus l. 1. c. 11. scribit Apollonium Thyanæum, eo quod tacere nequiret, sibi quinquennale Pythagoræ silentium indixisse, idque adeo pertinaciter observasse, ut Imperatori interroganti non voce, sed scripto responderit.

Stobæus ser. 126. 128. 129. testatur Xenocratem singulis negotiis diei partes assignasse, silentio quoque suam partem dedisse: Æschinem Socraticum dixisse, se a Socrate non solum loqui, sed etiam silere didicisse: Harpocratem philosophum, qui omnibus rebus silentium anteponebat, tamquam Deum a Græcis cultum fuisse in effigie viri labia comprimentis.

Denique, sapientissimus Salomon ait Eccle. 3. 7. *Tempus tacendi, et tempus loquendi.* Pythagoras, et post eum Nazianz. docuerunt tunc esse loquendum, cum melior est sermo silentio; tacendum, si secus esset. S. Hieron. in locum citatum. Eccles. 3. *Discamus*, inquit, *prius non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus: sileamus certo tempore, ut ad præceptoris eloquia pendeamus; nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, ut post multum silentium de discipulis efficiamur magistri.*

Media silentii. I. Medium et praxis ut quis discat silere, est, primum, claudere aures, et coercere curiositatem audiendi et cognoscendi nova. Unde Ioan. Abbas in Prato spirit. cap. 187. *Qui*, inquit, *continere vult linguam, obstruat aures, ne multa audiat;* et Seneca epist. 105. *Est quædam*, ait, *dulcedo sermonis, qui irrepit et blanditur, et non aliter quam ebrietas, aut amor secreta producit; nemo quod audierit tacebit.*

Secundum, per aliquod tempus cohibere se plane a loquendo, ideoque secedere in cubiculum, et cavere garrulorum contubernia. Unde S. Basilius in Brevior. resp. 208. *Necessarium*, ait, *est perpetuum silentium, quousque per illud et a vitio petulantiæ in dicendo sanentur, et in otio discere potuerint, quid, quando et quomodo loqui oporteat.* B. Petrus Damiani epist. 114. *Assuescat*, ait, *lingua sub taciturnitatis se cohibere censura, et tacendo discat, quod loquendo postmodum graviter proferat; ne, si nunc districtum negligit custodire silentium, loquendi postmodum nequeat frænare pruritum.* Hinc notant Nyssenus et Olympiodorus in Eccle. 3. prius dici: *Tempus tacendi*, deinde *tempus loquendi: quia illud præcedere, hoc sequi debet: nam per silentium tempore tacendi perdisci a nobis, quod postea per sermonem tempore loquendi proferatur;* et B. Ennodius l. 8. epist. 3. loquens de philosophia nihil dicendi, tradit, *Veteres ut loquerentur melius, in præsentia nihil locutos, et illam silentii curam nutricem fuisse sermonis.* II.

Tertium, cogitare et sibi persuadere, quantum sit robur, decus et fructus silentii. Thalassius hecat. 1. num. 66. *Silentium*, inquit, *et preces maxima virtutum arma sunt*, et, ut ait B. Antiochus hom. 103. *Silentium mater est virtutum;* S. Bernard. ser. 2. de Mutat. aquæ: *Silentium*, inquit, *est custos religionis, et in quo est fortitudo nostra;* alii: *Silentium*, inquiunt, *est religionis decus, et præcipua mentis custodia.* Hinc B. Petrus Damiani epist. 59. ad Desider. ait silentii violatorem similem esse crocodilo oscitanti, cui tunc hostis hydrus (Plinius ichneumoni has tribuit insidias) fauces ingreditur, et alvum erodit; item ostreo incaute se ad solem aperienti, cui primum insidiator cancer calculum iniicit ne claudatur, deinde eius viscera depascitur: tum concludit: *Qui* (Religiosus) *nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur; perit autem, cum ad loquendum immoderatius aperitur.* III.

Hinc S. P. N. Ignatius tria dabat signa, ex quibus quis perspiceret, an in monasterio aliquo vel Collegio esset bona disciplina: primo, si bene servaretur porta et clausura; secundo, si omnia loca nitida essent et composita; tertio, si bene servaretur silentium; non essent fabulæ, strepitus, clamores. E contrario loquacitatis incommoda sunt plurima. Vide de iis priscorum sententias, quas recensui Levit. 15. 22.

Vers. 16. AD EQUOS Ægyptiorum FUGIEMUS.) Abundat enim equis et equitatu Ægyptus, ut patet 3. Reg. 10. 28. cum Iudæi in bellis vix uterentur equitatu, uti ostendi Deuter. 17. 16.

IDEO FUGIETIS.) Ludit per antiphrasin in voce *fugio*, q. d. *Dixisti, Fugiemus*, id est confugiemus ad equitatum Ægypti; ideo fugietis quasi victi et profligati, ante faciem Chaldæorum vastantium Ægyptum.

ET SUPER VELOCES equos Ægyptiorum ASCENDEMUS: IDEO, me vindice, VELOCIORES ERUNT Chaldæi, QUI PERSEQUENTUR VOS.) Simili modo lusit in voce *fugiendi cervorum* et *servorum* Servius Tullus rex Roman. qui natus ex serva ædem Dianæ dicavit in Aventino, eo quod in eius tutela sint cervi, a quorum celeritate fugitivos vocent servos. Quocirca servorum diem festum in hac æde celebrandum sanxit Idibus Augusti, eo quod illo die ipse ex serva natus esset. Ita docet Barthol. Marlianus l. 5. Antiquæ Romæ c. 2. Vide hic, ut rebelles et superbos in suis verbis comprehendat, rideat et subsannet Deus. Ita Daphidas maledicus in omnes, ut nec ipsis diis parceret, Delphos profectus oraculum derisit, deridendi causa rogans: Num equum reperturus esset; cumque responsum fuisset celeriter esse reperturum; passim iactavit equum nec se habuisse, nec amisisse. In reditu autem ab Attalo rege Pergami comprehensus, et e rupe cui Equi nomen fuit præcipitatus, interitu suo et pœna impietatis veritatem oraculi comprobavit, inquit Suidas in Daphida.

Vers. 17. MILLE HOMINES A FACIE TERRORIS UNIUS, supple, *fugient;* hoc enim quod sequitur per zeugma repetendum: ET A FACIE TERRORIS QUINQUE FUGIETIS.) Scilicet multi, ut habent Sept. vel omnes simul, q. d. Unus Chaldæus mille vestrum terrebit et fugabit, et quinque Chaldæi totum vestrum gregem fugabunt. Ita S. Hieron. Pro *mille homines* hebr. est אלף אחד *eleph echad*, id est *mille unum*, sive *chilias una*. Ita Septuag. Chaldæus et Noster. Aliter vertit Vatablus: *Mille velut a facie increpationis unius fugient.* Aliter et Sanchez, q. d. *Mille homines a facie terroris unius, et*, id est imo, *a facie terroris* unius, *quinque* hominum *millia fugietis.*

DONEC RELINQUAMINI QUASI MALUS NAVIS IN VERTICE MONTIS.) q. d. Sicut, fracta navi, tabulis reliquisque omnibus armamentis fluitantibus et pereuntibus, nautæ solum malum in montem tollunt et erigunt, aut aliud signum in colle extollunt, ut navigantibus sit indicio locum esse periculosum ob syrtes, scopulos, arenas, etc. ita vos pauci ex hac clade superstites eritis quasi signum iræ Dei, ut calamitatis vestræ exemplo alii eamdem vitent et caveant. Ita S. Hieron. Comparatur excidium Ierusalem naufragio navis, ex quo malus, id est pauci evaserunt ut dispersi per orbem, Iudaicæ cladis essent indices et præcones.

Vers. 18. PROPTEREA EXSPECTAT DOMINUS UT MISEREATUR VESTRI.) q. d. Quia tanta futura est clades, propterea exspectat Deus, ut moniti hic ab Isaia pœnitentiam agatis, itaque misertus vestri Deus cladem hanc auferat.

ET IDEO EXALTABITUR, id est in altum tolletur quasi elongans se, suamque manum, et, ut Vatablus vertit: *Suspendet ictum*, PARCENS VOBIS.) Sic Osee c. 11. dicitur: *Ero eis quasi exaltans*, id est in altum tollens, et elongans *iugum super maxillas eorum;* alii ex adverso, *exaltabitur*, inquiunt, id est in altum tollet Deus manum, quasi minans validam plagam, ut vos terreat et compungat, itaque plagam evadatis; alii, *exaltabitur*, id est glorificabitur Deus per hanc suam clementiam, et pœnæ dilationem *parcens vobis;* maxime enim exaltatur Deus miserando et parcendo. Ita S. Hieron.

QUIA DEUS IUDICII DOMINUS.) Quia Deus non agitur furore, sed iusto iudicio et æquitate iudicat et vindicat; hinc differt pœnam eamque indulgentia temperat. Alii: *Quia Deus iudicii Dominus*, inquiunt, id est, quia Deus est fidelis et iustus, implens promissa sua: hinc exspectat Ierusalem, ut pœniteat, itaque ei parcat; promisit enim ei suam opem, favorem et salutem.

BEATI OMNES QUI EXSPECTANT EUM.) Est epiphonema præcedentium, q. d. Miseri et infelices estis et eritis, o Iudæi, sperantes in hominibus, confugientes ad Ægyptios: at beati, imo terque quaterque beati et felices sunt, qui sperant in Deo, qui eum eiusque opem exspectant.

Vers. 19. POPULUS ENIM SION HABITABIT IN IERUSALEM.) Probat quod dixit beatos esse, qui sperant in Deo, eumque exspectant, ex eo quod populus Sion, id est veri et fideles Iudæi, qui sperant in Deo, sub Ezechia tuti habitabunt in Ierusalem, non timentes minas et copias Sennacherib. Ita Forerius. Secundo, Procopius, S. Thomas, et Hugo, hæc referunt ad Iudæos Babylone in Ierusalem redeuntes sub Cyro. Tertio, et maxime, Propheta sub his symbolis intelligit, quod populus Sion, id est fidelis et Christianus, pacifice habitabit in Ierusalem, id est in Ecclesia sub Christo, qui erit eius præceptor et doctor, ut sequitur; ad Christum enim de more transit. Unde S. Hieron. Procop. Cyrillus, Theodor. et alii omnia quæ sequuntur ab hoc loco usque ad finem capitis litteraliter ad Christum Christique gratiam, redemptionem et salutem referunt; sed ita ut alludat Propheta, et quasi obiter perstringat eius typum, scilicet felicitatem redeuntium e Babylone sub Esdra, et Iesu filio Iosedec.

AD VOCEM CLAMORIS TUI STATIM UT AUDIERIT, RESPONDEBIT.) Ita Dominus clamantem et orantem Ezechiam in obsidione Sennacherib mox exaudivit, eumque liberavit cæso Sennacherib: ita et in Babylone captivos

A clamantes exaudivit, reducens eos in patriam: ita, imo multo magis audit fideles Christianos se invocantes.

ET DABIT VOBIS DOMINUS PANEM ARCTUM, ET AQUAM BREVEM.) Hebr. autem habet: *Dabit vobis* לחם צר ומים לחץ *lechem tsar umaim lachats*, id est *panem angoris* sive *tribulationis, et aquam angustiæ*, vel potius *oppressionis*, uti vertunt Sept. hic, et Noster, 3. Reg. ult. 27. Talis autem est si panis sit arctus, id est restrictus et modicus; et aqua brevis, id est pauca et exigua, ut esuriem et sitim explere nequeant, q. d. Patiemini quidem, o Iudæi, sub Sennacherib, æque ac in Babylone inopiam aliquam, famem, sitim, etc. verum Deus vobis aderit, vos proteget, dabitque doctores et præceptores, scilicet Esdram, Ieremiam, Danielem, Ezechielem, Aggæum, Zachariam, Malachiam, aliosque Prophetas, qui vobis semper præsentes erunt, imo a tergo monere opportune, importune non cessabunt, ut viam Domini recta ingrediamini, nec devietis ad idola; tumque pro arcto pane et aqua dabit vobis Deus rerum abundantiam, uti eum fecisse cum Iudæis Babylone redeuntibus, patet Zachar. 8. 10. et Aggæi 2. 17. tum Ezechiæ sub Sennacherib, patet 4. Reg. 19. 29. Ita S. Thomas, Procopius, Hugo, Lyranus. Vers. 20.

B

Hæc veriora sunt tempore Christi, qui est perpetuus fidelium per omnia sæcula doctor et præceptor, q. d. Deus dabit fidelibus doctorem Christum, inquit S. Hieron. et Spiritum sanctum atque Apostolos.

Secundo, S. Cyril. Procop. et S. Hieron. per panem arctum et aquam brevem accipiunt Evangelium, brevemque Evangelii doctrinam, quam cap. 10. 23. Septuag. vocarunt *verbum abbreviatum*, quod longis sinuosisque legis præceptis successit; hoc enim quasi panis animas pascit. Verum panis brevis non significat hic ultimate panem parvum, sed panem afflictionis, ut patet ex Hebræo: quamquam et Evangelium sit panis afflictionis, quia iubet nos mortificare carnem, ferre crucem, pati ardua pro C Christo.

Tertio, S. Cyrill. et Leo Castrius: Panis hic arctus, inquiunt, est Christus, qui de cælo descendit, et arctavit se ad corpus infantile, ad præsepium, et ad crucem; rursum dicitur arctus, quia cum labore et sudore invenitur. Hinc iterum panis arctus est Eucharistia, vel Christus in ea, qui cum pœnitentia et lacrymis sumendus est: sic aqua angustiæ vel est baptismus, qui oppressos a dæmone laxat et liberat; vel est sanguis Christi in Eucharistia, in qua angustias passionis eius recolimus, ut ad similes fortiter pro eo tolerandas animemur. Hic sensus allegorice commodus est. Panis arctus est Christus et Eucharistia.

Tropologice, panis arctus et aqua brevis, est paupertas, fames, sitis, omnisque angustia et tribulatio a Deo immissa, ut suos purget et probet: tumque solet ipse pariter dare doctores et præcones, qui tribulatos roborent, consolentur, doceant et perficiant. Tropol.

Anagogice, hæc refer ad finem mundi: tunc enim magna erit afflictio et penuria, tumque Deus dabit infidelibus doctores Eliam et Enoch. Ita Patres, quorum meminit S. Hieron. Anagog.

D

NON FACIET AVOLARE A TE ULTRA DOCTOREM.) Hebr. לא יכנף *lo ichaneph*, id est, *non avolabitur*, id est, *non avolabit* a te doctor tuus. Ita Vatablus.

ET AURES TUÆ AUDIENT VERBUM POST TERGUM MONENTIS.) Est periphrasis doctoris, sive magistri et pædagogi, qui discipulis semper adesse solet, eosque sequi, post tergum monere, etc. Secundo, moraliter Haymo: Deus, ait, peccatorem a se aversum, et ad bona caduca conversum, quasi a tergo sequitur, ut eum ad se alliciat et reflectat. Et S. Gregor. hom. 34. in Evangel. *Quasi terga*, inquit, *in præceptoris faciem vertimus, cum verba despicimus, cuius præcepta calcamus, et tamen nos vocare non cessat.* Vers. 21.

Ex adverso S. Hieron. tergum non peccatoris, sed Dei accipit; Deus enim offensus a peccatore abit, tergumque ei obvertit, sed ita, ut eum amans sæpe respiciat, seque reflectat ad eum, ut nutu, gestis, voce eum ab se revocet.

HÆC EST VIA, AMBULATE IN EA.) Hæc via est doctri-

na legis et Prophetarum, et maxime doctrina Christi Evangelica, in qua ambulamus, cum illi insistendo pergimus ad perfectionem et ad cælum. Ita S. Benedicti regula et institutio, quæ consilia Christi complectitur apparuit quasi via lucida: cum enim, ut refert S. Gregorius libr. 2. Dialog. cap. 37. S. Benedictus vita functus esset, eodem die duobus eius monachis visum est videre viam quamdam amplam et rectam palliis stratam, innumerisque luminibus coruscantem; et senem quemdam stantem, qui dicebat: *Hæc est via qua dilectus Domini Benedictus ascendit in cælum.*

Vers 22. ET CONTAMINABIS.) q. d. Sub Esdra, et magis sub Christo contaminabis, id est contaminata duces, abiicies, combures *sculptilia*, id est, idola tua, eorumque vestimenta pretiosa, habebisque ea pro rebus fœdissimis, quales sunt sordes menstruatæ.

EGREDERE.) q. d. Abi in malam crucem, *dices ei*, scilicet, sculptili et conflatili, id est idolo.

Vers 23. ET DABITUR PLUVIA.) Dedit Deus pluviam et fertilitatem Iudæis sub Esdra: sed meliorem gratiæ Spiritus Sancti pluviam dedit terræ, id est, animabus fidelium sub Christo, ut fructus bonorum operum edant. Ita S. Cyrill.

PASCETUR, etc. AGNUS SPATIOSE.) Hoc ad litteram factum est sub Ezechia et Esdra, symbolice sub Christo. Agni enim sunt mites et innocentes, qui Christum agnum sequuntur: tauri sunt Apostoli et Evangelistæ, qui agrum Ecclesiæ excolunt: pulli asinorum sunt filii Gentium, hi in Ecclesia spiritualibus cibis large pascuntur.

Vers 24. COMMIXTUM MIGMA COMEDENT SICUT IN AREA VENTILATUM EST.) Id est, purum sine paleis: hæ enim in area eventilatæ sunt: migma sive smigma græce idem est quod Heb. בליל *belil*, et Latinum *mistio*, a radice μίγνυμι, id est misceo. Iam mistio idem est quod pabulum: sicut mistum significat potum sive vinum Psal. 74. *Vini meri plenus misto.* Sicut enim in vino etiam mero multæ uvæ, multæ stillæ, multi liquores commiscentur: ita in pabulo iumentorum multa grana vel multæ stipulæ miscentur. Est ergo pabulum hoc mistio, sive mistum.

Pro *commistum* hebr. est חמץ *chamets*, id est, fermentatum, hoc est acore conditum; solent enim rustici pabulo iumentorum licet puro, in æstate cum flaccescit, aliquid addere (v. g. liba confecta ex folliculis seminum raparum, ex quibus tundendo elicuerunt oleum) quod illud acuat, et acore suo appetitum languentem provocet, uti facit fermentum in pane. Secundo dicitur *commistum*, quia licet sit eventilatum, et sine paleis, tamen eo commistum migma, id est, frumenti varii generis (ut viciæ, lentis, avenæ, hordei, etc.) commisti, miscella, sive farrago, ait S. Hier. hæc enim sua varietate grata est palato et nauseam tollit.

Symbolice primo, Christus fidelibus dat migma, id est, doctrinam ex utroque testamento; atque ex Mose, Prophetis et Apostolis commistam. Ita S. Hieronymus, Cyrillus. Procopius, et Leo Castrius.

Migma est Eucharistia cur? Secundo. Christus dat migma, id est, seipsum in Eucharistia, inquit Castrius. Hæc dicitur migma, primo, quia

1. commista est ex deitate, corpore, sanguine Christi, et ex speciebus panis et vini. Secundo, quia hæ species ex variis
2. granis fiunt et commiscentur. Tertio, quia Eucharistia
3. significat et efficit commistionem mirabilem: per eam enim realiter miscemur cum carne Christi, cum Deo, et tota SS. Trinitate. Unde S. Cyrill. dicit per eam nos Christo et Deo uniri, sicut cera liquefacta alteri commiscetur et unitur, ideoque per eam nos fieri concorporeos et consanguineos Christi, imo Christiferos. Rursum per eam
4. spiritualiter, scilicet unione charitatis, miscemur cum Angelis aliisque hominibus. Est enim hoc Angelorum et hominum migma, sive cibus utrisque communis. Vide S. Bern. serm. 3. in vigilia nativitatis Christi de triplici mistura, quæ facta est in incarnatione: hæc enim nobis gustanda proponitur in Eucharistia, scilicet, primo, Dei et hominis; secundo, virginis et matris; tertio, fidei et cordis humani. Apud quem serm. 2. de nativitate, vide et aliam triplicem misturam, primo, creationis; secundo, A redemptionis; tertio, glorificationis.

Notat Leo Castrius quosdam Hebræos Hebr. *belil*, id est migma, derivare a בלי *beli*, id est *non*, et לו *lo*, id est *sibi*, q. d. *pabulum non sibi*, id est, non suum, q. d. Fideles comedent migma Eucharistiæ, puta cibum non suum, sed Angelorum; *Panem* enim *Angelorum manducavit homo.* Verum hoc etymon subtilius est et alienius; constat enim *belil* derivari, non a *beli* et *lo*, sed a בלל *balal*, id est, miscere: unde *belil* est *mistio*, *migma*. Potius ergo Eucharistia dicitur *migma*, quod Christus, qui ante tantum Angelorum fuerat cibus, iam carni mistus, factus sit in ea etiam hominum esca, in eaque homines misceat cum Deo et Angelis, ut dixi.

SUPER OMNEM COLLEM ELEVATUM, RIVI CURRENTIUM AQUARUM.) q. d. Sub Ezechia æque ac sub Esdra erunt rivi aquæ, vel pluviæ, vel fontanæ exsilientis in montibus, qui ipsos etiam montes et colles fœcundabunt, q. d. Magna erit fertilitas ex aquarum copia *in die interfectionis multorum*, cum 185. millia Assyriorum cædentur ab B Angelo, cumque Babylonii cædentur a Cyro; *cum ceciderint turres*, tum murorum et palatiorum Babylonis, tum *turres*, id est principes, qui in populo eminebant sicut turres in domo. Ita S. Thom. Hugo, Forer. et Sanchez. Vers. 25.

Secundo, et verius, rivi, imo flumina, gratiæ per Christum ubique fluxerunt, vel occisis vel prostratis tyrannis, et fidei hostibus sub Constantino. Tunc ceciderunt turres, id est Gentiles Imperatores et principes, omnisque sapientia Gentium, licet altissima, deiecta fuit, totiusque orbis colla subdidit Christo. Ita S. Cyrill. Hieron. Haymo, Procopius, et Auctor quæst. novi et veteris Testamenti apud S. August. t. 4. quæst. 105.

Idem verius erit in fine mundi; tunc enim rivi gloriæ decurrent in electos, cum cædentur impii, et turres omnes, muri et urbes cadent, uti magis patebit v. seq.

ET ERIT LUX LUNÆ SICUT LUX SOLIS.) Primo, Vatabl. Sanchez, Hugo, Forer. et Rabbini sic exponunt: Vers. 26. Iudæis liberatis a Sennacherib, item Babylone redeuntiC bus sub Esdra, summa erit lux, id est lætitia: ita gaudebunt, ut luna et sol septuplo amplius quam ante eis splendere videantur, idque cum Deus sanaverit plagam ab Assyriis et Chaldæis illatam, atque restauraverit ea, quæ ab illis convulsa vel diruta sunt. Sic de Iudæis ab exitio Aman liberatis per Esther c. 11. 11. dicitur: *Lux et sol ortus est* eis; et c. 8. 16. *Iudæis autem nova lux oriri visa est.* Hic sensus frigidior est et tenuior: alludit tamen ad eum Propheta, ut dixi.

Secundo, S. Cyril. Procop. et Auctor citatus apud S. Aug. quæst. 105. exponunt, q. d. Post crucem resurget Christus, tumque ut sol intelligibilis septuplo, id est multo, et quasi immenso lumine præfulgebit Ecclesiæ; et luna, id est, Apostoli aliique prædicatores prælucebunt eidem, ac si soles essent. Hoc est quod ait Isaias c. 9. *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Sic tritum fuit apud Platonem, Aristotel. et alios hoc proverbium: *Nec Vesper, nec Lucifer ita admirabilis ut iustus.*

Sol in die iudicii septuplo erit clarior. Tertio, et optime Hieron. Haymo, Adamus, Lyran. et D Dionys. hæc referunt ad diem iudicii, et resurrectionem: eo enim avolat Propheta. Nam tunc cadent urbes et turres, tunc luna renovata et glorificata splendebit ut sol, et sol septuplo, id est longe solito, erit clarior, idque ad hoc ut sol et luna consequantur cursus et laboris sui præmia. Unde erit tunc cælum novum et terra nova. Ita S. Hier. Lyran. et Glossa, quæ tamen falso addit augendam esse lucem solis et lunæ, eo quod illa per peccatum fuerit imminuta, de quo §. proximo.

Porro hoc lumen sol et cæli accipient, non ex splendore corporum beatorum, ut vult Richard. in 4. dist. 48. art. 2. ad 5. sed immediate a Deo idque primo, ut ita in cælis Dei maiestas resplendeat; secundo, ad maius gaudium et gloriam Beatorum, utque inter locum et locatum, id est, inter cælum et corpora gloriosa Beatorum decens et congrua sit proportio; tertio, ut sol et luna sibi invicem opposita, divisim, sed clare et gloriose totum utrumque hemisphærium in omne ævum illuminent; nec enim

tunc solis, lunæ aut cælorum ullus amplius erit motus.

Mystice, auctor apud S. Aug. q. 105. In cælo, ait fulgebunt ut sol iusti, maxime qui relictis omnibus secuti sunt Christum. Hi enim utpote in iustitia et sanctitate illustres, recte soli et lunæ comparantur; quia in cælo cæteris septuplo clariores sunt futuri; similes enim erunt Christo Ioan. 3. 2. ut merito resurrectio eorum soli ac lunæ conferatur, cæterorum vero stellis, 1. Cor. 15. 41.

Sicut lux septem dierum.) Id est, sicut sol luxit primis septem mundi diebus, antequam peccaret Adam, Ita S. Hier. Haymo et Glossa: putant enim ipsi primis septem mundi diebus solem clarius quam iam habuisse lumen, sed illud ob peccatum Adæ fuisse imminutum. Verum obstat quod sol et luna creata sint quarto die mundi, Adam vero, sexto, quo et peccavit, uti communiter docent Patres; ergo ante eius peccatum sol non potuit septem, sed tribus tantum diebus lucere.

Secundo, ergo et genuine, q. d. Lux solis erit septuplo maior, unde Vatabl. vertit: *Erit tanta quanta est lux septem dierum.*

Sic Claudian. lib. de Raptu Proserpinæ consolantem et promittentem ei miram lucem Plutonem inducit:

Amissum ne crede diem, sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alii: lumenque videbis
Purius, Elysiumque magis mirabere solem,
Cultoresque pios.

In die qua alligaverit Dominus vulnus.) Quando scilicet Deus vulnus omnis corruptionis, miseriæ, tristitiæ, mortalitatis sanabit in nobis per quatuor dotes corporis gloriosi.

Vers. 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo.) Cyrill. S. Thom. Hugo, Forer. hæc referunt ad stragem Babyloniorum, q. d. Post longum spatium, puta post ducentos annos veniet Dominus eversurus Babylonem per Cyrum. Alii hæc referunt ad stragem Sennacherib et Assyriorum; sed illa non venit de longinquo; sub hoc enim tempus, scilicet circa annum 15. Ezechiæ contigit.

Secundo et genuine. S. Hieron. S. Thom. Hugo et Lyranus hæc referunt ad diem iudicii: de eo enim egit v. præced. et agit in seq. maxime v. 33. ubi loquitur de igne Topheth, id est gehennæ.

Sensus ergo est, q. d. *Ecce nomen*, id est maiestas, potentia, et vindicta irati Dei, quam ipse in die iudicii exercebit in reprobos, longo post tempore veniet. Unde sequitur: *Ardens furor eius, etc.*

Mystice, Sanchez: Vindicta, ait, Dei venit de longinquo: quia venit de peccatorum nostrorum duritie, quæ longe abest a Deo, cogitque eum prosilire ad vindictam, cum ex se et natura sua sit clementissimus, et a puniendo alienus ac remotus.

Ardens furor eius.) Est pulchra hypotyposis Dei irati: solent enim irati oculis scintillantibus, fumante naso, ex lingua et labiis flammis emicantibus, spirare furorem.

Vers. 28. Spiritus eius velut torrens inundans.) q. d. Halitus qui efflabatur ab ore indignabundo Dei, tam erat vehemens, ut solus prostraturus videretur omnes hostes; non aliter atque incitatus torrens, qui ad medium usque collum intumuit, homines prosternit, obruit et mergit. Ita Sanchez. Nota: *Torrens inundans* est proverbium significans maximam tum copiam, tum celeritatem, tum impetum, tum stragem et cladem. Hæc enim involvit *torrens*, præsertim *inundans*. Sic Seneca in Œdipo:

Aurea torrenti deducens flumina ripa:

Torrenti, hoc est exundante, per catachresin.

Ad perdendas gentes in nihilum.) Ut iam non sint in terra, sed in inferno; in terra ergo erunt nihil: in inferno cremabuntur et annihilabuntur quantum est ex vi ignis et combustionis; sed Deo eos conservante ad æterna tormenta, numquam erunt nihil vel annihilati.

Ex Hebræo verti potest cum R. David, Pagnin. et Vatablo, *ad cribrandas gentes cribro vanitatis*, id est, ventilatione inutili, id est, quia non purgantur grana, sed perduntur, et in ventum eiiciuntur omnia, quæ sunt in vanno.

Et frænum erroris, quod erat in maxillis populorum.) Primo, Forer. et Sanchez exponunt, q. d. Frænum et iugum quod Sennacherib et Chaldæi imposuerunt Iudæis, quo eos a patria extorres per varias regiones, multos etiam a patria religione ad Gentium deos (ut patet Ierem. 16. 13.) vagari et errare fecerunt, Deus perdet et conteret.

Secundo et genuine, q. d. Deus in die iudicii auferet et perdet potestatem dæmonis, qua ipse velut fræno regebat peccatores, eosque in omnem ducebat errorem et impietatem; consequenter auferet et frænum mundi et carnis, quo multi iam infrenantur. Huc pertinet expositio S. Greg. hom. 18. in Ezechiel. *Frænum*, ait, *erroris maxillas populorum constrinxerat, quando idolorum errore obligata gentilitas, Deo vero confessionis dare laudem nesciebat. Sed hoc ipsum erroris frænum iam nobis in canticum versum est, cum gaudendo psallimus atque cantamus: Omnes dii Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Bene autem dicitur: Sicut vox sanctificata solemnitatis; quia dum confessionis laudem Deo reddimus, in sanctificata solemnitate gaudemus.*

Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis.) Ita legendum, scilicet *nox*, uti legunt Rom. Hebræa, Chaldæa: non *vox*, uti legunt Plantin. et alia. Vers. 29.

Iam primo, dicit, *sicut nox*; quia, inquit Pintus, cum mane esset immolanda victima, Iudæi totam noctem præcedentem cum lætitia et canticis transigebant. Secundo et genuine, loquitur Propheta sanctis et electis, qui in cælo canent *canticum quasi nox* (id est *noctis*: est antiptosis Hebraica: Hebræi enim carent casibus; unde unum pro alio, imo pro omnibus usurpant) *sanctificatæ solemnitatis*, non Paschæ, sed transitus maris rubri, q. d. Canent Beati tale canticum, quale cecinerunt Hebræi, quando nocte transito mari rubro, et submerso Pharaone cecinerunt: *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est*, Exod. 15. 1. Hoc enim canticum Mosis cantaturos electos docet S. Ioan. Apoc. 15. Ita S. Hieronym.

Aliqui per *noctem*, accipiunt noctem nuptiarum, qua Hebræi inquiunt, ex deserto, id est ex hortis, cum tibiis et symphonia in montem, id est in Ierusalem, pergebant, q. d. Canticum Beatorum simile erit epithalamio sive hymenæo; sed nuptiæ nusquam vocantur, nec erant tum *sanctificata solemnitas.*

Sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini.) Solebant enim vota reddituri et sacrificaturi exsultantes cum citharis et tibiis ire ad templum, sive ad Deum, qui est fortis, imo fortitudo, Israel.

Et auditam faciet, q. d. Dominus notam faciet toti Vers. 30.
orbi potentiam vocis suæ, qua quasi tonitru impios in tartara præcipitabit, sanctos in cælum transcribet: in, etc. flamma ignis, tum conflagrationis mundi, tum gehennæ, allidet in turbine.) Id est quasi in turbine et grandine. Est catachresis, significans quod Deus terribili modo et horribili impetu reprobos perdet. Vide can. 36. Ita S. Hieron.

A voce enim Domini pavebit Assur.) *Assur*, id est, Vers. 31.
diabolus, ac quivis tyrannus et oppressor, Dei sententia ferietur et damnabitur. Ita S. Hieron. Alludit ad Assur, id est ad Sennacherib, quia Deo vindice fuit percussus.

Et erit transitus virgæ fundatus, id est, virga si- Vers. 32.
ve flagellum hoc Dei transiens per reprobos, eosque percutiens, erit fundata, id est fortis, firma, stabilis et perpetua in inferno: itaque in tympanis et citharis, id est, cum summo sanctorum iubilo et triumpho, et bellis præcipuis, id est, inclyto et glorioso pugnandi et hostes subiugandi modo scilicet solo nutu et imperio, quique celebrari solet cum tympanis et citharis, uti factum est Mosi Exod. 15. et David contra Goliath, expugnabit eos.) Mire enim gaudebunt Sancti de hostibus suis impiis victis, calcatis et æternæ damnationi addictis. Ita S. Hieronymus.

Secundo. Vatablus exponit, q. d Deus vincet Assyrios non armis, nec serio pugnans, sed tamquam ludens.

Tertio, Forerius, q. d. Assyrii et Sennacherib vincentur non armis, sed sacrificiis, quæ cum tympanis et ci-

tharis offerebantur; plus enim ad victoriam valent piorum preces, quam militum arma. Hebr. enim תנופה *tenupha*, quod Noster vertit *præcipuis*, significat elevationem et agitationem, indeque victimam, quæ in sacrificio Deo omnium creatori elevando et agitando eam ad quatuor plagas mundi in modum crucis, offerebatur.

Verum potius bellum *tenupha*, est bellum acre et illustre, quo victor hostem quaquaversum agitat uti leo taurum; aut quo quasi certus de victoria manuum elevatione ovat, exsultat, et quasi triumphum agit inter pugnandum. Recte ergo Noster vertit, *bellis præcipuis*; ac proinde primus sensus magis est genuinus; Septuag. *tenupha* vertunt commutationem; vertunt enim: *Ipsi cum tympanis et cithara pugnabunt contra eum ex commutatione.*

Vers 33. Topheth est infernus, cur? — PRÆPARATA EST ENIM AB HERI TOPHETH.) Chald. *gehenna*; Septuag. *vallis profunda*. Topheth enim fuit gehenna, id est vallis filiorum Ennom, iuxta Ierusalem, ubi Iudæi filios cremabant idolo Moloch, et ne eiulatu eorum moverentur, pulsabant תוף *toph*, id est tympana; inde locus dictus est Topheth, quasi tympanum, et a possessoribus dictus est Gehenna: unde ob similem crudelitatem et incendium, infernus dictus est Topheth et Gehenna.

Iam primo, S. Cyrill. S. Thom. Hugo, Forer. et Sanchez hæc referunt ad Assyrios et Chaldæos; putantque Sennacherib copias ab Angelo in Topheth esse cæsas, imo combustas, sicut in Topheth cremabantur infantes idolo Moloch. Rursum Chaldæis et *regi*, ut vertit Pagninus, scilicet Balthasari, *præparata* fuit a Deo sua *Topheth*, scilicet in Babylone, ubi insepultus in sterquilinium proiectus est, et computruit: sicut in Topheth erat sepultura Iudæorum, qui ibi putrescebant, ut docet Ieremias c. 19. 11. Septuag. plane aliter vertunt, nimirum, *tu enim ante dies decipieris.* Ita enim legunt Complut. licet Romani codices Caraffæ habeant, *tu enim ante dies exigeris;* facilis enim lapsus fuit ex απατηθησῃ, id est decipieris, in απαιτηθησῃ, id est exigeris. Causa huius diversitatis est quod Septuag. *Topheth*, vel, ut hebr. est *Tophte*, acceperint non ut nomen proprium, sed ut futurum verbi פתה *pata*, id est illexit, decepit.

Secundo et genuine, dat hic Propheta causam cur dixerit v. præced. transitum virgæ Dei in impios esse fundatum, id est perpetuum, quia scilicet præparavit eis ab heri, id est ab olim, ab initio mundi, Topheth, id est gehennam. De Topheth origine, etymo, etc. dicam Ierem. 7. 31.

Iudæi ex hoc loco putant *Topheth*, sive gehennam creatam esse a Deo secundo die mundi, quia ille dies tantum habuit *heri*, id est, unum diem priorem; verum *heri* omne tempus præteritum significat, uti ostendi Hebr. 13. 8. vide dicta Gen. 1. 4. ubi ostendi infernum statim, post lapsum angelorum primo mundi die esse conditum. *Heri* ergo significat primo, quod damnatis tormenta et incendia semper sint nova ac recentia, perinde ac si hesterna die inchoassent. Secundo, æternitatem eorumdem: quia in æternitate, utpote stabili et immobili, quodcumque sæculorum spatium perinde est atque dies hesterna: ideoque quovis æternitatis momento sic erit acer ignis ille gehennalis, ac si hodie arderet, et heri cœptus esset incendi, inquit Sanchez.

Sex conditiones gehennæ. — Nota hic sex conditiones gehennæ. Prima est quod sit *Topheth*, id est locus incendii et tympani quo pulsantur. Secundo, quod ab *heri*, id est, ab initio mundi impiis sit præparata. Tertia quod *profunda*, quia iuxta centrum terræ: unde Iob 10. 21. vocatur *terra tenebrosa et operta mortis caligine.* Vide ibi S. Gregor. Quarta, quod sit *dilatata*, tum quia ventrem habet amplum, ut capiat tot milliones hominum; tum quia os habet apertum et hians, ut damnatos absorbeat: hinc infernus comparatur feræ famenti, et præ fame hianti, et rictum oris dilatanti, ut cibum vel hominem devoret. Unde dicitur Habac. 2. *Dilatavit quasi infernus animam suam;* et Isaiæ 5. *Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.* Nimirum *inferus insatiabiliter cava guttura pandit.* Quocirca Hebr. infernus dicitur שאול *sceol*, id

A est postulans; quia ut dicitur Proverb. 30. 15. *Tria sunt insaturabilia, et quartum, quod numquam dicit sufficit: infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aqua: ignis vero numquam dicit: Sufficit.* Quinta inferni conditio sequitur cum ait:

NUTRIMENTA EIUS, IGNIS ET LIGNA MULTA.) Per *ligna* quæ commune sunt ignis fomentum, aliud quodlibet per catachresin intelligit; quale erit sulphur æternum et idem numero semper ardens, ut dixi Apocal. 19. Rursum ipsa corpora damnatorum: hæc enim vocantur ligna, Lucæ 23. v. 31. Eccles. 11. v. 3. Calvinus ignem, etc. metaphorice accipit pro punitione Dei. Negat enim damnatos in gehenna uri igne, adeoque asserit pœnam damnatorum non esse aliud quam quod apprehendant iugiter Deum sibi esse iratum: hac enim apprehensione eos torqueri et cruciari. Verum Scriptura et Christus damnatis verum ignem ubique comminatur: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*, ait ipse Matth. 25. 41. Idem docet Ecclesia, S. August. omnesque Patres. Vide hic, quam res fi-

B dei enervet Calvinus, quamque metum Dei et inferni hominibus eximat, dum eum facit imaginarium et phantasticum. Hæc est fraus diaboli, ut homines sine metu gehennæ impune peccent.

FLATUS DOMINI SICUT TORRENS SULPHURIS SUCCENDENS EAM.) Topheth, sive gehennam. Hæc est sexta gehennæ conditio. Sicut ergo de Beatis dicitur, Psal. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ*, qui scilicet iugiter in æternum Beatis vitam et gaudia eadem semper instillet: sic a Deo torrens sulphurei ignis erumpet, qui eodem semper ardore damnatos in æternum cruciet.

Porro, *flatus Domini* est spiritus procellosus divinitus ibi excitatus ad acuendum ignem, sicut ventus excitat incendium Ætnæ; vel est vis divina ignem iugiter conservans, qua ignis ille perpetuo absque consumptione ardebit. Hic flatus perinde gehennam succendet, ac si torrens ardentis sulphuris in eam infunderetur: quid magis hor-

C rendum animo concipi queat?

Infernus lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili; ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus; ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali, ait Hugo l. 4. de Anima. *Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors semper vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nescit. Mors perimit, et non exstinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit*, ait S. Gregorius l. 9. Moralium c. 39.

Moral. disce hic quanta sint gehennæ tormenta, quam æterni ignes: eos sæpe meditare, semper ob oculos pone, cum te illecebra ad peccatum sollicitat, cum venus, cum socii: pone digitum in igne, in candela ardente ad pauca momenta, ac dicito tibi: Si tantus est cruciatus candelæ urentis momento, quantus erit cruciatus ignis gehennæ urentis in æternum? *Ego pœnitere æternum tanti non emo*: ego modicum mel æterno felle, imo igne, non mer- — Moral de tormentis gehennæ.

D cor. S. Gregor. lib. 4. Dialog. refert Petrum eremitam defunctum, et protinus corpori restitutum narrasse, se inferni supplicia, et innumera loca flammarum vidisse, atque in eis quosdam potentes huius sæculi spectasse: qui cum iam ductus esset, ut in illa et ipse mergeretur, subito angelum corusci habitus apparuisse, qui eum in ignem mergi prohibebat, dicens: *Regredere, et qualiter tibi post hoc vivendum sit, cautissime attende.* Reviviscens tantis se ieiuniis vigiliisque constrinxit, ut eum inferni vidisse et pertimuisse tormenta, etiamsi taceret lingua conversatio loqueretur. Ibidem S. Gregor. narrat virum illustrem Stephanum defunctum, ductum ad inferni tormenta, vidisse multa, quæ prius audita non credidit: cumque sisteretur iudici, audivit: *Non hunc adduci, sed Stephanum ferrarium iussi.* Qui statim reductus in corpus est, et Stephanus ferrarius, qui iuxta eum habitabat, eadem hora defunctus est.

Pergit S. Greg. Miles, ait, quidam exanimis ad se re-

diens hæc se vidisse asserebat: *Pons erat, sub quo niger atque caliginosus, fœtoris intolerabilis nebulam exhalans fluvius decurrebat. Transacto autem ponte, amœna erant prata atque virentia, odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conventicula esse videbantur; tantusque in eodem loco odor suavitatis inerat, ut ipsa suavitatis fragrantia, illic deambulantes habitantesque satiaret: ibi mansiones erant diversorum, singulæ magnitudine lucis plenæ: ibi quædam miræ potentiæ ædificabatur domus, quæ aureis videbatur laterculis construi, sed cuius esset, non potuit agnosci. Erant vero super ripam prædicti fluminis nonnulla habitacula, sed alia exurgentis fœtoris nebula tegebat, alia autem exurgens fœtor e flumine minime tangebat. Hæc vero erat in prædicto ponte probatio: ut quisquis vellet per eum iniustorum transire, in tenebrosum fœtentemque fluvium laberetur; iusti vero, quibus culpa non obsisteret, securo per eum gressu ac libero ad loca amœna pervenirent.*

Quomodo Iosaphat a Barlaam conversus, ductus fuerit in paradisum et infernum, qualiaque et quanta ibi viderit, quibus tentationem libidinis gravissimam plane superavit, imo in ægritudinem et virium defectum incidit, narrat Damascen. in eius histor. c. 30.

Ioannes Climachus gradu 4. narrat se in visitatione monasteriorum fratrem quemdam qui culinæ curam habebat, reperisse singulari lacrymarum gratia præditum: quem rogans, unde eam adeptus esset, audivit ab eo *se num-*

A *quam arbitratum in culinæ ministeriis servire hominibus, sed in suis fratribus de Apostolis bene mereri: et ex ignis quem perpetuo cernebat conspectu, vasta ignis inferni incendia animo versasse: quæ consideratio uberes ex oculis lacrymas solebat elicere.* Ita et noster P. Franc. Borgia, meditatione inferni ad tantam sui mundique despicientiam pervenit, cumque febri æstuaret: *Hinc*, ait, *coniice, Francisce, quantæ sint inferorum flammæ.*

S. Gregor. 4. Dialog. 30. asserit virum quemdam sanctum et solitarium vidisse Theodoricum regem Gothorum, ea hora qua defunctus est, inter Ioannem Papam et Symmachum Patricium, quos iniuste occiderat, discinctum, discalceatum, et vinctis post terga manibus, in ollam Vulcaniam, quæ in Lipari insula est, iactari. Ad eamdem ollam Ebroini tyranni animam navi duci, audivit a nautis quidam ab Ebroino excæcatus, uti narrat Ado in Chronico ætate 6.

S. Maria Oigniacensis vidit matrem suam defunctam dicentem se esse damnatam ob bona iniusta quæ posséderat; Et quia, inquit, non volui advertere quid contra Deum in meo hospitio, et a meis subditis ageretur. Quod audiens Maria conformavit se mox Dei voluntati, ac benedixit iustum Dei iudicium, uti refert Cardin. de Vitriaco l. 3. Vitæ eius c. 11.

Memorare novissima tua, memorare gehennam, et in æternum non peccabis. O TOPHETH! o gehenna! quam acris! quam ampla! quam diuturna es!

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Decem tribubus væ et exitium intentat, quod ab Assyriis invasæ opem non Dei, sed Ægyptiorum implorarint. Ex adverso v. 4. duas tribus sub Sennacherib Deum solum invocantes commendat, promittitque quod Deus eas proteget, sicut leo escam suam, et sicut avis nidum suum rostro et unguibus defendit. Hic v. 6. hortatur decem tribus, ut cum duabus ad Deum redeant: quod si faciant, Deum protectorem experientur, uti expertæ sunt duæ, cum Deus pro iis pugnans cecidit castra Sennacherib.

1. VÆ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt: et super equitibus, quia prævalidi nimis: et non sunt confisi super sanctum Israel, et Dominum non requisierunt. 2. Ipse autem sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit: et consurget contra domum pessimorum, et contra auxilium operantium iniquitatem. 3. Ægyptus, homo, et non Deus: et equi eorum, caro, et non spiritus: Et Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator, et cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur. 4. Quia hæc dicit Dominus ad me: Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam, et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum ut prælietur super montem Sion, et super collem eius. 5. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Ierusalem, protegens et liberans, transiens et salvans. 6. Convertimini sicut in profundum recesseratis filii Israel. 7. In die enim illa abiiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum. 8. Et cadet Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum, et fugiet non a facie gladii: et iuvenes eius vectigales erunt: 9. Et fortitudo eius a terrore transibit, et pavebunt fugientes principes eius: dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, et caminus eius in Ierusalem.

Vers 1. VÆ QUI DESCENDUNT IN ÆGYPTUM.) Primo, Leo Castrius ad litteram per Ægyptum intelligit Romanos, hæcque omnia explicat de excidio Iudæorum per Titum. Verum hæc expositio coacta est, et multa alio detorquet.

Secundo, S. Hieron. Cyrill. et Haymo hæc referunt ad Iudæos, qui occiso Godolia, timentes Chaldæos fugerunt in Ægyptum.

Tertio, melius Adamus, Sanchez et alii hæc referunt ad Salmanasar et Sennacherib (ille enim est Assur, de quo v. 8.) tum enim multi Iudæi eum timentes fugerunt in Ægyptum. Itaque prior pars capitis spectat ad decem tribus, quæ quia non Dei, sed Ægypti opem implorarunt, hinc a Salmanasar eversæ, et in Assyriam sunt abductæ; posterior pars spectat ad duas tribus, quæ a Sennacherib vexatæ Dei opem flagitarunt, ideoque salvatæ sunt. Ita Adamus et Sanchez.

Vers 2. IPSE AUTEM SAPIENS ADDUXIT, adducet (est enim pro-

B phetia) MALUM.) *Sapientem* vocat Deum, quem opponit sapientiæ, quam sibi Ægyptii insipienter arrogabant, Isaiæ 19. 11.

ET VERBA SUA NON ABSTULIT.) Id est, non auferet, non revocabit, sed perficiet, id quod verbo suo minatus est. Est miosis vel liptote, q. d. Deus qui in consiliis suis sapientissimus est, tam Ægyptiis quam Samaritis in Ægyptum fugientibus adducet malum, id est, cladem per Sennacherib; neque enim minas in eos auferet, sed consurget acer ultor contra domum, id est, contra decem tribus, quæ spreto Deo ad vitulos aureos, et ad Ægyptios confugerunt.

ET CONTRA AUXILIUM OPERANTIUM INIQUITATEM.) Id est, contra Ægyptios, qui decem tribubus auxiliantur, suntque homines scelerati et operantes iniquitatem. Alii vertunt; *Contra auxilium opificum vanitatis.* Opifices autem, sive artifices vanitatis, vocari Iudæos, quod ina-

ni præsidio se adversus Dei manum vindicem munire cogitarent, scilicet illicito auxilio Ægyptiorum. Docemur hic in adversis et periculis nihil esse melius, quam abnegato proprio sensu, nos totos subiicere Deo: quia in tota cavendi sollicitudine, qua se macerant increduli, nihil est firmum: imo ira Dei fallacibus his carnis artificiis quasi data opera provocatur.

Vers. 3. ÆGYPTUS, HOMO, ET NON DEUS.) *Ægyptus*, id est Ægyptius, q. d. Ægyptii homines sunt fragiles et imbecilles; ut quid ergo ad eos confugitis, et non potius ad Deum immortalem et fortissimum, contra quem pugnare tantumdem est, ac si caro, id est homo, pugnet in spiritum, id est in ventum, aut potius in angelum vel dæmonem?

DOMINUS INCLINABIT MANUM SUAM.) Scilicet ad percutiendum tam Ægyptios, qui præbent, quam decem tribus, quæ ab eis exspectant auxilium.

Vers. 4 QUIA HÆC DICIT DOMINUS.) Probat a contrario exemplo male fecisse Samaritas, quod non ad Deum, sed ad Ægyptios confugerint: quia scilicet duæ tribus invocantes Deum tantum, ab hoste incolumes evaserunt.

QUOMODO SI RUGIAT LEO.) Hic transit ad Ezechiam, et duas tribus, quæ pressæ a Sennacherib non ad Ægyptios, sed ad Deum confugerunt: ideoque Deus, quasi leo fortissimus pugnans pro sua præda et esca, eas tutatus est.

Notat Procopius, leonem cum prædatur, primo rugitu suo percellere tam pecora quam custodes; deinde illos invadere et discerpere: sic Deum primo rugire, id est, minari per Prophetas; deinde homines obstinatos in suis peccatis contundere, lacerare et disperdere.

Vers. 5. SICUT AVES VOLANTES.) Deum protectorem Ezechiæ comparavit primo, leoni, ob fortitudinem, quia potest suos tutari. Secundo, hic comparat avi incubanti pullis, quæ vult omnibus modis eos ab accipitre et aucupe protegere, imo vitam suam pro pullis periculo obiicit. In leone ergo notatur robur, in avibus pietas, clementia et sedulitas: hæc ut velit, illud ut possit conservare eos, qui se Dei fidei et opi commiserunt.

Nota: Cap. 10. v. 14. Sennacherib minabatur Iudæis et Gentibus, se eos quasi nidos cum pullis perditurum: hic alludens et quasi respondens ei Dominus, promittit se Iudæos defensurum, sicut avis rostro et alis nidum et pullos defendit, dum eos in nido nutrit et sensim volatui assuefacit. Sic Christus Matth. 23. comparat se gallinæ pullos suos sub alis congreganti. Ita S. Hieron.

Hinc symbolice, Plato in Phædro, ait Castrius, viros sublimes et divinos asserit fieri volucres, et pennas progenerare, quibus quasi aves et aquilæ ad cælum avolent.

Vers. 6. CONVERTIMINI SICUT IN PROFUNDUM RECESSERATIS.) Hebraice efficacius, *sicut profundastis iniquitatem*, q. d. Sicut profunde a me declinastis, et descendistis ad idola et scelera vestra: ita nunc serio ex profundo imoque corde ad me redite. Alloquitur decem tribus, ut exemplo duarum ad Deum redeant; item nonnullos Iudæorum ex duabus tribubus, qui sub Achaz cum eo ad idola et scelera declinarant.

Vers. 7 IN DIE ENIM ILLA ABIICIET VIR IDOLA.) Hæc pendent et explenda sunt v. seq. q. d. Convertimini ad Deum, o decem tribus: sic enim eius opem experiemini, perinde ac mox experientur duæ tribus, cum abiectis omnibus idolis, quæ nonnulli eorum tempore Achaz fecerunt, unanimes toto corde me colent, meque invocabunt: tunc enim liberabo eos, ac cædam Assur, id est, Sennacherib eos oppugnantem.

Vers. 8. ET CADET ASSUR IN GLADIO NON VIRI.) Hinc patet hic agi non de Chaldæis, sed de Sennacherib: hic enim fuit Assur, qui cecidit *in gladio non viri*, sed Angeli, qui una nocte ex eius copiis cecidit 185. millia. Ita S. Hier. Vide hic, quod mundus non sit aliud quam perpetua ruina omnis generis et conditionis hominum.

ET IUVENES EIUS VECTIGALES ERUNT.) q. d. Assyrii, qui solebant aliis imperare vectigal, iam idem præstare cogentur tum Chaldæis, tum Persis et Medis, etc. Hebr. est: *et iuvenes eius in liquefactionem erunt*; id est, animis cadent et quasi liquescent. Ita Vatabl. Pagnin. *dissoluti erunt*. Sept. *vincentur*, iuvenes scilicet, antea fervidi, bellicosi et feroces. Noster optime vertit, *vectigales erunt*: Hebræi enim vectigal vocant מס *mas*, id est liquefactionem, a radice מסס *masas*, id est liquavit, eo quod vectigalia opes cuiusque liquefaciant, et sensim arrodant et consumant.

ET FORTITUDO EIUS A TERRORE TRANSIBIT.) q. d. Animus et robur Sennacherib ac Assyriorum transibit, evanescet et cadet a terrore Domini castra cædentis: omnes enim pavore concussi vel occidentur, vel quasi exanimati fugient. Vers. 9.

ET PAVEBUNT FUGIENTES.) Pro *fugientes*, hebr. est. מנס *minnes*, id est, a vexillo, inquit Vatabl. id est, a copiis Angelorum Assyrios invadentium: et forte Angeli habebant vexilla, quasi milites et acies Domini. Chaldæus vertit, *propter miraculum*, scilicet tantæ stragis: Noster legit מנס *minnos*, hoc est, a fugiendo, id est, in fuga, fugientes.

CUIUS IGNIS EST IN SION, ET CAMINUS EIUS IN IERUSALEM.) Mirum est Sept. vertere: *Beatus qui habet in Sion semen, et domesticos in Ierusalem*. Nam et Symmachus vertit, ut Noster interpres: *Habet ignem in Sion, et clibanum in Ierusalem*; et Aquila ac Theodotion: *Lumen ei in Sion, et clibanus in Ierusalem*. Sensus est, q. d. Deus pro Iudæis ita vastabit et concremabit Assyrios: quia in altari igne perpetuo sacrificiis ab eis colitur in Sion. Secundo, quia in templo habitat quasi civis, imo Dominus Ierusalem. Unde Sept. vertunt: *Beatus* (Deus) *qui habet in Sion semen, et domesticos in Ierusalem*. Quocirca ipse urbem hanc suam, imo regiam tutabitur, atque quasi ignis egrediens de templo et altari suo, insiliet in Assyrios hostes suos, eosque instar stipulæ et lignorum quasi vorax flamma consumet, inquit S. Hier. vide dicta c. 10. 17. Tertio, symbolice, Sanchez, q. d. Ideo Deus habebit ignem et fulmina, quæ eiaculetur in hostes populi sui; quia apud nos ignis in Dei cultum semper ardet: nos ergo exhibemus quasi arma Deo, quibus pro nobis contra hostes utatur, dum eum per victimas et preces nobis conciliamus, ac nostris hostibus infensum reddimus, iramque eius acuimus: sicut ex adverso nostris peccatis Dei furorem contra nos armamus, eum concitando, et thesaurizando nobis iram, ut ait Paulus Rom. 2. 5. Ignis Dei est in Sion.

Notent hoc Principes, Magistratus et cives, discantque ecclesias et monasteria non respuere, iisque non præponere domos civium, quasi hi urbem adaugeant: qui enim templa et altaria habent in suis vicis et plateis, Deum in eis habitantem vicinum et domesticum, imo præsidem et tutorem habent, qui quasi ignis eos defendet, *cuius ignis est in Sion, et caminus eius in Ierusalem*. Scimus quomodo Ægyptus in temporalibus æque ac spiritualibus floruerit, cum in ea habitarunt Antonii, Macarii, Pambones, etc. imo Oxyrinchum et aliæ urbes pene a monachis habitarentur, ut tanta essent monasteria, quantæ domus; tot, imo plures, monachi, quam cives. Viderunt idipsum etiam Gentiles, qui proinde in omnibus suis urbibus et cœtibus habuerunt templa, ut deos accolas, imo incolas et præsides haberent. Audi Plutarch. lib. adversus Colotem sub finem: *Si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum et theatrorum nescias: urbem templis diisque carentem, quæ precibus, iureiurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo umquam vidit. Sed facilius urbem sine solo condi posse puto, quam opinione de diis penitus sublata civitatem coire aut constare. Cæterum id, quod omnem continet societatem* (scilicet numinis religio, timor et cultus) *omnium legum fundamentum est*. Dixit Aristoteles Rhetor. ad Alexand. *Deos proniores esse in eos, qui maxime illos colunt*. Ausus gloriari Cicero orat. de Arusp. resp. Romanos, *non calliditate, aut robore, sed pietate ac religione omnes nationes superavisse*.

Prudenter ergo Mæcenas monuit Augustum apud Dionem Cassium l. 52. *Divinum illud numen omni modo, o-*

omni tempore, ipse cole iuxta leges patrias; et alii ut colant, effice. Nam, ut ait Diogenes apud Stobæum; *decet quod optimum est, ab optimo coli; et quod imperat, ab imperante.* Et Iustin. l. 8. *Iure ille a diis proximus habetur, per quem deorum maiestas vindicatur.* Cur Deus per ignem repræsentetur, et in igne apparuerit, dixi Exodi 24. 17. et Deut. 4. 15. et Hebr. 12. v. 29.

Mystice, hic *ignis* est charitas, qua in Ecclesia maxime colitur Deus. In hac enim, eiusque auctore Spiritu sancto residet et requiescit Deus in mystica Ierusalem et templo, hoc est in Ecclesia eiusque Sanctis. Unde S.Greg. hom. 21. in Ezech. *Ex amore,* ait, *Domini in Sion ignis, in Ierusalem caminus: quia hic amoris eius flammis aliquatenus ardemus, ubi de illo aliquid contemplamur: sed ibi plene ardebimus, ubi de illo plene videbimus quem amamus.* Per Sion enim accipit Ecclesiam militantem, per Ierusalem triumphantem: atque plus est esse caminum (in eo enim est vastior flamma) quam ignem. S. Hieron. per *ignem* accipit illustrationem et iudicium Dei, quo iustos illuminat, peccatores excæcat et consumit, de quo Daniel. 7. 9.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

In typo Ezechiæ optimi regis describit regnum Christi (ad hunc enim de more avolat) eiusque Rempubl. puta Ecclesiam, optime constitutam. Ita S. Thom. Hugo, Lyranus, Vatablus et Sanchez: Licet S. Hieron. Procop. Cyrill. et Adamus hæc ad litteram accipiant tantum de Christo, eo quod quædam, quæ hic dicuntur, nimis augusta sint, quam ut conveniant Ezechiæ: sed Propheta miscet typum cum antitypo, puta regnum Ezechiæ cum regno Christi; unde quædam habet quæ uni, quædam quæ alteri magis conveniunt, iuxta can. 4. et 5. Secundo, v. 9. prophetat et describit cladem Hierosolymæ per Romanos, ac Iudæorum desolationem tum temporalem, tum spiritualem: quos tamen v. 15. consolatur, quod eis et magis Gentibus mittet Spiritum sanctum, qui eis afferet iustitiam et pacem, et requietem opulentam

1. Ecce in iustitia regnabit rex, et principes in iudicio præerunt. 2. Et erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti, et umbra petræ prominentis in terra deserta. 3. Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt. 4. Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane. 5. Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps: neque fraudulentus appellabitur maior. 6. Stultus enim fatua loquetur, et cor eius faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter, et vacuam faciat animam esurientis, et potum sitienti auferat. 7. Fraudulenti vasa pessima sunt; ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendaci, cum loqueretur pauper iudicium. 8. Princeps vero ea, quæ digna sunt principe, cogitabit, et ipse super duces stabit. 9. Mulieres opulentæ surgite, et audite vocem meam: filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum. 10. Post dies enim et annum, vos conturbabimini confidentes: consummata est enim vindemia, collectio ultra non veniet. 11. Obstupescite opulentæ, conturbamini confidentes: exuite vos, et confundimini, accingite lumbos vestros. 12. Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. 13. Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent. quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis! 14. Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est, tenebræ et palpatio factæ sunt super speluncas usque in æternum. Gaudium onagrorum pascua gregum, 15. Donec effundatur super nos spiritus de excelso: et erit desertum in charmel, et charmel in saltum reputabitur. 16. Et habitabit in solitudine iudicium, et iustitia in charmel sedebit. 17. Et erit opus iustitiæ pax, et cultus iustitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum. 18. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. 19. Grando autem in descensione saltus, et humilitate humiliabitur civitas. 20. Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini.

Vers. 1. Ecce in iustitia regnabit rex.) Scilicet Ezechias, et eius antitypus Christus, cuius principes sunt Apostoli, cum ante Ezechiam regnarit impius avus Achaz, qui urbem et templum idolis polluit. Hæc reipsa facta sunt post cæsum Sennacherib, et post curationem Ezechiæ: tum enim tam rex quam populus in plena pace mire coluit pietatem et iustitiam. Pulchre Septuag. αρχοντες μετα κρισεως αρξουσι, *principes cum iudicio principabuntur*, hoc est, imperabunt. Nota: Iudicium necessarium est principi; cius defectu sæpe sub bonis principibus pessime habuit populus: sicut legimus de Nerva, sub quo omnia licebant, ut deterior sub ipso quam sub Nerone multorum conditio foret: quia dissoluta unius segnities multis improbis licentiæ causa erat.

Vers. 2. Et erit vir sicut, etc.) q. d. Quisque fidelium ita tutus erit sub Ezechia, et magis sub Christo, sicut sub tecto quis absconditur, et tutus est a vento; et sicut naviganles in portu se celant, et tutantur a tempestate: imo Ezechias et Christus erunt eis quasi rivus aquarum in siti, et quasi umbra in deserto cum ardet sol et æstus. Disce hic, principem populo esse debere, primo, quasi tectum, quod eum a vento et turbine adversitatum defendat; secundo, sicut portum, qui naves a tempestate excipit et secludit; tertio, sicut rivum sitienti; debet enim princeps fami et penuriæ publicæ providere; quarto, sicut umbram petræ in æstu, sub qua latet viator in deserto, immunis a solis radiis et ardore. Tyranni enim et nobiles sæpe populum affligunt, non minus quam turbo hominem, tempestas naves, sitis æstuantem, æstus viatorem: qui ergo rex esse cupit, non tyrannus, ab iis populum tutari debet. Vide dicta c. 4. 6. Idem docuerunt Gentiles. Arist. l. 8. Politic. c. 10. ita tyrannum a rege secernit: *Tyrannus,* ait, *suum ipsius commodum spectat et quærit, ut rex subditorum.* Seneca de Clement. *Scias* (o princeps) *civium non servitutem tibi traditam, sed tutelam; nec remp. tuam esse, sed te reip.* Cicero l. 5. de Republ. *Moderatori,* ait, *reip. beata civium vita proposita est, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.* Audi Claudian. ad Honorium:

Tu civem patremque geras; tu consule cunctis,
Non tibi: nec tua te moveant, sed publica damna.

Hinc infert Seneca Cons. ad Polyb. principem debere esse pervigilem: *Omnium,* inquit, *somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Iuco remissum aliquando animum habebit, solutum nunquam;*

additque hoc esse regis, hoc reip. fulcimentum: *Illius*, ait, *principis magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse quam pro se sciunt.* Hinc rursum Cyrus apud Xenophontem l. 8. Pædiæ censebat, *non convenire cuiquam imperium, nisi melior esset iis quibus imperaret.*

Vers. 3 NON CALIGABUNT OCULI VIDENTIUM.) *Videntes* vocat Prophetas, q. d. Sub Ezechia, et magis sub Christo, mutatis in melius moribus populi, Prophetæ clariores habebunt a Deo visiones et revelationes, ac populus ad eos audiendum magis erit capax et docilis. Opponit hoc dictis c. 29. 10. ubi dixit Deum ob peccata Iudæorum clausisse eis oculos, et operuisse Prophetas; et dictis c. 30. 9. ubi dixit eos nolle audire legem Dei. Ita factum videbimus in Isaia c. 40. et deinceps, ubi tam aperte de Christo aliisque vaticinatur, ut historiam te legere putes, non prophetiam.

Vers. 4 ET COR STULTORUM INTELLIGET SCIENTIAM.) Stulti fuerunt Iudæi sub Ezechia credentes pseudoprophetis; sed iis exclusis ab Ezechia, et veris introductis, ab eis intellexerunt scientiam veram de Deo rebusque agendis: tumque Deus balborum, id est, Isaiæ et Prophetarum, qui antea quasi erant balbi, id est, timide, hæsitanter, obscure et imperfecte prædicabant, linguam expediet, ut plane, expedite et velociter oracula Dei proponant populo. Sub Christo vero stulti fuerunt Gentiles, qui stulte idolis et vitiis suis serviebant: hi acceperunt scientiam Dei et salutis ab Apostolis, tumque lingua balborum plane locuta est, cum Apostoli antea rudes et inepti, recepto Spiritu sancto, acceperunt linguas igneas, quibus facundi et fervidi facti sunt ad prædicandum toto orbe Evangelium. Ita S. Hieron. Cyrill. et Procopius.

Vers. 5 NON VOCABITUR ULTRA IS, QUI INSIPIENS EST, PRINCEPS.) Non loquitur de Sennacherib superbo, ut vult S. Thom. sed potius, ut Hugo, de Manasse, Achaz, aliisque impiis regibus, qui fraudulenti fraudulentos constituerunt principes et magistratus populi, quibus iam successerat pius et sapiens rex Ezechias, qui impiis et insipientibus principibus et doctoribus explosis, sibi similes substituit. Rursum, antitype loquitur de tempore Christi, q. d. Sub Christo cæci, avari et fraudulenti Pharisæi et Scribæ non amplius habebuntur principes et doctores: sunt enim stulti, et docent fatuas traditiones, ut sequitur, sed principes et doctores erunt Apostoli, virique Apostolici Ita S. Hier. Cyrill. et Leo Castrius.

Nota hic, in rege et rectore maxime requiri sapientiam et prudentiam. Hæc enim uti est *oculus animæ*, teste Aristot. ita est et regni. Dixit Cicero l. 5. de Finib. *artem vivendi esse prudentiam, ut medicinam valetudinis.* Melius dixit alter, *artem regendi esse prudentiam;* nam, ut ait Menander, *Famulatur omne, quidquid est prudentiæ.* Et Sophocl. Antig. *Longe prudentia felicitatis primas tenet.* At contra imprudentia infelix, quæ *pleraque et se præcipitat*, ait Sallust. ad Cæsar. Ratio est, quia *Nullum animal morosius est, nullum maiori arte tractandum*, quam homo, ait Seneca l. 1. de Clement. *Prudentia ergo imperantis propria et unica est virtus*, ait Arist. 3. Polit. nam plura consiliis quam armis geruntur: *Mens una sapiens, plurium vincit manus*, inquit Euripid. et: *Multa quæ natura impedita sunt, consilio expediuntur*, ait Livius l. 40. Porro sapientiæ principum pars est non parva, sapientes habere et sequi consiliarios. Esto enim sit princeps sapientissimus: *Si de sua sententia omnia gerat, superbum hunc iudicabo magis quam sapientem*, inquit Livius l. 44. Ita Alexander habuit Callisthenem, Scipio Panætium et Polybium, Augustus Arium et Athenodorum, David Nathan, Ioas Ioiada, Cyrus Danielem, Artaxerxes Esdram et Nehemiam; tum ut ornamenta, tum ut adiumenta regni. Hoc Ulysses sapiens voluit apud Hom. Odyss. v. cum Minervam, id est prudentiam, sic affatur:

Atqui ego, si mihi sic assistas, cæsia diva,
Vel tercentum contra homines concurrere pugna
Ausim, te fretus comite, o Dea, et adiutrice.

Vers. 6. STULTUS ENIM FATUA LOQUETUR.) S. Thomas per *stultum* intelligit Sennacherib, cuius sermo ad Iudæos stultus fuit, blasphemus et fraudulentus, annonam et alia multa pollicendo Iudæis, ut eos ad deditionem flecteret, quæ non erat præstiturus, sed populum esurientem et sitientem relicturus.

Secundo, alii ad Achaz hæc referunt, qui stulte populum ad idola deduxit, itaque famis, penuriæ et aliorum malorum ei erat auctor. Unde Chald. vertit *Impii impietatem loquentur.*

Verum, ut dixi, hæc spectant tempora Ezechiæ et Christi, q. d. Insipientes et fraudulenti non erunt principes et doctores tempore Ezechiæ et Christi, uti fuerunt tempore Achaz, Manassis et aliorum impiorum regum: quia tunc patebit per veros Prophetas et Apostolos ipsos fatua loqui, facere iniquitatem, esse hypocritas, *loqui ad Dominum*, id est, de Domino (sic enim Hebræum *lamed*, id est *ad*, sæpe sumitur pro מן *min*, id est *de*, ut patet Heb. 1. 7. et c. 4. 13.) *fraudulenter;* quia scilicet labiis eum honorant, cor autem eorum longe est ab eo: tumque patebit eos sua vana doctrina non satiasse animas esurientes et sitientes veritatem. Id clarum est de Pharisæis tempore Christi, idque tum in rebus temporalibus; cum enim patri indigenti iubebant filios dicere *corban*, quid aliud nisi patrem esurire et sitire cogebant? tum in spiritualibus: verum enim et spiritualem Dei cultum ad inanes lotiones et ineptas cæremonias traducebant. Idem clarum est in oraculis Gentilium, quæ tunc obmutuerunt; et in doctrinis Philosophorum: hi enim omnes quasi stulti victi et prostrati sunt a sapientia Christi et Apostolorum, ut docet Apost. 1. Cor. 1. et 2. quare tunc Apostoli esurientium et sitientium Deum animas solito pietatis cibo et potu refecerunt; ideoque ad eos, prioribus relictis, fideles confugerunt.

Nota: Res dicitur fieri vel facta, cum fieri vel facta declaratur, iuxta can. 29. Unde Vatabl. vertit: *Sordidus*, id est, avarus, *non dicetur amplius liberalis*, *neque parcus magnificus: quia sordidus sordida loquetur, etc.* q. d. Tempore Christi veritati locus erit, non simulationi: tunc enim omne vitium æque ac virtus declarabitur ac patescet, atque virtuti sua erit laus, vitio suo infamia; cum antea pseudoprophetæ bonum dicerent malum, et malum bonum, ut fusius dixi Isaiæ 10. 5. Videant ergo Christiani, Monachi, Prælati, qui vocantur Fideles, Sancti, Benefici, Religiosi, Venerabiles, Reverendissimi, etc. ut tales se operibus præstent, quales vocitantur; ne inane et fucatum gerant nomen et titulum. Porro τo *stultus fatua loquetur*, parœmia est, quam etiam usurpat Euripides in Bacchis: ο μωρος μωρα λεγει, *stultus stulta loquitur;* et Seneca ad Lucilium: *Talis hominibus fuit oratio, qualis vita;* et Democritus: *Oratio*, inquit, *est* ειδωλον του βιου, *simulacrum vitæ.* Sicut ænea vasa tinnitu, sic homines sermone dignoscuntur; est enim sermo speculum animæ et mentis.

FRAUDULENTI VASA, id est instrumenta, PESSIMA SUNT.) Vers. 7.
Nam, ut sequitur, ipse cogitat et concinnat, quomodo perdat mites et pauperes qui iustam habent causam, per mendacium et calumniam, q. d. Tales ergo iudices et magistratus, qui sub Achaz irrepserunt, amovebit Ezechias, et pro fraudulentis fideles et sinceros constituet. Sic tempore Christi vasa, id est instrumenta, fraudulentorum Pharisæorum fuerunt pessima: cogitarunt enim suis astutiis et calumniis per amicos et pecunias perdere Christum et Christianos, cum mites et pauperes Apostoli loquerentur iudicium, id est, iustissima et æquissima.

Hebr. est paronomasia כלי כליו רעים *kelai kelav raim: kelai*, id est avari, inquit Vatablus, qui nihil dant, sed multa rapiunt, et in arca concludunt (radix enim כלא *cala* significat claudere, concludere) quales solent esse fraudulenti: qui enim volunt omni modo ditescere, hi per fas et nefas omnia corradunt: recte ergo Noster vertit, *fraudulenti.* Ita Arias.

PRINCEPS VERO EA, QUÆ DIGNA SUNT PRINCIPE, COGITABIT.) q. d. Ezechias dabit ideam optimi principis, Vers 8
ideoque vigil excubabit ut remp. sapienter administret, ut duces et magistratus recte dirigat, utque quæcumque

bono principe digna sunt, cogitet et exsequatur, quasi animata Dei in terris imago, Deum subditis repræsentans, et terrestris quidam Deus.

Rursum Christus quasi alter Ezechias, principum Princeps sapienter per se et Apostolos, quasi duces suos, Ecclesiam reget, iisque præerit ac digna Principe geret.

Symmachus vertit; *Princeps ἀρχοντικὰ*, id est *principatus, constituet, et hic super principatus stabit*, q. d. Christus rex constituet principatus, id est, apostolatus et episcopatus in Ecclesia, facietque Apostolos, eorumque successores suos duces, et ipse quasi hierarcha et rex eis præerit. Ita S. Hieron. Procop. Castrius.

Principis virtus est liberalitas. Hebraice est נדיב נדיבות *nadib nedibot*, id est, ut Vatablus vertit, *liberatis* (principes) *liberalia consultat, perque liberalia facta clarus surgit*, q. d. Princeps Christus iuxta nomen principis, liberaliter suas gratias erogabit, eoque inclarescet. Princeps enim hebr. dicitur *nadib*, id est, liberalis, græce εὐεργέτης, id est beneficus, Luc. 22. 25. Principe enim digna, eiusque propria virtus est liberalitas et beneficentia: hæc enim index est animi lati, magni et regii. Quocirca Philo ad Caium Imper. *Plus*, ait, *tibi diligendi sunt, Imperator, qui suppliciter petentes beneficia abs te sibi præstari cupiunt, quam qui tibi munera offerre student. His enim debes remunerationem, illi vero debitorem tibi efficiunt Deum, qui in propriis numerat quæ in ipsos contuleris, qui remuneraturus est optimis donis humanitatis tuæ et benignitatis institutum.* Alexander Severus Imp. adeo beneficus in omnes exstitit, ut etiam de se nihil meritus ad petendum invitaret, diceretque: *Quid est quod nihil petis? An me tibi vis fieri debitorem? pete ne privatus de me querare*: agnoscebat principes viros maxime decere beneficentiam. Ita Lamprid. in eius Vita. Idem roganti quisnam videretur sibi rex optimus? respondit: *Qui amicos muneribus retinet, et inimicos sibi beneficiis conciliat.* Ita refert Maxim. ser. 9. de Magistrat.

Alphonsus Aragonum rex audiens quosdam acceptis a se beneficiis ingratos esse, ait: *Esto; nequaquam tamen effecturi sunt, quominus ipse et humanus sim et beneficus.* Ita Panorm. Idem: *Oblatrantibus*, inquit, *canibus et rebellibus offula est obiicienda*, q. d. Malevoli beneficiis vincendi et devinciendi sunt.

Ludovicus XI. Galliarum rex liberalis erat in viros, præsertim sanctos: causam rogatus, dixit: *Quia horum precibus vitæ diuturnitatem conciliari mihi posse confido.*

Huc spectat aurea Pacati vox in Paneg. Theodosii: *Ego*, inquit, *nullam maiorem crediderim esse principum felicitatem, quam fecisse felicem, et intercessisse inopiæ, et fortunam vicisse, et dedisse homini novum fatum.* Causam subdit: *Nam cum intra ipsum volvantur omnia, et ut ille qui cuncta ambit Oceanus, quas suggerit aquas terris, recipit e terris: ita quidquid in cives manat a principe, redundat in principem: ac rei et famæ bene consulit munificus Imperator. Lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reversuram.*

Vers. 9. MULIERES OPULENTÆ SURGITE.) Est hic nova prophetia, et alio tempore dicta (non enim in scriptis Prophetarum digerendis servatus fuit ordo temporis) eaque tristis, vel de excidio decem tribuum per Salmanasar, ut vult Sanchez; vel potius, ut S. Hieron. de excidio duarum tribuum per Titum et Romanos: nam hæc spectare tempora Christi patebit v. 16. et seq. Porro per *mulieres* S. Thomas intelligit Iudæos imbelles, et molles ac mulierosos; Chaldæus intelligit urbes Iudaicas. Simplicissime per *mulieres* accipias fœminas opulentas, in suisque opibus confidentes et superbas: illis enim hic æque ac c. 3. intentat exitium, easque vocat ad lamenta.

Vers. 10. POST DIES ENIM ET ANNUM, VOS CONTURBABIMINI.) Id est, post modicum tempus a me definitum, sed quod vobis definite explicare nolo, ideoque dico: *Post dies et annum, conturbabimini*, et exscindemini per Romanos. Ita Hugo et Adamus.

Alii, *post dies et annum*, id est, post longum tempus, quo scilicet dies addentur diebus, et annis anni. Ita Vatablus.

Aliter Sanchez: *Post dies et annum*, inquit, id est, post dies unius anni (ut sit hendyadis) post unum annum evertetur Samaria, scilicet anno sexto Ezechiæ: hæc ergo dicta sunt ab Isaia anno quinto Ezechiæ. Unde Hebr. est *post dies ad annum*, id est, qui satis sunt ad annum complendum. Ita ipse.

CONSUMMATA EST ENIM VINDEMIA, COLLECTIO ULTRA NON VENIET.) *Collectio* est racematio, quæ fit post vindemiam, qua paucæ uvæ latentes et reliquæ colliguntur. Iam *vindemia* in Script. sæpe significat excidium, racematio serutinium et stragem paucorum qui excidium effugerunt. Sensus ergo est, ut ait S. Hieron. *Post ultimam vastitatem, quæ sub Vespasiano et Tito Adrianoque accidet, non erit alia, sed semel evertetur urbs vestra, ut non sit exspectanda alia captivitas: omnes auferentur, nec remanebunt botri in vinea populis, qui deinde colligendi sint.* Vindemiam enim tum hominum, tum uvarum, et frugum intelligit.

ACCINGITE LUMBOS VESTROS) Quæ prius otiosæ, quasi domicellæ cultu ornato et splendido domi servis et ancillis imperantes sedebatis, nunc captivæ cultum hunc deponite, vilique veste quasi ancillæ lumbos, ad servile ministerium Romanis dominis præstandum succingite. Vers. 11.

SUPER UBERA, scilicet fame arentia, et super filios uberum vestrorum, præsertim parvulos ab iis adhuc pendentes PLANGITE.) Quia hi omnes vobiscum præda erunt Romanis; hoc est, quod prædixit Christus: *Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus*, Matt. 24. 19. Vers. 12.

SUPER REGIONE DESIDERABILI.) Super Iudæa patria vestra, amœna et fertili instar vineæ, quam Romani vastabunt, sibique subiicient, vobis expulsis et occisis.

SUPER HUMUM POPULI MEI SPINÆ, etc.) q. d. Iudæa punietur et vastabitur a Romanis, ut inculta spinis et vepribus repleatur; quanto magis Ierusalem ita luxurians, ut videantur omnes eius domus gaudio esse plenæ? Vers. 13.

DOMUS ENIM DIMISSA EST.) Id est, Ierusalem, quæ olim fuit quasi domus mea, mihique sacra, dimittam, faciamque ut multitudo urbis, id est, urbs tantæ multitudinis (est hypallage) in qua tanta erat frequentia populi, sit relicta et deserta: hoc est quod ait Christus huc alludens: *Domus vestra deserta est.* Vers. 14.

TENEBRÆ ET PALPATIO FACTÆ SUNT SUPER SPELUNCAS USQUE IN ÆTERNUM.) Primo, Sanchez per *tenebras* et *palpationem* accipit arbores densas et sylvas: hæ enim tenebras etiam palpabiles, et horrorem transeunti afferunt.

Porro hæ arbores succreverunt in speluncis, id est, in ruinis urbis vastatæ et desertæ: dum enim magnæ moles ruunt, ex vario murorum concursu aliqua intus relinquuntur spatia vacua, sive cavitates instar fornicum et speluncarum.

Secundo, simplicius Adamus, q. d. Tam densa erunt rudera et ruinæ tum templi, tum domorum, ut redigantur in antra et speluncas ita profundas et cæcas, ut in iis videantur esse tenebræ palpabiles, idque in perpetuum. Unde patet hæc ad ultimum Iudæorum excidium per Titum pertinere. Hinc fit, ut locus tam desertus sit *gaudium onagrorum*, ut scilicet onagri feri et sylvestres, et greges ibi habitent et pascantur.

Tertio, Vatablus, Pagninus et Hebræi vertunt: *Turres et propugnacula in speluncas redigentur perpetuas.* Hebraice enim pro *tenebræ* est עפל *ophel*; pro *palpatio* est בחן *bochan*, id est probatio. Hebræi autem tradunt has duas fuisse turres Hierosolymæ: unam dictam *Ophel*, id est tenebræ; eo quod oculi aspicientium eius cacumen tam altum caligarent: alteram dictam *Bochan*: quod in eius apice intuendo probaretur, quam firma esset oculi cuiusque acies, q. d. Hæ duæ turres tam celsæ in profundissimas speluncas corruerunt. Huius rei fides sit penes illos; nam turris Ophel meminit Iosephus, Adrichom. et alii chorographi et historici; turris vero Bachan, nemo.

DONEC EFFUNDATUR SUPER NOS SPIRITUS DE EXCELSO.) Qui hæc referunt ad captivitatem Babylonicam sic exponunt. In Babylone erimus in carcere quasi mortui, do- Vers. 15.

nec spiritum vitæ, id est libertatis, nobis restituat Deus, nosque quasi resuscitet, et in patriam reducat, q. d. Donec ab exilio, quasi e sepulcro redivivi prodeamus, et redeamus in Iudæam.

Verum referendo hæc ad excidium per Titum, uti retuli cum S. Hieron. hic est sensus: duratura est hæc vastitas, eritque Iudæa deserta tum corporaliter, ut patet, tum spiritualiter; quia scilicet Deus relinquet Synagogam, animasque Iudæorum expertes fidei, gratiæ et salutis, donec Spiritum sanctum in eos (esto paucos) mittat, qui ad Christum et salutem eos convertat: tunc enim restituetur Ierusalem, non terrena, sed vera et spiritualis, scilicet Ecclesia Dei. Ita S. Cyrillus, Procopius, Theodoretus. Sic Christus ascendens in cælum iussit Apostolos manere seorsim et secreto in Sion, donec induerentur virtute ex alto, reciperentque Spiritum sanctum in Pentecoste.

Et erit desertum in charmel.) q. d. Gentiles hactenus deserti in sortem et opes Israelis et populi Dei intrabunt: e contrario Iudæi in desolationem et cæcitatem Gentilium succedent (vide dicta c. 29. 25.) exceptis paucis, super quos effundetur Spiritus de excelso, ut Christo credant, uti præcessit.

Aliter Sanchez et S. Thoma: Iudæa, inquit, quæ tempore captivitatis Iudæorum fuit inculta, quasi saltus, post eorum reditum coletur, eritque fertilis instar Carmeli: ipse vero Carmelus amœnus et fœcundus antea, post reditum tam erit amœnus et frugifer, ut, si prioris temporis speciem spectes, vidisse te putes desertum vel sylvam horridam. Aut potius, q. d. In Babylone Iudæi divites et potentes, qui erant quasi charmel, quique alios tenuiores opprimebant, ita atterentur, ut fiant quasi desertum, id est, ut animo æque ac paupertate et sorte æquentur pauperibus, q. d. Eadem pene erit sors divitum et pauperum: unde erit inter eos iustitia, indeque pax, silentium, securitas et opes: hi enim sunt fructus afflictionis et paupertatis. Ita Sanchez. Verum prior sensus angustior et germanior nobis sequendus est.

Vers. 16. Et habitabit in solitudine.) q. d. In Gentilitate, quæ antea fuerat deserta et sterilis, habitabit iudicium, id est, iustitia, cum solitudo hæc facta fuerit charmel, id est, frugifera et fertilis per fidem Christi.

Vers. 17. Et erit opus iustitiæ pax.) Voces *opus* et *cultus* ponuntur metonymice pro mercede et præmio operis, sive pii cultus iustitiæ. Unde Chald. vertit, *colentes iustitiam quiescent*, q. d. Merces, fructus et præmium iustitiæ et sanctitatis Gentilium fidelium erit, ut iustificati in Christo consequantur primo, pacem conscientiæ, et amicitiam ac unionem cum Deo, item pacem et concordiam inter se invicem: secundo silentium, id est quietem, ut vertunt Chald. et Septuag. ac tranquillitatem summam in hocce suo vero iustitiæ Deique cultu, adoratione et amicitia; tertio, securam fiduciam de sua gratia in præsenti, de sua gloria ac beatitudine futura: fiducia, inquam, certa non certitudine fidei, ut volunt Lutherani; sed certitudine morali et coniecturali, qualis non excludit omnem metum et formidinem. Ita S. Hieron. Cyrill. Procop.

Sex fructus iustitiæ. Theodor. *Erit* ergo *opus iustitiæ pax, etc.* q. d. Tempore Evangelii et Christi coletur passim a Gentibus iustitia, iusta et sancta vita, indeque in Ecclesia et fidelibus orietur primo, pax triplex, scilicet, pax cum Deo, pax cum conscientia pax cum proximis; secundo, silentium et tranquillitas; tertio, securitas futuræ gloriæ; quarto, erit in ea pulchritudo magna pacis, et charismatum spiritualium; quinto, erunt ibi tabernacula fiduciæ, id est, in quibus fideles sine metu fidenter habitent, quibus tuto se suamque felicitatem credere possint; sexto, erit ibi requies opulenta. Hæ ergo sunt dotes et epitheta tum Ecclesiæ militantis, tum animæ fidelis et sanctæ: utraque enim hæc omnia in se obtinet et possidet. Sept. vertunt, *obtinebit iustitia* ἀνάπαυσιν, id est, *requiem*.

Secundo, Hector Pintus per *iustitiam*, civilem intelligit, ex qua oriri solet pax; *silentium*, exponit taciturnitatem a querelis et litibus: quia ubi est magna iustitia, ibi nullus est clamor oppressorum a iudicibus, aut aliis potentibus.

Tertio, S. Hieron. *silentium* exponit *fidei brevitatem*, quæ multiloquio multisque cæremoniis Iudæorum opponitur; Syrus vertit: *Et erit opus iustitiæ pax, et cultus iustitiæ silentium*, sive *quies*, *confidentia*, *securitas*, *tranquillitas;* Arabicus Antiochenus: *Et erit opus* (actio) *eius in iustitia et salute, et opus veritatis* (iustitiæ) *in quiete*, *probitate et spe*, vel confidentia, *in sæculum;* Arabicus Alexandr. *Et erit opus iustitiæ cum veritate et pace, et actus iustitiæ silentium* (quies) *et spes* (fiducia) *in sæculum sæculorum.*

Moraliter S. Bernardus epist. 89. refert hæc ad virtutem silentii: *Ad hunc*, inquit, *iustitiæ cultum, ad hanc omnium virtutum et matrem et custodem te, et quicumque tui similes proficere cupiunt in virtutibus, invito et provoco: et si non verbo doctrinæ, certe mei silentii exemplo, ut vel silendo doceam te silere, qui silendo compellis me docere quod nescio.* Et Glossa: Ex iustitia iustificante, inquit, orietur pax conscientiæ, ex pace requies et silentium, ut scilicet sileas, et in prosperis caveas a verbis iactatoriis, in adversis a murmuratoriis. Sic et Dionys. accipit silentium cordis et oris: *Hoc videmus*, inquit, *in claustralibus præcipue adimpleri, qui in observatione silentii cultum iustitiæ statuunt, et fractionem silentii grandem iustitiæ prævaricationem existimant.* Quin et S. Gregor. 3. p. Pastor, c. 15. *Cultus*, ait, *iustitiæ silentium; quia mens a iustitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur.* — Et silentii.

Ita S. Andronicus cum S. Athanasia uxore habitu virili et monastico induta, tum in longissima peregrinatione Hierosolymitana, tum in eadem cella duodecim annos Athanasiæ rogatu, penitus silentium observavit, itaque oculos, os et aures continuit, ut illam nec de facie nosset, ut habetur in eius Vita.

Hinc de Christi sponsa dicitur Cantic. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce.* Vitta coccinea est silentium cum charitate, inquit Richard. Victor. q. d. Gratia taciturnitatis excellis; inde manat eloquium tuum dulce: nam cor repletum spiritualibus deliciis per silentium foras eructat verbum bonum dulcedinis spiritualis, consolationis, instructionis, admonitionis, correptionis.

S. Ambros. in Psal. 38. ait, *silendi patientiam, et opportunitatem loquendi, et contemptum divitiarum maxima virtutum fundamenta esse.* Smaragdus in cap. 6. reg. S. Benedict. *Taciturnitas*, ait, *est virtus humilitatis, indicium gravitatis, nutrix virtutum, custos animarum.* Vide dicta c. 30. 15.

Anagogice, S. Hieron. Cyrill. Procop. Theod. hæc referunt ad cælestem requiem et gloriam in cælo; ibi enim præmium iustitiæ Sanctorum erit primo, plenissima pax undequaque; secundo, silentium et summa quies; tertio, securitas beatitudinis per omnem æternitatem; quarto, pulchritudo omnis pacis et gloriæ; quinto, tabernacula fiduciæ, in quibus fidenter habitantes Beati nullum timent hostem, nec quidquam adversi; sexto, erit ibi requies opulenta. — Et cælestis gloriæ.

Audi S. Aug. lib. de Med. c. 22. et 25. *O vita quam præparavit Deus his qui diligunt eum! vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, vita nescia tristitiæ, vita sine labe, sine corruptione, sine anxietate, sine perturbatione, sine mutatione; vita totius elegantiæ et dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, et timor nullus, ubi dies æternus, et unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur.*

Et post pauca subdit. *Ibi dulcis solemnitas omnium ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium, ibi Prophetarum providus chorus, ibi duodenus Apostolorum numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, ibi sanctorum Confessorum sacer conventus, ibi veri et perfecti solitudinis cultores, ibi sanctæ mulieres quæ voluptates sæculi, et sexus infirmitatem vicerunt, ibi pueri et*

puellæ qui annos suos sanctis moribus transcenderunt. Dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium, plena et perfecta ibi regnat charitas: Dei amore ardent, Deum iugiter amant et laudant; omne opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore. Felix ergo et vere in perpetuum felix, si post resolutionem huius corpusculi audiam illa cantica cælestis melodiæ.

Et S. Bern. in Medit. c. 4. *Præmium*, inquit, *erit videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse de Deo, qui erit omnia in omnibus; habere Deum, qui est summum bonum. Et ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa iucunditas, summa libertas, perfecta charitas, æterna securitas, et secura æternitas: ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo et omnis beatitudo: ibi est pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, lætitia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor et concordia dulcis.*

Vers. 19. GRANDO AUTEM IN DESCENSIONE SALTUS.) *Grando*, id est, ira, plaga et procella Dei desæviet in Iudæos, et in Ierusalem, ut saltus, id est, Synagoga eorum sylvescens, deseratur, descendat et humilietur. Vide can. 26. Redit ad excidium Iudæorum, de quo egit a v. 1. ad v. 16.

Sanchez pergit hoc accipere de clade Babylonis: eam enim ait vocari saltum, ob hortos pensiles Nitocris. Septuag. vertunt: *At grando si descenderit, non veniet super vos*, q. d. Fidelibus omnia erunt prospera; si quæ grando, id est tempestas, ingruat, ea cadet in infideles et impios.

Vers 20. BEATI, QUI SEMINATIS SUPER OMNES AQUAS.) Sanchez ita explicat, q. d. O fortunati, qui illum diem reditus e Babylone cernent, quando Iudæam ante sterilem, senticosam et incultam, assiduo imbre fœcundam reddet: iis licebit in humentes cælesti rore agros iuga boum et asinorum agere, et illis eo labore ad satus accipiendos dispositis, semen committere. Alii, q. d. Ita luxuriabunt segetes, ut, ne præ copia sese invicem suffocent, in eas immittant boves et asinos, qui primam herbam luxuriantem depascantur.

Verum in expositione nostra est apostrophe ad Apostolos, virosque Apostolicos, q. d. O vos beatos qui super omnes aquas, id est omnes populos, seminatis Evangelium, immittentes in eos boves et asinos, id est prædicatores et operarios Evangelicæ et salutiferæ messis.

Immittere pedem bovis et asini nihil est aliud, quam terram colere iugo boum, vel iugo asinorum: non enim poterant simul arare in bove et asino, iuxta legem Deut. 22. 10. sed seorsim.

Rursum aquas vocat terram aquis et pluvia madentem: in tali enim seminatur, non in puris aquis. Nota: Bos arationis, indeque messis et fertilitatis priscis erat symbolum, ut patet ex bobus qui per visionem Pharaoni apparuerunt, Gen. c. 41. 2. Quocirca boves iuncti in nummo Vespasiani Imper. atque alii iugati in C. Marii nummo significant eos agriculturam, et rem frumentariam ad civium alimoniam procurasse. Nam et apud coniectores, arantes boves imaginari, lætissimam prænuntiabat frugem, et opulentam rerum felicitatem. Quin et nomen bo i a nutricando datum: βω enim est nutrio: labore enim suo in exercenda terra continue nos pascit. Hinc Græci βουγχρον felicem agriculturam vocant, quibus φχρος agricultura est, et bovis etiam epitheton. Romani porro tantum honoris bovi tribuerunt, ut Italiam ipsam olim ab Italis, nuncupatis bobus, appellatam prædicent. Quin et apud eos olim non minus capitale fuit occidere bovem, quam hominem. Memorabilis vero fuit priscorum Germanorum mos, qui uxori ducendæ boves iunctos, frænatum equum, et scutum cum gladio mittebant dotis nomine, ut uxor, inquit Cornel. Tacitus, admoneretur se venire viro in laborum et periculorum sociam, idem in pace, idem in præliis passuram ausuramque; laborem enim iuncti boves, bellum paratus equus et data arma denuntiabant. Ita Pierius hierogl. 3. Exstat emblema bovis cum hac inscriptione *aris et agris*, repræsentans hominem agentem vitam tam activam quam contemplativam. Bos enim agit arando in agris, idem immolatur in aris; unde symbolum est religionis, et vitæ contemplativæ.

Symbolice, asinus animal immundum significat Gentes, bos mundus Iudæos: innuit ergo utrumque populum in Christi fidem et Evangelium conspiraturum. Ita S. Cyrillus, Hier. Theodor. Procop. et Greg. 35. Moral. cap. 11. Clemens lib. 8. Stromat. initio. Unde in lege nova rescissa fuit illa lex vetus: *Non arabis in bove et asino.*

Tropol. S. Bernard. Ser. de S. Benedicto: *Beati qui seminant super omnes aquas, etiam quæ super cælos sunt quæ sunt virtutes angelicæ et cælestes populi. Ita plane quoniam spectaculum facti sumus et Angelis et hominibus. Seminemus igitur hominibus exemplum bonum per aperta opera; seminemus Angelis gaudium magnum per occulta suspiria*; et post pauca: *O genus Adam, quam multi seminaverunt in te, et quam pretiosum semen! quam male peribis, et quam merito, si perierit in te tantum semen, et seminantium labor! Seminavit in terra nostra tota Trinitas, seminarunt Angeli pariter et Apostoli, seminarunt Martyres, et Confessores, et Virgines. Seminavit et Filius: Ipse enim est qui exiit seminare semen suum. Ita tota Trinitas seminavit, Pater scilicet panem de Cælo, Filius veritatem, Spiritus sanctus charitatem.* Aliter S. Basilius in cap. 1. Isaiæ: Beatus, inquit, qui bovem, id est generosum, excitat ad laborum tolerantiam, et asinum, id est cupidum et carnalem, ut cupiditates suas calcet et vincat. Aliter et S. Ambros. ad Irenæum: *Bos*, inquit, *cornutus ferociam habet, asinus mansuetudinem; quia beatus, qui et severitatem et mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur.*

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur excidium Sennacherib hosti populi Dei, docetque quod ipse obsidens Hierosolymam, certaque spe eam devorans, ab Angelo opprimendus sit. Allegorice, Sennacherib fuit exemplar tyrannorum et omnium Ecclesiæ hostium, qui a Deo terribili clade et morte puniti sunt. Ita Hugo, Adamus, Forerius, et alii. Secundo, v. 14. ex incendio Assyriorum assurgit ad ignem devorantem gehennæ, omnesque peccatores excitat, ut eius cogitatione peccata caveant, et virtutes sectentur. Inde tertio, v. 16. avolat ad Sionem cœlestem, eiusque speciem et gloriam graphice ob oculos ponit. Denique v. 25. redit ad Ierusalem obsessam et diripientem spolia Assyriorum.

1. VÆ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. 2. Domine, miserere nostri: te enim expectavimus: esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. 3. A voce angeli fugerunt populi, et ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes. 4. Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo. 5. Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso: implevit Sion iudicio et iustitia. 6. Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ salutis sapientia et scientia: timor

Domini ipse est thesaurus eius. 7. Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt. 8. Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, proiecit civitates, non reputavit homines. 9. Luxit, et elanguit terra: confusus est Libanus, et obsurduit, et factus est Saron sicut desertum: et concussa est Basan, et Carmelus. 10. Nunc consurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc sublevabor. 11. Concipietis ardorem, parietis stipulam: spiritus vester ut ignis vorabit vos. 12 Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur. 13. Audite, qui longe estis, quæ fecerim, et cognoscite, vicini, fortitudinem meam. 14. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? 15. Qui ambulat in iustitiis, et loquitur veritatem, qui proiicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. 16 Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. 17. Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longe. 18. Cor tuum meditabitur timorem: ubi est litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum? 19. Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis: ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ eius in quo nulla est sapientia. 20. Respice, Sion, civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi eius in sempiternum, et omnes funiculi eius non rumpentur. 21 Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster: locus fluviorum rivi latissimi et patentes: non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum. 22. Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos. 23. Laxati sunt funiculi tui, et non prævalebunt: sic erit malus tuus ut dilatare signum non queas. Tunc dividentur spolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam. 24. Nec dicet vicinus: Elangui: populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.

Vers 1. **Væ qui prædaris.**) Væ tibi, o Sennacherib, qui prædatus es Iudæam, iamque immines Hierosolymæ; nam ibi vicissim tu prædaberis, non active sed passive, id est spoliaberis, et prædaberis a Iudæis: væ tibi, superbe, qui victoriis insolens spernis et Iudæos, et Deum Iudæorum; ipsi vicissim spernent et contemnent te, cum tua castra per angelum subito cædentur, et quasi exsufflabuntur; imo filii tui spernent te, cum videbunt te castris exutum et profugum, teque occident.

Allegorice Sennacherib typus fuit primo, diaboli, quem Christus deprædatus est, ait S. Hieron. secundo, persecutorum Ecclesiæ. q. d. Qui vos spernit, persequitur et prædatur, o Apostoli, o Ecclesia, non vos spernit, sed me, et eum qui misit me, ac proinde ipse quoque a me prædabitur et diripietur. Ita S. Hier. Cyrill. Theodor. Procop.

Væ ergo tibi, o Nero; tu spernis S. Petrum et Paulum, tu eos multosque fideles obtruncas, tu primus in Christianos persecutionem moves: quare tu quoque sperneris a Deo, ab Apostolis, a Senatu, a populo Romano, qui conspirabit in necem tuam, teque ad mortem manu tua tibi consciscendam adiget.

Væ tibi, o Domitiane; tu vexas et occidis Christianos: occideris et ipse a tuis, et in te tua omnisque Flaviorum stirps desinet.

Væ tibi, o Aureliane, qui Christianos supplantas: capieris a rege Persarum, serviesque ei, eique equum ascensuro dorsum quasi scabellum præbebis.

Væ tibi, o Deci: uris Laurentios, cædis Christianos: tu quoque infami clade cæderis ab hoste.

Væ tibi, o Maximiane, o Diocletiane, o Maxenti: adiget vos Constantinus ad necem, ad restim.

Væ tibi, o Iuliane, qui duellum indicis Christo, eumque quasi Galilæum vilipendis: veniet hora, qua ipse e cælo te transfigens coget te exclamare: Vicisti, Galilæe, vicisti.

Væ tibi, o Valens Arriane, qui persequeris S. Basilium et Orthodoxos: persequentur te Gothi, et in casa latitantem comburent.

Vers 2. **Domine miserere nostri.**) Est oratio Isaiæ (quam obiter quasi per parenthesin ex affectu interserit) ad Deum, ut Ierusalem a Sennacherib obsessæ misereatur, et succurrat.

Te enim exspectavimus.) In te spem omnem collocavimus, non in idolis, non in regnum vicinorum auxiliis; a te uno opem et liberationem exspectavimus, et exspectamus.

Esto brachium nostrum in mane.) Hebr. לבקרים *labbekarim*, id est, in matutinis, in singulo mane, id est singulis diebus, q. d. Tuo robore quasi brachio nos defende quotidie, a summo mane usque in vesperam, contra assiduos et quotidianos hostium insultus. Sic τὸ *mane* sumitur Psal. 72. 14. *Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis* (hebr. est *labbekarim*) et Ps. 100. 8. *In matutino*, id est quotidie mane et tempestive, *interficiebam omnes peccatores terræ*.

Glossa interlin. exponit *in mane*, id est in prosperitate: sequitur enim, *et salus nostra in tempore tribulationis*: tam enim in prosperis superbia, quam in adversis diffidentia et desperatione tentamur et oppugnamur, ideoque utrobique egemus Dei ope et auxilio. Recte enim dixit Ausonius in Periandri sententia:

Si fortuna iuvat, caveto tolli;
Si fortuna tonat, caveto mergi.

A voce angeli, hebr. *a strepitu et tumultu* (qui scilicet factus est in castris, percutiente angelo 185. millia Assyriorum) **fugerunt populi.**) Posset secundo verti, *a voce multitudinis* (hanc enim significat Hebræum המון *hamon*) *fugerunt populi*: verisimile enim est cum angelo duce, qui percussit Assyrios, plures venisse angelos, quasi milites et cohortes Dei. Redit post parenthesin ad stragem Sennacherib. Vers. 3.

Et ab exaltatione tua, id est a sublimi tua potentia, qua exaltans quasi manum tuam validum ictum et plagam incuties Assyriis, **dispersæ sunt**, id est dispergentur, **gentes.**) Scilicet militantes in castris Sennacherib.

Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus.) Bruchus non est locusta, sed ei similis: unde Hesychius ait, bruchum esse speciem locustarum; estque sine alis. Quare non est ille quem Galli *bruyant*, sive bruchum, pueri Flandrice *prædicatorem* a murmure et bombo quem edit, appellant: hic enim est alatus, et plane alius a locusta. In Oriente frequens est bruchus, et maximam cladem afferens frugibus quas depascitur. Hinc dictus est bruchus a βρύχω, id est comedo, quasi βρύχος, unde a Nicandro vocatur σιτοβόρος, id est frumenti vorax. Quocirca rustici coguntur ibi colligere bruchos innumerabiles, collectosque in fossas protrudunt, terra obruunt et suffocant, q. d. Pari modo spolia vestra, o Assyrii, ea facilitate congregabuntur a Iudæis, qua a rusticis colliguntur bruchi, ut in foveam protrudantur; vos enim quasi bruchi vastastis Iudæam; unde pariter in foveam, scilicet in vallem Topheth (si credimus Hebræis) compellemini, ibique ab angelo cæsi sepeliemini, eritisque præda Hebræis. De brucho plura dixi Ioelis c. 1. v. 4. Vers. 4.

Magnificatus est Dominus (in tam gloriosa strage Sennacherib) **quoniam habitavit** (habitat) **in excelso**; ac proinde excelsus ipse et magnificus excelsa et magnifica facit, atque ex excelso solio suo hæc ima despicit: quia omnes hostes omnesque homines coram eo sunt quasi locustæ, imo quasi pulices, quos talitro uno necare potest: et **implevit Sion iudicio et iustitia.**) q. d. Declaravit Deus hac strage se iustum et fidelem esse Sioni, quia ple- Vers. 5.

ne præstitit ei opem et liberationem, quam per Isaiam promiserat: quare deinceps, quamdiu stabis, o Sion

Vers 6. Erit fides in temporibus tuis.) *Fides*, scilicet, tum Dei, hoc est eius erga te fidelitas; tum tua, id est fiducia, qua toties opem Dei experta, deinceps omnia tua ei credes et committes, atque in eo conquiesces.

Alleg. hæc spectant Christum (in eoque veriora sunt) cuius typus erat Ezechias, et sic per Sion accipe Ecclesiam. Ita Theodor. Cyril. et Procop. q. d. Christus implebit Ecclesiam iustitia et sanctitate, *et erit fides,* id est veritas promissorum Abrahæ et Patriarchis factorum implebitur *in temporibus tuis,* o Messia, o Sion, id est o Ecclesia, quæ es sponsa Messiæ: est enallage personæ, iuxta can. 16. Sapienter Polyb. l. 6. *Ille*, ait, *Reip. status optabilis et firmus est, in quo et privatim sancte innoxieque vivitur, et publice iustitia ac clementia vigent*: et Plautus in Persa: *Si incolæ bene morati sunt, pulchre oppidum munitum arbitror*: porro tales erunt, si princeps sit talis: nam, ut ait Quintil. declam. 4. *Hæc conditio principum, ut quidquid faciant, præcipere videantur;* et Plin. in Panegyr. ad Traianum: *Nec tam imperio nobis opus, quam exemplo;* et Velleius l. 2. *Recte facere princeps cives suos, faciendo docet. Rex velit honesta, nemo non eadem volet. Obsequium* enim, ut ait Tacit. l. 3. Annal. *in principem, et æmulandi amor validiora, quam pœna ex legibus.* Ex adverso *vitia non solum ipsi principes concipiunt, sed etiam in civitatem infundunt: plusque exemplo, quam peccato nocent* (nimirum, unius culpa ab omnibus peccatur) ait Cicero lib. 3. de Legib.

Divitiæ salutis sapientia et scientia.) q. d. Tempore Ezechiæ, et maxime tempore Christi, divitiæ salutares non habebuntur aurum et argentum, sed sapientia, scientia et timor Domini, scilicet quod fideles Deum cognoscant, illumque timeant et colant. Ita S. Hier. et Procop. Vatabl. hunc versum ita vertit: *Erit stabilitas temporis tui*, sive felicitatis tuæ, id est, perseverabis in felicitate, *et robur salutum,* id est successuum tuorum, erit *sapientia et scientia: timor Domini, ipse thesaurus eius,* q. d. Israel omnia prospera experietur, si dederit operam sapientiæ et cognitioni divinarum rerum, quæ timorem Domini sequitur.

Moraliter, Nota non esse maiorem thesaurum, nec donum maius timore Dei. Nam, ut ait S. Greg. l. 6. Moral. c. 27. *Anchora cordis est pondus timoris;* et S. Hier. ad Fabiol. de 42. mansion. *Timor virtutum custos est;* et Tertul. lib de Cultu fœmin. c. 2. *Timor fundamentum est salutis; timendo cavebimus, cavendo salvi erimus: qui sollicitus est, is vere poterit esse securus;* quin et S. Iob cap. 28. v. 28. *Timor*, inquit, *Domini, ipsa est sapientia: et recedere a malo, intelligentia;* et Eccli. 1. v. 20. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum, et plenitudo a fructibus illius*; et v. 11. *Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur.* Nam, *oculi Domini super metuentes eum*, Psal. 32. 18. et: *Firmamentum est Dominus timentibus eum,* Psalm. 24. 14. et: *In timore Domini fiducia fortitudinis,* Prov. 14. 26. et: *Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis*, Eccli. 33. v. 1. Quocirca S. Hieron. serio monet Eustochium, scribens ad eam: *Nolo*, ait, *tibi venire superbiam de proposito, sed timorem: onusta incedis auro, latro tibi vitandus est: stadium est hæc vita mortalibus: hic contendimus, ut alibi coronemur; pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat et spinas? Beatus* ergo homo, *cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur?* Eccli. 25. 15.

Vers 7. Ecce videntes clamabunt foris.) Ostendit quanta fuerit trepidatio et periculum Hierosolymæ, cum eam obsedit Sennacherib, ut inde declaret quanta fuerit fides, clementia et potentia Dei eam liberantis.

Nota primo: Pro *videntes* Hebr. est אראלם *erelam,* quod primo, Hebræi et Arias volunt esse nomen angeli: Hebr. enim *erelam* idem est, quod *videns fortis eorum.* Secundo, Aben Esra et Forerius censent *erelam* idem esse, quod *Ariel*, de quo cap. 29. 1. id est *leo fortis eorum,* itaque vocari cives Hierosolymitanos. Tertio, Aquila, Symmachus et Theodotion *erelam* accipiunt pro אראה להם *ere lahem*, id est, *apparebo eis*, quos Noster interpres videtur sequi, q. d. *Ecce quibus apparebo*, vel alio puncto אראלם *arelam*, id est *quibus ostendam*, id est *ecce videntes mei.*

Nota secundo: Per *videntes* Hugo accipit Prophetas, S. Thomas cives habitantes in suburbiis, qui videntes tantas Sennacherib copias appropinquare, foris, id est, extra urbem, clamabant, ut quisque sibi fuga consuleret. Tertio et aptius, Lyran. per *videntes* accipit speculatores Hierosolymæ, qui videntes tantas Assyriorum acies adventantes, clamabant, ut rustici et qui foris versabantur, in urbem se reciperent.

Angeli pacis amare flebunt.) Hi sunt nuntii, quos Ezechias ad Rabsacen ducem Sennacherib misit pacis componendæ causa, scilicet Eliakim, Sobna et Ioahe: qui cum pacem a tyranno non impetrarent, sed minas, videntes urbi imminens excidium, fleverunt scissis vestibus, ut dicitur c. 36.

S. Hieron. per *Angelos pacis* accipit angelos præsides templi Salomonis: hi enim doluerunt videntes illud esse in periculo tantæ cladis: unde tempore Titi clamarunt: *Migremus hinc,* scilicet e templo iamiam everte.do.

Allegorice, S. Hieron. Theodoret. Procop. et Gregor. libr. 34. Moral. 7. per *Angelos pacis* accipiunt Apostolos, qui pacem et gratiam Christi Iudæis annuntiarunt: hi fleverunt videntes eos obduratos, et a pace ac gratia Christi aversos; unde iis derelictis transtulerunt se ad Gentes. Ita flevit S. Paulus, cum optavit esse anathema pro Iudæis, Rom. 9. 3.

Dissipatæ sunt viæ.) Est mimesis: videtur enim esse vox legatorum Ezechiæ plorantium, q. d. Omnia itinera metu Assyriorum deserta sunt, nusquam videtur viator, irritum est pactum: actum est de nobis et de Ierusalem, ac regno Iudæorum. Vers. 8.

Irritum factum est pactum.) Primo, Hugo intelligit pactum Iudæorum cum Deo, de lege Dei servanda, quod quia illi violarunt, hinc vastati sunt, iuxta id quod minatus est eis Deus Levit. 26.

Secundo, S. Thom. Lyranus et Forer. accipiunt pactum Sennacherib cum Iudæis initum, quod ipse post acceptam ab eis pecuniam violavit, ac *proiecit* et evertit *civitates* Iudææ, atque non reputavit homines cum Iudæos omnes vilipendit et contempsit, ut patet 4. Reg. 18.

Tertio, S. Hieronym. Haymo et Sanchez accipiunt pactum, quod Deus cum Iudæis iniit, quo promisit se eorum fore protectorem, hoc pactum Deus ob peccata Iudæorum irritavit et fregit, ac Iudæos non reputavit homines, sed iumenta, inquit S. Hieronym. utpote, qui non rationem, sed brutalem appetitum et concupiscentiam secuti, se quasi in bestias transformarunt, ideoque eos abiecit, et Chaldæis mactandos obiecit: aut, ut Sanchez reputavit eos non homines, sed ut stipulas vanas, quæ a vento dispelluntur; vel ut vasa testea figuli, quæ confringuntur. Hic sensus, ut et secundus, appositus est.

Luxit, et elanguit terra.) Pergunt legati flere ac dicere, quod Iudæa lugeat, etc. id est, sit squalida, deserta, sterilis. Vers. 9.

Obsurduit.) q. d. Silent agri, nulla in eis vox agricolarum, utpote profugorum, auditur, atque, ut Cyrill. et Hugo, silent voces cantorum et laudes Dei in templo. Romana legunt, *obsorduit*, id est, inculta est, vepribus, loliis et sordibus repleta iacet. Unde noster Interpres Hebræum קמל *kamal*, cap. 19. 6. vertit, *marcescet;* Sept. Chald. et Recent. vertunt, *excisa est* sine ulla commiseratione. Hebræum *kamal* præcise quid significet, non constat: nam tantum hic et c. 19. reperitur.

Nunc consurgam, dicit Dominus.) Rebus desperatis ostendam meam fidem et potentiam, divina manu medebor tantæ cladi, et Sennacherib prosternam. Nota: Sic Vers. 10.

solet Deus sinere non tantum urbes et regna, sed et animas subinde per tentationem, quasi ad extrema, et ad desperationem adigi, tumque potenti gratia succurrit. Dicamus ergo in tentatione cum S. Iob: *Dum spero spiro*, imo, *etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*

Vers 11. CONCIPIETIS ARDOREM.) Deus pro Iudæis vindex insurgens hic adoritur Assyrios.

Nota: *Concipere ardorem*, est machinari strages, rapinas, incendia, et omne quod hostile est: partus huius conceptus, est ipsa exsecutio et effectus, q. d. Concepistis animo, o Assyrii, excidium et incendium Hierosolymæ: sed parietis stipulam, id est, inanem rem et futilem, in ventum abibunt vestri spiritus tam minaces et ardentes, irriti erunt omnes vestri conatus et molimina: est proverbium.

Secundo, apposite Forer. Sanchez, et Delrio adagio 758. q. d. Ignis quem animo concepistis, o Assyrii, non tam Hierosolymam inflammabit, quam vos: vos enim estis stipulæ dignæ et destinatæ incendio. Simili modo dixit cap. 9. 18. *Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit.*

Ubi disce, impium sibi ipsi parere malum, quod alteri struit, impiamque cogitationem esse quasi ignem qui ipsum cogitantem afflat et adurit. Simili proverbio dicimus: *Fabrum constringi compedibus, quas ipse cuderat; et turdum sibi malum parere;* quia ex eius stercore viscum conficiunt aucupes, quo ipsum capiunt. Similia sunt: *Colubrum in sinu fovere, alere luporum catulos;* et illud Eccli. 42. 13. *De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri;* et illud Iob cap. 13. 28. *Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.* Sicut enim vestis gignit tineam quæ ipsam consumit, ita corpus mortale ex se gignit humores putidos qui illud corrumpunt; mortem enim gestamus in visceribus. Sic ira irascentem perdit, dum facit eum in gladios et mortem ruere: sic libido libidinosum, et omne scelus sceleratum trudit ad ardores gehennæ.

Vers 12. ET ERUNT POPULI QUASI DE INCENDIO CINIS.) q. d. Peribunt et comburentur Assyrii quasi spinæ collectæ, ut per ignem vertantur in cineres. Vatabl. vertit: *Eruntque populi ut incendia calcis,* id est, similes lapidibus qui excoquuntur ut fiat calx.

Tradunt Hebræi, Assyrios ab Angelo igne occulto esse exustos, v. g. peste, ut tradit Berosus apud Ioseph lib. 10. cap. 2. Et sane illud innuit Isaias, cum toties eis ignem intentat.

SPINÆ.) Id est, erunt quasi spinæ. Hebræi enim sæpe subaudiunt notas similitudinis, *sic, sicut, quasi.*

Vers 13. AUDITE QUI LONGE ESTIS.) Est hic post tantam stragem Assyriorum exclamatio, qua digrediens ad Iudæos aliasque Gentes, monet eos, ut Deum Deique vindictam ac ignem, præsertim æternum, timeant.

Vers 14. CONTERRITI SUNT IN SION PECCATORES.) q. d. Iudæi aliqui hypocritæ et impii territi sunt videntes tantam cladem Assyriorum, ac timuerunt ne Deus ipsosmet, utpote impios, pari furore plecteret: optassent ergo Deum non habere tam vicinum: quibus respondet Deus, eos, si ignem illum Dei temporalem effugiant, in incendia gehennæ æternæ ruituros. Ita Adamus et Forerius. Ubi moraliter Nota: qui cum Deo habitare vult, sciat eum esse ignem urentem et consumentem quidquid in homine carnale est et vitiosum: quare qui hunc ignem pati non vult, ei paratur ignis æternus. Hunc sensum videntur exposcere verba: ait enim: *Conterriti sunt*, non, cæsi aut combusti.

Secundo tamen, S. Thomas, Hugo et Sanchez hæc referunt ad Assyrios, qui a Deo perterriti et cæsi sunt in Sion, id est, iuxta Sion: iidem vocantur hypocritæ, id est peccatores. Omnis enim peccator bonus videri vult, cum sit malus: ideoque est hypocrita. Rursum hypocritæ, inquit Sanchez, quia, cum post debellatos Æthiopes appellerent Ierusalem, agerentque personam triumphantium; ea tamen ficta et personata fuit. Nihil enim habuerunt præter inanem speciem fortitudinis, et vanissimos sonitus triumphantium.

A

QUIS POTERIT HABITARE DE VOBIS CUM IGNE DEVORANTE?) Sicut in publico reorum supplicio concionator, qui reum ducit, populum rei supplicio adhortatur ut scelera caveat, ne in similem pœnam incidat: ita Deus hic ex strage et igne Assyriorum monet omnes impios, q. d. Spectastis ignem temporalem, qui quasi momento necavit Assyrios: verum hoc spectaculo sapite: quod enim contigit Assyriis, hoc imo longe gravius, continget post mortem omnibus impiis: in illos enim iræ divinæ ignis non terrenus, sed infernalis; non temporalis, sed æternus desæviet, ut semper in æternis gehennæ incendiis sint volutandi, nec tamen incinerandi, uti Assyrii, sed vivi semper permansuri et arsuri. Ita S. Hieron. Procop. et alii.

Nota. Deus dicitur hic ignis devorans peccata et peccatores; quia est causa ignis inferni, qui aduret damnatos. Aliter Vatablus, ut sit vox Iudæorum, q. d. Quis pugnabit pro nobis contra hunc exercitum Assyriorum, qui ut ignis omnia devorat et perdit, quemque, vexilli loco, antecedit ignis? ignis enim in prunariolo præferebatur castris, et regibus Assyriorum, Babyloniorum et Persarum, uti ex Xenophonte, Curtio et Tertull. docet Sanchez: sed hic exercitus non potest vocari *ardores sempiterni.*

B

QUIS HABITABIT IN VOBIS CUM ARDORIBUS SEMPITERNIS?) Quis est hic ignis devorans? qui ardores sempiterni? Dicant damnati, qui eos experiuntur, qui in iis versantur. Dic ergo, o Iuda, o Caipha, o Herodes, o Pharao, o Cæsar, qui sunt tui ardores sempiterni? quæ est tua misera et pœnosa æternitas? Cruciamur igne et sulphure, et fumus tormentorum nostrorum ascendit in sæcula sæculorum. O si daret Deus nobis unicum votum nostrum, nimirum impleat totum universum a terra usque ad cælum empyreum quaquaversum arena minutissima (unica nux capit decem millia arenularum, sive granulorum arenæ) dicatque S. Michaeli, ut singulis mille annis unum granulum auferat: et cum hoc modo per innumera millia, imo milliones annorum, omnes has arenulas abstulerit, totumque orbem exhauserit, ut tunc unum gradum pœnæ, imo minimum quid pœnæ nostræ pariter auferat: ac rursum creet alium mundum, æque magnum, rursumque arenulis impleat, dicatque S. Michaeli, ut singulis mille annis granum auferat, et cum totam hanc molem arenarum totius orbis abstulerit, tunc secundum gradum pœnæ nostræ demat: creet tertio alium mundum; quarto, quinto alium et alium, faciatque similiter, demum creet tot mundos, quot granula arenæ possunt esse in hoc mundo eosque singulos totidem arenis usque ad summum impleat; et cum singulis mille annis unum granum auferendo, omnes hosce cumulos, omnes hosce mundos exhauserit, tunc finiatur æternitas nostra, desinant pœnæ; et, si nolit nos beare, saltem non cruciet, imo in nihilum nos redigat. Hoc si detur nobis, gaudebimus, exsultabimus, feremus crucem nostram libenter, gehennæ incendia patiemur, donec arenæ istæ omnes consumptæ sint. Sed frustra optamus. Post omnes hosce arenarum montes, imo mundos, necdum finis, necdum medium, necdum principium æternitatis nostræ, incendii nostri. Post hæc omnia annorum millia et milliones, æque magna, æque longa, æque integra, æque infinita restat æternitas nostra, nobis luenda in igne perpetuo.

Moral. de æternitate gehennæ.

C

D

Manet, æternumque manebit
Iudicium Iudæ, spretique iniuria Christi.

O Æternitas, quam immensa, quam incomprehensibilis es! o Æternitas, quam raro versaris in mentibus hominum! quamdiu terra erit terra, quamdiu cælum erit cælum, quamdiu angeli erunt angeli, quamdiu Deus erit Deus; tamdiu Iudas et damnati ardebunt in igne sulphurante, in flammantibus incendiis et tormentorum eorum non erit finis in sæcula sæculorum. Hoc cogita dum te titillat gula, libido, ambitio; dicito: non sum tam stultus, ut gutta, ut momento uno fœdæ voluptatis emam æternitatem dolorum, æternitatem pœnæ, et seræ heu nimis pœnitentiæ: quia non sunt condignæ voluptates, deliciæ et veneres huius temporis ad futuram pœnam quæ revelabitur

in damnatis. Quod enim momentaneum est et leve voluptatis ebriorum, superborum, libidinosorum, æternum tormentorum pondus operatur in eis. Vere S. Aug. ser. 1. de S. Laurentio: *Quis, ait, nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium?* S. Bernard. ad sororem de Modo bene vivendi serm. 67. ei hoc contra luxuriam efficax remedium præscribit; *Memoria*, ait, *ardoris gehennæ exstinguat in te ardorem luxuriæ.*

Abbas Olympius cum cellam perexiguam incoleret, quam et æstus impetebat, et ciniphum aculeata turba, rogatus qui in ea tanto tempore moraretur? *Libenter*, inquit, *ista tolero, ut futuris cruciatibus eripiar. Ciniphes quippe perfero, ut immortalem effugiam vermem; ignem vero, sempiterni ardoris supplicia perhorrescens.* Ita Sophron. in Prato spir. c. 141.

Vener. Beda in hist. Anglorum refert senem quemdam vitæ restitutum in eremum concessisse, ubi super hominem austeram et religiosam vitam duxit. Increpabant eum vicini, quod se enecaret, quibus ille in lacrymas solutus: *O utinam vobis datum esset ea videre, quæ ego vidi! certo certius affirmo. has pœnas nihil esse ad æternas illas, quas vidi.*

In Vitis Patr. l. 7. p. 44. duodecim Anachoretæ convenientes in unum dixerunt quisque suam meditationem, et stimulum quotidianum ad virtutem. Tandem duodecimus auditis undecim dixit: *Vos estis terreni angeli, et cælestes homines. Ego vero his me indignum iudicans, in infernum adiudicavi meipsum dicens: Esto cum his quibus dignus es; istis post modicum annumeraberis. Video ergo ibi pares gemitus, et incessabiles lacrymas, quæ a nullo referri queunt. Aspicio quosdam stridentes dentibus, et salientes toto corpore, et trementes a capite usque ad pedes. Et iactans me super terram et amplectens cinerem deprecor Deum, numquam casuum me illorum experimenta accipere. Video et mare ignis bullientis immensibile, et circumflentes et mugientes, ut putent aliqui usque ad cælos attingere fluctus ignis, et in tremendo illo mari innumerabiles homines deiectos ab agrestibus; et una voce omnes illos clamantes et ululantes simul, quales nemo super terram ululatus et voces umquam audierat: et sicut arentia omnis virgulti cremare: misericordia Dei se avertente ab illis propter iniustitias eorum. Et tunc lamentor hominum genus, quod audeat loqui vel cuilibet attendere, tantis mundo repositis malis. Et in his teneo mentem meam, luctum meditans, quod ait Dominus, indignum me cælo et terra iudicans, reputansque quod scriptum est: Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.*

Alius quidam insignis Abbas in eremo rigide vivens; rogatus; *Quomodo sustines laborem hunc?* respondit: *Totus labor temporis mei, quem hic sustineo non est idoneus comparari ad unam diem tormentorum, quæ peccatoribus in futuro sæculo præparantur.* Ibid. l. 5. c. 7. de Patientia.

Theodoretus in Philotheo, c. 28. narrat se vidisse Thalelæum, qui cum maximo esset corpore, inclusit se rotæ, quæ alta erat cubitos duos, lata unum; ita ut collum non posset erigere, sed semper sederet incurvatus faciem habens annexam genibus: itaque iam sederat decem continuos annos. Rogavit eum Theodoretus, *Cur se ita affligeret?* Respondit: *Ego multis peccatis sum obnoxius, et audivi pœnas, quæ iis in futuro parantur: elegi ergo potius hic corpus castigare mediocri pœna, quam expectare illas longe maiores, tum quantitate, tum qualitate. Illæ enim involuntariæ sunt; quod autem invitus quis patitur, hoc longe molestius est eo quod sponte et volens quis subit. Voluntas enim facit, ut pœna sit minor, imo ut grata sit et allubescat.* Denique hæc profundo crebroque meditans B. Isaias Abbas, tom. 2. Biblioth. SS. Patrum orat. 29. ita lamentatur: *Væ nobis, quibus per ignem super maris undas ebullientem est transeundum, ut unusquisque nostrum in suo corpore accipiat prout gessit, sive bona, sive mala.*

Væ nobis, qui tenebrosum illud, et materiæ expers incendium, æternumque atque amarum fletum, et stridorem dentium non consideramus. Ablata enim flammæ splendore, Deus in illo igne relinquit urendi vim et obscuritatem, quo magis impii et peccatores crucientur.

Hei mihi, misera anima mea, quoniam assiduus dolor et cruciatus cor meum affligit, quia malitia prudentiam immutavit, corruptio vicit incorruptionem, mendacium texit veritatem, mors vita superior fuit: terrena, caduca, brevia cælestibus et sempiternis sunt commutata: abiecta et odio digna, vera Christi charitate et gravitate dulciora sunt habita ac iucundiora.

Væ nobis, qui post conscriptas lamentationes, et fine mundi iam adventante, nec resipiscimus, nec eorum quæ in adolescentia commisimus pœnitentiam agimus, sed miseræ senectuti maiora et graviora in dies imponimus onera peccatorum.

Qui ambulat in iustitiis.) Dat hic modum evadendi ignem devorantem et ardores sempiternos; si videlicet quis ambulet in iustitia, etc. Porro omnia hæc pendent et explentur vers. seq. ut ibi dicam. Vers. 15.

Qui proiicit avaritiam ex calumnia.) Hebr. *Qui spernit opes oppressionum*, id est, opes, quæ avare per vim et calumniam extorquentur. Ita Vatablus.

Et excutit manus suas ab omni munere.) *Tres sunt acceptiones munerum*, inquit S. Gregor. 9. Moral. 26. *ad quas ex fraude festinatur: munus namque a corde, est gratia captata a cogitatione; munus ab ore, est gloria per favorem; munus ex manu, est præmium per dationem. Sed iustus ab omni munere manus excutit: quia in eo quod recte agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec a manu recipere donationem quærit.* Hic sensus symbolicus est et moralis. Ad litteram enim Isaias ait de iudicibus et similibus, qui non accipiunt munera, quæ illiciunt ut feratur sententia contra vel præter iustitiam.

Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem.) Hebr. *sanguines*, id est cædes, id est homines improbos de cæde patranda loquentes et consultantes. Aliter Sanchez, q. d. Ne audiat carnem et sanguinem, id est, ne carnis concupiscentiæ obediat.

Sic et S. Gregor. 23. Moral. 25. *Quid est*, inquit, *obturare aures suas ne audiat sanguinem, nisi peccatis suadentibus, quæ de sanguine et carne nascuntur, non præbere consensum? Iste in excelsis habitabit: quia quamvis cum adhuc caro in inferioribus retinet, mentem iam in sublimibus fixit. Munimenta saxorum sublimitas eius: quia qui obiecta desideria terrenæ conversationis calcat, ad supernam patriam per præcedentium patrum exempla se sublevat. Et quia per contemplationis donum gratia spirituali satiatur, apte subiungitur: Panis ei datus est, id est refectionem spiritualis gratiæ percipit, qui se a bonis infimis cælestia sperando suspendit.*

Et claudit oculos suos ne videat malum.) Id est qui omne, quod rectitudini adversum est, non approbat, inquit S. Gregor. loco iam citato: *videat* ergo, id est videndo approbet. Est metalepsis, q. d. Tali recto, iusto et probo viro Deus formidabilis non erit, nec infernus timori; quia talis

In excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius.) q. d. Habitabit in loco sublimi, instar saxi, fortissimo et munitissimo, puta in cælo et Ecclesia triumphante: mystice in Deo et in Christo, qui, ut ait Cyrill. et Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 31. est petra super quam fundata est Ecclesia, *super montes*, id est super doctrinam Apostolorum. Unde Vatabl. pro *sublimitas eius*, vertit, *asylum*, vel *perfugium eius*. Vers. 16.

Panis ei datus est. aquæ fideles.) Id est, iugiter manantes, quæ numquam deficiunt et fallunt. Chald. vertit: *Cibus sufficiens datus est ei*, q. d. Nihil Beatis deerit, qualia sunt cibus et potus, quæ in hac vita maxime necessaria sunt ad vitam tuendam. Est catachresis: Beati enim proprie non egent cibo et potu, nec comedunt et bibunt; sed Deus alet, id est, conservabit eos sine cibo per se, et per gloriam ac dotes gloriosas in æternum.

Aliter S. Cyrill. et Procop. Panis, inquiunt, est Christus, aqua est Sacramentum baptismi: hæc duo numquam in Ecclesia deficient. Et Iustinus contra Tryphon. Panis,

ait, est Eucharistia. Sed hæc symbolica sunt, non litteralia.

Vers 17 REGEM IN DECORE TUO VIDEBUNT.) Rabbini sic exponunt: Pii Iudæi videbunt regem Ezechiam cum gloria exultantem cæso Sennacherib. Verum hic sensus exilis est, ad eum tamen alludit: nam proprie agit de Beatis, ut patet ex antec. et seq. q. d. Beati videbunt Deum, aut potius Christum regem suum, iam post crucem et mortem gloria et honore coronatum: quæ visio mire eos recreabit. Hæc enim omnia de gloria Beatorum optime accipiunt Procop. Iustin. contra Tryphon. Prosper de Prædict. p. 3. c. 2. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos c. 28. licet Tertull. lib. contra Iudæos referat hæc ad gloriam et miracula Christi, dum hic viveret. Vide ean. 9.

CERNENT TERRAM DE LONGE.) q. d. Beati e cælo empyreo eminus respicient et despicient terram quasi punctum in quo homines ambulant quasi formicæ, quodque inter eos ferro et igni dividitur. Sane quotquot ibi sunt intuentur vastissimas illas cælorum machinas tot ocellis quot stellis fulgidissimis radiantes, et maxime spectant amplissimum, et omni genere rerum pulcherrimarum et præstantissimarum instructissimum cælum empyreum: unde despicantur terræ exilitatem, vident et rident hominum labores et studia, quod muscas captent, quod rixentur de lana caprina, quod de terræ puncto in mille particulas secando concertent usque ad sanguinem et mortem, dicuntque:

O quam angusti sunt mortalium termini!
O quam angusti sunt mortalium animi!

Vers 18. COR TUUM MEDITABITUR TIMOREM.) Est conclusio præcedentium, q. d. O Sion, vel quisquis meditaris ea, quæ dixi de ardoribus sempiternis, de habitatione in excelsis, etc. si ea serio expendis, sane concipies, inde salubrem timorem tum ignis istius, tum Dei vindicis. Pro *meditabitur*, græce apud Septuag. est μελετάω, id est studiose et serio cogito, expendo, curo, exerceo me in affectu timoris Dei, per huius ignis meditationem in me excitando.

UBI EST LITTERATUS?) q. d. Suasi meditationem timoris; quia sine eo frustranea et evanida est omnis scientia, sapientia, meditatio; ubi enim sunt magni et celebres illi litterati, periti in lege, et doctores gloriantes in inani sua scientia? ubi est Lycurgus, Aristoteles, Plato, Socrates, Cicero? ubi est Annas, Caiphas, Scribæ et Pharisæi, partim qui ante, partim qui post Isaiam vixerunt? sane evanuerunt in sua vanitate et superbia, ideoque regem in decore suo non videbunt, sed ad ignem devorantem ibunt. Citat hunc locum S. Paulus 1. Corinth. 1. 20. Vide ibi dicta.

Aliter Pagninus et Vatablus vertunt, scilicet: *Ubi scriba? ubi appensor? ubi numerator turrium?* q. d. Iudæi timidi et politice sapientes, qui suadebant deditionem faciendam Assyriis, eo quod numerantes et appendentes munitiones Hierosolymæ eiusque cives, putarent eos non esse resistendo; hi ubi sunt? fugerunt ad Assyrios, cum eisque vel perierunt cæsi ab Angelo, vel trepidi profugerunt in Assyriam.

Vers 19. POPULUM IMPUDENTEM (male Plantin. legunt *imprudentem*) NON VIDEBIS.) Redit ad v. 17. quasi post parenthesin v. 18. redit, inquam, ad Sionem cælestem. Alludit autem ad Assyrios, qui impudentes erant, arrogantes et peregrina lingua loquebantur Iudæis, ut patet c. 36. et c. 37. q. d. Hos deinceps non videbis, o Ezechia, o Iudæi; eos enim auferet Deus. Verum per hoc vult significare ea quæ fiunt in cælo, q. d. O Sion cælestis, o Beati, non videbitis ibi homines impudentes, superbos, barbaros, quos non intelligatis, sapientia destitutos, quales in hac vita Assyrios aliosque homines sæpe cum dolore experti estis: omnes enim cæli cives erunt benigni, humiles, affabiles, sapientes; cum his erit ibi conversatio vestra, o quam suavis, quam iucunda! Ad cælum enim ab inferno avolavit Propheta v. 16. et deinceps. Idem patet ex versu sequenti.

S. Hieron. et Haymo hæc quoque non male referunt ad Ecclesiam militantem, q. d. O fideles, o Christiani, in Christi Ecclesia non videbitis, non curabitis, imo superabitis, deprimetis et confundetis impudentes Scribas, Pharisæos, et Philosophos ac oratores Gentilium, qui sibi sophi, et alta sapere videntur. Nam horum sapientiam sæcularem stultam esse, esseque insipientiam ostendet Deus per Christum et Apostolos, qui demonstrabunt veram sapientiam sitam esse in Christo crucifixo.

POPULUM ALTI SERMONIS.) Hebr. *Populum profundum sermone ab intelligendo*, id est cui sermo est obscurior, ut non intelligas *disertitudinem linguæ*: Hebr. נלעג *nilag*, id est blæsum vel balbum lingua.

RESPICE SION. Vox *Sion* potest esse accusativi casus, Vers. 20.
aut vocativi, unde sequitur: *Oculi tui*, scilicet, o Sion, *videbunt*, q. d. o Sionidæ, o Israelitæ veri, respicite CIVITATEM SOLEMNITATIS VESTRÆ.) Hæc civitas, primo, cum S. Hieronymo accipi potest Ecclesia militans: hæc vocatur *civitas solemnitatis*: quia Christiano et iusto quivis dies feria est, et solemnitas hac sabbatum, ut uni Deo serviat et vacet.

Secundo, significatur perpetua Ecclesiæ firmitas, et firma perpetuitas per clavos et funiculos, per quos speciatim Theodor. accipit Martyres et Apostolos, qui sua morte corpus terræ, animam cælo, virtutis exemplum posteris consignando, firmant Ecclesiam, sicut funes in terram per clavos adacti, et sursum per tabernaculi latera diducti, illud stringunt et firmant. Unde S. August. in Psal. 33. explicans illud: *Extendens cælum sicut pellem*: post mortem, ait, mortuorum Apostolorum extensa est pellis, et cælum, id est doctrina cælestis. Nam tunc innotuit eorum veritas, virtus et sanctitas. *Extendit ergo cælum sicut pellem, quia doctrina pellibus scripta est, et tenditur, et sicut pellis, sic et tenditur sermo mortuorum: propagatur enim Ecclesia per martyria, et sanguis Martyrum est semen Christianorum*, inquit Tertullianus.

Tertio significat Ecclesiæ charismata, cum ait, quod Deus eius erit rivus, fluvius et fons uberrimus.

Quarto, significat eius munimen, cum ait, quod per eam non transibit navis, aut trieris hostilis: quia Dominus eius iudex, id est vindex est contra diabolum.

Verum S. Cyrillus, Procopius, Adamus et alii passim, melius referunt hæc ad Ierusalem cælestem; eam enim opposuit inferno v. 16. Unde ait: Respice, vel suspice cælum, vive memor cæli, vive quasi viator tendens in cælum; ac proinde cælestis sit tua vita, cælestis cogitatio, ut in omnibus actibus tuis cælum spectes, et cælestia spires. Cum ergo arduum quid occurrit, cum tentatio ingruit, cum crux gravior imponitur, respice civitatem cælestem; dicito: Feram, patiar, superabo quævis dura et aspera: *Sic itur ad astra.*

Ecclesiam ergo triumphantem vocat, primo: *civitatem solemnitatis nostræ*; quia in cælo erit perpetua solemnitas, perpetuum iubilæum, perpetua laus et melodia Dei. (Conditiones cæli quinque.)

Secundo, vocat eam *Ierusalem*: id est visionem pacis.

Tertio, *habitationem opulentam*; quia omni decore, gratia, gloria, opibus omnibus abundat.

Quarto, *tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit*, id est firmum, stabile perpetuum; cum hic domus nostræ et palatia temporanea sint, et cum tempore finem accipiant; hoc enim per catachresin significant clavi et funiculi; nam alioqui patet hos in cælo non esse, nec fore. Causam dat: *Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster*, q. d. Unus est ibi princeps et rex, scilicet Dominus, cuius omnia sunt magnifica, qui omnia sub se in pace et concordia, æque ac in firmitate et duratione conservat et perpetuat. Secus fit in terris, ubi plures volunt esse magnifici, plures principes, tumque potentior vel callidior inferiorem evertit, uti monarchiæ omnes eversæ sunt.

Quinto, *locus fluviorum rivi latissimi et patentes*, q. d. In Ierusalem non terrestri (hæc enim laborabat aquarum penuria) sed cælesti, erit ingens fluvius, instar plurium fluviorum, ex quo rivi latissimi et patentes in omnem partem defluent; neque tamen per eos ulla navis, aut triremis hostilis transibit, quæ urbis pacem turbet, vel opes diripiat. Aliter Sanchez, q. d. Civitas illa omnibus rebus

abundat: ergo non desiderabit tricrides et remiges, qui ad beatorum civium usum et gaudia merces opportunas comportent. Alludit ad fluvium paradisi, qui in quatuor rivos et capita dividitur, Genesis 2. unde tam eo, quam huc alludens S. Ioannes Apocal. 22. ait: *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* Fluvius hic significat exuberantiam donorum, gaudiorum et voluptatum, quæ Deus et Christus in Beatos effundent.

Fluvius aquæ vitæ, est visio Dei.

Dicitur fluvius *aquæ vitæ*, vel, ut alii legunt, *vivæ*, qui semper ex se, quasi ex vitali corde aut hepate, effundit aquam, sive qui semper fluit et numquam deficit, qui, si urbem permeet, magnam illi amœnitatem et utilitatem affert; unde dicitur: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Talis ergo fluvius in cælo erit visio beatifica, per quam Deus se, suaque omnia bona Sanctis communicat, suaque gaudia in eos effundit; unde Psal. 35. dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos;* et Isaiæ 66. *Declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam.*

Vers. 22 DOMINUS ENIM IUDEX NOSTER.) Causam dat præcedentium, cur scilicet Sion cælestis pace, opibus et rebus omnibus sit abundatura; quia scilicet Deus ibi erit iudex, legislator et rex, qui eam in perpetuum tuebitur et servabit: Deo autem quis resistet? quis eum lacesset?

Vers. 23. LAXATI SUNT FUNICULI TUI.) Septuag. et Chald. vertunt: *Rupti sunt funiculi tui:* Vatablus: *Laxati sunt rudentes tui, ut nec malum suum firmiter retinere, nec velum expandere possint.* Redit Propheta ad argumentum capitis, puta ad tempora Ezechiæ et Sennacherib, q. d. Laxabuntur quidem tabernaculi tui, o Sion, funes ab Assyriis, adeo ut convellendum videatur, id est terrore Assyriorum concutientur civium Hierosolymæ animi, ut deditionem cogitent; et *non prævalebunt*, scilicet Assyrii tibi, ait Sanchez; vel potius funiculi tui Assyriis; non poterunt eos urbe arcere. Sic malus ille, qui quasi statumen tabernaculi molem sustinet, pronus procumbet, ut in eo militare signum dilatare, id est explicare non possis: hoc est regis Ezechiæ, qui erat quasi columen Reip. vires ita concisæ et prolapsæ sunt, ut exercitum in tutelam urbis cogere et instruere non possit: quo significat reliquas urbes Iudææ fuisse captas a Sennacherib, ut inde rex milites et opem evocare non posset, ad Ierusalem obsidione liberandam.

Verum tunc fiet subito mira fortunæ conversio: nam Assyrii, qui ad prædam Iudæorum inhiabant, cæsi ab Angelo, prædæ et spoliationi erunt Iudæis: quæ adeo facilis et obvia erit, ut etiam claudi ad illam procurrant, nec ullus vicinus, id est civis et habitator urbis (hoc enim est hebr. שׁכן *sciachen*) se a spoliatione excuset, dicens: *Elangui*, id est langueo, non possum ire spoliatum Assyrios, quia *auferetur ab eo iniquitas*, id est iniquitatis pœna, puta infirmitas, captivitas, obsidio et oppressio hostium. Ita Sanchez.

Secundo, sub hoc quasi typo allegorice, et potius loquitur de ruina Synagogæ Iudæorum tempore Christi, q. d. Rumpentur funiculi, id est sustentacula tua, o Synagoga, *et* (sic enim legendum cum Roman. non *sed*, ut habent Plantiniana) *non prævalebunt*, id est non poterunt illud sustinere: habebit quidem malum sive statumen aliquod, sed tale, ut non possis expandere velum, q. d. Plane arctabitur Ierusalem, concidet, vastabitur et desolabitur a Tito. *Tunc dividentur spolia*, id est, cum corruerit Synagoga, tunc Gentes cæcæ et claudæ in via virtutis et salutis diripient prædas et spolia Iudæorum, id est charismata patribus promissa, id est succedent in benedictionem Abrahæ, Isaac et Iacob promissam. *Nec dicet vicinus: Elangui*, id est nemo dicet se languidum, omnes validi erunt in Christo: tuncque a populo eius Hierosolymæ, scilicet non terrenæ, sed spiritualis puta Ecclesiæ, *auferetur iniquitas:* non enim lex Mosis, sed Christi gratia confert remissionem omnium peccatorum. Ita Adam.

Aliter hæc accipiunt Chaldæus, Vatablus, Forerius, Procop. et alii, scilicet non de Iudæis, sed de Sennacherib et Assyriis: rursum, funiculos et malum accipiunt non tentorii, sed navis, quasi comparet hic castra Assyriorum navi quæ naufragium vitare nequit. Videtur enim pergere Isaias in metaphora navis hostilis, de qua immediate ante dixit: *Non transibit per eum navis remigum, neque trieris.* Unde Forerius: *Quia*, inquit, *tyrannos navibus, quæ vento, inflatis velis aut remigiis, feruntur comparaverat; hinc in metaphora persistens ad Assyrium convertitur, per cuius interitum ruinam diaboli et ministrorum ipsius intelligit: ipsiusque regem malo in navi comparat; principes vero eius, funibus qui malum confirmant: instructas vero acies militum, velo ventis inflato: totum denique Assyriorum exercitum navi comparat.* Est ergo metaphora a navi, quæ cum fatiscit et solvitur, laxantur et rumpuntur rudentes vi tempestatis, inquit Procopius; navis enim hic est tyrannis hostium; malus, est rex; funes qui eum sustinent, sunt duces et principes; velum sunt instructæ acies militum, ait Vilalpando in Ezech. 27. p. 10. Sensus ergo est, q. d. Laxati sunt funiculi tui, id est sustentacula tua, o navis et trieris hostilis, id est, o congregatio Assyriorum, id est dæmonum, infidelium et impiorum; ac consequenter non prævalebunt, sed rumpentur, ita ut ad malum signum, id est velum extendere non queas vento, nec vexillum militi: utrumque enim significat vox *signum*, q. d. Omnino peribis cum tuis, et ibis in interitum, tum tempore Christi et Apostolorum, tuncque multi claudi, id est multi infirmi et imbelles, multarum Gentium spolia divident, et Ecclesiæ militanti distribuent. Tum potius peribis in die iudicii, cum Beati olim infirmi et claudi, iam validi et potentes, dæmones et impios protrudent in tartara, et de iis triumphabunt: itaque quasi eorum spolia divident. Hic sensum est probabilis et congruus, nec priori cedit nisi in expositione distributionis prædæ, quæ proprie Beatis non competit, sed Apostolis et Ecclesiæ militanti; tropice tamen Beatis competit. Sic enim Psal. 109. v. 6. et 7. et alibi dicuntur iidem calcaturi, bibituri, et manus suas loturi in sanguine reproborum.

Quocirca Auctor imperfecti apud S. Chrysost. tom. 2. hom. 23. in Matth. in fine, per navim hanc maris, id est non Dei, sed sæculi, accipit Ecclesiam hæreticorum. *Quæ licet*, inquit, *habeat prædicationem Dominicæ crucis, invalidam tamen hanc arborem eius ostendit; quia ubi non est veritas fidei, infirma crucis assertio est: unde inclinata et laxata vela eius sunt ostensa, quod nullo flatu sancti Spiritus diriguntur. Et ideo hæc navis, amisso veræ fidei gubernaculo, dominantibus adversis spiritibus, in naufragium mortis æternæ demergitur, quæ gubernari a Christo Domino non meretur, fitque præda dæmonibus et gehennæ.*

CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex clade Sennacherib assurgit, et avolat de more ad excidium orbis in fine sæculi, ut ex Assyriorum clade discant omnes impii, quanta eis strages obventura sit in die iudicii, si eorum scelera imitentur, nec resipiscant. Rursum v. 5. alium excidii orbis typum proponit, scilicet excidium Idumææ; tunc enim simili, imo maiori supplicio plectentur omnes reprobi quo olim Idumæi, scilicet igne, pice et sulphure, ut ait v. 9. et desolatione perpetua, ut ibi habitent onocentauri, fauni, lamiæ, etc. uti ait v. 11. et sequent.

1. ACCEDITE, gentes, et audite, et populi attendite: audiat terra, et plenitudo eius, orbis, et omne ger-
men eius. 2. Quia indignatio Domini super omnes gentes, et furor super universam militiam eorum: in-
terfecit eos, et dedit eos in occisionem. 3. Interfecti eorum proiicientur, et de cadaveribus eorum a-
scendet fœtor: tabescent montes a sanguine eorum. 4. Et tabescet omnis militia cælorum, et complicabuntur sicut
liber cæli: et omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea et de ficu. 5. Quoniam inebriatus est in
cælo gladius meus: ecce super Idumæam descendet, et super populum interfectionis meæ ad iudicium. 6. Gladius
Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum, et hircorum, de sanguine medullato-
rum arietum: victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom. 7. Et descendent unicornes cum
eis, et tauri cum potentibus: inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium: 8. Quia dies
ultionis Domini, annus retributionum iudicii Sion. 9. Et convertentur torrentes eius in picem, et humus eius
in sulphur: et erit terra eius in picem ardentem. 10. Nocte et die non extinguetur, in sempiternum ascendet fu-
mus eius: a generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam. 11. Et
possidebunt illam onocrotalus et ericius: ibis et corvus habitabunt in ea: et extendetur super eam mensura, ut re-
digatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem. 12. Nobiles eius non erunt ibi: regem potius invocabunt,
et omnes principes eius erunt in nihilum. 13. Et orientur in domibus eius spinæ, et urticæ, et paliurus in muni-
tionibus eius: et erit cubile draconum, et pascua struthionum. 14. Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus
clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem. 15. Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit
catulos, et circumfodit, et fovit in umbra eius: illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum. 16. Requirite dili-
genter in libro Domini, et legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit: quia quod ex ore meo
procedit, ille mandavit, et spiritus eius ipse congregavit ea: 17. Et ipse misit eis sortem, et manus eius divisit
eam illis in mensuram: usque in æternum possidebunt eam, in generationem et generationem habitabunt in ea.

Vers. 1 ACCEDITE, GENTES, ET AUDITE.) Hugo, Lyran. et Castrius ex Theodor. et Origene hæc omnia ad excidium Iudæ referunt; nam v. 8. dicitur, *Annus retributionum iudicii Sion*. Verum obstant hic ipsa verba; ait enim: *Indignatio Domini super omnes Gentes;* et: *Audiat terra et plenitudo eius; orbis, et omne germen eius.*

Dico ergo Prophetam loqui de extremo iudicio et consummatione sæculi; tunc enim omnes gentes interibunt. Ita S. Hieron. Cyrill. Procop. et S. August. lib. 13. Confess. cap. 15. et Euseb. lib. 11. de Præpar. Evangelii cap. de Innovatione mundi; ubi addit Platonem hunc Isaiæ locum in sua scripta transtulisse.

Vers. 2. INTERFECIT EOS.) Omnes gentes, partim per ignem conflagrationis mundi, partim per plagas illi prævias.

Vers. 3. ET DE CADAVERIBUS EORUM ASCENDET FOETOR.) Alludit ad cadavera Assyriorum cæsorum ab Angelo, quæ computruerunt et fœtuerunt. Talia quoque erunt in fine mundi partim in præliis, partim alibi a Deo cæsa.

TABESCENT MONTES A SANGUINE EORUM.) q. d. Tanta erit cæsorum copia, ut ex eorum putredine, sanie et tabo, montes quoque tabem contrahant.

Secundo, q. d. Tot cædentur, tantus fundetur sanguis, ut montes sanguine solvantur et defluant. Unde Vatablus et alii vertunt: *Præ cruore montes colliquescent*. Est hyperbole.

Tertio, Sanchez: *Montes*, ait, id est principes, æque ac plebei iacebunt insepulti, et tabescent ac putrescent voluta:i in sanguine *eorum*, id est suo. Hebræi enim idem habent pronomen reciprocum et absolutum.

Vers. 4. TABESCET OMNIS MILITIA CÆLORUM.) *Militia* sive milites *cæli* sunt sol, luna et sidera. Primo, S. Thomas, Hugo, Vatabl. Lyran. et alii per hyperbolem sic exponunt: Tanta erit calamitas, ut videatur quasi cælum perire; tanta erit afflictio eorum temporum, ut sibi videantur homines videre cælos, qui extensi sunt, complicari, contrahere et convolvere sese, atque stellas ipsas de cælo decidere. Simile est Ezech. 32. 4. Vide canon. 32.

A Secundo, S. Thom. Lyran. et Sanchez sic exponunt, q. d. Sub Christo tabescet et peribit siderum cultus et idololatria; tunc enim ea non colent, uti ante coluerunt, sed Deum et Christum: sicque cadent stellæ, id est dæmones, de cælo quasi divinitatis suæ, quam eis suo cultu tribuerunt idololatræ. Verum hic sensus alienior videtur et mysticus; agitur enim hic de consummatione sæculi.

Tertio, melius noster Hieron. Prado in Ezech. 1, pag. 19. in fine: *Cæli*, ait, *tabescent*, id est, defluent, ut stellæ, id est fulgura, de cælo cadant; vulgus enim cum fulgurat, videtur sibi videre quasi stellas de cælo cadere.

Quarto, et proprie, sol, luna et sidera sub diem iudicii commovebuntur, obscurabuntur, et lumen suum retrahent, ut videantur præ Dei indignatione tabescere, liquescere et dissolvi. Addunt alii, quod stellæ fixæ proprie ex cælo in terram decident. Ita S. Chrysost. et Maldon. in Matth. 24. (qui ait: Magis Christo id affirmanti, quam Aristoteli id fieri posse neganti, assentior) et Sibylla apud S. August. l. 18. de Civitate c. 23.

B *Eripitur, ait, solis iubar, et chorus interit astris:*
Solvetur cælum, lunaris splendor abibit.

Ex qua Ovidius lib. 1. Metamorphos. ita canit:

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Hoc est quod ait Christus Matth. 24. 29. *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo;* et S. Ioan. Apoc. 6. v. 12. iisdem verbis utitur, quibus Isaias hic iuxta Sept. *Sol*, ait, *factus est niger, tamquam saccus cilicinus: et luna tota facta est sicut sanguis: et stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus amittit grossos suos cum a vento magno movetur: et cælum recessit sicut liber involutus:* et cap. 8. v. 12. *Et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret pars tertia.*

Symbolice aliqui apud S. Hieron. per stellas accipiunt

dæmones qui versantur in aere, ut tentent homines, qui e cælo, id est ex aere hoc, ruent in infernum in die iudicii. De his enim vere dicitur id quod sequitur: *Quia inebriatus est in cælo gladius meus.*

Complicabuntur sicut liber cæli.) Alludit ad veterum libros, qui non erant per folia distributi, ut nostri, sed erant una charta vel membrana ex variis consuta, quam convolvebant circa cylindrum, uti nos convolvimus chartas geograficas. Cum enim eos legere volebant, evolvebant eam et explicabant: finita vero lectione, eam rursum convolvebant: hoc enim ipsis erat id quod nobis est claudere librum. Vidi tales duos Pentateuchi libros vetustos, hebraice scriptos in Bibliotheca Vaticana, quorum charta est pellis, sive pergamena cruda et pilosa.

Iam *cæli complicabuntur*, primo, quia Ethnici, ait S. Thom. et Lyran. in cælis ita turbatis, et quasi complicatis et convolutis, non poterunt amplius legere, nec prædicere futuros rerum eventus, q. d. Non divinabunt amplius ex astris et cælis, quasi ex libro prognostico.

Secundo, Dionys. Carthus. q. d. Non patebit amplius introitus in regnum cælorum, sed clausa erit ianua.

Tertio, et genuine, q. d. Sicut liber veterum cylindro complicatus et involutus, absconsis litteris legi non poterat: ita cælum eiusque stellæ quasi litteræ abscondentur atris nubibus et obscurabuntur, ut videri non possint, perinde ac si cælum esset complicatum et convolutum, imo ac si cælum evanuisset et in alium mundum recessisset, ut ait S. Ioan. Apoc. 6. Sicut enim cælorum creatio per pellem seu tabernaculum extensum (ut Psal. 103. *Extendit cælum sicut pellem*) significatur: sic eius obscuratio, quæ moralis quædam dissolutio est, innuitur per pellem et volumen complicatum, ait Sanchez.

Rursum, desinet notus cælorum usus, motus et influentia, sicut libro uti desinimus, cum eum complicamus, sive claudimus. Est enim metalepsis in verbo *complicabuntur*.

Ad hæc sicut libri, sive membranæ discissæ utraque pars in se replicatur et revolvitur, sic cælum fulguribus quasi discissum, in se, id est in partes adversas, revolvi et replicari videbitur, ait Prado, q. d. In fine mundi cæli et astra mutabunt suos aspectus et influentias; itaque omnia perturbabuntur. Deinde fulgetris, nubibus, cometis, stellis cadentibus, aliisque meteoris ita aer commiscebitur, ut cæli complicari et convolvi, omniaque perturbari et confundi videantur. Ita Adamus, Perer. in Apoc. 6. et passim Scholastici, qui cum S. August. 20. Civitat. 14. S. Hieron. in 51. Isaiæ, Greg. 17. Moral. c. 5. et aliis, censent cælum et astra mutanda et innovanda esse tantum secundum lucem aliasque qualitates, non autem secundum formam et substantiam. Nam Psal. 148. 6. dicitur Deus fundasse ea in sæculum sæculi; et quia secundum Aristot. et Philos. forma cælorum est incorruptibilis, idque Aristoteles deducit ex eo quod sit æterna. Censet enim ipse mundum fuisse ab æterno, imo increatum, uti nonnulli opinantur, in quo errasse eum clarum est.

Multi tamen Patres et recentiores, qui Philosophiam exigendam volunt ad sacras Litteras, non contra, volunt cælum et terram peritura etiam quoad substantiam, ac mutanda in aliud cælum novum et aliam teram novam. Id enim hic et alibi clarissime dici videtur, ut c. 51. 6. c. 65. 17. Apocal. 6. 14. et c. 21. 1. Ecclesiastici 17. 30. Ps. 101. 27. Matth. 24. 35. 2. Petri 3. 7. et 12. Ubi nota sacram Scripturam longe efficacius loqui de mutatione cælorum et elementorum, quam corporum beatorum in resurrectione, planeque significare longe maiorem fore mutationem illorum quam horum; quia illa substantialis, hæc tantum accidentalis erit. Accedit, quod cæli ex abysso et aquis facti sint, uti docui Genesis 1. 8. ergo non sunt plane incorruptibiles secundum formam, sed secundum materiam primam, secundum quam dicuntur permansuri in æternum. Idipsum confirmatur ex eo quod anno 1572. visa sit nova stella in Cassiopœia, quæ post biennium disparuit. Plures eiusmodi in cælis mutationes notarunt moderni astronomi; ex quibus proinde nonnulli hisce phœnomenis convicti censent cælos non esse solidos et

A duros, sed cedere, mutari, et secari ac dividi instar aeris; aerem tamen excellere subtilitate et præstantia; cælos enim esse æthereos, non aereos, esseque ipsum ætherem. Verum hoc alterius est quæstionis et loci.

Rursum, cum lux naturaliter quasi profluat ex essentia cælorum, tumque futura sit longe maior et nobilior, videtur pariter, quod ex alia forma substantiali nobiliore manabit. Nam lux tanta quanta tunc erit, non est connaturalis formæ solis quæ iam est. Ita sentiunt S. Chrysost. homil. 14. in epistol. ad Roman. et post eum Theodor. et Œcum. Iustin. q. 93. Ambr. l. 1. Hexam. c. 6. Basil. hom. 3. Hexam. Nyssen. l. de Creatione hominis cap. 24. Clemens l. 2. et 3. Recognit. Sibylla apud S. Aug. 18. Civit. 23. cum canit.

Tempora torpebunt, vidua omnia semina mundi,
Aer, terra, salum, lux ignis fervida, cæli,
Cardo, dies, noctes, consident omnia in ignes;
Et fiet species quam desertissima rerum,
Omnia namque cadent lucentia sidera cælo.

B Idem fuse docet Hieron. Magius l. 2. de Exustione mundi c. 6. et 7. et Valesius, Sacræ Philosophiæ cap. 89. et noster Molina tract. de Opere sex dierum disp. 3. Ignem enim posse agere in cælos eosque corrumpere, si non naturaliter, certe divina vi et operatione concedunt omnes; nec id negari potest, cum certum sit ignem inferni eadem vi agere in dæmones eosque urere, qui corpus non habent, sed sunt puri spiritus. Porro quod alibi ait Scriptura, quod cæli et terra in æternum stabunt, non repugnat huic sententiæ. Manebit enim eadem terra, idem sol, et iidem cæli generice; terra enim formam terræ, cæli formam cælorum genericam retinebunt, esto specifice aliam, eamque præstantiorem accipiant. Erit enim tunc totius mundi innovatio, reformatio et recreatio.

Philosophi tamen passim, et plerique Theologi Scholastici, inter quos est Franc. Suarez 3. p. q. 59. art. 6. disp. 58. sect. 2. et Conimbricens. lib. 1. de Cælo c. 3. q. 1. censent cælos accidentaliter tantum mutandos, non substan-C tialiter, ut dixi. Unde ad hanc et similes Scripturas, quæ contrarium videntur dicere, tres dant responsiones. Prima est, quasdam aiunt loqui hypothetice et comparative, ut illud Christi: *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Sensum enim esse, q. d. Citius cæli et terra transibunt, quam verba mea prætereant, et promissa mea fallant. Secunda est, per cælos intelligi aerem. Sic enim vocatur *volucres cæli*, id est aeris. Et sic intelligunt illud Sancti Petri epist. 2. cap. 3. vers. 7. *Cæli autem qui nunc sunt, etc. eodem verbo* (quo iussu Dei aquis diluvii obruti sunt, ut præcessit) *repositi sunt, igni reservati in diem iudicii.* Hoc bene: verum non satis convenit hæc expositio v. 10. et 12. ubi cælos opponit elementis; ergo per cælos non aereos, sed sidereos intelligit. Ait enim: *Cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur;* et efficacius v. 12. *cæli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent:* ubi coguntur ipsi per cælos accipere aerem summum; per elementa vero aerem, D aquam et ignem, qui in terra vel circa terram sunt. Tertia est, cum subdit ibi S. Petrus et Script. alibi: *Novos vero cælos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus;* hanc innovationem aiunt fore non substantialem, sed accidentalem: quia scilicet sol, luna et cæli maiori luce ornabuntur, magisque resplendebunt, ut participent aliquid de gloria Beatorum, quibus in hac vita servierunt. Utraque sententia est probabilis, gravesque habet auctores; prior sanctæ Script. posterior Philosophiæ Aristotel. est conformior. Utra sit verior, alibi pertractabitur.

Inebriatus est in cælo gladius meus.) Ebrietas Vers. 5.
copiam effusi sanguinis significat: sicut enim homo inebriatur multo vino, ita gladius multo sanguine quem fundit.

Primo, aliqui sic exponunt: Gladium, id est, acre supplicium, intentavi Lucifero et sociis eius apostatis, cum eos cælo deturbavi: quanto magis gladium meum distringam in homines terrenos, qui mihi reluctantur? Huc accedit expositio S. Hieron. qui hæc accipit de gladio iræ

Dei, quo ipse dæmones ex cælo hoc aereo in die iudicii deturbabit in tartara.

Secundo, Lyranus et Vatablus: *In cælo*, inquiunt, hoc est in decreto et ordinatione Dei, qui habitat in cælis, q. d. In decreto suo stabili et immobili iam decrevit Deus gladium suum exerere in peccatores.

Tertio, alii: *In cælo*, id est de cælo descendet hic gladius et desæviet in Idumæam.

Quarto, Adamus: *In cælo*, ait, id est usque ad cælum, q. d. Tanta erit ultio in fine sæculi, ut etiam ad cælos usque pertingat, hoc est, erit maxima. Sic dicitur Psalm. 35. 6. *Domine in cælo*, id est, usque ad cælum, *misericordia tua* pertingit, q. d. Misericordia tua est amplissima et maxima; unde explicans subdit: *Et veritas tua usque ad nubes.*

Quinto, et proprie, dat Propheta hic causam, cur cæli et astra tabescent ac defluent in fine mundi: *Quoniam*, ait, *inebriatus est in cælo gladius meus*, hoc est quoniam in ipso cælo ultio mea grassabitur usque ad satietatem, et quasi ad ebrietatem in ipsa astra; ut per hoc puniam et terrefaciam peccatores in terra, qui astris et cælo abusi sunt ad sua peccata.

Ecce super Idumæam descendet (gladius meus) et super populum interfectionis meæ.) Hebr. חרמי *chermi*, id est *anathematis mei;* Septuag. *perditionis*, hoc est super Idumæos neci a me destinatos, quos ultioni meæ devovi, ait Vatabl. *In iudicium*, ut scilicet in eos iustum iudicium et vindictam exerceam. Nominat præ aliis Idumæos, quia hi assidui et acerrimi fuerunt hostes Iudæorum, adeoque Babyloniis iuncti Iudæam everterunt: unde ipsi quoque gravi clade et excidio a Deo per eosdem Chaldæos mulctati sunt, ut patet ex Abdia, et ex Ieremia cap. 49. et Ezech. cap. 25. denique ex Isaia cap. 21. 5. sed obiter: unde hic rursum fusius de ea agit. Perstringit ergo Propheta hic superficie tenus cladem et excidium Idumæorum per Chaldæos: verum per illud symbolice intendit, significare cladem et exitium omnium impiorum in die iudicii: huic enim soli convenit, quod dicitur v. 10. quod ardebit in æternum, et in sæcula sæculorum. De quo mox plura.

Vers. 6. Incrassatus est (gladius Dei) adipe, de (clarius pro *de* Vatabl. vertit *et*) sanguine agnorum et hircorum.) Solet culter, quo iugulantur pingues oves, repleri, et quasi incrassari, earum tam adipe quam sanguine: per hoc autem significat, quod Deus gladio Chaldæorum transfodiet Idumæos, ita ut gladius eorum cruentetur sanguine, et incrassetur adipe Idumæorum. Per *agnos*, intelligit plebem; per *hircos*, duces et principes; per *arietes*, magistratus et ditiores, q. d. Nulli ætati, sexui aut gradui parcet hostilis gladius, sed in omnes promiscue desæviet.

Victima enim Domini in Bosra. *Victima*, sive sacrificium significat cædem et stragem; quia sacrificium non fit sine cæde, q. d. Cædem facturus est Deus in Bosra urbe primaria Idumææ, ut impios in ea per Chaldæos offerat et mactet divinæ suæ iustitiæ: unde explicans more Hebræo (quod in Psalmis frequens est) subdit: et interfectio magna in terra Edom.) Bosra metropolis Idumææ, ita dicta est hebr. tum ab ubertate vindemiæ, ut patebit c. 63. 1. tum a murorum firmitate, inquit S. Hieronym. unde Ps. 107. v. 11. pro eo quod habemus: *Quis deducet me in civitatem munitam?* hebr. est: *Quis me deducet ad Bosram?* Hinc a Bosra per metathesin dicta est Byrsa arx Carthaginis munitissima, non autem a Græco βύρσα, id est corio: Carthaginenses enim orti a Phœnicibus, non Græca, sed Phœnicum sive Punica lingua, quæ Hebrææ affinis est, teste S. Augustino locuti sunt.

Bosra est Byrsa.

Iam symbolice, per *Bosra* et *Edom* accipe totum mundum crassum, terrenum, sanguineum, et solidatum, qui in fine peribit. *Edom* enim significat rubeum, *Bosra* munitum, ait S. Hier. in ult. Ioelis, licet hic aliter explicet. Edom enim sive Esau inhiavit sanguini et morti fratris sui Iacob. Inepte Iudæi per Idumæos accipiunt Romam et Romanos, ut dixi cap. 21. 11. Porro Arias Montanus per

A Bosram (quæ hebraice significat munitam) accepit Romam Ethnicam, quæ Gentium erat arx munitissima. Porro incendium interpretatur de igne Evangelico, qui corda Romanorum fide et amore Christi succendit. Fumum autem exponit de incertis fabulis, et statuis, idolis, fanis, post conversionem in urbe monumenti causa relictis. Huc accedit Alcazar in Apocal. 14. vers. 11. notat. 5. qui per ignem accipit vindictam Dei, ex qua quasi fumus prodiit Dei laus et gloria; vindictam, inquam, quam Deus sumpsit de Romanis, tum infidelibus, eos ad gehennæ ignes damnando; tum fidelibus, et sancto Petro credentibus, quos igne charitatis succendit. Verum hæc duplex vindicta valde dispar et contraria est; adeoque si prior est litteralis, posterior litteralis, imo allegorica esse nequit: nec enim ignis gehennæ allegorice significare potest ignem charitatis.

Et descendent unicornes et tauri cum potentibus.) *Unicornes et tauros* vocat Idumæos viribus robustos, et armis validos: *potentes* vocat divites et honoratos, q. d. Hi omnes cadent cum imbelli plebe, descendentque ad orcum. Sic Christus patiens orat. Ps. 21. *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam; unicornes* vocat potentes et crudeles Pontifices, Scribas et Pharisæos Vers. 7.

B

Annus retributionum iudicii Sion.) Id est, contra Sion, ait S. Hier. Cyrill. S. Thomas. Hugo, Adamus et Forer. Putant enim ipsi Prophetam hic a clade Idumæorum transire ad cladem Hierosolymæ et Iudæorum futuram per Romanos. Verum melius Chald. Lyran. Vatabl. Montan. et Sanchez, iudicium Sionis interpretantur iudicium, id est, vindictam, quam pro Sione, id est Iudæis, Deus exercebit contra Idumæos: illos enim hæc omnia spectant. Unde cum Vatablo sic quoque verti potest; *Annus repensionum rixæ cum Sion*, id est annus quo rependet Deus talionem Idumæis, qui iugiter rixati sunt et belligerarunt cum Iudæis. Vers. 8.

Symbolice: *Annus retributionis iudicii Sion* erit in fine
C mundi, quando Deus iudicabit, id est vindicabit, et puniet iniurias ab impiis factas Sioni, id est Ecclesiæ, et Sanctis Dei electis.

Et convertentur torrentes eius (Idumææ) in picem.) Est hyperbole, q. d. Idumæa tam in torrentibus quam in campis ita desiccabitur, ut instar picis et sulphuris sit arsura, ignem in eam immittente Chaldæo; hoc est, omnino vastabitur et cremabitur. Alludit ad Idumææ vicinam et situ et scelere et clade Sodomam, quæ sulphureum habet solum, et igne ac sulphure cælesti conflagravit. Vers. 9.

Porro symbolice, significatur hic Idumæam, id est impium mundum comburendum igne conflagrationis, qui tantus erit, ut videantur ubique esse torrentes ignis, picis et sulphuris, q. d. Ignis conflagrationis ex pice et sulphure conflatus omnia implebit. et damnatos secum in gehennæ incendium convolvet: *ubi non exstinguetur in æternum.* Hoc enim proprie competit gehennæ, improprie tantum Idumææ: hæc enim in æternum dicitur arsisse tantum hoc sensu, quod diu et longo tempore arsit.

D Moraliter disce hic, terram, quæ suis deliciis fertilis, homini fuit in luxum, hic eidem abutenti verti in luculentum ignem et tormentum. Ita Sodoma fertilissima ob libidinem incolarum versa est in mare mortuum, fumans et salsissimum.

Possidebunt eam onocrotalus, et ericius, et ibis.) Est catachresis significans summam Idumææ, id est mundi, vastitatem et desolationem, ita ut hominibus vacua; feris, si quæ sint, habitanda relinquatur. Vers. 11.

Et extendetur super eam mensura.) q. d. Deus certo et exacto iudicio æquans demeritis pœnas, item certa sententia, destinatione et designatione (hæc enim est mensura) eam vastabit, et gloriam eius annihilabit. Hæc ergo vastitatis mensura erit *perpendiculum in desolationem*, id est, erit quasi linea fabrilis in terra extensa, ut iuxta eam plane desoletur, radatur et solo æquetur. Est metaphora a linea sive perpendiculo fabrorum, qua do-

mos erigendas aut diruendas dimetiuntur, ut iuxta eam præcise eas erigant vel destruant. Unde Vatab. vertit: *Extendet super eam regulam inanitatis, et lapides vacuitatis:* vel, ut alii: *Lapides perpendiculares vanitatis.* Sic Isaiæ 28. 17. dicitur: *Ponam in pondere iudicium, et iustitiam in mensura;* hebr. לקו *lakav*, quod Noster hic vertit pariter *mensura.* Sic 2. Reg. 8. v. 2. de Davide dicitur: *Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum*, q. d. David plane humiliavit et prostravit Moabitas, adeo ut eos quasi in terra iacentes funiculo dimetiri posset. Porro duas eorum fecit sortes, sed cum mensura iustitiæ et æqui principis, unam occidendorum, alteram servandorum. Vide ibidem Caietan. Vide et ea quæ dixi c. 18. 2.

Pro *in desolationem* hebr. est תהו ובהו *tohu vabohu*, quo nomine vocatur terra informis, creata primo die mundi, quod Noster Genes. 1. vertit: *Terra autem erat inanis et vacua*, q. d. Idumæa, eiusque antitypa terra redigetur in die iudicii per ignem in illam vacuitatem, nuditatem et informitatem, quam habuit initio mundi et creationis suæ. Sic Virgil. ait: *Et campos ubi Troia fuit.*

Hinc videtur parum esse probabile, quod aliqui censent terram post iudicium exornandam suis plantis, arboribus, fructibus, etc. instar paradisi terrestris, ut in eo iucunde vivant parvuli sine baptismo in peccato originali mortui.

Vers. 12. Nobiles eius non erunt ibi: nobiles Idumææ occidentur, aut spoliabuntur, et abducentur a Chaldæis, æque ac ignobiles. Unde reliquiæ gentis excisæ regem potius invocabunt.) Id est, optabunt sibi in tanta desolatione ducem, qui rebus afflictis succurrat: sed nemo volet remp. perditam gubernandam capessere.

Aliter Lyran. per *regem* enim accipit Nabuchodonosor, qui vastavit Idumæam: hunc enim invocarunt victi et supplices Idumæi. Pari modo in fine mundi post plagas prævias extremo excidio, quæ describuntur Apoc. 8. et 9. reliquiæ hominum optabunt sibi regem, vel Antichristum, vel eo occiso alium similem monarcham potentissimum; sed frustra: ipse enim cum omnibus suis principibus, id est, omnis eius fortitudo, pompa, opes et gloria ad nihilum redigentur.

Aliter distinguunt et vertunt Hebræa, Vatabl, Forer. et alii, sed eodem sensu iam dicto.

Vers. 13 Et orientur in domibus eius spinæ et urticæ.) Ad litteram hæc et sequentia vera fuerunt in Idumæa vastata; symbolice, orbe cremato, significant summam fore vastitatem.

Et paliurus.) Est genus spinæ et rubi, inquit Plinius l. 24. c. 13. de quo Virgil. eclog. 5.

Carduus et spinis surgit paliurus acutis.

Vers 14. Et occurrent dæmonia onocentauris, etc.) Nota, *Centauros* iuxta Pindarum et Plutarch. apud Gesnerum c. de equo, prognatos esse ex Centauro Ixionis filio, cum equabus Magnesiis congrediente: hinc enim filios natos esse, qui superne patri homini, inferne matri equæ similes essent. Idem Gesner. cap. de asino ex Plutarcho, Æliano et Volaterrano refert, onocentaurum esse animal collo, pectore, mammis muliebribus, et humeris, brachiis ac digitis humanis, sed dorso, lateribus et pedibus asininis, uti et colore cinereo. Verum Doctores has fabulas vulgi fama et credulitate traditas rident. Unde Nota cum S. Hieron. S. Scripturam vel interpretem Nostrum, et Septuag. hic et alibi, subinde alludere ad fabulas Poetarum. Sic Iudith 16. v. 8. alludit ad fabulam Titanum; ait enim: *Nec filii Titan percusserunt eum* (Holofernem) *sed Iudith.* Sic Iob 42. 14. pro *Cornustibii*, Sept. vertunt *cornu Amaltheæ* (quæ fingitur esse capra Iovis). Sic hic nominat *lamias* et *onocentauros.* Fabula ergo de onocentauris inde orta videtur, quod rex Thessalus iusserit, ut homines equis insidentes tauros œstris percitos et fugientes longis hastis pungerent, itaque in urbem cogerent. Unde priscis rudibus hominibus res nova et insolens, scilicet vir equo aut asino insidens, una visa fuit natura, unum

Onocentauri, qui?

animal mixtum ex equo vel asino et homine, scilicet centaurus. Hinc centauri dicti sunt ἀπὸ τοῦ κεντεῖν, id est pungere, stimulare, et taurus; centaurus ergo est qui stimulat taurum. Adde ἵππος, id est equus, fiet hippocentaurus: adde ὄνος, id est asinus, fiet onocentaurus. Rem hanc narrat Servius 3. Georgic. et ex eo Leo Castrius, Henric. Stephanus voce *centaurus*, et Gesnerus. Addit Servius: *Alii dicunt centaurorum fabulam esse confictam ad exprimendam humanæ vitæ velocitatem, quia equum constat esse velocissimum.* Per *onocentauros* ergo hic accipe spectra talia vel dæmones, qui hæc monstra et larvas induunt, ut partim homines, partim equi vel asini esse videantur; idque ad hoc ut homines territent et ludificent. Id patet ex Vita S. Antonii, apud S. Athanasium: vidit enim Antonius quærens S. Paulum primum eremitam in deserto bestiam pube tenus humanam, quæ deinde in asinum desinebat, quam ille irridens signo crucis fugavit. Porro quod Plinius l. 7. c. 3. ait se vidisse hippocentaurum in melle allatum ad Claudium Cæsarem, certum est fuisse monstrum marinum vel terrestre, partim equo, partim tauro simile, diversum a nostris hisce: unde nec ipse eius formam exprimit.

Et pilosus clamabit alter ad alterum.) Hebr. *vir ad proximum suum*: *vir*, id est quisque; hebr. enim *vir* significat distributionem, et pariter multitudinem. Porro *pilosi* sunt iidem dæmones, specie hircorum hirsuti, quos vetustas Faunos et Satyros dixit; unde Chald. vertit, *dæmones inter se colludent*, (et, ut dixit c. 13. 21. *saltabunt.*) Nota: Gaudent et assistunt choreis dæmones. Unde Conrardus Clingius de Locis Theolog. c. de Chorea: *Chorea*, ait, *est circulus, cuius centrum est diabolus, circumferentia omnes angelis eius*: et Basilius hic in c. 13. tradit saltationes didicisse homines a dæmonibus. Nisi malis monstra hæc esse genus simiarum cum Gesnero, aut esse animalia prognata ex incesto hominis cum capra et bestiis congressu; quale delatum fuisse Alexandriam asserit S. Hieron. in Vita S. Pauli eremitæ: licet dubitet, et merito, an animal, an dæmon fuerit illud alterum, quod visum est S. Antonio: nam ratione et voce humana cum eo collocutum est, cum tamen bestiam vocet, certumque sit non fuisse hominem.

Pilosi et Fauni qui?

Moraliter S. Gregor. 7. Mor. 12. dracones, ait, sunt mali, struthiones hypocritæ: *Onocentauri lubrici et elati, qui subiecti luxuriæ vitiis, inde cervicem erigunt unde humiliari debuerant. Pilosus clamat alter ad alterum, cum culpa præcedens subsequentem, v. g. gula libidinem invitat.*

Ibi cubavit lamia.) *Lamiæ* sunt dæmones succubi, vel illorum spectra, quæ Empusæ dicuntur; unde sunt mulierum forma, quæ ad venerem homines illicere feruntur, ut eos devorent: tale enim phantasma Menippum illexisse narrat Philostratus l. 4. in Vita Apollonii: et harum forma penitus fabulosa a Plutarcho, Aristoph. et Eustathio describitur. Dictæ sunt *lamiæ* a λαιμος, id est guttur; vel a *Lamia* crudeli illa regina Pontica, quæ gravidarum mulierum alvos cædebat, et extractos inde pueros vorabat, de qua Aristot. in Ethicis, et Clemens Alexandr. in Protrepticis: aut, ut Diodorus, Phavorinus et Suidas, a *Lamia*, regina in Asiæ monte apud Automolas, quæ cum filium amisisset, præ zelotypia omnes aliarum matrum filios iussit occidi. Alii *lamias* dictas volunt quasi lanias, a laniando. Hinc lamiæ vocantur larvæ nocturnæ, sive μορμολυκεῖα, quibus nutrices pueros territant, quasi puerperis infestæ pueros vorent. Omnino autem verisimile est stultos, timidos (nam sicut amantes sibi somnia fingunt, sic et timentes) et superstitiosos olim homines varia et inania phantasmata, aut varias apparitiones et dæmonum species naturali animalium generi temere annumerasse, imo affinxisse multa: sicut facit pictor, qui humano capiti cervicem iungit equinam. Ita de lamiis sentit Strabo, Lucil. apud Lactant. et Gesner. Certe vox Hebræa לילית *lilit* a ליל *lel*, id est nocte, nocturnum spectrum aut monstrum significat. Quocirca Chaldæus *noctuam* vertit, sive *noctivagam.*

Lamiæ et Empusæ:

Secundo, *lamiæ* possunt hic accipi stryges et sagæ, quæ

pueros intoxicant et necant: hæ enim suos cœtus in his desertis agere solent. Vide nostrum Delrio in Magicis.

Tertio, Dion. Chrysost. in historia Libyca, *lamias* docet esse feras, facie et corpore ad umbilicum muliebri, earumque imum in draconem desinere; has mammis et sibilo homines allicere, et accedentes arripere, necare ac vorare. Ut ut est, lamias non modo mulieres, sed et bestias esse, vel has, vel generis simiarum, ut vult Gesner. aut alias, sive veras, sive vulgo creditas, patet Thren. 4. 3. *Sed et lamiæ nudaverunt mammam:* ubi pro *lamia* hebr. est תנין *tannin*, id est draco, vel quodvis sævum et immane monstrum catulos nutriens. Ita Lyran. Glossa, Haymo et S. Hieron. ibi, q. d. Ieremias: Cum feris etiam truculentissimis, quales historiæ, fabulæ, aut vulgus tradit esse lamias voracissimas, non desit in catulos materna pietas; illa tamen defuit mulieribus Hierosolymitis, quæ præ fame etiam proprios filios vorarunt. Sic hic Isaias ait, q. d. Orbis hic et locus post iudicium ita erit desertus, ut ferarum tantum, dæmonum, spectrorum et larvarum habitaculum sit, aut esse possit, quæ vetustas fabulose miræ formæ esse credidit, et nominavit onocentauros, Faunos et lamias: imo soli damnati et dæmones, nunc onocentauri, nunc lamiæ, nunc ericii, nunc milvi, nunc draconis formam assumentes (ut terrerent homines, præsertim damnatos: uti simili forma terrere voluerunt S. Antonium, et alios Sanctos) habitabunt in terra, id est in gehenna, quæ ima et concava terræ portio est: nam convexa et extima terræ superficies plane deserta erit et vacua, tam hominibus quam animalibus et dæmonibus. Sicut ergo Sancti gaudebunt non tantum in anima videndo Deum, sed etiam in corpore videndo humanitatem gloriosam Christi: ita et damnati cruciabuntur non tantum in anima, videndo tot cruciatus; sed et in corpore, videndo horrenda dæmonum spectra. Tam enim oculi corporis quam mentis vel peccarunt vel sancte vixerunt: par ergo est, ut suam quoque habeant pœnam vel præmium. Hinc pictores hos monstrosos dæmones larvis bestiarum indutos, pingunt in inferno horribili forma. Id inter alios diserte docet noster Ioan. de Salas in 1. 2. q. 5. a. 5. tract. 2. disp. 14. sect. 14. num. 113. idque confirmat ex Sapient. 17. v. 4. ubi de Ægyptiis in plaga tenebrarum ait: *Personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant:* hæc enim erant typus et preambulum inferni et damnatorum; et Iob c. 20. v. 25. *Vadent, et venient super eum horribiles;* et Deuter. cap. 32. 24. *Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* Pari modo probabile est Angelos in cælo assumpturos corpora speciosa ex æthere, quibus pascant oculos Beatorum, ut ab eis videri, et ore ad os loqui possint. Hoc enim videtur poscere amicitia, et arctissima unio et communicatio, quæ erit inter Angelos et homines beatos, quasi concives cæli. Rursum hoc videtur mereri mortificatio sensuum, et angelica vita quam in hac vita egerunt Sancti hac spe, ut Angelorum consortio in cælis fruerentur: alioqui enim sensus Beatorum nullum ex Angelis reciperent gaudium, imo in nulla re cum illis communicarent; itaque inter Angelos et Beatos tantum esset communicatio quoad mentem, non quoad corpus. Tertio, quia Angeli omni modo cupiunt laudare Deum: ergo non tantum mente, sed et corpore et ore assumpto (hoc enim assumere possunt) eum laudabunt: perinde ut nos non tantum voce, sed et organis aliisque instrumentis musicis laudamus Deum. Quarto, quia Isaias c. 6. vidit Seraphim specie hominum in cælo: simili specie Ezechiel vidit Cherubim c. 1. et S. Ioannes Angelos passim in Apocalypsi. Denique sæpius visi sunt Angeli humana forma deferentes animas sanctas defunctorum in cælum, atque sensibilem melodiam, hymnosque suavissimos Deo canere sunt auditi. Ita diserte docet Salas loco citato, et S. Anselmus in Elucidario, ac Viguerius c. 16. §. 4. v. 36. Et noster Lessius l. 13. de Divin. Attrib. c. 22. n. 32. agens de die iudicii extremi: *Valde credibile est,* inquit, *Angelos omnes apparituros in corporibus splendidis; alioqui hæc Christi gloria et potentia non posset videri ab impiis, quorum tamen causa præcipue exhibebitur; neque externam eius maiestatem (quam describere vult Script.) ille exercitus augeret. Cum ergo innumerabilis sit Angelorum multitudo, longe lateque supremas aeris regiones undique per multa millia milliarium usque ad cælos ipsos replebunt, et immensi exercitus speciem præbebunt;* et num. 34. *Valde credibile est, etiam dæmones in corporibus apparituros: vel quia alioqui ab impiis videri non possent, vel quia pertinet ad Christi gloriam et impiorum confusionem, ut videantur.* De his Virgilius canit l. 6. Æneidos:

Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæque, et forma tricorporis umbræ.

Similia habent alii Poetæ.

Dæmones assumentes corpora, et angeli in cælo.

Symbolice, Leo Castrius ex S. Basilio, Athanasio, Theodor. Ambrosio et Gregor. per *onocentauros,* Faunos et *lamias,* vitia et peccata accipit: hæc enim sunt maxima monstra et spectra, per quæ homo in feras, imo in dæmonem degenerat: aut certe intelliguntur, ait, ipsi dæmones monstrosorum criminum suggestores, vel eorumdem patratores homines impii, quorum habitaculum erit Iudæa, imo terra tota in fine mundi, iustis in cælum abeuntibus.

REQUIRITE DILIGENTER IN LIBRO DOMINI.) Hebraice est, *recensete,* supple, mala hic recensita, aut potius animalia vel monstra iam dicta, q. d. Cum eveniet desolatio Idumææ, quam hoc libro et capite descripsi, requirite ex hac prophetia, num hic posita et commemorata mala et supplicia, aut potius animalia, sint in ea et degant; invenietis sane ne unum quidem deesse, q. d. Reipsa videbitis certissima et verissima me prædixisse de excidio Idumææ: hæc enim proprie spectant vastitatem Idumææ, sub qua intelligit totum mundum et cœtum impiorum, in quo sub diem iudicii, ante plenum eius excidium, hæc eadem contingent. Vers. 16.

Librum Domini vocat hanc Isaiæ prophetiam dictatam a Deo. Ita S. Thomas, Hugo et Lyranus. Alii intelligunt prophetiam Amos cap. 1. et Davidis Ps. 136. et Balaam Numer. 24. 18. qui hoc idem Idumææ excidium prædixerunt.

ALTER ALTERUM NON QUÆSIVIT.) q. d. Aliquod horum monstrorum vel suppliciorum non defuit, ut a socio quærendum esset: quia spiritus vindictæ Dei hæc omnia studiose congregavit.

ET IPSE MISIT EIS (animalibus vel monstris) SORTEM.) Vers. 17.
q. d. Deus iam dictis animalibus et monstris divisit Idumæam, cuique dedit suam sortem, locum et mensuram, quasi proprii et perpetui eius incolæ essent futuri. Hac ergo phrasi significat vastitatem Idumææ diuturnam fore. Unde addit: *Usque in æternum.* Vide dicta v. 10.

Mystice, S. Hieronym. Cyrillus, Athanas. et ex his Leo Castrius hos duos ultimos versus accipiunt de Apostolis missis ad prædicandum per totum orbem. *Milvi* ergo, vel, ut Sept. *corvi,* cadavera, id est vitia et peccata hominum, depascentes, sunt Apostoli. Hic sensus non est incongruus, si cum Castrio et aliis accipias hoc caput de excidio Iudææ. Verum agitur hic de excidio Idumææ, non Iudææ, ut dixi.

CAPUT TRIGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæi hæc referunt ad restitutionem Hierosolymæ, et regni Iudaici, sub suo Messia, quem ipsi frustra expectant. S. Thomas et Hugo hæc referunt ad reditum Iudæorum e captivitate Babylonica, et per illum censent adumbrari lætitiam et gloriam Gentium per Christum liberatarum a servitute peccati et diaboli. Verum passim Patres, quos citabo v. 1. et interpretes, hæc per se et proprie accipiunt de aureo Evangelii sæculo, deque vocatione et gloria Gentium. Ubi Nota: Solet Propheta tristibus læta subiungere. Quia ergo c. præced. descripsit triste Idumææ, et sub ea orbis ac impiorum in fine mundi excidium; hinc transit hic ad tempus Evangelii, et ad lætum de Ecclesia per Gentes gloriose propaganda vaticinium; unde multa bona hoc cap. per antithesin opponit malis, quæ orbi intentavit cap. præced. Primo, ergo docet, quod Gentes antea desertæ per Christum excolendæ fertiles sint futuræ instar Libani, Saron et Carmeli. Secundo, v. 5. docet tempore Evangelii cæcos, surdos, claudos et mutos curandos esse, nec fore inter eos dracones et malas bestias, nec pollutos. Deinde v. 10. ait eos ituros in Sion ad æterna gaudia.

1. LÆTABITUR deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. 2. Germinans germinabit, et
exultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, et Saron, ipsi videbunt glo-
riam Domini, et decorem Dei nostri. 3. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. 4. Di-
cite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse
veniet, et salvabit vos. 5. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. 6. Tunc saliet sicut cer-
vus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. 7. Et
quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant,
orietur viror calami et iunci. 8. Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollu-
tus, et hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. 9. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascen-
det per eam, nec invenietur ibi: et ambulabunt qui liberati fuerint. 10. Et redempti a Domino convertentur,
et venient in Sion cum laude: et lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium et lætitiam obtinebunt, et fu-
giet dolor et gemitus.

Vers. 1. LÆTABITUR DESERTA.) Hebr. est ישושום *iesusum*, id est *lætabuntur in eis*, scilicet gentibus et Idumæis, quos cap. præcedenti dixit perdendos a Deo, q. d. Inter gentes infideles et Idumæos perdendos, ideoque plangentes, lætabuntur incolæ deserti convertendi ad Christum, puta Gentiles fideles et Christiani. Unde clare Hebræa quoad sensum sic transferas: *Lætabitur desertum et solitudo, arida quoque terra exsultabit*, ut vertit Vatabl. *Desertum, solitudinem et terram aridam* vocat Gentilitatem, et Gentium regiones, q. d. Gentilitas hactenus deserta a Deo, salute, iustitia, vera religione, et cultu Dei, fiet eorum particeps, et hæres sanctimoniæ, gratiarum et gaudii quod est in Spiritu sancto, per Christum. Unde dabitur ei gloria Libani, id est, succedet in gloriam Synagogæ et Iudæorum, ut scilicet sit populus fidelis, et Ecclesia dilecta Deo. Ita S. Hier. Cyrill. Theod. Euseb. l. 6. Demonst. 21. Hilar. in Ps. 65. Iustin. apolog. 2. Nazianz. orat. 1. in Iulian. Imo Euseb. Theod. Cyrill. Hilar. hoc oraculum impletum putant, cum Iesus venit a Galilæa ad deserta Iordanis, ut a Ioanne baptizaretur. Adde, S. Hilar. et Iustin. supra Prosper p. 3. Prædic. c. 13. Athanas. l. de Incarn. Verbi, docent huc respexisse Christum, cum rogaretur a discipulis S. Ioannis: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Matth. 11. v. 3. Christum enim respondit eis dicens: *Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis, et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, etc.* Quæ hic v. 5. et 6. futura sub Christo, et a Christo Propheta prædicit.

Ruffin. et Pallad. hæc litteraliter referunt ad Ægyptum tempore S. Antonii, et deinceps, fidelibus et monachis abundantem, et quasi luxuriantem. Audi eos; citato enim hoc Isaiæ loco, eum explicantes aiunt: *Quamvis hæc de Ecclesia dicta sint, tamen in Ægypti desertis hæc etiam historica relatione completa sunt; ubi tantæ per urbes multitudines veniunt ad salutem, quantas Ægypti deserta protulerunt; quanti populi habentur in urbibus, tantæ pene habentur in desertis multitudines monachorum, ut ubi superabundavit peccatum* (idololatriæ) *ibi superabundet et*

A *gratia*, inquit Ruffin. l. 2. de Vitis Patrum c. 7. et Palladius in Lausiaca c. 52.

ET FLOREBIT QUASI LILIUM.) Miro enim decore floret lilium. In lilio notatur vitæ puritas et castitas Sanctorum in Ecclesia.

GERMINABIT.) Producet Ecclesia novas et copiosas frondes, flores et fructus, tum novorum fidelium hominum æque ac populorum; tum novarum virtutum: producet enim examina virginum, martyrum, monachorum, etc. At quis faciet hæc? quis deserto tam lætam metamorphosin inducet? nimirum idem, Vers. 2.

Qui picturatos intexit floribus hortos,
Quique iubet rutilis albescere lilia campis,
Et qui tellurem viola distinguit et herba.

GLORIA LIBANI DATA EST EI.) Libanus licet a Gentibus occuparetur, pertinebat tamen ad Iudæos, ut patet Iosue 13. 6. atque ex Libano thus, cedros, pinos, et quidquid rarum ac præclarum erat, deferebant Hierosolymam. *Libanus* ergo Iudæos et Synagogam significat, æque ac *Saron* ager Iudææ amœnissimus et uberrimus, ac *Carmelus* mons eius fertilissimus, q. d. Omnia orna-
B menta, opes et deliciæ sacræ et spirituales Synagogæ et Iudæorum transferentur ad Ecclesiam et Gentes. Unde Symmachus pro *Saron* vertit *campos*, ait S. Hieron.

IPSI VIDEBUNT GLORIAM DOMINI.) Scilicet gloriosa miracula, gloriosos Apostolos, gloriosa charismata Spiritus sancti, gloriosa Sacramenta, cæremonias et cultum sacrorum.

CONFORTATE MANUS DISSOLUTAS.) Est apostrophe ad Vers. 3
Apostolos, ut gentes abiectas, inertes et timidas per Evangelium excitent et animent ad studium fidei, salutis, et bonorum operum.

GENUA DEBILIA ROBORATE.) In pusillanimis enim dum metu vel pavore gravi percelluntur, genua labant et quasi luxantur, ut stent attoniti nec progredi possint, sed titubent et vacillent. Causa est, quod timor per se, et per tristitiam concomitantem contrahit cor; quod afflictum ut se iuvet, spiritus vitales ad se avocat: unde in mem-

bris exterioribus, præsertim a corde remotioribus, ut manibus, genibus, etc. sequitur frigus, tremor, et interdum pallor, titubatio linguæ, ineptitudo ad operandum, et nonnumquam sitis. Ita docet Aristot. in probl. sect. 27, q. 6. Macrob. l. 7. 11. Gellius lib. 19. c. 6. et Hier. Fracastorius l. 1. de Sympathia c. 15. et 19.

Vers. 4. DICITE PUSILLANIMIS.) q. d. Dicite, o Apostoli, Gentibus: Ne sitis pusillanimes, ne desperetis vos pertimere ad filios Abrahæ: potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ: si credatis et obediatis Christo, eritis filii Abrahæ, esto sitis filii idololatrarum, ipsique hactenus fueritis idololatræ sine Deo, sine fide, sine conscientia, fornicarii, periuri, blasphemi, etc. hæc omnia abluet baptismus, facietque vos novos homines, imo angelos Dei. Hoc ergo eritis Deo, quod fuit Abraham, Isaac, et Iacob. Huc alludit S. Paulus ad Hebr. 12. v. 12. Vide ibi dicta.

ECCE DEUS VESTER ULTIONEM ADDUCET RETRIBUTIONIS.) Qua scilicet Christus Deus, cui Pater dedit omne iudicium Ioan. 5. diabolum tyrannum, qui vos hactenus oppressit, expellet et asseret vos in libertatem filiorum Dei. Dicit *retributionis*, quia diabolo par pari retribuit Deus: sicut enim ipse tyrannice dominatus fuit Gentibus, ita iam eidem severe et rigide dominatur Christus et Christiani. Simile est Ps. 71. 4. Ita S. Hieron. et alii mox citandi.

DEUS IPSE VENIET, ET SALVABIT VOS.) Hinc patet Deum vere venisse in mundum et carnem nostram, ac consequenter Christum esse vere Deum. Christo enim competunt sequentia: *Tunc aperientur oculi cæcorum, etc.* ut patet Matth. cap. 11. 5. et Matth. cap. 15. 30. Ita docent S. Hieron. Cyrill. hic Irenæus lib. 3. 22. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos c. 7. Euseb. lib. 6. Demonstr. 21. Athan. l. de Humanitate Verbi ultra medium, August. l. de quinque hæres. c. 6. Similis est locus inferius c. 52. 6.

Nota: Pro *Deus* hebr. est *Elohim*, id est Deus qua gubernat, providet, regit, iudicat mundum. Venit ergo Christus in mundum, ut eum quasi Elohim gubernet, curet, salvet, oppressos a diabolo tueatur, et in libertatem asserat. Rursus pro *salvabit nos*, hebr. est יְשַׁעֲכֶם *iosciaachem* (id est, *salvabit vos*) unde nomen *Iesus*, id est salvator, q. d. Veniet Elohim in carnem, ut sit nobis Iesus. Si aliis punctis legas יְשַׁעֲכֶם *isciaachem*, significabit *delectabit, oblectabit vos.* Iesus enim est gaudium et iubilus cordis nostri.

Vers. 5. TUNC APERIENTUR OCULI CÆCORUM.) Id est, Gentes antea mentis oculis captæ, et versantes in tenebris infidelitatis, illuminabuntur per lucem et splendorem Evangelii. Iidem dicuntur fuisse *surdi* ad verba et legem Dei excipiendam, iam vero audire eam, eique obedire. Huius rei symbolo Christus multos cæcos, surdos, claudos, etc. corporaliter illuminavit et curavit, eisque simul spirituale mentis lumen, auditum et gressum restituit, ac a peccatis purgatos gratia sua donavit, ut docet S. August. Unde S. Hilarius et alii, ut dixi v. 1. putant huc allusisse Christum Matth. 11. cum ait: *Cæci vident, claudi ambulant, etc.* de quo rursum c. 61. 1.

Vers. 6. TUNC SALIET SICUT CERVUS CLAUDUS.) Id est Gentiles claudicantes, id est dubio et vacillanti gressu aberrantes a via virtutis, per Christum roborati et directi recta incedent, imo salient per eam in cælum.

ET APERTA ERIT LINGUA MUTORUM.) Idem in rebus terrenis et mundanis facundi, sed in rebus divinis elingues et muti, fient diserti, disserentque magna sapientia et spiritu de gratia, de virtute, de Christo, de Deo et SS. Trinitate, de beatitudine, de æternitate, etc.

QUIA SCISSÆ SUNT IN DESERTO AQUÆ.) To *quia* dat causam præcedentium, et ostendit ea non corporaliter, sed spiritualiter esse accipienda, q. d. Ideirco aperientur oculi cæcorum, etc. *quia in deserto*, id est in gentilitate, *scissæ sunt*, hebr. *scindent se*, id est copiosæ erumpent et spargent se aquæ, id est charismata spirtualia: *et sitiens*, id est eadem Gentilitas sterilis, erit *in fontes aquarum*, id est habebit fontes aquarum (id est gratiarum) salientium in vitam æternam. Ita S. Cyrill. et Theodor.

Secundo, et aptius Sanchez censet τὸ *quia* hic non dare causam, sed coniungere extrema, esseque idem quod *et*, q. d. Saliet claudus, loquetur mutus, et erumpent in deserto aquæ: nec enim apposite hic datur causa, aut dicitur: *Saliet claudus, quia scissæ sunt aquæ*: quid enim faciunt aquæ ad saltum?

IN CUBILIBUS, IN QUIBUS PRIUS DRACONES HABITABANT, ORIETUR VIROR CALAMI ET IUNCI.) Dixit c. præced. in Idumæa vastata et deserta habitaturos onocentauros, pilosos et lamias, id est dracones: hic vice versa dicit in gentilitate deserta, in quibus habitabant dracones (hi enim sicci amant loca arida) exoritura calamum et iuncum, quæ non nisi loco humido, ac proinde non deserto iam sed fertili nascuntur, q. d. In urbibus et animabus Gentilium, quæ erant cubilia, id est propria domicilia, draconum, id est dæmonum et vitiorum, orietur viror gratiæ et virtutum, ut fiant ipsa templa Spiritus sancti. Chaldæorum sententia fuit, in hominis nefarii corde bestias habitare. Appetitus enim effrænati, quos ratio non coercet, quin longe lateque evagentur cum sua et aliorum pernicie, bestiæ vocantur. Hinc manavit illud eorum apophthegma: *Vas impii inhabitant bestiæ terræ.* Quocirca Ægyptii per cervum serpentes ex cavernis extrahentem, significabant iudicem impios castigantem. Id voluit Pythagoras cum dixit, animas sceleratorum migrare in bruta, hoc est, effici brutas ob brutos mores. Hinc orta est fabula Circis, homines in varias belluas transformantis. Unde Theocritus: *Illi*, inquit, *quos virtus et sapientia aspexerint, non poterunt Circæis poculis labefactari.* Vers. 7.

An non sancta Magdalena, cuius festo hæc scribo, cubile fuit draconum, cum possessa fuit et corpore et mente a septem dæmoniis? sed iis a Christo eiectis Lucæ 7. quantæ pœnitentiæ et lacrymarum aquæ ex hoc deserto prodierunt? quantus viror charitatis, orationis, contemplationis, omniumque virtutum? *Inveni*, inquit, *quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Nimirum ipsa hoc igne divino accensa, Christo iugiter inhæsit, et sedens ad pedes eius verbis assidue intendit: Christum docentem et prædicantem ubique secuta et comitata est per Scribas et Pharisæos, usque ad crucem et mortem: ipsa cruci intrepide astitit, ipsa Christum mortuum aromatibus condivit, ipsa a sepulcro eius avelli non potuit: unde et prima eum resurgentem videre meruit. Inde a Iudæis in exsilium missa, nutu Dei in Gallias appulit, ibique Christi fidem disseminavit: ac tandem dilecti sui amore ebria, in montem iuxta Massiliam secessit, seque omnibus sæculis pœnitentiæ exemplar statuit. Ibi enim 30. annos sine cibo et potu, in dulcibus amoris lacrymis, et iugi dilecti sui meditatione et contemplatione vixit vitam non humanam, sed angelicam: unde et ab Angelis septies quotidie in cælum subvecta, o Beata:

S. Magdalena conversionis speculum.

Angelicos audire choros alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.

ET ERIT IBI SEMITA ET VIA.) Scilicet arcta, recta et sancta quæ ducit ad cælum, q. d. Hoc olim desertum, scilicet Ecclesia, non erit invium, nec inaccessum, uti solent esse solitudines, æque ac paludes, in quibus oriuntur calami et iunci; sed erit via et semita arcta et recta, scilicet fidei et pœnitentiæ, quæ volentes eo deducet, eaque sancta vocabitur: quia ducet ad Ecclesiam quæ sancta est, et inde ad cælum societatemque Sanctorum, qui in eo sunt. Septuag. vertunt: *Erit ibi lætitia civium*, scilicet animarum sanctarum, quæ mente et miro virtutum concentu in cælum evolant. Ita S. Hier. et Cyrill. Vers. 8.

NON TRANSIBIT PER EAM POLLUTUS.) q. d. Via ad Ecclesiam erit sancta, id est pura et munda: quia non transibit per eam pollutus, qui eam inquinet. *Pollutum* vocat Gentilem et peccatorem in sua infidelitate, aut sceleribus persistentem: his enim non patet via ad Ecclesiam; sed

tantum pœnitentibus, qui cum resipiscere et converti volunt, licet polluti sint, ab omni pollutione et sorde in hac via per lavacrum baptismi emundantur; unde iam non polluti, sed mundati ad eam accedunt. Alludit ad templum Hierosolymitanum, cuius aditu arcebantur polluti et immundi: hoc enim templum sanctum typus erat sanctæ Ecclesiæ.

Inepte ergo ex hoc loco colligunt hæretici, in Ecclesia non esse pollutos et peccatores, sed solos iustos et sanctos, imo prædestinatos et electos; nam Propheta non dicit quod per Ecclesiam, sed quod per viam quæ recta ducit ad Ecclesiam, non transibit pollutus. Hæc autem via recta est doctrina Evangelii, quam qui init et sequitur, pœniteat, et vitam in melius commutet, sancteque vivat necesse est. Hæc enim doctrina requirit, et quantum in se est efficit mentes integritatis et sanctitatis amantes, ad eamque tendentes, et in ea proficientes: aversatur vero et repellit eos, qui in suis vitiis volutantur et permanent. Pari modo quo via ad Ecclesiam, etiam ipsa Ecclesia dicitur *sancta*: quia scilicet vocata est ad sanctitatem, omniaque adminicula ad sanctitatem suppeditat, sanctosque postulat et facit eos qui illi obediunt. Ita S. Cyrillus et Hieronymus et patet ex sequent.

Vers. 9. MALA BESTIA NON ASCENDET PER EAM.) In Idumæa desolata c. præced dixit fore onocentauros et malas bestias: huic opponit Ecclesiam, a qua eas expellet et arcebit Deus, q. d. Dæmones, eorumque machinamenta, insidias et insultus, omniaque noxia æque ac terrifica Christus amolietur ab Ecclesia. Ita S. Hieron Cyrill. et Theodor. Leo Castrius refert hæc ad exorcismos baptismi, quibus a baptizando fugatur dæmon.

Vers. 10. ET REDEMPTI A DOMINO CONVERTENTUR.) A pristino cultu et impietate ad casta et pia sacra Christi.

ET VENIENT IN SION.) Id est in Ecclesiam tum militantem, tum potius triumphantem et cælestem: ad hanc enim pergunt qui liberati sunt et redempti, non ad militantem; nam iam in ea versantur: atque via iam dicta, quæ ducit ad Ecclesiam militantem, ducit etiam per eam ad triumphantem. Ita S. Hieron. et S. August. serm. 27. in festo omnium Sanctor. tom. 10. et Tertull. lib. de Resurrectione carnis, et patet ex seq. ait enim:

ET LÆTITIA SEMPITERNA SUPER CAPUT EORUM.) Id est, super istos electos et beatos a Christo redemptos: *caput* enim pro homine ponitur, pars pro toto per sinecdochen. Aut proprie super caput ipsum: alludit enim ad coronam nuptialem, quæ capiti sponsæ imponi solebat, cum qua in cantu et iubilo ex agris ipsa deducebatur in Sion, q. d. Christus traducet suos fideles et sanctos in Sionem cælestem eo modo, quo sponsus solet sponsam unice dilectam ducere in Sion cum geniali plausu, cum nuptiali corona, cum gaudio tanto et tam pleno, ut longe abigatur omnis dolor et gemitus. Ita Sanchez. Hoc est quod diserte et pulchre dicit Esdras l. 4. c. 2. v. 34. et citatur in Officio Ecclesiast. tempore Paschali: *Expectate, Gentes, pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis; fugite umbram sæculi huius, accipite iucunditatem gloriæ vestræ: iucundamini, gratias agentes ei qui vos ad cælestia regna vocavit: surgite et state et videte numerum signatorum* (ad hos signatos alludit Ioan. Apocal. 7. 9.) *in convivio Domini: qui se de umbra sæculi transtulerunt, splendidas tunicas a Domino acceperunt;* et paulo inferius: *Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, et omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat iuvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas. Tunc interrogavi Angelum, et dixi: Qui sunt hi, Domine? Qui respondens dixit mihi: Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, et immortalem sumpserunt, et confessi sunt nomen Dei: modo coronantur, et accipiunt palmas. Et dixi Angelo: Ille iuvenis, quis est, qui eis coronas imponit, et palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi: Ipse est Filius Dei, quem in sæculo confessi sunt. Ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Dei steterunt.*

Moral de gaudiis Beatorum.

Et Tobias c. 13. 21. *Portæ,* ait, *Ierusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur: et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ eius sternentur: et per vicos eius alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum eius in sæcula sæculorum super eam.*

Et Boetius l. 3. de Consol. prosa 2. *Æternitas,* inquit, *est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* Æternitas ergo primo, est interminabilis; secundo, est vitalis semperque vivens; tertio, est tota simul; quarto, est perfecta possessio vitæ omnisque boni. In bonis huius vitæ nihil est perfectum, multa desunt: habes opes, deest honor: habes honorem, deest sanitas: habes sanitatem, deest scientia: habes scientiam, deest facundia et gratia. Es in convivio opiparo, mox ut comedisti satiaris, deest appetitus, deest voluptas: cibo gravaris, deest vigor et alacritas animi, deest quies mentis, deest sæpe locus et honor quem postulas. In æterna vita Beati omnibus bonis simul fruuntur: possident enim opes Dei, scientiam Dei, delicias Dei, robur Dei, Paradisi, Angelorum et Sanctorum omnium: et hæc omnia simul habent, et habebunt præsentia per omnem æternitatem. An non ergo lætitia sempiterna super capita eorum gaudium et exsultationem obtinebunt?

Æternitatis conditiones.

Quid est ergo beata æternitas? rogemus eos qui illam ingressi sunt, eaque fruuntur. Dic nobis, S. Petre, S. Paule, S. Ioannes, quid est æternitas beata? Eam plene et distincte concipere et explicare et exprimere non valemus. Quamdiu in ea fuistis? mille quingentis annis. Quantum in ea progressi estis? vix dum eam inchoavimus? Mille quingenti anni elapsi numquid aliquid de vestra æternitate dirpserunt? non horam, non momentum unum, ne hilum quidem: tantumdem est ac si iam primum eam inchoaremus: æque nova, æque iucunda, æque longa nobis accidit, et restat voluptas æterna. Quid est ergo æternitas vestra, tam felix, tam beata? Est abyssus gaudiorum, est abyssus temporum, est abyssus sæculorum: tempora nostra, gaudia nostra, sæcula nostra fundo carent, finem non habent, terminum et metam eorum, quantumvis sapientissimi et oculatissimi simus, pervidere non possumus, æternitatem nostram dimetiri et mensurare nequimus, non est mensura quæ eam adæquet: regni nostri, felicitatis nostræ, gloriæ et lætitiæ nostræ non erit finis, numquam finis, numquam terminus. Dic, o S. Catharina, S. Lucia, S. Agnes, quæ pro castitate usque ad mortem certastis, quæ ignes, equuleos, bestias superastis, qualis et quanta est vestra æternitas? Dic, o S. Hieronyme, S. Macari, S. Antoni, S Romualde, S. Elia, S. Elisæe, qui 50. 60. 100. annis omnes voluptates sæculi abdicastis, vitam austeram egistis, circuistis in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; quid pro tantis laboribus recepistis? quænam est sempiterna vestra lætitia? Dic, o S. Stephane, S. Laurenti, S. Vincenti, dic, o S. Clemens Ancyrane et Agathangele, qui per 28. annos continuos equuleos, ignes, catastas, verbera, continuum et longum martyrium fortiter et generose tolerastis, qualis est vestra lætitia, qualis et quanta corona æternitatis vestræ? Habuimus momentum crucians, illud iamdiu transiit et evanuit: habemus nunc æternum delectans, quod numquam transibit; sed semper erit hodie, semper nobis præsens. Nunc sequimur Agnum, et canimus: *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes: et regnabimus in sæcula sæculorum, Regnum tuum,* Domine, *regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni progenie et generatione.* Cogita sæcula sæculorum, cogita progenies et generationes omnes, cogita tempora omnia præsentia, præterita, futura et possibilia; necdum æquabis æternitatem nostram: per omnia hæc tempora, per omnes has generationes, per omnia hæc sæculorum sæcula regnabimus, deliciabimur, triumphabimus cum Christo et Sanctis omnibus in omni voluptate et gaudio in æternum.

CAPUT TRIGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Isaias prophetiam suam de Sennacherib confirmat historia de eodem, qua narrat hoc capite et sequenti, ita omnia evenisse uti ipse prædixerat. Eadem recensetur 4. Reg. c. 18. et duobus sequentibus. Hoc ergo capite Rabsaces a Sennacherib missus ad Ezechiam eum hortatur ut se dedat, cum non possit resistere; nec confidat in ope Ægyptiorum, cum ipsi sint baculus arundineus; nec in ope Dei, cum eius altaria everterit. Secundo. v. 11. cum legati Ezechiæ peterent a Rabsace, ut non loqueretur Hebraice ad populum, sed Syriace ad legatos, persistit superbus Rabsaces, populumque insultans eum ab Ezechia ad Sennacherib traducere conatur, dicens quod Deus non possit eos tutari, sicut dii aliarum gentium eos a manu Sennacherib tutari non potuerunt.

1. Et factum est in quarto decimo anno regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Iuda munitas, et cepit eas. 2. Et misit rex Assyriorum Rabsacen de Lachis in Ierusalem, ad regem Ezechiam in manu gravi, et stetit in aquæductu piscinæ superioris in via Agri fullonis. 3. Et egressus est ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Ioahe filius Asaph a commentariis. 4. Et dixit ad eos Rabsaces: Dicite Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua confidis? 5. Aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? super quem habes fiduciam, quia recessisti a me? 6. Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, et perforabit eam: sic Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo. 7. Quod si responderis mihi: In Domino Deo nostro confidimus: nonne ipse est, cuius abstulit Ezechias excelsa et altaria, et dixit Iudæ et Ierusalem: Coram altari isto adorabitis? 8. Et nunc trade te domino meo regi Assyriorum, et dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum. 9. Et quomodo sustinebis faciem iudicis unius loci ex servis domini mei minoribus? Quod si confidis in Ægypto, in quadrigis, et in equitibus: 10. Et nunc numquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam? Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, et disperde eam. 11. Et dixit Eliacim, et Sobna, et Ioahe ad Rabsacen: Loquere ad servos tuos Syra lingua: intelligimus enim: ne loquaris ad nos iudaice in auribus populi, qui est super murum. 12. Et dixit ad eos Rabsaces: Numquid ad dominum tuum et ad te misit me dominus meus, ut loquerer omnia verba ista; et non potius ad viros qui sedent in muro, ut comedant stercora sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum? 13. Et stetit Rabsaces, et clamavit voce magna iudaice, et dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. 14. Hæc dicit rex: Non seducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos. 15. Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum. 16. Nolite audire Ezechiam: hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me, et comedite unusquisque vineam suam, et unusquisque ficum suam: et bibite unusquisque aquam cisternæ suæ, 17. Donec veniam, et tollam vos ad terram, quæ est ut terra vestra, terram frumenti et vini, terram panum et vinearum. 18. Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum? 19. Ubi est Deus Emath, et Arphad? ubi est Deus Sepharvaim? numquid liberaverunt Samariam de manu mea? 20. Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Ierusalem de manu mea? 21. Et siluerunt, et non responderunt ei verbum. Mandaverat enim rex, dicens: Ne respondeatis ei. 22. Et ingressus est Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Ioahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

Vers. 1 Super omnes civitates.) *Super*, id est contra: hoc enim est Hebræum עַל *al.*

Misit rex Assyriorum Rabsacen.) Fabulantur Hebræi hunc Rabsacen fuisse filium Isaiæ, eo quod locutus sit hebraice v. 13. et quia alter Isaiæ filius relictus vocatus est c. 7. v. 3. Iasub, quasi alius ad Assyrios transfugisset. Hanc fabellam refert hic S. Hier. et auctor de Mirabilibus S. Scripturæ apud S. August. l. 2. c. 27.

Vers. 2 In manu gravi.) Id est cum comitatu magno, cum milite multo ad ostendendam potentiam Assyriorum. Licet enim Sennacherib exercitum penes se retineret, tamen misit insignem militum manum cum Rabsace ad percellendum Iudæos. Est enallage quantitatis continuæ pro discreta: *gravis* enim sumitur pro multo hic, uti et alibi sæpe. Vide dicta Exodi 8. v. 24.

Aliter Sanchez: *In manu gravi*, id est, cum potestate magna, cum facultate ampla quam dedit ei Sennacherib, ut, quod ipse cum Ezechia transigeret, hoc rex ratum haberet: aut *in manu gravi*, id est cum legatione gravi, id est minarum et contumeliarum plena.

Vers. 3. Eliacim.) De Eliacim et Sobna dixi c. 22. v. 15. et 20.

A commentariis.) Vatablus vertit, *historiographus;* Lyranus, *cancellarius;* hebr. est מזכיר *mazkir*, id est, commentator, commemorator, qui rem in mentem et memoriam revocat. Erat id officii apud reges Iudæorum et Persarum, ut patet Esther. 6. 1. quo quis regi suorum fa-
A cinora, merita, gesta, publicas necessitates, et quidquid regem meminisse oporteret, in pugillaribus aut diariis consignaret eique suo tempore legeret, aut in memoriam revocaret. Ita Forer. Non ergo erat hic scriba regis: nam scriba erat Sobna, uti præcessit.

Recessisti a me.) Achaz enim pater Ezechiæ dedidérat se regi Assyriorum, 4. Reg. 16. 7. Sed Ezechias Deo nixus hoc iugum excussit et rebellavit, ut dicitur 4. Regum 18. 7. Vers. 5.

Confidis super baculum arundineum.) Super Ægyptum. Alludit ad arundines quæ abundant ibi in ripa Nili, q. d. Sicut arundo infirmior est, quam ut ei incumbentem sustineat, ut potius manum se apprehendentis compungat et perforet: ita erit et Iudææ Ægyptus, eiusque copiæ et auxilium quod promittit. Vers. 6.

Nonne ipse est, cuius abstulit Ezechias excelsa?) Calumniatur Rabsaces Ezechiam: vitio enim ei vertit quod erat laudi dandum; nam excelsa auferri iusserat Deus: sed forte hoc ignorabat Rabsaces. Quod si verum est, docet nos ipse, licet infidelis idem quod Seneca, scilicet, *Deum obsequio in rebus prosperis nobis conciliandum, non criminibus irritandum, ut in adversis cum fiducia invocatus adesse velit.* Vers. 7.

Et nunc trade te.) Hebr. est התערב *hitareb*, id est, ut Chaldæus, commiscere, coniungere, paciscere et ini fœdus, scilicet tradendo te in vassallum regi Assyriorum: ipse Vers. 8.

vicissim te ut dominus tuebitur, ac tradet tibi duo millia equorum.

Vatablus vertit: *Da obsides domino meo* regi Assyrio, daboque ego tibi equorum duo millia. Forerius vertit: *Oppignora dominum meum*, id est, devinci muneribus, vel obsidibus, vel te in manus eius tradendo: aut potius *depone quidquam cum domino meo*, v. g. ut ipse det bis mille equos si tu bis mille des ascensores, ut sit concertatio inter Sennacherib et Ezechiam.

Nec poteris ex te præbere ascensores.) Non quod Hierosolymæ non essent bis mille cives, sed quod non essent bis mille equites, saltem ut putabat Rabsaces. Iudæis enim equitatus, et equorum copia a Deo fuit vetita Deuter. 17. v. 16. Vide ibi dicta.

Vers. 10. Iudicis unius loci.) Id est satrapæ aut præfecti unius provinciæ, ut dicitur Esther c. 3. 12.

Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, et disperde eam.) Mentitur superbus licentia regia. Nam Deum non voluisse per Sennacherib perdere Ierusalem, sed potius perdere ipsum Sennacherib, patet ex eventu; potuit tamen velle Deus, ut Sennacherib eos invaderet, puniret et affligeret, idque vel per se, vel per prophetiam Isaiæ revelare. Vide can. 36

Vers. 12 Ut comedant stercora.) q. d. Iudæi a me brevi tam arcte obsidebuntur, eoque penuriæ redigentur, ut cogantur columbinis, quin et humanis excrementis vesci. Ita S. Hieron. Cyrillus, Theodor.

Et bibant urinam pedum suorum.) Hebr. *aquam pedum suorum*. Ita Hebræi modeste et honeste vocant urinam, quod ad pedes defluat: sicut aqua capitis, sunt lacrymæ, Ierem. 9. 1. Sic Hebræi dicunt, *dux de inter pedes eius*, id est de genitalibus, quod Noster vertit, *de fœmore eius*, scilicet prodiens et genitus, Genes. 49. 10. Ita Forerius.

Facite mecum benedictionem.) Non activam (hanc enim homo arrogans contemnebat: nec enim optabat a Iudæis benedici) sed passivam, q. d. Dedite vos mihi, itaque gratiam et beneficentiam meam vobis conciliate, ut in vos benignus et beneficus sim. Unde Septuag. vertunt: *Si vultis benedici;* et Noster 4. Reg. 18. 31. vertit: *Facite mecum quod vobis est utile;* et Leo Castrius: *Facite*, inquit, *mecum benedictionem*, scilicet vobis, et in commodum vestrum, q. d. Ita facite mecum vos mihi subdendo, ut inde vobis accedat benedictio, id est beneficentia, mea. Hic sensus est genuinus. Servitutem, quæ per se odiosa erat, benedictionis nomine tegit, ut magis ad se alliciat. Ita facit et dæmon. Vers. 16.

Secundo, Forer. *benedictionem*, inquit, id est copiam, largitatem, q. d. Ne sitis erga me parci, sed magnifice ac liberaliter mecum agite, nempe sine timore, fidenter ad me egredimini; vestri curam mihi meæque fidei credentes: quod si feceritis, comedet quisque, etc. id est, manebitis rerum vestrarum domini, libere rura vestra adibitis, carpetisque ficus, uvas et fructus vestros, meque pro hoste patrem et tutorem experiemini.

Tertio, alii, q. d. Gratificamini mihi in hac re.

Scissis vestibus.) Tum ob blasphemiam Rabsacis, ut hoc ritu se eam detestari ostenderent, tum ut mœrorem et luctum ob minas Rabsacis, et periculum urbi imminens testarentur. Vers. 22.

CAPUT TRIGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechias nuntiat Isaiæ minas et blasphemias Rabsacis: Isaias v. 6. iubet eum bono esse animo, nec timeat Assyrium quem Deus cæsurus sit. Secundo, v. 9. Sennacherib iturus contra Æthiopes, rursum mittit minaces litteras ad Ezechiam, ut se dedat, nec speret Dei ope se manus eius evasurum. Hinc tertio, Ezechias v. 14. has literas in templo Deo offert, oratque ut suæ et populi causæ succurrat. Unde quarto, v. 21. nomine Dei Isaias eum rursum metu liberat, et blasphemum Sennacherib increpat, omniaque ei adversa prædicit, ac v. 30. dat signum, scilicet annonam ad tres annos. Deinde v. 36. Angelus cædit castra Sennacherib, qui fugiens a filiis occiditur.

1. Et factum est, cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Domini. 2. Et misit Eliacim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus, opertos saccis, ad Isaiam filium Amos prophetam, 3. Et dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiæ, dies hæc: quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi. 4. Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum viventem, et exprobrandum sermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus: leva ergo orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt. 5. Et venerunt servi regis Ezechiæ ad Isaiam: 6. Et dixit ad eos Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum, quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. 7. Ecce ego dabo ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur ad terram suam, et corruere eum faciam gladio in terra sua. 8. Reversus est autem Rabsaces, et invenit regem Assyriorum præliantem adversus Lobnam. Audierat enim quia profectus esset de Lachis. 9. Et audivit de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Egressus est ut pugnet contra te. Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam, dicens: 10. Hæc dicetis Ezechiæ regi Iudæ, loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Ierusalem in manu regis Assyriorum. 11. Ecce tu audisti omnia, quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subverterunt, et tu poteris liberari? 12. Numquid eruerunt eos dii gentium, quos subverterunt patres mei, Gozam, et Haram, et Reseph, et filios Eden, qui erant in Thalassar? 13. Ubi est rex Emath, et rex Arphad, et rex urbis Sepharvaim, Ana, et Ava? 14. Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, et legit eos, et ascendit in domum Domini, et expandit eos Ezechias coram Domino. 15. Et oravit Ezechias ad Dominum, dicens: 16. Domine exercituum Deus Israel, qui sedes super cherubim; tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cælum et terram. 17. Inclina Domine aurem tuam, et audi: aperi Domine oculos tuos, et vide, et audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem. 18. Vere enim Domine desertas fecerunt reges Assyriorum terras, et regiones earum. 19. Et dederunt deos earum igni: non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum et lapis, et comminuerunt eos. 20. Et nunc Domine Deus noster, salva nos de manu eius; et cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus. 21. Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum: 22. Hoc est verbum,

quod locutus est Dominus super eum: Despexit te, et subsannavit te virgo filia Sion; post te caput movit filia Ierusalem. 23. Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem, et levasti altitudinem oculorum tuorum? ad sanctum Israel. 24. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino: et dixisti: In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, iuga Libani: et succidam excelsa cedrorum eius, et electas abietes illius, et introibo altitudinem summitatis eius, saltum Carmeli eius. 25. Ego fodi, et bibi aquam, et exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum. 26 Numquid non audisti, quæ olim fecerim ei? ex diebus antiquis ego plasmavi illud: et nunc adduxi: et factum est in eradicationem collium compugnantium, et civitatum munitarum. 27. Habitatores earum breviata manu contremuerunt, et confusi sunt: facti sunt sicut fœnum agri, et gramen pascuæ, et herba tectorum, quæ exaruit antequam maturesceret. 28. Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum cognovi, et insaniam tuam contra me. 29. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, et frænum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti. 30. Tibi autem hoc erit signum: Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere: in anno autem tertio seminate, et metite, et plantate vineas, et comedite fructum earum. 31. Et mittet id, quod salvatum fuerit de domo Iuda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum: 32. Quia de Ierusalem exibunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet istud 33. Propterea hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non intrabit civitatem hanc, et non iaciet ibi sagittam, et non occupabit eam clypeus, et non mittet in circuitu eius aggerem. 34. In via qua venit, per eam revertetur, et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus: 35. Et protegam civitatem istam, ut salvem eam propter me, et propter David servum meum. 36. Egressus est autem angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum, centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, et ecce omnes, cadavera mortuorum. 37. Et egressus est, et abiit, et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, et habitavit in Ninive. 38. Et factum est, cum adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar filii eius percusserunt eum gladio: fugeruntque in terram Ararat, et regnavit Assarhaddon filius eius pro eo.

Vers 1. OBVOLUTUS EST SACCO.) Cilicio. Hoc enim erat habitus pœnitentiæ, et vestis lugentium. Vide dicta Gen. 37. 34. Porro saccus hic vel erat ad nudam carnem, vel super alias vestes, uti Romæ in Quadragesima multi saccos vestibus superinduunt.

Vers. 3 DIES TRIBULATIONIS, ET CORREPTIONIS, ET BLASPHEMIÆ.) Primo, S. Hier. et Sanchez *tribulationem* referunt ad populum, *correptionem* ad Deum, *blasphemiam* ad Rabsacen, q. d. Dies hic tribulationem populo impendere admonet, et correptionem a Deo, qui nostra vult punire peccata, qui etiam impii regis superbiam, et impudentis legati Rabsacis blasphemiam audivit, qua dixit, Deum non posse Iudæos liberare a manu Sennacherib, sicut dii aliarum gentium non potuerunt.

Secundo, Vatabl. Dicit, inquit, *dies correptionis*, vel increpationis, vel accusationis: quia Iudæi a Sennacherib arguebantur rupti fœderis, quasi fœdifragi.

Tertio, et planius, *diem correptionis* vocat: quia Rabsaces increpaverat Ezechiam, quod in Deo speraret, cuius excelsa abstulerat, quodque non haberet bis mille equites, nec esset resistendo, atque populum quod, nisi se dederet, redigendus esset in tantas angustias, ut stercora sua comedere et urinam bibere cogeretur: hæ ergo fuerunt correptiones sive increpationes Rabsacis.

VENERUNT FILII USQUE AD PARTUM, ET VIRTUS NON EST PARIENDI.) Est proverbium, q. d. In extremum discrimen, dolorem et angorem venimus, ut tamquam puerperæ molientes bellum pium et necessarium, pro urbis sanctæ defensione contra blasphemum Sennacherib, illud præ languore et defectu virium eniti, et in lucem proferre non possimus; sed illo opprimendi simus, ni Deus miraculose gloriæ suæ et nobis succurrat. Ita Theod. Procop. Eucher. Abulens. Caiet. et Vatabl. vel hic, vel 4. Reg. 19.

Vers. 4. SI QUO MODO AUDIAT.) Supple, q. d. Ora pro nobis, si forte audiat Deus, etc. ut ex Hebræo vertunt Forer. et Vatabl.

Vers 6 A FACIE VERBORUM.) A verbis et minis: hisce enim Hebræi per prosopopœiam dant faciem. Antequam legati Ezechiæ venirent ad Isaiam, iam Deus illi revelarat eorum adventum, quidque eis respondendum esset, inquit S. Hieronymus: unde statim ut venerunt, sine oratione et recursu ad Deum respondit eis Isaias.

Vers 7. EGO DABO EI SPIRITUM.) Adversarium, inquit S Hieron.

Secundo, Haymo et Forer. *spiritum*, id est, ventum, q. d. Veniet per aera nuntius vel rumor instar venti, hoc est citissime et non exspectatus, et quasi incerto auctore veniet hic rumor, veluti si vento adveheretur. Forer. *Quod si spiritus quispiam ex angelicis missus in hoc sit, ut talem nuntium deferret?*

Tertio, Vatabl. *spiritum*, id est, impulsum et voluntatem redeundi in patriam.

Quarto, Leo Castrius, *spiritum*, id est, aerem corruptum et incensum, puta pestem: hac enim periisse Assyrios docet Berosus apud Ioseph. l. 10. Antiq. 1.

Quinto, et optime, Lyran. et Sanchez: Mittam in eum *spiritum* timoris et perturbationis, et quasi terrorem panicum, atque nuntium de adventu Tharacæ regis Æthiopiæ, qui eum ab obsidione Hierosolymæ submoveat, ut contra eum pugnet: quo facto rediens cædetur ab Angelo, ideoque fugiet ad suos in Assyriam, ibique occidetur.

Similem metum et animi consternationem immisit Deus in Chananæos, ne persequerentur Iacobum Genes. 35. v. 5 et ne resisterent Hebræis adventantibus Exodi 23. 27. et in Syros obsidentes Samariam 4. Regum 7. 6. Sic cum Saul cingeret undique Davidem, ut nullum pateret effugium, Deus misit ei nuntium dicentem Philisthæos irruere in fines Israel: quare a Davide avocatus est, coactusque regredi ad suos fines tuendos. Quam mira est Dei erga suos providentia! quam fida custodia!

ANA ET AVA.) Septuag. hæc duo in unum conflarunt, Vers 13.
Anaveava; unde unde corrupte iam in Septuag. irrepsit *Anagugava. Ana* fuit regia Lydorum (quorum postea tempore Cyri rex fuit Crœsus) antequam Sardes conderentur et in regni metropolim erigerentur ab Assarhaddon filio Sennacherib, sive a Sardanapalo, ut nonnulli censent: unde ab eodem nomen accepisse videntur, ut Sardes dicantur quasi urbs Sardon, id est, domini et principis. *Sepharvaim* censent nonnulli fuisse regiam regni Pontici et Bosphorani, de quo Strabo, sitam iuxta Bosphorum Cimmerium et Pontum Euxinum: unde Melitenses (qui multas usurpant voces Syras et Arabicas) *Sepharbaim* vocant traiectum, sive tranationem animalium, puta Bosphorum. Bosphorus enim dicitur quasi του βοος πορεια, id est, bovis iter et via, quia scilicet in eo sunt tantæ maris angustiæ, ut bos illas nando transmittere possit. Ita Romæ mihi asseverarunt Patres nostri Melitenses.

LIBROS.) Id est, litteras Rabsacis; has enim significat Vers. 14.
Hebr. ספר *sepher*.

QUI SEDES SUPER CHERUBIM.) Qui sedes in propitiato- Vers 16.
rio supra arcam, quod est quasi solium tuum obumbratum a duobus Cherubinis, ex quo responsa das in Sancto sanctorum; quo symbolice significatur, te omnes Angelorum acies et choros subditos habere, et quasi eis inequitare. Vide dicta Exodi 25. 18.

Vers. 22. VIRGO FILIA SION) Id est, o Ierusalem, vide can. 18.
Vers. 23. POST TE CAPUT MOVIT.) Quasi subsannans et minans.
AD (id est, *contra*, ut vertit Vatabl.) SANCTUM ISRAEL.) q. d. Quænam ista vesana blasphemia et superbia tua, o Sennacherib, quod Deum lacessere, et ad duellum quasi provocare sis ausus? nescis quod ipse sit sanctus Israelis custos et protector, qui non patietur sanctam suam urbem et templum a te pollui et contaminari, sed acer eius vindex contra te insurget.

Moral de blasphemorum punitione. Moraliter disce hic quam Deus in superbos et blasphemos excandescat, eosque acerrime puniat.

Holofernes indignatus, quod Achior potentiam Dei cæli commendasset, dixit, Iudith 6. v. 2. *Quoniam prophetasti nobis dicens, quod gens Israel defendatur a Deo suo,...ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum.* Verum postea per unius fœminæ manum caput eius amputatur.

Blasphemus et superbus Antiochus insanabili et invisibili plaga percussus est. Sic et Iudæi sæpius blasphemas voces in Filium Dei evomuerunt, ideoque a Tito excisi sunt.

Latro improbus cruci affixus etiam blasphemabat, cum diceret: *Si Filius Dei es, salva temetipsum*, et mox idcirco periit.

Propter blasphemiam D. Paulus Alexandrum et Hymenæum dæmoni torquendos tradidit.

Anno Domini quadringentesimo nonagesimo quarto, octavo Calendas Ianuarii, res admiranda, terribilis et singularis, qua aures audientium obstupeant, evenit. Cum Euthymius Arrianæ factionis defensor, cursorem saltantem citaret in balneis palatii Heleniani, accedens ad eum adulator Olympius, et quosdam qui lavabantur ὁμοουσίου (hoc est eiusdem substantiæ Filium esse cum Patre assertores) conspicatus, istiusmodi eos verbis compellavit: *Quid enim est* (inquiens) *Trinitas, aut quo non in pariete inscripta est? Ecce* (inquit obscœnus) *et ego Trinitatem habeo.* Quare qui illic aderant, commoti illum erant interfecturi, sed prohibiti sunt a quodam presbytero. Verum Dei vindicta eum comprehendit: nam cum descendisset in balneum frigidum, confestim egressus est, clamans. *Miseremini*, et carnes sua ungulis dilanians ab ossibus divellebat. Hunc illi qui circumaderant comprehensum linteo obvolverunt, et præ frigore animo deficientem reclinarunt. Rogantibus autem, quodnam illi contigisset? respondit Olympius: *Hominem vidi candidis indutum vestimentis, qui super Nerophorum incedens tres mihi calidæ siclas infudit, Ne maledixeris, inquiens.* Qui igitur erant illi necessitudine coniuncti, sublatum in aliud balneum, quod Arrianorum hærebat Ecclesiæ, gestarunt. Verum cum ex linteo vellent illum eximere, omnes illius carnes dilaceraverunt; atque ita moriens animam efflavit. Ita Damascenus, Ado, Platina, Vasæus, et ex iis Baron. anno Christi 494.

Iulianus Imperator Apostata, in bello quod contra Persas gerebat, graviter vulneratus, cum e vulnere cava manu sanguinem hausisset, atque eum in cælum, veluti Christum conspiciens, coniecisset, perinde atque causam cædis suæ in eum referret, ita vociferatus dicitur: *Vicisti, Galilæe, vicisti;* et cum sanguine diffluerct, *Saturare, Nazarene*, exclamavit. Ita histor. Tripart. lib. 9. cap. 25.

In vita S. Ioannis Chrysostomi narratur, quod, cum S. Chrysost. laudaret SS. Trinitatem, quæ nobis suppeditat annuos fructus, respondit ei Anthemius: Non Christus, sed elementa mundi suis temporibus eos producunt deorum providentia. Nondum finem acceperat eius sermo, cum maligno spiritu possessus, et terræ allisus, misere iacebat rugiens, lacrymarum et timoris simul causa iis qui aderant, pervertens quidem oculos, stridens autem dentibus, spumam vero ex ore turpissime exspuens.

Gregor. Turon. lib. 4. histor. Franc. 16. simile recenset. Leo, inquit, quidam Pictaviensis, qui iuxta nomen suum tamquam leo erat in omni cupiditate sævissimus, fertur quadam vice dixisse, quod Martinus et Martialis Confessores Domini nihil fisci viribus utile reliquissent: sed statim percussus a virtute Confessorum, surdus et mutus effectus, amens est mortuus: venit enim miser ad basilicam S. Martini Turonos, celebravitque vigilias, dedit munera, sed non eum respexit virtus consueta: cum ipsa enim qua venerat infirmitate, regressus est.

S. Gregor. Pontif. lib. 4. Dialog. cap. 18. narrat puerum quinquennem Deum blasphemare assuetum, a dæmone e sinu patris abreptum.

Iustinianus Imper. iurantem per Dei aliquod membrum, aut capillos, aut Deum blasphemantes ultimo supplicio damnavit, ut patet in authent. coll. 6. tit. 5.

Philippi Augusti Francorum regis, vivo patre coronati, primum edictum fuit adversus blasphemos, nomen Christi contumeliose probroseque in testimonium, et cuiusvis minutissimæ rei assertionem adducentes, quos censuit in flumen citra moram mergendos. Secundum fuit adversus tibicines, histriones, parasitos, et id genus voluptuarios artifices, quibus interdixit aula. His consonus est Canon qui habetur d. 22. ubi sic legitur: *Si quis per capillum Dei vel caput iuraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in ordine Ecclesiastico est, deponatur; si laicus, anathematizetur.* Et in authenticis, tit. Ut luxurientur contra naturam, sancitur: *Nemo iuret per membra Dei aut capillos; aut alio modo Deum blasphemet: his enim delictis et fames, et terræmotus, et pestilentiæ fiunt. Præcipimus igitur tales comprehendi, atque ultimis subdi suppliciis.*

Roberto Francorum regi, filio Hugonis Capeti aliquando in civitate Aurelianensi pro pace et regni sui tranquillitate oranti Christus apparuit, et responsum dedit, quod pacem in regno non haberet suo, donec blasphemias et crimina notoria exstirpasset. Nec mirum: hæc enim procedere videntur ex contemptu vel ex odio in Deum: odium autem Dei peccatorum maximum est. Narrat hoc Nicolaus Boerius decis. 301.

Anno salutis 1569. duo præsidiarii milites apud Argentinenses in vincula sunt coniecti, alter in Deum blasphemans, alter in Præfectum cohortis iniurius. Pro illo ob spectatam fortitudinem optimi quique intercedebant, pro hoc vero nulli. Senatus prudens indignum ratus, violatorem Dei meliore conditione esse quam calumniatorem hominis, causæ cognitione iis quibus oportuit demandata, ubi blasphemiam horrendam, licet ab ebrio et emotæ mentis homine, admissam cognovit; plus divinæ maiestati quam humanæ gratiæ et intercessioni tribuendum ratus, supplicio capitali, extracta per cervicem lingua, blasphemum affecit. Ita refert Theatr. vitæ humanæ vol. 13. l. 4. et Noster d' Auroult in exempl. c. de Blasphemia, cuius opus extra Belgium multis incognitum est, utinam cognitum et tritum!

IN MANU SERVORUM.) Per servos tuos; Rabsacen eiusque socios. Vide can. 23. Vers. 24.

ASCENDI ALTITUDINEM MONTIUM.) q. d. Arctas et prærupta montium semitas, ut vix equiti aut pediti esset transitus, ego deiectis arboribus et scopulis ita complanavi, ut quadrigis meis in eorum vertices conscenderim. Simile fecit Vespasianus in Libani faucibus, cum per illas copias in Iudæam deduxit, teste Iosepho lib. 3. Belli c. 5. Ita Sanchez. Sic Hannibal viam suo exercitui fecit per Alpes: audi Iuv. sat. 10.

Opposuit natura Alpemque nivemque:
Diduxit scopulos, et montem rupit aceto.

Porro per Libanum totam Iudæam et Syriam intelligit, eius enim principium et quasi murus et antemurale erat Libanus. Est synecdoche.

SALTUM CARMELI EIUS.) Vatabl. intelligit templum, quod quasi saltus situm erat in Carmelo, id est in agro feraci, cuius sacerdotes, ait, sunt ut arbores in saltu. Alii Ierusalem intelligunt; alii, civitates quasvis Iudææ munitas et in excelso sitas. Simplicissime accipias Carmelum, ut sonat, scilicet montem Iudææ fertilissimum vineis, oleis, aliisque arboribus fructiferis et odoriferis abundantem, in quo habitavit Elias et Eliseus, ac postea primi Carmelitæ: hic enim Ordo a Carmelo nomen sumpsit, q. d. sicut Libanum sic et Carmelum eius vastabo. Dicit *eius*, scilicet Libani, hic enim præcessit: quia Car-

melus ad Libanum spectat. Per Libanum enim totam Iudæam intelligit: Iudææ autem pars est Carmelus. Nota τὸ *saltum* : hinc enim videtur, quod in monte Carmelo fuerit saltus vel sylva. Ita Adrichom.

Ego fodi et bibi aquam.) q. d. Ego copia militum abundans, per eos in locis arentibus fodi puteos itaque aquam sufficientem præbui toti exercitui : hoc fecerunt Cæsar, Scipio, et alii præstantissimi imperatores, hocque faciendum est duci castrorum, ut docet Vegetius lib. 4. 10.

Vers. 25. Et exsiccavi vestigio pedis mei (id est quocumque exercitus meus vestigium poneret) omnes rivos aggerum) *Rivos aggerum* vocat aquas tam pluviales quam fontanas, quæ in agro aggeribus conclusæ, quasi in vivario aut piscina servantur; ut sit idem quod de eodem dicitur 4. Reg. 19. 24. *Et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas* : aut potius ita vocat rivos fluentes, qui utrimque ripis quasi aggeribus concluduntur. Ita S. Hieron. q. d. Ego meo exercitui tam numeroso et valido, quacumque incessi, partim averti flumina, fecique ea vadosa et pervia; partim epotavi. Ita Xerxes siccavit flumina Græciæ, de quo Iuvenal. satyra 10.

Credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente.

Numquid non audisti, quæ olim fecerim (id est facere decreverim, iuxta can. 29.) ei, genti Iudæorum? ex diebus antiquis ego plasmavi, hebraice יצרתי *iatsarti*, id est formavi, finxi, id est formam rei gerendæ concepi, ordinavi, præscripsi, illud.) q. d. Numquid non audisti, o Sennacherib quod tu te fecisse Iudææ et aliis provinciis gloriaris, scilicet quod illas vastaveris ac subegeris, hoc ipsum ab olim me præcogitasse, prædefinivisse, et per singulas sui partes præscripsisse, ut patet Isaiæ 10. et nunc ea adduxisse ac opere complesse, ut scilicet fierent, et redigerentur civitates munitæ in ruinas per te; verum ita ut Hierosolymam non caperes, sed ibi cæderceris. Noli ergo victorias tuas tibi ascribere, sed mihi : nam me duce iis potitus es, ideoque, ut hoc tibi ingrato et superbo ostendam, sistam eas, imo eas in clades convertam. Ita Forer. Vatabl. et alii.

Vers. 26. Et factum est in eradicationem collium compugnantium.) S. Hieron. et Adamus, per *colles compugnantes* accipiunt principes inter se dissidentes.

Secundo, et planius, Sanchez: *colles compugnantes*, id est concertantes (hoc enim est Hebr. נצים *nitsim*) et pugnantes (ut habetur 4. Reg. 19.) cum Assyriis, sunt civitates Iudææ, et aliarum gentium in collibus sitæ, ideoque munitæ, ut sequitur, q. d. Nutu Dei factum est, ut Sennacherib eradicaret, id est everteret, civitates excelsas et validas, quæ acriter cum eo pugnarunt et dimicarunt : id enim eum fecisse patet c. 36. v. 1.

Tertio, verti potest cum Vatablo clare: *Iam adduco illud, ut redigam in tumulos ruinarum urbes munitas;* aut ut Forerius: *Et erit ut ruere faciat* (Deus) *vel illidat fluctus compugnantes et concertantes in civitates munitas;* Syrus et Arabicus vertunt : *Et nunc adduxi eam, ut sit in destructionem et desolationem.*

Vers. 27. Habitatores earum breviata manu contremuerunt.) S. Hier. accipit *manum*, id est opem Dei, q. d. Iudæi victi sunt ab Assyriis, quia Deus breviavit et contraxit ab eis suam manum, eamque extendit ad Assyrios, dando eis animos et vires, et prosperos belli successus ad subiugandum Iudæos. Unde Arabicus vertit: *Reliquerunt eos de manibus suis* (id est proiecerunt eos) *et confracti sunt.*

Secundo, et melius accipias *manum*, id est potentiam et vires Iudæorum, q. d. Iudæi contremuerunt veniente Sennacherib, quia eorum manus, id est potentia, a Deo fuit breviata, id est concisa. Unde hebr. est קצרי יד *kitsre iad*, id est breviati manu, vel breves manu, et, ut Noster vertit 4. Reg. 19. *humiles manu*, hoc est infirmi, imbelles ac quasi manci Iudæi contremuerunt coram Assyriis. Ita Forer. Vatabl. et alii. Unde Syrus vertit : *Habitatores relaxarunt in eis manus, contriti et confusi sunt.*

Facti sunt sicut foenum agri, etc.) Comparat Iudæos infirmos, et statim ab hoste prostratos, fœno, gramini et herbæ in tectis crescenti, quæ a sole vel gelu exusta, aut pedibus calcata, aut humore deficiente marcescit et exarescit: pari enim modo omnes Iudæorum vires statim ad adventum Assyrii emarcuerunt et exaruerunt.

Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum cognovi.) Hæc tria significant omnes motus, situs et actiones hominis, quæ alibi vocantur *ingressus* et *egressus* : hic additur tertium, scilicet *sessio* vel *habitatio*, q. d. Ego prænovi, prævidi et prædisposui, o Sennacherib (ad eum enim se convertit) omnes tuos actus quos designasti, sive cum in Assyria habitares, sive cum inde regredereris, victorque intrares Assyriam. Eadem phrasis est Psal. 138. *Tu cognovisti sessionem* (hebr. est idem verbum ישב *iasciab*, quod hic vertit *habitationem) et resurrectionem meam*. hebr. קומי *kumi*, id est meum resurgere ad egrediendum vel ingrediendum. Vers. 28.

Ponam circulum.) Te quasi mulum aut bubalum, velut circulo aut fræno iniecto circumagam, et reducam in Assyriam, unde te eduxi. Notat Sanchez iusta et congrua pœna puniri regem, qui subsannarat Iudæos ad Deum nasum contumeliose suspendendo, os distorquendo et linguam petulanter exerendo : naso enim eius Deus infigit circulum, ori et linguæ iniicit frænum. Vers. 29.

Tropolog. S. Gregor. 23. Moral. c. 10. explicans illud Iob 40. 21. de Leviathan : *Numquid pones circulum in naribus eius?* docet circulum hunc esse Dei omnipotentiam, qua diaboli vel sagacitatem vel robur frænat et cohibet, ne nos tentet quantum vult et potest : *Ponam*, ait, *circulum in naribus tuis, ac si aperte dicat : Cogitando insidias suspiras; sed explere quod appetis non valendo, omnipotentiæ meæ circulum in naribus portas, ut, cum bonorum mortem ardentius anhelas, ab eorum vita vacuus redeas.*

Tibi autem hoc erit signum.) Convertit se ad Ezechiam obsessum a Sennacherib, eique in famis periculo assignat alimoniam, eamque dat signum futuræ plenæ libertatis Iudæorum, ac stragis Assyriorum. Vers. 30.

Comede hoc anno quæ sponte nascuntur.) Hinc et ex v. 9. colligitur, quod Sennacherib audito adventu regis Æthiopum contra se, distulerit obsidionem Ierusalem, ut regi occurreret: interim tamen frumentum germinans circumcirca vastaverit, vel proculcando, vel demetendo, ut ita urbem fame premeret: insuper reliquisse militum præsidium in urbibus Iudææ a se captis, qui infestarent agrum Ierusalem, quo fiebat ut serere non possent; sed Deus sua providentia occurrit, promittitque Iudæis quod eos primo anno alet granis sponte nascentibus, id est ex radicibus conculcatæ vel resectæ segetis mox repullulantis erumpentibus; secundo vero anno ex pomis arborum. Ita factum est. Tertio denique anno victo Æthiope rediit Sennacherib ad obsidionem Ierusalem, tumque ab angelo cæso eius exercitu, data est Iudæis copia serendi et metendi. Ita Abulens. Caietan. Torniellus, et alii in 4. Reg. 19. Biennium ergo integrum a Ierusalem abfuit Sennacherib, distentus bello Æthiopico, ut dixi cap. 20.

In anno secundo pomis vescere.) Atque segete quæ ex granis deciduis anni præcedentis succreverit. Unde Noster 4. Reg. 19. vertit : *In secundo autem anno comede quæ sponte nascuntur*, scilicet vel ex arbore, vel ex granis deciduis, non autem ex semente et germine reciso ac repullulante, uti dictum est de anno primo. Iosephus Scaliger l. 5. de Emendat. temp. in c. cui titulus est: De initio Ezechiæ, putat hunc secundum annum fuisse sabbaticum, in quo quiescere iuxta legem Levit. 25. v. 4. debebat terra, ut nec seri, nec meti posset. Iisdem enim verbis, quibus utitur hic Script. scilicet quod non sererent nec meterent, sed comederent sponte nascentia, etc. describitur annus sabbaticus Levit. 25. v. 4. Verum quodnam fuisset hoc signum futuræ liberationis Iudæorum, et profligationis Assyriorum? Absque Isaiæ enim vaticinio sciebat Ezechias, quis annus futurus esset sabbaticus, inquit Torniellus, qui non 14 sed. 13. et 17. annum Eze-

chiæ fuisse sabbaticos asseverat. Sed responderi posset, signum hic dari non annum sabbaticum, sed quod paulo ante dictum est, scilicet primo, quod Deus illo anno sabbatico, in tanta hostium excursione, esset Iudæos aliturus liberaliter; secundo, quod anno tertio saturi essent et messuri, cuius tunc nulla erat spes, cum omnes timerent vastitatem et excidium ab Assyriis. Verum alii exacti Chronologi negant annum 14. Ezechiæ fuisse sabbaticum.

Fabulatur R. Salomon, Assyrios succidisse arbores et segetes, ita ut nullus ex iis sperari posset fructus; Deum vero ex excisis arboribus produxisse poma, et ex excisis segetibus frumentum: hocque esse signum sive miraculum, ut ipse interpretatur, datum Ezechiæ.

Vers. 31. Et mittet id, quod salvatum fuerit.) Nota, *salvatum*, et paulo post *salvationem*, vocari reliquias Iudæorum, quæ servatæ sunt ab incursu Sennacherib: de iis prædicit, quod Deus eas mire reflorescere, crescere et propagari faciet instar arborum, quæ late et profunde agunt radices, ideoque sursum ramos et frondes extollunt et dilatant, ut nec arescere, nec vento convelli possint, uti ex adverso facile accidit iis, quæ parvas et arctas habent radices, teste Plinio lib. 16. 31. Ita S. Hier. Cyrillus, et Theodoret.

Allegorice, Eusebius lib. 2. Demonstr. 48. et Leo Castrius hæc referunt ad Apostolos, aliasque reliquias, quæ salvæ factæ sunt ex Israel tempore Christi.

Moraliter S. Gregor. l. 12. Mor. 22. *Cum*, ait, *cogitationem nostram ad compatiendum indigenti proximo tendimus, quasi radicem deorsum mittimus, ut retributionis fructum superius faciamus.* Idem lib. 8. Moral. 29. *Radicem*, ait, *deorsum mittere, est cogitationem bonam in abditis multiplicare. Fructum vero sursum facere, est per efficaciam operis, recta quæ cogitavit ostendere.*

Vers. 33. Non intrabit civitatem hanc, et non iaciet ibi sagittam.) Hinc colligitur, castra Sennacherib, mox ut rediit ad obsidionem Hierosolymæ, antequam aggeres erigeret, aliaque ad oppugnationem necessaria præpararet, cæsa fuisse ab angelo. Unde 4. Reg. 19. 35. dicuntur cæsa *in nocte illa*, scilicet qua Sennacherib rediit ad obsidendam Ierusalem. Ita Caiet. ibi.

Vers. 36. Angelus Domini.) Hinc videtur angelus hic cæsor

A Assyriorum fuisse bonus, v. g. Gabriel, aut Michael præses Synagogæ. Ita Abulens. licet alii putent tam hunc quam illum qui percussit primogenita Ægyptiorum (ut insinuatur Psalm. 77. 49.) fuisse dæmonem.

Percussit.) Tradunt Hebræi, et ex iis Caietan. et Abulens. Assyrios ab angelo igne, id est pestilentia, ut ait Ioseph. fuisse percussos. Unde Isaias c. 10. 16. ait: *Succensa ardebit quasi combustio ignis*; et alibi ignem eis denuntiat: unde et in Topheth, ac in valle Iosaphat (ubi fiet iudicium generale, et morte ac igne æterno plectentur omnes reprobi: quorum typus fuerunt hic Assyrii) eosdem cæsos esse tradunt, uti dixi cap. 30. In hac clade servatus est Sennacherib, ut superbus rex videret Dei in suos manum et vindictam, utque turpiter fugiens ignominiosius a propriis filiis occideretur: sicut Pharao in mari rubro ultimus periit, non una, sed multiplici morte, scilicet et sua et omnium suorum quos ante se mergi videbat. Ita S. Hieron.

Huius cladis Assyriorum meminerunt Gentiles, ut Herodotus et Berosus, sed fabulas admiscent, ut dixi c. 20.

Filii eius percusserunt eum.) Cur? incertum est. Vers. 38.
Tradit Lyran. ex R. Salomone, Sennacherib accepta tan-
B ta clade, ut suorum, qui filios, fratres aut cognatos in ea clade amiserant, animos leniret, vovisse deo suo Nesroch victimam filiorum suorum: filios id odoratos, parentem prævertisse, et ipsummet in templo Nesroch immolasse.

Nota: Non statim a fuga in Assyriam occisus est Sennacherib: nam rediens indignabundus persecutus est et occidit Iudæos; unde Tobias eius iram fugit et effugit. Sic enim legimus Tobiæ 1. 21. *Cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Iudæa plagam, etc. et iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. At ubi nuntiatum est regi, iussit eum occidi, et tulit omnem substantiam eius. Tobias vero cum filio suo et cum uxore sua fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum. Post dies vero quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius, et reversus est Tobias in domum suam, omnisque facultas eius restituta est ei.*

In terram Ararat.) Chaldæus et Septuag. *in Armeniam*, per quam Araxes fluvius labitur, inquit S. Hieron. ad radices montis Tauri.

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sennacherib a Ierusalem proficiscente contra Tharacam regem Æthiopiæ, Ezechias in morbum incidit, quem ei mortem allaturum prædicit Isaias. Ergo flet rex, Deumque orat pro salute: Deus eum exaudit v. 4. adiicitque ad vitam eius annos quindecim: insuper libertatem ab Assyriis promittit; atque eius rei signum dat regressum umbræ in horologio Achaz per decem lineas. Quare lætus rex v. 9. canit Deo carmen eucharisticum, illudque in tabulis publicis exarari et proponi iubet.

1. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem: et introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, et dixit ei: Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives. 2. Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit ad Dominum, 3. Et dixit: Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno. 4. Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens: 5. Vade, et dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas: ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos: 6. Et de manu regis Assyriorum eruam te, et civitatem istam, et protegam eam. 7. Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est: 8. Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat. 9. Scriptura Ezechiæ regis Iuda, cum ægrotasset, et convaluisset de infirmitate sua. 10. Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæsivi residuum annorum meorum: 11. Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium. Non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis. 12. Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum. Præcisa est velut a texente, vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me: de mane usque ad vesperam finies me. 13. Sperabam usque ad mane, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea: De mane usque ad vesperam finies me: 14. Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba: Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum: Domine vim patior, responde pro me. 15. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. 16. Domine si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis

me. 17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima : Tu autem eruisti animam meam ut non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. 18. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam. 19. Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam. 20. Domine salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. 21. Et iussit Isaias ut tollerent massam de ficis, et cataplasmarent super vulnus, et sanaretur. 22. Et dixit Ezechias : Quod erit signum quia ascendam in domum Domini ?

Vers. 1. IN DIEBUS ILLIS.) Scilicet anno regni Ezechiæ 14. quo Sennacherib ab Ierusalem profectus est contra Tharacam regem Æthiopum. Id ita esse patet ex eo, quod post Ezechias vixerit et regnarit annos 15. uti ei promittitur v. 5. constat autem ex 4. Reg. 18. 2. eum regnasse 29. annis : iam deme 15. a 29. restabunt 14. Anno ergo eius 14. hæc contigerunt ante plenam Hierosolymæ liberationem, et cladem Assyriorum: hæc enim Ezechiæ promittitur vers. 6. Fallitur ergo Iosephus 10. Antiq. 3. qui post cladem hanc ea contigisse scribit. Nam Deus cum signo regressus solis, promittit pariter liberationem ab Assyriis Ezechiæ v. 5. ergo needum ab iis liberatus erat.

ÆGROTAVIT EZECHIAS.) Morbum hunc Ezechiæ fuisse immissum, ne insolesceret de tanta victoria contra Sennacherib, non obtenta, sed obtinenda, utpote promissa a Deo cap. præced. docent S. Hieron. Cyrill. et Theodor. sic enim intumuit Ezechias mox ubi a morbo convaluit, uti patet cap. sequenti, et diserte dicitur 2. Paral. 32. Auctor de Mirabil. S. Scripturæ apud S. August. tom. 3. libr. 2. c. 28. secundam morbi causam addit : Quia forte, inquit, pro promissione ista et prophetia rex non satis gratus Deo exstiterat nec dignas Deo gratias egerat.

Adde, Deum voluisse pium regem purgare, probare et perficere hac afflictione, ut ardentius se Deo coniungeret, eumque invocaret, uti fecit; itaque novis miraculis Deus tam suam quam Isaiæ et Ezechiæ gloriam illustraret, uti eum fecisse videbimus in decursu textus.

QUIA MORIERIS TU, ET NON VIVES.) Scilicet si naturam et naturales causas spectes, q. d. Morbus tuus lethalis est; non est medicina quæ te curet, nisi Deus miraculo te sanet, morieris ex eo. Ita S. August. lib. 6. de Genes. ad litteram c. 17. tom. 3. *Secundum*, inquit, *aliquas causas inferiores iam vitam finierat rex : secundum illas autem quæ sunt in voluntate Dei et præscientia, qui ex æternitate norat quid illo tempore facturus erat, et hoc vere futurum erat, tunc finiturus erat vitam quando vitam finivit.* Est enim duplex vitæ periodus: una a natura, altera a Deo constituta : hæc semper est certa et fixa, nec augeri aut minui potest; illa a Deo breviari vel ampliari potest, et de facto in Ezechia aliisque ampliata vel breviata est.

Vers. 2. AD PARIETEM.) Quia ad templum ire non poterat, convertit faciem ad parietem templi, iuxta quod Salomon palatium exstruxerat : vel absolute *ad parietem*, ne lacrymas suas assidentibus ostentare videretur, ait S. Hier. Adde tertiam causam, ut attentius et liberius ad Deum preces funderet. Natura enim ita comparatum est, ut si quis preces nostras ad Deum audiat, ingenito pudore verecundemur; et pudor hic mentem orantis distrahat, deprimat, eiusque vim et fervorem incidat et hebetet.

Vers. 3. OBSECRO, DOMINE, MEMENTO, QUÆSO, QUOMODO AMBULAVERIM CORAM TE IN VERITATE, ET IN CORDE PERFECTO.) Magnam fiduciam orandi et impetrandi dat animus sibi bene conscius. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus ab eo*, ait S. Ioan. epist. 1. c. 3. v. 21. Similia habet Tobias cap. 4. v. 12. Esdras lib. 2. cap. 15. v. 19. Esther cap. 14. v. 16. Unde S. Hieron. hic : *Felix*, ait, *conscientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur* : et S. August. præfat. in Psal. 31. *Pro spe*, inquit, *conscientiam posuit : ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quomodo enim mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe*; et S. Cypr. serm. de opere eleemosyna : *Præclara*, ait, *et divina res salutaris operatio : solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fi-* A *dei, medela peccati.*

IN CORDE PERFECTO.) Idola destruens, templi valvas aperiens, serpentem æneum comminuens, etc. In hoc enim unius Dei cultu insignis et perfectus fuit; in aliis tamen nonnullis deliquit, quæ luget v. 15.

ET FLEVIT EZECHIAS.) Tum quia iuvenis erat 39. annorum : iuvenibus autem mors est acerbior; tum quia non habebat filium, quem relinqueret hæredem. Id colligimus ex eo quod Manasses primogenitus eius, et in regno successor, regnare cœperit patre mortuo anno ætatis 12. Ezechias autem post hunc morbum adhuc 15. annis regnavit : ergo needum genuerat Manassem, sed is genitus est anno abhinc tertio; ita enim moriente patre erat 12. annorum. Ita S. Hier. Ioseph. Abul. Caietan. et alii. Unde Auct. Mirabil. S. Script. l. 2. c. 28. *Flevit*, ait, *rex*, *non quod de suo, utpote perfectus, merito in conspectu conditoris sui incertus fuit ; sed quia in Christi venturi generatione sui generis prosapiam in throno David lucernam non* B *dereliquit.* Flevit ergo, quia non habebat prolem, ex qua nasceretur Christus, Abrahæ et Davidi promissus.

Vide hic quam morbus etiam potentes et reges domet ac humiliet. Exstat ænigma Diphili de tribus fortissimis, ferro, fabro et febre: Morale, morbus domat omnes.

Primo, *Quod ferro pereant et discindantur quævis.*
Secundo, *Fabro tamen plus inesse roboris.*
Tertio, *Febrim denique et hunc domare.*

Sicut ergo tres iuvenes Hebræorum apud Darium disseruerunt, quid esset fortissimum? atque primus dixit, *Forte est vinum* : secundus, *Fortior est rex ;* tertio, scilicet Zorobabel, *Fortiores sunt mulieres* : *super omnia autem vincit veritas*, 3. Esdræ, 3. 10. ita et hic dicamus : Forte est ferrum, durum et indomabile; sed fortior est faber, qui illud cudit et domat : et fortissima est febris, quæ fabrum omnesque homines et reges domat et perimit, ideoque eos, licet superbos flere et obsecrare cogit.

C Antigonus rex postquam a gravi morbo convaluerat, *Hic morbus*, ait, *submonuit nos ne animo efferamur, cum simus mortales.* Ita Plutarchus in Apohtheg. Ita sæpe levior morbus corporis pellit maiorem animi, scilicet fastum et insolentiam. Anaxarchus ridebat Alexandrum, quod seipsum Deum faceret : cum autem in morbum incidisset Alexander et ei medicus sorbitionem fieri imperaret, ridens Anaxarchus ait : *At nostro Deo omnis spes in sorbillatione patellæ posita est?* Nimirum morbus docuit Alexandrum non esse Deum, sed esse mortalem et moriturum. Ita Ælian. l. 8.

Ita Blesilla febri tacta, didicit sæculum eiusque pompas fastidire. Audi S. Hieronym. ad Marcellam epist. 19. *Ezechias*, ait, *vicina morte terretur : et fusus in lacrymas, quindecim annorum spatio protelatur. Ita et nunc, mea Marcella, Blesillam nostram vidimus ardore febrium per triginta ferme dies iugiter æstuasse, ut sciret reiiciendas delicias corporis, quod paulo post vermibus exarandum sit. Venit* D *et ad hanc Dominus Iesus, tetigitque manum eius ; et ecce surgens ministrat ei. Redolebat aliquid negligentiæ, et divitiarum fasciis colligata, in sæculi iacebat sepulcro : sed infremuit Iesus, et conturbatus in spiritu, clamavit dicens : Blesilla, veni foras. Quæ vocata surrexit, et egressa cum Domino vescitur, etc. Vidua nostra ante morosius ornabatur, et die tota, quid sibi deesset, quærebat ad speculum : nunc ad orandum festina consurgit, et tinnula voce cæteris Alleluia præripiens, prior incipit laudare Dominum suum. Flectuntur genua super nudam humum, pulla tunica minus, cum humi iacuerit, sordidatur, etc.*

Theodoricus Coloniensis Archiepisc. prudentia et sanctitate illustris, quærendi Sigismundo Cæsari, quæ via re-

cta ad cælum duceret? respondit: *Si tuam vitam ita institueris, uti facturum te promisisti dum calculus, aut podagra, aut alius morbus gravior te oppressit.* Nimirum morbus monet, et pene cogit capessere meliorem vitam. Ita Æneas Sylvius libr. 2. comment. de Gestis Alphonsi. Sed in multis verum est illud vulgare:

Dæmon languebat, monachus tunc esse volebat:
Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.

Vers 5 ECCE EGO ADIICIAM SUPER DIES TUOS QUINDECIM ANNOS.) Hinc liquet, Ezechiam cognovisse annos vitæ, et consequenter annum mortis suæ, nimirum quod anno abhinc 16. moreretur. Quam ergo studiose illo anno ad mortem se comparavit! Si nobis hic annus esset fatalis, idque sciremus, quomodo ad eum nos compararemus? Nunc dubium est, an sit futurus fatalis: quin pari studio ad eum nos comparamus? quin in re tanta a qua æterna pendet salus nostra, tutiorem in dubio partem eligimus? Sic Pontifex si ad annum 24. pontificatus perveniat, quasi certus est illum annum sibi fore ultimum. Experientia enim 1600. annorum docet, verum esse istud quod Pontifici dicitur: *annos S. Petri non videbis;* S. Petrus enim Romæ sedit 25. annis.

Vers. 8. ECCE EGO REVERTI FACIAM UMBRAM, etc. IN HOROLOGIO ACHAZ.) Id est, iussu Achaz patris Ezechiæ constructo. Hoc est primum horologium sciothericum, sive per umbram horas demonstrans, quod in historiis, vel sacris, vel profanis legimus. Fallitur ergo Plinius lib. 2. c. 76. dum ait: Umbrarum rationem, et quam vocant Gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius Anaximandri discipulus, primusque horologium quod appellant sciothericum, Lacedæmone ostendit. Nam Achaz diu præcessit Anaximenen: Achaz enim vixit sub primam Olympiadem: Anaximenes autem uti et reliqui Græciæ sapientes, circa quinquagesimam; ergo ducentis pene annis Achaz præcessit Anaximenen. Quare rationem hanc horologiorum a primis illis patribus (quod et de aliis scientiis affirmat Iosephus) originem traxisse crediderim, eamque sensim ad Ægyptios, ab his ad Græcos, a Græcis denique ad Latinos pervenisse. Ita Noster Clavius l. 1. Gnomonices pag. 7. Nam Latinos serius horologiis uti cœpisse docet Plinius lib. 7. c. 60. *Princeps*, ait, *Romanis solarium horologium statuisse, ante duodecim annos quam cum Pyrrho bellatum est, ad ædem Quirini, L. Papyrius Cursor, cum eamdem dedicaret a patre suo votam, a Fabio Vestali proditur.* Fuit hoc sub primum bellum Punicum. Hinc rursum ab Hebræo אור *or*, id est lux, et sol lucens, Ægyptii annum et solem vocarunt Horum. Inde Græci quatuor anni primarias partes ac tandem diem, denique notam diei partem, quam horam vocamus, ὥραν vocarunt. Ita ex P. Clavio Noster Voellus l. 1. de Horologio, cap. 1. in scholiis. Indeque Horus Ægyptius qui scripsit Hieroglyphica, vocatus est Horus Apollo. Horus enim idem est quod Apollo, id est Sol.

Horæ et horologii origo.

Quæstio prima. An sol retrocesserit, an umbra tantum?

Quæritur primo, an solum umbra retrocesserit in horologio Achaz, an vero etiam sol, et consequenter eius umbra per totum orbem? Vatablus, Burgensis, Arias Montanus, et quidam alii, putant tantum umbram regressam in horologio Achaz. Hoc enim tantum proponit Isaias, et hoc solum ex suo lecto spectare poterat moribundus rex, idque fuse probat Sanchez. Potuit autem facere Deus, ut umbra solis regrederetur, non ipse sol. Nam facile impedire potuit solares radios, ut non spargerent lucem in stylum horologii, nisi ab ea tantum parte ex qua umbra adversa iaceretur in lineas ab Isaia designatas: quo facto necesse erat umbram ad illas iaci, non ad alias, et ita quasi regredi. Verum contrarium, scilicet non tantum umbram, sed et solem ipsum a Deo retroactum et reductum fuisse, communiter docent Patres et interpretes, ut S. Hieronym. Cyrill. Procopius, Haymo, Lyran. Hugo, Adamus et alii, ac nominatim S. Dionys. ad Polycarpum, et P. Clavius loco mox citando.

Hæc sententia probatur primo, ex 2. Paralip. 32. 31. ubi dicitur, Babylonios venisse ad Ezechiam, ut interrogarent de portento quod acciderat super terram (*Portentum autem hoc non potest esse aliud, quam regressio solis, ut communiter docent interpretes: nam cædes exercitus Sennacherib posterius,* scilicet secundo abhinc anno, *contigit, ut dixi cap. 20. 2.*) ergo etiam in Babylone visa est regressio umbræ, procedens ex regressione solis: cuius miraculi causam esse in Iudæa cum Babylonii rumore percepissent, eo legatos miserunt, qui eam cognoscerent. Secundo, quia idipsum clare ait hic Isaias, dicens v. 8. *Et reversus est sol decem lineis, etc.* Idem diserte asserit Ecclesiasticus cap. 48. 26. Tertio, quia talia horologia, in quibus sola umbra retrocedat, naturaliter erigi possunt ubivis locorum, *videlicet, si ita erigantur plana, ut altitudinem poli habeant minorem quam graduum 23. cum dimidio. Unde ubi ea est altitudo, scilicet inter Æquatorem et alterutrum Tropicorum, Cancri scilicet aut Capricorni, naturaliter id accidit.* Huius rei demonstrationem habet Noster P. Clavius in Fabrica instrumenti ad horolog. c. 21. (ubi et recte refutat Petrum Nonium asserentem, talem ac proinde naturalem fuisse regressum umbræ in hoc horologio Achaz, cum constet fuisse miraculosum.) Neque id mirum: nam sicut pro ratione situs, aliæ regiones umbras habent dextras, aliæ sinistras: unde illud Lucani:

Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.

(Ubi Arabum qui auxilio venerunt Pompeio contra Cæsarem, umbras Austrinas in Arctoas, sive nostrates, repente mutatas esse asserit. Nam hosce Arabes priusquam egressi erant Zonam torridam, umbræ sequebantur, post egressum vero præcedebant. Poetæ enim totum hemisphærium ab Æquatore ad Aquilonem vocant dextrum, alterum vero et adversum vocant sinistrum; licet secus, imo prorsus opposito modo hæc nominent Geographi et Astronomi.) Ita et in certa loci positione, certoque solis respectu fieri potest, ut umbra nunc sole progrediente progredi, nunc sole se gyrante regredi videatur. Hoc ergo naturale est. Hic vero non naturale quid, sed stupendum miraculum datum fuit Ezechiæ pro signo. Denique ex hac historia Poetæ fabulam sumpserunt de solis curru retroacto. Unde canit ille:

Aversos Solis dum regeremus equos.

Quæritur secundo, an decem hi gradus, quibus retrocessit umbra, sint decem horæ? Negant Caietan. et Abulens. putatque Caietan. dimidias tantum fuisse horas. *Ratio est, quia si decem gradus decem essent horæ, non potuisset umbra progredi decem horis, et etiam regredi decem horis, uti proponit Isaias*: alterutro enim facto, scilicet vel in progressu vel in regressu umbræ ad decem horas, fuisset profunda nox, cum nulla est umbra. Ex adverso, solem decem horis retrocessisse docet S. Dionysius epist. ad Polycarpum, Auctor Mirabilium S. Scripturæ lib. 2. cap. 28. Chaldæus, Beda, Angelom. et Eucher. in 4. Reg. 20. vers. 9. Ratio est, quia 10. gradus vel lineæ ordinariæ in horologiis integras horas significant. Ad rationem Caietani respondent, umbram metonymice pro sole accipi, q. d. Vis ut sol progrediatur decem horis, fiatque profunda nox; an ut regrediatur a loco ubi iam est, scilicet prope occasum, ad locum ubi mane fuit ante decem horas? Verum sententia Caietani conformior est verbis Scripturæ quibus ait 4. Reg. 20. *Vis ut umbra revertatur?* non autem ut sol, idque in horologio: hoc autem noctu fieri non poterat. Decem ergo lineæ sunt quinque horæ, quibus per diem tam ascendere quam regredi poterat umbra; et hoc est quod ait Isaias: *Et reversus est sol* (scilicet per suam umbram) *decem lineis per gradus quos descenderat* (in horologio.) Adde, quod hic descensus per decem lineas fuit datus Ezechiæ in signum; ergo ab ipso notari et spectari potuit plene et per omnia: hoc autem solum fieri potuit in sententia Caietani. Denique Iosue 10. dicitur, quod imperante Iosue stetit sol, *et una dies facta est quasi duo, non fuit antea nec postea tam longa dies.* Hoc autem falsum erit, si hæc dies Ezechiæ fuerit 32. horarum: sic enim hæc dies fuisset pene tam longa quam tres dies. Ad rationem S. Dionysii Resp. in horologio Achaz, uti et in nonnullis nostratibus, horas fuis-

Quæstio secunda. An 10. gradus sint 10 horæ.

se notatas per semisses, hoc est dimidiatas.

Quæstio tertia Quot horarum fuit hic dies? Quæritur tertio, an regressio solis facta sit subito, an successive motu solis ordinario? S. Dionys. loco citato putat, solem sensim retrocessisse, impendisseque in recessu hoc decem horas, ac totidem horis rursum eodem progressum esse, ita ut dies hic auctus sit ad viginti horas, fueritque universim 32. horarum. Alii, et forsan probabilius, putant retrocessisse solem in momento; vel certe celerius solito, verbi gratia quinque horas impendisse in regressione; ut cum decem aliis, quibus rursum iuxta ipsos descendit, quindecim fiant horæ, quibus dies hic aliis maior fuit: ut tot accesserint diei horæ, quot Ezechiæ anni vitæ: *Ratio est, quia, si ordinario motu motus fuisset sol, non apte proponeret Isaias, an velit regredi solem, an progredi decem horis, quasi utrumlibet sit signum miraculosum: quia in progressu solis ordinario nullum est miraculum, sed tantum in momentaneo vel subito.* Fuit ergo dies hic iuxta ipsos vel 22. vel 27. horarum. Porro Torniellus anno mundi 3322. n. 6. censet diem hunc cæteris fuisse maiorem decem horis.

Dices, Ezechias in progressu umbræ nullum videtur agnoscere miraculum; ait enim: *Facile est crescere umbram.*

Resp. Forte non satis assecutus est mentem Isaiæ. Secundo Resp. *facile*, id est, facilius, est umbram crescere, scilicet in momento, quam regredi in momento: quia illud tantum est miraculum quoad modum, hoc quoad modum et quoad rem. Ita Caietan. Procop. et alii.

Verius videtur, quod brevissimo tempore Isaias, elevando manum et quasi reducendo, umbram illam reverti fecerit; ut sic oculare et clarum esset miraculum Ezechiæ, spectanti hanc subitam reductionem umbræ: τὸ *enim reverti faciam* tam ad Isaiam, quam ad Dominum referri potest. Sic ergo dies hic decem lineis, id est quinque horis tantum fuit maior aliis diebus: quibus adde decem horas illi naturales, fient 15. horæ, quot anni additi sunt Ezechiæ. Hoc probabiliter coniectare licet: nihil enim hic est certi.

Quæstio quarta. Quando cœpit regredi sol? Quæres quarto, quota erat hora diei cum cœpit hoc miraculum, adeoque quo loco erat sol cum regredi cœpit? Resp. Videtur fuisse meridies, cum sol retrogressus est: hactenus enim umbra descenderat, ut patet v. 8. in posterum autem ascensus restabat, ut patet ibidem. Igitur in puncto medio ascensus et descensus erat umbra, tunc temporis cum Isaias Ezechiæ offerret miraculum: atqui nullum diei punctum præterquam meridies, videtur afferre posse hanc umbræ diversitatem, præsertim in horologio decem ut minimum horas denotante, quale fuit illud Achaz in omni sententia; et in loco sub 33. aut circiter gradu elevationis poli, ut est Palæstina (ubi brevissimus dies est paulo minus 10. horarum, longissimus paulo amplius 14.) ergo, etc. Quodcumque enim assignaveris aliud punctum diei præter meridiem, a quo incipiat umbra ascendere, vel concludetur non semper descendisse antea, vel horologium non continere decem horas. Adde, in meridie solam potuisse umbram vel ascendere vel descendere decem gradibus, id est quinque horis.

Ex quibus similiter capitibus, scilicet primo, quod fuerit ascensus et descensus umbræ; secundo, quod ut minimum horæ decem notarentur; adde tertio, quod umbra ascendendo cresceret; colligi videtur, hoc horologium fuisse verticale Australe, vel certe hemisphæricum concavum similiter Australe, erectum ad elevationem poli; in quibus solis, duobus illa tria commode salvari possunt; et probabilius est fuisse verticale, primo, quia hoc conspicuum est magis, et ad communem usum palatii Ezechiæ magis aptum; secundo, quia rarius est locum patentem et elatum reperiri, qualem postulat hemisphæricum illud, in quo horæ ab ortu ad occasum usque designentur: commodissime autem verticale in quantovis muro describitur; tertio, quia non est tam proprie ascensus, neque tam proprie augmentum umbræ in concavo, quam verticali; quarto, quia Procopius gradus domus patris Ezechiæ facit illos gradus horologii, quod verticali convenit, non concavo: nulla enim est pars ordinaria domus, apta horologiis concavis describendis.

A Hinc Nota: Non dicit Isaias: Vis ut ascendat, an ut descendat? sed: *Vis ut ascendat, an ut revertatur umbra?* Nam erat meridies: ergo umbra erat in summo descensu, ut a prandio rursum deberet ascendere ad vesperam usque, sicuti redeundo pariter ad mane debebat ascendere. Unde Ezechias, ait: *Facile est umbram crescere* (ascendere ergo est progredi, itaque crescere: opponitur regredi et reverti) quia scilicet naturaliter a meridie ascendendo crescit semper usque ad vesperam, cum est maxima et longissima. Sicut ergo mane umbra est maxima, quæ sensim decrescit, ut in meridie sit minima; ita rursum a meridie sensim crescit in occasum, quando æque ut mane est maxima. Exstat de umbra elegans ænigma Theodectis apud Hermippum l. de Isocratis discipulis: *Est*, inquit, *res quædam, quæ circa ortum et interitum est maxima: circa consistentiam vero et vigorem minima.* Nimirum hæc umbra est symbolum brevis et mox evanescentis ævi nostri. Quocirca voluit Deus in umbra corporis humani, quin et nasi ac digitorum, iuge et naturale exstare horologium, quod hominem semper fluentis vitæ et temporis admonere. Ut alia taceam, scitum est istud: B

Si tuus ad solem statuatur nasus, hiante
Ore, tuis disces dentibus hora quota est.

Quæritur quinto, an solus sol retrocesserit? Respondet Abulens. et indicat S. Dion. omnes orbes cælestes cum sole retrocessisse, sicuti stante sole sub Iosue stetit et luna, ut dicitur Iosue 10. 12. et consequenter steterunt omnes orbes cælestes. Ratio est, quia alioqui perturbatus fuisset totus ordo et harmonia cælestis, et maiori miraculo fuisset opus. Quæstio quinta An omnes cæli retrocesserint?

Nota. Hæc tria miracula, scilicet primo, stare solem sub Iosue; secundo, solem retrocedere sub Ezechia; tertio, solem eclipsari in plenilunio cum est ex opposito lunæ, uti factum est in passione Christi, hæc tria, inquam, contigerunt in ipsis cælis et astris: stella vero quæ Magos duxit ad præsepe Christi, et ignis de cælo descendens ad preces Eliæ, non in cælo sidereo, sed aereo, sive in aere ipso acciderunt. C

Quæritur sexto, cur hoc signo usus sit Deus? Fabulantur Hebræi, decem horas detractas esse illi diei quo sepultus est Achaz, ne regi tam impio exsequiæ regiæ de more deferrentur: quare ne temporum series turbata maneret, totidem horas additas esse diei, quo sanatus est pius Ezechias filius Achaz. Sed hæ sunt solitæ Iudæorum næniæ. Respondeo ergo, Deum hoc signo usum esse, ut ostenderet tam Iudæis quam Babyloniis aliisque gentibus, se verum esse Deum, dominum cæli et terræ, eosque hac ratione ad sui fidem et cultum vocaret, uti tres Magos per stellam vocavit ad Christum. Secundo, voluit declarare quanti faciat *electos* suos, cultores *et amicos*, utpote pro quibus universum naturæ cursum invertat. Ita S. Dionys. qui ait: *Hoc profecto miraculum Babylonios tunc merito terruit, et absque pugna Ezechiæ* (*ut qui Deo putaretur æqualis, ac mortalibus cæteris virtute præstare*) *subiecit.* Forte tunc emergentes, et cristas attollentes Babylonii cogitabant de subiuganda Iudæa, uti non ita diu post fecerunt; sed hoc signo a Deo coerciti sunt. Addit Dionysius hinc Persas triplicis *mitri*, id est Solis, memoriam celebrare, videlicet progredientis, regredientis, rursum progredientis; vel potius, quia triplex quasi fuit hic dies, uti ipse autumat. Quæstio sexta Cur sol retrocessit. D

Hoc autem signo umbræ et solis Deus usus est, potius quam alio: quia, ut docet Angelom. et Auctor apud S. August. lib. 2. Mirabil. S. Script. 28. signum hoc erat typus præsentis tempori et futuri: ut quomodo sol reverteretur ad exordium sui, ita et Ezechiæ vita ad detextos annos rediret (uti hic innuit rex v. 12.) *nobisque in hebdomade et ogdoade (quindecim enim dividuntur in septem et octo, quorum uterque significat æternitatem, sive sabbatum æternum, et octavam quietis) viventibus, per resurrectionem Christi spatia protelentur.* Hoc ergo signum litteraliter quasi significabat retexendam telam vitæ Ezechiæ, et vitam nostram non esse veram vitam, sed tantum esse umbram veræ vitæ et æternitatis, ait Angelomus et Auctor.

Mirabil. S. Script.

Addit Lyran. in 4. Reg. 16. 15. ubi Achaz iussit altare Dei tolli, de eoque ait: *Altare vero æneum erit paratum ad voluntatem meam;* quod Lyranus sic explicat: *Dicunt*, ait, *communiter expositores, quod ex hoc altari Achaz fecit horologium illud famosum, de quo c.* 20. Quod si verum est, merito voluit Deus signum hoc dare Ezechiæ filio Achaz in hoc eius horologio, utpote facto e re sua, puta ex altari suo; simulque tacite monuit eum, ut rem sacram sacrilege usurpatam a patre restitueret, temploque redderet.

Denique sicut Deus Ezechiæ ob pietatem adiecit 15. annos vitæ; ita eosdem impiis regibus dempsit et demit. Ita Anastasius Imp. ait Zonaras, vidit virum terribilem cum libro, qui ei dicebat: *Ecce ob perversitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ deleo.* Cumque oraculo didicisset, sibi igne pereundum, cisternam quæ Frigida dicitur, multis meatibus in palatio aperuit, ut ea ignem, si ingrueret, restingueret, sed frustra; nam igne cælesti, puta fulmine, est ictus. Ita et Cedrenus.

Moral. Moraliter hoc signum indicabat quanti Deus æstimet suos, quam potens, quam pius, quam consequenter amandus et colendus sit.

Tropol. Tropologice, innuebat convertentibus se ad Deum cum Ezechia per pœnitentiam, pristina merita et perfectionem restitui.

Anagog. Anagogice, in æternitate reddendos nobis esse annos vitæ quindecim, id est æternos; quindecim enim conflantur ex septem et octo: septima dies est sabbatum, octava est Dominica: quarum utraque est symbolum resurrectionis et quietis æternæ. Ita Angelom. et Auctor Mirabil. S. Scripturæ iam citati.

Allegor. Allegorice, repræsentabat Christum descensurum decem lineis, id est, summe infra omnes angelorum et hominum choros in passione; inde rursum ascensurum ad Patrem. Ita Angelom. Eucher. et Beda quos audi: *Primus gradus descensionis* (Christi) *de Deo, in angelo fuit; quia magni consilii angelus erat* (et angelus vicem Dei Christi in veteri testamento gesserat.) *Secundus fuit, de Angelo in Patriarchis: quia in omnibus, ut ait Apostolus* 1. Cor. 12. *ipse est operatus. Tertius fuit in legis datione. Quartus in Iesu Nave, ut populum in terram promissionis induceret. Quintus in Iudicibus: quia in eis ipse regebat. Sextus in regibus Iudæorum: quia in eis ipse regnabat. Septimus in prophetis: quia per eos annuntiatus est. Octavus in Pontificibus: quia per eos repræsentatus est summus ipse Pontifex. Nonus fuit in homine quem assumpsit. Decimus in passione, quam sustinuit. Per eosdem gradus rursum ipse in cælum ascendit.*

Vers. 9. Scriptura Ezechiæ regis.) q. d. Hoc est carmen eucharisticum, quod pius Ezechias per se, vel potius per Isaiam composuit, in gratiarum actionem Deo pro sanitate restituta, quodque scribi, vel in æs incidi, publiceque proponi iussit, in perpetuum divinæ clementiæ præconium et monumentum. Sic et Gentiles, pictis tabellis appensis in templis deorum, testabantur se beneficia in iis depicta a diis accepisse, ut fuse docet Mercurialis de Re Gymnastica.

Nota: Stylus et nitor carminis videtur arguere Isaiam eius esse auctorem, qui quod rex plana et soluta oratione dixerat, in elegans carmen convertit. Multi tamen volunt Ezechiam hæc omnia ad verbum composuisse: imo sunt qui putent librum Iudicum ab Ezechia esse conscriptum, teste Sixto Senensi, lib. 2. verbo *Ezechias.* Hugo insuper putat Parabolas Salomonis, et libros Regum ab illo in unum esse collecta et digesta. Id enim innuitur Proverb. 25. 1. Verum ibi dicitur id factum non ab Ezechia, sed a viris ab eo ad id deputatis.

Vers. 10. Ego dixi.) Tum ore, tum corde, q. d. Putavi omnino esse actum de vita mea; mihi immatura morte in flore ætatis esse moriendum. In hoc Ezechiæ canticum scripsit S. Bernardus sermonem, qui extat pag. 91. quo totum mystice exponit. Porro hoc cantico rex, primo, describit suos in morbo dolores, de vita desperationem, gemitus

A et pœnitentiam; secundo, v. 17. narrat quomodo a Deo mire sanatus sit; unde eius clementiam celebrat, et tota vita celebraturum se promittit.

In dimidio.) Erat enim Ezechias iam triginta novem annorum, quæ ætas est quasi dimidia vitæ humanæ; integra enim est ea quæ notatur Ps. 89. 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta;* secundo, verti potest cum Forerio, *in silentio* vel *in quiete;* mors enim vocatur *somnus* et *silentium*, et mortui silentes. Unde Aquila, Symmachus et Theodotion, ait S. Hieron. pro דמי *demi*, legentes דומי *dumi*, vertunt, *in infirmitate et silentio meo;* alii legentes דמי *dami*, vertunt, *in sanguine meo*, ut sit sensus, ait S. Hieronym. *In sanguine dierum meorum, quando meus cruor, meusque exspectabatur interitus:* Pagnin vertit, *in excisione dierum meorum;* Clarius, *in succisione;* Tigurina, *in præcisione;* Arias, *in subtractione et curtatione;* Mercerus, *in silentio et cessatione;* Brixianus, *in imaginatione;* Agellius, *in stupore meo;* q. d. Dum re improvisa territus, ac stupore defixus, moriendum mihi esse cogitarem. Hebræa vox דמי *dami* nusquam invenitur nisi hic:

B inde tam variæ eius interpretationes; sed præ omnibus credendum S. Hier. qui vertit, *in dimidio.* Multæ enim voces et significata vocum Hebræarum iam exoleverunt, nosque latent, quæ apud priscos erant trita et usitata. Coniicit hic noster August. de Quiros, *demi* a Nostro verti *dimidium*, quia significat proprie *quietem, cessationem, silentium:* Ezechias autem erat 39. annorum, quæ est ætas quietis et cessationis, hoc est plena, matura, vigens et florens, ideoque eadem est dimidium vitæ humanæ, quæ 80. annis circumscribitur; atque hac de causa censet Nostrum vertere, *in dimidio.* Sed planius est quod dixi; et forte ab Hebræo *demi* deductum est Latinum *dimidium* et *medium*, quod proinde in multas alias linguas usu communi transivit: uti et Hebræum שק *sac*, id est *saccus;* et קרן *keren*, id est *cornu*, et nonnulla similia. Videntur enim Hebræi *demi*, id est *succisum*, vocasse *dimidium*,

C eo quod dimidium sit dimidiata totius succisio; quodque res multæ, dum dividuntur, in medio succidi soleant. Denique totum, cum succiditur, hoc ipse dimidiatur, et in duas medietates (sive æquales eæ sint, sive inæquales) dissecatur. Sic enim vulgo loquimur. Nam radix דמה *dama*, significat succidere, incidere, discidere, indeque dimidiare.

Moraliter, S. Hieron. docet Sanctos a Deo donari longa vita, et cum Abraham, Isaac et Iacob moriantur in senectute bona, saturi et pleni dierum; peccatoribus vero vitam incidi in ipso cursu, et quasi dimidiari. Idem docet S. Gregorius 33 Moralium c. 24.

Septuag. vertunt, *in excelso;* nam pro ד *dalet* accipientes affine ר *res*, pro בדמי *bidmi*, id est *in medio*, legerunt ברמי *beromi*, id est *in excelso.* Eodem redit sensus: nam in dimidia ætate est ἀκμή, id est vigor ætatis; tumque est quasi in summo, in quo statum sumit, permanetque aliquot annos, post quos sensim decrescit

D et deficit. Ita Leo Castrius. Sed Cyrillus τὸ *in excelso* sic exponit, q. d. Evectus ad fastigium regni, gloriæ et felicitatis, ecce cado. Theodor. vero sic, q. d. Cum intumui et in altum superbe me extuli, tunc a Deo humiliatus sum, et percussus morbo lethali.

Vadam ad portas inferi.) Vadam ad sepulcrum corpore, anima ad inferos; cælo enim ante Christum clauso omnes, etiam Sancti, descendebant ad inferos, puta ad limbum Patrum. Idem ergo erat tunc ire ad inferos, quod mori et ire ad sepulcrum.

. Quæsivi residuum annorum meorum.) Legit Interpres פקדתי *pakadti*, id est *quæsivi, requisivi*, hoc est vidi mihi detrahi et deesse. Est metalepsis; quæ enim desunt aut perdita sunt, solemus requirere. Ita Forerius. Sic vulgo dicimus: Desidero vel requiro in te diligentiam, id est video diligentiam tibi deesse.

Iam legunt passive פקדתי *pukadti*, id est, ut Vatabl. vertit: *Privatus sum residuo annorum meorum:* Unde Septuag. vertunt: *Relinquam annos residuos.* Nam *pakad*,

id est recensere, requirere, in passiva coniugatione Niphal (eadem est ratio de Pual, quale est *pukadti*) significat detrahi, subtrahi, seu subduci de summa aut loco, ut aliquid desit, ut multis exemplis demonstrat Forerius in Lexico. Unde et Pagnin. in Lexico asserit, quod *pakad* in Niphal significat deficere, deesse.

Vers. 11. Non videbo Dominum Deum in terra viventium.) Scilicet in hac vita mortali, hoc est, non vivam inter viventes, nec videbo Dominum, id est Domini templum, sive Dominum in templo residentem, loquentem, et se per nubem ostendentem, q. d. Non amplius agam, non versabor cum Domino in templo uti soleo. Unde Chald. vertit: *Non apparebo amplius coram arca Domini, in terra tabernaculi eius.* Hic sensus est genuinus. Ita Lyran. Adamus, Forer. et Iansen. in hoc canticum.

Secundo, Vatabl. et Hugo: *Non videbo Deum*, id est Dei opera illustria, quæ in dies fecit, et faciet pro suo populo, præsertim victoriam Sennacherib, et stragem Assyriorum, quam promisit c. 37. opera enim Dei sunt eius quasi vestis et velum, per quod ipse se ostendit et videtur.

Tertio, pressius et pientius Leo Castrius, per *Dominum* intelligit Christum; nam Septuag. pro *Dominum Deum*, vertunt *salutare Dei*, quomodo passim ipsi vocant Christum; et hebr. est יה יה *ia ia*, quod verti potest; *Deum Dei*, vel *Deum de Deo*, q. d. Iam moriturus sum; unde non videbo Christum hominem factum de stirpe et sanguine meo, quem brevi nasciturum, et a me videndum sperabam. Unde S. Hieron. Timet, ait, rex quod non nascetur de semine eius Christus: huc etiam inclinant Theodor. et Hugo.

Quarto, Haymo (et indicat S. Hieron.) censet regem ob peccata timuisse, quod non videret Deum post mortem in terra viventium, id est in cælo. Sed hoc parum est probabile; nam pie vixerat Ezechias, ideoque ait ipse v. 3. quod ambulaverit coram Deo in veritate, et in corde perfecto.

Non aspiciam, etc. habitatorem quietis.) q. d. Deinceps gens mea et Ierusalem mea liberata ab Assyriis fruetur quiete: hanc ego non videbo, ecce enim morior.

Secundo, Forer. et Vatabl. pro *quietis* vertunt, *sæculi;* alii, *orbis*, quasi חדל *chadel*, id est *quietis*, per metathesin ponatur pro חלד *chaled*, id est *sæculi*.

Tertio, Leo Castrius, q. d. Non videbo Messiam sive Christum, uti sperabam, qui erit habitator quietis, id est erit rex pacificus et gloriosus; erit enim beatus simul et viator, eritque habitator orbis, scilicet terræ, factus homo. Verum hebr. est: *Non videbo hominem ultra cum habitatoribus quietis*, vel *orbis;* quare primus sensus est litteralis. Septuag. vertunt: *Non videbo ultra hominem, defeci* (ita enim legit S. Hieron. et Complut. non *defecit*, uti legit Caraffa) *ex cognatione mea;* S. Cyrillus vero ex Septuag. ita legit: *Non videbo ulterius hominem ex cognatione mea.* Addunt Sept. *Dereliqui reliquum vitæ meæ.*

Vers. 12. Generatio, id est vita, vel sæculum et ætas (hoc enim est hebr. דור *dor*) mea ablata est. Generatio enim sæpe vocatur cuiusque sæculum, sive vitæ cuiusque tempus: et quasi convoluta est a me.) Idem dicit: nam alludit ad tabernacula pastorum vel militum extensa, quæ recedentes, convolvere solent, ut ea secum auferant, et a loco uno in alium transferant. Ita S. Cyrill. Theodor. Forer. Adamus.

Ætas vitæ est tabernaculum, cur. Nota: Ætas vel tempus vitæ recte comparatur tabernaculo; quia sicut tabernaculum nos ambit quasi locus: sic ætas sive sæculum vitæ spatia ambit et metitur quasi tempus; secundo quia instar tabernaculi parvum est, mobile, incertum et caducum; tertio, quia instar tabernaculi volvitur et convolvitur; tota enim vita nostra agitur in continuis revolutionibus et vicissitudinibus, inquit Forer. quarto, quia in hac vita versamur quasi hospites et peregrini in tabernaculo; tendimus enim ad domum et patriam nostram cælestem, in qua conscripti sumus cives sanctorum, et domestici Dei, Ephes. 2. Secundo, *generatio*, id est stirps mea, et posteritatis spes ablata est, prole careo ex qua nascatur Christus, Davidi, et consequenter semini meo, promissus: quare mihi domum, id est

A familiam stabilem, non ædificabo, sed ea instar tabernaculi, mox convolvetur et auferetur. Ita S. Hieron. Lyranus, S. Thomas, Haymo et alii.

Præcisa est velut a texente, vita mea.) q. d. Sicut textor telam, et aranea rete suum assidue texit: ita homo texit annos, opera et studia vitæ suæ. At, sicut ancillæ telam araneæ, milites telam textoris incidunt et auferunt, nec sinunt eam perfici: ita et Deus incidet vitam meam, ut eam ad iustam ætatem et senium non pertexam. Sic Poetæ fingunt, Parcas stamina vitæ nostræ nere et abrumpere. Secundo, et magis genuine, q. d. Sicut texens, sive textor, veniente milite, vel urgente alia necessitate, præpropere telam inchoatam præcidit: ita et ego quasi textor, morbo pressus cogor telam vitæ meæ inchoatam præscindere et abrumpere. Unde hebraice est: *Præcidit velut textor vitam meam.* Ita Vatabl. et Forer.

Moraliter Theodoret. *Sanctus*, inquit, *stolam texit, per sua recte facta ornatum suæ animæ circumponens:* at impii quasi araneæ eviscerant se, ut texant sibi vestem vi-
B tiorum fœdissimam qua urantur in gehenna.

Dum adhuc ordirer.) Hebr. *In tenuitate mea*, id est in tenuibus et primis filis succidit telam meam; quod Noster vertit: *Dum adhuc ordirer*, scilicet vitam statam, virilem et perfectam; hæc enim est sub annum 39. quem habebat Ezechias; vel, *Dum adhuc ordirer*, scilicet opera magna, quæ animo designaveram, ac nominatim generationem, et per eam propagationem stirpis et posteritatis meæ; hanc enim telam texere moliebatur rex; sed in ipso molimine morbo fuit oppressus usque ad mortem.

De mane usque ad vesperam finies me.) Id est, infra unius diei spatium finies vitam meam, q. d. Vita mea brevis fuit, ut videatur tantum una fuisse dies; secundo, S. Hieron. Adamus et Vatabl. q. d. Adeo gravis erat morbus, ut putarem me eo solo die victurum, et vespere moriturum.

Refert Aristoteles (ut ait Cicero 1. Tuscul.) circa flumen Hypanim, qui prope Thraciam in mare defluit, quæ- Moral. de brevitate vitæ.
C dam oriri animalia, quæ unico dumtaxat die vivunt. Scribunt quoque medici herbas esse quæ mane crescunt, vesperi vero arescunt, ut uno dumtaxat die perdurent. Hic vitæ est humanæ typus, quæ octogesimum licet aut centesimum annum attingat, unius diei est instar, si cum æternitate comparetur: vitæ huius cursu absoluto, salutem Beati exspectant; impios vero æternum manet supplicium. Hoc est quod Ezechias hic ait: *De mane usque ad vesperam finies me*: et Psaltes Ps. 89. *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit. Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret et arescat. Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Quid meditatur aranea? ut summo studio assidue e visceribus fila fundat, quæ aliis et aliis intexat, ut telam suam pertexat. Quorsum? ut muscas capiat. Et quid maior pars hominum tota vita meditatur? quid molitur? ut se labore, unus suendi, alter fabricandi, alter scribendi, alter docendi exhauriat, ut opus suum compleat. Quorsum? ut muscas capiat. Quid enim aliud sunt
D honores et opes huius vitæ? Annon ergo instar araneæ vana est meditatio, vanus labor, vana vita nostra? Et Ps. 101. *Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut fœnum arui;* et Ps. 143. *Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut umbra prætereunt;* et Ps. 102. *Recordatus est quoniam pulvis sumus: homo, sicut fœnum dies eius, tamquam flos agri sic efflorebit;* et Iob c. 14. *Quasi flos egreditur, etc.* Hoc est quod ait Horat. l. 4. Ode 7. *Pulvis et umbra sumus.*

Theophrastus, successor Aristotelis, moriens accusasse naturam dicitur, quod corvis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur, ac fructus laborum iuventutis suæ uberiores caperet. Ita Cicero 3. Tuscul. Diogenes Laert. lib. 5. in eius Vita, divus Hieron. epist. 2. ad Nepotian. tomo 1.

*

qui hoc Themistocli (nisi librariorum vitium est) adscribit. Sallustius vero respondet huic Philosophi querelæ in bello Iugurthino: *Falso*, inquit, *queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla, atque ævi brevis, sorte potius quam virtute regatur: nam contra reputando, neque maius aliud, neque præstabilius invenias; magisque naturæ industriam hominum, quam vim aut tempus deesse.*

Vers. 13 SPERABAM USQUE AD MANE.) Primo, Vatabl. exponit, q. d. Cum viderem me evasisse illum diem, de quo dixi: *De mane usque ad vesperam finies me;* meque ad vesperam pervenisse, sperabam, vel, ut hebr. est שויתי *sciviti*, id est supputabam et statuebam me victurum usque ad mane. Contextus, inquit Vatabl. docet Ezechiam hac peste laborasse duos dies, alterum naturalem, alterum artificialem. Secundo die venit ad eum Isaias denuntians mortem, mox flevit rex, et vitam impetravit, atque eadem die ab Isaia sanatus est, ut dicitur 4. Reg. 20. 5. Sensus ergo est, q. d. Cum vespere et nocte essem in bona spe sanitatis recuperandæ, mane desperare cœpi; tunc enim plane deiecit et vicit me morbus, instar leonis omnes vires depascens. Ita Adamus, et genuine.

Secundo, et ex adverso Sanchez, q. d. Cum nocte graviter vexarer morbo, non ultra diei sequentis diluculum vitam mihi pollicebar.

QUASI LEO SIC CONTRIVIT OMNIA OSSA MEA.) *Contrivit*, scilicet morbus, et Deus per morbum: hoc sentiunt, inquit Adamus, qui magnis febribus æstuant; harum enim ignis internus instar leonis omnes corporis vires, succum et ossa consumit, ut putent præ doloris magnitudine et virium debilitate se ulterius non esse victuros. Morbus ergo acriter sæviens comparatur leoni, unguibus hominem conterenti, et laceranti: nam quasi leo hominem exossat et consumit. Unde et Isaias denuntiavit regi instantem mortem v. 1. idque ut clarius esset miraculum: nam eadem die sanatus est rex, uti iam dixi.

DE MANE USQUE AD VESPERAM FINIES ME.) q. d. Cum viderem secundo mane morbum ita recrudescere, et instar leonis sævire, tunc rursum dixi: A mane ad vesperam, id est, hoc spatio quod intercurrit a mane usque ad vesperam, succides me. q. d. Hoc die secundo morbi mei ante vesperam finies annos meos. Ita Vatablus. Pro *finies me*, hebr. est תשלמני *taslimeni*; quod verti potest: *In pace constitues me*, id est, in morte; hæc enim vocatur *pax*, æque ac quies et silentium, præsertim si sit mors piorum. Unde mortuis apprecamur: *Requiescant in pace.* Ita Sanchez.

Vers. 14. SICUT PULLUS HIRUNDINIS.) q. d. Dixi: Tunc gemam sicut pullus hirundinis in nido implumis, frigens et famens gemit; et sicut columba quæ meditatur, id est gemit, ex imo non tantum gutture, sed et pectore. Hac de causa Varro pullos hirundinis garrulos et querulos vocat fritinnientes. Sic enim habet ex Nonio: *Et pullos peperit fritinnientes.*

Mystice, S. Bernard. explicans hoc canticum tres affert sensus: primum, q. d. *Cum gratiæ matutinum arriserit, in modum hirundinis exsultans et clamitans, gratias agam pro visitatione: et, cum vespera ingruerit non deerit sacrificium vespertinum, cum instar columbæ lacrymas fundam in tribulatione; Mærens mærebo in vespera, quo lætus fruar matutino. Placet utrumque Deo, et peccator compunctus, et iustus devotus: cui e regione displicet tam ingratus iustus, quam peccator securus.*

Secundum, q. d. *Sicut pullus hirundinis hac illacque discurrens, Marthæ me officiis mancipabo, hilarem datorem me exhibens omni necessitatem patienti;* et rursum, *meditabor ut columba*, hoc est cum Magdalena contemplationis otia repetam.

Tertium, *Potest*, inquit, *et per garrulam aviculam, cantus simul psallentium in ecclesia; et per gementem columbam, privata orationum suspiria designari.* Sic S. Cyrillus et Euseb. hæc ad gratiarum actionem, non ad gemitum referunt. Verum ad litteram patet has querulas esse afflicti regis voces et gemitus; non exsultantis psalmodiam, aut iubilantis vel gratias agentis hymnum. Mirum

A ergo est quod Cyrillus ait hirundinem et columbam hic esse typum psallentium, semperque Deum laudantium.

Nota: Pro *pullus*, hebr. est סוס *sus*, quod Leo Castrius, Vatabl. Pagnin. et recentiores vertunt, *grus*, quasi gemitum suum comparet rex lugubri voci gruis, hirundinis et columbæ. Verum Septuag. Theodor. Symmach. et Chald. et S. Hier. constanter vertunt, *hirundinem*, vel *pullum hirundinis*, tam hic quam Ierem. 8. 7. Vide ibi dicta. Est onomatopœia. Vox enim pullorum hirundinis est sus, vel, ut Marinus et alii legunt, sis, sis; sicut passeris est tsaphesaph; unde hirundo סיס *sis*, passer צפצף *tsaphetsaph*, hebr. vocatur. Unde nonnulli ab Hebr. *sis*, derivant nomen *Isis*, et *sistrum;* sistrum enim strepit instar *sis*, id est hirundinis: sistri autem pulsu Ægyptii colebant Isidem; quia sistri inventrix credebatur Isis.

ATTENUATI SUNT OCULI MEI.) Tum vi morbi, tum potius ex fatigatione orandi et respiciendi sursum ad Deum; sequitur enim: *Suspicientes in excelsum*, q. d. Ita assidue, intente et gemebunde respexi ad Dominum, ut oculi
B mei fessi, morboque debilitati attenuarentur. Ita Adamus.

Secundo, Sanchez, q. d. Vide, Domine, quam oculi mei, quos ad te tollo, attenuati sint; movet pathos, ostendendo suam speciem et maciem, præsentim oculorum, qui in moribundis attenuari, et introrsus abscondi solent.

DOMINE, VIM PATIOR.) Quia immerito et sine mea culpa tanta patior, q. d. Meis peccatis non merui tantos dolores; insons ergo hæc patior, fitque mihi vis. Ita S. Hieron. Haymo et S. Thomas.

Secundo, et melius, per *vim* intelligit vehementiam morbi, q. d. Vehementer hoc morbo crucior, ut non sim ferendo.

RESPONDE PRO ME.) q. d. Cum dolori sim impar et vim patiar, tu suscipe patrocinium meum, et quasi patronus tuere me; hoc malum, hanc morbi vim averte et propulsa.

Secundo, hebr. ערבני *arbeni* verti potest: *Fide iube*,
C vel *sponde pro me*, et ita legunt Iansen. Vatabl. Forer. Montan. et alii, quod S. Thomas, Hugo et Haymo exponunt, quasi Ezechias hic invocet Messiam, sive Christum venturum; eius enim officium est, ut quasi mediator et sponsor laborantium causam suscipiat.

Tertio. *arbeni* verti potest cum Vatablo et Leone Castrio: *Fac me quiescere, iucunda me, esto mihi dulcis*, da mihi tantum gaudium scilicet vitam, et ex ea prolem ac Christum; hæc enim exposco.

QUID DICAM? Ezechias hic ad se ex vi doloris rediens, Vers. 15.
corrigit se, q. d. Quid causabor contra Deum factorem meum? AUT QUID RESPONDEBIT MIHI CUM IPSE FECERIT?) Ita legendum cum Roman. non *fecerim*, q. d. Cum Deus ipse fecerit quod voluit, quando hunc morbum iusto suo et secreto consilio mihi immisit, quid queror? quid responsi ab eo expecto, nisi hoc: *O lutum, in manu figuli, tace, et patere?* Ex Hebreo, alias obscuro, *vau* causaliter sumendo, clare sic vertit et explicat Sanchez: *Quid dicam? quia dicet Deus, quem contra percutientem patro-*
D *num advoco, quia ipse fecit.* Simili modo corrigit querelam et disputationem cum Deo, Iob. 42. v. 2. et seq.

RECOGITABO TIBI OMNES ANNOS MEOS IN AMARITUDINE, etc.) Primo, S. Hier. et Adamus tollunt τὸ tibi, unde exponunt, q. d. Dum moribundus recogito prosperitatem et delicias præteritorum annorum, amarescit et indolet anima mea; videt enim illas esse elapsas, iamque conversas esse in luctum, ideoque moriendum esse, iuxta illud Eccl. 11. 29. *Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ*, q. d. Cum tribulationis tempus advenerit, illud superat, et exstinguit omnem præteritam felicitatem.

Secundo, et genuine, præsertim quia Romana legunt τὸ *tibi*, q. d. Cum tecum lite et iure contendere nequeam, supplex vertor ad pœnitentiam et lacrymas, ut iis a tua misericordia non debitum, sed gratiam impetrem; hæc enim omnia sunt verba, et gemitus Ezechiæ in morbo versantis, et Dei clementiam invocantis. *Recogitabo* ergo *tibi omnes annos*, id est omnia peccata quæ singulis annis fe-

el, in memoriam revocabo, de iis dolebo, veniamque gemens precabor. S. Bernardus serm. de Virginibus, urget verbum *recogitabo*, id est, *iterum cogitabo*, inquit, *ne aliquid forte oblitus sim, neque aliquid invindicatum et indiscussum remaneat*. Hinc putavit D. Soto in 4. dist. 17. q. 2. a. 3. ad veram contritionem quæ peccatum delet, necessarium esse, ut pœnitens singula peccata in memoriam revocet, et deinde de omnibus conteratur. Verum hoc passim refellunt alii Theologi, docentque sufficere in confuso de omnibus dolere. Vide Suarez de Pœnit. disp. 4. sect. 6. num. 9. Respondeo ergo Ezechiam recogitasse omnes annos, non ex obligatione, sed ex devotione (et hoc sane decet agere vere pœnitentem,) ut Dei gratiam et favorem magis sibi conciliaret, itaque morbum et mortem imminentem ei ab Isaia prædictam evaderet.

Itaque omnes hi anni, sunt anni elapsi et anni culpæ: licet Leo Castrius accipiat hæc de annis futuris pœnitentiæ, q. d. Per omnes annos futuros, et per totam vitam meam deinceps recogitabo peccata præterita, agamque pœnitentiam, hic enim est spiritus Sanctorum pœnitentium, ut peccatum semel admissum per omnem vitam lugeant et defleant, uti fecit S. Petrus, Paulus, Magdalena aliique plurimi, idque faciendum esse docet S. Chrysost. hom. 3. in dictum S. Pauli; *Utinam sustinuissetis modicum*. Vide et S. Gregor. in 1. Reg. l. 4. c. 4. paulo ante illa verba: *Cum te salutaverint, dabunt tibi tres tortas panis*. Hinc ergo patet contra Lutherum, pœnitentiam non esse resipiscentiam, sed dolorem et detestationem peccatorum. *Nemo enim potest novam vitam inchoare, nisi eum superioris vitæ pœniteat*, ait S. Aug. l. de Pœnitent.

Moraliter, Nota viros probos et iustos, qualis erat Ezechias, qui v. 1. ait se perfecte ambulasse coram Deo, subinde labi et peccare. Rursum hunc suum lapsum sæpe non agnoscere, præsertim si eius consuetudinem sibi inducant, donec morbo aliave afflictione moneantur, ut ad cor redeant, Deumque orent et invocent. In oratione enim maxime illustratur animus ut videat offensas, etiam minimas, contra tantam maiestatem quam invocat, admissas. Hoc est quod ait S. August. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si semota misericordia diiudices eam*. Unde S. August. moriens assidue legebat Psalmos pœnitentiales, dicebatque *neminem, quantumvis recte vixisset debere hac vita excedere sine pœnitentia*. Idem fecit S. Fulgentius.

Vers. 16. DOMINE, SI SIC VIVITUR.) Τὸ *si* non est in Hebræo, nec apud S. Hieron. si correcte edatur, uti recte observavit Iansen. Romana tamen legunt *si sic*, sensusque eodem redit. Varii varie et obscure hæc vertunt. Clarius et gravius, primo, Sept. sic vertunt: *Domine, de ipsa enuntiatum est tibi, et suscitasti spiritum meum, et consolatus vixi*.

Secundo, Chaldæus: *Domine, de omnibus mortuis dixisti, quod vivificares eos, et ante omnes vivificasti spiritum meum; sanabis enim me, et sustentabis me*, quasi hæc sint verba Ezechiæ iam sanati, vel postquam sanitatis nuntium ab Isaia acceperat.

Tertio, Forerius et Vatablus: *Domine, ultra istos vivunt, et ad omnia intra ipsos vita spiritus mei: somniare me facies, et vivificabis me*, q. d. Qui post hos annos vixerint, et tibi fisi fuerint, teque invocarint, sentient idem beneficium quod ego, ac talis erit eorum vita, sana scilicet et vegeta, qualem ego nunc sanus et alacer ago.

Quarto, planius, et ad Vulgatam accomodatius vertit Sanchez: *Domine, super hæc et illa mala quæ commemorari, tamen vita spiritus mei vivet et vigebit: dormire facies me, et vivificabis me*, q. d. In tot causis tamque efficacibus moriendi, vita vivam, id est erit mihi vita vitalis et optabilis. Huic versioni sic adaptat versionem Vulgatam, q. d. *Domine, si sic vivitur vita nimirum usque adeo vitalis, post tot discrimina, angores, et molestias*, supple, *quid non sperandum est de tua clementia?*

Quinto, planissime ex Hebræo sic vertas: *Domine, super* (in) *istis vivitur, et in omnibus istis vita spiritus mei, gravi somno gravabis me, et vivificabis me*: quod Noster clare vertit: *Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiri-*

A *tus mei, corripies me, et vivificabis me*, q. d. Si talis et tam misera est vitæ humanæ conditio, *corripies*, id est permitto me tibi, imo oro et precor, ut corripias et castiges me ob peccata mea, ac quasi gravi somno opprimas, dummodo vivifices me, id est in vita me conserves. Ita S. Hieron. et Adamus. Hæc enim adhuc pertinent ad tempus doloris, et morbi amplificationem, illamque terminant.

In Hebræo utitur Propheta genere primo masculino, deinde fœminino, dicens primo, בהן *bahen*, in illis: secundo, בהם *behem*, id est in illabus, ut ita dicam, q. d. In omnibus illis miseriis et ærumnis vitæ huius vivitur. Hebræi enim cum omnia significare volunt in aliquo genere, iungunt genus fœmininum cum masculino. Vide can. 56.

CORRIPIES ME, ET VIVIFICABIS ME.) Pro *corripies* me, hebræum est תחלימני *tachalimeni*, id est somniare me facies, id est, corripies me hoc morbo obiter quasi per somnium, facies ut ægritudo et correptio hæc veluti somnium transeat et evanescat, et mox sanitati restituar. Ita

B Forerius. Hebræum enim חלם *chalam* significat incrassare, condensare quod liquidum est et rarum: unde חלמות *challamut* vocatur coagulum ovi, sive vitellus, sicut ריר *rir* vocatur pars fluida ovi, scilicet albugo: et חלום *chalom* vocatur somnium crassum instar vitelli. Ita Forsterus. Alludit ergo ad somnum gravem et molestum, qui Latinis Incubus, Græcis Ephialtes dicitur (et forte eo, aut simili soporifero morbo laborabat Ezechias, uti solent lethargici et moribundi ex copia vel crassitie humorum) qui oritur ex sanguine crasso, et humore melancholico opplente organa cerebri, et phantasmata tristia et gravia in phantasia excitante; ita ut somnians putet se suffocari, strangulari, opprimi, esse in periculo ruinæ, submersionis, similisve mortis, a qua sibi videtur non posse effugere; unde gemit, singultit, imo exclamat: sed expergefactus videt fuisse somnium; unde vivit, et gaudet depulso hoc somnii metu et angore, q. d. Pari modo ego Ezechias in morbo putabam esse desperatum de vita mea: at morbus hic mox transiit, et ab eo quasi ab incubo evigi-

C lavi et mihi restitutus sum: sanatus ergo, iam rursum alacer vivo et gaudeo omni metu mortis et morbi depulso. Ita Sanchez.

Qui secundo, *tachalimeni*, ait, quidam vertunt, *dormire me facies*, id est ad mortem deduces me: mors enim, præsertim brevis a qua mox quis resurgit, vocatur somnus, q. d. Deduxisti me, Domine, ad limina mortis; sed ab ea me mox reduxisti et vivificasti.

Dices: Sic dicendum fuisset, *corripuisti me*, scilicet morbo et mortis periculo, non autem *corripies me*.

Respond. Hebræi sæpe commutant tempora, et futurum sumunt pro præterito, præsertim cum ei præponitur *vau* conversivum. Hoc enim ideo inventum est, ut vertat præteritum in futurum: hoc autem *vau* conversivum hic est, si illud alio puncto legas, nimirum *vattachalimeni* pro *vetachalimeni*.

Tertio, Vatabl. et Forer. quoque vertunt, *dormire me facies et sanabis*: non enim nocte somnum capiebat rex.

D Deus ergo restituit ei somnum, et per somnum vires et vitam: hæc est enim vis somni. Unde discipuli ad Iesum de Lazaro mortuo, quem Iesus dicebat dormire, dicebant: *Domine, si dormit, salvus erit*, Ioan. 11. 12.

Quarto, forte Noster pro *chet* legit affine *he*, scilicet pro *tachalimeni*, legit *tahalimeni*, id est, percuties, tundes, quassabis me, id est, corripies me: hoc sane videtur expeditissimum ad nostram Latinam versionem cum textu Hebræo conciliandam.

ECCE IN PACE AMARITUDO MEA AMARISSIMA.) q. d. In Vers. 17. media pace, in flore ætatis et regni mei, quo homines sani, incolumes et vegeti esse solent, patior amarissima, scilicet agones mortis, et morior. Ita S. Hier. et Vatabl.

Secundo, Sanchez, q. d. Ista afflictio quam passus sum, iam in pace est: versa est enim mihi in gaudium, quia sanatus sum. Refert enim ipse hæc ad tempus quo rex fuit curatus a morbo, idque satis est verisimile: nam v. præced. finita fuit querela regis in morbo; hoc vero vers. 17. incipit eius gaudium ex reddita sanitate. Unde Hebr. est

לשלום *lesciolom*, id est, *ad pacem*, scilicet versa est hæc amaritudo: Noster tamen vertit, *in pace*, quia sæpe *lamed* sumitur pro *bet*, id est, *in*.

Tu autem (flexus mea pœnitentia, oratione et lacrymis) eruisti animam meam (a morte præsenti et futura:) nam, ut sequitur, proiecisti post tergum tuum, id est, condonasti, amovisti a vultu tuo, oblitus es omnia peccata mea.) Est catachresis: quæ enim obliviscimur et obliteramus, abiicimus post tergum. Rex hic illuminatus a Deo in oratione, et recogitans annos præteritos, videtur agnoscere se commisisse aliquando peccata graviora, ob quæ reus fuerit mortis; cum ante orationem et examen hoc conscientiæ quasi securus dixerit v. 3. se ambulasse coram Deo in veritate, et in corde perfecto. Vide dicta v. 15. Sed omnia hæc peccata abstersit eius contritio et oratio, uti hic dicit.

Vers. 18. Quia non infernus confitebitur tibi.) q. d. Ideo restituisti mihi vitam et vires, ut laudem et celebrem tuam clementiam in eos qui tibi serviunt, teque invocant in hac vita; nam qui in inferno et morte versantur, te laudare, id est, celebrare apud homines tuum nomen nequeunt, præsertim in templo, de quo ait rex v. 20. *Psalmos nostros cantabimus in domo Domini.* Vide dicta Baruch 2. 17.

Moraliter Nota: Vita hæc a piis optabilis est ob duo: primo, ut laudent Deum, ut ait hic Ezechias; secundo, ut lugeant peccata sua: qua de causa vitam sibi produci optavit Iob c. 10. v. 20. Primum oritur ex Dei, secundum ex sui cognitione. Ita Sanchez.

Non exspectabunt qui descendunt in lacum (in sepulcro et infernum) veritatem tuam.) Id est, felicitatem tuam, scilicet qua primo, præstitisti inchoate Hierosolymæ incolumitatem ab Assyriis, et mihi sanitatem ab Isaia nomine tuo promissam; secundo, *veritatem*, scilicet quæ pertinet ad Messiam promissum, quem ex semine meo et Davidis progenerandum exspectamus, ut eum nascentem videamus, et docentem audiamus: qua de causa me in vita servasti: hoc enim soli viventes possunt præstare, non autem mortui. Unde ait:

Vers. 19. Vivens ipse confitebitur tibi.) v. g. Pater dum vivit, filiis narrabit Dei beneficia, ut Deum celebret, eosque ad Dei laudem invitet: hoc autem facere nequit mortuus.

Vers. 20. Salvum me fac.) In sanitate accepta conserva me: iam enim a morbo sanatus erat. Secundo, *salvum me fac* perfecte ab Assyriis, cædendo eorum castra, uti promisisti.

Vers. 21. Et iussit.) Est hysterologia: hæc enim contigerunt ante canticum Ezechiæ: hoc enim cecinit postquam hoc cataplasmate sanatus fuit, ut patet v. 9. quare *iussit*, id est, iusserat.

Cataplasmarent.) Id est, cataplasma, sive emplastrum ex ficubus conficerent, quod vulneri imponerent, quo rex sanaretur, uti de facto sanatus est. Hebr. est *contundat super ulcus*, id est, contusum imponant super ulcus: vulnus ergo hoc regis fuit ulcus, uti vertunt Aquila, Symmachus et Theodotion, et Noster interpres 4. Reg. 20. 7. Hebr. enim שחין *scechin* significat ulcus.

Nota: Ficus per se ulceri potius obsunt quam prosunt: licet enim Galenus l. 2. de Arte curativa c. 7 ad eos tumores, qui neque facile ad suppurationem perveniunt, neque facile discuti possunt, iubeat uti cataplasmate ex caricis sive ficubus, tamen alia est ratio in ulceribus: hæc enim extersionem et desiccationem postulant, non autem discussionem, emollitionem et suppurationem: hæ enim tumorum sunt rationes, non ulcerum. Per accidens tamen, si ulceri accedat tumor et inflammatio (uti in morbo Ezechiæ fieri potuit) ad eam vel resolvendam vel suppurandam valent ficus. Aliqui censent hoc ulcus non formatum, et proprie dictum ulcus fuisse, sed apostema, quo tumens corpus interius putrescente pure completur: quod si verum est, potuit pus sive sanies siccioribus ficubus atque contusis in cutis superficiem provocari, ibique excerni: et sic naturaliter ficus profuerunt morbo regis.

Verum noster interpres censuit formatum et apertum fuisse ulcus, unde vertit *vulnus*: quare ficubus non erat opus ad provocandam in cutem saniem. Quidquid sit, certum est ficus non habuisse tantas vires, ut hominem moribundum vitæ et sanitati restituerent, idque tam cito, scilicet ut tertio die adiret templum ut dicitur 4. Regum cap. 20. v. 5. Quare potius hæc curatio miraculo tribuenda est, quam ficubus. Ita Valesius Sacræ Philos. c. 39. Vatabl. Adamus et alii. Sic Christus lutum imponens oculis cæci eum illuminavit. Sic Sancti olim in eremo, oleo a se benedicto quoslibet morbos curabant. Sic et hic ficus non tam ex se et sua virtute, quam quia a S. Isaia adhibebantur, quasi ab ipso benedictæ, et quasi instrumentum Dei, cuius iussu eas applicabat Isaias, subito sanarunt regem. Adde, S. Hieron. hic: *Aquila*, inquit, *Symmachus et Theodotion, scchin interpretati sunt* ἕλκος, *per quod morbum regium intelligi volunt, cui contraria putantur vel sumpta in cibo, vel apposita corpori, quæcumque sunt dulcia*, uti sunt ficus. Verum ἕλκος ulcus significat, vomicam et tuber, non morbum regium.

Et dixit.) Id est, dixerat Ezechias Isaiæ promittenti curationem v. 5. eo ergo hæc pertinent: est enim hysterologia, ut dixi; et patet 4. Reg. 20. v. 8. et 9. Hic ergo versus ponendus est ante v. 7. ubi Isaias respondet, et dat signum quod rex hic petit. Vers. 22.

Moraliter, disce hoc capite ab Isaia, quam pium et utile sit visitare infirmos, eosque visitari a sanctis, quamque sincere infirmos de morte et æternitate admonere debeamus, ut ad eam se comparent: sic enim Ezechiam regem hic libere monuit Isaias, dicens: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives*: ideoque ei sanitatem et 15. annos vitæ impetravit; quin et reipsa per cataplasma ficuum eum sanavit v. 21. Moral de visitandis ægrotis.

Ita Gallicanus Martyr, vir consularis, triumphalibus infulis sublimatus, et Constantino Augusto charus, a S. Ioanne et Paulo ad Christi fidem conversus, cum S. Hilarino ad ostia Tiberina secedens, hospitalitati et infirmorum servitio totum se dedit: cuius rei fama in universo orbe divulgata, multi undique illuc venientes videbant virum ex Patricio et Consule lavantem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus affundentem, languentibus sollicite ministrantem, et cætera pietatis officia exhibentem: hisque actibus meruit martyrium, ad illudque se disposuit. Martyrio enim a Iuliano Apostata affectus est. Ita Baron. in Martyr. 25. Iunii ex Usuardo et Adone.

Quidam Apollonius nomine, cum mundo renuntiasset, et montem Nitriæ habitasset, et nec artem discere posset, nec litteras, quod ætate esset provectus; viginti annis, quibus vixit in monte, hanc habuit exercitationem: suis pecuniis et suis laboribus emens Alexandriæ vasa medica omnis generis, universæ fraternitati ea suppeditabat ad morbos: et licebat eum videre usque ad horam nonam discurrentem obeundo monasteria, et ostia ingredientem, et videntem num quis decumberet. Portabat autem uvam passam, mala punica, ova panem siligineum, et ea quibus opus habent ægroti. Hanc sibi conferentem invenit vitæ rationem usque ad senium Christi servus. Ita Palladius in hist. Lausiaca c. 4. et Niceph. l. 11. c. 35.

Placilla, Theodosii Imp. uxor, miram ægrorum et mutilatorum curam gerebat, eisque mira charitate inserviebat. In illorum enim domicilia ventitabat, et qua quisque indigeret re, eam illi suppeditabat: et Ecclesiarum hospitales domos circumiens, eos qui gravibus morbis lecto affixi erant, curabat. Non enim tantum illorum attingebat ollas, et iuscula delibabat; sed et patellas admovebat, panem apponebat, ciborum frusta auferebat, pocula eluebat, aliaque omnia sedulo et alacriter obibat, quæ servorum et ancillarum sunt officia. Ad eos vero qui ministerium eius, quod per manus ipsa suas peragebat, inhibere conabantur, dicere solita erat: *Imperio quidem convenit, ut aurum id largiatur; ego vero manuum mearum opus pro imperio ipso, ei qui id semel contulit, offero.* Ita Niceph. l. 12. c. 42. et Ioan. Nauclerus tom. 2. generat. 13.

S. Radegundis regina Franciæ hanc sibi fixerat legem, ut omni Dominico die pauperibus collectis ipsa manu sua

potum porrigeret. Cum leprosi venientes signo facto se proderent, osculabatur vultus. Deinde mensa posita, ferens aquam calidam facies lavabat, manus ungens et ulcera, et rursus administrabat ipsa, pascens per singulos. Recedentibus præbebat auri vel vestimenti munuscula. Cum ministra diceret: Domina, quis te osculabitur, quæ ita leprosos amplecteris? illa respondit benevole: *Vere si me non oscularis, hinc mihi cura nulla est*, inquit Fortunatus in Vita eius lib. 1. cap. 39.

Quanta cura et benevolentia Eustochium servierit S. Paulæ matri ægrotanti, enarrat S. Hieron. in Epitaphio Paulæ. Similia de S. Maria Oigniacensi refert Cardin. Iacobus de Vitriaco lib. 2. Vitæ eius cap. 3. de S. Catharina Senensis Raimundus in eius Vita.

S. Bernardini præ aliis Sanctis eluxit hac in re ardor: nam cum anno Domini 1400. qui erat Iubilæus, Senis ingens lues grassaretur, cum fœtore horribili et morte plurimorum, ipse duodecim adolescentibus ignita oratione persuasit, ut iis se duce totos impenderent, quod et præstiterunt ipso præeunte officiosissime. Digna sunt lectu quæ hac de re in eius Vita habentur c. 10. v. 11. 12. die 20. Maii apud Surium.

Similis fuit erga ægrotos charitas S. P. N. Ignatii, ut patet ex eius Vita apud Maffeium l. 2. cap. 3. Xaverii, et aliorum plurium, uti patet ex Annalibus nostræ Societatis.

CAPUT TRIGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Merodach rex Babylonis mittit legatos, qui congratulentur Ezechiæ de sanitate miraculo recuperata: eis Ezechias ostendit omnes suas opes. Unde v. 5. ab Isaia corripitur, auditque omnes eius opes rapiendas esse a Babyloniis, et filios eius fore regis eunuchos. Hoc durum Dei decretum v. 8. æquanimiter accipit rex, oratque ut saltem in diebus suis fiat pax et veritas.

1. In tempore illo misit Merodach Baladan, filius Baladan rex Babylonis, libros et munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset et convaluisset. 2. Lætatus est autem super eis Ezechias, et ostendit eis cellam aromatum, et argenti, et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes apothecas supellectilis suæ, et universa quæ inventa sunt in thesauris eius. Non fuit verbum quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. 3. Introivit autem Isaias propheta ad Ezechiam regem, et dixit ei: Quid dixerunt viri isti, et unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. 4. Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia quæ in domo mea sunt, viderunt: non fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis. 5. Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum. 6. Ecce dies venient, et auferentur omnia quæ in domo tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus. 7. Et de filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. 8. Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini quod locutus est. Et dixit: Fiat tantum pax et veritas in diebus meis.

Vers. 1. Misit Merodach Baladan.) Id est misit rex Baladan. *Merodach* enim commune nomen fuit regum Babylonis, sicut Ptolemæus Ægypti, Cæsar Romanorum. Hinc filius Nabuchodonosor vocatur Evilmerodach, et Balthasar vocatur *Merodach* Ieremiæ 50. 2. forte a primo Babylonis rege, qui dictus est Merodach, et inter deos relatus. Sicut ergo dicitur Ptolemæus Philadelphus, Ptolemæus Evergetes, Ptolemæus Philopator: sic dicitur Merodach Baladan, Merodach Balthasar, etc. Falluntur ergo Hebræi, qui putant *Merodach* esse Nabuchodonosor, qui monarchiam ab Assyriis ad Chaldæos transtulit: nam ab anno 15. Ezechiæ, quo contigit eius morbus et sanatio, usque ad annum 4. Ioakim, quo regnare cœpit Nabuchodonosor, fluxerunt anni 106. Probabiliter Scaliger l. 5. de Emend. temp. et ex eo Torniellus anno mundi 3306. censent hunc Baladan esse Nabonassar, a quo æra Babyloniorum fuit constituta, indeque priscas Astronomicas observationes ad sua usque tempora, accepisse se scribit Ptolemæus l. 3. Almag. c. 8. qui floruit tempore Adriani Imp. ac consequenter Merodach filium Baladan, esse eum quem Ptolemæus vocat Mardokempad, Nabonassaris filium. Nabonassar enim, ut deducitur ex Ptolemæo, cœpit regnare circa annum 6. Ezechiæ, eodem scilicet tempore quo Baladan, in Babylone. De hoc plura Ezech. 1. 1.

Libros, epistolas. Ita Chald. et Septuag. hoc enim est hebraice ספר *sepher*. Audiebat enim quod ægrotasset et convaluisset.) Et propter ægritudinem eius retrocessisset sol. Misit ergo legatos tum amicitiæ causa, ut Ezechiæ sanitatem gratularetur, tum ut de portento hoc, scilicet solis retrocessione, veritatem, modum et causam inquireret et cognosceret, uti dicitur 2. Paral. 32. 31. Perierunt libri Astrologorum Babyloniorum; alioqui ex iis illud constaret. Non enim est dubium illud ipsos in suis tabulis conscripsisse. Ita Caiet. in 4. Reg. c. 20.

Nota hic, quam reges olim, etiam Ethnici, amicitiam, et salutationis aliaque humanitatis officia cum aliis maxime vicinis principibus, etiam Iudæis coluerint, ut de eorum felicitate legatos gratulatum, de eorum infelicitate comploratum ad eos mitterent. Abraham, Isaac et Iacob cum Achimelech, aliisque regibus Chananæorum amicitiam firmarunt. Sic Davidi et Salomoni confœderati et congratulati sunt Hiram rex Tyri, Thou rex Emath, et alii: ipse quoque David misit legatos ad consolandum Hanon regem Ammon de morte patris, 2. Reg. 10. Sic Ionathas et Simon Machabæi cum Romanis et Spartanis arcta societatis fœdera inierunt.

Vers. 2. Non fuit verbum, non fuit res; Septuag. *non fuit aliquid*, in omni potestate sua.) In omni regno suo; Chald. *in omni dominatione sua*.

Vers. 6. Ecce dies venient, et auferentur omnia.) Ex hac pœna videtur, quod Ezechias hic peccarit aliqua vanitate et superbia, scilicet ostentatione divitiarum suarum, ad quam eum impulit tam honorifica legatio Babyloniorum: inde enim sibi placuit et intumuit (licet forte hæc eius superbia tantum fuerit venialis.) Ita S. Hier. Tertull. l. 4. contra Marc. c. 21. Ambr. in Ps. 118. ad illa *Humiliatus sum nimis*, Caietan. et alii.

Nota iustam pœnam: qui opes suas ostentat, meretur iis spoliari. Unde Tropol. Eucher. et Beda in 4. Reg. 20. *Ezechias*, inquiunt, *vane ostentans thesauros suos significat servum Dei, dum virtutes suas vanæ gloriæ prodiderit, mox eas perdere, et in dæmonum dominio thesauros bonorum operum infelici permutatione transire.*

Vers. 8. Bonum verbum Domini.) Id est, placuit mihi sententia Domini punientis meam vanitatem, accepto eam, illi me submitto. Sic Semei audiens a Salomone: *Quacumque die transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum;* acceptans sententiam respondit: *Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus*, 3. Reg. 2. v. 38. et 43.

Perperam ergo Hebræi reprehendunt Ezechiam, quasi minus sollicitum de posteris quam de se. Coactus enim acceptavit divinæ vindictæ sententiam, cumque eam in totum declinare non posset, petiit eius mitigationem quæ sperari poterat, ut scilicet in diebus eius non mandaretur exsecutioni.

A FIAT TANTUM PAX ET VERITAS IN DIEBUS MEIS.) Ut scilicet Deus me in vita et regno pacificum conservet, utque profliget hostem meum Sennacherib, uti promisit; hæc enim est veritas, id est fidelitas, Dei, quam postulat. Alii per *veritatem* intelligunt Christum, q. d. Utinam videam Christum, Davidi et mihi promissum, antequam moriar.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hic incipit secunda principalis pars, sive sectio oraculorum Isaiæ læta et fausta. Prior enim a c. 1. huc usque complectens quinque oracula, tristia omnia, excepto secundo, fuit obiurgatoria et comminatoria. Protenditur hæc secunda pars ab hoc cap. usque ad finem libri, in qua Isaias non tam Propheta est, quam Evangelista.

Iam primo, Iudæi hæc accipiunt de consolatione et lætitia Iudæorum ex laxata captivitate Babylonica per Cyrum. Verum multa hic augustioria dicuntur, quam ut Iudæis et Cyro conveniant. Secundo, S. Thom. Hugo, Sanchez, et Iansen. ac Maldon. in Matth. 5. v. 5. multique recentiores hæc ad litteram historice accipiunt de Iudæis per Cyrum liberatis, allegorice de soluta captivitate generis humani per Christum. Tertio, et optime Forer. Adamus et alii ad litteram hæc accipiunt de Christo, eiusque redemptione; tamen cum allusione ad redemptionem et liberationem Iudæorum e Babylone. Illa enim huius, perinde ut Cyrus Christi, fuit typus. Vide can. 4. et 5.

Christus est Noe, id est consolator tripliciter.

Christus igitur hic est consolator ab Isaia prævisus et promissus: unde eius typus (uti docent omnes Patres) fuit Noe, reparator generis humani diluvio pene absumpti, ideoque vocatus est Noe, id est, consolator, Gen. 5. 29. Christus enim nos consolatus est primo, per se, suasque exhortationes et gratias dum viveret, et quia suo labore et morte attulit nobis redemptionem, hoc est, iustitiam et salutem æternam. Secundo, de cælis in
1. *dies consolatur nos allegans Patri merita sua novasque gratias impetrans et submittens Tertio, abiens e mun-*
2. *do alium Paracletum, sive consolatorem nobis assignavit, scilicet Spiritum sanctum. Ita S. Hieron. Cyrill.*
3. *et Procopius.*

Hoc ergo capite, primo, hanc Christi consolationem promittit, eiusque præcursorem Ioannem Baptistam, qui erit vox clamantis in deserto, et a Deo clamare iubebitur: Parate viam Domini, cogitando scilicet quod omnis caro fœnum, verbum autem Domini maneat in æternum: ut nimirum agnoscant homines et suam infirmitatem et Dei erga se indulgentiam ac potentiam, itaque ad eam recipiendam se parent. Verum quia hæc promissa gravia et grandia sunt, hinc secundo, v. 12. digreditur ad describendam Dei potentiam, magnitudinem, et sapientiam: quæ uti omnia creavit, et gubernat, ita et omnia quæ promittit præstare potest. Unde tertio, v. 18. invehitur in eos qui pro Deo colunt idola muta et inanima. Denique v. 27. Iudæorum in afflictione de Dei ope et providentia diffidentiam incusat, docetque eos qui sperant in Domino, mutare fortitudinem, ac omnia superare, et transvolare quasi aquilas.

1. CONSOLAMINI, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. 2. Loquimini ad cor Ierusalem, et advocate
eam: quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius: Suscepit de manu Domini dupli-
cia pro omnibus peccatis suis. 3. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitu-
dine semitas Dei nostri. 4. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in di-
recta, et aspera in vias planas: 5. Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini
locutum est. 6. Vox dicentis: Clama Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi
flos agri. 7. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est popu-
lus, 8. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos: verbum autem Domini nostri manet in æternum. 9. Super mon-
tem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem:
exalta, noli timere. Dic civitatibus Iuda: Ecce Deus vester: 10. ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et
brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, et opus illius coram illo. 11. Sicut pastor gregem suum
pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. 12. Quis mensus est pugil-
lo aquas, et cælos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes,
et colles in statera? 13. Quis adiuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, et ostendit illi? 14. Cum
quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam iustitiæ, et erudivit eum scientiam, et viam pru-
dentiæ ostendit illi? 15. Ecce Gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insu-
læ quasi pulvis exiguus. 16. Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia eius non sufficient ad holo-
caustum. 17. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. 18.
Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? 19. Numquid sculptile conflavit faber? aut au-
rifex auro figuravit illud, et laminis argenteis argentarius? 20. Forte lignum et imputribile elegit: artifex sa-
piens quærit quomodo statuat simulacrum, quod non moveatur. 21. Numquid non scitis? numquid non audistis?
numquid non annuntiatum est vobis ab initio? numquid non intellexistis fundamenta terræ? 22. Qui sedet super
gyrum terræ, et habitatores eius sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cælos, et expandit eos sicut taber-
naculum ad inhabitandum. 23. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit: 24.
Et quidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum, repente flavit in eos, et arue-
runt, et turbo quasi stipulam auferet eos. 25. Et cui assimilastis me, et adæquastis, dicit sanctus? 26. Levate in
excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc: qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine
vocat: præ multitudine fortitudinis et roboris, virtutisque eius, neque unum reliquum fuit. 27. Quare dicis

Iacob, et loqueris Israel: Abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo iudicium meum transivit? 28. Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ eius. 29. Qui dat lasso virtutem; et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat. 30. Deficient pueri, et laborabunt, et iuvenes in infirmitate cadent. 31. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.

Vers. 1. CONSOLAMINI, CONSOLAMINI, POPULE MEUS.) Iudæi et Haymo, Hugo ac Glossa, hæc referunt ad finem præcedentis cap. puta ad verba Ezechiæ: *Fiat tantum pax et veritas in diebus meis*, q. d. Ezechias, o Iudæi, videtur sibi suisque diebus tantum consuluisse, petendo sibi pacem, vos autem et posteros vestros neglexisse: propterea Deus ipse suscipiet curam vestri, promittitque dicens: *Ego consolabor vos.* Verum ex v. 5. et sequ. patet hæc ad Ioannis Baptistæ et Christi tempora pertinere; alludit tamen ad captivitatem Babylonicam, uti dixi. Sensus igitur est, q. d. Prædixi cap. præced. v. 6. vos captivos in Babylonem ituros; hinc merito turbamini et mœretis: sed consolamini, nam post 70. annos inde vos eripiam, et in pristinum, imo meliorem statum restituam. Hoc obiter vobis promitto, et quasi perstringo; sed sub hac consolatione levi, quasi typo, aliam longe maiorem intelligo, vobisque promitto, scilicet eam quam afferet Christus, cum vos morti et gehennæ ac diabolo addictos in libertatem revocabit, Deoque et cælo restituet.

Nota: To *consolamini* passive capitur pro *consolationem accipite*: sequitur enim *popule meus.* Septuaginta tamen active capiunt, unde vertunt in accusativo, *consolamini populum meum.* Et ita legunt Græci, S. Cyrillus, Procopius, Chrys. itaque vertunt e Latinis Pagninus et Vatabl. Secundo, populum suum vocat cœtum fidelium, puta Christianos tam Iudæos quam Gentiles in Christum credentes.

Vers. 2. LOQUIMINI (scilicet vos, o sacerdotes, ut habent Sept. et vos, o Apostoli) AD COR IERUSALEM.) q. d. Annuntiate ei blanda et suavia, quæ cor eius mulceant, recreent, omnemque ab eo mœstitiam abigant. *Idioma*, ait S. Hieron. *Scripturæ est, ut qui mœrenti loquitur, et blandiens consolatur, dicatur, ei loqui ad cor.* Sic Sichem Dinæ a se corruptæ, ideoque tristi, *locutus est ad cor*, ut habetur in Hebræo Genes. 34. Sic Osee 2. dicitur: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.*

Loqui ad cor est blandiri.

Denique audi S. Bern. serm. 5. in Nat. Domini: *Consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester, dicit hoc Emmanuel nobiscum Deus. Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni. Clamat stabulum, curando sese homini, qui in latrones inciderat, præparari. Clamat præsepe, eidem homini, qui iumentis comparatus fuerat pabulum ministrari. Clamant lacrymæ, clamant panni, eisdem ipsius cruenta iam vulnera ablui et detergi. Siquidem nullo horum eguit Christus, nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos.* Apposite S. Clemens lib. 2. Constit. Apost. c. 15. docet Episcopos hæc verba Isaiæ usurpare debere apud peccatores, ut eos ad pœnitentiam revocent, dando spem veniæ.

ET ADVOCATE EAM.) Septuag. καὶ παρακαλέσατε αὐτήν, *et consolamini eam.* Sic Spiritus sanctus vocatur παράκλητος, id est, advocatus, sive consolator; significatur ergo ingens futura consolatio: quater enim repetit τὸ *consolamini*: ait enim, *Consolamini, consolamini, loquimini ad cor Ierusalem, consolamini eam.*

Hebr. est קראו אליה *kiru eleha*, id est, *clamate ad eam*, vel *vocate eam*, ut scilicet annuntietis ei miram hanc consolationem, itaque eam recreetis et consolemini. Eodem enim redit sensus, itaque *advocate eam* per metalepsin, idem est quod *consolamini eam*, ut vertunt Septuaginta: ad hoc enim advocatur, ut consolationem accipiat.

QUONIAM COMPLETA EST MALITIA EIUS.) Ita Romana. Pro *malitia*, hebr. est צבא *tsaba*, id est, militia: sed idem est sensus. Malitia enim hic non nequitiam, sed laborem, afflictionem, et ærumnas militares significat. Unde Sept. pro *malitia* vertunt *humilitas.* Sic dicitur Matth.

A 6. 34. *Sufficit diei malitia*, id est afflictio, *sua.* Sic Apostolus ait: *Redimentes tempus, quoniam dies mali*, id est miseri, *sunt. Malitia* ergo hic significat tribulationem, et pœnas peccatorum, quas Ecclesia passa est, non tam a Gentilibus Imperatoribus primis trecentis annis, ut volunt aliqui (hæc enim post Christum ei contigerunt, non ob peccata, sed ad acuendam eius virtutem et gloriam: hic autem Propheta loquitur de consolatione allata per Christum; est enim hæc prima eius consolatio) sed quas passa est ante Christum, cum adhuc Gentilis serviret infidelitati, peccato ac diabolo; vel Iudaica serviret Romanis, Græcis aliisque Ethnicis, qui duras ab ea peccatorum pœnas exigebant, direque eam exagitabant. Hæc ergo eius malitia, fuit eius militia, hoc est laborum stadium, et tempus eius militiæ et servituti et afflictionibus a Deo præfixum (sic enim olim militare debebant Iudæi usque ad annum 50.) q. d. Iam expletum est stadium tui laboris et ærumnæ, ac tempus pœnitentiæ quo in sufferen-

Malitia est militia.

B dis adversitatibus et divinis castigationibus servivisti, te exercuisti, et quodammodo militasti: nam, ut sequitur: *Dimissa est iniquitas illius.* Christus etiam, sicuti eius iniquitati, sic et militiæ ac malitiæ, sive captivitati finem imposuit; sicut enim Poeta ait de amore:

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.

Sic et de stadio hoc laboris et doloris dicas:

Militat omnis agon, et habent sua castra laborque,
Et crux, et dolor, et gaudens patientia duris.

Sic militat omnis pœnitens: estque pœnitentia dura militia. Sic et S. Iob ait c. 7. 1. *Militia est vita hominis super terram.* Et hanc militiam explicans v. 3. ait: *Noctes laboriosas enumeravi mihi:* et c. 14. ait: *Homo natus de muliere, repletur multis miseriis, etc.*

Militat omnis amans et pœnitens.

Dices: Post Christum adhuc Iudæi, etiam conversi ad Christum, servierunt Romanis, imo Christus ipse eis tributum persolvit; quomodo ergo servituti eorum finem

C imposuit? Resp. Proprie et primario Christus nos liberavit a captivitate peccati, mortis, diaboli et inferni. Hæc enim spiritalis est, maxima et æterna, præ qua temporalis servitus parva est, et quasi nulla. Secundario tamen a temporali quoque nos liberavit. Primo, quia ipse nascens quasi princeps pacis, pacem secum invexit in mundum, fecitque ut Augustus Cæsar non hostiliter et tyrannice, uti fecerant Salmanasar, Nabuchodonosor, et alii Iudæorum vastatores, sed politice, et pacifice, quasi legitimus princeps æquo iure, imo humaniter regeret Iudæos, uti et alias gentes sibi subditas. Vide dicta Isaiæ 2. 4. Secundo, quia Christus a Iudæis ad se conversis depulit peccatum, ac consequenter et servitutem quatenus erat pœna peccati: fecit ergo, ut servitus fidelibus servis non esset culpæ pœna, sed conditio sortis et naturæ, imo ut esset eis exercitium patientiæ et virtutis, ac materia et causa libertatis et gloriæ cælestis. Tertio, quia sua gratia facit, ut servitus Christianis non sit coacta et aspera,

D uti erat Iudæis, sed libera et suavis: facit enim, ut eam amore Dei æquo et libenti animo ferant. *Ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3. 17. Hoc est quod ait Christus Iudæis: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis*, Ioan. 8. 36. Quarto, quia Christus Constantinum Magnum et cæteros deinceps Imperatores suæ fidei subiiciens, fecit eos dominari Christianis, non ut tyrannos, nec ut Cæsares, sed ut patres. Quinto, quia in resurrectione omnem servitutem in Sanctis abolebit, et libertate, imo regno cælesti eos donabit, ut reges sint æterni, orbisque domini.

Secundo, aliqui per *militiam* accipiunt durissimas et laboriosissimas cæremonias, purificationes, circumcisiones, sacrificia, etc. quibus Synagoga ante Christum in

templo Iudaico Deo serviebat, et quasi militabat: sic enim Levitarum officia, et servitus in tabernaculo Numer. 4. sæpe vocatur *tsaba*, id est, militia, q. d. Abolevit Deus molestam illam veteris tabernaculi militiam, fecitque ut nova, eaque facilis Christiana militia in Ecclesia ei succederet, de qua scribit Apostolus 1. Timoth. 1. 18. cumque monet ut in ea militet bonam militiam. Unde S. Iustinus contra Tryphon. et Tertull. lib. 4. advers. Marc. paulo post initium, et ex eis Leo Castrius, atque Forerius sic exponunt: *Completa est militia*, id est, lex Mosis, et Synagoga Iudæorum non est amplius Ecclesia militans; sed ea iam est lex et Ecclesia Christi, quæ non tam militia, quam pax et quies est, et vacando a molesta illa Iudæorum militia, facile et suaviter, iam adiuta a Christo, sanctisque Angelis, militat Deo et cælo. Hæc expositio apposita est. Priori tamen magis favet id quod additur, *Dimissa est iniquitas illius.*

SUSCEPIT DE MANU DOMINI DUPLICIA.) *Duplicia*, id est, multiplicia et grandia, sive multa et magna. Ita Chald. Origen. in Ieremiam hom. 12. et alii: sie enim *duplex* per catachresin sæpe capitur pro multo et gravi, uti dixi Ierem. 17. 18.

Duplicia quæ? Iam primo, sensus est, q. d. Duplices, id est multas et graves, pœnas pro peccatis luisti: sat ergo pœnarum dedisti; quare completa est militia et afflictio tua. Ita Procop. Theod. Cyrill. Qui et addunt, pœnas vocari duplices, non quod Deus ultra condignum, et in duplum peccata puniat: hoc enim a iustitia et clementia eius alienum est: sed quod præ amore Ecclesiæ, videatur sibi duplo graviores, quam mereatur, ei pœnas irrogasse, perinde ac pater, qui castigavit filium charissimum pro peccato magno pœna levissima, videns eius dolores et vibices, dolens, eumque demulcens ait: Heu, fili, nimis te castigavi, ira mea subita tibi nimis acres plagas inflixit. Rursum Forerius hæc Ecclesiæ putat dici propter Christum, qui est eius caput, eiusque scelera in se luenda suscepit; cuius proinde satisfactio nostra est, q. d. Satis, imo nimis, ob scelera tua punivi filium meum. Christus enim sua morte et cruce ita divinæ iustitiæ satisfecit, ut licet multo maiora peccassent homines, tamen Christi satisfactione non tantum omnes eorum culpæ exstinguendæ sint omniaque peccata remittenda, sed et insuper Christus sibi eisque amplissima præmia petere possit, suæ, utpote Filii Dei, obedientiæ et patientiæ extremæ debita. Per Christum ergo plus satisfecimus Deo, quam debebamus. Denique S. Hieron. et Hugo, *duplicia*, inquiunt, susceperunt Iudæi, quia primo, a Babyloniis, secundo, a Romanis sunt eversi. Verum obstat præter alia, quod excidium per Romanos diu post Christum peractum sit.

Secundo, *duplicia* hæc non de pœnis, sed de gratiis accipi possunt, q. d. Deus ita dimisit Ecclesiæ iniquitates, itaque eam iam per Christum consolatur, ut *duplicia*, id est multiplicia, bona, charismata, gratias et consolationes ex immensa Dei misericordia susceperit pro suis peccatis, et pœnis peccatorum, quas merebatur. Ita Adamus. Uberrima enim hic Ecclesiæ per Christum datur consolatio. Prior sensus simplicior est; posterior hic sublimior est et divinior. Hæc enim est vindicta digna et propria Deo, ut bona reddat pro malis, eaque duplicia; eius enim bonitas largissima tanta est, ut certet cum malitia hominum, eamque obruat.

Moraliter divinum est consolari mœstos, etiam hostes. Moral. disce hic quam divinum sit afflictos, etiam hostes et inimicos, consolari. Ita Ioseph patriarcha consolatus est fratres suos mœstos pro illo gravi peccato, quod ipsum occidere voluerant, Genes 50. v. 19. Elcana pater Samuelis consolabatur Annam eiusdem Samuelis matrem mœstam, quod æmula eius improperaret ipsi sterilitatem, 1. Reg. 1. Tobias senior consolatur uxorem tristem ob longiorem filii sui absentis moram, Tob. 10. 6. Christus Dominus consolatur Martham et Mariam Magdalenam tristes ob Lazari fratris sui mortem, Ioan. 11. vers. 23. S. Antonius Didymum cæcum consolatus est dicens: *Non est, Didyme, quod teipsum mœrore conficias, propterea quod oculis careas quos mures, lacertæ et vilia animal-*

A *cula habent. Voluptate potius et lætitia te efferri convenit, qui itidem ut Angeli internis viges oculis, quibus clare immortalem et divinam cognitionem percipis, veritatemque ipsam exacte perspicis.* Ita Niceph. l. 9, c. 17.

S. Gregorius l. 2. epist. 44. consolatus est Iuditham regno Hungariæ pulsam: *Cæterum*, inquit, *ea quæ tibi nunc instat adversitas, non te terreat, nec mentem tuæ generositatis deprimat: sed si quid mœstum aut grave ingruerit, vultu regalis constantiæ gestuque dissimula, et molestas (quas Deus avertat) causas, naturali morum tuorum virtute patienter tolera, fiduciam et spem firmam habens in Deo salvatore nostro, quoniam ipsi cura est de te, qui numquam derelinquit sperantes in se: et quanto nunc animum tuum sollicitudinibus verberari sinit acerbius, tanto eum ex vicina et potenti virtute consolationis suæ lætificat uberius. Age ergo, ut omnibus quæ regnum fert et imperium, tanto te excellentiorem ostendas, quanto ea omnia mutari cognoscis. Deus autem omnipotens, qui est mœstorum consolatio, infirmantium fortitudo, præsentem* B *vobis lætitiam cito conferat, et veram æternamque gloriam supernæ felicitatis tribuat.*

S. Bernardus epist. 110. Gaufridi parentes mœstos ob filii in Claravallem ingressum ita consolatur: *Quotquot sumus in Claravalle, vel de Claravalle, ipsum in fratrem, vos in parentes suscipimus. At fortassis metuitis corpori eius vitæ asperitatem, quod nimirum tenerum nostis esse ac delicatum. Cæterum de huiusmodi timore dicitur: Ibi trepidaverunt timore ubi non erat timor. Confidite, consolamini: ego ero illi in patrem, et ipse mihi erit in filium, quousque de manibus meis excipiat eum pater misericordiarum, et Deus totius consolationis. Nolite ergo lugere, nolite flere, quia Gaufridus vester festinat ad gaudium, non ad luctum. Ego ero illi pater, ego et mater, ego frater et soror. Ego faciam ei prava in directa, et aspera in vias planas. Ego ei omnia sic temperabo et dispensabo, ut et spiritus proficiat, et corpus non deficiat. Denique serviet Domino in lætitia et exsultatione, et cantabit in viis* C *Domini, quoniam magna est gloria Domini.*

VOX CLAMANTIS.) Supple, erit, vel audietur in deserto. Iam S. Thom. Hugo. Toletus et Iansen. pergunt hæc ad litteram referre ad reditum e captivitate Babylonica, q. d. Videor mihi Cyri præconem audire; Liberos vos, o Hebræi, facit Cyrus: alacres in patriam redite: vosque, o gentes, per quas transituri sunt, complanate eis vias, et colles vallesque implete, id est, facilem et commodum eis transitum præbete. Est catachresis. Similis in hac eadem materia est Baruch 5. v. 7. Alii vero referunt hoc ad solutam captivitatem generis humani e potestate diaboli per Christum cuius illa fuit typus. Vers 3.

Verum dico hæc de Ioanne Baptista præcursore Christi, eique viam præparante in deserto intelligenda esse; fateor tamen alludi ad reditum e Babylone. Id ita esse docet ipse S. Ioannes, qui rogatus: *Tu quis es?* respondit. *Ego vox clamantis in deserto, etc. sicut dixit Isaias propheta.* Ei enim proprie convenit illa concio: *Parate viam Domini etc.* Denique ita de S. Ioanne narrant et explicant D hunc locum omnes Evangelistæ totaque Ecclesia, ut patet Matth. 3. 5. Marc. 1. 3. Luc. 3. 4. Ioan. 1. 23. Ita Forer. Adamus et alii. Idque magis patebit ex cap. sequent. ubi clare agit de Christo et vocatione Gentium. Hinc S. Ioannes a Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 11. vocatur *vociferator in solitudine, et præparator viarum Dominicarum, per denuntiationem et laudationem pœnitentiæ.*

Nota primo: Hæc *vox clamantis* sive vocantis pertinet ad mandatum illud v. 1. *Consolamini, et advocate eam.* Hic enim est eius exsecutio: aut potius indicium, q. d. Si quæras: Unde scis, o Isaia, consolationem hanc Ecclesiæ et nobis obventuram, Deum nobis reconciliaturn remissurum peccata, ac redditurum duplicia? Respondeo, inquit, id scio ex eo quia video et audio vocem Ioannis Baptistæ advocantis eam, et clamantis ut se paret ad hanc consolationem, remissionem et gratiam, quam ei affert adventans Christus, qui reconciliaturus est mundum Deo, Deumque sua obedientia et morte placaturus.

S. Ioannes Baptista fuit vox clamantis ob novem causas.

Nota secundo: Ioannes fuit vox clamantis, scilicet Dei, et Verbi divini: Deus enim clamabat per eos et vocem Ioannis, sicut rex clamat per suum præconem. Ita S. Amb. Theoph. et alii in Lucæ 3. Potest ex Hebræo quoque verti, *vox clamans*: utrumque enim fuit Ioannes.

Nota tertio: S. Ioannes fuit vox, primo, quia sicut per
1. vocem verbum in mente latens aliis manifestamus: sic Pater æternus per Ioannem Verbum suum, scilicet Filium latentem in carne, mundo patefecit. Ita S. Augustinus
2. serm. 20. de Sanctis. Secundo, sicut vox loquentis antevertit conceptum et intellectum audientis: sic Ioannes prædicatione sua præcessit Christi notitiam et fidem in mentibus Iudæorum, eamque eis ingeneravit. Ita S. Grego-
3. rius hom. 20. in Evang. Tertio, vox præcedit quidem verbum et conceptum audientis, sequitur tamen verbum quod præcessit in mente loquentis: per vocem enim suum verbum et conceptum loquens revelat audienti: sic Ioannes præcessit Verbum et notitiam Dei in mentibus auditorum; hoc tamen Dei Verbum præcessit Ioannem, quia fuit ab æterno. Ita S. Ambros. in Lucæ 3. v. 4. ubi et addit: *Quia*, ait, *Ioannes vox erat, idcirco in eius nativitate pa-*
4 *ter mutus vocem recuperavit.* Quarto aliam analogiam affert Epiphan. hær. 69. qui per vocem hic imperfectam et inarticulatam accipit, qualem præcones in turba edere solent, dicendo, v. g. *sus*, *sus*, cum silentium indicunt: quia princeps locuturus est: sic enim Ioannes præco fuit attentionem populo indicens, ut Christi doctrinam exciperet, cuius collatione prædicatio Ioannis imperfecta et
5 quasi inarticulata fuit. Quinto, dicitur Ioannes vox, quia ex se nihil dicebat; sed tantum ea, quæ audierat a Deo.
6. Sexto, sicut vox præcedit verbum, voce enim formatur verbum: ita Ioannes Christum: *Præibit*, inquit Zacharias,
7 *ante faciem Domini parare vias eius.* Septimo, dicitur vox, quia eius officium erat non scribere sua oracula, uti fecit Isaias, aliique Prophetæ, qui proinde fuerunt et vox et calamus scribæ velociter scribentis; sed viva voce con-
8. cionari, et Christum ostendere. Octavo, quia quidquid erat in Ioanne, vox erat, totus pœnitentiam et sanctitatem prædicabat. Oculi, manus, vestis, cibus, quidquid denique in eo erat clamabat: *Pœnitentiam agit, parate viam Domini: appropinquavit enim regnum cælorum.* Sic vulgo dicimus: *Philomela est tota vox*, quia non aliud facit quam canere. Unde a Syris vocatur *Spharcolo*, id est, avis vocis, hoc est avis vocalis, ipsaque quasi vox. Talis vox sit concionator, et erit *malleus conterens petras.* De-
9. nique Ioannes fuit vox non exilis et mussitans, sed clamans; quia mira audacia, constantia, toto spiritu, et vocis contentione, publice prædicavit, et contra principum et populi vitia vociferatus est. Erant enim tunc mores hominum corruptissimi, qui magna voce terrefaciendi et percellendi erant.

Rursum clamore hoc suo significabat Evangelii prædicationem longe audiendam, lateque dilatandam, iuxta illud Psalm. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Pulchre S. Basilius in Psalm. 28. attributa quæ Psaltes voci magnæ, id est, tonitruo, dat dicens: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, vox Domini concutientis desertum Cades, vox Domini præparantis cervos, etc.* mystice explicat de voce S. Ioannis efficacissima. Denique S. Ambr. ser. 9. *Etiam hodie*, ait, *clamat Ioannes exemplo et verbo, et vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum.*

S. Ioannis elogia.

Quarto, Ioannes fuit vox triplex: scilicet vox, primo, Christum venturum prænuntians; secundo, Christum natum demonstrans; tertio, ad pœnitentiam incitans, itaque ad Christum præparans. Hinc in Script. Ioannes tria habet epitheta, scilicet, *Vox*, *Angelus*, *lucerna*, sive *Prædicans*, *Propheta*, *Plusquam Propheta*. Fuit enim Ioannes vox prædicans pœnitentiam. Fuit angelus et Propheta prædicans et annuntians instantem Christi gratiam. Fuit lucerna, et plusquam Propheta Christum præsentem demonstrans. Vide Franc. Toletum in c. 3. Luc. notat. 16.

Denique audi D. Petrum Chrysol. ser. 127. *Ioannes*, A ait, *virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina. Ioannes maior homine, par angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præco iudicis, præcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis.*

Porro Ioannes adeo totus fuit vox, ut antequam nasceretur, locutus sit in utero, non loquela, sed saltu linguæ et totius corporis, quo adoravit et prædicavit Christum præsentem in utero B. Virginis recens incarnatum, eumdemque annuntiavit matri, quæ proinde repleta Spiritu sancto agnovit eumdem; ideoque B. Virginem vocavit matrem Domini, puta Dei, Lucæ 1. 44. Rursum hæc vox carcere claudi et silere nequivit. Nam in carcere locutus est Ioannes discipulis, eosque transmisit ad Christum, Matth. 11. 2. Quin et moriens locutus est, non voce, sed sanguine perhibens testimonium castitati æque ac Christo. Quare sanguis eius etiamnum clamat, non ut Abelis vin-B dictam, sed ut Christi misericordiam et sanctitatem.

Tropol. S. Ioannes fuit vox omnium virtutum. Pœnitentiæ, dicens: *Pœnitentiam agite*. Confessionis, quia *confessus est, et non negavit*, se non esse Christum, sed vocem Christi indicem. Humilitatis, quia dixit se non esse dignum solvere calceamentorum Christi corrigiam. Fidei, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Castigationis peccatorum, intonans: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* Lucæ 3. 7. Iustitiæ, dicens militibus: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: et contenti estote stipendiis vestris*, ibidem v. 14. Castitatis, dicens Herodi regi adultero: *Non licet tibi habere eam*, scilicet Herodiadem, utpote fratris tui uxorem, Matth. 14. 4. atque ob hanc vocem Martyr occubuit. Laudis et doxologiæ, quando patrem Zachariam nascens commovit ad canendum: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ*: et B. Virginem, per matrem salutando ma-C trem Domini, commovit ad canendum: *Magnificat anima mea Dominum. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Lucæ 1. v. 46. et 68. Discant a Ioanne viri sancti ut toti sint voces virtutum, vocesque et tubæ Dei gloriam celebrantes.

In deserto.) Iansenius et aliqui hæc verba referunt non ad *vox*, sed ad *parate*. Nam quod, inquit, priori hemistichio dicit Propheta: *In deserto parate viam Domini*: posteriori iterat, et explicat dum subdit: *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.*

Verum omnes Evangelistarum codices, pariter et Isaiæ, hæc ita dispungunt, ut τὸ *in deserto* coniungant cum *vox clamantis*. Fuit enim Ioannes eremicola, et vox clamans in deserto: neque Ioannes clamabat ut in deserto pararent viam Domino: non enim volebat Iudæam vacuare suis incolis, eosque facere eremitas; sed ad eum in deserto degentem et clamantem exibant e vicis et urbibus Iudæi, ut viderent et audirent. Unde S. Hieron. ad Therasiam scribens tom. 9. *Elegit*, ait, *locum, non ubi eum nullus* D *audiat, sed ad quem populos de naturæ corruptæ conversatione reducat. Locus ergo ipse forma doctrinæ est, et ipsa solitudo prædicatio est virtutum: operatur habitatio, dum urbium frequentiam sollicitus relinquit auditor.* Reipsa ergo dicebat, imo clamabat Ioannes de seipso.

Vilescunt mitræ, et mundi fallacis honores.
Sola mihi deserta placent, gravis orbis et urbes.
O beata solitudo, o sola beatitudo, Angelorum socia et æmula!

Nota: Viri præcellentes et contemplativi ambierunt semper loca deserta. Est enim desertum velut schola paradisi. Unde Deus dicebat Osee c. 2. *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Hinc S. Antonius, Hilarion, Hieronymus, aliique innumeri, urbibus relictis solitudinem coluerunt, ubi a convictu et turbis hominum, mundique illecebris et periculis liberi, studiis et orationibus vacabant, et charitate ardentes, et desiderio flagrantes ad cælum aspirabant. Quocirca S. Augustinus

epist.76. non veretur dicere: *Non erit bonus clericus qui non fuit bonus monachus.* Ita, ut alios taceam, S. Gregorius Nazianz. serm. in S. Luminaria Epiphan. *Non possum*, ait, *cohibere lætitiæ voluptatem; sed mente extollor, et propriæ pusillitatis oblitus, officium magni Ioannis, imo potius famulatum subire contendo vel gestio: et licet non sim præcursor, de eremo tamen venio*, puta de solitudine Ponti, in quam cum S. Basilio cælestis vitæ desiderio concesserat. Vide dicta Thren. 3. 28. et Ieremiæ 9. 2. Errant ergo nostri desertores Novantes, monachorum et Anachoretarum hostes, qui desertum hoc Ioannis cultum et habitatum fuisse volunt, quasi in domo paterna, quæ in montanis erat, habitarit Ioannes. Ita nimirum isti fidei reformatores molles et delicati, Ioannis desertum in urbem, vestem e pilis caprarum et cilicinam in undulatam (vulgo *camelot*), locustas in cancros marinos transformant. Verum longe aliter docet Isaias, qui desertum hoc explicat per solitudinem, et Evangelistæ, qui eum habitasse docent in locis Iudææ desertis, et Ecclesia, quæ canit:

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.

Et Patres omnes, quos vide apud Canisium libro de Corrupt. verbi Dei c. 2.

Tradit Cedrenus et Nicephorus lib. 1. c. 14. Ioannem cum sesquiannum ageret, a matre ductum esse in desertum, ut Herodis, ut videtur, persecutionem effugeret. Addit Cedrenus Ioannem delituisse in spelunca, ibique matrem eius obiisse, Angelum autem Ioannis parvuli curam suscepisse. Hæc spelunca postmodum ab eremitis culta fuit, ut patet ex Sophron. in Prato spirituali cap. 1.

Cur Ioan. ivit in desertum? Resp. I. Porro causa cur Ioannes in eremum secesserit, fuit, ut instar Mosis et Eliæ Christi spiritum et virtutem æmularetur, scilicet, ut in hoc a mundo mundique vitiis secessu sanctitatis puritatem et nomen sibi pararet, cui proinde Christum ostendenti merito omnes fidem haberent. Hinc Patres passim Ioannem vocant principem monachorum et Eremitarum. Ita S. Chrysost. Theophyl. et Euthym. in Matth. 3. v. 5. Hieron. Epist. 22. ad Eustoch. Cassian. collat 18. c. 6.

II. Altera causa fuit, ut significaretur, Evangelium non prædicandum in Iudæa et Ierusalem; sed in solitudine Ecclesiæ, et deserta Gentium multitudine. Quocirca fuit hoc Ioannis desertum Iudææ iuxta Iordanem celeberrimum, tum copia aquarum, tum habitatione et miraculis Prophetarum iuxta Ænnon et Salim, Ioan. 3. 23.

III. Tertia causa fuit, ut significaret Ioannes sui ævi et mundi mores corruptos, seque in hoc mundo non quasi in urbe inter homines, sed quasi in deserto inter feras et serpentes versari. Unde ait: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Matth. 3. 7.

Ita Diogenes Cynicus media luce in foro lucernam gestans, dicebat se homines quærere: quoniam eos quos videbat, non homines, sed bestias et pecora esse censebat.

Pannu Hebræum tripliciter exponitur. PARATE VIAM DOMINI.) Pro *parate* hebraice est פנו *pannu*, quod primo, Forer. vert, *date faciem*, hoc est speciem viæ Domini: scilicet, curate ne quid via hæc habeat sordium inæqualitatis, asperitatis aut indecentiæ, sed nitida sit, decora et speciosa. Radix enim Hebr. פנים *panim* significat faciem, unde verbum *pana* significat aspicere, faciem obvertere. Secundo. Vatabl. et Forer. dicunt verbum hoc esse contrariæ significationis: *pana* enim in Cal significare faciem obvertere, *pinna* in Piel significare a facie amovere, expurgare. Unde ipsi vertunt: *Repurgate viam Domini*, scilicet a luto et sordibus. Posset tertio, apte ad sequentia, *pannu* verti, *angulate*, id est, ad angulum, hoc est perpendiculum, æquate, id est, exacte complanate, viam Domini, פנה *pinna* enim significat angulum. Unde idem inculcans et explicans subdit: *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*, q. d. En Christus vester mox venturus est, ut quasi rex inauguretur; ei ergo vias complanate, hoc est, omnia impedimenta amovete, quæ

A eum offendere, vel dedecere possint, errores scilicet, vitia et peccata tollite, atque efficite ut expedite recipiatur ac cupide, corda vestra ad fidem eius, et gratiam, omnemque sanctitatem studiose præparando. Idem ergo est: *Parate viam Domini*, quod, *pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum;* hæc enim fuit vox et concio S. Ioannis, ut patet Matth. 3.

Maldon. et alii, qui putant hic agi de reditu e Babylone, censent alludi ad egressum Hebræorum ex Ægypto, quibus aperta a Deo in mari rubro, et in deserto fuit via, q. d. Parabitur via captivo populo Babylone redeunti, non aliter quam eidem cum in terram promissam ingressus est, Deus viam per mare, et per desertum paravit et patefecit.

IN SOLITUDINE.) Forerius hæc verba refert non ad *rectas facite*, sed ad *vox clamantis*: hoc enim hic ipse repetit, q. d. Vox clamantis in deserto, et in solitudine. Verum hæc repetitio, in tot verborum traiectione dura est. Secundo, Vatablus *solitudinem*, ait, vocat animum sterilem et incultum verbo Dei. Hoc symbolicum est et mysticum. Tertio, et planissime, q. d. Existis ad me in solitudinem: hic ergo me vos cohortante mores corrigite, et præparate viam Christo. Ad hoc ipsa solitudo invitat, ut semoti a turba, verbo Dei et saluti vestræ vacetis. Ita S. Hieron.

B

OMNIS VALLIS EXALTABITUR.) Est enallage modi: hæc Vers. 4.
enim futura per Imperativum exponenda sunt: *exaltabitur*, id est, exaltetur, *humiliabitur*, id est, humilietur; *erunt*, id est sint. Explicat enim modum rectam faciendi, sive complanandi viam Domini, si videlicet valles impleantur et attollantur, montes et colles deiiciantur et deprimantur: *prava*, id est, obliquæ, anfractuosæ et distortæ viæ, sive ambages, *fiant directæ*: *et aspera*, id est, clivosæ et inæquales, fiant planæ et æquales, q. d. Tollite e mentibus vestris omne quod pravum, distortum, inæquale, altum nimis, vel depressum est: v. g. qui superbiæ montem in corde gerit, tumorem hunc deprimat; qui vallem pusillanimitatis et acediæ in se continet, eam impleat, elevet et adæquet per magnanimitatem et fiduciam in Deum; qui asperis est moribus, ad suavitatem et modestiam se componat. Rursum, ut ait Tertullianus lib. 5. contra Marcion. *Christus colles æquabit vallibus, et obliqua diriget in rectitudines et campos: quia omnes legis difficultates in Evangelii facilitates et æquitates convertet.* Atque hæc est causa cur futuro usus sit, non optativo, dicens, *Implebitur*, non, Impleatur. Ita Cyrillus.

C

ET REVELABITUR GLORIA DOMINI.) *Et*, id est, *nam:* Vers. 5.
hoc enim sæpe significat Hebræum *vau:* dat enim causam cur paranda sit via.

Gloria Domini est Verbum caro factum. GLORIA.) Hoc est gloriosa Christi humanitas, et latens in ea deitas, oculis omnium patebit, annuntians omnibus gloriosum Evangelium, ac per illud viam ad gloriam æternam demonstrans, et prædicans regnum cælorum. Hæc enim omnia sunt gloria Domini. Olim nebula, seu fumus, e cuius medio emicabat ignis, et audiebatur terrifica vox Domini, dicebatur *gloria Domini*, Exodi 19. v. 9. et 16.

D Nunc vero in lege nova Deus homo factus, mundum Patri reconcilians, ubique docens, et miracula faciens, dicitur *gloria Domini*, toti mundo revelata.

ET VIDERIT (id est, videre et experiri poterit) OMNIS CARO PARITER QUOD OS DOMINI LOCUTUM EST.) q. d. Videbit tunc omnis homo reipsa præstari et impleri, quod nunc Dominus per me aliosque Prophetas de Christo salvatore promittit. Unde S. Lucas c. 3. 6. clare explicat dicens: *Videbit omnis caro salutare Dei*, id est, salvatorem Christum, q. d. Omnes videbunt promissiones tam magnificas de Christo a Prophetis factas, fuisse promissiones Dei, et intelligent Deum fuisse qui illa promittebat, cum veritatem promissorum, videlicet Deum ipsum in carne oculis suis conspicient. Hæc ergo salus seu salvator est illa gloria Dei, quam revelandam fore asserunt.

VOX DICENTIS, q. d. Ego Isaias audio vocem mihi inte- Vers. 6.
rius dicentem et suggerentem, CLAMA: ET DIXI, hoc est, respondi: QUID CLAMABO? Cui vox, Clama, OMNIS CARO

FŒNUM.) Quorsum hoc clamare iubetur Isaias? quid hoc ad præcedentia facit? Primo, Sanchez, et alii qui putant hic agi de reditu e Babylone, exponunt, q. d. Ne consolatio hæc reditus vestri vobis, o Iudæi, videatur impossibilis, ob potentiam Chaldæorum, qui vos detinent, suntque rerum domini: quia hæc potentia eorum, licet videatur esse in summo, tamen carnea est, et similis flori vernanti, qui mox æstuante sole marcescit, arescit et defluit, fitque fœnum, quia spiritus, id est, ira et furor Domini instar venti urentis afflavit et exsufflavit illum.

Secundo, Forer. hæc refert ad cessationem iudaismi et legalium cæremoniarum, quas Apostolus Hebr. 9. 10. vocat *iustitias carnis*, quia carnem purificabant et iustificabant, non animam, q. d. Iudæi, ut ait Apostolus, in carne gloriantur, putantque circumcisionem, aliasque suas purificationes et cæremonias carnales esse solidas, foreque æternas, et ex illis sperant iustitiam et salutem. Volo ergo, o Isaia, ut Iudæis carnalibus prædices, omnes illas, cum caro sint, et spiritu careant, esse instar graminis vel fœni, terrenas et evanidas, ac proinde mox fore desiccandas et abolendas.

Tertio, et genuine præscribit hic Isaias modum parandi viam Domino, docetque eum esse humilitatem; nimirum ut cogitent homines et æstiment se esse carnem, omnem autem carnem esse fœnum, et carnis gloriam esse instar floris fœni. Hæc enim humilis meditatio omnia alta, prava et aspera complanat in anima nostra, omnia vitia tollit, omnes virtutes inserit, omnemque Dei gratiam ad se allicit: *Dum enim*, ut recte ait Sanchez, *humilis in se omnia videt, aut videre se putat, vacua atque profunda, id efficit ut Deus, qui ut in naturalium, sic etiam in spiritualium rerum universo nihil patitur esse vacuum, id compleat, quod vacuum in se deprehendit submissa cogitatio.* Et sicut, ut experientia docet quotidiana, nihil est in humili, in quod homines incurrant, impingant et offendant: sic in humili nihil est, quod Deum ab hospitio deterreat, quo fit ut Deus in eo suam domum et templum sibi constituat.

Rursum iubetur Isaias clamare: *Omnis caro fœnum*: ut homines intelligant quantum se propter eos demiserit et exinanierit Dei Verbum, quamque immensa fuerit divina bonitas, qua Christum suum voluit descendere ad homines tam infirmos et fragiles, ut sint instar herbæ et floris qui statim marcescit. Simul ut homines cognoscant se ad hanc Christi gratiam et gloriam immortalem non naturæ viribus, sed dono Dei pervenire, si videlicet cum fœno, id est cum carne Verbi, quod manet in æternum, iungantur. Ita Theodor. Procop. S. Hieron. et alii.

Vide hic ergo, Verbum dum caro factum est, factum est fœnum: quia omnis caro est fœnum, ideoque ut hoc adumbraret, voluit poni in præsepio et fœno, et, ut canit Ecclesia:

Præsepe non abhorruit,
Fœno iacere pertulit.

Quia, ut ait S. Bern. serm. 35. in Cant. homo per peccatum similis factus erat iumentis: *Cognosce* ergo, inquit, *pecus quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, quem fugiebas in paradiso. Honora præsepium, cuius contempsisti imperium. Comede fœnum, quem panem angelicum fastidisti.* Ad Christum enim hæc pertinere patet ex præcedentibus. Illi enim iussit parari viam prædicando pœnitentiam, ad quam incitat cogitare, quod omnis caro sit fœnum, et flos qui spiritu Domini, id est, vento urente sufflante, mox marcescit et exarescit.

Porro fœnum vocat non demessum et siccum, sed vivum, et in prato germinans: hoc enim hebr. vocatur חציר *chatsir*, et hoc mox sole urente arescit præsertim cum demetitur. Hoc est quod ait Psaltes Psal. 89. *Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret et arescat.* Vide sequentia. Et Psal. 101. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut fœnum arui.*

Moral de vilitate carnis et hominis. Moraliter hic Nota vilitatem carnis et hominis, qui similis est fœno, vel gramini, et flori mox evanescenti. Pulchre pieque S. Hieron. *Revera si quis fragilitatem carnis respiciat, et quod horarum momentis crescimus atque decrescimus, nec in eodem statu manemus, ipsumque quod loquimur, dictamus et scribimus, de vitæ nostræ parte prætervolat; non dubitabit carnem fœnum dicere, et gloriam eius quasi florem fœni.* Id probat inductione: *Qui dudum infans subito puer, qui puer repente iuvenis, et usque ad senectutem per spatia mutatur incerta: et ante se senem intelligit, quam iuvenem non esse se miretur. Pulchra mulier quæ post se adolescentulorum trahebat greges, arata fronte contrahitur; et quæ prius amori, postea fastidio est.* Vere Poeta:

Carpe novos flores, dum flos novus et nova pubes;
Et memor esto ævum sic properare tuum.

Vere homini dicitur: *Tamquam podii folium es, quod mane candidum, meridie purpureum, vespere cæruleum aspicitur.* Filius Adæ est instar pomi Adæ, ut Itali vocant, quod exterius grande est et speciosum, interius vile et insipidum. Et S. August. in illud Psal. 102. *Tamquam flos agri sic efflorebit: Totus,* ait, *splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, typhi, minæ, tumores flos fœni est. Floret illa domus, et magna domus, floret illa familia, et quam multis floret, aut quam multis annis vivunt? multi anni tibi, breve tempus Deo. In comparatione longorum et longe viventium sæculorum, omnis flos cuiuscumque domus, sic est quomodo flos agri, vix est annua omnis pulchritudo anni. Quidquid ibi viget, quidquid ibi cantet, quidquid ibi pulchrum est, non perennat, imo per totum annum duci non potest.* Subdit deinde: *Quam exiguo tempore transeunt flores, et hoc est pulchrum in herbis. Hoc quod valde pulchrum est cito cadit. Quia ergo Pater cognovit figmentum nostrum, quia fœnum sumus, et ad tempus florere possumus; misit nobis Verbum suum, et Verbum suum quod manet in æternum; fœno quod non manet in æternum, fratrem fecit. Noli mirari quia particeps eris æternitatis illius: factus est ille prior particeps fœni tui. Quanta ergo spes fœni, quando Verbum caro factum est! Illud quod manet in æternum, non est dedignatum assumere fœnum, ne de se desperaret fœnum.*

Et S. Gregor. 11. Moral. 26. in illud Iob 14. *Qui quasi flos egreditur: Quid sunt,* ait, *nati homines in mundo nisi quidam flores in campo? Ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne flos in fœno est: unde bene per Psalmistam dicitur: Homo sicut fœnum dies eius, et sicut flos agri sic efflorebit. Isaias quoque ait: Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius sicut flos agri.* Causam subdit: *Homo enim more floris procedit ex occulto, et subito apparet in publico, qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas ostendit: sed ariditas pulveris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus qui non eramus, quasi flos arescimus qui temporaliter apparebamus.* Simili modo de flore et fœno pie philosophantur Clemens Alex. l. 2. Pædag. c. 10. et eius discipulus Origen. hom. 1. in Psal. 36. et S. Basil. hom. 5. Hexam. et ex eo S. Ambros. lib. 3. Hexam. c. 7. quorum verba colligit et recitat Delrio adagio 765. Hac de causa S. Iacob. in epist. c. 4. 15. *Quæ est enim,* ait, *vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur;* et David Psal. 101. *Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut fœnum arui.* Verum est illud: *Homo bulla, vita fabula.* Homerus vitam hominis comparat caducis arborum foliis: Pindarus vocavit hominem *umbræ somnium:* Æschylus vitam hominis comparavit non fumo, sed umbræ fumi, qua nihil inanius est et fugacius.

Sentiunt hoc, sed sero, damnati in inferno: *Quid nobis,* inquiunt, *profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, et tamquam nuntius percurrens, et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius, cum præterierit, non est vestigium invenire; aut tamquam avis quæ transvolat in aere, cuius nullum invenitur argumentum itineris; aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, etc.* Quam sapit, qui hoc sapit dum hic vivit! Quid, o miser, ambis gratiam hominis cras morituri? fœnum es, et fœnum ambis. Quid speciosam mulierem concupi-

scis? fœnum concupiscis. Cogita: *omnis caro fœnum.* Quid in mensa carnibus pullorum inhias? fœno inhias, fœnum ut bos comedis: *Omnis*, enim *caro fœnum.* Quid tuam carnem et cutem tam laute foves? fœnum foves, imo cinerem fœni. *Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem* mox *reverteris.* O si hodie plures haberemus Isaias, qui per compita, fora et pulpita stentorea voce et spiritu inclamarent mortalibus: *Omnis caro fœnum*: *filii hominum, ut quid diligitis vanitatem?* ut quid carni concupiscentias suas tribuitis? fœnum accumulatis, sed fœnum in igne æterno semper arsurum. An non merito Democritus semper ridebat, Heraclitus perpetuo flebat et plangebat vanitatem et stultitiam hominum, qui caducis hisce voluptatibus et pompis capti futuras et æternas negligunt et amittunt? *Omnis caro fœnum*, ergo et Principes, et Reges, et Imperatores, et Episcopi, et Cardinales, et Pontifices fœnum sunt. Hoc est quod Pontifici dum inauguratur, stupa accensa et flamma eius mox evanescente, acclamatur: *Beatissime Pater, sic transit gloria mundi, hominem te esse memento.* Brevi morieris tu, et omnis gloria tecum. Præclare S. Hieron. in Epitaphio Nepotiani in flore ætatis abrepti: *O miserabilis*, ait, *humana conditio, et sine Christo vanum omne, quod vivimus. Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos fœni. Ubi nunc decora illa facies? ubi totius corporis dignitas, qua velut pulchro indumento pulchritudo animæ vestiebatur? Marcescebat proh dolor! flante Austro, lilium, et purpura violæ in pallorem sensim migrabat.* Et inferius: *Debemus ergo et nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, et quod, velimus nolimus, longius abesse non potest. Non si nongentos vitæ excederemus annos, et Mathusalem nobis tempora donarentur; tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desisset. Etenim inter eum, qui decem vixit annos, et eum qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, et irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est; nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur?* Denique Poeta leoninus plane, sed vere:

Dic, homo, vas cinerum, quid confert flos facierum?
Copia quid rerum? Mors ultima meta dierum.
Flores? marcesces. Audis? surdesces.

Vers. 8. VERBUM DOMINI NOSTRI MANET IN ÆTERNUM.) Verbum hoc est illud quod, ut dixit v. 5. *os Domini locutum est*, quodque promisit: est scilicet Christus, Christique Evangelium, de quo S. Petrus hunc locum citans ait: *Hoc est verbum quod evangelizatum est in vos.* Hoc est quod aliis verbis dicit David Ps. 118. 96. *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.* Hoc est verbum de quo dixit Isaias c. 2. v. 3. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.*

Vers. 9. SUPER MONTEM EXCELSUM ASCENDE TU, QUI EVANGELIZAS SION.) Ita Romana. *Sion*, id est Sioni hoc est Ecclesiæ: nam Sion terrena erat in excelso monte, nec eo erat excelsior, in quo præco ascendere posset. Hebræa vero habent: *Super montem excelsum ascende, evangelizatrix Sion*, quo iubetur Sion, id est Ecclesia suis fidelibus evangelizare id quod sequitur: *Ecce Deus vester, etc.* Sed idem utriusque sententiæ est sensus. Nec enim Ecclesia per se evangelizat, sed per suos Apostolos et prædicatores: nec hi alteri quam Ecclesiæ, id est fidelibus evangelizant. Prædicator ergo evangelizat Sioni, id est fidelibus in Ecclesia. Adde, Hebræum מבשרת *mebasseret*, id est evangelizatrix, accipi posse pro masculino מבשר *mebasser*, id est evangelizator. Solent enim Hebræi ob pulchritudinem eloquii uti genere fœminino, q. d. Pulcherrimus et gratiosissimus erit hic Evangelista. Sic Ecclesiastes hebraice fœminine vocatur קהלת *cohelet*, id est concionatrix, hoc est concionator elegantissimus Eccles. I. 1. Porro τὸ *super montem ascende, exalta in fortitudine vocem tuam, noli timere*, per catachresin tantum significant, et iubent, ut præcones Christum, Christique Evangelium summa alacritate, et animi contentione, totisque viribus, et intrepide denuntient, q. d. Age, o Ioannes Baptista, vosque Apostoli Christi præcursores, publice, fortiter et animose prædicate Deum ante tot sæcula promis-

A sum, iam incarnatum advenire ut vos salvet.

Secundo, Leo Castrius ex S. Ambros. lib. 8. in Lucam c. 17. *Mons*, ait, *tuus est Paulus, mons Petrus, mons alii Apostoli; super illorum fidem mentis tuæ locato vestigium, et virtutibus in montis altitudinem cresce, ut mons Dei sanctus sit, et e terra in cælum te attollas, ut inde conspicuus omnibus gentibus, locis, temporibus clames, vocesque omnes ad Christum et salutem.* Verum hic sensus mysticus est.

Moral. recte ex hoc loco concludit Forerius: *Qui*, ait, *perfunctorie, aut molliter, aut trepide Evangelium prædicant, adhuc quæ sit dignitas Evangelii ignorant. Qui etiam aliud quam fructum Evangelii in prædicatione quærunt, adhuc quantum sit lucrum et quantæ dignitatis Christum annuntiare, non intelligunt. Deum legitimi prædicatores Evangelii deferunt, Deum offerunt, Deum dant. Quid huic dignitati potest conferri?* Concionator qualis esse debeat.

Mystice S. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum docet, prædicatores cum Christo debere scandere in
B montem, id est, desideriis animi, et conversatione sancta ad sublimia tendere, et virtutum conscendere montem.

DIC CIVITATIBUS IUDA.) Dic particularibus Ecclesiis: hinc ergo patet eas ab una primaria, puta Romana, pendere, eique auscultare debere: sic enim civitates Iudæ pendebant a Ierusalem. Quod ergo Sion et Ierusalem fuit in Iudæa, hoc Roma est in Ecclesia.

ECCE DOMINUS DEUS IN FORTITUDINE VENIET.) Veniet Christus magnis viribus, et obfirmato animo, ut dæmones profliget, tyrannos superet, omnesque gentes suæ fidei subiiciat. Hæc enim de primo Christi adventu intelligenda sunt. Ita Cyrill. Procop. S. Thom. Lyranus. et Forer. licet S. Hier. et Haymo hæc ad secundum Christi adventum, quo dæmones omnesque impios deturbabit in tartara, referant. Hoc quoque vere et recte dicitur: tunc enim completa erit fortitudo et victoria Christi. Hinc patet contra Iudæos modernos, Messiam sive Christum proprie et vere esse Deum. In Hebræo enim vocatur non tantum *Adonai*, sed et *Iehova.* Vers. 10.

C ET BRACHIUM EIUS DOMINABITUR.) *Brachium* in Script symbolum est roboris et potentiæ. Porro brachium hoc Christi non tantum divinitatis, sed et humanitatis eius est. Hæc enim nos redemit, nostrosque hostes debellavit: hæc enim licet qua caro, sit fœnum, ut dixit v. 6. tamen, qua caro est Verbi, quod manet in æternum, Verbi fortitudinem, brachium et robur participat. Unde rursum *brachium*, id est potens eius gratia, *dominabitur*, id est dominari nos faciet nostræ libidini, aliisque passionibus et vitiis, ita ut nobis det non tantum posse bonum, sed et velle ac perficere, ait Leo Castrius.

ECCE MERCES EIUS CUM EO.) Triplex hic est sensus. Primus, q. d. Christus semper præ oculis habebit mercedem sibi a Patre paratam, scilicet quod pro mercede obitæ mortis suique laboris habebit dominium in omnes gentes, iuxta illud Ps. 2. *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ:* et Isaiæ c. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum: ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia.* Qui enim præmium et mercedem laboris coram
D oculis habent, hi gnaviter pro eo laborant et certant. Ita et Christus *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Ita Forer. Merces ergo Christi sunt fideles, quos quasi oves ei Pater pro mercede tradidit: de quibus sequitur: *Sicut pastor gregem suum pascet, etc.* Secundus, merces, id est, pretium redemptionis nostræ, est cum Christo: quia Christus non gratis, sed lytro sanguinis sui nos e captivitate diaboli, peccati et mortis redemit. Ita Sanchez. Tertius et planissimus, q. d. Christus est rex, non avarus, sed liberalis, qui in promptu habet amplam mercedem, quam suis famulis, maxime prædicatoribus, ostentat dabitque, imo ipsemet eis erit *merces magna nimis.* Sic enim duces in bello solent accendere milites proposita victoribus ampla mercede et præmio. Hoc et facit Christus.

ET OPUS ILLIUS CORAM ILLO.) Hoc opus dupliciter capi potest. Primo, proprie, q. d. Ideo Christus a Patre

amplam recipiet mercedem, quia (τὸ *et* enim est causale significans *quia*) opus nostræ redemptionis et salutis illi a Patre iniunctum, semper præ oculis habebit, illique totus intendet. Hoc est quod ipse ait Ioan. 17. 4. *Opus consummavi, quod dedisti mihi.*

Secundo, metonymice *opus* est merces operis, ut more Hebræo idem dicatur posteriori hemistichio quod priori. Sic dicitur Levit. 19. 13. *Non morabitur opus* (id est merces operis) *mercenarii tui apud te usque mane.*

Vers. 11. Sicut pastor gregem suum pascet.) Declarat Propheta τὸ *dominabitur*, q. d. Imperium Christi non erit dominatus tyrannicus, sed pastoralis, ut pastor non tam timore quam amore, magna cura et benignitate reget, imo pascet oves suas, ut non tam rex quam pastor esse videatur. Sic Homerus Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν, pastorem populorum, quod bonus rex debeat regere populum, sicut pastor oves. Et Cyrus apud Xenophontem lib. 8. asserit, quod bonus princeps similis sit bono pastori. Idem censuit Tiberius Cæsar addens, *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.* Qui secus faciunt, non pastores sunt, sed laniones et tyranni. Tales sunt hodie qui erga oves sunt leones, erga lupos agni; lupos nutriunt, oves interficiunt.

Princeps est pastor populi.

In brachio suo congregabit agnos.) Solent pastores agniculos, quos oves in campis vel montibus enixæ sunt, manibus et brachiis complecti, atque ad caulam deferre. Similem curam et amorem fidelibus exhibebit Christus. Unde Luc. 15. 5. comparat se pastori, qui ovem errantem in humeros tollit et ad ovile reducit. Hinc hac specie Romæ in antiquissimis templis et cœmeteriis depictus cernitur.

Moraliter agnus et ovis est animal innocens, mite, subiectum, humile, utile lana, lacte, carne. Tales debent esse Christiani, oves sint et agni, non hirci, non vulpes, non tauri, non ursi, non leones.

Fœtas (quæ fœtum utero gerunt, vel iam recens enixæ sunt) ipse portabit.) Suaviter ducet, ac si portaret, scilicet pedetentim eas minabit, ne fatigentur, ideoque sinet eas per intervalla quiescere, quin et pabulo vires earum recreabit, ac si opus sit, easdem in sinum aut humerum tollens portabit. Ita Vatabl. et Forer. uti fecit Iacob Gen. 33. 13. ad quem hic alludit Isaias. Vide munia boni pastoris apud Ezech. cap. 34. Sensus est, q. d. Christus summa providentia, vigilantia et suavitate, quasi pastor *agnos*, id est plebem simplicem recens in baptismo renatam, fovebit: et *fœtas*, id est Apostolos et prædicatores, qui filios Christo pariunt, sua gratia et spiritu roborabit, et fulciet, quasi pastor eos suis ulnis circumferens, aut manu leniter per ardua et adversa quæque deducens, et sustentans, ac quasi portans. Ita S. Hier. Cyrill. et Procop.

Vers. 12. Quis mensus est pugillo aquas?) Excurrit Propheta in divinæ potentiæ et sapientiæ commendationem, eo fine ut ostendat mirabile hoc incarnationis Verbi opus, omnemque Christi œconomiam circa hominum redemptionem, quod quasi pastor pascet agnos, fœtas portabit, etc. illi perfacilem fuisse, omnemque a Deo prævisam et provisam fuisse. Ipse enim totum universum facillime et sapientissime regit ac moderatur, q. d. Ne miremini mirabilia quæ dixi de gratia et consolatione Christi, de Deo homine, de Evangelio, de Gentium quasi ovium eius vocatione, et ad ipsum conversione; quia Deus, qui admirabilis est, potentissimus et sapientissimus, ista omnia faciet. Ita S. Hieron. Theodor. et Tertull. in Scorpiaco.

Nota catachresin: Deus continet orbem palmo, pugillo, tribus digitis, id est facillime; licet alii, tribus digitis, inquiunt, id est tribus suis attributis, scilicet sapientia, bonitate et potentia. Verum hoc symbolicum est et mysticum, uti et illud Paschasii l. 1. de Spiritu sancto cap. 2. qui per digitos SS. Trinitatem accipit: *Nonne*, ait, *hic in tribus digitis potentiæ unius æqualitatem sub quadam mysterii lance libravit?* Sic et Glossa: *Sunt*, inquit, *tres digiti SS. Trinitatis.* Sic quoque Christus Dominus mysterium SS. Trinitatis, per manum tres digitos continentem repræsentavit S. Annoni Archiepiscopo Coloniensi. Visionem narrat Sigebertus in eius Vita cap. 18. *Christus*, inquit, *radiantibus oculis in ora stupentis eomem se et placidum ingerens, protensis coram eo tribus sinistræ manus digitis, primum eorum dextro tetigit indice, dicens: Ecce Pater; moxque secundum: Ecce Filius; post hæc et tertium: Ecce Spiritus sanctus. Et voces intra fauces paululum cohibens: Ecce tres, ait, in una deitate similiter adorandæ personæ, quibus gloria par dicitur ab universali semper Ecclesia. Mediam inter Patrem et Spiritum sanctum personam Filius habet, nec ullam habet divisionem a duobus in ulla diminutione maiestatis eiusdem et gloriæ.*

Est hic insignis et viva hypotyposis potentiæ et maiestatis divinæ: Deus enim vastissimas et profundissimas totius Oceani aquas tam facile continet, quam facile homo paucas aquæ guttas pugillo complectitur. Totus ergo Oceanus Deo res est adeo parva, quam est aqua quam vola vel pugillo (Aquila vertit *minimo digito*) metimur et stringimus. Idem cælos palmo ponderavit. Palmus est extenta manus ab extremo pollice usque ad minimum digitum: quod si contrahas manum fit pugillus, q. d. Sicut Atlas a Poetis fingitur cælum humeris sustinere, ita vere Deus cæli mundique Atlas, imo creator, non humeris, sed palmo, id est manu sua supposita, non tantum metitur, sed et appendit, librat et quasi ponderat ingentem illam cælorum molem et vastitatem. Idem tribus digitis appendit molem terræ. Alludit ad institores qui levia pondera examinant per uncias vel drachmas in statera quam tribus digitis sustinent, et in altum suspensam tenent in æquilibrio: pari enim modo Deus totum terræ globum in medio mundi, quasi in aere pendulum tribus quasi appendit, id est, librat et sustinet: hoc enim significat Hebr. כול *col.*

Deus est Atlas mundi.

Ex hoc loco S. Greg. 2. Mor. 8. docet Deum esse in cælo sub cælo, supra cælum, infra cælum, ubique, et ultra: *Per sedem* (*cælum enim Deo sedes est*, Is. 66. 1.) inquit, *cui præsidet, intelligitur esse interius superque per pugillum quo continet, exterius subterque signatur. Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. Nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia exterior, alia interior; sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.*

Deus est in cælo, supra cælum, infra cælum, et ultra in immensum.

Molem terræ.) Hebr. *pulverem terræ*, q. d. Totam terræ molem Deus continet, velut si quis extremis digitis paululum pulveris capiat. Similiter libravit montes in pondere. *Pondus* metonymice vocat stateram, vel bilancem, qua res ponderantur. Hoc enim est Hebr. פלס *peles.* Imperite et inepte Ubiquetarii hæretici ex hoc loco probare contendunt Christi corpus, eo quod divinitati sit unitum, esse ubique, omnia implere et continere. Isaias enim non loquitur de Christi corpore, vel humanitate; sed de Deo, et divinitate. Esto enim illi sit unita humanitas Christi, manet tamen humanitas, uti in essentia, ita et in quantitate terminata, certoque loco definita et circumscripta. Alioquin enim transiret in divinitatem, et desineret esse quod est.

Tropol. montes et colles sunt dignitates et prælaturæ, quas pauci sciunt librare in pondere et statera. Unde exclamat Isaias: *Quis libravit in pondere montes, et colles in statera?* q. d. Rarus est et magnus qui eos libret. Dignitates enim plus habent oneris, quam honoris; et quantus est ascensus earum, tantus est et descensus. Si enim ascenditur ad prælationem, descenditur ad servitutem. Librat ergo animus Sancti montes in pondere, et colles in statera, qui onus in honore, et servitutem in prælatione pensat; sicque fit ut consideratio servitutis et oneris, omnem appetitum prælationis et honoris in animo eius exstinguat. Ita fecisse S. Laurentium Archiepiscopum Dublinensem, qui coævus fuit et defensor S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis et Martyris, in eoque opere vitam suam posuit, narrat Auctor vitæ eius c. 11. Exstat apud

Surium die 14. Novembr. Vere Antigonus rex ad filium regno insolescentem: *An nescis o fili*, inquit, *regnum nostrum esse splendidam servitutem?* nimirum multæ spinæ latent sub purpura, multæ curæ sub corona.

Vers. 13. Quis adiuvit spiritum Domini?) Hebr. *quis ponderavit*, id est expendit, perpendit, penetravit, *spiritum*, id est mentem et consilia Domini, ut eum ope et consilio suo in operando adiuvare possit? q. d. Nemo. Ipse enim omnia ponderat, metitur et penetrat: et, ut dicitur Prov. 16. v. 2. *Spirituum ponderator est Dominus;* ipse vero a nemine ponderari, penetrari aut comprehendi potest. Hinc Sept. et eos secutus S. Paulus Rom. 11. 34. vertunt: *Quis cognovit sensum Domini?* unde idem exclamat: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius!*

Vers. 15. Ecce Gentes quasi stilla situlæ.) S. Irenæus l. 5. 29. legit: *Ut stillicidium de cado;* S. Ambros. in Psal. 1. *Ut stillicidium de urceo.* Est occupatio, q. d. Dicet quis: Esto Deus hominum ope aut consilio non egeat: homines tamen sunt imago Dei, et quasi terreni quidam dii, ac proinde magni ab eo æstimantur, quare habent unde sibi placeant. Hoc elidit dicens: *Ecce gentes quasi stilla situlæ*, quia, ut ait S. Ambros. in Psal. 1. in fine: *Sicut terra ad cælum est instar puncti, sic omnes gentes ad multitudinem Angelorum sunt quasi stilla situlæ. Cogita ergo*, ait S. Chrysost. in c. 1. ad Ephes. ser. 3. et hom. 2. de incomprehensibili Dei natura fuse, *quanta huius stillæ, vel guttulæ pars tu sis, et quantus sis respectu Dei.* S. Athan. de unita substantia SS. Trinitatis l. 1. in fine, hic putat significari neminem a divinitate Trinitatis posse se occultare vel fugere, quia illi totus orbis est quasi gutta. Hinc et Plato et Plotinus rogati: *Quomodo Deus videre possit omnia?* respondent: *Quia tota hæc rerum machina in conspectu Dei est instar puncti.* Sic teste Clemente Alexand. l. 7. Strom. in fine Theognis dixit: *Vos, Megarenses, neque tertii estis neque quarti, neque duodecimi, nec ullo in numero aut ratione, sed ut pulvis quem proiicit ventus, et ut gutta cadi.* Vide ergo quid sint res terrenæ omnes, tuque ipse licet toti domineris orbi. *Quid est homo quod eius es memor, Domine? Quid est quod superbit homo*, ait S. Hier. *qui est quasi stilla e situla, decidua et neglecta?* imo stillæ huius pars minima, nec centies quidem millies millesima. *Quomodo si a situla modica stilla fluat, a portante negligitur: ita universa gentium multitudo, supernis ministeriis comparata et Angelorum multitudini, pro nihilo ducitur.* Hucusque S. Hieron.

Homo est stilla situlæ.

Rursum sicut stilla situlam neque gravat si maneat, nec levat si excidat: sic homines neque si pereant omnes, quidquam relinquunt vacuum, neque si in natura rerum sint, aliquid occupant aut implent si tam vastam maris orbisque amplitudinem spectes. Sic Sapient. 11. 23. totus orbis coram Deo dicitur esse *tamquam gutta roris antelucani*, quæ scilicet ante lucem descendit, et statim ortu solis et lucis siccatur, sorbetur et evanescit.

Et quasi momentum stateræ.) Sic et Sap. 11. 23. dicitur: *Tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum. Momentum*, id est, minima inclinatio, aut motus: græce enim sic est: ὡς ῥοπὴ ἐξ πλάστιγγος, hoc est sicut vergentia vel inclinatio ex lancibus libræ, quæ scilicet cum semper agitentur, semper una lanx alia magis minusve pendula inclinat sursum vel deorsum: quod veteres *momentare* dicebant. Vatabl. intelligit de ipso stateræ libramento, sive æquatoria cuspide, quæ lancem utramque ex æquo sustinet et suspendit. Et sic videtur Plutarch. in Camillo accipere ῥοπήν. Sensus est, q. d. Sicut hæc propensio lancis minima est, et minimi momenti, sic et mundus quantus quantus est, respectu Dei est minimus.

Momentum stateræ triplex.

Secundo, sicut instabilis hæc est propensio, et transiens, semperque agitatur: ita mundus hic coram Deo. Tertio, sicut hæc propensio minimo motu eius qui libram tenet tolli potest, et in aliam partem inclinari, sic et mundus totus est in manu et nutu Dei per omnia.

Recentiores, ut Vatabl. et Forer. Hebr. שחק *sciachac* vertunt, quasi levitas, vel quasi levis pulvisculus (quales sunt atomi, quos videmus volvi in radiis solis) in bilance pondus non auget, vel minuit: ita scilicet homo apud Deum nullius est pretii, nec Deo additus quidquam adauget (Deus enim solus, utpote immensus et infinitus, tantus est, tantumque efficit, quantum Deus et mundus simul iuncti et compositi) nec Deo illum creare, et per Christum recreare, reformare, et ad pondus auctorare volenti quidquam opis, consilii, ponderis aut momenti attulit.

Ecce insulæ quasi pulvis exiguus.) *Insulæ* Hebræis vocabantur regiones trans mare sitæ, etiamsi essent terra continens, uti Italia, Hispania, Græcia, etc. Pro *quasi pulvis* Septuag. vertunt: *Quasi saliva*, vel *sputum*. Hebr. enim דק *dac* significat tenue, minutum, quod tam salivæ, quam pulveri convenit. *Terra*, ait Boet. l. 2. de Consol. *est punctum puncti, scilicet mundi, qui punctum est, si cum Deo comparetur.* Forerius vertit: *Ecce insulus quasi tenue operiet* (יטול *ittol* enim a rad. טלל *talal* significat operire) q. d. Facile est Deo omnes insulas submergere, ac si illas nebula operiret. Vatabl. vero *ittol* a טיל *til*, id est proiicere, deducens vertit: *Ecce insulas quasi minutissimum pulverem proiiciet, aut transferet alio*: sicut in historiis legimus insulas quasi in mari natantes et fluitantes sæpius alio fuisse translatas. Noster vertit: *Ecce insulæ quasi pulvis qui proiicitur*, id est vilis et exiguus: scilicet, omnes sunt instar *scrupi levis aut oculos fallentis arenæ.*

Terra est punctum puncti.

Moraliter cogita, quis tu, quis Deus? ut te cognoscas et deprimas, Deum admireris et venereris. Ita Abraham: *Loquar, ait, ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Ita Moses interrogans nomen Dei audit: *Ego sum qui sum*, q. d. Ego sum, tu non es, Exodi 3. 14. Vide ibi dicta. Ita S. Franciscus noctes integras meditabatur, nec dicebat aliud quam: *Quis tu Domine, quis ego! Tu abyssus essentiæ, sapientiæ, sanctitatis, et bonorum omnium; ego abyssus nihili, ignorantiæ, peccatorum et miseriarum omnium.*

Et Libanus non sufficiet.) q. d. Tanta est Dei celsitudo et maiestas, ut omnia ligna, omne thus, omnia aromata, omnia animalia Libani, et quorumvis montium non sufficiant holocaustis, si pro dignitate ea illi offerantur. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et alii. Dicit hoc, ut Iudæos, æque ac Gentes ad Dei veri cultum et reverentiam, atque ad idolorum contemptum excitet, q. d. Dei maiestas et sanctitas immensa est; quare nullis victimis satis coli et adæquari potest, nisi unica victima infinita, scilicet qua seipsum unigenitus Filius Dei in cruce offeret. Hic ergo efficiet quod Libanus, totusque mundus facere non potuit. Adæquabit enim Dei dignitatem: erit enim Deus Deoque æqualis qui offeretur, et simul offeret semetipsum Deo in holocaustum et mundi piaculum. Vers. 16.

Et quasi nihilum.) Forerius vertit, *plusquam nihilum.* Si enim nihilum eum ente quolibet creato conferas, minus illud ab eo distat (cum utrumque sit finitum; finiti autem a finito distantia sit finita) quam distet ens quodlibet, imo totus mundus a Deo; huius enim infinita est distantia. Deus enim in infinitum entia omnia creata transcendit: ac proinde ab iis non tantum negative, sed et positive distat in infinitum: cum ens a nihilo positivam distantiam habeat finitam. Sicut enim ens est finitum, sic etiam eius oppositum, puta non ens, sive *nihil*, est finitum: est enim negatio, vel privatio entis finiti. *Nihil* ergo per se, et quasi positive est finitum; quia minus habet esse quam ens: nullum enim habet esse, estque nihil prorsus. Negative tamen *nihil* est aliquo modo infinitum quia negat omne ens, omnesque res, etiamsi illæ essent infinitæ: negat ergo infinita quæ sunt, vel esse possunt: sed positive est finitum, ac finite tantum distat ab ente creato et finito. Si autem nihilum cum Deo conferas, nil a Deo magis distare potest quam nihilum. Loquor physice; nam moraliter magis a Deo distat peccatum. Et hoc sensu est hyperbole, q. d. Omnes gentes, imo entia omnia a Deo distant summe, et in infinitum, ideoque si posset dari maior distantia quam sit nihili a Deo, magis quam nihilum distarent a Deo. Huc alludit Apostolus 1. Corinth. 1. 28. cum ait: *Elegit Deus ea quæ non sunt*, id est, quæ nullius sunt pretii, vel momenti. Vide et hic quam se demiserit

Vers. 17. Nihilum.

Verbum caro factum, quamque vere dicat Apostolus: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Homo enim est nihil, et plusquam nihil coram Deo.

Vers. 18 CUI ERGO SIMILEM FECISTIS DEUM?) Digreditur ad carpendam idololatriam Gentium (hæc enim eos a Christo et salute impediebat: idola enim erant prava et aspera in via Gentium, quæ v. 3. tolli iussit, ut paretur via Domino) quod videlicet pressi ab hostibus vel alia natione, aut rei alicuius cupiditate ducti ad eam obtinendam confugerent ad idola aurea, lignea et inanima, cum Dei opem implorare, in eumque, utpote potentissimum et benignissimum, omnem spem defigere deberent: unde concludit v. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Hic est ergo epilogus totius huius orationis, scilicet ut doceat sperandum esse in Deo, non in idolis, ac cum Gentibus ab idolorum cultu transeundum esse ad Dei cultum in Christi Evangelio propositum.

Nota: Gentes fabricando et colendo simulacra Iovis, Apollinis, Mercurii, etc. lapidea et lignea colebant idola, non Deum; dicuntur tamen Deum iis similem fecisse, quia ea adæquabant Deo, Deumque alium non colebant quam hæc simulacra, ac consequenter Deum et deitatem transferebant in simulacra, quasi Deus iis similis esset, haberetque simile corpus, imo corpus simulacri esset corpus Dei: quæ sane gravis erat iniuria Dei, quod scilicet simulacra Deo æquarent, ac consequenter Deum similem, imo æqualem facerent simulacris. Unde ex Hebræo ad verbum sic vertit Forer. *Ad quem assimilabitis Deum, et quam similitudinem æquabitis ei?* Et sic τo *similem fecistis* v. 26. explicatur per *adæquastis*. Hoc est quod ait Apost. Rom. 1. 23. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, etc.* quod explicans subdit: *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam creatori.* Vides hic similitudinem hanc vel assimilationem simulacrorum non esse aliud, quam quod cultum creatoris transtulerint in creaturas, id est, in simulacra, *et incommunicabile nomen* (Dei) *lapidibus et lignis imposuerint*, ut ait Sapiens Sap. 14. 21. Sensus ergo est, q. d. Cum omnes Gentes Deo comparatæ sint quasi gutta, imo nihilum et inane; qua temeritate, impietate ac sacrilegio vos, o Gentiles, Iovem, Iovisque idolum comparatis et æquiparatis Deo, Deumque Iovi, imo Deum facitis Iovem, et Iovem Deum? Perfide ergo hoc loco abusus est Leo Armenius Imperator iconoclasta, qui socium in scelere habuit Theodorum, quem amoto Nicephoro sede Constantinopolitana donaverat. Hic Theodorus grassabatur in sanctas imagines, cumque aliquando hæc Isaiæ verba in ecclesia recitarentur: *Cui assimilastis Dominum? num imaginem eius facit faber, aut aurifex similitudinem paravit?* accessit propius, atque Imperatori in aurem insusurravit: *Audi Prophetam, Domine, eique obtempera.* Tum vero Leo suam iconomachiam maiore insania profudit, et furere cœpit contra imaginum Deique cultores. Ita Zonaras et alii. Perfide, inquam: nam imagines Christianorum non sunt imagines, hoc est idola Gentilium, contra quas hic detonat Propheta, nec coluntur ut dii: nec a fidelibus æquantur Deo, ut Deus iniuriam sibi fieri sentiat, quod imaginibus assimiletur, comparetur et æquetur. Nemo enim fidelium tam simplex aut stolidus est, qui imagines colat ut deos, uti fecerunt Gentiles. Porro Deum has imagines etiam Dei ipsius, hic non carpere, patet ex eo, quod ipse hanc imaginem assumpserit, in eaque apparuerit, et hominibus se videndum exhibuerit; non tantum cum Verbum caro factum est, sed etiam cum Patriarchis et Prophetis sui imaginem obiecit, et venerandam proposuit, uti fecit Mosi ei apparens in corpore assumpto, Exodi 33. et 34. et Isaiæ cap. 6. v. 1. et Danieli cap. 7. v. 9. et S. Ioanni Apocal. c. 1. 13. Si Deus sui imaginem nobis exhibuit, cur eam simili imagine exprimere non liceat? dicitur enim imago quasi imitago, ab imitando; sicut εἰκών ab εἴκω, id est, assimilo, repræsento, uti ex Conc. Niceno II. docet Sanderus lib. 1. de Adorat. imag. cap. ult. §. *Leoni*. Vide Damascenum lib. 4. c. 17. et orat. de imaginibus, et Conc. Nicen. II. quod totum est pro imaginibus. Vide et dicta Exodi 20. 4. et Sap. 14. 21.

Stropha Theodori iconoclastæ.

NUMQUID SCULPTILE CONFLAVIT FABER?) *Sculptile* sumit pro conflatili, hoc enim conflat faber. Hebraice enim פסל *pesel*, quod Noster vertit *sculptile*, significat idolum, sive sculptum, sive conflatum, sive pictum, sive dolatum sit. Irridet hic idololatrarum vesaniam, q. d. Numquid non idola vestra ligna sunt, aut metalla dolata, fusa, conflata, vel sculpta a fabris, qui ad id quærunt ligna imputribilia, ne a tineis vel carie corrodantur; malleisque et clavis firmant, ne vento aliove impetu deiiciantur, auro et argento ea ornant? quomodo ergo ista comparatis Deo, deosque vestros facitis? Itane faber fabricat numina? Itane Vulcanus deos cudit? Vers. 19.

NUMQUID NON SCITIS.) Ita legunt Roman. in præsenti, non *scietis* in futuro, q. d. Numquid facile scire potestis, et audire iam inde a mundi exordio per patrum et avorum traditionem, posita esse a Deo fundamenta terræ, sive terram ipsam a Deo creatore conditam et fundatam esse? ac proinde hunc eius creatorem unum et solum esse Deum, non Iovem, non Mercurium, non simulacra, q. d. Si Deus terram, quæque in ea gignuntur metalla creavit, quis ita deliret ut Deum esse credat simulacrum ex auro vel argento sculptum aut conflatum? Vers. 21.

Nota: *Fundamenta terræ*, non sunt cardines aut fines terræ, ut voluit Cyrill. sed ipsa terra, in seipsa a Deo fundata et firmata. Nec enim alios cardines aut fulcra habet terra in aere pendula, quam quod ibi firmiter collocata sit a Deo.

QUI SEDET SUPER GYRUM (Vatabl. *globum*) TERRÆ.) q. d. Qui in cælis quasi rex orbis sedet et præsidet, despicitque totum terræ gyrum et ambitum, videtque in eo homines quasi locustas, cicadas et formicas ambulare et saltitare. Nam pro *locustis* Forer. vertit, *cicadas*. Hæ enim locustis sunt affines, tum natura, tum parvitate, tum strepero stridore. Vers. 22.

Nam cuculus cuculat, fritinnit rauca cicada.

Homo est locusta ob 12. analogias.

Nota, congrue homines comparari locustis: utrique enim exiguum, vile, molle, miserum et caducum sunt animal. Nam primo, locusta gignitur ex putredine; ita et homo. Unde S. Iob ait: *Putredini dixi, Mater mea es; et Soror mea, vermibus.* Secundo, locusta humore turget: ita *homo quid est aliud quam pituita et bilis?* Tertio, locusta est gracilis, et pedum longitudine omnia animalia pro modulo sui corporis excedit: ita et homo. Unde Eccles. cap. 12. 5. ærumnas hominis senescentis describens: *Florebit*, ait, *amygdalus, impinguabitur locusta*, id est, superveniet canities, et accedet pedum tumor, scilicet podagra. Dicitur enim locusta quod longis sit pedibus, inquit Isidorus, Lyranus et Albertus lib. 16. de Animal. ubi refutat alios, quibus dicitur locusta quasi loco stans. Pedibus ergo impinguatis et tumidis tumescit et impinguatur locusta. Quarto, locustæ, ait Albertus, omnes fœminæ sunt, uti scarabæi omnes sunt mares: ita homines fœmineos habent animos, pariter et vitia. Quinto, locustæ, quia palpebris carent, durissimis sunt oculis, imo sunt qui putant eas oculis et visu carere: hinc pariter stupidæ sunt. Unde proverbium: *Locustæ mentem habet*, id est, parum habet mentis et cerebri; quod usurpat Lucianus in Iove tragœdo: ita et homines desipiunt, et circa res divinas ac salutis duri sunt, et cæcutiunt quasi talpæ. Sexto, locustæ rege carent, et sese invicem devorant, inquit Aldrovandus libr. de Insectis exang. cap. de locusta: sic homines laborant ataxia, et se invicem perimunt: *Homo homini lupus.* Septimo, locustæ non tam proprium habent volatum, quam vento feruntur, et cum se a terra paululum elevaverint, iterum pennis deficientibus cadunt: ita homo ut efflorescit ætate et gloria, ita mox pariter cadit. Octavo, locustæ sunt innumeræ: ita et homines. Rursum, locustæ sunt maxime leves et mobiles: ita homines sunt leves et inconstantes. Unde Isidorus: *Locustæ*, ait, *sunt vagæ animæ, et salientes in sæculi voluptates.* Nono, locusta gulosum est animal omnia germina depascens: ita homo in ventrem proiectus

Margin numbers beside the paragraph above: 1. (Primo), 2 (Secundo), 3. (Tertio), 4. (Quarto), 5. (Quinto), 6. (Sexto), 7. (Septimo), 8. (Octavo), 9. (Nono)

10. est. Hinc decimo, locusta nocentissimum est animal frugibus, vastans integra regna et provincias; unde aliis *locusta* dicitur *quasi loca urens*. Adeo ut Plinius l. 11. c. 29. scribat in Cyrenaica regione legem esse ter in anno locustas debellandi: primo ova obterendo, deinde fœtum, postremo adultas, desertoris pœna lata in eum qui cessave-
11. rit: ita homo impius et aliis et sibi nocentissimus est. Undecimo, locusta quia agros corrumpit, symbolum est corruptionis humanæ. Pulchre S. Chrysost. hom. quod nemo læditur nisi a seipso: *Omne, ait, quod est in rebus, habet aliquid quo corrumpitur ac læditur: lanam tinea, ovium greges lupus, vinum aceti permutatio, dulcedinem mellis amaritudo corrumpit, lolium segetibus nocet, grando vineam lædit, virgulta et plantas locustæ vastant.*

12. Denique locustæ, ait Aristoteles, pariunt in exitu veris, et mox a partu moriuntur; vermiculis circa collum innascentibus tempore partus, qui eas strangulant: similiter brevis ævi est homo, et non raro a fœtu proprio necatur.

Ita S. Gregorius in Angliam pergens obvians locustæ, ei se comparavit, ex eoque cognovit sibi in eo loco standum, et Romam revertendum esse. De quo plura Ezech. 21. v. 21.

Qui extendit velut nihilum cælos.) Pro *nihilum* hebr. est דק *dac*, id est, tenue, per quod Forerius intelligit *nebulam*, Vatablus *cortinam*, vel telam tenuissimam. *Nihilum* ergo hic significat aliquid tale tenuissimum atque levissimum, ut pene nihil esse videatur, quod facillime extendit potest, uti est cortina, nebula, etc. Sic enim Deus cælos vastissimos facillime extendit, ut sub iis quasi sub tentorio degerent homines. Unde Sept. vertunt: *Qui extendit cælos quasi cameram*, rotundos scilicet et solidos instar cameræ et fornicis.

Potest tertio, *dac* verti pulvis tenuis et exiguus, uti vertit Noster v. 15. q. d. Deus ita facile creavit et fecit cælos, ac si faceret pulveris atomum tenuissimum. Ita S. Chrys. lib. de Incomprehensibili Dei natura.

Vers. 23. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint.) Ita vocat Philosophos, qui naturæ, et sapientiæ ac Dei secreta rimantur; aut potius consiliarios, et principes, ut vertunt Sept. (unde et Noster Habacuc 1. 10. vertit, *tyrannos;* Proverb. 8. 15. vertit, *legum conditores*) qui status et politiæ ac gubernationis secreta rimantur. Hi enim hebr. vocantur רוזנים *rozenim*. Posterius enim hemistichium more Hebræo explicat prius. Idem ergo est *qui dat secretorum scrutatores quasi non sint*, quod *iudices terræ velut inane fecit*. Hebræi enim principes vocant iudices, quod principum officium primarium sit iustitiam inter cives tueri, et populum iudicare, id est, vindicare ab hostium iniuriis. Hinc Salomon orat Dominum 3. Regum 3. dicens: *Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit.* Hinc et vocatur *liber iudicum*, id est vindicum et principum Israel. Celebrat ergo Isaias Dei potentiam, quod ipse reges et principes solio deiicere, infatuare, perdere, et quasi in nihilum redigere possit, et sæpe redigat.

Pro *inane* hebr. est תוהו *tohu*, id est, *inanis*, inornatus, incompositus: sic enim Genes. 1. dicitur terra fuisse inanis et vacua, hebr. תוהו ובוהו *tohu vabohu*, antequam Deus eam herbis, floribus et fructibus ornaret et decoraret. Pari modo Deus reges omni honore et decore spoliare potest, et sæpe spoliat. Unde explicans subdit:

Vers. 24. Et quidem neque plantatus.) q. d. Licet principes terræ in ea summi, firmi et potentes esse videantur; tamen eorum principatus similis est arbori, aut ramo, qui nec satus, nec plantatus est in terra, nec radicatus; unde succo destitutus arescit, aut levi vento aut turbine prosternitur: sic enim et principum gloria caduca est et fucata, quam Domini flatus et iussio mox deiicit et dissipat. Rursum Forerius hunc dat sensum, q. d. Deus reges et tyrannos statim initio imperii sæpe aufert, et de medio tollit, antequam prolem generent, non relicta sobole: perinde ac truncus, qui in terra radices non egit, flores et fructus proferre nequit.

A Et cui assimilastis me.) q. d. Cur non tantum Iovem, Mercurium, Venerem, etc. et principes flagitiosos iam putridos, sed etiam serpentes et monstra fecistis deos, mihique adæquastis? Vers. 25.

Levate in excelsum oculos.) *Quis est*, ait Cicero, *qui cum oculos in cælum sustulerit, Deum esse non sentiat? Cæli* enim et astra *enarrant gloriam Dei.* Rursum cæli fuerunt ante Iovem, deosque omnes, creati a vero Deo. Vers. 26.

Quis creavit hæc?) Hos cælos. Hebr. pro *quis hæc* est מי אלה *mi elle*, quod Cabalistæ per anagrammatismum retrogrado ordine legunt אלהים *elohim*, quasi respondeat, *elohim*, id est, Deus creator, *creavit hæc*.

Qui educit in numero militiam eorum.) *Militiam*, vocat stellas et astra. Unde Septuag. vertunt, *ornatum eorum*. Hæc educit Deus *in numero*, id est, numerose; plurimæ enim sunt stellæ. Secundo, *in numero*, id est, in ordine suo, in quo quæque suum habet locum, et numerum, eumque constanter servat, ut hæc sit prima, illa secun-
B da, alia tertia, perinde ut milites in acie constanter servant suum ordinem. Ab ordine enim pendet exercitus robur, et victoria æque ac decor. Est catachresis: numerus enim ponitur pro numerosa dispositione, harmonia, proportione et ordine. Sic numerus musicus vocatur vocum et sonorum plurium harmonia et concentus. Talis est et acies castrorum (qualis est astrorum) ordinata. *Deus*, inquit S. August. epist. 28. ad S. Hieron. *stellas tot astris distinctas, tanta varietate motuum, tanto sonorum concentu* (loquitur ex sententia Pythagoræ et veterum, qui cælos suavissimum suo motu concentum edere crediderunt) *insignes educit, et movet, ut nulla creatura admirari satis possit.* Pro *qui educit* hebraice est מוציא *motsi*, quod verti potest, *oriens*, id est, oriri faciens. Dei ergo æque ac Christi Zachar. 6. 12. nomen est *Oriens*. Ita Forerius.

Deus stellas vocat ex nomine tripliciter.

Et omnes ex nomine vocat.) Significat hæc phrasis tria: primum, quod Deus stellarum omnium naturam, vim et efficaciam intime perspectam habet, ita ut eas proprio et accommodatissimo nomine vocare possit. Est ca-
C tachresis. Secundum, quod singularum stellarum, et rerum creatarum Deus habeat curam et providentiam, ut cuique tribuat quod opus est, et cuique iniungat opera et munia suæ naturæ et viribus commensurata, et accommodata. Verbi gratia, lucifero ut lucem, hespero ut vesperam indicet; lunæ ut nocti, soli ut diei præsit; nil autem cuipiam supra facultatem et vires præcipiat. Tertium, quod stellæ omnes Deo per omnia obediant, ita ut, cum ipse eas accersit, vel quid eis iubet, omnes mox ei pareant et occurrant, ita ut nulla sit reliqua quæ se illi non sistat; hoc enim est quod ait:

Præ multitudine fortitudinis et roboris, virtutisque eius, neque unum reliquum fuit.) Aliqui *fortitudinem* et *robur* ad stellas referunt, q. d. Virtus stellarum et robur quantum quantum est Deo paret, neque vel una est quæ in suo ordine et munere, in quo a Deo constituta est, deficiat. Verum sic dicendum fuisset *earum;* iam autem dicit *eius*, scilicet Dei, q. d. Tam multa et ma-
D gna est fortitudo, robur et virtus Dei, cælos et astra moderantis, ut ne vel unum sit quod eius ordinationi et mandato per omnia non satisfaciat. Pulchre Boetius lib. 1. de Consol. Deum ita compellat:

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio
Rapido cælum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis!

Quare dicis, Iacob, et loqueris, Israel: Abscondita est via mea (id est, vitæ meæ ratio, meus status, mea conditio) a Domino.) Est mimesis. Imitatur enim vocem Iudæorum epicurizantium, qui adversis pressi putabant se a Deo negligi, Deum sui non habere curam et providentiam, q. d. Cum Deus sit tantus tamque potens et sapiens, uti etiam aliæ gentes confitentur; cur tu, o Iacob, id est, vos duæ tribus iam ab Assyriis afflictæ, et tu, o Israel, id est, vos o decem tribus iam in Assyriam ab iisdem abductæ, dicitis: Deus res nostras non curat, quantis affligamur malis, qua captivitate premamur non Vers. 27.

considerat, nostras ærumnas, non videt, non attendit: *circa cœli cardines perambulat*, nostra negligit, nec aspicit? Ita S. Cyrillus.

Et a Deo iudicium meum transivit.) Idem aliis verbis repetit, q. d. Non est Deo curæ nostrum iudicium, id est, nostra causa, nostrum ius, nostraque iustitia, an iuste an iniuste vivamus, an iuste an iniuste alligamur. Hactenus sumus habiti populus Dei, ecce iam opprimimur ab hostibus impiis et tyrannis; Deus iis nos permittit, ergo non est illi cura de nobis. Nota: In voce *transivit* est hypallage: iudicium enim transit, quia iudex illud pertransit, et præterit, q. d. Deus causam meam pertransit, negligit, iudicare non vult, sive iure, sive iniuria mecum agant hostes, non attendit. Sunt verba populi in captivitate et afflictione despondentis animum, et de Dei providentia diffidentis, ac queruli. Secundo, Sanchez, *transivit*, ait, id est præterivit et latuit. Sic enim vulgo dicimus: Ista res me præterit, id est latet. Hisce querimoniis respondet Propheta, aitque:

Vers. 28. Deus est Dominus æternitatis.

Deus sempiternus Dominus.) Hebr. *Iehova est Deus æternitatis*, q. d. Deus, Deique virtus et sapientia æterna sunt: ergo quam olim habuit, eamdem nunc habet vestri rerumque omnium curam et providentiam. Cum enim sit æternus, non lassescit in gubernando, non deficit, non laborat, non senescit; sed æque semper recens, vigens, agilis et expeditus regit universa; præsertim cum uti potentia, ita et sapientia eius sit immensa et investigabilis; quam proinde nullæ res, nulla hominum consilia, nullæ fraudes, nulla arcana latere possunt. Est enim Deus et Dominus, non temporis, non ævi, sed totius æternitatis.

Vers. 29. Qui dat lasso virtutem.) q. d. Non solum Deus ipse non lassatur, sed et lassis vires animosque restituit.

Et iis qui non sunt, qui esse non videntur, qui tam infirmi ac debiles sunt, ut ruituri, et in nihilum casuri videantur, Deus dat fortitudinem.) Rursum iis qui non sunt dat esse, simulque robur, dum eos creat et producit.

Ex hoc versu Hebræi sumpserunt formulam benedicendi Deum: *Benedictus qui dat lasso robur, et ei cui non sunt vires multiplicat;* quam per compendium solis initialibus Isaiæ in Hebræo litteris in fine librorum ascribere solent, hoc modo בנלך ואעי.

Vers. 30. Deficient pueri.) Declarat quanto maiores sint vires quas Deus suis, quam quas natura confert: Pueri, ait, et iuvenes vegeti et robusti labore fatigantur, infirmitate franguntur et cadunt: at qui sperant in Domino, ab eoque vires exspectant, etiam si languidi sint, lassi et debiles, corroborabuntur, et in senili aut puerili corpore vires alent, et spiritus plusquam iuveniles; hoc est quod ait:

Vers. 31. Qui autem sperant in Domino, mutabunt (Hebr. יחליפו *iachaliphu*, id est innovabunt, instaurabunt, integrabunt: est metaphora ab armis, quæ fracta, vel retusa cum novis et integris commutamus: hoc enim significat *iachaliphu*) fortitudinem.) Tum animi, tum corporis. Huc alludit S. Paulus dicens: *Cum infirmor, tunc potens sum.* Nam infirmitas eius virtute Christi pensabatur. Rursum: *Licet*, ait, *is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Et: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Sensus ergo Prophetæ est, q. d. In adversis, o Hebræi, nolite cadere animis, eos firmate in Deo, fixi in eius providentia state, sperate et implorate eius opem: qui enim ita sperant in Domino, licet infirmi, lapsi et pene collisi sint, pristinam fortitudinem ab eo recipient. Rursum, ut explicat S. Gregor. 19. Moral. 16. *Mutant fortitudinem, quia fortes esse student in spirituali opere, qui dudum fortes fuerant in carne.*

Anagog. Sancti in cælo mutabunt fortitudinem, ubi corpus quod hic *seminatur in infirmitate, surget in virtute*, ut ait Apost. 1. Cor. 15. 43. nimirum debiles, resurgent validi, morbidi sani, terrestres cælestes, carnei spiritales. Quocirca B. Dionysius Carthusianus, qui in totam sacram Scripturam, pluresque alios libros, commentarios reliquit, vir æque sui contemptu et sanctitate atque doctrina illustris, præsagiens tempus mortis quæ ei obtigit anno Domini 1471. anno integro ante mortem, tria carmina decantabat, cum lacrymis et gemitibus. Primum erat, *Requiem æternam dona eis, Domine:* quo certo cognovit se illo anno moriturum. Secundum, *Maria unxit pedes Iesu:* quo sperabat se veniam peccatorum a Christo consecuturum. Tertium, *Sancti qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem:* quo confidebat se cum Sanctis immortalem fortitudinem adepturum, uti habet Chronicon Carthus. Petri Dorlandi, l. 7. c. 24.

Assument pennas sicut aquilæ.) Pro *assument* hebr. est יעלו *iaalu*, id est ascendere facient. Unde Vatablus vertit, *sustollent alas*, quasi iam ante eas habuissent, sed fatigatione demissas et contractas. Verum melius, et significantius vertunt Septuaginta, πτεροφυήσουσιν ὡς ἀετοί, *pennas producent ut aquilæ*, novas scilicet, dum in senectute veteres in iis pennæ decidunt. Hoc significat Noster dum vertit: *Assument pennas ut aquilæ.* Vide quantum gratia naturam superet, scilicet quantum aquila alias aves, præsertim in eo quod infirma et senescens vires, pennas et iuventutem renovet, q. d. Qui sperant in Domino, ope gratiæ ab eo acceptæ ita fortiter et prompte labores, dura et adversa quælibet superabunt, atque viam divinæ legis non tam ambulando et currendo, quam volando conficient, et in cælum contendent, ac si aquilæ, imo Angeli essent, quibus Scriptura dat alas aquilæ, idque quia Christus pectora eorum fortitudine complet. Ita Procop. Theodoret. Cyril. et S. Thomas, qui per aquilas non tantum aquilas, sed et Angelos alatos, et veloces instar aquilarum accipiunt. Sic Plato viris iustis dat alas quibus cælum petant. Chald. vertit: *Super alas aquilarum current.* Quod primo, sic exponi potest, q. d. Aquilis erunt velociores. Secundo, q. d. Sicut aquila pullos suos alis vectat, et celerrime transfert: ita Deus alis providentiæ suæ fideles in se sperantes excipiet et vectabit, ut e captivitate et adversis omnibus celerrime evolent. Rursum Sancti assumunt, id est renovant, pennas, et veteribus depositis novas assumunt sicut aquilæ.

Historice iuventutis renovationem in aquila ita describit S. Hieron. *Aquilæ, ubi consenuerit, gravantur pennæ et oculi. Quærit illa fontem, erigitque pennas, calorem in se colligit: eo modo sanantur oculi, in fontem se ter mergit, atque ad iuventam redit. Unde in Psal.* 102. *dicitur: Renovabitur sicut aquilæ iuventus mea.* Ubi S. Augustinus scribit, aquilam se renovare, rostrum aduncum, quod nimis excrevit ut cibum capere non possit, ad petram allidendo: *Tunc enim rursum accedit ad cibum, et omnia reparantur: est post senectutem tamquam iuvenis aquila, redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum: volat excelsa sicut antea, fit in ea quædam resurrectio.* Verum alium modum huius renovationis ex Epicrate Athenæo, et Alberto Magno, dat Aldrovandus libr. 1. Ornithol. pag. 26. *Dicunt*, ait, *senem aquilam eo tempore quo pulli iam adulti volare possunt, sicubi deprehendat fontem clarum et latum, recte super illum in sublime efferri usque ad tertiam aeris regionem, ubi cum radiis solis, et aere calido incaluerit, ita ut fere exuri videatur, subito demissis retractisque alis in fontem frigidum illabi, ut a frigore forinsecus astringente calor interius augeatur: tum fonte relicto ad nidum suum non procul distantem advolare, et inter alas pullorum tectam resolvi in sudorem, et sic cum veteribus pennis senectam exuere, induique novis: interea vero dum creverint illæ, nutriri præda pullorum. Ad hæc non habeo quod dicam, nisi mirabilia naturæ esse multa. In duabus quidem aquilis quæ apud nos alebantur, nihil huiusmodi observavi: erant enim illæ cicures et ad modum aliarum avium rapacium mutabantur.* Hinc Proverbium: *Aquilæ senecta, Corydi iuventa;* de viridi et cruda senecta quæ aliquorum ignavæ iuventæ præstat. Nam aquila avis præstat corydo aviculæ, etiam ætate integra. Recte sapiens Græcus:

Illa senectus gratior, quæ parilis iuventæ:
Illa iuventus gravior, quæ similis senectæ.

Et Cicero libr. de Senectute: *Senectus honesta est, si ipsa se defendit, si ius suum retinet, si nemini emancipata est, si usque ad extremum spiritum dominatur in suos. Ut e-*

Modus quo se renovat aquila ex S. Hier.

Ex S. August.

Ex Physicis.

nim adolescentem, in quo senile est aliquid: sic senem in quo est aliquid adolescentis, probo: quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo numquam erit: ac talem docet fuisse Appium, cæcum licet.

Symbolice aquilæ sunt Sancti, cur? Symbolice ergo, aquilæ sunt Sancti. Primo, quia aquilarum dotes et mores imitantur. Aquilinam vitam et dotes his versibus complectitur Poeta:

I. Analogia

Alta volat, manet in petris, rostrum terit, est rex,
Venatur, ieiunat, habet gemmam, rota solis
Sola probat pullos, lambit, fonte innovat alas,
Fulva, videns ungues, pisces prædataque clangit.

Ita Sancti mente in cælos conscendunt: habitant in petra, id est Christo: rostrum incurvum, id est pravitatem animi, iram, rapacitatem, ad petram, id est ad Christi crucem, atterunt. (Nota τὸ *rostrum terit*: senescens enim aquila ita magno et adunco fit rostro ut cibum capere nequeat; unde Plinius l. 10. 3. ait aquilam perire non senio sed fame.) Rursum Sancti instar aquilarum sunt reges sui et mundi, venantur animas, ieiuniis corpus macerant, habent gemmam gratiæ et charitatis: Solis iustitiæ, id est Christi, intuitu, pullos, id est filios, an vere fideles et genuini sint probant. Pii enim parentes cordi non habent proles, nisi et ipsi pietatem colant, et nisi totos se ad præcepta et nutum divini Solis componant, iuxta consilium Sapientis Eccli. 16. 1. *Ne iucunderis in filiis impiis, etc. si non est timor Dei in illis.* Ad hæc aquilæ, id est fideles Sancti, non potant, non inebriant se, sed lambunt, et sobrie bibunt. Si vitiis senescant, fonte lacrymarum et pœnitentiæ innovant se. Fulvi sunt, id est magnanimi, ut aquilæ et leones: hi enim proprie fulvi sunt. Respiciunt ungues, id est vilitatem suæ naturæ, ut se humilient. Insuper aquila inter ambulandum ungues contrahit, ne aciem eorum atterat, quo monet nos, ait Plutarchus, ne ingenii nostri acumen in rebus vilibus hebetemus, sed arduis et præstantibus impendamus. Denique aquila prædam prospicit; et pisces, id est, animas, diabolo eripiens clangit et iubilat.

II. Secundo, sicut aquila est calido et sicco temperamento, ac fortis: ita viri sancti per zelum calidi; per spontaneam paupertatem, vel etiam per sobrietatem ac abstinentiam sunt sicci, indeque constantes, et in adversis fortes.

III. Tertio, aquila, teste Aristot. Aldrovando, et aliis, ordinarie parit tria tantum ova, quorum tertium, tamquam duo ad conservandam speciem sint satis, e nido præcipitat: ita Sancti duo ova pariunt scilicet opera rectæ rationis, et opera gratiæ; tertium ovum, scilicet opus cupiditatum et voluptatum carnalium, abiiciunt: qui ergo aquila est, non affigit humo divinæ particulam auræ. Imo Aristot. ex Musæo lib. 6. Histor. animal. c. 6. sic scribit de aquila:

Excludit binos (fœdus) *edit terna* (ova) *educat unum*, quod inquit Aldrovandus, licet ut plurimum verum sit, tamen aliquando binos pullos visos ab ea ali, aliquando ternos, tradit Avicenna, et alii. Hinc symbolice unus pullus significat aquilam, id est regem, regnum debere relinquere uni filio, non pluribus: monarchia enim est optimum regimen. Unde Homerus Iliade β. 204. et ex eo Aristot. 4. Polit. 4.

Ουκ αγαθον πολυκοιρανιη, εις κοιρανος εστω,
Εις βασιλευς.

Non bonum est multorum dominatus, unus Dominus esto, unus Rex: vel, ut Poeta Latinus explicuit:

Multorum imperium multa est confusio semper,
Multi sunt damno Domini, Rex unicus esto.

Moraliter unus pullus nobis educandus est, opus charitatis et Spiritus sancti. Secundus enim pullus, id est, opera tantum moraliter bona et rectæ rationi conformia Gentilibus et Philosophis relinquenda sunt: Christianus ex fide et gratia operetur oportet.

IV. Quarto, aquilæ ova excludere non possunt, nisi ætitem lapidem in nidum importent. Causa est quod ipsæ adeo exæstnant, ut ova prope excoquantur (incalescunt enim tantopere ac si bulliant) quare necesse est ut ætitis refri-

A gerio fervor temperetur, eiusque peculiari qua pollet vi partus acceleretur. Et cum binos tantum lapillos, nempe marem et fœminam (ut quidam volunt) in nidum inferant, binos etiam tantum pullos pariunt. Ita Aldrovandus. Sic Sancti ut pariant opera Spiritus indigent ætite, id est, prudentia et discretione, qua zelus eorum temperetur.

Quinto, aquila generosa et excelsa, est signum animi V.
excelsi et placidi, omnia terrena despicientis. Hinc Ægyptii, ut significarent conviciorum contemptorem, pingebant aquilam immotam, quæ nec pennis, nec rostro minaretur quidquam mali, et iuxta eam cornicem quæ eam lacesseret, et conviciis molestaret. Aquila ergo symbolum est magnanimitatis, ut videre est in emblemate Alciati, in quo aquila generosa tumulo fortissimi Aristomenis insidens depingitur hac epigraphe:

Quæ te causa movet, volucris Saturnia, magni
Ut tumulo insideas ardua Aristomenis?
Hoc moneo, quantum inter aves ego robore præsto,
Tantum semideos inter Aristomenes.
B *Insideant timidæ timidorum busta columbæ,*
Nos aquilæ intrepidis signa benigna damus.

Hinc et Claudius Paradinus in Symbolis heroicis, ut monstret ad res arduas opus esse summa industria, labore ac diligentia, aquilam pingit cervi capiti inter cornua insidentem, pulveremque in alis collectum in oculos eius excutientem, ut excæcatum tandem de rupe præcipitet. Inscriptio huius symboli est:

Ardua deturbans vis animosa quatit.

Et Curtius Gonzaga emblema habet, in quo aquila ita depicta, ut sub cælo procelloso ac fulgurante, immunis atque intacta solem aspiciendo, ab altera parte ad montem contendere videatur, cum hoc lemmate: *Neque occidere me, neque terrere me potest.* Significat virum qui nullis adversitatibus expavescit, quo minus in incepto amore, et negotio honesto perseveret. Ales enim virum, mons virtutem, tempestas adversitates denotat. Hoc est quod ait hic Isaias: *Mutabunt fortitudinem, assument pennas* C *ut aquilæ.*

Anagogice, Beati sunt aquilæ. Primo, quia aquila quæ acutissimi est visus (indeque dicta est aquila, quod acute videat, ut volunt multi) significat altam, arduam, intentamque Beatorum contemplationem. Hi enim divina visione fruentes mentis aciem in Deum, Solem verum ac omnis luminis fontem, figunt. Anagog. aquilæ sunt Beati ob septem analogias. I.

Secundo, aquila fulmine non tangitur, quod tamen II.
mortalibus omnibus pavori est: ita Beati non timent damnationem, nec gehennam, quæ omnibus hic est terrori.

Tertio, Beati similes sunt Angelis Dei, et Cherubinis, III.
qui Ezech. 1. 10. comparantur aquilæ. Nam, ut ait S. Dionys. Cælest. Hierarch. c. 15. *Aquila significat regiam dignitatem Angelorum, motumque ad superna tendentem, celeremque volatum, atque ad captandum necessarium reparandis viribus cibum agilitatem atque vigilantiam, et cursum ac facilitatem summam, ac propterea vim illam singularem speculandi atque intendendi libere, directe, in nullam partem inclinando aciem luminum, in radium il-* D *lum uberrimum et lucidissimum deitatis, quem ex se instar solis emittit.* Quæ omnia Beatis quoque conveniunt.

Quarto, quod hic proprie respicit Isaias, alæ aquilæ ve- IV.
locissimæ significant dotem agilitatis Beatorum. Hæ enim in resurrectione erunt perfectissimæ, quando corpus spirituale per hanc dotem protinus erit ubi esse voluerit, ait S. August. ad Hesyc. epist. 79. et S. Hieron. hic. Per hanc dotem cum Christo, qui est prima et princeps aquila, evolabunt in cælum. Nam ut dicitur Matth. 24. 28. *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ*, id est, ubi fuerit Christus, ibi erunt et Beati. Quocirca S. Hilarius illud Ps. 138. *Si sumpsero pennas meas diluculo*, de Christo intelligit, qui assumpsit pennas suas in resurrectione iam corpore non gravato. Et infra dicit has pennas pertinere ad demutationem terrenorum corporum in spiritualem naturam. Et postea subdit: *Meminit et alibi* (Isaiæ 40.) *dicens eum de spiritualium indefessa iam æternitate tractaret: Pennigerabunt tamquam aquilæ, naturam*

evolandi in cœlum in resurrectionis demutatione sumpturi.

V Quinto, aquila amat excelsa: Beati sunt in cœlo empyreo, in sublimissima gloria ac vita. Nam ob sublimitatem sapientiæ S. Ioannes vocatur aquila, Apoc. 4. 7.

V Sexto, *aquila non captat muscas;* Beati non curant res terrenas et viles: *Ne sustineas ergo, o homo, primas tenere inter graculos, si aquila esse possis:* ne ambias hic primas inter homines, cum te humiliando possis inter Beatos referri.

VI. Septimo, sicut aquilæ senes se renovant et iuvenescunt: ita Sancti in resurrectione iuvenescent, et pro mortali corpore accipient immortale et gloriosum, cum eoque quasi aquilæ rapientur obviam Christo in aera. Ibi enim non erit labor, non tædium, non lassitudo, non dolor, non gemitus, non infirmitas, non senectus; sed quies, alacritas, vigor, lætitia, iubilus, sanitas et iuventa perpetua. Ita S. Hier. Haymo, Procop. et S. August. epist. 39. ad Hesychium, et Hilarius in illud Ps. 138. *Si sumpsero pennas meas diluculo;* hunc Isaiæ locum ad litteram accipiunt de futura vita et beatitudine. Verum hic sensus anagogicus est. Nam litteraliter agit Isaias de viventibus, puta de fidelibus qui in hac vita adversis pressi sperant in Domino, ideoque innovantur quasi aquilæ, ut dixi.

Moral de fervore. CURRENT ET NON LABORABUNT, AMBULABUNT ET NON DEFICIENT.) Hebr. לא ייעפו *lo iiaphu*, id est non lassabuntur, fessi non deficient, sed pergent strenue in continua ambulatione. Plus videtur hic promitti currentibus, quam ambulantibus in via virtutis; plus enim est non laborare, id est, non sentire laborem, quam non fatigari, et ex fatigatione non deficere. Currentes enim sunt fervidi, qui præ fervore cursus laborem non sentiunt, quia eum amant et ambiunt: *Ubi* enim *est amor, ibi non est labor, sed sapor*, ait S. Bernardus. Ambulantes sunt minus fervidi, qui proinde in operibus virtutum laborem sentiunt, sed superant. Ita in naturalibus videmus iuvenes alacres et fervidos sæpe in cursu, aliisque laboribus ipsis gratis et iucundis, non sentire laborem, tum quia delectatio quam hauriunt, pellit sensum laboris, tum quia ingenti animo, vi et spiritu eum capessunt. Hæc enim vis et spiritus, pondus laboris ita facile sustinet, ut vix sentiat Docet enim Aristot. in Physic. vim motricem, si magna sit et efficax, facilius movere pondus alioqui magnum, quam vis et virtus parva moveat pondus parvum. Ita vir facilius portat onus decem librarum, quam infans onus unius libræ. Curre ergo in stadio virtutis, et magis proficies in ea, magisque merebere, et minus laboris senties. Idcirco B. Virgo spiritu et Verbo Dei prægnans: *Exsurgens... abiit in montana cum festinatione... et salutavit* Elisabeth, eique æque ac Ioanni, suos ignes et spiritus afflavit, Lucæ 1. 39. Sic Christus, quasi sol divinus, *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius: nec est qui se abscondat a calore eius*, Ps. 18. 7. Currentibus ergo Deus magnam gratiam et spiritum, magnos animos et vires quasi alas aspirat, qui omnem laboris sensum exsufflant. Hinc Paulus currebat, et ad cursum incitans ait: *Sic currite ut comprehendatis*, *etc. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum,* 1. Cor. 9. 24. Accedit et alia causa, quam dat Pimenius Abbas in Vitis Patr. l. 7. c. 39. *Sicut*, ait, *ad succensam ollam muscæ non appropinquant, si vero tepida fuerit, insidunt in eam, et faciunt vermes: sic et monachum succensum igne divini spiritus dæmones fugiunt, tepidum vero illudunt et insequuntur.* Ergo ferventes non sentiunt laborem, vel molestiam, quia hæc omnis in opere virtutis provenit ex tentatione et resistentia dæmonis, carnis aut mundi, quæ omnes fugantur fervore. Quocirca sapienter monet Ecclesiasticus 31. 27. *In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi.*

Hinc secundo, S. Greg. lib. 19. Moral. c. 16. docet ex hoc Isaiæ loco, Sanctos sæpe ferventius prosequi et perficere opus bonum, quod tepidius inchoarunt. Explicans enim illud Iob 29. *Sicut palma multiplicabo dies: Palma,* ait, *vastior in summitate est, quam esse cœperit ex radi-*

A *ce, quia sæpe electorum conversio plus finiendo peragit, quam proponit inchoando; et si tepidius prima inchoat, ferventius extrema consumat, videlicet semper inchoare se æstimat, et idcirco infatigabilis in novitate perdurat.* Probat id subdens: *Hanc scilicet iustorum constantiam Propheta intuens ait: Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, etc. Mutant quippe fortitudinem: quia fortes esse student in spiritali opere, qui dudum fuerant fortes in carne. Assumunt autem pennas ut aquilæ, quia contemplando volant. Currunt et non laborant, quia velocibus magna celeritate prædicant. Ambulant et non deficiunt, quia intellectus sui velocitatem retinent, ut tardioribus condescendant. In cunctis vero bona quæ accipiunt, quanto aliis libenter accommodant, tanto ipsi incommutabiles in novitate perdurant; et qui tenues a radice inchoationis exeunt, fortes in culminis perfectione convalescunt.* Ita refert Moschus in Prato spirituali c. 5. quemdam Religiosum negligentem sub finem magnum assumpsisse fervorem, cumque causam tantæ mutationis rogaB retur, dixisse: *Modo moriturus sum. Et post dies tres mortuus est.* Cogita quotidie dum surgis, Hodie forte moriar, et fervebis toto die, nec senties laborem.

Nota: Τὸ *assument pennas ut aquilæ*, dupliciter accipi potest. Primo, ad volandum; aquilæ enim pennas renovando, novasque assumendo, nova velocitate volant, q. d. Fessi sperando in Deo assument novum robur, ut nova alacritate ad bona opera volent, quasi aquilæ. Secundo, ad currendum; sic enim struthiocamelus pennas habet non ad volandum, sed ad celerrime currendum. Sed eodem redit sensus; nam volare proprie est aquilarum, hominum vero currere, q. d. Sperantes in Deo ita veloces erunt in via virtutis, ut, cum in ea decurrent, non tam currere, quam volare videantur; nec tam homines, quam aquilæ esse appareant. Unde τὸ *assument pennas ut aquilæ*, explicat, dum subdit: *Current, et non laborabunt,* q. d. Sperantibus a Deo paratæ sunt aquilinæ pennæ et velocitas, quibus immensa locorum, operum et virtutum C spatia volatu semper integro ac vegeto percurrant, aut gressu celeri ita decurrant, ut non tam pedibus ingredi, quam alis volare videantur. Unde Chaldæus vertit: *Super alas aquilarum current.*

Nota secundo, τὸ *ambulabunt et non deficient*, idem quasi esse cum eo quod præcessit, *current et non laborabunt*. Hebr. enim est ילך *ialach*, id est, ivit, ambulavit; progressus enim tribuitur etiam Angelis, fulguri et ventis, qui non tam ambulant, quam currunt: ita tribuitur Cherubinis Ezech. 1. 9. 12. et 13. qui tamen *ibant in similitudinem fulguris coruscantis.* Ibid. v. 14. ire enim et ambulare Hebræis significat progressum, sive is fiat pedetentim ambulando, sive celeriter currendo, sive etiam volando.

Igitur hoc loco idem quasi significant hæc tria, scilicet volare, currere et ambulare, sed volare impetum et facilitatem significat, currere celeritatem, ambulare continuationem et progressum, puta effectum volandi et currendi, qui est promovere gressum et situm versus itineD ris metam et terminum. Cursum enim difficile est continuare, ambulationem vero continuare est facile; unde ut significet Sanctos cursum hunc continuare, addit eos ambulare ita ut non deficiant; Hebr. *non delassentur;* Sept. *non esuriant* (esuries enim sequitur ex defectu virium) sed lassitudinem, si quam sentiant, resumpto animi vigore et robore superent et transcendant. Idem ergo Sanctus acceptis a Deo gratiæ alis volat, currit et ambulat viam virtutis constanter usque ad finem vitæ, imo usque in cælum, et sic in τῷ *ambulabunt*, non decrescit sed potius crescit et perficitur oratio, q. d. Ambulabunt continuo usque dum ad metam, puta ad cælum perveniant.

Nota tertio: Possunt tamen hæc tria disiungi, et tribus sperantium gradibus adaptari; unde ex Hebræo cum Pagnino sic vertas; *Sperantes in Domino mutabunt robur, ascendent alati sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non lassabuntur;* Vatabl. *Sustollent pennas ut aquilæ,* id est volabunt. Primus ergo gradus speran-

Tres gradus sperantium in Deum. tium in Deo est eorum, qui amore Dei ferventes, humana omnia mente transcendentes, instar aquilarum, imo Angelorum, evolant ad Deum in cælum, dicuntque cum
1. Apostolo: *Nostra conversatio in cœlis est.* Tales fuere Apostoli, de quibus ait Isaias c. 60. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Item illi qui agunt vitam contemplativam,
2. quales fuere Essæi, et modo sunt Religiosi non pauci. Secundus gradus sperantium in Deum est eorum, qui in vita activa fervent, et fervendo currunt, qui proinde ob
3. fervorem non sentiunt laborem, uti paulo ante dixi. Tertius gradus est eorum, qui in eadem, non quidem ardenter currunt, sed tamen constanter ambulant. Dices: Sic decrescit oratio, et a summo gradu descenditur ad imum, scilicet a volatu ad ambulationem. Resp. primo. Id parum vel nihil habet incommodi: sic enim a perfectiori sæpe descendimus ad minus perfectum. Resp. secundo, esto una ex parte decrescat hic oratio, ex altera tamen parte crescit, et forte mysterium hic latens innuit Isaias, nimirum, q. d. Sancti summi volant contemplando per raptus et exstases ad Deum, illi quidem summi sunt; sed his periculum grave imminet illusionis, ne a Satana transfigurante se in Angelum lucis decipiantur et corruant, uti multis contigit. Medii currunt, nimirum qui devotione sensibili acti a Deo fervent ad opera charitatis, mortificationis, missionum; sed his periculum est a spiritu singularitatis, superbiæ et vanitatis, qua cæteris se eminere et sanctiores esse occulte autumant. Rursum tales A deficiente devotione sensibili facile corruunt, fiuntque acedi et tepidi. Imo videntur, qui ambulant lente quidem, sed constanter in via virtutis, illi sunt qui eumdem sequuntur vivendi in suo gradu modum, v. g. qui in Religione regulas omnes exacte et constanter observant, qui iugum Religionis constanter usque ad mortem portant, ac laborem, difficultates et tentationes omnes usque ad ultimum vitæ spiritum superant. Hic gradus licet videatur excellentia imus, primus tamen est securitate, et sæpe fructu: nam cursus sæpe inciditur, ambulatio vero semper continuatur, quo fit, ut ambulans continuo tandem currentem prævertat, iuxta illud Prov. 13. 11. *Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim manu colligitur, multiplicabitur.* Unde S. Bernardus cæterique Sancti suadent, ut hunc ambulationis gradum præ aliis capessat, qui suæ salutis et profectus est studiosus; quotidie enim ambulando, id est, proficiendo in virtute, quanta per menses et annos singulos virtutum fit accessio? quantus accrescit meritorum cumulus? Et hoc forte notare voluit Isaias, nimirum sperantes in Domino, si secure viam Dei inire velint, in ea non tam currere et volare, quam ambulare, id est, in communi sui instituti vivendi modo constanter progredi, et promovere debere; ambulare enim est proficere, ait S. Bern. ser. 49. in Cant. sic enim certo itur ad mortem sanctam, indeque ad beatam immortalitatem; nec hic est periculum illusionis, vel singularitatis et superbiæ, quod est in volantibus et currentibus.

CAPUT QUADRAGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Persuaserat Iudæis Propheta in fine cap. præced. eos qui Deum colunt, in eoque sperant mutaturos fortitudinem, et volaturos ut aquilas; hic iam ostendit quanto id sapientius faciant quam Gentes, quæ idolis suis confidunt. Inducit ergo Deum cum Gentibus disceptantem, et quasi coram iudicibus causam agentem, volentemque ut illi causam deorum suorum agant, cum ipsimet utpote muta simulacra pro se loqui nequeant. Suam ergo causam Deum agentem, itaque inchoantem facit; Taceant ad me insulæ, etc. Primo, itaque probat suam divinitatem ex potentia et providentia, quam ostendet servis suis, scilicet Abrahæ et posteris eius, dando eis tot victorias miraculosas, deducendo eos per desertum, protegendo eos, etc. Secundo, v. 11. promittendo eis in posterum hanc eamdem suam opem et beneficentiam, unde tacite eos hortatur ut in ipsius fide, spe et cultu persistant. Tertio, v. 21. cum idolis disceptat, eaque non esse deos duobus argumentis convincit. Primum est certa futurorum prædictio, qua se pollere, non Deos Gentium, demonstrat. Alterum est v. 24. quod idola ex se nec sint, nec firma sint, sed a fabris sint facta, et glutino firmata ne dissolvantur et corruant, ac proinde nemini vel bene vel male facere possint.

1. TACEANT ad me insulæ, et gentes mutent fortitudinem: accedant, et tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus. 2 Quis suscitavit ab oriente iustum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu eius gentes, et reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio eius: sicut stipulam vento raptam arcui eius. 3. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus eius non apparebit. 4. Quis hæc operatus est, et fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum. 5. Viderunt insulæ, et timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquaverunt, et accesserunt. 6. Unusquisque proximo suo auxiliabitur, et fratri suo dicet: Confortare. 7. Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum est: et confortavit eum clavis, ut non moveretur. 8. Et tu Israel serve meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei: 9. In quo apprehendi te ab extremis terræ, et a longinquis eius vocavi te, et dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te, et non abieci te. 10. Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera iusti mei. 11. Ecce confundentur et erubescent omnes, qui pugnant adversum te: erunt quasi non sint, et peribunt viri, qui contradicunt tibi. 12. Quæres eos, et non invenies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint: et veluti consumptio, homines bellantes adversum te. 13. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adiuvi te. 14. Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: et redemptor tuus sanctus Israel. 15. Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia: triturabis montes, et comminues: et colles quasi pulverem pones. 16. Ventilabis eos, et ventus tollet, et turbo disperget eos: et tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis. 17. Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. 18. Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum. 19. Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ: ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul: 20. Ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, et sanctus Israel creavit illud. 21. Prope facite iudicium vestrum, dicit Dominus: afferte, si quid forte habe-

tis, dixit rex Iacob. 22. Accedant, et nuntient nobis quæcumque ventura sunt: priora quæ fuerunt nuntiate: et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum, et quæ ventura sunt indicate nobis. 23. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos; bene quoque aut male, si potestis, facite: et loquamur, et videamus simul. 24. Ecce, vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est: abominatio est qui elegit vos. 25. Suscitavi ab aquilone, et veniet ab ortu solis: vocabit nomen meum, et adducet magistratus quasi lutum, et velut plastes conculcans humum. 26. Quis annuntiavit ab exordio ut sciamus: et a principio ut dicamus: Iustus es? non est neque annuntians, neque prædicens, neque audiens sermones vestros. 27. Primus ad Sion dicet: Ecce adsum, et Ierusalem evangelistam dabo. 28. Et vidi, et non erat neque ex istis quisquam qui iniret consilium, et interrogatus responderet verbum. 29. Ecce omnes iniusti, et vana opera eorum: ventus et inane simulacra eorum.

Vers. 1. TACEANT.) Theodot. *mutiant et sileant. Taceant* ergo, id est, tacite me audiant: est metalepsis. Non enim omnimodum Gentibus indicit silentium: nam eos provocat vultque iuridice cum eis contendere, sed postulat ut tacite se suæ causæ et divinitatis argumenta proferentem auscultent. Deinde iis, si quid habent libere respondeant. Hoc est enim quod ait, *mutent fortitudinem*, id est, roborentur animis, viribus, et argumentis, ut mecum disceptent, animose, fortiter et audacter me refellant, suamque causam stabiliant si possint. *Accedant* ergo, et ubi me audierint *tunc loquantur. Simul ad iudicium propinquemus.* Ita S. Hieron. Cyrillus, Procop. Theodor. Est hysterologia, sive ordo verborum inversus; nam plano ordine sic dixisset: Commutent Gentes fortitudinem, accedant, pariter ad iudicium propinquemus, tacite auscultent me, tunc loquantur. Ita Forer. Pro *taceant* Symmach. vertit, *arate* (hoc enim quoque significat Hebr. חרש *charas*) *ad me insulæ*, id est, ut Procop. servite mihi insulæ, sicut arator servit suo hero. Septuag. pro חרש *charas*, legentes חדש *chadas*, id est, innovavit, dedicavit, vertunt ἐγκαινίζεσθε, id est, *encænia celebrate*, et ut Nazianz. orat. in novum Dominicum interpres vertit, *encæniamini*, q. d. Innovate novale gentilitatis aratro fidei et prædicationis Christi. Rursum innovate novale cordis vestri, arate, serite in eo novas virtutes, et bona opera, itaque dedicate cor vestrum in novum Dei templum, et huius dedicationis agite encænia. Simili modo ait Ierem. c. 4. 3. *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas.* Tertio, Hebræum *charas*, verti potest, *fabricate*, et *ædificate* vos ad me insulæ, ut scilicet mihi sitis in domum spiritualem.

INSULÆ.) *Insulas* vocat insulanos, hoc est gentes remotas Iudæis, trans mare sitas, ut Græcos, Italos, Hispanos, etc.

Vers. 2. QUIS SUSCITAVIT AB ORIENTE IUSTUM?) Primo, Hugo, Adamus et Pagnin. per *iustum* intelligunt Cyrum, qui divinæ iustitiæ et vindictæ fuit exsecutor, tyrannos Chaldæos evertendo, et Hebræos ab iis liberando, quem Deus ad hoc evocavit ab Oriente, hoc est, e Perside. Huic expositioni favent verba Isaiæ, quibus eius victorias graphice describit æque ac c. 45. ubi Cyrum diserte notat v. 1. Illud enim caput huic simile, et eiusdem argumenti esse videtur.

Secundo, S. Hieron. Cyrill. Procop. per *iustum* accipiunt Christum, q. d. Christus a Deo hominibus datus est quasi sol quidam iustitiæ oriens in Oriente. Sicut enim sol ibi oriens mundum illustrat et vivificat, ita Christus, ut ait Zachar. *visitavit* et illustravit *nos oriens ex alto*, scilicet oriente lucis divinæ; inde enim eum nobis oriri fecit Deus Pater.

Tertio, et genuine ad litteram, *iustum* vocat Abrahamum, quia ipse inter infideles et impios solus pene fidelis et iustus vixit: hinc vocatur *iustus*, Sapientiæ 10. 5. æque ac Lot inter Sodomitas vocatur *iustus*, ibidem v. 6. Rursum, Abraham vocatur *iustus*, quia fuit fidei et iustitiæ quasi pater, eam in Chananæos et in posteros suos propagando. Denique quia genuit Christum, iustum, et iustificatorem mundi. Unde Hebr. pro *iustum est* צדק *tsedec*, id est *iustitiam;* hanc enim emortuam in mundo per Abrahamum Deus suscitavit, et quasi ædificavit. Deus ergo vocavit Abrahamum ab Oriente, id est ex Mesopotamia, quæ orientalis est Palestinæ, *ut sequeretur se;* secutus est enim Abraham Deum vocantem, cæca obedien-

A tia, *nesciens quo iret*, Hebr. 11. 8. Pro *se* hebr. est לרגלו *leraglo*, id est, *ad pedem suum*, q. d. Deus ostendebat, et quasi præibat viam Abrahamo, eumque Abraham quasi cæcus pede ad pedem insistens eius vestigiis, secure et fidenter sequebatur. Ita Chaldæus, S. Thomas, Hugo, Lyran. Forer. Sanchez et alii.

Vatablus paulo aliter vertit et explicat hoc modo: *Quis excitavit ab Oriente iustitiam* (id est iustum Abraham) *proclamavit illam ad pedem suum*, id est, Abraham prædicabat iustitiam in omnibus locis per quæ transibat, et in quibus versabatur. Iustitiam, ait, vocat cultum unius Dei. Nam et qui non tribuit aliis, quæ sua sunt, iniustus est; ergo et qui fraudat Deum honore suo, q. d. Abraham gloriosus ille Patriarcha inter vos idololatras agebat: cum tamen eum idola nobilem non reddiderint, sed Deus: quod cum noveritis, non tamen reliquistis idola,
B ut Abraham iustum et a Deo benedictum sequeremini. Hucusque Vatablus.

DABIT IN CONSPECTU EIUS GENTES.) *Dabit*, id est dedit; omnia enim hæc futura per præteritum exponenda sunt; tum quia præcessit præteritum *suscitavit;* illi enim ea quæ sequuntur per *et* copulantur; unde pari tenore et tempore exponenda sunt: tum quia sequuntur præterita: *Quis hæc operatus est, etc.* Vide Can. 13. Ita Chald. Forer. et Vatabl. qui apte sic vertit: *Tradidit*, vel *tradebat coram eo Gentes, et imperitare faciebat eum regibus, ut daret eos quasi pulverem gladio suo, et velut stipulam arcui suo. Persequebatur eos, et evasit incolumis via quam pedes eius antea numquam fuerant ingressi.* Loquitur, primo, de victoria Abrahæ, quam retulit celerem, facilem et incruentam de Chodorlahomor et aliis tribus regibus liberando Lot nepotem suum, Genes. 14. 15. q. d. Quis
C Abrahamum fecit superiorem istis quatuor regibus victoria superbis? hocne idolorum cultus præstitit? minime; sed ego: et vos ergo me colite, non idola, et similia experiemini. Secundo, loquitur de victoriis, quas Abrahæ posteri, scilicet Moses, Iosue, et Hebræi sæpe miraculosas ab Amalecitis, Chananæis, Philisthinis, aliisque Gentibus retulerunt. Censetur enim Abrahæ datum, quod eius posteris collatum est. Sic enim ipsi non in se, sed in posteris promissa est terra Chanaan, Genes. 13. 15. Vide Canon. 34.

DABIT QUASI PULVEREM GLADIO EIUS.) *Pulverem*, scilicet *vento raptum*, ut sequitur; hoc enim per zeugma hic supplendum est, q. d. Quam facile ventus rapit et dispellit pulverem et stipulas, tam facile Abraham et Hebræi trucidarunt suos hostes.

TRANSIBIT IN PACE.) Forer. et Vatabl. vertunt, *tran-* Vers. 3.
D *sibit pax*, seu integritas, hoc est integer et incolumis Abraham cum suis e prælio evasit. Hebræi enim sæpe ponunt abstracta pro concretis. Secundo Noster subaudiendo ב *beth*, id est *in*, quod Hebræis est frequens, vertit *transibit*, id est, *transivit in pace*, id est pacifice, integre et feliciter, nemine ex suis amisso. Sic pacifice Hebræi, duce Iosue, occuparunt Chananæam, Deo pro eis pugnante, et Chananæos percellente et fugante.

SEMITA IN PEDIBUS EIUS NON APPAREBIT.) Primo, potest esse hypallage, quasi, conversis verbis, dicat: Ita velociter pertransiit invadendo reges, ut pedes eius in semita non apparuerint, ut pedum vestigia in semita non relinqueret; familiaris enim est Hebræis hypallage.

Secundo, proprie, q. d. Deus Abraham et Hebræos ita sanos, vegetos et integros, tum per desertum, tum per

Chanaan victores deduxit, ut nullum semitæ et tantæ viæ vestigium in pedibus eorum appareret. Nam nec pedes callum obduxerunt, nec calcei aut vestes vetustate consumptæ sunt, perinde ac si nihil viæ confecissent; hoc est enim quod dicitur Deuter. 29. 5. *Adduxi vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt;* et Deuter. 8. 4. *Pes tuus non est subtritus.* Ita Sanchez.

Aliter vertunt Forer. et Vatabl. scilicet: *Viam hanc pedes eius ante numquam fuerant ingressi*, q. d. Abraham ibat via incognita, et bellum insolitum gessit, numquam enim prælium ante inierat: eo ergo maior fuit hæc eius victoria, eo et maior Dei in eum favor et præsidium. Deo enim duce victoriam obtinuit.

Denique S. Hieron. Cyrill. Theodoret. qui de Christo hæc accipiunt, exponunt, q. d. Christus tam facile et celeriter victor transibit, hostesque et gentes passim suæ fidei subiget, ut non tam ambulasse quam volasse, aut, ut sol, in momento omnia sua luce pervasisse et occupasse videatur; victoria enim eius spiritualis describitur per arma et res corporales, quia alludit ad arma et victorias vel Abrahæ, vel Cyri, qui etiam typus fuit Christi.

Speciatim per *pedes* Procop. et S. August. in illud Ps. 90. *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, accipiunt Apostolos quibus Christus peragravit orbem, quos Saulus conculcare volebat: sed frustra. De his enim dicitur c. 52. 7. *quam pulchri pedes annuntiantis... pacem!* Christus ergo est celer prædator; unde nomen ei dedit c. 8. 3. *Accelera spolia detrahere: Festina prædari.* Hic sensus appositus est, sed allegoricus potius, quam litteralis.

Vers. 4. QUIS HÆC OPERATUS EST, ET FECIT, VOCANS GENERATIONES AB EXORDIO?) Forer. notam interrogationis facit post *fecit?* quasi deinde respondeat: Is facit, qui vocat generationes ab exordio. Verum Biblia Romana et alia ponunt hanc notam post τὸ *ab exordio.* Sensus ergo est, q. d. Quis fecit hæc ut Hebræi inermes et timidi tot Gentes suis regionibus expellerent, tot victorias illæsi obtinerent, idque continua generationum serie ab Abraham parente suo usque ad modernum Ezechiam? Sane non alius quam Deus, qui vocat generationes ab exordio, qui scilicet Hebræos omnes ab Abrahamo genitos huc usque vocavit et elegit in populum suum, quique uti Abrahæ, ita et posteris eius, quamdiu eum coluerunt et in eum speraverunt, beneficia contulit.

Nota τὸ *vocans generationes*, id est creans, et, ut Chald. ordinans perpetuum generationum decursum, ut una continuo alteri succedat. Est metalepsis. *Vocans*, id est præsciens, providens, et sigillatim quamque suo ordine collocans, ut distincte quamlibet designare et evocare possit, et de facto quamque suo tempore evocet et producat, q. d. Quis est qui facit continua serie alias generationes aliis succedere? v. g. Quis est, qui fecit ut suo tempore veniret Abraham, deinde Isaac, mox Iacob, postea Moses, Iosue, David et cæteri usque ad præsentem Isaiam et Ezechiam, et post Ezechiam pari modo alios et alios inducet, ac tandem Christum, inquit Cyrill. et Procop. cuius pariter generationes ordinabit, ut in eius Ecclesia, primo Apostoli, deinde Martyres, mox Doctores, aliique aliis usque ad finem mundi suo ordine succedant? Quis, inquam, has omnes generationes ab Abrahamo, imo ab Adamo usque ad Ezechiam ordinavit, et pari modo ab eo usque ad Christum, et finem mundi ordinabit, nisi Deus, qui, ut inquit S. Paulus, est *Rex sæculorum*, id est auctor, creator ac moderator sæculorum, qui sua providentia disponit certa serie sæcula, et res quovis sæculo futuras? Cuius ratio est, quia, ut ait S. Dionysius de Divinis nomin. c. 5. in Deo et circa Deum totum et omne esse, omne ens subsistensque versatur, et quasi volvitur. Sicut enim in rota canthi circa axem, in circulo peripheriæ circa centrum, in mundo cæli circa terram volvuntur: sic omnia tempora et sæcula præterita, præsentia et futura certo ordine volvuntur circa æternitatem Dei; hæc enim stabilis semper, eademque præsens est

Deus est rex sæculorum, cur?

A cuivis tempori, omneque tempus ambit et amplectitur Hoc est quod canit Boetius l. 3. de Consolatione:

O qui perpetua mundum ratione gubernas;
Terrarum cælique sator, qui tempus ab ævo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moveri,
Principium, rector, dux, semita, terminus idem.

EGO DOMINUS, PRIMUS ET NOVISSIMUS.) q. d. *Ego sum α et ω, principium et finis*, Apocal. 22. 13. *Ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit,* Isaiæ 43. 10. q. d. Ego creo, conservo, dispono sæcula omnia, quia ego sum primus et novissimus, sæcula omnia anteeo et sequor. Ego sum a quo omnia, in quem omnia, circa quem omnia. Hoc non faciunt idola et dii Gentium; hi enim ab ipsismet fabricantur et sculpuntur: ergo suis fabris sunt iuniores, quomodo ergo sunt primi et novissimi? quomodo sæcula omnia, imo sui cultum, et cultores ab exordio ordinare potuerunt? Septuag. vertunt: *Ego Deus primus, et in ea quæ ventura sunt ego sum*, q. d. Fui, sum, et ero omni ævo, sum æternus. Ita quoque ad B æternitatem Dei hæc retulit Chaldæus.

Sic Plato lib. 4. de Legibus, ait vetus esse de Deo proverbium, quod ipse rerum omnium principium, medium et finem contineat et complectatur. Sic Theocrit. in encomio Ptolemæi ait:

Inter homines Ptolemæus vocetur primus, ultimus et medius.

Ad verbum hebr. habent: *Ego Dominus primus et cum novissimis ego ipse*, subaudi futurus sum, q. d. Primus sum, quia omnia creavi: et post novissima, postque consummationem sæculi ero: sum novissimus, sum æternus, sine principio et fine. Ita Vatabl. Ac consequenter sum α et ω, sum rerum omnium summa, sum universi prora et puppis, caput et calx. Omnia proficiscuntur a me, velut a fonte, et ad eumdem omnia referuntur, tamquam ad felicitatis portum. Hinc illud Virgilii: *A te principium, tibi desinet.*

VIDERUNT INSULÆ, ET TIMUERUNT.) q. d. Gentes re- Vers. 5.
C motæ audientes victorias non tantum Abrahæ, sed et Mosi in transitu maris Rubri, et deserto, ac Iosue in Chanaan, aliisque eorum posteris concessas, agnoverunt Dei Hebræorum potentiam, eumque perculsæ timuerunt, ut patet Exodi 15. 15. et Iosue 5. 1. Attamen ex inveterata consuetudine perstiterunt in sua idololatria, et æternum persistunt, ad eamque tuendam se invicem adhortantur; cumque nihil habeant quo sua idola solide tueantur, quoque eorum divinitatem astruant, ut aliquid firmitatis habere videantur, eorum simulacrum ex se futile et ruiturum componunt ex forti materia, atque operiunt laminis et clavis connectunt et solidant.

Qui hæc ad Christum referunt, sic explicant: Gentes viderunt gloriam et miracula Christi, et per ea ad Christum accesserunt, cesseruntque Evangelicæ prædicationi et victoriæ verbi Dei. Ita S. Cyrillus. Hieron. Procop. Haymo, Adamus et S. August. lib. de Unit. Eccles. c. 7. Verum quia sequitur: *Unusquisque, etc. fratri suo dicet: Confortare*, ut scilicet facias idolum; hinc melius hæc accipias de Gentibus, quæ ad Christi et Evangelii famam D excitæ pro suo gentilismo contra Christum insurrexerunt, uti fecerunt omnes pene Imperatores primis trecentis Ecclesiæ annis usque ad Constantinum.

CONFORTARE.) Est vox idololatrarum volentium sua idola contra Deum, suam divinitatem et potentiam tot victoriis et miraculis ostendentem, fortiter tueri, ad idque atque eorum fabricam firmam ac elegantem invicem se animantium, ut strenue et fortiter omnes simul idolo fabricando et stabiliendo insistant. Patet ex sequentibus. Pari modo post Christum et contra Christum, fecerunt idololatræ, ut patet Actor. 19. 27. in fabris Dianæ Ita Lyran. Arias, Forer. et Vatablus.

CONFORTAVIT FABER.) q. d. Faber unus ærarius qui Vers. 7.
malleo utitur et incude, id est malleator, fabrum alium, socium vel administrum suum, qui pariter idem cudebat idolum (sicut enim quædam idola conflabantur ex liquefacto metallo, quædam compingebantur, sic et quædam

cudebantur malleo super incude) adhortatus est, ut simul animose et alacriter pergerent in fabricando et concinnando idolo, utque partes eius glutino unirent, dicendo per modum laudantis et adhortantis: *Glutino*, id est, *de glutino* (hoc est enim hebr. לדבק *laddebec*) *bonum est;* Septuag. *Bona est solidatio;* græce, σύμβλημα, id est *commissura* aut *conflatio;* Symmach. Aquila, et Theodot. εἰς κόλλησιν καλόν ἐστιν, *ad conglutinationem bonum est.* Eia ergo glutino hoc utamur, et optime idoli partes connectamus; ac tandem idolum ita concinnatum clavis parieti affixit, ut firmum esset ac immobile. Summa est, q. d. Faber fabrum, malleatur malleatorem confirmabat et incitabat ad tuenda et fabricanda idola.

Vers. 8 Et tu, Israel, serve meus.) Ostensa Gentilibus idolorum vanitate, quod suis cultoribus nil opis et auxilii conferre possunt, convertit se Deus ad Israelitas cultores suos, eosque in suo cultu, fide et spe confirmat, promittens se eorum, æque ac Abrahæ fore Deum et protectorem.

Allegorice, per Israel, spiritualem intelligit, scilicet Christianos, qui imitantur avitam fidem Abrahæ et Israelis, hoc est Iacobi; ad eos enim sensim assurgit, imo de iis ad litteram hæc accipiunt S. Cyrill. Hieron. Theodor. Euseb. Papa, ep. 1. decretali, et S. August. lib. de Unit. Eccles. c. 7. Vide canon. 8. et 22. q. d. Ego Christianos non tantum in Iudæa, sed ubilibet inter extremas gentes agentes apprehendi, et per omnia adversa, ærumnas, hostes et pericula incolumes servavi, protexi et velut manu duxi, quasi amicos meos, quibus summum amorem, affectum, curamque paternam exhibeo. De quo affectu et cura Dei in suos fideles agit Propheta per sex capita sequentia. quibus mire Apostolos, nosque fideles consolatur et in spem erigit contra omnes afflictiones, tentationes et martyria, animatque ut in iis libere verbum Dei prædicemus. Ita Patres iam citati.

Vers. 9. In quo apprehendi.) Septuag. Chald. Vatabl. Forer. et alii clarius vertunt: *Quem* (scilicet Israelem) *apprehendi.* Sed idem est sensus, imo significantior, si vertas cum Nostro, *in quo*, scilicet Abrahamo, q. d. Quando ab extremis terræ, id est, ex remota Chaldæa, evocavi Abrahamum, in eo simul filios evocavi, et apprehendi totam eius posteritatem.

Vers. 10 Et suscepit te dextera iusti mei.) Hebr. *iustitiæ meæ*, q. d. Ego suscepi te dextera mea iusta et fideli; qua enim fidelitate suscepi et protexi Abrahamum, eadem suscepi et protexi posteros eius, uti Abrahæ promiseram. Ita Sept. Chald. Vatabl. et Forer.

Verum vox *iustitia* accipi potest pro *iusto*, uti accipitur v. 2, et eodem redit sensus. Quocirca per *iustum* Lyran. Mosen, Hugo Cyrum, S. Hieron. Haymo et alii Christum, magis genuine ad litteram S. Thomas et alii Abrahamum accipiunt: de eo enim egit v. 2. huc usque. Ita tamen ut per Abrahamum assurgat et tendat ad Christum. Solent enim Prophetæ sensim assurgendo a typo ad antitypum, ab umbra ad veritatem, tandem utramque sensu litterali amplecti, uti hic utramque amplectitur. Vide can. 5. De utraque ergo hæc et sequentia ad litteram cum Forerio explicabo, q. d. Qua dextera Abrahamum, et multo magis Christum suscepi, eadem suscepi eorum filios et posteros, qui in iis, quasi in parentibus suis, eorumque lumbis continebantur. Ubi ergo Abraham, pariter et Christus, Deo porrexit dexteram, id est Dei cognitionem et fidem amplexus est, eiusque opi, gratiæ et ductui se suosque commisit; in ea dextera Deus totam eius familiam amplexus est. Ita Forer. Sanchez et alii.

Ego tecum sum: ne declines.) Septuag. vertunt: *Tecum enim sum, non fallo.*

Vers. 11. Ecce confundentur.) Deo suos tuente, et pro iis pugnante. Hæc ergo sunt quæ Deus in fidelium suorum hostes intorquet. pudor, ignominia, perditio, ac omnimoda consumptio et abolitio, uti abolevit Pharaonem et Ægyptios in mari Rubro, Chananæos in terra promissionis.

Erunt quasi non sint.) Erunt res nihili, mox nihilum futuri.

A Et veluti consumptio. velut id quod consumptum et deletum est, erunt homines bellantes (sic enim legendum cum Roman. et Hebr. non *hominis bellantis*, uti legunt nonnulli) adversum te. Vers. 12.

Apprehendens manum tuam.) Id est te animans, adiuvans, corroborans ut hostes tuos omniaque contraria vincas; hoc enim apud homines fieri solet apprehensa dextera, quæ proinde horum æque ac fœderis et amicitiæ symbolum est. Ita Vatabl. et Forer. Vers. 13.

Noli timere, vermis (Vatabl. *vermicule*) Iacob.) Historice et typice Iudæos afflictos ab Assyriis, et paulo post vastandos a Nabuchodonosor, ait S. Thom. Hugo, Lyran. Vatabl. et Forerius; antitype vero Apostolos et Christianos (imo de his ad litteram accipiunt S. Hieron. Haymo et Adamus) tum ob paucitatem, tum ob contemptum et humilitatem vocat vermiculum, v. g. lumbricum, aut teredinem, qui lignum corrodit. Similes enim sunt Christo, qui dicit: *Ego sum vermis, et non homo.* Rursum: *Sicut vermis terram penetrat, ita sermo Apostolicus penetravit Gentium civitates et ingressus est corda prius durissima.* ait S. Hieron. unde sequitur: *Qui mortui estis ex Israel*, q. d. Qui afflicti estis et contempti (unde Septuag. vertunt: *Parvule Israel;* Forer. *Pusille Israel*) exsules et extorres, ut quasi pro mortuis habeamini, imo a tyrannis morte mulctemini. Sic Iob 25. 6. dicitur: *Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis.* Et huc proprie respicit Isaias, scilicet ad lumbricum, v. g. qui pedibus calcari et exteri solet. Hic enim notat hominem vilem, infirmum, afflictum et conculcatum. Et 2. Reg. 23. 8. Iesbaam, sive sedens in cathedra, primus inter fortes Davidis, vocatur *tenerrimus ligni vermiculus.* Huc allusit Christus Luc. 12. 32. dicens: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum;* et Paulus 1. Cor. 4. 9. *Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos.* Simili figura Ezechiel c. 37. 12. Iudæos captivos in Babylone vocat *ossa arida*, et mortuos degentes in sepulcris. Vers. 14. Vermis Ia'ob quis?

C Ego posui te quasi plaustrum triturans novum.) q. d. Videris, imo es vermiculus, et cadaver; sed ego te elevabo et roborabo, ut sicut plaustra dentatis et serrantibus rotis aut tribulis armata segetes conterunt et triturant, id est grana excutiunt (uti fiebat in Palæstina, et etiamnum in aliquibus regionibus fit) ita et tu tritures montes et colles, id est reges et tyrannos; hos enim Israelitæ in typo subiugarunt, Apostoli vero in veritate verbo Dei pedibus suis subiecerunt, *Destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei*, 2. Cor. c. 10. 5. Apostoli enim hostes potentissimos et elatos quasi montes, vel contriverunt uti dæmones; vel subegerunt frangendo eorum superbiam, et convertendo eos ad Christum, uti infideles, quos humillimos reddiderunt, et quasi pulverem pedibus et præceptis piscatorum subditos. Ita S. Hieron. Cyrill. et Theodor. Vers. 15.

Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt.) Historice et typice Deus Hebræis in deserto et alias hæc D ipsa præstitit; desertum enim illis egentibus non fuit desertum, sed quasi paradisus deliciarum: non defuerunt aquæ, nec panis de cælo, et pro umbrosis arboribus columna nubis castra obumbrans; imo cum miraculo non uno loco eruperint fontes quasi flumina, quæ tota Hebræorum castra sitientia satiarunt, quis dubitet quin cedrus, myrtus, olea et cæteræ arbores, quas hic nominat Propheta, illic creverint tot annorum spatio, ait Forer. Quod si cui novum, incertum et durum hoc videatur, is cum Sanchez hæc figurate accipiat, ut tantum significent summam felicitatem, q. d. Deus Hebræos post stragem Sennacherib, post reditum e Babylone ita amplectetur indulgenter ac molliter, ac si in deserto arenti produceret flumina, cedrum, myrtum, aliasque arbores fructiferas et odoriferas, uti patribus eorum in deserto (eo enim alludit) dedit aquas largissimas e petra, quam Moses in colle Horeb virga percussit, Exodi 17. 6. Quinimo ad litteram post sitim et inopiam, quam passi sunt in Babylo- Vers. 17.

ne Hebræi, cum inde redierunt, dedit eis Deus largum imbrem, ut patet Zachar. c. 10. 1. idque quia speraverunt in Deo, non in idolis.

Antitype vero, et spiritualiter longe verius hæc Apostolis Christique discipulis conveniunt; his enim Deus genus illud vitæ Christianæ et Apostolicæ asperum et horridum, in delicias cælestes vertit, et tristitiam eorum in gaudium et consolationes cælestes commutavit. Hoc est quod eis promiserat Christus, quod *flumina de ventre credentium in se orientur*, quodque ipsimet se expertos profitentur, cum aiunt: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus*, 2. Cor. c. 4. 8. et 6. 9. *Quasi morientes, et ecce vivimus; quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, et omnia possidentes.*

Rursum, *egeni et pauperes*, q. d. Peccatores miseri et captivi a diabolo quærebant animæ suæ refrigerium et liberationem; sed non inveniebant, nec in lege Mosis, nec apud Philosophos; sed ego hanc eis præstabo per Christum. Ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. et Procop.

Vers. 18. Aperiam in supinis (ita legendum cum Roman. non *supremis*) collibus.) *Supinis*, id est acclivibus et montosis. Unde Horat. l. 1. Carm *Seu mihi*, ait, *frigidum Præneste, seu Tibur supinum.* Tibur enim urbs fuit in ascensu collis, quem Roma quotidie spectamus, posita, cuius et hodie ruinas, imo vicinam urbem, novumque Tibur cernimus. Unde Sept. vertunt *in montibus;* Hebr. vox שְׁפִי *scephi* significat præcipitium, q. d. Faciam ut in locis peccato aridis, sterilibus, præruptis et inviis abundet gratia, donaque Spiritus sancti. Ita Procop. S. Hier. Cyrill. et Basil. in illud Psalmi 28. *Vox Domini concutientis desertum.* Alludit ad flumina quæ e montibus oriri solent, uti Rhenum, Mosam, Œnum, aliaque in Alpibus oriri cernimus.

Vers. 19. Dabo in solitudinem cedrum.) q. d. Faciam ut hactenus inculta Gentilitas, Apostolica prædicatione exculta, arbores virtutum pulcherrimas, pariter et fœcundissimas proferat. Ita S. Cyrill. Procop. Theod. et S. Hieron. qui ait: *Manus Domini perfecit, ut in ariditate Gentium invenirentur fluenta virtutum, et in terra quondam deserta plenaque salsuginis, cedrus, cyparissus, et aliæ arbores nascerentur; quarum sublimitatem et verticem ad cælestia festinantem illuminaret lignum olivæ, quod nutrimentum lucis est, et laborantium requies.* Hæc etiam hodie in Iapone, Brasilia, China aliisque Indiarum provinciis impleri magna animi lætitia conspicimus.

Sic et S. Greg. hom 20. in Evang. *Cedri*, ait, *sunt quorum corda ita in æterno amore solidata sunt, ut eadem iam terreni amoris putredo nulla corrumpat. Spinæ, qui corda audientium pungunt, sicque mentem dolore compunctionis perforant. Myrti, qui proximorum tribulationem per compassionem temperant. Olivæ sunt misericordes. Abietes sunt, qui in terrenis corporibus positi cælestia contemplantur. Ulmi quæ vites sustinent, sunt sæculares qui sanctos viros donis spiritalibus plenos sua largitate sustentant. Buxi, qui licet ex ætatis infirmitate bona opera ferre non valent, tamen parentum fidelium credulitatem sequentes, fidem perpetuæ viriditatis tenent.*

Et spinam.) Hebr. est שִׁטִּים *scitim*, quæ est arbor in deserto odorata et imputribilis, omnesque arbores tam in nitore quam in fortitudine superans; quoad speciem similis spinæ albæ: unde Noster *spinam* vocat; ex qua arca, tabernaculum eiusque vasa fabricata sunt. Ita S. Hier. Vide dicta Exod. 25. 10.

Ulmum.) *Ulmus* tum ad alia valet, tum ad maritandas vites. Hebr. est תִּדְהָר *tidhar*, quod aliqui pinum vertunt, ita dictam a splendore, quem, si accendatur, edit. Radix enim זָהַר *zahar*, significat splendere. Unde ab Hebræo *tidhar* Forer. Latinum *tæda* deducit. Littera enim zain valet *ds*, unde sæpe cum dalet sive d. commutatur uti fit in tota coniugatione Hitpael.

Buxum.) *Buxus* hebr. vocatur תְאַשּׁוּר *theaseiur* a felicitate, quia semper viret, et foliis luxuriat. Ita Forer.

Prope facite iudicium vestrum.) q. d. Ego argumenta meæ divinitatis hucusque proposui: vos, o Gentes, si quid habetis pro idolis vestris, nunc proferte. Ita S. Hieron. et Cyrill. Vers. 21.

Si quid forte.) Si quod forte, osseum et validum habent argumentum pro idolorum suorum divinitate promant. *Forte* enim hic nomen est, non adverbium: Hebr. enim עַצְמוֹת *atsamot*, id est ossa, vocant argumenta, et confirmationes validas, quas quisque pro se suaque causa in iudicio profert: hæc enim in causa et oratione sunt, quod ossa et nervi in corpore. Unde Septuag. vertunt, φερετε εις μεσον τα ισχυρα υμων, *afferte in medium fortia vestra;* Theodotion, κραταιωματα υμων *robora et firmamenta vestra.*

Dixit rex Iacob.) Studio vocat Deum regem Iacob, ut suggillet deos Gentium, quæ cum iis cultum quasi diis exhibeant, ab eis tamen neque reguntur, neque defenduntur, sicut Israelitæ a Deo suo.

Priora quæ fuerunt nuntiate: et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum.) Το *eorum* non refert idola, sed το *priora:* in Hebr. enim utrobique est genus fœmininum. Compellat Deus hic ipsamet idola, cum iisque disceptat, q. d. O idola, o saxa, o stipites, o trunci, si estis dii, ostendite vestram divinam omniscientiam, aut saltem scientiam priorum et præteritorum, nuntiate initia rerum, principia mundi et divinitatis. Dicite quid Deus a principio et ab æterno fecerit, cogitaverit, decreverit; inde *ponemus cor nostrum*, id est, intelligemus, et *sciemus* vos quoque scire *novissima eorum*, id est, ea quæ post illa priora iam dicta sequentur et evenient; inde cognoscemus vobis inesse aliquid præsagum et divinum. Ita Origen. lib. 4. Periarchon, c. 2. Hic sensus planus est et facilis. Licet enim dæmones, qui per idola subinde loquuntur, sciant initia mundi (illa enim viderunt, sunt enim creati simul cum cælo et terra) tamen nesciunt initia divinitatis. Vers. 22.

Rursum, loquitur Propheta ipsis idolis ligneis et saxeis, quæ per se, et ordinarie muta æque ac amentia sunt: rarius enim contigit dæmonem per ea loqui.

Secundo, Sanchez sic explicat, q. d. Nuntiate, o Gentes, ea quæ prædixerunt dii vestri, et *ponemus cor nostrum*, id est, considerabimus et expendemus *novissima*, id est successus et eventus eorum, et ex eventu iudicabimus an vera sint locuti. Idem alium affert sensum, q. d. Priora idolorum considerate, et videbitis novissima, scilicet quod sicuti ex nihilo sunt facta, ita et in nihilum redibunt, quodque uti ex terra sunt fabricata, ita et in terram revertentur.

Tertio, Forerius sic exponit, q. d. Ex rebus quas Deus cum Abraham aliisque patribus nostris operatus est miraculose, licet coniectare quem finem res illæ habituræ quoque sint, tamquam ex umbris veritates, uti exposui v. 8. et 14. nimirum Deum, sicut affuit Abrahæ, ita et posteris eius affuturum. Pari modo, si qua priorum et præteritorum, o Gentiles, nobis annuntiaveritis, quæ dii vestri divine operati sunt, colligere poterimus eorum novissima, id est, exitum et finem divinum quoque fore. Hic sensus apte respondet iis quæ supra v. 2. de benevolentia Dei erga Abraham eiusque posteros recensuit; et v. 9. c. seq. ubi hanc cum idolis disceptationem concludit.

Denique S. Cyrill. et Theodor. accipiunt *priora* et *novissima* idolorum, q. d. Dicite, o idola, o Gentium dii, priora vestra, id est, vestri originem et initium, quomodo, quando, et a quibus fabricati sitis; prædicite et novissima vestra, scilicet, quid eventurum sit vobis, an et quando demoliendi sitis. Atqui hoc non potestis; ergo ignorantes estis, non dii. Verum sic dicendum fuisset: *Scimus novissima vestra*; iam autem dicit, *eorum*: quod ad idola referri nequit, uti ostendi.

Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.) Aliud divinitatis et omniscientiæ idolorum poscit signum, scilicet præscientiam et prædictionem futurorum. *Testimonium enim divinita-* Vers. 23.

Testis divinitatis est veritas divinationis.

tis est veritas divinationis, ait Tertull. Apologetici c. 20. Ergo animæ humanæ non inest vis divinandi et vaticinandi, uti multi opinati sunt, quos citavi et refutavi Canon. 24. in Minores Prophetas. Hinc ex hoc loco docent Theologi, Deum, uti per se solus est cardiagnostes, sive conscius cogitationum et volitionum liberarum, quas mens in seipsa occultat, nec eloquitur aut prodit: ita solum certo prænosse futura contingentia, et libera. Proprie enim solum contingentia sunt, ea quæ libera sunt, vel a libertate alicuius pendent: quæ enim mere naturalia sunt, determinata sunt, ideoque necessario eveniunt; unde non sunt contingentia: quocirca ab eo qui totam seriem causarum naturalium videt et penetrat, certo prædici possunt, uti sunt eclipses, cometæ, venti, inundationes, pestilentiæ, etc. Libera vero quia ab arbitrio voluntatis pendent, indeterminata sunt; unde præviderì et prædici nequeunt, nisi a Deo, qui hominum et angelorum mentes ac voluntates penetrat et comprehendit, atque certissimo scit et prævidet, quid quæque voluntas, positis quibuslibet circumstantiis, libere sit volitura, electura vel factura.

Sola libera sunt contingentia.

Ratio cur Deus prævideat futura contingentia, est eius infinita vis intelligendi.

Ratio ergo cur Deus præsciat et prævideat futura omnia, est infinita eius acies et vis cognoscitiva, infinitus intellectus, infinitum lumen eius, quod omne verum ubicumque sit, videt et penetrat. Est enim Deus quasi sol quidam omnia videns, omnia lustrans. Sicut ergo lyncei in monte positi, longissime vident; sunt enim acutissimo visu: ita Deus ex altissimo æternitatis suæ monte et specula, videt omnia quæ in hac mundi valle per omnia tempora fiunt et fient. Rursum, sicut qui stat in axe rotæ, videt omnes eius canthos omnemque eorum volubilitatem: ita Deus in æternitate, quasi in axe consistens, videt totum sæculorum omnium decursum. Omnia enim præterita, præsentia et futura volvuntur circa æternitatem Dei. Adde mundum hunc, et tempus omniaque quæ in eo sunt, vel fiunt, esse instar parvi globi, imo puncti, respectu Dei, eiusque immensitatis et omniscientiæ. Facile ergo totum quod in eo est a Deo pervideri potest: si enim quod fit in parvo cubiculo, totum ab homine qui in medio eius consistit, facillime pervidetur, multo magis a Deo conspicitur id quod fit in toto mundo.

Dices: Etiam dæmones sæpe prædixerunt futura. Resp. Id eos non ex certa scientia, sed ex coniecturis fecisse, ideoque fuit hæc non certa divinatio, sed probabilis tantum coniectatio. Sunt enim dæmones acri, et ad coniectandum subtili et sagaci ingenio. Modos, quibus id faciunt, recenset S. Aug. l. de Divinat. dæmon. Quocirca in hac coniectatione sæpe errarunt, vel falsa veris miscuerunt; hinc etiam sæpe ambigue responderunt, ut in utramque partem eorum oracula accipi possent: unde Apollo dictus est Loxias, id est obliquarius. Tale fuit illud eius ad Pyrrhum regem, a quo consultus erat, an Romanos esset superaturus nec ne:

Dæmonis oracula falsa, vel ambigua.

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Et ad Crœsum: *Crœsus transgressus Halym maxima regna perdet.* Perdere enim tam amittere, quam vastare significat. Ita S. Hier. et Cicero l. 2. de Divin.

Porro dæmonem in sua coniectatione falsum esse et fefellisse multos exemplis doceri potest. Accipe pauca. Illustre est exemplum Achab regis, cui, cum omnes pseudoprophetæ et divini victoriam contra Syros prædicerent, solus Michæas contrarium, scilicet cædem et necem, quæ vere ei contigit, prædixit. Historiam vide 3. Reg. c. ult. Simile fuit vaticinium Hananiæ, qui Iudæis liberationem ab obsidione Chaldæorum et victoriam promisit: contrarium enim, idque vere prædixit Ieremias, qui et idcirco Hananiæ mortem iussu Dei intentavit. Ierem. 28. 26.

Dum de Ferrandi Flandri fortuna mater ariolos consuleret, hoc ab eis oraculum accepit: *Rex in prælio cadet, pedibus hominum atque equorum calcabitur, nec sepelietur; Ferrandus vero a Parisiensibus iucundissime excipietur.* Verum secus evenit. Nam in bello contra Philippum Francorum regem captus Ferrandus Parisios ducitur et carceri includitur, anno Christi 1211. Ita Robert.

A Gaguinus l. 6. histor. Francorum.

Simile de Merovæo recensui cap. 8. in fine.

Cato maior dicere solebat, *demirari se quod aruspex aruspicem aspicere posset sine risu*, quia pervidebat totum hoc divinationis genus imposturam esse qua populo fiebat fucus. Solent enim impostores inter se ridere multitudinis stultitiam.

Denique nervose et eleganter S. Cyprianus de Vanitate idolorum: *Hi*, inquit, *spiritus* (dæmones) *sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflata suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt. Nam et falluntur et fallunt, vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam in corporibus occulte mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium et rogis pecorum saginati, remissis quæ costrinxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela, cum illorum cessat iniuria: nec aliud illis studium est* B *quam a Deo homines avocare, et ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis avertere; cum sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint errore participes. Hi tamen adiurati per Deum verum a nobis, statim cedunt et fatentur, et de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce et operatione maiestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari.*

Bene quoque aut male, si potestis, facite.). Aliud argumentum divinitatis ab idolis exposcit, scilicet beneficium in suos cultores, et vindictam in contemptores, uti se fecisse Abrahamo et posteris ostendit Deus v. 2. Sic Gedeon Iudic. c. 6. 32. ait: *Si Deus est* (Baal) *vindicet, se de eo, qui suffodit aram eius.* Impotentiam hanc idolorum multis exaggerat Baruch c. 6. v. 52. et seq.

Ecce, vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex Vers 24.
eo quod non est.) Obmutescentibus idolis Deus contra eos causam perurget, et quasi victor victis insultat, C q. d. Quid laboro? quid argumenta conquiro? Vos stupidi et muti estis, sine lingua, sine mente, sine viribus, imo nihilum estis, tantum abest ut bene cupiam vel male possitis facere. Porro, ex nihilo, et consequenter nihilum sunt idola, sive eorum materiam spectes: hæc enim cum reliquis rebus a Deo ex nihilo creata est: sive formam, puta divinitatem, q. d. Divinitas vobis, o idola, non est forma, sed larva afficta; fictitii estis dii; ortum habetis non ab aliqua veritate, sed ab inani, stulta et sacrilega imaginatione, et adulatione quorumdam hominum: nihil ergo habetis veri numinis: omnia vestra plena sunt fucis et mendaciis; mentimini vos esse deos. Hoc sensu dixit Apostolus: *Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus*, 1. Corinth. 8. 4.

Nota: Pro eo quod Noster vertit, *ex eo quod non est*, hebr. est מאפע *meapha*, quod S. Hieron. Chald. et Vatabl. vertunt *ex nihilo*, sive *ex eo quod non est*; Forer. et Forsterus vertunt, *præ sibilo*, a radice פעה *paa*, id D est, *sibilavit*, q. d. Opera vestra inania et nulla prorsus sunt, et minus habent ponderis quam sibilus quidam.

Nota secundo: *Opus* hic dupliciter accipi potest. Primo, passive, *opus vestrum*, scilicet, quo vos idola facta estis, q. d. Fabrica vestra, id est, vos ipsa quæ estis opus et fabrica hominum stultorum, estis ex eo quod non est, id est, ex nihilo. Idem enim videtur esse, *Ecce vos estis ex nihilo*, quod, *Opus vestrum ex eo quod non est*, scilicet, q. d. Estis ex nihilo, ac proinde nihil. Posterius enim hemistichium, more Hebræo, explicat prius. Simili modo v. ult. cum ait: *Vana opera eorum*, idem est cum eo quod subdit: *Ventus et inane simulacra eorum.*

Secundo, *opus vestrum* active, quod scilicet vos facitis et operamini, q. d. Opera vestra sunt ex nihilo, id est, nihilum sunt, nulla sunt, quia nihil potestis operari, nihil bene vel male facere, ut ait v. præced. Prior sensus magis planus et genuinus ex phrasi Hebræa videtur: posterior tamen sequitur ex priore, eumque complet: quod enim nihil est, nihil potest operari, nihil opis afferre.

Abominatio, id est abominabilis, **est qui elegit vos.**) Qui vos colit. Hoc est quod ait Osee c. 9. v. 10. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

Vers. 25. Suscitavi ab Aquilone, et veniet ab Ortu solis.) S. Thom. Lyran. Vatablus et Hugo, hæc accipiunt de Cyro: hunc enim Deus suscitavit Hebræorum columen ex Perside, quæ Iudææ partim est Aquilonaris, partim Orientalis.

Verum melius Forer. et Sanchez hæc accipiunt de Abrahamo. Est enim hic dictorum anacephalæosis, et conclusio, q. d. Me ergo colere deberet orbis, quia feci, quæ in præcedentibus recensui, quæque audistis, nimirum vocavi Abrahamum ab Oriente, scilicet e Chaldæa, et e Septemtrione, scilicet e Mesopotamia: de quo, cum fuerit nominis mei cultor, et me solum pro Deo coluerit, cumque ipse per se, et per posteros suos reges potentes debellarit et conculcarit quasi lutum, nemo dubitare potest, quin id meis viribus fecerit. Symbolice, hæc accipe de Christo, q. d. Suscitavi, id est suscitabo, Christum, qui adventu suo Aquilonem, id est frigidas gentes, ortu suo calefaciet, quique magistratus id est omnes superbos mundi principes, conculcabit, et subdet sibi quasi lutum figulo, ut faciat ex eis vasa alia in honorem, alia in contumeliam. Ita S. Hieron. Cyril. Procop. Theodor.

Vocabit nomen meum.) Dupliciter: primo, q. d. Colet et invocabit nomen meum; secundo, q. d. Vocabitur nomine meo, id est, meus servus et cultor: *vocabitur*, id id est, vocatus est, vocatur, vocabitur, iuxta Canon. 13.

Adducet; Forer. *invadet*, **magistratus.**) Hebr סגנים *seganim*, id est, magnates, principes et reges, sicut plastes, id est figulus, invadit et subigit lutum.

Vers. 26. Quis annuntiavit.) q. d. Quis ex vobis, o idola, harum rerum ordinem prævidit et prædixit? ut in hac disceptatione et iudicio pro eo sententiam feramus, dicamusque, *Iustus es*, id est, tua causa iusta est, ius a te stat, iuste Deus haberis et coleris. Alii *iustus*, id est *Deus, es.* Deo enim propria est iustitia; unde eius titulus est: *Iustus Israel.* Alii, *iustus*, id est, *verax Propheta es*, quia hæc prædixisti.

Neque audiens sermones vestros.) O idola, q. d. Muta estis saxa et ligna; ergo nullus est testis, qui dicere potest se a vobis quidpiam audiisse et didicisse de futuris.

Vers. 27. Primus ad Sion dicet, Ecce adsunt (sic legendum
A cum Roman. et Hebr. non *adsum*) q. d. Non idola, sed primus omnium Deus, id est, ego ipse (est enim enallage personæ frequens Hebræis) dicam Sioni: Ecce adsunt qui tibi futura prædicant: **et Ierusalem evangelistam dabo.**) Id est lætum nuntium, scilicet Isaiam, aliosque Prophetas, qui quasi Evangelistæ, ei, quæ futura sunt, maxime de Christo, Christique Evangelio, salute ac regno annuntient: hoc est enim, quod dixit cap. 40. 9. *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion.*

Rursum *ecce adsunt*, id est brevi aderunt prophetarum successores Apostoli et Evangelistæ, qui ventura sub Christo, et per Christum, bona annuntient, imo digito ostendant. Hi enim dæmones et idola eiicient, eruntque Hierosolymæ, imo toti orbi, Evangelii præcones, ut eum in viam veritatis vocent, ut habent Sept. hoc enim est, quod mandat eis Christus Luc. ult. vers. 46. *Oportebat Christum pati, etc. et prædicari in nomine eius pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Ita S. Hieron. et Theodor. Innuit hic Isaias, Christo veniente cessatura et tacitura omnia dæmonum oracula. Tum enim, et deinceps omnia siluisse, patet ex historiis. Unde Plutarch. scripsit librum de
B Oraculorum defectu.

Et vidi, et non erat neque ex istis.) Scilicet idolorum Prophetis et cultoribus. Sunt verba Isaiæ, qui videns, nec idola, nec Gentes quidquam ad Dei cum eis disceptantis argumenta respondere posse, aut consultare de responsione adornanda, concludit: Vers. 28.

Ecce omnes iniusti.) q. d. Dii, qui a stultis Gentibus coluntur, æque ac Gentiles, sunt iniusti, id est, iniustam Vers. 29
et iniquam causam fovent, causa cadunt, et condemnantur; τὸ enim *iniusti* opponitur ei, quod dixit v. 26. *Iustus es.* Rursum sunt iniusti, quia a suis cultoribus quasi dii emungunt aurum et opes, pollicendo opem quam non præstant: opera enim eorum vana sunt, hoc est, ut sequitur, *ventus et inane simulacra eorum.* Vide dicta v. 24. Omissis ergo ipsis transit in sequenti c. ad Deum, Deique opera admiranda, quæ eum facturum prævidebat sequentibus sæculis, maxime sub Christo; ita tamen, ut subinde ad idola redeat, eaque perstringat. Pro *inane* hebr. est תהו *tohu*, id est, ut Vatabl. *res informis;* alii *chaos*, id est, res confusa et inanis. Vide dicta Genes. 1. 2.

CAPUT QUADRAGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit Christum, qui erit in fœdus populi, et in lucem Gentium, cuius modestiam, misericordiam et æquitatem describit. Unde secundo, v. 10. omnes Gentes quibus tanta parata est salus, ad Dei laudes invitat. Tertio, v. 15. idola et lucos se destructurum denuntiat. Quarto, v. 18. ad Iudæos conversus, proponit eis recentem cladem et excidium decem tribuum, monetque eos, ut a peccatis ad Deum se convertant, ne similem Dei vindictam experiantur.

1. Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum
super eum, iudicium gentibus proferet. 2. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox
eius foris. 3. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet: in veritate educet
iudicium. 4. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium: et legem eius insulæ expectabunt. 5. Hæc dicit Dominus Deus, creans cælos, et extendens eos: firmans terram, et quæ germinant ex ea:
dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam. 6. Ego Dominus vocavi te in iustitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium: 7. Ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. 9. Quæ prima fuerunt ecce venerunt:
nova quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciam. 10. Cantate Domino canticum novum, laus
eius ab extremis terræ: qui descenditis in mare, et plenitudo eius; insulæ, et habitatores earum. 11. Sublevetur
desertum, et civitates eius: in domibus habitabit Cedar: laudate habitatores Petræ de vertice montium clamabunt.
12. Ponent Domino gloriam, et laudem eius in insulis nuntiabunt. 13. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir
præliator suscitabit zelum: vociferabitur, et clamabit: super inimicos suos confortabitur. 14. Tacui semper, silui,
patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo, et absorbebo simul. 15. Desertos faciam montes, et colles, et omne
gramen eorum exsiccabo: et ponam flumina in insulas, et stagna arefaciam. 16. Et ducam cæcos in viam, quam

nesciunt, et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta: hæc verba feci eis, et non dereliqui eos. 17. Conversi sunt retrorsum: confundantur confusione qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili: Vos dii nostri. 18. Surdi audite, et cæci intuemini ad videndum. 19. Quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui venumdatus est? et quis cæcus, nisi servus Domini? 20. Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? 21. Et Dominus voluit ut sanctificaret eum, et magnificaret legem, et extolleret. 22. Ipse autem populus direptus, et vastatus: laqueus iuvenum omnes, et in domibus carcerum absconditi sunt: facti sunt in rapinam, nec est qui eruat; in direptionem, nec est qui dicat: Redde. 23. Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat et auscultet futura? 24. Quis dedit in direptionem Iacob, et Israel vastantibus? nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis eius ambulare, et non audierunt legem eius. 25. Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum, et combussit eum in circuitu, et non cognovit: et succendit eum, et non intellexit.

Vers. 1. ECCE SERVUS MEUS, SUSCIPIAM EUM.) *Servum* alii accipiunt Iacob, alii Isaiam, alii Cyrum: sed certum est ex Matth. 12. 18. intelligi Christum, qui servus est Dei, quatenus formam servi assumpsit factus homo. Licet enim idem, qua homo, sit filius Dei naturalis, quatenus scilicet humanitas illa subsistit in persona Verbi quæ est filius Dei naturalis; tamen idem est et servus ratione ipsius naturæ, puta humanitatis quam assumpsit, hæc enim est creatura, ac proinde serva sui creatoris. Vide D. Thomam et Scholast. 3. p. q. 20. Nota: Hebræum עבד *ebed*, non significat servum qui ex servili conditione serviliter servit, uti sunt mancipia; sed ministrum, qui dominum suum colit, eique in amplo officio et dignitate ministrat, uti duces et principes serviunt et ministrant regi, Cardinales Pontifici, Apostoli Christo. Sic enim S. Paulus se vocat servum, id est Apostolum Christi, uti dixi Philip. 1. v. 1.

Christus qua homo est filius, est et servus Dei.

Porro hæc connectuntur capiti præcedenti, hac ratione, quod ibi dixerit v. 2. 4. 23. et 27. se futura æque ac priora et præterita annuntiare et adducere: cumque illud ibi de præteritis, per ea quæ Abrahæ et Hebræis contulit, demonstrarit, nunc id de futuris scilicet Christo et posteris eius, quorum typus fuit Abraham et Hebræi, demonstrat. Hoc est enim quod ait v. 9. *Quæ prima fuerunt ecce venerunt: nova quoque ego annuntio.* Rursum dixerat c. præced. v. 27. se Sioni daturum Evangelistam; hinc hoc capite promittit Christum Evangelii conditorem, et Evangelistarum principem.

Septuag. vertunt: *Iacob puer meus, assumam eum: Israel electus meus: Iacob*, id est, Iacobita; *Israel*, id est Israelita, scilicet Christus ex Iacobo nasciturus. Sic de eo dicitur c. 49. 3. *Servus meus es tu, Israel, quia in te glorIabor.* Vide canon. 34. Huc allusit beata Virgo canens: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros*, Lucæ 1. 54. Pro *assumam* enim et pro *suscepit*, utrobique in Græco est idem verbum ἀντιλαμβάνω.

SUSCIPIAM EUM.) Hebr. אתמך *etmoch*, id est sustinebo, sustentabo eum quasi pater filium charissimum, summo amore æque ac cura et studio fovebo et fulciam eum. Chaldæus, *adero ei*, quasi comes, protector, imo dux et pædagogus. Sic Christus S. Ignatius fundatori Societatis Iesu, Romam eunti dixit, *Ego vobis Romæ propitius ero.* Dixit, et præstitit.

ELECTUS MEUS, COMPLACUIT SIBI IN ILLO ANIMA MEA.) *Electus* tum in ducem et imperatorem belli spiritualis, quod contra diabolum et peccatum geret, tum in filium dilectissimum: huc enim allusit Deus Pater, quando Christo baptizato intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. c. 3. v. 17.

DEDI SPIRITUM MEUM SUPER EUM.) *Spiritum* scilicet septuplicem, de quo c. 11. v. 2. Huius rei symbolo misit Pater in eum, dum baptizaretur a Ioanne, Spiritum sanctum in specie columbæ.

IUDICIUM GENTIBUS PROFERET.) *Iudicium*, id est, quod iustum est, puta iustas leges; secundo verum iustumque Dei cultum; tertio, veram iustitiam et sanctitatem, nimirum legem Evangelicam, quæ hæc tria complectitur, docebit et promulgabit per omnes Gentes. Vox ergo *iudicium* significat Christum fore novum iustitiæ, id est Evangelii, doctorem et legislatorem. Unde in sequentibus

A describitur eius æquitas, modestia, mansuetudo, misericordia et clementia. Ita passim Patres et interpretes hic et Matth. 12. præter Theodor. et Eusebium lib. 9. Demonst. c. 15. qui sic explicant, q. d. Christus prænuntiabit Gentibus futurum generale Dei iudicium, ut omnes sibi prospiciant, et ad illud se comparent. Hoc verum est, sed in sensu anagogico.

Notat Procop. Christi Evangelium vocari *iudicium*, quia Iudæi legem suam veterem vocabant *iudicium*: legi autem veteri quasi typo et umbræ successit Evangelium, quasi veritas. Unde maiori ratione veritas Evangelii vocatur *iudicium*, id est iustitia et iudicatio recti, quam umbra legis Mosaicæ: maiorem enim diviniorem et sublimiorem quam illa tradit iustitiam et perfectionem. Rursum Christus longe maior fuit legislator quam Moses. Hoc autem significat *iudicium proferet*, id est ius dicet. Est e-

B nim hæc phrasis regiæ et imperatoriæ potestatis periphrasis. Hinc etiamnum in Ecclesia Christus per suos Pontifices et ministros ius dicit. Unde cum principes et reges ipsi Christo nomen dederint, iudicia, ut par est, exercere, causas iuste iudicare, ac iuste ius reddere, non se existimabunt, nisi prius legem Christi consuluerint. Rursum cum reges Christiani inter se habent lites, iudicium a Christo, id est, eius in terris vicario, petant, illique stent et obediant, non autem armis ius sibi dicant. Ad hoc enim caput Ecclesiæ Christianæ post se in terris reliquit Christus.

NON CLAMABIT.) Non erit clamosus, nec contentiosus; Vers. 2.
unde Matth. c. 12. 19. vertit, *non contendet*. Docet hic Propheta, Christum fore mansuetissimum, et mansuetissimo modo docturum et recturum suos. Hoc enim significat trina eiusdem rei repetitio apud S. Matth. cum

C ait: *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.*

NEQUE ACCIPIET PERSONAM.) Nota, plures posse esse eiusdem loci S. Scripturæ, non tantum explicationes litterales, sed et versiones, ut alibi ostendi. Sic hic Hebr. לא ישא *lo issa*, id est, *non levabit*, S. Matth. subaudiens קולו *kolo*, id est, *vocem suam*, vertit, *non contendet*. Noster hic subaudiens פנים *panim*, id est, *facies*, hoc est *personam*, vertit, *non accipiet personam*. Utraque ergo hæc versio canonica est, et intenta a Spiritu sancto.

Tertio, Symmach. teste S. Hieron. vertens, *non decipietur*, legit ישה *iscia* per scin, a rad. *nascia*, id est *decepit*.

Quarto, Septuag. *non relinquet*, scilicet populum Iudæorum, legerunt ישה *iscia* per sein, a rad. נשה *nascia* id est, *oblitus est*. Porro iuxta nostram versionem in iu-

D dice Christo commendatur hic uti mansuetudo, ita et sinceritas et rectitudo, qua sine acceptione personarum ius cuique dicet.

CALAMUM QUASSATUM NON CONTERET, ET LINUM FUMIGANS NON EXSTINGUET.) S. Hier. per *calamum* accipit Vers. 3.
tibiam, sive fistulam, quæ prius canora, cum quassatur, hiulcum edit sonum, ideoque abiicitur. Verum melius generatim quemvis hic calamum accipias; nam S. Matth. *calamum* exponit *arundinem*.

Rursum, apposite Delrio adagio 772. per *linum* accipit myxam, sive ellychnium ex lino caligans, flamma nondum dominante, vel iam evanescente. Unde et Syrus pro *linum* vertit *lucernam*, puta ellychnium lineum lucernæ.

Vertit enim, et *lucernam fumigantem* (quæ iam iam exstinguenda est) *non extinguet;* et Arabicus, *lucernam quæ lucet non extinguet.* Sic enim sæpe materia ponitur pro re ex ea confecta, ut lina pro retibus, ferrum pro compede, lignum pro numella, aurum pro annulo aureo, argentum pro pecunia, lapides pro ponderibus.

Sic veteres, præsertim Romani, ellychnia lucernarum accensa non exstinguebant, sed ea per se languescere et deficere permittebant. Causas indagat et assignat Plutarch. Problem. Roman. 75. *An*, inquit, *quasi inexstinguibilis illius et immortalis ignis cognatum et affinem colentes? An et hoc quoque signi est, non oportere quod animatum sit, nisi nocead, corrumpere, neve interficere, quasi animal ignis sit? Nec immerito. Nam et alimento indiget, et per se movetur, et cum exstinguitur, vocem emittit. An hoc more docemur, non oportere nec aquam, nec ignem, nec eorum quidquam quæ ad usum pertinent, etsi abunde suppetant, corrumpere aut absumere, sed indigentibus utenda relinquere, cum ipsi iam illis opus non habeamus?*

Est ergo hic geminum proverbium, significans summam Christi mansuetudinem: homines enim calamum quassatum abiiciunt, quia inutilis est, et quia tenentem suis fracturis et aculeis pungit et lædit. Similiter linum, sive ellychnium non ardens et vix lucens, sed fumigans, quia nocet et oculis et naribus (fœtet enim) mox exstinguunt. Christus vero tantæ erit patientiæ, ut neutrum faciat, q. d. Christus erit tam patiens et mansuetus, ut calamum quassatum et linum fumigans, in quo adhuc aliquid luminis et ignis remanet, id est, infirmos et imbecilles in fide, spe et charitate, non abiiciat, nec contentiose, nec clamose increpet et opprimat, sed sua mansuetudine eos sustentabit, fovebit, sanabit et accendet. Ita S. Hier. Procop. Cyrillus et Hilar. in Matth. 12. Unde et S. Chrysost. interpretatur: *Christus hostes suos non ulciscetur.* Paulo aliter Maldon. q. d. Christus tam mansuete, quiete et attente ambulabit; ut etiamsi super arundinem quassatam ambularet, eam tamen non frangeret; aut, si super linum et stupam fumigantem incederet, eam tamen non exstingueret. Hunc esse sensum patet ex Matth. 12. 18. Nam cum Pharisæi invidentes miraculis Christi, consilium inirent ut eum perderent, Christus inde recessit, et plurimos ex eis qui ipsum sequebantur, sanavit, quibus mandavit, ne eum manifestum facerent, *ut adimpleretur*, inquit Matth. v. 17. *quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ecce puer meus quem elegi, etc. non contendet, etc. arundinem quassatam non confriget.* Pharisæi ergo erant arundo conquassata, sed quæ adhuc integritatis speciem retineret: quocirca Christus noluit eos exasperatos in furorem adigere, et omnino perdere: quod fecisset, si cum indignari eos videbat, in operatione sua perstitisset, neque inde abivisset, inquit Forerius: abiens vero et iniuriæ immemor, ægros (qui et ipsi erant calamus quassatus) ipsorum sanare perrexit. Ita S. Gregorius lib. 33. Moral. c. 3. *Calamus*, ait, *quassatus est genus regale, quod iam apud Iudæos defecerat: nam regnum eorum alienigena* (Herodes) *possidebat. Quid vero per linum, nisi eorum sacerdotium exprimitur, quod lineis nimirum vestibus utebantur? Quod quia in adventu Domini charitatis ardorem perdidit, quasi amisso iam igne fidei, non ardens sed fumigans fuit. Illum Christus non confregit, hoc non exstinxit: quia neutrum potestate iudicii perculit, sed utrumque cum patientiæ longanimitate toleravit.*

Moraliter discat hic a Christo Christianus, patienter ferre mores, infirmitates et vitia proximorum, imo reddere eis bonum pro malo sicut Christus hic, cum Iudæi machinarentur ei necem, ille tamen infirmos eorum curare non destitit. Cum ergo linum, id est, homines imbecilles fumigaverint contra te, perfer et patienter sustine: da fumo, id est iræ, locum: ipsa enim suo se ardore quam celerrime exstinguet. Omnis enim humana virtus, etiam regia, cauda est titionis fumigantis, ut de Rasin rege Syriæ et Phacee rege Samariæ ait Isaias cap. 7. v. 4. Audi S. Basilium in Regul. brevior. respon. 291. *Quis est*, in-

A quit, *calamus quassatus, aut fumigans linum? quomodove alterum? quis non conterit, alterum non extinguit?* Respondet: *Sane per quassatum calamum, illum intelligi arbitror, qui non ea qua oportet animi sinceritate mandatum Dei exsequitur; quem non conterere convenit neque abscindere, sed sanare potius, sicut docuit Dominus, cum dixit: Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Et in alio loco: Nihil per contentionem aut inanem gloriam. Linum vero fumigans, quotiescumque quis mandatum quidem exsequitur, sed non ardenti desiderio, aut pleno studio, sed segnius quodammodo ac lentius; qui ideo non est deterrendus, sed excitandus potius admonitione assidua iudiciorum Dei, et promissionum ipsius.*

Rursum discant a Christo Prælati, Pastores et principes, propriam eorum virtutem, esse clementiam et misericordiam. Præclare Iustinianus Imp. lib. ult. Cod. de donat. inter virum et uxorem. *Nihil aliud*, ait, *tam peculiare imperiali maiestati est, quam clementia, et humani-* B *tas, per quam solum Dei servatur imitatio.* Plinius in Panegyrico Traiani: *Principis*, ait, *est, beneficiis potius, quam remediis ingenia nostra experiri.* Seneca lib. 1. de Clement. *In apibus*, ait, *videmus regem sine aculeo esse. Noluit enim illum natura, nec sævum esse, nec ultionem magno constituram petere: telumque detraxit, et iram eius inermem reliquit. Exemplum hoc magnis regibus ingens est.* Salomon Prov. 20. 28. *Roboratur clementia thronus eius*, scilicet regis. Ennodius in Panegyrico Theodorici: *Flexus sit animus tuus, pronus semper ad veniam.* Et Ovidius:

Moral. Propria principum virtus, est clementia.

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox.

Iulius Cæsar epist. ad Oppium lib. 9. ad Attic. *Hæc nova est vincendi ratio ut munias te misericordia et liberalitate.* Vis exempla? Iulius Cæsar Bruto et aliis, qui contra se Pompei partes foverant, ignovit. Idem detectas contra C se coniurationes non ultra arguit, quam ut edicto ostenderet sibi notas, et acerbe loquentibus, satis habuit pro concione denuntiare ne perseverarent.

Annibal, ait Livius lib. 21. *hoc unum studuit in principio rerum, ut clementiæ famam colligeret.*

Carolus Magnus sanxit, ut omnes domini clementer tractarent subditos: *Scientes*, inquit, *fratres suos esse, et unum secum patrem habere Dominum, ad quem clament omnes, Pater noster qui es in cælis.*

Nero initio imperii clemens, rogatus a Præfecto ut reorum quorumdam damnationi subscriberet, exclamavit; *Utinam nescirem litteras!*

Alexander Severus cum ei Mammea mater, uxorque Memmia nimiam clementiam improperarent, dicerentque: *Molliorem tibi potestatem et contemptibiliorem fecisti;* respondit: *Sed securiorem et diuturniorem.* Ita Spartianus.

Titus teste Svetonio, duos patricios de affectatione imperii convictos pertulit, nihilque amplius, quam ut desisterent, monuit, hoc tantum dicens: *Principatum fato dari.*

M. Antonius uxori Faustinæ postulanti ad pœnam coniurationis Avidii Cassii complices, ita rescripsit: *Ego ve-* D *ro et eius liberis parcam, et genero, et uxori: nihil enim est quod Imperatorem melius commendet gentibus quam clementia. Hæc Cæsarem Deum fecit: hæc Augustum consecravit: hæc patrem tuum præcipue ornavit. Esto igitur secura, dii me tuentur, diis pietas mea cordi est.*

In veritate educet iudicium.) Hoc est, proferet iustum iudicium, vel *iudicium*, id est legem Evangelicam veram et solidam constituet et sanciet. Forer. vertit: *In veritatem exire faciet* (id est, proferet et promulgabit) *iudicium*, q. d. Pro veritate sententiam feret, vel in causis faciet, ut finis sit veritas, veritasque elucescat et vincat, quam ipse velut reginam in mundum proferet, eamque in solio sibi debito collocabit, uti mox dicam.

Non erit tristis, neque turbulentus.) Hebr. לא Vers. 4.
יכהה ולא ירוץ *lo iche velo iaruts:* quod ad verbum vertunt Aquila et Theodotion, *non obscurabit*, sive *caligabit, et non curret*, id est, ut ait S. Hier. Christus nullum vultus sui tristitia deterrebit, nec festinabit ad pœnam,

quia iudicii veritatem ultimo tempori reservavit. Secundo, S. Hier. vertit: *Non erit obscuro vultu*, id est tristis. *neque curret præceps*, id est non feretur ut turbo. non erit turbulentus, sed summa cum maturitate et prudentia res causasque omnes iudicabit, q. d. Numquam tetricus, tristior, morosior, tardior erit Christus: numquam etiam lætior, levior, festinantior, sed sui et passionum dominus, æqualitatem vultus et motuum omnium quietem omni tempore conservabit, quod de Socrate falso gloriantur Gentiles, ait S. Hieron.

Tertio, Chaldæus vertit: *Non erit lassus, nec laborabit*, q. d. Christus ex nimio zelo, et labore non delassabitur, sed facile et quasi sine labore aget omnia, donec ponat in terra iudicium suum.

Quarto, Vatablus vertit: *Non hallucinabitur*, vel *non fumabit*, id est non extinguetur, *non etiam erit præceps*, vel non quassabitur (ut *iaruts* sit futurum a רצץ *ratsats*, id est *contererc*) id est, non morietur, non patietur Christus donec evulgarit suum Evangelium.

Quinto, Septuag. vertunt, q. d. Non fumabit, sed ανχλαμψει και ου θραυθησεται, id est *resplendebit et non conteretur*, q. d. ait Hilarius prologo in Psal. Non fumabit Christus, id est, non diu manebit exstinctus, sed uti lampades exstinctæ ne diu fument, statim rursum accenduntur: ita Christus tertio die reviviscet et resplendebit, id est rursum fulgentius quam ante clarissimo lumine toti orbi irradiabit. Græce enim non est λαμψει, sed αναλαμψει, id est, rursum resplendebit, ut notat Procopius. Sic et S. Hieron. et Cyrillus.

Paulo aliter S. August. lib. 20. de Civit. cap. 30. *Refulsit*, inquit, *in monte facies eius, in orbe fama eius, nec confractus, sive contritus est, quia neque in se, neque in Ecclesia, ut desisteret, persecutoribus cessit.* Possent quoque hæc referri ad linum fumigans, et calamum quassatum. Hunc enim non conteret, illud non exstinguet Christus, sed faciet ut resplendeat, id est, accendatur, et rursum luceat.

Denique possunt conciliari Septuaginta cum Nostro, ut idem dicant: facies enim serena et splendens indicat hilaritatem animi, hominemque non esse tristem. Rursum faciem non conteri, vultum non cadere, nec retorqueri, significat hominem non esse turbulentum, sed composito animo.

Summa, hisce verbis significatur, Christum fore placido et constanti vultu, qui nec rerum adversitate contrahatur, nec prosperitate dissolvatur; sed eodem semper tenore perseverans, significet tranquillum animi statum, et mentis in eadem lenitate atque modestia constantiam. Christus ergo non fuit tristis, id est tetricus; assumpsit tamen in passione animi dolorem et mœrorem pro peccatis nostris. Unde ipse ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26. v. 38. Perperam ergo dixit Cleon apud Thucydid. l. 3. *Tria sunt nocentissima imperio, miseratio, blandiloquentia et lenitas.* Nam ut ait Claudian. Paneg. Mallii,

Peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit: mandataque fortius urget
Imperiosa quies.

Ita placido, sereno et splendenti vultu fuit mansuetissimus Moses, ut patet Exod. 34. v. 29. Multo magis Christus, cuius in transfiguratione *facies resplenduit sicut sol*, Matth. 17. 2. Ita S. Antonius teste Athanasio, ex oratione, quiete et lætitia mentis, vultum habebat radiantem instar solis, ita ut inter tria millia Monachorum unus Antonius ab iis qui numquam eum viderant, ex solis hisce radiis et constanti vultus hilaritate, agnosceretur.

Similes radios in vultu habuit orans S. Franciscus, S. P. N. Ignatius, aliique Sancti. Hi enim radii symbolum et effectus erant serenitatis, lætitiæ, et lucis internæ, qua mens eorum perfundebatur a Deo.

Hæc verba, *Non erit tristis, nec turbulentus*, omisit S. Matth. c. 12. 18. citans hunc locum, quia satis in præcedentibus et sequentibus videntur contineri; licet S. Hier. oscitantia et errore scriptorum omissa putet.

A Donec ponat in terra iudicium.) q. d. Non desistet Christus tota vita usque ad mortem sua patientia, lenitate et constantia, homines instruere et docere, donec in terra legem Evangelicam, humilitatis, patientiæ et sanctitatis stabiliat, doceatque quomodo humiliter, pie, iuste et sancte ex ea vivendum sit. S. Matthæus vertit: *Donec eiiciat ad victoriam iudicium*; hoc est donec perducat iudicium, id est iustitiam sive fidem et sanctitatem Evangelicam, ad victoriam, ut scilicet illa toto orbe dominetur. Et sic Noster accipi potest, donec ponat in terra iudicium, hoc est donec in terra, quasi in regno et solio suo collocet iudicium, quasi reginam et dominam: hoc est quod ait Christus Ioan. 12. 31. *Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Videtur S. Matthæus in Hebræo, vel potius Syrohebræo scripsisse זכיתא *zekita*, quod puritatem ac veritatem et victoriam significat: quod interpres in Matth. pro victoria accepit, cum in Isaia sit *veritas*, ait Maldon. sed eodem redit sen-
B sus. Rursum, Irenæus l. 3. cont. hæres. c. 11. ita legit: *Usquequo emittat in contentionem iudicium.* Videtur in S. Matth. pro νικος, id est *victoria*, legisse δικη, id est contentio, q. d. Christus sua lege Evangelica contendet cum lege Solonis, Lycurgi, Pythagoræ, aliisque Romanorum, Græcorum et Gentilium legibus, quas partim naturale lumen, aut potius cæcitas, partim ambitio, avaritia et libido in mundum induxerunt: quas omnes ipse superabit, evertet et abolebit, facietque ut suum iudicium, id est sua lex, suum Evangelium, ubique vincat et triumphet.

Vide hic quibus armis Christus suum regnum suamque legem in mundum induxerit, scilicet patientia, lenitate, longanimitate: hisce subiecit sibi omnes gentes: si fuisset arrogans, præceps, impatiens, omnes a se suaque lege avertisset. Simili modo Romani possederunt omnem locum consilio suo et patientia, 1. Machab. 8. 3. Iisdem armis Apostoli hoc Christi regnum et legem propagarunt, uti docet S. Paulus 2. Cor. 6. 4. *Exhibeamus*, ait, *nosmet-*
C *ipsos sicut Dei ministros, in multa patientia.*

Videant ergo illi qui disciplinam Christianam nunc et deinceps revocare et restituere cupiunt, quibus armis instructi procedere debeant.

Legem eius insulæ exspectabunt.) *Insulas* vocat insulanos, id est, gentes etiam remotissimas, trans mare et in insulis habitantes, q. d. Lex Mosis uno Iudææ angulo conclusa fuit; at iudicium et lex Christi ad insulas usque, id est ad omnes gentes et ad terminos terræ propagabitur. Unde Septuag. quos sequitur S. Matth. c. 12. v. 21. vertunt: *In nomine eius Gentes sperabunt.* Nomen Dei est ipse Deus. Est hebraismus. Notat Forerius posse in his verbis repeti עד *ad*, id est *donec*, quod præcessit, q. d. Donec vel quousque insulæ institutionem eius exspectent, subditusque fiat totus mundus Deo. Plura de hac re dicam c. 51. v. 5.

Hæc dicit Dominus Deus creans cælos.) Excurrit Vers. 5.
hic Propheta in laudes et præconia divinæ potentiæ, quia adhuc cum idolis et idololatris disceptat, ut patebit v. 9.
D et quia magna, magnamque salutem promittit per Christum, q. d Ne miremini magna me polliceri Christianis; sum enim omnipotens, *dans flatum populo et spiritum.* Primo, S. Athanas. disp. contra Arrium in concilio Niceno, per spiritum accipit ventum; secundo, S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 21. Irenæus lib. 5. et S. Hieronym. S. Thom. Haymo et Procop. hic per *flatum*, accipiunt animam et halitum quo respirat et vivit homo; per *spiritum* vero Spiritum sanctum; hic enim datur *calcantibus terram*, id est iis qui terrena calcant, qui terra superiores sunt, quorum conversatio in cælis est. Hic sensus subtilior est, et symbolicus ac moralis potius quam litteralis.

Tertio ergo et genuine, *flatus* hic idem est, qui et spiritus, scilicet anima. Idem enim est dicere: *Dans flatum populo qui est super eam*, quod, *et spiritum calcantibus eam.* Ita S. Cyrill. Hugo et Dionysius.

Ego Dominus vocavi te in iustitia.) Hoc est in iu- Vers. 6
stitiam. Loquitur de Christo, ut patebit ex sequentibus.

Perperam ergo Hugo hæc de Cyro accipit hoc sensu, q. d. Vocatus est a Deo Cyrus *in iustitiam*, ut scilicet iuste puniret Chaldæos; et *in fœdus*, ut Iudæos liberaret. Porro *in iustitiam*, id est cum iustitia, et summa iustitia præditum, vel *ad iustitiam*, ut vertunt Septuag. q. d. Ego te Christe, ad hoc excitavi, ut tu iustitiam collapsam in terra impia et iniusta erigeres et restitueres, utque tu iustus iustificares et sanctificares alios. Unde sequitur: *Dedi te in fœdus etc.* Ita passim interpretes. Hic autem sensus est genuinus.

Secundo, *in iustitiam*, id est, ut iustitia et fidelitas mea toti mundo appareat, qua sicut te Christum Patriarchis promisi, ita et reipsa exhibui, inquit S. Thom. et Adamus.

Tertio, *in iustitiam*, id est, ea qua sum præditus bonitate excitavi te, fecique ut in terra nasceceris. Ita Forer.

APPREHENDI MANUM TUAM, hoc est favi, sustentavi, deduxi te per omnia dura, ET SERVAVI TE.) Illæsum inter hostes, inter tot pericula, quin et in morte, ne in ea maneres, sed mox quasi victor mortis resurgeres, et per eam plurimos a morte æterna servares et liberares.

DEDI TE IN FŒDUS POPULI, IN LUCEM GENTIUM.) Christus datus fuit populo Dei, id est Iudæis, *in fœdus*, quia eis fuit promissus. Unde Septuag. Complut. vertunt: *Dedi te in fœdus generis Israel;* Gentibus vero datus fuit *in lucem*, quia eis non fuit promissus. Simile est c. 49. 6. Hoc est, quod canit Simeon: *Salutare*, id est, Salvatorem Christum datum esse quasi *lumen ad revelationem Gentium, et Gloriam plebis Israel*, Lucæ 2. v. 32.

Porro Christus datus fuit Iudæis *in fœdus*, id est ut compleret pactum et promissum Dei de mittendo Messia. Rursum, *in fœdus*, id est, ut Forerius, in reconciliationem, ut scilicet Iudæos, indeque omnes Gentes reconciliaret Deo, atque inter eos et Deum sanciret fœdus novum, puta Novum Testamentum, illudque iucundissimum, de æterna hæreditate fidelibus ei, eiusque Evangelio obedientibus danda, conderet. Vide dicta 1. Corinth. 11. 25 et Ierem. 31. 31.

Quocirca per populum Israel possunt accipi fideles omnes, tam Gentiles quam Iudæi; hi enim sunt spiritualis Israel, et genus, id est filii Dei. Hisce enim omnibus novum hoc fœdus et testamentum instituit Christus, ut fere idem sit: *Dedi te in fœdus populi*, quod, *Dedi te in lucem Gentium*, ut scilicet omnes Gentes illuminares, doceresque veram Dei fidem, religionem, viamque ad æternam salutem et beatitudinem. Hæc enim est summa, scopus et finis totius Novi Testamenti.

Vers. 7. UT APERIRES OCULOS CÆCORUM.) Hæ sunt notæ et signa Messiæ, quæ proinde Christus protulit, ex iisque demonstravit discipulis S. Ioannis se esse Messiam, Matth. 11. 5. Porro hæc potius de cæcis, vinctis, etc. spiritaliter quam corporaliter accipienda sunt; explicat enim τὸ *Dedi te in lucem Gentium*, ut scilicet Gentibus infidelitatis et ignorantiæ tenebris occæcatis aperires oculos mentis, ut viderent et cognoscerent Deum et Christum.

Hoc est quod canit Zacharias: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.* Luc. 1. v. 79. Infidelitas enim et peccatum sunt tenebræ et umbra mortis; sunt et carcer ac vincula, quibus misere vincti a diabolo tenentur peccatores. Hoc est quod ait: *Ut educeres de conclusione*, id est de carcere quo clauditur, *vinctum*.

Vers. 8 EGO DOMINUS, HOC EST NOMEN MEUM.) Hebr. *Ego Iehova, hoc nomen meum. Iehova* est proprium Dei nomen, idem cum eo, *sum qui sum.* Vide dicta Exodi 3. 14. et c. 6. 3.

Igitur Deus hic, cum iam enarrasset quæ olim Abrahæ et posteris eius beneficia et miracula promisisset et præstitisset: secundo, ea quæ novissime per Christum Abrahæ filium toti mundo erat præstiturus, prædixisset, (quæ duo ut divinitatis suæ signacula et argumenta invicta cap. præcedenti proposuerat) quasi de victoria in iudicio de idolis et idololatris parta, nemine contradicente, lætus sibi divinitatis gloriam, Deique nomen *Iehova* adscribit, non permissurus, ut alteri hæc gloria, et hoc nomen tribuatur. Ita Forer. Hoc est quod subdit: *Quæ*

A *prima fuerunt, etc.*

GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO: non dicit, alicui, ne excluderet Filium; huic enim suam gloriam communicavit Pater, ut ipse ait Ioan. 17. 1. sed *alteri*, qui scilicet alterius est essentiæ et naturæ, v. g. idolis; unde explicans subdit: ET LAUDEM MEAM SCULPTILIBUS.) Ita S. Hieron. Vide S. Bernard. serm. 13. in Cant. quo toto docet soli Deo competere gloriam, ubi inter cætera ait: *Gloriam meam alteri non dabo. Quid ergo dabis nobis, Domine, quid dabis nobis? Pacem*, inquit, *do vobis, pacem relinquo vobis. Sufficit mihi: gratanter suscipio quod relinquis, et relinquo quod retines; sic placet, sic mea interesse non dubito. Abiuro gloriam prorsus, ne forte si usurpavero non concessum, perdam merito et oblatum. Pacem volo, pacem desidero, et nihil amplius. Cui non sufficit pax, non sufficis tu. Tu es enim pax nostra, etc. Tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata. Mecum bene agitur, si pacem habuero.*

QUÆ PRIMA FUERUNT, ECCE VENERUNT: NOVA QUO- Vers. 9.
B QUE EGO ANNUNTIO, ANTEQUAM ORIANTUR.) Hic est conclusio disceptationis cum idolis et idololatris, q. d. Quæ olim Abrahæ, Mosi, aliisque Prophetis promisi et per eos prædixi, ea iam evenerunt; unde coniicere potestis ea, quæ per Isaiam aliosque Prophetas, quasi Evangelistas meos prædico et prænuntio, de Christo Abrahæ filio, deque eius gloria, Evangelio, testamento, vocatione Gentium, etc. pariter eventura meque ut eveniant effecturum. Quid ergo restat, nisi ut, relictis idolis, me solum pro Deo colatis, meoque Christo, cum venerit, credatis, vosque subdatis? Ita Forer. et Sanchez. Quocirca, quasi post victoriam et triumphum Dei, Propheta in eius epinicion, simulque in laudem et gratiarum actionem, quod per Christum salutem, tantaque beneficia orbi iam destinarit, prorumpit, dicens:

CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM.) q. d. Nova et a Vers. 10.
sæculo inaudita per Christum beneficia annuntio vobis, o Gentes, scilicet liberationem a iugo peccati et diaboli,
C criminum remissionem, reconciliationem cum Deo, gratiam et gloriam sempiternam: ergo par est, ut mecum novum lætissimumque ex imo pectore canatis canticum.

LAUS EIUS, supple, audiatur, celebretur et resonet, AB EXTREMIS TERRÆ.) Sept. vertunt: *Principatus eius glorificatur, et nomen eius a summitate terræ.* Ita enim legit S. Hier. licet Romana Caraffæ ita legant: *Principatus eius: glorificate nomen eius a summitate terræ.*

QUI DESCENDITIS IN MARE. Repete per zeugma *Cantate Domino*, quod præcessit. Descensores in mare vocantur nautæ et insulani; hi dicuntur descendere, quia terra, præsertim in littore, mari est altior. ET PLENITUDO EIUS, scilicet maris, id est ut sequitur, INSULÆ.) Hæ enim implent mare, sicut urbes et pagi implent terram; non totum, nec totam, sed sicut in annulo gemma implet eius palam, itaque annulum implere dicitur; hæc enim inde hebr. vocatur מלא *melo*, uti et hic est in Hebræo, id est plenitudo. Ita Sanchez.

Porro insulæ laudant Deum muta voce, uti et omnes
D creaturæ inanimes. Rursum per suos incolas laudant Deum; unde *insulæ* accipi possunt insulani, ut illud *et*, quod sequitur, sit exegeticum significans, *id est habitatores earum.*

Secundo, pro *plenitudo eius*, Septuag. vertunt: *Navigantes illud*, q. d. Qui vestris navibus et mercibus impletis mare.

Tertio, simpliciter accipi potest *plenitudo maris*, pro ipso pleno et vasto mari, cum suis piscibus, margaritis aliisque quæ in se continet. Sic enim inanima invitantur ad Dei laudem a Psalte Ps. 148. et a tribus pueris, Daniel. 3.

SUBLEVETUR DESERTUM.) Iudæa ab Occidente habet Vers. 11.
mare, a Meridie desertum, tum Palæstinæ, tum Arabiæ. Itaque, sicut paulo ante mare et insulas, id est Occidentales gentes urbibus et incolis frequentes, ita hic Meridionales desertas invitat ad laudem Dei. Ait ergo: *Sublevetur desertum*, q. d. Cedareni, Arabes, aliæque gentes in deserto habitantes, adeoque tota Gentilitas hacte-

nus deserta et depressa nunc sese erigat, lætitia exsiliat et exultet, et ut Forer. et Vatablus vertunt: Levet attollatque vocem, ac iubilet Deo. Causam subdit:

In domibus habitabit Cedar.) Sicut nos hominem barbarum vocamus Scytham, sic Hebræi eum vocabant *Cedar* vel *Cedarenum*. Nam *Cedar* erant Arabes sylvestres, prædones et barbari, qui non in domibus certo loco habitabant, sed in tabernaculis degentes circumquaque vagabantur, et omnia depascebantur, uti dicam Ierem. c. 49. 38. Per hosce ergo intelligit omnes Gentes incultas, agrestes et barbaras, qui et pagani vocantur, eo quod πρὸς τὰς παγὰς (dorice enim παγὰς dicitur pro πηγὰς) id est ad fontes conveniant sicut feræ, quæ solæ fere degunt, siti tamen urgente ad fontes conveniunt. Pagani ergo dicti sunt, quasi eodem fonte potantes. Ita ex Festo Perottus et Baronius in Martyrol. 31. Ianuarii, ubi et addit, inde Ethnicos dictos esse *Paganos* sub tempora Constantini Imperatoris, quod ab eo idololatræ urbibus exclusi ad pagos et villas se reciperent, ibique occulte sua idola colerent. Sensus ergo est, q. d. Pagani per Christum desinent esse Pagani, non in tabernaculis, sed in domibus habitabunt. Id ad litteram videmus hodie impleri in Brasilia et tota India Occidentali.

Pagani dicti, quod eodem fonte potantur.

Rursum, q. d. Gentes barbaræ et vagæ per quævis idola et vitia, in infidelitatis tenebris (*Cedar* enim etiam tenebras significat, utpote cæcas, horridas, ideoque atras et nigras; unde Poeta: *Speluncis abdidit atris;* atras enim vocat profundas, per metalepsin; profundæ enim videntur esse atræ. Ita S. Hieron.) degentes, in domibus, id est in Ecclesiis, imo in una domo, id est in eadem communi Ecclesia, fixæ habitabunt. Ita S. Hieron.

Laudate, habitatores Petræ.) *Petræ*, id est, *rupium,* ait Sanchez. Unde Vatabl. vertit: *Iubilent qui edita petrarum incolunt*, q.d. Barbari qui in rupibus et montibus, æque ac in Cedar et desertis locis, ab hominibus semoti, agrestes et feri habitant, hi ad Ecclesiam convertentur et laudabunt Deum. Secundo, proprie hic accipi potest *Petra* urbs et metropolis Arabiæ, quæ inde *Petræa* cognominata est. Iam synecdochice per *Petram* totam Arabiam accipit. Ita Cyrillus, Haymo et Hugo. Triplex enim est Arabia, scilicet Deserta, Felix et Petræa. Huius conversionem prædicit, quia erat vicina Iudææ, inculta et barbara, q. d. Nulla regio, quantumvis fera et barbara, qualis est Arabia, erit inaccessa Evangelio, nulla ei non subdita; et quia in ea floruit Christiana religio. Nam in Arabia prædicavit S. Paulus, Galat. 1. v. 17. ex Arabia venerunt ad Christum recens natum tres Magi. Ibidem Homeritæ Martyres sub Dunaan tyranno in fidei constantia emicuerunt tempore Iustini Imper. et Hormisdæ Papæ, de quibus vide Baron. tom. 7. donec Mahomet ex Arabia Petræa oriundus, ibique in Mecha sepultus, Arabes ad suam sectam traduxit.

De vertice montium clamabunt.) Posset congruentius ad τὸ *laudate* quod præcessit verti cum Vatablo et Forer. *Clament et plaudant*, uti et sequent. *ponant* pro *ponent*. Invitat enim et excitat eos ad laudem Dei. Verum prophetice aptius Noster vertit in futuro, *clamabunt*. Prævidebat enim Propheta quod hac sua voce æque ac præconum Evangelii excitati Gentiles reipsa clamaturi, et plausum daturi essent Christo et Evangelio; hoc est quod ait:

Vers. 12. Ponent, id est dabunt, Domino gloriam, et laudem eius in insulis) (id est remotis gentibus) nuntiabunt.) q. d. Non solum ipsi in terra sua laudabunt Deum, sed et per totum Orientem ac Meridiem cognitionem et præconium Dei deferent, eruntque quasi Apostoli et Evangelistæ Christi.

Vers 13. Dominus sicut fortis (Forerius vertit, *sicut gigas*) egredietur.) Dat causam cur Gentes dabunt Domino gloriam; quia scilicet ipse, quasi fortis bellator et triumphator, perget ad bellum, scilicet ad debellanda idola et quævis peccata et vitia; item Iudæos, tyrannos, philosophos omnesque suos hostes. Significatur ergo hic admirabilis et magnifica victoria Dei et Evangelii per Christum. Per *fortem*, S. Hieron. Haymo et Forer. accipiunt Christum, qui exultavit et procucurrit ut gigas, ad debellandum peccati et dæmonis regnum; ut fortem illum armatum mundi principem fortior ipse superveniens mundo depelleret, et omnes eius asseclas vel confunderet, vel deleret, vel converteret. Aptius S. Cyrillus et Procopius per *fortem* accipiunt Deum, qui per Christum idipsum patravit. Eodem ergo redit sensus.

Anagogice, S. Cyprianus lib. de Bono patientiæ in fine et S. August in Ps. 82. hæc omnia referunt ad ultimum iudicium: tunc enim Christus omnes suos hostes, dæmones, tyrannos et reprobos adiget in tartara.

Sicut vir præliator suscitabit zelum.) Redemptio Christi in Scriptura tribuitur zelo Dei et Christi, significatque eorum indignationem contra diabolum, proficiscentem ex amore erga homines. Indignabatur enim Deus homines tam nobiles creaturas suas, quos ad imaginem suam creaverat, a se abstractos a dæmone tyrannice possideri. Hoc est quod dicitur Ioel 2. 18. *Zelatus est Dominus terram suam;* Zachar. 1. 14. *Zelatus sum Ierusalem et Sion zelo magno;* et c. 8. 2. *Indignatione magna zelatus sum eam;* Isaiæ 9. v. 7. *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Videbatur enim tot retro sæculis algere zelus Dei, quasi non curaret salutem hominum, nec res suas suumque honorem, cum ubique impietas et regnum Satanæ obtineret. Excitavit ergo clamorem et zelum et indignationem suam Dominus, quando misit Filium suum, et Filius ipse, quando ad nos descendit, inquit Forer. Vis nosse quis, qualis, quamque potens in Deo, Angelis et Sanctis sit zelus? audi: *Zelo*, inquit, Ambros. in Ps. 118. serm. 18. *vindicatur Ierusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur;* et rursum: *Zelus charitas est: valida est sicut mors charitas, durus sicut inferi zelus. Durus zelus, quem vitæ huius nulla vincit illecebra. Durus sicut inferi, per quem peccato morimur, ut vivamus Deo. Angeli quoque sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent;* et Hugo: *Zelus*, ait, *est fervor animi ad compassionem naturæ, et ultionem culpæ, et devotionem gratiæ proni; zelus itaque utiliter flagellat servum, salubriter corrigit filium, sollicite atque fideliter servat coniugium; servum ultione, filium compassione, coniugium devotione;* S. August. tract. 10. in Ioannem: *Unumquemque*, ait, *Christianum zelus Dei comedat, ut quantum in eo est, nihil perversum patiatur. Vides fratrem currere ad theatrum; prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere, et inebriari velle, et hoc velle in locis sanctis, quod nusquam debet; prohibe quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere: tamen, si amicus est, admoneatur leniter: uxor est, severissime refrænetur: ancilla est, etiam verberibus compescatur;* divinius vero S. Dionys. de Divin. nomin. c. 4. *Divinius*, ait, *est nomen amoris quam dilectionis. Scribit autem et divinus Ignatius*: *Amor meus crucifixus est. Est autem et exstaticus divinus amor, non sinens seipsos esse amantes, sed amandorum. Talem habebat Paulus dicens; Vivo ego, iam non ego, vivit autem in me Christus.* Ab hoc amore et exstasi Deum Zelotem vocari docet, *velut multum ad existentia amorem, et ut ad Deum suscitatorem concupiscentiæ suæ amatoriæ*, scilicet spiritalis et sancti sui desiderii, sive rei desideratæ, quam ipse amat et concupiscit, *et ut zelotem eum ostendentem, et concupita zelantem.* Et divus Thomas 1. 2. q. 28. art. 2. *Zelus*, ait, *ex intentione amoris provenit. Manifestum est enim quod quanto aliqua virtus intensius tendit in aliquid, fortius repellit omne contrarium vel repugnans. Cum igitur amor sit quidam motus in amatum, ut S. August. dicit l. 83. quæst. intensus amor quærit excludere omne id, quod sibi repugnat, et hic est zelus: sicut maritus zelat uxorem, ne per consortium aliorum impediatur singularitas, quam in uxore quærit.*

Zelus in Deo quid.

Vociferabitur, et clamabit.) Solent milites in prælio vociferari, ut invicem animent et hostes percellant: ita Deus per Christum et Apostolos clamabit contra idola

et peccata, eaque prosternet, iisque prostratis, vociferabitur, clangetque io triumphe. Ita S. Cyrill. Procop. et alii. Licet S. Hieron. et S. Thom. hæc referant ad excidium Iudæorum per Titum. Vox ergo hæc significat efficaciam prædicationis Christi et Evangelii, sed sine rixa, et turbulentia animi. Hanc enim Christo ademit, dicens v. 2. *Non clamabit.*

Vers. 14. TACUI SEMPER.) Est mimesis et prosopopœia. Imitatur enim verba Dei, eumque loquentem inducit Propheta, q. d. Ego Deus multis iam sæculis dæmones in homines grassari, idola et vitia Gentibus dominari permisi: non amplius id feram, non patiar, non silebo; sed loquar ut parturiens, quæ ex vi doloris quo fœtum enititur, fremit et rugit. Ita et ego rugiens detonabo in hostes meos, eosque increpabo, condemnabo et fulminabo. Unde sequitur:

DISSIPABO, ET ABSORBEBO.) q. d. Desolabo, et deglutiam simul omnes inimicos meos. Potest secundo, verti cum Vatablo et Forerio: *Anhelabo et insorbebo pariter*, id est anhelus, et crebro singultu halitum exspirabo et inspirabo, exsorbebo et insorbebo: quod est eorum, qui fatigantur, vel labore, vel animi dolore et angustia, q. d. Tantam edam hostium stragem, ut ex defatigatione anhelus simul exspirare et inspirare debeam. Forerius aliter adhuc hæc accipit, vertitque per præteritum, *Anhelabam et inspirabam*, ut respiciat tempus præteritum, quod vindictam et redemptionem antecessit, q. d. Silui longo tempore, licet indignans, ideoque suspirans, gemens et anhelus, ut sit idem quod ait Apostolus Roman. 9. 22. *Sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum.* Ideoque amplius ferre non valens loquar ut parturiens, et prorumpam in acrem vindictam. Nam, ut ait Cicero: *Numquam ingemiscit vir fortis, nisi forte ut se intendat ad firmitatem*, ut scilicet fortius feriat, et validiorem det ictum. Sicut ergo timidi, sed iactabundi, *in pace sunt leones, in prælio cervi*: ita ex adverso vere fortes *in pace sunt cervi, in prælio leones.*

Vers. 15. DESERTOS FACIAM MONTES (in quibus erant excelsa, id est altaria et templa idolorum) ET PONAM FLUMINA IN INSULAS.) Id est, in aridam, q. d. Flumina et stagna arefaciam. Gentiles enim in montibus, sylvis et fluminibus ob amœnitatem et delicias, aris erectis, deos suos colebant. Quin et montes, fontes et flumina quasi deos adorabant, iisque sacrificabant. Uti Æneas sacrificavit Tiberi, Æneid. 8. Sic fonti Blandusiæ immolari solere hædum testatur Horat. lib. 3. Ode 13. Et fontibus dicata templa, docet Cicero l. 3. de Nat. deor. Et Strymoni fluvio magos offerre solere equos albos testatur Herodot. l. 7 Denique Phryges sacrificare Meandro, Messagetas Tanai asserit Maximus ser. 18. Ita Sanchez. Est ergo hoc versu catachresis, significans eversionem regni satanæ, impietatis et peccati, puta delubrorum, lucorum, idolorum, etc. Rursum significat evertenda etiam esse ipsa regna idololatrarum, et Iudæorum Christi hostium, ait S. Hier. et Procop. sic ut nullus Evangelio et regno Christi sit obex; sed cæcæ Gentes avide illud audiant et excipiant, ad illudque certatim se aggregent, et ab eo cælesti luci illuminentur. Hoc est enim quod ait:

(Gentes sacrificarunt montibus et fontibus.)

Vers. 16. ET DUCAM CÆCOS IN VIAM.) q. d Gentibus quæ concupiscentiis suis addictæ, nec lumen fidei, nec rationis, nec legis sequebantur, triplex hoc lumen impertiar per Christum, qui est mundi lux, via, veritas et vita, ut deinceps non per pravas passionum et vitiorum, sed per rectas virtutum semitas, quæ in cælum ducunt, incedant.

Vers 17. HÆC VERBA FECI, id est faciam EIS.) Est enim prophetia, ut patet ex præcedent.

CONVERSI SUNT RETRORSUM.) Id est, convertentur retrorsum, hoc est, frustrabuntur sua spe et voto. Est antithesis, q. d. Meos cultores servabo, idololatras pudefaciam per splendorem Evangelii toto orbe coruscantem. Ita Vatabl. Hunc sensum exigit id quod sequitur: *Confundantur confusione qui confidunt in sculptili.* Secundo Forer. q. d. Idololatræ convicti argumentis Dei relicta sua causa cesserunt, et terga vertentes abierunt. Tertio,

A Procop. et Sanchez hæc accipiunt de Gentibus ad Christum conversis, sed rursum ab eo apostatantibus, et ad pristina sua idola ac vitia redeuntibus.

SURDI, AUDITE, ET CÆCI, INTUEMINI AD VIDENDUM.) Vers. 18.
Hæc Iudæis dicuntur, q. d. Cum splendente Evangelio Gentes antea cæcas et surdas in rebus salutis illuminabo, tunc vos, o Iudæi, antea videntes et eloquentes, fictis cæci, quia lucem a Prophetis et Christo oblatam cernere; et surdi, quia eius vocem audire noletis: uti nunc mea et aliorum Prophetarum oracula audire non vultis, sed ea irridetis et exsibilatis. Patet ex sequent. subdit enim:

QUIS CÆCUS, NISI SERVUS MEUS?) Scilicet populus Iudaicus, qui Prophetas et Christum noluit recipere. Ita S. Hieronymus, Procopius, Theodoretus, Iustinus, Chrysost. et alii passim scribentes contra Iudæos. Vers. 19.

Contrarie hæc exponunt Iudæi, et Vatablus; quasi ipse Isaias et Christus hic a Iudæis vocetur cæcus et surdus: nam pro מלאכי *malachai*, id est nuntios meos, uti legit Noster, ipsi aliis punctis legentes מלאכי *malachi*,
B id est nuntius meus, sic vertunt: *Quis cæcus nisi servus meus: et surdus æque ac nuntius meus, quem missurus sum?* itaque exponunt, q. d. O infideles Iudæi, vestra opinione servus meus Isaias est cæcus et ignarus divinarum rerum: at vos potius cæci estis qui non putatis eum videre, qui maxime videt, unde et *Videns* dicitur. Et quis est surdus opinione vestra sicut est legatus meus Christus? q. d. Idem dicetis de Christo, quem sum missurus, quod de Isaia.

Septuag. pro *malachai* per *aleph*, id est nuntios meos, legentes sine *aleph* מלכי *melachai*, vertunt κυριευοντες αυτων, id est *dominantes eorum.*

QUIS CÆCUS, NISI QUI VENUMDATUS EST?) Pro *venumdatus* hebr. est משלם *mesciullam*, quod primo, Vatablus vertit, *perfectus*, q. d. Israel deberet perfecte videre, et cognoscere et colere Deum; at iam est cæcus. (Mesciullam quis?)

Secundo, Forerius vertit, *persolutus*, q. d. Israeli persolutum est a Deo omne, quod ei promisit; cur ergo a
C Deo suo resilit?

Tertio, aliis punctis legendo משלם *mesciallem* significat retributorem, q. d. Israel, qui deberet Deo pro tot beneficiis esse gratus et retributor, iam est ingratissimus.

Quarto, Noster vertit *venumdatus*, quod aliqui sic explicant, q. d. Qui totum se tradidit et vendidit diabolo et peccato. Verum melius ex Hebr. *mesciullam venumdatum* accipiemus cum Forer. et Sanchez pro persoluto, repenso, retributo. Est epitheton servi qui tot dona accepit a Domino, ut iis solvendis non sit par, nisi seipsum ei rependat, et in servum addicat, et quasi venumdet. Sic enim Israel tot beneficiis a Deo affectus et obrutus fuit, ut ei animam debeat, imo etsi millies se ei in servum venderet, tamen necdum iis ex æquo satisfaceret. Multo magis omnis Christianus est *mesciullam*, id est servus Christi emptitius, quem Arabes *mamluchum* vocant; unde Mamluchorum origo et imperium apud Ægyptios, uti dixi ad illud 1. Cor. 6. 20. *Empti estis pretio magno.* Hic
D sensus est illustris, pungitque peccatores acri stimulo.

QUI VIDES MULTA.) q. d. O serve, o popule mi, multa vidisti, multas visiones, revelationes et prophetias, multa portenta et miracula a Deo tuo per Prophetas accepisti, et apertis auribus accepisti, et plura a Christo et Apostolis audies, per quos Dei voluntatem et mandata cognovisti, et cognosces: at non curas, non custodis, non exsequeris ea quæ per ipsos tibi facienda esse intelligis: quare merito te in media solis luce cæcum, et inter tot Dei voces surdum appellavi, et appello. Ita S. Hieron. et Theod. Hoc est quod dixit c. 6. 9. *Audite audientes, et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere.* Concionatores hæc eadem intentent Christianis qui ad verba et minas, æque ac ad Dei beneficia sunt cæci ac surdi. Vers. 20.

Ubi nota, surditatem et cæcitatem esse duplicem: unam inchoatam, qualis est surdastrorum et cæcutientium; aliam perfectam, qualis est eorum qui nati sunt surdi et cæci, aut a multis annis tales fuerunt. Prior curabilis est naturaliter, posterior incurabilis. Rursum causa surdita-

tis et cæcitatis est triplex: prima ab extrinseco, cum scilicet exterius carnositas organo auditus, puta tympano; et pellicula oculo, puta tunicæ corneæ, annascitur et superinducitur. Secunda, quia organum ipsum, in quo residet sensatio, puta auditus et visus, corruptum aut vitiatum et distemperatum est. Tertia, cum humor abundans in cerebro, puta bilis aut pituita, ad organum auditus (excitans ibidem sonum et tinnitum, qui alterius soni perceptionem impedit) aut visus defluit, illudque obstruit et opplet. Modus curandi singulas est tollendo causam, et applicando contraria. Prima ergo curatur si carnositas aut pellicula acri et mordaci quapiam re exsedatur, aut acu aliove instrumento educatur aut resecetur. Secunda, si organum emendetur et corroboretur. Tertia, si bilis et pituita tollantur per purgationes, per abstinentiam, per missionem sanguinis e naribus, etc. Ita docet Galenus, Paulus Ægineta, et passim alii medici.

Morale de cæcitate et surditate animæ. Hæc omnia tropologice facile est accommodare surditati et cæcitati spiritali; sunt enim aliqui non plene cæci et surdi, sed cæcutientes et surdastri, qui superiorum monita et Dei inspirationes audiunt, sed tarde et ægre. Unde clamore pœnitentiarum, obiurgationum et tribulationum excitandi sunt ut audiant; sicut equi cervicosi qui fræno non reguntur, calcaribus adigendi sunt. Et hæc est utilitas, eaque ingens tribulationis, quod surdos faciat audire ea quæ necessaria sunt ad salutem. Triplex causa surditatis et cæcitatis spiritalis similis est corporali. Extrinseca (quæ prima est assignata) est avaritia, quæ rebus externis, earumque desiderio et cura ita aures, oculos et mentem opplet, ut alia audire vel videre nequeat. Hæc curanda est, resecando funditus ex animo concupiscentiam opum et commodorum huius vitæ. Secunda vitiati organi est, cum quis laborat phantasmatibus, et falsis principiis mundanis, Dei legi et vocationi suæ contrariis. Hæc curanda est, eradicando ex mente hæc phantasmata et principia. Tertia bilis et pituitæ, est superbia et gula luxuriaque. Hæc per abstinentiam, orationes, pœnitentias, confessiones et missionem sanguinis id est demissionem animi, perque frequentes humiliationes curanda est; quo facto incipiet audire et videre ea quæ sunt salutis.

Vers. 21. Et Dominus voluit, ut sanctificaret eum.) q. d. Quod Israel sit surdus et cæcus, non est culpa Dei, sed ipsiusmet, qui oculos et aures obturando, surdum et cæcum se fecit. Nam Deus voluit eum sanctificare, ideoque dedit ei sanctos Doctores, Prophetas, sacram Scripturam sacrificia et sanctam legem, quam magnificavit, extulit et declaravit tot pulchris cæremoniis, tanta Levitarum et sacerdotum ac pontificum maiestate, tot tantisque miraculis et victoriis. Verum Israel hisce omnibus non sanctior, sed nequior, surdior et cæcior effectus, sibi ipsi constituit iustam Dei punitionem, scilicet hostes, qui eum diriperent et vastarent, ut sequitur. Ita Procopius, Adamus et alii, favetque Chaldæus.

Secundo, Forer. sic explicat: *Dominus voluit*, id est consensit in hanc Iudæorum excæcationem, imo quasi lætatus est quod Israel sic proderet sui cordis pervicaciam: *ut sanctificaret eum*, hebr. *propter iustitiam suam*, vel ut iustificaret se, ut scilicet notam faceret iustitiam suam, dum populo suo non parcit ob scelera eius, et ab eo aufert regnum Dei, illudque dat genti facienti fructus eius. Duo enim habet iustitia, seu sanctitas Dei, scilicet, punire impios, et benefacere piis et iustis. Utrumque nos iubet considerare Paulus, scilicet severitatem Dei in eos qui ceciderunt, nempe Iudæos; bonitatem vero in eos qui inserti sunt trunco, scilicet, Gentiles Christo credentes. Hucusque Forer.

Porro hoc faciendo Deus magnificavit legem, quia implevit, eisque inflixit comminationes, quas per Mosen in lege Iudæis intentavit. Ita Vatab. qui pro *voluit* vertit: *Egregiam voluntatem erga vos habuit*, scilicet εὐδοκίαν, id est gratuitam in indignos benevolentiam et beneficentiam.

Vers. 22. Ipse autem populus direptus et vastatus.) q. d. Ipse Israel a Deo ita dilectus, quæsitus et exaltatus, quem

A Deus tot modis voluit sanctificare et beare, propter sua peccata, suamque in iis obstinationem fecit se rapinam tum dæmoni, tum Tito et Romanis, ait S. Hieron. et Leo Castrius (licet aliqui veterum hæc ad excidium Iudæorum per Chaldæos referant) unde in laqueum iuvenum fortissimorum incidet et detinebitur in carcere, ut sequitur.

Laqueus iuvenum omnes.) Το *laqueus* active accipit S. Hieron. et S. Thom. q. d. Scribæ et Pharisæi suis pravis traditionibus et dogmatibus, quasi laqueis illaqueaverunt iuvenes, id est, iuniores et rudiores in plebe. Sic ait Osee c. 5. 1. *Laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor;* et c. 9. 8. *Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius.*

Secundo, et magis genuine ex hebraismo passive capias *laqueus*, id est illaqueatus. Unde ex Hebræo sic ad verbum vertit Angelus Caninius, eiusque discipulus Forer. *Laqueus iuvenes universitas ipsorum* vel *omnes ipsi*, q. d. Omnes iuvenes validi et fortes in bellis erunt laqueus, id est illaqueati, et Romanorum armis et strata-B gematibus quasi laqueis capti. Noster vertit, *laqueus iuvenum*, q. d. Israelitæ fuerunt laqueus iuvenum suorum, quia propter peccata eorum filii et iuvenes ipsorum in bello a Romanis capti sunt et illaqueati. Ita Cyrillus, Adamus, Vatablus et alii. Ponitur ergo abstractum pro concreto, *laqueus* pro *illaqueatus*. Vide canon. 38.

Paulo aliter Sanchez: Vocatur, ait, *laqueus* vel catena iuvenum, id est valida et fortissima, quæ non senibus et debilibus, sed iuvenibus et robustis, qui fortia etiam vincula et funes dirumpere possunt, iniicitur, seu qua iuvenes validi vinciuntur et catenantur.

Nec est qui dicat: Redde.) q. d. Nemo est qui de Iudæis captivitate liberandis cogitet, nemo qui eos curet, oblivioni traditi sunt et ab hominibus, et a Deo in perpetuo degent exsilio et captivitate.

Quis est in vobis?) Est vox Prophetæ conquerentis, Vers. 23.
quod Iudæi hisce suis oraculis non credant, imo ea despiciant, q. d. Utinam inter vos vel pauci aliqui sint, qui
C hæc secum ponderent uti par est: non enim agitur de re parva, sed æterna vestra libertate et salute.

Quis dedit in direptionem Iacob?) *Iacob* et *Israel* Vers. 24.
generatim accipit pro quibusvis Iacobi posteris, tam duarum quam decem tribuum, ut patebit c. sequent. v. 1. et c. 44. 1. Ita Adamus, q. d. Nonne videtis, o Iudæi, patres vestros sæpius a Philisthinis, Moabitis, Idumæis, Assyriis vastatos fuisse: atque iam recenter anno sexto Ezechiæ decem tribus plane excisas et abductas esse in Assyriam? Et quare? Nonne quia in Deum peccaverunt, illius monita et prophetias spreverunt, uti et vos peccastis et spernitis? Videte ergo ne idem Dei iudicium et vindictam subeatis. Hæc enim certo vobis imminere prædico, nisi Dei oracula, ac præsertim Christum Dominum, eiusque Evangelium recipiatis. Dicatur hoc etiamnum fidelibus, uti Belgis, bello diutino afflictis: *Quis dedit in direptionem, in cædem, in ignem Belgium? etc.*

Et noluerunt.) Est enallage personæ, q. d. Et noluimus. Ita Forerius. Secundo, simplicius Sanchez refert
D ad decem tribus, q. d. Deus in quem peccavimus, dedit in direptionem Israel. *Et*, id est *quia*, noluerunt in viis mandatorum eius ambulare.

Et combussit eum in circuitu, et non cognovit.) Vers. 25.
Loquitur de Israel, quasi de republ. nunc in singulari, nunc quasi de populo et multitudine in plurali. Sensus est, q. d. Deus per Assyrios omnes decem tribus, totamque Samariam circumquaque vastavit et combussit, *et*, id est *quia, non cognovit*, id est, non credidit Prophetis, hæc ei ex Deo minitantibus. Vel simplicius, q. d. Israel tam fuit obstinatus, tam stupidus, ut etiam eum vastaretur non intelligeret, hæc sibi a Deo ob peccata sua infligi. Idem hodie Christianis usu venit.

Aliter Forer. qui hæc omnia a v. 24. intelligit de excidio non decem, sed duarum tribuum per Romanos, q. d. Quis, quæso, dilectum Dei populum dedit in captivitatem, non septuaginta, ut olim, sed mille iam et sexcentorum annorum? Certe, Iehova, quia eius Messiam con-

*

tempsit: quocirca forte et durum bellum, ac obsidionem Romanorum ei immisit, quæ eum in hanc vastitatem continuam deduxit. *Et non cognovit*, q. d. Etiam post tam diram cladem non intellexit, quod ob infidelitatem in Christum Domini puniretur: imo neque, postquam totus conflagravit, non recogitat, non redit ad cor, ut Christi A a se occisi causa, hæc se pati videat; sed obstinatus in iudaismo Christique odio persistit. Verum prior sensus congruentior est. Stimulat enim Iudæos exemplo et clade receuti fratrum suorum, puta decem tribuum, sive Samaritarum.

CAPUT QUADRAGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit propheta hoc cap. et seq. in argumento capitis præcedentis. Dixerat ibi v. 24. Iacob et Israel a Deo datum esse in direptionem vastantibus Assyriis: nunc de more eum consolatur, quod nimirum ab iis, atque etiam ex Babylone, quo captivus est adducendus, Deus eum liberabit et reducet, ut patet v. 14. et cap. seq. v. 28. Ita S. Thom. Hugo, Pagnin. et Sanchez. Iam sub hoc typo altius quid intelligit, videlicet, liberationem Israelis spiritualis, id est fidelium, a captivitate peccati et diaboli per Christum. Multa enim hic augustiora dicuntur, quam ut conveniant Iudæis Babylone liberatis: ad eos tamen alludit, eosque obiter quasi perstringit. Unde et typum cum antitypo permiscet, iamque quædam dicit quæ magis typo, iam quædam quæ magis antitypo conveniant. Vide can. 5. Ita S. Hieron. Cyrillus, Procopius, Haymo, Forer. et alii: qui omnes hæc potius de Christi Ecclesia, quam de Iudæorum synagoga accipiunt.

Ad litteram ergo Israeli, id est Ecclesiæ, promittit nomen hoc, scilicet Meus es tu, quodque eam illæsam per ignem et aquam deducet, quodque ei Gentes omnes ex quatuor orbis plagis subiecturus sit, Iudæos vero utpote cæcos et surdos eiecturus. Deinde v. 9. redit ad disceptationem cum Gentibus, earumque idolis, urgetque ut testes proferant, qui testentur deos illos similia beneficia et miracula præstitisse suis cultoribus, atque ipse se præstitisse docet: huiusque rei testes producit Israelitas, qui se nuper a Sennacherib, olim a Pharaone Dei ope liberatos, viderunt, ac mox simili modo e Babylone se liberari videbunt. Tertio v. 18. nova divinitatis argumenta profert, videlicet beneficia populo gentili, a se conferenda, scilicet gratiam, salutem et remissionem peccatorum. Hanc enim Israelitas non suis meritis aut victimis, sed meræ suæ misericordiæ, et Christi meritis ascribere, indeque expectare debere demonstrat.

1. Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, et formans te Israel: Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu. 2. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. 3. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te. 4. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus: ego dilexi te, et dabo homines pro te, et populos pro anima tua. 5. Noli timere, quia ego tecum sum: ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. 6. Dicam aquiloni: Da; et austro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ. 7. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. 8. Educ foras populum cæcum, et oculos habentem; surdum, et aures ei sunt. 9. Omnes gentes congregatæ sunt simul, et collectæ sunt tribus: quis in vobis annuntiet istud, et quæ prima sunt audire nos faciet? dent testes eorum, iustificentur, et audiant, et dicant: Vere. 10. Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus, quem elegi: ut sciatis, et credatis mihi, et intelligatis quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. 11. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator. 12. Ego annuntiavi, et salvavi: auditum feci, et non fuit in vobis alienus: vos testes mei, dicit Dominus, et ego Deus. 13. Et ab initio ego ipse, et non est qui de manu mea eruat: operabor, et quis avertet illud? 14. Hæc dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israel: Propter vos misi in Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus suis gloriantes. 15. Ego Dominus sanctus vester, creans Israel rex vester. 16. Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam. 17. Qui eduxit quadrigam et equum, agmen et robustum, simul obdormierunt, nec resurgent; contriti sunt quasi linum, et extincti sunt. 18. Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini. 19. Ecce ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea: ponam in deserto viam et in invio flumina. 20. Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. 21. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. 22. Non me invocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. 23. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, et victimis tuis non glorificasti me: non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. 24. Non emisti mihi argento calamum, et adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. 25. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. 26. Reduc me in memoriam, et iudicemur simul: narra si quid habes ut iustificeris. 27. Pater tuus primus peccavit, et interpretes tui prævaricati sunt in me. 28. Et contaminavi principes sanctos, dedi ad internecionem Iacob, et Israel in blasphemiam.

Vers. 1. Et nunc hæc dicit Dominus creans te.) Ne Israel ab hostibus afflictus desperet, deque se actum putet, erigit eum in spem, dicens, quod Deus eum sibi in populum crearit et formarit. Utque eum magis in spe confirmet, quatuor genera beneficiorum ei collatorum commemorat. Primum creationis, dicens, *creans:* Deus enim B omnes homines creavit, sed peculiariter Hebræos, quia miraculose Abraham ex Sara anu et sterili genuit Isaac, et Isaac ex Rebecca Iacobum, ex quibus prognati sunt Hebræi. Secundum, formationis, cum ait, *formans*, q. d. Sicut figulus format et fingit sibi vas in honorem, illudque distinguit ab aliis vasis vilibus et sordidis: ita ego

te, o Israel, in remp. fidelem, piam et sanctam formavi, dando tibi legem, sanctasque cæremonias, et ritus sacrificiorum. Tertium redemptionis ex servitute, cum ait, *Redemi te.* Quartum electionis in populum selectum et peculiarem, ut vocareris populus Dei, cum ait, *Meus es tu.*

Moraliter, in adversis et minis Dei, ne animum despondeamus, nos recordatione beneficiorum Dei animare debemus, Deoque dicere: *Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentium tibi, et opera manuum tuarum ne despicias.* Ita Forerius.

Redemi te.) Ex captivitate tum Ægypti per Mosen, tum Babylonis per Cyrum, tum maxime diaboli per Christum. To enim *redemi* etiam per futurum *redimam* exponi potest, iuxta Canon. 13.

Vocavi te nomine tuo.) Alludit ad morem herorum benignorum, qui servos quos amant nomine proprio evocant et accersunt, dicendo, non, Serve, adesdum; sed Petre, vel Paule, veni; audi, Pamphile. Sic Deus ait, *Israel veni*: hoc enim benevolentiæ est signum. Ita Vatablus. Secundo et melius, Leo Castrius, *vocavi te nomine tuo*, id est, ut ex Hebræo vertas, *vocavi nomen tuum*, id quod sequitur, *Meus es tu.* Israeli ergo indit nomen novum, scilicet hoc: *Meus es tu.* Simili modo Osee cap. 1. a Deo iubetur vocare filium suum primogenitum *Iezrahel*, id est semen Dei: tertium vero. *Non populus meus.* Ingens enim est dignitas æque ac utilitas quod, ut ait Apostolus, *filii Dei nominemur et simus.* Nam, ut ait Plato in Cratylo, *Dei appellatio est, cum Deus facit inesse rei nominatæ, id quod nomen significat.* Ergo cum Israeli spiritali, id est Ecclesiæ, et fidelibus Christianis, dat hoc nomen *Meus es tu*, facit reipsa ut ipsi sint populus, peculium et possessio Dei. Hoc est quod ex Mose Exodi 19. 5. ait S. Petrus epist. 1. cap. 2. v. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis,* id est, ut Moses habet, hebr. סגלה *segulla*, id est peculium et cimelium Dei. Vide ibi dicta.

Vers. 2 **Cum transieris per aquas, tecum ero, etc. cum ambulaveris in igne, non combureris.**) Aliqui vertunt per præteritum: *Cum transires per aquas, ego tecum fui*, scilicet in transitu maris rubri et Iordanis; *cum ambulares in igne, non es combustus*, scilicet cum Abraham de *Ur*, id est de igne, Chaldæorum eduxi. Vide dicta Genes. 11. 31. q. d. Pari modo nunc, et deinceps traducam te illæsum per ignem et aquam, id est, per quævis etiam gravissima vitæ pericula, tum in Babylone, tum potius in persecutione Imperatorum et tyrannorum Christi Ecclesiam et Christianos flamma et ferro persequentium, adeoque in quavis tentatione et adversitate te liberabo, vel ita confortabo, ut pro nomine meo malis esse in igne quam in refrigerio, imo gaudeas et ambias pro Deo, Deique fide aquis mergi, igne cremari, dicasque cum S. Laurentio: *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Sicut enim Christus mortem moriendo vicit, ita S. Laurentius et Martyres igne cremati, igne et tyrannis superiores, sua magnanimitate et constantia, exstiterunt, imo ignem quasi ad duellum provocarunt. Uti fecit S. Ignatius scribens ad Romanos: *Ignis*, ait, *crux, bestiæ, etc. omnia tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar.* Unde Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. c. 9. *Si transieris*, ait, *per ignem, non combureris, quia non cades in corruptionem, sed transibis ad immortalitatem;* dicesque cum Psalte: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.*

Mira navis et naufragi gubernatio Dei. Mirum hac de re refert exemplum S. Paulinus epist. ad Macarium, de sene quodam catechumeno, qui in baptismo vocatus est Victor. Hic enim in navi solus, vi tempestatis abreptus, sine temone, sine cibo, sine ulla hominum ope, plures septimanas in mari iactatus, a Deo et Angelis protectus, pastus et deductus est. *Ipse enim Christus*, ait Paulinus, *nunc suo vultu coruscus, nunc S. Felicis ore venerabilis sedebat in puppi, senemque allectabat, qui inter eius genua caput reclinabat, vidit et sæpius angelos excubare navigio, et cuncta nautici muneris administrare: nec sane navim illam nisi angeli nautæ ducebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Viginti tres dies homo non modo a terris, sed ab hominibus exclusus, omnium ventorum ludibrium, omnis terræ exsul, diversi maris hospes, et exsors generis humani; inter fluctus et belluas maris, in vago erraticæ navis hospitio, ieiuniis, senio, timore confectus, quæso te, numquid natura sua perduravit? Cui ergo obscurum sit Deum in illo fuisse? Navis primo ad Urbem acta, Romani portus pharum vidit: deinde Campaniam longis tractibus legit, mutatisque turbinibus in Africæ littora transvolavit: atque ab ipsis rursus abrepta, Siciliam transcurrit; ita freta sulcans, ut quasi divina navis, et immisso divinitus spiritu sapiens, sua sponte cavenda vitaret, sequenda peteret. Tandem finem errorum atque discriminum in Lucanis posuit littoribus.* Ibi enim piscatorum opem inclamans senex, ab iis navi in littus protracta, portum vidit. Quocirca Deo gratias agens, baptismo suscepto vitam Christianam et sanctam instituit. Fuse hæc et eleganter narrat Paulinus. Ita fideles suos regit Deus, qui deducit velut ovem Ioseph.

Apposite S. Athanas. l. de Incarnat. Verbi, et ex eo Leo Castrius: *Sicut*, ait, *ex amianto lapide* (teste Dioscoride l. 5. c. 113. et Plinio l. 36. 19.) *utpote ductili et flexili, textores, fila deducunt, ex eisque telas et vela contexunt, quæ si in ignem iniiciantur, ardent quidem, sed flammis invicta splendidiora exeunt: ita beata Virgo agnum peperit, e cuius glorioso vellere facta est nobis vestis immortalitatis: qua tecti, nec igne comburi possumus, nec aquis concludi, aut re ulla, quin per omnia cruciamenta transeamus illæsi, et ad cælum evolemus.* Anima enim mox evolat, corpus in resurrectione evolabit. Sancti quasi amianti in igne illæsi.

Imo sic ad litteram in fornace Babylonia angelus sua quasi veste tres pueros ob meritum castitatis, innocentiæ, religionis et constantiæ ab igne tutatus est, angelus inquam, similis Filio Dei, Christique typus, Daniel. 3. 92. Sic S. Ioannes e dolio ferventis olei hic Romæ ante portam Latinam (locum sæpe magno pietatis sensu visi et vidi) illæsus exivit. Ita de S. Polycarpo in rogo ardenti constituto, scribunt Smyrnenses apud Eusebium. lib. 4. histor. c. 15. *Ignis facta cameræ specie, ad morem veli nautici vento repleti, corpus Martyris veluti muro quodam circumcinxit; eratque illud in medio non tamquam caro ardens, sed tamquam aurum et argentum in camino ignitum. Etenim tantam boni odoris fragrantiam sensimus, quasi vel thus vel aliud quoddam pretiosum aroma spiraret. Tandem igitur iniqui, cum corpus illius ab igne non posse consumi cernerent, confectorem accedere, et ferro illud transfodere iubent. Quo facto copiosus sanguis effluxit, ita ut ignis exstingueretur, ac tota turba miraretur.*

Sic S. Vincentius sub Daciano, S. Cæcilia, S. Lucia, S. Agnes, aliæque plurimæ virgines, in flammis, Christo protegente, manserunt intactæ: atque non minore miraculo, cum undique tentarentur libidinis igne, eo non arserunt, sed illibatæ perstiterunt: imo a sponso Christo angelum virginitatis suæ custodem et vindicem perpetuum adeptæ sunt. Sic S. Dominicus, non Ordinis Prædicatorum fundator, sed alius eiusdem Ordinis et nominis, tentatus a muliere forinsecus, a dæmone intrinsecus igne libidinis, cum fortiter omnia tentamenta superasset audivit inclamantes dæmones: *Vicisti, vicisti quia in igne fuisti, et non arsisti.*

Narrat Bartholomæus Pisanus in gestis S. Francisci, quod Fridericus II. Imperator S. Franciscum a concione, quam habuerat contra vitium libidinis, invitarit ad cænam, lauteque habitum solum in cubiculum introduxerit, ubi paratum erat scortum, quod eum ad turpitudinem illectabat. Mox Sanctus in focum in cubiculo accensum se proiecit, in eoque quasi lecto decumbens, ad eumdem meretricem invitavit: illa et ignis incendio, et viri sanctitate perculsa, illico in fugam se dedit. Imperator, cum omnia per rimulas observasset, videns beatum virum integro et illæso ab igne corpore, quem illudere statuerat, maxime admirari cœpit et venerari. Tales etiamnum sunt multi Religiosi, et virgines, qui in carne vivunt angelice, qui quasi salamandræ in hoc igne, per gratiam Chri-

sti degunt integri et illæsi. Vide dicta Daniel. cap. 3. 4.

Ex hoc Isaiæ loco S. Cyprian. tract. de Exhortat. Martyrum, docet non esse fideli timendas iniurias, nec persecutiones: *Quia*, ait, *maior est Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum. Quare in persecutionibus nemo cogitet quod periculum diabolus importet, sed imo consideret quod auxilium Deus præstet: nec mentem labefactet humana infestatio, sed corroboret fidem Dominica protectio, quando unusquisque secundum Dominica promissa, et fidei suæ merita tantum accipiat de ope Dei, quantum se credat accipere; nec sit quod Omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides caduca defecerit.* Idem tract. de Orat. Domin. *Cum Dei*, ait, *sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit.*

Mystice, S. Greg. l. 6. epist. 169. ad Cyriacum: *Cum transieris*, ait, *per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Illos enim flumina operiunt, quos actiones huius sæculi mentis perturbatione confundunt. Nam qui Sancti Spiritus gratiam tenet in mente, transit aquas, et tamen fluminibus non operitur; quia etiam inter medias populorum turmas sic peragit gressus sui itineris, ut non submittat actionibus sæculi caput mentis.*

Vers. 3. DEDI PROPITIATIONEM TUAM ÆGYPTUM, ÆTHIOPIAM ET SABA PRO TE.) S. Hieron. *propitiationem* accipit active, q. d. Dedi tibi, o Israel, o Ecclesia, Ægyptios, Æthiopes et Sabæos, ut eos prædicato Christi Evangelio converteres, Deo propitiares et reconciliares. *Et dabo homines pro te*, q. d. Cunctorum hominum quibus prædicabis, quosque convertes, salus tibi imputabitur. Verum sic τὸ *pro te* improprie admodum sumitur. Quare melius *propitiationem* passive capias pro hostia pro peccato, vel victima piaculari, sed humana (quæ veteres vocabant καθάρματα) qualis fuit M. Curtius, qui in ingentem terræ hiatum Romæ eques insiliit ad placandum sua morte toti populo numen. Talis et symbolice fuit hircus ille apopompæus sive emissarius, cui pontifex, in die expiationis, peccata totius populi imprecabatur, sicque eum emittebat in desertum, a feris devorandum, ut ex Origene et Cyrillo dixi Levitic. c. 16. v. 21. et seq.

Sensus ergo est, q. d. Cum Sennacherib Israeli, id est Iudææ et Hierosolymæ, immineret, iamque illa ab eo esset vastanda, et quasi devoranda, ego effeci, ut pro Iudæa Sennacheribo obiiceretur Æthiopia, Ægyptus et Saba, quasi victima piacularis, loco Iudææ, ab eo mactanda. Unde Septuag. vertunt: *Feci commutationem tuam Ægyptum et Æthiopiam et Saba pro te.* Hoc est quod dicitur Prov. 11. 8. *Iustus de angustia liberatus est: et tradetur impius pro eo.*

Historiam vide supra c. 37. ubi narratur, quod Sennacherib, relicta Ierusalem, perrexerit contra Tharaca regem Æthiopiæ, adversum se arma moventem, et c. 20. ubi Ægyptus conspirans cum Æthiopia, vastanda prædicitur a Sennacherib. Porro Saba hic est pars Æthiopiæ, in qua regnavit regina Saba, scilicet Abyssinia, ubi regnat nunc Preto-Ioannes, unde venit Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum in Ierusalem, conversus et baptizatus a Philippo, Actor. 8. 27.

Sub hoc vero typo altius quid de Ecclesia Christiana intelligit, q. d. Pro te, o Israel, id est o fidelium Ecclesia, perdam Æthiopes, Ægyptios et Sabæos, id est omnes gentes et hostes tibi abversantes, faciamque ut sint quasi hostia pro te, per quam mea iustitia, iustaque vindicta, expleatur et quasi pascatur, eoque magis tibi conciliet. Ita Cyrillus.

Aliter Procop. S. Hieron. et Forer, q. d. Dedi *propitiationem* vel, ut Septuag. *commutationem*, hoc est pro commutatione, et pretio sanguinis tui et Martyrum tuorum, o Israel serve mi, id est o Christe, tradidi et subieci Ecclesiæ tuæ Ægyptum, Æthiopiam et omnes orbis partes. Hic sensus concurrit cum primo. Nam iuxta regulam Ticonii, quæ de corpore, id est Ecclesia, dicuntur, competunt et capiti, id est Christo: et vice versa. Sic ergo Christus repræsentat Ecclesiam, sicut rex regnum. Christo favet id quod subdit: *Dabo populos pro anima tua.*

Ubi Nota. Gentes hostiles Ecclesiæ factas fuisse victi-

A mas, vel quia manentes in infidelitate mactatæ et excisæ sunt a Deo, vel potius quia Deus eas subegit Christo, et ex infidelibus fideles, Christoque subditas effecit. Sic enim fuerunt victimæ Deo gratissimæ, cum morientes peccato, et veteri vitæ, cœperunt vivere Deo: has enim offerens Paulus ait Rom. 15. 16. *Ut sim minister Christi Iesu in Gentibus: sanctificans* (græce ἱερουργοῦντα, id est sacrificans) *Evangelium Dei, ut fiat oblatio* (victima) *Gentium accepta, et sanctificata in Spiritu sancto.* Atque huic victimæ suum sanguinem quasi libamen libens offert Philip. 2. 17. dicens: *Sed et si immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestræ, gaudeo, et congratulor omnibus vobis.* Et de hac ait Rom. 12. 1. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

ET DABO HOMINES PRO TE.) Sicut Æthiopes dedi pro te, sic dabo et Babylonios; hos enim Cyrus delevit, ut Iu- Vers. 4.
B dæos liberaret; multo magis homines et populos omnes pro Christo et Ecclesia dabo, id est evertam, vel convertam, uti iam dixi.

AB ORIENTE ADDUCAM.) q. d. In captivitate Babylonica dispergemini in quatuor orbis plagas, ut dicitur Zachar. 2. 6. sed ex omnibus reducam vos in Iudæam. Multo magis hæc competunt Gentibus ex omnibus plagis mundi adductis, et venientibus ad Ecclesiam Christi. Sic ex Occidente ad eam venerunt et veniunt Europæi; ex Oriente Indi; ex Aquilone Gothi, Livones, Moschi, Poloni; ex Meridie Ægyptii, et Afri. Unde sequitur. Vers. 5.

ET OMNEM, QUI INVOCAT NOMEN MEUM.) Τὸ *et* causale est, significans *quia*, q. d. Adducam eos, quia creavi, formavi et feci eos fideles Christianos, ad hoc, ut nomen meum invocarent et celebrarent, meæque maiestati et gloriæ, servirent in sanctitate et iustitia, omnibus diebus vitæ, imo æternitatis suæ. Vers. 7.

EDUC FORAS POPULUM CÆCUM.) Calvinus sic vertit et explicat: Educam cæcos, ut visum ipsis restituam; sur- Vers. 8.
C dos ita liberabo, ut aures recuperent, q. d. In captivitate aperientur eorum oculi ut videant, et aures ut audiant, quibus iam suapte malitia destituuntur, dum eas obturant. Verum obstant Hebræa, quæ ad verbum habent: *Educ vel eiice populum cæcum, cui oculi; et surdos, quibus aures.* Aliqui hæc de Gentibus idololatris accipiunt: verum dico, Prophetam loqui de Iudæis; hos enim c. præced. v. 19. vocavit cæcos et surdos: tales enim facti sunt, cum Gentes a Christo illuminatæ sunt, q. d. Eiice, o Christe, per te, tuosque Apostolos, a te, tuaque Ecclesia Iudæos, qui oculos habent, quibus videant tua miracula; et aures habent, quibus audiant tuam doctrinam; sed lumen veritatis quod vident et audiunt, recipere et in animum admittere nolunt. Cæcos ergo hos et surdos reproba, magisque excæca, ac tandem proiice in tenebras æternas, atque effice, ut Iudæorum loco, omnes Gentium tribus tibi et Ecclesiæ iungantur. Ita S. Hieron. Procop. et Theodor. Vide Prosperum l. I. de Vocat. Gentium c.
D 3. Hoc est, quod ait Christus Matth. 8. 12. *Filii regni eiicientur in tenebras exteriores*, id est extremas, vel quæ occupant omnia ea, quæ extra regnum Dei sunt. Nam in regno Dei lux est; extra autem quidquid est, tenebricosum est, imo meræ tenebræ.

OMNES GENTES CONGREGATÆ SUNT.) Redit more suo Propheta ad Gentes, earumque idola, cum quibus cœpit disceptare c. 41. v. 22. Iam subaudi voculam *Si*, q. d. *Si omnes gentes congregatæ sint*, vel finge animo congregari, aut, ut Vatabl. vertit, *congregentur omnes gentes* cum suis diis, faciant et prædicant ea, quæ ego hic facio et prædico, testes si quos habent proferant. Ego a cap. 41. hucusque demonstravi me Iehova esse Deum, qui præterita fecerim, sicut prædixeram, quique nova facturus sim, scilicet ut ex stirpe Abrahæ veniat Messias, qui illuminabit totum orbem, eumque redimet a potestate diaboli; in cuius adventu Iudæi a fide patrum degenerabunt, fientque cæci, ac interibunt: quare loco eorum vocabo et surrogabo Gentes, ac in semen Abrahæ cooptabo. Hoc Vers. 9.

mysterium quis Gentium, quis deorum agnovit? quis prædixit? dent testes, si habent, oraculorum suorum, et *iustificentur*, id est, causam suam iustificent, scilicet probent se esse deos ex præsagio futurorum, ut audientes populi dicant: *Vere*, scilicet, hi sunt dii, et præsagi futurorum. Ita S. Cyrillus, Forer et alii.

Vers. 10. Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus, quem elegi.) q. d. Gentes et idola nullos habent testes suorum oraculorum et miraculorum: at ego plurimos profero. Vos, o Israelitæ, testes estis eorum, quæ dico: iam enim recenter vidistis me vos a Sennacherib liberasse, eiusque castra per Angelum cecidisse, uti promiseram. Item vidistis miraculum solis et umbræ reductæ in horologio Achaz vitamque regi vestro Ezechiæ iam deposito, a me redditam. Vos quoque, o Prophetæ, oraculorum vestrorum, id est meorum, testes estis. Vos denique, o Apostoli, o fideles, o Martyres, tempore Christi, testes eritis, cum videbitis hæc mea oracula et promissa reipsa compleri. Hoc est, quod ait Christus Actor. 1. 8. *Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

Et servus meus.) Id est, Cyrus, ait Hugo: hic enim liberans Iudæos Babylone, promissionis divinæ de eadem liberatione, quasi testis fuit. Secundo, Forer. accipit Isaiam. Tertio et optime, passim alii accipiunt Christum; hic enim cap. 42. 1. vocatus fuit *servus* Dei hicque suis dictis, factis, miraculis, suaque passione et redemptione adimplendo hæc Dei oracula, erit testis, id est, reipsa testabitur et demonstrabit ea esse vera, ac consequenter tam se, quam Patrem, a quo missus est, esse verum Deum. Unde de eodem ait cap. 55. v. 4. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus;* sic Apoc. 1. 5. dicitur: *A Iesu Christo, qui est testis fidelis;* et c. 3. 14. *Hæc dicit: Amen, testis fidelis, et verus.*

Vers. 12. Ego annuntiavi, et salvavi: auditum feci, et non fuit in vobis alienus.) Hoc est, alius, scilicet Deus, qui ista faceret, q. d. Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Iosue, etc. et nuper Ezechias, quibus prænuntiavi et contuli salutem, vel ab hostibus, vel a morbo, quosque ita protexi et magnificavi, hi, inquam, non coluerunt deos alios, sed me solum. Imo, ope mea Chananæos, aliasque gentes deos alios colentes, sua terra exturbarunt; ergo non virtute deorum, sed mea solius id præstiterunt.

Vers. 13. Non est qui de manu mea eruat.) q. d. Habeo claves vitæ et mortis, animam et flatum cuiusque hominis manu mea contineo, ego vivifico et mortifico, solus sum Deus omnipotens et omniscius. A me idola, principes, et mortalia omnia morte damnata sunt, ut ait Seneca. Utinam hoc sæpe cogitemus, illique soli studere satagamus, illumque revereri et timere, *qui potestatem habet et animam et corpus perdere in gehennam.*

Vers. 14. Propter vos misi (mittam Cyrum) in Babylonem, et per eum detraxi, id est detraham, vectes universos.) q. d. Vectes portarum, omniaque robora et munitiones Babylonis frangam, ut vos ex ea liberem: pari modo per Christum, cuius typus erat Cyrus, ex Babylonis, id est mundi, et Chaldæorum, id est dæmonum, potestate vos liberabo. Ita S. Hieron. Procop. et Cyrill.

Per *vectes* rursum Hieron. accipit principes, quia validi sunt ac potentes. Secundo, Sanchez per *vectes* accipit impedimenta et remoras, quæ erant quasi carceres et repagula, quibus Deus gestientes ad bellum et imperium Persas et Medos huc usque continuerat, et quasi concluserat, iam vero iis diffractis liberos fecit, ut præcipites in Babylonem irruerent. Hos vectes Zachar. c. 6. v. 1. vocat *montes æreos.*

Tertio et optime, *vectes* sunt muri, turres, portæ, earumque vectes et claustra, omniaque munimenta Babylonis.

Septuaginta pro *vectes* vertunt, *fugientes.* Hebr. enim בריח *bariach* utrumque significat: radix enim ברח *barach*, significat *fugit*, indeque *vectis* dicitur *bariach*, quod transcurrat, et quasi fugiat ab uno extremo ad aliud. Porro per *fugientes* Cyril. accipit Persas, q. d. Persæ, qui an-

A tea fugerant Chaldæos, iam a Deo animati eos invadent. Procopius vero accipit Chaldæos, quos fugientes insecuti Persæ, necarunt vel captivarunt.

Et Chaldæos in navibus suis gloriantes.) Babylon alluitur a Tigri et Euphrate: hi enim fluvii, quasi vectes cingunt et sepiunt urbem, atque per aquæductus multis in locis restagnantes (uti fit Venetiis) miram ei utilitatem æque ac delicias præbent: sed hæc sustulit et evertit Cyrus, cum Euphrate in alios pluresque alveos per milites deducto, sicco pede urbem invasit et occupavit, uti ostendam Ierem. c. 50. v. 36.

Qui dedit in mari (rubro) viam, et in aquis torrentibus semitam.) Commemorat pristina beneficia et miracula Israeli præstita, in transitu maris rubri Exodi 14. Per *aquas torrentis* intelligit, vel aquas Iordanis, quas Hebræi, duce Iosue, sicco alveo transierunt, cum is tempore messis intumuisset, ideoque ferretur præceps magno cum impetu instar torrentis, Iosue 3. vel potius aquas maris rubri, ut posteriori versu, more rhythmi Hebraici, eleganter idem dicat quod priori. Unde Septuag. vertunt; *aquam vehementem*, quomodo de transitu maris rubri dicitur Exod. 15. 10. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Aquæ enim maris rubri a Deo utrimque instar montium suspensæ, ut mediam darent semitam transitui Hebræorum, quasi vim passæ, et frementes, iis transgressis, mox magno fragore convolutæ, instar torrentium, imo montium, insequentes Ægyptios obruerunt. Ita S. Hieronymus, Procopius, Sanchez, Forerius et alii. Hoc est, quod sequitur: Vers. 16.

B

Qui eduxit quadrigam.) q. d. Deus illexit et quasi induxit Pharaonem cum suis quadrigis et copiis in mare rubrum, ut persequeretur Hebræos, ibique eum mersit. Unde ibi Ægyptii in morte perpetua obdormierunt. Vers. 17.

Contriti sunt quasi linum, et exstincti sunt.) Ea scilicet facilitate qua linum, vel stupa accensa vel fumigans mersa in aquas validas, vel flumen ingens, mox conteritur et exstinguitur.

C Rursum quia anima est velut igniculus quidam in nobis, hinc exstinctos Ægyptios, quasi linum fumigans dixit. Tertio, in lino fumigante notat iram et ardorem persequendi Hebræos in Ægyptiis, qui instar flammæ aquis exstinctus est. Ita Forer.

Ne memineritis priorum.) q. d. Magna videntur hæc miracula quæ pro vobis feci in mari rubro; sed parva, vel nulla sunt, si comparentur cum iis, quæ vobis facturus sum in Ecclesia Christi. Illa enim sua magnitudine et gloria, ista vetera obruent. Ita S. Hieron. Procop. Sanchez, Forer. et alii. Notent hic Christiani, quot quantisque beneficiis a Deo cumulati sint præ Iudæis, omnibusque sæculorum omnium nationibus, Deoque gratos se exhibeant. Vers. 18.

Ponam in deserto viam.) Aliqui hæc ad litteram accipiunt de reditu e Babylone: tunc enim vel ad litteram, ut sonant, hæc Hebræis a Deo data esse uti eisdem data sunt, cum duce Mose per desertum profecti sunt in Chanaan: vel hisce quasi proverbiis tantum significari, quod Iudæi Babylone redeuntes, maxima a Deo acceperint beneficia. Vers. 19.

D

Verum hæc vetera veterum fuerunt, eaque exilia; hic autem nova Deus novæ Ecclesiæ, eaque magnifica promittit. Loquitur ergo de gratia per Christum in Gentes effusa, *ut ubi superabundavit iniquitas, ibi superabundaret et gratia.* Alludit tamen ad typum Hebræorum, duce Mose, desertum transeuntium. Tunc enim Deus iis viam quasi præivit, in columna ignis et nubis; tunc etiam ex petra a Mose percussa dedit copiosas aquas, et quasi flumina, quæ tantis castris sufficerent, eaque perdurantia, et deinceps perennantia: ita ut post discessum Hebræorum feræ, dracones et struthiones arentes siti inde eam exstinguerent; ideoque muta voce Deum glorificarent, eique gratias agerent. Unde Abulens. in Numer. 20. q. 2. et 3. cum Hebræis censet, has aquas non tantum decurrisse per desertum, et secutas fuisse Hebræos, uti innuit Apostolus 1. Cor. 10. 4. sed etiam ex illo tempore Arabiam propter aquas a Mose elicitas et perdurantes, factam fuis-

se habitabilem, cum antea ob ariditatem, æstum et sitim esset inhabitabilis; quod alibi discutiendum est.

Sensus ergo est, q. d. Aperui olim Hebræis viam in mari rubro, et in deserto invio: at nunc totius mundi quasi maris magni viam omnibus nationibus aperiam, viam, inquam, ad Christum, Ecclesiam, salutem et cælum, atque dabo in invia Gentium solitudine non corpori, sed animæ de *fontibus salvatoris* non flumen, sed flumina gratiarum ut laudent et glorificent me gentes barbarie et feritate draconibus, struthiis, aliisque bestiis similes, imo concorporatæ ipsi Leviathan, ut dixi c. 27. 1. Ita S. Hieron. Hinc Plato lib. 3. de Rep. docet, in homine, velut in equo Troiano, esse omnia animalia; in doloso enim est vulpes, in crudeli leo, in libidinoso amica luto sus, in torpido asinus, in suspicaci odora canum vis, in guloso lupus, in compto et compta pavo, in garrula pica, etc. Et hoc voluisse Pythagoram, cum dixit, improborum animas degenerare et migrare in corpora belluina, seque induere in leones, lupos, canes, etc. censent nonnulli. Vide can. 19. Simili modo S. Gregor. libr. 31. Moral. c. 5. v. 6. per *dracones*, accipit homines humi reptantes, carnales, et manifeste improbos, per *struthiones* vero hypocritas. Struthio enim habet pennas quasi volaturus, nec tamen volat. Utrique hi conversi a Christo et Apostolis sincere et serio Deum glorificabunt. Septuag. pro *dracones* vertunt, *Sirenes*, quales scilicet socios Ulyssis suo cantu fascinarunt, et in porcos, asinos, aliasque feras converterunt. Tales sunt amasiæ et lenæ, quæ iuvenes sua forma, voce et gestibus dementant: has Christus et Apostoli convertent, docebuntque canere Deo alleluia.

In homine sunt omnia animalia.

Vers. 21. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.) Hinc patet per *dracones, struthiones, etc.* non bestias, sed homines et populum intelligi. Occurrit tacitæ obiectioni Iudæorum dicentium: Quomodo, Domine, nobis relictis, qui homines sumus fideles, et populus a te olim electus, qui te colimus victimis et thymiamate, transfers te ad Gentes, qui non ut homines, sed ut dracones et feræ vivunt? quomodo eos tibi adsciscis et eligis? Resp. Deus: Ego populum istum formavi, ego ex lapidibus, imo ex feris, filios Abrahæ suscitavi, ut ipse magnificam meam in se beneficentiam, potentiam et gloriam iugiter repræsentet, æque ac celebret. Unde sequitur:

Vers. 22. Non me invocasti, Iacob, nec laborasti in me, Israel.) *In me*, id est, in meo cultu. Est nova occupatio. Occurrit enim alteri Iudæorum obiectioni et instantiæ. Dicet enim Israel: Si Gentes vocasti, ut te laudent, ego quid aliud ago? nonne tibi Psalmos et hymnos decanto? nonne tibi offero thura et victimas? Respondet Dominus: *Non me invocasti:* tuæ invocationes, laudes et Psalmi, non laudes meæ, sed vituperia sunt; ac proinde ea mihi non obtulisti, nec iis me glorificasti, sed dedecorasti: consequenter ego hanc servitutem oblationum, et laborem thurificandi a te non requisivi, non volui, non cupivi, quia illa mihi non voluptatem, sed molestiam pariunt; tum quia sceleribus pollutus me laudas, mihi sacrificas; tum quia externis hisce laudibus et victimis me putas reconciliari et oblectari. Falleris: ego enim victimis boum et arietum non placor, non vescor, non inebrior, calamum aromaticum, et suffitum thymiamatis non odoror, nullo odore pascor et delector; sed corde contrito et puro, puta mentis victimis, et thymiamate virtutum, quas tu negligis: et ut ad eas offerendas te inducerem, sacrificia ista externa, quasi excitamenta tantum institui. Ita S. Hieronymus, Procop. et alii. Hoc est, quod dixit c. 1. v. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? etc.* Vide ibi dicta. Aliter vertit Syrus et Arabicus, nimirum: *Non me vocasti, o Iacob: et* (vel quia) *ecce appellavi te, Israel.*

Vers. 24. Non emisti mihi.) q. d. Quod emisti calamum, quem mihi offerres, ego mihi emptum et oblatum non reputo, non accepto, ob causas iam dictas.

Calamum.) Aromaticum. Forerius accipit cannellam quæ vulgo dicitur, quam ipse distinguit a cinnamomo. Vide dicta Exodi c. 30. v. 24. et Ierem. c. 6. v. 20.

Servire me fecisti.) q. d. Non ego te mihi in victi- A mis servire feci: sed tu me tibi servire fecisti, hoc est, peccatis tuis tu me gravasti, molestia affecisti, et quasi servus tuus essem aut mancipium, onerasti. Est catachresis. Hoc est, quod dixit c. 1. 14. *Laboravi sustinens.* Unde Septuag. vertunt: *In peccatis tuis et iniquitatibus ante me stetisti* (sic enim legit editio Romana, Irenæus et Procop. licet alii legant aliter, uti mox dicam) tamquam effrons et impudens, non tam victimas quam peccata oculis meis ingerens, ostentans, et quasi offerens, ideoque irritans, et quasi irridens imo pugnans contra me. Stat enim ante Deum peccator cum peccatis suis, quasi pugnaturus contra illum. Peccata enim tela quædam sunt, quæ intentat peccator et vibrat contra Deum, ait Sanchez. Hic sensus est genuinus.

Moraliter. advertant Christiani, se, dum peccant, facere Deum sibi suisque peccatis quasi servum. Nam eius concursu, natura et donis ab eo acceptis, ad scelera abutuntur, ad eaque Deum Deique dona, quasi invitum trahunt.

Secundo, Forerius explicat, q. d. Non tam mihi servi- B vistis vestris sacrificiis, quam ego servivi vestro ex iis quæstui, honori, epulis ac voluptatibus, o sacerdotes et Iudæi, cum vos iis permitterem expiari, et haberi in populo pro expiatis, cum revera ista non haberent vim expiandi, sed vos peccatores æque ut ante relinquerent.

Tertio, ex Lactantio l. 4. c. 19. Leo Castrius, q. d. Tuis peccatis *servire*, id est servi carnem induere, servi pœnas, scilicet crucem, suscipere, *me* Christum *fecisti:* imo tam tu, o Israel, quam Pilatus et Romani in morte me tractastis, non tam ut mancipium, quam ut pecus vel belluam Unde iuxta S. Hieron. Septuaginta ita vertunt: εν ταις αμαρτιαις σου υπερησπιστα σε: *In peccatis tuis defendi te, et quasi hyperaspistes scutum me pro te iræ Dei opposui.* Ita et ex Septuaginta legunt Cyrill. Theodor. et Euseb. l. 10. Demonstr.

Aliter S. Hieronymus explicat Septuag. *Quasi*, ait, *labor sit Dei, et lassitudo defendere peccatores.* Perinde ac si Deus clemens et parcens pugnet contra se, suamque C iustitiam flagitantem ut iusta vindicta peccata et peccatores plectat.

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, Vers. 25.
q. d. Non tuæ victimæ, quæ plus habent sceleris quam pietatis, non opera legis a te facta, ut tu putas: sed ego per Christum, Christique merita, deleo iniquitates tuas propter me, id est, propter immensam meam misericordiam, merumque amorem, non propter merita patrum tuorum. et peccatorum tuorum non recordabor.) Ut ea tibi ad culpam et pœnam imputem, ut ea ulciscar: alioquin enim manet in Deo peccatorum æque ut præteritorum omnium memoria cognitrix, sed non ultrix.

Notat S. Hieronymus τo *deleo* alludere ad chirographum, quod homo dum peccat, quasi manu sua scribit, suoque nomine subscribit, quo se peccato et diabolo quasi mancipium vendit, mancipat et addicit. Hoc delet et abolet Deus, dum peccati reatum et obligationem delet. De quo vide Origenem homil. 13. in Genes.

Secundo, τo *ego ego* repetitum habet epitasin, estque D asseverantis, sibique complacentis et gloriantis. Quomodo ergo in amorem tam indulgentis patris, qui in se merus amor noster est, non rapimur?

Prudenter S. Ambros. l. 2. de Pœnit. c. 6. *Ego*, inquit Deus, *deleo iniquitates tuas, et memor non ero: tu autem memor esto propter correctionem: memor esto, ut scias donatum esse peccatum, ne glorieris quasi innocens.*

Reduc me in memoriam, et iudicemur simul: narra si quid habes ut iustificeris.) Nota hic humanitatem Dei, qui ad nostra iudicia descendit, et hominum arbitrio quasi se submittit, q. d. O Israel, qui putas te ex operibus legis iustificari, merita si quæ habes, ob quæ putas me debere tibi ignoscere, et delere iniquitates tuas, in medium profer, fac ut ea mihi in mentem redeant: ego enim nil tale memini. Est tacita irrisio. Quis enim Deum doceat, aut ei aliquid in memoriam reducat? Ita Forer. Vers. 26.

Iudicemur simul.) Ut videamus, an ex operibus et meritis tuis, an vero ex mera mea misericordia remissio pec-

catorum tibi obtingere debeat, ut *iustificeris*, ut in hac causa et lite superior evadas, ostendasque ius a te stare, itaque pro te sententia feratur, hæc scilicet, quod remissio peccatorum meritis tuis, non gratiæ Dei sit ascribenda. Ita Forerius. Hic sensus est genuinus.

Aliter hæc explicat S. Gregor. 26. Moral. 6. scilicet de examine conscientiæ, præsertim quod confessionem peccatorum præcedit, ut eam deinde facientes, atque absolutionem recipientes, iustificemur. Hoc enim examen est instar iudicii privati et domestici, in quo personas requisitas, scilicet, accusatorem, iudicem, satellitem et carnificem ita describit: *Conscientia*, ait, *accusat*, *ratio iudicat*, *timor ligat*, *dolor excruciat*.

Denique Septuaginta vertunt: *Dic tu iniquitates tuas primus ut iustificeris:* quod S. Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Leo, Chrysostomus, et ex eis Leo Castrius accipiunt de confessione Sacramentali, quam ex hoc loco probant esse medium necessarium ad iustificationem. Imo hoc sensu versionem nostram Vulgatam accipit et interpretatur Castrius.

Vers. 27. Pater tuus primus peccavit.) q. d. Ne dicas te ob merita patrum iustificari: nam et ipsi peccarunt. Quis autem dicat eius merito nos a peccato liberari, qui aliquando peccato subiacuit? *Pater* ergo vel est Adam: hic enim primus peccavit, et peccatum in omnes posteros transfudit. Vel potius Abraham: hic enim proprie Iudæorum erat pater, id est patriarcha, et ob eius merita iustitiam omniaque sibi deberi putabant Iudæi. Unde illud perpetuo iactabant: *Patrem habemus Abraham, et semen Abrahæ sumus.* Porro Abraham peccavit, quia antequam vocaretur a Deo, coluit idola gentis suæ, scilicet Chaldæorum, ut patet Iosue 24. 2. Vide dicta Genes. 11. 31. et c. 12. 1.

Et interpretes tui.) Scilicet Moses et Aaron, qui fuerunt sequestri et internuncii inter Deum et populum. Hi quoque prævaricati sunt, scilicet ad aquas contradictionis, ideoque ingressu terræ promissæ a Deo exclusi sunt. Unde et hosce

Contaminavi principes sanctos.) Id est peccato contaminatos ostendi (vide can. 29.) ac indignos qui terram sanctam ingrederentur: quocirca eos quasi peccati reos ad mortem damnavi, morique in deserto coegi. Vers. 28.

Dedi ad internecionem Iacob, quando omnes Iacobæos, id est Hebræos, ob murmur pariter damnavi ad mortem obeundam in deserto. Num. 14. 29. Itaque dedi Israel in blasphemiam.) Id est ut Chaldæus et Sept. *in opprobrium hostium.* Hostes enim irridebant eos et subsannabant, quod ob scelera sua a Deo suo, qui eos eduxerat ex Ægypto, omnes occiderentur in deserto. Quo pacto ergo patrum tuorum iustitia te iustificet, qui ob crimina sua morte damnati sunt? non est ergo quod de eorum meritis glorieris, o Israel: *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei*, Rom. 3. 23. Itaque non Aaron per sua merita aut sacrificia expiat te; sed Dei misericordia, qua gratis iustificaris per Christum. Quocirca non mirum si populum novum credentium ex Gentibus creare voluerim, qui hoc ipsum agnoscit, ut ipse misericordiam meam celebret, cum videat se ex se nihil habuisse, nisi peccata ob quæ erubescat, ac mera mea gratia iustificatum esse. Ita S. Hieron. Forer. et alii.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Propheta a cap. 41. ad 47. singulis capitibus idem pene agit, inculcatque hæc tria, scilicet primo, liberationem Israelis e Babylone per Cyrum. Secundo, liberationem hominum, præsertim Gentium, a peccato per Christum, ac beneficia per eum Gentibus danda. Tertio, disceptat cum idololatris, docetque idola esse idola, non deos, Deique unius et veri divinitatem multis probat, et confirmat. Facit hoc tam impense, quia suo tempore Achaz rex, multique cum eo coluerant idola. Rursum, quia Iudæi erant captivi ituri in Babylonem, visurique idola, et idololatriam late dominantem; ne ergo in eam abripiantur ex consuetudine diuturna cum idololatris, præmunit eos, ostenditque multis idolorum inanitatem. Ita et præmunivit eos Ieremias toto cap. 6. Baruch. Rursum facit hoc, propter Gentes, præsertim futuras tempore Christi, ut eas præpararet Evangelio, ac ab idolis ad Deum et Christum traducat.

Primo ergo describit hoc cap. felicem statum, et aureum sæculum Evangelii. Secundo, v. 7. ostendit idolorum inanitatem ex fabris, qui miseri homines sunt, et ex materia, puta lignis, quæ igne comburuntur, et in cineres abeunt. Tertio, v. 21. hortatur fideles, ut idolis despectis, se verum Deum colant, utpote qui creator eorum et redemptor est, quique Iudæos a Babylone per Cyrum, et Christianos a peccato per Christum, uti promisit, educet.

1. Et nunc audi, Iacob serve meus, et Israel quem elegi: 2. Hæc dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus: noli timere, serve meus Iacob, et rectissime, quem elegi. 3. Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. 4. Et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas. 5. Iste dicet: Domini ego sum: et ille vocabit in nomine Iacob: et hic scribet manu sua, Domino: et in nomine Israel assimilabitur. 6. Hæc dicit Dominus rex Israel, et redemptor eius Dominus exercituum: Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus. 7. Quis similis mei? vocet, et annuntiet: et ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura et quæ futura sunt annuntient eis. 8. Nolite timere, neque conturbemini: ex tunc audire te feci, et annuntiavi: vos estis testes mei. numquid est Deus absque me, et formator quem ego non noverim? 9. Plastæ idoli omnes nihil sunt, et amantissima eorum non proderunt eis, ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur. 10. Quis formavit Deum, et sculptile conflavit ad nihil utile? 11. Ecce omnes participes eius confundentur: fabri enim sunt ex hominibus: convenient omnes, stabunt et pavebunt, et confundentur simul. 12. Faber ferrarius lima operatus est: in prunis et in malleis formavit illud, et operatus est in brachio fortitudinis suæ: exhauriet et deficiet, non bibet aquam, et lassescet. 13. Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina: fecit illud in angularibus, et in circino tornavit illud, et fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo. 14. Succidit cedros, tulit ilicem, et quercum, quæ steterat inter ligna saltus: plantavit pinum, quam pluvia nutrivit. 15. Et facta est hominibus in focum: sumpsit ex eis, et calefactus est: et succendit, et coxit panes: de reliquo autem operatus est deum, et adoravit: fecit sculptile, et curvatus est ante illud. 16. Medium eius combussit igni, et de medio eius carnes comedit: co-

xit pulmentum, et saturatus est, et calefactus est, et dixi: Vah, calefactus sum, vidi focum. 17. Reliquum autem eius deum fecit et sculptile sibi: curvatur ante illud, et adorat illud, et obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu. 18. Nescierunt, neque intellexerunt: obliti enim sunt ne videant oculi eorum, et ne intelligant corde suo. 19. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant: Medietatem eius combussi igni, et coxi super carbones eius panes: coxi carnes et comedi, et de reliquo eius idolum faciam? ante truncum ligni procidam? 20. Pars eius cinis est: cor insipiens adoravit illud, et non liberabit animam suam, neque dicet: Forte mendacium est in dextera mea. 21. Memento horum, Iacob et Israel, quoniam servus meus es tu; formavi te, servus meus es tu, Israel, ne obliviscaris mei. 22. Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te. 23. Laudate cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus: iubilate, extrema terræ; resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, et Israel gloriabitur. 24. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, et formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. 25 Irrita faciens signa divinorum, et ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum: et scientiam eorum stultam faciens. 26. Suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens. Qui dico Ierusalem: Habitaberis; et civitatibus Iuda: Ædificabimini, et deserta eius suscitabo. 27. Qui dico profundo: Desolare, et flumina tua arefaciam. 28. Qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem: Ædificaberis; et templo: Fundaberis.

Vers. 1. Et nunc audi, Iacob serve meus.) Per *Iacob* vel *Israel* spiritalem accipe, id est, populum fidelem et Christianum, cum allusione tamen ad Israel carnalem, eiusque liberationem e captivitate Babylonica. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, Forerius, Adamus, et alii passim. Populo ergo fideli, partim ex Israele, partim et magis ex Gentibus colligendo, id est Ecclesiæ, pergit Deus promittere suam opem, tutelam, gratiam, omneque bonum per Christum.

Vers. 2. Ab utero auxiliator tuus.) *Ab utero*, id est, a principio, ab incunabulis, q. d. Ego te adiuvi, o Israel, a tui ortu, puta, primum tuum parentem Abrahamum liberavi et eduxi de Ur Chaldæorum. Deinde proximum tuum parentem, unde nomen sortiris, puta Iacobum, sive Israelem, in utero adiuvi, dum ibidem luctando cum fratre Esau, illi prævaluit, et nascendo tenuit plantam eius, quasi qui eum esset supplantaturus. Unde et mater Rebecca audivit a Deo Gen. 25. 23. *Maior serviet minori*, puta Esau Iacob: ita pariter, et multo magis adiuvi verum Israel, id est Christianos, in sui exordio, cum eos a Iudæis et tyrannis præsertim Imperatoribus Romanis, tutatus sum, adeo ut, cum ipsi per trecentos annos, in eos sæviendo, omni vi contenderint delere ipsos et Ecclesiam, ego contra effecerim, ut per persecutiones et martyria, magis semper illi creverint. Ita S. Hieron. et alii iam citati.

Noli timere, etc. rectissime quem elegi.) Pro *rectissime* hebr. est ישרון *iesciurun*, quod Sept. et Chald.

Israel est iesciurun, cur? vertunt *dilectus Israel*. Unde et *iesciurun* pene omnes easdem habet litteras quas *Israel*, uti notat S. Hieron. Dicitur *Israel rectissimus*, quia rectissimam Dei legem, cultum et religionem a Deo accepit.

Nota: Hebr. *iesciurun*, varie verti potest: primo cum Aria, *directus, destinatus, missus*, scilicet a Deo ad Christi Evangelium, vel recipiendum, quasi fidelis; vel annuntiandum, quasi Apostolus. Unde omnes Apostoli ex Israel orti sunt.

Secundo, *dilectus*, ut vertunt Septuag. hic et Noster Deuter. 32. 15. vel potius, *dilectulus*. Est enim *iesciurun* diminutivum; unde significat tenerum amorem, qualis est parentum erga parvulos, uti Iacobi erga Beniamin.

Tertio, *videns*, vel *canens*, uti vertit Castrius. Utrumque enim significat Hebr. radix שור *sciur*, et utrumque Ecclesiæ et Apostolis competit. Hi enim fuerunt *videntes*, id est Prophetæ, et quasi oculi Dei, eique *canentes*, id est laudes eius celebrantes.

Quarto, *iesciurun*, deduci potest a שור *scior*, id est tauro, qui robore et magnitudine eminens armenta et gregem boum et vaccarum ducit: sic enim Israel inter greges populorum eminuit, fuitque Deo quasi primogenitus, et dux gregis; perinde ut in familia regis, primogenitus fratrum, et princeps et dux. Ita Forerius. Et huc alludit Moses Deuter. 32. 15. et cap. 33. 17. ubi Ioseph vocans Nazaræum inter fratres suos subdit de eodem: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit Gentes usque ad terminos terræ.* Tales fuerunt Apostoli, quos adumbravit Ioseph. Hi ergo fuerunt *iesciurun*, id est, duces gregis Christiani.

Effundam enim aquas super sitientem.) *Sitientem* et *aridam*, scilicet terram, vocat Gentilitatem. Gentiles enim ante Christum instar terræ aridæ erant, squalidi, miseri, infrugiferi et steriles bonorum operum: sed cum Deus per Christum effudit in eos aquas, id est charismata Spiritus sancti, fecit eos instar agri succulenti fertiles virtutum. Unde idem alia metaphora explicans, subdit: Vers. 3.

Effundam spiritum meum super semen tuum.) *Spiritum* vocat halitum, sive calorem vitalem, qui semina in hieme quasi emortua, in vere quasi ad vitam resuscitat, et germinare facit. Iam semen sive posteros Israelis spiritales accipit, non carnales, q. d. Super Gentes Christo credentes, ideoque spiritales Abrahæ et Iacobi filios, effundam spiritum meum vitalem gratiarum: ut fruges virtutum proferant utque iis semper vireant et vigeant. Ita Cyrillus, Procop. et S. Gregor. 33. Moral. c. 5.

Et germinabunt inter herbas quasi salices.) Est hic tertia metaphora idem significans, q. d. Tam florebit felix illud Ecclesiæ tempus, tam florebunt fideles, quam florere solent et germinare herbæ in loco humecto, et salices iuxta aquas. Salices enim amant rivos, ibique luxuriant, teste Virgil. 2. Georg. Vers. 4. Ecclesia et iusti sunt salices, cur?

Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur.

Ita S. Hieron. Secundo, sicut salices aqua deficiente quasi emortuæ, ea redeunte quasi respirant et reviviscunt: ita et Deus per Christi gratiam reviviscere faciet Gentes peccato et vitiis emortuas. Tertio, et maxime genuine, comparat et præfert salices alte germinantes herbis humilibus, q. d. Quantum inter herbas humi repentes sese efferunt altæ salices iuxta aquas plantatæ, ab eisque iugiter irrigatæ: tantum sese extollet aureum illud Christi et Evangelii sæculum inter priora sæcula, quæ in terra repere, et vix de Deo et cælo cogitare videbantur. Ita Forer. Sanchez et alii.

Moraliter, notat S. Gregor. l. 31. Mor. c. 5. apte iustos comparari salicibus, quæ semper virent, ut arescere nequeant, et recisæ usque ad truncum, uberius resurgunt, altiusque excrescunt: ita enim et iusti semper animi virorem virtutemque retinent atque vexati, afflicti et oppressi, magis animos viresque exerunt et attollunt.

Iste dicet: Domini ego sum.) Est mimesis: imitatur enim voces Gentium, sibi de conversione gratulantium, seque quasi servos Deo et Christo mancipantium. Unus enim dicet: Domini ego sum servus, illi vivere, illi mori cupio. Vers. 5.

Et ille vocabit in nomine Iacob.) q. d. Alter invocabit nomen Dei Iacob. Vide can. 30. Vel prædicabit nomen Dei Iacob.

Forerius pro יקרא *iera*, id est, *vocabit*, aliis punctis legit יקרא *ickare*, id est *vocabitur*, q. d. Ille vocabitur

Iacobæus, Israelita, Abrahæ et Iacobi filius, puta fidelis et Christianus.

Et hic scribet manu sua: Domino.) Id est *Domini ego sum*. Ita Septuag. unde Arabicus vertit: *Hic scribet se e proprietate Domini*, puta se esse e familia Domini, se esse ex iis qui ad Dominum, vel Domini famulitium et servitutem pertinent. Sicut enim sagæ, aliique cum se dæmoni devovent, dant ei syngrapham qua se eius esse servos profitentur: ita et fideles olim scribebant se esse Christianos, servos Iesu Christi; uti scribit Apostolus: *Paulus servus Iesu Christi*. Hinc baptizati dicuntur nomen dare Christo, nomenque suum, vel ipsi, vel pastor eorum, catalogo fidelium inscribit, quasi qui transeant in militiam Christi. Sic in nonnullis Religionibus professi, dum faciunt vota Deo, ea manu sua scribunt, scriptaque tradunt Superiori Ordinis. Simili modo Martyres vel voce, vel scripto testabantur se esse Dei cultores et Christianos. Sic Athenagoras, Iustinus, Arnobius, Tertullianus, Minutius Felix, et alii, qui ad Imperatores Christianos persequentes, pro iis Apologias scripserunt, scribebant se Dei et Christi cultores esse. Sic Imperatores, Reges et Principes scribunt: Ferdinandus Dei gratia Rom. Imperator, Philippus Dei gratia Hispaniarum Rex.

Secundo, aliqui ex Septuag. vertunt: *Inscribet manui suæ: Dei ego sum.* Olim enim milites stigma inustum vel impressum in manu ferebant, quo se milites huius, vel illius ducis esse profitebantur, uti docet Lipsius libr. 1. de Militia Rom. cap. 9. imo idipsum testatur S. Greg. lib. 2. epist. 100. et 103. Sic ait Paulus: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*. Sic et Antichristus faciet asseclas suos suum characterem gestare in dextera, Apoc. 13. 16.

Et sic fideles etiamnum in annulis et armillis manuum gestant cruces, aut iconculas Christi, quibus se Christi servos esse fatentur. Imo primis Ecclesiæ temporibus multi Christiani, non in annulis, sed in carne, candentibus notis nomen Iesu, aut signum crucis curabant sibi inuri, ait Procopius vetus Auctor hic.

Tertio, alii ex Hebræo vertunt: *Inscribet manum suam Domino. Inscribet*, id est consignabit, aut consecrabit. Sic manus suas consecrant Domino, qui eis assidue operantur bona opera ad Dei honorem et gloriam. Item qui templis, altaribus, domibus, libris, aliisque operibus suis inscribunt τὸ *Deo opt. max.* vel, *Deo sit laus et gloria*.

Et in nomine Israel assimilabitur.) Id est, simili nomine vocabitur, puta cognominabitur Israelita, id est Christianus, similis Israeli patriarchæ fideli et sancto; quia eius fidem et religionem amplectetur, ait S. Hieron. Hebr. enim כנה *kinna*, significat cognominari, vel cognominare se a persona aliqua illustri, vel re quapiam insigniter gesta. Ita Syrus, Arabicus, Forer. Vatabl. et alii, q. d. Græcus non vocabit se Græcum, Belga non vocabit se Belgam, sed Christianum. Hic sensus ex Hebr. est genuinus. Hinc Tertull. l. 4. cont. Marcion. c. 39. ait hæc esse verba Martyrum, in confessione fidei pro Deo, et cum Deo invalescentium. Hoc enim significat, inquit, Hebr. *Israel*, scilicet, *invalescens*, vel *prævalens Deo*.

Hinc secundo, Leo Castrius sic explicat, q. d. Fidelis et Christianus, nomini Israelis, id est, ipsi Israeli vero, puta Christo, assimilabitur tollendo post eum crucem suam: *Omnis enim Christi actio, est nostra instructio*, cui nos conformare et assimilare debemus. Sic Plato l. 7. de legibus ait: *Homo est Dei paignion, id est ludicrum, quia in eo sita hominis felicitas, ut Deum imitetur, illique quoad potest mores suos assimilet*. Hinc illud celebre inter septem sapientum dicta: *Sequere Deum*, ait S. Ambros. l. 1. de Abraham, cap. 2.

Homo est Dei παίγνιον.

Tertio, Sanchez, *assimilabitur*, ait, hoc est, similitudine aliqua aut effigie aut charactere Israelis, id est Christi, consignabitur, signo aliquo ostendet se Christi legem et religionem sequi, v. g. gestando ex collo crucem, agnum Dei, rosarium, medallium, Christi, B. Virginis, aut Sancti alicuius imagine insignitum, uti faciunt Iapones, Helvetii, aliique ferventes Catholici, qui inter hæreticos, vel infideles degentes libere et constanter suam fidem publice profiteri volunt. Hoc est, quod postulabat sponsus Cant. 8. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, q. d. Tu o sponsa, mei sponsi tui imaginem gesta in medallio ad cor, vel ad armillas brachiorum appenso. Sic enim ex adverso idololatræ idoli sui effigiem in annulo, tabula vel armilla ex collo, digitis aut brachiis gestabant, uti ostendit Sanchez.

Hæc dicit Dominus.) Hic de more Deus vertit se ad idola et idololatras, cum eisque de divinitate disceptat. Vers. 6.

Redemptor eius.) Scilicet Israelis, et populi fidelis. *Redemptor*, id est qui tamquam frater aut propinquus, alienatos nos a Deo redimet, sibique vindicabit et in libertatem Israelem suum reducet; ille ipse iudex, redemptor et assertor libertatis vestræ, cognatus, o Israelitæ, vester, Deus homo ex semine David. Is, inquam, huiusmodi consolationem et felicitatem divinam, in tanta hac rerum vestrarum deploratione, non aliam vobis promittit, ait Forerius. Alludit ad ritum veterem, quo bona a quopiam vendita, a fratre, vel cognato eius, reddito emptori pretio, redimi et recipi poterant: is enim dicebatur גאל *goel*, id est redemptor, Levit. 25. 25.

Quis similis mei?) Qui similiter ut ego redimat Israel, qui eius peccata dimittat, qui spiritum suum in eum effundat, ut dixi c. præc. v. 3. et 25. Sic infra v. 22. cum remissionem peccatorum promisisset mox v. sequenti cælos ad Deum laudandum invitat. Hinc patet quantum opus sit, a Deo peccata hominibus remitti, et quam Deo dignum, ut vel ex hoc divinitas possit agnosci. Iustificatio enim impii, maius, difficilius et divinius est opus, quam sit creatio universi, uti docet S. Aug. tract. 72. in Ioannem, et ex eo D. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 9. Vers. 7.

Vocet.) Prædicet, clara voce pronuntiet.

Ordinem exponat mihi, narret mihi ordinem et seriem generationum et sæculorum, qui fluxit ab eo tempore, ex quo constitui populum antiquum.) Ex quo scilicet Adam, primosque homines creavi et collocavi in terra.

Et tunc.) q. d. A priscis temporibus, ab initio mundi, docui veritatem, et futura prædixi. Ego inquam, non idola; ergo ego solus sum Deus, non idola. Ita Cyrillus et Procopius. Vers. 8.

Formator.) Creator Deus, qui hunc mundum creavit, et quasi plastes formavit, variisque formis essentialibus et accidentalibus decoravit: sicut figulus variis vasis varias dat formas. Hebræum enim יוצר *iotser*, significat figulum sive plastem, qui ex luto vasa fingit et format. Deus ergo est quasi plastes et figulus universi, sicut artifex est plastes sui idoli. Deum ergo mundi opificem opponit idolis, quorum figuli et plastæ, sunt fabri, homines viles et abiecti. Hebræi pro *iotser*, iam legunt צור *tsur*, id est petra, fortis, refugium. Talis enim est Deus in se sperantibus, seque invocantibus. Ita Forerius.

Plastæ idoli omnes nihil sunt.) Ostendit idolorum vanitates, ex ipsa eorum fabrica et fabris. Pro *plastæ*, hebr. est יוצר *iotser*, quod proprie figulum significat: inde tamen transfertur, ut significet quemvis fabrum et opificem, ut hic significat aurifices, qui ex auro, argento, etc. fabricabant idola. Pro *nihil*, hebr. est תהו *tohu*, id est inanes, informes, vani et quasi nihil sunt. Est elegans antithesis, q. d. Plastæ idolis figuram et formam dare conantur; at ipsimet informes sunt, forma et figura carent, suntque ipsa prorsus inanitas. Nullius enim rei nomine digni sunt, dignique qui vocentur, *nihil*. Illi enim sic desipuerunt, ut manibus suis se formare deos arbitrentur, cum sint ipsimet plasmati a Deo. Ita Forer. Vers. 9.

Rursum sunt *nihil*, quia esuriunt, sitiunt, lassescunt, deficiunt, et ad suum *nihil*, unde a Deo educti sunt, tendunt et redeunt, ut sequitur.

Amantissima eorum, idola quæ amant, et in pretio habent, non proderunt eis.

Ipsi (plastæ idoli) sunt testes eorum (quæ iam dixi, quod idola *non proderunt eis, etc.*) si enim verum fateri velint, cogentur dicere de idolis, quia, id est quod, non vident, neque intelligunt; sed saxa sunt et trunci, visus et mentis expertes, ut confundantur.) q. d. Ut

merito confundi debeant, qui idola fingunt, colunt, adorant quasi deos.

Allegorice, idolum est hæresis, quod plastæ, id est hæresiarchæ, ex suo cerebro confingunt, ait S. Hieron.

Tropologice, idolum avari est pecunia, ut ait S. Paulus; idolum gulosi est venter, idolum superbi est honor. Quam demens ergo est Paganus colens idolum Iovis, tam demens, imo dementior, est Christianus colens idolum suæ veneris, auri, gulæ, etc.

Vers. 10. QUIS FORMAVIT DEUM?) q. d. Quis ergo fuit tam demens ut idolum formarit? quæ fuit ista hominum vesania? quis furor? Vatabl. vertit: Quis ergo sit tam demens ut formet idolum? *Quid magis ridiculum, quam cum homo est opifex Dei?* ait S. Basilius in cap. 3. Isaiæ, et Sedulius:

Quis furor est, quæ tanta animas dementia ludit,
Ut volucrem, turpemque bovem, torvumque draconem,
Semihominemque canem supplex homo pronus adoret?

Quin et Gentilis Lucretius contra eosdem exclamat apud Lactant. l. 1. Divin. instit. c. 21.

O stultas hominum mentes! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ! quantisque periclis
Degitur hoc ævi quodcumque est!

Subdit deinde Lactant. *Quis hæc ludibria non derideat qui habeat aliquid sanitatis? cum videat homines velut mente captos ea serio facere. quæ si quis faciat in lusu, nimis lascivus et ineptus esse videatur?*

Porro, primum idolorum plasten apud Romanos fuisse Numam Pompilium, idem docet c. 22. *Harum*, ait, *vanitatum apud Romanos auctor et constitutor Sabinus ille rex, qui maxime animos hominum rudes atque imperitos novis superstitionibus implicavit, quod ut faceret aliqua cum auctoritate, simulavit cum dea Egeria nocturnos se habere congressus.* Numa enim secundus a Romulo rex ex Sabinis oriundus, in deorum timorem (quo ad mitiora truces per continua sub Romulo bella, Romanorum animos flecteret) sacra instituit, sacerdotes creavit, virgines Vestales sacravit, pontificem maximum primus declaravit, dies fastos nefastosque condidit, annum in duodecim menses divisit, cumque quadraginta annis in pace cum reverentia suorum et finitimorum regnasset, diem suum obiit.

Vers. 11. OMNES PARTICIPES EIUS, qui in idolo fabricando, poliendo, ornando collaborant, CONFUNDENTUR. Rationem subdit, FABRI ENIM SUNT EX HOMINIBUS.) q. d. Quomodo ergo non pudeliant, qui cum sint homines, et Adæ filii, Deum tamen fabricare volunt?

CONVENIENT OMNES, etc.) q. d. Tam miseri sunt, ut unus non sufficiat ad opus, sed plures conveniant: e quibus hic cudit idoli aurem, alter oculos, alter brachium, alter pedes, etc. Itaque simul stant, instantque operi, et si quid frangatur, aut minus succedat opus, pavent, confunduntur et tristantur, q. d. Quam miseri ergo sunt dii, qui a tam miseris fabricantur?

Alii hoc referunt ad tempora Christi, vel ad diem iudicii: tunc enim omnes idoloplastæ convenient coram tribunali Christi, et pavebunt et confundentur.

Vers. 12. IN PRUNIS ET IN MALLEIS, q. d. Faber igne et malleis tundit et cudit miserum illum deum, perinde ac ligonem vel vomerem suum, idque IN BRACHIO FORTITUDINIS.) Id est summo brachiorum nisu et percussione.

ESURIET ET DEFICIET.) q. d. Faber hic dum cudit idolum, fame laborat, esurit et languescit, et nisi aquam biberit, lassescit. et siti deficit. Ex fame et siti artificis, colligit operis, id est idoli et dei huius, vanitatem. Ita S. Hier.

Vers. 13. ARTIFEX LIGNARIUS.) Qui ex ligno fabricat idolum, sicut faber ferrarius suum cudit ex ferro, ære, metallo: hic suum idolum, perinde ut scamnum, norma sive regula dimetitur, formatque runcina sua. Runcina enim instrumentum est, quo fabri lignarii scalpendo tabulas lævigant, quod et planula dicitur, eo quod trabes et tabulas inæqualia et aspera abradendo, complanet. Ita Plinius lib. 16. 24.

FECIT ILLUD IN ANGULARIBUS.) Angulari mensura ad rectum perpendiculi angulum illud dimetiendo. Vatabl. vertit: *Fecit illud in dolabris;* Forerius: *Fecit illud in angulis domorum, et locis secretis.*

ET FECIT IMAGINEM VIRI QUASI SPECIOSUM HOMINEM.) q. d. Itaque sua runcina et circino fabricat hominis effigiem, quasi ille homo sit animatus et speciosus, qui domum sacram inhabitet, illique quasi numen præsit. Ita Horat. l. 1. sat. 8. Priapum de se loquentem inducit:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Cum faber, incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido.

PLANTAVIT PINUM.) q. d. Dum succidit arborem, v. g. cedrum, pinum, ilicem, quercum, ut ex ea idolum faciat, aliam mox arborem plantat, quam pluvia riget, et crescere faciat, ne desit umquam materia ad fabricandum idola: *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur*, imo plantantur, *in hortis Numina!* Cætera sunt clara. Operose enim Propheta tam Iudæis quam Gentibus ostendit idololatriæ, quæ toto tunc orbe dominabatur, inanitatem, ex idolorum vili fabrica, materia, opifice. Unde patet omnino putasse rudes hosce Gentiles, idolum vere deum esse, aut certe aliquid numinis ei inesse. Secus sentiunt et faciunt Christiani, cum venerantur imagines Christi et sanctorum. Quare perperam hæc contra illas torquent Œcolampad. et Pellican. aliique Novantes. Citat Pellican. pro se Comment. Ambros. in c. 1. ad Roman. sed perfide. Loquitur enim ibi Ambros. de imaginibus ethnicorum, quas pro diis colebant, ut patet locum intuenti. Vers. 14

DE MEDIO EIUS CARNES COMEDIT.) *Comedit*, id est, coxit et comedit, uti legunt aliqui codices, hoc est, igni coctas comedit. Vers. 16.

VAH.) Euge, hebr. enim est האח *heach.* Sept. *dulce est mihi*, scilicet gaudere tam luculento lignorum igne, ut frigore algentia membra calefaciam.

NESCIERUNT, NEQUE INTELLEXERUNT.) Scilicet plastæ idolorum, quod idola sint saxa et lapides politi et ornati (nam pigmentis obliti sunt) non autem dii. Unde clare vertit Vatablus: *Non sentiunt, neque intelligunt* (cæci isti figuli) *quia tectorium est super oculos eorum, quominus videant; et super corda eorum, quominus intelligant.* Hoc est. quod vertit Noster *obliti sunt*, id est calce, stibio aut fuco incrustati sunt, (τὸ enim *obliti*, præteritum est ab oblino, non ab obliviscor, ut patet ex Hebræo טח *tach*) *oculi eorum*, q. d. Idola oculos et corda habent non animata, sed lignea et calce aliove ornatu obducta: ergo videre et intelligere nequeunt: at cæci fabri hoc non considerant, non recogitant. Nota τὸ *obliti sunt*, tam ad deos Gentium, quam ad ipsos eorum fabros et opifices (hi enim errore communi oblitos et obductos habent oculos) referas. Hebræa magis referunt ad deos, noster interpres magis ad opifices. Vide hic in quam cæcitatem abripiat homines consuetudo, et aliorum exempla, dum unus alium quasi ovis ovem sequitur, nec rem considerat, vel examinat. Qui ergo sapit, non sequatur insitas vulgi opiniones; sed actiones suas examinet et consideret, priusquam quid aggrediatur, an id rationabile sit, honestum, Deo gratum, eiusque legi conforme. Vers. 18.

Simile est quod canit Psaltes Psalm. 113. *Simulacra Gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Oculos habent, et non videbunt: aures habent, et non audient, etc. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.*

PARS EIUS CINIS.) Hebr. *socius cineris est*, scilicet idolum, quia, videlicet, altera pars trunci, ex quo formatum est, combusta est, et versa in cinerem. Ita Forer. Iam Vatabl. et Iudæi vertunt. *Pascit cinerem* (id est frustra, et in ventum laborat) *cor insipiens quod facit et adorat idolum.* Iam enim legunt in Hebr. רעה אפר *roe epher*, id est *pascit cinerem.* Sed Noster aliter dispunxit; nam litteram *he* non accepit ut finalem *roe*, sed ut initialem *epher*, legitque רע האפר *rea haepher*, id est *socius cineris. Socius*, id est pars, uti vertit Noster Gen. 15. 10. Septuag. aliter legerunt, videlicet ראה *ree*, id est, *vide.* Vertunt enim: *Scito quia cinis cor eorum.* Non ergo pro Vers. 20.

pars vertunt *cor*, uti aliqui putarunt, sed τὸ *cor*, ex sequentibus acceperunt, aliter dispungentes. Sequitur enim *cor insipiens adorabit illud*, pro quo Sept. vertunt dumtaxat, *et errant;* quia *cor* præcedentibus iunxerunt. Iam S. Cyrill. Germanus et Leo Castrius (qui perperam contendit Septuag. pro רע *rea*, id est *socius*, hoc est *pars*, legisse דע *dea*, id est sapientia) per *cor* intelligunt sapientiam, huncque dant sensum: *cor*, id est sapientia eorum arefacta emortuaque est et facta instar cineris. Posset quoque per *cor* accipi idolum quod amant et depereunt, vocantque suum corculum.

Sic Plautus dixit *cinerem quærere*, hoc est ambire abiecta et vilia; et P. Sabinus:

Iam cinis, et tantum flebile Troia solum.

Et Seneca in Herc. Furent.

Cadmæa proles, atque Ophionius cinis,
Quo recidistis?

Neque dicet: Forte mendacium est in dextera mea.) q. d. Non recogitat artifex, ut dicat: forte dextera mea operatus sum rem mendacem, nugacem et vanam. Talis enim est idolum.

Vers 21. Memento horum, Iacob, et Israel.) Vide, o popule fidelis, idolorum et idololatrarum cæcitatem, ne eos sequaris; sed me solum verum Deum colas, qui te creavi, quique deleo peccata tua, tam facile et liquide, quam nubes et nebulæ vel a solis calore, vel a venti impulsu et impetu dissolvuntur et dissipantur, aerque serenatur. Apte peccata comparantur nubi, uti ostendam Thren. 3. v. 44. et Spiritus sanctus delens peccata, vento; unde in Pentecoste in Apostolos descendit in specie spiritus vehementis, Actor. 2. Minus recte aliqui sic exponunt, q. d. Uti nubes, id est, pluvia e nube resoluta, abluit terræ sordes, ita ego animæ tuæ sordes ablui.

Vers 22. Redemi te.) Ex Ægypto, et redimam te tum ex Babylone, tum potius e captivitate peccati et diaboli per Christum.

Vers 23. Laudate cæli.) Quia meminit Propheta remissionis peccatorum et redemptionis Christi, hinc de more ad tantum beneficium exsultans, iubilat et in vocem laudis erumpit, cælosque et terram, montes et saltus ad Dei laudem invitat.

Extrema, Sept. *fundamenta*, terræ.) Id est centrum terræ. Ibi enim erant animæ sanctorum clausæ in limbo, hanc Christi redemptionem avide exspectantes, quas proinde, ea parta, ad congratulationem et hymnos invitat.

Vers 25. Irrita faciens signa divinorum.) Divini et augures divinabant ex astris, ex extis animalium, ex garritu avium, ex somniis, ex fulminibus, quasi signis et ominibus futurorum; sed Deus hæc eorum signa sæpe facit irrita et mendacia, facitque divinationes eorum esse falsas.

Et ariolos in furorem vertens.) Tum quia videntes se suaque oracula falsa esse, et ut falsa a populo irrideri, in furorem aguntur; tum quia ex hac falsitate, populus videt eos, non a Deo, sed furore quodam lymphatico ac diabolico agi, dum hæc oracula promunt, ut *vertens* sit idem, quod *versos ostendens,* iuxta can. 31.

Convertens sapientes retrorsum.) Ut cadant, falsaque sint eorum oracula et consilia; hinc et ipsi cadant a sua fama et gloria, qua credebantur esse divini. Unde explicans, addit:

Et scientiam eorum (artem augurandi et divinandi) stultam faciens.) Ideoque inconstantem: non enim constant sibi, repugnante Deo: et dum se falsos vident, contraria consilia ineunt, ut suam falsitatem tegant. E contrario Deus suscitat, et reipsa confirmat oracula sua, suorumque Prophetarum. Unde subdit:

Suscitans verbum servi sui.) q. d. Ego sum qui reipsa complebo omnia quæ de servo meo Cyro, de restauranda Ierusalem, ut sequitur, quæque alleg. de Christo per nuntios meos, id est per Prophetas, prædixi et promisi, vel q. d. Ego sum, qui verbum et consilium meum de Christo, deque eius nuntiis, id est Apostolis, eorumque Evangelio, toto orbe propagando, adimplebo. Vers. 26.

Qui dico Ierusalem: Habitaberis.) q. d. Ego te, o Ierusalem, a Chaldæis eversam, per Cyrum ædificabo et restaurabo. Rursum et potius, Ierusalem spiritalem, id est Ecclesiam Christianam, per Christum ædificabo et instituam.

Qui dico profundo: Desolare, et flumina tua arefaciam.) Nota ex Chaldæo, Theodot. S. Hieron. et aliis passim, *profundum*, vocari Babylonem. Sic eamdem vocavit *mare* c. 21. 1. idque, tum quia per illam fluebant flumina Tigris et Euphrates, quorum rivos et cursum in alios alveos avertit et deduxit Cyrus dum eam cœpit; tum quia Babylon erat velut mare et abyssus potentiæ et opum, æque ac vanitatis, fastus et luxus. Vers. 27.

Qui dico Cyro: Pastor meus es.) q. d. Tu, o Cyre, populum meum in Babylonem dispersum, reduces in Iudæam, sicut pastor oves dispersas colligit et reducit ad caulam. De quo plura cap. sequenti. Vers. 28.

Secundo, *pastor*, id est rex; quod enim pastor est gregi, hoc rex sit regno oportet.

Septuaginta pro littera *res*, legentes affinem *dalet*, scilicet דעי *dei* (ut hoc fœmininum per enallagen ponatur pro masculino דע) pro רעי *roi*, vertunt: *Qui dico Cyro ut sapiat*, id est, qui sapientiam do Cyro, ut sapienter bellum gerat, quique artes et stratagema hoc de Euphrate avertendo ei suggero, ut Babylonem capiat. Sensus est, q. d. Ego sum potentissimus et sapientissimus Creator et redemptor tuus, o Israel, qui ea quæ promisi de Ierusalem restauranda per Cyrum, certissime complebo, ut non possis non exspectare illam alteram augustiorem promissionem de Christo, qui cælum et terram lætificabit, fore complendam, quam volo te magni facere, et cætera omnia ad hanc referre, tamquam umbras ad veritatem. Ita Forer.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur quod in fine capitis præcedentis dixerat de Cyro. Cyro ergo opes, victorias, prosperos successus, et eversionem monarchiæ Chaldæorum, Deus hic prædicit et promittit, ad hoc, ut ipse Iudæos Babylone liberet. Inde Isaias v. 8. assurgit et suspirat ad Christum Cyri antitypum, ut ipse, totius mundi peccato oppressi, salvator et redemptor e cælo adveniat. Inde v. 9. redit ad Cyrum, ac murmuratoribus contra Dei providentiam, ob suam sortem in captivitate miseram et infelicem, Cyri vero aliorumque felicem, respondet, lutum non debere obstrepere suo figulo, nec filium patri se generanti. Mox v. 14. transit ad Christum, promittitque quod subdet ei omnes Gentes, etiam barbaras, quæ conversæ dicent ei: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator. Post hæc v. 16. redit ad disceptationem cum idolis, ac tandem v. 23. iis explosis, iurat se facturum, ut sibi curvetur omne genu, omnisque lingua se colat et magnificet.

1. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius Gen-
tes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo ianuas, et portæ non claudentur. 2. Ego ante te
ibo: et gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam. 3. Et dabo

tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum: ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. 4. Propter servum meum Iacob, et Israel electum meum, et vocavi te nomine tuo: assimilavi te, et non cognovisti me. 5. Ego Dominus, et non est amplius: extra me non est Deus: accinxi te, et non cognovisti me: 6. Ut sciant, hi, qui ab ortu solis, et qui ab occidente, quoniam absque me non est. Ego Dominus, et non est alter, 7. Formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. 8. Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet salvatorem, et iustitia oriatur simul: Ego Dominus creavi eum. 9. Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ: numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, et opus tuum absque manibus est? 10. Væ qui dicit patri: Quid generas? et mulieri: Quid parturis? 11. Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes eius: Ventura interrogate me, super filios meos, et super opus manuum mearum mandate mihi. 12. Ego feci terram, et hominem super eam creavi ego: manus meæ tetenderunt cælos, et omni militiæ eorum mandavi. 13. Ego suscitavi eum ad iustitiam, et omnes vias eius dirigam: ipse ædificabit civitatem meam et captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum. 14. Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt: Post te ambulabunt, vincti manicis pergent: et te adorabunt, teque deprecabuntur: Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. 15. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator. 16. Confusi sunt, et erubuerunt omnes: simul abierunt in confusionem fabricatores errorum. 17. Israel salvatus est in Domino salute æterna: non confundemini, et non erubescetis usque in sæculum sæculi. 18. Quia hæc dicit Dominus creans cælos, ipse Deus formans terram, et faciens eam, ipse plastes eius: non in vanum creavit eam: ut habitaretur, formavit eam: ego Dominus, et non est alius. 19. Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso: non dixi semini Iacob: Frustra quærite me: ego Dominus loquens iustitiam, annuntians recta. 20. Congregamini, et venite, et accedite simul qui salvati estis ex Gentibus: nescierunt qui levant lignum sculpturæ suæ, et rogant Deum non salvantem. 21. Annuntiate, et venite, et consiliamini simul: quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me? Deus iustus, et salvans non est præter me. 22. Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, et non est alius. 23. In memetipso iuravi, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, et non revertetur. 24. Quia mihi curvabitur omne genu, et iurabit omnis lingua. 25. Ergo in Domino, dicet, Meæ sunt iustitiæ et imperium: ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. 26. In Domino iustificabitur, et laudabitur omne semen Israel.

Vers 1.

HÆC DICIT DOMINUS CHRISTO MEO CYRO.) Nota cum S. Hieron. Theodor. Cyrillo, Procop. Euseb. l. 6. Demonstr. c. 9. et aliis, ad litteram Deum hic loqui de Cyro futuro rege Persarum, eique hic victoriam contra Chaldæos ac monarchiam promittere. Cyro enim, non Christo Domino, competit illud v. 4. et 5. *Et non cognovisti me.* Cyrum enim elegit Deus, ut esset eversor monarchiæ Chaldæorum, eamque ad se transferret, hoc fine ut Iudæorum esset vindex, eosque e Babylone in Iudæam liberos dimitteret. Edita est hæc Prophetia ab Isaia de Cyro, ducentis et decem annis ante Cyri ætatem, ait Iosephus. Porro Cyrum legisse hanc de se prophetiam, eaque animatum, audaciam invadendi Babyloniam sumpsisse, ac Iudæis captivis libertatem promisisse, colligitur primo, ex Iosepho, l. 11. Antiq. 1. ubi narrat Iudæos hoc Isaiæ oraculum Cyro ostendisse; indeque Cyrum, Deum verum Hebreorum agnovisse, et publice professum esse, ei regnum suum acceptum tulisse, et Iudæos e captivitate Babylonica cum donis ad templum in patriam remisisse; secundo, idem patet ex litteris, et edicto ipsius Cyri laxantis Iudæos apud 1. Esdr. c. 1. 2. *Omnia*, ait, *regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, et ipse præcepit mihi* (ubi? nisi hic per Isaiam?) *ut ædificarem ei domum in Ierusalem.* Cyrus ergo poterat legitime, scilicet ex voluntate Dei, et iure ab eo accepto, evertere Babylonem, eiusque imperium ad se transferre; itaque non esse tyrannus, sed legitimus rex et monarcha, saltem postquam audivit a Iudæis hoc Isaiæ de se oraculum. Potuit, dico: nam de facto videtur, non tam Deo, quam suæ ambitioni hac in re servivisse. Hoc enim est quod ait vers. 4. *Et non cognovisti me.* Vide canon. 36. et 37.

Isaias de Cyro prophetat ducentis et decem annis ante.

Cyrus iure a Deo accepto monarchiam invadere potuit.

Porro voluit Deus hæc de Cyro prædici ab Isaia hoc fine ut Iudæis, ex hac Cyri liberatione futura, æque atque ex aliis antiquis Dei beneficiis eis collatis, per experientiam fidem faceret suis per Isaiam oraculis, de remissione peccatorum, gratiisque per Christum afferendis, quorum illa erant typus. Rursum ad hoc, ne Iudæi hanc suam per Cyrum liberationem alteri, vel homini, vel idolo, v. g. Persarum aut Chaldæorum, adscriberent; sed soli Deo suo, utpote qui solus id tot annis ante promiserat et prædixerat.

Allegorice loquitur Isaias de Christo. Illius enim typus fuit Cyrus, qui Iudæos omnesque homines e captivitate peccati, mortis et diaboli liberavit, quique vectes inferni confregit, atque ex eo sanctos patriarchas eduxit, ait S. Chrysost. demonstr. *Quod Christus sit Deus*, tom. 5. Imo veteres multi, ut S. August. lib. de Quinque hæres. c. 7. tom. 5. Tertull. Nyssenus, et Cyprianus in libris et testimon. contra Iudæos, Lactantius, Chrysost. et alii quos citat Leo Castrius, R. Abraham, R. Salomon, aliique Rabbini apud Galatinum libr. 4. c. 12. hæc ad litteram accipiunt de Messia, sive Christo. Unde Patres iam citati ex Septuag. pro Κυρῳ, id est Cyro, legunt κυρίῳ, id est Domino, sicque vertunt: *Hæc dicit Dominus Christo meo Domino.* Sed in Septuag. irrepsit error; corrigendum enim est Κυρῳ: sic enim habent Hebræa, Chaldæa et Latina Biblia. Ita S. Hieron. Quod enim Leo Castrius putat Septuag. hebr. לכורש *lecores*, id est Cyro, divisim legisse hoc modo לכו *leco*, id est *ei*, et רש *ras*, id est *pauper*, q. d. Ei Christo, qui sicut pauper ingressus est Ierusalem insidens asino in die palmarum, quasi ibi inaugurandus rex, et Messias; hoc inquam, detortum est, nec verum. Nam Hebr. non לכו *leco*, sed לו *lo*, significat *ei*. Addit Castrius: Aut certe putarunt Sept. Cores æque ac Emmanuel, esse cognomen Christi. Verum cum habeamus in hac voce clarum nomen Cyri, cur fingamus hæc diverticula fundamento carentia? Ubi nota Massoretas historiarum et nominum Gentilium regum imperitos, male hic puncta substituere: pro כורש *cores* enim, ut ipsi punctant, punctandum est כורש *curos*, id est Cyrus. Sic enim punctatum legerunt Septuag. Noster et alii. Pari modo pro Darius, male punctant ipsi דריוש *Dariaves*, 1. Esdr. 6. 1.

Cyrus fuit typus Christi.

CHRISTO MEO CYRO.) Cyrus vocatur hebr. Messias, id est christus, sive unctus; tum allusione ad reges Hebræorum, hi enim unctione consecrabantur: unde hi soli in Scriptura vocantur Christi Domini, ait S. Augustin. in Ps. 44. v. 8. Cyrus autem fuit rex a Deo electus, ad Hebræorum liberationem: unde Deus eum hic vocat suum; ait enim: *Christo meo.* Tum quia Cyrus fuit typus et imago Christi: imago autem sortitur nomen sui antitypi, sive exemplaris. Sic enim visa imagine S. Petri, vel S. Pauli, dicimus: Hic est S. Petrus, hic est S. Paulus. Unde Cyrus lingua Persica, significat *solem*, ait Plutarchus in Vita Artaxerxis Mnemonis. Pro *Cyrus* Persæ, uti et Rabbini, aliis punctis dicunt *Cores*, quod affine est Hebræo *Cha-*

Cyrus Persice idem est quod sol.

Sampson Hebr. idem est, quod parvus sol.

res, id est sol. Ipse enim quasi novus *sol* affulsit mundo et Hebræis, perinde ac Christus sol iustitiæ visitavit nos oriens ex alto. Sic Samson hebraice idem est quod parvus sol. Talis enim fuit ipse Hebræis sedentibus in tenebris afflictionis et captivitatis sub iugo Philisthinorum, quod ipse, si non omnino excussit, certe ad tempus discussit; unde et ipse typus fuit Christi. Hinc ferunt Cyrum in somnis vidisse solem ad pedes suos adstantem, cumque eum Cyrus vellet apprehendere, solem aufugisse, idque tertio: rogati divini quidnam hoc portenderet, responderunt, portendi Cyrum per triginta annos regnaturum. Cyrus ergo inter reges Gentium, interque Persas effulsit quasi sol, tum sapientia, tum iustitia, tum temperantia, tum magnanimitate, tum liberalitate, adeoque omnium regiarum virtutum fuit exemplum, inquit Xenophon: qui libr. 8. Cyripædiæ, *Non est*, ait, *mos Cyri ut pecunias congreget, qui dando magis, quam quærendo possidendoque delectatur;* uti facit sol, qui omnibus dat lucem et vitam, ac nihil a quoquam accipit. Maxime vero emicuit quasi sol, religione inter suos: nam et imperium a re divina et sacrificio orsus est, ait Xenophon l. 1. et credidit animæ immortalitatem. Eius enim vox est apud Ciceron. in Catone Maiore: *Mihi persuaderi numquam potuit, animos dum in mortalibus essent corporibus, vivere; cum exissent ex his, emori: nec vero, tunc animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset, sed cum admixtione corporis liberatus purus et integer esse cœpisset, tunc esse sapientem.*

Quocirca eius mortem ita describit Xenophon l. 8. *Videbatur accedere ad ipsum quidam specie humana augustior, et dicere: Vasa colligito, o Cyre; iam enim ad deos abiturus es. Statim ergo, captis hostiis, rem divinam fecit Iovi patrio, et soli, dicens: Iupiter patrie, et sol, etc. magnas ago vobis gratias, quod vestram de me curam intellexi, quodque numquam rebus secundis supra conditionem humanam animus elatus est.*

Ita Æsopus (ut habet eius Vita) prisca sapientia inclytus, exceptus magnifice a Nectanebo Ægyptio rege (erat enim rex regali paludamento amictus, et gerens capite gemmatam cidarim, atque primorum flore circumseptus, sedensque solio sublimi) rogatus a rege: *Cui me, eosque qui circa me sunt assimilas?* respondit: *Te soli verno, hos autem spicis pretiosis.* Quo dicto rex adeo fuit delectatus, ut hominem admiratione donisque prosecutus sit.

Ita Demosthenes, teste Plutarcho, cum super adventu Philoxeni, unius e præfectis classis Alexandri, populus Atheniensis percelleretur (tunc enim agebatur de auxiliis contra Alexandrum mittendis) *Quid facient*, ait Demosthenes, *si viderint solem, qui non queunt contra lucernam oculos tollere?* Nempe regem Alexandrum vocavit solem, Philoxenum præfectum, lucernam.

Ita Virgilius Latino regi tribuit caput radiatum, aitque eum nepotem esse solis.

Ita Ioseph parentem Iacob, qui erat Hebræorum princeps, in somnis vidit per solem repræsentari, Gen. 37. 9.

Princeps in terra est quod sol in cælo.

Rex ergo et princeps in terra est quod sol in cælo. Nam primo, sicut sol solus est in mundo, ita rex solus in regno.
I. II. Secundo, sol in motu naturam sequitur: ita rex rationem sequatur, nec ad consortium regni admittat animi libidines et cupiditates; sol enim est in mundo, quod ratio est in homine, ait Philo.

III. Tertio, sol est purissimus et lucidissimus: ita rex suis præluceat.

IV. Quarto, sol vocatur Apollo, ωσ απολυων ημας των νοσων, ut qui morbis nos liberet: regis pariter est, omnem pestem et calamitatem a subditis avertere; quocirca Plutarch. libr. de Doctrina principum: *Princeps*, inquit, *simulacrum est Dei administrantis universa, nihil egens Phydia statuario, sed ipse seipsum per virtutem Deo similem reddit, ac fabricatur statuam omnium visui iucundissimam et magnificentissimam. Sicut enim Deus in cælo pulcherrimum sui ipsius simulacrum constituit solem et lunam, talis est in rep. imago ac lumen princeps, qui Dei reverens, iustitiam tuetur, hoc est Dei rationem gestat, nempe intellectum, non sceptrum, aut fulmen, aut tridentem, qua specie seipsos nonnulli fingunt ac pingunt, stultitiam suam, quod videantur inaccessi, reddentes invidiosam.*

Quinto, sol omnia penetrans et calefaciens, id est in mundo, quod cor in animali, ait Plato: sic et regis est omnia regere, et quasi vivificare. V.

Sexto, præcipua solis dos est bonitas: radiis enim suis emicantibus, omnibus benefacit, ideoque plenus est hilaritatis: sic et rex, qui diadema radiatum gestat, curet ut e capite eius emicet prudentia, constantia, iustitia, ac præsertim beneficentia, qua omnibus quasi sol quidam salutaris, irradiet et recreet. VI.

Septimo, Orpheus hoc dedit encomium soli: ηλιε παντοκρατορ, κοσμου πνευμα, κοσμου δυναμις, κοσμου φως: *Sol omnipotens, spiritus mundi, mundi vis, mundi lumen.* Quid in universo regno rege potentius? An non et ipse spiritus est regni? an non eius vis et lumen? VII.

Octavo, sol humores noxios et superfluos, ne aerem inficiant, absumit: rex maleficos tollit, ne remp. perturbent. VIII.

Nono, sol est lumen omnituens: et βασιλευς est πασιλευς, rex est omnia videns, omnia resciens. Apharantes, gens Lybica, soli orienti maledicebant, eo quod revelaret multa mala: et scelerati regem oderunt. IX.

Decimo, uti sol omnia videt, ita et ab omnibus videtur: ita rex omnium oculis, omnium iudiciis, omnium sermonibus expositus est. Putet ergo sibi illud dici: εν αλω ηλιου λανθανεις και καρθανεις. *In sphæra solis lates et dormis.* X.

Uudecimo, sol omnis labis est intolerans: et rex omnis sceleris et impuritatis. XI.

Duodecimo, solem Dores vocabant αλιον, κατα το αλιζειν εις ταυτο τους ανθρωπους, quod homines in unum eumdemque locum congreget: et rex homines lingua, moribus, institutis, religione dissitos in unum corpus et remp. cogit. XII.

Decimo tertio, sol deficiens, subfuscus, subluridus hominibus portendit omne malum: et rex vitiis deformatus reip. vitia et clades omnes inducit. XIII.

Decimo quarto, sol circumfusus est astris, et esto solus luceat, astris tamen suum lumen communicat: itidem ex præsentia regis, omnia dignitatum culmina assurgunt. Sole abeunte perit sideribus decor: ita sine rege omnis perit proceribus et magistratibus auctoritas. XIV.

Decimo quinto, sol est irrequietus, imo ακαματος, id est indefessus, atque sui semper similis, numquam solito incitatior aut remissior: et rex semper agit et cuncta regit, sed animo sedato, vitatque omne consilium præceps. XV.

Decimo sexto, uti sub sole, ita sub rege bono omnia non solum sunt sana, sed etiam pulchrescunt, aurescunt, valescunt. XVI.

Decimo septimo, sol oritur piis ac impiis, adeo æquus est et communis; rex omnium saluti est intentus, probis quidem tuendis, improbis autem ad frugem revocandis. Hinc uti sol, veluti curru inter Planetas vehitur medius: ita rex in medio, et quasi in centro regni resideat; ut omnibus circumcirca æque se præsentem sistat. XVII.

Decimo octavo, sol semper est iuvenis (unde Persæ eum vocabant κουρον, id est adolescentulum) semper vegetus. Habet tamen tres quasi ætates. Nam primo aspectu, ait Martian. Capella l. 1. *Est sicut puer renidens et renitens; incessu medio, est iuvenis anhelus; in fine senex apparet occiduus.* Et rex in ipso aditu comitatem præ se ferat, ne adeuntes, maiestate deterreat; at in tractatione rerum iuvenile robur promat; denique in consiliis, quid facto opus, senilem ostendat prudentiam. Ita Carolus Paschalius l. 9. de Coronis c. 15. Hinc et S. August. docet regem similem esse soli, populum lunæ. Audi eum l. 1. de Gen. contra Manich. c. 23. *Quid*, inquit, *evidentius splendorem regni significat, quam solis excellentia? et plebem obtemperantem regno, splendor lunæ ostendit, etc.* XVIII.

Cuius apprehendi dexteram.) Primo, quia eius dextera usus sum ad feriendum et puniendum Chaldæos. Secundo, quia eum, quasi pædagogus dextera apprehensum deduxi per tot hostes et obices, roborans eum, dirigens, protegens, dans victorias, omniaque prospera efficiens

usque ad Babylonis excidium. Unde Arabica versio habet: *Apprehendi eum dextera sua inter manus eius, ibo ante eum.*

Et dorsa regum vertam.) Hebr. est. *aperiam* vel *dissolvam lumbos*, id est, reges elumbes, imbelles et infirmos ad resistendum Cyro efficiam. Rursum, exarmabo illos, et discingam gladio, quo ad lumbos accincti sunt. Sic enim Iob 12. dicitur: *Baltcum regum dissolvit.* Sic ex adverso, stringere et accingere lumbos, significat roborare, armare, agilem et expeditum facere. Unde clare hic vertunt Septuag. *fortitudinem regum dirumpam.*

Cyri victoriæ, et gloria. Prædicit ergo Isaias, Deum Cyro tantas vires daturum, ut nemo ei resistere valeat, ut reges potentissimos et urbes munitissimas expugnet, ut opes, victorias et gloriam ad stuporem admirabilem obtineat, idque propter servum suum Iacob, ut scilicet Iacobæis faveat, eosque e Babylone liberet: quæ omnia ita ut prædixit Isaias, impleta esse, et reipsa accidisse Cyro, docent Herodotus et Xenophon in octo libris, quibus Cyri huius Maioris historiam conscripsit, ait S. Hieron.

Audi Xenophontem initio lib. 1. *Cyrus*, ait, *subiugavit Syros, Assyrios, Arabas, Cappadocas, Phrygas, utrosque Lydos, Caras, Phœnicas, Babylonios. Potitus est etiam Bactrianis et Indis, ac Cilicibus, et itidem Sacis, et Paphlagonibus, et Maryandinis, atque aliis quamplurimis gentibus, quarum ne nomina quidem quis dixerit. Insuper dominatus est Asiaticis, Græcis, Cypriis et Ægyptiis, etc.* Audi et Herodotum lib. 1. ubi Cyri felicitatem commendans sic ait: *Quamcumque gentem Cyrus invaserat, ea gens nullo pacto potuerat evadere.*

Vers. 2 Ego ante te ibo.) Quasi antesignanus quem sequaris, vel ut præfectus castrametationis, et ut præcursor, qui an tutus sit progressus considerat, et si quid sit periculi explorat et antevertit, ut nihil sit quod timeas, dum me præcedentem sequeris. Sic Angelus in columna præivit castra Hebræorum in deserto, Exodi. 13. 21.

Vers. 3. Dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum.) Hebr. *Dabo tibi thesauros caliginis, et thesauros absconsionum*, id est, thesauros defossos in terra, ibique in tenebris latentes, et in occulto abstrusos, et, ut vertunt Sept. σκοτεινους, αποκρυφους, αορατους, id est, *tenebrosos, absconditos, invisibiles*, q. d. Faciam, ut urbium, quas tibi subiiciam, thesauris potiaris, etiam abditissimis. Solent enim urbium incolæ thesauros suos, præsertim hoste adventante, defodere, vel abscondere. Ita Mexicani suos defoderunt, et victi ab Hispanis eos illis nullo metu, nullis pœnis propositis prodere voluerunt. Solus Atabaliba rex ab eis captus, ut se redimeret, cubiculum quo detinebatur, auro se impleturum promisit, et pene præstitit; nec tamen mortem evasit.

Cyri opes. Ita Cyrus maximas Crœsi opes, eo victo, occupavit: Crœsi enim opes in proverbium abierunt, ut dicamus: *Crœso ditior, Iro pauperior.* Rursum opes Babylonis, quas Nabuchodonosor e tot regnis collegerat, statuamque eius auream et vastissimam Daniel. 3. 1. victor Cyrus possedit. Si summam thesaurorum, quos ex Asia subacta extulisse Cyrum scribit Plinius l. 33. c. 3. ad nostram monetam subducas, invenies eum extulisse trecentos milliones. Codices Chaldaici, qui teste Sanchez Compluti manuscripti exstant, initio libri Esther ita habent: *Cyrus quando vastavit Babyloniam, fodit in latere Euphratis, et invenit ibi sexcentas et octoginta hydrias æneas plenas auro optimo, et lapidibus pretiosis et margaritis et gemmis.*

Cyrus factus est Irus. Alludit Propheta ad nomen Cyri iuxta etymon Hebraicum. Cyrus enim hebraice hæredem et possessorem significat, a rad. ירש *iaras*, id est hæreditavit, possedit. Vide hic opum fugacitatem. *Cyrus* enim post tres annos monarchiæ suæ, factus est *Irus*, cum a Thomyri regina Scythiæ, vita, regno bonisque omnibus spoliatus est: quinimo Thomyris caput Cyri in culeum sanguine plenum coniiciens, insultavit ei dicens: *Satia te, o Cyre, sanguine, quem tantopere sitivisti.*

Symbolice, notat Forerius Hebræum *matmon* sive *mammon*, et Chaldæum *mammona*, id est opes et thesauros, vocari tenebrarum seu obscuritatis (*matmon* enim deducitur a טמן *taman*, id est abscondit, in tenebris abdidit) non sine sale, quod illis Pluto tenebrarum Deus præsideat, et quod e tenebris eruantur, et in tenebras reponantur. Neque enim horum amici sunt, nisi qui et tenebras amant.

Propter servum meum Iacob.) Hic est finis et scopus Dei, ob quem Cyrum ita evexit: unde liquet Deum pariter voluisse ut hæc Isaiæ de se prophetia innotesceret Cyro, ut per eam Iudæi eius gratiam inirent, cum ipse videret eorum Prophetam tam faustum de se vaticinium edidisse, uti dixi initio capitis. Vers. 4.

Vocavi te nomine tuo.) Vocando te vers. 1. Christum meum Cyrum. Aliter Ioannes Alba Electorum cap. 9. *Vocavi te nomine*, hoc est, inquit, elegi te, o Cyre, ad potentiam et regnum. Nomen enim interdum ponitur pro potentia, opibus et regno. Sic Exodi 33. 17. ait Deus Mosi: *Teipsum novi ex nomine*, hoc est, elegi te ad hoc munus, ut sis dux et princeps populi mei. Nomen enim ponitur pro munere et dignitate: quia hæc secum affert cognomentum et titulos, paritque nomen et gloriam. Hic sensus symbolicus videtur potius quam litteralis.

Assimilavi te.) Hebr. אכנך *acannecha*, id est, cognominavi te, vocando te Christum meum: feci enim te similem Christo regi et pastori meo, eiusque typum. Sicut enim tu Iudæos Babylone, ita Christus homines inferno liberabit. Ita S. Hieronymus, Forerius, Vatablus et alii. Vide dicta v. 1.

Secundo, Sanchez: *Assimilavi te*, id est, te tuis notis et characteribus descripsi, vocando te nomine tuo quod geres, scilicet Cyrum item ascensorem asini et cameli c. 21. 7. id est, mulum, vel semiasinum, quia patre Persa, matre Meda es generandus. Rursum prædicendo tuas opes, victorias, et eversiones Babylonis. Ex hisce enim quasi ex tui imagine et similitudine cum nasceris, cognosceris, scilicet quod hæc de te sint prædicta, quodque hic tui effigiem tibi simillimam descripserim.

Et non cognovisti me.) Scilicet hoc tempore quo hic te describo et assimilo, quia nondum es natus. Ita Lyranus et Forerius. Unde Vatablus vertit: *Cognominavi te cum nondum haberes mei notitiam.* Secundo, etiam natus et rex existens, *non cognovisti me*, nisi postquam per Iudæos te illuminavi, hancque meam de te prophetiam ostendi. Tertio et genuine, *non cognovisti me*, scilicet in eo, quod te assimilaverim Christo meo, q. d. Nescis te a me eligi et dirigi ad eversionem Babylonis, hoc consilio, ut Iudæos inde liberes, utque formam et typum geras Christi mei. Nec enim Christum meum cognoscis, multo minus cognoscis te eum adumbrare; quare nec me, nec meam providentiam, quæ ad hoc te tuasque victorias destinat, satis agnoscis, imo eas non mihi, sed tibi, tuisque armis et fortunæ tuæ ascribis. Perinde enim accidit Cyro, atque si quis pingendi inexpertus, imaginem regis quem numquam vidisset, perfectissime, et ad vivum expingeret. Omnes enim dicerent, hic altiorem et divinam intervenisse manum, quæ dexteram pingentis direxerit. Ita Dei manus Cyrum finxit et pinxit, ut ad vivum repræsentaret suum exemplar, id est Christum. Ita Sanchez. Quarto, quia, licet Cyrus agnoverit Deum Hebræorum, cumque publicis litteris confessus sit, tamen a sua idololatria non recessit (ut videtur) sed idola sua pristina, non Deum Hebræorum coluit: unde et misere periit in tyrannica invasione Scytharum. Ita S. Hieron. Cyrus non cognovit Deum.

Accinxi te.) Gladio accingam te, armabo, vires et animos dabo ad ardua audendum; expeditum faciam, quasi strenuum militem; ad prælia te agiliter mittam, et meis auspiciis manus conseres ac vinces, esto me non cognoscas. Ita Forerius. Septuag. vertunt: *Confortavi te.* Vers. 5.

Ut sciant.) Vere et pie Forer. Cum vera, ait, Dei cognitio sit omnino nostræ saluti necessaria, et tam longe quis a salute absit quantum a cognitione hac distat, hinc nostræ salutis amantissimus Deus eam miris modis nostris sensibus ingerit. Passim ergo in Scriptura invenies diluvium, tempestates, submersiones, conflagrationes, Vers. 6.

calamitates, castigationes; et ex adverso liberationes, victorias inexspectatas, etc. quæ homines non possint non animadvertere in hunc finem a Domino fieri, ut nemo tam hebes sit, qui divinæ cognitionis non fiat particeps, ac præsertim non agnoscat esse numen, quod orbi, regnis et hominibus præsideat, eaque disponat, quodque æque criminum sit vindex et ultor, ac virtutum remunerator.

Vers 7. **Formans lucem, et creans tenebras.**) q. d. Ego initio mundi creavi cælos et terram, fecique ut tenebris lux, et luci tenebræ succederent. Est synecdoche: ex creatione enim lucis et tenebrarum, totius mundi creationem, dispositionem et gubernationem intelligit. Neque enim fieri potest, ut unus Deus mundum condiderit, alter conditum gubernet, præsertim quia rerum creatarum conservatio est continuatio creationis, et quasi continua quædam creatio. Meminit potius lucis et tenebrarum, quam aliorum a Deo creatorum, quia lux symbolum est lætitiæ, libertatis, et prosperitatis, quam Deus per Cyrum adduxit Iudæis; tenebræ vero symbolum sunt tristitiæ, carceris et ærumnarum. Rursum in voce *lucis*, alludit ad nomen Cyri, quod persice solem, qui lucidissimus est, significat. Deus enim Iudæis in tenebris captivitatis, Cyrum quasi solem oriri fecit, ut dixi v. 1.

Faciens pacem, et creans malum.) *Pax* Hebræis est quies, opulentia, libertas, felicitas, et bonorum omnium affluentia: ergo huic oppositum *malum*, est, rerum turbatio, inopia, pestis, fames, bellum, servitus, captivitas, et quidquid hominem affligit, et miserum facit. Deus ergo hoc malum pœnæ creat, non autem malum culpæ. Ita S. Hieronymus, Augustinus, Irenæus, Chrysostomus, et ex iis Leo Castrius. Vide S. Basil. hom. *quod Deus non est causa malorum*, q. d. Quod, o Israel, aliquando in pace vixeris, hoc meum erat beneficium. Rursum, quod nunc detinearis captivus, et hoc meum est opus. Ita S. Hieronymus. Adhæc ego tibi creavi hoc malum captivitatis Babylonicæ, ego rursum per Cyrum faciam pacem, teque in libertatem asseram. Deus ergo est, qui omnia a se creata, sua potentia et sapientia gubernat: qui prius Iudæis induxit tenebras et malum, Chaldæis vero lucem et pacem; deinde vice versa, per Cyrum Iudæis creavit lucem et pacem, Chaldæis tenebras et malum. Idem aliis sæculis fecit, in singulis regnis, alternando vices, nuncque dando lucem, nunc tenebras. Idem facit hodie in Belgio, aliisque provinciis. Quocirca recte S. Hieron. ex hac Isaiæ sententiæ: *Confundatur*, inquit, *Marcion, duos inducens deos, unum bonum, alterum malum; unum visibilium, alterum invisibilium conditorem; unum pacis, alterum mali auctorem; cum utrumque pro diversitate meritorum unus idemque Deus condiderit.*

Et symbolice S. Gregor. 3. Moral. 7. *Creare*, ait, *se mala Dominus indicat, cum res bene conditas, et per naturam bonas, nobis male agentibus in flagellum format. Unde et venenum mors quidem est homini, sed vita serpenti. Unde et benedicitur: Formans lucem, et creans tenebras: quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. Faciens pacem, et creans mala, quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc quæ bene sunt condita, sed male concupita, in ea quæ nobis mala sunt, flagella vertuntur.*

Vers 8 **Rorate** (Forer. *defluite*) **cæli, desuper.**) Syrus vertit: *Iucundamini, cæli, desuper, et nubes rorent iustitiam: aperiatur terra, et multiplicetur salus;* Arabicus Antiochenus: *Gratiam præsta, o cælum, desursum, et tu, o nubes, quæ spargis iustitiam: gaudeat terra, et multiplicetur veritas:* Arabicus Alexandrinus: *Gratiam præsta, o cælum, desuper, et nubes spargat iustitiam: aperiatur terra, et multiplicetur salus.* S. Thom. Lyran. Forer. hæc ad litteram accipiunt de Cyro, allegorice de Christo. Ad Cyrum enim quasi ad rorem cælestem anhelabant Iudæi in Babylone captivi. Rursum Cyrus, ait Lyran. comparatur hic pluviæ cælesti, et germinanti terræ, quia Astyages, teste Herodot. l. 1. avus Cyri, vidit in somnis ex corpore filiæ suæ, quæ fuit mater Cyri, prodire vitem, cuius palmites totam obumbrabant Asiam: quod divini interpretati

A sunt, ex ea nasciturum filium, qui toti Asiæ dominaretur. Verum augustiora hic dicuntur quam ut Cyro conveniant. Dico ergo, Prophetam de more cum in Cyro videret imaginem Christi, mox ad eum avolare: Christus enim eius erat amor, scopus, desiderium. Unde hic in ardens eius votum erumpit. Sic c. 16. 1. subito avolavit ad eum dicens: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* Vide can. 5. Quare hæc de Christo ad litteram accipienda sunt, et claudenda parenthesi, quæ totum hunc versum a præcedentibus et sequentibus, ubi continua est prophetia de Cyro, separet. Ita communiter Patres. Unde S. August. l. 5. de hæres. c. 4. censet hæc tam plane et aperte dicta esse de incarnatione Christi, ut interpretatione non egeant.

Notat Concil. Hispalens. canon. 13. hisce Isaiæ verbis significari utramque in Christo naturam, scilicet divinam, cum ait: *Rorate, cæli, desuper;* humanam, cum ait: *Aperiatur terra, et germinet salvatorem.* Sicut enim Spiritus sanctus vocatur pluvia et ros, sic et Filius. Ut Ps. 71. 6.
B *Descendet sicut pluvia in vellus.* Cuius symbolum fuit ros descendens in vellus Gedeonis Iudic. 6. 37. Ita Sanchez.

Secundo, rectius et germanius, utrumque hoc hemistichium accipias de humana Christi generatione et natura: de hac enim omnis hic Prophetæ est sermo. Christus enim qua homo, fuit germen cæli, quia ex rore cælesti, id est ex Spiritu sancto, conceptus fuit; et germen terræ, quia ex beata Virgine formatus et natus. Unde Vatabl. sic exponit: *Rorate, cæli, desuper*, id est, descendat Spiritus sanctus in Virginem, eamque irroret et fœcundet, ut pariat iustum et salvatorem. Rursum in Christi nativitate et adventu, ait Forer. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia et pax osculatæ* se mutuo *sunt: veritas de terra orta est, et iustitia de cælo prospexit:* quia dona cælestia in terris germinarunt. Et cum per totum orbem mellifluі facti sunt cæli, tota terra repleta est misericordia Domini. Itaque divitiæ cælestes, factæ sunt et terrestres, terraque et cælum, in unum quasi agrum et ger-
C men redacta sunt.

Denique nota τὸ *rorate*. Apte enim ortus Christi comparatur rori. Primo, quia roris ortus latens est et occultus: ita arcana fuit generatio Christi. Generatio Christi, comparatur rori I.

Secundo, ros qui non est aliud, quam purus et subtilis vapor, resolutus in aquam, symbolum est virginitatis et virginei partus. II.

Tertio, ros noctu oritur: ita Christus noctu natus est. III.
Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo a regalibus sedibus, etc. in terram prosilivit, Sap. 18. 14.

Quarto, ros suavem auram, et halitum vitalem aspirat animantibus, omnibusque viventibus, iisque mitigat æstum: ita Christus halitum vitæ nobis afflat, eoque ardorem concupiscentiæ temperat. IV.

Quinto, ros est aereæ et cælestis naturæ, adeoque si ovum vacuum, puta corticem ovi exsucci, rore impleas V.
D et baculo apponas, apteque accommodes, sole incalescente, ascendet ad baculi culmen. Ros enim sursum fertur, præsertim si calore excitetur, et ex parte in vaporem vertatur. Ita Christus cælestis est naturæ, æque ac vitæ, suosque asseclas facit cælestes. *Primus homo*, ait Apostolus 1. Cor. 15. 47. *de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis cælestis, tales et cælestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis.*

Sexto, ros pinguis est, pinguemque et quasi oleatum succum germinibus, seminibus et plantis instillat, itaque eas impinguat, incrassat et fœcundat: ita Christus rore gratiæ irrorans mundo, eum fœcundavit, ut proferret virtutes, æque ac Sanctos in omni virtutis et sanctitatis genere, puta, illustres Martyres, Confessores, Episcopos, Religiosos, virgines, viduas, coniugatos, eosque cuiuslibet status, sortis et generis. VI.

Septimo, ros condensatus, fit manna, quod suave est ad cibum, et efficax ad medicinam: ita Christus in Eucha- VII.

ristia se dedit nobis in cibum, estque ipse manna, hoc est, *panis de cælo descendens*, cuius virtute non tantum vivimus et tentationibus resistimus, sed et resurgemus in vitam æternam, Ioan. 6. 55. Vide dicta de manna Ex. 16.

VIII. Octavo, ros in concham apertam illapsus, cum vi cælesti, præsertim fulminis, afflatur et constringitur, fit unio sive margarita, teste Plinio l. 9. 33. et aliis: ita Christi deitas in concham uteri virginalis illapsa, ex eoque sibi corpus humanum efformans, illudque vi divina per inoperantem Spiritum sanctum sibi uniens, efformavit pulcherrimam margaritam, et pretiosissimam unionem, puta Christum hominem et Deum.

IX Denique, ros est mellens, adeoque mel non est aliud quam roris medulla, eiusque succus prædulcis et subtilis, qui herbis, flosculis, et terræ solo excipitur, atque ab apibus colligitur. Ita Aristot. l. 5. hist. Animal. 22. docet apes favos construere e floribus, ceram ex arborum lacryma effingere, mella ex rore aeris colligere. Quod enim apes non faciant mel, uti putat Seneca, sed confectum in aere asportent, probant Aristotel. Plinius et nostri Conimbric. tract. 7. in Meteora, c. 9. tum ex eo, quod uno aut altero die cellas apum melle repletas inveniunt apiarii, tam brevi enim tempore tantum mellis conficere non possunt apes: tum ex eo quod in autumno apes mel sibi detractum, non reparant cum tamen illo etiam tempore flores suppetant. Secus est de bombycibus, quas videmus byssum conficere, sed lente post diutinam foliorum mori comestionem, concoctionem et alterationem, ut tertio colorem mutent, tandemque flavescant: tunc enim flavæ byssi fila e visceribus nendo (miro naturæ, imo Dei opere) sensim educunt. Hoc in apibus non videmus: colligunt ergo illæ mel, id est roris medullam non conficiunt. Pari modo, quid est Iesus, nisi roris cæli medulla, hoc est, *Mel in ore, melos in aure, iubilus in corde?* ait S. Bern.

Et nubes pluant iustum.) Hebr. *iustitiam*, id est iustum, puta Christum, qui iustissimus est ipsaque quasi iustitia, quam proinde secum mundo afferet. Unde sequitur: *Ego Dominus creavi eum*. Significat Propheta, incarnationem Christi non aliud fore quam nubium et cælorum, imo universi orbis lætitiam et iubilum.

Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.) q. d. Utinam terra producat, et in lucem proferat Salvatorem! Nam et terra in hoc opere nativitatis Christi tam mirabili præbitura erat suam operam: Christus enim nasciturus quidem erat cœlitus, sed in terris. Ita Adamus. Hic sensus est genuinus: sic enim terra hic simpliciter et generice sumitur. Terra enim præbuit materiam corpori ut Christus nasceretur.

Secundo, terra hæc est B. Virgo, quæ rorem Spiritus sancti excipiens, concepit et germinavit Salvatorem. Nulla enim alia terra id præstitit, aut præstare potuit. Ita communiter Patres. Primus ergo Adam ex virgine terra, id est vili limo, formatus est; secundus vero Adam ex purissimo sanctissimæ Virginis sanguine corpus sibi aptavit.

Dices: Quomodo B. Virgo, quæ semper mansit virgo, id est, clauso utero, dici potest aperta? Respondeo, esse metalepsin: *Aperiatur*, id est, instar aperientis proferat et producat. Terra enim naturaliter germinare, et germen producere nequit, nisi vi seminis erumpentis et germinantis findatur et aperiatur, itaque germini emergenti cedat, et det locum. Simili metalepsi dicitur c. 64. 1. *Utinam dirumperes cælos, et descenderes!* Corpus enim si cælo naturaliter descenderet, deberet rumpere cælos: sed Deus qui spiritus est, in suo descensu non eget cælorum diruptione.

Secundo, respondet Sanchez, τὸ *aperiatur*, significare hic tempus vernum, hoc enim *apertum* vocamus: quia tunc ea quæ in hieme frigoribus fuerunt contracta, laxantur, intepescunt et solvuntur. De quo Ovidius:

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

q. d. Adam et Eva suo peccato, hiemem et rigorem virtutum ac lætitiæ induxerunt mundo. Duravit hæc hiems et frigus usque ad B. Virginem, quæ ver spiritale et virgineum mundo induxit, cum ipsa quasi lilium convallium, non ex humano semine, sed ex irroratione Spiritus sancti germinavit Salvatorem. Hoc est quod dicitur Cant. 2 v. 12. *Vox turturis audita est in terra nostra; ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum.*

Tertio, Origenes, Tertull. S. Hieron. Epiphan. Nyssen. et Ambros. dicunt, solum Christum aperuisse uterum matris, id est, ex eo clauso natum esse ac prodiisse, perinde ac si fuisset apertus: ipsi enim fuit pervius et penetrabilis, sicut nobis pervia sunt, quæ aperta sunt.

Itaque censent solum Christum designari ista lege, Exodi 13. v. 12. *Separabis omne quod aperit vulvam Domino.* Vide ibi dicta. Est catachresis. Similis est, cum dicimus Christum sua morte aperuisse nobis cælum antea clausum, quia fecit illud nobis pervium et penetrabile. Sic Hispani et Lusitani dicuntur nobis aperuisse Indias et insulas novi orbis, quia primi navibus suis eo penetrarunt, et ostenderunt iter pervium.

Ex Hebræo potest aliter verti. Primo sic: *Aperiatur terra, et fructificent*, seu germinent, *salus et iustitia*. Secundo sic: *Aperiatur terra, et germinent* (scilicet cæli et terra) *salutem et iustitia succrescat simul*. Ita Forer.

Et iustitia oriatur simul.) Alludit, imo pene ad verbum citat illud Davidis Ps. 71. 6. *Descendet sicut pluvia in vellus; et sicut stillicidia stillantia super terram: Orietur in diebus eius iustitia*, q. d. Ab Adam usque ad Christum, terra germinavit spinas et tribulos peccatorum; veniat ergo Christus iustificator, ut cum eo germinet iustitia ac iusti, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, etc. Potest secundo, sic verti: *Aperiatur terra, et fructum edant* (cæli et terra) *salutem et iustitiam, quas progerminare simul faciet*, id est quas Virgo est simul productura cum Christo, inquit Vatablus. Quod Nota contra hæreticos, qui nos subsannant cum dicimus B. Virginem contrivisse caput serpentis, salutem peperisse, cum eam salutamus: *Salve, Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve.*

Ego Dominus creavi eum.) *Creavi*, id est, *creabo*. Vers. 8.
Est vox Dei, Isaiæ votis respondentis, q. d. Quod tu adeo optas, o Isaia, æque ac terra arida et sitiens optat e cælo pluviam, hoc ego suo tempore præstabo et creabo, id est producam hunc iustum: meum enim donum ac beneficium est, eius adventus et nativitas, q. d. Si ego sum qui Christum promitto, formo et creo, ut vos a peccato et diabolo liberet, uti tu ipse, me obsecrando pro eius adventu, fateris; mihi ergo totum hoc eius negotium committendum est, ad me spectat designare tempus, quo nasci et prodire debeat. Unde sequitur: *Væ qui contradicit fictori suo*. Secundo, aptius Sanchez et alii hæc referunt ad Cyrum, quasi ad eum, post suum suspirium parenthesi interceptum, redeat hic Propheta. Sic enim hæc cum præcedentibus apte et plane connexa, optime cohærent, æque ac cum sequentibus. Nam explicans τὸ *ego creavi eum*, subdit v. 13. *Ego suscitavi eum: ipse ædificabit civitatem meam* (Ierusalem) *et captivitatem meam dimittet*. Quæ verba proprie soli Cyro conveniunt, sed ita ut Cyrus esset typus Christi.

Væ qui contradicit fictori suo, testa de Samiis terræ.) q. d. Væ testæ contendenti cum suo figulo, ac dicenti; Cur me sic, et non sic formasti? illam enim mox confringeret et contereret figulus. Pari modo homo plasmatus a Deo et quasi testa Dei, contendens cum eo, mereretur ab eo conteri et annihilari. Hæc spectant ad τὸ *Ego Dominus, faciens pacem, et creans malum*. Increpat enim murmuratores dicentes: Cur, Domine, patribus nostris pacem dedisti, æque ac aliis Gentibus, nobis autem sæculum miserum et malum captivitatis in Babylone creasti? Rursum, cur Cyrum hominem infidelem et impium ita prosperas, constituisque nostrum liberatorem et ducem? Cur non mittis nobis alterum Mosen, Iosue, Gedeonem, etc. uti misisti patribus ex ipso eorum semine et stirpe? De Cyro enim huc usque fuit sermo. Unde et de Cyro respondet Deus v. 13. *Ego suscitavi eum, etc. ipse ædificabit civitatem etc.* Hos retundit Deus, q. d. Quis tu es, qui mihi obstrepas? Vers. 9

tu, inquam, qui es in manu mea, qua te instar figuli formavi, quasi testa e samiis terræ, id est, ex vasis luteis, ex terra effictis? Samia enim vasa vocantur testea, a Samo insula, in qua hæc fiebant pulcherrima, ob argillam, quæ ibi est præstantissima, firmissima et durissima, adeo ut ex ea acuti fiant cultri, teste Plinio l. 35. 12. Unde et Agathocles rex Siciliæ cœnabat in vasis Samiis, ut meminisset semper se esse figuli filium. Simili luti et argillæ similitudine utitur Apostolus Rom. 9. 20. retunditque eos qui Deo ob sortem status et gratiæ sibi datæ, obmurmurant. Idem facit Deus per Ieremiam c. 18. 6. Vide ibi dicta. Hebr. est *testa de testis terræ,* q. d. Testa lutea et terrea, non ærea, testa una ex grege testarum, testa vilissima. Potest secundo, ex Hebræo cum Forer. et Vatabl. verti: *Væ litiganti cum plaste suo, testæ cum fictoribus,* vel *figulis terræ:* ut idem dicat posteriori hemistichio, quod dixit priori.

Tertio, Septuag. et Theodot. pro *testa de samiis terræ,* vertunt, *qui arant arantes terram.* Hebr. enim חרש *charas,* si punctetur שׁ in dextero cornu, significat *arare;* sin in sinistro, aliisque punctis legas חרשׂ *cheres,* significat *testam.* Hoc Procop. ita exponit per modum unius, q. d. Deus: *Ego populum in aliam formam refinxi, qui terræ incolas instar agrorum exerceo, aro et subigo. Videte ergo ne dispositioni providentiæ meæ reluctemini, non magis quam lutum figulo.* Leo Castrius vero vertit, *aratrum arantibus,* ut sit alia similitudo, sed idem significans quod prior, *testa figulo,* q. d. Numquid contendet aratrum cum aratore eique dicet: Cur me, postquam arasti et seminasti, seponis et abiicis? cur non semper me uteris, et aras? Ita ex S. Ambrosio Castrius. Unde Sept. vertunt: *Numquid arans tota die arabit?*

Numquid dicet lutum figulo suo: quid facis, et opus tuum absque manibus est?) Id est, opus tuum caret ansis suis. Ansæ enim vasi sunt, quod manus homini. Secundo, q. d. Opus tuum impolitum est et informe, ac si pedibus, non manibus esset elaboratum. Et sic maior est blasphemia.

Vers. 10. Væ qui dicit patri: Quid generas?) Alia similitudine murmuratores coarguit, q. d. Stultus et contumeliosus foret filius, dignusque perire et perdi, qui diceret patri suo: Cur me deformem, cæcum, claudum, stupidum, id est ignobilem, pauperem, infortunatum, et non pulchrum, integrum, ingeniosum, nobilem, divitem et fortunatum genuisti? Et ut Forerius: Cur me fœcundum, multaque prole, quam alere non valeo, onustum effecisti? aut si in ipsa generatione modum ei præscriberet: Volo ut me talem et talem, non autem talem generes. Multo magis talis est, qui Deo patri cælesti de sua sorte sibi ab eo data, obstrepit et obmurmurat, aut modum præscribit, ut in futurum talem et talem sibi sortem, non aliam concedat. Simili enim modo quæritur Ieremias c. 15. 10. *Væ mihi, mater mea: quare genuisti me, virum rixæ, virum discordiæ?*

Symbolice, S. Hieron. de Christo hæc explicat, q. d. Væ qui dicis Patri omnipotenti: Quare tu generas Filium? quique dicis B. Virgini: Quid parturis? An Deum? at Deus æternus est non gignitur in tempore. An hominem? ut quid ergo θεοτοκος, id est, Deimater, appellaris? ut blasphemabat Nestorius, quasi eius, et similium hæc sint verba. Unde allegorice, S. Cyrillus hæc refert ad Nicodemum, et similes, qui audientes a Christo, oportere quemque per baptismum renasci, dicebant: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci?* Ioan. 3. 4.

Vers. 11. Hæc dicit Dominus sanctus Israel, plastes eius.) Scilicet Israelis. Hic dat apodosin, id est redditionem similitudinis, applicando eam Deo, q. d. Israel lutum vel argilla est, Deus plastes sive figulus: Israel filius est, Deus pater: non est ergo quod Israelitæ obstrepant, et litigent cum Deo, ac quasi ei non sint curæ, conquerantur. Taceant ut argilla: subditi sint velut morigeri et prudentes filii, hæc est eorum sors: meum est illis providere, resque eorum tristes, æque ac lætas disponere.

A Attamen ut immensam meam in vos, o Israelitæ, benignitatem ostendam, concedo vobis id, quod non auderet testa in figulum, filius in patrem. Quocirca *ventura interrogate me, super filios meos,* quid videlicet de vobis, qui estis filii mei, deque vestra captivitate proroganda, vel solvenda, decreverim, quidque vobis eventurum sit: *Et super opus manuum mearum,* quod estis vos, *mandate mihi,* id est ab Isaia, meisque Prophetis sciscitamini et postulate, ut vobis dicant, quæ futura sint et facienda a me; quod idola nequaquam possunt. Identidem enim redit ad divinationem futurorum, ex eaque cum idolis de divinitate disceptans vincit et triumphat. Ita Sanchez. Rursum *opus* hoc Dei sunt, cæli, stellæ, terra, homines. Unde sequitur: *Ego feci terram.*

Aliter S. Hieron. et Forer. qui putant hæc per ironiam irrisorie dici, q. d. ait S. Hieron. Interroget me testa, et futurorum secreta inquirat, et præcipiat mihi quomodo adoptivos filios, qui in meum Filium credituri sunt, regere debeam, q. d. Estne vestrum mihi mandare, quid
B facere, quomodo filios meos regere debeam? q. d. Minime.

Ego feci terram.) Hic opus suum, cuius est plastes, explicat Deus, eiusque quasi rationem murmurantibus assignat.

Et omni militiæ eorum mandavi.) q. d. Astra, quæ Gentiles colunt ut deos, mihi subsunt, ego eis mando, id est ea dispono et ordino. Vers. 12.

Ego suscitavi eum ad iustitiam.) Per *eum* S. Hier. Procop. Eusebius l. 5. Demonst. c. 4. Epiphan. Hilar. Origen. Haymo, et ex eis Leo Castrius intelligunt Christum: S. Thomas vero, Hugo, Forer. et Sanchez, Cyrum. Utrumque verum est: miscet enim hic typum cum antitypo agitque de Cyro, quasi de typo Christi. Unde quædam dicit quæ magis Cyro, quædam quæ magis Christo competunt. *Ad iustitiam,* ut scilicet Cyrus iuste puniret tyrannos Chaldæos et fideles Hebræos ab eorum tyrannide liberaret. Ex Hebræo verti potest, *in iustitia,* id est, ex mera mea bonitate, nullis provocatus meritis vestris, sed tantum quia ego iustus sum et sanctus, dabo vobis Vers. 13.
C Cyrum liberatorem.

Secundo, Forerius: *Iustitia,* ait, hic accipi potest pro ipsa ratione divinorum consiliorum, quæ æquitatis est plenissima, estque ipsa amussis et regula omnium quæ iuste fiunt, q. d. Excitavi Cyrum summa cum iustitia et æquitate, pensatis omnibus quæ in tam ardua re erant pensanda, habitaque ratione et causarum, et effectuum, et temporis, et loci. Non est ergo quod quis hic murmuret dicendo: Quare Cyrum Gentilem, non Hebræum, vel fidelem aliquem misisti qui nos Babylone liberaret? aut, quare tam tarde eum misisti, aut isto tempore potius quam illo? Sed agnoscant omnes et laudent meam sapientiam, æquitatem et clementiam. Iam sub Cyro respicit Christum quem a Deo excitatum esse ad iustitiam toto orbe propagandam, clarum est.

Ipse ædificabit civitatem meam, Ierusalem, et captivitatem meam, id est captivum populum meum scilicet Iudæos. dimittet.) Gratis, et sine lytro. Id fe-
D cisse Cyrum per suum mandatum et edictum patet 1. Esdræ 1. v. 3. Unde patet hunc locum ad litteram intelligendum esse de Cyro, ita tamen ut in Cyro altius quid spectarit Propheta, scilicet Christum, qui civitatem, id est Ecclesiam, ædificavit, et solvit captivitatem generis humani, non pretio, sed gratis, imo solvendo et dependendo per se lytrum nostrum puta sanguinem suum. Ita Patres paulo ante citati.

Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt.) Vers. 14. Hugo et Vatabl. hæc ad Israel, sive ad Iudæam referunt, q. d. Ægyptii, Æthiopes et Sabæi videntes, o Israel, te prosperari et benedici a Deo, tecum fœdus inibunt, imo multi ex eis tuam religionem capessent. Aut, ut Vatabl. sensus est, q. d. Israelitæ potientur opibus Ægyptiorum, Æthiopum et Sabæorum, cum videlicet Deus ad mœnia Ierusalem cædet per angelum castra Sennacherib et Assyriorum: hæc enim constabant supradictis, utpote iam

subactis, hæcque iam habebant spolia Ægypti, Æthiopiæ et Sabææ, quæ ibidem rapuerant, quæ iam ab iisdem capient Iudæi. Verum hic sensus, uti frigidus, et incertus est ac dubius, ita textui non cohæret. Non enim de Israel, sed de Cyro hactenus egit Propheta.

Dico ergo, ad litteram sermo est de Cyro, cuius victorias obiter perstringit: sed sub eo intelligit Christum, Christique victorias, q. d. Cyrus debellabit Ægyptum, Æthiopiam, eiusque primariam provinciam, puta Sabæam, sive Abyssiam; hæque provinciæ Cyro Babylonis et monarchiæ Chaldæorum eversori se dedent. Ita enim factum esse docet Xenophon l. 7. Cyripædiæ, et lib. 8. ubi Cyri regnum terminat ab Oriente mari rubro, ab Occidente Ægypto, a Meridie Æthiopia, ab Aquilone Ponto Euxino. Porro de Cyro dicitur: *Tantum in te est Deus.* Sicut dicitur c. 10. 5. indignatio Dei fuisse in manu et virga Assur, cum per eum percussit et punivit Iudæos, aliasque gentes. Pari enim modo Deus agebat Cyrum ad excidium Babylonis, et ad Iudæorum liberationem; unde subdit:

Vers 15. VERE TU ES DEUS ABSCONDITUS.) Qui nimirum abscondis te in Cyro homine impio, idololatra et tyranno, quique sic occulte per eum operaris, et bellas, ut non tu, sed ipse tantum bellare videatur. Unde Xenophon aliique historici, Cyri victorias eius virtuti tribuunt; hoc est, quod Isaias dixit v. 5. *Accinxi te, et non cognovisti me.* Ita Didacus Alvarez, Pintus et Sanchez, qui moraliter apte hinc colligit, Deo tribuenda esse, quæ bene a prælato, vel magistratu, etiam infideli et impio (qualis fuit Cyrus) gesta sunt. Rursum Deum uti subinde instrumentis indignis, qualis fuit Cyrus, propter, et ad bonum suorum fidelium.

Sic ut ait S. Chrys. homil. 3. in epist. ad Coloss. *Deus ad Cain loqui dignatus est, propter Abel; diabolo, propter Iob; Pharaoni, propter Ioseph; Nabuchodonosori, propter Danielem; Balthasari propter eumdem. Et Magi quoque revelationem consecuti sunt; et Caiphas cum esset occisor Christi et indignus, prophetavit, propter sacerdotii dignitatem.* Denique hinc colligit Sanchez, subditos etiam impiis prælatis obedire debere, ac cogitare, quod in iis loquatur, imperet et gubernet Deus. Imo addit S. Gregor. l. 2. Moral. c. 6. diaboli potestatem numquam esse iniustam, licet voluntas semper iniqua sit: *Quia a semetipso,* ait, *voluntatem habet, sed a Domino potestatem.*

Verum potius hæc accipienda sunt de Christo, quem sub Cyro intelligit, et quasi in imagine repræsentat. Illi enim, non Cyro, competit proprie et plene id quod sequitur: *Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus.* Ita S. Hier. Procop. Theodor. Cyrill. Euseb. lib. 5. Demonstr. 4. Hilar. lib. 4. de Trinit. et alii passim. Sensus ergo est, *Labor Ægypti, etc.* hoc est, opes partæ labore Ægyptiorum, Æthiopum et Sabæorum, id est, quorumvis Gentilium, etiam remotissimorum, tibi, o Christe, servient, totus orbis tibi se subdet, quasi a te victus, et vinctus spiritu gratiæ et charitatis. Gentes enim a Christo et Apostolis conversæ, omnia sua cum fide Christo Domino obtulerunt, ut veluti captivi Apostolorum viderentur. Nam seipsos tradebant primi illi Christiani, et corpora, et animas, et omnia, adeoque oculos si fieri potuisset, eruissent, ait S. Paulus Galat. 4. 15. ad promovendam Christi et Apostolorum eius gratiam et gloriam.

Potest secundo, metonymice sic explicari, *Labor Ægypti*, id est, laboriosi Ægyptii, et negotiosi Æthiopes, puta divites ex labore et agricultura, æque ac ex mercimoniis et industria: hi, inquam, cum suis opibus et mercibus *ad te*, o Christe, *transibunt*, deserentes suam religionem suosque deos, tibique credent, te colent et adorabunt, *vincti manicis*, quasi bello subacti, victique, et in triumphum ducti. Significat hæc phrasis omnimodam, sed spontaneam subiectionem: quod indicant verba sequentia, incurvationis, supplicationis, sive interpellationis, item libera confessio et gratulatio eorum, dicentium Christo: *Tantum in te est Deus.* Manicæ ergo hæ fuit potens et efficax gratia, et impulsus Spiritus sancti, *Cuius*

A *vincula adamante sunt fortiora,* ait S. Ambr. in Ps. 37. post principium. Ita et S. Hieron. aliique Patres iam citati, inter quos S. Hilar. *Talis,* inquit, *erat Paulus vinctus propter Christum, qui proinde Ephes.* 3. 1. *Philip.* 1. 13. *et alibi in vinculis hisce suis gloriatur.*

TANTUM IN TE EST DEUS.) Vatablus vertit: *Revera in te est Deus, præter quem nullus est alius.* Hoc est certe in te, o Cyre, est Deus, qui pugnat et vincit, extra quem non est alius Deus, q. d. Non est Cyrus qui Babylonem evertit, qui salvat Israel: sed est Deus, qui dexteram dirigit ad feriendum Chaldæos, et liberandum Hebræos. Unde hoc opere Dei peracto infelix fuit, tertioque post anno a fœmina Thomyri, cum toto exercitu cæsus est; æque ac Sennacherib peracta vindicta Dei, cæsus est ab Angelo; et Vespasianus ac Titus, peracto Iudææ excidio, ad quod a Deo dirigebantur, paulo post infeliciter uterque periit. Ita Sanchez, Alvarez, Pintus et Vatabl.

Verum proprie hæc soli Christo competunt. Primo enim in Christo, qua Deus est, est tota divinitas æque ac B SS. Trinitas. Pater enim (uti et Spiritus sanctus) est in Filio per circuminsessionem illam divinam SS. Trinitatis, ut Theologi vocant: hanc enim significat Christus, cum ait Ioan 14. 9. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* q. d. ait Cyrill. Doctrinam meam, et opera mea habeo a Patre, et cum Patre communia: ergo et naturam, ac divinitatem. Significatur ergo his Christi verbis intima et perfecta inhabitatio unius personæ SS. Trinitatis in alia, et e converso, quam Damasc. l. 1. de Fide c. 11. vocat περιχωρησιν, et ex illo Scholastici, circuminsessionem. De quo mysterio disputat S. August. l. 6. de Trinit. c. ult. Hilar. l. 4. de Trinit. Ambros. in c. 13. ep. 2. ad Corinth. *Singula,* ait August. *sunt in singulis* (personis) *et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia.* Quocirca ex hoc loco et similibus Scholastici, et nominatim Franc. Suarez l. 4. de Trinitate, in fine, docte contra Durandum et Henricum docet, hanc circumin- C sessionem esse in SS. Trinitate non tantum quoad essentiam divinam, sed etiam quod personas ipsas, idque magis proprie: esto eius fundamentum sit ipsa essentia, quæ in tribus personis est una et eadem. Itaque in essentia proprie est unitas et identitas, non circuminsessio sive περιχωρησις. Quare non recte Budæus, et ex eo Henricus Stephanus, in Lexico περιχωρησιν, apud Damasc. loco citato interpretantur ενωσιν, id est unitatem. Aliud est enim περιχωρησις, id est circuminsessio, aliud unitas, ut patet ex terminis. Hæc ergo circuminsessio non est aliud, quam intima præsentia unius personæ ad aliam, cuius radix et quasi causa est ipsa earumdem immensitas. Cum enim ipsæ in se sint immensæ, inde necessario sequitur, ut sint intime in se invicem non tantum secundum essentiam, sed etiam secundum proprias relationes. Unde sicut habent immensitatem ratione essentiæ quam includunt, ita ex eadem radice habent, ut sint intime in se invicem, etiam secundum proprias relationes. Quamobrem circuminsessio hæc est mutua præsentia, et quasi pene- D tratio, hoc est, inexistentia et inhabitatio unius personæ in alia. Hoc est quod ait S. Athanas. in expositione fidei: *Spiritus sanctus semper est in manibus Patris et Filii.* Et Damasc. l. 1. de Fide c. 10. hac de causa Spiritum sanctum vocat *inseparabilem et indigressibilem a Patre et Filio.* Et c. 9. processionem unius personæ comparat luci mananti ab igne: *Quia,* inquit, *lux ab igne gignitur, et ab igne non separatur, sed semper in eo est.* Et Fulg. lib. de Fide ad Pet. c. 1. *Per hanc unitatem essentiæ,* inquit, *totus Pater in Filio et Spiritu sancto est, totus Filius in Patre et Spiritu sancto est, et totus Spiritus sanctus in Patre et Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est.* Idipsum canimus in hymno ad Laudes feriæ secundæ: *In Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater.* Causa est, personarum divinarum tum immensitas, ut dixi, tum summa connexio, et intima coniunctio, quæ oritur ex una eademque numero essentia. Ex ea enim fit, ut personæ divinæ ad invicem sint inseparabiles, coniunctissimæ et

Circuminsessio SS. Trinitatis, quæ

intimæ: inde fit, ut sibi invicem inexistant.

Ita de Christo qua Deus est, hunc Isaiæ locum explicant S. Hieron. S. Ambros. l. 1. de Fide c. 2. et Athan. lib. de Assumptione hominis. Dices, Falsum est, quod tantum in Filio sit Deus: nam est etiam in Patre et Spiritu sancto. Resp. vox, *tantum*, solum excludit idola, Angelos, aliaque entia. Nam regula Theologorum est: cum voces exclusivæ adduntur personis divinis, in attributis essentialibus, sive communibus tribus personis, eæ tantum excludunt res alias, quæ aliam a Deo habent naturam et essentiam; non autem alias personas divinas: hæ enim cum eamdem habeant essentiam, eadem quoque habent attributa essentialia. Sensus ergo est: tantum in te, o Christe, est Deus, q. d. Non est alia in mundo divinitas, quam illa quæ est in te, quæ tamen quoque est in Patre et Spiritu sancto. Vide D. Thom. et Scholast. 1. p. q. 31. a. 3. et 4.

Secundo, hæc verba competunt Christo, qua homo est, quia in humanitate Christi, quasi in templo, corporaliter inhabitat divinitas, imo divinitatis plenitudo, ut ait Apostolus Coloss. 2. 9. Vide ibi dicta. Ita S. Hieron. Procopius, Theodor. et Cyrill. l. 1. in Ioan. c. 15. Epiph. l. 2. in hæresi Noetianorum. Sensus ergo est, q. d. Gentes videntes Christi, Apostolorum, et primorum Christianorum gratiam, virtutes, mores angelicos, sanctamque et divinam conversationem, imo videntes in se ipsis per baptismum et christianismum tantam fieri morum mutationem, ut ex barbaris, superbis, blasphemis, maledicis, homicidis, rapacibus, gulonibus, libidinosis, etc. per Christi fidem et gratiam fiant humani, humiles, Deum timentes, amabiles, iusti, sobrii, casti, etc. obstupescent, dicentque Christo: Vere *tantum tu es Deus*. Felices nos, qui te, imo Deum habemus, non corpora, sed animas trasmutantem, et ex bestiis homines, imo Angelos facientem. Hoc ad litteram hodie contingit in Iapone, China, Brasilia, aliisque Indiæ partibus, uti Nostrorum inde litteræ fidem faciunt. Notent hoc Christiani Europæi, præsertim Pastores et Ecclesiastici. Si enim hæretici, Iudæi, aliique infideles viderent in eis eam sanctitatem, mores angelicos, sine avaritia, ambitione, turpitudine, qui fuerunt in Apostolis, suntque hodie in India, sane multi ex eis, quasi manicis vincti, eos sequerentur, exclamarentque: *Vere in vobis est Deus*. Vere in vobis non aliud relucet nisi Deus. *Vos estis semen cui benedixit Dominus*. E contrario scimus, uti lutheranismo occasionem dedit inscitia et mala vita nonnullorum sacerdotum, ita et hodie ipsos blasphemare, et Ecclesiæ insultare, cum eorum impuram vitam audiunt aut vident, magisque se in sua hæresi, et sacerdotum odio obfirmare.

Et non est absque te Deus.) Quis enim totum mundum Christo crucifixo eiusque Evangelio tam paradoxo de contemptu honoris, opum, voluptatum, subiicere potuisset, nisi solus Deus? Quis, nisi Deus, animum hominis sic immutare potens est? Quibus viribus sic homo semetipsum, sic effrænes suas passiones domare valeret? Quis sic posset innatam cuique concupiscentiam superare et supprimere? Quis tot simul homines, Angelos, imo Deos quosdam efficere sufficeret nisi Deus? non vobis, o Christe, et Christiani, arma, non exercitus, non eloquentia hanc dignitatem, hanc efficaciam pepererunt. Solus in vobis, in vestro hoc opere, conspicitur Deus vestræ efficaciæ et libertatis auctor. Nulli hæc gloria debetur, nisi Deo. Ita Paulus prædicabat *Christum crucifixum, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut sublimitas*, ait, *sit virtutis Dei, et non ex nobis*. Ita Forer.

Symbolum Mahometis. Hinc Mahomet in Alcorano sumpsit illam suæ fidei, imo perfidiæ professionem, quam Mahometani ad ravim usque inclamant in suis Moskeis sive fanis: *Non est Deus nisi Deus, et Mahomet consiliarius eius*.

Deus absconditus in se. Vere tu es Deus absconditus.) Hebr. מסתתר *mistatter*, id est *abscondens se*. Sic primo, vocatur Deus, quia natura sua invisibilis est, fugitque aciem Angelorum æque ac hominum, *et lucem habitat inaccessibilem*. Unde Mosi, Salomoni, et aliis passim apparuit tectus nube et caligine. Rursum, *absconditus*, quia non omnibus, sed tantum electis suis Israelitis se patefecit. *Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius*. Ita Vatabl. Hinc in templis Ægyptiorum inscriptum visebatur hoc Dei emblema: *Ego sum quod fuit, quod est, quodque futurum est: velum meum nemo unquam revelavit*.

Secundo, et genuine, *Deus absconditus*, appellatur salvator (ut sequitur) id est *Iesus*, propter assumpti corporis arcanum sacramentum, ait S. Hieron. quo deitas eius carnis tegumento celatur. Unde Septuag. vertunt: *Tu es Deus, et nesciebamus*. Ita Hilarius l. 4. de Trinit. Ambros. in c. 2. ad Roman. Euseb. l. 5. Demonstr. 4. Cyrill. (vel potius Clictovæus Doctor Parisiens. ille enim quatuor medios Cyrilli in Ioannem libros, qui interciderunt, reparavit) lib. 5. in Ioan. c. 2. in illa verba: *Hunc nescimus unde sit*. Ubi docet Iudæos ex hoc loco Isaiæ sumpsisse occasionem dicendi: *Christus cum venerit, nemo scit unde sit*. De Christo enim homine, Cyri antitypo, toto hoc c. agit Propheta. Sensus ergo est, q. d. Sicut in Cyro occulte salutem Iudæorum operatus est Deus, et quasi abscondit se: ita multo magis in Christo homine paupere et abiecto, abscondet se deitas, nec oculis videri poterit: sed in operibus emicabit, et ostendet se. Agnoscent enim homines eum esse Deum ex miraculis et salute, quem afferet: erit enim salvator totius orbis. Ex hoc loco clare patet contra Arrianos, Christum vere et proprie esse Deum. Unde S. Ambros. loco iam citato: *Quia*, inquit, *Filius Dei semper quidem apparuit, latebat autem quis esset; cum post resurrectionem cognoscitur, dicitur ei in confessione: Tu es Deus, et nesciebamus. Et qui putabatur in lege tantum Angelus, et dux exercitus Domini, cum intelligitur Filius esse Dei, dicitur ei cum gratiarum actione: Tu enim es Deus, et nesciebamus. Per hoc ergo significat, quia ipse esset qui apparuerat quidem patriarchis, et post incarnatus est, sed non fuerat intellectus ab hominibus*.

In humanitate.

Mystice, hæc verba apte conveniunt Eucharistiæ: ibi non tantum deitas, sed et humanitas Christi absconditur sub specie panis et vini: ibi omnes sensus falluntur, excepto auditu: visus videt colorem panis, gustus gustat saporem panis, odor odoratur odorem panis, tactus tangit figuram orbicularem, et levitatem panis: solus auditus verum audit, scilicet: *Hoc est corpus meum*. Hic ergo mystice impletur illud Isaaci de Iacobo se pellibus hispidis Esau tegente: *Vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau*, Genes. 27. 22. Sic enim hic manus tangit accidentia panis, sed vox est vox Christi, qui falli, aut fallere nequit, aitque: *Hoc est corpus meum*. De Eucharistia ergo vere dicitur: *Tantum in te est Deus*, puta Christus, non panis, non alia substantia. *Vere tu* (o Christe in Eucharistia) *es Deus absconditus, Deus Israel salvator*. Lates ibi realiter in corpore, anima et deitate: sed agnosceris in virtute et salute, quam Israelitis, id est fidelibus, digne manducantibus affers, dum cor eorum immutas, vitia sanas, passiones sopis, mentem cœlestem facis, eamque divinis subinde consolationibus ita mulces, ut iubilet, dicatque cum S. Monica in S. Communione: *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum*.

In Eucharistia.

Confusi sunt.) Identidem reflectit se Deus, et insurgit contra idololatriam tunc grassantem, q. d. Cum viderint Babylonii, aliæque gentes, quod Baal, sive Bel eorum deus non possit eos tueri, quin a Deo vero per Cyrum devastentur; tunc ipsi cum diis suis, eorumque fabricatoribus, pudefient. Rursum, cum Gentes videbunt Christum absconditam in se deitatem, per miracula, per sanctitatem et charismata Spiritus sancti prodentem, tunc omnes, qui idola coluerunt et fabricarunt, pudefient; imo ea contemnent, et comburent, atque ad Christi cultum se transferent. Nota: Idola vocantur *errores*, quia summus error est, quod saxa et ligna præ se ferant se esse deos. Hebr. est צירים *tsarim*, id est *angustiæ*. Idola enim, aut potius dæmones, per idola cultorum suorum mentes in mille angustias redigunt, ac in primis perpetuo remorsu Vers. 16.

conscientiæ, quod Deum creatorem cæli negligant, et pro eo lapides colant, eos lancinant. Ita Forer. Sanchez, Vatabl. et alii.

Aliter Adamus, q. d. Scribæ et Pharisæi simul abierunt in confusionem suorum errorum et mendaciorum, quæ spargebant toto orbe, scilicet Christum non resurrexisse, sed ab Apostolis furto esse sublatum. Contrarium enim patuit, et credidit totus orbis. Verum hic sensus arctior est.

Vers. 17. ISRAEL SALVATUS EST IN DOMINO SALUTE ÆTERNA.) q. d. Babyloniis et Gentibus idololatris obveniet pudor et ignominia, tum temporalis per Cyrum, tum æterna per Satanam in gehenna, cuius illa temporalis fuit umbra et præludium: at veri Israelitæ, id est fideles Christiani, a Christo donabuntur salute et gloria æterna: hinc patet, hæc ad Christum, non ad Cyrum pertinere. Salit enim Propheta a typo ad antitypum, et mox ad typum, sive historiam resilit; nam constat, salutem quam Iudæis attulit Cyrus, non fuisse æternam: imo, paulo post eam, gravissime ab Antiochis aliisque Asiæ regibus, per ducentos annos tempore Machabæorum, afflicti fuerunt; ac non multo post sceptrum perdiderunt, sub Herode et Romanis, atque a Tito tandem excisi sunt.

Vers. 18 HÆC DICIT DOMINUS CREANS CÆLOS.) Addit τὸ *creans cælos*, ut innuat, cælos ad hoc creatos esse a Deo, ut in eos ingrediantur, eosque possideant veri Israelitæ, ibique æternam salutem (quam eis hic promisit) consequantur.

Terra est stadium, cælum præmium. NON IN VANUM CREAVIT EAM (terram) UT HABITARETUR, FORMAVIT EAM.) q. d. Sicut Deus cælum creavit fidelibus in præmium, ita terram creavit in stadium, ut scilicet eam incolant homines ad tempus, ibique ita pie et sancte vivant, fortiter dimicando contra peccata, omnesque carnis et diaboli insultus, ut victo es in cælis coronari mereantur. Hoc est quod ait Paulus, *Spectaculum* (græce θέατρον. *theatrum) facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus*, 1. Cor. 4. 9.

Porro, oculum coniicit Deus ad terram Iudææ, reditque ad Cyrum, q. d. Reducam vos per Cyrum in Iudæam: non enim frustra creavi eam ut esset et maneret deserta, uti iam vobis in Babylone captivis, deserta est; sed ut vos in eam reducerem, sicut prius olim induxi, expulsis Chananæis per Iosue.

Vers. 19. NON IN ABSCONDITO LOCUTUS SUM IN LOCO TERRÆ TENEBROSO.) q. d. Sibyllæ oracula dabant ex antro, incantatores et magi ex locis subterraneis, ubi consulebant dæmonem, qui male sibi conscius lucifuga est, et princeps tenebrarum, ideoque quærit latibula; at ego non in abscondito, sed in Sina, in montis excelsi vertice, coram omnibus Hebræis, cum fulguribus et tonitruis, clara voce, media luce cum eis fœdus inii, promisique me daturum eis terram Chanaan, si legi meæ obedirent, atque uti promisi, ita et præstiti. Ego ergo sum, qui in Chananæam vos induxi; ego pariter, qui ex Babylone vos eodem reduco.

Huc allusit Christus dicens Ioan. 18. v. 20. *Ego palam locutus sum mundo; et in occulto locutus sum nihil.* Impostores enim et hæresiarchæ, quia docent mendacium, latebras quærunt ibique sua agunt conventicula, uti recte notavit Vincentius Lirinens. in aureo suo libello contra hæreses.

NON DIXI SEMINI IACOB: FRUSTRA QUÆRITE ME.) Dat hic Deus triplex discrimen inter se et idola. Primum quod ipse in publico, idola in abscondito respondeant. Secundum, quod frustra colantur: suis enim cultoribus nihil dant præmii; Deus suis cultoribus ampla det præmia, uti Iudæos duxit et reduxit in Chananæam. Tertium, idola et dæmones a suis impura et scelesta exigunt obsequia et cultus; Deus non nisi pura et sancta deposcit, ut sequitur.

Vers. 20. CONGREGAMINI.) q. d. Vos igitur omnes qui e Babylone nunc effugitis, et e captivitate evaditis: vos etiam qui a gentilismo ad Christum convertimini, convenite, et afferte si quid habetis, quod iis, quæ dixi, opponatis pro causa idolorum: si quid in Babylone, aut gentilismo vidistis vel audistis, quod ea esse deos ostenderet: si quid opis aut numinis ab iis experti estis, promite. Sed frustra hæc propono: scio enim omnes vos mecum dicturos.

NESCIERUNT (id est, cæci et stolidi sunt omnes idololatræ) QUI LEVANT LIGNUM (ita legendum cum Roman. et Heb. non *signum*) SCULPTURÆ SUÆ, id est, qui erigunt idolum ligneum a se sculptum, illudque colunt, ET ROGANT et invocant DEUM NON SALVANTEM.) Quomodo enim alios salvet et erigat, qui seipsum erigere et salvare nequit? ita S. Hieron. Cyrill. S. Thomas, Adamus, Forer. et alii.

ANNUNTIATE, ET VENITE, ET CONSILIAMINI SIMUL.) q. d. Iungite colloquia, cœtus et consilia ut quod uni non occurrit, alter suggerat pro deitate idolorum, ac in primis hoc inter vos agitate; quis prædixit Iudæos Babylone per Cyrum liberandos, idque reipsa præstitit? atque homines e captivitate diaboli per Christum liberandos, idque pari fidelitate suo tempore præstabit? Quis, inquam, nisi ego, quem colit Israel? Clarum ergo est, quod non sit alius Deus sanctus et salvator, quam ego. Quocirca Vers. 21.

CONVERTIMINI AD ME, ET SALVI ERITIS, OMNES FINES TERRÆ.) Promittit hic Deus fidelibus se colentibus et invocantibus, omnem salutem temporalem et spiritalem, sed maxime spiritalem et æternam per Christum. Vers. 22.

IN MEMETIPSO IURAVI.) Hic Deus promissa sua sancit et confirmat iuramento, q. d. Per memetipsum iuravi, id est *iuro* (vide canon. 13.) quod sententia et verbum, iuste et in æquitate ore meo prolatum, nequaquam irritum erit, sed reipsa complebitur. Porro verbum illud est, quod sequitur: *Quia* (quod) *mihi curvabitur omne genu, et iurabit omnis lingua*, hoc est, non tantum gens Iudaica, sed omnes omnino gentes me agnoscent, timebunt et colent: ideoque per me iurabunt, non per idola. Colent, inquam, inchoate in hac vita, cum ad me convertentur, ait S. Hieron. Cyrill. S. Thomas et alii: sed perfecte et integre colent in futura, et in die iudicii: ita ut hostes quoque mei vi coacti, tamquam scabellum subiiciantur pedibus meis, meque suum Deum ac Dominum esse confiteantur. Ad diem enim iudicii hæc quoque pertinere, patet ex Rom. c. 14. v. 10. ubi cum dixisset Apostolus: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi*, subdit probationem ex hoc loco, dicens: *Scriptum est enim: Vivo ego* (id est, iuro per vitam meam) *dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: et omnis lingua confitebitur Deo.* Ita Adamus et Sanchez. Vers. 23.

IUSTITIÆ VERBUM.) Forerius et Vatablus vertunt, *iustitiam verbum*, hoc est verbum, quod est vera et mera iustitia: nam *iustitia*, ait Forer. primo, accipi potest, *beneficentia*. Iurat enim hic Deus, se toti mundo daturum beneficium maximum, et summe optabile, scilicet, veram sui cognitionem, obedientiam et religionem, in qua sola consistit nostra salus. Secundo, *iustitia* proprie accipi potest, q. d. Iuro me mundo daturum iustitiam, quæ est ipsum meum verbum: Christus enim Dei filius est *iustitia* et *Verbum* Patris, quod non rediit vacuum, sed efficax fuit, terramque inebriavit, fœcundavit et iustificavit. Ita Haymo et Forer. Tertio, et planissime, egreditur hic ex ore iudicis Dei *iustitia* vel *iustitiæ verbum*, id est, verbum iustissimum et æquissimum. Iustissimum enim est ut omnis creatura rationalis, etiam dæmones subdant se Deo suo plastæ et creatori, eumque colant et glorificent. *Iustitia* ergo, id est iusta Deoque debita observantia et submissio significatur per τὸ *mihi curvabitur omne genu;* observantia per τὸ *et iurabit omnis lingua.* Huc allusit Apostolus Philip. 2. 10. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Quod consecutum ait esse Christum per humilitatem, qua formam servi accepit, factus homo. Ergo dum iurat facturum se, ut sibi curvetur omne genu, implicite iurat, se formam servi accepturum: quod verbum et iuramentum, est iustitia, misericordia, et sanctificatio mundi. Iustitia triplex.

Notat S. Hieron. in τῷ *curvabitur omne genu*, perspicue significari populum Christianum: *Moris enim*, ait,

Ecclesiastici est Christo genu flectere: quod Iudæi mentis superbiam demonstrantes, omnino non faciunt. Iudæi enim stantes et erecti orant.

Vers. 24 IURABIT OMNIS LINGUA.) *Iurabit*, id est celebrabit, colet, adorabit. Est synecdoche. Iuramentum enim ponitur pro quovis Dei cultu, uti superius dixi. Unde S. Paulus pro *iurabit*, vertit, *confitebitur*, id est laudabit et glorificabit, Roman. 14. 11. Homines enim per eum iurare solent, quem credunt esse Deum et summum numen, quod periurii sit vindex.

Vers. 25. ERGO IN DOMINO, DICET (omnis lingua, ut præcessit) MEÆ SUNT IUSTITIÆ ET IMPERIUM.) Primo, Forer. putat esse verborum traiectionem, et sententiam ita esse ordinandam: *Omnis lingua dicet: Meæ iustitiæ sunt in Domino*, quasi in fonte et datore, q. d. A Deo manant omnes meæ iustitiæ, illi ascribendæ sunt meæ virtutes et opera sancta, non mihi; ille glorificandus est, non ego. Perperam ergo hæretici hoc loco abutuntur pro iustitia sua imputativa, qua ipsi dicunt se esse iustos, non per iustitiam formalem et inhærentem, sed extrinsecam sive imputatam a Deo.

Secundo, alia dispunctione sic legit et intelligit idem Forer. *Omnis lingua iurabit, dicetque in Domino*, id est per Deum, per Christum, ut per τὸ *in Domino* describatur formula iuramenti, qua usuri sunt fideles. Deinde *dicet* etiam *omnis lingua, quod meæ sint iustitiæ et imperium*, hoc est, Dei est iustitia, seu laus iustitiæ, et Dei est imperium. Dicit *meæ*, quia hæc sunt verba Dei loquentis: est ergo hic explicatio eius quod præcessit, *mihi curvabitur omne genu*: sicut prior pars, scilicet τὸ *in Domino*, est explicatio τοῦ *iurabit omnis lingua*, q. d. Omnis lingua clamabit me esse iustum, et imperatorem: sive mihi inesse tam iustitiam, quam potentiam, robur, imperium. Hæc enim omnia significat Hebr. עוז *oz*, et hæc omnia in principe vero, qualis est Christus, requiruntur, scilicet iustitia, ut iuste regat: et potentia, ut possit iustitiam suam exsequi. Unde hæc duo Scriptura sæpe in Deo commendat Ps. 70. v. 19. *Potentiam tuam, et iustitiam tuam Deus*. Et Ps. 7. 12. *Deus iudex iustus, fortis*. Unde Sept. hic vertunt: *Iurabit omnis lingua Deum, dicens: Iustitia et gloria ad eum veniet*. Ita Sanchez.

Tertio, idem Forer. sic vertit: *Profecto Iehova dixit: Per Iehova mihi sunt iustitiæ et imperium*, hoc est Iehova Christus dixit: A Iehova, id est a Deo Patre, habeo iustitiam quod sim iustus, et iustificans: habeo et imperium Ecclesiæ, et totius orbis, ut nemo sit fidelis Ecclesiæ civis, nemo iustus, nisi quem ego iustificavero; et, quemcumque ego convertero et iustificavero, ille sit fidelis et iustus, atque a me in ius civicum Ecclesiæ cooptatus. Hoc est quod ait Christus: *Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra*, Matth. 28. 18. et ad Apostolos: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*, Ioan. 20. 23.

Quarto, alii putant hæc spectare ad fideles et Ecclesiam, q. d. Omnis fidelis sua lingua dicens *in Domino*, id est, Dominum confitens et laudans, dicet: *Meæ sunt iustitiæ* Evangelii, meum est *imperium* et regnum Christi, mea est eius Ecclesia, non Iudæorum. Ita S. Hieron. Secundus sensus optime cohæret cum præcedentibus, et videtur maxime genuinus ex phrasi Hebræa. To enim באדני *badonai*, id est *in Domino*, est formula iurandi usitata Hebræis. Deinde primus, qui facilis est et appositus.

AD EUM (Christum Deum) VENIENT, ut curvent ei genu, ET CONFUNDENTUR OMNES infideles et rebelles, QUI REPUGNANT EI.) Hoc fiet in die iudicii. Hæc sunt verba Prophetæ probantis sententiam Dei: præcedentia enim sunt verba et sententia Dei.

Vers. 26. IN DOMINO IUSTIFICABITUR, ET LAUDABITUR OMNE SEMEN ISRAEL.) Rebelles confundentur, ibuntque in ignem æternum: at Israelitæ, id est fideles, *in Domino*, id est apud Dominum, a Domino, coram Domino, *iustificabuntur* per fidem Christi: aut potius iustificabuntur, id est iusti publice declarabuntur, et coram toto mundo pronuntiabuntur, ut nemo condemnare audeat, quos Deus

A iustificat et absolvit, ut ait S. Paulus. Hinc ab omnibus *laudabitur omne semen Israel*, ut etiam reprobi qui eos in hac vita despexerant, cogantur eos laudare, et dicere; *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est!* Hæc est enim salus et laus æterna, quam veris Israelitis, id est fidelibus, per Christum dandam promisit v. 17. *Semen Israel* vocat Israelis filios, non carnales, sed spiritales, puta fideles et sanctos. Vis illustria, laudabilis huius seminis, non tantum genu, sed et cor et corpus et animam Deo curvantis in eoque lingua sua iurantis, atque eius iustitiam, robur et imperium glorioso agone et victoria confitentis et decorantis, exempla? Accipe.

In Typanensi Mauritaniæ civitate, Hunericus rex Cyrillam Arrianum Episcopum constituit. Cives eum et arrianismum exsecrati, Christumque Deum confitentes, publice divina mysteria in domo una congregati, celebrare cœperunt. Cyrilla id significavit Hunerico, qui iussit in medio foro congregata omni provincia, linguas eis et manus dexteras radicitus abscindi. Quod cum factum fuisset, Spiritu sancto præstante, ita locuti sunt, et loquuntur, quomodo antea loquebantur, ait Victor Uticens. lib. 3. Wandal. *Exempla laudantium Deum etiam excisa lingua et in tormentis.* 1.

Ibidem narrat, Episcopum nomine *Habet Deum*, cum ab Antonio Arriano pedibus manibusque ligatis, oreque obturato ne lingua clamaret, per vim rebaptizaretur; deinde solutis vinculis ab eo audiret: *Ecce iam, frater Habet Deum, noster Christianus effectus es. Quid ultra facere poteris, nisi ut voluntati consentias regis?* *Cui Habet Deum; Illa est, impie Antoni, mortis damnatio, ubi voluntatis tenetur assensio. Ego fidei meæ tenax vocibus confitens crebris, quod credo et credidi clamando, defendi. Sed et posteaquam catenis vinxisti, et oris ianuam oppilasti, in prætorio cordis, violentiæ meæ, scribentibus Angelis, gesta confeci, et lectitanda Imperatori meo transmisi.* 2.

Idem postea apud Hunericum de persecutione expostulans: *Quid*, ait, *iam cum proiectis habetis? quid cum eis quos exsilio relegastis, quotidie dimicatis? abstulistis substantiam Ecclesiis, patria domibusque privatis: sola anima remansit, quam captivitate contunditis. O tempora, o mores! universus hæc mundus intelligit, et ipse, qui persequitur videt. Si fides dicitur, quam tenetis, quid veræ fidei membra tantis persecutionibus agitatis? Quid vobis cum exilio nostro? quid vobis cum egenis in sæculo, quorum est vita semper in Christo? Liceat saltem gaudere consortio bestiarum eis quos abiecistis a facie omnium populorum.* Audi aliud ex eodem. 3.

Victorianus Proconsul Carthaginis, et familiaris regis Hunerici, cum a rege per internuntios sollicitaretur ad arrianismum, libera voce respondit: *Securus de Deo et Christo Domino meo, dico quæ regi dicatis, subigat ignibus, adigat bestiis, excruciet generibus omnium tormentorum; si consensero, frustra sum in Ecclesia baptizatus. Nam si hæc præsens vita sola fuisset, et aliam, quæ vere est, non speraremus æternam, nec ita fecissem ad modicum usque temporaliter gloriari, et ingratus existere, qui suam fidem mihi contulit creditori.* Ad quod tyrannus excitatus, inexplicabilibus eum tormentis cruciavit: qui tripudians in Domino, feliciterque consummans, martyrii coronam accepit. 4.

Ibidem narrat S. Victoriam, ab eodem rege suspensam, cum subiecto igne cremaretur coram filiis et marito, ab eo hisce verbis fuisse tentatam: *Quid pateris, coniunx? si me despicis, vel horum quos genuisti miserere impia parvulorum. Quare obliversceris uteri tui, et pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperisti? ubi sunt fœdera coniugalis amoris? Respice, quæso, filios et maritum, regi obedi, ut imminentia adhuc tormenta lucreris simul et mihi doneris et liberis.* Sed illa, nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multo altius elevans a terra, mundum cum suis desideriis contemnebat. Quam cum continuatione suspendii, vulsis humeris, qui cruciabant conspicerent mortuam, deposuerunt prorsus omni parte exanimem: quæ postea retulit, quamdam sibi virginem 5.

astitisse, atque tetigisse membra singula, et illico fuisse sanatam. O gloriosa Victoriæ victoria!

6. Ibidem refert, duos fratres invicem iurasse in fide constantiam, et rogasse tortores, ut eodem supplicio torquerentur; et dum primo suspendio molibus lapidum pedibus alligatis tota die penderent, unus illorum petivit se deponi, et sibi inducias dari. Cui frater alius metuens ne fidem negaret, de suspendio clamabat: *Noli, noli, frater: non ita iuravimus Christo. Accusabo te cum ante thronum eius terribilem venerimus, quia super corpus eius et sanguinem iuravimus, ut pro eo invicem patiamur.* Ista dicens fratrem confortavit, qui clamans ingenti voce dicebat: *Adi-* A *gite suppliciis quibus vultis, et pœnis Christianos arctate crudelibus. Quod frater meus facturus est, hoc etiam ego.* Itaque laminis igneis adusti, ungulis exarati, aliisque gravissimis pœnis affecti, constantes steterunt, ita ut tortores eos a facie sua proiicerent, dicentes: Istos imitatur universus populus, ut nullus ad religionem nostram convertatur, et præcipue, quia nulli livores, nulla pœnarum vestigia, in eis penitus videbantur. Hoc est quod dicit et prædicit hic Propheta: *In Domino iustificabitur et laudabitur omne semen Israel.* Vere dixit S. Hieron. *Vita Sanctorum interpretatio est Scripturarum.*

CAPUT QUADRAGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Deus idola Babyloniorum suos cultores gravantia, cum iis confringenda et in captivitatem itura; se vero suos curare et portare, quasi ab utero usque ad senectam. Inde v. 5. redit de more ad disceptationem cum idolis et idololatris, eorumque inanitatem et inopiam demonstrat. Tertio, v. 10. suum consilium assignat, promittitque Cyrum celerem quasi avem, qui voluntatem suam in Babylonis vastatione, et Iudæorum ex ea liberatione adimpleat. Sub Cyro intelligit Christum.

1. Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis et iumentis, onera vestra
gravi pondere usque ad lassitudinem. 2. Contabuerunt, et contrita sunt simul: non potuerunt salvare
portantem, et anima eorum in captivitatem ibit. 3. Audite me, domus Iacob, et omne residuum domus
Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. 4. Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos
ego portabo: ego feci, et ego feram: ego portabo, et salvabo. 5. Cui assimilastis me, et adæquastis, et compa-
rastis me, et fecistis similem? 6. Qui confertis aurum de sacculo, et argentum statera ponderatis: conducentes
aurificem, ut faciat Deum: et procidunt, et adorant. 7. Portant illum in humeris gestantes, et ponentes in loco
suo: et stabit, ac de loco suo non movebitur: sed et cum clamaverint ad eum, non audiet: de tribulatione non
salvabit eos. 8. Mementote istud, et confundamini: redite, prævaricatores, ad cor. 9. Recordamini prioris sæ-
culi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei: 10. Annuntians ab exordio novissi-
mum, et ab initio quæ necdum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet: 11. Vo-
cans ab Oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ, et locutus sum, et adducam illud: creavi, et
faciam illud. 12. Audite me, duro corde, qui longe estis a iustitia. 13. Prope feci iustitiam meam, non elon-
gabitur, et salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.

Vers. 1 Confractus est Bel, contritus est Nabo.) Dixerat Deus cap. præced. tempore Christi conterenda esse idola, et v. 24. *Mihi curvabitur omne genu.* Hic id ostendit in primariis Chaldæorum et orbis idolis, scilicet, Baal sive Bel, et Nabo, nimirum hæc a Cyro victore vastanda et diripienda esse, et multo magis hæc omniaque alia, a Christo abolenda esse aureo Evangelii sæculo. Ipsis ergo insultat hic victor Deus. Vastitas enim deorum Babyloniorum facta a Cyro, fuit typus vastitatis idolorum in toto mundo faciendæ a Christo. Unde pro *confractus est*, hebr. est כרע *cara*, id est, *curvatus est*, hoc est, brevi curvabitur a Cyro, q. d. Cyrus evertet Babylonem, tuncque Baal, cui Babylonii, et omnes gentes eis subditæ, curvare solent genu, eumque adorare, cogetur ipse Cyro et Deo vero curvare genu suumque dorsum, eum a Cyro in terram deiicietur et confringetur. Cyrus enim aurum et argentum, ex quibus conflatus est, rapiet, illudque per partes camelis imponet, ut transferat in Persidem. Porro, quod Cyrus fecit in Babylone, hoc Christus eius antitypus faciet in toto orbe. Quis fuerit Bel sive Baal, dicam Daniel. 14. 2.

Nabo.) Fuit ego secundus Babyloniorum Deus, ita dictus, ut videtur, quod daret oracula. *Nabo* enim hebraice et Chald. idem est, quod prophetia, vel divinatio, inquit S. Hieron. Innuit hic Propheta, Christum, Nabo, id est oraculis idolorum, silentium impositurum. Cum enim ipsum Dei Verbum hominibus loqui cœpit in Christo, tunc obmutuerunt omnes Gentium loquaces dii, aut potius dæmones, uti fatetur Porphyrius apud Euseb. lib. 4. Præparat. Evangel. cap. 1. Perperam Septuag. iuxta editionem Compl. item Cyrillus et Procopius, pro *Nabo* legunt *Dagon*. Nam et Hebræa, et Latina, et Græca Sept. Romana B habent *Nabo:* hic enim fuit Deus Chaldæorum, Dagon vero Philisthinorum. Porro videtur *Nabo* idem esse quod *Merodach*. Sicut enim hic Isaias ait, *Confractus est Bel, contritus est Nabo:* ita rem eamdem significans Ierem. 50. 2. ait: *Confusus est Bel, victus est Merodach.* Cuius rei signum est, quod Balthasar filius Nabuchodonosoris, sicut vocatus est *Merodach* vel *Evilmerodach*, sic et vocatus est *Nabonitus* vel *Labinitus;* litteræ enim N. et L. cum utraque sit labialis, inter se sæpe commutantur. Nam solebant reges tam Iudæorum, quam Chaldæorum a diis suis nomen mutuari. Sic τὸ *Iah*, quod est abbreviatum *Iehova*, annexum est nominibus Abia, Ezechias, Iosias, Ozias, etc. regum Iuda. Unde Abia, idem est, quod pater Domini; Ezechias, fortitudo Dei; Iosias, ignis Dei; Ozias, robur Dei. Alii τὸ *Ia* vel *Iehova* in nomine suo præponebant, ut Iosaphat, id est Deus iudex; Ioas, vel, ut hebr. est, Iehoas, id est Dei ignis; Ioakim, id est Dei resurrectio; Ioachaz, id est Dei apprehensio; Ionathan, id est Dei donum. Sic a Baal vocatus est Balthasar, ut dicam Daniel. 5. vers. 1. C Imo verisimile est, Nabuchodonosor nomen sumpsisse a Nabo deo, nisi malis Nabo esse ipsum Nabuchodonosor per compendium abbreviatum. Voluit enim ipse adorari ut Deus in statua aurea, quam erexit. Daniel. 3. v. 1.

Regesindebant sibi nomen Dei apud Iudæos et Babylonios.

Facta sunt simulacra eorum bestiis et iumentis.) Hic aliquid supplendum est, S. Hieron. Haymo et Hugo supplent τὸ *similia.* Sic enim ait S. Hieron. *Facta sunt simulacra eorum bestiis: non quod in prædam bestiarum et iumentorum exposita sint, sed quod religio nationum, simulacra sint bestiarum et brutorum animantium, quæ maxime in Ægypto divino cultui consecrata sunt: de quibus et Virgilius:*

Omnigenumque Deum monstra, et latrator Anubis.

Nam et pleraque nomina oppidorum ex bestiis et iumentis habent nomina: κυνων, a cane; λεων, a leone; θμουις lingua Ægyptia, ab hirco; λυκων, a lupo, ut taceam de formidoloso et horribili cæpe et crepitu ventris inflati, quæ Pelusiaca religio est: hæc, inquit, simulacra, quæ non possunt salvare portantes, nihil sunt aliud, nisi onera sacerdotum. Huc usque Hieron.

Sic draco iste, quem occidit Daniel cap. 14. 22. pro numine colebatur. Sic Iupiter Hammonius capri formam habebat, eratque caper. Hamon enim punice significat caprum, ait Herodotus in Euterpe. Unde pro *Nabo* Septuag. hic vertunt *Dagon*. Dagon enim erat idolum Philisthinorum habens formam piscis: דגון *Dagon* enim hebraice significat *piscem:* videturque Dagon habuisse speciem balenæ, aut marini alicuius monstri, quale est illud nobilitatum Persei et Andromedæ fabula, quod colebant pro numine. Vide quæ de Dagon dixi Philipp. 3. 19.

Secundo, S. Thomas, Forer. et Vatablus supplent *imposita*, q. d. Bel, Nabo, aliaque idola Chaldæorum, iam confracta, iumentis imposita, deportata sunt in Persidem.

Tertio, Haymo per bestias et iumenta intelligit Belis cultores. Hi enim nisi stolidi et stupidi fuissent instar brutorum, numquam coluissent idola lignea, saxea, ærea et aurea.

Quarto, alii sic explicant: *Facta sunt bestiis*, id est, *calcata sunt a bestiis*, cum a Persis deserta et prostrata sunt. Persæ enim alios colebant deos quam Babylonii, imo uti gentem, ita et deos eius, suos censebant esse hostes.

Quinto, valde apposite Sanchez per zeugma repetit τὸ *onera*, q. d. Simulacra Belis et Nabo bestiis et iumentis facta sunt onera (cum scilicet Persæ iis onerarunt suos camelos, asinos et equos, ut ea transferrent in Persidem) quæ prius fuerunt onera vestra, o Babylonii, eaque gravi pondere usque ad lassitudinem vos gravabant et fatigabant, cum scilicet illa vestris humeris portaretis. Id enim eos factitasse docet Baruch c. 6. 3.

Sexto, et planissime, Forer. simulacra Chaldæorum *facta*, vel, ut hebr. est *fuerunt iumentis*, id est, tradita sunt iumentis, fuerunt in potestate iumentorum, veluti sors eorum. Hoc enim Hebræa phrasis significat, cum dicitur aliquid esse, vel fieri alterius, scilicet esse in eius potestate, vel esse in eius iure et dominio: iumenta enim cum dorso continerent idola, habebant ea quasi captiva, in sua manu et potestate. Hunc sensum exigit id quod sequitur: *Anima eorum in captivitatem ibit.*

Vers. 2. CONTABUERUNT, ET CONTRITA SUNT SIMUL.) q. d. Idola vestra quæ portabatis usque ad lassitudinem, vobiscum simul curvata et confracta a Persis contabuerunt, perierunt et consumpta sunt. Perinde ac si asinus dorso ferat onus grave lagenarum, atque ab hoste protrusus corruat, itaque lagenas una secum confringat: hoc enim innuunt Hebræa. Unde et Biblia Complutensia hæc præcedentibus nectunt hoc modo: *Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem contabuerunt, et contrita sunt simul.* Hinc et sequitur: *Non potuerunt salvare* a Persis *portantem se*, id est portantes ea Chaldæos. Legit Noster משׂא *massa* in præterito *hiphil*, id est *portantem:* iam aliis punctis legunt *massa*, id est *onus*. Unde Vatabl. et Forer. vertunt: *Curvata sunt, incurvata sunt simul, non potuerunt evadere onus.* Intelliguntque hoc de iumentis, non de idolis, q. d. Corruerunt illa iumenta onusta idolis, sub onere, neque onus ipsum potuerunt excutere.

ANIMA EORUM IN CAPTIVITATEM IBIT.) Id est, ipsamet idola quæ idololatræ putant anima esse prædita, eo quod ex iis dentur oracula, quasi voce et mente polleant, abducentur in captivitatem a Persis. Ita Vatabl. Aut potius *animam* idoli vocat ipsum idolum, quod quia rei animatæ est imago et idolum, hinc animam habere dicitur metonymice. Sic caro mortua quæ aliquando vixit, vocatur anima, quia carni antea animatæ similis est, et quasi eadem cum illa, uti dixi Levit. 19. 28. Sic anima hominis vocatur ipse homo. Ita Sanchez. Adde, anima idoli est dæmon illi assidens, et quasi alligatus, ac per illud

A dans oracula, q. d. Idolum totum cum suo dæmone paredro capietur.

Aliter Forer. qui hæc refert ad iumenta, sicque vertit: *Anima eorum cum captivitate abiit;* hoc est, iumenta sub tanto onere idolorum corruentia expirarunt, et animam efflarunt, sicut ipsa idola captiva cum iumentis corruentia, confracta sunt: sicque abierunt, id est evanuerunt, perierunt, et quasi animam exhalarunt.

Tertio, S. Hieron. *Anima eorum*, scilicet idololatrarum vel sacerdotum portantium idola, *ibit in captivitatem*.

AUDITE ME, DOMUS IACOB, ET OMNE RESIDUUM (omnes ex captivitate superstites et reliqui) DOMUS ISRAEL, Vers. 3.
QUI PORTAMINI A MEO UTERO.) Pungit idola et idololatras, q. d. Idola saxea et ænea portantur a suis cultoribus, eosque delassant, ut sub onere gemant: at ego meos cultores ipse porto, ea cura et amore, quo infans portari solet a matre in utero.

Pro *a meo* hebr. est מני *minni*, quod pro מן *min*, id est *a*, accipiunt Septuag. Forer. et alii, ut *iod* sit hic
B paragogicum, vertuntque: *Qui portamini a me ab utero:* id est, quos ego porto a nativitate, qua ex utero prodierunt: hoc est, a teneris usque ad canos, ut sequitur.

Secundo, significantius et efficacius Noster *minni* accepit proprie, ut significet *a me:* unde ad verbum ex Hebræo sic vertas: *Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva.* Uterum et vulvam per catachresin et metaphoram vocat maternam Dei erga suos providentiam, tenerumque amorem et curam, imo plusquam maternam. Mater enim dat partem materiæ corpori embryonis, sed nihil dat animæ eiusdem; Deus dat utrumque totum, et in solidum; tam enim animam quam corpus format et creat.

Rursum, mater ex superfluo, scilicet ex sanguine menstruo, embryonem in utero, et lacte infantem postquam ex utero prodiit, alit et nutrit: Deus autem seipso nos alit et nutrit, idque continuo per omnem vitam, ab utero usque ad canos, ab ortu usque ad occasum et mortem. Ad hæc Deus non tantum corpus, ut mater, sed et animam
C pascit sua gratia, doctrina, illuminatione, impulsu, et SS. Sacramentis, præsertim Eucharistiæ.

Deus suos curat ab utero ad canos, quomodo?

Resp. I. Ad litteram loquitur Iudæis e captivitate non Babylonica, sed Assyriaca reliquis et superstitibus, puta duabus tribubus, Iuda et Beniamin: hæ enim reliquæ manserunt in Iudæa, cum decem tribus a Salmanasar anno sexto Ezechiæ ductæ sunt in Assyriam. Hoc enim iam contigerat, cum hæc diceret Isaias: Babylonica autem captivitas necdum contigerat, sed post multos annos futura erat, q. d. O Iudæi, ego vos, licet mihi rebelles, intime amo, et curo ab utero usque ad canos et senectam, perinde ac mater amat et curat infantem, quem utero gestat. Ita S. Hier.

II. Rursum *ab utero*, id est, ab ortu Synagogæ, puta a tempore quo esse cœpistis, o Iudæi, scilicet, a tempore Abrahæ, Isaac et Iacob, ego vestri curam maximam gessi, et gero, alo, foveo, servo, libero. Hoc est quod dicitur Exodi 19. 4. *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi.* Et Deut. 32. 10. *Circumduxit eum, et docuit:*
D *et custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.*

III. Iam sub Iudæis e captivitate reliquis intelligit sanctas eorum Gentiumque reliquias, quæ superfuerunt ex infidelitate, vel pristina patrum Gentilium, vel patria cæterorum Iudæorum Christum spernentium: hos enim paucos et reliquos Christo credentes, Christus et Deus Pater ac Spiritus sanctus, quasi mater in utero Ecclesiæ formant, alunt, fovent, educant, dirigunt, usque dum ad salutem æternam in cælo perveniant.

IV. Mystice, *ab utero*, id est, a rudimentis doctrinæ cælestis, quæ fuerunt in lege veteri usque ad perfectionem Evangelicam, Deus Ecclesiam et fideles suos rexit et direxit. Ita S. August. et ex eo Leo Castrius.

Hine rursum S. Augustin. in Psal. 112. v. 1. infert nos omni ætate, a puero usque ad senium debere laudare

Deum; quia semper et omni ætate tanta cura ab eo alimur.

Vers. 4. Usque ad senectam.) q. d. Matres infantes usque ad tertium annum tantum lactant et gestant; mox ab ulnis et lacte eos depellunt, ut per se ambulare, et communes cibos comedere discant. Sic aves pullus iam potentes volare rostro e nido abigunt; idem faciunt equi calcibus, et canes morsu. At Deus suos non tantum in utero, et infantes, sed et grandes per omnem vitam usque ad senectam, eadem cura et indulgentia prosequitur, etiam cum peccant Deumque ad iram concitant. Porro infantia Synagogæ et Iudæorum, fuit tempore Abrahæ; iuventus tempore Mosis; virilis ætas, tempore Davidis. Huc usque quasi mater, fovit, educavit, provexit eam Deus. Senecta fuit tempore captivitatis, nec hic eam deseruit; sed Ieremiam et Prophetas excitavit qui eam monerent, docerent, consolarentur; ac paulo post e captivitate eos reduxit, cum iam perditi et excisi esse viderentur. Mors et occasus Synagogæ fuit tempore Christi, quo desiit et abrogata est, succedente illi Ecclesia Christi. Itaque quamdiu stetit ille populus, fuitque populus Dei, Deus quasi mater eius curam gessit: cum vero desiit et occidit, desiit et cura Dei. Multo maior est cura Dei et Christi circa Ecclesiam suam, quam sanguine suo emit et lavit, statuitque ut maneat in æternum: ac proinde æternam huius curam geret. Quod Deus hic promittit, hoc David sibi postulat dicens, Ps. 70. *In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus, etc. Ne proiicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Septem ætates Synagogæ.

Ego feci, ego vos genui, ego alui, ego educavi, ego provexi. ego pariter feram.) Et portabo vos deinceps usque ad senectam, q. d. Non propter vestra merita vos hac cura complector, sed propter me, propter maternum meum in vos affectum. Sicut enim mater sordibus, eiulatu, lascivia, malitia. milleque fastidiis parvuli sui non offenditur, ut eius curam abiiciat, sed hæc omnia materno affectu devorat, dicitque quod vulgo dicunt matres rogantibus: Quomodo hæc a puero tuo toleras? *Mater sum, mater infanti suo irasci nequit*, imo hisce eius ineptiis magis accenditur eius erga illum amor. Et, si quis eam arguat, dicit: *Nescis quid sit esse matrem. Maternum cor quale et quantum sit, ignoras. Matris affectum, quantus sit, nemo scit, nisi expertus, nisi quæ fuit, vel est mater.* Ita pariter Deus tulit murmura, idololatriam, aliaque scelera populi sui, nec eum abiecit, sed maiorem Dei amorem, maiora exhibuit per Davidem, Salomonem, aliosque reges, ac per Isaiam, Ieremiam, Eliam, aliosque Prophetas beneficia.

Morale, quid est Deus. Moraliter, disce hic, quis, qualis, quantus, quam benignus et beneficus sit Deus, quamque ab omnibus redamandus et colendus.

Quid est Deus? *Est animal sempiternum et optimum*, ait Aristot. lib. 11. Metaphys.

Quid est Deus? *Est mens incorporea, quæ per omnium rerum naturam diffusa vitalem sensum cunctis animantibus tribuit*, inquit Pythagoras apud Lactant. l. de Ira Dei.

Quid est Deus? *Est mens universi. Deus est quidquid vides totum, et quidquid non vides totum*, ait Socrates.

Quid est Deus? *Est animus per immensas mundi partes diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur, vitam capiunt*, ait Plato.

Quid est Deus? *Est mens infinita, quæ per seipsam movetur*, ait Thales Milesius.

Quid est Deus? *Est ineffabile principium, et omnium rerum origo: cuius potentia mundus creatus est: cuius providentia conservatur, et assidue gubernatur*, ait Theophrastus.

Quid est Deus? Est ens immensum, incogitabile et inexplicabile. *Quo diutius considero quid sit Deus, eo magis mihi eripitur Dei cognitio et redditur obscurior*, ait Simonides Hieroni Siculorum tyranno, post iteratas ab eo petitas ad cogitandum de Deo inducias, uti refert Cicero l. 1. de Natur. deor.

Audi orthodoxos et Theologos. Quid est Deus? *Est infinitum bonum, a quo datur esse quadruplex, creationis, conservationis, recreationis et beatitudinis*, ait S. Dionys.

Quid est Deus? *Est quo nihil melius, nec maius excogitari potest.*

Quid est Deus? *Est cuius posse non numeratur: cuius esse nec principio nec fine clauditur: cuius bonitas, sapientia, pietas, iustitia, liberalitas, prudentia non terminatur.*

Quid est Deus? *Est increatum bonum, quod quo plus habetur, eo vehementius placet et recreat.*

Cui assimilastis me.) Fabricando idolum, quasi Deum alium mihi similem et æqualem, uti dixi c. 40. v. 18. et 35. Perperam ergo ex hoc loco Calvinus, et e Catholicis Abulens. in c. 4. Deuter. q. 5. Durand. in 3. dist. 9. q. 2. Peresius de Tradit. p. 3. de Imaginibus, ex hoc Isaiæ loco contendunt probare, fas esse, facere imagines Sanctorum, Dei autem imaginem facere esse nefas. Vide dicta Deuter. 5. v. 7. Vers. 5.

Nota: sicut zelotypus maritus identidem in adulterum corrivalem invehitur, et stomachatur; ille enim semper obversatur menti, bilemque ei commovet, eo quod unice amet et depereat suam uxorem, quam indigne fert alium ambire: ita Deus hic ex zelo, quo Ecclesiam et animas quasi sponsas suas vehementer amat, crebro in idola, eorumque opifices et cultores, quasi in adulteros, mentem, verba et tela sua intorquet. Pathos habent verba *me*, et *cui*, q. d. Scitis quis ego sum? quid idolum? Idolum truncus est et saxum, quod nihil opis vobis confert: ego sum, qui vos genui, pavi, evexi a puero, et continenter pasco et veho; quomodo ergo me comparatis idolis? quomodo idola mihi adæquatis, imo præfertis, meamque providentiam et divinitatem mihi adimitis, et in idola transfertis? (Idem sibi dictum a Deo putet quilibet peccator, qui suum sibi cupiditatis pingit idolum.) Iudæi enim hoc tempore sub Achaz et Ezechia, valde proclives erant in idola, et magis futuri erant paulo post, tempore Manassis, ideoque vastandi et captivandi a Babyloniis, itaque in ipsa Babylone, eius idola erant culturi, ut ait Ierem. 16. 13. Hac ergo de causa toties in idola insurgit hic Deus, ut Iudæos ab iis avertat; et ne obiiciant felicitatem Babyloniorum hoc tempore dominantium, quasi hoc imperium a suis idolis acceperint; prædicit tam Babylonis, quam deorum ipsius excidium.

Qui confertis aurum de sacculo.) q. d. Videte bellos vestros deos, a quibus et quomodo fabricentur, scilicet, vos ipsi eos formatis et cuditis: nam de marsupio profertis aurum, et argentum, ad stateram appenditis conflatori, ut ipse ex ea idolum conflet, quod eiusdem sit ponderis, ut nimirum certi ponderis a vobis dati Deum recipiatis. Vers. 6.

Et confundamini.) Hebr. התאששו *hitosciasciu*, quod recentiores ab איש *is*, id est, *vir*, deducunt. Unde primo, Leo Hebræus vertit: *Et corroboramini;* secundo, Forer. et Vatablus: *Præstate vos viros*, hoc est, ostendite vos valere recto iudicio, et linquite idololatriam; tertio, Pagn. et Forsterus: *Sitis fortes ut fundamenta.* Unde Forer. putat textum Latinum hic esse corruptum, et pro *confundamini* legendum esse *fundamini*, id est tamquam fundamenta in corde ponite, hoc est alta mente reponite. Verum fallitur Forerius: omnia enim exemplaria, etiam Romana, legunt *confundamini*. Ita enim recte vertit interpres. Nam Hebr. *hitosciasciu* deduxit non ab *is* sed ab אש *es*, id est ignis. Unde *hitosciasciu* idem est quod, *sitis rubei ut ignis*, hoc est, erubescite, et confundamini; quocirca Septuag. vertunt, στενάζετε, id est, *ingemiscite*. Vers. 8.

Redite ad cor.) Hebr. השיבו על לב *hascibu al leb*, id est, *reducite ad cor*, revocate in mentem, quod vos creaverim, educaverim, portaverim; idola vero creentur et portentur a suis cultoribus. Apposite S. Greg. 26. Moral. 23. *Quid*, ait, *vicinius nobis est corde nostro? Et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, a nobis cor nostrum longius evagatur? Longe ergo Propheta prævaricatorem mittit, cum eum ad cor suum redire compellit: quia quo se exterius fudit, eo ad se unde possit redire, vix invenit.* Quin et Seneca dixit: *Mali ubique sunt, præterquam secum.*

Moraliter, hic locus docet, sæpe in memoriam reducen-

Mali ubique sunt præterquam secum. Morale, de iugi memoria Dei.

da et revocanda ac meditanda esse Dei beneficia: horum enim meditatio mire valet ad torporem excitandum, mentem Dei cognitione, æstimatione et amore inflammandam, vitamque recte instituendam: hoc est redire ad cor, scilicet secum versari, meditari ea quæ Dei et salutis sunt, non ad res mundi vagari et diffluere, quæ a Deo, et seipsa mentem abducunt. Ibi in seipsa videt mens, quis, qualisque sit tum ipsa, tum Deus, quæ et quanta a Deo acceperit, et in dies imo in singulas horas et momenta accipiat. Ibi videt Dei bonitatem et magnificentiam, quod non sit similis illi in orbe, quod ille solus mentem pascat et satiet, cætera omnia irritent tantum et lancinent. Hoc sapiebat Psaltes dicens: *In meditatione mea exardescet ignis.* Vide S. Bernard. in lib. de Consider. ad Eugenium Pont.

Ita Tobias præcepit filio c. 4. v. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum:* et v. 20. *Omni tempore benedic Deum: et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant.*

Ita S. Dominicus, ut habet auctor Vitæ l. 4. c. 2. assidue in mente habuit Deum, *atque tam domi quam in itinere semper voluit aut de Deo, aut cum Deo colloqui, raro alias loquens:* hinc tanta linguæ in eo custodia, et præmeditatio; *testatique sunt viri perfecti, qui multo tempore apud ipsum vixerant, non fuisse dolum in ore eius, nec ab eo profectum fuisse umquam verbum otiosum, aut noxium, aut obtrectarium, vel adulatorium. Si quis ei maledixisset, ille contra benedicebat.* Hinc *et tanta eius comitas et affabilitas. Unde et ipse tria præcipue voluit a suis observari. Primo, ut semper de Deo, vel cum Deo loquantur. Secundo, ut iter agentes, non ferant apud se pecuniam. Tertio, ut nullas umquam recipiant temporarias possessiones: hæc enim sunt quæ cor mundum, et a curis liberum, et ad divina meditanda expeditum efficiunt,* ibid. c. 11. O felices, o perfectos, o angelos qui semper de Deo, aut cum Deo colloquuntur! Ita S. Bernard. in Medit. c. 6. *Omne,* ait, *tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse.* Et mox: *Mens sapientis semper est apud Deum. Illum semper ante oculos habere debemus, per quem sumus, vivimus et sapimus. Ipsum namque ut essemus habemus auctorem: ipsum etiam ut sapiamus, debemus habere doctorem: et ut beati simus, suavitatis largitorem.* Et paulo superius: *Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria.*

Vers. 9. Recordamini prioris sæculi.) Scilicet quanta promiserim, prædixerim et præstiterim patribus vestris, inde videbitis me esse Deum vestrum quem patres vestri coluerunt. Idem nunc dicamus hæreticis, qui novi sunt, et religionem fidemque novam prioribus sæculis inauditam in orbem inducunt. Præclare S. Hieron. epist. ad Pammach. et Ocean. *Quisquis,* ait, *assertor es novorum dogmatum, quæso ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolorum ore laudata est. Cur post quadringentos annos* (audi, Luthere, audi, Calvine, qui post 1500. annos fidem canam novare vultis) *docere nos niteris, quod antea nescivimus? usque in hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus fuit.* Eosdem interrogat Tertull. lib. de Præscript. *Qui estis vos? unde et quando venistis? ubi tamdiu latuistis?* Et Optatus l. 2. contra Parmen. *Vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Et Hilarius l. 6. de Trinit. *Tarde mihi hos piissimos doctores ætas nunc huius sæculi protulit, sero hos habuit fides mea quam tu* (o Christe) *erudisti: inauditis ergo iis omnibus, in te credidi.*

Vers. 10. Annuntians ab exordio novissimum.) q. d. Ego sum qui ab exordio tum mundi, tum Synagogæ prædixi quæ novissimis, id est posterioribus, temporibus futura erant, v. g. Genes. 3. 15. prædixi quod mulier per suum semen, id est Christum, contereret caput serpentis. Abrahæ prædixi posteritatem numerosam instar stellarum cæli, pos-

A sessionem Chananææ, ortum Isaaci et Christi, etc.

Dicens: Consilium meum stabit.) *Dicens,* id est dicendo faciens: Dei enim dicere (cum sit efficax) est facere. Unde efficaciter vertit Vatabl. *Qui dico et consilium meum ratum est, et quidquid volo facio.*

Vocans ab Oriente avem.) Cyrus cum suo exercitu vocatur *avis:* Hebr. עיט *ait,* id est *avis,* aut potius *collectio et turba avium rapacium,* quæ celeriter, et cum impetu in prædam involant: sic enim involarunt Cyrus et Persæ in Babylonem. Simili modo Nabuchodonosor vocatur aquila grandis involans in Iudæos aliasque Gentes, Ezech. 17. 3. Ierem. 48. 40. Vide ibi dicta. Vers. 11. Cyrus vocatur avis, cur? I.

Secundo, Cyrus vocatur *avis,* quia in vexillo præferebat aquilam auream expansis alis, teste Xenophonte l. 7. Cyropædiæ. Unde hoc signo deinceps usi sunt reges Persarum, et postea Romani. II.

Tertio, Arias per *avem* accipit solem, qui velocissimus est instar avis. Cyrus enim persice idem est quod sol, qui serenus et iucundus Iudæis in tenebris captivitatis affulsit. Verum hic sensus alienior est. III.

B Venit hæc avis *ab Oriente,* id est ex Persia, quæ Babyloni est ad Orientem.

Aliter Cyrillus, qui per *avem* accipit Nabuchodonosor: et Chaldæus, qui per avem intelligit Iudæos; vertit enim: *Iudæos quasi avem e captivitate Babylonica reducam.* Unde et Arabica versio, quæ in Vaticano exstat, habet: *Et vocabo eos qui sunt in ortubus* (Oriente) *et venient velocius ave: et adducam virum, qui iam fecit voluntatem meam, de terra longinqua.*

Mystice avis hæc est Christus qui *visitavit nos oriens ex alto.* Ita S. Cyrill. et Hieron. Qui rursum per aves accipit angelos, hi enim quasi aves celerrime per orbem propter electos discurrunt.

Et de terra longinqua virum voluntatis meæ.) Per hunc *virum* Vatabl. non Cyrum, sed Christum accipit. Verum alii passim accipiunt Cyrum; Cyrus enim voluntatem et consilium Dei, puta iustitiam vindicativam in C Chaldæos exercuit, ad Sionis, id est, Iudæorum, gloriosam salutem et liberationem. Multo magis Christus fuit vir voluntatis divinæ, qui Dei voluntatem in redemptione Ecclesiæ plene adimplevit. Ita S. Hieron. Cyrill. Haymo et alii.

Adducam illud.) Scilicet consilium, quod præcessit, de vocanda ave ab Oriente, et viro voluntatis meæ.

Audite me (o Iudæi in Babylone, qui estis) duro corde, qui longe estis a iustitia.) Vel qui a Deo et virtute ad Babyloniorum idola et scelera declinastis; vel potius iustitiam hic non Iudæorum, sed Dei, puta in promissis fidelitatem, intelligit, q. d. Arguitis me, o Iudæi, quod iustitiam, id est fidem et promissa de vestri liberatione, non servem: putatis enim vos longe ab ea abesse, videmini vobis in æternum detrusi carcerem: sed fallimini; nam licet duro sitis corde, et mereamini, ut ego fidem et promissa revocem, tamen id non faciam, quinimo Vers. 12.

D Prope feci iustitiam meam. Ecce enim Cyrus quasi avis mox advolabit, qui meam iustitiam, id est, fidem, præstabit, vosque Babylone liberabit; unde et per eum dabo in Sion (vel Sioni, id est Sionitis puta Iudæis) salutem, et in Israel (vel Israeli) gloriam meam.) Fuit enim hæc gloriosa et magnifica Israelis liberatio. Ita S. Hieron. qui cum aliis docet, hæc longe verius competere Christo Cyri antitypo: Christus enim Sioni, id est Ecclesiæ, veram et æternam attulit iustitiam, salutem et gloriam. Nota τὸ *prope feci.* Cum enim Christus propinquat, tunc propinquat et iustitia et salus nostra, æque ac gloria Dei. Hæc enim simul procedunt, et pari passu simul vel accedunt vel recedunt: quantum enim distas a Christo, tantum distas a iustitia, salute et gloria Dei; quantum ad ipsum, tantum et ad hæc accedis: rursum, quantum ad iustitiam, tantum ad Christum accedis vel recedis; idem est de salute et gloria Dei. Vers. 13. Pari passu incedunt Christus, iustitia, salus, et gloria Dei.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promiserat Iudæis in fine capitis præcedentis, salutem per Cyrum. Nunc, quoniam ea ipsis obventura erat per Babylonis excidium, ad illud redit. Inducit ergo Babylonem quasi reginam plenam deliciis, luxu ac fastu, lateque dominantem, eamque solio deiiciendam, atque ancillæ vilis, pauperis et captivæ sortem subituram prædicit. Inde causam aperit, scilicet, peccata eius tria. Primum, crudelitatem in Iudæos, v. 6. Secundum, fastum et arrogantiam, v. 8. Tertium, divinationes et incantationes, v. 9. Quocirca magos et augures nihil ei profuturos, sed cum ea exurendos prædicit.

1. DESCENDE, sede in pulvere virgo filia Babylon, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum, quia
ultra non vocaberis mollis et tenera. 2. Tolle molam, et mole farinam: denuda turpitudinem tuam,
discooperi humerum, revela crura, transi flumina. 3. Revelabitur ignominia tua, et videbitur oppro-
brium tuum: ultionem capiam, et non resistet mihi homo. 4. Redemptor noster, Dominus exercituum nomen
illius, sanctus Israel. 5. Sede tacens, et intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis ultra domina
regnorum. 6. Iratus sum super populum meum, contaminavi hæreditatem meam, et dedi eos in manu tua: non
posuisti eis misericordias: super senem aggravasti iugum tuum valde. 7. Et dixisti: In sempiternum ero domi-
na: non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. 8. Et nunc audi hæc delicata, et habi-
tans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego sum, et non est præter me amplius: non sedebo vidua, et igno-
rabo sterilitatem. 9. Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas, et viduitas: universa venerunt super te,
propter multitudinem maleficiorum tuorum, et propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. 10. Et fi-
duciam habuisti in malitia tua, et dixisti: Non est qui videat me; sapientia tua et scientia tua hæc decepit te.
Et dixisti in corde tuo: Ego sum, et præter me non est altera. 11. Veniet super te malum, et nescies ortum
eius: et irruet super te calamitas quam non poteris expiare: veniet super te repente miseria, quam nescies.
12. Sta cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum in quibus laborasti ab adolescentia
tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. 13. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent,
et salvent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura
tibi. 14. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos: non liberabunt animam suam de manu flammæ: non
sunt prunæ, quibus calefiant; nec focus, ut sedeant ad eum. 15. Sic facta sunt tibi in quibuscumque laborave-
ras: negotiatores tui ab adolescentia tua, unusquisque in via sua erraverunt: non est qui salvet te.

Vers. 1. DESCENDE de tuo monarchali throno ac fastu, olim regina, nunc ancilla captiva, SEDE IN PULVERE instar mancipii, VIRGO FILIA BABYLON.) Id est o Babylon tenera et delicata instar filiæ virginis. Vide can. 18. Ita Iudæa subacta a Vespasiano in nummo ab eo cuso pingitur, quasi ancilla in terra sedens. Per Babylonem intelligit Babylonios, viros et fœminas.

SEDE IN TERRA.) S. Cyrillus legit εν τω σκοτει, *sede in tenebris.*

NON EST SOLIUM FILIÆ CHALDÆORUM.) Id est Babyloni, quæ genita, id est ædificata, hoc est restaurata, mire amplificata et ornata est, a Nabuchodonosor Chaldæo, ut eius videatur esse filia; nam ante eum Nemrod, et post eum Semiramis, primo ædificarunt Babylonem: de quo Daniel. 4. 27.

Secundo, simplici hebraismo Babylon vocatur *filia Chaldæorum*, id est filia Chaldæa. *Filia*, quia tenera, ut dixi; *Chaldæorum*, quia in Chaldæa erat sita. Simili modo ipsa vocatur *filia Babylonis*, id est filia Babylon, urbs Babylon. Sic enim dicimus: Urbs Venetiarum, Parisiorum, id est Venetiæ, Parisii: Provincia Hispaniæ, Italiæ, Angliæ, etc. id est ipsa Hispania, Italia, Anglia.

Vers. 2. TOLLE MOLAM, ET MOLE FARINAM.) q. d. Capieris, o Babylon, addiceris servituti et relegaberis ad pistrinum. Eo enim ad molendum relegabantur olim servi et ancillæ, quasi in ergastulum. Ita Cyrillus. Hæc ergo phrasis significat extremam, vilissimam et miserrimam servitutem, ut notum est captivis apud Turcas et Mauros, et patet Exodi 11. 5. Aliter hæc Hebræi, et ex iis S. Hieron. explicant, scilicet de violatione et stupro.

Moraliter, hæc omnia fuse et minutim expendit et animæ peccatrici adaptat S. Gregor. 6. Moral. 11. Ubi inter cætera ait: *Molam tollere, ac farinam molere iubetur. Mola in gyrum ducitur, et farina profertur. Unaquæque autem mundi huius actio mola est, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit; atque ex se quasi farinam proiicit, quia seducto corde, semper mi-* A *nutissimas cogitationes gignit. Crura revelat, quia quibus desideriorum passibus, lucris mundi inhiet, manifestat. Flumina etiam transit, quia actiones huius sæculi, quæ quotidie ad terminum defluunt, indeficienter appetit, dumque alias relinquit, alias assequitur quasi de flumine semper ad flumen tendit.*

DENUDA TURPITUDINEM.) Non pudendorum, uti explicat S. Hieron, et favet Symmachus, dum vertit: *Denuda taciturnitatem tuam*, id est quod taceri debet præ verecundia: sed capitis et comæ. Hanc enim significat Hebræum צמת *tsammat*, Cant. 4. 1. q. d. Nudaberis tua coma, et decalvaberis, itaque apparebit tua turpitudo, puta calvitium. Hoc est enim quod Sionitis virginibus minatus est Deus cap. 3. 17. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* Ita Sanchez, qui cum Luisio Legionensi Cant. 4. 1. per *tsammat* accipit *capillos*, sive *cæsariem* oculos velantem, eisque involitantem.

Secundo, Hebr. *tsammat* aptius Forer. Vatabl. et For- Tsammat quid?
sterus vertunt, *constructorium*, sive *fasciam*, qua comæ et cincinni constringuntur ne diffluant. Unde Forer. vertit: B *Explica fasciam tuam;* Vatablus: *Dissolve cincinnos tuos*, ut scilicet fascia, vel vitta ablata capilli turpiter spargantur et diffluant, uti fit in ancillis captivis, vel rusticanis, aut lugentibus. Unde et Septuag. vertunt: αποκαλυψαι το καλυμμα σου, *revela operimentum tuum; revela*, id est, denuda et tolle. Radix enim צמת *tsamat* significat *constringere*, ut patet Thren. 3. 53. et pluribus exemplis ostendit Forsterus, licet Pagninus velit significare excidere, succidere. *Tsammat* ergo est velamen, puta vitta, tænia vel fascia velans capillos, aut oculos et faciem. Unde Noster Cant. 4. 1. cum de oculis dixisset: *Oculi tui columbarum*, scilicet clari et nitidi, subdit: *Absque eo quod intrinsecus latet*, hebr. est *tsamma*, q. d. Non solum sponsæ oculi, visus et aspectus elegans erat ex nitore, sed etiam ab eo *quod intrinsecus latet*, id est ex eo, quod oculi latebant sub velamine (quale gerunt matronæ nobiles, ita ut frons earum non appareat, oculi tantum per orbiculos, quasi

per fenestellas prospiciant) inde enim quasi gemmæ aut adamantes emicare videbantur, atque quasi ex insidiis incautos adoriri, eosque vulnerare: lumina enim oculorum ita recondita habebant ingens decus, et quasi ex arcano quodam lucis radios ex se, tamquam tela quædam iacere et vibrare videbantur, uti explicat Luisius Legion. Sic comœdiæ, quæ in tenebris ad faces exhibentur, plus videntur habere decoris et maiestatis; nam personæ, omniaque in tenebris apparent augustiora et illustriora, quam revera sint. Sic et musica eminus audita delicatior videtur, et quasi cælestis; videtur enim ex arcano prodire; atque delicata est et subtilis, ut aures alliciat, non impleat.

Discooperi humerum.) Tum ad nuditatem et ignominiam, tum ut plagas et verbera Persarum nudo humero et dorso excipias. Hac enim de causa mancipia in triremibus sedent nudo dorso.

Revela crura, transi flumina.) q. d. O Babylon regina, depones tuum regium longumque syrma, curtas vestes quasi ancilla indues, ut Ephratis rivos a Cyro factos, aliaque flumina pede transeas, cum captiva duceris in Persidem. Ita S. Cyrill.

Vers 3. Revelabitur ignominia tua.) *Ignominia*, id est ignominiosa nuditas. Rursum *ignominia*, id est occultæ sordes, vitia, stigmata et probra. Alludit enim ad mulieres menstruo, lue venerea, aliove dedecore, putore vel vitio laborantes, aut male olentes, quæ ut hoc tegant, solent vestes splendidas, et muscho odoratas induere, iisque se ornare; sed dum fucus hic et ornatus tollitur, apparet earum vitium et probrum. Ita Sanchez. Vere enim dixit Poeta: *Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.*

Vers. 4. Redemptor noster.) Per parenthesin hæc claudenda sunt. Propheta enim audita Dei de Babyloniis vindicta subito et obiter ad Deum de more gaudens avolat, q. d. O Israel, hanc vindictam de Babylone faciet propter nos, ut scilicet nos redimat et liberet Deus noster, cuius nomen est Sanctus Israelis, hoc est Deus Israelis: nomen enim Dei est *Sanctus*. Nota hic affectum patris benigni in Deo erga Iudæos; nam antequam Iudæi in Babylonem eant, prædicit eorum liberationem, et Babylonis excidium, quasi nullo modo induci possit ad castigandum Ecclesiam et populum suum, nisi simul etiam definiat qua ratione et quando eam sit liberaturus. Ita Forer.

Vers. 5 Sede tacens, et intra in tenebras.) Per silentium et *tenebras*, accipe captivitatem, et carcerem, vel statum et locum mortuorum; hic enim hebr. vocatur דומה *duma*, id est silentium, et umbra mortis. Unde et Virg. l. 6. Æneid.

Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte silentia late, etc.

Ita Forerius.

Aliter Sanchez, qui putat per hæc significari orbitatem; alludit enim ad matronam nobilem olim et gloriosam, quæ nunc orbata marito et filiis tenebras amat, et solitudinem, ibique se perpetuo silentio et angori tradit, uti de Hecuba tradunt Tragici. Huc alludit S. Ioan. Apocal. 18. 7. loquens de Babylonis excidio; *Quantum*, ait, *glorificavit se, et in deliciis fuit: tantum date illi tormentum et luctum, quia in corde suo dicit: Sedeo regina: et vidua non sum: et luctum non videbo.*

Vers 6. Iratus sum super populum meum.) q. d. Israeli iratus fui ob eius scelera, ideoque eum tradidi castigandum Chaldæis; at illi cum non castigarunt, sed enecarunt: ergo et ipsos non castigabo, sed enecabo. Hic assignare incipit causas excidii Babyloniorum, primamque hic dat, scilicet crudelitatem in Iudæos.

Causa excidii Chaldæorum. Prima, crudelitas.

Contaminavi hæreditatem meam.) *Contaminavi* primo, hoc est, contaminatam declaravi per supplicia, et captivitatem, quam ei ob scelera immisi. Sic enim sumitur τὸ *contaminare* pro contaminatum declarare, Levit. 13. v. 20. 25. 27. et 30. Secundo *contaminavi*, id est a contaminato meritas pœnas exegi, sive contaminatum culpa contaminavi pœna, puta, sordibus, plagis et sanguine eum infeci et maculavi. Ita Sanchez. Tertio, *contaminavi*, id est, ex terra sua et sancta transtuli eum in terram idololatrarum, ut populus olim fidelis et sanctus, iam censeatur profanus, pollutus et contaminatus, quia degit inter incircumcisos, profanos, pollutos et contaminatos. Ita Vatablus. Sicut enim profanari dicebatur sacerdos, si rem immundam tangebat, ita res sancta (puta Israel) censebatur profanari, si ab immundis tractaretur. Hic sensus valde appositus est. Cui adde quarto, *contaminavi* vel profanavi *hæreditatem meam* (populum meum hæreditarium, scilicet Iudæos) hoc est, eam quasi rem quæ suam sanctitatem amisit, factaque est publica, communis et immunda, infidelium Babyloniorum violentiæ, iniuriæ, et cædi exposui. Hebr. enim חלל *chillel*, significat rem contaminare, profanare et communem facere. Cum enim est sancta, est propria Deo, nec potest ad profanos usus applicari; cum vero polluta est, fit pubblica et communis. Hinc *commune* vocant Hebræi, id quod sanctitatem amisit, quod est immundum, profanum et pollutum. Unde Actor. 10. 15. Petro dicitur: *Quod Deus purificavit, tu commune* (id est immundum) *ne dixeris*. Et communicare, sive commune facere, est coinquinare, Marc. 7. 15. *Quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant* (id est coinquinant) *hominem*. Et vers. 18. *Omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare*, id est inquinare. Similia sunt v. 20. et 23.

Contaminare quadruplex.

Non posuisti eis misericordias.) Immisericorditer, o Babylon, tractasti Iudæos: hinc pari modo tractaberis a Persis. Tu non pepercisti senibus, pueris, virginibus, statui, ætati aut sexui, ut patet Thren. 5. 11. nec Persæ parcent tibi. Senum meminit, quia canities venerabilis est et miserabilis, atque reverentiam et misericordiam etiam ab hoste infenso extorquere solet.

Et dixisti: In sempiternum ero domina.) Secundum hoc est Babylonis crimen et causa excidii, scilicet, fastus et arrogantia, atque Numinis, et divinæ providentiæ oblivio (hæc enim fere fastum comitatur) quasi per se ita esset valida, tamque potenti solio consideret, ut inde nulla vi, nullis armis, deiici posset, ne quidem a Deo. Vers. 7.

Secunda, fastus.

Non posuisti hæc super cor tuum.) Scilicet, quod Israel esset populus meus, et sancta mea hæreditas, quodque eum tibi leviter tantum castigandum, non exscindendum tradidissem, atque si secus faceres, ego te pariter exscinderem.

Neque recordata es novissimi tui.) Hebr. *novissimi illius*, id est illorum, q. d. Non es recordata quid post omnem illam tuam (unde docte interpres sensum sequens vertit, *novissimi tui*) crudelitatem æque ac gloriam et pompam, esset secuturum, scilicet quod non esset in æternum duratura, ut tu iactabas, sed brevi finienda, et convertenda in extremam ignominiam et calamitatem. Unde Septuag. vertunt: *Non es recordata novissimorum.*

Hæc est stupenda incogitantia et imprudentia filiorum huius sæculi, ut futura non cogitent, ut mortem, infernum et novissima non prospiciant, ut suam fortunam, opes et gaudia putent semper duratura.

Sic vivunt homines, tamquam mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

Merito ergo eis in inferno insultabunt dæmones: *O infelix anima, hæc scivisti, et, cum facile posses, non evitasti; non es recordata novissimi tui.* Hæc legimus, hæc credimus; et tamen quasi ad nos non pertineant transimus, inimus vias antiquas, mores et vitam in melius non commutamus: o stupor, o cæcæ, o insensatæ mentes hominum! Et quare? quia hæc non ponderamus, non penetramus, non apprehendimus, uti rei gravitas poscit, quia crebra et diutina meditatione hæc mente non volvimus, non versamus, non vive nobis repræsentamus. Qui sapis ergo, hæc iugiter meditare. Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Æternitatem cogita.

Ego sum, et non est præter me amplius.) q. d. Vers. 8.
Nihil est in toto orbe opulentum, pulchrum, nobile, splendidum et gloriosum, quod in me non sit: nihil est quod quis in mundo videre desideret, ubi me viderit: in me est summa totius elegantiæ, felicitatis, opulentiæ, deliciarum, imperii et gloriæ. Hoc certe dicere, solius est Dei. Quare

perperam sibi hoc arrogat creatura, iureque meretur omnibus privari, et exscindi. Ita Forer.

Secundo, Sanchez censet Babylonem hic quasi deam se vocitare et ostentare. Sic enim Deus passim hic se vocat: *Ego Dominus, et non est amplius*, c. 43. 11. c. 44. 6. c. 45. 5. c. 46. 9. ut alludat ad Nabuchodonosor, qui in statua aurea voluit adorari ut Deus, Dan. 3. 1. et ad Balthasar, cuius hæc fuit vox c. 14. 13. *In cœlum conscendam, etc. similis ero Altissimo.* Sic Roma a Gentilibus vocatur *Terrarum dea gentiumque.* Et talis describitur Babylon, Apocal. 17. 4.

Vers. 9 VENIENT TIBI DUO HÆC, etc. STERILITAS ET VIDUITAS.) *Sterilitas*, id est *orbitas*, ut vertit Vatabl. hoc enim est Hebr. שכל *scechol*, q. d. Uno die privaberis simul tuis filiis, id est civibus et incolis, quibus fœcunda eras et abundans, *erisque orba;* ac marito, scilicet rege Balthasare, *erisque vidua.* Rex enim reipubl. et regni est quasi maritus, et resp. eo mortuo, est quasi vidua, quæ amisit maritum, ducem, tutorem et protectorem suum. Ita S. Cyrillus, Forer. et Vatabl.

UNIVERSA.) Hebr. *in perfectione*, q. d. Perfecta plenaque orbitas quæ præcessit, tibi adveniet.

Tertia incantationes. PROPTER MULTITUDINEM MALEFICIORUM.) Tertium hoc est peccatum Babylonis, eiusque excidii causa, scilicet quod maleficiis et incantationibus dedita fuerit, ac divinationi, præsertim quæ fit ex astrorum inspectione. Quocirca Chaldæi in proverbium abierunt, idemque sunt quod astrologi et genethliaci, qui ex astris et horoscopo de cuiusque vita et sorte divinant. Unde Cato lib. 5. c. 3. *Augurem*, ait, *aruspicem, ariolum, Chaldæum ne quem consuluisse velit.* Et Cicero lib. 1. de divinat. *Chaldæi*, ait, *non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut prædici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset.*

PROPTER DURITIAM INCANTATORUM.) Pro *duritiam* hebr. est, עצמה *otsma*, id est robur, vel corroboratio. Per quod primo, Forerius accipit densitatem, seu constipationem, qua scilicet astrologi non ex una stella, sed ex coniunctionibus astrorum, et densitate constellationum divinant. Nomen enim חברים *chabarim* a coniunctione seu coadunatione dicitur. Toti enim in coniunctionibus stellarum observandis et explicandis versabantur.

Secundo, Vatabl. per *robur* accipit multitudinem incantatorum.

Tertio melius Noster per *robur* accipit *duritiam*: de multitudine enim præcessit. Nam quod forte est, durum est; sicut ex adverso, quod infirmum est, molle est. Iam duritiem intelligit, qua incantatores adulantes Babyloni, promittentesque ei imperium perenne et invictum, eam in sua arrogantia et tyrannide fovebant, corroborabant, et obdurabant ut nihil non auderet, ut nec reges nec Deum timeret. Ita Haymo. *Duritiam* ergo hic, non tam passivam quam activam intelligo, qua incantatores suis falsis oraculis obdurabant Babylonios. Unde sequitur:

Vers. 10. FIDUCIAM HABUISTI IN MALITIA TUA, q. d. Fidenter mala perpetrasti, non timuisti Deum, Deique vindictam; DIXISTI enim, NON EST QUI VIDEAT ME.) q. d. Vel non videt, et nescit, vel non curat, vel non potest scelera mea punire, nec me imperio deiicere. Incogitantia enim vel negatio Numinis et providentia Dei vindicis, est origo omnium scelerum. Unde Psaltes Psal. 13 1. cum dixisset: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus;* mox effectum subdit: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt, etc.*

NON EST QUI VIDEAT ME.) q. d. Non est qui me meaque scelera visitet, inspiciat, examinet, damnet et puniat; hæc enim omnia significat τo *videat* per metalepsin. Alioquin impii parum curant quod videantur, imo sæpe coram aliis de sua impietate gloriantur eamque ostentant. Videri ergo, hoc est a iudice visitari et puniri metuunt. Ita Haymo.

SAPIENTIA TUA ET SCIENTIA TUA HÆC DECEPIT TE.) Tua astrologia iudiciaria, tua divinatio decepit te. Putabas enim sortes humanæ vitæ et reip. in solidum pendere

A ab astris; cumque ex astris non videres tibi malum impendere, quasi secura nihil timebas. Ita Forerius.

VENIET SUPER TE MALUM, ET NESCIES ORTUM EIUS.) Vers. 11.
Pro *ortum eius* hebr. est שחרה *sciachra*, id est *auroram eius*, id est *ortum eius.* Ortus enim diei est in aurora. Alludit ad Chaldæos, qui ex stellis, earumque ortu divinabant, eosque irridet, q. d. O astrologi, in stellis non vidistis tempestatem vobis impendentem, scilicet malum et excidium vestrum, eiusque ortum, q. d. Subito capieris et vastaberis, o Babylon, ut nescias unde tibi hoc malum oriatur; exscinderis, nec scies a quibus, et quomodo. A Persis enim vilibus nihil timebis. Everteris antequam videas urbem quati et invadi, antequam scias malum tibi creari. Hostis per vada Euphratis occulte in urbem penetrabit, eamque occupabit, antequam eum scias ingressum. Miraberis urbem ante captam, quam oppugnatam. Secundo, Sanchez putat alludi ad regem Persarum, quem quasi solem corona radiis distincta redimitum, præcedebat ignis in hasta instar vexilli elatus, quasi Lucifer, vel auro-
B ræfer, q. d. Persæ erunt in urbe, eamque occupabunt, antequam videas eorum vexilla, antequam scias eos adventare.

CALAMITAS, QUAM NON POTERIS EXPIARE.) Id est expiando avertere. Solebant veteres per catharmata, id est, victimas piaculares, propitiare Numen, et impendentes clades antevertere; sed id facere nequivit Babylon, q. d. Calamitas tua est inexpiabilis et inevitabilis: Deus enim inexorabilis est, facietque ut Persæ sint inexorabiles, nec tibi prece aut pretio parcant. Hoc est, quod dixit c. 13. 12. *Pretiosior erit vir auro.*

STA CUM INCANTATORIBUS.) Est sarcasmus, sive hosti- Vers. 12.
lis irrisio, q. d. Salvent te tui incantatores, *in quibus laborasti*, id est, quos magno labore et sumptu comparasti, quibus insudasti, quibus te erudiendam et regendam a teneris tradidisti.

SALVENT TE AUGURES CÆLI.) *Augures* proprie sunt, Vers. 13.
qui ex garritu et volatu avium divinant futura. Inde extensione vocis Augures vocati sunt omnes divinatores: a-
C strologi hebr. vocantur חברים *chabarim*, id est, *coniunctores*, sive *combinatores*, qui scilicet stellas combinant et coniungunt, atque studiose observant siderum concursus, aspectus et oppositiones, et iisque divinant. Ita Forer.

SUPPUTABANT, hebr. מודיעים *modiim*, id est, *scire facientes*, id est, prædicentes, MENSES.) Hebr. חדשים *chodascim*, id est *neomenias*, novilunia, sive initia mensium. Hebræi enim habebant menses lunares, ab uno novilunio ad alterum. Novilunium ergo eis erat prima dies mensis. Significat itaque hos astrologos ex stellis suis, maxime ex luna, puta ex singulis lunationibus et noviluniis, utpote lunæ renovationibus, et novis cum aliis astris coniunctionibus et oppositionibus, divinasse de futuris, quid scilicet illo mense prosperum vel adversum Hierosolymæ certo esset eventurum. Sic nostri astrologi in suis Ephemeridibus non certo divinant, sed coniectant de futuris ex noviluniis (tunc enim notabilis fit rerum mutatio; luna enim rebus sublunaribus dominatur, valdeque afficit, et immutat omnia corporea) et quandoque tangunt rem, quandoque
D aberrant: *Astra enim inclinant, non necessitant.*

FACTI SUNT QUASI STIPULA, IGNIS COMBUSSIT EOS.) Vers. 14.
Ignem vocat vastationem Persicam, quæ omnia consumpsit, ut ignis, veroque igne cremavit Babylonem, q. d. In Babylonis incendio ita comburentur omnia ac tui astrologi, instar stipulæ, ut nullas prunas relinquant, quibus homines se calefacere possint. Ligna usta utilia sunt, nam relinquunt prunas, quæ usui sunt hominibus; at tui astrologi nihil prunarum sunt relicturi; nam exurentur et redigentur in cineres. Significatur ergo hic extrema vastitas, plenaque concrematio Babylonis. Ita Hugo, Vatablus, Forerius, Adamus.

Septuag. vertunt: *Quæ habes carbones ignis sedebis super eos*, q. d. Astrologi tui fuerunt faces et carbones, qui te succenderunt, fuerunt causa tui excidii et incendii: quia ergo eis credidisti, *sedebis super eos*, id est, cum iis combureris. Notat S. Hieronymus ignem hunc utiliorem fuisse Babyloniis, quam fuerunt magi, quia, inquit, *hic eos*

per pœnas et supplicia ad pœnitentiam provocat: illi per errorem ducunt ad superbiam.

Non sunt prunæ quibus calefiant.) Non astrologi et augures: hos enim dixit iam combustos; sed homines, puta vicini. Τὸ enim *calefiant*, more Hebræo impersonaliter sumitur.

Vers. 15. Negotiatores tui.) Ita vocat astrologos, quod ex sua divinatione lucrum et quæstum facerent; de qualibus ait Cicero orat. 4. in Verrem: *Novus astrologus, qui non tam cœli rationem, quam cœlati argenti duceret.* Hi ergo *in via sua*, id est, in arte et divinatione sua, *erraverunt:* quia falso prospera prædixerunt Babyloni, eiusque excidium præscire et amoliri non potuerunt. Idque *ab adolescentia tua*, quia hæc ars in te, o Babylon, et tecum quasi nata fuit.

Alii proprio accipiunt *negotiatores*, quasi significet eos audito adventu Persarum, urbem deseruisse, et ad alia emporia dispersos fuisse, q. d. Hi qui te ad opes hasce provexerunt a tui exordio, iam fugient, alii in Orientem, alii in Occidentem, neque te iuvabunt. Ita Vatabl. Simile de mercatoribus Babylonem deserentibus, eiusque excidium lugentibus, habet S. Ioannes, Apoc. 18. v. 11. et 15.

Forerius pro *in via sua* vertit: *in transitu suo*, sicque explicat, q. d. Sicut negotiatores, qui in quovis transitu, id est, commutatione mercium, sive in quovis contractu et cambio iacturam paterentur, deciperentur et errarent; malo aliquo genio impulsi, aut infausto sidere dicerentur negotiationi incubuisse: ita tui astrologi qui in quovis transitu astrorum, supputatione, applicatione, consilio et divinatione tua decepti, et se et te perdiderunt. Nam et Cicero docet Chaldæos observasse traiectiones et motiones stellarum.

CAPUT QUADRAGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Deus Iudæorum ob peccata captivitatem Babylonicam, indeque liberationem, quod nec idola, nec quisquam alius ante hæc eis prædixerat, indeque probat se esse Deum, non idola. Unde v. 12. ad sui agnitionem et cultum eos revocat. Tertio, v. 17. docet se esse consiliarium et gubernatorem Israelis, sed eius culpa accidisse, quod in hostium manus aliasque calamitates inciderit, eo quod suis consiliis non paruerit. Denique v. 20. lætum e Babylone reditum describit, ad eumque captivos excitat.

1. Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Iuda existis, qui iuratis in nomine Domini, et Dei Israel recordamini non in veritate, neque in iustitia. 2. De civitate enim sancta vocati sunt, et super Deum Israel constabiliti sunt: Dominus exercituum nomen eius. 3. Priora ex tunc annuntiavi, et ex ore meo exierunt, et audita feci ea: repente operatus sum, et venerunt. 4. Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. 5. Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc, et sculptilia mea et conflatilia mandaverunt ista. 6. Quæ audisti, vide omnia: vos autem num annuntiastis? Audita feci tibi nova ex tunc, et conservata sunt quæ nescis: 7. Nunc creata sunt, et non ex tunc: et ante diem, et non audisti ea, ne forte dicas: Ecce ego cognovi ea. 8. Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua: scio enim quia prævaricans prævaricaberis, et transgressorem ex utero vocavi te. 9. Propter nomen meum longe faciam furorem meum: et laude mea infrænabo te, ne intereas. 10. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. 11. Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer: et gloriam meam alteri non dabo. 12. Audi me Iacob et Israel quem ego voco: ego ipse, ego primus, et ego novissimus. 13. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cælos: ego vocabo eos, et stabunt simul. 14. Congregamini omnes vos, et audite: quis de eis annuntiavit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, et brachium suum in Chaldæis. 15. Ego ego locutus sum, et vocavi eum: adduxi eum, et directa est via eius. 16. Accedite ad me, et audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram: et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus eius. 17. Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas. 18. Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris: 19. Et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui ut lapilli eius: non interisset, et non fuisset attritum nomen eius a facie mea. 20. Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis, in voce exultationis annuntiate: auditum facite hoc, et efferte illud usque ad extrema terræ. Dicite: Redemit Dominus servum suum Iacob. 21. Non sitierunt in deserto, cum educeret eos: aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquæ. 22. Non est pax impiis, dicit Dominus.

Vers 1. Qui vocamini nomine Israel.) q. d. Qui inane tantum nomen Israelis portatis, quique gloriamini Israele patre, tamquam eius filii et posteri, cum ab eius religione, sinceritate et sanctitate sitis degeneres. Ille enim Deum verum constanter et sancte ad mortem usque coluit; vos ad idola sacrilege respicitis et declinatis. Estis ergo picti Israelitæ, estis hypocritæ, estis semen Chanaan, non Iuda, non Israel.

Et de aquis Iuda existis.) Id est, ut Chald. *qui de stirpe Iuda existis. Aquas* vocat scaturiginem et sobolem. Est metaphora, a fontibus et rivis: Iacob enim fuit quasi fons, ex quo duodecim rivi, id est duodecim patriarchæ et tribus, fluxerunt. Sed Iudæi ex nobilissimo rivo, puta ex Iuda, descenderunt. Sic dicitur Ps. 67. 27. *In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel*, id est, vos qui de fontibus, id est rivis, Israel profluxistis, estisque Israelitæ. Ita S. Hieron. Sanchez et alii.

Dei Israel recordamini (hebr. יזכירו *iazkiru*, id est commemoratis, celebratis, prædicatis.) q. d. Qui nomen Dei, nomen Elohim et Adonai, crebro in ore habetis, perque illud iuratis, sed non in veritate, neque in iustitia.) Tum quia sæpe iuratis id quod falsum est vel iniustum, tum quia hanc religionis speciem et larvam obtenditis vestræ hypocrisi, qua a Dei veritate et iustitia longe habitis ad dolos, fraudes, iniquos contractus, usuras et rapinas. Hoc est quod eis inclamat Isaias cap. 29. 13. et ex eo Christus Matth. 15. 8. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me.* Hi enim iniqui sunt et iniusti, imo falsarii: Deo enim auferunt vita et moribus, quod illi vocibus tribuunt: et cum laudem ei decantent ore, alios vita ad blasphemandum excitant. Ita Forer.

De civitate enim sancta vocati sunt.) A sancta Ver. 2.
Ierusalem vocati sunt cives Hierosolymitani, cives civitatis Dei, qui a Deo Israelis sustentantur, quasi cives et do-

mestici eius. Huc allusit S. Paulus Ephes. 2. 19. *Vos estis cives sanctorum, et domestici Dei.* Iudæi enim a sancta urbe, Ecclesia et templo vocati sunt populus Dei, populus fidelis et sanctus. Unde putabant se ob Dei præsidium et tutelam, armis Chaldæorum et Romanorum esse inexpugnabiles, ex eo quod ait Isaias cap. 62. 6. *Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes;* et ex eo quod promittit Deus per David regem Psal. 124. 1. *Non commovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. Montes in circuitu eius: et Dominus in circuitu populi sui.* Vocabant ergo se cives Ierusalem, sive Salem, id est pacis, a qua urbs nomen sumpserat, et in qua regnaverat Salomon pacificus, id est securus, potens et opulentus, rex, q. d. Habitamus in Salem, id est in pace, in urbe cui Deus pacem et prospera omnia promisit: innitimur super Deum Israel, quasi eius proprius et peculiaris populus: ergo non est quod timeamus hostem, vel excidium. Verum hæc nomina vestra, o Iudæi, sine re cassa et inania sunt. Vita enim vestra nominibus hisce indigna non respondet. *Noli,* ait Poeta, *respicere ad fumos et nomina vana Catonum. Grande est Christianum esse, non dici,* ait S. Hier. epist. ad Paulinum.

Dominus exercituum nomen eius.) Hoc nomine valde gloriabantur Iudæi, quod essent de domo potentissimi Dei, qui paratos habet exercitus Angelorum, hominum et omnium creaturarum. Recte, si in cultu eius fideles perstitissent.

Vers. 3. Priora ex tunc annuntiavi.) q. d. *Priora,* quæ iam pridem venerunt, illa *ex tunc,* id est, ab olim, prædixi, et sicut prædixeram feci et operatus sum, *ut repente,* id est, inopinato, præter rerum et naturæ cursum accciderent, v. g. quod Abraham ex Sara anu et sterili generaret Isaac, cuius semen foret ut astra cæli; quod posteri eius servirent in Ægypto 400. annis, et post eos in summa rerum desperatione, liberarem eos, ut inde exirent in Chanaan, eamque occuparent; quod vos in meam rempubl. et regnum eveherem, etc. Hæc ecce omnia prædixi, ut evenerunt: ergo ex hoc colligite et credite, futurum pariter, quod iam prædico, scilicet Chaldæos a Cyro et Persis superandos, vosque inde liberandos. Ita S. Hieron. Identidem repetit et urget suam de futuris prædictionem certo evenisse, quasi infallibile argumentum divinitatis et providentiæ suæ. Nota τὸ *repente.* Repentinum enim in Scriptura dicitur, quod inopinato, aut rebus desperatis vel indispositis advenit, etiamsi diu ante prædictum et promissum sit. Sic 1. Thessal. 5. 2. dicitur quod *dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus.*

Vers. 4 Scivi enim quia durus es tu.) Τὸ *durus* notat Iudæorum indocilitatem; *cervix ferrea* inobedientiam, obstinationem et pervicaciam; *frons ærea* impudentiam, q. d. Quia indociles estis, pervicaces et perfrictæ frontis, ac impudentes; hinc toties vobis in os regero, illudque verbero repetitione præcedentium prædictionum et beneficiorum, quæ in vos contuli, ut per eam tandem vos doceam, emolliam et pudefaciam, itaque tandem agnoscatis non idola, sed me hæc præstitisse. Chaldæus vertit: *Manifestum est coram me, quod sis rebellis, et durum sicut ferrum collum tuum, et frons tua fortis sicut æs.* De qua vide dicta Ezech. 3. v. 7. et c. 2. v. 4.

Vers. 6. Quæ audisti, vide omnia: vos autem, num (id est nonne, hoc enim est Hebr. הלוא *halo*) annuntiastis?) Ita legendum interrogative cum Roman. Loquitur de populo utpote multo, nunc in plurali, nunc in singulari, q. d. Videtis esse completa, quæ audistis a me. Vos enim ipsi quotidie ea annuntiatis et commemoratis, dum celebratis festa in eorum memoriam instituta, v. g. festum Paschæ, in memoriam liberationis ex Ægypto, dumque canitis Psalmos: hi enim sæpe præterita beneficia vobis inculcant. Ita Forer. Adamus, Vatabl. et Sanchez.

Verum S. Hieron. Haymo et Dionys. legentes sine interrogatione, et *non* pro *num,* explicant, q. d. Vos videtis impleta esse, quæ prædixi, quæque audistis, sed non an-A nuntiastis ea posteris, non divulgastis ea, ad meam gloriam, ut filii vestri et posteri inde cognoscerent me esse verissimum prophetiæ fontem, et consequenter verum Deum.

Audita feci tibi nova ex tunc. Videtur legendum *ex nunc:* sic enim habent Hebræa, Sept. Chaldæus, Forer. Vatablus et alii; unde et S. Hieron. sic explicat, q. d. Non adduco vetera, ut fidem astruam, sed nova quæ contra Babylonios facturus sum annuntio, quæ conservata, id est reservata, recondita sunt apud me.

Nunc creata sunt, id est, nunc a me decreta sunt, Vers. 7.
q. d. Nunc a me lata est sententia de Babylonis excidio, cum nunc illud per Isaiam edico et prædico; ita Vatabl. et ante diem, quo scilicet eveniet hoc eius excidium, ne putes me prophetare de præteritis, et non audisti, etc. q. d. Hæc tibi prædico, cum nihil de iis scias, nihil unquam de iis audieris, vel ab idolis, vel ab aliis, cum neque ex tunc aperta est auris tua.) Id est, cum ad Vers. 8.
aures tuas nulla huius rei fama aut notitia pervenit, ne B quidem *ex tunc,* id est, ab olim. Identidem inculcat hanc futurorum præscientiam et prædictionem, ne Iudæi ituri in Babylonem, diis Babyloniorum suam captivitatem, et ex ea liberationem attribuant, non Deo suo. Aperire enim aurem Hebræis est, revelare et indicare quid alicui, sive facere ut aliquis quid audiat vel intelligat. Ignorans enim et non audiens, videtur clausas vel obstructas habere aures, quas quasi aperit qui eas audire et cognoscere facit.

Scio enim quia prævaricans prævaricaberis.) q. d. Hæc signa divinitatis meæ toties tibi inculco, quia scio quod prævaricaberis, id est, deficies, eris transfuga et apostata: transfugies enim more tuo a me ad idola.

Et transgressorem ex utero vocavi te.) q. d. Ab ipso tui ortu et conceptu, videlicet, cum te in Ecclesiam meam formarem et quasi parturirem in Sina, dando tibi legem per Mosen, transgressor fuisti, ut merito *transgressor ex utero* a me vocari possis. In Sina enim conflasti et adorasti vitulum aureum. Hoc est quod eis S. Stephan. C exprobrat Act. 7. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos.*

Propter nomen meum.) Est prolepsis sive occupatio: Vers. 9.
occurrit enim tacitæ obiectioni, q. d. Dicetis mihi: Si nosti nos fore tam impios, instabiles, ingratos et transgressores, quid tam anxie de nobis, nostraque e Babylone liberatione laboras? quid tam studiose hoc prædicis et inculcas?

Respondet Deus: Ego hoc facio non propter vos, vestraque merita, sed *propter nomen meum,* ne scilicet Gentes illud blasphement, si videant me populum meum in captivitate derelinquere.

Longe faciam, hebr. אאריך *aarich,* id est, prolongabo, elongabo, longe faciam, id est, auferam, amovebo, furorem meum.) Aliter Forerius et Vatabl. *Prolongabo,* aiunt, id est, differam vindictam in longum tempus, donec scilicet illi impleant mensuram peccatorum suorum, quod facient, dum occident Christum. Quare tunc plene omnia eorum scelera puniam, eosque exscindam.

D Et laude mea infrænabo te, ne intereas.) Ita Romana, et passim omnia Biblia, licet Arias legi velit passive *infrænabor,* ut dicat idem cum eo quod præcessit, q. d. *Laude,* id est propter laudem et gloriam meam, ego Deus infrænabor, et cohibebo furorem meum, ne te disperdam. Unde Vatabl. vertit: *Propter nomen meum differam furorem meum, et propter laudem meam frænum iniiciam mihi, tui causa, ne te omnino exscindam.*

Verum legendum est active *infrænabo te.* Quod primo, sic explicant S. Thom. et Haymo, q. d. Cum e Babylone in Iudæam redieris, frænum legis et religionis meæ tibi iniiciam, cogamque te ad mei cultum ut in templo more solito me laudes per psalmos, preces, sacrificia, sacrasque cæremonias, ne ad cultum et laudem idolorum dilabaris. Frænum Dei et principum est beneficentia.

Secundo, simplicius et significantius magisque genuine, laus hæc, qua Deus infrænavit Iudæos, fuit Dei in ipsos indulgentia et misericordia, sive ipsa Dei in eos beneficia. Nihil enim principem, et magis Deum, ita com-

mendat, et laudabilem facit, atque clementia et beneficentia, quæ regum et principum propria est virtus; quæque subditos frænat, et cogit eos amare, eisque obsequi. Porro hæc Dei laus sive frænum, puta beneficentia, duplex fuit. Prior fuit tribulatio, scilicet captivitas Babylonica. Hac enim quasi fræno Deus populum in scelera et interitum ruentem infrænavit, et ab idololatria, aliisque sceleribus pariter, ac ab interitu retraxit, et ad se revocavit. Unde S. Hieron. *Infrænabo, ait, te ut vel invitus quasi iumentum, me dominum tuum sequaris;* hæc ergo captivitas fuit ingens Dei beneficium. Unde disces, tribulationes esse magna Dei dona, ac proficisci ex animo Dei benevolo ac benefico, volente, scilicet, luxum et lasciviam nostram edomare, frænare et resecare. Tribulatio ergo est laus Dei, ac proinde in ea cum Iob, Tobia et Martyribus non murmurare, sed Deum laudare, eique gratias agere debemus. Ex adverso Dei irati evidens signum est, cum alicui laxat habenas, sinitque eum sequi concupiscentias suas, ut quasi equus lasciviens sine fræno in exitium ruat. Ita Haymo, Adamus, Dionys. et Sanchez. Posterior Dei laus fuit beneficium liberationis Iudæorum e Babylone; de eo enim præcessit; *Propter nomen meum longe faciam furorem meum;* perinde ac de priori, puta de ipsa captivitate, sequitur: *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Hæc enim sententia, *Laude mea infrænabo te,* cum inter has duas sit media, ad utramque pertinet, et utramque complectitur. Sensus ergo est, q. d. O popule mi, duræ cervicis es, et transgressor ab utero: frænum ergo tibi iniiciam, ne quasi equus effrænis et furiosus te præcipites, et intereas: frænum hoc erit laus mea, puta regia mea beneficentia, nimirum paterna castigatio, scilicet captivitas Babylonica, sed brevis et abbreviata, brevique laxanda a Deo; hæc ergo captivitas non fuit ira aut furor meus, sed laus, amor et favor meus erga te: poteram enim te in ea perpetuare, disperdere et funditus delere, uti merebaris: verum ob beneficentiæ et clementiæ meæ laudem nolui; imo vero ne in ea interires, post modicum tempus te ex ea liberavi, indeque te quasi equum iam calcari afflictionis domitum in patriam reduxi, ut deinceps ductum fræni mei, id est meæ voluntatis, perpetuo sequi, meque laudare disceres, dum vides tantam meam erga te dilectionem, curam et benignitatem: quæ summa mea est laus. Hinc

Tribulatio est laus Dei.

Tertio, ex Hebræo pie vertit Forerius: *Laudem meam obsignabo tibi, ne excindaris.* q. d. Cum nihil ex te habeas, quo possis provocare misericordiam meam, ego laudem meam, quasi pallium meum inducam super te, teque ea quasi signo et charactere meo obsignabo, ut appareas mihi quasi materia, ratio et causa laudis meæ, itaque hæc laus mea pro te intercedat, teque semper comitetur, tegat et protegat, imo te speciosum et amabilem in oculis meis reddat, eosque ita feriat, ut, si te delere velim, non possim, sed protinus meminerim laudem meam pariter interituram; cum enim te aspicio, laudem meam aspicio. Hinc

Quarto, Septuag. vertunt: *Gloriosa mea inducam super te. Gloriosa*, hoc est gloriosam liberationem e Babylone, ait S. Cyrill. qui addit: *Dei gloria est posse omnibus sine labore dominari, servare et misereri.*

Allegorice, Leo Castrius, q. d. *Laude mea, etc.* hoc est, tot signa et miracula gloriosa edam per Christum et Apostolos, ut frænum iniiciam vestræ infidelitati et blasphemiis, o Iudæi, atque multos e vobis ad Christi fidem convertam, et salvem.

Tropologice, S. Bernard. ser. 11. in Cant. q. d. *Ne nimia peccatorum tristitia cum Cain desperes, et quasi equus effrænis in præceps ruas, frænis te inhibebo indulgentiæ meæ, et meis laudibus erigam, respirabisque in bonis meis, qui de tuis confunderis malis, dum me sane benigniorem quam te culpabiliorem invenies.*

Ita laude Dei infrænatus fuit religiosus ille S. Dominici discipulus Vincentius, vir singularis doctrinæ, humilitatis, abnegationis sui, et amoris Dei, mire B. Virgini devotus, ut numquam concionaretur, quin aliquid semper in eius laudem diceret, qui cum in morbum, indeque in gravem et longam melancholiam incidisset, sub finem vitæ, visa B. Virgine, cœpit in spiritu exsultare et iubilare: cumque socius eius Matutinum et Laudes recitaret, pervenissetque ad finem, diceretque ultimum versiculum ultimi Psalmi: *Omnis spiritus laudet Dominum;* ipse æger et agonizans, iussit socium sistere, et multoties iterando ac iubilando: *Omnis spiritus laudet Dominum*, spiritum emisit in cælis perpetuo laudaturum Dominum: uti refert Ferdinandus Castiglius histor. Ordinis S. Dominici, part. 1. lib. 1. cap. 61.

Vers. 10. ECCE EXCOXI TE, SED NON QUASI ARGENTUM, ELEGI TE IN CAMINO PAUPERTATIS.) Clare ex Hebræo vertit Forer. et Vatabl. *Ecce conflavi, ussi*, vel *excoxi te, non in argenti* (fornace) *elegi te in fornace inopiæ et afflictionis*, q. d. Excoxi te non sicut argentarius in fornace ardentissima excoquit argentum, ut ignis ab eo separet omne stannum, plumbum et scoriam, ut purum putumque remaneat argentum. Si enim sic excoxissem te, utique consumpsissem te, cum non nisi peccatorum sis scoria (hoc est enim quod dixit cap. 1. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam*) sed leniori camino et purgatorio te purificavi, scilicet paupertate, servitute et ærumnis in Babylone; itaque effeci ut tu mores corrigeres, teque rursum ex scoria per gratiam meam efficeres argentum, id est, fidelem, iustum et pium: unde sic purgatum *in camino paupertatis elegi te:* sicut in fornace separata scoria, ab argentario seligitur et colligitur purum argentum. Ita S. Cyrillus et Procop. Simili metaphora conflatoris, eaque illustri, utitur Ieremias c. 6. 27. Vide ibi dicta.

Mystice, Forerius: Argentum, ait, est Evangelium et eloquia Dei, iuxta illud Psal. 11. 7. *Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*, q. d. Excoxi te per paupertatem, non vero per Evangelium Christi: illam enim purgationem plenam reservo tempori feliciori, quod erit in lege gratiæ.

Septuag. vertunt: *Ecce vendidi te, non propter argentum, erui te de fornace paupertatis*, q. d. Tradidi te Chaldæis, indeque rursum liberavi, non quærens inde meum lucrum (nec enim a Babyloniis, nec a te argentum accepi) sed quærens tuum bonum, scilicet, tuam expiationem et purgationem, ut te pristino nitori fidei et religionis, puræque conscientiæ restituerem.

Vers. 11. UT NON BLASPHEMER.) A Gentibus dicentibus: Deus Hebræorum est impotens, vel infidelis et crudelis, utpote qui sinit populum suum ab hostibus opprimi; dii nostri ipso sunt fortiores et faventiores. Sicut Turcæ tot victoriis contra Christianos potiti, blasphemant, dicuntque Mahometem potentiorem esse Christo.

GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO.) Non patiar, ut idola me potentiora videantur, quasi ipsa tradiderint populum meum Chaldæis, cum ego ipse id fecerim. Exscindendo enim Chaldæos et Iudæos liberando, ostendam me Chaldæorum æque ac Iudæorum esse Deum ac Dominum, meque Hebræos ad tempus eis tradidisse, ut castigarentur, ac deinde maiore gloria liberarem eos. Ita S. Cyrill. S. Thom. et alii.

Vers. 12. ISRAEL QUEM EGO VOCO.) Primo, Forer. *quem voco*, id est, quem familiarem et domesticum habeo, utpote cuius nomen semper in ore habeo ut eius oblivisci nequeam.

Secundo, Haymo, et Hugo, *quem voco*, scilicet, ad pœnitentiam, aut potius, ut S. Hier. et Cyrill. ad peculiarem mei cultum, ad meam Ecclesiam, gratiam et salutem.

Tertio, optime Hebr. מקראי *mekorai* vertunt Symmachus, Aquila, Vatablus et alii, *vocatus meus*, vel *vocate mi*, q. d. Quem ego Israelem voco, cui ego nomen Israelis indidi.

Obiicit Israeli nomen suum, ut ex eo cognoscat, se Dei esse, et Deum, non idola colere debere. Hoc est enim argumentum Dei: illum colere debes et adorare ut Deum, a quo pater tuus Iacob, sive Israel nomen accepit, quemque nomine suo circumfert et præfert: atqui ego sum qui eum vocavi Israel, id est dominantem Deo, unde me sem-

per in nomine suo circumfert, quique ab eo te vocavi et voco Israel; ergo ego sum Deus tuus, tibi amandus et colendus, q. d. Vis scire Deum tuum, inspice tuum tuique patris nomen. Nam ut ego *el*, id est Deus, sic tu vocaris *Israel*, id est prævalens Deo. Sicut enim a Cæsare milites vocati sunt Cæsariani; a Pompeio, Pompeiani: sic ab *el* vocatus est Israel, æque ac a Christo Christianus. Ita Sanchez. Videtur enim hic idem dicere cum eo, quod dixit v. 1. *Audite hæc, domus Iacob, qui vocamini nomine Israel.*

Vocatus id est servus. Huic adde quarto, Deus nuncupat Israel *vocatum suum*, id est servum suum. Sicut enim nobiles a rege evocantur ad obsequia, tum domestica, tum publica, præsertim bellica, ut in eis regi et regno serviant (unde et Hispani gloriantur, quod sint *Criados del Rey*, id est, servi vocati et evocati a Rege) ita Deus Israelem evocaverat ad sui obsequium et cultum. Huc alludit S. Paulus, cum tam se quam fideles vocat vocatos, sive vocatitios Dei: *Paulus*, ait, *servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, etc. In quibus estis et vos vocati Iesu Christi*, Roman. 1. v. 1. et 6. Israel enim eiusque vocatio typus fuit S. Pauli et fidelium, eorumque vocationis.

Ego ipse, ego primus, et ego novissimus) q. d. Ego fui ante cælum et terram, ante mundum et Angelos. Ego fui ab æterno, et ero in æternum; sum possessor et dominus æternitatis. Secundo, q. d. Ego sum omnium rerum principium et finis, ex quo omnia et in quem omnia. Ita Forer. Notat Sanchez in trina repetitione τοῦ *Ego* innui mysterium SS. Trinitatis.

Vers 13. Dextera mea mensa est cælos.) Pro *mensa est*, hebraice est טִפְּחָה *tippecha*, quod verti potest secundo, *dextera mea palmo mensa est* cælos, q. d. Tantus ego sum, ut cælorum vastitatem palmo metiar et comprehendam. Ita Vatablus. Tertio verti potest, dextera mea *palma explanavit, explicavit* et *distendit* cælos. Ita Forer. Quarto, dextera mea *formavit* cælos, dextera mea cælos *in hanc formam, speciem, figuram et decorem conformavit.* Vide dicta Thren. 2. 20.

Ego vocabo eos (cælos cum suis stellis, ac terram) et stabunt simul.) q. d. Si ego eos vocem, mox ad meam vocem sistent se, sicut ministri ad vocem principis accurrunt, sistuntque se, iussa accepturi, et protinus exsecuturi. Id patuit sub Iosue, quando sol, luna cælique steterunt, Iosue 10. 13. Et sub Ezechia, quando cursum reflexerunt, et retrogressi sunt, Isaiæ 38. 8.

Vers 14. Congregamini omnes vos, o Israelitæ, et audite: quis de eis (diis Gentium, quos toties hic nominavi et confutavi: posset quoque verti, *quis* astrologorum, *ex eis*, scilicet cælis et astris, divinando; egit enim contra astrologos c. præced. v. 12. annuntiavit hæc.) Quæ ego prædico de Cyro et Babylonis excidio? de vestra captivitate, quod in ea vobis ero dux et redux?

Dominus dilexit eum.) Cyrum de quo c. 43. c. 44. et sequentibus hucusque passim egit, quique hoc Chaldæorum excidium, de quo continuo loquor, peraget. Ita S. Hieron. Cyrill. et Hebræi. Cyrum Deus dilexit, quia elegit eum suæ vindictæ administrum. Addit Forer. Cyrum vere et proprie fuisse dilectum a Deo, quia eius cultor exstitit, 1. Esdræ 1. Quod quomodo verum sit dixi superius.

Faciet voluntatem suam in Babylone. Potest ex Hebræo verti: *Faciet* (Cyrus) *voluntatem eius* (Dei) *in Babylone*, et brachium (potentiam potentemque vindictam) eius in Chaldæis.) Verum vertendo, *voluntatem suam*, triplex est sensus.

Primus, de Cyro, q. d. Cyrus faciet in Babylone voluntatem suam, id est quidquid ei libuerit, et brachium suum, in Chaldæos exeret. Ita Forerius.

Secundus, de Deo. Faciet Deus Cyrum in Babylone vastanda voluntatem suam, et faciet eum brachium suum contra Chaldæos. Ita Sanchez. Sed quia dure Cyrus vocatur voluntas Dei, hinc

Tertio, planissime exponas, q. d. Deus per Cyrum faciet voluntatem et vindictam suam in Babylone, et brachium suum, id est validam plagam in Chaldæis.

Allegorice, Cyrus est Christus, quem Pater dilexit, qui fecit omnem voluntatem Patris, quique in Babylone, id est confusione huius mundi subvertit Chaldæos, id est dæmones, ait S. Hieron. Christi etiam *directa est via*, quia Pater per omnia ardua et dura eum fortiter et feliciter direxit et deduxit, multo magis quam Cyrum.

Non a principio in abscondito locutus sum.) q. d. Ex quo cœpi prophetare de excidio Babylonis, non in angulis ambigue et perplexe, sed publice, clare et aperte, de eo locutus sum. Vers. 16.

Ex tempore antequam fieret.) Antequam scilicet Babylon everteretur, ego Isaias ibi eram spiritu præsens, videbamque et contemplabar rei gerendæ seriem, modum et ordinem.

Inepte ergo R. Salomon et R. Thanhuma apud Galatin. l. 2. c. 3. τὸ *ex tempore antequam fieret, ibi eram*, sic interpretantur, q. d. Ego Isaias, omnesque Prophetæ, quoad animam simul fuimus et astitimus in monte Sina, cum daretur ibi lex Mosi, tuncque ibidem nostras prophetias accepimus. Inde enim sequitur, animas eorum diu fuisse ante corpora: qui est error Origenis et Pythagoræorum.

Et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus eius.) Ut quæ ante de Cyro et Babylone mihi revelaverat, ea nunc edicerem et proloquerer. Sunt enim hæc verba, non Cyri, ut volunt aliqui apud Procop. sed Isaiæ, qui missus est tamquam Propheta et præco, a Deo et spiritu Dei, ad hæc vaticinandum. Ita S. Hieron. Chald. Vatabl. Forerius, Sanchez et alii.

Unde mystice S. Hieron. Cyrill. Procop. Haymo, Hugo, S. Thom. hic, atque S. Athanasius, Basil. Euseb. Origen. August. Chrysost. Nyssen. quos citat Leo Castrius; item Galatin. l. 2. c. 3. docent hic significari SS. Trinitatem, scilicet Filium, qui missus est a Patre et Spiritu eius, puta a Spiritu sancto, nimirum qua homo est, ad hominum redemptionem. Nam qua Deus est, et Verbum Patris, uti a solo Patre procedit, ita et ab eo solo mitti potest, uti docet D. Thomas et Scholast. 1 p. q. 34. a. 8. Et Anselm. lib. de Processione Spiritus sancti, ait: *Si autem dicunt, quia Spiritus sanctus mittit etiam Filium, sicut idem ipse dicit per prophetam: Et nunc Dominus, etc. hoc secundum hominem, quem gerebat, intelligendum est, quia Patris et Spiritus sancti una voluntate et dispositione, mundum redempturus, mundo apparuit.*

Hunc sensum Galatinus et alii volunt esse litteralem; sed ex dictis patet esse allegoricum; Isaias enim hic fuit typus et allegoria Christi.

Rursum ex hoc sensu mystico, probat Paschasius, lib. de Spiritu sancto c. 3. Spiritum sanctum subsistere, et habere in SS Trinitate suam hypostasin; ait enim: *Alter ergo in persona est Dominus Pater, alter Spiritus Dei Patris. Itaque dum a Patre et Spiritu sancto destinari Filius legitur, sub trium nomine personarum, Spiritus sanctus a semetipso* (id est per semetipsum) *subsistere, evidenter aperitur.* Rursum quod ait, *misit*, non *miserunt*, significat unitatem essentiæ divinæ in SS. Trinitate.

Docens te utilia.) Non curiosa, non vana, non ridicula, non pomposa, et plausum captantia; sed quæ saluti tuæ præsenti et æternæ proficiant. Notent hoc, et imitentur concionatores, si præcones, non vanitatis, sed Dei esse velint. Vers 17.

Gubernans te in via qua ambulas.) *Gubernans* non despotice quasi iumentum, sed politice, quasi hominem et civem suum, per consilium, imperium et directionem, cui tamen tu, utpote liber, reluctare et resistere possis. Ita gubernavit Israelem in deserto per 40. annos, deduxitque in Chanaan. Ita gubernavit Davidem: *Dominus*, ait, *regit me* (sicut pastor ovem) *et nihil mihi deerit, etc.* Psal. 22. v. 1. Rursum: *Qui deducis velut ovem Ioseph*, Psal. 79. 2. O felices quos Deus gubernat, quique ductum Dei sequuntur, seque ab eo per omnia regi sinunt! Hi labi non possunt; reguntur enim a sapientissimo et potentissimo gubernatore.

Ubi nota: Sanctissimum et utilissimum consilium, æque ac medium, pertingendi ad portum salutis est, si quis Deum assidue oret: *Domine, rege me quasi pædago-* Consilium efficax quis ad

Salutem perveniat. gus puerum, qui nescit introitum et exitum suum, qua via incedere debeat: deduc me per illas vias, status, officia, socios, etc. in quibus prævides me non habiturum peccati et lapsus scandalum, sed recto et certo itinere me percurrurum et perventurum ad vitam æternam; sive: Domine, da mihi semper et ubique gratiam congruam; hæc enim erit efficax, et efficaciter ad finem salutemque me perducet. Hoc oramus singulis pene Psal. 118. versiculis, quem per partes, ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam recitamus: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas! Benedictus es, Domine, doce me iustificationes tuas. Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei. Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar, etc. Hoc est enim omnis homo.*

Vers. 18 UTINAM ATTENDISSES MANDATA MEA: FACTA FUISSET SICUT FLUMEN PAX TUA.) *Pax* Hebræis est non tantum quies sed et prosperitas, rerumque omnium copia et affluentia. Unde comparatur hic fluvio perenni, qui numquam arescit, sed semper alias et alias aquas affert et affluit. Addunt Cyrillus et Procop. *pacem* hic comparari torrentibus et fluctibus, qui ita violenti sunt, ut nihil eis possit resistere, quin etiam montes et rupes defringant et sternant, q. d. Ita tu, o Israel, esses Assyriis, Chaldæis, aliisque hostibus non tantum inexpugnabilis, sed et terribilis, victorque et calcator, si Dei legibus obedires.

ET IUSTITIA TUA SICUT GURGITES MARIS.) *Iustitia* metonymice vocatur præmium iustitiæ, puta pax iam dicta: sicut ex adverso iniquitas, sæpe vocatur pœna iniquitatis. Sic ait Iacob: *Respondebit mihi cras iustitia mea*, id est præmium iusti laboris mei, Gen. 30. 33. Sic Samuel ait 1. Reg. 12. 7. *State, ut iudicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis* (beneficiis) *Domini* (hebr. *de iustitiis Domini.*) Sic Daniel. 4. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis* (hebr. *iustitiis*) *pauperum.* Iustos enim et sanctos maxime decet misericordia, adeoque hæc eorum genuina est virtus et nota.

Secundo, *iustitia* proprie accipi potest quasi pacis comes et effectus. Nam in pace viget iustitia, quæ tempore belli sæpe exsulat. Respicit quoque ad Christum, qui iustitiam æque ac pacem attulit orbi.

Tertio, Salmeron tom. 9. tract. 54. Iustitia, ait, similis est mari, pax fluvio; quia sicut flumina oriuntur ex mari, Eccl. 1. 7. ita pax oritur ex iustitia, iuxta illud Isaiæ 32. *Et erit opus iustitiæ pax, et cultus iustitiæ silentium.*

Vers. 19. ET FUISSET QUASI ARENA SEMEN TUUM.) Uti promiseram Abrahæ patri tuo, Genes. 22. 17. et Davidi, dicens Psal. 80. v. 14. *Israel, si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*, inimici ei adularentur, perpetuo viveret, *cibarem eum adipe frumenti, etc.* Ita Forerius.

ET NON FUISSET ATTRITUM NOMEN EIUS.) Scilicet Israelis. Gente enim attrita, nomen quoque, et fama, æque ac regnum gentis atteritur. Sic regnum Iuda et Israel in Babylone fuit attritum et quasi interiit. Sic Iudæi olim apud Gentiles viles, ignobiles, imo probrum fuerunt, uti etiamnum sunt apud Christianos. Hinc illud: *Verpus est; credat Iudæus Apella: verpe, iura mihi per Anchialum.* Et Iuvenalis Sat. 2. *Delubra locantur*

Iudæis, quorum cophinus fænumque supellex.

Et Martialis lib. 12. epigram. 57. Iudæos a puero mendicare solitos tradi:

A *matre doctus nec rogare Iudæus,*

Nec sulphuratæ lippus institor mercis.

Sic videmus eos hic Romæ sulphurata et scruta vendere, eaque cum fracto vitro permutare.

Vers. 20. EGREDIMINI DE BABYLONE.) Ad litteram, ait S. Cyrill. et Procop. hortatur Propheta Iudæos in Babylone captivos et attritos, ut ex infideli et impia, æque ac tyrannica Babylone eiusque vitiis relictis, in Iudæam, ad Dei templum, cultum et pietatem avitam redeant.

Allegorice, hortatur omnes, ut e captivitate peccati, et e regno diaboli, non Cyro, sed Christo duce, egrediantur in statum gratiæ, libertatis et adoptionis filiorum Dei. Nulla enim regio magis confusione plena est, quam peccati; nulli Chaldæi filiis Dei peius nocent, quam peccata: hæc est Babylon, hi sunt Chaldæi, unde suos iubet Dominus fugere. Vide cap. 52. v. 11. *Recedite, exite inde.*

Unde tropologice hæc adaptat Apostolus fidelibus, ad hoc, ne misceant connubia et commercia cum infidelibus et impiis 2. Corinth. 6. 17. Sequentia enim tam læta et fausta sunt, ut magis per Christum, quam per Cyrum, adimpleta sint. Recte Forer. *Quoties*, ait, *in Prophetis has denuntiationes, exsultationes et ovationes, ad omnes Gentes, et ad extrema terræ lego, toties Prophetas redemptionis universalis* (per Christum) *mentionem facere non dubito.* Hanc enim spectant non unam tantum, exilem vilemque Iudæorum gentem.

NON SITIERUNT IN DESERTO.) Refricat beneficia Iudæis in deserto, sub Mose præstita, Exod. c. 17. 6. et sub iis, figurate per proverbium et per hyperbolem significat Deum similem curam et providentiam præstitisse Iudæis, Babylone redeuntibus, videlicet curasse tum per se, tum per Cyri et Darii edictum, 1. Esdræ 6. 8. ne quid in via ad famem sitimque levandam, aut alias necessarium, deesset, q. d. ait Cyrill. Celebrate Deum, o Iudæi ab exsilio reduces, qui ut olim vos redemit ex Ægypto, per desertum incolumes duxit, e cælo manna quotidie pavit, e petra aquam dedit; ita nunc ex Babylone vos liberavit, et per desertum deduxit, cibumque et potum dedit, salvosque in patriam revexit, ut ibi in pace habitaretis quam in Chaldæa non habebatis; nam: *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Vers. 21.

Mystice, multo magis Christus redemit nos, et per desertum huius vitæ in cælum ducit, datque manna Eucharistiæ, atque aquas de petra. Nam *latus eius* lancea vulneratum et apertum *aqua fluxit et sanguine baptismum nobis et martyrium dedicans*, ait S. Hieron.

NON EST PAX IMPIIS, DICIT DOMINUS.) Quia impii sequuntur suas cupiditates, quæ mille bella et in ipsa anima et in rebus publicis generant, atque iusto Dei iudicio, cum seminant iniquitates, metunt dolores. Unde cap. 57. v. ult. Sept. vertunt: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus.* Quorsum hoc dicit Propheta? quid hæc ad præcedentia? Resp. primo, respicit ad v. 18. *Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua.* Illius enim hic dat causam, per antithesin; quia *non est pax impiis*, omniaque eis in malum cedunt. Hæc est ergo sors improborum, quam opponit sorti proborum. Ita Forer. Vers. 22.

Secundo, respicit ad v. 20. *Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis*, Quare? *Quia non est pax impiis.* Vere Horat. l. 2. Ode 16. *Patriæ quis exsul*

Se quoque fugit?

Scandit æratas vitiosa naves

Cura; nec turmas equitum relinquit,

Ocyor cervis, et agente nimbos.

Ocyor Euro.

Tertio, taxat Iudæos carnales, abiectos et impios qui vel idolis et vitiis, vel pace et opibus Babylonis delectati in ea sedem figere, nec in patriam, data a Cyro potestate, redire voluerunt. Hisce prædicit eos non habituros veram pacem in Babylone. Porro multos ibi remansisse liquet ex Esdra, cap. 2. cum numerum exiguum, et pauca nomina redeuntium describit, dicitque cap. 1. 5. eos solum rediisse quorum Deus tetigerat cor et spiritum. Imo, multi Hebræi docent neminem ex iis, qui cum Sedecia capti sunt, in patriam rediisse, uti refert S. Hieron. in Ezech. 11. v. 17. Ita Sanchez.

Denique mystice, inquit Forerius, hæc verba sunt Prophetæ dolentis et indignantis ex eo quod præsagiret frustra Christum vocaturum Israelitas, ut ex Babylone peccati ad se in Ierusalem, id est Ecclesiam, redirent; eum enim vocantem erant despecturi, ut sit correctio, q. d. Quid moror? Quid eos e diaboli regno evoco? Quid saxa alloquor? improbi sunt et obstinati in iudaismo ac vitiis, ideoque indigni pace ac felicitate, quæ illis offertur. Quocirca Christus ad Gentes transiens, et se convertens, ait cap. sequenti: *Audite, insulæ, et attendite, populi de longe.*

*

CAPUT QUADRAGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus loquitur, aitque se esse gladium et sagittam electam Dei, ad configendum sibi nationes orbis, etiam Sinas, v. 12. Inde v. 14. inducit Sion, id est Ecclesiam in Iudæa incipientem, querentem de Iudæorum credentium paucitate. Cui respondet Deus, se pro iis surrogaturum omnes Gentes et populos. Unde v. 22. prædicit, quod ad signum crucis convolabunt omnes nationes, ac reges et reginæ erunt nutritii et nutrices Ecclesiæ; quodque hostes Ecclesiæ Deus cibabit carne sua et sanguine, ut seipsos devorent.

1. AUDITE insulæ, et attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. 2. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. 3. Et dixit mihi: Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. 4. Et ego dixi: In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi: ergo iudicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo. 5. Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Iacob ad eum, et Israel non congregabitur: et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. 6. Et dixit: Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, et fæces Israel convertendas: ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. 7. Hæc dicit Dominus redemptor Israel sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum: Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et sanctum Israel qui elegit te. 8. Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui: et servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas: 9. Ut diceres his qui vincti sunt: Exite: et his, qui in tenebris: Revelamini. Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum. 10. Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol: quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. 11. Et ponam omnes montes meos in viam, et semitæ meæ exaltabuntur. 12. Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi. 13. Laudate cæli, et exulta terra, iubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur. 14. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei. 15. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. 16. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper. 17. Venerunt structores tui destruentes te, et dissipantes, a te exibunt. 18. Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa. 19. Quia deserta tua, et solitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus, et longe fugabuntur qui absorbebant te. 20. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. 21. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis, et non pariens, transmigrata, et captiva: et istos quis enutrivit? ego destituta et sola: et isti ubi erant? 22. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. 23. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum. 24. Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit? 25. Quia hæc dicit Dominus: Equidem, et captivitas a forti tolletur: et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur. Eos vero, qui iudicaverunt te, ego iudicabo, et filios tuos ego salvabo. 26. Et cibabo hostes tuos carnibus suis: et quasi musto, sanguine suo inebriabuntur: et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Iacob.

Vers. 1. AUDITE, INSULÆ.) Transit hic ab umbra ad veritatem, a Cyro scilicet ad Christum, a Synagoga ad Ecclesiam. Quare, sicut compellavit Iudæos initio c. præced. dicens: *Audite hæc, domus Iacob:* ita hic compellat Gentes, etiam remotissimas et abstrusissimas, dicens: *Audite, insulæ, et attendite, populi de longe.* Hæc enim non ad Cyrum, ut vult Hugo, nec ad Ioannem Baptistam, ut volunt alii; sed ad Christum pertinere, patet ex ipsis verbis, et ex Actor. 13. ubi illud v. 47. *Posui te in lucem Gentium*, de Christo exponitur; et 2. Corinth. 6. illud v. 2. *Tempore accepto exaudivi te,* de tempore Ecclesiæ Christianæ explicatur; et Apocal. 7. illud v. 16. *Non esurient, neque sitient, etc.* de Ecclesia Christi beata et triumphante in cælis intelligitur. Inducitur ergo hic Christus, quasi concionem habens ad omnes homines, in qua suæ legationis, adventus et officii rationem reddit, scilicet, ut omnes Gentes ad Deum et salutem vocet, eosque Iudæis, in vera Dei Ecclesia, subroget atque substituat.

DOMINUS AB UTERO VOCAVIT ME.) Dicens matri Virgini per Gabrielem Archangelum: *Vocabis nomen eius Iesum,* Matth. 1. 21. q. d. Uti Cyrum ab utero, imo ante uterum, nominavi dixique: *Vocavi te nomine tuo,* c. 45. v. 4. item Israelem, dicens: *Formans te ab utero auxiliator tuus,* c. 44. 2. et cap. 46. 3. *Qui portamini a meo utero:* ita ab utero, imo antequam in utero conciperet, vocavit Deus me *Iesum,* id est salvatorem, hoc est designavit et destinavit me, ut essem vindex et redemptor generis humani; Deus enim vocat res ut sunt, aut quales futuræ sunt: imo quales ipse eas facturus est; Dei enim nominare, est efficax; et Dei dicere est facere. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Ambrosius in Psal. 35.

A

Vers. 2. ET POSUIT OS MEUM, id est *verba mea*, ut vertit Chaldæus, QUASI GLADIUM ACUTUM.) Quasi aciem gladii. Alludit ad phrasim Hebræam: *Percutere in ore gladii*, id est in acie gladii; huic enim comparat os Christi. Rursum alludit ad Cyrum Christi typum, de quo dixit c. 45. 2. *Ego ante te ibo: et gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, etc.* Pari enim modo gladios et arma dedit Christo, quibus totum orbem subiugavit. Sensus ergo est, q. d. Ecce ego Christus cædem facturus advenio non corporum, sed animorum; venio enim peccata et vitia trucidaturus, ut caro, id est vita animalis, pereat, et spiritus vivat. Prædicatio enim Christi sive Evangelium et verbum Dei resecat et iugulat crimina, passiones, concupiscentias; item reprobos et dæmones, præsertim in die iudicii. Hoc est quod ait Christus: *Non veni pacem*

mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, Matth. 10. 34.

Hoc gladio oris Petrus occidit Ananiam et Sapphiram, Paulus Elymam excæcavit. Ita S. Hieron. Cyrillus et Procop. Hoc est quod ait Paulus Hebr. c. 4. 12. *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.*

Ad hoc allusit Ioannes Apoc. c. 1. v. 16. *Et de ore eius gladius utraque parte acutus exibat.* Et S. Paulus militem Christianum Christi panoplia armans: *Galeam*, inquit, *assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Ephes. 6. 17. Hisce ergo verbis et seq. describitur vis, energia et efficacia prædicationis Christi. Ecclesia adaptat hæc S. Ioanni, non sensu litterali, sed accommodatitio, quia ipse fuit præcursor Christi, et vox eius, clamantis in deserto. Simili modo hæc Apostolis, aliisque efficacibus Christi prædicatoribus adaptes, uti in Officio divino multa quæ in Scriptura de certis quibusdam personis et Sanctis dicta sunt, aliis similibus adaptantur. Uti illud de Abraham: *Non est inventus similis illi in gloria, qui conservaret legem Excelsi*, Eccli. cap. 44. v. 20. omnibus Confessoribus adaptatur.

In umbra manus suæ protexit me.) Primo, *in umbra*, id est in protectione. Unde Septuag. vertunt: *In protectione manus suæ abscondit me*, ut scilicet carnis meæ vilitas, divinitatis potentia tegeretur. Unde et Angelus ait B. Virgini matri, Christum concepturæ: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, Luc. 1. 35. Ita S. Hieron. et Procop. Umbra enim symbolum est protectionis, quia umbra protegit homines ab æstu solis, qui in Iudæa ingens est, et aves alis suis obumbrantes pullos, eos protegunt a milvo. *In umbra* ergo *manus*, id est manu sua, mihi obumbrante et obiecta, protexit me. Sic dicitur de Christo Threnor. 4. 20. *In umbra tua vivemus in Gentibus.*

Secundo, apposite Forerius per *umbra manus*, accipit vaginam gladii, quæ sub manu sinistra quasi absconditur (hoc enim proprie significat hebr. חבא *chaba*) eaque tegitur et obumbratur. Persistit enim in methaphora gladii, qui sub sinistro brachio abditur in vagina, ut dextera inde facile educatur. Nam sicut mox se vocat sagittam in pharetra Dei absconditam, ita se vocat hic gladium in vagina, sub manu Dei reconditum, q. d. Ego sum gladius acutus, quia sum gladius Dei potentissimi; Deus enim in vagina sua quasi in umbra manus suæ sinistræ me abscondit, ut cum vult, inde dextera sua me educat, stringat, omniaque secet et penetret.

Et posuit me sicut sagittam electam.) Alludit ad Cyrum, qui quasi fuit gladius et sagitta Dei. Nam arma militis sunt duo, scilicet gladius, quo cominus, et sagitta qua eminus et celerrime hostem ferit. Sic Christo duci, Psal. 44. 4. datur gladius: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Deinde sagittæ v. 6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Christus enim per se et Apostolos tam gentes vicinas quam remotas potenter et velociter debellavit, et suæ fidei subiugavit; itaque tam cominus gladio quam eminus sagitta, pugnavit, vicit et triumphavit. Ita Forer. Vatabl. Sanchez et alii. Pro *electam*, Forerius et Vatablus vertunt *extersam*, politam, nitidam et fulgentem; qua voce significatur sagittæ acumen, velocitas, fulgor et robur. Ita enim milites solent gladios et sagittas suas polire, tum ad ornatum, tum ut ea acuant iisque omnia confringant et penetrent. Et hoc proprie significat hebr. ברור *barur;* unde Noster et Septuag. qui vertunt, *electam*, videntur legisse בחור *bachur*. Christus ergo est Patris gladius, et sagitta tersa, et præ Apostolis aliisque Sanctis electa, quam in pharetra, tum suæ præscientiæ et providentiæ, ait Cyrillus et Lyran. tum humanæ carnis, abscondit. Hanc sagittam mittit quo vult, eiusque verbis, verberibus et vulneribus transfixit, compunxit et vulneravit mentes fidelium sui amore, eorumque vitia et peccata occidit. Ita S. Hieron. Procop. Cyrill. et S. Chrysost. hom. de Virtute vel turture, tom. 5. qui et addit: Hac sagitta Ieremias c. 17. 16. vulneratus dicebat: *Non sum turbatus, te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi, tu scis;* et Davidi dicens, *Adhæsit anima mea post te;* et Petrus: *Domine, tu scis, quia amo te:* et Paulus: *Quis nos separabit a charitate Christi?* Hæ sunt sagittæ amoris, quarum cor scopus in quem collineant, ut vivificent occidendo ait S. Ambros. exhort ad Virgines: *Quam beatum hac sagitta vulnerari!* ait Origen. hom. 2. in Cant. Hac sagitta quoque confixus fuit S. August. audiens conversionem duorum aulicorum, qui legentes Vitam S. Antonii, relicta aula, Deo in solitudine se consecrarunt, uti ipse refert lib. 8. Confess. cap. 6. et 8. Hac sagitta icta S. Magdalena, fluvios lacrymarum profudit. Erant enim eius lacrymæ, sanguis cordis vulnerati, qui per oculos fluebat. Ubi nota efficaciam harum sagittarum Christi; ita enim corda feriebant et subigebant, ut illa ipsa mox facerent sagittas, quibus alios sibi subigeret. Sic enim Magdalena, Paulus et Apostoli hisce Christi sagittis confixi, facti sunt ipsimet sagittæ, ad alios eius amore sauciandos. Et idcirco Christus hic vocatur sagitta electa, quia quoscumque tetigit, sagittas effecit, itaque serpsit crevitque eius exercitus, quo mox totum orbem pervasit, sibique subegit. Hoc enim habet amor Christi, ut sua salute non contentus, aliorum omnium salutem sitiat, et pro viribus procuret. Hinc

Christus est gladius et sagitta Patris, corda amore configens.

Tropologice, sagittæ Dei et Christi, sunt Apostoli, virique Apostolici. Ita S. Hieron. epist. ad Principiam S. Paulum vocat sagittam. Apostoli enim idem sunt quod missi, sagittæ proprium est ab arcu emitti. Hac de causa S. Ioannes Apocal. 6. 2. ait: *Et vidi: et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.* Equus enim albus sunt Apostoli, sessor est Christus, arcus et sagitta sunt Evangelica prædicatio, corona est victoria, puta conversio et subiugatio Gentium. Vide ibi dicta. Vox *sagitta* ostendit
quales debeant esse Apostoli, scilicet, primo, missi et di- 1.
recti a Deo, quasi eius instrumenta; secundo, coniuncti 2.
cum Deo per orationem, eique per omnia obedientes, se- 3.
que conformantes; tertio, veloces; quarto, efficaces et pe- 4.
netrantes. Sic enim sagitta magna vi fertur in scopum in
quem a sagittario emittitur, eumque configit et penetrat;
quinto, a vitiis tersi, et virtutum sanctitate politi ac ful- 5.
gentes, ut cum Ioanne Baptista sint lucernæ ardentes et
lucentes; sexto, ut librentur directe in scopum, hoc est 6.
feriant et configant timore et amore Dei cor ac mentem,
non aures tantum tangant et scalpant. Denique concio- 7.
nator, si vere concionator est, totus sagitta sit oportet; tam enim sanctis exemplis, quam verbis, necesse est ut feriat corda hominum, adeoque tota eius vita debet concionari, et timore Dei configere corda mortalium. Utinam, Domine Iesu, des nobis, nosque ipsos efficias tales sagittas, ut simus sagittæ potentis acutæ, quibus icti homines dicant cum sponsa: *Vulnerasti cor meum: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, Cantic. cap. 4. v. 9. et c. 2. 5.

Apostoli sunt sagittæ Dei, cur?

Et dixit mihi: Servus meus es tu Israel.) Christus vocatur *servus Dei*, quia cum in forma Dei esset, sponte, nostri amore formam servi accepit. Vide dicta cap. 42. 2. Vers. 3.

Rursum vocatur *Israel*, id est Israelita, quia natus est, ait S. Hieron. de semine Israelis et Iuda. Secundo, quia missus fuit primario ad oves, quæ perierunt, domus Israel. Tertio, quia eius typus fuit Iacob, sive Israel: sicut enim ipse cum Angelo, Dei vicario et legato, luctans et et prævalens, vocatus est Israel, id est, dominans Deo: sic multo magis Christus fuit Israel, id est dominatus est Deo, cum Deum iratum, sua obedientia usque ad mortem crucis, vicit, eumque hominibus fecit propitium, itaque Dei vindictam et sententiam damnationis in homines latam rescidit. Vide cap. 21.

Israel est Christus cur?

Quia in te gloriabor.) Christus enim in hoc mundo per tot labores et cruces, non aliud quæsivit, quam gloriam Dei, ut per ea glorificaret Patrem. Unde ipse ait

Ioan. 17. 4. *Ego te clarificavi super terram, etc.*

Secundo, q. d. Es quidem servus meus, sed et es tota gloria mea, et decor meus, quia in te uno ostendi mundo abyssum meæ bonitatis et amoris: unde illam in te mundus agnoscens subdidit se mihi, meque pariter glorificavit. Ita Forerius.

Vers. 4. Et ego dixi: In vacuum laboravi.) Est vox Christi conquerentis, tot tamque validos labores et fatigationes suas, quas in docendo, concionando, discurrendo, patiendo exhausit apud Iudæos, fuisse sine fructu. Pauci enim ex eis conversi sunt. Ita S. Hieron.

Ergo iudicium meum cum Domino.) q. d. Ego Christus manifestavi nomen tuum, o Pater, hominibus, puta Iudæis; feci quidquid potui pro eorum salute, usque ad crucem et mortem, in qua, inclinato capite, clamavi: *Consummatum est.* Iudicium ergo huius causæ tibi, Pater, committo; tu iudica, cuius culpa factum sit, ut tam pauci ex iis mea opera sint conversi et salvati, ait S. Hieronymus, eosque qui meos labores spreverunt, et in se cassos reddiderunt, iudica et puni.

Interim, *opus meum*, id est, merces operis mei, ait Chaldæus, *cum Deo meo*, id est apud Deum, apud te scilicet, o Pater, mihi integra servatur. Tu enim bona opera remuneras, secundum laborem, non secundum effectum et fructum ex iis consecutum, qui sæpe non est in operantis potestate; imo ab auditoribus duris, vel ab æmulis, cassus redditur. Notent hoc Christumque imitentur viri Apostolici, qui vel hic, vel in India apud Barbaros, ingentes labores exantlant, subinde parvo cum fructu: merces enim et laurea Apostolica integra eis servatur apud Deum.

Secundo, Sanchez sic quoque exponit: *Iudicium*, id est, pactum meum est cum Deo Patre, ut scilicet sicut eum ego glorifico, sic ipse vicissim me glorificet, illudque ipse abunde præstitit. Unde *opus.* id est, merces operis mei mansit apud Deum, mihique data est, cum ipse me glorificavit in baptismo, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite*, Matth. 17. 5. et in morte, inducendo tenebras orbi, et in ipsa resurrectione me gloriose resuscitando.

Tertio, Forerius Hebr. מִשְׁפָּט *mispat*, id est *iudicium*, sumit pro statu, conditione, officio et exercitiis: sic enim sæpe sumitur, q. d. Ne putes ex eo, quod frustra apud Iudæos laboravi, me non missum fuisse a Patre, aut aliter negotium, ad quod misit me, tractasse, quam debui, aut in aliquo deliquisse. Nam conditio, status, officium, exercitia, omnesque actiones meæ, a Deo Patre dispositæ fuerunt et ordinatæ, a cuius iudicio et ordine ego ne latum quidem unguem recessi. *Nam sicut mandatum dedit mihi Pater, sic* feci, et *facio* semper. Verum primus sensus maxime planus et germanus est.

Vers. 5. Et nunc dicit Dominus.) Hic Deus inducitur quasi respondens querelæ Christi, quod frustra apud Iudæos laborarit. Respondet autem vers. sequent. Hoc enim versu Christus causam suam exponit et iustificat.

Formans me ex utero servum sibi, ut reducam Iacob.) Hinc patet Christum per se, et primario, quasi ex officio et instituto, missum esse a Patre, ad Iudæos docendos et salvandos: his enim ab eo promissus erat Messias. Quare Christus a Patre præceptum accepit docendi Iudæos, illudque per se et per Apostolos, vivens implevit: unde mandavit eis, dicens Matth. 10. 5. *In viam Gentium ne abieritis, etc. Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Cum ergo Iudæi repellerent eius Evangelium, voluit Deus, Christusque in cælum abiens iussit Apostolis, ut prædicarent Gentibus totique orbi. *Euntes*, ait, *docete omnes Gentes etc.* Matth. 28. 19. S. Paulus Act. 13. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, etc. ecce convertimur ad Gentes: sic enim præcepit* (Pater Christo, et Christus) *nobis: Posui te in lucem Gentium, etc.*

Et Israel non congregabitur.) Ita habent Hebr. Symmach. Theodot. et alii. Quare perperam alii, pro לא *lo* per *aleph*, id est *non*, legunt לו *lo* per *vau*, vertuntque contrarie, *et congregabitur.* Sensus est, q. d. Quæsivi oves perditas Israel, ut eas reducerem in caulam et Ecclesiam Dei; sed illæ noluerunt: itaque non congregabuntur, id est nolent colligi et congregari in ea.

Et glorificatus sum in oculis Domini.) Tum quia gloriosa signa et miracula coram Iudæis edidi, quibus eos infidelitatis et pertinaciæ coargui et convici; tum quia Deus Pater pro Iudæis tradidit mihi omnes Gentes mundi. Harum enim conversio et salus fuit ingens Christi gloria, æque ac gaudium. Causam subdit dicens:

Et Deus meus factus est fortitudo mea.) q. d. Non mihi gloriam iam dictam ascribo, sed Deo Patri: ille enim mihi fortitudinem et robur dedit, ad illam acquirendam, et ad opus redemptionis humanæ peragendum. Haymo fortitudinem intelligit eam, qua Christus potenter, Dei virtute, a morte est suscitatus et resurrexit.

Parum est.) Hebr. נָקֵל *nakel*, id est, *leve est;* Forerius vertit, *vile*, indecorum, ignominiosum est, q. d. Si cui ignominiosum videtur, quod non valueris ad me reducere Israelitas; ecce, do te in lucem Gentium: itaque hanc ignominiam maiori laude et gloria compenso et obruo. Vers 6.

Fæces.) Hebr. נְצוּרֵי *netsure*, id est reservati et superstites ex tot cladibus et excidiis, præsertim Titi et Vespasiani; quod Noster recte vertit, *fæces*, id est viles et exiguas reliquias *Israel.* Iam enim Iudæi ita abiecti, exsules et miseri sunt, ut videantur esse fæces omnium gentium, et mundi quisquiliæ.

Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis quasi sol spiritualis et divinus mundi, et *lumen ad revelationem Gentium*, ut canit Simeon Luc. 2. 32. ut sis salus mea.) Septuag. *ut sis in salutem.* Vide quam Deo cordi et curæ sit salus nostra, cum eam vocat suam. *Volo*, inquit S. Hier. *ut salus mea universum orbem occupet.* En gloriam magnificam Christi. An non enim gloriosum est, quod unus homo crucifixus in toto orbe pro Deo colatur? et barbaras nationes ad se et ad Deum, per discipulos suos adduxerit? an non gloriosum est, quod pro angulo Iudææ, occupet extrema terræ, et fines orbis? Quod enim Apostoli fecerunt, hoc Christus in eis loquens et cooperans effecit.

Hæc dicit Dominus, etc. ad contemptibilem animam.) Id est, ad viles Iudæos, qui iam quasi servi viles et contemptibiles sunt. Ita aliqui apud S. Hieron. Unde et S. Thomas refert hæc ad Iudæos Babylone liberatos; Hugo vero ad Cyrum, qui puer in sylvis, bestiis iussu Astyagis avi sui expositus, a Deo evectus est ad regnum. Verum dico sermonem esse ad Christum, eiusque discipulos. Christus enim ab Herode, Anna, Pilato et Iudæis contemptus fuit, quasi *vermis, et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis:* et, ut Isaias ait cap. 53. v. 3. et 4. *Despectus, et novissimus virorum: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.* Tales fuerunt quoque Apostoli, et primi Christiani sub Imper. Gentilibus et tyrannis. Christianos ergo vocat Gentem abominatam, et servum quorumlibet dominorum. Unde Aquila et Theod. vertunt: *Ei qui despicit animam, qui abominationi est genti, qui servus est principum*, id est Christo cum suis Christianis, qui pro genere humano redimendo, quasi servus, mancipium, imo quasi bestia, consputus, coronatus, cæsus et irrisus, *ave Rex Iudæorum*, animam suam dedit in mortem principibus Iudæorum ac Pilato. Ita S. Hier. Cyrill. et Procop. Euseb. Tertull. et ex iis Leo Castrius, Forer. Sanchez et alii. Vers. 7.

Unde Septuag. vertunt: *Sanctificate eum qui despicit animam suam, qui abominatur a Gentibus, servus principum.* Hoc est quod Christus suis prædixit Luc. 21. 17. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum;* et Ioan. 16. 2. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Id contigisse reipsa Apostolis, patet Actor. 2. 5. 6. et seq. et 1. Cor. 4.

Sensus ergo est, q. d. Licet Christus et Ecclesia iam videatur contemni et calcari, ac in eam totus orbis odiis insurgere, ait Cyrillus, atque Christianos probris et tormentis excruciare, quasi vilia mancipia, imo quasi oves morti destinatas et quasi purgamenta mundi; tamen hæc

eorum misera sors non diu durabit: nam ego brevi vicem commutabo, faciamque, ut reges eam honorent et adorent. Hoc est enim quod sequitur:

REGES VIDEBUNT, ET CONSURGENT PRINCIPES, ET ADORABUNT.) q. d. Reges et principes assurgent, et venerabundi supplicabunt tibi, o Christe, et Ecclesia: hoc est, ut ait v. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Secundo, S. Hieron, et Procop. hæc referunt ad diem iudicii: tunc enim Christus, Apostoli et Martyres, sedentes in gloriosis thronis, iudicantes duodecim tribus Israel, quin et Annam, Caipham, Pilatum, Neronem, Decium, Diocletianum, omnesque reges et tyrannos, qui olim eos persecuti sunt, iudicarunt, et condemnarunt, et excruciarunt; cogent quasi reos, ad suum tribunal sisti, et fieri supplices, seque venerari, eosque iudicabunt et condemnabunt.

PROPTER DOMINUM, q. d. Dominus erit causa efficiens huius mutationis, ut reges, ante hostiles, nunc adorent Christum et Ecclesiam: QUIA FIDELIS EST.) Ut hoc ipsum, quod ei promisit, præstet.

Aliter Forerius: Propter Dominum, inquit, deferebant principes hunc honorem discipulis Domini; quia eos videbant et agnoscebant electos a Domino, a sancto illo Israelis Deo, quod ex signis et virtutibus, et ingenti malorum tolerantia, inaudita mansuetudine, cæterisque cælestibus donis, quæ non possunt non admirari, vel barbari homines, et reges ipsi, manifeste intelligebant, hæc non nisi ex ope et virtute Dei, qui fidelis est et liberalis in sanctos et electos suos, proficisci. Unde ad Dei huius amorem et cultum impulsi, et tantum non coacti sunt.

Vers. 8. HÆC DICIT DOMINUS: IN TEMPORE PLACITO EXAUDIVI TE.) q. d. Eo tempore, quo contemnebaris, vexabaris, imo crucifigebaris, o Christe, ab impiis Iudæis, orasti me ut te ab hisce Iudæorum et Gentilium probris eriperem, glorificarem, a morte suscitarem, nomen tuum toto orbe celebrarem, et per illud iustitiam et salutem darem omnibus gentibus. Dixisti enim in tempore contemptus tui Psal. 68. v. 12. et 14. *Factus sum illis in parabolam. Ego vero orationem meam ad te, Domine*, dirigebam: *tempus beneplaciti* (adveniat) *Deus. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.* Idem orasti in cruce *cum clamore valido et lacrymis* et *exauditus* es *pro tua reverentia*, Hebr. 5. 7. Nam tertio die a morte te suscitavi, quadragesimo die triumphantem in cælos subvexi, quinquagesimo die in nomine tuo Spiritum sanctum in Apostolos tuos misi, qui mox tuum nomen toto orbe celebrarunt, tuamque fidem, gratiam et salutem omnibus Gentibus attulerunt et deprædicarunt.

Tempus ergo *placiti*, sive benevolentiæ (hanc enim significat Hebr. רצון *ratson*) divinæ erga Christum et Ecclesiam, est tempus placabile, quo Deus placatus et reconciliatus est per Christum generi humano, puta tempus gratiæ et Evangelii, præsertim id quod mox Christi mortem consecutum est, in quo vivebant, docebant et convertebant orbem Paulus et Apostoli. Sic enim explicat S. Paulus 2. Cor. 6. 2. *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Idem enim est *tempus acceptabile*, quod *dies*, id est tempus, *salutis*.

Sunt verba Patris ad Filium, q. d. Exaudivi, id est exaudiam te, cum incarnatus et natus fueris, pro membris tuis, et in membris tuis, puta Apostolis et Christianis, deprecantem, opemque, gratiam et salutem toti mundo postulantem. Hæc enim ob preces tuas illi conferam et præstabo. Vide canon. 40. Ita S. Hieron. Cyrill. Procop. et passim alii.

ET SERVAVI TE.) Ne moriens interires, sed mox gloriose resurgeres: hoc tibi conferam. Sequitur aliud quod tuis fidelibus in tui gratiam præstabo.

ET DEDI TE IN FOEDUS POPULI.) Ut novum fœdus, pactum et testamentum conderes inter Deum omnesque Gentes, sicut vetus fœdus sanxit Moses inter Deum et Iudæos, utque hoc fœdus tua morte, et sanguine sancires. Unde secundo, *dedi te in fœdus*, id est, in victimam fœderalem,

A qua placatus Pater, hominibus reconciliatus est, cum iisque fœdus iniit de danda eis salute æterna. Ita Forerius qui et addit: Dicitur quoque Ecclesia primitiva, et Apostoli, qui unum cum Christo corpus efficiunt, fœdus populorum, quia ministri fuerunt huius reconciliationis et fœderis, illudque sua quoque morte et martyrio obsignarunt. Hoc est enim, quod paulo ante cap. 6. iam citatum ait Paulus: *Pro Christo legatione fungimur. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

UT SUSCITARES TERRAM.) Ut homines terræ incolas, in peccatum lapsos, et in mortem ac gehennam ruentes, erigeres, atque ad vitam et salutem cælestem revocares.

ET POSSIDERES HÆREDITATES DISSIPATAS.) Gentium sedentium in tenebris, carcere et umbra mortis, infidelitatis, ignorantiæ et peccatorum, per eaque dissipatarum, longeque recedentium a fide, Deo, gratia et salute. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et alii. Simili metaphora utitur Isaias cap. 35. v. 6. et sæpe alibi.

B Secundo, Forer. *Hæreditates*, ait, desolatæ, et *dissipatæ*, vel, ut in Hebr. est, *afflatæ*, id est, quas initio, qui videbant, quasi rem absconditam, exsecrabantur atque exsibilabant, erant virtutes et dotes Christi et Christianorum, puta, contemptus, vigiliæ, ieiunia, paupertas, fames, nuditas, probra, flagella, crux, etc. Adde innocentiam, castitatem, continentiam, mansuetudinem, humilitatem, etc. Quis enim hæc non horrebat, ut crucem et furcam? At in has desertas possessiones induxerunt nos Christus et Apostoli, ut ea iam ambiamus, iis nos ad cælum tendere, iis nos beatos esse æstimemus. Hic sensus subtilior et spiritalior, prior solidior et germanior est.

UT DICERES HIS, QUI VINCTI SUNT: EXITE.) Exite, Vers. 9
o Gentes, ex vinculis peccatorum, ex reatu culpæ et pœnæ, quo diabolo et inferno astricti estis: ego per Christum in libertatem, et gratiæ statum, vos assero, imo in amicos et filios meos adopto.

ET HIS, QUI IN TENEBRIS (idololatriæ et gentilismi) REVELAMINI.) Hoc est illustramini, luce Evangelii per-
C fundamini; ac consequenter, *abiicite opera tenebrarum et induimini arma lucis, ut sicut in die honeste ambuletis.* S. Anselm. in Elucidario hæc refert ad animas in limbo et Purgatorio existentes, quas omnes Christum inde liberasse, cum eo descendit post mortem, censet, de quo plura dixi Osee 13. 13.

SUPER VIAS PASCENTUR, ET IN OMNIBUS PLANIS PASCUA EORUM.) Hisce et sequentibus metaphoris, significat Propheta, tempore Christi, non Hierosolymis tantum, ut olim, sed ubique Gentium, fore copiam pabuli, et fontium spiritalium, puta verbi Dei, gratiæ, Sacramentorum, omnisque consolationis spiritalis. Denique promittit Deus, se tunc ablaturum omnia impedimenta, ut via salutis sit plana et expedita inter prospera et adversa. Ita S. Hier. Cyrill. et Orig. l. 1. contra Celsum. Speciatim Origenes per *pascua* accipit templa: S. Hier. vero et Cyrill. S. Scripturam, doctrinam Evangelicam, et quidquid animam pascit. Hoc est quod ait Christus: *Ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet*, Ioan. 10. 9.

D NON ESURIENT, NEQUE SITIENT, ET NON PERCUTIET Vers. 10.
EOS ÆSTUS ET SOL.) Alludit ad Hebræos in deserto, quos Deus pavit et satiavit manna de cælo, atque columna nubis protexit a solis æstu, q. d. Simili modo, imo potiori et feliciori, Deus Christianos pascet et satiabit suo Evangelio, sua doctrina et gratia, ac præsertim Eucharistia: atque proteget eos ab æstu tentationum, ut si eo niti, eum sequi, eiusque gratiæ cooperari velint, omnes tentationum et tribulationum æstus sint superaturi, neque experturi ullam famem aut sitim spiritalem. Hoc expertus Paulus dicebat 2. Cor. 4. 8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus: semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Levius ergo ferunt pii suas adversitates et afflictiones, in quibus non raro cum Paulo gaudent et gloriantur, quam improbi suas felicitates,

in quibus non raro nauseant. Ita Forerius.

Anagogice, hæc accipe de beata saturitate gratiæ et gloriæ in cælo. Ita enim accepit S. Ioannes Apoc. 7. 16.

Quia miserator eorum reget eos.) Hæc est causa, cur non sitient, non urentur sole, quia scilicet Deus, qui ex intimis charitatis visceribus eorum miseretur, et afflictionibus eorum compatitur, et quasi condolet, diriget, vel, ut Vatablus vertit, pascet eos, *et ad fontes aquarum*, iam dictos, *potabit eos*. Alludit ad Psal. 22. 1. *Dominus regit me* (hebr. *pascit me*) *et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.* Nota: Pro *potabit*, Hebræa et Septuag. habent, *portabit;* Latina vero Biblia, Romana, et alia passim legunt *potabit*, pleniori sensu: nam portabit eos ad fontes, ut ibi potet eos.

Vers. 11. Et ponam omnes montes meos in viam, et semitæ meæ exaltabuntur.) Alludit ad Hebræos ex Ægypto venientes in Chanaan et Ierusalem, eoque redeuntes ex Babylone. Hisce enim Deus quasi complanavit montes et semitas, sive valles: montes deprimendo, valles implendo et attollendo; quia fecit ut plana et commoda via, læti B et alacres proficiscerentur, q. d. Pari, imo meliori modo, deducet gentes, ubivis locorum sint, ut ardua et aspera quæque superent, planaque via contendant ad Ierusalem et Sionem, hoc est, ad Ecclesiam Christi. Hoc est, quod ait Ioannes Baptista: *Omnis vallis implebitur: et omnis mons, et collis humiliabitur*, Luc. 3. 5.

S. Cyrill. speciatim per *montes* accipit sublimitates virtutum. Olim, ait, virginitas, continentia, innocentia, patientia, martyrium, inimicorum dilectio, mundi despicentia, etc. videbantur esse virtutes homini impossibiles, et quasi montes inaccessi: nunc per Christum, Deus illas planas et faciles reddidit; itaque viam ad perfectionem et cælum quasi complanavit, et in æquabilem semitam redegit; ita tamen, ut hominibus terrena sapientibus exaltata videatur, et revera sit. *Nostra* enim *conversatio in cælis est.*

Vers. 12. Ecce isti de longe venient.) S. Hieron. Forerius et Sanchez putant hic significari quatuor plagas orbis, quod C scilicet ex eis venturæ sint Gentes ad Christum et Ecclesiam. Unde per τὸ *de longe* accipiunt Orientem. Verum, non videtur hoc loco id curæ fuisse Prophetæ: nec enim τὸ *de longe*, significat Orientem potius quam Occidentem, cum æque ex Occidente remotissimo, atque ex Oriente venturæ essent Gentes ad Ecclesiam: uti hodie ex remotissimis Americæ regionibus venire videmus. Alibi enim satis hasce plagas expressit, ut c. 43. 5. *ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da; et Austro: Noli prohibere:* Τὸ ergo *de longe* potius genericum est, quamlibet mundi plagam remotam, in genere significans. Unde illud subdividens, non in omnes, sed in aliquas eius potiores partes, subdit: *Ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi.* Τὸ enim *ecce*, quod præposuit τῷ *de longe*, dicens: *Ecce isti de longe venient*, semel tantum repetit in sequentibus membris, dicens: *Ecce illi ab Aquilone*, *etc.* significans hæc tria membra quæ sequuntur explicare et subdividere τὸ *de longe*. Alioquin enim si *de longe* solum Orien- D tem significaret, vocem *ecce* æque Occidenti et Austro præposuisset, atque Orienti et Aquiloni.

Et mari.) Hoc est, de Occidente. Vide can. 39.

Et isti de terra Australi.) Hebr. ואלה מארץ סינים *veelle meerets sinim*, quod Hebræi, teste S. Hieronym. Forer. Forster. Vatabl. et Sanchez vertunt, *et isti de terra Sinæorum*, sive incolarum vel accolarum montis Sina, hoc est, Australium. Sina enim, inquiunt, est ad Austrum Iudææ. Secundo, Septuag. vertunt, *et isti de terra Persarum.* Per Persas autem tres Magos, quasi illi ex Perside venerint, significari putant S. Cyrill. et Procop.

Prophetia de Sinarum conversione. Verum dico cum Osorio et Aria Montano, hic esse prophetiam de vastissimo et magnifico regno Sinarum; verto ergo: *Et isti de terra Sinarum.* Porro Sinæ sunt in extremo Oriente, iuxta Iaponem; et versus Septemtrionem, proximam habent Tartariam.

Probatur hæc sententia: primo, quia *Sinim* proprie si- A gnificat Sinas, nec potuit Isaias Sinas hebr. aliter nominare, quam dicendo, *Sinim.* Sicut enim hebr. *Ghelilim* vocantur Galilæi, *Iehudim* Iudæi, *Assurim* Assyrii, *Casdim* Casdæi, sive Chaldæi, *Aramim* Aramæi, id est Syri: ita *Sinim* vocantur et sunt Sinæ. Porro Sinæ hoc nomine, non alio (esto ipsi domi suæ alio se vocent) toto orbe Christiano sunt notissimi. Prob. I.

Secundo, quia cæteri interpretes, inquit S. Hieron. puta Symmachus, Aquila et Theodotion, uti et Syrus et Arabicus tam Antiochenus quam Alexandrinus, ac Leo Hebræus, retinuerunt Hebræum nomen *Sinim*, quasi proprium gentis, vertuntque, *et isti de terra Sinim*, id est Sinarum, ut iam dixi. II.

Tertio, *Sinim* esse Sinas potius quam Sinæos, sive accolas montis Sina, probatur primo, quia nusquam in Scriptura Sinæi vel Australes hebr. vocantur *Sinim* a monte Sina, cum tamen montis Sina, crebra fiat mentio. Rursum Meridies, sive Auster, non vocatur hebr. Sina, sed *negheb* vel *theman*. Tertio, Sina mons, ait Sanchez, magis est ad Occasum Iudææ, quam ad Austrum (quod tamen in tabulis geographicis non apparet, ibi enim notatur quasi Australis Iudææ) unde ipse per *Sinim* hic accipit Occasum, per *mare* vero Austrum: mare enim Mediterraneum, tam est ad Austrum, quam ad Occasum Iudææ. Unde in Scriptura *mare*, nunc Austrum, nunc Occasum denotat. Quarto, Sina mons est desertus, et paucos habet accolas. Quorsum ergo in tanta gentium multitudine, qui ad Ecclesiam venturi erant, solos Sinæos desertos et paucos nominasset Propheta magniloquentissimus? III.

Quarto, quia per *Sinas* proprie explicamus τὸ *Ecce isti de longe venient.* Sinæ enim longissime ab hoc orbe dissiti sunt, sitique in extremo Oriente, cum Sinæi vicini sint Iudææ. IV.

Dices, Cur ergo S. Hieron. cuius versio probata est ab Ecclesia, pro *Sinim* vertit, *de terra Australi?* Respondeo: Quia tempore S. Hieron. Sinæ, et Sinarum regio erat incognita; unde per *Sinim* ipse in comment. accepit Sinæos, qui post Sinas proxime accedunt ad Hebr. *Sinim.* Spiritus sanctus tamen manum eius direxit, ut non Sinæos, sed terram Australem verteret. Sinæ enim, qui proprie hic significantur, licet sint ad Orientem, dici tamen possunt esse ad Austrum: primo, quia Lusitani in Sinas navigaturi, initio longo flexu navigant ad Austrum, scilicet ex Lusitania usque ad promontorium Bonæ spei, quod ultimum est in continente, et directe oppositum Austro. Ita Arias. Simili modo Babylon vastatrix Iudææ, dicitur in Scriptura esse ad Aquilonem Hierosolymæ, cum potius sit ad Orientem, quia scilicet Nabuchodonosor cum suis copiis per Dan, sive Cæsaream, quæ Aquilonaris est Hierosolymæ, ingressus est Iudæam, indeque perrexit in Ierusalem, uti dixi Ierem. cap. 1. vers. 13. Cur pro Sinim, versum est terra Australis. Resp. I.

Secundo, quia sub Austro hic quoque Orientem (quem ideo non nominat) subintelligit. Opponitur enim hic Auster tam Aquiloni, quam mari, id est Occidenti. Unde Septuaginta, quibus pariter Sinæ erant incogniti, pro *Sinim* vertunt Persas, qui sunt ad Orientem Iudææ. Porro per Persas, directum e Iudæa est iter terrestre in Sinas. Quocirca et S. Hieron. quibus de voce *Sinim*, putansque hic quatuor orbis plagas significari, per *Sinim* ait posse accipi Orientem. *Si autem Sinim*, inquit, *ut Septuaginta transtulerunt, Persas intelligimus, qui ad Orientem siti sunt: illud quod supra dicitur, Ecce isti de longe venient, ad Austrum referre poterimus.* Per *Sinim* ergo accipe cum S. Hieronymo et Septuaginta Orientales populos: et quos alios accipies, quæso, quam Sinas? Quid enim Persis cum voce *Sinim? Sinim* ergo, hoc est Sinas, ad Sionem, id est Ecclesiam Christi, venturos prædicit. II.

Quæres: Cur præ aliis Gentibus tot tantisque solorum Sinarum meminit Isaias? Resp. primo, quia dixerat: *Ecce isti de longe venient;* Sinæ autem longissime distant. Rursum, quia, ut docet noster Maffeius lib. 6. Botterus lib. de Magnitudine imperior. in Sinensi, Ortelius et alii, Sinæ numerosissimi sunt, eorumque regio adeo populosa Cur præ aliis nominantur hic Sinæ. Resp. I.

est, ut urbes vulgares censeantur supra 1130. maiores 247. Rursum incolæ non tantum in oppidis et pagis, sed et in fluminibus, pontibus et navibus habitant.

Botterus scribit, in Sinis numerari 70. milliones hominum, quæ multitudo non est in tota Europa. Nam Italia, ut idem tradit, numerat 10. milliones, Anglia tres, Gallia 12. Germania 15. et ita consequenter. Quocirca Sinarum rex semper in armis habet alitque decies centena millia militum. At vero noster Nicolaus Trigautius, qui plures annos in Sinensi regno habitavit, et visa, non audita narrat, asserit lib. 1. de Expedit. Sinensi, in eo censeri supra 58. milliones adultorum, qui regi pendunt tributum. Sed in his neque mulieres, neque pueri, neque adolescentes, neque eunuchi, neque milites, neque magistratus, et litterati, aliique multi continentur, qui omnes si computentur, excedunt 250. milliones.

In China sunt 250. milliones hominum.

II. Secundo, quia Sinæ mire ductum naturæ et rationis sequuntur, suntque humani et dociles æque ac ingeniosi: unde typographiam et ænea tormenta ante Europæos habuerunt, magistratus et politiam habent admirabilem, in qua, ut volebat Plato, rectores philosophantur, et non nisi philosophi et eruditi regunt. Quocirca valde capaces sunt sapientiæ Christianæ, et Philosophiæ cælestis et supernaturalis, quam mundo attulit Christus per suum Evangelium.

III. Tertio, quia opulentissimi sunt. Abundant tritico, vino, oleo, carnibus, piscibus, fructibus omnis generis, lino, bombyce, lana, fodinis auri, argenti, æris et metallorum omnium. Scribunt Botterus et Maffeius, annuum regis Sinarum censum esse centum et viginti milliones auri. Vas autem auri vocant centum millia non florenorum, sed aureorum: aureus autem est drachma auri, sive 12. Iulii, aut Regales. Quæ summa tanta est, ut Vespasianus, licet orbis monarcha, et auri cupidissimus, moriens semel tantumdem non reliquerit. Hinc Sinæ suum regem vocant *cæli filium, et mundi dominum.* At vero noster Trigautius ex ipsis Sinensium tabulis docet annuum regis censum excedere 150. milliones, quæ summa Europæis videtur immensa et incredibilis: sed ipse vectigalia computusque regis subducens, legenti facile id ita esse persuadet.

Annuus regis Sinarum census 150. milliones.

IV. Quarto, quia Sinæ inaccessi sunt, et sub periculo capitis aut servitutis et carceris, exteris omnibus aditum in regnum interdicunt. Unde et muro, qui quadringentas et quinque leucas longus est, a Tartaris se diremerunt: atque contra eos, si irruant, mox rex trecenta peditum, ducenta equitum millia, imo, si vult, millionem militum, in aciem educit. Significat ergo Isaias, Sinas, licet alios exteros excludant, non tamen exclusuros suo tempore Europæos Apostolos; qui non tantum horologia, astrolabia, Astronomiam, Mathesin, Physicam, Metaphysicam, aliasque naturales scientias, ac præsertim Ethicam, Œconomicam ac Politicam, quibus mire iustitia, felicitas et splendor rerumpubl. increscit et clarescit; sed etiam supernaturales disciplinas, puta fidem et legem Christi, Ethicam et sapientiam Christianam, ac Theologiam, quæ viam in cælum, ad bene beateque vivendum in omnem æternitatem, ostendunt, quæque simul remp. miro sapientiæ et virtutis splendore illustrant, eamque in æquitate, obedientia, modestia et pace conservant, atque ei pariter ingens decus et opes, Deique eximium favorem et beneficentiam conciliant; incolas doceant, eosque ad omnem virtutem et sanctimoniam instituant, itaque eos ad vitam immortalem, et gloriam sempiternam in cælis obtinendam perducant.

Nominat ergo Propheta Sinas præ aliis populis, ut doceat Sinas licet aliis inaccessos, remotissimos et potentissimos, Christo tamen Dei filio, eiusque Ecclesiæ se subdituros, ut ab eo gratiam et salutem adipiscantur. Rursum ut significet insignem fore conversionem, et illustrem Ecclesiam Sinarum præ aliis Indiarum, imo orbis Ecclesiis. Unde exsultans, et in iubilum effusus subdit: *Laudate, cæli, et exulta, terra; quia consolatus est Dominus populum suum.* Porro hæc conversio et illuminatio Sinarum, nostro hoc felici sæculo, magni Indiarum Apostoli S. Francisci Xaverii, Matthæi Riccii, aliorumque Nostrorum incenso zelo, fieri cœpit, et magis fit crescitque in dies.

Nota: Sub Sinis intelligi Iapones vicinos, qui a Sinis suam sapientiam et religionem acceperunt. Item medios Indos, omnesque Orientales et Australes populos: hos enim quasi medios vel confines, ab extremitate et termino, puta a Sinis, designat et complectitur. Ita nuper Iaponii reges aliquot ad Christum conversi, legationem a sæculis inauditam Romam miserunt ad Gregorium XIII. Pontificem, illique per suos legatos obedientiam et pedum osculum detulerunt: atque de Iaponum fidei, pietatis ac martyrii zelo, Christianorumque propagatione et sanctimonia, instar primitivæ Ecclesiæ, mira et magna ex Iaponicis Nostrorum litteris, quotannis ingenti animi voluptate audimus.

Horum ergo, quæ nec S. Hieronymus, nec prior ætas vidit, hoc ævo experientia clare explicat, et deinceps magis explicabit, hoc Isaiæ vaticinium.

Agite ergo, o generosi athletæ Christi, o Apostoli, o Religiosi zelosi, qui vitæ vestræ prodigi per immensa Oceani et terrarum spatia, ultra Seras et Indos, ad Sinas et Iapones, puro ipsorum salutis desiderio, Deique amore contenditis; agite constanter, et animose pergite, labor vester non erit inanis in Domino. Æstus, frigora, famem, sitim, persecutiones, carceres, flagella, mortes et martyria alacriter superate. Hisce fundata est primitiva Ecclesia, fundanda est et Sinensis. Spondet vobis Isaias, imo spondet per ipsum Spiritus sanctus, qui falli aut fallere nequit, cui nulla vis, nulla ars, nulli obices resistere possunt, Sinarum conversionem: spondet apud eos aras et templa Christi, spondet gloriosam stabilemque Ecclesiam. Agite et vos, o Sinæ, o nobiles animæ, alacres excipite lætum hoc, æque ac magnificum de vobis a nobilissimo Propheta ante bis mille annos editum oraculum. Reverenter suscipite magni Dei Apostolos, quos ipse tempora prioris ignorantiæ despiciens, misertus vestri, nunc quasi postliminio vobis submittit. Exultantes amplectimini Evangelium Salvatoris nostri Iesu Christi, gratias agite Deo, *qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*, atque *in partem sortis sanctorum. Iam* enim *non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei.* Vobis ergo intonat Isaias: *Revelamini. Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol: quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.*

Laudate cæli.) Hebr. רננו *rannenu*, id est *iubilate*, Vers. 13.
ut Vatabl. *ovate*, ut Forer. Propheta invitat inanima, puta cælos et terram, ut tantum Dei beneficium, quo Sinas Gentesque omnes ad se suamque gratiam et salutem vocavit, celebrent cum iubilo et triumpho. Vide hic pium Prophetæ zelum salutis animarum. Optat enim cælis et elementis mutis linguas, quibus congratulentur hominibus, e captivitate peccati redeuntibus, ait Forer. Rursum audi S. Hieron. *Præcipitur*, inquit, *cælis et terræ; vel his virtutibus quæ in cælo morantur et terra; vel Angelis et hominibus, ut Dei concinant laudes. Et qui in excelso virtutum positi sunt, mentis lætitiam iubilo et exultatione testentur.* Causam subdit: *Quia consolatus est Dominus populum suum, puta eos qui ex Iudæis credere voluerunt. Et pauperum humiliumque suorum misertus est, sive omnis populi sui, qui de Oriente et Occidente, Aquilone et Austro ad eum vocatus est: non habens legem, nec Prophetas, nec divitias spirituales; sed desertus, pauper et humilis cunctis dæmonibus subiacebat.*

Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus.) Hæc usque Vers. 14.
ad finem capitis, aliqui ad litteram accipiunt de Sione carnali, hoc est de Synagoga, sive Iudæis in Babylone captivis, quasi illi vicem suam doleant et defleant, Deusque eos spe celeris reditus et melioris fortunæ consoletur. Ita Chaldæus, S. Thom. Hugo et Sanchez. Qui tres ultimi mystice per Iudæos, censent hic adumbrari Christianos, per Sion Ecclesiam Christi. Verum, multo hic augu-

sliora dicuntur, quam ut carnalibus Iudæis conveniant. Fateor tamen ad illos alludi.

Secundo, S. August. Euseb. Cyrill. Iustinus, Tertull. et ex eo Leo Castrius, per Sion ad litteram accipiunt Ecclesiam Christi, putantque hanc esse vocem Ecclesiæ et Apostolorum tempore persecutionis quasi querentium se a Deo derelictos. Verum Apostoli, primique fideles in persecutionibus, non querebantur, sed gaudebant et exsultabant: sciebantque, imo videbant per eas, perque martyria, Ecclesiam crescere. Deinde, paulo ante promisit Deus numerosam sobolem ecclesiæ, ex omnibus terræ partibus: *Ecce*, ait, *isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone, etc.* Ergo non poterat statim queri Ecclesia se a Deo derelictam.

Dico ergo cum S. Hieron. Haymone, Forer. et aliis, per *Sion*, hic accipi Synagogam, et Iudæos, verum non omnes, sed tantum in Christum credentes et pios. Ii enim videntes multo maiorem suæ gentis partem deficere a fide et Christo, seque esse paucos, queruntur quod Deus Sion et Synagogam videatur reliquisse. Quibus respondet Deus, se eorum curam gerere, se minus eorum posse oblivisci quam mater sui infantis, se eos habere semper præ oculis, imo in manibus descriptos, ac proinde curaturum, ut Sion, id est Ecclesia fidelium, non intereat, nec minuatur. Nam licet pauci Iudæi obstinati deficiant, se pro iis innumeram Gentium multitudinem surrogaturum atque undequaque ad Ecclesiam adducturum. Ad Iudæos enim hæc pertinere, præter rationes iam allatas, suadet id quod c. seq. initio dicit, se matri eorum, id est Synagogæ Iudaizanti, dedisse libellum repudii, et quod c. 51. initio dicit: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos.* Idem enim argumentum more suo tractat Isaias seq. cap. quod hoc capite.

Ubi nota: Isaias, uti et Evangelistæ, per Sion et Iudæos, nunc fideles et pios, nunc incredulos et impios, intelligunt, ut, cum illos consolantur, mox hos redarguant. Vide canon. 7. Dolebant enim Iudæi fideles, suam gentem olim sanctam, et a Deo electam, nunc a fide et sanctitate deficere, atque a Deo reiici et reprobari, querebanturque hac de re apud Deum; quibus ipse respondet: Etsi gens illa ex parte periret, Sion tamen, id est Ecclesiam, non perituram, in eaque tuenda se servaturum promissa Abrahæ et patribus facta. Eamdem querelam Iudæorum tractat Apostolus Rom. 9. 6. ac respondet Dei promissa facta esse filiis Abrahæ, non carnalibus, sed spiritalibus, hoc est, iis qui fidem et pietatem Abrahæ sectantur, sive illi Iudæi sint, sive Gentiles, *Non enim*, ait, *omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.*

Vers. 16. Ecce in manibus meis descripsi te.) Hebr. *exaravi te;* Septuag. *depinxi;* Theodot. *efformavi;* Symmach. *formavi;* Aquila, *accurate descripsi*, ut sis quasi signum, vel signaculum in manu mea, Cant. 8. 6. Est catachresis, q. d. Intime tui iugem memoriam servo, tui semper recordor, te tuaque sedulo curo, ac si in manibus meis te descripsissem, ut semper ferires oculos meos, quoties manus meas intueor. Unde sequitur: *Muri tui coram oculis meis semper.* Sanchez putat alludi ad annulos, in quibus amici eos solent exsculpere, quos intime amant et venerantur, quomodo Epicuri effigiem ab eius asseclis in annulo exsculptam, gestari solitam, tradit Cicero et Plinius l. 35. c. 2. Remotius est quod ait Arias, alludi hic ad ichnographiam architectorum, qui rudem fabricæ ideam, puta aream, in manu delineant et ostendunt.

Secundo, proprie Christus Ecclesiam sponsam suam singulosque eius fideles descripsit in cicatricibus vulnerum, quas in manibus pro eis suscepit, gestabitque semper, in æternum. Ibi enim eos descripsit non atramento, sed sanguine suo; non calamo, sed clavis et stigmatibus; non in cute, sed in carne, ita alte, ut ea nulla umquam ætas, nec æternitas, sit deletura. Inde enim fluxerunt dona gratiæ, Sacramenta Ecclesiæ, bonaque omnia spiritalia, quibus muros Ecclesiæ perpetuo tuetur et firmat. Ita S. Ambr. l. 6. Hexam. c. 5. Unde S. Cyrill. notat in manibus designari robur et potentiam, adeoque in manibus Christi fundatas esse Ecclesiæ vires insuperabiles. Sic enim ait: *Christi passio, et pretiosa crux, et manuum ipsius affixio, securitas fuit et murus inaccessus.* Christi ergo vulnera sunt certum tutumque fidelibus omnibus, in omni persecutione et tribulatione, perfugium et asylum. Huc ergo confuge, quisquis anxiaris, tristaris, affligeris. Pie S. August. in Soliloq. c. 2. *Manus*, ait, *tuæ Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me: manus, inquam, illæ quæ affixæ clavis sunt pro me. Opus manuum tuarum, Domine, ne despicias; vulnera manuum tuarum precor ut aspicias. Ecce in manibus tuis, Domine Deus, descripsisti me: lege ipsam scripturam, et salva me. En ad te suspiro creatura tua; creator es, recrea me. En ad te clamo factura tua; vita es, vivifica me. En ad te respicio tuum plasma; plasmator es, restaura me.*

Anagog. Procopius hæc refert ad librum vitæ qui est in manu Dei, in quo ipse electos ad gloriam indelebiliter conscripsit, ut nemo eos expungere, nec ipse eorum oblivisci possit.

Venerunt structores tui.) Alludit ad destructam a Chaldæis Ierusalem, quam numquam restaurandam fore putabant Iudæi: sed Deus Esdram et Nehemiam eius structores et restauratores effecit. Iam per hosce structores intelligit Apostolos, q. d. En adsunt Apostoli, qui te, o Sion, restaurent, imo renovent, et quasi novam Christi Ecclesiam ædificent. Pro *venerunt*, hebr. est מהרו *miharu*, id est festinarunt, id est festinantes venerunt, q. d. Iam iam restauraberis, ecce præsto sunt mei discipuli, qui te reædificent. Vers. 17.

Destruentes te et dissipantes a te exibunt.) Id est a te recedent, removebo eos, ne tui structuram impedire possint. Alludit ad Sanaballat, qui Nehemiam a reædificatione Ierusalem impedire conatus est, Nehem. c. 4. 1. q. d. Video, uti olim ita et nunc, ruinas murorum tuorum, o Sion; scio quid facto opus sit: cerno tuos hostes, Scribas, Pharisæos, Imperatores et tyrannos, apostatas et hæreticos, qui a te exeunt, suntque transfugæ ad hostes, te velle destruere, dissipare et evertere. Verum ego eos avertam vel compescam, vel certe efficiam ut tui structuram non impediant, sed potius promoveant. Unde Septuag. vertunt: *Cito ædificata es, a quibus destructa fuisti.* Nam Iudæi, ac præsertim Imperatores, Ecclesiam persequentes, postea ad eam conversi, magis eam propagarunt. Ita fecit Saulus, cum factus est Paulus. Ita fecit Constantinus Imperator eiusque posteri. Sic explicant S. Hieron. Cyrill. August. Tertull. Iustin. et ex eis Leo Castrius. Idem dicit et amplificat in seqq. Propheta, adeo clare, ut S. Aug. Tertullian. et Orig. asserant, ea interpretatione non egere. Orandus est etiamnum Deus, ut Ecclesiam suam benigne respiciat, eique tales structores restituat, et eam dissipantes amoveat, eique restituat iudices et principes eius, uti fuerunt prius, et consiliarios eius, sicut antiquitus ut vocetur civitas iusti, urbs fidelis.

Leva in circuitu.) q. d. Luges, o Sion, tuorum fidelium paucitatem: age, lætare; ecce vide populos venientes turmatim a quatuor orbis plagis ad te, ut tibi aggregentur et incorporentur. Tibi veniunt omnes isti, quia licet ex Abraham non sint prognati, sed ex Gentibus; filii tamen tui, æque ac Abrahæ sunt secundum fidem et spiritum. *His velut ornamento vestieris.* Numerosa enim beneque morata et sancta soboles, ingens ornamentum est matri: *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ*, ait Psaltes Ps. 127. 3. Vers. 18.

Notum est ex Valerio Maximo factum Corneliæ, quæ Gracchorum fuit mater. Cum enim matrona quædam suas ei gemmas, monilia et torques, magnifice ostentaret, exspectavit illa donec filii domum redirent: quos redeuntes matremque magna cum reverentia, modestia et verecundia salutantes, ipsa matronæ ostentans: *Hi*, ait, *sunt gemmæ meæ, torques et monilia mea.* Idem fecit Lacæna apud Plutarchum in Apophthegmatibus.

Qui ergo animas convertit, aut bonis moribus excolit, totidem gemmis ornat Ecclesiam, imo Christum; qui vero scandalizat, et in peccatum illicit, totidem ei abstrahit, laceratque togam nuptialem utriusque. Hoc est quod de sponsa hac canit Psaltes Ps. 44. 10. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* tot Gentium, ordinum, ætatum, morum, virtutum. Unde subdit v. 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.*

Vers. 19. Quia deserta tua.) *Deserta* et *solitudines*, vocat regiones et cœtus Gentilium: hi enim ex voluntate et decreto Dei ad Ecclesiam (quam vult Deus esse universalem, totumque mundum complecti) pertinebant, esto ipsi per gentilismum ab ea se averterent, viverentque quasi in desertis et solitudinibus, uti vivunt barbari et efferi Indi. *Terra* vero *ruinæ*, sive ruinosa pars Sionis et Ecclesiæ, sunt Iudæi, qui veniente Christo ab Ecclesia exciderunt, factique sunt apostatæ, q. d. Deus tantam gentium multitudinem ad te, o Ecclesia, adducet, ut et ruinæ Iudæorum sarciantur, et solitudines Gentium fidelibus filiis tuis impleantur, imo videantur esse nimis angustæ, præ affluentium civium turba. Est hyperbole.

Et longe fugabuntur, qui absorbebant te.) Qui te absorbere cogitabant, nitebantur et incipiebant. Significatur enim actus inchoatus et destinatus, non perfectus et reipsa completus. Vide canon. 29.

Vers. 20 Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus.) Forer. pro *sterilitatis* vertit, *orbitatis*, et intelligit Apostolos. Christo enim mortuo, Ecclesia erat quasi vidua et Apostoli orbi. Hi ergo crescente numero fidelium, dixerunt: Angusta est nobis Iudæa: quocirca divisi et dispersi sunt per omnes gentes, per easque dilatarunt Ecclesiam. Secundo, proprie, *filii sterilitatis* Ecclesiæ, ab Isaia vocantur Gentiles: in his enim, utpote idololatris, ante Christum, sterilis erat Ecclesia: sed post et per Christum, facta est adeo fœcunda et ampla, ut dicat: *Angustus est mihi locus.* Hoc est, quod ait c. 54. 1. *Lauda, sterilis, quæ non paris*, q. d. Ecclesia propagabitur latissime et longissime toto orbe, usque ad Garamantas et Indos. Tertio, valde apposite, *filii sterilitatis* Sionis, sunt Apostoli, et pauci credentes ex Iudæis initio Ecclesiæ. Nam ad hosce paucos redacta Ecclesia, videbatur esse sterilis, et interire, præsertim eo tempore, quo excisa a Romanis fuit Iudæa: tunc enim Ecclesia, quæ ex ea et in ea erat nata, pariter videbatur exscindi. Unde tunc novum et mirum fuit videre, mox eam per totum orbem propagari, barbarasque nationes certatim ad eam convolare. Audi S. Hieron. ad Lætam: *Regum*, ait, *purpuras, et ardentes diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat. Iam et Ægyptius Serapis Christianus factus est. Marnas Gazæ luget inclusus, et eversionem templi iugiter pertremiscit. De India, Perside, Æthiopia monachorum quotidie turmas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius; Hunni discunt psalterium: Scythiæ frigora fervent calore fidei: Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria.*

Vers. 22. Exaltabo signum meum.) q. d. Erigam manu et potentia mea, *signum*, id est vexillum crucis Christi, atque ad illud, et ad meæ Ecclesiæ castra convocabo omnes Gentes. Loquitur Deus quasi dux belli sacri. Ita S. Hieronymus, Cyrillus et Haymo. Sane fuit mirabile, et signum virtutis divinæ, quod scilicet non armis, non sapientia, non opibus, non viribus, sed sola cruce, eam tantum erigendo et ostentando, ad se traxerit mundum, quod reges et monarchæ se suaque regna Christo crucifixo subiecerint. Hæc fuit virtus crucis Christi.

Afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros.) q. d. Ait Cyrill. Apostoli, aliique fidei propagatores, non imponent fidelibus grave iugum legis Mosaicæ, sed eos quasi infantes lacte suavissimo Evangelii nutrient, atque ulnis et humeris, id est omni materna cura et benevolentia, ad Ecclesiam adducent. Idem facient parentes et præceptores fidelium. Hinc reges et reginæ te, o Ecclesia, colent et nutrient.

Erunt reges nutritii tui.) Hebr. אמנים *omenim*, Vers. 23. id est educatores, œconomi, curatores, q. d. Reges alent te, o Ecclesia, bonisque suis ditabunt sicut pater et mater alunt et educant suos infantes et filios. Aliqui hæc accipiunt de Cyro et Dario, qui Iudæos aluerunt. Verum ex dictis patet, hæc ad Christianos pertinere.

Et reginæ nutrices tuæ.) Hebr. מינקות *menikot*, id est, *lactatrices*. Hinc Symmach. vertit: *Principes fœminæ eorum lac præbebunt.* Hoc est quod ait cap. 60. 16. *Mammilla regum lactaberis*, q. d. Reges et reginæ liberaliter et regie nutrient tuos fideles, Pastores, Prælatos, o Ecclesia. Secundo, q. d. Reginæ suis filiis, futuris regibus, cum lacte instillabunt amorem et obedientiam erga Christum et Ecclesiam, itaque novos reges nutrient, quasi novos Ecclesiæ filios. Aut, q. d. Filii regum, qui a regibus nutriuntur et educantur, quasi hæredes et successores futuri, suscipient Evangelium. Ita Vatablus. Tales fuerunt Constantinus, Theodosius, Carolus, Ludovicus, Helena, Pulcheria, Cunegundis, et nuper reges Hispaniæ et Lusitaniæ in novo orbe Ecclesiæ subiugando.

Vultu in terram demisso adorabunt te.) Alludit ad Cyrum et reges Persarum, cum quibus nemo loqui poterat, nisi prostratus in terram, vestigia pedum regiorum exoscularetur, teste Xenophonte l. 8. et Plutarcho in Alcibiade, q. d. Reges eumdem honorem tribuent Ecclesiæ, eiusque Prælatis, quem ipsi olim a suis subditis solent accipere, nimirum honorabunt et venerabuntur Prælatos, quasi suos dominos, imo reges.

Et pulverem pedum tuorum lingent.) In verbo *lingent*, est hyperbole et auxesis, significans summam demissionem et venerationem. *Lingent* ergo, id est *osculabuntur*, tum ut supplices, tum ut a te victi. Sic Ps. 71. 9. dicitur: *Coram illo procident Æthiopes: et inimici eius terram lingent.* Ita videmus reges osculari pedes Ecclesiæ, in Pontifice, qui Ecclesiæ est caput. Ne ergo fremant ad hoc osculum hæretici, cum Isaias idipsum hic prædixerit, de eoque tam regibus quam Ecclesiæ sit congratulatus. Sicut enim qui vicegerem valde colit et honorat, regem ipsum valde colit et honorat: sic qui Pontificem colit, Christum colit, quia pontificatum, quasi sui vicariatum, summumque in Ecclesia magistratum instituit. Ex adverso, qui Pontificem spernit, Christum Christique ordinationem spernit: ipse enim dixit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Prædicit gloriam Ecclesiæ quam habitura erat sub Constantino, et deinceps. Nam ante eum fuit in continua persecutione. Unde mirum non est, hunc honorem non habuisse, nec admisisse S. Petrum, Paulum, aliosque Apostolos, uti perperam obiectat Calvinus. Rursum, *pulverem pedum*, id est, terram et pavimentum in quo pedes tuos fixeris, quodque calcaris, reges et reginæ osculabuntur. Quod ad litteram Prælatis, imo monachis, tum alii, tum S. Hedwigis Ducissa (olim vocabantur Duces, qui nunc reges) Poloniæ, matertera S. Elisabethæ, fecisse legitur. Et hic olim reverentiæ fuit ritus, ut patet de Abraham Genes. 23. 7. et etiamnum hic ritus est Iaponum et Sinarum, ut principem salutaturi et veneraturi, fronte humum feriant. Ut ut est, hac phrasi vel catachresi, vult dicere Propheta: Reges et principes tibi, o Ecclesia, se et sua sceptra ac diademata submittent, tibi eximium honorem deferent, et tantum non pro Deo colent.

Osculum pedum Pontificiorum ab Isaia prædictum.

Audi Leonem Castrium hic: *In vetustissimo*, ait, *codice Ordinis S. Benedicti reperi, olim reges Hispaniæ, cum adirent Episcoporum Synodum, procumbere solitos toto corpore ad terram, ante ipsos Episcopos terram osculari; neque prius attollere se humo, quam e suis illi sedibus surgerent, et reges eorum pedibus circumfusos brachiis attollerent, et in sella regia pro dignitate collocarent.*

Exempla principum coram Episcopis se prosternentium.

De Francis, habes Clotharium regem, qui ad pedes S. Lupi Senonensis Episcopi supplex accidit.

De Longobardis, ab Aribone quarto Episcopo Frisingensi scriptum est, regem Longobardorum e regia sella descendisse, et ad pedes Corbiniani Episcopi se advolvisse.

Hinc S. August. serm. 18. de verbis Apostoli: *Ad Ecclesiam*, ait, *curris, Episcopum videre desideras, ad eius pedes volutaris.* Et S. Ambr. libr. de Dignit. sacerd. c. 2. *Regum*, ait, *colla et principum submittuntur genibus sacerdotum, et exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum se credunt communiri.*

Hinc Suidas sic inducit Leontium alloquentem Eusebiam Constantii Imper. uxorem, rogantem ut se viseret: *Si me*, inquit, *vis ad te venire, servato mihi reverentiam Episcopis convenientem, ut ingrediar quidem ego, tu autem mox e celso tuo solio descendens, cum pudore mihi occurras; deinde sedeam quidem ego, tu autem stes reverenter, nec sedeas, donec signo iubeam. Si his parere vis, visam te: sin minus, scito te non obtenturam, ut nos honorem Episcopis debitum prodamus, et in divinum sacerdotum ius simus iniurii.* Hæc ille ad hæreticam Imperatricem.

S. Hieron. testatur olim fuisse moris, ut plebs Episcopo occurreret, et ad pedes osculandos se prosterneret, idque nominatim Epiphanio factum tradit. Narrat Theodor. Gainam Arrianum, Gothorum ducem, qui contra Arcadium seditiones concitare est ausus, longo itinere processisse obviam S. Ioanni Chrysostomo, licet inimico, ac suis filiis iussisse, ut eius genua oscularentur. Quid? quod Paulinus scribit Theodosium Imp. post partam victoriam, pedibus S. Ambrosii provolutum, gratias ei egisse, quod ei victoriam de Eugenio tyranno relatam ferret acceptam. Eumdem ad pedes Amphilochii Episcopi procubuisse, veniamque precatum, refert Niceph. l. 11. c. 9. Fortunatus tradit Valentinianum Imperatorem, coniugemque ipsius, eosdem, imo maiores, honores S. Martino exhibuisse. Sic enim scribit:

Hinc sede exsiliit rapiens se Cæsar et ardens
Martini genua amplectens pedibusque volutans.

Et mox:

Nec regina pedes cessat lacrymosa rigare
Sternens membra solo, suspendens gaudia voto.

Eadem habet Severus Sulpitius lib. 3.

Iustinus Imp. veniente Ioanne Pontifice Constantinopolim, cum tota urbe illi obviam processit, et ad pedes eius procubuit, detrahensque sibi insignia augustalia, procidensque suppliciter petiit ut illis rursum ipsum adornaret. Iustinianus Imp. Niceæ, ad Constantini Pontificis pedes procubuit, eosque est osculatus. Idem fecit Carolus Magnus Romæ, anno Christi 774. et eius pater Pipinus, Stephano II. Pontifici, venienti in Franciam, anno Christi 754. Idem fecit Ludovicus Pius Caroli filius Sergio II. Pontifici, anno Christi 844. Plura vide apud Thomam Bozium tom. 2. de Signis Ecclesiæ, signo 68.

Vers. 24. NUMQUID TOLLETUR A FORTI PRÆDA?) Est proverbium, simile illi: *Quis Herculi clavam aut Iovi fulmen eripiat?* q. d. Quis potest a forti gigante, aut leone spolia auferre? prædam ex faucibus eius extorquere? Sane qui id faxit fortior eo et giganteo robore sit oportet quasi alter David, 1. Reg. 17. 37. Nimirum hoc designavit Christus noster, qui proinde ait Matth. 12. 28. *Si ego in spiritu Dei eiicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa eius diripere; nisi prius alligaverit fortem, et tunc domum illius diripiet?* Ita S. Hieron. Cyrill. et Orig. homil. 7. in c. 12. Numeror. qui et addit: *Si naturam spectes, dæmon gigas est, nos locustæ: si sequamur Iesum, qui eum enervavit, quasi nihil erit in conspectu nostro.* Idem et verbis et factis docuit S. Antonius, uti legere est in Vita eius apud S. Athanas. qui proinde immania dæmonum monstra et terriculamenta, virtute crucis, invocationis et gratiæ Christi irrisit, et quasi telas aranearum dissipavit, suisque et nobis ridenda et dissipanda proposuit.

Vers 25. A ROBUSTO.) Hebr. est צדיק *tsaddic*, id est *a iusto*; sed videtur legisse interpres עריץ *arits*, id est *robustus*, quod litteris Hebr. affine est *tsaddic*: *arits* enim est in sequenti versu, ubi huic interrogationi iisdem verbis, assertive respondet. Et sensus hoc poscere videtur: agitur enim de præda, quæ robusto, non iusto extorquetur. Si tamen legas *tsaddic*, id est *iustum*, intellige iustam captivitatem hominum sub potestate diaboli. Ita Forer. Aut potius tunc ex Hebr. sic vertas: *Num captivitas iusti liberabitur?* hoc est ut Septuag. *Numquid si captivum quis duxerit* (iustum scilicet) *inique, salvabitur?* Ita legunt Biblia Septuaginta Romana, q. d. Omnino per Christum robustum gigantem liberabitur et salvabitur. Talis enim iniqua captivitas fit a potenti tyranno, puta diabolo, ut vertit Noster. Porro homo, et humanum genus dicitur iustus, et iustum, quia homo in iustitia a Deo est creatus, et quia respectu diaboli, erat iustus id est innocens, atque iniuste ab eo captivus tenebatur.

EOS VERO QUI IUDICAVERUNT TE (condemnaverunt, plagis et morte affecerunt tuos fideles et filios: est metalepsis) EGO IUDICABO.) Ego pariter condemnabo, puniam, et plectam morte præsenti et æterna.

CIBABO HOSTES TUOS CARNIBUS SUIS.) Ut mutua se cæde conficiant, et fraterno sanguine madeant gladii, manus et vestes. Tui enim fratris caro et sanguis, tua est caro et sanguis; ita ergo fiet, *ut nequaquam*, ait S. Hieron. *aliorum nece, sed sua morte saturentur.* Est catachresis. Sic c. 9. 20. dixit Isaias: *Unusquisque carnem brachii sui* (id est cognati sui) *vorabit.* Alludit ad Madianitas, qui perculsi clangore tubarum, et complosione lagenarum Gedeonis et sociorum, mutuis vulneribus se conciderunt, Iudic. 7. 23. Idem fecere Moabitæ coram Iosaphat rege, 2. Paralip. 20. 23. Rursum, vere et proprie Iudæi hostes Christi, obsessi a Tito et Vespasiano, carnibus propriis filiorum se saturarunt, teste Iosepho et Hegesippo. Vers. 26.

Tertio, Sanchez putat hic describi gestum summi doloris et angoris: tunc enim homines mordent labra, lacerant pectus, et quasi insani sanguine suo ora et dentes commaculant, Apocal. 16. 10.

Hæc est ergo iusta vindicta et pœna tyrannorum, persequentium Ecclesiam, ut sicut fidelium carnes et sanguinem sitierunt, ac quasi biberunt ac vorarunt, ita et suas carnes vorent, suoque sanguine se pascant. Audi exempla illustria. *Persecutores Ecclesiæ acriter a Deo puniti.*

Nero imperator, religionis Christianæ persecutor, ex sententia in eum per senatum lata ut nudus per publicum duceretur, furca collo eius inserta, virgisque ad mortem cæderetur, quod universum senatum vexasset; desperatione melioris status omnino deficiens, a Prætorianis etiam militibus desertus, vili indutus veste, fugam arripuit, et cum tribus vel quatuor libertis, in prædium unius ex his Phaontis nomine, inter viam Salariam et Nomentanam, quarto ab Urbe lapide confugit; ubi in spelunca delitescens, cum equites se quærentes adventare cognovit, sibi ipsi, licet pavidus, intulit manus: quem ægre morientem unus ex libertis Epaphroditus confecit, IV. Idus Iunii, ea die, qua olim Octaviam coniugem interfecerat, agens suæ ætatis annum XXXII. Ita Baronius tom. 1. Annalium, anno Domini 70. ex Svetonio in Nerone. *Exempla. Neronis fuga. Neronis obitus infamis.*

Galerium Maximianum Imp. castigatio et pœna cælitus invecta occupavit, et ex ipsa carne exorta pervasit ad animum. Ex improviso enim in illis corporis partibus, quas natura ob verecundiam contexit atque abdidit, nascitur apostema: deinde in interioribus corporis recessibus, ulcus purulentum et fistulosum. Atque istorum insanabilis morsus intima depascebatur viscera, quæ quidem infinita vermium multitudine redundarunt, unde fœtor lethalis et pestifer efflabatur. Vide Eusebium l. 8. histor. c. 18. *Maximiani.*

Galerius Maximinus, cum manus adversus Deum et Christianos sustolleret, divino, in toto corpore suo afflictus fuit flagello. Confestim siquidem dolore et anxietate summa correptus, in lecto volvebatur, et inedia tabescebat. Incensio autem intra viscera exorta habitum et formam omnem corrumpebat, extrinsecus etiam speciem eius deformabat, ita ut brevi nihil esset in eo reliqui, quam os aridum simulacro persimile, quod horrorem timoremque spectantibus incuteret, et ut corpus eius tamquam animæ sepulcrum, aut culeus quidam altius eam in se defossam continens, esse videretur. Et cum cerebrum omne exustum esset, oculorum orbes loco suo moti exciderunt, *Maximini.*

eumque excæcarunt. Ipse porro doloribus maximis cruciatus, Deoque confessus, mortem sibi accelerari oravit: postremoque, condignas se pœnas pro flagitiis, ac contumeliis, quibus proterve et petulanter Christum esset persecutus, dare testatus, exsecrandam tandem illam egit animam. Ita Euseb. lib. 9. Ecclesiast. histor. c. 10. et Baron. tom. 3. Annal. anno 314.

Hunerici. Anno Domini 484. cum Hunericus Wandalorum rex de prostrata fide Catholica amens pararet sibi triumphum, divinam cogitur experiri vindictam. Nam putrefactum et ebulliens vermibus, non corpus, sed partes corporis eius videbantur esse sepultæ. Tunc etiam, ut ait Gregor. Turonens. sol teter apparuit, ita ut vix ab eo pars vel tertia eluceret; idque in vindictam pro tantis sceleribus, et effusione sanguinis innocentis. Hunericus vero post hæc, arreptus a dæmone, qui diu de Sanctorum sanguine pastus fuerat, propriis se morsibus laniabat, in quo etiam cruciatu, vitam indignam iusta morte finivit. Ita Victor de persecut. Wandal. in fine l. 3. et Gregor. Turonens. de Gestis Franc. l. 2. c. 3. anno 484.

Saracenorum clades. Saraceni Constantinopolim, vicinasque regiones infestantes, atrocemque passim Christianis cladem inferentes, fame, frigore, bello, pestilentia, sine numero perierunt. Tanta sane fames eos vexavit, ut nec ab excrementis, tum iumentorum, tum hominum, nec carnibus cadaverum abstinuerint. Quibus fames et pestilentia pepercit, eos ferrum absumpsit. Qui cladibus istis superfuere, eos mare absorpsit, immissa in eos divinitus igneæ grandinis tempestate: ex qua ereptæ sunt decem naves, quarum quinque a Romanis captæ, quinque in Syriam delatæ sunt, ut divinæ vindictæ essent testimonio. Ita Sigebertus in Chronic. anno Christi 719. et Paulus Diacon. cap. 21.

Hungarorum. Hungari, cum Bremensem Ecclesiam devastantes, multis magnisque contumeliis servos Christi afficerent; subito impetu tempestas in civitatem irruens flammas in templi fastigium eiaculata est, quarum vehementia scandulæ, lateres et tegulæ, ingenti crepitu dissultantes, ea vi hostes obruere, ut partim prostrati subito interirent, partim vero a civibus excepti, cruenta morte occumberent. Ita Albert. Crantz. l. 3. Metrop. c. 2. an. Dom. 913.

Denique notus est funestus Diocletiani, Aureliani, Domitiani, Decii, Maxentii, Licinii, Iuliani Apostatæ, et aliorum Ecclesiam persequentium interitus. Horum ergo clades et eventa, clarius quam ulli interpretes, explicant hanc de iis Isaiæ prophetiam.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Loquitur Christus, docetque Synagogam, id est Iudæos sibi incredulos, a Deo repudiandam et reprobandam esse, quia ipsa prior Deum et Christum repudiavit. Nam sibi non defuisse potentiam, nec sapientiam, et linguam eruditam, nec patientiam, nec labores ad eos salvandos demonstrat. Unde v. 6. ait: Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: sed in omnibus, ait, Deum, se adiuvisse, omniaque vertisse in gloriam. Quocirca v. 10. sui exemplo hortatur fideles, ut in omni tribulatione in Deum sperent, eumque invocent. Desperantes enim, et incredulos, quales fuerunt Iudæi, asseverat succendere sibi ignem, quo arsuri sunt in æternum.

1. Hæc dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. 2. Quia veni, et non erat vir: vocavi, et non erat qui audiret; numquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum: computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti. 3. Induam cælos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. 5. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii. 6. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. 7. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar. 8. Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? stemus simul: quis est adversarius meus? accedat ad me. 9. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. 10. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei, speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. 11. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

Vers 1. Quis est hic liber repudii?) Hebr. est, *Ubi est liber repudii?* q. d. Proferatur (servabatur enim tum a repudiata, tum a publico scriba) et examinetur et videatur, an ego prior a vobis, an vos a me repudium feceritis. Ita Forer. et Vatablus. Iam S. Thomas Hugo et Sanchez hæc usque ad vers. 4. ad litteram intelligunt de Iudæis in Babylone captivis, quasi ipsi querantur se dimissos et abiectos a Deo. Quibus Deus respondet, non se ipsos dimisisse, sed ipsos prius se deseruisse, et ad idola vitiaque defluxisse; sibi tamen esse manum et potentiam, qua possit eos redimere et liberare. Verum S. Cyrillus, Procop. Euseb. l. 2. Demonstr. c. 34. Ambros. lib. 8. in Luc. c. 1. (ubi ait inter alia: *Audisti repudium? crede coniugium*) Adamus, Forer. et passim alii (adeo ut Origen. in 26. Matth. ad illa verba, *Prophetiza nobis Christe*, asserat hunc esse consensum totius Ecclesiæ) hæc accipiunt de Iudæis, qui post Christum fuerunt, illique credere noluerunt. Hæc ergo spectant ad querelam Sionis, sive Iudæorum cap. præced. vers. 14. dicentium: *Dereliquit me Dominus;* sed hoc discrimine, quod ibi sit vox Iudæorum Christo credentium, conquerentium de sua paucitate; hic vero potius sit vox Iudæorum incredulorum, et persistentium in iudaismo, q. d. O Iudæi increduli, querimini vos tempore Christi a Deo derelictos, repudiatos, exscisos et dispersos, carere templo, sacrificiis et publico Dei cultu, datosque prædæ Romanis, aliisque Gentibus. Dicitis: Synagoga nostra fuit sponsa, quam Deus sibi in Sina per Mosen despondit, Exod. 19. 6. cur ergo eam iam prorsus abiecit? cur dedit ei libellum repudii? Respondet Deus: Ego Synagogam matrem vestram, cui dotales tabulas legis quasi maritus dederam, ait S. Augustinus, repuli et repudiavi, quia ipsa prius divortium fecit a me. Repudiavi enim eam, non ex odio aut fastidio meo, ut aliam mihi copularem, sed ob scelera eius, præsertim,

quia Christum meum repulit et occidit: neque tam ego, quam ipsa semet diabolo, quasi creditori, vendidit et tradidit, quia cum *veni* in mundum, *non erat vir*, id est, quisquam, q. d. Vix ullus Iudæorum erat, qui me vellet audire. Ita Patres citati. De libello repudii dixi in Deuteronomio c. 24. v. 1.

Patri licebat vendere filios in necessitate.

AUT QUIS EST CREDITOR MEUS, CUI VENDIDI VOS?) Ambros. lib. de Tobia cap. 8. legit: *Cui vendidi vos fœneratori?* Idem dicit alia metaphora filiorum venditorum in servos. Nota: Apud Iudæos licebat patri in necessitate constituto, ut se aleret, vendere filios in servos, ita tamen, ut non Gentili, sed Hebræo aut proselyto ad tempus tantum eos venderet: in iubilæo enim, imo in anno septimo libertatis, exibant liberi, ut patet Exod. 21. 1. et 7. Levit. 25. ubi v. 39. et 47. permittitur ut in necessitate quis etiam seipsum vendat, non tantum Iudæo, sed etiam alienigenæ inter Iudæos commoranti: sed tantum usque ad iubilæum. Idem, imo amplius, fecere Gentiles. Romulus enim legem sanxit, qua parenti dedit ius libere vendendi filios. Eadem lex fuit apud Athenienses, quam Solon sustulit, teste Plutarch. in Solone. Viguit hæc lex, et hic mos etiam tempore Christianorum. Unde S. Ambr. l. de Tobia c. 8. graviter de eo queritur. Quocirca Constantinus l. 2. de patrib. qui fil. distrax. l. 4. tit. 43. hanc legem restrinxit, sanxitque, ut filius non in perpetuum venderetur, sed ita, ut dato pretio redimi posset.

Hunc ergo alludit Deus, dicitque: *Quis est creditor meus?* q. d. Ego non habeo creditores, quorum nummis egeam, ut propterea oporteat me vos iis in servos vendere. Vos ergo, o Iudæi, peccato et diabolo in servos venditi et mancipati estis, non tam a me, quam a vobis ipsis. Sponte enim peccando, sponte hoc iugum subiistis. Nam ut dicitur Ioan. c. 8. v. 34. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Porro τὸ *vendidi*, significat non simplex peccatum, sed peccati consuetudinem, cui homines carnales (v. g. Iudæi, iudaismo; ambitiosi, suæ ambitioni; voluptuarii, suis cupediis; concubinarii, suis concubinis) ita se addixerunt et affixerunt, ut non possint ab ea avelli. Sic Achab dicitur *venumdatus ut faceret malum*, 3. Reg. 21. 25. O duram servitutem! o miseram necessitatem! Qui enim seipsos tradunt peccato, hos et Deus alienat a se, venditque, id est, tradit et mancipat, diabolo, esto nullum ab eo pretium recipiat. Nam, ut dicitur Ps. 43. v. 13. *Vendidisti populum tuum sine pretio.*

Vers. 2. QUIA cum VENI in orbem, docens et prædicans, NON ERAT VIR.) Qui me exciperet, qui mihi auscultaret. Vide hic, quam periculosum et perniciosum sit Deum vocantem spernere, eiusque vocationem cassam et irritam facere. Hac enim de causa Deus repudiavit et reprobavit Iudæos.

Moraliter adverte, τὸ *vir*. Nam, ut notat S. Chrys. hom. 23. in c. 3. Gen. tom. 1. sacra Scriptura illos, qui Dei imaginem puram retinent, ut virtute et religione præfulgeant, homines vocat; reliquos, quasi indignos hominis vocabulo, belluas vocat et serpentes.

NUMQUID ABBREVIATA ET PARVULA FACTA EST MANUS MEA, UT NON POSSIM REDIMERE?) q. d. Repudii, sive incredulitatis et reprobationis Iudæorum, æque ac miseræ conditionis et servitutis, ac denique excidii per Titum causa, non est Dei aut Christi infirmitas et impotentia, uti vos Iudæi æstimatis, ideoque Christum quasi humilem, pauperem et abiectum contemnitis. Posset enim, si vellet, totum mare, omniaque flumina desiccare et vertere in aridum desertum, ut pisces omnes suo elemento destituti putrescant, corrumpantur, et spiritum vitalem exhalent, uti fecit Pharaoni in Ægypto sub Mose, Exod. 7. 21. Potest et cælos astraque immutare et obscurare, uti fecit in passione Christi, et faciet in fine mundi, Matth. 24. 29. Manus enim et potentia eius non est accisa, confracta aut imminuta, sed eadem semper fortis, vegeta et omnipotens, perdurat. Ita S. Hieron.

Rursum causa derelictionis et desolationis Iudæorum non est Christi insipientia, vel imprudentia: quia *Dominus dedit illi linguam eruditam.*

Tertio, etiam causa non est Christi mollities, quasi subterfugerit labores et dolores, pro iis subeundos. Nam ipse dedit *corpus suum percutientibus, et genas vellentibus, etc.* Causa vera ergo est durities et obstinata malitia Iudæorum. Ita S. Hieron. Cyrill. et Orig. in Matth. 26.

ECCE, IN INCREPATIONE MEA DESERTUM FACIAM MARE.) *Increpationem* vocat, iussum Dei minacem, atque terribilem. Videbatur enim Deus quasi iratus mari rubro cum illud præter naturam divisit, alveumque eius siccavit, ac iussit ut cederet, daretque locum transeunti populo suo. Sic ait Psaltes Ps. 105. 9. *Increpuit mare rubrum, et exsiccatum est.*

FACIAM.) Id est, facere possum quoties et quando lubet, uti feci in mari rubro. Hæc enim futura sunt modi potentialis quo gaudent Hebræi, ac δυνατικῶς accipienda sunt, ut significent non tam actum, quam potentiam et facultatem ad actum.

PONAM FLUMINA IN SICCUM.) *Ponam*, id est, ponere possum, quoties voluero, uti posui Iordanem, cum eum divisi et siccavi, ut transirent Hebræi duce Iosue.

COMPUTRESCENT PISCES SINE AQUA.) Si videlicet mare aut flumina desiccem, uti putruerunt, et præ siti mortui sunt in mari rubro et Iordane, cum ea siccavi: aut potius uti putruerunt in Nilo, cum eius aquas verti in sanguinem, Exodi 7. 18. Tunc enim, ut ibidem dicitur, pisces et putruerunt, et mortui sunt siti, æque ac homines. Hæc enim sedatur et exstinguitur haustu aquæ, non sanguinis. Hoc est, quod ait Psaltes Psal. 104. 29. *Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum.* Ita S. Hieron. S. Thom. et Hugo.

INDUAM CÆLOS TENEBRIS, ET SACCUM (quasi saccum) PONAM OPERIMENTUM EORUM.) q. d. Operiam et obvelabo cælos, ut non appareant, ac si sacco essent obvoluti, uti feci in Ægypto, cum ei per Mosen induxi tenebras palpabiles, Exodi c. 10. 22. Id fecit Deus in passione Christi. Ita Tertull. l. 4. contra Marcion. 42. Vers. 3.

Symbolice, significat, Christi Evangelium et crucem obscurasse omnem gloriam iudaismi, æque ac gentilismi, cuius typus et quasi matrix fuit Ægyptus, uti per sanguineum et putentem Nilum significat, omnes mundi delicias, opes et pompas, per Christi doctrinam instar sordium eviluisse, ut fideles cum Paulo ea arbitrentur ut stercora.

DOMINUS DEDIT MIHI LINGUAM ERUDITAM.) Hebræi hæc Vers. 4.
referunt ad Isaiam, qui cap. 6. a pollutis labiis purgatus per Seraphim, eloquens evasit et audax ad prædicandum. Verum hoc merito refellit S. Hieron. Communis enim sententia Patrum est, hic esse sermonem de Christo, idque convincunt sequentia. Pro *eruditam*, hebr. est למודים *limmudim*, id est, *eruditorum*, qualem habent eruditi, qui multa viderunt, audierunt, legerunt, studuerunt et meditati sunt, multos etiam erudierunt. Alludit ad Mosen eique se præfert. Nam Moses se excusans ne a Deo mitteretur ad Pharaonem, eo quod esset impeditæ linguæ, ab eo audivit: *Quis fecit os hominis? Nonne ego?* et Aaron *erit os tuum*, Exodi cap. 4. 10. 11. et 16. Christus enim non eguit interprete ut Moses, quia habuit linguam eruditam, nec se excusavit a legatione ad homines, ut fecit Moses. Rectori enim et doctori populi necessaria est lingua erudita, potens et efficax ad persuadendum. Hanc habuit Christus, adeo ut ipsi Iudæi de ea dicerent: *Numquam sic locutus est homo.* Et Apostoli: *Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Rursum erat docens non ut Scribæ et Pharisæi, sed *quasi potestatem habens*, Marc. 1. 22.

Lingua erudita ingens donum Dei, oratione comparandum.

Hinc Plato asserit, animam pasci verbo Dei, et scientiam Dei esse verum alimentum animorum. Nimirum: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Ingens Dei donum est lingua sapiens et erudita, pro quo quotidie orandum est cum Psaltes Psal. 50. *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Quod explicans ibidem S. Greg. *Illius*, ait, *labia Deus aperit, qui non solum quid loquitur, sed etiam quando, et ubi, et cui loquatur attendit. Sapientia namque Dei dicit: Dominus dedit mihi linguam eruditam.* Unde subdit: *Proferamus ergo sermones examinatos libra iu-*

stitiæ, ut sit gravitas in sensu, modus in verbis, pondus in sermone. Nec prius loquendo os aperiamus, quam expediat; sed examinemus verba nostra, si tacendum hoc, si dicendum adversus hunc, si tempus sit sermonis huius, postremo si a virtute modestiæ non dissentiat. Nihil indecens, nihil inhonestum, nihil invidum sonus erumpat. Vere dixit Diogenes apud Laert. lib. 6. afflictis et desperatis quærendum esse, non βρόχον sed λόγον, non laqueum, sed rationem et orationem consolatoriam sapientis: hic enim animo ægrotanti, medicus est; illa, medicina. Unde Demetrius Phalereus cum apud Thebanos exsul, inglorius et abiectus viveret, et intellexisset, Cratetem philosophum sui visendi gratia adventasse, eum ad se vocavit; quem ut de fortiter et moderate ferendo exsilio disputantem audivit: *Male sit*, inquit, *omnibus negotiis et occupationibus, per quas hactenus talem virum non licuit cognoscere*, significans, multum ægritudinis ex Philosophi disputatione sibi exemptum esse. Ita Laertius l. 5. c. 5.

Ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo.) Ut peccatores miseros et languidos, sub peccati et dæmonis iugo fessos, anhelantes et gementes, in spem erigam, consoler, sustentem, ut recreem et sanem omnes oppressos a diabolo.

Erigit mane, mane erigit mihi aurem.) Docet hic unde habeat linguam eruditam, scilicet ex eo, quod Deus erexerit, id est, excitarit, eius aurem, eamque aperuerit ad audiendum Dei doctrinam et iussa, idque *mane*, id est, cito et tempestive, puta a primo conceptionis instanti, ut patet Hebr. 10. 5. Alludit ad ludi magistros, qui summo mane scholas aperiunt, et discipulos docent. Geminat autem *mane mane*, q. d. Singulis diebus, sive quotidie summo mane. Hæc enim geminatio tum continuationem, tum festinationem et diligentiam significat vigilantissimi magistri. Simile est Ezech. 46. v. 14. et 15. in Hebræo. Matutina enim doctrina et studium, est optimum. Nam *aurora Musis amica:* tum enim ex somno et refectione nocturna cerebrum sensusque vigent.

Porro, *erigere aurem*, symbolum est magistri: hic enim indicto silentio et attentione discipulis, subinde etiam vellicando aures excitat eos, ut auscultent, et excipiant sua dogmata; hoc est, quod ait Poeta: *Cum velleret aurem Cynthius.* Erigere ergo aurem, est excitare auditorem ad audiendum, ut ille aures suas erigat, et excipiat vocem magistri.

Vers. 5. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii.) Alludit ad Mosen, qui Deo vocanti contradixit, cum tertio et quarto conatus fuit excutere onus liberationis populi ex Ægypto, timens Pharaonem, populi duritiem, et difficultates rei perficiendæ, Exodi 4. Verum Christus missus a Patre ad redemptionem hominum, statim acquievit, et obtulit se, etiam ad mortem crucis, q. d. Cum Deus initio conceptionis meæ, mihi homini, imo infanti, aures infantiles aperuit, hoc est, mihi revelavit, et in aures mentis meæ immisit suam voluntatem et iussionem de œconomia incarnationis meæ, mihique ostendit omnia et singula dura et difficilia, quæ tota vita volebat me agere et pati, usque ad mortem crucis; ego non contradixi, sed alacer omnia acceptavi, dixique: *Ecce venio: In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei,* Hebr. 7. 10. et Psal. 39. 9. Neque tantum dixi, sed reipsa præstiti: nam nulli difficultati cessi, numquam retrorsum abii, sed constans in hoc opere perrexi ad ultimum usque spiritum, quo omnibus perfectis, dixi: *Consummatum est.* Significat hic Christus mandatum sibi a Patre impositum patiendi et moriendi, itaque redimendi homines. Hoc enim Patrem imposuisse Christo, patet Ioan. 10. v. 18. et c. 12. 49. et c. 14. v. 31. et ex hoc loco iam citato Hebr. 10.

Christus a Patre accepit mandatum moriendi.

Pulchre S. Bernard. serm. 28. in Cant. *Quam beatus*, inquit, *qui ait: Dominus Deus aperuit mihi aurem, et ego non contradico, retrorsum non abii! Ubi et voluntariæ habes obedientiæ formam, et longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est: et qui retro non abiit,*

A *perseverat. Utrumque necessarium: quoniam hilarem datorem diligit Deus, et qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Utinam, et mihi aperiat aurem Dominus, intret ad cor meum sermo veritatis, etc.*

Corpus meum.) Forerius vertit: *Dorsum meum.* Unde Vers. 6.
Septuag. et ex iis S. Cyprian. et Ambros. libr. de Incarn. Dom. sacram. c. 5. vertunt: *Dorsum meum dedi in flagella, et maxillas meas in palmas*, vel *alapas.* Hebræum enim גו *ghev* et dorsum et corpus significat. Iudæi hæc accipiunt de Isaia, quasi hæc passus sit ipse a populo et principibus, quorum vitia carpebat. Ita et S. Thom. Sed ex hoc et similibus liquet hoc comment. non esse ipsius, falsoque S. Thomæ inscribi. Omnes enim Patres quos citat Leo Castrius, ad litteram hæc accipiunt de Christo: de quo hæc verba ita clara sunt, ut explicatione non egeant, sed meditatione.

Nota τὸ *dedi*, q. d. Mihi invito et coacto per vim plagas non intulerunt Iudæi, sed ego corpus meum sponte iis percutiendum obieci, obtuli, imo dedi. Exstat hic Romæ, in templo S. Praxedis, columna, ad quam alligatus fuit Christus, dum flagellaretur. Vidi ego eam sæpius, et numquam sine ingenti animi sensu. Est ea brevis et humilis: quocirca nonnullis videtur Christus incurvus ad eam eiusque annulum alligatus fuisse; ita ut repandum dorsum, quasi incudem, obiiceret feriendum quaquaversum sævientibus tortoribus, eorumque flagellis. Aut potius, manibus a tergo revinctis, ita annulo columnæ Christus erectus fuit alligatus, ut tortores tam pectus, quam dorsum libere ferire possent. Integram enim eam esse, non partem columnæ (uti aliqui putarunt) docet vetus inscriptio, et titulus illi sursum affixus, idque probat fusius Iacobus Bosius lib. 1. de Triumphanti cruce c. 13. Hæc fuit patientia, hæc fortitudo, hic amor amoris nostri: nimirum, fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Intuere, o Christiane, flagella Christi, et tua qualiacumque censebis esse mollia, imo nulla.

B Columna, ad quam flagellatus Christus, ubi et qualis?

Perpende, ait S. August. serm. 114 de Tempore, *qui* C *talem pro nobis dedit pecuniam (scilicet sanguinem suum, et vitam, imo totum Deum) qualem a nobis sit exacturus usuram. Corpus meum, ait, dedi percutientibus, etc. Agnosce, homo, quantum valeas, et quantum debeas, et dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur iustitia pro iniquo, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo.*

Et genas meas vellentibus.) Volentibus vellere pilos genarum et barbæ, inquit Vatabl. De hac Christi vellicatione et depilatione nil habent Evangelistæ: sed hinc id eum passum esse constat. Est enim Isaias quoque Evangelista. Omni enim genere pœnarum et contumeliarum afflictus fuit Christus. Habet enim vulsio barbæ insignem dolorem, æque ac contumeliam, uti et consputatio faciei. Barba enim decor est viri, et insigne virilita- D tis. Hinc, cum Ammonitæ legatis David dimidiam barbam rasissent, David hoc ut summam contumeliam accepit, eisque bellum indixit, 2. Regum 10. Quocirca Alexander Magnus curabat suos milites radere barbam ne, si ab hoste caperentur, hanc vellicationis vel detonsionis barbæ ignominiam subirent, uti narrat Plutarch. in Theseo. Septuag. vertunt: *Dedi maxillas meas ad alapas.*

Faciem meam non averti ab increpantibus.) A conviciantibus, irridentibus, subsannantibus: *Ave rex Iudæorum; salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce. Vah qui destruis templum Dei. Alios salvos fecit: seipsum non potest salvum facere, etc.*

Et conspuentibus in me.) Sept. et ex iis S. Ambr. et alii legunt: *Vultum meum non averti a confusione sputorum.* Hoc est quod ait Ierem. Thren. 3. 30. *Saturabitur opprobriis.* Hæc cogita, hæc rumina, Christiane, cum irrisiones, opprobria, calumnias pateris: *perfer et obdura.* nondum Christi sannas et opprobria tulisti; verba tan-

tum, et non verbera, excepisti, necdum dedisti corpus tuum percutientibus, et genas tuas vellentibus, uti pro te dedit tuus Christus. Christus se totum pro te prædæ, dedit Deo patri, imo tortoribus et hostibus; ut tu vicissim te prædæ des Deo, totum te illi offeras, totum te in eius manus resignes, ut ille de te tuisque omnibus statuat et faciat quodlibet: des illi corpus prædæ, morbis, doloribus, tormentis: animum des prædæ, obedientiæ, amoribus, iubilis et laudibus divinis.

Ita S. Laurentius, Vincentius, aliique Martyres, totos sese prædæ dederunt Deo, et propter Deum carnificibus, ad ignes, equuleos, furcas et bestias. Ita S. Eusebius Vercellensis Episcopus et Martyr, anno Domini 371. incarceratus, et multa acerba passus ab Arrianis, scribens ad suam Ecclesiam Vercellensem, inter alia, quibus eam animat ad constantiam in fide: *Multa,* ait, *mihi dicebant hæretici, iactantes suas vires et potentiam. Sed ego ostendi eis illam esse nullam, et quod nihil poterant contra me, qui sponte corpus meum dabam illis in prædam, tamquam carnificibus; atque aliquot diebus, quibus me excruciarunt, ostendi quali quantoque animo reciperem eorum iniurias, cum profundo et continuo silentio, cum ipsi crudeliores essent Paganis et Gentilibus, qui persecuti sunt Christianos.* Ita S. Agatha ad tyrannum: *Si lubet,* ait, *in me stringere ferrum, en collum meum: si flagella, ecce dorsum: si ignem, en tibi totum corpus: ure, seca, stringe, liga, distende, lacera, conscinde, excrucia, macta: quanto in me crudelius sævies, tanto maius mihi beneficium conferes, tanto maiorem mihi sponsus meus Christus coronam adornabit.*

Sibylla singula Christi tormenta prædixit. Hæc eadem de Christo clare et diserte prædixit Sibylla, ad Iudæorum confusionem, et ad Gentilium instructionem, ut crederent in Christum passum et crucifixum. Eius carmina citat S. August. orat. contra Iudæos, Paganos et Arrianos c. 16. et 17. tom. 6. Suntque hæc:

In manus iniquas, et infidelium postea veniet,
Dabunt Deo alapas manibus incestis,
Et oribus immundis exspuent salivas venenosas.
Dabit autem in verbera omnino innocens dorsum,
Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat,
Et coronam portabit spineam.
In cibum autem fel, et ad sitim acetum dederunt;
Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam.
Ipsa enim stulta Deum tuum non cognovisti
Ludentem mortalibus mentibus: sed et spinis
Coronasti corona, horridumque fel miscuisti.
Templi vero velum scindetur, et die
Media nox tenebrosa nimis tribus horis.
Et mortis factum finiet trium dierum somno suscepto,
Et nunc a mortuis regressus in lucem venit.
Primus resurrectionis initium revocatus ostendit.

Vers. 7. Dominus Deus auxiliator meus.) q. d. In hisce summis opprobriis et plagis, Deus fuit mihi a dextris, me animavit et roboravit, tantamque dedit patientiam et constantiam, ut omnia pro nihilo duxerim, tantoque animo pertulerim, ut starem immobilis, ac si saxum percuterent, quin imo certarem cum ipsorum sævitia et furore, eumque longe vincerem et superarem; cum enim ipsi Iudæi, meique carnifices furibundi, plaustra pœnarum et conviciorum in me evomerent; ego omnia ita excepi quasi non dolores, sed gaudia; non convicia, sed laudes essent uti revera erant. Deus enim omnia hæc in meam laudem et gloriam convertit.

Ideo non sum confusus.) Non sum pudefactus, sciens ex Dei voluntate, honore et amore, me hæc pati. Verti potest cum Forer. *Ideo non sum ignominia affectus,* id est, non putavi me ignominia affectum, sed proposito gaudio lætus omnia sustinui. Hinc vides, si Deus auxilietur et corroboret, contumeliam non esse contumeliam, dolorem non afferre dolorem: sed athletam Christi invicto animo omnia perferre, in iisque cum Paulo gaudere et gloriari.

Ideo posui faciem meam ut petram durissimam.) Forerius vertit, *ut chalybem:* hebr. enim est חלמיש *challamis.* Unde, ait, Latinum *chalybs* deductum est non autem a populis, qui *Chalybes* dicuntur, habitantque prope fluvium Thermodoontem, qui ferri et chalybis (chalybs enim est medulla, sive nucleus ferri, uti docet Plinius, sive ferrum durissimum, uti vocat Arist.) usum invenisse perhibentur. Verum Sept. Noster, Vatabl. Pagniu. et alii, *challamis* hic et alibi vertunt *petram,* saxum, silicem. Quocirca Vatabl. vertit, *idcirco faciem meam instar silicis obduro.* Christus ergo in passione stetit immotus, invictus et inconcussus, quasi chalybs, quasi silex, quasi rupes, ad quam allisi fluctus dissiliunt et in spumam abeunt; quasi adamas, qui ferro et malleis non frangitur, sed ipsosmet se tundentes diffringit. Hinc facie interrita, et quasi adamantina, respondit Iudæis, Pilato, Annæ et Caiphæ. Tales decet nos esse pro Christo et fide: adeoque in omnibus calumniis, doloribus, angustiis, persecutionibus et adversis, nihil melius quam obfirmare faciem ut petram, eaque omnia Dei ope, spe et amore fortiter excipere. Sic enim minus ea sentiemus; imo illa quasi repercussa, a nostra virtute et constantia, resilient. Christus in passione adamas.

Ita Christo duce Martyres in tormentis stabant quasi adamantes: non enim consternabantur, sed erigebantur, magisque spiritu quam carne viventes, firmitate animi corporis infirmitatem superabant. Nam, ut ait Cyprian. l. 4. epist 5. de Celerino Martyre: *Posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Iacuit inter pœnas, pœnis suis fortior, inclusus includentibus maior, iacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus, sublimior iudicantibus iudicatus. Et quamvis ligati nervo pedes essent, calcatus serpens, et obtritus, et victus est.* Ita S. Romanus Martyr graviter tortus cum tortores plagas inflictas, ferro per eosdem in carne sulcos ducto, renovarent, ipse eos quasi ignavos irrisit. Sic enim ait apud Prudent. Hymn. 10. Martyres adamantes. Exempla. S. Romani

O non virile robur, o molles manus!
Unam labantis dissipare tamdiu
Vos non potesse fabricam corpusculi!
Vix iam cohæret, nec tamen penitus cadit,
Vincens lacertos dexterarum inertium.
Citius, cadaver dentibus carpunt canes.
Languetis imbelli fame, ac fatiscitis.
Gula est ferina, sed socors edacitas.

Ita S. Ignatius: *Utinam,* ait, *fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ! Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar.* Cumque iam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, ut rugientes audivit leones: *Frumentum,* ait, *Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Ignatii.

Ita S. Laurentius in craticula coctus, iudicem compellans apud Prudentium hymno 2. ait: Laurentii

Coctum est, devora,
Et experimentum cape,
Si crudum, an assum suavius.

Ita invictus Vincentius hymno 5. iudicem in tormentis compellat: Vincentii.

Extorque, si potes, fidem.
Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensque flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima
Mors, Christianis ludus est.

Nec vero dixit fortius, quam reipsa præstitit. Cum enim equulei extensione corporis compago membratim solveretur; Mors Christianis ludus est.

Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.

Et rursum:

Est alter homo intrinsecus
Violare quem nullus potest,
Liber, quietus, integer,
Exsors dolorum tristium.
Hoc quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,

Vas est solutum ac fictile
Quocumque frangendum modo.

Tales in aciem Imperator cælestis milites producebat, columnis fortiores, qui lassescentes tortores urgebant, eo quod moram hanc sibi esse ad Christum festinantibus crederent.

Talis fuit et nuper noster Ogilbeus Martyr in Scotia, meus olim Lovanii catechumenus, qui, ut patet ex eius martyrio, ad stuporem Calvinistarum, in tormentis invictus, in responsionibus acer, omnibus eum lacessentibus os obturavit. Quid nos ad hæc? heroes laudamus, imitari gestimus; sed usque ad aras, usque ad verba et verbera exclusive! Quam bene dixit Ioannes a Kempis, frater nostri Thomæ Theodidacti, ut habet eius Vita: *Volumus esse humiles sine despectione, patientes sine tribulatione, obedientes sine coarctatione, pauperes sine defectu, virtuosi sine labore, pœnitentes sine dolore, laudari sine virtute, amari sine bonitate, honorari sine sanctitate; sed Christus Deus ita non fecit et docuit, qui regnum cælorum vim sibi facientibus repromisit, et iniuriam patientibus gloriam et honorem retribuet, nullumque malum relinquet inultum.*

Vers. 8. IUXTA EST QUI IUSTIFICAT ME.) Est occupatio: occurrit enim Christus tacitæ obiectioni. Diceret enim quis: Tu quidem apud Deum laudem et præmium habes tuæ patientiæ et constantiæ, sed tamen apud homines laboras infamia, quod nimirum publico Pilati et Iudæorum iudicio damnatus sis ad crucem, quasi seditiosus. Hæc infamia Gentes multas a te, tuaque fide avertet. Iactabunt enim Iudæi: Vidimus eum damnatum, inter latrones cruci appensum, ac secundum legem maledictum. Deus non eripuit eum ab hoc iudicio, et morte tam infami, quomodo ergo ille poterit esse noster mundique redemptor? Hisce respondet Christus: Quid mihi obiicitis iniustum iudicium hominum impiorum, et hostium meorum? Huic enim ego oppono iustissimum Dei iudicium. En Deus meam causam iustificat, me iustum et innocentem toti mundo ostendit. Nam tertio die me a morte suscitat, mox gloriose in cælum subvehit, Apostolos toto orbe mittit, qui per miracula, donaque gratiarum et virtutum omnium, nomen meum ubique celebrent, illudque cunctis Gentibus amabile et admirabile reddant. Nihil ergo infamiæ, nulla labes ex cruce et morte, nomini meo adhæsit; imo hæc omnia Deus mihi in gloriam et venerationem convertit. Hoc est, quod Christus dixit Ioan. 16. 10. de Spiritu sancto venturo quod argueret *mundum de iustitia*, id est, convinceret falsam esse mundi iustitiam; Iudæorum quidem, quia eam quærebant in cæremoniis legis; Gentium, quia eam ponebant in operibus naturaliter et moraliter bonis: Christum vero ideo ab eis iniustum habitum, convinceret esse iustum, iustitiæque omnis fontem et parentem, uti explicat S. Cyrillus. Christi enim iustitia vel ex eo solo toti mundo fuit conspicua, quod mox a morte ad Patrem iverit, et in cælum conscenderit, iam non videndus in terris. Quem enim Deus et cælum eum tanta gloria et applausu suscepit, quis iniustum et impium audeat appellare? Hoc est quod causam dans ibidem subdit Christus: *Quia ad Patrem vado.* Huc allusit S. Paulus Roman. 8. 33. *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet?* Sicut enim Deus Christum, ita et Christianos a Christo electos iustificat et absolvit. Vide ibi dicta.

Vers. 9. QUIS EST ADVERSARIUS MEUS?) Hebraice: *Quis est dominus litis meæ?* id est, quis est actor qui mihi litem intentet, qui me accuset, litigando oppugnet, criminis alicuius reum peragere contendat? Accedat et videat quam insaniat.

ECCE OMNES QUASI VESTIMENTUM CONTERENTUR, TINEA COMEDET EOS.) Pro *tinea* Symmachus vertit, *rubiginem*; Aquila, *vermem*, q. d. Quid miseri homunciones, mox morituri, et a vermibus comedendi, audent de Christo Domini ferre sententiam, aut cum eo, quasi impio et reo, iudicio contendere, quem Deus vivificavit, exaltavit, et redemptorem universorum constituit? Omnes enim mox consumentur; imo sibi ipsis per sua scelera, atque per hoc maxime, quod Christum Domini lacessant, vel condemnent, sui exitii et supplicii a Deo inferendi erunt causa, eruntque sicut vestimentum, quod ex se parit tineam, a qua corroditur et consumitur. Ita enim et Iudæi, Christi cæde, accersiverunt sibi flagellum et excidium Titi. De iis enim explicat hæc S. Hieron. Cyrill. et alii. Huc pertinet, quod subdit Propheta c. 51. 7. *Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tinea.* Ex corpore enim hominis tam misero, et quatuor elementis, qualitatibus et humoribus inter se assidue pugnantibus composito, prodeunt multæ putredines, putridique humores, quasi tineæ, quæ ipsummet corrodunt et interimunt. Mortem ergo gerimus in visceribus nostris, eamque nobis ipsi creamus et parimus, quia eam nobiscum ubique circumferimus. Homini ergo recte tribuas illud ænigma Plauti de turdo: *Ipsa sibi avis mortem creat.* Ex eius enim stercore viscus nascitur, cui sese implicans capitur. Homo in se circumfert mortem.

Vide hic, quis sit fructus peccati, quod tamquam tinea, imo vipera parentem, puta peccantem, arrodit et necat. Rursum in tinea, quæ sensim et occulte proserpit, et vestem erodit, significatur, scelera Iudæorum lente et occulte eos ad exitium egisse. Nam, ut ait S. Greg. 11. Moral. 25. *Tinea damnum facit, et sonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt.* Notent hoc Religiosi, qui parva peccata venialia negligunt, abeuntque in eorum consuetudinem, eaque quasi in naturam vertunt. Hæc enim quasi tinea consument spiritum, et robur virtutis eorum. Peccatum est tinea.

QUIS EX VOBIS TIMENS DOMINUM.) Primo, aliqui hæc de peccatore pœnitente accipiunt, q. d. Quisquis hactenus in tenebris erroris, infidelitatis et peccati ambulavit, iamque timens Dei iram, audit vocem servi sui, id est Isaiæ, ait S. Thom. vel potius Christi, uti alii explicant; hic speret in Domino, ille illuminabit et a peccatis expiabit eum. Ita Haymo, Lyran. Procop. et S. Hieron. qui putat hæc esse verba Christi ad suos crucifixores, quasi eos excitet ad pœnitentiam, et spem veniæ. Vers. 10.

Secundo, aptius Cyrillus, Forerius, Hugo, Sanchez et alii accipiunt hæc de iusto: hic enim est *timens Dominum*, et *audiens vocem servi sui*, id est, eius, puta Christi, q. d. Quisquis est Christianus fidelis et iustus, qui cum Christo ambulavit in tenebris carceris, dolorum, ignominiarum et afflictionum, hic speret in Domino. Si enim hoc fecerit, Deus, qui Christum in plagis, sputis et opprobriis confortavit, eripuit et glorificavit, eum pariter confundi et pudefieri non sinet: sed corroborabit, liberabit, et gloriosum efficiet. Est conclusio totius orationis Christi, qua adhortatur Iudæos, et quosvis fideles, ut in mediis malis et tempestatibus, non in hominibus, sed in Deo confidant, ab eoque certam opem expectent.

QUI AMBULAVIT IN TENEBRIS.) q. d. Ait Forerius, Etiamsi in medio umbræ mortis ambuletis, etiamsi universa tenebris misceri videatis, etiamsi nullam lucem affulgere conspiciatis, sed omnia obscura, ob temporum et hominum malitiam; uti fiet, quando habito illo servo Dei (Christo) pro seductore et comprehenso tamquam latrone, et in crucem acto quasi perduelle, ad mentium tenebras denotandas, sol in medio die obscurabitur: ne tamen fidem et spem deseratis, sed cum Abrahamo patre vestro, contra spem in spem credite, Deoque innitimini, scientes, quod ipse possit tam Christum quam Isaacum, tamque Christianos quam Christum, a morte suscitare. Sciebat enim Propheta, multos in passione Christi passuros scandalum, fidemque in Christum et spem in Deum abiecturos: quare ad eos iam conversus, non sine irrisione, ait:

ECCE VOS OMNES (plerique et pene omnes vos, o Iudæi, qui Christum vel sprevistis, illusistis et occidistis, vel visa eius cruce et morte, fidem et spem eius abiecistis) ACCENDENTES IGNEM.) Quod prius v. 9. dixit: *Tinea comedet eos*, hic alia efficaciore metaphora dicit, vo- Vers. 11.

cans eos accensores ignis, focarios, furnarios (qui furnos et fornaces succendunt) et carbonarios. Hi enim sunt impiorum omnium tituli. Ipsi enim sibi ignem æternum, eiusque fomenta parant, iam hic semiadusti, tetri et horridi, velut carbonarii, inquit Forerius, q. d. Vos, o Iudæi, vestro igne cupiditatis et scelerum, quibus allixi, noluistis Christum iis repugnantem agnoscere, accenditis ignem iræ Dei, et accersitis vobis ignem corporalem, quem Titus accendet, totamque Ierusalem comburet; atque æternum, quem manus mea vobis inferet. Ideoque in doloribus æternis, et æterna mei oblivione, dormietis. Ita S. Hieronymus et Cyrillus.

Peccatores sibi succendunt gehennam.

Accincti flammis.) Hebr. מאזרי זיקות *meazere zicot*, quod primo, Vatabl. vertit, *cincti*, vel *circumdati scintillis*, q. d. Ubique spargitis scintillas ignis concupiscentiæ et scelerum, quæ quasi in paleam incidentes, ingens vobis æternumque incendium creabunt. Scintilla ergo gehennæ est libido, ira, ambitio, etc.

Audi S. Hieron. *O ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintillæ prava colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia.* Rursum in fine huius capitis: *Hoc capitulo*, ait, *discimus pro qualitate peccati, ignem sibi unumquemque succendere. Et quomodo in eodem manentes loco, et si dici potest lectulo, alii sani sunt, alii febrium succenduntur ardoribus, ex diversitate humorum atque pituitæ supplicia diversa sentientes: sic et ignis qui a peccatoribus succenditur, materiam in peccatis habet et iniquitate; de qua scriptum est, Ardebit sicut ignis iniquitas, et sicut gramen siccum vorabitur incendio.*

Ita Ven. Beda libr. 3. hist. c. 19. refert S. Furseum in spiritu raptum, vidisse in aere quatuor ignes, qui totum mundum succendebant; cumque rogaret Angelum ductorem suum, quinam illi essent? ab eo audivit: *Unus est mendacii, cum hoc quod in baptismo abrenuntiare Satanæ, et omnibus operibus eius promiserunt, minime implent. Alter cupiditatis, cum mundi divitias amori cælestium præponunt. Tertius dissensionis, cum animos proximorum etiam in supervacuis rebus offendere non formidant. Quartus impietatis, cum infirmiores spoliare, et eis fraudem facere pro nihilo ducunt. Ignis vero crescens in maius effectus est unus, et illi* (Furseo) *appropinquabat, timensque ignem minacem, sancto Angelo ait: Ignis mihi appropinquat. Cui respondit Angelus: Quod non accendisti, non ardebit in te. Licet enim terribilis et grandis sit ignis iste, tamen secundum merita operum singulos examinat: quia uniuscuiusque cupiditas in isto igne ardebit. Sicut enim corpus ardet per illicitam voluptatem, ita et anima ardebit per debitam pœnam.*

A

Secundo, Forerius vertit, *constricti et colligati laqueis*, scilicet flammarum, sive vinculis igneis. Quid enim aliud facit homo dum peccat, quam ut ignem æternum in seipso accendat, ac se laqueis igneis constringat, illis scilicet, quibus dæmones et damnati in inferno colligati detinentur, constringuntur et comburuntur? uti docet S. Iudas in epist. sua v. 6. *Angelos*, ait, *qui non servaverunt suum principatum, etc. vinculis æternis sub caligine reservavit.* Addit Forerius: *Aut certe laqueos vocat, fasciculos laqueatos.* Sic enim fasces et strues lignorum laqueo sive vinculo constringuntur, q. d. Vos, o Iudæi impii, vestris sceleribus, non facitis aliud, quam parare et colligare vobis fasces sive strues lignorum, quibus ipsimet in gehenna comburamini: *Peccata* enim *sunt folles et fomenta gehennæ.* Sic Apostolus ait, peccata levia esse ligna, fœnum, stipulas ignis purgatorii, 1. Cor. 3. 12. Unde per sarcasmum subdit: Ergo *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis*, q. d. Volutamini in incendio ignis inexstinguibilis, quod vobis creastis et adornastis.

B Clarius ex Hebræo verti potest: *Ite in focum ignis vestri, et fasciculorum, quos succendistis!* Huc alludet Christus dicturus reprobis: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, etc.*

De manu mea, q. d. Ego Christus iustus index et vindex, quem vos indigne tractastis, vos ad hunc ignem damno, manu mea invicta et æterna, quæ proinde ignem hunc vobis in æternum alet et fovebit. Illic in doloribus dormietis.) Hebr. תשכבון *tiscabun*, id est, cubabitis, q. d. Cubatum ibitis ad ignes, ad dolores et cruciatus, hi erunt lecti vestri, hæc strata, hæc cervicalia. Sicut de strato Balthasaris occisi dixit c. 14. 11. *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Hoc enim corporis, illa animæ sunt cervicalia.

Hæc sors impiorum, qui linguam Christi eruditam audire, illique auscultare noluerunt: *Pluet* enim *super peccatores laqueos: ignis et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

Aliter Sanchez legit per interrogationem: *De manu mea factum est hoc vobis?* q. d. Minime. Nam, uti ostendi, vos ipsi ignem hunc vobis succendistis, non ego. Verum Biblia omnia Græca, Latina et Hebræa, hæc legunt assertive sine interrogatione; ergo prior explicatio amplectenda est.

CAPUT QUINQUAGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exemplo Saræ et Abrahæ promittit Sioni, id est Ecclesiæ Christianæ ex Iudæis inchoatæ, copiosam prolem, lætitiam et salutem æternam. Quocirca v. 7. arguit timidos, monetque ne timeant persecutores: se enim esse eorum protectorem, esseque omnipotentem, ideoque per Christum se plantaturum novos cælos, et novam terram. Tertio, v. 17. Ierusalem vastatam tum a Chaldæis, tum a Romanis consolatur, promittens ei restaurationem et hostium cladem.

1. Audite me qui sequimini quod iustum est, et quæritis Dominum: attendite ad petram unde excisi e-
stis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis. 2. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram
quæ peperit vos: quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. 3. Consolabitur ergo
Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas eius: et ponet desertum eius quasi delicias, et solitudinem eius qua-
si hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. 4. Attendite ad me, po-
pule meus, et tribus mea, me audite: quia lex a me exiet, et iudicium meum in lucem populorum requiescet.
5. Prope est iustus meus, egressus est salvator meus, et brachia mea populos iudicabunt: me insulæ expecta-
bunt, et brachium meum sustinebunt. 6. Levate in cælum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: quia cæ-
li sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores eius sicut hæc interibunt: Salus
autem mea in sempiternum erit, et iustitia mea non deficiet. 7. Audite me qui scitis iustum, populus meus lex
mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. 8. Sicut enim ve-
stimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tinea: salus autem mea in sempiternum
erit, et iustitia mea in generationes generationum. 9. Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Do-

mini : consurge sicut in diebus antiquis , in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum , vulnerasti draconem? 10. Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis : qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? 11. Et nunc qui redempti sunt a Domino , revertentur , et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum , gaudium et lætitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus. 12. Ego , ego ipse consolabor vos : quis tu ut timeres ab homine mortali , et a filio hominis , qui quasi fœnum ita arescet? 13. Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos , et fundavit terram: et formidasti iugiter tota die a facie furoris eius qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum , ubi nunc est furor tribulantis? 14. Cito veniet gradiens ad aperiendum , et non interficiet usque ad internecionem , nec deficiet panis eius. 15. Ego autem sum Dominus Deus tuus , qui conturbo mare, et intumescunt fluctus eius: Dominus exercituum nomen meum. 16. Posui verba mea in ore tuo , et in umbra manus meæ protexi te , ut plantes cælos , et fundes terram: et dicas ad Sion : Populus meus es tu. 17. Elevare , elevare , consurge , Ierusalem , quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius : usque ad fundum calicis soporis bibisti , et potasti usque ad fæces. 18. Non est qui sustentet eam ex omnibus filiis, quos genuit: et non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filiis, quos enutrivit. 19. Duo sunt quæ occurrerunt tibi : quis contristabitur super te? vastitas, et contritio, et fames, et gladius; quis consolabitur te? 20. Filii tui proiecti sunt , dormierunt in capite omnium viarum , sicut oryx illaqueatus : pleni indignatione Domini , increpatione Dei tui. 21. Idcirco audi hoc , paupercula , et ebria non a vino. 22. Hæc dicit dominator tuus Dominus, et Deus tuus qui pugnabit pro populo suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ, non adiicies ut bibas illum ultra. 23. Et ponam illum in manu eorum , qui te humiliaverunt , et dixerunt animæ tuæ: Incurvare , ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum , et quasi viam transeuntibus.

Vers. 1. AUDITE ME.) A Iudæis incredulis redit ad Iudæos Christo credentes, de quibus egit c. 49. ut ibi dixi initio et c. præced. v. 10. dicens: *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui?* Hi enim pauci lugebant gentis suæ incredulitatem. Hos pergit hic consolari Deus, et in spem meliorum erigit.

Vers. 2. ATTENDITE AD PETRAM UNDE EXCISI ESTIS , ET AD CAVERNAM LACI. DE QUA PRÆCISI ESTIS, id est ut explicans subdit: ATTENDITE AD ABRAHAM PATREM VESTRUM, ET AD SARAM, QUÆ PEPERIT VOS.) *Petram* ergo vocat Abraham , tum ob fidei firmitatem, tum quia Hebræi familias vocant domos: inde בנים *banim*, id est filios, vocant quasi אבנים *abanim*, id est lapides, qui ex patre, quasi petra excisi sunt. Renes enim, qui sunt origo seminis et virtutis generativæ, formam et duritiem habent lapidum, quin et subinde lapides, sive calculos generant. Sic Rachel et Lia, dicuntur ædificasse domum, id est stirpem et familiam Israel. Ruth. 4. 11. Aliqui putant alludi hic ad fontem aquæ e petra a Mose percussa elicitum, Numer. 20. sicut enim aqua ex fonte, ita filii ex parente promanant. Verum obstat τὸ *excisi* et *præcisi*. Aqua enim e fonte et petra elicitur, non autem exscinditur, aut præscinditur.

Abraham vocatur petra, cur?

Aptius S. Cyrillus: *Sicut*, ait, *difficillimum est ex petra solida et immani lapides exscindere, et puteum profundum exhaurire: eodem modo perdifficile est*, *imo impossibile*, *ex sene viro et sterili muliere* (quales erant Abraham et Sara) *nasci filium. Verum hoc effectum est supra opinionem Dei nutu et iussu.* Secundo sicut ex lapidicina innumeri exscinduntur lapides, ita ex Abraham et Sara innumeri prognati sunt Iudæi, et mystice ex Christo et Ecclesia innumeri Christiani. Unde forte huc respexit Christus, dicens Iudæis Matth. 3. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Sic Ovidius 1. Metamorph. finxit post diluvium Deucalionem iecisse post tergum lapides, indeque homines, durum genus, enatos.

Septuag. vertunt: *Inspicite in solidam petram, quam excidistis, et in foveam laci, quam fodistis*, q. d. Aspicite, o Iudæi, in Christum, quem clavis transfixistis in manibus et pedibus, et lancea in latere cordis, inquit Procopius, S. Hieron. et Haymo. Hoc est quod ex Zachar. cap. 12. 10. ait S. Ioan. c. 19. v. 37. de Christo crucifixo et transfosso: *Videbunt in quem transfixerunt;* et Zachar. cap. 3. v. 9. loquens de Iesu Pontifice sordidis vestibus induto: *Lapis , quem dedi coram Iesu , etc. Ecce ego cælabo sculpturam eius, et auferam iniquitatem terræ illius in die una.*

ET AD CAVERNAM LACI.) Hæc est Sara mater Iudæorum, ex qua, quasi ex fossa, vel fovea effossi et excisi sunt Iudæi, totque eorum millia. Hebræum מקבת *machebet*, id est fovea, alludit ad נקבה *nekeba* , id est fœmina. Est honesta periphrasis actus coniugalis, qua utuntur paren-

A tes, dum parvulis suis nescientibus et mirantibus quomodo in hunc mundum prodierint, respondent et persuadent, se ipsos, uti et fraterculos eorum, dum nascuntur, ex caulibus, vel ex fossis effodisse et effodere.

Notat Arias, et Delrio adagio 788. alludi ad architecturam; in hac enim præcipua materia sunt lapides et intritum sive cæmentum. Lapides ex lapidicina petuntur, puta ex Abraham, cæmentum *ex caverna*, vel ut Sept. vertunt, *ex fovea*, sive fossa excavata, puta ex Sara. Hæc enim est mater, ille pater. Unde Syrus et Arabicus vertunt: *Cernite montem ex quo excisi estis, cernite lacum* (vel puteum) *ex quo cavati estis.* Aliter paulo sumitur hæc phrasis a Latinis; viles enim et terræ filii , aut duri et barbari , dicuntur e petra, caverna aut saxo prognati. Sic Homer. Odyss. 18. *Dic*, ait, *tuum genus*, *unde es? non enim e quercu es antiqua* , *nec e petra ;* quod alii dicunt: *Neque lutea* , *neque terræ progenies.* Et Christus: *Potens est Deus de lapidibus* (vilibus et duris Gentilibus) *istis suscitare filios* A-

B *brahæ*, q. d. De pulvere suscitabit egenos, et de stercore eriget pauperes.

QUIA UNUM VOCAVI EUM , ET BENEDIXI) q. d. Sicut Deus Abrahamo , cum solus esset , et sterilis instar lapidis et pumicis , utpote emortuo corpore , et virtute generandi, præsertim ex Sara anu, pariter et sterili, dedit filium Isaac, per cumque illum ita benedixit et multiplicavit, ut fieret Abraham , id est pater multarum gentium, haberetque posteros numerosos instar stellarum cæli , et arenæ maris: ita quoque Deus Ecclesiam e paucis Iudæis ad Christum conversis constantem, Gentium omnium supplemento ita benedicet et multiplicabit, ut totum orbem complectantur. Nolite ergo timere, o pusillus grex, o pauci fideles, Iudæi et Apostoli, ego vos faciam Abrahamos. Hunc esse sensum patet ex v. 4. Ita S. Hieronym. et Cyrillus. Huius ergo rei typus fuere Sara et Abraham , qui senes et steriles genuerunt Isaac, id est risum et gaudium,

C utpote filium, ex quo oriturus erat Christus, qui Evangelium quasi lætissimum nuntium toti mundo erat allaturus, suamque fidelium sobolem toto orbe propagaturus.

CONSOLABITUR ERGO DOMINUS SION.) Tum terrenam, Vers. 3.
reducendo eius cives e captivitate Babylonica, et multiplicando eos in Iudæa, uti explicant Hebræi, S. Thom. et Hugo; tum potius spiritalem scilicet Ecclesiam ortam ex Iudæis in Sion ; tempore enim Christi in iis solis consistebat Ecclesia. Sionis ergo ruinas quibus scilicet maior Iudæorum pars a fide corruit, cum Christum repulit, sarcivit Deus per vocationem Gentium, itaque eam mœstam consolatus est. Pro *ruinas eius*, hebr. est חרבתיה *chorboteha*, quod Septuag. proprie vertunt , τα ερημα αυτης; id est, *deserta eius;* Vatablus, *desolationes eius ;* Forerius, *siccitates eius. Nam sicut*, ait, *grassantibus hostibus, succenduntur arbores, et remanent stipites nonnulli, et trunci aridi*,

atque grassante igne et collabentibus tectis, supersunt exusti aliquot parietes: ita omnia devastante impietate, et ob impietatem milite Romano omnia in Ierusalem diripiente et proterente, remanserunt pii nonnulli Iudæi, quasi nobilis illius ædificii parietes exusti, vel stipites semiusti. Has siccitates, has reliquias, consolatur Dominus, quia ex paucis illis quasi ex seminario quodam, videbunt infinitam multitudinem fidelium prodire, et in immensum augeri veluti segetem Domini.

Et ponet desertum eius quasi delicias.) Hebr. כְּעֵדֶן *keeden*, id est *quasi eden:* Sept. *sicut paradisum;* hic enim erat in regione Eden, Genes. 2. 8. in Hebræo. Erat enim Eden sive paradisus, locus deliciarum amœnissimus. Unde mox vocatur *hortus Domini*, quem scilicet Dominus excoluerat et adornarat, quasi suum hortum, opponiturque inculto et sterili deserto. Sic orbis deliciæ fuerunt Apostoli, ipsaque primitiva Ecclesia, antea inculta et deserta.

Porro *desertum* Sionis, vel vocat ruinas Iudæorum desertas, de quibus iam dixi; vel, ut Procop. et Haymo desertas a Deo et derelictas huc usque Gentes. Sed eodem sensus recidit. Constat enim, hoc desertum commutatum esse in paradisum per Gentium conversionem.

Gaudium et lætitia invenietur in ea.) In Gentium solitudine iam conversa ad Christum, in qua ante non erant nisi tenebræ, ærumnæ et mœstitia; iam non invenietur nisi gaudium, lætitia, *gratiarum actio et vox laudis*, q. d. Gentes quæ antea peierabant, iurgabantur, blasphemabant, diris se aliosque devovebant, iam per Christum accipientes mentem igneam et linguas igneas, non aliud resonabunt quam hymnos et laudes Dei. Videbunt enim Apostolos iugiter iubilantes, et laudantes Deum ob tot tantaque beneficia, quæ per Christum orbi præstitit, præsertim mittendo et dando fidelibus Spiritum sanctum, totque et tanta eius charismata, unde et fideles idipsum agnoscent, sibique congratulabuntur, et Deo gratias agent quod in tam illustrem sortem sanctorum eos vocarit et adoptarit, dicentque iugiter: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, qui nos de tenebris et umbra mortis ad lucem et vitam, de potestate diaboli ad societatem Filii tui, de inferno ad cælestia regna vocasti et transtulisti: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, etc.* Ephes. 1. 3.

Vita cælestis est, assidue laudare Deum. Hæc deberet esse iugis vox et iubilus Christianorum, essetque reipsa omnium, si penitius bona per Christum accepta et accipienda considerarent et appenderent, eisque condigne, ut par est, viverent. Iam paucorum est, qui perfectioni, mundique contemptui studentes, vitam angelicam in terris æmulantur; horum enim vita et vox, non est aliud quam assidua Dei laus. Nam, ut S. Bernard. expertus ait serm. 11. in Cantic. *Nihil ita proprie quemdam in terris repræsentat cælestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, dicente Scriptura: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et S. Ephrem. tractat. de Beatitudinib. inter eas hanc præcipuam ponit: *Beatus*, inquit, *qui factus est sicut Seraphim et Cherubim, et in divino ac spiritali officio numquam est segnis, sed assidue glorificat Dominum.*

Vers 1. Attendite ad me, popule meus.) Iterum iterumque videte, unde hæc lætitia et gaudium tam numerosæ et lætæ sobolis vobis sint obventura.

Lex a me exiet.) *Lex* scilicet non prisca Mosis, sed nova Christi et Evangelica; puta Evangelii prædicatio exibit in totum orbem. Nam *in omnem terram exivit sonus eorum*, scilicet cælorum spiritalium, puta Apostolorum. Hoc est, quod dixit c. 2. v. 3. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Sequitur de eadem:

Et iudicium meum in lucem populorum requiescet.) Lex Evangelica vocatur *iudicium*. Primo, quia nos docet Dei iudicium, quid scilicet Deo placeat, quid displiceat, quid probet, quid damnet. Ex eo enim discimus humilitatem, paupertatem, mundi contemptum ei placere: fastum, avaritiam, delicias, etc. ei displicere, ac consequenter iudicium Dei contrarium esse iudicio mundi. Secundo, quia docet Dei iudicium, id est iustitiam, et id quod cuique ex Dei ordinatione debemus tribuere, scilicet, Deo cultum, proximis charitatem, nobis continentiam. Rursum lex hæc afferet hominibus Dei iudicium, id est iustificationem, ut iuste, pie et sancte vivant. Hic sensus est valde appositus; subdit enim: *Prope est iustus meus.* Tertio, lex Christi vocatur *iudicium*, quia qui illam recipit, cælo; qui reiicit, inferno per illam ipsam adiudicatur. Hoc est quod ait Christus: *Qui non credit, iam iudicatus est;* et, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, etc.* Quarto, quia per eam, quasi per iudicium et sententiam definitivam Deus damnavit mala mundi opera. Hoc est enim quod ait Christus: *Ego in iudicium veni in mundum;* et, *Hoc est iudicium: quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*, Ioan. 3. 19. Dicitur porro hoc iudicium ab Isaia *lux*, vel datum *in lucem populorum*, quia per Evangelii prædicationem quasi lucem, clare ostendit Deus omnibus hominibus, perversitatem operum mundi et ex adverso quanti quæque virtus vel opus apud Deum sit pretii et meriti. Omne enim quod manifestatur, in lumine manifestatur, inquit S. Paulus. Quinto, quia per Evangelium Christus iudicabit, et fidelibus dicet in fine mundi: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum;* infidelibus vero et inobedientibus: *Ite, maledicti, in ignem æternum.*

(Marg.: Lex Evang. vocatur iudicium, cur? Resp. 1. — 2. — 3. — 4. — 5.)

Requiescet.) Non obiter transibit, sed *requiescet*, in Gentibus, quasi in sua sede et loco, firmiter et longo tempore. Forer. vertit contrarie, *concitabo*. Est enim Hebr. רגע *raga*, contrariæ significationis, duoque contraria significat, scilicet, requiescere et concitare, q. d. Iudicium meum in lucem populorum concitabo, id est faciam ut momento appareat, et instar fulguris resplendeat, ac pervadat totum orbem. Vers. 5.

Prope est iustus meus, egressus est (id est, brevi egredietur) salvator meus.) Sunt verba Patris de Filio, quem se brevi missurum promittit, ut sit, inquit, salvator meus, per quem scilicet ego orbem salvem, mihique subiiciam.

Hebræa et Sept. habent: *Prope est iustitia mea, egressa est salus mea;* quæ verba non minus Filio, quam Patri conveniunt. Ecce hoc est iudicium, quod se in lucem populorum daturum promisit, scilicet, iustitia, id est, iustificatio et salus eorum. Hi sunt gaudii, lætitiæ et consolationis v. 3. promissæ, fontes.

Brachia mea populos iudicabunt.) Primo, S. Thom. et Hugo per *brachium* Dei accipit Cyrum, qui Dei robore Babylonem evertit, et Iudæos liberavit. Verum hæc spectant ad Christum, non ad Cyrum. Quocirca S. August. lib. de Essentia divinitatis, per *brachia* Dei, scilicet Patris, accipit Filium, et Spiritum sanctum; hi enim a Patre quasi brachia ab humero procedunt. Secundo, Haymo, Vatabl. et Lyranus per *brachia* Dei accipiunt Apostolos; hi enim a Christo quasi brachium processerunt, ab eoque robur subigendi orbem acceperunt, ut alludat ad robur et brachia militum. Tertio et genuine, *brachia* Dei sunt, vires et potentia, quam Deus per Christum Christique crucem exeruit, dum per prædicationem Apostolorum ei omnes gentes subiecit. Crux enim Christi fuit Dei virtus, ut ait Apostolus. Ita S. Hieron. Adamus, Forerius. Quocirca alludit ad brachia Christi in cruce extensa; hæc enim sunt robora et quasi cornua, quibus ventilavit hostes, orbemque domuit, de quibus dicitur Habac. 3. 4. *Cornua in manibus eius.*

(Marg.: Brachium Dei triplex. 1. — 2. — 3.)

Porro *iudicare*, Hebræis idem est, quod gubernare et dominari, ut alibi dixi. Idem ergo hic dicit, quod c. 40. 10. *Et brachium eius dominabitur.* Rursum, *iudicabunt*, id est, vindicabunt, populos a iugo et tyrannide diaboli,

eosque in libertatem asserent. Sic enim Gedeon, Samson, aliique dicuntur iudices, id est, vindices Israel. Ita Sanchez.

Me insulæ (insulani, id est, gentes remotæ) exspectabunt.) Hebr. קוה *kava*, habet emphasim; significat enim dirigere, et extendere instar lineæ; inde enim קו *kav*, significat lineam, q. d. Insulani extendent animam suam, suasque spes, vota et desideria, eaque instar lineæ dirigent ad Christum. Spes enim quasi extendit animam ad rem speratam, ut eam sperans per spem quasi teneat et apprehendat. Hinc ait Psaltes Psal. 24. 1. *Ad te, Domine, levavi animam meam.* Significatur ingens fore Gentium desiderium Christi et christianismi, ubi de eo, eiusque sanctitate et miraculis inaudierint. Hoc est quod prædixit Iacob Gen. c. 49. v. 10. *Ipse erit expectatio Gentium.*

Secundo, Forer. Hebr. *kava*, sic explicat, q. d. Insulani iam Christiani effecti, dirigent et collineabunt cogitationes, locutiones et actiones omnes ad Christum, utpote a quo uno pendeant, et cui soli placere student. Prior sensus Hebræo magis genuinus est.

Tertio, aliqui sic exponunt, *exspectabunt*, id est avidissime excipient, perinde ac si diu me exspectassent: ut sit metalepsis; quæ enim avide excipimus, ea prius diu exspectare solemus.

Et brachium meum sustinebunt.) Scilicet, exspectantes, id est, ut Septuag. Vatabl. et alii vertunt: *Et in brachium meum sperabunt. Brachium* vocat vim, robur et efficaciam Evangelii, sive christianismi, quæ mentes et corda immutat et sanctificat, ut vitia occidat, et virtutes in eis plantet et vivificet.

Secundo, Forer. vertit: *Et ad brachium meum exspectabunt*, q. d. Gentes Christi imperio obedient, a Christi ore pendebunt, pendulique excipient, et prompte exsequentur eius iussa, dicentes: *Domine, quid me vis facere?* Signum da mihi voluntatis tuæ, parebo, iboque per saxa, per ignes.

Vers. 6. Quia cæli sicut fumus liquescent.) Chaldæus, *transibunt.* Hoc est, ut Christus ait Luc. 21. 33. *Cælum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt*, q. d. Salus et iustitia, quam per Christum me daturum promisi, v. 5. firmior et diuturnior erit cælo et terra; erit enim æterna, stabitque in perpetuum: cæli autem et terra transibunt, si non substantia, certe qualitate, forma et innovatione sui. Vide dicta c. 34. 4. Ita S. Hieron. Salus ergo et iustitia mundi, temporalis est; salus vero et iustitia Dei, æterna est. Hæc ergo ambienda est cum Apostolis et Martyribus, illa negligenda. Quid enim proderit tibi quod omnes homines cras morituri te salvent et iustificent, si Deus æternitatis dominus te condemnet? Damnarunt tyranni Apostolos et Martyres, occiderunt illos ad breve tempus; resurgent illi, et damnabunt suos tortores et tyrannos in æternum.

Septuag. vertunt: *Quoniam cælum sicut fumus firmatum est.* Hoc est, ut explicat S. Hieronym. *Quod omnis cælorum firmitas et robur et fortitudo vento inanissimo et fumo qui in auras solvitur, coæquetur iuxta Ecclesiasten: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Tales sunt et opes, deliciæ, honores, pompæ, omniaque quæ cæli ambitu continentur. Quam ergo vani et stulti sunt, qui hæc ambiunt, et cum æternis commutant! Symmachus vertit: οὐρανοὶ ἁλωσονται, id est, *cæli instar salis liquescent* et evanescent; Aquila: οὐρανὸς μεσωθήσεται, id est, *cælum comminuetur in nihilum:* non quod proprie sit periturum, et redigendum in nihilum, sed quod commutandum sit in melius, ait S. Hier. sive quod hæc eius species et forma sit annihilanda, dandaque ei nova longe augustior et splendidior.

Vers. 7. Audite me (loquitur Christus ad suos primos fideles et Apostolos) qui scitis iustum, hebr. *iustitiam;* sive id, quod iustum et sanctum coram Deo esse, vos docui. Lex mea in corde eorum.) Id est, in quorum corde lex et doctrina mea est, ut vertunt Vatabl. et Forer. Est hebraismus: ponitur enim pronomen demonstrativum *eorum*, pro relativo *quorum.*

Nolite timere opprobrium hominum.) Scribarum et

A Pharisæorum, tyrannorum, aliorumque infidelium, qui vos ob fidem meam persequentur, subsannabunt, flagellabunt et occident. Unde Tertull. libr. 4. contra Marcion. c. 14. putat Christum huc alludere, idemque dicere, cum ait: *Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exsultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo*, Luc. 6. 22. Hæc enim Christi verba hisce Isaiæ quasi antistropha respondent. Porro Tertull. hunc Isaiæ locum sic ex Septuag. legit et vertit: *Ne timueritis ignominiam ab hominibus, et nullificatione eorum ne minuamini* animo, id est, ne vincamini, ut legunt alii. Hoc est enim Græcum ἡττᾶσθε. Porro nullificationem vel nullificamen, vocat vilipensionem, qua quis nihili fit et nullus æstimatur; *Quæ ignominia? quæ nullificatio? quæ futura erat propter Filium hominis*, ait Tertull. l. 4. contra Marc. c. 14.

Sicut enim vestimentum.) Supple, ex se generat ver- Vers. 8.
mem et tineam, quæ illud corrodat et absumat: ita homi-
B nes mortales ex se generant sibi morbos et mortem, qua intereant: *Mortalia enim omnia mortalitate damnata sunt*, ut ait Seneca, ac præsertim peccatores et persecutores Ecclesiæ ex se gignunt scelera, quæ in se provocent iram et excidium Dei. Vide dicta c. 50. 9. Alludit ad cælos v. 6. q. d. Si cæli, qui instar æris fusi et fundati sunt, liquescent et tabescent, quanto magis homo, qui non est nisi putredo et ærumna?

Consurge, consurge (Vatabl. vertit: *Excitare, exci-* Vers. 9.
tare, quasi a somno quietis, lenitatis et patientiæ) induere fortitudinem brachium Domini.) Forerius vult hæc esse verba Dei ad seipsum, seu ad virtutem suam, nempe Christum, qui et virtus Dei, et brachium Domini vocatur in Scriptura.

Planius Sanchez censet esse Isaiæ, aut populi expectantis et anhelantis ad Christi adventum, ut Deus per eum potenti brachio debellet dæmones, peccatum et mortem, ab iisque fideles suos liberet, utpote per Apostolos fortiter
C sibi subigat hostes, tyrannos, totumque orbem. Septuag. addunt τὸ *Ierusalem;* vertunt enim, *consurge, consurge, Ierusalem.* Verum hæc vox non est in Hebræo, Chald. aut Latinis, in quibus *consurge, consurge, induere*, et verba omnia sequentia referunt et respiciunt *brachium Domini.*

Porro *induere fortitudinem*, est parare et accingere se ad prælium, ut in eo fortiter confligat et proterat hostes, Psal. 92. 1. *Indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se;* et Psalm. 44. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.*

Alludit ad Cyrum, qui fuit quasi brachium Domini in debellandis Babyloniis: imo S. Thom. et Hugo putant hunc esse sensum litteralem; sed hoc parum est verisimile.

Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum.) *Dies antiquos*, sive *generationes sæculorum*, vocat tempora prisca, puta Ægyptia sub Mose, inter quæ et præsens multa fluxerunt sæcula.

Numquid non tu.) Scilicet o *brachium Domini.* Hoc enim respicere pronomen *tu* patet ex pronomine fœmineo
D את *at*; nam זרוע *zeroa*, id est *brachium*, pariter est fœminini generis.

Percussisti superbum, vulnerasti draconem.) Scilicet Pharaonem in mari rubro, cum Hebræi sicco pede transierunt illud, ut sequitur. Vocatur enim ipse *draco* marinus sive fluvialis, puta balæna, vel potius crocodilus, quia dominabatur Ægypto, quæ hinc mari, inde rivis Nili cingitur, ideoque putabat se invictum et insuperabilem. Hoc est enim quod ait de Pharaone sui temporis, qui Ephree fuit cognominatus, Ezech. c. 29. 3. *Ecce ego ad te, Pharao, rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Ita S. Hieron. Cyrill. et alii. Mystice, *draco* est Satanas, ut dixi c. 27. 1. Ita Rupert.

Aquam abyssi vehementis.) *Abyssum* vocat mare ru- Vers. 10.
brum, ob profunditatem; *vehementem* ob æstus et fluctus. Est enim sinus sive brachium maris, ubi mare arctatum vehementius fluctuat et sævit.

Et nunc qui redempti sunt.) Intelligitur more He- Vers. 11.

bræo particula comparativa *sicut*, q. d. Sicut Deus, duce Mose, liberavit Hebræos de manu Pharaonis, eo submerso, eosque cum gaudio, iubilo et tripudio, deduxit usque in Iudæam in Sion: ita nunc per Christum a diaboli captivitate et tyrannide, redimet eos, puta veros Israelitas, ut in Sion, id est Ecclesiam, veniant, gaudeantque et iubilent, hic inchoate, perfecte vero in cælo. Hoc est enim quod sequitur.

Lætitia sempiterna super capita eorum.) Ita enim, ut iam dixi, explicatur Apoc. 7. 16. Est metaphora *sumpta*, inquit Forer. *a mulieribus, quæ ingentia onera imposita capitibus deferunt: quo forte et allusit Paulus, cum gloriæ pondus dixit:* Melius Sanchez sumptam putat a coronis, quas victores in triumphis aut festum agentes, in festo vel nuptiis, capiti imponunt. Porro per coronas significatur dies hosce fore tum triumphi, tum geniales et festivos. Beati enim in cælo coronabuntur non lauro, non olea, non thyrso; sed immarcescibili gloriæ corona, ut ait S. Petrus epist. 1. c. 5. v. 4.

Rursum, *caput* ponitur pro toto homine; est enim pars præcipua, in qua vigent sensus, estque sedes gaudii et lætitiæ, æque ac doloris et mœstitiæ.

Tertio, τo *super capita*, significat hanc lætitiam non fore humanam et terrestrem; sed sublimem, transcendentem et supernaturalem, scilicet cælestem et divinam, ex gratia et consolatione Dei, in hac vita; atque in futura ex lumine gloriæ, visione et fruitione Dei manantem. Simili modo c. 11. 2. et c. 61. 1. Spiritus Domini, omniaque eius dona, dicuntur requievisse super Christum. To enim *super* significat hæc dona esse supernaturalia, et e cælo in homines descendere, ita tamen, ut ipsis indantur eisque insint. Denique τo *super* significat ambitum, copiam et magnitudinem gaudii. Sicut enim corona cingit et ambit totum caput, ita ambiet et hæc lætitia. Hoc est quod ait Psaltes Psal. 29. 12. *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.* Significatur ergo tanta fore lætitia, ut homo eam capere non possit; sed ea undique circumfundatur, innatet et inebrietur. Hoc est quod ait Christus: *Intra in gaudium Domini tui*, q. d. Tantum erit gaudium, ut illud non tam in te, quam tu in illud sis intraturus: sicut invitatus ad nuptias ingreditur in aulam nuptiarum deliciis, musicis, tapetibus, omnique re delectabili ita instructam et refertam, ut videatur in mera intrare gaudia.

Gaudium et lætitiam tenebunt.) Loquitur de gaudio hic inchoando, sed consummando in cælis, ut patet Apoc. 7. 16. Legimus in historiis aliquos in hac vita præ gaudii magnitudine, fuisse exanimatos: quanta ergo erunt gaudia Beatorum, quibus undique circumfluent et inebriabuntur? Sane gaudium eis finderet cor, gaudio creparent, ni Deus eos supra naturam contineret, et in vita conservaret. Ita Diagoras tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem; eosque omnes vidit vincere coronarique eodem Olympiæ die. Porro, cum tres hi filii victores patrem amplecterentur, et coronas suas in caput eius imponerent, cumque populus gratulabundus flores undique in eum iaceret; ipse seipsum, suamque lætitiam non capiens, protinus in eodem loco et stadio, inspectante populo, in oculis atque in manibus filiorum animam efflavit.

Diagoras gaudio exanimatus.

Similiter legimus, qua tempestate apud Cannas, exercitus populi Romani cæsus est, anum matrem nuntio de morte filii allato, extremo luctu atque mœrore affectam esse; sed is nuntius falsus fuit, atque is adolescens non diu post ex ea pugna in urbem rediit. Anus repente, filio viso, quasi ruina incidentis inopinati gaudii oppressa exanimataque est. Ita A. Gellius l. 3. c. 1. 5.

Fugiet dolor et gemitus.) Pulchre Poeta:

Nascimur in lacrymis, lacrymis quoque vita madescit,
Et vitam rursum linquimus in lacrymis.
Mors multas hominum lacrymas absterget, at omnes
Omnibus electis ipse Deus lacrymas.

Huc alludit S. Ioannes Apoc. 21. 4. *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Quia, ut dixit v. 11. *Lætitia sempiterna erit super capita eorum.* Nimirum Christus hic suorum capiti imponit suam coronam spineam, in cælo imponet auream et gemmeam, ut reipsa ostendit et præstitit B. Catharinæ Senensi.

Hoc gaudium hic inchoant iusti, estque comes virtutis eorum, quam deducit ad gaudia cælestia et æterna. Vidit hoc per umbram Seneca, scribens ad Lucilium: *Nolo*, ait, *tibi umquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci: nascetur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt; leves sunt, nisi tu forte iudicas illum gaudere qui ridet; animus debet esse alacer, et fidens, et super omnia erectus.*

Ego, ego ipse consolabor vos.) Cogita qualis, quanta et quam firma sit consolatio, quæ a tanto consolatore proficiscitur, quasi munus tanto principe dignum. Quocirca, *Quis tu, ut timeres ab homine mortali?* Hebr. *ab* אנוש *enos*, id est homine misero, ærumnoso, damnato ad mortem. Increpat tepidos et timidos Christianos, qui in fide nutaturi, aut ab ea defecturi erant metu Iudæorum, Imperatorum, aut aliorum persecutorum vel irrisorum. Ita S. Hieronymus et Cyrill. Unde Hebr. est genus fœmininum, מי את ותיראי *mi at vattirei*, q. d. *Quid tu, o fœmina, times?* Timere enim in tanto Dei adiutorio et consolatione, præsertim hostem fœneum, et instar fœni interiturum est meticulosæ et fœmineæ indolis; dicere enim debueras: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Vers. 12.

Et oblitus es Domini factoris tui. Dat causam timoris, q. d. Ideo times, ut fœmina, persecutores, quia immemor es Dei, potentissimi tutoris tui, qui cælos et terram creavit, firmavit et firmat. Hinc enim videns faciem furibundam persecutoris et tribulantis, formidasti; sed vide quam brevis sit furor, quam cito dispareat. Ubi nunc est furor tribulantis.) q. d. Uti furor Pharaonis persequentis Hebræos absorptus est a mari: ita et furor persequentium te, Deo vindice mox absorbebitur et evanescet. Vers. 13.

Cito veniet gradiens ad aperiendum.) Hebræi, S. Thomas et Hugo hæc accipiunt de liberatione Iudæorum e captivitate Babylonica. Verum alii passim accipiunt de ope et auxilio Christi, suos in persecutione liberantis, protegentis, foventis et alentis, q. d. Cito veniet brachium Domini, id est, Christus potens bellator, gradiens et conculcans adversarios tuos, ut carceres aperiat, indeque te iam ad mortem damnatum educat, uti fecit S. Petro, Actor. 12. 11. Vers. 14.

Rursum, *non interficiet*, id est, non permittet tyrannos interficere fideles usque ad internecionem, quin potius per paucorum martyria, plures faciet succrescere. Unde hebraice est לא ימות *lo iamut*, id est, *non morietur*, scilicet fidelis. Noster legit לא ימית *lo iamit*, id est, non occidet, *non interficiet*.

Nec deficiet panis.) q. d. In fame etiam extrema aderit Deus, curabitque suis annonam, tum corporalem, tum magis spiritualem. Hoc est, quod Paulus expertus aiebat: *Aporiamur, sed non destituimur*, 2. Cor. 4. 8. Ita sæpe fidelibus fecit, et facit Deus, iisque in acie novaculæ mire succurrit; ut, cum videantur esse in imo et æterno carcere conclusi, subito libertatem eis afferat; cum videantur esse in limine mortis, ducique ad crucem, salvet eos, vitæque restituat; cum videantur fame morituri, abunde eis victum submittat, uti Danieli c. 14. in lacu leonum submisit cibum per Habacuc raptum ab Angelo.

Quinimo Forerius hæc sic accipit, q. d. Quod Deus persecutorum animos ita immutabit, ut ipsimet Christianos, quos carcere concluserant, solvant et liberos dimittant: quos ad mortem damnaverant, absolvant; quos fame cruciabant, nutriant et pascant. Sic enim vertit ipse: *Festinavit qui volutabat* (exagitabat fidelem) *ad aperiendum, et non moriatur* (fidelis) *ad foveam, et non defecit panis eius.*

Pro *gradiens*, hebraice est צעה *tsoe*, quod Pagninus et R. Abraham vertunt, *ligatus;* Vatablus, *discurrens:* Forerius, *volutans;* R. David, *captivus;* Symmachus vero, *infernus.* Sic enim ipse vertit: *Cito infernus aperietur, et non morietur in corruptione*, q. d. Christus moriens ape-

riet limbum patrum, et vinctos, tam in limbo quam in purgatorio, educet, atque in morte caro eius non corrumpetur. Hoc est enim quod dicitur Psal. 15. 10. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Ita S. Hieron.

Vers 15. Ego autem sum Dominus.) q. d. Quid timeas cum me habeas defensorem? qui, cum volo, conturbo mare, multo magis homines, hostesque tuos conturbare possum, uti conturbavi Madianitas tempore Gedeonis Iudic. 7. quique sum Dominus exercituum, qui scilicet, cum lubet, in aciem educo cælos, stellas, elementa, fulmina, tonitrua, grandines, procellas atque innumeras Angelorum legiones.

Vers. 16. Posui verba mea in ore tuo.) S. Thom. et Hugo putant esse verba Dei ad Isaiam, velut Chald. ad Prophetas.

Secundo, Cyrillus, Procop. et Sanchez censent esse verba Christi ad Apostolos, virosque Apostolicos.

Tertio, et planissime S. Hieronym. Forerius, Adamus et alii passim censent esse verba Dei Patris ad Christum Filium. Iisdem enim verbis Pater compellavit Filium cap. 49. 2. Et Christus est, qui fundavit Ecclesiam, ut sequitur.

Porro sub Christo intelligit Christi fideles et Apostolos; hos enim timidos et metuentes persecutiones Iudæorum ac tyrannorum, uti dixi vers. 7. et 12. pergit corroborare et confirmare, dicens se iis adfore, daturumque tum sapientiam et eloquentiam, qua prudenter et constanter persecutoribus respondeant; tum vires et fortitudinem, qua eorum impetus et plagas excipiant et sustineant. Itaque Deus a fidelibus, quasi a subditis, hic convertit se et sermonem reflectit ad caput, puta ad Christum in eoque fideles alloquitur et consolatur. Sicut rex a militibus convertit se ad capitaneum, eumque et in eo milites alloquitur et animat ad prælium, q. d. Nolite timere, o fideles, o Apostoli, minas et terrores hostium; ecce ego dedi vobis caput et ducem Christum. Ego in tuo, o Christe, ore posui verba mea, ut tu vicissim ea ponas in ore tuorum Apostolorum et fidelium. Rursum in umbra manus meæ ego protexi te, ut tu vicissim sub umbra manus tuæ protegas eos. Poterant enim Apostoli cum Mose, Exodi 4. obtendere duo Evangelii obstacula, scilicet, primo, ruditatem et infantiam suam; hoc elidit, dicens: *Posui verba mea in ore tuo;* secundo, robur et furorem persecutorum; hoc edidit, dicens: *In umbra manus meæ protexi te.*

Hoc est quod ait Christus Matth. 10. 19. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hisce ergo verbis Christus, Apostoli eorumque asseclæ instituuntur et quasi consecrantur præcones Dei, Deusque os eorum sibi vindicat, ut per illud, quasi per organum suum, loquatur. Ita refert S. Gregor. lib. 1. Dialog. c. 4. iisdem hisce verbis S. Equitium Abbatem ab angelo iussu Dei institutum esse prædicatorem. Cum enim Felix, vir nobilis ab eo quæreret: *Qui sacrum Ordinem non habes, atque a Romano Pontifice, sub quo degis, prædicationis licentiam non accepisti, prædicare quomodo præsumis?* Compulsus Equitius respondit: *Ea quæ mihi loqueris, ego quoque mecum ipse pertracto. Sed quadam nocte speciosus mihi per visionem iuvenis adstitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, id est, phlebotomum, posuit dicens; Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum. Atque ex illo die, etiam cum voluero, de Deo tacere non possum.* Subdit S. Gregorius: *Tantus quippe illum fervor ad colligendas Deo animas accenderat, ut sic monasteriis præesset, quatenus per Ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret, et corda audientium ad amorem patriæ cœlestis excitaret.* Da, Domine, Ecclesiæ tuæ plures Equitios.

Equitius ab angelo consecratus prædicator.

Ut plantes cælos, et fundes terram.) Ut scilicet crees et fundes novum orbem spiritalem, scilicet Ecclesiam, regnumque Dei, in quo fideles agent vitam cælestem, atque instar terræ solidi et fundati erunt in fide, spe et charitate. Ita S. Hieron. Haymo. Forer. Dionys. Adam. et alii. Aliqui non male, per cælos accipiunt Apostolos. Sicut enim cæli lumen, ita Apostoli lucem Evangelii orbi attulerunt. Per terram scilicet novam, plebeios, qui in Ecclesia terrestri, hanc lucem constanter excipientes, suæ gravitatis obliti, feruntur in cælum, dicuntque cum Paulo: *Nostra conversatio in cælis est.* Quocirea aliqui subaudientes το bet, id est *in*, vertunt: *Ut plantes cælos eosque fundes in terra.* Per vitam enim cælestem quam agunt Sancti, tam Angeli et cælites ad homines descendunt, quam homines pii ad cælites ascendunt. Unde S. Ioan. Apocal. 21. 1. vidit Ecclesiam et fideles, quasi Ierusalem novam descendentem de cælo.

Moral. Sancti sunt cælum, primo, quia sursum habent cor et mentem. Morale, Sancti sunt cælum ob octo analogias.

Secundo, quia cælati sunt gratia Dei, omnique virtute, præsertim patientia in tribulationibus.

Tertio, quia sunt templum et thronus Dei; unde S. August. in Psal. 122. *Habitat*, ait, *in cælo Deus, et cælum Dei sunt omnes animæ iustæ et sanctæ. Nam et Apostoli quamvis in terra essent carne, cælum erant; quia in illis Deus sedens per totum mundum ambulabat, et habitabat in eis Christus per fidem, sicut dicit Apostolus: Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.*

Quarto, quia instar cæli pluunt, tonant, fulgurant. Audi S. Aug. in Ps. 101. ser. 2. *Per cælum,* ait, *non importune intelligimus Sanctos Dei, in quibus manens Deus intonuit præceptis, coruscavit miraculis, imbrificavit terram sapientia veritatis. Cæli enim enarraverunt gloriam Dei.* Idem ser. 3. de Apostolis: *Cæli sunt Sancti narrantes gloriam Dei, a terra suspensi, Deum portantes, in præceptis tonantes, sapientia coruscantes.*

Quinto, quia, ut ait S. August. libr. 2. contra Iulian. *Cum corpus e terra et spiritum possideamus e cælo, ipsi terra et cælum sumus, et in utroque, id est in corpore et spiritu, ut voluntas Dei fiat, oramus.* Unde scribens in Ps. 96. *Tu*, ait, *si vis, cælum eris: purga de corde tuo terram. Si terrenas concupiscentias non habueris, et non frustra responderis sursum te habere cor, cælum eris; carnem portas, et corde iam cælum es.*

Sexto, cælum Varroni l. 5. de Lingua Latina dicitur, quod stellis sit cælatum, aut quod sit κοῖλον, id est cavum: aut, ut Isidorus, quod superna celet et abscondat, aut, ut Rupert. in Genes. lib. 1. cap. 29. a cernendo, quod omnibus sit conspicuum et ubique cernatur: sicut Plato in Cratylo, cælum græce dici ουρανον censet απο του οραν τα ανω, id est ab aspiciendo ea quæ sursum sunt; aut, ut Aristot. (vel quisquis est auctor) lib. de Mundo ab ορος quod sit terminus eorum quæ sursum sunt. Unde utrumque coniungens, Philo lib. de Mundi opificio: *Cælum*, inquit, *dicitur* ουρανος, *sive quia omnium* ορος, *id est terminus; sive quia primum* ορατων, *id est visibilium, factum sit.* Ita Sanctus est cavus, id est totus teres atque rotundus: est omnibus conspicuus per modestiam, sed absconditus per devotionem et contemplationem. Idem est terminus et finis omnium. Deus enim mundum creavit propter Sanctos et electos. Unde S. Greg. lib. 30. Moral. 12. *Cælum*, ait, *Ecclesia vocatur electorum, quæ ad interna sublimia dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit.* Idem hom. 14. in Ezech. *Cælum est anima iusti, sicut per Prophetam Dominus dicit: Cælum mihi sedes est*, Psal. 102. Idem hom. 30. in Evangel. *Ornamenta*, inquit, *cælorum sunt virtutes prædicantium. Hinc scriptum est: Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum; quia mundi huius potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos sancti Spiritus fortitudo solidasset, etc.*

Septimo, in cælo est sol, luna, astra: ita in anima iusti sol est intellectus, luna fides, astra virtutes, ait S. Bernardus serm. 27. in Cant. qui totus est de hac re: *Sicut stellæ*, inquit, *in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis. Ergo virtus est sidus; et homo virtutum, cælum.* Merito ergo sponsa Christi dicit: *Formosa sum sicut pelles Salomonis*, id est, sicut cælum. Deus enim extendit *cælum sicut pellem*, Psal. 103. Habet ergo Ecclesia *cælos*

suos, homines spirituales vita et opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutarem, tonant increpationibus. coruscant miraculis, etc.

Octavo, quia iustus per cælestes mores inchoat cælestem beatitudinem, sicque incipit esse cælum. Audi S. Chrysost. hom. 16. in epist. ad Hebr. *Faciamus*, ait, *animam nostram cælum:* primo, *clarum et festivum est cælum: neque enim in hieme nigrum efficitur; non enim ipsum est quod immutat faciem, sed nubes concurrentes illud obtegunt;* ita iustus serenus est et imperturbabilis; secundo, *cælum solem habet; habemus et nos solem iustitiæ. Video autem quia et meliores fieri cælo nobis licet. Quonam modo? quando Dominum solis habemus*; tertio, *cælum ubique mundum est et sine macula, non in hieme, non in nocte mutatur: proinde et nos neque in tribulationibus, neque in versutiis diaboli hoc patiamur, sed maneamus immaculati et mundi*; quarto, *cælum altum est, et multum distans a terra: hoc etiam nos faciamus, separemus nos a terra, et in excelsum illud levemur;* quinto, *cælum superius est, et ab imbribus et a pluviis* (nam nubes trascendit Olympus) *et a nullo consumitur: hoc et nos poterimus, si voluerimus;* sexto, *cælum quidem putatur pati, sed ipsum nihil patitur: sic igitur et nos etiamsi putamur pati, tamen non patimur, si in altitudine sederimus cum Paulo et Sanctis, qui altiores cælo, ad ipsum pervenerunt Dominum. Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? etc.*

Et dicas (tu, o Christe) ad Sion (ad Ecclesiam) Populus meus es tu.) Omnes enim fideles sunt populus Christi, indeque vocantur Christiani.

Vers. 17. Consurge, Ierusalem.) Hebræi, S. Thom. Hugo et Sanchez hæc accipiunt de Ierusalem, id est Hierosolymitis captivis in Babylone, censentque eis hic libertatem et reditum in patriam, ac Hierosolymæ templique reædificationem promitti, ideoque excitari Ierusalem ad alacritatem et lætitiam, ac moneri, ut priora scelera, ob quæ hostibus tradita est, deinceps caveat. Videtur enim ad Iudæos sui ævi more suo reverti Propheta. Hisce enim omnia ad finem usque capitis proprie conveniunt. Sub hisce tamen intelligit Christianos quasi antitypos.

Unde secundo, S. Hieron. Cyrillus, Haymo, Dionys. Forer. Adamus, Vatabl. et passim alii per *Ierusalem*, intelligunt primitivam Ecclesiam, in Ierusalem ortam et collectam; de illa enim egit ab initio capitis hucusque, eiusque mœrorem ex paucitate fidelium conceptum, consolatur et abstergit, promissione tum protectionis suæ, tum instaurationis et numerosæ prolis. Verum, quia in urbe Ierusalem alii erant credentes Christo, alii, et plures increduli; hinc primo, eius et incredulorum stragem per Romanos describit. Deinde v. 22. transit ad credentes, atque veram Ierusalem, id est Ecclesiam, consolatur, ut clare patet c. seq. v. 2. et 7. Nam, cum Iudæi pene deleti sunt per Titum, cumque plane abolita eorum respubl. et Synagoga, tunc subito cœpit florere Ecclesia ex Iudæis collecta, tunc caput erexit. Hoc est quod ait: *Elevare, elevare, consurge.* Hæc enim fuit restauratio Hierosolymæ et Sionis, non corporalis, sed spiritalis. Transit enim a Ierusalem non credente et excisa, ad credentem Christo et succrescentem, sive a Iudaica ad Christianam. Sicut enim idem est populus, v. g. Romanus, olim Gentilis, nunc Christianus: sic eadem est Ierusalem olim Iudaica, nunc Christiana, præsertim, quia hæc e Iudæis primitus cœpit et collecta est. Vide cap. 7. Adde, hæc etiam ad consolationem Ierusalem, id est Iudæorum adhuc Iudaizantium, pertinere, quia illi suo tempore inserendi sunt Ecclesiæ, uti multi inserti sunt, et quotannis inseruntur: imo omnes et singuli quolibet die inseri possunt, si velint, itaque hac consolatione eis promissa, frui.

Denique, alii per vastationem Ierusalem, intelligunt persecutiones, quas a tyrannis passa est primitiva Ecclesia. Verum hoc videtur violentum. Hæc enim non possunt dici calix furoris, et plenus indignatione Domini,

A vastitas, contritio, etc. quæ sequuntur, cum fuerint potius eius gloria et triumphi.

Quæ bibisti de manu Domini (propinatum et acceptum) calicem iræ eius.) *Calix* significat sortem cuiusque tristem vel lætam, cuique a Deo pro meritis, vel pro voluntate Dei admensam et attributam. Est metaphora a conviviis, in quibus olim præfectus convivii, qui Modimperator dicebatur, suum cuique calicem miscebat et attemperabat. *Calix* ergo *iræ*, est mensura pœnæ, vel vindictæ a Deo irato Hierosolymæ, pro eius demeritis decreta et attributa. Vide dicta Ierem. 25. 15.

Usque ad fundum calicis soporis.) Hebraice est תרעלה *tarela*, quod Noster vertit, *soporis*, id est, ut R. Salomon, *stuporis*, id est stuporem seu soporem lethiferum inducentis; Chald. *maledictionis;* Septuag. *furoris;* Symmach. et Theodotion, *lacerationis;* R. David, *veneni mortiferi;* R. Iona, *confusionis et contritionis;* R. Emmanuel, *fletus et contritionis;* Arias Montanus, *turbationis et nauseæ;* sed optime Forer. Vatabl. et alii, *tremoris:* B רעל *raal* enim significat tremere. Dicitur autem *calix tremoris*, qui tremorem et concussionem membrorum, indeque stuporem lethiferum inducit quales sunt venenatæ et frigidæ potiones. Non ergo loquitur de calice vini conditi et aromatici, qui reis supplicio afficiendis dabatur, ut sensus sopiret, ne cruciatus sentirent, aut certe ut minus eos sentirent; hic enim in se reis erat consolationi magis quam dolori.

Tarela multipliciter exponitur.

Symbolice tamen et tropolog. hunc calicem soporis calici et haustui somnifero, quem ermani *Slaftrung* vocant, recte adaptat Ioan. Frid. Matenesius in Syntagmate quod contra eum scripsit. Calix enim somniferus hunc soporiferum inducit et provocat.

Potasti usque ad fæces.) Ergo totum dolium ebibisti, nec tam ex calice, quam ex dolio potasti, illudque epotasti. Significatur ingens et extrema vindicta, clades et calamitas Hierosolymæ, quæ fuit tum in captivitate Babylonica, tum magis in Romana.

C Non est qui sustentet.) Solent parentes senes a filiis sustentari, eisque inniti, uti factum est a P. Cornelio, qui inde Scipio est appellatus, quod pater incedens ei quasi scipioni inniteretur; unde ipse Scipionis nomen familiæ dedit et ad posteros transmisit. Hierosolymæ vero contrarium accidit; nam filii eius seditiosi se invicem confecerunt, et gravius urbem, quam hostes, afflixerunt in obsidione Titi, teste Iosepho. Vers. 18

Duo sunt quæ occurrerunt tibi.) Nominat quatuor flagella; subdit enim: *vastitas, et contritio, et fames, et gladius.* Quomodo ergo ait esse duo? Respond. Sanchez primo, esse duo, quia unum, puta fames, Iudæis contigit in obsidione; alterum post obsidionem, excisa urbe, scilicet vastitas, et contritio et gladius. Secundo, respondet esse duo, quia unum fuit civitatis flagellum, scilicet, vastitas et contritio: alterum civium, scilicet fames et gladius. Sic et Forerius: Vastitas, inquit, et contritio, sunt unum idemque flagellum; alterum vero, est fames et gladius, hæc enim pro uno computantur. Tertio, Vatabl. Duo, inquit, posteriora duobus prioribus continentur. Ergo primum flagellum est vastitas, sive fames; D alterum est contritio, sive gladius. Secundus sensus videtur maxime appositus contextui. Vers. 19.

Quis contristabitur super te?) q. d. Tanta est tua afflictio, ut et tu et videntes te, stupeant, et præ stupore nec illi te possint consolari, nec tu ab eis consolationem ullam accipere. Vehemens enim dolor stuporem sensibus et menti inducit, ut nihil, quantumvis lætum et delectabile, sentiant aut capiant.

Consolabitur.) Hebr. iam est אנחם *anachem*, id est, *consolabor;* sed videtur legendum ינחם *ienachem* id est, *consolabitur:* ita enim vertunt quoque Septuag.

Filii tui proiecti sunt.) Strati iacent in plateis et compitis, aut gladio confossi, aut potius præ fame, macie, tabe animam agentes: hoc est enim Hebr. עלף *alaph.* Id ipsum est quod ait Ierem. Thr. 4. 5. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Præsertim quia Vers. 20.

hostes Chaldæi, æque ac Romani, domos combusserant, vel occuparant, ut cives cogerentur in plateis dormire.

Sicut oryx illaqueatus.) *Oryx* est animal unicorne et bisulcum, ait Aristot. l. 2. de hist. animal. c. 1. et lib. 3. de Partib. animal. cap. 2. Alii volunt esse urum, sive bovem sylvestrem. Ita Gesnerus et Forerius. Verum Procop. vult esse avem: sed hoc parum est probabile. Melius Plinius lib. 2. 40. orygem ait esse Ægypti feram, quæ bisulcam habet ungulam, et in exortu Caniculæ contra stat intuendo, eamque sternutando quasi adorat. Idem lib. 8. c. 53. *Sunt et oryges*, ait, *soli a quibusdam dicti, contrario pilo vestiti, et ad caput verso.* Et Oppianus Cyneget. l. 2. ait feram esse lactei coloris, habentem cornua ære, ferro et silice duriora, similia mucronibus, caque venenata esse. His confisam belluam audacem esse et sævam, non metuere venatores, nec canes, imo nec tauros, apros, pardos, leones, ursos: sed, cum eos videt irruentes, immotam stare, et capite inclinato invadentis alvum cornibus obliquatis perforare. Hinc Callixenes Rhodius apud Athenæum, ut rem miram et inauditam narrat, quod Ptolemæus Philadelphus in pompa Alexandrina oryges subiugales dederit. Ita Delrio adagio 789. Quocirca Martialis l. 13. orygem ita depingit:

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sævus oryx: constat qui mihi morte canum.

Sensus est, q. d. Sicut oryx ferum animal, cum canibus et venatoribus pugnans, fessum tandemque victum, capitur et illaqueatur, sicque illaqueatum et irretitum, moxque occidendum, omnibus in platea spectandum proponitur: ita et cives Hierosolymæ, fessi, fracti, ærumnis confecti, et ab hoste undique cincti, ac quasi illaqueati iacuerunt in plateis mox morituri, aut iugulandi, fueruntque hostibus et transeuntibus ludibrium. Alludit ad Titum, qui Hierosolymam, viasque omnes, ita subito obsedit et cinxit, cum omnes Iudæi eo ad pascha confluxissent, ut instar miraculi fuerit, tam cito tantam urbem vallo et muro potuisse concludi. Tunc enim Iudæi fuerunt quasi oryx ab eo illaqueati. Ita Iosephus lib. 6. Belli cap. penult. Hæcque fuit causa, cur multi fame et fœtore luridi, ob tantam hominum multitudinem, exanimes iacuerint in plateis.

Septuag. pro *sicut oryx illaqueatus* vertunt, *sicut beta semicocta*, id est, semitosta, flaccescens et marcescens. Sic et Syrus et Arabicus, *sicut beta deficiens præ siccitate*, foliis aridis se erigere et consistere non valentibus: quæ est imago hominis deficientis et morientis. Unde Virgilius morientem Euryalum flori et papaveri flaccescenti ita comparat, lib. 9. Æneid.

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

Id maxime verum in beta, quæ etiamsi vigeat et floreat, languida est, fatua et insipida. Unde vulgo dicebatur olim λαχανίζειν, id est, *betizare*, ut vertit Augustus Cæsar, teste Svetonio, pro languere, aut esse insulsum vel insipidum. Unde Catullus:

Languidior tenera cui pendens sicula beta.

Et Martialis:

Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam sæpe petet vina piperque cocus!

Hinc Diogenes Cynicus, teste Laertio, cum adolescentes quidam eum canem vocarent, seque cauturos dicerent, ne ab illo morderentur; eos bono animo esse iussit, canem enim non vesci betis, mollitiem eorum notans. Tales fuere Iudæi in obsidione, scilicet molles, languidi, insulsi et stolidi, utpote in sese invicem grassantes, teste Iosepho: qui et lib. 5. Belli c. 32. depingit eos quasi solutos viribus, siccos, fame hiantes, et exhalantes animam.

Mystice, tales betæ sunt, homines molles et enerves, qui quasi fœminæ, cedunt tentationibus. Quocirca S. Cyrill. et Basilius in Ascet. c. 4. vetat Religiosos ieiuniis et pœnitentiis extenuare et exhaurire vires corporis, ne fiant similes æstu siccatis et torridis oleribus, ut non possint sufficere laboribus communibus, nec difficultatibus

A ac tentationibus resistere.

Chaldæus pro *sicut oryx illaqueatus* vertit, *sicut laguncula confracta*. Iudæi enim vastati fuerunt quasi fragmenta lagenæ contritæ, ut ait Isaias cap. 30. v. 14.

Pleni indignatione Domini.) Indignationem sive increpationem, metonymice vocat, supplicia et cruciatus, ex Dei indignatione manantes et depluentes in peccatores.

Ebria non a vino.) Sed ab ira et indignatione Dei, puta a vindicta, suppliciis, doloribus et angoribus a Deo vindice tibi immissis, nimirum ab epoto calice furoris Domini, de quo sequitur. Unde S. Hieron. ait significari ebriam animi perturbationibus: nam istæ hominem inopem consilii, et quasi mentis impotem faciunt, eumque rotant et circumagunt instar ebrii, ut æstuet, lancinetur, et curis malisque circumquaque exagitetur. Dissimili et adverso sensu Demosthenes oration. 1. improperat Philippo, quod rerum gestarum gloria et felicitate factus sit quasi ebrius et insanus. Et de Cleopatra dixit Poeta: *Fortunaque dulci ebria.* Vers. 21.

B Qui pugnabit pro populo suo.) Qui eum ab hostibus sæpe vindicavit, ab iisque et e captivitate liberare solet. Futurum enim significat præteritum et præsens, more prophetico. Vers. 22.

Ecce tuli de manu tua calicem soporis, etc.) Septuag. pro *soporis* vertunt, *ruinæ;* Symmach. et Theodotion, *lacerationis et commotionis;* S. Cyrill. *insanabili calamitate, et infelicitate intolerabili.*

Non adiicies ut bibas illum ultra.) Hoc verum fuit in captivitate Babylonica: quia numquam amplius a Babyloniis vastati sunt Iudæi, nec ab aliis per longum tempus, puta per aliquot sæcula. To enim *non ultra* sæpe non æternitatem, sed longitudinem significat, puta tempus immemoriale, quod ultra vitam et memoriam hominis porrigitur. Verius fuit idipsum in vastitate Romana, et in Sione spiritali, id est Ecclesia: hæc enim numquam in totum vastabitur aut exscindetur.

Et ponam illum in manu eorum qui te humiliaverunt.) Scilicet, dabo illum epotandum hostibus tuis puta tum Chaldæis, hi enim pariter vastabuntur a Cyro; tum Romanis, nam mox ab excidio Hierosolymæ auctores illius, Flavii omnes, misere perierunt. Flavius enim Vespasianus pater statim eodem anno mortuus est; Titus intra biennium sævissima morte interemptus pœnas luit; Domitianus a suis cæsus, ita odio fuit, ut de eo canat Poeta: Vers. 23.

C

Regeret cum Flavius orbem
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni.

Ita ex S. Hieron. et Procop. Leo Castrius.

Rursum, hostes Ierusalem, id est Ecclesiæ, fuerunt Nero, Decius, Diocletianus, Aurelianus, Licinius, etc. qui quam misere perierint, norunt omnes.

Et dixerunt animæ tuæ (id est tibi) Incurvare.) Solent enim victi a victoribus calcari, iisque subinde dorsum incurvare, ut illi quasi scabello insideant, vel insistant adscensuri equum. Sic Valerianus incurvatus fuit Sapori regi Persarum; Baiazetes Turcarum rex, Tamber-

D lano. Ad hunc morem allusit Psaltes Ps. 109. v. 1. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Mystice, hæc humiliatio, et corporis incurvatio per catachresin significat animæ, totiusque hominis per vitia et peccata depressionem sub potestate Diaboli, cuius est mancipium. Ita S. Cyrillus, Forerius, Arias et Hieron. qui et addit: *Tale quid et in Evangelio legimus, quod decem et octo annis Satanas incurvaverat mulierem, quam Dominus ad statum pristinum erexit.* Et de eadem S. Gregorius hom. 31. in Evangelium: *Recta*, ait, *stat anima, cum superna desiderat, et nequaquam flectitur ad ima. Sed maligni spiritus cum hanc in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque eorum, est immunda illi desideria spargere. Dicunt ergo, Incurvare, ut transeamus: quia si ipsa se ad ima appetenda non deiicit, contra hanc illorum perversitas nullatenus convalescit et transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt. Nos* Dæmon ait animæ, Incurvare,

ergo viam malignis in nobis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus, cum ad temporalia appetenda curvamur. Pudeat ergo terrena concupiscere, et dorsa mentium ascendentibus adversariis præbere. O curvæ in terram mentes, et cælestium inanes! o viles animæ! Audite Gentilem Senecam epist. 42. *Quemadmodum,* inquit, *radii solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus et sacer, et in hoc demissus ut propius divina nossemus, conversetur quidem nobiscum, sed hæreat origini suæ.* Et Epist. 8. *Cogita in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est.* Parvus ergo est, qui ad hæc infima se inflectit. Et Epist. 65. *Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus,* id est, stet erectus, imperet regatque, et affectus cupidines, humana omnia domita habeat ac subiecta. Aliam huius loci tropologiam, de iis qui invident necessitatibus fratrum, vide apud S. Bernard. ser. 1. ad Patres in Capitulo.

Animo magno nihil est magnum.

CAPUT QUINQUAGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit Iudæis libertatem e captivitate Babylonica, tum quia ipsi populus eius erant, et inique ac indigne tractabantur a Chaldæis; tum ne nomen Dei, quasi suos derelinquentis, blasphemetur. Sub ea vero intelligit et promittit libertatem a iugo peccati et dæmonis, quam toti mundo affert Christus. Unde secundo, relictis Iudæis, ad Christum et Apostolos transit et avolat, v. 7. dicens: Ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis pacem, etc. Dicitque Christum fore brachium, et salutare Dei, quod videbunt, quoque fruentur omnes Gentes. Hinc tertio, v. 11. iubet Apostolis, ut a Iudæa exeant, eantque prædicatum per omnes Gentes apud quas tam gloriosum fore Christi nomen prædicit, quam fuit ipse apud Iudæos, præsertim in passione et cruce, inglorius; inde enim eum sibi gloriam in toto orbe comparaturum.

1. Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ, Ierusalem civitas sancti: quia non adiiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. 2. Excutere de pulvere, consurge; sede Ierusalem: solve vincula colli tui, captiva filia Sion. 3. Qui hæc dicit Dominus: Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. 4. Quia hæc dicit Dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: et Assur absque ulla causa calumniatus est eum. 5. Et numquid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis? Dominatores eius inique agunt, dicit Dominus, et iugiter tota die nomen meum blasphematur. 6. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. 7. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus! 8. Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt cum converterit Dominus Sion. 9. Gaudete, et laudate simul deserta Ierusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem. 10. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. 11. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini. 12. Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis: præcedet enim vos Dominus, et congregabit vos Deus Israel. 13. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde. 14. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum. 15. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt; et qui non audierunt, contemplati sunt.

Vers. 1. Consurge, consurge.) Ex præcedentibus patet hæc pertinere, primo, ad liberationem Iudæorum e captivitate Babylonica: hanc enim eiusque vastitatem et ærumnas descripsit cap. præced. v. 17. et sequent. Cum illis ergo hæc coniungenda et continuanda sunt. Unde Iudæis promittit, quod per Ierusalem deinceps non transibit incircumcisus, qui eam vastet et subiuget. Loquitur ergo de tempore quo durabat lex circumcisionis: hoc autem fuit tempore captivitatis Babylonicæ, non Romanæ. Tunc enim a Deo sublata est circumcisio, eique subrogatus Christi baptismus. Ita S. Thomas, Hugo, Sanchez et alii.

Secundo, sub hoc Ierusalem typo, altius spectat, antitypum scilicet Sionis, id est, Ecclesiæ per Christum instaurationem et institutionem, in Iudæa et Ierusalem. Sensim enim ad Ecclesiam et Christum assurgit, et redit, ut clare patebit v. 7. Vide dicta c. præced. v. 17.

Nota. Per τὸ *consurge* monet Deus Ierusalem, primo, ut iacens humi in sordibus et mœstitia, se erigat, animos resumat, seque exhilaret. Secundo, ut in hac sui liberatione, torporem et desidiam excutiat, Deoque educenti, tum ex Babylone, tum ex iugo peccati ac dæmonis cooperetur, eumque præeuntem sequatur. Dei enim dona non obveniunt dormientibus et torpentibus, sed vigilantibus, seque ad Dei vocationem excitantibus et collaborantibus.

Civitas sancti.) Ierusalem enim erat urbs Deo Deique cultui dicata, Deusque in ea habebat suum templum quasi palatium, in quo residere, urbemque et populum suum regere videbatur.

Verius *civitas Sancti*, est Ecclesia Christi, in qua Deus habitat et præsidet, tum spiritualiter per gratiam, tum corporaliter in Eucharistia. Adde, in Ecclesia sunt sancta Sacramenta, sanctum Evangelium, sancti Doctores, Pastores et fideles, qui sancte serviunt sancto Deo.

Quia non adiiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus.) Ex hoc loco infert Pelicanus et Calvinus, peccatores non esse in Ecclesia, sed solum iustos et sanctos. Sed perperam. Nam repugnat vox *ultra.* Sensus enim est, q. d. Hactenus transivit per te, Ierusalem, immundus; sed deinceps non transibit. Iam autem secundum Calvinum, Pelicanum, aliosque hæreticos, Ecclesia semper, etiam ante Christi adventum constitit solis iustis et sanctis, numquamque in ea fuerunt peccatores: est enim ipsa, inquiunt, fuitque semper sponsa Dei. Ergo secundum ipsos falsa est hæc Prophetæ sententia, quæ asserit, quod antea per Ecclesiam transierint immundi, sed deinceps non sint transituri. Dico itaque sensum esse primo, q. d. O Ierusalem, Babylonii aliæquæ Gentes incircumcisæ et immundæ te calcarunt, tibique dominatæ sunt, *et dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus,* cap. præced. v. 23. hoc est, te ut mancipium tractarunt et pessumdederunt; sed id non facient ultra, id est per

multa annorum curricula. Licet enim postmodum Antiochus et Titus vastarint Ierusalem, id tamen fuit alio quasi ævo et sæculo. Sic enim τὸ *ultra* sæpe capitur stricte, respicitque sæculum præsens, sive ætatem eorum, qui tum vivunt. Post horum enim mortem sequitur nova ætas et generatio, quæ est quasi alterius rationis et ordinis, ut in computum non veniat.

Secundo, sub Ierusalem intelligit Ecclesiam, q. d. Te, o Ierusalem, o Synagoga, vastarunt Chaldæi et incircumcisi; at cum transieris, et transformata fueris in Ecclesiam Christi, nemo incircumcisus, id est infidelis et immundus, amplius te vastabit aut evertet; sed durabit integritas tua et pulchritudo, ac redemptio et libertas tibi parta per Christum, in æternum; nullæque hostium, etiam inferorum, portæ tibi umquam prævalebunt: sed rex tuus, defensor et protector erit Christus, Sanctus sanctorum, qui te in fide et moribus mundam et sanctam conservabit; esto in te sint aliqui fideles immundi et peccatores: a capite enim et potiori parte sumitur rei denominatio. Sic ergo Ecclesia dicitur sancta, non quod omnes in ea sint sancti, sed quod Christus eius caput, multique in ea sint sancti. Hi enim sunt præcipua et digniora eius membra.

Addit S. Hieron. per *incircumcisum et immundum*, non intelligi peccatores, sed infideles; tales enim erant Chaldæi, vastatores Hierosolymæ: hi autem non sunt in Ecclesia, nec ad eam pertinent. Quocirca S. Hieron. putat idem dici hic ab Isaia, quod dicitur a Paulo 2. Corinth. 6. 15. *Quæ conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?*

Denique S. Cyrill. et Procop. per *incircumcisum et immundum*, accipiunt dæmonem, q. d. Dæmon cui hactenus venditi fuistis, ut sequitur, ac servistis, per Christum a vobis expelletur. Sed hic sensus arctior et alienior videtur.

Vers. 2 EXCUTERE DE PULVERE.) In quo captiva et vincta iacuisti, scilicet cum hostis tibi humi stratæ diceret: *Incurvare, ut transeamus.* Iubetur ergo iam liberata, primo, se excutere de pulvere; secundo, consurgere; tertio sedere in pristino solio regali; quarto, solvere vincula et iugum Chaldæorum, ut quasi libera et regina dominetur. Ex adverso hæc omnia transcribuntur in hostem eius, scilicet Babylonem, vastandam per Cyrum, c. 47. 1. cui dicitur: *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum.* Hæc Ecclesiæ, et animæ, quæ iugum peccati et dæmonis excussit, carnem et mundum calcavit, Christo et cælitibus se coniunxit, statum et dignitatem repræsentant, eaque facile est illi adaptare.

Vers. 3. GRATIS VENUMDATI ESTIS, ET SINE ARGENTO REDIMEMINI.) *Gratis*, id est, sine pretio traditi estis Chaldæis; quia bello ab eis capti rursum gratis et sine pretio redimemini a Cyro: nec enim Cyrus a Iudæis pecuniam accepit, sed potius dedit ad fabricam templi 1. Esdræ c. 6. Unde S. Aug. l. q. in l. Iudic. q. 17. tomo 4. *Venditi*, inquit, *sine pretio, id est donati estis.* Pari modo Gentilitas et anima quævis, dum peccavit, gratis, id est sine pretio, se vendidit, id est ultro se tradidit diabolo, et gratis, id est sine pretio, quod Deo aut Christo offerat, a Christo redimitur. Licet enim diabolus animæ peccanti pro pretio et mercede offerat voluptates, honores et lucra, uti sagis subinde dat pecunias; tamen hæc terrena, brevia, fucata, exilia, et comparatione animæ nihil sunt, ac nullius pretii. Itaque nihil ei dignum rependit, nisi pœnas et tormenta æterna. Anima enim vel una, quia ad imaginem Dei creata, tam nobilis est creatura, ut omne aurum et argentum, omnes cæli et elementa, totusque mundus eius pretium æquare non possit; quinimo pretium pro ea condignum aliud inveniri non potuit, quam sanguis et vita Filii Dei. Pone ergo in bilance; hinc animam, inde Christum, et æquabis animæ pondus et pretium. Hoc excitet in nobis zelum animarum. Esto enim subeamus omnes labores et dolores pro una animula convertenda, illa tanti est, ut omnis labor et dolor præ illa nihil sit æstimandus: pro illa enim omnes suos labores et dolores exantlavit, totam humanitatem et divinitatem suam impendit et quasi expendit Christus. Charo ergo pretio stetit Christo anima quælibet, cum ipsi animæ sine pretio et gratis obveniat hæc redemptio et salus; quia *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi*, inquit S. Petrus Epist. 1. c. 1. v. 18. Ita S. Hieron.

Secundo, Deus peccatorem venumdat, id est mancipat, diabolo, quia diabolus per se nihil iuris habet in homine etiam peccatore: sed Deus eum quasi vilissimum mancipium et quasi reum læsæ divinæ maiestatis, diabolo quasi tortori, puniendum et torquendum addicit.

IN ÆGYPTUM DESCENDIT POPULUS MEUS (cum Iacob patriarcha Gen. 46.) ET ASSUR ABSQUE ULLA CAUSA CALUMNIATUS EST EUM.) Per *Assur*, Adamus intelligit Salmanasar, qui decem tribus in Assyriam abduxit, sub hæc tempora Isaiæ. Unde Sept. vertunt: *Et violente abducti sunt in Assyrios.* Aut certe Sennacherib, qui populatus est Iudæam, tempore Ezechiæ. Ita S. Hieronym. Cyrillus. Procop. Vatabl. Arias et Leo Castrius. Vers. 4.

Secundo, alii per *Assur*, accipiunt Nabuchodonosor, qui licet Chaldæus esset, dicitur tamen *Assur*, quia Assyriis æque ac aliis Gentibus dominabatur. Itaque censent ipsi hic significari captivitatem Babylonicam, et præcedentibus verbis Ægyptiam: per aposiopesin enim subticeri oppressionem Iudæorum sub Pharaone in Ægypto, quasi omnibus notam. Ita Sanchez, Vatablus et alii multi.

Tertio, et planius, *Assur*, vocatur Pharao, ob potentiam et crudelitatem. Assyrii enim in Scriptura, quia Iudæos sæpe divexarunt et afflixerunt, hinc tyrannidis sunt typus: sic Pharao vocatur Assur, Ezech. 31. 3. Vide dicta c. 8. 4. *Assur* enim hic pertinet ad *Ægyptum*: hæc enim sententia priorem de Ægypto explet, quæ alioqui imperfecta est, hiulca et pendula. Ita Forerius. Addit Caietan. in Exodi 1. Pharaonem, qui afflixit Hebræos in Ægypto, non fuisse Ægyptium: ille enim novisset Ioseph, eiusque beneficia Ægypto præstita; sed Assyrium. Passim enim Scriptura hic et alibi inculcat captivitatem Ægyptiam, utpote gravissimam et longissimam; et quia eius liberatio fuit portentosa, per tot plagas a Mose inflictas, perque transitum maris rubri, merso Pharaone. Denique quia hæc captivitas et liberatio, viva fuit imago captivitatis humanæ sub peccato, eiusque liberationis per Christum. Assur enim tyrannus denotat diabolum, eiusque ministros infideles et hæreticos, omnesque persecutores, uti docet S. Hieron. August. Gregor. et ex iis Beda et Rupert. Assur, pro Ægypto.

CALUMNIATUS EST.) Hebr. עשק *asciak*, id est per vim et calumniam afflixit et oppressit.

ET NUMQUID MIHI EST HIC, DICIT DOMINUS.) q. d. Olim populus meus male acceptus fuit ab Ægyptiis, et a Pharaone crudeli: sed ego eum inde vindicavi et eduxi. Et nunc pari tyrannide premitur a Chaldæis et Nabuchodonosor; quid ergo moror, quin eum libero? Rursum antitype, multo magis premitur totum humanum genus, quasi oryx illaqueatus, gemitque sub iugo peccati et diaboli: quid moror? Num patiar hominum genus mihi dilectum, gratis venumdatum, servire hosti meo? Non feram: quocirca nomen meum magnum, quod in Ægypto Mosi et Hebræis patefeci, rursum patefaciam, ostendamque quod sim *Iehova*, id est Deus et redemptor Israelis, hoc est populi mei fidelis, per Christum, quem vindicem ei submittam. Vers. 5.

DOMINATORES.) Chaldæi, et deinde Romani. Item Scribæ, Pharisæi, Pontifices Iudæorum, tempore Christi: hi populum oppresserunt, opes eorum prætextu religionis emungentes, ac pro lege Dei docentes suas Pharisaicas traditiones et superstitiones, iisque populum a Christo averterunt, quin et impulerunt, ut contra eum clamaret, *Crucifige crucifige.* Ita S. Hieronym. Pro *inique agunt*, hebr. est הלילו *helilu*, id est, *ululant*, quasi lupi famelici, prædæ populi inhiantes, vel ululare faciunt, scilicet

populum, quem ita opprimunt. Ita Vatabl. et Forerius.

Nomen meum blasphematur.) Tum a Gentibus, ut addunt Septuag. et ex iis S. Paulus Rom. 2. 24. puta a Chaldæis. Hi enim Iudæis obiectant infirmitatem Dei sui, quod non potuerit, aut possit, eos de manu Nabuchodonosor liberare. Tum etiam a Iudæis, qui murmurant contra Deum, quod eos permiserit capi, et permittat in captivitate detineri: ideoque nonnulli ex iis a Deo vero ad Baal et idola Chaldæorum, quasi potentiora desciscunt, uti prædixit Ieremias cap. 16. 13. Ostendit Deus se non tantum cura populi sui, sed et nominis sui tangi: itaque ut illud ab infamia et blasphemia vindicet, missurum se illico Cyrum, qui populum suum Babylone liberet.

Rursum, sub Tito Romani blasphemabant Deum Iudæorum; ipsi etiam Scribæ et Iudæi blasphemabant Deum et Christum eius, erantque causa cur populus blasphemaret, uti iam dixi. Quid ergo? Veniam, inquit Dominus, et blasphemiam hanc retundam, liberando populum meum, Iudæos scilicet, qui Christo credere volent. Hosce enim Christiana et vera libertate donabo, propagabo et exaltabo: efficiam enim, ut eorum fides, Ecclesia et christianismus per omnes Gentes divulgetur, honoretur et celebretur: sicque efficiam, ut blasphemiæ in laudes et gloriam convertantur. Ita S. Hieron. Cyrill. et Euseb. l. 6. Demonst. c. 24.

Moraliter, pari modo nomen Dei blasphematur ab hæreticis, Turcis et Paganis, cum vident Christianos, præsertim Ecclesiasticos, impure et scelerate vivere. Dicunt enim: Deus eorum, vel non est tam sanctus, tam purus, tam libidinis osor, ut ipsi iactant: quomodo enim servi, cultores et imitatores eius essent tam impuri, incesti, scelerati? vel certe non est omnipotens, nec scelerum vindex; quomodo enim hæc tam indigna a suis toleraret, et non fulmine potius vindicaret? Væ eis, per quos hoc scandalum venit, ut nomen sanctum Dei blasphemetur.

Vers. 6. Sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.) *In die illa*, scilicet a Ieremia prædicta et præstituta, c. 25. 12. qua scilicet post 70. annos liberabo eum a Babylone. Secundo et potius, qua post 70. hebdomades a Daniele c. 9. 24. prædictas, ego ipse carnem assumam, et homines omnes redimam a peccato, morte et inferno. Tunc enim ergo ipse, quem hic per Prophetas loquentem et salutem promittentem auditis, personaliter veniam fiamque homo, ac dicam: *Ecce adsum*, non per legatos et prophetas meos, non tantum per opem et auxilium, sed per substantiam et realem præsentiam: *adsum*, inquam, in persona, ut vos eruam de potestate tenebrarum, fortius quam Moses suos eripuit ex Ægypto; ad eum enim alludit. Hoc est quod ait Paulus Hebr. 1. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.*

Quæres, Quid est, *Sciet nomen meum?* Respondeo primo, nomen Dei, est *Iehova*, q. d. Sciet populus meus me esse *Iehova*, id est Deum et Dominum fortissimum ac omnipotentem. Rursum, *Iehova*, id est, contritorem et debellatorem Ægyptiorum et Chaldæorum, æque ac dæmonum, tyrannorum, omniumque hostium meorum et Christi mei. Alludit enim ad Mosen, qui nomen *Iehova* prætulit suæ legationi, per illudque plagas omnes Ægypto inflixit, ac Pharaonem debellavit et occidit. Vide dicta Exodi 3. 14. et c. 6. 3.

Porro Iudæi hunc locum sic explicant: dicunt ultimum qui pronuntiavit nomen Dei tetragrammaton *Iehova*, fuisse Simeonem iustum, unde iam exolevisse et nesciri eius pronuntiationem; sed cum venerit Messias, ille docebit quomodo pronuntiandum sit. Ita fabellam refert Galatin. l. 2. c. 12.

Secundo, nomen Dei, est Dei virtus, sanctitas, fidelitas, fama et gloria. Hisce enim toti orbi ostensis, Deus elisit omnes sui nominis blasphemias.

Tertio, nomen Dei, puta Filii Dei est *Iesus Christus*, q. d. Ecce adero, videbunt me homines carne vestitum, scientque nomen meum, eoque me compellabunt, colent

A et invocabunt, dicentes: *Iesu Christe, salva nos.* Τὸ *scient*, non nudam scientiam, sed amorem, cultum et venerationem significat. Sic ait Paulus 2. Timoth. 2. 19. *Cognovit Dominus qui sunt eius; cognovit*, id est, amat, curat, fovet. Sic ex adverso Christus dicet reprobis: *Nescio vos.* Et Pharao, aliique impii dixerunt: *Nescio Dominum*, id est, non curo, non colo, non timeo Deum vestrum, Exodi c. 5. v. 2.

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem!) Arabicus Antiochen. vertit: *Quam pulcher est qui annuntiat pacem!* Alexandr. *quam decori*, vel *clari, sunt pedes eorum, qui annuntiant bonum et salutem!* puta pedes Apostolorum, annuntiantium et prædicantium, ut explicat S. Paulus Roman. 10. 15. vel, ut S. Hieronym. (quod in idem redit) Christi per suos Apostolos loquentis, annuntiantis et prædicantis *pacem*, scilicet cum Deo huc usque hominibus irato, per Christum confectam. Rursum, *pacem*, id est, omnia fausta et prospera, omne bonum. Unde explicans subdit: *Annuntiantis bonum, prædicantis salutem.* Leo Castrius ex Procop. et Eusebio vertit ex Hebræo, *prædicantis Iesum.* Hic enim est Deus et rex Sionis, ut sequitur: quamquam Hebr. ישועה *iesciuah*, proprie salutem, non salvatorem aut Iesum significat, nisi eo schemate, quo sæpe abstracta ponuntur pro concretis. Accedit Origenes in cap. 10. ad Roman. v. 15. qui per *bonum* accipit *Iesum*: *annuntiantis*, inquit, *Iesum;* et addit: *Nec miretur quisquam, si nomine bonorum numero multitudinis exposuerimus, Annuntiantis Iesum: facile enim intelliges quomodo multa bona sit Iesus; vita bonum est, Iesus est vita; resurrectio bonum est, Iesus est resurrectio; lux mundi bonum est, Iesus est lux vera, veritas, via, sapientia, potentia; thesaurus denique omnium bonorum, Iesus est.* Vers. 7.

B

Aliqui, ut S. Thomas et Hugo, hæc pergunt exponere de nuntio lætissimo libertatis et exitus ex Babylone, Iudæis, vel in Babylone, vel Hierosolymæ degentibus allato. Verum esto eo alludat, illudque quasi perstringat, tamen proprie et per se loquitur de Christi Evangelio, deque Apostolis illud, eiusque gratiam, salutem et pacem toti mundo prædicantibus, ut patet ex sequentibus: quæ augustiora sunt, quam ut Iudæis conveniant. Itemque ex Apostolo Roman. c. 10. v. 15. qui hæc de Apostolis explicat. Apostoli ergo hæc tria evangelizarunt, scilicet pacem, bonum et salutem animæ et corporis æternam. Porro *super montes* hoc lætum Evangelii nuntium prædicandum dicit, tum, ut significet illud prædicandum quaquaversum omnibus Gentibus, turmatim accurrentibus; tunc enim necesse est, ut concionator in locum editum, v. g. montem, conscendat, ut ab omnibus turbis audiatur; ut fecit Christus Matth. 5. 1. et post eum Apostoli et viri Apostolici etiam hodie: tum ut significet Apostolos per rupes et montes, perque omnia ardua perrecturos alacriter et animose, ut Evangelium ubique prædicent. Alludit ad Sion, quæ in monte erat sita, et in vicinis montibus speculas (unde et Sion hebraice idem est quod specula) et speculatores habebat, ait Forerius, qui ea, quæ viderent, celeri cursu, per montana currentes ei nuntiarent. Convenit autem mysterio. Nam super montana Iudææ divulgabantur omnia illa, quæ in conceptione et ortu Ioannis Baptistæ Christi præcursoris acciderant, Luc. 1. 56.

C

D

Mystice, non sunt speciosi pedes, nec ora eorum Evangelistarum, qui non sunt *super montes*, sed humilia et iacentia sectantur. Hoc est, quod Apostolis dixit Christus: *Vos estis lux mundi: non potest civitas abscondi supra montem posita, etc.* Hæc enim omnium circumquaque ferit oculos, ut glorificent Patrem qui tam speciosos et fulgidos Apostolos orbi dedit in salutem. Pro *speciosi*, Septuag. vertunt, ὥρα, quod *tempus, pulchritudinem, curam* et *sollicitudinem*, significat ait S. Hieron. licet in uno codice sit ὡραῖοι, uti et est Roman. 10. v. 15. Quocirca Tertul. l. 5. contra Marcionem c. 2. ex Sept. legit: *Quam tempestivi pedes evangelizantium pacem!* S. Cyril. *Quam verni*, (id est instar veris post hiemem, hilares, floridi et amœni) *pedes evangelizantium pacem!* Alii, *Quam*

desiderabiles pedes annuntiantium pacem! Vide dicta Roman. 10. 15. Audiant hæc et gaudeant Hollandiæ, Angliæ, Iaponiæ, Chinæ, Indiarum Apostoli. Hic Isaiæ lituus iugiter eis insonet, et ad omnia dura alacriter superanda, eis classicum canat.

Apostoli pedites. PEDES.) Quia Paulus et Apostoli, modestiæ et paupertatis studio, pedibus fere et baculo innixi (vidi hic in templo S. Pauli baculum S. Pauli, cui innixus Romam est ingressus: solet is exponi et ostendi in festo et in altari conversionis eiusdem) peragrabant orbem, implentes illud Christi Lucæ 9. v. 3. *Nihil tuleritis in via. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite.* Hinc et iussit eos, *calceatos sandaliis*, incedere, Marc. 6. 9. Unde et de eis canit Psaltes: *Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua.* Atque hinc, ait Forerius, manavit ritus lavandi pedes Apostolorum et Sanctorum peregre venientium in primitiva Ecclesia, cuius meminit S. Paulus 1. Timoth 5. 10. qui etiamnum in nonnullis Religionibus servatur.

ANNUNTIANTIS.) Hebr. est בשר *bisser*, quod alludit ad בשר *basar*, id est *caro*, quia Evangelium mollia et suavia nuntiat, nimirum quod *Verbum caro factum* sit: unde et Evangelium S. Matthæi hebraice inscribitur בשרת מתי *bisrat Matai*, id est Evangelium S. Matthæi, scilicet lætum et suave eius nuntium de Verbo incarnato.

DICENTIS SION (Sioni, puta Ecclesiæ) REGNABIT DEUS TUUS.) Non dæmon, non peccatum, non mors, non infernus, non Chaldæi, uti hactenus, non etiam rex aut monarcha, non Moses, non Iosue, non Samuel, non David, non Angelus, non Cherubim, non Seraphim; sed ipsemet *Deus tuus*, puta Messias, qui est sapientia, iustitia et sanctificatio tua. Hoc est *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, etc.* 1. Tim. 3. 16.

Vers. 8. VOX SPECULATORUM.) Scilicet, audietur, eritque illa, quam iam retuli, scilicet, *Regnabit Deus tuus;* et illa, quæ sequitur, *Gaudete et laudate simul, deserta Ierusalem.* Sic de Ioanne Baptista dictum est c. 40. 3. *Vox clamantis in deserto.* Vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Tui speculatores et Prophetæ, o Sion, puta Apostoli, voce non timida, non mussitante, non gracili et submissa; sed audaci, ardenti, sonora et stentorea, qualis dari solet e montibus, evangelizabunt Christum, simulque in iubilum præ gaudio erumpent, laudabuntque Deum, tam læti nuntii auctorem, quia ipsi non narrabunt audita et incerta, sed visa et certa. Nam *oculo ad oculum* (Theodotion vertit, *oculum in oculis videbunt*) Christum ipsum videbunt, cum eo familiariter versabuntur, agent et colloquentur. Videbunt eum natum, prædicantem, patientem, crucifixum, resuscitatum et ascendentem in cælos. Hoc est quod ait S. Ioannes epist. 1. c. 1. v. 1. se annuntiare verbum, quod vidit oculis, quodque manibus suis contrectavit. Talis fuit vox et ardor Apostolorum prædicantium in Pentecoste. Talis est et hodie virorum Apostolicorum, qui non verba, sed spiritum ignesque vomunt. Hi torpentes excitant peccatores, et convertunt, frigidos accendunt, suntque quasi faces omnia inflammantes.

Vers. 10. PARAVIT DOMINUS BRACHIUM SANCTUM.) Nimirum, ut canit Simeon, quem primum hac Christi consolatione et amplexu *consolatus* est Dominus, Luc. 2. 31. *salutare tuum*, o Domine, *quod parasti ante faciem omnium populorum*, puta Christum, qui est brachium et fortitudo Domini, ut dixi cap. præced. v. 5. et dicam cap. seq. vers. 1. Nam Simeon suum canticum, *Nunc dimittis servum tuum, etc.* ex hoc Isaiæ loco sumpsit et composuit, ut patet verba utrobique eadem intuenti.

Pro *paravit*, hebr. est חשף *chassaph*, id est *nudavit*, hoc est paravit, per catachresin. Solemus enim nudare brachium cum opus aliquod difficile et impeditum ordimur, et ad id nos paramus, ut simus expediti. Rursum, *nudavit*, id est *revelavit*, suum brachium, puta Christum, qui, ut canit Simeon, erat *lumen ad revelationem Gentium.* Eum ergo toto orbi nudavit, id est, nudum purum-

A que ostendit, Pater tum in præsepio, tum in cruce.

RECEDITE, RECEDITE, EXITE INDE.) Hebræi, S. Thom. et Hugo censent hic iuberi Iudæis, ut, data venia a Cyro, festinent egredi Babylone, utque Levitæ sacra vasa secum asportaturi, caveant ne immundum aliquid iuxta legem tangant, quo polluantur, aut, si tetigerint, ut emundent se et purificent, antequam vasa sacra contingant. Vers. 11.
Verum, etsi eo alludat tamen hic non figit suam acum, mentis, inquam, aciem, suaque sensa Propheta. A versu enim 6. et deinceps non agit de Babylone, sed de Ierusalem et Ecclesia. Sensus ergo est, q. d. Ego dixi, quod *videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Quocirca, o Apostoli, ut per vos hoc impleatur, utque idipsum evangelizetis omnibus gentibus, *recedite et exite* de infideli, polluta et blasphema Ierusalem, mox a Romanis vastanda. Ite et prædicate per totum orbem, *qui fertis vasa Domini*, id est, qui quasi mystagogi sacram Scripturam et S. Sacramenta tractatis et ministratis: quare et vos ipsi estote puri et sancti, ut sancte sancta tractetis. Ita S.
B Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Procopius, Adamus et Tertullianus l. 3. contra Marcion. c. 22. Quocirca apte hunc locum citat Apostolus 2. Corinth. 6. 17. ex eoque probat iubetque, ut fideles nimia infidelium commercia, uti sunt connubia, vitent.

Secundo, S. Cyrillus, Forerius et Dionysius per *vasa Domini*, accipiunt ipsos fideles eorumque corpora, q. d. Hæc olim ventris et veneris erant cloacæ: nunc autem sunt vasa Dei, imo templa Spiritus sancti: ergo ab omni sorde sunt emundanda. Unde iubet Apostolus 1. Thes. 4. 4. *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honore; non in passione desiderii;* et rursum 1. Corinth. 6. v. 19. *An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Mundos ergo nos esse iubet, tamquam huius templi Levitas, et ministros divini cultus, quem intra nos exhibe-
C re debemus. Hic sensus pius est, sed mysticus.

Talis est et S. Gregorii 2. p. Pastor. c. 2. qui per *vasa Domini*, accipit animas. *Vasa*, inquit, *Domini ferunt, qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas, in suæ conversationis fide suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ sponsionis portant.*

Hæc, inquam, mystica sunt. Nam ad litteram Propheta cum in spiritu prævidisset, Ierusalem ipsam infidelitate, impietate, omnique scelere contaminandam; ipsos Israelitas, qui veram Sion efficiebant, puta, paucos Apostolos et Christo credentes, alloquitur, ut ea egrediantur, caveantque a fermento, id est, a doctrina, Scribarum et Pharisæorum, atque ab impietate Hierosolymæ: noluit tamen eam nominare, ne suos populares et cives offenderet. Quocirca a pari recte ex hoc loco docet S. Clemens lib. 6. Constit. Apost. cap. 4. fugiendos esse hæreticos et schismaticos, ne impietatis eorum participes efficiamur.

POLLUTUM NOLITE TANGERE.) Alludit ad legem vete-
D rem, ex qua, qui tangebat immunda, ut cadavera, menstruatam, carnem a feris laniatam, etc. censebatur immundus, debebatque purificari, quæ omnia immunditiem peccati significabant, quam hic intelligit Propheta. Unde ait: *Mundamini et recedite.* Ubi Leo Castrius ex Cyrillo et Origene homil. 11. in c. 20. Levit. notat, *sanctus* græce dici ἅγιος, q. d. Extra terram, extra mundum: ἅγιος enim dicitur, quasi ἄγαιος, id est, sine terra; α enim est privativum, γῆ vel γαῖα est terra. Sanctus enim est, qui supra terram ambulat, qui mundo est superior, qui conversationem habet in cælis: quamquam alii rectius censeant, ἅγιος dici quasi ἄζιος, id est, colendus et reverendus.

Tales sane decet esse sacerdotes et viros Apostolicos, ut libere et efficaciter homines carnales et peccatores docere, corripere et emendare possint. Unde S. Aug. serm. 18. de Verbis Domini, hunc Isaiæ locum pertractans, docet nos ab impiis et impietate debere recedere: primo, per dissensum, cavendo ne eis consentiamus; secundo,

per correptionem, arguendo eorum scelera. Quam mundi debeant esse sacerdotes, pluribus ostendi Levit. c. 8. et c. 21. in fine.

Vers. 12. QUONIAM NON IN TUMULTU EXIBITIS.) Alludit ad Hebræos Ægypto exeuntes, qui urgentibus Ægyptiis ob cædem primogenitorum, trepide, præpropere et tumultuarie, quasi fugientes exierunt, ita ut non haberent tempus fermentandi massam farinæ, ex qua cocturi erant panes. Atque ex adverso alludit ad Hebræos Babylone exeuntes: illi enim favente, imo iubente Cyro, placide, sensim et commode se ad egressum compararunt, habueruntque otium purificandi se et Levitas, si qui immundum quid tetigissent, uti præcessit. Hoc enim respicit τὸ *quoniam.* Imo S. Thomas et Hugo putant hunc esse sensum litteralem. Sed verius est, ad eum tantum alludi. Sensus enim litteralis est de Apostolis, q. d. Dixi, o Apostoli, exite ex impia Ierusalem, ite ad Gentes; sed prius mundamini quia habebitis otium vos mundandi, et sancte vos aptandi ad tam sanctum munus prædicationis. Nam non exibitis tumultuarie, quasi victi aut fugientes et timidi, uti Iudæi ex Ægypto; sed quasi victores, alacres et impavidi, utpote, qui Iudæorum minas et plagas superaveritis et riseritis, ut patet Act. c. 4. c. 5. et seq. Rationem subdit, quia Deus erit dux vester, *præcedet vos Dominus*, vosque proteget et diriget.

Vers. 13. ECCE INTELLIGET SERVUS MEUS.) Hic clare agit de Christo. Unde S. August. l. 18. de Civit. 29. Iustinus contra Tryphonem, Origen. lib. 1. contra Celsum, hic inchoant cap. 53. Sunt verba Patris de filio Christo, *Servus* ergo *meus*, id est, Christus, *intelliget*, hebr. ישכיל *iaschil*, id est prudenter et strenue aget, atque negotium redemptionis humanæ peraget et perficiet. Alludit ad David, qui missus a Saule contra hostes Israelis, in omnibus prudenter se gerebat, 1. Reg. 18. 5. David enim fuit typus et parens Christi. Ita Cyrill. Forer. Pagn. et Vatab.

Secundo, Sanchez, Christus, ait, *intelliget* voluntatem et iussa Patris, id est, ei obediet, eamque observabit. Sic dicitur Ps. 118. 95. *Testimonia tua intellexi*, id est observavi. Et Ps. 40. 1. *Beatus vir, qui intelligit super egenum et pauperem. Intelligit*, id est, studet et incumbit levandæ miseriæ egeni et pauperis. Cognitio enim et intellectio mandatorum Dei, in iis qui sunt dociles et obsequentes, qualis erat Christus, eiusque asseclæ, est practica, efficax et operatrix.

EXALTABITUR.) Christus per suam cælestem doctrinam, efficaces conciones, divina miracula, omnemque gratiam quam omnibus ostendet; adeo ut plebs eum quasi Messiam sit acceptura, eumque in Ierusalem cum ramis palmarum, quasi regem triumphantem, introductura et quasi inauguratura. Ita S. Hieron. Cyrill. et Chrysost. in Demonst. quod Christus sit Deus,

Vers. 14. SICUT OBSTUPUERUNT SUPER TE MULTI, SIC INGLORIUS ERIT INTER VIROS (id est, præ aliis viris; hoc enim est hebr. מן *min*, comparativum) ASPECTUS EIUS.) Est enallage personæ: transit enim a secunda ad tertiam, scilicet, a *te*, ad *eius*. Vide can. 16. Sic vertunt et Septuag. q. d. Christus dum vivet erit stupori sive admirationi, erit et despectui; Christus erit gloriosus, erit et inglorius. Nam sicut plebs initio admirata fuit Christi miracula, doctrinam et vitam; ita mox videns eum inglorium, puta captum, damnatum, lividum, cruentum, consputatum, defiguratum et crucifixum, despexit, et eodem ore, quo paulo ante clamaverat: *Hosanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini;* mox clamabit, *Crucifige crucifige eum.* Tam est mobile vulgus. Ita S. Cyrillus et Chrysostomus iam citatus. Hunc esse sensum, patet ex cap. seq. v. 1. Sensim enim ad Christi passionem transfert se Propheta. Unde pro *inglorius*, heb. est משחית *maschit*, id est, excisus, perditus, corruptus: Forerius et Hebræi iam pro *maschit* legunt משחת *mischat*, id est *unctio.* Unde contrarie vertunt: *Sicut obstupuerunt* vel *sibilarunt* (hoc enim significat hebr. שמם *sciamam*, quod passim in malam partem capitur) *super te multi* (videntes te crucifixum) *sic unctio aspectus eius præ viris, et forma eius præ filiis hominum. Unctio*, id est gratia, venustas, lætitia, q. d. Per crucem visus est Christus deformis, et quasi prodigium et portentum, omnium ludibrio et sibilis expositus; at factus est per eam speciosus præ filiis hominum, usque adeo, ut nullam aliam formam pulchriorem, maiori cum voluptate aspiciant et contemplentur Christiani, etiam reges et principes, quam formam Christi crucifixi. Hic sensus valde respondet Hebræo moderno, eique aptari posset nostra versio Latina, si pro *inglorius* legeretur *in gloria*. Verum *inglorius* legunt passim Latina Biblia, et Sept.

Vatablus vero sic vertit: *Sicut multi admirabundi obstupuerunt de eo quod aspectus eius fuerit deformior quam ullius viri, et forma illius plusquam filiorum hominum*, ut non videretur esse humana, sed ovis aut bovis iugulati: *sic stillare faciet gentes multas*, id est, sic pariter dabit gentibus occasionem loquendi de se quod pro earum salute tanta pati voluerit; *quin et reges coram eo os suum compriment.* Hic sensus quoque congruit Hebræo et præcedentibus ac sequentibus. Opponit enim opprobrio Christi laudem eius et gloriam: puta, sibilo multorum opponit silentium et venerationem regum. Et iuxta hunc sensum accipi posset nostra versio Latina, hoc modo: *Sicut obstupuerunt*, id est, obstupescent, *super te multi*, quod *sic* (id est tam) *inglorius erit* inter *viros aspectus eius*, *etc.* sic *asperget gentes multas, etc.* Primus tamen sensus est planissimus et facillimus, iuxta versionem tam nostram quam Septuag.

ISTE ASPERGET GENTES MULTAS.) *Asperget*, scilicet, tum sanguine suo ad eas redimendum, tum aqua baptismi ad abluendum earum peccata. Alludit ad Mosaicas lustrationes et aspersiones aquæ expiatricis, ex cinere vitulæ rufæ confectæ. Vide Hebr. 9. 13. Ita S. Hieron. Vers. 15.

SUPER IPSUM CONTINEBUNT REGES OS SUUM.) q. d. Reges victi sapientia, sanctitate et miraculis Christi et Apostolorum, non audebunt contra Christum hiscere aut de eo male loqui; sed silebunt, dabuntque manus Christo, illumque silentes et reverentes venerabuntur. Silentium enim observantiam significat, ut cum iuvenes coram senibus, discipuli coram magistris, pueri coram parentibus præ reverentia silent. Ita S. Hieronymus. Sicut enim aperire os symbolum est audaciæ, procacitatis et inverecundiæ: sic claudere os est signum pudoris, subiectionis, pœnitentiæ, observantiæ, et interdum admirationis, ait Forer.

QUIA QUIBUS NON EST NARRATUM DE EO, hoc est, Gentes, Ethnici et Pagani, VIDERUNT.) Divinam sapientiam, gratiam et gloriam Christi et Evangelii. Ita S. Hieronymus et August. l. 1. de Consensu Evangelist. c. 31. imo Apostolus Rom. 15. v. 21. Non ergo nos conturbent crucis Christi et Christianorum deformitas, abiectio et ignominia. Habent enim hæc suum decorem et gratiam propter illam quæ postea adveniet, felicitatem et gloriam sempiternam.

CAPUT QUINQUAGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cœpit agere in fine capitis præcedentis, de Christi passione et ignominia, æque ac gloria inde consecuta: nunc idipsum plene et fuse pertractat, adeo clare et plane, ut non Prophetam, sed Evangelistam agere; neque futura prædicere, sed facta et visa narrare videatur. Quocirca hoc caput inscribi posset, Passio Iesu Christi secundum Isaiam. Tam luculenter enim eius dolores, condemnationem, verbera, mortem, sepulturam, locum, causam, fructum, socios denique latrones hic describit, ut Iudæi nihil habeant hic quod obiiciant aut respondeant, nisi sua somnia (scilicet hoc capite describi afflictionem et despectum populi Iudaici, quem iam patitur a Christianis et Turcis;) quæ ipsis Prophetæ verbis, mendacii et falsitatis statim convincuntur, uti eos convincit S. Irenæus l. 4. 56. Iustin. contr. Tryphon. Tertullian. contra Iudæos cap. 9. Eusebius 3. Demonstr. c. 2. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 13. Chrysost. orat. 5. contra Iudæos, et alii. Quin et Chaldæus hæc de Christo, non de populo, accipit; sic enim vertit sub finem capitis: Ecce prosperabit servus meus Messias, exaltabitur, et elevabitur et confortabitur nimis. Sic et R. Moyses Gerundensis in c. 29 Genes. Quocirca S. August. l. 1. de Consensu Evang. c. 31. putat hæc de Christi passione et resurrectione vaticinia explicatione non egere. Nimirum egent potius pia meditatione, vivaci sensu et lacrymis. Quas utinam nobis omnibus hæc lecturis suggerat ipse, qui hic in theatrum prodit patiens Christus, tam dolor, quam amor noster! Primo ergo, Christi cruciatus, livores, despectus et probra æque ac constantiam, patientiam, mansuetudinem et charitatem, viva hypotyposi ob oculos subiicit, eorumque causam, scilicet peccata nostra, quæ ipse in se, ex immenso amore et compassione luenda et expianda suscepit. Deinde v. 9. ostendit mercedem et gloriam ei a Patre repensam, scilicet omnium gentium et hominum, etiam impiorum et potentium subiectionem; atque in eos plenum dominium et imperium, per fidem et gratiam in hac vita, per gloriam vero in futura.

1. Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? 2. Et ascendet sicut virgultum
coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non
erat aspectus, et desideravimus eum: 3. Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scien-
tem infirmitatem: et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. 4. Vere languores
nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et
humiliatum. 5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disci-
plina pacis nostræ super eum, et livore eius sanati sumus. 6. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in
viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. 7. Oblatus est quia ipse voluit,
et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non
aperiet os suum. 8. De angustia, et de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est
de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. 9. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro
morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. 10. Et Dominus voluit conterere
eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in ma-
nu eius dirigetur. 11. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse
iustus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. 12. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium divi-
det spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata mul-
torum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

Vers. 1. Quis credidit auditui nostro?) Primo, hæc accipi possunt ut verba admirantis, q. d. Quis credet tam stupendam Christi metamorphosin? quis credet, tantam eius fore gloriam, quantam cap. præced. in fine prædixi, si audiat ea, quæ hoc cap. de eius tormentis et probris describo!

Secundo, ut sint condolentis, q. d. Quam pauci, præsertim Iudæi, credituri sunt hisce meis oraculis, meisque asseclis Apostolis, cum ipsi hæc ipsa in mundo prædicabunt, scilicet, quod solus Iesus Christus crucifixus sit eorum Messias, orbisque redemptor et salvator? Ita enim explicat hunc locum S. Ioannes c. 12. 38. et S. Paulus Rom. 10. 16. Item S. Hieron. August. Chrysost. Origen. aliique passim.

Nota: *Auditus*, metonymice ponitur pro re et sermone, puta prophetia, vel prædicatione audita, sive quam Isaias et Apostoli audierunt et acceperunt a Deo, quamque vicissim ab iis audierunt Iudæi et Gentes. Porro loquitur Isaias in persona tum sua, tum Apostolorum. Respicit enim ad illud cap. præced. vers. 7. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, etc.*

Et brachium Domini cui revelatum est?) *Brachium Domini,* ait S. August. serm. contra Arrian. Cyrillus et Tertullianus l. 1. contra Praxeam c. 13. est Christus Dei filius, qui a Patre, quasi brachium a corpore illi consubstantiale, procedit; vel (quod in idem redit) est potentia, quam Deus in Christo ostendit, et fortitudo, quam Christo, eiusque passioni, doloribus et morti communicavit. Ita S. Hieron. q. d. Christi dolores, probra et crux, hominibus signa esse videbuntur summæ infirmitatis; at Deus ostendet ea esse suum brachium, et suam fortitudinem, qua totum mundum Christo, Christique cruci subiiciet. Quis hoc credet? quis credet, hominem crucifixum, esse Deum omnipotentem, esse Messiam? Quis credet, hominem crucifixum, virtute crucis dominaturum orbi, adorandum a regibus et monarchis, orbeque universo? Huc alludit S. Paulus 1. Corinth. c. 1. v. 23. et alibi, ubi Christum, eiusque crucem vocat Dei virtutem, id est fortitudinem et sapientiam: *Prædicamus,* ait, *Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

Et ascendet (id est germinabit, pullulabit, succrescet) sicut virgultum coram eo.) *Et* est causale, significans, *quia:* dat enim causam, cur hæc videantur tam admiranda, et cur tam pauci credituri sint Christo, quia videlicet videbunt eum humilem, abiectum et afflictum. Pro *virgultum* hebraice est יונק *ionek*, id est lactens, scilicet puer, vel infans sugens ubera, unde Septuag. pro *virgultum*, vertunt, *infans*. Verum *ionek* transfertur metaphorice ad plantas et virgulta, tumque significat surculum tenerum, qui velut lactens attrahit sugitque suc- Vers. 2. Christus virgultum, cur?

cum radicis vel arboris. Sicut ergo homines potentes, opulenti et splendidi comparantur altis cedris et quercubus, uti patet de Nabuchodonosor Daniel. 4. 17. et de Ioakim Ierem. 22. vers. 15. et 23. ita Christus pauper et abiectus comparatur tenero virgulto, sive surculo. Unde Sanchez per *virgultum* accipit myricam: hæc enim humilis est, nec habet speciem nasciturque in desertis: quocirca symbolum est hominis pauperis et abiecti, ut patet Ierem. 17. v. 6. *Erit quasi myricæ in deserto.* Verum Hebræum *ionck*, quod Noster vertit, *virgultum*, est nomen generale, tamque surculo aliarum arborum et plantarum, quam myricæ competit: significatque primo, Christi pueritiam et infantiam; secundo, tenuitatem, infirmitatem et abiectionem. Unde Theodot. apud Euseb. 3. Demonstr. c. 2. vertit: *Ascendet ut puer lactens coram eo.* Sic vertit et Aquila. Septuag. quoque vertunt: *Nuntiavimus coram illo ut puer;* vel, ut Tertull. l. 3. contra Marcion. cap. 17. legit, *ut parvulus*, q. d. Nos Apostoli prædicavimus Deum puerum pro homine factum. Sic enim incipit et intonat S. Ioannes: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, etc. Et Verbum caro factum est.* Noster tamen cum Symmacho, melius Hebræum *ionck*, vertit, *virgultum*. Christum enim comparat Propheta plantæ pullulanti et succrescenti. Sequitur enim: *Et sicut radix de terra sitienti.*

Sensus ergo est, q. d. Nascetur Christus parvulus, et pullulabit quasi virgultum e sola arbore, id est, e sola virgine matre (sine viri semine, inquit Origen. hom. 17. in Gen.) sed sitienti, sive arida, id est paupercula, misella, squalida: et ita per 30. annos crescet, vivetque humilis et ignobilis, quasi fabri filius, nihil habens speciosum, nihil illustre aut magnificum. Unde idipsum explicat subdens: *Non est species ei, neque decor.* Incipit a nativitate Christi abiecta et mirabili, a qua transit ad eius passionem, magis abiectam et admirabilem. Notant aliqui, sicut virgultum abscissum magis crescit, ita Christus abscissus in morte per resurrectionem repullulans, multo magis excrevit.

Coram eo.) Nempe Israele, coram ipsis Iudæis inquit Forer. Secundo, Sanchez, *coram eo*, id est, *coram se:* Hebræum enim לפניו *lephanav* verti potest, *quoad conspectum*, vel *quoad faciem suam*, q. d. Christus erit specie tenus quasi virgultum, sive habebit speciem virgulti: aut, *coram eo*, inquit, sive *coram se*, id est, in sua opinione et existimatione, Christus erit humilis, æstimabitque se esse quasi virgultum. Tertio, simplicius et planius, *coram eo*, scilicet *Domino:* præcessit enim *brachium Domini*. Pronomen ergo *eo*, respicit τὸ *Domini*: unde Septuag. vertunt, *in conspectu eius.* Porro per hoc significat, virgultum hoc, cum semine et patre careat, succrevisse virtute Domini, sive Domino inoperante, puta Christum ex Virgine conceptum et natum esse de Spiritu sancto. Ita Hugo et Dionys.

Et sicut radix de terra sitienti.) *Radix*, id est, surculus e radice pullulans metonymice: hebr. est, *de terra siccitatis*, id est, sicca; talis enim sitit humorem. Hæc ergo radix, æque ut eius surculus prognatus est e terra arida et squalida, ac proinde tam ipsa, quam surculus eius fuit aridus et squalidus. Nimirum, radix hæc est B. Virgo paupercula et abiecta, ac fabro desponsata, ex qua nascens Christus pauper et abiectus a Iudæis despectus fuit.

Secundo, S. Hieron. Procop. Cyrill. et August. supra citatus: Uterus, inquiunt, Virginis dicitur terra sitiens, quia nullo humano semine humectatus et fœdatus est: unde Aquila vertit, *de terra invia:* quod Euseb. l. 3. Demonstr. c. 2. exponit, *de B. Virgine.*

Non est species ei, neque decor.) Arabicus vertit: *Non est illi aspectus, neque decus,* vel claritas, decentia, forma. Sensus est sicut virgultum nascens in loco arido squalet, non habet speciem, nec decorem: ita et Christus nascens, vivens et conversans in hoc mundo, nihil nobile, opulentum, lautum, splendidum coram mundo ostendit, sed vitam egit ignobilem, tenuem et laboriosam in opere

A fabrili. Hoc est, quod ipse ait: *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea.* Ita S. Chrysost. in illud Ps. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, tom. 1. Secundo, in passione non erat ei species, neque decor, quia flagellis, livore et vulneribus fuit deformatus. Unde tunc non fuit ipsi illa eius species, qua æqualis est Patri, quamque ostendit in transfiguratione, inquit Tertull. l. 3. contra Marcion. c. 7. et 17. Sic et S. August. hom. in hoc Isaiæ dictum, quæ est 36. inter homil. tomo. 10. et lib. 1. de Consensu Evangel. c. 31. et Origen. in c. 10. ad Roman. Vide Hectorem Pintum hoc loco pie hæc meditantem et expendentem. Audi et S. Bernard. ser. 28. in Cant. *Speciosus forma præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species neque decor, ut sibi speciosam atque decoram acquirat sponsam Ecclesiam sine macula et sine ruga.*

Et vidimus eum, et non erat aspectus.) Hoc est, non erat aspectabilis, non habebat aliquid dignum aspe-
B ctu, quod aspicientium oculos ad se traheret aut converteret: sed erat *despectus*, ut sequitur. Vide canon. 38. Unde Sept. vertunt: *Non habebat speciem, neque decorem.* Porro hoc verum fuit in Christo, tum per omnem vitam, tum maxime in passione, cum facies eius sputis, colaphis, vibicibus, sudore et sanguine, e capite spinea corona transfixo manante, fuit fœdata et deformata.

Et desideravimus eum.) Nos scilicet Prophetæ et Apostoli; quia licet deformatum videremus, sciebamus tamen eum fore mundi salvatorem.

Secundo, Leo Castrius, Salmeron, et ex iis Sanchez, apposite repetunt negationem *non*, quæ præcessit; hoc enim Hebræis est familiare, q. d. Non desideravimus eum aspicere et intueri, quia *non erat ei aspectus*, q. d. Non erat ei aspectus desiderabilis, qui homines in sui desiderium et intuitum concitaret. Unde Symmach. et Vatabl. vertunt: *Non ei forma, non dignitas ut videamus eum, neque aspectus ut cuperemus eum.* Quocirca Forerius no-
C ster, *Et desideravimus eum*, sic quoque exponit, q. d. Ut desideraremus, seu expeteremus eum. Cum enim Iudæi essent avari, deformis eis erat Christi paupertas, cum essent gloriæ cupidi, et honoris ambitiosissimi, deformis eis erat Christi vilitas et humilitas.

Symbolice, S. August. in Ps. 44. in expositione tituli: *Christus crucifixus Iudæis*, ait, videtur esse *scandalum, Gentibus stultitia; nobis autem credentibus ubique sponsus pulcher occurrat; pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in intellectu.* Eadem et plura habet serm. 13. de Tempore.

Despectum, et novissimum virorum.) Repete *vidimus*. Sept. vertunt: *Species eius inhonorata et deficiens,* Vers. 3.
præ filiis hominum, vel *præ omnibus hominibus*, ut legit S. August. l. 18. de Civit. c. 29. Pro *despectum*, hebraice est נבזה *nibze*, id est, *spretum*, hoc est aspernabilem, miserum, contemptibilem. Pro *novissimum virorum* Christus virorum cessatio, cur?
D hebr. est חדל אישים *chadal iscim*, id est cessatio vel 1.
abstinentia virorum. Quod primo, Vatabl. et Forer. exponunt reiectaneum, id est contemptissimum virorum, a quo scilicet alloquendo, utpote vili et paupere, alii viri cessant et abstinent: cuius consortium, quasi ignominiosum refugiunt, quem a suis cœtibus, quasi hominum fæcem, reiiciunt. Huc allusit S. Paulus 1. Corinth. 4. 13. *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema*, id est reiectamentum, puta quisquiliæ, fæces et sordes, quas homines e suis domibus evertunt et reiiciunt. Sic enim Christi et Apostolorum familiaritate uti dedignabantur Pharisæi, et mundi sapientes ac nobiles, ut nominis et dignitatis suæ iacturam facere putarentur, si eos adiissent. Quocirca Nicodemus ad Christum nocte accessit, et nemo ex principibus in eum credebat: et maledictam turbam dicebant quæ illi adhærebat, et esse discipulum eius maledictum seu maledictionem ducebant, imo eum excommunicabant, et Synagoga sua expelle-

bant, uti fecerunt cæco illi a Christo illuminato, Ioannis 9. v. 22. et 34.

II. Secundo, idem Forer. et Sanchez: Christus, inquiunt, vocatur cessatio, desitio, vel cessator virorum, id est ultimus finis, terminus, seu novissimus virorum, ultra quem non amplius est vir, qui in genere virorum est *minimum quod sit*, adeo ut ibi sit virorum cessatio atque desitio, ita ut virorum status ultra procedere non possit, sed in eo desinat; alioqui viri non viri futuri sint, sed vermiculi, aut opprobrium hominum, et abiectio plebis, id est non tam viri, quam virorum quoddam inane simulacrum. Unde Sept. vertunt: *Deficiens citra filios hominum*, ut legit Tertull. l. contra Iudæos c. 14. Arabicus: *Vilis ex hominibus*. Talis vir fuit Christus ab initio nativitatis, usque ad mortem. Natus enim est parvulus, et quasi puer rusticanus: positus est in præsepio inter bovem et asinum, quia non erat ei locus in diversorio. Talis fuit usque ad annum trigesimum cum Ioseph fabrilem artem exercens. Talis fuit tribus reliquis vitæ annis prædicans, et pedibus Iudæam et Galilæam oberrans. *Vulpes* enim, ait ipse Matth. 8. 20. *foveas habent, et volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Verum talis maxime fuit in passione et cruce, ubi inter latrones, quasi furcifer et latro pependit, quasi indignus virorum cœtu, indignus vita, indignus qui terram pedibus tangeret et calcaret, ideoque pendulus hæsit inter cælum et terram.

Sed cur Christus voluit fieri cessatio, sive *novissimus virorum?* Quia Adam, æque ac Lucifer, voluit fieri primus non virorum, sed angelorum; imo deorum, voluit enim æquari Deo vero. Hoc enim Deus Adæ improperat, Genes. 3. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Hinc innata est posteris eius superbia et ambitio, et ita innata ut hoc vitium sit primum in homine vivens, et ultimum moriens quod de corde animalis et hominis tradunt Physici. Ut ergo hoc vitium ita ingenitum nobis sanaret Christus, efficacissimo hoc usus est remedio, scilicet exemplo suo, ut cum esset in forma Dei, semetipsum exinaniret, et formam servi acciperet, fieretque homo, imo hominum novissimus. Quæ enim tanta homuncionis erit superbia, quam tanta Filii Dei, et regis regum, et Domini dominantium exinanitio et humiliatio non sternat? Quis conqueratur se despici, qui, si se suamque conscientiam sincere intueatur, vere multis nominibus est despicabilis, ubi Christum Domini despectum et ita despectum videt? Quis ita est despectus, ut sit, sicut ipse fuit, *chadal iscim*, et desitio virorum? Quis iam ambiat honores et laudes, ubi Christum opprobria, et sui contemptus ambivisse conspicit? Erubesce, terra: Deus se humiliat; et tu, o vermicule, te exaltas? Vis ergo vulnus lethale tibi ab Adamo inflictum sanare, vis ambitionem tuam curare? sequere Christum, ambi non summa, sed ima, desidera ex animo esse ultimus et novissimus. Hic latent magnæ opes, magni thesauri hominibus absconditi, quia novissimus locus est centrum humilis, in quo ipse summa animi quiete et tranquillitate fruitur, nullum casum aut descensum metuit; cum enim se ponat in imo, ulterius descendere aut cadere nequit: ex adverso *tangunt feriuntque summos fulmina montes*, eosque ad ima prosternunt. Hic etiam locus est nobilissimus et præclarissimus. Is enim locus præclarissimus est, qui est iuxta regem, aut Imperatorem. Atqui locus Regis nostri Christi fuit novissimus, ut ait hic Isaias. Erras ergo, o Christiane, si præclarissimum locum putes, et consecteris summum, non novissimum. Audi Christum suadentem: *Cum invitatus fueris, etc. recumbe in novissimo loco*. Præclare S. Cyril. in c. 1. S. Ioan. *Quasi quidam*, ait, *creaturarum locus confingitur ipsum nihil. Nam omnes ex nihilo in hunc mundum venerunt*. Si hic est locus omnium creaturarum, ergo et hominis. Quisquis igitur agitaris spiritu arrogantiæ, quisquis ambis esse primus, ob oculos pone Christum factum *chadal iscim*. Quisquis contemneris, despiceris, gradu et loco tuo deiiceris, gaude et exulta, quia locum Christi occupas, qui pro te, utque tibi daret exemplum, fieri voluit *chadal iscim*. Vere humilis, cum Christo ambit locum ultimum, optatque omnibus postponi; exhorret vero primum, metuitque vel uni præferri. Hæc est sapientia sanctorum. Vide S. Bernard. ser. 37. in Cant. in fine. Ita Christus cuidam S. virgini hanc regulam dedit: *Valde desiderabis subiici omnibus, et reformidabis præferri uni, etiam minimo. Tuum refrigerium et solatium in nullo alio sit, quam in humilitate, et tui contemptu.* Esto Ordinis Minimorum, et minimorum minima.

(Marginalia, left column: Superbia est in homine primum vivens, et ultimum moriens. — Locus imus est centrum humilis. — Et locus Christi ideoque nobilissimus. — Locus creaturæ est Nihil.)

(Marginalia, right column: Magdalenæ Pazzi, parte vitæ eius cap. 10.)

Denique, in hæc Isaiæ verba commentans S. Bernard. de Passione Domini merito exclamat: *O novissimum et altissimum, o humilem et sublimem, o opprobrium hominum, et gloriam angelorum! Nemo illo sublimior, nemo humilior.* Ubi et addit: *Mirabilis passio tua, Domine Iesu, quæ passiones omnium nostrum propulsavit. In hac passione, fratres, tria specialiter convenit intueri: opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Patientiæ recordatio omnem arcet voluptatem, humilitatis consideratio superbiam vitæ prorsus extundit, charitas omnino vitium curiositatis exsufflat.*

Virum dolorum.) Id est doloribus confectum, inquit Vatabl. Secundo Forer. *Vir*, ait, *dolorum*, id est doloribus expositus, qui quo eos arceret, non habebat. Tertio, Septuag. vertunt. *homo in plaga existens.* Quarto, sapidius et plenius, *vir dolorum*, id est undique doloribus obsitus, transfixus et plenus, ut ex doloribus conflatus, et non nisi dolor, imo pelagus dolorum esse videretur.

(Christus Vir dolorum, cur?)

(In anima.)

I. Primo, enim Christi anima plena fuit dolore: *Tristis*, ait, *est anima mea usque ad mortem*, et hæc tristitia sanguineas illi lacrymas sanguineum sudorem expressit. Cogitabat enim omnia omnium hominum, qui sunt, fuerunt et erunt peccata, etiam summe horrenda, et de omnibus intime dolebat, ac si ipse ea patrasset, ut hoc dolore ea expiaret, Patrique satisfaceret.

Secundo, a primo istanti suæ conceptionis usque ad ultimum vitæ suæ halitum, iugiter cogitabat omnes labores et dolores, quos in vita et in morte maximos erat obiturus, eosque ita vive sibi repræsentabat, ac si eos iam præsentes haberet et sentiret. II.

Tertio, cogitabat omnes hominum ærumnas et miserias, omnes Martyrum cruciatus, omnes Sanctorum pœnitentias et mortificationes, omnia virginum certamina; hæcque ipse sentiebat, hocque suo sensu et dolore eis a Patre fortitudinem ad eos superandos, impetravit. III.

Quarto, cogitabat, quam multi hosce eius dolores spernerent, quam multis inutilis foret omnis hic eius labor, quam multi hominum milliones damnandi forent, quam pauci salvandi. Hic animas zelanti ingens erat dolor, ingens tormentum. IV.

Denique omnes animæ Christi potentiæ, intellectus, voluntas, memoria, plenæ erant doloribus, æque ac singuli sensus interni et externi.

(In corpore.)

Secundo, in corpore singula Christi membra suos habebant dolores acutissimos, ut patet singula consideranti. Nam, ut ait S. Thom. 3. p. q. 46. a. 5. *Christus secundum tactum, fuit flagellatus, et clavis confixus;* (idque locis nervosis et maxime sensibilibus, puta manibus et pedibus, ubi acutissimus est dolor, præsertim in cruce, ubi ex pondere corporis, vulnera sensim lenteque dilatantur, itaque prorogantur) *secundum gustum, felle et aceto potatus; secundum olfactum, in loco fœtido cadaverum mortuorum, qui dicitur Calvariæ, appensus patibulo; secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium et irridentium; secundum visum, videns matrem et discipulum quem diligebat, flentes.* Porro in Christo tactus aliique sensus erant vivacissimi et perfectissimi: ideoque præ aliis hominibus dolores omnes vivacissime sentiebat. I.

Rursum, *passus est Christus in capite pungentium spinarum coronam, in manibus et pedibus fixionem clavorum, in facie alapas et sputa, et in toto corpore flagella.* II.

Tertio, *passus est in omnibus, in quibus homo pati potest. Passus est enim Christus in suis amicis, cum deserentibus; in fama, per blasphemias contra eum prolatas; in honore et gloria, per irrisiones et contumelias ei illatas; in* III.

rebus, per hoc, quod etiam vestibus spoliatus est: in anima, per tristitiam, tædium et timorem; in corpore, per vulnera et flagella. Atque hæc omnia pure et mere passus est, sine ullo consolationis aut lætitiæ temperamento.

IV. Quarto, passus est ab omni genere hominum, a Iudæis et Gentibus, a plebe et principibus, a laicis et sacerdotibus, a pontificibus et Pilato. A Iuda proditus, ab Apostolis negatus et derelictus. Mater adstans cruci, eius dolores duplicavit; cum enim se invicem assidue aspicerent, totidem gladiis et ictibus, quot oculorum iactibus, invicem corda mutua transfigebant et vulnerabant.

V. Quinto, solus Christus in Script. dicitur, *vir dolorum:* fuit Abel afflictus a Caino, Isaac ab Ismaele, Iacob ab Esau, Ioseph a propriis fratribus, David a Saule, Elias a Iezabele, multique alii gravibus doloribus fuerunt pressi; sed inter omnes solus Christus *vir dolorum* appellatur, tum quia omne genus dolorum sensit, tum quia illi suos dolores ferebant, Christus vero et suos et omnium hominum.

VI. Sexto, tres sunt radices vitiorum et malorum omnium, quas describit S. Ioannes ep. 1. c. 2. v. 16. *Omne*, ait, *quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Has tres radices tribus contrariis expugnavit et extirpavit Christus. Nam ad proterendam superbiam vitæ, factus est portentum contemptus et humilitatis; factus est enim *novissimus virorum*, ut ait Isaias; secundo, ad comprimendam concupiscentiam oculorum, factus est portentum paupertatis et nuditatis; tertio, ad edomandam concupiscentiam carnis, puta gulam et libidinem, factus est portentum dolorum. In his tribus perfecta patientia, perfecta virtus, perfecta mundi et vitiorum victoria, perfecta sanctitas, perfectus Dei amor consistit; quia sine dolore non vivitur in amore. *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.*

In tribus consistit perfecta sanctitas.

Vere Sidonius Apollin. l. 9. epist. 4. *Quantumlibet*, ait, *nobis anxietatum pateras vitæ præsentis propinet afflictio, parva toleramus; si recordamur quid biberit ad patibulum qui invitat ad cælum;* et ex eo Helinandus Chron. 44. *Memoria passionis* (Christi) *omnem tribulationem dulcescere facit.* Sicut ergo lignum a Mose iniectum in aquas Mara, eas ex amaris dulces effecit, Exodi 15. ita omnis nostra tribulatio dulcescet, si crux Christi mentem subeat, omneque fel in mel convertetur. Eius enim consideratione fides illuminatur, spes roboratur, patientia excitatur, charitas inflammatur. Hinc S. Gregorius in quadam epist. Nihil, ait, adeo grave est, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur. Parva enim toleramus, si recordemur quam dura verba, duriora verbera, durissima supplicia pro nobis ille passus sit, qui in capite tulit coronam, in oculis velamen, in auribus convicia, in ore fel et acetum, in facie sputa et alapas, in genis vellicationem, in humeris crucem, in corde mœrorem, in visceribus concussionem, in corpore flagella, in membris extensionem, in manibus et pedibus perfossionem. Denique, a capite ad pedum plantas usque innumera sustinuit vulnera et dolores. Fuit ergo Christus vir dolorum, imo rex et princeps dolorum; tum quia plures et acerbiores tulit, quam ullus mortalium tulerit; tum quia omnibus quasi rex dominatus est, omnesque sua patientia et charitate divina superavit, imo longe transcendit. Regnas ergo, o Christe, in regia Calvariæ, in throno crucis, in purpura tui sanguinis, cum sceptro clavorum, cum corona spinea, ipsumque regni titulum præfers, *Rex Iudæorum*, id est rex civium iniustissimorum, id est rex hostium immanissimorum: circumfluunt loco asseclarum accusatores, loco satellitum latrones, loco cohortium carnifices. Isthic, isthic, tamquam in tuo regno, in omni regia pompa regioque apparatu triumphas: habes pro bellariis fel, pro odoribus fœtorem, pro festis ignibus tenebras, pro symphonia blasphemias, pro choreis terræmotum, pro peristromatis sparsisve floribus ossa cadaverum, pro bulla pendente e monili plagam luculentam pectoris. Tale regnum, talem regem decebat esse dolorum. Utinam intelligamus quales nos deceat esse sub tali rege, in tali regno!

A

Et scientem infirmitatem.) *Scientem*, id est sentientem et experientem, tum in vita, tum maxime in morte. Nam in vita defatigabatur, inquit Forer. itinera pedibus conficiebat, inedia et siti laborabat, flebat sæpius, ridebat numquam, et, cum intus zelo Dei æstuaret, videretque nomen Dei vilipendi, ius et fas pessumdari, hypocrisim dominari, suspiria trahebat, dolebat, gemebat. Rursum *infirmitatem* vocat dolores, adversitates, persecutiones, irrisiones, opprobria, cruciatus omnesque afflictiones et ærumnas tum vitæ tum passionis Christi: has enim significat hebr. חולי *choli*, id est infirmitas, ut dixi 2. Corinth. 12. v. 9 et 10. Tertio, Septuag. vertunt: *Sciens ferre infirmitatem.* Christus enim tantæ non tantum tulit, sed et constanter tulit, scivit quomodo ea essent ferenda; scilicet prudenter, humiliter et fortiter; et simili modo nos ea ferre docuit et docet in dies. Ipse ergo fuit portentum constantiæ et fortitudinis.

Et quasi absconditus vultus eius.) Quia in humano corpore divina Christi potentia et splendor celabatur,

B

ait S. Hieron. Secundo, Pagnin. vertit: *Erit ut is a quo quis absconderet faciem suam*, q. d. Erit quasi leprosus, vel ita horridus, ut occurrentes ab eo faciem avertant. Sic et Leo Hebr. vertit: *Et abscondebamus faciem ab eo*, q. d. Pudebat nos illius, vel horrebamus eum aspicere. Tertio, proprie *absconditus vultus* Christi significat eius sortem et statum ita miserum, ut quasi pudibundus vultum suum absconderet, quia scilicet talis erat, ut præ pudore et verecundia, quilibet vir honestus in eo constitutus vultum suum obtegeret. Quocirca hebr. est, *Abscondens faciem a se*, quasi quem sui et suæ sortis pudeat; unde a seipso quasi faciem avertit, seque abscondit. Hinc Septuag. vertunt, *aversa*, vel, ut Procop. legit: *Confusa facies eius.* Forer. putat alludi ad leprosos, qui iubebantur os suum velare et faciem abscondere, ne cui horrorem iniicerent, Levit. 13. 45. Quarto, addit Sanchez *absconditum vultum* significare Christum a Iudæis quasi reum mortis proclamatum et damnatum fuisse. Hisce enim reis,

C

morti adiudicatis, facies velari solebat.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.) Septuag. vertunt: *Ipse peccata nostra portat, et pro nobis dolet.* Septuag. secutus S. Petrus epist. 1. c. 2. 24. *Peccata*, ait, *nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum;* ubi Cyrill. Alexand. l. 4. in Ioan. c. 12. legit: *Delicta nostra ipse corpore suo in lignum tulit;* S. Athan. orat. 4. contra Arrianos: *Efferens peccata nostra in crucem cum corpore suo;* Syrus: *Baiulavit omnia peccata nostra, eaque sustulit in corpore suo ad crucem*, ut pro iis patiendo et satisfaciendo ea aboleret, et quasi cruci alligeret, ut ait Paulus Coloss. 2. 14. Chaldæus hic vertit: *Deprecabitur pro peccatis nostris, et delicta nostra propter eum dimittentur.* Porro S. Matth. c. 8. v. 17. cum narrasset varios morbos et morbidos, ac energumenos a Christo sanatos, subdit: *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.* Quæres, quomodo hæc S. Matthæus accommodet morbis

Vers 4.

D

corporis, et quomodo eos portarit Christus? Primo, Forer. sic exponit: *Tulit*, id est, abstulit; *portavit*, id est, exportavit, eiecit: non autem in se suscepit. Sic enim dicitur: *Ecce agnus Dei, qui tollit*, id est aufert, *peccata mundi:* nec enim Christus formaliter peccata mundi in se suaque anima suscepit. Verum Hebr. סבל *sabal*, proprie significat portare et gestare onus: et certum est Isaiam loqui de doloribus a Christo susceptis: ideo enim vocavit eum *virum dolorum*, et mox, *leprosum* ac *percussum a Deo.*

Christus portavit nostras ægrotationes, quomodo.

Secundo, S. Thom. et Lyran. per *dolores et languores* accipiunt famem, sitim, lassitudinem. Sed quid hæc ad morbos aliorum curandos?

Tertio Iansen. et Maldon. putant S. Matthæum loqui in sensu accommodatitio: ipsum enim verba Isaiæ dicta de morbis animæ, accommodare morbis corporis. Verum obstat τὸ *ut adimpleretur:* aliud enim est adimplere, aliud accommodare. Unde cum dicitur, *Ut adimpleretur quod dictum est*, locus ille accommodatitie explicari non debet,

uti recte docet Gabriel Vasquez 1. p. disp. 18. c. 5. tom. 1.

Christus nullos habuit morbos.

Dico primo, S. Matthæus non vult dicere, Christum morbos aliorum in se suscepisse; nec enim Christus ægrotavit, aut morbum habuit, sed corpus semper sanum et integrum. Probatur primo, quia morbi non decebant corpus divinum et a Spiritu sancto perfectissime efformatum, fuissentque impedimento eius laboribus, itineribus, prædicationi, operique legislationis et redemptionis nostræ, ad quod in mundum missus fuit a Patre. Secundo, quia Christus tantum suscepit passiones humanas, toti naturæ hominum communes, non huic vel illi homini proprias, uti sunt febris, calculus, aliique morbi. Tertio, quia morbi oriuntur ex imperfecta corporis formatione, puta ex complexione et temperie quatuor humorum incongrua et male temperata, aut ex intemperantia victus, laborum, studiorum, etc. aut denique ex inscientia et imprudentia, qua cibos, aerem, aliaque valetudini noxia, vel non scimus, vel non advertimus, vel non cavemus. Atqui nihil horum fuit in Christo; uti nec fuit in Adamo in statu innocentiæ. Denique in Christo, in quo nulla erat concupiscentia, nullum decuit esse morbum; hic enim est illius effectus, pœna et frænum a Deo destinatum. Ita S. Thom. 3. part. quæst. 14. Suarez et alii.

Dico secundo, probabile est Isaiam hic duplicem habere sensum litteralem. Primus est, de morbis animæ, id est, peccatis, eorumque pœnis, quas in se suscepit et in cruce exsolvit Christus: et hoc maxime intendit Isaias, ut patet ex sequent. et ex verbo, *portavit*. Alter est priori subordinatus de morbis corporis, ut docet Caietan. in Matth. 8. Hi enim typi et effectus sunt morborum animæ, quos S. Matth. ait Christum portasse, non eos in se suscipiendo, sed per compassionem, qua motus fuit ad eos auferendos, et ad morbidos sanitati restituendos; quomodo Apostolus Galat. 6. 2. ait: *Alter alterius onera portate*. Ita Leo Castrius.

Christus potuit curare morbos nostros, quia eos in se luendos suscepit

Dico tertio, verius est per languores et dolores quos Christus tulit, Isaiam intelligere peccata, ut vertunt Septuag. et eorum proles, quæ sunt morbi, dolores omnesque corporis et animæ ærumnæ et pœnæ. Hæc est enim peccati progenies et soboles, quam Christus portavit et abolevit. Christus enim tot cruciatus, tamque acerbam mortem pertulit, ut omnes hasce infirmitates et ærumnas, ipsamque mortem, vel hic, vel in resurrectione aboleret. Sicut ergo ipse peccata nostra in cruce portavit et expiavit; sic consequenter et morbos, adeoque inde habuit potestatem eos curandi, quia eos in se luendos suscepit. Ita S. Chrys. Theoph. Euthym. in Matth. 8. et Origen. in c. 8. et 15. ad Rom. Hoc est, quod ait Hilar. citatus a S. Thom. in Catena Matth. 8. *Christus passione corporis sui secundum Prophetarum dicta, infirmitates humanæ naturæ imbecillitatis absorbuit.* Huc alludit S. Petrus epistola 1. cap. 2. v. 24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Sequitur enim de more Septuag. qui hic vertunt: *Iste peccata nostra portat, et pro nobis dolet.*

Ubi Nota: Languores et dolores vocat *nostros*, quia peccatorum culpa nobis inerat, eratque nostra; pœna vero erat nostra, id est, nobis debita. Reatus ergo, sive obligatio ad pœnam, erat pariter nostra nobisque inhærebat.

Morbi nostri peculiarem pœnam addiderunt Christo.

Eramus enim rei dolorum et tormentorum præsentium et æternorum. Sed hæc omnia in se transtulit Christus. Hinc censent Sanchez, aliique viri docti et pii, nostros morbos et languores (cum sint pœnæ peccati originalis, et sæpe ob peccata actualia cuique a Deo infligantur) aliquid addidisse doloris et cruciatus Christo patienti, ipsumque, ut eos curaret et tolleret, peculiares aliquas pœnas, vel pœnarum augmentum aliquod subiisse et tolerasse. Omnes ergo dolores, quos tolerarunt, vel tolerant electi, transierunt per illam sacram humanitatem, indeque facti sunt nobis dulces et amabiles, uti aiebat quædam sancta virgo gravi morbo afflicta. *Christus enim*, ut pie docteque ait S. Petrus Chrysol. serm. 150. *venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes: humana quærere, præstare divina; accipere iniurias, reddere dignitates; ferre tædia, referre sanitates; quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit; et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.*

Denique Rupert. Vasquez, Maldon. et ex iis Sanchez, dicunt hunc Isaiæ locum directe spectare ad peccata, indirecte ad morbos; eo quod Christus morbos corporis curaret, hoc fine, ut per eos gradum faceret ad curationem morborum animæ. Dum enim morbidi videbant se a Christo tam benefice et miraculose curari, credebant in eum, ab eoque excitati dolebant et compungebantur de peccatis suis, itaque eorum veniam et gratiam ab eo impetrabant, uti contigit S. Magdalenæ. Unde multi docent, omnes eos, quos Christus corporaliter sanavit, etiam spiritualiter ab eo sanatos et iustificatos esse. Verum hic sensus non explicat, quomodo Christus morbos corporis tulerit et portarit. Itaque tertius sensus, qui solide idipsum explicat, capessendus, hicque illi annectendus est.

Et nos putavimus eum quasi leprosum.) *Nos*, scilicet Iudæi (in eorum enim persona loquitur) non considerav imus Christum nostros languores portare, sed putavimus eum ob sua peccata ita affligi et deformari, ut videretur esse leprosus, verum lepram non suam, sed nostram ipse portabat. Rursum, *putavimus eum quasi leprosum*, id est, immundum, et ob sua scelera a Deo percussum. Lepra enim quod Iudæos sæpe erat pœna peccati, eamque infligebat Deus superbis, murmurantibus et rebellibus, ut Mariæ sorori Mosis, Oziæ regi, et aliis, uti ostendi Levit. 13. in initio.

Christus comparatur leproso.

Nota, Christum comparari leproso, ob octo analogias. Primo, quia, sicut leprosus toto corpore lepra maculatus, sui horrorem intuentibus incutit: ita Christus toto corpore flagellis et vulneribus lividus, horrorem simul et commiserationem aspicientibus commovebat; ut merito Pilatus eum Iudæis proponens dixerit, *Ecce homo*. I.

Secundo, leprosus habebat vestes dissutas; ita milites sciderunt vestes, quin et carnem Christi. II.

Tertio, leprosus habebat caput nudum: ita Christus nudo fuit capite, sed spinea corona coronato. III.

Quarto, leprosus habebat os veste contectum: de Christo ait Isaias: *Quasi absconditus vultus eius;* rursum: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* IV.

Quinto, leprosus se contaminatum et sordidum clamare debebat: Christus totus cruentus, quid clamat? nisi: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus*, Thren. cap. 1. vers. 12. V.

Sexto, leprosi caro erat vilissima et abiectissima; Christus ait: *Ego sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis.* Similis fuit Christus sancto Iobo, qui sedens in sterquilinio, non fuit agnitus ab amicis, quia non erat ei aspectus, eratque despectus et novissimus virorum. VI.

Septimo, lepra solebant puniri superbi: et Christus nostræ superbiæ quasi lepræ speciem gessit, eamque curavit, sua hac abiectione. Eius enim livore curata est plaga superbiæ nostræ. VII.

Octavo, leprosi urbe pellebantur, nemo eos aditu, congressu, sermone dignabatur, omnes illos aspernabantur, et quasi pestem fugiebant: ita Christus quasi leprosus extra portam eiectus et crucifixus est, Hebr. 13. 12. et Ps. 37. 12. *Amici*, inquit, *mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt* (hebr. est, *ex adverso plagæ meæ;* S. Hieron. vertit: *Quasi contra lepram meam steterunt*) *et qui iuxta me erant, de longe steterunt.* Primam analogiam maxime spectat hic Isaias: vocat enim eum leprosum, quia percussum a Deo. VIII.

Et percussum (Theodot. vertit, *flagellatum*) a Deo et humiliatum.) Syrus vertit, *percussum Dei*, id est, a Deo: ex Hebræo verti potest, *percussum Deum, et humiliatum*, vel afflictum. Hoc enim plane significat מכה אלהים ומענה *muche elohim umunne.* Christus ergo fuit percussus Deus, et humiliatus. Quocirca per hæc Hebræa verba, plures Iudæos a iudaismo ad christianismum esse conversos, docet Andreas Payva in Defens. Trid. fidei l. 4. post initium. Rogati enim quomodo manus dedissent Christo sibi inviso, respondebant, se his Isaiæ ver-

bis tam claris convinci, nec posse, etiamsi vellent, ea eludere. Idem mihi narravit hic Romæ insignis quidam Hebræus.

Vers. 5. IPSE AUTEM VULNERATUS EST PROPTER INIQUITATES NOSTRAS, ATTRITUS EST PROPTER SCELERA NOSTRA.) Nimirum non Christi, sed nostræ iniquitates Christum vulnerarunt et attriverunt, eum lacrymari, suspirare et gemere fecerunt. Tua, o gulose, gula Christum felle et aceto potavit. Tua, o superbe, ambitio Christum inter latrones suspendit. Tuus, o comptule, vestium luxus Christum spinea corona coronavit. Tua, o luxuriose, libido Christum clavis transfixit, flagellis concidit, et toto corpore cruentavit. Tua, o maledice, maledicta et blasphemiæ, Christi faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, sputis onerarunt. Vis ergo, o peccator, videre vivam imaginem animæ tuæ peccantis? Inspice Christum flagellatum, consputum, coronatum et crucifixum: inspice toto corpore cruentatum et lividum, ut totum corpus non videatur esse, nisi una plaga, livor et vulnus: inspice defiguratum quasi leprosum. Hæc est forma, hæc species animæ tuæ, quam Christus in se suscepit et expressit. Ora eum, ut suis plagis plagas animæ tuæ; suis vulneribus tua vulnera curet. Rursum vide et admirare abyssum amoris Christi, qui se pro te in hac informi forma, in hisce pœnis et cruciatibus coram Deo substituit, qui propter te hæc omnia pati voluit, qui se hostiam pro tuis peccatis Deo obtulit, hostiam, inquam, ita concisam et laniatam; quot in corpore eius cernis vibices, livores et stigmata, tot notas, tot characteres immensi amoris intueris. *Cernis ut in toto corpore scriptus*, imo sculptus, *amor*. O amor, amor, amor noster, Iesu bone, quantum amasti nos, quanto dolore, imo amore parturivisti nos! Mensura enim doloris est amor, et non mensura amoris est dolor. Longe enim maior fuit amor, quam dolor tuus: amoris tui mare absorbuit omnes dolorum rivos. Da, Domine Iesu, ut dolorem tuum, ut amorem tuum, non nostrum sentiamus: vulnera cor nostrum dolore tuo, inebria cor nostrum amore tuo, ut cum S. Paulo dicamus: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo: qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me;* et cum sponsa: *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur;* et cum S. Ignatio: *Amor meus crucifixus est;* et cum S. Francisco: *Da Domine Iesu, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* Da, Domine, ut a te numquam separemur, ut mundo et carni plane moriamur, tibi vivamus, tuis vulneribus immoremur, tuo amori innatemus in tempore et in æternitate. Et cum sancta illa virgine Itala, quæ Christum crucifixum fixe intuens, æstuans et ebria amore exclamabat: *O Deus, o amor, o ebrietas amoris, da mihi tantam vocem, quæ audiatur ab Oriente usque ad Occidentem, a cælo ad infernum, ut te amorem omnibus inclamem. O* amor, quam parum cognosceris, quam parum amaris! O animæ, amate amorem vestrum, qui vos ita amavit!

Peccata nostra vulnerarunt Christum.

Christus abyssus doloris, et amoris.

Amor meus crucifixus est.

Disciplina id est, castigatio.

DISCIPLINA PACIS NOSTRÆ SUPER EUM.) Pro *disciplina* hebraice est מוסר *musar*, id est, castigatio. Hac enim indigent pueri, qui instar bestiolarum lasciviunt, et sensibus vagantur, ut eos constringant, utque disciplinam a doctore suscipiant et ediscant. Hinc enim correptio, flagellatio, verberatio, quin et ipsum flagellum per metonymiam et metalepsin, vocatur disciplina, quia scilicet disciplinam parit et inducit. Sic Hebr. מלמד *malmad*, id est stimulus, a למד *lamad*, id est didicit, derivatur. Vituli enim et boves, æque ac pueri, rudesque homines, non discunt subire iugum et disciplinam, nisi stimulis adacti. Hinc Proverb. 23. 13. dicitur: *Noli subtrahere a puero disciplinam*, id est castigationem; et c. 22. 15. *Virga disciplinæ fugabit eam*, scilicet, stultitiam pueri. Huc allusit Eccles. c. 12. 11. cum ait: *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.* Vide nostrum Gretserum lib. de Disciplina. Sensus ergo est, q. d. Christus castigatus, flagellis et plagis divexatus et excruciatus est, ut nos reconciliaret Deo, utque pacem cum eo haberemus, ut nimirum *peccatis mortui, iustitiæ viveremus*, inquit S. Petrus alludens ad hunc locum epist. 1. c. 2. 24. Ita Procopius. Rursum per pacem Hebræi intelligunt omnem prosperitatem omneque bonum: hoc enim suis malis et afflictionibus peperit nobis Christus.

Perperam ergo hinc infert Calvinus, pœnitenti, cui Deus per Christum remisit peccata, nullam esse luendam pœnam temporariam, eo quod hanc luerit Christus, dicente Isaia: *Disciplina pacis nostræ super eum.* Perperam, inquam. Nam *disciplina pacis* hic non pœnam temporariam, sed culpam et pœnam æternam significat. Hæc enim bellum et odium Dei parit, quod amolitus est sua morte Christus, pacem faciens et reconcilians nos Deo.

Tertio, Sanchez Hebr. שלום *scialom*, vertens *retributionem*, sic explicat: Disciplina retributionis nostræ super eum, id est, supplicium, quod nos retribuere et rependere debebamus pro peccatis nostris, hoc super eum imposuit Deus, q. d. Quidquid pœnarum Deus a nobis pro peccatis exigere debuit aut potuit in omnem æternitatem, id ab innocenti Filio Pater exegit. Porro imperite et blaspheme hinc colligit Calvinus, Christum sensisse dolores et desperationes inferni, ex eo, quod illi peccatis nostris debebantur: suscepit enim illos in se non formaliter, sed satisfactorie, quia pro iis condigne satisfecit ob dignitatem personæ suæ patientis.

LIVORE EIUS SANATI SUMUS.) Vatab. vertit: *Et in livore eius nobis medicatum est.* Hoc est pretiosum pharmacum, quod non ex herbarum succis, non ex adipe bestiarum, non ex alieno corpore et sanguine, sed ex proprio confecit Christus. Hoc pharmacum in S. Sacramentis a se institutis recondidit; inde enim Sacramenta habent vim iustificandi, sanandique animæ morbos, scilicet, ex livore, sanguine et vulneribus Christi.

OMNES NOS QUASI OVES ERRAVIMUS.) Quasi oves non Vers. 6.
habentes nec sequentes pastorem, sed suam gulam et concupiscentiam. *Erravimus*, per voluptatum labyrinthos, expositi luporum rabiei, qui nos laniarent, et in cavernam gehennæ transportarent. Huc allusit Christus, dum se comparat pastori qui ovem errantem requisivit, et humeris impositam in caulam reduxit, Luc. c. 15. 4. et S. Petrus epist. 1. c. 2. v. 25. cum ait: *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.*

ET POSUIT DOMINUS IN EO INIQUITATEM OMNIUM NOSTRUM.) Pro *posuit* Vatablus vertit, *eoniecit*; Forerius, *incurrere* vel *irruere fecit*. Hebr. enim הפגע *hifga*, significat, primo, occurrere, incidere; secundo, irruere in aliquem, eumque occidere, uti Gedeon irruit in principes Madian, Iudic. 8. 21. *utroque autem modo*, ait Forer. *peccata nostra in Christum incurrerunt: irruerunt enim, ut eum perderent: inciderunt, ut ab eo perderentur. Hic mecum, Christiane lector, considera, peccata tua ac mea partem illius exercitus fuisse, qui in Christum irruit,* eumque trucidavit.

Septuag. vertunt: *Dominus tradidit eum iniquitatibus nostris,* ut scilicet, illæ a nobis in Christum translatæ, in ipsum quasi recumberent, ipsumque quasi reum iudici puniendum et cruciandum offerrent. Christo innocentissimo et summo iniquitatis hosti, maxima fuit crux tradi iniquitati, longeque maior, quam tradi Caiphæ, Pilato, flagellis, clavis et cruci.

OBLATUS EST QUIA IPSE VOLUIT.) Hebr. est, *accessit*, Vers. 7.
scilicet quasi hostia pro peccato ad mactationem in altari crucis, id est, *oblatus est* (ut recte vertit Noster) *quia ipse respondit*, scilicet Deo vocanti, illud quod inquit Psaltes, et ex eo Paulus Hebr. 10. 5. *Hostiam, et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi, etc. Tunc dixi: Ecce venio*, en adsum hostia tibi grata, quam poscis. Quocirca Symmachus vertit, *admotus est et paruit* Unde liquet tam Symmachum, quam nostrum interpretem, pro נגש *niggas*, id est, *accessit*, legisse in *Pual* נגש *nug-*

gas, id est, accedere factus est, adductus, admotus, oblatus est.

Iam pro *nuggas* per *scin*, legunt נגש *niggas* per *sin*, quod significat, exactus, arctatus, afflictus fuit, quasi fideiussor aut debitor : Christus enim pro debito nostro fideiussit; unde debitum nostrum ab eo exegit Pater. Ita Cyrill. et Sanchez. Forerius vertit, *adactus*, vel potius *abactus* fuit instar ovis, *et ipse ope destitutus est;* Vatabl. *mulctatus est et afflictus;* Pagninus, *oppressus est et afflictus.*

Quia ipse voluit.) Non coactus armis et vi Iudæorum eum capientium, non invitus et reluctans; sed sponte acceptans voluntatem et iussum Patris, eique se liberaliter offerens. Hoc est, quod ait Paulus Galat. 2. vers. 20. *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me;* et Christus ipse Ioan. cap. 10. vers. 18. *Nemo tollit eam* (animam meam) *a me: sed ego pono eam a meipso.*

Christus mors vere fuit sacrificium non Martyrium

Hinc patet Christi mortem vere et proprie fuisse sacrificium: secus est de morte Martyrum. Christus enim proprie se in cruce immolavit Patri pro redemptione hominum, ut iis reconciliaret Deum, qui est finis proximus sacrificii. Quocirca et ritu mystico oblatus est. Non enim casu, sed electione ipsius et Patris factum est, ut in die festo Paschæ, et in altari crucis, et manibus extensis, et extra portam Hierosolymæ pateretur. Unde Christus Ioan. c. 17. v. 19. ait: *Pro eis ego sanctifico*, id est sacrifico, *meipsum*. Ita S. Leo epist. 83. S. Aug. l. 1. contra advers. legis et Proph. c. 18. Vide Bellar. l. 1. de Missa c. 3.

Moral. ex S. Bernardo.

Pie et vere S. Bernard. serm. 3. de purificat. B. Mariæ: *Oblatus est*, inquit, *non quia meruit, non quia Iudæus prævaluit: sed quia ipse voluit. Voluntarie sacrificabo tibi, Domine, quia voluntarie oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi, pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorum quam habuit, nimirum, qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit: tu quis es, qui teipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur maiestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus et animam dico: utinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre! Bonum enim mihi longeque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quam deserar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur; in te vero exsultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur.*

Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet.) In acri illa tonsione, qua non lana et vestis, sed pellis, caro, sanguis et vita, flagellis, clavis et plagis illi detondebuntur et abradentur, non gemet, non queretur, non obstrepet, non resistet, sed mitissima patientia tacitus omnia sustinebit.

Christus quasi agnus tonsus.

Symbolice S. Ambros. epist. 25. post medium: *Bene*, inquit, *coram tondente, qui superflua, non propria, in illa deposuit cruce; qui corpus exuit, non divinitatem amisit.* Huc allusit S. Ioannes Baptista, Ioan. 1. 36. *Ecce agnus Dei*, scilicet ab Isaia hic prædictus, et in agno paschali figuratus. Ita Theoph. ibi. Ubi Nota : Symbol. Agni nomen, puta Iesus, græce per anagramma idem est quod ovis, ut patet ex hoc eius anagrammatismo: Ἰησοῦς Iesus, σὺ ἡ οἶς, id est, *tu es ovis*. Ita Guil. Blancus Albiensis lib. de Anagrammatismis. Utrobique enim eædem prorsus sunt litteræ, sed ordine commutato.

Magis miranda fuit in passione agnina, imo divina Christi mansuetudo, patientia et silentium, quam ipsa eius passio et crux; præsertim coniuncta cum tam heroica constantia, libertate et fortitudine, *qui*, ut ait S. Petrus epist. 1. c. 2. 23. *cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste.* Nimirum hic perfectum virtutis dedit speculum. Hic ovis nostra sibi similes parturivit: ab ea enim suam fortitudinem, æque ac patientiam hauserunt et suxerunt omnes patientes, omnes constantes, omnes mites, omnes Martyres. Quocirca S. Franciscus videns, vel nominari audiens agnum, tenero affectu commovebatur, solvebatur in lacrymas, agnos, qui ducebantur ad lanienam, redimebat: intuebatur enim in iis hunc agnum Dei, a quo ipse suam agninam simplicitatem, innocentiam et lenitatem hausisse se profitebatur. Redemptio ergo agni nostri, primo, clementissima est; secundo, universalis; tertio, æterna. Clementissima est, quia agni, non leonis; est universalis, quia mundi; est æterna, quia totius temporis: omnes populos, omnes urbes, omnes homines, omnium ætatum, cuiuscumque sexus et conditionis sint, complectitur. Olim tempore Noe, Deus abstulit orbis peccata ut leo (diluvio enim omnes obruit) at per Christum ea abstulit ut agnus. Aquarum diluvium homines necavit, non peccata: sanguinis agni diluvium, peccatis interitum, hominibus vitam attulit.

Agnus hic est leo.

Ubi notanda est mitissimi agni mira, et plus quam leonina fortitudo ac victoria. Agnus enim hic domuit orbem non ferro, sed ligno; non gladio, sed cruce; non feriendo, sed patiendo; non trucidando, sed moriendo. Hic ergo agnus est leo de tribu Iuda, primo, quia prostravit peccatum, diabolum, infernum, mundum et carnem. Secundo, quia tum in hac vita, tum maxime in iudicio, sanctis et electis comis erit et suavis ut agnus, reprobis vero terribilis ut leo; ut ipsi perculsi dicant montibus et petris: *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni,* Apoc. 6. Tertio, quia agnus hic leones et lupos transmutat, facitque agnos. Unde S. Aug. serm. 1. de conversione S. Pauli: *Occisus*, inquit, *agnus* (Christus) *a lupis, et facit* (Paulum) *agnum de lupis.* Idem tract. 7. in Ioannem: *Venit,* inquit, *agnus. Qualis agnus est? quem lupi timent. Qualis agnus est? qui leonem occisus occidit. Dictus est enim diabolus, leo circumiens et rugiens, quærens quem devoret: sanguine agni victus est leo. Ecce spectacula Christianorum.* Et in Psalm. 131. *Rex*, inquit, *noster mansuetudine vicit diabolum. Sæviebat ille, iste sufferebat. Victus est qui sæviebat, vicit qui sufferebat. In ista mansuetudine Ecclesia vincit inimicos.* Vicit agnus mansuetudine, vicere Martyres mansuetudine, vicerunt et vincunt Christiani mansuetudine. Amat enim agnus noster agnellos, amat agnas, amat agnetes, amat innocentes, amat virgines, amat Martyres, mites et patientes. *Ecce*, inquit suis charissimis, *ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, Luc. 10. 3.

Agni asseclæ mites, et patientes exempla.

Accipe agnos, et agni asseclas, imo proles, in tolerandis contumeliis et iniuriis.

S. Spiridion Episcopus Trimithuntis in Cypro, vocatus a Constantio Imper. venit vili habitu, virgam manu tenens, vas fictile gestans ex collo. Ergo in regia quidam ei, quasi vili homini, colaphum impegit. Tulit id non modo patienter vir sanctus, sed et alteram maxillam prompto patiendi animo percussori exhibuit. Quæ res insolentem illum ita confudit ut repente ei supplex fieret, et veniam peteret: quam libens concessit, et hominem paterne instruxit, ut ab inferenda iniuria se contineret. Honorifice ergo ad Imperatorem deductus est. Ita habet eius Vita.

S. Stephanus pro contumeliis gratias agit.

S. Stephanus Abbas, ait S. Gregorius hom. 35. in Evang. *tantæ erat patientiæ, ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil aliud quam adiutores æstimabat.*

Idem S. Gregor. l. 1. Dialog. 2. celebrat patientiam Libertini, qui ab Abbate iniuste scabello contusus, ut vultum gereret tumentem et lividum, sua patientia Abbatem cholericum ad magnam mansuetudinem traduxit.

S. Ioannes Chrysost. hom. 20. ad populum, celebrat factum et dictum Constantini Imper. qui imagine sua lapidata, multis eum instigantibus ut vindictam sumeret de contumelia, ac dicentibus, quod omnem ipsius faciem in imagine convulnerassent, manu faciem palpans, et leniter ridens, dixit: *Ego vero nusquam vulnus in fronte factum video: sed sanum quidem caput, sana vero et facies tota.*

Cassianus collat. 19. c. 1. celebrat patientiam cuius-

dam iuvenis monachi: qui publice ab Abbate palma graviter percussus, nullum murmuris aut doloris dedit signum, imo oris modestiam, tranquillitatem et colorem nullatenus mutavit.

Caupo quidam iniuria affecerat iuvenem, cognatum S. Ioannis Eleemosynarii: iuvenis querulus rem detulit ad S. Ioannem; qui ut eum mitigaret: *Itane, ait, ausus fuit te vel verbo violare? Faciam in eo rem, quam tota Alexandria mirabitur.* Moxque vocato ad se vectigalium magistro, iubet ut cauponem illum ab omni vectigali eximat. Hoc tota Alexandria mirata est. Et caupo deinceps Episcopum et iuvenem officiose coluit. Ita Leontius in Vita S. Ioannis Eleemosynarii.

S. Martinus ignotus a militibus flagris ac fustibus exceptus, mutus et mire patiens terga præbebat cædentibus. Illi magis furentes quasi verbera contemneret virum Dei ita cruentarunt, et toto corpore laniarunt, ut exanimis in terram procumberet. Cumque abire vellent, iumenta nullis flagris loco movere potuerunt. Redeuntes ergo ad cor, et intelligentes fuisse S. Martinum quem percusserant, ad eum revertuntur, supplicesque veniam petunt: quam ille clementer indulsit, fecitque ut iumenta loco moverentur. Ita Sulpit. in Vita eius l. 1. c. 4.

Sophronius in Prato spirit. c. 218. narrat duos Religiosos a rustico contumelia appetitos dixisse: *Indulge nobis, quia peccavimus*: qua humilitate motus rusticus eos secutus, monachus effectus est.

S. Lidwina, magnæ sanctitatis in Hollandia virgo, iniuriis, sputis, maledictis appetita, benedictiones et beneficia regerebat, dicens: *Illis ego debere me fateor qui viam mandatorum Dei, quorum plenitudo dilectio est, me currere compellunt.* Eadem Sancta vidit in mentis excessu coronam pretiosissimam, necdum tamen in orbem plane absolutam. Rediens ad se petiit pati pro Christo, ut coronam absolveret. Mox in Ducis Philippi apud Hollandos inauguratione, milites eius Sanctam adierunt, vexaruntque mire, quin et virgineum eius corpus ac morbidum indignis modis sine pudore contrectarunt, vulnera vulneribus cumularunt, addiderunt convicia, vocantes eam bestiam, prostibulum, voracem, etc. Angelus deinde ad eam venit instar solis splendidus aitque ad eam: *Salve charissima soror. Ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti. Propter inverecundos tactus virorum illorum, noveris te positam fuisse in vestigiis Salvatoris. Ludibria et vulnera corpori tuo imposita, fuere gemmæ, quas in illa corona et adesse vidisti et deesse.* Ita habet eius Vita.

Coronam S. Ludwinæ perfecit passio.

S. Dominicus cum Albigensibus, non tam disputatione, quam vitæ sanctitate et iniuriarium ab eis illatarum miti tolerantia, certandum censuit, eaque multos eorum convertit.

S. Elisabeth ærumnas præfert delitiis.

S. Elisabeth, mortuo Thuringiæ principe marito suo, ab eius propinquis domo eiecta cum liberis, inops, vaga, ærumnis obruta, et ab iis, in quos beneficia contulerat, contempta; ita omnia forti animo lætoque sustinuit, ut cum a patre rege in Pannoniam accerseretur, redire nollet, ne patientiam et humilitatem, quam in miseriis invenerat, inter regales delicias amitteret, virtutem hanc thesauris omnibus habens pretiosiorem.

Agni sunt Martyres. Exempla.

Vis agnos in martyrio et Christi Martyris asseclas?

Anno Domini 44. cum S. Iacobus frater S. Ioannis a quodam protractus esset in iudicium coram Herode, liberè testimonium Christo perhibuit; quod cernens ille qui eum protraxerat, se Christianum esse professus est. Igitur ambobus una ad supplicium ductis, hic a S. Iacobo veniam postulavit. Cui Iacobus, *Pax tibi*; illumque osculatus est, et sic uterque securi percussus, quasi agnus martyrio consummatus est. Ita Eusebius l. 2. histor. c. 8. et ex eo Baron.

S. Ignatius Traiani persecutione ad bestias damnatus, cum Romam vinctus mitteretur, et iam Smyrnam pervenisset, ad Romanos, qui fidem receperant, scribens ait: *De Syria usque Romam pugno cum bestiis in mari et in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt, quibus cum benefeceris, peiores fiunt: iniquitas autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt paratæ, quas et oro mihi veloces esse ad interitum, et ad supplicia, et allici ad comedendum me, ne, sicut aliorum, non audeant corpus meum attingere! Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram, ut devorer.* Causam subdit: *Ignoscite mihi, filioli: quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de iis, quæ videntur, desiderans, ut Iesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis dissectio, et omnia tormenta diaboli in me veniant; tantum Christo fruar.* Cumque iam ductus esset in amphitheatrum, et rugientes audiret leones, ait: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Profecto, non fuisset illi tam fervens pro Christo patiendi affectus, si quidquam dulcius esse potuisset, quam frui Christo patiente æque ac resurgente.

S. Eadmundus Angliæ rex et Martyr captus a Duce Northmanniæ, ligatus, flagellatus, illusus, telis et sagittis confixus, ita ut in corpore novo vulneri non esset locus, tandem capite truncatus pro Christi fide: hæc omnia fortiter æque ac leniter sustinuit, lauream que martyrii obtinuit anno Domini 870. Ita Baron.

Ioannes Fischerus Episcopus Roffensis ab Henrico VIII. capite damnatus ob fidei constantiam, ductus ad martyrii locum, hymnum *Te Deum laudamus*, totum sublatis in cælum oculis cantavit: itaque cervices securi submittens, Martyr in cælum evolavit, anno Domini 1534.

Idem Henricus anno Domini 1537. cum Guardianum Franciscanorum Cantuar. eadem de causa cum Fratribus plecti iussisset, ni Pontificem abiurarent; omnes fortiter recusarunt, dicentes, se potius quamlibet mortem subituros, quam id facturos. Itaque Guardianus in scalis sæpius repetens illud Psaltis Ps. 53. 8. *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est*; e scalis deiectus, moxque semivivus in quatuor partes dissectus, gloriosum agonem obiit. Reliqui eadem alacritate ducem suum secuti sunt. Ita habet Histor. Anglic.

Mira Cornelii Musii cruciatus et patientia.

Thomas Bozius lib. 11. de Signis Eccles. c. 1. n. 6. narrat constantiam 32. Martyrum, qui Engolismæ anno Domini 1562. ab hæreticis capti immaniter miris tormentis excarnificati sunt, ac subdit: Sub eadem tempora Delphis Bataviæ urbe Cornelius Musius captus est, et iussu Gulielmi principis Austriaci, sic varie est excruciatus. Altissimæ scalæ manibus vinctis est appensus, ad pedes intolerabile pondus alligatum, ut compages omnes laxarentur: inde ardentibus tædis ambustæ axillæ: mox resupinus constringitur, aqua fervens ori infunditur, eaque totus venter oppletur, qui sic fustibus deinde tunditur, ut ex omnibus corporis foraminibus illa tota efflueret: postea capite deorsum verso, ex duobus pedum maioribus digitis appenditur: inde truncatis manuum pedumque digitis per nivem sanguine proprio cruentatam, in urbem Lugdunum Batavorum raptatur, atque ita demum post tot supplicia laqueo suspenditur. Quæ omnia Martyr silens miti et placido, æque ac generoso animo toleravit. Supersunt adhuc multi, qui hæc eius tormenta oculis spectarunt, in Hollandia sanctumque virum miris laudibus celebrant.

DE ANGUSTIA ET DE IUDICIO SUBLATUS EST.) Ita et Symmachus vertit. Primo, Forer. Hebr. עֹצֶר *otser*, id est, angustia, inquit, coarctatio, compressio, fuit ipsa turba populi se comprimentis: iudicium vero, fuit ipse iudicum consessus, sive ipsi iudices, q. d. Christus ab omnibus ordinibus, puta et a turba et a iudicibus fuit damnatus et occisus. Ipsi enim iudices, puta pontifices, dixerunt: *Reus est mortis*, ipsique suaserunt turbæ, ut coram Pilato clamarent: *Crucifige eum.* Pro *sublatus est*, Forerius vertit, *pertractus est*, scilicet ad supplicium. Secundo, Sanchez, *sublatum est*, inquit, id est, exaltatum in crucem *iudicium* Christi, ut vertunt Septuag. id est, Christus iudicatus: sæpe enim ponuntur abstracta pro con- Vers. 8.

cretis. Tertio, et genuine, est hendyadis: *De angustia et de iudicio*, id est, de angustia iudicii, vel de iudicio angusto, q. d. Christus de iudicio Pilati et pontificum pleno angustiæ, oppressionis et humilitatis, ablatus est ad supplicium crucis. Ita ex Origene Leo Castrius. Septuag. quos sequitur S. Lucas Actor. 8. vers. 32. vertunt: *In humilitate iudicium eius sublatum est.* Videntur legisse מִשְׁפָּט *mispat*, id est indicium, non מִמִּשְׁפָּט *mimmispat*, id est, de iudicio. Aut potius, quia auferri aliquem de iudicio idem est, quod auferri et everti eius iudicium. Sensus est, ait S. Hieron. Christus iudex omnium, iudicii sui non reperit veritatem: nam *in humilitate*, id est, propter Christi humilitatem, abiectionem, et silentium, quo quasi agnus obmutuit, superbi pontifices et Pilatus tumultuarie et iniquissime innocentem condemnarunt. Sic ergo iudicium eius sublatum est, quia non est peracta iuridice Christi causæ cognitio, sine causæ cognitione damnatus est et protractus ad crucem. Ita S. Hieron. Procop. Tertull. lib. contra Iudæos, Chrysost. orat. 3. contra Iudæos. Unde Vatablus vertit: *Absque dilatione et citra iudicium raptus est*, scilicet, ad crucem. Aliter τὸ *sublatus est*, accipiunt iterum S. Hieronym. et Rupertus, q. d. Christus ab angustiis iniqui iudicii, passionis et crucis sublatus est, et victor ascendit ad Patrem.

Generatio Christi quadruplex. I. GENERATIONEM EIUS QUIS ENARRABIT?) Primo, Forer. et Vatabl. per *generationem*, accipiunt sæculum, puta homines et Iudæos sæculi istius; דוֹר *dor* enim Hebræis ætatem seu sæculum significat, itaque vocatur a successione et volubilitate, quod ætas ætati, et sæculum sæculo succedat, ut circulum videantur conficere. Dicitur autem tam de tempore, quam de hominibus illius temporis, et omnibus rebus quæ illo spatio fiunt et eveniunt, q. d. Quis explicet pravitatem Iudæorum, Pilati, et militum illius sæculi. qui Christum ita illudent, flagellabunt, crucifigent? Hic sensus satis congruit præcedentibus: explicat enim iudicium, de quo dixit: *De angustia et de iudicio sublatus est.* Rursum Latinum *generatio*, æque ac Græcum γενεά, et Hebræum *dor*, sæpe metonymice significat homines illius ævi aut sæculi.

II. Secundo, Lyran. Carthus. et alii, per *generationem* accipiunt proles et progeniem Christi puta Christianos qui per omnia sæcula propagantur. Hebr. enim *dor* proprie est series, vel temporis, vel hominum et posterorum, puta certa successio, seu revolutio tum temporum, tum hominum successive nascentium, seque et posteritatem ordine certo propagantium. Unde *dor* vocatur sphæra, sive globus et pila a revolutione. Et a *dor* aliqui deducunt verbum *duro*: est enim *dor* duratio successiva. Huic expositioni favet id, quod sequitur: *Quia abscissus est de terra viventium*; et inferius: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, q. d. Iudæi conati sunt succidere Christum, eiusque nomen et stirpem, at frustra: Deus enim illi dabit generationem et progeniem numerosam per omnia sæcula, videbitque ipse semen suum longævum, imo æternum. Rursum Christus habuit *dor*, ætatem vitamque brevem, et in ipso ætatis flore sublatus est: at moriens reliquit illustrem sobolem, quæ ipsius nomen et stirpem per totum orbem, perque omnia sæcula propagabit. A Christo enim cœpit nova ætas, novum et aureum sæculum. Unde ipse ab Isaia cap. 9. vocatur *pater futuri sæculi.*

Dor est duratio.

Christus est pater novi et aurei sæculi.

III. Tertio, communiter Patres accipiunt hunc locum de generatione Christi, vel humana, ut S. Athanas. l. de Incarnat. Verbi, Iustin. q. 67. ad orthodoxos, Tertull. contra Iudæos c. 13. vel divina, ut S. Basil. l. 1. contra Eunomium, Iustin. contra Tryphon. Chrys. l. 1. de Incomprehensibili Dei natura, et alii plures; vel de utraque, ut S. August. hom. 36. inter 50. Hieron. Procop. Cyrill. et alii. Licet enim Hebr. *dor* proprie non significet generationem, id est actum generandi aut nativitatem; significat tamen ætatem alicuius, et seriem generationis, qua quis ex patre aut matre suo tempore nascitur, eique succedit. Propheta ergo contemplans probra et dolores Christi, simulque contemplans eius personam et dignitatem, rapitur, et admirabundus exclamat: *Generationem eius quis enarrabit?* Quomodo cruciatis eum, o Iudæi? quomodo tam dira patietur Christus, cuius ætas ac series ortus et vitæ est ineffabilis? Si enim eum ut Deum spectes, eius ætas est æternitas: ab æterno enim genuit et produxit eum Pater: Patri ergo est coæternus. Sin spectes eum ut hominem, ætas eius, qua propagatus fuit, quaque ex matre in mundum prodiit, fuit nova et admirabilis: natus enim et conceptus est in fine sæculorum ex Virgine, operante Spiritu sancto. Rursum, natus univit Verbo hypostatice humanam naturam: quæ unio est insolubilis et æterna; *Quod* enim *Deus coniunxit, homo non separet.* Quomodo ergo *de angustia et de iudicio sublatus est?* Quomodo *abscissus est de terra viventium?* Hic sensus uti communis Patrum, ita sublimior et divinior est. Quocirca Tertull. l. contra Iudæos c. 13. et alibi legit, *nativitatem eius quis enarrabit?*

Denique Rupertus per *generationem* accipit sæculum futurum, quo Christus resurgens vivit vivetque gloriosus in cælo per omnem æternitatem. Hic sensus potius anagogicus est, quam litteralis. IV.

QUIA ABSCISSUS EST (instar arboris succisæ, imo eradicatæ, cui eum comparavit v. 2.) DE TERRA VIVENTIUM.) Τὸ *quia*, si primum et magis secundum sensum iam datum spectes, est causale, q. d. Ideo Christus dabit generationem, id est, sobolem numerosam et inexplicabilem, quia abscissus est de terra. Sicut enim granum mortuum fructificat, et se multiplicat, et sicut arbor succisa in plures surculos repullulat: ita Christus moriens plures Christianos ex se proseminavit. Sin tertium sensum Patrum sequaris, τὸ *quia* non est causale, sed exegeticum et emphaticum, significans *qui tamen*, q. d. Christi generatio divina et humana est æterna et ineffabilis, qui tamen succisus est: licet Christus sit æternus, tamen abscissus est de vita et terra.

Sublata est, ait S. Hieron. *vita Christi de terra, ut nequaquam in terra, sed in cælo viveret.* Sic et S. August. Origen. et ex iis Leo Castrius τὸ *abscissus est*, referunt ad resurrectionem et ascensionem Christi in cælum. Hoc anagogicum potius est quam litterale, uti dixi.

PROPTER SCELUS POPULI MEI PERCUSSI (Iudæis percutiendum obieci) EUM.) Sunt verba Patris de Christo filio. Septuag. vertunt: *Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.* Iniquitates ergo nostræ fuerunt lictores et carnifices Christi. Nota: Septuag. legerunt נגע למות *nugga lamut*, id est, *percussus* (vel נגד *nuggad*, id est, *ductus est ad mortem.* Noster melius legit, נגע למו *nega lamo*, id est *percussio est ei*, hoc est, *percussi eum.* Pro *eum*, hebr. est למו *lamo*, id est *eos*: quod Iudæi sic intelligunt, q. d. Propter scelera Christianorum percussi Iudæos. Putant enim Iudæi se exsilium omniaque hæc tam dura et diuturna pati, ob peccata Christianorum, præsertim ob eorum odia quibus Iudæos subigunt et affligunt. Unde ipsi totum hoc caput de afflictionibus, non Christi, sed Iudæorum interpretantur. Iudæis favet Calvinus. De quo vide nostrum Lessium in Antichristo. Merito ergo Hunnius scripsit librum hoc titulo: *Calvinus Iudaizans.* Verum omnia præcedentia sunt singularia non pluralia, certamque personam, scilicet Christum, significant, non Iudæos. Vide Galatin. l. 8. c. 15.

Respondeo ergo, *lamo* poni pro לו *lo*, id est *eum*: sic enim accipitur c. 44. 15. Psal. 28. 8. et alibi. Ita et hic accipi debere patet, tum ex præcedentibus, tum ex Septuag. Chaldæo Vatabl. et aliis, qui æque ut Noster vertunt, *eum.* Unde aliqui suspicantur Iudæos, hunc locum corrupisse ut pro *lo*, scripserint למו *lamo.* Verum etiamsi *lamo* vertamus, *eos* (non *ei*) ut vertit S. Hier. in Comment. Symmach. Theodor. et Forer. nil hic est pro Iudæis, sed contra potius. Nam sensus est, ut recte Forerius et S. Hieron. *Propter scelus populi mei*, id est Iudæorum, quo ausi sunt manus iniicere in Messiam, quem eis redemptorem misi, *percussi eos*, vel ut hebr. est, *plaga est eis*: omnes enim plagæ Iudæorum manant ex eo, quod ipsi Christum suum et nostrum occiderunt.

Vers. 9. ET DABIT IMPIOS PRO SEPULTURA, ET DIVITEM PRO MORTE SUA.) Primo, Procop. et S. August. hom. 36. inter 50. tom. 10. sic explicant, q. d. *Impios*, scilicet milites, dabit Pilatus ad sepulturam Christi, scilicet pro custodia sepulcri eius. Rursum Caiphas *dabit divites*, scilicet Iudæos, qui suis pecuniis corrumpant milites hosce custodes, *pro morte sua*, ne scilicet fateantur eum a morte surrexisse, sed mortuum furto a discipulis esse sublatum mentiantur. Hæc enim omnia spectant passionem Christi, narrantque ea quæ Christus passus est, tam post mortem, quam ante.

Secundo, Vatablus, Forer. et Pagninus ex Hebræo sic vertunt: *Dedit cum impiis sepulcrum eius, et cum divite in mortibus eius*, sicque explicant, q. d. Morietur Christus in monte Calvariæ, ubi de impiis tantum solet sumi supplicium; at mortuus deferetur a divite Ioseph in sepulcrum eius, in quod recondetur. Verum, sic potius dicendum fuisset: *Dedit cum impiis mortem eius, et cum divite sepulcrum eius*: iam autem e converso sepulcrum iungit cum impiis, mortem cum divite.

Tertio, perperam vertit Marloratus: *Et exposuit impiis sepulcrum eius, et diviti mortem eius*, sicque exponit, q. d. Christus inter scelestas et sanguinarias Iudæorum manus obrutus fuit, et quasi sepultus. Hæ enim manus Christum obruentes metaphorice vocantur sepulcrum. Ita ipse, ut gloriam sepulturæ Christi et Christianorum elidat. Sed frustra: patet enim de sepulcro et sepultura proprie dicta hic agi; itaque exponunt Patres et interpretes Orthodoxi omnes.

Pro genuino sensu, Nota, hic esse rhythmum Hebræum, in quo posterius hemistichium idem aut pene idem dicit, quod prius: ergo, *dabit impios pro sepultura*, idem est, quod, *dabit divitem pro morte sua. Divitem* enim idem est quod *divites*, ut vertunt Septuag. Iam *dabit*, vel ipse Christus patiens, vel potius, Deus Pater. Hic enim sicut *percussit eum*, id est percuti a Iudæis permisit: sic pariter dabit ei condignam hanc suæ patientiæ mercedem, puta vindictam de suis hostibus Iudæis, aliisque impiis, q. d. Deus Pater dabit hoc præmium Christo, ut regnum hostile peccati, impietatis et impiorum evertat, occidat ac secum sepeliat, eo quod ipse ab eis iniuste occisus et sepultus sit. *Dabit* autem dissimiliter, ideoque dupliciter. Nam primo, impios manentes impios et rebelles, eo quod nolent credere et obedire Christo, dabit pro sepultura, etc. quia faciet Deus Pater ut impii et divites, quales fuerunt Iudæi qui Christum occiderunt, huius necis et mortis dent meritas pœnas, tum in excidio per Titum, tum in gehenna. Ita Euseb. lib. 3. Demonstr. c. 2. S. Hier. Cyrill. Procop. Chrysost. Euthym. et ex eis Leo Castrius. Hic sensus congruit ei, quod præcessit: *Propter scelus populi mei plaga erit eis;* uti dixi esse in Hebræo.

Secundo, Deus Pater impios volentes credere et obedire Christo, dabit et subiiciet Christo, ut in eis occidat impietatem, et suscitet iustitiam ac pietatem, itaque occidet impios, transformando eos in pios. Hæc enim est summa, nobilissima et divina Christi vindicta, hocque Christus morte et sepultura sua meruit: illius enim scopus et fructus omnis fuit, ut auferatur peccatum. Rursum, divites ab opum et honorum fastu avocabit, facietque humiles et obsequentes Christo, idque *pro morte sua*, vel *eius*, hoc est, ob meritum mortis eius. Ita S. Hieron. Haymo, Dionys. Adamus, Forerius et alii. Hunc sensum indicant Hebræa: habent enim: *Dabit impios sepulcrum eius*, q. d. Faciet Deus Pater, ut impius et impietas cum Christo sepeliantur, omnisque improbitas in barathrum et infernum retrudatur, ut deinceps hic in terra regnet ipse, eiusque iustitia et sanctitas, ut scilicet nos, omnesque Gentes peccatis et veteri vitæ mortui, in novam, sanctam et Christianam vitam resurgamus. Hoc est, quod ait Paulus Rom. 6. 4. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul et resurrectionis erimus.* Vide ibi dicta.

A ET DIVITEM PRO MORTE SUA.) *Divitem*, id est, *divites*. Ita Septuag. et ex eis Cyrill. Procopius, Chrys. August. Tertull. et alii. Porro S. Hieronym. per *impios*, accipit Gentes infideles, ideoque impias; per *divites*, scilicet in fide et lege, Iudæos, q. d. Deus utrumque populum Iudæorum et Gentium Christo dabit, quasi unam eius Ecclesiam, idque pro merito mortis suæ. Verum simpliciter quivis hic possunt accipi impii, æque ac divites, puta tam ex Gentibus, quam ex Iudæis.

Sed cur Hebræa et Noster habent *divitem* non *divites?* Resp. Quia inter divites notat unum singularem, scilicet Iosephum ab Arimathia, qui Christum in morte conditum aromatibus honorifice in suo sepulcro sepelivit. *Dives enim ille ab Arimathia Ioseph sepelivit pauperem Christum, in quo divitias requirebat*, ait S. August. hom. 36. inter 50. Iosephum hic notari docent cum S. Augustino Vatabl. Forer. et alii passim. Unde Pagnin. vertit: *Dedit cum impiis sepulturam eius, et cum divite inter mortuos suos;* alii: *Posuit apud impios sepulcrum eius, et cum divi-* B *te in morte sua*, q. d. Dives Ioseph Christum in morte sua inter suos mortuos, id est, in suo monumento, sepelivit. Hinc et Arabicus vertit: *Particeps factus est dives in sepelitione eius*, vel *in linteamine sepulturæ eius*: linteo enim solent involvi corpora sepelienda.

Prophetia de Christi sepulcro glorioso,

Forerius vero pro במותיו *bemotav*, id *est pro morte sua legens* במתו *bamato*, id est *excelsum eius*, scilicet sepulcrum, vertit: *Et dedit cum improbis cruciatus eius, et cum divite sepulcrum ipsius: bama* enim significat *excelsum* sive *altare*, sive *sepulcrum:* tale autem fuit Iosephi in quo sepelivit Christum, scilicet novum, in petra excisum, in monte Calvariæ excelso, instar sacelli splendidum, amplum et magnificum: capiebat enim et Christum sepultum, et duos angelos instar virorum, et mulieres. Prædicit ergo hic Propheta, post dolores, dives et gloriosum fore Christi sepulcrum.

Quocirca idem Forerius sequendo lectionem communem *bemotav*, minus recte per *divitem*, accipit Christum, vertitque: C *Dabit divitem in cruciatibus ipsius*, q. d. Deus Christum pauperem et afflictum, per suos ipsius cruciatus et mortem efficiet omnium ditissimum, bonisque omnibus, gaudiis et deliciis affluentem.

Ita pariter Christus suis asseclis et Martyribus nobilia curavit et curat sepulcra. Ita S. Agathæ angeli hoc in sepulcro posuerunt epitaphium in marmore incisum: *Mentem sanctam, spontaneam, Deo honorem, et patriæ liberationem*, q. d. Agatha habuit mentem sanctam, spontanee per martyrium sese offerens Deo, dedit honorem Deo, ac Catanam liberat ab incendiis ex Ætna eructantibus, quoties eius velum illis obtenditur, æque ac morte sua persecutionem Decii Imp. et Quintiani Præsidis stitit et sedavit. Plura recensui c. 11. 10.

Epitaphium S. Agathæ posuerunt angeli.

PRO MORTE SUA). Hebr. est במותיו *bemotav*, id est, *in* vel *pro mortibus eius*, quod Iudæi pro se rapiunt, q. d. In mortibus et cædibus iniustis populi eius, puta Israelis et Iudæorum. Sed respondeo, esse enallagen *pro mortibus*, id est *pro morte eius.* Ita enim vertunt Sept. ἀντὶ D τοῦ θανάτου αὐτοῦ, id est *pro morte eius.* Sic et Chald. et alii: unde forte legendum in Hebr. במתו *bemoto*, expuncta littera *iod*; hoc enim ad verbum est, *in morte sua.* Ut ut legas, patet mortem hic significari Christi, non mortes. Omnia enim præcedentia loquuntur de eodem in singulari, non in plurali.

EO QUOD INIQUITATEM NON FECERIT, NEQUE DOLUS FUERIT IN ORE EIUS.) q. d. Quia neque facto, neque verbo peccavit, quia fuit innocens. Hic dat causam, cur Deus tantam mercedem et vindictam Christo patienti concesserit, nimirum eius innocentiam, sive quod tanta passus sit, cum esset plane insons et innoxius. Huc allusit S. Petrus epist. 1. cap. 2. v. 22. et S. Ioan. epist. 1. c. 3. v. 5.

ET (repete, *eo quod*) DOMINUS VOLUIT CONTERERE EUM IN INFIRMITATE.) Infirmando, affligendo et cruciando eum. Pro *conterere*, hebr. est דכאו *dacheo* id est, exprimere, contundere.

Septuag. contrarie vertunt, scilicet: *Dominus voluit*

eum mundare a plaga, id est, ut Tertull. legit, *eximere a morte*, suscitando eum: vel *mundare*, id est, mundum eum et innocentem ostendere, dum scilicet propter Christi necem ita puniret Iudæos per Titum, inquit Cyrillus, Procop. et Leo Castrius. Videntur Sept. pro *dacheo* legisse נכאו *nacheo*.

Vers. 10. SI POSUERIT PRO PECCATO ANIMAM SUAM.) Id est, seipsum, vel vitam suam. Hebr. est: *Si posuerit* אשם *asciam*, id est, *peccatum, animam suam. Peccatum*, id est, hostiam pro peccato, piaculum. Hostia enim quæ pro peccato peccatoris offerebatur, suscipiebat in se eius peccatum, fiebatque quasi peccatum: uti patet de hirco emissario qui offerebatur in die expiationis, Levit. 16. 21.

Hunc hebraismum imitatus est Apostolus, cum ait: *Eum, qui non noverat peccatum pro nobis peccatum* (id est, peccati piaculum) *fecit ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso*, 2. Cor. 5. 21.

VIDEBIT SEMEN LONGÆVUM.) Hoc est, filios spiritales, puta Christianos plurimos per totum orbem: idque *longævum*, quia durabunt usque ad finem mundi, imo per omnem æternitatem. Huc allusit Christus dicens: *Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum* (semen) *affert*, Ioan. 12. v. 25. In Christo ergo moriente pro nobis nosque ad vitam sua morte suscitante, verum est illud ænigma phœnicis (quod alii tribuunt pellicano, quem dicunt suo sanguine pullos mortuos vivificare)

Parit dum perit;

Et:

Perit dum parit;

Vide hic obedientiæ et mortificationis licet mortem afferentis fœcunditatem. Si obedias Deo eiusque vicariis, si Christi mortificationem in corpore et anima circumferas, ex hoc semine tolles messem vitæ æternæ: nec deerit proles in proximis, quos Deo paries, quæ te lætificet. Hoc est quod ait Christus: *Qui perdiderit animam suam, in vitam æternam custodiet eam.* Ita Procop. Euseb. l. 3. Demonstr. cap. 2. Unde S. August. lib. 1. de Consensu Evang. cap. 31. ex Septuag. sic legit: *Si dederitis vos ob delicta vestra animam vestram, videbitis semen longissimæ vitæ.* Alludit ad Abraham, qui immolans Isaac, ex eo meruit semen numerosum et longævum. Unde et eum in parabolam accepit; Isaac enim morti destinatus, et ab ea per Angelum liberatus, itaque quasi resurgens, fuit quasi phœnix, moriendo seipsum resuscitans, hieroglyphicum resurrectionis et æternitatis, uti dixi Hebr. 11. v. 19.

Christus ut Isaac est phœnix.

VOLUNTAS DOMINI (hebr. חפץ *chephets*, id est, beneplacitum, benevolentia, consilium Domini circa hominum redemptionem et salutem, quam Septuag. et ex eis S. Paulus, vocant εὐδοκίαν) IN MANU EIUS, id est per eum, puta Christum, DIRIGETUR.) Hebr. יצלח *itslach*, id est, prosperabitur, feliciter cadet. Domini enim voluntas cassa esse nequit: quare per Christum curabit efficaciter omnium Gentium salutem, quam ita sitit et ardet, ut pro ea Filium unigenitum dederit in mortem, et mortem crucis. Hoc est *semen longævum*, quod nominavit. Rursum, *voluntas Domini in manu eius dirigetur, id est, quidquid circa homines in vitam æternam supernaturaliter perducendos fieri constituit Deus, meritis Christi executioni mandabitur* inquit Lud. Molina 1.p.q.23. art.4. et 5.disp. 2. Unde S. Hieronymus: *Voluntas*, inquit, *Domini in manu eius dirigetur, ut quidquid Pater voluit, illius virtutibus impleatur;* et paulo inferius subdit: *Quia laboravit videbit Ecclesias in toto orbe consurgere, et earum saturabitur fide;* et infra: *Vult ei Dominus ostendere lucem, ut omnes per se videat illuminatos.*

Christus meruit executionem omnis prædestinationis Dei.

Vers. 11. PRO EO QUOD LABORAVIT, clare vertit Vatablus *ex labore* (sudore et dolore) *animæ suæ*, VIDEBIT (id est, percipiet fructum, quo) ET SATURABITUR.) q. d. Iucundissime videbit et intuebitur Christus fructum ex suo labore perceptum, videlicet, tot animarum salutem et messem, eoque saturabitur. Hunc enim unum esuriit et sitiit vivens et moriens. Unde in cruce exclamavit: *Sitio.*

IN SCIENTIA SUA IUSTIFICABIT IPSE IUSTUS SERVUS MEUS MULTOS.) *Scientia*, hæc dupliciter accipi potest: primo, active, q. d. Christus per suam scientiam, id est per suam doctrinam, prædicationem et Evangelium multos iustificabit, id est, docebit et ostendet viam ad iustitiam. Secundo, passive, q. d. Christus per sui cognitionem et fidem, non nudam, sed charitate formatam et bonis operibus instructam, iustificabit multos. Ita Vatabl. et Sanchez. Huc allusit S. Paulus Roman. cap. 3. 26. dicens: *Ut sit ipse iustus, et iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.*

Hisce ergo verbis et præcedentibus, continetur pactum, seu promissio Dei ad Christum, qua pollicetur se acceptaturum eius opera, labores, passionem et mortem, pro redemptione hominum. Unde patet, Christo ex iustitia debitam fuisse nostram gratiam et gloriam. Ita Franciscus Suarez 3. p. q. 1. art. 2. disp. 4. sect. 5.

Pactum Dei cum Christo de nostra gratia et gloria.

S. Clemens l. 3. Constit. Apost. c. 19. aliter legit, nimirum: *Iustificavit iustum bene servientem multis.* Unde docet ad exemplum Christi, de quo hoc dictum est, debere diaconos ministrare et servire omnibus infirmis; et diaconissas infirmis fœminis, etiam cum periculo mortis.

ET INIQUITATES (pœnas iniquitatibus debitas) EORUM IPSE PORTABIT.) Sicut baiulus onus et pondus alterius, suis humeris baiulat. Hoc enim est סבל *sabal*. To *et* est causale: significat enim causam et modum iustificandi Christi, scilicet, quod ex parte sua portaverit ipse iniquitates nostras, merueritque nobis iustitiam ex parte vero nostra requirat fidem, qua credamus eum hoc fecisse, nosque per eius passionem et merita iustificari. Hæc est scientia sanctorum, quæ eos iustificat.

Tropologice S. Clemens lib. 2. Constit. Apost. cap. 25. ex hoc loco docet, Episcopum instar Christi debere subditorum peccata sua facere, eaque portando expiare: *Vos*, inquit, *Episcopi* (et pastores) *estis vestris laicis Prophetæ, principes, duces, reges, mediatores Dei et fidelium eius, receptacula verbi Dei, et præcones eius, cognitores Scripturarum, et Deisoni, ac testificatores voluntatis eius, qui delicta omnium portatis, et de omnibus rationem reddituri estis, etc. Imitatores enim Christi Domini, ut, sicut ille nostra omnium peccata in ligno crucis tulit crucifixus absque ulla culpa et macula pro iis qui supplicio digni erant, sic etiam vos populi delicta vobis attribuere, et vestra ducere debeatis. Dictum est enim de Salvatore nostro apud Isaiam: Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolet. Et rursus: Ipse peccata multorum tulit, et propter iniquitates multorum traditus est.*

ET FORTIUM DIVIDET SPOLIA.) Primo, *fortium*, id est, dæmonum, qui sunt potestates et principes tenebrarum harum. *Spolia*, scilicet Gentes infideles et impias. Christus inter Apostolos dividet, ab eisque conversas per Ecclesias, Episcopatus et diœceses distribuet. Ita Leo Castrius. Vers. 12.

Secundo, *fortium*, id est, potentium regum, principum et Gentium, *spolia dividet*, id est, eos sibi, suæque fidei et obedientiæ subiget. Est catachresis a duce belli, qui parta victoria solet hostium spolia inter milites pro meritis distribuere.

Tertio, S. Cyrillus l. 6. Thesauri c. 5. Christus, inquit, dividet præmia fortibus, id est, Sanctis, qui fortiter pro eo, eiusque regno propagando certarunt.

Denique S. August. l. 1. de Consensu Evangel. c. 31. per *spolia* accipit opes, quas diabolo et delubris idolorum eripuit Christus, ac fabricis ecclesiarum attribuit. Ita videmus hic Romæ Pantheon, columnas, marmora et quidquid in orbe erat augustum et splendidum, a Constantino et aliis, templis SS. Petri et Pauli, et aliorum donata esse et attributa. Sane templa Romæ quæ quamplurima sunt, omnia pene sunt marmorea, itaque nitent et fulgent, ut cæli speciem referant et repræsentent.

ET CUM SCELERATIS REPUTATUS EST.) Quia pependit medius inter duos latrones, quasi eorum dux et coryphæus. Ita explicat S. Marcus c. 15. v. 28. Ob hanc infamem ignominiam, Deus rependit illi hanc gloriam, ut fortium regum et principum spolia dividat. *Reputatus* hebraice מנה *minna*, id est, annumeratus est.

Multorum.) Id est, omnium. Omnes enim sunt multi. **Et pro transgressoribus rogavit.**) Tum alias, tum clamans in cruce: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Pro *rogavit*, hebr. est יַפְגִּיעַ *iaphghia*, id est, *occurrit* iræ Dei, intercessit. Ita Forerius et Vatablus.

Hæc clausula obsignat totum hoc passionis Christi mysterium insigni et admirabili eius charitate, qua sui suorumque dolorum quasi oblitus, pro suis carnificibus et crucifixoribus oravit, atque orando, centurioni et aliis veniam, fidem, gratiam, et salutem impetravit. Docuit hic Christus nos in bono vincere malum, diligere inimicos, certare beneficiis cum maleficiis; itaque ea superare et obruere, ut ex inimicis faciamus amicos Dei et nostros. Quæ charitatis vindicta, mundo paradoxa, gloriosa est et divina.

Gentium dogma, ulciscendas esse iniurias.

Damnavit ergo hic Christus Philosophos, qui iniuriarum ultionem permittunt aut suadent. Aristoteles enim l. 4. Ethicæ 3. docet: *Arbitrium alterius sequi*, ac consequenter perferre iniuriam, esse servile: atque magnanimum non tolerare contumeliam ab hoste illatam, sed eam maledicto ulcisci. Severi vox est apud Herodian. l. 3. *Uti si auctor sis iniuriæ, iniustus videbere: ita si non ulciscaris iniurias acceptas, ignavus.* Magis impium et antichristianum dogma est Mahometis in Alcorano: *Adeo non malefacit is qui odit inimicum, ut qui eum interficit, is ob idipsum donandus sit paradisi deliciis.* Vespasianus apud Sveton. in Vita eius c. 9. ait: *Non oportere maledici senatoribus, remaledici civile fasque esse.* Et Cicero l. 1. Officiorum, ait: *Virum bonum esse, qui prosit quibus possit, nemini noceat, nisi lacessitus iniuria.* Quod dictum Ciceronis, merito reprehendit Lactant. lib. 6. c. 18. et Plutarchus libr. de Utilitate ab inimicis capienda, ubi docet etiam adversarios et inimicos diligendos esse. Plato Dialogo 1. de Republica refutat eos, qui dicunt vindictam esse licitam. Et Dialogo Crito ait: *Quoniam mala facere, non est aliud quam iniuriam inferre, non oportet alicui*

A *mala facere, etiamsi innumerabilia ab ipso perpessus sis.* Xenophon libr. 2. Cyripædiæ: *Natura*, ait, *canibus, lupis, apris dentes, equis calces, tauris cornua, alia aliis concessit. Homini autem nulla arma præter rationem dedit, qua se defendat, et repellat iniurias.* Aristippo nescio quid offensionis cum Æschine inciderat: unde ei quidam ingessit: *Ubi nunc est amicitia vestra?* Cui ille: *Dormit*, inquit, *sed ego suscitabo eam;* adiitque Æschinem, eique dixit: *Adeone tibi videor infelix et insanabilis, ut ne moneri quidem merear abs te?* Cui Æschines: *Non mirum*, ait, *si cum in omnibus me præcellas ingenio, hic quoque prior videris, quid esset facto opus.* Testis est Epictetus Enchirid. c. 48. vel, ut alii habent, c. 44. Verum hi nihili sunt, si cum Paulis, Stephanis, Ignatiis, aliisque Christianis athletis conferantur.

Denique hinc infert S. Bernard. serm. feriæ 4. hebdomadæ pœnosæ: *Proinde memor ero, quamdiu fuero, laborum illorum, quos pertulit* (Christus) *in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando,* B *vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum eius, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ per eum, et super eum abundantius transierunt. Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo: sed si accesserit etiam imitatio ut sequar vestigia eius, alioquin etiam exquiretur a me sanguis iustus qui effusus est super terram.* Et S. August. lib. de Virg. *Inspice*, inquit, *vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate, hæc in statera vestri cordis appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.* Eadem pene ad verbum habet S. Bern. ser. 31. de passione Domini, super illud *Ego sum vitis vera;* eaque transcripsit ex S. Augustino, uti ibidem notatur in margine.

CAPUT QUINQUAGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Excitat Ecclesiam primitivam pusillam ad laudem et iubilum, promittens ei, antea sterili, numerosam et gloriosam prolem, eo quod Deus eius derelictæ et repudiatæ miserebitur, eamque rursum sibi coniugio copulabit. Unde v. 8. novum et perenne fœdus cum ea init, illudque iuramento firmat, quo promittit ei opes solidas, consolationem, splendorem et gloriam, asseritque quod fundabit eam in sapphiris, aliisque gemmis, quodque omnes eius filii erunt docti a Domino, et plena pace fruentur. Tertio, v. 14. ait quod fundabit eam in iustitia, atque ab omni calumnia et fraude, æque ac vi, et hoste eam tutabitur.

1. Lauda sterilis quæ non paris: decanta laudem, et hinni quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ
magis quam eius quæ habet virum, dicit Dominus. 2. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculo-
rum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. 3 Ad dexteram
enim et ad lævam penetrabis: et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit. 4 Noli time-
re, quia non confunderis, neque erubesces: non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris,
et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius. 5. Quia dominabitur tui qui fecit te. Dominus exercituum
nomen eius: et redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. 6. Quia ut mulierem derelictam et
mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abiectam, dixit Deus tuus. 7. Ad punctum in
modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. 8. In momento indignationis abscondi faciem
meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redemptor tuus Dominus. 9. Sicut in
diebus Noe istud mihi est, cui iuravi ne inducerem aquas Noe ultra supra terram: sic iuravi ut non irascar tibi, et
non increpem te. 10. Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent: misericordia autem mea non rece-
det a te, et fœdus pacis meæ non movebitur: dixit miserator tuus Dominus. 11. Paupercula tempestate convul-
sa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, 12. Et po-
nam iaspidem propugnacula tua: et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desidera-
biles: 13. Universos filios tuos doctos a Domino; et multitudinem pacis filiis tuis. 14. Et in iustitia fundabe-
ris: recede procul a calumnia, quia non timebis, et a pavore: quia non appropinquabit tibi. 15. Ecce accola
veniet, qui non erat mecum, advena quondam tuus adiungetur tibi. 16. Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne
prunas, et proferentem vas in opus suum, et ego creavi interfectorem ad disperdendum. 17. Omne vas, quod
fictum est contra te, non dirigetur: et omnem linguam resistentem tibi in iudicio, iudicabis. Hæc est hæreditas
servorum Domini: et iustitia eorum apud me, dicit Dominus.

Vers. 1. LAUDA, STERILIS, QUÆ NON PARIS.) S. Thom. et Hugo hoc accipiunt de Ierusalem terrena, id est, de Iudæis in Babylone captivis: illis enim promitti reditum, rerum copiam et copiosam prolem. Iudæi post Christum hæc eadem ex hoc loco sibi promittunt in adventu sui Messiæ. Secundo, Chiliastæ et Millenarii, quorum parens fuit Papias discipulus S. Ioan. hæc accipiunt de mille annis felicitatis, quibus ipsi putant sanctos post diem iudicii regnaturos cum Christo hic in terra, omnibusque eius deliciis fruituros. uti testatur S. Hieron. Tertio, Forer. censet hic agi de Ierusalem cælesti ex Apostolo Galat. 4. 26. ubi ait, quod Ierusalem cælestis sit mater nostra, quam S. Ioan. Apoc. 21. 2. vocat civitatem novam de cælo descendentem, in qua omnia sunt cælestia, muri, domus, cives, ritus, leges, mores, sicut rex ipse cælestis est, qui de cælo descendit, et regnum cæli in terra fundavit, et ex terra et cælo unum regnum effecit. Hoc anagogice verum est, non litteraliter, nisi quatenus Ecclesia militans a Ioan. Apoc. 21. et aliis vocatur Ierusalem cælestis ob causam a Forerio iam dictam.

Quocirca dico, ad litteram Isaiam hic alloqui Ecclesiam Christi, tum ex Iudæis, tum potius ex Gentibus congregandam. Hæc enim initio exigua erat, et quasi sterilis respectu Synagogæ. Rursum Gentilitas ante Christum sterilis erat, et deserta a Deo, fide, gratia, filiis, fidelibus et sanctis; sed per Christum, hisce omnibus fœcundata est magis quam Synagoga, quæ iam diu habuerat virum, scilicet Deum. Ita hunc locum explicat Apostolus Galat. 4. v. 27. Vide ibi dicta.

Nota: Propheta hic explicat semen illud longævum natum ex grano mortificato, id est, ex Christo crucifixo, de quo egit cap. præced. v. 10. Ita S. August. l. 1. de Consensu Evang. c. 13.

Pulchre S. Ambr. lib. de Virginibus: *Sancta*, ait, *Ecclesia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo est castitate, mater est prole. Nutrit vos virgo non corporis lacte, sed lacte Apostolorum. Virgo est Sacramentis, et virtutibus; mater est populis, cuius fœcunditatem Scriptura testatur, quoniam plures filii desertæ, quam eius quæ habet virum. Nostra virum non habet, sponsum habet. Habet sponsum sanæ doctrinæ; Verbo, sine ullo flexu pudoris, quasi sponso innubit æterno.*

HINNI, QUÆ NON PARIEBAS.) q. d. Gaude ad similitudinem hinnientis equæ, cum equo ac suæ proli et equulo adhinnit, præsertim parta aliqua victoria. Ita S. Hieronymus. Est catachresis. Hinnitus enim equæ, hilaritatem, profusam lætitiam, iubilum et triumphum Ecclesiæ significat.

MULTI FILII DESERTÆ.) q. d. Ecclesia plures dabit filios Deo quam Synagoga. Alludit ad Saram et Agar; Sara enim Ecclesiæ, Agar Synagogæ fuit typus. Dicitur Sara *deserta*, quia cum videret ex se non esse spem prolis, pro se ancillam suam Agar viro substituit; unde ipsa copula viri abstinens, ut patet Genes. 15. 13. ab eo videbatur deserta.

Vers 2. *Ecclesia habitat hic in tabernaculis quasi hospes.*

DILATA LOCUM TENTORII TUI.) Notat S. Hieron. in voce tentorii ac tabernaculi, alludi ad tabernaculum Mosis factum in Sina. Hoc enim quasi mobile Dei templum, erat typus Ecclesiæ et templorum Christi. Secundo, fideles, habitantes in Ecclesia terrestri, non habere hic firmam domum, sed quasi hospites et viatores degere in ea quasi in tabernaculo; ac tendere ad domum æternam paratam in cælis. Ecclesia ergo hic tota habitat in tabernaculis quasi advena, et transiens in cælum, quasi domum et sedem suam.

NE PARCAS labori aut sumptui, sed omni studio et sumptu LONGOS FAC FUNICULOS TUOS, ut tam numerosam sobolem tibi obventuram tabernaculo tuo excipias, q. d. Tot succrescent tibi filii fideles, ut locum et templa ad eos congregandos dilatare et ampliare ac plura ædificare debeas. CLAVOS TUOS CONSOLIDA.) Quia usque ad finem mundi, imo in æternum duratura es. Hi enim imperativi, *fac*, *consolida*, significant futurum, Deum scilicet dilataturum per omnes gentes et provincias, et soli-

A daturum Ecclesiam in perpetuum, cum Synagogam sola Iudæa concluserit, et post modicum tempus abstulerit et abrogarit. Hoc est enim quod de ea ait Ieremias Thren. 2. 6. *Dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum.*

AD DEXTERAM ENIM ET AD LÆVAM (ad Orientem et Vers. 3. ad Occidentem, id est, quaquaversum per omnes mundi plagas) PENETRABIS.) Hebr. תפרצי *tiphrotsi*, id est irrumpes, perrumpes, vi, zelo et multitudine tuorum filiorum instar militum, qui in quasvis hostium regiones, etiam munitissimas irrumpunt, aut instar seminis, vel arboris et radicis, v. g. palmæ, quæ quaquaversum sese potenter diffundit et radicat, ideoque tantumdem pariter sursum excrescit et diffundit, atque firma et immota consistit.

ET SEMEN TUUM (filii tui, puta Apostoli et viri Apostolici aliique fideles) GENTES HÆREDITABIT.) Gentes subiget et possidebit, firmiter et secure instar hæreditatis. Alludit ad illud, quod Deus Abrahæ promisit Genes.
B c. 22. vers. 17. *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Hoc enim semen carnale Abrahæ, fuit typus huius seminis spiritualis, Christi et Ecclesiæ.

ET CIVITATES DESERTAS.) A Deo, fide, lege, gratia et salute, quales olim fuerunt omnes extra Iudæam et nunc sunt in India, Iaponia, Mexico, etc. quas quotidie fide Christi magis magisque illustrari, et fidelibus augeri audimus et gaudemus.

INHABITABIT.) Tum quia viri Apostolici ibi domos, templa et aras figent; tum quia incolæ ab eis convertentur, fientque Christiani, et semen, id est filii Ecclesiæ, q. d. Prædicatione filiorum tuorum, o Ecclesia, filios, id est Gentes fideles, habebis in urbibus desertis, hoc est, infidelibus. Ita Vatablus.

QUIA CONFUSIONIS ADOLESCENTIÆ TUÆ OBLIVISCERIS, ET OPPROBRII VIDUITATIS TUÆ NON RECORDABERIS.) Vers. 4. Ecclesia constat Iudæis et Gentibus. Iudæorum *adolescentia* fuit tempore Mosis, sub quo cœpit et crevit Synago-
C ga. *Confusio* fuit adoratio vituli aurei, aliaque eorum scelera tum in Ægypto, tum in deserto. *Viduitas* fuit in captivitate Babylonica, de qua dicitur Threnor. 1. 1. *Facta est quasi vidua domina Gentium.* Gentium vero adolescentia fuit secunda ætas mundi, scilicet, quæ fuit paulo post Noe, imo sub Noe (unde et eius meminit vers. 9.) tempore Abrahæ (Noe enim vidit Abraham) et deinceps. In Noe enim pactum iniit Deus cum omnibus Gentibus Genes. 9. 9. sed paulo post Gentes a Deo defluxerunt ad idola, et ex omnibus unum Abraham cum sua familia elegit sibi Deus in populum. Nam Noe mortuus est, cum Abraham esset quinquaginta annorum, cumque mundus idololatria et impietate esset plenus. Unde Deus ex ea ad sui cultum evocavit Abrahamum, cum ipse 75. esset annorum. Quocirca pro *adolescentiæ* hebr. est עלמים *alumim* id est *absconsionum*, quia עלמה *alma*, est adolescentula innupta et virgo, a viro domi abscondita. Sic et Gentilitas infidelis quasi innupta, a Deo se abscondebat, et latebras quærebat, in quibus suas superstitiones, sordes
D et scelera tegeret et absconderet. Totum ergo Gentilitatis tempus ante Christum, vocatur adolescentia, sive virginitas et absconsio, quia ipsa respectu Dei Ecclesiæ sponsi, erat quasi puella vaga et innupta (sic enim adolescentes vocamus eos, qui non sunt coniugati, etiamsi sint grandævi) et quia ipsa in tenebris infidelitatis et pudendorum criminum se abdebat et abscondebat.

Adolescentia et viduitas Gentium quæ et quando.

Secundo, hoc idem est tempus viduitatis Gentium. Populus enim Gentium statim in adolescentia, id est, statim post ortum sui in Noe, factus est viduus, id est sine Deo, et defluxit ad idola et vitia. Si ergo spectes eum, uti in Noe parente suo copulatus fuerat a Deo, factus est viduus: sin spectes eum, ut a fide Noe descivit, utque quasi alius cœpit esse gentilismi populus, fuit ipse quasi adolescentulus innuptus et virgo. Ab ortu ergo gentilismi Gentilitas sive populus Gentilium, fuit virgo. Porro hoc tempus vocat *opprobrium viduitatis*, tum quia in illo, ob scelera, a Deo desertus, et instar viduæ derelictus fuit

*

Gentium populus; unde v. 6. vocat eum *uxorem abiectam* id est repudiatam, tum quia filiorum spiritualium, id est fidelium, erat sterilis. Sterilitas enim apud Iudæos et Gentes erat probrum: *Opprobrium* ergo *viduitatis*, est opprobrium sterilitatis. Significat itaque Propheta, quod Christus gentilitatem ita derelictam, et ab adolescentia a Deo abiectam, ac repudiatam, ad se vocarit, sibique quasi sponsam copularit, ac generosa sobole fœcundam effecerit. Ita ut ipsa iam felix, læta et gloriosa, prioris sterilitatis et opprobrii prorsus obliviscatur. Ita Forer. Sanchez et alii.

Vers. 5. QUIA DOMINABITUR TUI QUI FECIT TE, DOMINUS EXERCITUUM NOMEN EIUS.) *Dominabitur*, id est maritabit te, te quasi uxorem matrimonio sibi copulabit, ille ipse, qui est Dominus exercituum et dominus universæ terræ, quam proinde tibi æque ac sibi subiiciet; te, inquam, quæ eras innupta, vidua et derelicta. Agitur enim hic de matrimonio Dei et Christi cum Ecclesia, et hoc significat Hebr. בעל *baal*, scilicet tam maritum quam dominum; maritus enim est quasi dominus uxoris suæ. Unde Vatablus et Forer. vertunt: *Quia maritus tuus erit qui fecit te, Iehova sabaoth nomen eius.* Ita Sara Abraham maritum vocat *dominum*, Gen. 18. 12. Sic S. Natalia uxor S. Adriani Martyris, cum dominum vocabat, ut patet ex eius Vita. Nam lex naturæ est, quam fœminæ sancit Deus, Genes. 3. 16. *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Unde S. August. asserit et citatur in cap. *Caput*, in fine, 33. q. 5. *Fœminas viris suis servire communi lege naturæ* Et Apostolus 1. Cor. 11. 3. *Omnis*, ait, *viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus.* Et Aristoteles l. 2. Œcon. c. 1. *Existimare*, ait, *debet mulier vere composita, mores viri esse legem vitæ suæ impositam sibi a Deo.* Et Pittacus unus ex septem sapientibus Græciæ: γυναικος αρχε, id est *dominare uxori.* Quin et maritum cum propinquis, apud priscos Romanos, fuisse iudicem uxoris, cum illa famæ aut capitis rea ageretur, docet illa lex Romuli apud Sveton. in Tiberio, c. 15. *Adulterii convictam vir et cognati, uti volent, necanto.* Quocirca S. Ignat. ad Antioch. *Mulieres*, ait, *honorificent viros suos, et non audeant eos proprio nomine vocare;* sed communi, dicendo, *domine mi*, uti Bethsabee David maritum, dominum vocat, et se ancillam eius, 3. Reg. 1. 17.

Maritus est baal, id est dominus uxoris, cur?

Vers. 6. QUIA UT MULIEREM DERELICTAM.) Tο *quia* dat causam, cur vers. præced. dixerit: *Redemptor tuus sanctus Israel*, id est Israelis, q. d. Deus redimet te, quia tu eras ut mulier derelicta et repudiata, ideoque mœrens, et afflicta et miserabilis; ab hoc opprobrio et ærumna Deus redimet et liberabit te, assumendo te in connubium et thori sociam; quia ipse tam misericors est, quam tu misera, imo est ipsa misericordia. Hoc est quod ait S. Leo sermon. 2. de Nativit. *Deus omnipotens et clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinavit Christum in carne venturum; qui natus ex Virgine, violatorem humanæ propaginis incorrupta nativitate damnaret, etc.*

UXOREM AB ADOLESCENTIA ABIECTAM.) Id est repudiatam: hinc eam vocavit paulo ante adolescentulam innuptam et viduam, quia repudiata est quasi innupta et vidua; licet enim habuerit maritum, tamen ab eo statim reiecta, eum habere desiit: quod perinde est, ac si numquam habuisset. Unde vocatur virgo, æque ac vidua. Virgo, quia vix copulata marito; vidua, quia mox ab eo fuit repudiata. Hoc est, quod ait Paulus Ephes. 2. 12. *Eratis illo in tempore sine Christo: alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.*

Vers. 7 AD PUNCTUM IN MODICO DERELIQUI TE, ET IN MISERATIONIBUS MAGNIS CONGREGABO TE.) Nota hic *punctum* vocari tempus bis mille annorum, quod fuit ab Abraham usque ad Christum, quo Gentilitas a Deo fuit derelicta et repudiata, quia respectu æternitatis, qua deinceps Deo coniuncta est, factaque æterna eius uxor, prius tempus est instar puncti, inquit S. Hieron. Frustra ergo Iudæi

A Christo obiiciunt τo *ad punctum.* Nam pariter ipsi cum hæc referunt ad suum Messiam, quem ipsi iam a 1600. annis frustra exspectant, nobis obiicientibus τo *ad punctum*, respondent 1600. annos esse punctum, respectu æternitatis. Itaque hic ipsi sibi cornicum oculos configunt.

Tropologice, S. Ambros. q. d. Ad punctum in hac vita te tentationibus quasi dereliqui, ut æterna corona te afficerem. Unde huc allusisse videtur S. Petrus epist. 1. c. 1. v. 6. cum ait: *In quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus;* et S. Paulus 2. Cor. 4. 17. *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hæ sunt enim miserationes Domini, ut ait hic Isaias, tantæ et tam magnæ, ut obruant omne præteritum ærumnarum tempus, ut illud videatur fuisse instar puncti et momenti. Unde mox aliis verbis idem explicans et inculcans, subdit:

IN MOMENTO INDIGNATIONIS ABSCONDI FACIEM MEAM PAULISPER A TE, ET IN MISERICORDIA SEMPITERNA MISERTUS Vers. 8.
B SUM TUI.) Nota: *Absconsio*, vel aversio faciei Dei, in Script. significat et reipsa adducit omne malum, sicut illuminatio vel ostensio vultus eius, omne bonum. Sicut enim sole absente, vel ob nebulas se abscondente, omnia occupant tenebræ (nam *sol mundi est oculus, per quem videt omnia tellus*) at eo redeunte et se ostendente, omnia apparent lucida, læta et vivida: ita multo magis se res habet in Deo, qui increatus est et immensus orbis sol. Huius solis deliquium inducunt nebulæ, id est peccata nostra, quæ chaos magnum et nubilum inter nos et Deum efficiunt. Ipse enim ex se est lux, perennes emittens radios, quibus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* nos ergo nebula peccatorum nobis illum obtegimus et arcemus, quam ut depelleret, descendit ad nos Christus: ergo factus homo eam depulit, fecitque ut in luce degamus. Quocirca *sicut in die honeste ambulemus*, inquit Forer.

Deus est orbis sol, quem absconduntnebulæ peccati.

Pro *misericordia*, hebr. est חסד *chesed*, id est pietas,
C puta affectus ille tener, benignus et beneficus, quo parentes naturaliter amant proles, quasi viscera sua. Huc allusit S. Paulus ad Titum 3. 4. *Cum benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei; non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Misericordiam hanc vocat *sempiternam*, quia affectum hunc non mutabit aut revocabit Deus, ut Ecclesiam repudiet, aut illi aliam substituat, uti fecit Synagogæ: sed in æternum Ecclesiam quasi sponsam habebit, amabit et proteget. Unde sequitur:

SICUT IN DIEBUS NOE ISTUD MIHI EST.) q. d. Istud Vers. 9.
meum iuramentum et pactum, quod per Christum sanciam cum Gentibus et cum Ecclesia, erit firmum et æternum, sicut pactum initum cum Noe de inhibendo deinceps diluvio, firmum fuit et æternum. Legit Noster בימי *bime*, id est *in diebus;* iam legunt כימי *kime*, id est *quia aquæ.* Unde vertunt, *aquæ Noe hoc mihi erit*, q. d. Videor mihi esse in diebus aquarum Noe, aut ira mea
D erit instar diluvii, quod accidit tempore Noe, inquit Vatabl. Sicut enim ira Dei peccata mundi sub Noe diluvio obruit, ita et Gentiles omnes perdidit et damnavit per Christum. Rursum, sicut Deus iuravit Noe se non amplius perditurum homines diluvio: ita iuravit Christo, se non amplius perditurum Ecclesiam ex Gentibus collectam. Noe et diluvii meminit, primo, quia in Noe cœpit renovatio tam generis humani, quam Ecclesiæ, quam tunc Deus sibi despondit: sed mox ea ad idola et vitia apostatante, eam repudiavit usque ad Christum, quando repudiatam sibi reconciliavit, et novo coniugio astrinxit. Quod ergo cœpit Deus facere Ecclesiæ tempore Noe, hoc restauravit et perfecit tempore Christi.

Secundo, quia Noe reparator generis humani, typus fuit Christi redemptoris; aqua diluvii, baptismatis; arca, Ecclesiæ; iris, crucis Christi. Hæc enim Deum iratum placat. Ita S. Iustinus contra Tryphon. Imo S. Petrus ep. 1. c. 3. v. 20. et 21. Vide dicta Genes. 9. 13.

Noe typus Christi.

UT NON IRASCAR TIBI, ET NON INCREPEM TE.) Ut sci-

licet iratus non perdam te, sicut perdidi orbem diluvio, et Iudæos excidio. Per iram et increpationem ergo intelligit excidium, aut repudium: alioqui enim Deus irascitur Ecclesiæ, cum eam punit, non ut perdat, sed ut purificet, q. d. Faciam ut, sicut aquæ Noe non ultra operuerunt, nec operient terram; sic nec scelerum inundatio (hanc enim significabat diluvium) eamdem obruat, neque mundus iterum ad idola et vitia pristina relabatur; sed ea exsiccet et auferat Christus: quo fiet, ut amplius non irascar tibi, o Ecclesia, nec increpem te, scilicet per diluvium aut excidium te perdendo: iactaberis quidem, uti arca Noe, aquis, id est persecutionibus, sed iis non obrueris.

Vers. 10 Montes enim commovebuntur.) q. d. Citius montes e loco suo transferentur, quam ego desinam tui misereri: aut, esto montes commoveantur, ego tamen non commovebor, non mutabo sententiam, misericordiam, quam tibi promisi tum hic, tum Ierem. 31. 31. non revocabo. Ita S. Hieron.

Vers. 11. Paupercula, tempestate convulsa.) Hebr. סערה *soara*, horribiliter agitata, iactata et prostrata. Est enim *Hophal*, quod significat passionem validam et efficacem, respondentem actioni et iactationi efficaci *Hiphil*. Talis erat Ecclesia ante Christum deserta a Deo; per Christum vero ex paupercula facta est dives et splendida, ex convulsa solida, ex consolationis inope, ea abundans. Hoc enim est quod subdit:

Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos.) Chald. Vatabl. Forer. et alii vertunt, *sternam in stibio lapides tuos*, id est instar stibii, puta, instar mulieris ornatæ, quæ oculos depingit stibio, lapides tuos sculpam, iisque ornabo te, ait S. Hieronym. Hebr. enim פוך *puch*, idem est, quod Latinum *fucus*, puta stibium. Stibium enim est fossile subnigrum instar marmoris, teste Dioscoride l. 5. c. 59. q. d. Sternam pavimentum tuum marmore colorato et fulgido, instar stibii, vel, ut vult Forer. ipsomet stibio. Secundo, melius Septuag. *puch* transferunt, *carbunculum;* hic enim est coloris stibii, ut *puch* idem sit quod affine ei *nophech*. Hinc ipsi vertunt: *Ego præparo tibi carbunculum lapidem tuum*. Unde et Rabbini vertunt: *Quiescere faciam in carbunculo lapides tuos*, id est, substernam lapides ædificii tui carbunculos et sapphiros, q. d. Fundamentum tuum erit e carbunculis et sapphiris splendidum et pretiosum. Possumus enim utrosque hosce lapides, et utrumque verbum, scilicet, *sternam et fundabo*, ad fundamenta referre. Iam Forer. per fundamenta accipit pavimenta: nam fundamentum etiam dicitur, quod est in superficie terræ: tumque iuxta Sept. qui vertunt, *præparabo*, vel sternam, *carbunculum lapides tuos*, sensus erit q. d. Lapides, quibus sternam pavimentum tuum, erunt carbunculi. Solent enim reges et principes pavimenta cubiculorum vel domorum pretioso lapide, ut marmore, insternere: quin et Plinius l. 37. narrat Neronis cubicula unionibus fuisse instrata: sed hæ nimiæ et insolitæ fuerunt Neronis lautitiæ. Unde et Martialis similem subsannans, ait:

Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.

Simili modo Romæ pavimenta, templorum, ut S. Petri, S. Pauli, S. Cæciliæ, et aliorum plurimorum, pretioso et fulgido marmore, alabastro, Pario, etc. strata conspicimus. Significat ergo Propheta, Ecclesiam hæc regum ornamenta, puta sapphiros, iaspides, etc. sibi vindicaturam; sed ita, ut ea, quæ ipsi in annulis et digitis quasi pretiosa gestant, ipsa quasi vilia et exigua sibi substernat et pedibus calcet. Hic sensus congruit Latino, *sternam*.

Verum planius ex Hebræo מרביץ *marbits*, id est, quiescere vel iacere faciam, fundamentum accipias proprie: nam in eo iacent et quiescunt alii lapides. Fundamentum ergo accipe, quod supra terram exstat, in quo ponuntur aliquot ordines lapidum sectorum et politorum ad elegantiam. Nota: Hic et alibi describitur fabrica Ecclesiæ, quasi regiæ, sive basilicæ pulcherrimæ et pretiosissimæ, adeo ut fundamenta eius sint e carbunculis et

A sapphiris; propugnacula, ex iaspide; portæ, ex lapide sculpto, ac reliqua proportionaliter sint e lapidibus pulchris et pretiosis. Quæ omnia symbolice significant, pulcherrima, pretiosissima et solidissima fore charismata Spiritus sancti, virtutes et sacramenta, quæ ei communicabit, quibusque eam instituet et ædificabit Christus. Rursum significat Apostolos, virosque Apostolicos, Sanctosque illustres, qui Ecclesiam vel fundarunt, vel propugnarunt, vel propagarunt, evexerunt, et ornarunt. Hi enim carbunculi fuerunt per charitatem; sapphiri, ob cælestem vitam; iaspides, ob fortitudinem fidei, etc. Hæ enim sunt opes Ecclesiæ spirituales, scilicet potius quam temporales, quibus omnes regum opes excedit. Unde huc alludens Paulus Ephes. 2. v. 19. ait: *Estis cives sanctorum, et domestici Dei: superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Apostolis enim quasi carbunculis, sapphiris, etc. alii fideles et iusti, quasi lapides, licet minus pretiosi, pretiosi tamen, inædificati sunt. Et Christus:

B *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hinc et Zachar. cap. 9. 16. iuxta Septuag. ait: *Lapides sancti volvuntur super terram.* Quinimo S. Ioan. Apoc. 21. 19. fundamenta civitatis sanctæ, id est, Ecclesiæ, asserit esse duodecim lapides pretiosos, eosque duodecim Apostolos denotare asseverat. Ita Cyrillus, Procopius et S. Hieronym.

Audi S. Hieronym. *Carbunculus, qui paratur, sive per ordinem sternitur, videtur mihi ignitus sermo doctrinæ; qui fugato errore tenebrarum, illuminat corda credentium. Hic est, quem unus de Seraphim tulit forcipe comprehensum, ad Isaiæ labia purganda, etc. Porro sapphirus, qui ponitur in fundamentis, cæli habet similitudinem et superioris aeris: qui talis est, ut possit Aristophanicum dicere cum Socrate:* αεροβατω και περιφρονω τον ηλιον, *id est scando aerem, solemque despicio. Sive cum Paulo Apostolo: Nostra autem conversatio in cælis est. Ezechielis quoque Scriptura commemorat, quod locus in quo thronus Dei sit,*

C *sapphiri habeat similitudinem, et gloria Domini in hoc colore consistat, qui portat imaginem supercælestis. Sed et propugnacula urbis Dominicæ, hoc est murorum mœnia, iaspide roborantur qui possunt omnem altitudinem elevantem se contra scientiam Dei destruere atque convincere, et mendacium subiicere veritati. Qui ergo in disputando fortissimus est, et sanctarum Scripturarum testimoniis roboratus, iste propugnaculum Ecclesiæ est.*

Sic sapphirus est, qui mente in cælis versatur, quique Sapphiri, quorum mens est in cælis.
aureis punctis, id est radiis charitatis collucet, et qui scalpi non potest, id est, infractus et invictus est. Vide ca quæ dixi de sapphiro Exod. 24. 10. et Exod. 28. 18.

Denique S. Cyrill. per carbunculum accipit Christum, quia, inquit, *qui in Christum crediderit, non pudefiet:* quod sic probat et explicat. Fideles cum sanguine Christi valde rubeant, quantumcumque opprobriis et iniuriis appetantur, non possunt amplius rubore suffundi, ut confusionem præ se ferant: quia iam per Christi imitationem omnem confusionis ruborem induerunt: sicut is qui ma-

D xime natura est rubicundus, non potest amplius rubore suffundi. Hoc pium est, sed mysticum.

Et ponam iaspidem (Symmachus solus vertit, *char-* Vers. 12.
chedonium, ait S. Hieronym.) propugnacula tua.) Forerius vertit: *Et ponam gagatem fenestras tuas;* Vatabl. *Fenestras tuas e crystallo faciam.* Verum Septuag. vertunt, uti et Noster. Hebr. enim שמשתיך *scimsciotaich*, id est, *solaria*, a שמש *scemes*, id est *sol*, deducitur, neque tam *fenestras*, quæ solis radios admittunt, quam *propugnacula* significat orbicularia, excelsa et radiis solis collucentia, quæ eminus radiantia conspiciuntur, ut videantur esse soles quidam terrestres, unde solaria vocantur. *Iaspidum*, ait S. Hieron. *multa sunt genera: alius enim est smaragdi habens similitudinem, qui reperitur in fontibus Thermodoontis fluminis, et vocatur Grammatias, quo omnia phantasmata fugari autumant. Alius viridior mari, et tinctus quasi floribus; hunc in Phrygiæ monte Ida, et in profundissimis specubus eius nasci referunt, etc.*

Est et alius iaspis nivi et spumæ marinorum fluctuum similis, et clementer quasi misto cruore subrutilans. Hoc diximus, ut universas gratias spirituales in Ecclesiæ propugnaculis cognoscamus; quas qui habuerit vanos timores fugat, et potest cum sponsa dicere: Fratruelis meus candidus et rubicundus.

Symbolice S. Hieron. *Quatuor*, ait, *ordines lapidum Rationali intexti erant Exodi* 28. 17. *Ordo primus habuit sardium, topazium, smaragdum: ordo secundus carbunculum, sapphirum, iaspidem. In quo notandum est, quod ordo secundus lapidum etiam hic ponitur: necdum enim perfecta retinemus, nec ad prima pervenimus.*

Et portas tuas in lapides sculptos.) Est hypallage, q. d. Ponam lapides sculptos in portis tuis: sive faciam portas tuas e lapidibus sculptis. Recte vertit *sculptos*: hoc enim est Hebr. אקדח *cedach*, per *dalet*; unde *Symmachus et Theodotion vertunt* γλυφῆς, *id est sculpturæ; Aquila*, τρυπανισμοῦ, *quod verbum foratarum cælatarumque gemmarum sensum sonat*, ait S. Hieron. in quibus imagines aut emblemata incisa sunt. Ita vita sacerdotis polita et sculpta esse debet, ut in ea quasi expressa videatur vita Christi et Apostolorum. Sacerdos enim est porta Ecclesiæ.

Verum Septuag. Forer. et alii, pro *cedach*, legunt אקרח *cerach*, per *resch*, vertuntque *crystallum*: a rad. enim קרח *carach*, id est *decalvavit*, deducitur diciturque קרח *kerach*, id est *gelu*, eo quod decalvet et quasi lugere faciat folia arborum, et gramina terræ. Inde *kerach*, significat *crystallum*, quæ pellucet ut gelu, imo fit ex gelu, sive humore concreto et conglaciato, si credimus Plinio l. 37. c. 2. Senecæ et aliis, quin et S. Hieron. qui ait: *Vehementissimis Alpium frigoribus, et inaccessis soli speluncis concrescere aquæ dicuntur in crystallum, et tactu quidem lapidem, visu aquam esse. Per quæ ostenditur eos, qui in foribus Ecclesiæ sunt, nulla debere sorde maculari, sed fidei esse purissimæ, et dicere cum Propheta: A mandatis tuis intellexi. Et illud audire: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Crystallus ergo significat quam virtutibus splendere et candicare debeat sacerdos, qui quasi porta alios in Ecclesiam inducit et intromittit. Rursum quam debeat esse humilis æque ac constans, naturamque gratia superans. Crystallus enim ex aqua in lapidem concrescit et durescit. Ita et sacerdos a natura molli et fluida in robur spiritus per gratiam durescat oportet.

Chrystallus græce a gelu, hebr. a calvitie nomen habet.

Chrystalli sunt puri et duri Tropol.

Et omnes terminos tuos (Septuag. vertunt, *muros tuos*) in lapides desiderabiles.) Hebr. *desiderii*, id est speciosos et pretiosos, ideoque desiderabiles. Est hypallage, q. d. Ponam lapides desiderabiles in omnibus terminis tuis, q. d. Undique construam te ex lapidibus pretiosis: nullus in te erit lapis, qui non sit desiderabilis; quocumque te vertes, pretiosa quæque calcabis, et omnium divitiarum abundantia perfrueris. Ita S. Hieronymus. Hi lapides significant omnes fideles et iustos, eorumque virtutes et gratias: simulque innuunt, in terminis urbium et provinciarum Christianarum erigendas e lapide cruces, imagines, altaria, sacella, aliaque Christianæ fidei insignia in titulos, abolitis omnibus idolorum signis et titulis.

Quocirca moraliter S. Gregor. lib. 18. Moral. 19. *Stravit*, ait, *Deus in Ecclesia per ordinem lapides; quia in ea sanctas animas meritorum diversitate distinxit. Fundavit eam in sapphiris, qui scilicet lapides, coloris aerii in se similitudinem tenent; quia robur Ecclesiæ in animabus cælestia appetentibus solidatur. Et quoniam iaspis viridis est coloris, iaspidem propugnacula eius posuit; quia illi contra adversarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione obiecti sunt, qui internis desideriis virentes, nulla teporis reproba ariditate marcescunt.* Subdit deinde de portis: *Portas vero eius posuit in lapides sculptos. Hi quippe portæ sunt Ecclesiæ, per quorum vitam atque doctrinam intrat in eam multitudo credentium. Qui pro eo etiam quod magnis operibus pollent, et id quod loquentes asserunt, viventes ostendunt, non puri, sed sculpti lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem* A *ipsis exprimitur quod egerunt. Ubi omnem quoque Sanctorum numerum generali collectione concludens, subdit; Omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, scilicet, ut subiungit, Universos filios tuos doctos a Domino.*

Universos filios tuos doctos a Domino.) Repete *ponam*. Doctores Ecclesiæ, quasi carbunculos, sapphiros, iaspides et lapides sculpturæ, posuit in fundamento, propugnaculis et portis Ecclesiæ; nunc discipulos eorum, qui eis quasi lapides desiderabiles inædificandi sunt, describit; aitque doctos fore, non tantum ab ipsis exterius, sed et interius a Domino; ut sapientia mens, pace voluntas eorum impleatur, itaque per omnia bonis cælestibus ditentur. Ita explicat Christus Ioan. 6. 44. Nam cum dixisset: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* id probat, subdens v. 45. *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei;* hebr. למודי יהוה *limmude iehovah*, græce διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, id est, *docti a Deo*. Sic sæpe interpres verbalia in *bilis*, accipit pro participio passivo: ut incredibilis, pro incredu- B lus; desperabilis, pro desperatus; persuasibilis, pro persuasus vel persuadens. Erunt autem docti a Deo, quia Deus interius in mente lumen supernaturale intellectui, et pios impulsus voluntati aspirans et immittens eos docebit et persuadebit ea, quæ per vocem externam Christus, eiusque discipuli eis proponent. Opponit Christianos Iudæis. Hi enim exterius magis quam interius, puta per Prophetas, per Sacerdotes, per sacram Scripturam a Deo docebantur in veteri testamento. Hoc discrimen tradit Ierem. c. 31. 33. cum de novo Testamento ait: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Ita S. Hieronym. Hinc Spiritus sanctus in Pentecoste datus est Apostolis, eisque specie linguarum ignearum insedit, quasi per eorum os loqueretur, atque eorum mentes et linguas faceret ignitas, quæ flammam divini amoris in auditores eiacularentur. Tales theodidacti præ cæteris fuerunt S. Antonius, Hilarion, Paulus, Franciscus, Dominicus et alii, uti dixi Heb. 8. in fine. Vers. 13.

C Et multitudinem pacis filiis tuis.) Repete *ponam*. Ex Christi doctrina sequitur pax tum conscientiæ cum Deo, tum concordiæ cum proximis: tum pax, id est, prosperitas, et bonorum omnium affluentia.

Et in iustitia fundaberis.) Hoc est, *firmaberis*, ut vertit Vatabl. q. d. Non est, o Ecclesia, o sponsa mea, quod timeas ne qua seditio, quæ fraudes, quæ vis et persecutio, quis hostis, hanc pacem, doctrinam, gemmas et opes tibi eripiat: nam ipsa tua iustitia te firmabit, tua sanctitas te tutabitur: nec enim sinet Deus te pessumdari, qui iustitiæ et sanctitatis est vindex et propugnator. Notent hoc resp. et magistratus, regna, reges et principes, si velint tutum et stabile habere regnum aut remp. fundent eam in iustitia et sanctitate. *Iustitia* enim hic generaliter capitur, et tam cæteras virtutes, quam iustitiam particularem complectitur. Ita Haymo. Vers 14.

Secundo, Adamus: *Iustitia*, ait, *fundaberis*, q. d. Faciet Deus ut in te omnia iuste atque ordinate fiant: tum enim cuique iustitia, id est ordo cuique debitus, tribuitur.

D Tertio, S. Hieronymus per *iustitiam* accipit ἀπροσωποληψίαν, sive æquabilitatem erga omnes: *Ut nequaquam*, ait, *unius gentis, sed totius mundi Deus sit; qui vocat ad fidem suam servos et liberos, Græcos et barbaros, divites et pauperes, nobiles et ignobiles, viros et mulieres, parvulos et senes: et omnia quæ in mundo videntur esse contraria.* Hæc enim iustitia est in Deo, licet ea non obligetur: unde non fuit iniustus, nec personarum acceptor, cum ante Cristum Iudæos elegit, Gentes dereliquit. Verum primus sensus est divinior et genuinus.

Recede procul a calumnia.) Est prophetia, non imperium. Promittit enim Ecclesiæ, quia in iustitia fundata est, omnem securitatem, q. d. Tunc recedes et procul aberis a calumnia et pavore. Iam per *calumniam*, primo, aliqui intelligunt calumniatorem pristinum diabolum. Secundo, S. Hieron. peccatum omnemque speciem mali. *Omnis* enim, ait ipse, *iniquitas et rapina, de calumnia nascitur.* Tertio et optime, per *calumniam* accipe quamvis

fraudem et cavillationem; per *pavorem*, quamvis violentiam, vires et arma, quæ pavorem incutere possunt. Ita S. Thomas, Vatabl. Adamus et Forer. qui ait: Duo sunt quæ Ecclesiæ metum possunt iniicere: aut fraudes aut vis hæretici aut tyranni, occulte vel aperte oppugnantis: ab utroque Ecclesiam suam tutam reddit Christus per iustitiam, qua eam iustificavit. Si enim Deus iustificet, quis condemnet? si Deus tueatur, quis expugnabit? Iustitia ergo seu iustificatione tuta eris, firma eris: neque universa diaboli machinamenta, aut te deiicere, aut opes tuas diripere poterunt. Hoc itaque versu crediderim Deum obviasse obiectioni, quæ ex tantarum divitiarum promissione oriri poterat. Nam ut tuta est paupertas, ita ex adverso divitiis fraudes et vis parantur. Considera hic, o Christiane, quanti æstimare debeas hanc iustificationem: nam quod Ecclesiæ suæ promittit, suis quoque promisisse Christum credendum est, nempe quod iustificati pacem habeamus. Si ergo iustitiam retinemus, ut diabolus fremat, ut mundus decipere conetur, ut caro concupiscat; premere possunt, opprimere non possunt, pacem nihilominus retinebimus: ne ergo deseramus iustitiam.

S. Hieronym. tamen τὸ *recede* proprie accipit ut imperativum, q. d. Fundata es in iustitia: si ergo hoc tuum firmamentum servare vis, recede a calumnia et fraude, sicque pariter recedes ab omni pavore. Iustitia enim faciet te securam.

Quia non timebis.) Τὸ *quia* non est causale, nec causam significat, sed consecutionem et effectum, idemque est, quod *unde* vel *quocirca*, uti et sæpe alibi. Hoc enim est Hebr. כי *ki*, q. d. Recedes longe a calumnia, unde eam non timebis; et a pavore, unde ille non appropinquabit tibi.

Vers. 15. et 16. Ecce accola veniet. Duo poterat timere Ecclesia, ut dixi, scilicet, calumniam et vim: calumniam a Gentibus subsannantibus, quod adoraret Christum crucifixum (hoc enim eis stultum videbatur) vim ab armis fabrorum et militum. Prius hic excludit, q. d. Accolæ, id est Gentiles olim alieni a Deo et hostes tui, o Ecclesia, tibi Deo operante adiungentur et subiicientur. Unde pro sannis et cavillis pristinis, dabunt tibi laudes et præconia. Posterius excludit cum ait: Ecce ego creavi fabrum sufflantem, qui scilicet follibus suscitat ignem, quo candefaciat ferrum, et proferentem vas, id est instrumentum, v. g. malleum, in (ad) opus suum, ut scilicet malleus ferrum ignitum tundens, ex eo cudat gladium, lanceam aut hastam. Pari modo ego creavi interfectorem, id est tyrannum, hostem et militem, natum et destinatum ad disperdendum.) q. d. Non est quod timeas arma hostilia, armorumque fabros, aut ipsos hostes armis instructos, et paratos ad te trucidandum et disperdendum: quia tam ipsi quam eorum exercitus, arma, fabri, viresque omnes in mea manu sunt. Ego ea creavi et dedi, efficiamque ne tibi obsint, sed subsint, aut volentes, convertendo se ad te; aut nolentes, subiugando eos tibi. Cum ergo ego iubeam te esse securam, non est quod metuas: faciam enim ut ipsi vel armis suis contra te uti nequeant, aut ut iis utantur ad tui non oppugnationem, sed propugnationem et tutelam.

Huic sensui consentiunt Sept. vertunt enim, *Ecce proselyti accedent tibi per me, et erunt coloni tui, et ad te confugient.*

Diabolus est faber persecutionis et tentationis. Mystice, S. Hieronymus, Haymo et Adamus per *fabrum* accipiunt diabolum, malorum omnium fabrum et artificem, qui carbones sufflat in igne, dum tyrannos, hæreticos, aliosque hostes suscitat et inflammat, ut persequantur Christianos. Hic eos educit tamquam instrumenta sua, ut per eos opus suum faciat. Hic etiam est interfector eorum, qui increduli sunt futuri. Verum omnes qui contra te, o Ecclesia, ab hoc fabro sufflante sunt fabricati, non dirigentur, sed et præsentes pœnas sentient et æternas.

Pro *fabrum ad disperdendum*, Sept. vertunt contrarie, *non ut faber, non in perditionem:* quod S. Hieronym. et Cyrill. sic explicant, q. d. Ego te reformo et refingo, o Ecclesia, at non ut faber ferrarius, qui vasa sua in melius quidem refingit et recudit, sed ita ut, cum iis satis usus fuerit, ea abiiciat et perdi sinat: non enim ad eorum commodum, sed ad suum iis utitur. Verum ego reformo te reformatione quadam spiritali iugiter duratura et æterna, non ad meum, sed ad tuum commodum, de qua Dominus dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* Ioan. 3. 5. Verum primus sensus est genuinus; uti et prior nostri interpretis lectio et versio.

Denique Forerius ex Hebræo sic vertit: *Ecce congregando congregabit se* (globus hostilis) *deficiet ut non sit: quicumque congregabitur tecum* (contra te) *iuxta te cadet:* sic fere et Vatabl. q. d. Quicumque colligent arma et milites contra te, hi ad pedes tuos cadent, occumbent aut succumbent: nam hostes tui, hostes mei sunt: qui te tangit, tangit pupillam oculi mei: qui te oppugnat, me oppugnat, ut huc alluserit Christus dicens: *Qui non est mecum, contra me est: et qui non congregat mecum, spargit,* Matth. 12. 30. Qui enim contra Deum pugnat, vires non colligit, sed dissolvit et dispergit. Si sic vertas, hæc pertinent ad v. sequentem: sed huic versioni plane dissonat Nostra et Septuag. quæ sane magis consentit Hebræo, גור *gur* enim significat peregrinari et esse advenam; non autem, congregare militem.

Non dirigetur.) Non habebit successum, non proficiet, non pertinget ad effectum, ad quem ab hoste dirigitur, ut scilicet Ecclesiam proterat aut pessumdet. Vers. 17.

Et omnem linguam (calumniatricem, de qua v. 14.) resistentem tibi in iudicio, iudicabis.) q. d. Vim et tyrannos avertet et propulsabit Deus; calumniam et calumniatores, hæreticos et similes, tu ipsa, o Ecclesia, in tribunali tuo iudicabis et condemnabis: calumnias etiam et blasphemias Gentilium et Paganorum iusto bello, per Christianos principes *iudicabis*, id est vindicabis et compesces.

Hinc patet, Ecclesiam esse iudicem controversiarum fidei, ad eamque iudicium de hæresi et hæreticis pertinere.

Hæc est hæreditas servorum Domini.) Epiphonemate claudit ante dicta, q. d. Hæc est sors quasi hæreditaria, quæ Ecclesiæ et servis Domini ab eo obveniet: scilicet, ut sint locupletes gemmis et bonis cælestibus, iustitia, sanctitate et pace plena fruantur; hanc interturbare et hasce eorum opes diripere nemo possit; sed ipsi omnes inimicos superent, eosque condemnent aut convertant.

Et iustitia eorum apud me.) *Iustitia,* primo, accipi possunt iusta opera, q. d. Iusta eorum opera apud me servantur, semper mihi obversantur; unde ego iis mercedem præsentem, iam dictam, et æternam in cælis retribuam. Ita Vatablus. Secundo, *iustitia,* id est iustitiæ merces et præmium, q. d. Ego iustitiæ præmium, scilicet sortem iam dictam, eis rependam. Tertio, *iustitia,* id est iustificatio et laus. Interdum enim *iustitia*, pro ipso iustitiæ præconio ponitur, inquit Forer. Hæc enim congrue opponitur et rependitur calumniæ, q. d. Pro calumnia, quam passa es, accipies præconia, et iustitiæ tuæ elogium.

CAPUT QUINQUAGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Capite præced. enarravit opes, pacem, splendorem et felicem sortem filiorum novi testamenti; nunc ad eadem singulos invitat, ut fidem Christi capessendo, iis fruantur, relictis vanis suis rebus et spebus. Secundo v. 3. promittens eis fœdus novum, monet ut Christum ducem et præceptorem sequantur. Tertio v. 10. firmas fore hasce suas pollicitationes, exemplo nivis et imbris asseverat. Ac proinde v. 12. quanta futura sit fidelium lætitia, felicitas et gloria, enarrat. Forerius in fine capitis, putat hoc caput pertinere ad Iudæos: illos enim invitari ad Christum, et quia nolunt venire, substitui eis Gentes. Iudæi enim siti adventus Christi laborare videbantur, et appendebant argentum suum non in saturitate, quia iustitiam quærebant in victimis et inanibus cæremoniis legis, quæ animam non satiant. Hortatur ergo ut eam quærant in Christo, quocirca v. 3. promittit eis novum Christi fœdus. Verum quia prævidebat eos spreturos Christum, minatur v. 4. se Christum et fœdus hoc translaturum ad Gentes. Quocirca v. 6. hortatur Iudæos, ut mature resipiscant, dum tempus habent. Et ne obiiciant verba et promissa Dei, eis de Messia facta, non posse esse vacua et irrita: Respondet v. 10. ea in Gentibus complenda, quibus proinde v. 12. omnia læta et felicia promittit. Verum nil est quod cogat verba Prophetæ generalia ad Iudæos restringere: tam ergo Gentes, quam Iudæos ad Christum invitat.

1. OMNES sitientes venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. 2. Quare appenditis argentum
non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et
delectabitur in crassitudine anima vestra. 3. Inclinate aurem vestram, et venite ad me: audite, et vivet anima
vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. 4. Ecce testem populis dedi eum,
ducem ac præceptorem gentibus. 5. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: et gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificavit te. 6. Quærite Dominum,
dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. 7. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum. 8. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. 9.
Quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. 10. Et quomodo descendit imber, et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram
et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti: 11. Sic erit verbum
meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur
in his, ad quæ misi illud. 12. Quia in lætitia egrediemini, et in pace deducemini: montes et colles cantabunt
coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu. 13. Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus: et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

Vers. 1. OMNES SITIENTES.) Hebr. est: *O vos omnes qui sititis, venite ad aquas.* Hoc est, ut Chaldæus, omnes discere, et sitim cupiditatis exstinguere cupientes, omnes veritatis et sapientiæ salutiferæ avidi, venite ad aquas doctrinæ et gratiæ Christi, ex iis haurite et bibite sapientiam et spiritum Evangelicum, itaque sitim animi vestri, sitim veritatis, sitim sapientiæ cælestis et salutiferæ sedate. Huc allusit Christus Ioann. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Et Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Et ad Samaritanam Ioan. 4. 13. hac de re disserens.

Sitit sitiri Deus. Vere Nazianz. orat. in S. Baptisma, quæ est 40. *Sitit,* ait, *sitiri Dominus, et si tanto bono, sine labore et facillime, scilicet accedendo tantum ad fontem, potiri possumus, cuius dementiæ est, tantum bonum differre?* Quocirca sitim eam, hic ad aquas invitans, suscitat et exacuit, ut innatam nobis ex concupiscentia sitim vanæ scientiæ, sitim honorum, sitim auri et argenti, sitim vini et epularum, siti veræ sapientiæ, siti honorum, opum et epularum spiritalium et cælestium exstinguat. (Unde Sept. vertunt, *væ; alii, heu qui sititis,* scilicet vanitates.) Hæ enim, non illæ animam satiare et explere possunt. Ita sitiebat David Ps. 41 3. *Sitivit anima mea ad Deum fontem* (hebr. *fortem*) *vivum.* Christus enim est fons vivus, qui numquam siccatur, sed iuges et copiosas scaturit aquas, salientes in vitam æternam. Et S. Ioan. Apocal. 22. 17. *Et spiritus et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis.* Unde ipse iam senex, optansque dissolvi, et Christo frui, v. 20. respondens huic invitationi, ait: *Etiam venio cito: Amen. Veni, Domine Iesu,* q. d. Veni, mi Iesu, veni, amor mi, gaudium meum, deliciæ meæ.

A ET COMEDITE.) Hinc patet, Deum non tantum aquam ad bibendum, sed etiam cibum ad comedendum, offerre. Nimirum doctrina et gratia Christi tam est cibus quam potus animæ: uti et sancta eius Sacramenta, præsertim Eucharistia. Unde ipse misit servos qui vocarent invitatos ad cœnam opipare instructam, Matth. 22. 4.

EMITE ABSQUE ARGENTO.) Pro *emite* hebr. est שִׁבְרוּ *scibru*, id est frangite, id est cibum et panem frangendum comparate, et emite: quia enim comesturi solebant frangere et dividere panem, hinc panem vocarunt שֶׁבֶר *sceber*, id est, fracturam, vel cibum frangendum. Inde *sciabar*, id est frangere, per metalepsim significat fracturam, id est panem comparare et emere. *Emite* ergo *absque argento*, id est, comparate et accipite gratis. Ita S. Hier. et Cyrillus. Acute quoque et pie S. Bernard. serm. 2. de Resurrectione Domini: *Hæc*, ait, *nummo propriæ*
B *voluntatis emenda sunt, ut communis fiat quæ propria fuit. Porro communis voluntas charitas est.* Huc alludit Christus Apocal. 3. 18. *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum.*

Quodnam est hoc aurum? et quomodo emitur? Resp. Aurum Dei quo pretio emitur. Resp.
I. Primo, aurum hoc est pura et ignita Dei charitas, quæ fortiter persecutiones et adversa, etiam martyria, tolerat. Hæc emitur, id est, comparatur, non alio pretio, quam oratione, lacrymis, pœnitentia, bonis operibus. *Hoc aurum*, inquit ibidem Rupert. *eme pretio piæ confessionis, et iugi memoria propriæ fragilitatis, semper memorando, quid ex te sis, quid a Deo acceperis: Ut locuples fias, id est addatur tibi gratia, et vestimentis albis induaris, non ex operibus tuis, sed ex eadem gratia largitionis.*

II. Addit Ambros. lib. de Ioseph patriarch. cap. 7. hoc aurum emi argento, non nostro (peccator enim nullo opere

aut merito mereri potest primam gratiam) sed Christi, scilicet pretio sanguinis Christi. *Emite*, inquit, *sine argento: neque enim pretium quæsivit a nobis qui pro nobis sanguinis sui pretium solvit.*

III. Tertio, Nazianz. orat. in S. Baptisma, respondet Deum ob ingentem suam bonitatem, qua nostram salutem optat, nostrum desiderium gratiæ et salutis æstimare pro pretio. *O miram*, inquit Nazianz. *beneficentiæ celeritatem! o facilem contrahendi rationem! hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur; appetitionem ipsam Deus ingentis pretii loco æstimat; sitit sitiri; bibere cupientibus potum præbet; cum a Deo beneficium petitur, beneficio affici se putat; prompta, munifica atque prolixa natura est; iucundius dat quam alii accipiunt.* Unde iufert Nazianz. aguendam et augendam esse hanc sitim, ut plus gratiarum a Deo hauriamus et capiamus: *Hoc unum caveamus*, inquit, *ne ieiuni ac minuti animi notam subeamus, parva, Deique liberalitatem parum digna postulantes. Beatus ille, a quo, ut ab illa Samaritana, potum Christus poscit, fontemque dat aquæ in vitam æternam salientis.* Et Clemens Alexand. in Exhort. ad Gentes: *Omnes sitientes, venite ad aquas: Adhortatur*, inquit, *ad lavacrum, ad salutem, ad illuminationem, prope clamans, et dicens: Do tibi, o fili, terram, mare, cælum; solummodo, o fili, partem sitias, Deus tibi gratis ostendetur.*

IV. Quarto, Abbas Ioachim in Apoc. 3. *Dat Deus*, ait, *gratiam pro gratia*, Ioan. 1. 16. *Negotiemur ergo cum minori Dei gratia, ut maiorem emamus et comparemus.* Et Thomas Anglicus: *Emptio*, ait, *est dispositio liberi arbitrii.* Verbum ergo emendi, significat, quod magna debet homo facere, et multa conferre, ut idoneus sit a Deo accipere ista dona. Sic ergo emptio hæc acuit industriam arbitrii nostri. Sic Prov. 23. dicitur: *Veritatem eme*, id est, magno labore et studio, etiam cum iactura rerum temporalium, compara sapientiam: quidvis age, quidvis patere, ut eam assequaris. Ita Pererius. Et Dionys. Carthus. *Eme*, inquit, *pretio non condigno, sed congruo. Actus enim fidei, spei, pœnitentiæ, aliique sunt, quibus magno labore emitur, id est comparatur, hæc gratia.*

Vinum et lac.) Quas ante aquas et cibum vocavit, hic vocat *vinum et lac*. Per aquas ergo omnem potum intellexit, ex potu autem cibum colligendum reliquit: unde nominat hic *lac*, quod tam esui quam potui servit. Per *vinum* ergo et *lac* quemlibet cibum et potum intellige. Nam vinum sapidum est, calidum et robustum; lac suave et pingue. Unde his duobus Script. significat quasvis epulas et delicias. Sicut ergo vinum et lac, primo, colore et sapore grata sunt gustui; secundo, suavem somnum inducunt; tertio, aliarum rerum sensum auferunt; sic Spiritu sancti doctrina et dona efficacissima et dulcissima sunt, mentem sopiunt et tranquillant, atque a vanis desideriis et anxietatibus abducunt, eamque satiant, ut non sitiat in æternum, inquit Forerius. Unde Chald. vertit: *Venite et audite absque pretio, absque pecunia* (quæ solet magistris dari a discipulis) *doctrinam meliorem vino et lacte.* Porro, *vinum* significat cibum et potum spiritualem, puta, sapientiam et gratiam proficientium et perfectorum (unde vinum vocatur *lac senum*) *lac* vero parvulorum et incipientium; hisce enim convenit simplicitas, candor et innocentia. Hinc ex hoc loco Isaiæ, olim recens baptizatis dabatur vinum et lac, uti docet Naziaz. sup. *Qui mos*, ait S. Hier. *in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur.* Sicuti in primitiva Ecclesia, iisdem dabatur mel et lac, ex eo quod dixit Isaias de parvulo Christo cap. 7. 15. *Butyrum et mel comedet.* Vide ibi dicta. Præclare S. Dionys. Areopag. epist. ad Titum, docet divinam sapientiam cuique pro captu alimenta præbere, et *idcirco divina et spiritualia eloquia, et rori, et aquæ, et lacti, et vino, ac melli merito assimilari: quoniam vivificandi et fœcundandi, veluti in aqua; et ad incrementum perducendi, ut in lacte; et recreandi confortandique, ut in vino; et purgandi simul atque conservandi, velut in melle, vim obtineant.*

Epulæ cœlestes vocantur vinum et lac, cur?

Vinum et lac olim dabantur in baptismo.

Fuse de hoc lacte et vino tractat Clemens Alexandr. l. 1. Pædag. c. 6. ubi primo, dicit: *Verbum* (id est Christus, qui est Verbum Patris) *multis modis allegorice dicitur et cibus, et caro, et nutrimentum, et panis, et sanguis, et lac, et vinum.*

Secundo, *Utilis*, inquit, *est mixtura lactis et vini: lac enim a vino seresceit et finditur, et quidquid est eius adulterinum, id tamquam per aquæductum educitur: sic fides serescere faciens carnales concupiscentias, hominem ad æternitatem contrahit, divinis immortalem efficiens.*

Lac a vino serescit.

Tertio, vinum est quasi calor et anima lactis coaguli. Sic *Ecclesia constat corpore, scilicet fide, anima vero spe, uti Christus constat carne et sanguine* (sanguinem enim veteres putarunt esse substantiam animæ.) *Revera enim sanguis fidei est spes, in qua continetur, sicut fides ab anima. Cum autem spes exspiraverit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis fidei facultas dissolvitur.* Sic ergo lac est fides, vinum est spes, quæ est quasi anima fidei.

Vinum est anima lactis.

Lac est fides, vinum est spes, quæ est anima fidei.

Sept. pro חלב *chalab*, id est *lac*, legentes aliis punctis חלב *cheleb*, id est adipem, vertunt, *emite vinum et adipem;* quod S. Hieron. Cyrill. Procopius, et Leo Castrius recte referunt ad Sacramentum Eucharistiæ. Hebræi enim adipem vel pinguedinem vocant id quod in qualibet re lectissimum est et optimum. Tale autem in lege nova est Eucharistia, quæ est *frumentum electorum, et vinum germinans virgines*: ut ait Zachar. 9. 17. De qua in sensu mystico ait Psaltes Psal. 80. 17. *Cibavit eos ex adipe frumenti.*

Quare appenditis argentum non in panibus, hoc est, ut sequitur, et laborem vestrum non in saturitate?) Id est, non in cibo et pane saturante. Est metonymia. Panis enim saturans vocatur, *saturitas*, quia eam inducit. Sic c. 56. v. 12. *ebrietas* vocatur vinum inebrians. Sub *panibus* quemlibet cibum ex phrasi Hebræa intellige: inter omnes enim cibos, panis uti maxime communis est, ita et maxime alit et saturat, cum alii cibi sæpe tantum irritent aut obtundant. Per *argentum* ergo intelligit laborem, industriam, conatus, studia, etc. Sensus itaque est, q. d. Cur, o mortales, vana huius mundi bona, ut opes, honores, delicias, vanam sapientiam et eloquentiam, tanto studio et pretio sectamini, quæ non possunt mentem saturare? Solus Deus, Deique gratia, doctrina, ac præsertim Eucharistia, est panis, qui potest mentem reficere et satiare: cur hunc negligitis, et quisquilias tam care emitis? Unde ingemiscens ad hanc hominum dementiam ait v. 1. *Heu, omnes sitientes, venite*, uti est in Hebræo. Vers. 2.

Idem dixit Plato lib. 6. de Repub. qui illud videtur ex hoc Isaiæ loco didicisse et accepisse. Fuit enim ipse Moses Atticus. *Qui bene*, inquit, *natus est, et qui vere amator est disciplinarum, non hærebit in his bonis quæ vulgus admiratur, quæ vere non satiant: sed perget porro ire, non delassabitur, sed mistus vero enti, id est, complexus animo verum ens, hoc est, Deum, vere vivet, vere nutrietur, vere saturabitur.* Et libr. 11. docet hæc bona, quæ homines, quasi pecudes, appetunt et ob quæ decertant, non magis satiare, quam epulantur qui somniant se epulari laute: experrecti enim famelicos se sentiunt, æque ac ante. Audivi miram historiam a Gubernatore civitatis Traiectensis in Belgio: Narrabat ille, se cum primariis Nobilibus invitatum fuisse ab alio ad prandium: Ivi, inquit, cum aliis, splendidum inveni castrum, triclinium illustre, mensam opiparam, epulis et deliciis omnibus instructam. Bibebant et comedebant omnes hilariter. Ast ubi discesserunt, mox inani ventre famere cœperunt et stomachus latrare, atque si nihil comedissent. Nimirum opera magi cuiusdam, hæc omnia ope dæmonis adornata et peracta fuerant, erantque meræ præstigiæ. Videbantur enim sibi comedere ea et videre, quæ vere non comedebant, nec videbant. Talia sunt omnia mundi bona, speciem habent, non veritatem; oblectationem, non saturitatem; ludibrium sunt oculorum, non pabulum animi. Ratio est, quia mens a Deo creata est ad imaginem Dei; unde infiniti boni, puta Dei, est capax; ergo nullo finito, tenui et umbratico, qualia sunt omnia terrena, expleri et satiari potest: sed

Epulæ et bona huius mundi non satiant, cur?

dum unum hausit, mox æque famelica aliud quærit, oreque semper aperto et hiante, instar voracissimi canis, aliis et aliis inhiat, nec umquam suam ingluviem insatiabilem exsaturare potest. Videmus hoc in vinosis et ebriosis, qui quo plus bibunt, eo plus sitiunt, plusque bibere appetunt, dicuntque semper illud Prov. 23. 35. *Quando evigilabo, et rursus vina reperiam?*

Solus ergo Deus est quies et saties animæ nostræ: ideoque hebr. vocatur *saddai*, de quo plura dixi Gen. 17. 1. et Exodi 6. 3.

Audite audientes.) Id est, diligenter audite et auscultate, non ut otiosi auditores, sed ut factores verbi et sermonis auditi.

Delectabitur in crassitudine.) Vatabl. *in pinguedine*, id est cibo illo pingui, qui est sapidior, magisque nutrit macro, quale est lac, in quo est pinguedo butyri et casei; item pinguis caro, pinguis panis, etc. Talis est doctrina et gratia Evangelica, quæ mentem saginat et impinguat.

Vers. 3. Feriam vobiscum pactum sempiternum (novum testamentum, de quo v. 6. nimirum) misericordias David fideles.) Id est, stabiles et firmas. Pactum ergo hoc sunt misericordiæ Davidi promissæ a Deo de Christo, in quo regnum eius perpetuandum est, quique suos asseclas ditabit et beabit, dando eis affatim vinum dulcissimum et lac pinguissimum, q. d. Fœdus, quod vobiscum feriam, totum est lacteum et melleum; totum est charitas et misericordia. Unde Septuag. et ex iis S. Paulus Actor. 13. 34. vertunt, *dabo vobis sancta*, scilicet pacta, *David fidelia*, q. d. Præstabo fideliter et certissime pactum, puta promissam Davidi misericordiam, et bona danda per Christum. Porro hæc misericordia et hæc bona recensentur tum alibi, tum Ps. 88. qui incipit: *Misericordias Domini in æternum cantabo;* unde Psalmus ille ab Hebræis vocatur *misericordiæ David*. Ita S. Hieron. S. Thom. Hugo et Forer.

Sancta David fidelia, quæ?

Dices: Quomodo S. Paulus Actor. 13. 34. hæc refert et ex hisce probat resurrectionem Christi? Respondeo: Id recte facit, ex eo quod fœdus hoc et misericordiæ Davidi de Christo promissæ, sint de vita beata et æterna, danda iis qui crediderint et obedierint Christo tamquam mortis victori, qui resurgens ex mortuis, factus est primitiæ, dominus et rex resurgentium. Unde Psal. 88. 38. promittitur Christo thronus æternus; in quo includitur et præsupponitur Christi et Christianorum resurrectio ad vitam et regnum æternum. Eadem clare est promissa Davidi, typum Christi gerenti Ps. 15. 10. ubi dicitur: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Aliter respondet et explicat Leo Castrius: *Dabo*, inquit, *sancto David fidelia, id est, dabo sanctum David, seu sanctum corpus Domini ex genere David prognatum, fidele, hoc est, incorruptibile, quod non debeat reverti in corruptionem.* Unde Enriq. lib. 9. de Missa cap. 9. n. 5. lit. H. in glossa per *sancta*, id est, *sanctum*, intelligit S. corpus Christi in Eucharistia, quod de semine David sumptum est *fidele*, id est, incorruptum et firmum. Verum hæc *sancta* ad litteram esse pacta, patet ex dictis. Unde et Tertull. lib. 3. contra Marcion. c. 20. pro *sancta*, legit *religiosa* (utrumque enim significat Græcum ὅσια) scilicet, fœdera et pacta, quæ sancte et religiose servanda sunt, præsertim ea quæ a Deo sancto, id est sancita sunt.

Vers. 4. Ecce testem populis dedi eum.) *Ecce*, hic designat fecialem, qui pactum hoc inter Deum et homines conficiat, et ad quem pertinent misericordiæ Davidis: ait enim, *eum*, scilicet Christum: in hunc enim oculi Prophetæ iugiter intenti ferebantur et figebantur. Christum ergo vocat *testem*, scilicet divini pacti et promissionis, æque ac fidei et fidelitatis. Christus enim veniens in mundum, testatus est mundo ea, quæ vidit et audivit in cælo, de Deo et SS. Trinitate, ac præsertim Dei erga homines benevolentiam, dilectionem et misericordiam, qua placuit ei homines lapsos per Christum redimere, cum eisque novum hoc fœdus de gloria et beatitudine eis danda inire.

Fecialis pacti inter Deum et homines est Christus.

I. Unde S. Hieron. *Ille*, ait, *testis est omnium, quæ Pater mundo spopondit et præstitit.* Christus enim explevit ea, quæ Pater mundo promisit. Unde Christus ipse Matth. 24. 14. *Prædicabitur*, ait, *hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus.* Unde ipse alios testes, scilicet Apostolos, subdelegavit, qui hoc eius testimonium explerent et perficerent. Hoc est quod ait S. August. *Christus fuit testis divinæ erga homines charitatis.* Rursum, ut ait S. Ambros. Cyrillus, Isychius, et ex iis Leo Castrius: *Testis fuit prophetias omnes et promissa Dei esse completa.* Ipse enim opus redemptionis nostræ peregit et complevit.

Secundo. Christus fuit testis divinæ voluntatis. Docuit enim nos, quid Deus a nobis fieri velit, ut ei placeamus, utque ab eo salutem in pacto novo promissam adipiscamur. II.

Tertio, testis fuit veritatis, veræque et sanæ ac salutiferæ doctrinæ. Unde ipse ad Pilatum ait Ioannis 18. v. 37. *Ego in hoc natus sum,... ut testimonium perhibeam veritati.* Hinc mox subdit Isaias eum datum *ducem ac præceptorem Gentibus.* III.

Quarto, testis fuit futurorum in æternitate. Testatus est enim apud omnes, fore iudicium universale, fore resurrectionem, fore retributionem operum tam malorum quam bonorum, fore piis gaudia æterna, impiis flammam gehennæ et ignis inexstinguibilis. Ita Theodor. Hinc eorumdem non tantum testis est, sed et dux viæ ab beatam æternitatem, ac præcipiens modos et rationes, quibus eodem contendamus et perveniamus: nimirum, puram et sanctam vitam, opera fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, eleemosynæ, etc. Unde Ioel c. 2. 23. vocat eum *doctorem iustitiæ.* IV.

Quinto, Ioannes Alba Electorum c. 100. *testem*, inquit, id est principem. Unde explicans subdit, *ducem.* Hebræis enim subinde testis vocatur iudex: iudex autem vocatur princeps. Sic Apoc. 3. 14. Christus vocatur *testis fidelis*, id est iudex stabilis, princeps æternus. Sic Malach. c. 3. v. 5. *Testem velocem* vocat iudicem acerrimum. Et Psal. 88. 38. *Testis in cælo fidelis*, id est princeps sempiternus in cælo, sicut cælum stabile est et æternum. Est catachresis. Deus enim et Christus, est iudex non mortalis, qui sæpe a falsis testibus decipitur, sed certus et infallibilis, utpote qui omnia videat, simulque sit testis et iudex. Ergo recte vocatur testis fidelis. Sed cur Hebræi testem vocant iudicem? Resp. per metonymiam, quia testes sunt causa iudicii, cur hic scilicet damnetur, ille absolvatur. Iudex enim debet iudicare secundum allegata et probata, puta secundum testes; lex enim Dei sancit: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Deut. 19. 15. Itaque testari contra aliquem, vel pro aliquo, reipsa et in effectu est eum damnare, vel absolvere. Itaque testis est quasi iudex: cogit enim suo testimonio iudicem ad iudicandum secundum suum testimonium. V.

Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis.) Est enallage personæ: transit enim a tertia ad secundam. Per apostrophen ergo compellans Christum, ait: Tu, o Christe, *Gentem quam nesciebas*, id est, quam a te alienam non agnoscebas pro tua, non amabas, non probabas, ad te vocabis, et ipsa vocata, *ad te curret propter Dominum Deum tuum*, id est propter dotes et gratias, quibus te decorabit Deus, qui scilicet Deus est humanitatis tuæ, non deitatis. Sic Christus ait virginibus fatuis: *Nescio vos*, id est non amo, non approbo vos. Porro dotes hæ Dei, quibus Christus traxit ad se Gentes, fuerunt sapientia, integritas, sanctitas, miracula, efficacia prædicationis, resurrectionis gloria, missio Spritus sancti, Apostolorum zelus et virtus. Hæc enim ostendebant Christum esse Deum: unde cum ea videbant Gentes, ad Christum turmatim accurrebant: ut etiamnum faciunt, cum digne, ut par est, a præconibus Evangelii eis decus et gloria Christi, ac sanctitas Evangelii proponitur. Vers. 5.

Huc allusit Christus Ioan. 17. 1. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Hoc enim idem est cum eo quod ait hic Isaias: *Quia glorificavit te.*

Vers. 6. QUÆRITE DOMINUM, DUM INVENIRI POTEST.) Fœdus cum Deo proposuit v. 3. hic conditionis fœderis proponit, quarum prima est: *Quærite Dominum, dum inveniri potest.*

Deus prope est. I. Primo, S. Hier. refert hæc ad Iudæos, qui erant tempore Isaiæ, q. d. Vos, o Iudæi, qui non estis Christum audituri, eiusque fœdus accepturi, audite me aliosque Prophetas, suadentes vobis pœnitentiam, sanctamque conversationem in hac vita, ut per eam inveniatis Deum, dum tempus habetis pœnitentiæ et salutis.

II. Secundo, Forerius hæc refert ad Iudæos, qui fuerunt tempore Christi et Apostolorum, usque ad eorum excidium, per Titum. Toto enim hoc tempore prope eos erat Christus, Deus et salus, q. d. Prope est Christus: nam inter vos vivit et conversatur; ergo eum audite et acceptate, ne, cum transierit, frustra requiratis eum.

III. Tertio, et genuine, loquitur Propheta omnibus hominibus, tam Gentibus, quam Iudæis. Omnibus enim a Deo propositus est Christus et salus. Tempus ergo, quo hæc inveniri possunt, et prope sunt, est tempus legis novæ, quod proinde Apostolus 2. Cor. 6. 2. vocat *tempus acceptabile, et diem salutis*: de quo et Christus ait, *Regnum Dei intra vos est.* Hoc etiam iussit Apostolos prædicare, dicendo: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Dei.* Quocirca recte Ecclesia usurpat hæc Isaiæ verba tempore Quadragesimæ, iisque quotidie monet fideles, ut quærant Dominum, cuius passio, redemptio et resurrectio instat, et prope est.

IV. Quarto, Chaldæus, tempus quo Deus prope est, et inveniri potest, accipit tempus huius vitæ. Usque ad mortem enim pœnitere, Deoque reconciliari possumus. Totum enim hoc tempus est misericordiæ; quod sequetur, erit iustitiæ et iudicii. *Neque enim tunc erit invocandi tempus, quando nemini proximus erit Deus; sed aliis quidem præsens, aliis vero nimis valde remotus,* ait S. Bernard. ser. 3. de Quadragesima.

V. Mystice, Theodor. *dum prope est,* inquit, hoc est, dum veniam peccatorum a Deo adepti, ad eius amicitiam per gratiam acceditis. Sic enim iustis prope est Deus, non peccatoribus, quasi iustos hic hortetur Propheta, ut penitius et constantius Deum, Deique cultum, perquirant et ineant. Verum sequentia et præcedentia indicant, Prophetam magis loqui Gentibus impiis et infidelibus: eas enim ad fidem et Christum vocat.

Peccatores ergo et pœnitentes hic excitantur et invitantur, ut quærant Deum. Ita sponsa, perdito sponso, eum requirens et ad eum anhelans, ait Cant. 3. 2. *Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea, etc.*

Ita Magdalena quæsivit Christum et invenit in domo Simonis, ubi lacrymis pedes Christi lavans, capillis tergens, ore osculans meruit audire: *Remittuntur tibi peccata tua.*

Apposite S. Bernard. serm. 75. in Cantic. citans hæc Isaiæ verba: *Quærite Dominum dum inveniri potest: Attendite,* ait, *tres esse causas, quæ quærentes frustrari solent, cum aut videlicet non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non ubi oportet.* Erit enim *absque dubio cum inveniri non poterit, cum scilicet ultores Angeli arcebunt impios, ne videant gloriam Dei. Frustra inclamabunt et fatuæ virgines: minime prorsus iam ad eas exit, clausa ianua. Sibi proinde dictum putent illæ, Quæretis me, et non invenietis, Ioan. 7. Cæterum nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis sunt, tempus plane et quærendi et invocandi.* Primo, *ergo tu, et in medio gehennæ exspectato salutem, quæ iam facta est in medio terræ.*

Secundo, quære eo modo, quo sponsa sponsum in Cantic. dicens: *Quæsivi quem diligit anima mea: illa non tepide, aut negligenter, seu perfunctorie quærit; nam corde ardenti et omnino infatigabiliter quærit, plane ut decet.*

Tertio, vide ne quæras ubi non decet: *In lectulo meo,* ait sponsa, *quæsivi quem diligit anima mea; in lectulo, inquam, vel mortalitatis eius, vel sublimitatis. Quæ sursum sunt sapias oportet, neque deorsum sed sursum quæras Christum necesse est, ubi sedet in dextera Patris.*

DERELINQUAT IMPIUS VIAM SUAM.) Hic dat modum, quo quærendus et inveniendus est Dominus, ut amicitiam et fœdus cum eo ineamus: si videlicet pristinam vitiorum viam et vitam relinquentes, pœnitentiæ et virtutibus studeamus. Ita fecerunt in die Pentecostes tria millia hominum, qui ad concionem S. Petri in Christum, quem paulo ante crucifixerant, credentes et pœnitentes, in gratiam et Ecclesiam ab eo recepti sunt. Ita dereliquit filius prodigus regionem longinquam, et siliquas porcorum, reversusque ad patrem: *Pater,* ait, *peccavi in cælum et coram te.* Quocirca pater mox in eius amplexus et oscula ruit, atque pro veste lacera et attrita, decora nobilique stola eum induit, annulo ornavit et sibi adstrinxit, epuloque excepit. Unde patet τὸ *derelinquat,* non significare nudam peccati derelictionem, sive resipiscentiam (quam solam hæretici volunt esse pœnitentiam) sed et dolorem ac detestationem, cum proposito emendationis et satisfactionis. Vers. 7.

QUONIAM MULTUS EST AD IGNOSCENDUM.) Præclare S. Fulgent. epist. 7. ad Venantiam cap. 4. *In hoc multo,* ait, *nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, et omnipotentia misericors est. Tanta est autem et benignitas omnipotentiæ, et omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit quod nolit aut non possit relaxare converso;* et c. 3. *Si peritus est medicus noster, omnes potest infirmitates sanare. Si misericors est Deus noster, universa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, a qua non omnis malitia vincitur; nec est perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis invenitur. Scriptum vero tenetur in libris sacris: Sapientiam autem non vincit malitia;* et Ps. 102. *Benedic, anima mea, Domino, etc. qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Vers. 8.

NON ENIM COGITATIONES MEÆ COGITATIONES VESTRÆ.) Hæc plane et apte cohærent cum proxime præcedentibus: *Quoniam multus est ad ignoscendum,* q. d. Ne diffidatis de venia et amicitia Dei, ne terreamini multitudine, enormitate, iteratione et assiduitate scelerum vestrorum: maior enim his omnibus est Dei misericordia, quam hic pœnitentibus offert et promittit. Deus enim offensus, non est ut homo, qui in offendentem spirat minas et vindictam; sed toto cælo ab eo distat, spiratque veniam et gratiam ideoque cum offensa nostra certat sua clementia et indulgentia. Ita S. Cyrillus, S. Thomas et Adamus.

Secundo, Sanchez hæc refert ad superiora, *Derelinquat impius viam suam,* putatque Deum hic opponere vias suas viis hominum, q. d. Viæ vestræ pristinæ a meis toto cælo distant; quare, si ab iis ad me redire vultis, magna vobis spatia superanda sunt, magna facienda est morum mutatio, humanæ cogitationes deponendæ sunt, et assumendæ divinæ: e terris in cælum mente et conversatione contendere et transcendere debetis.

Tertio, Forerius censet hæc ad ulteriora posse referri, scilicet ad fœdus v. 3. q. d. Ne miremini, quod inter homines appareat Deus homo, ut novum fœdus sanciat, quo nobis bene sit, et in deliciis, ac summa felicitate vitam agamus (agetis autem si Deum in Christo quæsieritis, ad ipsum a vita pristina reversi. Hæc enim fœdus Deique benevolentiam non avertet, sed potius conciliabit et augebit, si vos eius pœniteat) quoniam meæ cogitationes vestris plane dissimiles sunt, tantoque sublimiores, quanto cælum terra sublimius est: quocirca novum mirumque hoc fœdus adinveni, hac una via duxi hominum rebus afflictis succurrere, meamque immensam et mundo paradoxam in eos clementiam ostendere. Hoc ergo divinum meum consilium nolite scrutari, sed illud admiramini, eique gratias agite. Sic Forer. et S. Hieron.

Primus sensus planior; hic plenior et sublimior est. Simili modo ait Psaltes Psal. 102. 11. *Secundum altitudinem cæli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se,* q. d. Ea est proportio misericordiæ Dei ad homines, quæ cæli est ad terram: hoc est circuli immensi ad unum punctum et centrum, q. d. In immensum nos nostraque merita, nostras cogitationes, æque ac miserias superat et ambit, firmat semper et roborat altissima Dei misericordia.

Vers. 10 et 11. Verbum Dei triplex. QUOMODO DESCENDIT IMBER, ET NIX DE CÆLO, etc. SIC ERIT VERBUM MEUM.) S. Hieron. Cyrill. Haymo et Forer. *verbum* hoc tripliciter exponunt, quæ tamen fere in unum idemque redeunt. Per *verbum* enim primo, accipiunt Christum, qui quasi imber et nix veniens e cælo, terram cordis nostri frugiferam fecit bonorum operum; secundo, accipiunt Evangelium, per quod Christus hos fructus operatur; tertio, et planissime promissionem hanc Dei, q. d. Verbum hocce meum, quo tam magnifica promisi de fœdere novo, deque Messia et gratia, bonisque per eum dandis orbi, puta credentibus in eum et pœnitentibus, firmissimum erit et efficacissimum: efficiet enim, ut homines spe veniæ, amicitiæ Dei, et salutis excitati, faciant dignos pœnitentiæ et virtutum fructus, quibus reipsa Dei reconciliabuntur, fœderabuntur, fientque æterni Dei amici, imo hæredes et filii. Sic enim verbum hoc Dei irrigat et fœcundat animam, æque ac imber et nix terram.

Vers. 10. ILLUC ULTRA NON REVERTITUR.) Scilicet vacuum, q. d. Non erit inane est sterile, sed copiosum afferet proventum. Hoc enim Hebræis est reverti et non reverti: alioqui hæc particula non conveniret rei per similitudinem significatæ. Constat enim Christum in cælum reversum esse, suosque electos, quasi messem Domini, eodem, quasi in horreum Domini, transferre. Nam, *qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cælos.* Neque etiam conveniret ipsi parabolæ; nam imber ubi terram rigavit et fœcundavit, resolutus in vaporem et exhalationem, rursus in cælum ascendit et redit. Pulchre S. Bernard. serm. 71. in Cant. *Non revertetur*, inquit, verbum Dei *ad me vacuum, vel ieiunum, sed quasi prospere in omnibus agens saturabitur bonis actibus eorum, qui in dilectione acquiescent illi. Denique usu loquendi sermo impletus tunc dicitur, cum fuerit mancipatus effectui; quod videlicet tamdiu inanis et macer, ac quodammodo famelicus sit, donec opere compleatur. Sed audi ipsum, quo se dicat cibo ali. Meus, inquit, cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.*

Vers. 12. QUIA IN LÆTITIA EGREDIEMINI, ET IN PACE DEDUCEMINI.) Τὸ *quia* dat causam cur verbum hoc pacti, promissionis et benevolentiæ divinæ, non revertetur vacuum, quia scilicet faciet, ut infideles et impii, qui laqueis diaboli et peccati irretiti, captivi tenebantur, inde liberentur, lætique exeant ad Christum et Ecclesiam, indeque pacifice ad beatitudinem cælestem deducantur. Vide canon. 47.

MONTES ET COLLES CANTABUNT CORAM VOBIS LAUDEM.) q. d. Tanta erit lætitia et gratulatio Gentium, ab idolorum et dæmonis cultu venientium ad Christum et Ecclesiam, ut montes et colles exsilire, iubilare, iisque applaudere videantur. Est hyperbolica prosopopœia. Similis, imo maior, est Baruch 5. toto capite. Vide ibi dicta.

Adde per *montes* et *colles*, montium et collium incolas aut speculatores posse intelligi. Alludit ad lætitiam redeuntium e Babylone, et ad speculatores, quos Iudæi in montibus et arboribus collocabant; uti recte advertit Sanchez. Hi enim visa re læta, v. g. suorum e captivitate reditu, plausum dabant, eoque cives et incolas omnes ad plausum excitabant.

Vers. 13. PRO SALIUNCA ASCENDET ABIES.) Saliunca est herba statim e terra exsiliens; inde saliunca dicitur a saliendo, de qua Plinius l. 21. 7. *Saliunca*, inquit, *foliosa quidem est, sed brevis, et quæ necti non possit. Radici numerosæ cohæret, herba verius quam flos, densa veluti manu pressa, breviterque cespes sui generis. Pannonia hanc gignit et Norici Alpiumque aprica.* Addit Plinius, eamdem tamen esse nobilissimi odoris et suavitatis tantæ, ut Romani in ea, æque ac in ærifodina, censum et vectigal publicum constituerint. Idem c. 20. tradit eius radicem in vino decoctam sistere vomitus, et stomachum corroborare. Humilis ergo est saliunca, vilis et abiecta, sed odorata. Unde Virg. Ecloga 5.

Puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

Vide Ruellium lib. 2. c. 7. Unde Septuag. pro *saliunca*, A vertunt, *stœbam*, id est vilissimum stipitem, ait S. Hier. Aquila et Theodotion vertunt, *conyzam*, quæ Hesychio est cunilago, herba coronaria, per syncopem κόνζα de qua Plinius lib. 21. 9. et Dioscor. lib. 4. c. 136. Cohibet motus venereos, ait Scholiastes Theocriti idyll. 7. myrtus ex adverso salaciam iuvat et fœcunditatem; unde olim veneri erat sacra. Ex quo Delrio, adagio 794. hunc elicit sensum, q. d. Qui antea virtutibus erant steriles, nunc iis erunt fœcundi. Verum nostræ versionis sensus est, q. d. Gentes et animæ Paganorum, quæ quasi terra arida, spinosa et sterilis, producebant tantum spinas, saliuncas et urticas, id est opera vana, vilia, iniuriosa et scelerata; iam imbre verbi Dei, et prædicatione Evangelii irrigata et fœcundata, producent abietes, myrtos, etc. id est opera honesta, iusta, frugifera et sancta, hoc est, ut verbo dicam, pro vitiis nascentur virtutes, pro superbia humilitas, pro gula sobrietas, pro libidine castitas, pro rapinis iustitia, pro crudelitate misericordia, etc. ait Procopius, et S. Hieron. Unde Chald. vertit: *Pro impiis con-* B *surgent iusti, et pro peccatoribus consurgent timentes Deum*, ut pro Saulo Paulus, pro peccatrice Magdalena pœnitens, pro publicano Matthæo Apostolus, etc. Simili metaphora usus est Isaias cap. 41. 19. *Dabo*, inquit, *in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, etc.* Ita Cyrillus, Theodor. et alii.

Audi S. Gregor. 18. Moral. 12. *Pro saliunca ascendit abies, dum in Sanctorum corde pro abiectione terrenæ cogitationis, altitudo supernæ contemplationis exoritur. Urtica vero igneæ omnino naturæ est; myrtus autem temperativæ fertur esse virtutis. Pro urtica igitur crescit myrtus cum iustorum mentes a prurigine et ardore vitiorum, ad cogitationum temperiem tranquillitatemque perveniunt, dum iam terrena non appetunt, dum flammas carnis desideriis cælestibus exstinguunt.* Idem lib. 33. 4. per *urticas* cogitationum prurigines, per *spinas* vitiorum punctiones intelligit.

Vatablus vertit: *Pro spina*, vel *rubo spinoso, ascendet* C *abies:* sicque explicat: Qui prius spinosi erant, aliosque lædebant, desinent aliis facere iniuriam. Hinc et Forer. vertit: *Pro fruticeto succrescet fraxinus, et pro senticelo succrescet myrtus.*

ET ERIT DOMINUS NOMINATUS IN SIGNUM ÆTERNUM.) Hebr. *Et erit Domino in nomen, in signum perpetuum*, q. d. Hæc mira Gentium conversio et sanctificatio per Christum facta, erit ei in nomen, et in monimentum gloriæ et victoriæ æternum. Pro victoria enim parta solent signa seu monimenta statui. Quod enim a Christo omnes fideles ab eo subacti et conversi, nominentur Christiani, ac corde et ore, imo et nomine suo profiteantur se esse subditos Christo, idque in æternum profitebuntur; hoc erit æternum gloriæ Christi monimentum. Sicut enim nomen et titulum gentium devictarum assumebant Imperatores, in perpetuum victoriæ trophæum; vocabantur enim Parthici, Asiatici, Adiabenici, Sarmatici, Illirici, etc. ita pariter perenne Christi trophæum est, quod omnium gentium sit dominator, adeo ut omnes gentes quasi Christo D subditæ, Christi nomen præferant, et ab eo vocentur Christiani. Ipsum ergo Christi nomen est signum, id est trophæum. Signum Christi quadruplex. I.

S. Hieron. tamen nonnihil inter *nomen* et *signum*, distinguit. *Erit*, inquit, *Dominus in nomen et in signum æternum, ut ex ipsius appellentur nomine Christiani, et crucis eius inurantur cauterio:* et mox: *De quo ipse qui signum est: Cum videritis, ait, signum filii hominis quod non deficiet nec ullo fine mutabitur: sed de præsenti conversatione transiet in futurum.* Crux enim Christi in cælis, quasi æternum Christi trophæum, statuetur et rutilabit. Significare videtur S. Hieron. corpora Beatorum signanda esse stigmate crucis, quod non delebit æternitas; perinde ac crucis, et quinque vulnerum stigmata, manebunt in æternum in ipso corpore Christi, ut sint perenne monimentum illius, et nostræ redemptionis; nisi dicas crucem, id est, passionis cuiusque stigmata et cicatrices gloriosas in Beatorum corporibus mansuras. Sic enim in Martyrum II. Stigmata in corpore Christi et Beatorum mansura in æternum.

corporibus mansura in cælo vulnerum signa fulgentia A quasi victoriarum trophæa, docent S. Augustinus l. 22. de Civit. c. 20. S. Ambros. serm. 57. Paludan. in 4. dist. 49. q. 8. art. 4. Ioannes Maior et alii ibid.

III. Tertio, addit Sanchez, *signum* hoc posse accipi lapidem, vel titulum inscriptum nomine vel insignibus heri, quem ipse in agro, vel in hæreditate defigebat, cum eius possessionem adibat, ut cunctis pateret illam esse ipsius, et ad ipsum pertinere: sic enim Christus ubique in ecclesiis defigit titulum crucis, qui significat eas ad Christum crucifixum pertinere.

IV. Quarto, alii quibus favere videtur Adamus, per *signum* accipiunt characterem baptismi; hic enim nos consignat Christo, estque indelebilis. Verum primus sensus maxime est genuinus.

CAPUT QUINQUAGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur Deus omnes, ut iuste vivendo comparent se ad salutem et iustitiam a Christo afferendam: ipsum enim neminem, etiamsi advenam et eunuchum, si iuste vivat, a se et salute sua repulsurum. Quinimo v. 4. eunuchis, qui custodierint sabbata eius, et elegerint quæ placita sunt ei, promittit se daturum locum in domo sua, et nomen melius a filiis et filiabus, idque sempiternum. Denique v. 8. invitans Israelem ad Christum et Ecclesiam, Iudæis denuntiat excidium per Romanos, eo quod pastores eorum fuerint canes muti, ebriosi, impudentes, avari.

1. Hæc dicit Dominus: Custodite iudicium, et facite iustitiam: quia iuxta est salus mea ut veniat, et iustitia mea ut reveletur. 2. Beatus vir, qui facit hoc, et filius hominis, qui apprehendet istud: custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum. 3. Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo. Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. 4. Quia hæc dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum: 5. Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. 6. Et filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, et diligant nomen eius, ut sint ei in servos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, et tenentem fœdus meum: 7. Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. 8. Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel: Adhuc congregabo ad eum congregatos eius. 9. Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus. 10. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. 11. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum. 12. Venite sumamus vinum, et impleamur ebrietate: et erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius.

Vers. 1. CUSTODITE IUDICIUM.) Hactenus egit de gratia et felicitate novi testamenti, sub Messia: nunc Propheta instar Ioan. Baptistæ, eum præcurrit, omnesque tum victuros admonet, ut ad eius iam vicini adventum et salutem se comparent, custodiendo iudicium, hoc est faciendo iustitiam, sive id quod æquum et iustum est in omni re. Unde hinc suam concionem sumpsit S. Ioannes Baptista dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum. Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur,* Matth. 3. v. 10. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis,* Luc. 3. 14.

QUIA IUXTA EST SALUS MEA.) *Salus,* id est Salvator, q. d. En adest Christus, qui vos salvet. Unde secundo, salus vestra per Christum instat; eam enim vobis dabit veniens Salvator Christus.

ET IUSTITIA MEA.) *Iustitia,* id est iustificator Christus; secundo, *iustitia,* id est fidelitas, q. d. Iam præstabo fideliter ea, quæ de Christo promisi; tertio, *iustitia,* id est iustificatio, q. d. Iam per Christum a peccatis vos liberabo, iustificabo, gratia et gloria donabo. Omnia hæc eodem tendunt: nam promissio Dei de Christo, non erat alia, quam nostra per eum iustificatio et salus.

Vers. 2. BEATUS VIR, QUI FACIT HOC.) Qui facit iudicium et iustitiam ut præcessit. Pro *vir* hebr. est אנוש *enos,* id est ærumnosus et desperatæ vitæ, q. d. O enos, o fili Adæ, esto sis hæres mortalitatis, laboris et ærumnarum Adæ; tamen felix eris et beatus, si feceris iudicium, illudque apprehenderis, id est firmiter tenueris, et constanter retinueris. Hoc enim est hebr. חזק *chazac.* Sic enim oportet nos Christum, Christique iustitiam tenere, ne prætereat; et retinere, ne eam in quantacumque persecutione aut tentatione deseramus. Ita Forerius.

B

CUSTODIENS SABBATUM NE POLLUAT ILLUD.) Sub *sabbato* per synecdochen accipe observationem totius legis, præsertim primæ tabulæ, quæ religionem et cultum Dei spectat. Hunc enim significat sabbatum, quod totum otio a laboribus, et cultui Dei dicatum erat. Sic leges secundæ tabulæ, quæ præscribunt iustitiam proximo debitam designat, cum subdit:

CUSTODIENS MANUS SUAS NE FACIAT OMNE (id est ullum) MALUM.) q. d. Qui leges primæ et secundæ tabulæ servarit, hic beatus erit, dignusque Evangelio, quem scilicet Christus in fidelem amicum, imo filium adoptet. Meminit sabbati, quia summa apud Iudæos erat religio sabbati, summa sanctitas; unde per illud significat summam sanctitatem qua Deum fideles colere debent, actibus tum

C

internis, tum externis, puta victimis, festis, hymnis, adoratione, laudibus, ritibus, etc. secundo, quia sabbatum significat diem Dominicum et festa Christianorum, quibus cessando ab opere servili, et multo magis ab inhonesto et turpi, atque vacando pietati et orationi, Deum colere debemus. Simili modo ait Zach. c. 14. 16. *Ascendent* (Gentes ad Christum conversæ) *ab anno in annum* (singulis annis, id est iugiter) *ut adorent Regem, Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum.* Mysticam scilicet agentes tamquam peregrini et viatores in hoc mundo, atque mentem habentes fixam in patria et civitate cælesti. Ponitur typus, sive figura, pro re figurata. Vide can. 21. Pari modo sabbatum hic mystice significat quietem spiritalem a vitiis et peccatis, ut patet ex sequentibus. Ita Theodor.

Vers. 3. Et non dicat filius advenæ.) q. d. Moses arcebat Gentiles a sua Synagoga et republ. Deut. 23. v. 3. et 8. et c. 7. v. 1. et sequent. at Christus neminem arcebit a sua Ecclesia. Ergo non dicat Gentilis, ex Gentili natus: Ego non sum ex semine Abrahæ, cui promissus est Christus, ac proinde ad me Christus non pertinet: nam in Christo et Ecclesia *non est distinctio Iudæi et Græci*, Roman. 10. 12. sed fidelis et infidelis. Christus enim non habebit rationem generis et sanguinis, sed religionis, sanctitatis et virtutum, omnemque eum, qui per fidem, spem et charitatem Domino adhæret, eique se in baptismo adstringit, pro suo recipiet, et in iura et privilegia Ecclesiæ suæ admittet. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor.

Levitæ dicti quasi astricti Deo. Nota: Pro *adhæret*, hebr. est נלוה *nilva*, id est copulat, adstringit, obstringit se *Domino*. A *nilva* enim dictus est Levi et Levitæ, q. d. Adstricti et obstricti Domino. Sic omnes Christiani, quasi Levitæ, in baptismo obstrinxerunt se Christo, eiusque religioni et cultui.

Vers. 3. Eunuchi infames in lege veteri. Et non dicat Eunuchus.) q. d. Moses arcebat eunuchos suorum cœtu et templo, ministeriis et officiis publicis; sic enim sancivit Deut. 23. 1. *Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis et abscisso veretro, Ecclesiam Domini.* Unde eunuchi, æque ac steriles in lege veteri, erant quasi infames et probrum apud Iudæos, neque referebantur in censum aut familias, quia inepti propagando Israelis semini. At Christus eunuchos, et quoslibet, quantumvis viles, mancos, debiles et miseros, ad Ecclesiam admittit, imo ut ipse ait Luc. 7. 22. *Pauperes evangelizantur.* Rursum, in eunucho, notat populum Gentilem, qui erat eunuchus, id est sterilis pietatis, religionis et bonorum operum, q. d. Ne dicat Gentilis: Ego hactenus fui sterilis, ac proinde ineptus et indignus sum Ecclesia Christi; quia si credat in Christum, Christus eum faciet fœcundum gratiis et virtutibus. Hoc est quod dixit cap. 54. 1. *Lauda, sterilis, quæ non paris, etc. quoniam multi filii desertæ, magis quam eius quæ habet virum.* Rursum, *non dicat eunuchus*, id est cœlebs et virgo: *Ego sum lignum aridum*, id est sum sterilis et illiberis. Unde sequitur:

Vers. 4. et 5. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea (qui Deum sancte coluerint, eruntque veri cultores Dei, ut dixi v. 2.) dabo eis in domo mea, et in muris meis locum.) Ad litteram loquitur de eunuchis naturalibus et castratis, ut dixi; sed sub his

Eunuchi hic vocantur cœlibes ex proposito. symbolice intelligit eunuchos spontaneos et spiritales (ad eos enim eum assurgere, mox patebit) *qui seipsos proposito aut voto cœlibatus castraverunt propter regnum cælorum*, uti huc alludens, ait Christus Matth. 19. v. 12. Talibus enim hic promittit Deus in Ecclesia et in cælo nomen gloriosius et diuturnius, quam possent habere a filiis suis. Ita explicant S. Hieron. Cyrill. S. August. libr. de S. Virgin. c. 24. et l. 14. contra Faustum cap. ultimo, S. Basil. libr. de Vera virgin. Ambros. Exhort. ad virg. Gregor. 3. p. Pastor. cap. 29. Rupert. et alii. Idque fuse

Prob. I. probat hic Forerius. Primo, ex verbo נלוה *nilva;* quod licet omnibus Christianis ex parte, tamen plene soli cœlibi et Religioso statui competit; Religiosi enim et Clerici sunt quasi Levitæ, adstricti obsequio Dei et templi, totique eius cultui se manciparunt. Unde hi sunt *lignum aridum*, id est sine generatione et prole.

II. Secundo, ex τὸ *qui custodierint sabbata mea.* Cœlibes enim, ut monachi et monachæ, præ omnibus Christianis, perpetuum Deo sabbatum celebrant, dum noctes et dies psalmodiæ, orationi, meditationi et lectioni S. Scripturæ impendunt; uti Essæos eorum parentes fecisse narrat Philo, Eusebius et S. Hieron.

III. Tertio, ex verbo *elegerint.* Qui enim magis eligunt ea, quæ Deo placent, quam Religiosi, qui non tantum præcepta, sed et consilia Dei, amplectuntur, qui cum Maria optimam partem elegerunt? Unde τὸ *elegerint*, significat cœlibatum consilii esse, non præcepti; quocirca ei, mercedis loco, datur nomen æternum.

IV. Quarto, ex eo quod sequitur: *Et tenuerint fœdus meum.* Quinam enim sunt in Ecclesia Dei, qui ne violent vel in

A minimis fœdus Dei, arctiori disciplina se communiunt, nisi veri monachi, qui ad hoc, novum et spontaneum fœdus cum Deo ineunt, cum per vota professionis ei se obstringunt, et quasi spiritale connubium cum eo ineunt? Hic enim est eorum status, hæc professio, hoc sanctum eorum institutum, de quo loquitur Propheta. Si quis ex ipsis hoc violet, et turpiter vivat, hominis hoc, non instituti est vitium, qui per hoc eo graviorem damnationem sibi accersit, quo sanctiorem statum commaculat, eique ignominiam et probrum apud laicos inurit.

Nominat Propheta præ aliis Christi asseclis hosce spiritales eunuchos, quia horum virtus, cœlibatus et virginitas excelsa est et heroica, superatque omnes naturæ vires; vincit enim plane libidinem, ad quam vehementissime natura corrupta hominem stimulat et rapit. Unde hanc virtutem præ aliis in Christianis admirabantur Gentiles, etiam tempore Apostolorum. Hoc est enim quod ait S. Petrus epist. 1. cap. 4. 4. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem.* Nam,

B ut docet S. Basilius, lib. de Vera virginitate sub initium: *Sicut ferrum trahit magnes, sic masculum sua trahit Agnes.* Quocirca ibidem ante finem docet virginem mystice debere sabbatum custodire, ut ait hic Isaias: *Sabbatum*, inquit, *non in opere, sed in operis cessatione intelligitur. Vult itaque sabbatizare virginem, uti non virginitatem operando custodiat, sed absque motu operis integritatem inviolabilem servet. Quasi Dei simulacrum, inquit, ex anima et corpore virgo in terra formata est. Mystice ergo sabbatizet, non pedem, non manum, non oculum non aliud quodlibet membrum, sed ne animum quidem ad corrumpendam naturalem pulchritudinem moveat; sed persistat, ut præclara divinæ maiestatis effigies solida, atque ad omnem imaginem, ad omnem tactum semper ac iugiter in petra stans; ne quis sive per oculos, sive per aures, sive per alium quemlibet sensum surrepens, aut animam in diras moveat figuras Dei, aut confusis primitivis formis suas ipsi pessime ac licenter insculpat;* et cursum inferius: *Si virginitatem tecum et apud te permanere inviolabilem cupis, perpetuum sabbatum celebra, hoc est, mane quod nata es. Ne manum moveas ad tangendum virum, neque plicas explicita, neque soluta colligas, neque inviolata membra alterius generis membris iungendo corrumpas; sed permane quod es in cubiculo cordis, nihilque amplius inquiras. Apud teipsam sabbatiza, nihil operans quo in te solvatur quod in te per naturam est.* Virgo sabbatizet, qua ratione.

C

Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum.) Vers. 5.
Honoratum et primum, ut etiam a regibus et principibus honorentur. Item, in cælo inter angelos dabo virginibus locum illustrem, uti ait S. Basilius mox citandus. Unde pro *locum* hebr. est יד *iad*, id est, *manum*, id est, separatam et selectam partem, sortem, gradum et locum. Ita Vatabl. et Forer.

Secundo, Sanchez: *Dabo eis manum*, id est, inquit, auxiliabor eis, defendam et roborabo eos, ut contra carnis, mundi et dæmonis insultus, pro castitate fortiter

D stent, eamque inviolatam servent. Hæc enim opis promissio est instar præmii, quod mire animat cœlibes in suo proposito, dum cogitant, se peculiariter Deo curæ et cordi esse, ab eoque iugiter adiuvari et protegi, imo muris Dei cingi. Sane claustra monasteriorum, quid sunt nisi muri Dei?

Tertio, idem Sanchez: *Dabo eis manum*, id est, inquit, fœdus et connubium spiritale cum eis inibo. Hoc enim iniri solet, dum fœderantes, uti sponsus et sponsa, invicem sibi dant accipiuntque manum. Qui enim, ut uni Deo vacent, eiusque voluntati se totos impendant, omnes mundi voluptates et amores abdicarunt, vicissim totum Dei amorem sibi conciliant, ab eoque in thalami purissimi consuetudinem et delicias inducuntur.

Et nomen melius a (id est, præ, hoc enim est Hebr. מן *min* comparativum) filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.) Petrus Martyr putat hæc promitti naturalibus eunuchis: nec enim spiritales eunuchos potiores esse coniugatis, ut potius

nomen mereantur et obtineant. Ipse enim eum suis docet virginitatem non esse præstantiorem matrimonio. Hic sensus hæreticus est, et eunucho frigidior, ideoque a Patribus v. 4. citatis reiectus et reprobatus. Suo ergo more Propheta assurgit a naturalibus eunuchis ad spiritales, id est cœlibes, continentes et virgines. Hisce ergo, si sancte vixerint, si fœdus et vota servarint, si sabbatum, id est, cultum Domini, custodierint, promittit Deus se daturum nomen melius, quam habere possent a filiis et filiabus, si eos generassent.

Nomen melius virgini promittit Deus, quod? I. Quæres, quodnam sit hoc *nomen?* Resp. Primo, *nomen*, id est, memoria, fama et gloria; hanc enim filii parentibus conciliant. Unde in Scriptura filii vocantur parentum *nomen, gloria, corona, vita* et *lucerna:* filii enim splendere faciunt parentum memoriam: hinc a parentibus per filios quæritur, ac sæpe acquiritur nominis æternitas.

II. Nomen, id est proles. Secundo, *nomen*, id est proles, et soboles illustrior et diuturnior. Sic ait Thecuitis Davidi 2. Reg. 14. 7. *Quærunt extinguere scintillam meam* (filium meum) *quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen*, id est posteritas, quæ viri nomen et memoriam conservet. Sic nomen Dei est Christus Dei filius: nomen Iulii, est filius Iulii. Unde Martial. l. 6. de filio Domitiani sic canit:

Nascere, Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera Deum soboles: nascere, magne puer.

Vide nostrum Martinum de Roa libr. 3. Singular. c. 14. Præclare Tertull. lib. de Pudicitia ita inchoat: *Pudicitia flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis, quamquam rara, nec facile perfecta, vixque perpetua; tamen aliquatenus in sæculo morabitur, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit.* Verum nimius pudicitiæ amor et honor Tertullianum in errorem adegit, ut censeret mœchos et fornicatores, licet pœnitentes, ab Ecclesia non esse recipiendos: hoc enim toto libro persuadere conatur. Et S. Cyprian. libr. de Habitu virginum, magistrum suum Tertullianum secutus: *Flos*, ait, *est ille Ecclesiastici germinis: decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas.* Et S. Ambros. lib. de Instit. virg. c. 15. *Christi*, ait, *lilia sunt specialiter sacræ virgines, quarum est splendida et immaculata virginitas.* Et cap. 12. *Aula regalis est virgo quæ non est subdita viro, sed Deo soli.* Et lib. 1. de Virginit. *Hæc* (virginitas) *e cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæsivit in cælo, quæ sponsum sibi invenit in cælo. Hæc nubes, aera, angelos sideraque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, et toto hausit pectore.* Et libr. 3. epistol. 25. *Quid loquar quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit a Christo eligi ut esset etiam corporale Dei templum, in quo corporaliter habitavit plenitudo divinitatis?*

Quæres secundo, quomodo utrumque hoc nomen obtineant cœlibes et virgines? Resp. Primum obtinent, quia a virtute virginitatis et Religionis maius consequuntur nomen quam a filiorum copia et præstantia; virtus enim perennat æternatque nomen magis quam soboles, præsertim cum sæpe sit degener, quæ facit ut exsecrabilis et probrosa sit tota progenies, ait S. Basil. adeoque nulla est familia durans per aliquot sæcula, quæ non plures habeat proles in inferno quam in cælo. (Virginitatis gloria, est æterna.) Sensit hoc etiam Gentilis Epaminondas primus et ultimus Thebanorum princeps. Mansit enim ipse cœlebs, ut totus reipubl. eiusque propugnationi et propagationi vacaret: cumque ei multi suaderent matrimonium, ut sobolem et nomen propagaret, respondit: *Pro semine relinquo Leuctricam victoriam*, quæ erit immortalis. Unde merito Agesilaus rex Lacædemon. eum licet hostem suum magnifice in acie procedentem videns, exclamavit: *O magnificum virum!* Testis est Plutarchus in eius Vita. Adde: filii, et familiæ omnes ex conditione mortali, processu temporis deficiunt, omnino

A sine nomine genus relinquentes, ait S. Basilius. Cœlibes vero et virgines, ut idem ait, *Angelorum naturam, et dignitatem perpetuæ successionis accipiunt, ipsi sibi in æterna vita pro successione generis sufficientes.* Multo ergo maius et diuturnius nomen obtinent in Ecclesia, id est, in cælo et in terra, cœlibes, S. Basilius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, eorumque asseclæ. Item S. Catharina, S. Agnes, S. Cæcilia (cuius corpus hic Romæ incorruptum post 1300. annos servatur, ideoque templum eius marmore, et octoginta lampadibus argenteis, semper ardentibus, coruscat) S. Agatha, S. Dorothea, S. Febronia, S. Flavia Domitilla, S. Clara, et innumeræ aliæ virgines, quarum nomen et memoria, templis, monasteriis, discipulis et posteris, festis, imaginibus, historiis, laudibus, hymnis, litaniis, aliisque modis celebratur. Et merito: nam ut ait Sapiens c. 4. 1. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud Deum nota est, et apud homines, et in perpetuum coronata triumphat.* B Rursum virginitas est virtus angelica, et virgines sunt angeli terrestres, et homines cælestes, uti docent S. August. S. Nazianz. qui *virginitatem* vocat *angelicæ gloriæ æmulam*, S. Bernard. et alii. (Virginitas angelorum est æmula.) Vide dicta 1. Cor. 7. 25. et seq. *Virginalis integritas*, ait S. August. de S. Virg. c. 13. *angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Quocirca Noster Viegas in Apocal. 14. comment. 2. sect. 2. n. 4. hunc locum sic exponit: *Dabo nomen melius a filiis*, id est, præ Angelis. Nam *filii* hic omnes electi appellantur; ac procul dubio etiam virgines filii sunt, nec debuerunt opponi filiis. Itaque cum promittitur virginibus melior locus et nomen a filiis, videntur Angelis anteferri. Et merito: quia in Angelis virginitas, quæ sit virtus, reperiri nequit: ea ergo Angelis præstant virgines. Hac de causa Angelus a Ioanne se adorari non permisit Apoc. 19. 20. dicens: *Ne feceris, conservus enim tuus sum*, q. d. Pares virginitate sumus: ego enim natura: tu virtute es ergo; æquali ergo C parique conditione in cælesti curia Deo principi nostro servimus. Ita Viegas pie et mystice magis, quam genuine et litteraliter: nam per *filios* non intelligit hic Angelos patet, quia subdit, *et filiabus:* constat autem inter Angelos non esse sexum, nec filias aut fœminas.

Rursum maius nomen obtinent virgines, quia virginitas præ aliis virtutibus totum hominem condecorat et illustrat. (Virginis mores quales esse debeant ex S. Bern.) Audi S. Bernard. serm. 85. in Cantic. *Nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio cuius veritas in mente fulget, et mens in veritate se videt. Sed qualem? Pudicam, verecundam, pavidam, circumspectam, nihil penitus admittentem quod evacuet gloriam conscientiæ attestantis, in nullo consciam sibi quod erubescat præsentiam veritatis, quo cogatur avertere faciem, quasi confusam et repercussam a lumine Dei. Hoc plane, hoc illud decorum est quod super omnia bona animæ divinos oblectat aspectus.* Subdit deinde: *Hunc animæ splendorem suis radiis erumpentem mentis simulacrum corpus excipit, et diffundit per membra et sensus: quatenus omnis inde reluceat actio, ser-* D *mo, aspectus, incessus, risus (si tamen risus) mistus cum gravitate, et plenus honesti; cum scilicet omnium artuum sensuumque motus, gestus et usus apparuerit serius, purus, modestus, totius expers insolentiæ atque lasciviæ; tum levitatis, tum ignaviæ alienus, æquitati autem accommodus, pietatis officiosus.* Deinde concludit: *Beata mens, quæ hoc se induit castimoniæ decus, et quemdam veluti cælestis innocentiæ candidatum, per quem sibi vendicet gloriosam conformitatem, non mundi, sed Verbi, de quo legitur, quod sit candor vitæ æternæ, splendor et figura substantiæ Dei.* Et S. Basil. libr. de Vera virginit. *Sacra*, ait, *virgo talem se et habitu, et incessu, et toto corporis motu exhibebit: ut qui illi forte obvii fuerint, quasi vivum Dei simulacrum aspicientes, faciem ad reverentiam, atque ad admirationem sanctitatis inclinent, honestæque virtutis admoniti, mentem pudicam et sobriam referant. Venerentur*, (Ex S. Basil. Virgo sit simulacrum Dei, Deum semper intuens.) *inquam, aspectum virginis, atque, ut dixi, tamquam divinæ imagini, reverenter de via cedant.* Et inferius: *De-*

mini sponsa cum eius neque obtutus, neque aures, neque præsentiam queat effugere; omnia in eius oculis gerit. Quapropter scire oportet virginem, quod sive sola aliquid loquatur, in sponsi auribus loquitur: sive sola quidpiam agat, hoc ille diligenter intuetur; sive cogitet quidpiam, hoc in ipso cordis motu citius ille cognitum et exploratum habet, etc. Quasi igitur præsente sponso, et inspectante omnia et audiente, virgo se habebit in omnibus. Seipsam ergo primum, conscientiamque suam reverebitur, etiamsi valde sit sola; deinde astantem sibi custodem Angelum: sciat se esse animatum Christi vas. Talibus pro humano nomine, Angelorum immortale nomen dabo, ut cæli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, et locum inter Angelos insignissimum, nomenque indelebile pro eximiæ virtutis splendore. Hæc et plura sparsim eo libro S. Basilius.

Virginum nomen est aureola. Quocirca S. August. lib. de Virginit. censet, per *nomen* hic significari gloriam propriam, qua virgines ab aliis Sanctis secernuntur, uti per nomen homines distinguuntur. Hinc et Apocal. 14. v. 4. de iis dicitur: *Hi sunt, qui sequuntur Agnum quocumque ierit: Virgines enim sunt.* Et v. 3. *Et cantabant quasi canticum novum: et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.* Hoc ergo cantico, uti et nomine, ab aliis secernuntur. Nomen ergo hoc significat gloriam et gaudium, virginibus proprium, quod erit ait S. Augustin. *gaudium virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum.* Nomen ergo hoc, est aureola virginum.

Item proles, quæ et unde? Secundo, *nomen*, id est, proles cœlibatus et virginitatis sunt filii ac filiæ; non carnis, sed spiritus, illique multi et varii.

Ratio a priori est, quod virgines sint sponsæ Deo, et Christo nuptæ, uti docui 2. Cor. 11. v. 2. Hæ autem nuptiæ, et hoc coniugium cum Deo sterile et infœcundum esse nequit: proles ergo huius coniugii spiritales sunt,
I. non corporales: scilicet, Primo, opera pietatis, devotionis et virtutum, intelligentia S. Scripturæ, ait S. Bernard. loco citato, libri scripti vel editi, etc. Pie rursum S. Bernard. ad sororem virginem de Modo bene vivendi c. 22. *Tu vero*, inquit, *amabilis mihi in Christo soror, non dicas, Ecce ego lignum aridum: non dicas, Ecce ego arbor infructuosa: quia si Christum sponsum tuum diligas, et times sicut debes, septem filios habes. Primus filius est verecundia, secundus patientia, tertius sobrietas, quartus temperantia, quintus charitas, sextus humilitas, septimus castitas. Ecce per gratiam Spiritus sancti, sine dolore ex incorrupto utero septem filios Christo peperisti, ut impleatur in te quod scriptum est: Quia sterilis peperit septem. Hos filios, quos Iesu Christo sponso tuo genuisti, debes nu-*
II. *trire, fovere, lactare, reficere, confortare et castigare.* Secundo, opera eleemosynæ, aliaque officia charitatis, quibus se dedere potest virgo non coniugata, cuius opes absumit familia. Tertio, exempla sancta, quibus plures ad
III. Exempla. Christi obsequium adducunt, itaque eos Deo pariunt, inquit S. Hieronymus.

Ita S. Cæcilia Valerianum maritum, Tiburtium fratrem, et alios, non tantum ad Christi fidem, sed et ad virginitatem et martyrium secum induxit. Unde de ea canit Ecclesia: *Domine Iesu Christe, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti.* Et: *Cæcilia famula tua Domine, quasi apis tibi argumentosa deservit.*

Ita S. Constantia filia Constantini Magni, suis precibus, monitis et exemplis, duas Gallicani filias ad fidem, castitatem et sanctimoniam induxit: ipsumque Gallicanum sponsum suum per SS. Ioannem et Paulum eunuchos suos ad Christum, ad castitatem et paupertatem, et mundi contemptum, pro eoque subeundum martyrium, convertit. Uti habet Vita SS. Ioannis et Pauli 26. Iunii.

Ita SS. Iulianus et Basilissa coniuges et virgines, innumeros, ille viros, hæc fœminas, Christo genuerunt: uti habet eorum Vita admirabilis 9. Ianuarii.

Simile legimus de aliis. Quin et hodie cernimus, singularem animarum zelum indi a Deo virginibus piis et devotis, easque multos Christo lucrifacere, ut pro prolibus terrenis, quas contempserunt, spirituales Deo offerant, ne steriles sint, sed sterilitatem carnalem spiritali fœcunditate compensent. Quocirca S. Marcellina soror S. Ambrosii, cum a Liberio Pont. Romæ in basilica S. Petri, ipso Natali Christi, virginitatis velum acciperet, ab eo audivit: *Bonas nuptias elegisti, o virgo.* Audi S. Ambrosium hæc ei scribentem et enarrantem. l. 3. de Virginib. in initio: *Is* (Liberius) *cum in Salvatoris Natali ad Apostolum Petrum, virginitatis professionem, vestis quoque mutatione signares (quo enim melius die, quam quo Virgo posteritatem acquisivit?) atque astantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de tua societate: Bonas, inquit, filia, nuptias desiderasti. Vides quantus ad Natalem sponsi tui populus convenerit, et nemo impastus recedit? Hic est qui rogatus ad nuptias aquam in vina convertit. In te quoque sincerum sacramentum conferet virginitatis etc.* Ita accidit. Nam Marcellina suas hic Romæ ædes in monasterium convertit, quod exstat inter Capitolium et forum piscarium, perenni virginum propagine sanctum et celebre. (S. Liberii ad S. Marcellinam concio.)

Quarto, S. August. affirmat, ipsa gaudia virginum, esse filios castitatis. Nam caret illa filiis corporeis, sed pro filiis gaudia parit, pro filia gignit animi hilaritatem. Audi ipsum l. 8. Confess. c. 11. *Ipsa continentia*, inquit, *nequaquam sterilis; sed fœcunda mater filiorum, gaudiorum, de marito te, Domine.* IV.

Quinto, B. Virgo, mater et soror virginum, genuit prolem nobilissimam et fœcundissimam, scilicet Christum Dei filium, qui innumeros Deo et cælo genuit filios. Hinc S. Ambros. l. 3. ep. 25. *Virgo*, ait, *genuit mundi salutem, Virgo peperit vitam universorum. Sola ergo non debet esse virginitas, quæ omnibus in Christo profuit. Virgo portavit, quem mundus iste capere aut sustinere non potest.* Et lib. de Instit. virg. c. 14. *In virginis*, ait, *utero simul acervus tritici et lilii floris gratia germinabat: quoniam et granum tritici germinabat, et lilium. Sed quia de uno grano tritici acervus est factus, completum est illud propheticum: Et convalles abundabunt frumento; quia granum illud mortuum, plurimum fructum attulit.* Ioan. 12. 24. Hic ergo verum est istud. V.

Nec genitrice tua fœcundior ulla parentum est,
Tot bona per partum quæ dedit una suum.

Denique proles corporeæ virginum sunt, non propriæ, sed aliorum, puta coniugatorum in illa provincia: facit enim Deus, ut ubi multæ virgines se Deo dicant, ibi nuptæ sint fertiliores. Hancque quasi virginitatis compensationem dat tum ipsis virginibus, tum reipubl. Docet id, contra Gentiles, qui cœlibatu Christianorum putabant exhauriri hominum sobolem Romanum Imper. S. Ambr. lib. 3. de Virg. quasi certa experientia acceptum: *Si quis*, inquit, *putat consecratione virginum minui genus humanum, consideret quia ubi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: ubi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse maiorem. Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis et Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur. Ex ipsius igitur orbis terrarum usu, non inutilis virginitas existimatur, præsertim cum per Virginem salus venerit orbem fœcundatura Romanum.* Ita Deus Annæ pro Samuele sibi oblato, quinque alias proles reposuit. Notent hoc parentes, cumque filios aut filias habent, quæ se Deo et castitati dicare volunt, non repugnent, sed gaudeant, iisque et sibi congratulentur, sperentque certo, Deum sibi alias proles repositurum, et in bonis ac familia benedicturum. VI. (Ubi multæ virgines, ibi fœcundiores sunt coniuges.)

Ad hunc Isaiæ locum alludit Sapiens c. 3. 13. cum ait: *Felix est sterilis et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum* (id est, mercedem, vel proles, ita Petrus Nannius) *in respectione* (græce visitatione, puta in die iudicii) *animarum sanctarum: et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem; dabitur enim illi fidei donum* (id est, fidelitatis præmium) *electum, et sors in templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus.*

Disce hic, quanti nominis et dignitatis, quanti pretii, meriti et præmii apud Deum, Angelos et Sanctos sit castitas et virginitas. Sciverunt hoc Apostoli, virique Apostolici, qui pro castitate martyrium obierunt, quorum primicerius fuit S. Ioannes Baptista, qui ob increpationem incestus Herodis cum Herodiade, martyrio laureatus est. Secundus, S. Matthæus, qui quod Iphigeniam regiam filiam Deo per votum consecratam, in sancto proposito confirmaret, ac regi Hyrtaco eam ambienti publice obsisteret, ad altare sacrificans occisus, seipsum una cum Agno immaculato Deo in sacrificium obtulit: quocirca merito a S. Hippolyto l. de 12. Apostolis, nuncupatur *victima et sacrificium virginitatis.* Tertius, fuit S. Paulus, qui cum pellices Neronis ad fidem converteret, et ab eius pellicatu averteret, non dubitavit eius iras et gladium suæ cervici accersere. Quartus, fuit S. Ioannes virgo et virginitatis æque ac fidei in Asia præco, ut patet Apocalip. c. 2. v. 20. et cap. 14. v. 1. qui proinde a spurco Domitiano in ferventis olei dolium iniectus, martyrii laudem miraculo cumulavit, dum ex eo illæsus et vegetior egressus est. Quintus, fuit S. Clemens Pont. qui Flaviam Domitillam, Domitiani Imper. neptem, Aureliano desponsam non dubitavit dato ei velo virginem Deo consecrare, seque et Christianos omnes furori Domitiani obiicere. Quis politice prudens non dixisset hoc imprudens esse factum et consilium? At in Deo prudens sciebat quanto Deus virgines haberet in pretio, quanto et pro ea Martyres. Sciebat se suosque Deo esse curæ, sciebat fortis et herois esse non cedere minis et morti, præsertim quæ pro tam pretiosa virginitatis gemma intentantur. Satius enim est vitam, quam virginitatem suam vel alienam perdere. Sextus, fuit S. Caius Pontifex, affinis Diocletiano Imp. qui quod Susannam neptem. a Diocletiano desponsam Maximiano imperii consorti, in virginitatis proposito confirmaret, eamque ad martyrium pro ea obeundum animaret, una cum ipsa a Maximiano cæsus, virginitatis lauream martyrii purpura cumulavit. Iam quale nomen in cælo et terra obtinent, ac per omnem æternitatem obtinebunt heroinæ, S. Cæcilia, S. Agnes, S. Lucia, S. Dorothea, S. Agatha, aliæque innumeræ, quæ virginitatem vita cariorem habuerunt, ac pro ea se hostias Deo immolarunt!

Vers 6. Et filios advenæ.) Gentiles. Repetit et confirmat quod dixit v. 3.

Sabbatum.) Hoc est, Dei cultum, ut dixi v. 2.

Tenentem foedus.) Observantem conditiones fœderis, puta leges et mandata mea.

In montem sanctum.) In Sion: hoc est in Ecclesiam. Vide dicta c. 2. v. 2. et 3.

Vers. 7 Lætificabo eos in domo orationis meæ.) Iudæi lætantes ibant ad templum, quasi ad domum Domini, ibique exultantes orabant, canebant, psallebant omnibus instrumentis musicis, atque ex victimis Deo oblatis epulabantur coram Domino. Hinc David ait Ps. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.* Maior est lætitia Christianorum in suis templis: ibi enim est domus orationis, et domus Dei, in qua realiter et corporaliter Deus habitat in Eucharistia, ut coram audiat et exaudiat orantes, eosque consoletur et lætificet; non solum Iudæos, sed cunctas Gentes et populos. Ibi ergo devoti cum Deo familiariter agentes, longas et iucundas trahunt moras. Hoc ergo significat hic Deus, scilicet lætitiam et delicias Christianorum fore in domo orationis, in qua colloquuntur cum Deo, ideoque domum suam, domum fore orationis asseverat.

Ecclesia est domus orationis, cur? Nota: Ecclesia est *domus orationis*, quia in ea non alia tractare oportet, quam causam et negotia animæ cum Deo, puta a Deo petere peccatorum veniam, vitiorum victoriam, virtutum robur et incrementa, constantiam in
I. tentationibus, in gratia et virtutibus progressum ac perseverantiam, felicem mortem, salutem et beatitudinem.

II. Secundo, non male Sanchez, *orationis*, ait, id est, *oratorii*, sive templi. Sed eodem redit sensus: nam oratorium ad orationem dirigitur, ab eaque nominatur. Hinc A enim et Græcis et Latinis ecclesia vocatur *proseucha:* quia in ea fit προσευχή, id est oratio.

Moraliter, vide hic, quæ reverentia templis exhibenda sit, quamque ab ea colloquia vana, ambulationes, mercimonia, turpes aspectus et cogitationes arcenda sint. Vere S. Chrys. hom. 36. in 1. ad Cor. *Ecclesia*, ait, *non est tonstrina, aut unguentaria taberna, aut officina forensis; sed locus angelorum, locus Archangelorum, regia Dei, cælum ipsum. Hic nihil nisi sancta sonare decet.* Acrius vero hom. 10. ad populum: *Quod fulmen non torquetur, non tantum in istos, verum et in nos, nonne mirandum? sunt enim ista fulmine digna. Adest rex, exercitum recenset: tu sub illius oculis stas ridens, et risum despicis?* Quinimo Christus ipse Matth. c. 21. v. 13. eiiciens vendentes et ementes e templo· *Scriptum est*, inquit, *Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Vide dicta Levit. 9. in fine cap. Ecclesia est cælum.

Holocausta eorum.) *Holocausta*, proprie dicta, Christianorum sunt sacrificia Eucharistiæ. Hæc enim non soli B Iudæi, uti in lege veteri, sed et Gentes offerunt Deo. Ex Gentibus enim constituti sunt Pontifices et sacerdotes. *Holocausta* vero metaphorica et mystica, sunt laudes, orationes, hymni et quævis opera virtutum. Hi enim sunt vituli labiorum, et sacrificia laudis, quæ omnes fideles offerunt Deo. Ita S. Hieronymus.

Qui congregat dispersos Israel. Forer. per *Israel*, Vers. 8.
proprie accipit Iudæos. De iis enim agit in sequent. q. d. Ne putetis, o Iudæi, cum voco advenas, id est, Gentiles, ad Ecclesiam, vos ab ea exclusos: nam Ecclesia tam erit vestra, quam Gentium; quocirca sicut Gentes, sic et vos toto orbe dispersos ad eam colligam. Unde subdit: Adhuc congregabo ad eum, scilicet Israelem, congregatos eius.) Id est populum et filios eius. Hi enim sunt filii synagogæ, id est congregationis, ideoque vocantur *congregati eius.* Iam *congregatos eius*, id est congregandos eius, sive qui in Dei præscientia et prædestinatione ad eam electi, vocati et congregati sunt. Hoc est, quod ait Lucas C Actor. 13. 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Sanchez vero per *Israel* mystice accipit quosvis fideles. Favet S. Hieron. qui ait S. Ioannem huc alludere cum ait cap. 11. 51. *Quod Iesus moriturus erat pro gente* (sua) *et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi* (per Gentes) *congregaret in unum;* et S. Petrum, cum epist. 1. c. 1. v. 1. scribit: *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, etc* Gentes enim vocantur *dispersio*, id est, dispersæ, tum quia in fabrica turris Babel collectæ, a Deo dispersæ sunt per omnes orbis regiones; tum quia opponuntur Iudæis, qui erant synagoga et congregatio Dei collecta in Iudæa et templo Hierosolymitano; cum ex adverso Gentes, quasi oves derelictæ et dispersæ errarent et vagarentur per varia idola, religiones et superstitiones. Hinc aiunt Iudæi de Christo, Ioan. 7. v. 35. *Numquid in dispersionem Gentium iturus est, et docturus Gentes?*

Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum.) Multi per *bestias agri*, intelligunt hostes et vastatores Iudæo- Vers. 9.
D rum, tum Assyrios, tum Chaldæos, tum Romanos, q. d. Ego Israelitas dispersos, per Christum congregabo: sed prius ob eorum scelera vastabo et puniam eos, per Romanos, aliosque hostes. Ita S. Hieron. Forer. et Hugo. Secundo, Septuag. vertunt: *Omnes bestiæ, venite et comedite.* Unde S. Cyrillus putat Gentes, quæ antea feræ erant et barbaræ, iam conversas, hic invitari ad Eucharistiam.

Verum dico, hæc ad tempora Christi pertinere. Cum enim dixisset, ab eo dispersos Israel fore congregandos, prævideretque in spiritu, quod Scribæ et Pharisæi Christum essent persecuturi et occisuri, ab eoque Israelem alienaturi, ideoque suam gentem et rempubl. vastante Tito et Rom. perdituri, ac effecturi, ut Christus, repulsis Iudæis, pro eis vocaret Gentes; intimo dolore et indignatione tactus, subito, ex abrupto erumpit, et evocat bestias, id est, Romanos, gentesque alias eis subiectas aut confœderatas, ab Scribas et Iudæos puniendos et everten-

dos. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Adamus. Forer. et alii passim.

Vers. 10. Speculatores eius cæci omnes) *Quia non videbant opere, quod professione cernebant*, ait S. Gregor. 25. Moral. c. 10. Hic dat causam, cur *bestiæ*, id est, Romani evocandi sint a Deo ad Iudææ excidium, quia nimirum speculatores eius, id est, doctores Israelis, de quo præcessit v. 8. puta Scribæ et Pharisæi, cæci erant. Erant enim suæ ambitioni, lucris et cupidinibus addicti et excæcati. Unde e Scripturis tempus Messiæ ac Christum ipsum, et salutem ab eo allatam, agnoscere noluerunt. Hinc et impendentia populo mala et excidium prævidere et prædicere non potuerunt; quocirca Christus huc alludens Matth. 15. 14. vocat eos *cæcos et duces cæcorum*, cum tamen ipsi se oculatissimos et lynceos reputarent. Nota *omnes*, id est, multi, plerique. Non enim omnes Synagogæ pastores simul errare poterant; sic enim tota Ecclesia tunc errasset, ideoque defecisset. Vide canonem, quem dat S. August. lib. de Unitate Eccl. c. 12. Adde, aliam esse rationem Synagogæ veteris, aliam Ecclesiæ Christi; huic enim promisit Christus, quod non deficiet fides eius, Luc. 22. 32. et 1. Timoth. 3. 15.

Canes muti.) Canis ad hoc tantum utilis est ut latret, et latratu indicet arceatque fures: quod si mutus sit et taciturnus, aut natura aut morbo, aut offa a fure in eius os iniecta, inutilis est, imo noxius, tum quia natura est vorax, tum quia in eius vigilantia et latratu conquiescit herus; alioqui contra fures ipse per se vel alios vigilaturus. Ita Scribæ et Pharisæi erant canes muti, quia devorabant substantiam sui gregis et populi, lac absumebant, lanam auferebant, carnes comedebant, ad cætera inutiles, imo noxii reip. quia in Christum salutis auctorem insurgebant. Unde secundo, Epiph. l. 3. contra Antidicomarianos; *canes muti*, ait, id est, rabidi: canes enim rabidi non latrant, sed silenter mordent quosvis, etiam dominos suos. Hosce enim in rabie non agnoscunt, sed in eos, æque ac in alienos irruunt et grassantur. Tales erant Scribæ et Iudæi, qui quasi rabidi, in dominum et salvatorem suum Christum, ac Christianos, irruerunt. Huic proverbio similia sunt illa veterum: *Bovem habet in lingua;* id est, pecunia corruptus silet. Erat enim nummus, puta didrachmon, bovis imagine insignitus, qui proinde *bos* vocabatur. Aliud huic simile est: *Multæ sub tegulis cubant noctuæ*, hoc est, pecuniæ sub tegulis latent, iisque obtectæ sunt. Hoc servus ille usurpavit, cum domini furtum indicaret. Athenienses enim nummum, quem tetradrachmon vocabant, noctua et Minervæ capite signare solebant.

Non valentes latrare.) Quia os habebant oppilatum, aut offa auri aut munerum, ut ait v. 11. aut eodem scelere, quod increpare debebant. Quomodo enim latrabit in avaros, luxuriosos, superbos, etc. doctor aut prædicator qui avarus, luxuriosus, superbus est? Huic enim os et fauces præcludit sua ipsius avaritia, luxuria, superbia, uti recte docet S. Gregor. in l. 1. Reg. c. 4. Narrat Plutarchus in Vita Demosthenis, eum auro fuisse corruptum ab Harpalo. Postridie, inquit, collo lana et fasciis diligenter obligato in concionem progressus cum excitaretur ad dicendum, nutu ostendit præclusam sibi vocem esse. Ibi homines faceti cavillantes dixerunt, non angina, sed argentangina oratorem esse correptum. Ita multi hodie laborant argentangina, quos exsilio mulctare et curare oporteret, uti mulctatus fuit Demosthenes.

Argentangina laborant canes muti.

Porro prædicatores congrue comparantur canibus, ob multas utrimque analogias passim cognitas. Quocirca S. Bernardi mater, cum eum utero gereret, visa est in somnis sibi videre se utero gestare catellum album, habentem dorsum rubeum, et latrantem; unde de eo consulens virum sanctum, ab illo audivit, hoc viso portendi, filium quem utero gerebat, fore egregium prædicatorem, qui sua lingua medicinali sanaret plagas multarum animarum, et allatrando hæreticis aliisque impiis tutaretur Ecclesiam Dei. Ita habet Vita S. Bernardi.

Videntes, id est, prophetantes et annuntiantes populo vana.) Id est, falsa, dicentes: *Pax, pax, cum non sit pax*. Rursum *vana*, id est, futilia, curiosa, quæ aures populi scalpunt, mentem, cor et vitia non tangunt, nec sanant. Sic enim canes, videntes noctu lunam moveri putantes esse animal vivum, v. g. furem qui accedat, latrant, sed latratu vano et inani: ita et hi in lunam latrabant.

Dormientes.) Ignavi canes dormituriunt: unde si quid vident et audiunt (auditu enim pollent) modice caput attollunt, et respiciunt; sed mox rursum illud in somnum reclinant, et se perinde habent ac si nihil vidissent. Tales erant Scribæ et Pharisæi; nam etsi legebant, quod in Bethlehem nasceretur Christus, quod magi eum requirerent, in adventu eorum paululum caput attollentes Scripturas evolverunt, sed mox rursum se somno suo dederunt. Idem fecerunt in rebus aliis, quæ ad salutem populi spectabant. Ita Forerius. *Non exiguum sibi damnum conciliat pastor, qui extra ovile dormit ovium. Somnolentia enim pastorum luporum est gaudium*, ait S. Ephrem tract. de Timore Dei, tom. 3. initio. Ex adverso Ægyptii bonum principem et rectorem significabant per canem vigilantem. Audi Horum l. 1. hierogl. 38. *Magistratum aut iudicem indicant pingendo canem, et iuxta eum regiam vestem.* Sicut enim canis est oculis acutissimis et vigilantissimis, ita debet esse et magistratus.

Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.) Vers. 11. Vocavit hosce canes mutos: iam vocat impudentissimos, tum quia instar canum effrontes erant, procaces et impudentes; tum quia, ut sequitur, insatiabilis et inexplebilis erat eorum cupido et ingluvies, ac consequenter et avaritia et rapacitas, ut patet v. 12. Hinc consequenter impudens et inexplicabile erat eorum odium in Christum, hæc eorum vitia arguentem, ait Theodor.

Nota est canis impudentia, et impudens voracitas, qua ita se cibo infarcit, ut stomachum oneratum vomitu levare debeat, ac mox fœde quod vomuit resorbeat; tales erant et inter hosce pastores, qui vomebant, ut rursus se ingurgitarent, uti dixit c. 28. 8.

Ita Diogenes ob libertatem carpendi, et ob impudentiam, qua instar canis publice utebatur venere, vocatus est Cynicus, id est, caninus, et canis. Aristippus philosophus, et Socratis discipulus, cum vidisset Diogenem olera lavantem, accessit: *Si Diogenes*, inquiens, *sciret uti regibus, non vesceretur crudis oleribus*. Contra Diogenes: *Si Aristippus didicisset esse contentus oleribus, non esset canis regius*, hoc est, non adularetur Dionysio regi, ut cibum ex aula eius caperet. Ita Laert. l. 2. c. 8. Idem rogatus: *Quid esset optimum?* Respondit: *Libertas*. Quæsivit ab eo Alexander Magnus: *Num se metueret?* Tum ille: *Quid es? Bonum an malum?* respondit Alexander: *Bonum. Quis igitur*, inquit Diogenes, *timet bonum?* Convicit, regem non esse timendum, nisi se malum esse profiteretur. Ita Laert. l. 6. c. 2. Rursum Alexander rogavit: *Num quid a se cuperet aut peteret?* Resp. *Nihil, nisi ut solis lucem, quam natura mihi dedit, umbra tua non adimas.* Idem: *Ad salutem opus esse* dicebat, *aut fidis amicis, aut acribus inimicis, eo quod illi monent, hi redarguunt et reprehendunt.* Idem oratores, qui in summo pretio apud Athenienses habebantur, vocabat *turbæ ministros* quod ad gratiam loqui cogerentur, ac serviliter adulari stolidæ multitudini. Idem rogatus, cur vulgo vocaretur *canis: Quoniam dantibus*, inquit, *blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo.* Idem rogatus: *Cuias esset?* ait: κοσμοπολίτης sum, id est, *civis mundi*, qui ubique est domi suæ, unde a nullo exsilium timet. Idem habitans in dolio, cum Alexander diceret, *velle se ei subvenire, quod diceret eum pluribus egere; Uter*, ait, *nostrum pluribus eget? Ego, qui ultra peram et pallium nihil desidero, an tu, qui non contentus patrio regno, tot periculis temet obiicis ut latius imperes; adeo ut vix totus orbis tuæ cupiditati videatur satis futurus?* Idem cuidam dicenti: *Multi te derident, o Diogenes: Et illos*, inquit, *fortassis asini.* Altero subiiciente: *Sed illi non curant asinos: Nihilo magis*, inquit, *ego ipsos*. Asinis irrisionem tribuit, quod sub-

Diogenes vocatus Cynicus, id est caninus, cur?

Diogenes cosmopolita.

inde nudatis dentibus, irrisionis speciem præbeant. Idem rogatus: *Qualis esset canis?* sunt enim canum varia genera, sunt enim venatorii, sunt aucupatorii, sunt custodes ovium et ædium, sunt qui habentur in deliciis, respondit lepide: *Esuriens, sum Melitæus; satur, molossus;* quod cibi appetens blandiretur, saturatus morderet. Hæc et plura Laert. in Diogene. Vides ergo in Diogene, quasi in speculo, qui sint canes, nunc libere latrantes, nunc adulantes, nunc impudentes.

Egregie vero S. Ambrosius ad Ruffinum aulæ magistrum, qui Theodosio persuadere nitebatur, se facilem cædis Thessalonicæ patratæ veniam, et ingressum in Ecclesiam impetraturum: *Videris mihi*, inquit, *Ruffine, canum impudentiam imitari. Nam tametsi tuo suasu tam crudelis facta est cædes, tu tamen ita perfricuisti os, ut nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem Dei insanivisse.* Instante Ruffino, ac obnixe veniam precante, dicenteque Imperatorem brevi subsecuturum, S. Ambrosius divino zelo accensus: *Ego*, inquit, *Ruffine, prædico me illum ab introitu sacri vestibuli prohibiturum: quod* B *si imperium mutarit in tyrannidem, cædem lubens equidem excipiam.* Dixit et fecit, fregitque Imperatoris animos sua constantia.

Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.) Forerius per *pastores*, recte accipit principes et magistratus civiles; ad hos enim ab Ecclesiasticis divertere Prophetam, eorumque avaritiam et crapulam taxare patet: inde enim nascebatur eorum insipientia, contraria sapientiæ politicæ, quæ ad regimen maxime est necessaria; unde eam a Deo petiit et impetravit Salomon 3. Reg. 3. 11. Alii tamen per *pastores*, accipiunt Scribas et sacerdotes, contra quos hactenus egit.

Omnes in viam suam (quocumque eos trahebat sua avaritia, gula, eiusque comes libido, a quibus sinebant se regi, quasi pecora, ut sequitur) **declinaverunt.**

A **Venite, sumamus vinum.**) Est mimesis, de qua canon 17. Est enim vox pastorum, id est, Scribarum. Illi enim asoti ad symposia, et compotationem se invicem hic adhortantur, dicuntque: *Venite, sumamus vinum, et impleamur ebrietate*, id est, vino aut sicera inebriante, uti dixi v. 2. c. 55. Nota: Vigiliæ pastorum nil ita contrarium est atque saturitas et ebrietas; hæc enim somnum, torporem, hebetudinem, tam corpori, quam animo inducit: unde et heri, qui canes alunt ad vigiliam, cavent ne saturentur, tum enim torpidi indormiunt; sed ut citra saturitatem comedant. Vers. 12.

Et erit sicut hodie, sic et cras, et multo amplius.) Notatur pastorum obstinatio et progressus in ebrietate, aliisque vitiis iam dictis. Hæc ergo sunt septem speculatorum et pastorum vitia, quæ hic taxat Propheta: primum, cæcitas et ignorantia; secundum, ignavia muta; tertium, otium et desidia; quartum, ingluvies; quintum, proprius sensus contemptis legibus, et dominium cupiditatis; sextum, inexplebilis avaritia; septimum, obstinatio. Septem pastorum et principum peccata.

Videant Episcopi, Pastores ac sacerdotes, æque ac principes ac magistratus, ne in Clero Christi, aut reipubl. hæc locum habeant aut capiant. Si enim hæc eos occupent, quid de grege eorum sperandum? Quocirca ebrietas aut libido in plebeio, simplex est peccatum; in sacerdote et magistratu, multiplex, quia multos offendit, et secum in eamdem foveam ac ruinam trahit. Graviter ergo Pastores Ecclesiæ monet S. Petrus epist. 1. c. 5. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Verum hac de re, plura dicenda sunt Ezech. 34.

CAPUT QUINQUAGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arguit Iudæos præsentes et futuros, qui iustos, præsertim Christum, spreverunt, vexarunt, illuserunt. Secundo, v. 5. arguit eorum idololatriam, quod insano animi impetu et studio, ad idola passim fabricanda et colenda raperentur instar meretricis, quæ ad amasios insanit. Unde iis minatur v. 12. vindictam et excidium Babylonicum. Tertio, v. 14. pœnitentibus, et ad Deum redeuntibus historice promittit reditum ex Babylone, per Cyrum, atque sub hoc quasi typo, promittit credentibus et pœnitentibus libertatem a peccati et diaboli servitute, simulque pacem, et bonorum copiam. Nam impiis non est pax, dicit Dominus.

1. Iustus perit, et non est qui recogitet in corde suo: et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intel-
ligat: a facie enim malitiæ collectus est iustus. 2. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in di-
rectione sua. 3. Vos autem accedite huc filii augurIatricis, semen adulteri, et fornicariæ. 4. Super quem
lusistis? super quem dilatastis os, et eiecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, semen mendax? 5. Qui
consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes pe-
tras? 6. In partibus torrentis pars tua, hæc est sors tua: et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium. Num-
quid super his non indignabor? 7. Super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum, et illuc ascendisti
ut immolares hostias. 8. Et post ostium, et retro postem posuisti memoriale tuum: quia iuxta me discooperui-
sti, et suscepisti adulterum: dilatasti cubile tuum, et pepigisti cum eis fœdus: dilexisti stratum eorum manu a-
perta. 9. Et ornasti te regi unguento, et multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul, et humiliata es
usque ad inferos. 10. In multitudine viæ tuæ laborasti: non dixisti: Quiescam: vitam manus tuæ invenisti, pro-
pterea non rogasti. 11. Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in
corde tuo? quia ego tacens, et quasi non videns, et mei oblita es. 12. Ego annuntiabo iustitiam tuam, et opera
tua non proderunt tibi. 13. Cum clamaveris liberent te congregati tui, et omnes eos auferet ventus, tollet aura.
Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meum. 14. Et dicam: Viam
facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei. 15. Quia hæc dicit Excelsus, et
sublimis habitans æternitatem: et sanctum nomen eius in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et hu-
mili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum. 16. Non enim in sempiternum litiga-
bo, neque usque ad finem irascar: quia spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam. 17. Propter iniqui-

*

tatem avaritiæ eius iratus sum, et percussi eum: abscondi a te faciem meam, et indignatus sum: et abiit vagus in via cordis sui. 18. Vias eius vidi, et sanavi eum, et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus eius. 19. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe est, et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum. 20. Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum. 21. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.

Vers. 1. Iusti quasi columna remp. sustentant.

IUSTUS PERIT, ET NON EST QUI RECOGITET.) Dixit cap. præced. v. 9. excidium Iudææ imminere, eo quod *omnes in viam suam declinaverunt*, et quod speculatores eius sint canes muti, ebriosi et dormientes. Hic aliam excidii dat causam, non activam, sed removentem, prohibens scilicet iustorum mortem et subtractionem. Iusti enim sunt columen reipubl. eamque sua iustitia, quasi columna sustentant, tum quia populum et principes verbo et exemplo ad virtutem excitant, suntque eis, quod est fermentum pani; tum quia suis meritis et precibus Dei iram cohibent, ne sæviat in populi peccata, eumque disperdat. Hoc est enim quod Deus ait Ierem. 5. 1. *Circuite vias Ierusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium, et quærentem fidem: et propitius ero ei.* Unde et Abrahæ promisit conservationem Pentapolis, si in ea decem iustos invenisset. Sensus ergo est, q. d. Isti speculatores et canes muti, dum ad pocula sedent, et audiunt aliquem iustum aut misericordem, id est, pium in Deum et patriam (hoc enim est Hebr. חסיד *chasid*) virum esse mortuum; nihil commoventur, nec cogitant de eius virtute, aut se pariter morituros, nec de iactura reipubl. quæ tale sui fulcrum et basin perdit.

Nota: Hæc generalia Prophetæ verba, proprie et primario, ad quosvis iustos spectare, sive qui fuerunt tempore Isaiæ, sive qui postea, ut patet v. 5. et sequent. ibique docet S. Hieron. Vide canon. 4. et dicta c. 1. v. 7. Ita Chald. S. Thom. Adamus, Forer. et alii. Unde Hebræi hæc referunt ad Prophetas et iustos, quos plurimos occidit Manasses, 4. Reg. 21. 16. Alii ad ipsum Isaiam, Ieremiam, et illius ævi Prophetas. Hi enim fere soli tunc erant iusti, ut colligitur Ierem. 5. 1.

Secundo tamen, per iustum, maxime intelligit Christum. Hic enim est iustus iustorum, cuius cædes per Scribas procurata, fuit causa excidii Iudææ per Romanos, de quo egit cap. præced. v. 9. Per *viros misericordiæ*, accipit Apostolos, eorumque successores et Martyres, quos Deus singulari misericordia indulsit et concessit orbi; ut quasi soles eum illuminarent, purgarent, perficerent, eique Dei misericordiam et gratiam impetrarent. Hi enim per crucem, lapidationem, aliosque modos, a Iudæis sunt interempti. quæ fuit pernicies ipsorummet Iudæorum. Ita S. Hieron. Cyrill. Procop. Theodor. Haymo, Hugo, Lyran. hic. Item Tertull. Iustin. Cyprian. Rupert. et alii apud Leonem Castrium.

Aliter hæc explicat S. Gregor. l. 5. Moral. c. 28. quasi dent causam, cur canes muti dent se otio, vino et somno, quia videlicet vident iustos, sobrios et laboriosos viros a potentioribus et voluptuariis rideri, vexari, imo occidi, q. d. Cum videamus ebriosos et impios prosperari, sobrios et pios affligi, demus nos potius ebrietati quam sobrietati, impietati quam pietati et iustitiæ.

A FACIE ENIM MALITIÆ COLLECTUS EST IUSTUS.) *Malitiæ*, id est, scelerum. Unde huc alludens Sapiens c. 4. 11. ait: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, etc.* alludit ad raptum Henoch. Secundo, *malitiæ*, id est, cladis et calamitatis, q. d. Auferet Deus iustos ex hac vita, ne videant mala et clades suæ gentis et sæculi. Sic Deus abstulit Iosiam, ne videret regni excidium et captivitatem Babylonicam, 4. Reg. 22. 20. Sic abstulit S. Augustinum Wandalis Hipponem obsidentibus. Sic felices illos qui Troiæ occubuerunt, canit Virg. 1. Æneid.

O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Hinc S. Gregor. l. 3. Dialog. c. 37. quærenti Petro, cur boni, qui aliis poterant esse ædificationi, e vita hac citius subtrahantur? respondet: *Malitia remanentium meretur, ut hi qui prodesse poterant, festine subtrahantur; et cum mundi finis appropinquat, electi tolluntur, ne deteriora videant. Hinc enim Propheta ait: Iustus perit, et nemo est qui recogitet in corde suo; et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat.* Ita dum Alphonsus cognomento Catholicus Galliciæ rex Ecclesiæ columen, et gloriosus Saracenorum triumphis, migravit ad Dominum an. Christi 757. in eius obitu auditæ sunt in aere voces laudantium Dominum et dicentium: *Ecce quomodo tollitur iustus ablatus a facie iniquitatis, et erit in pace memoria eius*, uti refert Tudensis, et ex eo Baron. anno Christi 757. in fine.

Si de Christo hæc accipias, Christus sublatus est a facie malitiæ (græce ἀδικίας, id est, iniquitatis et iniustitiæ) id est, a malitia Scribarum et pontificum. Ita Cyrill. Aliter Hieron. *A facie malitiæ*, id est, ait, ut tolleret hominum malitiam et peccata. Et Haymo: *A facie malitiæ*, ait, id est, ne quid deinceps in eum possit hominum vis et malitia.

VENIAT PAX.) Bene precatur, simulque prædicit iustos morientes in directione, id est, rectitudine, futuros in æterna pace et quiete, tum limbi ante Christum, tum cælestis thalami post Christum. Sic enim et nos defunctis bene precamur, dicentes: *Requiescant in pace.* Septuag. vertunt: *Erit in pace sepultura eius* (scilicet Christi; hanc enim nemo Iudæorum, Christi licet hostium, mira Dei providentia, impedivit) *ablata est de medio*, scilicet per Christi resurrectionem, cum Christus e sepulcro redivivus surrexit. Ita Patres citati v. 1. Vers. 2.

Vide hic, quibus mors sit pax et tranquillitas; scilicet iustis, qui eam perpetuo meditantur, et quare pii viri mortem exspectant, nimirum, ne videant mala sæculi, et ut in pace quiescant.

VOS AUTEM ACCEDITE HUC, FILII AUGURATRICIS.) A iusto qui perit, reflectit sermonem ad impios Iudæos, qui fuerunt a tempore Isaiæ usque ad Christum. *Filii* ergo *auguratricis*, sunt incolæ Hierosolymæ, divinationibus et auguriis dediti. Hebr. עונן *onen*, ab עין *ain*, id est, oculus, descendens. idem est quod oculavit, id est, oculis observavit, vel stellas, vel aves, vel exta, etc. ut ex illis superstitiose coniectet futura, vel occulta. Hisce enim dediti fuere Iudæi, quos proinde c. 2. v. 6. vocavit עוננים *onenim*, id est, oculatores, hoc est, observatores. Vers. 3.

Quocirca eosdem vocat: *Semen adulteri et fornicariæ*, id est, posteri et filii Synagogæ idololatriæ et superstitionibus addictæ. Notum est superstitionem et idololatriam in Script. vocari fornicationem et adulterium, qua urbs, vel anima a Deo sponso suo, ad idola, quasi ad adulteros, desciscit. Licet enim Iudæi tempore Christi non coluerint idola, erant tamen filii, id est, posteri, eorum qui idola coluerunt.

SUPER QUEM LUSISTIS? SUPER QUEM DILATASTIS OS, ET EIECISTIS LINGUAM?) Hæc ad quemlibet iustum, de quo v. 1. a Iudæis subsannatum, sed maxime ad Christum pertinent; uti docent Patres citati v. 1. qui hæc referunt ad irrisiones, ludibria, alapas, convicia, blasphemias et consputationes Christi; dilatare enim os, est conviciari, imo conviciorum plaustra evomere. Secundo, et planius: τὸ *dilatasti os, et eiecisti linguam* significat gestum petulantem insolentis turbæ, quo hiante ore, et lingua in modum canis exerta, contumeliose irrisit et subsannavit Christum; quod licet diserte non exprimant Evangelistæ, hinc tamen eos id fecisse liquet. Idque facile suadet petulantia et malignitas Iudæorum in Christum, ex qua et sputa, et sannas, et quidquid malignitas ei suggerebat, in Christum evomuerunt. Ita Sanchez. Vers. 4.

Iudæi linguis exertis irrisêrunt Christum.

Forerius hæc refert ad Iudæos idola colentes, qui in A sacrificiis eorum epulantes et incalescentes mero, laudabant idola, et Deum verum conviciabantur. Idem tamen addit: *Possumus hæc non de Deo accipere, sed de iustis, de quibus paulo ante loquebatur, et sanctis Prophetis, quos deridebant, et ludibrio habebant impii. Quem enim Prophetarum non occiderunt, aut persecuti sunt? uti est in Evangelio. Forte et in funere eorum festa agebant, et insaniam eorum decantabant, et quod ab eorum increpationibus liberi essent, sibi mutuo congratulabantur. Cui expositioni, quæ sequuntur non parum favent.*

SEMEN MENDAX.) Hoc est, adulterinum vel degener, q. d. Vos estis Abrahæ filii non veri et sinceri, sed spurii et degeneres, quia ab eius fide et pietate degeneratis ad idola et scelera. Alludit ad semina, quæ vel vitio suo, vel vitio terræ a sua specie et natura, in aliam viliorem degenerant. Sic enim de tritico degenerante scribit Columella l. 2. c. 9. *Omne triticum in loco uliginoso post tertiam sationem convertitur in siliginem.* Cuius rei experientiam in agro paterno apud Belgas vidi.

Vers. 5 QUI CONSOLAMINI (consolationem quæritis et capitis) IN DIIS.) Hebr. est נחמים *nechamim*, quod a rad. נחם *nacham*, significat *qui consolamini;* a rad. vero חמם *chamam*, significat *qui incalescitis*, ut vertunt Vatabl. et Pagnin. q. d. Vos videmini furiis et œstro agi ad colenda idola, adeo ut et naturalis amoris obliti parvulos vestros iis immoletis. Alludit ad vesanos amores et æstus meretricis, de qua dicit Ierem. c. 2. 20. *In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix.*

SUBTER EMINENTES PETRAS.) Hæ enim excavatæ et obscuræ animum quadam religionis suspicione percutiunt, ait Seneca l. 5. c. 41. quasi ex spelunca vel antro prodiret numen. Unde ibi erigebant aram; simul ut ibi a pluvia et ventis essent tuti, atque semoti a strepitu, tranquillius sacra peragerent.

Vers. 6. IN PARTIBUS TORRENTIS PARS TUA.) q. d. *Pars* id est sors tua, divitiæ et deliciæ tuæ sunt, colere non Deum, C qui antea erat pars hæreditatis tuæ; sed idola, in torrentibus, id est in vallibus, per quas ex montibus torrentes decurrunt; oriuntur enim torrentes ex montibus. Unde in hac eorum origine quasi quid divinum esset, constituebant aras, uti docet Seneca loco citato. In hac ergo aliave simili parte torrentis sacrificabant. Secundo non male Vatabl. et Forer. vertunt: *In levibus, glabris*, vel *politis* (hoc enim significat etiam Hebr. חלקי *chalake*) *lapidibus torrentis pars tua*, q. d. Cum vides pulchrum aliquem et ex perenni alluvione aquæ lævigatum, aut aliunde politum lapidem positum in torrentibus, illum adoras, et ab eo portionem hæreditatis æternæ expectas; vel illi tam fidis, illum tam amas, quam portionem hæreditariam.

Vers. 7. CUBILE.) Id est, altare. Persistit in metaphora adulterii. Ita enim sæpe vocatur idololatria.

Vers. 8. ET POST OSTIUM, ET RETRO POSTEM, q. d. Non tantum in montibus, sed et post ostium, POSUISTI MEMORIALE TUUM.) Id est, idolum dei tui, ut illud quasi tute- D læ simulacrum, tam intrans domum, quam exiens, adorares, feliceinque et faustum ingressum et egressum, id est, omnes actiones ab eo prosperari posceres. Ad hoc enim veteres ponebant in ædibus suis deos, quos Romani Lares vocabant, eisque suffitum adolebant, scilicet, ut hi tam ædes quam incolas defenderent et fortunarent. Ita S. Hieron. *Nullus*, inquit, *fuit locus, qui non idololatriæ sordibus inquinatus sit, in tantum, ut post fores domorum idola ponerent, quos domesticos appellant Lares: et tam publice quam privatim animarum suarum sanguinem funderent. Hoc errore, et pessima consuetudine vetustatis, multarum provinciarum urbes laborant: ipsaque Roma orbis domina in singulis insulis domibusque Tutelæ simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium isto appellant nomine, ut tam intrantes quam exeuntes domos suas inclyti semper commoneantur erroris.* Vide Alexand. ab Alexandr. l. 5. Genial. c. 24.

Hæc fuit Gentilium idololatria: pie vero Christiani permulti, vel ante ædes, vel in ipsis ædibus et officinis collocant imagines B. Virginis, aliorumque Sanctorum, quasi patronorum et tutelarium: atque vespere ante illas cereos vel lampades accendunt, tum ut eos venerentur, tum ut iugem eorum memoriam et imitationem refricent, tum ut eos invocent, et benedictionem tam temporalem quam spiritalem impetrent. Nec enim decet ab impia superstitione Gentilium vinci piam religionem fidelium, qui proinde sibi et aliis iugem Dei et Sanctorum memoriam ac præsentiam, per cruces, imagines, altaria, etc. exhibere et repræsentare debent. Sancti tutelares fidelium, ut colendi.

QUIA IUXTA ME DISCOOPERUISTI lectum, ET in eo SUSCEPISTI ADULTERUM.) q. d. Non tantum foris sed et in mea domo, id est templo, quasi in eodem cubili et lecto, ascivisti in mei iniuriam adulterum, id est idolum et dæmonem.

Notat Achaz regem, qui in templo Dei posuit et coluit B deos Damasci, 4. Reg. 16. 10. Idem fecit Manasses, 4. Reg. 21. 4. Unde et Ezechiel c. 8. 14. queritur Iudæos Adonidis simulacrum in templo posuisse. Et Ierem. c. 32. 34. *Posuerunt*, ait, *idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum.* Addit Sanchez, notari immolationem et concremationem filiorum in Topheth, quæ erat iuxta Ierusalem et templum.

DILATASTI CUBILE TUUM.) Notat Achaz, quia altare solito maius, instar altaris Damasceni, Baal erexit. Rursum arguit, quod quam plurimas, passim in lucis, vallibus et torrentibus, aras idolis construerent. *Dilatasti* ergo, id est multiplicasti.

DILEXISTI STRATUM EORUM, adulterorum, scilicet idolorum, MANU APERTA.) Id est opere, studio ac gestibus meretriciis, non occultis, sed manifestis et publicis. Meretrices enim gestu manuum illecebroso alliciunt amasios. Alii, *aperta manu*, inquiunt, id est liberaliter dans et largiens eis multa munera, puta victimas, ornamenta, oblationes, etc. Tertio, Forer. *aperta manu*, id est profuso opere et monumento, fabricando scilicet eis templa, aras, titulos, aliaque monumenta publica.

ORNASTI TE REGI UNGUENTO.) Biblia Plantin. pro *regi*, Vers. 9. habent *regio*, id est, optimo et præstantissimo: sed legendum est *regi*. Ita enim habent Hebr. et Latina Romana. Per *regem* S. Hieron. Rupert. Sanchez et alii accipiunt idolum Moloch: hoc enim hebr. regem significat, cui Iudæos idololatras se ornasse et unxisse, ut eum ita colerent magnificentius, instar sponsæ, imo meretricis (ad eam enim passim hic alludit) indicat et arguit hic Isaias. Aliter Forer. qui per *regem* accipit regem Assyriorum, cui, inquit, Iudæi occurrerunt cum unguento et multiplicibus pigmentis, quasi meretrix, quæ adultero vult placere. Rursum per hæc, intelligit balsamum, aliasque pretiosas merces et munera, quas eidem obtulerunt, ut eum sibi conciliarent. Huic sensui nonnihil favet, id quod subdit: *Misisti legatos tuos procul.*

MISISTI LEGATOS TUOS PROCUL.) q. d. Non contenta patriis et vicinorum idolis, etiam legatos misisti ad remotos Assyrios, Chaldæos et Ægyptios, indeque tibi amasios, id est idola, accersivisti. Idem fuse tractat Ezechiel c. 23. 16.

ET HUMILIATA ES USQUE AD INFEROS.) q. d. Quæ olim cultrix Dei eras sublimis et gloriosa, iam cultrix dæmonum, depressa es in lupanar et barathrum libidinum, id est idololatriæ. Hebræi enim dicunt fœminam humiliari, cum cognoscitur et violatur; hæc enim est summa eius humiliatio, id est ignominia et vilitas. Vide dicta Ierem. 2. 16.

Ita Monachus ille, uti refert S. Ioannes Abbas apud Pallad. in Lausiaca c. 44. superbe fidens suæ sanctitati et meritis, tentatus et victus a dæmone apparente ei in specie mulieris, et illiciente eum ad libidinem, dum cum eo congredi vellet, spectrum evanuit, atque audita est vox dæmonum irridentium in aere, ac dicentium: *Qui se exaltat, humiliabitur. Tu vero usque ad cælos es quidem exaltatus, humiliatus vero es usque ad abyssos.* Quare despe-

rans Monachus in mundum reversus est.

Vers. 10. In multitudine viæ tuæ laborasti: non dixisti: Quiescam.) *Viam* vocat vitæ institutum, mores, religionem, studium scilicet multiplicandi idola, q. d. In accersendis undequaque omnium Gentium idolis, iisque multis fabricandis, erigendis, ornandis, colendis, laborasti et fatigasti te; nec tamen vis quiescere, sed quasi eorum amore insana, magis in dies in iisdem laboras et frustra fatigas te. Pro *quiescam*, Vatab. et Forer. vertunt, *desperatum est*, aut, *deficit me animus* (hoc enim significat Hebr. נואש *noas*) ideoque fessa quiescam, ut recte vertit Noster.

Nota: Mira fuit Gentium, quas Iudæi imitati sunt, in idolis et diis multiplicandis vesania. Eo superstitionis devenit cæca Gentilitas, ut cuilibet herbæ, radici et rei suum assignaverit Deum. Ita Pomona ab eis consecrata est dea pomorum, Mellona mellis, Flora florum, Cardea cardinum, Hippona equorum, Bubona boum, Segesta segetum, Seia seminum, Agonius rerum agendarum, Aius sermonis, Priapus hortorum, Hymenæus nuptiarum, Fidius fidei, Angerona silentii, Meditrina medicamentorum, Limentinus liminum, Myagrus muscarum, Portunus portuum, Eanus peregrinantium, Ianus ianuarum, Momus reprehensionis, Consus consiliorum, Vitumnus vitæ, Rubigus rubiginis, Æolus ventorum, Sentinus sensus, Vallonia vallium, Vitula lætitiæ, Hebe iuventutis, Mania larium (tres enim in ostio posuerunt deos tutelares, ut patet ex dictis) Libitina sepulcrorum, Pitho eloquentiæ, Carmenta fatorum, Volupta voluptatis, Rumilia puerorum lactentium, Pecunia æris, Collina collium, Tutilina defensionis, Numeria numerorum, Edulica eduliorum. Quin et morbis ac vitiis: sic Æsculapius erat Deus ægrorum, Libentina libidinum, Mena menstruorum, Vacuna vacantium et otiosorum.

Denique divinitatem ipsis non tantum virtutibus, sed et vitiis morbisque assignarunt, ut pudicitiæ, concordiæ, menti, clementiæ, fidei; pariter et pesti, febri morti, senectuti, paupertati, fortunæ, risui. Quo delabitur, in quod barathrum ruit homo deserens Deum et desertus a Deo?

Vitam manus tuæ invenisti.) Primo, Leo Castrius *vitam*, ait, id est desiderium, *manuum*, id est affectuum tuorum (hi enim sunt quasi manus animi) q. d. Invenisti quod desiderabas et optabas, scilicet amasium tuum idolum. Secundo, q. d. *Vitam*, id est opes multas, quibus vivas et vitam splendidam agas, *manuum* labore acquisivisti; propterea neglexisti Deum, nec eum rogasti. Divitiæ enim divites inflant, ut iis confisi, Deum negligant. Ita S. Hieron. et Forer. qui et addit: In nomine *vitam* est ironia. *Vitam* enim vocat pestem, ipsamque mortem, quam tamen ipsi vitam reputabant. Ita hodie multi laborant et sudant, ut status et opes, quibus laute vivant, consequantur, et putant iis se vitam parare, cum laqueum animæ et sæpe corporis sibi parent. Tertio et optime, *vitam manus* vocat idola manu facta; tum quia ab illis opes et necessaria, imo lautitias vitæ sperabant; tum quia illorum erant amasii. Hos enim meretrices solent vocare suum cor, suam animam, suam vitam. Unde sequitur: *propterea* Deum *non rogasti*. Est ironia, uti iam dixi.

Non rogasti.) Forer. vertit, *non doluisti;* Vatabl. *non languisti*. Hebr. enim חלה *chala*, significat infirmari, indeque orare per metalepsin. Infirmitas enim docet hominem orare.

Vers. 11 Pro quo sollicita timuisti.) Nota hæc per interrogationem esse legenda, q. d. Ecquid timuisti? quorsum timuisti idola? ne amitteres necessaria vitæ? ut mentireris, id est, falleres fidem coniugalem et pactum meum initum, tum generatim Exodi c. 24. tum particulatim in circumcisione cuiusque. Me enim, meamque iram et vindictam magis timere debueras. Licet enim adhuc taceam tamen brevi ut parturiens loquar, et publice coram toto mundo, annuntiabo iustitiam, id est iniustitiam tuam, tradendo te hostibus, ut omnes videant te ob scelera iis tradi, et per eos a Deo puniri. Est enim ironia et anti-

A phrasis. Ita S. Hieron.

Aliter Sanchez, q. d. *Pro quo sollicita timuisti?* quidnam eorum, quibus divinum in te furorem inflammabas, tibi terrori fuit? q. d. Nihil. Peccasti enim imperterrita et impudens, fallendo fidem et pactum, eo quod videres me tacere et silere. Ergo mea clementia facta es audacior et procacior; cum potius ex ea, ad me redamandum et requirendum, allici et invitari debueris.

Opera tua non proderunt tibi.) *Opera tua*, scilicet Vers. 12. ficta et hypocritica, quibus iniustitiam tuam celare et velare conaris: vel *opera*, id est idola. Ita Vatabl. Forer. Unde sequitur.

Cum clamaveris (afflicta ab hostibus, præsertim Chal- Vers. 13. dæis, in Babylone captiva) liberent te congregati tui.) Dii scilicet tui, quos tibi congregasti coluistique, ac Gentes idololatræ tibi fœderatæ et in auxilium tuum congregatæ. Hoc est quod eis prædixit Moses Deut. 32. v. 37. et 38. *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant, et opitulentur vobis.* Est sarcasmus.

B Et (id est *sed*, ut vertit Vatabl. hoc enim quoque significat Hebr. ו *vau*) omnes eos auferet ventus.) q. d. Dii et Gentes, licet congregati et plurimi usque adeo leves et imbelles sunt, ut non secus atque paleæ, et stipulæ a vento aut aura leniter aspirante iactandæ et dispellendæ sint. Deus enim instar venti levissime et facillime illos et te una cum eis, disperdet. Sic ait Euripid. Troad. *Argivorum probra, et Phrygum præconia Ventis ferenda trado:* et Propert.

Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusque Notusque
Iactat odoratos vota per Armenios.

Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram.) q. d. Longe aliter accidet his, qui se suamque salutem et vitam mihi crediderunt. Illi enim terram sibi promissam, montemque Sion tum terrestrem, tum cælestem possidebunt. Significat Iudæos, non idolis, sed Deo credentes, et in eum sperantes, e Babylone in Ierusalem redituros: sed sub iis intelligit iustos; sperantes in Deum

C possessuros tum Ecclesiam tum terram viventium in cælis. Ita S. Hieron. S. Cyrill. S. Thom. Haymo, Forer. et alii.

Quocirca Theodor. non male per *terram* hanc accipit Iudæam, et totum orbem, per quem Christi Ecclesia est sparsa; ita ut fidelis Ecclesiæ civis per eam quasi hæreditet et possideat totum orbem; hocque hic promitti. *Fideli ergo totus mundus divitiarum est.* Fideli totus mundus divitiarum est.

Et dicam: Viam facite.) Hebraice סלו סלו *sollu, sollu*, id est *sternite, sternite*, vel *elevate, elevate*, id est Vers. 14. aggesta terra munite et aptate viam, ut muniuntur et aptantur viæ in locis palustribus. Ita Vatabl. et Forer.

Declinate de semita.) Id est de semita repurgate, everrite sordes, saxa, ligna, etc. Hebr. est פנו דרך *pannu derech*, id est *date faciem*, id est planam et pulchram superficiem, *viæ;* vel *angulate viam*, id est, ad angulum et libellam æquate viam. Sensus est, q. d. Complanabo, facilemque et expeditam faciam viam per Cyrum, Iudæis fidelibus Babylone redeuntibus. Multo ma-

D gis dicam Apostolis: Complanate viam credentibus et contendentibus in Ecclesiam, ac postea per eamdem pergentibus in Sancta sanctorum in cælis. Ita S. Nazianz. orat. ad adventum 150. Episcoporum, et S. Hieron. ac Cyrill. qui aiunt idem hic dici cum illo, quod prædixit c. 40. 3. *Parate viam Domini.*

Excelsus, et sublimis, habitans æternitatem, etc.) Vers. 15. Est hypotyposis et viva descriptio divinæ maiestatis. Hanc enim opponit vilibus, mutis, impotentibus, saxeis et ligneis idolis. Ubi nota miram amplitudinem Dei et magnificentiam, qua summe distantia et extrema combinat: nimirum, iungit summum et imum, puta cælum et humilem. Sicut enim habitat in cælo, sic et in humili. Rursum iungit æternitatem et contritionem, sive contritum et contusum. Sicut enim habitat in æternitate: ita et in contrito, quasi in tabernaculo et templo suo: nempe Deus ita humiles et contritos elevat usque in cælum, usque ad æternitatem.

Deus iungit summum et imum, cælum et humilem.

Pulchre S. August. in Ps. 112. ad illud: *In altis habitat, et humilia respicit Deus,* ait: *Sic exaltat humiles, ut non faciat superbos. Itaque et in altis habitat, quos exaltat, facitque sibi eos cælum, hoc est, sedem suam; et hos tamen non superbos, sed semper subditos: intuendo etiam in ipso cælo humilia respicit, in quibus excelsis habitat. Spiritus, enim per Isaiam ita loquitur* (citat hunc locum iuxta Septuag.) *Hæc dicit Altissimus in excelsis habitans, in æternum nomen eius: Dominus altissimus in sanctis requiem habens. Exposuit quod dixerat, in excelsis habitans. Hoc enim plenius elocutus, In sanctis, inquit, requiem habens. Sed qui sunt sancti, nisi humiles, qui pueri laudant Dominum? Itaque adiungit. Et pusillanimis dans magnanimitatem, et dans vitam, qui in humilitate cordis sunt. In quibus sanctis requiem habet, his pusillanimis dat magnanimitatem, Dans utique magnanimitatem excelsos facit, in quibus requiem habens in excelsis habitat; sed quia pusillanimis dat magnanimitatem, eadem excelsa in quibus habitat, humilia respicit:* Et inferius: *Humilia respicit Deus in cælo et in terra; quia meminerunt utique quid fuerint per suam malitiam*, scilicet terra et terreni: *quid facti sint per Domini gratiam*, scilicet cælum et cælestes.

Deus habitat æternitatem, quam? **Habitans æternitatem.**) q. d. Habitans cælum empyreum incorruptibile et æternum. Secundo, *habitans æternitatem*, id est, in æternitate, in regione æterna, cuius mensura est non tempus hominum, non ævum Angelorum, sed *æternitas SS. Trinitatis.* Tertio, proprie *habitans æternitatem*, id est, habitans in seipso, quia est sua *æternitas*, habitans in sua deitate, quæ est ipsamet *æternitas*, æque ac *immensitas.* Sicut enim hæc deitatis extensionem, ita illa eiusdem durationem, quasi mensurat. Nec enim illa loco aut tempore alio creato mensurari potest. Hinc Deuter. 33. v. 26. et 27. Deus vocatur *ascensor cæli: habitaculum eius sursum;* hebr. *habitaculum eius antiquitas*, hoc est, *æternitas.* Vide ibi dicta. Deus ergo ex altissima æternitatis specula, omnia tempora, præsentia, præterita et futura infra se labentia, circulantia, fixus et immotus consistens, contemplatur.

Qui ergo anhelas ad Deum, ascende e terra in cælum, a carne ad spiritum, ab hominibus ad Angelos, a tempore ad æternitatem. *Deus* enim *est, cuius natura est maiestas, cuius locus est immensitas, cuius tempus est æternitas, cuius vita est sanctitas, cuius vis est omnipotentia, opus misericordia, ira iustitia, thronus sublimitas, sedes humilitas.* (Pulchra Dei descriptio.) Pro *habitans æternitatem*, id est æternus, Syrus vertit subinde, *gigas sæculorum.* Ubi nota: Syri passim in officio divino eleganter et significanter Deum vocant *gigantem sæculorum.* Primo enim *gigas* significat Dei magnitudinem, maiestatem et immensitatem, qua res omnes superat, cæloque et toto orbe eminet uti gigas in cœtu populi. Secundo, significatur Dei fortitudo, potentia et dominium, quo in sæculis omnibus dominatur ut gigas Pygmæis. Tertio, significatur Dei æternitas, quæ se per omnia sæcula quasi gigas extendit, illa implet, illisque æquatur, imo illa transcendit et complectitur, uti gigas complectitur pusionem. Sicut ergo Deus a Paulo 1. Timoth. 1. 17. vocatur *rex sæculorum;* a Mose Deut. 33. 26. *ascensor cæli; habitaculum eius æternitas: et subter brachia sempiterna*, hebr. *sub brachiis eius sæculum*: ita a Syris vocatur *gigas sæculorum.* Sic a Daniele, imo a Nabuchodonosor Daniel 3. v. 100. Deo datur hoc elogium: *Regnum eius regnum sempiternum, et potestas eius in generationem et generationem.* Et ab Isaia c. 41. v. 4. *Vocans generationes ab exordio. Ego Dominus; primus et novissimus ego sum.* Et a S. Ioanne α et ω Apoc. 1. 8.

Argumentum Prophetæ est tale: Dei tanta est sublimitas, amplitudo et magnificentia, ut, cum sit excelsus, humilia respiciat; cum sit in cælo, consideret ea quæ sunt in terra; adeoque eum cælum inhabitet, cohabitet quoque humilibus et abiectis; rursum cum sit æternus et impassibilis, contritos tamen et contusos curæ et cordi habeat, ut eis medeatur: ergo decet eum non in perpetuum litigare; sed in Babylone et captivitate humiliatos, contritos et confractos reducere, curare et sanare. Qui ergo calamitatibus fracti estis, sperate, quod Deum, quem iratum experti estis, benignum rursum et clementem mox experiemini. Nam mortalia et temporalia curat æternus; fracturas peccatorum sanctus, humiles et abiectos excelsus et sublimis. Atque hac in re vult nos eum imitari, eique cooperari. Ita Forer.

Ut vivificet.) Ut recreet, erigat, restauret, itaque quasi vivificet. Humiles enim et contriti, vel ex afflictione quam patiuntur, vel ex demissione et compunctione, videntur mortificati et quasi mortui voluptatibus huius vitæ et rebus huius mundi. Unde Deus eos erigens, consolans et lætificans, eos rursum vivificat. Ita Sanchez. Huc alludit S. Paulus: *Qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus*, 2. Corinth. c. 7. v. 6.

Usque ad finem.) Deus noster in finem diligit, quia in finem amoris et terminum, ultra quem amor progredi non potest, pertingit. Hoc est quod de Christo ituro ad mortem ait S. Ioannes c. 13. 1. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem* (tum vitæ, tum amoris) *dilexit eos.* At non in finem irascitur; neque enim iratus fundum iræ exhaurit, ut tantum puniat, quantum vel ira suggerit, vel peccata nostra merentur. Hinc cum Deus diutius in ira persisteret, orat Psaltes: *Ut quid, Domine, irasceris in finem?* Vers. 16.

Quia spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam.) Primo, Hieron. Prado sic explicat, q. d. Effundam furorem meum in impios cum flatu et salivis, quasi iram despumando. (Spiritus quintuplex.)

Secundo, Hugo, q. d. Efflabo et expirabo meam iram: itaque non irascar in finem; sed irasci desinam ac Iudæos Babylone reducam. Sic enim irati crebra respiratione et anhelitu efflant et expirant suam choleram.

Tertio, idem Hugo, q. d. Impii quasi adverso vento acti sunt in syrtes et scopulos, puta in Babylonem; sed ego secundum ventum eis adspirabo, ut inde in portum salutis et patriam navigent.

Quarto, et magis genuine, *spiritus et flatus*, id est animas ego facio et creo, q. d. Ideo eas quas creavi amo, misereor, eorumque delictis, si humilientur et conterantur, ignosco. Non ergo iis, quæ a me habent ut vivant et spirent, irascar in perpetuum. Ita Theodot. Chald. Cyrillus, S. Hieron. et August. epist. 146. Adamus, Forerius et alii. Alludit ad Genes. c. 2. v. 7. *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ.*

Quinto, alii per *flatum*, accipiunt animam; per *spiritum*, Spiritum sanctum, eiusque gratiam et vim animæ a Deo afflatam. Ita Haymo et Tertull. lib. de Anima c. 11. et S. August. l. 7. de Genes. ad lit. c. 14. Unde Symmach. Aquila et Theodot. vertunt: *Spiritus qui omnia obtegit et circumdat*, scilicet, qui vegetator et vivificator est omnium. Hinc et Plato dixit Deum esse spiritum et animam mundi, q. d. Uti ego creavi animas, ita eis dabo Spiritum sanctum: cur ergo eis irascar in finem? Sane non irascar; sed iram vertam in clementiam et misericordiam. Hic sensus potius mysticus est quam litteralis.

Verum Nota: Pro *egredietur*, hebr. est יַעֲטוֹף *iaatoph*, cuius radix עָטַף *ataph*, cum dicitur de anima, vita vel spiritu hominis, significat illa occultari, obtegi et obrui, ut cessent, nec amplius conspiciantur, ut fit in ingentibus animi et spiritus afflictionibus, angustiis et lipothymiis, cum deficiunt, et deliquium patiuntur. Sensus ergo est, q. d. Ego sum qui humilium et contritorum spiritus, id est animas et halitus vitales deficere et quasi egredi facio: ego etiam sum qui rursum easdem facio, id est reficio, recreo et vivifico: *ego sum qui mortifico, et vivifico: qui deduco ad inferos, et reduco.* Quare non irascar in finem: sed cum animas per captivitatem, similemve ærumnam humiliavero et contrivero, rursum earum misertus, eas erigam, consolabor et lætificabo. Ita Forer. Unde et Leo Hebræus vertit: *Quia spiritus ante faciem meam deficiet, et flatus ego feci.*

Quare minus recte (multa enim supplere coguntur) Symmachus et Aquila vertunt active: *Spiritus meus qui*

a facie mea egreditur, operit, obtegit, occupat omnia, q. d. Ego sum qui spiritu meo vivifico omnia. Minus recte et Vatabl. sic vertit et explicat: *Spiritus a conspectu meo induet corpus, et animas ego creavi*, id est, ego creo spiritus et animas, quas postea in corpus immitto, eoque quasi veste induo.

Nota *egredietur*, id est egredi solet. Futurum enim Hebræis significat consuetudinem. Loquitur de gravi tribulatione, mœstitia, angustiis, in quibus quasi anima obrui et egredi videtur; quam Deus per lætitiam et consolationem quasi restituit et vivificat, uti dixi. Quocirca tristibus et anxiis hic versus recte accommodatur: hi enim habent spiritum obtectum, obnubilatum, et quasi egredientem e suo statu et loco. Loquitur enim Propheta, non de prima creatione sed de recreatione, consolatione et lætificatione animarum, tum in Babylone, tum sub peccato et dæmone captivarum et graviter afflictarum. Unde subdit: *Sanavi eum, et reduxi eum, et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus eius.*

Denique το *iaatoph* valde apte verti potest sic: *Spiritus a facie mea obtegetur*, vel, *involvetur*, id est, *involutus exibit*, uti halitus exit ab ore convolutus tempore frigoris. Simili enim modo Deus quasi exspirat spiritum et animam hominis, dum eam creat et in corpus immittit. Unde explicans, subdit: *Et flatus ego faciam.* Hoc enim posterius hemistichium more Hebræo, explicat prius. Huic sensui favet nostrum *egredietur*, et communiter interpretes, uti dixi expositione quarta.

Vers. 17. Propter iniquitatem avaritiæ eius iratus sum.) Hæc est avaritia, de qua Scribas culpavit cap. præced. v. 11. fuitque hæc mater et origo omnium vitiorum. Nam, ut ait Apostolus, *radix omnium malorum est cupiditas*, græce φιλαργυρια, id est amor argenti. Quare pronomen *eius*, refert το *Israelis*, quasi substantivum notum ex circumstantiis, iuxta canon. 17. Vere S. Gregor. 15. Moral. c. 12. *Avaritia desideratis rebus non exstinguitur, sed augetur.*

Secundo, S. Hieron. per *avaritiam*, accipit peccandi libidinem insatiabilem. Hebr. enim בצע *betsa*, quamvis cupiditatem significat. Et sic *avaritiam* pro libidine accepit Apostolus Ephes. 4. v. 19. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.*

Mystice, avaritia spiritalis est, cum in docendo, concionando, et iuvandis proximis quis parcus est, torpidus et frigidus, cum gratia Dei parce utitur, cum dona Dei sibi data parce et ægre aliis communicat: huic irascitur Deus et sæpe dona data aufert, et sinit eum vagari et sequi suas concupiscentias.

Abscondi a te faciem meam.) Hebr. est: *Percussi eum abscondendo*, id est, percussi eum abscondite et latenter, ait Forer. Putabant enim Iudæi se a Chaldæis percuti, sed Deus erat qui latenter per eos percutiebat peccatores. Secundo, melius Noster in *abscondi* solitum accusativum subintellexit, scilicet, *faciem meam*. Sequitur enim: *Et indignatus sum.* Indignabundi enim faciem avertunt ab eo cui indignantur, itaque eam ab illo abscondunt.

Et abiit vagus in via cordis sui.) Hæc gravis est pœna, cum quis a Deo derelictus sinitur vagari, et impune sequi suas concupiscentias, iuxta illud Ps. 80. 13. *Dimisi eos secundum* (id est *in*) *desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Alludit ad Cain, qui post fratricidium dixit: *Ero vagus et profugus in terra*, Gen. 4. 14. Pro *vagus*, hebraice est *conversus*, vel *reversus*. Unde Septuag. vertunt, *mœrens*, quod S. Chrysost. ad Theodor. lapsum et alii exponunt, *pœnitens*: quasi hæc fuerit causa eius quod sequitur: *Et sanavi eum, et reduxi*, q. d. Populus mœrens abiit captivus in Babylonem: unde hac calamitate ad se reversus pœnituit; quocirca e captivitate eum liberavi, et in patriam reduxi. Ita S. Thom. Forerius, Hugo et alii. Verum nostra versio priorem sensum requirit. Nam vagari in via cordis est sequi concupiscentias, non autem duci in Babylonem.

A Vias eius vidi, et sanavi eum.) q. d. Vidi eum vagum et errantem, ac abeuntem in ruinam; misertus ergo eius sum tandem, eumque per flagella, piasque inspirationes excitavi, ut suum errorem periculumque agnosceret, ac ad me rediret; itaque redeuntem sanavi. Loquitur de Iudæis in Babylone captivis ibique pœnitentibus, quos proinde Deus et anima et corpore sanavit, ac reduxit in patriam. Sed sub his intelligit infideles et peccatores, vagantes per idola ac vitia, tandemque pœnitentes, quos Deus sanat, et reducit ad Ecclesiam pristinumque gratiæ et gloriæ gradum. Vers. 18.

Et reddidi consolationes ipsi (populo meo vago iam dicto) et lugentibus eius.) *Et* significat, *id est*, q. d. Consolatus sum populum, id est, lugentes, id est afflictos et pœnitentes, in populo. Loquitur de reductione e Babylone, et antitype, e peccato. Nam typum cum antitypo sæpe coniungunt Prophetæ. Ita Forer. et S. Hieron. Vide canon. 5. Huc alludit Christus Matth. 5. 5. *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Chald vertit:
B *Dedi consolationes ipsi et his qui lugebant super eos*, puta, amicis et vicinis lugentibus Iudæorum casum et ærumnas.

Creavi fructum labiorum pacem.) Primo, per *fructum labiorum*, Hugo et Adamus accipiunt mercedem orationis, quæ labiis proferri solet, ut sit metonymia, q. d. Dedi Iudæis in Babylone et quibusvis peccatoribus afflictis, lugentibus ac pœnitentibus, meque invocantibus, pro fructu et mercede orationis suæ pacem. Nihil enim mentem in omni tribulatione, ac præsertim in contritione ac pœnitentia, ita serenat ac pacatam reddit, ac oratio. Pro *fructum* enim hebr. est ניב *nib*, id est *proventum*. Porro pax Iudæis data per Cyrum typus fuit pacis, id est, libertatis, quietis et affluentiæ bonorum spiritualium datæ per Christum. Hic sensus maxime planus, ideoque genuinus videtur. Denique, *creavi*, id est, creabo. Pax enim hæc utraque tam nova, tam mira, tam magna et divina fuit, ut vere dici potuerit a Deo creata. Sic Vers. 19.
C enim in Scriptura creari dicitur res misera, afflicta et quasi emortua, cum renovatur, restauratur, novumque vigorem et vitam accipit. Sic orat Psaltes, ut Deus plantas, resque omnes hieme algidas et quasi emortuas in vere revirescere et reviviscere faciat, dicens Ps. 103. v. 30. *Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Sic David ob peccatum adulterii spiritaliter mortuus, iam pœnitens orat Ps. 50. v. 12. *Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Sic cap. 65. v. 17. inquit Deus quod in resurrectione creabit cælos novos et terram novam. Sic in Pentecoste oramus Spiritum sanctum:

Veni, Creator spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Secundo, Vatabl. et Forer. per *fructum labiorum*, accipiunt communem sermonem et loquendi materiam, q. d. Innovaturus sum sermonem populi huius: qui enim
D ante habebat in ore bellum et ultionem, posthac loquetur de pace, quæ continget ipsi, tanta et tam grata, ut in labiis eius non sonet nisi pax, laus et gratiarum actio. Unde et Sanchez sic exponit: Ego creavi, id est, creabo et adducam, pacem futuram populo in Babylone captivo, æque ac humano generi redempto per Christum, quæ sit perpetua laudationis et gratiarum actionis materia.

Tertio, alii, q. d. Creavi pacem, quæ est fructus labiorum meorum, id est, promissionis meæ, quam scilicet ego Deus labiis meis, aut Prophetarum meorum, iis promisi. Ita S. Hieron. Haymo et S. Thom.

Denique, quia hebr. שפה *sapha*, non tantum labium, sed et littus et ripam (quæ sunt quasi labium maris et fluminis) significat, hinc quidam vertit: *Creavi sicut fructum riparum pacem*, q. d. Creavi pacem tam uberem et copiosam, quam copiosus et uber est fructus crescens in ripa fluminis: impii vero semper tumultuantur et æstuant quasi mare, ut sequitur.

Pacem ei, qui longe est (id est, Gentili, qui hactenus remotus fuit a fide, Deo, et salute) et qui prope.) Id est, Iudæo, qui antea habuit fidem, Deum et spem salutis. Ita explicat Apostolus Ephes. 2. 17. Unde patet hæc a v. 18. et deinceps, magis de Christo et Christianis, quam de Cyro et Iudæis, esse accipienda: Christus enim plenam pacem hanc tam Gentibus quam Iudæis attulit. Alludit tamen ad pacem (eamque præsupponit et perstringit) a Cyro allatam Iudæis, tam eis qui longe erant, puta in Babylone captivi, quam eis qui prope, id est, qui in Iudæa vel in vicina Idumæa aut Moabitide degebant. Ita S. Th. et Hugo. Historice ergo loquitur de Cyro et Iudæis, ut patebit ex toto cap. sequenti; symbolice et præcipue, de Christo et fidelibus. Vide can. 5. et seq.

Vers. 20. Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest.) Pro *fervens* hebr. est נגרש *nigras*, id est, *impulsum*, ventis scilicet, et fluctibus agitatum et iactatum. Unde Vatabl. vertit: *Impii autem Euripi instar fremunt;* mare enim cum in arcto stringitur, uti fit in Euripo, in fluctus intumescit. Insuper Euripus septies per diem fluit et refluit, ideoque in perpetua est agitatione et motu, magno naturæ secreto, quod penetrare nequivit Aristoteles; unde de eo dicitur: *Euripus habet Aristotelem, non Aristoteles Euripum.* Sensus est, q. d. Pacem iam dictam habebunt Iudæi Babylone a Cyro liberati, æque ac homines a Christo redempti; sed pii tantum: nam impii, cum perpetuo æstu cupiditatum, et afflatu dæmonum agitentur, quiescere nequeunt; sed instar Euripi et maris fluctuantis perpetuo iactantur; imo, ut ex Hebræo verti potest, *numquam non stercus et lutum eiiciunt.*

Et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum.) *Conculcationem* vocat res viles, sordidas et putidas, conculcatione dignas; uti sunt spumæ, cadavera, aliaque maris eiectamenta, q. d. Sicut fluctus maris eiicit in littus quisquilias et res putidas ac conculcandas; rursum spumas, quæ terræ mistæ faciunt lutum: ita æstus cupiditatum e corde impii eiiciunt et despumant putida peccata. E contrario, sicut mare allisum ad conchas et gemmas, eas expurgat et expolit: ita æstus et agitatio ac persecutio piorum, eos purificat et clarificat. Alii sic explicant, q. d. Sicut fluctus maris a terra resorpti lutum faciunt, quod conculcatur; sic impii a Deo et hominibus conculcabuntur in die iudicii, uti Iudæi iam ab A omnibus conculcantur. Ita S. Hieron.

Nota: Hebr. רפש *rephes*, significat conculcationem, perturbationem, cœnum, lutum, stercus, etc. a rad. רפש *raphas*, id est, conculcare, et conculcando perturbare. Significanter vertit Vatablus: *Impii autem instar Euripi fremunt, qui nescit quiescere, cum aquæ eius limo et luto turbantur*, id est, ait: *Cuius aquæ propellunt ad littora cœnum et lutum.* Rursum Procop. *Impii*, ait, *animi fluctuationem patiuntur, maris instar seipsos ulciscentes, quod quos fluctus ad littora trudit, assidue parit quidem, sed eorumdem in se reflexionem rursum pati cogitur.*

Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.) Est epiphonema. Sept. vertunt: *Non est gaudium impiis.* Nota Vers. 21. hic, sanctitatis fructum esse pacem animi, et gaudium in Spiritu sancto: impietatis vero fructum esse animi perturbationem; ac consequenter voluptates illicitas plus fellis quam mellis habere, et tandem desinere in sordes et pœnas, tum præsentes, tum æternas. Ita videmus gulam mille afferre curas, desinere in febres, colicas, catarrhos; libidinem in vomicas, luem veneream, carcinomata. Superbos assidue iactari invidiis, odiis, angoribus, ac tandem descendere ad probra et ignominias.

B *Quid prodest,* ait Seneca ep. 57. *totius regionis silentium, si affectus fremunt? Omnia noctis erant, placida composta quiete: falsum est. Nulla placida quies est, nisi quam ratio composuit.* Et Horat. l. 2. ode 16.

Non enim gazæ, neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes.

Et inferius:

Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Melius et plenius S. August. l. 14. Civit. 8. ostendit impiorum de peccatis gaudia esse falsa, et perturbationibus plena. Præclare S. Gregor. 33. Moral. 2. *Ludus est dæmonum, cum vagas et instabiles animas de vitio rotant in vitium.* Idem in Ps. 7. Pœnitent. *Inter multiplices humanæ animæ tribulationes, et innumerabiles afflictionum molestias, nulla est maior afflictio, quam conscientia delictorum. Superest itaque ut in tribulatione positus peccator, ad Deum recurrat, in quo solo vera est consolatio.*

CAPUT QUINQUAGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dixerat Propheta cap. præced. in fine, Iudæos pœnitentes, iustos et pios Babylone redituros, et habituros in Iudæa pacem, non vero impios: nam non est pax impiis. Nunc docet iustorum iustitiam et pietatem, non tam esse sitam in ieiunio corporali et celebratione festorum, ac cæremoniis externis, uti falso putabant Iudæi (qui murmurabant contra Deum, quod cum hæc facerent, nihilominus tot calamitatibus premerentur,) quam in interna pietate, abstinentia a vitiis, misericordia et charitate. Quare hæc spectant Iudæos ante Christum, ut patet ex Zachar. 7. qui multa ex hoc cap. citat; a pari tamen, imo a maiori, ad Christianos pertinent: illorum enim iustitia maior debet esse et purior quam Scribarum et Pharisæorum, ut docet Christus. Occasio huius sermonis et prophetiæ de ieiunio fuit, quod Iudæi, vastata urbe per Chaldæos, ad repropitiandum Numen, instituerint ieiunium quarti, quinti, septimi et decimi mensis, ut patet Zachar. 8. Unde mirabantur et murmurabant, quod Deus eos non exaudiret, nec Babylonicam captivitatem solveret, pacemque promissam redderet: quibus respondet Zacharias idem quod hic Isaias. Idem fecerunt Iudæi in vastitate sub Tito, et faciunt etiamnum. Omnem enim sanctimoniam, vimque propitiandi Numinis, ut mittat eis Messiam, ponunt in ieiunio. Hinc et Pharisæus ille arrogans sibi sanctitatem dicebat: Ieiuno bis in sabbato, Luc. 18. 12.

Iubetur ergo clamare Propheta tubali voce, ieiunium Iudæorum, mistum et contaminatum immisericordia et iniustitia, scilicet litibus, contentionibus, et pugnis, non placere Deo. Deinde v. 6. docet, quodnam sit verum ieiunium, Deo gratum; scilicet, ieiunare ab iniquitate, cibare pauperes, nudos vestire, etc. Horum enim causa ieiunium institutum est. Denique v. 8. si id fecerint, promittit eis iustitiam, sanitatem, illuminationem, et v. 12. quod in eis ædificabuntur deserta sæculorum, et v. 14. Tunc, ait, delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Porro v. 8. et deinceps assurgit ad Christianos: illi enim potius quam Iudæi, ista, quæ dixi, præstiterunt: quocirca et promissa tam ampla, iam dicta, a Deo præ illis acceperunt.

1. CLAMA, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob
peccata eorum. 2. Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt: quasi gens, quæ iusti-
tiam fecerit, et iudicium Dei sui non dereliquerit; rogant me iudicia iustitiæ: appropinquare Deo volunt.
3. Quare ieiunavimus, et non aspexisti: humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce in die ieiunii vestri in-
venitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. 4. Ecce ad lites et contentiones ieiunatis, et per-
cutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. 5. Numquid
tale est ieiunium quod elegi per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum ca-
put suum, et saccum et cinerem sternere? numquid istud vocabis ieiunium, et diem acceptabilem Domino? 6.
Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimit-
te eos qui confracti sunt, liberos, et omne onus dirumpe. 7. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque
induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. 8. Tunc erumpet quasi
mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te.
9. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet; Ecce adsum; si abstuleris de medio tui catenam,
et desieris extendere digitum, et loqui quod non prodest. 10. Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam
afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. 11. Et requiem tibi dabit
Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et
sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. 12. Et ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta gene-
rationis et generationis suscitabis: et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem. 13. Si averteris
a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum
Domini gloriosum, et glorificaveris eum dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris ser-
monem: 14. Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate
Iacob patris tui: os enim Domini locutum est.

Vers. 1. CLAMA.) Hebr. est, *clama in gutture.* Hoc est, ut Septuag. *clama in fortitudine, ne parcas* gutturi et voci tuæ.

QUASI TUBA EXALTA VOCEM.) q. d. Clama contenta, sonora, forti et quasi tubali voce. Aliter Sanchez, q. d. Cane tuba instar præconis, ut populum convoces; deinde voce sonora hæc mea edicta eis propone (ita enim facit præco principis) scilicet, *annuntia populo meo scelera eorum.* Notent hoc concionatores, se non esse tibias ad voluptatem et plausum modulantes; sed tubas, ut classicum canant ad arma, ad bellum contra peccata et concupiscentias iugiter ineundum. (Concionator sit tuba non tibia.) Audiant S. August. serm. 106. de Tempore: *Quasi tuba exalta vocem tuam. Clamare ergo iubemur, et vehementer clamare. Ne parcas, inquit, id est, peccatoris iniquitati, ne tacendo perdas, et dum verecundiæ eius consulis, non consulas sanitati; ne vulnera illius, quæ clamando resecare poteras, reticendo in peius enutrias. Scitis quia tuba non tam oblectationis esse soleat, quam terroris: non tam delectationem præferre, quam inferre formidinem.* Vide sequentia. Simili modo insonat Osee cap. 5. 8. *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama;* et Ioel. cap. 2. 1. *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini;* et vers. 15. *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, etc.* Rursum Osee 8. v. 1. *In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini: pro eo quod transgressi sunt fœdus meum.*

ME ETENIM DE DIE IN DIEM QUÆRUNT, ET SCIRE VIAS MEAS VOLUNT.) q. d. Simulant se quærere Deum, Deique voluntatem, ad eam se collimare, ac satagere quomodo eam implere, eique magis placere possint. Secundo, q. d. Inquirunt mea consilia et decreta, eorumque rationes; ut de adventu Messiæ, cur differatur? quare permittat Deus populum suum in Babylone detineri et indi- Vers. 2.

gna pati? etc. Ita Forerius. Unde tertio, apte Cyrill. et Sanchez, q. d. Vocant me in ius: allegant enim suam iustitiam, measque vias, id est consilia, accusant infidelitatis et iniquitatis, quod promissam eis pacem et bona non præstem: quærunt enim dicuntque quotidie: *Quare ieiunavimus, et non aspexisti?* Tales hypocritæ etiam hodie sunt, qui exterius sanctitatem simulantes, semper queruntur male secum agi: cum enim terrenis bonis animo affixi sint, inique ferunt, ea sibi, tamquam iustis, non affatim, vel a Deo, vel a reip. rectoribus distribui: at vere iusti et pii, de amissione æternorum tantum solliciti, sic sua componunt, ut, cum se indignos aere, quem respiratione attrahunt, arbitrentur, æternitatem et veram felicitatem semper meditentur, et super hac re omnes rationes suas subducant. Vera enim iustitia, cum facit omnia quæ a Deo præcepta sunt, dicit: *Servi inutiles sumus. Non intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ab occultis meis munda me. Domine, etc.* inquit Forerius.

Et iudicium Dei sui non dereliquerit.) *Iudicium* vocat iustum et æquum, quod Deus lege sua præscripsit et sanxit. Tales sunt hodie, qui cum impure et impie vivant, tamen ita pie loquuntur et inquirunt de animæ unione cum Deo, de perfecto amore, de vitæ contemplativæ sublimitate, de apice perfectionis, ut tantum non Angeli videantur.

Rogant me iudicia iustitiæ.) q. d. Volumus scire, quam iudicia Dei sint iusta, det ipse nobis eorum rationem, seque iustificet; videntur enim nobis esse iniusta: nam sinit nos, qui eius cultores et iusti sumus, ab infidelibus et impiis opprimi. Ita isti stolidi et arrogantes.

Appropinquare Deo volunt.) Non ut ad eum per sanctitatem et munditiem accedant; sed ut cum eo disputent, eiusque iudicia examinent, et quasi in tribunali contendant, eumque cælo deturbent, et gubernatione orbis amoveant.

Vers. 3. Humiliavimus animas nostras.) Id est ieiunavimus, uti præcessit. Hebræi enim ieiunium vocant humiliationem, vel afflictionem animæ. Primo, quia finis et fructus ieiunii est, ut caro humiliata subdatur spiritui. Secundo, quia ieiunium lasciviam carnis humiliat, punit et domat. Sic David ait Psal. 34. vers. 13. *Humiliabam in ieiunio animam meam;* Levit. 16. vers. 29. *Mense septimo, decima die mensis, affligetis animas vestras*, hoc est, ieiunabitis. Tertio, quia ieiunio addebant cilicium, quod affligit; et cinere, qui humiliat, se aspergebant: uti nos facimus initio Quadragesimæ, in die cinerum. Id enim fecit Iudith cap. 8. v. 6. Unde et subdit Isaias v. 5. *Et saccum et cinerem sternere, numquid istud vocabis ieiunium?*

Humiliare animam est ieiunare, cur?

Et nescisti.) q. d. Videris ea non aspicere, non curare, imo ignorare; quia ea, uti par est, non remuneras. Vides hic Iudæos in externo ieiunio suam sanctitatem collocasse. Unde et Christus carpit Scribas, Matth. 23. qui externam pietatem in ieiunio et sacrificiis præferebant, interiorem vero charitatem et misericordiam negligebant. Tales sunt et hodie inter Christianos.

Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra.) Hebr. חפץ *chephets* significat, *id quod libet*, quæ in Script. vocatur *libido, concupiscentia, voluntas carnis, voluntas propria, etc.* q. d. Ieiunatis a cibo, et carnem maceratis; sed interim indulgetis libidini animi, v. g. avaritiæ, fastui, iracundiæ, impudicitiæ, aliisque vitiis carnis, ad quæ resecanda ieiunium institutum est. Nam, ut alia taceam, debitores vestros pauperes rigide et inhumane compellitis solvere id quod debent, etiam cum non sunt solvendo. Quorum proinde clamor ascendit ad me. Unde Glossa hic: *Qui repetit*, ait, *non habentem, Deo facit violentiam.* Secundo, tempore ieiunii vacatis iurgiis, contentionibus, pugnis et verberibus. Ita et hodie nonnullos, dum ieiunant, magis cholericos et impatientes experimur. Ieiunium enim acuit in cholericis bilem; sed ipsi eam edomare debent; at mundani, qui nesciunt quid sit mortificatio passionum et vitiorum, putantque se beatos, si suos affectus sequi, si id quod lubet exsequi, si quod optant assequi possint, suis cupidinibus indulgent, easque instar pecorum explent. Quocirca iure Plato in Critone damnat illam vulgi precationem: *Deus det tibi quæ velis: Imo numquam det*, inquit, *sed faciat, ut velis quod ipse vult. Hæc enim est pura religio, si sic te religes Deo.* Quare merito exclamat hic S. Bernard. ser. 71. in Cant. *Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua* (ieiunia) *tibi bona non sint. Oportet proinde extra lilia fiant qui huiusmodi sunt, quia nihil omnino, quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit is qui pascitur inter lilia.*

Oratio a Platone præscripta.

Moraliter nota, hic describi quale debeat esse ieiunium Christianorum in Quadragesima et alias. Scilicet, primo, ut mens tam a vitiis quam a cibo ieiunet, inquit S. Hieronym. Cyrill. et Procop. Nam ieiunii finis est, ut corpus humilietur et subdatur animæ, anima rationi, ratio virtuti et spiritui, spiritus Deo; quem finem ni assequaris, frustra ieiuniorum media adhibes; sicut frustra æger assumit pharmaca, si a noxiis non abstineat, inquit S. Chrysostom in Gen. 1. hom. 8. et S. Leo serm. 4. de Quadrag. *Non in sola, ait, abstinentia cibi stat nostri summa ieiunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur; nisi mens ab iniquitate revocetur, et ab obtrectationibus lingua cohibeatur.* Et S. Bernard. serm. 3. de ieiunio Quadragesimæ: *Si sola*, ait, *gula peccavit, sola ieiunet, et sufficit: si vero peccaverunt et membra cætera, cur non ieiunent et ipsa? Ieiunet ergo oculus a curiosis aspectibus et omni petulantia, etc. Ieiunet auris nequiter pruriens, a fabulis et rumoribus. Ieiunet lingua a detractione et murmuratione, etc. Ieiunet manus ab otiosis signis, etc. Sed et multo magis anima ipsa ieiunet a vitiis, et a propria voluntate sua. Etenim sine ieiunio hoc, cætera a Domino reprobantur, sicut scriptum est: Quia in diebus ieiuniorum vestrorum voluntates vestræ inveniuntur.* Ieiunium ergo corporis condiendum est ieiunio animæ, et abstinentia a peccatis. Hoc est quod Dominus ait Ioel 1. 14. *Sanctificate ieiunium.* Nam, ut ait S. Gregor. homil. 16. in Evangel. *Ieiunium sanctificare, est adiunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia. Incassum enim caro atteritur, si a pravis suis voluptatibus animus non refrænatur, cum per Prophetam Dominus dicat: Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra.* Et S. Hieronym. ad Celantiam: *Quid*, ait, *prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebitur de pallore ieiunii, si invidia lividi simus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, et ira atque odio inebriari?*

Ieiunium tam a vitiis quam a cibis sit oportet.

Debitores vestros repetitis.) Obiicit eis fictam pœnitentiam. Vera enim pœnitentia (quam falso per ieiunium et cilicium profitebantur) sensum purgat, et noxias affectiones, eo saltem tempore quo viget, sedat; atque visibilium contemptum et oblivionem inducit; quamdiu enim salubris ille dolor mentem obtinet, fastidio sunt quæ charissima esse solebant: filiorum aspectus tunc iniucundus est; ornatus et pretiosæ vestes sordent; deliciasque et fercula ut stercora reputamus, et tantum ad delictorum remissionem, et divinam gratiam suspiramus, inquit Forer. et S. Gregor. homil. 16. in Evangel. *Qui*, inquit, *a debitore suo hoc quod dedit repetit, aliquid iustum facit; sed dignum est, ut quisquis se pœnitentia macerat, etiam hoc, quod sibi iuste competit, interdicat: sic nobis afflictis et pœnitentibus a Deo dimittitur quod iniuste egimus, si pro amore illius et hoc quod nobis iuste competit, relaxemus.*

Ecce ad lites et contentiones ieiunatis.) q. d. Vers. 4. Ieiunatis, non ut carnem mortificetis, sed ut habeatis et caput serenius, et tempus amplius, ad ingeniosius et plenius tractandas vestras lites, et contendendum in iudicio ac tribunali, atque ad exigendum vestra debita. Hæc enim reiicitis in tempus ieiunii; utpote otiosum, æque a negotiis ac vacuum a gula. Dies enim ieiunii fere simul erat dies precum, idque usque ad vesperam, et ortum Hesperi, ut colligitur Iudith 6. vers. 16. et docet S. Hieronym. lib. 2. contra Iovin. et eousque etiamnum Iudæi ieiunant. Atque inde videtur orta consuetudo Christia-

Ieiunabant olim ad vesperam.

norum nonnullorum, ut pridie nativitatis Christi, et quibusdam aliis diebus, ieiunent ad vesperam, donec videant Hesperum et stellas. Nisi malis dicere, id inde ortum, quod olim in Ecclesia ieiunabatur passim usque ad vesperam, nec prandebatur; sed cœnabatur, peractis Vesperis et precibus omnibus (unde nunc, quia in ieiunio prandetur, Vesperæ præmittuntur et leguntur ante prandium) qui mos servatus fuit usque ad tempora S. Thomæ, ut ipse testatur. Porro vesperam metiebantur ab apparitione Hesperi et stellarum: unde pueri famentes crebro aspiciebant in cælum; ut, si stellas viderent, possent ieiunium solvere, et famem satiare. Sic multi mercatores in vesperum usque ieiunant, ut diem totum impendant mercimoniis et lucris. Ita S. Thom. Hugo et Sanchez. Hic sensus genuinus est.

Secundo, q. d. Litigatis et contenditis, uter vestrum plus ieiunet. Captatis enim ex ieiunio non Dei, sed vestram, ideoque vanam gloriam. Ita Forerius.

Percutitis pugno impie.) Debitores vestros, vel eos, cum quibus litigatis et contenditis. Ieiunium enim, quia siccat, choleram acuit. Verti potest, *percutitis pugno impio*, vel, ut Pagninus, *duro;* Leo Hebræus vertit, *percutitis pugno damnatum*, scilicet ob usuram, aliudve debitum in iudicio. Unde Septuag. vertunt, *percutitis pugno humilem*. Hæc percussio tum dolorem, tum potius ignominiam inurebat percusso.

Ut audiatur in excelso clamor.) Qui alte a ieiunantibus, simulque plangentibus tollebatur, ait S. Hieronym. quia hi tollebant eum, non ex cordis dolore et contritione, sed ex ostentatione et vana gloria.

Secundo, *ut audiatur clamor*, id est, preces vestræ, q. d. Ut Deus in cælo exaudiat vestras voces et orationes. Ita S. Thom. Hugo et Sanchez.

Tertio et genuine, q. d. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem; nempe, ut clamor vester, dum litigatis et contenditis, in excelso audiatur: aut potius, *clamor vester*, active, quo scilicet vos cogitis clamare pauperes et miseros, quos ad persolvendum cogitis, et percutitis. Scriptura enim nomine clamoris significat violentias, rapinas, fraudes, et ea omnia, quæ læsa charitate faciunt gemere et clamare iniuriam passos et afflictos. Hic clamor cælos et aures Dei penetrat. Ita Forerius et Adamus.

Vers. 5. Numquid contorquere quasi circulum caput suum) Id est, ut Vatabl. vertit: *Ut homo retorqueat caput suum quasi hamum;* et, ut Forer. *Ut incurvet* (hoc enim est Hebræum כפף *chaphaph*) *caput suum quasi iuncum*. Ieiunantes enim partim ex debilitate, partim ex pœnitentia, demittebant caput, et curvi incedebant, itaque sese instar viminis et iunci flectebant in circulum, id est, in curvitatem et gyrum: uti fecit Achab 3. Reg. 21. 27. et David Psal. 37. 7. Hi autem, ut suum ieiunium, pœnitentiam et humilitatem ostentarent, plane curvabant caput pene ad tibias; ut viderentur illud contorquere in circulum, uti vertit Noster. Adde, ieiunium ex inedia et debilitate, subinde vertiginem capiti inducit, præsertim languidis, q. d. Hi simulant vertiginem, et contorquent caput, ut ostentent suum ieiunium.

Arias contendit pro *circulum* legendum esse *cirpum* vel scirpum (cuius variæ sunt species: una asphodelus dicta, quæ Hispanis dicitur *gamon*, quod per metathesin videtur esse idem cum Hebræo אגמון *agmon*) puta iuncum: hunc enim significat Hebr. *agmon*. Verum omnes codices legunt *circulum*, itaque vertunt Septuag. et ipse Arias, itaque vertunt Iob 41. vers. 21. Licet enim *agmon* proprie significet iuncum, significat tamen et circulum: iuncus enim facile flectitur in circulum, ex eoque fiunt circuli. Denique si lubet, circulum hic iunceum accipe. Unde Syrus vertit: *Ut incurvet collum suum sicut tortile;* Arabicus: *Sicut id quod inclinatur.*

Iudæi ieiunio addebant cilicium et cinerem.

Et saccum, id est, cilicium, et cinerem sternere?) Hisce enim quasi symbolis pœnitentiæ ornabant ieiunium, ut dixi v. 3.

Vers. 6. Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Hic ieiunii sibi placiti conditiones assignat. Prima est: dis-

A solve colligationes impietatis, id est, dissolve obligationes et pacta usuraria, aliaque iniqua et impia, quibus alios, præsertim pauperes, violenter oppressisti et exhausisti: solve fasciculos deprimentes.) Id est, relaxa, condona, conscinde, vel combure fasciculos syngrapharum, violentarum cautionum; puta chirographa obligationum de solvendis usuris, aliisque iniquis contractibus, quibus proximum et fratrem tuum, quasi iugo deprimis et opprimis. Ita Septuag. qui vertunt: *Dissolve obligationes violentarum cautionum, dimitte contractos in remissione, et omnem scripturam iniquam conscinde.* Et S. Cyprian. ad Quirin. c. 1. qui sic vertit: *Solve omnem nodum iniustitiæ, resolve suffocationes impotentium commerciorum.* Pro *deprimentes* Hebr. est מוטה *mota*, id est, *nutationis*, id est, fasciculos et onera fratribus imposita, adeo gravia, ut illos inter eumdem nutare et vacillare cogant. Ita Vatablus.

Conditiones quas in ieiunio exigit Deus. I.

Ut iniusta pacta et lucra rescindantur.

Secundo, Forer. *fasciculos*, inquit, metaphorice vocat fœnora, quæ dum debitores non sunt solvendo, in dies B augescunt, et in fasces excrescunt, quos non possunt ferre; vel certe servitia et operas, quas illis iniungebant interim dum non solverent.

Tropolog. S. Clemens lib. 2. Const. Apost. cap. 53. hæc recte refert ad remissionem iniuriarum. *Si*, inquit, *Christianus esse vis, sequere legem Domini: dissolve omne vinculum iniquitatis: in te enim posuit Dominus potestatem remittendi peccata in te commissa, etc. At tu iniuriæ memor es, et inimicitiam retines, et in iudicium venis, et iracundiam observas, et precibus tuis obsistis.*

Dimitte eos, qui confracti sunt.) Id est, ut Forer. vertit, *qui conquassati sunt;* Vatabl. *qui oppressi sunt*, tum paupertate, et ære alieno, ut foro cedere cogantur, quos etiamnum Hispani *fractos* vocant: tum duritie et servitute, aut carcere creditorum: hos enim vult liberos dimitti, adeoque si non sunt solvendo, debitum eis condonari. Ita Plato docet, evidentissimum *signum viri optimi esse, si quis sit lenis in suos, et eos, in quos habet im-* C *perium.* Nam si in alienos, qui te referire possunt, sis lenis, mirandum non est.

Et omne onus dirumpe.) Debitum iam dictum, vocat *onus:* tum quia in se onus est gravans debitorem: tum quia iugum, servitutem, carcerem, aliaque onera creditoris, ei inducit. Unde Septuag. et Symmach. vertunt, *et scripturam* (chirographum aut syngrapham) *iniquam conscinde.*

Mystice, S. Ambros. Chrysostom. Iustinus, Basil. Hilarion. et ex iis Leo Castrius, q. d. Dissolve chirographa (id est, quælibet peccata) quibus te dæmoni obligasti. Audi S. Hilarion. in Psal. 124. *Solve omne vinculum, et omnem nodum iniquitatis. Nam si a præceptis Dei declinaveris, et his obligationibus peccatorum te colligaveris, abduceris in pœnas æternas cum operantibus iniquitatem.* Et S. Basil. in asceticis cap. 4. *Solve*, ait, *animi infirmitates, et peccatorum insolubilia vincula, quæ fecisti cum patre peccati diabolo.*

Frange esurienti panem tuum.) Hæc est secunda Vers. 7.
D conditio, quam Deus in ieiunio, ut sibi placeat, requirit: II.
scilicet, ut condiatur pietate et eleemosyna, inquit S. Gregor. homil. 16. in Evangel. et quod subtrahitur ventri, detur pauperi; ut scilicet esurienti detur panis, peregrino hospitium, nudo vestis. Hoc ergo, ait S. Greg. *quod tibi subtrahis, alteri largire: ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Sibi* enim *quisque ieiunat, si ea, quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit.* Urget S. August. serm. 62. de Tempore τὸ *frange*, indeque probat, quod nemo licet pauper ab eleemosyna se excusare possit. *Non dixit*, inquit, *ut integrum panem daret, cum forte pauper ille alium non haberet; sed, Frange, inquit, hoc est dicere: Etiamsi tanta paupertas tibi est, ut non habeas nisi unum panem, ex ipso tamen frange, et pauperi tribue.* Vide eumdem serm. 50. et serm. 172. ubi ait: *Imple miserationis officia, et sanctificasti ieiunia. Sagina pauperum viscera, et anima tua muneribus sanctita-*

Ut condiatur pietate et eleemosyna.

tis pinguescet. Vesti nudum, et tua peccata contecta sunt. Peregrinum hospitio tuo contende suscipere, ut et te Deus in cælorum regna suscipiat. Vide et exempla, quæ recensui Ezech. 18. 7.

Et carnem tuam ne despexeris.) Id est, ut Septuag. vertunt, *et domesticos seminis tui ne despexeris.* Nota hebraismum. *Caro* enim vocatur propinquus, consanguineus, tum proprie, qui affinis est, tum communiter, qui homo est; præsertim eiusdem gentis et fidei, v. g. Israelita. Hisce enim omnibus, si egeant, iubet eleemosynam præstari. Et hi omnes in Adamo nobis propinqui et cognati sunt.

Sanchez subaudit voculam, *sicut*, q. d. Sicut carnem tuam non despicis; sic etiam illos (esurientes, vagos et nudos) ne despexeris. Tertiam interpretationem addit Forerius, quam mox indicabo. Sed prima est maxime genuina. Stimulat enim eos ad elemosynam: dicendo, eam dari carni propriæ, hoc est, consanguineis et contribulibus, ut eorum non tantum corpori, sed et animæ consulant, ne videlicet ob inopiam cogantur infidelibus vel impiis se mancipare, a quibus ad infidelitatem et impietatem traducantur. Ita legimus in Vita S. Sylvestri, qui prudentia æque ac sanctitate eximius fuit Pontifex, quod studiose pauperum, præsertim virginum, pupillorum et orphanorum inopiæ subveniret: *Ne*, inquiebat, *cogantur petere ab alienis, qui dum levant corpora, iugulant animas.*

Vers. 8. Tunc erumpet quasi mane (Hebr. כשחר *casciachar*, id est, *sicut aurora*) lumen tuum.) Assignat hic Deus misericordiæ et eleemosynæ præmia. Primum est lumen, per quod recte Forer. et Sanchez accipiunt prosperitatem et felicitatem. Huius enim symbolum est lux; sicut nox et tenebræ, adversitatis et calamitatis, q. d. Tunc incipies e mediis calamitatum tenebris, v. g. e captivitate Babylonica in lucem libertatis, lætitiæ et felicitatis emergere. Sicut enim immisericordia et inhumanitas diem terris aufert, tempestates concitat, et totam mundi machinam conturbat; vobisque, o Iudæi, tenebras captivitatis et carceris induxit: ita ex adverso, misericordia diem, lucem et pacem orbi affert; vobisque reditum ex exilio, hilaritatem, et bona omnia restituet. Addit Sanchez eleemosynam in hora mortis, quæ caliginosa est, mœsta et anxia, afferre spem salutis, esseque quasi *stellam matutinam*, Apocal. 2. v. 28. id est luciferum, qui solis adventum præit et annuntiat: ita enim et eleemosyna moribundum excitat, eique instantis gloriæ beatificæ lumen ostentat, et prælibandum offert.

Eleemosyna in morte est quasi stella matutina.

Nota: Pro *erumpet*, hebr. est יבקע *ibbaca*, id est, *findetur*, vel *scindetur;* uti sol in aurora radiis suis findens nubes, in lucem quasi fissam et sparsam erumpit. Urget hoc S. Chrysost. hom. 55. in cap. 16. Matth. indeque docet, misericordiam a Deo misericordi esse paratissimam. *Non dixit*, inquit, *Apparebit tibi lux; sed, Scindetur, ut velocitatem et copiam dantis exprimeret: ut intelligamus valde cupidum esse nostræ salutis, quodque muneribus plenus, ex largiendi festinatione, quasi prorumpat; cum nihil sit, quod inæstimabile Dei desiderium possit prohibere. Quibus omnibus infinitam bonorum copiam nobis paratam esse ostendit. Matutinum lumen, subitum et repentinum significat antequam cogites, te beans; ut quod matutino tempore antequam expectes, te excipiunt bona.*

Et sanitas tua citius orietur.) Pro *sanitas*, Forer. vertit, *curatio*, q. d. In Babylone captivus es, o Israel, ibique penuria, squalore, mœrore, aliisque ærumnis conficeris, ægrotas et consumeris. Accipe remedium et pharmacum præstantissimum, misericordiam hæc te omnesque tuos dolores et infirmitates curabit. Tua enim misericordia, Dei in te misericordiam, quæ te sanet provocabit. Unde Septuag. pro *sanitas*, vertunt ἰάματα, id est, *medicamenta* vel *emplastra*. S. Hieron. Hebr. ארוכה *arucha* in comment. hic et alibi vertit, *cicatricem;* Vatabl. *diuturnitatem*. Eleemosyna ergo est emplastrum efficacissimum, quod omnibus plagis et morbis, tam corporis, quam animi cicatricem et sanitatem inducit, affertque misericordi longævitatem, ut sit diuturnæ vitæ. Sic de sa-

Eleemosyna omnium morborum est emplastrum.

A pientia dicitur, Sapient. 6. 26. *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* Et de sobrietate, Eccli. cap. 31. vers. 37. *Sanitas est animæ et corpori sobrius potus.*

Secundo, *lumen* et *sanitas*, spiritaliter hic accipi possunt, q. d. *Tunc erumpet*, id est tunc e cælo infundetur tibi gratia, per quam iustificaberis atque illuminaberis in intellectu; ut scias quid bonum, quid malum; quæ via ad salutem ducat; *et sanitas orietur* in voluntate: sanaberis enim a pravis affectibus et cupiditatibus. Simili enim tropo de timore Dei dicitur, Prov. 3. 8. quod timor hic *sanitas erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum.* Hoc est, si timeas Deum, totum corpus tuum sanum erit. Corporis enim sanitas maxime pendet ex sanitate, tum teneriorum partium, scilicet vitalium, ut cordis, hepatis, splenis, quæ sunt iuxta umbilicum; et ipsius etiam umbilici, qui superiora membra cum inferioribus connectit, et per quem fœtus in utero a matre alimentum sugit, et alitur; tum etiam duriorum, scilicet ossium, quæ sunt quasi bases et columnæ nostræ domus et microcosmi. Os-

B sium autem sanitas, medullæ pinguedine fovetur et irrigatur; eaque deficiente ossa arescunt; unde sequitur tabes et corruptio hominis. Est metaphora, significans totam animam, omnesque eius partes nobiles et ignobiles, debiles et fortes, v. g. appetitum, qui est quasi umbilicus, et rationem, quæ est quasi ossa, per timorem Dei sanas fore. Ita Iansenius et Caietanus, ibid.

Anagogice, S. Chrysost. hom. 4. in epist. ad Philippens. *Oleum hoc*, ait, *eleemosynæ magnam in futuro tibi lucem et claritatem largietur;* ac consequenter sanitatem æternam et immortalitatem.

Denique Chrysost. hom. 55. in 16. Matth. S. Aug. ser. 172. de Tempor. S. Cyprian. ser. de eleemos. Tertull. l. de Resurrectione carnis c. 27. pro ἰάματα, id est *sanitates*, vel *medicamenta*, legunt ἱμάτια, id est *vestimenta:* per quæ intelligunt corpora. Hæc enim sunt quasi vestimenta animæ, q. d. Corpora hic per ieiunium attrita et exhausta, Deus in resurrectione reformabit et renovabit; si-

C cuti veteri vestimento detrito, novum surrogatur et induitur. Audi Tertullian. Vestem *non subsericam, nec pallium, sed carnem volens accipi, ortum carnis resurrecturæ de mortis occasu prædicavit.* Hic sensus apposite respondet ei quod præcessit: *Cum videris nudum operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Hoc sensu, q. d. Si nudum vestias, Deus quoque nudam carnem tuam, in resurrectione vestiet stola gloriæ. Verum ex Hebræo et Latino liquet in Septuag. legendum esse ἰάματα non ἱμάτια: quamquam Hebræum *arucha*, quod proprie significat *longitudinem*, pro longa veste accipi posset.

Et anteibit faciem tuam iustitia tua.) *Iustitia*, id est misericordia. Sic enim capitur *iustitia* Daniel. 4. 24. in Hebræo, Psalm. 111. 9. Actor. 10. 35. et alibi, q. d. Si sis in tenebris peccati aut captivitatis, vel calamitatis, præsertim mortis; eleemosyna, quasi fax viam tibi præibit, et inde te educet; in morte vero apud iudicem Christum tutabitur, et in cælum perducet, omnes obices

D removens, et omnia plana reddens. Hoc est quod ait Tobias c. 4. 11. *Eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Unde sequitur:

Eleemosyna cælum pandit.

Et gloria Domini colliget te.) *Gloria*, id est gloriosa liberatio e periculo, vel captivitate, v. g. Babylonica. Rursum, ipse Dominus gloriosa sua gloria cælesti te colliget, proteget, suscipiet, et, ut Septuag. *circumdabit*, ac beabit, dicens: *Intra in gaudium Domini tui.* Ita Vatabl. Sanchez et alii. Alludit ad Mosen, qui, cum Iudæi rebelles vellent eum lapidare fugit ad tabernaculum, ibique gloria Domini per nubem apparente protectus est. Audi S. Chrysost. hom. 32. in epist. ad Hebr. *Eleemosyna*, ait, *vincula peccatorum dissolvit, fugat tenebras, exstinguit ignem, mortificat vermem, expellit stridorem dentium. Huic cum multa fiducia portæ cæli aperiuntur, et veluti regina intrante, nullus ianitorum, nullus custodum qui portis assistunt, audet dicere: Quæ tu es? vel unde? sed omnes eam e regione suscipiunt: sic etiam misericordia; regina namque est, vere regina similes faciens homines Deo.*

Sicut ergo immisericordes et crudeles omnium iniuriæ expositi sunt, ut singulis gressibus timere debeant ruinam; quia præcedit eos iniquitas sua, et odium, quo Deus eos prosequitur: ita e contrario misericordes nullam timent iniuriam aut vim; quia præcedit eos sua eleemosyna, et Dei gratia. Vide quæ dixi de eleemosyna Deuter. 14. et 15.

Secundo, Forer. *anteibit, etc.* q. d. In omnibus rebus, quæ occurrerint, utpote prospere succedentibus apparebit quod iustus sis. Obtinuerat enim passim opinio, quod adversa non nisi sceleratis contingerent, prospera non nisi iustis. Sed prior sensus illustrior, æque ac germanior est.

Vers. 9. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet.) Non verbis, sed facto propitium et beneficum se tibi exhibens; cum antea ob tuam immisericordiam nollet te aspicere, uti quærebaris, v. 3. Ex hoc loco S. Cyprian. tract. de Orat. Domin. docet, Deum non audire orationes nisi coniunctas piis operationibus: *Adesse*, ait, *se promittit* Dominus, *et audire ac protegere se eos dicit, qui iniustitiæ nodos de corde solventes, et eleemosynas circa domesticos Dei, secundum eius præcepta facientes, dum audiunt quod Deus præcipit fieri, ipsi quoque a Deo merentur audiri.* Et paulo ante: *Orantes non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniant: inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, et in ignem mittatur: utique et sermo non habens fructum promereri Deum non potest, qui nulla est operatione fœcundus. Et ideo Script. divina instruit dicens Tob. 12. Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna. Nam qui in die iudicii præmium pro operibus et eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est.* Id deinde probat exemplo Cornelii Centurionis, cui ait Angelus Actor. 10. *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ ascenderunt in memoriam coram Deo. Sic et Raphael, Tobiæ oranti, et semper operanti testis fuit dicens: Quando orabas tu et Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectum claritatis Dei. Et cum sepelires tu mortuos simpliciter: et quia non es cunctatus exsurgere, et derelinquere prandium tuum, etc. misit me Deus curare te, et Saram nurum tuam.*

Vers. 9. Si abstuleris de medio tui catenam.) *Catena* hæc est *onus, et fasciculi deprimentes* (puta usuræ, et iniqui contractus; servitutes et onera divitum, quibus ipsi alios pauperes quasi vinciebant et opprimebant) de quibus v. 6. Nam omnibus hisce locis in Hebræo est eadem vox מוטה *mota*. Ita S. Cyrill. Vatabl. Forer. et alii. Vide Ieremiæ c. 27. et 28.

Mystice, S. Hieron. per *catenam*, intelligit peccata. Hæc enim sunt quasi vincula ferrea, quæ vinciunt animam, vinctamque tradunt et mancipant dæmoni.

Extendere digitum quid? Et desieris extendere digitum.) Pagninus addit, *ad rem alienam*, q. d. Si desieris furari, et rapere aliena. Ita Cyrill. et Procop.

Secundo, Vatabl. Forer. et S. Thom. q. d. Si desieris porrecto digito et protenso minari proximo, et probris afficere: si desieris contendere et rixari. Addit S. Thom. et Forer. Extendere digitum, esse gestum, quasi volentis eruere oculos; quod est arrogantis, irati, ulciscentis et impotentis animi.

Tertio, S. Hieron. Haymo et S Thom. in extensione digiti, putant significari irrisionem et subsannationem. Itaque vetari hic ne proximo detrahas, et singulos quasi digito notes. Unde Chaldæus vertit: *Si desieris annuere digito.* Ita etiamnum plebei suos irrident, dum duos digitos in aliquem extendendo, quasi cornua ei affigunt, significantque eum esse cornutum, aut uxorem eius alios habere amasios. Ita et Diogenes Cynicus, teste Laertio, protendens digitum medium in Demosthenem, insimulavit eum turpitudinis. Olim enim medius digitus infamis fuit, eoque ostendi grave erat probrum: illo enim significabant hominem esse mollem et effœminatum: inde digitus hic vocatus est impudicus, de quo Martial. lib. 2. *Ostendit digitum, sed impudicum;* puta medium. Ex adverso ostendi digito secundo, qui dicitur index, laudabile erat et honorificum. Ita Delrio adagio 801. ex Cicerone, Persio et aliis. Sic de procaci et illice fœmina dicitur: *Digito loquitur.* Democritus vero apud Iuvenalem satyr. 10. digito indicabat restem et furcam: cum

Fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.

Quarto, Septuag. vertunt: *Si abstuleris a te* χειροτονίαν, id est extensionem manus in eligendo magistratu, q. d. Si in eligendo magistratu, non extendas manum ad munera, non sinas te donis corrumpi. Rursum, si non sis levis, nec leviter attollas digitum, ut eligas indignos, quia cognati, amici aut benefici sunt. Nazianz. orat. ult. de cura pauperum χειροτονίαν exponit δοκιμασίαν, sive ἀμφιβολίαν, id est, probationem sive ambiguitatem: qua Leo Castrius censet notari avaritiam dantium eleemosynam, quod digito quasi supputent quantum dederint, aut indicent se alias eis dedisse, vel alios nunc eis impertitos esse eleemosynam. Melius Nicetas in Nazianz. probationem interpretatur explorationem, qua divites nimis curiose inquirunt, an pauper vere sit pauper, et eleemosyna dignus. Planius videtur, si χειροτονίαν ad verbum interpretemur, manus vel digiti extensionem. Hanc enim significat vox Hebræa, Chaldæus et Noster, a quibus Septuaginta noluisse dissentire est verosimilius, ut recte advertit Delrio loco iam citato. Tertius ergo sensus et secundus maxime genuini videntur.

Et loqui quod non prodest.) Hebr. אָוֶן *aven*, id est, *iniquitatem;* puta lites, rixas, oppressiones pauperum, sannas et convicia. Unde Septuag. vertunt, *murmura*.

Cum effuderis esurienti animam tuam.) Hoc est, viscera misericordiæ; puta intimos affectus compassionis, condolendo, miserendo, et miseriæ eius copiose et largiter succurrendo. Hoc enim notat το *effuderis*. Septuaginta vertunt: *Si dederis esurienti panem ex anima tua*, id est, ex sincero totoque affectu animæ tuæ. Deus enim magis animum dantis, quam datum ipsum respicit. *Deus*, inquit S. Gregor. 22. Moral. 12. *non pensat datum*, *sed affectum*. Vers. 10.

Et animam afflictam fame, nuditate, mœrore, repleveris.) Cibo, veste, consolatione et lætitia.

Orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies.) q. d. In mediis calamitatibus orietur tibi libertas, lætitia et prosperitas tanta, quanta est lux in meridie. Rursum, *in tenebris*, id est in agone et horrore mortis, erit tibi consolatio, et spes salutis ac lucis, et gloriæ æternæ. Deus enim omnes animæ timores et angores, omnia nubila serenabit et discutiet. Vide dicta v. 8. Sic Iob 11. 17. dicitur: *Quasi meridianus fulgor consurget tibi*, hoc est, *cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer:* ubi Leo Hebræus vertit: *Totum tempus vitæ perflabit serenius, quam meridies.* Est enim lux meridiei clarissima et iucundissima, nullamque gignit umbram, q. d. Pari modo tibi, o Iob, vita, quæ superest, erit plena felicitatis, nulla adversarum rerum umbra, nullo infelicitatis timore convellenda aut fuscanda.

Et requiem tibi dabit Dominus semper.) Potest Vers. 11.
quoque sic verti: *Erit Deus perpetuo requies tua*, in quo uno semper requiescas. Rursum sic, *Deus perpetuo deducet te in via* recta felicitatis et salutis, sicut deduxit filios Israel, duce columna, per desertum in Chanaan. Ita Forer. et Vatablus. Loquitur de requie tum terrena, v. g. quam habituri erant Iudæi e Babylone redeuntes in Iudæa: nam de euntibus in Babylonem dicitur Threnor. 5. 5. *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.* Tum cælesti et æterna.

Et implebit splendoribus animam tuam.) Illustrat et inculcat id, quod dixit paulo ante: *Orietur in tenebris lux tua.* Vide ibi dicta, quibus adde: sicut peccatum implet tenebris animam immisericordem, sic Dei gratia implet animam misericordem, splendoribus sempiternis gratiæ, consolationis et lætitiæ in hac vita, ac gloriæ æternæ in futura.

Nota. Pro *splendoribus* hebr. est בצחצחות *betsactsachot*, id est, *claritate claritatum*, vel *splendore splendorum*, vel *serenitate serenitatum*, vel *siccitate siccitatum*,

vel *ardore ardorum*, id est, summo ardore, siccitate et splendore. His enim implet mentem misericordium et sanctorum SS. Trinitas, cum ad eas venit habitatura. Est enim ipsa ignis consumens concupiscentiam, et quidquid in nobis aqueum est, terrenum et mortale.

Eleemosyna ditat.

Denique Chald. Pagnin. Vatabl. et Sanchez vertunt: *Implebit in siccitate siccitatum*, id est in summa sterilitate et fame, *animam tuam*. Cum enim aliorum segetes sterilescunt, misericordium agri a Deo fœcundantur. Hoc enim promisit Proverb. 3. v. 9. *De primitiis omnium frugum tuarum da* pauperibus: *et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt*. Et cap. 28. 27. *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.*

Et ossa tua liberabit.) Vatablus vertit, *ossa tua saginabit*, id est, implebit medulla. Hæc enim ossa, antea fame sicca et arida, irrigantur, vegetantur, saginantur, crescunt et roborantur. Unde Septuag. vertunt, *ossa tua pinguescent*. Per *ossa*, synecdochice intelligit omnia membra: horum enim fulcrum et sustentamina sunt ossa. Hinc *ossa* symbolice significant robur et fortitudinem, q. d. Tua ossa, tua membra, tuum robur, in calamitate, v. g. Babylonica, captiva, contrita et emaciata Deus liberabit, roborabit et impinguabit.

Mystice, idem faciet ossibus, id est, soliditati ac potentiis animæ. Has enim ab omni peccati et vitiorum tabe liberabit, et gratia et consolatione sua pinguefaciet. Ita Procopius, Cyrill. et Castrius. Hi enim per *ossa* accipiunt animæ potentias.

Symbolice, *ossa* animi sunt virtutes: hæ enim animum roborant et fulciunt, uti ossa corpus. Hæ fiunt quasi captivæ, cum per peccatum, perdita Dei gratia et charitate, amittunt suum quasi spiritum et vitam ac statum supernaturalem; ut iam non Deo, sed dæmoni serviant: has liberat Deus, cum excusso, per peccati remissionem et gratiam, dæmonis iugo, charitatem eis restituit, qua rursus Deo vivere, eique in sanctitate et lætitia servire incipiant. Ita Sanchez.

Anagogice, ex Septuag. qui vertunt: *Ossa tua sicut herba orientur et reflorescent, et hæreditabunt generationem generationum*; S. Cyrillus et Procop. hæc accipiunt de gloriosa resurrectione corporum misericordium et beatorum, ad beatam immortalitatem

Et eris quasi hortus irriguus.) q. d. Eris sicut paradisus semper vernans fructibus et frondibus; eo quod iugiter aquis, vel pluviis, vel fontanis irrigetur. Hoc est, abundabis fructibus et bonis, tum corporalibus, tum spiritualibus. Quo enim plura dederis pauperi, eo plura tibi erogabit Deus, ut semper habeas quod eroges, nec fons misericordiæ tuæ siccetur. Id ipsum est, quod ait Apostolus 2. Cor. 9. 6. *Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*. Et v. 10. *Qui autem administrat semen seminanti: et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*. Vide ibi dicta. Multo magis id fiet in anima: hanc enim Deus, quasi hortum suum irriguum, perpetuo aqua gratiæ suæ irrigabit. S. Ambr. l. 3. epist. 25. hæc refert ad laudem ieiunii: hoc enim eleemosyna condiri iubet hic Propheta: *Ossa*, inquit, *tua pinguescent, et eris sicut hortus ebrius. Pinguescit igitur anima tua, virtutesque eius spiritali adipe ieiunii, et fructus tui multiplicantur ubertate mentis tuæ, ut sit in te sobria ebrietas, sicut illud est poculum, de quo ait Propheta: Et poculum tuum inebrians quam præclarum est!*

Opes confluunt ad eleemosynarios, sicut lac ad ubera.

Et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.) Apte misericors comparatur *fonti*: sicut enim fons omnibus suam aquam largiter communicat, et quasi viscera sua effundit, nec tamen deficit; sed tantum semper recipit, quantum emittit: ita et eleemosynarius plus a Deo recipit quam in pauperes eroget. Sicut enim aqua ad fontem, lac ad ubera, quæ suguntur: ita dona et bona Dei ad eleemosynarios confluunt, inquit S. Basilius et Clemens 3. Pædagogi c. 7. Pro *non deficient*, hebr. est, *non mentiuntur*, id est, non fallunt, non deficiunt, sed perennant. In æstu enim et siccitate, multi fontes exarescunt, falluntque heros sitientes et hiantes: sed fons misericordiæ, est fons fidelis, qui in omni aliorum egestate non deficit; sed facit eos bonis abundare, quibus suam et aliorum famem et sitim expleant.

Quocirca, considera, primo, viriditatem; secundo, proceritatem; tertio, fertilitatem; quarto, varietatem; quinto, aquarum copiam; sexto, omnigenam amœnitatem et pulchritudinem horti irrigui, v. g. paradisi terrestris; eaque ad hominis misericordis corpus, opes et animum transfer, et videbis quam felix eius sit sors.

Docetur id apologo.

Huc facit apologus, de agro maxime frugifero, qui non septus, nec conclusus, tam herum quam quosvis alios abunde alebat et saturabat: at postquam is in manus heri avari, qui sæpe ei circumdata alios exclusit, devenit, non nisi hero sufficientes fructus protulit. Miratus est herus, consulensque oraculum, audivit: *Uni servit ager tibi nunc, cur tanta requiris?* Similiter, si quis aquas fontis muro includat, non emanant aquæ, sed furtim alio se proripiunt: ita et tibi, tuisque bonis continget, si avare ea serves, et in arca concludas. Opes ergo avarorum fallaces sunt et mendaces; misericordium vero, fideles et constantes. Ita Forerius.

Et ædificabuntur in te (vel *a te*) deserta sæculorum.) Puta domus vel urbes et provinciæ tuæ a multis sæculi desertæ, tum domibus, tum habitatoribus, itaque quasi emortuæ: nam incolæ et domus, sunt quasi sanguis et vita civitatum et regionum. Vers. 12.

Fundamenta generationis et generationis, id est multarum generationum et sæculorum, suscitabis.) q. d. Restaurabis et reædificabis urbes et domos, a multis sæculis dirutas, quarum tantum fundamenta in imo, terra obruta, remanserunt. Promittit hic Deus misericordibus amplam sobolem et familiam; ita ut necesse sit desertas urbes et domos reædificare, ut posteris eius sit habitandi locus: sicut ex adverso deficiente sobole, et incolis, deficiunt et ruunt domus et urbes, q. d. Misericordes non tantum instar fontis habebunt perpetuitatem sobolis ac familiæ; sed etiam amplitudinem, ut quaquaversum se dilatent et multiplicentur.

Iam primo, Hebræi, teste S. Hieron. S. Thoma, Vatablo et Forer. hæc referunt ad Iudææ et Hierosolymæ a 70. annis desolatæ restaurationem per Zorobabel. Addit Sanchez *fundamenta generationis et generationis* vocari Ierusalem, quia ipsa ante multas generationes fundata fuit, ætate Melchisedech. Hic sensus frigidior est; ad eum tamen alludit Propheta, eumque quasi historicum præsupponit. Verum sub eo quasi typo, secundo altius quid de Ecclesia Christi spectat; ad illam enim avolat, iuxta can. 4. præsertim quia a c. 40. ad finem libri, fere agit de Christo et Ecclesia, q. d. O fideles, o Ecclesia, si operibus misericordiæ te dedas, pietas, fides et sanctitas priscorum patrum, iamdiu collapsa, in te restaurabuntur, quasi *fundamenta generationis et generationis*, id est, ut Septuag. *diutissime*, imo in æternum in cœlis duratura: o Christe, o Apostoli, o Christiani, si fueritis viri misericordiæ (uti scio vos fore) Ecclesiam veterem, id est, Synagogam, collapsam restituetis, facietisque, ut in ea redeat et refloresçat fides Abrahæ, spes Isaaci, charitas Iacobi, innocentia Abel, castitas Iosephi, mansuetudo Mosis, fortitudo Davidis, patientia Iob, etc. quæ virtutes iampridem abolitæ, et mundo ablatæ videbantur. Ita S. Hieron. Hugo et alii.

Huc pertinet expositio Procop. et S. August. in Psalm. 110. et 111. qui per *deserta sæculorum*, accipiunt ruinam hominum in primo parente Adamo, cuius peccato omnia nostra bona facta sunt ruinosa, ac ceciderunt. Unde Procop. *Animæ tuæ*, inquit, *ruinæ in Adamo factæ instaurabuntur, et disciplina cælesti reficientur: ædificabis teipsum dogmatis cælestibus; Christo tamquam muro te sepies*, ut scilicet fias templum Dei. Loquitur enim Isaias, tam de anima, quam de Ecclesia, quasi de urbe vel templo olim vastato, nunc restaurato et munito. Itaque licet pro-

prie loquatur de Synagogæ et Ecclesiæ restauratione: tamen consequenter loquitur etiam de reparatione animæ cuiusque: per hanc enim illa fit.

Restauratores Religionis qui? Multo magis loquitur de institutione, vel reformatione statuum et Ordinum, tum Ecclesiasticorum, tum Religiosorum: hi enim sunt fulcra et bases Ecclesiæ. Tales ergo Ecclesiæ et Religionis ædificatores fuerunt S. Basilius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Antonius, S. Dominicus, S. Franciscus; de quo proinde narrat S. Bonavent. cum Ordinis sui confirmationem ab Innocentio III. Pontifice petiisset, illeque eum primo reiecisset; tandem tamen benigne eum excepisse, et Ordinem confirmasse, eo quod in somnis, sibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem basilicam sustinere visus fuisset. Ita S. Franciscus de Paula institutor Ordinis Minimorum, parvam Ecclesiam ædificaturus, iussus est in somnis illam multo grandiorem ædificare, quod Ordinem suum late propagaturus, per eumque Ecclesiam restauraturus esset. Tales fuerunt singulis fere sæculis, vel institutores, vel reformatores Religionum, quos Deus pro sua provida misericordia tam Ecclesiæ, quam Religionibus ipsis excitavit, ut eas pristino nitori ac fervori restituerent.

Viri misericordiæ. Ubi Nota, Deum excitasse ad hoc tales viros, qui erant magnæ misericordiæ et charitatis. Tales enim requiruntur ad hoc opus, qui nimirum tangantur intima compassione ruentis disciplinæ, labentis Religionis, et pereuntium animarum. Hæc enim compassio parit in eis ingentem zelum reformationis, qui ad hoc opus, quasi dux præeat, omnesque contradictiones, obices et difficultates, constanter superet. Hinc S. Petrus, antequam audiret a Christo, *Pasce oves meas*, ter ab eo rogatus fuit: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Ioan. 21. 15.

Denique noster Hieron. Prado hæc accipit de corporali fabrica, q. d. Restitues ædificia Ecclesiæ, vel ab infidelibus, vel ab hæreticis diruta, vel negligentia aut avaritia incolarum, aliove casu, collapsa: quorum substructiones, id est fundamenta tantum reliqua sunt, et a multis sæculis sola stant.

Religio facit gentem populosam. Ulterius hoc extendit Thom. Bozius tom. 2. de Notis Ecclesiæ, signo 88. ad urbes et Ecclesias a Christianis ædificatas in locis antea desertis. Docet enim ibidem, terras antea inhabitabiles, per christianismum factas esse habitabiles et populosas. Ita Germaniam quæ iam Christiana tot tantasque habet urbes, ante Christum incultam, et multis locis desertam fuisse, ostendit ex Tacito, Strabone, Seneca et Herodiano. Idem docet de Britannia, scilicet eam ne centesimam quidem urbium et agrorum et fructuum eorum quos iam habet, partem habuisse in paganismo. Idem docet de Polonia, Prussia, Livonia, Lithuania, Dania, Norvegia, Svecia, Gothia, Hibernia, insulis Terceriis, Canariis, Indiis tam Occidentalibus quam Orientalibus. Vide eumdem signo 73. in fine l. 15. ubi inter alia, sub finem hoc addit: *Quin Indiarum latissimis plagis datum est, ut liberentur a maximis tempestatibus ac terræmotibus per Eucharistiam, in templis earum Christi cultu stabilito excitatis conservatam; quod Gonzalus Ovetensis cap. 10. hist. gener. et Lopesius l. 3. c. 6. testantur.* Huius mutationis causa est duplex. Prior, Dei favor et benedictio, posterior, quod fides Christiana, non tantum spiritum, sed et rationem, politiam et naturam humanam expoliat; faciatque homines sagaces, industrios, laboriosos, æque ac sociales, civiles et humanos, ut civitates et resp. excitent, agros colant, artes mechanicas exerceant, etc. Sicut ergo in paradiso, ob Adæ fidem et innocentiam, Deus benedixit ei, totique terræ: ita et eidem benedixit ob secundi Adæ, puta Christi et Christianorum, sanctimoniam. Hoc ipsum prædixit Sibylla apud Lactant. l. 7. dum ita canit:

Et tunc sane gaudium magnum Deus hominibus dabit.
Etenim tellus, et arbores, et innumera pecora terræ
Dabunt fructum verum hominibus,
Vini et mellis dulcissimi, et candidi lactis,
Et frumenti, quod est hominibus optimum omnium.

Et apud Virgil. Ecloga 4.

Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Anagogice, *fundamenta sæculorum*, sunt domus et sedes cælestes, e quibus ceciderunt olim angeli, factique sunt dæmones Has enim eorum ruinas, a tot sæculis desertas et vacuas replebunt et sarcient eleemosynarii, virique sancti. Ita Sanchez.

Et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.) *Vocaberis*, id est eris, ut iure ita vocari possis. Historice alludit et significat, muros Hierosolymæ (hæc enim vocatur sæpe vinea, cuius muri sunt sepes) a Chaldæis interruptos, ita ut semitæ per illos in urbem omnibus etiam bestiis et hominibus paterent, a Nehemia et aliis esse restauratos; ita ut semitis occlusis urbs iam ab hoste foret tuta, degeretque in quiete. Unde Forerius et Vatabl. vertunt: *Vocaberis obstructor rupturæ* vel *sepiens fracturam*, vel *ruinæ instaurator*, *restituens semitas* (quæ ad muri rupturam ducebant) *quieti*. Qui enim resarcit ruinas, avertit semitas, quæ ad ruinas et rupturas ducebant; itaque tam semitas quam cives et incolas restituit quieti; facit enim, ne quis, præsertim hostis, semitas eas calcet et cives invadat. Rursum, per *quietem* hanc significat obstructiones has semper duraturas, neque fore similes illis, quas vinitores faciunt in vinetis, et coloni in agris. Has enim viatores rursus diruunt et per easdem semitas iter conficiunt. Ita Forer. *Avertens* ergo *semitas in quietem*, idem est, quod occlusor et dissipator semitarum, per quas subibant bestiæ et hostes vastantes vineas et domos, ideoque auctor quietis. Possent quoque cum Sanchez hæc proprie accipi de vinetis Iudææ, quorum sepes disiectæ a Chaldæis, restauratæ sunt a Iudæis Babylone redeuntibus. Verum parabolice, sub vinetis Iudææ et Ierusalem, intelligit vineta, id est, Ecclesias, Christi, q. d. Eris et vocaberis ædificator sepium, id est, sepiens et muniens Ecclesiam, obstruensque aditus, per quos dæmon et vitia irrumpebant; itaque faciens ne unitas aut disciplina Ecclesiæ laxetur, atque antiquam fidei simplicitatem et integritatem, quasi murum restituens. Ita ex S. Amb. Castrius et Procop. qui per *sepes* has doctrinam cælestem et timorem Dei accipiunt. Hic enim compressa et occlusa inquieta superbia, gula, invidia, omnique concupiscentia, Ecclesiam, eiusque fideles restituit quieti. Quocirca ædificator sepium debet esse Prælatus et concionator, qui populi conscientias sepire debent spinis minarum mortis, iudicii et gehennæ, ait Haymo. Peccator enim est quasi via communis, per quam, ira, libido, crapula, omniaque vitia quasi bestiæ impune transeunt et grassantur, ait S. Cyrill. quia caret hac sepe.

Tales ædificatores sepium fuerunt et sunt restauratores Religiosæ disciplinæ, et nominatim clausuræ. Hæc enim ut docet Concilium Trident. ipsaque experientia, est seps et murus Religionis, adeo, ut, si quis collapsam disciplinam in aliquo monasterio aut collegio restituere velit, ante omnia clausuram et silentium restituere debeat. His enim restitutis, facile reliqua restaurabuntur. Talis ædificator sepium fuit S. Romualdus, qui anno ætatis vigesimo Ordinem S. Benedicti amplexus, inde Anachoreta factus, Ordinem Camaldulensium instituit, in eoque pene centum annos transegit: mortuus est enim anno ætatis 120. a nativitate Christi 1027. Hisce annis mira sua asperitate, solitudine, oratione, et sanctitate ac zelo, ut non tam homo terrenus, quam Angelus cælestis videretur; monasteria S. Benedicti in Italia et Gallia reformavit, plurima nova ædificavit, multa sui Ordinis fundavit, eremos Eremitis implevit; adeo ut Petrus Urseolus Venetiarum Dux, plurimique alii nobilissimi viri, ad eum certatim accurrerent, et vitam monasticam aut eremiticam amplecterentur: ita ut totus mundus eius virtutum radiis illustrari et renovari, aureumque sæculum agere videretur, uti B. Petrus Damiani Cardin. eius assecla et familiaris, in eius Vita enarrat. — Clausura et silentium sunt sepes monasterii.

Exempla et miracula. Porro, quam hi Deo sint accepti, quamque eos amet et tutetur, miraculis sæpe declaravit. Unum perillustre

refert S. Petrus Venerabilis, qui floruit anno Christi 1100. lib. 1. Mirac. c. 22. Moniales, ait, Marciniacenses, claustro salutari conclusæ, et (ut sic dicam) vitali obrutæ sepultura, pro præsenti coarctatione sempiternam latitudinem, pro sepulcro beatam resurrectionem exspectant. Unde potius mori, quam egredi; ante occumbere, quam limen designati ostii transgredi elegerunt. Quod tunc apparuit, quando in circumpositis villæ domibus, casu, quodam tempore ignis exarsit. Cum enim Hugo Archiepiscopus Lugdunensis eis suaderet, imo præciperet ex obedientia ut exirent, neque sinerent se concremari; una ex eis maximæ nobilitatis et conversationis, Guisla nomine, quam et ipse multoties vidi, spiritu et fide succensa, respondit: *Nos, pater, timor Dei et præceptum Abbatis nostri, ut ignem æternum evadere possemus, intra hos quos cernis limites, usque ad mortem permansuras inclusit. Unde nullo pacto fieri potest, ut aliqua necessitate præfixos nobis pœnitentiæ terminos, saltem pedis passu transgrediamur, nisi ab illo, qui in nomine Domini in hoc nos inclusit loco, solvamur. Noli ergo, domine, si placet, hoc iniungere quod nobis agere non licet; sed sicut nos ignem præcipis fugere, ita magis igni, ut a nobis fugiat, virtute Christi Domini nostri armatus iniunge.* Ad quam mulieris fidem stupefactus Archiepiscopus, ac subito et ipse fide repletus, foras exiit, et flammas intuens, ac lacrymis ora perfusus, ait: *In nomine Domini, et per meritum fidei huius, quæ nunc locuta est mulieris, recede, ignis pestifer, ab ancillarum Dei habitaculis, nec damna aliqua ultra inferre præsumas.* His a Pontifice verbis prolatis (sicut mihi testificati sunt, qui viderunt) repente immensitas flammarum, invisibili virtute repressa, velut ferreo muro obstante, ultra procedere non potuit.

S. Martinus Episcopus Turonensis, ut habet Severus Sulpit. dialog. 2. de Vita eius c. 13. cum aliquando transiret iuxta agellum cuiusdam virginis, in quo iam plures annos pudica, et ab omnium virorum oculis remota degerat, audita illius fide et virtute divertit, ut tam illustris meriti puellam religioso officio honoraret. Verum illa fortissimi vincula propositi ne Martini quidem contemplatione, laxavit. Ita vir beatus, accepta per aliquam fœminam excusatione laudabili, ab illius foribus, quæ se videndam salutandamque non dederat, lætus abscessit. O virginem gloriosam, quæ ne a tanto quidem viro passa est videri! Episcopus autem repulsam illam, non ad contumeliam suam duxit; sed magnificans illius cum excusatione virtutem, inusitatum in his dumtaxat regionibus laudabat exemplum. Huc usque Sulpit.

Violantes Aragoniæ regina, ut refert Petr. Rauzanus in Vita S. Vincentii l. 2. 9. Ioannis regis uxor, quadam fœminea cupiditate permota, affectabat ingredi viri Dei cellulam, ut videlicet videre posset qualis erat locus in quo orabat, qualis lectulus ubi quiescebat. Cumque hoc a beato viro impetrare non posset (nefas namque ei videbatur, ut fœminæ servorum Dei cellas ingrederentur) illa indignans, cellulæ ostium violenter aperiri iussit. Moxque ingrediens, loca quæ videre cupiebat, vidit quidem; sed virum Dei, qui intus erat, nec ipsa, nec illi qui eam comitabantur videre potuerunt. Illa igitur a Fratribus, quos in cella reperit, sciscitatur, ubinam beatus Vincentius esset. Respondent illi quod ante oculos haberet: ac dicunt se plurimum admirari, quod eum non videret, cum ipse in loco patulo esset, unde ab omnibus videri posset. Postquam hæc reginæ dixerunt, ad virum Dei Vincentium conversi: *Quid causæ est,* inquiunt, *pater optime, quod reginæ ad te venienti non assurgis? nec eam alloqueris? At ille: Nescitis,* ait, *filii mei, numquam a nobis fuisse permissum, ut fœminæ in cellas nostras introducerentur? et quamvis hæc regina sit, tamen eam ingredi non permisi, ne fiam personarum acceptor. Et quoniam violentiam hanc fecit, ut, me invito, ingredi ausa sit; ideo quamdiu hoc in loco commorabitur, divino miraculo fiet, quod eius oculi tenebuntur, ut quamvis coram habeat, me numquam tamen videre possit.* Hæc audiens regina, statim egreditur: Vincentius autem secutus est eam. Quem illa videns, ante eum mirum in modum humiliata est, ac pro commisso veniam petiit. Cui dixit B. Vincentius: *Nisi per muliebrem ignorantiam peccavisses, certe non impune tantam violentiam mihi fecisses: ultor enim est Deus iniuriarum, quæ servis eius inferuntur. Amodo igitur cave, ne quid eiusmodi committas in servos Dei.* Post multos vero inter se sermones regina discessit.

S. Fiacrius Hibernus, ut habet eius Vita 24. Augusti, vivens in monasterio a se exstructo, ob illustre miraculum a se perpetratum, a fœmina monasterium visitante magiæ accusatus, oravit: *Ne deinceps loci limina immunis intret fœmina.* Quare illo ex tempore, muliebre genus monasterii aditu, quod B. Virgini dicatum erat, vis quædam divina prohibuit, nullaque fœmina intulit pedem impune. Nam matrona quædam dives, quæ ancillam experiendi causa ea quæ audierat, in monasterium sua manu compulerat, altero privata oculo est, incolumi serva, quæ vim alienam, heræque impulsum repellere nequivisset. Similis vindicta persecuta est fœminam audenter ingredientem monasterium S. Carilephi, uti refertur in eius Vita.

Hi ergo sunt ædificatores sepium, et evertentes semitam in quietem; hi sunt qui Dei iram avertunt, eiusque favorem conciliant. Unde pro *ædificator sepium*, Aquila vertit: παραφρακτισμα χολῆς, id est, *qui se opponit iræ Dei sævienti*; Symmachus: *Murum opponens cædenti; qualis fuit Moses, et Aaron, et Samuel; qui iræ Domini restiterunt, et quasi ædificato muro, indignationi eius posuerunt terminum. Hic convertet semitas in quietem, ut nequaquam Dei ira desæviat · sed placatus sit eis Dominus, et omnes indignationis semitæ conquiescant*, ait S. Hieron.

SI AVERTERIS A SABBATO PEDEM TUUM.) *A sabbato,* id est a sabbati transgressione. Vide can. 17. *Pedem,* quia in sabbato longum iter, omneque opus servile, quod pedibus aut manibus fit, erat prohibitum. Vers. 13.

Mystice, per *pedem*, significatur affectus et concupiscentia; his enim movetur anima, uti pedibus corpus.

Est synecdoche. Nam in sabbato, quælibet festa, totam Dei religionem et cultum, puta legem primæ tabulæ intelligit; sicut vers. 10. legem secundæ tabulæ designavit per *misericordiam* eiusque opera, q. d. Ne putes custodiam secundæ tabulæ sufficere, Deumque velle misericordiam tantum non sacrificium: ecce hic pariter sabbatum, legemque primæ tabulæ et Dei cultum tibi inculco et commendo. Simili modo cap. 56. v. 1. et 2. legem totam, tam secundæ, quam primæ tabulæ significavit per *iustitiam* et *sabbatum*. Unde explicans subdit: Et *si averteris* (hoc enim per zeugma hic repetendum est) *facere voluntatem tuam in die sancto meo.* Sabbatum enim vocatur dies sanctus Dei, quia eius cultui erat dicatus; sicut reliqui dies possunt vocari dies profani hominum, quia eorum profanis negotiis permissi et dati, q. d. Si in sabbato non tantum quieveris ab opere, sed etiam non sequaris tuam voluntatem et concupiscentias, indulgendo gulæ et genio, sed vacando orationi, concioni, lectioni, meditationi. Si non profanes sabbatum, sequendo voluntatem, id est libitum passionum tuarum; sed uti ab opere, ita pariter a vitiis sabbatum, id est otium et quietem agas.

ET VOCAVERIS SABBATUM DELICATUM, id est delicate et tenere observandum, vel *delicatum*, id est delicias tum tuas, tum Domini; quod scilicet capiet Deus magnam delectationem (hanc enim significat hebr ענג *onegh*) ex religioso sui cultu in sabbato; ET SANCTUM DOMINI GLORIOSUM, q. d. Si vocaveris, æstimaveris et colueris sabbatum, quasi diem sanctum, et gloriæ et glorificationi Domini dedicatum. Discamus hinc in sabbato, id est Dominico, non quærere nostram gloriam: pompose incedendo et splendide nos vestiendo, sed Dei: hocque nobis sit gloriosum, quod gloria Dei per nos et alios tum celebretur, eamque promovere satagamus. Hoc autem, o fidelis, o Christiane, præstabis, DUM NON FACIS VIAS TUAS, id est actus, mores et vitia consueta, ET NON INVENITUR VOLUNTAS TUA.) Ut impleas tuam gulam et concupiscentiam; sed ut totus Deo Deique voluntati cognoscendæ, amandæ et adimplendæ vaces. Hac enim de causa vetuit

Sabbatum delicatum quod?

Deus Iudæis coquere cibos in sabbato, tum ne iis coquendis avocarentur a rebus divinis; tum ut cibi pridie cocti minus essent suaves et magis insipidi, itaque gulam non irritarent, sed mens, cogitatio et anima tota ferretur in Deum Deique cultum. Cum enim voluptates carnis abdicamus, reddimus nos idoneos gustandis voluptatibus cælestibus et divinis. Ita Forer.

Rursum S. Cyrill. *Submissi*, ait, *tractabiles et sequaces mores, tenerum præstant in sabbato otium, et spiritualem sabbatismum.* Tenerum ergo, sive delicatum sabbatum vocat, quod a mente tenera, id est flexibili et obediente, colitur. Hinc Cant. I. 9. sponsæ dicitur: *Collum tuum* (flexibile et obsequens est) *sicut monilia*, quæ ex auro lentescente fiunt, sequunturque per omnia aurifabri ductum et flexum. Ita Theodor. et ex eo Sanchez. Addit S. Cyrill. *Qui ergo a Deo approbari volunt, fortiter ac iuveniliter suam voluntatem oppugnare debent, ut divinam sequantur et impleant.*

Ut loquaris sermonem.) Scilicet, qui *non prodest*, ut dixit v. 9. q. d. Si sabbato abstinueris a confabulationibus vanis, ridiculis, nugosis, detractoriis, irrisoriis, petulantibus, obscœnis et rixosis, ut vertunt Sept. Ad hæc enim homines carnales invitat otium sabbati, hæcque sæpe in sabbato, id est Dominico et festis, etiam apud Christianos tractari videmus.

Vers. 14. Tria præmia colentium Deus.

Tunc delectaberis super Domino.) Tria hic præmia sabbatum Deumque colentibus promittit; primum, quod magnam habebunt spiritus delectationem, et, ut Septuag. confidentiam in Deo. In Hebr. pro *delectaberis*, est eadem vox *onegh*, quæ fuit v. 13. q. d. Si in sabbato abstraxeris te a deliciis carnis, Deus dabit tibi suas delicias longe maiores, scilicet pro carneis dabit spiritales, pro temporalibus æternas, pro humanis divinas. Anima enim nostra delectatione carere nequit; sed si unam non habet aliam quærit: quocirca Deus huic eius affectui naturali indulgens, suam ei offert, si terrenam respuat. Id expertus David canebat: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum*; et: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Gustato* enim *spiritu, desipit omnis caro.* Perinde ut filius regis inter rusticos rustice educatus, si rediens ad aulam, eius delicias gustet, fastidit omnes delicias rusticanas.

I. Deliciæ spiritales.

II. Celsitudo animi.

Et sustollam (Vatabl. *equitare te faciam*, vel *veham*) te super altitudines terræ.) Secundum est hoc præmium. Per *altitudines*, Sanchez accipit ubertatem terræ, Iudæis promissam; terra enim, si excelsa sit, vinetis et fructibus abundat. Unde Septuag. vertunt: *Allevabit super bona terræ.* Verum augusta hæc Dei verba et promissa altius et augustius quid spectant: nimirum altitudines cælorum, qui sunt terra et sedes, non morientium, sed viventium. Fateor tamen alludi ad illud quod ait Moses ad Iudæos: *Constituit eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, butyrum, etc.* Deut. 32. 13. Verum sub his spiritalia et longe maiora intelligit, et fidelibus, Christique cultoribus promittit Propheta, q. d. Si Deum Deique festa colueris, sustollet te Deus in altum, ut scilicet in Deo et cælo mente fixus, magno animo hoc terræ punctum et terrena omnia contemnas, sive prospera, sive adversa; sive honores, sive contemptus; sive opes et delicias, sive pauperiem; atque post mortem anima, ac tandem corpore reipsa in cælum te transferet.

Altitudines terræ, quæ?

Terræ ergo *altitudines* sunt terra altissima et cælestis, de qua ait S. Hier. *Terra mitium, terraque viventium non est deorsum, sed sursum.* Audi S. Greg. 31. Moral. c. 19. *Electorum*, ait, *specimen est, quod per spei certitudinem noverint iam se ad alta pervenisse, quatenus cuncta quæ præterfluunt, sub se esse videant, itaque omne quod in mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hinc est enim quod sequenti se animæ per Prophetam Dominus dicit: Sustollam te super altitudines terræ. Quasi quædam namque inferiora terræ sunt, damna, contumeliæ, egestas, abiectio, quæ ipsi quoque amatores sæculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terræ sunt lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor et sublimitas dignitatum, quæ, quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cælestibus figitur, mox quam abiecta sint cernitur quæ alta videbantur.* Deinde tales comparat aquilis, quæ in altis nidificant, qualis fuit S. Paulus, dicens: *Nostra conversatio in cælis est.* Vide ibi dicta.

Sancti sunt margaritæ, cur?

Sicut enim uniones licet in mari oriantur, plus tamen cognationis habent cum cælo, cuius colorem, candorem, lucem et pulchritudinem suo modo repræsentant, ut videantur esse cælestes: sic viri iusti, qui excelsis animis in terra, divina colunt studia et opera, magis a cælo pendent quam a terra, magisque cælestes sunt quam terrestres; quia cæli cives sunt, et terræ hospites ac peregrini. Hinc in cælo, quasi in alto monte constituti, omnia quæ hic subtus in terra sunt, quasi exilia despiciunt, atque cum beatis mentibus Deo Deique bonis fruentes, dedignantur terrena aspicere, aut de iis cogitare: perinde ac virgo rusticana, ob speciem electa a rege in sponsam, eiusque mensa et consortio fruens, dedignatur de suo olim rure et rusticis cogitare.

Celsitudo animi tranquillos facit et beatos.

Quantum bonum sit hæc mentis altitudo, quantumque virtutis sit præmium, etiam Gentiles viderunt, sed eminus et per umbram. Seneca epist. 27. *Aliquod*, ait, *bonum mansurum circumspice; nullum autem est, nisi quod animus ex se sibi invenit; sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum: etiamsi quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec umquam diem vincunt.* Nam ut idem ait epistol. 58. *Talis est sapientis animus, qualis mundi status super lunam*, nimirum, ut ait alter:

Perpetuum nulla temeratus nube serenum,

Nam illa pars mundi superior et ordinatior, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret. Eodem modo sublimis animus quietus semper, et in statione tranquilla collocatus, modestus, venerabilis et compositus. Hinc ut idem ait ep. 120. *Numquam malis ingemuit, numquam de fato suo questus est*; et epist. 92. *Quid est beata vita? Securitas et perpetua tranquillitas.* Hoc est quod docet S. Ambros. libr. 1. Offic. c. 2. *Scriptura*, ait, *divina vitam beatam in cognitione posuit divinitatis, et fructu bonæ operationis*; et c. 3. *Innocentia et scientia beatum faciunt*; et cap. 4. toto, beatitudinem doloribus et necessitatibus acquiri, docet exemplo Mosis, Danielis, Pauli, aliorumque Sanctorum. Idem alibi: *Vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ, et securitas innocentiæ.* Vide eumdem lib. I. de Vita beata c. 7. et sequ. De hac celsitudine animi, passionum rerumque omnium victrice, ac vitæ beatæ genitrice, fuse disserit Cicero libris quinque Tuscul. quæst. et paradoxo 2. 5. et 6. ac in fine Tuscul. 2. sic ait: *Si omnia fugiendæ turpitudinis, adipiscendæque honestatis causa faciemus, non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunæ contemnamus licebit.* Idem alibi: *Tum illud*, ait, *orietur* (ex virtute) *inæstimabile bonum, quies mentis in tuto collocatæ et sublimitas, expulsisque terroribus, ex cognitione veri gaudium grande et immotum, comitasque et diffusio animi, quibus delectabitur non ut bonis, sed ut ex bono ortis.*

Regnum fortunæ despicit.

Hinc collegerunt Stoici suum illud paradoxum: *Sapientem etiam inter tormenta beatum esse; quia invictus, ex alto dolores suos spectat*: et, ut ait Cicero: *Totum fortunæ regnum despicit.* Ita Epicurus, ait Seneca epistol. 92. moriturus dicebat: *Beatissimum hunc et ultimum diem ago, cum illum hinc urinæ difficultas torqueret, hinc insanabilis exulcerati dolor ventris.* Quocirca, ut idem ait alibi: *Licet ipsum corpus plenum bona conscientia stillet, placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit.* Adstipulatur S. Ambros. l. 1. de Iacob cap. 7. *Non frangitur*, ait, *sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis, sed etiam in ærumnis beatus manet; quia non in delectatione corporis vitæ beatitudo est, sed in conscientia pura ab omni labe peccati.* Hinc illa sapientis apathia non naturæ, sed virtutis et mentis excelsæ. Esto enim naturæ dolores sentiat, mens tamen et virtus illos superans, et

Etiam in doloribus.

invicte sustinens, quasi non sentit.

Exempla S. Tiburtii. S. Laurentii. S. Vincentii. S. Antonii.

Ita S. Tiburtius Martyr, prunis candentibus inambulans exsultabat, ac si super rosas ambularet. Ita S. Laurentius in craticula assatus, exsultavit in spiritu, ut et Decio tyranno insultaret. Ita S. Vincentius inter tormenta continua, altius semper animo assurgens, Dacianum ad stuporem, et pene ad insaniam adegit. Ita S. Antonius, cum a Constantino Imperatore demississimas, quasi a filio pater, litteras accepisset, suis hoc magni facientibus, dixit: *Nihil magnum videri debet, quod reges sæculi ad Dei servos epistolas dent; quia etsi aliquid potentiæ amplius habere videantur, tamen eadem omnium est natura, eadem vivendi et moriendi conditio. Illud vero magnum est quod Deus epistolas suas, id est legem suæ voluntatis indicem, ad nos miserit, nobisque per Filium locutus sit.*

S. Columbani.

S. Columbanus veniens ad aulam Theodorici regis Franciæ; cum rex illi cœnam cultu regio, et longo famulorum ordine deferri curaret: ipse vultu et voce aversatus est, dicens: *Munera impiorum reprobat Altissimus, et indignum est ut ora servorum Dei eius cibis polluantur, qui cum ipsis iniustum bellum gerit.* Ita habet eius Vita.

S. Gregorii.

S. Greg. l. 1. Regist. epist. 5. loquens de se, cum Religiosus esset, nec adhuc Pontifex: *Nil*, ait, *in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare; ita ut in me plene impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terræ, etc.*

Mosis, Eliæ, Elisæi, Isaiæ, Ieremiæ.

Talis fuit celsitudo animi, indeque libertas increpandi Mosis in Pharaonem, Nathan in Davidem, Eliæ in Achab, Elisæi in Ioram, Isaiæ Manassem, Ieremiæ in Sedeciam. Da nobis, Domine, hosce animos, sustolle nos super altitudines terræ, *ut inter mundanas* vanitates et *varietates, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.* Nam, ut ait S. Cyprian. lib. 2. epist. 2. ad Donatum: *Una placida et fida tranquillitas, una solida et firma, et perpetua securitas, si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cælum oculos tollit a terris: et ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam conscientiam iacere gloriatur. Nihil appetere iam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo maior est;* et mox: *Postquam auctorem suum, cælum intuens, anima cognovit, sole altior est, ac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit, quod esse se credit.*

Sæculo maior est sanctus.

III. *Dei cultorum præmium, hæreditas Iacob, quæ?*

ET CIBABO TE HÆREDITATE IACOB PATRIS TUI.) Tertium est hoc sabbati, Deique cultus præmium, q. d. Dabo tibi insignia illa bona, quæ promisi Abrahæ, Isaac et Iacob, nimirum delicias et divitias gratiæ cælestis et virtutum; ac deinde gloriæ et felicitatis æternæ in cælo. Ecclesia enim militans inchoat, et tendit ad triumphantem. Alludit ad terram Iudæis promissam: ad hanc enim e Babylone ipsos sperantes et colentes se, reduxit Deus, q. d. Non hanc Iudaicam, sed longe altiorem, scilicet terram viventium, tibi dabo, ibique te cibabo iis epulis, *quas nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.* Ita S. Hier. Cyril. et Procopius. Iam ut hæc confirmet, et magis singulorum menti infigat, solitum Prophetarum sigillum subdit, dicens: *Os enim Domini* (quod falli aut fallere nequit) *locutum est.*

Præclare S. Bern. serm. 21. in Cantic. *Eris*, inquit, A *inter adversa et prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem et inconcussam constantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, dum te cœperis renovare et reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippe sicut ipse est, ita et tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus.* Subdit deinde, hominem renovari ad hanc primævam Dei imaginem, *cum sibi indignum ducit huic labenti sæculo conformari, reformari magis satagens (iuxta Pauli doctrinam) in novitate sui sensus in eam similitudinem in qua se conditum novit: ac per hoc etiam cogens, ut dignum est, sæculum istud, quod propter se factum fuit, versa vice mirum in modum conformari sibi; dum omnia ei cooperari in bonum incipiunt, tamquam in propria et naturali forma, abiecta degeneri specie, recognoscentia dominum suum, cui ad serviendum creata fuere. Unde arbitror illum sermonem, quem dixit de se Unigenitus* (Ioan. B 12.) *videlicet, si exaltaretur a terra, omnia traheret ad seipsum; cunctis quoque eius fratribus posse esse communem, his utique, quos Pater præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et ego, si exaltatus fuero a terra* (audacter dico) *omnia traham ad meipsum. Nec enim temerarie usurpo mihi vocem, cuius in me induo similitudinem.* Ita ergo suos evehit Deus, ut quisque etiam rebus omnibus creatis tamquam parvulus quidam Deus dominetur: si nimirum exaltatus fuerit a terra, hoc est terram et terrena omnia contemnendo, supergressus fuerit.

Vides hic, o Christiane, quanta Deus statuerit præmia misericordiæ et pietati? Si habet mundus quæ eum istis conferat, ametur; sin minus, quid hæremus? Certe, cum hæc verba examino, simulque oculos circumfero, videoque quam pauci sint, qui delectentur in Domino, sublatique supra nubes in cælo habitent; tunc plane intelligo paucissimos esse qui vere sint misericordes, et Numinis C veri cultores: scio enim os Domini per Prophetam vera dicere et promittere. Hoc ergo lugendum et plangendum est, inquit Forerius.

Symbolice, cibat nos Christus seipso in Eucharistia. Hæc enim est eius hæreditas, Ecclesiæ testamento relicta quæ, ut ait S. Bernard. serm. 11. de Cœna Domini, est *Iesus dulcis, Iesus delectabilis, omni virtute præditus, omni speciositate redimitus, dulcis super mel et favum, speciosus forma super filios hominum: cuius dulcedine Angeli inebriantur, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur. Iste talis ac tantus dixit discipulis suis, et per eos cunctis fidelibus suis: Manete in me, et ego manebo in vobis.* Quocirca exclamat: *O quam magna sublimitas, o magnæ sublimitatis auctoritas, hominem habitare cum Angelis, terram et pulverem elevari in cælos, hominem tolli de stercore iumentorum, et aggregari cœtibus Angelorum, imo creaturam manere in Creatore, facturam in factore, redemptum in redemptore, servum in domino, peccatorem in iusto, factum ex limo in eo qui fecit omnia ex nihilo,* D *transitorium in æterno, miserum in summe beato; imo in eo qui omnia beata beat, et cuncta sanctificat sancta, qui est veritas et vita, et gloria sempiterna, gaudium mundi, iucunditas cæli, dulcedo paradisi, beata æternitas, et æterna beatitudo, Christus scilicet Dominus Iesus!*

CAPUT QUINQUAGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit ad initium cap. præcedentis, pergitque respondere querelis Iudæorum, cur e Babylone, suisque hostibus et calamitatibus non liberentur. Respondet enim, causam non esse Dei impotentiam, quod non possit: vel surditatem, quod nolit eos audire, et liberare: sed ipsorummet peccata multa et gravia, quæ hoc flagellum exigunt, et Deo quasi invito extorquent. Quocirca multis peccata eorum enumerat, et exaggerat. Denique v. 16. Deus miserens sui populi omnino deserti et afflicti, armis se accingit, ut eum ab hostibus liberet, omnesque gentes videant eius gloriam, cum mittet redemptorem Christum iis qui redeunt ab iniquitate, qui sanciet inter eos et Deum novum fœdus sempiternum.

1. Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius ut non exaudiat: 2. Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret. 3. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur. 4. Non est qui invocet iustitiam, neque est qui iudicet vere: sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates: conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem. 5. Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur: et quod confotum est, erumpet in regulum. 6. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum. 7. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas et contritio in viis eorum. 8. Viam pacis nescierunt, et non est iudicium in gressibus eorum: semitæ eorum incurvatæ sunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. 9. Propter hoc elongatum est iudicium a nobis, et non apprehendet nos iustitia: expectavimus lucem, et ecce tenebræ: splendorem, et in tenebris ambulavimus. 10. Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. 11. Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus: expectavimus iudicium, et non est: salutem, et elongata est a nobis. 12. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis: quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus. 13. Peccare et mentiri contra Dominum: et aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri, ut loqueremur calumniam et transgressionem: concepimus, et locuti sumus de corde verba mendacii. 14. Et conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit: quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. 15. Et facta est veritas in oblivionem: et qui recessit a malo, prædæ patuit: et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium: 16. Et vidit quia non est vir: et aporiatus est, quia non est qui occurrat: et salvavit sibi brachium suum, et iustitia eius ipsa confirmavit eum. 17. Indutus est iustitia ut lorica, et galea salutis in capite eius: indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. 18. Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, et vicissitudinem inimicis suis: insulis vicem reddet. 19. Et timebunt qui ab occidente, nomen Domini: et qui ab ortu solis, gloriam eius: cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit: 20. Et venerit Sion redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus. 21. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo, et usque in sempiternum.

Vers. 1. Ecce non est abbreviata manus Domini.) *Manus*, id est, potentia. Vide dicta cap. 50. 15. Ibi enim idem dixit Propheta. Hæc verba recte connectuntur fini cap. præcedentis hoc modo, q. d. Iam declaravi et ostendi, o Iudæi, quod si sitis pii et misericordes, colatisque sabbata mea, ædificabo deserta sæculorum, sustollam vos super altitudines terræ, et cibabo vos hæreditate Iacob patris vestri: ecce ex hisce meis promissis, similibusque beneficiis, quæ alias Abrahæ, Davidi et patribus vestris præstiti, videtis facile, me non esse in culpa et mora, quod ab hostibus et ærumnis vestris non liberemini, neque id fieri defectu potentiæ aut benevolentiæ meæ, quod aures habeam graves, id est, duras, et quasi gravi aliquo et crasso humore obturatas et occlusas, ne preces vestras audiam; sed vos esse in culpa, qui peccatis vestris nubem et chaos magnum inter me et vos induxistis, quæ vestras preces inhibet et repellit, ne penetrent, et ad aures meas perveniant. Vide dicta Threnor. 3. 44. Unde subdit:

Vers. 2. Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.) Sicut firmamentum est interstitium dividens aquas superas ab inferis, Genes. 1. 6. ita peccata vestra sunt interstitium firmiter dividens et separans vos a cælo, Angelis et Deo; proinde peccata vestra *absconderunt* a vobis *faciem* et oculos *eius* benevolos, ne vos benigne et gratiose respiciat; atque aures eius patulas, ne preces vestras audiat.

Septuag. vertunt: *Propter peccata vestra avertit faciem*

A *suam a vobis, ut non misereatur.* Cuius rei duplicem dat causam S. Hier. Primo: *Ostendit*, ait, *quod fœtorem peccatorum, et iniquitatem eorum ferre non potest.* Sicut enim nares avertimus a putido et fœtente cadavere, aut a latrinis: ita Deus avertit se a peccato. Secundo: *Avertit*, ait, *faciem suam, ne turpitudinem eorum cerneret, et statim percutere cogeretur.* Avertit ergo non tam ex ira, quam ex clementia et indulgentia, qua eorum conversionem parcendo exspectavit.

Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine.) Descendit a genere ad speciem, et speciatim scelera eorum recenset ac redarguit. Primum est hoc homicidii, quod sanguine a se fuso manus et conscientiam polluerint. Vers. 3.

Et digiti vestri iniquitate.) Cædibus, rapinis, omnique violentia.

Fatur.) Et loquendo adornat et concinnat, ut vertit

B Vatabl. alios enim ad eamdem iniquitatem excitat et impellit.

Non est qui invocet iustitiam.) q. d. Non est, qui iustitiam in consilium advocet et adhibeat, ut vere iudicet; sed adhibent in consilium suam avaritiam et cupiditatem; itaque iudicia ob munera et favores pervertunt, insontes damnando, et sontibus causam adiudicando. Patet ex sequent. Vers. 4.

Hebræa ad verbum habent: *Non est qui vocet in iustitia;* quod recte Noster vertit: *Qui invocet iustitiam.* Potest tamen secundo, sic verti, q. d. Nemo alium iuste in

ius vocat. Unde sequitur in Hebræo: *Non est qui iudicio litiget, aut disceptet vere;* aut potius. *Non est qui iudicetur vere,* quia scilicet, ut Noster vertit, *non est* iudex *qui iudicet vere* et sincere. Tertio, Vatabl. sic accipit: *Nemo est qui vocet in iustitia,* id est nemo est qui clamet ad impios, eosque inique agentes iuste arguat et iudicet. Unde alii vertunt: *Non est qui clamet pro iustitia.* Quod notent assessores iudicum, æque ac pastores, qui licet non proferant iniustas sententias, iniquis tamen iudiciis non reclamant, nec patrocinium iustitiæ suscipiunt. Horum enim silere est tacitum consentire.

Sed confidunt in nihilo.) q. d. Non confidunt in iustitia et veritate; sed spes suas ponunt in rebus vanis et nihili, puta, in idolis suis saxeis et ligneis. Ita S. Thom. et Haymo. Aut potius in externa forma et inani specie ac larva, tum iustitiæ et pietatis, tum sapientiæ et astutiæ, tum potentiæ et auctoritatis, quibus alios iniuste opprimunt.

Peccatum vocatur labor et dolor, cur? Conceperunt laborem.) Nota per *laborem* sive *fatigationem,* et, ut Psal. 7. v. 15. et 17. (quo alludit hic Isaias) Noster vertit, *dolorem,* metonymice significari peccatum, quod plurimorum dolorum et laborum præsentium et futurorum est causa, et magna sollicitudine, anxietate, labore et dolore parturitur ac perpetratur. Peccator ergo instar puerperæ, magna molestia et dolore utero mentis gestat, fovet et alit peccatum; quod postea simili dolore parturiat, ac insuper mox pariat sibi pœnas præsentes et æternas. Quam hoc verum sit, ad oculum est videre in iis, qui honores, opes, epulas ambiunt. Ita Hugo. Secundo, et magis proprie, peccatum homicidii et violentiæ in proximum (de hoc enim egit v. 3.) vocatur hic *labor* et *iniquitas,* tum passive, quia peccantem labore et dolore afficit, uti iam dixi; tum active, quia proximum quem occidit aut iniuria afficit, laborare, gemere et dolere facit. Ita S. Cyrillus, S. Thomas, Forer. et Sanchez. Unde sequitur:

Vers 5. Ova aspidum rumpere, quid? Ova aspidum (solus Aquila vertit, *viperarum*) rupebunt.) Est proverbium, q. d.: *Ova aspidum,* id est, suos malignos iræ, rapinæ et homicidii conceptus et machinationes, per suos filios (ova enim rumpuntur non a matre, sed a fœtu ovis incluso, dum iam animatus est, et gestit in lucem prodire) vel asseclas exsecuti sunt (uti in republ. alii sæpe sunt qui scelus machinantur, alii qui iuvant et exsequuntur) ac reipsa patrarunt rapinas et cædes. Hæ enim sunt quasi aspides ex ovis prodeuntes, quæ et aliis, in quos destinatæ sunt, et ipsis etiam auctoribus ac parentibus perniciem creant. Ita S. Hieron. Haymo, Procopius, Hugo et alii. Qui enim ex ovo aspidem educit, ab eodem mordetur; nam rupto ovo, erumpit aspis, quæ in linguæ vulnere venenum infligit effractori ovi.

Aliqui putant hic agi et alludi ad partum viperæ, quæ multos parit fœtus usque ad viginti, sed sensim eos enititur, scilicet *singulis diebus singulos; itaque cæteri tarditatis impatientes perrumpunt latera, occisa parente,* ait

Vipera dicta quod vi pariat, cur? Plinius l. 10. 62. Unde S. Greg. l. 15. Moral. 9. *Vipera,* ait, *quod vi pariat, nominatur.* Sic enim impii, dum aliis malum machinantur et pariunt, sibi ipsis noxam et perniciem accersunt. Licet enim Aldrovandus et alii viri docti negent viperam a fœtu enecari; tamen Plinius id docet, estque is communis hominum sensus et sermo, cui se conformare solet sacra Scriptura. Pari modo viperam ova concipere, ex iisque fœtus in utero excludere, incertum est. Nam asserit Plinius, negat Aristot. l. 5. Histor. animal. cap. 5. Scriptura ergo *ova* vocat membranam quamvis, qua certum est in utero fœtum includi, eamque rumpi, cum ille paritur et egreditur. Verum non agitur

Aspidis ova. hic de vipera, sed aspide. Porro aspidem instar aliorum serpentium edere ova, constat et liquet ex hoc Isaiæ loco; quinimo non tantum aves, pisces, serpentes, sed et conchas, aliaque animalia testacea, in vere et autumno, edere ova, docet Aldrovandus lib. 3. de iisdem.

Aspidis solus morsus insanabilis. Tradit Ælianus l. 1. de Natura animal. adversus viperarum, omniumque serpentium morsus remedium inveniri, aspide una excepta, præcipue si de rana gustarit; ut ait idem l. 2. Solius ergo aspidis ictum omni cura potentiorem esse, nec ab ullo vinci (præterquam a muliere) utpote quæ vel aspectu contactuque solo necet; quorum alterum cum regulo, alterum cum aconito commune. Hinc Nicander: *Aspidis,* ait, *morsus immedicabilis* est. Hinc et proverbium:

Telum aspidis profecto mulier improba.

Porro, proverbium hoc: *Aspidis morsus,* maxime convenit in hostem clancularium et tanto pestilentiorem, quod clanculum, citraque dolorem infundat venenum hic serpens; neque post morsum appareat vulnus in corpore, tantum somnus lethalis obrepat: quamquam Plinius l. 29. 4. et Dioscor. l. 2. c. 33. contra aspidis morsum valere cimices asserant.

Moraliter a simili, hoc proverbium usurpare licet, cum quis alteri machinatur malum, quod simul in machinantis caput retorquetur et recidit. Talis enim quasi ovis aspidum incubans, eaque vivificans ac rumpens, a fœtu erumpente mordetur.

Simile exstat perelegans in emblemate Alciati 154. de corvo et scorpio:

Raptabat, ait, *volucris captum pede corvus in auras*
Scorpion, audaci præmia parta gulæ.
Ast iste, infuso sensim per membra veneno,
Raptorem in Stygias compulit ultor aquas.
O risu res digna nimis! qui fata parabat
Ipse perit, propriis succubuitque dolis.

Similiter facit ichneumon, qui quadam physica antipathia, post necatam matrem, in ova grassatur, sed eorum contactu lethum incurrit. Sic cornix corripiens scorpium, arcuata illius cauda, vulnus lethale accipit, peritque. Unde proverbium: *Cornix scorpium;* rursum, *Octipedem excitas,* nimirum scorpium, cui pedes sunt octo. Tale quoque est: *Leonem stimulas, Crabrones irritas, Tuo laqueo captus es, Tuo gladio iugularis.* Sic luget Ovidius: *Heu patior telis vulnera facta meis.* Et Livius l. 2. de secundo bello Punico. *Sentiebat Annibal suis se artibus peti.* Tradit Plutarchus Brasidam ducem educto e corpore telo, eodem confodisse eum qui miserat. Trebellius Pollio narrat Marium, unum e triginta tyrannis, interemptum a milite, qui adoriens eum dixerit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Marius enim ante imperium faber ferrarius fuerat, et eius militis opera in fabrili officina usus.

Tropologice, S. Greg. l. 15. Moral. 9. *Ova,* inquit, *aspidum pravis hominibus rumpere, est malignorum spirituum consilia, quæ in eorum cordibus latent, perversis operibus aperire.* Et Procop. *Ova aspidum,* inquit, vocat semina diaboli, qui aspis est et serpens venenatissimus et astutissimus, qui Evam, omnesque eius filios decepit.

Allegorice, S. Hieron. et Haymo hæc accipiunt de Iudæis, qui quasi viperæ et aspides obturaverunt aures, ne Christi doctrinam et salutis monita audirent; quique quasi viperæ eumdem Christum parentem suum occiderunt. Unde et S. Ioannes Baptista vocat eos *genimina viperarum.* Recte quoque Arias hæc adaptat perversis iudicibus, qui litigantes suis praxibus fraudulentis in desperationem et ruinam adigunt.

Et telas araneæ texuerunt.) q. d. Sicut araneæ texunt telas, ut capiant muscas et culices; ita hi suis fraudibus, rapinis et cædibus putarunt sibi parare et texere opes plebeiorum et pauperum, quibus splendide epularentur et vestirentur; at non nisi futiles et inutiles telas aranearum texuerunt. Telæ hæ ad vestitum pertinent, sicut ova ad epulum et cibum; ob cibum enim et vestes, omnis fit rapina. Sicut ergo in vestitu, notat inanitatem et inopiam; ex telis enim aranearum vestis fieri nequit, ut dicitur v. 6. ita in cibo notat perniciem; qui enim ova aspidum comedit, ut sequitur, venenum comedit et mortem; qui vero ova fovet et excludit, regulum producit, q. d. Putant hi violenti suis armis et fraudibus parare sibi vestes: at parant sibi telas aranearum, id est, tenuitatem, nuditatem, sordes, obscuritatem, et pauperiem; putant parare epulum; at parant necem et supplicium. Hæc enim omnia ex iusto Dei vindicis iudicio ob

Superbus, gulosus, avarus, etc. texunt araneæ telam.

hæc scelera inflixerunt eis Chaldæi, et postea Romani evertentes Iudæam.

Unde S. Gregor. loco citato: *Telas*, inquit, *araneæ texere, est pro huius mundi concupiscentia, temporalia quælibet operari: quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit.* Videmus araneam studiose continuo texere, laborare et se eviscerare; at quid texit? inanem et sordidam telam. Ita carnales et mundani perpetuo laborant, sudant, seque eviscerant; at quid faciunt? quid lucrantur? telam araneæ, rem caducam et futilem. O stulti mercatores et textores, qui parva, fluxa et vilia texitis, eaque cum magnis, pretiosis et æternis commutatis, datis cælum pro terra, animam pro corpore, vitam pro morte.

Aliter hæc explicat Forerius. Ieiunia, ait, Iudæorum sabbata, preces, decimationes, alia denique quæ Iudæi magna ambitione celebrabant, araneæ telæ erant: videbantur enim aliquid operis et dignitatis habere, sed cum fide et charitate carerent, inutilis erat totus eorum labor.

Symbolice, telas araneæ (quæ subtiles sunt et artificiosæ, sed fragiles et futiles, uti pulchre declarat S. Nazianz. orat. 2. de Theolog.) texunt primo, hæretici, quorum sophismatibus capiuntur muscæ, id est stolidi et rudes; sed vespæ, id est acres et docti, eas disrumpunt. Ita Nazianz. oratione in Heronis laudem. Secundo, astrologi, qui ex astris certo divinant de futuris rerum eventis. Ita S. Ambr. lib. 4. Hexameron. 4. Tertio, iniqui iudices et legum exsecutores, de quibus dicitur:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Quocirca Thales dicebat leges esse similes telis aranearum, quæ parva animalia retinent, sed a magnis lacerantur. Quarto, notarii, scribæ, advocati iniusti, qui tenues suis fraudibus irretiunt, spoliant, exhauriunt. Quinto, Iudæi, eorumque vanæ traditiones, futiles historiæ, et figmenta Cabalistica. Ita S. Hieron. Cyrill. Procop. et Delrio adagio 803.

Qui comederit de ovis eorum, morietur.) q. d. Qui se eorum machinationibus impiis iungunt et sociant, hi ex iis non commodum, sed damnum et exitium haurient. Ita S. Hieron. Cyrillus, Procopius et alii. Nota hic, quæ sit vis et pernicis perversæ societatis, quam exitiale sit cum impiis conversari et sociari. Hi enim in mensis, symposiis, ludis, ova aspidum cum eis comedunt, et venenum libidinis, scurrilitatis, rixarum, aut etiam pravorum dogmatum hauriunt, quo animam necant, et non raro corpus. Hinc in eos simile est proverbium, cuius
Aspis a vipera, quid? meminit Tertull. lib. 3. contra Marcion. 8. *Aspis a vipera;* cum pessimus a pessimo sumit mali quippiam: *Desinat*, inquit Tertull. *nunc hæreticus a Iudæo, aspis (quod aiunt) a vipera mutuari venenum.* Refertur autem inter Diogenis apophthegmata, qui conspicatus duas fœminas inter se clam conferentes sermonem, dixit:

Sumit venenum a vipera aspis mutuo.

Utriusque serpentis venenum immedicabile, pariterque noxium; nisi quod viperæ morsus magis enecat cruciatibus; aspidis adeo nullum affert dolorem, ut nec voluptas desit, si Plinio credimus.

Aliter hæc *ova* explicat Forerius, scilicet ut sint perversa dogmata cum lege Dei pugnantia, qualia Scribis et Iudæis obiicit Christus, scilicet, quod præceptum Dei de honorandis parentibus, de iuramento, de sabbati violatione, et alia, suis pravis explicationibus perverterent, uti videre est Matth. 23. 16. Hæc enim qui hauriebant et sequebantur, occidebant animam; erant enim venena conscientiæ. Unde monet Christus Matth. 16. 11. *Cavete a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum*, id est ab eorum corrupta doctrina, quæ bonos mores corrumpit et inficit; uti fermentum massam farinæ; imo uti regulus, qui non tantum halitu, sed et aspectu intuentes necat. Unde sequitur:

Et quod confotum est erumpet in regulum.) q. d. Plane noxia sunt ova hæc impiorum. Si enim iis vescaris, veneno; si calces, a catulo erumpente necaberis. Pro *regulum*, Aquila vertit *viperam;* Symmachus, *aspidem.*

A Certum est, naturaliter ex ovis aspidum, non regulos, id est basiliscos, sed aspides nasci. Est ergo proverbium simile illi cap. 14. 29. *De radice colubri egredietur regulus*, significans, hosce iniquorum conceptus et machinationes in res pestilentissimas et perniciosissimas, qualis est regulus, erumpere, q. d. Iniquæ cogitationes et machinationes, si in opus erumpant, iniquissima producunt facinora, quæ iniquitate et noxa longe superant ipsas cogitationes. Dat causam eius, quod dixit vers. 5. *Ova aspidum ruperunt.*

Septuag. vertunt: *Qui de ovis eorum* (ova enim aspidum externa specie pulchra sunt) *comedere voluerit, frangens reperiet putridum, et in ipso regulum*, quod iuxta sensum iam datum explicandum est.

Sanchez putat huc allusisse Christum cum Luc. 11. 12. dixit, non daturum esse patrem filio ovum petenti, scorpionem, q. d. Non daturum ovum aspidis, in quo lateat regulus aut scorpius.

B Moraliter S. Gregor. 15. Moral. 9. *Qui comederit*, inquit, *de ovis eorum, morietur; quia qui immundorum spirituum consilia recepit, vitam in se animæ occidit. Et quod confotum est, erumpet in regulum; quia consilium maligni spiritus quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem nutritur. Regulus namque serpentum rex dicitur. Quis vero reproborum caput est, nisi Antichristus? Quod ergo confotum fuerit, erumpet in regulum; quia is, qui in se enutrienda aspidis consilia recipit, membrum iniqui capitis factus, in corpus Antichristi accrescit.*

Neque operientur operibus suis.) Pro *suis* verti potest, *earum*, scilicet telarum. q. d. Tanto opere et studio, quasi araneæ texunt telas, ut se iis contegant; et tamen iis operiri nequeunt, conspurcari possunt. Vers. 6.

Pedes eorum ad malum currunt.) Ecce hic telas aranearum, et ova aspidum explicat, q. d. Cogitatio eorum iugiter intenta est ad malitiam, manus extenta est ad rapinam, pedes currunt ad cædes, semitæ eorum perversæ sunt, q. d. Tota vita eorum corrupta est, omnes Vers. 7.
C mores et actus depravati; non cogitant, non faciunt aliud quam mala, quibus aliis damna et perniciem, sibique pariter afferant. Hunc locum citat S. Paulus Rom. 3. 15. Vide ibi dicta.

Vastitas et contritio in viis eorum.) q. d. Quocumque vadunt, omnia vastant et conterunt; sunt instar pestis, quæ omnia perdit.

Viam pacis nescierunt.) q. d. Pacem ubique perturbant, omnia miscent turbis et tumultibus. Est miosis. Vers. 8.
S. Clemens. lib. 2. Const. Apost. cap. 21. hæc recte adaptat Episcopis, qui iniuste et celeriter excommunicant (hi enim fundunt sanguinem, id est, animam suam et alienam occidunt) quique pœnitentes recipere nolunt, cum Dominus Iesus, qui est via pacis, docuerit, dicens: *Remittite, et remittetur vobis.*

Et non est iudicium (id est iustitia, rectitudo, æqui- D tas) in gressibus eorum.) q. d. Gressus eorum iniusti, iniqui et distorti sunt.

Semitæ eorum incurvatæ, id est depravatæ, et ut Septuag. *perversæ*, sunt.) Non rectæ.

Omnis qui calcat in eis, qui eorum semitas, gressus et actus sequitur, ignorat pacem.) Quia cum tumultuosis tumultuatur, rapinas et cædes machinatur.

Propter hoc elongatum est iudicium a nobis, id Vers. 9.
est, ut sequitur, et non apprehendet nos iustitia.) Sæpe enim in Script. iudicium iungitur cum iustitia, per eamque explicatur, ut Psal. 71. 1. *Deus, iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio.* Sensus ergo est, q. d. Propter scelera nostra iam recensita, recessit a nobis vera iustitia. Nam quam per ieiunia, festa, aliasque cæremonias quæsivimus, nobisque arrogavimus, externa tantum fuit, fucata et larvata; quia interna puritate, misericordia et pietate caruimus. Est generalis sententia, quæ tam Iudæis tempore Isaiæ, quam posteris competit. Unde S. Hier. eam recte adaptat Iudæis Christo incredulis, eumque persequentibus; ab iis enim id-

circo ablata est fides, religio et iustitia, eaque translata sunt ad Gentes Christo credentes.

Secundo, Sanchez sic quoque exponit, ut per *iudicium* accipiat vindictam de hostibus Iudæorum, vocula vero *et* sit rationalis, significans *quia*, q. d. *Propter hoc ab hostibus nostris vindicta sumpta non est, quia in nobis non est inventa iustitia*, quia scilicet, nos iudicia sine veritate exercuimus, et absque iustitia insontes in ius vocavimus, ut dixit v. 4. Hæc enim iusta est pœna, ut iustum iudicium negligenti, iustum iudicium non fiat. Ita Forerius.

Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ.) *Lucem*, id est prosperitatem; *tenebræ*, id est calamitas. Nam *lux*, libertatis sortisque lætæ et felicis est symbolum; uti *tenebræ*, captivitatis et infelicitatis, uti iam sæpius dixi. Iam ad Iudæos tempore Christi hoc referendo, symbolice *lux* et splendor significans splendorem Evangelii, et iustitiam Christi; quam enim paulo ante vocavit iudicium et iustitiam, hic vocat lucem et splendores, q. d. Nos Iudæi exspectabamus Messiam, qui nos illuminaret et redimeret, et iustificaret; sed ob infidelitatem et impietatem nostram, eo veniente, facti sumus cæci, et palpavimus ac impegimus in meridie, quia Christi fide, et iustitia, ac gratia ubique propagata et coruscante, nos soli quasi cæci eam non vidimus, et quasi palpantes incessimus (cæcus enim manum habet pro oculo; unde prius manu palpans vestigium explorat, quam in eo gressum figat) ut merito omnes rugire et gemere debeamus; omnesque hoc agnoscentes vere rugiunt et gemunt. Ita S. Hieron. Cyrillus, Procop. et Theodor. Ad Christum enim hæc vel maxime spectare, patet ex fine capitis, et ex iam dictis.

Vers. 10. In caliginosis quasi mortui.) Leo Hebræus vertit: *In sepulcris versamur quasi cadavera;* significat summam cæcitatem et calamitatem, q. d. Sicut mortui degunt in tetris et putidis sepulcris, ita nos nostris flagitiis et immunditiis dediti in eis hæremus, volutamur, in ea impingimus, ruimus, labimur, ut numquam nobis lux gratiæ, lætitiæ et felicitatis illucescat, ac si plane essemus mortui, exsangues et exanimes: imo si ad eius splendorem cernendum educamur, eo perstringimur et excæcamur, uti Galenus tradit tyrannum quemdam homines excæcare solitum; cogebat enim eos in carceres, locaque obscura et caliginosa, ac post multum temporis educebat illos ad solem, qui subito fulgore solis obruti statim exoculabantur.

Idem tropol. accidit Philosophis, atheis, politicis, quin et iis qui omnia vitæ statusque sui subsidia in sua prudentia, labore, armis, robore collocant: qui si ad claram divinæ veritatis, voluntatis et providentiæ doctrinam revocentur, velut noctuæ tantam lucem non ferentes, ea magis excæcantur. Ita Arias, et ex eo Delrio adagio 801.

Vers. 11. Rugiemus quasi ursi omnes.) Chaldæus hæc explicat de hostibus Iudæorum, qui quasi rugientes in eos sævierant. Verum sic dicendum fuisset, Rugient hostes, non Rugiemus nos. Sensus est ergo, q. d. Sicut ursi amissis catulis, ex summo dolore horrende rugiunt, et sicut columbæ perpetuo quasi meditantes gemunt: ita et nos Iudæi deserti a Deo et Christo, et vastati tum a Chaldæis, tum a Romanis, horribiliter iugiterque gememus et lamentabimur. Ita Cyrillus. Nominat rugitum ursi potius quam leonis, qui ursi catulos informes pariunt, quos deinde lambendo formant, itaque quasi bis pariunt; quocirca summe eos amant, et si amittant summe dolent. Rursum rugitus significans furorem ursi, repræsentat indignationem Iudæorum, simulque clamores conscientiæ, quæ eis attestatur et occlamat, iuste hæc eos ob scelera, Christumque occisum pati.

Rugitus ursi ingens, cur?

Secundo, S. Hieron. censet pro *ursum* significari crudelitatem Iudæorum in pauperes et humiles, v. g. Christianos; per *columbam*, eorumdem pavorem et timiditatem erga hostes, sive Chaldæos, sive Romanos. Ait enim: *Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus; ut et crudeles sint pariter et miseri: feri et immanes ad humiles atque subiectos, pavidi atque trepidantes ad eos qui fortiores sunt, quos quasi accipitres perhorrescunt.* Et tales hodie videmus Iudæos. Unde Hispani, cum quem pavidum volunt significare, dicunt: *Iudæum gestat in pectore*, inquit Delrio adag. 805.

Tertio, Procopius putat in urso notari Iudæorum sævitiam, in columba simplicitatem, utramque cum imprudentia et stoliditate coniunctam.

Exspectavimus.) Repetit more gementis id quod dixit vers. 9. nisi quod ibi vocavit iustitiam, hic vocet salutem; iustitia enim est salus inchoata, sicut salus æterna est iustitia consummata. Hoc est enim quod de Christi salvatoris adventu canens Zacharias ait: *Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos.*

Et peccata nostra responderunt nobis.) Id est, ut Vers. 12.
Vatabl. et Forer. accusant nos apud Deum, ab eoque vindictam exigunt. Finguntur hic per prosopopœiam peccata quasi personæ assistere Deo, et quasi rogari quid peccatoribus fieri debeat, omniumque vocem unam esse, ut perdantur et pereant. Sic dicuntur peccata clamare in cælum, quasi non rogata accusent peccatores, et contra eos clament; quanto enim ea libentius amplectimur, tanta adversum nos acrius causam coram Deo agunt.

Secundo, simplicius et magis genuine, Iudæis cogitantibus et conquerentibus de suis ærumnis et suppliciis, eorumque causam inquirentibus, responderunt peccata, eos dignos esse hac pœna. Hoc est quod dixit c. 3. 9. *Agnitio vultus eorum respondit eis.* Vide ibi dicta.

Tertio, pulchre For. et Sanchez: Peccata inquiunt, quasi echo peccantibus respondent. Sicut enim echo vocem refert a saxis eamdem, quam a clamante accepit: ita pœna peccati respondet eiusdem culpæ, quasi illius echo et reflexio sive repercussio meritissima; ut, sicut Iudæi in alios fuerunt impii et crudeles, ita vicissim Chaldæos et Romanos in se impios et crudeles sentiant et experiantur. Rursum echo notat peccatorum frequentiam et divulgationem, ait Forerius.

Pœna quasi echo respondet culpæ.

Quia scelera nostra nobiscum.) Apud nos, imo ante nos sunt, semper vultui nostro obversantur. Ita dicebat David pœnitens: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.*

Aliter Sanchez: *Scelera*, ait, id est scelerum pœnæ, nobiscum sunt, nos iugiter exagitant. Porro scelera hæc enumerat dum subdit: *Peccare et mentiri contra Dominum* ut scilicet fidem Deo datam de illi soli, non idolis, non vitiis serviendo, falleremus, etc.

Et conversum est retrorsum; Vatabl. et Forerius Vers. 14.
vertunt, *retroactum est*, iudicium, id est, iustitia a nobis abacta est. Unde sequitur: Quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi.) q. d. Palam et publice veritas et iustitia aversa sunt: quia grassatur, inundat et dominatur passim vis, iniquitas et iniustitia, tum magistratuum, tum plebeiorum. Nullus ergo in cœtu nostro æquitati relictus est locus, nullus aditus, nullus ingressus. Hinc Filius Dei e cælo descendit, ut iustitiam exulantem reduceret. Notent hoc resp. et regna, in quibus iustitia et virtus cum religione profligata sunt, uti factum videmus et dolemus in Anglia, Scotia, Græcia, multisque aliis provinciis, ubi Christiani, virique iusti prædæ iniquorum patent: *Ut, nisi lupus sis, luporum prædam te esse oporteat.*

Mystice, platea, inquit S. Hieron. est lata et licentiosa carnalium vita, in hac corruit et pessumdatur veritas et probitas.

Qui recessit a malo, prædæ patuit.) Ubi enim vis Vers. 15.
et impietas dominantur, ibi innocentia opprimitur, et iusti sceleratis sunt prædæ. Arabicum est adagium ab Aria ad verbum latine expressum:

Esse lupis escam, te nostra ætate necesse est;
Sed patiare, nisi te iuvet esse lupum.

Furem enim fur, lupum lupus cognoscit.

Non est vir, q. d. Non est quisquam qui scilicet faciat Vers. 16.
iudicium, id est iustum: et aporiatus est.) Id est, anxius at perplexus hæsit Deus: hoc enim est ἀπορέομαι,

ut dixi 1. Cor. e. 4. 8. Hebr. ישתומם *istomem*, id est obstupuit, hoc est, obstupescens et admirans, et quasi inops consilii in re desperata, anceps hæsit Deus; quia non est qui iræ eius orando occurrat. Ita S. Hier. et Chaldæus. Quocirca divino usus consilio remedium non a terra, sed a cælo; non ab hominis, sed a suo brachio ac clementia petiit.

Nota: Huc usque enumeravit Propheta scelera plurima et gravissima Iudæorum (sub quibus et Gentium, utpote idololatrarum, graviora crimina intelligit) ostenditque ea fuisse incurabilia. Quocirca subdit Deum in rebus desperatis curationem hanc suscepisse, ac salutem eis per Christum attulisse. Hoc imitatus est Paulus in epist. ad Roman. Nam, cap. 1. Gentium, cap. 2. Iudæorum, cap. 3. utrorumque scelera incurabilia exaggerat, indeque concludit cap. 3. vers. 23. et 24. utriusque opus fuisse redemptore Christo. Hoc est quod subdit Propheta.

ET SALVAVIT (remedium, opem et salutem attulit) SIBI BRACHIUM SUUM.) Hoc est, Deo saluti fuit brachium suum, et, ut Vatabl. *salutem ei præstitit brachium eius*, q. d. Cum scelera Iudæorum æque ac Gentium ad summum crevissent, essentque incurabilia, cum res mundi essent deploratæ, nec esset qui mederi aut opem ferre vellet aut posset; tunc Deus totam hanc rem, tam suam quam mundi, brachio, id est potentia sua, restituit, ipse suis viribus totam rem solus confecit. Ita Forer. Vatabl. et alii. Aliqui sic explicant, q. d. Christus sibi salutem attulit in cruce et morte, quando tertia die suo brachio et virtute ex ea se resuscitavit. Verum hoc non est litterale, nec genuinum. Septuag. vertunt: *Ultus est brachio suo*; alii: *Salvavit eum*, scilicet populum, *brachium eius*, scilicet Dei.

Symbolice hic disce, in prælio æque spirituali ac corporali plurimum valere animositatem: *Dux*, inquit Vegetius l. 2. *ardorem animi vultu oculisque præferat*. Et Livius lib. 22. *Quo timoris minus sit, eo minus ferme esse periculi*. Et Sallust. in Iugurtha: *Semper in prælio his maximum periculum esse, qui maxime timent; audaciam pro muro haberi*. Et Curtius: *Effugere mortem quisquis contempserit; timidissimum quemque eam consequi*. Hinc Vegetius lib. 3. cap. 18. *Semper*, ait, *studere debes, ut prior instruas aciem*. Rursum: *Fortiores videntur, qui provocare non dubitant. Non plus animi est inferenti periculum, quam propulsanti*.

Animositas belli sit dux

ET IUSTITIA EIUS, id est sanctitas, bonitas et misericordia Dei, CONFIRMAVIT EUM.) Scilicet Deum, hoc est, eum sustinuit et sustentavit ac corroboravit, ne ab incepto desisteret, sed fortiter susciperet et constanter urgeret tam arduum salutis nostræ et redemptionis opus; ut scilicet pro nobis inimicis, impiis, ingratis, blasphemis, in carnem et mortem crucis daret Filium suum unigenitum, eiusque morte hostes nostros et tyrannos a nobis depelleret, puta dæmonem, peccatum, mortem, gehennam.

Secundo, *iustitia* hic proprie capi potest, q. d. Quamvis homines omnino perversi sint, Dominus tamen liberabit eos, et in liberando utetur iustitia, puta iusto lytro et satisfactione, quam petet non ex ipsorum meritis, quæ nulla sunt, sed ex meritis Christi, quibus pro peccatis hominum ad ultimum teruncium satisfecit, itaque iuste nos sibi reconciliavit, et a diaboli captivitate redemit.

Ad litteram loquitur de redemptione generis humani per Christum, sed alludendo ad redemptionem Iudæorum e Babylone per Cyrum. Huius enim causa non fuerunt ipsorum vires et merita: sed Dei robur ac gratia. Quare qui hæc plane ad litteram accipiunt de Iudæis et Cyro, mystice tantum de Christianis et Christo, Rabbinis et Indaizantibus plus æquo indulgent, neque dignitati, neque menti Prophetæ satisfaciunt. Melius equidem et probabilius S. Hieron. exponit hæc de bello et armis Dei, quibus per Titum et Romanos debellavit et excidit Iudæos, ob scelera ante recensita. Verum cum ultio hæc Dei de more sit contra dæmonem et peccatum, ut ab iis homines liberet, sitque ipsa eius in homines clementia: rursum, cum sequentia omnia lætitiam, gratiam et fœdus sonent: prior sensus de redemptione hominum per Christum plane litteralis et genuinus videtur.

INDUTUS EST LORICA.) Nota prosopopœiam, qua Propheta Dei quasi militis a capite ad talos armati, arma et panopliam describit, qua eadem Apostolus armat fidelem quemque quasi Dei militem, pugnantem contra dæmonem, mundum et carnem, Ephes. 6. 13. Vers. 17. Panoplia Dei.

Itaque primo, thorax sive lorica Dei est *iustitia*: hæc enim totum Dei pectus et cor obarmavit et corroboravit, ut pro iustitia, iustoque suo dominio contra tyrannos dimicaret, puta contra dæmones, qui hominem iniuste captum detinebant; ut eos iniusta sua possessione depelleret, hominemque in pristinam libertatem, et ius ac dominium suum revocaret. Iustitia hæc est misericordia, ait Haymo. Planius tamen iustitiam hic proprie capias: eam enim Deus Christo communicavit, ut totum eius pectus obarmaret et corroboraret, ut quasi adamas dorsum suum daret percutientibus et flagellantibus: itaque pœnas peccatorum nostrorum in se suscipiens et sustinens, iuste pro iis Deo satisfaceret tantum et amplius quantum illa merebantur. Lorica est iustitia.

Secundo, galea Dei est *salus*: hæc caput et mentem Dei obarmavit, ut tota eius intentio ferretur in hominum salutem; hæc est galea activa, passiva in Christo fuit ipsa divinitas: hæc enim Christi texit caput, eiusque salutem contra hostes tutata est, cum eum a morte gloriosum quasi mortis victorem suscitavit. Verum melius accipias de activa: hanc enim spectavit Deus et Christus, ab eaque Iesus, id est salvator, appellatus est. Ita S. Thomas, Ugo et Forerius. Galea est salus.

Tertio, vestis eius fuit *ultio*: totus enim, totoque quasi corpore ferebatur in hostes, puta peccata, ut ea disperderet. Vestis est ultio.

Quarto, pallium eius fuit *zelus*: hic enim cumulavit, obtexit et ornavit arma eius iam dicta. Zelus hic fuit triplex, scilicet primus, honoris sui et gloriæ: dedecus enim fuisset Deo permittere creaturam suam sub potestate diaboli. Secundus, iræ in dæmonem et peccatum, hostes suos et nostros. Tertius amoris erga homines. Hic triplex zelus ingens et abundans Deum undique cinxit et decoravit instar pallii, quod corpus et vestes alias laxe ambit et circumdat. Hunc zelum cæteraque arma Deus communicavit Christo belli sui duci. Tota enim vita Christi zelum et vindictam spiravit: nam ex zelo gloriæ Dei, amoris nostri, et odii in hostes, eos imperio deturbavit, peccatum abolevit, mortem occidit, carnem perdomuit, ut ubique et in omnibus regnaret ipse, eiusque fides, veritas, charitas, pax, iustitia, Dei laus, gratiarum actio, et gaudium in Spiritu sancto. Ita Forer. Adamus et alii. Pallium est zelus, isque triplex.

GALEA SALUTIS IN CAPITE EIUS.) Solebant veteres in galeis ingentes gestare cristas, præsertim e plumis aquilarum, gallorum, aliarumque victricium avium; tum ut hostes terrefacerent, tum ut animos ac specie sibi invicem adderent, tum ut victoriam, bellique finem ac fructum quem spe et animo conceperant, in galea et cristis præferrent, ac manu strenue exsequerentur. Quocirca galea Dei et Christi fuit salus; hanc enim præ se tulit et attulit per hocce suum bellum mundo. Porro galeæ huius insigne et quasi crista fuit crux; per hanc enim salutem dedit. Unde et Constantinus pugnaturus contra Maxentium, in galea gestavit crucis signum. Nam, ut canit Prudent. l. 1. contra Symmach. Crista Christi crux.

Ardebat summis crux addita cristis.

Hæc et plura de galea Sanchez.

INDUTUS EST VESTIMENTIS ULTIONIS.) S. Hieronym. ut dixi, Cyrill. Procop. et Haymo hæc referunt ad ultionem quam Deus in Iudæos impios Christique occisores exercuit per Romanos. Verum ob causas quas assignavi vers. 16. melius et verius hæc accipiemus de ultione quam Deus per Christum peregit contra dæmonem et peccatum.

Figurate ergo hic Christus Dominus veniens ad redimendos homines inducitur quasi dux cataphractus, qui

furore divino actus non tantum in dæmones, sed etiam in homines peccatores eis subditos irruit, atque obvios quosque deturbat, proterit, trucidat, interfectorumque sanguine sitim extinguit.

Ubi Nota: Solent Prophetæ cum de hac Christi pugna et redemptione loquuntur, duplici nomine et fere copulato eam significare, hoc est ultione et salute, strage et redemptione, indignatione et pace, sanguine et vita, victoria et incolumitate. Alludit enim ad redemptionem Iudæorum, quæ cum strage Chaldæorum peracta est, uti omnis victoria cum strage hostium peragi solet. Rursum in hac strage et salute iidem sunt hostes et amici, debellati et liberati, enecti et redempti; sed moribus, ingenio, affectu dissimiles: Christus enim infideles impiosque subegit et abolevit, mactando peccata et servando homines; nimirum ex impiis pios, ex infidelibus fideles, ex blasphemis Dei cultores, ex inimicis amicos faciendo: quæ illustris et divina victoria æque ac strages fuit. Vide cap. 46. Unde sequitur:

Opertus est quasi pallio zeli.) Id est, opertus est zelo quasi pallio. Unde Vatabl. vertit: *Indignatione amictus est vice pallii.* Sic c. 61. 3. *Pallium laudis* vocatur ipsa laus fideles cingens et ornans quasi pallium: *Zelus ergo æque ac charitas, est pallium Dei et divinæ maiestatis*, uti scite quidam Sanctorum dixit.

Vers 18. Insulis vicem reddet. *Insulas* vocat gentes remotas in insulis et ultra insulas habitantes, uti alibi dixi: hisce vicem, id est talionem ultionis, reddidit, dum ipsarum impietatem et idololatriam destruxit, easque Christianas et pias effecit.

Aliter S. Hieron. ipse enim persistit in sua expositione cladis Iudæorum per Titum: unde per *insulas*, accipit Ierusalem, quæ Romanorum exercitu cingebatur et tundebatur, sicut insula mari et fluctibus. Verum ex dictis liquet priorem sensum esse litteralem et genuinum.

Vers. 19. Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini. q. d. Omnes gentes tam quæ ad Orientem, quam quæ ad Occidentem habitant, subactæ a Christo et Apostolis, Dei Christique fidem et gloriam timebunt, id est colent et reverebuntur, idque fiet tunc, cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit.) q. d. Cum ad gentes debellandas venerit validus Domini exercitus, qui tanto impetu veniet, ut videatur esse quasi fluvius violentus, qui simul a vento rapitur et propellitur; huius enim in præceps ruentis cursum nemo sistere aut impedire potest, quin exundans omnia obruat et pessumdet. Unde Septuag. vertunt: *Quasi fluvius violentus in ira Domini, veniet cum furore.* Pro *violentus* hebr. est צר *tsar.* id est angustus, ut vertit Aquila, et consequenter *violentus.* Fluvius enim si in angustias redigatur et exuberet, fit violentus, sternit agros, sata læta boumque labores. Significatur hoc impetu vis, copia et efficacia Evangelii, ac prædicationis Christi ad Apostolorum, cui nulla sapientia, eloquentia, prudentia resistere potuit, ut videre fuit in prædicatione S. Pauli. Unde Theodot. vertit: *Quasi fluvius angustians* vel *oppugnans.* Hoc adimpletum est in Pentecoste, inquit S. Hieron. et deinceps, cum factus est de cælo sonus quasi advenientis spiritus vehementis, quo impulsi et acti Apostoli in spiritu vehementi contriverunt naves Tharsis, id est omnes mundi machinas, totumque orbem celerrime pervaserunt, et Christo substraverunt. Qui ergo vult efficax et Apostolicus esse Evangelii præco, et efficaciter per illud peccatores convertere, necesse est ut instar Apostolorum vadat et concionetur in spiritu vehementi. Frigidæ enim conciones, quales multas hodie videmus, proh dolor! corda frigida non feriunt, non accendunt.

Quem spiritus Domini cogit.) *Spiritus Domini* est ventus ingens et validus: hic enim colligit aquas, cogitque ut in præceps ruant. Simili modo et impetu exercitum Apostolorum Domini coegit, et propulit zelus et spiritus Domini. Pro *cogit* hebr. est נוססה *nosesa*, quod Leo Hebr. vertit, *impellit*, a rad. נסס *nasas*, id est fugit, et in piel ac poel *noses*, id est, fugere compulit, propulit et impulit. Vatabl. vero *nosesa* vertit, *vexillum excitabit;* נס *nes* enim signum et vexillum significat, q. d. Huic exercitui Dei præest spiritus Dei quasi vexillifer: hic illum ducit, cogitque ac facit ut potens sit et efficax, omniaque prosternat. Unde tertio, Aquila *nosesa* vertit: *Spiritus Domini signaculum eius:* Theodot. *Quasi fluvius oppugnans spiritus Domini signatus est*, in Christo, inquit S. Hieron. Hic est enim de quo Ioan. 6. 27. dicitur: *Hunc enim Pater signavit Deus;* et Isaiæ 11. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, et intellectus spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis. et replebit eum spiritus timoris Domini. Unde et nos dicimus: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; et in Ezechiele, c. 9. 4. virorum gementium frontes thau litteræ Hebraicæ, quæ apud eos ultima est, impressione signantur.*

Et venerit Sion redemptor. *Sion*, id est Sioni, puta Ecclesiæ. Unde explicans subdit: et, hoc est, *id est*, eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.) Ita S. Hieron. Cyrill. et Procop. Ecclesia enim vocatur *Sion, Iacob, Israel, etc.* quia in Sione apud Iacobitas sive Israelitas cœpit, illique primi fuerunt lapides, id est, fideles et Apostoli. Ecclesiæ. Ita explicat S. Paulus Rom. 11. 26. Quare comment. S. Thomæ ascriptus, et Hugo, qui per redemptorem litteraliter accipiunt Cyrum et Nehemiam, qui fuit redux Iudæorum e Babylone in Iudæam, ut solum allegorice hic significetur Christus, valde extenuant, imo detorquent hoc Prophetæ oraculum, æque ac argumentationem Apostoli. Dico ergo, ad litteram redemptorem esse Christum, non Cyrum, licet alludat ad Cyrum: Christus enim, non Cyrus, novum fœdus quod sequitur sanxit. Unde capite sequenti iubilans Propheta exsultat, dicitque: *Surge, illuminare, Ierusalem, etc.* Vers. 20.

Sept. et ex iis S. Paulus Rom. 11. 25. paulo aliter sic vertunt: *Veniet ex Sion* (sic enim habent S. Hieron. et Complutens. licet Cyrill. Procop. et Sixtina habeant: *Propter Sion*) *qui eripiat, et avertat impietatem a Iacob;* quia nimirum Hebræum *lamed* non tantum est articulus dativi, sed etiam subinde capitur pro מן *min*, id est, *ex, de;* unde לציון *letsion* vertunt, *ex Sion.* Rursum, idem est dari Christum redemptorem Sioni, id est iis qui redeunt ab iniquitate, quod venire eum ut eripiat et avertat impietatem a Iacob: in hoc enim sita fuit Christi redemptio, sicut antitypa Cyri redemptio in eo sita fuit, quod Cyrus averteret captivitatem Babylonicam a Iacob, ipsique ex ea redirent in patriam. Ideo enim Deus et Christus in galea et vertice capitis salutem, non temporalem, sed spiritualem a peccato præfert. Unde clarius cum Forerio ex Hebræo, verti potest: *Et venerit Sioni redemptor, et Iacobitis captivis peccati.* Hebræum enim שבי *sciabe*, a radice שבה *sciaba*, id est captivus fuit, significat captivos: sin autem deducas a שוב *sciub*, id est reversus est, significat revertentes, ut vertit Noster. Quocirca recte ex hoc loco docet S. Paulus, Iudæos in fine mundi convertendos esse et salvandos, cum intraverit plenitudo Gentium in Ecclesiam.

Porro quod addit Apostolus: *Cum abstulero peccata eorum*, non est hoc loco in Isaia, sed ab Apostolo additum est explicationis gratia: explicat enim et inculcat illud quod præcessit: *Qui avertat impietatem a Iacob*, ut doceat in eo sitam esse totam Christi salutem et redemptionem. Ita in illum Pauli locum Origen. Anselmus, Toletus, Caietan. licet Sanchez probabilius censeat hæc verba petita esse ex Isaiæ 4. v. 4. ubi dicitur: *Si abstulerit Dominus sordes filiarum Sion, etc.* Aut potius ex Ieremiæ 31. v. 34. ubi loquens de eodem hoc fœdere ait Deus: *Quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.* Solet enim Paulus diversa Scripturæ loca connectere, eorumque sensum, non verba citare.

Dicit Dominus.) Hebr. נאם יהוה *neum iehova*, q. d. Hoc est effatum, decretum et oraculum Domini. Hoc enim gravi pronuntiato, quasi sigillo, solent Prophetæ insignia Dei promissa, quale hoc est de Christo redemptore, obsignare. Unde Apostolus vertit: *Fidelis sermo et*

omni acceptione dignus. Vide dicta 1. Timoth. 1. 15.

Vers. 21. Hoc foedus meum) Scilicet quod præcessit de mittendo redemptore, qui redimat Iacob ab iniquitate; fœdus enim hoc, sive testamentum novum, non est aliud quam liberalis Dei sanctio, et promissio de venia et gratia facta primario Iudæis (his enim promissus erat Messias.) deinde consequenter cæteris etiam Gentibus. Secundo, et congruentius S. Hieron. Haymo, Forer. censent fœdus hoc esse id quod sequitur: *Spiritus meus, etc.* q. d. Novum hoc fœdus in eo situm erit quod Deus dabit Iacobæis, qui ab iniquitate redeunt, id est Ecclesiæ, Spiritum suum sanctum, eumque numquam ab ea auferet.

Spiritus meus, qui est in te.) S. Hieron. putat hoc a Deo dici Isaiæ, q. d. Spiritus meus propheticus, qui in te est, o Isaia, numquam deficiet, nec verba, id est oracula, mea recedent de ore tuo, et seminis tui, id est posterorum tuorum, scilicet Prophetarum et Apostolorum, usque in æternum.

Secundo, Procop. et Cyrillus censent hæc esse verba Patris ad Filium, Christum Dominum: super hunc enim fixe et iugiter requiescit Spiritus Domini.

Tertio, et genuine, passim alii censent hæc esse verba Dei ad Ecclesiam: de hac enim sermo præcessit, et cum hac Deus novum fædus hic init, dicens: *Fœdus meum cum eis,* scilicet Iacobæis, qui redeunt ab iniquitate. Hi enim sunt Ecclesia, hoc est, prima pars Ecclesiæ Christi. Porro mutat hic numerum, dicens, *in te,* pro *eum eis,* vel *vobiscum:* quia loquitur Iacobo, id est toti populo, de quo nunc singulariter et collective, nunc pluraliter et distributive loqui solemus: *In te* ergo, o Iacob, o populc mi Christiane, qui es Ecclesia mea, spiritus meus requiescet. Hebr. enim לך *lecha,* id est *in te,* est masculinum: unde proprie populum refert, qui Sionem, id est Ecclesiam, constituit.

Porro spiritus hic est Spiritus sanctus, qui per fidem et charitatem diffusus est in tota Ecclesia, puta in cordibus fidelium. *Spiritus* ergo hic primo, est fidei et veritatis, qui assistit Sioni, id est Ecclesiæ eiusque capiti Romano Pontifici, ne in fidei definitionibus erret. Hunc enim Christus ascendens in cælum, Apostolis et Ecclesiæ usque in finem promisit: alioquin enim illa in fide aliquando errare posset, quod absit: tunc enim esset Ecclesia, non Dei, sed diaboli. Secundo, spiritus hic est charitatis et sanctitatis.

Novum testamentum in quo situm?

Sensus ergo est, q. d. Vetus fœdus et testamentum Mosaicum consistit in donatione legis, Exod. 20. At iam in novo Christi fœdere dabo Spiritum sanctum, puta spiritum veritatis et charitatis, tibi, o Iacob, id est o Ecclesia, ut verba, id est præcepta, mea non recedant de ore ac corde tuo, ac seminis, id est posterorum tuorum, in æternum; sed semper ea et ore recites ac doceas, atque corde conserves, et opere ac vita adimpleas per gratiam et opem eiusdem Spiritus. Novum ergo hoc fœdus et testamentum consistit in donatione spiritus, quo libere et hilariter legem et voluntatem Dei implemus. Hunc esse sensum patet ex Ieremia, per quem Spiritus sanctus hoc fœdus ita explicat c. 31. 33. *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam,* utique per spiritum amoris et gratiæ, quem cordi eorum infundam; cum legem Mosaicam scripserim in tabulis lapideis, non in corde Iudæorum. Unde huc alludens Apostolus 2. Cor. 3. 6. docet novum Testamentum esse spiritus, vetus fuisse litteræ: qua de re docte scribit S. Aug. lib. de spiritu et littera.

Ubi nota, hunc spiritum hic Ecclesiæ, id est toti cœtui fidelium, promitti, non autem singulis in ea personis; sunt enim in Ecclesia etiam fideles impii et peccatores quasi membra arida.

Secundo, tamen spiritus hic promittitur singulis veris et vivis Ecclesiæ membris, hoc est iustis: hi enim omnes vitali hoc spiritu animantur et vivunt. Unde quod ait *in te,* potest de quolibet iusto accipi, ut accipit Adamus. Nullum enim iustum Deus gratia sua deserit, nisi prius ab eo deseratur, uti docet Concil. Trident. sess. 6. c. 11. Ergo spiritus hic gratiæ ex parte Dei est æternus, et cum iusto manet in sempiternum, nisi ipsi eum sponte excutiat. Pari modo Spiritus veritatis, qui non singulis Ecclesiæ membris, id est iustis; sed toti Ecclesiæ, eiusque capiti Romano Pontifici, ad definiendas res in fide controversas promittitur, ab ea et ab eo non recedet in æternum.

Aliter explicant Hebræi, q. d. Spiritus meus propheticus, id est, ut sequitur, verba, oracula et doctrina mea non recedent, id est non recedant, ab ore et corde tuo, q. d. Cura, o Iacob, ut semper geras in mente et memoria ea quæ iam dixi de tua e Babylone redemptione et redemptore. Censent enim τὸ *recedent,* non esse prædicentis, sed imperantis. Verum hic sensus torquet vocem *spiritus,* et enervat oraculum de novo Testamento: quocirca ut frigidus et Iudaicus non videtur admittendus: augusta enim Prophetæ verba augustius quid spectant, scilicet novi Testamenti in spiritu, non in lege consistentis institutionem, uti patet ex dictis.

CAPUT SEXAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dixerat Propheta in fine cap. præcedentis, quod Deus per Christum redimeret Iacobæos, ac Sion sive Ierusalem, id est Ecclesiam credentium ex Iudæis, et consequenter ex Gentibus, quodque cum ea novum et æternum fœdus sanciret, ita ut spiritum suum illi in perpetuum consignaret. Nunc ergo exsultans et iubilans ei congratulatur, ac graphice miram eius felicitatem et gloriam depingit. Nam primo, eius proles et propagationem per omnes gentes fuse enarrat. Deinde, v. 10. prædicit reges, principes et populos ei ministraturos, etiam qui olim eam impugnaverant, suasque opes in illam illaturos: perituras vero gentes et regna, quæ illi servire noluerint. Unde tertio, v. 15. Ponam te, inquit, in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem: et suges lac Gentium, et mamilla regum lactaberis. Pro ære afferam aurum, et pro ferro argentum, et pro lignis æs. Denique v. 18. assurgens ad Ecclesiam triumphantem, Non audietur, ait, ultra iniquitas in terra tua, occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio; non erit ibi amplius sol, sed erit ibi Dominus in lucem sempiternam. Populus autem tuus omnes iusti, minimus erit in mille, etc.

1. Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. 2. Quia ec-
ce tenebræ operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te vi-
debitur. 3. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. 4 Leva in circuitu ocu-
los tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient et filiæ tuæ de latere sur-
gent. 5. Tunc videbis, et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo
maris, fortitudo gentium venerit tibi. 6. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de
Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. 7. Omne pecus Cedar congregabitur

tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi : offerentur super placabili altari meo, et domum maiestatis meæ glorificabo. 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? 9. Me enim insulæ expectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe; argentum eorum, et aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui, et sancto Israel, quia glorificavit te. 10. Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi : in indignatione enim mea percussi te: et in reconciliatione mea misertus sum tui. 11. Et aperientur portæ tuæ iugiter : die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. 12. Gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit : et gentes solitudine vastabuntur. 13. Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus, et pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meæ; et locum pedum meorum glorificabo. 14. Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, et vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israel. 15. Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem: 16. Et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis: et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Iacob. 17. Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum: et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum : et ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos iustitiam. 18. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. 19. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te : sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. 20. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. 21. Populus autem tuus, omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. 22. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam : ego Dominus in tempore eius subito faciam istud.

Vers. 1. SURGE, ILLUMINARE, IERUSALEM.) Septuag. *Illuminare, illuminare. Ierusalem;* Vatabl. *Surge, lucida esto;* alii: *Surge, splendida esto.* Vox *Ierusalem* non est in Hebræo, sed addita videtur ex Septuag. et ex cantu Ecclesiastico in festo Epiphaniæ, idque recte et fideliter: intelligitur enim ipsa, ut patet ex fine cap. præced. ad eamdem enim hic fit sermo, eidemque congratulatur, cui dixit c. præced. v. 20. *Et venerit Sion redemptor.*

Iam Rabbini, quos sequitur comment. S. Thomæ et Hugo, hæc ad litteram accipiunt de terrena Ierusalem, id est, Iudæis e Babylone in Ierusalem reductis: tunc enim urbs refloruit, et quasi ad pristinam gloriam rediit. Allegorice vero sub hoc quasi typo et hieroglyphico censent repræsentari gloriam Ecclesiæ Christianæ.

Secundo, Chiliastæ sive Millenarii hæc retulerunt ad suos mille annos, quibus Sancti post iudicium in terra cum Christo regnaturi sint in omnibus carnis deliciis, iuxta Apoc. 20. v. 6. tumque omnia quæ hic dicuntur, ad litteram in Ierusalem eventura.

Verum utramque sententiam merito ut Iudaicam et erroneam refutat et damnat S. Hier. *Iudæi,* inquit, *et nostri semiiudæi, qui auream atque gemmatam de cælo exspectant Ierusalem, hæc in mille annorum regno futura contendunt, quando omnes gentes servituræ sunt Israel.* Et inferius: *Hæc illi dicunt qui terrenas desiderant voluptates, et uxorum quærunt pulchritudinem, ac numerum liberorum; quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum: quorum qui sequitur errorem, sub nomine Christiano Iudæorum se similem confitetur.* Et inferius: *Nos autem iuxta priorem sensum ad Ecclesiam dict universa credamus, quæ primum de Iudaico populo congregata est, et lumen quod super eam ortum fuerat, per Apostolos transmisit ad Gentes, cui dicitur: Surge, illuminare, ut quæ cecidit in incredulis, surgat in fidelibus: quæ cecidit in synagogis, surgat in Ecclesiis; et postquam surrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeat erroris tenebras.* Idem docent S. Cyrill. Procopius, Theodor. Tertullian. August. Ambros. Clemens, et alii quos citat Leo Castrius, Forer. Adamus, Vatabl. et passim alii. *Alloquitur,* inquit Vatablus, *primitivam Ecclesiam, et hortatur illam ad fidem in Christum. Da, inquit, operam ut consequaris fidem.* Quæ enim sequuntur toto capite tam augusta sunt, ut non Hierosolymæ et Iudæis, sed soli Ecclesiæ Christianæ conveniant.

Sensus ergo est, q. d. Age, o Ecclesia, o credentium Christo popule, qui hactenus sedisti in tenebris infidelitatis et ignorantiæ Dei; qui cubasti et dormivisti in strato peccatorum omnium, qui iacuisti in carcere et captivitate diaboli et inferni : nunc agedum surge de hac tua

A sede, strato et carcere, ac solem iustitiæ orientem excipe, evigila e somno peccatorum, caput attolle, libertatem, lucem et lætitiam tibi a Christo oblatam obviis manibus amplectere. Alludit ad id quod dixit c. 9. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Huc alludit S. Paulus Rom. 13. v. 11. eum ait: *Fratres, hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Et Ephes. 5. v. 14. *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Illuminare* ergo, hoc est, lucem fidei et gratiæ recipe quasi speculum, ut transformeris in eamdem imaginem, fiasque quasi sol orbem illuminans. Hoc est enim quod ait Apostolus 2. Corinth. cap. 3. v. ult. *Nos vero .... revelata*

B *facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu.* Vide ibi dicta. Porro τὸ *illuminare,* tam est invitantis ac hortantis Iudæos, ut lucem Evangelii apud se orientem amplectantur, quam congratulantis, q. d. Age, fruere luce qua irradiaris tu sola in toto orbe; congratulare tibi, et Deo gratias age. Posset quoque illuminatio hæc pro resuscitatione sive resurrectione ad vitam accipi, q. d. O Ierusalem quæ hactenus in alta morte errorum et peccatorum iacuisti, *surge et illuminare,* id est, ad vitam fidei et gratiæ postliminio redi. Alludit enim ad illud Ephes. 5. *Exsurge a mortuis etc.* uti iam dixi. Lumen enim sæpe vitam significat, eo quod viventibus gratissimum sit videre et frui lumine solis. Unde illud Euripidis in Iphigenia in Aulide: *Lucem tueri est hominibus dulcissimum.* Ex adverso desperans cupit *invisam abrum-*

C *pere lucem: et tædet cæli convexa tueri.* Sic ait sapientia Eccli. 24. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo* (id est, ad vitam revocabo) *omnes sperantes in Domino.* Et Apostolus 2. Timoth. 1. 10. de Christo ait: *Destruxit quidem mortem, illuminavit autem* (id est, in lucem produxit) *vitam et incorruptionem per Evangelium.* Ita Ægyptii vitam lucernæ symbolo repræsentabant: quod nihil aliud existimarent esse vitam, quam ignem humore velut olei liquore nutritum. Porro per lucem significabant omne bonum. Unde et Varro lib. 2. de Lingua Latina, mane dici putat, quod veteres manum vocabant bonum. Græci quoque, cum lumen inferebatur, solebant dicere, φῶς ἀγαθόν, uti et nos illata lucerna, fausta invicem precamur. Verum prior sensus uti planior, ita et germanior est. Unde sequitur:

QUIA VENIT LUMEN TUUM, ET GLORIA DOMINI SUPER

*

TE ORTA EST.) Per *lumen et gloriam* accipit Christi præsentiam, doctrinam, gratiam, et universam gloriam Evangelii, ut colligitur Matth. 9. v. 1. Unde non male Sanchez per *gloriam* accipit Dei misericordiam, et peccatorum condonationem. Sic enim accipitur *gloria* Rom. 3. 23. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria*, id est gratia et indulgentia, *Dei;* et Num. 14. cum Moses peteret a Deo dimitti populo peccatum murmurationis, respondit Deus v. 20. *Dimisi iuxta verbum tuum. Vivo ego: et implebitur gloria Domini universa terra.* Sed hic sensus partialis est, non totalis nec adæquatus. Alludit ad gloriam, quæ per columnam ignis per noctem, et nubis per diem incubabat veteri tabernaculo, et Sancto sanctorum in templo: hoc enim erat typus Ecclesiæ. Unde S. Hieron. *Venit*, inquit, *lumen tuum, quod omnes Prophetæ pollicebantur, quod iugiter exspectabas: et gloria Domini, quæ quondam fuit super tabernaculum et templum eius, orta est super te, de qua dictum est: Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Rursum alludit ad stellam quæ tres Magos duxit ad Christum quasi primitias Gentium: unde per lumen hoc, splendorem et gloriam, intelligunt hanc stellam Magorum ducem Prosper. 3. p. Promiss. cap. 6. Chrys. hom. 1. ex variis in Matthæum, Iulianus Archiepisc. Toletan. lib. 1. contra Iudæos post medium, et alii.

Vers. 2. QUIA ECCE TENEBRÆ OPERIENT TERRAM, etc. SUPER TE AUTEM ORIETUR DOMINUS.) Per *tenebras* intelligit paganismum, idololatriam, aliosque errores æque ac vitia et scelera, quibus Ethnici et quicumque extra Ecclesiam sunt, obtenebrati sunt. Ita Patres citati v. 1. Has enim tenebras ex Iudæis primum, deinde ex Gentibus, discussit Christus quasi sol oriens ex alto. Alludit ad tenebras Ægyptiacas tempore Mosis et Pharaonis, quæ fuerunt maximæ et densissimæ, cum lux occuparet solas domos et loca Hebræorum, Exodi 10. 13. Sic S. Ioan. c. 1. 9. et alii Christum vocant lucem. Sic Orpheus Verbum, puta Filium Dei, vocavit φάνης, quasi illustratorem Angelorum et hominum, et per eum Deum omnia creasse, et omnia complere lumine intelligibili, asseveravit, teste Proclo lib. 4. in Timæum Platonis. Quomodo Deus prima, increata et fontalis sit lux, docet S. Dionysius lib. de Divinis nominib. part. 1. cap. 4.

Vers. 3. ET AMBULABUNT GENTES IN LUMINE TUO.) Vatabl. vertit: *Venient Gentes ad lucem tuam*, ad Ecclesiam enim in Iudæa et Ierusalem ortam, totque virtutibus et miraculis clarescentem, quasi ad pharum illustri face coruscam, Gentes in mari errorum, vitiorum et ærumnarum iactatæ et naufragæ contenderunt, ut eius lumen, id est fidem et gratiam, sequentes, pertingerent ad portum salutis. Utrumque ergo prædicit Propheta, scilicet primo, quod Gentes venient ad lucem primitivæ Ecclesiæ, secundo, quod, postquam venerint, continuo ambulabunt in lumine eius, donec ad salutem perveniant. Hac de causa S. Paulus monet fideles Philippenses cap. 2. 15. *Ut sitis*, ait, *sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi.*

ET REGES IN SPLENDORE ORTUS TUI.) Est hypallage, q. d. Ad ortum splendoris tui, seu ad splendorem qui tibi orietur. Ita S. Hieron. Cyril. Procop. Vatabl. et alii. Splendor ergo ortus tui, idem est quod lumen tuum. Secundo, apposite Sanchez: Ortus, inquit, est sol oriens. Sic enim subinde ortus et occasus sumitur pro sole oriente et occidente. Quo significatur in Ecclesia sola ortum esse solem veritatis, gratiæ et iustitiæ: reliquas autem gentes quæ extra eam sunt, noctem habere perpetuam, neque ex ea emersuras, nisi ad solem accedant, qui una tantum in Ecclesia splendet et radiat.

Vers. 4 LEVA (quasi ex specula: consistit enim in monte Sion, qui est specula, et hebr. speculam significat) IN CIRCUITU OCULOS TUOS, ET VIDE.) Circumquaque ex quatuor orbis plagis Gentes venientes ad te circumspecta. Loquitur de tempore quo Apostoli per orbem dispersi, earumque successores plurimas gentes ad Ecclesiam converterunt.

FILII TUI DE LONGE VENIENT, ET FILIÆ TUÆ DE LATERE (hebr. *ad latus*) SURGENT.) *Longe* significat distantiam locorum, et orbis longitudinem, *latus* latitudinem. Sic vulgo dicimus, omne latus mundi, q. d. Longe lateque agminatim venient gentes tam fœminæ quam viri, innumera multitudine, ad te, o Ecclesia, et tibi tuæque fidei se subdent. Ita Cyrillus. To enim *de longe venient* æque ad filias ac filios, perinde ac τὸ *de latere surgent* æque ad filios ac filias pertinet: tantum enim ad rhythmum et elegantiam varietatis causa filios de longe, filias de latere venturas prædicit; quia filiæ prope matres quasi ad latus educari solent, cum filii sæpe alibi, ut in aulis, scholis, vel bellis educentur. Unde Sanchez, *de latere*, inquit, id est, de sinu matris Ecclesiæ sugent filiæ eius ubera, itaque surgent et crescent: solent enim matres magis amare, et indulgentius ac diutius lactare filias quam filios; sive quia sexu sibi similes, sive quia filiæ ob sexum infirmiores sunt et debiliores. Sed sub filiabus hic filios quoque intelligit Propheta, ut dixi. Utrique enim in gentilismo ferino, imo diabolico, lacte aliti iam conversi ad ubera Ecclesiæ inhiabunt.

SURGENT.) Ita Romana, licet Complut. Forer. Adamus et aliqui alii velint legendum *sugent*. Unde et S. Hieron. in Comment. *Sugent*, ait, *lac Apostolorum*. Sed eodem redit sensus: sugent enim instar parvulorum, ut in virum perfectum in Christo crescant, et surgant in altum, fiantque proceri. Hebr. est תאמנה *teamena*, quod uno verbo Latino reddi nequit, sed pluribus: ita reddit Forerius: *Fideliter tamquam ad latera nutricum educabuntur, ut confirmentur viribus et crescant.* Radix enim אמן *aman*, significat primo, esse fidelem; secundo, nutrire et educare; tertio, confirmare et corroborare. Posset rursum punctis aliis active in futuro *piel* legi תאמנה *teammena*, id est, erunt nutrices tuæ, fideliter nutrient et corroborabunt te: quod accipi potest de reginis, aliisque piis mulieribus, quæ alias in pietate educarunt, quales fuerunt S. Maria Magdalena, Martha, Basilissa, Cæcilia, Catharina, Clara, et similes.

Septuag. vertunt: *Filiæ tuæ super humeros portabuntur*, ut scilicet ad te veniant, tibique deferantur quasi munus optatum. Solent enim filiæ, quia delicatiores, in ulnis aut humeris portari.

Mystice S. Hieronym. Filiæ, ait, id est, imbecilliores Christiani, Apostolorum quasi humeris fulcientur, ut deferantur in sinus Abrahæ, Isaac et Iacob.

TUNC VIDEBIS, cum voluptate pasces oculos et mentem, intuendo tot filios et filias, ET AFFLUES.) Copia æque ac gaudio tam numerosæ sobolis undique affluentis instar aquarum et rivulorum, quæ undequaque ad flumen affluunt. Unde Forer. *Læta*, inquit, *aspicies, et tamquam fluvius, qui cum ripas transgreditur late diffunditur, amplificaberis.* Vers. 5.

Pro *afflues* Vatabl. vertit, *splendebis*, id est, vultu splendido et hilari eris. Nam tristes et mœsti videntur esse vultu tetrico et atro; unde ab Hebræis obscuri vocantur. Hebræum enim נהר *nahar*, tam de lumine, ut patet Psal. 33. 6. quam de flumine dicitur, significatque prolabi seu procurrere copiose et affluenter cum celeritate ac lubentia seu pronitate: sicut enim aqua ex fonte, sic lumen a sole, aliove corpore luminoso quasi scaturit ac profluit.

QUANDO CONVERSA FUERIT AD TE MULTITUDO MARIS.) Puta multæ insulares et transmarinæ gentes, ut Græci, Afri, Hispani, Itali, Galli, etc. Quod enim Iudæa mari quasi cingitur, et dividitur ab aliis gentibus; hinc omnes gentes ab eis vocabantur transmarinæ, q. d. Sicut mare exæstuans ruptis aggeribus terram inundat, et agros quaquaversum occupat: ita turmatim ad te venient multæ transmarinæ gentes, et magno impetu quasi irruent, tuncque gaudio afflues. Ita Forerius. Huc accedit et Sanchez, qui subaudiens more Hebræo voculam *sicut* sic explicat: quoniam gentes ad te venient tam multæ, sicut est multitudo maris, hoc est, ut totum mare ad te e suis finibus, relicto alveo ac littore, confluere videatur. Sic Ezechielis 26. 3. dicitur: *Ecce ego super te, Tyre, et*

ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans; et Ierem. 46. 8. Ægyptus quasi flumen ascendens dicit: *Ascendens operiam terram.*

Secundo, iidem per *multitudinem maris* accipiunt aurum, argentum et opes transmarinas, quas secum ad Christum et Ecclesiam tulerunt Gentes; uti fecerunt tres Magi, de quibus dicitur Psal. 71. 10. *Reges Tharsis et insulæ munera offerent.* Tharsis enim significat mare. Unde huc alludit Isaias.

Vers. 6. FORTITUDO GENTIUM VENERIT TIBI.) Puta gentes fortes et validæ, sive præclarissimi et præstantissimi quique gentium. Ita Vatabl. Secundo, *fortitudo gentium*, ait Sanchez, vocatur aut regum maiestas, quæ supplex accedet ad Ecclesiam; aut eorum dona et opes, quas Ecclesiæ offerent. Tertio, Forer. per *fortitudinem* accipit vires, arma, ingenium, industriam, strenuitatem, artes, scientias Gentium: hæc enim omnia devoluta sunt ad Ecclesiam. Et hæc omnia significat Hebr. חיל *chel.* Quam hæc vera et reipsa completa sint, quamque mira et perpetua fuerit fidei et Ecclesiæ propagatio, multiplicatio et incrementum, fuse ostendit Thomas Bozius tom. 1. de Notis Ecclesiæ signo 8. et seq.

INUNDATIO CAMELORUM OPERIET TE.) *Inundatio*, id est abundantia tanta camelorum, ut videantur quasi aqua et fluctus maris (de quo præcessit) te obruere; licet Sanchez non male censeat inundationem hic non maris, sed pulveris accipi, quem turmæ camelorum pedibus suis excitabunt. Sic enim Poetæ, vocant *undam pulveris*, et Virgil. *pulveream nubem.* Porro camelorum potius meminit quam equorum, tum quia camelis abundat Oriens; nam, ut ait Plinius l. 10. c. 9. *Cameli duodecim mensibus ferunt a trimatu, et pariunt vere, iterumque post annum implentur:* tum quia cameli in gibbo ingentia ferunt onera: adiuvantur enim proceritate collorum, inquit Cicero: tum denique, quia, ut ait Plinius lib. 28. c. 9. *Lac camelinum post lac hominis dulcissimum est.* Hinc etiam camelus nomen habere videtur a lactatione; גמל *gamal* enim significat ablactare; unde dicitur גמל *gamal*, id est camelus, quod nomen in omnes linguas transiit. Cameli ergo Gentium, Gentesque suum lac et opes Ecclesiæ afferent, et vicissim ab ea lacte spiritali lactabuntur.

Cameli natura et etymon.

DROMEDARII MADIAN ET EPHA.) Pro *dromedarii* hebr. est בכרי *bichre*, id est, pulli camelorum. Unde Chald. vertit ינקא *ianka*, id est, lactantem, id est, iuvenem camelum, qui postquam ablactatus est, dicitur גמל *gamal*, sive camelus. Hi ergo pulli vocantur dromedarii, a velocitate cursus qua pollent: δρόμος enim significat cursum: unde et dromades dicuntur. Audi Livium lib. 7. de bello Macedon. *Ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ, et cameli, quos appellant dromadas.* Rursum: *Dromades cameli inter dona erant, velocitatis eximiæ.* Huc iuvat quod sitim quatriduo tolerent, teste Plinio lib. 8. c. 18. Unde a Persio vocatur *sitiens camelus.* Hæc enim sitis toleratio, et siccitas mire iuvat cursum animalium. Notum est Baiazetem Turcarum Imper. prælio victum ac fugientem, ac pene elapsum, utpote equæ velocissimæ insidentem, a militibus Tamberlanis captum esse, eo quod equam sitientem adaquasset. Equa enim hausta aqua multum de cursu remisit, itaque ab insequentibus Tartaris comprehensa est cum suo hero.

Sitis toleratio iuvat cursum.

MADIAN ET EPHA.) Regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum: ita dictæ a Madian filio Abrahæ ex Cetura, et Epha filio Madian, totaque regio vocatur Saba. Unde fuit et regina Saba, quæ huius rei typo venit cum muneribus in Ierusalem audire sapientiam Salomonis, qui fuit typus Christi. Ita S. Hieronym. Sensus ergo est, q. d. E variis regionibus Asiaticis, camelis adultis, et minoribus sive dromedariis, ad te munera deferentur, o Ecclesia.

Mystice, S. Hier. Theodor. Procop. imo Christus ipse Matth. 19. 24. cameli sunt divites, gibbosi et superbi: quia quasi cameli laborant ut coacervent opes, et magna humeris sustinent negotia et onera, ut eas conservent et augeant: hi tamen per Christi et Apostolorum, virorum-

A que Apostolicorum prædicationem, se suaque consecravere Christo. *Talis*, ait S. Hieronym. *fuit sanctæ memoriæ mater tua* (o Eustochium) *Paula, fraterque Pammachius, qui per foramen acus, id est, arctam angustamque viam, quæ ducit ad vitam, transierunt, latamque viam cum sarcinis relinquentes quæ ducit ad Tartarum quidquid habebant in Domini dona portarunt, implentes illud, Redemptio viri propriæ divitiæ: quæ enim apud homines impossibilia, apud Deum possibilia sunt.*

OMNES DE SABA VENIENT, AURUM ET THUS (addit Cyrillus, *et lapidem pretiosum*) DEFERENTES.) *Omnes*, id est, plurimi, quorum primi fuere tres Magi, qui duce stella ad Christum ex Arabia venerunt, uti ostendi Matth. 3. v. 1. Alludit ad Psalm. 71. v. 10. *Reges Tharsis et insulæ munera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent.* Pro *Arabum* Hebr. est idem nomen שבא *sceba*, per *scin*, quod hic est in Hebræo: pro *Saba* vero hebraice est סבא *seba* per *samech*, quod significat Æthiopiam. Porro Arabia hæc sita est inter mare rubrum et Sinum

Sceba est Arabia: Saba est Æthiopia. Unde?

B Persicum, abundatque auro, thure, cinnamomo, balsamo, myrrha, palma, calamo: unde et Felix sive Beata dicitur, teste Strabone lib. 16. Thus vero huic Arabiæ proprium est: nec enim alibi gignitur. Unde Virgil. 1. Georgic.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Ubi Servius Sabæos dictos putat ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, id est, venerari et colere; quod Deum per ipsorum Thura veneramur. Verius est *Saba* Hebræam vel Arabicam esse vocem, et significare conversionem, uti ait S. Hieronym. a שוב *sciub*, id est, reversus, conversus est; vel captivitatem, a rad. שבה *sciaba*, id est, captivus fuit. Utrumque optime convenit rei et historiæ præsenti. *Saba* enim a captivitate peccati per Christum conversa fuit ad Deum, gratiam et salutem. Dicta est *Saba* per *scin*, a *Saba* filio Regma filii Chus: sicut Æthiopia dicta est *Saba* per *samech*, a *Saba* filio eiusdem Chus. Porro per *Saba* hic non solum *Saba* per *scin*, id est, Arabia, sed etiam ei vicina et contermina *Saba* per *samech*, id est, Æthiopia,

C sive Abyssinia, ubi regnat Preto Ioannes, accipi potest, uti accipiunt S. Cyrill. Procop. et Iosephus: litteræ enim *schin* et *sin* solo puncto differunt.

Denique quam hoc oraculum verum fuerit, quamque in Arabia hac quæ postea Homeritis est dicta, Christiana religio floruerit, patet ex Eunucho Candacis reginæ (hæc enim in Saba regnavit) qui conversus a Philippo Act. 8. 38. Christi fidem in Saba propagavit. Idem patet ex Homeritarum historia, qui Dunaan tyranno Iudæo usque ad mortem et martyrium restiterunt anno Christi 522. Rursum ex gestis Elesbaan. et Abrahamii Homeritarum regum, qui occiso Dunaan pristinum Ecclesiæ florem iisdem restituerunt, atque Iustino et Iustiniano Imp. contra infideles magno auxilio fuerunt, ut docet Baron. tom. 6. anno iam dicto.

OMNE PECUS CEDAR.) Cedar et Nabaioth regiones sunt Arabiæ (unde incolæ dicti sunt Cedareni et Nabathæi, in tabernaculis habitantes, utpote pastores et pecuarii) Vers. 7.

D ovibus et pecore abundantes: ita dictæ a filiis Ismaelis eiusdem nominis. Ita S. Hieron. qui et addit, per hasce aliasque gentes hic nominatas, quasvis alias intelligi, quantumvis agrestes, vagas aut barbaras, per synecdochen, iuxta canon. 11.

MINISTRABUNT TIBI.) Offerentur tibi, servient tibi tuisque usibus, cedent in tuum ministerium. To enim *ministrabunt* magis passive quam active accipiendum est.

OFFERENTUR SUPER PLACABILI ALTARI MEO.) q. d. Cedareni et Nabathæi offerent tibi, o Ecclesia, suas opes, puta pecora et arietes, eaque non quasi victimas et sacrificia (hæc enim iam abolita sunt, iisque successit unum Eucharistiæ sacrificium) sed quasi oblationes imponent altaribus tuis. Sic enim etiamnum multis in pagis videmus rusticos ova, pullos, agnos, triticum, aliasque oblationes altari imponere, vel ad altare offerre. Alludit ad vetus altare et victimas Iudaicas: hæ enim in altari offerebantur, imo sacrificabantur.

Nota *placabili*, id est, placente mihi, meque placante

per suas victimas et oblationes. Unde Septuag: vertunt: *Offerentur acceptabilia super altare meum.* Leo Hebræus: *Sacrificabunt super aram quæ mihi placet:* Forer. *Ascendent iuxta acceptionem altaris mei*, hoc est, inquit ipse, super altare mihi gratissimum: aut *iuxta acceptionem altaris mei*, id est quantum altari meo placuerit, quantum scilicet capere voluerit, aut potuerit.

Mystice, S. Hieron. et Procop. per *oves* accipiunt simplicem plebem Christi; per *arietes* Prælatos et sacerdotes: hi enim sunt hostia viva Christi, qui pura et candida mente Deo in Ecclesia altari sese offerunt.

Domus gloriæ Dei est templum, cur? ET DOMUM MAIESTATIS MEÆ GLORIFICABO.) Olim domus maiestatis et gloriæ Dei erat templum Salomonis: tum quia ex cedro, auro, argento magnificentissime erat exstructum; tum quia magnificis et plurimis victimis in eo colebatur Deus; tum quia in eo Salomon omnesque reges et principes totusque populus laudabat et adorabat Deum: tum quia Deus in eo apparebat nube tectus, præsertim sedens super Cherubim in Sancto sanctorum. Verum nunc domus gloriæ Dei, et Ecclesia Christi, eiusque templa; tum quia pretiosa et magnifica sunt, ex marmore, auro et lapidibus pretiosis, uti videre est hic Romæ; tum quia victima nobilissima, puta Eucharistia in eis offertur; tum quia in iis omnes reges, Imperatores, Pontifices et principes, totusque mundus genuflectens Deum adorat; tum quia in eis habitat corporaliter Deus in Ven. Sacramento; tum quia in illa Deus suam maiestatem ostendit per tot gratias et miracula, quæ fidelibus in Ecclesia largitur et communicat.

Vers. 8. QUI SUNT ISTI, QUI UT NUBES VOLANT, ET QUASI COLUMBÆ AD FENESTRAS SUAS?) Admirantis Prophetæ est vox, q. d. Quam densæ flante vento volant per aera nubes, et quam densæ columbæ ad nidos revolant cum ingruit tempestas; tam densæ confluent ad te, o Ecclesia, gentes et populi, uti video et prævideo in spiritu. Ita S. Hieronymus. Per *fenestras* ergo intelligit columbaria, ut vertit Chaldæus; hæc enim plena sunt fenestris, instar oculorum, per quas prospicere gaudent columbæ, in eoque delectantur. Comparat fideles nubibus: quia nubes, utpote elevatæ a terra, ab extremis eius partibus, facile et statim quoquoversus deferuntur, et quasi volant; ita fideles ex ultimis orbis partibus venerunt ad Ecclesiam.

Fideles vocantur nubes, cur? Resp.

1. 2. Secundo, nubes ita densæ sunt, ut totum cælum operiant: ita densi et multi populi ad Ecclesiam confluxerunt. 3. Tertio, nubes propellit ventus adeo valide, ut nulla terrena vis earum cursum impedire, aut sistere possit. Ita fide-
4. les acti spiritu et amore Dei, omnes in terra obices et difficultates superant et transcendunt. Quarto, S. Ambros. l. de Fuga sæculi sub finem notat fideles comparari nubibus, aquilis et columbis; quia eorum mens et conversatio sublimis est, et cælestis. *Nam super mundum*, ait, *est institia, castitas, bonitas, sapientia: discamus ergo in hoc mundo super mundum esse: et si corpus gerimus, volitet*
5. *in nobis animus volucris.* Quinto, anagog. Tertull. l. 3. contra Marc. c. ult. Miratur, ait, Propheta quomodo rapiantur ut nubes obviam Christo in aera in resurrectione. Sic et Procop.

Fideles vocantur columbæ, cur? Resp.

Iidem fideles comparantur columbis, primo, ob similem candorem; secundo, ob gemitum; vide Cardin. Bellarmin. de Columbæ gemitu; tertio, ob directum et fortem volatum. Nam columba:

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

1. 2. 3. 4. Sic fideles recti sunt et efficaces in opere, rectaque in Deum et cælum contendunt. Quarto, S. Ambr. l. de Isaac et anima c. 4. per fenestras accipit Prophetas. Columbæ enim, id est, sanctæ animæ, per Prophetas et sacram Script. quasi per ænigmata intuentur Deum.

Prædicatores vocantur nubes, cur? Secundo, S. Gregorius hom. 18. in Ezech. S. Hier. Rupert. et alii per nubes et columbas accipiunt Apostolos et prædicatores. Unde Sept. vertunt: *Sicut columbæ cum pullis suis*; q. d. Sicut Apostoli, cum suis disci-
1. pulis et fidelibus. Nam primo, sicut nubes a terra elevantur in cælum: ita et Apostoli quasi cæli, vita magis
2. quam voce, enarrant gloriam Dei. Secundo, sicut nubes sunt roridæ, dantque pluviam terræ, eaque ipsam irrigant et fœcundant: ita et verbi prædicatores pluviam verbi Dei mentibus impluunt, per eamque ipsas bonorum operum fertiles efficiunt. Tertio, sicut nubes a sole cale- 3.
fit, liquescit et resolvitur, ut terram riget: ita et Apostoli a Deo et cælo hauriunt calorem et humorem spiritualem, quem in alios effundant. Quarto, sicut nubes cum pluvia 4.
sæpe miscent tonitrua et fulmina: ita et prædicatores cum exhortatione miscere debent minas et terrores iræ et vindictæ Dei. Ita S. August. in Psalm. 96. ad illud: *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ.* Sed audi S. Gregor. *Recte*, ait, *prædicatores sancti nubes appellati sunt; quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur: quia in terra viventes, extra terram fuit omne quod egerunt. Unde et per quamdam nubem dicitur: In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Priores enim patres coniugiis utebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant, Istos autem prophetiæ iam spiritu prævidens substantias deserere, nihil in terra quærere, nihil possidere, non eos vel homines per terram ambulantes, sed nubes volantes nominat. Volant enim qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nil appetunt. Qui et ad fenestras suas quasi columbæ sunt, quia pro mansuetudinis suæ spiritu, in hoc mundo per oculos nil concupiscunt.* De hisce nubibus plura dicam Ezech. 10. v. 3. et 4.

Quocirca apposite Thomas Bozius, et ex eo Ulysses Aldrovandus l. de avibus, in columba pag. 212. nubes has et columbas adaptant ad Apostolos et fideles degentes in Indiis. Nam, cum ait Propheta: *Qui sunt isti qui ut nubes volant? etc.* significat, inquiunt, velificationem eorum celerrimam in Indiam, quam venti vehementes impellant et volare faciant. Columba enim expansis alis habet speciem navis velificantis: vela enim sunt navi, quod alæ avi. Secundo, cum ait: *Quasi columbæ ad fenestras suas;* significat eorum qui volant et navigant partus: columbæ enim sunt fœcundissimæ, et pariunt in fenestris foraminum. Sic qui eunt ad Indos, plurimos Christo pariunt euntes per antra, speluncas et fenestras, in quibus barbari habitant. Tertio, columbæ in præceps volant: sic qui Antipodas petunt, in præceps se dare videntur, et infera loca petere. Quod ait: *Adducam filios tuos de longe*, significat adventum Indorum ad Ecclesiam. Unde meminit argenti et auri, quod plurimum ab Indiis ad nos advehitur. Rursum nomine columbæ, ait Aldrovand. alludit ad Christophorum Columbum, qui nobis iter ad illas oras primus aperuit. Columbæ sunt Indipetæ, cur? 1. 2. 3.

Hinc viri Apostolici et illustres sæpe per columbam a Deo electi et designati sunt. Viri illustres indicio columbæ designati.

Tradunt Gentiles, heroes Argonautas, columba quasi duce itineris usos, præcipiente Phineo, penetrasse Colchos, ibique rapuisse vellus aureum. Unde Ovid. in Ibim: Argonautæ.

Qualis et ipsa fuit quoque præcipiente columba,
Et data Palladiæ prævia duxque rati.

Et Propert. l. 2.

Et quæ movisti duo littora, cum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.

Similiter tradunt Semiramidem reginam, cum infans esset, a columbis nutritam. Sed missis fabulosis ad certa veniamus. Semiramis.

Spiritus sanctus in specie columbæ descendit in Christum, eumque quasi legatum Dei Patris auctoravit. Christus.

S. Radegundis Franciæ olim regina, in mari periclitantibus, post mortem invocata, apparuit in specie columbæ, terque navim circumvolans, maris tempestatem sedavit. Ita habet eius Vita. S. Radegundis.

S. Ioannis Chrysostomi capiti, cum consecraretur Episcopus, columba insedit, index Spiritus sancti, notansque quantus Præsul futurus esset. Idem contigit S. Gregorio Agrigentino Episcopo: nam in eius inauguratione columba ab altari advolans capiti eius insedit. S. Chrys.

Idem contigit S. Fabiano Pontifici: cum enim Antero Pont. mortuo Episcopi de successore deliberarent, columba ad Fabianum advolans, eiusque capiti insidens, cum S. Fabianus.

Dei nutu Pontificem designavit. Testis est Euseb. l. 5. histor. c. 26. Platina et alii.

S. Gregorius. S. Gregorio Magno libros suos dictanti, sæpe Spiritum sanctum specie columbæ insidere se vidisse, narrat Petrus Diaconus in eius Vita.

S. Leonardus. S. Leonardus cuidam captivo in subterraneum specum coniecto, apparuit in figura columbæ, eumque inde eduxit; et cum atra nox homini viam qua iret prorsus absconderet, columba ob oculos eius volitans viam antecessit, atque ad locum optatum perduxit. Ita habet eius Vita.

S. Remigius. S. Remigio Clodoveum regem Franciæ baptizaturo, columbam attulisse ampullam sancto chrismate plenam, testatur auctor Vitæ eius et Francor. Annales.

S. Marina. S. Marinæ (Latini Margaritam vocant) virgini et Martyri apparuit columba, eamque in tormentis hisce verbis roboravit: *Ave, Marina, ratione prædita, Dei columba, quæ vicisti malignum, et bono adhæsisti; ave et lætare ex toto corde, superna filiæ Sion: quoniam venit dies, in qua pro tuis meritis ornata victoriæ coronis, ingressa apud sponsum et regem tuum habitabis.* Eadem columba coronam capiti Marinæ imposuit, dicens: *Pax tibi, ancilla Dei; nunc confide, cælestem accipies coronam a manu Altissimi.* Mox Marina spiritum Deo reddidit. Porro multa hominum millia id videntia ad Christum conversa, ac ab Olybrio præfecto martyrio coronata sunt, si credimus historiæ et Vitæ eius, quam ex Metaphraste edidit Surius 20. Iulii.

S. Maria Oigniacensis. S. Maria Oigniacensis vidit quandoque sacerdotem cum lacrymis devote sacrificantem, et columbam in eius humerum descendentem, ex eoque humero fontem purissimum scaturientem. Testis est Cardin. Iacob. de Vitriaco in eius Vita.

S. Amator. S. Amatoris animam post mortem in cælum detulisse columbam, habet eius historia.

S. Eulalia. Prudentius hymno 3. peri Stephan. narrat S. Eulaliam nobilem virginem et Martyrem Emeritæ in Hispania, sub Daciano præside, et Dioclet. Imper. duodennem coniectam in ignem, eo hausto exspirasse animam, quæ specie columbæ in cælum evolavit. Ita enim de ea canit:

Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata, caput
Occupat, exsuperatque aciem:
Virgo citum cupiens obitum,
Appetit, et bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens,
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.

S. Ephrem serm. de Passione Domini scribit Christo moriente in Cruce, ac clamante *Consummatum est*, columbam e templo evolasse, significantem quod per Christi mortem innocentia, sanctitas, omnisque virtus et sapientia ac Iudæis ad Christianos evolaret.

Vers. 9. Me enim insulæ exspectant, q. d. Dixi undequaque ad Ecclesiam advolaturos populos: quia insulani et transmarini audita Christi et Ecclesiæ fama ac gloria, ad eam anhelabunt, idque a principio.) Id est, qui ab æterno ad id a Deo præordinati sunt, inquit Adamus. Secundo Vatablus vertit, *sicut a principio*, q. d. Sicut olim sub initia regni Iudaici, naves Tharsis attulerunt aurum, argentum et opes Indiæ ad Salomonem: ita nunc easdem afferent ad Christum. Ita S. Thomas et Hugo. Tertio, S. Hieron. *in principio*, scilicet temporis, q. d. Cum primum insulani audierint de Christo et Ecclesia, ad eum advolabunt. Rursum cum primum natus fuerit Christus et Ecclesia, accurrent ad eum naves Tharsis, id est, transmarinæ gentes, puta Magi, qui fuerunt primitiæ Gentium: hi enim obtulerunt Christo aurum quod sequitur. Quarto, Forerius vertit, *naves Tharsis cum primaria*, sive prætoria: hæc enim præit et ducit totam classem. Per primariam ergo, sive prætoriam, significat totas classes ad Ecclesiam venturas. Sic principium capitur pro principatu Psalm. 109. v. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Sic apis dicitur habere *initium*, id est, primitias et principatum, *dulcoris*, Eccli. 11. v. 3. Quinto, simpliciter et plane, *in principio*, id est, ut Septuag. vertunt, *inprimis*, sive præcipue et principaliter, q. d. Præ Iudæis inprimis magisque ardenter exspectabunt me naves Tharsis, id est gentes transmarinæ. Sexto, Sanchez, q. d. Qui habitant *in principio*, id est in Oriente, ubi solis ortus et dies capit principium, primi accurrent ad Ecclesiam, nimirum tres Magi, qui ab Oriente venerunt Hierosolymam. Ex hisce, tertius sensus et quintus magis videntur plani et genuini.

Argentum eorum.) Repete per zeugma *adducam*.

Nomini Domini, et sancto Israel.) Id est, ipsi Domino, qui est sanctus Israelis, quem scilicet sancte colit Israel. Sic enim nomen et vox sæpe pro re vocata et nominata ponitur. Rursum dicit *nomini*, ut innuat tunc nomen et pretium habere aurum, argentum et gemmas, quando in usum glorificationis illius, qui omnia condidit, impenduntur: tunc enim glorificatur habetque nomen, cum in fabricas et ornatum ecclesiarum, subventionem pauperum, redemptionem captivorum, etc. erogantur. Unde sequitur: *Quia glorificavit te.* Videant ergo hæretici, Deum velle ornari et glorificari Ecclesias, eaque in re glorificari. Ita Forerius.

Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos.) Vers. 10. Alludit ad muros Hierosolymæ, quos post reditum e Babylone peregrini, id est, Cyrus, Darius Hystaspis et Artaxerxes, reædificari curarunt, 1. Esdræ cap. 6. et 7. Sed sub his intelligit Gentiles, tum reges et principes, ut Constantinum, Theodosium, Carolum, qui Ecclesiæ templa et urbes, uti Romam, Constantinopolim, Mediolanum, vel ædificarunt vel auxerunt et roborarunt; tum Apostolos, Prælatos, virosque Apostolicos, qui Ecclesiam et verbo et vita, ac morte et sanguine propagarunt, ac tutati sunt, obiicientes pro ea hosti seipsos, quasi murum validissimum, uti S. Athanasius se obiecit Constantio totique mundo Arriano. Gentiles vocat *peregrinos* et advenas; quia tales olim erant respectu Hierosolymæ et Iudæorum, penes quos fuit Synagoga, et apud quos cœpit Ecclesia Christi.

In indignatione enim mea percussi te.) O Ierusalem, scilicet relinquendo te ante Christum impiam, sine Prophetis, tradendoque te impiis Scribis ac Pharisæis, ac tandem Tito ac Romanis ad excidium: at per Christum reconciliatus et misertus sum tui, tuasque ruinas restauravi et supplevi per fortitudinem ac copiam Gentium, quas tibi adiunxi, et in Ecclesiam aggregavi, ut sequitur. Alludit ad punitionem captivitatis Babylonicæ, ex eaque liberationem et reconciliationem. Ita S. Hieron.

Secundo, Forerius refert hæc ad Ecclesiam Gentium: hanc enim Deus ob fidelium, qui in ea sunt, scelera percussit per Imperatores infideles et hæreticos, uti etiamnum subinde percutit et punit: sed iis pœnitentibus misertus et reconciliatus est, uti etiamnum miseretur.

Aperientur portæ tuæ iugiter, etc.) Est catachresis, significans magnam Hierosolymæ, id est, Ecclesiæ, fore pacem, securitatem, propagationem, capacitatem, ut totum mundum capere possit: et frequentem Gentium ad eam concursum, ut tam de die quam de nocte ad eam confluant. Alludit ad urbes quæ metu hostium nocte portas claudunt: sed cum sine metu in plena pace degunt, tam de nocte quam de die portas apertas adventantibus relinquunt. Hoc anagogice verius erit in Ierusalem cælesti, uti huc alludens ait S. Ioannes Apoc. 21. v. 25. quia, ut ipse ait, nulla erit ibi nox, sed unus perennisque dies beatæ æternitatis. Vers. 11.

Gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit, interitu tum temporali in terra, tum æterno in gehenna, uti omnes qui erant extra arcam Noe perierunt regnante diluvio: extra enim Ecclesiam, quæ est arca Dei, non est salus: et Gentes solitudine, id est usque ad solitudinem, vastabuntur.) q. d. Omnia vastabuntur et desolabuntur. Vis exempla quæ huic promissioni fidem faciant, imo eius sunt fructus et effectus? Accipe. Vers. 12. Gentes Evangelio rebelles punit Deus. Exempla.

Cum Miles (hoc erat Episcopo nomen) Persicæ cuius-

dam civitatis Episcopus esset, multaque sæpe passus, et verbera sustinuisset et tractus, nec ulli istic persuadere posset ut Christianus fieret; moleste tulisse, civitatique maledixisse fertur, et abiisse. Paulo post vero cum primores illic in regem peccassent, missum esse exercitum cum trecentis elephantis, civitatemque illam subvertisse, et instar arvi aratro subegisse, ac seminasse. Ita Sozomenus Historiæ Ecclesiasticæ lib. 2. cap. 14.

Res præclare gestas S. Ansgarii, primi Nordalbingorum Archiepiscopi, scriptis mandavit S. Rembertus eius successor: sed de eo illa tantum sunt nobis nota, quæ Adam suo chronico intexuit, ubi post acceptum a Sede Apostolica per Nicolaum Antistitem privilegium, subiicit miranda ista de cæde Danorum, qui tunc restiterunt Evangelii prædicationi. Tanta cæde mactati utrimque sunt Dani, ut vulgus omne caderet: de stirpe autem regia nemo omnino remaneret, præter unum puerum, nomine Henricum. Iste mox ut Danorum regnum suscepit, ingenito furore super Christicolas efferatus, sacerdotes Dei expulit, et Ecclesias claudi præcepit. Ad quem sanctus Dei Confessor Ansgarius venire non trepidavit. Comitante gratia divina crudelem tyrannum sic placatum reddidit, ut Christianismum ipse susciperet. suisque omnibus ut Christiani fierent per edictum mandaret, et insuper in alio portu regni apud ripam exstrueret Ecclesiam in Dania secundam, inquit Adam in Chronico, et ex eo Baronius tom. 10. ad an. Domini 858.

Regnerus rex Daniæ, abrogata Christianorum religione, idololatriæ in regno denuo instituendæ auctor fuit, quam eius impietatem divina insecuta est vindicta. Nam Helles, quem regno ille eiecerat, adiunctis sibi Gallorum auxiliis, eum prælio victum et captum, carceri tetro, serpentibusque infesto inclusit, qui sanie eum perfusum, venenatisque morsibus confectum, horrenda morte affecerunt. Ita Albertus Crantz lib. 4. Daniæ c. 10. anno 816.

Traianus Valentis Imp. contra Gothos dux ab iis cæsus.

Valens Imper. Arrianus, unum e militiæ suæ ducibus, Traianum nomine, virum Catholicum, in Gothos cum exercitu misit: quem, postquam ab hostibus superatus revertit, Valens conviciis lacerare, eique mollitiem ignaviamque obiicere cœpit. At ille libera voce, ut generosum virum decebat: *Non ego*, respondit, *o Imperator, victus sum; sed tu ipse victoriam perdidisti, qui contra Deum aciem instruere non desinis et ita eius auxilium Barbaris concilias.* Ita Histor. Tripartit. lib. 8. cap. 13. et Theodor. lib. 4. cap. 23. Ferunt etiam Isacium monachum virum sanctum, eidem Valenti, contra Gothos cum copiis proficiscenti, obviam ivisse, et contenta ac libera voce dixisse: *Quo proficisceris, o Imperator, qui auxilio Dei contra quem bellum geris, prorsus destitutus es? idcirco ille Barbaros adversus te concitavit: quoniam tu multorum linguas ad blasphemias adversus eum loquendas exacuisti, et pios eum laudibus celebrantes Ecclesiis exturbasti. Desine igitur tu bellum contra eum facere, et ipse bellum contra te motum sedabit, etc.* Ita Nicephorus Callist. lib. 11. historiæ Eccles. c. 50. Theodor. lib. 4. c. 31. Metaphrast. in Vita Isacii.

Hoc sæculo, quam graviter puniti sint Indi Moluccenses, dum a fide Christi ad Mahumetem deficiunt, nimirum procellis, fulminibus et tonitruis insolitis e cælo, atque turbinibus. ventis, et cinere, qui totam regionem fertilissimam opplevit, et sterilem effecit instar Sodomæ, liquet ex Epistolis Indicis P. Beyræ e Societate nostra, qui oculatus fuit testis.

Simili modo universa regna quæ ad Ecclesiam non transierint, vel citius vel serius auferentur et abolebuntur. Imperet licet aliquot sæculis Turca, lateque dominetur, multosque sibi subiuget, ipse tandem eiusque imperium, nisi Ecclesiæ se subdat, exscindetur.

Pari modo ecclesiæ et regno Arrianorum, Gothorum, Wandalorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Iconoclastarum, Monothelitarum, aliorumque hæreticorum subversa sunt, ut hodie sensim lutheranismi et calvinismi regnum subvertitur.

Ecclesiæ vero Romanæ fides et regnum stat et propagatur per Indos Orientis et Occidentis: stat inquam, a Christi adventu per annos 1600. stabitque usque ad eius reditum in fine mundi.

GLORIA LIBANI AD TE VENIET, ABIES ET BUXUS. etc.) Vers 13.
Alludit ad fabricam templi Salomonis (hic enim fuit locus sanctificationis, fuitque Ecclesiæ typus: Ecclesia enim est templum, aula et regia Dei) ad illum enim Hiram rex Tyri misit ligna cæsa ex Libano. Gloria enim Libani sunt cedri, abietes, pini, aliæque arbores maxime odoratæ et solidæ, ut cariem non sentiant. Per has autem intelligit omnia, quæ ad decorem, splendorem et stabilitatem Ecclesiæ pertinent, sive ea interna sint, ut virtutes heroicæ, gratiæ et charismata Spiritus sancti; sive externa, ut opes, nobilitas, ingenium, artes, disciplinæ, ac præsertim viri docti Philosophi et oratores, qui sua pietate, sapientia, eloquentia Ecclesiam ædificarunt, qualis, ait S. Hieron. fuit S. Cyprian. Nota: Templum, hoc est Ecclesia, dicitur sanctuarium, sive locus sanctificationis Dei, tum active, quem scilicet ipse præsentia sua sanctificat; tum passive, in quo scilicet ipse sanctificatur et colitur. Unde discamus qua sanctitate in templo et Ecclesia versari debeamus, utpote in loco quem calcant et sanctificant pedes Dei.

ET LOCUM PEDUM MEORUM.) Hoc est, Ecclesiam in terris militantem, quæ est quasi scabellum pedum Dei, in cælesti throno residentis. Alludit ad arcam, quæ cum propitiatorio erat quasi scabellum Dei, sedentis super alas Cherubim, Exodi 25. 22. et 1. Paralip. c. 28. v. 12.

ET VENIENT AD TE CURVI FILII EORUM QUI HUMILIAVERUNT TE.) Vers 14
Curvi, id est, humiles et venerabundi, inquit S. Prosper p. 3. Prædic. et promiss. c. 36. Secundo, *curvi*, id est, supplices et pœnitentes, petentes veniam pro suis erratis, et parentum, qui Ecclesiam olim impugnarunt. Venient ergo curvi, quia indignos se putabunt qui Ecclesiæ et ministris Dei famulentur, ponent altos suos spiritus, induentque spiritum Christi humilem et mitem. Cum enim agnoscent e quantis malis sola miseratione eruti sint, in quibus poterant æque ut patres eorum consenescere, mori et damnari; non poterunt non se humiliare et submittere illis, qui tam felicis sortis suæ fuerint administri: eos ergo ut viros sanctos, imo cælestes suspicient, atque Ecclesiam quasi sponsam Dei venerabuntur: in qua licet visuri sint aliquorum defectus et scandala, ipsam tamen vocabunt civitatem sanctam, Dei domicilium, multorum millium Angelorum frequentiam, habitaculum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, Sanctorumque omnium. Videant hic illi, qui Ecclesiam et ministros Dei insectantur, quam a filiis Dei et a priscis fidelibus, suisque maioribus, quos hic depingit Isaias, sint degeneres, ac proinde hæreditatis Dei et promissionum Isaiæ exhæredes.

ET ADORABUNT VESTIGIA PEDUM TUORUM.) Quasi ad pedes suos supplices se inclinantes, imo terram quam calcas, pedumque tuorum vestigia exosculantes. Patet hoc impleri in Romano Pontifice, qui est caput Ecclesiæ. Frustra ergo indignantur hæretici ad oscula pedum Papæ, cum ea prædixerit et promiserit Isaias. Ita reges Visigothorum, Francorum, Anglorum, Nortmannorum, Longobardorum, Germanorum et aliarum gentium, qui sæpius vexarunt Ecclesiam et Pontificem, Romam venerunt, ut ibi adorarent vestigia pedum eius qui se servum servorum Dei vocat; cumque sit caput, pedum sibi nomen assumpsit humillimorum scilicet servum se professus. Vide dicta c. 49. 13. Hæc fuit victoria crucis Christi, quæ totum mundum divina virtute Christo crucifixo, eiusque Ecclesiæ subiugavit.

Quis credidisset Christi crucem idola contrituram, et crucifixi discipulos in tanta gloria futuros? Chrys. homil. 4. in verba Isaiæ: *A quam multis*, ait, *oppugnata est Ecclesia, nec umquam tamen victa! quot tyranni? quot duces? quot Imperatores? Augustus, Tiberius, Claudius, Nero, etc. oppugnarunt, nunc silentur, traditi oblivioni; illa vero oppugnata cælum transcendit. Oppugnati sunt undecim discipuli, totus orbis oppugnabat: verum qui oppu-*

gnabant, sublati sunt; oves devicere lupos. S. Augustinus epistol. 42. Madaurenses idololatras alloquens: *Videtis,* ait, *huius sæculi potestates victas ac domitas, non a repugnantibus, sed a morientibus Christianis; et contra eadem simulacra, pro quibus Christianos occidebant, impetus suos legesque vertisse, et imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Audi et mira ex Prospero Promiss. part. 3. c. 38. Theodosii imperio per Iovium et Gaudentium comites omnia templa expoliata scribuntur: cui Symmachus ille mirabili tunc eloquio et scientia præditus, sed Paganus, præconio laudis in consistorio recitato, subtili arte qua valuit, ut aram Victoriæ in senatu restitui pateretur, persuadere conatus est. Quem statim a suis aspectibus pulsum, in centesimo lapide, rhedæ non stratæ impositum, ea die manere præcepit. Eutropius quoque præpotens, idemque anima et mente Paganus, cum in contumeliam Ecclesiæ edictum, obreptitie ab Arcadio Christiano Imp. impetratum, sculperet, ut, si quis ad eam confugeret, etiam abstractus ab altari pœnas lueret ampliores; divino iudicio suæ sententiæ prior ipse propinatus est: offensam quippe prædicti regis incurrens, ad eius refugium, quam oderat, convolavit. Quem sancta mater pietatis gremio suum excepit inimicum, eique per venerabilem sacerdotem Ioannem impetrans veniam, osori et superbo vitam contulit et salutem: eius exemplo cunctos admonens inimicos, vanum eis esse contra stimulum calcitrare. Honorius etiam Theodosii minor filius, Christiana religione ac devotione præditus, templa omnia cum suis adiacentibus spatiis Ecclesiis contulit, simulque eorum simulacra confringendi potestatem dedit. Quid memorem Valentinianum iuniorem? ad quem cum propter recuperanda templorum iura, et sacerdotiorum profana privilegia cultusque sacrorum suos misisset Roma legatos, universis qui in consistorio aderant, Christianis pariter atque Gentilibus reddenda esse censentibus; solus ille velut Daniel excitato in se fidei spiritu, Christianos quidem perfidiæ arguebat, Gentibus vero regerebat, quod pius frater eripuisset, hoc a se reddi non posse, cum in eo religio læderetur et frater. Postulet, inquit, parens Roma alia quæcumque desiderat, debeo affectum parenti, sed magis obsequium Deo parentis auctori.

Sion, id est specula, titulus siccitas.

Et vocabunt te Civitatem Domini, Sion sancti Israel.) Nota: *Sion* hebraice significat primo, speculam. Sion ergo est Ecclesia, quia eius typus erat Sion, urbs nova Davidis; et quia speculatur et ambit bona cælestia et æterna. Ita S. August. lib. 17. Civit. 16. Rursum sicut Sion est mons altus et specularis; sic Ecclesia cum sit in terris, mente tamen habitat in cælis, et cum Deo eiusque Sanctis et Angelis conversatur. Secundo, *Sion* hebraice significat titulum: talis autem est Ecclesia, quæ vexillum crucis gestat pro titulo triumphi. Ita Origenes in c. 16. Matth. Tertio, *Sion* significare potest siccitatem: talis est Ecclesia, quæ coaluit ex arido populo Gentium, qui expers erat pluviæ cælestis, quique iam conversus consumptis carnalibus passionibus et vitiis per ignem Spiritus sancti ætherea sapit, non quæ super terram: unde vocatur civitas non hominis, non regis, sed Dei. Ita Leo Castrius.

Vers 15. Pro eo quod fuisti (o Ierusalem, o Ecclesia) derelicta, contempta, despecta, et a Gentibus mille persecutiones passa, ut vix essent qui per te transirent.) Id est, qui ad te accedere, tibi aggregari auderent, timentes vel probra et sannas, vel pœnas et cædes Gentilium. Loquitur de tempore Synagogæ ante Christum, uti dixi v. 10. Ita S. Hieronymus, Forerius et alii. Possunt tamen hæc quoque accipi de primitivæ Christi Ecclesiæ abiectione et afflictione, præsertim a Iudæis ante dispersionem Apostolorum, Actor. 2. 3. 4. et seq. Ita Sanchez.

Ponam te in superbiam sæculorum.) Ponam te in magnificentiam omnibus sæculis, cui nihil simile visum fuerit ullo sæculo. Nomen enim magnificum Ecclesiæ fuit et est, quod Roma orbis caput ei sponte caput subdiderit, quodque Romani Imperatores, ut Constantinus et alii,

A gloriosius sibi duxerint se esse filios et subditos Ecclesiæ, quam dominari toti orbi. Sic *superbia* pro magnificentia, reque eximia et magnifica sumitur Proverb. 8. 18. Isaiæ 61. 6. et sæpe apud profanos. Nota congruam mercedem: contemptui enim Ecclesiæ rependitur superbia sæculorum, odio et derelictioni eiusdem rependitur gaudium generationum omnium, ut scilicet omnes generationes et sæcula gaudeant sic esse in Ecclesia, eiusque bonis frui, perinde ac si cælo fruerentur, uti inchoate fruuntur.

Pro *superbiam sæculorum,* hebr. est גאון עולם *gheon olam*, quod Septuag. vertunt, *exsultationem æternam;* Vatabl. *claritatem perpetuam;* alii, *magnificentiam perpetuam;* alii, *gloriam sæculi.*

Exempla Constantini.

Vide hic, quam Deus suos fideles et cultores atque Ecclesiæ filios extollat. Constantinus, qui primus publice ex Imperatoribus Ecclesiam defendit, eo fere modo Maxentium vicit, quo Moses Pharaonem. Audi S. Augustinum: *Constantinum Imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum Deum verum colentem, tantis terrenis implevit* B *Deus muneribus, quanta optare nullus auderet: universum orbem Romanum unus Augustus tenuit et defendit, in administrandis et gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandævus ægritudine et senectute defunctus est, filios imperantes reliquit.* Ita ipse lib. 5. de Civit. Dei c. 25. et Eusebius l. 9. hist. c. 9.

Theodosii senioris.

Theodosius Senior eo quod vere pius et Catholicus esset, adeo ei omnia prospere successerunt, ut in præliis hostium tela in auctores, Deo agente, retorquerentur: ipse in bona pace Deo animam reddidit. Ita D. Augustinus lib. 5. de Civitate Dei cap. 26.

Honorii.

De Honorio, etiam plane Catholico, et Romano Pontifici addictissimo, ut patet ex eius epistolis ad Bonifacium Papam, scribit idem August. ibid. cap. 23. ita Deum pro illo pugnasse, ut uno prælio multo amplius quam centum millia Gothorum prosternerentur, et rex ipse Radagaisus cum filiis caperetur et occideretur, ex Romanis ne uno C quidem vulnerato, nedum exstincto.

Theodosii iunioris.

Socrates lib. 7. histor. 18. scribit de Theodosio Iuniore Theodosii Magni nepote, eiusque germana sorore Pulcheria admirabili pudicitia virgine, quod Orientis Imperium multos annos tenuerint, tanta felicitate, ut cum illorum pietate Dei liberalitas certare videretur. Frequenter enim a copioso hostium exercitu undique circumsessis, et tanta contentione oppressis, ut ad resistendum neque consilio locus, neque totius Imperii vires satis esse viderentur: Deus (cuius omnia sunt imperia, et quo defendente nitebantur) supra fidem adfuit, et exercitu eius pugnante cum Barbaris, et ipso interim in urbe precibus apud Deum vacante, circiter centum millia Saracenorum ab Angelis acta in Euphratem miserrime perierunt, et ad miraculum infestæ hostium acies confusæ perturbatæque fuerunt, ac profligatæ.

Iustiniani.

Iustinianus Senior, quamdiu Catholicus fuit, feliciter imperavit, ita ut Italiam, Africam, aliasque multas pro- D vincias Romano Imperio restituerit. At ubi hæreticus factus est, et edictum proponi voluit de sua hæresi recipienda, mox repentina morte sublatus est, et Ecclesiam magno metu liberavit. Ita Evagrius lib. 4. c. 16. et seq. et cap. ult.

Heraclii.

Heraclius quoque dum Catholicus esset, præclarissimam victoriam de Persis reportavit, et crucem Domini recepit, quando res Romanæ desperatæ omnino videbantur. At cum in hæresim incidit Monothelitarum, omnia illi infeliciter successerunt, et ipse novo atque inaudito morbi genere exstinctus est. Ita Zonaras tom. 3. Annal. Byzantinorum.

Godefridi Bullonii.

Tempore Urbani II. ad annum Domini 1098. Christiani in bello sacro, a Papa indicto pro recuperatione Hierosolymæ, cum essent Antiochiæ in summa desperatione, eo quod prope adesset infinitus exercitus Turcarum; et ipsi pauci essent, ac diuturna fame prope enecti, ita ut etiam viri fortissimi baculis innixi incederent, neque equos haberent nisi paucissimos, quin et præcipuus copiarum dux

Godefridus Bullonius equo commodato uteretur, et multi principes in asinis equitare cogerentur; taudem Deus revelavit, ubi esset lancea, qua Christi latus perforatum est in cruce, eaque prælata in bello miram victoriam dedit, ita ut occiderint centum millia Turcarum. Cecidit etiam ros divinitus in illos, qui animis et corporibus vires addidit: deinde apparuerunt pro illis tres viri sancti de cælo pugnantes. Ita Paulus Æmilius l. 4. histor. Francor. Guliel. Tyrius l. 6. sub fin. Dodechinus Mariani Scoti continuator, et alii.

Vers. 16. SUGES LAC GENTIUM.) Id est, ut Chald. *satiaberis divitiis populorum.* Lac enim significat quidquid pingue, dulce, bonum, sapidum est et gratum.

ET MAMILLA REGUM LACTABERIS.) Id est, ut Sept. *divitias regum comedes*, regum deliciis, opibus, ære, auro, argento affluces, ut dicitur v. 17. Reges enim et reginæ erunt nutrices et nutritii tui, o Ecclesia, uti dixit c. 49. 23. Ita Cyrillus et Procopius. Notat vox *mamilla*, reges et reginas fore quasi matres Ecclesiæ, et materno affectu liberaliter eam complexuras et alituras. Secundo, Sanchez: Lactaberis, ait, regum mamilla, id est, cibis delicatis et dulcibus, quales regiam mensam atque delicias decent: aleris ut filia regis cibo regio: reges te quasi filiam suam regiis dapibus pascent.

Nominat identidem reges et principes: quia hi plurimum Ecclesiam promovere possunt et debent. Regis enim ad exemplum totus componitur orbis. Sciant ergo reges a se pendere fidem, pietatem et sanctitatem totius regni; atque in sua manu esse totum regnum sanctum efficere, Ecclesiæ subdere, et ad salutem æternam perducere. Hoc ergo facere ne negligant, si amant suam et suorum salutem. Hanc enim ab illis reposcet Deus in magno illo decretorio mundi die.

Opes Ecclesiæ a principibus datæ toto orbe. Porro, quam prisci reges omnesque orthodoxi Ecclesiam lactaverint, liquet ex omnium gentium historiis. Sic in ipsis Ecclesiæ incunabulis Christiani omnia sua ad pedes Apostolorum offerebant. In his necesse est ut copiosæ fuerint opes: nam quomodo alioqui potuissent ab his ali tot hominum millia, quæ quotidie ad Ecclesiam se aggregabant? Sic S. Cyprian. epistol. ad Episcopos Numidiæ scribit, se ad illos mittere centum millia sestertium ad redimendos captivos. Sic S. Laurentius custodiebat thesauros Ecclesiæ, tantos, ut iis inhiaret Decius Imperator, et ad eos extorquendos Laurentium in craticula assaverit. Quis memoret quot a Carolo, Dagoberto aliisque regibus Francorum fuerint ædificatæ et dotatæ Ecclesiæ et monasteria? Sane ab iis pleræque Germaniæ ditiones monasteriis attributæ sunt. Indeque factum est, ut pleræque Germaniæ civitates prope monasteria conditæ sint. Ex epistolis S. Gregorii patet maxima illius ætate Ecclesiæ fuisse patrimonia in Africa, Campania, Neapoli, Dalmatia, Gallia, Sicilia, aliisque provinciis. Mutius Iustinopolitanus librum confecit, in quo omnia collegit quæ a principibus in Ecclesiam munera collata sunt. Reges Hispan. Alphonsus primus, Alphonsus Castus, Alphonsus Magnus, Ramirus et alii plurima ædificarunt ornaruntque templa, adeo ut Alphonsus Magnus thesaurum totum paternum in templa et pauperes erogarit, ædem S. Iacobi quadrato lapide construxerit, ac plurimis redditibus et ornamentis ditarit. In Hungaria Stephanus rex, Ladislaus et Ludovicus ita liberales fuere in Ecclesiam, ut scribat Bonfinius tertiam Hungariæ partem pertinere ad sacerdotes. In Polonia Casimirus Magnus duodecim templa ædificavit, ut ait Cromerus, monasteria sex eaque dotavit. Idem fecit in Lithuania Ladislaus Iagello. Reges Angliæ totam Angliam Romanæ Ecclesiæ tributariam fecerunt. Sane Henricus VIII. decem millia templorum et monasteriorum uno anno evertit. Æque liberales in Ecclesiam fuerunt Bohemi, Dani, Norwegi, Sveci, adeoque ut Lutherus sacrilegus hac esca usus sit ad pelliciendum ad se populi et principum animos, proponens nimirum eis Canonicorum et monachorum opes, in quas ipsi ex lutheranismo tuta conscientia involarent. Plura habet Thomas Bozius de Notis Ecclesiæ tom. 3. signo 87.

ET SCIES QUIA EGO DOMINUS, etc. FORTIS IACOB.) Qui scilicet Iacobum, id est Israelem, fortem effeci, ut luctans cum Angelo ei prævaleret, Genes. cap. 32. 28. Quo significabatur eum fratre suo Esau suisque hostibus fortiorem futurum. Sicut ergo Dominus vocatur *sanctus Israel*, sic et *fortis Iacob*, uti patet c. 49. 26. et c. 30. 29.

PRO ÆRE AFFERAM AURUM.) Faciam te locupletiorem longe quam fueras ante, adeo ut pro ære suggeram aurum. Porro hæc tum proprie accipienda sunt: exaggerat enim opes et splendorem externum Ecclesiæ, de quo dixit v. 9. et 10. Tum symbolice significant sacra et sacrificia, omnemque Dei cultum qui in Ierusalem apud Iudæos umbraticus erat, tenuis et exilis instar æris, ligni, ferri, convertendum in multo augustiorem per Christum, ut scilicet adoremus Deum in spiritu et veritate, ut ei non agnos et hircos, sed ipsummet Christum immolemus; atque non externa pietatis opera, sed internos mentis affectus per amorem et religionem ei offeramus. Vers. 17.

Alludit ad Salomonem, sub quo auri et argenti tanta fuit copia, quanta æris, ferri et lapidum, 2. Paral. 1. 15. q. d. Christus reducet opes et tempora Salomonis.

Secundo, S. Cyrill. exponit, q. d. Doctrina et fides Iudaica, tenuis et carnalis, mutabitur in sapientiam Christianam, sublimem et spiritalem, puta pro lege dabo Evangelium.

Tertio, S. Hieron. q. d. *Bruti quondam et insensibiles homines* (qui sunt quasi æs et ferrum) *per augmenta virtutum in aurum argentumque mutabuntur, ut nequaquam utilitatis dumtaxat speciem, sed pretium quoque habeant ac decorem.*

Tropol. et anagog. Galfridus, cuius verba recitat Delrio adagio 807. *Æs*, ait, *est patientia, ferrum perseverantia animi, et labor improbus vincens omnia, sicut omnia ferrum domat. Hæc igitur in omni actione viriliter agit: illa in tribulationis percussione non deficit. Lignum est fragilis et carnalis affectus; lapis est animus obduratus; argentum et aurum, divitiæ salutares quas promisit Deus diligentibus se. Non ergo daret Dominus pro ære argentum, et pro ferro aurum, nisi ante dedisset pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum; non redderet præmia pro virtutibus, nisi virtutes ante pro vitiis dedisset.*

Denique Adamus, per æs et ferrum accipit virtutes naturales Gentilium, per argentum et aurum virtutes supernaturales Christianorum, q. d. Virtutes naturales Gentilium commutabit Deus in virtutes supernaturales Christianorum, quibus ipsi sibi Dei gratiam in hac vita, et gloriam cælestem in futura conciliabunt.

ET PONAM VISITATIONEM TUAM PACEM, ET PRÆPOSITOS TUOS IUSTITIAM.) Pro *visitationem*, hebr. est פקדה *pecudda*, id est præfectura, visitatio et paterna cura pastoris sive principis: hic enim quasi pastor sæpe visitare et curare debet gregem suum. Iam *visitatio*, id est præfectura, ponitur pro ipso præfecto et principe visitante. Unde Septuag. vertunt: *Dabo principes tuos in pace*, id est pacifice regnantes, *et præpositos tuos in iustitiam.* id est iuste præsidentes et gubernantes. Ubi recte advertit S. Hier. et Leo Castrius ex S. Chrysost. Septuag. nomen Episcoporum trecentis annis ante Christum expressisse. Idem fecerunt Ps. 108. v. 8. *Et episcopatum eius accipiat alter.* Sic et Vatabl. vertit: *Præfectos tuos constituam pacem, et exactores tuos iustitiam*, id est, ait ipse pro iis qui tibi solent præfici, ut a te pecuniam et operas exigant, præficiam tibi homines æquissimos et pacis studiosissimos, ut videantur esse ipsa pax et iustitia, q. d. In Ecclesia nemo vim afferet proximo, unde sequitur: *Non audietur ultra iniquitas in terra.* Dat causas opum Ecclesiæ, nimirum pacem et iustitiam; cum enim respubl. est in pace, in eaque viget iustitia, tunc tam ipsa quam cives singuli ditantur. Episcopi nomen ante Christum prædictum.

Forerius per *præfectos*, accipit Pontifices et pastores Ecclesiasticos olim sanctissimos; per *exactores*, magistratus civiles et politicos. *Hos*, ait, *sua munia iuste, illos integre peracturos pollicetur: adimpletam promissionem felicitatemque hanc durasse non paucos annos scio;*

quid autem nostro hoc sæculo fiat, iuvat magis deflere quam describere.

Vers. 18. NON AUDIETUR ULTRA INIQUITAS, iniustitia, avaritia, rapacitas, fraudes, iniqua iudicia, etc. IN TERRA TUA: VASTITAS ET CONTRITIO, id est vastatio et confractio hostium, IN TERMINIS TUIS.) q. d. Nulla externa vis, imo portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, etsi eam vexent et affligant: quia in ea non erit iniquitas, sed sanctitas, quam Deus contra hostes tutabitur. Dices: Nonne multi iniqui, avari et rapaces sunt in Ecclesia? Sunt utique, sed ut membra arida et mortua: Propheta autem loquitur de viris verisque Ecclesiæ membris, qui veri sunt fideles, Deique filii. Vide dicta c. 52. 1.

Secundo, hæc usque ad finem capitis, non tam ad statum Ecclesiæ præsentem, quam futurum pertinent: ad illum enim assurgit et avolat. Inchoate ergo tantum et imperfecte conveniunt præsenti, plene vero et perfecte futuro. In cælo enim nulla erit iniquitas, nulla contritio, nulla violentia: sed in omnibus summa æquitas, sanctitas et charitas. Eadem enim est Ecclesia militans et triumphans; hæc enim in illa incboatur, illa in hac coronatur et consummatur. Unde Prophetæ ab una ad aliam saliunt, et mox resiliunt. Vide canon. 9.

ET OCCUPABIT SALUS MUROS TUOS, ET PORTAS TUAS LAUDATIO.) Dat causam cur in Ierusalem, id est Ecclesia, terrestri inchoate, et in cælesti perfecte, non sit futura iniquitas, nec vastitas, nec contritio, quæ ab ea tantas opes, dignitatem et splendorem auferre possint: quia scilicet ipsa habet salutem pro muris, et laudes pro portis. Alludit ad urbem in pace degentem, in qua nulli in portis sunt custodes, nulli in muris milites, nulla arma, nulli tubarum aut equorum strepitus; sed in portis choros ducunt iuvenes et puellæ. Hæc ergo notant integros fore semper Ecclesiæ muros et portas. *Muri Ecclesiæ sunt salus, portæ laus Dei.*

Salus pro victoria. Porro salus hæc, æque ut pax, non tantum liberationem ab hoste, aliisve malis; sed etiam victoriam, felicitatem, bonorumque omnium copiam significat. Sic gloriam cælestem vocamus æternam salutem. Unde Sanchez per salutem accipit triumphale canticum. Et Vatablus sic explicat, q. d. In muris tuis salus prædicabitur, non hostium adventus; et in portis tuis audietur laus Dei, non vox hostium te oppugnantium: eris in summa pace. Sic enim canticum quo Sancti victorias Christi in cælo canunt Apocal. 19. v. 1. vocatur *salus;* ubi enim Latinus interpres habet, *laus et gloria et virtus Deo nostro*, pro *laus* græce est σωτηρια, id est *salus;* et c. 7. v. 10. *Salus Deo nostro qui sedet super thronum.* Quare apud Hebræos, ut recte ait ipse, vox triumphalis plausus erat, *Osanna;* ut *Osanna filio David*, q. d. Io victor, io triumphe; vivat rex noster Messias, Davidis filius et hæres. Et Martyres salvere dicuntur: *Salvete, flores Martyrum*, ait Prudentius de Martyribus innocentibus. Et ad B. Virginem assidue clamamus: *Salve, regina;* et ad crucem, *Salve, crux pretiosa.* Sensus ergo est, q. d. Sancti, præsertim in cælo, ab omni peccato et ærumna libertatem plenam, salutem, victoriam et felicitatem possidebunt, ideoque canent iugiter carmen salutis, epinicium Deo et Christo salutis auctori.

Sculpturæ Christi et Beatorum, quæ? Hinc Septuag. et ex iis S. Hier. per *salutem* accipiunt Salvatorem Iesum Christum. Sic enim vertunt Septuag. *Vocabitur salutare muri tui, et portæ tuæ sculpturæ*, id est, ut explicat S. Hier. Iesus salvator erit murus tuus, o Ecclesia, et portæ tuæ erunt tum eius divinitas, in qua sculptura, figura et character est Patris, Hebr. 1. v. 3. tum eius clavi et passio, ait Leo Castrius. Græcum enim γλυμμα, id est, sculptura vel cælatura, significat emblema in portis aut domibus cælatum, in victoriæ similisve rei monumentum. Significat ergo Isaias, talia emblemata, et victoriæ monumenta fore in cælo, tum ipsas vulnerum cicatrices in corpore Christi; tum ipsam gloriam et triumphum Sanctorum, ipsasque cicatrices Martyrum; tum ipsum decorem, ornamenta et trophæa cælestis Ierusalem. Hoc est quod dixit c. 26. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale.* Vide ibi dicta.

A In hac vita muros nostros et portas sæpe occupat hostis, tribulatio, fames, infirmitas, morbus, ploratus, milleque similes ærumnæ: in cælo vero portas et muros occupabit ipsa salus, lætitia, felicitas, laus et iubilatio, eaque certa et constans in æternum. Unde Apollonius Tyanæus ad Nervam Imp. qui eius præsentiam et alloquium desiderabat, rescripsit: *Nos quidem, o rex, diu simul erimus, ubi neque nos aliis, neque alii nobis imperabunt;* significans utrumque cito moriturum (id quod et brevi contigit) tumque simul versaturum in campis Elysiis. Testis est Philostr. l. 8. de Vita Apollonii.

NON ERIT IBI AMPLIUS SOL, etc.) q. d. In Ierusalem, Vers. 19.
id est Ecclesia terrestri, inchoate, et in cælesti perfecte, non erunt solis et lunæ vices alternantes; sol enim et luna in terra eclipsantur, et quotidie finito die abeunt, et noctem ac tenebras post se relinquunt. Secus erit in Ecclesia: ibi enim erit perpetua lux, id est doctrina fidei, quæ numquam deficiet aut variabitur: in cælo vero erit perenne lumen gloriæ et visionis beatificæ. Per hæc enim B Deus erit eius lux et sol. Ita S. Cyrillus, Procopius, et Forerius.

Rursum in Ecclesia erit perpetua libertas, lætitia et felicitas, nullis calamitatis aut ærumnæ nebulis fuscata vel intercisa. Sicut enim sol et lux felicitatis, ita tenebræ et nox calamitatis sunt symbolum. Ita Hugo. Unde sequitur: *Et complebuntur dies luctus tui.*

Nota: hæc proprie et plane conveniunt Ierusalem cælesti: unde de ea loquens, et ad hunc Isaiæ locum alludens S. Ioannes Apocal. 21. v. 4. *Absterget*, ait, *Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt;* et inferius v. 23. *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam.* Ubi nota: *Claritas Dei*, vel est ipse Deus, qui est increata claritas, et sol cælestis Ierusalem; hic enim est sol divinitatis, ex quo lucerna humanitatis Christi lumen suum mutuatur, ut sequitur. Vel est lumen gloriæ, quod C mentes Sanctorum illuminat ad videndum Deum. Vel potius iungendo utrumque claritas Dei, est ipse Deus clarissimus, qui suam claritatem, puta lumen gloriæ, Sanctis communicat. Unde sequitur: *Et lucerna eius est agnus. Lucerna*, id est, fax, sol, vel lux oculos corporeos Sanctorum illuminans et recreans, est splendidissima et gloriosissima Christi humanitas, quæ instar solis fulgidissimi lumen per cælum empyreum diffundit: ut scilicet oculi Sanctorum per illud intuendo humanitatem gloriosam Christi aliosque Sanctos, omniaque quæ in cælo erunt, et suam claritatem, ac sensationem sensibilem, et lætitiam maximam habeant. *Claritas Dei in cælo, quæ?*

NON OCCIDET ULTRA SOL TUUS.) Puta sol divinitatis, Vers. 20.
felicitatis et visionis beatificæ, de quo iam dixi. Unde subdit: *Quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam*, q. d. Dominus instar solis et lunæ iugiter, tam die quam nocte te illuminabit. Secundo, alludit ad materialem solem et lunam, qui post diem iudicii stabiles in eodem loco consistent, nec amplius occident. Unde ex hoc loco Theologi D probant, quod in die iudicii et resurrectionis, et deinceps in æternum, cessabit cælorum motus, et consequenter tempus, quod motus cælorum est numerus et mensura: atque ita per quietem et vacationem a motu cæli acquirent statum quemdam similem Deo, qui nimirum mutationis est expers. Hoc enim verba clare significant, dum ait: *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur.* Ita docet D. Thom. et ex eo Greg. de Valentia 3. p. in fine libri.

Ad hæc nota. Sol tuus est Dominus dans lucem, respiciendo nimirum, ut supra dixit, in viis tuis, de veteri lege et de nova, viam soli ipsi præbendo in corde, quod cælum quasi refert, ut per illud ingrediens sol hic populi Christiani, tamquam per zodiacum illius cordis, numquam evasurus incedat. Cant. 5. v. 14. *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris;* alii, *sicut circulus medius in quo sunt similitudines siderum.* En ut zodiacum Deus depingit in corde Christiani. Septuag. legunt, *tabula eburnea;* Nyssenus homil. 14. in Cantic. censet alludi ad ta-

*

bulam in qua lex scripta erat. At qui hanc novam tabulam Dei lege insculptam in corde habet, tamquam sol per zodiacum Christi incedit in perpetuas æternitates. Lex enim est velut zodiacus, per quem incedit sol, id est, Christus, Christique servus, in cælo, id est, in corde iusti.

Vers. 21. Populus autem tuus omnes iusti.) In cælo enim omnes erunt sancti. In Ecclesia multi sunt peccatores: omnes tamen vocantur sancti et iusti; quia in baptismo sanctificati sunt, et quia vocati sunt ad sanctitatem, eiusque professionem faciunt. Hinc enim S. Paulus initio epistolarum omnes Christianos, Romanos, Corinthios, etc. vocat sanctos. Addit Forer. In Ecclesia, ait, primitiva omnes, id est, plurimi et plerique omnes, erant sancti.

In perpetuum hæreditabunt terram.) q. d. Nemo eos expellere poterit ab Ecclesia, nisi ipsi sponte ad infidelium castra transfugiant. Ita Forerius. Esto enim vis corpori a tyrannis afferatur, animo tamen afferri nequit. Secundo, melius et plenius, Beati in æternum hæreditabunt terram viventium in cælis. Causam dat dum subdit:

Germen plantationis meæ.) q. d. Sancti præsertim Beati, hæreditabunt semper terram, sive paradisum cælestem: quia ipsi sunt germen in eo a Deo plantatum in tempore, et prædestinatum ab æterno. Nemo autem evellere potest quod Deus plantavit, aut evertere quod ipse decrevit et prædestinavit. Unde Septuag. vertunt, *custodiens plantationem*, scilicet suam hanc Sanctorum, est Deus.

Simili modo iusti in terra erunt germen plantationis Dei, quia producent fructus bonorum operum: unde homines cognoscent illos a Deo plantatos, imo iis ipsi testabuntur se esse Dei plantationem, ut per eos Deus honoretur. Ita Vatablus. Huc allusit Apostolus 1. Cor. 3. 9. dicens: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.*

Opus manus meæ ad glorificandum.) Est appositio. Iusti enim ut vocantur *germen plantationis Dei*, id est germina gloriæ cælestis, æque ac gratiæ terrestris: ita vocantur et *opus manus* eius idque *ad glorificandum*, ut scilicet Deus eos glorificet et beet, in cælo; vel potius, ut Deus in eis glorificetur et celebretur. Ita S. Hieronymus.

Vers. 22. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam.) Hoc est, ut Pagninus vertit, *parva familia* (Ecclesiæ) *erit in mille;* et Vatablus, *parvus sobolescet in mille,* q. d. Surculus parvus Ecclesiæ plurimos alios germinabit et producet, sicut unum granum seminatum germinat et producit multa: hoc est, Ecclesia multis magnis strenuisque fidelibus augebitur. Ita S. Andreas millia Achæorum, S. Thomas millia Indorum, S. Ioannes millia Asianorum, S. Bartholomæus millia Armeniorum, SS. Petrus et Paulus quasi totum orbem fidelium procrearunt. Ita S. Antonius, Basilius, Benedictus, Bernardus, ac præsertim S. Franciscus, millena millia Religiosorum progenuerunt. Hæc enim primario spectant ad Ecclesiam militantem: ad eam enim redit, puta ad id quod dixit v. 15. *Ponam te in superbiam sæculorum.* Duobus enim ipsa incommodis initio laborabat. Prius erat, eius paucitas: huic medetur, promittens ei sobolem multam. Secundum, eius infirmitas, ut ab omnibus calcaretur; huic medetur, promittens ei sobolem fortissimam, ut sit hostibus terrori, quasi castrorum acies ordinata. Ita S. Hieronymus et Cyrillus. Minimus in mille, quomodo?

Secundo tamen, hæc apte etiam conveniunt Ecclesiæ triumphanti. *Beati enim*, ait S. Hieron. *plantati in domo Domini, in atriis eius efflorescent. Tunc qui parvulus fuerit, erit in mille, audiens a Domino: Esto habens potestatem super quinque vel decem civitates, ita ut appelletur* χιλίαρχος. *Et qui cum Apostolo dixerat, Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, princeps erit magnæ gentis in cælestibus, quando tempore constituto miserit Dominus Angelos suos, et congregaverint ad eum omnes sanctos.* Sic S. Amandus apparuit S. Aldegundi gloriosus, et stipatus magno agmine Sanctorum, quos ipse eum viveret converterat, qui in cælis eum colebant et respiciebant ut patrem.

Ego Dominus in tempore eius (ei scilicet Ecclesiæ a me constituto) subito faciam istud.) Hebr. *festinare faciam* vel *accelerabo illud.* Ita Vatablus, q. d. Brevi hæc Ecclesiæ præstabo, simulque faciam, ut, cum cœperint, brevi tempore compleantur: nam post 700. annos cœpit Ecclesia Christi, et mox ut cœpit, paucorum annorum spatio totum orbem obtinuit, ipsaque ad ingentem gloriam, sobolem et fortitudinem pervenit. Hoc præstitit ei hæc promissio divina, quæ uti efficax est, ita est et celer in operando et præstando id quod promisit.

CAPUT SEXAGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christus asserit se unctum Spiritu sancto, ut consoletur et liberet afflictos et lugentes in Sion. Deinde v. 6. asseverat, quod Apostoli, similesque sacerdotes Domini fortitudinem Gentium possidebunt, eruntque semen cui benedixit Dominus. Denique v. 10. ipsa Sion, id est, Ecclesiam, de hoc salutis a Christo acceptæ, et desponsationis suæ beneficio gaudens et gratulans iubilat, Deoque gratias agit.

1. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut me-
derer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem: 2 Ut prædicarem
annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes: 3. Ut ponerem
lugentibus Sion: et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris:
et vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. 4. Et ædificabunt deserta a sæculo, et
ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem et generationem. 5. Et
stabunt alieni, et pascent pecora vestra: et filii peregrinorum agricolæ et vinitores vestri erunt. 6. Vos autem
sacerdotes Domini vocabimini: ministri Dei nostri, dicetur vobis: fortitudinem gentium comedetis, et in gloria
earum superbietis. 7. Pro confusione vestra duplici et rubore, laudabunt partem suam: propter hoc in terra sua
duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. 8. Quia ego Dominus diligens iudicium, et odio habens rapinam
in holocausto: et dabo opus eorum in veritate, et fœdus perpetuum feriam eis. 9. Et scient in gentibus semen eo-
rum, et germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui
benedixit Dominus. 10. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vesti-
mentis salutis: et indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam orna-
tam monilibus suis. 11. Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat; sic Do-
minus Deus germinabit iustitiam et laudem coram universis gentibus.

Vers. 1. SPIRITUS DOMINI SUPER ME.) Descripsit cap. præced. Propheta miram Ecclesiæ Gentium ad Christum conversionem, desponsationem, confluentiam et lætitiam; nunc eius causam adfert, nimirum, eius sponsum Christum Dominum, qui hanc conversionem et desponsationem facturus est. Eum ergo hic loquentem inducit, ac rationem reddentem suæ legationis et missionis in mundum, nimirum quod iunctus et inauguratus sit rex Sionis et Ecclesiæ, ad hoc, ut Sionidas omnes afflictos curet et recreet.

Quare, quod S. Thomas et aliqui alii censent, loqui hic Isaiam, dicereque se esse missum ad Iudæos, ut eis annuntiet liberationem e captivitate Babylonica; Isaiam autem typum esse Christi, qui homines a peccato et inferno liberavit; non videtur verum. Nam Christus hunc locum de se explicat Luc. 4. 18. legens enim in Synagoga coram Iudæis et Rabbinis hunc Isaiæ locum dixit: *Hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris;* quia scilicet, ego Christus, ille sum de quo loquitur Isaias: *Super me* enim, id est, super mea humanitate, requievit Spiritus Domini. Nam qua Deus sum, uti deitatem, ita spiritum communem et essentialem eumdem habeo cum Patre et Spiritu sancto. Porro invisibiliter Spiritus sanctus descendit et fuit super Christo a primo instanti conceptionis eius, visibiliter vero in eum descendit in eius baptismo; unde mox post baptismum, ieiunium et tentationem, venit in Synagogam, dixitque tunc impletum fuisse hoc Isaiæ de se oraculum. Deinde curavit infirmos, fecitque ea quæ hic ipsum facturum prædicit Isaias. Unde Patres, S. Hieron. Iren. Athanas. August. Beda, et ex iis Toletus in Luc. 4. v. 18. imo ipse S. Petrus Actor. 10. 38. asserunt hæc impleta esse in baptismo Christi, cum Spiritus sanctus descendit in specie columbæ super Christum, et audita est vox Patris: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Hoc enim signo visibili, æque ac voce, quasi exterius coram populo Christus declaratus est et consecratus doctor, Propheta, legislator et redemptor orbis, atque deputatus ad evangelizandum pauperibus; unde mox a baptismo, huius Spiritus operatio et effectus in Christo sese ostendit. Nam, ut ait S. Lucas c. 4. 1. *Iesus plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane; et agebatur a Spiritu in desertum.* Et finito ieiunio 40. dierum ac tentationibus diaboli, v. 14. *Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam. Et ipse docebat in synagogis. Et venit Nazareth in synagogam*, ubi hunc Isaiæ locum legit et explicuit, completumque esse dixit. Sensus ergo est, q. d. Spiritus Domini descendit super me, tum occulte in ortu meo, tum potius palam et publice in baptismo, cum iam incepturus essem munus a Patre mihi impositum, scilicet docendi et prædicandi, hicque Spiritus me impulit ad docendum, prædicandum et consolandum, ac curandum afflictos et lugentes in Sion, ut sequitur.

Christus invisibiliter unctus in incarnatione: visibiliter in baptismo.

EO QUOD UNXERIT DOMINUS ME) Causam dat, cur Spiritus sanctus super eum venerit, quia nimirum idem Spiritus iam ante ab eius ortu eum ad hoc munus unxerat. Ita Theoph. Maldon. Iansen. in Lucæ 4. Nota: hæc Christi unctio facta est in incarnatione, primo, per gratiam unionis hypostaticæ; secundo per gratiarum creatarum et infusarum plenitudinem, ex unione iam dicta manantem. Unde S. Petrus explicans hunc Isaiæ locum, Christique unctionem, Actor. 10. 37. ait: *Vos scitis quod factum est verbum per universam Iudæam: incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Ioannes, Iesum a Nazareth; quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute.* Christus enim accepit gratiam, non privati cuiuspiam fidelis et sancti, sed gratiam capitis, id est, gratiarum plenitudinem, quam quasi redemptor et caput Ecclesiæ in omnia sua membra transfunderet. Quocirca alii Sancti dicuntur ungi gratia et donis Spiritus sancti, Christus vero dicitur ungi ipso Spiritu sancto, et plenitudine omnium gratiarum. Ita S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 26. Atque hinc Christus hebraice *Messias*, græce *Christus*, latine *Unctus* dicitur; per hanc enim unctionem consecratus est rex, et redemptor mundi, caputque Ecclesiæ militantis et triumphantis.

Christus habuit gratiam capitis.

Inde vocatur Messias.

Nota: Pro eo quod Sept. vertunt, *cuius causa*, S. Lucas vertit, *propter quod*, quod dupliciter accipi potest. Primo, ut significet causam finalem unctionis præteritæ, q. d. Spiritus sanctus in baptismo descendit in me, meque impulit ad munus Messiæ de facto exsequendum; quia ad hoc iam ab initio unxit me et deputavit, uti iam explicui. Secundo, τὸ *propter quod*, accipi potest pro *ideo* vel *idcirco*, ut significet non causam, sed effectum descensus Spiritus sancti, q. d. Spiritus sanctus descendit in me; idcirco suis donis, quasi effectibus, unxit et replevit me. Pro quo adverte, Spiritum sanctum esse causam donorum, ac proinde iis esse priorem in genere causæ efficientis; quia ipse dona hæc causat et producit in anima Christi et Christianorum: in genere vero causæ materialis et finalis, iisdem quasi esse posteriorem. Nam materialiter, ut sic dicam, anima Christi, et cuiusque Christiani, non aliter recipit Spiritum sanctum, nisi per eius dona; unde prius quodammodo recipit dona, ac per dona ipsum Spiritum sanctum. Similiter in genere causæ finalis, Spiritus sanctus datur animæ quasi ad hunc finem, ut dona sua ei communicet; unde hæc dona in genere causæ finalis quasi priora sunt Spiritu sancto. Utrumque ergo vere dicitur, scilicet Spiritus sanctus descendit in Christum, eo quod vel quia unxit eum; nam per unctionem, perque dona descendit et illapsus est in Christum. Vice versa Spiritus sanctus descendit in Christum, ut ungeret eum, vel idcirco unxit eum sua gratia suisque donis; ipse enim est causa efficiens suorum donorum. Non est ergo hic tautologia, sed commoda reciprocatio. Recte enim ex donis Christo inhærentibus, colligitur eidem inesse Spiritus sanctus donorum auctor; et vicissim ex Spiritu sancto inhabitante Christum, recte colliguntur eidem inhærere Spiritus sancti dona et effectus.

Adde, hunc descensum Spiritus sancti in Christum maxime intelligi visibilem, qui fuit in eius baptismo, uti dixi; tuncque sensus est, q. d. Quia Christus fuit unctus gratia Spiritus sancti invisibiliter in eius incarnatione; hinc Spiritus sanctus, gratiæ auctor fuit semper cum illo; idque visibiliter ostendit in baptismo, descendens super eum corporaliter in specie columbæ; in Scriptura enim sæpe res aliqua dicitur fieri cum talis esse, vel fuisse publice ostenditur et commonstratur. Spiritus ergo sanctus dicitur descendisse in Christum in baptismo, quia descensio hæc palam ostensa fuit per columbam, cum longe ante in eum occulte descendisset per gratiam tum unionis, tum habitualem.

AD ANNUNTIANDUM MANSUETIS.) Nota: Hæc verba nectenda sunt præcedentibus, sicque hæc dispungenda sunt: *Eo quod unxerit me ad annuntiandum mansuetis, misit ut mederer contritis corde.* Ita nectunt et dispungunt Sept. Forer. Vatabl. Iansen. Maldon. et alii; significatur enim hic finis unctionis Christi, q. d. Unctus est Christus ad hoc ut annuntiaret mansuetis, id est, ut Sept. et S. Lucas, ut evangelizaret pauperibus. Ita Irenæus lib. 1. 10. Hilar. in Psal. 52. Tertull. lib. 4. contra Marcion 14. Ambros. Theoph. et Beda in Lucæ 4. Hic ergo describit Propheta munia et officia Messiæ, ad quæ ipse unctus est, et a quibus ipse vocatus est Christus; nimirum hæc sunt, evangelizare pauperibus, mederi contritis corde, captivos liberare, etc.

Messiæ Munia.

Nota primo: *Annuntiare* hic idem est quod evangelizare, id est, lætum nuntium adferre afflictis de liberatione, gratia et salute: hoc enim est Hebr. בִּשֵּׂר *bisser*, unde בשרת מתי *bisrat matai* vocatur Evangelium Matthæi.

Secundo, Hebræi *mansuetos* vocant pauperes, quia pauperies cogit eos cervicem submittere, tolerare adversa, precari, ac per omnia eos cicurat et mansuefacit.

Quæres: Qui sunt hi pauperes? Resp. Primo, S. Ambros. Origen. et Theophyl. in Lucæ 4. per pauperes accipiunt homines, præsertim Gentiles, qui ob peccata depauperati, id est gratia et salute destituti, erant; præsertim, qui se tales esse agnoscebant. His enim evangelizavit, id

Christus evangelizavit pauperibus, quibus?

est, hos consolatus est, Christus. Secundo, S. Hieronym. hic, Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 14. Euseb. libr. 3. Demonstr. 1. accipiunt pauperes spiritu; his enim Christus evangelizavit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Tertio, et planissime, pauperes proprie hic intelliguntur inopes, et ii qui tenui sunt fortuna (hos enim significat Græcum πτωχοι) quales erant Apostoli, et plebis turba, quæ Christum sequebatur, eiusque dicta et monita avide excipiebat; cum divites et potentes, uti Scribæ et Pharisæi, ea spernerent, imo iis se opponerent. Vide dicta 1. Cor. cap. 1. 26. Hoc est quod Christus Matth. 11. v. 2. discipulis S. Ioannis Baptistæ rogantibus, num ipse esset Messias, respondit, dicens inter alia: *Pauperes evangelizantur,* q. d. Ex hoc quod pauperes turbas doceo, iisque evangelizo, quasi ex certo signo quod Messiæ consignavit Isaias, colligite et scitote me esse Christum et Messiam. Causa, cur Christus pauperibus maxime evangelizaverit, fuit, quod eius prædicatio fuerit et sit de contemptu opum et mundi, de mortificatione, cruce, etc. quæ avide arripiunt pauperes, ut se in sua pauperie solentur et animent, hæc vero fugiunt et oderunt divites, qui opibus suis deliciantur et superbiunt. Ita videmus etiamnum, pauperes præ divitibus capaciores esse virtutis et sanctitatis. Unde S. Iacobus ait cap. 2. 5. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Vide hic quam dispar sit spiritus Dei a spiritu mundi, spiritus enim Dei quærit pauperes, spiritus mundi opulentos et splendidos; spiritus Christi in cruce, pauperie et tolerantia vitam et gloriam constituit, quam spiritus mundi opibus et deliciis consignat.

Ut mederer contritis corde.) *Contritis*, id est, peccatoribus ex scelerum conscientia compunctis et pœnitentibus. Ita Tertul. et Beda loco citato, ac S. Basilius in Ps. 33. et Toletus in Lucæ 4. Secundo, et melius, *contriti* hic vocantur Iudæi et Gentiles, qui onere tum peccatorum, tum legis Mosaicæ, tum infidelitatis et ignorantiæ rerum divinarum pressi ac pene oppressi, et, ut Tertull. legit, *obtriti*, afflictissimo erant corde et animo. Ita Hilar. Theodor. et Iansen. locis citatis. Hosce enim hoc onere et afflictione Christus liberavit; cum illi suam afflictionem, licet sentientes, non agnoscerent, nec medicum requirerent.

Pro *mederer*, hebr. est לחבש *lachabos*, id est, obligarem vel alligarem. Ita Symmach. et Theodot. Unde Forer. vertit: *Ut inducerem super alligationes contritis corde;* Vatablus: *Ut obligarem vulnera corde contritorum.* Sumpta est metaphora a chirurgis qui fasciolis suis fracta et contusa alligant membra. Christus ergo non tantum fuit medicus noster, sed et chirurgus, qui manu sua contritiones, fracturas et fœda vulnera nostra tractavit, pus et saniem expressit, expurgavit, oleum et vinum quasi Samaritanus infudit, cataplasmavit et obligavit, itaque sanavit et integritati restituit. Hoc enim est Messias sive Christus, id id est, unctus et ungens; imo pungens et ungens ut sanet, *cum*, ut ait Isaias cap. 30. 26. *alligaverit Dominus vulnus populi sui.* (Christus est medicus et chirurgus.)

Et prædicarem captivis (sub potestate dæmonis et peccati) indulgentiam.) Id est, ut S. Lucas, *remissionem* et libertatem. Hebr. enim דרור *deror*, proprie libertatem significat. Alludit ad libertatem e captivitate Babylonica, datam a Cyro; hæc enim typus fuit libertatis spiritualis a Christo datæ; imo S. Thomas et Hugo ad litteram hæc de Cyro accipiunt. Verum non recte. Nam primo, Christus Lucæ 4. v. 18. ad litteram apud Iudæos explicat hæc de seipso. Secundo, quia Cyrus non restituit cæcis visum, sed Christus, de quo mox; reliqua etiam angustiora sunt, quam ut Cyro conveniant.

Et clausis, hebr. est אסורים *asurim*, id est, ligatis, vinctis, quales sunt clausi in carcere, apertionem.) Scilicet carceris. Septuag. et ex iis S. Lucas, eodem sensu vertunt: *Et cæcis visum.* Nam qui cæco carcere includuntur, in tenebris quasi cæci degunt. Ita Chald. Sanchez et alii. Melius cum Maldonato et Forer. dicas, Septuag. utpote linguæ Hebraicæ peritissimos, docte hebraismum explicare, dum pro *clausis apertionem*, vertunt, *cæcis visum*. Hebræi enim *clausos*, scilicet oculis (quomodo Poeta dixit: *Talpæ oculis capti*) vocant cæcos: unde *apertionem* vocant illuminationem et visus restitutionem; alioqui enim τo *clausis* non distingueretur a τω *captivis*, qui præcesserunt; cæcitas enim, sive ea intrinseca sit, puta in oculis; sive extrinseca, qualis est caligo et tenebræ, ligat quasi et claudit oculos. Ita enim de Ægyptiis in tenebris cæcutientibus et palpantibus ait Sapiens cap. 17. 2. *Vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti;* et v. 17. *Una enim catena tenebrarum erant omnes colligati.* Hinc et Hebræi פקחים *pikchim*, id est apertos, scilicet oculis, vocant videntes et visu pollentes: quia scilicet ex adverso אסורים *asurim*, id est, clausos, vocant cæcos. Unde et Vatablus hic æque ac Septuag. vertit, *cæcis visum*. Forte etiam LXX. pro *asurim* legerunt עורים *iverim*, id est, *cæcis*. (Clausi, id est cæci, cur?)

Nota: S. Lucas paraphrastice et plenioris explicationis et exaggerationis causa, addit: *Et dimittere confractos corde.* Hæc enim verba non sunt in Hebræo nec apud Septuag. sed in præcedentibus subintelliguntur. Nam pro eo quod habemus: *Et mederer contritis corde*, ex Hebr. vertas: *Et mederer confractis* (hoc enim est לנשברי *lenisbere*) *corde.* Confractos ergo corde S. Lucas vocat eos quos paulo ante vocavit contritos, scilicet eos qui carcere ac servitute diaboli ac peccati obstricti, et quasi obtriti erant, quos Christus missos et liberos fecit, tum spiritualiter, tum corporaliter, cum scilicet infirmos et dæmoniacos misere a dæmone agitatos et quassatos ac confractos curavit ac liberavit.

Aliter Forer. Censet enim hæc verba addita textui ex margine, uti in versione Sept. multa legimus ex margine textui assuta. Videtur enim hæc fuisse altera eiusdem membri versio.

Ut prædicarem annum placabilem Domino.) Hebr. שנת רצון *scenat ratson*, id est, annum divinæ benevolentiæ, placationis, propensæ in homines voluntatis et liberalitatis, qualis erat annus iubilæi, in quo omnes servi fiebant liberi, omniaque debita et onera condonabantur. Notat ergo hic annum iubilæum; hic enim typus erat huius annis Christiani, puta temporis Evangelici, cuius præco fuit Christus. Quocirca ex hoc Isaiæ loco quidam apud Irenæum libr. 2. v. 28. putarunt Christum per unum annum tantum prædicasse, quem errorem ibidem refellit Irenæus. Totum ergo tempus prædicationis Christi, et deinceps totum tempus legis novæ, fidelibus Christo obedientibus, et eius liberalitatem acceptantibus, fuit et est annus iubilæus, id est, annus misericordiæ et remissionis, reconciliationis, pacis, salutis, liberalitatis, gaudii ac iubili; in quo post longam Dei in homines iram, restituimur in eius gratiam, acceptationem (unde Lucas ex Septuag. vertit: *Annum acceptum,* scilicet Deo et hominibus gratissimum ac iucundissimum) benevolentiam, hæreditatem, gloriam, omniaque bona pristina quæ habuimus in paradiso et statu innocentiæ. Vide ea quæ de Iubilæo dixi Levit. 25. Huc alludit S. Paulus 2. Cor. 6. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* (Vers. 2.) (Tempus legis novæ est iubilæum perennæ.)

Discant hic a Christo principes et Prælati, quam eos deceat comitas et miseratio. Vere Seneca in Octav. (Principes decet comitas et miseratio.)

Pulchrum eminere est inter illustres viros,
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hac cælum via.

Et Cicero orat. pro Ligario: *Nec ulla re propius homines ad Deum accedunt, quam salute hominibus danda.* Et Tacit. lib. 11. Annal. *Princeps amorem apud populares, metum apud hostes quærat.* Et Homer. Odyssea β de vero principe: *Mitis erat patris instar.* Et Sallust. ad Cæsar. *Qui benignitate ac clementia imperium temperavere, his candida et læta fuere omnia, etiam hostes æquiores quam aliis cives.* Et ut Bias, qui talis est, *timent subditi non illum, sed pro illo.*

Et diem ultionis Deo nostro.) Hic annus et tempus Evangelicum Christianis est annus iubilæus; hostibus vero Christi est annus et dies ultionis, quo scilicet Deus ultus est genus humanum de inimicis suis, puta dæmonibus, illos ab hominibus expellendo eosque de suo imperio et tyrannide deturbando. Ita Cyrillus, Adam. Forer. et alii. S. Hieron. vero et Euseb. l. 9. Demonst. 13. hæc quoque referunt ad ultionem, quam Deus de Christi hostibus sumpsit per Titum et Romanos. Alludit ad annum libertatis Iudæorum e Babylonica captivitate; idem enim annus fuit ultionis Chaldæorum, quo scilicet Babylon et regnum Chaldæorum eversa sunt a Cyro.

Porro hæc ultio cœpta est in hac vita tempore Christi, sed perficietur in die iudicii, tunc enim Deus omnes dæmones et reprobos pedibus Christi subiiciet eosque deiiciet in tartara. Unde ad diem iudicii hæc referunt Cyril. hic et Beda, ac Tolet. in Lucæ 4.

Denique pro *diem ultionis*, Septuag. et Lucas vertunt, *diem retributionis*, quo scilicet inimicis retribuet, id quod merentur, eorumque iniurias et clades in ipsorummet caput retorquebit; *retributionis* ergo idem est quod *ultionis*. Quare non recte aliqui τὸ *retributionis* exponunt *compensationis*, qua scilicet Deus hominibus, pro malis quæ passi sunt, in compensationem dedit pacem, libertatem, aliaque legis novæ dona et charismata.

Alludit in Hebræo eleganter נקם *nakum*, id est, ultio, ad נחם *nacham*, id est consolatus est de quo supra, q. d. Hic annus fidelibus erit *nechama*, id est consolatio; infidelibus vero erit *nekama*, id est ultio.

Ut consolarer omnes lugentes.) Hoc præstitit Christus pertransiens benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, dicensque: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. c. 11.

Vers. 3. Ut ponerem lugentibus Sion.) Quid? multi codices legunt *fortitudinem;* sed recte hanc vocem delent Romani, nec enim est in Hebræo, Græco, Chaldæo. Respondeo ergo, *ut ponerem*, scilicet *coronam pro cinere*, *etc.* ut sequitur; *ponerem* ergo, id est, reponerem et rependerem lugentibus, iusta et æqua mensura, pro luctu gaudium, pro gemitu laudem.

Et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.) In Hebræo est elegans paronomasia: *Et darem eis* פאר *peer pro* אפר *epher*, hoc est, cidarim pro cinere, q. d. Quam facili transpositione litterarum ex *epher* fit *peer*, tam facile est Deo cinerem in cidarim, luctum in lusum, rictum in risum et gaudium convertere. Solebant Hebræi in luctu cinere caput aspergere; in lætitia, ut in nuptiis, festis et triumphis, coronas capiti imponere: similiter tunc gaudentes solebant se ungere oleo, ex rebus odoriferis composito, quod proinde vocatur *oleum*, hoc est unguentum, *gaudii*. Tertio, promittit *pallium laudis*, id est, festivum, decorum et pretiosum (dicitur *laudis*, quia festivis diebus induebatur ad laudandum Deum, eique gratias agendum pro victoria, aliove beneficio adepto) pro *spiritu mœroris*, id est, pallio mœroris, sive veste atra et lugubri, qua animi et spiritus mœrorem testabantur. Sic Iosepho patriarchæ pro veste sordida carceris, data est stola byssina, torques aurea, et annulus a Pharaone Genes. 41. v. 42. Per has tres antitheses idem significat; nimirum commutationem mœroris in gaudium, et abiectionis in gloriam: quam facile quisque in se deprehendet et cernet, si aspiciat qualis quamque spiritu obtenebrato, perturbato et anxio fuerit, cum in peccatis viveret: et qualis sit post conversionem per gratiam Christi, cum iam quasi per angelis, coram Deo ambulans spirituali lætitia exsultat, spe gaudet, in tribulationibus gratias agit, in pœnitentia suaves consolationis emittit lacrymas: quia pro luctu et lacrymis exspectat lætitiam sempiternam, et stolam immortalitatis ac gloriæ cælestis, in qua hæc perfectissime complebuntur. Ita Rupert. Forerius, Sanchez et alii. Aliter Procop. Hieron. et Cyrillus; ipsi enim hæc referunt ad luctum Apostolorum de infidelitate Iudæorum, qui versus est in gaudium per conversionem Gentium.

Pallium laudis quod. 1.

A Nota: Per *oleum*, id est, unguentum, recte significatur consolatio et lætitia; quia hæc ita animum allicit, sicut unguentum bene olens et refrigerans corpus. Ita Vatabl.

Rursum, *pallium laudis* potest accipi, q. d. Laus ipsa erit pallium, vel instar pallii cinget, obruet et operiet illos. Ita Vatabl. Sic enim c. 59. v. 17. *pallium zeli* vocatur ipse zelus instar pallii Deum obtegens; et *galea salutis* vocatur ipsa salus, instar galeæ caput eius circumdans. II.

Symbolice Nota, Christianos olim abstinuisse a coronis, nec eas gestasse. Primo, quia Gentiles idola coronabant; hinc ne viderentur Gentilium ritum recipere, coronas vitabant; secundo, quia in hac vita est tempus cineris, pœnitentiæ et luctus; tertio, quia Christus coronatus fuit corona spinea; quarto, quia corona in cælis nobis dabitur post crucem, postque victoriam et triumphum; sic enim Christum *favos post fella gustavit*. Scripsit hac de re Tertul. lib. de Corona militis. Cum enim milites a Severo Imper. donativum acciperent, miles Christianus tribunum accedens, qui donativum singulis ex ordine erogabat, lauream castrensem manu gestabat, quam cæteri in capite. Causam expostulatus, cum Christianum se esse respondisset, et non licere sibi coronatum incedere, russatus suo sanguine in carcerem rapitur: de quo cum variæ essent sententiæ, Tertull. scripsit hunc librum, quo factum dictumque eius defendit. Unde cap. 7. coronas ab idolis et idololatris esse inventas, et in usum deductas, ita per exempla commonstrat: Pandoræ caput coronatum fuit a Charitibus; Saturnus ante omnes coronatus, Iupiter post devictos Titanas; Priapo tæniæ, Ariadnæ sertum ex auro et Indicis gemmis adscribitur; Iuno vite coronata; Hercules populum capite præfert, oleastrum, aut apium; Apollo interfecto Delphico dracone lauream induit; Liber nunc hæredatus scribitur, nunc princeps coronæ aureæ in qua ex Indis triumphavit; Isis repertas spicas capite circumtulit. Ac tandem librum concludens: *Serva*, ait, *Deo rem intaminatam; ille eam coronabit. Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ. Esto et tu fidelis ad mortem; decerta et tu bonum agonem, cuius coronam et Apostolus sibi repositam merito confidit. Accipit et Angelus victoriæ coronam præcedens in candido equo ut vinceret, et alius iridis ambitu ornatur cælesti. Porro sedent et presbyteri coronati, eodemque auro et ipse Filius hominis micat. Si tales imagines in visione, quales veritates in repræsentatione? illas aspice, illas odorare. Quid caput strophiolo aut dracontario damnas diademati destinatum? Nam et reges nos Deo et Patri suo fecit Christus Iesus.*

Christiani olim abstinebant a coronis, ob quatuor causas.

Tropol. hæc et sequentia hoc capite et sequent. facile est adaptare animæ peccatrici et pœnitenti, cuius conversionem, gaudia, decus et felicitatem graphice hic depingit Propheta.

Et vocabuntur in ea (Sion, id est, Ecclesia) fortes iustitiæ.) Hoc est, potentes et eximii in iustitia, præsertim eius præpositi et principes, puta Apostoli; hi enim suis concionibus ita gloriose et potenter celebrabunt Deum, ut eius fidem et iustitiam toto mundo propagent, in eaque desertas a sæculo civitates Gentium ædificent. Tales fortes iustitiæ iactitant Gentiles. Primo, Aristidem, cognomento iustum, qui abhorruit ab omni factione et amicitia, ideo, ne adigeretur ad aliquid faciendum, quod iustum non esset; aut cogeretur abstinere ab eo, quod iudicasset reipublicæ conducere, inquit Plutarch. in Apophtheg. Grecor.

Fortes iustitiæ, qui?

Secundo, Pompeium, qui Phraati Parthorum regi per legatos postulanti, Euphratem Romanæ ditionis terminum esse vellet, respondit: *Imo illud magis postulandum, ut Romanorum fines a Parthorum regno iustitia dirimat.* Ita Plutarch. in Roman. Apophth.

Tertio, Traianum Imper. qui strictum ensem publice tradidit præfecto Urbis, dicens: *Cape ferrum hoc, et si quidem recte imperium gessero, pro me: sin aliter, contra me hoc utere.* Ita Nicephor. l. 3. histor. c. 23. Verum hi fuerunt umbræ, si cum fidelibus conferantur.

Secundo, Forer. *Fortes*, inquit, *iustitiæ* vocantur, quos iustitia habet quasi ministros, sicut potentes Davidis vo-

cantur milites validi Davidis, per quos bella conficiebat: nullos enim umquam fortiores duces aut milites habuit iustitia, quam Apostolos, qui totum orbem ei subdiderunt.

Pro *fortes* hebr. est אֵלֵי *ele*, quod verti potest, *dii iustitiæ*. Apostoli enim quasi dii quidam, non tantum dæmonis imperium everterunt, sed et reges, gentes, totumque orbem sibi et Christi iustitiæ subiugarunt. Quin et Gentium inveteratos, et iniustos, impiosque mores in pios et iustos converterunt. Secundo, Vatabl. *ele*, vertit, *arbores iustitiæ*, homines scilicet, qui quasi arbores fructus bonos iustitiæ producant. Unde et Septuag. vertunt: *Generationes iustitiæ*.

Plantatio Domini ad glorificandum.) Qui prius vocati sunt *fortes iustitiæ*, hic vocantur *plantatio*, id est, plantæ, puta germina vel arbores plantatæ a Domino, ad eius gloriam ubique celebrandam. Vide dicta c. 60. v. 21. Vox *plantatio* notat eos bene radicatos, fundatos et firmatos esse. Alludit ad Exodi 15. 17. *Plantabis (eos) in monte hæreditatis tuæ*. Vide ibi dicta.

Vers. 4. Et ædificabunt deserta a sæculo.) q. d. Apostoli desertas a multis sæculis et derelictas a Deo Gentium provincias et urbes ædificabunt in cultu et religione Christi. Ita Procop. Hoc est, quod dixit c. 58. v. 12. *Ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis*. Vide ibi dicta.

Anagogice, Apostoli et fideles ædificabunt Ierusalem cælestem, per resurrectionem corporum, quæ in eam inferent; tumque omnes ruinas ex lapsu tum Angelorum, tum primi parentis ortas, restaurabunt. Ita S. Augustin. in Psal. 110. et Pals. 111.

Vers. 5. Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra.) q. d. Ex Gentibus et alienigenis ad Christum ab Apostolis conversis, eligentur Episcopi et pastores, qui pascant et excolant Ecclesiam ortam in Sion apud Iudæos, ut ex sui origine Iudæorum propria dici et vocari possit. Hos ergo ex Gentibus Episcopos vocat pastores, agricolas, vinitores Sionis, sive Iudæorum, id est Ecclesiæ, cuius primi pastores et fideles fuerunt Iudæi. Ita Procopius, Forer. Vatab. Adamus, et passim alii. Quin et S. Hieron. qui ait: *Quotus enim quisque Ecclesiarum princeps est e Iudæis, et non de alienigenis, atque externarum gentium hominibus?* Hoc est quod Iudæis prædixit Christus Matth. 21. v. 41. Deum vineam suam a Iudæis translaturum, ac traditurum aliis agricolis.

Hic sensus symbolicus videtur et mysticus. Quocirca recte Sanchez ad litteram hæc plane, ut sonant, accipit, q. d. Iudæi et Gentiles, qui vos, o Apostoli et Christiani, antea duro ministerio premebant in lapidicinis, arenariis, fodinis metallicis, agricultura, catabulis ad pascendas bestias (uti Marcellus Pont. ad eas damnatus, pædore contabuit, et exstinctus est) aliisque servilibus operibus; hi vobis subiicientur, tumque stabunt quasi ministri vestri, ut præstent vobis talem operam, qualem a vobis exigebant, ut pascant greges vestros, ut colant agros et vineas vestras. Unde subdit: *Vos vero*, o Apostoli, *Sacerdotes Domini vocabimini*, qui scilicet Deo iugiter assistatis, agrosque et vineas non per vos, sed per ministros vestros colatis, uti faciebant sacerdotes Aaronici: hi enim a populo alebantur, ut toti vacarent Deo. Idem promittit hic sacerdotibus et pastoribus legis novæ. Unde subdit: *Fortitudinem Gentium comedetis*. Et hoc est quod dixit cap. præcedenti v. 7. *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi*.

Vers. 6. Vos autem (o Apostoli, inquit S. Hier. vestrique asseclæ) Sacerdotes Domini vocabimini.) Antonomastice scilicet, quasi hierarchæ et principes sacrorum, ac mediatores inter Deum et populum. Perperam Calvin. *sacerdotes*, inquit, id est prædicatores Evangelii, qui non victimas, sed gentes Deo convertant et offerant. Negat enim ipse in lege nova esse proprie dictum sacerdotium et sacrificium. Hæc est hæresis, de qua vide Cardin. Bellarm. tractatu de Eucharistiæ sacrificio. Porro proprie dictos sacerdotes hic ab Isaia intelligi et prædici, liquet tum ex ipsa voce *sacerdos*, quæ non prædicatorem, sed

A sacrificatorem significat; tum ex eo quod subdit v. 8. *Odio habens rapinam in holocausto*. Ergo sacerdotes hic intelligit eos qui sacrificant holocausta.

Secundo, *sacerdotes*, id est intimi ac familiares, conscii que secretorum regis Christi, utpote qui cum eo toto prædicationis eius tempore versati, ea conspexeritis et audieritis; ac proinde uti in Ecclesia, ita et in cælo proxime ei assistatis quasi administri et primi in regno Christi. Sic enim filii David vocantur sacerdotes 2. Reg. 8. v. 18. id est principes aulæ Davidis; et *primi ad manum regis*, uti exponitur 1. Paral 18. 17. Sic. 2. Reg. 20. 26. cum dixisset: *Sadoc et Abiathar sacerdotes*, subdit: *Ira autem Iairites erat sacerdos David*, per quem scilicet David peculiariter sua sacrificia offerebat, uti nos dicimus. Talis est primus et intimus Sacellanus regis, eiusque confessarius. Vel ut Chaldæus et recentiores, *sacerdos*, id est princeps, vel intimus consiliarius et secretarius Davidis. Sacerdos, id est princeps.

B Fortitudinem Gentium comedetis.) Chald. *Divitias Gentium comedetis*: hisce enim ad pedes suos oblatis, ad libitum usi sunt Apostoli. Hebr. חַיִל *chel*, significat opes, robur, industriam, gloriam, uti dixi c. 60. v. 5.

Mystice, S. Hieron. *Fortitudo*, inquit, *Gentium est triumphus Martyrum;* hac enim Martyrum fortitudine mire recreati et pasti sunt Apostoli.

Et in gloria eorum superbietis.) Hoc est, eritis gloriosi, et, ut Septuag. vertunt, *eritis admirabiles*. Gentes enim suam omnem gloriam vobis consignabunt: itaque gloria eorum erit gloria vestra. Aquila vertit: *In gloria eorum purpura vestiemini*, q. d. Reges eritis, regio ornatu illustres. Ita Pontifices triplicem in capite gestant coronam, quæ proinde Romæ vulgo *regnum* vocatur.

Pro confusione vestra duplici et rubore, laudabunt partem suam.) Ita hæc nectunt biblia omnia, etiam *Romana*, S. Hieronymus, Haymo, Forer. Vatabl. Adamus et alii passim, sensumque dant, q. d. Licet duplicem, id est magnam et multiplicem, contumeliam, pro- Vers. 7.
C bra, spolia et verbera Apostoli patiantur a Iudæis; tamen ipsi sortem eorum, id est suam, suique ministerii, laudabunt, sibique gratulabuntur, Deoque gratias agent, quod quasi primogeniti Christi primitias spiritus eius et charismatum acceperint, æque ac communionem et societatem crucis; quod nimirum digni sint habiti pro nomine Iesu contumeliam pati. Est enallage Hebraica: mutatur enim secunda persona in tertiam; pro *laudabitis* enim dicitur *laudabunt*, quod frequens est Hebræis. Vide canonem 16.

Aliter hæc nectit et dispungit Sanchez, nimirum sic: *In gloria eorum superbietis pro confusione vestra duplici et rubore*. Deinde punctum. *Laudabunt*, scilicet Gentes et peregrini, *partem eorum*, id est suam, quod scilicet in societatem Ecclesiæ et Apostolorum ab eis admissi sint. Hæc dispunctio plana est, sed nova.

Propter hoc in terra sua, in Ecclesia, duplicia, id est maxima et eximia dona Spiritus sancti, possidebunt.) Sic enim *duplex* sæpe significat id quod est ma-
D gnum et multiplex, uti ostendi Ierem. 17. 18. et 1. Timoth. 5. 17. Alludit ad Elisæum, qui ab Elia rapiendo in cælum petiit: *Obsecro fiat in me spiritus tuus duplex*, ut quasi filius tuus primogenitus, duplicem spiritus tui portionem accipiam et hæreditatem; idque impetravit. Simili enim modo Apostoli, quasi primogeniti Christi, duplicem, id est eximiam, Spiritus sancti portionem præ aliis fidelibus, imo præ Patriarchis et Prophetis acceperunt.

Septuag. vertunt: *Secundo possidebunt terram*, quod S. Cyrillus et Procop. sic exponunt, q. d. Sicut Iosue primo Hebræis fidelibus divisit terram Chanaan, sic secundo Iesus eius antitypus, non tantum Chanaan, sed totum terrarum orbem credentibus distribuet.

Anagog. Beati possidebunt duplicia, id est eximiam gloriam, eamque duplicem, puta tam in corpore quam anima in cælo. Ita S. August. serm. 4. de Innocent. Greg. l. 35. Moral. 9. et Haymo: ibi enim *laudabunt partem suam, et lætitia sempiterna erit eis*, ut sequitur.

Huc allusisse videtur Christus, cum Apostolis eorumque asseclis centuplum in hac vita promisit: hæc enim sunt duplicia, id est multiplicia, Matth. 19. 29. *Omnis*, ait, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.*

Lætitia sempiterna erit eis.) Apostolorum enim lætitia hic in terra inchoabitur, et perficietur in cælo ubi durabit in æternum.

Vers. 8. Quia ego Dominus diligens iudicium, et odio habens rapinam in holocausto.) Per *rapinam* omnem dolum, fraudem, vim, iniquitatem, impietatem omniaque scelera accipe; hæc enim, æque ac bona per ea parta, displicent Deo, etiamsi in eius vertantur holocaustum. Taxat avaritiam et impietatem Pharisæorum et sacerdotum tempore Christi, qui prætextu sacrificii et oblationis Dei, expilabant viduas, orphanos et pauperes, imo iubebant filiis ut parentes debita alimonia privarent, q. d. Ego hæc præstabo Apostolis meis, quia eos pios et iustos elegi, et statui principes Ecclesiæ, pro impiis et sceleratis Pharisæis: eorum enim rapinas, et avara impiaque lucra in oblationibus et holocaustis meis exsecror et detestor; atque ut ait S. Hieron. *Illorum iustorum, licet pauperum munera plus diligo, quam munera horum divitum, quæ fiunt de rapina et iniquitate.*

Symbolice, Leo Castrius: Deus, ait, odio habet rapinam in holocaustum, id est, raptum Christi innocentis ad crucem.

Et dabo opus eorum in veritate.) Hebr. אמת *emet*, id est veritas, tum veritatem, sinceritatem, fidelitatem; tum firmitatem et constantiam significat: veritas enim firma est, semperque sibi constat. Unde primo, veritatem Apostolorum opponit rapinæ Pharisæorum, de qua præcessit, q. d. Faciam ut Apostoli non tantum exterius non dolose, non avare et rapaciter, non hypocritice, ut Pharisæi, sed interius sincere operibus vere iustis et sanctis, in spiritu et veritate me colant et honorent, ut exteriora eorum opera interioribus, et signa signatis congruant et conveniant. Ita S. Hier. Forer. Vatabl.

Rursum, q. d. Faciam ut Apostoli in opere sint veraces, id est constantes; nec a pio prædicationis incepto ullo hostium aut difficultatum metu, aut terrore desistant. Ita Forer.

Tertio, q. d. Faciam ut opus, id est fructus, æque ac merces eorum sit vera, id est firma et stabilis, ut scilicet Ecclesia, quam ipsi fundabunt, semper perduret, utque ipsi cum suis quos converterint, æterna mercede et gloria donentur. Ita Sanchez. Quocirca Leo Hebræus vertit: *Reddam opus eorum firmum;* hinc et sequitur: *Feriam eis fœdus sempiternum*, hoc est, fœdus sive testamentum novum, quod Deus cum Apostolis et Ecclesia sanxit: ex quo fit, ut nec eius fides et gratia umquam deficere, nec Deus eam deserere possit.

Vers. 9. Et scietur in Gentibus semen eorum.) q. d. Conspicuum, nobile et illustre erit etiam apud Gentiles semen et germen, id est filii spirituales, Apostolorum, puta fideles ab eis conversi: erunt enim inter Gentes, eisque prælucebunt, quasi luminaria et specula virtutum: videbunt enim eos sobrie et caste vivere, opes et honores contemnere, cælestia ambire, et in tribulatione esse patientes, cum omnibus mites et humiles, martyria constanter obire, spiritu fervere, et zelo Dei agi. Unde admirabundi dicent: *Isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Hi sunt sancti, sanctorum filii, quos Deus sua gratia et beneficentia cumulat: hi sunt Angeli in carne mortali; hi sunt filii Dei, cives sanctorum, æmuli Patriarcharum et Prophetarum. Alludit ad benedictionem Isaac datam Iacobo filio: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, Gen. 27. v. 27. fideles enim sunt filii et hæredes Abraham, Isaac et Iacob.

Vers. 10. Gaudens gaudebo in Domino.) Nota cum S. Hieron. Cyrill. Procop. Ruperto et aliis, ab hoc loco ad finem capitis esse carmen eucharisticum, et quasi chorum Eccle-A siæ iubilantis et in Deo exsultantis, eo quod ab eo maxima salute, iustitia et gratia donata sit, et circumdata undique quasi veste eaque quasi cyclade regia mire ornata et decorata sit instar sponsæ, quæ sponso regi copulatur. Vide canon. 14.

Ita Anna mater Samuelis effecta iubilat, dicens: *Exsultavit cor meum in Domino*, 1. Reg. 2. 1. Et Virgo Deipara concepto iam Verbo: *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, Lucæ 1. 47. Præclare S. Bernard. ser. de S. Magdalena: *Est gaudium*, ait, *continua sibi iucunditate firmissimum, quo animus ab huius mundi aspergine pure presseque detersus, et in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino.*

Quia induit me vestimentis salutis, hoc est salute quasi veste induit et obtexit me. Unde more rhythmi Hebraici idem repetens et explicans subdit: Et indumento iustitiæ, id est, iustitia mihi in iustificatione infusa, eiusque actibus et operibus quasi indumentis, circumdedit me.) B *Salus* ergo hæc est iustitia quæ est inchoatio salutis et via ad salutem æternam. Sic cap. 59. vers. 17. *pallium zeli* vocatur zelus, quasi pallium Deum vestiens, et hoc cap. vers. 3. *pallium laudis* vocatur ipsa laus plena et abundans. Hic sensus uti simplex et planus, ita genuinus est.

Hinc S. Hier. per *salutem* et *iustitiam* accipit salvatorem et iustificatorem nostrum: ipse enim sua salute et iustitia nos vestit. Unde huc alludens Apostolus Galat. 3. 27. ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis, qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio*, ut idem ait 1. Corinth. 1. 30.

Aliter Sanchez: Salus, inquit, idem est, quod victoria et triumphus, q. d. Induit me vestibus triumphalibus aut nuptialibus: aut salus est pax, q. d. Induit me veste tranquillitatis et pacis, puta veste, quæ tempore non belli, sed pacis indui solet: sic per *indumenta iustitiæ* intelligit C ipse ea quæ a iusto iudice Deo meritis et operibus iustitiæ iuste redduntur. Unde Septuag. pro *iustitia* vertunt, *iucunditatem et lætitiam*: iustitia enim in arcano sermone idem est quod salus. Unde Christus a Malachia c. 4. 2. vocatur *sol iustitiæ*, id est, sol salutis, sol maxime salutaris. Ps. 131. 9. *Sacerdotes tui induantur iustitiam*, hoc est, ut explicat v. 16. *Sacerdotes eius induam salutari*, puta salute et salvatore Christo.

Ecclesia est sponsa et sponsus, qua ratione?

Quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.) Comparat hic Ecclesia se, suaque decora et ornamenta ornamentis sponsi et sponsæ in nuptiis. Primo, quia utriusque ornamenta a Deo accepit, nimirum et sponsæ pulchritudinem, et sponsi prudentiam ac fortitudinem. Hac de causa comparatur non tantum soli et lunæ, sed et castrorum aciei, Cant. 6. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Nimirum luna notat Ecclesiæ D pulchritudinem, sol intelligentiam et prudentiam, acies fortitudinem.

Secundo, quia Ecclesia est sponsa respectu Christi; eadem est sponsus, respectu novarum Ecclesiarum Gentilitiarum, quas sibi copulavit, imo in Christo generavit.

Tertio, S. Hieronym. et Haymo: Sponsi, inquiunt, sunt viriles in Ecclesia et perfecti; sponsæ, debiles et imperfecti. Huc accedit Cyrill. qui censet Sanctos dici sponsos ob robur et constantiam; sponsas ob fœcunditatem, pulchritudinem, gloriam, quæ hic inchoantur, et perficientur in cælo. Unde

Quarto, vox *sponsus* denotat Apostolos et Prælatos Ecclesiæ. Sic enim Episcopi in sua consecratione donantur annulo, quasi sponsi, qui despondent sibi Ecclesiam hanc illamve; *sponsa* vocantur cæteri fideles et plebs cœtusque Christianorum: hæc enim quasi parit fideles; illi quasi sponsi eosdem procreant et generant, tum verbo Dei, tum baptismo et Sacramentis. Quocirca sponsi hi in Hebræo vocantur sacerdotes: sacerdotium enim in Ecclesia, est

summa dignitas et pulchritudo. Sic enim habent Hebræa: *Tamquam sponsum* יכהן *iccahen*, id est, *sacerdotavit* (sacerdotem fecit) *me mitra*. Ita Septuag. Vatabl. et Pagnin. Accedit et Aquila, qui vertit: *Quasi sponsus* ἱερατευμένος στεφάνῳ, id est, *sacerdotii portans coronam*. Et Chald. vertens: *Sicut sponsus qui prosperatur in thalamo suo, et sicut sacerdos magnus qui ornatur vestimentis suis*. Olim enim in lege veteri sacerdotes et pontifices erant sponsi et coniugati, ut significarent Apostolos et Episcopos legis novæ fore sponsos spirituales, id est sacerdotes et pastores Ecclesiæ. Porro alludit ad vestes et ornatum pontificis, qui mirus erat, uti et apud Christianos est, ut patet Exodi 28. Levit. 8. Quæ mystice adaptata animæ sanctæ, mirum eius decorem repræsentant.

Denique Tertull. l. 4. contra Marc. c. 11. et S. August. epist. 120. ad Honoratum, Rupert. et Origenes in c. 26. Genes. putant hoc carmen et hæc verba esse Christi, gratias agentis Patri, quod se summis gratiis et ornamentis quasi sponsum et sponsam et quasi summum sacerdotem ac pontificem exornarit. Christi enim vox fuit vers. 1. et deinceps. Dices: Quomodo ergo hæc verba competunt Ecclesiæ? Respondent iidem, Ecclesiæ quoque hæc convenire: quia Christus et Ecclesia unum sunt, unumque corpus politicum et mysticum constituunt. Unde S. Aug. in Ps. 30. *Loquitur*, ait, *in Christo Ecclesia, et in Ecclesia Christus: corpus enim in capite, et caput in corpore*. Vide can. 40. Illa enim sacerdotii corona sive mitra proprie tam Christo quam Apostolis et eorum vicariis competit. Participative vero et metaphorice omnibus fidelibus: illi enim sunt genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, offerentes Deo victimas labiorum, puta laudes ac preces; ac manuum, puta sanctas operationes et virtutes: ac cordis, puta internam devotionem, religionem et amorem.

Vis exemplum? Illustre est, quod in Vita S. Stephani primi Hungarorum regis legimus, scilicet utramque coronam, tam regni, quam beatitudinis et gloriæ cælestis, antequam nasceretur, a Deo ei decretam, et parentibus eius revelatam fuisse ac promissam. Matri enim eius gravidæ apparuit S. Stephanus Protomartyr, dicens: *Confide, mulier, in Domino, et certa esto te filium parituram, cui primo huius gentis et regnum et corona debetur. Tu vero illi nomen impones meum.* Mater ergo pariens filium vocavit eum Stephanum, id est, coronam (hæc enim græce vocatur στέφανος) qui primus creatus Hungarorum rex, gentem totam ad Christi fidem convertit. Quocirca Pontifex ei misit coronam quasi regi, et crucem quasi Apostolo, eamque quasi apostolatus insigne illi præferri mandavit. Multa ergo a suis perpessus, adeo ut quatuor Palatini in eius necem coniurarint, et triennio continuis morbis afflictus et consumptus, tandem regnum animamque suam reginæ cæli commendans, spiritum in eius manus exhalavit, anno Domini 1034. ipso festo Assumptionis eiusdem: hoc enim ipse optaverat, et precatus erat. Ab ea ergo pro corona regni terrestris, virtutum merito, coronam gloriæ et regni cælestis accepit: ideoque multis post mortem miraculis claruit, ac manus eius dextera, qua largissimas dare solebat eleemosynas, multis deinde annis illæsa et incorrupta permansit. Ita habet eius Vita, ab Episc. Chartuitio conscripta ad Colomannum, qui fuit octavus Hungariæ rex.

Vers. 11. SICUT ENIM TERRA PROFERT, etc. SIC DOMINUS GERMINABIT IUSTITIAM ET LAUDEM.) Τὸ *germinat*, significat copiam et abundantiam. Sicut enim in vere germina terram in hieme squalentem, nudam et aridam, undique operiunt et vestiunt: ita et Deus Gentes antea desertas, et nudas per Christum vestivit omni gratia et virtutibus: quæ hic vocantur *iustitia* et *laus*; quia eos laude dignos et celebres inter Gentiles efficiebant. Hi enim mirabantur suorum concivium per fidem Christi morum mutationem puta sobrietatem, castitatem, modestiam, patientiam, charitatem, devotionem, etc. In voce *hortus* alludit ad paradisum terrestrem: hic enim erat hortus Dei vernans iugiter omni fronde, flore et fructu; ex quo per Adæ peccatum expulsi sumus, sed reducti per Christum, imo ipsimet effecti paradisus. Nam v. g. S. Andreas, Thomas, Philippus, etc. erant una stirps vel arbor paradisi, quæ translata in Achaiam, Indiam, Phrygiam, etc. se proseminavit, totamque regionem paradisum virtutum, hortumque Dei effecit, germinante, id est gratiæ succum et vigorem dante, ac fœcundante Deo. Ita Forer.

Rursum in voce *laus* est metonymia, aut metalepsis: ponitur enim *laus* pro virtute quæ parit laudem. Quomodo ait Poeta: *Sunt et sua præmia laudi*, id est, virtuti laudabili.

Denique addit *coram universis gentibus*: quia laus dicta est ἀπὸ τῶν λαῶν, quod proprie laus sit gentium, puta populi, de aliquo recte et honorifice loquentis. *Laus unde dicta.*

CAPUT SEXAGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub typo Synagogæ Babylone liberatæ, et redeuntis in Ierusalem, describit redemptionem et salvationem Ecclesiæ. Unde primo, dicit se a precibus non cessaturum, donec eius salus et salvator Christus adveniat, per quem ipsa fiet corona gloriæ, et diadema regni in manu Dei. Secundo, v. 4. prædicit eam a Domino nomine novo vocandam, scilicet Voluntas mea in ea; quodque erit ei plena pax, et gaudebit super eam Deus. Tertio, v. 8. iurat Deus, quod non tradet eam amplius hostibus diripiendam: ac v. 10. iubet, ut omnibus ad eam adventantibus viam præparent, et signum elevent. Denique v. 11. Dicite, ait, filiæ Sion: Ecce salvator tuus venit, et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino.

1. PROPTER Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator eius ut lampas accendatur. 2. Et videbunt gentes iustum tuum, et cuncti reges inclytum tuum: et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. 3. Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. 4. Non vocaberis ultra Derelicta: et terra tua non vocabitur amplius Desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua Inhabitata: quia complacuit Domino in te: et terra tua inhabitabitur. 5. Habitabit enim iuvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus. 6. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, 7. Et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Ierusalem laudem in terra. 8. Iuravit Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ: Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis; et si biberint filii alieni vinum tuum, in quo la-

borasti. 9. Quia qui congregant illud, comedent, et laudabunt Dominum : et qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis. 10. Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, et elevate signum ad populos. 11. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion : Ecce salvator tuus venit : ecce merces eius cum eo, et opus eius coram illo. 12. Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino. Tu autem vocaberis: Quæsita civitas, et non derelicta.

Vers. 1. PROPTER SION NON TACEBO.) Sion et Ierusalem vocat Ecclesiam Christi in Sione ortam, uti sæpius dixi, q. d. Ne quis miretur me identidem repetere, et quasi non aliud ingeminare et canere, quam Sionis salutem: Ecce palam dico et profiteor, Sionis, utpote summe a me dilectæ, salutem ita mihi in votis esse, ut ab hoc voto meo enuntiando, et identidem repetendo apud Deum et homines non sim cessaturus quoad vivam, donec videam ipsum iustum, puta Christum iustificatorem et salvatorem, nasci et oriri instar solis orientis et splendentis; et si eo usque non vivam, uti revera non vivam, non cessabo clamare per hæc scripta mea, perque me ipsum in limbo patrum. Notent hoc Christiani, quibus tam iucundus et iugi gratiarum actione celebrandus debet esse adventus Christi et salus, quam fuit Isaiæ optabilis et in votis. Nota: τὸ *splendor* significat omne tempus ante Christum fuisse nocturnum et tenebrosum, Christique adventum ita mundo fore lucidum et lætum, ac est solis orientis post longas noctis tenebras.

Christus lampas, id est, fax orbis. ET SALVATOR EIUS UT LAMPAS ACCENDATUR.) Ut scilicet Christus quasi lampas lucens et ardens orbi præfulgeat. Idem dicit aliis verbis. Hebr. לַפִּיד *lappid*, id est lampas, etiam tædam ac facem significat: hocque aptius est; Christus enim potius fuit fax orbem illuminans, quam lampas, cuius lumen exiguum exiguo loco clauditur.

Vers. 2. ET VIDEBUNT GENTES IUSTUM TUUM.) *Et*, id est *quia*, q. d. non tacebo, sed assidue orabo, ut iustus Messias adveniat; quia certus sum eum venturum, et Gentes eum visurum. Orabo ergo ut cito veniat, utque adventus eius acceleretur.

ET VOCABITUR TIBI NOMEN NOVUM.) q. d. Hactenus vocata es Sion, id est specula futuræ felicitatis, sub Christo; et Ierusalem, id est visio pacis futuræ in Ecclesia; at iam per Christum dabo tibi nomen novum et illustre. Quæres, quodnam sit hoc nomen? Respondent primo, S. Hieron. Cyrill. Haymo, Lyran. hic, Nazianz. et Chrysost.

Nomen novum Ecclesiæ, quod? apud Leonem Castrium esse hoc: *Ecclesia Christi*, aut, ut S. Hieron. et Euseb. l. 2. Demonstr. c. 49. *Christiani et cœtus Christianorum;* cum olim populus Dei vocaretur Israel. Rursum Procopius. Promittitur, ait, Ecclesiæ, mutato nomine eam futuram coronam gloriosam. Cum ergo Christiani nominis appellatione, veluti corona redimiti simus, coronam hanc opus est fulgentibus margaritis, et ardentibus vel pyropis splendere. Unde S. Chrysost. *Nemo profecto*, ait, *Gentilis esset, si ipsi, ut oportet, Christiani esse curaremus: nemo ita esset fera bellua, ut non statim ad cultum veræ religionis accurreret, si quod nomine Christiano præferimus, re ipsa et vita præstaremus.* Nota hoc, Christiane, et, si secus faxis, pudeat te nominis tui, imo potius vitæ tuæ.

Secundo, S. Thomas et Cyrillus l. de Fide ad Theod. prope medium, censent hoc nomen novum esse nomen *Iesu*, impositum Christo Domino in circumcisione. Verum hic agitur de nomine novo Ecclesiæ, non Christi; nisi dicas hoc quoque Ecclesiæ esse nomen, ut a suo capite denominetur et vocetur *Ecclesia Iesu.*

Tertio, et genuine, hoc nomen novum est: *Voluntas mea* (Dei) *in ea.* Hoc enim exprimit Propheta v. 4.

Vers. 3. Ecclesia est corona gloriæ Dei. ET ERIS CORONA GLORIÆ IN MANU DOMINI.) Primo, Forer. Est, inquit, hebraismus: *in manu Domini,* id est in Domino, nimirum in Domini capite: aut quam ipse manu sua capiti suo imponet; corona enim capiti, non
1. manui imponitur. Secundo, S. Hieron. Cyrillus et Proco-
2. pius sic exponunt: *In manu Domini*, quam scilicet Dominus manu sua imponet capiti Christi; sicut enim filii parentum, subditi principum sunt corona et gloria: ita fi-

A deles et Ecclesia sunt corona Christi triumphatoris. Simili sensu dicitur Proverb. 17. *Corona senum filii eorum: et gloria filiorum patres eorum.* Audi S. Hieron. *Erit quasi corona decoris in manu Domini, quando eam coronaverit turba credentium: et diadema imperii, quod Martyres gemmarum suarum varietate distinxerint, fuerit in manu Dei, ut filium suum eorum coronet victoriis. Unde et Paulus loquebatur ad sanctos: Gaudium et corona mea.* Tertio, 3.
Sanchez censet *coronam* et diadema posse vocari quodvis ornamentum: unde hic sumi pro annulis aut armillis, in quibus notari solent nomina eorum aut effigies quos amamus, ut semper occursent oculis: ut idem hic dicat quod dixit c. 49. 16. *In manibus meis descripsi te.* Quar- 4.
to, *Eris corona gloriæ*, q. d. Deus tibi, utpote sponsæ suæ, erit instar coronæ, tuum caput teque totam cingens et ornans, et tu vicissim quasi sponsa eris Deo, instar coronæ eum decorans et ornans. Nam nihil aliud est esse B coronam gloriæ in manu Domini, quam esse sponsam, quam Dominus sibi, apprehensam manu, sociaverit; nam uxor est gloria viri, et vir uxoris. Unde subdit v. 5. quod Deus gaudebit super eam, sicut sponsus gaudet super sponsam.

ET DIADEMA REGNI IN MANU DEI TUI.) q. d. In Dei scuto quod manu tenet, depicta est Ierusalem, pro regis, puta Dei, insignibus et quasi trophæis cum hac inscriptione: *Rex Hierosolymorum.* Merito enim *diadema regni* vocatur ea civitas, a qua cognomen sortitur rex, cum primum coronatur. Ita S. Hieron. Prado in c. 16. Ezech. v. 11. p. 190. Verum corona hæc æque ac diadema, est regni: regalis ergo potius est, quam nuptialis.

Dico ergo, sensus planus et genuinus est hic: O Sion, o Ecclesia, *eris corona gloriæ*, id est inclyta et gloriosa, ac *diadema speciei*, id est speciosum et illustre, *in manu* C *Dei*, id est apud Deum, vel a Deo; quia Deus manu sua faciet et evehet te ad coronam regni, id est ad regnum coronatum, gloriosum et magnificum, imo faciet te regnum suum sibique proprium, ut regni tui corona, sit corona regni et regis Dei. Per Apostolos enim, perque Ecclesiam Deus totum orbem, quasi regnum suum spirituale, fidei et gratiæ, occupavit et possedit. Quanta est illorum hominum gloria, ex quibus regni sui coronam conficit Deus! corona ergo Martyrum est corona Dei; corona Apostolorum, Virginum, Doctorum, etc. est corona Dei: Coronæ Sanctorum sunt coronæ Dei.
hisce coronatur, imo coronat se Deus. Alludit in sensu allegorico ad id, quod Deus per Mosen dixit Hebræis, dans legem et iniens cum eis fœdus, Exodi 19. 6. *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale*, id est in regnum et sacerdotium, sive eritis mihi reges et sacerdotes. Idem enim et potius, hic per Isaiam dicit de Ecclesia et Christianis, scilicet id quod iisdem ait S. Petrus epist. 1. c. 2. 9. *Vos* D *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.*

Porro τὸ *in manu Dei*, multa significat, primo hoc regnum spectare ad manum, id est ad ius et partem Dei, hoc est esse divinum, non humanum imo esse ipsum Dei regnum: secundo regnum hoc Deo in pretio esse, et in deliciis; utpote rem gloriosam et speciosam quam manu tenet, et semper oculis suis obiicit, illaque eos pascit, ut capiti suo, si velit, quasi coronam regiam imponere possit; tertio regnum hoc esse opus manus Dei, atque Ecclesiam non per seipsam, sed per manum robustam Dei, evectam esse in regnum, ab eaque in illo conservari; quarto hoc regnum esse securum, foreque perpetuum; est enim in manu, id est tutela et protectione Dei, inquit S. Thomas, Adamus et Sanchez. Unde sequitur: *Non vocaberis ultra Derelicta;* et: *Super muros tuos constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.* In manu Dei quid?

Iam hoc regnum Ecclesiæ inchoatur in hac vita per gra-

*

tiam et virtutes, præsertim heroicam charitatem et fortitudinem, qua Sancti dominantur, primo, iræ, gulæ, superbiæ omnibusque vitiis et concupiscentiis; secundo, morbis, persecutionibus, tormentis, morti, martyrio; tertio, opibus, honoribus et creaturis omnibus quæ in mundo sunt; quarto, Paganis, infidelibus, hæreticis omnibusque improbis, quos sua doctrina, aut vitæ sanctitate convertunt, aut confundunt. Sic enim Apostoli et viri Apostolici regnum Christi propagarunt per totum orbem, cum eum fidei Christi subdiderunt. Perficietur vero hoc regnum in cælesti gloria; ibi enim erit Ecclesia, sive cœtus Beatorum corona gloriæ in manu Dei, hoc est Deus dabit Beatis coronam et gloriam regni et principatus cælestis; dabit eis coronas regales et sacerdotales. Hebr. enim צניף *tseniph*, id est diadema, significat cidarim et tiaram, tam Pontificis quam regis. Hoc est quod Beati in cælo aiunt Christo, Apocal. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram:* dominabimur enim toti mundo, quasi reges; et triumphabimus quasi victores: et offeremus Deo iuge thymiama laudis, quasi sacerdotes.

Hoc est ergo regnum sacerdotale, hoc diadema, hæc corona Sanctorum, pro qua nobis fortiter ad mortem usque certandum est. O si vidissemus coronas hasce cælestes, quam resisteremus concupiscentiis et peccatis! quam eas ambiremus! quot labores, quot agones pro iis exantlaremus! has iugiter habuerunt præ oculis Martyres, omnesque Sancti, earumque intuitu omnium pœnarum et tormentorum genera superarunt, imo riserunt.

S. Coronæ martyrium. In Martyrologio Rom. 15. Maii celebris extat memoria S. Stephanæ sive Coronæ, et Victoris, Martyrum in Syria, sub Antonino Imp. Dum enim Victor a Sebastiano iudice variis et horrendis afficeretur cruciatibus; Corona uxor eiusdem militis, cum cœpisset eum beatum prædicare ob martyrii constantiam, vidit duas coronas de cælo lapsas, unam Victori et alteram sibi missam; eumque hoc audientibus cunctis testaretur, diceretque iudici: *Ego vocor Stephana, cui corona in cælis reposita est*, Victor decollatus est; ipsa vero incurvatis violenter duarum erectarum arborum cacuminibus alligata, dimissis arboribus fissa et discissa, coronam cælestem quam viderat adepta est, cum sexdecim esset annorum. Hinc et Martyrum coronæ, nominatæ in Martyrologio, ut 13. Ian. ita in eo legimus: *Romæ, via Labicana coronæ sanctorum Militum quadraginta, quas sub Galieno Imp. pro confessione veræ fidei percipere meruerunt.* (Coronæ e cælo Sanctis ostensæ.)

S. Cæciliæ. Valerianus sponsus S. Cæciliæ, iam baptizatus domum rediens, invenit S. Cæciliam orantem in cubiculo, et Angelum Domini stantem prope eam, fulgentem pennis flammeis, et scintillanti specie, duas coronas habentem in manibus, rosis et liliis splendentes. Quarum unam dedit S. Cæciliæ, alteram Valeriano, dicens: *Has coronas corde immaculato et puro corpore custodite; eas enim ex paradiso Dei ad vos attuli.* Quare Valerianus virginitatem cum Cæcilia servans, operibusque sanctis se dedens, tam virginitatis coronam quam Martyrii lauream adipisci meruit.

S. Catharinæ Senensi. Ita et Christus S. Catharinæ Senensi duas coronas obtulit: unam spineam, alteram gemmeam, ut, si spineam in hac vita eligeret, in altera pro ea reciperet gemmeam: quocirca ipsa mox arripuit spineam, capitique fortiter impressit.

Quadrag. Martyribus. Quadraginta milites sub Licinio Imp. Sebaste in Armenia ab Agricolao præfecto in stagnum gelidum coniecti sunt. Mox vidit eorum custos Angelos e cælo descendentes, qui triginta novem coronas militibus distribuerent. Mirabatur ubi esset corona quadragesimi; et mox vidit eum animo deficientem e stagno exiliisse: quare ipse se in eius locum substituens in stagnum insiliit, eiusque coronam obtinuit. Ita S. Basilius hom. 20.

S. Potamienæ et Basilidi. Narrat Eusebius l. 6. hist. c. 4. et 5. S. Potamienam, illustrem virginem et martyrem, cum a Basilide satellite ad martyrium duceretur, et ab eo a petulantia populi defenderetur, promisisse se post mortem ei peculiarem gra-

A tiam a Deo pro mercede impetraturam. Ergo tertio post martyrium die noctu ei assistens, coronam capiti Basilidis imposuit, dixitque se pro eo gratiam a Domino postulasse, postulatam obtinuisse; et Dominum post breve tempus eum ad suam gloriam recepturum. Quare Basilides Christianum se professus, et baptizatus, postero die securi percussus præclara martyrii corona donatus est. Dies eius natalis Martyrologio adscriptus habetur 28. Iunii.

S. Agapeto. Merito ergo S. Agapetus Martyr, qui puer 15. annorum furori Aureliani se quasi adamantem obiecit, anno Christi 275. atque virgis, nervis, igne, fumo, aqua bulliente, aliisque gravissimis tormentis excruciatus et dilaceratus, cum in caput eius congererentur carbones ardentes, gratias agens Deo dicebat: *Parva res est, si caput coronandum in cælo, comburatur in terra; quam decorabit corona gloriæ, plagas et vulnera excepta pro Christo!* Ita habet eius vita 18. Augusti.

B SED VOCABERIS VOLUNTAS MEA IN EA.) *Vocaberis*, id est eris, ut iure ita vocari possis: hoc est ergo nomen novum quod Ecclesiæ promisit v. 2. scilicet hebr. חפצי בה *chephtsi ba*, id est *voluntas mea in ea: voluntas*, id est beneplacitum, complacentia, delectatio et deliciæ meæ, q. d. Hæc est Ecclesia mea, sponsa mea, dilecta mea, in qua complacuit animæ meæ, ut sequitur, cum ante christianismum vocaretur, et esset a me derelicta. Sic Samson poposcit a parentibus uxorem Thamnathæam: *Quia*, ait, *placuit oculis meis*, Iudic. 14. v. 3. Vers. 4.

Hæc est bona voluntas Dei erga homines, de qua Christo nato cecinerunt angeli: *Gloria in excelsis Deo, in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, quibus scilicet Deus suam bonam voluntatem, id est suam benevolentiam, pium affectum et amorem, ostendere decrevit. Ita S. Hieron. Cyrill. Procop. Forer. Adamus, Vatablus, et Sanchez.

Secundo, Haymo et Hugo sic exponunt: *Vocaberis voluntas mea:* quia semper obedies voluntati meæ eamque
C prompte exsequeris. Hic sensus sequitur ex primo. Ideo enim Deus sibi complacet in Ecclesia, quia ipsa conformat se in omnibus voluntati Dei, oratque iugiter: *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra.* Et vicissim ideo Ecclesia facit voluntatem Dei; quia Deus sibi in ea complacet, eam diligit, eique gratiam copiosam aspirat ad adimplendam legem et voluntatem Dei. Hoc est quod in novo fœdere Ecclesiæ promittit Deus Ierem. 31. v. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.*

ET TERRA TUA vocabitur, non Desolata, uti vocabatur ante christianismum, sed INHABITATA et frequens numero fidelium, puta Christianorum, hebr. est בעולה *beula*, quod Vatabl. et Pagnin. vertunt, *maritata*, quam scilicet Deus sibi maritavit. Verum sponsa maritatur, non terra. Ergo *beula* proprie vertas, *Occupata et possessa*, ut vertit Aquila; בעל *baal* enim significat rem aliquam tenere et possidere, sive ut maritus uxorem, sive ut he-
D rus servum suum, sive ut dominus terram, aliamve rem suam.

HABITABIT ENIM IUVENIS CUM VIRGINE.) Pro *habitabit* hebr. est יבעל *ibal*, id est *maritabit*, ducet, desponsabit, q. d. Terra tua erit habitata et frequens, quia potieris plena pace, in qua solent iuvenes cum virginibus contrahere connubia, qui alias tempore belli seliguntur et ducuntur ad castra, nec nuptias cogitant, sed prælia. Vers. 5.

Secundo et melius Chald. et Sept. subaudiunt more Hebræo voculam *sicut*, ex quibus sic vertas et explices, q. d. Sicut habitat iucundissime iuvenis cum virgine sua sponsa: ita pacifice et iucundissime in uno spiritu vivent fideles quivis, licet natura et moribus dissimiles, in Ecclesia.

Tertio, Lyran. et Glossa sic exponunt, q. d. Habitabit iucundissime et sanctissime iuvenis Ioseph cum coniuge sua Virgine Maria Deipara. Hic sensus est accommodatitius.

Et habitabunt in te (hebr. יבעלוך *ibaluch*, quod verti potest: *Maritabunt te*, vel *maritabuntur tibi)* filii tui.) Hoc est quod ait Psaltes: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Ex filiis enim Ecclesiæ constituti sunt præfecti et Episcopi Ecclesiæ, quasi mariti; Episcopi enim sponsam Ecclesiam sibi maritant.

Et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus.) Hoc est, ut ex Septuag. et Chaldæo S. Hieron. sicut lætatur sponsus super sponsam, sic gaudebit super te Deus tuus, et tibi maritatus magnas et clarissimas proles ex te procreabit, scilicet magnam vim et copiam SS. Martyrum, Confessorum, Virginum, etc. Ita ex S. Cyrillo Castrius.

Nota cum Forerio: Deus, qui felicissimus est et immensa maiestas, suas voluptates, gaudia et delicias in homine collocat; homines enim sibi desponsat, in illis sibi complacet, illis gaudet et fruitur, uti sponsus sponsa: quare indignum est, si homo, relicto Deo, alias in creaturis quærat delicias et amasias.

Vers. 6. Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes, tum prædicatores, Prophetas, Pastores et Prælatos, ut S. Cyrillus, S. Thom. et S. Hieron. tum SS. Angelos, qui tota die et tota nocte non tacebunt.) Id est numquam cessabunt vigilare, teque monere, ut hostium puta dæmonum, insidias, et concupiscentiarum illecebras caveas. De Angelis hoc accipiunt S. Hieronym. Hugo et S. Bernard. serm. 4. de Dedicat. Ecclesiæ. Angeli enim sunt custodes Ecclesiæ et fidelium, qui eos a periculis tuentur, docent, monent, et iugiter ad piam vitam laudesque divinas excitant.

Tacere pro quiescere. Nota. *Tacere* significat quiescere, per catachresin: quæ enim quiescunt tacent.

Qui reminiscimini Domini.) Hebraice מזכירים *mazkirim*, id est commemorantes Dominum, seu quorum officium est iugiter Deum Deique beneficia, tam sibi quam populo proponere, et in memoriam revocare, puta Pastores et Prophetæ, quos paulo ante vocavit custodes. Sic olim reges Hebræorum, Persarum, aliarumque gentium habebant suos *mazkirim*, id est admonitores, qui singula gesta et gerenda regi in mentem revocarent, quos noster Interpres vocare solet, *qui regi sunt a commentariis.* Dicit ergo: Vos, o Pastores, ne taceatis, id est ne cessetis a vigilia, ab exhortatione apud populum, et oratione apud Deum.

Vers. 7. Et ne detis silentium ei.) Scilicet Deo; hebr. enim לו *lo*, est masculinum; unde Deum respicit, non Ierusalem, q. d. Non detis quietem Deo, iugiter ad eum clamate, iugiter precibus vestris aures eius pulsate; uti ego Isaias iugiter clamo, ideoque v. 1. dixi: *Propter Sion non tacebo;* vult enim Deus sibi per preces afferri vim, et, ut ait S. Chrysost. *Vult nos rogando accipere, quod ipse impertiri desiderat.* Ita S. Hieron. *Qui custodiunt*, inquit, *muros Ecclesiæ, ne adversarius noster diabolus, qui quasi leo, rugiens circuit et quærit quomodo possit intrare, occasionem accipiat ad gregem Domini devorandum, nec diebus debent nec noctibus tacere, nec in lætis nec in tristibus, sed semper Domini clementiam exorare;* et mox: *O vos qui recordamini Domini, eiusque clementiam die ac nocte precibus fatigatis, cavete ne umquam in ore vestro sileat oratio, ne detis silentium ei* (*subauditur Domino*) *sed semper molesti sitis opportune, importune.*

Donec stabiliat, et donec ponat Ierusalem laudem in terra.) Hoc est donec mittat Messiam, qui in Ierusalem erigat et stabiliat Ecclesiam, eamque ubique propaget, ut toti orbi sit in laudem et gaudium, ut ab omnibus gentibus laudetur et celebretur.

Monet ergo hic Isaias Prophetas et Pastores populi, qui post se futuri sunt, ut iugiter orent Deum, ut cito Messiam mittat, qui Sionem restituat, Ecclesiamque instituat et illustret. Id fecisse Ieremiam, Danielem, Ezechielem aliosque Prophetas liquet ex eorum oraculis. Unde censent Doctores eos suis precibus meruisse accelerationem adventus Messiæ, et incarnationis Christi, ut dixi

Prophetæ precibus suis meruerunt accelerari adventum Messiæ.

A Daniel. 9. v. 23. ubi ad preces et desideria Danielis, dicuntur *abbreviatæ septuaginta hebdomades, ut finem accipiat peccatum, et ungatur Sanctus sanctorum*, puta Christus.

Iuravit Dominus in dextera sua, et in brachio.) Vers. 8. Hoc est per dexteram et brachium suum. Hebr. enim ב *bet*, id est *in*, est iurantis, significatque *per*. In dextera notatur fides (hæc enim datur dando dexteram) et fidelitas Dei: in brachio, fortitudo et omnipotentia. Per hæc ergo duo iurat Deus, promittitque Ecclesiæ securitatem et felicitatem. Unde sequitur:

Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis.) *Si* est vox iuramenti exsecratorii, in qua supplendum est, q. d. Si permisero te ab hostibus spoliari, non habear fidelis vel omnipotens. Alludit ad pacem Hierosolymæ post reditum ex Babylone, vel potius post Madianitas a Gedeone profligatos, Iudic. 7. Madianitæ enim segetes Iudæorum expilabant, Iudic. 6. 3. Ita S. Hieronym. Sed de ea loqui non intendit. Constat enim
B hanc pacem non fuisse perpetuam, nec diuturnam: nam non diu post a Philisthinis, Idumæis, Syris vexata, et tandem a Romanis excisa est Ierusalem. Ergo loquitur de pace et abundantia rerum in Ecclesia, eamque significat per triticum et vinum, q. d. Ante Christum, o Iudæi, o Gentiles, vestros labores, studia et opera, utpote vanitatis, concupiscentiæ et idololatriæ, rapiebant dæmones: at efficiam, ut Christus ab eorum potestate vos liberet, utque bonis vestris, id est operibus et virtutibus vestris, non dæmones, sed vos ipsi fruamini in atriis Ecclesiæ, tum terrestris, tum potius cælestis; *ut quicumque in lacrymis seminaverint, in gaudio metant: et qui messuerint, abiectisque paleis purum frumentum in horrea congregaverint, ipsi comedant labores manuum suarum, et Dominum æterna laude sustollant, et bibant vinum in atriis sanctis eius*, ait S. Hier. Hoc est quod canit Zacharias: *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui, ut de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate*
C *et iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris,* Luc. 1. 69.

Symbolice, in vocibus *triticum* et *vinum*, alludit Propheta ad Eucharistiam; huius enim species et symbola sunt panis et vinum; hæc enim non desinent in Ecclesia usque ad Antichristum, qui Eucharistiæ sacrificium tollet, ne fiat publice: nam privatim illud tollere non poterit. Hinc enim dicitur Eucharistia, quasi gratiarum actio, et laus Dei in qua omnes gentes laudant Deum. Rursum, panis et vinum Eucharistiæ anagogice significant frumentum et vinum Beatorum; hæc enim in cælo erunt nova, delicatissima et firmissima. Hoc est quod ait Christus in ultima cœna: *Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei;* et: *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*, Lucæ 22. v. 16. et 18. Ita S. Hieron. Denique, cum ait: *Bibent in atriis sanctis meis*, alludit ad decimas et hostias pacificas, quas Iudæi Deo
D offerebant in gratiarum actionem pro frugibus, aliisque beneficiis a Deo acceptis. Hasce enim post oblationem comedebant gaudentes et laudantes Deum in atrio templi, ut patet Deuteron. 14. v. 23.

In cælo ergo comedemus et bibemus panem novum, et vinum novum, præsertim quod hic in torculari mortificationis expresserimus; unde Ps. 83. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine*, inscribitur, *Pro torcularibus*, inquit Sanchez.

Transite per portas.) Adhortatur primo, Sionidas, Vers. 10. id est Apostolos, ut Sione et Ierusalem per portas celeriter et strenue exeuntes, præparent vias venturis undique Gentibus ad Sionem, id est Ecclesiam. Ait eis ergo: Planum facite iter, facite ut viæ sint faciles et amœnæ, quæ ad ambulandum per eas advenas provocent et alliciant.

Eligite (id est, ut Septuag. *Seligite et proiicite*) lapides.) Hoc est, amovete omnia viæ impedimenta, et quidquid pedes venientium offendere possit. Alii vertunt: *Sternite viam lapidibus.* Hebr. enim סקל *sakal*, aliquando significat lapides removere, aliquando lapidibus sternere.

Elevate signum ad populos.) Scilicet vexillum crucis, ad quod omnes fideles, quasi milites Christi, confluant. Ita S. Hieron. Cyrill. Procop. Forer. et alii.

Vers. 11. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ.) q. d. Ecce Dominus clanget tuba Evangelii per Apostolos, eaque insonabit toto orbe ut omnes gentes ad suum crucis vexillum convocet. Porro clangor hic est qui sequitur.

Dicite filiæ Sion: Ecce salvator tuus venit.) Iubet Deus Apostolos clangere toto orbe se edixisse: *Dicite vos*, o custodes Sionis, de quibus v. 6. *Filiæ Sion*: *Ecce salvator tuus venit*, ut per hoc Gentes excitentur, ut ad Sionem, id est Ecclesiam, accedant, cum ei soli advenerit Salvator, q. d. Prædicate ubique, o Apostoli, Sioni dictum esse, quod promissus ei Messias iam venerit. Dicite: Ecce Messias adest; ecce iste est quem digito demonstravit Ioannes Baptista, dicens: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.* Ad eum ergo properate, omnes gentes, ut Messiæ et salutis ab eo allatæ fiatis participes: *Eia, venite, ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et ambulabimus in semitis eius.*

Citat hunc locum, æque ac Zachariæ cap. 9. 9. S. Matthæus c. 21. 5. dicens: *Dicite Filiæ Sion* (hæc enim verba sunt Isaiæ, non Zachariæ) *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.*

Secundo, et aptius Forerius hæc refert ad victoriam et triumphum Christi. Prævidens enim Propheta, quod, postquam Apostoli exissent e Sion, parassent viam, prædicassent Christum salvatorem in extremis terræ; plurimi hanc eorum vocem suscepturi essent, Christoque se subdituri, exultans subiungit: *Dicite filiæ Sion*, hoc est, annuntiate Ecclesiæ primæ, in Sione et Iudæa degenti, ut congratuletur sibi et Christo: *Ecce salvator tuus venit*, q. d. Ecce Christus venit, non in carnem, sed iam devictis gentibus, quasi triumphator, adducens ad te, o Ecclesia, magnam captivorum, id est subditorum, multitudinem: sicut cum Iacob ex Mesopotamia rediret, rediit cum magna gregum, filiorum et familiæ turba, q. d. Christus abiit in regionem longinquam, difficile bellum initurus: ecce iam redit victor, secum adducit laboris sui mercedem et præmium, scilicet gentes omnes quas adducit, quæ omnes sunt populus eius sanctus, et ab eo redempti, qui te, o Ecclesia, laudibus celebrent, ut posthac dicaris civitas ab omnibus gentibus requisita et exoptata. Hic sensus optime cohæret cum c. seq. quod alioqui difficile est cum hoc capite connectere.

Porro apposite citat Matth. c. 21. 5. hæc verba: *Dicite filiæ Sion*, cum Christus quasi Messias triumphans ingressus est Ierusalem: quia tunc ipse hanc victoriam et triumphum inchoavit; certus enim de victoria sua futura per mortem et crucem, ante eam triumphare cœpit: unde turbæ ei acclamantes Osanna, erant typus et quasi primitiæ turbarum e Gentibus ei subdendarum, quas ad Ecclesiam cum triumpho erat adducturus.

Ecce merces eius cum eo, et opus eius coram illo.) Primo, *merces*, id est fructus adventus et laboris Christi, quem eo sibi meruit, non tardabit, sed est *coram eo*, id est accelerabit, estque in promptu, et quasi in manu eius, ut scilicet ipse mundum possideat. Hæc est enim merces ei promissa Ps. 2. *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Ita Forer.

Secundo, q. d. Christus in promptu habet mercedem et præmium, quod det sibi credentibus et obedientibus, tum in hac vita, præmia scilicet gratiarum; tum in futura, præmia scilicet gloriæ. Ita S. Hieron. Haymo et alii.

Tertio, q. d. Christus salvator et redemptor noster secum adfert mercedem, id est lytrum et pretium redemptionis, libertatis et salutis nostræ, scilicet sanguinem suum et vitam, quam vix conceptus statim offert Patri: statim ergo procurabit et peraget opus redemptionis et salutis nostræ, ita a se desideratum. Ita Sanchez. Hic sensus apte cohæret præcedentibus; dixit enim: *Dicite filiæ Sion: Ecce salvator tuus venit,* q. d. Age, Sion, accelera: salvatorem tuum suscipe: præsto enim in manu eius est salus et redemptio tua; et sequentibus, cum subdit: *Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino*, scilicet per hanc Christi mercedem et lytrum.

Quarto, et optime, iuxta expositionem posteriorem paragrapho præcedenti datam, merces Christi bellatoris, sunt Gentes ab eo devictæ et subactæ, quas quasi in triumphum adducit in Ecclesiam, ut ibi dixi.

Et opus eius coram illo.) Primo, Vatabl. *opus*, id est præmium operis. Idem enim est, *opus eius coram illo*, quod *merces eius cum eo*. Secundo, H. Pintus: Opus Christi, inquit, ac Dei est misericordia: hanc ergo ob oculos et in manu semper habet. Tertio, alii per *opus* accipiunt retributionem operum, tam bonorum quam malorum: hanc enim in oculis et manu sua habet Christus, ut in die iudicii iusto libramine singulis reddat præmium, vel pœnam, iuxta opera sua. Quarto, Adamus et Sanchez: Opus Christi, inquiunt, est redemptio nostra; hæc semper est cum illo: quia hanc semper spectat, huic totus intendit, hanc omnibus viribus et nervis procurat; hoc enim est proprium et adæquatum opus Redemptoris. Vide c. 40. 10. Quinto, et optime, opus Christi sunt gentes bello partæ et subactæ, ut dixi superius. Quintuplex opus Christi.

Vers. 12. Et vocabunt eos, Populus sanctus.) *Eos* scilicet populos, ad signum, ut præcessit, id est vexillum crucis Christi, in Ierusalem, id est Ecclesiam, confluentes, Christique militiæ nomen dantes, qui sunt merces et opus Christi, q. d. Omnes gentes videntes pietatem et sanctimoniam Christianorum, dicent: Hi sunt populus sanctus, hi sunt redempti a Domino, hi sunt *semen cui benedixit Dominus*, uti dixit capite præcedenti v. 9. ideoque eorum vitam sanctam ambientes, requirent eorum societatem, optabuntque Ecclesiæ ascribi: ac proinde Ecclesia vocabitur, id est erit, et iure vocari poterit, *Quæsita civitas, et non, Derelicta.* Sic Roma caput Ecclesiæ, est civitas quæsita, ad quam multi ex omnibus gentibus, pietatis et religionis ergo, confluunt. Alludit ad Ps. 106. v. 2. *Dicant* nunc *qui redempti sunt a Domino*, *quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos.*

CAPUT SEXAGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Christi victoris, et de Gentibus sibi subactis triumphantis, speciem videt et describit Propheta. Unde rogatus Christus, cur rubrum sit vestimentum eius, respondet: Calcavi hostes in furore meo, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea. Secundo, v. 7. ait Propheta, se iugiter recordaturum misericordiarum Domini, quas Israeli, hoc est fideli populo, olim per Mosen aliosque contulit: mox queritur eumdem iam ob peccata a Deo derelictum: Ubi est, inquit, qui eduxit eos de mari? Unde tertio, v. 15. rogat, ut zelum hunc et miserationes populi sui resumat: Tu enim, ait, es pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos. Miserere ergo filiorum tuorum, id est populi tui, ab hostibus afflicti et oppressi.

1. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in
multitudine fortitudinis suæ. Ego, qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum. 2. Quare
ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? 3. Torcular cal-
cavi solus, et de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et asper-
sus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. 4. Dies enim ultionis in corde
meo, annus redemptionis meæ venit. 5. Circumspexi, et non erat auxiliator: quæsivi, et non fuit qui adiuva-
ret: et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. 6. Et conculcavi populos in
furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. 7. Miserationum Domi-
ni recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum do-
mui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum sua-
rum. 8. Et dixit: Verumtamen populus meus est, filii non negantes: et factus est eis salvator. 9. In omni tri-
bulatione eorum non est tribulatus, et angelus faciei eius salvavit eos: in dilectione sua, et in indulgentia sua
ipse redemit eos, et portavit eos, et elevavit eos cunctis diebus sæculi. 10. Ipsi autem ad iracundiam provocave-
runt, et afflixerunt spiritum sancti eius: et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos. 11. Et recor-
datus est dierum sæculi Mosi, et populi sui: Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? ubi est
qui posuit in medio eius spiritum sancti sui? 12. Qui eduxit ad dexteram Mosen brachio maiestatis suæ, qui
scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum: 13. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in de-
serto non impingentem. 14. Quasi animal in campo descendens, spiritus Domini ductor eius fuit: sic adduxisti
populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ. 15. Attende de cælo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ
tuæ: ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum? super me con-
tinuerunt se. 16. Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos; tu Domine pater no-
ster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum. 17. Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis: indurasti cor
nostrum ne timeremus te? convertere propter servos tuos, tribus hereditatis tuæ. 18. Quasi nihilum possederunt
populum sanctum tuum: hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam. 19. Facti sumus quasi in principio,
cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.

Vers. 1. QUIS EST ISTE, QUI VENIT DE EDOM?) Quæritur, quis hic loquatur et interroget? Resp. ad litteram vel loqui Isaiam, ut vult Sanchez; vel potius Sionem et Hierosolymam, id est primitivæ Ecclesiæ cives. Pendent enim hæc a cap. præced. v. 11. ubi Christus victor rediens cum ingenti turba gentium, fidei suæ per Apostolos subactarum, iubet dici Sioni: *Dicite*, ait, *Sion*: *Ecce salvator tuus venit, ecce merces eius cum eo, et opus illius coram illo.* Iam ergo Propheta Christum Sioni civitati appropinquantem, cum sua Gentium turba, et triumphantem (per schema quasi in scenam) inducit. Cives itaque Sionis effusi, ut Christi sui triumphum spectent, videntesque tantam eius gloriam et Gentium turbam, admirabundi rogant: *Quis est iste, qui venit de Edom?* Quis est ille triumphator, qui Idumæos, omnesque Gentes post se, ad Sionem captivas, sed sponte et volentes trahit? non quod Christum non cognoscant, sed quod mirentur eius gloriam, præsertim in Gentium vocatione et fide. Hoc enim mysterium ignorabant etiam Apostoli, putantes solos Iudæos vocandos ad Ecclesiam, uti soli vocati fuerunt a Mose ad Synagogam, donec Petrus cælesti visione edoctus Actor. 10. intellexit Gentes quoque Christi Ecclesiæ, et salutis participes fore. Ita Forer.

Allegorice, vel potius anagogice, communiter Patres hunc locum accipiunt de triumpho Christi ascendentis in cælum, ut hic sit quasi dialogus angelorum interrogantium, et Christi respondentis, cur ita triumphans de victis Satana, morte, idololatria et peccato ascendat? Ita S. Hieron. Cyrillus, Haymo et S. Dionys. c. 7. Cælest. hierarch. Iustin. contra Tryphon. S. Aug. serm. 5. de A Ascensione, Ambr. lib. de Instit. virg. c. 5. Orig. hom. 15. in Matth. imo S. Dionysius putat hanc esse vocem et interrogationem angelorum inferiorum cupientium de tam miro Christi triumpho et ascensu edoceri a supremis.

Huc referri potest expositio S. Athanasii lib. de Salutari Christi adventu, qui putat hæc verba esse diaboli, a Christo victi et pudefacti, quasi ipse stupens ad tantam Christi gloriam, indignansque roget et dicat: *Quis est iste, qui venit de Edom?* id est de terra, et fæce hominum miserorum et peccatorum, incedens et ascendens cum tanta potentia et robore? Quare, quod aliqui, ut Hugo, ad litteram hæc accipiunt de Idumæorum et Moabitarum contra Iudæos pugnantium strage, et Dei vindicta, frigidum et Iudaicum videtur.

DE EDOM.) Per *Edom et Bosra*, quæ civitas erat in Edom, et alia eodem nomine in Moab, significantur omnes Gentes a populo Dei alienæ, imo eius hostes. Sicut enim Idumæi et Moabitæ fuerunt perpetui hostes Iudæorum, B sive populi Dei: sic Gentes fuerunt hostes Dei, Christi et Christianorum. Vide can. 22. Alludit ad etymon Edom et Bosra; *Edom* enim hebr. significat rufum, *Bosra* munitionem, tribulationem, vindemiam. Munitæ autem fuerunt Gentes; et rubræ ac cruentæ tum sanguine Christianorum, tum proprio, cum cæsæ et subactæ fuerunt a Christo, de quo v. 3. Edom et Bosra quid?

Hinc Patres per *Edom et Bosra*, intelligunt mundum, ac præsertim Iudæam incredulam, e qua victor in cælum ascendit Christus. Hæc enim cruenta fuit sanguine Christi, Prophetarum et Martyrum. Ita S. Hier. S. Thomas, Lyran. Vatabl. Adamus et alii.

Triumphus Christi ascendentis in cælum.

Sionidæ ergo, et mystice angeli, videntes Christum, quasi fortissimum bellatorem, edita tanta hostium strage, eorum sanguine vestes suas cruentasse, et quasi fœdasse; admirabundi et lætabundi rogant, quis sit ille, qui quasi miles acerrime pugnans, cruentatus sanguine hostium magis quam suo, formosus tamen et gradiens in multitudine fortitudinis suæ, ascendat in Sion, et in cælum; q. d. ait S. Hieron. *Unde carnem tuam niveam et virgineam, o Christe, o Agne immaculate, cruentasti? unde sanguine rubricasti? magis enim tibi clementia convenit, quam crudelitas; magis candor, quam cruor.*

Hinc veteres docent, idem hic ab Isaia dici, quod dicitur a Psalte Psal. 23. 9. *Attollite portas principes vestras:* quod explicans S. Aug. serm. 178. de Tempore, qui est quintus de Ascensione Domini: *Ascendebat enim,* inquit, *cruoris rubore perfusus, a trophæis victricibus laureatus. Viderunt cælites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia castris tyrannicis reportata: et admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes: Quis est, inquiunt, iste rex gloriæ? et, aiunt, Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* At quis hic? Audi Augustinum prosequentem: *Hic est ille candidus et roseus, compunctus a multitudine. Hic est ille, qui non habuit speciem neque decorem. Infirmus in laqueo, fortis in spolio; vilis in corpusculo, armatus in prælio; fœdus in morte, pulcher in resurrectione; candidus ex Virgine, rubicundus in cruce; fuscus in opprobrio, clarus in cælo.*

Tinctis vestibus (hebr. *rubricatus vestibus*, scilicet ex sanguine hostili; Septuag. ἐρύθημα ἱματίων, id est, *habens ruborem vestium;* S. Hieron. vertit *fulvis vestibus*) de Bosra.) Idem rogant aliis verbis. Idem enim est, venire de Edom, quod venire de Bosra: Bosra enim erat metropolis Idumææ, eratque in rupe, ideoque munita; unde a munitione dicta est Bosra. Significat et *vindemiam;* huc alludit hic Propheta, q. d. Venis de Bosra, id est de vindemia et torculari; habes enim vestes rubro musto, id est sanguine, tinctas. Ex *Bosra*, per metathesin, dicta est *Byrsa*, arx munita Carthaginis: Carthaginenses enim fuerunt orti a Tyriis et Phœnicibus: unde et eorum linguam, puta Syriacam, sive Hebraicam, in multis retinuerunt. Pro *Byrsa* Romani dixerunt *Burgus;* unde dicti sunt Burgundiones, eo quod in burgis, id est in arcibus, et locis contra hostium incursus munitis, habitarent.

Ex Bosra Byrsa et Burgus, unde Burgundiones.

Iste formosus in stola sua (hebraice הדור *hadur*, id est decorus in veste sua, puta in militari clamyde, aut potius paludamento regio) gradiens in multitudine fortitudinis suæ.) Hoc est, incedens gradu imperatorio, valido, potenti et magnifico, ipsoque gressu, habitu, forma et gestu præ se ferens vires validas, spiritus ingentes, animosque heroicos. Quomodo Agesilaus rex Lacedæmon. videns Epaminondam ducem Thebanorum cum sua acie generose incedentem, exclamavit: *O virum magnificum!* ait Plutarchus in Epaminonda.

Ego, qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum.) Est vox Christi, qui interrogatus, quis sit? respondet: Ego Christus sum, qui loquor iustitiam, et sum propugnator meorum fidelium. Interrogant ergo illi: Quis est iste revertens e prælio, qui tantam præ se fert maiestatem, tantam animositatem? Respondet Christus: Ego sum Messias, qui iustitiam et salutem, quam promisi, propugnando et expugnando comparavi. *

Iam primo, Forerius et Sanchez, *iustitiam*, accipiunt pro veritate et fidelitate, q. d. Ego sum, qui, id quod loquor et promitto, fideliter præsto, nempe quod miserorum sim propugnator et salvator. Hoc enim promisi per Isaiam cap. 19. v. 20. dicens: *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos,* et alibi sæpe.

Secundo, alii *iustitiam* sumunt pro iustificatione, q. d. Ego sum qui loquor et doceo modum quo homines a peccatis expiari, iustificari et salvari possint.

Tertio, et genuine, *iustitia* hic proprie sumitur, opponiturque misericordiæ et salvationi. Hæc enim duo, scilicet misericordia et iudicium, sæpe sacra Scriptura coniungit, tribuitque ea Deo et regibus. Regum enim est, primo, tueri iustitiam et iustos, ac punire iniquos, qui eos vexant et turbant; secundo, esse clementes et misereri, ac succurrere miseris et afflictis. Talem se hic profitetur Christus, q. d. Ego sum qui iustam sententiam profero pro genere humano, a diabolo tyranno, et a peccatis ac morte afflicto et oppresso, eamque exsequor, diabolum hac sua tyrannide deturbando, hominesque potenter ab ea liberando. Quocirca sum eis propugnator ad salutem. Ita Adamus, Forerius et alii. Iustitiam enim hic capi pro iusta sententia et vindicta, patet ex v. 3. ubi ait se hostes calcasse in ira et furore suo. Et ex Apoc. 19. v. 11. ubi huc alludendo Christus vocatur *Fidelis et verax*, qui *cum iustitia iudicat, et pugnat.* Idem patet ex interrogatione præcedenti. Rogarant enim: Quis est iste, qui venit de Edom, terra hostili, formosus, gradiens in multitudine virtutis suæ? Hisce apte respondet, se esse iustum hostium vindicem, et fortem populi sui propugnatorem ac salvatorem. Unde S. Dionys. loco citato, putat Christum hic annuntiasse modum et rationem suæ incarnationis angelis supremi ordinis, et hos deinde annuntiasse eamdem inferioribus.

Propugnator.) Hebr. רב *rab*, id est multus, inde magnus, puta princeps et propugnator ad salvandum.

Quare ergo rubrum est indumentum tuum?) Duo interrogaverant Sionidæ. Primum, Quis es? Secundum, Vers. 2.
Cur es tinctis et cruentis vestibus? Priori respondit Christus, se esse regem iustitiæ, et propugnatorem populi. Posteriori non respondit, ut rursum quærendi et urgendi, pleniusque respondendi daret ansam. Urgent ergo, dicuntque, Si es iustus et salvator, quare ergo rubricatas et sanguine tinctas habes vestes? Salvatorem enim magis candida, utpote innocentiæ et misericordiæ, æque ac gloriæ index; quam rubra et sanguinea decet vestis.

Ex hoc loco Fredericus Nausea in Catechismo c. 36. censet Christum in veste rubra et purpurea (qualis est Pontificis et Cardinalium) ascendisse in cælum. Favet S. Ioannes Apocal. 19. v. 13. *Vestitus*, ait, *erat veste aspersa sanguine*, nimirum ut sua veste repræsentaret illustrem et cruentam victoriam suo sanguine partam. Alii ex adverso censent, Christum stola candida ascendisse. Hic enim color et vestis decet Beatos: unde in transfiguratione Christi vestimenta facta sunt candida ut nix. Et Beati a Ioanne visi sunt vestiti stolis albis, Apocalip. 7. vers. 9. et byssino candido, Apocalip. 19. vers. 14. Verum quia Christus coram Apostolis gloriæ suæ splendorem abscondit, ut cum iis familiariter agere, colloqui, videri et tangi posset; hinc crediderim eum in veste communi simili ei qua in vita uti solebant, iis apparuisse, ut idem videretur esse qui resurrexerat, non alius; ac in eadem ascendisse; ita tamen, ut ascendendo radios gloriæ suæ in eam transfunderet, eamque radiantem ex claritatem partim candicante, partim purpurescente efficeret. Dos enim claritatis in Martyribus (quorum caput fuit Christus) erit purpurea, in virginibus candida, in doctoribus viridis, ait Dom. Soto in 4. dist. 49. in fine.

Et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?) q. d. Cur vestes tuæ sunt rubræ, ac si in Bosra calcasses uvas in torculari, et earum liquore aspersisses et tinxisses eas?

Torcular calcavi solus.) Septuag. vertunt, *plenus* Vers. 3.
sum percalcato, id est humore rubeo expresso per calcationem torcularis. Respondet Christus, q. d. Recte dixistis me esse eo habitu ac si calcassem et pressissem torcular: ego enim pressi, calcavique in eo, non uvas, sed hostes meos omnes validissime; ego, inquam, solus: quid mirum ergo, si omnia mea vestimenta ex tanta, tamque continua sanguinis expressione, eodem sint aspersa? Sensus est, q. d. Ego victoriam hanc difficilem et cruentam solus mihi peperi, solus hostes calcavi: neque enim fuit vir, id est aliquis, me adiuvans, mecumque contra hostes depugnans. Ita S. Hieron. et Chrysost. in Ps. 44. Et patet ex seqq.

Torcular est acris pressura

Nota : *Torcular* in Script. proverbialiter significat vehementem oppressionem, cladem, stragem ; qui enim illam subeunt, perinde sunt ac uvæ, quæ premuntur in torculari. Sic Thren. 1. v. 15. dicitur: *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Sion*, hoc est gravi supplicio pressit et afflixit Hierosolymam. Vide ibi dicta.

Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.) Nota poeticam catachresin: non enim loquitur hic Propheta proprie et directe de sanguine,quem fudit Christus in torculari crucis, quoque cruentavit suum corpus; sed de sanguine hostium Christi, diaboli scilicet et sociorum, puta Gentium idololatrarum et impiarum. Agit enim de victoria Christi, non quod diabolus vere sanguinem habeat,quem fuderit Christus,aut quod Gentes transfixerit aut occiderit ; sed quia in victoria hominum multus solet fundi sanguis. Ad eam enim alludit, præsertim quia carnales Iudæi,quibus hæc scribit Isaias, talem Messiam exspectabant, et etiamnum expectant, scilicet, qui instar Davidis potens sit et bellicosus, multoque hostium sanguine regnum suum paret et propaget. Est ergo catachresis : nam ut ait S. Hieron. per sanguinis fusionem et aspersionem vestium, non aliud significat quam plenam victoriam, et plenæ victoriæ signa, quibus ipse fiat Rex regum, et Dominus dominantium. Huc enim alludit S. Ioannes Apoc. 19. 13. dicens. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine : et vocatur nomen eius, Verbum Dei. Et habebat in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Nota : Pro *aspersus est sanguis*, hebraice est, *aspersa est* נצחם *nitscham*, id est excellentia eorum, id est sanguis eorum, uti vertunt Septuag. Vatabl. et alii : in sanguine enim consistit vita, ac consequenter excellentia hominis.

Hinc secundo, Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 40. Cyrillus et Rupertus hic, S. Cyprianus l. 2. epist. 3. Origen. tract. 9. in Ioan. 9. S. Augustin. hom. 178. de Tempore, per *torcular* accipiunt passionem Christi, qua sanguis eius aspersus est super vestem, id est super carnem eius: quasi idem hic dicatur, quod de Christo dicitur Genes. 49. v. 11. *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.* Hic sensus non est directus, sed indirectus, sicque recte huic loco adaptari potest, q. d. Passio fuit torcular Christo, quo eius sanguis expressus fuit ; itaque fuit torcular, quo dæmones a Christo pressi sunt et calcati. Christus enim suo sanguine peperit victoriam, fuditque sanguinem hostium, suaque morte hostes occidit ; quocirca vulnerum suorum cicatrices, quasi trophæa, Christus triumphans cælo intulit, eaque in æternum servabit. Ita Procopius. Unde S. Gregor. hom. 13. in Ezech. sic explicat : *Torcular calcavit solus; quia solus torcular in quo calcatus est calcavit, quia sua potentia eam quam pertulit passionem vicit, et ex morte cum gloria surrexit.* Et hoc vult S. Ioannes, cum ait Apoc. 19. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine.* Vestis enim hæc Christi est eius humanitas a Iudæis cruentata, quam cælo intulit, ubi etiamnum vulnerum cicatricibus remanentibus est rubicunda, q. d. Christus ascendens secum detulit notas et memoriam sanguinis sui, et suorum impie ab impiis effusi, cuius nunc ultionem expetit, eaque se ad ultionem acuit et accendit, q. d. Dabunt mihi pœnas effusi sanguinis qui me cruentarunt, tingar eorum cruore a quibus vulneratus sum, faciam ut totus madeam sanguine hostium qui me læserunt.

Torcular fuit passio Christi, cur?

Vers. 4. Dies enim ultionis quam concepi, destinavi et designavi in corde meo.) Repete per zeugma *venit.* Idem enim est dies vel annus ultionis hostium,et *redemptionis* (ita enim legendum est cum Roman. Hebræis et Septuag. non *retributionis*) civium puta annus et dies quo Christus morte sua nos redemit. Vide can. 46. Hoc est quod ait Christus Ioannis 12. 31. *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras;* et Osee 13. 14. *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne.*

Vers. 5. Quæsivi.) Hebr. אשתומם *estomem*, id est obstupui, scilicet ad tantam vim hostium, inquit Vatablus, et ad bellum adeo difficile, quod passione et morte tam acerba mihi conficiendum erat. Unde, ut Sept. vertunt, *consideravi* ac *respexi*, num quis mihi auxilium ferret. Forerius vertit, *devovi meipsum.*

Salvavit mihi (hoc est, salvavit me, vel saluti mihi fuit et victoriæ in hoc ultionis bello) brachium meum.) Est hebraismus. Hebræi enim verbum ישע *iascia*, id est salvavit, construunt cum ל *lamed* dativi.

Et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.) Hæc sunt duo arma Dei, quibus omnia vincit, scilicet brachium, id est potentia; et indignatio, id est zelus, acuens et stimulans potentiam, ut in opus, puta bellum et victoriam, sese exerat. Vide dicta cap. 59. v. 17. ubi panopliam Dei descripsit.

Conculcavi populos.) Non eos mactando et perdendo, sed convertendo et subigendo, sive vitia eorum mactando, homines vero salvando. Maior enim victoria Christi fuit, Gentes impias ad Christi fidem adducere, dæmonum vim et peccata interimere, concupiscentias mortificare, virtutes inserere, facereque ut diis suis desertis, et carnis illecebris abdicatis,Christum dura,ut humilitatem, abstinentiam, continentiam, patientiam, mortificationem, imperantem sequerentur, quam si ducto exercitu omnes trucidasset. Ita Forer. Vide dicta Ezech. 20. 36. et canon. 46. Vers. 6.

Secundo, S. Cyrillus, Procop. Rupert. hæc intelligunt de Christi hostibus, puta Iudæis, quos Christus calcavit per Titum et Roman. aliisque quos vel in hac vita calcavit et protrivit, vel in die iudicii calcabit et proteret. Vide canon. 10. Et sic videtur explicare S. Ioannes Apocal. 19. v. 13. Hoc sensu Christus apposite dicitur aspersisse vestem suam sanguine; quia eodem aspersit vestem ducum suorum, puta Titi et Romanorum.

Inebriavi eos in indignatione mea.) Hoc est supplicio meo, quod mea indignatio eis propinavit et inflixit. Est metonymia : ponitur enim causa pro effectu, et indignatio pro supplicio.

Miserationum Domini recordabor.) q. d. Beneficia misero Iudæorum populo, olim a Deo misericordialiter collata, commemorabo. Est hic versus sequentis orationis et cantici titulus et exordium. Hactenus Propheta triumphum Christi, gentesque ab eo subactas, quasi in theatro spectandas proposuit: nunc in spiritu prævidens Iudæos plerosque veniente Christo, eum non recepturos, ideoque a Christi gratia ac salute excludendos, orationem ad Deum fundit, quæ durat usque ad finem capitis sequentis: in qua primum misericordias et beneficia, ab olim Iudæis a Deo collata recenset,videlicet quod eos Deus ex omnibus gentibus, sibi in populum et Ecclesiam selegerit; quod per Mosen ex Ægypto eduxerit, et per Iosue induxerit in terram Chanaan, etc. Vers. 7.

Deinde inducit Iudæos conquerentes, quod captivitatem Assyriacam, Babylonicam, Romanam, aliasque ærumnas sint perpessi, ideoque optent adventum Messiæ. Tertio, Messiam exoptatum advenisse narrat: sed ex eo nihilo melius, imo peius habuisse Iudæos, ingemiscit. Tandem quasi Deus Iudæos reprobasset, magno doloris sensu orationem concludit, dicens: *Sion deserta est, facta est in exustionem ignis, etc. Numquid super his continebis te, Domine? tacebis, et affliges nos vehementer?* Cui respondet Dominus cap. 65. Hæc est series totius orationis Prophetæ, quæ miram ei lucem affert, et sine qua difficile est eam connectere et explicare. Ita Forer.

Et dixit: Verumtamen (utique certe) populus meus est, filii non negantes.) Supple, erunt: Hebr. *filii qui non mentientur*, vel *non fallent* fidem mihi datam, Exodi 24. v. 8. Loquitur Deus humano more: præsciebat enim quid reipsa facturi essent Iudæi; sed more hominum prudenter ex re præsenti iudicat de futuro, licet secus et aliter, sed per accidens, ob malitiam Iudæorum, eventuro. Prudenter enim sperat et iudicat, Iudæos patrum fidem et mores secuturos, fidemque quam Deo solemniter in Sina dederunt, servaturos: licet illi sponte sua eam postea violarint. Unde ex hac spe sua *factus est eis salvator*, salvans et educens eos ex tyrannide Pharaonis et Ægyptio- Vers. 8.

rum per Mosen, deducensque eos illæsos et intactos per desertum.

Vers. 9 In omni tribulatione eorum non est tribulatus.) Non est coarctatus, aut in angustias redactus Deus, sed eos ad tempus deseruit, ut cogeret ad se redire, seque invocare, tumque statim eos facile et levi manu liberavit, cum misit *Angelum faciei suæ*, id est Angelum iugiter sibi præsentem et assistentem. Fuit enim hic Angelus Michael, qui vel primus, vel unus e primis Angelis est, ideoque unus e septem primariis Angelis, qui coram Domino, eiusque throno stare dicuntur Apoc. 4. v. 5. et Tobiæ 12. 15. Rursum vocatur hic Angelus faciei, qui scilicet faciem et præsentiam Dei referebat, et quasi vicarius loco Dei Hebræis aderat, eratque quasi facies Dei ut quasi ductor ex Dei nutu præiret eorum castra, et ostenderet quo loco ea movere aut figere deberent. Hic enim Angelus in columna nubis præcedens castra Hebræorum, dux fuit eorum usque in Chanaan. Unde de Angelo hoc ait Deus Mosi Exodi 33. v. 14. *Facies mea præcedet te.*

Angelus faciei Dei Michael, cur?

Notat S. Hieron. hic esse duplicem lectionem, scilicet aliquos codices legere לא *lo*, per *aleph*, id est *non*, uti legit et vertit Noster, eo sensu quem dedi: alios vero legere לו *lo*, per *vau*, id est *ei*, tuncque vertendum est contrarie scilicet, *in omni tribulatione eorum ei*, scilicet Deo, *fuit tribulatio*, id est indoluit, compassus est, q. d. Cum affligebantur Hebræi, ipse Deus tenere eos amans, pariter affligi videbatur: unde sollicite rationes quærebat levandæ afflictionis eorum. Ita Vatablus et passim Hebræi, S. Thomas et Hugo. Hic sensus pius est et appositus. Sic enim Iudic. 10. v. 16. et alibi, Deus dicitur dolere super miseriis populi sui. Nam, ut ait Zacharias 2. v. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Tertio, Chaldæus active vertit: *In omni tribulatione eorum non tribulavit eos,* id est, non permisit eos diu tribulari: sed mox inde eos eripuit, uti cum permisit Pharaonem eos insequi et coarctare ad mare rubrum mox in eo illum demersit, populumque salvavit. Idem fecit eis cum laborarent penuria aquæ, cum impugnaret eos Amalec, Og, Seon, etc. Hoc est quod ait S. Paulus 2. Cor. 4. 8. et 1. 5. *Tribulationem patimur, sed non angustiamur:* quia *sicut abundant passiones Christi in nobis: ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Notent hoc tribulati, eumque in arcto sunt positi, animum non deiiciant, sed Deum invocent, moxque eius consolationem et opem sentient.

Denique Septuag. pro צר *tsar*, id est tribulatus, legentes alio puncto ציר *tsir*, id est legatus, atque repetentes per hebraismum negationem quæ præcessit, vertunt: *Non legatus, neque Angelus, sed ipse Dominus salvavit eos; eo quod diligeret eos, et parceret eis, ipse redemit eos.* Pari modo nostram versionem explicat Sanchez, q. d. Non est tribulatus, nec Angelus faciei eius salvavit eos, sed ipse Deus ob directionem suam. Moses enim non contentus Angelo duce, petiit ut Deus ipse castra præcederet, et duceret in Chanaan, idque se facturum promisit Deus Exodi 33. 17. Quod Patres allegor. explicant de Christo, q. d. Solus Christus Deus nos a peccato et morte redimere potuit, et reipsa redemit, non homo, non Angelus. Ita S. Athanas. Cyprian. Ambr. August. Epiphan. Cyrill. Chrys. Theodor. Irenæus, Hyginius et Pelagius Papa, apud Leonem Castrium.

Vers. 10. Ipsi autem, etc. afflixerunt spiritum sancti eius.) Aliqui per spiritum accipiunt Spiritum sanctum. Hic dicitur *Spiritus sancti*, id est Christi: quia ab eo procedit, et a Christo missus est in Apostolos. Unde S. Athanasius lib. de Natura humana suscepta contra Apollinarem, et Nicetas in orat. Nazianz. in S. Pentecosten, hinc probant Spiritum sanctum esse Deum.

Secundo, simplicius et melius. *Spiritus sancti* fuit spiritus et animus Mosis. Alludit enim ad Psal. 105. v. 16. *Et irritaverunt Mosen in castris, Aaron sanctum Domini;* et v. 32. *Et vexatus est Moses propter eos: quia exacerbaverunt spiritum eius.* Ita S. Thom. Adamus, Lyran. et Sanchez. S. Clemens lib. 5. Constitut. Apostol. cap. 15. legit: *Irritaverunt Spiritum sanctum, et conversus est eis in inimicitiam,* explicatque de Iudæis, qui noluerunt credere Christo: *Cæcitate enim,* ait, *affecti sunt propter malum animum suum; qui cum Iesum viderent, non crediderunt esse eum Christum, Verbum Deum, quem propter infidelitatem neque ex factis eius, neque ex prophetis de eo scriptis agnoverunt.*

Et ipse (Deus, peccatis et murmuribus Hebræorum irritatus) debellavit eos.) Subiiciens eos servituti, nunc Philisthinorum, nunc Madianitarum, nunc Moabitarum, nunc Syrorum.

Et recordatus est, scilicet Deus, Iudæos peccantes debellans et affligens. Cum enim videret eos afflictos et pœnitentes *recordatus est* dierum sæculi, id est antiquorum, Mosi, et populi sui.) Quam sibi Moses fidelis et gratus fuerit, quamque populum Hebræorum dilexerit, eumque effecerit populum Dei. Itaque ob gratiam et merita Mosis, ac ob amorem populi sui, olim a se electi et dilecti, misertus est eius, ac misit ei salvatores, nunc Gedeonem, nunc Iephte, nunc Samsonem, et alios Iudices. Vers. 11.

Alii, ut Forerius, hæc referunt ad populum Iudæorum, q. d. Populus videns se in captivitate, vel aliter afflictum, recordatus est dierum Mosis, dixitque: Ubi est prisca illa Dei in Mosen et patres nostros providentia et munificentia?

Ubi est?) Isaias induit hic personam populi afflicti, ex eaque prorumpit in patheticam orationem, ut cum Deus liberet, mittatque salvatorem Christum, tot votis et sæculis exoptatum, q. d. O Domine, misertus es toties populi tui, nunc dando ei Mosen, nunc Iosue, nunc alios protectores et liberatores: vides nunc eumdem graviter affligi: quin eius misereris? ubi est prisca tua in populum tuum pietas? ubi Israelis amor? ubi robur brachii tui? videris iam nostri oblitus, nos despicere et abiicere: disrumpe ergo cælos et descende, ac libera et salva eum. Hoc est quod dixit cap. 62. 1. *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur iustus, etc.* Ita S. Cyrillus et alii. Dicit ergo: *Ubi est Deus qui eduxit eos* (Hebræos) *de mari rubro eum pastoribus gregis sui?* puta cum Mose, Aarone, Iosue, aliisque ducibus et rectoribus populi sui. Ubi est qui posuit in medio eius, *gregis*, id est populi sui, *spiritum sancti sui*, spiritum Mosis? Deus enim destinans Mosen ad Pharaonem, ut eum frangeret, cogeretque dimittere populum, utque populum tantum, tamque durum regeret, magno eum multiplicique donavit spiritu, tum fortitudinis et constantiæ, qua eum fecit Deum Pharaonis, tum prudentiæ, patientiæ et mansuetudinis, qua populi murmura et mores ad stuporem tulit, eique se accomodans occurrit et succurrit. Hunc spiritum Mosis Deus communicavit septuaginta senioribus, qui Mosen levantes onere sub eo et cum eo populum rexerunt, Num. 11. v. 25. Addit Sanchez, per *spiritum sancti*, posse accipi spiritum Christi, puta spiritum amoris, obedientiæ, mansuetudinis, consilii, tolerantiæ, quem Deus communicavit Mosi, ut instar Christi, imo quasi typus Christi, populum gubernaret, sine quo id ei fuisset impossibile. Hinc Moses in Christum respiciens ait Deut. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua,... sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Vers. 12.

Qui ergo recte populo præesse volunt, petant, imbibantque eum Mose spiritum Christi, ut dicere possint cum S. Paulo: *Christi bonus odor sumus.* Aliter Forer. qui per *spiritum* accipit ventum, quem Deus misit in mare rubrum iam divisum ut illud siccaret ad transitum Hebræorum; vel Angelum, qui erat in medio Israelis.

Qui eduxit ad dexteram Mosen brachio maiestatis suæ.) q. d. Qui brachio suo divino apprehendens dexteram Mosis, eduxit eum cum populo ex Ægypto. Ita Septuag. Vatablus, Forerius et alii. Nominat dexteram, tum quia dextera est symbolum felicitatis, æque ac roboris quæ duo Moses a Deo accepit, iisque Pharaonem superavit, et populum eduxit; tum quia Moses in dextera gestabat virgam Dei, per quam scilicet Deus plagas inflixit Ægypto, mare divisit, aliaque miracula patravit. Deus ergo, id est Dei virtus et præsentia, erat ad dexteram Mosis, eam adiuvans, roborans, dirigens ad hæc tum magni-

fica operandum.

Qui scidit aquas.) Maris rubri.

Vers. 13. Qui eduxit eos per abyssos (per voragines maris rubri) quasi equum in deserto non impingentem.) q. d. Sicut equus in deserto, utpote terra æqua et firma, non solet impingere, aut labi; sic Hebræi, etiam imbecilles, pueri et fœminæ, in fundo maris rubri, utpote siccato et complanato a vento, per Deum immisso, non hæserunt in salo, non impegerunt, non corruerunt in luto. Ita Vatab.

Vers. 14. Quasi animal in campo (Forerius et Vatablus vertunt, *per vallem*) descendens, q. d. Sicut iumentum per vallem placide et facile descendit et incedit, cum e contrario ascendendo montem laboret et anhelet: sic spiritus Domini ductor eius fuit, hoc est, sic spiritus Domini placide et facile deduxit eos per mare rubrum. Unde per apostrophen ex gaudio conversus ad Deum, subdit: sic adduxisti populum tuum.) Supple, sicut equum in deserto, aut animal quod in campo placide graditur, uti dixi.

Ut faceres tibi nomen gloriæ.) Gloriosum per omnes gentes, æque ac sæcula. Porro per *spiritum Domini.* S. Hieron. accipit Angelum. Simpliciter tamen accipi potest ipse Deus, suo spiritu animans et roborans eos in hoc transgressu.

Vers. 15. Attende de cælo.) Est oratio Isaiæ vice populi, ut dixi v. 7. maxime paulo ante et sub tempora Christi obdurati, et a Deo reiecti. Orat ergo flebiliter pro eo Isaias, ut Deus oculis gratiæ suæ eum respiciat, pristinumque zelum in eum ac fortitudinem ostendat, Christique gratiæ ac salutis participem faciat. Ita S. Hier. et Cyrill.

Multitudo viscerum tuorum.) Hoc est, ut explicans subdit, *miserationum tuarum.* Viscera enim sunt symbolum æque ac sedes miserationis.

Super me continuerunt se.) q. d. Cohibuerunt se tuæ solitæ miserationes, zelus et potentia, ne, uti solent, nunc mihi opem ferrent.

Vers. 16. Tu enim pater noster, et (id est *quia*) Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.) Nota, hic Abraham et Israel, patres Iudæorum, comparari cum Deo, de iisque asseri, quod respectu Dei, et comparatione eius parum vel nihil contulerint, aut conferant Iudæis, tum quia quidquid habuerunt aut dederunt id acceperunt a Deo, qui eorum est pater; tum quia corporum fuerunt parentes, non animarum; cum Deus utrorumque, imo omnium sit parens, ait Procopius: maxime, quia iam pridem mortui erant, cum Deus semper viveret. Deus ergo erat, qui populum hunc elegerat, formaverat, deduxerat per mare rubrum et desertum, duce Mose et Iosue, in Chanaan uti præcessit. Hoc non fecerat Abraham, nec Israel. Unde Chaldæus vertit: *Tu es pater noster: quia Abraham non eduxit nos de Ægypto, et Israel non fecit nobis mirabilia in deserto: tu es, Domine, Deus noster;* Syrus et Arabicus: *Tu es pater noster: nos ignoramus Abrahamum, et non novimus Israelem; tu es, Domine, pater noster, et redemptor noster.* Sensus ergo, q. d. Abraham et Iacob iam pridem mortui, non habuerunt nostri curam (imo nos non cognoscunt) sed suorum tantum filiorum, qui tum vivebant; eos enim solos videbant et cognoscebant: tu vero, o Deus, es pater noster, qui nos ab omni sæculo novisti, et nostri habuisti curam et providentiam, qua nos ex Ægypto, Babylone aliisque ærumnis mire liberasti. In te ergo omnes spes nostras collocamus, te imploramus, non Abraham: tui filii sumus, non Abrahæ: non quasi Abraham patrem nostrum negemus; sed quod te præferamus, et quod Abraham præ te nihil sit, et sine te nihil opis nobis adferre possit. Ita S. Cyrillus, Theodoret. Forer. et alii.

Abraham non cognoscit posteros, qua ratione.

Dicitur ergo Abraham nescire, id est non curare, posteros, perinde ac si eos nesciret, et non cognosceret. Primo, quia exigua, et quasi nulla erat cura et auxilium Abrahæ, si cum Dei cura et auxilio conferatur.

I.

II. Secundo, quia esto in limbo oraret pro posteris, nullam tamen curam aut directionem eorum habebat talem, qualem parentes cum vivunt, et præsentes sunt, suorum filiorum habere solent; de tali enim cura et providentia hic loquuntur Iudæi: et talem eorum curam habebat Deus, ut nimirum, apprehensa manu Mosen et populum deduceret, ut dixi v. 12.

Tertio, quia eorum captivitas et ærumnæ tam animæ, quam corporis, superabant vires Abrahæ et Iacob, atque a solo Deo tollendæ et sanandæ erant: Unde sequitur: *Tu es redemptor noster.* III.

Nota hebraismum. Hebræi enim præcellentiam unius præ altero significare solent per negationem unius quod minus est, ut Matth. 23. v. 9. ait Christus: *Patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cælis est.* Non enim vetat, quin parentes nostros patres vocemus; hoc enim dictat et poscit ius naturæ; sed iubet, Deum patrem omnibus præferri, q. d. Nolite in terris vocare patrem eo modo, ut putetis eum præcipuum esse vitæ auctorem, hæreditatis et alimentorum curatorem, ut ab eo toti, vel magis pendeatis quam a Deo, uti faciunt Gentiles et athei, aliique non Deo, sed hominibus fidentes: quia talis pater est solus Deus. Sic Matth. 9. v. 13. ait: *Misericordiam volo, et non sacrificium*, id est malo misericordiam quam sacrificium. Certum enim est Deum velle quoque sacrificium: tantum ergo misericordiam ei præfert. Pari modo Iudæi hic non negant Abraham suum patrem, sed Deum in paternitate et cura paterna ei præferunt.

Quarto, aliter explicat S. Hieron. Abraham, inquit, nescit nos, id est nos abiicit et spernit: quia te offendimus sumusque tui hostes. Abraham enim cum sit amicus Dei, odit nos, qui sumus hostes Dei. IV.

Quinto, Adamus apposite: Abraham, inquit, et Iacob nesciunt nos, resque nostras: quia sunt in obscuro limbo patrum, ubi tam egent luce et ope Dei, quam nos: non ergo eos imploramus, qui nostras res et ærumnas nesciunt, atque satis negotii habent ut sibi consulant, sibique liberationem ex inferno procurent; sed te Domine, qui solus potes iuvare et liberare, tam Abraham, quam nos. Hac enim de causa in veteri testamento non legimus, quod viventes invocarint patriarchas, aut Sanctos degentes in limbo. V.

Secus est in novo testamento, ubi Sancti triumphant in cælis cum Christo, atque in Deo revelante nostras preces audiunt et cognoscunt, nosque et nostram salutem amant et sitiunt. Perperam ergo hæretici hunc locum torquent contra invocationem Sanctorum. Esto enim animæ patrum in limbo orarent pro posteris, tamen preces et afflictiones suorum audire non poterant: quocirca frustra posteri eorum opem implorassent: ad Deum ergo recurrere, eumque invocare debebant. Rursum etsi patres per suas preces et merita posteris apud Deum commodare possent, ea tamen quasi captivorum, non nisi in quantum volebat et donabat Deus, eis commodabant. Tota ergo hæc res pendebat a Deo, Deique nutu: ad Deum ergo posteris confugiendum erat. Secus se res habet in Beatis, iam in cælo Deo fruentibus. Patres in limbo non erant invocandi, cur?

Dices, S. August. l. de Cura pro mortuis c. 13. ex hac Isaiæ sententia probat, Sanctos etiamnum in cælis nescire res nostras. Respond. S. August. hoc æque ac hunc Isaiæ locum, intelligit de naturali vi rationis, seu de naturali modo cognoscendi, quod scilicet animæ Beatorum per suas vires luminis naturalis, perque aciem sui intellectus, naturaliter non agnoscant res nostras: quoad naturam enim et naturæ vires pares sunt animabus olim in limbo existentibus: tantum enim vult docere, animas hasce non interesse naturaliter et ordinarie rebus nostris, ut eas coram videant, curent et dirigant, uti faciebant dum viverent. Id eum velle, patet ex tribus capitibus seqq. ubi hoc suum dictum confirmat ex eo, quod ipse a matre sua iam defuncta consolationem non accipiebat, nec in tristitiis visitabatur; cum non esset probabile, quod ipsa facta esset vita feliciore crudelior. Rursum ex eo, quod Dominus promisit Iosiæ 4. Regum 22. eum prius moriturum, quam videret mala gentis suæ. Denique ex c. 16. ubi diserte docet Sanctos non sua, sed Dei virtute res nostras Obiectio ex S. Aug. Resp.

*

cognoscere easque adiuvare et promovere.

Porro hunc Isaiæ locum non iuvare causam Hagiomachorum ingenue fatetur Calvinus, licet Hagiomachus. Audi eum: *Neque tamen ex hoc loco elici potest, Sanctos vita functos nostri curam non habere. De re ipsa non loquimur, sed dicimus verbis istis non probari, Abraham, et reliquos fideles non habere amplius curam rerum humanarum.* Notet hoc Marloratus, qui hunc locum contra invocationem Sanctorum torquet.

A SÆCULO NOMEN TUUM.) q. d. Hoc nomen, quod scilicet sis pater et redemptor noster, tibi non nupera ætas, sed ante omnem sæculorum memoriam, dedit æternitas; æterna nimirum tua de nobis redimendis præedefinitio et prædestinatio.

Vers. 17. QUARE ERRARE NOS FECISTI?) Hoc est, permisisti, vel occasionem erroris ob peccata nobis obiecisti. Vide canon. 27. Est occupatio, q. d. Si propter scelera nostra opem et misericordiam tuam negas, uti negas, cur, quæso, permisisti, et permittis nos in scelera labi, in iisque hærere et obdurari? Vere notat hic Forer. ingratitudinem fere esse causam, cur Deus permittat nos in peccatum mortale labi: ingratitudinem enim licet venialem tantum, hominem ad amissionem gratiæ divinæ disponere. Vide hic, quam peccata venialia cavere, Deique gratiæ cooperari, eique grati esse debeamus. Adhæc, dicitur Deus errare fecisse Iudæos a viis suis, quia eos a deviis itineribus non adduxit: et obdurasse cor illorum ne timerent Deum, quia eos timore sui non emollivit, ait Sanchez. Vide dicta Exodi 7. 3.

Ob ingratitudinem venialem, Deus sinit hominem labi in peccatum mortale.

CONVERTERE (q. d. Faciem tuam a nobis ob peccata aversam, ad nos converte, et benigno vultu nos aspice, nosque adiuva) PROPTER SERVOS TUOS, qui sunt duodecim TRIBUS Israel, HÆREDITATIS TUÆ.) Quæ scilicet sunt A tua hæreditas, q. d. Memento duodecim patriarcharum, æque ac tribuum Israel, qui sunt tui servi, id est fideles, tuaque Ecclesia et hæreditas. Vel, ut ait Vatabl. q. d. Convertere ad nos propter Abraham, Isaac, Iacob, etc. servos tuos, qui sunt patres nostri, et ob tribus duodecim, quæ sunt tua hæreditas. Solebant enim Iudæi precantes, merita non sua, sed Abrahæ, Isaac et Iacob apud Deum allegare.

QUASI NIHILUM POSSEDERUNT POPULUM SANCTUM TUUM, Vers. 18.
q. d. Hostes nostri, præsertim Herodes et Romani, possederunt et tractarunt nos quasi essemus res nihili, quisquiliæ, fæces et purgamenta mundi; unde et CONCULCAVERUNT SANCTIFICATIONEM.) Id est profanarunt templum sanctum tuum. Loquitur maxime de tempore, quo, deficiente sceptro de Iuda, Herodes Idumæus regnum Iudææ per Romanos invasit et occupavit. Propheta enim, sicut B cœpit orationem a prima Israelis electione, ita et terminat in eiusdem vastitate, ultimoque excidio, quod factum est sub tempora Christi. Romani enim polluerunt templum, cum Pompeius cum suis in Sancta sanctorum ingressus est, cumque sequentes in eo statuam Cæsaris, aquilamque Romanam collocarunt.

FACTI SUMUS QUASI IN PRINCIPIO, CUM NON DOMINA- Vers. 19.
RERIS NOSTRI, q. d. Sumus a te derelicti nunc quasi alieni, ut fuimus olim in Ægypto, antequam nos in tuum ius, dominium et Ecclesiam asciceres: NEQUE INVOCARETUR NOMEN TUUM SUPER NOS.) Cum necdum vocaremur, nec essemus populus Dei, quasi heri et domini nostri: hæc enim phrasis significat dominium herile. Loquuntur de derelictione tum culpæ, tum pœnæ. Vide, quid sit a Deo derelinqui, et sine Deo vivere; nimirum talis traditur omni culpæ, et consequenter omni pœnæ, uti Iudæi traditi sunt tempore Christi.

CAPUT SEXAGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæi putant hoc cap. esse verba et vota decem tribuum, quibus petant, orentque Deum, ut denuo descendat in montem Sina, ibique edat illa miracula, quæ olim edidit sub Mose Exodi 19. 16. ut impios Israelitas revocet ad avitam fidem et pietatem. Verum hi iudaizant, frustraque exspectant descensum Dei in Sina, æque ac Messiam e cœlo. Secundo, Lyran. censet hic Isaiam optare, ut Christus descendat in vallem Iosaphat, ad peragendum extremum iudicium, ut regnum impiorum et impietatis aboleat. Tertio et genuine, pergit hic orare Propheta pro populo tot peccatis et malis afflicto et oppresso, uti exposuit in fine cap. præcedentis. Ergo orat hic, ut rumpantur cœli, et nascatur Messias, qui populum tot malis liberet et salvet. Unde quam felix, salutaris et iucundus futurus sit Christi adventus, describit. Deinde v. 5. dicens Christo, Occurristi lætanti, et facienti iustitiam, puta Gentili populo, Christo credenti et obsequenti, prævidensque quod Iudæi tempore Christi nolent eum recipere, nec lætabuntur, aut facient iustitiam, ideoque a Deo reiicientur, dolet et gemit, aitque v. 6. Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ. Quocirca v. 8. orat, ut Christus Hierosolymæ desertæ, et Iudæorum derelictorum misereatur, nec in æternum eos abiiciat. Ita S. Hieron. Forerius, Adamus et alii passim.

1. UTINAM dirumperes cælos, et descenderes! a facie tua montes defluerent. 2. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a facie tua gentes turbarentur. 3. Cum feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti, et a facie tua montes defluxerunt. 4. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. 5. Occurristi lætanti, et facienti iustitiam: in viis tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, et peccavimus: in ipsis fuimus semper, et salvabimur. 6. Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ iustitiæ nostræ; et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. 7. Non est qui invocet nomen tuum; qui consurgat, et teneat te: abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. 8. Et nunc Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos. 9. Ne irascaris Domine satis, et ne ultra memineris iniquitatis nostræ: ecce respice, populus tuus omnes nos. 10. Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est. 11. Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. 12. Numquid super his continebis te Domine, tacebis, et affliges nos vehementer?

Vers. 1. UTINAM DIRUMPERES CÆLOS, ET DESCENDERES.) q. d. Utinam vel disruptis cælorum repagulis ad nos liberandos e tantis malis descenderes. Est catachresis: loqui- C tur enim de Deo humano more; homo enim in cælo existens, si descenderet, deberet dividere et disrumpere cælos, sive ætherem, quia corpus habet spissum et impene-

trabile: at Deus, qui purissimus est spiritus, et per omnia penetrat ac permeat, ut descendat nihil dividit aut disrumpit, q. d. Utinam omnes obices et moras tolleres, atque adeo, si opus esset, cælos disrumperes, ut ad nos descenderes, non loco (cum ubique sis) sed nova operatione et assumptione nostræ naturæ. Simili catachresi ait supra c. 45. v. 8. *Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet salvatorem*; qua tantum significat, quanta sit humana miseria, quantumque desideret adventum salutis et salvatoris, qui ei medeatur.

Anagogice, Lyranus, cum Alexandro de Ales quem citat, hæc accipit de adventu secundo Christi, puta, cum veniet ad iudicium extremum; præcessit enim de exterminatione Antichristi, qui illud immediate præcedet. Significatur ergo hic præceps Christi adventus ad iudicium, late fisso cælo ad percellendum impios; tunc enim reipsa montes defluent, et quasi ustione consumpti tabescent, et aquæ per ignem conflagrationis ardebunt, ut maiestatem iudicii revereri, et coram eo tremere et deficere videantur. Tunc enim plenam salutem et felicitatem Christus electis suis afferet.

A FACIE TUA MONTES DEFLUERENT.) q. d. Si ad nos descenderes, statim, sicut olim, fumarent et liquescerent montes, uti solent res igni adustæ solvi et liquari. Alludit ad descensum Domini in Sina, cum legem dedit Mosi et Hebræis, in quo mons ille contremuit, et quasi liquefactus est coram Domino, ex muta et naturali quadam Dei reverentia, Exodi 19. v. 18. *Totus*, inquit, *mons Sinai fumabat: eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace*. Quin et terræmotu concussum fuisse montem Sina, docet Apostolus, Hebr. 12. v. 26. et Psaltes Psal. 67. v. 9. Hic enim descensus Domini ad Hebræos, typus erat descensus Christi ad homines, qui montes, id est superba mortalium corda, vi gratiæ suæ, æque ac exempli sui, emollit et inflectit ad humilitatem, patientiam, omnemque virtutem ut solvi et liquari videantur. Ita S. Hieron. et Tertullianus, libro de Resurrectione carnis c. 26. S. Iustinus, et ex eo Leo Castrius, qui hæc omnia impleta docet tum in baptismo Christi, tum in Pentecoste: tunc enim a facie Christi et Spiritus sancti, superba Iudæorum corda, mollita et liquata sunt, fidemque Christi ab Apostolis prædicatam susceperunt: tunc etiam aquæ, id est frigida et torpida eorum æque ac Apostolorum corda, igne charitatis arserunt: tunc gentes turbatæ sunt, cum audientes prædicationem Evangelii, metu Dei et inferni, damnarunt suam infidelitatem, et mores pristinos; ac compunctæ novam piamque vitam inierunt, ut ex terrestribus fierent cælestes.

Vers. 2. AQUÆ ARDERENT IGNI.) Vatablus vertit: *Utinam montes ab incendio ignis colliquescant, ignis, inquam, qui fervere et ebullire facit aquas*. Alludit primo, ad fulmina et tonitrua, quæ in nube aquis gravida, emicuerunt in Sina. Secundo, ad plagam Pharaonis et Ægypti per Mosen, in qua ignis mixtus grandine, stravit eius segetes, æque ac pecora, Exod. 9. 24. Sic Christo descendente ad nos, aquæ, id est mollia, et concupiscentiis humecta, ac viscosa hominum corda, igne charitatis et spiritus siccata et inflammata sunt. Tertio, Alcazar in Apocal. c. 10. v. 1. notat. 3. censet Isaiam hic alludere ad factum comparis sui, Eliæ Prophetæ eiusque ignem, de quo dicitur 3. Reg. 18. 38. *Cecidit ignis, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam, quæ erat in aquæductu lambens*. Hoc Eliæ facinus imitatus est Nehemias, 2. Machab. 1. v. 20. cum enim in puteo sicco et alto, ubi repositus fuerat ante captivitatem Babylonicam ignis Domini, loco ignis inventa fuisset aqua crassa, eam ipsam aquam iussit hauriri Nehemias, *et ipsa aqua aspergi sacrificia et ligna. Utque hoc factum est, et tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus*, et consumpsit *sacrificium*. Et eo facto *ex residua aqua iussit Nehemias lapides maiores perfundi. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est: sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est*. Ignis ergo Domini aquis non exstinguitur, sed pascitur et augetur. Porro Elias iubens aquæ copia perfundi sacrificium, videtur respexisse ad illud Cantic. 8. v. 6. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Iam aqua contraria et resistens igni significat contradictiones, resistentiam et persecutiones infidelium et impiorum resistentium fidei et charitati Christi et Christianorum, præsertim Apostolorum. Sed tanta fuit vis ignis, id est efficacia charitatis eorum, ut aqua hac pasti fuerint, imo aquam in suum ignem converterint. Talis mysticus Elias et Nehemias, id est consolator Domini, fuit S. Paulus, qui aquis persecutionum magis accensus, aquas, id est Gentiles ipsos persecutores igne suo inflammatos, quasi holocaustum Deo obtulit. Hoc est enim quod ipse ait, Rom. 15. v. 16. *Propter gratiam, quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Iesu in Gentibus: sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, et sanctificata in Spiritu sancto*: ubi Gentes a se conversas vocat suam victimam, se vero eius sacerdotem et sacrificatorem, uti ibi ostendi.

CUM FECERIS MIRABILIA, per Christum, præsertim in conversione Gentium, NON SUSTINEBIMUS.) Hanc Christi gloriam et efficaciam; quia illa sui amore, æque ac tremore et stupore nos percellet et subiget, ut demus ei manus, et colla subdamus. Ita S. Hieronymus. Alludit ad terrorem Hebræorum, qui videntes ignem et fumum in Sina, ac audientes clangorem buccinæ Dei, non sustinuerunt, sed metu perculsi fugerunt a monte, Exodi 20. v. 18. Sic enim et Gentes audita Evangelii buccina, visisque miraculis fugerunt non a Deo, sed a seipsis, id est a pristinis suis vitiis et moribus, ad Christum et novam vitam. Aliter Forerius, q. d. Cum Gentes turbabuntur, et commovebuntur ad pœnitentiam, nos Iudæi videntes mirabilia, quæ Christus operabitur in eis, ea non sustinebimus, sed affixi nostro iudaismo, ea spernemus, imo calumniabimur: sensim enim videtur transire Propheta ad Iudæorum reprobationem. Vers. 3.

DESCENDISTI, ET A FACIE TUA MONTES DEFLUXERUNT.) Primo Sanchez exponit: Si descendas, a facie tua montes defluent; ut repetat et inculcet quod dixit v. 1. sitque duplex hebraismus: prior, quo intelligitur vocula *si*; posterior, quo præterita ponuntur pro futuris.

Secundo, planius et simplicius, loquitur hic Propheta, quasi exauditus a Deo composque voti factus, q. d. Factum est uti optavi et oravi; ecce enim in spiritu video et prævideo, te ad nos descendisse, factumque esse hominem ideoque montes iam dictos a facie tua defluxisse.

Porro, Theodor. per *montes* accipit idola quæ colebantur in montibus. Idololatria enim omnis cum idolis defluxit, et dissipata est prædicatione Evangelii. Verum æque probabiliter per montes accipias principes potentes et superbos; hos enim ad humilitatem crucis descendere fecit Christus.

A SÆCULO NON AUDIERUNT.) Dat causam cur montes Christo descendente defluxerint, gentes turbatæ, et aquæ igni exustæ sint; quia nimirum a sæculis non est auditum, nec cor hominis comprehendit ea bona, gratias et charismata, quæ Deus præparavit sibi credentibus, seque exspectantibus, et, ut Paulus ait, diligentibus, per Christum, tum in hac vita, tum in futura: ad utramque enim respexit Propheta. Vers. 4.

Nam de incarnatione et præsenti vita Christi et Christianorum ad eum convertendorum, hactenus egit, de eaque accipiunt S. Paulus, 1. Corinth. 2. v. 9. et S. Hieron. Chrysost. Theoph. Œcumen. Anselmus ibidem, atque Adamus, Forerius, Leo Castrius et Sanchez hic, item Tertullian. Cyprian. Pacianus, Theophilus Antioch. Marcus Eremita, Missa S. Iacobi quos citat et sequitur Gabriel Vasquez 1. p. disp. 2. c. 2. Porro hæc bona Christi fuerunt miracula, ut docet S. Ambr. Secundo et potius, eius cælestis sapientia, doctrina et vita. Quem enim non trahat ad se, Verbum propter nos caro factum? quem superbum non faciet descendere, seque demittere, ille Filii Dei ad naturam nostram descensus et exinanitio? Quis cho- Bona ineffabilia quæ Christus dat in hac vita, quæ?

terius iram non ponat, visa et audita mansuetudine Iesu? quis dolores et tormenta non ferat fortiter, si Iesum in cruce tam patientem spectet? quis eum toto corde non amet, a quo ita se amatum videt? Tertio bona Christi fuerunt eiusdem Sacramenta et copiosa gratia, tum excitans et præveniens, tum iustificans, tum gratis data; tum mentis quies, consolatio et gaudium, aliique fructus Spiritus sancti. Hisce enim, quasi cælestibus et divinis instrumentis, totum mundum ad se convertit. Sensus ergo est, q. d. A sæculis, id est ex quo natus est Adam, nemo umquam audivit, nec vidit, imo cogitare et suspicari non potuit, tanta et tam augusta gratiarum dona, quæ præparasti in lege nova exspectantibus te. Erant enim inter Iudæos, qui victi longa mora salvatoris, desierant credere et expectare Messiam. Alii vero, ut Prophetæ et pii, licet dura paterentur, constantes manebant in fide Christi venturi, eumque exspectabant. Hisce ergo præparavit et attulit sua dona Christus, æque ac Gentilibus, qui inaudierant de Christo, eumque avide exspectabant. Porro τὸ *absque te*, idem est, quod *præter te*, uno te excepto, ut vertit Vatablus et Forerius. Unde S. Paulus I. Corinth. 2. *Absque te*, explicat *absque spiritu Dei*, q. d. Solus Deus, Deique spiritus hæc bona cognoscit, et ille cui ipse ea voluerit revelare.

Et in futura, quæ?

Secundo, quod etiam de futura fidelium gloria hic locus, et quidem aptius, accipiatur, patet primo, ex ipsis eius verbis; illam enim gloriam nemo mortalium vidit, audivit, aut mente comprehendit; quia illa omnem sensum, omnem intellectum, omnem conceptum naturalem superat et transcendit; secundo, quia ait: *Occurristi lætanti, et facienti iustitiam*: ergo loquitur de fructu operum iustorum, scilicet vita æterna. Nam fructus incarnationis, puta gratia præveniens et excitans infideles et peccatores ad fidem et conversionem, non occurrit facientibus iustitiam, sed sedentibus in tenebris et umbra mortis. Admirans ergo tantam Christi fidelium in cælis gloriam Propheta, ad eum de more transcendit et avolat. Hic enim est terminus, finis et effectus incarnationis Christi. Ita S. Hieron. et Haymo hic, S. Dionys. de Cælest. hierarch. c. 12. Tertul. l. de Resurrect. carnis. c. 26. Cyprian. epist. 56. S. Thom. et Anselm. in 1. Cor. 2. Vide ibi dicta.

Porro, quæ et quanta sint hæc bona Sanctis in cælo reposita, paucis perstringit S. Bernard. serm. 11. in Cantic. ubi citans et explicans hunc Isaiæ locum: *Dic*, ait, *nobis tu qui præparas, quid præparas? replebimur in bonis domus tuæ, sed quibus bonis? vino, oleo, frumento? sed hæc novimus, videmus et fastidimus. Id quærimus, quod oculus non vidit, etc. Erit*, inquit, *Deus omnia in omnibus; in hoc sæculo et ratio sæpe in iudicio fallitur, et voluntas quadruplici perturbatione iactatur, et memoria multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subiecta est non volens, in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! o beata et beatificans Trinitas, ad te mea miseria trina miserabiliter suspirat, quoniam a te infeliciter exsulat. Discedens a te quantis se intricavit doloribus, timoribus! Heu me, qualem pro te commutavimus trinitatem! cor meum conturbatum est, et inde dolor: dereliquit me virtus mea, et inde pavor: et lumen oculorum meorum non est mecum, et inde error. En quam dissimilem Trinitatem, o animæ meæ trinitas exsulans, offendisti.* Sed audi consolationem: *Verumtamen quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: cum error videlicet a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis abscesserit et successerit illi quam speramus mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa pietas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inexstinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria veritati indeficienti æternaliter inhærente.*

Trinitas bonorum in cælo.

A Audi et S. Hieron. Eustochium accendentem epist. 18. *Egredere*, ait, *paulisper de carcere, et præsentis laboris ante oculos tuos tibi pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Qualis erit illa dies, cum tibi Maria mater Domini occurret choris comitata virgineis, cum post rubrum mare, submerso cum suo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet responsuris: Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem proiecit in mare! Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus. Tunc et ipse sponsus occurret, et dicet: Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea; quia ecce hiems transivit, pluvia abiit sibi. Tunc Angeli mirabuntur et dicent: Quæ est ista prospiciens quasi diluculum, speciosa ut luna, electa ut sol? Videbunt te filiæ, et laudabunt reginæ, et concubinæ prædicabunt. Tunc parvuli de quibus in Isaia Salvator effatur: Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus: palmas victoriæ sublevantes: consono ore cantabunt: Osanna in excelsis; Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna* B *in excelsis. Tunc centum quadraginta quatuor millia in conspectu throni et seniorum tenebunt citharas, et cantabunt canticum novum, etc. Quotiescumque te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo videris aliquid gloriosum, ad paradisum mente transgredere: esse incipe quod futura es, et audies a sponso tuo: Pone me sicut umbraculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio tuo.*

Occurristi lætanti, et facienti iustitiam.) Beneficium hoc est Christi, non tam recenter nati, quam regnantis in membris suis, q. d. Bona hæc quæ nemo audivit, nec vidit, contulisti iis, qui de tuo adventu lætantur, tibi credunt et obediunt, faciuntque iustitiam, ambulantesque in viis mandatorum tuorum, iugiter te habent præsentem, tuique recordantur (est enallage; transit enim a numero singulari collectivo ad pluralem distributivum, scilicet a *lætanti et facienti* ad *recordabuntur*) hosce enim in gratia et amore promoves, novisque et miris in dies donis et gratiis cumulas, hosce salvas, hosce C glorificas, ex quacumque gente aut regione sint prognati. Sed heu miseros nostros Iudæos, qui non lætati sunt de tuo adventu, sed potius contristati et exacerbati, peioresque effecti, ideoque tu eis iratus es, ut sequitur. Ita Adamus, Forer. et alii. Vers. 5.

Secundo, Vatablus sic explicat: O Domine, occurristi, scilicet in oratione, id est exaudire soles eos qui lætantur in legibus tuis, et faciunt iustitiam, hoc est præcepta, et viarum tuarum recordantur.

Tertio, alii vertunt: *Sustulisti de medio lætantes in præceptis tuis*, eo quod mundus esset eis indignus, ipsique digni essent cælo.

Ecce tu iratus es, et peccavimus.) q. d. Occurristi Gentibus lætantibus in te; at nobis Iudæis iratus es: *et*, id est quia peccavimus et prævaricati sumus in te, te spernendo, vexando, et occidendo, et in hoc tui contemptu et odio iugiter persistendo. Transit enim hic Propheta ad Iudæos de eorumque reprobatione querelam et orationem longam pertexit. Ita Forerius et Adamus.

D In ipsis (peccatis; hæc enim continentur in verbo *peccavimus*, quod præcessit. Vide canon. 17.) fuimus semper, et salvabimur.) Forer. τὸ *salvabimur* interrogative legit, q. d. Cum in peccatis et odio Christi perstitterimus semper, et persistamus, an salvabimur? q. d. Minime, quia salutis auctorem aversamur. Unde Septuag. pro *et salvabimur* vertunt, *idcirco erravimus*. Secundo, *et salvabimur*, id est salvati sumus, quia Christus salutis nostræ prætium persolvit, ac reipsa *salvabimur* aliquando, puta, cum credemus in Christum in fine mundi. Romana enim aliaque Biblia hoc legunt sine nota interrogationis, q. d. Christus pro peccatis totius mundi satisfecit, et omnes salvi esse possunt si velint: sic ergo et nos Iudæi, quantum est ex parte Christi, salvati sumus, et reipsa salvabimur, si ei credamus: at cum salvatorem advenientem, et salutem ab eo oblatam amplecti debuissemus, eam sprevimus, imo sumus effecti immundi omnes, quasi pannus menstruatæ: erit tamen aliquando, cum

cum amplectemur, et salvabimur; sed eheu sero! Ita Forer. Unde et S. Hieronym. sic explicat, q. d. Qui semper fuimus in peccatis, tua tantum misericordia salvabimur. Nam per nos immundi sumus, et quidquid videmur habere iustitiæ, simile est panno menstruatæ. Hic sensus planus et obvius, ideoque genuinus est.

Tertio, Vatablus vertit: *In ipsis* (peccatis) *consenuimus, alioqui salus nobis contigisset.*

Quarto, Sanchez, q. d. Ecce olim nobis irascebaris, et nos tamen peccabamus; et cum in peccatis semper versaremur, tamen salvabamur a nostris hostibus, captivitatibus et ærumnis: at nunc facti sumus immundi omnes, reiecti, derelicti et reprobati.

Vers 6. Et facti sumus ut immundus omnes nos.) Alludit ad leprosos, seminifluos, aliosque ex tactu morticini, aut alterius rei immundæ, iuxta legem veterem immundos et contaminatos, quos proinde omnes vitabant, ne pariter pollucrentur, q. d. Nos Iudæi facti sumus coram Deo et hominibus immundi, rei et contaminati, quos proinde non tantum Christiani, sed et Gentiles fugiunt et aversantur. Ita Forerius.

Quasi pannus menstruatæ universæ iustitiæ nostræ.) q. d. Omnes nostræ iustitiæ pollutæ sunt instar panni menstruo fœdati. Est vox Iudæorum impiorum, qui peccantes, peccatorum expiationem et iustificationem quærebant in suis purificationibus et sacrificiis pro peccato. Hæ enim vocantur *iustitiæ*, vel, ut ait Paulus Hebræi 9. v. 1. Iustificationes legis veteris, quæ iam per Christum abolitæ sunt et mortuæ, imo mortiferæ; ideoque Deus eas, quasi immundas et putidas aversatur, uti aversamur pannum menstruatæ. Unde Arabicus vertit: *Iam facti sumus omnes velut abominatio* (abominabiles) *et universa iustitia nostra facta est sicut frustum panni cadaveris.* Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procop. Theodor. Forerius, Sanchez, Adamus et alii passim; idque ita esse patet ex eo quod Isaias loquatur de Iudæis tempore Christi, a Deo ob peccata reiectis et reprobatis; horum autem peccatorum primum, et cæterorum origo, fuit pertinax amor legis et iustitiæ Mosaicæ, sive iudaismi, indeque odium Christi et christianismi. Quia ergo Iudæi repulerunt iustitiam veram a Christo allatam, eamque quæsierunt in suis iustitiis carnis et victimarum a Deo reprobatis, hinc ipsi quasi immundi, infideles et rebelles a Deo reiecti et proscripti sunt. Hinc patet per *iustitias* hic intelligi purificationes et ritus Iudaicos. Audi S. Hieron. *Considerandum, quod iustitia quæ in lege est, ad comparationem Evangelicæ puritatis, immunditia nominetur.* Idque variis Scripturæ locis confirmat, ac tandem concludit: *Si quis igitur post Evangelium Christi, et adventum Filii Dei, pædagogæ legis observat cæremonias, audiat populum confitentem, quod omnis illa iustitia panno sordidissimo comparetur.*

Ex hisce liquet primo, hic non agi de iustitia Christianorum, sed Iudæorum adhuc iudaizantium; secundo, Isaiam hic loqui in persona horum Iudæorum, non sua. Nam illa verba: *Ecce tu iratus es, et nos peccavimus, in ipsis fuimus semper,* clarum est non ad Isaiam, similesque viros sanctos, sed ad impios Iudæos iam dictos pertinere. Idque fatetur hic Musculus Lutheri discipulus, apud Marloratum. Idem fatetur Calvinus; *Si, quis,* ait, *quærat quomodo Propheta de scelerum inquinamentis loquens, sine exceptione Iudæos omnes exprimat? facilis responsio est ipsum non loqui de singulis, sed de universo corpore, quod cum infra omnes homines abiectum, atque extrema clade affectum esset, recte immundum et pollutum dici poterat.*

Nota: Viegas in Apocal. c. 20. in fine, Vatablus et alii vertunt: *Quasi vestimentum centonum universæ iustitiæ nostræ,* q. d. Uti vestimentum totum ex centonibus confectum variis et abiectis, varium est et vile: ita et omnes iustitiæ nostræ, totaque iustorum vita ex variis infirmis, imperfectis, et quasi vilibus virtutum actibus contexta videtur.

R. Abraham vertit: *Sicut vestimentum prædæ,* quod videlicet in præda capitur, aut a latrone per vim vendicatur, quod in ipso conflictu et contentione disrumpi et dilaniari necesse est. Sic enim dæmones, tamquam insidiantes latrones, nobis bona opera, tamquam pallium de manu conantur eripere, nimirum solent ea opera, per eam vim et conflictum, quasi dilacerari ac disrumpi, hoc est levioribus quibusdam nævis maculari, ut iure vestimenta prædæ appellari possint.

Perperam ergo ex hoc loco Isaiæ colligunt Calvinus, Lutherus et eorum asseclæ, quod omnia opera bona, non tantum infidelium et impiorum, sed et fidelium ac sanctorum, peccato aliquo et labe aliqua concupiscentiæ sint polluta. Lutherus enim in articulis damnatis a Leone Decimo affirmat omnem actionem humanam esse malam. Unde art. 31. sic ait: *In omni opere bono iustus peccat;* addit tamen in eius defensione, hoc peccatum illi non imputari ad culpam mortalem propter fidem qua illi imputatur iustitia Christi; in iis autem qui hanc fidem non habent, vult esse peccatum mortale, et imputari ad peccatum. Idem docet Calvinus lib. 3. Institut. cap. 3. paragrapho 12. *Adeo,* inquit, *vitiatæ et corruptæ sunt omnes facultates, ut in omnibus actionibus emineat perpetua ἀταξία et intemperies.* Verum hoc ut hæreticum merito damnavit Leo x. et Concil. Trident. sess. 6. canon. 7. Perperam, inquam, hoc loco abutuntur: nam primo, ut dixi, non loquitur Propheta de fidelibus et iustis, sed de Iudæis Christo non credentibus et impiis; secundo, *iustitias* eorum vocat, non opera iusta, sed sacrificia expiatoria, quæ iam fœtent et putent. Adde tertio, etsi per *iustitias* acciperemus hic opera et actus iustitiæ, nihil hic haberent hæretici. Nam Isaias tunc exponendus esset, quod loquatur de iis, non divisim, sed collective sumptis, q. d. Hi Iudæi sua opera bona variis sceleribus contaminarunt: quocirca tota eorum vita est inquinata, omnes eorum actus collective sumpti sunt immixti et conspurcati multis peccatorum maculis: perinde ac pannus menstruatæ variis menstrui maculis inficitur, licet hinc inde pars aliqua eiusdem panni munda relinquatur. Tantum enim vult docere Propheta Iudæos hosce esse impuros, impios, ac variis sceleribus varie contaminatos, ideoque a Deo derelictos et reiectos. Denique, S. Macarius hom. 20. et ex eo Delrio adag. 808. Omnia, inquit, etiam sanctorum, opera bona et iustitiæ, si præscindantur a gratia Dei, et accipiantur ut procedentia tantum ex naturæ lapsæ libero, sed vitiato arbitrio, omnes indignæ sunt oculis Dei, et reputantur ut pannus menstruatæ. Opera enim ex operante æstimat Deus. Hic autem operans est homo lapsus, vitiatus, concupiscens et peccator.

In omni opere bono peccat iustus, ait Lutherus.

Cecidimus quasi folium.) q. d. Sicut folium in arbore virens vento discussum dispergitur, marcescit, et in sterquilinium everritur: ita nos Iudæi olim stante Synagoga florentes, nunc ea a Deo ob peccata, præsertim cædis Christi, reiecta et prostrata, cum ea cecidimus, perdidimus omnem vigorem et succum sapientiæ et virtutis; atque defluximus per varias iniquitates, ideoque facti sumus quasi sordes et purgamenta mundi, atque a facie Dei flatu diabolico dispersi, toto orbe vagamur quasi exsules, scelerati et infames. Pulchre S. Gregor. 11. Moral. c. 22. *Homo,* ait, *qui arbor fuit in conditione, folium a semetipso factus est in tentatione; sed post stipula apparuit in deiectione.* Et paulo ante explicans illud Iob c. 13. *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam: Quid est enim,* inquit, *homo nisi folium, qui tentationis vento rapitur, et desideriorum flatibus levatur? Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi tot flatibus movetur. Hanc enim plerumque ira perturbat: cum recedit ira, succedit inepta lætitia. Aliquando hanc superbia elevat; aliquando vero inordinatus timor in infimis deponit, etc. Unde bene per Isaiam dicitur: Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos pondere in vanam elationem levavit.*

Non est qui invocet nomen tuum.) Ea fide, mente, Vers 7.
sanctitate et iustitia, qua par est, ut te iratum, tuamque manum nos punientem teneat, uti fecit Iacob, Moses, Da-

niel, Esdras, aliique Prophetæ. Iudæi enim etiamnum orant Deum, sed fide, mente et pietate, id est impietate, Iudaica, quæ Deum magis irritat, quam conciliat. Nota hic, sanctos viros continere manus et iram Dei; illi ergo sunt salus et columen reip. si illi cadant, cadit et respubl. eius peccata ulciscente Deo: sicut cadente columna ruit domus excusso scuto occiditur miles. Hinc Deus populo suo vitulum adoranti iratus, dicit ad Mosen pro populo orantem et Deo quasi manus tenentem ac ligantem: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam*, Exodi 32. 10.

ALLISISTI NOS IN MANU INIQUITATIS NOSTRÆ.) Id est, propter iniquitatem nostram. Ita Sanchez. Secundo, melius et efficacius, *in manu*, id est, *per*, q. d. Tradidisti nos peccato quasi lictori cruciandos et allidendos. Unde Vatablus vertit: *Contabescere nos sinis in manu iniquitatis nostræ;* et Forer. *Liquefecisti*, vel *resolvisti nos in manu iniquitatis nostræ,* hoc est, tradidisti nos peccatis nostris, ut illa quasi manu sua nos comminuerent, resolverent, et omnem virtutem nostram exhaurirent, ut consistere nequiremus; sed sicut cera quæ liquescit, difflueremus; ac tota respubl. nostra, regnum, cultus, religio, dignitas, insuper fides, spes, charitas, et virtutes omnes, et quidquid virium est tam corporis quam animi, dilaberetur et evanesceret: has enim vires habet iniquitas in sui auctores, ut, si in manus eius tradantur, sive homines, sive integra imperia, brevissimo tempore comminuantur, velut vas testaceum, magna vi lapidum obrutum et obtritum, aut sicut cera a facie ignis liquescit et tabescit.

Vers. 8. ET NUNC, DOMINE, PATER NOSTER.) Vertit se hic ad deprecationem Propheta, ut Deus Iudæorum tam miserorum et cæcorum misereatur. Movet autem ei affectum commiserationis dicendo, *Pater noster et fictor* (figulus, ut vertit Vatablus, qui Adamum patrem nostrum omnium e luto formasti) *noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.*

Vers. 9. NE IRASCARIS, DOMINE, SATIS.) Pro *satis* hebr. est, *usque valde*, hoc est ultra modum, nimis. Orat, ne Iudæorum derelictio duret in æternum.

Vers. 10. CIVITAS SANCTI TUI, hebr. *sanctitatis tuæ*, id est sanctuarii tui, in qua scilicet erat sanctum tuum templum, FACTA EST DESERTA.) Aliter Forer. *civitas sancti tui*, scilicet Davidis, qui in ea olim rex sanctus regnavit. Verum priori sensui favent Hebræa et sequentia: *Domus sanctificationis nostræ* (hebr. *domus sanctitatis nostræ) et* A *gloriæ nostræ, in qua laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis*, id est, templum illud, quod putabamus sanctum esse et inviolabile, de quo gloriabamur quod esset tuum, æque ac nostrum et patrum nostrorum, exustum est.

DESIDERABILIA NOSTRA; Vatabl. *expetibilia nostra*, id est, palatia, aliaque loca splendida, quæ habemus in deliciis, VERSA SUNT IN RUINAS.) A quibus? a Chaldæis, inquit Vatablus. Verum dico, a Tito et Romanis. Ita S. Hieron. Iustin. contra Tryph. Forerius, Adamus et alii passim. Sub Tito enim omnia Israelis bona, tam spiritualia, quam temporalia, corruerunt et interierunt. Unde orationem per pathos commiserationis gentis suæ, ita desolatæ et deploratæ, concludens Propheta ait: Vers. 11.

NUMQUID SUPER HIS CONTINEBIS TE, DOMINE, ET AFFLIGES NOS VEHEMENTER?) Cui quid respondeat Dominus, audiemus cap. sequenti. Vers. 12.

Audi S. Hier. *Iudæi hæc omnia Assyriorum et Babyloniorum temporibus putant esse completa. Nos autem iuxta ea quæ ex persona Salvatoris sequuntur: Apparui his qui non interrogabant, inventus sum ab his qui me non quærebant; ad tempus Romanæ victoriæ universa referimus,* B *quæ Iosephus Iudaicæ scriptor historiæ septem explicat voluminibus, id est περὶ ἁλώσεως, sive de bello Iudaico; et superfluum est ea sermone edisserere, quæ oculis pateant, cum omnia desiderabilia eorum versa sint in ruinam, et templum toto orbe celebratum in sterquilinium urbis novæ, quæ a conditore appellatur Ælia, et in habitaculum transierit noctuarum: frustraque quotidie dicunt in Synagogis suis: Super his omnibus, Domine, sustinebis, et affliges nos, atque humiliabis vehementer?*

Tropolog. idem S. Hieron. hæc refert ad Ecclesiam, vel ad sancti viri animam: *Quæ recte*, inquit, *appellari potest specula, et visio pacis, quoniam Pater et Filius et Spiritus sanctus habitaverunt in ea. Sin vero vitio vel nostro, vel populi, huiuscemodi Sion a Domino fuerit derelicta, statim patebit incendio ignitarum diaboli sagittarum. Omnes enim adulterantes, quasi clibanus corda eorum, Osee 7. Et expulso pudicitiæ frigore, libidinis in templo Dei flamma grassabitur, ut quidquid gloriosum in nobis prius et inclytum fuit, corruat, deleatur et pereat, et impleatur illud Psalmi: Combusserunt igni sanctuarium tuum, profanaverunt in terra tabernaculum nominis tui. Quod solus potest ille restinguere de cuius ventre fluunt aquæ viventis flumina.*

CAPUT SEXAGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Respondet hic Deus Isaiæ querelæ de Iudæorum reprobatione, asseritque eius causam esse non Deum, sed ipsosmet, eo quod ad illos manum extenderit, et illi eam abnuerint: Gentes vero ultro eam requisierint: quare merito se a Iudæis ad Gentes transiisse, præsertim cum parentes eorum idola et Fortunam coluerint, ipsique aliis peccatis propriis, ac præsertim spernendo Deum et Messiam, mensuram peccatorum parentum suorum adimpleverint, ideoque a Deo reprobati, et excidio destinati sunt. Deinde v. 8. hanc suam contra Iudæos sententiam emollit, aitque paucos ex eis ad Christum convertendos esse et salvandos, qui deinde sparsi per Gentes eos subiicient Christo. Denique v. 13. incredulorum infelicitatem, credentium vero felicitatem miram describit, scilicet quod dabit illis nomen novum, quod oblivioni tradentur angustiæ priores, quod creabit cælos novos et terram novam, quod creabit Ierusalem exsultationem, et populum eius gaudium, quod non audietur ultra vox fletus et clamoris, quod copia rerum fruentur, eruntque longævi et benedicti a Deo, qui eos exaudiet antequam clament, facietque ut lupus et agnus simul pascantur.

1. QUÆSIERUNT me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me; dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocabat nomen meum. 2. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. 3. Populus qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper: qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres: 4. Qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt; qui comedunt carnem suillam, et ius profanum in vasis eorum. 5. Qui dicunt: Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. 6. Ecce scriptum est coram me: non tacebo, sed reddam et retribuam in sinum eorum 7. Iniquitates

vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificaverunt super montes, et super colles exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. 8. Hæc dicit Dominus : Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est : sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. 9. Et educam de Iacob semen, et de Iuda possidentem montes meos: et hæreditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi. 10. Et erunt campestria in caulas gregum, et vallis Achor in cubile armentorum populo meo qui requisierunt me. 11. Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, et libatis super eam. 12. Numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis : pro eo quod vocavi, et non respondistis : locutus sum, et non audistis : et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis. 13. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus : Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis : 14. Ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. 15. Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis: et interficiet te Dominus Deus, et servos suos vocabit nomine alio. 16. In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen : et qui iurat in terra, iurabit in Deo amen: quia oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, et quia absconditæ sunt ab oculis meis. 17. Ecce enim ego creo cælos novos, et terram novam: et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor. 18. Sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum, in his quæ ego creo : quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, et populum eius gaudium. 19. Et exultabo in Ierusalem, et gaudebo in populo meo: et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris. 20. Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. 21. Et ædificabunt domos, et habitabunt, et plantabunt vineas, et comedent fructus earum. 22. Non ædificabunt, et alius habitabit; non plantabunt, et alius comedet : secundum enim dies ligni, erunt dies populi mei, et opera manuum eorum inveterabunt : 23. Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione : quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. 24. Eritque antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam. 25. Lupus et agnus pascentur simul, leo et bos comedent paleas : et serpenti pulvis panis eius: non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.

Vers. 1. QUÆSIERUNT ME. Est vox Dei respondentis querimoniæ Isaiæ, q. d. Gentes quibus hactenus ignotus et incognitus fui, cœperunt avide me requirere, mox ut per Apostolorum prædicationem eis innotescere cœpi. Unde dixi, ECCE EGO, relictis Iudæis incredulis, convertam me, et abibo AD GENTEM QUÆ NON INVOCABAT NOMEN MEUM.) Utpote cum iam tanto studio me Christique legem et gratiam quærat: quare eos per Christum ad me et ad salutem adducam.

Moraliter. Nota hic, alacritatem nostram erga Deum, vicissim Dei alacritatem et beneficia in nos provocare. Deus enim munificentissimus, munificentia se vinci non patitur, sed volentibus sponte occurrit eorumque vota adimplet, imo superat et transcendit. Hoc significat hæc iteratio: *Ecce ego, ecce ego.* Ita explicat S. Paulus Rom. 10. 20. additque, *Isaias autem audet, et dicit:* quia nimirum magnæ audaciæ fuit, apud Iudæos prædicare Gentium vocationem, et Iudæorum reprobationem, adeoque Origen. et alii censent hanc fuisse causam mortis et martyrii Isaiæ.

Hæc verba apposite usurpavit S. Menas Martyr. Cum enim per quinquennium mire austeram in deserto egisset vitam, se parans ad martyrium, Dei monitu egressus in urbem solemni Gentilium festo, theatrum conscendit, et e loco sublimi alta voce exclamavit: *Inventus sum ab iis, qui me non quærunt; manifestus evasi iis, qui me non interrogant.* Qua voce omnium in se convertit oculos, ductusque ad præsidem, libere et intrepide Christi fidem prædicans, nervis boum cæsus, ferreis ungulis laceratus, ardentibus facibus ustulatus, aliisque horrendis modis excruciatus; hæc omnia ridens, et constanter Christum celebrans, tandem gladio percussus, gloriosum pro Christi confessione obiit martyrium sub Diocletiano et Maximiano Imper. cuius triumphum anniversaria memoria recolit Ecclesia 11. Novembr.

Vers. 2. EXPANDI MANUS MEAS TOTA DIE AD POPULUM INCREDULUM.) q. d. Ad Iudæos iam inde ab initio sinum et manus expandi, quasi profundens in eos mea munera et charismata, ac præsertim manus expandi in cruce, ait Theodoret. et Forer. ut eos ad me etiam moriens, licet ab eis occisus, allicerem et amplecterer. Verum ab eis nihil impetravi: nam priscæ idololatriæ et sceleribus patrum, filii nova crimina addunt; et sicut patres increduli fuerunt Deo colendo idola, ita filii increduli sunt Christo, sequentes suas cogitationes, et pertinaciter adhærentes Mosi et A iudaismo. Ita explicat Apostolus Rom. 10. 20. et ibidem Ambr. Orig. Chrysost. atque S. Hieron. Cyrill. Theodor. hic, et Hilar. lib. 5. de Trinitate, et Cyprian. lib. 1. contra Iudæos c. 21.

Pro *incredulum* hebr. est סורר *sorer*, id est, recedentem, rebellem, contumacem, et, ut Apostolus vertit, *non credentem et contradicentem.*

POPULUS QUI AD IRACUNDIAM PROVOCAT ME ANTE FACIEM MEAM SEMPER.) Nam patres in templo, quasi ante faciem Dei, immolabant idolis, ait Cyrill. filii vero Christo in faciem resistebant, eumque conviciabantur. Vers 3.

ET SACRIFICANT SUPER LATERES.) Id est, super altare constructum ex lateribus, more Gentilium, inquit S. Hieron. Unde Iudæis id vetitum erat: eis enim iusserat Deus, ut altare construerent ex terra, aut lapide impolito. Causas dedi Exodi 20. 24. Verum Nota: Pro *qui sacrificant*, heb. est מקטירים, *maktirim*, id est, ut Septuag. θυμιῶσιν, *thymiama adolent*, thurificant, incensant. Iudæi enim ex lege Exodi 30. v. 1. thymiama adolebant in altari, non holocaustorum, sed thymiamatis, quod factum erat ex lignis setim auro obductis: hi vero ex gentilitio ritu idem habe- B bant altare holocaustorum et thymiamatis, illudque ex vili latere factum et fictum. Hoc taxat et ridet hic Propheta.

QUI HABITANT IN SEPULCRIS.) Septuag. vertunt, *Qui in sepulcris et specubus dormiunt propter somnia*: ut scilicet per ea edoceantur de veritate rei arcanæ, vel futuræ, quam quærunt, eamque aliis revelent, itaque quasi Prophetæ divinent: quomodo Pomponius Mela, et alii narrant, Libyas mortuos colere pro numinibus, et sepulcris incubare, ut a mortuis petant somnia, quibus admoneantur quid in rebus arcanis et dubiis facto sit opus. Ita Cyrill. Theodor. et alii. Vers 4. Dormire in sepulcris genus divinationis.

Erant enim sepulcra veterum, uti etiamnum sunt regum et Religiosorum, ampla et spatiosa, instar camerarum vel cubiculorum, in quibus proinde dormire, quin et habitare poterant.

Unde secundo, notantur hic magi et sagi, qui in sepulcris degebant, ut ibi dæmonem consulerent, cum eoque colloquerentur. Dæmones enim sepulcra adamare, patet ex dæmoniacis habitantibus in monumentis, quos Christus sanavit, Matth. 8. 28. Dæmones enim, quia fœtidissimi et spurcissimi sunt, hinc fœditissima induunt corpora, et fœtidissima ambiunt loca, utpote sibi similia, qualia sunt sepulcra, patibula, cavernæ, etc. Adde, nutu Dei Dæmones amant sepulcra tres ob causas. 1.

2. hoc fieri, ut simul significetur illos delectari hominum morte, et inter mortuos versari; perinde ac carnificis, et reorum plectendorum locus est Golgotha, sive Calvaria.
3. Denique tertio, S. Chrys. Theoph. et Euthym. in Matth. 8. tradunt id eos facere, ut hominibus persuadeant hominum animas in dæmones commutari, ac suis corporibus sepultis assidere. Unde S. Chrysost. Dæmoniaci, ait, clamant: *Anima illius ego sum.*

Et in delubris idolorum dormiunt.) *Ubi stratis pellibus hostiarum*, ait S. Hieron. *incubare soliti erant ut, somniis futura cognoscerent. Quod in fano Æsculapii usque hodie error celebrat Ethnicorum, multorumque aliorum, quæ non sunt alia nisi tumuli mortuorum.* Sic in Æsculapii delubro dormisse ægros, ut ab eo sanitatem impetrarent, testatur Aristophanes in Pluto. Sic Tertul. lib. de Anima c. 54. asserit, *Nasamonas propria oracula apud parentum sepulcra mansitando captare, ut Heraclides scribit: et Celtas apud virorum fortium busta eadem de causa abnoctare, ut Nicander affirmat.* Quocirca Isaias delubra hæc iungit sepulcris, quia iuxta sepulcra suorum solebant erigere delubra, vel ut deos suis defunctis facerent propitios et provisores, vel ut in iis defunctos heroes et principes, quasi inter deos relatos colerent. Unde Asconius in Divin. censet in delubris ablui solita mortuorum corpora, indeque loca ante aras dicta delubra, quod in iis essent labra, id est conchæ et vasa, ad abluendos mortuos; vel ut alii, delubra dicta a diluendis tum cadaveribus, tum manibus sacerdotum ante sacrificium; licet Festus delubrum dici putet quasi delibratum, id est decorticatum fustem, quem venerabantur pro Deo. Servius vero: Delubrum, ait, dictum est, quod uno tecto plura complectitur numina, ut est Capitolium, in quo est Minerva, Iupiter, Iuno. Videntur ergo Gentiles in delubris, æque ac in sepulcris, divinationes captasse et oracula per necromantiam.

Perperam ergo Vigilantius, et nostri hagiomachi, hoc detorquent contra basilicas Martyrum, in iisque vigilias fidelium et orationes. *Hoc enim*, ait S. Hieron. *non tam illi faciunt, quam habitantes in illis dæmones, fortitudinem et flagella sancti cineris non ferentes.* Nota hoc, Calvine.

Rursum in delubris idolorum, præsertim Veneris dormiebant vacantes libidini, uti ostendam Baruch 6. 24. Secus fiebat in vigiliis Christianorum; illi enim in templis pernoctabant vacantes orationi. Porro quam hoc gratum sit Deo et Sanctis, multis miraculis sæpe declararunt. Audi unum illustre quod Romæ in basilica S. Petri contigit anno Christi 649. Martino I. Summo Pontifice, quodque narratur in Concilio Toletano VII. in fine. Cum in Hispania non inveniretur prima et secunda pars Moralium S. Gregorii, Taio Cæsaraugustanus Episcopus Romam profectus est, ut eos inde transferret in Hispaniam. Cumque Romæ Chartophylaces ei moram necterent in perscrutandis archiviis et scriniis, Taio nocte ad sepulcrum S. Petri pervigilans, oransque sibi indicium librorum S. Gregorii dari, vidit totam ecclesiam immenso lumine repleri. Deinde conspexit magnam augustamque albatorum Præsulum multitudinem binos et binos ad altare S. Petri tendere. Ex hisce duo ad Taionem diverterunt, unusque ex eis scrinium, in quo libri quæsiti continebantur, ei digito ostendit. Quæsivit Taio: *Quænam hæc tam præclarorum virorum est processio?* Protinus ille respondens: *Duo*, ait, *illi quos præcedentes, seque invicem manu inserta vides complectentes, sunt SS Petrus et Paulus. Reliqui vero quos post eos cernis stantes, ipsi sunt successores eorum, huius Apostolicæ Sedis ex ordine Pontifices. Et sicut hanc Ecclesiam in vita sua dilexerunt, ita et nunc post obitum diligunt, et frequenter eam invisere veniunt.* Tunc Episcopus: *Oro*, ait, *mi Domine, ut dicas mihi, quisnam tu ipse sis?* Ille respondit: *Ego sum Gregorius, pro cuius libris tanti itineris laborem sustinuisti.* Rursum Episcopus: *Obsecro*, ait, *Domine mi (si hic est) mihi dicas, quisnam istorum est S. Augustinus, cuius libros non minus quam tuos dilexi?* Cui S. Gregorius: *S. Augustinum virum excellentissimum alius a nobis continet locus.* Non enim Romæ in ista basilica sepultus est. His dictis ad cætum aliorum cum socio rediit, omnesque simul ad altare S. Petri reverenter submissis capitibus inclinantes, eodem quo venerant ordine et lumine recesserunt. Denique Taio libros in scrinio sibi ostenso quærens reperit, et in Hispanias detulit.

Pernoctare ad sepulcra sanctorum pium et utile. Exemplum rarum.

Accipe alterum. Theodosius Senior magnificum templum exstruxit Constantinopoli in honorem S. Ioan. Baptistæ, eoque transtulit sanctum eius caput, qua de causa etiamnum celebramus festum decollationis S. Ioannis Baptistæ 29. Augusti, uti testantur Prosper in Chronico, Sozom. l. 7. 21. Cedrenus, Sigebertus anno Domini 392. et alii. Exorto postea bello periculoso inter Eugenium tyrannum et Theodosium, Theodosius, magis Deo et Sanctis quam armis nixus, in hoc templo ardentes preces effudit, invocavitque opem S. Ioannis, ut ipse esset protector eius et belli dux. Exaudiit Sanctus, ac remuneratus est pietatem Imperatoris: nam cum prælium committeretur, cæsus est Eugenius, dux eius Arbogastes fuga elapsus, se ipsum interemit. Porro id factum esse ope S. Ioannis patuit ex eo quod narrat Sozomenus l. 7. 24. *Fertur*, ait, *quod eo tempore quo collectis copiis Imperator in templo Dei, Hebdomo dicto, orabat dæmon quidam egressus et in sublime raptus, Ioanni Baptistæ conviciatus sit, et capitis amputationem exprobrando exclamaverit, dicens: Tu me vincis, et exercitui meo insidiaris. Qui adfuerunt, etc. diem quo ista acciderunt, conscripserunt, et paulo post de bello ab illis qui interfuerunt, sic ea gesta esse cognoverunt.*

Nota: Vitia quæ hic taxat Isaias, spectant Iudæos non tam tempore Christi (tunc enim non coluerunt idola) quam eos qui vixerunt sub tempora, et post tempora Isaiæ: horum enim, æque ac posterorum peccata arguit. Solent enim Prophetæ de posteris ita prophetare, ut tamen parentum vitia, moresque sui ævi taxare non negligant.

Forerius, ut ostendat hæc etiam Iudæis tempore Christi convenire, mystice omnia et symbolice explicat. Pharisæi, inquit, primo, immolabant in hortis diis suis, non Priapo aut Iovi, sed gulæ, ventri, et cupidini suo. Secundo, immolabant super lateres: quia in vasis testaceis adolebant thus, aliosque suffitus ad mollitiem et delicias. Tertio, habitabant in sepulcris, id est erant hypocritæ, et eorum instar exterius speciem præferebant pietatis, cum intus essent pleni dolo et avaritia: erant ergo ipsi sibi quasi sepulcra dealbata. Quarto, dormiebant in delubris, id est horrenda facinora patrabant. Verum hæc mystica sunt, non litteralia. Unde et Pythagoras tertium hoc symbolum habuit, sed alio sensu: *In sacrato*, ait, *sepulcro dormire periculosum est*, id est, res superis consecratas ad voluptatem et socordiam substernere periculosum est: quia hoc iram et vindictam Dei provocat.

Qui comedunt carnem suillam, et ius profanum.) Taxavit Iudæorum idololatriam: nunc taxat gulam et inobedientiam, quod scilicet carnes lege vetitas, uti porcinam, coquerent et comederent. Hinc earum ius vocatur *ius profanum*, id est vetitum. Cum enim caro comedi vetatur, etiam ius carnium vetatur. Rursum ius profanum erat, quod ex victimis pacificis coctis, in secundum: aut, si ex voto esset, in tertium diem relinquebatur: eodem enim die comedi debebat: unde si in tertium diem reservaretur in vasis, erat פגול *piggul*, id est res immunda et inquinans, Levit. 7. 15. et c. 19. 7. Ita Forer. Porro caro suilla, sive porcina, quia sordida, vetita fuit Iudæis, Levit. 11. 7. Unde porcum a spurcitie dici censet Rupert. l. 2. de Trinit. c. 33. *Latinus*, ait, *caballum a cavando nuncupat, eo quod terram cavet ungula: asinum ab assidendo: porcum quasi spurcum, eo quod spurcus sit: et canem, eo quod canorum continet venando latratum.* Ita ipse, de quo iudicent Onomastici.

Qui dicunt Gentili, recede a me, quia immundus es.) q. d. Hi Iudæi ex fastu aversantur Gentiles, quasi immundos, quod suilla aliisque carnibus lege vetitis ve- Vers. 5.

scantur; cum tamen ipsimet easdem comedant: ac proinde immundiores sunt Gentibus, cum contra legem suam faciant; Gentibus autem nulla lege hæ carnes vetentur.

ISTI FUMUS ERUNT IN FURORE MEO. IGNIS ARDENS TOTA DIE.) q. d. Isti ibunt in fumum et ignem, tum Titi et Romanorum, qui Hierosolymam comburent; tum in fumum et ignem, hoc est in ignem non lucentem, sed fumantem, tetrum, fœtidum et caliginosum gehennæ. Est metonymia: *ignis* enim et *fumus* vocantur, obiecta et fomenta ignis et fumi, qualia erunt corpora damnatorum, v. g. Iudæorum horum Christum respuentium. Ita S. Hieronymus Forer. Adam. et alii.

Vers. 6. ECCE SCRIPTUM EST CORAM ME.) q. d. Scripta sunt eorum peccata tum in ipsorum conscientia, tum in memoria et mente mea; ac proinde iugiter oculis meis obversantur, pulsantque iustitiam meam, ut iustam vindictam in eos exerat. Alludit ad Deuter. 32. 34. *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? Mea est ultio, et ego retribuam eis in tempore.* Sic et ait Ierem. c. 17. v. 1. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino*, de quo ibi.

NON TACEBO.) Non quiescam, non cessabo a vindicta Iudæorum. Respicit ad id quod dixit cap. 42. 14. *Tacui semper, silui, patiens fui, quasi parturiens loquar;* sæviam nimirum in Iudæos tempore Christi, cum ipsi mensuram peccatorum patrum suorum plane impleverint: tunc enim et parentum et filiorum peccata, totius gentis excidio mulctabo. Vide dicta Genes. 15. 16. Hoc est quod Christus ait Iudæis Matth. 23. 32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum, ut veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ, etc.*

Vers. 7. QUI SACRIFICAVERUNT SUPER MONTES (in locis altis, quæ excelsa dicta sunt) ET SUPER COLLES EXPROBRAVERUNT MIHI.) Qui enim colunt idola quasi deos, exprobrant Deo arrogantiam divinitatis, eamque a Deo, quasi falso usurpatam, in idola, quasi illis debitam, transcribunt. Adde, solere idololatras sua idola laudare, iisque ascribere suas opes, victorias et fortunas; atque e contrario Deum Iudæorum conviciari et subsannare, uti fecerunt Iudæi adorantes vitulum aureum, Exodi cap. 32. v. 4. *Hi sunt*, inquiunt, *dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

ET REMETIAR OPUS EORUM PRIMUM IN SINU EORUM.) q. d. Prima et prisca Iudæorum opera remunerabor rependamque, pœnas meritas effundendo in sinum eorum.

Vers. 8. QUOMODO SI INVENIATUR, etc.) Hic querelam Isaiæ mulcet et mitigat Deus per consolationem aliquam, quam desolationi Iudæorum immiscet, q. d. Sicut si quis in botro corrupto, v. g. conglaciato, pedibus contrito, aut putrido, unum granum vel acinum (ita et Septuag. et Vatablus: perperam ergo Morloratus pro grano vertit *mustum*) illæsum et integrum inveniret, diceretque alteri: Ne carpas illud, aut abiicias; sed, Sine ut seratur, germinet et crescat in vitem novosque botros procreet: *Quoniam benedictio in eo est* (ita habent Hebræa) *benedictio*, id est fœcunditas, puta semen, et spes propaginis. Sic enim benedicere in Script. sæpe significat benefacere, puta facere ut crescat et multiplicetur. Sic Deus benedixit homini, animalibus et plantis, dicens: *Crescite et multiplicamini* Gen. 1. 22. Pari modo ex Iudæis paucos aliquos, instar acini ex botro, id est ex tota gente illæsos servabo, ut non tota gens pereat, sed maneat semen, puta Apostoli, aliique pauci credentes in Christum, qui suam deinde fidem et gratiam in alios propagabunt. Hoc est quod dixit Isaias cap. 1. 9. et ex eo Paulus Rom. 9. 29. *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus.* Ita S. Cyrillus, Hieronymus, Rupertus et Eusebius l. 2. Demonstr. c. 49.

Vers. 9. Hoc est quod subdit Isaias: ET EDUCAM DE IACOB (de Iacobitis, sive Israeliti) SEMEN iam dictum, ET DE IUDA (de Iudæis) POSSIDENTEM MONTES MEOS.) Puta Apostolos eorumque successores, qui possidebunt Ierusalem sitam in montibus, id est Ecclesiam, cuius doctrina et vita

A excelsa est et cælestis. Ita Forerius, Vatablus et alii.

ET ERUNT CAMPESTRIA IN CAULAS GREGUM.) Pro *campestria* hebr. est שרון *sciaron*. Sciaron autem ait S. Hier. in c. 37. Isaiæ, *omnis iuxta Ioppen Lyddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque tenduntur.* Unde vertunt, *campestria*, quomodo campestris regio in Italia et Gallia fertilissima est, quæ vulgo Campania vocatur. *Sciaron* ergo per synecdochen significat arva vernantia et quemvis locum fertilem et amœnum, q. d. Fidelibus in Ecclesia, quasi in montibus amœnissimis et pascuis uberrimis, dabo uberrima et lætissima pascua, ut ibi pascantur et stabulentur, uti greges in caulis campestribus. Est continua metaphora, sive allegoria. Vers. 10. Sciaron pro fertili.

ET VALLIS ACHOR IN CUBILE ARMENTORUM, POPULO MEO.) *In cubile*, id est, instar cubilis. Nota: Vallis Achor erat iuxta Iericho, Iosue 7. 26. ac proinde pinguissima et fertilissima. Talis enim erat ager Iericho; ibi enim balsamum provenit, et nusquam alibi abundat rosetis, cannis mellis, palmetis; unde et civitas palmarum est appellata. Vallis Achor quæ?

B Dicitur *Achor*, id est turbationis, eo quod in ingressu terræ sanctæ sub Iosue, ob sacrilegium Achan, ibi Israel turbatus sit et cæsus; sed punito et occiso Achan, per Iosue, qui typus erat Iesu Christi, ei et sociis mœror in gaudium est versus; ibique aperta est spes victoriæ et quietis, ubi fuerat desperatio et turbatio. Iam *vallis Achor* hic primo, accipi potest mundus, in quo nos turbant homines, caro et dæmon, q. d. Licet mundus sit vallis Achor, id est turbationis, in eo tamen per Christum omnes fideles suaviter requiescent; nam vi gratiæ, et fortitudine Spiritus sancti omnem turbationem vincent, aut generose sufferent. Secundo, *vallis Achor* est regio Gentium, sive gentilitas ante Christum. Ita Cyrill. Tertio, et optime, *vallis Achor* est Iudæa. Achan enim significat Iudæos incredulos Christo, et Christianorum hostes ac turbatores. De Iudæis enim hic egit a v. 8. et deinceps, et sic *vallis Achor* pro Iudæa capitur Osee 2. 15. q. d. E Iudæa Christi et Christianorum turbatrice prodibunt, in eaque

C quiete agent, pascentur, aliosque pascent, *armenta*, id est Apostoli, aliique Christiani. Loquitur enim de Iudæis fidelibus et Christianis; nam de infidelibus agit in sequentibus. Vide can. 6. et 7.

ET VOS QUI DERELIQUISTIS DOMINUM. Transit ad Iudæos impios et infideles, tum suo tempore, tum patrissantes tempore Christi; utrorumque enim impietatem et infidelitatem, horum in Christum, illorum in Deum, arguit. Unde ait: QUI OBLITI ESTIS MONTEM SANCTUM MEUM.) Puta Sion, eiusque templum, et confugitis ad excelsa idolorum, ac tempore Christi relicta Ecclesia, quæ cœpit in Sion, pertinaciter adhæretis impiis Scribis et Pharisæis. Vers. 11.

QUI PONITIS (disponitis, instruitis) FORTUNÆ MENSAM.) Pro *Fortunæ* hebr. est גד *Gad*, id est, felicitas fortunæ. Unde Lia filium ex Zelpha ancilla sua natum vocavit *Gad*, dicens: *Feliciter*, scilicet hic mihi filius natus est, Gen. 30. 11. Hinc ergo patet, *Gad* fuisse Deum Gentium, a quo in bellis fortunam et victoriam pendere cen-

D sebant, quem proinde alii Martem, alii Fortunam vocabant. *Gad* enim deducitur a גדוד *ghedud*, id est, a turba vel globo militari, cui Martem præesse censebant. Atque hinc Germani, olim bellis et rapinis addicti, Deum suum vocaverunt *God*, quasi fortitudinis æque ac fortunæ bellicæ præsidem. In prælio enim, ut ait Poeta, *sors et virtus miscentur in uno.* Hinc pro *Gad* Forster. et Forerius vertunt, Martem: R. Moses, Iovem; Noster, Vatablus, Syrus et alii, Fortunam; Arias, bonam gratiam, vel bonum eventum. Hac de causa *primus*, inquit Plutarchus libr. de Fortuna Roman. *Fortunæ templum dedicavit Ancus Martius, sorore Numæ natus, videturque fortunam cognominem fecisse fortitudini, cui ad obtinendam victoriam fortuna plurimam confert.* Et inferius: *Quæ vero ad Tiberim dedicata est, fortuna fortis scilicet, vi omnia vincendi prædita et generosa, ei fanum in hortis populo a Cæsare legatis ædificaverunt; quod hunc quoque favore Fortunæ ad summum imperium evectum iudicarent; quod et ipse* Gad et God erat Deus Mars vel Fortuna.

*

testatus est. Gad ergo est Fortuna fortis, sive Mars et Fortuna. A

Mos epulandi initio anni, unde. Audi et S. Hieron. *Est in cunctis urbibus, et maxime in Ægypto, idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni ponant mensam refertam varii generis epulis, et poculum musto mistum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant Israelitæ omnium simulacrorum portenta venerantes.* Sicut Apim, quem in Ægypto coli viderant, vitulis aureis quos fabricarunt et adorarunt; tum in deserto, tum in Chanaan imitati sunt. Atque hic mos Gentilium, apud eosdem ad Christum conversos, mansisse videtur. Hinc enim videtur manasse illa consuetudo Christianorum, ut ultimo die anni æque ac primo convivia ineant, ut præteriti anni felicitatem lætitia terminent, et novi prosperitatem eadem auspicentur, et invicem apprecentur.

Certum ergo est Gentiles Fortunam coluisse ut Deum aut Deam. Unde Virgil.

Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum.

B Causam quæris? Assigno. Multa in rebus humanis fortuita sunt, et fortuito eveniunt, uti opes, honores, victoriæ in bello. Rursum, probis sæpe adversa, impiis prospera, non merito, sed quasi fortuito accidunt; unde plebs Fortunæ hæc tribuit, nesciens Fortunam regi a Dei providentia. Cur Gentes coluerint Fortunam? Hinc multi dicunt illud Herculis: *Ut quid incubui virtuti, quam video subiacere fortunæ?* Hac ergo de causa Gentiles coluerunt Fortunam, quasi deam potentissimam, suosque beantem. Quin et apud Christianos non desunt, qui fortunæ plus tribuant, quam prudentiæ aut virtuti. Ita avarus ille apud Nazianz. in tractat. de fortuna dicebat: *Gutta bonæ sortis sive fortunæ, potior mihi est bonæ mentis sive prudentiæ cado.*

Bupalus, inquit Girald. syntag. 16. primus omnium Fortunæ statuam Smyrnæis effecit, polum capite sustinentis, manuque Amalthææ cornu. Post hæc Pindarus deam ipsam celebravit. Verum iam ante Orpheus Fortunæ hymnum cum thuris thymiamate concinuit. Fuit et in Ægera urbe Fortunæ simulacrum, gestantis similiter cornu C copiæ, iuxta quem Cupido erat alatus. Qua re significari putat Pausanias, quod ea etiam quæ ad amorem pertinent, fortuna magis quam pulchritudine mortalibus succedant. Sic et Lactant. libr. 3. cap. 28. docet Fortunam effigiari cum cornu copiæ et gubernaculo, tamquam opes tribueret, et humanarum rerum regimen obtineret. Hinc Plinius lib. 2. c. 7. exclamat: *Toto mundo et locis omnibus omnibusque horis, omnium vocibus sola Fortuna invocatur, et una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur; sola laudatur, sola arguitur, et cum conviciis colitur, volubilisque existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix; huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, adeoque obnoxiæ sumus sortis, ut sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.* Fuit ergo hæc fraus diaboli, ait S. August. lib. 4. de Civit. cap. 19. *ut homines recte vivere, perinde ac Deum non curarent, conciliata sibi fortuna, quæ illos sine ullis bonis meritis faceret fortunatos.*

Fortunam. I. Pingebant cæcam. Porro Fortunam pingebant primo, cæcam, uti fecit Cebes Thebanus in Tabula: *Sed mulier*, inquit, *illa quænam est, quæ cæca atque insana, super rotundo quodam lapide consistere videtur? Fortuna*, ait, *vocatur: ea autem non solum cæca, sed insana etiam et surda est. Quænam huius sunt partes? Obambulat*, inquit, *quocumque gentium, et aliis quidem facultates eripit, aliis tradit, ab eisque rursus aufert quæ tradiderat, atque aliis temere tribuit.* S. August. lib. 7. de Civit. 3. *Fortunam*, ait, *deam antiqui dixere, non rationabili dispositione, sed ut temere acciderit, sua cuique dona conferre. De hac Sallustius: Sed profecto Fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex libidine magis quam ex vero celebrat, obscuratque.* Verum Sallustio sapientior Seneca in epistol. *Nihil*, ait, *neque boni, neque mali dare potest Fortuna; valentior enim omni fortuna est animus, qui in utramque partem res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi causa est.* Et Iuven.

Nullum numen abest, si sit prudentia; sed te

Nos facimus, Fortuna, deam, cæloque locamus.

Et Plautus Trin. *Sapiens pol ipse fingit fortunam sibi.* Et Attius apud Sallust. ad Cæsarem dixit: *Fabrum esse suæ quemque fortunæ.* Et Fabius apud Livium libr. 22. *Bono imperatori haud magni momenti fortunam esse mentem rationemque dominari.* Quisque sibi fortunæ est faber.

II. Mulierem. Secundo, eam mulierem pinxerunt. Audi Artemidorum: *Mercurius*, ait, *iuvenis et adolescens, Hercules iuvenculus, Iupiter vir, senex Saturnus, Dioscuri gemini adolescentes, Spes virgo, Diana et Minerva: Spes quidem ridens, Diana casta facie, Minerva Gorgonem intuens. Fortuna mulier iuvenis, vetus Vesta. Parcæ tres mulieres vestitæ, nudæ Horæ, lavantes Nymphæ.*

S. August. lib. 4. de Civit. c. 19. tradit muliebris Fortunæ simulacrum Romæ a matronis dedicatum et appellatum fuisse, quod et sæpius locutum esse tradiderunt. Causam dat Girald. syntag. 16. et Plutarch. lib. de Fortuna Roman. Cum enim Coriolanus exsul bellum patriæ, nimirum Romæ, intulisset, nec armis resisti posset, nec precibus; mulierum tamen lacrymis placatus est, ideoque templum exstructum Fortunæ muliebri, via Latina, quarto ab Urbe lapide.

III. Rotæ insistentem. Tertio, alii, inquit Girald. synt. 16. inter maris undam velificantem finxere Fortunam, alii in saxi aut montis cacumine ventis expositam, plerique rotæ insistentem pinxere. Certe Apelles cum Fortunam ipse sedentem pinxisset, rogatus cur id fecisset? *Quia*, inquit, *numquam stetit.* Apud Scythas vero sine pedibus fingebatur, ut manus tantum et pennas haberet, instar avium quas Apodas vocant, quod pedibus careant, alii Cypselos nominant, de quibus Plinius lib. 10. 39. Fuere et qui Vitream, propter fragilitatem, vocavere. Alii Fortunam in equo velocissimo constituerunt, et currentem eam Fatum arcu intento insequi, fortunæ instabilitatem pernicitatemque significantes, eamque Fati vi semper agi: hinc adagium, *Fortuna Euripus*, significans eius inconstantiam.

IV. Cum cornu copiæ. Quarto, pingebatur cum cornu copiæ. Hinc et Mammosa a Romanis nuncupata est, ob ubertatem et fœcunditatem. Item Obsequens, hoc est favens et indulgens, et a Virgil. Omnipotens, ait Lactant. l. 3. cap. 28. Unde Romani imperium magis fortunæ quam virtuti debent, inquit Plutarchus, lib. de Fortuna Romanorum. Ubi et addit exemplum illustre. Fortuna, ait, Cornelium Syllam e gremio Nicopolis scorti sublatum, super Cymbricos Marii triumphos et septem eius consulatus extollens, unius in remp. potestate ac dictaturis affecit: qui sane palam se, et res a se gestas Fortunæ in adoptionem dedit, clamans cum Œdipo Sophocleo: *Ego meipsum puto Fortunæ filium.* Sylla fortunæ filius. Subdit deinde: *Numa, et qui eum secuti sunt reges, Fortunam admirati sunt, ut principem alumnamque Romæ, et quod (ut Pindarus dixit) revera Urbem ferret.* Sic etiamnum rex Narsingæ late dominans in India Orientali, se indigitat *sponsum subrasthi*, id est, bonæ fortunæ, uti liquet ex epistol. Indicis.

V. Auream. Quinto, aurea Fortuna in cubiculis Imperatorum habebatur. Hæc et morituro ipso præsente transferebatur ad D successorem: unde factum est, ut Fortunam auream alicui dicamus. Hanc vero et regiam Spartianus in Severo nuncupavit.

Dionys. Halicarnass. l. 4. scribit Servium Tullum Roman. regem superatis Hetruscis, Romæ duo templa Fortunæ construxisse, qua per omne vitæ tempus usus erat prospera (nam e servo evectus est ad regnum idque felix et prosperum) alterum in foro Boario, alterum ad ripas Tiberis. Addit Plutarch. Servium prædicasse, consuetudinem sibi esse cum Fortuna, eamque per fenestram quamdam ad se delabi in cubiculum solitam, et subdit ab ipso in Capitolio fanum constructum Fortunæ Primigeniæ, de qua Poeta:

Tu quæ Tarpeio coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex semper Fortuna meorum,
Accipe quæ pietas ponit tibi dura merenti.

Causam addit, quod Fortuna Urbi et imperium et originem præstitit. Ita ipse lib. de Fortuna Roman.

Exstat hic Romæ in palatio Illustriss. Card. Farnesii, cuilibet visendum priscum Fortunæ simulacrum. Statua est lapidea ingens et procera, muliebri forma, manu orbem continens, cum hac inscriptione: *Fortunæ reduci domus Augusti sacrum.*

Mensam.) Nota: Gentiles diis suis instruebant mensas, putantes eos deliciis nostris pasci et delectari, æque ac ipsi delectabantur. Ex se enim et suo appetitu, deorum suorum appetitum metiebantur. Ita Belo ponebant mensam, putantes Bel cibos omnes in ea positos devorare, cum sacerdotes eos vorarent, Daniel. 14. 14. Ita Iudic. 9. 27. in fano dei sui convivantes Sichimitæ, conviciabantur Abimelech. Peculiariter autem Fortunæ, quasi deæ festivæ et lætæ, omnemque prosperitatem aspiranti, instruebant mensam et convivium, ut deam quasi Hilarinam hilaritate colerent, cum eaque quasi convivarentur, et genio indulgerent. Hac superstitione correcta, Deus transtulit ad sui cultum, voluitque in suo altari sibi apponi carnes quasi ad cibum, et vini libamen quasi ad potum, indeque altare dictum est mensa Domini, ut dixi Levit. 1. et 2.

Meni quis?

Et libatis super eam.) Hebr. *Impletis ipsi Meni potionem*, vel *libamen*, quod Septuag. vertunt: *Impletis ipsi dæmoni potionem.* Videntur enim ipsi cum Symmacho legisse מני *minni*, id est, *absque me, q. d. Qui paratis Fortunæ mensam, et impletis absque me potionem, ut doceat eam non sibi fieri, sed dæmoni*, inquit S. Hieron. Dæmon ergo dicitur *minni*, id est, absque me, quia est sine Deo, imo contra Deum. Secundo, alii, ut Pagninus, *minni*, vertunt, *planetis;* alii, *fato*, ait Vatablus. Tertio, Forerius per *meni* (ita enim ipse aliis punctis legit) accipit Mercurium; erat enim ipse præses computuum et negotiationum, a radic. מנה *mana*, id est, numeravit, supputavit. Mercurio ergo libabant, ut in negotiationibus feliciores essent. Nam eidem etiamnum Astrologi vim quamdam ascribunt divinam in illos qui eo horoscopo seu ascendente nascuntur, qua sint in negotiationibus cæteris feliciores. Quarto, valde probabiliter Sanchez, למני *limni*, vertit, *ad numerum*, putatque alludi ad antiqua sacra in Annæ Perennæ memoriam instituta. Anna enim dea, ab annis quibus præsidebat, vocata est, et illi mense Martio sacrificabant, quo eis annare et perennare liceret. Fuit ipsa Beli filia, soror Didonis, quæ Laviniam Æneæ uxorem sibi insidiantem fugiens, in Numicum amnem se præcipitem dedit, ac persequentibus se loqui visa:

Placidi sum nympha Numici,
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor,

Ita Ovid. l. 3. Fastor. In sacris ergo Annæ superstitiosi Gentiles ad numerum bibebant, putantes tot annos vitæ sibi adiiciendos, quot cyathos in ea solemnitate hausissent, de quibus Ovidius ubi supra:

Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic qui Nestoris ebibat annos,
Qui sit per calices facta Sibylla suos.

Sic et Arias, et Delrio adagio 810. putant hic notari eos, qui in honorem Dei sui tot bibebant cyathos, quot litteras continebat eius nomen. His ergo denuntiare iubetur Propheta, cyathos illos vitæ annos non additūros, sed detracturos; neque enim ipsi numerabunt annos, sed potius ipsos numerabit gladius, ut sequitur.

Septuag. *meni* vertunt, δαίμονι dæmoni, vel genio. Nam Scholiastes Apollonii lib. 1. tradit tria fuisse præcipua et sacra pocula in conviviis, primum Iovis sospitatoris, secundum boni genii, tertium Mercurii præsidis somni. Primum *Iovis servatoris* dictum est, *bonæ valetudinis*, unde Galli sumpserunt, *boire à la santè*. Secundum, *Boni genii* est *Fortunæ*, quod post cœnam in illius honorem hauriebant, ita illam venerantes, et quasi abnegantes Dei providentiam. Ex hac superstitione manavit superstitio recentior, epulas nocturnas instruendi Dominabus bonis, seu Sibyllis albis, et earum reginæ Abundiæ. Tertium bibebant ad conciliandum somnum quod etiamnum bibunt Germani. Hoc est quod dixit Antiphanes apud Athenæum lib. 10.

Ad usque tria pocula venerandos esse deos.

Hæc fusius ex Athenæo, Nicostrato, Eripho, Diphilo et aliis probat et elucidat Delrio adagio 811. Ubi et addit primo, Septuag. Fortunam vocare dæmonem, nonnulla allusione vocis Hebrææ *lameni* ad Græcam *dæmoni*. Secundo, hinc videri manasse morem Belgarum et Germanorum bibendi post dictas gratias. Tertio, nostrum interpretem hæc omnia complexum uni Fortunæ tribuisse, quia hæc Gentilium erat Iupiter, id est Deus. Notare ergo eum unius idololatriæ geminam actionem, Fortunam videlicet colentium, primo, mensæ appositione; secundo, post mensam libatione facta dæmoni; et quia hoc poculum tantum degustabatur, illum usum voce *libandi super mensam*, hoc est, post mensam finita cœna.

Noster ergo interpres videtur secutus Septuag. et Symmach. ideoque interpretationem τὸ *Meni* omisit, quasi satis contentam in nomine *Fortunæ*, quod præcessit; qui enim Fortunæ libant, non Deo, sed dæmoni libant; unde S. Hier. in Comment. aliam *Meni* explicationem non adfert. Aut potius id fecit, ut videtur, eo quod per *Meni* intellexerit Fortunam, quasi ea dicta sit *Meni*, a numero vel ferculorum, quæ ei in mensa apponebantur, et, ut Hebr. עורכים *orechim* significat, ordinabantur, id est, ordinate disponebantur; vel cyathorum, quos in eius honorem ebibebant, uti iam dixi; vel opum, mercium et bonorum, quæ sibi a Fortuna dari precabantur (inde enim fortunæ dictæ sunt opes, quod eas a Fortuna dari et afflari putarent) vel turbarum et copiarum militarium. Has enim proprie significat Hebr. גדוד *ghedud*, a quo nomen *Gad*, id est, Fortuna, deductum est; hanc enim illis præesse, ac prædas et victoriam dare credebant. Unde hebr. ad verbum est: *Qui ordinatis Gad mensam, et impletis Meni libamen*, ubi, more Hebræo, idem dicitur posteriori hemistichio quod priori. Idem ergo est, implere Meni libamen, quod ordinare Gad, id est, Fortunæ, mensam: quare sicut Fortuna hebraice dicitur *Gad*, a copiis militaribus et prædatoriis; ita et dicitur *Meni*, ab earum numero et multitudine. Perperam ergo Musculus vertit: *Et impletis numero libamen*, quia scilicet, inquit, Iudæi certum astrorum, vel deorum numerum colebant; aut quia iis certo libaminum numero iuxta numerum offerentium sacrificabant: quales superstitiones multas habent Papistæ, dum non tantum oblationes, sed et orationes suas ad certi numeri præscriptum alligant. Ita hæreticus. Cui Respondeo, Iudæos taxari hic non ob certum libaminum numerum præcise, sed quod cum suis idolis et diis libarent, eumque falsorum deorum suorum numero adæquarent; taxat enim eorum idololatriam. At Christiani non sunt idololatræ, sed Deum verum iam per preces certas et numeratas, iam per incertas et indefinitas ad libitum colunt. Porro sciunt omnes, S. Scripturam sæpe mysteria divina per numeros consignare, ut patet in duodecim millibus signatorum Apocal. 7. et alibi passim. Quis ergo reprehendat eum, qui in honorem SS. Trinitatis ter, in honorem quinque vulnerum Christi quinquies orationem Dominicam, etc. recitat? Vide Pet. Bongum de Numerorum mysteriis, P. Canisium, Costerum, et alios de Rosario. Denique nostro Interpreti plane consentiunt Syrus et Arabicus; vertunt enim: *Replestis mensas Fortunis* (Arab. *idolis*) *et miscuistis eis lagenas vini.*

Numerabo vos in gladio.) Cum scilicet omnes et singulos, quasi numeratim, et ex ordine gladio feriam. Est metalepsis; ex numero enim plectendorum, intelligitur eorumdem cædes. Unde Vatablus vertit: *Numerabo vos ad gladium*, id est, numeratos vos gladio obiiciam. Loquitur maxime de gladio Titi et Romanorum. Alludit ad *Meni*, id est, numerum in voce מניתי *maniti*, id est, numerabo, q. d. Quia vos ad numerum bibendo, coluistis fortunam, hinc pariter ad numerum ego vos gladio trucidabo. Vers. 12.

Ecce servi mei.) Hoc plane impletum est in discipulis Christi, qui deliciis spiritualibus sapientiæ, virtutum et consolationum cælestium inebriati sunt a Deo, cum Iudæi iis prorsus privati et destituti fuerunt, deliciis, in- Vers. 13.

quam, tum gratiarum iam dictarum, tum Eucharistiæ; de hac enim hunc locum intelligit Cyprian. lib. 1. contra Iudæos c. 22. Ambros. lib. de Paradiso cap. 9. Cyrill. et Hieron. hic.

Anagogice et perfectissime hæc implebuntur in mensa illa cælesti a Christo promissa Lucæ 22. 30. ubi Beati iugiter fruentur nectare et ambrosia divina. Ita S. Hieron. et Tertull. libr. 4. contra Marcion. cap. 18. Pie et pathetice narrat S. Hieron. in Vita S. Paulæ, hæc in ipsa adimpleta fuisse: *Paula*, ait, *implevit cursum suum, fidemque servavit; et nunc fruitur corona iustitiæ, sequiturque Agnum, quocumque vadit. Saturatur, quia esurivit, et læta decantat: Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. O beata rerum commutatio! flevit, ut semper rideret, despexit lacus contritos, ut fontem Dominum reperiret; vestita cilicio est, ut nunc albis vestimentis uteretur, et diceret: Scidisti saccum meum, et induisti me lætitia. Cinerem sicut panem manducabat, et potionem suam cum fletu miscebat, dicens: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; ut in æternum pane angelorum vesceretur, et caneret: Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus; et: Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Ut Isaiæ, imo Domini per Isaiam, in se cerneret verba compleri: Ecce qui serviunt mihi, manducabunt; vos autem esurietis: ecce qui serviunt mihi, bibent; vos autem sitietis: ecce qui serviunt mihi, lætabuntur; vos autem confundemini; ecce qui serviunt mihi, exsultabunt: vos autem clamabitis ob dolorem cordis, et propter contritionem spiritus ululabitis.*

Vers. 15. ET DIMITTETIS NOMEN VESTRUM IN IURAMENTUM.) Id est, in exsecrationem; nimirum cum alicui male precari aut deierare volent, dicent: Fiat tibi quod factum est Iudæis; gladius, clades et desolatio Iudaica te comprehendat. Ita S. Hieron. Similiter ait Ieremias c. 24. 9. *Dabo eos in vexationem, etc. in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem;* et cap. 29. 22. de Achab et Sedecia: *Assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab.*

Septuag. pro *scin* legentes *sin*, scilicet pro שְׁבוּעָ *scebua*, id est, iuramentum, שְׂבוּעָ *sebua*, id est, saturitas, vertunt: *Relinquetis nomen vestrum in saturitatem* (id est, in nauseam et fastidium) *electis meis.*

ET SERVOS SUOS VOCABIT NOMINE ALIO.) Scilicet Christi, q. d. Vocabit eos Christianos, quo nomine primum vocati sunt fideles Christi Antiochiæ, Actor. 11. 26. Vide dicta cap. 62. 2. Unde hoc nomen in sequentibus vocatur benedictum, aitque, quod per illud iurabunt; subdit enim:

Vers. 16. IN QUO (scilicet Christo, sive Deo Christianorum) QUI BENEDICTUS EST SUPER TERRAM, BENEDICETUR IN DEO AMEN.) Id est, *in Deo vero*, ut vertunt Sept. Hinc patet Christum esse verum Deum. Sensus enim est, q. d. In aureo Messiæ et Evangelii sæculo, benedictiones et iuramenta fient per nomen Christi, quasi veri Dei, ut qui in nomine eius benedicetur, benedicatur in nomine veri Dei, ac proinde vere sit benedictus. Dicent enim fideles: Benedicat mihi vel tibi Deus Christianorum, Deus, inquam amen, id est, verus; aut: Ita me Deus amet, ita mihi benefaciat Christus, qui est Deus amen, ut ipse benefacit suis Christianis.

Nota: *Amen* non est hic adverbium approbantis, sed est nomen in regimine genitivi; dicitur enim באלהי אמן *belohe amen*, id est, in Deo ipsius amen, puta in Deo veritatis et fidelitatis, qui scilicet est Deus verus, fideliterque promissa servat, suosque cultores benedicit, ac fœdifragos et periuros vindicat et punit, q. d. Eveniat mihi vel tibi benedictio, quæ Christianis data est a Christo, qui est Deus amen, id est, veritatis et fidelitatis, id quod promisit suis fidelibus et dilectis.

Huc allusit Apostolus 2. Cor. 1. 19. dicens: *Dei filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, etc. non fuit. Est et Non, sed est in illo fuit; quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. Ideo et per ipsum amen Deo ad gloriam nostram.* Vide ibi dicta.

ET (repete *in quo*, scilicet Christo) QUI IURAT IN TERRA, IURABIT IN DEO AMEN.) q. d. Non iurabunt fideles per Iovem, Iunonem, Herculem, uti olim, sed per Christum, per sacra Christi Evangelia, per fidem, per Sacramenta Christi, quasi Dei amen, id est, Dei veri: dicent enim iurantes: Iuro per Christum, qui est Deus amen, me hoc crimen non fecisse: Ita me salvet aut perdat Christus, qui est Deus amen, si hoc feci. Ita Forerius, Adamus, Sanchez et alii.

QUIA OBLIVIONI TRADITÆ SUNT ANGUSTIÆ PRIORES.) Septuaginta: *Obliviscentur tribulationis suæ primæ.* Hebr. enim צרות *tsarot* proprie significat tribulationes. Sic Ioseph e carcere ad principatum Ægypti exaltatus vocavit filium suum *Manasses*, id est, oblivio, dicens: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum*, Genes. 41. 51.

Loquitur de benedictionibus et donis Christi in Ecclesia tum militante, tum triumphante: hæc enim tanta sunt ut malorum pristinorum sensum obruant. Addit S. Hieron. in cælo omnem memoriam malorum abolendam; ait enim: *Licet possit et hoc dici, quod in cælo novo et in terra nova omnis conversationis pristinæ memoria deleatur, ne hoc ipsum pars malorum sit prioris angustiæ recordari.* Verum hoc refellit S. August. l. 23. de Civit. cap. 30. ex Psalte qui ait: *Misericordias Domini in æternum cantabo;* neque pars malorum, sed bonorum est prioris angustiæ recordari, si ab ea in gloriam ingentem evaseris. Hic enim verum est istud: In cælo non erit memoriam malorum, ait S. Hier.

Durate, o socii, quondam meminisse iuvabit.

Iucunda est afflictionis recordatio, dum eam effugeris, ait Aristot. l. 3. Rhetoric. Hinc Beati cantant Canticum Mosi exultantes, quod, sicut Hebræi post angustias Ægyptiorum et maris Rubri, illis demersis, ipsi salvi in littus evaserunt, ita et ipsi ex tot periculis et naufragiis incolumes ad portum salutis appulerint. Apocal. 15. 3. Rursus cap. 7. 14. unus ex beatis, et quidem senioribus ait: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, etc.*

Verius ergo est quod prius dixit Hieron. *Obliviscentur malorum, non oblivione memoriæ, sed successione bonorum*, et, ut S. Augustin. ait, *oblivione experientiæ, non scientiæ.*

Secundo, Forerius hanc angustiam putat esse non tribulationem, sed legis et legalium angustias, præsertim parvam et arctam benedictionem veteris testamenti, puta abundantiam vini, olei et similium bonorum terrenorum. Horum enim obliviscuntur fideles Christi, cum per eum accipiunt benedictiones amplas et cælestes de gratia et gloria æterna. De hac enim subdit Propheta: *Ecce enim creo cælos novos et terram novam;* atque de his recte ait Deus: *Quia absconditæ sunt ab oculis meis.* Iam enim legales benedictiones, æque ac cæremonias obliviscitur et respuit Deus. Tribulationes tamen etiam dici possunt absconditæ, id est remotæ et elongatæ ab oculis Dei: quia ipse eas removet a cælo, ut eas non videant, id est non sentiant, nec ob eas doleant Beati. Hinc sensus satis genuinus et connexus videtur: egit enim de benedictionibus Christi, dixitque eas fore benedictiones Dei amen, id est veritatis ac proinde eas fore veras et solidas, quales non fuerunt Mosis et legis veteris. Prior tamen expositio planior et communior est.

ECCE EGO CREO CÆLOS NOVOS ET TERRAM NOVAM.) Vers. 17.
Nota hic regnum Christi in Ecclesia vocari novum mundum, qui multo amplior, ornatior, augustior est isto quem cernimus, ut patet consideranti eius gratias, charismata, Sacramenta, miracula, sapientiam, efficaciam, sanctitatem, eiusque principes Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, etc. Hoc autem regnum hic inchoatur, sed perficietur in resurrectione, quando cælum et terra vere et materialiter innovabuntur, Apoc. 21. 1. Vide dicta c. 34. 4. Quare non recte hæc referunt alii ad lætitiam redeuntium e captivitate Babylonica. Nimis enim exilis illa fuit, quam ut de ea dici possit: *Ecce ego creo cælos novos et terram novam.* Ecclesia est novus mundus, et regnum Christi.

QUIA ECCE EGO CREO IERUSALEM (Ecclesiam) EXSULTATIONEM, ET POPULUM EIUS GAUDIUM.) *Exsultationem,* Vers. 18.

id est exsultantem; *gaudium*, id est gaudentem: ponuntur enim abstracta pro concretis iuxta can. 38. ut significetur quod valde exsultabit et gaudebit, ita ut tota videatur converti in exsultationem et gaudium. Hæc et sequentia ad genuinos Ecclesiæ filios, puta sanctos, pertinent, non ad impios et sceleratos. Vide can. 9.

Vers. 20. Infans dierum quis? Resp. NON ERIT IBI AMPLIUS INFANS DIERUM.) Scilicet paucorum, ait Forer. q. d. Non rapientur immatura morte parvuli, qui paucos dies vixerunt: neque etiam inde efficeretur senex, qui dies suos non impleverit. Parvuli antequam ad maturam ætatem perveniant, non morientur;

I. neque qui iam canescere incipit ex vita exibit, antequam ad decrepitam ætatem perveniat.

II. Secundo, *infans dierum*, scilicet multorum, inquit Sanchez, est is qui ætatis multos dies et annos habet, sed quoad sapientiam et mores est infans. *Infans* ergo *dierum*, idem est quod *puer centum annorum*, q. d. Tempore Christi veri Christiani nulli erunt ætate viri, et morum levitate ac pravitate pueri; sed omnes vitæ puritate, gratia et virtute erunt viri, licet gradu dispari: alius enim maior erit, alius minor in sanctitate.

III. Tertio, et simplicissime, q. d. Renati per baptismum non erunt infantes dierum paucorum, sed instar virorum gratia et virtutibus erunt pleni et validi. Loquitur de adultis baptizatis, qui mox crescunt in virum virtute perfectum, quales erant primi Christiani.

Hunc esse sensum patet ex eo quod sequitur: *Et senex qui non impleverit dies suos*, q. d. In lege nova non erit infans, nec senex dierum, qui scilicet non impleat dies suos virtutis et sanctitatis. Senes ergo in Christianismo, æque ac iuvenes, implebunt virtutibus annos, ut tot dies et annos habeant virtutum, quot ætatis in fide; tamque senes sint moribus, quam annis quibus vixerunt in Christianismo. *Cani* enim *sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata*. Tales erant primi Christiani, qui statim a baptismo currebant ad martyrium. Quicumque ergo vitam in otio transigunt vel ambitiones sequuntur, non implent dies suos, etiamsi viverent annos Mathusalem. Præclare S. Ambrosius l. 1. in Lucam, explicans illud Lucæ 1. *Erit enim magnus coram Domino: Est*, inquit, *coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis; est etiam parvitas animæ, et pueritia virtutis. Iuxta enim animæ et corporis numeramus ætates non pro ratione temporis, sed pro qualitate virtutis: ut vir perfectus ille dicatur, qui careat errore pueritiæ, et lubricum adolescentiæ animi maturitate non sentiat: pusillus autem, qui nullum adhuc virtutis videatur habuisse processum. Erit igitur Ioannes magnus, non virtute corporis, sed animi magnitudine; parvulus in sæculo, magnus in spiritu.*

Anagogice, S. Hieron. Cyrill. et Procop. hæc referunt ad resurrectionem Beatorum. Hi enim resurgent in ætate perfecta, puta virili: quocirca huc allusit Apostolus Ephes. 4. 13. dicens: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

QUONIAM PUER CENTUM ANNORUM MORIETUR: ET PECCATOR CENTUM ANNORUM MALEDICTUS ERIT.) Primo, Forer. exponit, q. d. In lege nova peccator fidelis non morietur civiliter, id est, non eiicietur ab Ecclesia, non maledicetur, non excommunicabitur, antequam fuerit filius centum annorum, id est, antequam in peccatis consenuerit; in iisque inveteratus, impudens et contumax fuerit.

Puer centum annorum quis? Favet Arabicus qui vertit: *Iuvenis morietur, cum fuerit filius centum annorum; et qui peccat non maledicetur, nisi post centum annos.* Nihil ergo aliud hic locus commendat, quam peccata, quæ per fragilitatem vel ignorantiam committuntur, facile condonatum iri: neque ex eis hominem ignominiam et damnationem in Ecclesia incursurum; sed si doleat, mox ab ea ad pœnitentiam et reconciliationem admissum iri. Secundo, S. Hieron. Cyril. Castrius et Delrio adagio 812. exponunt, q. d. In Ecclesia Christi etiam pueri quoad ætatem regenerationis in baptismo, erunt in sapientia et virtute Christiana viri, id est, perfecti. Tertio, et genuine, dat causam cur dixerit in Ecclesia non fore senem, qui non impleat dies suos moribus et virtutibus: quia scilicet, si quis senex esset, qui moribus esset puerilibus, essetque puer centum annorum, id est, ætate esset senex centum annorum, sensibus vero et vitiosa vita esset puer; is non perseverabit in Ecclesia, ut ex militanti eat ad triumphantem; sed punietur morte æterna, ac maledicetur a Deo, ibitque ad tartara, ut socius sit dæmonum et damnatorum. Idem ergo est: *Puer centum annorum morietur*, quod: *Peccator centum annorum maledictus erit*, ut sequitur. Ita rhythmo enim Hebræi posteriori hemistichio iterant et confirmant prius. Ita S. Hier. Procop. Cyrillus. Sic apud Romanos proverbium erat: *Sexagenarios de ponte deiicere.* Quod multis explicat Erasm. chiliade 1. cent. 5. adagio 37.

Nota: Peccator centum annorum vocatur *puer*, ob amores et mores pueriles. Similis phrasis est in Belgio, ubi vocantur *pueri* Hollandici, etiam viri proceri et grandævi: quia matres Hollandicæ præ aliis matribus mire filios suos etiam grandævos amant, ideoque eos vocant et tractant ut pueros. Audi et Hesiodum l. 1. Oper. et dier.

Sed centum quidem annis puer apud matrem sedulam
Nutriebatur, crescens valde rudis domi suæ.

Ex adverso iustus, licet quindecim tantum annorum sit, vocatur *vir*, ob viriles mores et facta.

Ita Barlaam, teste Damasceno in eius historia cap. 18. roganti Iosaphat quot esset annorum? respondit 45. Miranti Iosaphat, regerentique: Atqui facies tua et rugæ te septuagenario maiorem indicant. Ita est, et maior sum, ait Barlaam, si computem annos vitæ quibus cum mundo vixi: at, *si computem annos quibus Deo vixi, ii sunt tantum quadraginta quinque; et hos tantum annos vitæ computo; cæteros quos in vanitate transegi, mortis.* Morale. Anni vitæ soli sunt ii, quibus vivimus Deo.

Ex adverso veteres laudabant in puero sapientiam et mores seniles, ac talis vocabatur παιδαριογερων (uti vocatus est S. Macarius, teste Nicephoro l. 9. 14.) q. d. Puer senecio, qualis fuit Salomon iuvenis dirimens litem meretricum, et Daniel Susannam liberans. Sic Philo Iudæus citatus l. 2. Melissæ, c. 18. *Qui multum*, inquit, *temporis in vita corporis vixerint sine ulla virtute ac probitate, eos longi temporis pueros appellare licet.* Et rursum: *Quousque nos senes adhuc pueri erimus? Corporibus quidem propter temporis longinquitatem, senes; animis autem, propter ignorantiam et hebetudinem, admodum pueri.* Hinc Gentilium proverbium: *Bis pueri senes*, de quo Suidas in voce καταγηρασκω: *Consenescas*, inquit, *Tithono profundius, Cynyra ditius, Sardanapalo deliciosius, ut in te compleatur proverbium: Bis pueri senes.* Et Seneca: *Nos*, ait, *non bis pueri sumus, ut vulgo dicitur, sed semper; verum hoc interest, quod maiora nos ludimus.* Senes enim repuerascunt, et quasi ad pueritiam redeunt. Nam, ut ait Aristot. in problem. *Quomodo accipienda sint, quæ priora dicuntur ac posteriora;* in senibus redit albor simul et raritas capillitii, deinde balbuties, velut altera infantia. Ad hæc gingiva exarmatur dentibus, aut certe perpaucis, et eis vacillantibus instructa, uti accidit pueris. Insuper senibus omne corpus ad puerilem decrescit modum: consimilis virium imbecillitas, consimiles cibi. Postremo morum ineptia, levitas animi, et hoc ipsum parum vel nihil sapere, infantiam refert. Auctor est enim in Polit. Arist. post annos 48. ingenii vigorem evanescere. Hinc fit ut senes pueris mire delectentur, quasi similes iam ad similium amorem propensi.

Moraliter, audi Eusebium Emissenum (vel potius Eucherium) hom. 9. ad Monachos: *Videte*, ait, *vocationem vestram, fratres: venire ad eremum summa perfectio est; non perfecte vivere in eremo summa damnatio est. Quid prodest si in loco quies et silentium sit, et in habitatoribus vitiorum tumultus et colluctatio passionum; si exteriora serenitas teneat, et interiora tempestas? Solemus annos nostros et temporum spatia, quibus nunc vivimus, supputare: non te fallat quicumque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti: illum tantum diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine ulla re-*

gulæ transgressione duxisti. Illum diem vixisse te computa, quem non malitia, non invidia, non superbia commaculavit; qui peccato non cessit, qui diabolo repugnavit. Illum diem vixisse te computa, qui pietatis et sanctæ meditationis habet lucem. Illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cuius usus pervenit ad animam tuam. Ex quo sub finem infert: *Elaborate, ut laudabili æmulatione certetis; sit unusquisque vestrum in opere Dei promptior, in oratione ferventior, in lectione sollicitior, in castitate purior, in sobrietate parcior, in lacrymarum largitate profusior, in corpore honestior, in corde sincerior, in ira mitior, in mansuetudine moderatior, in risu rarior, in compunctione ferventior, in gravitate fundatior, in charitate iucundior.* Ad hæc suggerit medium, scilicet exactum conscientiæ examen, ut ipse se quotidie castiget sibique dicat: Hodiene profecisti, an defecisti? *Puto quod illum incipientem hodie destruxi, hodie seniori meo inobediens fui, mentitus sum, ira vel gula victus sum, plus hodie risi, plus otio et somno quam decebat indulsi, minus legi, minus oravi quam debui. Quis mihi reddet hunc diem, quem in fabulis vanis perdidi? Sic de omnibus negligentiis compungamur in cubilibus, id est, in cordibus nostris.*

Symbolice, S. Hieron. Puer, ait, centum annorum est Christus, qui de Abraham stirpe est genitus. Abraham enim est puer centum annorum, quia anno centesimo genuit Isaac, qui fuit typus et parens Christi: peccator vero centum annorum est Iudaicus populus, qui ex Abraham stirpe secundum carnem prognatus est, atque maledictus est; quia manus iniecit in Christum, verum Isaac, qui fuit semen Abrahæ benedictum.

Moraliter, S. Gregor. lib. 17. Moral. cap. 4. *Puer centum annorum morietur, etc. ac si aperte nos deterreat dicens: Vita quidem pueri in longum trahitur, ut a factis puerilibus corrigatur; sed si a peccati perpetratione, nec temporis longinquitate compescitur; hæc ipsa vitæ longinquitas, quam per misericordiam accipit, ei ad cumulum maledictionis crescit: unde necesse est ut, cum nos diutius exspectari conspicimus, ipsa prorogatæ pietatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus; ne ex clementia iudicis crescat supplicium peccatoris, et unde quisque eripi a morte poterat, inde gravius ad mortem tendat.*

Vers. 21. Et ædificabunt domos.) Domos et vineas accipe spirituales Ecclesias, puta Templa, Monasteria, Collegia, Religiones, Sodalitates, aliasque sanctas familias, instituta et conventus, quibus Apostoli ac viri Apostolici et zelosi suam fidem et pietatem stabilient, et ad posteros in multa sæcula propagabunt, tum in hac vita, tum in futura et beata. Ita S. Hieron. Cyrillus, Theodor. Procopius, Forerius et alii: has enim domos spirituales significabant domus materiales promissæ Iudæis, Dei legem servantibus, Deuter. 28. 4. ad quas hic alludit Propheta.

Vers. 22. Secundum enim dies ligni (Hebr. est *illius ligni*, scilicet præstantis et famosi puta *ligni vitæ*, ut vertunt Septuag.) erunt dies populi mei.) q. d. Fideles mei longævi erunt, imo in cælo in æternum vivent; perinde ac si lignum vitæ, id est cibum immortalitatis, comedissent et comederent. Ita Lyran. Adamus et alii. Ita ad æternitatem vitæ Beatorum hæc referunt S. Hieronym. Procop. Theod. Lyran. Castrius, Adamus, Osorius et alii. *Hoc est quod de Dei sapientia ait Salomon Proverb. 3. 18. Lignum vitæ est omnibus qui accedunt ad eam, et qui innituntur super illam, quasi super Dominum, firmitas. Nec dubium est quin Verbum Dei significet, qui ipsa est vita, et sapientia, et de se loquitur; Ego sum vita*, ait S. Hieronymus. Addit S. Cyrillus fideles fore sanctos, item felices, et rebus omnibus abundantes, uti fuerunt Adam et Eva in paradiso, dum fruerentur ligno vitæ.

Aliter Arias et Sanchez: censent enim alludi hic ad initium Psalmorum, quasi ad tritum vulgo proverbium: *Et erit* (iustus) *tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folia eius non defluent*, q. d. Iustus instar arboris, iuxta aquas semper vernantis, et fructificantis iugiter, felix erit, locuples, et per omnia a Deo benedictus. *Dies* enim subinde splendorem, opes et felicitatem significat, ut Ierem. 17. 16. *Diem hominis non desideravi.* Et 1. Cor. 4. 3. *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die.* Denique Theod. per lignum accipit lignum crucis; sed hoc mysticum est.

Et opera manuum eorum inveterabunt.) Ita hæc puncto dispungenda sunt ab *Electi mei*, quod sequitur; male ergo hæc coniungunt Forerius et alii. Iam *inveterabunt*, id est, ad vetustatem pervenient, erunt longæva, non tabescent, non marcescent, non perdent suum virorem aut fructum: sed cum suis heris perdurabunt et perpetuabunt.

Electi mei non laborabunt frustra.) Sed laboris et patientiæ suæ uberem accipient fructum et mercedem. Ita legendum et dispungendum cum Romanis; aliter hæc dispungunt Plantiniana. Vers. 23.

Neque generabunt in conturbatione.) Sed in pace degentes et gaudio, generabunt filios Christo, et etiamsi oriatur conturbatio et persecutio, eam fortiter et quiete sustinebunt, nec turbabuntur, per eamque crescent prole et sobole fidelium.

Rursum, non generabunt filios, qui mox ab hoste conturbentur, elidantur, præcipitentur, et quorum immatura morte ipsi parentes conturbentur et contristentur; sed vivent diutissime et quietissime. Hoc est enim quod sequitur: *Quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis.* Unde pro *in conturbatione*, hebraice est לבהלה *labbchala*, id est, ad conturbationem, vel *ad præcipitantiam;* Sept. *in maledictionem*, ut scilicet filii mox nati hosti cedant in cædem, servitium, ludibrium et exsecrationem, uti cesserunt olim filii Iudæorum et Synagogæ Babyloniis, Thren. 5. 13. et Ps. 136. v. 8. et 9. ac postea Tito et Romanis: uti etiam fuerunt ipsi fideles ante Christianismum. Nam filios quos generabant, generabant peccato, dæmoni, morti et inferno. Symmach. Aquila et Theod. vertunt: *In festinationem*, ut scilicet festine et cito occidantur, aut pereant.

Aliter S. Hieron. *In festinatione*, inquit, ut nequaquam festinent absque ratione credere Christo et Apostolis, sed imitentur Nathanael inquirentem et rogantem: *A Nazareth potest aliquid esse boni?*

Quia semen benedictorum Domini est.) Id est, quia sunt filii parentum fidelium, quia a Domino sunt benedicti, tum in se, tum in suis filiis, ut utrique sint felices et longævi.

Et nepotes eorum cum eis.) Scilicet erunt *semen benedictorum Domini;* vel cum eis, puta parentibus et avis vivent, q. d. Nepotes non morientur ante parentes et avos, sed eis claudent oculos, eisque succedent. Hæc enim avorum et parentum solent esse vota, scilicet ut videant filios et nepotes, in tertiam, quartam et quintam generationem, cum iisque diu et læte vivant, ac tandem saturi dierum eos post se stirpis ac virtutis suæ propagatores relinquant. Ita diutissime vixerunt S. Ioannes Apostol. S. Polycarpus, S. Simeon, Dionysius, aliique primi præcones Evangelii, videruntque spirituales filios et nepotes toto orbe propagatos, cum iisque iucundissime vixerunt; nepotes vero usque nunc propagantur. *Apostoli*, inquit S. Hieron. *et Apostolici viri ita filios generabunt, ut de Scripturis sanctis instruant, ut non imitentur maledictionem Iudæ, sed cum Propheta dicant: A timore tuo, Domine, in utero concepimus, et parturivimus, et peperimus. De his enim dictum erat: Benedicta progenies uteri tui. Tales sunt filii Abraham, qui faciunt opera eius, et in veteri historia appellantur filii Prophetarum: quales et in novo testamento Apostoli genuerunt; Paulus Timotheum, Lucam, Titum, multosque alios: Petrus Marcum Evangelistam, et cæteri cæteros, quorum benedictum semen est, et huc usque benedicitur, et permanent filii filiorum, de quibus Propheta dicit: Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur; et alibi: Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.*

Antequam clament, ego exaudiam.) q. d. Præve- Vers. 24.

niam eorum vota et preces: visa eorum necessitate aut desiderio occurram et satisfaciam, antequam ipsi illud precibus votisque mentalibus aut vocalibus exprimant. Exaudiam ergo, non solum preces, quas fundunt, sed eorum nutum et silentem affectum.

Vers. 25. LUPUS ET AGNUS (v. g. Paulus et Ananias: *Paulus enim fuit Beniamin lupus rapax*, inquit S. Hieron.) PASCENTUR SIMUL.) q. d. Homines antea contrariis moribus et vitiis addicti, per Christi legem et gratiam mores mutabunt et component, invicem non lædent, sed antipathiam in sympathiam convertent, unanimes et concordes vivent in Ecclesia, iisdemque spiritualibus cibis, puta doctrina Evangelii, Sacramentis, ritibus aliisque pietatis officiis sibi commodis, utentur et fruentur. Vide dicta c. 11. 6. Ita S. Hier. Forer. Vatab. et alii. Hoc est quod ait Christus: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, ut scilicet homines superbos, feros et barbaros ad vestram agninam innocentiam ac mansuetudinem, ac ovinam patientiam traducatis, ut videantur vobiscum esse unius gentis, generis, indolis æque ac fidei et religionis, parsimoniæ et temperantiæ. Unde Forer. τὸ *leo et bos paleas comedet*, recte symbolice adaptat ieiuniis et abstinentiis Ecclesiasticis et religiosis. In his enim homines olim semper carnivori herbis et fructibus vescuntur. Rursum, ait S. Hieron. cum vir disertus et potens in sæculo, Scripturarum se tradit rusticitati, tunc *leo et bos paleas comedit*.

SERPENTI PULVIS PANIS EIUS.) q. d. Serpens antea carnivorus, ideoque homini noxius, non carnes comedet, sed pulverem et terram, uti ei initio mundi præcepit, et in pœnam seductionis Evæ statuit Deus Genes. 3. 14. *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes.*

Rabbini per *serpentem* intelligunt dæmonem Azazelem, quem aiunt Lev. 16. (vide ibi dicta v. 10.) principem deserti appellari. Illius enim potestati subditum esse pulverem deserti, id est corpus humanum, quod ex pulvere factum est, donec in spiritualem naturam fuerit conversum. Sic Pausanias meminit dæmonis Eurynomi, quem Delphici credebant mortuorum carnes, exceptis tantum ossibus, devorare. Sic Græci μελιτουτταν, id est, mellitam placentam, ori mortui statim imponebant, quam ipse in inferno obiiceret latranti Cerbero, et δια ναυλην, Charontis naulum, uti probat Alexander Sardus Ferrar. libr. 1. de Moribus gentium.

Hinc et Forer. ad litteram per serpentem accipit diabolum, q. d. Diabolus, qui ante Christum homines quos in lupos et leones converterat, devorabat; iam post Christum, non homines vorabit, sed pulverem, id est, eos qui se sponte ei dediderunt, et devorandos præbuerunt. Verum, cum lupos, leones, boves metaphorice accipi constet: idem de serpente et pulvere dicendum videtur. Sensus ergo est, q. d. Homines serpentini, qui alios instar serpentum sua lingua et cauda lædebant, eorumque famam, carnem et vitam vorabant, iam per Christum ponent venenatam hanc rabiem, non nutrientur aliorum interitu, sed cibo innocuo facile obvio, sibi a Deo dato, qualis est pulvis, puta doctrina Evangelica, quæ est lex humilitatis, modestiæ et simplicitatis, vescentur et pascentur. Mystice, serpenti id est diabolo cibus erit pulvis, id est homines terreni et carnales, qui in terra repunt, eiusque pulverem vertunt, q. d. ait S. Hieron. Diabolus, qui prius hominum mortibus pascebatur, deinceps eos tantum comedet, qui pulvis ac terra sunt qui scilicet toti terrenis bonis et desideriis inhiant.

Aliter S. Ambros. lib. 1. de Pœnitentia c. 13. Serpens, ait, id est diabolus, pulveri, id est carni meæ, dentem infigat, eique noceat: tantum animam custodi, ut ægritudo carnis peccatum repellat, et spiritum roboret.

NON NOCEBUNT etc.) Quia regnabit charitas in Ecclesia et regno Christi, inquit Forerius. Hoc est quod ait S. Paulus Galat. 6. 16. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et super Israel Dei.*

CAPUT SEXAGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput simile est præcedenti, eiusdemque cum eo argumenti: pergit enim in vaticinanda Iudæorum reprobatione, et Ecclesiæ Gentium vocatione et propagatione, gloria et felicitate. Quocirca primo, Deus reiicit Iudæorum templum et victimas; eo quod ipsi se vocantem spreverint, minaturque eis confusionem et cladem. Deinde v. 7 prædicit partum et sobolem numerosam Ecclesiæ, cui promittit ubera consolationis, pacem, delicias et gloriam Gentium. Tertio, v. 15. transit ad extremum iudicium, aitque Deum in igne venturum et turbine, ut diiudicet et interficiat idololatras et impios. Quarto, v 19. recapitulat toto libro dicta de missione Apostolorum ad Gentes, ut iis gloriam Dei et Christi annuntient; ac prædicit eas ad Christum et Ecclesiam magno numero et lætitia commode et facile venturas, ex eisque assumendos fore sacerdotes et Levitas, qui in æternum perseverent. Denique v. 23. ait eis fore perpetuum festum et gaudium, quodque videbunt cadavera impiorum, quorum vermis non morietur, et ignis non extinguetur.

1. HÆC dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus,
quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ? 2. Omnia hæc manus mea fecit, et facta
sunt universa ista, dicit Dominus: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? 3. Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi
qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui
benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est. 4. Unde
et ego eligam illusiones eorum: et quæ timebant, adducam eis: quia vocavi, et non erat qui responderet; locutus sum, et non audierunt: feceruntque malum in oculis meis, et quæ nolui elegerunt. 5. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius: dixerunt fratres vestri odientes vos, et abiicientes propter nomen meum:
glorificetur Dominus, et videbimus in lætitia vestra: ipsi autem confundentur. 6. Vox populi de civitate, vox de
templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. 7. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret
partus eius, peperit masculum. 8. Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? numquid parturiet terra
in die una? aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos? 9. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus
Deus tuus? 10. Lætamini cum Ierusalem, et exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam, 11. Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis eius; ut mulgeatis, et deli-

ciis affluatis ab omnimoda gloria eius. 12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. 13. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Ierusalem consolabimini. 14. Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt: et cognoscetur manus Domini servis eius, et indignabitur inimicis suis. 15. Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis: 16. Quia in igne Dominus diiudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino, 17. Qui sanctificabantur, et mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, et abominationem et murem: simul consumentur, dicit Dominus. 18. Ego autem opera eorum, et cogitationes eorum: venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis: et venient et videbunt gloriam meam. 19. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, et Lydiam, tendentes sagittam; in Italiam et Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus. 20. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. 21. Et assumam ex eis in sacerdotes, et levitas, dicit Dominus. 22. Quia sicut cæli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. 23. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. 24. Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

Vers. 1. CÆLUM SEDES MEA, TERRA AUTEM SCABELLUM.) Inepte hinc Petrus Martyr lib. 1. contra Gardiner. p. 1. argumentatur: Deus est in cælo, ergo non est in Eucharistia: *In cælo ergo quærendus est*, inquit, *non in templo vel pixide, nisi velimus sedem Dei et cælum in pixide contineri.* Inepte inquam. Deus enim in cælo est; sed eo non concluditur: est enim etiam in terra, in aere et ubique.

Pro sensu ergo Prophetæ nota. Ne montem sanctum, de quo cap. præced. v. ult. intelligeremus esse Sion; rursum, ne ea quæ ab Isaia a cap. 40. huc usque de diruenda Ierusalem, eiusque reædificatione et Sionis gloria dicta sunt, carnaliter cum Iudæis acciperemus de terrena et Iudaica Sione et Ierusalem; hac de causa aufert et elidit hanc opinionem Deus, docetque se eam reiecturum, et eius loco Ecclesiam Gentium sibi adoptaturum. Sensus ergo est, q. d. Vos, Iudæi, putatis me Sionem vestram eiusque templum deperire, meque illi quasi throno meo affixum esse, ut ab eo avelli nequeam; ac proinde vos illo gloriamini, illud invictum et æternum fore putatis, illo scelera vestra obtegitis, putatisque vos esse inexpugnabiles, dicentes: Templum Domini, templum Domini; fallimini, toto cælo erratis, miseri crassique homines. Ego enim sum spiritus omnipotens et immensus, quare loco non capior, non delector; utque hoc ostendam, Sionem cum templo eiusque sacrificiis abolebo. Nam cælum et terram ego impleo, imo supero, et ulterius per immensa vacui spatia me extendo. Totum ergo cælum tantum exiguus mihi est thronus, in quo meam gloriam et magnificentiam regiam, imo divinam Angelis et Beatis ostendo: tota terra mihi est instar parvi scabelli (loquitur de se quasi homine et rege, sedente in solio, anthropopathos) porro delector spiritu peccatoris contrito et obedienti, et, ut Septuag. humili et quieto. Ita S. Hieron. Cyrill. Procopius. Quocirca Theodor. et Ambros. in Ps. 30. ex hoc loco docent humiles et mansuetos esse templum Dei, in quo Christus verus Salomon, qui est pax nostra, requiescit. Unde S. Gregorius 5. Moral. 30. *Cum*, inquit, *humilem diceret, quietum protinus adiunxit. Si ergo ira quietem mentis subtrahit, suam sancto Spiritui habitationem claudit.*

Humiles sunt templum Dei.

Quærit S. Hilarius lib. de Trin. Si cælum est sedes Dei, terra scabellum, quomodo ergo alibi dicitur Deum continere cælum palmo, terram pugillo? ac respondet anthropopathos hæc dici de Deo, ut varia eius attributa denotentur: nam in throno et scabello, secundum habitum considentis, protensio corporis, puta maiestas regia intelligitur: in continentia vero palmi et pugilli, Dei immensitas describitur, ut cælo et terra significetur, quod Deus intra et extra est, supereminens et internus, id est, circumfusus et infusus in omnia: palmo vero et pugillo

A continente omnia, eius infinita magnitudo monstratur, qua extra omnia creata se porrigit in immensum, eaque quaquaversum continet pugillo, imo digito. Vide et S. Gregor. 2. Moral. 8.

Allegorice, Orig. in Matth. cap. 21. Ecclesia, ait, hic militans, est scabellum Dei, de qua dicitur: *Cum subiecta illi fuerint omnia;* et, quod ponet inimicos scabellum pedum suorum. Magna beatitudo est, ex inimicis scabellum Dei fieri, et subiici Deo.

Symbolice, cælum est divinitas, terra humanitas. Unde S. August. illud Ps. 98. *Adorate scabellum pedum eius*, sic explicat, q. d. Adorate humanitatem Christi.

Denique eleganter S. Bern. tract. de Gradibus humilitatis, in gradu 1. hine probat diabolum nec in cælo, nec in terra, cum Deus illa occupet, sed in aere locum habere: *Quid facies*, inquit, *e cælo pulsus? in terra remanere non potes; elige ergo tibi in aere locum, non ad sedendum, sed ad volandum, ut qui tentasti concutere statum æternitatis, pœnam sentias propriæ fluctuationis.*

Dæmonis locus est aer.

B QUÆ EST ISTA DOMUS, QUAM ÆDIFICABITIS MIHI?) Isaias in persona Iudæorum quæstus est c. 64. v. 11. exustam esse domum Dei per Romanos: *In qua*, inquit, *te laudaverunt patres nostri*, quasi postulans ut Deus eam iterum reædificari curaret. Huic Deus respondet exiguam esse domum, quam Iudæi reædificari cupiant, aut cogitent. Ad hæc, cælum et terram, et consequenter omnia quæ ad fabricam templi adhibenda essent, creata esse a Deo, ideoque ea uti in manu sua habet, ita iisdem non indigere, nec oblectari. Tertio, suum templum non esse materiale, sed spirituale, uti ipse spiritus est, puta contritos spiritu, et trementes sermones Dei. Vide dicta cap. 57. 15.

PAUPERCULUM.) Id est humilem, ut vertit Vatabl. cognati enim sunt humiles et pauperes; paupertas enim excelsus spiritus deprimit et humiliat. Unde Hebr. עני *ani*, et pauperem, et humilem significat. Est ergo paupertas thronus sapphirinus, in quo Deus cum maiestate residet. Audi S. Bern. hom. 1. super *Missus est*: *Super quem*, ait, *requiescit spiritus meus nisi super humilem et quietum? Super humilem dixit, non super virginem. Si ergo Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Respexit, ait ipsa, humilitatem ancillæ suæ, potius quam virginitatem; etsi placuit ex virginitate, tamen concepit ex humilitate. Unde constat quia, etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.*

Vers 2.

C

Humilitas thronus Dei.

TREMENTEM.) Hæc vox significat ingentem reverentiam et metum: inde enim oritur tremor, uti pueri contremiscunt ad vocem acriorem parentum, vel præceptorum. Quis non tremat ad vocem Dei, Regis regum, et Domini dominantium?

Vers. 3. Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum.) Deus hic asseverat se detestari sacrificia Iudæorum, eaque comparat homicidio, mactationi canis, oblationi sanguinis suilli et idololatriæ: quæ omnia Iudæis ex lege vel naturæ vel Mosaica erant vetita et abominanda, idque ex eo, non quod sacrificia vetera detestaretur Deus, cum ipse ea instituerit; sed primo quod ipsos offerentes et sacrificantes exsecraretur, utpote qui omnem pietatem in cultu sacrificiorum ponebant, interim legem violabant, et rapinis, libidinibus, aliisque sceleribus vacabant. Hoc est enim quod ait in fine v. 3. *Hæc omnia elegerunt in viis suis, et in abominationibus suis anima eorum delectata est.* Hoc quoque est quod initio quasi prophetiæ totius argumentum proposuit (unde et hic in eodem ipsam claudit et terminat) Isaias dicens c. 1. 11 *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? etc. Quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? Incensum abominatio est mihi etc.* Secundo, ita loquitur de victimis Mosaicis, quia respicit ad tempora Christi, quando hæc sacrificia abolita sunt, imo facta mortifera. Ad Christum enim hæc spectant, uti iam sæpius ostendi, et patet hic v. 7. et sequent. Ita S Hieron. Cyrill. Procop. Theodor. et alii passim.

Qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem) Hebr. עֹרֵף *oreph*, id est, *decervicans*, sive cervicem amputans cani; Chald. *excorians:* Septuag. *occidens*. Idem dicit alia similitudine fœda et horrida: id enim importat τὸ *excerebret*, q. d. Qui pecus mactat Deo, facit rem illi ingratam, invisam et indignam, ac si ei mactaret canem. Recte enim notat S. Hieron. ex lege veteri, *nec mercedem meretricis, nec pretium canis, in domo Dei offerri posse, quia utrumque animal pronum est ad libidinem.* Adde canem vilissimum esse animal, et abominandam esse victimam, si is Deo excerebretur.

Oblationem.) Hebr. מנחה *mincha*, est sacrificium farreum, de quo Levit. 2. extenditur tamen ad quamvis oblationem.

Qui recordatur (recordando offert et adolet; est metalepsis) thuris, quasi qui benedicat idolo.) q. d. Eum qui mihi adolet thus vel thymiama, exsecror ob causas iam dictas, atque si illud adoleret idolo. Nota. Thurificatio hic vocatur recordatio et benedictio: quia in ea solebant Dei, vel idoli, cui thurificabant, recordari, eumque benedicere, id est cum laudibus et hymnis celebrare.

Hæc omnia elegerunt in viis suis.) q. d. Hac fucata religionis specie ipsi non me, sed se decipiunt: quia ipsi interim in suis abominationibus, id est abominandis peccatis, delectantur et perseverant.

Vers. 4 Unde et ego eligam illusiones eorum.) q. d. Victimis suis ipsi scelerati non tam honorant me, quam rident et illudunt: ficta enim illa et larvata pietatis species, qua velant sua crimina, non tam Dei cultus est quam illusio et irrisio. Hinc pariter ego illudam eos immittamque eis illusiones, ut nimirum capiantur, cædantur et illudantur a Romanis. Ita Cyrill. et Procop.

Vers. 5. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius. Ab impiis et incredulis Deus hic se convertit ad pios et credentes, de quibus vers. 2. puta a Iudæis ad Christianos, ab Israele obdurato ad Israelem obedientem Christo, nimirum ad Apostolos et primos fideles, quos ex Israele elegit Christus. Hisce ait consolator Deus: Dixerunt fratres vestri odientes, etc.) q. d. O Apostoli mei, vestri fratres secundum carnem, scilicet Iudæi, vos oderunt et abiecerunt propter nomen meum, puta ob fidem Christi mei, dixeruntque irrisorie: Glorificetur Dominus, id est, ostendat gloriam suam Christus, vester Deus crucifixus, resurgendo, aliaque miracula patrando, ut lætemini, et nos videamus vestram lætitiam et eius gloriam, q. d. Nequaquam a Deo mortuo et crucifixo vobis lætitia aut gloria, sed potius mœror, confusio et probrum obveniet. Verum hi sanniones ipsimet confundentur: Christus enim resurgens, per Paulum et alios Apostolos ostendet gloriam suam, ac convincet confundetque eos, et tandem per Titum et Romanos extrema clade et confusione eosdem plectet. Ecce enim iam videor mihi audire vocem sonantem populi de civitate, scilicet perculsi et ululantis ad obsidionem Romanorum; et vocem Angelorum clamantium e templo: *Migremus hinc:* et vocem Domini clamantis tum per Prophetas, tum per alios, præsertim per Iesum quemdam, excidium imminere Iudæis hostibus suis. Iesus enim Anani filius, homo rusticanus, imminente Tito et excidio, per quadriennium hæc Isaiæ verba usurpavit, atque enthusiasmo actus, assidue die et nocte plateas obiens clamabat: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox in Hierosolymam et templum, vox in omnem populum: Væ, væ, væ Hierosolymis!* donec in muro idem de more contentiori voce inclamans, addensque; *Væ Hierosolymis et mihi!* lapide tormento misso ictus interiit, teste Iosepho lib. 7. Belli cap. 12. Ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Adamus, Forer. et alii. Audi S. Hieron. *Glorificetur Dominus, et videmus in lætitia vestra, cuius versiculi hic sensus est: Quid nobis humilem introducitis Deum? quid crucifixum et virum dolorum, et scientem ferre infirmitates? volumus eum in sua (ut dicitis) maiestate conspicere regnantem, suspiciemus et in sua gloria triumphantem, humilem atque abiectum videre non possumus.*

Nota hebraismum, *videbimus in lætitia vestra*, id est, videbimus lætitiam vestram. Hebræi enim verba contactus, tam corporalis, quam spiritualis (qualis est visio, quæ rem visam suo intuitu quasi attingit) construunt cum ב, id est *in* et ablativo.

Antequam parturiret, peperit.) Loquitur de cœtu piorum. puta Apostolorum et fidelium, qui tremunt ad verbum Domini, ut dixit v. 5. hoc est, de Ecclesia. Masculus est Christus, vel, quod eodem redit, Christiani, quos persecuti sunt Herodes, Iudæi aliique, ut olim Pharao masculos Hebræorum enecabat, Exodi c. 1. v. 16. eo enim alludit. Vers. 7.

Sensus ergo est, q. d. Synagoga sub Abraham et Mose sensim et lente crevit, et propagata est per generationem filiorum et nepotum, quos Pharao occidere conatus est. At Ecclesia Christi, *antequam parturiret*, id est subito sine longo ministerio, cruciatu et labore, qualis est parturientium, per Apostolos, qui ex Sion prodierunt, Christianos plurimos per totum orbem pariet Christo, illo tempore, quo Iudæi eorum irrisores cædentur a Romanis, uti præcessit. Hunc esse sensum patet ex seqq. Ita factum esse constat Act. 2. 4. ubi prima concione Petri, tria hominum millia, et mox alia quinque ad Christum conversa, et in baptismo eius regenerata narrantur. Ita S. Hier. Theodor. Cyrillus hic, Ambros. Exhort. ad virgines. Non negat parturitionem et dolorem Apostolorum, sed ait eum fore brevem et simultaneum cum partu lætissimo, qui proinde omnem parturitionis cruciatum mox sopiet et absterget.

Alludit ad partum B. Virginis: hæc enim *peperit masculum*, tum sexu, tum robore, puta Christum, *antequam parturiret*, id est sine dolore, mora et sordibus parturientium, inquit Nyssen. orat. de resurrect. et Damasc. l. 4. de Fide c. 15. (qui hæc de B. Virgine explicant) unde Septuag. vertunt: *Antequam veniat dolor parturientium, effugit, et peperit masculum.* Quocirca ad litteram partui Christi hæc ita aptari possunt, q. d. Cœtus timentium Deum, puta Synagoga fidelis et pia, per B. Virginem peperit masculum, qui deinde plurimos alios masculos peperit. Rursum, Synagoga Apostolorum Christum peperit in animis credentium, dum eos Christianos, Deumque diligentes effecit; qui sunt masculi, id est, masculo et fortissimo animo, quales fuerunt Martyres innumeri, qui pro fide; Virgines invictæ, quæ pro castitate; Anachoretæ, Monachi, aliique Confessores, qui pro virtute et sanctitate usque ad mortem generose laborarunt et certarunt. Unus ergo est masculus, ait S. Ambros. loco citato, quem peperit B. Virgo, quemque Ecclesia parit in fidelibus; quia Christus cum iis, utpote suis membris, unum est corpus, et quasi una persona civilis, et unus

homo. Vide dicta 1. Cor. 12. v. 12. et 27. Huc allusit S. Ioan. Apoc. 12. 1. ubi symbolice loquitur de Ecclesia, quasi muliere, quæ in fine mundi pariet masculos, id est Martyres robustissimos, qui cum dracone, id est diabolo et Antichristo, dimicabunt usque ad mortem. Hoc ergo masculo notatur mascula populi fidelis contra omnes carnis illecebras fortitudo: *Non enim*, inquit Cyrillus, *effœminatur mollitie populus Christianus, sensu virili præditus est et iuvenili.* Unde constat Christiano nomine et Ecclesia matre esse indignos, qui a virili statu in fœmineas illecebras degenerant.

Christus pascit masculos.

Hinc tropologice disce Sanctos in Script. vocari *masculos:* ad virtutem enim Christianam vi opus est; vis poscit animum masculum. Hoc est enim quod ait Christus: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* E contrario, impii, utpote molles et voluptuarii, vocantur *fœminæ.* Ita S. Hieron. hic et in c. 2. Ecclesiastæ, et S. Ambros. l. 1. de Cain et Abel c. 10. in fine.

Vers. 8. Numquid parturiet terra in die una? q. d. Non: nam multo eget tempore, ut semen germinet, crescat, fructificet: aut parietur gens simul? q. d. Minime: nam tam numerosa proles quæ gentem efficiat, non generatur uno die, sed multis annis et sæculis, uti videre fuit in prosapia Abrahami. Hoc ergo est mirabile et omnibus sæculis inauditum, uti præcessit, quod Ecclesia uno die, id est brevi tempore, multa millia, gentesque integras Christo pepererit, idque non successive, nec cum magno dolore et angore: quia simul et quasi in eodem instanti parturivit et peperit Sion, id est Ecclesia filios suos?) Nota: Τὸ *quia* est adversativum, idemque valet quod *verumtamen, at vero.* Vide canon. 24.

Vers. 9 Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?) Ad litteram loquitur de partu, id est conversione Gentium ad fidem in baptismo Christi, q. d. Hæc tam subita generatio et multiplicatio Christianorum, non fiet naturali vi, uti præcessit, nec viribus Apostolorum aliorumve hominum; sed mea divina. Ego enim, qui alios parere facio, maxima et infinita pariendi vi præditus sum; ac proinde in instanti possum infinitos parere, id est generare.

Doctores Scholastici a pari hinc probant fœcunditatem naturalem in Deo esse immensam et efficacissimam, scilicet Deum Patrem ab æterno posse, et de facto generare Verbum sibi consubstantiale et æquale, quia ipse facit ut homo hominem sibi consubstantialem et in natura æqualem generet, ipseque omnibus generantibus et parientibus tribuit vim generandi et pariendi: quidni enim, qui facit alios naturaliter parere, ipse naturaliter pariat, id est, generet, filium sibi homousion? Verum hoc non intendit hic Propheta, ut patet ex dictis.

Vers. 10. Lætamini cum Ierusalem.) Invitat hic fideles, ut exsultent de Ierusalem, id est, Ecclesiæ propagatione et gloria; quia antea lugebant, cum videbant eius exilitatem, scilicet tam paucos et abiectos esse Christianos quos Iudæi et Gentes persequerentur.

Vers. 11. Ut sugatis.) Id est et sugite, vel quia sugetis. Τὸ enim *ut*, hic et alibi non finem, sed connexionem ac consecutionem, vel causam lætitiæ significat. Vide Can. 24. Alludit ad infantes lugentes et flentes, quos matres quietant et consolantur, applicando eos uberibus, ut sugendo flere desinant.

Vers. 12 Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis.) Hoc est, pacem exuberantem, ut videatur non tam esse pax, quam torrens et fluvius pacis, qui vos rerum omnium affluentia (hanc enim Hebræis significat *pax*) inebriabit, imo obruet. Hæc est causa lætitiæ fidelium sive cur dixerit: *Lætamini cum Ierusalem, etc.*

Hæc vera sunt in Ecclesia militante, veriora erunt in triumphante: unde ad eam hæc et sequentia refert S. August. lib. 20. de Civ. c. 21. ibi enim erit plena pax, copia deliciarum, ibi perfectissime æque ac blandissime consolabitur nos Deus, Christus, Virgo Deipara, omnesque angeli et Sancti. Ita et S. Hieron. et alii. Nam in hac vita Ecclesia manet sub cruce et morte, habet tamen sua u-

A bera consolationis et gloriæ. Unde sequitur:

Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.) Pro *ad ubera*, hebr. est על צד *al tsad*, id est *ad latus.* Unde Septuag, vertunt, επ’ ωμων αρθησονται, id est in humeris portabuntur. Noster vel pro צד *tsad* legit שד *sciad*, id est uber: aut latus per catachresin accepit pro ubere, quod est ad latus, idque apposite et prudenter. Nam, præcessit *sugetis:* suguntur autem ubera. Rursum quia sequitur: *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Matres autem solent parvulis suis blandiri, eosque consolari dum flent dando eis ubera. Sic cap. 60. ubi dicitur: *Filiæ tuæ de latere surgent*, alii vertunt, *filiæ tuæ ad ubera nutrientur*, quia nimirum latus significat uber laterale. Ab Ecclesia transfert sermonem ad eius fideles et filios: unde a singulari transit ad pluralem. Porro ubera et genua intelligit tum Gentium: de hisce enim dixit: *Gloriam gentium sugetis;* tum Dei et Ecclesiæ, de quo v. 11. q. d. Vos, o fideles, fovebimini et nutriemini, tum a Gentibus divitibus et poten-
B tibus, imo regibus et principibus: tum a Deo et Ecclesia, eiusque pastoribus et præfectis tam blande et largiter, quam solent parvuli a matribus: hosce enim solent matres ad ubera portare, statuere super genua, iis blandiri, eos exosculari. Ita S. Hieron. et Cyrill. Vide Clem. Alex. l. 1. Pædagogi c. 5.

Ossa vestra quasi herba germinabunt.) Symmachus vertit, *florebunt*, q. d. Tanta erit vestra lætitia, ut ossa vestra mœrore squalida, marcida et quasi emortua, reviviscere et reflorescere videantur. Sicut enim tristitia exsiccat ossa, medullamque consumit, ita lætitia ea suo succu et medulla irrigat, humectat et vegetat. Hoc est quod ait Sapiens Prov. 17. 22. *Animus gaudens floridam efficit iuventutem, spiritus tristis exsiccat ossa.* Hinc Iudæi in Babylone captivi et afflicti, comparantur ossibus aridis, quæ Deus reviviscere fecit cum eos e Babylone in patriam reduxit, Ezech. 37. 1. et sequent. Vers. 14.

Secundo, proprie hoc fiet in resurrectione: tunc enim
C ossa Sanctorum iam pridem emortua et tabida reviviscent; sicut herba in hieme emortua in vere revirescit et reviviscit, dum germinare incipit. Ita S. Hieron. hic, et S. Aug. 20. Civit. 21. Irenæus l. 5. contra hæret. c. 15. et Tertull. l. de Resurrect. carnis, c. 31.

Ossa Sanctorum germinantia. Exempla.

Hac de causa sæpe etiamnum in tumulis ossa Sanctorum germinare, et quasi reviviscere visa sunt, ut futuram resurrectionem portenderent et quasi inchoarent. Refert Evagrius l. 2. c. 2. et Niceph. l. 15. 3. e corpore S. Euphemiæ Virginis et Martyris profluxisse copiosum humorem rubeum instar sanguinis, adeo ut eo non solum Imperator et Episcopus, sed et totus populus, qui ibi congregari solebat, perfrueretur; neque guttas illas ullo tempore defecisse; neque sacrum illum sanguinem aliqua ex parte mutatum esse, sed suum colorem rubeum iugiter retinuisse. Adduntque, ex eius tumulo odorem mirificum, qui odores omnes humanos superat, exspirari. Insuper Niceph. lib. 18. c. 31. narrat Mauricium
D Imp. de fide miraculi dubitantem, rem sagaciter pervestigasse, eiusque veritatem experientia deprehendisse, cum eo accedente, copiosior solito sanguis suaveolens ex eius ossibus profluxit.

Idem Niceph. l. 18. c. 32. narrat e corpore Glyceriæ Martyris similem liquorem manasse, qui pelvi subiecta excipiebatur; cumque Episcopus inscienter argenteum vas, quod ad magicas artes fuerat adhibitum, supposuisset, stetit liquor. Re nova perculsus Antistes ad preces confugit, divinoque impulsu vas illud removit, aliudque substituit, ac protinus liquor sicut ante, scaturire cœpit.

E corpore Euthymii Abbatis, et Elisabethæ Hungaricæ, oleum fluere solebat, quo multi ægri sanabantur.

Ex ossibus S. Hedwigis Ducissæ Poloniæ liquor purus et clarus, instar olei suavissimi mirique odoris profluxit.

Idem accidit ossibus S. Solomeæ, quæ Boleslai regis soror fuit, et post obitum Colomanni mariti vixit in castitate, atque sub annum Domini 1263. excessit e vita, de qua Cromerus l. 9.

Procop. orat. 1. de ædif. Iustin. refert, Iustinianum Imperatorem morbo incurabili laborantem, cum desperaret omne medicorum consilium, petiisse ad se ferri quasdam reliquias tunc forte inventas, genuque in quo maximus erat dolor, imponi: quo facto, non modo dolor abscessit, sed et ex iis oleum subito manavit, quo et arcula reliquiarum, et pedes vestisque Imperatoris purpurea tota sunt perfusa.

Notum est S. Iannarii sanguinem in ampulla, dum prope caput eiusdem Sancti collocatur, cum antea rigeret, protinus colliquefieri, commoveri, et ebullire ac si spiritu vitali polleret.

S. Nicolai Myrensis Episcopi, quod Barii servatur corpus, liquorem emittere, qui plurimis morbis medetur, sciunt omnes et testatur Emmanuel Imp. Novella de feriis, ubi et meminit aquæ quæ defluit e corpore S. Andreæ, quod Amalfi servatur.

Celebris in Monte Faleo urbe Italiæ, est ampulla sanguinis quæ e corpore S. Claræ effluxit: is concretus, quoties aliquid calamitatis imminet reipublicæ Christianæ, solet colliquefieri, subsilire et effervescere, idque paulo antequam Cyprus a Turcis caperetur accidisse testantur oculati testes.

Proprie germinantia Sanctorum ossa. Hæc et plura Thomas Bozius tom. 2. de Notis Eccles. signo 66. l. 15. c. 10. Vis ossa Sanctorum proprie germinantia? Ex ore cranii S. Magdalenæ vitis germinavit, eoque indicio ipsa reliquias suas demonstravit Carolo Siciliæ regi, apparens ei in carcere, ex eoque eum liberans, uti refert Doctor Silvester Priiras, et ex eo Surius in Vita S. Magdalenæ 22. Iulii.

S. Dorothea martyrio affecta, media hieme rosas vernantes misit Theophilo Advocato, qui irrisorie ante mortem id ab ea expetierat: qui proinde, iis visis ad fidem Christi conversus, et Martyr effectus est. Ita habet eius. Vita 6. Februarii.

Ita ex sanctarum Virginum sepulcris non semel lilia vel rosas germinasse, in Vitis earum legimus. Unde merito canit Ecclesia: *Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, et sicut odor balsami erunt ante te.*

Sed audi quid mirabilius. S. Eadmundi, regis Anglorum et Martyris, corpus ita sanum et incolume post multa tempora repertum est, ut non dicam caput redintegratum et compaginatum corpori, sed omnino in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit, ut viventi esset simillimus: tantum in eius collo, ob signum martyrii, rubebat tenuissima riga in modum fili coccinei; quin et succrescebant ei ungues et capilli, quos quotannis præcidere solebat matrona quædam pia, quæ ad eius tumulum multos annos commorata est. Ita refert Abbo Abbas Floriac. in eius Vita, qui et addit, cum beato regi caput esset amputatum, et ab impiis satellitibus in sentibus occuleretur, nec quæsitum reperiretur, caput ipsum vocem edidisse, significans inquirentibus, quonam loco esset. Denique lupum a Deo missum esse custodem, qui illud sacrum caput inter brachia complexus, procumbebat humi, exsequias impendens Martyri, nec permittens illud ab aliqua bestiarum lædi. Ita in bestiis verum fuit illud Didonis votum, quo de suis ossibus Hannibalem contra Æneam et Romanos evocat, aiens Æneid. 4.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.

Cognoscetur manus Domini servis eius.) q. d. Tunc fideles Deum timentes cognoscent Domini manum, id est primo, Dei paternam erga se curam et indulgentiam; secundo, eiusdem virtutem et potentiam, qua faciet ut pauci piscatores, rudes et illiterati, puta Apostoli, totum orbem subiiciant Christo crucifixo. Hine Apostolus crucem Christi vocat Dei virtutem et sapientiam, 1. Cor. 1. 23.

Et indignabitur inimicis suis.) Tum Iudæos vastando per Titum et Romanos, tum eos omnesque impios damnando in die iudicii: ad eum enim transit dum subdit:

Vers. 15. Quia ecce Dominus in igne veniet.) Primo, Forer. refert hæc ad primum Christi adventum, de quo ipse dixit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Lucæ 12. et: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, Matth. 10. Evangelium ergo est ignis vitalis piis et sanctis, quos ad Dei dilectionem inflammat, et ad zelum pro domo et gloria Dei accendit; pestilens autem et mortifer est impiis, qui eo indurantur, ob quod et alteri igni inextinguibili in gehenna tradentur. Rursum Evangelium est gladius vitæ piis, quos a mundo et rebus perituris, et, ut ait S. Basilius, a cognatione secundum carnem separat: impiis vero, qui mundo et carni dediti sunt, est gladius mortis, tradens eos inferno, ubi est mors secunda et æterna. Evangelium ergo quasi gladius separat iustos ab iniustis. Hine Christus dicit venisse se in iudicium, ut qui non vident, videant, et qui vident cæci fiant. Et de eo ait Simeon eum venisse in ruinam et in resurrectionem multorum. Evangelium est ignis et gladius separans pios ab impiis.

Secundo, aptius S. Hier. Cyrillus hic, et S. Aug. 20. de Civit. 21. Cypr. lib. de Bono patientiæ sub finem, hæc referunt ad extremum iudicium. Unde per *ignem* intellige ignem conflagrationis mundi, de quo Ps. 96. v. 3. *Ignis ante ipsum præcedet.*

Rursum, ignis Symbolice, significat primo, in iudicio Dei omnia fore clara et perspicua, inquit Theodor. et Cyprianus, loco citato. Secundo, potestatem, zelum et efficaciam divinæ iustitiæ et vindictæ, inquit S. Hier. et Aug. 20. de Civit. 21.

Porro, per currus et quadrigas metaphorice significatur maiestas victoris et iudicis Dei. Ita S. Hieron. licet S. Aug. et Cyrillus intelligant angelos. Turbo significat celeritatem et impetum eius. Ad hæc per gladium intelligit supplicium. Vide Can. 26. unde subdit: *Et multiplicabuntur interfecti a Domino,* q. d. Christus multos, puta omnes, reprobos, interficiet, hoc est, trudet in gehennam et mortem æternam.

Qui sanctificabantur et mundos se putabant in hortis.) q. d. Qui sanctificabant et purificabant se in hortis, abluendo se aquis expiatoriis, et sacrificando idolis. De hisce enim aquis ait Æneas apud Virgil. l. 2. *Donec me flumine vivo abluero;* et Persius satyra 2. *Qui noctem* (nocturnam venerem) *in flumine purgas.* Vers. 17.

Hosce enim gentilitios ritus imitabantur Iudæi tempore Isaiæ, quos, uti et posterorum, omniumque hominum peccata in die iudicii iudicabit et vindicabit Christus. Adde, licet tempore Christi Iudæi publice et communi consensu non coluerint idola; tamen nonnullos ex conversatione cum idololatris, ea privatim et occulte coluisse, quis neget? Sane de his videtur hic loqui Isaias.

Addit S. Hier. eos in hortis luxuriam exercuisse: *In locis,* ait, *deliciarum et voluptatum, id est in hortis amœnissimis, baptisteria extruebant, adulteria, et omnem libidinum turpitudinem simplicibus aquis abluere se putantes,* q. d. Isaias: Post venerem, quam exercent in hortis, sanctificant se, id est, abluunt se ibidem post ianuam intrinsecus, itaque crimen se expiasse censent.

Post ianuam.) Est hic in Hebræo varia lectio, indeque varia versio, et magis varia explicatio. Primo, Chaldæus vertit, *turba post turbam*, videtur legisse אחר אחר *achar achar*, id est *alter alter*, id est, alteri post alteros continue, hoc est, turba post turbam. Secundo, Symmach. et Theodot. legentes אחד אחד *echad echad*, vertunt, *unus post unum.* Tertio, communiter legunt אחר אחד *achar achad*, quod Primo, Syrus vertit, *unus post alium.* Secundo, Forer. *alienus unus*, scilicet Deus q. d. Deus alienus erat in medio illorum, cum comederent suillam. Tertio, quidam insignis Hebræus vertit, *post unum*, id est post Deum: quia enim Deus est unus, hinc Deum vocabant *echad* vel *achad*, id est unus: atque ab illo *achad*, videtur deductum *Adad* nomen Dei de quo Macrob. l. 1. Saturn. c. 30. ubi sic ait: *Assyrii Deo, quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt: eius nominis interpretatio significat Unus* (idipsum significat Hebr *achad*). *Hunc ergo ut potentissimum adorant Deum.* Subdit deinde, *Adad* esse solem, ideoque pin- Adad Deus Assyr. unde. Unus Nomen Dei.

gi *radiis inclinatis, quibus monstratur vim cæli in radiis esse Solis, qui dimittuntur in terram.* Hinc Trismegistus in Pimandro c. 4. de Deo ita ait: *Deus monas est: unitas illa, quæ est principium omnem numerum continens, a nullo contenta.* Et Psellus: *Unitas,* ait, *cum numerus non sit, numerorum tamen procreatrix est, fons, radix, et causa multitudinis omnis, expressaque Dei imago, qui cum rerum naturalium nulla sit, est tamen rerum naturalium effector.* Parmenides cum asseruit, *unum esse id quod est,* Deum intellexit: soli enim Deo veram Entis appellationem concedebat; quoniam ipse per se est, omniaque alia per ipsum, iuxta illud Exodi 3. *Ego sum qui sum.*

Denique Noster optime vertit, *post unam,* scilicet ianuam, hæc enim una est in domo via: unde et Septuag. vertunt, *in liminibus.*

Quæres, Cur post ianuam hæc faciebant? Resp. Primo, ut loco penitiori, in latebris et secessu, clausis ostiis idololatriam suam et venerem exercerent: utraque enim pudenda est, ideoque latebras quærit. Secundo, quia in ingressu domus, post fores ponebant idola, sive lares suos, ut felix esset ingressus et egressus. Unde S. Aug. l. 4. de Civit. c. 8. Tres, ait, isti deos custodiendis ostiis posuerunt. Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini: unde et coram iis iuxta ostia instruebant convivia, et inter ea diis hisce libabant. Et hoc hic vult Isaias, et idem innuit c. 57. 8. Hæc autem faciebant in domibus tum privatis, tum magis publicis et sacris, sive in delubris, quæ de more ad amœnitatem in hortis inter arbores extruebant; uti etiamnum ibidem suas Moscheas extruunt Mahometani. Ita Arias.

Tres dii custodes ostii.

Et abominationem) Id est, cibos immundos, et lege vetitos, uti ius triduanum hostiarum pacificarum, inquit Forer. Item cibos idolis immolatos sive idolothyta: taxat enim hic idololatriam et luxum, sive intemperantiam ciborum lege prohibitorum.

Glires Romæ in deliciis.

Et murem.) Hebr. עכבר *achbar* quoque glirem significat: muris enim seu gliris esus vetitus est Iudæis Levit. 11. 29. Porro glires etiam a Romanis habitos fuisse in deliciis, docet Varro l. 3. de Re rustica c. 15. ubi pro gliribus saginandis facta fuisse vivaria testatur: glires enim pingues sunt, quin et somno pinguescunt. Audi Martial. l. 13. glirem depingentem:

Tota mihi dormitur hiems, et pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Glis ergo symbolum est obesi, somniculosi, acedi.

Vers 18. **Ego autem opera eorum.**) Supple, plectam et puniam acriter, aut potius, ut Septuag. *inveni,* q. d. Vidi et cognovi scelera eorum, quæ post ianuam, vel alibi in occulto patrant. Est aposiopesis. Romana enim per dispunctum hæc dividunt a sequentibus; licet Adamus cum iis connectat. Verum sive connectas, sive dividas, ad ea referenda sunt: ad hoc enim cogit nos versio nostra Vulgata.

Venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis.) *Congregem,* quos, vel quæ, aliqui subaudiunt et repetunt ex vers. 2. trementes sermones Dei. Verum hæc nimis longa et remota est repetitio. Quare melius, *ut congregem,* scilicet opera et operantes impie, de quibus immediate præcessit, q. d. Venio ut impios Iudæos, eorumque opera sacrilega congregem cum omnibus gentibus in valle Iosaphat, eaque ibi quasi in publico orbis theatro omnibus spectanda proponam: ibi enim tam Iudæos, quam Gentes congregabo, ut publice coram omnibus angelis et hominibus eos diiudicem, puniam aut præmiem pro meritis cuiusque: ibi ergo videbunt gloriam meam, id est gloriosam vindictam impiorum et gloriosa præmia Sanctorum. Rursum videbunt Iudæi gloriam meam, qua scilicet gloriosus cum omnibus Sanctis et angelis e cælo descendam cum potestate magna et maiestate quasi rex et iudex orbis, cuius humilitatem in primo adventu viderunt et contempserunt. Ita Adamus.

Quocirca planius cum Septuag. Chaldæo, Pagnino, Forerio et Vatablo, ex Hebræo verti potest, *Venio ut congregem omnes gentes et linguas, et venient, et videbunt gloriam meam,* scilicet iudicis Christi iam dictam.

A

Vers. 19. **Et ponam in eis signum.**) Resilit hic Isaias ab impiis ad pios, a secundo Christi adventu ad primum. Facit enim hic brevem prophetiæ suæ anacephalæosim, qua summatim repetit et recapitulat totum opus redemptionis Christi, de quo egit toto hoc libro, puta gratiam novi Testamenti, præsertim fidei propagationem per omnes gentes a tempore Christi usque ad finem mundi, diemque iudicii et resurrectionis universalis, ibique finit prophetiam. Ita S. Cyrill. et Adamus hic, et S. Aug. 20. Civit. 21. Sensus ergo est, q. d. Antequam congregem omnes gentes in valle Iosaphat, prius erigam inter eas signum, quasi vexillum crucis, ad quod convocabo et congregabo omnes nationes; ideoque mittam ex primis illis qui salvati, id est iustificati et sanctificati fuerint a Christo, ac vocati ad æternam salutem, puta mittam Apostolos, ad Gentes in mare (ad insulanas et transmarinas gentes) et in Africam, et in Lydiam, etc. ut ex toto orbe populos convocent ad vexillum crucis, fidemque et salutem Christi. Ita S. Hieron. Cyrillus, Theodor.

Anacephalæosis Isaiæ.

B

Aliqui per *signum* accipiunt templa et altaria, passim inter Gentes ab Apostolis erecta. Alii per *signum* accipiunt characterem Baptismi et Confirmationis, quo suum gregem suosque milites consignat Christus, idque probat Card. Bellarm. l. 2. de effectu Sacram. c. 20. sub finem. Alii denique et aptius per *signum* hoc accipiunt charismata Spiritus sancti, ut linguas igneas datas Apostolis in Pentecoste. Hisce enim tunc signati sunt, non tantum quasi amici et ministri, sed et quasi Apostoli Dei et Christi, indeque profecti in mare, Africam et Lydiam, etc. hoc signo Gentes ad Christum converterunt.

Qui salvati fuerint.) Verti quoque potest cum Forer. *qui salvent alias.*

Tendentes sagittam.) Refert ad vocem *Gentes,* quæ præcessit, q. d. Mittam Apostolos ad Gentes, puta Afros et Lydios, sagittandi peritas, id est armatas et crudeles; sed faciam ut eas non timeant, imo convertant, ait S. Hieron. Pro *tendentes,* hebr. est מושכי *moscechè,* quod Septuag. retinent quasi nomen proprium, per quod Leo Castrius Moschos sive Moscovitas accipit. Alii *το tendentes* referunt ad Apostolos: illi enim fuerunt sagittarii Dei, imo sagittæ potentis acutæ, qui corda Gentium amore et timore Dei confixerunt et compunxerunt.

C

Italiam.) Hebr. est תובל *tubal:* per quod, ait S. Hier. potest quoque accipi Hispania. Tubal enim filius Iaphet incoluit Hispaniam, ut dixi Gen. 10. v. 2. et ab eo ferunt conditam et denominatam urbem *Setubal,* quæ exstat in Lusitania.

Qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam.) Uti viderunt Iudæi in Sina et in templo Salomonis, q. d. Gentibus non ostendi gloriam meam in Synagoga, sed ostendam eam, et quidem augustiorem, in Ecclesia.

Vers. 20. **Adducent fratres vestros de cunctis Gentibus donum Domino.**) Convertit sermonem ad primos salvatos, id est fideles ex Israel, quos nominavit v. 19. q. d. O Israelitæ conversi ad Christum, Apostoli adducent vobis fratres ex Gentibus, puta credentes in Christum, quasi donum, imo oblationem Domino. Pro *donum* hebr. est מנחה *mincha,* id est donum, oblatio, sacrificium.

D

Moraliter nota, nobilissimum donum et victimam Dei esse animam, si eam ab infidelitate ad fidem, vel ab iniquitate ad sanctitatem perducas. Ita Apostolus Rom. 15. 16. dicit se esse sacerdotem, cuius Missa sive liturgia est Evangelium, victima sunt Gentes conversæ. Quocirca vere et recte S. Greg. hom. 12. in Ezech. *Nullum,* ait, *Omnipotenti tale est sacrificium, quale est zelus animarum.*

In equis et quadrigis) Nota, per hæc accipi quævis auxilia et solatia, tum humana, tum angelica, tum divina, q. d. Commode et facile per tot adminicula Gentes ad fidem et Ecclesiam adducentur; licet enim via crucis, pœnitentiæ et mortificationis, per quam eis incedendum est,

sit aspera; tamen eam mollient Apostoli verbo et exemplo, Angeli sua ope, Christus sua gratia suisque consolationibus spiritualibus: quibus facit ut gustato spiritu desipiat caro, utque ex amore Dei et spe gloriæ cælestis, omnia dura lætanter superent, et nihili æstiment, imo in iis glorientur. Ita S. Hier. et Aug. 20. de Civit. 21.

Alludit ad Iudæos Babylone redeuntes in Iudæam: hi enim, favente Cyro, commode et exultantes remearunt in patriam.

QUOMODO SI INFERANT FILII ISRAEL MUNUS IN VASE MUNDO IN DOMUM DOMINI.) q. d. Quam pretiosa grataque erant Deo munera munda, a mundis in vase mundo ei in lege veteri oblata; tam mundi, pretiosi et grati erunt Deo Gentiles iam sanctificati per sanctos Apostolos, ei oblati in sancto baptismo. Baptismus enim aliaque Sacramenta sunt vasa munda et sancta Dei.

Vers. 21. ASSUMAM EX EIS (Gentilibus) IN SACERDOTES ET LEVITAS.) Id est diaconos aliosque Ecclesiæ ministros. Olim soli Iudæi, imo soli ex tribu Levi oriundi, poterant esse sacerdotes et Levitæ; at Christus ex omni gente eos elegit. Ergo non omnes Christiani sunt sacerdotes, ut vult Kemnitius. Hos enim nemo sanæ mentis dixerit ex Christianis seligi et assumi; uti recte inter alios notavit Gregor. de Valentia de Euchar. sacrif. disp. 6 q. 11. puncto 1.

Vers. 22. QUIA SICUT CÆLI NOVI ET TERRA NOVA, QUÆ EGO FACIO STARE CORAM ME.) q. d. Sicut dominus ministrum suum facit stare coram se, ut iussa sua excipiat et exsequatur, eique ad nutum serviat; ita cæli et terra stant coram me, mihique ad nutum famulantur. Porro cæli novi et terra nova, sunt cæli et terra in resurrectione innovanda: mystice sunt regnum Dei, sive Ecclesia, de qua c. præced. vers. 17. Sensus est: sicut cæli hi cum terra innovandi in æternum perseverabunt, mihique servient; sic semen vestrum, id est fideles a vobis conversi, o Apostoli, nomenque vestrum perdurabit in æternum, q. d. Vetus sacerdotium et testamentum finem accipiet, in Christo: at novum sacerdotium, puta ministerium ministrorum sacrorum ex Gentibus assumptorum, sive Petri e Pauli, aliorumque Apostolorum progenies, tamdiu durabit, quamdiu cælum et terra, nimirum durabit in omnem æternitatem: per eam enim in omni gloria et iubilo Deo astabunt, Deumque laudabunt: itaque iuges ei offerent victimas oris et cordis, puta hymnos, gratiarum actiones, doxologias, etc. Ita S. Hieronym. Cyrill. Theodor. Forerius, Adam. et alii. Sensim Propheta transit latenter ad sæculum futurum, ut in eo prophetiam finiat.

Vers. 23. ET ERIT MENSIS EX MENSE, ET SABBATUM EX SABBATO.) Primo, Forer. sic exponit, q. d. Fideles singulis mensibus et sabbatis, id est Dominicis et festis diebus, venient ad templum, ut audiant Sacrum et verbum Dei: item, ut confiteantur, communicent, etc. uti in primitiva Ecclesia fiebat, et hoc sæculo rursum (Deo sit laus) fieri incipit.

Alludit ad vetera festa et sacrificia, quæ Iudæis in Babylone captivis cessabant, sed iis redeuntibus restituta sunt.

Secundo, Sanchez exponit, q. d. Olim in lege veteri certis tantum diebus, puta festis, ut in neomenia, sabbato, etc. offerebantur sacrificia, et ter tantum in anno omnes adibant templum: at in lege nova erit continuum festum: quotidie enim offeretur Deo sacrificium Eucharistiæ augustissimum, quod quilibet quotidie offerre poterit, per se, si sit sacerdos; per sacerdotem, si sit laicus. Rursum in Ecclesia quotidie est festum ex festo, quia quotidie memoriam et festum alicuius sancti Martyris Virginis vel Confessoris celebrat in officio Ecclesiastico. Hoc maxime Romæ locum habet, ubi pene quotidie novos Romanos Martyres, eorumque ecclesias, stationes, reliquias in eorum die natali veneramur et visitamus, tum ut eorum patrocinia imploremus et obtineamus, uti revera obtinemus. Unde S. Birgittæ a Deo revelatum est, Romæ facilem esse ad cælum viam: qua de causa

In Ecclesia quotidie est festum.

A ipsa Romæ vivere et mori elegit. Tum ut eorum exemplis ad heroica virtutum opera excitemur. Miram enim vim accendendi animos torpentes habent hæc eorum domestica, et oculos nostros assidue ferientia, tam illustria fortitudinis, castitatis et charitatis exempla ac triumphi. *Solemnitates Martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat*, ait S. August. serm. 47. de Tempore. Quapropter multi pii reges et principes, tum ex Anglia, tum aliunde, olim Romam venerunt, ut ibi vitam piam agerent, eamque pio fine et transitu concluderent.

Ita fecit Ceadualla rex Britonum, de quo audi Bedam l. 5. hist. c. 7. *Venit Romam, hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, ut ad limina B. Apostolorum fonte baptismatis ablueretur; simul etiam sperans, quia mox baptizatus, carne solutus, ad æterna gaudia iam mundus transiret, quod utrumque ut mente disposuerat, Domino adiuvante completum est. Etenim illo perveniens, pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto Sabbati* B *Paschalis, anno ab incarn. Domini* 689. *et in albis adhuc positus, languore correptus*, 12. *Calen. Maias. solutus est a carne, et Beatorum est consortio sociatus in cælis.* Subdit eum nomen Petri sumpsisse in baptismo, et in S. Petri basilica esse sepultum, cuius et epitaphium recitat.

Sic et Coenredus rex Merciorum, cum sex annos regnasset, Romam transmigravit anno Domini 709. uti Beda in Epitome scribit.

Anastasius in Constantino de duobus aliis regibus ita scribit: *Huius temporibus duo reges Saxonum ad orationes Apostolorum cum aliis pluribus venientes, velociter (ut optabant) vitam suam finiverunt.* Idem scribit Paulus Diaconus, qui et subdit: *His temporibus multi Anglorum gentis nobiles et ignobiles, viri et fœminæ divini amoris instinctu, Romam venire consueverunt.*

Huc rex Britonum, Ceaduallæ successor, *cum regnum tenuisset* 37. *annis, eo relicto, ac iunioribus commendato, ad limina Apostolorum, Gregorio II. Pontifice, profectus* C *est, cupiens in vicinia locorum sanctorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius a Sanctis recipi mereretur in cælis*, ait Beda loco citato. Romæ ergo ad limina Apostolorum monasticam vitam amplexus, sancto fine in Domino quievit, uti refert Baron. ex Annal. Angl. anno Christi 740.

Neque vero viri tantum principes, sed et fœminæ id ipsum præstiterunt. Nam Eadburga cognomento Buggan, consanguinea Hedilberti regis Cantiæ, Romam se contulit ad limina Apostolorum. Quod priusquam faceret, litteras ad S. Bonifacium Frisiorum et Thuringorum Apostolum dedit, quibus eum sui desiderii et propositi conscium reddidit, scilicet, optare se iam senescentem solum patrium relinquere amore quietis, et Romam petere, ut ibi apud sancta limina Apostolorum degens incognita, illic divinis tantum vacans rebus ultimam diem præparans se ad obitum exspectaret, petens ab eo super hac profectione consilium. Cui S. Bonif. in hæc verba rescripsit: *Melius mihi videtur, si propter libertates sæculares,* D *in patria libertatem quietæ mentis habere nullatenus possis ut peregrinatione libertatem contemplationis, si volueris et possis, acquiras, quemadmodum soror nostra Witburga faciebat, quæ mihi per suas litteras intimavit, per talem vitam quietem invenisse iuxta limina S. Petri, qualem longum tempus desiderando quæsivit.* Porro Witburga hæc, ut patet ex epist. 47. eiusdem S. Bonifacii, Romæ spontanee se apud S. Petrum cella instar carceris clausit: ibique inclusa vitæ contemplativæ operam dedit. Recenset utrorumque epistolas Car. Baron. anno Christi 723.

Denique Carolus Magnus, anno Domini 774. peregrinatus est Romam, cumque ad urbem accederet ex equo descendens pedes perrexit ad S. Petrum, ac gradus S. Petri sigillatim deosculans, ab Hadriano Pont. exceptus, alias deinde ecclesias pari devotione visitavit. Quocirca Deus ei benedixit. Nam rediens Ticinum cœpit, ac Desiderium Longobardorum regem captivum abduxit, re-

gnumque Longobardorum tot annis Italiæ molestum, extinxit. Deinde Saxones subiugavit. Ita ex Anastasio et aliis Baronius anno Domini 774. ubi et ostendit Carolum Magnum quater peregrinatum esse Romam, scilicet primo, anno 774. uti iam dixi. Secundo, solvendi voti causa, an. Domini 780. Tertio, adversus Ducem Beneventanum, anno Domini 786. Quarto, ad restituendum Leonem Papam in suum locum, an. Domini 800. quando et creatus est Imp.

Tertio et genuine, transit hic Propheta ad sæculum futurum, felicissimum bonis, infelicissimum impiis, ut eius vel horrore, vel amore et desiderio aculeum infigat lectori, itaque librum finiat, ut doceat concionatores conciones finire infixo simili auditoribus stimulo.

Nota ergo hebraismum: *mensem* enim vocat primum diem mensis, qui erat festum neomeniæ, quod hebr. dicitur חודש *chodes*, id est innovatio, scilicet lunæ et mensis, nimirum novilunium, quod Iudæi celebrabant ob duas causas. Primo, ob beneficium gubernationis divinæ. Secundo, ut sicut frugum, ita etiam temporis et mensis primitias Deo dependerent. Vide dicta Numer. 28. 11.

Sensus ergo est, q. d. Fidelibus in Ecclesia, præsertim cælesti et triumphante, perpetua erit solemnitas: perpetua quies et exsultatio, perpetuus sabbatismus, perpetua neomenia, id est perpetua gaudii, gratiæ et gloriæ innovatio; cum ex adverso impiis et damnatis æternus erit ignis et vermis, ut sequitur. Ita Theod. S. Aug. et Tertull. locis citatis.

Vers. 24. Omnis caro.) Omnis homo: puta omnis fidelis et sanctus, omnis beatus, de his enim solis agit.

Et egredientur et videbunt cadavera virorum.) Primo, Sanchez hæc pergit exponere de Ecclesia præsenti, q. d. Fideles in Ecclesia securi et tuti, cogitatione exibunt et contemplabuntur funera quotidiana eorum, qui extra Ecclesiam expositi sunt dæmonis laqueis, et gladio Domini.

Rursum, ut Forer. exibunt meditando pœnas damnatorum in gehenna, qui sane prudens et utilis est egressus, ut peccata vitentur, ne in gehennam ingredi cogantur. Secundo, S. Cyrill. hæc refert ad vastitatem Iudæorum per Titum. Tertio et genuine, S. Aug. Hieron. Adamus, et alii passim hæc referunt ad futurum sæculum, q. d. Beati mente et contemplatione, vel etiam naturaliter et localiter, si velint, egredientur cælo, ut cominus intueantur damnatorum supplicia, quæ ipsi singulari Dei ope evaserunt, et in quæ hostes suos impios in æternum volutari videbunt. Hoc enim ingens eis erit gaudium. Sic, inquit Theodor. Lazarus in sinu Abrahæ existens, vidit animam divitis Epulonis in inferno. Quinimo S. Thom. in Supplemento 3. p. qu. 84. art. 2. docet Beatos quandoque reipsa cælo exituros, tum ut dotem agilitatis exerceant, tum ut visum aliarum creaturarum specie pascant et oblectent.

Corpora damnatorum dicuntur cadavera. Cur? Nota. Corpora damnatorum licet animata, dicuntur *cadavera*. Primo, quia fœda, gravia et olida erunt instar cadaverum. Secundo, Hebr. פגרי *pigre*, etiam significat pigra, et membra frigore torpentia, aut tormentis delassata. Ita Theod. et Castrius. Tertio, quia sunt in morte æterna; et simul in pœna æterna: ut enim mortem significaret, *cadavera* dixit et *vermes*; ut vero vitam omni morte acerbiorem ob pœnam demonstraret, ignem dixit inextinguibilem, et vermem eorum non moriturum.

Vermis eorum non morietur.) *Vermis*, id est vermes. Alludit ad *cadavera* damnatorum, de quibus præcessit: hæc enim solent in hac vita scaturire vermes: sed hi sunt mortales; illi in gehenna erunt immortales, hinc addit, *non morietur*. Cum enim hic moritur homo, mox caro eius humida et putida producit serpentes, bufones, lumbricos et alios vermes. Hi carnem defuncti rodunt et depascuntur usque ad ossa, cumque nihil amplius restat quo pascantur, emoriuntur sensim, et vertuntur in terram. Ita impletur illud Dei ad Adam: *Memento homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris*. Verum in inferno uti cadavera, ita et vermis et ignis erunt æterna, Deo ea semper conservante ad æternam reproborum punitionem. Arabicus vertit: *Culpa eorum non moritur, et vermis eorum non dormit, et ignis eorum non exstinguitur*. Porro loqui Prophetam de damnatis in inferno certum est. Ita enim explicat Christus Marci 9. 42. *Bonum*, ait, *est tibi debilem introire in vitam æternam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur*. Et ita accipiunt omnes interpretes, quare et præcedentia de sæculo futuro, non præsenti accipienda sunt, ut ibi dixi.

Quæritur hic, an in inferno sint veri et proprie dicti vermes, qui torqueant damnatos? Calvinus l. 3. Instit. 25. §. 12. sicut ignem inferni tropice accipit, ut nil sit aliud quam ipsa Dei indignatio apprehensa a damnatis: ita consequenter tropice accipit et vermes. Aliqui per vermes intelligunt flammulas tenues quæ mille locis e carne impiorum instar vermiculorum erumpent. Rursum multi Catholici ignem proprie, vermem tropice accipiunt, scilicet ut vermis sit dolor ac mœror quasi vermis ortus ex putredine peccati, arrodens et torquens animum ex amissione tantæ felicitatis, quam facile fuerat consequi; et tantæ miseriæ incursu, quam per difficiles peccati vias sibi accersiverunt. Ita S. Hieronymus et Procopius hic, Ambros. in 14. Lucæ l. 7. August. 20. Civit. 21. qui tamen contrariam sententiam asserit esse æque probabilem. Iansenius in Concord. c. 71. D. Thom. in 4. d. 50. q. 2. art. 3. ad 1. et 2. Ibi Soto et communiter Scholastici. Unde et Isidorus l. 1. de Summo bono c. 13. duplicem ponit damnatorum pœnam: *Nam et eorum mentem*, ait, *urit tristitia, et corpus flamma*. Verum videtur potius hic vermis esse tropologicus. *An in inferno sint veri vermes?*

Dico ergo hic intelligi proprie dictos vermes, qui in inferno erunt horribiles, fœdissimi, mordacissimi, et æterni; sicut naturaliter salamandra et pyraustæ vivunt in igne: idque ad hoc, ut damnatorum, qui carni et concupiscentiæ tum corporis, tum mentis et maxime superbiæ, indulserunt, acerrimi sint vindices. Erit ergo hoc vermium tormentum æque ut ignis, horribile et acerrimum; non enim erunt hi vermes naturales, sed Dei miraculo efformati ad impiorum afflictionem: itaque vermes hi non affligentur igne, sed tantum impios affligent. *Resp. fore.*

Ubi nota, quatuor locis horum vermium sacram Script. meminisse. Primus est hic Isaiæ, post eum Iudith c. 16. 21. Tertius Ecclesiast. 7. 19. Quartus Marci 9. 45. Nunc hæc sententia probatur primo, quia Isaias ait, cadavera, *Prob.*
id est corpora, damnatorum fœda, putida et cadaverosa, 1.
proiecta in gehennam videnda esse a Beatis, et statim addit: *Vermis eorum non morietur;* ubi satis insinuat vermes hosce fore corporum, quæ ideo vocat cadavera: hæc enim ex se scatent vermibus. Secundo, quia id clare ex- 2.
plicat Ecclesiast. c. 7. 19. et Iudith 16. 21. ubi non animæ sed carnis vocantur vermes: ergo carnei erunt. Sic enim ait Ecclesiast. *Vindicta carnis impii ignis et vermis;* et Iudith: *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant in sempiternum*. Licet enim τὸ *in carnes* aliqui sic exponant, q. d. *In carnalem vitam eorum*, ad eam scilicet puniendam: alii *in carnes* quas scilicet vermes comedent in sepulcro, tamen hæc frigida sunt, et repugnant ei quod subditur: *Ut sentiant in sempiternum;* et quod ait Christus Marc. 9. 45. *Vermis eorum non moritur*. Tertio, igni iungitur vermis: ergo sicut ignis ve- 3.
rus est in inferno, uti fides docet; ita et vermes: quia verborum nexus non patitur, ut ignis proprie, vermis tropice capiatur, maxime cum, sicut semper dicitur ignis, ita et semper dicatur vermis, nec usquam tropum in voce *vermis* explicet Scriptura. Et sane si verum ignem, verum sulphur, veram picem intelligimus inferni in Script. cur non et vermes? maxime cum regula sit S. August. et aliorum Patrum in Script. omnia proprie accipienda, non tropice, nisi cogat absurditas sententiæ: nihil autem in vermibus, eorumque vita in igne, et modo agendi, mordendi et torquendi damnatos est absurdum, non magis quam in corporibus damnatorum, et in modo agendi ignis et sulphuris non tantum in corpora sed et in animas eo-

4. rumdem. Quarto, quia Beati habebunt quædam suavissima omnium sensuum oblectamenta, ut docent Theologi: ergo et damnati vermes et sordes habebunt, quæ omnes sensus affligant, et voluptates illicitas quibus in hac vita
5. se oblectarunt congrue puniant. Quinto, quia ita sentiunt Haymo hic, August. 21. Civit. 9. Basil. in Ps. 33. ad illum v. *Timorem Domini docebo vos: In inferno*, ait, *vermium innumerabilium genus venenosum ac carnivorum erit, esitans quidem, nec tamen se satians, intolerabiles dolores morsibus infligens.* Auctor de Triplici habitaculo apud S. August. tom. 9. *In inferno*, ait, *est ferocitas bestiarum, dilaceratio immortalium vermium.* Innoc. III. Pont. l. 3. de Contemptu mundi c. 1. v. 2. et sequent. *Erit in gehenna vermis*, inquit, *duplex; interior qui rodit cor, exterior qui rodit corpus;* et cap. 4. *In inferno erunt vermes indeficientes.* Prosper lib. 3. de Vita contempl. c. 12. ait damnatos *edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri.* Hugo Victor. l. 4. de Anima c. 13. *In inferno*, ait, *omnes comburuntur, et vermibus corroduntur, nec consumuntur, quorum vermis non moritur, et ignis non extinguitur.* S. Ansel. in Elucidario: Tertia, ait, pœna in inferno est vermes immortales, id est serpentes et dracones visu et sibilo horribiles, qui ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma. Idem indicat Cyrill. in orat. de exitu animæ, ubi fœdum et olentem vermem appellat: ergo corporalis erit, non spiritualis. Idem docet Chrysost. Theophyl. et Guilielmus Parisiensis, quos citat et sequitur noster Serarius in Iudith c. 16. q. 2. Sic et sentit Gregor. de Valentia 3. p. de Beat. et damnat. corp. disp. 13. q. 5. punct. 3. Certe Script. cum toties minatur improbis vermes, æque ac ignes gehennæ, propriam aliquam, novam et miram pœnam damnatorum voluit significare; qualis non est mœror vel remorsus conscientiæ: hic enim est in omni pœna, et nemo, ne Calvin. quidem, dubitavit umquam, quin ille esset in gehenna. Quis enim nesciat in tanta pœna, eaque æterna, damnatos dolere et cruciari, quod pœnas illas sibi accersiverint? Denique apposite damnati punientur verme: cum enim omnis caro corruperit viam suam, et pleraque reproborum peccata sint carnalia, videamusque passim grassari libidinem, gulam et crapulam, etc. apte Deus puniet eos putidis vermibus, qui ex gula, libidine, indeque putenti carne oriri solent: idque toties prædici voluit, ut eius horrore homines sibi a peccatis hisce temperent. Hoc est quod scribit S. Gregor. l. 16. Moral. c. ult. *Carnalis dulcedo delectationis, in conscientia nutrit vermem doloris. Quid namque caro, nisi putredo ac vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud quam vermem amat? Quæ enim sit carnis substantia, testantur sepulcra. Quis parentum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti sui, tangere carnem scaturientem vermibus potest? Caro itaque cum concupiscitur, pensetur quæ sit exanimis, et intelligitur quid amatur.* Causam subdit: *Nihil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum, penset. Considerata etenim corruptione carnali, citius cognoscitur, quia cum illicite caro concupiscitur, tabes desideratur. Bene ergo de luxuriosi mente dicitur: Dulcedo illius vermis: quia is, qui in desiderio carnalis corruptionis æstuat, ad fœtorem putredinis anhelat.*

Quocirca S. Ambr. l. 7. in Luc. c. 14. tract. de parata cœna magna: *Ut multæ*, inquit, *ex cruditate febres nascuntur et vermes, quando quis intemperanter cibum sumit: ita si quis peccata peccatis accumulet, nec decoquat ea pœnitentia, sed misceat peccata peccatis, cruditatem contrahet veterum et recentium delictorum, indeque igne quasi febre aduretur proprio, et vermibus consumetur, id est torquebitur*, et cruciabitur usque ad consumptionem et mortem, ita tamen ut numquam sit consumptus, nec mortuus. Huius rei symbolo Deus quosdam valde impios vivos vermibus corrodendos tradidit, uti Antiochum, e cuius corpore vermes scaturierant, 2. Machab. 9. 9. et Herodem infanticidam, cuius *verenda putrefacta scatebant vermiculis cum fœtore gravissimo*, ait Ioseph. 11. Antiq.

Herodes, Antiochus et Calvin. a vermibus consumpti.

A 8. Et Calvinum, quem phthiriasi, id est pediculari morbo, consumptum tradit Bolsecus medicus, eiusque discipulus, in ipsius Vita.

Mysticæ, vermis quid?

Mystice, vermis hic erit remorsus conscientiæ, qui ut vermis iugiter eam mordebit et rodet, de quo pulchre Innoc. III. loco citato: *Vermis*, ait, *conscientiæ tripliciter lacerabit: affliget memoria, sera turbabit pœnitentia, torquebit angustia. Venient enim in cogitationem peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates eorum dicentes: Quid profuit nobis superbia? et iactantia divitiarum quid contulit nobis? transierunt illa omnia tamquam umbra, et sicut navis quæ pertransiit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non est invenire vestigium; sic et nos nati continuo desivimus esse. Virtutis quidem signum nullum valuimus ostendere, sed in malignitate nostra consumpti sumus* (Vide Sapient. 5.) *Cum ingenti turbatione recogitabunt quæ cum nimia delectatione gesserunt, ut stimulus memoriæ pungat ad pœnam, quos aculeus nequitiæ stimulavit ad culpam.*

B Ferunt Poetæ Prometheum, quod arundine ignem e cælo deduxerat, a Iove Caucaso monti alligatum, ubi ab aquila cor illius perpetuo exeditur. Tityum vero terræ filium, eo quod Latonam adamasset, ab Apolline sagittis confixum, et damnatum apud inferos hac pœna, ut vultur eius iecur perpetuo arrodat: arrosum enim et exesum semper renasci. Ita referunt Hesiodus, Ovidius, Lucanus. Unde Virgil. 6. Æneid. de eo ita canit:

Rostroque immanis vultur adunco
Immortale iecur tundens, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Hoc symbolo significarunt improbos a sua conscientia, velut a carnifice ac furiis nocte dieque torqueri. Unde ex Virgilio pulchre hunc Isaiæ versum ita carmine reddidit Carpenteius:

Supplicium quæris? Iecur immortale cerastæ
Semper victuri tundent, fœcundaque pœnis
Viscera corrodent, nostroque alimenta furori
C *Suffectura dabunt, nec erunt sine fomite flammæ,*
Flammæ vivaces, insopitique vapores.

Quocirca merito S. Bernard. l. 5. de Consid. c. 12. *Hic est*, ait, *vermis, qui non moritur, Memoria præteritorum: semel iniectus, vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca utique inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis et vitæ morientis. Hæc est secunda mors quæ numquam peroccidit, sed semper occidit. Quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus, Cadite super nos; et collibus, Operite nos.* Quapropter S. Pachomius, vir mire sanctus tempore Constantini Imper. *Si quando eum cogitatio pulsasset illicita, mox eam repellebat, atque in timore Domini perseverabat affixus, æternarum memor pœnarum, et dolorum sine fine manentium, ignis scilicet illius inexstinguibilis et vermis numquam morientis*, inquit Auctor Vitæ eius cap. 16.

D Non moritur.) Vere S. Gregor. l. 4. Moral. c. 7. *Anima*, inquit, *mortaliter est immortalis, et immortaliter mortalis: ita enim immortalis est, ut mori possit: ita mortalis est, ut mori non possit. Nam beate vivere, sive per vitium, sive per supplicium perdit. Essentialiter autem vivere, neque per vitium, neque per supplicium perdit.* Animæ enim essentia numquam interit, sed est immortalis; moritur tamen spiritualiter, cum Dei gratiam quasi animam suam amittit. Unde Damascen. in historia Barlaam cap. 18. *Peccatum*, ait, *est immortalis animæ mors.* Rursum moritur, cum in gehenna morte æterna, id est, agonia et doloribus mortis, in æternum punitur et cruciatur.

Et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.) Pro *satietatem visionis* hebr. est דראון *deraon*, quod primo, Syrus et Arabicus Antiochenus vertunt: *Erunt admiratio* vel *stupor omni carni;* secundo Arabicus Alexandrinus: *Erit exemplum omni carni*, puta omnibus ho-

minibus; tertio, Vatabl. et Forer. *erunt in fastidium* vel *nauseam*; alii, *in abominationem*: abominamur enim cadavera fœtentia et verminosa, qualia maxime sunt eorum qui in deliciis ventris et veneris vixerunt. Melius Noster cum Chaldæo et aliis Hebræis *deraon* accipit quasi compositum ex דֵּי *de*, id est satietas, et ראון *raon*, id est visio, q. d. *satietas visionis*. Unde Chaldæus vertit: *Et erunt impii iudicati in gehennam donec dicant super eos iusti, Vidimus satis*. Alii et melius, q. d. Erunt sempiternum iustis spectaculum. Ita S. Cypr. contra Demet. tract. 1. in fine. Sensus ergo est: Gaudebunt Beati videntes tantas reproborum, hostium Dei et suorum, pœnas, videntes se eas evasisse. At damnatos mire torquebit hoc suæ pœnæ spectaculum, et gaudium Beatorum, quodque nulla suorum ita excruciatorum pœna et lamentis moveantur, sed potius rideant, Deique iustitiam laudent. Nullus ergo eis in æternum erit consolator, nullum dolorum lenimen, sed potius insultabit eis Deus, qui dixit Proverb. 1. 24. *Quia vocavi, et renuistis, etc. ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo*. Insultabunt eis Sancti et Angeli. Ps. 57. 11. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*. De voce *deraon* plura dicam Dan. 12. v. 3. in fine. Terminat hic Isaias suam prophetiam subiiciendo oculis ultima et summa tum damnatorum supplicia, tum Beatorum gaudia. Quis enim stimulus hoc possit esse acrior ad omnem virtutem prosequendam, et omne peccatum abominandum? *Ad hoc Propheta terminavit librum ad quod terminabitur sæculum*, ait S. August. 20. Civit. 21.

Vide ergo hic et iugiter considera, o Christiane, infelicem impiorum exitum plane disparem ab exitu piorum. Præclare S. Hieronym. epist. 24. ad Marcellam, ostendit quam mors S. Leæ illustris fœminæ, sed religiosæ, dispar fuerit a morte Consulis infidelis, qui per id tempus obierat. *Humilitatis*, ait, *fuit tantæ* (S. Lea) *ut quondam domina plurimorum, ancilla omnium putaretur. Inculta vestis, vilis cibus, neglectum caput. Nunc igitur pro brevi labore æterna beatitudine fruitur. Excipitur Angelorum choris, Abrahæ sinibus confovetur et cum paupere quondam Lazaro divitem purpuratum, et non palmatum Consulem, sed atratum stillam digiti minoris cernit inquirere. O quanta rerum mutatio! Ille qui ante paucos dies quasi triumphator Capitolinas ascendit arces, nunc desolatus et nudus, non in lacteo cæli palatio, ut uxor mentitur infelix, sed in sordentibus tenebris continetur. Hæc vero quam unius cubiculi secreta vallabant, quæ pauper videbatur, et tenuis, cuius vita putabatur amentia, Christum sequitur, et dicit: Quæcumque audivimus, ita et vidimus in civitate Dei nostri*. Unde pathetice concludit: *Quapropter moneo, et flens gemensque contestor, ut, dum huius mundi vitam currimus, non duabus tunicis, id est duplici vestiamur fide: non calceamentorum pellibus, mortuis videlicet operibus, prægravemur; non divitiarum nos pera ad terram premat: non virgæ, id est potentiæ sæcularis, quæratur auxilium: non pariter et Christum velimus habere et sæculum: sed pro brevibus et caducis æterna succedant, et cum quotidie (secundum corpus loquor) præmoriamur, in cæteris non nos perpetuos existimemus, ut possimus esse perpetui.*

Hæc et ego suspirans gemensque scribo, dum cogito tot quotidie pereuntium et in gehennam descendentium ruinas, ubi *vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur*. Atque te, o lector, per viscera misericordiæ Dei nostri, per tuam ipsius salutem, per unicam animulam tibi creditam, tuæque curæ commissam obsecro et obtestor, ut æternitatis et æternorum tormentorum, æque ac gaudiorum, tibi a Deo utrimque propositorum, de quibus hic unam iacis aleam, eamque irrevocabilem, memoriam vivam tibi semper ob oculos ponas: hæc duo non recedant a mente tua. In hoc sæculo *vanitas vanitatem, et omnia vanitas*: o quantum est in rebus inane! o sine Christo quam vanum omne quod vivimus! In futuro, veritas veritatum et omnia veritas, stabilitas stabilitatum, et omnia stabilitas, ÆTERNITAS ÆTERNITATUM, ET OMNIA ÆTERNITAS: in cælo felicissima, in gehenna miserrima, ubi *vermis non morietur, et ignis non exstinguetur*. Ergo in medio constitutus sic vive, ut in æternum vivas. Unica et brevis est vita tua: ubi mortuus fueris, ad vitam hanc redire non licebit: sapere, et errores commissos corrigere non dabitur: clausa erit pœnitentiæ ianua. Hæc prævidens sapito, dum tempus habes.

Hic momentum quod delectat: ibi æternum quod cruciat; hic momentum quod cruciat: ibi æternum quod delectat. Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur: gloria horum non morietur, et felicitas non extinguetur. Ito nunc iuvenis, lætare in adolescentia tua, Eccl. 12
ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum; et scito quod pro his omnibus adducet te Deus in iudicium. Ito vane, vanis inhia: mox perituris te satia, cras moriture. O vani filii Adæ, mendaces in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum! O umbra, o somnium, o universa vanitas omnis homo vivens! Memento creatoris tui antequam veniat tempus afflictionis, antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, vel superam, vel inferam. Intra per angustam portam, quia lata et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci qui inveniunt eam!

JUBILUS

EX MAGNIFICIS ISAIÆ ORACULIS,

EORUMQUE ORDINATA SYNOPSIS, QUIBUS ECCLESIÆ REDEMPTIONEM, GRATIAM, PACEM, EXSULTATIONEM, VICTORIAM, IMPIETATIS ET IMPIORUM EXCIDIUM, CHARISMATA SPIRITUS SANCTI, CÆLESTIUM BONORUM AFFLUENTIAM, AC PERENNEM FELICITATEM, ET TRIUMPHUM PER CHRISTUM DANDA PROMITTIT.

Cap. 1. Audite, cæli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me.

Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.

Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus, et livor, et plaga tumens.

Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrhæ similes essemus.

Audite verbum Domini, principes Sodomorum: percipite auribus legem Domini nostri, populus Gomorrhæ.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.

Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.

Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicii? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. Principes tui infideles, et socii furum: omnes diligunt munera, pupillo et viduæ non iudicant.

Propter hoc ait Dominus, fortis Israel: Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis; excoquam ad purum scoriam tuam.

Et restituam iudices tuos ut fuerunt prius. Post hæc vocaberis civitas iusti. Sion in iudicio redimetur: et conteret scelestos, et peccatores simul.

Cap. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et fluent ad eum omnes gentes, et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.

Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Domus Iacob, venite; et ambulemus in lumine Domini.

Dies Domini super omnem superbum et excelsum. Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.

Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse.

Cap. 3. Ecce enim Dominator Dominus auferet a Iuda validum et fortem, omne robur panis et aquæ, consiliarium et sapientem. Et dabo pueros principes eorum, et effœminati dominabuntur eis.

Provocaverunt oculos maiestatis eius: peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.

Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.

Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant: decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et erit pro suavi odore fœtor, pro zona funiculus, pro fascia pectorali cilicium.

In illa die erit germen Domini in magnificentia. O- Cap. 4.
mnis qui relictus fuerit in Sion, sanctus vocabitur, o-
mnis qui scriptus est in vita, cum abluerit Dominus sor-
des filiarum Sion in spiritu iudicii et ardoris.

Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei. Vinea fa- Cap. 5.
cta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, et
plantavit eam electam.

Nunc ergo, viri Iuda iudicate inter me et vineam meam.

Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ? an quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?

Auferam *ergo* sepem eius, et erit in direptionem.

Væ qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?

Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. Cithara, et lyra, et tibia, et vinum in conviviis vestris: et opus Domini non respicitis.

Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum.

Væ qui sapientes estis in oculis vestris: væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et e- Cap. 6.
levatum: et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.
Seraphim stabant super illud: sex alæ uni et sex alæ alteri: duabus velabant faciem suam, et duabus velabant pedes eius, et duabus volabant.

Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.

Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Et volavit ad me unus de Seraphim, et *calculo* tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua.

Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

Et dixit: Vade, et dic populo huic: Excæca cor populi huius, et aures eius aggrava: semen sanctum erit quod steterit in ea.

Dices ad *Achaz:* Noli timere a duabus caudis titionum Cap. 7.
fumigantium, Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ.

Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

Sibilabit Dominus muscæ Ægypti, et api quæ est in terra Assur: et radet in novacula conducta Assyriorum caput, et pilos pedum, et barbam universam.

Accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Cap. 8.

*

Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: Festina prædari.

Quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.

Dominum exercituum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, et in petram scandali domibus Israel, et habitantibus Ierusalem.

Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et portentum Israel.

Cum dixerint ad vos: Quærite a pythonibus: Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis? Ad legem magis, et ad testimonium.

Cap. 9. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.

Cap. 10. Væ qui condunt leges iniquas, ut opprimant pauperes, viduas et pupillos decipiant. Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis?

Væ Assur, virga furoris mei: ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi.

Et erit, cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, visitabo super fructum magnifici regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum eius.

Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? propter hoc mittet Dominus in pinguibus eius tenuitatem: et subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis.

Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo: consummatio abbreviata inundabit iustitiam.

Cap. 11. Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.

Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiæ, et pietatis.

Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet.

Sed iudicabit in iustitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ: et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.

Et erit iustitia cingulum lumborum eius: et fides cinctorium renum eius.

Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hædo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos.

In die illa, radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum.

Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos, Israel, et dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terræ.

Et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul deprædabuntur filios Orientis. Idumæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt.

Cap. 12. Et dices in die illa: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me.

Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.

Exsulta, et lauda, habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israel.

Cap. 13. Onus Babylonis. Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces.

Ego mandavi sanctificatis meis, et vocavi fortes meos in ira mea, exsultantes in gloria mea.

Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus regum, et gentium congregatarum: Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul, a summitate cæli: Dominus, et vasa furoris eius, ut disperdat omnem terram.

Ululate, quia prope est dies Domini; quasi vastitas a Domino veniet.

Quoniam stellæ cæli, et splendor earum, non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.

Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum, et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.

Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham.

Sumes parabolam istam contra regem Babylonis, et dices: Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? Cap. 14.

Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.

Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum.

Universi respondebunt, et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es.

Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.

Quomodo cecidisti de cælo, lucifer, qui mane oriebaris?

Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.

Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.

Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.

Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna?

Ne læteris, Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, et semen eius absorbens volucrem.

Et quid respondebitur nuntiis gentis? Quia Dominus fundavit Sion, et in ipsa sperabunt pauperes populi eius.

Onus Moab. Quia nocte vastata est Ar Moab, conticuit: Cap. 15.
quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit.

Cor meum ad Moab clamabit, vectes eius usque ad Segor vitulam conternantem: per ascensum enim Luith flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt.

Secundum magnitudinem operis, et visitatio eorum ad torrentem salicum ducent eos.

Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra Cap. 16.
deserti ad montem filiæ Sion.

Audivimus superbiam Moab, superbus est valde: superbia eius, et arrogantia eius, et indignatio eius, plus quam fortitudo eius.

Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit: his qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.

Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris.

Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse civitas, et Cap. 17.
erit sicut acervus lapidum in ruina.

Et relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami.

Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æ- Cap. 18.
thiopiæ.

Qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas.

Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam, et dilaceratam; ad populum terribilem, post quem non est alius: ad gentem exspectantem et conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.

Ante messem enim totus effloruit, et immatura perfectio germinavit, et præcidentur ramusculi eius falcibus: et quæ derelicta fuerint, abscindentur, et excutientur.

In tempore illo, deferetur munus Domino a populo divulso et dilacerato.

Cap.19. Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie eius, et cor Ægypti tabescet in medio eius.

Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis, dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum?

Ubi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum.

Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis: et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens.

In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, et iurantes per Dominum exercituum: Civitas solis vocabitur una.

In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini iuxta terminum eius.

In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio: benedictio in medio terræ.

Cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio: hæreditas autem mea Israel.

Cap.20. Dixit Dominus Isaiæ: Vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus, et discalceatus.

Et dixit Dominus: Sicut ambulavit Isaias nudus, sic minabit rex Assyriorum Ægyptios et Æthiopes, iuvenem et senem, nudum et discalceatum.

Cap.21. Onus deserti maris. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.

Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes: surgite principes, arripite clypeum.

Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli: et contemplatus est diligenter multo intuitu.

Et clamavit leo: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem: et super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.

Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum, et respondit, et dixit: Cecidit Babylon: et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram.

Onus Duma ad me clamat ex Seir, Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte?

Dixit custos: Venit mane et nox: si quæritis, quærite: convertimini, venite.

Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim.

Cap.22. Onus vallis visionis. Quidnam tibi quoque est, quia ascendisti et tu omnis in tecta?

Clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans, interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello.

Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci.

Et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et iugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum: Comedamus, et bibamus: cras enim moriemur.

Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.

Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, et dices ad eum:

Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.

Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te.

Et erit in die illa: Vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ.

Et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu eius: et erit quasi pater habitantibus Ierusalem, et domui Iuda.

Et dabo clavem domus David super humerum eius: et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat.

Onus Tyri. Ululate, naves maris: quia vastata est domus, unde venire consueverant. Cap.23.

Erubesce, Sidon: ait enim mare, fortitudo maris, dicens: Non parturivi, et non peperi, et non enutrivi iuvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.

Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiatores principes, institores eius incluti terræ?

Transi terram tuam quasi flumen, filia maris, non est cingulum ultra tibi.

Et erit in die illa: In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies regis unius: post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis.

Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam, et Cap.24. affliget faciem eius, et disperget habitatores eius.

Et erit sicut populus, sic sacerdos: et sicut servus, sic dominus eius: sicut ancilla, sic domina eius: sicut emens, sic ille qui vendit: sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.

Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.

Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte.

Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ.

A finibus terræ laudes audivimus, gloriam iusti. Et dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi: væ mihi, prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt.

Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.

Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Ierusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

Domine, Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor Cap.25. nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen.

Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum: ut non sit civitas et in sempiternum non ædificetur.

Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te.

Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua: spes a turbine, umbraculum ab æstu. Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem.

Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.

Præcipitabit mortem in sempiternum: et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.

Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste: exspectavimus eum, et salvabit nos: iste Dominus sustinuimus eum, exsultabimus, et lætabimur in salutari eius.

In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda. Cap.26.

Urbs fortitudinis nostræ Sion salvator, ponetur in ea murus et antemurale.

Aperite portas, et ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem.

Vetus error abiit: servabis pacem; pacem, quia in te speravimus.

Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.

Domine, nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animæ.

Misereamur impio, et non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.

Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.

Morientes non vivant, gigantes non resurgant: propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.

Concepimus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ.

Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam.

Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.

Cap.27. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum, qui in mari est.

In die illa vinea meri cantabit ei.

Ego Dominus, qui servo eam, repente propinabo ei: ne forte visitetur contra eam, nocte et die servo eam.

Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.

Et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum eius.

Cap.28. Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti, gloriæ exsultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino.

Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim.

In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exsultationis residuo populi sui.

Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.

Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.

Quia manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi.

Et erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda, exspecta reexspecta, exspecta reexspecta, modicum ibi, modicum ibi: ut vadant et cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur, et capiantur.

Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.

Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, et fundamento fundatum: qui crediderit, non festinet.

Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem: sola vexatio intellectum dabit auditui.

Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat: et pallium breve utrumque operire non poterit.

Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus: sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus eius: ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.

Numquid tota die arabit arans ut serat, proscindet et sarriet humum suam.

Et erudiet illum in iudicio: Deus suus docebit illum.

Cap.29. Væ Ariel: Ariel civitas, quam expugnavit David.

Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens, et erit mihi quasi Ariel.

Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, et iaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam.

Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum: et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit.

Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros qui vident visiones, operiet.

Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos, et quis novit nos?

Onus iumentorum Austri. In terra tribulationis et angustiæ, leæna, et leo ex eis, vipera, et regulus volans, portantes super humeros iumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit. Cap.30.

Qui dicunt videntibus: Nolite videre: et aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.

Hæc dicit Dominus Deus Israel: Si revertamini et quiescatis, salvi eritis: in silentio et in spe erit fortitudo vestra. Et noluistis.

Et dixistis: Nequaquam, sed ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et super veloces ascendemus: ideo velociores erunt, qui persequentur vos.

Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem: et non faciet avolare ultra doctorem tuum: et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.

Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea: et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.

Et erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui.

Præparata est enim ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta eius, ignis et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis Cap.31. sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; et super equitibus, quia prævalidi nimis: et non sunt confisi super sanctum Israel, et Dominum non requisierunt.

Ægyptus homo, et non Deus: et equi eorum caro et non spiritus: et Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator, et cadet cui præstatur auxilium simulque omnes consumentur.

Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, et caminus eius in Ierusalem.

Ecce in iustitia regnabit rex, et principes in iudicio Cap.32. præerunt.

Princeps vero ea, quæ digna sunt principe, cogitabit, et ipse super duces stabit.

Donec effundatur super nos spiritus de excelso: et erit desertum in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur.

Et erit opus iustitiæ pax, et cultus iustitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum.

Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.

Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini.

Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui Cap.33. spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.

Domine, miserere nostri: te enim exspectavimus: esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis.

Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ salutis sapientia et scientia: timor Domini ipse est thesaurus eius.

Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt.

Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?

Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longe.

Cur tuum meditabitur timorem: ubi est litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?

Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit.

Et tabescet omnis militia cælorum, et complicabuntur Cap.34. sicut liber cæli, et omnis militia eorum defluet, sicut de-

fluit folium de vinea et de ficu.

Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum.

Victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom.

Et convertentur torrentes eius in picem, et humus eius in sulphur; et erit terra eius in picem ardentem.

Et possidebunt illam onocrotalus et ericius: ibis et corvus habitabunt in ea: et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem.

Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem.

Cap.35. Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium.

Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, et Saron; ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri.

Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt.

Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et iunci.

Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude; et lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

Cap.36. Et dixit Rabsaces: Dicite Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua confidis?

Aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? super quem habes fiduciam, quia recessisti a me?

Ubi est Deus Emath, et Arphad? ubi est Deus Sepharvaim? numquid liberaverunt Samariam de manu mea?

Cap.37. Et venerunt servi regis Ezechiæ ad Isaiam.

Et dixit ad eos Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum, quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me.

Ecce ego dabo ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur ad terram suam, et corruere eum faciam gladio in terra sua.

Et oravit Ezechias ad Dominum, dicens: Domine exercituum, Deus Israel, qui sedes super cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cælum et terram.

Et nunc, Domine Deus noster, salva nos de manu eius: et cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus.

Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens; Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum.

Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum cognovi, et insaniam tuam contra me.

Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, et frænum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti.

Egressus est autem Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, et ecce omnes cadavera mortuorum.

Cap.38. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem: et introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, et dixit ei: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.

Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit Dominum.

Et dixit: Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno.

Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens: Vade, et dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas: ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos: et de manu regis Assyriorum eruam te, et civitatem istam, et protegam eam.

Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est.

Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.

Scriptura Ezechiæ regis Iuda, cum ægrotasset, et convaluisset de infirmitate sua.

Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæsivi residuum annorum meorum.

Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium. Non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Ecce in pace amaritudo mea amarissima: tu autem eruisti animam meam ut non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine, salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

In tempore illo misit Merodach Baladan filius Baladan Cap.39. rex Babylonis, libros et munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset et convaluisset.

Et ostendit eis Ezechias universa quæ *erant* in thesauris *suis*.

Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum.

Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem.

Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini quod locutus est. Et dixit: Fiat tantum pax et veritas in diebus meis.

Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus Cap.40. vester: loquimini ad cor Ierusalem.

Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas *eius*.

Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.

Vox dicentis, Clama. Et dixi: Quid clamabo? omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri.

Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos: verbum autem Domini nostri manet in æternum.

Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Iuda: Ecce Deus vester.

Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit; fœtas ipse portabit.

Quis mensus est pugillo aquas, et cælos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera?

Quis adiuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, et ostendit illi?

Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.

Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponitis ei?

Numquid sculptile conflavit faber? aut aurifex auro figuravit illud, et laminis argenteis argentarius?

Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores eius sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cælos et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.

Quare dicis, Iacob, et loqueris, Israel: Abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo iudicium meum transivit?

Qui dat lasso virtutem: et his, qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.

Deficient pueri, et laborabunt, et iuvenes in infirmitate cadent.

Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt,

ambulabunt et non deficient.

Cap.41. Quis suscitavit ab Oriente iustum, vocavit eum ut sequeretur se? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum.

Et tu Israel serve meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei.

Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, et auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera iusti mei.

Noli timere, vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: et redemptor tuus sanctus Israel.

Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes; ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum.

Dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ: ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul.

Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.

Primus ad Sion dicet: Ecce adsum, et Ierusalem evangelistam dabo.

Cap.42. Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.

Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris.

Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium.

Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium: et legem eius insulæ exspectabunt.

Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.

Ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

Tacui semper, silui, patiens fui: sicut parturiens loquar: dissipabo, et absorbebo simul.

Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt: ponam tenebras coram eis in lucem. Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum.

Quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?

Et nunc hæc dicit Dominus, creans te, Iacob, et formans te, Israel: noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu.

Cap.43. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.

Quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel, salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te.

Noli timere, quia ego tecum sum: ab Orientem adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te.

Dicam Aquiloni: Da; et Austro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ.

Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator.

Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.

Cap.44. Iste dicet: Domini ego sum: et ille vocabit in nomine Iacob: et hic scribet manu sua, Domino: et in nomine Israel assimilabitur.

Plastæ idoli omnes nihil sunt, et amantissima eorum non proderunt eis; ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur.

Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te.

Laudate, cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus; iubilate, extrema terræ; resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, et Israel gloriabitur.

Qui dico Cyro: Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ierusalem: Ædificaberis; et templo, Fundaberis.

Cap.45. Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius Gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo ianuas, et portæ non claudentur.

Ego ante te ibo: et gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam. Ego Dominus, et non est alter.

Formans lucem, et creans tenebras: faciens pacem et creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.

Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet salvatorem: et iustitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.

Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ: numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, et opus tuum absque manibus est?

Væ qui dicit patri: Quid generas? et mulieri: Quid parturis?

Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim: viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt: Post te ambulabunt, vincti manicis pergent: et te adorabunt, teque deprecabuntur: Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus.

In memetipso iuravi, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, et non revertetur: quia mihi curvabitur omne genu, et iurabit omnis lingua.

In Domino iustificabitur, et laudabitur omne semen Israel.

Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt si- Cap.46.
mulacra eorum bestiis et iumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.

Audite me, domus Iacob, et omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva.

Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo: ego feci, et ego feram: ego portabo et salvabo.

Vocans ab Oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ, et locutus sum, et adducam illud: creavi, et faciam illud.

Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede Cap.47.
in terra: non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis et tenera.

Et dixisti: In sempiternum ero domina: non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui.

Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas et viduitas.

Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix Cap.48.
tua, et frons tua ærea: transgressorem ex utero vocavi te.

Propter nomen meum longe faciam furorem meum: et laude mea infrœnabo te, ne intereas.

Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.

Utinam attendisses mandata mea! facta fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris.

Non est pax impiis, dicit Dominus.

Audite, insulæ, et attendite, populi de longe: Dominus Cap.49.
ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me: et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me.

Et dixit mihi: Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.

Et ego dixi: In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi: ergo iudicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo.

Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui: et servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas:

Ut diceres his, qui vincti sunt: Exite; et his, qui in tenebris: Revelamini. Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum.

Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol: quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.

Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi.

Laudate, cæli, et exsulta, terra; iubilate, montes, laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur.

Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei.

Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.

Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.

Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis, et non pariens, transmigrata, et captiva: et istos quis enutrivit? ego destituta et sola: et isti ubi erant?

Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.

Et cibabo hostes tuos carnibus suis: et quasi musto sanguine suo inebriabuntur: et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Iacob.

Cap 50. Hæc dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.

Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii.

Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me.

Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar.

Cap.51. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos: quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum.

Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas eius; et ponet desertum eius quasi delicias, et solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.

Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis.

Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tinea: Salus autem mea in sempiternum erit, et iustitia mea in generationes generationum.

Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?

Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus.

Ego, ego ipse consolabor vos: quis tu ut timeres ab homine mortali et a filio hominis, qui quasi fœnum, ita arescet?

Cap.52. Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ, Ierusalem, civitas sancti: quia non adiiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus!

Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium: et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini.

Cap 53. Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti.

Non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum,

Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.

De angustia, et de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.

Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.

Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam; et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

Cap.54. Lauda, sterilis, quæ non paris: decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, magis quam eius quæ habet virum, dicit Dominus.

Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te.

Paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos et fundabo te in sapphiris.

Et ponam iaspidem propugnacula tua: et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.

Et in iustitia fundaberis: recede procul a calumnia, quia non timebis; et a pavore, quia non appropinquabit tibi.

Cap.55. Omnes sitientes, venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac.

Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.

Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles.

Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.

Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est.

Quia in lætitia egrediemini, et in pace deducemini: montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu.

Cap.56. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ ego volui, et tenuerint fœdus meum.

Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

Speculatores eius cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia.

Cap.57. Iustus perit, et non est qui recogitet in corde suo: et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat: a facie enim malitiæ collectus est iustus.

Quia hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem.

Propter iniquitatem avaritiæ eius iratus sum, et percussi eum: abscondi a te faciem meam, et indignatus sum: et abiit vagus in via cordis sui.

Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest.

Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.

Cap.58. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum.

Quare ieiunavimus, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescisti?

Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra.

Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.

Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.

Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te.

Et ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis:

Et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem.

Si vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua.

Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est.

Cap.59. Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius ut non exaudiat.

Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur.

Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum.

Pedes eorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas et contritio in viis eorum.

Viam pacis nescierunt, et non est iudicium in gressibus eorum. Semitæ eorum incurvatæ sunt eis, omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.

Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis: quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus.

Et conversum est retrorsum iudicium, et iustitia longe stetit: quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi.

Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret.

Conceperunt laborem, et pepererunt iniquitatem.

Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur: et quod confotum est, erumpet in regulum.

Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie quasi in tenebris; in caliginosis quasi mortui.

Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus: exspectavimus iudicium et non est; salutem, et elongata est a nobis.

Et vidit quia non est vir: et aporiatus est, quia non est qui occurrat: et salvavit sibi brachium suum, et iustitia eius ipsa confirmavit eum.

Indutus est Dominus iustitia ut lorica, et galea salutis in capite eius: indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli.

Cap.60. Surge, illuminare, Ierusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.

Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos: super te autem orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur.

Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.

Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.

Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?

Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita, et non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem.

Et suges lac Gentium, et mamilla regum lactaberis; et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Iacob.

Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum; et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum: et ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos iustitiam.

Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio; populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam.

Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer Cap.61.
contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem:

Ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes.

Ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: et vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.

Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis. Fortitudinem Gentium comedetis, et in gloria earum superbietis.

Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.

Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: et indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quie- Cap.62.
scam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator eius ut lampas accendatur.

Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.

Non vocaberis ultra Derelicta: et terra tua non vocabitur amplius Desolata: sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua Inhabitata: quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur.

Super muros tuos Ierusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis.

Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Cap.63.
Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego, qui loquor iustitiam, et propugnator sum ad salvandum,

Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Torcular calcavi solus, et de Gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea: et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi.

Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.

Attende de cælo, et vide de habitaculo sancto tuo: ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, et multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum? super me continuerunt se.

Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos: tu, Domine pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum.

Utinam dirumperes cælos, et descenderes: a facie tua Cap.64.
montes defluerent.

A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.

Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ iustitiæ nostræ: et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.

Et nunc, Domine, pater noster es tu; nos vero lutum:

et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.

Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.

Numquid super his continebis te Domine, tacebis, et affliges nos vehementer?

Cap. 65. Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, Ecce ego ad Gentem, quæ non invocabat nomen meum.

Hæc dicit Dominus: quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur: Ne dissipes illud. Quoniam benedictio est: sic faciam propter servos meos: et hæreditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi.

Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, et libatis super eam.

Numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis: pro eo quod vocavi, et non respondistis: locutus sum, et non audistis: et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis.

Ecce enim ego creo cælos novos, et terram novam: et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor.

Non erit ibi amplius infans dierum, et senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.

Cap. 66. Hæc dicit Dominus: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ?

Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.

Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum.

Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?

Lætamini cum Ierusalem, et exsultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam.

Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.

Quomodo si cui mater blandiatur, ita et ego consolabor vos, et in Ierusalem consolabimini.

Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis.

Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad Gentes, et adducam omnes fratres vestros donum Domino, in equis, et in quadrigis.

Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro ut adoret coram facie mea, dicit Dominus.

Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIA

IN

IEREMIAM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

IEREMIAS, ait S. Hieron. in c. 1. hic, imminente captivitate, Dei clementia mittitur ad populum, ut eum ad pœnitentiam excitet, itaque ipse captivitatem Babylonicam iam instantem evadat. Sub idem tempus prophetavit Ezechiel: sed Ieremias, quasi columna labentis urbis et regni, ut patet cap. 1. vers. 18. ante in Iuda, Ezechiel post Ieremiam, anno 35. in Babylone captus, vaticinatus est.

Quæst. 1. Quando prophetavit Ieremias? Resp. sub Iosia, Phraorte et Anco Martio Roman. ante Christum anno 632.

Quæres primo: Quo anno cœperit prophetare, quo desierit, Ieremias?

Resp. primo, ex c. 1. v. 2. patet, eum cœpisse anno 13. Iosiæ regis, cum esset adhuc puer, ait S. Hieron. et alii, idque patet cap. 1. 7. Cœpit ergo prophetare existens annorum 14. aut 15. cum Medis, teste Eusebio, imperaret Phraortes, Romanis Ancus Martius, Ægyptiis Psammetichus Senior, Olympiade 36. anno mundi 3318. in hunc enim annum mundi incidit annus 13. Iosiæ, qui fuit ante Christi nativitatem an. 632. Hinc sequitur, Ieremiam cœpisse prophetare, post Isaiam anno 165. ante Ezechielem (qui cœpit anno 5. transmigrationis Ioachin, Ezech. 1. 2.) anno 34. ante Danielem (qui cœpit anno 5. ab excisa Ierusalem) anno 54.

Prophetavit sub quinque regibus.

Secundo, prophetavit Ieremias sub quinque regibus, scilicet sub Iosia annos 19. sub Ioachaz filio Iosiæ tres menses: sub Ioakim fratre Ioachaz, et filio Iosiæ annos 11. sub Ioachin filio Ioakim tres menses: sub Sedecia fratre Ioachaz et filio Iosiæ annos 11. usque ad mensem 5. anni illius undecimi, quo capta est a Chaldæis Ierusalem, in qua et Ieremias captus est, sed liberaliter habitus a Nabuchodonosor; quia eius victoriam contra Iudæos prædixerat, eisque suaserat ut ei se dederent c. 39. v. 11. Prophetavit ergo annis 41. in Iudæa: in qua per Chaldæos eversa remansit, ut reliquiis populi esset solatio.

Tertio, ex Iudæa Iudæis fugientibus Chaldæos contra iussum Domini, in Ægyptum abductus est ab eis Ieremias, ibique in Taphni (urbe regia, ubi Moses coram Pharaone fecit miracula) prophetavit, ut patet c. 43. v. 44. per annos 4. scilicet usque ad annum 4. captivitatis et excidii Ierusalem, qui erat Nabuchodonosoris 23. quo prædixit Ieremias Pharaonem, qui dictus est Ephree, vel Vaphre, regem Ægypti, a Nabuchodonosore vincendum et occidendum, quod contigit anno sequenti, teste Iosepho 10. Antiq. 11. Quare universim prophetavit Ieremias annis 45. cumque cœperit puer 15. circiter annorum, sequitur eum occisum esse sexagenarium, anno mundi 3363.

Per annos 45 ad annum ætatis 60.

Ieremias in Taphnis lapidatus, Martyr occubuit.

Quarto, cum in Taphnis Ieremias suis Hebræis et toti Ægypto cladem minaretur, quæ mox per Nabuchodonosorem evenit, a suis concivibus lapidibus obrutus, Martyr occubuit. Ita S. Hieron. Tertull. Doroth. Epiphan. de Vita Prophetarum, Isidor. de Vita et morte Sanctorum. Perperam ergo R. Salomon ex c. 44. 28. opinatur Ieremiam cum Baruch ex Ægypto in Iudæam rediisse.

Addunt Doroth. Epiphan. et Isidor. penes quos sit fides, Ieremiam in Taphnis sepultum, et in magno honore eius sepulcrum ab Ægyptiis habitum fuisse: eo quod ipse suis precibus inde aspides, crocodilos et immanes feras profligasset, et in dies pulvere e sepulcro suo accepto profligaret. Porro, Ioan. Moschus in Prato spirituali tradit c. 77. ossa Ieremiæ inde ab Alexandro Magno translata esse Alexandriam, urbem ab eo conditam, ibique coli in Tetrapylo. Addit Chronicum Alexandrinum vetustum, sed nuper editum a Nostro Radero, Alexandrum illustre monumentum Ieremiæ cineribus excitasse: sicut Nicephor. l. 8. 30. narrat simile illi erectum a S. Helena matre Constantini.

Denique adiiciunt Doroth. et Epiphan. quod Ieremias in Ægypto sacerdotibus Ægyptiis prædixerit futurum, ut omnia eorum simulacra conciderent, cum virgo mater in Ægyptum cum suo ascenderet infante, idque ita accidisse, cum Deipara ducens puerum Iesum Ægyptum intravit: de quo plura cap. 44. in fine. Ieremias catalogo Sanctorum in Martyrologio ascriptus est 1. Maii. Sic enim eo die legimus in Rom. Martyrol. *In Ægypto S. Ieremiæ Prophetæ, qui a populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit, ibique sepultus est: ad cuius sepulcrum fideles (ut refert S. Epiphanius) supplicare consueverunt, indeque sumpto pulvere, aspidum morsibus medentur.*

Quæst. 2. Quis et qualis fuit Ieremias?

Quæres secundo: Quis et qualis fuerit Ieremias?

Resp. I. Fuit filius Helciæ.

Resp. primo, fuit filius Helciæ: an pontificis illius celebris sub Iosia, dicam c. 1. v. 1. Oriundus fuit ex Anathoth, quæ erat urbs in tribu Beniamin, tribus milliaribus distans a Ierusalem, eratque sacerdotibus attributa, ut patet Iosue 21. 18.

II. In utero matris fuit sanctificatus. Mansit virgo.

Secundo, Ieremias in utero matris fuit sanctificatus et consecratus Propheta, ut patet c. 1. v. 5. hinc tota vita mansit virgo, teste S. Ignatio epist. ad Philadel. et Isidoro de Vita et morte Prophetarum c. 38. idque satis liquet ex c. 16. 2. quamvis Chaldæus interpres c. 37. 12. eum filios habuisse putet. Quocirca S. Hier. prologo in Ieremiam, de eo sic ait: *Virginitate sua Evangelicum virum Christi Ecclesiæ dedicans.* Idem l. 1. contra Iovinian. virginitatis merito tribuit, quod omnibus in Babylonem ductis, ac cæteris omnibus, etiam templo, solo æquatis, solus Ieremias non modo servatus, sed victorum dono stipendiatus sit. Et *cum Nabuchodonosor*, ait, *Nabuzardano de sanctis sanctorum non præceperit, præcepit tamen de Ieremia servando.* Rursum Ieremias omnis criminis per totam vitam expers fuit, ait S. Ath. serm. 4. contra Arrianos. Crimen est peccatum lethale, non veniale.

Omnis criminis per totam vitam expers.

III. Fuit sacerdos, doctor, Propheta et Apostolus.

Tertio, Ieremias fuit sacerdos, doctor, Propheta et Apostolus immediate a Deo missus, qui humanitate et condolentia in proximos, Prophetas omnes superavit, atque, ut ait Nazianzen. orat. 17. ad cives Nazianzi initio, *Prophetarum omnium ad commiserationem fuit propensissimus.* Ipse enim solus solo Deo nixus, in summa reipublicæ perturbatione, urbis obsidione et excidio, fratrum salutem ardentissime, quasi alter Paulus, procurabat, idemque fecit post mortem, 2. Mach. 15. 14. ubi Onias Iudæ

Machabæo dixit: *Hic est fratrum amator, et populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Ieremias Propheta Dei.* Fuit etiam illustris scriptor hagiographus: multa enim scripsit vel dictavit, scilicet hanc prophetiam, item Threnos, librum Baruch, librum tertium et quartum Regum. Hos enim usque ad Hierosolymæ excidium, ex publicis diariis et chronicis collegisse Ieremiam, docet Procopius, Gazensis, Isidorus et Moses Kimchi, quos refert Sixtus Senensis l. 1. Idipsum confirmat, quod caput ultimum Ieremiæ, ultimum quoque est l. 4. Regum. Addit Abulens. in lib. Iudicum c. 17. q. 4. Ieremiam etiam duos primos Regum libros composuisse. Addunt alii Psal. 64. *Te decet hymnus*, et Psal. 136. *Super flumina Babylonis*, a Ieremia esse conscriptos, aliaque plura, quæ congerit Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. verbo *Ieremias*, et a Castro hic. In Bibliotheca Vaticana, vidi Paralipomena Ieremiæ Græco sermone, in quibus erant litteræ Baruch et Abdemelech Æthiopis ad Ieremiam, et vicissim Ieremiæ ad istas responsoriæ. Verum cum harum veteres non meminerint, nec codex Vaticanus Epiphanium, Dorotheum, aut aliquem veterum citet, qui hæc Paralipomena posteritati consignarit aut probarit; hinc ea omittere malui, quam incerta cum certis commiscere. Denique plura scripsisse Ieremiam quæ temporum iniuria interciderunt, patet ex Descriptionibus Ieremiæ, quæ citantur 2. Machab. 2. 1. et nunc nusquam inveniuntur.

Scripta Ieremiæ.

IV. *Fuit calamitosissimus et constantissimus, typusque Christi crucifixi.*

Quarto, Ieremias Iudæis rebellibus minabatur excidium urbis, ideoque dirissima ab eis est passus, scilicet probra, alapas, verbera, famem, carcerem; sæpe a toto populo reus mortis proclamatus fuit, ac tandem occisus; itaque Christi a Iudæis afflicti et crucifixi, expressissimus fuit typus: unde de eo æque ac de Christo dicunt Iudæi cap. 11. 19. *Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium.* Hinc Ieremias apte hebraice vocatur ירמיהו *Irmiahu*, id est, *excelsus*, vel *sublimitas Domini*, ait Hieron. aut *extollens Dominum*, a rad. רום *rum*, id est altus fuit. Rursum Ieremias idem est quod proiectio Domini, si nomen hoc deducas a rad. רמה *rama*, id est proiecit, et יה *ia*, quod est abbreviatum *Iehova*, id est Dominus: fuit enim Ieremias (ut ait Isidor. Pelusiota discipulus S. Chrysost. l. 1. epist. 298.) πολυπαθέστατος, id est calamitosissimus, atque in summa et longa calamitate ingentem ostendit animi constantiam et celsitudinem, suoque exemplo docuit nos illud Antonii in Melissa part. 2. ser. 89. *Dum cæderis, firmiter quasi incus stato; generosi est athletæ cædi et vincere; maxime vero propter Deum omnia nobis patienda sunt, ut et ipse nos patiatur.* Addit Ecclesiast. c. 49. 8. Ierusalem esse excisam a Chaldæis, ob male tractatum Ieremiam: *Incenderunt*, ait, *electam sanctitatis civitatem, et desertas fecerunt vias ipsius in manu Ieremiæ. Nam male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est Propheta, evertere, et eruere, et perdere, et iterum ædificare, et renovare.*

V. *Fuit Martyr.*

Quinto, Ieremias, ut dixi, fuit Martyr. Unde Tertull. in Scorpiaco cap. 8. *Ieremias*, ait, *lapidatur, Isaias serratur, Zacharias inter ædem et altare occiditur, perennes cruoris sui maculas silicibus assignans, et utrique qui spiritu Dei agebantur, ab ipso in martyria dirigebantur, etiam patiendo quæ et prædicassent.* Unde illud Hebr. 11. 37. *Lapidati sunt*, multi interpretes referunt ad Ieremiam. Merito ergo Ieremias defunctus et in limbo existens, apparuit Iudæ Machabæo, *ætate et gloria mirabilis, et magni decoris habitudine* vallatus. 2. Machab. 15. 13.

VI. *Aliqui censent eum vivere in paradiso.*

Sexto, Victorinus Martyr censuit Ieremiam in paradiso vivere, atque venturum cum Elia, ut prophetet et opponat se Antichristo: cuius sententiæ meminit quoque S. Hilarius canon. 20. in Matth. Probant id ex c. 1. 5. Sed alius illius loci est sensus, ut ibi dicam; ex dictis enim liquet Ieremiam non vivere, sed occisum esse in Taphnis.

Quæst. 3. Quod sit argumentum Ieremiæ?

Quæres tertio: Quod sit Ieremiæ argumentum, quidque ipse hoc libro agat?

Resp. 1.

Resp. primo, partim prædicit futura maxime Nabuchodonosoris adventum, urbis excidium et aliarum gentium; partim hortatur ad virtutes, vitæque emendationem; partim increpat peccata, maxime idololatriam; minatur, et sæpe lamentatur, totusque est patheticus. Secundo, consolatur suos prædicitque post 70. annos liberationem e captivitate. Tertio, gesta sui temporis, tum regum, tum populi, tum sua dicta et facta sigillatim enarrat. Quarto, vaticinatur de Christi Ecclesia, vocatione Gentium, gratia et felicitate novi testamenti. Idem argumentum tractat Ezechiel et Abdias. Unde magna pars Abdiæ in Ieremia continetur, ait S. Hieron. in Abdiam sub initium.

Prædicit futura. 2. Vitia carpit. 3. Suos consolatur. 4. Scribit gesta sui ævi.

Secundo, dictavit hæc Ieremias afflatus spiritu Dei; scripsit vero ea, dictante Baruch eius scriba, ut patet c. 36. 4. qui et prophetias Ieremiæ diverso tempore editas, in hoc volumen collegit, neglecto tamen ordine, unde priores sæpe postponit: qua de causa hic in Ieremia sæpe præposterus et perturbatus est ordo: vide cap. 3. Hinc etiam ultimum caput additum est a Baruch ex c. ult. l. 4. Regum. Hæc etiam est causa, cur Septuag. subinde ordinem capitum qui est in Hebræo et Latino commutarint, ut c. 29. nostrum est 36. apud Septuag. c. 30. nostrum est 37. apud Septuag. c. 48. nostrum est 31. apud Septuag. etc.

Dictavit hæc Ieremias, scripsit vero Baruch.

Tertio, quod ad stylum, Ieremias *quantum in verbis simplex videtur et facilis, tantum in maiestate sensuum profundissimus est*, ait S. Hieron. in prooemio in lib. 6. commentar. in Ieremiam: ac more Hebreo per varias similitudines et parabolas res ob oculos ponit, uti et Christus. Hebræum eius idioma purum est, nec Chaldæo permistum. Scripsit enim Ieremias ante captivitatem Babylonicam, ac consequenter ante corruptionem linguæ Hebraicæ, quæ facta est in Babylone: ibi enim cum Chaldæis chaldaizare cœperunt Iudæi captivi. Ego more meo in Ieremiæ explicatione, duo maxime præ oculis habui, veritatem et brevitatem: illam secutum me scio, hanc assecutum.

Stylus Ieremiæ.

Tradunt Hebræi, Ieremiam prophetasse cum Sophonia et Olda: sed Ieremiam in vicis et plateis, Sophoniam in synagogis, Oldam in cœtu mulierum. Ridet hoc Ribera. Sonat enim fabellam Rabbinicam: talia enim tamque lepida solent esse Rabbinorum acumina et commenta.

S. Ambrosius, et ex eo S. August. lib. 2. de Doctrina Christiana c. 28. asserunt, Platonem tempore Ieremiæ in Ægypto fuisse, et ab eo didicisse quæ scripsit: *Nonne*, inquit, *memoratus Episcopus* (Ambrosius) *considerata historia Gentium, cum Platonem reperisset Ieremiæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, ubi tum ille Propheta erat, probabilius esse ostendit, quod Plato potius nostris litteris per Ieremiam imbutus sit, ut illa posset docere vel scribere, quæ iure laudantur?* Quocirca Genebrard. in Chronolog. et ex eo Anton. Fernandius lib. de Vision. S. Script. visione 11. in prooemio: *Ieremias*, inquiunt, *in Taphnis Philosophiæ incunabula posuit, secretiore sapientia Hierophantas imbuens. Eius fama excitati Græci, peregrinationes in Ægyptum susceperunt, et post septuaginta fere annos Philosophiam in Græciam derivarunt.* Quæ cum grano salis accipienda sunt: nam, ut de Thalete, qui floruit sub Cyro, concedamus eum iuvenem potuisse videre et audire Ieremiam in Ægypto; certe Plato, qui ducentis annis Ieremia fuit posterior (vixit enim sub tempora Alexandri Magni) eum videre et audire non potuit: profectus tamen fuit in Ægyptum, ut sapientiam quam Ægyptii a Ieremia et Hebræis hauserant, perdisceret. Quocirca S. August. suum dictum ita candide retractat l. 1. Retract. c. 4. *In eo*, inquit, *quod dixi de temporum historia, tamquam coætanei fuerint Plato et Ieremias, fefellit memoria.*

Plato an discipulus fuit Ieremiæ.

Scripsit in varias e Ieremia sententias Origenes homilias 14. quæ exstant tom. 1. Orig. quas in Latinum vertit S. Hieron. Scripsit quoque in Ieremiam S. Hieron. usque ad c. 32. Dubitarunt nonnulli, an hic commentarius sit S. Hieron. eo quod eius vigorem et acrimoniam non referat. Verum Rabanus, Cassiodorus, Marianus, Trithemius, Sixtus Senensis, Doctores Lovanienses, et alii passim tribuunt eum S. Hieron. Quinimo Rabanus fatetur se suum comment. in Ieremiam usque ad c. 32. confecisse ex hoc

Qui in Ieremiam scripserint.

comment. S. Hieron. paucis additis ex suo, et ex Origene et S. Gregorio. Quare commentarius Rabani non est idem cum comment. S.Hieron. sed ex eo depromptus,eoque auctior, ut patet utrumque conferenti. Porro minus acrem hic esse S. Hieron. non mirum: erat enim ipse hæc scribens, morbis, laboribus et ætate confectus; fuit enim hoc eius ultimum opus in Prophetas, ut ipse fatetur in procemio, dum sic orditur: *Post explanationem duodecim Prophetarum, et Isaiæ, Danielis et Ezechielis, ad extremum in Ieremiam manum mittimus.* Adde, brevior cæteris est hic eius commentarius, et imperfectus: finitur enim c. 32.

Scripserunt insuper in totum Ieremiam Theodor. Rupert. S. Thom. Hugo, Lyran. Dionys. Vatablus, Andr. Capilla: atque novissime exactissimeque Christoph. a Castro, Ioannes Maldonat. et Gaspar Sanchez, omnes e Societate nostra.

CHRONOTAXIS ORACULORUM, SIVE ORDO CAPITUM ET GESTORUM IEREMIÆ.

Quia ordo capitum et oraculorum in Ieremia valde perturbatus est, uti dixi, hinc ea suo ordine digeram, eaque seriatim in quatuor partes distribuam. Sequar Abulens. in fine lib. 4. Regum, Torniellum, et maxime Christophorum a Castro, qui in procemio exactam habet Chronotaxin.

Oracula Ieremiæ, Anno primo Ioakim. Prima ergo pars complectitur ea, quæ Ieremias prophetavit sub Iosia rege, quibus carpit idololatriam et vitia populi, minaturque excidium per Chaldæos. Incipit hæc a cap. 1. et protenditur usque ad cap. 17. exclusive, excepto cap. 10. quod ad Sedeciæ, et c. 13. quod ad Ioakim, et a v. 18. ad Sedeciæ tempora pertinet, uti mox dicam.

Secunda pars est eorum, quæ prophetavit sub Ioakim filio Iosiæ, et Ioachin, sive Iechonia filio Ioakim: mortuo Iosia, et amoto Ioachaz filio eius, adhuc funebri planctu durante, mittitur Ieremias ad Ioakim, monetque ne fleat Iosiam, sed potius Ioachaz non rediturum ex Ægypto, et seipsum, eo quod sepultura asini sit sepeliendus. Huc ergo pertinet c. 22. a v. 1. ad v. 24. ut patet ex v. 10. ibid.

Sub idem tempus, prophetans in atrio templi excidium urbis et templi capitur, et reus mortis agitur; sed ab Ahica liberatur, uti narratur c. 26. hic ergo collocandum est c. 26.

Sub idem tempus, iubetur sumere catenas, postea sub Sedecia mittendas vicinis gentibus, ut patet c. 27. a v. 1. ad 4.

Sub idem tempus, prophetat ea quæ habentur cap. 17. scilicet peccatum Iuda esse indelebile, quod suppetiis Ægypti confisus, nollet se subiicere Babylonio iam se ad bellum paranti.

Anno 4. Ioakim prophetat ea quæ habentur cap. 25. de calice, id est, clade activa Chaldæorum, quodque eis servient Gentes 70. annis.

Eadem anno contigerunt ea quæ dicuntur c. 46. a v. 2. ad 12. de Pharaone Nechao cædendo, et paulo post cæso a Nabuchodonosore iuxta Charcamos, eaque occasione mox pergit prophetare, Ægyptum subiugandam a Nabuchodonosore, ibidem v. 13. usque ad fin. cap.

Eodem anno contigerunt quæ dicuntur c. 36. de oraculis et minis Ieremiæ scribendis, et a Baruch legendis populo ex libro quem combussit Ioakim, sed restauravit Ieremias, et quæ c. 45. dicuntur de Baruch timente et confortato a Deo.

Anno circiter 7. Ioakim contigerunt ea quæ narrantur cap. 35. de Rechabitis, et quæ dicuntur cap. 13. a v. 1. ad 18. de lumbari lineo, quod tulit ad Euphratem, deque laguncula contrita in signum cladis futuræ.

Mox secuta sunt dicta sub Ioachin sive Iechonia filio Ioakim. Nimirum cap. 22. a v. 24. ad finem prophetat Iechoniam ducendum esse in Babylonem, et inde numquam rediturum.

Cap. 23. invehitur in regum negligentiam, quod illa fuerit causa excidii et captivitatis populi, atque novam reipubl. formam per Christum et Apostolos pollicetur.

Tertia pars continet oracula dicta sub Sedecia, qui Iechoniæ successit, usque ad excidium urbis inclusive.

Anno 1. Sedeciæ dicta sunt quæ habentur cap. 24. de duobus calathis ficuum, qui significabant bonam Iechoniæ et aliorum transmigrantium sortem; miseram vero Sedeciæ et aliorum Hierosolymæ manentium, et Chaldæis rebellantium.

Et quæ c. 29. scribuntur ad Iechoniam et alios in Babylone, quod ibi mansuri sint 70. annis.

Et quæ c. 30. et 31. prædicit de solvenda captivitate, tum temporali per Cyrum, tum spiritali per Christum.

Et quæ c. 18. habentur de figulo, cuius adinstar Deus potest populum fingere et refingere, eumque libertati restituere.

Et epistola quæ habetur c. 10. qua monet transmigratos, ne colant signa cæli et idola Chaldæorum.

Et quæ habentur cap. 27. v. 3. usque ad finem de catenis missis ad vicinos reges; quæque habentur cap. 28. de earum confractione per Ananiam, et commutatione in ferreas.

Unde sub idem tempus, videntur dicta ea, quæ c. 48. et 49. prophetat contra vicinos reges et gentes, scilicet contra Moab, Ammon, Idumæam, Damascum, Cedar et Ælam.

Cap. 19. confregit lagunculam in atrio templi, ut ostenderet populum sic esse conterendum; hinc cap. 20. incarceratus a Phassur, minatur ei interitum; atque ex tædio vitæ, et ærumnarum acerbitate, maledicit diei nativitatis suæ. *Sub annum 4 Sedeciæ.*

Mox cap. 50. et 51. prophetat excidium Babylonis per Cyrum et Darium; quod enim id factum sit anno 4. Sedeciæ, patet Ierem. 51. 59. *Anno 4.*

Cap. 13. v. 18. mittitur Ieremias ad Sedeciam rebellantem Nabuchodonosori, et ad reginam, ut nuntiet eis regni eversionem. Patet id 4. Reg. 24. 20. et cap. 15. 1. et ex Iosepho lib. 10. Antiq. cap. 10.

Cap. 34. obsessa iam Ierusalem, cum Iudæi fœdus cum Deo renovassent (ideoque Chaldæi recessissent pugnaturi contra Ægyptios) sed mox illud violassent, prædicit Chaldæorum reditum. *Anno 9.*

Cap. 37. idem significat Sedeciæ; cumque egrederetur in Anathot, a Ieria captus, detrusus fuit in carcerem.

Cap. 47. prophetat Palæstinos vastandos per Chaldæos; hoc enim factum esse anno nono Sedeciæ, patebit c. 47. vers. 1.

Cap. 21. cum rediisset Nabuchodonosor ad obsidionem Ierusalem, Sedeciæ mittenti, ut pro recessu hostis oraret, respondit Ieremias, eum non recessurum, sed, si salvus esse velit, ei se dedat. *Anno 10.*

Cap. 32. Ieremias in carcere iubetur emere agrum sui patruelis, ut per hoc significet, captivos e Babylone redituros ad suos agros.

Cap. 33. promittit felicitatem post tempus captivitatis.

Cap. 38. coniicitur in lacum, quod prædicaret transfugientibus ad Chaldæos salutem, et interitum remanentibus: sed eductus ab Abdemelech, et collocutus cum rege, mansit in vestibulo carceris. *Sub annum undecimum.*

Cap. 39. v. 15. usque ad finem, promittit Abdemelech incolumitatem in excidio urbis.

Mox c. 39. a v. 1. usque ad v. 15. capitur Ierusalem, Sedecias excæcatur, filii et principes occiduntur.

Quarta pars complectitur oracula et gesta post excidium Hierosolymæ.

Cap. 40. Nabuzardan commendat Ieremiam Godoliæ, quem Nabuchodonosor constituerat præsidem Iudææ. *Anno 1. ab excidio, qui annus explevit annum undecimum Sedeciæ.*

Liber iam Ieremias videtur scripsisse epistolam ad abducendos Babylonem, de non colendis idolis Chaldæorum, quæ habetur cap. 6. Baruch.

Urbe eversa, videtur composuisse Threnos.

Cap. 41. Ismael mense septimo occidit Godoliam; et

Iohanan reducit et colligit reliquias populi, cogitatque fugam in Ægyptum.

Cap. 42. principes consulunt Ieremiam, ille vetat fugam, aitque si fugiant in Ægyptum, eos ibi vastandos a Nabuchodonosore.

Anno 2. qui erat 20. Nabuchodonosoris. Cap. 43. principes non credentes Ieremiæ, et cogentes Ieremiam omnesque Iudæos secum fugere in Ægyptum, perveniunt in Taphnis, ubi Ieremias prophetat excidium Ægypti per Chaldæos.

Anno 3. Cap. 44. Iudæis in Ægypto, et Pharaoni Ephree minatur captivitatem: unde hac de causa videtur a Iudæis paulo post fuisse lapidatus ante excidium Ægypti: hic enim finitur eius prophetia, nec deinceps Ieremiæ fit mentio.

A

Nabuchodonosor invasit et occupavit Cœlesyriam, Ammonitas, Moabitas, et alias gentes, uti prædixerat Ieremias. Ita Ioseph. 10. Antiq. 11.

Eodem anno occupavit Ægyptum, Pharaonem Ephree occidit, Amasim regem constituit, Iudæosque 745. captivos duxit Babylonem, ut patet Ierem. 52. 30. et ex Iosepho. Inter eos ductus est Baruch; nam Ieremias iam erat occisus. Ita a Castro et alii. Sed verius videtur Ægyptum subactam esse a Nabuchodonosore post 12. annos, scilicet anno regni eius 35. uti dicam Ezech. 29. 17.

Anno 6. qui erat quintus eversionis Ierusalem, et Nabuchodonosoris 26. die 17. mensis quinti, librum a se scriptum legit Baruch Babylone coram Iechonia, et toto populo, Baruch 1. Anno 5.

QUOT ET QUIBUS IN REBUS IEREMIAS FUERIT TYPUS AUT PROPHETA CHRISTI.

IEREMIAS.	CHRISTUS.
1. Ieremiæ dicit Deus c. 1. v. 5. *Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te.*	B Sic de Christo ait S. Matthæus c. 1. v. 18. *Inventa est* (B. Maria mater Iesu) *in utero habens de Spiritu sancto.* Et Angelus v. 20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Item Angelus Lucæ c. 1. 35. *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Denique Isaias c. 49. 1. de Christo ait: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.*
2. Ieremiæ dicit Deus cap. 1. vers. 5. *Prophetam in Gentibus dedi te;* et v. 9. *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super Gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes, etc.*	Sic de Christo ait Isaias c. 51. 16. *Posui verba mea in ore tuo . . . ut plantes cælos, et fundes terram: et dicas ad Sion: Populus meus es tu.* Et David Psal. 2. 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, prædicans præceptum eius;* et v. 8. *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam; et possessionem tuam terminos terræ.* Et Isaias c. 49. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*
3. Ieremiæ dicit Deus cap. 1. vers. 17. *Ne formides: ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram.*	Sic Christus dicit de se: *Posuit* (Dominus) *os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam,* Isaiæ 49. 2.
4. Ieremias ait cap. 1. vers. 11. *Virgam vigilantem ego video.*	C De Christo dicitur Psal. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.* Et Psal. 44. 7. *Virga directionis virga regni tui.*
5. Ieremias ait cap. 1. vers. 13. *Ollam succensam ego video.*	De Christo iudice dicitur Psal. 96. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius;* et Luc. 3. v. 17. *Paleas comburet igne inextinguibili.*
6. Ieremiæ cap. 1. vers. 16. ait Deus: *Loquar iudicia mea cum eis* (Gentibus) *super omnem malitiam eorum.*	Christus constitutus est iudex vivorum et mortuorum, atque in die iudicii Sanctis dicet: *Venite, benedicti Patris mei;* impiis vero: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum,* Matth. 25. 34. et 41.
7. Cap. 2. vers. 21. Deus per Ieremiam ait Synagogæ: *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena?*	Sic Christus eidem ait: *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, etc. et locavit eam agricolis:* illi autem servos, quin et filium heri occiderunt; ipse ergo *malos male perdet,* Matth. 21. v. 33. 41.
8. Cap. 3. clamat Deus per Ieremiam: *Aversatrix Israel, et prævaricatrix Iuda, revertere ad me et sanabo aversiones tuas.*	Christus clamat Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.*
9. Cap. 6. v. 6. Ieremias dicit Hierosolymæ: *Hæc est civitas visitationis,* id est, punitionis et excidii, *omnis calumnia in medio eius.*	Christus videns Ierusalem flevit super eam, dicens: *Quia si cognovisses et tu, etc. quia venient dies in te: et circumdabunt te inimici, etc. et ad terram prosternent te, etc. eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ,* Luc. 19. D
10. Cap. 7. 11. Ieremias ait: *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum?*	Christus ait Matth. 21. 13. *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.*
11. Cap. 9. v. 23. ait Dominus per Ieremiam: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et iudicium et iustitiam in terra.*	Christus ait per Paulum 1. Corinth. 1. 27. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio; ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.*
12. Cap. 11. 19. ait Ieremias: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi.*	De Christo ait Isaias c. 53. 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se, obmutescet, et non aperiet os suum.*

13. Ibidem ait Ieremias: *Cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium.*

14. Cap. 14. v. 8. Ieremias ait Deo: *Exspectatio Israel, salvator eius in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum?*

15. Cap. 15. v. 10. ait Ieremias: *Væ mihi, mater mea: quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? omnes maledicunt mihi.*

16. Cap. 16. v. 16. ait Deus Ieremiæ: *Ecce, ego mittam piscatores multos; et piscabuntur eos.*

17. Cap. 18. v. 6. et 11. ait Deus: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel. Ecce, ego fingo contra vos malum.*

18. Cap. 18. v. 18. dixerunt Iudæi: *Venite, et cogitemus contra Ieremiam cogitationes; et percutiamus eum lingua.*

19. Cap. 20. v. 2. Phassur percussit Ieremiam Prophetam.

20. Cap. 20. v. 7. ait Ieremias: *Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.*

21. Cap. 26. v. 11, Ieremias quia prophetat excidium urbis et templi, audit: *Iudicium mortis est viro huic.*

22. Cap. 26. v. 15. Ieremias ait: *Si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra civitatem istam.*

23. Cap. 31. v. 15. Ieremias ait: *Vox in Excelso audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel plorantis filios suos et nolentis consolari super eis, quia non sunt*

24. Cap. 31. v. 22. ait Ieremias: *Creavit Dominus novum super terram:* FOEMINA CIRCUMDABIT VIRUM.

25. Cap. 31. v. 31. ait Dominus Ieremiæ: *Ecce dies venient, et feriam domui Israel et domui Iuda fœdus novum.*

26. Cap. 36. v. 26. *Præcepit rex* Ioakim, *ut comprehenderent Baruch scribam, et Ieremiam Prophetam, abscondit autem eos Dominus.*

27. Cap. 37. v. 14. principes Ieremiam ceciderunt et miserunt in carcerem.

28 Cap. 39. Ieremias a suis neci destinatus, a Nabuchodonosore et Chaldæis honorifice susceptus est.

29. Cap. 43. v. 5. Iohanan timens Nabuchodonosorem fugit, duxitque Ieremiam secum in Ægyptum.

Iudæi cogitaverunt Christum crucifigere, et acclamarunt Pilato: *Crucifige, crucifige eum*, Ioan. 19. 6.

Talis viator fuit Christus, qui per omnem Iudæam discurrit evangelizando, et post tres annos prædicationis, relicta terra quasi hospitio, ad suum rediit cælum.

De Christo ait Simeon: *Positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur*, Lucæ. 2. 34.

Christus vocavit Petrum et Andream piscatores dicens: *Venite post me: et faciam vos fieri piscatores hominum*, Matth. 4. v. 19.

Sic Christus ex eodem luto et massa generis humani, facit *Aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*, Rom. 9. v. 21. et 22.

Sic Iudæi contra Iesum consilium inierunt, ut eum in sermone caperent, utque eum dolo tenerent; imo falsos testes contra eum quæsiverunt et subornarunt, Matt. 22. 15. et Matth. 26. 59.

Sic *unus ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici?* Ioan. 18. 22.

Sic Christus ait Psal. 21. 7. *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abiectio plebis; omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput.*

Christus, quia dixisse ferebatur: *Possum destruere templum Dei, etc.* audit a Caipha totoque concilio: *Reus est mortis*, Matth. 26. v. 61. et 66.

Iudæi clamantes contra Christum, *Crucifige eum*, dicunt Pilato Christum innocentem liberare volenti: *Sanguis eius super nos, et super filios nostros*, Matth. 27. 25.

Matth. 2. 17. in infanticidio Herodis ait: *Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.*

Isaias c. 7. 14. et ex eo Matth. 1. 23. de Christo et virgine matre dicunt: *Ecce, virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel*, id est, *Nobiscum Deus*.

Christus hoc fœdus et testamentum instituit, Hebr. 8. Matth. 26. 28.

Sic Iudæi quæsierunt sæpe comprehendere Iesum: *Ipse autem abscondit se, et transiens per medium illorum ibat*, atque sub finem vitæ, secessit in civitatem Ephrem, Ioan. 11. 54.

Sic Iudæi Christum ceperunt, colaphizarunt et flagellarunt.

Ita Christus *in propria venit, et sui eum non receperunt:* scilicet Iudæi eum occiderunt, sed Gentes eum susceperunt et coluerunt.

Sic Ioseph, timens Herodem infanticidam, puerum Iesum duxit in Ægyptum, Matth. 2. v. 14.

Denique audi Esdram, vel quisquis est auctor l. 4. Esdræ c. 2. v. 18. *Mittam tibi adiutorium pueros meos, Isaiam et Ieremiam, ad quorum consilium sanctificavi et paravi tibi arbores duodecim, gravatas variis fructibus, et totidem fontes fluentes lac et mel, et montes immensos septem, habentes rosam et lilium in quibus gaudio implebo filios tuos.* Per arbores et fontes duodecim, duodecim Apostoli, et duodecim symboli eorum articuli; per septem montes, septem Ecclesiæ Sacramenta significari videntur, quibus novam Christi Ecclesiam ornandam prædixerunt Isaias et Ieremias. Esto enim hic Esdræ liber non sit in canone sacræ Scripturæ; habet tamen suum auctoritatis pondus, idque maius quam aliorum Doctorum libri: unde et Ecclesia illum libris canonicis proxime subnectit.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Est hoc caput procemium totius libri: docet enim Ieremias, quomodo a Deo ad munus prophetiæ destinatus sit, et quasi consecratus ab utero, idque ad hoc, ut attentionem sibi conciliet, unde Secundo, v. 6. vocatus a Deo ad prophetandum se excusat, dicens: Quia puer ego sum. Cui Deus: Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce constitui te hodie super Gentes, et super regna. Tertio, v. 11. videt virgam vigilantem, et ollam succensam, per eaque portendi excidium Iudææ per Chaldæos audit. Denique v. 18. eum roborans Deus, ait: Dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum ut fortior sis regibus et principibus omnibus.

1. VERBA Ieremiæ filii Helciæ, de sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin. 2. Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Iosiæ filii Amon regis Iuda, in tertiodecimo anno regni eius. 3. Et factum est in diebus Ioakim filii Iosiæ regis Iuda, usque ad consummationem undecimi anni Sedeciæ filii Iosiæ regis Iuda, usque ad transmigrationem Ierusalem, in mense quinto. 4. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 5. Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in Gentibus dedi te. 6. Et dixi, A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. 7. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer sum; quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: et universa, quæcumque mandavero tibi, loqueris. 8. Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus. 9. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum: et dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: 10. Ecce constitui te hodie super Gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes. 11. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Quid tu vides Ieremia? Et dixi: virgam vigilantem ego video. 12. Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud. 13. Et factum est verbum Domini secundo ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam succensam ego video, et faciem eius a facie Aquilonis. 14 Et dixit Dominus ad me; Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ: 15. Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus: et venient et ponent unusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem, et super omnes muros eius in circuitu, et super universas urbes Iuda. 16. Et loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorum qui dereliquerunt me, et libaverunt diis alienis, et adoraverunt opus manuum suarum. 17. Tu ergo accinge lumbos tuos, et surge, et loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides a facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. 18. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, et sacerdotibus, et populo terræ. 19. Et bellabunt adversum te, et non prævalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.

Vers. 1. VERBA IEREMIÆ.) Titulus libri est, sicut ille apud Isaiam cap. 1. *visio Isaiæ*, q. d. Hic liber continet verba Ieremiæ, puta verba Dei, scilicet oracula quæ locutus est Deus ad Ieremiam, quæque Ieremias audivit a Deo, unde Septuag. vertunt: *Verbum Dei quod factum est ad Ieremiam.* Ita S. Hieron. Theodor. et Raban. Secundo, planius et plenius, q. d. Hæc sunt verba, id est prophetiæ, quas a Deo acceptas Ieremias dixit et prolocutus est ad populum. Ita Chald. Lyran. et Vatablus.

Helcias pater Ieremiæ fuitne pontifex? Asserunt aliqui.

FILII HELCIÆ.) Clemens Alex. libro 1. Strom. S. Hier. vel quisquis est auctor Quæst. Hebr. in lib. 1. Paralip. Paulus Burgensis, Maldonatus et Hebræi putant Helciam hunc Ieremiæ patrem fuisse summum pontificem, qui anno 18. Iosiæ (qui erat sextus ab eo tempore quo prophetare cœpit Ieremias) invenit in arca librum Deuter. 4. Reg. 22. 8. Hic Helcias genuit Azariam, Azarias Saraiam, Saraias Esdram, 1. Esdr. 7. 1. ita ut Ieremias fuerit proavunculus Esdræ, utpote frater avi eius, puta Azariæ.

Negant alii, idque verius est.

Verum, si Helcias fuisset summus pontifex, sane hoc non tacuisset Scriptura hic; quia hoc facit ad magnam Ieremiæ tum notitiam, tum dignitatem. Secundo, τὸ *de sacerdotibus*, plane significat eum vulgarem fuisse sacerdotem, non pontificem. Tertio pontifices habitabant Hierosolymæ iuxta templum, teste Iosepho libro 20. Antiq. 18. hic autem Helcias habitabat in Anathoth, unde tempore vicis suæ veniebat Hierosolymam, ut sacerdotio fungeretur. Ita Chaldæus, qui addit eum fuisse unum ex viginti quatuor præpositis templi. Ita et Sanchez in proœmio.

Vers. 2. QUOD FACTUM EST.) Est anastrophe: sic enim hæc ordinanda sunt *verbum quod factum est*. Particulatim hic explicat titulum libri, scilicet τὸ *verba Ieremiæ;* est ergo hic sensus horum omnium usque ad v. 4. q. d. Hæc *verba* id est, hæ prophetiæ, Ieremiæ sunt, et complectuntur

A omne verbum quod a Deo factum est ad Ieremiam in Iudæa successive per 41. annos, scilicet a 13. Iosiæ, et deinde sub Ioakim usque ad mensem quintum anni undecimi Sedeciæ, quo capta est Ierusalem. Nota. Omittit Ioachaz et Ioachin, quia hi tantum tres menses regnarunt. Aliter explicant Lyran. Hugo, Dionys. *quod*, id est, quia *factum est verbum*, etc. Sed hoc non fert sermo Latinus; alioqui ex Hebræo verti potest cum Vatablo, *secundum quod*, vel *quemadmodum factum est verbum Domini ad eum.*

IN TERTIODECIMO ANNO REGNI.) Iosiæ. Nota. Ab hoc anno cœpit prophetare Ieremias; quia eodem anno videtur eversa fuisse Ninive a Cyaxare rege Medorum et a Nabuchodonosore seniore, qui fuit pater Nabuchodonosoris iunioris sive magni, eversoris Hierosolymæ: nam non post, sed ante Ierusalem, eversam fuisse Ninivem sub Iosia, diserte docet S. Hieron. præfat. in Ionam, et Eusebius in Chronico; idemque colligitur ex Iosepho lib. 9. Antiq. cap. 11. ubi a tempore Ioathan regis Iuda, sub B quo ipse ait Nahum prædixisse interitum Ninive, usque ad eiusdem eversionem effluxisse scribit annos 115. Atqui 13. annus Iosiæ est 115. ab anno ultimo regni Ioathan. Quare hoc anno 13. Iosiæ videtur eversa Ninive. Audi S. Hieron. plures testes citantem. *Et revera*, inquit, *quantum ad historias tam Hebræas quam Græcas pertinet, et maxime Herodotum: legimus Ninivem regnante apud Hebræos Iosia et Astyage rege Medorum fuisse subversam.* Constat autem eam subversam a Chaldæis, adiuvantibus Medis, puta a Nabuchodonosore seniore, qui hoc an. 13. Iosiæ regnare cœpit. Idem confirmat Tobias c. ult. v. 6. iuncto cum v. 10. et seq. ubi dicitur, Tobiam iuniorem antequam moreretur, audivisse perditionem Ninive, quam captivavit Nabuchodonosor, et Assuerus sive Cyaxares, ut habent Septuag. Tobias enim mortuus est anno ætatis

Anno 13. Iosiæ videtur eversa Ninive a Nabuchodonosor, ideoque tunc eius virgam vigilantem vidit Ieremiam.

99. et puer sex vel septem annorum cum patre in Assyriam abductus est anno 6. Ezechiæ; deme hos 7. annos a 99. habebis 92. quot sunt a 6. Ezechiæ ad 13. Iosiæ quo fit ut Tobias videatur mortuus esse hoc anno 13. Iosiæ, paulo post eversionem Ninive. Ieremias ergo, quia hoc anno 13. Iosiæ vidit monarchiam et sceptrum a Ninive et Assyriis transferri in Babylonios, hinc vidit eodem anno virgam eorum vigilantem, incubantemque Iudææ, et aliis Gentibus; hinc omnibus inclamat: Consulite vobis: ecce enim *Ascendit leo de cubili suo*, *prædo Gentium se levavit; egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem*, c. 4. v. 7. Ita docent recentiores quidam exacti chronologi. Verum Nahum 2. 2. ostendi Ninivem eversam esse 27. annis post mortem Iosiæ, nimirum anno 21. Nabuchodonosoris iunioris, sive Magni. Probabilior ergo causa, cur anno 13. Iosiæ cœperit prophetare Ieremias, est quod sub hunc annum cœperit regnare Cyaxares in Media, et Nabuchodonosor senior in Babylonia, cuius filius Nabuchodonosor iunior postea coniunctis copiis cum Cyaxare Niniven evertit, et monarchiam ab Assyriis ad Babylonios transtulit, ac consequenter Iudæos aliasque omnes gentes armis sibi subiugavit. Hic enim est virga vigilans, quam anno 13. Iosiæ vidit Ieremias. Adde probabile est quod Cyaxares cum Nabuchodonosore seniore cœperit obsidere Ninivem sub annum 13. Iosiæ, sed coactus est solvere obsidionem ob incursionem Scytharum: deinde eam resumpsit cum Nabuchodonosore iuniore sub annum quintum ab excidio Hierosolymæ, tuncque eam expugnavit, de quo plura Nahum 2. 2.

Vers 3. Usque ad transmigrationem.) Prophetavit etiam post transmigrationem, in Ægypto, ut patet c. 44. et seq. Verum plures et potiores eius prophetiæ sunt de gentis suæ transmigratione et excidio, ideoque illi præviæ. Hinc eis hunc titulum præfixit; præsertim quia urbe et gente excisis, rebusque plane deploratis, putabat Ieremias se amplius non prophetaturum, utpote qui prophetiæ suæ videret iam finem et exitum. Sed secus accidit: prophetavit enim postmodum in Ægypto, illæque prophetiæ prioribus, quibus hunc titulum iam præfixerat, additæ sunt. Hinc factum est, ut titulus hic iam ante operi præfixus, manserit. Ita Sanchez.

Vers 4. Et factum est.) q. d. Fieri autem cœpit ad me verbum Domini. Cœpit Dominus ad me loqui, anno 13. Iosiæ, dicens: *Priusquam te formarem in utero novi te*. To enim *factum est*, hic significat actum inchoatum, cum v. 3. significet actum continuatum. Rursum τὸ *et*, capitur pro *autem*.

Vers. 5. Priusquam te formarem.) Tertull. libro de Anima cap. 26. legit *priusquam te fingerem*, scilicet quasi figulus, uti ex luto finxi Adamum: hoc enim significat Hebræum יצר *iatsar*.

Novi te.) Notitia approbationis, qua præscivi et prædestinavi, te formare, id est creare hominem, atque efficere mei verbi ministrum et Prophetam: cognoscere enim, scire aut præscire, pro prædestinare aliquando ponitur, ut Rom. 11. 2. *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit*. Ita S. Chrysost. hom. de Ieremia tom. 1. Origen. et Chaldæus. Censet Maldonat. idem esse hæc tria, *novi te, sanctificavi te, Prophetam in Gentibus dedi te*. Verum hæc distinguenda esse, mox patebit.

Tropolog. Nota hic, magnos Sanctos a puero designari et destinari ad magna, idque sæpe per mira præsagia. Admiranda est S. Eucherii Aurelianensis historia. Nocte quadam illius genitrix, cum ab ecclesia, expletis nocturnis hymnis, domum redisset, proprium ingressa cubiculum, quieti se dedit; viditque in somnis thoro suo virum adstantem miri candoris vestibus indutum, capitis veneranda canitie splendidum, oculis instar gemmarum coruscantibus terribilem, sibique dicentem: *Ave Deo dilecta, benedictum in utero tuo ferens puerum, olim in hac urbe a Deo electum futurum Antistitem*. Cui venerabilis matrona: *Obsecro te*, inquit, *ut benedictionem tuo ore mihi largiaris*, *priusquam a me discedas. Intueor enim vultum tuum veluti angelicum*. Ait illi angelus: *Recte quidem cernis: ego enim angelus Dei sum, missus ab eo, ut benedicam proli, quæ est in utero tuo. Et quia admonenti ambiguitatem non opposuisti, sed a Deo missum me credidisti, iam nunc benedicam tibi, et semini tuo ex te nascituro*. At illa expergefacta immensas SS. Trinitati referebat gratias, atque marito suo tantæ revelationis gaudia per ordinem explicavit. Ille vero hæc audiens, timore et gaudio perfusus, in gratiarum actione permanens, rei exspectabat eventum. Natum puerum baptizavit, et de sacra unda suscepit Ansbertus Augustodunensis Episcopus. Ita habet Vita S. Eucherii 20. Februarii.

Anno Domini 989. uti ex Vita S. Stephani refert Baron. Geisa primus Ungarorum dux baptizatus, cum suos Ungaros ad fidem Christi traducere, ibique episcopatus fundare cogitaret, apparuit illi angelus dicens, ei nasciturum filium qui hoc perageret. Uxori quoque eius, cum partui vicina esset, apparuit B. Levita et protomartyr Stephanus, Levitici habitus insignibus ornatus, ita eam compellans: *Confide, mulier, in Domino, et certa esto te filium parituram, cui primo huius gentis et regnum et corona debetur. Tu vero illi nomen imponas meum*. Cum autem fœmina non sine admiratione sciscitaretur ab eo, quisnam esset, aut quomodo vocaretur? sic respondit: *Ego sum Stephanus protomartyr*, *qui primus pro Christi nomine martyrium obivi*. His dictis disparuit. Nascitur itaque (ut prædictum erat) filius principi, notus Domino, secundum Prophetam, priusquam in utero conciperetur, et per Stephanum protomartyrem a Domino appellatus, antequam natus. Eum vero beatus et Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptizavit, et nomen Stephani ei impositum est.

Cum B. Eligius (ut habet B. Audoen. Rothomagensis Episc. in Vita S. Eligii apud Sur. 1. Decembris) Noviomensis Episcopus matris adhuc alvo esset inclusus, vidit genitrix eius visionem miram. Videbat quasi aquilam valde pulchram, supra suum volitantem stratum, ac se tertio inclamantem, sibique nescio quid pollicentem. Cumque ex reciproca voce evigilasset, perterrita nimis, cœpit mirari quænam esset hæc visio. Interea venit tempus pariendi, et præ magnitudine doloris cœpit mater periclitari. Vocaverunt autem quemdam religiosum presbyterum, boni testimonii virum, ut pro eadem oraret. Qui cum venisset ad eam, quasi propheticum mox usurpans verbum, ait ad illam: *Noli*, inquiens, *mater timere, quoniam benedictum partum tibi Dominus dignabitur largiri. Erit enim vir sanctus, ac de gente sua electus, vocabiturque magnus in Ecclesia Christi sacerdos*.

Mater Æneæ Sylvii matrona nobilis, cui Victoria nomen erat, cum proxima esset partui, in somnis sibi visa est puerum se parere mitram in capite gestantem; quæ, ut pronæ semper in peius mentes hominum sunt, verita est ut somnium illud puero et familiæ ignominiam portenderet; neque prius potuit huiusmodi suspicione levari, quam postquam intellexit, filium suum Episcopum Tergestinum designatum. Quo nuntio omni prorsus metu liberata, immortali Deo gratias egit. Is postea fuit Pontifex Maximus, quem Pii II. appellatione nostra vidit ætas, ait Aventin. in Vita Pii II.

Audi Marcellinum presbyt. in Vita S. Swiberti Episc. Werdensis cap. 1. *Adveniente hora*, *qua benedictus puer Swibertus a clarissima genitrice nasceretur*, *subito totam cameram*, *in qua felix Bertu pareret*, *fulgor nimius replevit*, *stupentibus et mirantibus cunctis*, *mansitque irreverberatis radiis protensus*, *donec peperit filium suum; quo nato*, *paulatim claritas recessit. Matronæ vero illic cum obstetricibus congregatæ glorificantes Deum ubique promulgarunt magnalia claritatis piæ Comitissæ*.

Tempore Ethelredi regis Merciorum, nobilis quidam regali progenie ortus, ex uxore sua nomine Tecta S. Guthlacum servum Dei progenuit. Ea vero hora, qua Dominus eum segregavit ex utero matris, cælesti prognostico est designatus: manus enim quasi hominis, rubri

nitoris, cælitus missa, et ad ostium domus extensa, ineffabili fulgore coruscare visa est. Quæ signaculo crucis ostium muniens, felici præfiguravit auspicio, quod ille ad ortum procederet, qui constanti perseverantia Christi crucem in suo corpore circumferret. Hominum autem multitudo novitate miraculi stupefacta accurrens, inauditæ visionis prodigium, magnum divinæ dispensationis fore mysterium asserebat. Cumque stupore magno, secundum varios animi motus, opinionibus ambiguis fluctuarent, una obstetricum de domo egrediens infantem iam natum proclamat. Natus baptizatur, et Guthlacus vocatur, quod sonat, Belli donum, vel bonum donum, iuxta idioma Anglorum. A Deo enim donatus est parentibus, ut contra oppressores eorum bella gereret, ac de illis cum victoria titulos triumphales reportaret, inquit auctor Vitæ.

S. Bernar. mater gravida visa est sibi videre se gestare utero catulum latrantem; et S. Dominici mater vidit se gestare catulum, facem accensam ore gestantem.

Refert Roderic. Toletan. et Vasæus in Chron. anno Domini 860. quod mortuo Enechone Arista Navarræ rege, B regnavit Garsias eius filius, vir non minus integritate vitæ, quam armis præstans, qui uxorem duxit Uracam, fœminam primariam; cum qua iam gravida ac partui vicina, dum incautius per montes iter faceret, inopinato hostium Arabum supervenientium insultu oppressus, fortiter pro fide dimicans, interiit. Accidit vero, ut digressis Barbaris, nobilis quidam, cui Guevarra nomen fuisse affirmant, qui a tempore Enechonis Aristæ adhæserat regi Garsiæ, ad eum locum forte accederet, et infantem per vulnus manum extendentem, et velut eluctantem conspicaretur. Miseratus utriusque vicem, cæso matris utero, eduxit infantem, ac domi suæ diligenter educavit. Quod non sine testibus factum est, ut, quando res ipsa posceret, facto fides constaret. Qui transactis infantiæ et pueritiæ annis, cum ad adolescentiam pervenisset, ætatem indole, et indolem strenuis operibus superabat et successit in regnum regi Garsiæ anno 918.

E contrario, anno Domini 1051. ex Lamberto Scafn. C narrat Baron. quod eo anno Henricus Imper. auctus sit filio, eidemque nomen Henrici imposuerit, sed plane magno Ecclesiæ damno hunc genitum prævidit per visum, quæ ipsum gestabat in utero Agnes Augusta: vidit enim se parere draconem virulentum. Quod ipsum eadem sæpe testata scribitur ab auctore Vitæ S. Mathildis, qui sub idem tempus vixit. At quam ista vera fuerint, ipsa declararunt eventa.

Sanctificavi te.) Selegi te mihi ex hominibus, præordinavi te, deputavi, præparavi te muneri prophetico, quod sacrum est et sanctum, idque cum adhuc esses in matris utero, imo ab æterno. Ita Chald. et Hieron. in c. 1. ad Galat. Abulens. q. 17. in c. 13. Iudic. Theod. a Castro et Sanchez.

Addunt aliqui, *sanctificavi te*, id est ad rem magnam et eximiam selegi te. Sanctum enim, inquiunt, subinde significat magnum quid et eximium, quia sanctitas in Deo et creaturis, est dos magna et eximia. Est catachresis. Sic canit B. Virgo: *Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum*, id est, magnum, augustum, sacrum, *nomen eius*. D

Secundo, S. August. epistol. 57. *sanctificavi*, inquit, id est, prædestinavi te sanctificare. Augustinum sequitur Iansen. in Concordia Evang. c. 2. et Salmeron. tom. 2. tract. 34. Sic Ioan. 11. vers. 52. dicuntur filii Dei, qui adhuc erant infideles.

Ieremias fuit sanctificatus in utero. Tertio et optime: *Antequam exires de vulva*, id est, in ipsa matris vulva te iam conceptum, sed needum natum *sanctificavi*, quia uti Ioanni Baptistæ, ita et tibi, o Ieremia, in utero remisi peccatum originale, et infudi gratiam sanctificantem, qua simul te constitui et consecravi in sanctum Prophetam, unde hoc explicans subdit: *Prophetam in Gentibus dedi te*, utrumque enim significat vox

Probat 1. sanctificare, scilicet primo, a communi et profano segregare, Deique ministerio deputare et consecrare. Sic sanctificantur sacerdotes, prophetæ et reges, quasi Dei pro- A videntiæ et iustitiæ sacræ administri. Secundo, a pecca- 2.
to segregare, ut pure et sancte Deo serviat quisque in suo gradu et vocatione, uti hic Ieremias in utero vocatur et sanctificatur, ut sit Propheta. Utramque significationem complectitur Macrobius lib. 3. Saturn. 3. cum ait: *Sanctum est, vel idem quod sacrum aut religiosum, vel quod incorruptum et culpæ nescium.* Vide D. Thom. in 4. dist. 1. quæst. 1. a. 5. quæstiunc. 1. ad 1. et 3. p. q. 60. a. 1. ad 2. Hæc expositio probatur primo, quia hoc proprie significat vox *sanctificavi*, et *antequam exires de vulva*, id est, in ipsa vulva. Secundo, quia alia est phrasis qua dixit: *Priusquam te formarem in utero, novi te*, significans, ab æterno præscivi, amavi, prædestinavi te ad sanctitatem et munus propheticum; alia est hic, cum dicit: *Antequam exires de vulva*, id est in vulva, *sanctificavi te.* Hæc enim significat exsecutionem et effectum cognitionis et prædestinationis divinæ, q. d. In vulva reipsa propositum meum æternum exsecutus sum, infundendo tibi iam concepto gratiam et sanctitatem, ad quam ab æterno te cognovi et prædestinavi, ut scilicet dignus et selectus mihi sis Propheta, sanctitatem eximiam in pessimos Iudæos et Gentes spirando et afflando; sicut ex tunc, id est, ex vulva, Prophetam in Gentibus te dedi, id est, constitui. Sanctitas enim eximia, est optima præparatio et dispositio ad prædicandum, infidelibus præsertim et rebellibus, quales erant hi Iudæi; sine qua doctrina, eloquentia, aliaque dona parum valuissent, et etiamnum parum valent. Tertio, quia Ecclesia- 3
stici 49. v. 9. dicitur Ieremias *a ventre matris consecratus Propheta.* Quomodo consecratus? non per prophetiæ, ut patet, sed per gratiæ sanctificantis infusionem, qua simul constituebatur Propheta, Deo specialiter ita ordinante. Illa enim verba Ecclesiast. hisce Dei ad Ieremiam, sunt antistropha. Quarto, quia hoc speciale privilegium 4.
ex hoc loco tribuunt Ieremiæ S. Athanas. S. Hieron. S. Leo, Nazianz. Origen. Ambros. Petrus Damian. S. Thomas 3. p. q. 27. a 6. ubi ad 1. addit: *Sanctificatis in utero creditur præstitum esse, ut de cætero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente.* Idem docet S. Bernard. et communiter Patres et Scholastici, quos citat et sequitur Franc. Suarez 3. p. q. 27. a. 2. disp. 3. sect. 1. et Sebast. Barrad. in Luc. 1. 44. Videturque hic communis Doctorum et fidelium sensus, ita ut de eo iam dubitare non liceat, ait Ant. Fernand. visione 11. Ratio est, Cur?
quia præ aliis Prophetis, Ieremias unus delectus est, qui sua sanctitate urbem et Ecclesiam labantem sustineret, in summa rerum omnium confusione et vastitate; unde ab utero gratiam, constantiam et virtutes alias ad tantum prophetiæ munus necessarias accepit ex speciali privilegio, et ad maiorem auctoritatem ei apud populum conciliandam. Quare minus probabiliter S. Ildephonsus l. de Perpet. virgin. B. Mariæ, ex eo quod Ier. c. 20. 14. diem in qua natus est, vocat maledictam, colligit eum in matris utero non fuisse a peccato originali purgatum, quod et sentit Abulens. in c. 13. Iudic. q. 17.

Simile quippiam de Asella virgine innuit S. Hieron. epist. 15. ad Marcellam: *Prætermitto*, ait, *quod in matris utero benedicitur ei, antequam nascatur; quod in phiala nitentis vitri, et omni speculo purioris, patri virgo traditur per quietem; quod adhuc infantiæ involuta pannis, et vix annum decimum ætatis excedens honore futuræ beatitudinis consecratur. Sit gratiæ omne, quod ante laborem fuit, licet Deus præscius futurorum et Ieremiam sanctificet in utero, et Ioannem in alvo matris faciat exsultare, et Paulum ante constitutionem mundi separet in Evangelium Filii sui.* Sic Mosen sanctificatum fuisse in utero matris censuit S. Ephrem in orat. de transfig. Christi; et Iacob Patriarcham, qui collisus in utero supplantavit Esau, tunc fuisse iustificatum censuit S. Ambros. lib. 4. de Fide cap. 4. Idem. de Samsone, S. Ioseph, Iacobo fratre Domini, et aliis censuerunt nonnulli, sed sine fundamento.

Moral. Nota hic ordinem, quem Deus servat in idoneis Ecclesiæ ministris sibi cooptandis, nimirum ut ante o-

mnia gratia sua eos imbuat, eosque sibi amicos et familiares efficiat. Idcirco enim, uti advertit S. Augustinus, Doctor Gentium seipsum describens Rom. 1. 5. ait: *Per quem accepimus gratiam et apostolatum*, gratiæ primas dedit, apostolatui secundas. *Sic enim tuba Evangelica* (ait Nazianz. in orat. de episcopatu Sazymorum) *aptam reddidit harmoniam, ab interiori homine optime secundum Deum composito, convenienter emisso Spiritu sancto.* Idcirco et Saulis prophetationem in proverbium irrisorium abiisse ait, quoniam organum pravum ac dissolutum, decorem et harmoniam edere nequit. Merito ergo Deus hic antequam pronuntiaret de Ieremia illud: *Et Prophetam in Gentibus dedi te;* præmisit: *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Apte autem, non prædicatorem, sed Prophetam dixit: quia ut Propheta sine spiritu prophetiæ prophetare nequit, ita nec prædicator prædicare potest sine spiritu et gratia prædicandi. Quare S. Chrysost. homil. 19. in Matth. dans causam, quare doctores Christiani vocentur Prophetæ; quia ut Prophetæ, inquit, olim ungebantur, ita doctores Christianos ungi prius oportet unctione gratiæ.

Ieremias Propheta ex utero, quomodo? — Nota, prophetiam non esse habitum permanentem, nec actu datum fuisse Ieremiæ in utero, sed tantum per specialem primo Dei ad hoc deputationem; et secundo, sanctificationem ad hoc ordinatam; ac tertio, per Dei auxilium et inspirationem Ieremiæ præparatam, ut tempore opportuno prophetaret; hæc enim Ieremiæ in utero non data, sed destinata tantum et præparata fuit a Deo.

Et Prophetam in Gentibus dedi te.) Primo, Origen. Cyprian. l. 1. contra Iud. 21. Gregor. Nyssen. lib. contra Iudæos, Ambros. in v. 3. Ps. 43. hæc intelligunt de Christo, qui Gentes vocavit ad se. Sed hic sensus allegoricus est non litteralis.

Ieremias venietne cum Elia? — Secundo, Victorinus Martyr in Apocal. 11. putat Ieremiam cum Elia venturum contra Antichristum, ut Gentibus prædicet, nam dum viveret, tantum Iudæis prædicavit. Unde et mortem eius taceri in Scriptura, quasi vivat in paradiso. Hinc et Matth. c. 16. v. 14. quidam putabant Christum esse Ieremiam; et Iosippus filius Gorion lib. 1. hist. Iudaicæ 17. Ieremias, ait, cum arcam abscondisset, dixit: *Non sciet homo, neque cognoscetur locus, donec venero ego, et Elias Propheta, tunc restituemus arcam in locum suum in Sancta sanctorum.* Sed communis Patrum traditio est, solum Henoch cum Elia venturum, uti dicam Ecclesiast. 44. 16. et 48. 10.

Respondeo ergo: *Prophetam dedi te in Gentibus*, id est, Gentibus vel ad Gentes. Ita Pagninus, vel, ut Hugo et Vatab. contra Gentes. Ieremias enim licet inter Iudæos ageret, tamen de Ægyptiis, Babyloniis, aliisque Gentibus etiam prophetat, eisque excidium intentat; ut patet cap. 25. et c. 27. itaque se explicat Ieremias hic v. 10. Ita S. Hieron. Theodor. et Origen. Addit Maldon. *in Gentibus*, inquit, id est, ut prædicat Chaldæorum, aliarumque Gentium victoriam contra Iudæos, uti explicatur v. 15. *Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, etc. super universas urbes Iuda.* Denique Ieremias reipsa prophetavit *in Gentibus*, quando in Taphnis Ægyptiis prædixit, quod vastandi essent a Chaldæis, ut patet c. 44. v. 1. et seq.

Vers. 6. Et dixi, A, a, a.) Viegas in Apoc. 9. sect. 5. n. 4. SS. Trinitatis mysterium hic innui putat. Ter enim, inquit, dixit A, quæ balbutientis et infantis adhuc pueri vox est, propter tres personas divinas, ut indicaret, se comparatione eius mysterii infantem esse et nescientem adhuc articulate loqui. Loquebatur enim cum eo SS. Trinitas: Pater dicens: *Novi te;* Filius dicens: *Sanctificavi te;* Spiritus sanctus dicens: *Prophetam dedi te.* Verum hic sensus, uti symbolicus est, ita subtilior est, quam solidior; non enim agitur hic de Trinitatis mysterio, nec ad illud promulgandum mittebatur Ieremias; deinde pro *a, a, a,* in Hebræo unica est vox, ut iam dicam.

A, a, a.) Hebr. אהה *aha*, una vox est et interiectio: noster Interpres videtur cuique consonanti (sunt enim tres) subiecisse vocalem, sic, אהה *a ha ha.* *Aha* autem A Hebræis est interiectio admirantis et dolentis, ut cum quis pusillanimis, onus impositum quasi viribus suis impar, gemens, dolens et stupens excutere nititur, sicut facit hic Ieremias. Quare quod S. Thomas, vel potius Thomas Anglicus, per trinum A, A, A, putat notari tres defectus, qui Ieremiam ineptum reddebant ad prophetandum, scilicet defectum ætatis, scientiæ et eloquentiæ, subtilius est, quam solidius. De voce *aha* plura dicam Ioelis 1. 15. Septuag. pro *aha* legerunt אהיה *eie*, vertunt enim: ὁ ὢν δέσποτα κύριε, *qui es Dominator, Domine:* τὸ enim, *qui es*, est nomen Dei, Exodi 3. 14.

Nescio loqui (id est, vaticinari, inquit Chald.) quia puer ego sum.) q. d. Præ pueritia nescio loqui res tantas, et præ timore puerili non audeo apud viros et principes. Unde priori eius excusationi respondet Deus v. 7. *Ad omnia quæ mittam te, ibis; et etc. loqueris,* id est, ire et loqui poteris. Posteriori v. 8. *Ne timeas, etc. quia tecum ego sum.* Deus enim animos æque ac verba quælibet suppeditat: *Sufficientia* enim *nostra ex Deo est*, 2. Corinth. 3. 5. q. d. Ne timeas tuam infantiam, ego te faciam virum idoneum, facundum et audacem. Videtur ergo Ieremias, ait a Castro et Anton. Fernandius visione 11. tunc cum cœpit prophetare, fuisse 14. aut 15. annorum: talis enim est puer. Didicerat Ieremias illud Sapientis: *Puer, tace et audi. Sicut enim rosa est purpura veris: sic silentium, ruborque verecundiæ sunt purpura adolescentiæ.* — Vers. 7. — Ieremias circiter anno 15. cœpit prophetare.

Nota: Deus elegit pueros, Danielem et Ieremiam ad prophetandum, ut certo scirent homines Deum esse, qui tam grandia per pueros loqueretur.

Tropolog. quomodo detrectari vel suscipi debeat munus prædicationis, vide apud S. Greg. p. 1. Pastor. c. 7.

Moral. ut quis evehatur a Deo humiliet se, fiatque puer. — Rursus discant hic electi aut destinati a Deo ad magna, agnoscere suam ruditatem et infantiam, discant se omnibus etiam pueris postponere. Ita fecit S. Bernardus, qui, ut habet Auctor Vitæ l. 2. c. 4. *Superbiæ fuit infensissimus hostis, cum enim facta eius et verba confirmarentur miraculis, numquam excessit, numquam supra se in mirabilibus ambulavit; sed de se semper humiliter sentiens, venerabilium operum non se auctorem credidit, sed ministrum; et cum esset omnium iudicio summus, suo sibi iudicio constitit infimus: soli Deo quidquid fecit ascripsit; imo se nihil boni aut velle aut posse, nisi inspirante et operante Deo, et sensit et dixit.* Idem c. 7. eumdem suos hoc docuisse tradit: *Iudicari ab humano die non multum curetis; neque vestra propria, neque aliena iudicia approbantes: sub timore Dei sic state, ut nec vos quempiam iudicantes, aliquando extollamini, nec aliorum curantes iudicia exeidatis in nugas, singula vero prosequentes, vos servos inutiles reputetis.* Hac de causa ipse singularitatem et admirationem fugiebat, ideoque cilicium quod occulte gestarat, cognitum deposuit. Sermone vero 37. in Cantic. sic ait: *Noli te, homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, o homo, si unus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum, et tamquam omnium sceleratissimum reputas, melior te, mutatione dexteræ Excelsi futurus in se quidem sit, in Deo vero* (in Dei prædestinatione) *iam sit? hinc iussit Dominus te recumbere non penultimo, sed novissimo loco, ut non tantum nemini te præponas, sed nec comparare præsumas.*

Porro id maxime locum habet in prædicatore, cuius munus est difficillimum: *Quale*, ait Nazianzenus in Apologetico, *est multarum fidium instrumentum musicum, pluribus simul pulsibus ad harmoniam percutere. Quis enim tot voluntates, quot sunt auditores, concinnabit apte, ad reddendam Deo convenientem harmoniam?* Difficilius est quod subdit: *Concionatores opifices esse superno mundo*, qui videlicet homines eo dignos, sua concionandi vi effingere debeant. Sane hæc homines divinos requirunt. Hoc est quod ait Psaltes Ps. 67. v. 12. *Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa.* Ab ore enim Dei procedunt verba spirantia divinitatem.

Ne timeas a facie eorum.) Ne timeas eos, ad quos — Vers. 8.

scilicet mittam te, dices enim: *Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo,* Ps. 117. v. 6. Faciei meminit, quia pueri et simplices maxime vereri et revereri solent vultus virorum nobilium et potentium; maiestas enim hominis, æque ac ira et indignatio, maxime apparet in vultu.

Vers. 9. ET MISIT (extendit) DOMINUS MANUM SUAM.) Nota cum S. Hieron. et Rabano, Deum misisse angelum, qui in corpore assumpto manu tangeret os Ieremiæ, et diceret: *Ecce, dedi verba mea in ore tuo*, idque primo, ut eum hoc tactu quasi consecraret Prophetam, et os aperiret ad prophetandum. Secundo, ut confidentiam et animum daret, Dominum cum eo fore, et verba eius directurum: sic ad Isaiam c. 6. mittitur Seraphim. Tertio, ut sciret Ieremias, ea quæ prædicturus erat, non sua, sed Dei esse verba in os suum immissa. Quarto, ut tactum et plagas manus humanæ non formidaret, inquit S. Hieron. et Origenes; multa enim a Iudæis passurus erat. Unde hoc tactu angelico præmunitur et corroboratur.

Angelus tangit os Ieremiæ ob causas quatuor.

ECCE.) Hebraice ראה *ree*, id est vide, vel attende; animum scilicet, ad ea quæ dicturus sum, applica.

Vers 10. CONSTITUI TE HODIE, et ex nunc Prophetam te constituo (ponitur præteritum pro præsenti) SUPER GENTES, ET SUPER REGNA, tam Iudæorum, quam aliarum circumquaque nationum, UT EVELLAS.) Id est ut intermineris hostibus meis (*quos* in regionibus suis *plantavi*, id est firmiter collocavi, et *ædificavi*, id est prole, familia, domibus, urbibus et opibus auxi et stabilivi, ut est cap. 45. v. 4. infra) me inde per bella et captivitates Chaldæorum eos evulsurum, nisi resipuerint, uti factum patet c. 45. et sequent. Et contra, me ædificaturum rursus et plantaturum eos quos destruxero et evulsero si pœniteant, uti factum patet c. 42. v. 10. Ita S. Hieron. Theodor. Rab. Lyran. Vatabl. Dionys. Carthus. et alii.

Nota, partim hic esse metaphoram ab hortulanis: sicut enim hortulanus plantat et evellit arbores; ita Deus plantat et evellit Gentes: partim hebraismum, quo verba realia per mentalia aut verbalia exponuntur. Nam Ieremias reipsa non plantavit nec evulsit Gentes: ergo *ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes;* idem est quod, ut has Gentes evellendas, destruendas, disperdendas, et dissipandas; illas ædificandas et plantandas esse a Deo, mineris et prædicas. Vide can. 29.

Sic Tropologice, ait S. Gregor. 3. p. Pastor. 35. concionator evellit ex homine regnum superbiæ, luxuriæ, etc. ut plantet regnum castitatis, humilitatis, etc. additque prius dici: *Ut evellas et destruas;* deinde, *ædifices et plantes. Quia nisi*, inquit, *perversa destrueret, ædificare utiliter recta non posset; quia, nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris evelleret, nimirum frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret.* Doctor ergo ut auditores utiliter possit docere bona, debet eos prius dedocere mala. Unde S. August. l. 4. de Doctrina Christiana, doctores Ecclesiasticos vocat rectæ fidei satores, et debellatores errorum. Porro: *Facilius est rudi adhuc animæ, ac instar ceræ nondum signatæ, veritates imprimere, quam conscriptis iam quasi litteris, hoc est pestiferis opinionibus, superducere quæ vera sunt,* ait Nazianzenus in Apologetico. Ad hoc ergo opus est ingenti zelo, spiritu, conatu et efficacia, ait S. Gregor. loco citato.

Vers. 11. VIRGAM VIGILANTEM EGO VIDEO.) Ita Aquila et Symmach. *Vigilantem*, id est minantem, librantem et agitantem se, ac paratam percutere, ait Rupert. Secundo, Septuag. vertunt: *Ego video baculum nuceum;* Theodot. *Ego video virgam amygdalinam*, quæ primo inter arbores evigilat, id est sollicita est ut suos flores emittat, ideo enim amygdalus hebr. dicitur שקד *sciaked*, id est vigilans, q. d. Ramum amygdali antevertentem alias arbores, et antelucantem in proferendis floribus, ego video, hoc est, video flagellum repente occupaturum Iudæos imparatos, quod multo citius quam putatis, o Iudæi, antevertet timorem vestrum. Ita Vatabl. Pagninus, R. Salomon, et alii. Unde Syrus vertit: *Virgam amygdali video. Et dixit mihi Dominus: Bene vidisti, quia festino ego super verbo meo ad faciendum illud;* et Arabicus: *Vidi virgam de arboribus amygdalorum. Et dixit mihi Dominus: Quam bene vidisti o Ieremia! Innuit per virgam amygdali, quod sicut recens est amygdalus in viriditate sua celeriter ante omnes arbores, sic festinabit iudicium meum*, id est supplicium meum. Advertit Theodoret. Sicut nux vel amygdalum, amarum habet corticem, sed nucleum suavem; ita disciplina et castigatio, primo molesta est; sed deinde fructum dat, suavitatem morum.

Virga vigilans, est amygdalina. Cur?

Tertio, Viegas in Apocal. c. 15. comment. 1. sect. 1. proprie *vigilantem* exponit *oculatam*, vel *oculos apertos et vigiles habentem*. Significat enim Dei providentiam et iustitiam, quæ tota oculata est, nec per errorem supplicium infert, sed maximo iudicio et examine verberat, ut magnitudo pœnæ magnitudinem culpæ non superet, imo nec adæquet. Unde

Nota: Hæc virga vigilans significat primo, Dei potentiam et imperium; item vigilantiam ac providentiam. Quocirca *virga Aaronis* amygdalina quæ floruit, eique pontificatum consignavit, symbolum fuit vigilantiæ sacerdotalis, ut ex Cyrillo et aliis dixi Numer. 17. v. 8. Sic Ægyptii pingebant Deum quasi oculum baculo innixum, ut significarent eius omniscientiam et pervigilem curam, quasi pastoralem, tamquam qui omnia videat et regat quasi pastor et rex, cuius insigne est sceptrum vel virga, qua bonos pascit, malos percutit. Ita Cyrill. l. 9. contra Iulian. post initium. Sic Osirim quasi regem omnia conspicientem Ægyptii pingebant tamquam sceptrum, habens in se oculum insculptum, ait Macrob. l. 1. c. 21. et Plutarch. l. de Iside et Osiride, ubi addunt Phryges Deum, qui omnia moderatur, pinxisse quasi virgam sole exornatam. Unde et Græci: θεον απο του θεασθαι a videndo nominant: est enim Deus, inquit Homer. ἠλιος, ος παντ' εφορα και παντ' επακουει: *Sol qui omnia videt et qui omnia audit.* Et multi veterum, ait Pierius lib. 33. Hieroglyph. Deum figurabant, quasi baculum stantem; quia Deus stat immobilis omnia sustinens et firmans, ait Cyrill. supra. Quanta ergo cæcitas est hominum, qui in oculis huius oculi vindicis lucidissimi, peccare audent! nam, ut ait Plinius: *Deus totus est sensus, totus est visus, totus est auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.* Ita ipse lib. 2. Natur. histor. c. 7. Et Tertullianus l. de Trinit. Deum totum oculum dixit, qui totus totum videt: et alibi Dei oculum ait somni expertem, quoniam est ipsa lux, vigilia nimirum ex ipso naturæ ordine deputata.

Significat: I. Providentiam Dei vigilantiam.

Deus pingitur quasi oculus baculo innixus.

Secundo, et proprie hæc virga vigilans significat celerem Dei ultionem, hoc est enim quod explicans hanc virgam Dominus subdit v. 12. *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.* Ita S. Hier. et Theodor. Unde Chald. clare vertit: *Ego video regem Chaldæorum, festinantem ad malefaciendum et percutiendum Iudæos et alias gentes.* Hinc rursum ex Hebræo cum nonnullis verti potest: *Ego video virgam vigilantis*, scilicet Dei. Sic Attila dicebat se esse flagellum Dei; et de rege Assyriorum ait Dominus Isaiæ 10. v. 5. *Væ Assur, virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* Sic Ezechiel c. 7. v. 10. *Ecce, ait, dies, ecce venit: egressa est contritio, floruit virga* (prævisa et prædicta a Ieremia) *germinavit superbia, etc.* Hac ergo visione virgæ amygdalynæ et vigilantis, significavit Deus Ieremiæ, se cito acceleraturum pœnas et captivitatem Babylonicam, quam Iudæis comminatus fuerat. Nam anno abhinc vigesimo tertio, puta anno tertio Ioakim, Nabuchodonosor cepit Ioakim et Danielem aliosque abduxit; anno vero abhinc quadragesimo, Ierusalem vastavit, et templum concremavit. Hæc ergo virga vigilans ostensa Ieremiæ, fuit similis ostento vel portento cometæ, qui specie virgæ aut gladii apparens, pestem, bellum et vastitatem, quasi index iræ Dei portendit hominibus.

II. Celerem Dei ultionem.

Simili modo magnus ille Simeon Stilites, vidit virgam portendentem orbi famem et pestem. Audi Theodoretum oculatum testem in Historia Patrum c. 26. *Siccitatem et magnam illius anni sterilitatem, et eam quæ consecuta est simul famem et pestem duobus annis ante prædixit, dicens*

se prævidisse virgam quæ infligitur hominibus; et flagella quæ per eam intentantur. Et paulo post: *Aliquando*, ait, *ei visæ sunt duæ virgæ, quæ ferebantur quidem de cælis, in terram autem Orientalem cadebant et Occidentalem. Hæc autem Persicæ et Scythicæ gentis in Imperium Romanum insurrectionem significavit vir divinus, et iis qui aderant effatus est visionem, multisque lacrymis et precibus assiduis repressit plagas, quarum intentabantur minæ in orbem terræ. Gens certe Persarum iam armata, et parata ad Romanos invadendos, eis divina adversante voluntate, a cœpto est retardata, et intrinsecus in malis propriis occupata.* Utinam similes haberemus Simeones, qui virgas Dei cohiberent, aut discuterent!

Mor. Dei vindicta vigilat ad peccata. Moraliter, discant hic peccatores, Deum, Deique vindictam ad peccata excubare et vigilare, ut ea cito plectat et puniat. Ita Balthasar sacrilegus et temulentus mox vidit manum scribentem in pariete: *Mane, thekel, phares*, quæ eadem nocte ipsi et regno exitium attulit, Danielis 5. Ita *vigil et sanctus de cælo descendit, clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem*, id est Nabuchodonosorem superbum regno ad bestias eiicite, Daniel. 4. v. 10. et 14. Ita ad Caini parricidium vigilavit Deus, dicens: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: nunc igitur maledictus eris super terram, vagus et profugus, etc.* idque ante illi prædixerat Deus: *Si bene*, ait, *egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum* (pœna peccati) *aderit*, Gen. 4. vers. 7. 10. et 11. vide ibi dicta.

Idem senserunt et experti sunt Gentiles. Ita Melitenses videntes viperam invadere manum S. Pauli dicebant: *Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere*, Actor. 28. 4. Ita Calippus eodem pugione, quo Dionem sub amici specie interfecit, a sociis suis necatus est. Ita cum Mitius Argivus in seditione esset interemptus, ærea statua in foro, cum ederentur spectacula, incidit in percussorem Mitii, eumque occidit. Ita Bessus cum patrem necasset, diuque id scelus clam fuisset, tandem in hospitio quodam cœnaturus, nidum quemdam hirundinum hasta deiecit pullosque occidit: cumque ii qui aderant rogarent, cur id fecisset? *Non*, ait, *auditis, hirundines falso de me vociferari et testari, me patris mei esse interfectorem?* Mirati qui intererant, hunc sermonem ad regem detulerunt, reque certis indiciis comperta, pœnas luit Bessus. Refert hæc Plutarchus l. de Sera numinis vindicta. Peccatum ergo pœnam suam secum trahit, eique colligatum est: et sicut carnifex reum fune ligatum tenet, ducitque ad supplicium; ita Dei vindicta peccatorem ad pœnam perurget et pertrahit. Porro hæc virga vigilans peccatores terrendo excitat, et a somno peccatorum evigilare facit, iuxta illud: *Evigilate, iusti, et nolite peccare*, 1. Corinth. 15. v. 34. Et: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus*, Ephes. 5. v. 14. Unde aliqui pro *virgam vigilantem* vertunt, *virgam vigilare facientem*, ut *cal* ponatur pro *hiphil* more Hebræo. Ergo *vita mortalium sit vigilia*, uti monuit Christus: *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*, Matth. 24. 42. Satius enim est in modico labore hic evigilare, quam vigilare in incendiis gehennæ, præsertim quia vigilia hæc ducit ad vigilans et perenne in cælis gaudium.

Vers. 13. Olla succensa quid? Resp. I. Ollam succensam.) Id est, in Ierusalem a Nabuchodonosore per Nabuzardan succensam; vel, ut hebr. est, sufflatam: sic enim vocatur Ierusalem, Ezech. 11. v. 7. et c. 24. v. 3. Ita S. Hieron. Theod. Rabau. Hugo, S. Thomas, Lyran. Dionys. Alludit ad sartagines et ollas reorum et Martyrum, quales fuerunt illæ Machabæorum l. 2. c. 7. 3. quas et Amos Iudæis minatur c. 4. v. 2. Talis fuit et taurus Phalaridis.

II. Secundo, melius, ut ait Hieron. Prado, potest olla accipi, ut sit idem quod virga, scilicet Dei pectus, bilem coquens et fervens, ex quo ebulliit iste furor et flatus indignationis Dei, de quo Ezech. 1. 4. Unde Syrus vertit: *Ollam dispositam* (constitutam super ignem) *ad coquendum video.*

III. Optime Nabuchodonosor. Tertio, et optime, Chald. Pagninus et Vatabl. hebr. נפוח *naphuach*, non quasi participium, ut significet *sufflatam*, sed quasi nomen, vertunt, ollam succensam, ferventem, ebullientem ego video, scilicet Nabuchodonosorem cum suo exercitu, ignem furoris efflantem et ebullientem contra Iudæos: hæc enim olla venit ex Aquilone, id est ex Chaldæa, ut Ierusalem aliaque regna combureret et vastaret.

Nota: Olla eamdem vindictam significat et confirmat quam virga, sed graviorem. Sic Ioseph famem quam primo vidit per spicas significari; secundo, per vaccas vidit confirmari et accelerari, Geneseos c. 41. v. 32.

In olla accensa videtur alludere ad focum et ignem qui in concha vel olla, ne vento exstingueretur, præferebatur regibus Chaldæorum et Persarum; illi enim ignem quasi Deum colebant: unde reges eorum affectantes honores divinos, ignem sibi præferri curabant, q. d. Adventat ignis prævius et consequenter ipse Nabuchodonosor, qui quasi ignis in vos, o Iudæi, sæviet vosque comburet. Ita Sanchez.

Tropol. significat ollam gehennæ. Tropolog. Origen. Rupert. et Ambr. in Ps. 38. sub finem: Prius Deus hic pœnitentibus exhibet virgam correctionis; quam si nolint, impœnitentibus reservat olla gehennæ, uti Theodoricum regem post mortem in Vulcani ollam proiici vidit sanctus ille eremita, apud S. Greg. 4. Dialog. 30.

Secundo, S. Gregor. 18. Moral. 11. et l. 33. c. 40. *Olla*, ait, *succensa, est cor humanum carnalibus desideriis et anxietatibus æstuans, a diabolo succensum, et fervens per consensum, cum tot undas quasi fervendo proiicit, quot nequitias desideriorum ad opera exteriora extendit.*

Et S. Thomas: *Anima*, ait, *peccatrix dicitur olla: primo, propter concupiscentiæ fervorem, Iob 41. v. 22. Fervescere faciet quasi ollam profundum mare; secundo propter operis carnalitatem, Michææ 3. v. 3. Ossa eorum confregerunt et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ; tertio, propter maculæ nigredinem, Nahum* Et animam peccatricem. *2. v. 10. Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. Porro hæc olla succenditur igne, primo, amoris, Ps. 79. v. 17. Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt; secundo, iræ et contentionis, Isaiæ 50. v. 11. Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis; tertio æternæ damnationis, Deut. 32. v. 22. Ignis succensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima.* Hucusque D. Thomas.

Et faciem eius a facie Aquilonis.) Id est, ipsa olla veniebat ab Aquilone, puta a Chaldæa tendebat in Iudæam. *Facies* enim Hebræis per synecdochen idem est quod persona: hæc enim per faciem dignoscitur: rursum persona per metaphoram sumitur pro re etiam inanimi: huic enim Hebræi figurate attribuunt os, faciem, personam, etc.

Secundo, Maldonat. per *faciem* accipit os ollæ: hoc enim vomens flammas, e Chaldæa veniens, spectabat Iudæam. Verum prior sensus simplicior est; pari enim modo *faciem Aquilonis* vocat ipsum Aquilonem, uti explicat v. sequenti. Chaldæus explicat quid facies hæc significet, dum vertit: *Et vexillum exercitus eius* (Nabuchodonosor) *qui ducitur et venit a facie Aquilonis.*

Ab Aquilone.) A Babylone, quæ licet sit Orientalis, Vers. 14. tamen respectu Ierusalem est Septemtrionalis; quia quatuor gradibus magis est æquinoctialis quam Ierusalem. Ita Theodor. Dionys. et Vatablus. Vel potius quia Nabuchodonosor primo, Niniven, quæ ad Aquilonem erat Chaldææ, hoc 13. anno Iosiæ obsedit et cepit, uti multi censent; inde Syriam circumiens, et Aquilonares nationes in suum exercitum cogens, per Dan, quæ Aquilonaris est respectu Ierusalem, ingressus est Iudæam: sic enim se explicat Ieremias v. seq. et c. 4. v. 6. et 15. Ita Hugo. Lyran. et a Castro.

Symbolice, Aquilo est frigidus, asper, et læva mundi Aquilo tristia, regio; hinc læva, tristia et diram Dei vindictam significat: Auster vero calidus est, suavis, et dextera mundi Auster læta significat regio; hinc significat manum Dei benignam, Deique o-

pem et favorem; unde Deus dedit Iudæis legem in Sina, quæ ad Austrum est Iudææ, et hoc est quod dicitur Habacuc 3. 3. *Deus ab Austro veniet.* Aquilo ergo symbolum est mortis, mortemque plantis affert; Auster vitæ. Frigus enim inimicum, et, ut Cardanus ait, diabolus est naturæ; vita vero in calore consistit: quocirca sol est vita universi. Aquilo ergo significat tempestatem, id est calamitatem fore maximam. Nullus enim ventus tam vehemens quam Aquilo, nullus tam rapidus, tam frigidus, tam urens; unde Eccli. 43. 22. *Frigidus*, ait, *ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua: super omnem congregationem aquarum requiescet, et sicut lorica induet se aquis. Et devorabit montes, et exuret desertum, et exstinguet viride sicut igne.*

Pandetur.) Spargetur, erumpet; Chald. *venire incipiet;* hebr. est, *aperietur*, quasi hactenus clausum in antris et thesauris Dei, iam solvetur et emittetur grande malum, grandis clades et calamitas, quam Chaldæi afferent Iudæis, aliisque vicinis gentibus eas subigendo et vastando.

Alludit ad hebr. צפון *tsaphon*, id est Aquilo, q. d. Absconditus, a radice צפן *tsaphan*, id est abscondit. Fama enim erat, quod propter frigus nulli essent aut rari Hyperborei; aut certe, quod Iudæis incogniti essent Aquilonares populi, nec cum eis haberent commercium, inquit Forerius in Isaiæ 49. v. 12. Hinc mystice S. August. Aquilonem ait esse sedem diaboli et hæreticorum, prout hodie eos in Germania, Anglia, Scotia, aliisque Aquilonaribus regionibus grassari constat. Unde Cantic. 4. v. 16. dicitur: *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.* Quem locum explicans S. Aug. epist. 20. ad. Honoratum: *Diabolus*, ait, *et angeli eius a luce atque fervore charitatis aversi, et nimis in superbiam invidiamque progressi, velut glaciali duritia torpuerunt, et ideo per figuram tamquam in Aquilone ponuntur.*

Hisce enim mystice convenit id quod de Borea et Borealibus physice scribit Solinus c. 20. *Damnata*, ait, *pars mundi, et a rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa, ipsique prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima, sola terrarum non novit vices temporum, nec de cælo aliud accepit quam hiemem sempiternam.* Hinc consequenter, ut ibi infligatur pœna ubi commissa est culpa, et præmium detur ubi floruit virtus; symbolici docent Deum habere duo tribunalia, unum clementiæ et felicitatis in Meridie, alterum severitatis et vindictæ in Aquilone. De priori dicitur Cantic. 1. *ubi pascas, ubi cubes in Meridie?* Hinc volens Deus pie mederi peccato Adæ, ambulabat leniter ad Meridiem, Genes. 3. v. 8. Alterum esse ad Aquilonem patet, quia inde deiectus est Lucifer, qui dixerat: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*, Isaiæ 14. 13. Ibi quoque, puta a sinistris (sinistra enim pars mundi est Aquilonaris, dextera Australis) consistentibus reprobis dicet Christus in die iudicii: *Ite, maledicti, in ignem æternum.*

Terræ.) Iudææ; de ea enim hic agitur. Simile est c. 25. 9.

Vers. 15. Ponent unusquisque solium suum, id est tentorium suum, vel sedem suam, in introitu portarum, id est ad portas, iuxta portas, Ierusalem.) Ut eam obsideant. Ita S. Hieron. Raban. S. Thom. et alii. Solus Lyran. aliter explicat: sic videlicet, q. d. Parta victoria Chaldæi ponent solium Iudicum de more in porta, ut Iudæos qui sibi restiterunt, iudicent et puniant.

Vers. 16. Loquar iudicia mea cum eis.) Scilicet Iudæis, id est
Loqui iudicia, significat tria. obiurgabo et increpabo per Nabuchodonosorem, Sedeciam et Iudæos quasi ingratos, rebelles, fœdifragos et periuros: additque Iosephus l. 10. Antiquit. 10. dixisse Nabu-
I. chodonosorem Sedeciæ: *Magnus Deus odio habens tuam nequitiam, nostro te subiugavit imperio*, idque patet 4. Reg. 25. v. 6. infra c. 4. 12. et c. 12. 1.

II. Secundo, S. Hieron. Rabanus, Hugo et Maldonatus: *Loquar*, inquiunt, *iudicia*, id est reipsa eis ostendam me iustis de causis, scilicet ob scelera eorum, pœnas de ipsis sumere.

A Tertio, S. Thomas, Lyran. et Dionys. *Loquar*, id est decernam, et mandato meo infligam eis iudicia, id est iusta et merita supplicia. Primus sensus hoc loco simplicissimus est et verissimus. III.

Libaverunt.) Id est, ut Septuag. ἔθυσαν, sacrificarunt; Hebr. יקטרו *iekatteru*, id est suffitum incenderunt, thurificarunt, quod eodem redit: in sacrificiis enim caro Deo incendebatur, perque ignem et fumum ascendebat ad Deum, utque hoc significarent, thus victimis imponebant, cum eisque cremabant; thura enim Deo debentur et adolentur.

Tu ergo accinge lumbos tuos.) Id est, primo, festina, expedi te. Sic dicitur Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi vestri præcincti;* secundo, corrobora te, forti esto animo. Sic dicitur Iob 40. 2. *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Hinc patet minus esse litterale et genuinum, quod vulgo censent per accinctionem lumborum præcipi Prophetæ et concionatori castitatis studium. Vers. 17.

Nec enim.) Hebr. פן *pen*, id est, *ne forte;* sed ali-
B quando *pen* simpliciter significat negationem *non*, ut Proverb. 5. 6. Isaiæ 27. 3. Idem hic significat; unde Noster vertit, *nec*.

Nec enim timere te faciam.) Est Hebræa miosis et anastrophe, q. d. Faciam ut non timeas, amoliar omne periculum quod timere posses; potest secundo verti ex Hebr. *Ne timere te faciam*, vel, *ne conteram*, aut, *perdam te coram illis*, q. d. Si mihi non fidas, deseram te, tradam et permittam, ait S. Hieron. te timori, imo perdam te, ob ignominiam qua afficis me Deum tuum, quod in eius fide tibi data hæsites. Sic punit Deus Mosen hæsitantem, Num. 20. v. 12. et Petrum timentem ventum validum increpat dicens: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Matth. 14. 31. Ita vertunt Chald. Pagn. et Vatab. quin et Sept. apud S. Hier.

Dedi te (do, constituo. Simile vidimus v. 9. et 10.) Vers. 18.
in civitatem.) Velut civitatem, columnam et murum æneum; nam præpositio ל *lamed*, et ב *bet*, id est *in*, ponitur pro כ *caph*, id est *sicut*. Unde Arabicus vertit: *Et*
C *iam feci te hodie ut civitatem potentem* (vel fortem vel gloriosam) *ad quam impossibilis est accessus: et sicut ferrum: et feci te murum æris super universam terram.* Sensus est, q. d. Reddo et efficio te hodie fortissimum contra omnes adversarios, ut sis, primo, quasi civitas munita, quæ se optime propugnat; secundo, quasi columna ferrea, quæ omnia onera sibi imposita sustinet; tertio, quasi murus æreus, qui bellica tormenta sine læsione fert et repellit; quique, ut ait S. Hieron. nulla violatur rubigine, nec cæsus imbribus deperit, sed vetustate fit fortior. Præco ergo Dei, et pastor bonus sit columna sustentans infirmos, Rom. 14. 1. sit murus obiiciens se periculis pro ovibus: non mutus, sed æneus sono prædicationis. Murus, qualem requirit Deus, Ezech. 13. 5. *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.* Et Poeta:

Hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi.

Et Seneca in Troad.

D *Tu præsidium Phrygibus fessis,*
Tu murus eras, humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos.

Ita Delrio adag. 817.

Sapienter dixit Agathon Abbas in Vitis Patrum l. 7. c. 42. *Si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea; quæ si iniuriatur, non irascitur; si glorificatur non extollitur.*

Pollicetur Deus, ait Theodor. Ieremiæ non pacem, nec quietem, sed certamina et victoriam, uti Christus Apostolis, Ioan. 16. v. 1. et seq. Hinc tanta fortitudo et libertas Ieremiæ contra principes et reges, scilicet ex una hac Dei promissione: quia *ego tecum sum;* si enim Deus pro nobis, quis contra nos? En quid facit spes in Deum, quantas habet vires! *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*, et quæ toto Ps. 90. sequuntur, huc pertinent. Tales fuerunt prisci Ecclesiæ Doctores, principes et heroes.

Spei et constantiæ Sanctorum exempla.

Ita S. Ambrosius Deo nixus et corroboratus, Valentiniano Imper. eiusque matri Iustinæ, petentibus templum dari Arrianis, fortiter restitit: cumque comites et tribuni urgerent Imperatorem, uti iure suo, quod in potestate eius omnia forent, respondit Ambros. *Si Imperator a me petat quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, non recusabo; quamquam omnia, quæ mea sunt, pauperum sunt: verum quæ Dei sunt, imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. Si patrimonium affectatis, invadite: si corpus, accurrite; vultis in vincula ducere? vultis ad necem? ludus est: non ego me vallabo stipatione populorum, nec altaria tenebo vitam deprecans, sed pro altaribus victimam me præbebo.* Invasit eum Calligonus: Tune, inquit, me vivo, Valentinianum contemnis? ego tibi caput abscindam. Cui Ambrosius: *Deus permittat tibi ut impleas quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi: tu facies quod spadones.* Vide eum epist. 32. et 33.

Ita Mathathias commemorans fortia Patrum, Deo duce, facta, hortatur suos ut resistant Antiocho regi, qui volebat Iudæos traducere ad gentilismum: *Nunc ergo, o filii*, ait, *æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum, etc. quia omnes qui sperant in Deum, non infirmantur. Et a verbis viri peccatoris ne timueritis; quia gloria eius stercus et vermis est: hodie extollitur, et cras non invenitur*, 1. Machab. 2. v. 50. et 61.

Ita S. Theodorus Martyr, teste Gregor. Nyss. in eius Vita, cum carnifices ei immanes cruciatus minarentur, ni fidem Christi abiuraret, in hanc vocem erupit: *Pro fidei Christianæ confessione qui vulnerat, incidat: et qui verberat, laceret; et qui cremat, flammam adiiciat; et qui his verbis offenditur, linguam eximat.*

Ita S. Vincentius, teste Prudent. in eius Hymno, provocans carnifices, et lætus vadens ad rogum, ait tyranno:

Quem tu maligne, mysticis
Minitaris ignem litteris,
Flagrabis ipse hoc iustius;

citoque ad ignis grabatum festinans,

Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito,
Ceu iam coronæ conscius
Celsum tribunal scanderet.

Ita S Basilius, cum ei præses Valentis Imperat. Arriani, ob fidem exitium minaretur: *Utinam*, ait, *hoc mihi vere accidat, ut pro veritate ex his corporis vinculis eripiar!* Urgente Præside, ut rem maturius consideraret, Basilius respondit: *Ego quidem hodie et cras idem sum: atque utinam tu non mutes sententiam!* Ita Socrates l. 4. c. 21.

Ieremias ergo, et iustus quivis fortis et constans, adversis cunctis est superior: talisque est qualem depingit Virgil.

Ille velut pelagi rupes immota resistit.
Ut pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus undis
Mole tenet, scopuli nequidquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Talis fuit S. Lucia virgo et Martyr, quæ nec præcibus, nec minis a fide et castitate abduci potuit, sed intrepide Paschasio præfecto restitit, freta ope Spiritus sancti: cumque Paschasius interrogasset: *Estne in te Spiritus sanctus?* respondit: *Caste et pie viventes templum sunt Spiritus sancti.* At ille: *Iubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus sanctus deserat.* Cui Virgo: *Si invitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Quare Paschasius indignans Luciam eo trahi iussit; sed divinitus factum est ut firma virgo ita consisteret, ut nec bobus, nec ulla vi de loco dimoveri posset. Ergo præfectus circum ipsam pice, resina, ac ferventi oleo perfusam, ignem accendi imperavit; sed cum ne flamma quidem eam læderet, multis tormentis excruciatæ guttur gladio transfigi iubet. Quo vulnere accepto, Lucia prædicens Ecclesiæ tranquillitatem, quæ futura erat Maximiano et Diocletiano mortuis, idibus Decembris spiritum Deo reddidit. Merito ergo illi accinit Ecclesia: *Columna es immobilis, Lucia, sponsa Christi; quia omnis plebs te espectat, ut accipias coronam vitæ.* Et rursum: *Tanto pondere eam fixit Spiritus sanctus, ut virgo Christi immobilis permaneret.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Est hoc caput plenum querelæ, et quasi continuum pathos. Nam Deus sponsus plebem Israel quasi sponsam increpat; quod se relicto, adulteris, id est idolis et idololatris, adhæreat, quasi Deus sit impotens aut negligat suos. Idem recte aptes Christianis, qui spes non in Deo, sed homine, opibus, potentia defigunt, imo id facit omnis peccator.

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Vade, et clama in auribus Ierusalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur. 3. Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius: omnes qui devorant eum, delinquunt: mala venient super eos, dicit Dominus. 4. Audite verbum Domini domus Iacob, et omnes cognationes domus Israel: 5. Hæc dicit Dominus: Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? 6. Et non dixerunt: Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti: qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis, per terram, in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo? 7. Et induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum eius, et optima illius: et ingressi contaminastis terram meam, et hæreditatem meam posuistis in abominationem. 8. Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me: et prophetæ prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt. 9. Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, ait Dominus, et cum filiis vestris disceptabo. 10. Transite ad insulas Cethim, et videte: et in Cedar mittite, et considerate vehementer: et videte si factum est huiuscemodi. 11. Si mutavit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dii: populus vero meus mutavit gloriam suam in idolum. 12. Obstupescite cæli super hoc, et portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. 13. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. 14. Numquid servus est Israel, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam? 15. Super eum rugierunt leones, et dederunt vocem suam, posuerunt terram eius in solitudinem: civitates eius exustæ sunt, et non est qui habitet in eis. 16. Filii quoque Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem. 17. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam? 18. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?

et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? 19. Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. 20. A sæculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti: Non serviam. In omni enim colle sublimi, et sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix. 21. Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena? 22. Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus. 23. Quomodo dicis: Non sum polluta, post Baalim non ambulavi? vide vias tuas in convalle, scito quid feceris: cursor levis explicans vias suas. 24. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus avertit eam: omnes qui quærunt eam, non deficient: in menstruis eius invenient eam. 25. Prohibe pedem tuum a nuditate, et guttur tuum a siti. Et dixisti: Desperavi, nequaquam faciam: adamavi quippe alienos, et post eos ambulabo. 26. Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel, ipsi et reges eorum, principes, et sacerdotes, et prophetæ eorum, 27. Dicentes ligno: Pater meus es tu; et lapidi: Tu me genuisti; verterunt ad me tergum, et non faciem, et in tempore afflictionis suæ dicent: Surge, et libera nos. 28. Ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? surgant et liberent te in tempore afflictionis tuæ: secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui Iuda. 29. Quid vultis mecum iudicio contendere? omnes dereliquistis me, dicit Dominus. 30. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt: devoravit gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator 31. Generatio vestra. Videte verbum Domini: numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? quare ergo dixit populus meus: Recessimus, non veniemus ultra ad te? 32. Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. 33. Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas, 34. Et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum? non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi. 35. Et dixisti: Absque peccato et innocens ego sum: et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris: Non peccavi. 36. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas! et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. 37. Nam et ab ista egredieris, et manus tuæ erunt super caput tuum: quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam, et nihil habebis prosperum in ea.

Methodus concionandi Ieremiæ. NOTA methodum concionandi, quam hic servat Ieremias; nam primo, ostendit Dei in populum miram bonitatem, ingemque beneficentiam; secundo, populi ingratitudinem, idololatriam et scelera; tertio, hortatur ut redeat ad pristinam cum Deo amicitiam, ni velit hostibus tradi, uti reipsa postmodum traditus est: nec speret in ope Ægyptiorum, quia ab iis ita tractabitur, uti parentes eius tractati sunt ab Assyriis ad quos confugiebant. Hæc enim tria inculcare debet concionator. Loquitur autem de futura captivitate, tamquam iam præterita, ob eius et prophetiæ huius certitudinem.

Urget Deus Israelem sexdecim argumentis. Urget ergo hic Deus Israelem sexdecim argumentis sive stimulis: primo, v. 2. obiicit quod reliquerit desponsationem et fœdus cum Deo initum in Sina, ubi Israel quasi sanctus et quasi primitiæ consecratus fuit Deo: secundo, v. 5. Quid invenistis, ait in me iniquitatis, ut vana idola sequeremini; tertio, v. 6. Ego vos ex Ægypto per desertum horridum deduxi in terram fertilem: cur ergo me spernitis? quarto, v. 10. Gentes non mutant suos deos falsos, cur tu mutas Deum verum? quinto, v. 12. Obstupescite, ait, cæli, quia Israel reliquit me fontem aquæ vivæ, et fodit sibi cisternas dissipatas; sexto, v. 14. Ob idololatriam datus es flammæ, et prædæ leonibus, id est Assyriis, ergo resipisce; septimo, v. 20. A sæculo confregisti iugum: hinc ab uno idolo in aliud, ab uno scelere in aliud dilapsus es; octavo, v. 21. Ego plantavi te vineam electam, quomodo facta es adulterina? nono, v. 24. Sicut onager ad onagram furit, ita tu ad idola; decimo, v. 25. Idola te ad nuditatem, sitim et pauperiem deducunt; undecimo, v. 27. Stulte, cur ligno dicis: Pater meus es tu? quod ab hostibus non liberabit te; duodecimo, v. 30. Prophetas, quos misi ut te revocarent, occidisti; decimo tertio, v. 32. Virgo non obliviscitur suæ fasciæ: tu oblivisceris Dei tui; decimo quarto, v. 33. Docuisti alios malitias tuas, et infantes tuos concremasti idolo Moloch; decimo quinto v. 36. Quam vilis facta es nimis! decimo sexto, v. 37. Adimam tibi omnem prosperitatem, omnesque spes tuas.

Locus mor de peccati malitia quintuplici. Ex hisce colligas peccatum varias continere malitias; sed maxime quinque: prima est, quod sit contra rectam rationem, seu dedecens naturam rationalem. Unde Seneca dicebat: *Etiamsi scirem homines ignoraturos, et Deum ignosciturum, tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem.*

Secunda, quod sit contra hanc vel illam virtutem in particulari, v. g. superbia contra humilitatem, etc. virtutes autem sunt bonum et perfectio hominis et Angeli.

Tertia, quod afficiat nos damnis temporalibus, v. g. infamia, morbo, pœna, etc.

Quarto, quod sit offensa et malum quoddam Dei, contrarium eius honori; peccator enim, relicto Creatore, adhæret creaturæ, v. g. fœminæ, vino, honori, eamque præfert Creatori, ideoque tacite et interpretative summum suum bonum in ea ponit, ac consequenter privat Deum sua quasi bonitate summa et divinitate: ita ut si Deus aliquo telo aut gladio perimi posset, non alio perimeretur quam peccato. Ut merito sancta quædam virgo moriens, dixerit: Discedo ex hoc mundo cum hac sola incapacitate, quod nequeam comprehendere quomodo creatura possit deliberate committere peccatum mortale contra suum Creatorem.

Quinta, quod privet nos vita eterna, et addicat ignibus et pœnis sempiternis.

Axiomata septem. Unde, secundo, colligas hæc axiomata de peccati malitia.

Primum, peccatum est fons et parens omnium malorum quæ sub sole sunt, fuerunt et erunt. Quis ex Angelo fecit dæmonem et Luciferum? peccatum. Quis Adam et homines paradiso et cælo eiecit in hanc vallem miseriarum? quis eos morti et inferno addixit? peccatum. Quis diluvium sub Noe toti orbi induxit? peccatum. Quis Pentapolim igne cælesti concremavit? peccatum.

Secundum, peccatum unum, etiam veniale, est maius malum, quam omnia mala pœnæ in unum collata. Illud enim est malum culpæ, hæc pœnæ; malum autem culpæ altioris est ordinis, quam omnia mala pœnæ.

Tertium, omnia cætera mala peccato collata, mala non sunt, sed bona; manant enim ex bono et virtute iustitiæ vindicativæ quæ per pœnam peccatum corrigit, et in ordinem reducit.

Peccatum est deicidium. Quartum, peccatum est deicidium; peccatum enim est unicum virus, unicus pugio, quo Deus opt. max. posset e medio tolli, si quid esset quod inexhaustum illud vitæ atque essentiæ pelagus e medio tollere posset.

Quintum, fuit consentaneum magis Dei Filium hominem fieri, et tam indigna pati, quam peccatum inultum relinqui. Quis Christum ita speciosum instar leprosi deformavit, flagellis concidit, spinis coronavit, crucifixit, oc-

Peccatum est christicidium.

cidit? peccatum. Peccatum ergo est christicidium.

Sextum, etiamsi omnes Angeli, boni et mali, omnisque creatura, atque adeo Creator ipse, in te coniurassent omnemque affligendi potentiam in te exprimere statuissent: nequaquam tantum tibi nocere etiam de absoluta Dei potentia possent, quantum ipse tibi noces dum unum peccatum, etiam veniale tantum, admittis.

Septimum, peccati malitia nullo bono creato compensari potest; adeo ut ne quidem ad convertendum totum mundum licitum sit vel unum peccatum veniale facere. Plane ut malitia eius non modo ineffabilis, sed etiam incomprehensibilis dicenda sit.

Merito ergo Martyres et Sancti usque ad mortem restiterunt peccato. Vide eorum dicta Hebr. 12. v. 4.

Denique aurea est gnome S. Aug. in Sententiis, sententia 159. *Unum est summum bonum; aliud autem summum malum:* hoc est peccatum, illud Deus. *Illud, propter quod appetenda sunt bona cætera, ipsum autem propter seipsum: hoc propter quod declinanda sunt mala cætera; ipsum autem propter seipsum.*

Vers. 2. VADE.) Ex Anathoth in Ierusalem, quam hic quasi sponsam et fœminam alloquor. Porro Ierusalem vocat incolas Ierusalem, metonymice.

RECORDATUS SUM TUI, MISERANS (cum miseratus sum) ADOLESCENTIAM TUAM.) Ita vocat primam ætatem patrum et Synagogæ, q. d. Recordor et reduco tibi in memoriam primam illam ætatem, qua ego Deus, non ob tuam pulchritudinem, sapientiam, opes, gratiam, meritum; sed mera misericordia, te pauperem et misellam, in Ægypto et deserto, in sponsam mihi assumpsi, eduxi, protexi et instar sponsaliorum et dotis, legis, tabernaculi et sacerdotii tibi ornamenta distribui, ut mihi eam fidem servares, quam sponsæ, maxime novellæ et adolescentulæ, servant suis maritis. Ita S. Hieron. et Theodor. Vere dixit B. Nazianz. *Israel æternæ providentiæ tulit primitias.*

Charitas desponsationis duplex.

ET CHARITATEM DESPONSATIONIS TUÆ.) Nota: *Charitas desponsationis* potest accipi tam charitas Dei qua Synagogam sibi desponsavit. Ita S. Hieron. Raban. S. Thom. Vatabl. quam charitas Synagogæ sponsæ, quæ tot allecta beneficiis, sponso Deo in amore, obedientia et obsequio mutuo respondit, cumque deperiit, ac per desertum secuta est. Ita Chald. Theodor. Hugo, Lyran. Dionys. a Castro, q. d. Recordare et vide quam utrimque suave fuit ac dulce primum connubium nostrum, quamque prior tu a primo amore recesseris. Hoc refricat ut efficacius et plenius sponsam vulneret. Posteriori sensui favet id quod sequitur: *Quando secuta es me in deserto;* et Septuag. qui vertunt, *recordatus sum dilectionis perfectionis tuæ:* sicut enim sponsæ in nuptiis omni pulchritudine et ornamentis perficiunt se et comunt, ut diligantur a sponsis: ita et Synagoga Iudæorum, initio, scilicet tempore Mosis, Aaronis, Iosue, etc. fide et cultu unius Dei ornata fuit et perfecta, ut mereretur diligi vicissim a Deo. Hinc Syrus vertit: *Recordatus sum tibi gratiæ* (beneficentiæ) *pueritiæ tuæ, charitatis patientiæ tuæ, quia ambulasti post me in deserto, et in terra quæ non seminatur;* et Arabicus: *Recordatus sum tibi, o Ierusalem, gratiæ adolescentiæ tuæ, et status tui in blanditiis, et dilexi tolerantiam tuam: quia tu secuta es me in deserto, ubi sanctificavi Israel, etc.*

Vers. 3. SANCTUS ISRAEL DOMINO, *sanctus* per gratiam et charitatem, ait Theodor. et Hugo. Secundo, et melius Hebr. *sanctitas fuit Israel Domino*, id est, Israel fuit quasi res sancta et dicata Domino, quæ non debet pollui, Exodi 19. Ita S. Hieron. S. Thom. Lyran. Vatablus. Rursum Israel fuit quasi PRIMITIÆ FRUGUM EIUS.) Scilicet Dei: id est, Israelitæ fuerunt quasi primitiæ ex omnibus nationibus, Dei cultui dicatæ, sicut primitiæ frugum Deo offerebantur et dicabantur; unde laicus qui eas comedebat, delinquebat eratque reus mortis, Levit. 22. 3. Sic et hostes Israelis, *qui cum,* utpote rem quasi Deo sacram, deprædantur et *devorant*, etiamsi Dei voluntate id faciant, *delinquunt*, et *mala,* Deo ultore, *venient super eos.* Ita Chal. et S. Hieronym. Porro cœpit Israel esse sanctus, et quasi primitiæ frugum Deo, iam inde a principio, cum per Mosen in de-

A serto Dei legem et cultum accepit, atque in huius rei signum iussus est primitias frugum dependere et offerre Deo. Id clare significat versio Arabica, quæ sic habet: *Ubi* (in deserto) *sanctificavi Israel, et adscripsi* (vindicavi) *illum mihi, et præcepi illi ut separaret in conspectu meo initium* (primitias) *frugum suarum. Et dixi, in eos qui volunt comedere bona eorum, adducam malum.* Sensus ergo est, q. d. Israel non est populus profanus ut cæteri, sed Deo consecratus; quare qui eum læserit aut in servitutem redegerit, sacrilegii reus erit, et ut sacrilegus punietur a Deo. Sic Assyrios qui vastarunt decem Tribus, Deus punivit per Medos, et Chaldæos qui vastarunt duas Tribus, punivit et evertit per Cyrum. Hinc pro Israele orat David dicens Ps. 73. 2. *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.*

AUDITE,) q. d. Vos, o Israelitæ, constituo iudices ut iudicetis an culpa huius divortii sit in me, an in vobis. Ita S. Chrysost. serm. 4. de Providentia. Vers. 4.

INIQUITATIS.) Id est primo, infidelitatis; secundo, crudelitatis, q. d. Qua in re male tractavi sponsam meam, scilicet vos, o Iudæi?

B

AMBULAVERUNT POST VANITATEM.) Id est post idola, quæ quia vani et falsi sunt dii, quos Deo vero opposuistis, hinc pariter vanos et falsos effecerunt vos cultores suos, æque ac cultum et religionem, imo superstitionem vestram. Ita S. Hieron. Chald. Theodor. Hugo, S. Thom. Lyranus. Potest tamen, secundo, hic omnis alia vanitas, quæ in quolibet est peccato, accipi; omne enim peccatum est amor rei vanæ. Vers. 5.

VANI FACTI SUNT.) Id est similes idolis suis facti sunt, sine ratione, sine sensu, sicut imprecatur eis David Ps. 113. v. 8. *Similes illis* (idolis) *fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis:* sic pariter quilibet peccator vanus fit et brutus, dum vanas et brutas sectatur voluptates. Peccatum, ait D. Thomas hic, dicitur *vanitas, primo, quia phantasticum est in eligendo, Psal.* 39. 5. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius; et non respexit in vanitates et insanias falsas; secundo, quia transitorium est in permanendo, Psal.* 77. 33. *Defecerunt in vanitate dies eorum; tertio, quia fallax est in exspectando*, *Eccli.* 34. 1. *Vana spes et mendacium viro insensato: et somnia extollunt imprudentes; quarto, quia infructuosum est in consequendo, ut recte usurpent illud Isaiæ* 49. 4. *In vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi.* Hucusque D. Thomas.

Peccatum est vanitas quadrupliciter.

C

NON DIXERUNT.) q. d. Non sunt recordati Dei ductoris sui per desertum in Chanaan, a quo tot malis erepti, et tot bonis cumulati sunt. Vers. 6.

PER TERRAM SITIS.) Per terram aridam, siticulosam, et quæ homines sitire facit: unde Septuag. vertunt, *per terram sine aqua.*

ET IMAGINEM MORTIS.) Theodor. Vatabl. et Pagninus vertunt, *umbram mortis*, tum quia in deserto non erat germen, non fructus, nil vitale, unde Septuag. vertunt, *infructuosam;* tum quia solitudo erat horrida, et periculis mortis, puta venenatis animalibus, scilicet scorpiis et serpentibus, plena, ut patet Deuter. 8. 15. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. Adde, tertio, hostes, qui in deserto hoc occurrerunt Israeli, ut eum perderent et delerent: ob hos enim desertum Hebræis fuit formidolosum, quasi umbra mortis.

D

INDUXI VOS IN TERRAM CARMELI.) Nota Hebræum *Carmel* aliquando esse nomen proprium, significans montem terræ sanctæ fertilissimum, et vini feracissimum, Iosue 19. 26. ubi Elias frequenter versabatur, 3. Reg. 18. 19. inde aliquando transferri ad similia, esseque nomen commune omnis agri fertilis et amœni; hinc *Carmelus* significat fertilitatem, et omnium rerum abundantiam, sive terram feracissimam, qualis erat Iudæa. Sic sumitur Isaiæ 29. 17. *Convertetur*, ait, *Libanus in Charmel.* Ita S. Hieron. et Vatablus. Carmelus ergo, æque ac Tempe et Hesperidum horti apud Poetas, fœcunditatis et deliciarum est symbolum. Vers. 7.

Carmelus in Script. significat terram fertilem.

Utroque modo hic *Carmelus* accipi potest: significat e-

*

nim Iudæam fertilissimam, vel nomine communi, vel proprio; scilicet ex monte fertili, intelligens totam Iudæam æque fertilem, per synecdochen ex parte significans totum. Tertio, Chaldæus subaudiendo *sicut*, vertit: *Induxi vos in terram Israel, quæ erat plantata sicut Carmelus.*

Nota: In Iudæa duo erant Carmeli montes, unus sterilis in sorte Ephraim, ubi habitabat Nabal; alter in tribu Aser, iuxta Ptolemaidem, fertilis, de quo hic agitur.

Et hæreditatem meam (terram, quam vobis dedi, puta Iudæam, quæ mea fuit quasi hæreditas; quia eam selegi ut in ea colerer, haberemque templum) posuistis in abominationem.) Puta in idolium, id est, in domum et templum idolorum. Ita Chaldæus.

Vers. 8. Sacerdotes: non tantum plebs imperita, quam ignorantia aliquo modo excusare poterat, sed sacerdotes etiam et legisperiti, quin etiam pastores, id est reges et principes, ait Chald. Theodor. Hugo, S. Thom. Lyran. Prævaricati sunt in me.) Ita vixerunt ac si me non cognovissent.

B Prophetæ prophetaverunt in Baal.) Ex Baal, q. d. Oracula et futura sciscitati sunt, non ex me, sed ex idolo et dæmone Baal, eaque pro veris prophetiis venditarunt.

Vers. 9. Iudicio contendam vobiscum.) In eoque vos transgressores convincam, ait Theod. Patet ex sequenti.

Vers. 10. Transite ad insulas Cethim.) *Cethim* urbs erat in

Cethim quid? Cypro; unde Zeno, princeps Stoicorum oriundus, dictus est Citicus, inde Cyprus, aliæque insulæ, Italia etiam, ut patet Numer. 24. v. 24. et Græcia 1. Machab. 1. 1. dictæ sunt *Cethim*. Hebræi enim populos a se mari Mediterraneo discretos, *Insulanos* vocabant, quod ad se in continente habitantes navibus accederent, uti Itali omnes trans Alpes morantes, vocant *Tramontanos*. Ita S. Hieronym. Theodor. et Ioseph. 1. Antiq. 11. Addit Theod. in 27. Ezech. ex Iosepho 1. Antiq. 6. quod Cethim filius Iavan, filii Iaphet, filii Noe, primus occupaverit Cyprum, indeque Cyprum vocatum esse Cethim.

Cedar. C Cedar.) Regio est Arabiæ, dicta a Cedar secundo Ismaelis filio, Gen. 25. 13. Ita S. Hieron. Rabanus, Hugo et Vatabl. Verum Theodor. per *Cedar* omnes Orientales accipit, sicut per *Cethim* Occidentales, q. d. Durius et iniquius me tractatis, quam gentes quævis, licet barbaræ, idola sua tractent.

Vers. 11. Certe ipsi non sunt dii.) q. d. Studiosiores fuerunt omnes gentes in retinendis colendisque diis falsis, quam vos in Deo vero.

Mutavit gloriam suam in idolum.) *Gloriam* vocat Dei veri cultum, quo gloriosus erat Israel: hunc ipse transtulit in idolum. Ita Chald. Secundo et aptius, *gloriam* vocat Deum gloriosum; ipse enim est Israelis, imo totius mundi gloria, in eoque solo gloriandum est cum Davide Psal. 3. 4. *Tu, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.* Hinc et Apostolus huc alludens ait Rom. 1. 23. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, quia videlicet gloriosam maiestatem, titulos et honores divinitatis Deo vero eripuerunt, et in idolum transtulerunt. Ita Hugo, Lyran. Dionys. et Vatablus.

Vers. 12 Obstupescite, cæli, super hoc.) Portento malitiæ, quod iam dicturus sum.

Portæ eius.) Iam Hebræa habent, שערו *saaru*, id est, inhorrescite. Ita Sept. Noster legit per *scin*, שערו *sciaaro*, id est, *portæ eius*, id est eorum, puta cælorum, de quibus præcessit. Cælum enim nunc singulariter, nunc pluraliter nuncupamus: idemque sunt cæli quod cælum.

Desolamini.) Id est, more desolatorum mœstitiam indicatæ, præ stupore et horrore tantæ impietatis Israel, ciete pluvias, quasi lacrymas; fulgura et tempestates excitate, quasi indices doloris, et vindices iniuriæ Creatoris vestri. Ita S. Hier. Vatabl. Lyran. et Maldon. qui addit: *Desolamini*, ait, id est, *rumpimini fulguribus, in signum iræ Dei.* Est prosopopœia ad pathos, similis est Isaiæ 1. v. 2. et Deut. 4. 26.

Nota: Pro *desolamini*, hebr. est חרבו *charebu*, id est,

A exarescite, ut vertit Leo Hebræus. Desolatio ergo hæc non est ea quæ directe opponitur consolationi, ac tristitiam et mœrorem significat; sed est ea quæ opponitur copiæ et multitudini. Desolari enim idem est quod solum relinqui, ad solitudinem redigi, destrui, vastari. Sic enim dicimus desolari agros, urbes, regna cum ab hoste vastantur. Sic Plin. lib. 10. cap. 12. de bubone ait: *Deserta incolit, nec tantum desolata, sed etiam dira et inaccessa.* Desolare ergo non est idem quod solo æquare; non enim a *solo* substantive sumpto, quod terram significat, deducitur: sic enim *solum* primam habet brevem, cum illa in *desolor* sit longa: sed a *solo* adiective sumpto, idemque est quod solum effici, destitui, privari sua copia et gloria: inde tamen sequitur desolatio consolationi opposita, id est, mœror et luctus; ex quo rursum sequuntur lacrymæ, gemitus, etc.

Est ergo metalepsis: ex desolatione enim et ariditate tristitiam, ex tristitia lacrymas intelligit, q. d. Vos, o cæli, cælorumque portæ, id est, cardines, aut extima superficies, per quam quasi per portas, cælorum vis et influxus in terras egreditur, obstupescite et inhorrescite ad tantam terrigenarum malitiam et ingratitudinem, ut præ stupore quasi attoniti contremiscere, et e cardinibus convelli ac concuti videamini. Rursum lugete et plorate, ciendo pluvias, fulgura et tonitrua, ut præ luctu et dolore desolari, id est, tabescere, exarescere et evanescere videamini: ipsi enim me desolarunt, id est solum reliquerunt, cum eis sim fons aquæ vivæ, euntes ad cisternas dissipatas. Quocirca iuste eis repensum est ut leones ponerent terram eorum in solitudinem: unde *civitates exustæ sunt, et non est qui habitet in eis*, ut sequitur v. 15. Hanc ergo tam meam, quam terræ desolationem, vestra desolatione repræsentate, et duris terrigenis in os et faciem ingerite, si forte aperiant oculos, conterantur et resipiscant. Hinc pro *desolamini*, Syrus vertit, *contremiscite;* Arabicus, *pavore dissolvimini.*

Aliter Sanchez: ipse enim desolari censet idem esse quod solo æquari; et per portas cæli, accipit ortum et occasum; aut solem, lunam et stellas. His dicitur, *desolamini*, id est, splendorem et speciem vestri subducite, ut non appareatis, et periisse videamini.

Aliter quoque Theodor. Hugo, S. Thom. Lyran. Cæli, inquiunt, id est, Angeli, in cælis obstupescite; et portæ, id est, Angeli principes, et quasi iudices aliorum, ait S. Thomas, desolamini.

Duo enim mala, contraria duobus bonis, quæ illis præ- Vers. 13.
ceperam, ut declinarent a malo, et facerent bonum, Ps. 36. 27. fecit populus meus. Primum: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.) *Vivæ*, id est, perpetuo fluentis, vitalis, vitam dantis. Arabicus vertit: *Fui illis fons aquæ dulcis et laudabilis*, omni vitio carentis. Hic ergo fons perennis aquæ, id est, gratiæ et bonorum omnium, est Deus, Psal. 25. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ.*

Viderunt idipsum Gentiles; unde Trismegist. dialog. 7. *Respicite*, ait, *o mortales, et resipiscite, et ad fontem vitæ recurrite.* Et Alcinous lib. de Doctrina Platonis: *Nostrum*

D *bonum*, inquit, *si quis Platonis libros accurate legerit, in ipsa primi boni contemplatione posuisse reperiet: quod quidem primum bonum, et Deum, et primam mentem vocare licet.* Hoc Prophetæ adagium pulchris similibus parabolis explicat S. Ephrem tract. de Divina gratia, tom 1. *Qui*, inquit, *fontem habent, gutta non indigent. Lacte non egent, qui gregem pascunt. Qui panem frangunt, micis opus non habent. Qui mel conficiunt, eos mellis saporem explorare non est necesse. Qui margaritam habent, de obolo acquirendo non laborant.*

Secundum: Foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas.) Syrus vertit, *conquassatas;* Arabicus: *scissas, in quibus non congregatur aqua, neque durat*, id est permanet. Hæ cisternæ, ait S. Hieron. et Theodor. sunt idola; primo, quia nullam habent divinitatem aut potentiam, nisi quæ eis infertur ab humana ignorantia.

Secundo, sicut cisterna ex aquis turbidis completur, ita quod idola, quod dæmones dant, turbidum est.

Tertio, idola sunt cisternæ fractæ, rimosæ, male conglutinatæ, quæ aquam non continent, quia ab eis nihil quod sitim animæ levet, exspectandum est. Rursum cisternæ dissipatæ sunt Gentes idololatræ, puta Ægyptii et Assyrii, a quibus alternatim bellis pressi opem petebant Iudæi. Id patet ex v. 18.

Peccator fodit cisternas dissipatas. Tropologice omnis peccator, relicto fonte, quærit cisternas, quia in omni peccato, est primo, aversio a Deo, bono increato et immenso; atque conversio ad bonum caducum, fragile, exile, turbidum; secundo, est contemptus Dei, præ honore et amore creaturæ; tertio, peccator peccando, quasi titulum et esse finis ultimi Dei adimit, eumque et spes suas omnes quasi transfert in creaturam. Nonne hæc est summa contumelia Dei? summa stoliditas et insania peccatoris? dicit enim et verbis et factis illud, quod fatuus ille avarus apud Nazianzenum tractat. de Fortuna et prudentia: *Gutta bonæ sortis* (fortunæ) *mihi potior est mentis* (prudentiæ) *cado.* Quod apte refutat et retorquet prudens, dicens: *Gutta bonæ mentis mihi potior est bonæ sortis cado.* Peccator enim glebam terræ toti cælo, creaturam Creatori, momentum æternitati stulte præfert et anteponit. Contrarium faciunt prudentes et Sancti.

Hinc primo, hoc adagium recte adaptatur hæreticis: hi enim purum doctrinæ fidei in Ecclesia fontem deserunt, et fodiunt sibi cisternas cœnosas falsorum dogmatum. Ita S. Irenæus lib. 3. c. 40. S. Cyprian. epist. 70. et S. Athanasius serm. contra omnes hæreses.

Secundo, B. Petrus Damiani citatus in Allegoriis Tilmanni idipsum adaptat Monachis loquacibus, qui relictis Dei laudibus, piisque sermonibus, quasi fonte vitali, ora sua faciunt cisternas, ex quibus non novi, sed veteris hominis verba futilia proferunt, easque dissipatas, quia labia sua moderata discretione nesciunt cohibere.

Tertio, Hugo: Avarus, ait, est cisterna vetus et rimosa, quæ numquam aquis, id est, opibus, impleri potest. Secundo, est clericus, qui relicto studio sacræ Scripturæ, vanis scientiis dat operam. Tertio, est Religiosus, qui in tentatione quærit humana solatia futilia, nec poscit a Deo vera et solida. *Hoc autem fit*, ait, *quando in tentationibus oratio fastiditur, et pro iisdem mitigandis, iocosis et inutilibus verbis vacatur.*

Denique S. August. in Sententiis, sent. 289. *Quantum*, ait, *et quale bonum sit Deus, etiam ex hoc evidenter ostenditur, quod nulli a Deo recedenti bene est: quia et qui gaudent in mortiferis voluptatibus, sine doloris timore esse non possunt. Et qui omnino malum desertionis suæ maiore superbiæ tumore non sentiunt, aliis qui hoc noverunt discernere, quanta sit miseria, apparet.* Quia ergo in solo Deo est omnis vera delectatio, hinc peccator eo se privans, sentit omnem amaritudinem: quia relicto fonte vitæ, velit nolit, adhæret fonti mortis et omnium malorum.

Vers 14. NUMQUID SERVUS.) Sunt verba non Hierosolymæ de sua sorte querentis, ut vult Vatablus; sed Dei, q. d. Israel est primogenitus Abrahæ, et Dei filius, Exodi 4. v. 22. non servus, id est mancipium emptitium, aut vernaculus, id est servus ex serva domi natus: cur ergo leonibus, id est, Sennacherib, Assyriis et Ægyptiis, ac tropologice, diabolis, datus est in prædam? q. d. Non provenit hoc ex servili eius conditione, non ex crudelitate domini, sed ex peccato, quia Deum offendit, uti respondet v. 17. *Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum?* et v. 19. *Arguet te malitia tua.*

FACTUS EST IN PRÆDAM.) S. Hieron. Chald. Rabanus, Hugo hæc exponunt de futura vastatione per Chaldæos et Ægyptios, qui reliquias Iudæorum afflixerunt. Secundo et planius, Theod. Hugo, Lyran. Dionys. hæc accipiunt de præterita Iudæorum clade, accepta a Sennacherib, Assyriis et Ægyptiis, q. d. Noli, o Israel, Deo tuo relicto, sperare et confugere, ut soles, ad Assyrios et Ægyptios, quia hi quasi leones te laniarunt et vastarunt.

Vers 15. SUPER EUM (contra eum) RUGIERUNT LEONES.) Id est Assyrii et Ægyptii inhiarunt ei, tamquam leones rugientes in eius prædam et lanienam.

Vers. 16. FILII QUOQUE MEMPHEOS ET TAPHNES, id est, Ægy-A ptii (*Memphis* enim urbs est Ægypti, quæ nunc Cayrus dicitur; sic *Taphnes* vel Tanes regia erat Pharaonum) CONSTUPRAVERUNT TE USQUE AD VERTICEM.) Id est totum te imbuerunt cultu idolorum, quod est spirituale stuprum et fornicatio, itaque vocatur a Prophetis; ita ut a planta pedis usque ad verticem, non sit in te sanitas. Sic v. 20. idololatras vocat meretrices. Ita S. Hier. et Raban. Hæc referenda sunt ad v. 13.

Aliter S. Thomas: stuprum enim proprie accipit, q. d. Assyrii et Ægyptii, quasi domini et victores, obscœne Iudæis tam pueris quam puellis abusi sunt. Aliter Hugo, Dionys. Maldon. et Sanchez: per stuprum enim accipiunt servitutem, oppressionem, omnemque calamitatem, quam Assyrii et Ægyptii Iudæis subactis irrogabant. Hic sensus sequitur ex primo, eumque perficit et adimplet: quia enim Iudæi sponte culpæ Assyriorum et Ægyptiorum, hinc et pœnæ ac vexationi, sed inviti succubuerunt. Unde pro *constupraverunt te*, hebr. est ירעוך *iruch*, id est paverunt te, hoc est rexerunt te, imperarunt tibi. Sic enim v. 8. reB ges vocavit *pastores*. Verum Noster, Septuag. Chald. et alii, aliis punctis legerunt ירעוך *ierouch*, id est malefecerunt tibi, id est constupraverunt te: loquitur enim de Israele quasi de virgine, cuius summum malum est stuprum: unde Septuag. vertunt, κατέπαιξόν σου, illuserunt tibi. Forte etiam pro *iod* legerunt *caph*, scilicet pro *ierouch* כרעוך *careuch*, id est curvaverunt te, prostraverunt te, scilicet ad stuprandum. Denique alii vertunt prophetice, *malefacient*, id est conterent, confringent, conquassabunt tibi caput et verticem, id est Iosiam regem tuum cum populo trucidabunt. Ita Hugo Lyran. Dionys. Unde Chal. vertit: *Occident fortes tuos, et diripient facultates tuas.*

Vide hic, qualem quamque vilem se faciat meretrix, et mulier aliis compta: nimirum foris est splendida, intus stupris sordida et putida: foris est Helena, intus Hecuba: foris pappus et pompa, intus nuda, inanis et chaos: foris dea, intus cloaca. Tropol. talem se facit anima dum peccat, ac relicto creatore fornicatur cum creaturis, niC mirum facit se sepulcrum dealbatum. Hic verum est vetus dictum; *Ubi uber, ibi tuber: ubi mel, ibi fel: ubi montes, ibi valles: ubi aurum, ibi aurugo et scoria.*

DERELIQUISTI DOMINUM DEUM TUUM EO TEMPORE, QUO DUCEBAT TE PER VIAM.) Scilicet deserti, duce columna ignis et nubis. *Dereliquisti*, quia in Sina fecisti et adorasti vitulum aureum. Ita Theodoret. Hugo, Lyranus, q. d. Quia noluisti Deum sequi, dum te per viam planam et facilem duceret, permisit te deerrare per vias difficiles: quia noluisti uti rebus prosperis sequens Deum, permisit te adversas experiri idola sequentem, ait Maldonatus. Vers 17.

Secundo, S. Hieron. Chald. Raban. Hugo, Vatabl. per *viam*, intelligunt viam mandatorum Domini, puta vitam sanctam, quam eis suis concionibus et prophetiis ostendebat Ieremias, q. d. Dereliquisti viam rectam in cælum, quam tibi Deus per legem suam, et per conciones Ieremiæ commonstrabat.

QUID TIBI VIS IN VIA ÆGYPTI, quorsum is et fugis in Vers. 18.
D Ægyptum? ET QUID TIBI CUM VIA ASSYRIORUM?) Quorsum vadis in Assyriam? Solebant enim ait S. Hieron. Iudæi ab Ægyptiis oppressi, confugere ad Assyrios, et ab Assyriis pressi, confugere ad Ægyptios.

UT BIBAS AQUAM TURBIDAM.) Nili, qui quia limosus est, et oblimans Ægyptum, hinc hebr. שיחור *sciehor*, græce μέλας, id est niger, dicitur: hinc vocatur turbidus. Septuag. vertunt, *Geon:* Nilus enim dicitur *Geon*, hebr. Geon est Nilus. גיחון *ghichon* a rad. גוח *guach*, id est pectus, quod suo quasi ventre et pectore incubet Ægypto, cum exundat, itaque eam fœcundet. Sic *aqua fluminis* Assyriorum est Euphrates, q. d. Cur vadis frustra, ut petas auxilium ab Ægyptiis et Assyriis, ut relicto Deo fonte perenni quem domi habes, mendices aquas eorum turbidas et deficientes, id est opem Ægyptiorum et Assyriorum, qui tibi opitulari non poterunt, sed mille turbis et cladibus te involvunt? Ita passim interpretes.

Rursum in Nilo sunt crocodili exitiales, qui sunt symbolum impudentiæ, de quo Clemens Alexandr. l. 5. Stro-

mat. *Diospoli*, ait, *quæ est urbs Ægypti, expressus est puellus signum generationis: senex vero, interitus: et rursum Dei symbolum accipiter, ut piscis symbolum odii, crocodilus impudentiæ. Videtur ergo universum hoc symbolum simul positum hoc significare: O qui nascimini et interitis, Deus odio impudentiam habet*: quam Israeli fugienti ad Ægyptios eorumque deos, exprobrat hic Deus v. 16. et 20. Solus Hugo sic explicat, q. d. Cur peccata committis, quæ te cogunt duci captivum in Ægyptum, vel ad Assyrios? Sic fere Chald.

Vers. 19. Arguet te malitia tua.) Hebr. תיסרך *teiasscrech, castigabit te*, id est, causa erit ut castigeris: ex quo disces, quam malum et amarum sit Deum tuum reliquisse.

Aversio tua (a Deo) increpabit te.) Idem dicit aliis verbis, more Hebræo.

Vers. 20. A sæculo, ab olim, ab antiquis temporibus, confregisti iugum meum.) Legis meæ. Septuag. vertunt: *Iugum tuum, vincula tua*: quia lex, sicut erat iugum Dei, imponentis illud cervicibus populi: ita erat et populi, illud portantis.

Secundo et aptius, per *iugum* accipe coniugium, q. d. Violasti coniugale fœdus, quo mihi fueras copulata: loquitur enim de Israele quasi de coniuge sua Deus, ut patet v. 2. Ita Maldon. Maritus enim ac præsertim Deus, est dominus uxoris suæ, eamque legibus et vinculis quibus vult, astringere pro imperio potest: unde Synagoga ita erat uxor, ut tamen esset et serva Dei. Hebr. est: *A sæculo fregi iugum tuum, dirupi vincula tua*: tamquam sint verba Dei, q. d. Ego Deus vincula Ægyptiacæ servitutis dirupi de collo tuo, o Israel. Sed noster Interpres hæc verba accipit per mimesim, quasi sint verba populi, de quo sequitur: *Et dixisti: Non serviam*, q. d. Sicut *dixisti*, *Non serviam*, scilicet Domino et marito meo, puta Deo, inquit S. Hieron. ita pariter gloriando et iactando dixisti, Fregi iugum tuum, et vincula tua, quibus me tibi, o Domine, astrinxeras; puta iugum connubii et consequenter iugum legis tuæ. Deus enim cum Israele connubium iniit hac conditione et pacto, ut Israel legem Dei servaret, Deus vicissim Israelem aleret et protegeret. Vere S. Augustin. sententia 381. *Quid tam dignum misericordia quam miser? quid tam indignum misericordia, quam superbus miser?*

Rupisti vincula.) Quasi iuvenculus aut bos indomitus, qui sagitta ictus recalcitrat, aut potius quasi vacca amore furens in taurum, quæ iugum a cervice excutit fractis vinculis, et ad amasium suum procurrit: ita enim et tu ruptis vinculis connubii et legis meæ, ad idola, quasi ad adulteros insane procurristi.

In omni enim colle.) Meretricium vocat idololatriam: solebant enim idololatræ in collibus et sylvis sub arboribus, idolis suis immolare Quinimo subinde ipsos montes excelsos pro diis habebant et colebant, uti Macedones fecisse testatur Maximus Tyrius serm. 38. Et hodie in Peru sunt Indi, qui quemcumque montem, si paulo sublimior et speciosior sit, Deum existiment. Audi Virgilium de monte in quo fuit Capitolium, l. 8. Æneid.

Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
(Quis Deus, incertum est) habitat Deus, Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iovem.

Quin et arbores diis sacras esse voluerunt. Hinc Virgil. eclog. 7.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Sic et fontes ac flumina quasi deos coluerunt. Vide dicta Isaiæ 42. v. 15. Atque inde a Virgilio et Poetis vocantur *sacri fontes*.

Prosternebaris.) Hebr. est צעה *tsoa*, id est vagabaris; Pagn. *discurrebas;* Septuag. *diffundebaris*, q. d. Discurrebas ex una arbore in aliam, ex una sylva in aliam, ex uno idolo in aliud, ut meretrices ab uno amasio ad alium discurrunt.

Vers. 21. Plantavi te vineam electam.) Hebræum שרק *soree*, significat speciem vitis optimæ, de qua Isaiæ 5. v. 2.

Omne semen verum.) Hebr. *cuius omne semen verum erat. Semen* vocat palmites, ex quibus quasi ex radice et

A semine, vites et uvæ succrescunt: vites enim raro per semen, sæpius per palmites seruntur et plantantur: hi ergo palmites sunt instar seminis, vocanturque semen verum, id est genuinum non adulterinum, q. d. Deus te, o Israel, quasi vineam electam, id est, quasi Ecclesiam suam plantavit, seminans in te probum et germanum eius semen, scilicet veræ fidei et religionis, in sanctis patriarchis Abraham, Isaac, Iacob, Mose, Iosue, etc. Ps. 79. 9. ait S. Thom. Hugo, Lyran. *Quomodo ergo nunc conversa es mihi in pravum?* id est, ut Vatablus, in palmites degeneres vitis alienæ, quæ scilicet a sua natura, nativoque succo et probitate degeneravit, uvasque non veras, cultas et suaves; sed falsas et adulterinas, scilicet baccas agrestes, amaras et acerbas, infidelitatis, apostasiæ, aliorumque scelerum profert. In Hebræo pulchra est paronomasia: vitis *soree* versa est סורי in *sure*, id est in pravam; perinde ac si Flandrice dicas, *Ghy soete dzuyue, hoe zut ghy in eene suere berandert!*

Secundo et aptius, *semen verum*, vocat semen perfe-
B ctum, id est optimarum vitium propagines. Erat enim hæc vinea electa, uti præcessit. Recte enim advertit Alcazar in cap. 3. Apocal. v. 7. sæpe in Scriptura verum non opponi falso, sed imperfecto, ut Eccli. c. 25. 12. *Beatus, qui invenit amicum verum;* Ioan. cap. 1. 9. *Erat lux vera;* et cap. 4. v. 23. *Veri adoratores;* cap. 6. 32. *Panem de cælo verum;* c. 15. 1. *Ego sum vitis vera;* 1. Timoth. c. 6. 19. *Ut apprehendat veram vitam;* 1. Petri 5. 12. *Hanc esse veram gratiam Dei;* 1. Ioan. c. 2. 8. *Verum lumen iam lucet.* Sic verum Religiosum dicimus, qui perfectus est, uti Christus Ioan. c. 1. v. 47. dixit: *Ecce, vere Israelita.* Verum pro perfecto ponitur.

Si laveris te nitro.) *Nitrum*, ait Plinius l. 31. 10. Vers. 22.
non multum a sale distat, sordes erodit et expurgat: inde hebr. dicitur נתר *neter*, eo quod maculas vestium et corporum removeat. Hinc nitrum esse salis speciem multi censent, licet alii alumen esse velint. Sicut enim salem in littore maris fervor conficit solis, durando in petram aquas marinas: ita in Nitria (unde nitrum dictum esse multi
C contendunt) ubi æstate pluviæ prolixiores tellurem infundunt, ardor nimius aquas excoquit in petram salis simillimam, sed nihil gelidi rigoris, nihil salsi saporis habentem; quæ tamen iuxta naturam salis durare in caliditate, et nubiloso aere liquescere et fluere solet.

Hodie nitrum non habemus: sed eius loco utuntur nostri pharmacopolæ sale petræ quem vocant. Porro mulieres nitoris studiosissimas, solere uti ad id nitro docet Isidor. l. 16. Etymol. c. 2. et Athanas. lib. de Virginit. sub medium, ubi eas ab his lautitiis avocat, iubetque ut pura aqua se lavent. Quin et nitro tubera abradi docet Ovidius lib. de Medicam. faciei: item pustulas ac nævos, docet ex Drogone Hostiensi Delrio adagio 819.

Et, etc. Borith.) *Borith*, est herba fullonum, qua scilicet ipsi pannorum sordes abluunt et purgant; eamdem enim vim habet cum nitro, ait S. Hieron. *Borith* enim descendit a בור *bur*, id est depuravit; inde בר *bar*, id est purus, electus; item *bar*, id est far, frumentum a paleis expurgatum. Syrus et Arabicus pro *borith*, vertunt, *sul-* Borith quid?
D *phur*, quod valide sordes expurgat: eas enim cum materia cui inhærent, exurit.

Maculata es (hebr. נכתם *nichtam*, id est insignita es) in iniquitate tua.) q. d. Emblematis et figuris tuorum scelerum respersa es, impressa in te remanent peccatorum vestigia, velut expressæ historiæ alicuius imagines; nam, ut dicitur in c. 17. v. 1. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, etc. super latitudinem cordis eorum*, q. d. Ita maculata es in anima coram Deo, ita maculas imbibisti, ut nullo nitro, sapone, aut borith emaculari et purificari possis. Quocirca ex hoc loco recte docent Theologi, quod actus peccati transiens post se relinquat maculam habitualem in anima, quæ formaliter eam peccatricem, Deoque exosam et abominabilem constituat, de qua dicitur Iosue 22. 17. *Peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet;* et de Salomone: *Dedisti maculam in gloria tua*, Eccli. 47. v. 22. et de Ecclesia: *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ec-*

clesiam, *non habentem maculam, aut rugam*, Ephes. c. 5. v. 27. Vide D. Thom. et Schol. 1. 2. q. 86.

Symbolice, per *nitrum* et *borith*, notat lustrationes legales, baptismata et sacrificia, quibus omnia peccata expiari putabant Iudæi, sed falso; illa enim corpus, non animam purificabant. Ita Theod. Hugo, et Lyranus. Maldon. vero per *nitrum* et *borith*, accipit humanas excusationes, q. d. Quidquid dicas, quidquid te excuses, dicens v. sequenti: *Non sum polluta*, non poteris te apud me iustificare.

Nitrum est pœnitentia. Tropolog. Christianorum spirituale nitrum et herba fullonis, est pœnitentia, quæ non corpus, sed animam purificat. Ita S. Hieron. Rursum animæ nitrum est morbus, paupertas, calumnia, et quævis tribulatio. Quocirca in Vitis Patrum de magno illo Abbate S. Ioanne legimus, quod, cum quidam monachus gravi febri æstuans, ab eo sibi a Deo sanitatem impetrari postulasset, responderit: *Rem tibi necessariam cupis abiicere: ut enim corpora nitro abluuntur a sordibus, ita animæ languoribus, aliisque huiusmodi castigationibus purificantur.*

Vers. 23. Vide vias tuas in convalle.) q. d. Respice gehennam, id est convallem filiorum Ennom, ait S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. quæ Siloe fontibus irrigatur, in qua filios idolo Moloch concremabas; ibi videbis tuas sordes idololatriæ testes, et monumenta tuæ impietatis. Unde Septuag. pro *in convalle* vertunt ἐν τῷ πολυανδρίῳ, id est, in sepulcro multitudinis, id est, multorum infantium: sic infernus est πολυανδριον, id est, sepulcrum multitudinis hominum.

Scito quid feceris: cursor levis. Hebr. בכרה *bichra*, significat animal velox, huc illucque discurrens (unde Aquila, Symmach. et Theodor. vertunt, δρομεὺς κοῦφη) per quod Chaldæus hic camelum fœminam seu dromedariam, quæ cum sit celerrima, dum agitur æstu libidinis, quaquaversum procurrit, donec mares camelos inveniat, cum quibus suam libidinem expleat, intelligit; Vatablus, camelopardalim; S. Hieron. capream. Cursor ergo levis, est caprea, aut potius camela velox, q. d. Sicut caprea, aut camela, velox fertur ad pabula, aut potius ad mares, dum œstro libidinis furit, ideoque huc illucque cursitat, explicans vias suas.) Hebr. *gyrans* aut circumiens *vias suas:* sic tu, o Israel, ad varia idola huc illucque vagata es, et magno impetu petulanter discurristi. Explicat quod v. 20. hebr. dixerat, *vagabaris ut meretrix*, eiusque mores hic depingit; uti Salomon Proverb. c. 7. v. 11. *Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.*

Vers. 24 Onager assuetus in solitudine.) Comparavit Israel capreæ, nunc comparat onagro, id est asino sylvestri, q. d. Sicut onager mas vel fœmina, animal sylvestre, est salacissimum, efferum ac velocissimum, teste Plinio, Oppiano, Æliano et aliis, quod *in desiderio animæ suæ*, scilicet cum æstuat, *attrahit ventum*, et auram quam maxime amat; aut potius cum libidine incenditur, summa montium conscendit, teste Oppiano, ad odorandam et captandam auram fœminæ quam amat, et in eam totus fertur, ut nullus eum avertere possit, adeo ut in rabiem, et proprii pulli perniciem agatur: sic Israel olfecit, ubicumque idolum aliquod esset, ac toto impetu, ut nullis monitis aut minis averti posset, ad libidinem idololatriæ ferebatur. Ita S. Hieron.

Nota: Pro *ventum amoris*, hebraice est *spiritum occasionis*, vel *impulsionis*, vel *coarctationis*, id est libidinis suæ: radix enim אנה *ana*, significat aliqua gravi causa affici aut impelli.

Secundo, Hebr. פרה *pere*, significat onagrum marem et fœminam, de utroque hic potest accipi: unde in Hebræo participium *assuetus* masculus est, et onager magis furit ad onagram, quam onagra ad onagrum; affixa tamen omnia sunt fœminina; et sequentia, scilicet menstrua, fœminæ conveniunt, non mari. Tam ergo de onagra, quam de onagro loquitur, q. d. O uxor adultera, furens quasi onagra, currensque ad amasios per saltus et nemora, quo properas? quo te is perditum? quis te agit æstus? lacerasti pallam meam auro textam inter vepres et sylvas, calceos attrivisti hyacinthinos, pedes nudos cruentasti, et adhuc curris anhela et sitibunda? ego maritus te insequor, redi ad me.

Moraliter disce hic, quam cupiditas et voluptas brutum, cæcum et vesanum faciat hominem, ut instar onagri et equi rapiatur ad suas turpes illecebras et amasias. Vere dixit Plutar. *Voluptas est malorum esca.* Et Cicero: *Blandissimæ dominæ sunt voluptates,* quæ scilicet facillime sibi hominem obsequentem faciunt. Cato apud Cicero libr. de Senectute: *Accipite*, ait, *optimi adolescentes, veterem orationem Architæ Tarentini. Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat a natura datam, cuius voluptatis avidæ libidines temere et effrænate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpubl. eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat; nullumque scelus aut facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret.* Moral. quam bruta et vesana sit cupiditas. Antisthenes apud Laert. lib. 6. c. 1. dicebat, *se malle insanire quam affici voluptate. Insaniam enim aufert medicus: voluptas, cum mentem eripiat homini, vix sanabile malum est.* Socrates apud Platonem in Phædone ait: *Voluptas quasi clavum tenens, animum corpori coniungit atque affigit, efficitque ut infectus corporea specie, ea putet esse vera quæ suadet corpus.* Plato ipse voluptatem a natura deorum sequestratam esse dicebat. Democritus voluptati deditos morbo comitiali correptis comparabat. Nyssenus hom. 2. in Ecclesiasten, ostendit Salomonem de voluptate, quam ex variis rebus studiose captaverat, pronuntiare, eam esse vanitatem vanitatum, meramque hominum deceptionem. Poetæ voluptates significarunt Circes poculo et Sirenum canto, quæ blande homines alliciebant, et mox enecabant. Euripides in Hecuba Venerem amentiæ præfectam esse dicit. Nota sunt exempla Samsonis depereuntis Dalilam, Salomonis concubinas, Davidis Bethsabee. Hæc Herculi Iovis filio, virtute omnes excedenti, et cælis destinato clavam (quam nec leo, nec hydra, nec Cerberus ei eripere potuerant) extorsit, ac pro ea pensum et fusum digitis eius aptavit, cum consuetudinem Ioles sequeretur. Voluptas Romana Annibalem victorem effecit, quia vires et virtutem Romanorum enervavit, inquit Livius decad. 3. l. 3. Claudius Cæsar, teste Svetonio in eius Vita, ventri et voluptatibus deditus, in tantam mentis stupiditatem et oblivionem devenit, ut occisa Messalina paulo post mensæ assidens quæreret, cur domina non veniret; atque multos ex his quos capite damnaverat, postero die in concilium et ad aleæ lusum invitaret.

Modum voluptates superandi dat Aristot. 2. Ethic. cap. ult. ut circa voluptates nos geramus sicut Troiani proceres circa Helenam, qui eam dimittendam censebant, ne belli damna et excidium incurrerent. Et Epictetus c. 56. *Si voluptatis*, inquit, *alicuius imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis: sed et rem examina, et tibi ipsi præbe deliberandi spatium: deinde utriusque temporis memento, tum eius quo voluptate perfrueris, tum eius quo percepta iam voluptate dolebis, teque ipse obiurgabis. Atque his illa confer: si abstinueris, fore ut gaudeas, teque ipse collaudes. Quod si tibi suscipiendæ rei videbitur esse tempus, cave ne te vincant eius blanditiæ, et suavitatis illecebræ; sed illud oppone, quanto præstantior sit talis victoriæ conscientia.* Et Horatius:

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Demosthenes cum Laidis oraret noctem, illaque ingentem peteret mercedem, ad se rediens, inquit: *Ego tanti pœnitere non emo.*

Secundus modus est, si obfirmes animum ut resistat voluptati, cogitando eam esse tuum mortiferum hostem, omniumque malorum causam. Itaque severe tibi ipsi imperes, ne hosti tuo blande irrepenti cedas, sed ei constanter obsistas, ut ratio suum dominatum retineat, nec se subdat quasi mancipium cupiditati. Agesilaus rogatus, *quid Spartæ contulissent leges Lycurgi?* respondit: *Contemnere voluptates.* Testis est Plutarchus in Lacon. Vere Virgilius lib. 9. Æneid.

Sua cuique Deus fit dira cupido.

Et alius:

Heu! quam dulce malum mortalibus additum,
Mellis dulcis amor!

Vide apologum monocerotis apud Damascen. in Histor. Barlaam c. 12.

Tertius est, si veram virtutis voluptatem ames, vanam concupiscentiæ fastidias. Cyrus, teste Xenophonte, a voluptatibus minoribus abstinendum dicebat, ut maiores caperentur ac diuturniores; quocirca laborem iucundæ vitæ ducem appellabat; ab illo enim et cibum, et potum, et somnum iucundissimum reddi. Hinc Hesiodus virtutis viam asperam dicebat: ei tamen qui ad summum eius pervenisset, omnia læta esse et iucundissima. Socrates et Chrysippus studiis intenti, tanta voluptate perfundebantur, ut corpore avolasse viderentur. Archimedes in sua Mathesi defixus, nec patriæ excidium, nec civium lamenta, nec hostium clamores et gladios, quibus ipse confossus est, sensit. Quantam ergo voluptatem haurient Christiani et Sancti ex Dei contemplatione, spe et amore ex Angelorum consortio, ex solatiis Spiritus sancti! S. Augustin. tract. 15. in Ioan. aquam de qua Christus dixit Ioan. 4. *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum*, ait esse mundanam voluptatem: *Pone*, ait, *hydriam esse cupiditatem, et aquam de profundo esse voluptatem. Cum pervenerit quisque ad voluptatem sæculi huius, cibus est, potus est, spectaculum est, etc. numquid non iterum sitiet? sitiet iterum: si autem acceperit a me aquam, non sitiet in æternum. Satiabimur, inquit Psaltes, in bonis domus tuæ: quoniam apud te est fons vitæ.*

Omnes qui quærunt eam, non deficient.) Hebr. *non fatigabuntur;* Septuag. *non laborabunt*, q. d. Sicut onagræ et camelæ, licet velocissimæ sint, quia facillime respirant, capiuntur tamen cum generationi vacant, et cum inde fœtu vel menstruis gravantur, ita facile invenient amasii, id est, gentes idololatræ, hanc meretricem, scilicet plebem Israeliticam, quæ nihil nisi amasios tales quærit; eam, inquam, invenient sed in lupanari, id est in templis et aris idolorum, cum eis fornicantem.

In menstruis.) Id est in sordibus sanguinis, ossium et cadaverum infantium et victimarum a se oblatarum, quarum voluptate numquam satiatur, sed sicut scarabæus earum fimo et sordibus vivit. Sicut enim opifices in suis officinis, ebrii in tabernis, adulteri in ganeis, ita impii Israelitæ non in templo, non in urbe sancta, non in proborum domibus, sed in Ægypto et Assyria, in domibus idolorum inveniebantur.

Secundo, Septuag. pro *in menstruis*, vertunt, *in humilitate*, abiectione, paupertate: ibi enim inveniuntur lascivi, qui sua cum meretricibus decoquunt, sicuti filius prodigus inventus est inter porcos, Luc. 15. v. 15.

Tertio, R. Salomon, Symmach. et Vatabl. vertunt, *in mense suo*. Hebr. enim חודש *chodes*, et mensem, et novilunium et menstrua significat; quia, ait R. Salomon, onager uno mense anni dormit, tunc capitur, cum cæteris vigilet, et ob velocitatem capi nequeat: sic filia Israel, cum dormiret in cultu idolorum, Dei oblita capta est a Chaldæis mense quinto. Sic diluvium obruit homines in peccatis dormientes, Matth. 24. 38. Verum, quod onager uno tantum mense dormiat, nec Plinius, nec Oppianus, nec alii apud Gesnerum in onagro meminerunt: quocirca fabulosum videtur.

Denique Vatablus sic quoque vertit: *Onagra capietur cum gravida erit*, id est, Israel capietur, cum ad summum peccatorum pervenerit.

Tropolog. S. Gregor. hom. 20. in Ezech. *Maligni spiritus*, inquit, *in menstruis suis animam inveniunt, quando in pollutis cogitationibus positam facile ad perversam operationem trahunt.*

Vers. 25. Prohibe pedem tuum a nuditate.) Ne calceamenta atteras, ut eas nudus; vel ne nudes pedes ut transeas Nilum vel Euphratem: neve te siti maceres, currendo in Ægyptum vel Assyriam, quærendo idolorum et idololatrarum auxilium, cum illa te iuvare non possint: noli ergo A tanto labore frustra te fatigare, sed redi ad me. Respondet sponsa, id est, plebs Israel: *desperavi*, scilicet salutem et auxilium et reconciliationem, quod scilicet post adulterium cum idolis, in gratiam recipiar a Deo vero sponso meo, unde nolo ad eum redire, ideo ad alienos quos adamo, pergo. Ita Chald. Vatabl. et S. Hieron.

Aliter explicant S. Thomas, Lyran. Dionys. q. d. Cave, o Israel, idololatriam, ne captivus duci cogaris nudis pedibus, et præ siti aridus in Babylonem. Sed prior sensus magis genuinus est, ut patet ex sequentibus.

Aliter quoque explicat noster Pineda in cap. 31. Iob v. 10. n. 8. q. d. *Prohibe pedem tuum a nuditate,* ne scilicet crura tua et femora denudes adultero, eique te prostituas: *et guttur tuum*, id est membrum, *a siti*, hoc est, ab intemperanti æstu libidinis. Sic enim dicitur Proverb. cap. 30. v. 15. *Tria sunt insaturabilia, etc. os vulvæ;* et Prov. 5. 15. *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui*, id est, tu solus fruere uxore tua. Unde explicans subdit: *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ; ubera eius inebrient* B *te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.* Primus sensus uti castissimus, ita et simplicissimus maximeque genuinus est. Præcessit enim: *Post Baalim non ambulavi: vide vias tuas in convalle: cursor levis explicans vias suas.* Et sequitur: *Post eos* (amasios) *ambulabo.* Ergo in pedibus hic intelligitur ambulatio ad scortandum, non autem ipsa denudatio et scortatio.

Desperavi.) Hebr. נואש *noas*, id est, *actum est de me, desperatum est, nequaquam* scilicet, *faciam*, id quod suadet Deus sponsus, ut ad eum redeam.

Potest secundo, per interrogationem sic verti: *Desperatum est? minime quia alienos* (deos, quasi amasios) *amo, et post illos ibo:* illi me tutabuntur. Unde hoc elidens subdit: *Sed confunderis meretrix.*

Tertio, Vatabl. Hebr. *noas* vertit, *expectoratum est*, id est, abhorrens est, et quasi evulsum, scilicet cor meum a Deo marito meo. Vide quo progrediatur impietas, et impia voluptas.

C E contrario sponsus ad sponsam sui amantem, sibique fidam, ait Cant. 4. 9. *Vulnerasti cor meum* (heb. לבבתיני *libbabtini*, id est, abstulisti cor meum, excordiasti me, rapuisti cor meum) *soror mea sponsa.* Amor enim amantes ita conglutinat, ut, qui unum ab altero separare velit, dimidium ei animæ auferre videatur. Quocirca libidini et concubinis assueti, vix eas relinquere possunt, ac pene sunt incorrigibiles. Hoc est quod ait Osee cap. 5. 4. *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Ita et meretrix hæc ait: *Desperavi, nequaquam faciam: adamavi quippe alienos:* libidinata enim assidue, nil nisi libidinari cogitat.

Quomodo confunditur fur quando deprehenditur (Chald. *Sicut confusio viri, qui cum habitus fuerit fidelis, invenitur latro*) sic confusi sunt.) Sic confundentur Israelitæ, quando capientur a Nabuchodonosore: tunc scelus adulterii, id est idololatriæ, eorum patebit, quodque ob illud iuste puniantur a Deo, quodque frustra ab idolis D opem petierint. Ita Theod. Hugo, S. Thom. Lyran. Vers. 26.

Filios vestros.) Id est cives vestros: loquitur enim congregationi Iudæorum generatim, quæ mater fuit tam percussorum, id est peremptorum sub Sennacherib et Manasse, quam adhuc viventium. Vers. 30

Disciplinam non receperunt.) q. d. Castigati a me non estis facti meliores; imo Prophetas, per quos vos admonebam, occidistis; hoc enim est quod subdit:

Devoravit gladius vester prophetas vestros.) Scilicet Dei veri. Manasses enim quotidie Prophetam aliquem perimebat, ait Iosephus 10. Antiq. 4. Ita Hugo, Lyran. Dionysius, S. Hieron. tamen Theodor. Raban. S. Thom. τὸ *vester*, capiunt passive, q. d. Gladius, qui vos devorabit, devorabit et falsos vestros prophetas, qui vos seduxerunt: ut sit prophetia et comminatio.

Quasi leo vastator (fuit) generatio vestra.) Ita Roman. Hebr. est: *Quasi leo vastator generatio hæc*, scilicet, *vos ipsi*, id est, ut S. Hieron. sicut leo vastator Vers. 30. et 31.

sævit in transeuntes, ita vos in Prophetas Dei desævistis: confirmat enim id quod paulo ante dixit: *Devoravit gladius vester prophetas.* Hebræa, Chald. Vatabl. Pagnin. et alii hæc divellunt et interpungunt hoc modo: *Devoravit gladius vester prophetas vestros, sicut leo,* punctum: *o generatio*, vel *o sæculum*, id est, o homines huius ætatis, scilicet vos ipsi qui hæc auditis, videte quid vobis dicat Dominus. Aliter hæc explicat Maldonat.

Vers. 31 NUMQUID SOLITUDO.) q. d. Numquid tam inutilis fui populo huic, ut est inutilis solitudo, quæ nullum fert fructum; aut tam tardus in opitulando, quam est terra serotina, quæ omnia intus retinet, et nihil extra producit, aut sero? q. d. Non, quia quamdiu Israel me coluit, numquam ei defui, sed abundantiam omnium dedi. Ita Theodoretus.

Nota: Pro *serotina*, Hebr. est מאפליה *meaphelia*, id est, caliginosa: nam terra quæ non est soli exposita, aut sub libero cælo, nihil profert, aut sero profert, unde Septuag. vertunt, κεχερσωμένη, id est *plena sentium.*

Alii sic explicant, q. d. Cur meum templum deserunt, et solum relinquunt?

Tertio, Tertull. lib. 4. contra Marc. 31. sic explicat, q. d. Putat hic populus, cum me despicit, me solum remansurum absque cultoribus, uti est solitudo absque incolis: non, non; habeo cæterum mundum; imo mille mundos si volo, e quibus servos mei cultores evocem.

RECESSIMUS.) Chald. *migravimus*, scilicet ad alias gentes et deos. Potest secundo, aliis punctis legi רדינו *radinu*, ac verti cum Pagnino, Vatabl. Kimchi *dominamur*, vel *dominium accepimus*, id est, habemus alios reges, scilicet Ægypti vel Assyriorum, tuo dominatu non indigemus.

Vers. 32. NUMQUID OBLIVISCETUR.) q. d. Fœmina pluris facit ornamenta sua, quam populus meus me.

FASCIÆ.) Qua pectus ornat, et ex qua bullas, annulos, monilia e collo suspendit, et in pectore gestat. Hier. Prado in Ezech. cap. 16. p. 187. per has fascias accipit eas, quibus mamillæ stringuntur: illæ enim signum sunt illibati floris virginalis, sicut subacta ubera signum sunt fornicationis: hæ ergo fasciæ a sponso datæ sponsæ, admonent illam fidei coniugalis, et puritatis cordis, ut scilicet mamillas, quæ sunt cordis diverticula, id est, affectus eius continentia coerceat, seque mundam thoro sponsi conservet, dicatque illud Cant. 2. *Dilectus meus mihi, et ego illi;* et c. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

Potest secundo, Hebr. קשרים *kisciurim*, verti, monilia, torques, catenæ aureæ, quæ sponsa accipit a sponso, ut eam sibi astringat, ut ipsa illa et per illa sponsum quasi semper gestet in pectore.

Mira oblivionis exempla, sed maior est peccatoris. Narrat Plinius lib. 7. 24. quemdam ex præalto tecto lapsum, matris et affinium propinquorumque cepisse oblivionem: Messalam vero Corvinum oratorem sui nominis oblitum esse. Idem lib. 8. 22. narrat genus esse luporum adeo obliviosum ut, *quamvis in fame mandenti, si respexit, oblivionem cibi surrepere aiant digressumque quærere aliud.* Fabulantur Poetæ apud inferos fluvium esse, nomine Lethe, cuius aquas si quis gustaverit, omnium præteritarum rerum obliviscatur: idcirco ἀπὸ τῆς λήθης, id est, ab oblivione, nomen habere, de quo Lucanus l. 9.

Quam iuxta Lethes tacitus perlabitur amnis,
Infernis (ut fama) trahens oblivia venis.

Et Ovidius lib. 2. de Ponto eleg. 4.

Non ego, si biberes securæ pocula Lethes,
Excidere hæc credam pectore posse tuo.

Rursum Lucan. lib. 3.

Non me Lethææ, coniux, oblivia ripæ
Immemorem fecere tui.

Quin et Plinius lib. 31. cap. 2. narrat in Bœotia fluvium esse, qui oblivionem inducat. Scribunt medici, et experientia constat, lethargum morbum esse, provenientem ex pituita humidiore frigidioreque cerebrum madefaciente, ac cerebri ventriculos, in quibus sedes est memoriæ, opplente, qui λήθην, id est, oblivionem rerum omnium, inducit. Longe maiori lethargo laborat peccator, qui ipsam lethen, id est oblivionem, imbibisse videtur, dum non matris, non propinquorum, non nominis sui dumtaxat, sed Dei Creatoris, Redemptoris et Salvatoris sui, in quo vivimus, movemur et sumus, qui magis cuique intimus est, quam ipsa cuiusque essentia et existentia, imo est vita vitæ, et anima animæ cuiusque, obliviscitur.

QUID.) q. d. Quid verborum fuco et operibus externis niteris te ostendere innocentem, ut captes meam benevolentiam, cum alios doceas impietatem, et sanguinem innocentem fuderis? Ita S. Hieron. Theodor. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. Vers 33.

Aliter vertunt Chald. Vatabl. Isidor. q. d. Quid dirigis vias tuas ad gentes, ut quæras earum amicitiam? hoc ipso enim ostendisti vias tuas esse malas, quia te obligasti earum pessimis moribus, eisque vicissim tuos pessimos mores manifestasti.

MALITIAS TUAS DOCUISTI VIAS TUAS.) Est appositio, id est, docuisti alios vias tuas, quæ sunt puræ malitiæ. Vers. 34.

IN ALIS.) In vestium oris. Est metaphora ab avibus rapacibus, uti sunt accipitres, quarum alis adhæret sanguis avium raptarum. Quod enim avi sunt plumæ et alæ, hoc homini sunt vestes. Septuag. vertunt, *in manibus;* nam pro בכנפיך *becanphecha*, legerunt בכפיך *becappecha;* aut certe *manus* vertunt pro *alis*, quia manus homini sunt, quod avi alæ, q. d. Vestes et manus tuæ aspersæ sunt sanguine, tum Prophetarum, tum innocentium, quos Moloch et corpore et anima immolabas. Ita Theodoretus et S. Hieron.

NON IN FOSSIS.) q. d. Non inveni occisos tuos in foveis, quasi latronum necatos insidiis, sed sub quercu idolis immolatos publice. Hebræum enim מחתרת *machteret*, non tantum perfossionem, sed et foveam et foramen significat.

Secundo, aptius ex Hebræo sic explices. *Non inveni occisos tuos in fossis*, id est in perfossione domorum quasi fures aut latrones, ut iuste possent interfici: sed in lucis et sylvis idolorum, quasi victimas, ut *supra memoravi;* vel, ut S. Hieron. in *omnibus quæ supra memoravi*, scilicet in omnibus increpationibus, id est, quia te increpabant Prophetæ de idololatria, ideo occidisti eos.

Alii sic explicant: Non inveni eos latenter in fossis peccantes, sed publice in plateis, vallibus et sylvis idololatrantes. Ita Theodor.

Nota: R. Salomon. Lyran. Vatabl. Pagnin. vertunt: Non invenisti eos, scilicet quasi perfossores et latrones, ut iure posses eos occidere. Verum hebr. est לא מצאתים *lo metsatim*, id est, non inveni eos, in prima persona, non in secunda.

Secundo, pro *in omnibus*, quod hebr. est אלה *elle*, id est illis, Septuag. aliis punctis legerunt אלה *ela*, id est quercu: unde vertunt, in omni quercu, scilicet idolis sacra, inveni eos idololatrantes.

ET DIXISTI: ABSQUE PECCATO ET INNOCENS EGO SUM.) Vers 35. Indignatur Deus Israel non tam ob scelera, quam quod ea nolit confiteri, ac se innocentem clamet. Quocirca subdit: *Ecce ego iudicio contendam tecum* (iudicabo et convincam te reum multorum scelerum per Ieremiam, aliosque Prophetas) *eo quod dixeris: Non peccavi. Innocentia vera*, ait S. August. in Sent. n. 1. *est quæ nec sibi, nec alteri nocet. Quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam, et nemo non prius in se, quam in alterum peccat;* et num. 117. *Eam Deus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore iustitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat cui vult nocere, tamen plurimum nocet; et abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate.*

QUAM VILIS FACTA ES!) Recte vertit Interpres, quia Vers. 36. תזלי *tezeli*, vel potius תזלי *tazuli* (ita enim punctandum est) a radice זול *zul*, id est, vilis fio, descendit: recentiores vertunt, cur ita discurris iterando vias tuas? quia *tezeli* ab אזל *azal*, id est abiit, ambulavit, deducunt. Verum sic *tezeli* deberet scribi per *aleph*; hic autem caret *aleph*.

Nota: Peccatum est animæ spiritalis summa spurcitia et vilitas, sicut summum virginis probrum est corruptio, qua perdit virginitatem. Præclare S. August. in Senten. n. 287. *Quam excellens*, inquit, *bonum natura humana sit, ex hoc maxime apparet, quod datum ipsi sit ut possit summi et incommutabilis boni adhærere naturæ. Quod si noluerit, bono se privat, et hoc ei malum est; unde per iustitiam Dei etiam cruciatus consequetur. Quid enim tam iniquum, quam ut desertori boni bene sit? Aliquando amissi superioris boni non sentitur malum, dum habet quod est amatum inferius bonum. Sed divina iustitia est, ut qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit.* Quia enim peccator non sentit vilitatem culpæ, hinc facit Deus, ut eamdem sentiat per vilitatem et cruciatum pœnæ.

A

Ad Ægypto confunderis.) q. d. Ægyptus non poterit tibi opitulari, uti non potuerunt Assyrii. Solebant Iudæi ab hostibus pressi ad Ægyptios vel Assyrios confugere, non ad Dominum. Sic Achaz petiit opem a Theglatphalasar rege Assyriorum, 4. Reg. 16. vers. 7. qui licet tunc eum iuverit contra regem Syriæ, postea tamen Assyrii oppresserunt Iudæos, maxime cum Manassem cœperunt. Ita S. Thom. Lyran. Dionys. q. d. Fugis, o Israel, iam ad Ægyptios, iam ad Assyrios; sed frustra: nam sicut ex Assyria, sic ex Ægypto confusa regredieris, complicatis super caput tuum manibus, in signum pudoris et doloris. Ita S. Hieron. et Theod.

Sic accidet iis, qui confidentes in amicis, opibus, fortitudine, Deum deserunt: horum enim confidentiam et spes Deus obteret et confundet, ut nihil prosperum habeant in eis.

Moraliter ergo hic disce, veram amicitiam esse cum Deo, et cum iis qui Deo coniuncti sunt; cum cæteris amores esse fallaces et meretricios. Soli enim Deo virisque divinis convenit illud veri amici symbolum ac tessera quam dant sapientes, ut Salom. Prov. 17. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est: et frater in angustiis comprobatur.* Et Eccli. cap. 12. v. 8. *Non agnoscetur in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus.* Et August. lib. 83. quæst. q. 71. *Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.* Et Isidor. l. 3. de Summo bono: *In prosperitate incerta est amicitia, nec sentitur utrum persona, an felicitas diligatur.* Et Boet. lib. 3. de Consol. *Quem felicitas amicum facit, infortunium facit inimicum.* Et Aristot. 7. Ethic. *Tempus indicat quis sit qui vero amore amicum prosequatur.* Et Ovid. lib. 1. Trist.

Vera amicitia tantum est cum Deo.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris;

Ut hirundines vere accedunt, sed hieme adveniente recedunt: ita adulatores in prosperis adsunt, in adversis fugiunt. Tales sunt opes, deliciæ, honores, idola, quin et homines naturaliter amici: omnes enim quærunt quæ sua sunt, nisi Dei charitatem et amicitiam induant. Hæc ergo cum Deo sola vera et perfecta est amicitia.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Persistit in materia et metaphora adulteræ repudiatæ, per quam Synagogam idololatrantem intelligit, eamque invitat ad pœnitentiam. Secundo, v. 7. ostendit gravius peccasse Iudam quam Israel. Tertio, v. 14. avolat ad Christum, per eumque Iudæis veniam, gratiam et gloriam promittit. Quarto, v. 20. redit ad sua tempora, et Iudæos hortatur, ut ad Deum redeant, formamque pœnitentiæ eis præscribit, quam amplexi sunt Iudæi duce Iosia pio rege, quo regnante hæc prophetavit Ieremias.
Tropolog. hæc facile est adaptare cuivis animæ peccatrici, iuxta can. 45.

1. Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum: numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te. 2. Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis: in viis sedebas, expectans eos quasi latro in solitudine; et polluisti terram in fornicationibus tuis, et in malitiis tuis. 3. Quam ob rem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit: frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. 4. Ergo saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es: 5. Numquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locuta es, et fecisti mala, et potuisti. 6. Et dixit Dominus ad me in diebus Iosiæ regis: Numquid vidisti quæ fecerit aversatrix Israel? abiit sibimet super omnem montem excelsum, et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi. 7. Et dixi, cum fecisset hæc omnia: Ad me revertere: et non est reversa. Et vidit prævaricatrix soror eius Iuda, 8. Quia pro eo, quod mœchata esset aversatrix Israel, dimisissem eam, et dedissem ei libellum repudii; et non timuit prævaricatrix Iuda soror eius, sed abiit, et fornicata est etiam ipsa. 9. Et facilitate fornicationis suæ contaminavit terram, et mœchata est cum lapide et ligno. 10. Et in omnibus his non est reversa ad me prævaricatrix soror eius Iuda in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus. 11. Et dixit Dominus ad me: Iustificavit animam suam aversatrix Israel, comparatione prævaricatricis Iudæ. 12. Vade, et clama sermones isto contra aquilonem, et dices: Revertere aversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis: quia sanctus ego sum, dicit Dominus, et non irascar in perpetuum. 13. Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es: et dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso, et vocem meam non audisti, ait Dominus. 14. Convertimini filii revertentes, dicit Dominus: quia ego vir vester: et assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion. 15. Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. 16. Cumque multiplicati fueritis, et creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus: non dicent ultra: Arca testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius; nec visitabitur, nec fiet ultra. 17. In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini: et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi. 18. In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Israel, et venient simul de terra aquilonis, ad terram quam dedi patribus vestris. 19. Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum gentium? Et dixi: Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. 20. Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus. 21. Vox in viis audita est,

ploratus et ululatus filiorum Israel : quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui. 22. Con-
vertimini filii revertentes, et sanabo aversiones vestras. Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus no-
ster. 23. Vere mendaces erant colles, et multitudo montium : vere in Domino Deo nostro salus Israel 24. Con-
fusio comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra, greges eorum, et armenta eorum, filios eorum,
et filias eorum. 25. Dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra ; quoniam Domino Deo no-
stro peccavimus nos, et patres nostri, ab adolescentia nostra usque ad diem hanc : et non audivimus vocem Do-
mini Dei nostri.

Vers. 1. VULGO DICITUR.) Hebr. לאמר *lemor*, id est *dicendo*, supple, dicitur; licet Vatablus et Hebræi id referant ad finem c. præced. *obtrivit Dominus confidentiam tuam*, scilicet, *dicendo*, quod sequitur: *Si dimiserit etc.* Verum minus recte: nam dicere, *revertere*, non est confidentiam obterere, sed augere.

POLLUTA ET CONTAMINATA ERIT MULIER ILLA.) Hebr. *terra illa*, q. d. Censeretur terra polluta talis mulieris repudiatæ commercio, si eam vir prior reciperet, ut dicitur Deuter. 24. 4. Ita Vatabl. Noster pro *terra*, vertit, *mulier*, quia mulier polluta polluebat terram, idque apte respondet plebi Israeliticæ repudiatæ et pollutæ, q. d. Semel repudiata nec revocari, nec sine peccato et infamia probroque utriusque, imo totius terræ, redire potest ad maritum, iuxta legem Deuter. 24. 5. tu tamen non tantum repudiata, sed et adultera redi ad me; ego te recipiam libens, imo infamiam hanc sustinebo, hoc dedecus feram, quinimo si opus fuerit te redimam. Maldonatus vero censet, mulierem metaphorice terram appellari, quod a viro quasi ager colatur, seminetur, et fructus ferat. Sed prior sensus commodior est et planior.

CUM AMATORIBUS.) Septuag. *cum pastoribus*: pro רעים *reim* enim legerunt רעים *roim*.

Vers. 2. LEVA OCULOS TUOS IN DIRECTUM.) Hebr. שפים *scephaim*, id est, in colles et loca excelsa, q. d. Circumspice quaquaversum montes et colles, quantum potes visu assequi, et ubique videbis tuæ fornicationis, id est idololatriæ, vestigia.

EXSPECTANS EOS QUASI LATRO.) Hebr. כערבי *caarabi*. id est, sicut Arabs, id est, sicut latro, quia Arabes uti nunc, ita et tunc, latrociniis erant dediti, ait S. Hieronym. Septuag. legunt כערב *keoreb*, id est, sicut cornix, aut potius corvus, qui sedet in viis, ut ibidem proiecta asinorum vel equorum cadavera depascatur: ita enim et tu diis mortuis, quasi cadaveribus, colendis inhiabas. Nostræ versionis sensus est, q. d. Sedisti, o meretrix, in viis quasi latro ad vesperam, ut concubitu tuo animas interficeres fornicantium, Prov. 7. 9. puta civium et externorum, quos ad idola tua abducebas, sicut Galaaditæ armati abducebant euntes in Ierusalem, ad suos vitulos aureos, Osee 6. v. 8. et 9.

Secundo, alii sic explicant: sedisti *quasi Arabs*, scilicet mercator, qui in viis publicis tentorium figit, ut vendat sua vel emat a transeuntibus: ita enim tu, o Israel, tua idola exposuisti publice, ut ad eorum cultum omnes transeuntes impelleres, Ita Isidor Theodorus, S. Thom. Hugo, Lyran. Prior sensus germanior et efficacior est. Hoc est quod ait Ezechiel 16. 31. *Fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ.*

Vers. 3 QUAMOBREM PROHIBITÆ SUNT STILLE PLUVIARUM ET SEROTINUS IMBER NON FUIT.) q. d. Sceleribus tuis tibi cælum clausisti ne plueret; itaque tibi famem et sterilitatem accersivisti.

Disce hic publicum peccatum, dum non punitur, totam terram et rempl. contaminare, ideoque publica clade a Deo puniri. Nam, ut recte ait Sanchez, in publico peccato publice ab omnibus peccari censetur : dum alii ferunt, alii dissimulant, alii annuunt, alii defendunt, alii etiam imitantur.

Imber serotinus et matutinus, quis? Nota: In Script. *Serotinus imber* vocatur is qui in Palæstina decidit tempore veris (in Martio) quo fruges maturescunt; sicut *matutinus* vocatur is qui in Octobri decidit statim post sationem, et semina sata rigat, eaque germinare facit, scilicet per stillas, ut hic dicitur, assiduas et lente cadentes; unde vocatur hic, *Stillæ pluviarum*; his enim duobus temporibus pluvia frugibus maxime est necessaria.

Impudentiæ exempla. FRONS MERETRICIS FACTA EST TIBI, NOLUISTI ERUBESCERE.) Alludit ad meretrices impudentes, quæ nomen non tantum cellis suis in fornice, sed et fronti inscribebant, uti fecit purpurata meretrix Babylon, Apoc. 17. 5. Vide ibi dicta, vide et Martin. de Roa, lib. 4. Singul. cap. 10. *Ingratitudini*, inquit Xenophon lib. 1. Pædiæ Cyri, *potissimum impudentia videtur esse comes, quæ ad omnem turpitudinem maxima dux est.* Et Menander :

Qui vero nec erubescere scit, nec metuere,
Ille primas universæ tenet impudentiæ.

Caligula Imper. dicebat *se nihil magis in sua natura probare*, *quam* αδιατρεψιαν, id est, *inverecundiam.* Vox carnifice quam Imperatore dignior. Pudor enim multos, etiam improbos a turpibus revocat.

Sic Achilles apud Homerum vocat Agamemnonem κυνοπα, id est, canino vultu. Et rursum : κυνος ομματ' εχων κραδιην δ'ελαφοιο.

Canis habens oculos, cor cervi.

Impudentiam significans cum timiditate coniunctam.

Aristogiton, orator Atheniensis, ob impudentiam vocatus est Canis. Ita Volater. lib. 13. cap. 4.

Vatinius, qui bis a Cæsare sibi reconciliato in iudiciis publicis defensus est, impudentissimus fuit. Assiduo enim, ut Seneca ait, convicio depudere didicerat.

Nota est Diogenis et Cynicorum inverecunda et in propatulo libido instar canum.

Fuit C. Fimbria perditissimæ audaciæ homo, qui Crassum interemit, quique in funere C. Marii, Q. Scævolam virum sanctissimum vulnerandum curavit; et ubi ferrum non alte in corpus descendisse accepisset, diem illi dixit : Admirantibus cunctis quod Pontifex maximus optimum totius civitatis civem accusaret, crimen expectantibus dixit, se illum accusare, quod non totum telum corpore excepisset, inquit Cicero pro Roscio. Denique S. Greg. in Psalm. 1. pœnitent. *Illud*, ait, *verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum.* Vide cætera.

Vers. 4. ERGO SALTEM AMODO (ex nunc a me invitata et rogata) VOCA ME, PATER MEUS, DUX VIRGINITATIS MEÆ TU ES.) Id est, tu es mihi pater, qui a pueritia, cum virguncula essem a matre et patre neglecta, et in sordibus abiecta et proiecta, quasi pater suscepisti, educasti et rexisti me. Potest, secundo, dux virginitatis accipi sponsus, q. d. Tu sicut mihi es pater, ita es et sponsus, quem virgo et adolescentula duxi, ideoque maxime adamavi: sponsus enim in parentis locum et curam succedit. Parens enim curam filiæ suæ in sponsum transcribit, cum eam illi desponsat, et in domum suam deducendam tradit. Sponsus ergo sponsæ virgini est instar patris. Ita Theodor. ac Sanchez. Ac forte alludit ad primam fœminæ originem ex viro; Eva enim uxor Adæ, cum ex eius latere formata sit, videtur mariti sui fuisse filia. Ieremiæ consentit Trismegistus, cuius in Pimandro hæc de Deo est vox: *Deus in verbo sancto clamavit : Vos, quibus mentis portio concessa est, recognoscite genus vestrum, vestramque immortalem naturam considerate: qua de causa qui seipsum cognoscit vita et luce compositum, transit in Deum; quoniam vita et lux est omnium pater ex quo natus est homo.* Hinc ortum videtur illud : *Nosce teipsum*; quo monetur homo, ut divinæ suæ originis memor, divinas et Deo dignas suscipiat actiones. Dux virginitatis est sponsus.

Vers. 5. NUMQUID IRASCERIS IN PERPETUUM, AUT PERSEVERABIS IN FINEM?) Chaldæus, S. Thomas, Vatablus et a Ca-

stro sic explicant, q. d. O Domine, ne mihi semper irascaris, neque perseveres in recordatione et ultione peccatorum meorum. Verba sunt Dei, quæ docet populum sibi dicere, iisque se invocare, ut eius misereatur. Avidior enim est Deus reconciliationis, quam sint ipsi peccatores, ait S. Chrysost. hom. 44. in Genes. Hæc est enim incredibilis eius misericordia, ut, cum nobis ob peccata nostra iratus est, orationem nobis componat, qua eum placemus; pendent enim hæc verba a præcedentibus: *Voca me, Pater meus, etc.*

Secundo, tamen probabiliter, Theod. Lyran. Dionys. et Sanchez de sponsa sic explicant, q. d. Numquid, o Iuda, in perpetuum offensus et iratus recedes et fugies a me? numquid in æternum custodies hanc tuam peccandi voluntatem? Unde Septuag. vertunt: *Numquid permanebit in perpetuum, aut conservabitur in victoriam?* supple, *mendacium et illusio tua*, ait Theodor. q. d. Perseverabitne iugiter illusio tua, quasi inde speres te victricem futuram, ut tua pertinacia me meamque patientiam vincas, egoque tædio affectus te dimittam et negligam?

Ecce, locuta es.) q. d. Ecce, mox ut hæc quæ dixi locuta fueris, et oraveris, quamvis multa mala feceris; *potuisti*, id est poteris, id est prævalebis contra me, vinces et flectes me, ac flagellum quod tibi intento, e manu mea extorquebis, meque in pristinum tui amorem rapies. Prophetice ponuntur præterita pro futuris.

Secundo, Sanchez iuxta expositionem paulo ante datam sic explicat, ut sit severa dictorum factorumque sponsæ meretricantis reprehensio, quod impie et turpiter non tantum locuta, sed et operata sit, quodque se nequiter facturam dixerat, hoc opere compleverit; nec tamen satiata, lassata aut viribus exhausta sit, quin novis rursum sceleribus animo et corpore inhæreat. Hoc est enim τὸ *et potuisti*, id est, potens es adhuc, et indefesso integroque ad peccandum animo.

Vers 6. Israel dicitur aversatrix, cur? Aversatrix.) Ita dicitur Israel, sive decem Tribus, quod ab initio sui schismatis et regni, palam et communi consensu, eoque iugi et perenni, aversatæ sint Deum verum eiusque cultum; idque continuo per tria sæcula: unde omnes reges habuerunt impios et idololatras. Ita S. Hieron. Theodor. August. 17. Civit 23. Raban. et Isidor. Vera enim Ecclesia et religio inclusa fuit in Iuda et regno Davidis; voluit enim Deus, uti regnum, ita templum et sacerdotium collocare in Iuda et Sion, propter Christum ex Iuda nasciturum; sicut iam Ecclesia vera collocata est Romæ et in Romano Imperio: eo deficiente magna parte deficiet, et veniet Antichristus. Unde Optatus Milevit. lib. 3. contra Parmen. dixit *Remp. non esse in Ecclesia, sed Ecclesiam esse in Rep.* id est in Romano Imperio. Hinc Ecclesia, ait Euseb. lib. 3. Demonstr. semper orat pro conservatione Romani Imperii, ut scilicet cum eo servetur et propagetur Ecclesia. Israel ergo *abiit sibimet*, id est, quo eum ducebat sua cupido et libido.

Vers. 7. Iuda prævaricatrix. Prævaricatrix soror eius Iuda.) Israel dicitur *aversatrix*, Iuda vero *prævaricatrix*, quia Dei cultum retinuit, licet ab eo sæpius privatim et occulte ac subdole, aliquando etiam publice, ad idola desciverit, sub Manasse, Achaz et aliis impiis regibus: hæc enim est prævaricatio Iuda.

Vers. 9. Et facilitate.) Quia tam prona et facilis erat ad fornicationem, id est, ad colendum idola.

Vers 10. In mendacio.) Id est, ficte et simulate.

Vers. 11. Iustificavit.) q. d. Minus peccavit Israel, id est decem tribus, quam Iuda, id est duæ reliquæ Tribus, ut præ hac illa videri possit iusta. Sic Luc. 18. 14. dicitur: *Descendit hic* (Publicanus) *iustificatus in domum suam ab illo*, præ Pharisæo. Sic *non iustificabitur in conspectu Dei omnis vivens*, Psal. 142. 2. id est, *comparatione Dei*, ut ait S. Iob. c. 4. 17. Simili omnino schemate duarum sororum meretricum, Ollæ, id est decem Tribuum, et Oolibæ, id est Ierusalem, huius præ illa fornicationem, id est idololatriam, narrat et damnat Ezechiel c. 23. et c. 16. 51. et dicit quod hæc illam, imo Sodomam, iustificarit. Licet enim plura fuerint Israelis peccata, et continua idololatria; tamen in Iuda gravior fuit: Primo, quia in

Iuda peccavit magis quam Israel ob tres causas.

eo erat maior cognitio Dei et veritatis: in eo enim Deus quasi sua domo constituerat regnum, sacerdotium, templum, Prophetas et doctores; secundo, quia, cum videret Israelem a Deo puniri, et in captivitatem duci ob idololatriam, eam tamen secutus est; tertio, quia maiori ardore subinde, puta sub Manasse, ea coluit quam Israel, imo tunc omnes Dei Prophetas occidit, hoc significat vox *insanivit*.

Vade, et clama sermones istos contra Aquilonem.) Putat R. Salomon Ieremiam fuisse in Babylone, Hugo et Lyran. in Israel, alii eo legatum misisse. Sed dico per *vade et clama* tantum hic iuberi ut faciem æque ac pedes (unde Sanchez, *vade*, ait, q. d. *agedum* ut sit quasi adverbium excitantis) convertat ad Israel, id est, decem tribus (hæc enim est aversatrix) ad Aquilonem, id est, in Assyria Aquilonari captivas. Ita Lyran. Dionys. et alii, easque stentorea voce exhortetur et invitet ad Dei cultum, ut sic ad æmulationem provocet Iudam, eique minetur, nisi resipiscat, se eo relicto ad Israel abiturum, ut ab eo colatur. Sic Christus a Iudæis abiit ad Gentes. S. Hieron. Rabanus et Hugo Card. putant hic sermonem fieri ad duas Tribus in Chaldæa captivas, et ad decem Tribus in Assyria degentes, earumque prædici liberationem et reversionem. S. Thomas vero et Vatabl. putant hic sermonem fieri ad decem Tribus, prædicique eis quod redibunt ex spiritnali captivitate, per Christum et Apostolos. Sed quod dixi, verius est. Vers. 12.

Quia sanctus ego sum.) Hebr. quia חסיד *chasid*; Septuag. ὅτι ἐλεήμων, id est, *quia misericors* ego sum, ut in vos miseros meam gratiam et benevolentiam effundam, si resipiscatis, et ad me redeatis.

Dispersisti (Chald. *corrupisti*; Septuag. *effudisti*) vias tuas.) Ut scilicet dispergeres te, et vagareris eundo nunc ad hoc, nunc ad aliud idolum. Aliter Lyran et a Castro, *vias*, inquit, id est pedes, quibus imus per vias, q. d. Dispersisti, id est, divisisti quasi meretrix pedes tuos cuique fornicario, Ezech. 16. v. 25. Significat hac metaphora profusam idololatriam Iudæorum.

Convertimini (non ex Babylone, sed ab idololatria) filii revertentes.) Id est, recedentes a me; Septuag. *apostatæ*. Loquitur non ad Israel, ut vult Vatabl. sed redit ad Iudam, ad quem cœpit loqui v. 1. et seq. Aliter Sanchez, *convertimini*, inquit, *revertentes*, id est, convertimini serio, ut toto animi conatu revertamini ad me. Vers. 14.

Præclare S. August. in Sentent. t. 3. sent. 71. *Remedia*, ait, *conversionis ad Deum nullis cunctationibus sunt differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate. Qui enim pœnitenti promisit indulgentiam, dissimulanti diem crastinum non spopondit.* Et sent. 235. *Nullus in Deo locus est, nec est quo fugiatur ab ipso, nisi ad ipsum. Qui vult evadere offensum, confugiat ad placatum.* Et sent. 240. *Apud misericordiam Dei plurimum valet confessio pœnitentis, qua facit peccator confitendo propitium, quem negando non facit nescium.*

Ego vir vester.) Hebr. בעלתי *baalti*, id est, *ego maritatus sum vobis*, ego quasi maritus vos possedi, et, ut Septuag. *vobis dominatus sum*, scilicet per legem veterem. Ita Theodor. et Hugo. Licet Lyran. Dionys. Vatabl. putent Ieremiam loqui Ecclesiæ Christi: huius enim Deus in Christo futurus erat maritus. Verum hebr. præteritum est, non futurum. Prior ergo sensus simplicior est et planior.

Assumam vos unum de civitate, et duos de cognatione, et introducam vos in Sion.) q. d. Paucos ex singulis urbibus et cognationibus Iudæorum eligam, ut reliquiæ eorum salvæ fiant per Christum. Nota. Propheta, aut potius Deus, hic non loquitur de reditu Iudæorum ex Babylone sub Cyro et Esdra, ut volunt Hebræi, Theodoret. Hugo et S. Thomas: tunc enim non unus aut duo, sed 42. millia redierunt, nec tunc arca fuit despecta, nec omnes gentes congregatæ fuerunt ad Dominum (alludit tamen eo, illaque obiter perstringit) sed assurgit et avolat ad Christum, ut patet ex seq. maxime v. 18. et 19. unde per Sion Ecclesiam accipit, per pastores Apo-

stolos, et similes viros: magna enim pars felicitatis populi est bonos habere pastores et rectores. Ita S. Hieron. Theodor. Raban. Hugo, Lyran. Vatablus, R. Salomon et omnes Hebræi, ait Vatabl. Unde R. Samai apud Galatin. l. 9. c. 2. censet alludi hic ad Iosue et Caleb, qui duo soli ingressi sunt terram promissionis, q. d. Pari modo tempore Messiæ, paucissimi Iudæi eum recipient, et in cælestem illam terram promissionis ingredientur. Vide quoque Euseb. l. 2. Demonstr. c. 54.

Vers. 16. NON DICENT ULTRA: ARCA TESTAMENTI.) Per arcam omnia sacrificia et sacramenta vetera et legalia accipe: hæc ergo cum arca cessabunt quasi umbræ, cum Christus, qui verissima est arca sapientiæ et gratiæ divinæ, apparuerit, aut potius, cum arcæ operculum, id est propitiatorium, apparuerit, scilicet Christus, arcæ, id est Ecclesiæ, Deum reconcilians.

NEQUE ASCENDET SUPER COR.) Nemo de ea cogitabit, nemo de ea loquetur, q. d. Tempore Christi non amplius iactabunt Iudæi cæremonias legis Mosaicæ.

NEC VISITABITUR.) Solebant enim arcam visitare, quasi oraculum, ut responsa et beneficia a Deo peterent.

NEC FIET ULTRA.) Scilicet arca, aut quid simile legale. Ita Lyran. Dionys. Vatabl. Aliter Chaldæus: Non visitabitur, ait arca tempore belli, nec fiet prolatio arcæ ad prælia, uti sub Heli factum est. Alii, *non fiet*, id est, non sacrificabitur amplius; sic enim ait Virgil. Ecloga 3.

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito,

Sed primus sensus est planissimus.

Vers. 17. IN TEMPORE ILLO VOCABUNT IERUSALEM SOLIUM DOMINI.) Aliqui per *Ierusalem* accipiunt ipsam urbem, cuius nomen Deus celebre fecit post reditum Iudæorum ex Babylone. Ita S. Thomas et Hugo. Secundo, S. Hieron. Raban. Hugo, Vatabl. et Lyran. accipiunt Ierusalem spiritualem, id est, Ecclesiam Christi, ad quam confluunt omnes gentes in nomine Domini, quod in ea invocant. Tertio et optime, accipias ipsam urbem Ierusalem, quatenus in ea, quasi solio, Christus consedit, regnavit et docuit, indeque misit Apostolos ad prædicandum. Unde ipsa dicitur Mater Ecclesiæ, et Fons gratiæ, *quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem,* perinde ac olim arca testamenti cum Cherubim erat solium Dei, ideoque Deo dicebatur: *Qui sedes super Cherubim;* arca enim erat typus Ecclesiæ.

Trop. anima iusti est thronus et solium Dei. Ita Hier.

Vers. 18. IBIT DOMUS IUDA.) q. d. Dissensio, quæ solet esse inter Iudam et Israel, non erit amplius; sed omnes, positis odiis, ad Ecclesiam venient, in eaque unientur. *Ibit* ergo *domus Iuda*, id est, ibunt Apostoli et alii Iudæi Christiani, ad Israelitas, qui in Aquilonem, id est Assyriam, olim abducti sunt; rursum, qui mystice in terra Aquilonari peccati frigent et rigent, atque eos in Ierusalem, id est ad Ecclesiam, deducent, ut bonis omnibus spiritualibus, patribus eorum promissis, in ea fruantur, ac tandem Ierusalem cælesti potiantur. Ita S. Hieron. Rab. Lyran. Vatablus.

AD TERRAM QUAM DEDI PATRIBUS VESTRIS.) Nota. Terra promissa et data patribus est Ierusalem, ad quam multi Iudæi et Israelitæ venerunt, cum primo ibi cœpit Ecclesia Christi, et Apostoli ad novem annos in ea se continuerunt; deinde Ierusalem, id est, Ecclesia quæ in ea cœpit, sparsa est per omnes gentes, et sic ubicumque gentes convertuntur, ibi veniunt ad Ierusalem patribus promissam, id est ad Ecclesiam, quæ in Ierusalem cœpit. Hinc sæpe a terrena Ierusalem ad spiritualem assurgunt Prophetæ.

Aquilo mystice est regnum diaboli. Mystice, Aquilo frigidus significat regnum diaboli; Assyria, regnum mundi, in quo diabolo, peccato et concupiscentiæ servimus; terra promissa est regnum Christi et paradisus. inquit S. Hieronymus.

Vers. 19. QUOMODO PONAM TE IN FILIOS?) Sunt verba Dei quasi exultantis et admirantis, q. d. Quam multos, o Sion, id est Ecclesia, quæ in Sion ex Iudæis incipies, dabo tibi filios, et quam pulchram et desiderabilem (hoc enim est hebr. צבי *tsebi*, de quo Daniel. 8. 9.) *hæreditatem*, sci-

A licet totam terram *exercituum* (ita legendum est cum Romanis) id est fortissimarum, bellicosissimarum et numerosissimarum *gentium?* ita S. Hieron.

Theodot. vertit: *Tribuam tibi hæreditatem inclytam fortitudinis robustissimi gentium*, id est, Ecclesiam Christi, qui ductor et dominator est, universarum gentium sibi credentium, ait S. Hieronymus. Alii nomine *exercituum* intelligunt Angelos, qui duces sunt et custodes gentium. Septuag. vertunt: *Dabo tibi terram elect m, hæreditatem Dei omnipotentis gentium*, puta hæreditatem gentium, quæ est hæreditas Dei omnipotentis, qui est Rex regum, et Dominus dominantium.

Anagogice, tribuam tibi hæreditatem cælestem, in qua vidit S. Ioan. turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Ita Vatablus, Dionys. et alii.

Hæreditas patriæ cælestis, inquit D. Thom. est præclara: primo, splendore divinæ visionis, Psalm. 35. 10. *In lumine tuo videbimus lumen;* secundo, dulcedine divini amoris, Psal. 22. v. 5. *Calix meus inebrians quam* B *præclarus est!* tertio, familiaritate divinæ allocutionis, Sap. 8. 18. *Præclaritas in communicatione sermonum ipsius;* quarto, magnificentia operationis, Eccli. 43. 27. *Illic præclara opera et mirabilia;* quinto, magnitudine exultationis, Zachar. 8. 13. *Salvabo vos, et eritis benedictio:* sexto, solatio societatis, Ezech. 31. v. 9. *Æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei*, etc. Hereditas cælestis est præclara sextupliciter.

PATREM VOCABIS ME.) Scilicet Deum tuum, non idola. Ita communiter Interpretes: S. Hieron. tamen, Rabanus et Lyranus putant hæc esse verba Christi, unde per *me* accipiunt Christum.

Moraliter, Deus dicitur Pater, inquit D. Thomas: Primo, creatione, Matth. 11. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli et terræ;* secundo, adoptionem, Rom. 8. v. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus: Abba Pater;* tertio, instructione, Isaiæ 38. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam;* quarto, correctione, Proverb. 3. 12. *Quem enim diligit Dominus, corripit; et* C *quasi pater in filio complacet sibi.* Præclare S. August. in Sentent. sent. 237. *A quo*, inquit, *habet homo ut sit, apud illum habet, ut bene ei sit.* Et sent. 236. *Dux vitæ sunt, una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis, anima; ita vita animæ, Deus. Et quomodo si anima deserat, moritur corpus: sic anima moritur, si deserat Christus.* Deus est Pater quadrupliciter.

VOX IN VIIS AUDITA EST.) Verba sunt Dei, desiderantis Iudæorum conversionem ab idolis; uti a Ieremia et Prophetis multi, præsertim cum in captivitatem aliasque calamitates incidissent, ideoque plorarent et gemerent, conversi sunt. Ita Theodoret. Raban. et Hugo. Alii accipiunt hæc de Iudæis pœnitentibus, quod Christum crucifixissent, Actor. 2. 37. Lyranus et Dionys. accipiunt hæc de captis a Tito post Christi cædem. Verum quod dixi est verius; redit enim de more Propheta ad Iudæos sui temporis, iisque concionatur. Vide can. 4. et 5. Vers. 21.

CONVERTIMINI, FILII REVERTENTES.) Id est pœnitentes. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, Lyran. Verum Hebr. est שׁובבים *sciobabim*, id est avertentes, vagi, incon- D stantes, revertentes ad vomitum; Septuag. vertunt, *apostatæ;* Chald. *Qui vos obfirmatis ne convertamini.* Vers. 22.

ET SANABO AVERSIONES VESTRAS.) Vestra peccata et idololatrias, quibus a me conversi estis ad idola, mihique rebellastis, q. d. Condonabo vobis omnes præteritas rebelliones vestras. In Hebr. pulchra est allusio inter שׁובו *sciubu*, id est revertimini, שׁובבים *sciubabim*, id est avertentes vos sive rebelles, et משׁבותיכם *mesciubotechem*, id est, aversiones sive rebelliones vestras.

ET, supple, dicite: ECCE NOS VENIMUS AD TE.) Est mimesis, qua eis modum et formam pœnitentiæ præscribit. Ita S. Hieron. Hanc amplexi sunt Iudæi, reque ipsa peregerunt sub Iosia rege, 4. Regum cap. 22. et 23.

VERE MENDACES ERANT COLLES.) Vere mendaces erant dii plurimi, quos in montibus et collibus colebamus. Est metonymia. Hebr. est, *frustra a collibus*, id est, ab idolis collium, supple, speravimus auxilium, nunc experientia tot malorum edocti agnoscimus et profitemur quod Vers. 23.

vere in Domino Deo nostro sit salus Israel, non in idolis.

Vers 24. Confusio comedit laborem patrum nostrorum.) Id est idololatria, quæ nos confundit, causa fuit cur patres nostri sint puniti, et omnibus in rebus vastati; vel, ut Theodor. cur omnia bona, etiam filios et filias, idolis insumpserint et sacrificarint. Unde Pagnin. vertit : *Baal consumpsit labores patrum nostrorum.* Sic hodie Bacchus et Venus consumit labores et opes multorum. Tyrannus, inquit Plutarch. permittit et facit ut sui cives ditentur; sed deinde opes ab eis collectas per tributa exsugit, iisque se ditat; ita facit et dæmon, qui est primus et summus tyrannus, omniaque suorum bona sibi diripit et expilat. S. Hier. Raban. et Lyran. intelligunt hæc de peccato Christicidii, ob quod Iudæi cum bonis suis omnibus perierunt. Hoc verum est, sed allegoricum.

Baal comedit labores peccatorum.

Secundo et magis genuine; Maldon. et alii sic explicant: *Confusio*, id est, vastatio et calamitas confusionem et pudorem peccatorum afferens, *comedit laborem patrum nostrorum ab adolescentia nostra*, q. d. Iam inde a pueritia nostra experimur frustra patres nostros laborare; omnia enim male illis succedunt, omnia vastantur, quia a Domino discesserunt. Sapiamus ergo parentum malo, et ad Dominum revertamur; Alioqui *dormiemus in confusione nostra*, id est, in paupertate et vastatione nostra miseri, anxii, confusi, quasi ludibrium et probrum Dei et hominum, *dormiemus*, ita ut nec nocte sit nobis quies a miseriis. Secundo, *dormiemus*, id est, moriemur in iisdem : *Et operiet nos ignominia nostra ; quoniam Domino Deo nostro peccavimus.* Unde patet confusionem hanc v. 24. non esse ipsum peccatum, sed peccati effectum et pœnam.

Moral. de pœnitentia, quæ facit alium hominem.

Moraliter, disce hic quid sit pœnitentia, quamque peccatores in alios viros commutet. Pœnitentia est, quæ anteactæ vitæ errata corrigit, Deum conciliat, scandala emendat, mentem immutat, adeoque alium hominem efficit. Isæus cum primam ætatem voluptatibus consecrasset, ut ad virilem pervenit, tamquam alius factus, miram morum severitatem induit. Quare percontanti cuidam : *Num aurum fulgens, quod ostendit, gratum oculis esset? Desii*, respondit, *male habere ab oculis.* Idem interrogatus: *Quis piscis, aut quæ avis esset ad vescendum suavissima? Desii iterum*, respondit, *eiusmodi aucupari.* Additque: *Sensi enim me fructus colligere a Tantali hortis;* indicans omnes eiusmodi voluptates, quibus iuventus capitur, nihil aliud esse quam somnia et umbras. Ita Philostratus de Vitis Sophistarum.

Perditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemon, neque illecebris tantummodo, sed etiam ipsa infamia gaudens; cum e convivio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domumque rediens, Xenocratis philosophi patentem ianuam vidisset; vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucida veste amictus, refertam turba doctorum hominum scholam eius intravit: nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, ut clarissimum eloquium et prudentissima præcepta temulentiæ lasciviis eluderet. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omissisque de quibus disserebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cuius gravitate sermonis resipiscere coactus est Polemon; primum coronam capite detractam proiecit, paulo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit; ad ultimum totam luxuriam exuit, unius orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus philosophus evasit. Peregrinatus est huius animus in nequitia, non habitavit. Ita Cicero lib. 4. de Finibus, Valerius Maximus lib. 6. cap. 11. Laertius in Vita Polemonis l. 4. Horat. satyra 3. lib. 2. et Suidas.

Illustre est exemplum de iuvene, quem S. Ioannes Apost. commisit cuidam Episcopo, a quo laxius habitus, a pravis seductus, tandem factus est princeps prædonum, quem postea requirens S. Ioannes, sua charitate et lacrymis ita convertit, ut totus sanctus effectus, dignus habitus sit qui ab eodem Ecclesiæ præficeretur. Quare recte S. August. lib. de Pœnitentia: *Pœnitentia*, ait, *languores sanat, leprosos curat, et mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conservat, claudis gressum, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat.* Audi et P. Chrisolog. *Quis*, ait, *in sæculo peccavit enormius Paulo, quis in religione gravius Petro? illi tamen per pœnitentiam meruerunt assequi non solum ministerium, sed etiam magisterium sanctitatis.* Otto IV. Imp. excommunicatus ab Innocentio III. æmulum nactus est Fridericum II. numquam postea felix; sub finem vitæ, ineffabili contritione compunctus, a Sifrido Hildeshemensi Episcopo absolutus, in pace quievit, quam absolutionem Honorius Papa ratam habuit. Tanta autem fertur fuisse morituri pœnitudo, ut coquinariis suis iuberet collum suum calcaneis premere, seque ut vilissimam creaturam conculcare. Ita Crantzius l. 7. Saxon. c. 37.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Invitat Iudæos ad pœnitentiam non fictam et simulatam, sed veram et seriam: ni eam faciant, minatur excidium per Chaldæos, idque describit depingendo terribilem eorum, primo, exercitum et adventum, v. 7. secundo, obsidionem Hierosolymæ, v. 16. tertio, vastationem Iudææ v. 23.

Hæc omnia facile concionator adaptabit cuivis bello et cladi divinæ, ac præsertim excidio orbis et diei iudicii. Discant hic a Ieremia concionatores plagas imminentes reip. et prudenter prævisas prædicere, comminari et inculcare, iisque terrere et urgere populum ad pœnitentiam.

1. Si reverteris Israel, ait Dominus, ad me convertere: si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commo-
veberis. 2. Et iurabis: Vivit Dominus in veritate, et in iudicio, et in iustitia: et benedicent eum gen-
tes, ipsumque laudabunt. 3. Hæc enim dicit Dominus viro Iuda et Ierusalem: Novate vobis novale, et
nolite serere super spinas: 4. Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda, et ha-
bitatores Ierusalem: ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat, pro-
pter malitiam cogitationum vestrarum. 5. Annuntiate in Iuda, et in Ierusalem auditum facite: loquimini, et ca-
nite tuba in terra: clamate fortiter, et dicite: Congregamini, et ingrediamur civitates munitas. 6. Levate si-
gnum in Sion. Confortamini, nolite stare, quia malum ego adduco ab aquilone, et contritionem magnam. 7. A-
scendit leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit: egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitu-
dinem: civitates tuæ vastabuntur, remanentes absque habitatore. 8. Super hoc accingite vos ciliciis, plangite et
ululate: quia non est aversa ira furoris Domini a nobis. 9. Et erit in die illa, dicit Dominus: Peribit cor regis,
et cor principum: et obstupescent sacerdotes et prophetæ consternabuntur. 10. Et dixi: Heu, heu, heu, Domi-

ne Deus, ergone decepisti populum istum et Ierusalem, dicens: Pax erit vobis: et ecce pervenit gladius usque ad animam? 11. In tempore illo dicetur populo huic et Ierusalem: Ventus urens in viis, quæ sunt in deserto viæ filiæ populi mei, non ad ventilandum et ad purgandum. 12. Spiritus plenus ex his veniet mihi: et nunc ego loquar iudicia mea cum eis. 13. Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus eius: velociores aquilis equi illius: væ nobis quoniam vastati sumus. 14. Lava a malitia cor tuum Ierusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? 15. Vox enim annuntiantis a Dan, et notum facientis idolum de monte Ephraim. 16. Dicite gentibus: Ecce auditum est in Ierusalem custodes venire de terra longinqua, et dare super civitates Iuda vocem suam. 17. Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro: quia me ad iracundiam provocavit, dicit Dominus. 18. Viæ tuæ, et cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum. 19. Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me: non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii. 20. Contritio super contritionem vocata est, et vastata est omnis terra: repente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ. 21. Usquequo videbo fugientem, audiam vocem buccinæ? 22. Quia stultus populus meus me non cognovit: filii insipientes sunt, et vecordes: sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. 23. Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili: et cælos, et non erat lux in eis. 24. Vidi montes, et ecce movebantur: et omnes colles conturbati sunt. 25. Intuitus sum, et non erat homo: et omne volatile cæli recessit. 26. Aspexi, et ecce Carmelus desertus: et omnes urbes eius destructæ sunt a facie Domini, et a facie iræ furoris eius. 27. Hæc enim dicit Dominus: Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam. 28. Lugebit terra, et mœrebunt cæli desuper: eo quod locutus sum, cogitavi, et non pœnituit me, nec aversus sum ab eo. 29. A voce equitis et mittentis sagittam, fugit omnis civitas: ingressi sunt ardua, et ascenderunt rupes: universæ urbes derelictæ sunt, et non habitat in eis homo. 30. Tu autem vastata quid facies? cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris: contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent. 31. Vocem enim quasi parturientis, audivi, angustias ut puerperæ: vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.

Vers. 1. **Si reverteris**, est futurum (ita Hebr. et Rom.) scilicet ab idolis et a peccatis tuis, ad me serio et constanter (non ficte aut leviter et inconstanter, uti hactenus fecisti) **convertere.**) Ita Rom. in Imperat. Licet enim in Hebræo sit futurum, tamen illud sæpe capitur pro imperativo: Vatablus tamen et a Castro accipiunt in futuro *convertere*, id est, converteris ad me, mecum in gratiam redibis, ut apud me quiescas, et securus sis ne ab hostibus capiaris. Sept. vertunt: *Si reverteris ad me, revertetur*, supple, Deus ad te.

Si abstuleris offendicula tua.) Id est, idola. Ita S. Hieron. Theodor. Rabanus, S. Thomas. Secundo, Lyranus et Dionys. *offendicula*, inquiunt, id est, peccata quibus Deum offendis, vel quæ te faciunt offendere et impingere in varios lapsus, mala et ærumnas.

Non commoveberis.) Hebr. *non emigrabis*, ut eas in captivitatem Babylonicam, quæ alioqui tibi impendet.

Vers. 2. **Et Iurabis: Vivit Dominus.**) *Iurabis*, id est, coles Deum, iurando per Deum vivum, vel per vitam veri Dei (hoc enim significat hebr. *vivit Dominus*) non per vitam idolorum, quæ sunt mortua. Nota. Per iuramentum accipit omnem publicum Dei cultum, est synecdoche; pars enim latriæ et cultus Dei, est iuramentum. Sic Psal. 62. 12. dicitur: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*, id est, qui colunt eum. Ita S. Hieron. et Theodor.

Iuramentum licitum habeat: 1 Veritatem. 2. Iudicium. 3 Iustitiam.

Advertit hic S. Hieron. iuramentum, ut sit licitum debere tres habere comites: Primo, veritatem, ne sit mendax, id est, ne iures falsum, dubium, incertum, aut ficte, dolose, amphibologice. Secundo, iudicium, ne sit incautum, ut scilicet fiat ex necessaria causa, discrete, præmeditate, provide, reverenter. Unde Philo libr. de Decalogo post medium: *Iuraturus*, ait, *se consideret quam purus sit anima, corpore, lingua; illa ab iniquitatibus, hoc a piaculis, hæc a maledicentia; nefas est enim per os quo profertur nomen illud sanctissimum, quidquam turpe progredi; deinde, ut fiat non loco profano et impuro, sed loco et tempore congruo. Qui hæc contemnit, sciat se scelestum, impurum, et diris ultricibus puniendum.* Ita Philo. Tertio, iustitiam, ne sit iniquum, ne cui iniuste noceamus, aut nocere iuremus; alioqui si quid horum trium desit, non est iuramentum, sed periurium, id est, iniquum et impium iuramentum, ait S. Hier. et habetur 22. q. 2. cap. *Advertendum.* Ita et D. Thom. hic, et 2. 2. qu. 89. art. 3.

Benedicent eum Gentes.) *Eum*, scilicet populum Israel. Ita Chald. S. Hieron. Raban. Vatab. et in eo Deum eorum. Ita Septuag. et Theodor. q. d. Gentes videntes Is-

A raelem, ita Dei sui cultorem, tam religiose per eum iurare, dicent: Quam pius et probus est Israel! faciat mihi et meis Deus, sicut Israeli: benedictus sit Israel et Deus Israelis; cumque probum quem viderint, dicent: Iste est similis Israeli. Ita Vatablus.

Novate vobis novale.) q. d. Sicut fit novale, id est sicut terra inculta de novo aratro proscinditur et a spinis ac sentibus expurgatur ut in ea seminetur: ita agrum cordis vestri ab idololatria et vitiis quasi spinis per pœnitentiam expurgate, ut seratur in eo verus Dei cultus, et semen verbi legis ac gratiæ Dei, fiatisque nova Dei creatura, Galat. 6. 15. *Ut munda semina munda arva suscipiant. Quomodo enim potest audire sermonem Dei, et concipere semina, et fructum facere, cuius animus ærumnis mundi plenus est?* ait S. Hieron. et Theodor. Unde, Tertull. lib. 1. contra Marcion. cap. 20. legit: *Renovate vobis novamen novum*; et l. contra Iudæos c. 3. *Innovate vobis novitatem.* Hinc et allegorice S. Iustinus contra Tryphon. ait Iudæos hic moneri ut agnoscant Christum, qui erit ipse novale pulchrum et pingue in cordibus eorum. Chald. vertit: *Facite vobis opera bona, et non quæratis salutem in peccatis.* Apposite hæc referas ad renovationem spiritus et votorum, quam identidem Religiosi, et omnes profectus spiritalis avidi, faciant oportet. Vide B circa hunc locum Viegas in c. 12. Apoc. comment. 3. sect. 18. n. 8. Vers. 3.

Circumcidimini Domino.) Circumcidimini corde, non carne; intrinsecus, non extrinsecus: Deus enim cor intuetur et respicit, cum homines externa respiciant. Unde explicans subdit: Vers. 4.

Auferte præputia.) Id est immunditias et peccata cordium vestrorum: Iudæis enim immundum erat præputium, et Gentes præputiatæ. Quare Symm. vertit: *Purificamini Domino, et auferte molitias cordium vestrorum.* Nimirum hæc est circumcisio de qua Apost. Rom. 2. 28. ait: *Non enim qui in manifesto, Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito, Iudæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera; cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est*, scilicet ea demum vera Deoque accepta est circumcisio. Oculos ergo oportet circumcidere, manus, pedes, linguam; sed maxime cor, id est voluntatem, intellectum et memoriam, ab oculis vani, fallaces turpesque aspectus, a manibus tactus, a pedibus itinera, a lingua iuramenta, mendacia, detractiones, obscœna verba, a voluntate pravitas, durities, carnalitas et quidquid Deo displicet, resecandum est.

Circumcisio cordis quæ?

Ad hoc autem requiritur continua reflexio, lucta et mortificatio. Nam, ut ait S. Ephrem adhort. ad pietatem tom. 1. *Bellum militum breve, sed Monachi* (pariter et Christiani) *donec emigret ad Dominum, durat.* Rursum, fortis resolutio, ingensque vitium resecandi cupido. Sapienter Ephrem ibidem: *Si leonem*, ait, *iugulare vis, firmiter apprehende*, q. d. Si vitium resecare vis, fortiter et directe illud aggredere, ut stirpitus evellas. Si subinde vincatur quis et cadat, mox generose surgat et vincat: *Vulnerata es, o anima, ne teipsam desperes. Nam sæpe licet pugil ceciderit, tandem adhuc coronam refert*, ait idem Ephrem parænesi 42. tom. 2.

Et succendatur.) Alludit ad spinas, quæ facile flammam concipiunt: Sic enim peccata iram Dei accendunt, Isaiæ 9. 18. *Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinas vorabit.* Et Isaiæ 10. v. 17. *Et erit lumen Israel in igne, et sanctus eius in flamma, et devorabitur spina eius et vepres.*

Vers. 5. Clamate fortiter.) Hebr. *clamate, implete*, id est plene et fortiter clamate: hostes Chaldæos imminere. Hebræi enim sæpe ponunt verbum pro adverbio.

Vers. 6. Levate signum.) Ut qui in agro sunt, sciant hostem imminere, et se in urbem recipiant.

Confortamini, nolite stare.) q. d. Nolite animo aut corpore consternari, sed fortiter et celeriter fugite in urbem et loca tuta; solent enim qui animo consternantur, stare stupefacti aut cunctabundi. Potest secundo, cum Septuag. Chald. et Recentior. verti: *Festinate, ne cunctemini recipere vos.*

Hugo, Lyranus et Dionys. putant hæc ironice dici, quia frustra in urbem fugiebant ibi capiendi, nisi ad pœnitentiæ munimen confugissent.

Quia malum, id est Chaldæos vastatores, ego adduco ab Aquilone.) Id est a Chaldæa per Syriam et Dan, quæ sunt ad Aquilonem Iudææ; hac enim via in Iudæam venerunt Chaldæi.

Vers. 7. Ascendit leo (id est Nabuchodonosor sævus et crudelis ut leo) ipse enim est prædo, hebr. מַשְׁחִית *maschit*, id est interfector et excisor, Gentium.) Audi Lucan. l. 1. iras et gestus leonis bellum parantis graphice depingentem:

Sicut squallentibus arvis
Æstiferæ Libyes viso leo cominus hoste,
Subsedit dubius, totam dum colligit iram:
Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,
Erexitque iubas, vasto et grave murmur hiatu
Infremuit, tum torta levis si lancea Mauri
Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit.

Quocirca Ægyptii significantes terribilem et formidandum, pingebant leonem: *Quia cum viribus maxime polleat animal hoc, omnibus qui eum inspexerint, metum iniicit*, ait Horus Apollo hierog. 20.

Vers. 9. Peribit cor regis.) Ioakim, Ioachin et Sedeciæ. Ita Theodor. q. d. Adventante Nabuchodonosore reges Iuda, principes et sacerdotes pavore percellentur, ut nec consilio, nec armis possint populum iuvare et tueri.

Et prophetæ.) Pseudoprophetæ, qui prospera prophetarunt Iudæis, videntes se falli, et hostem adesse consternabuntur. Ita Chald. Hugo, Lyran. et Dionys.

Vers. 10. Heu, heu, heu!) Hebr. est una vox dolentis et admirantis *aha*, de qua c. 1, v. 6.

Decepisti, id est decipi permisisti, populum istum.) Per pseudoprophetas, de quibus versu præcedenti, prædicentes pacem Hierosolymæ. Ita Theodor. Chald. Hugo, Lyran.

Secundo, S. Hieron. *Decepisti me*, ait, quia c. præced. v. 17. pacem promisisti, cum hic mineris excidium; non enim intelligebat Ieremias illud cap. præcedenti promitti, pro suo, sed pro Christi tempore: verum hoc parum videtur probabile.

Et ecce pervenit gladius usque ad animam.) Usque ad vitam, vitæque amissionem, vel, usque ad intima, usque ad cor. Tertio, usque ad principes ipsos, sacerdotes et Prophetas, qui quasi anima sunt populi, ait Maldon.

Ventus urens.) Id est exercitus Chaldæorum, qui omnia vastabit ut ventus urens, veniet a *deserto*. Vers. 11.

Viæ filiæ populi mei.) Id est, a deserto quod a Babylone via est, id est ducit, ad filiam meam, id est ad Ierusalem, idque *non ad ventilandum et* ad *purgandum*, sed ad perdendum eam, ut omnia depopuletur, vastet et exuret. Ita S. Hieron.

Spiritus plenus.) Id est multus, perfectus, validus, spiritus turbinis et tempestatis bellicæ Chaldæorum, qua Iudæos involvam ex his viis deserti, veniet mihi.) In obsequium meum. Vox est Dei. Ita S. Hieronymus. Vers. 12.

Secundo ex Hebræo efficacius verti potest cum Vatablo: *Spiritus plenior et vehementior*, scilicet quam sit spiritus ad purgandum et ventilandum, mihi veniet. Notandum enim duplici vento, id est supplicio, uti Deum, uno ad ventilandum, purgandum, corrigendum; secundo, ad omnino perdendum. Priori usus fuit, cum Manassem, aliasque sæpe Iudæos punivit; posteriori, cum per Nabuchodonosor Ierusalem, et Iudææ regnum evertit. Spiritus iræ Dei duplex.

Nunc ego loquar iudicia mea cum eis.) Vatablus, Isidor. et a Castro putant esse verba Ieremiæ. Melius S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thomas et Lyranus censent esse verba Dei, uti et præcedentia; hoc enim est quod ait; *Et nunc*, id est *tunc* (loquitur enim perinde ac si tempus illud iam adesset) *loquar iudicia mea*, id est iustas increpationes meas cum eis. Loquar, inquam, non voce, sed facto; non verbis, sed verberibus, scilicet infligam eis iustas et meritas pœnas. Vide canon. 29.

Ecce quasi nubes, scilicet tenebrosa, et densa et tristis, ascendet.) Densus et ater exercitus Chaldæorum. Vers. 13.

Velociores aquilis equi illius.) Sicut aquilæ, magno impetu, celeriter, potenter, sublimiter volant et in alias aves involant, easque sternunt et laniant, sic et Chaldæi equites in Iudæam involabunt, eamque sternent et laniabunt.

Nota: Chaldæi hic comparantur primo, leoni, v. 7. secundo, vento urenti, v. 11. tertio, nubi et turbini, v. 13. quarto, aquilis, ibid. quinto, custodibus agrorum, v. 17.

Usquequo morabuntur (Hebr. תלין *talin* morari facies, id est, retinebis in animo) cogitationes noxiæ?) Vers. 14.
Pro *noxiæ* Aquila pariter vertit, ἀνωφελείας, id est, *damni*; Symach. ἀδικίας, id est *iniustitiæ*; Septuaginta πόνων, id est *laborum et dolorum*. Hæc omnia enim significat hebr. און *on* vel *aven*.

Vox enim annuntiantis a Dan.) Nota: *Dan*, quæ primo Lais, postea Paneas, deinde a Philippo Tetrarcha, in gratiam Tiberii Cæsaris, dicta est Cæsarea Philippi, teste Iosepho 10. Antiq. 3. terminus est Iudææ Aquilonaris versus Babylonem, sicut Bersabee est terminus Iudææ Australis. Unde dicitur, *a Dan usque ad Bersabee*, id est per totam Iudæam. Secundo, post tribum Dan succedit tribus Ephraim per quam venitur Ierusalem, q. d. Hostis Nabuchodonosor imminet, videor iam videre profugos, et audire nuntios ex Dan, quod Babylonii adventent; imo nuntios ex Ephraim, qui nuntient *idolum*, id est vexilla Chaldæorum idolo Bel insignita, adventare. Ita Theodor. et S. Hieron. Potest per *idolum* quoque accipi ignis, quem colebant Chaldæi castrisque præferebant. Hic enim eminus speculatoribus erat conspicuus. Ita Sanchez. Alii, ut Maldonat. per *idolum* accipiunt idololatras Chaldæos, aut ipsum Nabuchodonosorem, qui se quasi idolum adorari fecit in statua aurea, Daniel. 3. v. 5. Verum hoc sui idolum postea ab eo erectum est. Vers. 15.

Nota: Pro *idolum* hebr. est און *aven*, quod significat primo, afflictionem, dolorem; unde alii vertunt: *Vox nuntiantis afflictionem*, sive calamitatem *venientem ex monte Ephraim.* Secundo, *aven* significat peccatum, et idolum quod causa est afflictionis et doloris.

Mystice, *Dan* hebr. idem est quod iudicium, *Ephraim* ubertas: veniet ergo iudicium Domini in Iudam, id est terram delinquentem Domino, de Ephraim, id est de ubertate iræ Dei cum ubertate supplicii.

Dicite gentibus.) Ita legendum cum Romanis, non, Vers. 16.

concitate gentes, uti legunt Plantiniana et alia. Sensus est, q. d. Omnes gentes ex punitione Ierusalem recipiant disciplinam et cautionem, ut sibi caveant a Nabuchodonosore et Chaldæis, dum videbunt eos Iudæam obsidere tam arcte, diligenter et obstinate, ut non tam homines, quam agrorum vinearumque *custodes* esse videantur: idque fiet non tam ipsorum viribus et destinatione, quam culpa Ierusalem, scilicet ob eius delicta. Ita S. Hieron. et Theodor.

Vatabl. et Isidor. vertunt: *Narrate de gentibus*, scilicet Chaldæis, *prædicate in Ierusalem venire custodes*, hebr. נוצרים *notserim*, id est milites custodes Nabuchodonosoris, qui scilicet eum custodiunt, uti iam Helvetii vocantur et sunt stipatores et custodes principum. Unde sicut a Cæsare vocantur Cæsariani, a Prætore Prætoriani, ita a Nabuchodonosore, qui hebr. vocatur *Nebuchadnetser* vel *notser*, decurtato, vocantur *notserim*, q. d. Nabuchodonosoriani. Ita Vatablus. Chald. vertit, *exercitus populorum*, *rapientes instar vindemiatorum*. Accepit ipse *notserim* pro בצרים *botserim*, id est vindemiatores: litteræ enim נ et ב similes sunt.

Vers. 18. Viæ tuæ, id est actiones tuæ malæ et peccata fecerunt hæc tibi.

Ista malitia tua: quia amara, quia tetigit cor tuum.) q. d. Amara tua malitia cor tuum et animæ tuæ intima penetravit. Nota: Hebræum כי *ki*, id est, *quia*, redundat pleonasmo. Aliter Maldon. *Ki*, ait, idem est quod *quamobrem;* unde ipse sic vertit et explicat: Malitia tua in causa fuit quare מר *mar*, id est amarum hoc, puta calamitas hæc, penetravit usque ad cor tuum, sicut v. 10. dixit pervenisse gladium usque ad animam.

Vers. 19. Ventrem meum doleo.) Hebr. est *viscera mea, viscera mea doleo*. Nota hæc non esse verba Dei, ut vult S. Hieron. sed Ieremiæ, q. d. Ex hac calamitate populi mei ego Ieremias illi compatiens totus quasi intimis animi sensibus percellor, ut venter et reliqua viscera mea inde indoleant, concutiantur, et torminibus quasi lugubri cithara resonent, ut ait Isaias de Moab c. 16. 11. Ita S. Hieron. et Theodor. Hinc aliqui per *ventrem* accipiunt cor: cor enim est venter, id est vas et receptaculum animæ; unde explicans subdit: *Et sensus cordis mei turbati sunt*, ait Hesychius.

Nazianz. orat. 40. in sanctum baptisma, et Gregor. hom. 10. in Ezechiel. per *ventrem* accipiunt mentem: *Ventrem doluit, qui mentis afflictionem sensit:* unde subdit: *Et sensus cordis mei conturbati sunt*, ait S. Gregorius. Sed hoc videtur mysticum: nam ad litteram proprie venter hic accipitur.

Sensus cordis mei turbati sunt.) Hebr. *Parietes cordis mei*, id est præcordia, repete *doleo*, *tumultuans mihi est cor meum*, id est saltitat et palpitat, ut in pavidis et perculsis fieri solet. Unde Aquila vertit οχλαζει, id est *tumultuatur;* Sept. μαιμασσει, id est *fluctuat* (licet Compl. legant με μασσει, id est *me premit*) *anima mea*.

Quoniam vocem buccinæ (Chaldæorum) audivit anima mea.) Non dicit se buccinam oculis vidisse, sed audivisse animo; quia per prophetiam tantum eam in spiritu prævidit.

Vers. 20. Contritio super contritionem vocata est.) q. d. Post famem invasit Iudæos gladius, ait Lyran. et post obsidionem captivitas, ait Maldonat. Secundo Vatabl. et Hugo, q. d. Vastatio duarum Tribuum venit post vastationem decem tribuum. Tertio et planissime, significat hæc phrasis congeriem calamitatum sibi invicem succedentium, non casu, sed a Deo quasi evocatarum et immissarum in impios Iudæos. Ita S. Hieron.

Vastata sunt tabernacula mea, subito pelles meæ.) Id est vastatum est templum, quod erat instar tabernaculi Mosis, operti pellibus, ait Lyranus et Dionys. Secundo, tabernacula sunt domus et urbes munitæ, quas Chaldæi tam facile diruent, quam tabernacula e pellibus, ait a Castro. Tertio et simplicissime, q. d. Omnis terra, id est omnes agri vastati sunt, et quæ in eis fiunt e pellibus tentoria ad excubandum, sive ad greges sive ad uvas et fructus custodiendum, pariter vastata sunt.

Nota: Τo *pelles* idem est quod tabernacula vel tentoria e pellibus facta. Denique per catachresin, tabernacula et pelles hic significare possunt quasvis domos et urbes. Primæ enim Patriarcharum peregrinantium domus fuerunt tabernacula. Ita Maldonat. *Primæ orbis domus erant e pellibus.*

Usquequo videbo fugientem.) Ita quoque vertunt Sept. *fugientem*, scilicet populum Iudaicum a facie Chaldæorum. Recte: legerunt enim נס *nas*, iam aliis punctis legunt נס *nes*, id est vexillum. Ita Chald. et Vatabl. q. d. Usquequo videbo vexillum, et audiam tubam turbamque hostium: id est, quamdiu durabit bellum, bellique strepitus, metus et horror? Vers. 21.

Quia stultus.) Respondet Deus, q. d. Tamdiu durabit, quamdiu Iudæi in sua stultitia perseverabunt ut me non agnoscant. Vers. 22.

Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.) Ita peccatores et mundani terrena et caduca clare vident et intelligunt, cælestia et æterna non pervident: ad vitia perpetranda sapientes sunt, ad virtutes comparandas imperitissimi: in mundanis lyncei, in cælestibus talpæ sunt. S. Basilius homil. 8. Hexam. tales comparat noctuis, quæ in tenebris acie oculorum pollent, in luce cæcutiunt. Id facit diabolus. Huius rei typus fuit Naas rex Ammon, qui ad cives Iabes Galaad ait 1. Regum 11. *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. Naas* enim hebraice idem est quod serpens, puta diabolus. Oculus sinister est, quo terrena; dexter, quo cælestia et æterna intuemur. Fœdum ergo hoc fœdus cum multis percutit Naas tartareus, ut dextrum oculum eruat, sinistrum reservet: ut in humanis acutum videant, in divinis cæcutiant. E contrario viri sancti mundo cæci sunt, Deo videntes, de quibus S. Chrysost. hom. 24. in Gen. *Oculis fidei*, inquit, *quando vident ineffabilia illa bona, ne sentiunt quidem hæc visibilia:* et homil. 52. in Acta; *Nullus invisibilia videns, videt visibilia.* *Mundani in terrenis sunt lyncei, in divinis talpæ.*

Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.) Verba sunt Prophetæ, q. d. Ego Ieremias tantam prævideo Iudææ calamitatem, ut terra omnino sit desolanda ab omnibus iumentis et feris, ita ut aves inde avolent, utque hominibus afflictissimis et turbatissimis sol et cælum obtenebrescere, montes et colles moveri videantur; utque cælum triste et nubilum, ac terra desolata lugere videantur hanc hominum cladem. Ita S. Hieron. et Theod. Vide can. 32. Vers. 23.

Aliter Vatablus et Lyran. Terra, inquiunt, et montes, id est incolæ terræ et montium: vel montes, id est principes; et colles, id est homines inferioris ordinis, commoti et conturbati sunt.

Nota: Pro *vacua et nihili*, hebr. est תוהו ובוהו *tohu vabohu*, quod Genes. 1. v. 2. vertit Interpres noster, *inanis et vacua;* Chald. *vacua et desolata;* Symmachus συγκεχυμένη, id est *confusa*, q. d. Chaldæi Iudæam redigent ad illam vastitatem et solitudinem, in qua terra creata fuit a Deo, Gen. 1. ut videatur ipsa ad primum suum redire chaos.

Tropolog. vir quidam sapiens meditando de cæli gloria et magnitudine cum eo mente conscenderet, ac terram deinde instar puncti aspiceret et despiceret: *Aspexi*, inquit, *terram, et ecce vacua erat et nihili.*

Intuitus sum, et non erat homo.) Quia omnes pene homines in Iudæa, a Chaldæis vel occisi vel abducti sunt, aut fuga dilapsi. Vers. 25.

Symbolice: hunc locum eleganter tractat Cosmas Magalianus in 2. ad Timoth. cap. 4. v. 5. not. 2. Terra, inquit, est vacua, cum hominibus virtute præditis, quibus condita est, caret: cum ergo in leones superbos, harpyias tenaces, voraces lupos pro veris hominibus passim incidamus, an non terra inanis videtur et vacua? nam ut ait Epictetus: *Hominis nomine dignus non est, qui virtutis studiosus non est.* Hinc ait Ieremias: *Intuitus sum, et non erat homo.* Diogenes Cynicus in Atheniensi foro media luce, præeunte lucerna inambulans, rogatus quid ageret: *Hominem*, inquit, *quæro, nec invenio.* Verus ergo homo *Homo vitiosus non est homo, sed quasi bestia.*

est ille quem describit Eccles. 12. 13. *Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo;* vel, ut Sept. vertunt: *in hoc consistit omnis homo.* Qui ergo Deum timet, hic solus verus est homo; cæteri ut asoti et intemperantes, ficti tantum hominis larvam gerunt. A

Vers. 26. Et ecce Carmelus.) Mons Iudææ fertilissimus, sub quo totam Iudæam intelligit, ut dixi c. 2. v. 7.

Desertus.) Id est, deserendus est, quia vastandus. Ita S. Hieron. Theodor. Raban. Hugo, Lyran. Sed Vatablus et Pagnin. τὸ *carmelus* accipiunt quasi appellativum, vertuntque: *Ecce locus pascuus aut fertilis desertus est.* Sed eodem redit sensus quem clare exprimit Chald. vertens: *Ecce terra Israel, quæ plantata erat sicut Carmelus, conversa est in desertum.*

Vers. 27. Consummationem non faciam.) Non funditus perdetur, nec consumetur Iudæa; quia in ea Chaldæi reliquerunt aliquos ad terram colendam; vel potius quia Iudæi post septuaginta annos e captivitate reducti sunt. Ita S. Hieronym. Theodor. et alii.

Vers. 28. Lugebit terra, et moerebunt cæli.) q. d. Terra præ solitudine et squalore lugere videbitur. *Lugebit* ergo, id est desolabitur. *Cæli mœrebunt*, id est obtenebrescent, ut vertunt Sept. et Chald. ita ut aer et cæli Iudæis adeo afflictis tenebricosi videantur, et mœrorem hominibus incutere. Vide dicta v. 23. B

Et quod locutus sum, cogitavi, et non pœnituit me.) q. d. Hæ plagæ et terrores certo Iudæis obvenient: quia ego eas locutus sum et comminatus, non temere, nec ex subita cholera, sed post maturam cogitationem et deliberationem; ideoque decreti mei et comminationis me non pœnitebit, illud non mutabo, nec revocabo.

Nec aversus sum ab eo.) Non avertar, non desistam a meo proposito vindicandi et puniendi Iudæos.

Vers. 29. Ingressi sunt ardua.) In ardua nemora et montes receperunt se Iudæi fugientes Chaldæos. Hebraice est ingressi sunt עבים *abim*, nubes, id est loca alta sicut nubes. Secundo. Chald. Vatab. et Pagn. *abim* a radice עבה *aba*, quæ significat densare, deducentes, vertunt: Ingressi sunt in densa nemora, aut sylvas; Septuag. *in speluncas.*

Cum vestieris te coccino.) Alludit ad Iezabel, quæ intrante Iehu hoste in Samariam, *depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum*, ut quasi meretrix in sui amorem illiceret Iehu: sed frustra; Iehu enim quærebat eius animam et regnum. Sensus ergo est: O Israel, olim gens mea, quæ iam te tam accurate ornas vestibus, torquibus, annulis, stibio, quasi meretrix, amatoribus tuis, putas tunc propitios vel auxiliares eos te habituram? erras, quia illi ipsi te vestibus et bonis spoliabunt omnique ornatu. Frustra ergo *componeris;* hebr. תתיפי *titiappi;* id est, fucabis te, fuco tibi formam accerses, ut videaris esse pulchra et speciosa. Vers. 30.

Nota: Hi amatores sunt exteræ gentes, maxime Chaldæi, quorum amicitiam sibi conciliabant Iudæi, colendo idola eorum. Ita S. Hieron. Theodor. Raban.

Animam (vitam) tuam quærent, ut eam perdant. Vers. 31.

Vocem enim quasi parturientis audivi.) Vox est Ieremiæ de civitate vastata, afflicta, et dolente instar parturientis.

Angustias ut puerperæ.) Hebraice et Chald. מבכירה *mabkira*, primogenitantis, id est parientis primogenitum: בכור *bechor* enim est primogenitus. Hinc Sept. vertunt πρωτοτοκούσης, *primiparæ*, id est primo parientis, quæ necdum partum experta, in primo pene dolore emoritur, et vix respirare potens, sparsis et expansis manibus collabitur præ deliquio. Pari modo faciet filia Sion, id est Ierusalem, cum viderit suos liberos interfectos.

Vox ergo eius intermorientis expandentisque (sic enim legendum est cum Romanis, Hebr. et Septuag. non *intermorientes expandentesque*, uti legunt Plantiniana) erit hæc: Væ mihi, quia defecit anima mea.) Ita S. Hieron. Sionem, sive Ierusalem vocat indigenas, puta cives, et matres Hierosolymitas. Vatabl. et Rabbini pro *expandentis* vertunt, *complodentis manus suas præ dolore.*

Propter interfectos.) Noster legit הרגים *harughim*, ita et Sept. Iam aliis punctis legunt הרגים *horeghim*, id est interfectores, q. d. Maxime dolebit Ierusalem ob Chaldæorum interficientium Iudæos crudelitatem. Ita Vatabl. Chald. et Pagninus.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit insectari Iudæorum scelera, quod ne unus quidem inter eos sit vir, iustus scilicet v. 5. eorum obdurationem, v. 7. luxuriam, v. 12. atheismum. Hinc v. 14. minatur eis excidium terribile per Chaldæos truces et sævos, qui atrociter in Iudæos, eorumque prædia, opesque et familia grassabuntur. Tertio, v. 21. hortatur, ut timeant Deum, ob eius potentiam et beneficentiam, quam ipsos suis dolis et sceleribus a se avertisse docet. Unde per epiphonema exclamat et concludit: Stupor et mirabilia facta sunt in terra, quia pseudoprophetis et sacerdotes et populus applauserunt.

1. Circuite vias Ierusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium, et quærentem fidem: et propitius ero ei. 2. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint: et hoc falso iurabunt. 3. Domine oculi tui respiciunt fidem: percussisti eos, et non doluerunt: attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. 4. Ego autem dixi: Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. 5. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, iudicium Dei sui: et ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula. 6. Idcirco percussit eos leo de sylva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum: omnis, qui egressus fuerit ex eis, capietur: quia multiplicatæ sunt prævaricationes eorum, confortatæ sunt aversiones eorum. 7. Super quo propitius tibi esse potero? filii tui dereliquerunt me, et iurant in his qui non sunt dii: saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. 8. Equi amatores et emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. 9. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? et in gente tali non ulciscetur anima mea? 10. Ascendite muros eius, et dissipate, consummationem autem nolite facere: auferte propagines eius, quia non sunt Domini. 11. Prævaricatione enim prævaricata est in me domus Israel, et domus Iuda, ait Dominus. 12. Negaverunt Dominum, et dixerunt: Non est ipse: neque veniet super nos malum: gladium et famem non videbimus. 13. Prophetæ fuerunt in ventum locuti, et responsum non fuit in eis: hæc ergo evenient illis. 14. Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Quia locuti estis verbum istud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et vorabit eos. 15. Ecce ego adducam super vos gentem de lon-

ginquo domus Israel, ait Dominus: gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. 16. Pharetra eius quasi sepulchrum patens, universi fortes. 17. Et comedet segetes tuas, et panem tuum: devorabit filios tuos, et filias tuas: comedet gregem tuum, et armenta tua: comedet vineam tuam, et ficum tuam: et conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio. 18. Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem. 19. Quod si dixeritis: Quare fecit nobis Dominus Deus noster hæc omnia? dices ad eos: Sicut dereliquistis me, et servistis deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra. 20. Annuntiate hoc domui Iacob, et auditum facite in Iuda, dicentes: 21. Audi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis: et aures, et non auditis. 22. Me ergo non timebitis, ait Dominus: et a facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: et commovebuntur, et non poterunt: et intumescent fluctus eius, et non transibunt illud: 23. Populo autem huic factum est cor incredulum et exasperans, recesserunt et abierunt. 24. Et non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam et serotinam in tempore suo: plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. 25. Iniquitates vestræ declinaverunt hæc: et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis: 26. Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros. 27. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati sunt et ditati. 28. Incrassati sunt et impinguati: et præterierunt sermones meos pessime. Causam viduæ non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt, et iudicium pauperum non iudicaverunt. 29. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem huiuscemodi non ulciscetur anima mea? 30. Stupor et mirabilia facta sunt in terra: 31. Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis: et populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo eius?

Vers. 1. CIRCUITE VIAS, hebr. est, scrutamini plateas, AN INVENIATIS VIRUM.) q. d. Si, uti in Sodomis requisivi decem iustos, Gen. 18. 32. sic in Ierusalem invenirem unum insignem virum iustum, parcerem, et propitius essem ei, id est toti urbi. Patet ex Hebræo לה *la*, quod est fœmininum, ideoque Ierusalem respicit. Vide hic et obstupesce, quanta sit Dei, gravissime licet offensi, ad parcendum et miserendum propensio et clementia: item *amor iustitiæ, ut non pro decem iustis, sicut olim ad Abraham dixit Deus, liberet civitatem; sed si invenerit unum in Ierusalem, misereatur civitatis*, ait Raban. Vide rursum impietatem Hierosolymæ, in qua nullus insignior iustus inventus sit, ut merito et iustissime ipsa a Deo sit eversa. Ita S. Hieron. Theodor. Raban. Hugo, S. Thom.

Quomodo Ieremias quærat in Ierusalem virum? Obiicit Œcolamp. Ergo omnes omnino homines sunt peccatores, et tantum exterius, per imputatam eis iustitiam Christi, sunt iusti: nam si sancta civitas nullum virum iustum habuit, ubi eum invenies?

Respond. I. Respondet primo, Lyran. et Isidor. esse hyperbolem: si unum, id est si paucos, invenirem: nam patet Ieremiam tum fuisse iustum, uti et Baruch, et Æthiopem Abdemelech, et Iosiam regem, Eccli. 49. v. 1. aliosque Prophetas, qui hoc tempore prophetarunt.

II. Secundo, Ierusalem tunc sceleratissima erat: ergo facilius erat extra eam, quam intra, tum in Iudæa, tum alibi reperire iustos.

III. Et optime, vir est insigniter iustus. Tertio, et melius, parcerem urbi, si in ea reperirem vel unum virum, id est insignem et eminenter in lege complenda et veritate tuenda iustum, qui populum suo exemplo et auctoritate in officio contineret, et Deo irato quasi sepem se opponeret, Ezech. 22. 30. instar Mosis et Samuelis. Sic enim hebr. vocatur *filii viri*, id est inclyti, potentes, quales viros describit Ecclesiasticus cap. 44. et seqq. Similem virum quærebat Diogenes, uti dixi cap. præced. v. 25. Sic ait Herodot. in Polyhymn. *Homines permulti, viri perpauci.* Et Lacæna apud Plutarch. dicebat, *solas Lacænas viros parere.* Adde hæc referri ad tempus excidii, cum solus prophetaret Ieremias, qui cum Dei vice hic loquatur, hoc numero se non comprehendit: tunc enim pauci erant Hierosolymæ quomodolibet iusti.

Moraliter, Nota hic: Deus viros quærit, heroes quærit. Ita una virago B. Virgo invenit gratiam in oculis eius, eumque e cælo in suum uterum pertraxit. Ita unus Ioannes Baptista electus est, ut esset paranymphus et præcursor Christi, quia *magnus fuit coram Domino*, quia vir et heros fuit; nimirum fide splendebat, spe attollebatur, charitate flagrabat, virginitate nitebat, admirabili abstinentia lucebat, paupertate ditescebat, solitudine grandescebat, omniumque virtutum incremento cælestis quidam gigas efficiebatur, ut de eo vere dixeris: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* De eo ergo ait Christus: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Unde S. August. serm. 4. de S. Baptista: *Quisquis*, inquit, *Ioanne plus est non tantum homo, sed et Deus est.*

Pluris coram Deo est unus vir, unus Baptista, quam mille fœminæ, imo mille homines. Talis vir fuit inclytus ille Martyr, qui tanta animi celsitudine tyranno restitit, ut ne nomen quidem suum, vel gentis, vel civitatis voluerit edicere, sed ad omnia rogata tantum dixit: *Christianus sum.* Et Blandina, quæ in omnibus tormentis invicta, clamansque, Christiana sum, hoc ipso tormentorum dolorem leniebat, imo superabat. Testis Euseb. l. 5. hist. c. 1.

Talis vir fuit S. Athanasius, qui pro Deo et fide, toti orbi Arriano se opposuit, et de eo triumphavit.

Talis vir fuit B. Gregorius Nazian. qui in cælo habitans dicebat orat. 28. *Mihi omnis terra, et nulla terra patria est.*

Talis vir fuit S. Paulus, qui totum pene orbem Dei fide et religione imbuit et illustravit.

Tales viri fuerunt S. Chrysostomus, S. Basilius, S. Augustinus, S. Gregorius, S. Ambrosius, S. Leo, aliique qui pro Deo steterunt usque ad mortem, Deumque orbi propitiarunt. Plures tales viros recensui Exodi 6. in fine cap.

FACIENTEM IUDICIUM.) *Facientem* id quod rectum, æquum et iustum est secundum legem. Ita Theodoretus.

ET QUÆRENTEM FIDEM.) Hebr. *quærentem veritatem*, vel *fidelitatem*, qui scilicet fidelis sit Deo et hominibus. Unde sequitur, *quod si etiam*, q. d. Adeo perfidi sunt et mendaces Iudæi, ut etiamsi iurent per vitam veri Dei, id falso et simulate iurent, quasi me colentes, cum cor eorum sit a me aversum. Ita S. Hieron. Aliter Maldon. q. d. Si iuraverint per Deum viventem, data opera falsum iurabunt, ut illi faciant iniuriam.

Moraliter, disce hic quam ab hominibus exsulet fides. Vere Aristoteles apud Laert. *O amici nemo amicus.* Et Seneca in Hercule Oetæo:

> *Licet omne tua vulgus in aula,*
> *Centum pariter limina pulset:*
> *Cum tot populis stipatus eas,*
> *In tot populis vix una fides.*

DOMINE, OCULI TUI RESPICIUNT FIDEM.) *Fidem*, id est fidelitatem, ut dixi v. 1. Secundo, S. Hieron. Raban. Hugo et Dionys. intelligunt fidem qua credimus Deo. Tertio, S. Thom. *fidem*, inquit, id est id quod rectum est. Quarto, Theodor. *respiciunt fidem*, inquit, hoc est, q. d. Tu, o Domine, cuius oculis omnia conspicua sunt, scis me vera dicere, tu fidem facis dictis meis. Quinto, Pagninus et aliqui Hebræi Hebr. אמנה *emuna*, vertunt, *stabilitatem*, q. d. Tu, Domine, semper intentus es, ut res quas creasti, stabiles conserves: quod ergo Iudæos vis destruere, præter morem facis, et coguut te eorum scelera. Hic sensus aptus est, tertius aptior, primus aptissimus. Vers. 3.

PERCUSSISTI EOS, ET NON DOLUERUNT.) Hippocratis

aphorismus est: *Cum corpus ægrum vel afflictum suas plagas vel dolores non sentit, certum est signum mentem ægrotare*, laborare scilicet amentia, delirio, vel stupore. Ita vidi deliros, qui acria frigora et cruciatus non sentiebant. Pari modo Iudæi plagas Dei non sentientes, laborabant mentis stupore, et amenti pertinacia. Sic videmus pueros nequam contra flagella obdurare se, ac ea non curare, nec sentire, induereque quamdam αναλγησιαν sive indolentiam.

INDURAVERUNT FACIES SUAS SUPRA PETRAM.) Magis quam petra, petra duriores, effrontes et impudentissimi fuerunt. Sic latine *os durum*, dicitur impudentia.

Vers. 4. FORSITAN PAUPERES, id est plebei et tenuis conditionis, SUNT.) q. d. Forte est imperita multitudo, quæ legem Dei non didicit, quæque tarda est et rudi ingenio ad verba Dei capienda. Hi ergo in prævaricatione sua excusationem et veniam merentur: *Ibo igitur ad optimates*.

Vers. 5. CONFREGERUNT IUGUM legis, RUPERUNT VINCULA.) Mandatorum Dei.

Vers. 6. PERCUSSIT (percutiet) EOS LEO DE SYLVA.) Id est, Nabuchodonosor ex Syria quasi sylva, et Lybano sylvoso egrediens. Ita S. Hieron. Theod. et alii passim.

Pardus, leo, lupus, qui? Resp. Porro, *lupus* est Nabuzardan, ait Theodor. *pardus* est exercitus Chaldæorum.

Secundo, S. Hier. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. *Lupus*, inquiunt, significat Persas et Medos, ob ingluviem
I.
II. tum escarum, tum regnorum, a qua et semiasini sunt dicti, ut dixi Isaiæ 21. 7. *Pardus* est Alexander, ait S. Hieron. Raban. et Hugo, ob morum varietatem, et quia variis et plurimis sibi subditis gentibus contra Medos et Persas dimicavit. Unde et Daniel cap. 7. v. 6. eumdem pardo assimilat. Hic pardus est vigilans, quia Alexander veloci impetu ab Occidente ad Indiam usque omnia pervasit; Iudæos non vastavit, sed terruit; iisque supplicibus propter Iaddum pontificem pepercit. Ita Ioseph. 11. Antiquit. 8. Theodor. tamen, Lyranus et S. Thomas per *pardum* intelligunt Antiochum Epiphanem, qui valde Iudæos afflixit; unde quod sequitur, *Omnis qui egressus fuerit, ab eis capietur*, sic explicant: *ab eis*, scilicet a Romanis: post Græcos enim Pompeius, Cæsar, Vespasianus et Titus Iudæos ceperunt et vastarunt.

III. Et optime, leo, lupus, et pardus est Nabuchodonosor. Tertio et optime, Nabuchodonosor cum suo exercitu dicitur *leo* ob ferociam; idem vocatur *lupus* ob avaritiam et voracitatem: unus enim lupus innumeras perdit oves; unde vulgo dicitur, *Lupus non curat numerum;* idem vocatur *pardus*, ob capiendi dexteritatem et celeritatem. Ita S. Thom. Vatabl. Isidor. et Maldonat. Semper enim Ieremias minatur Iudæis Chaldæorum adventum, non Alexandri, non Antiochi Epiphanis.

LUPUS AD VESPERAM.) Septuag. vertunt, *lupus Arabiæ*, id est lupus prædo et latro; Arabes enim latrociniis erant infames. S. Hieron. *Lupus occidentis;* Vatablus, *lupus solitudinum* vel campestrium, hæc enim omnia significat Hebr. ערב si alia et alia puncta substituas; si enim ערב *ereb* legas, significat vesperam et occidentem; si ערב *arab*, significat Arabiam; si ערב *oreb*, significat solitudinem, inde enim mons et desertum Sina vocatur *Oreb*.

Lupi vespertini qui? Quæres, quis sit *lupus ad vesperam?* Putant aliqui esse certam et distinctam ab aliis luporum speciem, vel esse hyænam. Ita Guevara in Habacuc 1. sed hyæna non est lupus. Vide Delrio adagio 821.

Respondeo ergo τo *ad vesperam* esse epitheton commune lupis; quia enim lupi præ aliis bestiis voraces sunt, hinc per diem ob metum venatorum in antris latent ieiuni, ex quibus vespere, magna exciti fame, quasi rabidi ad prædam egrediuntur; diurna enim esurie efferati maxime sæviunt suntque celerrimi, ideoque vocantur vespertini. Ita Oppian. S. Hieron. Rabbini, Hugo, Vatabl. Dionys. Delrio iam citatus, Ribera et alii. Unde Arabicus vertit: *Discindent ventres eorum lupi vespere*, præ fame rabidi; Syrus vertit: *Ursi vesperarum confodient eos;* sed videtur esse mendum, ac pro דבא *deba*, id est ursus, legendum *diba*, id est lupus, ut habent Hebræa, Sept. et alii.

A Alii insuper lupi edaciores, nocte consumpta præda vespertina, mane ad prædam rursum egrediuntur, dicique possunt matutini.

Nota: Hebræi *vesperam* vocant noctem; lupi enim non vespere, sed ut Oppian. et alii (qui inde λυκον νυκτιπορον, id est, noctuambulonem vocant) noctu prædantur, et maxime media nocte, quia tunc pecora post nocturnum pastum et ruminationem usque ad mane quiescunt.

Hinc Virgil. 9. Æneid.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili...
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille, asper et improbus ira,
Sævit in absentes.

Et Statius l. 10. Thebaid.

Rapidi sic agmine mixto
Sub noctem coiere lupi.

Et Propert. l. 4.

Et sua nocturno fallere terga lupo.

Adde nocturnos dici lupos, quia lupi hoc habent singu- Lupus
B lare, quod oculorum acie tenebras evincant. Ita Ælianus dicitur
l. 10. 17. et alii. Unde Macrobius l. 1. Saturnal. 17. Lu- λυκος
pus, ait, απο της λυκης, id est a luce, græce dicitur λυκος, a luce,
id est lucens: et Apollo, id est sol, eius nomine dictus est quia noctc quasi
λυκος, quod tenebras sorbeat et expellat. Hinc et Græci in luce
primam lucem quæ solis ortum anteit, vocant λυκην a lu- videt.
po; unde Homerus matutinum crepusculum nuncupat αμφιλυκην νυκτα, eo quod tunc lupus videat, et prædatum exeat; quin et idem tempus exinde vocatur λυκοφως, lupi lux. Tunc enim lupi matutini quia voraces, rursum venatum egrediuntur: nam, teste Æliano, lupi etiam illuni nocte cernunt acutissime: licet Macrobius loco citato censeat Græcos primam lucem vocasse λυκην απο του λευκου, ab albedine, quia alba est et dicitur, indeque, inquit, λυκοφως cognominatur. Utrumque verum.

Porro Nabuchodonosor apte vocatur lupus vespertinus, id est nocturnus, quia noctu invasit et cepit Ierusalem, ut patet Ierem. 5. 6. et quia sæviit in Iudæos instar lupi C vespertini et famelici.

Tropol. lupi vespertini sunt dæmones, qui noctu maxime grassantur hominesque ad libidines, cædes aliaque scelera sollicitant. Ita S. Hier. in Habac. 1. v. 8. Item principes, Prælati et iudices avari et iniqui, de quibus ait Sophon. c. 3. 3. *Iudices eius lupi vespere*, quia *quasi in nocte nullo vidente omnia populantur, et cum luporum more cuncta diripiant, ne parvos quidem cibos indigentibus derelinquunt*, ait ibidem S. Hieron.

Maxime vero, teste Christo, lupi sunt hæretici. Nam, ut ait S. Ambros. in c. 10. Lucæ: *Lupi somnum canum, absentiam aut desidiam pastorum explorant. Nonne lupo hæretici isti comparandi sunt, qui insidiantur ovibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quam diurno?* Hinc et conventicula sua noctu agere eos in Belgio vidimus, et in Francia Arabum more latrociniis et cædibus grassatos esse scimus. Adhæc ovium speciem induunt, simulant se pietatis et veritatis amantes, ut decipiant, et tenebras menti offundant. Lucis ergo nomen D quasi lupi sibi arrogant, sed reipsa sunt nocturni et tenebricosi.

PARDUS.) Fera est sæva ut leo, pellem habet respersam Pardus
maculis, frondibus se occultat, et odorem gratum emit- qualis?
tit, quo dorcades, capreas, aliasque bestias ad se allicit, arripit, lacerat. Ita Plin. l. 8. c. 16. et Ælian. l. 5. c. 40.

Nota: Pro *vigilans* alii vertunt, *festinans*, celer, velox est. Hic est Nabuchodonosor, ut dixi, qui vigilat, id est observat civitates Iudæorum, dum eas arcte obsidet et excubat, ita ut nemo ex iis egredi possit, quin protinus ab eo capiatur.

Tropologice, pardus est dæmon, qui obiectis odoriferis deliciis, et pellis, id est speciei externæ, v. g. corporis muliebris, fucata varietate ac pulchritudine incautos decipit, et *circuit quærens quem devoret*.

CONFORTATÆ SUNT AVERSIONES (rebelliones) EORUM.) q. d. Valide contra me rebellarunt.

SUPER QUO, qua de causa, quo merito, quo titulo, quo Vers. 7.

respectu, PROPITIUS TIBI ESSE POTERO?) Quid habes A quod veniam et clementiam, ac non magis iram meam et indignationem provocet et accendat? Maldonatus et alii Hebraice אי לזאת *e lazot*, id est, super quo, accipiunt pro איך *ech*, id est quomodo.

Vers. 8. MOECHATI SUNT.) Proprie et corporaliter, patet ex seq. Ita Theod. Raban. S.Thom. Aliter Hugo, Lyran. et Dionys. *mœchati sunt*, inquiunt, spiritualiter cum idolis: ita ruunt ad idola, uti mœchi saturi ad meretrices.

EQUI AMATORES.) Hebr. מוזנים *muzanim*, id est saturi, bene pasti, indeque lascivientes, et, ut Noster vertit, *amatores;* quia æstu libidinis irruunt hinniuntque in fœminas. Unde Sept. vertunt: *Equi furentes in fœminas; muzanim* enim descendit a rad. זון *zun*, id est alere, pascere, saturare. Ita R. Iacob, Vatab. Pagnin. Unde et Chald. vertit, *equi robusti*, feroces vel efferati. Quare minus recte R. David Kimchi pro *muzanim* legit מיוזנים *mevuzzanim*, id est, ait, armati, phalerati, a rad. יזן *iazan;* hæc enim radix alibi non reperitur. Quare scribarum errore factum est, ut hic pro *muzanim* irrepserit *mevuzzanim,* B et in margine *meiuzanim*, ut recte advertit Forsterus, licet heterodoxus, in Lexico.

ET EMISSARII.) Sunt equi communes, qui servantur ad hoc, ut ad eos equas adducant, quas impleant. Hebr. משכים *moscechim*, quod ait S. Hier. Græci omnes vertunt ἑλκοντες, id est trahentes, scilicet genitalia præ magnitudine, in magnæ libidinis indicium, iuxta Ezech. 23. 20. *Quorum carnes sunt ut carnes asinorum.*

Secundo, Rabbini legunt *mescechim*, q. d. Prodeuntes ex regione Mosoch (qui fuit filius Iaphet, Genes. 10. 2.) id est ex Moscovia; vel, ut Ioseph. 1. Antiq. 11. ex Cappadocia: vel ut R. Abraham, ex Tuscia; vel potius ex Arabia iuxta Cedar, ut patet Ezech. 17. 13. inde enim equi fortes, et proni in fœminas prodibant.

Tertio, R. Kimchi, Vatabl. et Paguin. legunt משכים *maskim*, id est manicantes, a rad. שכם *sciacham*, id est mane surgere, q. d. Ut equi noctu somno et cibo pasti, mane cum exeunt, hinniunt ad equas: sic et Iudæi C ad fœminas.

Porro quanta sit equorum libido, et in equas ardor docet Aristot. l. 6. de Histor. animal. c. 22. Unde homines in Venerem proiecti vocantur ἱπποπόρνοι et dicuntur ἱππομανεῖν, id est instar equi ardere et furere. Unde S. Basilius l. de Virg. docet hominem creatum esse quasi centaurum, ut supera parte sit homo et rationalis, infera equus concupiscens et ardens cupiditate.

Vers. 10. ASCENDITE, o Chaldæi, milites mei, MUROS EIUS.) Hierosolymæ. Loquitur hic Deus quasi dux imperans Chaldæis, ut Ierusalem evertant.

CONSUMMATIONEM AUTEM NOLITE FACERE.) q. d. Ne penitus eam destruatis, ut reliquiæ serventur et salvæ fiant, Isaiæ 10. v. 20.

AUFERTE PROPAGINES EIUS, q. d. Nolite radicitus populum exstirpare, sed propagines tantum tollite, quæ NON SUNT DOMINI.) Puta improbos Iudæos, qui se idolis et dæmoniis tradiderunt, ideoque a Deo quem deseruerunt deserti sunt, ait S. Hieron. *Omnis* enim *plantatio*, D *quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur,* ait Christus Matth. 15. 13.

Secundo, quia Hebr. נטש *natas*, significat dimittere, extendere: hinc Septuag. vertunt: *Auferte sustentacula eius:* Chald. *palatia eius;* Vatabl. *dentes murorum eius*, id est minas seu pinnas, quæ e muris eminent ne hostes ascendant. Christoph. a Castro vertit: *Auferte dimissa* seu *derelicta a me*, ac consequenter, illa, cum non habeant dominum, erunt primo occupantis. Sic qui Deum dereliquit, hominum et dæmonum expositus est prædæ et dominio.

Tertio, Theodor. et Euseb. l. 2. Demonst. c. 53. repetunt ex Hebræo negationem *non*, *non faciatis*, non auferatis propagines eius, q. d. relinquite Zorobabel et aliquot alios, qui gentem Iudæorum propagent, ne intereat. Ita Theodoretus. Vel, ut Euseb. relinquite Christum et Apostolos in reliquias et fulcimentum Iudæorum.

DIXERUNT: NON EST IPSE.) Scilicet Dominus, qui habet nostri providentiam, qui nos puniat, si male; aut præmiet, si bene egerimus. Itaque non evenient mala, quæ nobis ipse minatur. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thomas, Lyranus. Vers. 12.

PROPHETÆ (scilicet Dei veri) FUERUNT IN VENTUM (id est frustra) tibi LOCUTI.) Quia noluisti eos audire. Ita S. Hieron. Rabanus et Hugo. Vers. 13.

Secundo, Theodor. et Vatabl. falsi prophetæ fuerunt in ventum locuti, id est inania et falsa tibi prædixerunt.

Tertio et optime, sic hæc accipias, ut pergant impii Iudæi loqui, dicantque: *Prophetæ*, ut Ieremias et alii, *in ventum*, id est inania et temere sunt locuti: *responsum*, id est oraculum Dei, *non fuit in eis: hæc ergo* mala quæ nobis minati sunt *evenient eis*, id est optamus ut eis eveniant, et in eorum recidant caput. Unde hebr. est *sic fiat eis*, scilicet sicut nobis comminati sunt: licet S. Hieron. τὸ *hæc ergo evenient eis*, putet esse verba Ieremiæ, q. d. *Hæc*, id est sequentes pœnæ, *evenient eis.*

ECCE EGO DO VERBA MEA IN ORE TUO IN IGNEM.) q. d. Ego inspiro tibi oracula efficacia instar ignis; quia efficio ut ore tuo, o Ieremia, prædicas certo certius venturum Nabuchodonosorem, qui efficaciter quasi ignis consumet populum, quem, quasi ligna igni deseram, et Chaldæis consumendum exponam. Vers. 14. Verba Prophetæ efficacia ut ignis.

Nota: Ita loquitur ac si Ieremias suis verbis eos sit combusturus, idque primo, ut significet efficaciam et certitudinem prophetiæ, retundatque illam vocem Iudæorum v. 13. *Prophetæ fuerunt in ventum locuti;* his enim ait Ieremiam non in ventum, sed in ignem vaticinari; secundo, ut significet Ieremiam non ex se vaticinari, sed ex Deo, adeoque eum loqui quasi in persona Dei, qui suo iussu et decreto populum quasi ligna traditurus erat igni, id est ultioni Chaldæor. Ita Vatab. Lyran. et Hugo.

Aliter S. Hieron. Raban. S. Thom. q. d. Intenta eis minas tam efficaces, ut sibi angi, exarescere, igníque comburi videantur, ut sit catachresis.

ADDUCAM SUPER (contra) VOS GENTEM DE LONGINQUO.) Ex Chaldæa. Vers. 15.

ANTIQUAM.) Quæ ab antiquo bellare, occidere, rapere didicit et consuevit; scilicet a tempore Nemrod, qui primus regnavit in Babylone, an. 170. post diluvium, uti ostendi Genes. 10. v. 18. Ex tunc ergo cœpit Chaldæorum imperium, quod una cum regno Assyriorum obtinuit Belus pater Nini, et sequentes Assyriorum reges pene usque ad Nabuchodonosorem.

CUIUS IGNORABIS LINGUAM.) q. d. Adducam contra te Chaldæos, gentem barbaram inintelligibilem, inexorabilem; nec enim tuas preces intelliget, nec tu eius postulata. Id minatus eis est Moses. Deut. 28. 49.

PHARETRA EIUS QUASI SEPULCRUM.) Id est *pharetra* Chaldæorum non satiabitur occisione, sicut nec sepulcrum patens saturatur, id est expletur cadaveribus. Ita Hugo, q. d. Chaldæi plurimos suis sagittis conficient. Ita Vatablus. Vers. 16. Pharetra Chald. vocatur sepulcrum quintupliciter.

I. Secundo, S. Thom. Ut sepulcrum patens, cadaverum horrore percellit: sic et sagittæ sanguine occisorum infectæ in pharetris Chaldæorum intuentes percellent.

II. Tertio, Lyranus, *pharetra*, id est per metonymiam sagittæ eorum, certo configent quos voluerint: sicut certo sunt mortui, quos excipit sepulcrum.

III. Quarto, a Castro et Theodor. *pharetra*, id est sagitta Chaldæorum, est *sepulcrum*, id est, est sepulcralis, funerea, lethifera, id est certo necem inferens, et in sepulcrum patens inducens.

IV. Quinto et planissime, *pharetra*, Chaldæorum est *sepulcrum*, id est formam et speciem habet sepulcri; sicut enim sepulcrum continet mortuos eosque consumit et incinerat sine fine et numero: sic pharetra eorum continet mortem, id est sagittas plurimas mortiferas, quæ plurimis mortem afferent, ita ut pharetra sepulcrum, sagittæ omnes mortui esse videantur. Significat ergo hæc phrasis Chaldæos sagittas habere fortes et penetrantes, eosque sagittandi esse peritissimos, ut quot habent sa-

gittas in pharetra, tot homines se interfecturos sciant. Ita Maldon. Quintus hic sensus plenissimus est, quia tertium et quartum involvit et complectitur. Sic S. Ambros. divites, qui pauperum fortunas absorbent, eorumque arcas, vocat *sepulcra pauperum.*

Universi fortes.) q. d. Nec id mirum, quia universi ipsi Chaldæi sunt viri fortissimi: sagittis ergo suis plurimos in mortem et sepulcrum adigent.

Devorabit.) Chald. occidet.

Vers 17. Conteret, hebr. ירשש *ierosces*, id est eradicabit, id est evertet, urbes tuas.)

Vers. 18 Non faciam vos in consummationem.) Non omnino vos consumam.

Vers. 19 Servistis deo alieno in terra vestra, sic servietis alienis in terra non vestra.) Opponit diis alienis dominos alienos, id est Chaldæos, quibus Iudæi servient. Rursum, terræ suæ opponit terram non suam: maior enim culpa fuit Iudæorum quod diis alienis in terra sua servierint, quam si id coacti a rege in aliena fecissent: hinc pariter maior eis fuit pœna servire in terra aliena, B quam in sua. Ita Maldon.

Annuntiate, o Prophetæ, hoc domui Iacob, id est duabus tribubus hæc dicite; unde explicat, subdens: Et auditum facite in Iuda.) Idem enim est Iuda et domus Iacob. Loquitur enim duabus tribubus; non autem aliis decem, utpote quæ iampridem in Assyriam abductæ erant.

Vers. 21. Audi popule stulte, qui non habes cor.) Qui non habes sensum, mentem, intelligentiam, sapientiam: qui insipienter, imprudenter et stulte loqueris et agis. Sic Osee 7. *Ephraim* vocatur *columba seducta non habens cor;* et Proverb. 11. *Qui despicit amicum suum, indigens corde est.*

Cor symbolum est sapientiæ. Nota: Cor symbolum est, et secundum Galenum sedes sapientiæ; unde Poeta:

Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iram,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Vers. 22 Me ergo non timebitis? ait Dominus.) Si enim ego Dominus vester, ubi timor meus?

Et a facie mea non dolebitis?) Non pœnitebitis; Chaldæor. *non contremiscetis;* Septuag. *non formidabitis.* Deus a peccatoribus duo exigit, scilicet timorem et pœnitentiam.

Qui posui arenam terminum mari.) q. d. Non timebitis me, qui tam validus sum, ut arena re exigua et infirma, quasi muro, totum mare omnesque eius fluctus coerceam?

Et commovebuntur (fluctus maris, ut sequitur) et non poterunt.) Non prævalebunt termino et littori suo, a Deo præstituto, ut illud transeant et transiliant.

Vers. 23. Populo autem huic factum est cor incredulum.) Hebr. est לב סורר ומורה *leb sorer umore*, id est cor recedens et amaricans; quia a me ad idola desciscunt, itaque me exasperant. Sept. καρδία ἀνήκοος καὶ ἀπειθής, cor non audiens, neque obediens. q. d. Insani maris fluctus mihi obediunt, littoraque et terminos sibi a me præstitutos transgredi non audent; Iudæi autem, cum sint homines sani et sapientes, mihi rebellant, mihi inquam, qui sum potens æque ac liberalis in eos, adeo ut statam perennemque eis dem pluviam, fruges et messem. Unde sequitur:

Vers. 24 Qui dat nobis pluviam temporaneam, id est autumnalem tempore sementis; et serotinam.) Id est vernam ad messem. Vide dicta c. 3. v. 3.

Quadruplex huius loci versio. Plenitudinem annuæ messis custodientem nobis.) Clare vertit Interpres; Hebræa enim sic habent ad verbum: *Qui*, scilicet Deus, *hebdomadis statis messem* (scilicet integram) *servat nobis.*

I. II. Secundo, Aquila, Symmach. et Vatabl. vertunt: *Qui hebdomadas statutas* (a se et a natura) *messis custodit nobis*) scilicet hebdomades septem, quæ a Paschate sunt usque ad Pentecosten. Pentecoste enim erat festum hebdomadum, in eaque erat apud Iudæos tempus messis; unde ipsi tunc panes primitiarum offerebant. Hic sensus huic loco valde proprius est, eique favent Septuag. et Chald.

III. Hinc tertio, plenius Maldon. sic vertit: *Qui* (scilicet Deus) *hebdomadas præceptorum custodit nobis*, id est reservat nobis serenum tempus ac sudum spatio septem hebdomadum, quas nos ab oblatione primarum frugum in Paschate, usque ad Pentecosten numerare et observare præcepit, ad eius providentiam conciliandam, itaque maturandam messem triticeam, utque illa nulla tempestate lædatur.

IV. Quarto, alii vertunt: *Qui iuramentis statutis servat nobis messem* (Hebr. enim שבוע *sciabua*, significat, primo, septem; secundo, hebdomadam; tertio, iuramentum: quia olim iurabant per septem, uti dixi, Genes. 21. vers. 29. et Genes. 26. 33.) id est, qui iuxta promissa et iuramenta sua Genes. 8. v. 22. Levit. 26. 3. custodit nobis messem.

Vers. 25. Iniquitates vestræ declinaverunt hæc.) Averterunt, scilicet statam pluviam et messem a vobis, uti dixi c. 3. 3. Ita S. Hieron. et Theodor.

Vers. 27. Sicut decipula plena est avibus.) *Decipulam* vocat caveam aucupum, in qua ipsi collocant aves cicures, ut alias sua specie et cantu ad se alliciant, itaque illæ in caveam ingressæ capiantur. Unde cavea dicitur *decipula*, eo quod aves decipiat, q. d. Sicut decipula aucupum plena est avibus tum decipientibus tum deceptis: ita domus Iudæorum plenæ sunt dolo, id est usuris et fraudibus, itemque bonis per usuras et fraudes partis. Ita S. Hier. et Theodor. et patet ex sequent.

Vers. 28. Præterierunt sermones meos pessime.) q. d. Leges C meas violarunt pessimis et sceleratissimis suis moribus. Noster Interpres legit דברי *debarai*, id est sermones meos; iam aliis punctis legunt דברי *dibre*, idque connectunt cum seq. רע *ra*, id est *malitiæ*. Unde Maldonatus vertit: *Præterierunt verba malitiæ*, id est tam male vixerunt, ut nullis verbis eorum improbitas explicari possit; Vatablus vero, Pagnin. et Kimchi vertunt: *Superarunt res et facta malitiæ*, id est pessimi cuiusque.

Vers. 30. Stupor et mirabilia; hebr. *Stupor et turpitudo;* Septuag. *Stupor et horribilia;* Chald. *Admiratio et fœditas*, id est res stupendæ et fœdissimæ, facta sunt in terra.) Puta in Iudæa: nimirum, Prophetæ et sacerdotes, qui populo debebant esse duces ad bonum, facti sunt ei duces ad malum.

Vers 31. Et sacerdotes applaudebant.) Sic et Sept. et Theodot. sed Vatabl. Pagnin. Kimchi, et Isidor. vertunt: *Sacerdotes accipiebant munera in manibus suis*, vel, *per manus eorum*, scilicet falsorum prophetarum, quia scilicet participes fiebant eorum quæ a populo donabantur, et D exigebantur a pseudoprophetis.

Tertio, alii vertunt: *Et sacerdotes dominabantur* (populo) *per manus eorum*, quia scilicet pseudoprophetæ faciebant populum sacerdotibus ad omnia etiam iniqua obsequentem.

Quid igitur fiet in novissimo eius?) Quis erit finis, quæ merces tantorum scelerum? nimirum digna et iusta merces erit, extrema calamitas et excidium gentis per Chaldæos. Ita S. Hieron. Theodor. Hugo, Raban. et alii.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proposita crudelitate Chaldæorum, invitat Iudæos ad pœnitentiam; sed frustra, quia ipsi protervi a Deo reprobantur. Quare primo, Chaldæis quasi classicum canit ad expugnationem Hierosolymæ. Secundo, v. 6. eam vocat urbem visitationis, id est punitionis. Tertio, v. 9. ait eam racemandam esse. Quarto, v. 12. direptionem eis intentat ob avaritiam. Quinto, v. 16. hortatur ut vias patrum antiquas considerent. Sexto, v. 20. respuit eorum victimas. Septimo, v. 23. Chaldæorum ferociam describit. Octavo, v 27. Iudæos inexpiabiles et incorrigibiles vocat argentum et æs reprobum. Nota. In Ieremia est continua quasi declamatio contra peccatum. Hoc enim esse facem incendii urbis et templi, ac excidii Gentium omnium, passim ipse vociferatur, et ad ravim nauseamque pene ingeminat.

1. CONFORTAMINI filii Beniamin in medio Ierusalem, et in Thecua clangite buccina, et super Bethacarem
levate vexillum: quia malum visum est ab aquilone, et contritio magna. 2. Speciosæ et delicatæ assi-
milavi filiam Sion. 3. Ad eam venient pastores, et greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu: pa-
scet unusquisque eos, qui sub manu sua sunt. 4. Sanctificate super eam bellum: consurgite, et ascendamus in me-
ridie: væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi. 5. Surgite, et ascendamus in no-
cte, et dissipemus domos eius. 6. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum eius, et fundite circa Ie-
rusalem aggerem: hæc est civitas visitationis, omnis calumnia in medio eius. 7. Sicut frigidam fecit cisterna a-
quam suam, sic frigidam fecit malitiam suam: iniquitas et vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas
et plaga. 8. Erudire Ierusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam terram inhabitabi-
lem. 9. Hæc dicit Dominus exercituum: Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel: converte
manum tuam quasi vindemiator ad cartallum. 10. Cui loquar? et quem contestabor ut audiat? ecce incircumci-
sæ aures eorum, et audire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient il-
lud. 11. Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens: effunde super parvulum foris, et super consilium
iuvenum simul: vir enim cum muliere capietur, senex cum pleno dierum. 12. Et transibunt domus eorum ad al-
teros, agri et uxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. 13. A mino-
re quippe usque ad maiorem omnes avaritiæ student: et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.
14. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, Pax, pax: et non erat pax. 15. Confusi
sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt: quam ob
rem cadent inter ruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. 16. Hæc dicit Dominus: State
super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea: et invenietis refri-
gerium animabus vestris. Et dixerunt: Non ambulabimus. 17. Et constitui super vos speculatores. Audite vocem
tubæ. Et dixerunt: Non audiemus. 18. Ideo audite gentes, et cognosce congregatio, quanta ego faciam eis. 19. Au-
di terra: Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius: quia verba mea non audie-
runt, et legem meam proiecerunt. 20. Ut quid mihi thus de Saba affertis, et calamum suave olentem de terra lon-
ginqua? holocautomata vestra non sunt accepta, et victimæ vestræ non placuerunt mihi. 21. Propterea hæc di-
cit Dominus: Ecce ego dabo in populum istum ruinas, et ruent in eis patres et filii simul, vicinus et proximus pe-
ribunt. 22. Hæc dicit Dominus: Ecce populus venit de terra aquilonis, et gens magna consurget a finibus terræ.
23. Sagittam et scutum arripiet: crudelis est, et non miserebitur: vox eius quasi mare sonabit: et super equos a-
scendent, præparati quasi vir ad prælium, adversum te filia Sion. 24. Audivimus famam eius, dissolutæ sunt ma-
nus nostræ: tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem. 25. Nolite exire ad agros, et in via ne ambule-
tis: quoniam gladius inimici, pavor in circuitu. 26. Filia populi mei accingere cilicio, et conspergere cinere: lu-
ctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos. 27. Probatorem dedi te in po-
pulo meo robustum: et scies, et probabis viam eorum. 28. Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudu-
lenter, æs et ferrum: universi corrupti sunt. 29. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra
conflavit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. 30. Argentum reprobum vocate eos, quia Domi-
nus proiecit illos.

Vers. 1. CONFORTAMINI, FILII BENIAMIN, IN MEDIO IERUSALEM.) Ut resistatis Chaldæis. Loquitur ac si Chaldæi iam adessent, ut obsiderent Ierusalem, et ac si dux cives ad urbis defensionem hortaretur. Ita Hugo, S. Thom. et Lyranus. Est ironia. Sciebat enim Ieremias, Chaldæos urbem expugnaturos, nec Iudæos posse eis resistere. Secundo, Chald. Vatablus et Pagninus Hebræum העזו *haizu*, a rad. עז *uz*, id est confugere, deducentes, vertunt: *Fugite de medio Ierusalem in arcem Sion*, vel loca tuta, quia hostis adest.

FILII BENIAMIN.) Quia, ut ait S. Hier. Ierusalem erat in tribu Beniamin, Iosue 18. 28. sed Beniamin commistus erat cum Iuda: unde arx Sion dicta est *civitas David*, qui erat ex Iuda. Nominat potius *Beniamin* quam Iudam, quia Ieremias erat ex Anathoth vico Beniamin, unde cives suos alloquitur.

IN THECUA CLANGITE BUCCINA.) *Thecua* urbs erat non A in tribu Zabulon, ut censuit Epiphan. sed in Iuda et Beniamin, sita in monte, sex millibus passuum distans a Bethlehem, et duodecim a Ierusalem: ex qua oriunda fuit sapiens illa mulier Thecuitis, quæ pro Absalone Davidem exoravit, 2. Reg. c. 14. v. 1. huic urbi adiacebat desertum Thecuæ vastissimum, ait S. Hieron.

Quæres, Cur in Thecua clangi iubet? Respondet Lyranus: Quia Thecua erat ad Aquilonem Ierusalem, unde venturus erat Nabuchodonosor. Sed fallitur. Nam S. Hieronym. asserit Thecuam fuisse ad Meridiem Hierosolymæ. Respondeo ergo: Causa vera est, Quod Thecua munitissima erat et situ, utpote in monte, et muris, et armamentario hastarum, quod ibi constituit Roboam 2. Paral. 11. 12. q. d. Ibi delectum facite, ibi ex armamentario arma depromite ad repugnandum Chaldæis. Nota: In Hebræo pulchra est paronomasia, in Thecua תקעו *tiku*, q. d. In tuba tubilicate.

Vers. 2. Et super Bethacarem levate vexillum.) *Bethacarem* vicus est medius inter Ierusalem et Thecuam in monte: a vinetis dictus est *Bethacarem*, id est domus aut villa vineæ, q. d. O Hierosolymitæ, arma corripite, et in Thecua clangite, et in Bethacarem levate vexillum, colligite milites ad resistendum hosti.

Nota: Pro *vexillum*, hebr. est משׂאת *maset*, id est elevatio; Septuag. vertunt, *signum;* Pagninus, *turrim;* Vatablus, *ignem et fumum*, ut scilicet eo in altum elevato, moneant vinitores et agricolas hostem adesse, ut se in urbem et tuta loca recipiant.

Speciosæ et delicatæ mulieri assimilavi filiam Sion.) Ita vertunt S. Hieron. Chald. et Theod. sed Kimchi, Vatablus et Pagninus pro *speciosæ*, vertunt: Mulieri quæ habitat in tentorio suo cum summa tranquillitate: utrumque enim significat Hebræum נוה *nava*, q. d. Filiam Sion, id est Ierusalem, similem feci mulieri pulcherrimæ, ob ædificia et arcem Sion pulcherrimam; et delicatæ, quia cives eius ditavi; unde ipsi divites in deliciis vivunt, q. d. Sicut mulieres delicatæ, teneræ et pulchræ, consternantur ad hostis et tubæ sonum: ita et Hierosolymitani ad adventum Nabuchodonosor percellentur, quia otio et deliciis assueverunt. Ubi Nota, *τὸ assimilavi* tam significare, similem effeci, quam similem esse pronuntiavi, iuxta can. 29.

Vers 3. Ad eam venient pastores, id est principes et duces Nabuchodonosor, et greges, id est turmæ et exercitus eorum: quisque principum pascet, id est reget, eos qui sub manu sua sunt.) Ut figant tentoria sua circa Ierusalem ad eius obsidionem. Ita S. Hieronym. Theodoret. et Chaldæus.

Nota: Pro רעים *roim*, id est *pastores*, legi potest *reim*, id est amatores, venient, q. d. Chaldæi, quasi amasii, per gladios et tela ruent, ut potiantur Sion quasi sponsa tam speciosa et opulenta.

Secundo, pro *pascet unusquisque eos qui sub manu sua sunt,* hebr. est, *pascet quisque manum*, id est aciem et turmam, *quæ sub eius est manu*, id est potestate ac imperio. Ita S. Hieron. et Theodoretus. Aliter Kimchi, Pagninus, et Vatabl. *Manum*, inquiunt, id est locum suum, *quisque principum depascet*, id est, quisque suam urbem vel locum urbis sibi assignatum expugnabit.

Vers. 4. Sanctificate.) Id est, solemni et publico ritu bellum hoc contra Iudæos quasi sacrum indicite, et, ut Septuag. ac Chaldæus vertunt, *præparate;* Syrus et Arabicus, *parate, congregate.* Sic *sanctificare ieiunium,* Ioel. 1. 14. est solemne et sacrum ieiunium omnibus indicere. Verba sunt Chaldæorum, quæ ideo Propheta recitat, ut ostendat quam avide contra Ierusalem pugnaturi sint, ut non tantum die, sed et nocte contra eam dimicent.

Bellum contra Iudæos sanctum erat tripliciter. Nota, Chaldæos bellum contra Ierusalem vocare sanctum. Primo, quia censent se pro Deo eius iniurias ulcisci, eique quasi restituere honorem et sanctitatem, puniendo eius violatores Iudæos.

I. II. Secundo, quia erant quasi Dei milites et consecrati sacerdotes, ut eius sanctam voluntatem et iustam sententiam implerent, ut scilicet Iudæos, quasi hostias piaculares, Deo iugularent. Ita S. Hieron. et D. Thom.

III. Tertio, vocant hoc bellum sanctum, id est, quod violare, a quo discedere non licet, nisi facta ultione: sicut muri dicuntur sancti, quos transilire non licet. Unde, Ascendamus, inquiunt, in meridie et in nocte, id est, etiamsi urgeat æstus, etiamsi nox gelida, urgeamus oppugnationem. Ita Lyran. Bellum, inquit, hoc erat sanctum, id est firmum et inviolabile.

Nota: Hanc Dei voluntatem de punienda per Chaldæos Ierusalem, intelligere potuerunt Chaldæi ex Script. Ieremiæ v. 5. et 6. et aliorum Prophetarum. Unde Nabuchodonosor capta Ierusalem, omnia quæ Ieremias petiit, ei indulsit, c. 35. v. 11.

Cyrus et Alexander ex Isaia et Daniele Sic Cyrus ex Isaia sibi a Iudæis ostenso, cognovit se monarchiam Babylonis eversurum, ut dixi Isaiæ 45. v. 11. Sic Alexandro victoriam contra Persas ex prophetia Danielis promiserunt Iudæi, et Iaddo pontifex in visione ei A apparens hortatus est eum ad idem bellum, eique Asiæ imperium addixit, teste Iosepho 11. Aut. 8. præsciverunt suas victorias.

Nota secundo, hanc Dei voluntatem non dedisse ius aut potestatem Chaldæis invadendi Iudæos, sed præsupposuisse eorum tyrannidem et dominandi libidinem, eaque uti voluisse, eamque ordinasse ad punitionem Iudæorum. Est itaque hic et alibi tantum prophetia seu prædictio futuræ per eos vastationis, eiusque ordinatio ad punienda Iudæorum scelera. Sic Totila, Gensericus, et alii fuerunt flagellum Dei, uti nunc sunt Turcæ.

Adde, etiamsi fuisset Dei voluntas iubens Chaldæis ut everterent Ierusalem; Chaldæos tamen, non ut Dei voluntati, sed ut suæ ambitioni satisfacerent, invasisse Ierusalem. Vide can. 36.

Væ nobis.) Sunt Chaldæorum verba, ut dixi, dolentium valde ex nimio desiderio capiendæ Ierusalem de expugnationis mora, q. d. Væ nobis, quia non expugnavimus Ierusalem ante vesperam cum longiores sunt umbræ; surgite, ascendamus rursum nocte, ut rem conficiamus. B Ita Theodor. Hugo, Lyranus, Vatablus. Aliter S. Hieronym. S. Thom. et Sanchez explicant, ut sint querelæ et verba populi obsessi, q. d. Si per diem hæc patimur, quid de nocte in tenebris, cum nullus fugæ aut pugnæ est locus, patiemur? Insuper Sanchez per meridiem accipit prosperitatem, per noctem adversitatem. Hoc mysticum videtur.

Quia hæc dicit Dominus.) Chaldæis. Innuit Deum Chaldæos adduxisse, eisque per naturalem instinctum et dictamen artis bellicæ suggessisse modum capiendi Ierusalem, dicendo: *Cædite lignum eius*, id est arbores quæ circa Ierusalem suat, ut ex lignis aggeres faciatis, ex quibus contra eam dimicetis. Vers. 6.

Hæc est civitas visitationis.) Id est punitionis: Chald. cuius peccata visitantur, q. d. Hæc urbs punienda est a Deo, et pœnæ ac excidio addicta, est piaculum, est catharma: quia omnis calumnia, oppressio et iniustitia regnavit in ea.

C Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam (cisterna enim aquam infrigidat, itaque conservat) sic frigidam fecit Ierusalem malitiam suam.) Scilicet in operibus sui malis omnem calorem virtutis, et vitam gratiæ exstinguens. Ita S. Hieron. Secundo, sicut cisterna, ait Theodor. mutat pluviam, et aquam etiam calidam in frigidam: ita Ierusalem bonitatem mutavit in malitiam. Chald. Sicut cisterna sustentat et conservat frigidam: ita Ierusalem recipit, fovet et tuetur (datque asylum) impios. Quarto et nervose, Sanchez: Sicut cisterna lapidea in hieme stringit et conglaciat aquam in se stantem, et quasi stagnantem: ita Ierusalem, et quivis animus, in quo aliquamdiu insedit peccatum, concrescit in glaciem, aut instar crystalli vel adamantis ita durescit, ut neque ab igne aut sole emolliri, neque malleo conteri et frangi queat: ea est vis consuetudinis, præsertim diuturnæ et inveteratæ. Hinc et Galfridus, et ex eo Delrio adagio 825. *Frigidam*, inquit, *facit cisterna aquam, quoties in quadam* D *insensibilitate perpetratam conservat mens obstinata malitiam.* Nec tantum conservat, sed et auget instar cisternæ; quæ quo profundior est, eo plures et frigidiores habet aquas: ita obstinatus profunde peccatum in corde defodiens, illud adauget, præsertim hæreticus, ait Hugo: hic enim auditores infrigidat, esto zelum præ se ferat. Vers 7.

Notat S. Thomas, peccatum diei *frigus*, primo, quia exstinguit calorem dilectionis; secundo, quia congelat humorem devotionis; tertio, quia retardat motum bonæ operationis; adde quarto, quia inducit gelu obdurationis. Peccatum est frigus, cur?

Nota secundo, Hebr. הקיר *hakir* a rad. קור *kur*, significat venam aquæ fodere, scaturire, ebullire. Unde secundo, sic efficacius verti potest: Sicut fons vel puteus fundit, ebullit et scaturire facit perennem aquam frigidam: sic Ierusalem perennem fundit et ebullit malitiam. Ita R. Salomon, Kimchi, Pagnin. Vatabl. Lyran. et Maldonat.

Iniquitas.) Hebr. חמס *chamas*, id est violentia, vis, rapina.

VASTITAS.) Hebr. שׁוד *sciod*, id est, vastatio, spoliatio, qua scilicet potentes opprimunt pauperes, semper est in Ierusalem: sicut aqua semper est in puteo. Aliter Sanchez: censet enim hæc quatuor attribui Deo punienti; iniquitatem enim sumi pro iniquitatis supplicio.

CORAM ME SEMPER INFIRMITAS.) Septuag. *dolor*, quem scilicet sustinent pauperes afflicti et attriti a potentioribus.

ET PLAGA.) Hebr. מכה *macca*, id est percussio qua potentes feriunt et flagellant pauperes, q. d. Iugiter video Iudæos affligere et percutere pauperes et innocentes. Enumerat scelera Ierusalem. Chald. tamen et Hugo, duo ultima, scilicet *infirmitas et plaga*, quibus scilicet percutiam Ierusalem; referunt ad pœnam duorum scelerum præcedentium, scilicet iniquitatis et vastitatis.

Vers. 8. ERUDIRE, IERUSALEM, resipisce, ad mentem redi, mores commuta, NE FORTE RECEDAT ANIMA MEA A TE.) *Anima*, id est, affectus, amor, favor, cura, q. d. Ne te abiiciam, tradamque hostibus vastandam.

Vers. 9. USQUE AD RACEMUM COLLIGENT.) q. d. Sicut post vindemiam racemi reliqui leguntur in cartallo, id est canistro, ut ferantur ad torcular, vel potius ut comedantur: ita plerique omnes Iudæi, etiam qui alias captivitates sub Ioakim et Ioachin evaserint, sub Sedecia captivi trahentur in Babylonem. Ita S. Hieronymus.

CONVERTE MANUM TUAM AD CARTALLUM.) Sunt verba Dei ad Chaldæos, ait Lyran. vel Chaldæorum ad se invicem, ut subaudiatur, *dicentes, converte, etc.*

Pro *cartallo*, Lyran. vertit, *iteratas scrutationes*, quasi hortentur se Chaldæi, ut secundo et tertio scrutentur vineam, id est, Ierusalem, an qui racemi, id est, cives, sint reliqui, q. d. Sicut vindemiator postquam vindemiavit redit, et racemat, id est, colligit racemos, si quos reliquerat in cartallo, id est canistro: sic Chaldæi, cum primores civitatis captivos duxerint, ducent etiam infimos quosque. Ita Maldonat.

Tropologice, hic vindemiator et racemator est dæmon, qui semper *circuit quærens quem devoret*, ut residuos homines vel opera bona quæ prius præterierat, disperdat.

Vers. 10. CUI LOQUAR? Verba sunt Dei, vel Ieremiæ, q. d. Cum hæc ita sint uti vociferor, frustra tamen eis loquar, quia AURES EORUM sunt INCIRCUMCISÆ.) Chald. obturatæ, ideoque ad audiendum ineptæ. Vide dicta c. 4 v. 4.

VERBUM DOMINI FACTUM EST EIS IN OPPROBRIUM.) Id est, rident illud, et habent probro ac contumeliæ.

Vers. 11. IDCIRCO FURORE DOMINI PLENUS SUM.) Possunt hæc accipi quasi verba Dei, q. d. Quia tanta est Iudæorum malitia, idcirco furore Domini, id est ira vehementi, plenus sum: ita ut in corde meo eam cohibere et compescere nequeam; do ergo illi habenas: quare ensem evaginabo, distringam illum, et effundam naso flatum, vultu flammas, manu hostium meorum sanguinem. Sed verius est, hæc esse verba Prophetæ, q. d. Nolunt viri audire verbum Dei; ideo indignor, et furore, id est zelo iustitiæ, angor, vim facio ut verbum Domini apud me contineam, sed non valeo. Addit Sanchez: Furor, ait, est vehemens ille spiritus, qui Prophetæ animum ad prophetandum exstimulat, urget nec sinit esse quietum. Unde et Cicero lib. 1. de Divinat. *Inest*, inquit, *animis præsagitio intrinsecus iniecta, atque inclusa divinitus: ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur.* Verum Gentilium fuit iste cæcus et impotens, utpote a dæmone abreptitiorum, furor in divinando, non Prophetarum Dei, uti dixi in proœmio. Furor ergo hic est ira et zelus vindictæ Ieremiæ aspiratus a Deo, ad arguendum sceleratos, eisque intentandum minas et plagas cælestes.

LABORAVI SUSTINENS, id est, non possum me continere; hinc mihi ipsi dico: EFFUNDE, o Ieremia, hunc furorem et funestum verbum Domini in PARVULOS, et in CONCILIUM, id est, congregationem, IUVENUM.) Ut ipsi illud patribus et avis narrent; aut saltem sciant et doleant, se cum patribus rebusque omnibus capiendos. Septuag. addunt: *Et non consumpsi eos.*

Vers. 12. EXTENDAM MANUM MEAM.) Percutiam incolas Iudææ.

Vers. 13. QUIPPE OMNES AVARITIÆ STUDENT.) *Omnes*, id est plerique, multi. Nota τὸ *quippe*: dat enim causam præcedentium, significatque avaritiam Iudæorum, usuras et fraudes, causam esse cur eorum domus et bona diripienda sint a Chaldæis. Ita excubat Dei iusta vindicta, ut in quo quis peccat, in eo et puniatur: rapis bona proximi, scito alium quoque tua direpturum: calumniaris, calumniam patieris; occidis, occideris.

Vers. 14. ET CURABANT Prophetæ et sacerdotes, id est curare et avertere nitebantur, CONTRITIONEM.) Id est plagam, puta vastationem et captivitatem imminentem et incipientem. Rursum curare, id est consolari, nitebantur *contritionem*, id est dolorem, quem ex instante vastatione, quam illi comminabar, populus concipiebat. Sed *cum ignominia*, id est, ignominiose; Chald. *mendaciter*; Vatabl. *verbis leviculis*, quasi per iocum; Septuag. *parvipendentes* vel contemnentes, scilicet minas meas et Prophetarum, vel *cum ignominia*, id est ad ignominiam, uti vertit Noster c. 8. 11. et confusionem, qua populus ab eis deceptus confundetur et pudefiet; dicunt enim: Pax erit nobis, non veniet Nabuchodonosor; sed mentiuntur. Quocirca *dum repromittunt prospera, et clementem prædicant Deum, magis illos supplicio et iracundiæ præparant*, ait S. Hieron. Unde pudefient omnes, cum se falsos, ac reipsa vastari capique videbunt. Vere S. August. in Sententiis n. 78. *Sicut præpostera securitas in periculum impellit, ita ordinata sollicitudo securitatem parit:* et n. 199. *Numquam secura esse debet felicitas, quia periculosiora sunt animo secura quam corpori adversa: prius enim corrumpunt prospera, ut inveniant adversa quem frangant.*

Vers. 15. CONFUSI SUNT.) Confundentur in vastatione futura. Ita Lyranus et S. Thomas; vel, ut Theodoret. *confusi sunt*, quia tunc patebit eos falso dixisse, Pax erit Iudæis.

QUIN POTIUS CONFUSIONE NON SUNT CONFUSI.) Quia, cum eos scelerum et cladium imminentium admonui, non eos puduit, non pœnituit.

Secundo, S. Hieron. Raban. Hugo, Pagninus et Vatablus apte legunt per interrogationem: Numquid confusi sunt cum tot abominationes fecerint? numquid erubuerunt? et respondet: Quin potius confundi et erubescere nescierunt.

Huc pertinet explicatio Sanchez, qui assertive legit, sed sic explicat: *Confusi*, id est confusione digni *sunt*, sed actu et reipsa *non sunt confusi*, q. d. Confundi debuissent Iudæi, si sua scelera, ut par est, perpendissent, et ponderassent; sed tanta est eorum nequitia aut stupor, ut nolint aut nesciant confundi, vel erubescere.

IN TEMPORE VISITATIONIS.) Cum eos puniam. Prophetæ enim sæpe *visitare* ponunt pro punire per metalepsin: prætor enim dum visitat sontes, eos plectit.

Vers. 16. HÆC DICIT DOMINUS: STATE SUPER VIAS.) q. d. Speculamini et considerate vias, id est, vivendi rationes, et *semitas antiquas*, id est, quomodo vixeriut maiores vestri et patriarchæ, ac imitamini fidem Abrahæ, Isaaci obedientiam, Iacobi labores, Iosephi castitatem, Mosis mansuetudinem, Iobi patientiam, Davidis sanctitatem. Ita S. Hieron. Theodor. Raban. Hugo et Vatabl. Vere Poeta:

Qui veteres linquit calles, sequiturque novatos,
Sæpius in fraudes incidet ille suas.

Secundo, S. Thomas, Lyran. et Dionys. q. d. Speculamini quasi ex edito loco, quæ sit optima via ac vivendi ratio considerate maiorum vestrorum et bonorum et malorum bonos vel malos, felices vel infelices exitus; et videte an bonos sequi cum bono exitu, an malos cum malo velitis.

Hæc verba sibi dicta putent singuli fideles, Christianus es? speculare vias antiquas, vide quomodo vixerit Christus et primi Christiani, quam fuerint humiles, sobrii, amabiles, patientes, zelosi, eosque imitare. Pastor es? Episcopus es? speculare vias antiquas, vide quomodo vixerint Apostoli, et primi pastores ac Episcopi, S. Ignatius, Polycarpus, Dionysius, etc. vide quomodo non sua lucra, non suos honores quæsierint, sed fidelium saluti se totos, vitamque ipsam per martyrium impenderint, eosque imi-

tare. Religiosus es? speculare vias antiquas, quomodo vixerit S. Marcus, Esseni, S. Antonius, S. Basilius, S. Hieronymus, S. Bernardus, Dominicus, Franciscus, S. Thomas, quam mortui fuerint et crucifixi mundo, quam eorum vita et conversatio fuerit angelica et cælestis, eosque imitare.

Vers. 17. Et constitui super vos speculatores.) Prophetas et doctores, qui futura prævident et prænuntiant, ut eorum vocem quasi tubam meam audiatis. Ita S. Hieron. Chald. et Theod. Alii, ut Vatab. sic exponunt, q. d. Speculatores, id est Prophetæ, prænuntiant vobis vocem Chaldæorum tuba concrepantium; illam ergo tubam audite.

Vers. 18. Cognosce, congregatio, scilicet omnium gentium, quanta ego faciam eis.) Hebr. *quæ eis*, scilicet Iudæis, supplicia a me immineut.

Vers. 19. Fructum cogitationum.) Chald. retributionem operum, id est, supplicia machinationibus eius digna infligam.

Vers. 20. Ut quid mihi thus de Saba affertis?) Thus enim gignitur in Arabia Sabæa. Porro omnium gentium usu thus adoletur Deo: unde thus dicitur απο του θυειν, a sacrificando. Alludit Saba (imo nonnulli putant hoc eius esse etymon) ad σεβειν et σεβεσθαι, id est venerari et revereri: quia thus mittit, quo Deum veneramur. Hinc et Sabim Arabes Deum appellant, illique decimas mensura, non pondere persolvunt, sicut prisci Italiæ indigenæ et Aborigenes, a religione et deorum cultu dicti sunt Sabini quasi Sebini, απο του σεβειν, ait Plinius l. 3. c. 12. licet Silius l. 3. a Sabo gentis auctore Sabinos dici putet. Sunt qui dicant Saba, Arabum lingua significare mysterium. Hebr. Saba significat conversionem, uti Sabæi ab idolis dicuntur convertendi ad Christum, Isaiæ 60. 6. Ita S. Hieron.

Et calamum suave olentem, id est, calamum aromaticum, de terra longinqua.) Afferebatur enim ex India, inquit S. Hieron.

Nota: Pro *calamo* Septuag. et Theodotion vertunt cinnamomum. Sed קנמון *kinnamon*, id est cinnamomum (unde perperam nonnulli *cinnamomum* dictum putant quasi *Chinæ amomum*, præsertim cum non e China, sed ex India advehatur) a קנה *kane*, id est calamo, distinguitur Exodi 30. 23. Alii calamum putant esse cannam, sive casiam fistulam; sed ab hac pariter distinguitur calamus, Exodi 30. 23. Ex quo loco patet, hic calamum aromaticum accipi debere: ex eo enim cum cinnamomo, myrrha, casia et oleo commixto, fiebat non thymiama, sed unguentum, quo ungebantur et consecrabantur, tam sacerdotes, quam vasa tabernaculi, uti dixi Exodi 30. 23.

Iam sensus est, q. d. Frustra ex lege mihi offertis holocausta, thus et unguenta vestra, quia meam voluntatem in lege expressam non facitis: ego enim magis morum emendationem, quam sacrificiorum et unguentorum oblationem specto et iubeo. Ita S. Hieron. Idem habet Isaias cap. 1. v. 11. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? etc.*

Vers. 21 Dabo in populum istum ruinas.) Strages scilicet et clades, in quas incident et corruent. Potest secundo, esse hypallage: *Dabo in populum ruinas*, id est, dabo populum in ruinas, quibus prosternetur et corruet. Sic dicunt Hebræi: Miserunt civitatem in ignem, id est, miserunt ignem in civitatem; Habuerunt calceamenta in pedibus, id est habuerunt pedes in calceamentis.

Vers. 23. Præparati (venient Chaldæi) quasi vir ad prælium.) Septuag. *Quasi ignis ad bellum*, quia pro איש *is*, id est *vir*, legerunt, אש *es*, id est ignis.

Vers 24. Audivimus famam.) q d. Solo rumore et fama adventus et ferocitatis Chaldæorum perculsi, et pene exanimati sumus. Verba sunt Ieremiæ et Prophetarum sociorum Ieremiæ, qui hic loquuntur in persona Iudæorum. Est ergo ethopœia: imitatur enim et exprimit affectus et voces populi, ad famam hostium trepidantis, mortemque et dira quæque præstolantis.

Vers. 25. Nolite exire ad agros.) Inducit Iudæos loquentes alios aliis, ac si hostes iam obsiderent Ierusalem.

Quoniam gladius inimici, pavor, id est, hostis armatus, pavendus et pavorem incutiens, est in circuitu.) Ierusalem.

Filia populi mei, o Ierusalem, o popule mi dilecte ut filia, accingere cilicio. Vers. 26.

Luctum unigeniti.) Id est vehementissimum, qui solet fieri mortuo unigenito.

Fac tibi.) Verba sunt aut Prophetæ aut Dei.

Probatorem dedi te.) Vatabl. *excoctorem dedi te*; hoc enim est בחון *bachon*; Syrus vertit, *scrutatorem*; et Arabicus: *Feci* (constitui) *te ut scruteris et consideres opera populi mei*. Aliter vertit Chald. *Electum posui te in populo, quasi munitionem fortem*. Aliter quoque Pagnin. et Kimchi: munitionem vel arcem et turrim munitissimam et probatam dedi te. Verba sunt Dei, q. d. In te, o Ieremia, sua tela, et odia, et maledicta coniicient Iudæi, quasi in rupem vel propugnaculum, ac probatus evades et probator eorum. Sicut enim ad lydium lapidem affricando probatur aurum: sic mores et malitia Iudæorum, tibi quasi lapidi probato et robusto affricta, tuam invincibilem constantiam et veram prophetiam, ipsorum vero malitiam et apostasiam ostendet; hoc enim est quod subdit: *Et scies et probabis viam eorum*. Secundo et potius, *probatorem*, id est conflatorem, ut iam patebit ex sequentibus. Vers. 27.

Robustum.) Aquila vertit, *munitum*; Symmachus et Septuag. *clausum et circumdatum*: *robustum* ergo, id est, interritum et impavidum ad omnem vim et minas, utpote Dei ope vallatum, qui simul tibi animos et audaciam hanc aspirat et indit.

Omnes isti principes declinantes.) Hebr. *Omnes isti principes rebellium*: aut rebelles rebellium, id est, nobilissimi et maximi rebelles sunt. Vers. 28.

Æs et ferrum: universi corrupti sunt.) Sicut æs vitiatur et chalybs cum ferro miscetur, videtur enim totum esse chalybs, cum mistum sit ferro: ita hi Iudæi commisti sunt, et pleni fraude et dolo. Ita Chald. et alii. Unde Theodot. *Adulterini*, ait, *sunt, nihil habentes probi*.

Secundo, Vatabl. S. Thom. et Lyran. sic explicant, q. d. Duri sunt et impudentes, uti æs et ferrum, quod pulsatum, resonat fortissime. Hinc et Hugo censet in ære quod percussum remurmurat, notari impatientiam; in ferro, quod ad incudem magis induratur, et in igne magis denigratur, eorumdem in sceleribus obdurationem. Simile est Iob. 40. 13.

Tertio, pro *corrupti* cum Chaldæo verti potest, *corrumpentes*, q. d. Sicut æs mistum argento, illud corrumpit; et sicut ferrum æri mistum, illud corrumpit: sic Iudæi hi et se et alios corrumpunt. Plato apud Euseb. libr. 12. Præp. 25. Omnes, ait, in urbe fratres sumus: sed cum Deus nos fingeret, aurum cum illis miscuit, qui apti sunt ad gubernandum; argentum cum illis, qui armis urbem defendunt; ferrum et æs agricolis et opificibus infudit: quod si aurum, id est magistratus, in argentum; aut argentum, id est milites, in æs, id est agricolas, degeneret, civitas destruetur.

Homines alii ex auro, alii ex argento, alii ex ære.

Quarto, Delrio adagio 829. explicat, q. d. Qui argentum doctrina, et aurum charitate et vita esse debebant, hi vita et moribus se ferrum, doctrina vero æs tinnulum exhibuerunt, videbantur esse quod non erant.

Quinto, Isidorus Clarius exponit de ministris, qui dominorum suorum iussa inhumana exsequebantur contra inopes: æs enim et ferrum ad arma fabricanda coniunguntur. Sensum ergo esse, q. d. Alter alteri copulatur ad perpetranda scelera, ad eaque vires, studia et arma coniungunt.

Defecit sufflatorium.) Syrus: *Abrasum est* (exustum, corruptum est, defecit) *sufflatorium ab igne*. Nota primo, Ieremiam hic a Deo statui probatorem, id est conflatorem, ut scilicet probet et purget viam et mores populi delinquentis; populum vero quasi argentum firmissimo ære commistum nulla ratione potuisse purgari. Unde nota secundo, argento aliisque metallis adulteratis, ut per conflatorium vi ignis separetur scoria, et materia aliena admisceri plumbum: et sic melius fluit argentum, et mi- Vers. 29.

Ieremias est probator et conflator populi.

nori detrimento repurgatur. Dum enim ignis agit in plumbum, illique quasi pabulo sibi congruo totus incubat, minus agit in argentum; unde illud illæsum evadit, sed repurgatum; quocirca mystice multi per plumbum, utpote metallorum imum et maxime terrestre, accipiunt memoriam mortis, quæ animum humiliando, facit ut vincamus omnes tentationes carnis et mundi. Ita S. Hier. Theodor. S. Thomas, et alii. Ita olim fiebat antequam nota esset argenti vivi efficacia ad id ipsum præstandum. Plumbum enim magnam vim habet separandi scoriam aliaque mixta, quia vim habet liquandi. Audi Mathiolum in Dioscor. lib. 5. c. 58. *Plumbum*, inquit, *miscetur conflationi, quia plumbi adminiculo facilius metalla igni cedunt.* Quod si argentum purgandum ita pertinax sit, ut hac ratione non purgetur, tum plumbum omne si semper in igne persistat, tandem consumitur, et in fumum abit ac evanescit, nulla facta circa argentum et aurum operatione aut purgatione. Nam alias signum plenæ purgationis auri vel argenti ab ære et scoria est, cum plumbum plane cum ære et scoria in fumum abiit: tunc enim reliquum est solum purum aurum vel argentum. Plumbo liquari et purgari metalla docet quoque Nicetas in orat. 44. Nazianzeni, et S. Cyrill. in Zachar. 4. 10. qui et addit, plumbo frangi adamantem, quod tamen gemmarii et conflatores negant. Rursum S. Hier. in Zach. 4. v. 20. asserit stanno (cui affine est plumbum) liquari et purgari metalla. Verum aurifices Romani, qui præcellentes sunt, a me consulti constanter de stanno id negant; de plumbo affirmant eo scilicet purgari aurum et argentum ab ære admisto; æs enim cum plumbo in fumum abire, itaque remanere purum aurum et argentum.

Plumbi in conflando olim usus.

Unde tertio, Ieremias est conflator; follis seu sufflatorium est os Ieremiæ; flatus est ipsa eius a Deo afflata increpans prophetia: plumbum est assiduitas et diligentia in prædicatione, sive instantia et pondus verborum et minarum: argentum impurum et adulteratum sunt Iudæi; æs et ferrum sunt eorum doli et nequitiæ duræ, pertinaces, impudentes. Follis defecit, id est, vox Prophetæ rauca facta est: plumbum consumptum est, id est, omnis diligentia prædicandi inanis fuit, omnis exhortatio Dei et Prophetarum apud Iudæos periit, quia ipsi audire contempserunt, ideo malitiæ eorum non sunt consumptæ. Unde *Argentum reprobum vocate eos*, quia impurgabiles et inexpiabiles sunt. Ita S. Hieron. Lyran. D. Thomas et Vatabl. Similem allegoriam et sententiam habet Ezechiel. c. 24. 12. Hinc infert S. Thomas: *Quod ergo aliquis frequenter rigetur præceptis salutaribus, signum est reprobationis si persistat in peccatis;* idque probat ex S. Paulo Hebr. 6. v. 7. et 8.

Pulchra allegoria conflationis et prædicationis.

Aliter Maldonat. Follis, inquit, erant Chaldæi; prunæ erant eorum cædes et rapinæ; iis enim quasi carbonibus Deus excoquebat Iudæorum peccata; ignis erat ira Dei; plumbum erant corpora et bona omnia Iudæorum, in quibus a Deo puniebantur: multo enim plumbo parum argenti misceri solet, quod excoquendo separatur: sic inter multos impios Iudæos pauci pii separati et servati sunt. Hic sensus priori, qui aptior et plenior est, aptari et connecti potest. Ieremias enim erat probator et conflator Iudæorum, hoc ipso quo Chaldæorum vastationem eis intentabat.

Allegor. Hugo Cardin. Plumbum, inquit, est humanitas Christi, quæ in fornace passionis consumpta est, ut omnes peccatorum fæces a nobis separaret; et tamen iure optimo conqueri potest, quod malitiæ non sint consumptæ, et quod conflator frustra conflaverit, eo quod pauci purgati fuerint. Qua de re ipse per Isaiam conqueritur c. 49. v. 4. *In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi.*

Tropol. Prælati officium est, subditorum virtutem probare, an vera sit, an simulata, uti docet S. Gregor. 2. p. Pastor. cap. 10.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iubet Deus Ieremiæ, ut stet in porta templi, ibique increpet Iudæorum idololatriam, asseratque eos nec ob templi sanctitatem, nec ob sacrificiorum frequentiam, excidium evasuros. Primo ergo, v. 4. obterit vanam confidentiam dicentium, Templum Domini. Secundo, v. 11. dicit eos templum fecisse speluncam latronum; illi ergo excidium simile Silo comminatur. Tertio, v. 16. vetat ne Ieremias pro eis oret, suæque iræ obsistat; eo quod placentas offerant reginæ cœli. Quarto, v. 21. respuit eorum victimas. Quinto, v. 30. dicit eos occidendos in Topheth, eo quod ibi filios cremarint idolo Moloch.

1. VERBUM, quod factum est ad Ieremiam a Domino, dicens: 2. Sta in porta domus Domini, et prædica ibi
verbum istud, et dic: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Do-
minum. 3. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Bonas facite vias vestras, et studia vestra: et ha-
bitabo vobiscum in loco isto. 4. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domi-
ni, templum Domini est. 5. Quoniam si bene direxeritis vias vestras, et studia vestra: si feceritis iudicium inter
virum et proximum eius, 6. Advenæ, et pupillo, et viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem
effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis: 7. Habitabo vobiscum in
loco isto: in terra, quam dedi patribus vestris a sæculo et usque in sæculum. 8. Ecce vos confiditis vobis in ser-
monibus mendacii, qui non proderunt vobis: 9. Furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, et
ire post deos alienos, quos ignoratis. 10. Et venistis, et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est
nomen meum, et dixistis: Liberati sumus eo quod fecerimus omnes abominationes istas. 11. Numquid ergo spe-
lunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? ego, ego sum: ego vi-
di, dicit Dominus. 12. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio: et videte quæ fece-
rim ei propter malitiam populi mei Israel: 13. Et nunc, quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus: et locu-
tus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis: et vocavi vos, et non respondistis: 14. Faciam do-
mui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam: et loco, quem dedi vobis et patri-
bus vestris, sicut feci Silo. 15. Et proiiciam vos a facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, universum se-
men Ephraim. 16. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas
mihi: quia non exaudiam te. 17. Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Iuda, et in plateis Ierusalem? 18. Fi-
lii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæ-
li, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent. 19. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Domi-
nus? nonne semetipsos in confusionem vultus sui? 20. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce furor meus, et indi-

*

gnatio mea conflatur super locum istum, super viros, et super iumenta, et super lignum regionis, et super fruges terræ, et succendetur, et non extinguetur. 21. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Holocautomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes. 22. Quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, et victimarum. 23. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus: et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. 24. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt in voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali: factique sunt retrorsum et non in ante, 25. A die qua egressi sunt patres eorum de terra Ægypti, usque ad diem hanc. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas per diem consurgens diluculo, et mittens. 26. Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam: sed induraverunt cervicem suam: et peius operati sunt, quam patres eorum. 27. Et loqueris ad eos omnia verba hæc, et non audient te: et vocabis eos, et non respondebunt tibi. 28. Et dices ad eos: Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: periit fides, et ablata est de ore eorum. 29. Tonde capillum tuum, et proiice, et sume in directum planctum: quia proiecit Dominus, et reliquit generationem furoris sui. 30. Quia fecerunt filii Iuda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam: 31. Et ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom: ut incenderent filios suos, et filias suas igni: quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo. 32. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur amplius, Topheth, et Vallis filii Ennom, sed Vallis interfectionis: et sepelient in Topheth, eo quod non sit locus. 33. Et erit morticinum populi huius in cibos volucribus cæli, et bestiis terræ, et non erit qui abigat. 34. Et quiescere faciam de urbibus Iuda, et de plateis Ierusalem, vocem gaudii, et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ: in desolationem enim erit terra.

Vers. 2. STA IN PORTA DOMUS DOMINI, sta in porta Orientali templi, quæ celeberrima erat et maxime frequentata, ait Vatabl. et Isidor. ET PRÆDICA IBI, ut ab omnibus egredientibus et ingredientibus audiaris.

Vers. 3. et 4. BONAS FACITE VIAS VESTRAS, corrigite mores vestros. NOLITE CONFIDERE IN VERBIS MENDACII, quæ vobis ingerunt falsi prophetæ, DICENTES: TEMPLUM DOMINI IPSI.) (ita Hebr.) Scilicet Iudæi sunt, id est ad templum Domini pertinent: quia in sua urbe habent templum, in eoque Deum colunt, q. d. Ergo non vastabuntur a Chaldæis: nec enim sinet Deus templum suum pollui. Sed falluntur: Deus enim non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegit, 2. Machab. 5. v. 19. Quærit enim Deus templum spiritale, in quo habitat vera fides, sancta conversatio, omniumque virtutum chorus, ait S. Hieron. q. d. Personata hæc sanctimonia aut templum vobis non proderit, nisi cessetis a furtis, adulteriis, cædibus, idololatria. Unde sequitur v. 9. *furari, occidere*, q. d. Cum tamen furemini, occidatis, etc.

Templum Domini triplex. Nota: Ter repetunt *templum Domini*, quia tres erant templi partes, et quasi tria templa; scilicet atrium, Sanctum, et Sanctum sanctorum. Ita Vatabl. Isidor. et Hebræi; vel, ut Chald. et Hugo, ob tria anni festa, quibus tenebantur templum adire; putabant enim Iudæi se hac ratione omnia scelera expiare: vel, ut Lyranus, ob firmitatem spei, quam habebant Iudæi in templo. Quarto et simplicissime, quia sæpissime id dicebant, et os Ieremiæ claudebant per *templum Domini*.

Per templum autem intelligunt omnem externum et publicum Dei cultum, qui fiebat in templo: per illum enim putabant Iudæi se placare Deum, omniaque peccata sua expiare. Simile est Isaiæ 66. v. 1. Recte S. Hieron. ad Paulinum: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudabile est. Et de Hierosolymis, et de Britannia æqualiter patet aula cælestis. Noli respicere ad phaleras, et nomina vana Catonum. Esse Christianum grande est, non videri.*

Præclare quoque S. Bernard. ser. *De ligno, fœno et stipula. Nusquam*, ait, *est securitas, fratres, neque in cælo, neque in paradiso, multo minus in mundo. In cælo enim cecidit Angelus sub præsentia divinitatis; Adam in paradiso de loco voluptatis; Iudas in mundo de schola Salvatoris. Hæc ideirco dixerim, ne quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur, Locus iste sanctus est: quia non locus homines, sed homines locum sanctificant.* Auctor ser. ad Fratres in eremo apud S. August. ser. 10. *Ecce*, ait, *in solitudine sumus, in eremo sumus: locus tamen non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit et nos.* Et mox: *Peccavit enim angelus in cælo, peccavit Adam in paradiso: et tamen nullus locus sanctior illo erat. Si enim habitatorem loca beare possent, nec homo nec angelus a dignitate corruissent.* Denique S. August. in Sent. num. 6. *Vere*, ait, *confessio benedicentis est, cum idem est sonus oris et cordis. Bene autem loqui et male vivere, nihil aliud est quam se sua voce damnare.* Et num. 76. *Recte in Dei laudem psallit, cuius opera cum voce concordant. Nam finito carmine, vox tacet. In bonis autem actibus vita permanens numquam relicet eius gloriam, quam in se gaudet operari.*

Symbolice et prophetice, ter dixit *templum Domini* de tribus templi ædificationibus locutus: mendaces scilicet appellat eos, qui sibi tertium templum vane promittunt, scilicet primo, Salomonis: secundo, Zorobabelis; tertio, Messiæ, quem ipsi frustra exspectant, uti Petrus Nigri contra Iudæos Ratisbonæ induxit, et ex eo Vilalpando tom. 2. p. 2. l. 5. disp. 14. c. 68. pag. 575.

SI BENE DIXERITIS.) Corrige cum Roman. Hebr. Septuag. *Si bene direxeritis*, id est si rectas feceritis vias, id est actiones vestras. Vers. 5.

HABITABO VOBISCUM IN LOCO ISTO.) Legit interpres שכנתי *sciachanti* in Cal, id est habitabo; iam legunt *sciccanti* in Piel, id est habitare vos faciam, firmiter vos collocabo in terra ista. Vers. 7.

Mystice, Deus habitat nobiscum: primo, per fidei constantiam. Ephes. 3. 17. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Secundo, per fraternæ dilectionis concordiam. Matth. 18. 20. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Tertio, per præceptorum obedientiam. Ioan. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Quarto, per contemplationem. Apoc. c. 3. 20. *Ego sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo.* Ita D. Thom. Deus habitat in nobis quadrupliciter.

CONFIDITIS VOBIS IN SERMONIBUS MENDACII.) In rebus vanis, pravis et mendacibus, quæ sequuntur, scilicet *furari, occidere etc.* ac præsertim in eo quod post hæc scelera *dixistis* et dicitis: *Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas.* Vers. 8.

FURARI, OCCIDERE etc.) Id est ut Septuag. *furamini, occiditis, etc.* et, ut Chald. vertit, *fures, homicidæ estis, etc.* interimque venistis et venitis in templum, ac dicitis: Liberati sumus a sceleribus nostris, eorumque pœnis, per ingressum in templum; ideoque nulla plaga eveniet nobis, *eo quod*, id est quamvis, tales abominationes fecerimus. Ita Vatablus, Pagninus, Maldon. et alii. Hæc enim erat vana eorum confidentia, qua v. 4. iactabant, *templum Domini, templum Domini.* Vers 9.

Est triplex hebraismus. Primo, quia ponitur infinitivus pro indicativo vel præterito: *furari*, id est furamini vel furati estis. Secundo, quia subintelliguntur litteræ serviles, id est coniunctiones, *interim, tamen, etc.* iuxta

can. 24. Tertio, quia *eo quod*, ponitur pro *quamvis*. Sic *quia, quoniam* subinde ponuntur pro *quamvis*, ut Ps. 77. 19. et 20. *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram et fluxerunt aquæ? quoniam*, id est quamvis. Sensus enim est, quamvis Deus percussa petra dederit ex ea nobis aquam, numquid idcirco poterit nobis dare panem? Isaiæ 12. 1. *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi*, hoc est laudabo te, esto mihi sis iratus. Quinimo hæ voces causales subinde non causam sed effectum significant, ut Isaiæ 61. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me*, quod Sept. et ex iis Christus Lucæ 4. 18. vertit, *propter quod unxit me*, ubi in Hebræo est יען *iaan*, quod voce et significatione affine est voci *lemaan*, quæ est hoc loco. Hebr. pro *furari* est הגנב *haganob*, id est, an furari: unde aliqui sic vertunt: An furando, occidendo, etc. venietis coram me? Alii: Numquid furabimini, occidetis, etc. et venietis coram me? Alii planissime vertunt: An furando, occidendo, etc. id est an postquam furati fueritis, occideritis, etc. venietis in templum meum, et dicetis: Liberati sumus? Hic sensus consentit cum versione nostri interpretis, et sensu paulo ante dato, itaque explicant Vatabl. Maldon. Pagn. et alii.

Vers. 10. LIBERATI SUMUS.) Ita Hebr. Chald. et passim Interpretes. Soli Septuag. vertunt: *Abstinuimus a faciendo omnes abominationes istas;* quasi hæc sint verba mendacii in quibus confidebant vers. 8. scilicet quod cum furarentur, occiderent, etc. negarent tamen se furatos esse, occidisse, etc.

EO QUOD FECERIMUS.) Id est quamvis fecerimus, ut dixi v. 8. Sanchez *eo quod* accipit non ut adverbia, sed ut pronomina, q. d. Liberati sumus *eo*, id est ab eo, scilicet peccato, *quod fecimus*. Verum textus non habet *fecimus*, sed *fecerimus*. Adde, Hebr. *lemaan* non esse pronomen, sed adverbium significans *quia, eo quod*. Alii explicant, q. d. Venitis in templum ut gratias agatis, quod furta et homicidia vestra vobis bene successerint. Alii vertunt, *ut faciamus*, id est ut amplius furemur et occidamus. Hebr. enim למען *lemaan*, quando præcedit infinitivum, proprie idem valet quod *ut* vel *ad*. Alii, *ut faciatis*, q. d. Nihil petitis in templo, quam opem ad furandum, occidendum, etc. aut, q. d. Cum tam facile, scilicet solo ingressu in templum, liberemur a peccatis et flagellis, hinc secuti illa iterabimus et perpetrabimus. Ita Chald. et Isidor. Hæ versiones maiorem ostendunt impudentiam Iudæorum in suis peccatis: nostra tamen versio planior est et aptior.

Denique S. Hieron. Hugo, Lyran. et Dionys. explicant, q. d. Hi Iudæi sunt tam impii, ut dicant se a peccatis et plagis liberatos esse per abominationes suas, id est per sua furta, homicidia, Dei contemptum et idololatriam: putant enim ipsi, se sua pervicacia et audacia vincere, imo vincere Numinis manus, ut non audeant, aut non dignentur tam impios et perditos punire: sicuti pueri nequam subinde sua protervia vincunt, et quasi obstupefaciunt mollis magistri clementes manus, ut eos non castiget, timens ne fiant deteriores.

Vers. 11. NUMQUID SPELUNCA LATRONUM FACTA EST DOMUS ISTA IN OCULIS VESTRIS?) Ut scilicet in templo quasi antro et spelunca sua, versentur fures, homicidæ, periuri, etc. de quibus præcessit. Ita Vatabl. Hugo, S. Thom. Chald. vel ut Lyran. q. d. Sicut latrones speluncas habent pro refugio: ita hi se puros et tutos putant si templum adeant, ibique sacrificia etiam ex rapto offerant. Sed falluntur, *quia ego sum*, qui *vidi* scelera eorum, quæ ipsi putant vel occulta, vel expiata per sacrificia in templo oblata. Ego sum qui ea annotavi, ut brevi ea vindicem et puniam. Victimæ enim eorum non possunt me excæcare, aut oculos mihi velare. Huc alludit Christus Matth. 21. 13. dicens: *Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Vers. 12. ITE AD LOCUM MEUM IN SILO, UBI HABITAVIT NOMEN MEUM.) Id est ut Chald. *maiestas mea*, id est, ego ipse; arca enim ante ædificatum a Salomone templum, erat in Silo urbe tribus Ephraim. Verum Silo vastavit Deus propter peccata incolarum, Ps. 77. 60. et pari modo se Ierusalem cum templo vastaturum ob Iudæorum peccata hic comminatur. Unde subdit:

ET LOCUTUS SUM AD VOS MANE CONSURGENS.) *Mane*, id est tempestive, sollicite, vigilanter. Secundo, *mane*, id est opportune. Mane enim animus aptior est ad audiendum et cogitandum rationalia, eaque quæ Dei sunt. Ita S. Hieron. Sic etiamnum Deus mane suscitat nos per angelos, et ad bonum hortatur. Hinc Plutarch. l. *Quod in principe requiratur doctrina*, Persarum, ait, rex unum habebat cubicularium qui id officii habebat ut mane ingressus regi diceret: *Surge, rex, atque ea cura, quæ te curare voluit Mosoromesdes*, id est bonus tuus genius. Vers. 13. Excitator regis Persarum magne, quis?

FACIAM DOMUI HUIC, SICUT FECI SILO.) Sicut tabernaculum meum in Silo everti, cum arcam permisi capi tempore Heli a Philisthinis ob scelera Silonitarum et Israelis; et deinde sub Ieroboam totum Israelem, ac consequenter Ephraim, in qua erat Silo deserui; meque et mei cultum cum arca transtuli in Iuda et Sion; ac tandem omnes decem tribus ob idololatriam in Assyriam captivas duci permisi; ita multo magis vobis, o Iudæi, qui habuistis Dei cultum, quique graviora quam Israelitæ scelera perpetratis, idem excidium et captivitatem Babylonicam infligam, atque tam templo huic, quam urbi et incolis eius, vastitatem afferam. Ita Theodor. et alii. Vers. 14.

SICUT PROIECI, etc. EPHRAIM.) Id est decem tribus quæ a Prophetis vocantur *Ephraim*: primo, quia inter eas fortissima erat tribus Ephraim; secundo, quia primus earum rex Ieroboam fuit ex Ephraim; tertio, quia idem regiam constituit in Samaria, quæ erat in Ephraim. Vers. 15. Ephraim vocantur decem tribus ob tres causas.

Nota: proiecit Deus Ephraim, primo, quando arcam cum religione ex Silo transtulit in Iudam et Sion ut dixi; secundo, anno 6. Ezechiæ, qui fuit 9. Osee regis Israel, quando captæ sunt decem tribus ab Assyriis, 4. Reg. 17. 6.

TU ERGO NOLI ORARE PRO POPULO HOC.) Tam impio, rebelli et obdurato. Sentit Deus se ligari piorum precibus, ne impios puniat. Sic ait Mosi Exodi 32. 10. *Dimitte me ut irascatur furor meus.* Porro optat et gaudet Deus sibi in vindicta resisti, ligarique manus. Hoc est enim quod dolens queritur Ezech. 13. 5. *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel;* et c. 22. v. 30. *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam: et non inveni.* Vers. 16. Deus ligatur piorum precibus.

NEC ASSUMAS PRO EIS LAUDEM.) Scilicet Dei, id est orationem; prima enim orationis pars debet esse Dei laus et gratiarum actio. Rursum, *Oratio est Deo sacrificium, oranti subsidium, dæmoni flagellum*, ait S. August. Vatabl. vertit: *Ne assumas pro eis clamorem*; Hebr. enim רנן *ranan* significat *clamare voce contenta et efficaci;* unde et ranis ab Hebræo *ranan* nomen impositum esse censet Christ. a Castro: clamosæ enim sunt ranæ; secundo, Sanchez: *Neque assumas pro eis laudem*, hoc est, ait, ne offeras pro eis oblationem aut sacrificium. Sicut enim voce, sic et munere, ac præsertim sacrificio, laudatur Deus. Sic Isaiæ 60. dicitur. *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.*

FILII COLLIGUNT LIGNA, q. d. Omnes qui in familia sunt, aliquid conferunt et cooperantur idololatriæ, scilicet quisque confert id quod sibi proprium est. Proprium enim est puerorum stipulas et ligna colligere, virorum furnum accendere, mulierum pinsere placentas. Tantum est eorum studium, tantus ardor colendi idola. MULIERES CONSPERGUNT ADIPEM.) Hebr. est: *Ponunt conspersionem*, sive massam et pastam; conspersionem enim vocat farinam, aquam, salem, butyrum commista et conspersa, ex quibus faciebant placentas. Vers. 18.

REGINÆ CÆLI.) Interpres hebraice legit למלכת *lemaleat*, iam aliis punctis legunt *limlechet*, id est *operi*, vel ut alii vertunt, *opere cæli*, q. d. Faciunt placentas rotundas et stellatas, imprimuntque eis figuram stellarum, ut significent se eas reginæ cæli et stellarum offerre: *opus* ergo *cæli* vocantur placentæ stellatæ, quæ sunt instar stellarum cæli. Sept. vertunt, *militiæ cæli;* Placenta stellata.

Vatabl. *machinæ cæli;* Chald. *sideri cæli.* Iam per hæc Vatabl. solem accipit; Kimchi et Pagnin. Saturnum, qui et Moloch et Melchom dicitur.

Offerebantur reginæ cæli, id est Lunæ sive Dianæ. Luna dicitur a lucendo.

Optime S. Hieronym. et S. Thomas, *reginæ cæli*, inquiunt, id est lunæ, quam Dianam seu Phœben Gentilem vocabant, quasi quæ esset Phœbi, id est Solis, soror: cæli enim rex est sol vel Iupiter. Regina ergo est Luna, ob magnitudinem et splendorem, et quia præest nocti: unde et Luna dicta est a lucendo, quod sola noctu luceat, ait M. Varro; indeque noctiluca est appellata. Huic Iudæos sacrificasse, patet tum ex hoc loco, tum ex c. 44. v. 17. 18. 19. 25. Sic Ethnici olim placentæ genus, quod βους id est bos, a cornium similitudine appellabant, Lunæ offerebant. Sic alii Dianæ, id est Lunæ, αμφιφωνες id est placentas, affixis circumcirca accensis cereis in templo Munichia dicto offerebant, teste Polluce l. 6. c. 14. Hesychio et Eustathio Iliad. λ.

Collyridiani, qui?

His comparat Epiphan. hæresi 79. in Arabia Collyridianos hæreticos, qui certas habebant mulieres, quæ in curru sellave ornata, ac velo passo obducta, collyrida sive placentam festo quodam per aliquot dies proponere, ac B. Mariæ quasi deæ offerre solebant, et inde simul omnes congregatæ participabant. Damnat enim ipse hanc idololatriam: nam B. Virgini hyperdulia debetur et competit, non latria, ac consequenter nec sacrificium.

Porro post Christum Prodicus philosophus, teste S. Epiphanio, docuit lunam esse Deum. Sic et Manichæi solem et lunam adorabant, teste S. August. lib. 14. contra Faustum c. 11. Docebant enim thronum Christi esse in sole, sapientiam in luna, spiritum in aere, ut refert idem August. l. 20. contra Faustum c. 6. Insuper Mahomet in Alcorano sanxit cultum Cubar, id est lunæ. Denique apud Christianos manserunt ethnicismi reliquiæ, dum deficiente luna, acclamabant ut luna ex hoc suo quasi animæ deliquio ad se suamque lucem et plenitudinem rediret, quas acclamationes sustulit S. Ambrosius Mediolani, et S. August. in Africa, uti ipse testatur ser. 215. de Tempore. Putabant enim Gentiles lunam in defectu a dracone ore apprehendi; itaque ne eam draco devoraret et absorberet, succlamabant, putantes se clamoribus percellere draconem ut eam revomeret.

Denique probabile est quod censet Sanchez Moloch, vel Melech, vel Melchom, fuisse solem, qui est *Melech*, id est rex cæli; indeque Lunam, quæ Solis est soror et Phœbe dictam esse *Melcha*, id est reginam. Confirmatur id primo, quia, sicut lucifer antecedit solem, sic deum Moloch antecedebat Rempham, id est lucifer, sive gemma in corona Melchom referens luciferum, uti docet S. Hieron. in c. 5. Amos, Lyran. Beda et Glossa in illud Actor. 7. *Suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus dei vestri Rempham;* secundo, quia Melchom habuit coronam gemmis quasi sideribus radiantem, 1. Paral. 20. Porro radii huius coronæ videntur fuisse instar radiorum solis, uti fuerunt coronæ regum Persarum; tertio, quia Gentiles et Iudæi suos infantes immolabant Moloch, cremando eos igne, eo quod putarent solem esse igneæ naturæ. Unde Poeta:

Vos, æterni ignes, et non violabile numen.
Testor.

Verum de Moloch fuse disserui Levit. 18. 24.

Vers. 19. Numquid me ad iracundiam provocant? nonne semetipsos?) q. d. Putant se hac idololatria mihi movere bilem aut dolorem (Hebr. enim כעס *caas*, non tantum iram, sed et dolorem, tristitiam, omnemque animi molestiam et ægritudinem significat,) falluntur, ego sum απαθης, potius se perdunt, et sibi provocant ac conciliant iram et ultionem meam, qua fiet, ut sibi irascantur et indignentur, quod suis sceleribus eam sibi accersiverint ad suam ignominiam. Ita S. Hieron. et Vatabl.

Vers. 20. Ecce furor meus, etc. conflatur super locum istum.) Pro *conflatur*, Septuag. et Chald. vertunt, *effunditur;* Vatabl. *Liquefactus est ut plumbum.* Est metaphora a fornacibus in quibus conflatur ferrum et metalla, q. d. Sicut vi ignis conflatur ferrum, liquefit et effunditur quasi torrens ignitus: sic et indignatio mea ebullit et coquitur, brevique effundetur in Iudæos. Anthropopathos datur Deo ira, indignatio, furor; quia Deus acriter punit sontes uti homo, sed homo ex ira et passione, Deus ex ratione et iustitia.

Addite.) q. d. Addite sane holocausta holocaustis et Vers. 21.
victimis pacificis, indeque de more, iuxta legem Levit. 7. 16. comedite. Est ironia, q. d. Holocausta hæc me non placabunt, nec vobis proderunt, quia ea nihili pendo, quamdiu mores vestros non corrigitis.

Victimæ in se non placent, nec placant Deum.

Quia. etc. non præcepi eis in die qua eduxi eos Vers. 22.
de terra Ægypti, de verbo holocautomatum.) Hoc verum esse, ait S. Hieronymus, patet ex Exodo, ubi Deus primo dedit Iudæis Decalogum in tabulis lapideis, quasi potissimum sui cultum et puram religionem; deinde post offensam idololatriæ, adoratumque vitulum, postea iussit, ut magis sibi quam dæmoni et vitulo sacrificarent, ac certas ovium, boum et hircorum victimas sacrificari præcepit. Licet enim Exodi 20. 24. iubeat Deus fieri altare, tamen nullas determinat aut præscribit victimas in eo offerendas; illas enim postea præscripsit in Levitico. Tantum ergo iubet, ut victimas quas offerre sponte volunt, in altari terreo offerant. Rursum, Exodi 29. præscripsit quidem victimas offerendas in consecratione sacerdotum, sed illæ sacerdotes tangunt potius quam populum; nec pro populo, sed pro consecratione sacerdotum iubentur offerri. At post adoratum vitulum Exodi 32. mox in Levit. certa holocausta, certasque victimas pacificas, et pro peccato sibi immolari præcepit.

Idem docet Iren. l. 4 contra hæret. Rabanus, Hugo, S. Thom. Dionys. et Lyran. q. d. Rationem et modum sacrificandi in Levitico Iudæis præscripsi, non propter me, quasi ego iis egeam, aut odore carnium delecter, uti Gentiles putabant suos deos; id est dæmones, iis delectari (idem putarunt aliqui Patres, qui opinati sunt harum victimarum vaporibus vivere et pasci dæmones, habereque corpus spirituale: inter quos diserte id docet S. August. vir tanti ingenii et doctrinæ l. 10. Civit. 11.) Sed propter vos ea præscripsi, ut scilicet iis vos in meo cultu detinerem, ne ad vitulos et idola Gentiumque sacrificia desciscerctis; unde initio legis tantum præcepi ut audiretis me, numquam sacrificia præcepturus, sed vestro arbitrio ea relicturus, uti ante legem ea reliqui, nisi pronos vos scivissem in sacrificia Gentium. Ita Theodor. Hugo, S. Thomas et passim Patres.

S. August. censuit dæmones pasci nidore victimarum.

Aliter respondet Sanchez Deum præcepisse quidem in deserto sacrificia: sed noluisse ut præcepta hæc vim haberent obligandi, donec ingressi in Chanaan Hebræi, eam subactis Chananæis quiete et pacifice possiderent; tunc enim non ante certus a Deo definitus fuit locus tabernaculi et altaris, in quo hæc sacrificia offerenda erant. Idem docet Abulens. in c. 18. Iosue q. 1. et Serarius q. 11. in c. 18. Iosue, imo idipsum docet Moses, Deut. 12. 1. et seq. Prior explicatio uti communior, ita est germanior, omnemque difficultatem exhaurit.

Factique sunt retrorsum, et non in ante.) Id est Vers. 24.
primo, facti sunt aversi a me, et a mea voluntate, uti sunt qui terga vertunt dominis suis; secundo, retrocesserunt, et non promoverunt; unde explicans v. 26. ait: *Et peius operati sunt quam patres eorum;* tertio, præterita ut Ægyptias ollas repetunt, futura contemnunt, propterea patiuntur adversa, nihilque eis succedit prospere.

E contrario, monet Apostolus, ut quæ retro sunt obliviscentes, ad anteriora nos extendamus, euntes de virtute in virtutem.

Periit fides.) Periit in plerisque Iudæis Dei fides et Vers. 28.
religio vera. Ita S. Hieron. Theodor. et Rabanus; secundo, *periit fides*, id est veracitas, fidelitas, quia plerique omnes dolos et mendacia meditantur et loquuntur.

Tonde capillum tuum.) Scilicet tu, o Ieremia, ut si- Vers. 29.
gnifices et hoc schemate repræsentes Iudæos, qui quasi capillitium, ornamentum et diadema erant Dei a Deo resecandos et proiiciendos esse, ut in omnem ventum plagamque mundi dispergantur, et quasi peripsema a Gentibus conculcentur, et in sterquilinium proiiciantur, ibique putrescant, idem enim hac pilorum resectione signi-

Ieremias fuit Nazaræus iuxta Maldonat.

ficavit Ezechiel c. 5. v. 1. Ita Hugo, S. Thomas, Lyranus et Dionys. Unde Maldonatus censet Ieremiam quasi Nazaræum intonso huc usque fuisse capillo. Sic et Sanchez; licet enim, ait, in Hebræo sint verba fœminina; tamen illa pro masculinis sumuntur; iubet enim Deus Prophetæ, ut fœminarum assumat eiulatum, id est clarum et sonantem: nam viri in luctu potius gemunt quam plangunt. Rursum alludit ad præficas, quæ lamentationi præerant, q. d. Instar præficarum plange.

Verum, quia præcessit immediate: *Et dices ad eos, etc. tonde capillum, etc.* Hinc secundo melius, *tonde*, scilicet tu, o Ierusalem, cum tuis filiis et incolis Iudæis: nam in Hebræo omnia hæc verba sunt fœminina.

Tonsio erat signum luctus et servitutis.

Nota: Tondebant veteres comam in signum luctus; secundo, in signum servitutis; servis enim tonsa coma signum erat subiectionis, uti est et fœminis subditis marito, 1. Cor. 11. v. 6. et 10. q. d. O Ierusalem, capieris, ergo tamquam captiva, tonde capillum.

Sume in directum planctum.) q. d. Pone comam præcisam coram te, ut recta oculis in eam directis plangas quasi super mortuum. Ita Lyranus et Hugo; secundo, Septuag. pro שפים scephaim, legentes שפתים sephataim, vertunt: *Sume in labiis planctum*, id est loquere plangentis more; tertio, Vatabl. Paguin. et Kimchi legentes *sephaim*, vertunt: *Sume super vertices aut montes planctum*, q. d. Vide excelsa, ubi idola coluisti ob quæ iam vastaris: ibi ergo plange ubi peccasti; quarto et optime, *sume in directum planctum*, id est, clama recta in altum, extende vocem planctus contentam in locum directum, id est altum et excelsum, scilicet super montes, ut ab omnibus audiaris; hoc enim exigit Hebr. *sephaim*.

Reliquit generationem furoris sui.) Reliquit Deus Gentem Iudæorum cui iratus est, in quam sævit et quasi furit. Hæc *generatio furoris* Dei a Paulo, Rom. 9. vocatur *vasa iræ apta in interitum*. Peccator ergo est quasi scopus furoris Dei, in quem ipse omnia sua tela et sagittas collimat et coniicit.

Vers. 30. Posuerunt offendicula.) Id est idola et statuam Baal in templo, ut patet Ezech. 8. v. 3. scilicet id fecit Manasses, 4. Reg. 21. 4. et 5. Ita S. Hieron. et Theodor.

Vers. 31. Excelsa Topheth.) *Excelsa*, scilicet altaria, quæ excelsa in excelsis collibus aut montibus erigebant. Ita Septuag. et alii.

Topheth quid? Erat lucus et templum Moloch.

Quæres, quid sit *Topheth?* Dico primo, *Topheth* non fuit idolum, ut vult Theodor. et Lyran. sed lucus sive sylva, in qua erat delubrum sive templum Moloch. Situm erat Topheth in gehennon, id est in valle amœnissima filiorum Ennom prope Ierusalem, quæ Siloe fontibus irrigabatur.

Dico secundo, Hebr. *Topheth* deduci potest primo, a rad. פתא *pata*, id est illicere, seducere: unde Theod. q. 26. in 4. Reg. *Topheth*, ait, casum significat; secundo, S. Hieron. *Topheth*, inquit interpretatur latitudo, a rad. פתה *pata*, id est dilatavit: erat enim locus impiorum latissimus et capacissimus; tertio alii *Topheth* deducunt a rad. יפה *iapha*, id est pulcher fuit: erat enim vallis amœnissima; quarto, Franc. Forerius in Isaiæ 30. putat dici *Topheth* quasi מופת *mopheth*, id est portentum: instar enim portenti erat, quod ibidem filios proprios idolo Moloch immolarent; quinto et optime, *Topheth* dictum est a תוף *toph*, id est tympanum quod pulsabant hi idololatræ, ne vagitus parvulorum occisorum audirentur a parentibus. Ita R. Abraham, Lyranus et alii. Quocirca fabulosum et ridiculum est, quod Hugo Cardin. ex Hebræis scribit in Isaiæ cap. 30. 33. nimirum *gehennam* esse nomen Græcum, *topheth* Hebræum, quod significet *tophos* (quos Itali vocant *tufos*) lapides concavos in modum pumicis, inter quos nutriebatur ignis indeficiens et perpetuus. Patet enim gehennam esse Hebræum nomen, non Græcum, æque ac *tophet* Hebræum esse, non Latinum *tophos*. Tale quoque est quod auctor libri de Nomin. Hebr. apud S. Hieron. scribit gehennam idem esse quod vallem gratuitam, a גיא *ghe*, id est vallis, et חן *chen*

Topheth dicitur a toph, id est tympanum quod pulsabant.

A id est gratia, vel חנם *chinnam*, id est gratis. In inferno enim non est locus gratiæ, sed iustitiæ et vindictæ.

Dico tertio, censet S. Hieron. in c. 32. Iudæos in Topheth immolasse filios duobus idolis, scilicet Baal et Moloch; sed verius est, eos immolasse soli Moloch, qui et Melchom dicitur, qui erat Baal, id est deus Ammonitarum; Baal enim commune deorum erat nomen. Sed quis erat Melchom? Arias in c. 1. Amos, putat fuisse Mercurium, quem Ammonitæ colebant quasi Melech, id est regem, vel quasi Malach, id est animarum ductorem, et deorum nuntium: Hebræis enim מלאך *malach*, est nuntius. Sed respondeo fuisse Saturnum, qui Moloch vel Melech, id est rex, vel Melchom, id est rex eorum, dictus est. Saturno enim solebant homines amicissimos et pueros immolare, præsertim in gravi aliqua calamitate ad eam avertendam, tum Phœnices sive Chananæi, tum ab eis prognati Carthaginenses. Ita Eusebius l. 4. Præpar. 7. Philo l. 1. Historiæ Phœnicum, Curtius lib. 4. et Diodorus l. 20.

Moloch, Melech, vel Melchom quis? Fuit Saturnus.

B Sic Pyrrhus, capta Troia, Polyxenam Priami filiam, Ulysses Astyanactem Hectoris primogenitum, pro felici reditu in patriam, diis sacrificarunt, quorum funebria celebrat Seneca in Troade. Paulus Orosius l. 4. c. 6. et Herodotus l. 7. scribunt moris fuisse apud Persas, in gratiarum actionem diis vivos sub terra defodere pueros ac virgines, indigenarum filios et filias; idque fecisse Amestrim Xerxis uxorem in quatuordecim nobilium Persarum filiis. Sic Mexicani nostro sæculo quotannis viginti hominum millia mactabant dæmoni, antequam ab Hispanis subigerentur: quinimo idolum quoddam ex farina humano sanguine permista festo quodam die efformabant, ac post eius adorationem, illud in minutissimas partes secantes sigillatim distribuebant, singulique suam partem devorabant, ita sacrilegum sacrificium consummantes. Vide de Moloch dicta Levit. 18. 21.

Dico quarto, hunc locum contaminavit et destruxit Iosias, 4. Reg. 23. v. 10. anno regni 12. iam ergo, Ieremia C prophetante, eversa erat Topheth. Ieremias ergo non præsentem sed præteritam taxat idololatriam, q. d. in Topheth peccastis, in Topheth quoque puniemini. Unde Hebræi et S. Hieron. censent *Topheth* vocari gehennam, id est locum supplicii: quod in ea valle ubi Iudæi filios suos Moloch sacrificaverant, Deus eos deleverit, ut illis minatus est v. seq. et c. 19. v. 6. 11. 12. Denique inde ob similem crudelitatem et incendium, infernus a Christo dicitur gehenna, Matth. 5. 23. et ab Isaia c. 30. 33. sicut Beatorum locus dicitur גן עדן *gan eden*, id est, vallis vel hortus deliciarum, hoc est paradisus. Ita S. Hieron.

Infernus dicitur gehenna a Topheth.

Hinc tradunt, vel potius more suo fabulantur Iudæi, uti narrat S. Thomas in Isaiæ 30. v. ult. in Topheth esse inferni fauces, sive gehennalis incendii spiracula, ut de Ætna fingunt Poetæ: quia ibi, inquiunt, duæ palmæ perpetuo fumant. Stupendum est tam crudelem cultum idoli secutos esse Iudæos, neglecto facillimo cultu Dei veri. D Unde Hercules, ait Macrob. l. Saturn. 7. oraculo hominum victimas postulante, persuasit Italis, ut pro hominibus vivis cereos offerrent.

Et non dicetur amplius, Topheth.) Alludit ad rad. יפה *iapha*, id est pulcher fuit, q. d. *Topheth* non vocabitur amplius *Topheth*, id est locus pulchritudinis, amœnitatis et gratiæ (hoc enim significat *Ennon*) sed stragis, quia ibi plurimi Iudæi occidentur et sepelientur, *eo quod non sit locus* alius sepeliendi, ob multitudinem cadaverum. Vers. 32.

Morticinum.) Id est cadaver, id est cadavera. Vers. 33.

Tropol. filios suos immolant Moloch, qui ingenium, vires, tempus, opera impendunt veneri, ventri, ambitioni: quocirca et ipsi descendent in Topheth, ibique cremabuntur Lucifero. Vere S. August. in Sententiis, sent. 136. *Omnes*, ait, *pravæ cupiditates sunt portæ inferi, per quas in mortem itur: cuius dominatum subit, qui adeptum se ad perfruendum lætatur, quod periturum concupivit.*

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Perstat in prædicenda vastatione Ierusalem ob eius idololatriam et scelera. Unde primo, v. 1. prædicit Chaldæos Iudæorum sepulcra eversuros et ossa dispersuros. Secundo, v. 3. quod homines magis eligent mortem quam vitam. Tertio, v. 4. arguit eorum impœnitentiam, atque v. 7. aves in vere ad suos nidos reverti, Iudæos vero ad Deum nolle reverti. Quarto, v. 10. arguit Prophetas et sacerdotes dicentes, Pax, pax. Quinto, v. 13. pro uvis et vino minatur eis aquam fellis. Sexto, v. 16. ex Dan ait venturos Chaldæos, foreque sævos ut basiliscos.

1. In illo tempore, ait Dominus: Eiicient ossa regum Iuda, et ossa principum eius, et ossa sacerdotum, et os-
sa prophetarum, et ossa eorum qui habitaverunt Ierusalem, de sepulchris suis: 2. Et expandent ea ad so-
lem, et lunam, et omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, et quibus servierunt, et post quæ ambulaverunt,
et quæ quæsierunt, et adoraverunt: non colligentur, et non sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ e-
runt. 3. Et eligent magis mortem quam vitam omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima in univer-
sis locis, quæ derelicta sunt, ad quæ eieci eos, dicit Dominus exercituum. 4. Et dices ad eos: Hæc dicit Domi-
nus: Numquid qui cadit, non resurget? et qui aversus est, non revertetur? 5. Quare ergo aversus est populus i-
ste in Ierusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti. 6. Attendi, et auscul-
tavi: nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? omnes
conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. 7. Milvus in cælo cognovit tempus suum:
turtur, et hirundo, et ciconia, custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Do-
mini. 8. Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? vere mendacium operatus est sty-
lus mendax scribarum. 9. Confusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt: verbum enim Domini proiecerunt, et
sapientia nulla est in eis. 10. Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus: quia a minimo us-
que ad maximum omnes avaritiam sequuntur: a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. 11. Et
sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax: cum non esset Pax. 12. Confusi sunt,
quia abominationem fecerunt: quinimo confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt: idcirco cadent inter
corruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. 13. Congregans congregabo eos, ait Dominus: non
est uva in vitibus, et non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit: et dedi eis quæ prætergressa sunt. 14. Quare se-
demus? convenite, et ingrediamur civitatem munitam, et sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere nos fecit,
et potum dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino. 15. Expectavimus pacem, et non erat bonum: tem-
pus medelæ, et ecce formido. 16. A Dan auditus est fremitus equorum eius, a voce hinnituum pugnatorum eius
commota est omnis terra: et venerunt, et devoraverunt terram, et plenitudinem eius: urbem et habitatores eius.
17. Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio: et mordebunt vos, ait Dominus. 18. Do-
lor meus super dolorem, in me cor meum mœrens. 19. Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua: Num-
quid Dominus non est in Sion, aut rex eius non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitaverunt in sculptili-
bus suis, et in vanitatibus alienis? 20. Transiit messis, finita est æstas, et nos salvati non sumus. 21. Super con-
tritione filiæ populi mei contritus sum, et contristatus, stupor obtinuit me. 22. Numquid resina non est in Galaad?
aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?

Vers. 1. In illo tempore.) Quo Ierusalem a Chaldæis capietur, et Iudæi in Topheth occidentur.

Iudæi sepeliebant principes cum auro, vestibus et armis.

Eiicient ossa regum Iuda.) Nota: Iudæi cadavera principum suorum mortuorum comburebant, ut patet Ieremiæ 34. 5. et ossa sepeliebant cum auro, argento, vestibus, armis, coronis et sceptro, si reges essent, inquit S. Hieron. sin Prophetæ essent aut viri primarii, cum vestibus et vasis pretiosis, sicut et nostro tempore in sepulcris Iudæorum vidimus. Ita scribit Iosephus l. 13. Antiq. 15. Hyrcanum extraxisse e sepulcro Davidis tria talentorum millia. Et Sozomenus lib. 9. in fine, narrat in sepulcro Zachariæ prophetæ inventum fuisse puerum e regia stirpe aurea corona redimitum, et vestibus regalibus indutum. Sic et Gentes fecerunt, ut patet in funere Miseni apud Virgil. 6. Æneid.

Sic et Gentulcs.

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imposuit, suaque arma viro, rerumque tubamque.

et lib. 11. in funere Pallautis, in rogum enim iniecerunt eius vestes, galeam et arma.

Idem etiamnum faciunt Livones, qui dura Germanorum servitute pressi, monumentis mortuorum cibum, potum, securim, et nonnihil pecuniæ imponunt dicentes: *Transi, o miser, ab hoc rerum statu, in mundum meliorem; ubi non tibi Germani amplius, sed tu illis imperabis, habes arma, cibum, viaticum.* Testis est Ioan. Lasicius in Samogit.

Alexander Magnus audiens Cyri sepulcrum auro argen-

A toque refertum, iussit illud aperiri: *Sed præter eius clypeum putrem, et arcus duos Scythicos, et acinacem, nihil reperit. Cæterum corona aurea imposita amiculo, cui eam assueverat ipse solium, in quo corpus iacebat, velavit, miratus tanti nominis regem, tantis præditum opibus, haud pretiosius sepultum esse quam si fuisset e plebe*, inquit Q. Curtius lib. 10. de Gestis Alexan. Paulo aliter rem narrat Plutarch. uti mox dicam.

Prædicit ergo Ieremias, quod sepulcra hæc effringet Chaldæorum avaritia. Primo ad prædam. Ita S. Hieron. Hugo, Lyran. Isidor. Secundo, ut Theodor. ad contemptum et punitionem, ut scilicet ossa Manassis et regum impiorum luci prodantur, et cæli ac stellarum, quibus servierunt Deo derelicto, pateant aspectibus. Denique ut aeri exposita eorum ossa, ab eoque consumpta, in ster-

B quilinium et cineres solvantur. Hinc ait: *Expandent ea*, id est, spargent, non colligent sub tectum, nam et hic aliquis honos est, quare nos mortuorum crania et ossa in cœmeterio honesto loco in polyandrio sive ossario reponere solemus. Verum hoc Iudæis a Chaldæis non fuit concessum, uti hic minatur Deus.

Quam vero hæc sepulcrorum violatio sit inhumana et barbara, facto indicavit Nitocris (licet Plutarchus id tribuat Semiramidi) regina Babylonis. Hæc enim sepulcrum sibi extruxit supra portas urbis excelso loco, atque his litteris inscripsit: *Si cui regum Babylonis post me futuro-*

rum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulcro, sumat quantumcumque libuerit pecuniæ, dumtaxat indigens; aliter ne aperiat, non enim satius fuerit. Hoc sepulcrum mansit immotum usque ad Darium Hystaspis, qui frustra ibi pecunias recondi arbitratus, aperuit monumentum, in quo pecunias non invenit; sed litteras ita dicentes: *Nisi pecunia esses inexplebilis, et turpis lucri cupidus, haud aperuisses urnas defunctorum.* Ita Herodot. lib. 1.

Alexander Magnus, inquit Plutarch. in eius Vita, cum Cyri monumentum apertum comperisset, facti auctorem, Polymachum nomine, interfecit. Titulus monumenti erat: *Quisquis homo et undecumque venisti* (*nam venturum novi*) *ego Cyrus sum, qui Persis quæsivi imperium. Ne invideas mihi, oro te, exiguam hanc humum, quæ corpus meum tegit.* Hæc Alexandrum valde permoverunt, reputantem rerum incertitudinem et vicissitudinem. Hinc et illa Horatii querela de Romanorum excidio libro Epod. ode 16.

Barbarus heu! cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungula:
Quæque carent ventis et solibus ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens.

Vers. 2. Et omnem militiam cæli.) Et omnes stellas, quæ Dei, quasi armati et instructi sunt milites, præsertim quia galearum coni tamquam stellæ micare solent, inquit Maldon.

Quibus servierunt.) Latria, ea adorando.

Nota: Gentiles adorarunt solem et stellas, tum ob splendorem et pulchritudinem, tum quia primi Philosophi pene omnes putarunt eas esse animatas. Unde S. August. lib. 18. Civit. cap. 4. refert Anaxagoram capitis accersitum, quod dixerat *solem esse saxum candens*, tum quia censebant in stellis eventus et fatum cuiusque esse descriptum. De quo plura cap. 10. 2.

Vers. 3. Eligent magis mortem quam vitam.) Hoc allegor. verius erit in die iudicii, et excidii orbis, cum impii dicent *montibus, Cadite super nos; et collibus, Operite nos.*

In universis locis quæ derelicta sunt, ad quæ eieci eos.) In Babylone, inquit Lyran. Secundo et melius, in Iudææ montanis et abditis, inquit Vatabl. Aut tertio, in desertis Moab et Idumææ, ad quæ fugerunt metu Chaldæorum Iudæi. Ita a Castro. Aliter Sanchez, *Quæ derelicta sunt*, hoc est, inquit, in universis locis in quibus Iudæi derelicti sunt, ut sit hypallage.

Vers. 4. Numquid qui cadit, non resurget?) q. d. Omnes qui cadunt resurgere cupiunt, et ad id toto corporis animique nisu conantur, pari modo qui aversi sunt a recta via et itinere, ea cognita in eam reverti festinant, quæ est ergo Iudæorum insania, velle in lapsu et errore perdurare? Ita Lyran. Dionys. Isidor. et S. Hieron. *Humanum enim est cadere, diabolicum nolle resurgere.*

Vers. 5. Aversione contentiosa.) Id est, forti, iugi, pertinaci, ita ut nolit reverti. Unde hebr. est *aversione perpetua.*

Apprehenderunt mendacium.) Hebr. תרמית *tarmit* id est, dolos, et fraudes pseudoprophetarum Ieremiæ minas irridentium, iis enim crediderunt. Ita Vatabl. Pagnin. Lyran. Dionys. Secundo, S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thomas, *mendacium*, id est iniquitatem, pravitatem. Sic alibi e contrario sæpe *veritas* vocatur omne debitum, vel officium virtutis; et sic diabolus dicitur non stetisse in veritate, id est, non perseverasse in officio angelico, seu in eo quod decebat angelum facere, Ioan. 8. 44.

Vers. 6. Omnes conversi sunt ad cursum suum.) Ut sequantur naturæ et voluntatis pravæ pronitatem in malum; sicut equus effræni impetu currit, quo eum stimulus vel phantasia agit, v. g. in prælium, etiam cum certo vitæ periculo. Paulo aliter, sed efficacius vertunt LXX. *Currens deficit a cursu suo, et equus defessus in hinnitu suo*, q. d. Currens diu, tandem delassatur, et currere desinit, equus pariter hinniens ad cursum in prælium, eo delassatus, hinnire et currere desinit, at hi in continuo peccandi labore, et cursu ad scelera non fatigantur, sed quasi infatigabiles et insatiabiles ad alia et alia assidue procurrunt. Ita Theodor. Hic peccatoris vitiis immersi est stupor, hic furor.

Vers. 7. Milvus in cælo (ex cælo, ex cæli temperatione et qualitate) cognovit tempus suum.) *Milvus* scilicet albus, id est, ciconia, hæc enim a pietate in parentes hebr. dicitur. כסידה *chasida*, id est pia, et a candore vocatur candida. Unde Virg. Georg. 2. *Cum vere rubenti Candida venit avis.* Ciconia enim in vere ex frigidioribus locis ad nidum suum redit, quod non facit milvus, indeque ciconia hospitis qui nusquam habitat, est hieroglyphicon. Ita a Castro, Maldon. et Hebræi. Verum, quia milvus nusquam, vocatur ciconia, et quia de ciconia sequitur; hinc melius proprie hic milvum accipias, qui hebr. dicitur *chasida* per antiphrasin, quia minime pia, sed rapacissima est avis. Nomina enim animalium apud Hebræos multis sunt communia. Unde *chasida* milvum interpretantur. Primo, S. Hieron. Zachar. 5. vers. 9. ubi in comment. sic ait: *Chasidam Hebræi milvum putant, avem rapacissimam, et semper domesticis avibus insidiantem.* Secundo Symmachus, et sexta editio Psalm. 103. 18. *chasida* vertunt, *milvum*, ubi Septuag. vertunt, *herodium.* Tertio, Thalmudistæ, ait Pagninus, dicunt quod *chasida* sit דיה לבנה *daia lebana*, id est milvus albus; sic appellatus, quod faciat misericordias aut beneficia cum sociis suis, quibus de escis quas rapuit, distribuit.

Ciconia symbolum est hospitis vagi.

Chasida est milvus, probatur.

Pulchre Baptista Mantuan. l. 5. Alphonsi, de avium ingenio ita canit;

Astra etiam pluviasque docent, et certa dierum
Tempora et annorum, sic ver cognoscit hirundo,
Alciones hiemem, ventos et fulmina cudunt,
Et tempestivos campis sitientibus imbres.

Tempus suum.) Tempus vernum, blandum et commodum ad redeundum, nidificandum, ova et pullos generandum, q. d. Et vos, o Iudæi, o mortales, non cognoscitis tempus, id est, opportunitatem pœnitendi, Deum conciliandi, serendi bona opera quibus æternam gloriam metatis. Rursum, non cognoscitis tempus, puta hiemem asperam iræ et vindictæ Dei vobis imminentis, ut eam instar milvi et ciconiæ fugiatis.

Tempus sive occasionem pulchro hoc modo depingit Ausonius:

Temporis, id est occasionis effigies.

Sum dea, quæ rara et paucis Occasio nota.
Quid rotulæ insistis? stare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris sum: Mercurius quæ
Fortunare solet, trado ego, cum volui.
Crine tegis faciem? cognosci nolo. Sed heus tu,
Occipiti calva es? ne tenear fugiens.

Deinde comitem Occasionis metanœam, sive seram pœnitentiam ita describit:

Sum dea, quæ facti non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.

Apes, inquit Plinius lib. 11. cap. 6. et 10. *peragunt opus suum non statis diebus, sed quoties cæli commoditas invitat, ita suo quæque tempore capienda est occasio;* idem lib. 15. cap. 24. *Morus*, ait, *novissima omnium germinat, et tamen parit inter primas, ita qui tempus idoneum opperiuntur rei conficiendæ, etiamsi serius cœperint, tamen maturius conficiunt;* et Hesiodus: *Æstas non semper fuerit, componite nidos.* Hoc est quod ait Paulus: Dum tempus habemus, operemur bonum, seminemus bona opera ex quibus in æternitate vivamus.

Turtur.) Mystice, S. Chrys. hom. de turture tom. 10. 5. *Turturem*, ait, *dicit omnem castam Ecclesiam, hirundinem vero Ioannem hominum amatorem, cicadam autem* (sic enim ipse legit pro *ciconia*) *eloquentissimum Paulum, Ecclesiæ organum.* Vide eum de turture. Addit S. Ambr. lib. 6. Hexam. cap. 4. *Vides*, inquit, *quantam Dominus etiam minusculis animalculis infundit prudentiam? Turtur nido suo, ne pullos suos incurset lupus, squillæ folia superiacit: novit enim quod huiusmodi folia lupi fugere consueverint, novit avicula, quomodo posteritatem foveat suam; et tu ignoras, et tu negligis, quomodo adversus lupum nequitiæ spiritalis posteritatem vitæ huius habeas tutiorem?* Sed de hoc alii dubitant. Nam quid turtur a lupo sibi pullisque metuat, in arboribus nidulans? Gladiolum, vel, ut alii legunt, iridem nidis imponere tradit Ælianus: Philes vero comedere eamdem, tamquam fascina-

tionis amuletum, et ad pullorum custodiam. Sed audi similia, eaque mira de provida avium sagacitate, eaque imitare: *Morbum ingruentem hieracio herba accipiter propulsat, chelidoniam visui saluberrimam hirundines monstravere, vexatis pullorum oculis illa medentes: origano sibi medetur ciconia; ætite lapide aquila; circus cichorio; milvus rhamno; upupa adianto; turdi ramo myrti; pavo radice lini; ardea cancro; palumbes, graculi, merulæ, perdices lauri ramo annuum fastidium purgant; columbæ, turtures et gallinacei herba, quæ vocatur helxine; anates, anseres, cæteræque aquaticæ herba siderite; grues et similes iunco palustri, corvus occiso chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infestum virus extinguit*, ait Aldrovandus Prolegom. in Ornithol. Ubi et addit, lusciniam cum solstitio æstivo colorem æque ac vocem mutare.

Hirundinis reditus et nidificatio mira.

Hirundo.) Hebr. סוס *sus*, quod Vatabl. Pagnin. et alii vertunt *gruem*, quæ proceritate et voce similis est equo, qui hebraice *sus* dicitur. Verum Septuag. Chald. Noster, et alii Isaiæ 38. 14. *sus* vertunt, *hirundo*, prima enim avium in vere redit hirundo, unde adagium: *Una hirundo non facit ver.* Audi mira de hirundine, eiusque solertia et veris præsensu.

Hirundines sub hiemem et frigora glomerant se, alisque et pedibus sese invicem implicantes, mergunt se in stagnum, ibique quasi soporatæ et exanimes quiescunt, dum vernus calor appetat, quem ut sentiunt, ad se redeunt et reviviscunt. Ita oculati testes Poloni testantur. Hirundo ergo ex aquis rediviva: primo vere ad nos redit, pristinos nidos investigat, inventisque applaudit, sibique congratulatur mirifice, cantu vario et quasi articulato. Thebarum tecta, teste Plinio l. 10. c. 23. subire negatur hirundo, quod urbs illa sæpius capta et vastata sit. Id ex Plinio repetens Solinus cap. 15. Polyhist. causam hanc dat: *Nam inter cætera*, inquit, *habere hirundines quiddam præscium inde noscitur, quod lapsura non petunt culmina, et aspernantur peritura quoquo modo tecta.* Mirum vero est quod scribit Plinius lib. 10. cap. 33. hirundines in Heracleotico Nili hostio, exundationi Nili molem inexpugnabilem continuatione nidorum ita opponere stadii unius spatio, ut id humano opere perfici vix posse credatur. Et in Ægypto iuxta oppidum Copton, insulam esse aiunt sacram Isidi, quam ne Nilus inundet, hirundines, incipiente vere, palea et stramento firmant, continuatis per triduum noctibus, tanto labore, ut multas in opere emori constet, eamque militiam illuc cum anno redire semper.

Hirundo veris prænuntia.

Aliæ quoque aves vere redeunt, sed præ iis nominat hirundines. Illæ enim certo primo vere redeunt verque quasi annuntiant. Rursum, quia id magis mirum est in hirundine, quæ vix disciplinam admittit, vix cicurari se patitur. Unde Plinius lib. 10. cap. 15. *E volucribus*, inquit, *hirundines sunt indociles, e terrestribus mures, cum elephanti iussa faciant, leones iugum subeant, in mari vituli, totque piscium genera mitescant.* Et Plutarch. 8. Sympos. quæst. 7. *De his*, inquit, *quæ nobiscum habitant, sola hirundo et musca non cicurantur homini, nec tangi se patiuntur, neque consuetudinem aut societatem ullius operis ludive admittunt, quod musca facit metu incommodi, et quia subinde abigitur; hirundo autem quia natura odit homines, et ob infidelitatem semper suspiciosa manet, et cicurationis fugax.* Ludovicus Ariostus in satyris scribit, mori hirundinem, si vel unica tantum die in cavea inclusa teneatur, unde et hebr. vocatur דרור *deror*, id est, libera, ait R. David. Albertus Magnus tamen scribit, se vidisse hirundines mansuefactas, et ad manum advolantes. Sed hæ raræ sunt. Porro hirundo pietatis parentum (et maxime Dei) in filios symbolum est. Nam, ut ait Horus Apollo lib. 2. hieroglyph. 29. *Omnes parentum opes filiis relictas volentes innuere Ægyptii, hirundinem pingunt. Illa enim iam morti proxima, luto seipsam volutat, et pullis latebras comparat.* Et S. Ambros. l. 5. Hexam. c. 17. *Hirundo*, ait, *minuscula corpore, sed egregie pio sublimis affectu, indiga rerum omnium, pretiosiores auro nidos struit.* Hirundo ergo hic notat Deum in Hebræos

A quasi in filios pium omnia sua bona eis clargitum, cum ipsi in eum essent ingrati et impii.

Ex hoc suo in vere reditu, hirundo vocatur *prænuntia veris*, Ovidius Fastor. 1.

Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.

Et:

Fallimur, an veris prænuntia venit hirundo,
An metuit, ne quæ versa recurrat hiems?

Hinc Rhodii, teste Athenæo, in fine, hiemis invitare solent hirundines, ut ver afferant, quod χελιδονιζειν nuncupabant, hoc est, τη χελιδονι αγειρειν, id est, hirundini stipem colligere, circumeundo oppidanorum ædes, et canendo cantilenam hanc (quam χελιδονισμα quasi hirundinariam vocabant) *Venit, venit hirundo, pulchras ducens horas, et annos pulchros.* Idem testatur Theognis lib. 3. sacrificat. et ex eo Aldrovandus.

Mystice hirundo est sanctus ob 12. analogias.

Mystice, totam hirundinis naturam explicat Iacobus de Vitriaco Cardin. Dominic. 2. Adventus. Hirundo, inquit, B quæ in collo et pectore rubicunda est, Sanctos significat, quibus Christi passionis fides in corde est et in ore, dum corde credunt ad iustitiam, ore autem confitentur ad salutem. Secundo, stercoribus eius cum Tobia homines mundani excæcantur, id est, bonis temporalibus, quæ Sancti tamquam stercora reputant, sicut ait Apostolus. Tertio, fugit hirundo hiemem, et ad calidas regiones transit; ita sanctus gelicidium peccatorum, et torporem ignaviæ fugiens, ad Austrum Spiritus sancti tendit, ut habitet in fervore charitatis. Quarto, in nidis construendis, et pullis educandis sollicita est hirundo; ita in Christi ope et gratia spem suam vir sanctus ponit, et ibi pullos bonorum operum recondit, et proximis educandis, et nutriendis intendit. Quinto, hirundo lapsura culmina deserit, et Sancti præsentis sæculi ruinam fugiunt, ne cum ruente opprimantur et ruant. Sexto, mare transvolat hirundo, et Sancti mundi huius amaritudinem transeundo, extra mundum Deo serviunt. Septimo, revertitur hirundo post fri- C gus hiemis, ut annuntiet initium veris; ita iustus post tentationes ad temperiem, Domino ducente, pervenit, et seipsum bonæ conversationis exemplum, et virorem virtutum aliis ostendit. Octavo, hirundo quærit ver, quod est medium inter hiemem et æstatem, et sanctus in se tenet discretionis et temperantiæ modum. Nono, hirundo cibum residens non sumit, sed in aere quas capit escas edit, et vir iustus in terris cælestia quærit. Decimo, hirundo nec alias infestat aves, nec ipsa ab aliis rapitur, et viri iusti nec alios lædunt, nec umquam dæmonibus præda fiunt. Undecimo, hirundines sunt verbi Dei præcones, ad hos enim hæc D. Chrysostomi similitudo refertur: *Hirundines*, inquit, *alimenta suis pullis ab ore in os trahunt, nostra autem non, sed ab ore ad aurem: illa quippe in corruptionem, nostra vero in incorruptionem procedunt: illa corpus, animam autem nostra impinguant.* Duodecimo, hirundo sedulo nidificans, et pullis visum per herbam chelidoniam reparans, designat iustum in nulla indigentia desperare, neque ab opere cessare, sed parere filios Chri- D sto, eosque per veritatis pharmaca illuminare.

Et ciconiæ custodierunt tempus adventus sui.) Scilicet tempus migrationis suæ in alium locum, ut hiemis rigorem fugiant, et per placidum quærant. Secundo, hæ aves sciunt ubi et quando nidificent et pullos alant.

Populus autem meus non cognovit iudicium Domini.) Id est, tempus ultionis, a lege in genere, et a me in particulari definitum et promulgatum, quasi instans, ut hiemem desolationis Ierusalem per pœnitentiam effugiat. Porro *non cognovit*, id est, noluit æstimare, non curavit, non credidit minis Domini. Alii *non cognovit*, scilicet practice, id est, noluit facere iudicium Domini, id est, præcepta, ut fructum legis decerperet. Ita Theodor.

Comparat Deus Iudæos avibus, peccata hiemi, misericordiam suam veri, docetque eos imprudentiores esse quam aves illæ sint, quæ quamvis discedant, tamen statis temporibus redeant, quasi nos doceant agere pœnitentiam. Nam uti Plinius ait lib. 8. cap. 26. homines a

bestiis medicinam, sic Tertull. lib. de Pœnitentia ait, pœnitentiam ab iisdem discere debere. Audi Tertull. lib. de Pœnitentia in fine: *Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? mutæ quidem animæ et irrationales medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos rursus oculare de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam a Domino exhomologesin sciens, illam præteribit?* Idem habet S. Pacianus exhort. ad pœnitent. (Aves docuerunt homines uti medicinam, ita et pœnitentiam.)

S. Barlaam apud Damasc. in hist. cap. 10. idolorum cultores comparans aucupi, lepidum de luscinia habet apologum. Cum enim illa capta ab aucupe se iugulandam videret, dixit ei: Quidnam commodi ex mea nece consequeris? nec enim per me ventrem tuum explere poteris, si me liberare volueris, dabo tibi tria præcepta, quæ si serves per omnem vitam, magna tibi afferent commoda. Promisit ille libertatem, si quid novi et magni ab ea disceret. Tum illa: *Numquam*, ait, *rem quam consequi nequeas aggredere: numquam rei præteritæ te pœniteat: rei incredibili numquam fidem adhibe.* Ille prudentiam eius admiratus, eam dimisit. Dimissa ergo tentavit aucupem, ut videret an hæc præcepta servaret, dixitque: O homo qualem hodie thesaurum amisisti! est enim in visceribus meis unio, struthionis ovum magnitudine excedens. Audiens hoc auceps pœnituit, avemque ad se pellicere conatus est. Cui illa: nunc te stolidum esse video. Docui enim te, ne ob rem præteritam pœnitentia duceceris, et ecce indoluisti quod me dimiseris. Præcepi tibi, ne ea quæ assequi non posses, aggredereris, et tamen arripere me conaris, cum iter meum assequi nequeas. Edixi tibi, ne incredibili sermoni fidem haberes, et ecce in visceribus meis unionem, staturam meam excedentem inesse credidisti. Sic, inquit, stulti sunt idololatræ, quia colunt idola quorum ipsi opifices sunt.

Vers. 8. MENDACIUM OPERATUS EST STYLUS MENDAX SCRIBARUM.) Chald. *Frustra fecit scriba calamum mendacii ad falsandas scripturas*, quia cum lex transgressoribus pœnas et excidium intentet, Scribæ dicunt: *Pax, pax*, redemptionem pœnarum, et salutem promittendo Iudæis per solas exteriores oblationes; sicque falsa interpretatione legem corrumpunt, et sic *sanant*, id est, sanare student, *contritionem populi ad* eius *ignominiam* et confusionem. Verum *confusi sunt, perterriti et capti sunt*, id est, confundentur et percellentur metu cum capientur a Chaldæis.

Pagnin. vertit: *Vere etiam mendacium fecit stylus, frustra scribæ*, q. d. Frustra sunt scribæ et scribarum officium in Ierusalem, quia ipsi legem et verbis et factis pervertunt; aut, ut Maldon. q. d. Frustra scribæ in lege transcribenda laborant, cum vos, o Iudæi, minime eam servetis.

Vers. 10. AGROS EORUM (dabo) HÆREDIBUS.) Hebr. יורשים *ioreschim*, id est, possessoribus, scilicet alienis, puta Chaldæis, qui agros Iudæorum invadent et occupabunt.

CUNCTI FACIUNT MENDACIUM.) Id est, dolos et fraudes, ut mendacii legis interpretatione, lucra plebis aucupentur. Secundo, *mendacium*, id est, quamvis pravitatem; hæc enim est mendacium non vocale, sed practicum; unde sæpe in Scrip. vocatur *mendacium*.

Vers. 13 CONGREGANS CONGREGABO EOS.) Scilicet ad necem et captivitatem, id est omnino perdam et delebo eos, ait a Castro et Sanchez. Aut simplicius, congregabo eos in Ierusalem, aliasque Iudææ urbes ut ibi obsidionem arctissimam patiantur a Chaldæis a quibus non relinquetur in vitibus uva, nec in ficulnea ficus, quin et folium ex arboribus defluet. Ita S. Hieron. Raban. Lyran. et Maldon. Notat S. Hieron. hisce verbis significari longam fore obsidionem, ita ut ab autumno cum est tempus ficuum, protrahatur in hiemem cum folia defluunt. Aliter Chald. vertit: *Finientur Iudæi, sicut finiuntur uvæ de vite, et sicut ficus defluens de ficulnea, et sicut folium ab arbore.*

Symbolice, per ficus et uvas proverbialiter significantur opes Iudæorum, quæ universæ ab ipsis transibunt ad

A Chaldæos, ita ut etiam *quæ prætergressa sunt*, id est res viles et neglectæ, quales sunt racemi pauci in vinea relicti post vindemiam, ab iis denuo vestigentur et diripiantur. Hoc est quod dixit c. 6. v. 9. *Usque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel.* Ita Sanchez.

DEDI EIS QUÆ PRÆTERGRESSA SUNT.) Id est dabo Iu- Vers. 14.
dæis uvas et ficus, quæ prætergredientur eos, id est, ab eis transibunt ad Chaldæos, ab eisque carpentur. Ita S. Hieron. Vatabl. Hugo et Lyran. Alii explicant, q. d. Dabo Iudæis tantum illos fructus, quos Chaldæi vastando prætermiserint, ut eos ipsi furtim colligant. Verum priorum sensum exigit pronomen affixum in יעברום *iaabrum*, quod Iudæos respicit, non Chaldæos, utpote quorum nulla hic facta est mentio.

INGREDIAMUR CIVITATEM MUNITAM.) Ierusalem: Septuag. *Ingrediamur civitates munitas.* Est mimesis; sunt enim hæc Iudæorum, ob imminentes Chaldæos pavidorum, verba.

ET SILEAMUS IBI.) Id est exspectemus anxii et mœsti B rei huius et belli exitum: vel, ut Lyran. et Hugo, sileamus ibi, auscultantes tubas hostiles, an veniant Chaldæi: nihil moliamur, non provocemus hostem, tantum defendamur muris, siquidem Dominus in has angustias nos adduxit, et, ut Sept. *abiecit nos;* Chald. *pudefecit nos.* Silentium ergo hoc significat ingentem pavorem et consternationem: sic enim silent pavidi mures coram fele: sic siluit terra coram Alexandro Magno 1. Machab. 1. 3.

Aliter Vatabl. Pagnin. et a Castro; *sileamus*, id est moriamur et pereamus; est catachresis: mortui enim silent. Sic c. 25. 37. ait, *Conticuerunt*, id est perierunt, *arva pacis*, et cap. 49. vers. 28. *Omnes viri prælii conticescent*, id est peribunt, et sic infernus et sepulcrum hebr. dicitur דומה *duma*, id est silentium.

Tertio, S. Hieron. Deus, ait, inexorabilis silentium nobis imposuit, ut non audeamus eum deprecari: consuetudo enim peccandi parit desperationem veniæ.

Quarto, alii, *sileamus*, id est, quiescamus a tantis ma- C lis, in quibus hic versamur; sed quomodo Deus silere eos fecit, quos tantis malis afflixit?

Moraliter, multiplex est silentium, ait D. Thomas. Primum stuporis: Amos 8. *In omni loco proiicietur silentium.* Secundum, securitatis: Isaiæ 32. *Et erit opus iustitiæ pax, et cultus iustitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum.* Tertium, longanimitatis: Thren. 3. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini.* Quartum, quietis cordis: Eccles. 12. *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi.* Huc usque D. Thom. vel potius Thom. Anglicus. (Silentium quadruplex.)

ET POTUM DEDIT NOBIS AQUAM FELLIS.) Vatabl. *aquam fellitam*, sive felle mixtam, ideoque amaram; Chal. *aquam maledictionis;* hoc est amaritudine nos replevit, ut discamus per experientiam, malum et amarum esse reliquisse, et ad amaritudinem provocasse dulcem Dominum. Ita S. Hieronym. Sic dicitur Ps. 59. v. 5. *Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis;* et Psal. 79. vers. 6. *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis* D *nobis in lacrymis in mensura.*

Potest secundo, verti: *Potum dedit nobis aquam veneni lethiferi*, id est deduxit nos Dominus in angores et pericula mortis, ac si aconitum nobis propinasset.

Moraliter, disce hic, quid sit peccatum, eiusque illecebræ; scilicet est gutta mellis, quæ vertitur in mare fellis: modica enim voluptas punitur æterno dolore et igne. (Peccatum est gutta mellis, et mare fellis.)

EXSPECTAVIMUS PACEM.) Credentes falsis prophetis, Vers. 15.
qui dicebant, *Pax, pax.*

ET NON ERAT BONUM.) Pacis scilicet, quod exspectabamus. Ita Vatablus, S. Thom. Lyran. Aliter S. Hieron. *non erat bonum*, id est meritum quo pacem mereremur.

TEMPUS MEDELÆ.) Id est liberationis; Chald. *propitiationis:* repete *exspectavimus*.

A DAN AUDITUS EST FREMITUS EQUORUM EIUS.) q. d. Vers. 16.
Ex Dan, sive ex Cæsarea Philippi veniet Nabuchodonosor cum suo equitatu contra Ierusalem. Vide dicta c. 4. v. 15.

Hæc allegorice, multi cum Irenæo lib. 5. 30. accipiunt

de Antichristo nascituro ex tribu Dan, et sic exponunt illud Genes. 49. *Fiat Dan coluber in via;* ideoque Apocal. 7. inter tribus signatas, solam omitti Dan. Ita S. August. Greg. Theodor. Ambros. Damasc. Anselm. Rupert. Beda et alii, quos refert Lipomanus Gen. 49. v. 16. Unde Ribera Apocal. 7. n. 13. *Quare*, ait, *a Dan veniet Antichristus? quoniam ex tribu Dan in urbe Dan habitante, et fortasse in eadem urbe nascetur.*

Devoraverunt terram et plenitudinem eius.) Id est ubertatem eius, puta omnes fructus, quibus plena erat.

Vers. 17. Ecce ego mittam vobis serpentes regulos.) Septuaginta, *serpentes mortiferos.* Nota: *Regulus* teste Plinio l. 8. 21 Solino c. 30. Æliano l. 9. 18. latine idem est, qui græce basiliscus, nimirum serpens est digiti aut palmi magnitudine, alba quasi corona lineatum habens caput; media parte corporis serpit, media erectus incedit, ita noxius ut auras inficiat, adeo *ut in aera nulla alitum impune transvolet infectum spiritu pestilenti*, ait Solinus cap. 30. herbas exurat, afflatu imo spiritu homines interimat, sibilo fuget omnes serpentes; unde *regulus*, id est rex, serpentum dicitur. Tales fuere Chaldæi Iudæis, ut eos solo pene aspectu hinnitu et voce exanimarent. Unde Chald. vertit: *Populos occidentes, sicut serpentes regulos, quibus non est incantatio, et occident vos.*

Basiliscus sive regulus quis?

Vers. 18. Quibus non est incantatio.) Id est qui ita barbari sunt et crudeles, ut nullis precibus ad misericordiam flecti possint. Ita S. Hieron. et Chald. sed Sept. vertunt: *A quibus non est evellere*, scilicet aculeum veneni mortiferi, *et mordebunt vos insanabiliter cum dolore cordis vestri deficientes.*

Tropolog. tales reguli impiis et damnatis sunt dæmones. Ita S. Gregor. 34. Moral. 5. *Immittam*, inquit, *vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, ac si diceret: Iusto iudicio talibus vos immundis spiritibus tradam, qui a vobis excuti exhortatione prædicantium quasi incantantium sermone non valeant.* Rursum tales reguli sunt detractores, ait Hugo.

Dolor meus super dolorem.) Nota, esse vocem Ieremiæ, ut docet Chald. Hugo, S. Thom. Lyran. vel, ut S. Hieron. et Raban. Dei dolentis et plangentis eversionem Ierusalem, ut præ dolore quasi os rictu distendat. Hebr. enim מבליגיתי *mablighiti*, quod Græcis non dicitur ὠδίνη sed μειδίαμα, est rictus oris, dolore partim contracti, partim distenti, et habentis, risus similitudinem. Ita S. Hieron. Sed Maldon. et Sanchez censent hæc esse verba populi dolentis, quæ a Propheta per mimesim recitentur. Unde tropolog. addit Sanchez peccatores in suis peccatis lætari et ridere; sed risum hunc esse Sardonicum, qui mortis est signum aut causa. Verum v. sequ. exponitur vox populi. Verior ergo est expositio S. Hieronymi.

Aliter vertit Vatabl. *Roboratio* vel *respiratio mea super dolorem, in me mœstum est cor meum.* q. d. Cum in dolore vellem me solari, et contra eum roborare non potui, quia cor mœrore oppressum est.

Vers. 19. Ecce vox clamoris filiæ populi mei.) Synagogam populi sui, vocat Ieremias *filiam*, quia eam amabat, educabat et admonebat ut filiam. Unde Chald. vertit, *vox cœtus populi mei*, q. d. Doleo ego Ieremias, quia videor audire vocem populi mei abducti in captivitatem longinquam, in Chaldæam, aut potius populi timentis adventum et obsidionem Chaldæorum. Unde pro *de terra longinqua*, hebraice est מארץ *meerets*, propter terram, מרחקים *marchakim*, id est, distantiarum. Ita Pagnin. Sic sæpe *de* pro *propter*, capitur, ut cum dicimus, Ploro, eiulo, lugeo de morte filii, *de*, id est, *propter*. Et hebraismus et enallage, q. d. Doleo et percellor propter eos aut, metu eorum qui veniunt de terra longinqua, id est Chaldæorum. Nam de obsidione Hierosolymæ hic agi, non de captivitate, ut vult Theodoret. Lyran. Thomas et Castrius patet ex seqq. Ita S. Hieron. Rabanus, Hugo, Vatabl. et Maldon.

Numquid Dominus non est in Sion?) Verba sunt populi a Chaldæis obsessi, q. d. Numquid non Deus est quasi rex in Sion? quare ergo eam obsideri permisit? cur eam Chaldæis vastandam traditurus videtur? Respondet Dominus: Cur et vos irritastis me vestris idolis? cur me relicto, opem petiistis ab exteris diis et Gentibus, quasi in Ierusalem non esset Deus neque rex? uti dixit cap. 2. 18. Notat cultum *Moloch*, id est, regis hominumque deumque. Hunc enim exterum regem et deum suo patrio veroque prætulerant Iudæi.

Aliter Chald. censet enim ipse, τὸ *numquid non, etc.* esse verba Dei, q. d. Cum habeatis me summum dominum et regem in Sion, cur fugitis ad idola?

Transiit messis.) Est vox populi Iudaici plangentis Vers. 20.
diuturnam calamitatem, scilicet obsidionem tota æstate et anno toleratam, quodque Ægyptii opem quam promiserant ut eam solverent non tulerint: putabant enim eos post messem venturos in Maio vel Iunio, cum homines minus sunt occupati, et non veniebant. Dein, putabant post æstatem venturos facta iam vindemia, et non veniebant. Ridet ergo hic eos Deus, recitans eorum verba. Ita S. Hieronym. Vatabl. Lyran. et Maldon. Aliter S. Thom. q. d. Transiit messis, et tamen nos adhuc fame perimus. Aliter quoque Theodoret. q. d. Transierunt iam septuaginta messes et æstates, id est anni captivitatis, et tamen nos adhuc in Babylone manemus captivi. Verum hoc remotius et alienius est: unde videtur hic non de captivitate, sed de obsidione agi.

Super contritione filiæ populi mei contritus sum.) Vers. 21.
q. d. Ego Deus, ait S. Hieron. vel potius ut Chald. Theodor. Lyran. S. Thom. et Vatabl. ego Ieremias, hæreo et stupeo, quod populus tantis suis malis mederi non curet.

Numquid resina non est in Galaad?) *Resina* lacry- Vers. 22.
ma est sive gutta, stillans vel sponte, vel ex incisione arborum, ut ex pino, cupresso, cedro, terebintho, quæ dicitur terebinthina. Celebris in Scriptura est illa, quæ in *Galaad* colligebatur: *Galaad* enim Arabiæ, quæ aromatum est feracissima, pars est. Porro resina mitigat dolorem, astringit vulnera, et cicatricem obducit. Græci ῥητίνην vocant: ῥεῖν enim dicitur, quidquid fluit vel stillat. Vatablus et Pagnin. *theriacam* vertunt, Chald. *balsamum.*

Resina quid?

Medicus non est ibi?) Vatablus et Pagninus vertunt, *chirurgus non est ibi?* Nota: In arte medica et chirurgia excelluerunt Galaaditæ et Arabes ob sua aromata et simplicia, puta herbas, ligna et fructus, quos habent præstantissimos. Rursum nominat Galaad, quod ibi Elias et alii Prophetæ habitassent, 3. Reg. 17. 1. q. d. Desuntne Ierusalem et Iudææ medicinæ? id est sana consilia, doctrina, institutio; vel, ut Vatablus et Chald. preces et orationes piorum virorum, atque medici, scilicet spirituales, puta Prophetæ et sacerdotes, quorum medicamine et consilio curentur eius vulnera, id est, peccata, et tanta clades et vastatio? q. d. Non desunt, sed non vult eos audire. Ita Theod. Aliter Vatabl. Miror, ait, in hac regione, quæ dicit se Deum colere, non inveniri pium aliquem qui precibus suis populi mei malis medeatur. Ex hoc loco Bachiarius epist. ad Ianuarium, probat omne peccatum esse remissibile in hac vita. Aliter quoque a Castro, ut sit sarcasmus, q. d. Ubi sunt vestræ medicinæ, id est arma, consilia, auxilia; et medici, id est principes et sacerdotes, quos iactabatis vulnus obsidionis vestræ et excidii curaturos? Videte, quia sine Deo, imo contra Deum, non est consilium, non est sapientia, non est medicamen, nulla sanitas.

Tropolog. resina et medicina animæ, est pœnitentia, ait S. Hieron. et ut Chald. est oratio. Unde ipse ita vertit: *Dixit Ieremias Propheta: Forte non sunt mihi bona opera ad deprecandum pro domo Israel: desiderabam utique doctrinam Eliæ Prophetæ, qui fuit de Galaad, cuius verba erant medicina, quia pro eo quod non sunt conversi, ideo non crevit medicina plagæ cœtus populi mei*, q. d. Deus Iudæis medicinam subtraxit, quia noluerunt ea uti.

Resina animæ est pœnitentia.

Rursum, resina sunt Sacramenta quæ Christi sanguinem ad vulnera animæ sananda efficacissimum, in eam distillant: Galaad est Ecclesia: medici sunt sacerdotes, qui Sacramenta hæc quasi pharmaca administrant: terebinthus, ex qua hæc resina stillat, est corpus Christi crucifixum, de quo Eccli. c. 24. *Ego quasi terebinthus extendi ramos meos.*

Porro quod Hippocrates initio Aphorism. de medicina et medicis vulnera et morbos corporis curantibus scribit et queritur: *Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile;* hoc longe verius est de medicina et medicis spiritualibus, qui vulnera et morbos animæ curare satagunt.

Denique præclare S. August. in Sententiis, sent. 131. *Sicut*, ait, *duo sunt officia medicinæ, unum quo sanatur infirmitas, aliud quo custoditur sanitas: ita duo sunt gratiæ dona, unum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animæ perseverare virtutem.*

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit increpare dolos et scelera Iudæorum, ac lamentari excidium eis impendens: sicut Christus videns civitatem flevit super illam dicens: Si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, Lucæ 19. 41. Primo ergo, optat sibi fontem lacrymarum ad plangendam cladem Hierosolymæ. Secundo, v. 3. arguit Iudæorum dolos et maledicentiam. Tertio, v. 10. desolationem Hierosolymæ depingit. Quarto, v. 15. ait, quod Deus cibabit Iudæos absinthio et felle. Quinto, v. 17. vocat lamentatrices ad plangendum Ierusalem. Sexto, v. 21. ait, quod mors, id est, Chaldæi, ascenderit per fenestras. Septimo, v. 25. monet ne glorientur aut sperent in sua sapientia, viribus, opibus, aut in circumcisa carne, sed in Domino.

1. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei. 2, Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, et derelinquam populum meum,
et recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, cœtus prævaricatorum. 3. Et extenderunt linguam suam
quasi arcum mendacii et non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non
cognoverunt, dicit Dominus. 4. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. 5. Et vir fratrem suum
deridebit, et veritatem non loquentur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt 6. Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. 7, Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, et probabo eos: quid enim aliud faciam a facie filiæ populi mei? 8. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. 9. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente huiusmodi non ulciscetur anima mea?
10. Super montes assumam fletum ac lamentum, et super speciosa deserti planctum: quoniam incensa sunt, eo
quod non sit vir pertransiens: et non audierunt vocem possidentis: a volucre cæli usque ad pecora transmigraverunt et recesserunt. 11. Et dabo Ierusalem in acervos arenæ, et cubilia draconum: et civitates Iuda dabo in desolationem, eo quod non sit habitator. 12. Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, et ad quem verbum oris Domini fiat ut annuntiet istud, quare perierit terra, et exusta sit quasi desertum, eo quod non sit qui pertranseat?
13. Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, et non audierunt vocem meam, et non
ambulaverunt in ea: 14. Et abierunt post pravitatem cordis sui, et post Baalim: quod didicerunt a patribus suis.
15. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego cibabo populum istum absinthio, et potum dabo eis aquam fellis. 16. Et dispergam eos in gentibus, quas non noverunt ipsi et patres eorum: et mittam post
eos gladium, donec consumantur. 17. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Contemplamini, et vocate lamentatrices, et veniant: et ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, et properent: 18. Festinent et assumant super
nos lamentum: deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis. 19. Quia vox lamentationis audita est de Sion: Quomodo vastati sumus et confusi vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam deiecta sunt
tabernacula nostra. 20. Audite ergo mulieres verbum Domini: et assumant aures vestræ sermonem oris eius: et
docete filias vestras lamentum, et unaquæque proximam suam planctum: 21. Quia ascendit mors per fenestras
nostras, ingressa est domos nostras, disperdere parvulos deforis, iuvenes de plateis. 22. Loquere: Hæc dicit Dominus: Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, et quasi fœnum post tergum metentis,
et non est qui colligat. 23. Hæc dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in
fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis: 24. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me,
quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et iudicium, et iustitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait
Dominus. 25. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium,
26. Super Ægyptum, et super Iuda, et super Edom, et super filios Ammon, et super Moab, et super omnes qui
attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel
incircumcisi sunt corde.

Vers. 1. QUIS DABIT CAPITI MEO AQUAM?) Hebr. *Quis det caput meum aquas, et oculum meum venam* aut fontem *lacrymæ?* q. d. O utinam totum meum cerebrum et caput verteretur in aquas (quo significatur copia) et oculi mei in venas lacrymarum (quo significatur perennitas lacrymarum) ut pro dignitate calamitatem Hierosolymæ instantem deflere possem! Ita S. Hieron. *Si totus*, ait, *vertar in fletum, et nequaquam guttæ sint lacrymarum, sed abundantia fluminis, non satis digne flevero.* Ita et Rabanus et Hugo, qui volunt hæc esse verba Dei; Deus enim loquitur v. 3. Melius Theod. et alii passim, censent esse verba Ieremiæ. Vide hic, quanta in Ieremia fuerit commiseratio et zelus. Vere dixit Nazianzen. orat. 3. *Proborum virorum lacrymæ sunt peccati diluvium, et mundi piamentum.*

Tradunt medici fontem lacrymarum esse cor. Tres enim docent exhalationum in homine esse fontes, stomachum, hepar, cor: stomachum vapores emittere sursum, qui per nares excernantur; hepatis fumos, per aures; cordis autem, per oculos et lacrymas effundi. Fons ergo lacrymarum est cor compunctum et dolens.

Tropol. hæc longe potiori ratione refert S. Bernard. ad

gehennæ tormenta, ser. 16. in Cant. *Quis*, inquit, *dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, et stridorem dentium, et manuum pedumque dura vincula, et pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? Heu me mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis et plorationis æternæ!*

Lacrymarum vis et efficacia apud Deum. Harum lacrymarum vim et efficaciam describens S. Laurent. Iustinian. libr. de Ligno vitæ c. 9. exclamat: *O lacryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te ad Deum accedere vetet. Si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas Omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cælum, fugas diabolum.*

Hinc S. Gregor. lib. 3. Dial. cap. 31. et libr. 6. Regist. epistol. 23. *Axa*, inquit, *suspirans a patre* (Caleb, Iosue 15. 18.) *terram irriguam petit: quia a Creatore nostro, cum magno desiderio quærenda est lacrymarum gratia. Hinc irriguum superius accipit anima, cum sese in lacrymis cælestis regni desiderio affligit: irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit.* S. Augustin. *Oratio*, ait, *ungit Deum, lacryma pungit: illa lenit, hæc cogit.*

Hoc donum habuit S. Magdalena flens pro peccatis suis, et lacrymis rigans et lavans pedes Christi; unde ab eo audivit: *Remittuntur tibi peccata tua.*

Vere dixit S. Chrysost. hom. 6. in Matth. *Sicut post vehementes imbres, mundus aer ac purus efficitur: ita etiam lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas.*

Merito, ergo de se testatur Psaltes Psal. 41. 4. dicens: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam.*

Et Eccli. c. 35. 18. *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cælum, et Dominus exauditor delectabitur in illis.*

Rursum Psaltes Psal. 55. 9. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*; et Ieremias Thren. 3. 48. *Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.*

Oremus ergo eum S. August. ex imo corde: *Da mihi, Domine, irriguum superius et inferius. Præsta mihi hanc gratiam propter te, ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero; toties obortis lacrymis in conspectu tuo copiose et dulciter fleam, ita ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte. Rogo te, bone Iesu, per omnes miserationes tuas, quibus nobis perditis mirabiliter subvenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multum desiderat anima mea*, ut plangam peccata mea et proximorum meorum.

INTERFECTOS.) Interficiendos a Chaldæis.

Vers. 2. QUIS DABIT ME, supple, reperire, IN SOLITUDINE DIVERSORIUM?) q. d. Utinam liceret mihi diversari in deserto, ut solus cum Deo et Angelis versarer, ne viderem tanta hominum scelera. Ita S. Hieron. et D. Thomas; unde Septuag. vertunt: *Quis det mihi in solitudine mansionem extremam*, id est remotissimum aliquem locum, v. g. eremitorium, ubi instar S. Antonii aut S. Pauli eremitæ delitescam.

Unde S. Hieron. in solitudinem suam invitans Heliodorum: *O desertum*, inquit, *Christi floribus vernans! o solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni regis exstruitur! O eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis, frater, in sæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit?* et ad Rusticum: *Mihi oppidum carcer, solitudo paradisus est;* et S. Antonius viso et audito S. Paulo primo eremita (uti in eius Vita scribit S. Hier.) ad suos dixit: *Væ mihi peccatori, quia falso monachi nomen gero. Vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto, et vere vidi Paulum in paradiso.*

Exempla SS. Episcoporum et prædicatorum, qui abdi- A cato officio et gradu, ad solitariam et monasticam vitam confugerunt, vide apud B. Petrum Damiani Epist. 9. ad Nicolaum II. Pont.

Allegor. optat Ieremias latere et quiescere in deserto Gentium, id est, in Ecclesia Christi, ait S. Iren. l. 4. c. 42.

QUIA OMNES ADULTERI SUNT, COETUS PRÆVARICATORUM.) *Adulteri*, tum proprie, tum mystice, id est idololatræ. Apposite hunc locum torquet Theodorus Studita in Mœchianos hæreticos, qui mœchiam, id est adulterium (utpote priore uxore Maria vivente et repudiata) matrimonium Constantini Imperatoris cum Teodote probabant, quasi Imperator legibus divinis esset exemptus, nec iis obligaretur. Ita enim scribit de conciliabulo Constantinopolitano, in quo anno Domini 809. hæc hæresis probata est, ad Leonem III. Romanum Pontificem. *Factus est, iuxta Ieremiam Prophetam, cœtus revera prævaricatorum, et concilium adulterantium: quod enim ibi propter idolorum fornicationem dictum est, hic per adulterinæ copulæ confirmationem patefactum est. Utique eumdem Dominum* B *spreverunt, illi per leges, hi per Evangelii transgressionem;* et inferius: *Causam vero suam improba defensione prætexunt. Adulterini siquidem coniugii coniunctionem dispensationem esse decernunt. In regibus nihil posse divinas leges definiunt: eos qui pro veritate ac iustitia usque ad sanguinem restiterunt, ut Præcursorem et Chrysostomum, imitari vetant;* et mox: *Quid igitur ad hæc, o Beate, dicendum est, nisi Apostolicum illud: Nunc Antichristi multi facti sunt, si divinis legibus et canonibus omnes homines subditi non sumus? Salva nos, Archipastor Ecclesiæ quæ sub cælo est: perimus.*

EXTENDERUNT LINGUAM SUAM QUASI ARCUM MENDACII.) Vers. 3.
Ut scilicet ex lingua quasi arcu eiaculentur sagittas, id est, dolos, calumnias, et omne mendacium, quibus fratres et proximos suos transfigant. Ita Theodor. Verum S. Hieron. per *mendacium*, blasphemias accipit in Deum iactas, uti Deum non habere providentiam, non curare suam gentem, puta Iudæos: hoc enim tum athei iacta- C bant. Prior sensus planior est, eumque exigit v. 4. Idem deplorat Psaltes Psal. 63. 4. *Intenderunt*, inquit, *arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum*; et Psal. 10. 3. *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.*

CONFORTATI SUNT.) Hebr. *prævaluerunt*, q. d. ut Vatabl. Obtinent dignitates in terra, non per veritatem, sed per malas artes, puta per fraudes et sycophantias, aut, ut Maldon. q. d. De malo ad malum progressi sunt, dolum dolo, fraudes fraudibus nexuerunt.

UNUSQUISQUE SE A PROXIMO SUO CUSTODIAT.) Nulla Vers. 4.
inter eos fides est.

Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est:

sed quisque alium deprimere, calumniari, decipere et evertere nititur. Prudenter sane Agesilaus, Gentilis licet, teste Plutarcho, quoties audiebat aliquos de aliorum laude aut vituperio testimonium dicere, dicebat non minus esse inquirendum in mores eorum qui loquebantur, quam D eorum de quibus loquebantur.

Detractores et susurrones in communitate sunt viperæ et proditores. Notent hæc illi, qui in aliqua republ. congregatione, sodalitate aut Religione sociis suis detrahunt, eos calumniantur, deprimunt, et in aliorum odium aut contemptum adducunt: hi sane viperæ sunt, qui viscera fratrum, imo matris, puta congregationis suæ, rodunt et lancinant: in quos Dei maledictio, quam Ieremias hic Iudæis comminatur, et præsens et æterna desæviet. Merito sane S. Bernard. serm. 3. de dedicat. Eccles. tales vocat proditores, qui templum Domini faciunt speluncam dæmoniorum.

Porro singula verba hic habent pondus et pathos ingens. Primo, v. 3. ait: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis*, q. d. Lingua a Deo data est ut sit arcus veritatis et benedictionis; at detractores faciunt eam arcum mendacii et maledictionis. Secundo, *confortati sunt in terra*, quia linguipotentes sua dicacitate et facetiis omnes post se trahunt, ut ab eorum

ore pendeant. Tertio, de *malo ad malum egressi sunt*, ab una detractione ad aliam, ab una calumnia ad aliam progrediuntur. Quarto, *me non cognoverunt, dicit Dominus*, non reverentur me legislatorem, nec timent me maledicentiæ vindicem. Quinto, *omnis frater supplantans supplantabit*, fratris est fratrem extollere et erigere; at hi deprimunt et supplantant. Sexto, *omnis amicus fraudulenter incedet:* simulant se amicos coram, sed a tergo ostendunt se hostes; in facie laudant, a tergo vituperant. Septimo, *vir fratrem suum deridebit*. Non tantum mores carpunt, sed et per contemptum derident et subsannant. Octavo, *ut inique agerent laboraverunt*. Inquirunt omnia, examinant omnes ut audiant quod carpant, satagunt ut fratrem in vilipendium et odium apud omnes inducant. Nono, *habitatio tua in medio doli*, pleni sunt dolis, iisque undique circumcincti, ut habitans cum eis illos evadere nequeat. Decimo, *sagitta vulnerans lingua eorum;* ex improviso lædunt et penetrant ut sagittæ.

Vers. 6. HABITATIO TUA IN MEDIO DOLI.) Sunt verba Dei ad Ieremiam, q. d. Tu habitas inter homines dolosos qui linguam in melle, cor in felle situm habent. Ita S. Hieron. D. Thom. Vatabl. Raban. Porro simulata amicitia duplex est inimicitia, sicut simulata æquitas est duplicata iniquitas. Nam præviæ iniquitati additur simulatio et hypocrisis, ut ait S. August. in Sent. n. 219.

Aliter Chald. Hugo, Lyran. ut sint verba Ieremiæ ad populum, q. d. Iaces, o popule, in dolo, ita peccatis et dolis circumsessus, ut resurgere non possis.

IN DOLO, præ dolo, propter dolos et flagitia, noluerunt SCIRE et agnoscere ME.

Vers. 7. ECCE EGO CONFLABO, ET PROBABO EOS.) Septuag. *examinabo eos igne*, id est, bello ardentissimo Chaldæorum. Quid enim aliud facerem populo meo, nisi eum ut filium castigando et corrigendo? Ita S. Hieron. Hugo, S. Thom. quare eum velut aurum in fornace tribulationis purgare, et a rubigine peccatorum expolire volo, non omnino consumere. Sic ait Eccli. c. 27. v. 6. *Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis.*

Vers. 8. *Lingua detractrix est gladius trisulcus.* SAGITTA VULNERANS.) Chald. *acuta*. Lingua enim maledica et detractrix est quasi gladius triceps sive trisulcus, qui tria dat vulnera ictu uno, quia vulnerat et occidit primo, audientem; secundo, eum cui detrahit; tertio, seipsum, inquit S. Bernard.

De his ait Psaltes Psal. 5. 11. *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.* Et Ps. 13. *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Et Ps. 56. 5. *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.* Et Psal. 63. 4. *Exacuerunt ut gladium linguas suas.* Et Eccles. 10. v. 11. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Et Eccli. 28. v. 15. *Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem.* Et Apostolus Galat. 5. v. 15. *Si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Rom. 1. 30. *Detractores, Deo odibiles.* Et Iacobus c. 3. 5. *Ecce quantus ignis quam magnam sylvam incendit: et lingua ignis est, universitas iniquitatis.* Et v. 8. *Linguam nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero.* Prov. 24. 9. *Abominatio hominum detractor.* S. Bernard. in ser. *Detractor*, ait, *et libens auditor, uterque diabolum portat in lingua. Si pauper es, vilem et abiectum reputat; si dives, ambitiosum, avarum et cupidum; si affabilis, dissolutum; si prædicator vel doctor, honoris et humani favoris quæsitorem; si tacens, inutilem; si ieiunus, hypocritam; si comedens, voratorem.* Cassiodor. in Psal. *Dentes*, ait, *dicti sunt a demendo, ideo pulchre linguæ detrahentium dentes vocantur; quia sicut illi ciborum partes demunt, ita et isti opiniones hominum corrodunt.* Vere Plaut. in Captiv.

Quasi mures semper comedimus alienum cibum,
Ubi res prolatæ sunt nostris dentibus.

Et Horat. lib. 1. serm. sat. 4.

Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.

Et Cicero in Offic. *Detrahere alteri, et hominis incommodo suum commodum augere, magis est contra naturam quam mors, quam dolor, quam cætera quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollunt convictum hominum et societatem.*

Vere Plautus: *Contumeliam si dices, audies;* et Terent. in Andria: *Si mihi pergit quæ vult dicere, quæ non vult audiet.* Et Euripides: *Infrænis oris vectigal, calamitas.* Porro S. Bernardus ser. 24. in Cant. graphice vafritiem detractorum describit: *Videbis*, ait, *a detractore alta præmitti suspiria, sicque cum quadam gravitate et tarditate vultu mœsto, demissis superciliis, et voce plangenti egredi maledictionem; et quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt, corde non invido, sed magis condolenti affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum satis, et numquam potui de hac re corrigere eum, et alias mihi quidem bene compertum fuerat de eo istud, sed per me numquam innotuisset; at quoniam per alterum patefacta res est, negare non possum, revera ita est.* Sane viri prudentes censent, maiorem partem hominum damnari ob peccatum detractionis et maledictionis, adeoque in Religionibus et Congregationibus alioqui probis et securis, non esse maius periculum salutis quam a lingua et a detractione; quinimo in iis non raro peccari non tantum venialiter, sed et mortaliter in hac materia, eoque periculosius, quod detrahentes id ipsum non advertant, vel prætextu zeli excusent. Vere S. Hieron. ad Celantiam: *Pauci*, ait, *sunt qui huic vitio renuntient, tantaque huius mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extraneum laqueum incidant.*

SUPER MONTES, id est, propter montium Iudææ vastationem lamentabor, quia omnia incendio adusta sunt, EO QUOD NON, id est, ita ut vix sit, PERTRANSIENS.

SUPER SPECIOSA DESERTI.) Hebr. *propter habitationes deserti*, id est, propter bestiarum latibula, quæ fugatis bestiis vacua sunt, uti mox explicat. Sept. *super semitas deserti*, id est, quia desertum ita vastatum est, ut nec homo nec bestia per eius semitas transeat. Vers. 10.

NON AUDIERUNT homines in deserto VOCEM POSSIDENTIS.) Id est, ut hebr. מקנה *mikne*, id est pecoris possessi, et campos possidentis ac depascentis, id est, non audierunt balatum ovium, mugitum boum: quia pecora omnia et aves, vel sunt abducta a Chaldæis, vel a Iudæa incensa et desolata fugerunt, ob defectum pabuli, et ob vastitatem ac horrorem loci. Ita Chald. Vatabl. et Pagn.

Aliter S. Thom. *non audierunt*, inquit, *vocem possidentis*, id est domini possessoris, qui suas terras quasi desertas relinquebat. Aliter quoque Lyran. Dei qui eos possidebat, vocem non audierunt.

DABO IERUSALEM IN ACERVOS ARENÆ.) Id est ruderum. Vers. 11
EO QUOD, id est, ita ut, NON SIT HABITATOR.

QUIS EST?) q. d. Quis sapiens aut Propheta nobis causam tantæ cladis Iudæorum edisserat? unde respondens Dominus causam assignat: *Quia dereliquerunt legem meam.* Vers. 12

EO QUOD, ita ut, NON SIT QUI, etc.

POST BAALIM.) Septuag. *post idola*, id est, post deos vicinarum gentium. Vers. 14.

CIBABO POPULUM ISTUM ABSINTHIO.) Chald. *Inducam tribulationem amaram quasi absinthium, et potum dabo eis calicem maledictionis pessimæ.* Ita S. Hier. et Theod. Idque ad eorum purgationem et medicinam, ait Hugo: absinthium enim vim habet purgandi. Vers. 15.

MITTAM POST EOS GLADIUM.) Quia Chaldæi capta Ierusalem, fugientes ex ea Iudæos in Ægyptum insecuti, eos vel occiderunt, vel ceperunt. Ita Theodor. Vers. 16.

DONEC CONSUMANTUR.) Donec occidantur plurimi, ii scilicet, qui a Deo neci ob peccata sunt destinati: nam alioqui totum populum non fore consumendum, sed reli-

quias fore salvas promisit c. 5. 10.

Vers. 17. Lamentatrices sunt præficæ, quæ ... CONTEMPLAMINI, hebr. התבוננו *hitbonenu*, id est providete, ET VOCATE LAMENTATRICES.) Quæ solent in funeribus et luctu, voce flebili, et lacertos manibus verberantes, ad lacrymas populum provocare: hic enim mos usque hodie permanet in Iudæa, ut tum viri threnodi, tum potius mulieres, in planctum et omne pathos faciles, atque ad hoc exercitæ et conductæ sparsis crinibus, nudatisque pectoribus, voce modulata omnes ad fletum concitent. Ita S. Hieron. Has Gentiles vocabant præficas, quod luctui præficerentur. Ad luctum quoque adhibebantur tibicines. Unde Ovidius:

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Vide dicta Matth. 9. 23. q. d. Deus: Non poteritis, o Iudæi, ipsi satis deflere cladem Hierosolymæ, nisi etiam præficas lamentandi peritas advocetis.

SAPIENTES.) Peritæ lamentandi. Sic Exodi 31. 3. et alibi sapientia sumitur pro quavis peritia et arte.

Vers. 18. ASSUMANT SUPER NOS LAMENTUM, lamentando et dicendo: DEDUCANT OCULI NOSTRI LACRYMAS.) Hæc enim est vox præficarum excitantium omnes ad ploratum. Est mimesis.

Vers. 20. ET DOCETE FILIAS VESTRAS.) Non musicam, non cantica amatoria, de quibus ait S. Cyprianus lib. de Singularit. Cler. Satius est audire sibilantem basiliscum, quam puellam cantantem: sed *lamentum*.

Vers. 21. ASCENDIT MORS PER FENESTRAS.) Scilicet arcium, turrium, domorumque mœnibus adhærentium, q. d. Non per portas, sed per muros in urbem Ierusalem ingressa est mors, id est, Chaldæi mortem inferentes Iudæis, ut in plateis occiderent parvulos et iuvenes. Est metonymia. Ita Vatabl. a Castro et Sanchez. Significatur inexpectata et improvisa Chaldæorum in Ierusalem irruptio; utpote qui non per portas, in quibus sunt vigiles, sed per murorum fenestras clanculum instar furis irrumpant.

Secundo, ut S. Hieron. D. Thomas, Lyranus, q. d. Tanta erit fortitudo, velocitas et impetus Chaldæorum, ut non exspectent reserare fores domorum, sed per fenestras et tecta conscendant, ut in domos penetrent, ibique parvulos et iuvenes necent, ita ut nullus supersit qui versetur in vicis et plateis, uti antea solebant. Hoc est quod ait Ioel c. 2. v. 9. *Domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur.*

Mors intrat in animam per fenestras, id est, per sensus. Tropolog. per *fenestras*, id est, per sensus et oculos, ad animæ interitum, mors peccatorum intrat. Ita S. Hieron. et fuse S. Gregor. l. 21. Moral. c. 2. et Ambros. lib. de Fuga sæculi c. 1. Unde S. Bernard. serm. 24. in Cantic. *Mors*, inquit, *intrat per fenestras nostras, cum prurientes auribus et oculis, lethale poculum detractionis invicem nobis ministrare contendimus.* Sicut ergo urbi et turri munitissimæ nihil prosunt quanticumque muri, si foramina aut fenestras habeat apertas, per quas hosti ingressus pateat; ita nihil prodest animæ omne munimen gratiæ, si sensuum fenestras habeat apertas, per quas carnalia spectra et desideria in animam intrent.

Custodia ergo et clausura sensuum debet esse exactissima: quia per eos vel vita, vel mors intrat in animam, ait Theodor. et Origenes serm. 3. in Cantica. Idem docent S. Ambrosius, Epiphan. Hieron. Chrysost. Gregor. et Aponius, quorum verba digna lectu recitat Delrio adagio 884. Huius custodiæ defectu periit Eva, nosque omnes perdidit. Nam, ut dicitur Genes. 3. *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit.* Sic Holofernes captus est in oculis suis. Nam, ut dicitur Iudith 16. *Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captivam fecit animam illius.* Hinc sapienter Iob cap. 31. *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Quocirca apte Græci ερως, id est amor, deducunt ab ὁρᾶν, id est videre: quia ex aspectu nascitur amor. Plato autem in Cratylo deducit ab ἐρρεῖν, id est influere: quia amor extrinsecus per oculos influit in animam. Sapienter dixit Seneca ep. 96. *Facilius est initia affectuum prohibere, quam impetum regere.* Et

A *Aristoteles*, inquit Valer. Maxim. lib. 7. c. 7. *utilissimum dedit præceptum, ut voluptates abeuntes consideremus: quas quidem sic ostendendo, minuit: fessas enim, pœnitentiæque plenas animis nostris subiecit, quo minus cupide repetantur.* Vulgo dicitur: *Quod oculus non videt, cor non amat.* Hinc Iob, *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis.* Rursum Seneca lib. de Remed. fortuitorum: *Quam multis*, ait, *cupiditatibus via incisa est, quam multis rebus, quas ne videres vel eruendi erant oculi! Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, huic urbem et mala omnia; certe irritamenta sunt vitiorum ducesque scelerum.* David vir sanctissimus videns Bersabee, incidit in adulterium et homicidium, Genes. 6. videntes filii Dei filias hominum, quia essent pulchræ concupierunt eas, indeque nati sunt improbi gigantes, qui fuerunt causa diluvii. Recte ergo orat Psaltes Ps. 118. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Hæc est causa

B cur Deus munierit oculum tot tunicis, palpebris et superciliis, uti docet S. Ambros. l. 6. Hexam. c. 9. ut merito dicat Psaltes Ps. 16. *Custodi me, ut pupillam oculi.* S. Petrus epist. 2. c. 2. carpit homines qui quot vident fœminas, tot concupiscunt: *Habentes*, ait, *oculos plenos adulterii, et incessabilis delicti.* Et Eccli. c. 31. *Nequius oculo quid creatum est?* loquitur de oculo invidi; sed aliorum eadem est ratio. Quocirca S. Hieron. Didymum cæcum præceptorem suum, vocat suum videntem, quod oculis corporis clausis clariores haberet oculos mentis. Refert Ruffinus lib. 11. histor. S. Antonium Didymo dixisse: *Desunt*, ait, *tibi oculi illi quos mures et muscæ habent; sed lætare, quia habes oculos quos Angeli habent, quibus Deus videtur, per quos tibi magnum scientiæ lumen accenditur.* Vide dicta Thren. 3. 51. Rursum Theodor. Per fenestras, inquit, id est, per cogitationem et commentationem erroris, ingressus est ipse error in animam.

NON GLORIETUR.) q. d. Iudæi gloriantur in consiliis Vers. 23.
sapientum, in robore militum, in opibus urbis, quasi iis

C tuti sint futuri contra Chaldæos; sed errant. Vera enim gloriatio est, scire et nosse Deum, id est Dei providentiam, quod ipse solus est qui facit misericordiam, et quos vult misericorditer liberat; non autem sapiens, fortis, dives: ipse etiam iustam pœnam infert cui vult; a qua nemo sapiens, fortis, dives liberare potest. Quare neque sapientem sapientia, neque fortem fortitudo, neque divitem divitiæ in illa clade, quæ Hierosolymæ imminet, a morte liberabunt; sed liberabit cognitio, id est fides, spes, invocatio et cultus Domini. Ita S. Hieron. Hunc locum citat Paulus 1. Corinth. 1. 31. ut ibi dixi.

Moral. D. Thomas: Homo, inquit, non debet gloriari in sapientia. Primo, quia transitoria. Isaiæ 29. 14. *Peribit sapientia a sapientibus eius, et intellectus prudentium eius abscondetur.* Secundo, quia imperfecta. Eccles. 8. 17. *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole.* Tertio, quia nociva. 1. Corinth. c. 8. 1. *Scientia inflat, charitas vero ædificat.* Quarto, quia laboriosa. Eccles. c. 1. v. ult. *In* Moral. Non esse gloriandum in sapientia, ob quatuor causas.

D *multa sapientia, multa indignatio: et qui addit scientiam, addit et laborem.*

Præclare noster Lipsius de seipso præfatione in Notis ad lib. de Cruce: *Quo longius in hac vitæ via progredior, magis magisque aspicio circumfusam animo caliginem, corpori imbecillitatem. Heraclitus olim dicere solitus, se, cum iuvenis esset, nihil scire; cum senex, nihil ignorare: mihi planissime contra evenit: et qui olim aliquid scire visus, nunc parum aut nihil. Et, o miseri, quid nos, doctrina, fama sumus? Ipsi pulvis, illa opinio, ista ventus.* Ita plane se res habet: hoc ipse in me experior: hoc sentiunt; hoc sapiunt vere docti.

Item, non debet gloriari in fortitudine. Primo, quia Nec in viribus.
fragilis. Iob 6. 12. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Secundo, quia frequenter inutilis. Eccles. c. 9. 11. *Vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; sed tempus, casumque in*

omnibus. Tertio, quia Domino non acceptabilis. Ps. 146. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Quarto, quia peccati occasio. Sapient. cap. 2. 11. *Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur.*

Nec in opibus.

Item non debet homo gloriari in divitiis. Primo, quia transitoriæ. Iacob 5. 2. *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: et vestimenta vestra a tineis comesta sunt.* Secundo, quia insufficientes. Prov. 17. 16. *Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?* Tertio, quia verbum Dei impedientes. Matth. 13. 22. *Fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Quarto, quia nocivæ. Eccles. 5. 12. *Divitiæ conservatæ in malum domini sui.* Hoc usque D. Thom.

In externis omnibus bestiæ nos superant.

Audi et Isidorum orat. de humilitate: *Qui rebus externis gloriantur, in iis a bestiis superantur. Magna corporis mole præditus es? quæ est hæc, si cum elephanti mole comparetur? Fortis es et intrepidus? at leo longe te superat, de quo scriptum est: Leo fortissimus animalium ad nullius pavebit occursum. Cantu ac vocis modulatione insignis es? at cycnus, luscinia, et plurimæ aliæ vocales aves, maius miraculum in suo cantu excitant. Pulcher es? et pavo insigni pulchritudine præstat, et aves aliæ multæ, et scorta etiam pulchritudine gloriantur. Arte aliqua præstas? quid in hac re apibus est sapientius, quarum opera quis pictor, quis geometra possit imitari? Tenui ac subtili veste uteris? hic te superant aranei. Celeritate pedum vales? rursus primatum tenent lepus, caprea, etc. Acuto visu præditus es? non ut caprea, ut aquila. Acute audis? at acutius asinus. Acuto es odoratu? canis te superat.* Et vere Poeta:

Te sus auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

Denique aurea est gnome S. August. in Sententiis num. 129. *Quo primum vitio superatur homo, hoc ultimum vincit. Cum enim omnia peccata superaverit, manet periculum, ne sibi mens nihil conscia in se potius quam in Domino glorietur.*

Vers 25. VISITABO SUPER OMNEM QUI CIRCUMCISUM HABET PRÆPUTIUM.) q. d. Non est quod gloriemini, o Iudæi, in eo, quod carne sitis circumcisi, quasi filii Abrahæ, ideoque a Deo protegendi sitis, nec vastandi: sic enim et multæ aliæ gentes, maxime Iudæis vicinæ, vel cognatæ, quia oriundæ ex Abraham, puta Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Saraceni, circumcidi solent: qui tamen omnes a Chaldæis vastabuntur, quia incircumcisum cor et animum habent, æque ac vos. Deus enim quærit circumcisionem animæ, non corporis; cultum internum, non externum. Ita S. Hieron. Theodor. Raban. Hugo et alii. Unde subdit:

Vers. 26. SUPER ÆGYPTUM.) Ægyptii circumcidebantur imitatione Iudæorum qui apud eos peregrini fuerant. Prædicit hic Ieremias, Ægyptios æque ac Iudæos a Chaldæis vastandos esse.

Ægyptii aliique Gentiles circumcisione usi, cur?

Nota: Ægyptii aliæque gentes colebant et observabant circumcisionem, uti testatur S. Hieron. Philo lib. de Circumcisione, Herodotus in Clio, et alii; non quasi Sacramentum, continens professionem fidei et obedientiæ erga Deum, simulque professionem venturi Messiæ, et insuper expiationem peccati originalis; sed tamquam morem ritumque a maioribus servatum, et ad posteros transmissum, atque id temporis laudatum et honoratum. Eadem de causa Mahomet suis sectatoribus circumcisionem præcepit.

A Verum recte advertit Sanchez, circumcisionem Ægyptiis et aliis Gentilibus non communem, sed privatam aliquorum et paucorum fuisse. Nam Script. omnes gentes vocat incircumcisas, atque ab eis Iudæos distinguit, quod hi sint circumcisi, illi incircumcisi. Unde clare mox subdit Ieremias: *Quia omnes gentes habent præputium.* Rursum, Ammonitas fuisse incircumcisos, patet ex eorum duce Achior, qui ob victoriam Iudith cap. 14. 6. conversus est et circumcisus. Idem de Idumæis colligitur ex Epiphanio lib. de Ponderib. ubi tradit Esau eorum parentem arte reduxisse sibi præputium, ac delevisse notam circumcisionis: quod posteros eius secutos esse valde est probabile. Unde Iosephus lib. 13. Antiquit. 17. narrat Idumæos ab Hyrcano subacto, coactos fuisse circumcidi, et iudaismum suscipere. Sensus ergo erit, q. d. Iudæos circumcisos puniam, æque ac Idumæos, aliasque gentes incircumcisas: quia Iudæi solam carnem habent circumcisam, mente vero æque ac gentes sunt incircumcisæ. Rursum, gentes nonnullæ *attonsæ sunt in co-*
B *mam;* itaque caput quasi circumcisum habent; cur ergo iis meliores aut potiores habeantur Iudæi qui non caput, sed genitale tantum habent circumcisum? Ita Pagninus, Vatab. Isidorus et Sanchez.

SUPER OMNES QUI ATTONSI SUNT IN COMAM, HABITANTES IN DESERTO.) Hi sunt Saraceni vel Arabes, ait S. Hieron. quorum moris erat in comam rotunde attonderi: sicuti modo secundum aures nonnullos Germanos et Hungaros in rotundum attonderi videmus. Quod idcirco Iudæis vetuit Deus Levit. 19. v. 27. ut ibi dixi, q. d. Ab hac clade Chaldæorum Arabes non eximet coma caput circumiens, neque resecta in modum coronæ cæsaries (in qua gloriantur) æque ac Iudæos ab eadem non eximet circumcisio.

Arabes attondentur in rotundum.

Aliter Theodoret. ipse enim hæc accipit de attonsione non capitis, sed genarum: harum enim pilos evellere solebant Arabes, unde Syrus et Arabicus vertunt: *Abrasi mento.*

C Aliter quoque Hebræi, Lyranus, R. Salomon. Pagnin. Vatablus: ipsi enim hebr. קציצי *ketsitse*, a rad. קץ *kets* deducentes, vertunt: *Et super omnes qui angulati vel extremificati sunt angulo*, id est, super remotissimas Gentes, quæ habitant in angulo deserti; hæ enim Iudæis videbantur habitare in finibus terræ.

QUIA OMNES GENTES HABENT PRÆPUTIUM.) q. d. Licet gentes aliæ sint corpore incircumcisæ; Israel tamen corde et mente est incircumcisus, id est rebellis, contumax et obduratus, ideoque præ aliis gentibus a me punietur. Ita S. Hieron. Theodor. Lyranus.

Secundo, omnes gentes meliores sunt Iudæis, quia non fingunt, sed quales sunt intus, tales sunt foris, incircumcisi scilicet animo et corpore: at Iudæi corpore sunt circumcisi, animo incircumcisi, quæ hypocrisis magis mihi displicet, quam si omnino non circumciderentur, inquit Maldonat.

Hinc aliqui per attonsos in comam intelligunt Iudæos.
D Nam et Ioseph. l. 1. contra Apion. narrat Iudæos in castris Xerxis militantes coma fuisse attonsos: verum per attonsos, gentes intelligi, non Iudæos, patet tum ex eo quod additur, *Habitantes in deserto;* tum quia de Ismaelitis, puta Dedan, Theman et Buz, Ieremias c. 25. 23. et c. 49. 32. ait: *Qui sunt attonsi in comam.*

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostendit idolorum vanitatem et pœnam. Primo ergo, hortatur ne signa cæli et idola colant, eo quod ipsa non sint aliud, quam dii manufacti. Secundo, v. 10. iis opponit Deum verum, quem docet colendum esse, eo quod ipse solus fecit et regit omnia quæ in cœlo et in terra sunt. Tertio, v. 17. docet Iudæos qui idola coluerunt, vastandos esse: unde orat Deum, ne in furore corripiat eos, quasi hostis; sed in misericordia, quasi pater.

1. AUDITE verbum, quod locutus est Dominus super vos domus Israel. 2. Hæc dicit Dominus: Iuxta vias gentium nolite discere: et a signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: 3. Quia leges populorum vanæ sunt: quia lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia. 4. Argento et auro decoravit illud: clavis et malleis compegit, ut non dissolvatur. 5. In similitudinem palmæ fabricata sunt, et non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent: nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene. 6. Non est similis tui Domine: magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. 7. Quis non timebit te, o rex gentium? tuum est enim decus: inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui. 8. Pariter insipientes et fatui probabuntur: doctrina vanitatis eorum lignum est. 9. Argentum involutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophaz: opus artificis, et manus ærarii: hyacinthus et purpura indumentum eorum. Opus artificum universa hæc. 10. Dominus autem Deus verus est: ipse Deus vivens, et rex sempiternus: ab indignatione eius commovebitur terra: et non sustinebunt gentes comminationem eius. 11. Sic ergo dicetis eis: Dii qui cælos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cælo sunt. 12. Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cælos. 13. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo, et elevat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis. 14. Stultus factus est omnis homo a scientia, confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflavit, et non est spiritus in eis. 15. Vana sunt, et opus risu dignum: in tempore visitationis suæ peribunt. 16. Non est his similis pars Iacob: qui enim formavit omnia, ipse est: et Israel virga hæreditatis eius: Dominus exercituum nomen illi. 17. Congrega de terra confusionem tuam, quæ habitas in obsidione: 18 Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego longe proiiciam habitatores terræ in hac vice: et tribulabo eos ita ut inveniantur. 19. Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi: Plane hæc infirmitas mea est, et portabo illam. 20. Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt, filii mei exierunt a me, et non subsistunt: non est qui extendat ultra tentorium meum, et erigat pelles meas. 21. Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est. 22. Vox auditionis ecce venit, et commotio magna de terra aquilonis: ut ponat civitates Iuda solitudinem, et habitaculum draconum. 23. Scio Domine quia non est hominis via eius: nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos. 24. Corripe me Domine, verumtamen in iudicio: et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. 25. Effunde indignationem tuam super gentes, quæ non cognoverunt te: et super provincias, quæ nomen tuum non invocaverunt: quia comederunt Iacob, et devoraverunt eum, et consumpserunt illum, et decus eius dissipaverunt.

VIDETUR hic esse admonitio ad Iechoniam et Iudæos in Babylonem abductos, ne Chaldæorum idololatriam imitentur; qua de causa chaldaice loquitur Ieremias v. 11. Ita Chald. R. Salomon. Lyran. et Isidor. Prophetavit ergo hæc Ieremias initio regni Sedeciæ, ut dixi in Chronotaxi.

Vers. 2. IUXTA VIAS GENTIUM NOLITE DISCERE.) Hebr. *vias*, id est, mores et ritus, *Gentium ne discatis:* maxime in eo quod sequitur:

Gentiles colebant astra quasi animata. Dubitat S. Aug. an sol et astra sint nobiscum beandi.

ET A SIGNIS CÆLI NOLITE METUERE.) Nota: Gentiles colebant astra quasi deos, decepti pulchritudine eorum, et quia animata ea censuit Plato in Epinomide, et ex eo Origen. 1. Periarchon c. 7. et dubitat S. August. Enchir. 58. ubi dubitat, an sol, luna et alia astra, nobiscum sint beanda. Colebant ergo ea et timebant ac reverebantur, quasi quæ regerent orbem sublunarem, omniumque in eo rerum et actionum etiam liberarum essent causa: hinc etiam, ut ait Virgil.

Nigram hiemi pecudem, zephyris felicibus albam,

ne scilicet nocerent, sed prodessent, offerebant. Ita S. Hieronymus. Putabant enim omnia stellarum vi, non divina providentia gubernari: unde magis stellas quam Deum metuebant et colebant (nam *primus in orbe deos fecit timor)* præsertim cum a nonnullis Physicis audirent, hominem esse quasi opus et fabricam siderum: cum enim dum nascitur, a Sole sortiri spiritum, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Iove desiderium, a Venere cupiditatem, a Saturno humorem. Insuper ab astrologis nonnullis audirent, astra habere oculos et aures, iisque videre et audire. Ita enim inter alios scri-

A bit Iulius Firmicus l. 2. Mathes. *Nunc quæ stellæ alias videant, et quæ audiant, breviter explicabo. Aries Leonem non videt, sed audit: Leo autem Arietem videt, sed non audit. Aries Cancrum videt, pariter et audit; Cancer autem Arietem non videt, sed audit. Taurum et videt Leo, pariter et audit. Similiter Leo, Aries, Gemini Virginem vident leviter, et audiunt: Virgo Geminos leviter videt, sed plenissime audit. Cancer Libram et videt, pariter et audit. Leo Scorpium nec videt nec audit: Scorpius vero Leonem videt, pariter et audit. Virgo Sagittarium ex obliquo respicit, sed eum non libenter audit. Sagittarius Virginem et videt et audit. Libra Aquarium videt, sed ipsa ab Aquario non videtur: audiunt tamen se invicem. Pisces et Cancer non quidem se vident, sed audiunt, etc.* Additque hæc se ex Abrahæ libris excerpsisse. Quod si viri etiam sapientes hæc deliria crediderunt, quid non credidit

B vulgus? Alii astra non quidem causas, sed signa certa et fatalia esse dicebant, quasi cælum sit liber, in quo Deus acta et eventus nostros, et omnia quæ toto mundani ævi decursu futura sunt, depinxit. Ita Origen. apud Euseb. 6. Præpar. 9. qui sic inducit Iacob patriarcham filiis loquentem: *Legi in tabulis cæli, quæcumque contingent vobis, et filiis vestris.* Idem docet Plotinus Origenis condiscipulus lib. 6. de Fato. Hoc etiam probabile censet Iulius Sirenius l. 9. de Fato cap. 35. *Ægyptii quoque fatum indicantes, pingebat sidus, eo quod fatum e siderum cursu ac dispensatione constituatur,* inquit Horus Apollo Hieroglyph. c. 13.

Astra esse signa futurarum actionum liberarum censuit Orig. et alii.

Hoc denique sequuntur astrologi iudiciarii. Sed Astrologiam hanc damnat hic Ieremias et Ecclesia. Vide eam

Astrologiam iudiciariam damnat Ieremias. acriter insectantem S. Aug. l. 2. de Doctrin. Christ. cap. A 21. 22. 23. et Picum Mirandul. l. 12. contra eam, et Pererium l. 2. in Genes. et nostrum Alexandrum ab Angelis, qui nuper quinque libris astrologos coniectores valide confutavit. Facta quidem sunt astra in signa, sed explicatur statim quomodo. *Ut sint*, ait, *in dies et annos*, Genes. 1.14. Item in signa pluviæ, æstus, frigoris; sed coniecturalia tantum, et quæ sæpe fallunt. Sic cometæ, quia igneæ sunt naturæ, significant et causant æstus, siccitatem, squalorem, ventos et flatus: indeque pestem, famem et bellum, uti docet Arist. l. 1. Meteor. c. 7. Seneca l. 7. Natur. quæst. Theodor. in Genes. quæst. 15. et alii. Addit Damascen. l. 2. de Fide c. 7. S. Thomas 3. p. q. 36. art. 7. ad 3. Bonav. in dist. 14. 3. p. q. ultima, ad penultimum, cometas regum ac principum interitum præsignificare, sive id fiat supernaturaliter ex Dei et Angelorum ordinatione et intentione, ut vult Damasc. et Bonav. sive naturaliter, ut volunt alii; quia scilicet, ut ait Albertus Magnus, licet cometa notet et causet mortes tam pauperum quam principum, tamen mortes principum magis notantur quam pauperum: vel quia principes sunt complexionis delicatioris, pluribusque vescuntur cibis, ideoque magis illis nocet aer, in omnibus rebus infectus: vel denique quia principes prævident regni calamitates, illisque ita commoventur et indolent, ut in languorem et cladem imminentem præ aliis incidant. Nam, ut ait Galenus: *Nullus est corporis affectus tantus, qui vehementior animi affectionibus esse possit*. Ita Christ. a Castro l. 1. Proœmii in Minores Proph. c. 16. Lepidum est exemplum astrologi, qui a principe ituro ad venationem, de aura rogatus, serenam fore asseruit: egredienti vero occurrens rusticus pluviam imminere affirmavit: qua oborta princeps rusticum suum fecit astrologum, astrologum vero rusticum fieri iussit. Audi hac de re epigramma:

Dixerat astrologus cælum sine nube futurum,
Principe sylvarum lustra petente suo:
Dixerat e contra ruiturum nubibus imbrem
Vertere consuetus bobus arator humum.
Vix ingressus erat princeps nemus ilice densum,
Cum subito pluviæ præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem princeps, illumque docere
Astra, sed astrologum sumere rastra iubet.

Sane et hoc sæculo expediret nonnullos astrologos fieri rastrologos. Alphonsus rex Aragon. liberalis in omnes doctos, solos astrologos præteriit. Rogatum est cur? unus qui magis scire videbatur: *Sidera*, inquit, *stultos regunt impelluntque; sapientes astris imperant. Stultos ergo principes honorare astrologos consequens est, non sapientes, inter quos nomen suum Alphonsus obtinet*. Ita Æneas Sylv. l. 4. de eius gestis.

Accius poeta apud Gellium: *Nihil*, inquit, *credo auguribus, qui aures verbis divitant alienas, suas ut auro locupletent domos.*

Iulius Cæsar astronomiæ peritissimus fuit, de qua præclaros libros edidit: et tamen fatum suum cædemque prævidere et cavere non potuit.

Bion aiebat, *maxime ridiculos esse astronomos, ut, cum non videant pisces iuxta se nantes in littore, illos qui in cælo sunt, se videre dicant*. Ita Stob. serm. 78.

Astrologus quidam in foro stellas in tabella quadam depictas cum demonstrasset, atque diceret: En tibi hic stellas errantes: audiens hoc Diogenes, *Ne mentiaris*, inquit, *bone vir: stellæ enim non errant, sed illi*, ostensis qui assidebant. Ibidem.

Thaletem, dum cælum contemplatur, in fossam illapsum, ancilla eius iure id eum pati dixit, qui eum iuxta pedes posita ignoraret, cælestia intueretur. Ibidem.

Ariston dicebat, *eorum quæ philosophi scrutantur, alia ad nos pertinere, alia nihil, quædam supra nos esse*. Sensit autem disciplinam morum ad nos spectare, sophisticam nihil ad nos pertinere, eo quod ad vitæ emendationem non tantum non prosit, sed rixas etiam et contentiones progeneret; Astronomiam autem, Astrologiam, etc. supra nos esse omnino. Ibidem.

Phavorinus scito dilemmate astrologos iudiciarios perstringere solitus est: *Aut adversa*, inquit, *eventura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera, et fallunt; miser fies, frustra exspectando. Si adversa dicunt, et mentiuntur; miser fies, frustra timendo. Si vera respondent, eaque sunt non prospera; iam inde ex animo miser fies, antequam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque eventura sunt, tum plane duo erunt incommoda: et expectatio te spei suspensum fatigabit, et futurum gaudii fructum spes tibi iam defloraverit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus.* Ita A. Gellius lib. 14. c. 1. Audi et Alciat. emblem. 103.

Icare, per superos qui raptus et aera, donec
In mare præcipitem cera liquata daret:
Nunc te cera eadem, fervensque resuscitat ignis,
Exemplo ut doceas dogmata certa tuo:
Astrologus caveat quidquam prædicere: præceps
Nam cadet impostor, dum super astra volat.

Refert Nicetas Choniates lib. 1. de imperio Isacii Imper. B astrologum prædixisse victoriam et triumphum Branæ Alexio, si cum Conrado Marchione Montisferrati, qui Isacii partes sustinebat, congrederetur. Iniit ergo cum eo prælium, in quo tam Branas quam astrologus occisus est.

Anno Domini 1544. Muleasses Tunetanorum rex astrorum maximus observator, cum ex astris divinasset sibi amittendi regni, et diræ mortis cladem imminere, ut eam vitaret, ex Africa discessit; sed eo ipso discessu cladem, quam evitare voluit, in suas cervices accivit.

Denique ex astrorum dispositione et concursu potuisse prævidere et prædici generale orbis diluvium tempore Noe: item nativitatem Christi ex concursu Iovis et Saturni, ac ex horoscopo Virginis qui erat nascente Christo, ac significabat mutationem religionis a Christo faciendam, censuit Albertus Magnus (vel quisquis est Auctor) in Speculo, citans Albumasar, et Petrus de Alliaco Archiep. Camerac. anno Domini 1400. libr. de Concordia Astrologiæ et Theologiæ. Quæ omnia valide confutat Sixtus C Senens. lib. 6. Biblioth. c. 40. et lib. 5. c. 81.

Quia leges populorum de ritu colendi idola, patet Vers. 3.
ex seq. vanæ sunt.) Quia idola vana sunt; id est, nihil veri repræsentantia, aut si quid veri, ut stellas, Iovem, Martem repræsentent, nihil habent divinitatis; vani ergo sunt dii: duplicia enim sunt idola, et dupliciter vana, uti iam dixi. Ieremias magis hic loquitur de prioribus, quæ scilicet nihil veri repræsentant, ut patet v. seq. Syrus vertit: *Quia timores gentium nihil sunt. Timores*, id est idola, quæ gentes timent, id est reverentur et colunt; Arabicus: *Quia religio gentium nihil est.*

Quia lignum de saltu.) Describit idolorum inanitatem a materia et fabrica; quia ipsa nihil sunt nisi lignum a saltu præcisum, et opus manus artificis *in ascia*, id est cum ascia, id est dolabra, supple, dolatum ac politum; hoc enim est artificis, puta fabri lignarii, opus, ac Tertio, auro decoratum, et clavis compactum. Idola ergo non aliud sunt, quam dii manu facti.

In similitudinem palmæ.) Hoc est, idolum æquabi- Vers. 5.
D le est, erectum, procerum, flecti nescium, pulchrum, comatum quasi palma, q. d. Idola exterius pulchra sunt, sed interius inanima, elinguia, stupida.

Non est similis tui, Domine.) Est apostrophe Iere- Vers. 6.
miæ ad Deum, qua eum comparat et præfert idolis; unde ait: *Quis non timebit te, o Rex Gentium?*

Tuum est enim decus.) Scilicet regnum, ut sis et co- Vers. 7.
laris quasi rex et Deus Gentium, metuendus nimis. Unde Chald. vertit, *tuum enim est regnum*. Allegor. q. d. O Christe, rex Gentium, quæ gens non timebit, non colet te quasi suum decus? Ita Lyran.

Fatui probabuntur, q. d. Facile est probare et con- Vers. 8.
vincere eos esse fatuos, ex eo quod doctrina vanitatis eorum lignum est.) Quia scilicet docent idola lignea esse deos, esseque adorandos: quod est vanissimum et stultissimum. Aut, ut Sanchez, q. d. Lignum, ex quo formant idola, quibus supplicant, facile illos stuporis et vanitatis incusat. Reipsa enim docet et ostendit eos va-

nos et stupidos esse, qui lignum et truncum censent esse Deum et numen, ac habere omnium rerum cognitionem et providentiam.

Vers. 9. INVOLUTUM. Hebr. מרקע *merucka*, id est, *ductile*, quod optimum est; vel *extensum in laminas*, quod convolvi solet, ut commodius transferri possit. Unde Noster vertit, *involutum*. Vel *involutum*, id est, involubile, ductile, quod facile involvi, diduci, flecti potest ab argentario, ut eo incrustetur et imbracteetur idolum ligneum.

Tharsis quid ? DE THARSIS AFFERTUR.) Tharsus erat urbs Ciliciæ; inde mare vicinum, ac tandem quodvis mare, etiam Indicum, dictum est *Tharsis*; indeque Africa et Carthago, quæ diu mari dominata est, et in re navali floruit, vocatur *Tharsis*. Hic *Tharsis* significat Indiam, aut certe Africam, ut vertit Chald. quam argento abundasse docet Ezech. cap. 27. 12.

Ophaz esse Ophir censet Chald. ET AURUM DE OPHAZ.) Chald. Sanchez et alii, censent *Ophaz* vel *Ophas*, vel per aphæresin *Pas*, idem esse quod *Ophir*, quasi per dialectum littera r in s versa sit (perinde ac faciunt Parisienses dum pro *pere* dicunt *pese*) vocalis vero a versa sit in i: puncta enim facillime commutant Hebræi; sic ergo ex Chaldæi et aliorum sententia Ophas et Ophir.

Ophir esse Peru censent multi. Porro Ophir est regio, dicta ab Ophir filio Iectan, Gen. 10. vers. 29. Vatabl. et Arias putant Ophir esse Hispaniolam et Peru: favent Hebr. et Septuag. 2. Paral. 3. 6. ubi aurum Salomonis, vocant aurum Peruim quasi Peruanorum. Rursum, si litteram vau, quæ prima est in *Ophir*, facias ultimam, ex *Ophir* facies *Peru*: vau enim Hebræis

Negant alii.

1. tam vocalem u, quam o, denotat. Ophir ergo videtur esse Peru. Sed obstat primo, quod in Peru non sint elephanti,

2. nec pavi, nec simiæ, nec ligna thyina, quæ ex Ophir allata sunt 3. Reg. 10. Secundo, quod classis Salomonis in Ophir solvebat ex Asiongaber portu maris Rubri, 2. Paralip. 8. quod vicinum est Goæ et Indiæ Orientali; quod si hæc classis navigasset in Peru et Indiam Occidentalem, solvisset ex Ioppe, et per mare Mediterraneum directe navigasset in Peru; alias enim solvens ex Asiongaber, debuisset circuire sinum Arabicum, promontorium Bonæ spei, et totam Africam, ut perveniret in Peru.

Alii ergo Ophir volunt esse Angolam in Æthiopia; unde Iosephus docet hanc classem, præter aurum etiam Æthiopica mancipia advexisse.

Alii, Ophir volunt esse Sofalam, quæ via est navigantibus Goam; unde Septuag. vertunt: *Sophir* (littera enim r facile in l mutatur, ut *beliar* in *belial*). Alii, ut

Ophir esse Pegu, Malacam et Somatram est probabile. Iosephus in Gen. 10. et S. Hier. in Quæst. Hebr. Gaspar Varrerius lib. de Ophir, putant Ophir esse Auream Chersonesum, aut potius omnem illam oram quæ Pegusiis, Malaca et Somatra continetur, idque est probabile; nam circa hæc loca in Oriente, non Occidente, videtur habitasse Hevila, frater Ophir, filius Iectan, abnepos Noe, Genes. 10. 29. Favent veteres, dum passim censent, fluvium Phison, qui Gen. 2. vers. 11. dicitur circuire terram Hevilat, esse Gangem: Ganges enim est in India Orientali, non Occidentali: unde Maffeius lib. 16. histor. Indicæ ex litteris Bonferri docet, Pegusios stirpem suam referre ad Iudæos exsules, qui a Salomone damnati ad aurifodinas Ophirinas, ea loca primi tenuerint. Verum de Ophir plura in lib. Regum.

Obrisum aurum quod ? Porro ab *Ophir*, aurum optimum dicitur obrisum, quasi Ophirisum, ait Isidor. idemque innuit S. Hieron. et Eu-

1. Sententia. cher. Secundo, *obrisum* dicitur, quod obradiet splendore suo, ut ait idem Isidor. lib. 16. Etimolog 17. Tertio, Plin. lib. 33. c. 3. Auri, ait, experimentum est ignis, ut

2. simili colore rubeat quo ignis, ipsumque obrisum vocant,

3. non a rubendo, sed quia purgatissimum, purum putum

Obrisum quasi, ὄβρυζον, et ad obrusam probatum. est, quasi aurum ad obrusam, probatum scilicet et purgatum, uti vocat Seneca lib. 2. epist. 23. Aut certe, ut Hermolaus ex Phocione in dictum locum Plinii, *obrisum* dicitur quasi ὄβρυζον, quod igne probatum magis nitescat, fulgeat, rubeat ut ignis: idque videtur verius, tum quia vicinius est et aptius; tum quia utrobique est eadem

A littera b, non p, quæ est in *Ophir*, non autem in *obrisum*. Ut ut sit, aurum *ophas*, *pas*, *ophir*, *obrisum*, est aurum optimum et præstantissimum; unde et Arabes aurum vocant *Fes*; hinc Ioannes Leo in descript. Africæ lib. 3. urbem Fessam dictam putat ex eo, quod, cum urbis iacerentur fundamenta, *fes*, id est auri, cumulus ibi inventus sit. Fessa urbs dicta a fes, id est, auro ibi invento.

Aliter censent Mercerus, Forsterus et alii, scilicet aurum *pas*, vel *ophas*, vel *muphas* (hæc enim omnia idem sunt) dici non a loco, sed a qualitate, idemque esse quasi dicas, Aurum forte et solidum; tum quia purificatum, tum quia ex vena optima effossum; dici enim *pas* vel *ophas* a rad. פזז *pazaz*, id est roboravit, solidavit, inde פז *paz*, id est, forte, solidum; *muphas* enim plane videtur esse participium passivum *hiphil*, a radice iam dicta *pazaz*. Verum obstat, quod hic ait Ierem. *aurum de Ophas* affertur. *Ophas* ergo nomen est loci, non qualitatis auri. Rursum *pazaz* non significat roborare, solidare, uti volunt Rabbini; sed mollescere, ductile esse, solubile, ex-

B peditum, facile instar auri: ita enim vertit Noster et Septuag. Gen. 49. 24. unde et פוץ *puts*, quod affine est *pazaz*, significat dispergere, diducere. Ergo ab auro *Ophas* vel *pas*, deductum est verbum *pazaz*, id est, esse ductile instar auri Ophas: optimum enim aurum, quale erat Ophas, in tenuissimas bracteas flecti, duci et extendi potest, uti recte advertit Pineda lib. 4. de Salom. cap. 18. ubi tamen *Ophas* ab *Ophir* distinguit, uti et alii nonnulli probabiliter hæc duo loca distinguunt, censentque aurum ex Ophas allatum, melius fuisse auro allato ex Ophir: licet aliter sentiat Chald. uti dixi initio.

Ophas, pas, uphas, muphas idem sunt.

Ophaz a pazaz, id est, roboravit, dici censet Mercer. q. d. aurum solidum et forte.

Melius Pineda ab Ophaz deducit pazaz, id est, esse ductile.

Porro *muphas*, non est participium a *pazaz*, sed per erasin idem est quod מאופז *meupas*, id est, de Ophas, scilicet allatum. Muphas dicitur quasi meupaz, id est, ex Ophas.

OPUS ARTIFICIS.) Id est, aurum et argentum elaboratur opere aurificis, vel ærarii, aut argentarii, ut ex eo faciat idolum aut potius iam factum e ligno, uti præcessit, inauret vel inargentet: atque opere artificis alterius,

C scilicet sartoris, vestitur purpura et hyacintho, id est, veste violacei coloris et purpurei. Nec enim idola facta ex puro auro vestiri solent hyacintho, utpote re viliori; at facta ex ligno, et aureis limbis vel bracteis ornata, eodem vestiri assolent.

OPUS ARTIFICUM UNIVERSA HÆC.) q. d. Nihil penitus in idolis est, quod non sit manibus artificum factum, sive eorum materiam et substantiam, sive vestes et ornamenta spectes: ergo idola nihil habent vitæ et rationis; multo minus habent aliquid numinis et divinitatis.

NON SUSTINEBUNT GENTES COMMINATIONEM EIUS.) Hebr. Vers. 10.
זעמו *zaamo* indignationem, puta vindictam eius. Opponit Deum idolis, quod ille irascatur et puniat, hæc non.

SIC ERGO DICETIS EIS.) Id est, idolis, et idolorum cul- Vers. 11.
toribus, scilicet Chaldæis.

DII, QUI CÆLOS ET TERRAM NON FECERUNT, PEREANT DE TERRA.) Nota, Ieremiam hic chaldaice loqui: אלהיא די שמיא וארקא לא עבדו יאבדו מארעא ומן תחות שמיא *elahaia di scemaia vearka la abadu, ieba-*

D *du meara umin techot scemaia*, id est, *dii qui cælos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cælo sunt*, quia scilicet iniuste ea, quasi aliena occupant: sunt enim illa Dei creatoris. Sic dicimus de falso possessore domus: Non decet eum habitare in domo aliena, seu quam alius ædificavit. Unde videtur hæc scripsisse Ieremias anno 1. Sedeciæ ad Ioakim et alios in Babylonem abductos, ut scilicet ipsi hæc verba responderent Chaldæis, ad suorum idolorum cultum Hebræos invitantibus. Ita Chald. et alii. Addit Maldon. Ieremiam chaldaice loqui, ut rideat idola et idololatras: solemus enim homines barbaros irridere, cum eorum sermone barbaro utimur. In Chaldæo obiter Nota, quod Hebræi dicunt ארצה *artsa*, id est terra, Chaldæi dicunt nunc ארקא *arka*, nunc ארעא *ara*.

Ita S. Eustratius (cuius reliquias Romæ in templo Collegii Germanici veneratus sum) militum sub Diocletiano dux in Armenia, cum a Lysia Præfecto compelleretur ad

idola colendum, respondit intrepide: *Exsecrandos dæmones, et surda simulacra, nullus homo umquam qui compos esset mentis, censuit adoranda. Dictum est enim; Dii, qui cælum et terram non fecerunt, pereant.* Quare igue adustus, et virgis laniatus, nullam dedit vocem, aut vultus mutationem, quasi in alieno corpore pateretur, irridensque tyrannum, et acerbissima quæque passus, tandem ad rogum quasi ad epulas accedens, inde purus cum flamma ad Deum evolavit. Festum eius recolit Ecclesia 13. Decembe r.

Similiter S. Perpetua et S. Felicitas, cum cognatis Satyro, Revocato et Secundulo, damnatæ ad bestias, euntes ad amphitheatrum, per plateas alacres et intrepidæ canebant: *Omnes dii Gentium dæmonia: Dominus autem fecit cælum et terram.* Quocirca iussu Præsidis multis alapis cæsæ; maiori tamen animi et vocis contentione eumdem versum iterarunt, laudantes et glorificantes Deum. Ac generose ingredientes amphitheatrum, mox S. Perpetua et Satyrus a leonibus, S. Felicitas vero a leopardis dilacerata, in cælum evolarunt anno Domini 205. imperante Severo. Quamobrem sæpe hasce duas matronas, earumque fortitudinem et amorem in Deum, celebrat S. August. uti lib. 1. de Anima cap. 10. in Ps. 47. ser. de tempore barbarico, et alibi.

Similiter S. Publia, mater S. Ioannis Chrysostomi mortuo marito, chorum virginum instituens, factaque Abbatissa, transeunte Iuliano Apostata, cum suis virginibus contentiore voce occinuit illud Davidicum: *Simulacra Gentium argentum et aurum;* et: *Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Iulianus indignans iussit eas tacere. At Publia iubente, fortius et alacrius cecinerunt: *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius.* Quare Iulianus Publiam alapis cædi, genasque cruentari iussit. Illa vero hanc contumeliam pro summo honore ducens, domum reversa, tyrannum, ut solebat, spiritalibus cantilenis perstrinxit. Ita Theodor. l. 3. histor. c. 17. et Rom. Martyrol. 9. Octobris.

Vers. 12. QUI FACIT.) Supple, q. d. Noster vero Deus est qui præparat, id est ut Hebr. et Chald. habent, qui fundat orbem in sapientia.

Vers. 13. AD VOCEM SUAM.) q. d. Ad eius iussum in aere generatur pluvia: vel ad tonitru, quod est vox Dei, sequitur pluvia, Ps. 28. 3. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.*

ET ELEVAT NEBULAS,) exhalationes.

AB EXTREMITATIBUS TERRÆ.) Id est, a mari, quod quasi est terminus ambiens terram. Ita Theodor. Hugo, S. Hieron. Lyran. Vel a superficie extima terræ; ab hac enim vapores ascendunt, alii ex montibus. Optime Sanchez: Extrema, ait, vel finis cælorum dicitur pars illa cæli, quæ nobis extrema apparet; quia ibi cælum finiri putat vulgus: sic et extrema pars terræ dicitur illa, quam vulgus iudicat extremam; inde enim eminus vespere videntur vapores elevari, ex quibus generatur pluvia.

Nubes tonantes sunt quasi leones rugientes. FULGURA IN PLUVIAM FACIT.) q. d. Deus mire potens est, qui facit ut ex fulguribus igneis, imo, ut vertit Paguinus, inter fulgura, sequatur et misceatur pluvia: nubes enim tonantes, et fulgurantes, sunt quasi leones rugientes, et quasi tormenta bellica terram quatientia. Hæc statim demulcet, resolvit, et quasi mansuefacit pluvia.

EDUCIT VENTUM DE THESAURIS SUIS.) Quasi ex secretario sive secretis receptaculis omnipotentiæ, et opulentiæ suæ: nos enim ignoramus unde oriantur venti. Vel secundo, *de thesauris*, id est de opibus suis: inter opes enim Dei sunt etiam venti.

Nota hic antitheses idolorum et Dei quæ clare ostendunt Deum esse vere Deum, non idola. Primo, idola sunt res mortuæ, puta saxa aut ligna arida: Deus vero est *Deus vivens.* Secundo, idola in tempore cœperunt: Deus vero est *rex sempiternus.* Tertio, idola ab homine ascia et runcina fabricata sunt instar aliorum fabrilium: Deus vero ingenitus creavit cælos et terram, ac consequenter et materiam ex qua facta sunt idola. Quarto, idola non sentiunt, non cognoscunt, nec bene nec male facere possunt: Deus vero sentit, cognoscit, prævidet et providet omnia; hinc e thesauris suis stato tempore producit ventos, fulgura, pluvias, etc. Quinto, idola sui contemptores ulcisci nequeunt: Deus vero fortissimus, æque ac zelotes, sui contemptum ulciscitur, ita ut nemo eius iram et vindictam sustinere possit. Unde concludendum reliquit: Ergo idola ridenda et spernenda sunt: Deus vero metuendus, amandus et colendus.

Mystice, S. Hieron. Nubes, ait, sunt doctores et prædicatores; hos Deus educit ab extremis terræ, id est ab humili sorte, æque ac sui submissione: ob quam facit eos efficaces, ut sint quasi tonitrua et fulmina, quæ mox in auditorum contritionem et lacrymas, ac vitæ mutationem transeunt, et resolvuntur.

STULTUS FACTUS EST OMNIS HOMO A SCIENTIA.) Vatabl. *Brutescit homo præscientia*, nimirum Dei, dum scilicet plene vult causas indagare pluviæ, fulgetri, ventorum, quorum solus Deus habet scientiam et providentiam. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, Dionys. Sic Psalm. 138. v. 6. dicitur: *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam.* Certe ventorum generatio, circulatio, motus tam varius et contrarius, torsit et torquet omnium Physicorum ingenia: nec hactenus ullus fuit, qui eorum causam ad liquidum assignaret. Hinc Virgilius Æneid. 1. fingit eos ex Æolia ab Æolo emitti. Vers. 14.

Secundo et aptius: *Stultus factus est homo a scientia*, scilicet sua, qua cum non possit penetrare vim stellarum, ventorum, fulminum, ea admiratus, quasi rectores mundi, et quasi deos coluit, idolaque eis confecit; de idolis enim agit in sequent. Ita Chald. S. Thom. Lyran.

Rursum, stultus est homo in scientia sua, qua ligna dolat, et aurum conflat: ut ex eis fabricet idolum: stultum enim est putare se posse fabricare Deum, et Deum esse qui a fabro fabrefactus sit: cum potius faber ipse, eiusque ars et scientia, quam eius fabrica, habenda foret numen. Unde sequitur: *Confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflavit, et non est spiritus in eis.* Ita a Castro et Sanchez.

Moraliter: *Stultus*, ait D. Thom. *est homo a scientia Dei. Primo, propter cordis elationem. Rom. 1. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Secundo, propter inquirendi curiositatem, et nimiam capitis fatigationem, unde ait Agrippa rex Paulo: Multæ te litteræ ad insaniam convertunt, Actor. 26. Tertio, propter scientiæ incertitudinem. Isaiæ 47. Hæc scientia tua et sapientia tua decepit te. Quarto, propter operis perversitatem. Sap. 2. 21. Excæcavit enim eos malitia eorum.* Hucusque D. Thom. *Stulta est scientia hominum quadrupliciter.*

CONFUSUS.) Pudore affectus est artifex sculptilis sive idoli.

QUONIAM FALSUM EST QUOD CONFLAVIT.) q. d. Quia sculptile quod fecit, fallit et mentitur se esse Deum.

IN TEMPORE VISITATIONIS, id est punitionis, SUÆ PEREBUNT.) Idola et idololatræ Chaldæi (de his enim loquitur) scilicet vastante Dario et Cyro Babylonem. Aliter Theodoretus: *Peribunt*, ait, cum Apostoli idololatriam exstirpabunt: et plane, ait S. Thomas, *peribunt* in die iudicii. Vers. 15.

NON EST HIS SIMILIS PARS IACOB.) q. d. Idolis non est similis Deus, qui est pars hæreditaria Israelis: Ps. 15. 5. *Pars mea*, ait David, *Deus in æternum*, Ps. 72. 26. Numer. 18. v. 20. quia scilicet Israel Deum, Dei cultum, amicitiam, legem et bona omnia possidebat. Vicissim Israel est *virga hæreditatis*, id est hæreditas Dei; quia Deus hunc populum a patribus descendentem, quasi suum hæreditaria successione possidebat, Deut. 32. 8. Quia enim virgis et funibus hæreditates dimetiebantur et dividebant; hinc *virga* et *funes*, significant portionem hæreditariam, Psal. 73. 2. Ps. 104. 11. Secundo, Israel est שבט *scebet*, id est, virga, sive sceptrum hæreditatis Dei, quia Deus in Israele regnum suum constituit. Ita S. Hieron. Raban. et S. Thomas. Vers. 16 *Virga 1. Est pars hæreditaria, cur? 2. Virga est sceptrum.*

Tropologice, pars avari est pecunia, obscœni libido, superbi dominatio; sed verus Israelita spretis omnibus

Pars impii est venter; pii, Deus solum Deum possidere cupit, aitque: *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam*, Ps. 118. 57. Unde hic est habitaculum et sedes ac templum Dei; ille draconum, id est dæmonum, v. 22.

Vers. 17. Congrega de terra confusionem tuam, *congrega*, scilicet, tu o Babylon, ut Vatabl. et Kimki; vel potius, ut Theodor. Lyran. S. Thomas et alii cum S. Hieron. Tu, o Ierusalem et Iudæa, quæ habitas in obsidione.) Quæ brevi es obsidenda. Chald. et alii vertunt: *Quæ habitas in munitione*, vel loco munito; Septuag. *in electis*, id est loco electo, *congrega confusionem tuam;* Chald. *mercimonia tua;* Maldon. et Sanchez, *idola tua*, Isaiæ 46. 1. Septuag. *substantiam*, id est omnes opes et vires tuas ad nihil tibi profuturas nisi ad confusionem: nam omnia hæc in quibus confidebas, te a Chaldæis non liberabunt, sed tecum ibunt in captivitatem. Ita S. Hier. Est ironia, aut potius sarcasmus, sive hostilis irrisio. Vide c. 11. 14.

Vers. 18. Longe proiiciam hebr. קולע *kolea*, id est quasi funda longe eiaculabor, habitatores terræ Iudææ: et tribulabo eos ita ut inveniantur.) In urbe et tribulatione, ut eam effugere non possint, sed deprehendantur et capiantur a Chaldæis. Ita S. Hieron. Alii, ut Chald. et Vatabl. legunt ימצאו *imtseu*, id est *ut inveniant*, scilicet angustias et pœnas, quas eis sum comminatus: vel, ut Theodor ut inveniant sese ac Deum, quem negando perdiderunt. Aliqui legunt, *ut non inveniantur*, id est ut non supersint, sed moriantur et pereant. Verum Hebr. Chaldæa et Romana legunt, *ut inveniantur*.

Vers. 19. Væ mihi super contritione mea,) q. d. Doleo ob contritionem meam. Est vox Ierusalem, id est populi Hierosolymitani. Unde subdit:

Ego dixi: Plane hæc infirmitas, id est afflictio et plaga, mea est, id est mea culpa mihi accidit; ideo portabo illam) Patienter excdam quod mihi intrivi Ita S. Hieron. Potest verti cum Vatabl. *Quomodo hanc infirmitatem ferre potero?* Nota hic crebram et tacitam enallagen, et mutationem personæ loquentis, instar dialogismi. Nunc enim loquitur Deus, nunc populus, nunc Propheta.

Plagam Dei patienter fer ob quatuor causas. Moraliter: *Divina percussio*, inquit D. Thom. *debet portari patienter; primo, propter affectum percutientis. Prov. 1. Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, nec deficias cum ab eo corriperis. Secundo, propter conscientiam criminis. Micheæ 7. 4. Iram Domini portabo quoniam peccavi ei. Tertio, propter expectationem muneris. Iacob. 1. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Quarto, propter inutilitatem murmuris, Thren. 3. 39. Quid murmuravit homo vivens vir pro peccatis suis?* Huc usque D. Thom.

Vers. 20. Tabernaculum meum vastatum est, locus meus, sedes mea, scilicet ipsa Ierusalem, vastata est et funiculi.) Id est pagi, et oppida vicina, quæ eam quasi funes sustinebant et alebant, diruta sunt, nec est qui ædificet et restauret ea. Olim enim primæ patriarcharum domus fuerunt tentoria; hinc *tabernacula* vocantur quælibet domus et urbes.

Vers. 21. Quia stulte egerunt pastores.) Scilicet sacerdotes, item reges et principes. Ita Chald. Culpam captivitatum populi transfert in sacerdotes et principes.

Non intellexerunt.) Mala venientia et minas Prophetarum non prospexerunt, non egerunt prudenter ut ea vitarent. Ita S. Hieron. et Raban.

Vers. 22. Vox auditionis, id est vox magna et clara, ita ut facile audiatur, ecce venit, et commotio magna.) Magnus scilicet belli tumultus, q. d. Ecce sonitus et fremitus venientis Babylonii, eiusque equorum, armorum et curruum auditur. Ita S. Hieron. Sunt verba Ieremiæ.

Vers. 23. *Non est hominis via eius, quo sensu?* Scio, Domine, quia non est hominis via eius.) Significat Chaldæos, non tam a se quam a Deo excitatos ad devastationem Iudææ venisse, q. d. ait S. Hieron. *Quod a Babyloniis sustinemus, non est eorum fortitudinis, sed nostri meriti et indignationis tuæ.* Unde in Hebr. est, *non est* לאדם *laadam* id est, *illius hominis insignis*, scilicet Nabuchodonoris, *via eius*: cum enim cogitaret Nabuchodonosor bellum inferre Ammonitis, Deus illum avertit, et quasi protrusit in Ierusalem ut eam vastaret, Ezech. 21. 19. et 22. Vide cap. 36. et dicta c. 26. v. 4. Ac consequenter in potestate Iudæorum non erat illi resistere, illumque avertere.

Aliter Hugo, Lyran. Dionys. q. d. Scio quia homo infirmus est et cæcus inter tot hostes: unde facile labitur et peccat: rogo ergo, ut eius infirmitatem consideres, et quoniam nos punire vis, non graviter sed leniter, et clementer punias. Unde S. August. hoc refert ad correptionem prædestinatorum, non ad reproborum damnationem, lib. 2. de Peccat. mer. c. 17. Unde inquit: *Subiungit Propheta: Corripe me, Domine; verumtamen in iudicio, non in furore tuo; tamquam diceret: Scio ad correptionem meam pertinere, quod minus abs te adiuvor, ut perfecte dirigantur gressus mei: verumtamen hoc ipsum noli mecum sic agere tamquam in furore, quo iniquos damnare statuisti, sed tamquam in iudicio quo doces tuos non superbire.*

Hinc et Franc. Suarez, aliique Scholastici sic exponunt: *Non est hominis via eius*, id est opera gratiæ quæ sunt ad vitam æternam, non sunt in hominis potestate sine Dei inspiratione et auxilio, quia ad ea Deus hominem excitare debet præveniente sua gratia: si enim in naturalibus egemus directione Dei, ergo multo magis in supernaturalibus.

Imperite ergo hæretici hunc locum torquent contra liberum arbitrium. Primo, quia, vel ipsis testibus non loquitur de omni homine, sed tantum de Nabuchodonosore, q. d. Scio Nabuchodonosorem non posse venire, nec expugnare Ierusalem, nisi tu eum iuveris. *Equus enim paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit*, Proverb. 21. 31. Secundo, esto loqueretur de omni homine, ut Maldon. et alii volunt, non tamen negat liberum arbitrium, sed tantum significat, illud Dei ope indigere, et a Deo dirigi Deique providentiæ subiacere: ac præsertim Iudæos aliosque homines non posse evadere manus Chaldæorum, aliorumque hostium, nisi Dei ductu et provida gubernatione. *Ostenditur hic non tolli liberum arbitrium.*

Moraliter, disce hic in omnibus niti Deo, Deique directione; nam, ut dicitur Psal. 36. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, et viam eius volet;* et Proverb. 16. *Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius.* Unde Theodor. exponens illud Psal. 54. *Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet: Gubernatorem*, inquit, *habeas Deum, et aurigam, et res tuæ ab illius providentia pendeant. Nam hoc modo inconcussus manebis et immutabilis.* *Moralit. quam a Dei providentia pendere debeamus.*

Quare S. Catharina Senensis moriens suis hoc memorabile documentum reliquit: *Oportet Christianum magnam fiduciam habere de Dei providentia, scientem omnia quæ sibi vel aliis eveniunt, ex divina providentia* provenire *non ex odio illius, sed dilectione eximia.* Et S. August. in fine lib. 1. Soliloq. *Constanter*, ait, *Deo crede, eique te totum committe, quantum potes; noli esse velle quasi proprius, et in tua potestate, sed eius clementissimi et utilissimi Domini te servum esse profitere. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Sicut ergo oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum tendant, et ex eo, eiusque pia et sedula providentia semper pendeant.

Ita Deo se commisit S. Gregorius Magnus, idque in monasterio didicit, ubi se totum Deo eiusque contemplationi dedit. Unde creatus Pontifex, tredecim annis tot et tanta tam feliciter gessit, idque infirma semper valetudine, ut legens eius acta et vitam apud Ioannem Diaconum obstupescat.

Rarum quoque exemplum refert Moschus in Prato spirit. cap. 201. de nobili adolescente Constantinopolitano, cui parens moriens, omniaque sua distribuens in pauperes, Christum curatorem reliquit, nec Christus eum fefellit: nam ei divitem et nobilem sponsam præter omnem

spem procuravit. Plura hac de re dixi Exodi 33. 17.

Vers. 24. Corripe me, Domine, verumtamen in iudicio.) Id est moderate, cum modo et mensura, leniter et discrete; hoc enim est Hebr. מִשְׁפָּט *mispat*, ut scilicet non in ira tua omnino me disperdas, et ad nihilum redigas. Hebr. *ne nos paucifices*, id est, ad paucitatem redigas. Simile est cap. 30. 11. Est vox Ierusalem.

A Effunde.) Et verba et sententiam transtulit ex Ps. 78. 6. Vers. 25. Iacob.) Israelem, puta Iudæos.

Decus eius, omnem pulchritudinem et magnificentiam templi, domorum ac platearum Hierosolymæ, dissipa-runt.) Chaldæi. Septuag. pro *decus* vertunt, *pascua*, id est fora, aliaque loca urbis, in quibus cives, quasi oves in pascuis, omnibus deliciis pascebantur.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias minantibus sibi suis civibus in Anathoth necem et crucem, excidium nomine Dei intentat. Unde primo, refricat pactum populi cum Deo in Sina initum, eisque ob pacti violationem cladem comminatur. Secundo, Deus v. 14. vetat Ieremiæ ne oret pro populo, qui ait: Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa; egoque eum quasi olivam pulchram plantavi, sed ille fecit se oleastrum. Tertio, Ieremias in typo Christi ait se quasi agnum duci ad victimam, mittitque lignum in panem eius, vers. 19. Hinc vers. 20. implorat et impetrat Dei ultionem in suos Christique persecutores.

1. Verbum, quod factum est a Domino ad Ieremiam, dicens: 2. Audite verba pacti huius, et loquimini ad viros Iuda, et ad habitatores Ierusalem. 3. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Maledictus vir, qui non audierit verba pacti huius, 4. Quod præcepi patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, dicens: Audite Vocem meam, et facite omnia quæ præcipio vobis, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum: 5. Ut suscitem iuramentum, quod iuravi patribus vestris, daturum me eis terram fluentem lacte et melle, sicut est dies hæc. Et respondi, et dixi: Amen Domine. 6. Et dixit Dominus ad me: Vociferare omnia verba hæc in civitatibus Iuda, et foris Ierusalem, dicens: Audite verba pacti huius, et facite illa: 7. Quia contestans contestatus sum patres vestros, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, usque ad diem hanc: mane consurgens contestatus sum, et dixi: Audite vocem meam: 8. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali: et induxi super eos omnia verba pacti huius, quod præcepi ut facerent, et non fecerunt. 9. Et dixit Dominus ad me: Inventa est coniuratio in viris Iuda, et in habitatoribus Ierusalem. 10. Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea: et hi ergo abierunt post deos alienos, ut servirent eis: irritum fecerunt domus Israel et domus Iuda pactum meum quod pepigi cum patribus eorum. 11. Quam ob rem hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt: et clamabunt ad me, et non exaudiam eos. 12. Et ibunt civitates Iuda, et habitatores Ierusalem, et clamabunt ad deos, quibus libant, et non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum. 13. Secundum numerum enim civitatum tuarum, erant dii tui Iuda: et secundum numerum viarum Ierusalem, posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim. 14. Tu ergo noli orare pro populo hoc, et ne assumas pro eis laudem et orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum. 15. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? 16. Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta eius. 17. Et Dominus exercituum qui plantavit te, locutus est super te malum, pro malis domus Israel et domus Iuda, quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim. 18. Tu autem Domine demonstrasti mihi, et cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum. 19. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius. 20. Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam. 21. Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, et dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, et non morieris in manibus nostris. 22. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego visitabo super eos, iuvenes morientur in gladio, filii eorum, et filiæ eorum morientur in fame. 23. Et reliquiæ non erunt ex eis: inducam enim malum super viros Anathoth, annum visitationis eorum.

Vers. 2. Audite.) Tu, o Ieremia, et socii tui Prophetæ.

Vers. 4. Eduxi eos, etc. de fornace ferrea.) Id est, de servitute durissima, qua quasi camino ferri ignito in decoctione laterum in Ægypto urebantur et affligebantur. Ita S. Hieronymus. Solent enim servi et pauperes vilesque homines in fornacibus, ubi ferrum funditur, laborare, sudare et æstuare, uti videre est Leodii, et in Ardenua. Unde Genes. 15. 17. Abrahæ hæc servitus præsignificata fuit per clibanum fumantem.

Tribulatio est fornax, piis aurea, impiis ferrea. Tropolog. eadem tribulationis fornax probis et Martyribus, uti tribus pueris in Babylone, est aurea, Sapient. 3. 6. improbis est ferrea. Ita S. Ambr. in Ps. 118. ser. 20.

Vers. 5. Ut suscitem.) Chald. et Vatabl. ut confirmem et conservem. Secundo et melius, ut erigam, et quasi reviviscere faciam pactum meum vobiscum initum, quod quasi intermortuum iam esse videtur. Olim enim patres eorum in terram pacto promissam Deus induxerat; sed quia ex ea illos ob peccata eiecerat, et in Babylonem captivos duci permiserat, videbatur pactum hoc ruptum et violatum: iuraverat enim Deus Abrahæ, se ei et posteris eius terram Chanaan daturum in æternum, Gen. 17. 8. Dicit ergo se pactum hoc renovaturum, id est, reducturum eos postliminio in terram suam, si vicissim illi servaverint pactum, id est pacti conditiones, scilicet, ut non idola, sed Deum colant, eiusque legem observent. Ita Maldon.

Sicut est dies hæc.) Sicut dies hæc demonstrat, scilicet vos possidere terram promissam a Deo, lacte et melle manantem, id est fertilissimam.

Et respondi ego Propheta, et dixi: Amen.) Sept. *fiat*, ut scilicet hæc dicam viris Iuda et Ierusalem, scilicet Deum velle innovare pactum cum eis, foreque maledictum qui non servat verba pacti eius, id est legem, quam cum eo pacti sunt servare. Ita Origen. Lyranus et Vatablus.

Vers. 6. Vociferare, etc. foris Ierusalem.) Extra urbem in agris. Secundo et melius, Hebr. Chald. et Vatabl. vociferare in vicis, plateis, foro, vel foris Ierusalem, ut vox *foris* sit ablativus plur. a nomine forum. Ita a Castro.

Vers. 7. Contestans contestatus sum.) Id est, sæpe et vehementer protestatus sum, ac præmonui etiam testibus, puta cælo et terra, ac vobismetipsis, adhibitis et invocatis (uti feci per Mosen, Deuter. 4. 26. et c. 32. 1. ac per Iosue c. 8. 32. ac alias sæpe) si pactum et legem violaretis, has pœnas me inflicturum, ut non possitis queri cum vos puniam, vos id nescisse, vos non esse admonitos. Ita S. Hieron. Rabanus, Hugo et S. Thom.

Mane consurgens.) Id est vigilanter, summo studio: quod enim studiose agimus, summo mane agimus.

Vers. 8 In pravitate cordis sui.) Hebr. בשרירות *bisrirut*, id est, in duritia et pertinacia cordis sui, quam potius secuti sunt, quam mea monita.

Et induxi super eos verba pacti.) Maledictiones et pœnas, pacto seu pacti violatoribus ascriptas, Deuteronom. 27. 13. et sequent. Ita Chald. Theodoret. Hugo et S. Thomas.

Vers. 9. Inventa est coniuratio in viris Iuda.) q. d. Prodiderunt et tradiderunt se idolis, deficientes a me; non fortuito, non fragilitate, sed certa quasi coniuratione et colligatione, sive conspiratione, ut vertunt Septuag. Aquila, Theodot. et, ut Chald. rebellione contra me facta, scilicet sub Ioakim, ait Vatabl. vel potius sub Manasse, 4. Reg. 22. 15. Ita Lyranus et a Castro.

Vers. 13 Secundum numerum enim civitatum.) q. d. Tot deos habebas, quot civitates, imo quot vias et plateas, q. d. Non in sola Ierusalem, sed in singulis Iudææ urbibus; in ipsa vero Ierusalem non unum uno loco, sed plurima, puta in omnibus plateis singula idola, quasi lares et deos tutelares erexisti et coluisti. Hoc est quod ait Ezechiel cap. 16. 13. *Fabricasti lupanar* (id est idolum) *tuum in capite omnis viæ*. Ita S. Hieronymus.

Secundo et nervosius, q. d. Singulæ urbes singula idola quasi propria, et ab aliis aliarum urbium diversa asciverunt, ut tot essent idolorum species, quot erant in Iudæa urbes, ait S. Hieron. *Et secundum numerum viarum Ierusalem*, id est, ex omnibus circumquaque Gentibus ad quas e Ierusalem viæ erant, idola mutuatus es, ac omnium Gentium deos coluisti. Nam ex Moab accepisti Chamos; ex Assyriis et Chaldæis Baalim, non unum sed perplures; ex Ægypto vitulos aureos, Solem, Lunam, etc. Id diserte eis exprobrat Ezechiel cap. 16. Ita videmus hodie ex una hæresi, v. g. Lutheri, natas esse trecentas, et singulas eius urbes suam habere sectam, qua ab aliis quælibet est divisa et dissecta.

Vers. 14 Tu ergo.) Vox Dei est ad Ieremiam, q. d. Tu, o Ieremia, noli pro Iudæis tam impiis assumere laudem, id est ut Chald. et Septuag. deprecationem, quæ ordienda est a Dei laude, beneficiis et triumphis, ad captandam Dei benevolentiam.

Notat S. Chrys. homil. 14. in epist. ad Rom. hæc dici comminatorie ad terrendum populum, q. d. Noli te, o Ieremia, fatigare, frustra orando pro populo, tam impio, quia non exaudiam te, nisi scilicet tu precibus tuis hanc iram meam viceris et mitigaris, uti fecit in simili casu Moses Exodi 32. vers. 10. et 11. Deus ergo hic absolute non volebat, imo nolebat Ieremiam cessare ab oratione pro populo; quod sciens Ieremias perrexit orare pro eo.

In tempore afflictionis.) Legit interpres cum Chald. et Septuag. בעת *beet*, iam legunt בעד *bead*, id est pro afflictione sua.

Vers. 15. Quid est.) Queritur Deus de idololatria etiam in templo perpetrata. Sic enim idola in templo Dei posuit et coluit Manasses, 4. Reg. 21. Ita S. Hieron. Theodor. S. Thom. Lyran. Potest quoque ex Hebræo verti sic: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit abominationes multorum*, scilicet idolorum aut populorum? q. d. Cur in templo meo multa multarum gentium idola locavit, et vario earum ritu coluit? Ita Sanchez.

Scelera dilecti in domo Dei quæ?

Secundo, Pagninus vertit: *Quid est dilecto meo ultra in domo mea, cum fecerit abominationes multas?* q. d. Eiiciam eum ex domo mea, quam ita polluit. Sic enim maritus dicit uxori adulteræ: Quid facit uxor in toro meo, cum tam multos habeat amasios?

Tertio, Hugo et Isidorus sic explicant, q. d. Quid dilectus meus Ieremias tam assidue orat et prophetat in templo meo, in quo ipsa plebs tantum perpetrat scelus?

Quarto, Kimchi et Vatabl. sic, q. d. Quid causæ est Deo (aut Christo) dilecto meo, ait Ieremias, cur diutius habitet in templo hoc meo Hierosolymitano, in quo ipsa plebs idola colit?

Verum primus sensus nostri Interpretis optimus est, eumque recte adaptes clericis et monachis in monasterio, quod domus est Dei, dissolute viventibus.

Numquid carnes sanctæ,) q. d. Victimæ et sacrificia non auferent malitias tuas. Ita Septuag. S. Hier. Theodor. et alii passim. Hic sensus est planus et genuinus.

Aliter vertit Chald. et Vatabl. *carnes sanctæ*, id est sacrificia, et omnis Dei cultus transibit et auferetur a te, quia sacrificia exsecranda obtulisti idolis.

Tertio, Pagnin. et Vatabl. q. d. *Carnes sanctæ*, id est, homines sancti, id est sacerdotes, auferentur a te et ducentur captivi.

Quarto, Sanchez, *carnes sanctæ*, id est exsecrabiles, quas obtulisti idolis, non auferunt maculas a te, sed te magis contaminant; ut sit antiphrasis in voce *sanctus*, qualis est in voce *sacer*, cum dicitur: *auri sacra fames; sacra*, id est exsecrabilis.

In quibus gloriata es.) Mutat genus, quia prius intelligebatur populus, nunc civitas.

Olivam uberem, hebr. olivam virentem, vocavit.) Id est effecit, ut iure ita vocari posses, q. d. Eras, o Iuda, Domino quasi oliva virens et florens, cum eum coleres in summa pace, et rerum abundantia, felix et beata ac famosissima inter Gentes. Vers. 16.

Olivæ sunt Sancti ob septem analogias

Nota: Ecclesia et Sancti comparantur oleæ et olivæ, primo ob soliditatem virtutis. Lignum enim oleæ nec tempestas, nec caries, nec vetustas labefactat, unde apud veteres æternitatis erat symbolum. Hinc Elias et Henoch, utpote æternitatis candidati, vocantur olivæ, Zach. 4. 14. I.
Isti sunt, inquit, *duo filii olei* splendoris, *qui assistunt Dominatori universæ terræ*; et Apocal. cap. 11. v. 4. *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes*, quia scilicet hi duo, infracto animo resistent Antichristo, nec ullis laboribus, minis aut tormentis cedent.

Olea quia incorrupta, symbolum est æternitatis.

Secundo, ob fertilitatem; est enim oliva fœcundissima. II.
Unde Psal. 51. 10. dicitur: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei*. Unde et hic ait Ieremias *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum*. Hinc Apostolus Rom. 11. 17. ait, Gentes ex sterili oleastro insertas esse in bonam et fertilem olivam.

Tertio, ob pinguedinem gratiæ, devotionis et charitatis III.
Sanctorum, quæ dat pinguedinem, id est valorem, bonis operibus. Hinc dicitur Isaiæ 5. v. 1. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei*. Ubi Symmach. vertit, *in cornu in medio olivarum*; Septuag. *in cornu in loco pingui*, sive *uberi*. Ubi Isaias vineæ, id est Ecclesiæ, robur et potentiam designat per *cornu*; pinguedinem et gratiam per *oleum*.

Quarto, sicut olivæ folia numquam defluunt, sed sem- IV.
per virent: ita Sanctis illustribus numquam deperit pulchritudo bonorum operum, sed eorum virtus semper viret. Osee 14. v. 6. *Ero quasi ros, Israel, germinabit sicut lilium, et erumpet radix eius ut Libani, et erit quasi oliva gloria eius*. Ubi S. Hieron. *Cum Dominus*, inquit, *nos suo rore gratiæ resperserit, germinabimus, imo florebimus sicut lilium, et mittemus radices nostras sicut arbores Libani, quæ quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur*.

V. Quinto, propter pacem: pacis enim symbolum est oliva. Unde columba afferens ad Noe ramum olivæ, finem diluvii, pacemque terræ et hominum cum Deo significavit; Sancti enim sunt pacifici cum omnibus. Quocirca, ut Gentiles narrant, aut potius fabulantur, cum Neptunus et Minerva de dignitate contenderent, et Neptunus allegaret se esse aquæ, rei utilissimæ, inventorem; Minerva autem pro se adduceret, se olivam fructiferam plantam invenisse; cecidit causa Neptunus, fuitque pro Minerva lata sententia: quia oliva arbore significabatur fertilitas, eiusque causa, pax, qua nihil dicebant esse iucundius, nihil utilius, nihil ad tranquillam, lætam et beatam vitam accommodatius.

VI. Sexto, propter misericordiam: hanc enim significat oliva. Nam Sanctorum propria virtus est misericordia. Hinc Salomon duos Cherubim fecit ex ligno olivarum, eosque posuit in oraculo, 3. Reg. 6. 31. ut significaret misericordiam ad cælum ducere, et in cælo sibi addictos collocare.

VII. Septimo, propter speciem, nitorem et splendorem virtutis. Eccli. c. 24. v. 19. *Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum iuxta aquam.*

Denique oliva foliis exiguis et pallidis, sed fructu uber, indicat Sanctos honorem et ostentationem fugere, sed interius solido virtutis fructu pasci. Docet enim symbolice oliva fructum frondibus, commoda pompæ, utilitatem splendori præferendum. Quis enim non præferat olivam exilem et foris abiectam cuivis ingenti platano aut quercui frondibus luxurianti? Exstat hac de re emblema elegans apud Phædrum lib. 3.

Olim, inquit, *quas vellent esse in tutela sua,*
Divi legerunt arbores. Quercus Iovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celsa Herculi.
Minerva admirans, quare steriles sumerent
Interrogavit. Causam dixit Iuppiter:
Honore fructum ne videamur vendere.
At mehercule narrabit quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum est gratior.
Tunc sic deorum genitor, atque hominum sator:
O nata merito sapiens dicere omnibus;
Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.

Sapiens ergo Minerva olivam fructiferam sibi deposcens, docet vanum esse omne frondosum gloriæ choragium, nisi succulentis utilitatis fructibus fœcundetur.

Ad vocem.) Sept. Hebræum המולה *hamula* a מול *mul*, id est circumcidere, derivantes, vertunt, *ad circumcisionem* vel *scissionem tuam*, qua scilicet fecisti schisma sub Roboam a Iuda, o Israel, in has clades incidisti.

Verum melius noster Interpres et cæteri omnes, *hamula* deducunt ab מלל *malal*, id est loqui, q. d. Ob idololatriam tuam, contra te excitabitur vox grandis, id est iussio Dei terribilis instar tonitrui. Dei enim vox mollis et blanda est, qua te vocavit *olivam speciosam*, tibique læta et fausta promisit; vox vero Dei grandis et horribilis est, qua minas intentat, quamque sequitur vastitas et exitium, sicut post tonitru sequuntur fulgetra et fulmina. Ita Sanchez.

Rursum *vox grandis*, id est imperium et mandatum Nabuchodonosor, atque clamor Chaldæorum, qui in te ignem accendent, urbemque tuam incendio perdent. Ita Lyran. S. Thom. et Vatablus. Hebræum enim *hamula*, significat clamorem, strepitum, tumultum, qualis est militum in castris, et in expugnatione urbis, præsertim cum e domibus et turribus, adhuc cives resistunt. Tunc enim milites inclamant, *Fuoco*, *fuoco*, domosque incendunt, uti Antuerpiæ et alibi factum vidimus. Nota: To *grandis* tam ad τὸ *loquelæ*, quam ad τὸ *ignis* (ut tunc est sensus planus, *grandis ignis exarsit*) referri potest; varia enim hic est interpunctio.

Tertio, S. Hieron. Raban. Hugo et S. Thom. *ad vocem loquelæ grandis*, id est, inquiunt, ob tuam iactantiam et blasphemiam superbiam combureris.

Quarto, *ad vocem loquelæ grandis*, id est ad famam, qua de Iudæis loquebantur, quasi de felicissima republ. omnes gentes inierunt cum eis amicitiam et commercia, et inde, a commercio scilicet cum Gentibus idololatris, exarsit ignis idololatriæ, quam ab eis didicit Iudæa, qui omnia combussit et vastavit.

Sic tropologice, ait S. Gregorius homil. 21. in Ezechielem, de favore et amore laudis, in corde flamma elationis accenditur, quæ omnia consumit. *Vox enim grandis loquelæ, est favor adulantis*, qui omnia bene gesta et dicta depascit, cum ex amore, non Dei sed laudis fiunt. Unde scriptum est Proverb. 27. *Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit.*

Fruteta eius.) Persistit in metaphora olivæ, cui comparavit Ierusalem. Sicut enim ignis depascitur oleam cum omnibus ramis, ita Chaldæi igne vastarunt urbem cum templo, palatiis et plateis.

Locutus est super te malum.) Decrevit te punire, perdere et vastare. Vers. 17.

Tu autem.) Raban. S. Hieron. Theodoret. et alii, hæc ad litteram de Christo accipiunt: sed patet ex sequent. et præcedent. maxime v. 14. et 21. hæc ad litteram de Ieremia dici, qui queritur de insidiis, et morte sibi parata a suis civibus Anathoth, eo quod tam libere eis prophetabat, et minabatur excidium. Vers. 18.

Allegor. certum est ex Ecclesiæ consensu, sub persona Ieremiæ hæc de Christo dici, et propter Christum hæc Ieremiæ evenisse, et scripta esse, atque hoc vult S. Hieron. Unde sic concludit: *Ut omni interpretationis molestia liberemur, hanc sequamur regulam, quod omnes Prophetæ in Christi typum pleraque gesserint, et quidquid iuxta præsens tempus completum sit in Ieremia, hoc in futurum de Domino prophetari.* Sic et Theodoretus, Rabanus, S. Thomas, Lyranus et Vatablus.

Et ego quasi agnus mansuetus.) Hebr. אלוף *alluph*, id est assuefactus, mansuetus; Chald. *electus;* Septuag. *innocens;* Syrus, *simplex;* Arabicus, *aberrans*, vel *insaniens;* sed incongrue. Potest sexto verti: *Ego sicut agnus dux*, vel ductor gregis, ut significetur Christus, qui omnes Martyres exemplo suo anteivit, eosque sua passione animavit ad fortiter appetendam pro Deo mortem, inquit Viegas in Apoc. 12. p. 516. Septimo, Vatabl. Pagninus et Kimchi vertunt, *Sicut agnus, et sicut bos ducitur ad victimam: sic et ego.* Ieremias ergo purus et mitis fuit quasi agnus, fuitque typus veri agni, qui tollit peccata mundi, scilicet Christi, qui fuit dux gregis Ecclesiæ, pro eaque immolatus est, uti docet Isaias c. 53. 7. Vers. 19. Ieremias fuit agnus typusque Christi.

Hinc Christus fuit agnus occisus ab origine mundi, præsignatus.

Primo, in sacrificio Abelis, qui obtulit primogenita ovium, id est agnos, Domino, ac proinde Deo placens ipsemet quasi agnus innocens, factus est victima Deo, cum a parricida Cain occisus, primus exstitit orbis virgo et martyr.

Secundo, in ariete sive agno masculo, quem pro Isaac substituit et immolavit Abraham, Gen. 22. v. 12. Sic enim in Christi passione, Iudæis et tortoribus pro deitate surrogata, passa et immolata est humanitas.

Tertio, in agno paschali, de quo fuse dixi Exodi 12. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.*

Quarto, in iugi sacrificio. Quotidie enim Hebræi ex lege Exodi 23. 38. immolabant Deo tam mane quam vespere agnum: et hoc est sacrificium matutinum et vespertinum, quod sæpe offert et refricat David in Psalm. et Prophetæ. Ita Origenes, Cyrillus, et Euthym. in Ioan. c. 1. 29.

Quinto, in aliis ovibus et agnis, qui ex lege omni festo offerendi erant.

Sexto, quia ab Isaia c. 53. 7. et Ieremia hic Christus comparatur agno. Hinc Ioannes Baptista demonstrans Iudæis Christum, sive Messiam eis promissum: *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ubi Nota: Christus dicitur *agnus Dei*, quia a Deo, id est Dei iussu et voluntate Dei, pro hominum redemptione est immolatus, sicut vocatur sacrificium Abrahæ, quod Abraham obtulit Deo, ait Theophyl. Euthym. et Maldon. Aut quia ipsemet Christus est agnus Dei, cur?

Deo est oblatus et immolatus: aut *Dei*, id est divinus propter divinitatem, quæ in ipso erat: aut, ut Clemens Alexandr. l. 1. Pædag. c. 5. et ex eo Toletus, quia pro nobis factus est puer, et infans Patris. Pueros enim agnos vocamus. Verba Clementis sunt: *Quoniam Scriptura pueros et infantes agnos vocat, Deum qui est Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocavit agnum Dei, filium Dei, infantem Patris*, q. d. Christus est agnus Dei, id est filius Dei. Agnus enim filium notat, sicut Genes. 49. Catulus leonis dicitur ut significetur mystice filius Dei, quod multi antiqui annotarunt: ita hic non ovem, non bovem, sed agnum vocat, ut hominem hunc significet esse Filium Dei, non Patrem, non Spiritum sanctum. Porro, τὸ *infantem Patris*, a Clemente improprie dicitur: Christus enim æqualis Patri, eique coævus, non recte dicitur infans Patris, qua Deus est. Nam qua homo est, recte id de eo dici potest.

Ioannem Baptistam sequitur Ioannes Evangelista, qui Christum identidem vocat agnum, mireque voce agni delectatur, adeo ut in Apocalypsi vigesies septies eum nuncupet agnum, uti videre est in Concordantiis Bibliorum. Hinc et S. Petrus, spectans Christi innocentiam, redemptos nos esse dicit *pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi*.

Christus pingitur ut agnus.

Ob hasce ergo agni de Christo figuras et prophetias, vetus fuit mos Christum depingendi agni specie, quem præcursor digito ostendit, uti docet VI. Synodus habita in Trull. can. 82. ubi et hunc morem retineri iubet, causamque addit: *Ut per ipsum*, ait (agnum) *Verbi humiliationem mente comprehendentes, ad memoriam quoque eius in carne conversationis, eiusque passionis, et salutaris mortis deducamur, eiusque quæ ex eo facta est mundi redemptionis.* Atque hunc usum Romana et Latina Ecclesia semper retinuit, licet Græci ob calumnias Iconoclastarum aliquando vetuerint Christum alia specie pingi, quam humana. Romæ enim et in aliis Ecclesiis Latinorum, *in antiquis cœmeteriis et sepulcris videre est Christum musivo opere pictum et sculptum quasi agnum; sed et ex cera sacra solitas confici agnorum imagines in Ordine Romano a Gelasio collecto (ut constantior opinio est) ex antiquo eius Ecclesiæ usu hæc habentur: In eadem Dominica post Albas, id est in Octava Paschæ, intra civitatem Romanam dantur agni cerei ab Archidiacono in Ecclesia post Missam et communionem populo, etc. Hæc quidem antiquitas in Ecclesia Romana servata, numquam postea intermissa, hactenus perseveravit*, ait Card. Baronius, anno Christi 692. pag. 914. Nota hic usum agnorum cereorum benedictorum, quasi usitatum et antiquum laudari a Gelasio, qui vixit ante annos 1100. puta sub annum Christi 500. Nimirum baptizati, cum vestem candidam in baptismo acceptam deponebant Dominica in Albis, eius loco accipiebant hunc agnum cereum a Pontifice benedictum, ut monerentur agnum Christum eiusque innocentiam baptismo acceptam, iugiter et præ oculis habere et conservare.

Agni cerei antiquus usus.

Unde Sergius Papa, anno Christi 701. *statuit, ut tempore Dominici corporis, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, a Clero et populo decantaretur*, ait Anastasius Bibliothec. et ex eo Baronius. Ita nimirum voluit Ecclesia agni huius ideam, memoriam, amorem, cultum et innocentiam iugiter nobis obiicere.

Denique tropolog. per hanc agni speciem, significavit Christus, quam sibi Deoque pretiosa et chara sit mansuetudo, quamque ipsa sit fortis et invicta. Nimirum Christus, utpote Agnus Dei primogenitus, amat agnellos, amat agnas, amat agnetes, amat innocentes, amat virgines, amat Martyres, quia mites; et per mansuetudinem facit eos omnibus hostibus, omnibus tormentis, omnibus tentationibus superiores. Hoc est ergo secretum, quod per agnum nos docet Christus, nimirum mansuetudinem et patientiam, esse fidelium scuta in bello defensivo, æque ac tela in bello offensivo invicta, quibus omnia adversa, omnesque adversarii superantur, imo subiugantur. Mansuetudo enim non tantum vincit hostes, nec tantum superbiam, iram, invidiam, impatientiam; sed et libidinem,

A omnemque concupiscentiam, uti docent Cassianus et prisci Ascetæ; quin et ipsa veritas clare pronuntiat: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, Matth. 5. 4.

Et non cognovi.) Scilicet antequam mihi, o Domine, revelares, q. d. Non putabam eos fore tam nequam, tamque mihi infestos, ut me neci destinarent. Sic allegorice, Christus non cognovit, quia qua homo sine Patris revelatione non cognovit insidias Iudæorum; secundo et potius, non cognovit, id est dissimulavit, quasi nesciret insidias eorum; tertio, non cognovit, id est, ductus est ad mortem nihil dicens, perinde ac si non cognovisset quo eum ducerent, sicut agnus, cum ad lanienam ducitur, non queritur, non refugit, quia nescit quo eat; alioqui non ignorabat Christus quo duceretur, imo passionem et crucem suam iam ante prædixerat, Matthæi 20. v. 18. et 19. Ita Hugo, Maldonatus et alii.

Sancti illustres sunt tolerantes ut agni.

Vide, o Christiane, et imitare hoc agni immaculati exemplum, hoc speculum iugiter speculare, et moribus exprime. Ita fecerunt omnes Christianæ perfectionis studiosi, ab eoque didicerunt iniurias, verba et verbera silenti et miti animo perferre. Audi exempla ex Vitis Patrum l. 7. c. 7. et 8.

Exempla.

Monachus quidam erat qui quanto plus cum aliquis iniuriabatur aut incitabat, tanto magis ad eum recurrebat, dicens: *Isti sunt qui nobis occasionem præbent ad perfectionem nostram: qui autem beatificant nos, decipiunt nos et semitam pedum nostrorum subvertunt.*

Alius non arguebat iniuriantem, sed se, dicens: *Quia propter peccata mea contingunt mihi hæc.*

Tertius, si quis ei detraxisset, mittebat ei munera.

Quartus, Zacharias pallium suum conculcans, dixit: *Nisi quis sic fuerit conculcatus, monachus esse non potest.*

Quintus, S. Antonius predixit Ammoni: *Multum habes in via Dei proficere.* Et educens eum de cella: *Vade*, inquit, *et iniuriare lapidem hunc, et indesinenter cæde:* quod cum fecisset, rogavit eum S. Antonius, *Si ei aliquid lapis respondisset?* At ille dixit: *Non;* cui Sanctus: *Ita et tu ad* C *hanc mensuram perventurus es, ut nullam tibi fieri arbitreris iniuriam.*

Sextus, lib. 5. c. 7. de fortitudine, omnes iniurias et tribulationes superabat, in iis gratias agendo Deo: atque adeo *Deus*, inquit, *videns patientiam eius, abstulit omne bellum tentationis ab eo.*

Septimus ibidem: *Virtus*, inquit, *monachi in tentationibus apparet.*

Octava, S. Syncletica: *In tentatione*, inquit, *dicito: Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Si ferrum es, per adhibitum tibi ignem amittes æruginem; si aurum es, per ignem probatior eris. Memor esto istius: Transivimus per ignem et aquam: residuum est quod sequitur, ut induamur in refrigerium. Obtinuisti primum, exspecta secundum, agens quæ virtutum sunt.*

Talis agnus fuit S. Ignatius in vita et in morte. Vox eius in vita fuit: *Mansuetudinem volo, qua omnis vis principis huius mundi enervatur.* Vox vero in morte: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar.*

Mittamus lignum in panem eius quadrupliciter exponitur.

D Mittamus lignum in panem eius.) Hebraice: *Corrumpamus, perdamus, exscindamus lignum*, id est arborem, *in pane*, id est cum pane eius, id est cum cibis et fructu suo, ait R. Kimchi, q. d. Occidamus Ieremiam, ut ipse pereat, et cum ipso prophetia eius tristissima, quasi Ieremias sit arbor exscindenda: panis, id est fructus eius sit eius doctrina, concio et minæ: unde sequitur: *Eradamus eum* (quasi arborem) *de terra viventium.* Hæc expositio satis convenit Hebræo; sed dissentit a versione nostra cui consentiunt Septuag. et Chald. I.

Secundo, Chald. S. Thomas, Hugo, Lyranus, Pagninus et Vatabl. τὸ *corrumpamus lignum in pane eius*, per hypallagen vertunt: *Corrumpamus panem eius ligno*, scilicet venenato et mortifero, q. d. Toxico et ligno venenato inficiamus eius panem et cibum, et sic veneno eum perimamus: unde per *lignum* hoc accipiunt taxum, cuius lignum, folia, baccas et flores lethalia esse, docent Theophrastus, Plinius l. 16. c. 10. Dioscorid. Galenus et alii: II.

Taxus arbor venenata.

adeo, ait Plinius, ut qui obdormiunt sub ea, moriantur. Unde Virgilius:

Ne propius tectis taxum sere.

Imo hinc Maldon. Calepinus et alii, venenum dici putant *toxicum* a taxo, quasi taxicum; sed alii melius toxicon a τοξω, id est sagitta, deducunt; et hoc est quod ait Plinius: *Sunt et qui taxica hinc appellata dicunt venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tinguntur ut sint venenatæ.* Dioscorides venenum hoc taxi tribuit nimio frigori taxi, instar cicutæ. Melius Mathiolus in Dioscorid. lib 6. 12. id tribuit nimio calori; quia taxus corticem et frondes habet amaras, baccas dulces et acres, perpetuo viret, febres mortiferas et alvi profluvia ciet, denique aviculæ frondes taxi depastæ nigrescunt, quæ omnia caloris nimii sunt signa, q. d. Taxo panem et cibum Ieremiæ inficiamus, excidamus et succidamus. Verum, quia lignum non solet imponi cibo, sed venenum; quod hebraice ראש ros dicitur, et quia omnes Patres hunc locum intelligunt de ligno crucis; hinc

III. Tertio et aptissime, *mittamus lignum in panem eius*, ut scilicet loco panis, pascamus eum ligno, id est fuste aut cruce, crucifigamus eum. Sic vulgo dicitur: Fuste te cibabo, id est fuste tundam te, baculos gustabis, pugnos comedes. Vel, si vertas: *Corrumpamus lignum in panem*, expone per hypallagen: *Corrumpamus panem eius in lignum*, id est pervertamus eius panem, et mittamus in lignum, ut pro pane comedat lignum, id est fustes aut crucem; unde Syrus vertit: *Corrumpamus lignum in pane eius:* vel, *Depravemus ligno panem eius.* Clarius Arabicus: *Corrumpatur per trabem caro eius, et per lignum fortitudo*, vel vis *gigantea eius.* Sic enim aptissime hic Ieremias prophetat crucem Christi, uti eum facere docet S. Hieron. et Theod. hic, et Iustinus contra Tryphon. Tertull. libr. contra Iudæos c. 10. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos c. 15. Ambr. in Titul. Psal. 35. Greg. l. 3. Moral. c. 12. et alii passim.

IV. Quarto, Tertul. l. 3. contra Marcion. c. 19. et Lactant. l. 4. Instit. c. 18. per hypallagen sic exponunt: *Mittamus panem*, hoc est corpus Christi, quod nobis est panis in Eucharistia, *in lignum crucis;* vel ut Abbas Ioachim hic: *Mittamus lignum in panem*, id est, crucem in carnem Christi, blasphemiam in doctrinam, detractionem in vitam, scandalum in religionem, ut nemo credat ei et doctrinæ eius, quem videat esse crucifixum; sic et S. Thom. Andr. Capella, et Maldon. ubi.

Locus Tertull. ab hæreticorum depravatione vindicatur.

Nota: Verba Tertulliani hæc sunt: *Hoc lignum* (crucis) *et Ieremias tibi insinuat, dicturis prædicans Iudæis: Venite, mittamus lignum in panem eius, utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit, panem corpus suum appellans: ut et hinc iam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cuius retro corpus in pane Prophetes figuravit, ipso Domino hoc Sacramentum postea interpretaturo.* Quæ verba imperite et perverse torquent Calvinistæ contra veritatem corporis Christi in Eucharistia, cum eamdem manifeste stabiliant; dicit enim Tertull. quod apud Ieremiam per panem intelligatur corpus Christi, quod in ligno crucis affixum fuit, atque addit; Christum ipsum ita explicuisse prophetiam Ieremiæ, cum de pane Eucharistiæ dixit: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*, id est crucifigetur. Ubi clarum est per panem apud Ieremiam hic, non intelligi panem materialem, qui significet corpus Christi (ut volunt Calvinistæ) sic enim sequeretur, panem fuisse crucifixum, non autem corpus Christi. Quod ergo ait Tertull. *Ut et hinc iam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse;* figuram assignat pani, ut patet ex verbis, non corpori, idque cogitur fateri Calvinus apud Claudium Sainctes in Apolog. contra Bezam pag. 139. Sensus ergo Tertulliani est, q. d. Christus in Eucharistia dedit corpus suum sub figura et specie panis, ut conformaret se prophetiæ Ieremiæ, eamque explicaret. Ieremias enim per figuram corpus Christi vocavit panem dicens: *Mittamus lignum in panem eius*, id est in corpus Christi; hanc enim figuram quæ est in voce *panem* explicuit et interpretatus est Christus, cum corpus suum in Eucharistia abscondit sub figura et specie panis (non peponis, vel alterius rei) de eaque dixit: *Hoc est*, non panis, sed *corpus meum.* Hunc esse sensum Tertulliani clarissime docet Pamelius in lib. 4. contra Marcion. c. 40. n. 662. quin et ipsi Centuriator. Magdeburgenses palam profitentur figuram apud Tertullianum non cadere in vocem *corporis*, sed in vocem *panis.*

Tu autem, Domine Sabaoth, Domine exercituum, Domine potentissime, qui iudicas iuste, et probas renes et corda.) Qui exploras et penetras et pervides cuiusque affectus et cogitationes, item volitiones et intellectiones: renes enim sunt sedes affectuum et concupiscentiæ, uti cor est cogitationum: et quia voluntas fons est affectuum rationalium, intellectus cogitationum et consiliorum: hinc recte per *renes* accipias voluntatem et appetitum, per *cor* intellectum. Idem senserunt Platonici. Ex quibus Proclus lib. de anima et dæmone, docet naturam et experientiam cuique attestari, quod Deus occulta cordium cognoscat. Quisque enim, ait, dum occulto cruciatur mœrore, dolore, timore, amore, tentatione, afflictione, invocat Deum, quasi eius conscium et inspectorem, opemque et liberationem ab eo efflagitat. Idem eadem ratione evincit Tertullianus lib. de Anima. Hoc enim testimonium animæ connaturale, illi a Deo qui prima est veritas, insitum est. Vers. 20.

Ex hoc loco S. Aug. in Sententiis n. 21. recte infert eos qui iudicant de secreta intentione proximi usurpare iudicium Dei, et peccare iudicio temerario: *De occultis*, inquit, *cordis alieni temere iudicatur, et cum cuius non videntur nisi bona opera, iniquum est ex suspicione reprehendere, cum eorum quæ hominis sunt incognita, solus Deus iudex sit; quia iustus est et inspector verus.*

Videam, fac ut videam, ultionem tuam.) Id est a te profectam; secundo, *tuam*, quia ego causam meam tibi revelavi, id est revelo, committo, et in te transcribo, in te omne ius meum omnemque iniuriam resigno: age ergo et ulciscere non tam meas quam tuas iniurias illatas ab Anathothitis civibus, sed hostibus meis: idque opto ex iustitiæ zelo ad aliorum exemplum, non ex odio aut vindictæ cupidine, uti optavit et David Ps. 27. 4. et Ps. 93. 2. Præclare S. August. in Sententiis, sent. 246. *De benevolentia*, inquit, *est, non de malitia, cum lætatur iustus in impios processisse vindictam; quia non ei exitium peccatoris placet, quem voluit corrigi; sed iustitia Dei, qua scit multos posse converti.*

Hæc dicit Dominus.) Hæc dico ego. Ipse enim Dominus hic de se in tertia persona loquitur, q. d. Quia tu, o Ieremia, mihi revelasti et commendasti causam tuam, faciam quod a me petis, et ultionem de Anathothitis hostibus tuis sumam. Vers. 21.

Non prophetabis, ne prophetes, in nomine Domini, sed in nomine Baal, uti nos; vel potius, ne prophetes in nomine Domini, scilicet tantas calamitates nobis imminere, et non morieris.) Non occidemus te: loquere nobis placentia, et parcemus tibi.

Reliquiæ non erunt ex eis.) Delebo omnem propaginem et posteritatem Anathothitarum. Loquitur de impiis tantum et sceleratis, qui Ieremiam ad necem persequebantur: nam alioqui promisit Deus cap. 4. 27. se consummationem non facturum. Vers. 23.

Annum visitationis.) Annum punitionis et excidii.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias cap. præced. a suis Anathothitis tot mala et necis insidias passus, miratur se et alios innocentes tot mala pati, cives vero suos et alios impios bonis affluere. Respondet Deus v. 5. ut sit maiori animo, eum adhuc graviora passurum in Ierusalem, se tandem eam cum aliis Gentibus dirissime puniturum. Denique v. 14. hostibus quoque Iudæorum minatur excidium.

1. IUSTUS quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum pro-
speratur: bene est omnibus, qui prævaricantur et inique agunt? 2. Plantasti eos, et radicem miserunt, pro-
ficiunt, et faciunt fructum: prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum. 3. Et tu Domine nosti me,
vidisti me, et probasti cor meum tecum: congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisio-
nis. 4. Usquequo lugebit terra, et herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? consum-
ptum est animal et volucre, quoniam dixerunt: Non videbit novissima nostra. 5. Si cum peditibus currens labo-
rasti: quomodo contendere poteris cum equis? cum autem in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia
Iordanis? 6. Nam et fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te, et clamaverunt post
te plena voce: ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona. 7. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi
dilectam animam meam in manu inimicorum eius. 8. Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva: dedit contra
me vocem, ideo odivi eam. 9. Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? ve-
nite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum. 10. Pastores multi demoliti sunt vineam meam,
conculcaverunt partem meam: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. 11. Posuerunt
eam in dissipationem, luxitque super me: desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde.
12. Super omnes vias deserti venerunt vastatores, quia gladius Domini devorabit ab extremo terræ usque ad ex-
tremum eius: non est pax universæ carni. 13. Seminaverunt triticum, et spinas messuerunt: hæreditatem accepe-
runt, et non eis proderit: confundemini a fructibus vestris, propter iram furoris Domini. 14. Hæc dicit Dominus
adversum omnes vicinos meos pessimos, qui tangunt hæreditatem, quam distribui populo meo Israel: Ecce ego evel-
lam eos de terra sua, et domum Iuda evellam de medio eorum. 15. Et cum evulsero eos convertar et miserebor
eorum, et reducam eos, virum ad hæreditatem suam, et virum in terram suam. 16. Et erit: si eruditi didicerint
vias populi mei, ut iurent in nomine meo, Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum iurare in Baal: ædifi-
cabuntur in medio populi mei. 17. Quod si non audierint, evellam gentem illam evulsione et perditione, ait Dominus.

Vers. 1. IUSTUS QUIDEM TU ES, DOMINE, SI DISPUTEM TECUM.) Id est iustior es, quam ut debeam tecum disputare, et scio quod post omnem disputationem vinces, et iustus apparebis: tamen pace tua, liceat mihi afflicto affectui meo nonnihil indulgere, atque proponere iustam meam, ut mihi videtur, expostulationem et querelam: Cur scilicet impii prosperentur, pii affligantur. Eamdem quæstionem movet Iob c. 21. v. 7. David Psal. 72. 3. Habacuc c. 1. Idem questi sunt Gentiles, ut Claudianus scribens in Ruffinum; Ruffinus enim hic humili loco natus insinuans se in gratiam Theodosii Imp. ad summos honores evectus eos impotenter et tyrannice gessit, eoque pervenit arrogantiæ, ut generum habere conaretur Arcadium Imperatorem; imo hac via Imperium sibi assumere moliretur. Quare eadem die qua ab Arcadio se Imperii consortem declarandum putabat, ab exercitu, quasi proditor imperii, circumdatus, discerptus, et in frusta dissectus est. Unde Claudianus ex Ruffini supplicio agnoscens superis esse providentiam, de qua antea dubitabat, ita canit:

Errores infidelium de Dei providentia.

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absolvitque deos; iam non ad culmina rerum
Iniustos crevisse queror: tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Ita multi etiamnum victi adversis divinæ Providentiæ spem, et mox fidem abiiciunt, dum vident et considerant eos acrius fortunæ acerbitate affligi, qui virtuti magis studuerunt. Quocirca illud Herculeum sæpe in ore habent: *O infelix virtus, itane, cum nihil quam nomen esses, ego te tamquam aliquam exercui, cum tu fortunæ servieris?* Ita nuper Anglus quidam concludebat Orthodoxos Romanæ fidei Deo nec charos, nec curæ esse, quod eos ita misere in Anglia vexari, incarcerari, bonis et vita privari permittat. Audivi et Hollandum calvinistam ita ratiocinantem: Calvinistis in Hollandia favet Deus; nam eos pace et opibus abundare facit: ergo habent ipsi veram Dei fidem et cultum; nec enim credibile videtur, quod hostibus suis et hæreti-

A cis ita faveat Deus. Pari modo conclusisset turcismum et ethnicismum esse veram Dei religionem, eo quod Turcæ et Ethnicis Imp. tot victorias et regna concesserit, et etiamnum concedat Deus. Prudentius et modestius Cato videns Pompei res infeliciter succedere, et victoriam ad Cæsarem inclinare, dixit: *In rebus divinis multum esse obscuritatis, eo quod Pompeio præter fas res suas promoventi omnia prospere; iustam vero reipubl. causam tuenti sinistre omnia evenirent.*

Ex hac ergo proborum infelicitate et improborum felicitate ortus est triplex Gentilium error: Primus deos negantium, uti illius qui canit:

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo: credimus esse deos?

Secundus esse quidem deos, sed terrena et humana non curare. Ita sensit Plinius lib. 2. c. 7. *Irridendum*, ait, *est agere curam rerum humanarum illud, quidquid est, summum.* Et causam addit: *An tam tristi atque multiplici mi-*
B *nisterio non pollui credamus, dubitemusve?* Cui respondet Clemens lib. 7. Strom. Deum non pollui hac cura nec distrahi, quia cum summa quiete et placidissime hæc omnia agitat; quia ipse *est totus mens, totus lux, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens.*

Tertius fuit Balbi Stoici apud Ciceron. lib. 2. de Natura Deorum, *Deum singulos homines curare: sed magna*, ait, *dii curant, parva negligunt.*

Hos refellit Plato in Epinom. ubi toti suo de diis sermoni hoc fundamentum præstruit: *Quod curent omnia, magna sint ea aut parva.* Et Seneca l. 1. de Providentia docet nihil esse a casu, sed occultum aliquid divini consilii esse, a quo omnia quæ fortuita videntur, diriguntur. Et Cicero lib. 3. de Natura Deorum docet, *materiæ universæ fictricem ac moderatricem esse divinam Providentiam.* Pulcherrime vero Epictetus l. Dissertat. c. 12. *Sunt*, ait, *qui negent ullum Numen esse. Sunt qui esse docent, sed ignavum, incurium et nulli rei providere. Sunt tertii, qui et*

esse, et providere, sed nonnisi magnis et cœlestibus, terrenorum autem nulli. Quarti, et cœlestibus et terrestribus, sed universis dumtaxat, non autem singulis et unicuique seorsim. At quinti, in qua parte Ulysses et Socrates asserunt statuuntque quod te, o Deus, nec in minimo motu lateam aut fallam. Ita et Cicero loco citato asserit, *non universo generi hominum solum, sed etiam singulis a diis immortalibus consuli ac provideri;* additque: *Stoici Dei maiestatem usque ad apum formicarumque perfectionem deducunt.* Causam dat noster Damascen. *Necesse est,* ait, *eumdem esse conditorem rerum et administratorem; neque possunt aut debent dividi. Sic enim imbecillitati alteruter esset obnoxius, quasi aut iste condere non posset, ille non administrare et conservare.* Aurea est gnome S. August. in Sententiis n. 58. *Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de invisibili et intelligibili summi Imperatoris aula, aut iubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam universaque republica;* et n. 41. *Mutabilium omnium dispositionem immutabilis ratio continet, ubi sine tempore simul sunt, quæ in temporibus non simul fiunt:* et n. 140. *nullum Deus vel angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset quibus eos usibus bonorum commendaret, atque in ordinem sæculorum, quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam pulcherrimis antithetis honestaret;* et n. 239. *Interdum Deus per malos erudit bonos, et per temporalem potentiam damnandorum exercet disciplinam liberandorum.*

Verumtamen iusta loquar.) Hebr. *iudicia loquar;* Chald. vertit: *Interrogationem iudicii interrogo a facie tua,* id est postulo a te causam et rationem iudicii tui. Sic ait Iob c. 10. 2. *Indica mihi cur me ita iudices.*

Vers. 2. Plantasti eos.) Stabilivisti eos, sicut arbores quæ alte plantantur.

Proficiunt.) Divitiis aucti, ait Chald. S. Thom. Vatablus et prolibus, aiunt Septuag.

Prope es.) Id est ut Chald. assidue te habent in ore: at in renibus, id est affectibus, mente et voluntate impura eorum non habes locum; secundo, a Castro sic explicat, q. d. *Prope es tu ori eorum*, scilicet tribuens illis ad os, id est ad nutum pro votis, quidquid desiderant et petunt; *et longe es a renibus eorum*, quia nec modico flagello tangis terga eorum, Thren. 3. 13.

Vers. 3. Et tu, Domine, q. d. Nosti, Domine, et probasti, id est expertus es, cor meum.) Esse purum, quodque te, non solum in ore ut impii iam dicti, sed et in corde habeam, cupiens tibi per omnia obsequi et placere: cur ergo ego angor et ab eis affligor; illi autem pace et bonis fruuntur?

Congrega.) Collige et cumula eos bonis, iisque eos sagina quasi oves ad victimam. Solent enim oves, cum mactandæ sunt, in ovile congregari, ibique saginari. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thom. sed hebraice est התקם *hattikem*, id est ut Vatabl. extrahe eos ad lanienam.

Sanctifica eos.) q. d. Constitue diem excidii, iustitiæ tuæ sanctum, in quo eos quasi victimas occidas, et tuæ iustitiæ immoles. Sic enim ait Poeta: *Et me destinat aræ. Sanctificare* enim est consecrare et dedicare Deo. Vide dicta c. 6. 4.

Secundo, *sanctifica*, id est separa, sepone *eos* quasi rem sacram (ne quis eam tangat aut ad alium usum applicet) ad diem occisionis, quasi ad diem sacrificii Deo pergrati.

Vers. 4. Usquequo lugebit terra?) Id est, sterilis erit et horrida more lugentium, q. d. Quousque feres, Domine, ut impii sceleribus suis terram corrumpant, excidium per Chaldæos et sterilitatem illi olim a te benedictæ inducant, ut nec volucres possint eam incolere? ait S. Hieron. Tanta enim est eorum impietas, ut negent tuam Providentiam, dicentes te non videre, id est non curare novissima nostra, id est ut Chald. finem nostrum, puta mortem, vastitatem, excidium, quæ nomine Dei minatur nobis Ieremias: ita

A S. Hieron. Raban. Hugo, vel ut Lyran. et Vatabl. q. d. Non puniet nos Deus in novissimo, id est post mortem, quia anima cum corpore interibit.

Vers. 5. Si cum peditibus currens laborasti (Syrus et Arabicus, *et defatigarunt te*) quomodo contendere poteris cum equis?) Est adagium, quo utebantur in eos qui cum minora præstare non possint, maiora tentant; aut qui cum minora mala non ferunt, maiora ferre debebunt, q. d. Si tui cives Anathothitæ tibi ita molesti sunt, ut vix feras, o Ieremia, quomodo feres insultus nequissimorum Hierosolymitanorum, cum suo rege et principibus? q. d. Animos cape, parva tulisti, maiora feres. Ita Chald. Lyran. Vatabl. et patet ex sequenti; sequitur enim: *Cum autem in terra pacis securus fueris*, q. d. Videbaris tibi in terra et patria tua in pace securus versari, et tamen cupiunt te ibi occidere; quid ergo tibi exspectandum erit *in superbia* (Syrus, *in vi et fortitudine;* Arabicus, *in abysso*, id est summa profunditate) *Iordanis?* id est in Hierosolyma ubi sunt homines superbi et tumidi instar intumescentis Iordanis. Ita Lyranus et Vatablus.

Quadruplex huius loci explicatio. I.

B Est parœmia, sive proverbium eodem spectans quo præcedens currentis cum equitibus. Proverbialiter enim *terram pacis*, vocat quietam et pacificam Ieremiæ patriam Anathoth; *superbiam* vero *Iordanis* vocat superbos Hierosolymitas. Iordanes enim, quia æstate intumescit, et quasi superbit; hinc apud Iudæos proverbiali et vulgari sermone significabat superbos et inflatos. Hunc esse sensum patet ex præcedentibus et sequentibus: Sequitur enim: *Nam et fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te.* Simili schemate Ezechiel c. 17. 3. magnificam Iudæam et Ierusalem vocat Libanum, superbum vero Nabuchodonosorem vocat aquilam grandem magnarum alarum. Possent quoque per *superbiam Iordanis* accipi Chaldæi, aliique hostes Iudæorum, uti mox dicam, q. d. Si in terra tua a tuis tanta pateris, quanta patieris cum superbi Chaldæi aliique hostes vestri te tuosque invadent integro totoque exercitu?

C Respondet enim hæc Deus querelæ Ieremiæ, ut habet Chald. cur scilicet impii prosperentur, et dominentur piis, eosque affligant, uti ipse a suis civibus affligebatur; respondet autem increpando et erigendo illum ad maiora certamina, et ut abysso providentiæ Dei et iudiciorum eius inscrutabili cæce se submittat.

Tropolog. *si cum peditibus, etc.* id est si visibilibus hostibus, scilicet mundo et carni, cum difficultate restitisti, quomodo equitibus, id est dæmonibus invisibilibus fortissimis et velocissimis, resistes? Rursum, si inferiorum contradictiones ferre non vales, quomodo Prælatorum et Principum infestationes sustinebis? disce ergo superare minora, ut assuescas superare maiora. Hinc apposite Capella et Delrio adagio 836. hoc proverbium adaptant iis, qui cum se et familiam regere nequeant, ambiunt prælaturas, voluntque Ecclesia et resp. gubernare. Hugo adaptat noviciis Religiosis qui cum multis in sæculo pietate et austeritate vitæ sint inferiores, certare volunt cum veteranis, parique passu cum eis incedere.

D Secundo, S. Hieron. Theodor. Raban. Hugo, S. Thomas hæc accipiunt, quasi loquatur Deus aut Propheta plebi Iudæorum, q. d. Si cognati tui, vicini Ammonitæ et Idumæi, qui pedites pugnant, tibi sæpe tantam cladem intulerunt; quomodo resistes Chaldæis equitibus, et pedes curres cum eis, quando te trans Iordanis tumentes fluctus in Chaldæam abducent? Sic et Sanchez, qui tamen hæc refert ad finem capitis præcedentis, ac per superbiam Iordanis apposite accipit numerosos et gloriosos hostes Iudæorum, puta Chaldæos, qui sibi sociarunt Ammonitas, Moabitas, et Idumæos Iordane a Iudæis divisos. Hi dicuntur *superbia Iordanis*, tum quia transeuntes Iordanem ut Iudæam invaderent, eum tanta militum et equitum copia intumescere, et quasi superbire fecerunt; tum quia ipsi quasi superbia Iordanis, seu tamquam Iordanis intumescens, alveumque egressus et agros inundans, totam Iudæam, omnesque eius agros vastarunt et populati sunt. Sic c. 49. 19. de Nabuchodonosore a Iudæa subacta per- II.

gente contra Ammonitas et Idumæos, ait: *Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam.* Sic alibi sæpe hostiles copias vocat Script. flumen exundans, quod violenter segetes domosque sternit, ut Isaiæ 8. 7. et 59. 19. Ierem. 46. 7.

III. Tertio, Isidor. exponit, q. d. Deus: Nesciebas consilia et secreta tuorum civium volentium te occidere: et quomodo vis scrutari et scire consilia mea de felicitate impiorum?

IV. Quarto, Chald. exponit, q. d. Si ego Deus Nabuchodonosori et impiis Chaldæis quasi peditibus meis tot bona contuli, quid faciam patribus tuis, qui quasi equi cucurrerunt in mea servitute et obsequio? nimirum, propter eos vobis eorum filiis largas impertiar benedictiones, instar aquarum exundantium in Iordanem.

Sic moraliter, si Deus suis hostibus, ut Neroni, Decio, Diocletiano, in hac valle lacrymarum tantam dedit gloriam; quantam dabit suis filiis in die triumphi et nuptiarum? ait S. Augustinus. Primus sensus maxime est genuinus. Porro nonnullos ita esse agiles, ut cursu certent cum equis, certum est. Id enim faciunt Hiberni, qui se assidue cursu et lucta exercent. Sic de Camilla canit Virgil. Æneid. 11.

Hæc fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu.

Vers. 6. Nam et fratres tui.) Cives tui Anathothitæ pugnarunt contra te. Hic versus confirmat primam expositionem v. præced. datam. Aliter S. Hieron. Fratres, inquit, id est Moabitæ, Idumæi, et, ut Theodoret. aliqui Iudæi profugi in castris Chaldæorum: hi enim cum eis contra patriam suam Ierusalem pugnaverunt; ut τὸ *te* respiciat Ierusalem. Verum obstat, quod sermo præcedens respiciat Ieremiam, non Ierusalem.

Clamaverunt post te plena voce.) Vatablus vertit: *Convocarunt post te plenitudinem*, id est turbam civium, ut te persequantur.

Reliqui domum meam, id est templum; dimisi hæreditatem meam, id est, Iudæam et populum Iudaicum qui erat quasi hæreditas Domini: dedi dilectam animam meam.) Id est templum et urbem Ierosalem, quam tamquam animam diligebam; hebr. est: *Dedi dilectionem animæ meæ,* id est, urbem, quam toto animæ affectu diligebam, ob scelera eius tradidi in manus hostium Chaldæorum. Ita S. Hier. Theodor. et Chald. Patet enim hæc esse verba Dei. Est enim hic crebra enallage et commutatio personarum, uti est interlocutorum in scena.

Vers. 7.

Allegorice, Christus dereliquit templum et Iudæos cum animam suam in passione eis cruciandam tradidit. Ita S. Hieron. Theodor. Raban. et alii. Unde sequitur:

Vers. 8. Facta est mihi hæreditas mea.) q. d. Uti homines in sylva audito rugitu leonis fugiunt: sic ego, ait Dominus, populi Iudæorum prius mitis et obedientis, iam vero ex conversatione cum idololatris contra me rebellis atque in pauperes et Prophetas innocentes sævientis et rugientis instar leonis (qui urgente fame neminem, quantumvis beneficum, agnoscit, sed obvia quævis ungue rictuque dilacerat) blasphemis vocibus coactus, eum reliqui et odivi, tum tempore Ieremiæ, tradens eos Chaldæis, ita Chal. Hugo, S. Thom. Lyran. et Vatabl. tum maxime tempore Christi, cum magnis vocibus ipse quasi leo petiit eum crucifigi, ita S. Hieron. Theodor. Raban. et alii. Simile dixi Isaiæ 17. In leone notatur sævitia et ignoratio ingrati populi, qui Deo rebellavit, ac si nulla ab eo beneficia accepisset, atque in eius Prophetas sæviit.

Vers. 9. Avis discolor quæ? I. Expositio. Numquid avis discolor?) Nota: S. Hieron. per *avem discolorem et tinctam per totum*, accipit pavonem, eoque significari putat pulchritudinem Israelis, quæ tanta erat, ut nihil esset bonorum, quod non cerneretur in eo. Sic et Raban. Hugo et S. Thom. q. d. Hunc pavonem deplumate et devorate, o bestiæ, id est Chaldæi, quia superbus mihi est et rebellis.

Huc accedit Sanchez, qui sic explicat: Numquid hæreditas mea, quam frementem audio, mihi eam voluptatem præbuit, quam præbere solet domino suo discolor avis et variis maculis tincta (quam proinde Martialis lib. 5. epigram. 104. vocat guttatam, qualis est pavo psittacus, etc.) atque vocalis et canora, ut eam non oderim? nonne pro suavi cantu fremitum instar leonis edidit contra me? unde sequitur: *Venite* ergo, *congregamini, omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum.* In pavone notatur Israelis ostentatio pulchritudinis, eiusque inconstantia: pavo enim caudæ syrmate expanso ocellis pulcherrimis variegatur et intumescit; sed dum pedes fœdos intuetur, syrma demittit et detumescit. Unde Martialis l. 13.

Miraris quoties gemmantes explicat alas.

Rursum in motu pennas nunc contrahit, nunc expandit, idque crebro et varie; quocirca *est multicolor et discolor, et versicolor, numquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa quando alia, toties denique mutanda quoties movenda,* ait Tertull. l. de Pallio c. 3.

Unde tropol. Hugo pavone hoc versicolori repræsentari censet mulieres gemmis, stibio et cerussa fucatas et tumidas. Item hypocritas, qui exterius speciosi videntur, cum interius turpes sint et fœdi; hi enim quasi pavo circumspectant et ostentant se.

Secundo, valde apte *avis discolor et tincta,* est avis peregrina, variis coloribus distincta, et insolentibus plumis ornata, v. g. noctua rubris maculis aspersa, quam proinde aliæ aves maxime feræ et rapaces, quæ hic *bestiæ* vocantur, invidentes persequuntur, ut expilent et devorent, q. d. Pari modo aliæ Gentes persecutæ sunt et persequentur Iudæos, idque fiet Deo ulciscente, et eas advocante ac dicente: *Venite, congregamini, properate ad devorandum.* Nota: Vox *discolor*, significat inconstantiam Israelis, quod modo Deum, modo idola coleret. Ita D. Thom. Kimchi et Capella. Alludit ad indolem avium, quæ concolores amant eum eisque volitant, discolores oderunt et persequuntur. Simile enim gaudet simili, et similitudo est conciliatrix amicitiæ, dissimilitudo inimicitiæ, ait Aristot. Hinc proverbia: Graculus assidet graculo, cicada cicadæ chara, formica formicæ; asinus asino, sus sui pulcher; fur furem cognoscit, ut lupus lupum. II.

Tertio, a Castro per *avem* hanc, accipit corniculam Æsopicam, quæ cum se aliarum avium plumis induisset, unaquaque suam plumam repetente, nuda remansit, de qua Horat. lib. 1. epist. 3. III.

Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

q. d. Pari modo Iudæi, sua bona Gentibus, scilicet Chananæis, eripuerunt; sed Deo ob scelera Iudæorum permittente, Gentibus, scilicet Chaldæis et Chananæis, ea bello repetentibus, Iudæi nudi uti ante fuerant manebunt.

Quarto, Pagninus et Isidor. vertunt: *Num avi tinctæ sanguine*, id est Nabuchodonosori sanguinario, *data est hæreditas mea,* scilicet Israel? IV.

Quinto, Lyran. vertit: *Numquid avis sanguinolenta,* id est vulnerata, cruentata et occisa a Chaldæis, *est Israel?* Huc accedit R. Ioseph: Numquid, inquit, Israel est avis sanguine tincta, quam cum vident aliæ bestiæ, cognoscunt aliquod esse cadaver, eoque accurrunt? V.

Sexto, Forerius in Isaiæ 46. 11. *Comparat,* ait, *hic Ieremias Iudæos avibus rapacibus, insinuans quod, sicut illi quasi agmen avium feralium involabant in Dominum; ita quoque hostes eorum, quasi agmen avium feralium tinctarum sanguine, involaturi erant in eos. Nam præcessit, quod quasi leo dedissent vocem contra Dominum.* VI.

Denique Septuag. vertunt: *Numquid spelunca hyænæ hæreditas mea est mihi?* q. d. Sicut ad speluncam solent congregari hyænæ sævæ et immundæ, ut cadavera mortuorum devorent, sic Chaldæi ad Iudæam convenient, ut sanguine civium et cadaveribus occisorum saturentur. Ierusalem recte comparatur speluncæ hyænæ sævæ et voracis, quia instar illius plena erat et putida cadaveribus Prophetarum et innocentium, quos occidebat. Porro Septuag. vertunt *hyæna;* quia Hebr. *zabo* per *zain*, arabice significat *hyænam*, idemque est quod Hebr. זאב *zeeb*, id est lupus; hyæna enim est lupo similis, et lupi quasi spe- VII. Septuag. pro ave vertunt hyænam.

cies, uti dixi Habacuc 1. 8. Verum Hebr. hoc loco habent צבוע *tsabua*, per *tsade* (non per *zain*) id est *avis tincta*, uti melius vertit Noster et alii passim. Ex hisce sensibus secundus maxime genuinus est, deinde primus.

Vers. 10. PASTORES MULTI, id est, reges et principes, quos sibi iunxit Nabuchodonosor, DEMOLITI SUNT VINEAM MEAM.) Id est Iudæam. Sic enim hostes vocavit *pastores*, cap. 6. v. 3. Pastores enim non solent in suis vineis greges pascere, sed vineas si optent, alienas invadere. Ita Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. Vatabl.

Alleg. Allegor. hi *pastores* fuerunt Titus et Romani, evertentes Ierusalem. Ita Theodor.

pastores multi, sunt hæretici. Aliter hæc ad litteram accipit idem Theodor. Raban. et Hugo; scilicet de pastoribus Iudæorum, q. d. Pastores, duces, principes ac sacerdotes populi, suis sceleribus et malis consiliis, perdiderunt Ierusalem; hosce enim vocavit *pastores* c. 2. 8. et c. 10. 21. sed prior sensus est aptior.

Unde nonnulli allegor. per *pastores* hos accipiunt hæreticos, qui Ecclesiam devastant, et signanter vocantur *multi;* quia dum ab uno pastore et doctore Christo abeunt, in B varias et contrarias sectas dilabuntur; dum scilicet superbiunt, ut unus alium sequi dedignatur, vultque ipse esse magister, et agmen discipulorum post se ducere. Ita Arrius gradus quosdam in Deo constituens, minoremque asserens Patre Filium, Christum nobis sine vera divinitate reliquit. Sabellius cum unicam in Deo personam esse ex naturæ unitate colligeret, Patrem quoque natum passumque asseruit. Nestorius duas in Christo personas æque ac naturas constituens, B. Virginem Christotocon, id est Christiparam, non Theotocon id est Deiparam, esse docuit. Apollinaris in Christo negavit animam aut mentem, quod eius vicem abunde a Deitate ipsa suppleri diceret. Eutyches in Christo duas naturas ita unitas censuit, ut ex duabus una remaneret; nullo modo alterius existente substantia, quasi quæ sine alterius consumptione aut separatione fieri non posset. Pelagius gratiæ Christi in eius morte præparatam respuit medicinam, dumque parvulorum nascentium negat peccatum, et sub diabolo captivi- C tatem, Christum non credit eorum esse redemptorem. Valentinus statuit Christum corpus de cælo attulisse, per Virginem quasi per canalem transisse. Manes illud dixit esse phantasticum, Christumque vere esse passum et mortuum negavit.

PORTIONEM MEAM, hæreditatem meam DESIDERABILEM.) Speciosam, uberem, invidendam.

Tropolog. talis est anima fidelis. Vide ergo quam ea sit Deo chara et pretiosa; vocat enim eam hic *portionem suam desiderabilem*, *vineam suam*, *animam suam*, quam unice diligit, tuetur et ornat. Qui ergo eam peccato polluit, Deoque eripit, et dæmoni mancipat, Deo summe iniurius et exosus est: *Si quis templum Dei violaverit*, *disperdet illum Deus*, 1. Cor. 3. 17.

Vers. 11. LUXITQUE SUPER ME.) Id est contra me lugens conquesta est, quod eam dereliquerim et desolari permiserim. Ita Raban. Hugo, Lyran. et Vatabl. vel, ut Chald. Hugo et Maldon. *Luxit terra super*, id est coram me, vel ad me, quasi in desolatione sua opem a me petens: sic D enim terra, cum nimia siccitate dehiscit, quasi aperto ore pluviam a Deo postulat, vel, ut Sanchez, *luxit*, eo quod in excidio cum lacrymis licet me invocans, tamen non sit exaudita.

OMNIS TERRA.) Scilicet Iudæorum; commode enim accipienda est vox *terra*.

NULLUS EST QUI RECOGITET.) q. d. Terra luget, et tamen non est qui recogitet, scilicet minas Prophetarum. Ita S. Hier. Hebr. *Non est qui ponat super cor suum*, scilicet Deum, Deique timorem ac legem, eiusque terribilem iram, minas et plagas, ut illius illarumque metu a malis resipiscat, illumque placet et sibi reconciliet.

Vers. 12. SUPER OMNES VIAS DESERTI.) Quia per omnes vias venturi erant hostes, ut obsiderent Ierusalem: hebr. est *super omnia excelsa loca venient vastatores*, q. d. Ea erit hostium copia, vis et impetus, ut omnia etiam excelsa loca et prærupta, occupent et vastent: *non est* (non erit) A *pax universæ carni*, quia omnes Iudæos hæc clades tanget; universa enim caro, æque ac terra, hic commode, Iudæorum scilicet, de quibus tantum est sermo, accipienda est. Ita S. Hieron.

SEMINAVERUNT TRITICUM, ET SPINAS MESSUERUNT.) Vers. 13. Metentium est adagium, q. d. Iudæi prospere cœperunt, et prospera sperarunt; sed adversa patientur, felicitas in miseriam vertetur, copia in inopiam, et proprie, sementis quam fecerunt, vertetur in sterilitatem, ut pro tritico colligant spinas, utque fruges et fructus metant paucos, qui eis quoque non proderunt, quia eos vastabit hostis. Ita S. Hieron. S. Thom. et Lyranus.

Alludit ad maledictionem Adæ Genes. 3. v. 17. *Maledicta terra in opere tuo. Spinas et tribulos germinabit tibi.* Quocirca Theodor. putat hic significari, quod spes messis non sit collocanda in bonitate terræ, sed in congrua eius cultura; nam qui dolo, inquit, vel nequiter procedunt, pro messe colligunt spinas, puta sollicitudines, et lancinationes tam conscientiæ quam mentis.

Tropolog. Hugo putat hic notari eos qui docent, prædicant, aliaque spiritalia obeunt intuitu temporalis mercedis, puta opum; has enim Christus spinas vocavit Matth. 13. 22.

Aliter vertit Vatablus: *Seminaverunt* (scilicet Prophetæ) *triticum* (suarum admonitionum), *spinas messuerunt* (persecutionum); *ægrotarunt* (Prophetæ pro dolore) *quia non profecerunt*, *pudefacti sunt propter fructus vestros* (propter opera pessima vestra) Hebræum enim נחלה *nachala*, a radic. נחל *nachal*, significat hæreditare, ut vertit Noster; sed a radice חלה *chala*, significat ægrotare. Hoc sensu significatur, veros verbi Dei præcones sæpe pro veritate pati persecutiones, exsilia, rapinas, tormenta et mortem.

Rursum pro *hæreditatem acceperunt*, *et non eis proderit*, Sept. vertunt: *Sortes eorum non proderunt eis*, quod mystice S. Hieron. et Epiphan. malis clericis adaptant. *Dicitur*, ait S. Hieron. *hoc et Ecclesiasticis. Quid enim eos iuvare poterit Episcopi nomen*, *et presbyteri*, *vel reliquus ordo Ecclesiasticus*, *cum magis graventur dignitatibus suis*, *et potentes potenter tormenta patiantur?* Et ad Nepotian. *Ne plus habeas*, *quam quando clericus esse cœpisti*, *et dicatur tibi*, *Cleri non proderunt eis.* Et S. Epiphan. epist. ad Ioan. Hieros. Episcopum: *Oportebat*, inquit, *nos Dilectissime*, *clericatus honore non abuti in superbiam*, *sed custodia mandatorum Dei et observatione diligentissima hoc esse quod dicimur. Si enim Script. loquitur: Cleri eorum non proderunt eis: quæ arrogantia clericatus conducere nobis poterit*, *qui non solum cogitatione et sensu*, *sed etiam sermone peccamus*?

CONFUNDEMINI A FRUCTIBUS VESTRIS.) Fallent fructus exspectationem vestram, itaque quasi pudore vos afficient.

HÆC DICIT DOMINUS.) Minatur Deus hostibus Iudæo- Vers. 14. rum (ad eos enim transit) qui primi in exercitu Nabuchodonosoris, venerunt contra Ierusalem, puta Philisthinis, Idumæis, Ammonitis, Moabitis, et Iudæis, inter eos habitantibus (hoc enim est quod ait: *Et domum Iuda evellam de medio eorum*) exitium per Chaldæos, ut vel sic Iudæos ad sui amorem trahat; Vide cap. 42. Ita S. Hier. Theodor. et Lyran. Aliter Maldon. explicat hæc de Chaldæis, q. d. Ego ipsos Chaldæos tandem puniam et evertam per Medos.

ET REDUCAM EOS.) Scilicet Iudæos e Babylone per Cy- Vers. 15. rum. Ita Theodor. Lyran. Dionys. et Vatabl. Secundo, melius S. Hier. et Rabanus sic exponunt, q. d. Ego Gentes prædictas, scilicet Ammonitas et Moabitas cum Iudæis, per Cyrum e Babylone reducam; eos enim inde reductos esse, patet c. 49. 6. et 1. Esdr. 9. ubi cum Moabitis et Ammonitis Iudæi post reditum contraxerunt connubia.

Mystice, significatur hic vocatio Gentium ad fidem Christi.

VIRUM.) Id est quemque.

SI ERUDITI DIDICERINT, Moabitæ et Ammonitæ, VIAS Vers. 16. POPULI MEI.) Fidem et religionem Iudæorum.

UT IURENT.) Et consequenter ut colant Deum verum,

non Baal; iuramentum enim per synecdochen significat omnem Dei cultum. A

Ædificabuntur in medio populi mei.) Id est, pacifice et prospere agent, abundantes prole, familia et opibus, *in medio populi*, id est in, vel inter populum meum. Erunt enim de populo et Ecclesia mea, esto habitent in suis regionibus Iudææ vicinis.

Vers. 17. **Evellam gentem illam evulsione et perditione.**) Id est, omnino evertam et perdam illos. Quando hæc contigerint, nec S. Scriptura nec historiæ narrant. Sanchez censet hæc a Machabæis esse peracta: Iudas enim et Ionathas Machabæi expugnarunt Philisthinos, Ammonitas et Idumæos, 1. Machab. 5. v. 3. et 6. Verum hi Gentes illas vastarunt quidem et subegerunt, at non deleverunt penitus.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hieroglyphico et ænigmate lumbaris defossi et putrescentis, atque v. 12 lagunculæ inebriantis, captivitatem et calamitatem Iudæorum describit. Unde ait v. 18. *Dic regi et dominatrici, etc. ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Est hoc genus prophetiæ ænigmaticum, quod ad persuadendum efficacius est, quia non solis verbis, sed et rebus ipsis peragitur et repræsentatur. Simile fuit c.* 7. 28. *et infra c.* 18. 2. *et* 3. *Isaiæ* 20. 2. *Osee* 1. 2.

Nota, hæc accidisse non tempore obsidionis sub Sedecia, ut vult S. Hieron. sed sub Ioakim; nam non uni regi sed regibus, scilicet Ioakim, Ioachin, Sedeciæ, minatur excidium v. 13. *Et sub Ioakim, cum ipse penderet tributum Chaldæis, facile Ieremias in Babylonem ire et redire poterat, non autem cum urbs obsessa, et Chaldæi essent hostes.*

1. Hæc dicit Dominus ad me: Vade et posside tibi lumbare lineum, et pones illud super lumbos tuos, et in aquam non inferes illud. 2. Et possedi lumbare iuxta verbum Domini, et posui circa lumbos meos. 3. Et factus est sermo Domini ad me, secundo, dicens: 4. Tolle lumbare, quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, et surgens vade ad Euphraten, et absconde ibi illud in foramine petræ. 5. Et abii, et abscondi illud in Euphrate, sicut præceperat mihi Dominus. 6. Et factum est post dies plurimos, dixit Dominus ad me: Surge, vade ad Euphraten: et tolle inde lumbare, quod præcepi tibi ut absconderes illud ibi. 7. Et abii ad Euphraten, et fodi, et tuli lumbare de loco, ubi absconderam illud: et ecce computruerat lumbare, ita ut nulli usui aptum esset. 8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 9. Hæc dicit Dominus. Sic putrescere faciam superbiam Iuda, et superbiam Ierusalem multam: 10. Populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui: abieruntque post deos alienos ut servirent eis, et adorarent eos: et erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est. 11. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, et omnem domum Iuda, dicit Dominus: ut essent mihi in populum, et in nomen, et in laudem, et in gloriam: et non audierunt. 12. Dices ergo ad eos sermonem istum: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te: Numquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino? 13. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, et reges qui sedent de stirpe David super thronum eius, et sacerdotes, et prophetas, et omnes habitatores Ierusalem, ebrietate: 14. Et dispergam eos virum a fratre suo, et patres et filios pariter, ait Dominus: non parcam, et non concedam: neque miserebor ut non disperdam eos. 15. Audite, et auribus percipite. Nolite elevari, quia Dominus locutus est. 16. Date Domino Deo vestro gloriam antequam contenebrescat, et antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, et ponet eam in umbram mortis, et in caliginem. 17. Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea a facie superbiæ: plorans plorabit, et deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini. 18. Dic regi, et dominatrici: humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ. 19. Civitates austri clausæ sunt, et non est qui aperiat: translata est omnis Iuda transmigratione perfecta. 20. Levate oculos vestros, et videte qui venitis ab aquilone: ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? 21. Quid dices cum visitaverit te? tu enim docuisti eos adversum te, et erudisti in caput tuum: numquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? 22. Quod si dixeris in corde tuo: Quare venerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ revelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ. 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. 24. Et disseminabo eos quasi stipulam, quæ vento raptatur in deserto. 25. Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ a me, dicit Dominus, quia oblita es mei, et confisa es in mendacio; 26. Unde et ego nudavi femora tua contra faciem tuam, et apparuit ignominia tua, 27. Adulteria tua, et hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ: super colles in agro vidi abominationes tuas. Væ tibi Ierusalem, non mundaberis post me: usquequo adhuc?

Vers. 1. **Posside.**) Chald. *eme;* utrumque enim significat Hebr. קנה *kana:* emptionis enim finis et terminus est possessio rei emptæ.

Lumbare lineum.) Id est baltheum, sive cingulum ex lino quo lumbi cinguntur. Ita Septuag. et Vatabl. Lineum autem esse vult, non laneum, non coriaceum, ut indicet, non esse super vestem, sed super carnem induendum: quod enim nobis coniunctissimum esse, ac diligentissime servare volumus, hoc ad lumbos cingimus: sicut viatores pecuniam lineo cingulo insutam, secus lumbos circumcingunt ait Maldon. Unde Syrus et Arabicus vertunt: B *Sudarium*, velamen, linteum: *et alliga illud in lumbis tuis*, vel *super dorsum tuum.*

Nota primo: Cingulum sive *lumbare* quod Dei renibus iungitur, ait S. Hieron. et Ieremias v. 11. est Israel, qui in lini similitudinem assumptus de terra asper et illotus, nec mollitiem habuit nec candorem, id est, nihil amabile, ob quod a Deo eligeretur in plebem Dei; sed sola Dei gratia Deo adhæsit, eique coniunctissimus fuit: cumque usu et pulvere sorduisset, id est, cum peccasset, Deus eum ob peccata repudiavit, et ad ripam Euphratis in foramine defodit, id est duxit eum captivum in Babylonem,

Lumbare sive cingulum Dei est Israel, cur? 1.

ibique eum Chaldæorum furori exposuit. Babylon enim Euphrati et Tigri adiacet, ibique lumbare absconditur a Ieremia, quia Israel ibi captivus, tot gentium magnitudine pene absorptus, et nihili reputatus est.

II. Secundo, addit D. Thomas, *lumbare*, quod lumbis adhæret, in quibus prima origo est concupiscentiæ et seminis, significat populum in Dei amorem assumptum, Osee 11. 4. et hic v. 11. Rursum, *lumbare* significat castitatem et amorem coniugalem: hinc ait v. 11. *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi*, id est coniugio copulavi, *mihi omnem domum Israel.* Ita Prado in c. 16. Ezech. pag. 187.

III. Tertio, post multum tempus Ieremias refert *lumbare*, sed putridum; sic Deus liberat populum de captivitate Babylonica, in qua sordibus æque ac peccatis quasi computruerat: post reditum rursum Deum offendit, et demum Christum occidit, atque æterna perditione contabuit. Ita S. Hieron.

IV. Quarto, videtur Ieremias hæc revera ita ut narrat fecisse, ait Theodor. Hugo, S. Thomas, Dionys. Maldon. Castrius, Sanchez, et præcipui Hebræorum: hoc enim exigit simplex eius narratio: dati enim sunt Prophetæ in portentum Israel. Sic Isaias c. 20. nudus ambulavit. Sic Ezechiel c. 4. v. 12. et 15. stercus humanum comedere iussus est: sed hoc deprecans, eius vice fimum boum Dei permissu comedit, ut ita famem et ærumnas captivitatis Babylonicæ præsignaret. Licet aliqui, ut Vatablus, Lyranus, et S. Hieron. proœm. in Osee, hæc tantum velint esse visionem, seu in spiritu hæc visa et gesta a Ieremia, non autem reipsa esse peracta.

V. *Mystice.* Quinto, mystice omnis sanctus, est *lumbare* Dei: sed cum peccat, in Babylonios ducitur, id est in regnum dæmonis, et si pergit in vitiis, ita putrescit, ut in usum et cinctorium Domini redire non possit. Ita S. Hieron. Unde

Cingulum est symbolum. I. Virginitatis. Nota secundo, cum Pierio hieroglyph. 40. (ubi peculiari paragrapho explicat hoc cingulum Ieremiæ symbolice) zonam fuisse virginitatis symbolum, tam apud Græcos et Latinos, quam Hebræos. Hinc Pausanias docet, Trœzeniorum virgines zonam Palladi ante nuptias dedicasse: sic primæ puerperæ Athenis Dianæ Solvizoniæ zonam, quasi per matrimonium iam solutam dicabant: testis est Apollon. in Argonaut. et Ovid. cum canit:

Castaque fallaci zona recincta manu.

Hinc olim et etiamnum sacerdotes in sacris cingulo lineo utuntur, ut moneantur, ait Cyrillus, fluxæ libidinis luxuriam, et animi cupiditates, castitatis et temperantiæ cingulo coercere.

II. *Fortitudinis.* Secundo, zona symbolum fuit fortitudinis: est enim habitus militis et gladiati.

III. *Gloriæ.* Hinc tertio, zona symbolum fuit gloriæ et superbiæ, maxime si zonæ bullis aureis gemmeisque distinctæ essent, quæ baltei dicuntur, quasi bullatei, ait Pierius. Unde v. 9. *Sic putrescere faciam, dicit Dominus, superbiam Iuda*, uti putruit balteus hic tuus.

IV. *Prompti obsequii.* Quarto, zona S. Hilario, est efficax in omne bonum apparatus, ut ad omne ministerium Christi promptæ voluntatis cingulo simus accincti: præcincti enim expeditiores sunt ad opus, firmiores et constantiores. Vide dicta Ephes. 6. v. 14. Hæc omnia conveniunt Israeli et cuivis fideli animæ, quæ omni hac zona cingi debet, ut Deo indivulsa adhæreat.

Linum symbolum est. I. Puritatis. Nota tertio: Pari modo linum, hieroglyphicum fuit puritatis vitæ, Israelis et fidelis animæ: unde Ægyptii in sacris Isidis et Osiridis, tantum linea veste utebantur, et nefas erat uti lanea. Ita ex Tertull. Plutarch. Her. Martiali Pierius. Audi Martialem:

Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba,
Inter adorantes cum stetit Hermogenes.

II. *Pœnitentiæ.* Secundo, linum hoc carminandum, et mordaci pœnitentiæ et austeritatis vitæ lixivio sæpe dealbandum est, ne putrescat.

III. *Providentiæ Dei.* Tertio, linum symbolum est fati sive decreti et providentiæ Dei, quam poetæ vocant fila et stamina Parcarum; nam

Clotho rotat fusum, Lachesis net, et Atropos occat:

quæ computrescunt vel succiduntur, cum vitæ vel felicitatis humanæ tela a Deo succiditur; uti hic a Deo succisa est Israeli.

Tropol. Deus nos ut linum carminat, indeque sibi quasi cingulum astringit. Quare tropologice pulchre Origenes et S. Hieronym. Sicut, ait, linum de terra nascitur, pullulat, crescit, metitur, pectitur, lavatur, teritur, tunditur, carminatur, et ingenti opera excutitur, filatur, texitur, ut ex eo linum et cingulum candidum et lucidum fiat: sic Deus Iudæos et nos Christianos, ac præsertim Ecclesiasticos et Religiosos, a generatione et natura nostra corrupta æque ac ex prava institutione, aut peccandi consuetudine terrestres, nigros, rudes et asperos moribus et vitiis, tanta opera, cura et gratia mollivit et polivit, et candefecit, ut quasi in cinctorium Dei plectamur, eique arctissime coniungamur, indeque nomen, laudem et gloriam consequamur: nam si ab eo separemur, ac in Euphrate deliciarum, humore gulæ et libidinis perfundamur, putrescemus, ait B. Petrus Damiani ep. 10. ad Petrum Cardin. et quasi putidi a Christo abiiciemur, ac quasi in nihilum redigemur, uti Salomoni, Davidi et Israeli contigit. Plura de hoc lini symbolo dixi Exodi c. 28. v. 38. in fine.

Rursum pie et apposite S. Hieronym. ad Chromatium ep. 43. *Ego*, ait, *in scelerum meorum sepulcro iacens, et peccatorum vinculis colligatus, Dominicum de Evangelio exspecto clamorem: Hieronyme, veni foras. Bonosus (quia secundum Prophetam omnis virtus diaboli in lumbis est) trans Euphratem tulit lumbare suum, ubi illud et in foramine petræ abscondens, et postea scissum reperiens cecinit: Domine, tu possedisti renes meos: Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis. Me vero Nabuchodonosor ad Babylonem, id est confusionem mentis meæ catenatum duxit, ibi mihi captivitatis iugum imposuit. Cui ego dixi: Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Et ut breviter cœptam dissimilitudinem finiam: Ego veniam deprecor, ille exspectat coronam.*

Allegor. Christus cingulo unionis hypostaticæ nos sibi astrinxit. Allegor. Christus quasi pontifex lineam tunicam, in qua depictus erat omnis populus Israel, id est Christianus, tunicam, inquam, carnis nostræ assumpsit, atque eam, et in ea nos omnes arctissime sibi et inseparabiliter copulavit balteo unionis hypostaticæ, sibi, inquam, id est renibus et lumbis suis, ubi sedes est amoris; puta ardentissimo suo amori et affectui nos obstrinxit. Hæc est zona aurea, qua eum ad mamillas præcinctum vidit Ioannes Apoc. 1. 13.

Et in aquam non inferes illud.) Ne videatur ex aqua et humore situm contraxisse et computruisse, sed alia ex causa, ait Lyranus. Melius Vatabl. per aquam accipit lixivium, quo sordes e lino eluuntur, q. d. Lumbare sordidum non elues lixivio, ut significes sordes et peccata populi pœnitentia non esse eluta et expiata. Optime S. Hieron. explicat: *in aquam non inferes*, id est recens textum aqua non macerabis ut illud ea ratione candefacias et polias; sed ipsum rude, asperum et fuscum, uti natum et textum est, relinquas, ut significes populum Iudaicum recens natum, tunc a Deo assumptum esse in Ecclesiam, cum rudis esset et impolitus, doctus et exercitatus magis in luto et lateribus Ægypti efformandis, quam in cultu Dei, probisque moribus, uti paulo ante dixi.

Sic putrescere faciam superbiam Iuda.) *Superbiam*, Vers. 9.
id est gloriam, magnificentiam, et, ut Chald. vertit, fortitudinem. Secundo, *superbiam*, id est arrogantiam. Unde Septuag. vertunt, ὕβριν, id est iniuriam. Comprimit ergo hic Deus præfidentiam et superbiam sui populi, dum instar lumbaris putridi, quod magis sterquilinio quam vestiario est dignum, facit eum tabescere et computrescere in Babylone, ut quasi stercus conculcetur a Chaldæis, iuxta illud Thren. 4. 5. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.*

Ut essent mihi in populum, et in nomen, et in Vers. 11.
laudem, et in gloriam.) Ut scilicet Israel esset populus nominatus, laudatus et gloriosus apud omnes gentes. Ita Hieronymus, Theodoretus et Rabanus. Sicut enim

uxor gloria est viri, ita Israel Deo obediens et serviens, fuit gloria Dei, Deique nomen et laudem apud Gentes celebrem fecit, inquit Hugo et Dionys. Adde, *in nomen*, quia in nomine Israel includitur et auditur nomen אל *el*, id est Dei: quoties ergo Israel, toties El, id est Deus, nominabatur et celebrabatur. El enim significat Deum, qua fortem et invictum.

Vers. 12. OMNIS LAGUNCULA IMPLEBITUR VINO.) *Laguncula* hebraice נבל *nebel*, id est ut Chald. *uter;* Symmachus, *crater;* Theodoretus, *vas*, puta lagena terrea, hydria fictilis. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus, q. d. Sicut laguncula impletur vino, ita ego implebo vos ebrietate, non bonorum et voluptatum, ut vos putatis, o Iudæi, sed malorum et dolorum. Secundo, *laguncula vini*, est mensura furoris et vindictæ, quam propinabit et qua inebriabit vos Deus: lagunculа ergo sunt ipsi Iudæi, qui excipiunt vinum furoris Dei. Rursum, proprie et apposite *lagunculam* vocat, caput cuiusque Iudæi; caput enim est instar lagenæ: *vinum* autem vocat cæcitatem mentis, et inopiam consilii in rebus adversis. Significat ergo fore ut, cum Chaldæi venerint, tanto omnes terrore corripiantur, ut quasi ebrii et amentes huc illuc divagentur, imo in ipsos hostes, ignes et præcipitia incurrant. Ita Maldon. Tertio, quia, sicut laguncula collisa dispergitur, ita vos dispergemini. Patet v. 13. et 14.

Laguncula significat. 1. Ebrietatem. 2. Mensuram supplicii. 3. Capita Iudæorum 4. Dispersionem eorumdem.

Vers. 13. IMPLEBO OMNES, etc. EBRIETATE.) Hoc est tribulatione maxima, et servitute Chaldæorum, ut sicut ebrius vires resistendi non habet, nec consilium, nec usum rationis, nec a mente, sed a vino regitur: ita et Iudæi, quasi ebrii, nec vires nec consilium habituri sint resistendi Chaldæis; nec a sua mente, sed ad Chaldæorum imperium sint agitandi, impellendi et protrudendi in carceres et in Babylonem. Ita Chald. Origen. et Theodor. Simile quiddam de Ægyptiis scribit Isaias c. 19. v. 14. dicens: *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis: et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens;* et de Ierusalem c. 51. v. 21. *Idcirco audi hoc, paupercula et ebria non a vino.* Vide eiusdem c. 29. v. 9.

Vers. 14. PROPHETAS.) Pseudoprophetas.

DISPERGAM EOS.) Hebr. *collidam eos*, ut, sicut lagena testacea collisa ad lapidem in fragmenta dissilit et dispergitur: ita plebs Iudæorum ad Chaldæos collisa, et invicem compressa dolore et angustia, quasi in fragmenta dissiliat, ut uxor in unam, filius in aliam, frater in aliam urbem et regionem dispergatur. Ita Chald. et Vatabl.

Deus separat impios ob duas causas.

Causas, cur Deus impios sic ab invicem dispergat, dat Origenes hic homil. 9. scilicet cum id facere primo, ad pœnæ incrementum, ne in pœna socios habeant, et sese invicem solentur. Secundo, ut dissolvatur nequam eorum cogitatio, cum non habuerit allocutionem alterius nequioris, itaque ipsi a pristinis sceleribus, ipsa solitudine et penuria consortii, revocentur.

VIRUM A FRATRE.) Id est, quemque a proximo suo.

NON CONCEDAM.) Non indulgebo: Sept. pro אחמול *echmol*, legentes אחמוד *echmod*, vertunt, οὐκ ἐπιποθήσω, *non desiderabo*, id est, non impediar cuiusquam amore ac desiderio, quo minus vos abire et dispergi sinam.

Vers. 15. NOLITE ELEVARI.) Superbia, ut superbe in vestra fortitudine fidatis: sed

Vers. 16. DATE DOMINO DEO VESTRO GLORIAM.) Ut vestram infirmitatem æque ac iniquitatem agnoscatis et a Deo solo humiliter opem contra Chaldæos petatis et speretis: humilitas enim summam gloriam dat Deo, Deus enim ab humilibus honoratur, Eccli. 3. 20.

Hinc secundo, *date gloriam Deo*, hoc est, pœniteat vos scelerum et violati numinis, facta pessima retractate, vitam commutate. Dum enim hoc facit pœnitens, sarcit iniuriam Deo irrogatam, eique gloriam ablatam restituit. Sic 1. Reg. 6. 4. cum Philisthini ob captam arcam plagis attriti, et facti pœnitentes, cogitarent de arcæ restitutione, et iniuriæ Deo factæ expiatione, dicerentque: *Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei?* Responderunt sacerdotes: *Quinque anos aureos facietis, et quinque mures aureos, etc. et dabitis Deo Israel gloriam*, q. d. Ita restituetis Deo gloriam suam.

Tertio, Sanchez apposite censet respici hic ad v. 11. *Ut essent mihi in nomen, et in laudem, et in gloriam*, q. d. Date gloriam Deo, et nomini eius exornando studete: ad hoc enim vos vocavit, sibique selegit. Præstate ergo id Deo, ad quod vos Dei tam singularis et alta vocatio et electio cogit. Deum glorificate, eum credendo, sperando, amando, timendo, invocando, non idola.

Aliter accipitur hæc phrasis Iosue 7. v. 19. et Ioan. 9. 24. ibi enim dare gloriam Deo, est confiteri et dicere veritatem. Qui enim hoc facit, mire glorificat Deum, qui est prima et increata veritas, ac causa, tutor et vindex omnis veritatis.

ANTEQUAM CONTENEBRESCAT.) Hebr. יחשיך *iachascich*, id est, antequam faciat obtenebrescere, scilicet Deus; antequam tenebras, id est, calamitates, vobis inducat.

ANTEQUAM OFFENDANT PEDES VESTRI AD MONTES CALIGINOSOS.) Scilicet Chaldææ, in quos captivi ducemini, qui tum ob vicinas paludes vapores nebulosos exhalantes, tum præ altitudine sua, et præ magnitudine calamitatis et turbationis vestræ, vobis videbuntur caliginosi, atque reipsa mystice sunt *babel*, id est, sunt confusio peccatorum et idololatriæ, ideoque sunt tenebrosi. Ita S. Hieron. Rabanus, Hugo et S. Thom. Sic Isaiæ 13. 2. de Babylone dicitur: *Super montem caliginosum levate signum.* Vide ibi dicta.

Offendere ad montes caliginosos quid? I. Expositio.

Addit Sanchez, Babylonem vocari *montem caliginosum*, quia noctu, et in publico convivio capta est a Cyro, cum non minor civitati a nocte, quam civium animis a perturbatione et crapula esset offusa caligo. Verum non agitur hic de excidio, sed de victoria et triumpho Babylonis, quem egit de abductis Iudæis aliisque Gentibus; tunc autem omnia lucida et læta erant Babyloni, non caliginosa, et tristia.

Secundo, Lyran. et Dionys. per hos montes, accipiunt auxilium Ægyptiorum, quod frustra exspectarunt Iudæi, a Chaldæis obsessi, ideoque spe sua ad illud quasi offenderunt, impegerunt et corruerunt. Sed hoc obscurius est. II.

Tertio, Maldon. *antequam offendant, etc.* hoc est, inquit, antequam fugitivi per montes, tamquam in tenebris oberretis, nescientes quo vos conferatis, aut quid capiatis consilii. Propterea dixit, *ad montes*, ut significaret eorum fugam et exilium. Hic sensus æque ut primus, appositus est et genuinus. III.

Quarto, apte quoque Theodor. Chald. Lyran. et Vatabl. accipiunt hæc per hyperbolem, ut montes tenebrarum, id est maximæ tenebræ, significent gravissimas calamitates, ac si Iudæis captivis montes obducti caligine tribulationum obiecti essent. Unde sequitur, *Exspectabitis lucem*, id est consolationem, lætitiam, et Deus vertet eam in *umbram mortis*, id est, in summam caliginem, puta in miseriam, in carcere et captivitate Babylonica. Similis phrasis est Eccles. cap. 12. vers. 2. IV.

Tropolog. ante diem mortis et iudicii, ne offendant pedes nostri ad montes caliginosos, id est, ad adversarias fortitudines puta dæmones, qui tormentis et cruciatibus gehennalibus præpositi sunt; agamus hic pœnitentiam, ait S. Hieronym. tunc enim nullus dabit precem, laudem et gloriam Deo, ait Origen. Qui enim in tempus mortis procrastinant pœnitentiam, quasi tunc viam salutis inituri, perinde faciunt atque qui noctu in tenebris per loca obscura, dubia, prærupta, salebrosa, et latronibus circumsessa proficisci destinant. Vide Ecclesiastæ cap. 12. Vere S. August. in Sententiis n. 195. *Sicut terra de cælo exspectat pluviam et lucem, sic homo ex Deo debet exspectare misericordiam et veritatem.* Tropol.

ET PONET EAM IN UMBRAM MORTIS.) *Umbra mortis* hic et alibi opponitur luci. Significat ergo densissimas tenebras: tales enim sunt tenebræ sepulcri et inferni, ad quas mors hominem deducit. Ubi

Nota primo. Proprie *umbra mortis*, sunt tenebræ et locus horridus, sive horror mortis et inferni: hæc enim mortem et infernum comitantur, sicut umbra suum cor-

Umbra mortis quid?

pus. Unde Lucæ 1. 79. dicitur Baptistæ Christi præcursori: *Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent*: ut scilicet illuminaret peccatores, sedentes in tenebris peccati, et iustos sedentes in tenebroso limbo patrum. Quin et Virgil. l. 10. Æneid. de eodem ita canit:

Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Quatuor res significat.

Nota secundo. Per hanc *umbram mortis*, sive per has
tenebras, significatur tristissima rerum facies, et miseria
extrema, tempusque captivitatis, carceris, infirmitatis,
1. mortis et damnationis: nihil enim tristius est umbrosis
mortuorum sepulcris: sicut e contrario lux, quia gratis-
2. sima est, symbolum est felicitatis. Rursum, *umbra mor-
tis*, significat proxima pericula, indeque angores mortis,
sicut umbra proxima est corpori: ita capitur Ps. 22. 4.
3 Tertio, significat longam oblivionem; unde S. Gregor. 4.
Moral. 20. *In umbra mortis sedere*, inquit, *est a divini a-
moris notitia, in oblivionem latescere*. Deus enim est vita
4 et lux, quæ longissime abest ab umbra mortis. Quarto,
umbra mortis, est Dei et salutis ignorantia.

Peccatum est umbra mortis ob sex causas.

Tropolog. omnibus his modis peccatum est et dicitur umbra mortis. Primo, quia omnis miseriæ fons est et causa. Secundo, quia peccatum in morte et in inferno quasi in regia sua principatur. Tertio, quia ut umbra corpori, ita peccatum morti, id est damnationi, est proximum. Quarto, quia est maxime periculosum. Quinto, quia maxime conscientiam angit et cruciat. Sexto, quia oblivionem Dei inducit, et vicissim facit ut peccator a Deo oblivioni tradatur. Ita S. Hieron. in Isaiæ c. 9.

Carcer pœnitentium.

Hanc umbram mortis repræsentarunt veteres Sancti per locum horridum et squalidum pœnitentiæ destinatum, qui Carcer dicebatur, in quo sponte sua pœnitentes peccata expiabant: primo, horrore loci; secundo, membra sua catenis, ciliciis, aculeis, aliisque modis affligendo. Alii enim iugiter iacebant prostrati in terra. Alii semper stabant incurvi. Alii semper genua flectebant, etc. Tertio, assidua inedia; non enim vescebantur nisi semel in die, idque tantum pane et aqua: alii biduo, alii triduo, alii quatriduo semel tantum comedebant. Quarto, continuis lacrymis et suspiriis, quæ vel ferreum pectus emollivissent. Refert ea Climachus gradu 5. de Pœnitentia. Ubi iam iste ardor pœnitentium? ubi ista profunda cognitio et horror peccati? E mundo exulat: migravit ad umbram mortis in inferno; ibi iam peccatores agunt pœnitentiam, sed seram et æternam.

Vers. 17. SI HOC NON AUDIERITIS, IN ABSCONDITO PLORABIT ANIMA MEA.) Sunt verba Prophetæ, q. d. Si me monentem respuatis, in locum absconditum recedam, ubi libere nullo interpellatore plorem superbiam et pertinaciam vestram, vel potius superbum Chaldæorum adventum, a quibus, ut sequitur, abductus est populus Domini. Ita Chaldæus. Sed Septuag. aliter vertunt: *Plorabit anima vestra in abscondito*, quia scilicet coram Chaldæis non audebitis palam flere.

Vers. 18. DIC REGI, ET DOMINATRICI, dic Iechoniæ et matri eius Nohestæ: his enim idem minatur c. 22. v. 26. Ita S. Hier. Rabanus, Hugo, S. Thomas, Vatablus, vel potius, ut Lyranus, Dionysius et Castrius, dic Sedeciæ et matri: aut magis, ut Chald. uxori eius: HUMILIAMINI.) Id est humiliabimini: nam sub Sedecia omnino et perfecte, ut ait v. seq. humiliata et vastata est urbs et tota Iudæa.

DESCENDET DE CAPITE VESTRO CORONA.) Regia, quia regnum vobis adimetur a Chaldæis. Hic sensus planus est et genuinus. Alias duas explicationes subtiles et symbolicas affert Sanchez. Prior est, *Dic regi et dominatrici*, hoc est, dic omnibus viris lautis et delicatis æque ac potentibus, quocumque illi in gradu sint (hi enim per catachresin subinde vocantur reges, insuper et reginæ, significatur enim per utrumque genus coniunctum, personarum multitudo et universalitas) lapsuram eorum potentiam et delicias, ac de capite coronas, quibus se in festis, ludis et conviviis coronare solent: indic ergo eis pro corona gloriæ servitutem et vincula, pro genialibus diebus famem, pro musica planctus et gemitus. Secundus, q. d. Dic eadem cuilibet sponso et sponsæ. Hi enim in nuptiis solent vocari reges et reginæ, et coronas gestare in capite.

CIVITATES AUSTRI, civitates Iudææ, quæ Australis est respectu Chaldææ, vel potius urbes tribus Iuda et Ierusalem, quæ ad Austrum erant respectu aliarum tribuum, CLAUSÆ SUNT) Id est desertæ, inhabitatæ sunt, omnes cives abducti sunt a Chaldæis. Solent enim domus quæ non habitantur, semper esse clausæ. Ita S. Hieron. Vers. 19.

Tropol.

Tropolog. hoc fit, ait Dion. Carthus. *cum congregationes et claustra olim devota et sancta, a pristina puritate labuntur, ita quod Spiritus sanctus ad eas non intrat, nec supernis visitationibus patent, et non est qui aperiat eas, nisi Deus omnipotens*. Nam, ut notat D. Thomas, Spiritus sanctus dicitur Auster: *Primo ob calorem. Iob 37. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro? Secundo ob splendorem. Habacuc 3. Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan: operuit cælos gloria eius. Tertio, ob volatus et mentis elevationem. Iob 39. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum? Quarto, propter pluviarum multiplicationem. Psal. 125. Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro. Quinto, propter arborum fructificationem. Cantic. 4. Veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.*

Spiritus sanctus dicitur Auster ob quinque analogias.

TRANSLATA EST, iam iam transferetur, OMNIS gens et tribus IUDA.

VIDETE QUI VENITIS AB AQUILONE, scilicet vos, o Iudæi, qui Aquilonares estis respectu Ierusalem, videte Iudæ desolationem, et dicite Iudæ et Ierusalem: UBI EST GREX, id est, populus, QUI DATUS EST TIBI?) Quid actum est de illo innumerabili populo, quem Dominus in te multiplicaverat? Quo abiit? Quo evanuit? Secundo, aliqui legunt, *qui veniunt*, vel, ut hebraice est, *venientes*, scilicet hostes Chaldæos, vide o Iuda et Iudæi, et quo abducendus sit grex, id est populus tuus. Ita Sept. S. Hier. Chald. Theod. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. et Vatabl. Vers. 20.

CUM VISITAVERIT, cum punierit TE.) Deus.

TU ENIM DOCUISTI EOS ADVERSUM TE) Quia provocasti eos in tuum excidium, primo, ostendendo eis thesauros tuos, uti fecit Ezechias, ait Hugo, S. Thomas, Lyranus, Vatabl. Secundo, nimia familiaritate et mercimoniis, quæ habuisti cum Chaldæis, inquit S. Hieronymus et Raban. Hisce enim docuisti eos viam qua ad te venire possint. Vers. 21.

Tertio et proprie, cum sub Achaz et aliis regibus, Chaldæos et Assyrios in auxilium vocasti contra Syros et Ægyptios, tunc exercuisti eos in arte militari, ut fierent strenui duces contra te. Ita Theod. et a Castro.

Principium militare, non esse diu bellandum cum iisdem hostibus, ne discant bellare.

Eamdem ob causam Lycurgus Spartanis mandavit ne cum iisdem hostibus sæpe diuque bellarent, ne scilicet bellando docerent eos arma tractare, itaque tandem Spartanos superarent. Unde Antalcidas dixit Agesilao regi per sarcasmum: *Pulchram a Thebanis mercedem reportas, quos invitos et nescientes lacessens assidue, pugnare docuisti*; nam numquam fuerunt Thebani bellicosiores, quam dum Lacedæmonii eos exagitarunt. Idem principium etiamnum habet et observat Turca: hinc capta aliqua provincia quiescit, et post aliquot annos vicinas gentes securitate et otio torpentes ac imbelles invadit et subiugat. Mirum est Christianos principes hoc non notare, nec obviare ut sibi consulant, cum brevi ab eo seorsim invadendi sint singuli et subiugandi, ni, coniunctis viribus, contra eum conspirent, et ἀσπονδον πόλεμον, cum eo gerant. Idem servat dæmon: cum enim quem ad vitium, in quod natura vel consuetudine proclivis est, tentat; si is valide et constanter repugnet, tentationem omittit, et in aliud tempus differt; ut tunc incautum, et tempore iam segnescentem et mollescentem adoriatur et supplantet.

Sic Tropolog. improbi vitia sua iteratis eorum actibus quasi hostes suos fovent, et quasi duces assuefaciunt contra se, ut eos postea superare non possint.

REVELATA SUNT VERECUNDIORA TUA.) Pudenda tua, q. d. Incidisti in summam ignominiam, cum te violarunt Vers. 22.

Chaldæi, publiceque vastarunt, instar matronæ honestæ, quæ summe pudefit, cum violatur aut nuda exponitur.

Porro quam ignominiosum sit fœminis nudari, patet tum ex Isaia c. 3. 17. ubi nuditatem quasi pœnam gravissimam eis intentat, tum ex eo quod narrat Plutar. lib. de virtut. fœminar. *Milesias*, inquit ille, *virgines quondam atrox animi incessit perturbatio, et furiosus impetus egit ad vitam suspendio finiendam: earumque multæ clam consecutæ sunt, quod volebant. Verba et lacrymæ parentum nihil efficiebant, sed sese interficiendis omnium custodum industriam et calliditatem vincebant. Donec quidam homo prudens legem promulgavit, quæ iubebat omnes, quæ se suspendissent, nudas per forum efferri. Hæc lex omnino aboleverit illam mortis cupiditatem: metus enim ignominiæ profligavit cupidinem mortis.*

Hoc Tropolog. fit, cum Deus hominem ob peccata in fœdas libidines sinit cadere. Rom. 1. 24.

Pollutæ sunt plantæ tuæ.) Quia scilicet Chaldæi, vi detractis calceis et caligis tuis, nudarunt, ut habent Hebr. calcaneos tuos, itaque violarunt et spoliarunt te, atque publica pœna et ignominia affecerunt, ac nudis plantis te in Babylonem ire compulerunt; ut scilicet pateat, te impurissimam fuisse meretricem, teque scelera pudenda commisisse, ob quæ tam gravi et publica ignominia puniris. Ita S. Hier. Raban. Hugo, S. Thom. Hoc est quod ait Isaias c. 47. 2. *Tolle molam, et mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina.*

Vers. 23. *Consuetudo peccandi inducit difficultatem resistendi, non impossibilitatem.*

Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates, maculas, suas.) q. d. Sicut hoc est impossibile per naturam, ita istud est valde difficile, quia tua, inquit S. Hieron. o Iuda. peccandi consuetudo quasi versa est in naturam: non quod bene agere tibi sit omnino impossibile, sed quod sit difficile; in hoc enim tantum est similitudo, non in priori: quia nigredo in æthiope, et varietas in pardo, est naturalis, ideoque immutabilis; peccatum autem in homine non est naturale, sed voluntarium et liberum: semper enim manet in homine etiam sceleratissimo libertas arbitrii ad bonum et malum. Ita Theodor. Hugo et S. Thomas. Sic enim vulgo dicimus, iste obduratus est ut lapis, iste hebes est ut truncus: est enim hyperbole.

Utitur hoc adagio Nazianzen. orat. 1. in Iulian. Apostat. eoque demonstrat illum non diu potuisse simulare probitatem et clementiam: *Quia*, inquit, *natura non patiebatur, ut pardus distinctas macularum notas, vel æthiops atrum colorem, vel ignis ardorem, vel diabolus iam inde ab origine mundi homicida hominis odium, vel Iulianus improbitatem, quæ stimulabat eum contra Christianos, deponeret.* Simile est Antisthenis dictum apud Anton. in Melissa c. 32. *Veterem arborem transplantare difficile est.* Et Pindari Olymp. 11. *Indolem nec rufa vulpes, nec rugientes leones morem commutant.*

In pardali insuper maculis variegato notatur vitiorum varietas et mentis inconstantia, quæ nunc vitio hoc, nunc illo se oblectat et commaculat. Sicut ergo nigredo æthiopis designat pertinacem malitiam; ita varietas pardi constantem in ea inconstantiam. Addit S. Basil. et ex eo Delrio adag. 841. pilos pardi nec albos esse nec nigros, sed misti coloris, ideoque significare Religiosos, qui ad angelicam dignitatem transeuntes, humanis adhuc perturbationibus inquinantur: hi enim nec albi sunt, nec nigri, nec pii, nec impii.

Aliter S. Hieron. et Rabanus. Impossibile, inquiunt, est absolute, vitam mutare sine Dei gratia; sed hoc verum est de omni peccatore; hic autem Ieremias hoc asserit tantum de obstinatis, quales erant Iudæi, quia illis difficillimum est mores inolitos relinquere et corrigere. Sensus ergo est, q. d. Ierusalem obstinata est in scelere, non magis exuet impietatem, quam pellis nigredinem æthiops; vel excoriata retinet turpitudinem nativam æthiopissa hæc infelix. Sic Diogenes Cynicus dixit: *Senem admonere et mortuo mederi idem est.* Rursum cum argueret improbum, rogatus quid faceret, *Æthiopem*, inquit, *abluo ut candidum reddam.* Ita refert Anton. in Melissa c. 32.

Moraliter disce hic, quanta sit vis et efficacia consuetudinis. Dixit S. Chrysost. testibus Anton. et Maximo serm. de Consuetudine: *Nihil tam firmum est in rebus humanis quam veteris consuetudinis tyrannis.* Atque hæc est catena, hi funes, quibus vinctus tenetur, et constringitur peccator, quos difficile est solvere, difficilius rumpere, ait S. Bernardus. Vere ergo dictum est a quodam Sanctorum: *Actus peccati crebro iteratus parit consuetudinem, consuetudo parit agendi quasi necessitatem, necessitas parit impossibilitatem* (resistendi peccato, moralem intellige, hoc est, magnam difficultatem,) *impossibilitas parit desperationem, desperatio damnationem.* Recte enim de necessitate dixit Luc. Florus: *Antiquissimum omnium est Deus, maximum locus, velocissimum mens, fortissimum necessitas, prudentissimum tempus.* Audi et S. Augustin. 8. Confess. 5. de se loquentem: *Suspirabam ligatus, non ferro alieno sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis* (*unde catenam appellavi*) *tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa iucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam: ita duæ voluntates meæ; una vetus, alia nova; una carnalis, alia spiritalis confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.*

Magni ergo interest, quibus a teneris assuescas. Lycurgus, teste Plutarch. duos catulos eiusdem matris assuefecit, unum venationi, alterum gulositati; grandiores factos coram populo produxit; emissoque lepore, hic de more consedit, ille leporem insecutus cepit. Tum Lycurgus: Videtis, inquit, cives, quam dissimiles faciat dissimilis educatio et assuefactio? atque non natura, sed exercitatione nos ad virtutem formari. Ne quis tamen peccare assuetus desperet, sciat quamvis consuetudinem vinci posse: Primo, per gratiam Dei, eiusque continuam et instantem implorationem. Ita S. Aug. concubinatui assuetus, per Dei gratiam id evicit. Dicat ergo peccare assuetus cum eo: *Domine, da quod iubes, et iube quod vis;* sentietque idem quod ipse de se ait, l. 9. Confess. 1. *Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum; quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat! Eiiciebas enim eas a me, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior.*

Secundo, per fortem, constantem, et crebro iteratam animi resolutionem, quod velit consuetudinem hanc tollere: per hanc enim animus sibi ipsi efficaciter imperat, et seipsam voluntas subiugat: voluntas enim in sua ipsius est manu et potestate. Huc iuvat reflexio assidua, et examen particulare.

Vere Seneca, l. 2. de Ira c. 12. *Nihil est*, inquit, *tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem perducat assidua meditatio, nullique sunt tam feri et sui iuris affectus, ut non disciplina perdomentur. Quodcumque sibi imperavit animus obtinuit. Quidam ne umquam riderent consecuti sunt. Vino quidam, alii venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Didicerunt alii in funibus ambulare, immania onera portare, mergi in profundo nec respirare.*

Tertio, per exercitium contrariæ virtutis: consuetudo enim consuetudine vincitur. Incidit S. Bernardus ut habet eius vita, in quemdam Nobilem fornicationi ita assuetum, ut sine ea ne dies quidem unus præteriret, dicebatque se nullo modo posse abstinere. Cui S. Bernardus, *Quæso*, inquit, *in gratiam Dei ad triduum abstine*, annuit ille, et ecce triduo expleto: *Nunc*, inquit, *in honorem Deiparæ tantumdem præsta:* fecit; tum tertio S. Bernardus: *Semel adhuc has inducias posco in honorem omnium Sanctorum.* Ille rursus pactus est: donec sponte Bernardo se insinuans, diceret: *Nolim amplius diur-*

nas, *sed perennes cum Deo inire inducias*. Ita consuetudo sensim et suaviter eradicatur.

Vers 24. ET DISSEMINABO, id est dispergam, EOS in exilium et captivitatem, sicut ventus dispergit STIPULAM.) Et paleas.

Vers 25. HÆC SORS (hæreditas) TUA, PARSQUE MENSURÆ TUÆ.) Sicut enim agrorum mensor cuique quod ei debitum est mensura sua distribuit; ita Deus quasi mensor pœnam cuique distribuit, quæ ex mensura peccati et culpæ ei debetur: atque hac ratione tibi, o Iuda, iam sortem et mensuram excidii et captivitatis tuæ admetietur. Dederat ille tibi olim sortem bonam inter alias tribus in Chanaan, ac meliorem in cælo præparaverat, si in cultu, et lege, pactisque eius stetisses: at quia ea sprevisti, hinc sortem tuam commutabit, ac pro regno servitutem, pro gloria probrum, pro opibus egestatem, pro deliciis famem, pro gaudio mœrorem, pro libertate carcerem, pro patria exsilium, pro vita ærumnam, squalorem, tabem et mortem tibi irrogabit. Hæc est sors peccati et peccatoris.

CONFISA ES IN MENDACIO.) In falsis pollicitationibus pseudoprophetarum et Ægyptiorum; vel, ut Lyran. et Hugo, in idolis, quæ sunt falsi et mendaces dii: tertio, Chald. *in mendacio*, id est in peccato; secundus sensus est optimus, ut patet ex sequent. Simili modo aiunt iidem impii Isaiæ c. 28. v. 15. *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.*

Vers. 26. UNDE ET EGO NUDAVI FEMORA TUA, unde et ego nudam te, et captivam quasi meretricem, omnium ludibrio exponam. Vide dicta v. 22. idque CONTRA FACIEM TUAM.)

A Id est, ita ut ipsa te nudam videns erubescas. Chald. vertit, *Revelabo confusionem peccati tui.*

Nota: Deus cum peccata punit, dicitur revelare turpitudinem tam peccatorum quam peccantium.

ET APPARUIT IGNOMINIA TUA, ADULTERIA TUA, etc.) Est appositio, *ignominiam* enim vocat ipsa adulteria, eorumque pœnam, scilicet, spoliationem et captivitatem Iudæorum. Porro *adulteria*, *hinnitus*, *scelus fornicationis*, vocat idololatriam, ait ergo:

ET HINNITUS TUUS.) q. d. Sicut equus aut potius equa (hæc enim aptius significat plebem quasi meretricem) hinniens, gestit et furit ad coitum, maremque solicitat, ita tu, o Iuda, furis ad idololatriam, aliosque ad eamdem sollicitas et impellis. Ita S. Hieron. Raban. et Hugo. Vers. 27.

ABOMINATIONES.) Idola.

VÆ TIBI IERUSALEM, NON MUNDABERIS, non curas ut
B te a peccatis et idolis emundes, POST ME.) Id est, me et mei cultum sequendo. Legit interpres cum Sept. אחרי *acharai*, id est, *post me*, iam legunt אחרי *achare*, id est, *post*, sed sensu valde obscuro et implexo.

USQUEQUO ADHUC?) Scilicet talis eris, vel exspectabo ut emenderis? quousque te feram et continebo furorem? q. d. Frustra exspecto, non emendaberis, nisi gravissima pœna captivitatis et excidii; vel, ut S. Hieron. Theod. et Raban. q. d. Frustra exspecto, obduruisti in scelere, desperata est tua correctio: funditus ergo te evertam et abiiciam.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit sterilitatem et famem futuram (nam cum ea sterilitatem hanc hoc cap. et sequent. permiscet) in Ierusalem, ut Deus videatur esse quasi colonus in Iudæa, et quasi viator transiens et abiens. Secundo, v. 15. orat pro populo, licet prohibitus a Deo v. 11. ut eius ita undique afflicti miserescat.

1. QUOD factum est verbum Domini ad Ieremiam de sermonibus siccitatis. 2. Luxit Iudæa, et portæ eius
corruerunt, et obscuratæ sunt in terra, et clamor Ierusalem ascendit. 3. Maiores miserunt minores
suos ad aquam: venerunt ad hauriendum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua: confusi
sunt et afflicti, et operuerunt capita sua. 4. Propter terræ vastitatem, quia non venit pluvia in terram confusi
sunt agricolæ, operuerunt capita sua. 5. Nam et cerva in agro peperit, et reliquit: quia non erat herba. 6. Et o-
nagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. 7. Si
iniquitates nostræ responderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt aversiones nostræ,
tibi peccavimus. 8. Expectatio Israel, salvator eius in tempore tribulationis: quare, quasi colonus futurus es in
terra, et quasi viator declinans ad manendum? 9. Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest sal-
vare? tu autem in nobis es Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos. 10 Hæc dicit
Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit: Nunc recordabitur
iniquitatum eorum, et visitabit peccata eorum. 11. Et dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bo-
num. 12. Cum ieiunaverint, non exaudiam preces eorum; et si obtulerint holocautomata, et victimas, non susci-
piam ea: quoniam gladio, et fame, et peste consumam eos. 13. Et dixi: A, a, a, Domine Deus: Prophetæ dicunt
eis: Non videbitis gladium, et fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. 14. Et dixit
Dominus ad me: Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus
sum ad eos: visionem mendacem, et divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis.
15. Idcirco hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes: Gladius
et fames non erit in terra hac: in gladio et fame consumentur prophetæ illi. 16. Et populi, quibus prophetant,
erunt proiecti in viis Ierusalem præ fame et gladio, et non erit qui sepeliat eos: ipsi et uxores eorum, filii et fi-
liæ eorum: et effundam super eos malum suum. 17. Et dices ad eos verbum istud: Deducant oculi mei lacrymam
per noctem et diem, et non taceant: quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima
vehementer. 18. Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio: et si introiero in civitatem, ecce attenuati fame.
Propheta quoque et sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant. 19. Numquid proiiciens abiecisti Iudam? aut
Sion abominata est anima tua? quare ergo percussisti nos, ita ut nulla sit sanitas? expectavimus pacem, et non
est bonum: et tempus curationis, et ecce turbatio. 20. Cognovimus Domine impietates nostras, iniquitates pa-
trum nostrorum, quia peccavimus tibi. 21. Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis
contumeliam solii gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiscum. 22. Numquid sunt in sculpti-
libus gentium qui pluant? aut cæli possunt dare imbres? nonne tu es Dominus Deus noster, quem expectavimus?
tu enim fecisti omnia hæc.

Vers. 1. QUOD FACTUM EST VERBUM.) Id est verbum quod factum est. Est anastrophe.

DE SERMONIBUS SICCITATIS.) Id est de re et pœna comminata sterilitatis: hebraice pro sterilitatis est הבצרות habbatsarot, id est prohibitionum, vel retentionum, scilicet aquæ et pluviæ, uno quippe fonte Siloe, ait S. Hier. utitur Ierusalem, et hoc non perpetuo; et usque in præsentem diem, sterilitas pluviarum, non tantum frugum, sed et bibendi inopiam ibidem facit. Est ergo metonymia: ponitur enim causa pro effectu, nam ex retentione aquarum sequitur frugum raritas, inde annonæ caritas, inde fames. Quæres, quando contigerit hæc siccitas? S. Hier. censet contigisse in ipsa obsidione Ierusalem. Verum tunc siccitas, indeque consequens agrorum sterilitas nocuisset Chaldæis obsidentibus, non vero Iudæis obsessis, utpote qui urbe ad agros egredi non poterant. Melius ergo Sanchez censet eam contigisse ante obsidionem sub Sedecia: tunc enim maiores poterant emittere minores ad quærendam in agris aquam, ut dicitur v. 3. Prius enim Deus punivit Iudæos siccitate, fame et siti; mox gladio Chaldæorum de quo agit v. 18.

Vers. 2. LUXIT IUDÆA.) *Lugere* dicitur terra cum arida, sterilis, horrida et inculta iacet.

PORTÆ EIUS CORRUERUNT.) Id est corruent deiiciente eas Chaldæo, et pulvere involutæ ac obscuratæ non apparebunt. Ita Hugo et Lyran.

Secundo, ut Vatabl. q. d. Portæ amittent suam claritatem antiquam, nullius erunt pretii, negligentur ob inhabitantium mœrorem et afflictionem. *Portæ* ergo, id est claritas portarum, item frequentia transeuntium per portas, corruet.

Tertio, *portæ*, id est loca iudiciorum, quæ erant in portis, corruerunt, vel, ut Septuag. vacua facta sunt; quia tunc nullæ lites, nullæ causæ agebantur, cum omnes hostem exspectarent. Ita S. Thom.

Quarto et optime, *Portæ eius corruerunt*, id est ut heb. אמללו *umlalu*, id est infirmatæ, id est desolatæ sunt, ita ut nemo per eas transeat, perinde ac si corruissent, idque ob sterilitatem et famem: agit enim de desolatione sterilitatis non excidii. Ita Mald.

Vers. 3. MAIORES.) Hebr. אדיריהם *addirehem*, id est potentes et magnates eorum, q. d. Tanta erit fames, ut ne magnates quidem mittentes famulos suos ad remota loca, aquam ad bibendum inveniant, ne quidem in cisternis, quarum creber erat usus in Iudæa, ideoque crebra mentio in Scriptura.

AD HAURIENDUM.) Hebr. ad גבים *ghebim*, id est, ut Chald. *ad cisternas;* Septuag. *ad puteos;* alii, *ad lacunas*, ut scilicet inde aquam hauriant, ut vertit Noster.

CONFUSI SUNT ET AFFLICTI.) Hebr. *confusi sunt et erubuerunt*: quia mittentes famulos pro aqua, eam non invenerunt.

OPERUERUNT CAPITA SUA.) Solebant Iudæi in luctu caput operire, quod et nunc faciunt illi, qui pullati funus prosequuntur. Sic Amano mortis reo velatum est caput, Esther 7. 8.

Vers. 5. RELIQUIT.) Scilicet cerva fœtum suum, quem, deficiente herba, in tanta Iudææ siccitate alere non poterat: quid ergo facient aliæ bestiæ? cerva enim præ aliis amat fœtus suos.

Onagri æstuantes sunt, et sitibundi. ONAGRI.) Qui, uti et cervæ et dracones, sicci sunt et æstuantes, ob caloris copiam, teste Plinio l. 8. 12. ideoque sitibundi præ siccitate, ventum haurient, ut sitim et famem temperent, et calorem refrigerent: oculi enim eorum præ inedia debilitati deficient et caligabunt, qui cibo, spiritibus redeuntibus, illuminari solent, uti oculi Ionathæ ex inedia caligantes, cibo sumpto, illuminati sunt, 1. Reg. 14. 27.

Audi Rabbinos, et ex iis Isidorum Clarium: *Ferunt onagri sitim multo tempore, amant solitudinem; sed tandem longioris impatientes sitis ac famis, circumspiciunt ubinam locorum gramen vel herba sit, et magno desiderio in excelso loco aerem attrahunt celeri attractu, sicut dracones solent, quorum est vehementissima respiratio et sorbitio.* Addit Thedor. *Hoc certe faciunt etiam homines dum sitiunt, tenui ventorum aura refrigerantes calorem.*

Mystice, S. Hieron. hæc accipit de spiritali ariditate et siti Ecclesiæ, quando plebs magistrorum inopia in spiritu contabescit. Unde Propheta: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Ex adverso S. Gregor. l. 20. Moral. c. 29. explicans illud S. Iob: *Frater fui draconum*, hæc de perversis accipit: *Perversi enim*, ait, *ventum quasi dracones trahunt, cum malitiosa superbia inflantur.*

SI INIQUITATES NOSTRÆ RESPONDERINT NOBIS.) Testantes, ut vertit Chald. et conscientiæ nostræ dicentes, nos esse malos, et tanta pœna sterilitatis dignos; vel, si peccata nostra coram Deo, ei quasi interroganti, responderint nobis, id est ut Chald. contra nos, ideoque restiterint nobis, ut vertunt Septuag. hoc est accusaverint nos in iudicio coram te, sicut accusator respondere solet reo, eiusque excusationes refutare, sic ait Isaias c. 3. 9. *Agnitio vultus eorum respondit eis*, id est ipse vultus eorum, mox ut aspicitur et agnoscitur, loquitur et accusat eorum scelera, q. d. Peccata nostra tanta sunt, ut clament vindictam nosque excidio dignos esse. Tu tamen, Domine, fac nobiscum clementer, quia clemens es: fatemur enim multas esse aversiones et rebelliones nostras, quibus te offendimus. Est oratio Ieremiæ. Vers. 7.

Moral. hic nota, quanta sit vis conscientiæ, quæ ut ait Origen. est *corrector affectuum, et animæ pædagogus.* Itaque primo, ipsa est frænum post peccatum: *Quia infixa nobis eius rei aversatio est, quam natura damnavit*, ait Seneca ep. 98. Secundo, est flagrum post peccatum: *Quia perfecto demum scelere, magnitudo eius intelligitur*, ait Tacitus l. 14. *Dum pœnam semper ante oculos versari putant, qui peccaverunt*, ait Cicero pro Milone. Tertio, in damnatis conscientia est tortor: urit enim, cædit, lancinat et verberat animum. Quocirca S. August. l. 21. de Civit. *Tranquillitate*, ait, *conscientiæ nihil excogitari potest beatius.* Hinc Pythagoras ait:

Nec quidquam coram sociis, aut testibus, aut te
Solo turpe geras: summus pudor ipse tibi sis.

Nam, ut ait Cicero: *Conscientia virtuti satis amplum theatrum est.* Et ut S. August. l. 3. contra litteras Petiliani c. 7. *Nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium.* Et in Ps. 31. *Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe.*

Ita in hora mortis et in iudicio Dei accusabunt nos peccata nostra æque ac dæmones. Narrat Climachus gradu 7. de luctu, Stephanum virum sanctum, qui quadraginta annos in eremo addictus ieiuniis, lacrymis, aliisque virtutibus præclare vixerat, in hora mortis obstupuisse: *Et quasi*, inquit, *rationem quidam a se exigeret, cunctis qui astabant audientibus, aiebat, aliquando quidem: Ita sane, sic revera est; sed pro hoc tot annis ieiunavi. Aliquando vero: Non certe, sed mentimini, hoc non feci. Deinde rursus: Ita vere est, hoc ita est; sed flevi, sed ministravi. Ac rursus. Vere me accusatis. In quibusdam etiam aliquando aiebat: Ita sane, et quidem ad hæc quid dicam non habeo, ideo misericordia est. Et erat profecto spectaculum horrendum ac terrificum, invisibile illud sævissimumque iudicium. Quidam vero mihi veraciter affirmaverunt, quod hic dum esset in eremo, leopardum quoque ex manu sua nutriebat.* Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? *In morte peccata nos accusabunt. Visio Stephani.*

EXSPECTATIO.) O Domine, qui es exspectatio, id est spes, Israelis, in quo Israel omnem suam spem positam habet, præsertim in hac tribulatione et vastatione sibi imminente. Vers. 8.

QUARE QUASI COLONUS?) Qui agrum alienum pretio conduxit, ut eum colendo fructus colligat unius anni; qui proinde succum agri exhaurit. Aut *colonus*, id est mercenarius, qui minus diligenter agrum heri sui, utpote alienum, mercede conductus colit, quam si suus esset. Hebr. est כגר *chagher*, id est, *sicut peregrinus*, ut vertit Syrus, vel *hospes* et *advena*, ut vertit Arabicus, q. d. Ha- *Deus fuit quasi viator apud Iudæos.*

ctenus, o Domine, habitasti in templo et Iudæa, quasi herus in domo et agro tuo, iam videris in ea factus colonus, qui negligit bonum agri alieni: imo videris factus peregrinus, viator et advena, qui negligit ea quæ peregre, et in via sunt, tantumque transit per hospitium, et postquam pernoctavit, non curat de hospitio: sic tu iam negligis templum et Iudæam quasi agrum alienum, aut quasi hospitium tuum; pertransis a nobis, non curas an hospitium tuum sit vastandum a Chaldæis, quinimo illud deseris, eisque vastandum relinquis: mane ergo nobiscum, et salva nos, cum sis fortissimus; ne dicant Gentes te fugisse ex infirmitate, eo quod nos salvare non posses. Ita S. Hieron. Theodor. Raban. S. Thomas et Vatablus.

Pari modo mystice nos hæc verba; *Quare quasi colonus, etc. cordiali cum gemitu proferamus, cum Deum in nobis, vel in Ecclesia* (aliqua particulari) *per stabilem gratiam habitare non invenimus: sed cito gratiosam suam nobis subtrahere præsentiam,* inquit Dion. Carthus.

Christus fuit viator et hospes in terra.

Allegor. Christus est *exspectatio*, Israelis: de eo enim ait Iacob Gen. 49. 16. *Salutare tuum exspectabo, Domine ;* et, *ipse erit exspectatio Gentium,* q. d. Quando Christus in terram venerit, erit quasi peregrinus in ea, et parvo tempore terræ usurus hospitio; et quasi vir vagus, ac robustus, qui per omnem Iudæam discurret prædicando: mox prædicatione et cursu suo peracto, relicto Israele, ad Gentium multitudinem; relicto templo, ad Ecclesiam; relicta terra, ad suum transibit et redibit cælum.

Imo S. Hier. Raban. Hugo et Lyran. ad litteram hæc de Christo accipiunt, quasi Ieremias et Iudæi eum invocent, ut per futuram incarnationem, labores et merita sua, Patri irato se opponat, salvetque Israelem ne capiatur a Chaldæis. Sic quoque explicat Tertullianus l. 3. contra Marcion. 6. et Ambros. vel potius Ruffinus tract. in Symbol. Apostol. capite 30.

Pari modo in Eucharistia Christus est quasi peregrinus; quia peregrina veste, scilicet specie panis et vini, vestitus et tectus est, et viator declinans ad manendum; quia est viaticum nostrum, quo roborati tendimus ad patriam nostram cælestem: unde digestis et consumptis speciebus, transit ipse, et in eo loco quasi evanescit. Tertio, Chald. vertit: O Salvator Israel, cur manet ira tua super nos, cum tantum simus peregrini et viatores in terra? sed patet ex Hebr. non populum, sed Deum dici hic peregrinum.

Christus et Christiani hic sunt peregrini ob tres causas.

Tropolog. Christus et Christiani sunt coloni et peregrini. Primo, quia Christus e cælo in terram quasi alienam venit, et nos e cælo animam accepimus. Unde et cælum nobis patria est, terra vero exilium. Secundo, quia licet Christus terræ esset dominus, et veniret in propria: sui tamen eum quasi peregrinum non receperunt. Tertio, quia caducis terræ bonis non est usus nisi ad necessitatem quasi peregrinus: non habuit ubi caput reclinaret; non habuit propriam domum, sed Marthæ et aliorum hospitium; nullo captus fuit viæ et rerum vitæ amore: ut doceret nos, iis uti, non frui, et supernam patriam inquirere, uti ipse mox ad cælum rediit. Similiter omnes fideles et sancti, sunt hospites terræ, et cives cæli, præsertim quia hic inter impios et reprobos vivunt, unde terra eis est tædio, cælum in desiderio. Quocirca S. August. in Sententiis, num. 17. *Omnis,* inquit, *qui ad supernam pertinet civitatem, peregrinus est mundi, et dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena ; ubi inter multa illecebrosa, et multa fallacia, Deum nosse et amare paucorum est.* Et n. 113. *Christiano recte gaudendi causa non præsens sæculum est, sed futurum : et ita utendum est temporalibus ne obsint æternis, ut in via qua peregrini ambulant, hoc placeat quod ducit ad patriam.* Nam, ut ait S. Basil. in Ps. 1. v. 1. Sicut viator iam in prata, iam in montes, iam in amœna, iam in tristia incidit, sed mox ea relinquit; ita et nos in vita hac, iam læta, iam tristia transimus, nihil est quod hæreat.

Idem habet S. Ambr. in Ps. 1. v. 1. additque: *Sicut in navibus dormientes, ventis aguntur in portus, etsi nullus quiescentibus sensus est navigandi, tamen cursus eos urget ad finem, et impellit ignaros: sic vitæ nostræ spatio defluente, ad proprium unusquisque finem, cursu latente, deducitur. Unde dicitur: Surge qui dormis. Tu enim dormis, et tempus tuum ambulat;* (Nota hoc et rumina) *et vide, ne, dum dormis, tempus prætereat: ideo et si dormis, cor tuum vigilet. Si cor otiosum non sit, non sunt otiosa tempora tua; in via es, o homo, ambula, ut pervenias, ne te nox in via occupet, ne consumatur dies vitæ, antequam progressum virtutis acceleres. Viator es, vitæ huius omnia transeunt, omnia post te fiunt, omnia in hac via cernis et transis.* Et inferius: *Ergo quasi in via locatum, neque secunda extollant, neque adversa te frangant. Festina semper ad finem, festina ut pervenies : elige tamen viam, antequam curras. Duæ viæ sunt, una iustorum arcta ; altera peccatorum spatiosa, sed ducens ad interitum.*

Tu dormis, et tempus tuum ambulat.

Et S. Bernard. serm. 4. de Adventu: *Quid,* inquit, *vobis filii Adam, cum terrenis divitiis, et gloria temporali, quæ neque veræ, neque vestræ sunt? Si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum; sed homo cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Audi et Gentilem Senecam epist. 121. *Magnus,* ait, *animus conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac statione, qua positus est, honeste se atque industrie gerat. Cæterum nihil horum quæ circa ipsum sunt suum iudicat, sed ut commodatis utitur peregrinus et properans.* Idem epist. 103. *Quidquid,* ait, *circa te iacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas specta. Transeundum est. Excutit natura redeuntem, sicut intrantem. Dies iste quem tamquam extremum reformidas, æterni natalis est.* Et inferius: *Quid ista sic diligis quasi tua? Istis opertus es. Veniet dies qui te revelet, et ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu quantum potes subvola, ab aliis alienus.* Vide apophthegmata Sanctorum, dicentium se peregrinos esse, quæ annotavi Hebr. 11. v. 13. in fine.

Vers. 9. VELUT VIR VAGUS.) Hebr. נדהם *nidham*, id est attonitus, pavidus, qui præ stupore et pavore, huc illuc vagatur et discurrit, q. d. Videris, Domine, quasi territus a nobis fugere, et huc illucque vagari: nimirum terrent te scelera nostra, æque ac clades nobis imminens. Syrus vertit: *Velut vir diminutus,* abiectus; Arabicus: *Ut vir deficiens, infirmus;* Septuag. *Velut vir dormiens,* id est, quasi non videns afflictionem nostram. Sic ait Psaltes Ps. 43. 23. *Exurge, quare obdormis, Domine?*

UT FORTIS.) Hebr. גבור *ghibbor*, id est robustus, validus ut gigas, q. d. Videris, Domine, nobis esse, ut homo qui, cum videatur esse fortis ut gigas, aut se fortem et gigantæum esse iactet, opem tamen ferre non potest: quod ne Deus permittat sibi exprobrari a Gentibus, orat Moses Num. 14. 16. ne scilicet Gentes dicant: Deus non potest suum populum ab hoste liberare, ergo non est potens: aut si olim eum liberans fuit potens, iam in eo cum ætate virtus ista consenuit et elanguit. Ita Sanchez.

TU AUTEM IN NOBIS ES DOMINE.) q. d. Videris in nobis esse peregrinus, o Domine, uti dixi v. 8. at revera non es, quia habitas in medio nostri.

ET NOMEN TUUM.) Nota: Nomen Dei invocari super aliquem populum, est vocari eum Dei populum, Dei hæreditatem, Dei peculium, Dei filios. Vide Can. 30.

Vers. 10. HÆC DICIT DOMINUS POPULO HUIC, QUI DILEXIT MOVERE PEDES SUOS.) Id est dilexit a Dei cultu recedere, ac vagus et instabilis, nunc ad hæc, nunc ad illa idola, nunc ad Ægyptios, nunc ad Assyrios opis causa, nunc ad hanc, nunc ad illam voluptatem et peccatum discurrere. Vide c. 2. v. 18. Ita respondet Deus Iudæis rogantibus, cur quasi hospes abeat, q. d. Abeo a vobis, quia vos a me abitis: vagus vobis videor et peregrinus, quia vos vagi et instabiles ad hostes meos decurritis. Ita S. Hieron. Theodor. Raban. Notat S. Hieron. peccatorum pedes esse instabiles, Thren. 1. 8. Prov. 7. 10. Gen. 4. 14. et cap. 11. vers. 2. Contra Sanctis cum Mose dicitur: *Tu vero hic sta mecum.* Deuter. 5. 31. Isaiæ 57. 20. vide dicta Threnor. 1. 8.

Vers. 11. NOLI ORARE PRO POPULO ISTO IN BONUM.) Ut illi aliquid boni a me postules. Vide c. 7. 16. et c. 11. 14. Gravis est ira Dei, cum bonum petere vetat, malum et exitium precari permittit.

Vers. 15. ET DIXI A, A, A.) Hebr. est una dictio *Aha*, eheu, de qua dixi c. 1. v. 6. Excusat populum Ieremias, dicens quod sit deceptus a pseudoprophetis.

Vers. 16. EFFUNDAM SUPER EOS MALUM SUUM.) Id est, pœnam, malitiæ eorum debitam.

Vers. 17. DEDUCANT OCULI MEI LACRYMAM PER NOCTEM ET DIEM, ET NON TACEANT.) Non cessent a lacrymis, q. d. Quando vobis persuadere non possum, quod fames et gladius vobis immineant, saltem plorabo vestram futuram calamitatem.

VIRGO FILIA POPULI MEI.) Est hebraismus; ita enim vocatur congregatio populi a Deo dilecti tenerrime instar filiæ virginis, utpote quæ necdum in hostium potestatem venisset: hinc enim dicitur virgo. Sunt verba et lacrymæ Ieremiæ.

Vers. 18. PROPHETA, scilicet falsus et mendax, de quo v. 15. ET SACERDOS.) Illi applaudens.

ABIERUNT IN TERRAM QUAM IGNORABANT.) Abierunt captivi cum populo quem seduxerunt in Babylonem. Est hæc iusta et congrua pœna falsorum Prophetarum, dicentium v. 13. *pacem veram dabit vobis in loco isto*, huic enim loco et terræ opponit locum quem ignorabant. Chaldæus vertit: *Conversi sunt ad negotiationes suas.* Hebr. enim סחר *sachar*, etiam significat negotiari.

Aliter Sanchez, per Prophetam enim, bonum accipit, scilicet eum qui vacabat Dei laudibus in templo concinendis: iungitur enim sacerdos, cuius erat sacrificare, Pro- A phetis, id est psaltibus concinentibus. Hic sensus concinnus et appositus est: Ieremias enim Prophetam nunc bonum, nunc malum et falsum intelligit.

NEQUE FACIAS NOBIS CONTUMELIAM SOLII GLORIÆ TUÆ.) Vers. 21. Ita hæc iunge cum Rom. Septuag. et Hebr. licet aliter dispungat S. Hieron. et alii, nimirum sic: *Neque facias nobis contumeliam: solium gloriæ tuæ recordare*, quæ dispunctio sensum habet planum. *Solium gloriæ* Dei vocat Ierusalem, quia hæc erat metropolis populi Dei, de qua Christus Matth. 5. 35. *Non iurabis per Ierusalem, quia thronus est magni regis.* Et hic cap. 3. 17. *In tempore illo vocabunt Ierusalem Solium Domini.* Aut potius templum: ibi enim Deus supra Cherubim et propitiatorium sedere dicebatur. Ita S. Hieron. Iam sensus nostræ dispunctionis est, q. d. Ne sinas, Domine, vastari et pollui Ierusalem, vel potius templum, in quo quasi solio glorioso inter nos habitare diceris: hæc enim contumelia fit non tantum nobis, sed et solio tuo, id est tibi: ergo *Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam, nequando* B *dicant Gentes: ubi est Deus eorum?* Psal. 113. 9. et 10. Chald. vertit: *Ne vilem facias locum gloriæ tuæ;* Sept. *Ne perdas solium gloriæ tuæ.* Ita quoque Lyran. et S. Thomas qui multa hic in fine capitis mystica habet de triplici Dei solio, primo gloriæ, secundo clementiæ, tertio iustitiæ.

NUMQUID SUNT IN SCULPTILIBUS GENTIUM QUI PLUANT?) Vers. 22. Redit ad capitis initium, q. d. Non ab idolis, sed a te, Domine, expectamus et oramus pluviam, ut sanes et avertas sterilitatis tuæ plagam in nos immissam; tu enim es dator imbrium, tu ablator.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dicit Deus se esse inexorabilem, etiamsi Moses et Samuel orarent pro populo. Minatur ergo ei gladium, canes, volucres cœli, bestias terræ, certumque Hierosolymæ excidium: hinc Propheta v. 10. se quasi virum rixæ, scelera arguentem, et excidii prænuntium suis invisum esse deplorat, sed a Deo v. 19. roboratur et communitur, ut sit quasi murus æreus.

1. ET dixit Dominus ad me: Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum:
eiice illos a facie mea, et egrediantur. 2. Quod si dixerint ad te: Quo egrediemur? dices ad eos: Hæc
dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem: et qui ad gladium, ad gladium: et qui ad famem, ad famem: et qui ad captivitatem, ad captivitatem. 3. Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus: Gladium
ad occisionem, et canes ad lacerandum, et volatilia cæli et bestias terræ ad devorandum et dissipandum: 4. Et
dabo eos in fervorem universis regnis terræ: propter Manassem filium Ezechiæ regis Iuda, super omnibus quæ
fecit in Ierusalem. 5. Quis enim miserebitur tui Ierusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? 6. Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti: et extendam manum meam super
te, et interficiam te: laboravi rogans. 7. Et dispergam eos ventilabro in portis terræ; interfeci et disperdidi populum meum, et tamen a viis suis non sunt reversi. 8. Multiplicatæ sunt mihi viduæ eius super arenam maris:
induxi eis super matrem adolescentis vastatorem meridie: misi super civitates repente terrorem. 9. Infirmata est
quæ peperit septem, defecit anima eius: occidit ei sol, cum adhuc esset dies: confusa est, et erubuit: et residuos
eius in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum, ait Dominus. 10. Væ mihi mater mea; quare genuisti me,
virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam: omnes maledicunt
mihi. 11. Dicit Dominus: Si non reliquiæ tuæ in bonum, si non occurri tibi in tempore afflictionis, et in tempore tribulationis adversus inimicum. 12. Numquid fœderabitur ferrum ferro ab aquilone, et æs? 13. Divitias
tuas, et thesauros tuos in direptionem dabo gratis, in omnibus peccatis tuis, et in omnibus terminis tuis. 14.
Et adducam inimicos tuos de terra, quam nescis: quia ignis succensus est in furore meo, super vos ardebit. 15.
Tu scis Domine, recordare mei, et visita me, et tuere me ab his qui persequuntur me, noli in patientia tua suscipere me: scito quoniam sustinui propter te opprobrium. 16. Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiam cordis mei: quoniam invocatum est nomen tuum super
me, Domine Deus exercituum. 17. Non sedi in concilio ludentium, et gloriatus sum a facie manus tuæ: solus
sedebam, quoniam comminatione replesti me. 18. Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari? facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium. 19. Propter hoc, hæc dicit Dominus: Si
converteris, convertam te, et ante faciem meam stabis: et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris:
convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos. 20. Et dabo te populo huic in murum æreum, fortem: et
bellabunt adversum te, et non prævalebunt: quia ego tecum sum ut salvem te, et eruam te, dicit Dominus. 21. Et
liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu fortium.

Vers. 1. **Si steterit Moses et Samuel.**) q. d. Non mireris, o Ieremia, nec putes te a me despici, eo quod te non exaudiam, quia tanta sunt populi scelera, tantaque in iis eius obstinatio, ut nec Mosen, nec Samuelem, pro eis orantes audirem. Nota : Præ aliis nominatur hic Samuel et Moses, quia hi sanctissimi fuerunt, et maximam populi curam habuerunt, atque potentes apud Deum et in oratione tam efficaces extiterunt, ut eius iræ resisterent, orando pro populo, sibi licet ingrato et rebelli. Erant enim duces et iudices populi, et mediatores inter Deum et populum, Deoque familiarissimi, et charitate ardentissima diligebant populum, etiam sibi rebellem et refractarium. Hæc enim duo, scilicet oratio et charitas, præsertim erga rebelles et inimicos, decent eos qui præsunt, Deumque stringunt et quasi cogunt, ut preces eorum exaudiat. Ita S. Hieron. Theodor. S. Thomas, Hugo, Raban. et Lyran. Vide S. Greg. l. 9. Moral. 12. et 13.

Moses et Samuel duces populi, et mediatores apud Deum zelosissimi et efficacissimi

Oratio et charitas decent Prælatum, Deumque stringunt.

Hinc patet, non esse æqualia Sanctorum merita.

Secundo, licet Vatabl. vertat; *Si starent* Moses et Samuel coram me, non esset animus meus ad populum istum: tamen melius Noster, Septuag. et Chald. vertunt: *Si steterint, etc.* unde sequitur eos stare posse et solere coram Domino ut orent pro populo. Hebr. enim est futurum, quod significat rei consuetudinem: *Si stabit*, id est, si stet uti stare solet. Ergo Sancti orant pro nobis post mortem etiam in limbo, multo magis in cælo, multaque nobis impetrant, uti legimus fecisse Ieremiam 2. Machab. ult. 14. Vivunt enim Sancti in perfecta charitate tum Dei, tum proximi, atque Deum laudant et orant, non pro se, ergo pro nobis. Ita S. Hieron. et Chrysost. homil. 1. in epist. 1. ad Thessalonic. Quod intellige de oratione in genere. Nam in particulari ignorabant Moses, Samuel, aliique in limbo, quid hic gereretur, nisi quod discebant vel revelatione angelorum aut Dei, aut eorum qui post mortem eo descendebant. Idem dicendum est de animabus in Purgatorio existentibus, ac proinde non legimus viventes invocasse has animas: hoc enim proprium est legis novæ et animarum beatarum, estque quasi præmium felicitatis eorum.

Sancti in limbo pro suis orabant in genere.

Non invocamus animas in Purgatorio, cur?

Dices. Deus hic ait, quod non exaudiet eos, ergo vetat eos orare.

Respondeo, nego conseq. non enim ait se non auditurum preces eorum ex eo quod nihil illæ valeant; sed quod populi scelera essent tanta, ut indignus esset, pro quo Moses et Samuel audirentur. Sicut ergo pater iratus solet dicere filio: Noli orare pro isto servo nebulone, nam nil nisi fustes meretur, et fuste contundam eum: sic et Deus facit hic. Vide dicta cap. 11. vers. 14.

Moraliter hic disce, ut alicui Sanctorum preces prosint, debere eum simul cum iis conniti et collaborare: si enim in malitia persistat, parum vel nihil alterius preces ei proderunt. De quo vide S. Chrysost. loco iam citato.

Non est anima mea ad populum istum.) Non placabor populo huic, non diligam eum.

Eiice, prædic **illos** eiiciendos, **a facie mea.**) Id est, a terra Iudææ, cui in templo præsens sum. Ita Chald. S. Thom. Lyran. et Vatabl. Vel, *A facie*, id est, a protectione mea et benevolentia. Ita S. Hieron. Raban. S. Thom.

Vers. 2 **Qui ad mortem.**) Id est, ad pestem, sic enim distinguitur mors a gladio et fame, Ezech. 14. 15. Sic vulgo cum S. Cypriano et Tertulliano, pestilentiam vocamus *mortalitatem*: plurimos enim ad mortem deducit. Iam *qui ad mortem*, scilicet destinati sunt, eant *ad mortem: qui ad gladium*, eant *ad gladium: qui ad captivitatem*, eant *ad captivitatem*.

Vers. 3 **Visitabo**, inducam, **quatuor species.**) Id est, genera pœnarum, scilicet pestem, gladium, famem, captivitatem. Hebr. est, *præficiam eis quatuor familias* vel cognationes, id est, quatuor gentes, ut vertit Pagnin. et Vatabl. Vel potius, quatuor cognata carnivora, scilicet gladium, canes, aves et feras, ut eos pro potestate sua eis a me data, ad arbitrium et libitum suum lanient et devorent, patet ex sequ. Hæc Noster vocat *quatuor species*. Aliter Sanchez, *visitabo*, scilicet quasi rex in die belli armamentarium meum, an scilicet mea arma quatuor iam dicta, satis tersa et polita sint ad feriendum Iudæos.

Et dabo eos in fervorem.) Septuag. *in angustias;* Chald. *in commotionem*, ut scilicet ipsi angustiis et terroribus conscientiæ ferventes et æstuantes quasi Cain tremuli huc illucque discurrant et vagentur. Ita Vatabl. hoc enim est Hebræum זעוה *zaava*. Vers. 4.

Aliter S. Thomas, Maldon. Hugo: *In fervorem*, inquiunt, id est, in fervens odium, quo Iudæos persequentur omnes Gentes, q. d. Tradam Iudæos ferventi furori omnium regum.

Aliter quoque Lyranus, q. d. Ita cædam eos, ut omnis terra ferveat, id est, anxietur, æstuet, contremiscat ad tantam stragem Iudæorum.

Propter Manassem.) Manasses enim rex Iuda scelestissimus populum in idololatriam deduxit, idolisque omnium gentium aras construxit, et quasi idololatriæ publicum vexillum pariter et exemplum erexit 4. Reg. 21. v. 2. Porro licet Manasses sit conversus, et suorum scelerum pœnitentiam egerit; tamen publicum hoc scelus populi, digna satisfactione expiatum non fuit, præsertim quia posteri Manassis imitati sunt eius impietatem et idololatriam, ideoque puniti. Ita Chald. et S. Hieron. Adde, rex et regnum, sive populus, politice unum sunt: unde unius peccatum, alterius quoque censetur, et in altero punitur.

Manassis regis peccata punivit Deus in toto eius populo cur?

Quis enim miserebitur tui, Ierusalem.) Hebr. et Septuag. *quis parcet tibi?* q. d. Nullus princeps parceret tibi, si contra eum admisisses ea quæ contra me designasti; ergo non convenit ut ego ea dissimulem et parcam tibi. Vers. 5.

Quis contristabitur pro te?) Nemo tibi compatietur, quia omnes dicent te merito puniri.

Quis ibit ad rogandum?) Scilicet Deum. Ita Septuag. Secundo, Chald. et Vatabl. apte vertunt, *quis salutabit te?* ut roget te de pace tua ac salute, qui scilicet agas et valeas, q. d. Nemo erit qui tibi condoleat, ut de te et tuis malis roget.

Laboravi rogans.) Pro *rogans* hebr. est הנחם *hinnachem*, quod duo significat, scilicet pœnitere et consolari. Unde primo, R. Kimchi vertit, *laboravi consolari*, id est, vix me possum consolari ob tuam impietatem et obstinationem. Secundo et melius vertas, *laboravi pœnitere*, id est, laboravi rogans et invitans te per Prophetas, ut pœniteres, teque converteres. Hic sensus maxime convenit versioni Latinæ. Tertio, S. Hieron. vertit, *laboravi rogatus*, id est, fatigatus sum aliorum pro te precibus: ideo nemo iam audebit pro te rogare: tot enim precibus pro te fusis obtusum quasi habeo caput, aures callosas, mentem defessam et quasi stupidam. Quarto, Maldon. vertit, *laboravi pœnitendo*, aut, ut Sanchez, *miserendo*, q. d. Sæpius decrevi vos punire, sed ductus pœnitentia et misericordia revocavi sententiam, sperans vestri emendationem; verum nihil obtinui, tantum fatigavi me: toties enim idipsum feci, ut ulterius non possim me reprimere aut pœnitere, et mutare sententiam de vestra punitione; sum enim pœnitendo fatigatus et tædio affectus: quare revocabo primam meam sententiam, et omnino avertam et interficiam vos. Ita Raban. Hugo et Vatabl. Unde Septuag. vertunt, *non ultra dimittam*, valdeque congruit hic sensus Hebræo *hinnachem*. Vers. 6.

Hinnachem, id est rogans, quadrupliciter exponitur. 1. 2. 3. 4.

Dispergam eos ventilabro, id est, sicut ventilabro paleæ disperguntur quaquaversum a vento raptæ, ita et ego vos dispergam **in portis**, id est, per portas urbium, totius **terræ.**) Per *portas* enim synecdochice sæpe significantur urbes. Ita Chald. et Vatabl. Vers. 7.

Portæ terræ quæ?

Secundo et melius, *terræ portas* vocat ultimas terræ partes, quibus ex terra in mare exitur, et e mari in terram intratur, q. d. Dispergam eos usque ad fines terræ. Ita Maldon. D. Thom. Lyran. Aut, ut Sanchez, *portæ terræ*, sunt Ortus et Occasus, per quæ dies et nox quasi per portas posita in finibus terræ, in eam ingrediuntur. Alii sic explicant, q. d. Depauperabo eos, ita ut ad portas et ostia cogantur mendicare.

Interfeci, etc. **populum meum.**) Per Chaldæos, tem-

pore Ioakim, vel potius per Sennacherib et Assyrios, tempore Manassis.

Vers. 8. MULTIPLICATÆ SUNT MIHI, id est a me VIDUÆ EIUS.) Populi scilicet, maritis earum a Chaldæis interfectis.

SUPER ARENAM MARIS.) Est hyperbole, q. d. Plurimæ a me viduatæ sunt maritis, factæque viduæ.

INDUXI EIS SUPER MATREM ADOLESCENTIS VASTATOREM.) Qui scilicet vastaret adolescentem morte, et consequenter matrem orbitate et dolore afficeret. Idque non occulte, sed *meridie*, id est, palam et in media luce. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thom. Aut vice versa, *vastatorem*, qui scilicet occidat matres, q. d. Sicut mulieres cæsis maritis feci viduas: ita adolescentes cæsis matribus feci orphanos. Ita Maldonat.

Alii *matrem* exponunt, metropolim seu urbem matrem, id est primariam, scilicet Ierusalem; hæc dicitur *mater adolescentis*, id est adolescentum: erat enim ipsa mater et nutrix florentissimæ iuventutis, q. d. Adducam contra Ierusalem hostem, qui media luce eam cum suo iuventutis flore perdat et vastet.

Tertio, Chald. et Vatabl. *matrem* exponunt congregationem vel multitudinem adolescentum, id est fortissimos quosque: hos enim occiderunt vastatores Chaldæi. Sed primus sensus uti planissimus, ita et maxime genuinus est.

MISI SUPER CIVITATES REPENTE TERROREM.) Hebr. est: *Cadere faciam super eam* (Ierusalem et vicinas urbes) *civitatem et terrores*, id est, terrores civitatis, seu quales esse solent in civitate obsessa, seditiosa et tumultuante. Est hendyadis. Vatabl. vertit: *Obrui eam subito et hoste et terroribus*. Verum Hebr. עיר *ir*, civitatem, non hostem significat: nisi dicas, *ir* quoque significare vigilem, et per vigilem intelligas hostem excubantem et insidiantem Hierosolymæ.

Vers. 9. INFIRMATA EST, immutata est et orbata filiis, QUÆ PEPERIT SEPTEM.) Id est plurimos. Ita Septuag. Porro hæc accipi possunt, tam de particularibus matribus, quam de ipsa Ierusalem, q. d. Ipsa Ierusalem, quæ est quasi magna Iudæorum mater, quæque plurimos habebat filios, id est cives, iis cæsis orba erit: hæc enim ingens matrum præsertim viduarum est afflictio. Unde in historiis legimus matres nonnullas cum acciperent nuntium filios in prælio occubuisse, exanimes et emortuas concidisse.

Notat S. Hieron. in Isaiæ cap. 4. et cap. 54. septenarium Hebræis esse familiarem propter sabbatum, sicut et denarium propter decalogum, atque significare multitudinem. Sic 1. Reg. c. 2. v. 5. In Hebræo dicitur: *donec sterilis peperit septem*, id est, plurimos, ut vertit noster interpres, et Proverb. 26. vers. 16. *Sapientior sibi piger videtur septem* (plurimis) *viris loquentibus sententias*: et v. 25. *Septem* (plurimæ) *nequitiæ sunt in corde illius*; et Eccles. 11. vers. 2. *Da partem septem, necnon et octo*, q. d. Da eleemosynam multis, imo multo pluribus; cum enim additur septenario unitas, significatur magna et inusitata multitudo.

Septem, id est multi.

OCCIDIT EI SOL.) Id est prosperitas, q. d. In medio prosperitatis cursu, eversa est Ierusalem, et tribus Iuda. Ita S. Hieron. Chald. et Vatabl. Simili modo mater quælibet fœcunda in Iudæa cum esset in medio ætatis flore, possetque plurimos procreare filios, marito eius occiso, quasi sole occidente, vidua et infœcunda remansit. Unde Chald. vertit: *Migravit gloria eorum in vita eorum, et interea dum ipsi stant confusi fuerunt.* Tale est illud Poetæ:

Fulserunt quondam candidi tibi soles.

Similis phrasis est Amos 8. 9. Iob. 22. 28. et c. 29. 3.

Aliter Theod. Hugo, S. Thom. q. d. Præ mœstitia, visus est ei sol occidere, et tenebrescere in meridie. Vide can. 32.

Sol meridie occidit Iudæis in passione Christi.

Allegorice, S. Iren lib. 4. cap. 66. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos cap. 23. et Isidor. de Passione Christi, c. 15. hoc referunt ad eclipsin universalem solis, quæ facta est in morte Christi: tunc enim sol occidit, non Christo, sed Iudææ, a qua sol faciem indignans avertit ob Christicidium ab ea commissum.

Moral. Occidit sol in meridie iuvenibus, qui sperabant annos Nestoris, et in flore ætatis a morte abripiuntur. In hos enim recte competit illud Poetæ, nostro Prophetæ vicinum:

Soles occidere et redire possunt:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuo una dormienda.

Mystice, Hugo per occasum solis accipit obcæcationem Iudæorum, de qua Isaias c. 59. 9. *Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ; splendorem, et in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut cæci parietem*, etc. Pari modo tropol. occidit homini sol, cum in peccatum mortale prolabitur: tunc enim Christum solem iustitiæ, gratiam et vitam animæ deperdit, ac in horrendas tenebras, quin et in mortem præsentem et æternam corruit. Ita S. Hieron.

RESIDUOS, sub Ioakim, IN GLADIUM DABO.) Ut sub Sedecia per Nabochodonosor occidantur. Ita S. Hieron. Raban. Hugo.

VÆ MIHI.) Est epiphonema, quo Propheta ex natu- Vers. 10.
rali doloris sensu queritur, se nescio quo fato genitum, ut omnibus sit odio et probro, ob minaces prophetias; vocatque se *virum rixæ, et discordiæ*, id est, omnium iniuriis, odiis, contumeliis expositum, cum quo omnes iurgantur et rixantur. Syrus vertit: *virum iudicem*, id est iudicio cum omnibus contendentem; Arabicus, *virum arguentem*. Sic Christus Iudæis fuit vir rixæ, et positus in ruinam et resurrectionem multorum.

Sic qui respubl. et Religiones deformatas et collapsas reformare volunt, libertinis sunt viri rixæ.

Reformatores sunt viri rixæ. Exempla.

Dicebat Lacon. apud Plutarch. *Quomodo vir bonus est qui improbis amicus est?* et Scipio African. de suis æmulis dicebat: *Merito patriæ bellum facientes me prius sublatum volunt.* Qui ergo reip. commodis student, sunt viri rixæ.

Talis vir rixæ fuit S. Paulus: unde ipse aiebat: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*; et, *Blasphemamur, et obsecramus; persecutionem patimur, et sustinemus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus.*

Talis vir rixæ fuit vere immortalis S. Athanasius, qui pene solus totum orbem Arrianum ad duellum provocavit et debellavit.

Talis vir rixæ fuit S. Benedictus, qui sub initium suæ conversionis, cum veteres quosdam monachos licentioris vitæ ad disciplinam obiurgando reducere vellet, eorum odia incurrit, adeo ut ei venenum propinarint in calice, quem ipse signo crucis signans confregit, ac relicto monasterio in solitudinem se recepit.

Tales viri rixæ fuerunt S. Hieron. S. Chrysostomus, S. Gregor. Nazianz. S. Thomas Cantuariensis, et Morus, atque hoc sæculo S. P. N. Ignatius, cuius præsentia ubique procellas impiorum et dæmonum concitabat. Unde ipse longa experientia doctus, dolebat et metuebat si quando undequaque prospera de Societatis progressu afferentur; dicebat enim, *Persecutiones esse flagellum et cotem Societatis*, quibus eius virtus acuenda et illustranda sit: quod si illæ deficiant, aiebat vereri se ne marcescat Societas, aut minus recte et strenue suo officio perfungatur. Hoc enim si præstare pergat, necessum esse contra eam multorum etiam Catholicorum, invidia aut vitiis aliis laborantium, odia concitari: perinde ut chirurgo secante tibiam ægri, necesse est illum dolere et concitari, ita ut sæpe in ipsum chirurgum insurgat. Quare mirari non debent eius asseclæ, præsertim zelosi et illustres, si viri rixæ et turbatores orbis vocentur; sed potius gaudere, sibique persuadere, hanc certam esse notam suæ virtutis et zeli, fructusque inde consecuturi.

NON FŒNERAVI.) Lites enim sæpe ex usura, vel data, vel accepta oriuntur. Theodot. vertit: *Non debui nec debuit mihi quisquam*, q. d. Nihil mihi cum quoquam est commercii, vel negotii, ut litigare mecum debeat, et tamen passim *maledicunt mihi*. Ita Theodor. et Lyranus.

Unde tropolog. S. Hieron. Christum hic expostulantem inducit, quod nemo velit a se accipere fœnus, id est gratiam et dona quæ ipse cuique offert.

Addit Sanchez, quod nemo velit usuram bonorum, quæ

a Deo tot tantaque accepit, solvere et reddere, nempe gratiarum actiones, et usum eorum quæ ad Dei gloriam expendere debet. Neque fœnori dare, cum ipse tam sit ad solvendam usuram alacer et promptus. Dat autem fœnori Deo, cumque sibi debitorem facit, *qui miseretur pauperis*, Proverb. cap. 19. v. 17.

Vers 11. SI NON RELIQUIÆ.) Nota. Hæc sunt verba Dei consolantis Ieremiam. Secundo, τὸ *si*, vox est iurantis; supplendum enim est, *non habear verax aut Deus, si non* effecero, ut *reliquiæ*, id est, tempora reliqua et novissima, id est, ut Chald. finis vitæ tuæ sit felix. Fecit hoc Deus, cum Nabuchodonosor hostis ambivit amicitiam Ieremiæ, quasi sibi faventis contra Ierusalem, et ea capta, Ieremiam benigne accepit, c. 39. 10. cap. 40. 3. Ita S. Hieron. Raban. et Hugo.

SI NON OCCURRI.) q. d. Si non occurrero et iuvero te adversus inimicos. Aliter vertunt Chald. Lyran. et R. Salomon. nimirum, si non fecero occurrere tibi hostem tuum; scilicet Sedeciam, obsecrantem ut ores pro eo, ut Chaldæorum manum evadat. Patet c. 21. R. Salomon et alii hæc accipiunt de Nabuzardan, qui pro Nabuchodonosor præfuit Iudææ, atque Ieremiæ libertatem et munera dedit, cæteris Iudæis in servitutem redactis, ut patet cap. 40. vers. 4.

Vers. 12. Ferrum ferro non fœderatur. NUMQUID FŒDERABITUR FERRUM FERRO AB AQUILONE, ET ÆS?) Hoc est, Iudaicum ferrum et arma non poterunt sociari armis Chaldæorum, nec æs æri; sed hoc, utpote fortius, illud collidet et confringet, quod Flandri

I. Expositio. dicunt: *Hert teghen hert.* Docet hoc proverbium inter pervicaces, et superbos non posse esse fœdus aut concordiam, sed iuges esse rixas et iurgia. Sensus ergo est, q. d. Iudæi durissimi sunt, ut tu experiris, o Ieremia, ideoque non stabit amicitia eorum et fœdera cum Chaldæis inita; ne putes, o Ieremia, tuas contra eos minas irritas fore, quia vere Iudæi Chaldæis se sociare et subdere nolent, sed rebellabunt volentque bellum, ideoque ab eis perdentur, itaque implebuntur tuæ minæ, ac punientur qui te ad necem persequuntur, minasque tuas rident, et pro fabulis habent. Unde Ieremias de iis vindictam a Deo expetit vers. 15. esto populo simplici postulet misericordiam et veniam. Ita S. Hieron. D. Thom. Raban. Hugo, Lyran. Huc accedunt Syrus et Arabicus; vertunt enim: *Incidere te faciam in manus inimicorum tuorum, qui venient ad te ab Aquilone, et in malum validum: quia ipsi sunt ut ferrum et æs crudele* (durum).

II. Hinc secundo, R. David, Isidor. et Vatabl. apposite ex Chaldæo sic explicant: Numquid rex Pharao, qui est durus ut ferrum, sociabitur Sedeciæ forti ut ferrum, ut pugnet contra Nabuchodonosor, qui est instar ferri durissimi, sive chalybis, venitque ab Aquilone contra Ierusalem? q. d. Non, quia duri impingent in duriorem se, pervicaces in pervicaciorem, superbi in superbiorem, ideoque ab eo conterentur, sicut chalybs domat ferrum, q. d. Iudæi duri sunt ut ferrum, idcirco duriore metallo subigendi; malo enim nodo malus quærendus est cuneus.

III. Tertio, pro *fœderabitur*, hebr. est ירוע *ieroa*, a radice רעע *raa* per duplex *ain*, *significat conteret, confringet.* Ita Symmach. et Vatabl. q. d. Numquid Iudæi et Pharao, qui fortes sunt ut ferrum, conterent Nabuchodonosorem, qui pariter fortis est ut ferrum, et te, o Ieremia, qui fortis es ut æs, atque prophetizas felicia pro Nabuchodonosore contra Pharaonem? q. d. Non, imo Nabuchodonosor Pharaonem et Iudæos conteret. Ita Lyranus et Vatablus.

IV. Quarto, Septuag. et Theodot. pro littera *resc*, legunt *dalet*, scilicet pro ירע *ieroa*, legunt ידע *iada*, id est cognovit, unde vertunt: *Si cognoscetur ferrum, et operimentum æreum fortitudo tua?* q. d. Ne fidas et glorieris, o Ierusalem, in fortitudine tua, in armis ferreis, et loricis æneis; quia hæc omnia sternet et rapiet Chaldæus. Ita Theodoret. licet Delrio adagio 844. Septuag. cum Nostro et Chaldæo conciliare conetur.

V. Quinto, Sanchez explicat, q. d. Sicut cum ferro, id est, cum ferreo Iudæorum animo, componi et fœderari non po- A test ferrum et æs ab Aquilone, id est ferrei Chaldæorum animi: sic nec ferreum Iudæorum pectus, quod ad salutaria tua monita durum est, sociari potest cum animo tuo item ferreo, quem tibi indidi c. 1. 18. Verum hic et nota similitudinis, et tota similitudinis redditio, sive applicatio, subaudienda et supplenda sunt. Primus ergo sensus, uti maxime obvius, ita plenissimus et planissimus est. Unde et sequitur: *Divitias tuas et thesauros tuos in direptionem dabo: tuas*, scilicet, o Ierusalem, quæ Ieremiam Prophetam meum persequeris. Ad eam enim de more se sermonemque Deus convertit.

DABO GRATIS.) Sine persoluto pretio. Ita Hebr.

IN OMNIBUS PECCATIS TUIS.) Propter peccata tua. Ita Septuag. Vers. 13.

ET IN OMNIBUS TERMINIS TUIS.) Id est, per totam Iudæam. Secundo, et aptius ad præced. q. d. Ob omnes terminos tuos, id est, ob idola quæ in omnibus terminis et vicis tuis erexisti, ut patet c. 11. v. 13.

B ET ADDUCAM.) Potest verti ex Hebr. Transire te faciam Vers. 14.
in terram, quam non nosti, scilicet in Chaldæam. Ita Vatabl. et Pagn. Secundo, Septuag. et Chald. vertunt, servire te faciam in terra quam non nosti: nam pro העברתי *heebarti*, legunt העבדתי *heebadti: dalet* enim et *resc* sunt simillimæ, et solo angulo differunt.

QUIA IGNIS SUCCENSUS EST IN FURORE MEO.) Hoc est ignis furoris mei succensus est. Sic enim Hebræi sæpe τὸ *in* ponunt pro regimine genitivi. Aut per hypallagen, q. d. Furor meus succensus est in igne, id est, instar ignis; *super vos ardebit*, id est, in vestrum exitium inflammabitur, vos vestraque comburet. Ita Sanchez.

TU SCIS, DOMINE, humilitatem et afflictionem meam: Vers. 15.
verba sunt Ieremiæ ad Deum; ergo TUERE ME.) Hebr. הנקם *hinnakem*, id est, vindica me de iis, qui me persequuntur, uti subdit.

NOLI IN PATIENTIA TUA (Hebr. *noli in longitudine nasi*, id est in longanimitate tua qua Iudæos, qui me persequuntur, toleras, et differs ultionem) SUSCIPERE ME.)
C Meamque causam et precem, q. d. Cito me vindica, ut sciant me Prophetam a te missum, ne et ego et tu diutius opprobrium eorum feramus. Ita Chald. Hugo, Lyranus, Dionys. et alii.

Vatablus vertit: Ne in longanimitate tua, qua pateris hostes meos, tollas me de medio: id est, ne prius moriar quam sumpseris pœnas de eis: da mihi hanc consolationem, ut non moriar inultus, sed videam ante mortem eos meritas dare pœnas.

INVENTI SUNT SERMONES TUI, a me, ET COMEDI EOS, Vers. 16.
id est, avide hausi et excepi eos. Ita Lyran. hinc FACTUM EST MIHI VERBUM TUUM IN GAUDIUM.) q. d. Dulce mihi fuit audire tua consilia et decreta; at postquam ob ea a Iudæis tam dira passus sum, facta sunt mihi amara, æque ac Ezechieli c. 3. v. 3. et 14. ac S. Ioan. Apocal. 10. v. 9. qui huc alludit. Aliter S. Hieron. Raban. Hugo, q. d. Gavisus sum talia et tanta mala sustinens, ex eo quod verbo tuo parerem, illudque prædicarem. Septuag. pro *comedi* vertunt, *comede:* pro אכלם *ochelem* enim legerunt
D אכלם *ochlam* in imperat. sic enim habent: *Comede*, vel *consume eos, et erit verbum tuum mihi in gaudium*, q. d. adimple minas per me prædictas, ut sciant me verum esse Prophetam, tuncque lætabor. Ita Theodoret.

QUONIAM INVOCATUM EST NOMEN TUUM SUPER ME.) Quia vocatus sum et vocor, atque revera sum Propheta tuus, q. d. Quia certus sum me quasi Prophetam audire oracula tua, qui es Deus omnipotens; hinc ea, utpote divina, fuerunt mihi dulcia.

NON SEDI IN CONCILIO LUDENTIUM.) Id est, derisorum Vers. 17.
impiorum, qui homines et Deum ridere solent. Aut proprie, q. d. Cum Prophetam agere cœpi, abstinui a risu, ludis et iocis sæcularibus: serius fui, spiransque compunctionem.

ET GLORIATUS SUM.) Repete per hebraismum negatio- Vers. 18.
nem *non*, q. d. Non sum gloriatus a facie manus tuæ, id est, ob donum prophetiæ, quod in me operatus es tactu manus tuæ, c. 1. v. 9. sed solus sedi ab omnibus desertus,

quia prophetiam minacem, et, ut hebr. est, plenam indignatione, commisisti mihi. Ita Chald. Pagnin. Dionys. et Sanchez.

Secundo, sine negatione, *τo et* accipiendo causaliter pro *quia*, sic explices: non delectatus sum, nec gloriatus *concilio ludentium*, *et*, id est, *quia*, gloriatus sum et delectatus te solo, Domine, tuo alloquio, tuis oraculis. Manus enim apud Prophetas symbolum est prophetiæ et oraculorum. Verum priorem sensum exigit id quod sequitur: *Quia comminatione replesti me: comminationem* vocat prophetiam tristem et minacem, quam alibi vocat *onus*, q. d. Prophetia ista dura et minax de populi mei excidio, omnem mihi lætandi et gloriandi materiam abstulit, meque mœrore et horrore replevit.

Tropolog. S. Gregor. 4. Moral. 35. manus, ait, Dei est, quæ nos peccantes paradiso expulit: comminatio vero, qua etiamnum nobis peccantibus gehennam minatur. Ergo *vir sanctus cunctas a se desideriorum temporalium turbas eiiciat, seque in magna mentis solitudine abscondat, dicens: A facie manus tuæ solus sedebam: quoniam comminatione replesti me.* Ita sederunt sancti Eremitæ in deserto, uti memorat S. Hier. Climacus, Palladius, Theodor. Cassian. et alii.

Aliter hæc distinguunt Hebræi recentiores, et Vatablus, scilicet: *Non sedi in concilio iocantium, ut exsultarem: sed propter manum tuam solus habito, quia indignatione replesti me.* Ita et S. Gregor. 4. Moral. 35.

Vers. 18. PLAGA MEA DESPERABILIS.) Id est desperata, incurabilis, q. d. Cur me relinquis in afflictione hac velut desperatum, nec consolaris?

FACTA EST MIHI (scilicet manus tua, de qua v. 17.) QUASI MENDACIUM AQUARUM INFIDELIUM.) Id est, quasi fons infidelis et mendax, qui videtur perenniter fluxurus, et tamen deficit, v. g. in æstate, cum maxime eo indigent homines, q. d. Putabam, o Domine, quod semper me tua manu et ope iuvares, uti promisisti: et ecce in hac plaga et persecutione, cum maxime ope indigeo, me deseris. Ita Chald. Septuag. Pagn. et Vatabl. Hebræa ad verbum pathetica sunt, sic enim habent: *Essendo, eris mihi, o Deus, tamquam fons mendax?* id est, an falles spem meam, quam in tua ope defixeram, sicut fons mendax fallit eos, qui in eo spem sui potus reposuerant? Vox enim תהיה *tiie*, tam est secundæ personæ significans *eris*, vel *fuisti*, ac respicit Deum; æque ac tertiæ, significans *erit* vel *facta est*, ac respicit manum Dei. Verum hic sensus continet murmur, et pene blasphemiam in Deum: unde videtur Propheta indignus. Adde *τo facta est*, ad plagam spectare, non ad manum.

Secundo Sanchez, q. d. *Facta est*, id est factum est (Hebræi enim fœmininum genus usurpant pro neutro quo carent) scilicet abstinere meum a iocis et concilio ludentium, de quo v. 7. ut tibi soli placerem (quod credebam mihi fore commodum, utile et prosperum) tamquam aquæ mendaces, quæ tunc mœstum agricolam destituunt, cum maxime sitiunt agri. Ita enim et nunc ego, cum ab iis quos deservi, vexor, a te quoque, o Domine, derelinquor.

Tertio, Lyran. q. d. *Facta est mihi*, scilicet plaga mea. sicut aquæ infideles, quæ tempore æstus cum maxime iis indigemus, deficiunt; quia plaga tunc mihi adest, cum maxime indigeo consolatione.

Quarto, S. Hieronymus, Raban. Hugo, q. d. Propheta gerens typum Christi patientis: Plaga hæc non durat. sed præterit et deficit, sicut aquæ infideles: sed, quomodo ergo luget, et vocat eam desperabilem?

Hinc quinto, S. August. 2. contra litteras Petiliani (qui quasi Donatista ex hoc loco probare volebat, baptismum infidelium et impiorum, esse mendacem et vanum) cap. 102. et S. Thom. sic explicant, q. d. Plaga, id est, inimici mei, sunt quasi aquæ dolosæ et infideles, ut iis me credere non possim, sed semper ab iis timere mala debeam, quamdiu supererunt. *(Donatistæ hoc loco abusi.)*

Dico ergo, hoc adagium spectare et explicare plagam desperatam (de hac enim sermo præcessit) scilicet quod sit incurabilis, instar ulceris chironii, quod cum sanatum videtur et obductum, interius putrescit et gangrena profundiore recrudescit: sicut fallaces quidam torrentes, aut lacunæ (quas Flandri *Doolaghen* vocant) quæ cum putantur exaruisse, et sicco pede posse transiri, cedunt incedenti, cumque hauriunt et mergunt: hæ enim vocantur infideles, quia cum videntur siccæ et solidæ, de novo ebulliunt et scaturiunt, instar paludis. Ita Delrio adagio 815.

SI CONVERTERIS. Maldon. putat, hæc dici populo, non Vers. 19.
Ieremiæ; quia Ieremias, inquit, non recesserat a Deo, neque indigebat ut in eius rediret gratiam: sensus ergo esse, q. d. Si, o popule, a peccatis tuis convertaris, ego vicissim CONVERTAM TE, id est, in gratiam meam te reponam, ET ANTE FACIEM MEAM STABIS.) Id est, prosequar te omni favore, libenter te videbo. Verum, non populo, sed Ieremiæ hæc dici, patet ex eo quod sequitur: *Convertentur ipsi ad te, et dabo te populo huic in murum æreum.*

Dico ergo, *τo si converteris*, est futurum, et sensus est, q. d. Si convertaris, o Ieremia, a tua diffidentia, pusillanimitate et impatientia, ad firmam in me spem et costantiam, convertam et restituam te, ut firmus stes ante faciem meam, sisque mihi familiaris, et Propheta charissimus, ac mihi curæ sit salus tua. Ita Chald. Vatabl. Origen.

Aliter S. Hieron. Theodoret. Raban. Hugo, S Thom. et Lyran. q. d. Si, o Ieremia, converteris hunc populum a peccatis, ego te a tua afflictione convertam, erisque mihi familiarissimus. Unde sequitur, *Si separaveris, etc.* Verum prior sensus verior est, et magis genuinus.

Aliter et Sanchez, q. d. Si, o Ieremia, converteris ad me, uti cœpisti, aut, si converteris te a nugatorum atque ludentium cœtu, ego convertam te, ab iis nempe malis et incommodis, quibus te propositum esse quereris: daboque tibi inter Prophetas aliquid eximium, nempe ut assidue stes ante faciem meam, ut scilicet sis mihi familiaris, egoque te libenter aspiciam, et quotidie donis singularibus ornem.

SI SEPARAVERIS PRETIOSUM A VILI.) Syrus: *Si eduxeris grave a defectivo* (v. g. monetam gravem et ponderosam ab ea quæ levioris est ponderis, et a iusto pondere deficit) vel *honestum a pravo.* Primo, sensus est, q. d. Si separaveris verbum meum pretiosum a verbis Iudæorum minacibus, sed levibus, vilibus et infirmis, quia ipsi invalidi sunt, et minas suas explere non poterunt, q. d. Si fortiter et animose, o Ieremia, adhæseris verbo meo, et contempseris Iudæorum minas, eris quasi os meum, id est, eris Propheta et præco meus mihi coniunctissimus, per quem ego mea secreta et decreta edicam et proloquar. Hic sensus aptissimus est, optimeque respondet præced. et seqq. Fac ergo, o Ieremia, sicut apes, quæ flores colligunt, herbas relinquunt, et, ut ait S. August. tract. 46. in Ioan. *botrum carpe, spinam cave.* *(Separare pretiosum a vili, quid. I. Expositio optima.)*

Secundo, si separaveris pretiosum, id est patientiam, constantiam et virtutem, a tua vili timiditate; si constans fueris, non timidus; virtutes enim pretiosæ sunt, maxime fortitudo et magnanimitas; vitia vero vilia sunt, et maxime timidæ animæ et pusillanimes, viles sunt. *(II. Animæ timidæ viles sunt.)*

Huc referri potest expositio Sanchez, apta sane et congrua: *Si separaveris pretiosum a vili*, id est me meaque oracula a ludis et nugis ludentium, v. 17. ut has averseris, sicuti facis, illa sequaris et exsequaris, *quasi os meum eris*, id est, *stabis ante faciem meam*, accipies a me oracula, verba mea loqueris, erisque *quasi os meum*: quia non aliter loqueris, quam ut ego loquerer, aut quam a me tibi præscriptum est. Est enim os quasi lyra animata in qua dentes sunt quasi chordæ, lingua plectrum, ait S. Ambros. l. 6. Hexam. c. 9. anima et spiritus Dei afflatus, qui os movet et regit, in eoque modulatur prout vult.

Tertio, Maldonat. hæc explicare pergit de populo, q. d. Si, o popule, delectum habueris inter veros Prophetas et falsos. Verum iam dixi hæc Ieremiæ dici. III.

Quarto, S. Hieron. Chald. Theodoret. Hugo, S. Thom. Lyranus sic explicant, q. d. Si, o Ieremia, Iudæos ductiles et flexiles ab obduratis separaveris et converteris: vel potius, si dederis operam, ut ex vilibus, impiis, incredulis et rebellibus, facias credentes, obedientes, iustos, sicque IV.

eos separes, et, ut hebr. est, educas a sua præterita et aliorum adhuc rebellium præsenti impietate; eris mihi curæ, charus et coniunctus quasi os meum (sic vulgo dicimus ei quem valde diligimus: Amo te quasi oculos meos, quasi cor meum) quod voluntatem meam annuntiat et implet. Unde Chald. vertit: *Voluntatem verbi mei implebis;* et S. Hieronym. *eris sicut lex mea quæ animas convertit ;* et Theodoret. *Similis*, inquit, *eris verbo meo:* quia sicut ego verbo condidi universa, ita tu verbo impios convertes ad virtutem. Arabicus: *Eris ut sermo oris mei.* Aliter Vatablus et Isidor. *Quasi os meum eris*, id est, inquiunt, omne quod dixeris, ita certo præstabo, ac si ego dixissem.

Qui proximos convertunt, sunt os Dei.

Addit Chrysost. orat. 5. contra Iudæos: Os, inquit, eorum, qui proximos convertunt, est quasi os Dei, id est, tales Deo sunt simillimi et coniunctissimi, sicut os homini simillimum et coniunctissimum est. Secundo, tales sunt quasi Christus, et simillimi Christo, qui est os et verbum Patris ; Christus enim factus est homo, et crucifixus ad hoc ut animas converteret.

Denique audi S. Gregor. 18. Moral. 23. *Si separaveris*, inquit, *pretiosum a vili, quasi os meum eris: vilis quippe Deo est mundus præsens, pretiosa vero est anima humana: qui ergo pretiosum a vili separat, quasi os Domini vocatur ; quia per eum Deus verba sua exerit, qui ab amore præsentis sæculi, loquendo quæ potest, humanam animam evellit.*

Iustificatio impii maius est opus quam creare mundum.

Anima enim rationalis est gemma pretiosissima, quæ pluris valet quam cælum et terra totusque mundus: est enim ad imaginem Dei facta, Deique summa participatio, et, ut ille ait, divinæ particula auræ; ideoque S. August. et ex eo S. Thom. docent, quod conversio et iustificatio impii, maius, difficilius et potentius sit opus, quam creatio cæli et terræ. Quis ergo hanc gemmam purgare et salvare, etiam vitæ suæ impensa, non ambiat? Docet hoc D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 9. Virgilius, Ennium manu tenens, et legens, rogatus quid faceret, respondit: *De stercore aurum colligo.* Dicat hoc, qui animam convertere satagit: De stercore mundi aurum hoc, animam hanc, colligo et separo, quasi pretiosum a vili.

Hinc S. Ioannes Chrysostom. orat. 3. contra Iudæos tom. 5. docet, eum qui animam convertit, maius gratiusque donum Deo offerre, quam si templum ei construeret: *Unicum*, inquit, *templum diruit Deus Hierosolymis, et innumerabilia erexit illo longe venerabiliora. Vos*, inquit, *templum estis Dei viventis*: et inferius: *Nam etiamsi pecuniæ vim immensam dinumeraverit aliquis, nihil simile præstiterit ei, quod præstat is qui servat animam. Hæc est maior eleemosyna, quam decem millia talentorum, quam hic mundus universus, quantus quantus undique patet oculis: siquidem homo est toto mundo pretiosior: huius enim causa et cælum, et terra, et mare, et sol, et stellæ condi-* A *ta sunt.*

Convertentur ipsi ad te.) Id est ipsi Iudæi tibi infensi, fient tibi supplices, et subiicientur tibi, non tu illis; imo ipsi requirent te tuamque amicitiam, ut eis consulas, et pro eis ores. Patet cap. 21. tu vero mea virtute roboratus quasi murus æreus, non curabis nec requires eos. Secundo, Chaldæus explicat, q. d. Ipsi obedient verbis tuis, et te imitabuntur, tu non imitaberis mores et errores eorum.

Tropol. Tales debent esse Prælati, pastores et concionatores, ut scilicet cum Ieremia c. 5. 14. sint instar ignis, qui omnia in se convertit, et ipse in nihil convertitur: ut nimirum persistent in suo virtutis statu, populumque in suam charitatem et virtutem convertant; ipsi vero non convertantur ad eum, id est, populi vitia et mores non induant, iisque se non conforment.

Pastores debent ad se peccatores convertere, non vero converti ad illos.

Ita S. Monica orans pro filio suo Augustino Manichæo, vidit Angelum sibi dicentem: *Ubi tu es, ibi est et ille*, significans eum fore Catholicum: cumque Augustinus hoc B audiens eluderet, diceretque, hoc viso portendi, illam fore quandoque talem, qualis ipse erat, scilicet Manichæam, subiunxit illa: *Non*, inquit, *non enim mihi dictum est: Ubi ille, ibi et tu; sed, Ubi tu, ibi et ille*, ut refert S. August. l. 3. Confess. c. 11.

Visio S. Monicæ de S. August.

Ita S. P. N. Ignatius dicebat suos aliosque Religiosos sic agere debere cum sæcularibus, ut eos a sæcularibus colloquiis et desideriis ad sua, id est religiosa et divina, traducerent; non vero ipsi ad eorum sæculares mores et sermones descenderent, cum iisque quasi sæcularescerent. Quocirca hoc erat eius præceptum: *Ingredimini ad sæculares cum eo quod ipsorum est, sed egredimini cum vestro*, q. d. initio sæcularibus vos accommodate, et ad eorum colloquia descendite, sed sensim et suaviter altiora et divina inducite, eaque figite in eorum cordibus. Sic enim Apostolus ait: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes* C *facerem salvos.*

Hinc rursum infert D. Thomas, quod *Sancti non gaudent nec gloriantur, nisi in bono virtutis, maxime triplici, scilicet primo, in tribulationum passione. Roman. 5. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus. Secundo, in proximorum conversione. 2. Cor. 7. Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis. Tertio, in conscientiæ puritate. 2. Cor. 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.*

Sancti gloriantur in virtute triplici.

Secundo gloriantur Sancti in Deo, scilicet primo, in divina dilectione, ostensa per passionem Christi. Gal. ult. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Secundo, in divina cognitione. Ier. 9. In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me. Tertio, in divina imitatione. Eccli. 23. Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo. Hucusque D. Thomas.

Et in Deo tripliciter.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur Deus stragem extremam per Chaldæos, illamque miris modis exaggerat; ideoque monet Ieremiam, ne in Iudæa uxorem ducat, neque liberos procreet: fore enim ut omnes patres, matres, filii moriantur, in tanta copia, ut nemini futurum sit sepulcrum, aut iusta funebria. Tanti vero mali causam esse peccatum asseverat. Deinde v. 16. Iudæos consolatur, prædicens liberationem e captivitate per Esdram, et maxime per Christum et Apostolos, qui non solum Iudæos, sed et Gentes plurimas ab ultimis terræ finibus Dei cognitione et cultu imbuent.

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii et filiæ in
loco isto. 3. Quia hæc dicit Dominus super filios et filias, qui generantur in loco isto, et super matres
eorum, quæ genuerunt eos: et super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac: 4. Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, et non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt: et gladio et fame consumentur: et erit cadaver eorum in escam volatilibus cæli, et bestiis terræ. 5. Hæc enim dicit Dominus: Ne ingrediaris domum convivii, neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos: quia abstuli pacem

meam a populo isto, dicit Dominus, misericordiam et miserationes. 6. Et morientur grandes et parvi in terra ista: non sepelientur neque plangentur, et non se incident, neque calvitium fiet pro eis. 7. Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: et non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo et matre. 8. Et domum convivii non ingrediaris, ut sedeas cum eis, et comedas et bibas: 9. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, et in diebus vestris, vocem gaudii, et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ. 10. Et cum annuntiaveris populo huic omnia verba hæc, et dixerint tibi: Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? quæ iniquitas nostra? et quod peccatum nostrum, quod peccavimus Domino Deo nostro? 11. Dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus; et abierunt post deos alienos, et servierunt eis: et adoraverunt eos: et me dereliquerunt, et legem meam non custodierunt. 12. Sed et vos peius operati estis, quam patres vestri: ecce enim ambulat unusquisque post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat. 13. Et eiiciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos, et patres vestri: et servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. 14. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti, 15. Sed, Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra aquilonis, et de universis terris, ad quas eieci eos: et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum. 16. Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos: et post hæc mittam eis multos venatores et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum. 17. Quia oculi mei super omnes vias eorum: non sunt absconditæ a facie mea, et non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis. 18. Et reddam primum duplices iniquitates, et peccata eorum: quia contaminaverunt terram meam in morticinis idolorum suorum, et abominationibus suis impleverunt hæreditatem meam. 19. Domine fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis: ad te gentes venient ab extremis terræ, et dicent: Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit. 20. Numquid faciet sibi homo deos, et ipsi non sunt dii? 21. Idcirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc, ostendam eis manum meam, et virtutem meam: et scient quia nomen mihi Dominus.

Vers 2. NON ACCIPIES UXOREM, etc. IN LOCO ISTO.) In Anathoth, ait Vatablus. Melius Lyranus, in Iudæa, quia illa iamiam vastabitur: ne super dolorem proprium, uxoris et liberorum miseriis torqueare, ait S. Hieron. Hinc patet Ieremiam mansisse cælibem et virginem: nec enim dubium est, quin ipse Deo, id hic præcipienti, paruerit.

Ieremias mansit virgo.

ET NON ERUNT.) Ne sint, id est, ne procrees proles. Futurum ponitur pro imperativo.

Vers. 4. MORTIBUS ÆGROTATIONUM MORIENTUR.) Id est, variis ægrotationibus et morbis, ex fame, bello, eiusque ærumnis profectis morientur. Ita Chald. et Vatabl. Unde Septuag. vertunt, θανατω νοσερω, id est, morte morbida, sive a morbo profecta, morientur.

NON PLANGENTUR.) Quia non erit qui plangat, et ex continuis funeribus superstites discent defunctos non curare, nec plangere, uti fieri solet in magna pestilentia; tunc enim homines dedolere, omnemque pestis, mortis, funeris et sepulcri sensum perdere solent. Hinc mortui ob copiam manebunt insepulti, et in viis vicisque quasi in sterquilinio iacebunt et computrescent.

Vers. 5. NE INGREDIARIS DOMUM CONVIVII.) Scilicet luctus in funere; hebraice enim est מרזח *marzeach*, quæ vox significat convivium funebre, in exsequiis mortuorum ad consolandum propinquos mortui parari solitum, quod Græci περιδειπνα, Latini parentalia quasi per ea parentibus iusta celebrentur, vocant, ait S. Hieron. Id imitantur Christiani, qui non solum propinquis sed et pauperibus dant epulum, quod Hispani charitatem vocant, sicut olim veteres αγαπην vocabant. Idem fecerunt Gentiles Romani et Græci, uti docet Alex. ab Alex. lib. 3. Gen. c. 7.

Parentalia tempore Ieremiæ celebrabantur.

Præcipitur ergo Ieremiæ, ait S. Hieron. et Lyran. ne ullum de populo consoletur, ne se misceat inimicorum Dei conviviis, ne iusta celebret super funeribus defunctorum, qui iuste ob scelera a Deo sunt cæsi. Non enim decet ut viri pii, præsertim Prophetæ, illorum honestent exsequias, itaque eorumdem vitam laudent, et probent, quorum actus et mores Deus exsecratur et damnat.

Alii censent hic præcipi Ieremiæ, ut prædicat talem fore stragem, et communem perturbationem, ut in funere suorum, cognati negligant, ea quæ passim adhiberi solent, qualis est publicus et legitimus planctus, attonsi crines, laceratæ genæ, ferales epulæ, omnisque funeris pompa. Ita Sanchez. Imperativi ergo hic, uti et alibi in Psalmis et Prophetis exponendi sunt per futurum: *ne ingrediaris*, id est non ingredieris, *domum convivii* funeralis, utpote quod non erit; nec enim illud dabunt, aut curabunt cognati: *neque vadas*, id est, non vades tu, aut alius quispiam *ad plangendum;* non enim erit solitus funerum planctus: *neque consoleris*, id est, non consolaberis, *eos*, uti fieri solet in amicorum morte. Hæc enim omnia cessabunt, ut dixi. Verum prior sensus planior et verior est: plane enim hæc verba sonant præceptum Ieremiæ a Deo datum, illudque iteratur, v. 8. finis tamen præcepti est ille quem secunda expositio assignavit; sed aliud est præceptum, aliud finis præcepti: præceptum enim hic dat Deus, finem vero præcepti explicat v. 6. et 9.

NON SE INCIDENT.) Nullo honore funebri, sive Iudæis, sive Gentilibus usitato, prosequentur mortuos, q. d. Tam ingentibus et subitis miseriis et cladibus opprimentur Iudæi, ut illæ paucis qui reliqui erunt, mortuorum sensum adimant, et feliciores censeant mortuos, quam viventes. Ita Lyranus. Vers. 6.

Notat S. Hieron. moris fuisse apud veteres: et usque hodie, ait, moris est apud quosdam Iudæorum, ut in luctu scalpellis incidant lacertos, et calvitium faciant, uti fecit Iob c. 1. v. 20. quod licet Iudæis quasi gentilismum sapiens, et nimio mœrore spem resurrectionis imminuens, esset inhibitum, Deuteronom. 14. 1. multi tamen Iudæi, Gentes imitantes, id faciebant. Dicit ergo Propheta nunc fore, ut quod sponte iuxta legem Dei facere noluerant, necessitate faciant: tanta enim erit morientium multitudo, ut nemo sit, qui se pro mortuo incidat aut calvitium faciat.

Gentiles in luctu incidebant se.

ET NON FRANGENT INTER EOS LUGENTI PANEM.) q. d. Tanta erit strages Iudæorum, ut ipsi invicem in morte charissimorum consolari non curent; imo vix supersint, qui filiis in morte parentum lugentibus, de more cibum et vinum propinent ad dolorem mitigandum. Hoc enim factitasse non tantum Iudæos, sed et Christianos ab olim, docet S. Clemens l. 8. Constit. 24. et S. Chrysost. homil. 37. in Matth. Vers. 7.

ET DOMUM CONVIVII NON INGREDIARIS.) Convivium hic non funerale, ut ante, sed festum et geniale, quale dari solet in nuptiis, festis, victoriis, etc. intellige. Patet ex sequentibus: vult enim Deus Ieremiam abstinere suorum civium conviviis, ut hoc ipso significet tempus esse luctus, non gaudii, utque reipsa portendat omnes epulas et gaudia mox adventante hoste Chaldæo cessatura. Vers. 8.

VOCEM SPONSI, ET VOCEM SPONSÆ.) Cantiones nuptiales et lætas, quales erant apud Gentiles Hymenæi. Vers. 9.

ET, id est idcirco, EIICIAM VOS DE TERRA HAC, IN TERRAM QUAM IGNORATIS.) In Chaldæam. Hanc enim plebei Iudæorum non viderant, eiusque situm, conditiones et mores ignorabant.

A Et servietis ibi diis alienis.) Est concessio, q. d. Poteritis ibi usque ad satietatem servire idolis, ad quæ ita anhelatis, imo insanitis; aut, cogent vos Chaldæi servire diis ipsorum: sed illi.

Non dabunt vobis requiem.) q. d. Non liberabunt vos a captivitate, aliisque malis dii Chaldæorum, nec cultores eorum; sed serviliter et crudeliter vos tractabunt, et ab uno labore et ergastulo æque ac peccato et idolo in aliud impellent. Sic facit dæmon peccatori, sicut Pharao fecit Hebræis. Unde hebraice est: *Non dabo vobis clementiam* vel *misericordiam*, scilicet invenire apud deos alienos et Chaldæos hostes vestros. *Quidquid peccamus*, inquit S. Hieron. *quidquid malorum operum die ac nocte facimus, imperium est dæmonum, qui numquam nobis dant requiem, sed semper impellunt delictis augere delicta, et cumulum facere peccatorum.*

Quidquid mali facimus, imperium est dæmonum.

Vers. 14 Non dicetur ultra.) Iudæi cum iurabant, honoris et gratitudinis causa, solebant addere Dei nomini epitheton Liberatoris ex Ægypto: hic autem Ieremias prædicit, post Babylonicam captivitatem, fore ut iurent per deum liberatorem non ex Ægypto, sed ex Babylone; ut significet graviorem fore captivitatem Babylonicam quam fuerit Ægyptiaca; ita ut Iudæi acerbitate præsentis, veteris obliviscantur, ac consequenter quod Deus eis maius beneficium præstabit liberando eos ex Babylone, quam olim præstiterit liberando eos ex Ægypto.

Vers. 15. Reducam eos in terram suam.) Scilicet ex Babylone in Iudæam. Ita Theodor. et S. Thom. Secundo et potius, ex Babylone, id est ex confusione peccati, in terram spiritualem gratiæ et Ecclesiæ, quæ Abrahamo et patribus est promissa et data inchoative ac typice; sed vere et plane tradita est per Christum. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, Sanchez et alii.

Vers. 16. Ecce ego mittam piscatores etc. et venatores.) Theodor. Hugo, Lyran. Vatablus, Capella et a Castro, per *piscatores et venatores*, accipiunt Chaldæos, qui Iudæos quasi pisces reti (ut ait Habacuc 1. 14.) obsidionis cinxerunt et ceperunt: deinde Sedeciam cum suis fugientem ad montes, quasi feras venati et insectati, e latibulis extraxerunt et captivarunt. Vel, ut S. Thom. et Hebræi, *piscatores* sunt Chaldæi, *venatores* sunt Titus et Romani. Sic tropol. *piscatores et venatores* animarum, sunt dæmones. Alii per utrosque, accipiunt Cyrum et Darium, qui Iudæos Babylone dimiserunt in patriam.

Verum nostri orthodoxi, ait S. Hieron. rectius de futuro, scilicet de Ecclesia Christi, hæc accipiunt: avolat enim Propheta ad Christum, iuxta can. 4. ita tamen, ut, teste S. Hieron. Raban. Hugone, perstringat rem præsentem, scilicet liberationem e Babylone per Zorobabel, Iesum et Esdram, qui Iudæos profugos et dispersos, quasi piscatores et venatores, collegerunt et reduxerunt. *Piscatores* ergo, ait S. Hier. proprie sunt Apostoli, Matth. 4. 19. qui tam Gentes quam Iudæos Christo piscati sunt. Unde v. 19. ait: *Ad te gentes venient ab extremis terræ.* Post hos sequuntur *venatores*, id est Ecclesiastici et Religiosi viri, qui venantur homines, ut faciant sanctos, de montibus excelsorum dogmatum, et de collibus bonorum operum, et de cavernis petrarum, id est, de institutione Apostolorum et Apostolicorum virorum, ut eos imitentur. Vel potius magisque ad litteram qui omnes homines, etiam feros, uti Indos, Uros, Brasilios, etc. in montibus et cavernis quasi feras habitantes venantur, ut Christo mansuefaciant, uti fecit S. Xaverius eiusque asseclæ. Ita Origenes, S. Hieron. Raban. Tertull. lib. 4. contra Marcion. 9. Ambros. ser. 6. in Ps. 118. Aug. tract. 10. de Utilit. ieiunii c. 9.

Piscatores sunt Apostoli. Venatores sunt viri Apostolici.

Tales venatores cælestes vidi in collegiis variis, nominatim in Leodiensi, qui carbonarios et Ardennates in fodinis et fornacibus æris et ferri quasi Cyclopes et Brontes; ac Œnipontano, qui montanos in Alpibus, quasi eremitas, imo quasi feras in lustris sparsim habitantes, per gelu et æstus, per famem et sitim, ingenti labore et sudore, æque ac zelo vestigant, capiunt, erudiunt, viamque in cælum edocent, atque Alpicolas faciunt cælicolas, imo Deicolas.

Anagogice, *piscatores et venatores*, sunt Angeli qui in fine mundi, undequaque ex sepulcris et speluncis cineres et ossa Sanctorum colligent, ut a Deo animentur et resurgant.

Tropol. *montes et colles*, sunt superbia, et pusillanimitas, aliaque vitia; *cavernæ*, sunt malæ consuetudines, etc. inde has feras, id est homines impios et impuros, educere debent pastores, aliique qui animarum lucris incumbunt. Audiant ipsi exhortationem acrem S. Basilii in illud Deuter. 15. *Attende tibi*, iuxta Septuag. *Habet*, inquit, *domus Dei, quæ Ecclesia viventis est, viatores, architectos, ædificatores, agricolas, pastores, athletas, milites, venatores missos a Deo ita monente: Ecce ego mittam multos venatores, et venabuntur multos. Attende igitur multa cum diligentia, ne forte fugiat te præda, ut efferatos per improbitatem, verbo veritatis convictos, Salvatori offeras. Viator es, ei similis qui orabat, Gressus meos dirige. Attende tibi ipsi, ne qua exorbites, neu ad dexteram deflexeris aut sinistram: progreditor via regia. Architectus, solido tutove in loco iaciat et collocet fidei fundamentum, quod est Iesus Christus. Ædificator, quo pacto ædificet videat, ut ne ligna, non fœnum neque calamum: sed aurum, argentum, lapides pretiosos. Pastor es? palabundum pecus et erraticum convertito: quod conquassatum est et contritum, colligato: quod ægrotum, sanato. Agricola es? ficum, si infructuosa est, circumfodito, illique ingerito quæ conductura noveris ad edendos fructus. Miles es? collabora Evangelio, milita bonam militiam contra spiritus nequitiæ, adversum vitiosas carnis affectiones induitor omnem armaturam Dei. Athleta es? imitare Paulum et cursu contendentem, et in palæstra colluctantem, et in agone pugillari decertantem: in adversarium, immotum oculum intendito fixius; animo sis non supino, sed arrecto et pervigili.*

Insignis exhortatio S. Basilii ad pastores, etc.

Quia oculi mei super omnes vias eorum.) q. d. Non latent me eorum viæ, quibus Chaldæos hostes suos fugient, sicut eorum iniquitates me non latuerunt: itaque potero eos per venatores meos ex omnibus latebris æque ac iniquitatibus extrahere. Vers. 17

Nota: Prophetæ loqui solent de Gentium et impiorum conversione, quasi de ultione, captivitate, piscatione et venatione; quia Deus in iis ulciscitur, piscatur, venatur et capit scelera moresque impios, ut eos cicuret, et in alios mores hominesque transformet. Vide can. 46.

Et reddam.) q. d. Primo tamen antequam mittam piscatores, pro meritis puniam duplices, id est multiplices eorum iniquitates, ut sic afflicti ad me recurrant et opem implorent. Ita Deus punivit Iudæos per Antiochum Epiphanem eiusque posteros, atque per Pompeium, Cæsarem, aliosque Romanos. Ita pariter punivit Gentiles, dum singula eorum regna et monarchias ante Christum bellis exhausit et destruxit: sic enim Persas per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per sese invicem, perque bella civilia punivit et vastavit. Vers 18.

D Nota τὸ *duplices*, id est patrum et filiorum, inquit Isidorus. Secundo, S. Hieron. *duplices*, inquit, quia duplo graviores fuerunt iniquitates Iudæorum Dei legem cognoscentium, quam gentium ignorantium. Tertio et optime, *duplices*, id est multiplices. Vide dicta 1. Timoth. 5. 17.

In morticinis.) *Morticina* vocat cadavera filiorum et animalium, quæ idolis immolabant. Ita Theodor.

Ad te Gentes venient.) Per *Gentes* Chald. et Vatab. accipiunt Iudæos a Chaldæa redeuntes in Ierusalem. Secundo, S. Thomas et Lyranus accipiunt Gentes ad iudaismum conversas, et cum Iudæis e Babylone redeuntes in Iudæam. Tales enim plures exstitisse, patet 1. Esdræ 6. 21. et Esther 8. 17. Tertio et optime, S. Hieron. Rabanus, Theodor. a Castro, Euseb. 5. Demonstr. 30. S. Thom. Lyran. et S. Aug. lib. 1. de Consens. Evang. 26. accipiunt Gentes ad Christum et Ecclesiam conversas, quibus Deus ostendet suam *manum et virtutem*, id est Christum, qui Dei virtus est et potentia, eiusque signa et miracula potentissima, maxime quod per pauperes et Vers 19

viles piscatores, totum mundum convertet: hi dicent, *Vere mendacium*, id est mendaces Deos et idola, *possederunt*, vel, ut hebr. est, hæreditarunt, *patres nostri*, quia eos, iure quasi hæreditario, a patribus suis acceperunt et coluerunt.

Vers. 20. NUMQUID FACIET?) Numquid convenit aut decet facere? minime, q. d. Quæ insania est, facere hominem sibi ipsi deos, quos videt veros non esse, sed falsos, mutos et saxa? Hæc dicunt Gentes cum ad Deum convertuntur.

OSTENDAM EIS MANUM MEAM.) Potentiam meam, in Vers. 21.
tam mira et efficaci eorum conversione, in tot miraculis, gratiis, virtutibus et donis Spiritus sancti. Ita S. Hieron.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Iudæorum peccatum scriptum in aris idolorum, et in cordibus Iudæorum esse indelebile, nec nisi excidio delendum: hinc v. 5. ait, maledictum esse qui confidit in homine, et benedictum qui confidit in Domino; idque eleganti similitudine myricæ aridæ, et arboris irriguæ; atque perdicis ovis alienis incubantis illustrat. Unde v. 13. asserit, quod recedentes a Domino, in terra scribentur. Tertio, v. 14. orat ut Deus eum contra Iudæos tueatur; Quia, inquit, non sum turbatus, te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi, tu scis. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Quarto, v. 19. hortatur ad observationem sabbati, et consequenter ad omnem Dei cultum.

1. PECCATUM Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, et in cornibus ararum eorum. 2. Cum recordati fuerint filii eorum ararum suarum, et lucorum suorum, lignorumque frondentium, in montibus excelsis, 3. Sacrificantes in agro: fortitudinem tuam, et omnes thesauros tuos in direptionem dabo, excelsa tua propter peccata in universis finibus tuis. 4. Et relinqueris sola ab hæreditate tua, quam dedi tibi: et servire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras; quoniam ignem succendisti in furore meo, usque in æternum ardebit. 5. Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius. 6. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, et inhabitabili. 7. Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius. 8. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium eius viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. 9. Pravum est cor omnium, et inscrutabile; quis cognoscet illud? 10. Ego Dominus scrutans cor, et probans renes: qui do unicuique iuxta viam suam, et iuxta fructum adinventionum suarum. 11. Perdix fovit quæ non peperit: fecit divitias, et non in iudicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens. 12. Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ. 13. Expectatio Israel Domine: omnes, qui te derelinquunt, confundentur: recedentes a te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. 14. Sana me Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero: quoniam laus mea tu es. 15. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Domini? veniat. 16. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. 17. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. 18. Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego: paveant illi, et non paveam ego: induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos 19. Hæc dicit Dominus ad me: Vade, et sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Iuda, et egrediuntur, et in cunctis portis Ierusalem: 20. Et dices ad eos: Audite verbum Domini reges Iuda, et omnis Iuda, cunctique habitatores Ierusalem, qui ingredimini per portas istas. 21. Hæc dicit Dominus: Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Ierusalem. 22. Et nolite eiicere onera de domibus vestris in die sabbati, et omne opus non facietis: sanctificate diem sabbati, sicut præcepi patribus vestris. 23. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam: sed induraverunt cervicem suam, ne audirent me, et ne acciperent disciplinam. 24. Et erit: Si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis huius in die sabbati: et si sanctificaveritis diem sabbati, ne faciatis in eo omne opus: 25. Ingredientur per portas civitatis huius reges et principes, sedentes super solium David, et ascendentes in curribus et equis, ipsi et principes eorum, viri Iuda, et habitatores Ierusalem: et habitabitur civitas hæc in sempiternum. 26. Et venient de civitatibus Iuda, et de circuitu Ierusalem, et de terra Beniamin, et de campestribus, et de montuosis, et ab austro, portantes holocaustum, et victimam, et sacrificium, et thus, et inferent oblationem in domum Domini. 27. Si autem non audieritis me ut sanctificetis diem sabbati, et ne portetis onus, et ne inferatis per portas Ierusalem in die sabbati: succendam ignem in portis eius, et devorabit domos Ierusalem, et non extinguetur.

Vers. 1. PECCATUM IUDA SCRIPTUM EST (hebr. כתובה *ketuba* id est inscriptum, insculptum, et quasi stigmate notatum est) STYLO FERREO.) Veteres olim scribebant stylo ferreo, sed in tabulis ceratis. Unde Ovidius:

Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.

Veteres scribebant stylo ferreo, Romani osseo.

Romani vero scribebant stylo osseo, teste Isidoro l. 6. c. 9. Obiicit Capella: adamas est indomabilis, nec cedit ferro: ergo in eo stylo ferreo scribi nequit. Respondet Delrio adagio 816. olim viguisse artem scribendi ferro probe præparato in adamante, additis quibusdam pulveribus, quam nostra ætate Iacobus Tressius Philippi II. Regis Hispan. gemmarius in lucem revocavit.

IN UNGUE ADAMANTINO.) In tabula vel lapide adamantino, qui *unguis* dicitur ob nitorem et lævitatem. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thomas, q. d. Peccatum Iuda scriptum est in corde Iudæ adamantino, id est obstinatissimo, ubi in perpetuum maneat, et legatur; adamas enim durissimus est, imo ferro durior. Sic ait Iob. cap. 19. 23. *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?* ut scilicet sint indelebiles et perpetui. Sic ait Claudianus l. 2. contra Ruffinum:

Voces adamante notabat Atropos.

Huic expositioni favet versio Arabica: *Peccatum Iuda scriptum est calamo ex ferro super ungues unguis*, id est super adamantem, uti iam dixi, *obsignatum in ianuis* (aditibus) *cordium eorum, et tabulis ararum illorum.*

Minus recte aliqui per *ungues unguis*, accipiunt onycham, quod est genus aromatis simile ungui (qui græce ὄνυξ dicitur) quasi peccatum Iuda scriptum sit in onycha, eo quod illam non Deo, sed idolis adoleverint, contra legem Exodi 30. 34. In onycha ergo exstare peccati memoriam.

Secundo et melius, Syrus vertit: *Peccatum Iuda est scriptum calamo ferri, et ungue adamantis, obsignatum super tabulas* (pugillares) *cordis eorum.* Quod ergo Noster vertit, *in ungue*, id est *et ungue*: Hebr. enim *bet*, id est *in*, sæpe significat instrumentum; iam *ungue*, id est cuspide, calamo, stylo, graphio adamantino: unguibus enim avium duris et acutis, quasi calamis vel stylis, ad sculpendum olim uti, iisque, laminis literas incidere et inscribere solebant. Ita Septuag. Chald. Origen. Vatabl. Pagnin. Tabula enim in qua hoc peccatum scriptum est, est latitudo cordis, quam Sept. et alii vocant tabulam cordis, id est, conscientiæ eorum, qua nihil est potentius, ait Theodoret. q. d. Peccatum Iudæ (puta idololatria) est indelebile et irremissibile, estque indelebiliter exaratum in conscientia eorum, et in cornibus altarium sanguine victimarum cruentatis. Hæc enim sunt perpetua monumenta et testes, imo literæ et lituræ idololatriæ eorum, perinde ac si eis illa insculpta fuisset stylo ferreo, vel adamantino, non atramento scripta, quod facile deleri aut eradi potest, q. d. Ita cordi et conscientiæ Iudæorum infixum est peccatum, ut conscientia peccati imaginem et formam sumpserit; quæ Dei oculos ita semper verberat, ut fixam de eorum excidio sententiam tulerit. Ita S. Hier. Theodor. Raban. vide Origen. hic. Adde, *in cornibus* altaris scribi solebat nomen vel symbolum aut imago idoli, cui ibi sacrificabatur: unde Paulus in ara scriptum invenit: *Ignoto Deo*, Actor. 17. 13. Duo ergo significat hoc loco, scilicet peccatum Iudæorum neque deleri posse (id est vix posse:) neque latere, cum in publicis aris scriptum sit. Hic sensus gravis est, solidus et genuinus. Lyranus et aliqui Hebræi, Hebr. שמיר *sciamir*, id est adamas, putant esse vermem, cuius sanguis vim habet cavandi et incidendi lapides; verum hic vermis non habet unguem.

Peccatum Iudæorum indelebiliter scriptum est in corde.

Aris inscribebant nomen idoli.

Tertio, probabiliter Sanchez hic et prolegom. 9. in Cantica, per peccatum accipit idolum, per unguem adamantinum gemmam inclusam annulo, per latitudinem cordis laminam a collo usque ad cor demissam, cui æque ut gemmæ, idoli sui imaginem insculpebant, ut eam in annulo et pectore semper gestarent, et ostentarent se talis idoli esse cultores. Sic Osee c. 2. ait, *auferat adulteria* (id est idola, cum quibus spiritaliter fornicatur) *sua de medio uberum suorum*: quia inter ubera et supra cor laminam gestabat, aut bullam in qua idolum cælatum erat. Sic Iacob defodiens idola suorum, simul et inaures cuiusque defodit: quia scilicet in iis gestabant effigies idolorum suorum, uti docet S. August. in Genes. q. 112. et S. Chrysost. homil. 35. in Genes. Lyran. et Glossa. Porro Sept. et Chaldæus indicant eos in manibus quoque, id est in annulis, habuisse has deorum suorum effigies. Sic enim vertunt Genes. 35. 4. *Dederunt Iacob deos alienos qui erant in manibus eorum, et inaures quæ erant in auribus eorum.* Sic ex adverso in annulis, bullis et laminis describendam et gestandam esse Dei legem, monet Sapiens Proverb. 7. 3. *Liga*, ait, *ea in digitis tuis, scribe ea in tabulis cordis tui.* Et sic Iudæi in phylacteriis eam descriptam gestabant. Hoc etiam est quod sponsam monet sponsus Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, q. d. Me meique effigiem gesta semper cælatam in lamina vel bulla cordis, atque in armilla brachii tui. Cuius contrarium sanxit Pythagoras vetans Deum in annulo cælari, ne res sæpius occursans vilior fieret.

Moraliter Theod. docet tabulam adamantinam esse conscientiam. *Nihil*, ait, *potentius conscientia, in qua scilicet infixæ literæ sunt solidæ. Nam licet omnes homines, suæ ipsorum conscientiæ de bona vita testificari conentur; peccata nihilominus eorum qui mentiuntur, conscientia, ferre nequit, sed percutitur ac perforatur, incorruptamque profert sententiam. Quod et hic dicit: Facinora scilicet te arguunt, et conscientia tua testimonium præbet*: maximeque præbebit in die iudicii, de quo Origen. hom. 12. *Nudabitur*, inquit, *pectoris mei conscientia, et aperto corde videbuntur literæ peccatorum, quæ stylo ferreo in ungue adamantino scriptæ sunt, atque universa spectantium multitudo leget in pectore meo signatas imagines peccatorum.*

Allegor. indelebile fuit peccatum Iudæorum Christum occidentium, et Iudæ proditoris, ait Euseb. 19. Demonstr. 5. licet ipse male ad literam cum hic intelligat; nam Iuda, non est Iudas proditor, sed populus Iudæorum.

Anagogice, peccatum obstinatorum, a Deo proiectorum, et præsertim damnatorum, scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, scriptum est indelebiliter in immobili mente Dei, in æterna Dei reprobatione, scriptum est in libro mortis, scriptum est in libro Luciferi, scriptum est in inferno igneis literis: ut in æternum nulla aqua, nullis lacrymis, nullo nitro deleri aut eradi possit; scriptum est in iugi memoria et conscientia damnatorum, quæ instar vermis iugiter eos rodit et pungit, dicens: Cur hoc peccatum damnabile fecisti? stulte, cur ob momentum turpis voluptatis, has tibi pœnas æternas accersivisti? insane, quid fecisti, ut habitare debeas cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis? O infelix peccator, utinam hoc nunc, cum te inebrias, cum luxuriaris, saperes, utinam intelligeres, utinam novissima provideres! Deus enim in universali iudicio hanc scripturam leget, omnibusque hominibus et angelis legendam proponet, cum libri huius scripturæ aperientur, Apocal. 20. v. 12. atque tunc omnium iudicio et consensu damnaberis, et detruderis in tartara.

Quatuor primos versus huius capitis omiserunt Sept. quod S. Hieron. in gratiam et honorem populi sui eos fecisse putat. Verum quia hi versus in Complutensibus et Regiis Bibliis, et apud Origenem et Theodor. leguntur, hinc potius videntur ex aliis exemplaribus excidisse.

Cum recordati fuerint.) Scilicet filii, suos parentes peccasse, et punitos esse, tunc videant et caveant eorum peccata et punitionem. Ita Vatabl. q. d. Aræ hæ, sunt filiis in monumentum pœnæ et culpæ parentum, ut ab utraque sibi caveant. Vers. 2.

Secundo et melius, q. d. Cum filii recordati fuerint peccata patrum, ut scilicet ea imitentur sacrificantes idolis, sicque impleant mensuram peccatorum, qua impleta, ego vindictam sumere decrevi; tunc omnia tua, o Iuda, hostibus dabo, et tu omnino desolata relinqueris. Ita S. Thomas, Hugo, Lyran. Et patet ex v. seq. ubi sententia hic suspensa expletur.

Aliter Sanchez. Illud, ait, *cum recordati fuerint*, temporis est præteriti, non futuri, et idem valet, atque *quia recordati sunt*, scilicet practice, ararum suarum, in iis idolis suis sacrificando, ideo thesauros eorum in direptionem dabo. Qui sensus fere cum eo quem iam dedi coincidit.

Tertio, Vatabl. vertit: *Ut iucunda est recordatio liberorum charissimorum;* sic gratæ sunt illis aræ eorum. Secundus sensus est genuinus, eumque exigit nostra versio Latina.

Sacrificantes.) Hebr. est הררי *harari*, id est ut Septuag. Vatabl. et alii vertunt, *o montane*, id est ut Chald. o Iuda, qui in montibus versaris, ut ibi idola colas, iisque sacrifices; ego pariter in agro et montibus tua bona hostibus diripienda exponam. Vers. 3.

Fortitudinem.) Id est opes, substantiam; hæc enim est hebr. חיל *chel.*

Excelsa tua.) Aras et templa tua, quæ idolis in montibus locisque excelsis erexisti.

Relinqueris sola ab hæreditate tua.) Scilicet quasi deserta, et expoliata hæreditate tua. Vers. 4.

Vatabl. Pagnin. et alii vertunt, quiesces, vel remissio-

nem facies, et (illa remissio erit) in te ab hæreditate tua, A quam dedi tibi, q. d. Præceperam tibi Exod. 23. 11. ut septimo quoque anno agros incultos relinqueres, essetque sabbatum terræ, tu hoc neglexisti: quare terra dabit tibi et sibi quietem, non septem, sed septuaginta annis captivitatis tuæ, tu non possis eam colere, iuxta comminationem Levit. 26. v. 33. et 34. Sic Deus nolentes se privare ad eius iussum parvo lucro aut voluptate ad modicum tempus, privat eadem ad septuplum, id est septuaginta annis, imo in æternum. Ita a Castro.

Ignem succendisti in furore meo.) Id est ignem furoris mei succendisti, qui te acri et ignita vindicta persequetur iugiter. Est hendyadis, ut supra c. 15. 14. et Isaiæ 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis.*

Vers. 5 Maledictus homo (hebr. הגבר *hagheber*, id est vir, q. d. Virilitatem suam exuit) qui confidit in homine.) Hebr. באדם *baadam*, id est in Adam, qui ex adama, id est ex terra, terreus est, carneus ac infirmus. B

Et ponit carnem, id est hominem carneum et fragilem, brachium suum.) Ut scilicet eo quasi brachio potenter se tueatur, q. d. Homo caro est, non os: si ergo huic carni quasi ossi innixeris, cum ea corrues, et tuo damno senties carnem fuisse, non os. Dedit paulo ante cladis Iudæorum causam unam, scilicet idololatriam: hic dat alteram, scilicet confugium ad homines, relicto, imo invito Deo, qui eis suam offerebat et spondebat opem. Taxat Sedeciam et Iudæos, qui, relicto et contempto Deo, confugiebant ad auxilia Ægyptiorum, de quibus ait Isaias 31. v. 3. *Ægyptus homo et non Deus.* Ita Theodor. Hugo, S. Thom. et Lyran. Hic ergo est *maledictus*, quia a Deo, angelis, et bonis omnibus, quasi Cain alter, est desertus. Secundo, ut a Castro, quia talis est quasi arbor diis inferis devota, in quam omnia prodigia, portenta, fulmina, maledicta incidebant, in quam homines omnem infelicitatem quasi in rem exsecrandam, et terræ cæloque infensam proiiciebant, et verbis factisque imprecabantur; unde mox eum comparat myricæ et arbustis deserti. C Nota. Carpit hic Propheta eos qui in homine tamquam in Deo, aut magis quam in Deo, aut ita ut non in Deo confidebant: nam in Sanctis tamquam amicis Dei merito confidimus, et B. Virginem post Deum spem nostram appellamus: ita Maldonat.

Sperans in homine est quasi arbor diris devota.

Symbolice, S. August. de Gratia et liber. arbitrio c. 4. *Brachium*, inquit, *pro potentia posuit operandi: in nomine autem carnis intelligenda est humana fragilitas, ac per hoc firmat carnem brachii sui, qui potentiam fragilem atque invalidam, id est humanam ad bene operandum sibi sufficere putat, nec adiutorium sperat a Domino; propter hoc enim subiecit: Et a Domino recedit cor eius. Talis est hæresis Pelagiana.*

Vers 6. Erit enim, qui in homine confidit, quasi myricæ.) Hebr. ערער *arar*, quod Vatabl. *iuniperum;* alii *ericam;* sed Noster, Septuag. Pagnin. et alii vertunt, *myricam*, quæ tamarix dicitur: estque, teste Plin. l. 24. 9. et Dioscor. l. 1. c. 99. duplex; una hortensis, fructum habens asperum; secunda silvestris, de qua hic, quæ humilis est; unde Virgil. ecloga 4.

Non omnes arbusta iuvant humilesque myricæ.

Hæc dicitur maledicta, et, ut ait Plinius, infelix et religione damnata, quia sterilis est nec fert fructum, et in solitudine sola nascitur, vilis, depressa, abiecta. Unde myrica Hebræis symbolum est hominis humilis, abiecti et nullius pretii: hinc Ps. 102. 18. in Hebr. est, *respexit* (Deus) *ad rationem myricæ*, id est humilium, ut explicat noster Interpres. Addit Basil. hom. 5. Hexam. et ex eo S. Ambros. l. 3. Hexam. c. 6. myricam esse ambiviam, id est aquaticam esse, et etiam nasci in desertis: sic peccator, qui, Deo relicto, in homine spem ponit, primo, non habebit bonum successum; secundo, nullum feret fructum; tertio, cælestis gratiæ et sapientiæ pluvia destituetur; quarto, solus erit a Deo et hominibus derelictus; quinto, dæmoni et tyrannis obiicietur, uti Sedecias Chaldæis. Omnes denique homines sunt quasi myricæ ambiviæ, id est dubiæ et inconstantis fidei.

Myrica symbolum est humilis et abiecti: item peccatoris sperantis non in Deo sed in homine.

Non videbit, non experietur, non sentiet, cum venerit bonum.) Id est pluvia: hæc enim est votum et bonum exoptatum ab arvis et plantis siccis et sitientibus. Unde sequitur:

Sed habitabit in siccitate.) q. d. Etiam, cum pluet super alios, non pluet super eum, aut super eius agros: *pluviam enim voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ*, Ps. 67. 10. Talis ergo in summa erit desolatione.

Nota: Propheta tres ponit effectus peccati et diffidentiæ Dei, ac spei in creaturis: primus est, desertum id est segregatio a Dei, Angelorum et Sanctorum ope et consortio; secundus est, siccitas, id est defectio gratiæ, virtutum, opis et auxilii; tertius est, sterilitas bonorum operum, et omnis prosperitatis prosperique successus, Ioan. 15. 4. Contra sanctitas et spes in Deum affert Dei amicitiam, opem, omnia gratiarum dona, prosperitatem, et cætera de quibus v. 8. in fine.

Tres effectus diffidentiæ Dei et spei in creaturis.

Merito ergo mundanis inclamat S. August. l. 4. Confess. cap. 12. *Non est requies, ubi quæritis eam. Quærite quod quæritis; sed ibi non est quod quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis? non est illic;* et l. 6. cap. 16. *Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recesserit, se aliquid melius habituram. Versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem; et dura sunt omnia. Et tu solus requies es, Domine.*

Benedictus vir qui confidit in Domino.) Nota a Deo dici benedictum sperantem in se, quia per spem Deus maxime honoratur: qui enim Deo fidit, seque illi credit, prædicat eum esse optimum, qui velit sua bonitate succurrere; et esse omnipotentem, qui possit; et esse omniscium qui sciat opitulari: atque esse fidelissimum, qui sperantem in se non fallat. Hinc, Græci θεον dixerunt απο του αιθειν, inquit Nazianz. et Damascen. id est ab urendo, quod omnibus calorem, vitam et bona omnia aspiret. Unde Nazianz. Orat. de pauperum cura: Nil ita divinum est, ait, quam de aliis bene mereri: calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. Vel απο του θεασθαι, id est, a spectando et contemplando omnia, ait S. Dionys. c. 12. Divin. nom. et Damasc. l. Fidei 12. vel απο του θεειν, id est a currendo, quod celerrimus sit, efficacissimus et ubique præsens. Vers 7.

Sperans in Deo maxime eum honorat, Cur? θεος, id est Deus, triplex habet etymon. Misericors misero est Deus.

Vice versa, homo dicitur *Enos*, id est infirmus, ærumnosus, incurabilis, ac si solus homo sit, qui a solo Deo curari possit, quique ab eo bona omnia exspectat, et apud eum bona spe se sustinet, in eoque recumbit securus, sine sui suarumque rerum cura, ait Philo lib. de Abraham. Quapropter dixit Abbas ille in Sententiis Patrum Ægypt. sent. 71. *Si non dixerit homo in corde suo: Ego solus et Deus sumus in hoc mundo, non habet requiem.* Ita Abraham Deo contra spem in spem credidit, ideoque et miraculosa prole et omni benedictione ab eo cumulatus est.

Homo dicitur Enos ab ærumnis.

Contra, qui Deo diffidit, Deo iniurius est: negat enim Dei providentiam, scilicet Deum vel nolle, vel non posse, vel non scire opitulari; hinc fugit ad opem hominum D et idolorum. Ita a Castro.

Et erit Dominus fiducia eius.) Id est, ut vertit Vatabl. *et cuius spes est Dominus*, qui sperare solet in Domino. Vers. 8.

Et (quia) erit quasi lignum.) q. d. Sperans in Deo, erit quasi arbor felix et Deo sacra, iuxta aquas plantata, semper virens et frugifera, quia in omni tentatione et difficultate, a Deo cui fidit, opem, influxum et gratiam hauriet. Hoc est quod veteres dicebant: *Semper feliciter cadunt Ioris taxilli.*

Sperans ergo in Deo, ab eoque sugens omnem solidam virtutem, omneque bonum est similis lauro. Sicut enim fulmen quidquid invenit in terra, ferit, præter laurum, ut ait Plinius l. 22. c. 55. sic magna calamitas omnia potest auferre, sternere et evertere, præter firmam Deo nixi virtutem. Est enim spes virtusque constans quasi pulchra laurus semper virens, nullo igne e nubibus erum-

pente, nullo impetu tormentorum et ærumnarum exusta aut labefactata. Hinc Syrus vertit: *Benedictus est vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius; erit quasi arbor plantata super aquas, quæ robustior corde* (firmior) *est omni homine. Quis cognoscit illum? ego Dominus scrutans cor.*

Nota: Dicit *quod trasplantatur*, quia ex prima plantatione steriles arbores sumus, et nascimur filii iræ; sed inde transplantati in Christo et Deo, Deique spe et amore, frugiferi fimus.

Illustria spei in Deum exempla et affecta. Ita narrat Theosterictus in funebri de B. Niceta. Orat. de Athanasio insigni cœnobita, et magnæ spei viro, quod ex eius defuncti et sepulti pectore arbor cupressus prognata sit, cuius frondes morbos depellebant.

Hac fiducia in Deum armatus S. Ioannes Eleemosynarius dicebat: *Etiamsi totus mundus conflueret Alexandriam eleemosynæ causa, eam omnibus darem: quia totus mundus non potest angustiare thesauros Dei, quorum ipse me dispensatorem constituit. Cessa ergo o misera anima et timida, tentare Deum intentabilem per tuam pusillanimitatem et diffidentiam.* Quare Deus ei stannum in argentum convertit, centuplumque ei dedit in hac vita, ut quo plura daret, eo longe plura reciperet. Testis est Leontius in eius Vita.

Eadem fiducia roboratus Theodorus monachus, dicebat: *Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat.* Poposcerat enim precibus a Deo, ut auferretur ab eo formido. Ita refertur in Vitis Patrum l. 5. c. 7. n. 6.

Sic et senex ille ingressus in speluncam, ibique inveniens leonem, cum leo fremeret et rugiret dixit ad eum: *Quid angustiaris? est locus qui capiat me et te. Si vero non vis, surgens egredere hinc.* Leo autem non ferens egressus est inde foras. Ibidem l. 6. c. 3. n. 15.

Sic et Sisois Abbas orans pro Abraham discipulo suo tentato et lapso, fidenter dixit: *Deus, vis non vis, non dimitto te nisi curaverimus eum.* Et curatus est frater ille. Ibidem n. 14.

Sic et monachi Deo nixi, in eremo sua fiducia et prece occidebant ingentes dracones et serpentes, teste Palladio in Lausiaca c. 52.

Ibidem Abbas Apollo tempore famis liberalis erat in pauperes, dicens: *Nonne hæc fecerunt Apostoli et Prophetæ? An tunc quidem aderat Deus, nunc autem peregre est profectus?* Quare cibi et fructus divinitus ei ab incognitis sunt suppeditati, etiam qui non nascebantur in Ægypto, puta uvæ, mala punica, ficus, favi mellis, lac, lupini, panes, etc.

Hac fiducia S. Pachomius, ut habet eius Vita, serpentes illæsus calcabat, et crocodilis insidens flumina tranabat.

Ita B. Hellen sperans et dicens: *Potens est Deus parare mensam in deserto*, ibi ab angelo pro se et suis hospitibus alimoniam accepit, teste Palladio in Lausiaca c. 59.

Hæc fiducia in eremo aluit et protexit S. Paulum, Antonium aliosque innumeros.

Hæc fiducia roboravit S. Paulum, Andream, Thomam, Dominicum, Vincentium, Xaverium aliosque, ut gentes etiam feras et barbaras converterent.

Quinque fructus spei. NEC ALIQUANDO DESINET FACERE FRUCTUM.) *Sancti*, qui sperant in Deo, *fructificant*, ait D. Thomas: *Primo, per sapientiæ contemplationem. Ecclesiast. 6. 19. Quasi is qui arat, et qui seminat, accede ad eam, et sustine bonos fructus illius. Secundo, per charitatis fervorem. Cantic. 5. Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Tertio, per laudis confessionem. Hebr. 13. Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius. Quarto, per meritoriam operationem Psal. 84. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Quinto per proximorum conversionem. Ioan. 15. Ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

Sancti fructificant quintupliciter. Rursum, Sancti fructificant; *quia sequuntur Christum: Primo, per carnis integritatem. Apoc. 14. Virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocumque ierit. Secundo, per cordis intentionem Phil. 3. Sequor autem, si quo, modo, comprehendam. Tertio, per tribulationis passionem.* I. *Petr.* 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Quarto, per mandatorum observationem. Iob. 23. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodivi, et non declinavi ex ea. Quinto, per gloriæ receptionem. Eccli. 23. Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.* Huc usque S. Thom.

PRAVUM.) Chald. *dolosum*; Septuag. βαθεῖα, id est, *profundum* (male Theodor. S. August. et Chrysost. legunt βαρεῖα, id est *grave*) hebr. עָקֹב *akob*, id est primo, versutum, versipelle; secundo, fraudulentum, supplantatorium; tertio, magis genuine hoc loco tortuosum, anfractuosum, fallax, ideoque inscrutabile, ut sequitur, q. d. Sinuosum, et mille cogitationum, cupiditatum et desideriorum secretis diverticulis, sinibus, recessibus, instar labyrinthi implexum et perplexum. *Vers. 9.*

EST COR HOMINIS.) Corrige cum Roman. et S. Hier. *est cor omnium.* Hebr. enim est מִכֹּל *miccol*, id est ex omnibus, id est, omnium; vel, ut Vatablus, Maldon. et alii vertunt: *Præ omnibus, super omnia* q. d. Nihil est in omnibus rebus tam fallax, atque cor hominis.

Inferunt hæretici: Ergo homo post lapsum nequit bene agere, sed tantum male, puta fallere, mentiri, etc. Resp. Nego conseq. dicitur enim homo fallax, non quod semper fallat, sed quia facile et sæpe fallit.

Moral. S. Bernard. tract. de Inter. domo cap. 44. *Conscientia*, ait, *hominis abyssus multa. Sicut enim abyssus exhauriri non potest, sic cor hominis a cogitationibus suis evacuari non potest; sed continua volubilitate in eo volvuntur. Mare magnum est, et spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus. Sicut enim reptile latenter repit, et sinuosis anfractibus huc et illuc deambulat; ita conscientiam hominis venenatæ cogitationes intrant et exeunt, ut nesciat homo unde veniant, aut quo vadant. Hoc bene cognoverat qui dicebat: pravum est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognoscet illud? quod scrutationem non recipit nec cognitionem.*

INSCRUTABILE.) Hebr. אָנֻשׁ *anus*, id est ærumnosum; Vatabl. *Præfractum, obstinatum* et *desperatum*, ut scilicet penetres eius profunditatem, ambages et mutabilitatem, q. d. Impenetrabile est cor hominum, nisi soli Deo, qui scrutatur renes, id est, affectus, et probat corda, id est intentiones. Arabicus vertit: *Cognosco eum ego Dominus, qui probo* (tendo, investigo, scrutor) *corda, et scio quod est in renibus. Nihil Deo clausum est: interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit*, ait Seneca epistola 84.

Celebris est apologus, quem inter alios refert Lucian. in Hermotimo: Momum reprehendisse Vulcanum, quod non fenestratum pectus hominis fecisset, quo eius cogitatus plane viderentur. *Momus optabat fenestratum pectus hominis.*

Hinc Scholastici in materia de Angelis docent Angelos naturaliter non posse præsentes (multo minus futuras) hominum cogitationes et intentiones cognoscere, nisi voce aut signo prodantur.

Est epiphonema præcedentium, q. d. O quam dolosum, mutabile, inscrutabile est cor hominis! ut nescias quo spes suas dirigat, an in Deum, an in creaturas et homines: an vere speret in Deo, an simulet se sperare: o quam ærumnosum est et miserabile, quod, Deo relicto, sperat in opibus, amicis, Ægyptiis! Ita S. Hier. Theodor. Raban. Vatabl. a Castro.

Alii hæc referunt ad eum in quo spes locatur, sive qui afflicto opem suam offert et spondet, q. d. Pravum et inscrutabile est cor hominis, qui alteri opresso auxilium promittit (uti vobis, o Iudæi, promittunt Ægyptii) nunc enim illi deest auxiliandi potestas, nunc seria et constans voluntas; si enim videat suis rebus expedire, amicum deserit suaque curat, uti Iudæis fecerunt Ægyptii.

Nota: Septuag. pro *anus*, legunt *enos*, vertuntque: *Et homo est, et quis cognoscet eum?* quod Tertul. l. 3. contra Marcionem 7. Cyprian, l. 2. contra Iud. 10. Lactant. lib.

4. vers. 13. Ambros. lib. de Pœnit. cap. 2. August. lib. 3. contra Faustum 11. accipiunt de Christo, q. d. Christus homo est, sed quis cognoscet eius deitatem? Verum ex circumstantiis patet Prophetam loqui de arcanis cordis humani, non de Christo.

Vers. 11. **Perdix fovit.**) Intelligitur more Hebr. *caph.* similitudinis, q. d. *Sicut perdix fovet*, דגר *dagar*, id est *congregat*, et, ut Vatabl. vertit, *incubat*. Tradunt. Aristot. Theophrast. Plinius et alii Physici, ait S. Hieron. perdicem alterius perdicis, id est aliena ova furari, eis incubare, excludere pullos: qui cum adoleverint, et vocem excludentis audierint, ab ea quasi aliena avolant ad primam et veram matrem, quæ ova posuit, cuius vocem naturæ instinctu agnoscunt. Tales, ait Ieremias, sunt Sedecias, et Iudæi aliique divites, qui *non in iudicio*, id est non iuste sed inique usuris, rapinis aliisque malis artibus, per fas et nefas divitias congregant, aliena rapiunt, et faciunt sibi divitias, quas brevi Babylonii diripient, vel subita mors aut casus subtrahet; quando dicetur eis illud Lucæ 12. v. 20. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cuius erunt? Nihil* enim *insipientius est, quam non prævidere futura, et brevia putare perpetua*, ait S. Hieron. Unde Chaldæus clare vertit: *Sicut perdix quæ congregat ova, quæ non sunt sua, et fovet pullos, qui eam secuturi non sunt; sic omnis vir impius, qui possidet divitias præter ius, in dimidio dierum suorum relinquet eas.* Sanchez hæc refert ad proxime præcedentia, q. d. Ii qui sperant in homine, non in Deo, itaque ad tempus ditescunt, divitiis hisce spoliabuntur, æque ac perdix ovis et pullis furtivis. Quidquid enim ab alio, quam a Deo omnium rerum domino, acceperit furtum censeri debet, et eiusmodi furtum, quod ad verum dominum aliquando redibit: quare ipsi non tam usui erit, quam fraudi; in necessitatem enim eum deseret. Simplicius alii hæc accipiunt plane ut sonant, q. d. Sicut pulli perdicis a falsa matre, ita opes ab iniustis possessoribus quasi a falsis herisavolant. Elidit hic Propheta basin alteram (prior enim fuit spes in Ægyptiis, de qua iam dixit) impietatis Sedeciæ et Iudæorum, ob quam ipsi a Deo recesserant, scilicet opes iniuste contra Dei legem partas; prædicit enim quod male parta, male dilabentur, q. d. Frustra ergo in iis confiditis.

Perdicis pulli ab alia matre exclusi ad veram avolant, ita et opes iniuste partæ ad alios avolant.

Hanc porro perdicis esse indolem ex S. Augustino, Ambrosio et aliis docet Aldrovandus. Hinc et Theodoricus Gothorum rex apud Cassiodor. lib. 2. Variar. epist. 14. falsam perdicis adoptionem detestans, et pietatem pullorum adoptatorum erga veros legitimosque parentes suos, ad quos a furtiva matre avolant, collaudans, suos ad similem pietatem hortatur, ac iubet ut Romulum in parentes impium plectant: *Perdicibus*, inquit, *mos est ova perdita per alterius matris damna sarcire, ut adoptione alienæ sobolis incommoda suæ reparent orbitatis. Sed mox ut nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice; qui ut fuerint materna voce commoniti, ovorum suorum potius genitricem petunt, quamvis ab aliis furtivis fœtibus educentur. Quid ergo homines facere debebunt, quando et hanc pietatem avibus inesse cognoscunt? Romulum itaque, qui facti sui acerbitate pollutus, nomen fœdat Romanum, ad vestrum facite venire iudicium; et si eum patri suo Martino manus suas iniecisse constiterit, protinus legitimam sentiat ultionem.*

Exstat de hac perdicis indole emblema apud Nicolaum Reusnerum, sub lemmate, χρασις πλȣτȣ μαρτυς:

Surripit ova salax perdix aliena, fovensque
In nido pullos educat inde novos.
Pullus at edoctus nutricem deserit ultro,
Cantantis pendens matris ab ore suæ.
Condit avarus opes, defossoque incubat auro,
Per fas atque nefas condit avarus opes.
Unde habeat, nihil is curat: sed oportet habere,
Et cito vult fieri dives, inopsque manet.
Nam mors aut vilem redigit communis ad assem,
Eripit aut partas turpe tribunal opes.
Magnis parta malis pereunt maiore dolore:
Quod dat cuique Deus, sorsque benigna sat est.

Appositum huius rei exemplum, scilicet quomodo opes male partæ quasi aves, imo per aves avolent, refert Greg. Turon. de Gloria Confess. cap. 109. *Quidam*, ait, *apud Lugdunenses vix multo labore trientem unum acquisiverat: quem cum multiplicare vellet, de eo vinum comparat, admistisque aquis iterum per argenteos venumdans, duplat pecuniam. Hoc iterum atque iterum agit; et tamdiu turpis lucri secutor est factus, donec centum solidos de hoc triente lucraretur. Post alterius negotiatoris nundinas adit, extractoque triente, quasi aliquid negotiaturus, colloqui cum socio cœpit. Erat autem sacculus ex pelle phœnicia; et ecce subito adveniens milvus, rapit eum atque decerpere tentat, putans a colore partem carnis esse; sed cum nil pinguedinis sentiret in eo, volans super alveum fluvii Araris (e quo fluvio hic aquam, quam vino miscuerat, hauserat) laxatum sacculum deiecit in flumen. Quo conspecto, alter tristis et mœrens, exclamat: Væ mihi, sicut feci, sic recepi; qui e fluvio eos habui, ad fluvium rediisse video.*

Exemplum appositum.

Secundo, Theodor. perdix, ait cicur advocat alias perdices voce sua, quæ advolantes decidunt in casses. Solent enim aucupes, per cicures perdices, alias feras allicere et capere. Ac

Tertio, S. Ambros. epist. 4. ex Aristot. Plinio, Æliano, Solino: Perdix, inquit, aucupem nido insidiantem eludit, simulata pedum vel alarum debilitate, donec sensim elabatur, et pullos voce advocet, iique avolent. Nulla ergo avis perdice est dolosior et astutior. Unde illud Aristophanicum, ἐκπερδικίσαι, id est astute instar perdicis elabi, et periculum effugere. Ita Plutarch. lib. de Solertia animal. *Perdices*, ait, *assuefaciunt pullos suos qui necdum volare possunt, urgente aucupe supinos iacere, et glebam aliquam aut quisquilias corpori iniicere, ac prætendere tamquam umbraculum aut tegumentum quoddam. Ipsæ persequentes aliorsum abducunt, atque circumagunt: hinc inde volitantes, paulatimque loco cedentes, donec lactatos spe capiendi longe a pullis avellant.* Idem in Gryllo: *Perdices*, ait, *suos pullos docent inter fugiendum occultare sese, et glebum pro se obtendere, postquam supini corruerunt.* Scholiastes quoque Aristophan. com. de Avibus: *Perdices*, ait, *facile vafritie sua ab aucupibus evadunt, sæpe se resupinantes, et festucis integentes.* Sensus ergo Prophetæ est, q. d. Sicut perdices fallunt aucupem et ludificant: sic opes deludunt divitem, et alios multos in casses et pericula trahunt. Sed hæc non sunt ad mentem Ieremiæ.

Perdicis astutia.

ἐκπερδικίσαι quid?

Tropol. S. Hieron. et fuse Ambros. (quem vide) epist. 48. et lib. 6. Hexam. c. 3. Perdix, ait, qui a perdendo nomen accepit, et hebraice vocatur קרא *core*, a clamando et vocando, est Satanas qui clamavit in Cain, in Pharaone, in Iudæis, et omni perfido, in diesque adhuc sua voce multos allicit ad se et prædatur: sed Dominus Iesus hunc perdicem, id est, diabolum, prædatus est suis pullis, id est, fidelibus, inclamans illud Prov. 9. 5. *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Quocirca Theodor. hic perdicem illicem accipit, ad cuius vocem et cacabismum ceteræ advolant, et in retia incidentes capiuntur. Sic et S. August. lib. 13. contra Faustum c. 12. *Hæretici, ait, instar perdicum congregant quæ non pepererunt. Christianos enim, quos maxime Christi nomine seducunt, iam per ipsius Christi Evangelium natos inveniunt: et faciunt illos divitias suas, non sane cum iudicio, sed cum temeritate inconsiderata.* Experientia enim constat hæreticos hactenus, numquam Paganos aut Gentiles adiisse, eosque primitus convertisse, sed conversos a Catholicis pervertisse, ac fecisse hæreticos. Adde hæreticos æque ac diabolum, aliena ova calefacere, cum Dei et Ecclesiæ consiliis et doctrinis sic incubant astute, ut ea suo fotu fœtuque pervertant, et quasi ex viperinis ovis regulum excludant, v. g. docet Deus et Ecclesia Christum pro nostris peccatis satisfecisse, inferunt hæretici: Ergo non est opus nostra pœnitentia, labore, dolore, sacrificio Missæ, etc. Sic, cum Deus sanctas inspirationes pœnitentiæ, eleemosynæ, religionis menti suggerit; diabolus iis incubat, ut eas divertat aut pervertat, ut vel non fiant, aut, si fiant, malo fine, modo aut me-

Core, id est perdix, est diabolus. Cur?

dio fiant; vel indiscrete fiant, scilicet nimis aut nimis parum. Qui sapit ergo, advertat ut has ab illis secernat, et instar pullorum perdicis, ad veram matrem, id est ad Deum, avolet.

In dimidio dierum suorum.) q. d. Opes male partas, cito, et antequam iis fruantur, amittent, diripientibus Chaldæis.

Vers. 12. In novissimo suo erit insipiens.) *Erit*, id est apparebit insipiens esse is, qui aliena rapuit.

Solium altitudinis locus sanctificationis, quid? Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ.) Est epiphonema Prophetæ, q. d. Est qui iudicet et puniat Sedeciam, aliosque iniustos divites qui aliena rapiunt, et in eis, aut in Ægyptiis infidelibus confidunt; scilicet Deus, qui solium habet gloriosum

I. Exposit. aptissima. et altissimum a principio æternitatis, quasi tribunal, ex quo omnia intuetur iudicaturus et vindicaturus; habet enim ipse non tantum terrenum hoc inter nos templum, quod perperam iactant Iudæi, dicentes: *Templum Domini;* sed cælum ipsum, quasi solium ad quod confugimus, quodque est locus sanctificationis nostræ, ex quo scilicet sanctificamur, vel quem sanctificamus, dum dicimus Deo in eo residenti: *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum.* Denique, ad quem quasi ad patriam ordinatur ac tendit sanctificatio nostra in vita præsenti, ait Dionys. Carthus. ob eamque rem decet nos in eum, non in Ægyptios, aliosve homines sperare, atque maiori studio iustitiam et sanctitatem colere, utpote qui Deum habemus iugiter ex solio suo nos intuentem, ut noster sit iudex et vindex.

II. Secundo, Lyranus sic nectit: *Expectatio Israel*, id est quod exspectant probi Israelitæ, est cælum quod est solium Dei, et locus quo tendit sanctificatio nostra. Nam, ut inquit S. August. in Sententiis n. 139. *Bonum est sursum habere cor; non tamen ad seipsum, quod est superbia: sed ad Deum, quod est obedientia. Qui de se sibi sufficere confidit, ab eo qui vere ei sufficit, deficit.*

III. Tertio, Hugo, q. d. Israel expectat, Domine, ut restituas ei arcam, propitiatorium et templum, quod est solium tuum, et locus sanctificationis nostræ, in quo omnes spes suas repositas habet, ait Thomas.

IV. Quarto, alii hæc referunt ad verbum *derelinquet*, quod præcessit, q. d. Populus derelinquet solium gloriæ, id est templum, et urbem Ierusalem, cum illa a Chaldæis capietur.

V. Quinto, Vatablus sic vertit et explicat: *Sicut solium gloriæ est altitudo a principio; sic locus sanctuarii nostri*, supple est sedes et solium eius; hoc est, sicut solium Dei gloriosi fuit a primordio mundi in cælo: sic nunc est in templo nostro, q. d. Cum Deus habitet in templo nostro, ut in cælo, qui fit ergo ut quis audeat dicere, illum aut non videre, aut non curare quæ in mundo patrantur? Verum primus sensus est aptissimus, cui iungi potest expo-

Solium est regis et Dei hieroglyphicum, cur? sitio Hieron. Prado in Ezech. 1. pag. 51. *Solium*, inquit, *conspicuum ac sublime, perennitatis æternæque quietis symbolum est Ægyptiis, atque adeo divinæ maiestatis, et regiæ dignitatis quam nulla potest perturbatio inquietare, aptissimum est hieroglyphicum. Hinc Ieremias per solium Dei ipsum divinum Numen significavit, dicens: Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ, exspectatio Israel, q. d. O Deus, qui sedes super thronum excelsum Cherubinorum ab initio, quique in sanctuario nostro thronum tuum stabilivisti, spes Israel.* Hinc S. Clemens lib. 6. Const. Apost. c. 5. per solium hoc, vel, ut ipse legit, thronum gloriæ Dei accipit Ecclesiam.

Denique, R. Moses et ex eo Galatin. l. 7. de Arcan. fidei c. 10. contendunt hoc solium ad litteram esse B. Virginem, non templum. *Ipsa enim*, ut ait R. Haccados, *futura erat sedes, quam Deus construxit, ut in ea sederet rex Messias*, qui est exspectatio Israel, *ad ostendendam maiestatis suæ gloriam cunctis mortalibus.* Ibidem Galat. docet Dei triplicem esse sedem: prima est B. Virgo; secunda est Christi humanitas; tertia est ipsa eius divinitas. Dicit autem Ieremias, *a principio*, ut ostendat B. Virginem absque peccato initiali conceptam fuisse: ex tunc enim destinabatur et parabatur ipsa in sedem et solium Messiæ. Hinc et ipsa significata fuit per solium Dei, quod vidit Ezech. c. 1. 22. Ita ipse ad litteram, ego symbolice et allegorice.

Moraliter, ad hoc solium et tribunal Dei confugere solent homines, ad illudque appellare, cum opprimuntur, præsertim morte iniusta, aut se opprimi putant; nec sine fructu. Nam, ut canit Psaltes Psal. 88. 15. *Iustitia et iudicium præparatio sedis tuæ*; et Ps. 44. 7. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui.* Appellantes ad tribunal Dei exauditi.

Ita scribit Dionys. Cassius, Adrianum Imp. quemdam Severianum iussisse occidi: qui antequam iugularetur ignem poposcit, et accenso thure: *Vos*, inquit, *o dii, testor, me nihil mali commisisse: de Adriano hoc tantum imprecor, ut cum mori cupiet, non possit.* Porro Adrianus post morbum, sæpius frustra invocata morte, sæpe etiam seipsum occidere voluit. Exstat eius epistola, in qua ait: *Quam miserum est mortem optare, et mori non posse!*

Fulgosius lib. 1. c. 6. Temporibus, inquit, nostris, cum Genuensium triremes adversus piratas instructæ biremem Catalaunam cepissent; huius rectorem noctu suspenderunt. Is pro iniuria sibi facta ad Deum appellans, citato patrono Genuensium, ut intra sextum mensem coram Deo compareret, occubuit: iuxta quod tempus hic patronus morte sublatus est.

Nauclerus narrat, Henricum Archiepiscopum Moguntinum falso accusatum et pontificatu deiectum, mœrore confectum morientem ad Christum iudicem appellasse. Audita eius morte, alterum iudicum in latrinis expirasse; alterum manus præ rabie corrodentem animam exhalasse, Deo redditurum rationem.

Volaterran. lib. 21. Anthropologiæ narrat, Gualtherum Franciscum propter excellentis doctrinæ et sanctitatis famam, in Episcopum Pictavorum assumptum, pro iure Ecclesiæ servando in litem incidisse cum Burdegalensi Episcopo, qui paulo post Pontifex Clementis Quinti nomen assumpsit. Hic Gualtherum Episcopatu suo deiecit: qui hanc ignominiam æquo animo aliquamdiu ferens, tandem moriens super sepulcrum suum inscribi curavit: *Ad iustum Dei iudicium appello.* Quod cum legisset Clemens, expavit, et non multo post defunctus est. Plura exempla recensui Genes. 9. v. 5.

Cæterum hoc solium, uti reos innocentes vel dubios exaudit, ita et tuetur iudices, cum constat eos iuste iudicasse, nec ullum de ea re est dubium: quare ab eis parvi facienda est talis citatio ad tribunal Dei. Iusto enim iudici præmium a Deo, cuius vice fungitur, non supplicium est exspectandum. Sciebat hoc magnus ille Imperator militum Gondisalvus Ferdinandus de Corduba, qui cum Tarentum obsidens, maleficum quemdam seditiosumque (inquit Iovius) militem ad supplicium duci iussisset; illeque multum reluctatus, se iniquissime damnari vociferaretur, et proinde Gondisalvum ad dicendam causam ad Dei maximi tribunal magna voce citaret: *Vade*, ait Gondisalvus, *confisus optimo iudici, et causam instrue: nam ibi pro me aderit, qui opportune respondeat, Alphonsus frater qui nuper ex Serra Vermegia in cælum contendit.* Tum enim Gondisalvo nuntiatum fuerat, fratrem a Mauris circumventum, dignam forti pioque duce mortem oppetiisse. Ita ex Vita Gondisalvi refert noster Delrio tom. 2. Mag. l. 4. c. 4.

Exspectatio Israel, o Domine, qui es spes et exspectatio Israelis, in quem veri Israelitæ, sequaces Abrahæ et Iacobi semper speraverunt et sperant: recedentes a te, per diffidentiam et apostasiam, uti Iudæi a Deo recedunt confugientes ad idola, et ad Ægyptios (totum enim caput eo spectat) in terra scribentur.) Hoc est, primo, ascribentur et annumerabuntur iis qui terrena sapiunt, terrenis noti erunt. Ita Origen. Raban. et S. Hier. Hinc dicitur Ps. 48. 12. *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Sicut e contrario, Sancti ascribuntur cælo, Luc. 10. 20. et cælitibus, quasi cives Sanctorum, scripti in libro vitæ, id est in æterna Dei memoria et prædestinatione, ut sint hæredes Dei. Hinc Hugo: Mundani, ait, inscribuntur terrenæ felicitati, divitiis, deliciis, honoribus quasi li- Vers. 13. In terra scribi quid? I. Expositio aptissima.

teris, quæ indicant quales sint, scilicet avari, superbi, luxuriosi. Alii inscribunt nomen columnis et statuis, volentes illud æternare.

II. Pariter. Secundo, Vatabl. et Hugo, Scribi, inquiunt, impios in terra, est perire eorum nomen, memoriam et famam: nam quæ in pulvere scribuntur, facile vento, aut pede delentur. Seria enim quæ magni facimus, quæque memoriæ et posteritati mandare volumus, scriptoris aut lapidi, aut æri consignamus; quæ vero nihili ducimus, quasi per iocum in pulvere, aut aqua scriptitamus, quasi mox abolenda. Sic Ioan. 8. v. 6. Christus peccatum adulteræ in terra scribebat, quasi diceret: Peccatum vestrum, o Pharisæi, scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, huius vero mulierculæ peccatum, iamiam delendum in perpetuum per eius pœnitentiam et meam clementiam, par est ut in terra scribatur. Sic Gentiles, eos qui nati erant ignotis et obscuris parentibus, quique nihil egregii fecissent memoria dignum, et iam oblivione quasi sepulti essent, vocabant terræ filios, quasi communi omnium matri ascribendos. E contrario cæli filios vocabant heroes, quasi homines cælo lapsos, et ob facinora quæ patrarant, æterna memoria dignos.

III. Tertio, q. d. Iudæi recedentes a Christo, in terra captivitatis scribentur quasi cives, ibi perpetuo permansuri, q. d. Iudæi non iam in libro vitæ filiorum Israel scribentur, sed inter Babylonios et Assyrios, quorum moris erat, teste Plinio l. 7. 56. in coctilibus lateribus res gestas suorum scribere.

IV. Quarto, Lyran. et Chald. Recedentes, inquiunt, a Deo, scribentur in terra, id est in inferno, quem Theologi esse docent in centro terræ. Hi omnes sensus commodi sunt, sed primus et secundus maxime genuini sunt.

V. Quinto, subtilius Sanchez, q. d. Spes in homine futilis est, æque ac futile est id quod scribitur in aqua, vel in pulvere. Sic de promissis muliebribus, utpote inconstantibus, ait Xenarchus apud Athenæum l. 1. c. 10. *Fœminæ iusiurandum in aqua scribo.* Cum enim aliorum verba aut promissa in terra aut pulvere scribi dicuntur, etiam ii qui in iis confidunt, in eadem scribi dicuntur: qui enim in altero confidit, illi quasi se tradit. Quare qui fidem suam, vel promissum in pulvere scribit, illum quoque ibidem scripsisse videtur, quem suæ fidei creditum atque commissum habet.

Nota hic congruam pœnam; nam qui pertinaciter idolorum et peccatorum suorum memoriam retinent in tabula cordis stylo ferreo insculptam, ut dictum est v. 1. hi digni sunt qui deleantur de libro vitæ, eorumque nomina in pulvere scribantur, ut vento rapta aboleantur de sub cælo.

Quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.) Quæ scilicet nulla siccitate aut casu defecit, sed perpetuo scaturit, et dat aquam vivam opis, prosperitatis et gratiæ, salientem in vitam æternam, Ioann. 4. 14. Vide dicta c. 2. v. 18. Toto hoc capite satagit Propheta stabilire spem in Deum, et abolere spem in homines Deo relicto.

Vers. 14 Sana me, Domine.) Non a peccato, ut S. Thom. sed a calumnia, qua dicunt meas minas esse mendacia, ab opprobriis et insidiis. Ita Raban. Hugo, Theodoret. et patet ex seq. Ac consequenter ab animi dolore, et consequenter ab omnibus corporis malis et ærumnis sana me. Sæpe enim ægritudo et sanitas corporis pendent ab ægritudine et sanitate mentis.

Et sanabor.) q. d. Nec Ægyptii, nec alii homines possunt me sanare aut salvare: tu solus potes. Sic hæmorrhoissam nulli medici sanare potuerunt, sed solus Christus, Lucæ 8. 43. ait S. Hieron.

Deus sit laus nostra. Quoniam laus mea tu es.) Pro *laus* Sept. vertunt, *gloriatio*, id est, obiectum laudis et gloriationis, q. d. Tu es, Domine, in quo et de quo gloriari soleo, esto rideant et subsannent me Iudæi, quod scilicet sim minister et Propheta veri Dei, quem ipsi idolis adhærentes despiciunt: Vide cap. 38.

Secundo, et profundius Sanchez, q. d. Si quid ab hominibus habuero, illud mihi neque firmamento esse existimabo, neque laudi; cum neque magnum sit, neque solidum et diuturnum esse possit: at quod abs te habuero, illud mihi gloriosum erit, meque vere laudabilem faciet; quia verum est et stabile bonum. Laus ergo, id est laudabilis plane, erit sanitas, quam a te accepero, non ea, quam ab homine.

Præclare quoad mores S. Hier. Eustochium instruens epist. 22. *Illud*, ait, *tibi vitandum est cautius, ne inanis gloriæ ardore capiaris. Quomodo, inquit Iesus, potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? Vide quale malum sit, quod qui habuerit, non potest credere. Nos vero dicamus: Quoniam gloriatio mea tu es. Et: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Et: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Et illud: In te laudabimur tota die: In Domino laudabitur anima mea. Cum facis eleemosynam, solus Deus videat: cum ieiunas, læta sit facies tua. Vestis nec satis munda, nec sordida, et nulla diversitate notabilis; ne ad te obviam prætereuntium turba consistat, et digito monstreris.*

Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Domini? veniat.) q. d. Vide, Domine, quam tibi sim fidelis, quamque in te confidam, et firmus consistam. Ecce enim Iudæi mea oracula, imo tua, rident quasi vana et conficta, dicuntque subsannando: *Ubi est verbum Domini*, quod nobis iugiter ad nauseam occinis? ubi sunt Chaldæi, quos nobis minaris? veniant: non timemus, non curamus. Venturos non credimus; et si veniant, experientur nostra et sociorum, præsertim Ægyptiorum, arma et vires. To enim *veniat*, est animi præfidentis, non timentis, sed optantis bellum et hostem, imo lacessentis et provocantis. Et tamen hæc omnia audiens, non moveor, non turbor, non cesso a prophetando et comminando: quia te, Domine, sequor. Vers. 15.

Et ego non sum turbatus.) Hebr. לא אצתי *lo atsti*, quod Chald. vertit, *non sum cunctatus;* Pagninus, *non elongavi*, ut essem pastor post te, q. d. Licet ita vexer, tamen non deserui munus prophetandi mihi a te commissum. Vers. 16.

Secundo, Vatabl. vertit, *non fui sollicitus*, id est non me ingessi ad prophetandum, sed tu, Domine, mihi hoc imperasti.

Tertio, proprie *lo atsti*, id est, *non festinavi, non trepidavi, non sum angustiatus*, hoc est, ut Noster, *non sum turbatus* tot maledictis Iudæorum, quo minus essem pastor post te, ut habent Hebræa, sed intrepidus perrexi Iudæos verbo Dei pascere, eisque prophetare oracula et minas gravissimas Dei, idque quia te, Domine, quasi summum pastorem sequor. Ita S. Hieronym. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran.

Unde Septuag. vertunt: *Non laboravi sequens post te.* Quis potest, ait Ambros. l. 3. epist. 20. laborare sequens Iesum, qui dat vires sequentibus se, qui dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis, et ego reficiam vos;* quique sequentibus se, dat bravium et coronam?

Male ergo legit Theodor. *Ego lassatus sum*, scilicet persecutionibus, *sequens te.* Vere S. Augustinus in sententiis num. 97. *Adhærens*, ait, *Deo, et semper eius faciens voluntatem, numquam a suo habitatore deseritur, et si quædam dura et adversa patiatur, non relinquitur, sed probatur.* Et num. 143. *Creaturæ rationalis bonum quo beata fit, non nisi Deus est. Hoc enim adepto fit beata, quo amisso misera.*

Nota: *Certum signum contemptus mundi est nulla re perturbari.* Qui enim nihil in mundo amat, hic nulla eius iactura dolet aut perturbatur. Huc ut pervenias, fige mentem in Deo, ille sit amor tuus et timor tuus; præpone tibi Christi tui pastoris et ducis exemplum, illudque sequare. Christus enim prædicans regnum Dei et viam ad salutem, mille Scribarum probra sustinuit, sed iis non cessit, et a prædicando non destitit: ita fac et tu. Audi Origen. hom. in hæc verba: *Iesus*, inquit, *tibi dicit: Tolle crucem tuam,*

et veni, sequere me. Si igitur talis fueris, ut semper Christum sequaris, quanto plus secutus fueris, tanto minus laborabis. Et S. Aug. qui lib. de Vita Christiana docet eam consistere in sequela Christi, ut per omnia Christum pastorem quasi oves sequamur. Unde cap. 14. verum Christianum, eiusque officia, actus et mores aureo hoc penicillo depingit: *Christianus*, inquit, *est qui viam Christi sequitur, qui Christum in omnibus imitatur, sicut scriptum est* 1. *Ioan.* 2. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Christianus ille est, primo, qui omnibus misericordiam facit; secundo, qui omnino non movetur iniuria; tertio, qui opprimi pauperem se præsente non patitur; quarto, qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit; quinto, qui cum mœrentibus mœret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit, qui ad fletum fletibus alienis provocatur; sexto, cuius domus omnibus communis est, cuius ianua nemini clauditur, cuius mensam pauper nullus ignorat, cuius donum panis cunctis offertur; septimo, a quo nemo sentit iniuriam; octavo, qui die noctuque Deo deservit, qui eius præcepta indesinenter meditatur, et cogitat; nono, qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat; decimo, qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo et Angelis eius gloriosus appareat; undecimo, qui in corde suo nihil videtur habere simulatum vel fictum, cuius simplex et immaculata est anima; duodecimo, cuius conscientia fidelis est et pura; decimo tertio, cuius tota mens in Deo est, cuius omnis spes in Christo est; decimo quarto, qui cælestia potius quam terrena desiderat; qui humana spernit, ut possit habere divina.* Ita S. Malachias Archiepisc. Hiberniæ *sine turbatione versabatur in turbis. Si videres hominem mediis immersum turbis, et implicitum curis, diceres patriæ natum, non sibi. Si videres hominem solum et secum habitantem, putares soli Deo vivere et sibi,* ait S. Bernard. serm. de eod.

Diem hominis non desideravi.) Chald. Theodot. Vatablus pro *hominis* legunt אנוש *anus*, q. d. Diem afflictionis et ærumnæ, id est calamitosum et desperatum, puta diem excidii quem eis prædico, non optavi eis, imo cum dolore cogor eum prædicere: quia, tu Domine, id mihi iubes, et sic Noster posset accipi, *diem hominis*, scilicet *enos*, id est fragilis et ærumnosi, id est, ærumnas hominis eis non optavi. Verum melius S. Hieron. Septuag. Lyran. D. Thom. et alii legunt, *enos*, id est hominis.

Homo hebr. dicitur enos, id est obliviosus et oblivioni cito tradendus. Secundo, enos, id est miser et ærumnosus. Dies hominis quis?

Nota, hominem a natura et materia dici *adam* ab adama, q. d. Homo ab humo. Sed post peccatum, corruptionem et ærumnas dictus est *enos*, quod Eusebius 11. Præp. 4. vertit, *obliviosum*, vel cuius cito fit oblivio, a rad. נשה *nascia*, id est oblitus est: ut huc alludat Psaltes Ps. 8. 5. *Quid est homo* (hebr. *enos*) *quod memor es eius?* Alii et melius, *enos* deducunt ab אנוש *anus*, ut *enos* idem sit quod miser, ærumnis obrutus, desperatus.

Iam dies hominis est ille, quo homo prosperatur, potens est, gloriosus, honoratur, laudatur, deliciatur, q. d. Non desideravi vitam longiorem, prosperitatem, opes, honores, delicias, plausus hominum: scio enim, quod homo sit *enos*, id est miser, et cito cum suis bonis periturus; sed tantum desideravi in meis prophetiis et concionibus, o Domine, tibi servire et placere, a te commendari, quem iudicem et testem invoco, dicens: *Tu scis. Verus enim dies qui non novit occasum, est æterna veritas, vera æternitas, ac proinde vera æternaque satietas*, inquit S. Bern. in Psal. 90. ser. 17. Sic Iob 16. 20. ait: *Ecce enim in cælo testis meus, et conscius meus in excelsis.* Ita S. Hieronym. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran.

Vis scire quid sit dies et favor humanus? Intuere effigiem qua eum pinxit Apelles, quam quidam ita carmine expressit:

Pictor Apellea, quid pingis ab arte Favorem?
Unde illi generis semina nota parum?
Hic genitum Forma, Fortunæ hic iactat alumnum,
Casu ille, ille animi dotibus esse satum.
Quis comes assiduus lateri? Assentatio; et ecqua
Pone subit lentis passibus? Invidia.
Ecqui circumstant? Opulentia, Fastus, Honores,
Leges, et scelerum sæpe Libido parens.
Cur facis aligerum? Fortunæ elatus ab aura
Advolat alta, imo nescius esse gradu.
Quare oculis captum pingis? non novit amicos,
Improbus ex humili cum petit alta loco.
Quid rotulæ insistit? Fortunam imitatur, et infert
Se socium, instabiles qua tulit illa pedes.
Cur timet, atque extra sese ambitiosius effert?
Obcæcare animos fata secunda solent.

Hunc hominis diem despiciebat Psaltes, dicens Ps. 55. *Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo*, q. d. Magnam hostium meorum potentiam et prosperitatem, si vires meas spectem, reformido: sed in tuis viribus confido, ideoque illa non metuo, sed despicio.

Sic Apostolus 1. Corinth. 4. 3. *Mihi*, ait, *pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die*, id est a potentia et sapientia huius mundi, ab hominum favore et commendatione, ab humano iudicio: nil timeo quid vos de me iudicetis, aut potentissimi et clarissimi quique huius mundi. Felix qui dicere potest: *Diem hominis non desideravi*, ita ut huius rei Deum testem habeat. Hæc summa perfectio est, qua omnia ut stercora reputantur, ut Christum lucrifaciamus.

Perfectorum est contemnere verba et laudes hominum.

Id Moses iam grandis effecit (grandium enim hæc res est) negans se esse filium filiæ Pharaonis, *magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem*, Hebr. 11. Ita S. August. Secundino hæretico sibi obtrectanti respondit: *Senti de Augustino quod libet, sola conscientia coram Deo me non accuset.*

Exempla et gnomæ fidelium.

Ita S. Chrysost. hom. 2. in epist. ad Titum: *Non prohibeo*, ait, *gloriam appeti: sed illa volo ambiatur, quæ vera est, quæ ex Deo est, cuius laus, inquit Paulus* (Rom. 2.) *non ex hominibus, sed ex Deo est. Unum intueamur solum, ad id tota nostra dirigatur intentio, quo scilicet pacto Dei mereamur ore laudari. Si hoc intente inspiciamus, humana semper omnia nihili æstimabimus: non laudat te ille, aut ille nihil inde amittis; et si vituperet quispiam, nihil omnino te læsit: sive enim laus sive vituperatio, ex Deo tantum aut emolumentum habet aut detrimentum.* Ibidem Chrysost. docet contemptum humanæ laudis et gloriæ nos Deo similes reddere. Sicut enim Deus hominum laude et gloria non indiget quæ per æternitatem (in qua immensam habuit gloriam a Patre, Filio, et Spiritu sancto) antequam mundum conderet, nulla fuit: sic etiam gloriæ contemptor. Unde concludit: *Quoties*, ait, *difficile existimas contemnere gloriam, ista tecum animo versa: si hanc despexero, Deo æqualis*, id est similis, *efficiar, protinusque subibit contemptus gloriæ ex animo.*

Ita S. Ignatius: *Ut sanus*, ait, *sim in his quæ ad Deum pertinent, vehementius tamen mihi verendum est, et cavendum ab his qui me temere inflant: laudantes enim me flagellant.*

Ita Clemens Alexand. apud Maximum serm. de Laude, refert assentatores quosdam beatum quemdam sapientem prædicasse, illum vero dixisse ad eos: *Si me laudare destiteritis, ex discessu vestro magnum aliquem meipsum cogitabo: si vero laudare non desinitis, ex laude vestra meam coniicio impuritatem.*

Ita S. Dionysia cum a carnificibus spoliata flagris ignominiose cæderetur, intrepide eos reprehendit, dicens: *Ministri diaboli, ea quæ ad contumeliam facitis, laudi mihi sunt.* Testis est Victor l. 3. Wandal.

Ita S. Macarius in Vitis Patrum lib. 7. c. 38. dixit: *In veritate, si facta est monacho despectio quasi laus, paupertas sicut divitiæ, inopia sicut epulæ, numquam moritur. Impossibile est, bene credentem, et pie colentem Deum, cadere in passionem immundam et in errorem dæmonum.*

Idipsum quoque Gentiles viderunt, sed per umbram, Seneca l. 3. de Ira c. 41. *Conscientiæ*, ait, *satisfiat, nihil in famam laboremus.* Nam, ut ipse ait alibi: *Ambitio scenam quærit.*

Exempla Gentilium.

Fabius Maximus nolens confligere cum Annibale, sed eum sequens per montes, ut fame attereret, ridebatur quasi pædagogus Annibalis. Ille interim sana sequens

consilia dicebat: *Qui maledicta et convicia metuit, timidior est eo qui hostes fugit.* Unde Annibal magis sibi a non pugnante Fabio, quam a pugnante Marcello timebat. Denique *Fabius cunctando restituit rem.*

Triumphus decretus erat Pompeio, reclamabant milites dona poscentes. Tum Pompeius: *Omittam*, ait, *potius triumphum, quam ut militibus aduler.* Exclamavit Servilius: *Nunc demum video Pompeium revera esse magnum triumphoque dignum.*

Lycurgus Spartanos docuit verbis non moveri, sed præclare factis studere. Spartanorum ergo erat, posse salse dicta aliorum tolerare.

Lysander dux Lacedæmoniorum cuidam dicenti sibi; Laudo te et defendo, respondit: *Duos ruri habeo boves, quibus tacentibus, exacte scio uter eorum piger sit, uter industrius.*

Idem alteri sibi convicianti: *Crebro*, ait, *ista dicito, si forte animi tui mala, quibus plenus videris esse, possis egerere.* Ita Plutarch. in Lacon. et Roman.

B Quod egressum est de labiis meis, rectum fuit.) Id est verum fuit, non mendax. Ita S. Hieron. q. d. Quod tibi, o Domine, rectum visum est, locutus sum; quod tu mihi inspirasti, prædixi, nulli hominum adulatus: libere te iubente principum vitia carpsi, *nec ullius offensam timui, quia nullius gratiam ambivi.*

Ita B. Petrus Damiani a quibusdam falso accusatus suam innocentiam rectæ conscientiæ testimonio tuetur, scribens ad Leonem IX. Pontif. ep. 4. *Verumtamen*, ait, *in his ad conscientiam redeo, ad mentis meæ secreta recurro, certus, quia nisi pro amore Christi, cuius ego malus servus sum, nullius mortalis hominis gratiam quæro, nullius iracundiam pertimesco.*

Vers. 17 Non sis tu mihi formidini.) Ne permittas me ob verbum tuum in periculo versari, in quo mihi de morte aliove malo formidandum sit, cum in te spem omnem ponam.

C Rursum, q. d. Nec homines, nec minas, nec quidquam quod in mundo sit, præter te, Domine, formido. Unum te tuique offensam et iram timeo. Dum tu mihi non irascaris, dum tu mihi non sis formidini, sed opi et tutelæ, ut mihi in persecutionibus adsis, non timebo, securus consistam, dicamque cum Psalte, Ps. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.*

Septuag. vertunt: *Ne fias mihi alienus, parcens in die malo*, id est ait S. Hieron. *Ne parcas mihi in præsenti sæculo, quod malum est; sed redde mihi iuxta peccata mea, ut in futuro requiem habeam sempiternam.*

Vers. 18 Confundantur.) Fac, ut illi fallantur, non ego; fac, ut illi appareant esse mendaces, cum viderint excidium quod ego minor, et ipsi irrident; ut sic ego non confundar, sed verax appaream. Ita S. Hier. Alternant enim in Prophetis motus misericordiæ, qua suis, præsertim simplici populo, parci et ignosci postulant; et vindictæ, qua superbos, irrisores et rebelles flagellis edomari et contundi postulant. Alii, ut Sanchez, hos optativos per futura explicant, ut significent prædictionem rei futuræ: *confundantur*, id est confundentur: *paveant*, id est pavebunt: *contere*, id est conteres. Aut subaudiunt voculam *si*, q. d. Si alteruter nostrum confundi debeat, uti debet, me excidium futurum affirmante, illis vero negantibus; fac, Domine, ut illi potius confundantur, qui tua verba rident, non ego, qui ea enuntio.

Duplici contritione contere eos.) *Duplici*, scilicet fame et gladio, ait S. Hieron. aut, morte et captivitate, ut Lyran.

Secundo et simplicissime, *duplici*, id est gravi, multiplici. Vide dicta c. 16. 18. Sic Latini *triplex*, vel *decumanum* vocant id, quod magnum est, ingens et validum.

Sta in porta.) Urbis regia, quæ celeberrima est et Vers. 19.
frequentatissima.

Custodite animas vestras.) Ne peccato maxime vio- Vers. 21.
lationis sabbati, maculentur. Hebr. *Cavete in animabus vestris*, vel pro *anima vestra*, id est, quam chara vobis est anima, cavete ne sabbatum violetis, alioqui excidemini: sin illud custodiatis, et consequenter omnem Dei cultum, pax erit vobis, et omnium rerum abundantia. Patet ex seq. Per sabbati custodiam, omnem legis observationem intelligit, uti et Isaias c. 56. v. 2. et 4. Qui enim sabbatum custodiebat, hoc ipso tacite profitebatur, Deum esse conditorem et gubernatorem cæli et terræ: in huius enim rei et beneficii memoriam, sabbatum erat institutum: qui vero contemnebat sabbatum, videbatur inficiari Deum esse conditorem mundi. Sic si quis hodie diem Dominicum celebrare recusaret, videretur negare Christum resurrexisse, in cuius memoriam dies ille constitutus est. Ita Vatablus.

Colens sabbatum, profitebatur Deum esse creatorem omnium.

Nota hunc locum, pro cultu sabbati apud Iudæos, et diei Dominicæ apud Christianos. Vide quam stricte præcipiat hic Deus Iudæis, ut sabbato non portent onera.

Eiicere.) Efferre onera. Vers. 22.

Reges et principes.) q. d. Dabo vobis reges ex stirpe Vers. 25.
David, servaboque pactum quod cum eo inii, Ps. 131. 11. et 2. Reg. 7. 12.

In curribus et equis.) Pace, et gloria, et rebus prosperis affluentes: currus enim et equi, sunt gloria regum.

Et venient.) q. d. Ierusalem florebit, templumque Vers. 26.
mire frequentabitur.

Succendam.) Per Nabuzardan et Chaldæos. Vers. 27.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostendit Deus exemplo figuli vas dissipatum refingentis, posse se Iudæos dissipare, et in captivitatem dispergere, ac post in pristinum statum restituere, si pœniteant: sed quia Judæi nolunt pœnitere, hinc v. 11. minatur eis excidium per Ieremiam quem ideo Iudæi v. 18. volunt occidere; quos ut Deus puniat, et se liberet, orat Ieremias v. 19.

1. Verbum, quod factum est ad Ieremiam a Domino, dicens: 2. Surge, et descende in domum figuli, et ibi
audies verba mea. 3. Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam. 4. Et dissi-
patum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis; conversusque fecit illud vas alterum, sicut pla-
cuerat in oculis eius ut faceret. 5. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 6. Numquid sicut figulus iste,
non potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, do-
mus Israel. 7. Repente loquar adversum gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam
illud. 8. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam et ego pœnitentiam
super malo, quod cogitavi ut facerem ei. 9. Et subito loquar de gente et de regno, ut ædificem et plantem illud.
10. Si fecerit malum in oculis meis, aut non audiat vocem meam: pœnitentiam agam super bono, quod locutus
sum ut facerem ei. 11. Nunc ergo dic viro Iuda, et habitatoribus Ierusalem, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce

ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem: revertatur unusquisque a via sua mala, et dirigite vias vestras et studia vestra. 12. Qui dixerunt: Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus. 13. Ideo hæc dicit Dominus: Interrogate gentes: Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel? 14. Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, et defluentes? 15. Quia oblitus est mei populus meus, frustra libantes, et impingentes in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito: 16. Ut fieret terra eorum in desolationem, et in sibilum sempiternum: omnis qui præterierit per eam obstupescet, et movebit caput suum. 17. Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum 18. Et dixerunt: Venite, et cogitemus contra Ieremiam cogitationes: non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium a sapiente, nec sermo a propheta: venite, et percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones eius. 19. Attende Domine ad me, et audi vocem adversariorum meorum. 20. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis. 21. Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum absque liberis, et viduæ: et viri earum interficiantur morte: iuvenes eorum confodiantur gladio in prælio. 22. Audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim super eos latronem repente: quia foderunt foveam ut caperent me, et laqueos absconderunt pedibus meis. 23. Tu autem Domine scis omne consilium eorum adversum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum a facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

Vers. 2. DESCENDE.) *Descendere* hic et alibi sæpe, idem est, quod ire: quamquam et proprie hic capi potest: officinæ enim figulinæ, ob aquam qua indigent, erant in valle; unde eunti ad eas, descendendum erat; erant enim iuxta vallem gehennæ, sive Topheth. Hoc est enim quod dicitur c. 19. *Egredere ad vallem filii Ennom, quæ est iuxta introitum portæ fictilis*, id est figularis, sive figulinæ et figulorum, uti exponunt Lyran. Hugo, Dionys. et alii.

Tropol. ire ad domum figuli est considerare sui originem ex luto.

Tropolog. iubet Deus, ut sæpe cum Ieremia descendamus ad domum figuli; ut videamus originem nostram, et Adami ex adamo, id est lutei ex luto; itaque humiliemur sub manu Dei, quasi figuli nostri. Vere S. Gregor. lib. 8. Moral. 22. *Quia*, inquit, *elatum semel sumpsimus spiritum, ecce defluens quotidie portamus lutum.*

Vers. 4. FECIT ILLUD VAS ALTERUM.) q. d. Figulus ex luto vas formaverat, sed nondum igne decoxerat. Hoc vas casu inter manus figuli confractum et dissipatum fuit in partes suas luteas, quas resumens figulus mox ex iis aliud fecit vas quod libuit: nam si vas hoc fuisset fictile, sive igne decoctum, non potuisset figulus fragmenta coagmentare, et ex iis aliud vas facere.

Vers. 6. ECCE SICUT LUTUM IN MANU FIGULI, SIC VOS IN MANU MEA.) q. d. Sicut vas luteum est in manu figuli ut illud frangat, et ex eo faciat aliud vas, vel prius renovet: sic et ego vos, o Iudæi, a me destinatos excidio, si pœnitueritis, reformabo, mutabo sententiam, et calamitatem vestram in felicitatem convertam; ut ex vasis contumeliæ, id est ingloriis et infelicibus, fiatis vasa in honorem, id est honorifica et felicia. Ita Theodor. Paulo aliter explicat Hugo, q. d. Sicut figulus vas fractum renovat: ita ego vos e captivitate quasi fractos reducam, et renovabo rempublicam vestram, si resipueritis. Deus enim mutabit sententiam, si vos mutetis mentem.

Homo similis est luto, Deus figulo, in quo?

Nota: Hæc comparatio non per omnia est similis: nam lutum non habet mentem, nec liberum arbitrium ut habet homo: ac proinde non in luti, sed in hominis manu est virtus et vitium, salus et damnatio eius; ita tamen, ut virtutis et salutis eius magis causa sit Deus per gratiam suam, quam homo. Similitudo ergo est tantum in eo, quod dixi. Non enim agitur hic de animo, sed de corpore; scilicet de captivitate et libertate, de rebus adversis et prosperis, de morte et vita, q. d. Ego solus possum vos de captivitate liberare, et in captivitatem tradere; ego possum mortificare, et vivificare; deducere ad inferos et reducere, 1. Reg. c. 2. 6.

Tropol. homo coram Deo se gerat ut lutum.

Tropolog. lutum est homo, quia ex limo est factus, ut cum timore et humilitate Deo se subdat; in cuius manu est status noster, vita, gressus, virtus, salus et omne bonum nostrum, ut ab eo pendeat, illique se restituat, cuius manum et potestatem effugere non potest.

Secundo, sicut lutum tantum est lutum, sed ex manu figuli hanc vel illam formam sortitur: ita homo ex se impotens est, informis et rudis instar materiæ primæ; sed a Deo habet quod sit dives, nobilis, sapiens, felix, gra-

A tiosus: et Deus dividit hæc sua dona cuique prout vult. Eccli. 33. 10. Roman. 9. 21. Vide ibi dicta.

Tertio, quisque sua sorte contentus esse debet: sicut enim lutum non potest dicere figulo: Cur me fecisti sic? sic nec nos Deo: Cur nos fecisti pauperes, ignobiles, rudes; illos vero divites, nobiles, ingeniosos, etc.? Denique, perfecti et beati sunt, qui se totos Deo resignant, et ab eo instar luti se flecti, regi, fingi et rifingi sinunt.

Anagog. figulus refingens vas, est Deus resuscitans cadaver.

Anagog. hoc symbolo significatur mors et resurrectio, ait S. Hilar. in Psal. 2. 9. Deus enim quasi figulus vas corporis nostri in morte collapsum, et diffractum, in resurrectione refingit. Sic et Cyprian. vel potius Ruffinus in expositione Symboli, hæc accipit de resuscitatione Christi mortui.

AGAM ET EGO POENITENTIAM.) Id est, retractabo et revocabo sententiam contra vos latam Ἀνθρωποπαθῶς. Vers. 8.

DIC VIRO IUDA.) Dic viris Iuda, dic Iudæis. Ponitur singularis pro plurali. Vers 11.

ECCE, EGO FINGO.) Formo quasi figulus, id est com-
B miniscor et apparo, contra vos malum, *non quod per se malum sit, sed quod patientibus malum esse videatur,* ait S. Hieronym. puta afflictionem et stragem. Sic ait Isaias cap. 45. vers. 7. *Ego Dominus formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum* pœnæ, non culpæ. Vere S. Gregor. l. 3. Moral. c. 7. *Non creantur,* ait, *a Domino, quæ nulla natura sua subsistunt; sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas nobis male agentibus in flagellum format, ut ea ipsa et per dolorem quo feriunt, deliquentibus mala sint, et per naturam qua existunt, bona. Unde et venenum mors est homini, serpenti vita.* Et S. Basilius tract. *quod Deus non est auctor malorum: Malum,* ait, *aliquod est secundum nostrum sensum* (puta malum pœnæ) *aliud natura ipsa. Malum natura ex nobis oritur, iniustitia, invidia, cædes, etc.*

DESPERAVIMUS; Hebr. נואש *noas*, id est desperatum Vers. 12.
est; Vatabl. *expectoratum est;* Chald. *aversi sumus a cultu tuo;* Septuag. apud Theodor. *obfirmati sumus*, scilicet in malo, q. d. Actum est, non possumus inolitas volupta-
C tes, consuetudines et peccata relinquere; præ difficultate, habitu, tædio et negligentia, non possumus ad Dei timorem et legis observantiam reverti, q. d. Certum nobis est et deliberatum, non facere: quia POST COGITATIONES NOSTRAS IBIMUS.) Id est mala, quæ animo destinavimus perficiemus.

QUIS AUDIVIT TALIA HORRIBILIA?) Quis audivit ullam Vers. 13.
gentem fecisse שערורית *sciaarurit*, id est tam fœdam et horrendam turpitudinem, atque fecit Israel, olim virgo, iam meretrix.

Vers. 14. et 15. Non deficit de petra agri nix Libani, quid?

NUMQUID DEFICIET DE PETRA AGRI NIX LIBANI? *Petram agri* vocat rupes Libani, planas instar agri et campi, q. d. De iis non deficiet nix: AUT EVELLI, id est exhauriri et deficere, POSSUNT AQUÆ ERUMPENTES FRIGIDÆ, ET DEFLUENTES? QUIA OBLITUS EST MEI POPULUS

I. Expositio optima. MEUS?) Sensus est: Cum cæteræ creaturæ, naturæ ordinem servent, populus tantum meus oblitus est mei, q. d. Citius debuissent nives deficere de Libano petroso, et siccari rivi de montibus fluentes; quam populus mei oblivisceretur, propter assidua beneficia quæ a me in illum manant. Quomodo ergo fieri potest, ut mei oblitus sit, libando scilicet idolis, et relinquendo *semitas sæculi*, id est a sæculo, et olim a sanctis patribus tritas, ut vias suas novas, id est avia, et nova idola, sequeretur? Ita S. Hieron. Theodor. Chald. Simili schemate ait Virgilius:

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Rursum, sic recte exponas: Num ex Libano ultro fluentes et liquescentes nivales aquæ, respui possunt ab agro sito ad montis radicem, arescente et sitiente: num sitis ipsa et necessitas, atque privatio pluviæ ipsaque siccitas deserere aut non admittere potest sponte sua influentem aquam? Minime sane: et tamen populus meus mei oblitus, hunc mei iugem influxum, ex mente et animo suo excludit. Sicut enim Libanus perpetuo ex nivibus liquat et scaturit aquas frigidas: sic ego sum fons aquæ viventis, quæ copiose tam corpus quam animam refrigerat, iuxta illud Cant. 4. 15. *Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.*

II. Secundo, Lyran. Pagnin. et Vatabl. vertunt: Num quis relinquet de petra agri nivem Libani? id est, numquid relinquet aliquis aquam frigidam et claram ex nive Libani, in petras et per petras defluentem; ut quærat cisternas dissipatas? uti fecit populus meus, me fontem vivum relinquens, et libans Baalim, uti dixit c. 2. 13. eo enim alludit, ibique dicta refricat. Duo ergo absurda hæc parœmia significat: primo, petere ex longinquo quod habeas prope: secundo, quærere malum foris, cum domi habeas bonum. Sic enim Iudæi, relicto Deo optimo quem domi habebant, quærebant deos pessimos Gentium: perinde ac si maritus relicta uxore optima, sectetur fœdissimas meretrices.

III. Tertio, Septuag. pro שדה *sadè*, id est ager, legunt שדים *sciadaim*, id est ubera, vertuntque: *Numquid deficient de petra ubera*, aut, ut Theodor. legit, *mammæ stillantes*: quia ex rupibus fluunt aquæ perennes, uti ex uberibus fluit lac: fontes ergo sunt terræ quasi ubera, et, ut Philo lib. de Opificio mundi ait, quasi mammæ quibus terra lactat et pascit tam plantas suas, quam homines et animalia: *vel nix de Libano, aut declinavit aqua valida quæ vento portatur?* q. d. ait Theodor. *Fontes sine intermissione scaturiunt: Libanus semper habet nivem: aqua quæ fertur impetu trita via fluit.*

Mysterium SS. Trinit. hoc loco mystice significatum. Quod S. Ambros. lib. de Virgin. ante medium mystice sic exponit: *Qualis est hæc virgo* (Ecclesia) *quæ Trinitatis fontibus irrigatur, cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt ubera, mella funduntur. Petra ergo est Christus, ergo a Christo non deficiunt ubera, claritas a Deo, flumen a Spiritu, hæc est Trinitas quæ Ecclesiam suam irrigat, scilicet Pater, Filius, et Spiritus sanctus.* Ubi Ambrosius Trinitatem hisce verbis significari putat, q. d. Non deficient ubera de petra, id est de Christo; nec nix a Libano, id est claritas a Deo Patre; neque aqua valida a vento, id est flumen zeli et gratiarum a Spiritu sancto.

Ubera Christi in Eucharistia. Hæc ubera Christus maxime nobis exhibet in Eucharistia. Audi S. Chrysost. hom. 60. ad popul. *Quis*, ait, *pastor oves proprio pascit cruore? et quid dico pastor? matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus: hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, et per omnia nos sibi coagmentat.* Unde infert: *Nonne videtis, quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, et quanto impetu labia uberibus infigunt: accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam; quinimo cum longe maiori trahamus tamquam infantes lactantes Spiritus sancti gratiam, et unus sit nobis dolor hac esca privari.*

AUT EVELLI POSSUNT.) Hebr. sic habent: *Si evellentur aquæ alienæ* (id est, ex alio loco per rivos vel canales de-A ductæ, itaque purificatæ et claræ) *frigidæ defluentes*, q. d. Non possunt e fontibus evelli, siccari et impediri aquæ iugiter scaturientes.

Secundo, Vatabl. vertit: *Num deserentur aquæ alienæ frigidæ fluentes?* sicque explicat, q. d. An aliquis relinquere solet aquas vivas et fluentes, quæ canalibus deducuntur in urbem? Minime. Nam is esset dementissimus, qui cum habeat fontem optimum apud se, alio se converteret ad aquas putidas et fœtidas quærendas in suos usus; et tamen hoc fecit populus meus.

Tertio, Septuag. apud Theodor. sic vertunt: *Numquid aqua quæ fertur impetu, relinquet viam tritam qua fluit?* q. d. Minime; cur ergo vos, o Iudæi, religionem et viam tritam ad templum relinquitis, euntes ad Baalim?

IMPINGENTES, hebr. ויכשילום *iackscilum*, id est, impingere fecerunt eos, (scilicet pseudoprophetæ) IN VIIS SUIS.) Vers. 15.
Ut scilicet deserant semitas sæculi, id est semitas antiquas patrum suorum, *quæ omnium sanctorum sunt tritæ* B *vestigiis*, ait S. Hieron. Huc spectat adagium Græcorum: *Fluminum undas in caput revocare*; et: *Sursum versus sacrorum fluminum feruntur fontes*, significans præpostere quid fieri, naturæ rerumque vices inverti: quod genus sit, si pueri senem admonere, discipuli præceptorem docere, filii præ patribus sapere, eorumque decreta factaque subvertere velint. Expressit id Ovidius in Heroidum epistolis:

Cum Paris Œnone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.
Xanthe, retro propera, versæque recurrite lymphæ,
Sustinet Œnonem deseruisse Paris.

Narrat Laertius in Vita Diogenis, eum cum servus effectus esset, hero tamen suo imperasse, ut quod ab se iubebatur faceret; cumque herus irridens responderet, *Sursum flumina*: replicavit Diogenes; Si existens ægrotus medicum ære tuo mercatus esses, nonne illi monenti pareres? an istum ad modum responderes, *Sursum flumina?* Idem usurpat Nazianz. in sua Vita.

C UT AMBULARENT PER EAS.) Scilicet vias suas novas, hactenus non calcatas, scilicet ad idola sua. Hebræa clarius sic distinguunt: *Impingere fecerunt eos in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per semitas viæ non tritæ.* Quocirca melius easdem hic accipias vias suas et semitas sæculi. Viæ ergo peccati et peccatorum vocantur viæ vel semitæ sæculi: quia ab olim, a Cain, gigantibus, Sodomitis, ac nominatim a primis Iudæorum patribus aureum vitulum in deserto fabricantibus et adorantibus, calcatæ et tritæ sunt, de quibus ait Iob c. 22. *Numquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui, qui sublati sunt ante tempus suum, qui dicebant Deo: Recede a nobis?* Ita Hugo, Lyran. D. Thom. Capella, Dionys. et alii, q. d. Vos priscam patrum impietatem et idololatriam imitamini, estis malorum corvorum mali pulli. Porro tritissima a plurimis fuit hæc via; vocat tamen eam non tritam, per catachresin, quia aspera erat, difficilis et devia, utpote ducens ad exitium. Hoc est quod aiunt scelesti Sapient. cap. 5. vers. 7. *Ambulavimus vias* D *difficiles.*

IN SIBILUM (in contemptum: solemus enim quos contemnimus exsibilare. Simile est cap. 19. 8. c. 25. 9. et c. Vers. 16.
51. 37.) MOVEBIT CAPUT SUUM.) Irridebit et contemnet te. Simile est Psalm. 21. 8. et Is. 37. v. 22. *Despexit te, et subsannavit te, virgo filia Sion: post te caput movit filia Ierusalem.*

SICUT VENTUS URENS.) Hebr. est כרוח קדים *cheruach* Vers. 17.
kadim, id est sicut ventus Orientalis, vel Euroauster, qui flat ab Oriente Meridionali, vel, ut S. Hieronym. Vulturnus, qui flat ab Oriente septemtrionali, estque vehemens et urens, segetes adurit, facitque ut spicæ, granis in favillam versis, cassæ sint et evanidæ, ac deinde easdem dispellit quasi paleas et quisquilias: sic ego Iudæos affligam excidio et incendio urbis et templi, atque tam ante quam post illud faciam aut profugos aut captivos, ut fugiant, vel captivi ducantur a facie Chaldæorum, id est a præsentia et persecutione Chaldæorum, sicut bestiæ fu-

giunt a facie leonis, id est a leone adventante aut persequente. Hoc est quod de impiis dicitur Iob. 27. 21. *Tollet eum ventus urens, et auferet, et velut turbo rapiet cum de loco suo.*

Aliter Chald. vertit, nimirum: *Dispergam vos sicut ventum Orientalem*, scilicet soleo dispergere.

Dorsum, et non faciem ostendam eis.) q. d. Abibo ab eis, eosque deseram. Secundo, adversus illis ero: non propitius, sicut ipsi mihi vocanti dorsum obverterunt: ita et ego eis eiulantibus, opemque meam invocantibus dorsum obvertam. Ita Maldon.

Symbolice, Franc. Lucas in Matthæi 17. 35. et alii hæc referunt ad Christum in cruce pendentem. Iudæi enim ita collocarunt crucem, ut dorso Iesu Orientem urbemque Hierosolymorum spectante, facies respiceret Occidentem; eo quidem consilio, quod indignum reputarint sanctæ urbis aspectu, sed ex eo eventu, ut facie sua a Iudæis aversa, nos Gentes illustraret, quorum habitatio est in Occidente; tuncque impleta est hæc Ieremiæ prophetia: *Dorsum, et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum;* et altera illa Ps. 65. 7. *Oculi eius super Gentes respiciunt.*

Vers. 18. Non enim peribit lex.) Id est legis interpretatio, q. d. Non erit magna iactura, si hic Ieremias occidatur, licet sacerdos, sapiens Propheta: non enim deerunt alii, eoque blandiores. Ita S. Hieron. et Rabanus. *Perire* enim est auferri, ita ut desit et non exstet.

Aliter Theodor. et Vatabl. q. d. Occidamus eum, alioqui non peribit lex, id est alioqui non cessabit ipse docens nos legem, nosque arguens quod eam non servemus, tamquam sacerdos: dans etiam consilia nostris contraria, tamquam sapiens: et mala nobis prænuntians, tamquam Propheta.

Tertio, Hugo, S. Thom. et Lyran. quasi dicant: Occidamus eum quasi falsum prophetam, quia dixit perituros sacerdotes sapientes, Prophetas: non enim peribunt hi quos Deus instituit. Hic sensus, uti et primus, valde genuinus est. Consonant Ieremiæ Isaias dicens cap. 29. 14. *Peribit sapientia a sapientibus*: et Ezechiel. cap. 7. vers. 26. *Quærent visionem de Propheta, et lex peribit de sacerdote, et consilium a senioribus.*

Hinc quarto, Lyranus, Dionys. Sanchez et Maldon. q. d. *Non peribit lex,* id est non enim falsa esse possunt, quæ nobis sacerdotes et Prophetæ prædicant, in quorum ore lex est, Malach. 2. 7. Dicebant enim illi sacerdotes et prophetæ falsi: *Pax, pax, cum non esset pax*, c. 4. 10.

Percutiamus eum lingua.) Chald. *Falsa testimonia testificemur contra eum.* Secundo, Theod. et Vatabl. Texamus contra eum calumniam. Tertio, ut cæteri: Accusemus eum quasi falsum prophetam. Sic Ieremias fuit hic typus Christi falso accusati. Alii vertunt: *Percutiamus eius linguam,* id est imponamus ei silentium, vel minando ei mortem, vel compingendo in carcerem, uti reipsa fecerunt.

Vers. 20. Numquid redditur, reddi solet, pro bono malum?) q. d. Non: cur ergo malum pro bono mihi reddunt Iudæi? Quid enim aliud quæro quam eorum salutem? Cur excidium ex ore Dei eis intendo, nisi ut pœniteant, itaque illud evadant?

Quia foderunt foveam, more venatorum, ut caderem in eam, q. d. Struxerunt animæ, id est vitæ meæ, aut mihi insidias, ut me occiderent, cum (ut tu Domine, recordaris) steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum.) Id est cum te oraverim pro eis, ut bene eis faceres. Hic est genius Sanctorum. Audi Davidem Psal. 108. 4. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis.*

Vers. 21. *Nabuchodonosor fuit latro, id est, prædo.* Adduces enim super eos latronem repente.) Id est Nabuchodonosorem, ait S. Hieron. vel ut hebr. est, גדוד *ghedud*, id est turmam, sive globum militarem, qui excurrit ad prædandum et populandum qui in libris Regum

A vocantur *latrunculi*. Ita Chald. Pagnin. Vatabl. Verum latrunculi isti hebr. vocantur *ghedudim* in plurali, hic autem in singulari est *ghedud*: id est latrunculus, prædo, volo. Unde Noster recte vertit *latronem*, et recte intelligitur Nabuchodonosor, qui c. 4. 7. vocatur prædo gentium. Sic piratæ capti ab Alexandro Magno, rogati qui essent, responderunt: *Tales sumus qualis tu: sed tu magnus es prædo, nos parvi prædones sumus.* Nam, ut recte ait S. Aug. l. 4. de Civit. c. 16. Loquens de Nino rege Assyriorum, qui primus cœpit finitimis bella inferre cupiditate regnandi: *Inferre bella finitimis, et inde ad cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?* Multa ergo regna Gentilium fuerunt latrocinia, et multi reges latrones. *Alexander aliique fuerunt latrones.*

Posset secundo, Nabuchodonosor vocari latro, id est, miles a Deo quasi mercede conductus ad eius vindictam peragendam. Talis enim fuit ipse in expugnatione Tyri, uti docet Ezech. c. 29. 18. Nam latrones olim dicebantur conB ducti milites απο του λατρευειν, id est a serviendo: serviebant enim mercede. Moris autem erat, ut hos Imperator et circa se haberet, et primos mitteret ad omne discrimen. Dicti quasi laterones, inquit Varro, quod circa latera esse soleant; quos nunc satellites vocant, qui principis alicuis latus tuentur. Ita ait Plaut. Milit. 3. 75.

Nam rex Seleucus me opere oravit maximo,
Ut sibi latrones cogerem et conscriberem.

Hinc et latro vel latrunculus vocatur ludus milites præliantes repræsentans, quo scilicet luditur sexdecim scrupis gemina acie utrimque directis, in quibus duo reges sunt invicem contendentes, duæ reginæ, quatuor equites, sedecim pedites, quatuor satellites, totidem centuriones. Vulgo *Scachos* vocant. Ita Seneca, *latrunculis*, ait, *ludimus*; et Martial.

Insidiosorum si ludis bella latronum.

Huic expositioni favet verbum *adduces*, scilicet quasi tuum satellitem et lictorem, idque *repente*, ut antequam C hostem adventare audiant, et contra eum se præmuniant, eum adesse, omniaque ferro et flamma vastare sentiant, imo videant.

Moral. Latro repentinus impiis, et quasi fur de nocte est mors. Hinc nycticorax, ait Horus Apollo, lib. 2. Hieroglyph. 24. mortem significat. Sicut enim hic pullos cornicum repente noctu, sic mors homines nec opinantes invadit et opprimit.

In tempore furoris tui abutere eis.) Ad ignomi- Vers. 23.
niam et excidium, quos creaveras in gloriam et felicitatem; quia ipsa Ierusalem quasi meretrix abusa est tua patientia, et seipsa. Sic Deus abutitur impiis, dum eos trudit in infernum cruciandos, quos creaverat cælo glorificandos. Ita a Castro.

Pro *abutere eis*, hebr. est, *fac in eis*, id est, exple in eis, scilicet furorem tuum: vel fac eis quod merentur, ultionem de eis sumendo, scilicet iam per Babylonios, et postea per Romanos, ob cœsum ab eisdem Christum, quem hic Ieremias adumbrat. Ita S. Hieronymus. Unde Nazianz. D ait hic esse prophetiam de Christo. Nam propheta sui solius non tam acerbus fuisset ultor sed Christi merito est.

Hinc secundo, *abutere eis*, id est consume, disperde eos. *Abuti pro consumere.* Eleganter et docte vertit interpres: nam veteres abuti sumebant pro consumere. Audi Catonem de Re rustica cap. 76. *Donec omnem caseum cum melle abusus eris*, id est consumpseris, quasi abuti sit plene re uti usque ad eius consumptionem. Plaut. in Trinum: *Me qui abusus sum* (id est consumpsi) *tantam rem patriam.* Terent. in prol. Andr. *Nam in prologis scribendis operam abutitur*, id est consumit et perdit. Plautus in Asin. *Ubi quæ dedi ante? abusa. Nam si ea durarent mihi, mulier mitteretur ad te.* Ubi Nonius, *abusa*, inquit, id est uteado vel in usum consumpta.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias iussu Dei conterit laguneulam fictilem in valle Topheth, ut significet sic conterendos esse Iudæos a Chaldæis, ac in Topheth (quam innocentum sanguine polluerunt, mactando eos idolo Moloch) catervatim esse sepeliendos; eo quod pro occisorum multitudine, quicumque alius locus ad sepulturam erit angustus.

Hæc historia et prophetia contigit vel sub Ioakim, ut vult a Castro; vel sub Sedecia, ut vult Abulens. neutrum enim certo definiri potest.

1. Hæc dicit Dominus: Vade, et accipe laguneulam figuli testeam a senioribus populi, et a senioribus sacerdotum: 2. Et egredere ad vallem filii Ennom, quæ est iuxta introitum portæ fictilis: et prædicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te. 3. Et dices: Audite verbum Domini reges Iuda, et habitatores Ierusalem: hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita ut omnis, qui audierit illam, tinniant aures eius: 4. Eo quod dereliquerint me, et alienum fecerint locum istum: et libaverunt in eo diis alienis, quos nescierunt ipsi, et patres eorum, et reges Iuda: et repleverunt locum istum sanguine innocentum. 5. Et ædificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim: quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. 6. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: et non vocabitur amplius locus iste, Topheth, et Vallis filii Ennom, sed Vallis occisionis. 7. Et dissipabo consilium Iuda et Ierusalem in loco isto: et subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, et in manu quærentium animas eorum: et dabo cadavera eorum, escam volatilibus cæli, et bestiis terræ. 8. Et ponam civitatem hanc in stuporem, et in sibilum: omnis, qui præterierit per eam, obstupescet, et sibilabit super universa plaga eius. 9. Et cibabo eos carnibus filiorum suorum et carnibus filiarum suarum: et unusquisque carnem amici sui comedet in obsidione et in angustia, in qua concludent eos inimici eorum, et qui quærunt animas eorum. 10. Et conteres laguneulam in oculis virorum, qui ibunt tecum. 11. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Sic conteram populum istum, et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari: et in Topheth sepelientur, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum. 12. Sic faciam loco huic, ait Dominus, et habitatoribus eius: et ponam civitatem istam sicut Topheth. 13. Et erunt domus Ierusalem, et domus regum Iuda, sicut locus Topheth, immundæ: omnes domus, in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiæ cæli, et libaverunt libamina diis alienis. 14. Venit autem Ieremias de Topheth, quo miserat eum Dominus ad prophetandum, et stetit in atrio domus Domini, et dixit ad omnem populum: 15. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego inducam super civitatem hanc, et super omnes urbes eius, universa mala, quæ locutus sum adversum eam: quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos.

Vers. 1. ACCIPE LAGUNGULAM A SENIORIBUS POPULI.) Ut plane vertit Noster. Alii supplent, *duc aliquos tecum.* Ita Chaldæus, S. Hieron. Pagn. Vatabl. Theod. Raban. unde ipsi sic hæc distinguunt: Vade et accipe, vel, ut Vatab. coeme, scilicet a figulo laguneulam figuli testeam: *et* (το *et* enim habent Hebr.) *a senioribus populi* aliquos, supple, accipe vel evoca, quos ducas tecum, quasi novi quid et miri prophetice patraturus, ut sint testes tui facti, et spectatores æque ac auditores: hos enim testes adfuisse patet v. 10.

Vers. 2. ET EGREDERE AD VALLEM FILII ENNOM.) Pro *vallem* Sept. vertunt, πολυανδριον, q. d. Multitudinem cadaverum virorum. Sic in basilica S. Petri hic Romæ in crypta quadam vicina cryptæ S. Petri, est, et inscriptum legitur *Polyandrion,* quod in ea sepulta sint multa corpora fidelium, qui licet non sint canonizati, pie tamen defuncti sunt in spe beatæ resurrectionis. Talia Polyandria sunt ossaria in cœmeteriis, quæ sunt congeries craniorum et ossium Christianorum. Duxit illos eo Ieremias, ut considerantes in hac valle suum sepulcrum, iuxta vaticinium c. 7. 32. quodque corpus eorum fictile brevi conterendum esset, et efferendum quasi stercus in Topheth, et anima in gehennam, per Chaldæos, id est per dæmones; resipiscerent, atque Deum verum colerent et timerent. Videbat enim Iudæos duros et pervicaces verbis non moveri; itaque realem eis dedit concionem, scilicet vivam repræsentationem, imo inspectionem suæ mortis et sepuleri. Idem faciat concionator, ut viva hypotyposi hominibus obiiciat et repræsentet mortem, iudicium, infernum, æternitatem: quia licet hæc in se terribilia sint, homines tamen vulgo non movent, nisi ad vivum eis repræsententur et inculcentur.

Viva concio quæ novissima vive repræsentat.

QUÆ (vallis) EST IUXTA INTROITUM PORTÆ FICTILIS.) Quia iuxta hanc portam habitabant figuli, ut Hugo et Lyran. vel, quia per eam evehebantur fragmenta vasorum fictilium et stercora. Ita R. Salomon. Unde Chaldæus vertit, portam *sterquilinii* quæ Australis erat, ut patet 2. Esdr. c. 12. 31. idque asserit Borchardus. Quare non recte Vatabl. et Isidor. Hebr. חרסית *charsit*, id est *fictilis*, vertunt *sol* (hic enim *cheres* dicitur) q. d. Ad portam solarem, id est Orientalem. Erat enim hæc porta Australis, non Orientalis. Portæ nefastæ, ait Plutarch. libr. de Curiositate, sunt per quas edueunt reos ad supplicium, et sordes. Talis erat hæc, qua educebant filios mactandos in Topheth.

Portæ nefastæ quæ?

Sic symbolice, sensus sunt portæ; quia sunt portæ cupiditatis et peccati.

TINNIANT AURES EIUS.) Præ dolore et pavore, q. d. Ita percellentur metu, ac si validissimo tonitru aures ferirentur. Vers. 3.

EO QUOD, etc. ALIENUM FECERINT, id est profanaverint, LOCUM ISTUM.) Consecrando illum idolis, ut dixit de Topheth, q. d. Eo quod peregrinam religionem in istum locum invexerint, patriam et avitam relinquentes. Vox enim *alienus*, et *alienatio,* in Scriptura significat peregrinam religionem et cultum. Hinc vocantur dii alieni, id est dii alterius religionis, et peregrinarum cæremoniarum, non patriarum, nec familiarium populo. Hinc et 2. Paral. 14. 2. dicitur in Hebræo, *abstulit altaria alienationis:* quod Septuag. vertunt, *removit altaria alienorum:* Noster, *subvertit altaria peregrini cultus.* Hinc denique Gentes vocantur *alienigenæ*: quia alienos, id est peregrinos, deos colunt. Vers. 4

DIIS, QUOS NESCIERUNT IPSI, ET PATRES EORUM.) Scilicet quamdiu probi fuerunt et pii. Ita S. Hieronymus, vel, ut Vatabl. q. d. Dii quorum vires et opes numquam senserunt, Deuteron. 32. 38. quos proinde ipsi olim, æque ac patres eorum non agnoverunt, sed quasi alienos, vanos et mendaces respuerunt.

REPLEVERUNT, etc. SANGUINE INNOCENTUM.) Scilicet

Prophetarum, et parvulorum, quos Moloch cremabant. Ita S. Hieron. Rabanus, S. Thom.

Vers 6. Non vocabitur amplius locus iste, Topheth, etc. sed Vallis occisionis.) Quia ibi Iudæi a Chaldæis occidentur, uti dixit cap. 5. 32. Alludit hic Topheth ad rad. יפה iapha, id est pulcher, amœnus fuit, q. d. Hæc vallis non vocabitur, uti ante, Topheth, id est amœna; vel etiam *toph*, id est tympani et chorearum; sed *vallis occisionis*, tum quia ibi multi occidentur: tum *occisionis*, id est occisorum, sive cadaverum plurimorum quæ eo quasi ad communem Iudæorum sepulturæ locum innumera afferentur. Commune enim Iudæorum sepulcrum erat in valle Cedron, in ea parte quæ Gehenna seu Topheth appellatur, ut patet 4. Reg. 23. 6. Indeque hæc vallis dicta est cadaverum, cineris, calvaria, et regio mortis, ut patet Ierem. 31. v. 40. Iudæi enim ne naturaliter fœtore cadaverum, et ne legaliter eorumdem contactu contaminarentur, ea efferebant in sepulcra extra urbem posita, ut dixi Levit. 19. Eadem de causa etiamnum nonnullæ urbes sepulcra extra urbem constituerunt, uti Norimbergæ et in aliis pluribus Germaniæ urbibus ipse conspexi.

Iudæorum commune sepulcrum erat in Cedron iuxta Topheth

Dissipabo consilium Iuda et Ierusalem in loco isto.) Quod inierunt de rebellando Nabuchodonosori coram suo deo Moloch, parvulos plures ei concremando, ait S. Thom.

Secundo et melius, Hugo, q. d. *In loco isto*, id est in Topheth, ubi peccaverunt Iudæi, copiosam eorum stragem faciam per Nabuchodonosor, qua strage et terrore dissipabo omnia Iudæorum consilia, ut nesciant quo se vertant, quod consilium capiant, ut se contra eum tueantur: putabant enim se eo loco auxilium a suo idolo habituros, et eodem loco occidentur. Pro *dissipabo* hebraice est בקותי *bakoti*, id est *evacuabo*, ubi est elegans paronomasia inter בקק *bakak*, id est evacuare, et בקבק *bakbuk*, id est lagenulam, huius evacuationis et dissipationis symbolum et indicem v. 1. q. d. Dissipabo et evacuabo eos, sicut dissipavi et evacuavi lagungulam, confringendo eam.

Vers 8. Super universa.) Hebr. *Super omnibus plagis eius*, id est, videns tot eius plagas et clades.

Vers. 9. Cibabo eos carnibus filiorum.) Id factum esse Hierosolymæ, in obsidione Chaldæorum, hinc patet, idque eis minatus est Moses Deuteron. 28. 53. Plenius, ait S. Hieronymus et Raban. hoc accidit Iudæis post Christum obsessis a Tito et Vespasiano, ut patet ex Iosepho et Hegesippo. Illius enim excidii Romani hoc Chaldaicum fuit typus.

Unusquisque carnem amici sui comedet.) Hinc patet non unius, sed plurium, hoc fuisse facinus: frigidum enim est quod Chald. vertit: *Unusquisque substantiam proximi sui diripiet in obsidione*. Est hyperbole: *Unusquisque*, id est multi.

Vers 11. Sic conteram populum, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.) Licet enim post septuaginta annos captivitatis Iudæi instaurarint suam gentem; tamen hoc fuit quasi aliud et novum sæculum, alia et nova generatio.

Secundo et melius, *sic conteram*, id est, sic vindictam excidii, quam eis minatus sum, plene explebo, ut in præsenti prorsus conterantur, nec per se instaurari possint; sed a me solo post septuaginta annos, quasi alio sæculo, in aliam rempubl. instaurandi sint. Humana ergo potentia instaurari non potuerunt Iudæi, sed divina. Sic Christus ait, quod impossibile est apud homines, possibile esse apud Deum, Matth. 19. 26. Ita Maldon. et a Castro.

Plenius et verius hoc fuit in excidio Iudæorum per Titum. Ita S. Hieron. qui et subdit; *Quamquam sibi Iudæi auream atque gemmeam Ierusalem restituendam putent; rursusque victimas, et sacrificia, et coniugia sanctorum, et regnum in terra Domini Salvatoris. Quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus: quia multi Ecclesiasticorum virorum et Martyrum ista dixerunt: et unusquisque in suo sensu abundet, et Domini cuncta iudicio reserventur.* Verum hæc iam est explorata et damnata hæresis Chiliastarum sive Millenariorum, quorum auctor fuit Papias, asseclæ Irenæus, Tertullianus, Victorinus, Lactantius. Qua de re dixi Apoc. 20. v. 6. Inde enim errandi occasionem accepit Papias et Chiliastæ.

Simili phrasi hostes Dei tamquam vas figuli confringendos, prædixit Psaltes Ps. 2. v. 9. et Isaias c. 30. 14.

Ponam civitatem istam sicut Topheth.) Cremabo eam per Chaldæos, sicut ipsi suos infantes in Topheth concremarunt idolo Moloch. Secundo, profanabo eam instar Topheth, ut sit carnificina suorum civium: unde sequitur: Vers. 12.

Erunt omnes domus immundæ sicut Topheth.) Quia in domibus suis coluerunt idola, sicut in Topheth, ait S. Hieron. et quia in domibus multi erant occidendi, et domus contaminandæ cadaveribus, sicut et Topheth. Vers. 13.

In quarum domatibus.) Id est tectis. Ita Sept. Hebr. Chald. tecta enim in Iudæa erant plana, longe magis quam sint in Italia, leviter tantum declivia, ut pluvia deflueret: itaque in tectis ambulabant, cœnabant, etc. Imo etiamnum in Syria domus non habent tecta, nec tegulas, nec imbrices; sed solaria tantum, sive pavimenta quæ sunt vice tectorum, in quibus libere ambulant, comedunt et dormiunt in æstate: idque eo commodius faciunt, quod ibi totos quinque aut sex menses numquam pluat; sed sudum sit cælum: a lateribus est septum exiguum, ne quis facile labatur et decidat. Hæc omnia mihi Romæ affirmavit R. P. Ioannes Antonius Marietus, qui missu Summi Pontificis Iudæam et Mesopotamiam ante tres annos peragravit. In tecta ergo solebant conscendere, ut inde viderent stellas, easque adorarent, ut patet Sophon. 1. 4. *Disperdam, etc. eos, qui adorant super tecta militiam cæli.*

Tecta Iudææ plana.

Stetit in atrio.) Idem quod paucis dixerat Ieremias in Tophet. nunc aliis omnibus, qui noluerant venire in Topheth, dicit in atrio templi. Ita S. Hieron. Raban. et S. Thom. Vers. 14.

Quoniam induraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos.) Dicit *cervicem*, cum aurem dicere debuisset: aure enim auditur, non cervice. Sed causam mali tangere voluit; indurata enim cervix causa est induratæ et obturatæ auris, q. d. Quia induraverunt cervicem animumque suum, hinc iugum legis Dei excusserunt, ideoque aures suas averterunt et obturarunt, ut non audirent verba et iussa Prophetarum: aut, si audirent, iis non obedirent, sed ea despicerent, imo riderent. Hebræi enim verbum simplex capiunt pro composito, utpote quo carent; audire pro obedire. Hi ergo Iudæi habebant manum in aure, aurem in cervice, cervicem in corde, cor in obstinatione. Vers. 15.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias a principe sacerdotum ob excidium, cap. præced. Hierosolymæ comminatum coniectus in carcerem minatur et confirmat ei, eiusque amicis et omnibus Iudæis illud ipsum excidium. Secundo, dolet valde se ob tristes hasce prophetias tam esse exosum Iudæis: unde v. 7. queritur se a Deo seductum: sed mox v. 11. resumit spem et animos, ac tandem v. 14. maledicit diei nativitatis suæ.

1. Et audivit Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini, Ieremiam prophetantem sermones istos. 2. Et percussit Phassur Ieremiam prophetam, et misit eum in nervum, quod erat in porta Beniamin superiori in domo Domini. 3. Cumque illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Ieremiam de nervo; et dixit ad eum Ieremias: Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pavorem undique. 4. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo te in pavorem, te et omnes amicos tuos: et corruent gladio inimicorum suorum, et oculi tui videbunt: et omnem Iudam dabo in manum regis Babylonis: et traducet eos in Babylonem, et percutiet eos gladio. 5. Et dabo universam substantiam civitatis huius, et omnem laborem eius, omneque pretium, et cunctos thesauros regum Iuda dabo in manu inimicorum eorum: et diripient eos, et tollent, et ducent in Babylonem. 6. Tu autem Phassur, et omnes habitatores domus tuæ, ibitis in captivitatem: et in Babylonem venies, et ibi morieris, ibique sepelieris tu, et omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium. 7. Seduxisti me Domine, et seductus sum: fortior me fuisti, et invaluisti: factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. 8. Quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, et vastitatem clamito: et factus est mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die. 9. Et dixi: Non recordabor eius neque loquar ultra in nomine illius: et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: et defeci, ferre non sustinens. 10. Audivi enim contumelias multorum, et terrorem in circuitu: Persequimini, et persequamur eum: ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum: si quo modo decipiatur, et prævaleamus adversus eum, et consequamur ultionem ex eo. 11. Dominus autem mecum est quasi bellator fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt: confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur. 12. Et tu Domine exercituum probator iusti, qui vides renes et cor: videam quæso ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam. 13. Cantate Domino, laudate Dominum: quia liberavit animam pauperis de manu malorum. 14. Maledicta dies, in qua natus sum; dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. 15. Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus: et quasi gaudio lætificavit eum. 16. Sit homo ille ut sunt civitates, quas subvertit Dominus, et non pœnituit eum: audiat clamorem mane, et ululatum in tempore meridiano. 17. Qui non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulcrum, et vulva eius conceptus æternus. 18. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei?

Vers. 1. PHASSUR, etc. PRINCEPS IN DOMO DOMINI.) Phassur hic non fuit Pontifex, ut vult S. Hieron. quia his temporibus Helcias, Azarias, Saraias, et Iosedec ordine generationis successerunt sibi in pontificatu, ut patet 1. Esdr. 7. v. 1. et ex Iosepho, et ex I. Paral. 9. 12. ubi stirps Phassur et Emmer describitur, estque a serie et stirpe pontificum diversa: sed fuit unus e templi præfectis; variis enim muniis et officiis templi, uti oblationibus, victimis, cantoribus, sartis tectis, etc. varii erant præfecti, iique vocabantur principes. Aliter Maldon. Erat, inquit, princeps, id est secundus a pontifice.

Principes sacerdotum varii.

Vers. 2. ET MISIT EUM IN NERVUM.) Id est, ut ex Symmacho S. Hieron. in locum quo homines torquentur, cruciantur, constringuntur et examinantur. Festus per *nervum*, vinculum, quo cervices et pedes impediuntur, intelligit; dicique nervum, quia talia vincula ex duratis nervis primum olim fieri cœperunt. Recentiores vertunt, *cippum*. Erat, ait Vatabl. et R. Ioseph Kimchi, instrumentum hoc constans variis lignis ex adverso coeuntibus, habebatque tria foramina, unum in quod collum immittebatur, et duo in quæ manus singulæ; ita et Vilalpando lib. 3. de Templo c. 24. Verum nervum potius pedum fuisse, quam colli, indicat S. Hieron. cum Paulum et Silam in nervum hunc compactos scribit Actor. 16. De iis enim ibidem dicitur: *Pedes eorum strinxit in ligno;* et Iob de se ait cap. 13. 27. *Posuisti in nervo pedem meum.* Ubi Syrus pro *nervo* vertit, *numellam*, qua pedes reorum constringuntur. Unde probabiliter censet Sanchez, nervum fuisse tormentum, quo in ligno variis foraminibus distincto, sic inserebantur reorum et Martyrum crura divaricata et disiuncta, ut luxarentur magis minusve prout magis minusve distendebantur: unde in Martyrum Actis legimus, Præsides iussisse eos *distendi ad quartum* vel *quintum foramen*, perinde ac fit in equuleo. Sic Euseb. lib. 6. 32. de Origene scribit, eius pedes ad quartum foramen fuisse extensos. Et Ruffinus l. 5. 2. hoc tormentum vocat nervum. Ita et Baronius in Martyrol. 22. Ianuarii. Sane tormenti et cruciatus ingentis genus fuisse, liquet ex eo, quod Ieremiæ tantos eiulatus et maledictionis voces vers. 14. expresserit. Ita S. Cyprianus l. 4. epist. 5. scribit de S. Celerino Martyre: *Per decem et novem dies custodia carceris septus, in nervo ac ferro fuit: sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Iacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus maior, iacens stantibus celsior, vincientibus fortior vinctus, sublimior iudicantibus iudicatus; et quamvis ligati nervo pedes essent, calcatus serpens, et obtritus et victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa.*

Nervus quid?

Arabicus pro *nervum* vertit, *orbem* vel *circulum;* significat ergo fuisse rotundum. Septuag. et Theodotion vertunt, καταράκτην, id est abruptum locum, puta fossam profundam, in quam vincti demitti solent. Unde R. David vertit, *in carcerem:* Syrus interpretatur *ambitum*, sive locum pro includendis reis vel inimicis circumquaque munitum.

QUOD (nervum, vel nervi instrumentum: τὸ enim *nervum* usurpat Interpres in neutro genere) ERAT IN PORTA.) Nota: Hæc porta proprie non erat templi, ut aliqui putant, sed urbis, puta antiquorum mœnium in Sion, quibus contiguum erat templum; ac proinde hæc porta quoque dicebatur templi, quia vicina erat templo, et per eam tantum ibatur ad templum. Dicitur *Beniamin*: quia per eam ibatur in tribum Beniamin. Dicitur *Superior:* quia et superioris erat urbis, et loco cæteris fere omnibus Hierosolymæ portis eminebat. Erat et alia porta Beniamin inferior, de qua cap. 37. 10. et 11. Sita in novis

mœnibus versus montem Moria, uti ex Borchardo, Adrichomio et aliis docet Vilalpando l. 3. de Templo cap. 24. quem vide. Iuxta hanc portam erat carcer, in quem conjiciebantur falsi prophetæ, item templi ministri, cum delictum aliquod commisissent. Suberat enim hic locus templo, templique præfectis. Ita Chaldæus, S. Thom. Theodoretus, Hugo, Lyranus. Aliter Sanchez: Porta, inquit, Beniamin dicta est ea, quæ erat in sorte tribus Beniamin: quia enim Ierusalem sita erat partim in sorte tribus Iuda; hinc porta tam templi, quam urbis, quæ erat in sorte Beniamin, dicta est porta Beniamin; quæ vero erat in sorte Iuda, dicta est porta Iuda.

Vers. 3. IN CRASTINUM EDUXIT PHASSUR IEREMIAM.) Forte veritus ne loci squalore, et cippi ac tormenti dolore enecaretur Ieremias, si diutius ibi detentus fuisset; ac proinde ipse (utpote qui Ieremiam in eum locum coniecisset) reus mortis eius ageretur. Ita Vilalpando loco citato.

Phassur significatio varia. NON PHASSUR VOCAVIT DOMINUS NOMEN TUUM, SED PAVOREM UNDIQUE.) Hebr. לא פשחור כי מגור *lo paschur ki magor.*
1. Primo, aliqui Phassur deducunt a פשח *pasach*, id est scidit, id est aperuit; et אור *ur*, id est lux, q. d. *apertio lucis*, quæ opponitur pavori, qui ita
2. constringit, ut nusquam sit exitus. Secundo, melius S. Hier. Phassur, ait, dicitur quasi פה שיחור *pe scichor,* id est os nigrum, q. d. O Phassur, os tuum tetrum et impudens, id est potestas sacerdotalis, quam denigras falsa persuadendo, quaque abuteris mihi resistendo, meque verberando, tibi auferetur, ducerisque ut mancipium
3 pavidum et mutum in Babylonem. Ita Lyranus. Tertio, aptiori antithesi Arias, Phassur deducit a פשה *pasa* vel פוש *pus*, id est expandens, expatians, luxurians; et חור *chur*, id est candor, vel heros, vel principatus, q. d. Vocaris Phassur, id est luxurians, candor, heros aut princeps; sed mox vocaberis pavor.

Unde nota: מגור *magor* proprie est pavor, Sept. tamen et Theodotion *magor* vertunt, μέτοικον, id est *transmigrantem;* Aquila, *peregrinum;* prima editio, *circumspicientem;* Symmach. *ablatum*, sive congregatum et coactum; Syrus, *advenam et circumvagum*, vel etiam *mendicum;* Arabicum Antioch. *alienigenam* (peregrinum) *et gyrantem;* Arabicus Alexandrinus, *translationem* vel *transmutationem, discessum.* Sensus est, q. d. O Phassur, ex tuo principatu et potestate insolescis et lascivis, me Dei Prophetam superbe arguis, et impudenter percutis, et contra minacem meam prophetiam, sed veram, tu falso prospera polliceris Iudæis. Scito ergo quod libertas et audacia tua, quam nomine et reipsa præfers, mutabitur in pavorem, luxus in angustias paupertatis, palatia in carcerem, quies in transmigrationem, imperium in servitutem, stola candida sacerdotalis in squalidam vestem captivorum. Quare deinceps vocaberis et eris, non פשחור *paschur*, sed מגור *magor*, id est non tumor sed timor, non terror sed pavor, non fortitudo sed formido, non candor sed pallor, non lux sed crux, non luxus sed luctus, non plausus sed planctus. Huc accedunt Lyran. Pagnin et Sanchez, qui *Phassur* interpretantur *incrementum candoris* vel *principatus.*

Vers. 4. TE ET OMNES AMICOS TUOS.) Videtur hic Phassur unus fuisse ex sacerdotibus populum decipientibus, dicendo: *Pax, pax, cum non esset pax*: ideoque eius amicis qui ei crediderant, æque ac ipsi, Propheta hic pœnas intentat. Sic Amasias cum uxore et liberis punitur, quia non credidit Amos verbum Dei annuntiare, Amos 7. 16.

Vide hic quam perniciosi sint adulatores, præsertim sacerdotes, aut consiliarii: hi enim perdiderunt Ierusalem: quæ stetisset, si non iis, sed Ieremiæ reprehensori suo credidisset. Vere dixit Q. Curtius: *Regum opes sæpius assentatio, quam hostis evertit.* Narrat Plutar. in Lacon. civem quemdam valde libere increpuisse Demaratum: in quem cum alius quidam excandesceret, quod talem virum ita carperet, respondit Demaratus: *Nihil in me peccavit: qui enim ad gratiam loquuntur, nocent; non autem, qui cum odio.* Hinc et Pythagoras dixit: *Gaudendum potius*

A *est de redarguentibus, quam de assentantibus, quos quasi hostes existimare et fugere oportet.* Plura vide Ezech. 13. in fine, et Isaiæ 3. 12.

SEDUXISTI ME.) Syrus, *blanditus es;* Arabicus, *fefellisti, illusisti me.* Putavi enim ex tuis verbis c. 1. 5. o Domine, me prophetaturum contra Gentes, non contra Iudæos, mihi tam infestos, inquit S. Hier. Raban. S. Thomas. Verum Ieremias scivit contrarium: hactenus enim contra Iudæos continuo prophetavit. Melius ergo Theodoret. et Vatabl. explicant, q. d. Detrectavi munus Prophetæ, dicens? Puer ego sum, tu ad id me induxisti, promittens me fore quasi columnam ferream; et ecce omnes obruunt me, et succumbo carceri, ærumnis, odiis, irrisionibus et sannis Iudæorum, non tam civium, quam hostium meorum. Videor ergo mihi tacite et callide in hosce compedes et ærumnas inductus ac seductus. Huc referri potest expositio Sanchez. Subinde, inquit, Script. dicit factum esse aliquid eo consilio et affectu, quo plerumque ab hominibus fieri solet, licet reipsa longe aliter se habeat. Sic B iubemur a Christo odisse patrem, matrem, quin et animam, id est eorum suggestiones relinquere, cum Dei legi aut voci repugnant; quod tamen reipsa potius est eos amare quam odisse. Sic Christus Galat. 3. dicitur pro nobis factus maledictum, quia talia passus est, qualia patiuntur qui a Domino sunt maledicti. Sic Ieremias inductus a Deo dici potuit, quia talia pertulit, dum ei obsequitur, qualia, qui ab alio in insidias inducitur, sustinere solet. Loquitur Ieremias ex humano spiritu pusillanimitatis et anxietatis animi, uti et Iob c. 3. Præmonuerat enim Deus eum multa passurum, sed a se roborandum, ut omnia superare, et ex omnibus eluctaretur. Hic sensus est genuinus. Tertio, Lyranus sic explicat, q. d. Si sum seductus, et falsa propheto, uti Iudæi et pseudoprophetæ dicunt, a te Domine, sum seductus, quod est impossibile; ac proinde mentiuntur ipsi: ego autem vera dico et prædico. Vers. 7.

FORTIOR ME FUISTI, ET INVALUISTI.) Dum scilicet reluctantem me Prophetæ munus suscipere fecisti, c. 1. v. 6.

C VOCIFERANS INIQUITATEM.) Id est iniquitatis pœnam illis denuntians: hebr. est: *vociferor violentiam et vastitatem*, quam scilicet Chaldæi Hierosolymæ illaturi sunt: et cum hæc quotidie clamem, non credunt, sed derident me quasi insanum, vel quasi pseudoprophetam, eo quod videant nihil eorum quæ comminor evenire, sed ea in longum protrahi et differri. Vere S. August. in Sententiis n. 122. *Magnus*, ait, *bonorum labor est, mores tolerare contrarios, quibus qui non offenditur, parum proficit. Tantum enim torquet iustum alieni peccati iniquitas, quantum a sua recedit.* Vers. 8

Aliter Vatabl. q. d. Ex quo loquor, clamo vim et vastitatem, scilicet mihi inferri, quod Galli dicunt *Je crie au meurtre.* Sed hic sensus arctior et coarctior est.

ET DIXI, cogitavi apud me, NON RECORDABOR EIUS.) Vers. 9
q. d. Non amplius faciam mentionem verbi et oraculi divini. Non significat Propheta, se deliberate hoc cogitasse et decrevisse, quia sic peccasset; sed tantum sibi ex huD mano motu et metu, hoc in mentem incidisse; quem motum pariter sensit et expressit Christus in passione, dicens: *Transeat a me calix iste.* Ita Maldon.

Secundo et melius, S. Hieron. censet Ieremiam victum pudore, et irrisionibus Iudæorum dicentium eum esse falsum prophetam, hostem patriæ, Chaldæorum amicum et proditorem, statuisse desistere a prophetia excidii Ierosolymæ, præsertim cum per eam apud incredulos nihil proficeret. Qua in re peccavit aliqua veniali pusillanimitate et timiditate: Deus enim volebat eum pergere in sua prophetia, uti sequitur. Ita a Castro.

ET FACTUS EST (sermo Domini) IN CORDE MEO QUASI IGNIS.) q. d. Dum sermonem Dei ex spiritu timoris humano contineo, nec prædicare volo, factus est quasi ignis ardens, et inclusus in ossibus meis, ut nulla ratione ardorem illius ferre possim, q. d. Donum prophetiæ Deus noluit in me esse otiosum, sed coegit me assidue stimulando prophetare, etiam rebellibus et obstinatis. Ita S. Hieron. Sic ait Amos c. 3. 8. *Dominus Deus locutus est,*

quis non prophetabit? et Psaltes Psal. 118. 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quare S. Chrysost. homil. 1. de Lazaro tom. 2. hanc legem ex Ieremia dat concionatori, ne defatigetur, nec ullo tempore sileat, sive sit qui auscultet sive non. Et S. Gregor. 23. Moral. 10. *Non taceat*, inquit, *prædicator, ne se participem delinquentium ex consensu taciturnitatis faciat, quia facinora delinquentium, ipsis tacentibus, crescunt.* Adde impios obstinatos sua duritie videri vincere verbum Dei, si apud eos obmutescat prædicator. Deus ergo vult ut ipsi assidue prædicando vincant, non vincantur. Sic S. Stephanus dure durissimos Iudæos increpavit, ut Dei gloriam defenderet, itaque simul occasionem martyrii captavit et obtinuit, Actor. 7.

Concionator non taceat, esto nolint audire, cur? I. Causa. 2.

Recte S. Bernard. lib. 4. de Consid. ad Eugen. *Fac*, inquit, *quod tuum est; nam Deus quod suum est, satis absque tua sollicitudine et anxietate curabit. Planta, riga, fer curam: et tuas explicuisti partes. Sane incrementum Deus, quando noluerit, dabit: Deus, inquam, non tu; quod si forte noluerit, tibi deperit nihil:* manet enim tuus labor, tua charitas, tuum meritum, tuum præmium, illudque integrum.

Aliter Sanchez: Dat, inquit, Ieremias hic causam, cur abhorreat a verbo Dei enuntiando, sive a prophetando: *Et*, id est, *quia, factus est in corde meo quasi ignis inæstuans*, q. d. Nolo ultra prophetare, quia verbum Dei ita urit et cruciat intimos animi mei sensus, ac si ignis sacer viscera mea ossaque adureret: hosce cruciatus ferre ultra non valeo, iisque succumbo, desistam ergo a verbo Dei, illudque ex animo deponam. Unde subdit: *Defeci, ferre non sustinens.* Verum prior expositio uti communis, ita magis congrua est.

Vers. 10. AUDIVI ENIM.) q. d. Sannæ et probra, quæ me ante facere compulerunt, iam Dei zelo accensum cogunt loqui: Deus enim aderit, ut omnes sannas superem. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, et S. Gregor. 13. Moral. 10. ait sannas et peccata Iudæorum ingravescentia compulisse Ieremiam, ut ex charitate silentium quod sibi proposuerat, abrumperet.

Aliter Lyr. q. d. Audivi enim, id est non tacebo, quamvis audiam maledicta. Alii hæc referunt ad v. 9. ut pergat enumerare suas persecutiones; quod valde congruum est. Animus enim æger et afflictus, uti erat Ieremiæ, non loquitur consequenter, sed ex affectuum tumultu nunc hoc, nunc illud eloquitur; nunc sermonem incidit, nunc priorem resumit et prosequitur.

CONTUMELIAS MULTORUM dicentium, PERSEQUIMINI ET PERSEQUAMUR.) Pro *persequimini* hebr. est הגידו *haghidu*, id est indicate, scilicet aliquod crimen, vel calumniam contra Ieremiam; et *indicabimus* regi, scilicet accusando eum.

AB OMNIBUS.) Refer ad *audivi calumniam*, puta ab omnibus, qui antea mihi erant amici, et iam custodiunt latus meum, qui omnia mea observant, dicentes: Videamus num aliqua in re decipiatur Ieremias, et cadat, ut eum ad regem deferamus. Ita S. Thomas et Lyran. sed Chald. Vatabl. Pagnin. vertunt: *Omnes mihi antea amici observant claudicationem meam*, id est, num aliqua in re claudicem, et aliquid perperam dicam, quod ad regem deferant. Hebr. enim צלע *tsela*, et latus, et claudicationem quæ fit ad latus, et lapsum significat. Quare Ieremias fuit hic typus Christi, quem Iudæi sæpe tentarunt, ut caperent eum in sermone, Matth. 22. 15. et alibi.

Ieremias typus Christi tentati a Iudæis.

Vers. 11. NON INTELLEXERUNT OPPROBRIUM SEMPITERNUM.) Quod incurrent ex suo excidio, quod ego eis minor, et ipsi irrident. Vatabl. vertit: *Nihil sua prudentia proficerunt;* Chald. *non prosperabuntur;* quod enim prudenter fit prosperatur.

Vers. 12. PROBATOR IUSTI.) Septuaginta, *probans iusta*, qui uniuscuiusque merita ponderas, iusteque remuneras.

Vers. 13. CANTATE.) Est epiphonema Prophetæ gratias agentis Deo, quod in spiritu vidisset se a suis ærumnis et populum e Babylone liberatum iri. Nota hic alternantes animi motus, æstusque, et luctam naturæ et gratiæ in Ieremia.

Lucta naturæ et gratiæ in Ieremia.

A Iam enim ipse v. 4. 11. 13. a Deo animatus sperat, roboratur, exsultat; iam v. 7. 9. 14. 15. 16. sibi et hostibus relictus videtur esse deiectus, et desperare. Unde mox considerans instantia pericula, et maiora sibi imminere contra Iudæos certamina, mœret et maledicit diei nativitatis suæ. Quia enim hic dicit: *Cantate Domino, etc. quia liberavit animam pauperis de manu malorum;* hinc ut ostendat quanta et quam gravia sint hæc mala, subdit: *Maledicta dies in qua natus sum,* quæ scilicet tantorum malorum mihi fuit ianua et exordium.

MALEDICTA DIES, IN QUA NATUS SUM.) Simili modo S. Iob cap. 3. maledicit diei nativitatis suæ. Aliqui putant hæc verba dici a Ieremia animo perturbato: videntur enim esse verba animi desperantis, impatientis, ulciscentis. Unde Calvinus ait has esse desperati hominis voces, esse sacrilegum furorem contra Iudæos, esse blasphemias et contumelias in Deum naturæ et ortus auctorem. Verum facessat hæc blasphemia, quam refellit S. Hier. Origen. Theodor. et cæteri ex eo quod paulo ante Ieremias Deum B tam affectuose laudavit: et quis credat eum hic peccare peccato mortali, imo exsecratione gravissima, eum, inquam, qui sanctificatus fuit ex utero?

Vers. 14. Ieremias maledicit diei nativitatis suæ quo sensu? I. Expositio Calvini.

Secundo, Origen. apud S. Hieron. respondet animas, quæ antea in cælestibus habitarunt, et iam in terra in corpora, quasi in carcerem detrusæ sunt, merito lugere, et maledicere suæ incorporationi. Sed hæc est hæresis. II. Origen.

Tertio, Isidorus censet esse conditionatam maledictionem, q. d. Si quæ dies infausta et maledicenda esset, esset dies nativitatis. III. Isidori.

Quarto, aliter rursum respondet Origen. Dies, inquit, nativitatis Ieremiæ iamdiu transierat, et iam non erat, eratque nihil; unde non peccavit ei maledicendo Ieremias: quia maledixit rei, quæ non erat, id est nihilo. Verum obstat, quod dies illa exstiterit, fueritque creatura Dei: non licet autem maledicere ulli creaturæ Dei, sive illa præsens sit, sive præterita. Rursum nuntius huius diei adhuc exstabat, saltem secundum animam: huic autem maledicit C pariter hic Ieremias v. 15. IV. Origen.

Quinto, P. Pineda in Iob c. 3. nove censet S. Iobi maledicta et querelas contra Deum, ex ingenti, impotenti et irato amore in Deum profectas esse. Solet enim ingens amor, ex sui vehementia et impotentia, irasci amico, dum ab illo se læsum, vel minus amice tractari putat, eaque ratione magis seipsum accendit, magisque amicitiam, stimulando amicum, suscitat et adauget. Ita S. Iob ex amore queri et expostulare cum Deo quasi amico, quod ab eo tot malis affligatur, ut hac amoris fiducia et vehementia tam Dei erga se, quam suum erga Deum amorem excitet et inflammet. Hinc Lucianus in dialogo Mercurii et Maiæ: *Iracundi*, ait, *sunt qui amant.* Et vulgo dicitur: *Amantium iræ, amoris redintegratio est.* Consequenter censet, has querelas non pusillanimitatis, sed fortitudinis esse signum. Nam in viris fortibus, dum arduam obeunt luctam, gemitus et clamores non debilitare robur animi, sed illud augere et confirmare docet Cicero Tusculan. 2. *Ut in stadio*, inquit, *cursores exclamant quam maxime possunt, faciunt* D *idem cum exercentur athletæ: pugiles vero etiam cum feriunt adversarium, in iactandis cestibus ingemiscunt. Si gemitus igitur in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur.* V. P. Pinedæ.

Fateor amantes et fortes in acri dolore gemere et irasci; at non solent amico, multo minus Deo maledicere. Adde Ieremias hic non Deum, sed diem nativitatis incusat, eique maledicit.

Sexto, S. Chrysost. hom. 4. de patientia Iob (quem sequuntur D. Thomas et Hugo) censet hæc verba non esse optantis, sed declarantis tantum internum dolorem, non ut cuipiam rei iniuriam inferat, sed ut dum in creaturas converti videtur, ab iniuriis et blasphemia in Deum plane se avertat: *Sicut*, inquit, *si quis apostematis morbo circumventus, ferro recidatur a medico, non habens quomodo recidenti adversetur, circumstantia tangit, atque astantes mordet, illis quidem inferre nihil habens, ad medicum autem extendere manus non valens: sic et Iob blasphemiæ ma-* VI. Chrysost.

gnitudines timens, facit inanimatis iniuriam, atque fiduciam passione adauget, non contra Deum audens, sed se denique accusans; et mox: *Maledicit non creaturam, sed sui ipsius diem: potestatem habeo diei meæ, non maledico creatori, mei ipsius diem maledico*, q. d. Maledico diem, non quatenus dies est Dei, sed quatenus meus est, hoc est, mihi tam misero, et meæ nativitati maledico. Verum hoc licet per se non sit blasphemum, nec Deo iniurium, impatientis tamen et pusillanimis mentis est indicium: atque leviculum, nec explens pathos et gravitatem huius orationis et affectus. Adde, qui sibi maledicit, indirecte et tacite suo auctori et creatori maledicit: maledictio enim creaturæ in eius creatorem refunditur et redundat. Vide D. Thom. et Caietan. 2. 2. q. 76. ubi docent quando maledictio sit peccatum mortale, quando veniale, quando nullum. Quocirca Lyran. vult hæc verba tantum exprimere inferioris partis affectum, cui tamen ratio non consentit, sicut in summa anxietate, dolore et desperatione dolor exprimit ex homine verba quædam, et gestus summæ desperationis, quasi naturæ impetu, quos ratio inhibere non potest. Sed hic nimis multa ordine, et quasi cum ratione dicuntur: atque debuisset corrigere Propheta hunc vitiosum naturæ motum, sicut Christus in passione correxit suum, licet in se bonum. Hæc tamen sententia commode explicari potest, ut mox patebit.

VII. S. Gregor. Septimo S. Gregor. in Iob 3. putat hæc esse mystice intelligenda, scilicet maledici a Sanctis, Iob et Ieremia, peccato originali, in quo quis suo die natus est; rursum hac phrasi Iob et Sanctos orare ut a mortalitate transferantur in beatam æternitatem, q. d. *Dies mutabilitatis pereat, et lumen æternitatis erumpat.* Et S. Ambros. l. 4. in Lucam c. 4. *Generationis suæ carnalis*, inquit, *diem perire desiderat, ut dies eius in regeneratione numeretur. Pereat*, inquit, *dies sæcularis, ut dies spiritalis oriatur.* Verum hæc mystica sunt.

Unde et mystice hæc applicans Cadolao Antipapæ B. Petrus Damiani l. 1. epist. 20. Merito, ait, dicas: *Maledicta dies in qua natus sum, etc. Non hic dies illa in qua natus est homo, maledicetur; sed prosperitas potius, qua lenocinante in peccatum lapsus est, condemnatur. In qua videlicet die tu quodammodo morereris in vulva, si ab ea, quam cœperas, imo, in qua male nascebaris, desisteres culpa.*

VIII. Maldon. Octavo, Maldon. putat hæc dici ex aliorum sententia: Quia, ait, alii illi diei infortunato, et multorum malorum initio maledicturi erant. Verum seqq. versibus ad finem usque cap. hæc ita ingeminat Ieremias, ut ex proprio sensu loqui videatur.

IX. Sanchez. Nono, Sanchez respondet Ieremiam dolere de die nativitatis non absolute, sed determinate, scilicet dolere quod illo die et tempore natus sit, quo visurus sit suæ gentis excidium. Aut potius dolere et maledicere peccato, quod sibi commisisse videbatur, vocans Deum seductorem, dicendo v. 7. *Seduxisti me Domine, et seductus sum*, q. d. Ita me huius dicti et facti pœnitet, ut malim non esse natus, quam tam turpiter in Deum meum peccasse. Verum aliam causam assignat ipse Ieremias vers. ult. dicens: *Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei?* Unde et vers. 8. queri incipiens, ait: *Factus est mihi sermo Domini in opprobrium. Et dixi: Non recordabor eius, neque loquar ultra in nomine illius.* Ubi plane significat odia, probra et verbera quæ a Iudæis, ob tristes et minaces suas prophetias, sustinebat, fuisse causam sui doloris et ægritudinis animi, quæ hanc ei maledictionem excussit.

X. Et vera. Respondeo ergo cum Caietano loco citato, et Christ. a Castro, esse modum loquendi Hebræorum, ut per maledictionem tantum intelligant interiectionem optantis, q. d. Utinam hoc non fuisset. Sic Iob c. 3. *maledicit*, id est optat dicens: *Pereat dies in qua natus sum;* sicut enim bonum diei est esse, sic malum est eidem non esse. Maledicit ergo diei nativitatis, id est quasi optat ei malum, scilicet non esse: quia tot malorum, tum communium, ut prophetaret et videret excidium urbis et gentis suæ, tum

A propriorum, ut ob hoc omnibus esset exosus, quasi falsus propheta, et hostis patriæ, essetque omnibus probro, dies illa fuerat ipsi causa et porta, q. d. Utinam numquam fuisset dies illa, utinam numquam essem natus! melius enim est non esse, quam semper esse male, et tam miserum. Utitur Ieremias hac phrasi ad pathos, ut ostendat quantas angustias, et quam gravia mala patiatur, quamque invitus excidium Hierosolymæ intentet et prædicat, ut Iudæi videant eum non sponte, sed coactum a Deo illud ipsum prædicere.

Dices: Miseria huius vitæ est materia patientiæ et gloriæ in cælo, estque volita a Deo; unde ea fortiter ferenda est, non autem optandum, ut homo non sit; hoc enim peccatum est, et animi abiecti et pusillanimis, præsertim in Ieremia, quem Deus sanctificarat in utero, cuique omnem opem et robur promiserat, ita ut certam haberet spem suæ evasionis et salutis.

Resp. Ieremias abstrahit hic a statu gratiæ, meriti, peccati, ab ordinatione Dei, a statu futuro gloriæ, et tantum B spectat naturalia bona et mala. Sunt enim hæ puræ naturæ voces, et voluntates, seu potius velleitates et optationes circa rem præteritam et impossibilem, quas vehementia doloris quasi naturaliter exprimit, et ratio dolore obnubilata et pene oppressa permittit, imo elicit, ut mali sui gravitatem ostendat, et hac querela leniat, q. d. Si commoda et incommoda naturalia spectem, quæ sunt tam in vita, quam in interitu, satius est et optarim interiisse, et numquam natus esse, quam vivere. Tunc enim omnibus caruissem ærumnis vitæ, quas tantas experior, ut omnia eius commoda et iucunda cum eis non sint comparanda. Sic Eccles. c. 7. 2. dicitur: *Melior est dies mortis die nativitatis;* et c. 4. 2. *Laudavi magis mortuos, quam viventes: et feliciorem utroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Si enim anima ingressura corpus videret omnia mala, quæ in eo passura est, horreret, diceretque: Malo non nasci, quam nasci ad tantas miserias. Vita enim hæc plus fellis quam mellis habet. Abstraho a C periculis peccandi, quæ in hac vita continua sunt et maxima, ob quæ dixit S. Ambros. lib. de Bono mortis, c. 4. *Quid est mors, nisi vitiorum sepultura, virtutum suscitatio?* Hinc et S. Paulus Rom. 7. ingemiscit; *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

(Abstrahendo a statu gratiæ, Ieremiæ satius erat mori, quam vivere)

Simili modo et causa S. Hier. ut intimum suum indicet dolorem, conceptum ex suorum obitu, et ex æmulorum obtrectatione, quasi ipse eius esset causa, utpote qui virgines ad nimium rigorem et inediam suis scriptis induceret, hæc Ieremiæ verba usurpat epist. 25. ad Paulam, consolans eam super obitu Blesillæ filiæ: *Testor*, ait, *mi Paula, Iesum, quem Blesilla nunc sequitur; testor sanctos Angelos quorum consortio fruitur, eadem me dolorum perpeti tormenta, quæ pateris; patrem esse spiritu, nutritium charitate, et interdum dicere: Pereat dies illa, in qua natus sum. Et: Hei mihi, mater, ut quid genuisti me virum qui dicerer discrimen omni terræ?*

Sic Elias undique persecutionem a Iezabele patiens, ut vix evadere posset, *petivit animæ suæ ut moreretur, et ait:* D *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam*, 3. Reg. 19. Hinc et Virgil. 1. Æneid. ita canit, aut potius luget:

O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Et Comicus:

Non est vivere, sed valere vita.

Et Seneca:

Mortis habet vices, lente cum trahitur
Gemitibus vita.

Maledicta ergo dies, est mala, id est misera admodum, quam Plautus in Bacchid. scelestam vocat:

Quia ædepol certo scio,
Vulcanus, luna, sol, dies, dii quatuor
Scelestiorem nullum illuxere alterum.

Dices secundo, Ieremias non tantum irrationali diei sed et homini rationali, puta nuntio, maledicit: quod est peccatum mortale. Respondent aliqui, hunc nuntium fuisse

(Ieremias maledicit nuntio, quo sensu.)

hominem malum, scilicet Phassur, omni maledictione dignum. Sed frivolum hoc est commentum. Respondeo ergo cum S. Hieron. esse hyperbolem. Nam doloris ingenium est hyperbolice quidvis accusare et detestari, quod ad rem de qua dolet, quoquo modo attinet, etiamsi id culpæ, imo rationis et animæ sit expers, atque in illud acerbitatem suam evomere quasi ipsum plagæ acceptæ fuerit causa, aut certe occasio. Sic Virgilius dolentem matrem pingens ecloga 5. ait:

Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos, atque astra vocat crudelia mater.

Sic David 2. Reg. 1. 21. accusat, et maledicit montibus Gelboe, quod fuerint occasio, id est locus, stragis Saulis et Ionathæ, dicens: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum, quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul.* Tantum ergo vult Ieremias dicere: Utinam numquam essem natus, ac consequenter utinam numquam fuisset homo id nuntians, non quo homo, sed qua nuntius! id est utinam numquam fuisset dies illa, et consequenter nec tam infaustus diei tam infaustæ nuntius!

Tropol. De genealogia peccati. Tropolog. ex S. Gregor. Glossa, idem, inquit, dicere licet in persona peccatoris, ut scilicet maledicamus diei nativitatis peccati et culpæ, in qua diabolus est pater, concupiscentia mater, dies est productio culpæ in actum exteriorem: quæ dies maledicitur, cum homo per pœnitentiam peccatum suum detestatur.

Vers. 16. NON POENITUIT EUM.) Scilicet Deum, quod subverterit Pentapolim, id est non mutavit sententiam, nec reædificavit eam, sed eam subvertit in æternum, q. d. Utinam pari modo numquam fuisset homo ille, sicut non sunt civitates illæ quinque prorsus subversæ a Domino.

AUDIAT CLAMOREM MANE.) Per *mane* et meridiem, totum diem intelligit. Ita S. Hieron. q. d. Totis diebus sit nuntius ille in animi perturbatione, in qua solent esse ii, qui urbem incolunt obsessam, vel qui in parentum luctu, aliaque gravi calamitate, versantur, qui tota die clamores et luctus audiunt, q. d. Rem adeo infaustam hic nuntius nuntiavit, ut non evangelio, nec præmio dignus videatur, sed potius afflictione simili obsessis; dignus, inquam, non si nuntiantem, sed si rem nuntiatam spectes.

Hyperbole Notat S. Hieron. hæc omnia hyperbolica periphrasi addi et exaggerari, ut ostendat, vehementiam doloris, tantumque hæc omnia significare: Utinam non fuisset dies ille, et nuntius! Sic Æneas, ut summum animi dolorem explicet, ait Æneid. 2.

Quem non incusavi amens hominumque Deumque?

Vers. 17. QUI, non nuntius, ut Chald. Hugo, Lyran. sed Deus, vel Dominus, qui præcessit: vel per hebraismum, qui, id est *quia* (et ita legunt Raban. Græca et tria manuscripta) NON ME INTERFECIT A VULVA.) Id est in vulva (sic enim sæpe ב id est, *in*, capitur pro מן *min*, id est *a*, *ex*, *de*,) scilicet Dominus, naturæ et generationis auctor, cuius est in vulva occidere et vivificare; unde sequitur:

UT FIERET MIHI MATER MEA SEPULCRUM, ET VULVA EIUS (matrix matris) CONCEPTUS ÆTERNUS.) Id est semper prægnans, ut numquam natus, sed in utero moriens, eumdem haberem sepulcrum et conceptum, id est conceptaculum, q. d. Utinam mater me semper in utero gestasset, numquam in lucem edidisset!

Aliter vir doctus, *ut*, ait, ponitur pro *utinam*, uti apud Terentium et Comicos sæpe legimus: *ut*, id est utinam, *te perdant dii deæque*, q. d. Utinam periissem in utero; ita ut sit hoc aliud votum, a priori, quo mox a vulva in lucem editus occidi optavit, diversum. Verum sic dicendum fuisset, *ut facta esset*, non *ut fieret*, etc. Neque enim iam natus potest redire in uterum, ut ibi sepeliatur.

Nota: Non optat Ieremias mori in peccato originali, sed ab eo abstrahit, ut dixi v. 14.

Sancti veteris testamenti in cruce dolebant; novi gaudent. Denique S. Chrysost. hom. 4. de patientia Iob, et alii notant maiorem esse gratiam Evangelii, quam legis; quia sancti Prophetæ passi sunt, sed dolebant; Apostoli et Martyres passi sunt, sed gloriabantur. *Omne infirmum*, ait Seneca, *natura querulum est*, et omne querulum fœmineum: virile enim est in adversis non queri, sed fortiter ea superare, in iisque gaudere et gloriari. S. Bernard. epist. 356. ad Eugenium Pont. *Legi*, ait, *apud quemdam sapientem: Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico: Fideli homini magis est inter flagella fidendum.* Addit: *Tu amice sponsi, amicum te in necessitate probabo.* B. Dorotheus magnus vitæ spiritualis magister: *Certa*, ait, *contemptus mundi nota est, nulla re perturbari.* S. Ignatius: *Mansuetudinem*, ait, *volo, qua omnis vis et potestas principis huius mundi enervatur.* Agricolæ asperam amant hiemem: quo enim maius est frigus, eo segetes magis, radicantur in terra, magisque sugunt terræ succum; indeque in æstate maiorem exspectant messem. Ita santi generosi amant aspera: inde enim lætiores fructus patientiæ et virtutum in hac vita, atque gloriæ in futura metent: vide dicta Isaiæ 25. 3. Scivit hoc S Hieron. ideoque ab æmulis vexatus ita scribit ad Asellam ep. 99. *Gratias ago Deo meo, quod dignus sim, quem mundus oderit. Quotam partem angustiarum perpessus sum, qui cruci milito? Infamiam falsi criminis imputarunt; sed scio per bonam et malam famam perveniri ad regna cælorum.*

Martinianus, Saturianus, et eorum duo germani, cum iussu Genserici regis Wandalorum, ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum per sylvarum et dumorum aculeos raptandi, et longa diraque morte enecandi essent, vale sibi invicem unusquisque ita dicebant: *Frater, ora pro me; implevit Deus desiderium nostrum: taliter pervenitur ad regnum cælorum. Itaque orando et psallendo, gaudentibus Angelis, pias animas emiserunt*, ait Victor Uticens. l. 1. Wandal.

Idem Victor l. 2. narrat, Confessoribus Christi damnatis ab Hunnerico rege ad exsilium, eoque pergentibus, occurrisse mulierem manu tenentem infantulum, eumque ita exhortantem: *Curre, domine meus, vides universos sanctos, quomodo pergunt et festinant ad coronas.* Cumque a Confessoribus rogaretur, cur e tam longo itinere ita properaret, respondit: *Cum hoc servo vestro parvulo ad exilium propero, ne inveniat eum solum inimicus, et a via veritatis revocet ad mortem.* Et inferius narrat turbas plurimas fidelium Martyribus occurrisse, quæ suos infantulos ad vestigia Martyrum proiicientes clamabant: *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? quis istos baptizabit?* eumque una pergere vellent ad exilium, a tortoribus sunt prohibiti et remissi. Ibidem refert Confessores in custodia coarctatos fuisse, ut uno supra alium iactato, iacerent quasi agmina locustarum, in stercoribus et fœtoribus extreme cruciandi, qui hymnum cum exsultatione decantabant: *Hæc est gloria omnibus Sanctis eius.*

Idem l. 3. narrat Dionysiam matronam, cum sub eodem Hunnerico fustigaretur, dixisse: *Qualiter libet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare;* cumque id non obtineret, et inter virgarum ictus rivi sanguinis toto corpore fluitarent: *Ministri*, ait, *diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa est laus mea:* quin et ipsa Martyr alios ad martyrium confortabat. Habebat unicum filium teneræ ætatis et delicatum, quem cum timore pœnarum paventem conspiceret, verberans eum nutibus oculorum et auctoritate materna ita confortavit, ut matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera constituto ita dicebat: *Memento, fili, quia in nomine Trinitatis in matre Ecclesia baptizati sumus; non perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens invitator, vestem non inveniat nuptialem, et dicat ministris: Mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum, et stridor dentium. Illa pœna timenda est, quæ numquam finitur. Illa desideranda vita, quæ semper habetur.* Talibus itaque filium solidans, velociter Martyrem fecit, quam ipsa hostiam amplexans cum gaudio domi suæ sepelivit.

Gentiles per patientiam ad apathiam contenderunt. Viderunt id quoque Gentiles, sed per umbram, præsertim Stoici, qui per patientiam ad apathiam et indolentiam, animique tranquillitatem contenderunt. Unde Plutarch. lib. de Animi tranquil. *Invicti*, inquit, *et animosi*

Ita Socrates. *fortunæ his verbis responsabimus, quæ Socrates visus in Anytum et Melitum dicere, in ipsos torsit iudices: Interficere me Anytus et Melitus possunt, nocere mihi non possunt. Potest enim me fortuna morbo aliquo affligere; animi abiecti, degenerem, invidum non potest eum efficere, qui sit bonus, fortis, magnanimus;* et superius: *Imitemur* *Anaxagoras.* *Anaxagoram, qui audiens filium esse mortuum, dixit: Sciebam mortalem esse, quem genueram; et ad singulos fortunæ casus dicamus, Noveram divitias me possidere in diem duraturas et instabiles: noveram magistratum ab iis adimi posse, qui me eo ornaverant: noveram mihi esse probam mulierem, sed tamen mulierem: noveram, amicum esse hominem, facile (ut ait Plato) mutabile animal. Huiusmodi enim præparatio, animique informatio, si quid adversi eveniat, saltum cordis, et trepidationem avertet, mentisque perturbationem sedabit: non enim dicet, Non putabam, hæc non exspectabam.*

Carneades. Doloris origo est inexpectatio. *Unde Carneades omnem dolorem oriri censuit, ex eo, quod inexpectato nobis accidat quidpiam;* et rursum: *Nimia istarum rerum appetitio, acerrimum amittendi metum, et in amissione dolorem ingenerat. Hoc caret qui appetitum hunc refrænans fortunæ dicit: Suave est si quid das; parvus dolor, hoc ubi tollis.*

Stilpo. *Demetrius cum Megaram cepisset, quæsivit e Stilpone, ecquid in ista direptione ipsi periisset; cui Stilpo: Neminem vidi, qui res meas ferret:* fortuna enim opes deprædatur, non sapientiam, non constantiam animi, quæ sunt res et bona sapientum. *Non timet mortem, qui cedens fato dicit: Ipse Deus simul atque volam me solvet; qui dicit: Anteverti te, o fortuna, omnesque tibi ad me aditus obstruxi.*

Patiens quasi apis ex thymo adversitatis mel colligit. Diogenes Zeno. Et sub initium libri: *Sicut apibus mel præbet thymus, acerrima et aridissima herba: ita homines cordati e rebus adversissimis conveniens aliquid et commodum decerpunt. Actus est in exsilium Diogenes; ne hoc quidem male: nam factus extorris philosophari cœpit. Zeno Citicensis audiens navem cum suis rebus esse submersam: Laudo, inquit, tuum factum, o fortuna, quæ nos in palliolum et porticum redigis. Quid obstat, quo minus ista imiteris? Obeundo aliquo magistratu impegisti? vives postmodum ruri, rerum tuarum satagens. Ambiens principis alicuius amicitiam, passus es repulsam? vives periculorum et negotiorum liber. Accidit per calumniam vel invidiam exsibilatio aliqua, et infelix successus? secundo vento ad Musas et Academiam navigare licet, quod fecit Plato postquam naufragium amicitiæ fecit cum Dionysio.* *Plato.*

Ad animi tranquillitatem comparandam, multum conducit illustres viros considerare, qui eadem, qua nos fortuna æquo sunt animo usi. Molestum tibi est, quod prole cares? at Romanorum vide reges, quorum nullus filio regnum reliquit. Paupertas tibi gravis est? quis vero Bœotorum esse malles quam Epaminondas, aut Romanorum quam Fabricius? Adulterata est mulier; nonne legisti inscriptionem apud Delphos:

Agis me posuit terræ rex, et maris idem; *Agis.*

et audivisti uxorem eius Timæam fuisse ab Alcibiade vitiatam? verum id Agidi non obstitit, quo minus Græcorum fieret clarissimus et maximus. Huc usque Plutarchus.

Audi et Senecam: *Totum fortunæ regnum despiciam;* et: *Malo me fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat; torqueor, sed fortiter, bene est; occidor, sed fortiter, bene est.* Ita ipse ep. 68. Idem de Remed. fortuit, *Dolor,* ait, *imminet: si exiguus est, feramus: levis est patientia. Si gravis est, feramus: non levis est gloria. Dura res est dolor: imo tu mollis. Pauci dolorem ferre potuerunt: simus ex paucis. Imbecilles natura sumus: naturam infamare nolite; illa nos fortes genuit. Fugiamus dolorem: quid, quod ille sequitur fugientes?* Idem l. 3. de Ira c. 5. et 6. *Non est magnus animus, quem incurvat iniuria. Aut potentior te, aut imbecillior læsit. Si imbecillior, parce illi: si potentior, tibi. Nullum est argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse quo instigeris, accidere. Pars superior mundi et ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret; inferiora fulminantur. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, et in statione tranquilla collocatus, intra se premens quibus ira contrahitur, modestus et venerabilis est.* Denique sapientis est ista vox: *Miseria prudentiæ bona est mater:* εξ ων επαθες, εμαθες: *A quibus læsus, ab his doctus es.*

Et consumerentur in confusione dies mei.) Id est, ut ignominiose vitam finirem. Simile est Iob 10. v. 18. et 1. Machab. 2. v. 7.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sedecias in Ierusalem a Chaldæis obsessus, rogat Ieremiam, ut pro sui et urbis liberatione Deum oret: ille respondet urbem cum rege capiendam. Unde v. 8. proponit eis viam vitæ, suadens, scilicet, ut se dedant Chaldæo, utque rite pauperibus et oppressis iustitiam administrent: atque viam mortis, si videlicet Chaldæo resistant.

1. Verbum, quod factum est ad Ieremiam a Domino, quando misit ad eum rex Sedecias Phassur filium Melchiæ, et Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, dicens: 2. Interroga pro nobis Dominum, quia Nabuchodonosor rex Babylonis præliatur adversum nos: si forte faciat Dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua, et recedat a nobis. 3. Et dixit Ieremias ad eos: Sic dicetis Sedeciæ: 4. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego convertam vasa belli, quæ in manibus vestris sunt, et quibus vos pugnatis adversum regem Babylonis, et Chaldæos, qui obsident vos in circuitu murorum; et congregabo ea in medio civitatis huius. 5. Et debellabo ego vos in manu extenta, et in brachio forti, et in furore, et in indignatione, et in ira grandi. 6. Et percutiam habitatores civitatis huius, homines et bestiæ pestilentia magna morientur. 7. Et post hæc, ait Dominus, dabo Sedeciam regem Iuda, et servos eius, et populum eius, et qui derelicti sunt in civitate hac a peste, et gladio, et fame, in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu inimicorum eorum, et in manu quærentium animam eorum, et percutiet eos in ore gladii, et non flectetur, neque parcet, nec miserebitur. 8. Et ad populum hunc dices: Hæc dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis. 9. Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste: qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldæos, qui obsident vos, vivet, et erit ei anima sua, quasi spolium. 10. Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, et non in bonum, ait Dominus: in manu regis Babylonis dabitur, et exuret eam igni. 11. Et domui regis Iuda: Audite verbum Domini, 12. Domus David, hæc dicit Dominus: Iudicate mane iudicium, et eruite vi oppressum de manu calumniantis: ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum. 13. Ecce ego ad te habitatricem vallis solidæ atque campestris, ait Dominus, qui dicitis: Quis percutiet nos? et quis ingredietur domos nostras? 14. Et visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus, et succendam ignem in saltu eius: et devorabit omnia in circuitu eius.

Est hic hysterologia, sive præposterus ordo: hic enim narrantur gesta sub Sedecia, cum postea c. 24. et seq. narrentur gesta sub Ioakim et Ioachin, qui ante Sedeciam regnarunt. Rursum prophetia huius cap. diu post præcedentes est edita: illæ enim editæ fuerunt diu ante adventum Chaldæorum, hæc illis præsentibus, et urbem obsidentibus edita est. Vide chronotaxin initio libri. *Phassur* hic fuit filius Melchiæ: unde alius est a Phassur filio Emmer, qui percussit Ieremiam c. 20. Ita S. Hieron. Sed uterque impius fuit et iniquus in Ieremiam. Hic enim suasit Sedeciæ c. 38. ut occideret Ieremiam.

Vers. 2 Interroga.) Hebr. דרש *daras*, significat interrogare, significat et rogare, sive requirere Dominum obsecrando, et opem petendo. Ita Chald. hic, Vatabl. Theodor. et patet ex seq. utroque modo hic accipi. Ecce hic impletum illud, quod promisit Deus Ieremiæ 15. 19. *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos*: necessitas enim compulit impium Sedeciam, adire et petere opem a Ieremia.

B Secundum omnia mirabilia sua.) Quibus mire populum suum liberavit a Pharaone Exodi 14. et a Sennacherib 4. Reg. 19 et ab Holoferne Iudith 13. Tacite hic fatetur Sedecias se non suis, nec humanis viribus, sed sola Dei ope et miraculo posse a Chaldæis liberari.

Et recedat a nobis.) Non Deus, sed Nabuchodonosor.

Vers. 4 Convertam.) Theodoretus, *inutilia reddam*: simplicius, *convertam*, id est retundam arma vestra, hoc est, impediam ut iis uti, et Chaldæis resistere non possitis. Ita Isidor. Tertio, simplicissime Hugo, S. Thomas, Lyran. Vatabl. *convertam*, id est reflectam, *vasa*, id est arma bellica, contra vos, ut scilicet Chaldæi iis vos armatos videntes, magis provocentur ad pugnam contra vos, eaque urbe capta, uti fieri solet, vobis eripiant, et in medio, puta in foro, domo civica, vel armamentario, civitatis colligant, iisque vos trucident. Quarto, Sanchez, *convertam*, inquit, arma vestra in vosmetipsos, q. d. Faciam ut sint inter vos factiones, et mutua vos cæde conficiatis. Verum sequentia indicant tertiam expositionem. Sequitur enim: *Et Chaldæos*, C scilicet convertam et incitabo contra vos: *et congregabo ea in medio civitatis: ea*, scilicet *vasa belli*, puta arma vestra. Neque in excidio Ierusalem per Chaldæos, sed per Romanos, fuisse factiosos Zelotas legimus.

Vers. 5 Et debellabo, pugnans pro Chaldæis contra vos, in manu extenta.) Id est robusta, quæ continuo rigide se extendat ad vos feriendum et trucidandum.

Vers. 8. Via vitæ et mortis quæ? Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis.) q. d. Do vobis optionem vitæ et mortis, atque rationem propono, ac medium unum, quo vivere possitis; aliud, quo mortem accersetis: scilicet, si vultis vivere, tradite vos Chaldæo; si repugnetis, obsidionem in urbe sustinendo, peribitis gladio, fame et peste. Si ergo pereatis, id vestræ culpæ et inobedientiæ adscribite; nec me crudelitatis accusate. Itaque manere in urbe, et obsideri, erat via mortis: confugere autem ad hostes, erat via vitæ, q. d. Tam male vobiscum agetur, ut non possitis salvari, nisi per hostes: ut non possitis mortem, nisi per D captivitatem evadere.

Tropol. via vitæ est custodia legis; via mortis est peccatum. Tropolog. *via vitæ*, est studium virtutis et legis Dei: *via mortis*, est peccatum, ac legis et voluntatis Dei prævaricatio. Utramque concionatores sæpe populo ob oculos ponant, ut, cum multi sint vocati, pauci electi, cumque multi ingrediantur viam mortis, pauci viam vitæ: quisque amans salutis suæ, satagat cum paucis fugere de incendio Sodomæ, et quasi spolium liberare et salvare animam suam, ut per viam vitæ ad vitam beatam et æternam evadat.

Secundo, et magis apposite, *via vitæ* est, subdere se cruci a Deo immissæ; *via mortis* est, ei reniti et obluctari. Unde Christus ait Matth. 16. 24. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Idem ait S. Ioan. c. 12. v. 25.

Vers. 9. Erit ei anima sua quasi spolium.) Liberabit a morte A animam, id est vitam suam, eamque habebit instar spolii, quia, sicut spolium alienum est, non proprium, hosti enim abripitur: ita Iudæi in obsidione vitam suam desperatam, perditam, et in hostium potestate positam, salvabunt, et quasi spolium hosti eripient, dedendo se hosti. Secundo, sicut milites gaudent de spolio, quasi præmio præter spem obvenienti: ita Iudæi gaudebunt de vita sua præter spem servata. Ita Vatabl. et Maldonat. Sic fere et Capella: *Liberabit*, inquit, *animam suam*, *et servabit integram, sicut spolium quod quis direptioni et incendio eripit, et sedulo custodit.* Aliter Isidor. *Vita salva*, inquit, *vivet captivus*, eritque spolium hosti. Hanc phrasim repetit Ieremias c. 38. 2. et c. 39. 18. et 45. 5.

Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum.) Obfirmato et infenso animo et oculis aspexi Ierusalem, statuique et plane decrevi eam dare Chaldæis exurendam. Vers. 10.

Et domui regis.) Scilicet, dices: Iubet Deus Prophetæ, ut a populo ad proceres sermonem convertat. Vers. 11.

Domus David.) Id est domus regis: rex enim erat ex stirpe David. Meminit Davidis, quia posteros eius ad iudicium et iustitiam exhortari volebat, in qua excelluit David, ut patet 2. Reg. 8. 15. q. d. Si filii estis Davidis, Davidis opera facite. Vers. 12.

Mane.) Id est tempestive, vigilanter, diligenter et cito absolvite lites et causas innocentum. Ita Hugo et Lyran.

Secundo, Vatabl. *mane*, inquit, cum scilicet ieiuni estis, ne per ebrietatem turbato cerebro, pervertatis iudicium.

Tertio, mystice S. Hieronym. Raban. Hugo, *mane*, inquiunt, id est in luce iustitiæ, non in tenebris falsitatis. Primus sensus simplicissimus est.

Ecce ego ad te habitatricem vallis solidæ.) Pro *solidæ* hebr. est צור *tsur*, quod. Symmach. ait S. Hieron. vertit, *petram*; Theodot. *obsessam*; Aquilæ secunda editio, *Tyrum*; Noster, *solidam*; Chald. *vallem fortitudinis.* Notat ergo Iudæam et maxime Ierusalem ait S. Hieron. quæ in valle solida et forti instar petræ sita, muniebatur Sion, et aliis montibus ac muris maximis, instar Tyri: ita ut simul petra, sive rupes, esset et vallis. Vers. 13 Ierusalem vocatur tsur, id est, Tyrus vel rupes, cur?

Secundo, quia, ut ait S. Hieronym. uti Tyrus mari, ita Ierusalem obsessa Babylonio cingebatur exercitu. Dicitur Ierusalem campestris; quia partem habebat in campo, et campos habebat vicinos. Alloquitur Ierusalem, id est cives, qui munitioni civitatis præfidebant, quasi esset inexpugnabilis, q. d. Ne confidatis loco natura munito: ego enim sum, qui contra te pugno, qui facile mihi aditum patefaciam: *Quia si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te*, uti minatus sum Idumææ, Abdiæ v. 4.

Symbolice, Ieremias, æque ac Isaias c. 22. v. 1. Ierusalem et Sion, licet in monte sitam, vocat vallem; quia illam sic intuebantur peccatis, æque ac Chaldæorum armis depressam et deletam, ut nullum appareret in ea aut priscæ religionis et sanctitatis, aut antiquæ altitudinis et gloriæ vestigium, q. d. O mons, non iam nobilis et illustris, sed ignobilis et profunda vallis, quæ tuis corruptis moribus in vilitatis et ignominiæ fundum te depressisti, ideoque a Chaldæis usque ad fundamenta excisa et eversa es. Ita Sanchez.

Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum.) q. d. Puniam vos pro meritis; ut qualia semina peccatorum seminastis, tales et inde fructus plagarum metatis: ventum seminastis, turbinem metetis: spinas seminastis, spinas excidii et incendii metetis. Vers. 14

Succendam ignem in saltu eius.) *Saltum*, sive sylvam, vocat domos et plateas Ierusalem, ait S. Hier. idque partim ob domorum, et habitantium multitudinem et densitatem, ait Theodoret. partim, quia ex lignis saltus portæ et domus erant constructæ; partim, quia erat in ea domus saltus Libani, a Salomone ædificata. Hunc sensum exigit interrogatio Iudæorum: *Quis ingredietur domos nostras?* Huic enim respondet Deus: Ego et Chaldæi; et per eos *succendam ignem in saltu* vestro. Sic c. 22. 6. et alibi Ierusalem vocat *Libanum*. R. David et Ionathas per Ierusalem vocatur saltus, cur?

saltum accipiunt vicinas urbes, quæ instar sylvæ cingebant Ierusalem; quasi explicans subdat: *Et devorabit omnia in circuitu eius.* Alludit autem ad ignem, qui sylvæ immissus totam pervagatur, et inextinguibilis est. Similem phrasin vidimus c. 5. 14.

Aliter Sanchez: Sacrificarant, inquit, Iudæi in saltibus: habebant et in circuitu urbis lucos et hortos ad voluptatem et delicias. Tam ergo saltus et lucos, idolorum sacrificiis incestos, quam hortos ad animorum laxationem plantatos, et omni amœnitate instructos (in quibus proinde ventri vacabant et veneri) incendio populandos esse pronuntiat; ita ut nec in urbe, nec extra urbem quidquam vel a ferro tutum sit, vel ab incendio immune. Ita hortos deliciarum, quos mercatores et divites circum Antuerpiam, Bruxellas, Brugas, aliasque urbes Belgicas sibi construxerant, ut viderentur esse paradisi terrestres; ob luxum et peccata in iis admissa, Deus, nostro hoc sæculo in Belgicis hisce tumultibus concremavit et subvertit: ita ut Belgium, quod olim videbatur esse oculus et deliciæ Europæ, nunc vallis lacrymarum, imo polyandrion funerumque locus esse videatur. At redeunte avita patrum fide et probitate, redibit et sensim avita opulentia, elegantia et frequentia.

Belgium hortus deliciarum, nunc vallis lacrymarum.

A

Tropol. Mystice, ait S. Hieron. Ierusalem vocatur *saltus* Libani, quod frugiferas arbores bonorum operum non haberet: in hunc ergo saltum Deus iniiciet ignem, tum Chaldæorum, tum damnationis æternæ; unde ait Ioan. Baptista: *Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.*

Allegor. Alleg. ait idem S. Hieron. quidquid ad domum regiam, et urbem metropolim prophetatur, referamus ad ordinem Ecclesiasticum, et principes Ecclesiarum, eos dumtaxat, qui se superbiæ et divitiis lasciviæque dederunt. Idem nota, et applica capiti sequenti.

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hic incipit secundus liber, sive sectio oraculorum Ieremiæ, scilicet gesta et dicta ab eo post Iosiam sub Ioakim et Ioachin, ut dixi in chronotaxi.

Mittitur ergo hoc cap. Propheta ad domum regiam, ibique monet regem Iuda (quis hic fuerit dicam v. 1.) et principes, ut iustitiam faciant pauperibus, alioqui eum cum regno evertendum esse; iustitia enim quasi basi stabilitur regnum, iniustitia evertitur Deinde omnium filiorum Iosiæ casus et fata ordine enarrat potius quam prophetat, scilicet Sellum, id est Ioachaz, v 10. eum moriturum in Ægypto; Ioakim v. 15. eum sepeliendum sepultura asini; Ioachin, sive Iechoniæ, filii Ioakim, v. 24. eum cum matre capiendum, ac Babylone moriturum.

1 Hæc dicit Dominus: Descende in domum regis Iuda, et loqueris ibi verbum hoc, 2. Et dices: Audi verbum Domini rex Iuda, qui sedes super solium David: tu et servi tui, et populus tuus, qui ingredimini per portas istas. 3. Hæc dicit Dominus: Facite iudicium et iustitiam, et liberate vi oppressum de manu calumniatoris: et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique: et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. 4. Si enim facientes feceritis verbum istud: ingredientur per portas domus huius, reges sedentes de genere David super thronum eius, et ascendentes currus et equos, ipsi et servi, et populus eorum. 5. Quod si non audieritis verba hæc: in memetipso iuravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc. 6. Quia hæc dicit Dominus super domum regis Iuda: Galaad tu mihi caput Libani: si non posuero te solitudinem, urbes inhabitabiles. 7. Et sanctificabo super te, interficientem virum, et arma eius: et succident electas cedros tuas, et præcipitabunt in ignem. 8. Et pertransibunt gentes multæ per civitatem hanc: et dicet unusquisque proximo suo: Quare fecit Dominus sic civitati huic grandi? 9. Et respondebunt: Eo quod dereliquerint pactum Domini Dei sui, et adoraverint deos alienos, et servierint eis. 10. Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu: plangite eum qui egreditur, quia non revertetur ultra, nec videbit terram nativitatis suæ. 11. Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Iosiæ regem Iuda, qui regnavit pro Iosia patre suo, qui egressus est de loco isto: Non revertetur huc amplius: 12. Sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur, et terram istam non videbit amplius. 13. Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, et cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, et mercedem eius non reddet ei. 14. Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide. 15. Numquid regnabis, quoniam confers te cedro? pater tuus numquid non comedit et bibit, et fecit iudicium et iustitiam tunc cum bene erat ei? 16. Iudicavit causam pauperis et egeni in bonum suum: numquid non ideo quia cognovit me, dicit Dominus? 17. Tui vero oculi et cor ad avaritiam, et ad sanguinem innocentem fundendum, et ad calumniam, et ad cursum mali operis. 18. Propterea hæc dicit Dominus ad Ioakim filium Iosiæ, regem Iuda: Non plangent eum: Væ frater et væ soror: non concrepabunt ei: Væ Domine, et væ inclyte. 19. Sepultura asini sepelietur, putrefactus et proiectus extra portas Ierusalem. 20. Ascende Libanum, et clama: et in Basan da vocem tuam, et clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui. 21. Locutus sum ad te in abundantia tua: et dixisti: Non audiam: hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam. 22. Omnes pastores tuos pascet ventus, et amatores tui in captivitatem ibunt: et tunc confunderis, et erubesces ab omni malitia tua. 23. Quæ sedes in Libano, et nidificas in cedris, quomodo congemuisti cum venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis? 24. Vivo ego, dicit Dominus: quia si fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. 25. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, et in manu quorum tu formidas faciem, et in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manu Chaldæorum. 26. Et mittam te, et matrem tuam quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini: 27. Et in terram, ad quam ipsi levant animam suam ut revertantur illuc, non revertentur. 28. Numquid vas fictile atque contritum vir iste Iechonias? numquid vas absque omni voluptate? quare abiecti sunt ipse et semen eius, et proiecti in terram, quam ignoraverunt? 29. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. 30. Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Iuda.

Vers. 1. DESCENDE.) Ito: descendere enim in Script. significat ire.

REGIS.) Scilicet, qui cap. præced. ad Ieremiam nuntios miserat, id est Sedeciæ. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, Dionysius. Ad Sedeciam ergo hæc dicuntur a v. 1. usque ad v. 10. ubi incipiunt dicta sub Ioakim ad Sellum, Ioakim et Ioachin. Verum sic foret hic magna et dura hysterologia (Ioakim enim præcessit Sedeciam) præsertim quia omnia in hoc cap. connexa sunt, ut unum ex alio fluere videatur. Quare melius dicemus, regem hunc esse Ioakim, quem Pharao Nechao, abducto in Ægyptum Ioachaz, eius fratre, regem Iudææ constituerat. Ioakimo ergo mandat, ut per se et suos iustitiam cuilibet, præsertim advenis, pupillis et viduis administret, ut felix et stabile habeat regnum, alioqui enim ei excidium minatur.

Vers. 5. IN MEMETIPSO, per memetipsum, IURAVI.)

Vers. 6. GALAAD TU MIHI CAPUT.) Mons Galaad est caput et principium ac nobilissima pars Libani: est enim ferax resinæ, stactes et aromatum, ut patet Genes. 37. 25. in quo Iacob cum Laban percussit fœdus, statuens acervum lapidum quasi testem perennem fœderis: inde dictus est mons hic *Galaad*, id est acervus testimonii; inde *Galaad* significat hic vel templum, ut vult Hugo; vel Ierusalem, uti vult S. Thom. et Vatablus, vel potius, ut patet ex v. 1. et 6. domum et stirpem regiam, cuius arx et domus instar Galaad montis erat edita in monte Sion, iuxta templum, in quo erant tabulæ decalogi, arca et alia monumenta fœderis percussi (hoc enim est Galaad) inter Deum et populum. Adde, sicut in Galaad et Basan ob sylvarum densitatem erant leones et bestiæ ferocissimæ: ita et in domo hac regia reges erant feroces instar leonum, Ezechiel. 19. v. 1. et seq. Consequenter per *Libanum*, ut docet S. Hieron. Raban. Chald. Theodoret. Castrius, intelligit Ierusalem, indeque totam Iudæam, q. d. O domus regia, quæ nobilitate, auctoritate, imperio, pulchritudine, altitudine caput es Hierosolymæ, sicut Galaad caput est Libani, non habear posthac verax, nisi te redegero in solitudinem una cum tota Ierusalem, et domibus eius cedrinis, ex Libano excisis, ut fias desolata, sicut urbes inhabitabiles.

Galaad vocatur domus regia, cur?

Libanus est Ierusalem, cur?

Nota: Scriptura solet alienis nominibus vocare urbes et gentes, maxime si alienatæ sint a Deo: sic Ierusalem hic dicitur *Libanus*.

Nota secundo: *Si* Hebræis est particula iurantis, idemque valet quod *non*: estque aposiopesis, q. d. Iuro me hoc non facturum; quod si aliter fecero, non habear Deus, non habear verax.

Tropol. Tropol. Galaad caput Libani, id est Ecclesiæ, sunt sacerdotes, qui legem et Sacramenta, quæ sunt monumenta fœderis per Christum percussi inter Deum et homines, ministrant: hi videant, ut hæc non recludant, sed rite administrent, ne quasi cedri ex sua altitudine deiiciantur, et igni tradantur. Ita Dionys. et a Castro.

Vers. 7. SANCTIFICABO.) Id est publica auctoritate sanciam, ait Maldonat. Sic dicitur *sanctificate bellum*, Ioel. 3. 9. et, *sanctificate ieiunium*, Ioel. 1. 14. et, *sanctificate super eam Gentes*, infra c. 51. 27. id est facite, ut Gentes illi bellum inferant.

Deus sanctificavit Chaldæos contra Ierusalem.

I. Secundo, *sanctificabo*, id est segregabo et præparabo eos ad bellum. Ita Chald. Theodor. Vatablus, ut iustam et sanctam Dei sententiam et vindictam exsequantur, ait
II. S. Hieron. Raban. Hugo.

III. Tertio, *sanctificabo*, quia, sicut bellum, et belli iura erant sancta, et a Domino præscripta Deuter. 20. 1. ita et milites sacramento, id est sancto iureiurando, bello ascribebantur, sine quo sacramento, nefas erat militare, ait Plutarchus probl. 38.

IV. Quarto, *sanctificabo*, id est, consecrabo eos quasi sacerdotes, ut vos impios quasi victimas pro peccato iustitiæ meæ immolent et interficiant, Ierem. 46. 10. Sophoniæ 1. 7. Vide dicta c. 6. 4.

INTERFICIENTEM.) Nabuchodonosorem. Hebr. est משחתים *maschitim*, id est vastatores, scilicet Chald.

VIRUM, id est viros, ET ARMA EIUS.) q. d. Qui viros quantumvis armatos interficiat, ait Maldonatus.

Secundo, et melius, τὸ *et arma eius* refer ad *sanctificabo*, q. d. Inducam interficientem, *et arma eius;* Sept. et *secures eius*, ut scilicet electas cedros, id est magnificas domos, quæ eminent in te, ut cedri in Libano, suntque factæ ex cedro, succidant, et in ignem mittant.

NOLITE FLERE MORTUUM.) Vatabl. *mortuos homines*, Vers. 10.
puta Iudæos, q. d. Iudæis durius est carere patria quam vita, malunt mori quam a Ierusalem exsulare. Sed Heb. est למת *lemet* id est *mortuum*, non Ioakim, ut Vult. Pagn. non Sedeciam, ut vult S. Hieron. Raban. Hugo; non Ioachaz, ut vult Lyranus; sed Iosiam regem optimum, cuius adhuc mors et funus celebrabatur communi omnium luctu. Ita Theodor. S. Thom. Castrius et Sanchez, q. d. Nolite lugere Iosiam a Pharaone cæsum, utpote pie et gloriose defunctum: flete potius eius filium, qui longe miserior erit in miserrima captivitate, ad quam, egredietur et ducetur; flete, inquam, Sellum.

Tropolog. felicior est qui mortuus est, quam qui e Ierusalem, id est e sancta Religione et congregatione egreditur, et apostatat numquam eo reversurus. Hic ergo magis lugendus est quasi fatuus, Eccli. 22. 10. Ita a Castro. *Tropol.*

Moraliter, S. Thom. Non multum, inquit, plorandum est super mortuum. Primo, propter planctus inutilitatem. Eccli. 38. 21. *Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te.* Secundo, propter mortis communitatem. 2. Reg. 14. *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Tertio propter culpæ immunitatem. Sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quarto, propter laboris quietem. Apocal. 14. *Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Quinto, propter gloriæ consecutionem. 2. Corinth. 5. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Huc usque S. Thomas.

Mortui non multum lugendi ob quinque causas.

SELLUM.) Quæres, quis est hic Sellum? Nota, Iosiam Vers. 11.
quatuor habuisse filios: primogenitus Iosiæ, ait Script. 1. Paralip. 3. 15. fuit Iohanan; secundus Ioakim, qui et Eliakim et Iechonias est dictus, qui filium habuit Ioachin sive Iechoniam regem post se; tertius Sedecias, qui et Mathanias; quartus Sellum.

Sellum quis?

Respondet ergo Vatabl. *Sellum* hic esse Ioachin filium Ioakim. Secundo, S. Hieron. et Lyran. putant esse Sedeciam, qui dicatur Sellum, id est consummatio, scilicet regni Iudaici; quia in eo desiit sceptrum et regnum Iudæorum: simili modo Hebræi in fine librorum scribunt שלום *scialom*, q. d. Consummatus est et finitus hic liber. Sicut ergo *scialom* libri, sic Sellum regni fuit coronis et finis. Tertio, S. Thomas ex v. 18. putat esse Ioakim sive Eliakim. Sed dico cum Theodor. Iansen. Prado, a Castro, Sanchez et aliis, *Sellum* esse Ioachaz, qui tertio genitus fuit Iosiæ filius, et proxime illi a populo suffectus est in regnum, sed post tres menses a Pharaone in Ægyptum abductus est, ibique mortuus, ut hic dicitur: vide 4. Reg. 23. et 24. Probatur: nam Ioachaz ille non est Iohanan, primogenitus Iosiæ, qui iuvenis obiit, nec umquam regnavit: fuit enim Ioachaz iunior Iohanan et Ioakim. Rursum Ioachaz non est Ioakim, aut Sedecias, ut patet 4. Reg. 24. Ioachaz ergo est Sellum. Vide Iansen. in c. 6. Concordiæ Evangelicæ.

Est Ioachaz.

Dices: Quomodo ergo 1. Paral. 3. v. 15. ponitur Sellum quartus Iosiæ filius? Resp. poni quartum, licet sit tertius: quia tribus tantum mensibus regnavit cum alii duo singuli undecim annis regnarint.

VÆ QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IN INIUSTITIA.) Loquitur de Ioakim, qui successit Ioachaz. Ita S. Hieron. et cæteri præter Theodor. qui de Ioachaz intelligit. Taxat ergo Propheta Ioakimi iniustitiam et ambitionem in nimia ædificandi cupiditate ex tributis et aliis iniuste acceptis. Unde ait: *Amicum opprimet frustra;* hebr. *proximum servire*, vel *operari faciet gratis*, et sine pretio. Taxat ergo eius iniustitiam; quod proximos, sive amicos, Vers. 13.

Ioakimi iniustitia.

sive pauperes cogeret laborare in suis structuris, nec eis mercedem solveret contra legem, Levit. 19. 13.

Et ambitio quadruplex.

Rursum taxat eius ambitionem. Primo, eum ait: *Ædificabo mihi domum latam;* hebr. מדות *middot*, id est mensurarum, scilicet magnarum, id est, regiam amplissimam, ait Vatabl. Septuag. vertunt, *domum moderatam*, id est ut Theodor. proportionatam in longitudine, latitudine, altitudine.

In fabricis Imp. qui nimii, qui moderati.

Ita Nero suum hic Romæ palatium tam vastum et splendidum exstruxit, ut domus eius Roma, et Roma tota domus eius esse videretur. Cernimus adhuc eius ruinas et parietinas vastas admodum. Audi Svetonium in eius Vita c. 31. *Non alia in re damnosior quam in ædificando. Colossum posuit sua effigie centum viginti pedum. Tanta ædium laxitas, ut porticus triplices millenarias haberet: item stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad urbium speciem. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, et fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur.* Sed quis exitus istius ambitionis? tandem *exhaustus et egens calumniis rapinisque intendit animum.* Nam, ut ait Poeta:

Ædificare domos, et pascere corpora multa,
Ad paupertatem protinus est aditus.

Rursum vulgo dicitur: *Rex egens magnus est calumniator.*

Similis Neroni fuit C. Caligula: de quo Svetonius in Vita c. 37. *Nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. Iactæ itaque moles profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, et campi montibus aggere æquati, et complanata fossuris montium iuga, incredibili quidem celeritate, cum moræ culpa capite lueretur. Ac ne singula numerem, immensas opes, totumque illud Tiberii Cæsaris vicies ac septies millies HS non toto vertente anno absumpsit. Ergo ad rapinas convertit animum.*

Eadem insania laboravit Tarquinius Priscus rex Rom. qui longiori et periculoso opere plebem ita vexavit, ut fere omnes tædium fugientes sibi ipsi manus afferrent. Ita Plin. l. 36. c. 5.

Ita hi

Ædificant auro, sedesque in sidera mittunt.

Prorsus vani, et nescii quam vulgo ingrati, cui demum is probatur, *qui suæ pecuniæ parcus, publicæ avarus, et privatis ædificationibus modicus*, ait Tacitus l. 1. et 6.

Ita in hac re, uti et in aliis continens fuit Augustus Cæsar, qui, ut ait Sveton. c. 72. *Habitavit ædibus modicis, et neque laxitate, neque cultu conspicuis: ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, et sine marmore ullo, aut insigni pavimento conclavia; quin et neptis suæ Iuliæ profuse ab ea exstructa, diruit ad solum.* Nam Romæ in tantam magnitudinem ædificia processerant, ut in quatuor aut quinque contignationes exsurgerent, maximasque domos maximis domibus imponerent, ut aiebat Aristides. Quare Augustus Cæsar, ne urbs ruinis laboraret magna mole ædificiorum, inhibuit ne quis ultra septuaginta pedes in altum ædificaret. Idem sanxit Nero post incensam urbem.

Populus Rom. ait Val. Max. l. 8. c. 1. *M. Æmilium Porcinam a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime exstructæ villæ in Alsiensi agro, gravi mulcta affecit.*

Exstat notanda Constantini Imper. constitutio l. 6. C. de ædific. priv. *Si quis post legem hanc civitate spoliata, ornatum, hoc est marmora, vel columnas ad rura transtulerit, privetur ea possessione.* Sapiens ergo effrænatam hanc ædificandi cupiditatem (*quæ ædificando non tollitur*, ait S. Bernard.) coerceat.

Vere S. Hieron. epist. 17. ad Marcellam invitans eam in Bethlehem: *Ubi*, ait, *sunt latæ porticus? ubi aurata laquearia? ubi domus miserorum pœnis, et damnatorum laboribus vestitæ? ubi instar palatii, opibus privatorum exstructæ basilicæ, ut vile corpusculum hominis pretiosius inambulet, et quasi mundo quidquam possit esse ornatius, tecta magis sua velint aspicere quam cælum? Ecce in hoc parvo terræ foramine* (in spelunca Bethlehem) *cælorum conditor natus est: hic involutus pannis, hic visus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a Magis. Et hic, puto, locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cælo sæpius fulminata ostendit, quod Domino displiceret.*

Denique de Agrigentinis et Megarensibus dixit Plato: *Hi ædificant ut semper victuri, epulantur ut morituri.* Christiani vero in cælis ædificent, non in terra; ac proinde sequantur illud S. Hieronymi præceptum: *Sic stude tamquam semper victurus, sic vive tamquam semper moriturus.* Meminerint Prælati gravis sententiæ Pii V. Pontif. *Fabrica Ecclesiæ materialis est ruina Ecclesiæ formalis;* dum nimirum Prælati nimis intenti fabricæ templorum, in illam omne tempus, curas et opes consumunt, quas in pauperes, et in animas Deo lucrandas expendere deberent. De his ingemiscens ait S. Bernard. ser. 4. super Missus est: *Video alios cum magna cura erigere muros, et negligere mores.*

Secundo, ex cœnaculis spatiosis, et, ut Sept. perflatilibus, quæ, ut Vatablus vertit, erant ventis pervia et refrigerantia: hoc enim est Hebræum מרוחים *meruchim*, a rad. רוח *ravach*, id est spirare, perspirare, scilicet erant hæc æstiva cœnacula ad auram captandam: hæc *non* fecit Ioakim *in iudicio*, id est æquitate, sed oppressione subditorum et pauperum.

Tertio, ex laquearibus cedrinis, sive quod parietes obduceret tabulis ex cedro.

Quarto, quod picta essent sinopide, id est rubrica et minio, quod optimum circa Sinopem Ponti urbem effoditur, ait Plin. l. 35. 6. Unde sinopis dicitur. — Sinopis est minium.

Nota: Minium apud veteres magnæ, imo sacræ erat auctoritatis; erat enim non tantum principum, sed et deorum color, uti docet Plin. l. 33. 7. ubi scribit, Iovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque apud Romanos corpora, et sic Camillum triumphasse, Æthiopum etiam proceres, totos eo tingi. Homerus quoque naves, temporibus Troianis, rubrica tinctas commendat. Hac de causa minio usus fuit Ioakim. Minium enim colore sanguinem refert: quare mistum cum cerussa, roseum carnis humanæ colorem ad vivum repræsentat. Hinc deos et homines minio cum cerussa pingebant. — Minium deorum color.

Hinc iuste Ioakim, qui tot domos iniuste parat, carebit domo et loculo in morte; quia, ut dicitur v. 19. sepultura asini sepelietur. — Ioakim tot domos parans iniuste, iuste caruit sepulcro.

Notent hoc principes, qui pauperes vectigalibus, laboribus, aliisque oneribus opprimunt, ut hortos, fontes, palatia, exstruant ad suam curiositatem, voluptatem, ostentationem magis quam ad necessitatem vel utilitatem. Audiant Eccli. c. 21. v. 9. *Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme*, ut hieme scilicet ædificet, tempore importuno: unde talia ædificia non diu durant, uti nec illa, quæ fiunt ex sumptu alieno et iniusto. Recte Poeta de Alexandro Magno:

Unus Pellæo iuveni non sufficit orbis:
Sarcophago contentus erit.

Ita Roboam, cum populum nimiis tributis gravare vellet, dimidia regni parte excidit. — Nimiis tributis populum gravantes puniti a Deo. Exempla.

Eduardus III. Anglorum rex, cum exactores tributi populo impositi, aliquando ingentem acervum pecuniæ ex eo tributo collectæ, delectandi ipsius gratia, coram adduxissent; ille subito dæmonem circa ipsum acervum ludentem videre visus est, et ob id huiusmodi pecuniam, ut rem funestam abhorrens, illico auferri ab oculis, restituique populo iussit. Ita Polydor. l. 8. Histor. Angl.

Chilpericus Francorum rex, anno Domini 510. descriptiones novas per consilium Fredegundis in omni regno suo fecit, ut unusquisque possessor de propria terra, de uno arpente unam amphoram vini ad partem daret, et de ingero modium unum. Unde populus valde oppressus vociferabatur ad Dominum. Misit autem Dominus plagam in domum regis, et ipse ægrotare cœpit: et duo filii eius mortui sunt. Rex perterritus descriptiones combussit, et

tributum indulsit. Ita Annal. Regin. monachi Prumiensis l. 1. anno 510.

Anno Domini 1441. conchæ (vulgo *mosselen*) apud Slusam, postquam earum collectioni impositum esset quoddam genus vectigalis, non comparuerunt, sed cessarunt affluere. Quæ res loco certi miraculi habita est. Nam postquam sublatum est tributum, rursus advenerunt. Ita Iacobus Meyerus Annal. Flandric. l. 16. anno 1441.

Guilielmus iunior Anglorum rex, transacta tributi pactione cum fratre Roberto natu maiore, cui Normandiæ principatus obtigerat, quique contra eum iam exercitum ducebat, patri in regno successit. Avaritiæ maxima laboravit infamia, ut quod vectigalia Præsulum, templorumque plurimorum usurparet. Ex quo decedentis spiritus ab Encelino viro sanctissimo dicitur visus coram S. Albano Angliæ protomartyre pœnas dare, ait Volaterranus libr. 3. Geograph. pag. 86.

Quare S. Ludovicus Gallorum rex gravissime cuidam ex suis succensuit, quod illi auctor esset, ut a regno nova tributa exigeret: timebat enim Numinis vindictam, iuxta illud Michææ: *Audite, principes Iacob, etc. qui violenter tollitis pelles eorum, etc.* Ob quod scelus pœnam subiungit: *Sion quasi ager arabitur; et Ierusalem quasi acervus lapidum erit.* Quare idem rex in testamento suo Philippum filium suum et hæredem ita monet: *Ne subditis tuis tributa imperes aut imponas onera, nisi necessitas urgeat, teque manifesta regni utilitas compellat, idque non ultro, sed gravi de causa facias; si secus faxis, non rex, sed tyrannus habeberis.*

Refert Baronius ex gestis S. Niconis anno Christi 969. cubicularium Nicephori Phocæ Imper. extorquentem pecunias tributi nomine a civibus, et a monasterio S. Niconis, a S. Nicone nocte verberibus fuisse mulctatum; quin et S. Niconem mortem ei minatum esse ni desisteret: unde ipse reddito auro quod corraserat, conscenso equo, protinus abscessit.

Gregorius Turon. l. 4. hist. Francor. 2. et ex eo Baron. anno 540. narrat Iniuriosum Turonensem Episcopum hac de causa reprehendisse Clotharium. Clotharius, inquit, rex indixerat, ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco solverent; quod licet inviti sancti Episcopi consensissent ac conscripsissent, viriliter hoc B. Iniuriosus respuens, subscribere dedignatus est, dicens: *Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet: quia iniquum est, ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur.* Et iratus contra regem, nec valedicens abscessit. Tunc commotus rex timens etiam virtutem B. Martini, misit post eum cum muneribus veniam petens, et hoc quod fecerat damnans, simulque rogans, ut per virtutem B. Martini Antistitis veniam exoraret.

Theodosius Imp. fisco ob bella exhausto, tributum novum præter solitum civitatibus imposuit. Hinc orta est Antiochiæ seditio, adeo ut populus statuam Placillæ uxoris Theodosii deiecerit, et contumeliis affecerit. Quare fremens Theodosius urbi incendium minatus est: sed Flaviani Episcopi Antioch. oratione placatus iram remisit. Ita Nicephor. l. 12. 42.

Quare sapienter Tiberius Cæsar suadentibus Præsidibus et quæstoribus, onerandas tributo provincias, respondit: *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.* Et Darius pater Xerxis dimidiam tributi soliti partem populo remisit, itaque mire sibi omnium animos conciliavit, ait Plutarchus in Apophthegm. Reg. et Imper. Alexander Severus (ait Lampridius) *aurum et argentum raro cuiquam, nisi militi divisit, nefas esse dicens, ut dispensator publicus in delectationes suas suorumque converteret, quod provinciales dedissent.* Quam turpis ille Homeri δημοβόρος βασιλεύς, *Poplivorus princeps?* Populo enim pecuniam eripere, idem est quod vitam. Nam, ut ait Comicus: *Pecunia, anima, et sanguis est mortalibus.* Avaris ergo Principibus ærarium est *spoliarium civium, cruentarumque prædarum receptaculum*, ait Plinius in Panegyr. Dicebat Alexander, teste Plutarcho, *Hortulanum odi, qui ab radice olera excindit:* et populus sane principem, *qui pennas ita incidit, ut nequeant renasci*, ut ait Cicero l. 4. ad Attic. epist. 2. Hinc sæpe fit, ut *pacem exuat tua magis avaritia, quam obsequii impatientia,* inquit Tacitus lib. 1. Annal. nam ut ait Sapiens Prov. 30. *Qui nimis emungit, elicit sanguinem.* Ita de Vespasiano ex rebus etiam sordidissimis lucrum et vectigal aucupante, dictum fuit: *Morboniam Flavius cum vectigali suo urinario abeat*, testis est Svetonius in eius Vita. Præclare Mæcenas monuit Augustum: *Magnæ opes non tam capiendo, quam non multo perdendo* (non profundendo) *quæruntur,* testis est Dio l. 52.

Vers. 15. NUMQUID REGNABIS, QUONIAM CONFERS TE CEDRO?) Pagnin. vertit: *Quoniam misces te cedro*, id est, num cedrinis domibus regnum tuum stabilies? vel num cedro imputribili te involvis: quasi perpetuo duraturus? Nam, ut ait Plin. l. 13. c. 5. loquens de cedro: *Ex hac resina laudatissima; materiæ vero ipsi æternitas. Itaque et simulacra deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus.* Et l. 16. c. 39. *Cedri*, ait, *oleo peruncta materies nec tineam, nec cariem sentit.* Et c. 40. *Cariem vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus. In templo Dianæ Ephesiæ, quod tota Asia extruente quadringentis annis peractum est, tectum fuit e cedrinis trabibus. Memorabile et Uticæ templum Apollinis, ubi Numidicarum cedrorum trabes durant, ita ut positæ fuere prima urbis eius origine, annis* 1188.

Secundo, Chald. vertit: *Num censes te esse regem primum?* q. d. Visne te conferre regi Davidi, qui sanctitate, et potentia fuit quasi cedrus altissima? Ita Isidor. vel, ut Lyran. q. d. Visne te conferre Salomoni, qui ædificiis et gloria ac opibus, quasi cedrus inter omnes reges excelluit? sed optime S. Hieronym. Theodoret. Raban. Hugo, S. Thom. exponunt, q. d. Non vis te conferre Iosiæ patri? qui cedrus fuit in gloria et celsitudine regni, parta ex sanctitate et iustitia, non ex expilatione subditorum, ut tu facis, o Ioakim. Sic Persius ait: *Et cedro digna locutus.*

COMEDIT ET BIBIT.) Annona, deliciis, bonis omnibus, dives fuit et felix Iosias, quia exercuit iustitiam.

Vers. 16. IN BONUM SUUM.) Vatablus: *Tunc bene ei erat*, q. d. Propterea fortunatus fuit, q. d. Cum Iosias iuste iudicavit pauperi, non tam pauperis commodis consuluit, quam suis. Iustitia enim firmatur thronus regis, iniustitia et rapina evertitur. Secundo, ex Hebræo pro *suum* verti potest, *eius*, scilicet *pauperis*, q. d. Iosias in iudicanda causa pauperis, non suam spectavit utilitatem, uti faciunt tyranni, sed pauperis. Ita Sanchez.

NUMQUID NON IDEO QUIA COGNOVIT ME?) Non tantum speculative, sed practice me amando, colendo, obediendo, q. d. Causa, cur Iosias adeo iustitiæ et pauperum fuit studiosus, est, quia me dilexit, mihi studuit placere, cui sciebat iustitiam et pauperes cordi esse et curæ.

Vers. 17. CURSUM MALI OPERIS.) q. d. Pater tuus Iosias ad bonum, tu vero Ioakim ad malum præceps curris et ruis. Pro *cursum* hebr. est מרוצה *merutsa*, quod etiam oppressionem significat, qua a subditis exigebat immoderatas operas. Ita Vatablus.

Vers. 18. NON PLANGENT EUM.) Iusta pœna superbi tyranni, puta Ioakimi, fuit ut mortuus et sepultura careret et planctu, tum privato, quo fratres et cognati sororem, vel fratrem mortuum plangere solent dicentes, heu! frater mi, heu! soror mea! tum publico quo subditi suum dominum et regem plangunt, dicentes: Heu! Domine, heu! rex noster inclyte! vel, ut hebr. est *heu! gloria eius!* q. d. Fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum, gloria Iosiadarum.

Vers. 19. SEPULTURA ASINI SEPELIETUR.) Arabicus vertit: *In sepulcro asinæ sepelietur*, quod maiorem contemptum significat. Hugo per sepulturam asini accipit primo, infernum in quo sepultus est dives Epulo, Lucæ 16. secundo, infamiam: quia, inquit, malorum memoria post mortem fœtet instar cadaveris. Sed hæc mystica sunt. Tale est et illud Olympiodori in c. 6. Ecclesiastæ. Doctor, inquit, qui bene docet, sed male vivit, sepultura asini sepelietur: vixit ut equus et mulus sine intellectu, morietur et sepelietur ut equus et mulus. Ad litteram ergo sensus est quem expres-

Sepultura asini est sterquilinium, in quo sepultus est Ioakim.

sit Chaldæus: *Sicut proiiciunt cadaver asini, sic proiicient cadaver eius;* quod Cicero Philip. 1. dixit: *insepulta sepultura efferri;* et Suidas: *Instar equi alicuius sepulcrum in voragine habebis.* Loquitur de Ioakim, q. d. Ioakim rex non sepelietur, sed occisus proiicietur extra urbem in agrum aut sterquilinium, uti proiicitur asinus mortuus, ut patet c. 36. v. 30. Ita sepultus est Balthasar, Pompeius, aliique principes gloriosi. An non vere dixit Sapiens: *Super his quatuor via lubrica: super glacie: super loco humido et fimo: super gloria et ambitione: super forma muliebri?* Rarum et memorabile est quod scribit Plinius lib. 36. 12. iusto iudicio Dei factum esse, ut ignoretur quinam fuerint pyramidum Ægyptiorum auctores; eo quod ipsi in insanis hisce fabricis (quæ Romam translatæ, etiamnum intuentibus sunt stupori) regum opes exhauserint, et nominis æternitatem apud posteros quæsierint. Ita et Romæ magnifica illa palatia Augusti, Tiberii, Decii, Diocletiani, etc. subversa sunt, ut vix sciatur quo loco fuerint. Ita sepelietur nomen eorum qui vanitatis sunt aucupes et arrogantes.

Merito ergo Philippus Macedonum rex, Alexandri Magni parens, cum apud Chæronæam victoria illustri Athenienses superasset, ne, ut fit, ferocius quid in victos statueret, puerum subornari fecit, qui ipsum admoneret, quotidie huius: *Memento quod homo sis.* Itaque cum quotidie prodiret, et a puero tales occinente voces audiret: *Philippe homo es,* factum est ut ea victoria moderatissime sit usus. Ita Ælianus l. 8. Variæ historiæ c. 15. Sic et Romæ triumphanti in aurato curru Imperatori pone lictor adstabat, cum flagello ac tintinnabulis, illud identidem ingeminans: *Mortalem te memineris,* ut refert Zonaras.

Ioakim non Babylone, ut vult S. Hier. — Quæritur an Ioakim mortuus sit in Babylone, an Hierosolymis. Respondet S. Hieron. hic, et Raban. Seder Olam et Prado in 19. Ezech. Ioakim mortuum esse in Babylone, et probant ex 2. Paral. 36. v. 6. ubi Ioakim dicitur ductus in Babylonem: unde quod hic dicitur extra portas Ierusalem proiectus; tantum est, ac si dicat, foris, non in urbe, non in sepulcro patrum; sed in aliena regione mortuus proiicietur, ait Prado.

Sed Hierosolymæ mortuus est — Sed respondeo Ioakim mortuum esse Hierosolymæ. Probatur primo, quia id hic satis significatur; secundo, id expresse asserit Ioseph. 10. Antiq. 8. tertio, ita sentiunt Ieremias, Theodor. Hugo, S. Thomas, Lyran. Abulensis et a Castro.

Ad locum Paral. Respond. Lyran. Nabuchodonosorem duxisse, id est cogitasse, destinasse et cœpisse ducere Ioakim in Babylonem; sed, mutato consilio, eum reduxisse in Ierusalem, ibique eum occidisse. Secundo, et melius respond. Ioakim ductum esse in Babylonem anno 3. regni sui, cum abductus est Daniel, idque ex Hebræo colligi potest Daniel. 1. v. 1. sed mox Ioakim componens cum Nabuchodonosore, eique tributum promittens, ab eo remissus est in Ierusalem: ubi rursum rebellans anno undecimo regni sui, a latrunculis Chaldæorum, ut dicitur 4. Reg. 24. v. 1. (qui erant pars exercitus et militum Nabuchodonosor, quos ipse contra Pharaonem miserat) Ierusalem intercepta, in ea occisus est, et extra portas protractus, insepultus, instar asini in sterquilinium proiectus est, ut ab avibus et feris laniaretur, Ieremiæ 36. v. 30. — Occisus a latrunculis Chaldæorum.

Putrefactus et proiectus.) Nota: Pro *putrefactus* (ut etiam vertunt Septuag.) hebr. est סחוב *sachob*, id est *raptatus;* Vatabl. et Chald. vertunt, *laceratus*, scilicet ex raptatione, indeque *putrefactus,* ut vertit Noster. Ex raptatione enim sequitur laceratio et dilaniatio, ex laceratione putrefactio. Unde Sept. alibi vertunt, διασπᾶν, id est divellere, discerpere, dilaniare. Non ergo Ioakim ex sepulcro putridus extractus est, ut vult S. Thom. sed omnino mansit insepultus, proiectus in agrum, ibique putrefactus. Unde Sanchez censet hic esse hysteron proteron: prius enim proiectus fuit Ioakim, deinde putrefactus: Symmachus vertit: *Quasi stercus proiectus est;* Theod. *Abiectus quasi stercus.*

Nota secundo: Tam indigna et infami pœna mulctatus est rex Ioakim, tum ob alia scelera, tum quia ipse indigne tractavit Ieremiam, eiusque prophetias exussit: hanc enim causam ei assignat Ieremias c. 37. v. 29. et 30. — Quia male tractavit Ieremiam.

Addit historia Scholastica, et ex ea Abulensis et Sanchez Ioakim eiurasse Deum Deique cultum; ideoque in cadavere eius inventum esse stigma idoli Codonazar, quod colebat; sed priscum et certum huius historiæ non citant auctorem; quare Rabbinicum hoc videtur esse commentum.

Rursum, disce hic quam principes impii, Deo puniente, miseros habeant exitus. Primus ex Imperatoribus hæreticus fuit *Constantius:* is sacro igne percussus interiit, ait Pompon. Læt. post eum *Iulianus,* qui in prælio adversus Persas sagitta confossus occubuit, teste Aurel. Victore; *Valens* a Gothis fusus, in tugurium abditus, ab hostibus est concrematus; *Zeno* morbo comitiali correptus, ab Ariadna uxore vivus est sepultus, teste Cedreno; hunc secutus *Basiliscus,* qui una cum uxore et liberis fame interiit, ait Procop. l. 1. Wandal. *Anastasius* Imper. hæreticus, cum ex oraculo didicisset igne sibi pereundum, cisternam in palatio effodit, in quam, orto incendio, recipere se posset: verum fulmine improviso ictus interiit, ut ex Pomponio Læto et aliis narrat Baron. Quid de *Heraclione* dicam? Is hæresi et libidine contaminatus, ita a Deo punitus est, ut, inguine sursum converso et semper tento in faciem suam, perpetuo meieret; sed quo urinam averteret, tabellam ventri apponere consueverat, ait idem Pomponius. Taceamne *Heracleonem* Heraclii filium, et impietatis heredem? ei nasus præsectus fuit: Martinæ vero uxori præsecta fuit lingua: ambo tandem imperio privati, et in exilium sunt missi, ait idem Pompon. Quid de *Constante* et *Philippico* commemorem? ille a servo domestico in balneo necatus; hic a senatoribus imperio et luminibus privatus est, ait idem Pompon. *Arnolphus* Carlomanni filius, cum ad rapinas et templorum spoliationes animum convertisset, a Deo pediculari morbo percussus interiit, ait Luitprandus l. 1. c. 9. *Hunnericus* Wandalorum rex in Africa, cum in orthodoxos sæviret, similiter a vermibus ubique scatentibus corrosus expiravit, teste Victore Uticens. libr. 3. Wandal. Omitto *Leonem, Constantinum Copronymum, Nicephorum, Leonem VIII. Michaelem, Theophilum* aliosque Imp. Orientis, quos hæreticos et impios Dei ultionem sensisse narrant historiæ. Vide Thom. Bozium. l. 22. de Signis Eccles.

Ascende Libanum.) Sermo est non ad Ioakim, ut vult Dionysius; sed ad Ierusalem (τὸ enim *ascende* hebr. est fœmininum) cui ironice dicitur, ut montes altissimos, scilicet Libanum et Basan, conscendat, indeque transeuntes inclamet, eorumque opem imploret, ut ipsi extremum quod Iudææ et Hierosolymæ imminet excidium, avertant, eo quod amici eorum Ægyptii a Chaldæis pariter sint contriti, ut Iudæis opem ferre non possint. Ita S. Hieron Raban. Theod. Hugo. Lyran. et Vatab. Nam Pharao Nechao, rex Ægypti, regem Iudææ constituerat Ioakim: unde tunc Pharao Syriæ et Iudææ dominabatur, sed mox anno 4. Ioakim, superveniens e Chaldæa Nabuchodonosor cum Pharaone iuxta Euphratem conflixit, eumque profligavit, ut patet Ierem. 46. 2. ac mox eidem Syriam et Iudæam ademit, atque Ioakim regem ab eo constitutum abduxit, quem post 8. annos rursum rebellantem occidit. Hoc enim est quod dicitur 4. Reg. 24. 7. *Et ultra non addidit rex Ægypti ut egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis a rivo Ægypti usque ad fluvium Euphratem, omnia quæ fuerant regis Ægypti.* Quare Iudæi ab Ægyptiis opem amplius sperare non potuerunt: quinimo Nabuchodonosor in dies victoriis crescens, post captum Sedeciam, postque excidium Hierosolymæ Ægyptum ingressus eam subegit, et Pharaonem occidit, ut patebit c. 44. Pari modo Iudæa, utpote intermedia, particeps fuit bellorum inter reges Asiæ et Ægypti, puta inter Seleucidas et Ptolemæos tempore Machabæorum, uti dixi Daniel. 11. — Vers. 20. — Historia belli inter Nabuchodonosor et Pharaonem.

Clama ad transeuntes.) Hebr. מעברים *meabarim*, id est *clama de Abarim* monte Moab, in quem conscendit moriturus Moses, Deuter. 32. 49. Chald. *Clama ad vada;* Theodot. *Clama ad mare;* Vatabl. *Inclama transfluvianos,* id est Ægyptios, qui trans Iordanem et mare Rubrum

habitant; Symmach. *Clama e contra;* Noster: *Clama ad transeuntes:* עבר *abar* enim significat transire, et מן *min*, id est *a*, sæpe pro *ad*, et quavis alia præpositione sumitur.

Vers. 21. IN ABUNDANTIA.) In prosperitate. Septuag. pro בשלות *bescialot* legerunt כשלות *kescialot;* vertunt enim: *In casu tuo*, in ruina tua.

HÆC EST VIA TUA AB ADOLESCENTIA.) *Via*, id est consuetudo, q. d Sub Mose cum cœpisti esse Synagoga mea, cœpisti pariter mihi esse rebellis. Ita S. Hieron. et alii. Vide dicta cap. 2. 2. Hoc est quod ait Isaias cap. 48. 8. *Transgressorem ex utero vocavi te.*

Vers 22. OMNES PASTORES (nomine tenus, sed revera prædones) TUOS PASCET VENTUS.) Nota primo: Per *pastores* intelligit reges, præsides, doctores, sacerdotes: per *amatores*, Ægyptios, ut dixi: secundo, pasci vento est res frivolas, vanas et inanes moliri, q. d. Principes tui spe sua et ope Ægyptiorum, quam sperant frustrabuntur. Ita Hugo et Lyranus, quare ipsi frustra hac spe se lactabunt et oblectabunt: quasi vento vanitatis, et quasi chamæleontes aere pascentur. Huic simile est proverbium, sed alio casu: Venari aut pascere ventum. Prov. 10. 4. *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos*, id est vane, frustra et instabiliter laborat.

Pasci vento est vana moliri.

Potest secundo, cum S. Hieron. et Chald. sic explicari, q. d. Principes tui huc illucque dispergentur in omnem ventum. Tertio, תרעם *tirem* verti potest, *depascet*: rursum pro *tirem* legi potest תרעם *teroem*, id est *conteret*, q. d. Cito conterentur, perinde ac si ventus eos expulisset. Quarto, alii vertunt: *Omnes pastores tui cogitabunt*, vel, *diligent ventum*. Nam רעה *raa*, quo Hebræis significat pascere, Syris significat cogitare et amare.

Symbolice, Pastores Ecclesiæ pascit quandoque ventus elationis. Isaiæ 57. 13. *Omnes eos auferet ventus, tollet aura.*

AB OMNI MALITIA TUA.) Propter omnem malitiam tuam.

Vers 23. QUÆ SEDES IN LIBANO.) O gens, quæ habitas in Ierusalem, quasi in Libano, quia ex cedris Libani tibi nidos, id est domos et palatia, facis, quæque quasi cedrus Libani inter alias Gentes excellis et celebraris, q. d. Tu quæ iam alluis, gloriaris, superbis in deliciis et divitiis tuis, quomodo gemes, cum acerbus tibi finis et excidium veniet?

Sedere in Libano est opulenter vivere.

Nota: *Sedere in Libano*, est superbe, secure, opulenter vivere: perinde ac si in Libano, alto et fertili monte habitaret. Idem significat *in cedris nidificare*. Est metaphora ab avibus, quæ sibi tutæ videntur, cum in altis arboribus nidificant: hinc c. 49. v. 16. ait Ieremias: *Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te.*

QUOMODO CONGEMUISTI.) Ita vertunt et Septuag. hebr. est נחנת *nechant* in niphal, id est quomodo deprecaberis, quomodo gratiam et misericordiam postulabis? חנן *chanan* enim in cal significat misereri, in niphal vero passivo significat misericordiam postulare, orare, suspirare, gemere: forte etiam interpres cum Septuag. pro *nechant*, legit נהית *nahit*, id est quomodo lamentaberis? נהה *naha* enim significat lamentari; aut, ut vult Maldonat. pro *nechant*, legerunt נאנחת *neenacht* per metathesim: אנח *anach* enim significat suspirare. Iam *nechant* Pagnin. et alii vertunt, *Quam gratiosa eris?* vel, *quæ gratia erit tibi?* scilicet ex pulcherrimis tuis palatiis, cum illa comburentur, aut, ut Vatab. *quam grata*, vel *accepta eris?* (scilicet Deo) cum venerint tui dolores, ut scilicet iis te eripiat. Verum hi sensus frigidi minusque apti et commodi sunt.

Vers. 24 VIVO EGO, DICIT DOMINUS: QUIA SI FUERIT IECHONIAS.) A Ioakim patre impio transit ad filium impium, puta Ioachin. Unde ait:

IECHONIAS FILIUS IOAKIM.) Eiusque in regno successor, qui hebr. hic per contemptum vocatur *Conias:* detrahitur enim ei prima littera *iod*, ut significetur eius deiectio et captivitas; sicut Abram additur littera *h*, vocaturque Abraham, ut significetur eius exaltatio, quod erit pater magnæ multitudinis; secundo, *conias*, id est præparatio Dei, significat eum destinatum et præparatum esse ad pœnam et captivitatem. Ita S. Hieron.

Iechonias vocatur Conias, ut significetur eius deiectio.

A ANNULUS IN MANU DEXTERA MEA.) Nota: Annulos gestabant veteres, primo, ad obsignandum; secundo, ad ornatum; tertio, ad amorem mutuum, uti sponsi et sponsæ, Cant. 8. 6. hinc gestabant eum in digito quarto sinistræ manus. Sic etiamnum solet annulus inseri digito qui proximus est minimo, indeque annularis vocatur, eo quod hic sit digitus cordis, ideoque ab Ægyptiis statutum est, ut is annulo quasi corona ornetur. Eumdem sacerdotes sacrificaturi odoribus illinebant. Causa erat quod anatomici tradant nervulum a corde natum, per dorsum eo tendere, in eoque desinere. Ita Pierius hierogl. 36. Sensus ergo est, q. d. Si Iechonias mihi fuerit tam coniunctus quam est annulo, et digitus annularis et cordialis, eum tamen a me evellam et abiiciam. Rursum, etiamsi Iechonias mihi ita necessarius et coniunctus, charus et pretiosus esset ac annulus signatorius, qui numquam de manu gestantis ac sigillantis aufertur (quod revera non est) tamen ob eius scelera a me evellam illum, atque in Babylonem cum matre et principibus traducam, ibique morietur, 4. Reg. 24.
B Ita S. Hieron. Rabanus, Hugo.

Annulus ponitur in digito medio, cur?

Putant aliqui Ieremiam alludere ad amicos, qui eos quos amant aut venerantur, in pala annuli exculpunt, uti de Epicuro narrat Cicero lib. de Finibus: *Eius, ait, imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et annulis habent.* Ita noster Sanchez in Isaiæ c. 49. 16. et hoc loco. Annulus, inquit, metonymice ponitur pro imagine palæ annuli insculpta. Hæc autem imago erat eorum quos impensius amabant, ut per eam ipsos quasi semper in oculis haberent.

Tropolog. Prælati et sacerdotes quasi annuli obsignant fideles imagine Christi: hi si malo exemplo eos obsignent imagine dæmonis, in infernalem carcerem æternum detrudentur: *Quia quem perdit vita, non potest salvare doctrina*, ait Hugo et a Castro.

Annuli Dei sunt sacerdotes.

ET IN MANU NABUCHODONOSOR.) *Et* significat, id est, patet ex præcedentibus. Simile est Act. 7. 20. Daniel. 14. 13. et alibi.

C IN TERRAM, AD QUAM IPSI LEVANT ANIMAM SUAM.) Vers 27. In terram, scilicet in Iudæam patriam suam quam avent, totaque anima expetunt, et ad quam summe anhelant, non revertentur: morientur enim in Babylone Iechonias, eiusque mater et propinqui. Nota: In spe et desiderio levatur anima; quia anima per desiderium quasi it ad rem optatam, et ad eius consecutionem, atque per spem ad ipsam rem quasi erigi videtur. Ita S. Hieron.

Levare animam est suspirare.

Tropolog. captivitas Babylonica, est captivitas gehennæ, in qua gravissimum supplicium est non posse inde egredi, sed in æternum esse extorrem cælo et terra, in æternum habitare cum igne devorante, cum draconibus et dæmonibus.

NUMQUID VAS FICTILE.) Hebr. est עצב *etseb*, id est Vers 28 *sculptile*, vel potius *idolum* (ita dictum, quod dolorem et turbationem suis afferat) *contemptibile et fractum;* Vatablus; *truncus:* Symmach. *purgamentum*, sive *quisquiliæ*, q. d. Numquid Iechonias, qui a suis adorabatur quasi idolum, iam in captivitate vilis, abiectus, contritus est
D quasi vas, vel idolum fictile si confringatur; tribus enim mensibus tantum regnavit Iechonias.

Notent principes, nisi opes, gloriam, regnum fundent in timore Dei, non fore ea stabilia, sed se cum iis quasi vilia et inutilia vasa conterendos et abiiciendos esse: sic et sacerdotes, si desipiant, et suo gradui non satisfaciant, in sterquilinium proiicientur, quasi sal infatuatum.

TERRA, TERRA, TERRA.) Nota: Ter repetit vocem *terra;* quia ter Iudæa monita est a Deo, puta in trina trium regum clade, scilicet Ioachaz, Ioakim et Ioachin. Repetit autem τὸ *terra*, ut magis eos moveat doceatque, quod iam desolandi sint, et cArituri rege: nam licet Iechoniæ successerit Sedecias, is tamen sceleratus fuit, ideoque infelix, ita ut cum eo Iudæis peius fuerit, quam si omnino caruissent rege. Iam terram proprie accipit Theod. ex eo enim, inquit, quod non audiant Dei voces Iudæi, qui participes sunt rationis et sermonis: hinc terram alloquitur anima carentem, de quo dixi Isaiæ 1. 2. secundo, et po-

Vers. 29. Terra, terra, terra, quid?

tius per *terram*, accipe habitatores terræ; hos enim vocat *terram*, ut notet, primo eos esse terrenos; non cælum sed terrena cogitare; secundo, voce terræ monet eos ut cogitent se e terra hac, in Babylonem, et post mortem in abyssum inferni sub terram præcipitandos. Prudenter dixit Sapiens: *Tribus hisce paruisse numquam te pæniteat: Veritati, potissimum divinæ: consilium danti bonum: gallo gallinaceo e somno excitanti.*

Scribe.) Nota, Prophetas non tantum verbo, sed et scripto prophetasse, maxime ad servandam prophetiæ memoriam; nam Isaias c. 8. 1. et Habacuc c. 2. 2. iubentur scribere suas prophetias, cum prophetant de rebus longe post futuris; secundo, ut notat Capella, Prophetæ aliquas prophetias pro foribus templi omni populo legendas proponebant, ut innuit Oseas c. 8. 12. tertio, *scribe*, id est scribite, q. d. Vos, o Iudæi, qui in libro genealogiæ soletis scribere familiarum vestrarum seriem, et proles, maxime si regiæ sint, scribite in eo Iechoniam, sed sterilem.

Sterilem.) Hebr. עֲרִירִי *ariri*, id est orbum liberis qui solus sit, uti in deserto myrica, quæ hebraice *arar* dicitur. Ita Chald. Vatablus, a Castro: hinc Symmachus vertit, *vacuum;* Septuag. et Theodotion: *abdicatum;* Aquila: *non crescentem:* quia licet Iechonias sit habiturus filium Salathiel, et alios septem giguet in Babylone captivus, ut patet 1. Paralip. 3. 15. tamen nec hos, nec alios habebit, qui ei in regno succedant. Ita S. Hieron. Raban. Hugo. Zorobabel enim filius Salathiel non fuit rex, sed dux populi redeuntis e Babylone, idque tantum in itinere, et ut summum in reædificatione urbis, templi et domorum; nam paulo post ipse rediit Babylonem, ibique mortuus est; principatus vero Iudæorum fuit penes Iesum filium Iosedec, et alios Pontifices sibi invicem succedentes, usque ad Herodem, ut diserte docet Euseb. l. 1. Histor. 5. Ioseph. 11. Antiq. 4. et alii. Sic hodie multis principibus et nobilibus improbis dicit Deus: Scribe virum istum sterilem; unde plurimæ nobilissimæ familiæ intereunt.

Aliter ex S. Hier. explicat Sanchez, Iechonias, inquit, vocatur sterilis et infortunatus; quia in illis, nempe diebus vitæ suæ, nullum suscipiet filium, qui sceptrum habeat, aut potestatem in terra Iuda. Unde ait: *Scribe virum istum sterilem: virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir qui sedeat* (in diebus nempe illius) *super solium David.* Verum prior expositio communis est, magisque plana et seria.

Dices, Christus descendit ex Iechonia, et regnavit in domo David, Lucæ 1. v. 32. ergo Iechonias non fuit rex sterilis. Resp. Christi regnum non temporale fuit, de quo loquitur Ieremias, sed spirituale.

Dices secundo, Iechoniæ successit Sedecias rex. Resp. Sedecias non fuit de semine, id est proles Iechoniæ, sed patruus nepote peior. Unde brevissimo post tempore, et rex, et regnum sub eo funditus interiit. Ita S. Hieron.

Locus moralis de libertate increpandi. Exempla.

Moraliter nota hic insignem libertatem Prophetæ ad increpandum etiam reges et principes. Ita Nathan libere increpavit David ob homicidium Uriæ 2. Reg. 12. v. 1. et Elias Achab regem 3. Reg. 18. vers. 18. *Non ego,* inquit, *turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim.* Deinde accedens ad totum populum iussu Achabi congregatum: *Usquequo,* inquit, *claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum,* v. 21. Idem ad Ochoziam regem: *Quia,* inquit, *misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, etc. ideo morte morieris,* 4. Reg. 1. v. 16. Ita Elisæus ad Ioram regem: *Quid mihi et tibi est? vade ad Prophetas patris tui, et matris tuæ;* et: *Vivit Dominus exercituum, in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem,* 4. Reg. 3. vers. 13. et 14. Ita Iehu Propheta ad Iosaphat, alias pium regem: *Impio* (Achab) inquit, *præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia iungeris: et idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, etc.* 2. Paralip. 19. 2. Ita Zacharias filius Ioiadæ increpavit Ioas regem, et principes: *Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos?* ideoque ab eis lapidatus est, dicens: *Videat Dominus, et requirat,* 2. Paralip. 24. 20. Ita Propheta missus ad Amasiam regem: *Cur,* inquit, *adorasti deos? etc,* cui rex: *Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te;* tum ille: *Scio quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, et insuper non acquievisti consilio meo,* 2. Paral. 25. 15. Ita Azarias increpavit Oziam regem thurificantem: *Non est,* inquit, *tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum: egredere de sanctuario;* cumque rex ei minaretur, percussus est lepra, 4. Reg. 26. 18. Ita Isaias increpavit Ezechiam, quod thesauros suos ostendisset Babyloniis, Isaiæ 39. 3. et Manassem ob idololatriam; ideoque ab eo serra dissectus est. Ita Ioannes Baptista increpavit Pharisæos: *Progenies,* inquit, *viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Matth. 3. 7. et Herodem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* ideoque decollatus est. Ita Christus reprehendit Scribas et Pharisæos, Matthæi 23. toto cap. et alias sæpe. Ita Paulus ad Pontificem iubentem eum percuti: *Percutiat,* inquit, *te Deus paries dealbate,* Act. 23. 3. Ita S. Stephanus eosdem cum populo increpavit: *Dura,* inquit, *cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, etc. Patres vestri occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores et homicidæ fuistis,* Act. 7. 51. Ita S. Ambrosius Theodosium, S. Bernardus Guilielmum Ducem Aquitaniæ increparunt et emendarunt. Ita Babylas Episcopus Antiochiæ Numerianum Imp. venientem ad Ecclesiam, et volentem inspicere arcana eius mysteria, repressit, dicens: *Non licet tibi idolorum sacrificiis polluto, Ecclesiam ingredi, et divina mysteria contaminatis oculis spectare.* Quare offensus Imperator eum excruciatum necavit, sed et ipse Imp. paulo post a socero suo occisus est. Ita Niceph. lib. 6. cap. 33.

Denique apposite, æque ac libere hæc Ieremiæ de Ioachin oracula et minas, B. Petrus Damian. adaptat Cadaloo Episcopo Parmensi Antipapæ, qui se Honorium II. vocabat: *Cur,* ait, *per ambitionem adipiscendi culminis, inaccessibilisque fastigii, totum fere mundum in condemnationis tuæ iurgium concitasti? ut illud Ieremiæ exclament: Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Et tu e contra eiusdem Prophetæ verbis apte valeas respondere: Væ mihi, mater mea, quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in universa terra? Enimvero, cum religiosus quisque vir subire tam laboriosæ Sedis onus abhorreat, illicque constitui vix ullis hominum precibus acquiescat; cur tu onus onerum, ut S. Leo Papa dicebat, non modo non paras aufugere, sed ultro etiam preces et pretium offerendo, anxie te conaris intrudere? recte Cadalous, quasi casus λαοῦ, id est populi vocaris. O cælum! o terra! o tragœdia omnibus ante nos sæculis inaudita, ut alienus Episcopus, propria sede contempta, ignorante Deo, nesciente Petro, nesciente Romana Ecclesia, super Romanam constituatur Ecclesiam! In Babyloni Apostolica Sedes possessionem habebat, unde tantum balsami per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret lampadi, quæ ante altare B. Petri rutilabat appensa. Quam possessionem, accepta pecunia, Papa distraxit, canonemque aromatis, quem recipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum idem Papa prædicto sancto altari quasi devotus assisteret et oraret, ecce quidam terribilis et grandævus senex colaphum ei vehementer incussit, et ait: Tu exstinxisti lucernam meam ante me, et ego extinguam lucernam tuam ante Deum. Ille vero protinus corruit, et paulo post diem clausit extremum. Quis, oro, duorum Paparum duriori tibi videtur austeritate plectendus? utrum ille qui sancti altaris lucernam præsumpsit exstinguere; an tu, qui totam universalem Ecclesiam per furtivæ promotionis exordium niteris obscurare?* Denique, his versibus concludit, mortemque celerem ei prædicit:

Fumea vita volat, mors improvisa propinquat,
Imminet expleti præpes tibi terminus xvi,
Non ego te fallo cœpto morieris in anno.

Ita ipse ad Cadaloum l. 1. epist. 20. et ad eumdem epist. 21. *Per Ieremiam dicitur cap. 5. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? Enimvero, sicut per auxesin dicitur, Sancta Sanctorum: sic Romanam Ecclesiam venaliter distrahi, peccatum est peccatorum. Defuncto Cæsare Augusto, mœrens populus Roman. clamabat: Utinam aut non nasceretur aut non moreretur! De te autem, Cadaloe, merito dicimus: Utinam aut non nascereris, aut illico morereris! Diocletianus Imper. teste Eutropio lib. 9. regalis* A *fastigii insigne deposuit, et non procul a Salonis per novem fere annos usque ad obitum, privatus in amœna virentis hortuli cultura permansit. Qui dum ab Herculeo atque Galerio ad recipiendum obnixe rogaretur Imperium, tamquam pestem aliquam perhorrescens, dixit: Utinam Salonæ possetis olera visere nostris manibus insita, numquam profecto iudicaretis hanc sarcinam nostris iterum cervicibus imponendam. Reges Gentium imperialium dignitatum apices fugiunt; et sacerdotes Dei, non sacerdotalem, sed regalem, imo tyrannicam ferulam super humanum genus anhelant.*

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Invehitur in populi pastores, id est principes, sacerdotes et pseudoprophetas, qui sua incuria, impietate, malo exemplo, mendacibus promissis, quasi lupi populum perdiderunt. Unde eis amotis promittit se missurum verum pastorem, scilicet Christum eiusque Apostolos. Ita S. Hieron.

Primo ergo ait, se pro pseudopastoribus suscitaturum Davidi germen iustum, et regem sapientem, cuius nomen erit Dominus iustus noster. Secundo, v. 9. pseudoprophetarum mendacia, adulteria et scelera arguit. Tertio, v. 19. intentat eis turbinem iræ Dei, et v. 29. ignem et malleum verborum suorum. Quarto, v. 33. rogantibus: Quod est onus Domini? Respondet: Vos estis onus Domini ab eo exportandum in Babylonem. Tropolog. S. Hier. hæc recte adaptat malis pastoribus Ecclesiæ Christianæ.

1. Væ pastoribus, qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. 2. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, et eiecistis eos, et non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. 3. Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eiecero eos illuc: et convertam eos ad rura sua: et crescent et multiplicabuntur. 4. Et suscitabo super eos pastores, et pascent eos: non formidabunt ultra, et non pavebunt: et nullus quæretur ex numero, dicit Dominus. 5. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen iustum: et regnabit rex, et sapiens erit: et faciet iudicium et iustitiam in terra. 6. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. 7. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti: 8. Sed: Vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra aquilonis, et de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc: et habitabunt in terra sua. 9. Ad prophetas: Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino a facie Domini, et a facie verborum sanctorum eius. 10. Quia adulteris repleta est terra, quia a facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arva deserti: factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis. 11. Propheta namque et sacerdos polluti sunt: et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus. 12. Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, et corruent in ea: afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus. 13. Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem: prophetabant in Baal, et decipiebant populum meum Israel. 14. Et in prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii: et confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque a malitia sua: facti sunt mihi omnes ut Sodoma, et habitatores eius quasi Gomorrha. 15. Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad prophetas: Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo eos felle: a prophetis enim Ierusalem, egressa est pollutio super omnem terram. 16. Hæc dicit Dominus exercituum: Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. 17. Dicunt his, qui blasphemant me: Locutus est Dominus: Pax erit vobis: et omni, qui ambulat in pravitate cordis sui, dixerunt. Non veniet super vos malum. 18. Quis enim affuit in consilio Domini, et vidit et audivit sermonem eius? quis consideravit verbum illius et audivit? 19. Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. 20. Non revertetur furor Domini, usque dum faciat, et usque dum compleat cogitationem cordis sui: in novissimis diebus intelligetis consilium eius. 21. Non mittebam prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. 22. Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, et a cogitationibus suis pessimis. 23. Putasne Deus e vicino ego sum, dicit Dominus? et non Deus de longe? 24. Si occultabitur vir in absconditis: et ego non videbo eum, dicit Dominus? numquid non cælum et terram ego impleo, dicit Dominus? 25. Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi. 26. Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? 27. Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum, quæ narrat unusquisque ad proximum suum: sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal. 28. Propheta, qui habet somnium, narret somnium; et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere: quid paleis ad triticum, dicit Dominus? 29. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? 30. Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. 31. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, et aiunt: Dicit Dominus. 32. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo, et in miraculis suis: cum ego non misissem eos, nec

mandassem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. 33. Si igitur interrogaverit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos, dicens: Quod est onus Domini? dices ad eos: Vos estis onus: proiiciam quippe vos, dicit Dominus. 34. Et propheta, et sacerdos, et populus qui dicit: Onus Domini: visitabo super virum illum, et super domum eius. 35. Hæc dicetis unusquisque ad proximum, et ad fratrem suum: quid respondit Dominus? et quid locutus est Dominus? 36. Et onus Domini ultra non memorabitur: quia onus erit unicuique sermo suus: et pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei nostri. 37. Hæc dices ad prophetam: Quid respondit tibi Dominus? et quid locutus est Dominus? 38. Si autem onus Domini dixeritis: propter hoc hæc dicit Dominus: Quia dixistis sermonem istum: Onus Domini: et misi ad vos, dicens: Nolite dicere: Onus Domini: 39. Propterea ecce ego tollam vos portans, et derelinquam vos, et civitatem quam dedi vobis et patribus vestris, a facie mea. 40. Et dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.

Vers. 2. QUI PASCUNT.) Solo nomine; quia *pastores* se vocant, et ab aliis vocantur, vel qui pascere deberent populum meum, etsi reipsa non pascant. Transit a regibus ad sacerdotes et falsos prophetas. Hi enim gregem suum, puta populum, quem pascere debebant, malo exemplo vitæ et falsis oraculis perdiderunt.

ET NON VISITASTIS EOS.) Pastoris enim est visitare suum gregem, ut videat num quid illi desit, de eoque illi provideat. Notent hoc Episcopi et Pastores. Ideirco ecce ego *visitabo*, id est puniam *vos*. Ludit in voce visitare, q. d. Pastores non visitarunt gregem, hinc ego visitabo et castigabo eos.

Vers. 3. CONGREGABO.) Scilicet Iudæos, quos vos mali pastores vestra culpa dispersistis, ego mea misericordia et provida cura *congregabo*, ut e Babylone redeant in Iudæam, duce Zorobabel, Iesu, Esdra et aliis, ibique pace fruantur, et agnoscant sola Dei misericordia, non suo merito se liberatos. Ita Hebræi, Theodoretus, Hugo et Sanchez. Verum esto eo alludat Propheta quasi ad typum, tamen patet hæc tam augusta non nisi Christo Pastori optimo, et Pastorum principi competere: hic enim est germen iustum, et vocatur *Dominus*, hebr. *Iehova, iustus noster*, estque ex semine Davidis. Ad Christum ergo de more a malis pastoribus avolat Propheta: huic enim malo, æque ac cæteris Iudæorum, mederi venit Christus, ideoque pro malis bonos surrogavit. Christi ergo, qui optimi Pastoris exemplar dedit, tria munia describit; primo, regis; secundo, doctoris sapientis; tertio, æqui iudicis. Pastores eius, ait S. Hieron. Theodor. Raban. sunt Apostoli, qui congregarunt undique oves ad unum ovile, puta tam Gentes omnes, quam Iudæos a Deo in Babylonem eiectos, ad Ecclesiam, easque paverunt. Hos enim vocat *reliquias gregis mei*, Iudæos scilicet e captivitate et dispersione reliquos, quorum pauci conversi sunt ad Christi Ecclesiam, sed plures convertentur in fine mundi, cum omnis Israel salvus fiet. Nam eo usque porrigitur hæc prophetia.

Christi tria munia: primum, regis; secundum, doctoris; tertium, iudicis

AD RURA SUA.) Hebr. נויהן *nevehen*, id est, *ad habitaculа sua*. Nota, Ecclesiam vocari rus et habitaculum Iudæorum, primo, quia eadem est Ecclesia nova Christianorum et vetus Iudæorum. Secundo, quia nova cœpit a Iudæis, scilicet Christo et Apostolis in Ierusalem. Tertio, quia cognitio et cultus veri Dei, erat quasi proprium rus spirituale Iudæorum: et Iudæis proprie promissus et missus erat Messias, eiusque bona: rursum patria, et quasi rus anagogicum eorum olim, et iam nostrum est cælestis Ierusalem, ad quæ duo eos reduxit Christus. Similis prophetia est Ezech. 34. v. 13. et 14.

Ecclesia vocatur rus Iudæorum ob tres causas.

Vers. 4. PASCENT EOS, magna cura, ad quam eos stimulabit magnus amor ovium, ut illæ secure fruantur pastu doctrinæ et vitæ Christianæ, ET NULLUS QUÆRATUR EX NUMERO.) Id est, ut nulla ovis deficiat aut desideretur in tanto fidelium numero; quia, ut huc alludens ait ad Patrem Christus: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*. Ioann. 18. 9. Esto enim Iudas perierit, is tamen unus fuit; nec Christi negligentia et culpa, sed sua in Christum infidelitate et malitia periit.

Hæc ergo lex pastoris est quam dat Apostolus 2. Cor. 5. *Charitas Christi urget nos*. Excedit enim, ait a Castro, zelus cor pastoris, nec patitur quietem agere, aut oblivioni tradere res amati, quin instar fulguris huc illucque discurrat, donec animam suam ponat pro ovibus suis. Imitatur ergo verus pastor vigilias Iacob pascentis oves Laban, Genes. 31. 39. Ex hac cura nascitur vicissim in ovibus erga pastorem amor, confidentia et securitas.

Lex pastoris est amor gregis.

Rursum lex pastoris est, quam dat S. Bernard. ep. 245. *Præsis ut prosis*. Idem in Sentent. *Pastori tria congruunt, bonitas, disciplina, scientia: bonitas attrahit, disciplina corripit, scientia pascit: bonitas amabilem, disciplina imitabilem, scientia docibilem reddit.* Et S. Dominicus rogatus quæ essent munia sui Ordinis, puta Patrum Prædicatorum, respondit: Tria ista sunt, quæ Psaltes hoc versu complexus est: *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me*, Ps. 118. Tales pastores fuerunt Apostoli virique Apostolici, S. Athanasius, Basilius, Chrysostom. August. Ambr. Gregor. aliique prioribus sæculis plurimi: at hisce perpauci et rari. Quæritur de suo ævo B. Petrus Damian. itaque scribit ad Gregor. VI. Pontif. l. 1. epist. 2. *Noverit Beatitudo vestra, piissime Domine, quia pro peccatis nostris clerici digni Episcopatus officio in nostris partibus non inveniuntur. Omnes enim quærunt quæ sua sunt, et non quæ Iesu Christi. Avaritiæ quippe et elationis igne succensi, ambiunt quidem ad sacerdotium promoveri, sed non student digni sacerdotio fieri. Præesse inhiant, prodesse non curant.*

SUSCITABO DAVID, Hebr. לדוד *ledavid*, id est Davidi, GERMEN.) Non Zorobabel; sed ut Chald. vertit, Messiam, id est Christum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, et omnes Hebræi, ait Vatabl. Christum enim Deus suscitavit Davidi, quasi germen, e terra virginea. Secundo, ex trunco, id est, ex familia Davidis pene emortua, suscitavit eum quasi germen hebr. צמח *tsemach*, id est surculum, qui succrescat et suppullulet, ac ex parvo germine crescat in ingentem arborem, quæ pristinam regni Davidis gloriam iam collapsam restauret. Vers. 5.

Nota. Christus, qua Deus per verbum Patris, est germen e terra fœcundissima, id est, e natura et mente divina (quæ mundus est intelligibilis, universi perfectiones in se complectens) Patris æterni progenitum: unde Proclus ex Chaldaicis mysteriis vocat Dei filium *florem mentium*.

Christus est germen Patris in cælo. Transplantatum in terram per incarnationem.

Hoc divinum germen humano insertum est germini, cum naturam assumpsit humanam; unde Septuag. vertunt ἀνατολὴ, id est ortus, vel oriens, q. d. Christus est germinans sol, aut solare et cæleste germen, quod primo ortum in cælesti paradiso inde in terram insertum et natum, factumque est homo. Una inter alias ratio huius nomenclaturæ est: quia, sicut ad germen et fructum ferendum tota arboris plantatio et irrigatio refertur, ita totum universum, et omnes creaturæ unius Christi causa conditæ sunt: quocirca ipse universi germen appellatur. Ita Viegas in Apocal. 1. pag. 26. Christi ergo nomen est Oriens, scilicet sol, aut solare germen, ut patet Luc. 1. v. 78. et Zachar. 6. 12. quod pluribus in Zachar. explicabo.

IUSTUM.) Quia Christus, ait S. Hieron. Raban. et Vatabl. causa est omnis iustitiæ nostræ, et finalis, et meritoria, et exemplaris.

Christus vocatur iustus ob tres causas.

Secundo, quia ex vi conceptus sui ex Spiritu sancto natus est sanctus et iustus, ex Davidica stirpe, in qua tot scelerati exstiterunt: cum nos omnes ex vi conceptus nostri nascamur peccatores.

Tertio, quia iustum iudicium exercuit in bonos et malos.

REGNABIT REX.) Per fidem, spem, charitatem, gratiam: hoc enim regnum Christi spirituale, non autem temporale passim inculcant Prophetæ.

SAPIENS ERIT.) Hebr. est השכיל *hischil*, id est feliciter æque ac sapienter rem geret, ut Patri æterno nos conciliet, dirigatque ad vitam et gloriam æternam. Unde Vatabl. vertit: *Prosperabitur, felix erit.*

ET FACIET IUDICIUM ET IUSTITIAM.) *Faciet* id quod iustum est: iusto enim iudicio damnabit impios, pios vero tuebitur et præmiabit sua iustitia. Vide dicta Ezech. 18. 6. Aliter Dionys. Carthus. Iustitiam, ait, id est omne opus virtutis. Aliter quoque S. Thom. et Lyran. *iustitiam*, inquiunt, id est legem Evangelicam, quæ pleniorem docet iustitiam quam Scribæ et Pharisæi. Sed primus sensus est genuinus.

Moraliter, discant hic Pontifices et Episcopi a Christo, cuius vices gerunt, facere iudicium et iustitiam in terra. Præclare B. Petrus Damian. ad Alexandrum II. Pontif. hosce versus scripsit:

Sedis Apostolicæ qui vult retinere vigorem,
Æqua libret rigidæ pondera iustitiæ.
Iuris enim pariles nescit suspendere lances,
Quem favor inflectit, spes vel avara trahit.
Muneribus plenæ cui laxant ora crumenæ,
Iustitia vacuam perdet inops animam.
Cæli Roma seras tenet, et regit orbis habenas:
His, si plura velit, tartara sola petit.

Vers. 6. IN DIEBUS ILLIS.) Hebr. *illius*, scilicet Christi, et ita legunt Septuag. Chald. et nonnulli Latini.

SALVABITUR ISRAEL, id est decem tribus; ET IUDA, id est duæ reliquæ tribus. Iudæis enim primo promissus et missus est Christus, ut eos salvet, id est iustificet a peccato, et postea glorificet. *Iuda* ergo HABITABIT CONFIDENTER.) Non timens hostes, cum habeat Christum, pastorem tam fortem, tam vigilem. Hæc est securitas et pax, quam Isaias sub Christo fore prædixit c. 2. v. 4. c. 11. 6. et alibi: unde cap. 9. 6. Christum vocat *principem pacis;* quamque Angeli, Christo nascente, occinuerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax.*

Christi divinitas asseritur.

ET HOC EST NOMEN QUOD VOCABUNT EUM, DOMINUS IUSTUS NOSTER.) Iudæi iam legunt יקראו *icreo*, id est *vocabit eum Dominus hoc nomine*, scilicet, *iustus noster.* Sed veteres Hebræi (citat eos hic a Castro) et omnes Latini ac Græci docent, nomen Messiæ, quo a suis fidelibus vocabitur, fore hoc: *Dominus iustus noster.* Unde patet Christum proprie esse Deum: hebr. enim est *Iehova* proprium Dei nomen. Respondet R. David, nomen *Iehova* etiam creaturis tribui, ut Moses Exodi 17. 15. altare suum vocavit יהוה נסי *Iehova nissi*, id est, *Iehova exaltatio mea:* eo quod illo loco Deus Mosen in victoria Amalec exaltasset, et Ezech. 48. 35. civitas Dei vocatur יהוה שמה *Iehova sciamma*, id est, *Iehova ibidem.* Verum alio prorsus modo Christus appellatur *Iehova*, scilicet, non quod Deus in illo sit sicut in altari, vel in civitate; sed quod ipse sit Deus iustitia nostra: non enim vocatur Dominus in eo, vel Dominus ibidem, uti vocatur civitas illa ab Ezech. sed *Dominus iustus noster.* Unde Septuag. vertunt, *Dominus Iosedec*, id est iustus et iustificator; ut Iosedec pontifex suo nomine præfigurarit hoc nomen Christi. Hinc et Symmachus vertit: *Domine iustifica nos;* Hebr. vero clare habent: *Dominus iustitia nostra;* et Chald. *Fient nobis iustitiæ a facie Domini*, q. d. Fideles ut suum in Christum declarent amorem, securitatem, fiduciam et gratiarum actionem, decantabunt assidue dicentque: Hic est Deus qui nos iustificavit, et redemit; puta inclamabunt et iterabunt nomen Iesu. *Iesus* enim, id est salvator, idem est quod *Dominus iustus noster*, id est nos salvans et iustificans. Hinc Syrus vertit: *Et hoc est nomen quo vocabunt eum; Dominus æquum (iustum) nostrum, quod congruit et sufficit nobis, quod iuste voluntati nostræ satisfacit: Domino contenti sumus, quia satis est nobis ipse.* Vox enim Syra צדקא *tsidka* plura significat, scilicet iustitiam, æquum, debitum, honorem, convenientiam, conveniens, dignitatem, ordinem: vel quod italice dicitur, *Il nostro dovere, o giusto, o verità.* Arabicus Antiochen. vertit: *Et hoc est nomen quo eum vocarerunt, Absconditus Dominus;* Arabic. Alex. *Et hoc est nomen quo vocabunt eum, Dominus gaudium nostrum absconditc.*

Iesus est Dominus iustus noster.

Vers. 7. PROPTER HOC.) Quia scilicet, *suscitabo David germen iustum*, puta Christum; hinc eum fideles Christiani colent, atque per eum iurabunt, dicentes: *Vivit Dominus*, id est, iuro per vitam et nomen Christi, Domini.

Vers. 8. QUI EDUXIT, etc. DE TERRA AQUILONIS.) Id est, de captivitate diaboli et peccati.

ET HABITABUNT IN TERRA SUA.) Id est, in Ierusalem spirituali, puta in Ecclesia. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thom. Lyranus, Vatablus. Sub iuramento intelligit laudes, vota, sacrificia, et omnes alios actus religionis (per synecdochen) quos Christo, et per Christum Deo Patri deferimus et offerimus.

Vers. 9. AD PROPHETAS.) Scilicet falsos, dirigitur hæc mea prophetia quæ sequitur. Aliter Chaldæus; vertit enim: *Propter pseudoprophetas contritum est cor meum.*

CONTRITUM EST COR MEUM, etc.) q. d. Conficior dolore, et tremunt ossa mea, quasi maderem vino, et essem ebrius, idque non ob metum Iudæorum, sed propter Dominum, et *propter verba sancta eius*, vel, ut Hebraice est, *sanctitatis eius*, quia scilicet video sanctissimam Dei maiestatem peccatis irasci, et calamitates maximas comminari pseudoprophetis, qui meas et Dei minas rident, et apud populum, ne iis credat et convertatur, traducunt atque impediunt. Ita S. Hieron. Verum Sept. vertunt: *Factus sum quasi homo captus a vino a facie Domini, et a facie gloriæ decoris eius*, q. d. Ex consideratione Dei Patris, et eius Filii, qui est gloria et splendor Patris, exhorrui, et mente captus fui quasi ebrius, videns me (esto sim eis quasi os et Propheta) esse nihil. Ita Raban. et S. Hier.

Vers. 10. A FACIE MALEDICTIONIS, ob maledicta et blasphemias Iudæorum in Deum, LUXIT, id est desolata est, TERRA.) Facta sterilis et squalida, instar lugentis. Ita Hugo et Lyranus, et patet ex sequent. Aliter S. Thomas: Quia, inquit, Deus terræ tam impiæ maledixit, hinc ipsa luxit. Loquitur de sterilitate et fame, quam passi sunt cives obsessi in Ierusalem a Chaldæis.

Vers. 11. FACTUS EST CURSUS EORUM MALUS, currunt effrænes et præcipites ad mala et peccata: hinc FORTITUDO EORUM DISSIMILIS.) Id est, non est similis illi quæ solet esse, recta, vera, invicta, maxime in sanctis Patribus eorum, ait S. Thomas: sed fallax, inconstans, evanida et minime durabilis; nam statim quasi infirmi coram hoste Chaldæo corruent, et quasi imbelles capientur. Hinc ex Hebræo Vatablus vertit: *Potentia eorum non est firma*, vel *Fortitudo eorum non est veritas.* Quod aliqui sic explicant, q. d. Pro viribus veritati non student, sed mendacio.

POLLUTI SUNT.) Hebr. *hypocritæ sunt*: scilicet exterius simulant se pios Dei cultores, cum in corde gestent idola; Chald. *suffurati sunt vias suas*, q. d. Furtim se suaque mihi subducunt et suffurantur, ut ea dent, et consecrent idolis.

IN DOMO MEA INVENI MALUM EORUM.) Quia scilicet in templo Dei sacrificant idolis, conflant fraudes et rapinas, ac iuxta illud ædificarunt prostibula, et ædes effœminatorum. Patet c. 7. 30. et c. 11. 15. *Quid est*, ait, *quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Ita Lyran. et Vatabl. Vide 4. Reg. 23. v. 4. 5. 6. 7.

Aliter Hugo et S. Thom. *in domo*, id est, in populo meo, quem induxerunt in omnem impietatem, *inveni malum eorum.*

Vers. 12. VIA EORUM ERIT QUASI LUBRICUM IN TENEBRIS.) Punientur, in calamitates facile impingent et corruent, sicut homo qui ambulat in tenebris per viam lubricam: cum enim in lubrico gressus figi nequeat, et tenebræ loca salebrosa abscondant; necesse est ut in iis ambulans devius vel corruat, vel impingat.

VISITATIONIS.) Punitionis.

Vers. 13. et 14. ET IN PROPHETIS SAMARIÆ VIDI FATUITATEM, intelligitur more Hebræo vox *sicut*, q. d. Sicut inter decem tribus vidi idololatriam deorum lapideorum et ligneorum, quo nihil stultius: ita et in Ierusalem, sive inter

duas tribus, VIDI SIMILITUDINEM ADULTERANTIUM.) Id est, imitationem idololatrarum, scilicet Israelitarum, q. d. Vidi similiter adulterantes, id est, idola colentes, Iudæos atque Israelitas. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, Lyran. Theodor. licet possit et proprie capi το *adulterantium*, eo quod vere adulteria commiserint.

Nota: Pro *similitudinem*, Hebraice est שערורה *sciarura*, id est, res horrenda ob suam turpitudinem, imago horrende turpis; unde Sept. vertunt φρικτα, id est, horribilia, uti erat hic, ipsos doctores videre quasi dæmone indutos docere impietatem, adeo impiam et horrendam, ac si ipse teterrimus Satan eam ore suo docuisset.

Vers. 14. CONFORTAVERUNT.) Dum scilicet eos in suis sceleribus, ea elevando, et promittendo omnia prospera, confortant et obdurant adversus Dei monita, et Prophetarum minas.

FACTI SUNT MIHI OMNES UT SODOMA.) Scilicet abominabiles, ac consequenter igne cælesti, æque ut Sodomitæ, consumendi, et mergendi in infernum. Ita S. Hieron. Raban. Hugo.

Vers. 15. CIBABO EOS ABSINTHIO.) Chald. *Adducam super eos angustiam amaram sicut absinthium, et potabo eos calice maledictionis pessimæ, quasi capitibus draconum.*

A PROPHETIS ENIM IERUSALEM, EGRESSA EST POLLUTIO SUPER OMNEM TERRAM.) q. d. Hi blandi et falsi prophetæ suis falsis oraculis et sceleribus polluunt terram sanctam, quæ est quasi sanctum Dei peculium, quin et sanctissimum Dei templum.

Vers. 18. QUIS (scilicet pseudoprophetarum) AUDIVIT SERMONEM EIUS?) Domini, aut, ut Aquila, *secretum Domini*, q. d. Nullus eorum audivit, sed ipsi omnia quæ dicunt fingunt ex se.

Vers. 19. ECCE, subito, improviso et præter pseudoprophetarum opinionem, TURBO (id est, vehementia; Chald. *increpatio;* Sept. *commotio*) DOMINICÆ INDIGNATIONIS EGREDIETUR, ET TEMPESTAS ERUMPENS) Hebr. *et turbo sese intorquens:* hic enim est symbolum acris iræ et vindictæ Dei, qua subito involvit et absorbet impios. Per turbinem ergo Dei vindictam intellige.

Vers. 20. NON REVERTETUR cassus et inanis FUROR DOMINI.) In Iudæos effundendus: sed efficaciter vindictam in eos, ad quam missus est, peraget.

INTELLIGETIS.) Reipsa sentietis Dei vindictam et flagra, quibus ipse vos castigabit.

Vers. 22. AVERTISSEM.) Videtur corrigendum *avertissent*, scilicet ipsi Prophetæ (qui nunc falsi et mendaces, tunc autem veri et veraces fuissent) populum a suis peccatis. Ita Hebr. Chald. Sept. et Latina Regia: itaque totam culpam populi pseudoprophetis adscribit. Tamen S. Hier. Hugo, Raban. S. Thom. et Romana correcta legunt *avertissem*, scilicet: Ego Deus per illorum prædicationem populum et plebeios, ait S. Thom. Hugo, Lyran. vel, ut S. Hieron *avertissem* ipsos Prophetas, ne scilicet cogitationibus suis traderentur in immunditiam, ignominiam et reprobum sensum ad pœnam suæ impietatis.

Vers. 23. PUTASNE DEUS E VICINO, etc.) q. d. Ego Deus non tantum præsentia, sed præterita et futura quasi coram me sint intueor, ex altissima æternitatis meæ specula. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, et Maldon. Unde Chald. vertit: *Ego orbem creavi a principio, ego cum in fine renovabo.*

Secundo et melius, q. d. Ne dicatis, o pseudoprophetæ: Deus cardines cæli superambulat, longe est a nobis, nostra non videt, non curat, quasi longe a se et cælo posita; quia etiam e cælo ego Deus vestra omnia video, curo, punio; omnia et vicina, et longe dissita intueor, quasi præsens et vicinus. Unde Sept. et Theodot. vertunt: Deus appropinquans ego sum, et non Deus de longe, q.

Deus ubique præsens. d. Ubique præsens adsum, ubique vicinus sum per præsentiam, inspectionem, potentiam, imo et per essentiam: quia cælum et terram ego impleo. Ita S. Hieron. Raban.

Gnome fidelium et Ethnicorum. Theodor. Lyran. Sic David pulchre Dei omni in loco præsentiam describit Ps. 138. 7. et Amos c. 9. 2. Sic et Virgilius ecloga 3. canit: *Iovis omnia plena.* Et Lucan. l. 3.

Estque Dei sedes nisi terra, et pontus, et aer,
Et cælum, et versus superos, quid quærimus ultra?
Iuppiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Et Thales dixit, omnia esse plena deorum: atque Heraclitus invitabat amicos ad humilem suam domum: *Quia*, inquit, *neque huic loco desunt dii immortales*, uti refert Arist. l. 1. de Part. animal. c. ult. unde sequitur: *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum?* Sept. apud Euseb l. 7. Præpar. 4. sic vertunt: *Quid faciet occulte homo, quod non cognoscam? numquid non cælum et terram ego impleo?*

SOMNIAVI.) Vidi in somnis visionem propheticam. Vers. 25.

NARRET SOMNIUM.) q. d. Cessent imposturæ: qui somniavit, non dicat, Hæc dicit Dominus; sed, Hæc ego dico, et hæc ego somniavi; qui vero Dei revelationem habuit, narret quod audivit, quasi Dei sermonem, dicatque, Hæc dicit Dominus. Vers. 28.

QUID PALEIS AD TRITICUM?) q. d. Quid falsæ et inani prophetiæ et promissis, cum solida et reali, verissimisque minis meis? primo, pseudoprophetias comparat paleis, veras prophetias, tritico: quia, sicut paleæ, ait S. Hieron. sic et ipsæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos, et de inanibus stipulis conteruntur, ac ventorum flatibus disperguntur, cum eventus ostendit illarum adulationes et promissiones fuisse mendaces. Contra vero minæ divini iudicii et novissimorum a veris Prophetis intentatæ, veræ sunt certoque implendæ, ideoque quasi solidum triticum animum timore pascunt, degravant, sustentant, nutriunt, ut fructus pœnitentiæ edat.

Verbum Dei est: I. Triticum, hominum est palea.

Vere S. Bern. serm. 4. super *Missus est: Apud Deum*, inquit, *non dissidet verbum ab intentione, quia veritas est: nec factum a verbo, quia virtus est: nec modus a facto, quia sapientia est.* Dei ergo dicere est facere: secus est in homine, qui instabilis est, fallax, impotens, et insipiens; ideoque in verbis et promissis suis sæpe fallit et fallitur.

Porro Chaldæus vertit: *Sicut paleam a tritico, sic separo iustos ab impiis, dicit Dominus;* quod Christum facturum docet S. Ioannes Baptista, Matth. 3. 12. Similia proverbia sunt: *Quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? etc.* 2. Corinth. 6. 14. Et illa Athenæi l. 5. *Quid scuto et sceptro?* et Stratonici: *Quid sceptro et plectro?* et Suidæ: *Quæ specillo et gladio communio? quid lecytho et strophio? quid hyænæ et cani? quid bovi et delphino? quid cani et balneo?*

Secundo, vera prophetia et verbum Dei est sicut ignis, omnia illuminans, et inflammans amore Dei ac impios comburens; ac tertio, est quasi malleus potentissimus conterens petras, id est, saxea corda, et omnia impedimenta disiiciens, maxime pseudoprophetas, qui falso verbum Dei suis fictionibus prætexuerunt; hos enim ipsum Dei verbum, quod eis hic minor, quasi ignis vorabit, et quasi malleus conteret. Vide v. 33. et 36.

II. Est ignis. III. Est malleus conterens petras.

ECCE EGO AD PROPHETAS QUI FURANTUR VERBA MEA.) Nota tria genera pseudoprophetarum. Primum eorum, qui quasi fures surripiunt quædam dicta verorum Prophetarum, eaque vel suis mendaciis admiscent, ut iis fidem faciant; vel falsa interpretatione detorquent ad sua figmenta. Sic quod Ieremias c. 49. 35. initio regni Sedeciæ dixerat: *Ego confringam arcum Ælam;* Hananias anno quarto Sedeciæ detorsit, dicens: *Hæc dicit Dominus, Contrivi iugum Babylonis*, Ieremiæ 28. 2. Sic hæretici, ait S. Hieron. furantur verba Salvatoris, dum S. Scripturam ad suas hæreses torquent.

Vers. 30. Tria genera pseudoprophetarum. I. Furantur verba Dei.

Secundum eorum, qui assumunt linguas suas, id est, ex suo cerebro et linguam loquuntur, non ex revelatione Dei, ut sequitur. Ita Chald. Hugo, S. Thom. vel, ut Vatabl. et Lyranus vertunt, *qui lenificant linguas suas*, id est, leni, blando, pulchro sermone et promissis illiciunt plebem, ut Hebr. לקח *lachac* ponatur per metathesin pro חלק *chalac*, id est, blanditus est, q. d. Hi melleam sibi fingunt linguam, videntur melliflui, et mella fundere, dicentes, pax, pax, cum non sit pax; ideoque non mel, sed fel et exitium nobis accersunt.

II. Adulantur.

III. Iactant visiones et miracula falsa. Tertium eorum, qui sua somnia pro prophetiis venditant in suis miraculis, id est, verbis mirandis, quibus quasi in exstasi mira, ingentia et incredibilia promittunt. Unde Lyran vertit, *in raptibus*, vel *exstasibus suis;* Chald. *in sua temeritate;* Sept. *in erroribus suis;* Pagn. *in blanditiis suis;* Vatab. *in festinationibus, celebritatibus, levitatibus suis*, quibus temere nunc hoc, nunc illud effutiunt: Hebræum enim פחזות *pachazut* hæc omnia significat.

Tropolog. *furantur verba Dei* doctores et prædicatores, qui sacram Scripturam docent et prædicant ad gloriam, non Dei, sed suam, quique impie vivunt, et populum scandalizant: de quibus Psal. 49. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* Ad quæ verba cum in concione pervenisset Origenes, memor sui lapsus, quo in persecutione timore mortis Præsidi cesserat, et thus adoleverat idolis, repente conticuit, atque tantum ex imo corde gemitum et suspiria edidit, ut omnes astantes ad lacrymas et planctum commoverit. Testis est Epiphan. in hæresi Origenistarum.

Vers. 31. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas.) Id est, qui linguam suam moderantur et dirigunt, ut loquantur ea quæ lubet, quæque grata sunt populo. Nam veri Prophetæ non moderantur linguas suas, sed eas moderatur Dominus, per easque loquitur quæ vult, q. d. Hi prophetæ sunt præcones linguæ suæ et verbi sui: at ego verique Dei Prophetæ sumus præcones linguæ et verbi Dei. Lyranus et Maldon. pro *suas* vertunt, *eorum*, scilicet verorum Prophetarum, q. d. Hi falsi prophetæ fingunt se esse veros Prophetas, eorumque linguas sibi arrogant, dicentes, *Hæc dicit Dominus*, sed mentiuntur: sua enim figmenta, non Dei oracula enuntiant.

Vers. 32. In miraculis suis.) Quæ fingunt et iactant, v. g. se Angelos vidisse, cum Deo collocutos esse, dæmones expulisse, leones cicurasse, infirmos sanasse, etc.

Vers. 33. Quod est onus Domini.) Pro *onus*, hebr. est משא *massa*, quod Aquila vertit, *pondus;* Sept. Sym. et Theodotion λῆμμα, id est, assumptio: ita vocatur prophetia tristis et onerosa, accepta et assumpta a Deo, quæ quasi onus grave peccatoribus incumbit. Unde Arabicus et Syrus vertunt: *Et dicent, Quod est verbum Domini? dic illis, Verbum Domini est, quod eradicabo vos.*

Secundo, S. Hieron. λῆμμα, vertit *donum* et munus q. d. Quid prospera quæritis? indigni estis prophetia bona, id est, Dei donis et muneribus.

Nota: Sic pseudoprophetæ et plebs irridebant Ieremiam et Prophetas minantes supplicia; unde cum eis occurrebant, interrogabant per iocum, *quod est onus Domini*, quod semper nobis occinitis? id est, quid novi mali nobis rursum annuntiatis? quibus iubente Deo respondet Ieremias: *Vos estis onus*, q. d. *Ut quid vobis onus?* ut quid prophetiam minacem instar oneris vobis imponam? vos ipsi enim estis mihi onus grave et importabile, quod proinde decrevi humeris excutere, et plane abiicere. Alii vertunt: *Quod vobis onus?* quibus respondet: Vos ipsi vobis estis onus, æque ac mihi, ideoque vos abiiciam. Iubet ergo Deus, ut hac oneris irrisoria phrasi desuescant, et alia potius utantur, dicentes modeste et humiliter: *Quid respondit Dominus?*

Vos estis onus.) q. d. Vos estis onus et quidem gravissimum, propter peccata vestra: unde amplius Deus non feret tantum onus; sed proiiciet et eiiciet ex terra hac. Interrogationem ipsorum irrisoriam in ipsosmet serio retorquet.

A Notandum: Biblia Plantinana, et alia plura hic habent: *Ut quid onus vobis?* quod sensum habet quem paulo ante dedi. Verum Septuag. et S. Hieron. et Biblia Romana legunt, *vos estis onus;* et ita legunt codices Latini antiquiores, aliquique addunt, *importabile*, ut alludat ad nomen oneris; eiusque ambiguitate Deus ludat, cum nunc prophetiam, nunc eorum intolerabiles mores, vocat *onus*. Unde sequitur: *Proiiciam quippe vos:* onus enim proiicimus, q. d. Exonerabo me vobis. Sic etiam habent Hebræa, si easdem litteras aliter iungas, atque pro את מה משא *et ma massa*, legas אתם המשא *attem hammassa*, id est, vos estis onus: sicque omnino videtur legendum: nam alioqui incongrue articulus את *et* iungitur cum interrogativo מה *ma*, uti norunt Hebraicæ periti. Ita Mald.

Quia onus erit unicuique sermo suus.) q. d. Propter sermonem suum; quia scilicet irrident onus Domini, gravissimas dabunt pœnas; eruntque opprobrium sempiternum; quia licet post 70. annos e captivitate aliqui redibunt, tamen hoc erit quasi alio sæculo; æternum enim hic, uti et alibi, significat longum et immemorabile tempus. Vers. 36.

B Adde, notam huius opprobrii mansisse etiam post reditum; nam infames erant tunc pseudoprophetæ et Iudæi, qui credentes eorum falsæ promissioni et paci, excidium incurrerunt.

Genuinus ergo totius huius loci sensus est hic: Nolite amplius irrisorie interrogare Ieremiam dicendo: *Quod est onus Domini?* vos enim ipsi estis onus Domino grave, illudque aggravatis hac irrisione. Quocirca ego visitabo et puniam severe eum, qui deinceps prophetiam meam vocaverit *onus*. Abstinete ergo hoc ioco et nomine, ac cum de prophetia sciscitari voletis, nolite dicere: *Quod est onus Domini?* sed potius: Quid dixit, iussit aut respondit Dominus? unde subdit v. 36. *Et onus Domini ultra non memorabitur*, q. d. Nolite ultra memorari oneris, et dicere: Quod est onus Domini? *quia* si ultra nominaveritis

C onus, *onus erit unicuique sermo suus*, *sermo*, scilicet usurpans nomen *onus*, q. d. Onus ab ipso nominatum fiet ipsi onus, id est, grave supplicium et tormentum: et, id est, quia, nominando hoc *onus pervertistis*, id est, in iocum, fabulas et nugas detorsistis, *verba Dei viventis*, itaque verba mea apud audientes non tantum odiosa et onerosa, sed et fabulosa et mendacia effecistis et traduxistis.

Moraliter disce hic, peccata, præsertim contemptus et irrisionis Sanctorum et rerum sacrarum, esse onera gravia Deo. Fert enim Deus et tolerat simul et semel continuo omnia omnium hominum scelera. Hæc onera in se suscepit Christus, de quo ait Isaias 53. v. 4. et 6. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Disce ergo exemplo Dei et Christi, illud Apostoli Galat. 5. *Alter alterius onera portate*, ut et Deus onera tua portet.

Tollam vos portans.) q. d. Quia vos ridetis onus Domini, faciam ut vos sitis onus, quod ego tollam et efferam in Babylonem. Alii vertunt, *obliviscar vos tollendo*. Hebr. enim נשיתי *nasciti*, si a נשה *nascia* deducas, significat oblivisci; si a נשא *nasa*, significat tollere, q. d. Quia vos oblivisci noluistis huius verbi *Onus Domini*, uti ego iusseram; hinc ego obliviscar vestri, et quasi onus tollam vos in Babylonem, ibique *derelinquam*, id est, proiiciam a facie mea, ut dixit v. 33. in Hebræo est pulchra paronomasia per metathesin in נשיתי *nasciti*, id est, tollam, et נטשתי *natasti*, id est, derelinquam vos. Vers. 39.

D

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hic tertius liber oraculorum Ieremiæ incipit, qui complectitur prophetata post transmigrationem Iechoniæ, sub Sedecia, per undecim annos. Hoc ergo capite Propheta videt duos corbes, unum ficuum optimarum, secundum pessimarum. Hæ pessimæ significant Sedeciam cum suis, eo quod se Chaldæis, Deo per Ieremiam id iubente, tradere noluisset, perdendum: priores vero ficus optimæ significant, Ioachin cum suis, qui se Chaldæo Dei iussu tradiderant, prospere acturos, tum in Babylone, tum cum inde post septuaginta annos in patriam revertentur. Ita S. Hieron. et Theodor. et patet v. 5. et 8. In Babylone enim Evilmerodach elevavit Ioachin thronum regium supra alios reges, 4. Reg. 25. 28.

Nota. Hæc visio vel corporea fuit, vel potius imaginaria. Ita S. Thom. et Hugo.

1. OSTENDIT mihi Dominus: et ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini, postquam transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam filium Ioakim regem Iuda, et principes eius, et fabrum, et inclusorem, de Ierusalem, et adduxit eos in Babylonem. 2. Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent ficus esse primi temporis: et calathus unus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ. 3. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Ieremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valde; et malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ. 4 Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 5. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Sicut ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum. 6. Et ponam oculos meos super eos ad placandum, et reducam eos in terram hanc: et ædificabo eos, et non destruam: et plantabo eos, et non evellam. 7. Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus; et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum: quia revertentur ad me in toto corde suo. 8. Et sicut ficus pessimæ, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ: hæc dicit Dominus: sic dabo Sedeciam regem Iuda, et principes eius, et reliquos de Ierusalem, qui remanserunt in urbe hac, et qui habitant in terra Ægypti. 9. Et dabo eos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ; in opprobrium, et in parabolam, et in proverbium, et in maledictionem in universis locis ad quæ eieci eos. 10. Et mittam in eis gladium, et famem, et pestem; donec consumantur de terra, quam dedi eis, et patribus eorum.

Vers. 1. Calathos duos ficuum vidit Ieremias, ante templum cur?

DUO CALATHI.) Symmach. *duo cophini;* Vatabl. *duo corbes;* Pagnin. *duo canistri,* qui hebr. vocantur דודאים *dudaim:* quia similes sunt uberibus: *dodim* enim sunt ubera.

POSITI ANTE TEMPLUM DOMINI.) Nota. Hi duo calathi erant ante templum: quia prior continens bonas ficus, significabat, populum Deo et Dei cultui coniunctum, et quasi domesticum, etiam eos qui iussu Dei in Babylonem captivi iverant, præsentes esse Deo, illi esse in oculis et curæ, atque per hanc tribulationem patientiæ fructum dulcem, quasi calore tribulationis decoctum, ac suavem Deo exhibere: calathus alter continens ficus malas, significabat, eos qui Hierosolymis manserant Deo inobedientes, licet templo viciniores in deliciis agerent, Deo invisos esse, et ab eo excindendos ob hanc inobedientiam.

Quæres, cur per ficus intelligantur homines? Respondet S. Aug. serm. 31. de verbis Domini secundum Lucam: Ab eo iam tempore, inquit, quo primus homo post peccatum foliis se ficulneæ texit, humanum genus similitudinis cum ficu induit cognationem. Idcirco et S. Ambros. lib. de Paradiso cap 13. ponderans, quod Adam foliis ficus lumbos succinxit, mystice in posteros eius vestem peccatricem ex arbore ficu transmittendam interpretatur, ut quasi ficu, id est, peccato induti, seu peccatores nascerentur.

Sed cur hæ ficus apparent Prophetæ ante templum? Respondet Anton. Fernandius lib. de Vision. veter. Testam. vis. 12. Rationem litteralem esse, quoniam in atrio templi varia genera fructuum vendebantur, ut populus haberet in promptu quæ offerret Domino, ante quem nemo vacuus apparere poterat, iuxta legem Exodi 23. 15. Magis propria ratio est, quod Iudæi omnem suam gloriam, robur et felicitatem tribuerent templo, quodque Sedecias cum suis nollet se tradere Chaldæis, ne hisce bonis templi se privaret: unde et Iechoniam, qui se cum suis tradiderat Chaldæis, irridebant, quasi extorrem et exsulem a templo, et consequenter a Deo, ut patet Ezech. 11. v. 15. et 16. Quocirca Deus ibidem hoc refellit, promittens se Iechoniæ in Babylone fore in sanctificationem, id est in sanctuarium, sive sanctum templum.

Mystice, significatur malos æque ac bonos præsentes esse Deo, Deumque e suo templo iugiter eos intueri, sed ad dispares eventus et sortes.

INCLUSOREM.) Scilicet gemmarum. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. scilicet, qui auro vel argento gemmas includit. Aliter Vatabl. et Angelomus in 4. Reg. 24. *inclusorem,* inquiunt intellige castrorum, id est, castra metandi, et muniendi, valloque includendi peritum, q. d. Omnes fabros et artifices transtulit Nabuchodonosor, præsertim eos qui civitatem instar castrorum possent munire, suisque vallis includere; ne hi rursum Iudæos, si rebellare vellent, adiuvarent, uti fecerunt Philisthini, 1. Reg. 13. 19.

Vers. 2.

CALATHUS UNUS FICUS BONAS HABEBAT NIMIS.) q. d. Ficus unius calathi quæ bonæ erant, erant optimæ, id est, sapidissimæ; quia maturæ et præcoquæ; ficus vero alterius calathi, quæ erant malæ, erant pessimæ, id est insipidissimæ; quia immaturæ, vel quia agrestes et amaræ, vel quia æstu contractæ, vel quia vento percussæ aridæ erant et exsuccæ, vel quia corrosæ a vermibus, ut nauseam moverent, etc. Hoc ficuum discrimen agnovit Propheta, tum ex ficuum forma et specie, tum ex indicio Domini, qui forte easdem quoque ei gustandas dedit. Proprie enim bonitas vel malitia ficuum sapore et gustu discernitur. Nec obstat, quod ait: *Quid tu vides? Et dixi: Ficus, ficus bonas.* Tὸ enim *vides* non excludit gustatum: tum quia visus sæpe generaliter sumitur pro quovis sensu; tum quia τὸ *vides* tantum significat, hasce ficus Prophetæ obiectas fuisse, non reipsa, sed per visionem et imaginationem, in qua partim eas videre, partim gustare sibi videbatur Propheta. Prior calathus transmigrantium felicitatem, alter remanentium cladem significabat, uti iam dixi. Sic Homerus dicit, Iovem habere duo dolia, unum fellis et infelicitatis, secundum mellis et felicitatis; et nunc ex hoc, nunc ex illo hominibus propinare; citat hunc Homeri locum Plutarch. ad Apollonium.

Ficus bona erat Ioachin cum suis obediens Deo: mala erat Sedecias cum suis inobediens Deo, in cruce et captivitate suscipienda Deus habet duo dolia; unum fellis, alterum mellis.

Nota catachresin, *bonæ,* id est, dulces et melleæ. Apposite vereque Transalpinus quidam veniens in Italiam,

cum numquam ante ficus recentes vidisset, ut primum inter alios fructus eas gustavit, bursas melle plenas indigitavit. Vere Passeratius in ficu :

Ficus habet lactis nivei, rutilique saporem
Mellis, et ambrosiæ similes cum nectare succos.

Tropol. Ficus bonæ sunt iusti et electi, malæ sunt impii et reprobi.

Tropol. quidam apud S. Hier. et Glossa: Duo hi calathi, sunt duæ civitates, una Dei, altera diaboli; secundo, sunt Christiani et Iudæi; tertio, sunt electi et reprobi, sive gehenna et cælum; quarto, ut Lyranus, sunt Religiosi boni et mali, hi enim sunt quasi in templo Domini, et terrestri paradiso Dei, ut ait B. Petrus Damiani serm. de S. Nicolao, ut ficus et fructus cælestes proferant offerantque Deo. Hinc recte ait S. Aug. epist. 137. tom. 2. *Sicut non inveni meliores iis qui in monasterio profecerunt, sic nec deteriores iis qui in monasterio defecerunt.* Ita Pelagius, Eutyches, Nestorius, Iovinianus, Lutherus, Bucerus, Petr. Martyr. fuerunt monachi; sed apostatantes facti sunt hæresiarchæ. Simile de Atheniensibus, apud quos vigebat sapientia et probitas, dixit Plutarch. in Vita Dionis: *Eos aut esse optimos aut pessimos*, additque; *Sicut Attica præstantissimum mel, sic et exitiale venenum progignit.* Notandum est, quod scribit Columella lib. 3. ficus, quæ non maturescunt nec dulcescunt, ex arbore excutiendas esse, ne arbor depravetur aut exarescat; ita a Religione excutiendi sunt, qui genuinum eius spiritum non sugunt, calorem devotionis eius non hauriunt, ut in perfectione maturescant, et dulcescant: alioqui enim hi cæteros inficient, et Religioni ingens vel detrimentum vel exitium afferent. Hoc maxime in Novitiis servandum est, a quibus quasi a radice pendet Religionis vel profectus, vel defectus: in iis ergo vel admittendis, vel repellendis magnus adhibendus est delectus, magna cura, uti dicere solebat B. Teresia. Hi deinde maxime exercendi sunt in studio tum mortificationis, tum orationis, ut semper cogitent se versari in Religione quasi in templo, imo quasi in cælo quodam terreno (ut ait Climachus) in præsentia Dei et Angelorum. Hoc est quod aureo suo documento docuit S. Petrus, uti refert S. Clemens epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini: *Instruebat* (Petrus, ait Clemens) *actus suæ vitæ omni hora custodire, et in omni loco Deum respicere; firmiter scire cogitationes malas cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere.* Rursum aptissime et propriisime ficus optimæ sunt, qui se cum Christo disciplinæ et cruci a Deo immissæ sponte subdunt; pessimæ sunt, qui disciplinam et crucem abnuunt et excutiunt.

Ut solent ficus esse primi temporis.) Non veris: ver enim non dat maturas ficus. Ficus ergo *primi temporis* sunt, quas primo maturas profert et dat arbor, et aura, puta æstas; quæ præcoquæ dicuntur, suntque dulcissimæ, quia primogenitæ, in quas suum succum et vires profundit arbor; ita ut quasi senescens et effœta serotinas ficus det languidas, insipidas, et imperfectas, ut hic in Italia cernimus et gustamus.

Pro quo Nota: Duplices sunt ficus: aliæ enim sunt, quæ dant fructus semel in anno, scilicet in Septembri, tuncque proprium est ficuum tempus; aliæ eos dant bis quotannis, scilicet primos in Iunio, serotinos in Septembri. Omnis enim ficus dans fructus in Iunio, est bifera; dat enim secundos in Septembri: sed priores Iunii longe meliores sunt posterioribus in Septembri, et hæ vocantur præcoquæ, et primi temporis. Aliæ ficus, quæ tantum dant fructus in Septembri, priores pariter fructus dant meliores postremis. Ratio est, quia ficus cum sit ca-

A lida, calorem solis exigit: unde quo calidior est sol, uti initio Septembris, eo meliores sunt ficus: declinante vero sole in Octobri, minus bonæ sunt ficus, quia minore Solis ardore coquuntur. Denique sicut fœtus animalium primi posterioribus tam specie, quam robore, indole et pretio antecellunt, sic ficus primæ æstatis posterioribus Septembris toto genere præstant, et specie, et magnitudine, et novitate, et sapore vel reali, vel apprehenso ob longam et avidam sui exspectationem; unde et maiori sunt in pretio, plurisque veneunt.

Porro apposite iustus comparatur ficui bonæ. Primo, sicut ficus fructus fert dulces, ita et iustus. Secundo, sicut ficus parum crescit in altitudine, ita iustus est humilis. Tertio, ficus pro floribus reddit fructus, bisque in anno dat fructus, scilicet ficus præcoquas et ficus maturas: ita iustus totus est in fructu bonorum operum. Quarto, ficus amplis foliis umbram facit : ita iustus sua charitate alios iuvat et protegit. Quinto, ficus alteri arbori inseri nequit, ob eximiam suam dulcedinem quam deserere

Sex analogiæ ficus et iusti.

B nequit: ita iustus in nullo homine, sed in solo Deo recumbit. Sexto, ficus decorticata arescit, et fructum non reddit: sic iustus nisi tegatur conversatione honesta, fructum cum proximis non faciet. Ita Noster Salmeron tom. 7. tr. 21.

Denique a ficu potius quam a pyro, pomo, etc. visio hæc desumpta est, quia in Iudæa crebræ sunt ficus, eiusque felicitas erat *sedere sub vite et ficu sua* , uti sæpe ait Script. Et aliqui putant ficus in Palæstina esse primos anni fructus. Sed hoc falsum esse Romæ intellexi ex Palæstinis, qui Hierosolymis nati sunt: asseruerunt enim, ibidem ante ficus produci pruna, pepones, cucumeres, etc.

Cognoscam in bonum.) Favebo, benefaciam, tamquam bonos conservabo et tuebor eos, qui meo iussu transmigrarunt in Babylonem. Sic non tantum Ioachin evexit Deus in Babylone, sed et Danielem et socios regnis præfecit, aliosque Iudæos pace et bonis ditavit, Ieremiæ 29. 4. Vide hic quid faciat obedientia, etiam impiis, qualis Vers. 5.

C fuit Ioachin et Iudæi.

Et ponam oculos meos super eos ad placandum.) Ut eis me placatum et benignum exhibeam : hebr. est, *respiciam eos in bonum.*

Ædificabo eos.) Stabiles eis sedes dabo, primo, in Ierusalem; secundo, in Ecclesia Christi; tertio, in Ierusalem cælesti. Assurgit enim ad Ecclesiam: unde subdit, *Erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum.* Vers. 6.

Qui habitant in terra Ægypti.) Qui metu Chaldæorum e Iudæa, contra monita Ieremiæ, fugerunt in Ægyptum, non post mortem Godoliæ, et captivitatem Sedeciæ, sed ante sub Ioachin: hi enim, æque ut Iudæi manentes Hierosolymæ, a Chaldæis vastati sunt. Vers. 8.

Dabo eos in vexationem.) Chald. *dabo eos in commotionem;* Septuag. *dabo eos in dispersionem*, q. d. Dispergam eos per omnia regna ut tanta clade Iudæorum omnes gentes metu concutiantur. Vers. 9.

Et in parabolam, in comparationem, ut cum quem volent dicere miserum, dicant: *et* Miserior est Iudæo: et

D in proverbium.) Id est, in fabulam, ut omnes de Iudæorum calamitate loquantur et fabulentur. Sept. vertunt, *in odium et in maledictionem;* ut scilicet homines cum volent male precari alicui, dicant : Contingat illi id, quod contigit Sedeciæ regi Iuda, eiusque familiæ et asseclis. Plaga Sedeciæ tangat te. Sis frater et socius Sedeciæ. Ita Vatabl. et patet Ieremiæ 29. 22.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Iudæos, et omnes gentes servituras Babyloniis per septuaginta annos, post quos Babylon evertetur, unde v. 15. propinat eis omnibus calicem iræ Dei. Deinde v. 30. Deum quasi leonem in eos rugientem inducit, quo fiet ut tanta pastorum populique sit strages, ut mortui non plangantur, nec mandentur sepulturæ.

1. VERBUM, quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iuda, in anno quarto Ioakim filii Iosiæ regis Iuda (ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis.) 2. Quod locutus est Ieremias propheta ad omnem populum Iuda, et ad universos habitatores Ierusalem, dicens: 3. A tertio decimo anno Iosiæ filii Ammon regis Iuda usque ad diem hanc; iste tertius et vigesimum annus; factum est verbum Domini ad me, et locutus sum ad vos de nocte consurgens, et loquens: et non audistis. 4. Et misit Dominus ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculo, mittensque: et non audistis, neque inclinastis aures vestras, ut audiretis, 5. Cum diceret: Revertimini unusquisque a via sua mala, et a pessimis cogitationibus vestris: et habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, et patribus vestris, a sæculo et usque in sæculum. 6. Et nolite ire post deos alienos, ut serviatis eis, adoretisque eos: neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, et non affligam vos. 7. Et non audistis me, dicit Dominus, ut me ad iracundiam provocaretis in operibus manuum vestrarum, in malum vestrum. 8. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Pro eo quod non audistis verba mea: 9. Ecce ego mittam, et assumam universas cognationes Aquilonis, ait Dominus, et Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum: et adducam eos super terram istam, et super habitatores eius, et super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt: et interficiam eos, et ponam eos in stuporem et in sibilum, et in solitudines sempiternas. 10. Perdamque ex eis vocem gaudii, et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ, vocem molæ, et lumen lucernæ. 11. Et erit universa terra hæc in solitudinem, et in stuporem: et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. 12. Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, et super terram Chaldæorum: et ponam illam in solitudines sempiternas. 13. Et adducam super terram illam omnia verba mea, quæ locutus sum contra eam, omne quod scriptum est in libro isto, quæcumque prophetavit Ieremias adversum omnes gentes: 14. Quia servierunt eis, cum essent gentes multæ, et reges magni: et reddam eis secundum opera eorum, et secundum facta manuum suarum. 15. Quia sic dicit Dominus exercituum Deus Israel: Sume calicem vini furoris huius de manu mea: et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. 16. Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. 17. Et accepi calicem de manu Domini, et propinavi cunctis gentibus ad quas misit me Dominus: 18. Ierusalem, et civitatibus Iuda, et regibus eius, et principibus eius: ut darem eos in solitudinem, et in stuporem, et in sibilum, et in maledictionem, sicut est dies ista: 19. Pharaoni regi Ægypti, et servis eius, et principibus eius, et omni populo eius, 20. Et universis generaliter: cunctis regibus terræ Ausitidis, et cunctis regibus terræ Philisthiim, et Ascaloni, et Gazæ, et Accaron, et reliquiis Azoti, 21. Et Idumææ, et Moab, et filiis Ammon: 22. Et cunctis regibus Tyri, et universis regibus Sidonis: et regibus terræ insularum, qui sunt trans mare: 23. Et Dedan, et Theman, et Buz, et universis qui attonsi sunt in comam: 24. Et cunctis regibus Arabiæ, et cunctis regibus Occidentis, qui habitant in deserto: 25. Et cunctis regibus Zambri, et cunctis regibus Ælam, et cunctis regibus Medorum: 26. Cunctis quoque regibus Aquilonis de prope et de longe, unicuique contra fratrem suum: et omnibus regnis terræ, quæ super faciem eius sunt: et rex Sesach bibet post eos; 27. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Bibite, et inebriamini, et vomite: et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos. 28. Cumque noluerint accipere calicem de manu tua ut bibant, dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis: 29. Quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis? non eritis immunes; gladium enim ego voco super omnes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum. 30. Et tu prophetabis ad eos omnia verba hæc, et dices ad illos: Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum: celeusma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ. 31. Pervenit sonitus usque ad extrema terræ: quia iudicium Domino cum gentibus: iudicatur ipse cum omni carne, impios tradidi gladio, dicit Dominus. 32. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce afflictio egredietur de gente in gentem: et turbo magnus egredietur a summitatibus terræ. 33. Et erunt interfecti Domini in die illa a summo terræ usque ad summum eius: non plangentur, et non colligentur, neque sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ iacebunt. 34. Ululate, pastores, et clamate: et aspergite vos cinere, optimates gregis: quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini; et dissipationes vestræ, et cadetis quasi vasa pretiosa. 35. Et peribit fuga a pastoribus, et salvatio ab optimatibus gregis. 36. Vox clamoris pastorum, et ululatus optimatum gregis: quia vastavit Dominus pascua eorum. 37. Et conticuerunt arva pacis a facie iræ furoris Domini. 38. Dereliquit quasi leo umbraculum suum, quia facta est terra eorum in desolationem a facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini.

Vers. 3. TERTIO DECIMO ANNO IOSIÆ.) Illo enim cœpit prophetare Ieremias: inde ad hunc annum quartum Ioakim fluxerant iam 23. anni.

LOCUTUS SUM AD VOS DE NOCTE CONSURGENS.) Pro *de nocte*, Hebr. Chald. et Septuag. habent *mane*, seu *diluculo*, q. d. Tempestive, summa cura, diligentia et sollicitudine, quovis tempore, etiam si opus esset noctu, non destiti vos quasi bonus pastor monere et urgere.

IN OPERIBUS MANUUM VESTRARUM.) In idolis: hæc enim sunt opera quæ fecistis, et conflastis manibus vestris. Vers. 6.

ECCE EGO MITTAM ET ASSUMAM UNIVERSAS COGNATIONES AQUILONIS.) *Cognationes*, id est, tribus et populos, habitantes ad Aquilonem respectu Iudææ, puta, Chaldæos eorumque vicinos et subditos. Populi enim vicini invicem cognati sunt: descendunt enim ab eodem patriarcha aut ab eius fratre, qui in divisione gentium in Babel, Vers. 7.

vicinam fratri regionem elegit et incoluit. Perinde ac etiamnum vicinæ gentes facile connubia et cognationes contrahunt. Porro in τῷ *mittam* Dionys. intelligit angelos malos; S. Hieron. angelos bonos, qui suscitent Aquilonares Chaldæos ad excidium impiæ Iudææ. Verum simplicius hæc iungas, q. d. Mittam cognationes Aquilonis, easque assumam mihi in milites, ut vindictam meam in Iudæos peragant.

NABUCHODONOSOR SERVUM MEUM.) Vocat eum *servum*, id est, lictorem et executorem iustæ suæ vindictæ. Perperam ergo hinc infert Calvinus, Deum esse auctorem operum malorum, v. g. tyrannidis: sic enim peccati esset auctor. Serviunt ergo Deo tyranni, omnesque malæ voluntates: quia eorum tyrannide et malitia (quam non Deus, sed ipsi ponunt) iam posita et prævisa Deus utitur, eamque ordinat ad iustam aliorum impiorum castigationem, uti docet S. August. S. Thom. et passim Theologi.

Omnes malæ voluntates serviunt Deo.

Moraliter disce hic, nos tradi tyrannis et malis regibus ac Prælatis ob nostra peccata. Hoc est enim quod ait Iob 34. 30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Et Isaias cap. 3. v. 4. *Dabo pueros principes eorum, et effœminati dominabuntur eis.* Audi duo illustria exempla quæ refert Anastas. Nicenus in Quæst. S. Scrip. quæst. 15. *Cum Phocas*, inquit, *Imperator per Bonosum lictorem eas faceret sanguinis effusiones; quidam monachus sanctus Deo in oratione dixit: Domine, cur eum fecisti Imperatorem? atque vox ad eum venit a Deo, dicens: Quoniam non inveni peiorem. Fuit etiam quædam civitas in Thebaide scelerata, in qua vir quidam perniciosissimus simulate factus est monachus. Accidit ergo ut decederet Episcopus civitatis: cuidam autem viro apparuit Angelus, dicens: Fac ut civitas Episcopum eligat eum peregrinum, qui illic habitat. Abiens ergo fecit quod iussus fuerat. Illo autem iam ob episcopatum intumescente, Angelus dixit ei: Cur superbis, et magnifice tibi places, o infelix? revera non tamquam dignus sacerdotio factus es Episcopus, sed quia hæc civitas tali digna erat Episcopo.*

Tradimur tyrannis ob peccata.

Exempla.

PONAM EOS, ETC. IN SOLITUDINES SEMPITERNAS.) Id est, diuturnas, scilicet per septuaginta annos captivitatis Babylonicæ. Sic sæpe in Script. æternum per hyperbolen significat longum tempus, esto finitum, aut potius finiendum.

Vers 10. PERDAMQUE, etc. VOCEM MOLÆ.) Strepitum molæ et molentium. Solebant enim in Iudæa (uti etiamnum in Africa, et alibi, ubi deest aqua et ventus) esse molæ domesticæ, quas puellæ binæ manibus vertebant, interimque cantillabant, ut tædium et laborem levarent: hinc ait Christus Matth. 24. 41. *Erunt duæ molentes in mola: una assumetur, et una relinquetur.* Vox ergo *molæ*, est hic puellarum molentium cantus, q. d. Non erunt qui vel quæ molant frumenta, et inter molendum cantitent, uti antea solebant.

ET LUMEN LUCERNÆ.) Lucernarum usus erat in conviviis nuptiis et festis: item in officinis magnarum urbium ad operandum aut vendendum suas merces vespere, q. d. Auferam omne gaudium conviviorum, nuptiarum, festorum, operarum et mercium a Ierusalem, eamque evertam.

Probabiliter Sanchez hæc omnia refert ad nuptialem plausum et lætitiam: illam enim hic assumi quasi typum et exemplar ingentis gaudii. In nuptiis ergo erant hæc quatuor. Primo, vox et cantus sponsi et sponsæ, quasi epithalamium, ut patet ex Cantic. Secundo, erant lucernæ, id est, faces et tædæ, quæ sponsis, eorumque assectis (noctu enim celebrabantur nuptiæ) prælucerent. Tertio, erat vox gaudii et lætitiæ, puta vox musicorum, et ore, et testudine, violis, aliisque instrumentis miro concentu concinentium. Quarto, erat vox molæ, id est, cantus puellarum molentium, et ex farina molita placentas, aliaque dulciaria pro nuptiali cœna parantium et coquentium. Sic apud Gentiles in nuptiis omnes et omnia personabant Hymenæo plausu. Omnes enim novis sponsis felicia apprecantes inclamabant et ingeminabant: *Veni, o Hymen; veni, o Hymenæe.*

Prior tamen sensus planior et generalior est: unde Apoc. 18. 22. ubi hæc in excidio Babylonis citantur et iterantur, additur: *Et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius.*

ET SERVIENT OMNES GENTES ISTÆ REGI BABYLONIS SEPTUAGINTA ANNIS.) Id est, usque ad annum septuagesimum captivitatis Babylonicæ: quædam enim gentes 50. aliæ 60. aliæ, ut Iudæi (de quibus proprie hic agitur) 70. annis servierunt Chaldæis: de quo plura cap. 27. v. 7. et c. 29. v. 10. Simile est Exodi 12. v. 40. ubi Hebræi dicuntur habitasse in Ægypto 430. annis, non quod omnibus illis annis ibi habitarint; sed quod ibi habitarint usque ad annum 430. computandum scilicet a vocatione et egressu Abrahæ ex Chaldæa in terram Chanaan, Gen. 12. 1. Simile quoque est Iudith 16. 28. ubi Iudith dicitur mansisse in domo viri sui annos 105. id est, usque ad annum ætatis suæ 105. nec enim post mortem viri mansit annos 105. sic enim ipsa dixisset 130. annis. Adde τὸ *omnes* hic non esse in Hebræo. Vers 11.

QUÆCUMQUE PROPHETAVIT IEREMIAS ADVERSUM OMNES GENTES) q. d. Omnia gentium excidia reflectam et convertam in ipsam Babylonem, ut qua mensura mensa est ipsa aliis gentibus, easque vastavit, eadem remetiatur ei. Vers. 13.

QUIA SERVIERUNT EIS.) Scilicet Chaldæis, quos nominavit vers. 12. q. d. Quia Chaldæi superbe sibi servire fecerunt Iudæos, et alias gentes, ac reges multos et potentes; hinc iuste eos puniam, ut et ipsi Chaldæi serviant aliis, scilicet Persis, sicque reddam eis talionem. Vers. 14.

Aliter explicat S. Hieron. q. d. Gentes et reges vicinos evertam; quia servierunt Chaldæis pugnando contra Iudæos, aut, ut Sanchez, quia subegerunt et servire sibi fecerunt populum Dei, puta Iudæos.

Tertio, Chald. et Vatabl. sic vertunt, *servierunt*, id est, servient, scilicet Chaldæi, *eis*, scilicet gentibus quæ sunt multæ, et habent reges magnos, scilicet Medis et Persis.

SUME CALICEM.) Notat Hugo et S. Thom. Ieremiæ in visionem ostensum et oblatum fuisse a Deo calicem vini, qui significabat iustam mensuram vindictæ et suppliciorum, quibus Deus per Chaldæos quasi vino inebriaturus erat impios Iudæos et Gentes, ut pene ad insaniam vi doloris adigerentur; hunc vicissim ipsismet Chaldæis similiter per visionem propinat, id est prædicit et comminatur Ieremias. Ita Theodor. Hugo, S. Thomas et alii. Idque quia ipsi quasi ebrii vino erroris et scelerum, impegerunt et collapsi sunt in hanc irati Dei manum. Sic calix sumitur Psalm. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx eius non est exinanita.* Et Isaiæ 51. 17. *Usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces;* unde calicem hunc mox Ieremias vocat *gladium*, cum subdit: *Insanient a facie gladii.* Alludit ad symposiarcham, sive modimperatorem, qui convivii præfectus erat, et cuique suum calicem admetiebatur et temperabat: talis enim modimperator in mundo est Deus, de quo plura alibi. Addit Sanchez, calicem hunc esse eum, qui damnatis ad mortem dabatur, ut fortius eam ferrent: ideoque significare mortem?

Vers 15. Calix est iusta mensura vindictæ Dei.

Unde?

Hinc secundo, Sanchez censet hæc non per visionem, sed reipsa peracta esse a Ieremia, ideoque eum, instar Habacuc, Daniel. 14. ab Angelo traductum esse per provincias hasce omnes cum calice divini furoris pleno: aut potius eum iis, qui ex singulis hisce gentibus Hierosolymam ventitabant, præsertim in festo Paschæ, Pentecostes, aut Tabernaculorum, calicem hunc propinasse, ut cum in suas singuli sedes remigrarent, docerent cives suos, quid ad nationes illas in mandatis a Deo habuerit Ieremias. Hæc sententia probabilis est; prior tamen uti communior, ita facilior est et planior. Difficile enim est concipere, quomodo tot tamque remotæ gentes Hierosolymam uno eodemque tempore confluxerint. Deinde, quia id quod sequitur: *Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii*, plane significat hæc omnia non reipsa, sed symbolice esse peracta. Nec enim reipsa gentes biberunt calicem a Ieremia acceptum, moxque turbatæ sunt, et

insanierunt a facie gladii; nec enim calix est gladius, aut gladium parit. Calix ergo hic, uti et eius haustus, sive potatio, imaginarius fuit, non realis; videbatur enim Ieremias sibi videre, quod calicem acciperet a Deo, eumque Dei iussu propinaret Gentibus: eumque illæ cum recusarent, invitas coegit eum bibere et haurire; eo hausto mox turbatæ sunt, et quasi ebrii cœperunt stringere gladios contra sese invicem, seque mutuo pugnis et præliis conficere. Quod nihil aliud fuit, quam iusto Dei iudicio et vindicta exortas esse inter eos lites et rixas, quæ in mutuas cædes eruperunt. Secus est de catenis cap. 27. v. 2. has enim reipsa misit Ieremias ad gentes, uti ibi patebit.

Vers 18. IERUSALEM.) A Ierusalem plaga Dei incipit; tum quia illa cognoscens et colens Deum, plus cæteris gentibus peccavit; tum quia cæteris statuitur in exemplum, ut ex ea suam quisque plagam metiatur, similemque exspectet. Hoc est quod ait Deus v. 29. *Quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis?* Hinc huc alludens S. Petrus epist. 1. cap. 4. v. 17. ait: *Tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei.*

UT DAREM, id est, prædicerem et prophetarem dandos fore EOS IN SOLITUDINEM, etc.) Sic c. 1. 10. audivit a Deo: *Ecce constitui te hodie super Gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, etc.* id est, ut prædicas et prophetes eas evellendas et destruendas.

SICUT EST DIES ISTA.) Sicut erit, sicut mox demonstrabit dies excidii imminens. Ita Lyran. et Maldon. Secundo, S. Hieron. Raban. Hugo, et Vatabl. censent hæc verba addita esse, quando post excidium urbis Ieremias suas prophetias, olim editas, in unum volumen redegit. Verum idipsum fecisse videtur Ieremias hoc anno quarto Ioakim, non autem capta urbe. Resp. ergo, *sicut est*, id est, sicut iam esse incipit dies ista vastitatis; nam hoc anno quarto Ioakim cum suis captus est; cœpit ergo hoc anno prophetia hæc impleri, perfecte vero impleta est anno ultimo Sedeciæ. Ita Theodor. Hugo, Vatabl. et Sanchez.

Vers 20. UNIVERSIS GENERALITER.) Hebraice כל הערב *col haereb*, id est omnibus promiscue, vel omni mistioni, id est, Iudæis et exteris, qui fugerant et miscuerant se Ægyptiis.

AUSITIDIS) Hebr. Chald. Septuag. *terræ Hus*, quæ est regio Arabiæ et Idumææ, aut certe ei confinis, ubi habitavit Iob cap. 1. 1. Nominat hic Propheta omnes regiones vastandas a Chaldæis.

ET RELIQUIIS AZOTI.) Id est, urbi Geth quæ vicina et confinis est Azoto. Ita S. Hieron. Secundo, alii, *reliquiis*, inquiunt, id est, iis qui reliqui erunt a clade Azoti facta per Sennacherib, Isaiæ 20. 1. vel per Pharaonem Nechao, cum occidit Iosiam 4. Reg. 23. vers. 29.

Tertio et optime, a Castro censet *reliquias* hic vocari urbes et vicos Azoto vicinos, et subiectos uti Gazaram 1. Machab. 14. 34. Cherethæos et alios. Similis phrasis est cap. 47. v. 5. et Amos 1. 8.

Vers. 22. ET CUNCTIS REGIBUS TYRI.) Unus erat rex Tyri uti et Sidonis; hic tamen *reges* vocantur in plurali; quia ad posteros eius hæc clades pertinuit. Duravit enim hæc Chaldæorum vastitas et dominatus per 70. annos, uti dicitur v. 11. *Tyrus et Sidon*, ait S. Hieron. *in Phœnices littore principes civitates, quæ et ipsæ Babylonio superveniente superatæ sunt, quarum Carthago colonia. Unde et Pœni sermone corrupti quasi Phœni appellantur; quorum lingua Hebrææ linguæ magna ex parte confinis est.*

REGIBUS TERRÆ INSULARUM, QUI SUNT TRANS MARE.) Id est, regibus insularum, ad quas eunti necesse est mare transire; quia sitæ sunt in medio mari Mediterraneo, uti sunt Cyprus, Rhodus, et aliæ insulæ, quas cepit Nabuchodonosor. Ita S. Hieron. Rabanus, Hugo et Vatabl. Secundo, insulæ et insulani in Scrip. vocantur quævis remotæ gentes; tales enim esse insulanos æstimabant Iudæi, utpote navium et rei nauticæ inexperti. Ita Sanchez.

Vers 23. DEDAN, ET THEMA, ET BUZ.) Hæ gentes, ait S. Hieron. sunt in solitudine, vicinæ et mistæ Saracenis sive Arabibus. Sunt hæ regiones Agarenorum, de quibus uti et de Ælam, cap. 49. *Et universis qui attonsi sunt in comam*, de quibus dixi c. 9. in fine.

ZAMBRI ET ÆLAM.) Regiones sunt Persidis, aut solitudinis, id est, Arabiæ Desertæ, inquit S. Hieron.

UNICUIQUE CONTRA FRATREM SUUM.) Supple, ait S. Hier. Vers. 26.
dedi, et ex me tu, o Ieremia, propinabis et dabis hunc calicem, et meracam potionem iræ et vindictæ meæ, ut omnes furant, vomant, insaniant, ut scilicet unus contra alium pugnet, et mutuis inter se præliis dimicent, seque invicem conficiant, quasi ebrii et insani. Alludit ad convivia, ubi in orbem bibitur, donec omnes inebrientur, q. d. Pari modo hic unus alteri porriget calicem iræ meæ, unus alterum invadet, vastabit, occidet.

Quæres, cur Deus has omnes gentes Iudæis vicinas iussit excidi? Respondet primo Theodor. quia Iudæis fuerunt causa vel occasio idololatriæ, ad eamque illos vel suasu suo, vel exemplo pellexerunt. Secundo, Lyranus causam dat, ut earum clade Deus subtraheret Iudæis spem ad eas recurrendi, earumque opem contra Chaldæos aliosque hostes implorandi. Tertio S. Hieron. Raban. Hugo et Dionys. Quia, inquiunt, hæ gentes in Iudæorum clade et excidio gavisæ sunt, imo in eo Chaldæos adiuverunt: hanc enim causam dat in sequentibus Ieremias. Quarto, Sanchez; Quia, inquit, hæ gentes populum Dei vexarunt, illumque sibi servire coegerunt.

Hæ rationes partiales sunt certarum gentium, non universales omnium quæ hic nominantur. Reges enim Medorum, insularum, Tyri, Sidonis, etc. non fuerunt hostes, sed potius amici et confœderati Iudæorum. Quinto, ergo generatim et adæquate causa excidii harum omnium gentium fuit, quod Deus impleta iam mensura peccatorum earumdem, more suo voluerit et decreverit eas punire et exscindere. Hoc est quod ait v. 30. *Dominus de excelso rugiet*, quasi iudicium universale orbis peragens: *celeusma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ. Quia iudicium Domino cum gentibus: iudicatur ipse cum omni carne, impios tradidi gladio, dicit Dominus.* Hac de causa voluit Deus transferre monarchiam Assyriorum, eamque tradere Chaldæis. Ut enim Chaldæi se facerent monarchas omnesque gentes sibi subderent, necessum erat ut eas bello appeterent et protererent. Sic postea cum rursum impleta esset mensura peccatorum orbis, puta post duo sæcula, suscitavit Græcos et Alexandrum, et post hos Romanos, ac deinde Gothos, Wandalos, Alanos, Turcas, etc. qui vindictam universalem peragerent, orbemque quasi purgarent et expiarent. Fuerunt ergo ipsi quasi lustratores orbis: unde a Ieremia vocantur milites et sacerdotes Dei; ab Isaia virga Dei, sicut Attila dicebat se esse flagellum Dei.

REX SESACH BIBET POST EOS.) *Rex Sesach* non est rex Ægypti, uti censuit Lyran. ex eo, quod Sesach fuerit proprium nomen alicuius Regis Ægypti, ut patet 3. Reg. 14. 25. et 2. Paral. 12. 2. nam id huic loco non congruit. Pharao enim quem vicit Nabuchodonosor, non *Sesach*, sed Vafres est dictus. Non etiam est *rex Æthiopiæ*, ut vertit Arabicus Antiochenus: nemo enim alius ita vertit. *Rex* ergo *Sesach* est rex Babylonis, ut patet c. 51. 41. qui ultimus bibit calicem iræ Dei. Ita S. Hier. Chald. Theod. Raban. Hugo, S. Thom. Vatabl. *Sesach* ergo est Babylon, Sesach est Babel per alphabetariam commutationem.
idque ex eo quod Sesach erat vel urbs potentissima Babylonis, vel dea Babylonis; vel potius, ut S. Hier. et Hebræi, ex eo quod Sesach idem est quod Babel per alphabetariam revolutionem, quam Hebræi אתבש *atbas* vocant, qua ultimas litteras cum primis retrogrado ordine commutant, scilicet in *Babel* beth, secundam initialem alphabeti commutant cum scin, secunda finali; et caph, undecimam initialem, commutant cum lamed, undecima finali. (Ridet hoc Scaliger lib. 6. Emend. temp. aitque *atbas* esse commentum ineptissimorum Rabbinorum. Sesach ergo esse nomen deæ. Verum S. Hieronymo, et priscis Rabbinis, quos sequitur S. Hieronymus, magis credendum est quam uni moderno Scaligero.) Idque facit Ieremias; quia, ut ait S. Hieronym. occulte hæc et obscure loqui volebat ob metum Chaldæorum iam dominantium, ne, si aperte Babylonem nominasset, dixissetque eam va- Idque ob tres causas. 1.

standam esse, eorum iam Iudææ imminentium magis contra eam, æque ac contra se concitaret insaniam. Verum satis aperte Propheta v. 12. et aliis prophetat excidium Babylonis. Potius ergo cum a Castro dixerim, *regem Sesach* hic vocari regem Babylonis per anagrammatismum iam dictum, ex eo quod hic rex post omnes alios erat puniendus. Illi ergo quasi postremo puniendo, postremas alphabeti litteras eleganter adaptat. Secundo, id facit, ut
2. hac confusione litterarum significet confusionem rerum
3. futuram in Babylone. Tertio, Hebr. ששך *sceseiach*, id est
byssus tua, significat regem bysso et purpura splendidum, his exuendum esse, et ad infima deiiciendum. Unde Syrus et Arab. Alexand. vertunt, *rex maximus*. Rursum S. Hier. in Nomin. Hebr. ex Ieremia: *Sesach*, inquit, *est byssus saxeus, sive manus sacci*, corrige, *Sesach est byssus sacceus, sive manus sacci*. שק *Sak* enim Hebr. est saccus non saxum, imo, το *sac* ab Hebræis in omnes pene linguas transiit, æque ac קרן *keren*, id est, cornu. Hoc etymon huic loco apte congruit, q. d. O Babylon, voco te Sesach, id est byssum sacci, sive byssum et saccum: quia tua byssus et purpura regalis commutabitur in saccum lugubrem et servilem, quando te Cyrus capiet et vastabit. Denique *Sesach* verti potest, *senarius tuus*. שש *Sces* enim hebr. sunt *sex*. Unde שושן *scioseian* et שושנה *sciosciauna* vocatur lilium, a sex foliis. Ita Pagnin, q. d. Appropinquat, o Babylon, Sesach, id est senarius tuus, hoc est finis tuus, ruina tua et exitium. Senarius enim symbolum est consummationis et finis rei; quia sex diebus primis mundi Deus consummavit et finivit opus creationis universi, et sex diebus decurrit ad finem tota hebdomada, ac consequenter omnia tempora; ac sexto annorum millenario finiente finietur et mundi cursus, uti passim Patres asserunt. Unde et Christus feria sexta, horaque sexta crucifigi morique voluit. Insuper alludit ad *Susa* regiam Persarum, q. d. Sesach transibit in Susa, id est finis imperii Babylonis transibit in initium monarchiæ Persarum, qui imperabunt in Susa. Susa enim dicta est non a Suso fluvio, uti aliqui volunt, sed ab Hebræo, Chaldæo et Persico *susan*, id est lilium; quod eo loci liliorum ingens sit copia. Ita Athen. lib. 12. Stephanus libr. de Urbibus et alii. Hinc et oleum Susinum confectum ex liliis, de quo Plinius lib. 13. c. 1. qui et lib. 6. cap. 27. tradit Susa urbem conditam fuisse a Dario filio Hystaspis. Ibi fuit regia Cyri lapide candido et vario, columnis aureis, et lacunaribus gemmisque distincta, cæli continens simulacrum, stellis micantibus insignitum et incredibilia multa. Ibi Assuerus convivium maximis divitiis et deliciis copiosum celebravit, Esther 1. Ad hæc Sesach, id est byssus tua, transibit in Susa id est in lilium, puta et Babylonii in Persidem et Persas: Babylonii enim opulenti erant et splendidi bysso, Ezech. 23. v. 6. Persarum insigne erat lilium, uti modo est Francorum.

Simili modo Iulius Cæsar, cum quid secreti scribere vellet, litteras commutabat, primam scilicet pro quarta supponendo: unde pro A scribebat D, quæ quarta est ab A. Et Augustus, pro A scribebat B, pro B scribebat C, et ita consequenter: testis est Sveton. et Isidor. lib. 1. Etymol. c. 15.

Porro anagrammatismum hunc Græcos et Latinos mutuatos esse ab Hebræis, docent veteres et moderni. Isaacius Tzetzes in prol. ad Lycophr. refert Lycophronem poetam vetustum et elegantem litteras hebraicas percalluisse, et inde anagrammatismos suos fecisse, ideoque eum Ptolemæo Philadelpho non tam ob poesin, quam ob hosce anagrammatismos charum fuisse, a quo ille dicebatur per anagramma:

Πτολεμαιος Ptolemæus,

Απο μελιτος A melle, melleus.

Plato in Cratylo, ηρα, ait, id est Iuno, idem est quod αηρ aer, per anagramma: aerem enim nomine Iunonis, Gentiles ut Deam venerati sunt. Eusthathius in Homer. Iliad. α v. 53. anagrammata hæc celebrat, multaque dat exempla, e quibus accipe pauca, Ατλας Atlas, ταλας, miser, θυμος animus, μυθος verbum, οχλος turba, λοχος cohors, αρετη virtus, ερατη amabilis, φλυαρος nugæ, φλαυρος vilis. Sic Latinus poeta ludit per anagramma in voce *Roma*, quasi sit *mora*;

Cur varios tamdiu remoratur Roma clientes?
Forte quod inverso nomine Roma mora est.

Melius alter per perfectum *atbas*, *Roma*, inquit, est *amor*: unde versus totus anagrammaticus, totusque *atbas*:

Roma tibi subito motibus ibit amor.

Ut patebit, si quis retrograde eum legat. Denique artificium hoc anagrammatum ab Hebræis ad Græcos et Latinos transmissum fuisse, docet Guil. Blancus Albiensis l. de Anagrammatismis.

INEBRIAMINI.) Ebrietas ista significat mentis ex metu et miseriis perculsæ perturbationem, stuporem, consilii inopiam, desperationem, et pene amentiam; in qua omnia sua bona omnemque felicitatem, honorem et gaudium, imo sanguinem, animam et vitam erant evomituri: Unde calicem hunc et ebrietatem mox vocat *gladium*, dicens; *Neque surgatis a facie gladii*: quia sicut ebrius sui impos ruit et cadit in terram: sic et vos sæviente gladio Chaldæorum ruetis in interitum et mortem perpetuam. Vers. 27 Ebrietas suppliciorum quæ?

DOMINUS DE EXCELSO RUGIET.) q. d. Sicut leo rugitu suo omnes terret, ita Deus quasi rugiet excidii sententiam ferens et exsequens contra Ierusalem, facietque Chaldæos quasi Leones rugire et vociferari, ac invicem animare ad eam invadendam, sicque terrebit omnes gentes vicinas. Nota: Per *decorem* intelligit vel Ierusalem, ut Chald. vel templum, ut passim alii interpretes exponunt: quia ibi vera fide, religione, sacrisque victimis colebatur, et quasi decorabatur Deus. Vers. 30

CELEUSMA.) Proprie est clamor, non lugubris, ut vult S. Hier. sed lætus, scilicet iubilus nautarum et militum ad remigandum et præliandum, et in Script. calcantium uvas ad mustum exprimendum, communi omnium annisu et voce invicem se adhortantium, cum scilicet uno aliquid iubente omnes uniformiter respondent, quasi invicem iubentes et excitantes ad commune omnium opus: dicitur enim *celeusma* απο του κελευω, id est iubeo, q. d. Nabuchodonosor et Chaldæi quasi communi celeusmate se invicem adhortabuntur ad cladem, conculcationem et eversionem Iudæorum, ut eos trucident et sanguinem exprimant, instar eorum qui calcant et exprimunt uvas in torculari. Hi enim collecta vindemia solent tripudiare et canticis testari lætitiam. Unde Virgilius: Celeusma est iubilus nautarum, militum, etc.

Iam canit extremos effœtus vinitor antes.

OMNES HABITATORES TERRÆ.) Scilicet Iudææ, vel illius quæ hic vastanda a Deo decernitur. Ita Vatabl.

PERVENIT, perveniet tunc ad omnes gentes, SONITUS.) Chald. *tumultus*; Sept. *interitus*; alii, *strepitus armorum* et clangor tubarum: alii, *fama et rumor belli*, ut scilicet omnes gentes rumorem, pariter et clamorem hostium Chaldæorum audient et sentiunt. Vers. 31.

Locus hic allegorice competit apte extremo iudicio, quando Christus Angelos mittet cum tuba per totum orbem. Ita S. Hieron.

IUDICATUR, disceptat, et iudicium subit Deus, CUM OMNI CARNE.) Id est cum omni homine, scilicet sistens se iudicio omnium hominum, ut omnes homines examinantes peccata gentium, et pœnam a Deo inflictam, iudicent Deum iuste tantam eis pœnam inflixisse ob tanta peccata. De hoc iudicio Dei vide Isaiam c. 1. 18. et c. 43. 44.

TURBO MAGNUS EGREDIETUR.) Hoc factum est, ait S. Hieron. cum Nabuchodonosor omnes in circuitu gentes et summa, id est extrema terræ, quasi turbo subito et potenter suis armis involvit et vastavit. Vers. 32

ET ERUNT INTERFECTI DOMINI.) A Domino per Chaldæos. Vers. 33.

IN STERQUILINIUM.) Supple, insepulti proiicientur, ibique iacebunt, ut a canibus et feris devorentur.

ULULATE PASTORES.) Chald. *ululate*, *reges* et principes.

ET DISSIPATIONES VESTRÆ.) Supple et repete, *completæ sunt*, q. d. Nunc plane dissipabimini, et cadetis quasi vasa pretiosa, quæ cadendo diffringuntur, dissiliunt et dissipantur. Ego enim vos hactenus, quasi vasa pretiosa, Vers. 34.

manu mea continui et conservavi; nunc vero sinam vos cadere, frangi et dissipari, ut sicut fuistis vasa in honorem, sic nunc sitis vasa in contumeliam.

Vers 35. PERIBIT FUGA, non poterunt fugere PASTORES.) Id est principes et optimates

Vers 36. VOX CLAMORIS.) Audietur.

Vers. 37. CONTICUERUNT, quasi mœsta et desolata iacent et tacent, ac nullos dant fructus ARVA PACIS.) Id est antea pacifica, atque in pace cultissima, amœnissima et uberrima quasi Tempe, et Paradisi deliciarum.

Vers 38. DERELIQUIT.) Scilicet Deus, templum habitaculum suum quod ut leo, quasi latibulum suum ante tuebatur, ut nemo auderet illud aggredi; sed Deo quasi illud derelinquente, et egresso, Chaldæi ingressi sunt illud, atque vastarunt. Ita S. Hieron. Raban. Hugo, Lyran. Aliter Vatabl. Sicut leo, inquit, esuriens, nec habens prædam, latibulum egreditur; ita Deus prædam, sive escam suam, id est sancta sacrificia et pietatem ac iustitiam, non reperiens in templo illud deseruit. Aliter quoque alii, q. d. Sicut leo deserit speluncam suam, cum sylva, ubi est, succenditur ac vastatur: ita Deus vastata Iudæa, deseret Ierusalem et templum, in quo habitat. Huic sensui apte respondet id quod sequitur: *Quia facta est terra in desolationem.* Sed iuxta primum sensum τὸ *quia*, more Hebræo non causam sed signum concomitans, aut etiam effectum significat. Hic enim vocatur causa, non a priori, sed quasi a posteriori, quoad nos, quæ scilicet nos eam scire et cognoscere facit, q. d. Ex eo quod terra desolata est, scimus et cognoscimus clare quod Deus eam dereliquerit. Porro Sanchez per leonem accipit non Deum, sed reges et principes vastandos a Chaldæis, q. d. Principum, qui videbantur esse terribiles quasi leones, regna et regiones sic incendent et populabuntur Chaldæi, ut nullus eis sit reliquus ad effugium locum. Sed sic potius dixisset, *dereliquerunt*, non *dereliquit*.

A FACIE IRÆ COLUMBÆ) Lyranus nimis credulus R. Salomoni, pro columba vertit, *vinositatem*, q. d. *A vino furoris Domini.* Sic et Chald. *a facie gladii inimici, qui inebriat sicut vinum;* sed hebr. est יונה *iona* non יין *iain*, id est vinum.

Secundo, Pagnin. et Vatabl. vertunt, *a facie iræ oppressoris.* Sed tum יונה *ione* dicendum esset, non יונה *iona*. Septuag. non verba, sed sensum reddunt, vertuntque, *a facie gladii magni.*

Noster ergo et alii optime propriissimeque vertunt, *a facie iræ columbæ*, hebr. היונה *haiona*, id est, illius columbæ, scilicet insignis et celebratæ.

Quæres, Quænam est hæc columba? Respondet S. Hieron. et D. Thom. posse accipi Ierusalem, q. d. Terra Iudaica coram Ierusalem vastata est, ideoque irata est, et infremuit ipsa Ierusalem, utpote metropolis. Sed τὸ *a faciæ iræ*, significat iram activam et vastantem, non passivam, et vastitatem patientem.

Columba vocatur exercitus Chaldæorum, quia columbam gestabant in vexillis.

Secundo, Maldon. censet, Deum vocari *columbam*, eo quod sit mansuetissimus, et tamen multitudine peccatorum irritatus sit, et provocatus ad vindictam. Verum Ieremias hic distinguit iram columbæ, ab ira furoris Domini; ait enim: *A facie iræ columbæ, et a facie iræ furoris Domini.*

Tertio et genuine, idem S. Hieron. S. Thom. Pierius, Guevara, Capella, Castrius, Maldon. et alii, per columbam accipiunt Nabuchodonosorem et Chaldæos; idque primo, ob celeritatem et perennem constantemque volatum ad prædam et cædem. Columba enim

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Secundo, ut Hugo et S. Thom. per antiphrasin columba hic significat feritatem Chaldæorum. Tertio, quia Deus eos e Babylone, quasi e columbario, emisit ad quærendum cibum in Iudæam, quasi in alienam segetem. Addit Sanchez, leonem fuisse insigne et stemma Iudæ et Iudæorum, Genes. 49. 9. et de eo hic dici vers. 38. *Dereliquit quasi leo umbraculum suum*; huic opponi columbam (ut quasi duellet cum leone) quæ erat insigne Chaldæorum, q. d. Dimicabunt et duellabunt leo et columba, puta Iudæi et Chaldæi; at columba vincet et proteret leonem, puta Chaldæi proterent Iudæos; fugiet ergo leo, derelinquetque terram a facie iræ columbæ, cuius impetum sustinere non poterit; quia nimirum in columba et per columbam pugnabit Dominus, Dominique furor. Unde subdit: *Et a facie iræ furoris Domini.* Unde vers. 9. Deus Nabuchodonosorem vocavit servum suum. Quarto, quia columbas albas uti Persæ ob lepræ odium detestabantur, ita Babylonii et Syri easdem pro numine colebant: testis est Xenophon in Cyro Iuniore, et Lucianus in dea Syria. Syri dico, maxime illi qui Palæstinam incolebant; unde Tibullus:

Babylonii et Syri albas columbas colebant quasi numina.

Quid referam ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

Multis id probat Anton. Guevara in Habacuc I. n. 154. itaque explicat illud Psalm. 67. 14. *Si dormiatis inter medios cleros*, id est, inter sortes et terminos hostium vestrorum Philisthinorum, eritis *sicut pennæ columbæ deargentatæ*, id est, eritis candidi, intacti et illæsi, instar columbæ albæ, cuius *posteriora* sunt *in pallore auri*, id est, aureis maculis sunt variegata, q. d. Esto cingamini Palæstinis hostibus, iis tamen timori et religioni eritis, non secus atque alba columba, quam nemo audet tangere.

Spiritus sanctus quasi columba descendit in Christum.

Hinc etiam Spiritus sanctus, præter alias causas, in baptismo Christi specie columbæ in Palæstina descendit; quia hæc species ibi erat augustissima. Sed unde hoc? Græci putant eos coluisse columbam, in honorem Rheæ, quæ pluviis præsidet: ῥέω enim est fluo. Putabant enim Assyrii, ex aere et aqua proprie rerum naturam constare; hinc pro aqua pisces, verbi gratia Dagon; pro aere, ex quo pluvia descendit, columbam æream coluisse creduntur.

Semiramidem coluerunt in columba. Cur?

Planius Diodorus Siculus, et alii putant eos coluisse columbam, in honorem Semiramidis reginæ Assyriorum; aut potius eos Semiramidem coluisse sub effigie columbæ, eo quod, ut scribit Gnidius, fama esset eam a columbis enutritam (et inde dicta est semiramis, quæ vox syriace avem significat) et post mortem in columbam esse conversam. Fictum hoc videtur vel assentationis causa, vel ut notat Pierius, ob eius libidinem, quæ tanta fuit, ut filii concubitum expetierit, qua de causa ab eo occisa est. Columba enim ita libidinosa est, ut singulis mensibus pariat. Hinc veteres Veneri dicabant columbas albas, quas proinde Æneas apud Poetam maternas appellat aves. Hinc ergo Babylonii in vexillis et labaris columbam præferebant, et inde exercitus eorum dicitur columba, tum hic, tum cap. 46. vers. 13. iuncto cum vers. 16. et c. 50. vers. 15. 16. De columba plura habet Pierius hieroglyph. 22. et Guevara supra.

C. Marius aquilam in vexilla Romana induxit.

Sic a facie aquilæ, idem est quod a facie Cyri, qui sibi præferri iussit insigne aquilæ, quod postea imitati sunt alii reges Persarum. Sic et aquila sola in aciem Romanorum inducta est a C. Mario, ait Plinius lib. 10. 4. nam antea Romani in vexillis lupi, minotauri, equi et apri imagines mistim præferebant. Sic Constantinus in labaro signum crucis castris prætulit, teste S. Ambros. epis. 29. Hinc patet hanc sententiam de columbæ insigni in vexillis Chaldæorum tot auctoribus veteribus et modernis subnixam, non carere fundamento, uti autumant nonnulli.

Mystice columba est Deus.

Mystice S. Gregor. lib. 32. Moral. 6. Columba, inquit, est Deus, quia simplex est, æquabilis, mansuetus, immutabilis, et cum irascitur, punitque Iudæos per Chaldæos, ira non perturbatur. Et D. Thomas, Deus ait, qui per patientiam hactenus fuit columba, iam erit leo, ob vehementiam vindictæ; unde Maldon. et aliqui alii, per columbam hic ad litteram intelligunt Deum. Quæ expositio non est improbabilis.

ET A FACIE IRÆ FURORIS (id est, iræ furibundæ, et actu furentis, id est sævientis) DOMINI.) Copula *et* significat, *id est*, q. d. *A facie iræ columbæ, id est a facie iræ furoris Domini:* quia furor columbæ est furor Domini. Aut, q. d. *A facie iræ columbæ, aut potius a facie iræ furoris Domini.* Nec enim columba mitis tantas volvit iras in pectore; Dei ergo furor volens punire scelera Iudæorum, has iras columbæ, id est, Chaldæis, indidit. Ita Sanchez. Vers. 37.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias, qui in templo prophetat eius excidium, capitur, et mortis reus agitur, sed ab Ahicam eripitur.

1. In principio regni Ioakim filii Iosiæ regis Iuda, factum est verbum istud a Domino, dicens: 2. Hæc dicit
Dominus: Sta in atrio domus Domini, et loqueris ad omnes civitates Iuda, de quibus veniunt ut adorent
in domo Domini, universos sermones, quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos: noli subtrahere verbum,
3. Si forte audiant et convertantur unusquisque a via sua mala: et pœniteat me mali, quod cogito facere eis pro-
pter malitiam studiorum eorum. 4. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, ut ambuletis in
lege mea, quam dedi vobis, 5. Ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de
nocte consurgens, et dirigens, et non audistis: 6. Dabo domum istam sicut Silo, et urbem hanc dabo in male-
dictionem cunctis gentibus terræ. 7. Et audierunt sacerdotes, et prophetæ, et omnis populus, Ieremiam loquen-
tem verba hæc in domo Domini. 8. Cumque complesset Ieremias, loquens omnia quæ præceperat ei Dominus ut
loqueretur ad universum populum, apprehenderunt eum sacerdotes, et prophetæ, et omnis populus, dicens: Mor-
te moriatur. 9. Quare prophetavit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc: et urbs ista desolabi-
tur, eo quod non sit habitator? Et congregatus est omnis populus adversus Ieremiam in domo Domini. 10. Et
audierunt principes Iuda verba hæc: et ascenderunt de domo regis in domum Domini, et sederunt in introitu por-
tæ domus Domini novæ. 11. Et locuti sunt sacerdotes et prophetæ ad principes, et ad omnem populum, dicen-
tes: Iudicium mortis est viro huic: quia prophetavit adversus civitatem istam, sicut audistis auribus vestris. 12.
Et ait Ieremias ad omnes principes, et ad universum populum, dicens: Dominus misit me, ut prophetarem ad
domum istam, et ad civitatem hanc, omnia verba quæ audistis. 13. Nunc ergo bonas facite vias vestras, et stu-
dia vestra, et audite vocem Domini Dei vestri: et pœnitebit Dominum mali, quod locutus est adversum vos. 14.
Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite mihi quod bonum et rectum est in oculis vestris: 15. Verumta-
men scitote et cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, et contra
civitatem istam, et habitatores eius; in veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris
omnia verba hæc. 16. Et dixerunt principes, et omnis populus, ad sacerdotes, et ad prophetas: Non est viro huic
iudicium mortis: quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos. 17, Surrexerunt ergo viri de senioribus
terræ: et dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes: 18. Michæas de Morasthi fuit propheta in diebus Eze-
chiæ regis Iuda, et ait ad omnem populum Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Sion quasi ager arabi-
tur: et Ierusalem in acervum lapidum erit: et mons domus in excelsa sylvarum. 19. Numquid morte condemna-
vit eum Ezechias rex Iuda, et omnis Iuda? numquid non timuerunt Dominum, et deprecati sunt faciem Domi-
ni: et pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversum eos? Itaque nos facimus malum grande contra ani-
mas nostras. 20. Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini, Urias filius Semei de Cariathiarim: et propheta-
vit adversus civitatem istam, et adversus terram hanc, iuxta omnia verba Ieremiæ. 21. Et audivit rex Ioakim,
et omnes potentes, et principes eius, verba hæc, et quæsivit rex interficere eum. Et audivit Urias, et timuit,
fugitque et ingressus est Ægyptum. 22. Et misit rex Ioakim viros in Ægyptum, Elnathan filium Achobor, et vi-
ros cum eo in Ægyptum. 23. Et eduxerunt Uriam de Ægypto: et adduxerunt eum ad regem Ioakim, et percus-
sit eum gladio: et proiecit cadaver eius in sepulcris vulgi ignobilis. 24. Igitur manus Ahicam filii Saphan fuit
cum Ieremia, ut non traderetur in manus populi, et interficerent eum.

Vers. 2. **Ad omnes civitates.**) Ad viros omnium civitatum Iuda, qui veniunt Ierusalem ad templum, ut ibi Deum adorent et colant.

Vers. 3. **Et pœniteat me mali.**) Ut revocem sententiam de malo, et vindicta eis irroganda latam: vide c. 18. 8.

Vers. 5. **De nocte consurgens.**) Tempestive et vigilanter, quasi qui nocte consurgit. Est catachresis: vide dicta cap. 23. v. 3. et 4.

Vers. 6. **Dabo domum istam sicut Silo.**) Evertam templum sicut everti Silo, ubi prius erat arca, de quo dixi c. 7. 12.

Vers. 8. **Apprehenderunt eum** (Ieremiam) **sacerdotes et prophetæ.**) *Prophetas* vocat Scribas et legis doctores. Ita Chald. et Vatabl. Fuit hic Ieremias typus Christi, qui pariter a Scribis accusatus est, quasi destructor templi eiusdem, ait Theod. atque similiter clamarunt Iudæi contra Christum, *Sanguis eius super nos*, uti hic Ieremias eis intentat v. 15.

Ieremias typus Christi a Iudæis accusati quod esset destructor templi.

Quare prophetavit in nomine Domini?) Quare finxit Ieremias se prophetare in nomine Domini? cur suis figmentis et somniis prætexit nomen et oraculum Domini?

Vers. 9 **Eo quod non sit**, id est, ita ut non sit, **habitator.**

Vers. 10 **Portæ**, etc. **novæ.**) Chald. portæ Orientalis quæ nove a Ioatham fuerat ædificata, 4. Reg. 15. v. 35. Habuit hæc porta alia nomina septem, quæ recenset a Castro.

A Ibi, ait S. Hieron. exercebantur iudicia, ac proinde ibi acta est hæc causa Ieremiæ.

Iudicium mortis est viro huic.) q. d. Ieremias reus est mortis, et in iudicio a iudicibus morti adiudicandus est, quasi blasphemus et pseudopropheta; quia prophetat excidium sancti templi et urbis. Vers. 11.

Dominus misit me.) Nota prudentiam Ieremiæ, Confessori et Martyri imitandam, ut dicat, se Dei fidem et legem sequi; secundo, charitatem, cum hortatur ad pœnitentiam, ut per eam excidium evadant; tertio, humilitatem, cum ait: *In manibus vestris sum;* quarto, fortitudinem et libertatem, cum ait, Deum ulturum suam necem; quinto, securitatem bonæ conscientiæ, qua nixus Deo non timet mortem. Vers 12.

Quinque virtutes Ieremiæ Martyri imitandæ.

B **Ad domum.**) De domo Dei, sive templo.

Ad civitatem.) De civitate; sic enim sæpe capitur Hebr. אֶל *el*, id est *ad*, pro *de*.

Facite, inquit, **mihi quod bonum est in oculis vestris.**) Ita S. Martinus, teste Sulpitio, rogatus a latrone, an non timeret? constanter respondit: *Numquam fui tam securus, quia scio misericordiam Domini in tentationibus affore: magis vero tibi condoleo, qui Christi misericordia, utpote latrocinia exercens, es indignus.* Pari modo Ieremias. Vers. 14.

S. Martini coram latrone securitas et libertas.

Si occideritis me, inquit, **sanguinem innocentem** Vers. 15.

TRADETIS CONTRA VOSMETIPSOS.) Id est, in vestram perniciem. Sanguis enim meus contra vos et contra Ierusalem clamabit, ultionemque reposcet a Deo, ut sanguis Abel contra Cain.

Vers. 16. NON EST VIRO HUIC IUDICIUM MORTIS.) Non est reus mortis.

Vers. 18. MICHÆAS.) Vide Michææ 3. 12.

SION (id est Ierusalem vastata et desolata) QUASI AGER ARABITUR, id est, ita desolabitur, ut fiat arabilis, ut arari possit, ET MONS DOMUS Domini, puta mons Moria in quo erat templum, erit IN EXCELSA SYLVARUM.) Ita deseretur, ut sylvescat, et dumetis arboribusque repleatur instar sylvæ. Arias Montanus, et ex eo Castrius censent in τῳ *arabitur*, alludi ad veterum ritum, qui dum urbem a se expugnatam funditus evertere vellent, in illa ducebant aratrum, de quo Horat. l. 1. ode 16.

Imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Et Isidor. l. 15. cap. 1. ait: *Urbs aratro conditur, aratro vertitur.* Verum Hebræi urbes hostiles non arabant, sed sale seminabant, cum eas funditus delere vellent, ut patet Iudic. 9. 45. Prior ergo sensus est simplicior et verior. Sic Ovidius epist. 1. Heroid. canit:

Iam seges est, ubi Troia fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Vers. 20. FUIT QUOQUE URIAS.) q. d. Si occidamus Ieremiam, faciemus scelus simile illi, quo nuper a Ioakim rege cæsus est Urias verus Dei Propheta, ob quod rex et proceres omnium odium et invidiam incurrerunt. Ita Theodor. Hugo, S. Thom. Lyran. et Sanchez. Sed hi coguntur nonnulla supplere, et textui coniectando addere. Unde secundo, simplicius Vatabl. Lyranus, Dionys. Prado et a Castro, censent post seniorum sententiam dictam pro causa Ieremiæ, hic oppositum diei suffragium: quare hæc sacerdotum illorum sunt verba, qui Ieremiam accusarunt; unde exemplum hoc, exemplo Michææ a senioribus allato contrarium afferunt; scilicet Uriæ Prophetæ punitionem et cædem a Ioakim iam tum regnante patratam, ut probent Ieremiam pariter esse occidendum. Videtur enim hic esse quasi consultatio, ubi varii varias dicunt sententias, quisque suam; unde dissidium hoc tandem solvit Ahicam, liberando Ieremiam.

ET AUDIVIT REX IOAKIM) Anno primo regni sui sub eius initium; nam hæc contigerunt, anno eodem primo Ioakim, ut patet v. 1. cum iam cæsus esset Urias. Vers. 21.

ET MISIT REX IOAKIM VIROS IN ÆGYPTUM.) Qui cum consensu Pharaonis (cuius amicus et tributarius erat Ioakim, ex Ægypto reducerent Uriam in Iudæam, ut morte mulctaretur; sine consensu Pharaonis enim nemo ausus fuisset vim Uriæ in Ægypto afferre, eumque cogere ad reditum. Vers. 22.

IN SEPULCRIS VULGI.) Nota: Viri insignes et Prophetæ propria habebant sepulcra, cum titulis cuique debitis; sed pauperes et peregrini in communi agro, in valle Cedron ad hoc coempto, sepeliebantur in polyandrio, sive publico ossario, 4. Reg. 23. v. 6. Sic Urias ad ignominiam inter pauperes vulgumque sepultus est. Vers. 23. Sepulchra nobilium erant propria; vulgi, communia.

Mirum quid, et pene incredibile, de Uriæ huius filio narrat Epistola nuper in biblioth. Sardiniæ reperta S. Athanasii Episcopi Cæsaraugustani, qui a S. Iacobo Apostolo in Hispaniis conversus fuit ad Christum; et Vita B. Petri primi Braccarensis Episcopi (qui pariter discipulus fuit S. Iacobi) quam scripsit Caledonius, qui Braccarensem Ecclesiam quasi Episcopus rexit an. Dom. 260. uti refert Hugo Portugalensis Episcopus an. Dom. 1100. in Epistola quam recitat Franc. Bivarius in comment. ad Chronicon L. Dextri anno Christi 37. n. 7. Nimirum Uriam hunc genuisse filium Prophetam, qui Samuel iunior, vel Malachias senior, ob morum gravitatem et vultus pulchritudinem sit appellatus, ac post vastatam a Nabuchodonosore Hierosolymam, ad eodem cum aliis aliarum tribuum Iudæis missus sit in Hispaniam, ibique vixerit viginti annos, ac deinde obierit. Hunc enim asserit post annos 627. quibus in sepulcro mortuus delituit, fuisse resuscitatum ad vitam a S. Iacobo Apostolo, cum is Hispaniam adiit, atque ab eodem fidei Christianæ mysteriis instructum, Petrumque nuncupatum, missum Braccaram; ubi Ecclesiam Braccarensem fundavit, et Apostolico spiritu instituit, ac tandem gloriosum obiit martyrium. Fides sit penes auctores iam citatos.

MANUS AHICAM.) Patrocinium et auxilium Ahicam (qui magnus fuit apud Iosiam 4. Reg. 22. v. 12.) liberavit Ieremiam, quasi fratrem iniuste morti addictum; unde hebraice *Ahicam*, significat *frater resurgentis.* Vers. 24. Ahicam, id est, frater resurgentis, liberat Ieremiam.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias vinculorum et catenarum ostento, et missione ad gentes et reges vicinos, prædicit et iubet regi Edom, Moab, Tyri, Sidonis, et Sedeciæ regi Iuda, ut se dedant Nabuchodonosori, si se et sua salva esse velint: Deum enim decrevisse omnes hasce regiones tradere potestati Chaldæorum. Quocirca particulares prophetiæ contra hosce reges et gentes, quæ ponuntur cap. 48. et cap. 49. hoc tempore a Ieremia editæ, et ad reges hosce transmissæ videntur, ut patet cap 49. v. 34. Inde v. 9. monet ne credant falsis prophetis pacem et prospera promittentibus, sed sciant vasa reliqua in templo, domo regia, totaque urbe a Chaldæis in Babylonem esse transferenda.

1. In principio regni Ioakim filii Iosiæ regis Iuda, factum est verbum istud ad Ieremiam a Domino, dicens: 2. Hæc dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula, et catenas: et pones eas in collo tuo. 3. Et mittas eas ad regem Edom, et ad regem Moab, et ad regem filiorum Ammon, et ad regem Tyri, et ad regem Sidonis; in manu nuntiorum, qui venerunt Ierusalem ad Sedeciam regem Iuda. 4. Et præcipies eis ut ad dominos suos loquantur: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Hæc dicetis ad dominos vestros: 5. Ego feci terram, et homines, et iumenta, quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, et in brachio meo extento: et dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. 6. Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei: insuper et bestias agri dedi ei ut serviant illi. 7. Et servient ei omnes gentes, et filio eius, et filio filii eius: donec veniat tempus terræ eius et ipsius: et servient ei gentes multæ, et reges magni. 8. Gens autem et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, et quicumque non curvaverit collum suum sub iugo regis Babylonis: in gladio, et in fame, et in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu eius. 9. Vos ergo nolite audire prophetas vestros, et divinos, et somniatores, et augures, et maleficos, qui dicunt vobis: Non servietis regi Babylonis. 10. Quia mendacium prophetant vobis: ut longe vos faciant de terra vestra, et eiiciant vos, et pereatis. 11. Porro gens quæ subiecerit cervicem suam sub iugo regis Ba-

bylonis, et servierit ei: dimittam eam in terra sua, dicit Dominus: et colet eam: et habitabit in ea. 12. Et ad Sedeciam regem Iuda locutus sum secundum omnia verba hæc, dicens: Subiicite colla vestra sub iugo regis Babylonis, et servite ei, et populo eius, et vivetis. 13. Quare moriemini tu et populus tuus gladio, et fame, et peste, sicut locutus est Dominus ad gentem, quæ servire noluerit regi Babylonis? 14. Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis: quia mendacium ipsi loquuntur vobis. 15. Quia non misi eos, ait Dominus: et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter: ut eiiciant vos, et pereatis tam vos, quam prophetæ, qui vaticinantur vobis. 16. Et ad sacerdotes, et ad populum istum locutus sum, dicens: Hæc dicit Dominus: Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis, dicentes: Ecce vasa Domini revertentur de Babylone nunc cito, mendacium enim prophetant vobis. 17. Nolite ergo audire eos, sed servite regi Babylonis, ut vivatis: quare datur hæc civitas in solitudinem? 18. Et si prophetæ sunt, est verbum Domini in eis; occurrant Domino exercituum, ut non veniant vasa, quæ derelicta fuerant in domo Domini, et in domo regis Iuda, et in Ierusalem, in Babylonem. 19. Quia hæc dicit Dominus exercituum ad columnas, et ad mare, et ad bases, et ad reliqua vasorum, quæ remanserunt in civitate hac: 20. Quæ non tulit Nabuchodonosor rex Babylonis, cum transferret Iechoniam filium Ioakim regem Iuda de Ierusalem in Babylonem, et omnes optimates Iuda, et Ierusalem. 21. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad vasa quæ derelicta sunt in domo Domini, et in domo regis Iuda et Ierusalem: 22. In Babylonem transferentur, et ibi erunt usque ad diem visitationis suæ, dicit Dominus, et afferri faciam ea, et restitui in loco isto.

Vers. 1. IN PRINCIPIO REGNI IOAKIM.) S. Hieron. Raban. Hugo, Maldonat. et Sanchez referunt hunc primum v. ad finem cap. præcedentis; nam quæ mox sequuntur, non sub Ioakim, sed sub Sedecia contigisse patet v. 3. Olim enim Script. non erat distincta per capita, sed postea per ea varie a variis divisa fuit, ut patet ex Oecum. Areta et Euthymio; vide Sixtum Senens. lib. 3. tit. *De partitione methodus quarta*. Verum Septuag. editionis Complut. Chald. Biblia Romana, et alii hinc ordiuntur c. 27. hæcque cum eo recte cohærent, non autem cum fine capitis præcedentis.

Dico ergo, mox ut ab Abicam a morte liberatus est Ieremias, sub initium regni Ioakim, cum regnaret adhuc Nabuchodonosor senior (nam iunior cœpit regnare anno tertio Ioakim) iussisse Deum Ieremiæ, ut gestaret vincula, ut iis ad vivum repræsentaret vincula et captivitatem Iudæorum; sicut Isaias cap. 20. iussus est ambulare nudus, ut repræsentaret expilationem Iudæorum. Deinde sub Sedecia iussus est Ieremias hæc vincula mittere ad reges vicinos, ut patet hic vers. 3. Gestavit ergo Ieremias hæc vincula vel continuo, vel per intervalla, per annos 15. scilicet ab anno 1. Ioakim usque ad annum 4. Sedeciæ. ut patet cap. seq. ver. 1. Ita Hebræi, Lyran. Vatabl. et Castrius. Vide hic quomodo Deus suos Sanctos exercеat: fuit enim hæc Prophetæ longa æque ac molesta et probrosa pœnitentia ac mortificatio.

Gestavit Ieremias catenas per quindecim annos, ut iis portenderet captivitatem Iudæorum.

Vers. 2. DICENS; Hebr. לאמר *lemor*, id est ad dicendum, ut scilicet verbum hoc a Deo acceptum annuntiarem aliis, eisque dicerem: Audite, HÆC DICIT DOMINUS AD ME.) Ut vobis ea prædicem.

VINCULA.) Scilicet funes, quibus iugum collo aut cornibus boum alligatur: hi enim hebr. vocantur מוסרות *moserot*. Ita Ieremias non tantum verbis, sed et rebus ipsis futura prænuntiat, gestans lora quasi bos ad aratrum; et catenas, quasi servus ad furcam damnatus.

ET CATENAS.) Scilicet ligneas, quæ quasi compedes collum stringant, sicut iugum stringit collum bovis aut porci, ne sepes perrumpat; aut sicut servi olim gestabant furcas, quæ erant instar litteræ V. ait Varro; scilicet erant instar trianguli, qui duobus lignis constans, fune vel catena, aut tertio ligno clauditur. Id ita esse patet cap. seq. v. 13. hebr. est. מוט *mot*, id est, ut Chald. et Vatab. iuga, scilicet ut ipse significent, Nabuchodonosorem iugum servitutis omnibus gentibus impositurum, eo quod ipsæ, præsertim Iudæi, suave Dei iugum recusarint, imo excusserint, dixerintque: *Non serviam*, c. 2. 20.

Vers. 3. NUNTIORUM QUI VENERUNT.) Hugo, Lyran. Vatabl. et Maldon. putant hos nuntios missos esse a vicinis regibus, ut Sedeciæ novo regi de regno gratularentur, eumque ad rebellionem incitarent, utque, inito inter se fœdere, Chaldæis adventantibus resisterent, eorumque imperium executerent; itaque liberarentur a tributo quod eis pendebant; quare Ieremias iussu Dei contrarium hic eis iubet et præcipit, ut scilicet Chaldæis se subdant.

A

Vers. 5. ET DEDI EAM.) q. d. Idcirco dabo, vel dare soleo eam cui voluero.

Vers. 6. ITAQUE DEDI OMNES TERRAS ISTAS IN MANU NABUCHODONOSOR.) *Dedi*, id est tradidi, non donavi, sicut res aliena traditur furi aut tyranno. Nec enim Deus hic ius et titulum dedit Nabuchodonosori invadendi Iudæam, aliaque regna, cum ob hanc tyrannidem postea eum punierit et everterit, uti dixi c. 25. v. 12.

ET BESTIAS AGRI DEDI EI.) Per *bestias* intellige barbaras nationes. Ita S. Hier. Theod. Raban. secundo, et potius, proprie accipe bestias: quia, subiecta terra, homines et bestiæ sunt subiectæ. Ita S. Hieron. Raban. Hugo. Alludit ad Nabuchodonosorem, quasi leonem, cui omnes bestiæ se subdunt, q. d. Multo ergo magis vos, o homines tali leoni vos subiicite, ni leonis ungues experiri velitis. Non enim vilitas, sed *Dignitas est servum esse potentis*, ait S. Ambros. in c. 1. epist. 1. ad Timoth.

B

Vers 7. ET SERVIENT EI OMNES GENTES, ET FILIO EIUS, ET FILIO FILII EIUS.) Hinc Hebræi, S. Hieron. Raban. S. Thom. Lyran. et Vatabl. non quatuor aut quinque, uti faciunt Berosus, Iosephus et alii; sed tres tantum numerant reges Babylonis, scilicet primus fuit Nabuchodonosor, qui regnavit ab anno 3. Ioakim ad annum 37. post transmigrationem Ioakim, per 45. annos, ut patet 4. Reg. 25. 27. collato cum Daniel. 1. 1. secundus fuit Evilmerodach Nabuchodonosoris filius, qui regnavit per annos 18. ut vult Ioseph, vel 23. uti volunt Hebræi: tertius fuit Balthasar, filius Evilmerodach, qui regnavit annos tres, uti tradunt Hebræi in Seder olam.

Tres reges Chaldæor. qui? Resp. Hebræi; 1. Est Nabuchodonosor senior; 2. Evilmerodach, 3. Balthasar.

Verum alii aliter hos tres reges enumerant, nam Nabuchodonosorem hunc intelligunt seniorem, qui et Nabonassar vel Nabolassar est dictus, quique, teste Iosepho libr. 10. 11. ex Beroso, regnavit 21. annis; hæc enim dicta sunt Ieremiæ, initio regni Ioakim; tunc autem adhuc regnabat hic primus Nabuchodonosor. Nam secundus Nabuchodonosor, prioris huius filius, cœpit regnare anno 3. Ioakim. Hinc ergo senior Nabochodonosor est pater; huius filius est Nabuchodonosor iunior, qui Magnus est dictus, quique evertit Ierusalem, et plurimas gentes, atque regnavit 45. annis: nepos sive filius filii, puta filius Nabuchodonoris Magni, est Evilmerodach, qui et Balthasar est dictus. Nam Evilmerodach eumdem esse cum Balthasar, eumque esse filium Nabuchodonosoris Magni, non nepotem, colligitur ex Baruch 1. 11. vide dicta Daniel. 5. 1.

Melius alii: 1. Est Nabuchodonosor. 2 Iunior. 3. Balsasar sive Evilmerodach.

C

Dices, 2. Paralip. ult. vers. 20. dicitur: *Ut servirent Nabuchodonosori*, scilicet Magno, *et filiis eius*.

Resp. *filiis*, id est posteris, sive uni, sive pluribus; non enim vult eos enumerare sed tantum dicere, quod omnibus eius posteris servient Iudæi.

Nota τὸ *servient ei omnes gentes*, partim inchoate, partim respective accipiendum est. Inchoate, quia cœpit Nabuchodonosor senior vicinas gentes subigere; sed complete omnes, id est plurimas, subegit Nabuchodonosor Magnus, senioris filius. *Servient* ergo, id est servire inci-

Omnes gentes servierunt Nabuchodonosor se-

ptem anni inchoate tantum et respective.

pient; significatur enim actus inchoatus, non completus.

Respective, quia τὸ *servient*, respicit partim patrem, partim filium, et filium filii: quædam enim gentes servierunt Nabuchodonosori seniori, quædam et plures servierunt Nabuchodonosori iuniori sive Magno, et Balsasari.

Donec veniat tempus terræ eius.) Scilicet ultionis; Chaldær. *interitus*: quando scilicet Cyrus terram Chaldæorum puniet et subiget. Ea enim subacta, nullæ gentes amplius servierunt Chaldæis, utpote iam subactis. Quin et Cyrus, uti Iudæis, ita et cæteris gentibus in Babylone captivis, ea devicta, videtur libertatem ad sua redeundi dedisse. Hoc est enim quod promisit Ierem. c. 49. 6. *Post hæc reverti faciam captivos filios Ammon.* Idem de Moab ait c. 48. 47. et de Ælam c. 49. 39. et de Ægyptiis c. 46. 26. Ita Sanchez. c. 25 v. 11.

Servient ei gentes multæ, et reges magni.) Ita Hebr. Chald. Sept. et hoc exigunt sequentia; unde mirum est Symmachum, S. Hieron. in comment. et Vatabl. vertere: *Et subiicient eam* (scilicet Babylonem) *servituti gentes multæ, et reges magni*, scilicet Cyrus et Darius.

Vers. 9. Maleficos.) Vatabl. *veneficos*, scilicet necromanticos, qui ex sanguine et victimis dæmoni immolatis divinant. Ita et Lyran.

Vers. 10. Ut, etc. eiiciant.) Ut causa sint, cur ego vos eiiciam de terra vestra: τὸ *ut* significat eventum et consecutionem, non causam, q. d. Dum vobis persuadent pseudoprophetæ ut resistatis Chaldæis, efficiunt ut illi vos captivos abducant; si enim vos eis dederetis; sinerent vos in terra vestra manere vectigales. Hæc vicinis regibus dicuntur, sequentia Sedeciæ et Iudæis.

Vasa Domini.) Vasa templi Domini, quæ in Babylonem Vers. 16.
cum Ioakim transtulit Nabuchodonosor, anno 3. Ioakim, 4. Reg. 24. 13.

Quare datur?) Cur dabitur, cur destruetur Ierusalem, Vers. 17.
cum facile servari possit, si vos Chaldæo dedatis?

Si prophetæ sunt veri, occurrant.) Scilicet precibus Vers. 18.
suis resistendo, et flectendo Dei iram ad misericordiam, ut non permittat vasa templi reliqua in Babylonem asportari, q. d. Adeo vasa a Chaldæis e templo Dei in Babylonem translata non reducentur, uti pseudoprophetæ falso vaticinantur, ut etiam quæ reliqua sunt in templo, ab eisdem in Babylonem sint trasferenda, uti factum est per Nabuzardan, 4. Reg. 25. 13.

Ad columnas.) Id est de columnis, mari æneo, et ba- Vers. 19.
sibus: hæc enim tria reliqua fuerunt, quæ postea confregit; et cum Sedecia in Babylonem transtulit Nabuchodonosor, 4. Reg. 25. v. 13. et 16.

Ad Vasa.) De vasis. Vide simile c. 26. 12. Sic alibi Vers. 21.
sæpe *ad* sumitur pro *de*, ut Hebr. 1. 7. et c. 4. 13. et alibi.

Usque ad diem visitationis suæ.) Id est, liberatio- Vers. 22.
nis suæ per Cyrum.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hananias pseudopropheta falso prophetat pacem Hierosolymæ: quocirca v. 12. tollit iugum et catenas de collo Ieremiæ, quibus ipse portendebat captivitatem Iudæorum. Quamobrem Deus iubet Ieremiæ, ut pro catenis ligneis ferreas faciat, quibus durius iugum Iudæis esse subeundum significet. Porro v. 15. Ieremias Hananiæ a Deo mortem denuntiat, ac moritur ille eodem anno.

1. Et factum est in anno illo, in principio regni Sedeciæ regis Iuda, in anno quarto, in mense quinto, dixit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon in domo Domini coram sacerdotibus et omni populo, dicens: 2. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Contrivi iugum regis Babylonis. 3. Adhuc duo anni dierum, et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, et transtulit ea in Babylonem. 4. Et Iechoniam filium Ioakim regem Iuda, et omnem transmigrationem Iuda, qui ingressi sunt in Babylonem, ego convertam ad locum istum, ait Dominus: conteram enim iugum regis Babylonis. 5. Et dixit Ieremias propheta ad Hananiam prophetam, in oculis sacerdotum, et in oculis omnis populi, qui stabat in domo Domini: 6. Et ait Ieremias propheta: Amen, sic faciat Dominus: suscitet Dominus verba tua, quæ prophetasti: ut referantur vasa in domum Domini, et omnis transmigratio de Babylone ad locum istum. 7. Verumtamen audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, et in auribus universi populi: 8. Prophetæ, qui fuerunt ante me et ante te ab initio, et prophetaverunt super terras multas, et super regna magna, de prælio, et de afflictione, et de fame. 9 Propheta, qui vaticinatus est pacem: cum venerit verbum eius, scietur propheta, quem misit Dominus in veritate. 10. Et tulit Hananias propheta catenam de collo Ieremiæ prophetæ, et confregit eam. 11. Et ait Hananias in conspectu omnis populi, dicens: Hæc dicit Dominus: Sic confringam iugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium. 12. Et abiit Ieremias propheta in viam suam. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, postquam confregit Hananias propheta catenam de collo Ieremiæ prophetæ, dicens: 13. Vade, et dices Hananiæ: Hæc dicit Dominus: Catenas ligneas contrivisti: et facies pro eis catenas ferreas. 14. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor regi Babylonis, et servient ei: insuper et bestias terræ dedi ei. 15. Et dixit Ieremias propheta ad Hananiam prophetam: Audi Hanania: non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. 16. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam te a facie terræ: hoc anno morieris: adversum enim Dominum locutus es. 17. Et mortuus est Hananias propheta in anno illo, mense septimo.

Vers 1. Et factum est in anno illo, in principio regni Sedeciæ, id est in anno quarto) Dices, Si in principio regni, quomodo anno quarto? Respon. Christoph. a Castro, Sanchez et alii, hæc verba: *Et factum est in anno illo, qui fuit in principio regni Sedeciæ regis Iuda*, pertinere ad caput præcedens: τὸ vero *in anno quarto*, pertinere ad sequentia, et inchoare hoc c. 28. Ab iis enim verbis hoc caput inchoant Sept. S. Hieron. Theodor. Raban. et S. Thomas.

Secundo, Vatabl. et Scaliger in Emend temp. respon- Annus primus Sedeciæ fuit quartus hebdomadis sabbaticæ.
dent, annum quartum hic intelligi, non regni, sed hebdomadis השמיטה *hascemita*, sive sabbati, id est quietis et cessationis terræ, iuxta legem Levit. 25. 4. Initium enim, sive annum primum regni Sedeciæ, fuisse annum quartum hebdomadis sabbaticæ, sive annorum sabbaticorum.

Hæc sententia planior et verior videtur. Addunt ipsi eam plane respondere chronologiæ. Annus enim decimus

quintus, inquiunt, Ezechiæ fuit sabbaticus (licet id neget Torniellus) ut colligitur ex 4. Reg. 18. 13. collato cum 4. Reg. 19. 29. ab illo enim anno 15. usque ad primum Sedeciæ, fluxerunt anni 116. qui si dividantur per septem (septimus enim annus erat sabbaticus) invenies 16. annos sabbaticos, et insuper 4. annos, ita ut annus primus Sedeciæ fuerit annus quartus decimi septimi sabbatici currentis, et consequenter annus quartus Sedeciæ, fuerit annus sabbaticus decimus octavus. Solebant enim Iudæi sua et suorum gesta, et annales consignare per annos sabbaticos et iubilæos, uti Græci per Olympiades; esto Iudæi sub hæc tempora avariores non dimitterent servos liberos, nec servarent ea quæ per legem hoc anno erant præscripta, ut patet c. 34.

Aliter respondent Lyran. et Maldonat. scilicet annum quartum regni Sedeciæ vocari *principium*: quia non erat media pars temporis quo regnavit: regnavit enim undecim annis. Sed hoc est largum principium.

Vers 2. CONTRIVI.) Statui conterere et destruere imperium Chaldæorum. Vide can. 29. ita S. Thomas.

Vers. 3 ADHUC DUO ANNI DIERUM.) Postquam duo anni suis diebus decurrent et complebuntur. Chald. *in fine duorum annorum.* Sic in Script. sæpe dies sumuntur pro tempore; hoc enim metimur per dies, sive parvum sit, sive magnum.

Vers. 6. SUSCITET DOMINUS VERBA TUA.) Faciat ea esse vera q. d. Ego idipsum opto, sed scio non futurum.

Vers. 7. AUDI.) Putant Hugo et Vatabl. Ieremiam initio dubitasse, an Hananias esset verus Dei Propheta, ideoque hic præstolari eius prophetiæ eventum. Melius S. Hieron. Theodor. Raban. censent Ieremiam scivisse Hananiam esse pseudoprophetam, quia sciebat ante 70. annos captivitatem non esse solvendam: falsum ergo esse quod dicebat Hananias, post biennium esse solvendam. Sed propter populum qui ei credebat, iubet Ieremias ut exspectent et videant rei eventum.

Vers. 8 PROPHETÆ, etc. PROPHETAVERUNT, etc. DE PRÆLIO.) q. d. Prophetæ qui adversa, ut bella, famem, etc. denuntiarunt, subinde denuntiarunt ea quæ non evenerunt, eo quod ad ipsorum denuntiationem populus egerit pœnitentiam moresque mutarit: tunc enim Deus, qui pronus est ad miserendum, pariter sententiam suam mutavit et revocavit: Prophetæ vero qui prospera, ut pacem, denuntiant, sicut tu facis, o Hanania, nisi idipsum eveniat, iudicabuntur esse pseudoprophetæ. Licet enim possit Deus etiam hic mutare sententiam, si populus mores mutet, fiatque deterior: tamen id rarum est; quia Deus pronior est ad clementiam, quam ad vindictam, et si ob peccata illam in hanc mutare velit, illud utique per prophetam pariter edicet et prænuntiabit. Ita Vatabl. et Maldon. Eventus ergo contrarius, scilicet bellum et vastitas Hierosolymæ, docebunt, quod tu, o Hanania, sis pseudopropheta, falsoque ei pacem promiseris. Verum hæc expositio multa supplet quæ non sunt in textu, neque satis solida videtur. Nam si homines mores mutent, Deus æque retractat sua promissa ac minas. Unde Noster interpres hic inter prophetiam lætam et tristem non distinguit. Ita enim fecit Heli 1. Reg. 2. *Loquens*, inquit, *locutus sum ut domus tua, et domus patris tui ministrarent in conspectu meo in sempiternum: nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me.* Simile vidimus c. 18. v. 10. Sensus ergo est, q. d. *Prophetæ qui fuerunt ante me, et ante te ab initio, et prophetaverunt*, etc. Subaudi, hoc signo, an veri essent an falsi, agniti et discreti sunt, nimirum: *Propheta, qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum eius scietur Propheta, quem misit Dominus in veritate*, q. d. Omnis prophetia, sive prospera, sive adversa, rerum probatur eventu: unde tua, o Hanania, ex eventu apparebit esse mendax. Ita S. Hieron. et Dionys. Carthus.

CATENAS LIGNEAS CONTRIVISTI, ET FACIES PRO EIS CATENAS FERREAS.) Ieremias accepta iniuria et contumelia ab Hanania tacet, et patiens abit. Unde Deus eum defendit loquens per os Ieremiæ, q. d. O Hanania, tu non vis iugum ligneum, quod ego suadeo, ut scilicet Iudæi sponte dent se Chaldæis, et levem ferant servitutem: hinc facies, id est causa eris, ut fiant catenæ ferreæ; quia enim suades et persuades populo, ut excutiant iugum ligneum, et rebellent; hinc Deus imponet eis iugum ferreum, ut urbs cum templo vastetur, cives occidantur, vel in servitutem iure belli abripiantur. Ita Theodor. et Lyran. Vers. 13.

Ieremias Hananiæ confringenti iugum ligneum minatur ferreum, id est captivitatem 70 annorum et vastitatem Hierosolymæ.

Nota hic modum, quo Deus duros et rebelles Iudæos, qui suave Dei iugum excusserant, compulit ad illud resumendum, nimirum imponendo eis iugum durius, puta ferreum Chaldæorum. Nam, uti docet S. Paulus, duri dure sunt increpandi. Et de his ait Christus: *Compelle intrare.* Pulchre S. Bernard. in Senten. *Venientium*, inquit, *ad cælum quatuor sunt classes. Cælum enim rapiunt pauperes spiritu; mercantur divites; furantur misericordes; compelluntur miseri et afflicti.*

Tropologice, omnis huius vitæ afflictio et mortificatio, est iugum ligneum; qui hoc renuit habebit ferreum in inferno. *Hic ergo ure, hic seca, Domine, ut in futuro parcas*, hoc est quod ait Iob c. 6. 19. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix*, et cap. 20. 24. *Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum.* Qui ergo sapis, subde te Deo, eiusque disciplinæ, iniice pedem tuum in compedes illius. Egregie S. Bernard. epist. ad monachos S. Bertini: *Leve*, inquit, *Salvatoris onus quo crescit amplius, eo portabilius est: portat potius, ut plumæ avem, quam portatur.*

Qui renuit hic disciplinam ligneam, habebit ferream in inferno.

Origenes per compedes ligneas accipiebat corpora aerea dæmonum, quorum molestiam quia pati nolebant animæ nostræ, hinc detrusas esse in corpora hæc crassa, quæ quasi ferrea gravius easdem cruciant. Hic est error iam pridem explosus.

Orig. aiebat iugum ligneum, id est corpora aerea excussisse animas, ideoque accepisse ferreum, id est corpora crassa.

Nota. *Facies*, id est creabis, et accerses tibi tuisque, o Hanania, iugum Babylonis ferreum. Secundo et aptius, *facies*, scilicet tu, o Ieremia, ferreas catenas pro ligneis quas gestasti, quasque contrivit Hananias. Est enim apud Hebræos crebra enallage personæ. Unde Sept. et S. Hier. vertunt: *Faciam pro eis catenas ferreas.* Deus enim per Ieremiam eas faciebat, ipse etiam Ananias easdem faciebat, id est causa erat ut Deus et Ieremias eas facerent. Plane enim verisimile est, Ieremiam iussu Dei reipsa fecisse et gestasse has catenas ferreas, pro ligneis, quas contriverat Hananias, idque ad hoc, ut per eas significaret et repræsentaret tales faciendas et imponendas esse Hananiæ (si superviveret) et Iudæis a Chaldæis.

Ieremias gestavit catenas ferreas.

MITTAM.) Eiiciam te de vita et terra hac in infernum. Ita S. Hieron.

ADVERSUM DOMINUM LOCUTUS ES.) Addunt Hebr. *Locutus es* צרה *tsara*, id est ut Septuag. *apostasiam* et defectionem. Vatablus: *prævaricationem*; Pagninus: *rebellionem*, vel verbum perversum; ut scilicet a verbo Dei a me comminato et proposito recederent Iudæi ad tuas mendaces spes. Vers. 16.

ET MORTUUS EST HANANIAS IN ANNO ILLO MENSE SEPTIMO.) In Septembri, scilicet post bimestre ab hac prædictione, quæ facta est in mense quinto, id est in Iulio, ut patet v. 1. ita Hugo, S. Thom. Lyran. et a Castro. Verum si annum sabbaticum hic accipiamus, uti dixi v. 1. dicendum est mensem hunc septimum fuisse Nisan, sive Martium: annus enim sabbaticus incipiebat a Septembri, uti ostendi Levit. 25. 9. Vers. 17.

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias scribit Iudæis, in Babylonem cum Ioachin rege traductis, ut domos ædificent, quasi ibi mansuri ad 70. annos, nec credant duobus falsis prophetis Sedeciæ et Achab (quos, quia adulteri erant, a Nabuchodonosor igne frigendos prædicit) contrarium promittentibus, v. 21. Hinc Semeias tertius pseudopropheta apud Iudæos in Babylone captivos, inde rescribit in Ierusalem v. 25. ut capiatur Ieremias, cui Ieremias exitium intentat v. ultimo.

1. Et hæc sunt verba libri, quem misit Ieremias propheta de Ierusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, et ad sacerdotes, et ad prophetas, et ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Ierusalem in Babylonem: 2. Postquam egressus est Iechonias rex, et domina, et eunuchi, et principes Iuda et Ierusalem, et faber et inclusor de Ierusalem: 3. In manu Elasa filii Saphan, et Gamariæ filii Helciæ, quos misit Sedecias rex Iuda ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Babylonem, dicens: 4. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, quam transtulit de Ierusalem in Babylonem: 5. Ædificate domos, et habitate: et plantate hortos, et comedite fructum eorum. 6. Accipite uxores, et generate filios et filias: et date filiis vestris uxores, et filias vestras date viris, et pariant filios et filias: et multiplicamini ibi, et nolite esse pauci numero. 7. Et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci: et orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis. 8. Hæc enim dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, et divini vestri; et ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis: 9. Quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo: et non misi eos, dicit Dominus. 10. Quia hæc dicit Dominus: Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos: et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum. 11. Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, et non afflictionis, ut dem vobis finem et patientiam. 12. Et invocabitis me, et ibitis: et orabitis me, et ego exaudiam vos. 13. Quæretis me, et invenietis: cum quæsieritis me in toto corde vestro. 14. Et inveniar a vobis, ait Dominus: et reducam captivitatem vestram, et congregabo vos de universis gentibus, et de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus: et reverti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci. 15. Quia dixistis: Suscitavit nobis Dominus prophetas in Babylone: 16. Quia hæc dicit Dominus ad regem, qui sedet super solium David, et ad omnem populum habitatorem urbis huius, ad fratres vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem: 17. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce mittam in eos gladium, et famem, et pestem: et ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt, eo quod pessimæ sint. 18. Et persequar eos in gladio, et in fame, et in pestilentia: et dabo eos in vexationem universis regnis terræ: in maledictionem, et in stuporem, et in sibilum, et in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ego eieci eos: 19. Eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus, quæ misi ad eos per servos meos prophetas, de nocte consurgens, et mittens: et non audistis, dicit Dominus. 20. Vos ergo audite verbum Domini, omnis transmigratio, quam emisi de Ierusalem in Babylonem. 21. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel, ad Achab filium Coliæ, et ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis: et percutiet eos in oculis vestris. 22. Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne: 23. Pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, et mœchati sunt in uxores amicorum suorum, et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandavi eis: ego sum iudex et testis, dicit Dominus. 24. Et ad Semeiam Nehelamiten dices: 25. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Pro eo quod misisti in nomine tuo libros ad omnem populum qui est in Ierusalem, et ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, et ad universos sacerdotes dicens: 26. Dominus dedit te sacerdotem pro Ioiade sacerdote, ut sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium et prophetantem, ut mittas eum in nervum et in carcerem. 27. Et nunc quare non increpasti Ieremiam Anathothiten, qui prophetat vobis? 28. Quia super hoc misit in Babylonem ad nos, dicens; Longum est; ædificate domos, et habitate: et plantate hortos, et comedite fructus eorum. 29. Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Ieremiæ prophetæ. 30. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens: 31. Mitte ad omnem transmigrationem, dicens: Hæc dicit Dominus ad Semeiam Nehelamiten: Pro eo quod prophetavit vobis Semeias, et ego non misi eum: et fecit vos confidere in mendacio: 32. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego visitabo super Semeiam Nehelamiten, et super semen eius: non erit ei vir sedens in medio populi huius, et non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus: quia prævaricationem locutus est adversus Dominum.

Vers. 1 Verba libri.) Id est verba epistolæ. Hebræum enim ספר *sepher* significat librum, epistolam, catalogum et enarrationem quamvis: radix enim ספר *saphar* significat enarrare, recensere. Sic Matth. 1. 1. dicitur *liber* (id est catalogus) *generationis Iesu Christi*. Simile est hic v. 25.

Vers. 2 Ad reliquias.) Iudæorum, qui in Babylonem, tum cum Ioachin sive Iechonia, ut vult S. Hieron. Raban. et Hugo, tum ante eum Ioakim, anno eius quarto fuerant abducti; hi enim iam octo annis fuerant in captivitate, et præ tædio anhelabant ad reditum in Iudæam. Scripta enim est hæc epistola a Ieremia anno Sedeciæ primo.

Domina.) Regina, scilicet mater Iechoniæ: hæc enim A cum filio rege ducta est in Babylonem. Ita Lyran. Hugo et Vatabl.

Eunuchi.) Id est aulici: quia enim aulici qui gynæceis præficiebantur, ne de fide continentiæ suspecti essent, castrabantur, et fiebant eunuchi, erantque tum intimi regi et reginæ; hinc eunuchus significat omnem aulicum, vel regi familiarem: nam alioquin eunuchi non poterant esse inter Iudæos, iuxta legem Deut. 23. 1.

Inclusor.) Gemmarius. Vide dicta c. 24. v. 1. Vers. 3.

In manu Elasa.) Per *Elasa*. Nota: Sedecias rex videns Hananiam pseudoprophetam immunitatem a Chaldæis, et prospera omnia Iudæis promittentem, esse morte

punitum, timore correptus, cœpit credere Ieremiæ, ideoque iuxta eius monita misit hos legatos ad Nabuchodonosorem, qui ei ferrent tributum et pacem fœdusque cum eo renovarent, Iudæosque illi fore subditos et vectigales promitterent. Ita Hugo, Lyran. et S. Thom. Per hos ergo legatos misit pariter epistolam hanc Ieremias, dicens, id est scribens, vel nuntians populo captivo hanc suam prophetiam.

Vers. 5. ÆDIFICATE.) q. d. Diu eritis in Babylone; ædificate ergo ibi domos, plantate hortos, familiam instruite, quasi ibi futuri perpetui cives; non autem quasi advenæ brevi in patriam reversuri.

Vers. 10. CUM COEPERINT IMPLERI IN BABYLONE, in regno Babyloniorum: unde hebraice est *Babyloni*, puta quoad imperium in Iudæos, SEPTUAGINTA ANNI.) q. d. Non redibitis ex Babylone ante 70. annos. Hi enim sunt 70. anni imperii, vel potius captivitatis Babylonicæ.

Anni septuaginta captivitatis unde inchoandi? Quæres, ubi hi anni incipiant, ubi finiantur? Certum est apud omnes eos finiri et terminari anno 1. Cyri, et patet 2. Paral. 36. 22. Verum unde incipiant, magna est lis: quatuor sunt probabiles sententiæ.

I. Aliqui inchoant a decimotertio Iosiæ. Primo, aliqui eos inchoant ab anno 13. Iosiæ regis Iuda: nam hoc anno videtur Ninive esse eversa, et monarchia ab Assyriis translata ad Medos et Babylonios per Cyaxarem, et Nabuchodonosorem seniorem, uti ex S. Hieron. et Eusebio dixi Ieremiæ 1. 2. Hoc posito, probatur hæc sententia primo, quia hi 70. anni videntur dati monarchiæ Chaldæorum: atqui illa cœpit statim eversa monarchia Assyriorum, hæc autem eversa est anno 13. Iosiæ, ut dixi: ergo hi 70. anni inde inchoandi sunt.

II. Secundo, quia S. August. S. Hieron. Isidor. Theodor. Euseb. Clemens Alexand. et alii, quos citat Pererius in c. 9. Daniel. v. 2. ab 11. anno Sedeciæ usque ad 1. Cyri, tantum numerant annos 30. et sic desolatio Iudæorum, et captivitas Babylonica proprie duravit tantum 30. annos: atqui a 13. anno Iosiæ usque ad 11. annum Sedeciæ, fluxerunt tantum anni 40. ergo 70. tantum anni intercedunt ab anno 13. Iosiæ usque ad 1. Cyri (30. enim et 40. si iungas, habebis 70.) cum ergo constet hos 70 annos finiri in anno 1. Cyri, sequitur eos inchoandos esse anno 13. Iosiæ.

III. Tertio, quia Daniel (ut dixi Daniel. 5. 1.) docet Nabuchodonosorem Magnum fuisse patrem Balthasaris, ultimi regis Chaldæorum, non avum: atqui plerique omnes consentiunt hos duos non regnasse iunctim 70. annis: ergo hi 70. anni non a Nabuchodonosore Magno, sed ab eius patre, qui cœpit regnare anno 13. Iosiæ, inchoandi sunt. Sic ergo hi 70. anni computandi videntur. Nabuchodonosor Magnus cœpit regnare anno 3. Ioakim, et regnavit 45. annis: deinde Balthasar regnavit annis tribus qui iuncti 45. faciunt 48. annos: his adde annos 22. Nabuchodonosoris senioris, qui supersunt ab anno 3. Ioakim, ascendendo usque ad 13. Iosiæ, habebis hos annos 70. captivitatis.

IV. Quarto, quia Ieremias hoc anno 13. Iosiæ cœpit prophetare, viditque sceptrum Assyriorum, et post illud alia omnia regna contrita per virgam et sceptrum Chaldæorum, ut dixi c. 1. 12. unde ipse hanc virgam toto hoc libro Iudæis et omnibus gentibus intentat, eiusque vim, robur et tempus describit, scilicet quod durabit 70. annis, puta ab anno 13. Iosiæ usque ad 1. Cyri.

Obstant ei tria. Verum huic sententiæ obstat primo, quod Ieremias semper hos annos numeret a Ioakim, vel a Ioachin, non a Iosia, ut patet c. 25. v. 1. et 11. cap. 27. v. 1. et 7. c. 29. v. 1. et 10. Secundo, quod hi anni passim a Ieremia, Zacharia, et ab interpretibus vocentur anni desolationis et captivitatis Iudaicæ; iuxta sententiam autem iam recensitam, Iudæorum servitus non duravit 70. sed tantum 30. annis: ergo hæc sententia non consentit sensui Scripturæ et interpretum, qui est, Iudæos fuisse captivos, non 30. sed 70. annis. Tertio, quia anno 13. Iosiæ, nec Iudæi, nec eorum vicini servierunt Chaldæis, quod tamen de 70. hisce annis dicitur cap. 25. v. 11.

II. Secundo, Lactant. Severus Sulpitius, Beda, Abulens. Lyran. et ex eis Pererius in Daniel. cap. 9. hos 70. annos inchoant ab 11. anno Sedeciæ: tunc enim plane eversa fuit Ierusalem cum templo, omnisque populus fuit abductus. Verum difficile est invenire et computare 70. annos ab anno 11. Sedeciæ usque ad 1. Cyri, sive ab anno 18. Nabuchodonosoris (hic enim concurrit cum 11. Sedeciæ, et eversione Ierusalem) usque ad ultimum Balthasaris. Secundo, Daniel et alii multi, qui erant viri tempore Sedeciæ, prorogarunt vitam usque ad tempus solutæ captivitatis, imo usque ad restaurationem templi, quæ facta est sub Dario Hystaspis, ut patet Aggæi 2. 4. Iam si captivitas duravit 70. annis, sequetur eos diutissime vixisse, et longe superasse annum centesimum: quis hoc credat? Abul. et alii eos inchoant ab undecimo Sedeciæ. Obstant ei duo.

III. Hebræi eos inchoant ab anno quarto Ioakim. Tertio, Hebræi, Euseb. Theodoret. Clemens Alexand. Berosus, quos sequitur Ribera, et a Castro, hos 70. annos inchoant ab anno 4. Ioakim, qui fuit annus 1. Nabuchodonosoris, quo ipse Phœnices et Iudæos subegit, atque Ioakim cum Daniele et aliis Iudæis abduxit. Probatur id Primo, quia c. 25. v. 1. hunc annum consignat Ieremias, quasi initium horum 70. annorum, ut videtur. Secundo, quia c. 27. 7. dicitur, quod *omnes gentes servient ei*, scilicet Nabuchodonosori, qui regnavit 44. annis; *et filio eius*, puta Evilmerodach, qui 23. annis; *et filio filii eius*, scilicet Balthasari, qui tribus annis regnavit; qui anni iuncti faciunt 70. Huic sententiæ obstant tum alia, tum illud, quod hoc anno 4. Ioakim parva vel nulla, ut vult R. Saadias, Maldonat. et alii, videatur fuisse publica et communis Iudæorum captivitas. Solus enim Daniel, et pauci alii cum Ioakim abducti sunt, qui mox reducti videntur: nam Ioakim mox regno est restitutus. Unde diserte Ieremias c. 52. 28. primam captivitatem Iudæorum consignat anno, non tertio, sed 7. Nabuchodonosoris, qui fuit annus Ioakimi undecimus, et ultimus. Obstat ei unum.

IV. Probabilius alii inchoant ab anno undecimo Ioakim. Quarto ergo, alii valde probabiliter censet hos 70. annos inchoandos esse a transmigratione Ioachin, sive Iechoniæ, aut a clade et morte Ioakim, quæ facta est anno regni eius 11. una enim eademque censetur hæc clades et captivitas facta sub Ioakim, et facta sub Ioachin. Inter utramque enim tantum intercesserunt tres menses. Probatur hæc sententia. Primo, quia prima notabilis vastitas, et communis captivitas facta fuit hoc anno Ioakim, et Ioachin, uti paulo ante ostendi, idque patet 4. Reg. 24. v. 12. Secundo, quia Ieremias hoc cap. post transmigrationem Ioachin dicit v. 10. *Cum impleti fuerint in Babylone septuaginta anni*: ergo ab ea illi videntur inchoandi. Tertio, quia ab hac transmigratione Iechoniæ, quasi ab æra communi captivitatis, et sæculi illius, prophetias suas numerat et consignat Ezechiel cap. 1. v. 2. et deinceps. Quarto, quia S. Matth. c. 1. 11. hanc captivitatem vocat transmigrationem Babylonis; quia scilicet Iechonias sponte se dedidit Chaldæis, et non vi abductus est, sed ultro transmigravit in Babylonem. Quinto, quia hi 70. anni statuti non sunt proprie et directe imperio Babylonis, sed captivitati Iudæorum, ut patet ex hoc loco, et ex c. 25. v. 8. et 11. Unde et Daniel. c. 9. 2. et Zachar. cap. 1. 12. hos annos 70. vocant servitutis et desolationis Ierusalem, idque in pœnam peccatorum eius: quia enim ipsa ab anno 13. Iosiæ usque ad 11. Ioakim, noluit audire prophetas, præsertim Ieremiam per 31. annos concionantem; hinc Ieremias in pœnam tantæ contumaciæ minatur ei pœnam et pœnitentiam 70. annorum in Babylone, ut tempus pœnæ esset duplum (et amplius) temporis culpæ. Desolatio autem Iudæorum cœpit hoc anno 11. Ioakim: ergo inde inchoandi sunt hi 70. anni; indeque facile eos computabis hoc modo: annus 11. Ioakim fuit 8. Nabuchodonosoris, qui regnavit 44. annis: ab anno ergo eius 8. ad 44. habes annos captivitatis 36. his adde annos 31. Evilmerodach et Balthasar, habebis annos 70. captivitatis, uti dixit Daniel. 5. v. 1. Quare hanc sententiam multi moderni chronologi valde probabilem iudicant: unde eam proposui in tabula chronologica, quam initio Pentateuchi exhibui. Probat. 1. 2. 3. 4. 5.

Dices, Anno 4. Ioakim dicitur c. 25. v. 1. et 11. quod *Omnes gentes istæ servient regi Babylonis septuaginta an-*

nis: ergo ab anno quarto Ioakim hi anni inchoandi sunt. Respondeo negando consequentiam: prophetia enim non est de tempore præsenti, sed futuro. Prædicit ergo ibi Ieremias anno 4. Ioakim inchoante, quod post annos octo, scilicet anno 11. Ioakim, incipient Iudæi et aliæ gentes servire Chaldæis per 70. annos. Certum enim est Ammonitas, Moabitas, Cœlesyrios, Ægyptios, et alias gentes, quæ post ultimam vastationem Hierosolymæ subactæ sunt a Chaldæis, teste Iosepho l. 10. Antiq. 11. eis non servivisse 70. annis. Vide dicta cap. 25. 11. et 27. v. 7. An hi anni 70. servitutis sint iidem cum annis 70. desolationis, de quibus Zachar. c. 1. v. 12. ibi dicam.

Tropol. 70. anni est pœnitentia huius vitæ.

Tropol. Tamdiu, ait S. Hieron. in Babel, id est in huius sæculi confusione, versamur, donec per patientiam et pœnitentiam requiem septenarii numeri mereamur accipere. Rursum, ut ait Psaltes Psal. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*: hi sunt ergo 70. anni vitæ, æque ac exsilii et captivitatis nostræ, qui cum fuerint expleti, tunc ad Dominum revertemur, atque finem laboris nostri et patientiæ accipiemus patriam cælestem.

Cur captivitas Babylonis duravit septuaginta annis?

Hac de causa Deus Iudæis in captivitate tempus 70. annorum, quod est mensura vitæ humanæ, præfixit, ut plerique qui in vitiis suis consenuerant, in ea morerentur, ideoque eos ibi ædificare domos iubet: ac post eos nova filiorum soboles succresceret, quæ patrum plagis erudita saperet, quamque Ierusalem redeuntem Deus per Esdram aliosque pædagogos sibi formaret discipulos et asseclas: pauci enim ex senibus, qui 70. annos superarunt, cum Esdra redierunt in Iudæam. Nam, ut ait Macrob. l. 1. in Somn. Scipion. c. 6. *Septies deni anni a Physicis creditur meta vivendi, et hoc vitæ humanæ perfectum spatium terminatur: quod quisquis excesserit, ab omni officio vacuus, soli sapientiæ et studio vacat.* Idem faciunt prudentes Prælati, dum collapsam disciplinam in monasterio aliave Congregatione restituere volunt: nimirum sinunt senes in suis habitibus inveteratos et incorrigibiles emori, aut eos alio traducunt: atque in eorum locum novitios suscipiunt iuvenes bonæ indolis et spiritus, quos quasi teneras plantas ad Religiosæ vitæ normam flectunt et formant.

Vers. 10 SUSCITABO SUPER VOS VERBUM MEUM BONUM.) q. d. Stare faciam, efficiam et complebo promissum meum lætum, quod vobis promisi, cap. 25. 12. scilicet, quod post 70. annos vos e Babylone reducam in Iudæam.

Vers. 11. PATIENTIAM.) Id est, constantiam et tolerantiam in sufferendis exsilii et captivitatis incommodis, ita S. Hieronym. et S. Thomas. Secundo, Sanchez: Dat, ait, *Deus patientiam*, cum doloris ac molestiæ levamenta præbet, uti facit hic Iudæis, iubens eos in Babylone ædificare domos, plantare hortos, instruere familiam, etc. Tertio, et congruentius S. Hieron. *patientiam*, inquit, hoc est mercedem patientiæ, vel obiectum patientiæ, id est, id quod patienter et avidissime exspectatis; unde Hebr. et Chald. est תקוה *ticva*, id est, *spem* vel *exspectationem*, puta id quod avide speratis, scilicet libertatem et reditum in patriam. quæ est patientiæ et longanimitatis vestræ fructus, et merces, atque finis omnis miseriæ vestræ.

Vers. 12 ET IBITIS.) Scilicet, gaudentes vos exorasse vestram liberationem, læti redibitis domum, et in patriam vestram ab hoc exsilio: unde Symmach. vertit, *et invenictis*, scilicet fructum invocationis vestræ, finem ærumnæ et captivitatis vestræ.

Vers. 13 ET EGO EXAUDIAM VOS. QUÆRETIS ME, ET INVENIETIS: CUM QUÆSIERITIS ME IN TOTO CORDE VESTRO.)

Moraliter Deus suorum vota exaudit, etiam per miracula. Exempla.

Est hæc promissio facta Iudæis æque ac Christianis: ergo certa et indubitata. Qui ergo colit Deum, eumque toto corde quærit, impetrabit ab eo quæcumque volet (modo ei salutaria sint) aut meliora iis quæ petit. Audi ex Sophronio quam Sanctorum suorum votis occurrat et satisfaciat Deus. Narravit, ait, nobis Abbatissa Damiana solitaria, mater Abbatis Athenogenis Episcopi Petrensis, dicens: *Erat quidam Abbas in sancto monte Sina, nomine Georgius, miræ virtutis et abstinentiæ vir. Huic magno sabbati die in cellula sua venit desiderium faciendi sacrum diem resurrectionis in sancta civitate, et sumere veneranda mysteria in sancta Christi Dei nostri Resurrectione. Per totum ergo diem senior huiusmodi cogitatione sollicitabatur. Cum itaque sero factum esset, venit discipulus eius dicens: Iube, Pater, ut eamus ad synaxim. Senex autem respondit ei: Vade, et tempore sanctæ communionis veni ad me, et pergam. Mansit itaque senex in cellula. Cum autem advenisset tempus sanctæ communionis in sancta civitate, inventus est senex prope Archiepiscopum beatum Petrum, qui præbuit tum illi, tum presbyteris sanctam communionem. Videns igitur eum Patriarcha, dixit Mennæ assessori suo: Quando venit Abbas montis Sinai? Respondit ille: Per orationes vestras, Domine, non vidi illum, nisi nunc solummodo. Tunc ait Patriarcha: Dic illi ut non recedat: volo enim ut mecum sumat cibum. Ille vero profectus id dixit seni. Qui ait; Voluntas Dei fiat. Cum ergo salutasset synaxes, adorato sancto monumento, inventus est in cellula sua. Ecce discipulus eius pulsavit et dixit: Pater, veni ut communices. Senex vero profectus in Ecclesiam cum discipulo suo, iterum sumpsit veneranda mysteria.* Ita Sophron. Prat. spirit. cap. 127.

Theodoretus in Philotheo cap. 2. narrat adolescentem quemdam molliter educatum petiisse a sene Asterio, ut illi comes esset eunti in solitudinem, cui senex obiecit mollitiem, et eremi duritiem ac siccitatem. Institit adolescens. Victus eius precibus cessit senex. Adolescens igitur cum sequebatur primo quidem alacriter: cum autem primus, secundus et tertius dies præteriisset, et a radiis Solis exureretur (erat enim æstas: urgente autem æstate, est utique flamma Solis ardentior) perpetuo siti laborabat. Et primum quidem eum morbum aperire pudebat, memoria reputans ea quæ sibi prædicta fuerant a magistro. Tandem autem victus, et plane omnino deficiens oravit senem, ut sui misereretur. Is autem cum quæ ei prædixerat revocasset in memoriam, iussit eum reverti. Cum autem diceret adolescens nec se scire viam, quæ ducit ad antrum; nec si sciret, ire posse, cum sint vires siti consumptæ. Misertus homo divinus casus adolescentis, et ignoscens imbecillitati corporis, genibus flexis, oravit Dominum, et calidis lacrymis solum irrigavit, et viam salutis petiit adolescenti. Qui autem facit voluntatem eorum qui ipsum timent, et eorum exaudit orationem, stillas lacrymarum, quæ pulverem attigerant, effecit fontem aquarum: et sic fluento repletum adolescentem iussit abire protinus. Fons autem mansit usque in hodiernum diem.

Audi aliud de monachis Cluniacensibus, quod habetur in Vita S. Odonis Abbatis Cluniac. Anno Domini 938. inquit Vitæ auctor: Albericus Princeps contulit nobis monasterium S. Eliæ, cuius beatus Gregorius in Dialogis meminit. Cum sit autem durum (ut idem beatus Gregorius ait) in mente veteri nova meditari, monachos, quos illic invenimus, ab esu carnium retrahere non potuimus. Constituit autem ibidem Pater noster Præpositum unum e fratribus nostris, Theodoardum nomine. Is ut vidit se virtute et sanctitate ab eo vitio eos retrahere non posse, cœpit in finitimis regionibus pisces emere, ut vel sic eorum satisfaceret voluntati. Iam enim penitus defecerant equi, quos ei Pater Odo reliquerat, huc illucque discurrentes. Eam vero illorum improbitatem suumque laborem Præpositus Patri nostro identidem significavit. Illo igitur Dominum deprecante, vallis cui monasterium præeminet, non ita procul, coniunctis inter se collibus ita conclusa est, ut exiguo torrenti per eam manandi aditus præcluderetur. Inde igitur paulatim magna aquarum collecta vis, lacum effecit: nec deinceps opus fuit Præposito pisces emere, lacu illo eos suppeditante. Cui vero hoc tribuendum esset, quidam imperiti homines minime adverterunt, eo quod eius preces, quas ea de causa beatus Odo ad Dominum fuderat, auribus suis non percepissent; non attendentes illud Psalmographi: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Item illud: *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet.* Ita Vita S. Odonis, et ex ea Baron. tom. 10. Annal. ad annum Christi 938.

Gregorius Magnus libro Dialogorum tertio c. 15. nar-

rat Deum ad suorum implenda desideria, tonitru sereno cælo misisse, iis verbis: Cum Florentii magna opinio longe lateque crebesceret, quidam diaconus longe positus ad eum pergere studuit, ut eius se orationibus commendaret: qui ad eius cellulam veniens (non procul a Nursia) omnem locum per circuitum invenit innumeris serpentibus plenum, cumque vehementer expavisset clamavit dicens: *Serve Dei ora*: erat autem mira serenitas. Egressus vero Florentius ad cælum oculos et palmas tetendit, ut illam pestem sicut sciret Dominus auferret. Ad cuius vocem subito cælum intonuit, atque idem tonitru omnes illos, qui eumdem locum occupaverant, serpentes interemit: quos cum vir Dei Florentius interemptos aspiceret, dixit: *Ecce illos occidisti, Domine, quis eos hinc levabit?* Mox ad eius vocem tantæ aves venerunt, quanti serpentes occisi fuerant, eosque mundato loco extulerunt.

Non absimile legitur in Vita S. Abercii Hierapolitani 22. Octobris. Cum etenim locus egeret balneis ad ægrotorum solatium, apud fluvium constitutus Abercius flexis Deo genibus humi procidit. Et ecce erumpit quidem tonitru sereno cælo; emittit autem terra fontes aquarum calidarum, et per omnia laudatur Deus, qui sic iustos exaudit.

Cum Andronicus Comnenus Imp. tyrannorum moribus imbutus in Christianos sæviret Constantinopoli, Disypatum Georgium magni templi lectorem in carcerem quoque coniecit, propterea quod de eius sævitia liberius questus esset; habebatque subinde in animo verubus transfixum, et pinguem hominem instar porcelli supra carbones assatum, uxori eius mittere; ac omnino fecisset, nisi Monasteriota Leo socer eius, qui ob dicendæ sententiæ prudentiam, Senatus os ab Andronico vocabatur, tyranni furorem auctoritate sua repressisset. Disypatus igitur in carcere manus ad Deum extendebat, et cum Davide precabatur: *Educ e custodia animam meam, ut nomen tuum prædicem*: et Ionæ verba sæpe repetebat: *Numquid amplius sanctum tuum templum respiciam?* Quid vero precabatur? *Deleto me, Domine, ex Andronici memoria: sim ignotus apud eum omni tempore; ne recordetur nominis mei, donec ex libro viventium deletus fuerit.* Itaque Numen non cunctatum est, nec preces eius aspernatum, sed illæsum eduxit e carcere, Andronico paucis diebus post exstincto. Ita Nicetas Choniates in Annal. de Imperio Andronici Comneni.

Vers. 15. QUIA DIXISTIS: SUSCITAVIT, etc.) q. d. Sed quia sunt e vobis qui dicunt, habere vos in Babylone Prophetas, qui promittant celerem e captivitate reditum; audiant hi quid dicat Dominus: *Quia hæc dicit Dominus*, τὸ *quia* respondet Hebræo כי *chi* et redundat, tantumque est nota inchoationis sermonis. Hæc ergo dicit Dominus: Tantum abestis a celeri reditu, ut potius regem Sedeciam, qui sedet in solio David, eum suis qui Iudæam incolunt, peste, fame et gladio sim consumpturus, et paucos qui huic cladi supererunt, captivos ducturus sim in Babylonem.

Vers. 16. AD REGEM, QUI SEDET SUPER SOLIUM DAVID.) Ad Sedeciam qui nunc regnat.

Vers. 17. FICUS MALAS.) Hebr. ficus fœdas: vide de ficubus dicta c. 24.

Vers. 18. IN VEXATIONEM.) Hebr. לזעוה *lezaava*, id est in commotionem; ut scilicet moveantur et dispergantur per universa regna.

Vers. 21. AD ACHAB ET AD SEDECIAM.) Hebræi, teste S. Hier. et ex eis Raban. Hugo, S. Thomas et Lyran. tradunt hos duos, scilicet Sedeciam et Achab fuisse senes illos qui Susannæ pudicitiam tentarunt et vitam, Daniel. 13. utrique enim erant in Babylone tempore Nabuchodonosor, et Astyagis Medi; utrique mendaces; utrique cæsi ob adulteria; utrisque dicit Deus: *Ego sum iudex et testis.* Aliis tamen videtur hæc esse fabula. Ita Africanus, Maldonat. et alii, quin et S. Hier. subinde fabulam vocat, idque primo, quia hi Ieremiæ fuerunt Prophetæ: illi Danielis, fuerunt Iudices. Rursum hos Ieremiæ Nabuchodonosor: illos Danielis, populus occidit.

Achab et Sedecias hic non sunt senes qui tentarunt castitatem Susannæ.

Respondet Lyran. et D. Thom. Nabuchodonosorem, cui

A in Babylone suberant Iudæi, sententiam mortis in eos tulisse, maxime quia casus enormis erat, ipsique iudices Iudæorum erant rei; populum autem sententiam hanc laudasse et executum esse.

Secundo hanc esse fabulam probatur ex eo quod Nabuchodonosor dicitur hic eos frixisse igne; Daniel autem innuit suos esse lapidatos.

Respondent alii id Danielem non dicere; sed tantum, quia criminatores erant, asserere eos lege talionis quæ Deut. 19. 19. habet: *Animam pro anima, etc.* scilicet morte, licet dispari, esse punitos. Aliter respondet Delrio adagio 861. et Lyranus, scilicet, quod ipsi, primo, ut adulteri lapidibus sint obruti, ut innuit Daniel: deinde, ut ait Ieremias, igne sint combusti, quia erant falsi prophetæ. Simile contigit Achan, Iosue 7. 15. et 25. Hæc dicuntur, sed non probantur: nihil enim tale habet Daniel in longa et particulari rei gestæ narratione, quæ ab hac Ieremiæ valde dissonat. Quocirca hos prophetas Ieremiæ alios fuisse ab illis senibus Danielis, merito censent, Maldonat. Pererius, Sanchez et alii. B

QUOS FRIXIT.) Hebr. קלם *kalam*, id est assavit vel torruit. Sic frixi sunt Machabæi, 2. Machab. 7. 3. et Iudæi, Amos 4. 2. Vers. 22.

PRO EO QUOD FECERINT STULTITIAM.) *Stultitia* in Scriptura significat facinus insigne contra honestatem publicam, viro cordato et sapiente indignum, quale hic est adulterium. Vers. 23.

Stultitia est facinus insigniter inhonestum et dedecens.

EGO SUM IUDEX ET TESTIS, DICIT DOMINUS.) q. d. Nemo me potest fallere aut latere; quia ego ipse qui iudicaturus sum, sum etiam testis oculatus omnium: unde ait Malach. 3. 5. *Accedam ad vos in iudicio, et ero testis velox maleficis, et adulteris, et periuris.* Dum ergo ad peccatum te socii aut concupiscentia sollicitant, cogita hunc oculum te tuaque omnia intuentem qui tuus iudex erit, æque ac testis. Ita cogitabat S. Iob c. 16. 20. *Ecce*, ait, *in cælo testis meus, et conscius meus in excelsis.*

ET AD SEMEIAN.) Nota: Hic Semeias audiens epistolam Ieremiæ scriptam ad Iudæos in Babylone captivos, in qua quasi falsus propheta arguebatur, eo quod pacem promitteret Iudæis (unde et apte Nehelamites dicebatur, id est somniator, ut vertit R. David: licet proprie esset oriundus de Nehelam (iratus scripsit libros, id est epistolas, ex Babylone in Ierusalem, ut Ieremiam quasi pseudoprophetam caperent et punirent. Vers. 24.

C

PRO EO QUOD MISISTI.) Supple: *Visitabo super te et super semen tuum*, uti dicitur v. ult. Ibi enim expletur sententia huius versus, quæ eo usque per narrationem prophetiæ Semeiæ interrumpitur. Vers. 25.

SOPHONIAM SACERDOTEM.) Non pontificem; hic enim erat Saraias: sed eius vicarium; unde 4. Reg. c. 25. v. 18. hic Sophonias vocatur *sacerdos secundus*, cuius erat de prophetiis iudicare, et falsos prophetas punire.

DEDIT TE SACERDOTEM PRO IOIADE.) Adulatur Semeias Sophoniæ, q. d. Tuum est, o Sophonia, ut sanctissimi olim pontificis Ioiadæ sacerdotii, sanctitatis et zeli sis hæres, præstare quod peto, ut scilicet quasi alter Ioiada, qui Mathan sacerdotem Baal interfecit, 4. Reg. 11. v. 18. interficias Ieremiam falsum prophetam. Comparat enim adulator Sophoniam sacerdotem Ioiadæ pontifici, ob similem zelum et officium. Ita S. Hieron. Maldon. et alii. Vers. 26.

D

Quamquam aliqui, ut a Castro, putant hunc Ioiadam non fuisse Pontificem illum iampridem defunctum, sed sacerdotem adhuc viventem, cuius absentis vices gerebat Sophonias.

ARREPTITIUM.) Hebr. משגע *mesciugga*, id est *insanum*, furiosum; Chald. *stultum*; Septuag. *insanientem*, id est fanaticum, qui se fingit Prophetam; aut qui a dæmone arreptus, eius instinctu ita prophetat, ut furere et insanire videatur. De his vere dixit Cicero lib. 2. de Divinat. *Quid habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut quæ sapiens non videt, ea videat insanus; et is qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit?*

UT MITTAS EUM IN NERVUM.) In cippum, id est in manicas ligneas, vel ferreas. Ita Vatabl. Vide dicta c. 20. 2.

Syrus vertit: *Ut iniicias eum inter vinctos in carcerem.*

Vers. 28. QUIA SUPER HOC.) q. d. Ex eo quod audet Ieremias, te connivente, falsa prophetare in Ierusalem, audet quoque falsa sua figmenta prescribere ad nos in Babylonem, nosque turbare et percellere.

LONGUM EST.) Scilicet tempus, quo futuri estis captivi in Babylonem, nimirum 70. annorum.

Vers. 29 LIBRUM.) Litteras Semeiæ.

Vers. 31. MITTE.) Scribe litteras.

AD OMNEM TRANSMIGRATIONEM.) Ad omnes Iudæos qui in Babylonem migrarunt cum Iechonia.

Vers. 32. NON ERIT EI VIR.) Nullus erit ex posteris Semeiæ, A qui sit civis Ierusalem eo tempore, quo alii læti redibunt e captivitate, q. d. Semeias non redibit cum aliis in Ierusalem, sed cum suis peribit in exsilio Babylonis; quia falso prædixit hoc brevi finiendum esse; ut in quo peccavit, in eodem et puniatur. Sic Elisæus promittens in fame triticum, cum rideretur a duce quodam, ait ei: *Videbis oculis tuis, et inde non comedes,* 4. Reg. 7. 2.

QUIA PRÆVARICATIONEM, id est falsa ORACULA, LOCUTUS EST ADVERSUS DOMINUM.) Hisce enim vera Dei oracula, per Ieremiam edita, evertere conatus est, atque efficere ut iis obediens populus, inobediens esset Ieremiæ et Deo.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit e captivitate Babylonica liberationem per Cyrum, et mystice e captivitate peccati et diaboli redemptionem per Christum.

1. HOC verbum, quod factum est ad Ieremiam a Domino, dicens: 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel, dicens: Scribe tibi omnia verba, quæ locutus sum ad te, in libro. 3. Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus: et convertam conversionem populi mei Israel et Iuda, ait Dominus: et convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum: et possidebunt eam. 4. Et hæc verba, quæ locutus est Dominus ad Israel et ad Iudam. 5. Quoniam hæc dicit Dominus: Vocem terroris audivimus: formido, et non est pax. 6. Interrogate, et videte si generat masculus: quare ergo vidi omnis viri manum super lumbum suum, quasi parturientis, et conversæ sunt universæ facies in auruginem? 7. Væ, quia magna dies illa, nec est similis eius: tempusque tribulationis est Iacob, et ex ipso salvabitur. 8. Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram iugum eius de collo tuo, et vincula eius dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni: 9. Sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis. 10. Tu ergo ne timeas, serve meus Iacob, ait Dominus, neque paveas Israel: quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, et semen tuum de terra captivitatis eorum; et revertetur Iacob, et quiescet, et cunctis affluet bonis, et non erit quem formidet: 11. Quoniam tecum ego sum, ait Dominus, ut salvem te: faciam enim consummationem in cunctis Gentibus, in quibus dispersi te: te autem non faciam in consummationem: sed castigabo te in iudicio, ut non videaris tibi innoxius. 12. Quia hæc dicit Dominus: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. 13. Non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum: curationum utilitas non est tibi. 14. Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærent: plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua. 15. Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, et propter dura peccata tua, feci hæc tibi. 16. Propterea omnes qui comedunt te, devorabuntur: et universi hostes tui in captivitatem ducentur; et qui te vastant, vastabuntur; cunctosque prædatores tuos dabo in prædam. 17. Obducam enim cicatricem tibi, et a vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus. Quia eiectam vocaverunt te Sion: Hæc est, quæ non habebat requirentem. 18. Hæc dicit Dominus: Ecce ego convertam conversionem tabernaculorum Iacob, et tectis eius miserebor, et ædificabitur civitas in excelso suo, et templum iuxta ordinem suum fundabitur. 19 Et egredietur de eis laus, voxque ludentium: et multiplicabo eos, et non minuentur: et glorificabo eos, et non attenuabuntur. 20. Et erunt filii eius sicut a principio, et cœtus eius coram me permanebit: et visitabo adversum omnes qui tribulant eum. 21. Et erit dux eius ex eo, et princeps de medio eius producetur: et applicabo eum, et accedet ad me: quis enim iste est qui applicet cor suum ut appropinquet mihi, ait Dominus? 22. Et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. 23. Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet. 24. Non avertet iram indignationis Dominus, donec faciat et compleat cogitationem cordis sui: in novissimo dierum intelligetis ea.

Vers. 3. CONVERTAM CONVERSIONEM.) Hæc tria, scilicet conversio, aversio, captivitas, apud Prophetas idem significant, scilicet captivos revertentes, q. d. Captivos Israelitas convertam et reducam ex Babylone in Ierusalem, duce Zorobabel sub Cyro. Nam non tantum ex Iuda, sed etiam ex Israelis aliis Tribubus, multi cum Tribu Iuda permisti redierunt: hoc enim promittitur Israeli, Isaiæ 10. v. 22. ideoque dicit *Convertam conversionem*, id est eos qui convertendi et redituri sunt, scilicet pauci e multis remansuris in captivitate Assyriaca et Babylonica. Ita Maldon.

Sub hoc tamen allegorice et potius, intelligit reductionem Israelis et Iudæorum ad Christum et Ecclesiam, iuxta can. 6. q. d. Reducam per Christum omnes Tribus ad Ecclesiam, quæ prima eorum mater est et terra; et inde ad terram viventium, id est ad cælestem patriam, quam patribus eorum promisi, Hebr. 11. 13. Nam ad Christum B hæc pertinere patet ex sequentibus tam magnificis promissis, quæ tum hoc cap. tum potius sequenti proponuntur; et ex eo quod Israel, sive decem Tribus proprie numquam redierint ex Assyriaca captivitate; unde et Propheta ea scribere iubetur pro tempore novissimo, v. 2. et 24. Ergo sub captivitate Assyriaca et Babylonica, intelligit captivitatem Iudæorum extremam factam per Romanos, et maxime per Titum (ut patet v. 7. 11. 12.) in pœnam occisi Christi, qua Iudæi dispersi sunt toto orbe, eruntque vagi donec Antichristo se subdant: ex qua liberari cœperunt per Apostolos, sed plene liberabuntur per Christum in fine mundi, cum omnis Israel ad eum convertetur et salvabitur per Eliam et Henoch; tunc enim ad regnum Christi adducetur, et Hierosolymitana, id est Ecclesiæ, civitate donabitur. Ita passim omnes Interpretes Catholici. Loquitur enim Propheta non tam de temporali quam de spirituali reditu e captivitate diaboli et peccati,

Cyrus fuit typus Christi, Babylon peccati, Ierusalem Ecclesiæ.

quam figuravit captivitas, uti Babylonica, ita et Roman. Inchoate ergo a captivitate peccati et diaboli liberavit Iudæos Christus in primo suo adventu, quia paucos liberavit: et de eo intelligunt hæc S. Hieron. Raban. Hugo et Vatabl. sed complete id faciet sub secundum adventum, cum omnes salvabit; unde tunc plene implebitur hæc prophetia. Ita Lyran.

S. Hieron. vult hæc dicta esse a Ieremia, anno I. Sedeciæ, scilicet eodem quo dicta sunt illa quæ continentur duobus præced. capitibus. Vide chronotaxin.

Vers. 5 VOCEM TERRORIS, scilicet Chaldæorum invadentium Ierusalem, AUDIVIMUS.) Ita Theodor.

Mystice, vocem accipe tyrannorum, qui tempore Apostolorum Ecclesiam, et Iudæos ad eam conversos persecuti sunt, ut patet Act. 8. 1. Rursum, vocem Titi et Romanorum, et maxime vocem Antichristi (Gog et Magog) qui acerrime persequetur Iudæos a se ad Christum, per Eliam et Henoch desciscentes. Ita Lyran. Vatabl. Dionys. Hæc enim erit dies tribulationis, cui numquam fuit, nec erit similis. *Prædicit Propheta,* inquit S. Hier. *tempus miseriæ ingentis, ut lætioris gaudii tempus inferat.*

FORMIDO, ET NON EST PAX.) Hebræa clarius vertas in genitivo, *formidinis, et non pacis;* supple, *vocem audivimus.*

Vers 6 SI GENERAT MASCULUS.) Si mas parit, ut fœmina, q. d. Cum viri non experiantur dolores partus, ut fœminæ; quid est tamen quod Iudæi iam dicti, muliebri dolore oppressi, manus non ad arma, sed ad renes lumbosque tenendos, quasi parturientes conferunt, ad comprimendum dolorem? Est metalepsis, significans acerbitatem doloris. Ita S. Hieron.

Aurugo est morbus regius segetum.

CONVERSÆ SUNT UNIVERSÆ FACIES IN AURUGINEM.) In pallorem auri. Est enim *aurugo*, sive ærugo, vel rubigo, vitium segetum, et quasi morbus earum regius, quo scilicet culmi pallescunt in modum auri vel æris, itaque paulatim arescunt, et quia hic color est in ictericis, puta in morbo regio; hinc Sept. Aquila et Symmachus vertunt, ἴκτερος; Theod. ὠχρίασις, id est pallor. Hinc etiam Cornel. Celsus et Apuleius: *Morbus ictericus*, inquiunt, *dicitur aurugo, a colore auri quem efficit;* et quia idem color ex timore et pavore oritur, hinc est quod Ieremias hic dicit: *Et conversæ sunt universæ facies in auruginem.*

Vers 7. MAGNA DIES ILLA.) *Magna*, id est terribilis, et mire calamitosa, instar diei iudicii, quæ proinde vocatur *dies magna*, Sophon. 1. v. 14. Iudæ v. 6. Apocal. 3. 12. et c. 6. v. 17.

EX IPSO.) Hebr. ex *ipsa*, scilicet tribulatione, salvabitur Israel; quia Deus conteret iugum eius, scilicet tyranni, tum Nabuchodonosoris, tum potius diaboli et Antichristi, ut nulli amplius serviat Israel, nisi Deo et Davidi, id est Christo filio Davidis, tum in hac vita, tum maxime in cælo. Vide can. 21. Ita S. Hieron. Theodor. et passim alii cum Chaldæo. Sic Christus vocatur David, Ezech. 37. v. 25. Theodor. tamen et S. Thom. per Davidem intelligunt quoque Zorobabel, et Simonem Machabæum, posteros Davidis. Verum hi non fuerunt reges, imo tunc servierunt Iudæi alienis regibus et principibus, scilicet Persis, Græcis et Romanis. Miscet ergo hic Propheta typum cum antitypo: hæcque magis antitypo quam typo conveniunt. Vide can. 4. et 5. Sensim ergo Propheta a Cyro avolat ad Christum ipsumque intelligit, non allegorice, sed litteraliter.

Avolat sensim Ieremias a Cyro ad Christum.

Vers. 11 FACIAM CONSUMMATIONEM IN GENTIBUS, funditus perdam alias Gentes; te vero, o Israel, nequaquam; sed IN IUDICIO, id est cum moderamine et æquitate quadam, CASTIGABO.) Non summo iure, et rigida iustitia; ita tamen, ut, quia gravia sunt peccata tua et dura, non possint sanari nisi mordacissimo pulvere, et ardenti cauterio, quo putidas carnes et insanabiles amputem; videlicet longa et dura captivitate, ut sequitur. Ita S. Hieron. Secat carnifex, secat et chirurgus: ille ut occidat, hic ut sanet. Deus secat ut chirurgus, non ut carnifex.

UT NON VIDEARIS TIBI INNOXIUS.) Hebr. *Mundans non mundabo te*, q. d. Putas te, o Iudæe, quia Dei es cultor, præ Gentibus esse purum et sanctum; sed ego puniendo ostendam te immundum et noxium. Aliter Chald. *Perdendo non perdam te;* Vatabl. *Non ad purum putum te excoquam;* quia sic deberem te perdere, abstergere, et tollere de mundo hoc; et si omnes tuas sordes defricare vellem, citius te frangerem quam corrigerem. Ita Maldonat. et Sanchez.

Moraliter significat hic Propheta, ait S. Hier. *Quod omnis mundus indigeat misericordia Dei, et nullus, quamvis sanctus sit, securus pergat ad iudicem.* Et S. August. teste Possidon. in eius Vita, dicebat neminem quamvis iustum, sine pœnitentia debere ex hac vita discedere. Unde ipse moriens volvebat et recitabat Psalmos Pœnitentiales, magno doloris et contritionis sensu.

INSANABILIS FRACTURA TUA.) *Fractura*, id est pœna et plaga tua; puta vastatio Ierusalem et captivitas Babylonica, ait S. Hieron. et Theodor. q. d. Infligam tibi Vers. 12.
plagam, quæ ab humana manu sanari non possit: ego tamen post septuaginta annos eamdem sanabo; secundo, *fractura*, hæc est desolatio Iudæorum sub Tito, eorumque dispersio: hæc *insanabilis* est, quia ex decreto Dei durabit usque ad Antichristum, a cuius uti et diaboli iugo liberabit eos Christus, et ex eis civitatem, id est Ecclesiam, ædificabit, v. 18. Ita Lyran. et Vatabl. tertio, S. Hieron. per *fracturam* intelligit quoque plagas et persecutionem Ecclesiæ primitivæ, quam ipsa passa est a Gentilibus imperatoribus per trecentos annos. Verum hic sensus non congruit huic loco: illa enim persecutio non fuit pœna peccati fidelium, sed fuit gloria et incrementum Ecclesiæ: quia tunc ipsa maxime per martyria crevit et floruit.

NON EST QUI IUDICET.) Nullus est chirurgus, qui iu- Vers. 13.
dicium morbi tui habeat, aut sciat quo medicamine curari possit plaga tua. Unde *curationum utilitas*, vel ut Chald. medicina, *non est tibi*, q. d. Nullus est qui possit, aut velit et curet, cogitetque de tua sanitate. Tanta est tua plaga, tanta est vilitas tua, tanta rerum omnium desolatio et desperatio, ut non sit princeps aut Propheta, qui de tua salute sollicitus sit, eamque procuret.

OMNES AMATORES OBLITI SUNT TUI.) *Amatores* hic vocantur, primo, Ægyptii et aliæ gentes ad quas soles, o Vers. 14.
Iudæa, confugere et opem petere; secundo, idola eorum et tua; tertio sacerdotes tui et principes; quarto, mystice, q. d. Angeli præsides, quibus chara, et curæ eras antequam Dominum offenderes, te deserent. Ita S. Hieron. quinto, tropologice, q. d. Divitiæ, voluptates, amici, et omnia bona quæ contra Deum amasti te deserent, teque non quærent, non invisent, non rogabunt quomodo valeas, qui habeas, quo loco sint res tuæ. Ita Chald. et Vatabl. Cogita hoc qui voluptuaris, et moriturus es brevi. Vide dicta Thren. 1. v. 2. et 19. Causam subdit dicens:

PLAGA ENIM INIMICI (qualem solet infligere inimicus, etsi ego quasi pater castigans filium, amico animo et paterno eam tibi inflixerim) PERCUSSI TE.) Reipsa enim erat acerba, dura et crudelis, ut sequitur; quia talem poscebat tua dura, obstinata et inflexibilis cervix.

DURA, hebr. עצמו *atsemu*, id est roborata et obfirmata sunt, invaluerunt PECCATA TUA.) Et numero et magnitudine: quia antiquis peccatis nova addidisti; secundo, *dura*, id est gravia et incurabilia, q. d. Ideo non in iudicio, sed in misericordia castigavi te, quia si in iudicio castigassem, ob peccata tua gravissima debuissem te occidere: quod facere nolui propter meam promissionem c. 4. 27. et c. 5. 10.

PROPTEREA) Id est verumtamen, porro. Est enallage Vers 16.
adverbii: vide can. 16. vel *propterea*, q. d. Ne conqueraris te puniri, hostes vero tuos non puniri, gravius eos puniam quam te. Vide Isaiæ 33. 1. Tertio, Sanchez hæc referri ad v. 10. q. d. Ut illa compleam quæ ibi promisi, propterea efficiam, ut commutata fortuna devorentur, et in servitutem abducantur Chaldæi, qui te captivarunt et devorarunt.

OBDUCAM ENIM CICATRICEM TIBI.) Vulnus præteritæ Vers 17.
tuæ desolationis et calamitatis reparabo et reducam, ut

nulla appareant vel remaneant eius signa. Patet ex seq. q. d. Ierusalem desolatam civibus; templum Dei laude et psalmodia; pauperes opibus; populum sobole replebo et resarciam tunc, cum non erit qui de eo cogitet aut requirat.

Vers 18. CONVERTAM CONVERSIONEM TABERNACULORUM IACOB.) q. d. Reducam tabernacula Iacob, quæ hinc translata sunt: *tabernacula* vocat familias Iudæorum, qui in Babylone quasi peregrini habitabant in casis et tabernaculis: inde sequetur Iudæorum e Babylone in Iudæam redeuntium iubilus, Dei laus, etc. ut sequitur.

ET ÆDIFICABITUR CIVITAS, Ierusalem, IN EXCELSO SUO (in monte Sion) ET TEMPLUM IUXTA ORDINEM SUUM.) q. d. Templum in pristinum statum restituetur; secundo et potius, q. d. Ædificabitur a Christo excelsa Ecclesia, ex Iudæis conversis ad Christum collecta, sua habens Christiana templa, maxime post Antichristum, quæ mox in cælo civitatem et templum perenne constituet, ubi glorificabo eos, ut sit eis perennis laus, id est gratiarum actio, *voxque ludentium*, id est gaudentium, Apoc. 21.12.

ET ERIT DUX.) Non tam Zorobabel, ut vult S. Thom. et Theodor. licet ad eum typice alludat, quam Christus. Ita omnes Hebræi et Latini. Unde Chald. vertit: *Et ungetur rex eorum ex illis, et Christus de medio eorum revelabitur.* Nota: Pro *dux* hebr. est אדיר *addir*, id est magnificus, gloriosus, præpotens, scilicet dux.

Vers. 19. APPLICABO EUM (ducem Christum) ET ACCEDET AD

A ME.) Per unionem hypostaticam humanitatis ad Verbum, ait S. Hier. Raban. et Hugo; secundo et melius, Lyran. et Vatabl. per unionem voluntatum, q. d. Coniungam eum mihi amicitia perfectissima, dicamque: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Unde sequitur.

QUIS ENIM ISTE EST?) q. d. Quis Angelorum vel hominum tam eximius est, ut Filius meus? qui mihi coniunctissimus per fiduciam, amorem et obedientiam, mihi applicabit; Vatabl. *pollicet*, vel devovebit, cor suum, ut meam semper perficiat voluntatem, et vicissim pro mortalibus me placet et exoret: unde Isaiæ 46. v. 11. Pater vocat eum virum voluntatis meæ. Vide Hebr. 10. 5. Sept. et Chald. hæc verba referunt ad populum, scilicet Christi. Unde de eo sequitur: *Et eritis mihi in populum.* Præclare S. Aug. in Sent. num. 91. *Deo*, inquit, *qui ubique est non locis, sed actionibus, aut longinqui aut proximi sumus: quia sicut nos separat dissimilitudo, ita nos illi coniungit imitatio;* et n. 123. *Non locorum intervallo*
B *acceditur ad Deum, vel receditur ab eo: sed similitudo facit proximum, dissimilitudo longinquum. Et nimia miseria est, ab eo bono longe esse, quod ubique est.*

ECCE TURBO, scilicet sententiæ vindictæ et damnationis, non tam temporalis in capite Chaldæorum, quam æternæ IN CAPITE Antichristi et IMPIORUM eius qui Ecclesiam et populum Dei persecuti sunt, CONQUIESCET. Vers. 23

IN NOVISSIMO DIERUM (tempore Christi, et maxime in fine mundi) INTELLIGETIS EA.) Ita Lyran. et Dionys. Vers. 24.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit quasi sub typo liberationis Israelis ex Ægypto, Babylone et Assyria, symbolice describere libertatem, lætitiam, bonaque novi testamenti, et Ecclesiæ multiplicationem per multas terrenas metaphoras, quorum bonorum omnium fons est, quod fæmina circumdabit virum. Denique v. 31. se novum fœdus cum Israelitis sanciturum promittit scribendo legem suam non in tabulis, sed in cordibus eorum, ut omnes cognoscant Dominum. Vide can. 8. et 19. Ita S. Hieron. Raban. Lyran. et Vatabl.

1. IN tempore illo dicit Dominus: Ero Deus universis cognationibus Israel, et ipsi erunt mihi in populum.
2. Hæc dicit Dominus: Invenit gratiam in deserto populus, qui remanserat a gladio: vadet ad requiem
suam Israel. 3. Longe Dominus apparuit mihi. Et in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, mise-
rans. 4. Rursumque ædificabo te, et ædificaberis virgo Israel: adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in
choro ludentium. 5. Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ; plantabunt plantantes, et donec tempus ve-
niat, non vindemiabunt: 6. Quia erit dies, in qua clamabunt custodes in monte Ephraim: Surgite, et ascen-
damus in Sion ad Dominum Deum nostrum. 7. Quia hæc dicit Dominus: Exultate in lætitia Iacob, et hinnite
contra caput gentium: personate, et canite, et dicite: Salva Domine populum tuum reliquias Israel. 8. Ecce
ego adducam eos de terra aquilonis, et congregabo eos ab extremis terræ: inter quos erunt cæcus et claudus,
prægnans et pariens simul cœtus magnus revertentium huc. 9. In fletu venient, et in misericordia reducam eos;
et adducam eos per torrentes aquarum in via recta, et non impingent in ea: quia factus sum Israeli pater, et
Ephraim primogenitus meus est. 10. Audite verbum Domini gentes, et annuntiate in insulis quæ procul sunt,
et dicite: Qui dispersit Israel congregabit eum: et custodiet eum sicut pastor gregem suum. 11. Redemit enim
Dominus Iacob, et liberavit eum de manu potentioris. 12. Et venient, et laudabunt in monte Sion: et confluent
ad bona Domini super frumento, et vino, et oleo, et fœtu pecorum et armentorum: eritque anima eorum quasi
hortus irriguus, et ultra non esurient. 13. Tunc lætabitur virgo in choro, iuvenes et senes simul: et convertam
luctum eorum in gaudium, et consolabor eos, et lætificabo a dolore suo. 14. Et inebriabo animam sacerdotum
pinguedine: et populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus. 15. Hæc dicit Dominus: Vox in excelso
audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non
sunt. 16. Hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo,
ait Dominus: et revertentur de terra inimici. 17. Et est spes novissimis tuis, ait Dominus: et revertentur filii
ad terminos suos. 18. Audiens audivi Ephraim transmigrantem: Castigasti me, et eruditus sum, quasi iuvencu-
lus indomitus: converte me et convertar: quia tu Dominus Deus meus. 19. Postquam enim convertisti me, egi
pœnitentiam: et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui
opprobrium adolescentiæ meæ. 20. Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus
sum de eo, adhuc recordabor eius. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius, ait
Dominus. 21. Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti:
revertere virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. 22. Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? quia creavit
Dominus novum super terram: FOEMINA CIRCUMDABIT VIRUM. 23. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel:
Adhuc dicent verbum istud in terra Iuda, et in urbibus eius, cum convertero captivitatem eorum: Benedicat ti-

bi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus : 24. Et habitabunt in eo Iudas, et omnes civitates eius simul, agricolæ et minantes greges. 25. Quia inebriavi animam lassam, et omnem animam esurientem saturavi. 26. Ideo quasi de somno suscitatus sum : et vidi, et somnus meus dulcis mihi. 27. Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et seminabo domum Israel et domum Iuda semine hominum, et semine iumentorum. 28. Et sicut vigilavi super eos ut evellerem, et demolirer, et dissiparem, et disperderem, et affligerem : sic vigilabo super eos ut ædificem, et plantem, ait Dominus. 29. In diebus illis non dicent ultra : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. 30. Sed unusquisque in iniquitate sua morietur : omnis homo, qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes eius. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus : et feriam domui Israel et domui Iuda fœdus novum : 32. Non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti ; pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. 33. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel, post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. 34. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus : quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius. 35. Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis : qui turbat mare, et sonant fluctus eius : Dominus exercituum nomen illi. 36. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus. 37. Hæc dicit Dominus : Si mensurari potuerint cæli sursum, et investigari fundamenta terræ deorsum : et ego abiiciam universum semen Israel, propter omnia quæ fecerunt, dicit Dominus. 38 Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et ædificabitur civitas Domino, a turre Hananeel usque ad portam anguli. 39. Et exibit ultra norma mensuræ in conspectu eius super collem Gareb : et circuibit Goatha. 40. Et omnem vallem cadaverum, et cineris, et universam regionem mortis, usque ad torrentem Cedron, et usque ad angulum portæ equorum orientalis, sanctum Domini : non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum.

Refelluntur Iudæi. FALLUNTUR ergo Iudæi moderni, qui hoc caput et præcedens ac similia, ut Isaiæ c. 54. Amos c. 9. Zachariæ c. 14. ubi promittitur Iudæis reditus e captivitate, ac felicitas et abundantia rerum temporalium, ad litteram crasse ut sonant accipiunt, quasi ea spectent ipsos et præsentem captivitatem, a qua liberandi sint per suum Messiam, quem iam per 1600. annos inani spe exspectant, et exspectabunt usque ad finem mundi.

I. Nam primo, Prophetæ loquuntur de captivitate illis præsenti, puta Babylonica, quam solvit Cyrus et Zorobabel, non de Romana per Titum, quæ numquam soluta est, nec solvenda : imo hoc c. Ieremias agit de captivitate Assyriaca, quam ad litteram numquam solutam, nec solvendam esse constat : ergo de mystica eiusdem solutione loquitur, quam fecit Christus.

II. Secundo, perennem fore hanc Romanam eorum captivitatem docet Daniel cap. 9. v. 27. ubi idipsum multis confirmavi.

III. Tertio, quia Messiam iam venisse, ac proinde frustra alium iam venturum a Iudæis exspectari, patet ex prophetia Iacob Genes. 49. 10. de Messia venturo mox ut deficeret sceptrum de Iuda, quæ iam in Christo impleta est. Vide ibi dicta, et ex Dan. 9. v. 25. et ex Isaiæ 53. ubi passio et mors Christi nostri plane eodem modo, quo facta narratur ab Evangelistis aliisque historicis, futura prædicitur.

IV. Quarto, quia mystice, non crasse ad litteram, ut sonant, promissa hæc de solutione et reductione captivitatis, accipienda esse, patet primo, quia illud v. 15. *Vox in excelso audita est, etc. Rachel plorantis filios suos*, ad infanticidium Herodis in odium Christi, pertinere docet S. Matth. c. 2. 18. ipseque rei eventus. Secundo, illud v. 22. *Fœmina circumdabit virum*, non nisi ad B. Virginem Christum concipientem referri potest. Tertio, illud v. 31. *Feriam domui Israel et domui Iuda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti;* plane significat vetus pactum cum Mose et Iudæis initum, data lege in Sina, cum ex Ægypto a Deo educti sunt, antiquandum et abrogandum esse, eique surrogandum novum fœdus a Christo instituendum et sanciendum, uti urget et explicat Apostol. Hebr. 8. 8. Illud enim vetus fuit carnale, hoc novum est spirituale. Unde de eo ait v. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum : quia propitiabor iniquitati eorum.* A Quæ omnia per Christum sancientem novum fœdus in sanguine suo, quo propitiavit Deum pro peccatis nostris, qui et claram dedit suis cognitionem Dei et SS. Trinitatis, adimpleta esse, nec ulli alteri competere posse, luce clarius est.

Quinto, quia hoc fœdus a Christo sanciendum cum Gentibus, et ad Gentes hanc Messiæ redemptionem spectare, eamque fore spiritalem, scilicet a dæmone, peccato et inferno, docent Prophetæ, ut Isaias c. 55. 4. *Ecce testem populis dedi eum* (Messiam) *ducem ac præceptorem Gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis : et gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current.* Et c. 60. 3. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi*, o Ierusalem, id est o Ecclesia Christi. Cap. 49. 6. *Parum est ut sis mihi servus* B *ad suscitandas tribus Iacob, et fæces Israel convertendas* (imo v. 5. clare dixit : *Israel non congregabitur*). *Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et v. 12. *Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi.* Vide v. 22. et seq. Et c. 43. v. 5. et 6. et c. 42. v. 1. et 6. *Dedi*, ait, *te in fœdus populi, in lucem Gentium.* Et c. 2. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius.* Ps. 2. 8. *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, etc.* V.

Sexto, Iudæos a Christo ob infidelitatem ab hoc fœdere, eiusque bonis repellendos, et excæcandos esse clare VI.
C prædicit Isaias c. 6. 10. *Excæca cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat; et sanem eum.* Et cap. 50. 1. *Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam, etc. Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Quia veni, et non erat vir : vocavi, et non erat qui audiret.* Osee 1. 6. *Voca nomen eius, Absque misericordia, quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum.* Et v. 9. *Voca nomen eius, Non populus meus, et ego non ero vester* Deus. Et v. 10. *Et erit in loco* (Gentilium) *ubi dicetur eis : Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis.* Et sæpe alibi. Ergo hæc omnia promissa de Messia, de fœdere novo, de solvenda captivitate, dæmonis scilicet et peccati, Gentes potius spectant quam Iudæos : pauci enim Iudæi ad Chri-

stum conversi hæc bona a Deo acceperunt; sed omnes accipient in fine mundi cum ad Christum convertentur. Vide Rom. 9. et seq.

VII. Septimo, ad hominem, Iudæi pertinaciter urgent litteram: urgeamus eamdem et nos, eisque regeramus: Ieremias hoc c. 31. tantum nominat et alloquitur Israel, Ephraim et Samariam, id est decem tribus quæ abductæ sunt in Assyrios, eisque promittit liberationem: ergo hæc non spectant ad duas tribus, id est ad Iudæos modernos, sed ad Samaritas, et ad priscum regnum Israel, quod a Iuda sub Roboam divisum et dissectum est.

VIII. Octavo, fœdus novum quod hic per Messiam sanciendum promittitur, est lex nova, uti explicant veteres Rabbini apud Galatin l. 10. c. 10. Nam ipsi in libro Mechilta, explicantes illud Exodi 12. *Decima die mensis huius*, dicunt: *Non est* ברית *berit, id est fœdus vel pactum nisi lex, sicut dictum est Deuteron.* 29. 1. *Hæc sunt verba fœderis* (id est, legis: hanc enim in Deuteronomio promulgat Moses) *quod præcepit Dominus Mosi, ut feriret cum filiis Israel in terra Moab: præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb.* Idem Exodi 34. 28. *Et scripsit in tabulis verba fœderis decem; fœderis,* id est legis: lex enim erat conditio fœderis; unde et fœdus hoc per legem explicat dum subdit: *Dabo legem meam in visceribus eorum.* Si lex nova danda erat per Messiam, ergo vetus et Mosaica per eumdem erat abroganda, futurumque ut abrogaretur circumcisio, sacrificia, purificationes, cæremoniæ, aliaque carnalia præcepta lege veteri præscripta, hoc est, ipse iudaismus; ac in spiritalia, v. g. in circumcisionem mentis et spiritus, in mortificationem passionum, in purum castumque Dei cultum in spiritu et veritate, id est in christianismum, commutaretur. Hoc est enim quod promittit Deus: *Dabo legem meam*, non in corpore, *sed in visceribus eorum: et in corde*, non in carne, *eorum scribam eam.*

Vaticinatur de Samaria, in qua primo floruit Ecclesia.

Nota: Cap. præced. maxime egit de Ecclesia ex Iudæis congreganda in fine mundi; quia ibi locutus est de duabus tribubus, earumque peccatis, desolatione et liberatione per Christum: pauci autem ex illis convertentur ante finem mundi. Hoc vero c. loquitur de decem tribubus et Samaria, ubi statim post Christum floruit Ecclesia, deque ipso novo fœdere, quod Deus per incarnationem Christi nobiscum iniit. Itaque hoc c. loquitur de primordiis Ecclesiæ Christi, quæ statim se sparsit per Ephraim, id est per Samariam, ibique avide recepta, mire propagata est, ut patet Act. 8.

Ubi nota secundo, recte dicere Ieremiam et Prophetas, quod Sion, Ierusalem, Ephraim, Samaria, etc. reducta sint, redempta, restaurata et reædificata per Christum: quia Christus veterem Ecclesiam (quæ erat in Iudæa et Samaria) labantem, per novam quam ei substituit, restituit et restauravit, imo ad nobiliorem statum et dignitatem evexit; quando ex Israele, Iuda et Ephraim terreno et carnali fecit Israelem, Iudam et Ephraim cælestem, spiritalem et divinum: itaque Prophetæ apposite suos cives, et sui temporis homines quos alloquuntur, consolantur, promittendo scilicet eis hæc bona et dona Christi. Vidi cap. 6.

Vers. 1. IN TEMPORE ILLO.) Hæc verba primi versus, ad caput præcedens refert S. Hieron. Lyran. Hugo et alii, eoque pertinent.

Vers. 2. INVENIT GRATIAM.) Sept. pro חן *chen*, id est *gratiam*, legerunt חם *cham*, id est *calidum*, vertuntque, Invenit (Deus) calidum, id est populum Hebræum in deserto fame et calore æstuantem.

POPULUS, QUI REMANSERAT A GLADIO.) Id est ut Hebræa et Chald. Iudæi Ægypto exeuntes, qui tum Pharaonis, tum Dei, rebelles punientis, gladium in deserto evaserunt, invenerunt gratiam, et ut ait Chald. misericordiam apud Deum, ut intrarent in requiem in terra promissa. Ita Chald. Lyranus, Vatablus, q. d. Multo ergo magis iam *vadet Israel*, id est fidelis populus, ducente Christo, *ad requiem* æternam.

Aliter S. Hier. Raban. et Hugo explicant, q. d. Populus Iudæorum, qui immunis a Romano vel divino remanserat gladio, invenit gratiam in deserto Gentium ut intra turbam Gentium in Ecclesia Christi salvaretur.

Tertio, Theodoret. S. Thom. et Sanchez sic explicant, q. d. Ex Babylone per medium desertum reversus est Israel in patriam quietem. Verum primus sensus est genuinus.

VADET AD REQUIEM SUAM ISRAEL.) Vatabl. et Pagnin. vertunt: *Deus ivit ante eum* (Israelem) *ut illi requiem pararet* in Chanaan: sic et Chald. Melius Noster vertit per futurum *vadet;* quia Hebr. et Sept. habent *vade,* id est, vadet: melius enim imperativus accipitur pro futuro, quam pro præterito.

LONGE DOMINUS APPARUIT.) Id est, longe a me recessit Dominus. Ita S. Hieron. Vers. 3.

Secundo, in longum tempus differt Dominus apparere nobis, ut liberet nos e Babylone. Ita Hugo: vel ut Lyran. in finem mundi differt se ostendere: tunc enim complebit promissiones Iudæis factas, de eorum ad Christum conversione et salute.

Tertio et optime, Chald. Vatabl. Sanchez et a Castro sic explicant, q. d. A longo tempore, iam olim visus est, et favit mihi Dominus in Sina et deserto; at iam videtur me deseruisse in captivitate Babylonica, vel potius Assyriaca. Sunt verba Synagogæ, sive Israelis, id est decem tribuum, cui respondet Deus: Erras, mi popule, non te deserui, *et*, id est imo, quinimo, *charitate perpetua,* hebr. עולם *olam*, id est a sæculo, ab olim *dilexi te*, q. d. Eodem quo olim prosequor te amore, idque non merito vitæ tuæ, sed mea sola misericordia.

IDEO ATTRAXI TE, MISERANS.) q. d. Ideo conatus sum et conor semper, iam blandiendo, iam flagellando, te ad me attrahere, quia tui misereor: quem enim diligo, castigo. Alii vertunt, *attraxi te misericordia*, id est multis beneficiis, iuxta illud Osee 11. 4. *In funiculis Adam* (id est amore et beneficiis, quibus allici et trahi solent homines) *traham eos in vinculis charitatis.* Alii denique sic vertunt, q. d. Idcirco protraxi diu meam erga te misericordiam, idcirco longa erga te patientia et misericordia usus sum. Ita R. David. Sed primus sensus est genuinus. Est hic quasi dialogus inter Deum et Synagogam. Ita S. Aug. lib. de Altercat. Ecclesiæ et Synagogæ, t. 6.

RURSUMQUE ÆDIFICABO, restaurabo, te. Vers. 4.

ADHUC ORNABERIS TYMPANIS.) Sicut cum Ægypto egressa es, et post transitum maris rubri tam felicem choreas duxisti ad tympanum Mariæ: ita iam restituam te in pristinam gloriam et festivam lætitiam, cum e Babylone et Assyria te reducam in Iudæam, ait S. Thom. et Theod. vide l. 3. Esdr. 5. 2. Et longe potius, cum te in Ecclesiam meam reducam, in eaque te ædificabo per Christum et Apostolos iuxta id quod promisi per Amos c. 9. 11. tunc enim servies mihi, et gratias ages in hymnis et canticis spiritualibus. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus, Vatablus. Respondet hic Deus Iudæis in Babylone mœrentibus, et dicentibus Ps. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion. In salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Hisce enim libertatem, gaudium, cantica, tympana et choros se restituturum hic promittit.

ADHUC PLANTABIS VINEAS IN MONTIBUS SAMARIÆ.) Vers. 5. Quia post reditum tres civitates Samariæ additæ sunt Iudææ, 1. Machab. c. 10. v. 30. Ita S. Thom. Sed hoc exile est: nam non Iudæi, sed Gentes reliquam omnem possederunt Samariam, 1. Esdr. cap. 4. 10. Oportet ergo hæc intelligere de conversione Samaritanorum ad fidem Christi, et per *vineas* particulares Ecclesias, q. d. Multos ad te, o Sion. o Ecclesia Christi, convertam in Samaria per prædicationem Evangelii, ut multas ibi fundes Samaritanorum Ecclesias. Ita factum esse patet Ioan. 4. 41. Act. 8. 14. Constat enim Samaritanos, id est decem tribus, ab Assyriis in Assyriam abductos, numquam in Samariam rediisse.

Mystice ergo hæc peracta sunt per Apostolos in Sama-

ria, de quibus Isaias c. 52. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem!*

Plantabunt plantantes, et donec tempus veniat, non vindemiabunt.) Hebr. et Chald. est: *Plantabunt plantantes, et profanabunt*, sive *communem facient*, q. d. Uti olim Levit. 19. 23. fructus arborum tribus primis annis immundi censebantur, nec Iudæis licebat eis vesci; quarto vero anno consecrabantur Domino, et quinto anno profanabantur, id est, fiebant communes, et licebat omnibus, etiam profanis et laicis, eis vesci: ita Apostoli et similes multis annis, et multa patientia vineam Domini excoleant, atque longanimiter exspectabunt fructum, et tempus vindemiæ qua tandem læte fruentur.

Verum, quia non labor, sed potius merces et fructus Ecclesiæ hic promittitur; hinc secundo, melius sic exponas, q. d. Uti Iudæi olim iuxta legem Levit. 19. ita et Apostoli per longos multorum annorum labores, pervenient tandem ad optatum tempus vindemiæ, et fructu laborum suorum fruentur, cum viderint tot infideles converti, qui paulatim desuescent et obliviscentur gentilismum et iudaismum, quos antequam ab eo fuerint purificati, non vindemiabunt, id est a pristinis ritibus vi non avellent: sed suaviter et sensim ab iis illos abducent, tumque ipsis plane purgatis vescentur, hoc est, iucunde fruentur, eosque aliis communes facient, hoc est, gaudium et fructum suum, puta eorum conversionem et conversationem sanctam aliis fidelibus communicabunt, uti fecit S. Paulus Rom. 1. 8.

Vers. 6 Quia erit dies, in qua clamabunt custodes.) Dicendo, Ascendamus e Babylone ad patriam nostram in Ierusalem. Ita Theodoretus, Hugo, S. Thomas. Secundo et melius, S. Hieron. Raban. Hugo, Lyran. Vatabl. q. d. Apostoli et alii vinearum, id est Ecclesiarum, custodes, Samariæ montes peragrantes evangelizando, clamabunt: Eia ascendamus ad Ecclesiam Christi in Sion fundatam, q. d. Convertent Apostoli Ephraim, id est decem tribus, ad Sion, id est ad Ecclesiam Christianam.

Vers. 7. Exsultate in lætitia Iacob.) Hebr. ליעקב *leiaacob*, id est Iacobi, vel Iacobo, q. d. Congaudete et congratulamini Iacobo, id est Israelitis et Samaritis, ob lætitiam, libertatem et gratiam, quam attulit eis Christus, Philippus, Petrus et Ioannes, Act. 8.

Hinnite contra caput Gentium.) Vociferamini iubilantes contra Gentes, vel coram Gentibus, ut illæ vobis adhinniant, et pariter in Christi fide iubilent. Hebr. est *in capite Gentium*, id est primi inter Gentes, vel ante Gentes fruimini Evangelio vos, o Samaritæ, ideoque iubilate. Alii vertunt *contra Gentes*, scilicet quæ Evangelio resistent, aut, ut Lyranus, contra diabolum, quæ est caput Gentium.

Salva, Domine.) *Salva*, id est salvasti; ita Septuag. et Chald. Est enim vox redeuntium e captivitate, et proinde non tam futuram salutem postulantium, quam de ea iam accepta gratias agentium et iubilantium. Ponitur per enallagen Hebr. imperativus pro præterito. Hoc enim significat Hebr. הושענא *hoscianna*, quod Christo quasi Messiæ suo inaugurando, ac Triumphatori acclamarunt Iudæi Matth. 21. 15. Ita Maldonat. Sanchez. Caninius et alii. *Hosanna* ergo idem est, q. d. Salvasti nos, et salvare nos perge. Tu es enim omnis salus nostra, tu salvator perennis.

Vers. 8 Inter quos erunt cæcus.) q. d. Omne genus hominum, sine personarum acceptione e terra Aquilonis, id est e Chaldæa, redibit, etiam cæci, claudi et prægnantes, qui minime possunt iter suscipere, præsertim tam longum. Ita Chald. Hugo, S. Thom. et Theod.

Secundo et potius, omne genus hominum ex terra Aquilonis, id est ex regno diaboli, per Christum redibit ad Deum et Ecclesiam, a qua per peccatum exciderat. Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Lyranus et Vatablus. Septuag. vertunt: *Congregabo eos ab extremo terræ in solemnitate paschæ*, quasi post diem paschæ Iudæi egressi sint Babylone (licet nec Esdras, nec Ioseph id habeant) sicut Christus in paschate occisus, multos statim collegit

A sibi filios. In Christo ergo verificatur hæc versio Sept.

Vers. 9 In fletu venient.) Flebunt fideles venientes partim præ gaudio et lætitia spirituali, ob tantum bonum et salutem; partim præ contritione peccatorum suorum; partim, ut Lyran. præ amore et compassione Christi, pro se patientis et crucifixi. Septuag. et Chald. vertunt: *In fletu iverunt*, scilicet in captivitatem, *sed in gaudio revertentur.*

Adducam eos per torrentes aquarum.) Puta per doctrinas Apostolorum et prædicatorum, qui quasi torrentes fundent aquam gratiæ, et sanæ doctrinæ. Secundo, per Sacramenta, quæ sunt fontes gratiæ. Ita Lyranus. His deducentur fideles in viam rectam et facilem sine offendiculis. Tertio et planissime, *Deducam eos per torrentes aquarum*, id est faciam eos superare omnia obstacula, omnesque viæ difficultates, eisque quasi viam complanabo, ut omnes ad Ecclesiam, expedite venire possint. Hoc est quod promittit Isaias 40. 4. *Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.*

B Quia factus sum Israeli, id est duabus tribubus, pater, et Ephraim primogenitus meus est.) *Ephraim* id est decem reliquæ tribus, inquit S. Hieron. Raban. et Hugo; vel ut a Castro, *Israel* vocantur duæ tribus, *Ephraim* vocantur decem tribus; hic ergo Ephraim mihi charus est, ut primogenitus.

Alludit ad Iacob, qui Manassi seniori filio prætulit Ephraim iuniorem, decussatis manibus ei dexteram imponens, quo significabat per crucem Christi Samaritas et Gentes in Ecclesia Christi primas futuras, et præponendas Iudæis, qui priores et potiores erant in filiatione, cultu et templo Dei. Unde efficacius cum Sanchez hunc locum sic vertas et explices, q. d. Ego per Apostolos factus sum Israeli, id est Samaritis, pater, id est, tamquam pater: pater, inquam ille a quo vocati sunt Israelitæ.

Dices: Israelitæ, id est decem tribus iam translatæ erant in Assyriam, et pro eis in Samariam submissi sunt ex Assyria coloni, qui dicti sunt Cuthæi; quomodo ergo C eos hic vocat Israelitas et Ephraimitas? Resp. Causa est, quia priores incolæ Samariæ fuerunt Israelitæ, unde et successores eorum vocantur Israelitæ, præsertim quia multi veri Israelitæ vel remanserunt, vel redierunt in Samariam, ut patet Ieremiæ 3. v. 18. et Tobiæ 14. 6. Quocirca Cuthæi cum eis coaluerunt in unam gentem, dicique et haberi voluerunt Israelitæ; unde et Deum Israel coluerunt, ut patet 4. Reg. 17. 28. Denique quia conversi ad Christum facti sunt genuini Israelitæ, id est posteri et filii Iacobi et Abrahæ secundum fidem et spiritum, Roman. 9. 7.

De manu potentioris.) Id est de potestate tum Nabuchodonosoris, tum potius diaboli. Vers. 11.

Et laudabunt in monte Sion, in Ecclesia, et confluent ad bona Domini, scilicet super frumento, et vino, et oleo.) Id est ad frumentum, vinum et oleum. Ita Vatablus. Nota catachresin: per hæc enim bona terrena significantur bona spiritualia, quæ hic inchoantur Vers. 12.
D et complebuntur in cælo. Per *frumentum* et *vinum* significatur Eucharistia: ipsa enim est *frumentum electorum, et vinum germinans virgines*, Zachar. 9. 17. Per *oleum* significatur Spiritus sancti gratia et unctio: per *fœtus pecorum et armentorum*, multiplicatio fidelium, tum simplicium, tum sapientum.

Non esurient.) q. d. Non habebunt penuriam cibi spiritualis verbi Dei, gratiæ et Sacramentorum; sed iis pascentur et irrigabuntur instar horti, iuxta aquas irrigui. Est metonymia: alioqui fideles qui hæc bona comedunt, adhuc esuriunt ampliorem gratiam; sed in cælo tolletur omnis eorum esuries, per consummatam gratiam et gloriam: inebriabuntur enim ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis suæ potabit eos.

Tunc lætabitur virgo in choro.) Ad litteram, ut Vers. 13.
alia taceam, videmus tot virginum turmas in cœnobiis, per choros laudes Deo canere.

Inebriabo, q. d. Satiabo et copiose explebo, animam, Vers. 14.
id est appetitum, sacerdotum pinguedine.) Scilicet gra-

tia Spiritus sancti. Alludit ad victimas veteres, in quibus pinguissima pars, post eam quæ Deo cremabatur, cedebat sacerdoti, q. d. Pinguioribus victimis pascam sacerdotes novi quam veteris Testamenti, nimirum corpore et sanguine Christi; item donis Spiritus sancti: quibus cum repleti essent Apostoli, videbantur esse ebrii, Actor. 2. 13. Ita Maldonat. Hanc pinguedinem vidimus et videmus in B. Dominico, Vincentio, Xaverio, aliisque sacerdotibus Apostolicis.

Vers. 15. Rama urbs, quæ?

VOX IN EXCELSO.) Hebr. *in Rama*. Rama nomen est urbis ita dictæ, quod sita sit in loco excelso. Ita Sept. Chald. et alii. Urbs hæc est in tribu Beniamin, iuxta Gabaa et Bethel, et per eam a Ierusalem captivi ducti sunt Iudæi in Babylonem, Ierem. 40. 1.

Dices: Cur in lætitia et iubilo Propheta meminit luctus? Resp. ut significet maiorem fore lætitiam, quæ ex tanto luctu consequetur, et in quam luctus hic desinet: dixerat enim v. 13. *Convertam luctum eorum in gaudium;* unde subdit v. 16. *Quiescat vox tua a ploratu, etc.*

Quæres, quisnam hic luctus et ploratus?

Planctus Rachel in Rama quis? I. Sententia.

Primo, Origen. hom. 3. in diversos, Auctor quæst. novi et veteris Testamenti apud S. Augustin. q. 62. et Hugo, accipiunt hæc de cæde Beniaminitarum ob vim illatam uxori Levitæ, Iudic. 20. q. d. Rachel, mater Beniamin, horum nepotum suorum stragem ita ploravit, ut lamenta eius audirentur in vicina urbe Rama.

II. Secundo, aliqui apud S. Hieron. hæc accipiunt de lamentatione matrum in excidio Ierosolymæ per Titum.

III. Tertio, S. Hieronym. Raban. Chald. S. Thom. Vatabl. Sanchez, a Castro et Maldon. putant ad litteram hic agi de captivitate, vel Babylonica duarum tribuum, vel Assyriaca decem tribuum; sicque explicant. Quia, inquiunt, Rachel fuit mater tribus Beniamin, quæ fuit una ex duabus abductis in Babylonem: hinc significat matres plorantes captivitatem Babylonicam duarum tribuum. Addit R. Salomon, ideo Rachel sepultam esse in Iudæa iuxta Bethlehem, ut oraret pro filiis suis ea hora, qua illos ex patria sua Nabuzardan expelleret in Babylonem. Rursum, quia Rachel fuit mater Ioseph, patris Ephraim, qui fuit caput decem tribuum; hinc Rachel significat hic matres in Samaria, plorantes captivitatem decem tribuum. Verum sic dicendum fuisset, quod Rachel in Samaria, vel Ephraim ploraret: non autem in Rama. Rursum S. Matthæi cap. 2. v. 18. ait, hanc prophetiam impletam esse in matribus plorantibus infantes suos, quos Herodes occidit in odium Christi: ergo non est impleta in matribus plorantibus excidium Hierosolymæ per Babylonios vel Assyrios.

Dices: In his impleta est litteraliter, in illis allegorice: eo quod matres hæ plorantes typus, aut potius simile quid fuerint illarum, infantes suos occisos plorantium, q. d. Matthæus: Verba Ieremiæ dicta de excidio Hierosolymæ, recte etiam quadrant infanticidio Herodis: similis enim fuit in utroque luctus et planctus matrum. Verum obstat, quod Iudæi ducti in Babylonem ob sua scelera, non recte possint dici typus infantium innocentium, et Martyrum, qui non in Babylonem, sed in cælum per mortem conscenderunt. Rursum Scriptura non dicitur impleri in simili, vel cum simile quid accidit: alioquin enim diceremus, omnes prophetias Ieremiæ, dictas de excidio Hierosolymæ, impletas esse in excidio Constantinopolis, et quarumvis urbium, quæ eversæ sunt: rursum passionem Christi impletam esse in passione cuiusvis Martyris, quod nemo dixerit. Non enim dici possunt impleri Scripturæ in sensu accommodatitio tantum: sic enim quidvis cuivis simili accommodantes, diceremur illud implere. Adde, hanc sensum accommodatitium non esse intentum a Spiritu sancto.

IV. Et vere, Rachel, i est, matres Bethlehemitæ plorarunt infantes suos occisos ab Herode.

Dico ergo, Ieremiam alludere quidem in nominibus Israel, Ephraim, Sion, terra Aquilonis, ad Babylonicam et Assyriacam captivitatem, eiusque planctum, ut dixi in Synopsi capitis: revera tamen de ea non loqui, sed ad litteram loqui de planctu matrum Bethlehemitarum, ob infanticidium Herodis: toto enim hoc capite agit de tempore et Ecclesia Christi. Ita Theodor. Hugo, Lyran. Vatablus, et alii, imo S. Matth. cap. 2. 18. Quem locum Iuvencus presbyter docte ita carmine expressit:

Misero sobolis pro munere matres
Horrendis graviter cælum pulsare querelis.

Ubi Nota τὸ *pro munere:* hi enim infantes fuerunt quasi munus gladiatorum, et spectaculum in hippodromo pueriili necati, inquit Delrio adagio 862.

Cur hæ matres vocentur Rachel. I. Causa.

Nota, per Rachel, utpote matrem, intelligi omnes matronas Bethlehem. Est metonymia, qua per personam locus aut posteri significantur. Rachel enim mater fuit Beniamin, qui cum Iuda fuit mistus, adeoque Origenes ait, Herodem infantes occidisse non tantum ex tribu Iuda, sed et Beniamin: et Rachel sepulta in Bethlehem, suo corpore quasi eam possedit, ut videretur esse magna mater omnium Bethlehemitarum.

II. Secundo, significat amarum fuisse planctum: quia Rachel liberorum maxime fuit avida et amans, et consequenter in eorum morte maxime lugens; præsertim quia duos tantum habuit, et in unius, scilicet Beniamin, partu, dolens exspiravit in Bethlehem, ideoque eum vocavit Benoni, id est filium doloris. Addit a Castro, Rachel quasi mortuam excitari ad planctum, quasi tanta sit calamitas, ut ad eam plangendam viventes non satis sint, sed oporteat mortuos ad hoc excitare.

III. Tertio, τὸ *in excelso*, vel *in Rama*, significat vocem plorantium ingentem fuisse, quæ ex alto loco diffusa, longe lateque audiretur.

Cur ait in Rama, non in Bethlehem?

Dices: Rama erat satis procul a Bethlehem: sita enim erat in tribu Beniamin iuxta Gabaon, ut patet Iosue 18. 25. et Iud. 19. v. 1. 13. et 16. ergo dicendum erat, *Vox* in Bethlehem audita est, non, *in Rama:* in Bethlehem enim occisi sunt infantes. Respondeo, non tantum in Bethlehem, sed circumcirca in locis vicinis occisos fuisse infantes. Significat ergo Propheta iunctus Evangelistæ Matthæo, qui eum explicat, utramque tribum plorasse in hoc infanticidio, scilicet Iudam per Bethlehem, Beniamin per Rama, tantumque fuisse planctum in Bethlehem, ut in Rama exaudiretur; ibique deinde vicinorum suorum, et infantium cognatorum cædem plangerent. Erat enim Rama in confinio tribus Iudæ et Beniamin, ut patet ex loco Iudicum citato. Unde Maldonat. sic explicat: *in Rama,* id est usque ad Rama. Addit Origenes, in Rama quoque et Beniamin occisos fuisse infantes, ut paulo ante dixi.

Resp. quia Rama erat loco alto et in confinio Iudæ et Beniamin.

QUIA NON SUNT.) Quia occisi et mortui sunt.

Vers. 16.

EST MERCES OPERI TUO.) *Opus* vocat captivitatem et servitutem, luctum et lacrymas, inquit Maldonat. q. d. Luctum convertam in gaudium; captivitatem libertate, et rerum omnium copia compensabo. Verum quia Propheta non de captivitate, sed de infanticidio loquitur: hinc merces operis hic debet accipi merces patientiæ matrum, et martyrii parvulorum. Unde S. Hieronym. in comment. vertit, *est merces filiis tuis*, q. d. Ne fleas, o Rachel, o Bethlehem, filiorum cædem; quia filii tui habituri sunt mercedem sanguinis pro Christo effusi, scilicet palmam martyrii, et pro terra Herodis inimici possidebunt regna cælorum; sicque reversuri sunt ad terminos suos, id est ad patriam cælestem, quando pro corpore humilitatis recipient corpus gloriosum. Hanc vocat spem novissimam *(et est*, inquit, *spes novissimis tuis)* quia scilicet, iusti patientes, et Martyres in fine mundi adipiscentur vitam beatam et gloriosam quam sperarunt, ut fulgeant sicut sol; et infantes quondam parvuli, absque ætatum incremento, iniuriis, et labore corporeo, resurgent in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, inquit S. Hieron.

Merces mortis Innocentium est palma martyrii.

Martyrium iustificat quasi ex opere operato.

Unde Nota: Non ait: Est merces voluntati tuæ: hanc enim habere non potuerunt infantes, sed *est merces operi tuo*, id est morti et martyrio tuo. Sub opere enim passionem intelligit. Pari modo etiamnum infantes Christiani qui in odium Christi a Iudæis vel infidelibus occiduntur, sunt Martyres, et martyrii palmam merentur, non ex aliquo voluntatis actu, quem habere nequeunt, sed ex ipso opere martyrii. Sicut enim Deus ex sua liberalitate constituit Sacramentum baptismi infantibus, ut eo iustificen-

tur ex opere operato: ita eisdem constituit eadem de causa martyrium. Unde Theologi docent: martyrium infantes purgare a peccato originali, eosque iustificare quasi ex opere operato. Est enim hic baptismus non aquæ, sed sanguinis. Ita Ecclesia colit S. Simonem infantem Tridentinum a Iudæis die veneris sancto in odium Christi excarnificatum. Ita inter Martyres Trevirenses colit et infantes, qui in communi totius urbis strage pariter cæsi sunt. Item infantes combustos in illa Phrygiæ civitate, quæ ob Christi fidem iussu Diocletiani cincta, et succensa, cum omnibus incolis, conflagravit, de qua Euseb. l. 8. hist. c. 11. Ita ut Martyr colitur puerulus ille, qui tempore Iustini Imp. ad pyram pro Christianis a Iudæo Dunaan in Nagran Arabiæ urbe accensam accessit, cumque matrem in eam iniectam videret, mox et ipse in eamdem se iniecit, et exustus est. Illustrem hanc historiam fuse narrat Baron. anno Christi 522.

Infantes plures Martyres.

Vere et eleganter S. August. serm. 1. de Innocent. *Nascente*, ait, *Domino luctus cœpit, non cælo, sed mundo: indicitur matribus lamentatio, Angelis exultatio, infantibus transmigratio. Deus est qui ortus est: Innocentes illi debentur victima, qui venit damnare mundi malitiam. Agni debent immolari, quia agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccata mundi. Sed oves ululant matres, quia agnos perdunt sine voce balantes. Grande martyrium, crudele spectaculum.* Et inferius: *Pignora sunt non credita, sed ereata; non posita, sed exposita. Miscebatur lamentatio matrum, et ad cælum transibat oblatio parvulorum.* Prudentius quoque in hymno eorumdem:

Salvete, ait, *flores Martyrum,*
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma et coronis luditis.

Exstat hic Romæ in templo S. Stephani rotundo de iisdem tetrastichon, quod quia pium est et festivum, hic adscribam:

Sinceræ animulæ, candidi pueluli,
Vix nata nato dant Deo corpuscula;
Pugnantque inermes, et relicta parmula,
Vincunt cohortes, quas ferire nesciunt.
Iam pulchriores liliis et gemmulis,
Iam clariores ignis scintillulis,
Beata mulcent voculis sedilia.
Ferox tyrannus, ferreique pectoris,
Qui parricidas intulit vobis manus,
Ferrumque sacris polluit cerviculis.
Heu! sic avicula tollitur de nidulis,
Matrisque rapitur sic papillis hinnulus,
Recensque nati sic leguntur flosculi.

Vers. 18. AUDIVI EPHRAIM TRANSMIGRANTEM.) Est vox Dei de Ephraim, id est decem tribubus in captivitatem abductis ab Assyriis, q. d. Habui rationem lacrymarum Ephraim in exilio, eumque inde revocavi. Unde pro *transmigrantem* hebr. est מתנודד *mitnodad*, id est *vagantem*, errantem, discurrentem, uti faciunt exsules, inopes et vagabundi. S. Hier. vertit, *lamentantem*. Ita explicat S. Hier. et Theodor. Verum, quia decem tribus e captivitate non redierunt, et quia hoc capite agit Propheta de Christo Christique redemptione, atque, sub typo captivitatis tum decem, tum duarum tribuum, describit earumdem captivitatem sub peccato et diabolo; hinc sensus est, q. d. Audivi Israelem in captivitate diaboli et peccati gementem, quod eum pœniteat suæ inobedientiæ et peccati; unde clamans ad me dicit: CASTIGASTI ME, ET ERUDITUS SUM. Cum enim ante iuvenco indomito similis essem, tu tuis flagellis domuisti me. Nam, ut ait Eccli. 33. 27. *Iugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant*
Vers. 19. *operationes assiduæ.* POSTQUAM ENIM OSTENDISTI MIHI, scilicet statum meum, quo eram sine te captus, non corporaliter ab Assyriis, sed spiritualiter a dæmonibus, e-

A ramque eorum, æque ac peccati et gehennæ mancipium; tunc indolui, et in signum doloris PERCUSSI FEMUR MEUM.) Ita Theodoretus.

Nota. Sept. et Chald. aliter vertunt, scilicet: *Induxisti super nos correptiones, neque edocti sumus quasi vitulus non assuetus iugo;* quasi Ephraim roget, ut Deus hanc suam duritiem molliat et convertat.

Tropolog. S. Gregor. 24. Moral. 26. *In femore*, inquit, *voluptas carnis accipitur: q. d. Postquam superna spiritualiter vidi omne quod in me inferius carnaliter vivebat, exstinxi.*

Moral. femur percutere est voluptatem carnis extinguere.

Ubi Nota: Aliter ostendit homini peccatum diabolus, aliter Deus. Diabolus ostendit peccati delicias, et boni delectabilis aut honorifici speciem et fucum. Deus hanc larvam detrahit, ipsamque in se peccati formam et turpitudinem, pericula, pœnasque præsentes et æternas ostendit. Hinc ostensio Dei parit odium, diaboli vero amorem peccati, ut cum Evæ ostendit lignum vetitum, quasi visu pulchrum, et aspectu delectabile, persuasit ei ut ex illo co-
B mederet.

CONVERTE.) Nota: Ephraim iam conversus, uti dixit paulo ante, optat plenius converti, ut Deus augeat in eo sui et peccati cognitionem, æque ac dolorem et detestationem. Ita S. Hieron. et Raban. Hinc patet conversionem nostram incipere a Deo, Deique gratia liberum arbitrium præveniente; ait enim Propheta: *Converte me, et convertar.* Ita contra Pelag. passim docet S. August. tom. 7. et ex eo Concil. Trident.

SUSTINUI OPPROBRIUM ADOLESCENTIÆ.) Lasciviæ meæ, et peccatorum, quæ adolescens feci. Est catachresis: adolescentia enim cupiditatibus, ignorantia et peccatis est plena. Vel dies adolescentiæ, ad litteram accipe dies superiores, cum recens erat fœdus coniugii Iudæorum cum Deo, in deserto sub Mose. Aut, ut Maldonat. adolescentiam suam vocat omne tempus, quo nondum a Deo castigatus erat; sed ut iuvenculus indomitus non ferebat iugum obedientiæ.

C SI FILIUS.) To *si* speciem habet interrogantis, sed vim Vers. 20.
asseverantis. Respondet enim Deus Ephraim pœnitenti, et quasi in eius ruit amplexus, q. d. *Si*, id est numquid non, postquam Ephraim pœnitentiam egit, ego oblitus sum omnium peccatorum adolescentiæ eius, atque recordatus sum amoris, quo eum olim sum prosecutus: ideoque eum quasi filium habeo in pretio, honore et deliciis, et ut Hebr. habent, *ipsi mihi est puer deliciarum;* Chald. *puer amabilis*, quem semper in oculis, mente et memoria gero? Ita S. Hieron. et Raban. Ita S. Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia, S. Paulus, S. Matthæus pœnitentes fuerunt pueri deliciarum Deo et Christo. Vide hic quid faciat pœnitentia, scilicet ut peccatores antea Deo exosi, iam sint ipsi in deliciis.

IDCIRCO CONTURBATA SUNT VISCERA MEA.) q. d. Ita tenere eum amo, ut non possim eius meminisse, quin viscera mea commoveantur ex intima commiseratione.

STATUE TIBI SPECULAM.) Putant aliqui hæc dici Iu- Vers. 21.
dæis euntibus in Babylonem, ut scilicet in via qua ducun-
D tur, passim lapides in titulos et speculas erigant, ut quasi brevi redituri, sciant viam, qua redire debeant. Eosdem lapides vocat *amaritudines*, id est signa amari laboris et doloris, quem passi sunt Hebræi, cum illa via captivi ducerentur in Babylonem. Ita Sanchez et Maldonat. Verum loquitur Propheta *Ephraim*, id est decem tribubus, quæ numquam redierunt e captivitate, uti notat S. Hieronym. Sensus ergo est, *statue tibi speculam*, q. d. Vigila, et speculare quid sit peccatum, quam amarum sit reliquisse Dominum, quæ mala præsentia et æterna tibi inde provenerint, quam felix eras ante peccatum: hinc *pone tibi amaritudines*, id est conterere, dole et plora amare. Rursum, speculare quid tibi peccati et miseriæ fuerit occasio, ut eam deinceps caveas. Vide S. Gregor. 31. Moral. c. 31. Secundo, ut S. Hieron. *statue tibi speculatores* (hos enim quoque significat Hebr. ציונים *tsiunim*) qui tibi prænuntient, advenire per Christum tantam rerum omnium felicitatem: et plange antiqua peccata, para viam Christo,

et rectas fac semitas eius, ut ait S. Ioannes Baptista: recta enim reverti te faciam ad civitates tuas, quas captiva deseruisti, puta in Samariam, Sion et Ierusalem, non corporalem, sed spiritualem; scilicet ad Ecclesias Christi, quæ toto orbe in singulis provinciis erigentur et constituentur. Proprie etiam, si vis, ex Assyria revertere ad civitates tuas in Samaria, ubi videbis et gaudebis Ecclesias Christianas erectas, florere omnibus bonis spiritualibus: hæ enim primæ susceperunt Apostolos et christianismum, ut patet Act. 8. ideoque præ aliis hic Propheta alloquitur Ephraim et Samaritas, eosque ad hoc gaudium suum invitat.

Anagogice, per civitates has accipe Ecclesias et choros iustorum in cælis.

Moraliter disce hic, volenti se a peccato convertere, conscendendam esse speculam, ut animum in cælum ad cælestia et divina attollat, indeque despiciat hoc terræ punctum, et terrena omnia quæ ad peccatum alliciunt: ac deinde ponat amaritudines, hoc est dolorem cordi, lamenta et pœnas corpori infligat, ut æternas gehennæ amaritudines redimat et evadat.

Aliter Lyranus, ut sint verba Christi, q. d. Speculare mysterium incarnationis, et palmas Innocentium Martyrum, quæ fuerunt signa iam nati Christi, et dirige cor tuum ad viam mei Evangelii, in qua ego Christus ambulavi.

Dirige cor tuum in viam rectam.) Vere S. August. in Sentent. n. 245. *Rectum*, ait, *cor cum Deo est, quando propter Deum quæritur Deus.*

Vers. 22. Usquequo deliciis dissolveris? q. d. Quousque, o Ephraim, per delicias et impietates vagaris, a Deo tuo fugis, ad Gentium deos et reges discurris? respice quod dicam, in quo sita sit tua beatitudo, unde exspectanda sit tuæ miseriæ salus, tuæ captivitatis, non sub Salmanasar, sed sub diabolo, liberatio. Audi quod numquam audisti, novam ini viam et vitam: quia novum creavit Dominus, id est novam et inauditam rem faciet, quasi novum creationis opus, scilicet opus incarnationis et nativitatis Christi, sine opera virili. Ita Raban. atque hoc est quod sequitur: Foemina circumdabit (Arabicus *vivificabit*) virum.) Novum hoc multa nova et mira complectitur, inquit S. Bernard. homil. 2. Super Missus est: *Quia in eo*, inquit, *agnoscitur longitudo brevis*, *latitudo angusta*, *altitudo subdita*, *profunditas plana: ibi agnoscitur lux non lucens*, *Verbum infans*, *aqua sitiens*, *panis esuriens: videas si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem*: *videas si attendas tristari lætitiam*, *pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari: sed quod non minus mirandum est*, *ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans*, *infirmitas roborans. Porro Deum decebat huiusmodi nativitas*, *qua nonnisi de virgine nasceretur: talis congruebat et virgini partus, ut non pareret nisi Deum.*

Opus incarnationis Christi fuit quasi opus creationis Spiritus sancti, quia factum est sine opera viri. Nova et mira facta in incarnatione Christi.

Miracula septem in incarnationis.

Miraculum enim incarnationis in ea peractum multa in se miracula complectitur. Primum est, virgo integra virginitate concipit. Secundum, Spiritus sanctus virginem obumbrat; corpus infantis temporis puncto efformat animamque mirabilem infundit. Tertium, corpus et anima eodem temporis puncto cum Verbi persona copulantur. Quartum, Deus fit homo. Quintum, infans omni sapientia pollet. Sextum, absque peccato originario omni gratia plenus concipitur. Septimum, infantis sanctissima anima, protinus ut creata est, Dei essentiam videt simulque se Deo ad crucem et mortem pro hominibus offert. Quænam umquam maiora miracula orbis vidit? Vidit olim tempore Iosue solem stantem, tempore vero Ezechiæ retrogredientem; at nunc videt Deum seipsum exinanientem. Vidit olim in igne conservatam rubi viriditatem: nunc videt in conceptione conservatam matris virginitatem. Vidit Aaronis virgam subito sine humana cultura florentem; nunc videt Iesse virgam absque humana opera optatum mundo fructum parturientem. Vidit virgam Mosis in serpentem commutatam: hic videt Deum in hominem peccatoribus similem transformari. Vidit mare rubrum aperiri et findi: hic videt Deum virginis utero clausum. Vidit manna e cælo depluens: hic videt Verbum Patris e cælo in gremium Deiparæ descendere. Vidit Eliam in cælum ascendere: hic videt naturam humanam ad deitatem ascendere, Verbique æterni supposito copulari. Merito ergo Deiparæ accinit Ecclesia:

Tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem.

Denique S. Thomas 1. p. q. 25. a. 6. quærit: *Utrum possit Deus meliora facere ea quæ fecit?* ac respondet: *Potest Deus quævis re a se facta meliorem simpliciter facere:* excipit tamen tria in resp. ad 4. scilicet incarnationem Christi, maternitatem Deiparæ, et beatitudinem hominis. Non enim potest facere Deus meliorem hominem, quam sit Deus homo; nec matrem meliorem, quam ait mater Dei; nec beatitudinem meliorem, quam sit visio et possessio Dei. Nam *humanitas Christi*, inquit, *ex hoc quod est unita Deo; et beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei; et B. Virgo ex hoc quod est mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis: sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Ecce hoc est novum et omnibus sæculis inauditum, quod in Deipara creavit Deus. Quare S. Ephrem orat. de Laud. B. Virginis, eam vocat *præstantissimum orbis miraculum.* Alii vocant eam *sacratissimum monstrum*, *cæleste prodigium*, *miraculum miraculorum;* quin et S. Ioan. Apocal. 12. 1. vocat eam *signum magnum quod apparuit in cælo.* Porro S. Fulgent. ser. de Laudibus B. Mariæ: *Crevit*, ait, *partu integritas, et virginitas ampliata est potius, quam fugata.*

Tria non potest Deus facere meliora.

Merito ergo exclamat S. Bernard. serm. 1. in Vigilia Nativit. *O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus; non reserans, sed consecrans virginalis uteri templum! O nativitas supra naturam, sed pro natura miraculi excellentiam superans, sed reparans virtute mysterii! Fratres generationem istam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus Altissimi obumbrat, supervenit Spiritus: Virgo credit, fide concipit, virgo parturit, virgo permanet; quis non miretur? Nascitur Altissimi filius, Deus de Deo, genitus ante sæcula, nascitur Verbum infans: quis vel satis miretur?* Quocirca Franciscus Mayro Doctor Parisiens. qui Illuminati cognomen meruit, sermon. de Annuntiatione docet, maius opus potentiæ Dei esse incarnationem quam creationem: Plus enim, inquit, distat Deus et homo, quam universum et nihil: in incarnatione enim est infinita distantia positive inter Deum et hominem; at in creatione, quamvis ex parte subiecti dicatur infinita distantia, quia fit ex non subiecto; ex parte tamen creaturæ productæ, quæ habet perfectionem finitam, positivæ est finita distantia. Quare plus est facere de homine Deum, quam quod nihil sit ens. Merito ergo S. Cyprian. ser. 3. de Nativit. *O Domine*, inquit, *quam admirabile est nomen tuum! vere tu es Deus, qui facis mirabilia. Non modo mundi huius staturam admiror, non terræ stabilitatem, non singulos dies, non solem, etc. miror Deum in utero Virginis, miror omnipotentem in cunabilis*, *miror quomodo Verbo Dei caro adhæserit*, *quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit*, *etc. Hic solus me complectitur stupor, et cum Habacuc cano: Consideravi opera tua, et expavi. Hæc sunt nova mira, quæ prædixerat Ieremias: Novum fecit Dominus super terram: Mulier circumdabit virum.* Et S. Leo serm. 2. de Nativit. *Ingreditur hæc infima Iesus Christus, etc. novo ordine, nova nativitate. Novo ordine*, *quia invisibilis in suis*, *visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis, voluit comprehendi; ante tempora manens*, *cœpit esse ex tempore; universitatis dominus servilem formam obumbrata maiestatis dignitate suscepit: impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis; et immortalis, mortis legibus subiacere. Nova autem nativitate genitus est*, *conceptus a virgine*, *natus ex virgine sine paternæ carnis concupiscentia*, *sine maternæ integritatis iniuria.* Quocirca Damasc. serm. 1. de Nativ.

Deiparam vocat *miraculorum officinam*, imo *abyssum*. Ipsa ergo est portentum sæculorum, stupor naturæ, prodigium universi. O rem novam, numquam visam, numquam auditam, numquam videndam, nec audiendam! Fœmina Deum concipit, Deum parit, qui est vir, imo gigas æternitatis et immensitatis, utpote expandens se per omnia locorum, æque ac temporum spatia, quique cælum et terram sustinet, imo palmo concludit: nec Deus aliquid patitur, nec fœmina a divinæ maiestatis radiis consumitur, nec virginitas deperditur. *A Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris*, ait S. Augustinus. Natus est Christus Deus de patre in cælis, idem natus est homo de matre in terris; de patris immortalitate, de matris integritate; de patre sine matre, de matre sine patre; de patre sine tempore, de matre sine semine; de patre principium vitæ, de matre finis mortis; de patre ordinans omnem diem, de matre consecrans istum diem, quo parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.

Fœmina circumdabit virum, quid? I. Expositio.

FOEMINA CIRCUMDABIT VIRUM.) Chald. vertit: *Lex quasi fœmina, custodiet quasi vallum virum, id est populum Israel*, ne ab hostibus capiatur: sed hoc figmentum est longe petitum, æque ut illud R. Iuda qui apud R. Salomonem vertit: *Fœmina convertetur in virum*, hoc est, inquit, Synagoga, quæ debilis erat ut fœmina, fiet fortis ut vir, et ut vir dividet ac possidebit terram hostium.

II. Secundo, Septuag. vertunt: *Creavit te Dominus salutem in plantationem novam: in salute tua circuibunt homines;* et Theodotion: *Creavit Dominus salutem novam: in salute circuibit homo;* q. d. *Fœmina*, id est salus, *circumdabit populum Israel.* Iam salus est salvator Christus, quem Deus ex virgine concipi faciet, quem omnes sequentur et colent, ut ita ex eo nascatur nova plantatio, id est novæ plantæ, nova progenies fidelium.

III. Tertio, alii תסובב *tesobeb*, vertunt passive, scilicet, non, *circumdabit;* sed *circumdabitur:* est enim *poel*, quod tam passivum quam activum est, sicque explicant, q. d. Iustis et fidelibus quasi sponsis, circumdabitur Christus.

IV. Quarto, R. Davidem secutus Oleaster can. 4. in prooemio Genes. ex eo quod præcedit, *Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas:* Fœmina, inquit, est Synagoga, quæ antea Deum fugiebat, iam vero per Christum conversa, cum sequetur et amplexabitur: sed hoc non est novum, quia sæpe factum. Huc pertinet explicatio Sanchez: fœmina, id est Synagoga, quæ quasi sponsa Dei, adulterata est cum idolis, ideoque e Iudæa in Babylonem est abducta, rursus circumdabit virum, hoc est, redibit ad sponsi domum et thalamum, id est Hierosolymam, et ad templum Dei revertetur.

V. Quinto, Calvinus explicat, q. d. Iudæi capti et debiles ut fœmina, circumdabunt, id est obsidebunt et prævalebunt, viro, id est Chaldæis. Sed et hoc, uti commentum, ita falsum est: nec enim Iudæi prævaluerunt Chaldæis. Mirum est Calvinum hic et alibi ita agere patronum Iudæorum, atque hæc loca a sensu Christianorum ad sensum Iudæorum detorquere. Sane non immerito scriptus in eum est liber hoc titulo: *Calvinus iudaizans.* Plane enim simili modo exponit Iudæorum modernorum Achilles, R. Abrabanel: Synagoga, inquit, iam debilis tempore Messiæ, circumdabit virum, id est gentilitatem Gentesque omnes, eisque dominabitur, quæ ipsi iam dominantur; sicut vir dominatur fœminæ. Verum nihil horum est novum; quia sæpius hæc facta sunt. Nihil etiam horum est literale, sed omnia mystica, ac a Iudæis fere conficta, ad veritatem literæ de Virginis partu evitandam, imo evertendam: nam longe aliud est fœminam circumdare virum, quam fœminam converti in virum, aut dominari viro, aut ad eum reverti.

VI. Et vera q. d. B. Virgo concipiet virum novum, id est Deum hominem.

Dico ergo plane et genuine: *novum*, hoc est, novus homo, scilicet homo Deus, ex nova virgine matre, nova generatione, scilicet absque viri semine, sola Spiritus sancti creatione productus, ut hic dicitur, q. d. Fœmina, id est B. Virgo, circumdabit, et utero suo claudet virum, hebr. גבר *gheber*, id est illum fortem et potentem virum, sive heroem (unde aliqui pro *gheber* legunt גבר *ghibbor*, id est fortis) quem Gabriel et nomine, et sua legatione annuntiavit B. Virgini. Gabriel enim ex גבר *gheber*, et אל *el* componitur, significatque fortitudinem Dei, vel fortem Deum. *Circumdabit* ergo *virum*, id est Christum, qui cum Deus sit, nullis locis aut terminis concludi potest. Secundo, quia licet Christus, qua homo conceptus et nascens, statura et ætate sit infans, est tamen a primo suæ conceptionis instanti vir, sapientia, gratia et gloria perfectus. Tertio, quia Christus puer est vir fortis, qui iam tum dæmonem et omnes hostes prostravit, Isaiæ 8. v. 4. hic enim infans erit Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi: qui novo orbi novam legem, novum fœdus, et nova omnia dabit. Ita S. Hier. Raban. Hugo, D. Thom. Lyran. S. August. ser. 9. de Tempore, S. Cyprian. serm. de Nativit. Domini: estque communis hæc Patrum, Interpretum et Doctorum orthodoxorum explicatio: quin et R. Haccados, et aliorum Rabbinorum, quos citat a Castro, et Galatin. lib. 7. cap. 14.

Christus infans fuit gheber, id est vir, sive heros, quem Gabriel annunciavit. 2. Vir per sapientiam et gratiam. 3. Vir per fortitudinem.

B Audi S. Augustin. serm. de natali Domini: *Homo*, ait, *factus est hominis factor, ut sugeret ubera regens sidera, ut esuriret panis, ut sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falsis testibus veritas occultaretur, iudex vivorum et mortuorum a iudice mortali iudicaretur, ab iniustis iustitia damnaretur, flagellis disciplina cæderetur, spinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum suspenderetur, virtus infirmaretur, salus vulneraretur, vita moreretur.* Hæc sunt nova et portenta inclusa in hac sententia: *Fœmina circumdabit virum.*

Circumdabit, scilicet quasi circulus undique clausus: quia virgo.

Nota primo: Verbum *circumdabit* apprime virginitatem B. Mariæ in conceptu explicat, q. d. Hæc fœmina fœtum, non a viro accipiet (erit enim virgo) sed intra se cælitus datum claudens in modum circuli, undequaque integri et perfecti, nulla vel minima scissione violati: hac de causa Cant. 4. 12. vocatur ipsa *hortus conclusus, fons signatus.* Centrum ergo est Christus, circulus Virgo.

Eamdem virginitatem Deiparæ, ex voce *novum*, colligunt R. Haccados et R. Iosue apud Galatin. l. 7. c. 14.

C Si enim mulier circumdet virum, id est masculum, non est novum, sed quotidianum. Novum autem est, quod virgo circumdet masculum. Sicut ergo novum fuit quod prima fœmina, scilicet Eva, creata sit ex viro, puta ex costa Adami: ita et magis novum est, quod secundus Adam, scilicet Christus vir, conceptus et creatus sit ex secunda fœmina et virgine Deipara. Itaque sicuti prima virgo (Eva) formata est ex primo virgine (Adamo) ita vice versa secundus virgo (Christus) formatus est ex secunda Virgine (B. Maria.)

Virgo circumdans opponitur filiabus Sion aversantibus Deum.

In Hebræo est pulchra paronomasia et antithesis inter שובבה *seiobeba*, id est, aversatrix, rebellis, et ut Noster vertit, *vaga* filia Sion; atque תסובב *tesobeb*, id est amplectetur, *circumdabit*, q. d. Deus: Quousque, o filia Sion, me maritum, imo Deum tuum, aversaris et fugis? quousque per idola vagaris quasi meretrix? Ecce ego ex te creabo filiam et fœminam fœminarum, reginam cæli et terræ, quæ me virum et Deum tuum non fugiet, sed *amplexabitur*, ut vertit Syrus, et tam animo quam D utero suo stringet et circumdabit. Imitare ergo illam, et amplexare me: rursum occurre mihi, qui amore tui e cælo descendo et per eam ad te venio, ut te amplexer, et vicissim a te complectar.

Unde R. Elias apud Galatin. lib. 7. c. 14. roganti cur tamdiu adventum suum distulisset Messias? Respondet, quia ante B. Virginem non erant in Israel virgines, ex quibus nasceretur: omnes enim corruptæ erant vel a maritis, vel a mœchis. Venit ergo S. Maria virgo, ut harum virginum corruptionem sanaret, et sponsum virginum in uterum suum mundumque pelliceret. Et hoc est novum quod creavit in ea Dominus. Facessat hic ergo Helvidius, eiusque asseclæ. Herostratus, ut famam et nomen æternum sibi pareret, noctu celeberrimum Dianæ templum Ephesi incendit, teste Valerio Maxim. l. 8. c. 15. Ita Helvidius ut novi doctoris nomen assequeretur, non fanum falsæ Dianæ, sed illud sacratissimum divinæ Virginis templum incendio suæ hæresis tollere conatus

est, docens eam non mansisse virginem in conceptu et partu Christi. Idem facit Calvinus, Lutherus, aliique Novantes, qui asserunt duo corpora non posse esse in eodem loco, ut se invicem penetrent, ne quidem Dei virtute.

Sensus ergo totius huius loci, *Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? quia creavit Dominus novum, etc.* est, q. d. Consentaneum plane est, ut omnes homines abdicatis deliciis omnibus, concupiscentiis et peccatis, novam vitam suscipiant, castitatem colant, laxamque ac dissolutam vivendi rationem Evangelica disciplina stringant et coerceant; quando Deus tantam novitatem est effecturus, ut filium suum hominem propter homines factum, uteri virginalis angustiis concludat. Arctet se superbus, densetque et restringat animi sui celsitudinem, suum fastum, iram, invidiam: quando Deus altus et immensus, ad Virginis uterum, et corpus infantile se arctavit, depressit et restrinxit. Pari modo gulosus restringat et refrænet suam gulam, lascivus suam libidinem, avarus sitim auri, etc.

Tria a nobis poscit incarnatio Christi? 1. Novam disciplinam; 2. Puritatem; 3. Novam vitam.

Itaque tria potissimum ex mysterio incarnationis colligit Ieremias. Primo, oportere nos morum licentiam arctiore disciplina constringere, cum Deus ille sempiternus et immensus sese intra fœminæ uterum hac de causa clauserit; hac enim de causa ait: *Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga?* Secundo, oportere nos spretis illecebris castitatem et puritatem amplecti; cum Deus eam ita adamarit, ut matrem suam voluerit esse virginem. Tertio, ut novam vitæ rationem in omni virtutum genere ineamus; cum Deus tam novum propter nos miraculum effecerit, ut virgo hominem Deum in utero gestaret. Hoc enim postulat tanti operis et beneficii, scilicet incarnationis nobis collatæ, magnitudo.

Alcazar exponit, fœmina, id est, Eucharistia, circumdabit Christum.

Denique Alcazar in proœmio Apoc. not. 19. n. 6. et 7. hæc verba explicat de veritate Eucharistiæ, q. d. *Fœmina circumdabit virum*, id est Eucharistia circumdabit, et vere complectetur ipsum Christum totum quantus quantus est. Verum hæc expositio uti nova, ita non litteralis, sed symbolica videtur.

Vers. 23. Benedicat tibi.) q. d. Israelitæ venient ad Ecclesiam Christi, illi bene precabuntur, dicentes: O habitaculum, vel pulchritudo (utrumque enim significat vox Hebræa נוה *neve*) iustitiæ, o mons sanctitatis, benedicat tibi Dominus, id est multiplicet habitatores tuos, et beneficiis ornet.

Incarnatus Christus fecit Ecclesiam esse. 1. Habitaculum iustitiæ. 2. Montem sanctum. 3. Concordiam omnium hominum.

Nota: Non Dominus, scilicet Christus, ut vult S. Hier. Hugo, S. Thom. sed Ecclesia per Christum dicitur hic (ut recte notavit Raban. Lyran. et Vatabl.) felix; eo quod sit habitaculum iustitiæ: quia in ea sunt Christus et omnes iusti; item fides et Sacramenta, quæ iustificant; quod nec lex vetus, nec alia aliqua habuit. Secundo, dicitur *mons sanctitatis*, id est omnis gratiæ, virtutum et perfectionis. Tertio, dicitur quod in ea pax sit et concordia agricolarum, pastorum, civium et omnium hominum. Hi ergo sunt fructus incarnationis Christi, seu eius quod dixit: *Fœmina circumdabit virum.*

Vers. 24. Et habitabunt in eo.) Monte, q. d. Locus capacissimus erit Ecclesia, omnes omnium ordinum homines in ea poterunt habitare. Vide Isaiæ 54. v. 2. et seq.

Vers. 25. Inebriavi animam lassam, et omnem animam esurientem saturavi.) *Lassam*, id est sitibundam et famelicam bonorum terrenorum, ait Lyran. vel potius, ut S. Hieron. iustitiæ et salutis. *Inebriavi*, id est inebriabo et saturabo cælesti doctrina, gratia, et consolatione. Unde hebraice est, *animam mœstam explevi*, scilicet gaudio, id est consolatus sum.

Notat S. Hieron. tacito nomine iam Deum, iam populum, iam Ieremiam loqui: est enim quasi dialogus: hic loquitur Deus.

Vers. 26. Ideo quasi de somno suscitatus sum.) Est vox vel populi, ut vult S. Hieron. vel potius, ut Raban. Hugo, Lyran. et Vatab. Ieremiæ, q. d. O Domine, tu me quasi de gravi somno mala populi cogitantem, et mœstum excitasti, dum tam iucundis de Christo promissis exhilarasti, ut deinceps somnus mihi sit placidus et dulcis futurus.

Paulo aliter Vatabl. explicat, q. d. Cum vidi per somnium prophetiam illam de Christo venturo, evigilavi protinus, et recordatio talis somnii mihi fuit gratissima.

Aliter quoque explicat Isidorus, ut sint verba Christi, q. d. Ut hæc bona iam dicta hominibus provenirent, ideo de somno mortis evigilavi, et suscitatus, mortis meæ somnum brevem et dulcem reputavi.

Seminabo domum Israel semine hominum, et semine iumentorum.) Id est ut Chald. *multiplicabo Israel hominibus et iumentis*, q. d. Dabo Christi doctrinam accommodatam et congruam tam hominibus, id est sapientibus, quam iumentis, id est insipientibus; ut rudes æque ac docti in Christo renascantur, alantur et crescant. Ita S. Hieron. Hoc est quod ait Psaltes: *Homines et iumenta salvabis, Domine.* Vers. 27.

Patres comederunt uvam acerbam.) Est proverbium, significans filios innoxios puniri propter peccata, non Adami, sed aliorum, et suorum proprie parentum; quod Iudæis in captivitate in ore erat. Putabant enim ipsi se puniri ob vitulum aureum, a patribus adoratum in deserto, et ob alia parentum, præsertim Manassis, peccata, 4. Reg. 21. 11. Ita Theodoretus. Vide dicta Ezech. 18. 2. Deus hoc proverbium hic elidit, promittitque et sancit ut filii non portent, nec luant scelus parentum, sed quisque proprium dependat. Censent veteres hanc promissionem pertinere ad novum testamentum, et præstitam esse per Christum. Ita S. August. l. 6. contra Iulian. c. 12. Leo epist. 84. Gregor. 15. Moral. 22. S. Thom. 1. 2. q. 81. a. 2. ad 1. Quod intellige allegorice, et plene ac perfecte. Christus enim etiam Adæ culpam originalem in Christianis per baptismum abolet. Nam alioqui ad litteram hæc dici Iudæis, patet ex ipso sermonis decursu. Vers. 29.

Aliter explicat Vatabl. q. d. Christiani non accusabunt parentes, ut Iudæi, sed humillime omnes suas afflictiones sibi, suisque peccatis imputabunt, dicentes: *Mea culpa.*

Fœdus novum.) Novum testamentum. Hoc loco revincuntur Iudæi, qui volunt veterem legem et iudaismum non esse antiquandum, sed semper duraturum. Nam, ut ait Apostolus Hebr. 8. Ieremias dicendo novum, antiquavit vetus. Unde et veteres Rabbini apud Galatin. docent per Messiam legem esse innovandam, id est novam inducendam, puta Evangelicam; atque Messiam pro circumcisione corporali et Mosaica, inducturum circumcisionem spiritualem cordis et mentis, uti ait hic Ieremias. Vers. 31.

In die qua apprehendi manum eorum.) q. d. Israelem, non quasi servum, sed quasi puerum manu ducens, tamquam pater, Ægypto eduxi, et ab eductione hac die quinquagesima, scilicet in Pentecoste, legem ei dedi, et fœdus inii, ut Iudæi memores tantæ liberationis, illud exacte servarent. Vers. 32.

Differentia veteris et novi testamenti.

Et dominatus sum eorum.) q. d. Iudæi pactum meum violarunt, cum tamen eis offerrem et promitterem, quod essem eorum Dominus: et, ut hebraice est, sponsus et maritus: hic enim Hebræis vocatur בעל *baal*: unde Vatabl. vertit: *Et ego functus sum officio veri sponsi erga illos.* Potest secundo, cum S. Hieron. Raban. S. Thom. Lyrano sic verti et explicari, q. d. *Et ego quasi Dominus punivi eos, et neglexi*, ut habent Sept. quos sequitur S. Paulus Hebr. 8. 9. Hæc est prima differentia, ait Maldon. quam assignat inter novum testamentum et vetus, scilicet, quod vetus irritum factum sit et abolitum, novum numquam abolebitur. Secunda est, quod in veteri Deus dominatus sit, id est severitate usus: *Lex enim iram operabatur*, Rom. 4. 15. in novo autem benevole cum fidelibus acturus sit in spiritu amoris: quia filii sui morte placabitur. Tertia est, quæ sequitur. 1. 2. 3.

Veteris testamenti et pacti modus et ratio.

Hoc erit pactum, etc. dabo legem meam in visceribus eorum.) Nota: Sicut pactum et fœdus vetus Deus iniit in Sina cum Hebræis, Exod. 19. et 24. quo obligavit se fore Hebræorum Deum et protectorem, et daturum eis terram Chanaan sub hac conditione; Si populus sibi obediret, et suas leges servaret; illudque fœ- Vers. 33.

Novi modus et ratio. — *Pactum Dei cum Christianis de gratia et gloria eis danda.* — *Dicitur novum ob nova promissa et præcepta.*

dus confirmatum fuit Exodi 24. victimarum sanguine, et epulo communi paciscentium. Nam Moses et Aaron vice Dei, cum populo ex victima fœderali comederunt: Moses enim erat hic quasi fæcialis, et mediator Dei et populi. Simili ratione et modo fœdus novum Deus iniit cum Christianis, cuius fæcialis et pater patratus est Christus, quo fœdere Deus toto Evangelio obligat se daturum Christianis suam gratiam, remissionem peccatorum, amicitiam, adoptionem in filios, omnem opem et præsidia ad bene operandum et vivendum, et tandem hæreditatem ipsam vitæ æternæ, sub hac conditione: Si sibi obediant, si Christi fidem et legem, quæ brevis et facilis est, scilicet fidei et Sacramentorum, recipiant et observent. Hinc dicitur novum, quia nova affert promissa, præcepta, Sacramenta, novam gratiam, novam vitam, novum hominem.

Fæcialis fuit Christus maxime in cruce et in Eucharistia.

Nota secundo: Hoc fœdus novum Christus, uti instituit, ita et confirmavit, primo et proprie sanguine suo, faciens se victimam in cruce; secundo, epulo Eucharistiæ, quod omnibus ad finem usque mundi communicat. B Non ergo in monte tantum longo illo sermone, quem habet Matth. c. 5. 6. 7. ut vult Theodor. sed tota vita sua, et toto Evangelio hoc fœdus instituit Christus: ubi paciscentes sunt Deus et Apostoli, aliique Christiani: fæcialis est Christus.

Vetus in Sina, novum in Sion in Pentecoste promulgatum.

Nota tertio: Sicut vetus fœdus in monte Sina in Pentecoste, ita novum in Sion in Pentecoste promulgatum est: et sicut in veteri data est lex Mosis in tabulis lapideis, quasi conditio fœderis; ita in novo data est lex Christi, sed in tabulis cordis: illa penicillo, hæc spiritu Dei vivi scripta: quia per Christum gratia et charitas diffusa est in cordibus nostris, puta in libera voluntate nostra, per gratiam prævenientem, comitantem et sanctificantem: non ergo tollitur hic liberum arbitrium, ut vult Calvinus, sed omnino præsupponitur in voce libera; et quia, ut dixi, fœdus hoc, uti et aliud quodvis, requirit conditionem ex parte nostra, scilicet, ut libere obediamus Deo vocanti, et gratiæ eius cooperemur, iustitiam sectemur, C et in ea perseveremus, si hæreditatem cælestem adipisci velimus. Sicut ergo Moses de Sina descendit ad populum, tabulas legis portans; sic Apostoli de Sion Spiritum sanctum, eiusque dogmata et dona mente portantes descenderunt ad omnes gentes, eaque illis proposuerunt et communicarunt.

Vetus scriptum in tabulis, novum in cordibus. — *Evangelium non consistit in syllabis.*

Nota quarto, legem veterem scriptam esse in tabulis lapideis, novam vero in cordibus. Hoc si animadverterent hæretici, intelligerent magis proprias esse novo testamento traditiones quam Scripturas, desinerentque fidem ac religionem atramento definire: quod sane hominum est naturam ipsam Evangelii, quo tantopere gloriantur, ignorantium; nec enim Evangelium in litteris et syllabis consistit, uti recte advertit Maldon.

Res promissa in novo testamento est Spiritus sanctus.

Dabo.) Nota. Res quam novo suo fœdere et testamento nobis promisit Deus, est Spiritus sanctus, sive lex gratiæ et charitatis, menti aspirata et inscripta. Unde S. August. de Spiritu et littera c. 21. *Quæ*, ait, *sunt aliæ leges a Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti?* D E contrario in fœdere veteri lex scripta in tabulis, non erat res promissa sed conditio fœderis. Ubi tamen adverte. Deus non se solo scribit Spiritum sanctum in corde et mente, sicut scripsit solus legem veterem in tabulis lapideis; sed requirit consensum et cooperationem liberi arbitrii, et hæc est conditio fœderis tam novi, quam veteris.

Deus inscribit legem novam. *1. Intellectui.*

Deus ergo iam legem et consilia sua inscribit, non libris aut tabulis, vel fimbriis, uti olim apud Iudæos, sed ipsi menti et intellectui Christianorum, quando illi imprimit fidem et prudentiam agendorum, crebrasque illuminationes et illustrationes, quibus ostendit menti, quam pulchra sit lex Christi, quam utilis, divina, suavis, quam turpe sit peccatum, quam facilis pœnitentia, quam amœna sit vita pia et Christiana. Secundo, inscribit hæc memoriæ; cum horum memoriam homini imprimit, et refricat. Tertio inscribit hæc cordi et voluntati; cum illis pias erga legem Dei affectiones, complacentias, impulsus, promptitudinem et tandem charitatem infundit, ut voluntas dicat: *Domine da quod iubes, et iube quod vis.* Ita S. August. de Spiritu et littera, c. 17. et seq.

2. Memoriæ. — *3. Cordi, id est voluntati.*

Vers. 34. Non docebit vir proximum suum, quid? Spiritus privatus hæreticorum doctor, non est Dei, sed diaboli.

Non docebit vir proximum suum.) Non quasi spiritus privatus cuiusque sit iudex controversiarum fidei, et regula agendorum: hic enim ab aliis videri et sciri nequit: et quisque dicet se hunc habere, sicque in Ecclesia summa esset confusio et dissidium, uti esse inter Lutheranos et Calvinistas, imo inter ipsos Calvinistas in Hollandia et alibi quotidie magis magisque experimur. Hic ergo spiritus non est Dei, sed diaboli; utpote qui sibi contrarius, Ecclesiam quæ unica est, dissecat et lacerat, et ex una Ecclesia facit mille, sibi invicem contrarias et repugnantes.

I. Huius loci expositio.

Primo ergo S. August. de Spiritu et lit. c. 24. sic explicat, q. d. In cælo nemo alium docebit; quia omnes omnia videbunt in Deo. Verum Propheta loquitur de gratia novi testamenti, quæ fidelibus in hac vita datur, non in cælo.

II. Secundo, S. Ambros. in cap. 8. ad Hebr. censet Ieremiam loqui de Apostolis: hi enim non ab homine, sed a Christo et a Deo eruditi sunt. Verum et hoc arctius est.

III. Tertio, S. Hieron. sic explicat, q. d. Non docebit vir proximum, unum esse Deum, idola non esse colenda; hoc enim omnes scient in lege nova; cum in veteri Gentiles, et etiam Iudæi sæpe, idola coluerint.

IV. Quarto, S. Thomas explicat, q. d. In lege nova non quærent Iudæos aut Philosophos magistros, nec philosophicas rationes, ut ad Dei cognitionem veniant; sed S. Scripturam, Apostolos similesque divinos doctores et præcones adibunt.

V. *Et optima.* Quinto, S. Chrysost. Theoph. Œcumen. in cap. 8. ad Hebr. S. Aug. de Gratia Christi, c. 12. exponunt, q. d. Ea erit facilitas et gratia legis Evangelicæ, ut non sit opus magno labore ad discendum necessaria ad salutem; adeo ut et pueri, uti videmus, statim ea capiant: quia præcepta erunt pauca, et accedet Dei doctoris magna illuminatio. Et hoc maxime vult dicere Ieremias, scilicet tantam fore Spiritus sancti in lege nova illustrationem, tamque obvium eius impulsum ad credendum, sperandum, amandum ut externa fidei prædicatio, præ illa interna voce Spiritus sancti parum, et quasi nihil esse videatur; nam externam patet etiam requiri: quia ad hoc posuit Deus in Ecclesia pastores et doctores, Ephes. 4. 1. Simile est 1. Ioan. 2. 27. ubi vide S. Aug.

Nota: *Cognoscent*, id est, proprie noscent, et cognitum colent, timebunt et amabunt. Est metalepsis. Quare recte ait hic S. Hieron. *Notitia unius Dei omnium virtutum possessio est.* Rursum Æschylus: *Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.* Et Lactant. l. 2. Instit. *Plus sapit interdum vulgus: quia tantum quantum opus est, sapit.* Et Seneca epist. 89. *Plus scire velle quam satis sit intemperantiæ genus est.*

Quatuor bona novi testamenti.

Nota hic quatuor bona, quæ Deus promittit in novo testamento: promittit enim primo, quod dabit et inscribet legem suam in cordibus nostris; secundo, quod erit nobis in Deum, nosque erimus ei in populum; tertio, quod omnes cognoscent Dominum; quarto, quod propitiabitur peccatis nostris.

Qui dat solem in lumine, in lumen, id est lucem, hoc est ad illuminationem, diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis.) q. d. Deus qui ordinavit lunæ et stellis, ut certo ordine ac lege moveantur et oriantur ut illuminent noctem: Deus, inquam, ait et promittit id quod sequitur. Vers 35.

Si defecerint leges istæ.) Scilicet naturæ, puta stata solis, lunæ et maris agitatio, fluctus et fluxus, q. d. Si ordinem in naturalibus constantem servo, multo magis in supernaturalibus; et citius ista pereant, quam semen Israel id est populus fidelis, et Ecclesia Christiana, deficiat. Vers. 36.

Qui turbat mare.) Qui fremere facit mare, ut fluctibus tumultuetur. Hebraice est, *qui scindit* vel *findit ma-*

re; fluctibus enim quasi scindi videtur. Aliter Vatabl. qui *divisit*, ait, *mare rubrum*, ut duce Mose, transirent Hebræi, et mergerentur Ægyptii, Exodi 14.

Vers. 37. SI MENSURARI.) q. d. Sicut nemo hominum potest altitudinem et magnitudinem cælorum comprehendere, aut terræ profunditatem penetrare, sic numquam fiet, ut ego universum Israelem abiiciam propter iniquitates suas, quas fecerunt; quinimo propter Christum, iam Apostolos, et aliquos alios ex Israel, atque in fine mundi Israelitas omnes mihi et sibi, saluti et Ecclesiæ restituam.

Vers. 38. A TURRE HANANEEL, q.d. Urbs Ierusalem ædificabitur post reditum e Babylone, a turri Hananeel, de qua Esdræ l. 2. c. 3. v. 1. USQUE AD PORTAM ANGULI.) Ea erat porta Beniamin, quæ *anguli* vocabatur, quod in angulo urbis esset. Ita Theodoret. et S. Thomas. Verum patet ex Esdra et Iosepho, reædificationem illam fuisse exilem, nec complexam ea loca quæ sequuntur: unde Iudæi exspectant Messiam, qui id perficiat.

Promittit reædificationem Hierosolymæ, non temporalis.

Secundo, Lyran. sic explicat, q. d. Adrianus Imperator reædificabit Ierusalem, expulsis Iudæis, et admissis Christianis, et Gareb ac Goata, id est Calvariæ montem, muris urbis includet, uti reipsa Adrianum fecisse testatur auctor de Locis Hebr. in Actis Apost. qui exstat t. 3. S. Hieron. et S. Greg. hom. 39. in Evang. Imo nunc Calvariæ montem in ipsa pene media urbe Ierusalem situm esse, Romæ mihi asseveravit R. P. Ioannes Marietus, qui a pauci annis Iudæam et vicinas regiones perlustravit. Idipsum videre est in chorographia terræ sanctæ, et Hierosolymæ modernæ, quam Romæ edidit Bernardinus Amicus Franciscan. Quocirca hoc Iudæis commode responderi posset, qui ex loco probare contendunt needum venisse Messiam, eo quod Ierusalem needum hæc loca suo ambitu complectatur. Verum de hac reædificatione Ierusalem terrestris et Iudaicæ non agit hic Propheta, uti mox ostendam.

Sed spiritualis, id est Ecclesiæ.

Nota ergo primo, Ieremiam hic Symbolice describere captivitatis restaurationem, et amplificationem Ierusalem, unde ait: *Exibit ultra norma* (ita Romana) q.d. Funiculus mensorius quo solent dimetiri plateas et ædificia fabricanda, ultra solitum extendetur, ut maior fiet civitas.

Gareb collis. Goata est Golgotha.

Secundo, *Gareb* est collis, qui iuxta Ierusalem ad Boream situs est, ita ex S. Hieronym. Adrichom. *Goata* est, Golgotha, ubi Christus, quasi reus et sacrilegus, crucifixus est. Ita Adrichom. et Vilalpando de Urbe et templo p. 1. l. 1. c. 9. *Vallis cadaverum* est vallis ubi cæsi sunt Assyrii ab Angelo tempore Sennacherib, eorumque cadavera ibi prostrata sunt, 4. Reg. 19. Ita Chald. Aut potius, ut Adrichom. et Vilalpando supra, vallis cadaverum est illa, quæ inter Golgotha, sive montem Calvariæ, et mœnia Ierusalem sita est, ita dicta, quod ibi cadavera, ossa et cineres eorum, qui in Golgotha morte puniti aut combusti erant, proiiciebantur. Unde et Christi crux et latronum crucifixorum cum eo cadavera, in hanc vallem præcipitata, ac postea sordibus civitatis oppleta sunt. Quapropter S. Helena laboravit, ut ibidem crucem erueraret et inveniret. *Vallis cineris* (ita enim legendum est cum Roman. non *cineres*, uti legunt Biblia Plantin. et alia) erat ea in quam proiiciebantur cineres altaris et victimarum, ait Theodor. et Vilalpando: quæ videtur fuisse vallis Cedron, scilicet iuxta torrentem Cedron, et iuxta Sion et templum: ambiebat enim templum instar fossæ, inquit Adrichom. *Universa regio mortis*, id est Golgotha, et loca ei vicina, quæ erant loca supplicii, inquit Maldon. et Vilalpando (legit interpres Hebr. divisim, hoc modo, שְׂדֵי מוֹת *sede mavet*, iam unica voce legunt, שְׂדֵימוֹת *sedemoth*, id est campestria universa) usque ad torrentem Cedron. *Porta equorum*, erat porta fontis et aquarum inter Sion et Moria, in voragine Mello contra Orientem posita. Dicta est fontis et aquarum, quod ad aquas et fontem Siloe aditum aperiret: dicta est equorum, eo quod iuxta eam esset equile regis, inquit Vilalpando: aut, ut Adrichom. quod equi per illam pro adaquatione in torrentem Cedron educerentur. Hæc porta ducebat quoque in vallem Gehennom. Hæc ergo loca omnia sunt vicina Ierusalem, per quæ significatur hic a Ieremia, amplianda fore Ierusalem.

Iuxta Golgotha est vallis cadaverum. Vallis cineris. Regio mortis. Porta equorum.

Tertio, non intelligit hæc de ipsa Ierusalem, ut patet ex dictis initio capitis, et ex v. 15. 22. 31. præsertim quia Ierusalem cum templo a Tito, et ab Adriano vastata et desolata est, et usque ad finem mundi desolata manebit, uti prædixit Daniel cap. 9. v. 26. et 27. Sub Ierusalem ergo, eiusque locis vicinis intelligit Ecclesiam Christianam, cuius illa erat typus: de Ecclesia enim toto hoc capite egit, q. d. Quaquaversum ad omnes gentes dilatabitur Ecclesia, eritque quasi latissima civitas, perinde ac si Ierusalem dilataretur adeo, ut muris suis complecteretur Gareb, Goata, et omnes campos usque ad Cedron, puta vallem cadaverum, vallem cineris et universam regionem, quæ vocata est mortis. Qui locus licet antea inquinatus, et impiæ religioni addictus fuerit, tamen in nova Ecclesiæ fabrica æque ac cæteræ eius partes, vocabitur *sanctum Domini*, Hebraice, *sanctitas Domino*, id est res sancta, et quasi templum sanctum Domino consecratum, quod numquam destruetur, sed perpetuo stabit. Sic de Ecclesia, quasi de vicis et locis Ierusalem, loquuntur Zachar. c. 14. 10. et Isaias c. 54. 11. Lyran. τὸ *vocabitur sanctum Domini*, exponit de sepulcro Christi, quod usque nunc manet in honore quasi sanctum. Verum hoc arctius est, eo tamen inter alia alludit Propheta. Nam Calvariæ mons, in eoque sepulcrum Christi, templo magnifico ab Helena matre Constantini exornata et inclusa sunt. Unde ad hoc templum religionis causa ex toto orbe peregrinantur fideles, in eoque sepeliri voluerunt omnes Hierosolymæ Christiani. Extant ibidem sepulcra Godefridi Bullonii, qui recuperavit terram sanctam, primusque e Christianis coronatus est rex Hierosolymorum, eiusque fratris Balduini, qui Godefrido in regno successit, eiusque hoc etiamnum legitur epitaphium marmori uncialibus litteris incisum, uti refert Bernardinus Amicus in descriptione terræ sanctæ et Hierosolymæ modernæ, impressa Romæ anno Christi 1609.

Hæc loca symbolice significant Ecclesiam Christi quaquaversum propagandam.

Rex Balduinus, alter Iudas Machabæus,
Spes patriæ, vigor Ecclesiæ, virtus utriusque,
Quem formidabant, cui dona tributa ferebant,
Cedar, Ægyptus, Dan, ac homicida Damascus,
Proh dolor, in modico clauditur hoc tumulo.

Quarto, S. Hieron. Raban. S. Thomas et Hugo, volunt hæc nomina appellative accipi, q. d. Ecclesia ædificabitur a turre Hananeel, id est obedientiæ, vel gratiæ Dei, id est, ab Apostolis plenis Spiritu sancto, usque ad portam anguli, hoc est, usque ad coniunctionem Iudæorum et Gentium; super collem Gareb, id est scabiei, ut scilicet peccatores scabie peccati infectos complectatur: et *circuibit Goata*, id est mugitum eius, ut scilicet complectatur pœnitentes præ contritione mugientes: *Et omnem vallem cadaverum*, id est omnes fideles carni deditos: *Et cineris*, id est eos qui carne ad spiritum conversi, cinere caput conspergunt; *et omnem regionem mortis* peccatorum, quæ extenditur *usque ad torrentem Cedron*, id est tenebrarum, et usque *ad angulum portæ equorum orientalis*, ut scilicet amplectatur eos, qui quasi equi certant, et ad ardua procurrunt, q. d. Ecclesia fideles amplectetur omnes, et peccatores et pœnitentes, et iustos et perfectos. Vide S. Hieronym. Verum hæc interpretatio potius mystica est quam litteralis. Denique si quis Iudæo pertinaciter urgenti hæc omnia ad litteram ut sonant accipienda esse de Ierusalem terrestri, plane satisfacere velit, concedat id ita esse; sed addat, idipsum complendum fore in fine mundi paulo ante secundum Messiæ sive Christi adventum ad iudicium. Ita Thom. Malvenda l. 11. de Antichristo c. 9. hæc ut sonant accipit de terrestri Ierusalem, censetque eam a Iudæis tempore Antichristi reædificandam esse tanta amplitudine, ut ad omnes hosce terminos, quos Ieremias assignat, pertingat. Ubi nota, hac ratione et responsione satisfieri posse plerisque argumentis Iudæorum, si nimirum prophetias et Scripturas promittentes restitutionem Israelis, restaurationem Hierosolymæ, redemptionem et salutem Iu-

Mystice Hananeel est obedientia, Gareb est scabies peccati, etc.

dæorum, dicamus accipiendas et explendas esse ut sonant in secundo Messiæ, hoc est Christi adventu, quem Iudæi censent fore primum, quia Christum venisse negant. In hoc ergo omnis eorum error et dissensio a Christianis consistit, quod negent primum Christi adventum, et secundum eius adventum censeant fore primum, ideo- A que Scripturas loquentes de secundo Christi adventu exponant de primo; eo quod primum negent, censeantque Christum needum in terras venisse. Porro Prophetas loqui de secundo Christi adventu, liquet ex circumstantiis, quæ significant eos agere de fine mundi, iudicio, resurrectione, etc.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Obsessa iam urbe Ieremias in carcere conclusus, iubetur a Deo emere agrum sui patruelis; ut hoc facto suis, qui captivi ituri erant in Babylonem, spem det, quod inde redibunt ad suos agros rursum possidendos.

1. VERBUM, quod factum est ad Ieremiam a Domino, in anno decimo Sedeciæ regis Iuda: ipse est annus de-
cimus octavus Nabuchodonosor. 2. Tunc exercitus regis Babylonis obsidebat Ierusalem: et Ieremias pro-
pheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis Iuda. 3. Clauserat enim eum Sedecias rex Iu-
da, dicens: Quare vaticinaris, dicens: Hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo civitatem istam in manus regis Baby-
lonis, et capiet eam? 4. Et Sedecias rex Iuda non effugiet de manu Chaldæorum: sed tradetur in manus regis Ba-
bylonis: et loquetur os eius cum ore illius, et oculi eius oculos illius videbunt. 5. Et in Babylonem ducet Sede-
ciam: et ibi erit donec visitem eum, ait Dominus: si autem dimicaveritis adversum Chaldæos, nihil prosperum
habebitis. 6. Et dixit Ieremias: Factum est verbum Domini ad me, dicens: 7. Ecce Hanameel filius Sellum pa-
truelis tuus veniet ad te, dicens: Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth: tibi enim competit ex propinqui-
tate ut emas. 8. Et venit ad me Hanameel filius patrui mei secundum verbum Domini ad vestibulum carceris, et
ait ad me: Posside agrum meum qui est in Anathoth, in terra Beniamin: quia tibi competit hæreditas, et tu pro-
pinquus es ut possideas. Intellexi autem quod verbum Domini esset. 9. Et emi agrum ab Hanameel filio patrui
mei, qui est in Anathoth: et appendi ei argentum septem stateres, et decem argenteos 10. Et scripsi in libro,
et signavi, et adhibui testes: et appendi argentum in statera. 11. Et accepi librum possessionis signatum, et sti-
pulationes, et rata, et signa forinsecus. 12. Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filii Maasiæ, in oculis
Hanameel patruelis mei, in oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, et in oculis omnium Iudæorum,
qui sedebant in atrio carceris. 13. Et præcepi Baruch coram eis, dicens: 14. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus
Israel: Sume libros istos, librum emptionis, hunc signatum et librum hunc qui apertus est: et pone illos in vase
fictili, ut permanere possint diebus multis. 15. Hæc enim dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Adhuc possi-
debuntur domus, et agri, et vineæ in terra ista. 16. Et oravi ad Dominum, postquam tradidi librum possessionis
Baruch filio Neri, dicens: 17. Heu, heu, heu, Domine Deus: ecce tu fecisti cælum et terram in fortitudine tua
magna, et in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum. 18. Qui facis misericordiam in millibus,
et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos: Fortissime, magne, et potens, Dominus exerci-
tuum nomen tibi. 19. Magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu: cuius oculi aperti sunt super omnes vias
filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum eius. 20. Qui po-
suisti signa et portenta in terra Ægypti usque ad diem hanc, et in Israel, et in hominibus, et fecisti tibi nomen
sicut est dies hæc. 21. Et eduxisti populum tuum Israel de terra Ægypti, in signis, et in portentis, et in manu
robusta, et in brachio extento, et in terrore magno. 22. Et dedisti eis terram hanc, quam iurasti patribus eorum
ut dares eis terram fluentem lacte et melle 23. Et ingressi sunt, et possederunt eam: et non obedierunt voci
tuæ, et in lege tua non ambulaverunt: omnia quæ mandasti eis ut facerent, non fecerunt: et evenerunt eis omnia
mala hæc. 24. Ecce munitiones extructæ sunt adversum civitatem, ut capiatur: et urbs data est in manus Chal-
dæorum, qui præliantur adversus eam a facie gladii, et famis, et pestilentiæ: et quæcumque locutus es accide-
runt, ut tu ipse cernis. 25. Et tu dicis mihi Domine Deus: Eme agrum argento, et adhibe testes: cum urbs da-
ta sit in manus Chaldæorum? 26. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens: 27. Ecce ego Dominus
Deus universæ carnis: numquid mihi difficile erit omne verbum? 28. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego
tradam civitatem istam in manus Chaldæorum, et in manus regis Babylonis, et capient eam. 29. Et venient Chal-
dæi præliantes adversum urbem hanc, et succendent eam igni, et comburent eam, et domos, in quarum domati-
bus sacrificabant Baal, et libabant diis alienis libamina ad irritandum me. 30. Erant enim filii Israel, et filii Iu-
da, iugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua: filii Israel qui usque nunc exacerbant me in ope-
re manuum suarum, dicit Dominus. 31. Quia in furore et in indignatione mea facta est mihi civitas hæc, a die
qua ædificaverunt eam, usque ad diem istam, qua auferetur de conspectu meo. 32. Propter malitiam filiorum
Israel, et filiorum Iuda, quam fecerunt ad iracundiam me provocantes, ipsi et reges eorum, principes eorum, et
sacerdotes eorum, et prophetæ eorum, viri Iuda et habitatores Ierusalem. 33. Et verterunt ad me terga et non
facies: cum docerem eos diluculo, et erudirem, et nollent audire ut acciperent disciplinam. 34. Et posuerunt
idola sua in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut pollnerent eam. 35. Et ædificaverunt excelsa Baal,
quæ sunt in valle filii Ennom, ut initiarent filios suos et filias suas Moloch: quod non mandavi eis, nec ascendit
in cor meum ut facerent abominationem hanc, et in peccatum deducerent Iudam. 36. Et nunc propter ista, hæc
dicit Dominus Deus Israel ad civitatem hanc, de qua vos dicitis quod tradetur in manus regis Babylonis in gladio,
et in fame, et in peste. 37. Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quas eieci eos in furore meo, et in
ira mea, et in indignatione grandi; et reducam eos ad locum istum, et habitare eos faciam confidenter. 38. Et
erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum. 39. Et dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me uni-
versis diebus; et bene sit eis, et filiis eorum post eos. 40. Et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam
eis benefacere: et timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant a me. 41. Et lætabor super eis, cum be-

ne eis fecero: et plantabo eos in terra ista in veritate, in toto corde meo et in tota anima mea. 42. Quia hæc dicit Dominus: Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande: sic adducam super eos omne bonum, quod ego loquor ad eos. 43. Et possidebuntur agri in terra ista: de qua vos dicitis quod deserta sit, eo quod non remanserit homo et iumentum, et data sit in manus Chaldæorum. 44. Agri ementur pecunia, et scribentur in libro, et imprimetur signum, et testis adhibebitur: in terra Beniamin, et in circuitu Ierusalem, in civitatibus Iuda, et in civitatibus montanis, et in civitatibus campestribus, et in civitatibus quæ ad austrum sunt: quia convertam captivitatem eorum, ait Dominus.

Vers. 1. ANNO DECIMO.) Cum iam Ierusalem per unum annum obsessa fuisset, cœpit enim eius obsidio anno nono Sedeciæ, 4. Regum, 25. 1.

Vers. 2. IN ATRIO CARCERIS.) Id est in carcere atrii, vel qui erat in atrio, ut sit anastrophe, vel hypallage; ita Vatabl. et R. David. Secundo et melius, *in atrio*, id est in vestibulo carceris: in eo enim fuisse Ieremiam quasi in libera custodia patet c. 37. v. 20. Iudæi enim, et præsertim Sedecias eum consulens, in eum, utpote sacerdotem, usi sunt aliqua clementia, dederuntque ei laxam custodiam, sic tamen ut non possent effugere, ita S. Hieronym. Quocirca in hoc atrio Ieremias perrexit prophetare, utpote eo conveniente magna hominum multitudine.

Vers. 3. CLAUSERAT ENIM EUM SEDECIAS.) Hæc verba usque ad v. 7. quasi per parenthesin inseruntur, ut enarrent causam cur incarceratus sit Ieremias: simul ut sternant viam ad sequentem prophetiam v. 7. quia enim Ieremias perculerat Sedeciam tristi sua prophetia, scilicet quod ipse cum suis captivus ducendus esset in Babylonem; hinc v. 7. eam mitigat dicens, Deum inde Iudæos reducturum.

Vers. 4. LOQUETUR OS EIUS CUM ORE ILLIUS, ET OCULI EIUS OCULOS ILLIUS VIDEBUNT.) Ingens fuit hæc pœna Sedeciæ, quod nimirum perfidus, et violati fœderis reus, captus et vinctus victoris Nabuchodonosoris minaces oculos et verba sustinere debuerit; unde S. Hieron. *Gravior*, inquit, *est terror videre quem timeas, et ante increpationem verborum, quam pœnarum sustinere cruciatum.* Sic impiis grave erit supplicium in die iudicii videre flammantem faciem irati iudicis Christi, unde dicent *montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* Apoc. 9. 17.

Vers. 5. DONEC VISITEM.) Sive in bonum, sive in malum: ambigue loquitur et prudenter temperat sermonem, ne regem offendat; vult tamen dicere, donec moriatur Sedecias in Babylone; ita S. Hieron. Raban. Lyran. Fuit enim Sedecias tota deinceps vita miser, utpote incarceratus et excæcatus, ut mortem optaret quasi finem miseriarum. Sed in morte fuit honoratus; sepultus est enim quasi rex pompa regia, ut patebit c. 34. Aut certe, ut Maldon. ponit regem pro populo, caput pro corpore, q. d. Donec populum Sedeciæ visitem, id est e captivitate reducam.

Vers. 7. PATRUELIS.) Hebr. דוד *dod*, Vatabl. et alii vertunt *patrui*: melius Noster vertit, *patruelis*, nimirum Helcias et Sellum erant fratres, Helcias genuit Ieremiam, Sellum genuit Hanameel: erat ergo Hanameel patruelis Ieremiæ. Iniecit Deus Hanameeli mentem vendendi agrum urbe obsessa, cum res essent deploratæ, ita ut nemo agrum empturus videretur: quia iniecit pariter Ieremiæ mentem emendi agrum, ut hac emptione portenderet et prædiceret futuram e captivitate liberatione, et reditum in Iudæam, quo quisque ad sua prædia regressurus erat; unde ait v. 8. *Intellexi quod verbum Domini esset.* Deus enim regit flectitque voluntates, omnesque causas secundas, easque inter se componit et contemperat, ut una alteri ex æquo respondeat.

Quæres, Quisnam fuit hic ager? Levitæ enim et sacerdotes, qualis erat Ieremias, non habebant agros et possessiones, sed tantum oblationes populi, Num. 18. 20. Resp. Levitas habuisse ædes, urbes et suburbana, scilicet prædia circa urbem ad mille passus, tum ad hortos, tum ad pascua pecorum. Hic ergo ager vel fuit in urbe, ut vult Vatabl. vel suburbanus, ut vult S. Hieron.

Dices: Levit. 25. v. 34. vetantur suburbana Levitarum

A vendi. Resp. Vetantur vendi extra familiam et tribum, non autem propinquis.

TIBI ENIM COMPETIT EX PROPINQUITATE UT EMAS.) Quamvis enim agrum alteri venderem, tu tamen, utpote propinquus, posses eum eodem pretio redimere, hoc enim ius etiamnum obtinet; sed maxime obtinuit apud Iudæos, ubi maxime curabatur, ne hæreditates ab una tribu in aliam transferrentur, sed in eadem tribu et familia (quantum fieri poterat) permanerent.

POSSIDE.) Id est eme. Hebr. enim est verbum quod ante, scilicet קנה *kana*, quod significat emere, et emendo possidere. Simile quid de Romanis memorat Plutarch. in Vita Hannibalis, ut eorum animos et spiritus ostendat: nimirum cum Hannibal urbi Romanæ cum exercitu immineret, eamque illi e colle vicino ostenderet, Romæ agrum quem Hannibal insederat, venum fuisse propositum, ac invenisse emptorem. Ea fiducia, is animus erat Romanis. Verum eorum res non erant ita deploratæ, uti Hebræorum sub Sedecia obsessa iam urbe. Vers. 8.

B SEPTEM STATERES, ET DECEM ARGENTEOS.) Chald. *septem minas et decem argenteos:* mina continet 60. siclos, Ezech. 45. v. 12. sic ergo in totum solvisset Ieremias pro agro siclos 412. Verum Hebr. שקל *sekel*, siclum vel staterem significat, non minam: nec aliter accipitur in Prophetis siclus, quam apud Mosen; licet id asserere conetur Arias Montanus in Apparatu. Vers. 9.

Secundo, S. Hieron. Raban. et a Castro, censent Ieremiam pro agro in totum solvisse 17. siclos argenti. Hebr. enim habent, *et appendi ei argentum septem siclos et decem argenti*, id est appendi ei pecuniam ex argento, decem et septem siclos argenti: Scriptura enim solet in numeris minorem præmittere maiori. Porro 17. sicli sunt 17. floreni Brabantici: florenus Brabanticus continet 4. regales, sive quatuor Iulios. Quare ex hoc loco non convincitur, argenteum fuisse diversum a statere vel siclo, fuisseque dimidium sicli, uti aliqui contendunt. Sed quomodo 17. florenis potuit emi ager? Resp. Quia imminente captivitate omnia erant derelicta, et vilia: ager etiam parvus erat (isque forte in solo sterili) quasi hortus olitorius, ait Vatabl. forte etiam reliquum pretii postea persolvit Ieremias, illudque hic non numeratur. Ieremias emit agrum 17. siclis, id est florenis, quomodo?

Tertio, dici posset siclum hic aureum intelligi: distinguitur enim ab argenteo a nostro Interprete. Porro sicli pondus erat quatuor drachmarum: unde aureus siclus æqualis erat quatuor coronatis Francicis, argenteus quatuor regalibus Hispanicis, vel quatuor Iuliis Italicis. Septem ergo sicli faciunt 28. coronatos: decem argentei faciunt decem florenos Brabant. Verum obstat quod Scriptura nominare soleat aureos, præsertim cum distinguuntur ab argenteis; quod tamen hic non facit: et in Hebræo plane omnia sonant argentum, quare secundus sensus est genuinus.

D SCRIPSI IN LIBRO.) Librum vocat instrumentum contractus, sive emptionis agri. Vers. 10.

ET SIGNAVI.) Sigillo publico, forte etiam propria manu subscribendo.

ET APPENDI ARGENTUM IN STATERA.) Omnis enim pecunia et signata iam, et olim non signata, iustum et definitum a principe debet habere pondus. Ponderabatur ergo, ut etiamnum ponderatur, ut videretur an esset iusti ponderis; unde Balthasari dicitur: *Appensus es in statera, et inventus es minus habens.* Hinc nummus dictus est græce et latine stater a statera, hebr. שקל *seckel* a pondere. Siclus ergo idem est quod libratum, ponderatum in statera.

Vers. 11. Librum possessionis.) Id est instrumentum publicum, quo conscriptus erat hic contractus sive stipulatio de agro hoc emendo et possidendo: habebatque sua *rata*, id est ratificationes magistratus et testium, omnemque conditionem et solemnitatem de iure vel consuetudine requisitam: hoc enim est Hebr. חקים *chucquim*. A

Secundo, instrumenti huius fecit copiam Ieremias: unde v. 14. duos vocat libros, unum signatum, scilicet autographum cum sigillo et testibus, cui fides erat in iudicio: alterum descriptum, puta copiam autographi sine signatura publica, quod semper ad manum esset, quodque omnibus exhiberi posset, ut qui vellent, legerent, ideoque hebr. vocatur גלוי *galui*, id est apertum. Noster vertit, *signa forinsecus;* id est exemplum instrumenti designans et describens omnibus quid prius autographum clausum contineret; ita Chald. Vatabl. et passim Hebræi.

Vers. 14. Et pone illos in vase fictili.) Testaceo, ne situ putrescant, aut humore corrumpantur; sed ut eos integros inveniamus, cum e captivitate redibimus: qua re significat primo, tempus captivitatis fore longum; secundo, reditum fore certum; ita Maldon. B

Sanchez censet S. Matthæum c. 27. ubi narrat triginta argenteis, quibus venditus est Christus, emptum esse agrum figuli, citare hunc Ieremiæ locum. Ait enim Matth. *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel: et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Licet enim priora verba sint Zachar. 11. tamen, quia posteriora sunt Ieremiæ hic, hinc eius nomine citantur per synecdochen: quia agitur non tam de pretio, quo Christus emptus est, quam de pretio agri eo pretio empti. Sensus ergo est, q. d. Ager a Ieremia emptus typus fuit agri figuli a Iudæis pretio venditionis Christi empti in sepulturam peregrinorum. Nam Ieremias agrum hunc non videtur emisse pro se, aut filiis, quos non habebat; aut Iudæis, qui ituri erant in Babylonem; ergo pro advenis, idque ad sepulturam. Sacerdotes enim, qualis erat Ieremias, non poterant habere agros pro frugibus, sed tantum suburbana ad pascua pecorum, et ad sepulturam. C Porro dictus est ager ille figuli: quia vas hoc fictile Ieremiæ cum instrumentis emptionis in eo agro infossum videtur et sepultum, ut servaretur in longum spatium. Simili tropo vocatus est mons *Calvariæ*, a calvaria et cranio Adæ in eo sepulti, et *Aceldama* vocatus est hic idem ager, id est ager sanguinis: quia pretio sanguinis Christi est emptus. Sic Caieta, Misenus et Palinurus nomen accepere a sociis Æneæ hoc nomine, quia ibidem sepulti sunt. Vas ergo fictile Ieremiæ vocatur a S. Matthæo figulus per metonymiam, sicut libros quinque Pentateuchi vocamus Mosen, scripta Homeri et Platonis vocamus Homerum, Platonem, quia ab eis edita et composita sunt. Sic nummos a Philippo rege cusos vocamus Philippos. Sic Iuvenalis satyra 10. dixit Babylonis muros a figulis esse munitos: quia ex lateribus, quos coquunt figuli, facti et muniti sunt. Sic hic vas fictile significat figulum eius auctorem, præsertim quia artifices, quales sunt figuli, sæpe vasis a se factis D sua nomina inscribebant, uti etiamnum inscribunt. Sensus ergo est, q. d. Ego Ieremias emi, dedique pretium pro comparando agro figuli, hoc est agro vasis fictilis, sive agro in quo ego vas fictile cum instrumentis emptionis infodi et sepelivi: *sicut constituit* et iussit *mihi Dominus*, ut hoc facto typum darem et repræsentarem, quod Iudæi pretio venditionis Christi ement agrum figuli, idque in sepulturam peregrinorum. Christus enim omnia sua voluit nobis esse proficua, ideoque pretium sanguinis sui voluit prodesse peregrinis, puta Gentilibus, ad sepulturam. Hæc sententia est coniectura ingeniosa, sed difficilis et implexa. Alia enim incerta præsupponit, ut in agro a Ieremia empto sepultum esse vas fictile, agrum emptum esse pro sepultura peregrinorum, etc. alia dura complectitur, ut quod ager in quo sepultum est vas fictile, vocatur ager figuli: præsertim, quia ager emptus pretio venditionis Christi vere fuit figuli, non vasis fictilis in eo sepulti. Adde, cum ait Matth. *Dederunt eos in agrum figuli*, τὸ *eos* refert *triginta argenteos*, qui præcesserunt. Ieremias autem non emit hunc agrum 30. sed 17. argenteis, uti paulo ante ostendi. Ad hæc Matth. ait, *Dederunt eos*, Ieremias vero, *Dedi eos.*

Quare facilius et expeditius dicemus, cum S. Hieron. Baronio, Iansenio, Maldonato in Matth. 27. Suarez tom. 2. 3. p. disp. 31. sect. 1. et aliis, apud S. Matth. 27. nomen Ieremiæ ab aliquo sciolo appositum in margine, irrepsisse in textum, ideoque esse expungendum: aut certe citari a S. Matthæo alia scripta Ieremiæ, in quibus hæc verba erant, quæ iam non extant, sed perierunt, uti perierunt visiones Addo Videntis, Ahiæ Silonitis, et aliorum Prophetarum. Verum de hoc plura Matth. 27.

Adhuc possidebuntur, adhuc ementur post reditum e captivitate, domus et agri. Vers. 15.

In brachio tuo extento.) Hebr. *excelso.* Brachium extentum, per epexegesin idem est quod fortitudo magna; ita Lyran. Non bene ergo Dionys. Carthus. et aliqui alii putant, extentum significare executionem divinæ potentiæ, quæ se in omnem creaturam extendit. Vers. 17.

Non erit difficile factu omne verbum.) Id est ulla res. Ex Hebræo verti potest, *non erit tibi admirabile* (hoc enim est פלא *pele*, et admirabile est quod difficile est, rarum et inauditum) *omne verbum.*

Qui facis misericordiam in millibus, id est in mille generationes, ait S. Hieron. et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum.) Id est, punis peccata patrum in filiis, uti minatus es Exodi 33. 7. et Deuter. 5. 9. vide ibi dicta. Vers. 18.

Incomprehensibilis cogitatu.) Hebr. *multus opere* vel *adinventione;* Septuag. *potens operibus*, quæ scilicet non tantum vim et efficaciam, sed et captum ac intellectum omnium hominum et angelorum superant, ideoque sunt incomprehensibilia. Deus enim infinitos modos agendi et gubernandi adinvenire potest. Rursum innumeras rationes, fines et intentiones suorum operum adducere potest. Denique infinitas habet vias quibus intentiones suas ad effectum perducat. Hinc patet, loqui proprie Prophetam de incomprehensibilitate, non essentiæ et substantiæ Dei, sed consiliorum et operum eius: unde præcessit, *Nomen tibi magnus consilio;* ita Capella et noster Vasquez 1. p. disp. 52. c. 1. Inde tamen recte deducitur incomprehensibilitas substantiæ Dei. Si enim incomprehensibilis est cogitatione et opere, ergo et substantia: hæc enim fons est cogitationum et operum. Ita S. Hier. Glossa, Lyran. et Scolast. cum D. Thoma 1. p q. 12. a. 8. Huc allusit Apostolus Rom. 11. 33. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius!* Vers. 19.

Cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam.) Utinam hos Dei oculos semper intueamur. Scribit Plinius l. 18. c. 6. *Oculum domini maiores dixerunt, fertilissimum esse in agro*, quia qui agrum suum sæpe invisit, fertilitatem illi affert. Pari modo Dei oculus et intuitus, si semper cogitetur, fertilitatem bonorum operum affert animæ. Narrat Plutarch. l. de Liberis educandis, eleganter dictum ab equisone, *nihil perinde saginare equum, ut regis oculum;* sic nihil perinde saginat animam, quam si Dei oculus et circumspectio semper obversetur animo. Hinc David dicebat: *Providebam Dominum in conspectu meo semper*, Ps. 15. Et Eliseus: *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto.* Sic Henoch Genes. 5. Abraham Genes. 17. et alii, iugiter ambularunt in conspectu Domini, et cum Domino. Vide ibi dicta. Oculus domini saginat equum et agrum.

Usque ad diem hanc.) Scilicet memoria portentorum, quæ fecit Deus in Ægypto, perdurat; ita Lyran. imo et eorum vestigia. Ita tradit Orosius lib. 1. c. 10. in maris rubri fundo etiamnum apparere orbitas rotarum curruum Pharaonis in eo submersi. Secundo, S. Hieron. explicat, q. d. Usque ad diem hanc durat continuatio miraculorum eius quando per Iosue, Eliam, Eliseum et alios miracula pergit edere pro Iudæis contra eorum hostes, ut antiqua Mosis portenta videatur identidem renovare. Tertio, q. d. Habemus hodie signa et monumenta, quæ portentorum Vers. 20.

Ægypti recentem conservant memoriam, scilicet agnum A paschalem, azyma, scenopegiam, manna in urna, etc. ita Maldon. et Sanchez.

Sicut est dies hæc.) Sicut apparet hodie.

A facie gladii, et famis, et pestilentiæ.) Id est, gladio, fame, et peste. Est hebraismus; similis est Psal. 59. v. 6. *Ut fugiant a facie arcus*. Hebræi enim faciem rebus omnibus, etiam inanimis, tribuunt.

Vers. 29. Domatibus.) Tectis, quæ in Iudæa erant plana, ut in iis ambulare et sacrificare possent et vellent, utpote locis excelsis, cælum Deumque spectantibus.

Vers. 31. In furore facta est mihi civitas hæc.) Id est in, vel ad furorem. Ita Hebræa. q. d. Videtur Ierusalem facta ad hoc, ut furorem meum in eam ostendam, et plagarum fulmina vibrem. Secundo, *in furore*, id est furorem meum assiduis novisque sceleribus provocans, vel obiectum et irritamentum furoris mei. Unde Chald. vertit, *quia ira et furor meus resedit in civitate hac*.

A die qua ædificaverunt, id est instaurarunt, auxerunt, ornarunt, eam.) Salomon et Iudæi. Ita Lyran. Maldon. et alii.

Vers. 34. In qua invocatum est nomem meum.) Quæ de nomine meo, cui dicata est, vocatur domus Dei.

Vers. 35. Initiarent.) Certo ritu, et notis per ignem inustis obsequio et cultui Moloch consecrarent (Septuag. *sacrificarent*) sicut fideles Christianismo initiantur per baptismum; Iudæi Iudaismo per circumcisionem, sacerdotes sacerdotio per unctionem; Martyres martyrio per sanguinem et mortem.

Vers. 36 Et nunc propter ista.) Scilicet, ne desperetis, aut despondeatis animum, quasi perpetua captivitate puniendi: quia post 70. annos ad terram hanc et agros vestros redibitis. Ita S. Hier. Raban. S. Thom. et Castrius. Secundo, sublimiter Sanchez, q. d. *propter ista*, id est, quia vos tam indigni estis mea gratia et beneficiis, ut de iis desperetis; hac de causa, ut ego ostendam altam et divinam meam clementiam, quæ certat cum impietate hominum, nec ea se vinci patitur, sed quo maior est illa, eo magis se exaltat, illamque superat; hac, inquam, de causa ego vos e captivitate congregabo. Simile est Isaiæ 7. 7. et c. 28. 16.

Quod tradatur.) Quod tradetur.

Congregabo) Scilicet, e Babylone congregatos Iudæos Vers. 37. reducam in Iudæam per Zorobabel, ait Theodor. Lyran. et Sanchez; ac post annos 500. e captivitate peccati reducam eos in aureo Evangelii sæculo, et iubileo perenni, ad Ecclesiam per Christum; hic enim proprie iniit pactum sempiternum cum Iudæis, a lege ad Evangelium transeuntibus. Nam cum Iudæis in Iudæorum viventibus pactum hoc tantum fuit sempiternum, quia longævum. Christus etiam dat suis cor unum, et animam unam. Uno ergo intuitu Deus vidit et notavit temporalem felicitatem redeuntium e Babylone, et spiritualem ea adumbratam redeuntium a peccato ad gratiam et salutem paulo post futuram: magis ergo loquitur de spirituali, quam tem- B porali; ita S. Hieron. Raban. Hugo S. Thomas.

Et lætabor.) q. d. Volupe mihi erit eis benefacere, Vers. 41. sicut volupe eis erit bene vivere, servire et obedire mihi.

Plantabo (Chald. *stabiliam*) eos in terra ista, in veritate, Septuag. *in fide*, id est vere et fideliter, sine fuco aut dolo, in toto corde.) Id est omnino ex animo, amantissime, ita ut non reservem ullam offensionis partem, aut peccatorum memoriam.

Possidebuntur agri.) Post reditum e Babylone; in Vers. 43. cuius signum ego hunc agrum emo et possideo.

Mystice, in Evangelio ementur agri, in quibus absconditi sunt thesauri virtutum, vel in montanis contemplationis, vel in campestribus charitatis, vel in vallibus humilitatis, ac denique ager cælestis, Matth. 13. 44.

Hic finitur Commentarius sive sex libri S. Hieron. in Ieremiam: in reliqua enim capita nihil eius exstat.

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit promittere reditum e captivitate in Iudæam per Zorobabel, ac deinde v. 15. per Christum reditum ad salutem et omne bonum. Quocirca hoc caput in Bibliis Arabicis Alexandrinis ponitur ultimum Ieremiæ, quasi oraculorum eius tristium remedium, et melioris sortis ac felicioris ævi expectata coronis.

1. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam secundo, cum adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens:
2. Hæc dicit Dominus qui facturus est, et formaturus illud, et paraturus, Dominus nomen eius. 3. Clama ad me, et exaudiam te: et annuntiabo tibi grandia, et firma quæ nescis. 4. Quia hæc dicit Dominus
Deus Israel ad domos urbis huius, et ad domos regis Iuda, quæ destructæ sunt, et ad munitiones, et ad gladium
5. Venientium ut dimicent cum Chaldæis, et impleant eas cadaveribus hominum, quos percussi in furore meo et
in indignatione mea, abscondens faciem meam a civitate hac, propter omnem malitiam eorum. 6. Ecce ego obducam eis cicatricem et sanitatem, et curabo eos: et revelabo illis deprecationem pacis et veritatis. 7. Et convertam conversionem Iuda, et conversionem Ierusalem: et ædificabo eos sicut a principio. 8. Et emundabo illos ab
omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi: et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt
mihi, et spreverunt me. 9. Et erit mihi in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus sum eis: et pavebunt, et turbabuntur in universis bonis,
et in omni pace, quam ego faciam eis. 10. Hæc dicit Dominus: Adhuc audietur in loco isto (quem vos dicitis esse desertum, eo quod non sit homo nec iumentum: in civitatibus Iuda, et foris Ierusalem, quæ desolatæ sunt absque homine, et absque habitatore, et absque pecore) 11. Vox gaudii et vox lætitiæ, vox sponsi et vox sponsæ,
vox dicentium: Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia eius: et portantium vota in domum Domini: reducam enim conversionem terræ sicut a principio, dicit Dominus.
12. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, et absque iumento, et in cunctis civitatibus eius, habitaculum pastorum accubantium gregum. 13. In civitatibus montuosis, et in civitatibus
campestribus, et in civitatibus quæ ad austrum sunt: et in terra Beniamin, et in circuitu Ierusalem, et in civitatibus Iuda, adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus. 14. Ecce dies veniunt, dicit Dominus:
et suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel et ad domum Iuda. 15. In diebus illis, et in tempore illo, germinare faciam David germen iustitiæ: et faciet iudicium et iustitiam in terra. 16. In diebus illis
salvabitur Iuda, et Ierusalem habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. 17. Quia hæc dicit Dominus: Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel. 18. Et de
sacerdotibus et de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, et incendat sacrificium, et cæ-

dat victimas omnibus diebus. 19. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens: 20. Hæc dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo: 21. Et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno eius, et Levitæ et sacerdotes ministri mei. 22. Sicuti enumerari non possunt stellæ cæli, et metiri arena maris: sic multiplicabo semen David servi mei, et Levitas ministros meos. 23. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens: 24. Numquid non vidisti quid populus hic locutus sit, dicens: Duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abiectæ sunt: et populum meum despexerunt, eo quod non sit ultra gens coram eis? 25. Hæc dicit Dominus: Si pactum meum inter diem et noctem, et leges cælo et terræ non posui: 26. Equidem et semen Iacob et David servi mei proiiciam, ut non assumam de semine eius principes seminis Abraham, Isaac, et Iacob: reducam enim conversionem eorum, et miserebor eis.

Vers. 1. SECUNDO.) In carcere.

Vers. 2. FORMATURUS ILLUD) Quod prædixit per me cap. præcedentis hicque iterat et confirmat, scilicet reditum e Babylone, et pristinam felicitatem; Hebr. est אותה *ola*, *illam*, id est illud: fœmininum enim Hebræi sumunt pro neutro. Licet Vatablus et Pagnin. sic explicent: *illam*, scilicet Ierusalem, formabit, id est reficiet et restaurabit Deus.

Vers 3. CLAMA AD ME.) Non ad impediendum excidium Ierusalem, iam a me absolute decretum: sed ad impetrandum reditum e captivitate. Hunc enim licet etiam decreverim, decrevi tamen illum non concedere, nisi rogatus per preces tuas, Danielis, Ezechielis et aliorum. Proinde moneo ut pro eo ores, imo clames: ego enim *exaudiam te;* ita S. Thomas.

FIRMA.) Hebr. בצורות *betsurot*, id est fortia, munita, ita ut a nemine infringi aut impediri possint: Chald. *reservata*, id est occulta, scilicet de futura restauratione Ierusalem, vel potius Ecclesiæ per Christum. Ita Lyran. et Vatabl.

Vers. 4. AD DOMOS.) De domibus, hoc enim est Hebr. על *al*.

AD MUNITIONES.) De munitionibus et de gladio. Nota. Hierosolymitas cum a Chaldæis obsiderentur, subvertisse domos suas, ut munitiones et machinas bellicas in iis erigerent contra Chaldæos: multi etiam ex omni Iudæa venerunt in Ierusalem cum gladiis et armis, ut eam defenderent, factumque est dum resistere volunt, ut plures eorum, telis et armis Chaldæorum caderent, et domus dirutæ cadaveribus, non hostium, sed Iudæorum, Deo ulciscente, implerentur. Hoc est quod hic dicit Propheta. Ita Chald. Septuag. et Vatabl.

Vers. 6. ECCE EGO OBDUCAM EIS.) Scilicet Iudæis Hebr. et Sept. habent *ei*, scilicet Ierusalem. Hactenus se Deus ostendit iustum vindicem ob scelera Iudæorum; nunce se erga eos ostendit misericordem, quasi medicum, qui vulnus inflictum curat: boni enim medici est, primo, pungere; secundo, ungere; hoc in morbis animæ faciat Pastor et Prælatus. Nota. Loquitur de restitutione et felicitate populi e captivitate redeuntis, tum temporali inchoata per Zorobabel, ut vult Theodor. tum et potius, sub hac et huius typo loquitur de spirituali (quæ maior fuit et plenior) peracta et completa per Christum. Ita Raban. Hugo, S. Thomas. Prophetæ, ait S. Hier. in c. 1. Malachiæ, sic futurorum texunt vaticinium, ut præsens tempus non deserant: nam utriusque miscens sermonem, et ex occasione illius, felicitatem Christi prædicunt. Vide dicta c. 30. et 31.

Medicus et pastor primo pungat, secundo, ungat.

REVELABO EIS DEPRECATIONEM PACIS ET VERITATIS.) Est hypallage, id est, *pacem et veritatem deprecationis*, hoc est deprecatam, puta pacem quam sunt deprecati; uti et promissorum veritatem, id est fidelitatem de ea danda præstabo, inchoate quidem et temporaliter per Zorobabel, sed spiritualiter, et complete per Christum. Unde Secundo, dabo pacem et veritatem tum doctrinæ, tum vitæ, id est vitam perfectam, et omne officium virtutis (hæc enim in Script. vocatur *veritas*, scilicet vitæ) per Christum, pro quo deprecati sunt omnes Sancti. Ita S. Thom. Hinc Vatabl. Pagn. et R. David. vertunt, *dabo eis copiam* vel *multitudinem pacis et veritatis;* et Chald. *ecce ego adducam super eos medicinam, et salutem, et sanabo eos, et revelabo eis portam pœnitentiæ, et significabo eis quomodo ambulent in via pacis et veritatis;* Septuag. vertunt, *revelabo eis, ut exaudiam*, q. d. Indicabo eis modum orandi,

A quo impetrent aurem meam, ut scilicet ego exaudiam eos, et faciam illis pacem et fidem.

ET CONVERTAM CONVERSIONEM) Id est captivitatem. Sic accipitur *conversio* v. 11. et 26. et c. 30. 3. et 18.

ET ÆDIFICABO EOS.) q. d. Ædificabo eis domos dirutas, et in iis eos collocabo, faciam eos inhabitare domos novas eis a me datas. Sic dixit c. 12. v. 28. *Ædificabuntur*, id est habitabunt, *in medio populi mei.* Vers. 7.

SICUT A PRINCIPIO.) Cum eos ex Ægypto in Chanaan induxit, ibique stabilivit.

ET ERIT.) Scilicet Ierusalem temporalis, vel potius spiritualis, id est Ecclesia per Christum restituta pace, gratia, bonis et donis Spiritus sancti abundans. Vers. 9.

IN NOMEN DEI, ut scilicet per eam nominis Dei fama promulgetur inter Gentes, quæ gaudebunt, laudabunt, et admiratione, et sacro timore et reverentia PAVEBUNT.) Ad tantam Dei bonitatem et gratiam Apostolis ac Ecclesiæ collatam. Ita S. Thom. Raban. et Hugo. Insuper *pavebunt*, quia videbunt quod Deus, qui fideles suos amicos tot bonis cumulavit, possit etiam infideles inimicos suos perdere, omnibusque malis afficere: quocirca multi eo-
B rum ad Deum convertentur. Nota. *In omni pace*, id est, in omni rerum prosperitate et affluentia: hoc enim Hebræis est pax, ut patet Ps. 121. 7. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Rursum *in pace*, id est propter pacem. Sic enim sæpe capitur Hebr. ב, id est *in*.

ADHUC AUDIETUR IN LOCO ISTO, etc. ET FORIS IERUSALEM.) Vox *foris* nomen est, non adverbium: unde Hebr. et Chald. habent, *in plateis Ierusalem*. Simile vidimus c. 11. v. 6. Vers 10.

VOX SPONSI ET SPONSÆ.) q. d. Lætas inibitis nuptias cum Iudæis in Ierusalem, et maxime exultabitis in nuptiis Christi et Ecclesiæ, ac iubilantes canetis carmen, quod vobis præcinuit David, quodque vos in læto et fausto hoc rerum statu cantaturos prædixit Ps. 117. dicens: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.* Hoc enim carmen intercalare cecinisse Iudæos in reditu e Babylone patet 1. Esdræ 3. Vers. 11.

PORTANTIUM VOTA.) Eorum qui afferunt victimas et oblationes, quas Deo voverunt in gratiarum actionem pro tanta redemptione, tum ex Babylone, tum potius e pec-
C cato: hebr. enim pro *vota* est תודה *toda* significans confessionem et laudem, id est sacrificium ad laudem, celebrationem et gratiarum actionem Deo oblatum.

HABITACULUM PASTORUM ACCUBANTIUM GREGUM.) q. d. Erunt ibi pascua uberrima, ita ut ibi habitent pastores *gregum accubantium*, id est gregum qui præ ubertate pascuorum, et saturitate in pascuis more suo procumbent et accubabunt. Hæc omnia antitheta sunt malorum quæ eis comminatus est c. 7. 34. et c. 16. v. 9. et c. 25. v. 10. ut patet hæc loca inter se conferenti. Vers. 12.

NUMERANTIS.) Solet enim pastor vespere reducto grege ad caulas, in earum ostio oves dum transeunt numerare, ne qua desit. Id litteraliter factum est post reditum e Babylone, ait Theod. et S. Thom. sed multo magis spiritualiter factum est per Christum et Apostolos ac alios pastores. Sic Christus Ioan. 10. v. 11. et 14. oves suas vocat nominatim. Significat ergo Propheta hic officium, curam et vigiliam pastorum Evangelicorum, ut scilicet singulis ovibus invigilent, ne qua errans vagetur et pereat. Ita Rabanus, Lyran. et Vatabl. Ita fecit Christus, cum ait Ioan. 10. 14. *Ego cognosco oves meas.* Et Ioan. Vers. 13.

17. v. 12. et 18. v. 9. *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Aliter Sanchez, q. d. Armenta vestra, puta boves, asini, equi, etc. quæ vobis abductis in Babylonem, in Iudæa deserta silvestria facta sunt et efferata, ut se ab hominibus tractari et numerari non paterentur; illa vobis redeuntibus in Iudæam rursum cicurabuntur, fientque domestica, sinentque se tractari et numerari. Pastores enim vestri rursus ea pascent, itaque mansuefacient, ut ad manum veniant, et se tonderi ac mulgeri sinant, ultroque offerant ad æmolumenta, quæ ex ipsis herus volet capere. Hic sensus congruus est et accommodus.

Vers. 14. SUSCITABO VERBUM BONUM.) Id est consolatorium, prosperum, faustum. Sic ait Poeta:

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Secundo, *bonum*, id est benignum, propitium, beneficum. Sic ait Virgil. 12. Æneid.

Vos o mihi manes
Este boni, quoniam superis aversa voluntas.

Vers. 15. GERMINARE FACIAM DAVID GERMEN IUSTITIÆ.) Id est, producam Christum filium Davidis, qui iustissimus erit, omniumque iustificator. Ita Chald.

Vers. 16. HOC EST NOMEN QUOD VOCABUNT EUM.) Hebraice, *hoc est nomen quod vocabit eam*, scilicet Ierusalem, id est Ecclesiam: *Dominus iustitia nostra*, id est Christus iustificator noster, ipse noster est Dominus, ipse noster est Deus: hebraice enim est *Iehova*. Nomen ergo Christi, illi impositum cap. 23. 6. communicatur hic Ecclesiæ, imo Christus ipse suum nomen suæ sponsæ de more communicat, ut ipsa sponsum semper in ore habeat, laudet, celebret, dicens: Dominus Christus est iustitia mea, id est auctor iustitiæ meæ. Si ergo roges, quænam hæc civitas? quo nomine vocetur Ecclesia? Respondeo, vocari Ecclesiam Christi, seu Ecclesiam, in qua omnes dicunt; Christus est iustitia nostra.

Christus Ecclesiæ suum nomen et titulos communicat.

P. Gordonus controv. 1. c. 10. vult hunc locum, uti et alios, a Iudæis esse depravatum, ne Christum esse Deum fateri cogantur. Nam tam Noster, quam Septuag. et Chald. vertunt, vocabunt *eum*, scilicet Christum, non *eam*, scilicet Ierusalem. Verum Franc. Lucas in Notis, ostendit contrarium, scilicet non Hebræum, sed Latinum textum hic esse corruptum: et S. Hieron. non *eum*, sed *eam* vertisse: quia undecim exemplaria Latina manuscripta habent *eam*, non *eum*. Veneta quoque editio Chaldæa habet לה *la*, id est *eam*, non לה *le*, id est *eum*. Videtur ergo lectio c. 23. 6. huc translata, ut pro *eam* irrepserit *eum*: eo quod illa lectio scribis esset notior ex eo, quod illa tempore Adventus quotidie legatur in Ecclesia. Contra Iudæos vero satis convincitur, Christum esse Deum, ex simili loco c. 23. 6. ut ibi dixi. Frustra ergo ipsi hunc locum depravassent: debuissent enim tam illum, quam hunc depravare.

Vers. 17. NON INTERIBIT DE DAVID VIR.) Scilicet Christus per se, et per suos vicarios Pontifices regens Ecclesiam in sempiternum. Patet enim hæc non esse vera de regno Iudæorum et Davidis temporali, uti vult vir doctus ex Theodoreto (hoc enim sub Zorobabel et Esdra extinctum fuit) sed spirituali. Idem est de sacerdotio quod sequitur: ita omnes passim interpretes, præter Theodor. qui vult Machabæos duces et pontifices, habuisse matres ex stirpe David et Iuda; itaque in eis permansisse tam stirpem, quam regnum et principatum Davidis. Sed hoc incertum est, nec sufficit: tum quia genealogiæ per viros et patres ducuntur, non per matres: tum quia Machabæorum principatus non diu stetit, et iam a 1600. annis plane interiit.

ET DE SACERDOTIBUS NON INTERIBIT VIR QUI INCENDAT SACRIFICIUM.) Alludit ad victimas legis veteris, quæ cremabantur occisæ; sed per has intelligit Eucharistiam, ubi Christus (qui uti regnum Davidis, ita et vetus sacerdotium restauravit) charitatis igne succensus quasi cæditur, immolatur et consumitur Deo. Est catachresis. Ita Theodor. Lyran. et alii. Mystice, omnes Christiani quasi sacerdotes offerunt oblationes, preces et hostias bonorum operum Deo, Rom. 12. 1. et I. Petr. 2. 9. ita Raban. Hugo, et S. Thomas. Significat ergo sacrificium Evangelicum, puta Eucharistiæ, fore perpetuum et duraturum usque ad tempora Antichristi, imo usque ad finem mundi. Ita S. Hyppolytus lib. de Consummatione mundi. Vers. 18.

SI IRRITUM POTEST FIERI PACTUM MEUM CUM DIE, ET PACTUM MEUM CUM NOCTE, UT NON SIT DIES ET NOX IN TEMPORE SUO; ET PACTUM MEUM IRRITUM ESSE POTERIT CUM DAVID.) Cum Christo filio Davidis. Primo, Theod. sic exponit: sicut dies non potest esse nox, nec nox dies; ita fieri nequit ut pactum meum cum David non sit pactum, et sit irritum. Secundo et genuine, Rabanus: *Sicut*, inquit, *leges cæli, diei et noctis in suo ordine immobiliter persistunt; sic promissio Dei immobilis permanebit;* unde Chald. vertit, *sicut fieri non potest ut hæc deficiant.* Et sic explicat Ieremias c. 31. 36. dicens, *Si defecerint leges istæ coram me.* Simile schema et pathos est in Octavia Senecæ: Vers. 20. et 21.

Iungentur ante sæva sideribus freta,
Et ignis undæ, tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscidæ nocti dies, etc.

DUÆ COGNATIONES.) Duæ familiæ, una regia Davidis, secunda Aaronis sacerdotalis. Ita Theod. Raban. et Hugo; vel, ut Lyran. Iuda et Beniamin, quæ duæ tribus solæ remanserunt, aliis decem abductis in Assyriam, unde has duas dicebatur Deus elegisse et sibi servasse, quas cum viderent impii, vel Chaldæi, ut Raban. et S. Thom. vel potius, ut Vatabl. et Hugo, increduli Iudæi, iam pariter a Deo abiectas, et capiendas a Chaldæis, despiciebant populum Dei, quasi numquam in pristinam dignitatem restituendum. Vers. 24.

EO QUOD NON SIT ULTRA GENS.) Ita ut videatur illis non esse gens Iudæorum numeranda; vel alicuius momenti, ita Sept.

SI PACTUM MEUM INTER DIEM.) Sicut fieri non potest, ut non posuerim tum initio mundi tum Gen. 8. 21. cum Noe pactum de stabilitate cæli et terræ, vel ut illud revocem aut mutem: sic fieri non potest, ut omnino abiiciam filios Iacob et David, aut eos e captivitate non liberem: quin vero certissimo eos reducam, et dabo Apostolos, qui sacerdotibus et principibus legis et regni veteris succedant, quasi pontifices et principes Ecclesiæ, Ps. 44. 17. Hi ergo erunt principes seminis, id est posterorum, Abraham, Isaac et Iacob, puta verorum Israelitarum, qui sunt filii Abrahæ non secundum carnem, sed secundum fidem et spiritum, q. d. Apostoli eorumque successores, erunt principes fidelium, sive Christianorum: hi enim sunt filii Abraham, Isaac et Iacob; filii, inquam, promissionis non carnis, Rom. 9. 6. et seq. Vers. 25.

CONVERSIONEM.) Captivitatem. Vide dicta v. 7. Vers. 26.

CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias vaticinatur Ierusalem tradendam Chaldæis eam obsidentibus. Sedecias ergo rex ut Deum placaret, fœdus cum populo iniit de servanda Dei lege, edixitque, ut iuxta legem Exodi 21. 1. quisque dimitteret servos et ancillas liberas anno septimo (qui inde olim dictus est annus libertatis, idque in memoriam et gratitudinem liberationis ex Ægypto.) Populus id promisit et fecit: mox soluta fuit obsidio; recessit enim Nabuchodonosor ut occurreret Ægyptiis, qui contra se veniebant in opem Iudæorum, ut dicitur c. 37. 4. Iudæi iam metu liberi rursus stimulante avaritia, servos quos dimiserant, in servitutem redigunt, contra legem et promissum suum. Hinc reprehendit eos Ieremias, et minatur Chaldæorum reditum; fugatis enim Ægyptiis redierunt Chaldæi, anno nono Sedeciæ, et anno undecimo expugnarunt Ierusalem; ita Theodor. Hugo, Lyran. S. Thom. et alii.

Vulgo dicitur: Dæmon languebat, monachus tunc esse volebat:
Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.

Sic hic Iudæi et alii multi, cum virgam Dei sentiunt, omnia promittunt; ea aversa, redeunt ad pristina vitia. Rursum, notent hoc urbes et resp. bello, fame aut peste a Deo afflictæ, quomodo hoc flagellum avertere debeant; nimirum pœnitendo, peccata ob quæ immittitur corrigendo, vitam mutando, ac præsertim dedendo se operibus charitatis et misericordiæ. Ita enim Hebræi hic obsessi, servos donando libertate, obsidionem et servitutem Chaldæorum evaserunt: at ubi rursum in servitutem eos revocarunt, ipsimet mox in Chaldæorum servitutem et iugum tyrannicum inciderunt. Hoc fidelibus in publica calamitate suggerant et inculcent concionatores.

1. VERBUM quod factum est ad Ieremiam a Domino, quando Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus eius, universaque regna terræ, quæ erant sub potestate manus eius, et omnes populi bellabant contra Ierusalem, et contra omnes urbes eius, dicens: 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Vade, et loquere ad Sedeciam regem Iuda: et dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis, et succendet eam igni. 3. Et tu non effugies de manu eius: sed comprehensione capieris, et in manu eius traderis: et oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, et os eius cum ore tuo loquetur, et Babylonem introibis. 4. Attamen audi verbum Domini Sedecia rex Iuda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, 5. Sed in pace morieris, et secundum combustiones patrum tuorum regum priorum qui fuerunt ante te, sic comburent te: et væ Domine, plangent te: quia verbum ego locutus sum, dicit Dominus. 6. Et locutus est Ieremias propheta ad Sedeciam regem Iuda universa verba hæc in Ierusalem. 7. Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Ierusalem, et contra omnes civitates Iuda quæ reliquæ erant, contra Lachis, et contra Azecha: hæ enim supererant de civitatibus Iuda, urbes munitæ. 8. Verbum, quod factum est ad Ieremiam a Domino, postquam percussit rex Sedecias fœdus cum omni populo in Ierusalem, prædicans: 9. Ut dimitteret unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, Hebræum et Hebræam, liberos: et nequaquam dominarentur eis, id est, in Iudæo et fratre suo. 10. Audierunt ergo omnes principes et universus populus, qui inierant pactum ut dimitteret unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam liberos, et ultra non dominarentur eis: audierunt igitur, et dimiserunt. 11. Et conversi sunt deinceps: et retraxerunt servos et ancillas suas, quos dimiserant liberos, et subiugaverunt in famulos et famulas. 12. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam a Domino, dicens: 13. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego percussi fœdus cum patribus vestris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de domo servitutis, dicens. 14. Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei: et serviet tibi sex annis, et dimittes eum a te liberum: et non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam. 15. Et conversi estis vos hodie, et fecistis quod rectum est in oculis meis, ut prædicaretis libertatem unusquisque ad amicum suum, et inistis pactum in conspectu meo, in domo, in qua invocatum est nomen meum super eam. 16. Et reversi estis, et commaculastis nomen meum: et reduxistis unusquisque servum suum, et unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis ut essent liberi et suæ potestatis: et subiugastis eos ut sint vobis servi et ancillæ. 17. Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, et unusquisque amico suo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem: et dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. 18. Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, et non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, et transierunt inter divisiones eius: 19. Principes Iuda et principes Ierusalem, eunuchi et sacerdotes, et omnis populus terræ, qui transierunt inter divisiones vituli: 20. Et dabo eos in manus inimicorum suorum, et in manus quærentium animam eorum: et erit morticinum eorum in escam volatilibus cæli, et bestiis terræ. 21. Et Sedeciam regem Iuda, et principes eius, dabo in manus inimicorum suorum, et in manus quærentium animas eorum, et in manus exercituum regis Babylonis, qui recesserunt a vobis. 22. Ecce ego præcipio, dicit Dominus, et reducam eos in civitatem hanc, et præliabuntur adversus eam, et capient eam, et incendent igni, et civitates Iuda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator.

Vers. 1. QUANDO NABUCHODONOSOR.) Videtur prima hæc obsidio Ierusalem contigisse anno 8. Sedeciæ. Nam ann. 9. rediit Nabuchodonosor, et continuavit eam ad annum 11. Sedeciæ, quo eam cepit, Ierem. 39. 1. et 52. 4. ergo annus 8. Nabuchodonosoris, fuit annus 7. libertatis et remissionis, ut patet v. 9. et 14.

Dices: Annus 1. Sedeciæ, fuit annus 4. hebdomadis annorum sabbaticorum, ut dixi c. 28. v. 1. ergo septimus annus, sive sabbaticus, fuit annus 4. regni Sedeciæ, non octavus.

Resp. Verum id est secundum rectum et legalem computum, sive secundum stylum veteris Calendarii, non autem novi, quia enim hi anni septimi, multis lustris et forte sæculis fuerant neglecti, nec observati; hinc Sede-

cias eos hic revocans, inchoavit eos ab initio regni sui, A accedente præsertim necessitate instantis captivitatis, ut dicam v. 14.

Vers. 5. IN PACE.) Non violenta sed naturali morte: alioqui in pace non est mortuus qui in captivitate obiit.

SECUNDUM COMBUSTIONES PATRUM TUORUM, etc. COMBURENT TE.) Sic Gentiles cadavera suorum comburebant, ut de Miseno habet Virgilius l. 6. Æneid. Idem Iudæi fecerunt Sauli 1. Reg. 31. 12. et Sedeciæ hic, uti verba textus significant.

Secundo et melius, alii ex Hebræo vertunt, *comburent tibi*, scilicet aromata. Ita Hugo, Lyran. Vatabl. Isidor. et a Castro; aromata enim regum cadaveribus imponi et comburi solita fuisse, patet 2. Paral. 16. 14. et c. 21. v. 19. Nimirum aromata significabant regis vitam laudabilem fuisse, et gratæ famæ odore omnes recreasse. Sic iam flores et serta dantur virginibus et Doctoribus mortuis, eorumque sepulcbris imponuntur. Atque iuxta hunc sensum videtur explicandus noster Interpres, q. d. *Comburent te*, id est super te, id est suffient te aut tibi, inquit B Maldon. Vel *te:* quia corpus tuum in aromatum adustione etiam igne attingetur, et quasi aduretur, atque hoc ipso censebitur combustum, quo aromata super funus eius combusta sunt. Sic Hispani, ait Sanchez, dicunt: *comedi mortuum*, cum ex funereo mortui convivio comederunt. Nam David, Salomon, et alii reges mortui non leguntur combusti, sed sepulti. Ita Hebræi et Latini. Sic ex adverso Asa rex 2. Paral. 16. 14. dicitur sepultus, sed ante positus in lecto cum aromatibus et unguentis, quæ *combusserunt super eum ambitione nimia.* Ubi R. Kimchi aliique Hebræi tradunt, non tantum aromata, sed et lectos, vestes, aliaque supellectilia fuisse de more combusta, ne in usum cuiusquam, qui e regia prosapia non esset, assumerentur. Idem annotavit Hieron. Magius l. 3. Miscellan. c. 11. Videntur Iudæi hac in re imitati Gentiles, qui aromata, arma, vestes, resque charissimas in rogum defuncti iniiciebant, uti Cæsari milites parentasse scribit Svetonius. Esto Iudæi ob fidem et spem resurrectionis, C aromata et supellectilem tantum cremarent, non corpora.

Serta dantur virginibus mortuis, cur?

Audi Plutarchum de Catone Minore in funere Cæpionis fratris: *Cum iam fratrem mortuum comperisset, gravius ferre visus est, quam Philosopho conveniret. Nam non solum lamentis et planctu, sed sumptu funeris immodico, exquisitisque vaporibus et pretiosis vestibus corpus cremavit.* Et Tacitum l. 3. de funere Germanici: *Atque ubi colonias transgrederentur, atratæ plebes, trabeati equites pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant.* Ex eodem ritu Periaudrum in gratiam suæ uxoris mortuæ, vestes omnium mulierum Corinthiarum cremasse, tradit Herodot. lib. 2. Cicero l. 2. de Legib. hanc odorum in rogum coniectionem vocat *sumptuosam respersionem*, ac lege XII. tabularum prohibitam asserit. Plin. l. 12. c. 18. *Periti*, ait, *rerum asseverant, non ferre*, (Arabiam) *tantum* (odorum) *annuo fœtu, quantum Nero novissimo suæ Poppææ die concremaverit.* Valerius Maxim. l. 5. c. 1. *Caput etiam* (Pompeii) *plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum curavit Cæsar.* Cynthia apud Pro- D pert. l. 4.

Cur nardo flammæ non oluere meæ?

Statius l. 2. Sylvar. de rogo Glauciæ:

Quid ego exsequias et prodiga flammis
Dona loquar? mœstoque ardentia funera luxu?
Quod tibi perpetuo tristis rogus aggere crevit?
Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi. etc.

Ibidem de Psittaco Melioris:

Assyrio cineres adolentur amomo,
Sicaniisque crocis: senio nec fessus inerti
Scandit odoratos phœnix felicior ignes.

Ibidem in Epicedio Pileti Ursi:

Odoriferos exhausit flamma Sabæos,
Et Cilicum messes, Phariæque exempta volucri
Cinnama, et Assyrio manantes gramine succos.

VÆ DOMINE, PLANGENT TE.) Plangentes reges et principes dicebant, הוי אדון *hoi adon*, id est *heu Domine:* plangentes vero privatos dicebant, הוי אח *hoi ach*, heu frater, vel heu soror, ut patet cap. 22. 28. Esto enim reges ob parem regalem dignitatem se invicem vocarent fratres, uti recte probat hic Sanchez; tamen in funere regum vix aderant reges, qui eos plangerent fratresque compellarent.

Porro formulam planctus Sedeciæ ita describunt Hebræi in sua chronologia, quam ipsi vocant *Seder olam*, id est series, sive historia sæculi: *Interiit Sedecias, et de ipso hunc instituerunt planctum: Heu! quia mortuus est rex Sedecias, bibens fæces omnium ætatum*, id est, luens peccata priorum sæculorum; fuit enim ipse ultimus rex Iuda. Ita exponit Genebrardus ibidem.

PERCUSSIT REX SEDECIAS FOEDUS.) Inter se suumque Vers. 8. populum et Deum, promittens, quod Deum colerent, eiusque legem servarent, nominat vero præ aliis legem remissionis anni septimi: tum quia ille annus erat præsens: tum quia magis ad rem pertinebat. Servos enim manumittebant iuxta legem, ut ipsi in servitutem Chaldæorum non inciderent.

PRÆDICANS.) Voce præconis denuntians.

CUM COMPLETI FUERINT SEPTEM ANNI.) *Completi*, id Vers. 14. est, compleri cœpti: nam septimo anno ineunte, aut certe currente, et needum completo, servi dimittendi erant liberi. Unde Sept. vertunt, *cum completi fuerint sex anni.* Sic Luc. 2. 21. dicitur, *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer*, id est, cum completi sunt 7. dies, et perventum fuit ad diem octavum circumcisioni præstitutum.

UT PRÆDICARETIS LIBERTATEM UNUSQUISQUE AD AMI- Vers. 15. CUM, id est proximum, SUUM.) Id est, proximis suis, puta servis et ancillis Hebræis: Gentiles enim hac lege et libertate non gaudebant. Ita Pagninus, Vatabl. et alii, qui proinde vertunt, *ut prædicaret libertatem unusquisque fratri suo;* alii, *ad proximum suum*, puta ad heros, q. d. Heri invicem se hortabantur ad manumissionem servorum iuxta Dei legem.

COMMACULASTIS NOMEN MEUM.) Dedecore affecistis, Vers. 16. violantes legem et pactum meum, quasi rem vilem et ad nutum mutabilem et violabilem. Præclare S. Bern. in Sententiis: *Coram Deo nec leprosa valet obedientia, nec canina patientia.*

UT ESSENT LIBERI ET SUÆ POTESTATIS.) Hebr. *Dimisistis eos in animam suam*, id est, suæ animæ, id est libertati, eos reliquistis et restituistis.

PRÆDICO VOBIS LIBERTATEM.) Ironice ludit, q. d. Vos Vers. 17. liberos dimisistis servos libertati suæ, sed eam revocastis, et violastis: hinc ego vos manumittam, ut non sitis amplius servi mei, sitisque liberi, non ut eatis quo vultis; sed deserens vos et hostibus exponens, permittam ut abeatis in gladium, pestem et famem, utque hæc, quasi novi heri dominique vestri libere in vos grassentur. Ita D. Th. vide c. 15. 2.

Secundo, R. David explicat, q. d. Prædico vobis, id est contra vos, libertatem hostibus, ut vos servituti subiiciant.

Tertio, Maldon. prædico libertatem, id est servitutem et captivitatem, ut sit antiphrasis. Sed primus sensus planus est et genuinus.

IN COMMOTIONEM.) Hebr. et Sept. *in dispersionem*, ut vagi, instabiles, timidi et trepidi instar Cain vagemini, totoque orbe spargamini quasi errones. Ita Theodor. Lyran. Hugo, Maldon.

Aliter Vatabl. et Dionys. q. d. Ut omnes commoveantur, vel metu, vel commiseratione, visa vestra clade. Aliter alii, q. d. *In commotionem*, scilicet capitis, id est in derisum.

VITULUM QUEM CONCIDERUNT.) Dupliciter hæc accipi Vers. 18. possunt. Primo, *dabo viros*, etc. *vitulum*, id est, tamquam vitulum, ut, sicut hic vitulus divisus fuit, ita ipsi per varia regna dividantur et dispergantur. Ita Maldon. Addit Sanchez, q. d. Dabo te vitulum quem concidisti, id est faciam te apparere ea specie, qua vitulus concisus et discerptus, subiicieris hostili cultro, et late per varia regno-

rum spatia dispergeris. Patet ex v. 20.

Secundo et aptius, ut τὸ *vitulum* referatur ad *non observaverunt*, et per vitulum, intelligatur pactum cum Deo initum, et occisione vituli confirmatum, tum hic, tum Exodi 24. 5. ut sit metonymia et catachresis. Ita D. Thom. Lyran. Dionys. Unde Vatabl. vertit, *cæso in duas partes vitulo.*

Ritus priscus sanciendi fœdera.

Nota hic cum Theod. D. Thom. et aliis, priscum tum Hebræorum, tum aliarum gentium ritum sanciendi fœdera per victimam, puta vitulum: cum enim mactando, et in duas partes dividendo, ac per medium transeundo, imprecabantur sibi mortem et similem dissectionem, si fœdus violarent. De qua re plura dixi Gen. 15. 10. et Exodi 24. v. 8.

ET DABO.) Dabo, inquam.

Vers. 20. ET ERIT MORTICINUM.) Id est, cadaver occisum: alioqui morticinum proprie, est cadaver, quod sine vi, sponte et naturaliter mortuum est.

Vers. 22. Præcipere est, ordinare, etiam permittendo tantum.

PRÆCIPIO.) Chaldæis, ut ad obsidionem redeant: *præcipio*, id est permitto, ordino, dirigo. ut redeant ad excidium Hierosolymæ. Hebr. enim צוה *tsiva*, significat omnem Dei ordinationem et providentiam, sive imperativam, sive ordinativam, sive permissivam. Sic Deus hic *præcepit*, id est, Primo, ordinavit omnia, verbi gratia, fortunando res Chaldæorum, dando eis facilem et celerem victoriam contra Ægyptios, addendo eis vires et animos, obiiciendo menti eorum Hierosolymæ tot annis obsessæ et exhaustæ expugnationem fore facilem, etc. Quibus omnibus effectum est, ut Chaldæi sponte sua redirent ad eam obsidendam et expugnandam, quod Deus in tota hac serie providentiæ et ordinationis suæ intendebat. Hinc Secundo, *præcepit*, id est, hunc Chaldæorum reditum ordinavit et direxit ad iustam suam vindictam, ut scilicet hac ratione, per eos puniret et plecteret impios et fœdifragos Iudæos. Sic Deus dicitur præcepisse corvis ut alerent Eliam, *præcepisse*, id est, ordinasse et dedisse eis instinctum afferendi panem ad Eliam. Sic Deus dicitur *præcepisse*, id est directe permisisse, maledictionem Semei, eamque ordinasse ad punitionem adulterii et homicidii Davidis. Iusta ergo et congrua pœna Iudæorum fuit, ut, sicut ipsi contra legem servos revocarant in servitutem, ita vicissim Deus revocaret Chaldæos ad eorum obsidionem et vastationem.

Simili, et æque iusta antithesi dixit S. Chrys. hom. 2. in Ioan. *Ridiculum est, ut servulos nostros in nostris semper negotiis occupatos velimus, nos vero nullum Deo exhibere servitium, præsertim cum nostra omnis servitus nihil ei conferat.* Quocirca congruo iustoque iudicio Dei sæpe fit, ut qui segniter, tarde, inobedienter serviunt Deo, etiam servos in obsequio suo sentiant segnes, tardos, inobedientes, refractarios.

EO QUOD NON, ita ut non, SIT HABITATOR.

CAPUT TRIGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exemplo obedientiæ Rechabitarum, arguit Iudæorum inobedientiam, atque his pœnam, scilicet captivitatem: illis præmium, scilicet posteritatem perpetuam, et suum patrocinium promittit.

1. VERBUM, quod factum est ad Ieremiam a Domino, in diebus Ioakim filii Iosiæ regis Iuda, dicens: 2. Vade ad domum Rechabitarum: et loquere eis, et introduces eos in domum Domini, in unam exedram thesaurorum, et dabis eis bibere vinum. 3. Et assumpsi Iezoniam filium Ieremiæ filii Habsaniæ, et fratres eius, et omnes filios eius, et universam domum Rechabitarum: 4. Et introduxi eos in domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan, filii Iegedeliæ hominis Dei, quod erat iuxta gazophylacium principum, super thesaurum Maasiæ filii Sellum, qui erat custos vestibuli. 5. Et posui coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, et calices: et dixi ad eos. Bibite vinum. 6. Qui responderunt: Non bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, et filii vestri, usque in sempiternum: 7. Et domum non ædificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. 8. Obedivimus ergo voci Ionadab filii Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, et mulieres nostræ, filii et filiæ nostræ: 9. Et non ædificaremus domos ad habitandum: et vineam, et agrum, et sementem non habuimus: 10. Sed habitavimus in tabernaculis, et obedientes fuimus iuxta omnia quæ præcepit nobis Ionadab pater noster. 11. Cum autem ascendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terram nostram, diximus: Venite, et ingrediamur Ierusalem a facie exercitus Chaldæorum, et a facie exercitus Syriæ: et mansimus in Ierusalem. 12. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens: 13. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Vade, et dic viris Iuda, et habitatoribus Ierusalem: Numquid non recipietis disciplinam ut obediatis verbis meis, dicit Dominus? 14. Prævaluerunt sermones Ionadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis ut non biberent vinum: et non biberunt usque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens et loquens, et non obedistis mihi. 15. Misique ad vos omnes servos meos prophetas, consurgens diluculo, mittensque et dicens: Convertimini unusquisque a via sua pessima, et bona facite studia vestra: et nolite sequi deos alienos, neque colatis eos: et habitabitis in terra, quam dedi vobis et patribus vestris: et non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. 16. Firmaverunt igitur filii Ionadab filii Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis: populus autem iste non obedivit mihi. 17. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego adducam super Iuda, et super omnes habitatores Ierusalem, universam afflictionem, quam locutus sum adversum illos: eo quod locutus sum ad illos: et non audierunt: vocavi illos, et non responderunt mihi. 18. Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, et custodistis omnia mandata eius, et fecistis universa, quæ præcepit vobis: 19. Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

NOTA hysterologiam: hæc enim, utpote gesta sub Ioakim prius contigerunt, quam quæ cap. præced. sub Sedecia enarrata sunt. Vide cap. 3.

Nota secundo, Rechabitæ metu Nabuchodonosoris, anno quarto Iudæos rebellantes invadentis, confugerunt e suis agris in urbem Hierosolymam, ibique diu pacifice habitarunt, ut patet v. 11. Hæc ergo dicta videntur a Ieremia anno septimo vel octavo Ioakim, qui fuit tertius vel

quartus Nabuchodonosoris.

Vers. 2. VADE AD DOMUM.) Ad hospitium, ad quod in urbe se receperant; ut patet v. 11. nec enim Rechabitæ domos habebant, sed tabernacula; ut patet v. 7.

RECHABITARUM.) Notant contra Calvinum Hebræi et Latini, ut D. Thom. Hugo, Lyran. Dionys. Capella et alii, Rechabitas esse Cinæos. Idque ita esse, patet 1. Paral. 2. 55. ubi dicitur: *Hi sunt Cinæi, qui orti sunt ex Hamat* (ita enim est hebr. Noster vertit, *calore*) *patre familiæ Rechabitarum*. Nati sunt ergo Rechabitæ ex Iethro: qui et Raguel et Cinæus est dictus; quia de stirpe Cin ortus. Moses enim duxit uxorem Sephoram filiam Iethro: hinc Iethro venit ad Mosen, Exod. 18. 1. et posteri eius, qui Cinæi dicti sunt, inter Iudæos habitarunt; uti patet de Iahel uxore Haber Cinæi, quæ occidit Sisaram, Iudic. 4. v. 11. Ex dictis patet, Rechabitas non fuisse Iudæos, sed Madianitas; talis enim fuit Iethro.

Rechabitæ sunt Cinæi posteri Iethro.

Ex Iethro ergo prognatus est Rechab vir illustris, qui familiæ Rechabitarum nomen dedit. Suspicatur vir doctus, Iethro, sive Hobab, de quo Num. 10. esse Rechab, qui Madianitarum vitam et mores, nimirum vacandi rei pecuariæ, non autem seminandis agris, aut plantandis vineis, posteris suis tradiderit, et præcepto sanxerit. Itaque a tempore Mosis et Iethro cœpisse hoc institutum Rechabitarum, imo ante, scilicet a barbaris Madianitis, qui instar Nomadum vagabantur, ideoque habitabant in tabernaculis, uti Tartari in plaustris. Verum obstat, quod Rechab hic fuerit pater sancti Ionadab, viri zelosi, qui cum Iehu Baal et Baalitas evertit 4. Reg. 10. v. 23. Tempore ergo Iehu, vel potius paulo ante, cœpit hoc non barbarum, sed pium et religiosum Rechabitarum institutum. Itaque Rechab pios patrum mores, et quæcumque per traditionem a maioribus sancte observata acceperat, quasi per legem sancita et stabilita tradidit filiis suis: quæ ipsi ita religiose observabant, ut S. Hier. epist. 13. ad Paulinum, eos cum Elia, Eliseo, et filiis Prophetarum, vocet patres monachorum: nam Primo, Rechabitæ extra
1. urbes seorsim vivebant uti faciunt monachi. Secundo,
2. domos non habebant sed habitabant in tabernaculis, quasi peregrini terræ, non cives. Tertio, vino et deliciis ab-
3. stinebant, unde Rechabitarum posteri sive successores fuerunt Essæi sive Esseni, de quibus Philo, Euseb. et alii; hi enim æque temperantes et continentes fuerunt; ita ex S. Nilo et Suida docet Serarius lib. 3. Trihær. cap. 9.
4 Quarto, non negotiabantur, non serebant, non metebant, non quærebant opes, esto haberent uxores et liberos; sed vivebant ex pecoribus, et arte pastoritia, victu et vestitu
5 simplici contenti. Quinto, erant Scribæ, id est sapientes, legis studiosi, Deique contemplationi, laudibus et hymnis vacabant: unde ab iis scriptus dicitur Ps. 70. ut habet eius titulus. Ita Hebræi et S. Hier. supr.

Fuerant typus Religiosorum.

EXEDRAM.) Cubicula hæc erant, sive cellæ ædificatæ in appendicibus templi, ubi sedere et quiescere poterant sacerdotes et Levitæ. Unde exedræ græce dicebantur a sessione, atque ibi suppellex et opes templi recondebantur; unde v. 4. exedra vocatur gazophylacium. Exedræ ergo erant, sicut subsellia Canonicorum in choro.

Moraliter, qualis debeat esse Rechabitarum, id est Religiosorum, vita, graphice describit Euseb. Emissenus (vel potius Eucherius) homil. 9. ad Monachos: *Contentione laudabili certate; sit unusquisque vestrum in opere Dei promptior, in oratione ferventior, in lectione sollicitior, in castitate sit purior, in sobrietate parcior, in lacrymarum largitate profusior, in corpore honestior, in corde sincerior, in ira mitior, in mansuetudine moderatior, in risu rarior, in compunctione ferventior, in gravitate fundatior, in charitate iucundior.* Et S. Bernard. ser. 9. in cœna Domini: *Cum*, ait, *videris monachum ad contumeliam humilem, ad opprobria patientem, suis devotum Prioribus, in motibus mansuetum, tacitum ad loquendum, assiduum ad silentium, in claustro attente legentem, in Ecclesia suis vocibus Christum cum omni devotione laudantem, si non continue, tamen quotidie lacrymantem, parcum in refectione, ad obedientiam promptum, ubique proclivem, ubique inclinatum, ubique verecundum, ore cælum pulsantem, semper ad Dominum corde clamantem, cultorem proximi, et contemptorem sui cunctos diligentem, seipsum odientem, tunc dicere poteris: Monachus iste sui Creatoris servat mandatum. O quam felix, o quam beatus est monachus talis!*

Audi et Nazianz. Iambic. 15. uno carmine totum monachi officium complectentem:

Quid est monachus? Est qui vivit et legi, et Deo.
Μονῇ, saluti quæ studet soli cohors.

Μονή, est monasterium, sive monachorum cœtus, ut patet; perperam ergo Levvenklavius μονή vertit *solitudo*

Hoc est enim quod alter Nazianz. puta S. Basil. ait in ser. de Instit. monachi: *Monasticæ vitæ institutum nihil aliud sibi propositum habet, quam animæ salutem, atque ut quidquid ad eum finem prodesse potest, tamquam Dei mandatum cum timore observet.* Hac de causa Nazianz. monachos vocat Rechabitas.

HOMINIS DEI.) Prophetæ Domini. Ita Chald. Vatabl. Lyran. unde *homo Dei*, vocatur Moses, Iosue 14. 7. et Samuel 1. Reg. 9. v. 7. et David et alii. Vide dicta 1. Timoth. 6. 11. Vers. 4.

IUXTA GAZOPHYLACIUM PRINCIPUM.) In quo principes sua dona et oblationes recondebant, quas Domino erant oblaturi. Ita Hugo et Lyran. Aut potius, in quo dona a principibus oblata servabantur; illa enim, utpote pretiosa, seorsim et arctius custodiebantur.

SUPER THESAURUM.) Super gazophylacium: in Hebræo enim eadem est vox, quam Interpres nunc exedram, nunc gazophylacium, nunc thesaurum vertit.

IONADAB FILIUS RECHAB, PATER NOSTER, PRÆCEPIT NOBIS, DICENS: NON BIBETIS VINUM.) Nota, ait Theod. hic mirum patris præceptum, et constantem filiorum obedientiam in re tam dura, atque illustrem perfectionem in lege veteri tam imperfecta. Nam Rechabitæ vitam curis vacuam, et prædiis carentem, vinique abstinentiam adamarunt, imo cum haberent proles et familias, spernebant agros et possessiones, quin et domos, in tabernaculis habitantes, quasi exules hic et hospites, totique spe in Deum defixi; itaque vixerunt per 300. annos, tot enim fluxerunt a Iehu (cum quo vixit Ionadab pater Rechabitarum, qui eis has sanctiones dedit) usque ad ultimum annum Sedeciæ, sive usque ad eversionem Hierosolymæ. Unde apte Rechab, id est equitem vel ascendentem, et Ionadab, id est spontaneum Domini, patrem habent, ut notat S. Aug. præf. in Ps. 70. Vers. 6.

Mira obedientia et abstinentia Rechabitarum.

Obiicit Calvinus, hic non patris consilium et præceptum, sed tantum filiorum obedientiam laudari. Resp. 1. Reg. 10. v 15. et 23. satis patrem patrisque actus et vitam laudari. Secundo, si tam sancta fuit hæc filiorum per 300. annos in re tam ardua et alias libera obedientia, utique et præceptum patris sanctum fuit, nec frivolum aut illicitum quid præcepit: sic enim ei non fuisset obediendum. Ita S. Hier. et Aug. supra.

Obiicit, secundo, hoc præceptum, uti et Ecclesiæ de ieiunio, politicum est, nec ligat conscientiam. Resp. Hoc falsum est: si enim de Ecclesia hoc dicas, pari iure dicam præceptum de honorandis parentibus, de obediendo magistratui et principibus, politicum esse, nec ligare conscientiam, quod nemo nisi impius dixerit. Vide S. Aug. supra.

Resp. secundo, parentem tam ardua non posse præcipere filio, sicut non potest præcipere Religionis ingressum. Præceptum ergo hoc Ionadab consilium fuit, non politicum, sed religiosum: vel certe ipse filios tam bonos et morigeros sciebat, ut ultro illud sibi imponi sinerent.

UT VIVATIS DIEBUS MULTIS.) Ut vivatis vita longa, felici, pacifica et quieta: quia cum essent pauperes carentes possessionibus, litibus quoque quæ circa eas moventur, carebant. Atque dignum erat, ut vita eis prolongaretur, qui vitæ largitorem, puta patrem, debito honore prosequebantur. Unde Exodi 20. v. 12. dicitur: *Honora patrem*, etc. *ut sis longævus super terram.* Vers. 7.

PEREGRINAMINI.) Tum quia Rechabitæ, utpote posteri Iethro, erant peregrini in Israel; erant enim Madianitæ, non Israelitæ: tum quia terram sibi hospitium et exilium, cælum vero patriam æstimabant. Vide dicta Heb. 11. v. 9.

Moraliter hoc sibi dicat quisque Religiosus, imo omnis fidelis, cuius cum S. Paulo spes et conversatio in cælis est. Memento te in terris peregrinari: es enim conscriptus a Deo ab omni ævo civis sanctorum, hæres cæli, et domesticus Dei. In omni ergo studio, labore, prandio, somno, loco, gradu dic: *Peregrinus sum:* per hæc omnia instar peregrini mihi pertranseundum est, nusquam immorandum: ita prægustabis cælestis patriæ opes et delicias, quas Deus tibi præparavit, ac reipsa post mortem in illas quasi hæres deduceris: amittes vero, si his terrenis animum affixeris et obnubilaveris. Quare merito exclamat S. Bern. epist. ad Monachos S. Bertini: *O quantam internæ consolationis dulcedinem et gratiam visitationis divinæ præpedit nugarum vapor ad modicum parens!* Et rursum: *Præsertim nos monachi, quorum velimus nolimus in labore vita est, plane miserabiliores sumus omnibus hominibus, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim insipientiæ, imo quid insaniæ est, ut qui maiora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus.*

Vers. 11. VENITE, ET INGREDIAMUR IERUSALEM A FACIE EXERCITUS CHALDÆORUM.) Rechabitæ, ait S. Hier. ad Paulin. *in tabernaculis semper habitantes, propter irruptionem Chaldaici exercitus Hierosolymam intrare compulsi, hanc primi captivitatem sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem urbe quasi carcere sunt reclusi.* Unde et Ps. 70. hoc titulo inscribitur: *Psalmus David filiorum Ionadab priorum captivorum.* Quare licet non peccarint Rechabitæ, ob hostis periculum, intrando urbem; tamen melius egissent, si morem suum secuti, longius a Ierusalem in montes et silvas secessissent, evasissent enim captivitatem; uti fecerant maiores eorum in vastatione Amalec, 1. Reg. 15. 6.

Vers 14. PRÆVALUERUNT.) Hebr. הוקם *hukam*, id est stabilita, hoc est observata et impleta sunt verba Ionadab, q. d. Rechabitæ in re dura patri obediverunt; vos, o Iudæi, in re et lege facili Deo vestro non obedietis?

Vers. 16. FIRMAVERUNT.) Firmiter et constanter observarunt. Subditus enim observans legem patris aut Prælati, sua obedientia confirmat et quasi obsignat eam.

Vers. 19. NON DEFICIET VIR DE STIRPE IONADAB FILII RECHAB, STANS IN CONSPECTU MEO.) Syrus et Arabicus, *stans coram me.* Putant Hebræi, filios Rechabitarum nupsisse Levitis, id est fœminis e tribu Levi, et liberos ex illis procreatos ministrasse Deo in templo. Unde Chald. vertit, *non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab ministrans coram me.* Et Hegesip. l. 2. histor. 22. de Iacobo fratre Domini loquens, sic ait: *Cum eum lapidarent, unus ex sacerdotibus de filiis Rechab, qui sunt Ieremiæ testimonio commendati, dixit: Quid agitis? iustus pro vobis Deum precatur.* Verum hoc non videtur esse verum; nam nemo nisi ex parte Levita natus, poterat esse Levita aut sacerdos.

Non deficiet stirps Rechab, quo sensu?

1. Expositio.

2. Secundo, Theod. et Hugo sic explicant, q. d. Non deerunt Rechab filii, non generatione, sed imitatione: scilicet posteri Christiani, qui Rechabitarum abstinentiam, obedientiam et religionem imitentur.

3. Tertio, Dionys. censet, promitti hic Rechabitis liberationem ab exercitu Chaldæorum, in communi Iudæorum clade.

4. Quarto, alii putant, ex Rechabitis electos fuisse iudices.

5. Quinto, simplicius dicunt alii, hic Rechabitis promitti continuam posteritatem, quam Deus semper amet, protegat, et præ oculis habeat. Verum, quia stare coram Domino in Scriptura significat Domino ministrare, uti faciebant Levitæ et sacerdotes in templo: et quia *maximum et pulcherrimum hominis munus est, Deo ministrare,* ut ait Aristides tom. 2. orat. 3. Platonica.

6. Hinc sexto, aptius censent alii, quod Rechabitæ ob tantam obedientiam, et abstractionem a curis sæcularibus, electi fuerint a Deo, ad aliquod Dei et templi ministerium, cuius ipsi erant capaces, seu quod eis committi poterat, sicut Gabaonitis commissa fuit cura aquæ et lignorum templi, Iosue 9. 23.

A Censet Sanchez hoc ministerium fuisse cantandi, et Rechabitas factos esse cantores in templo. Hoc enim videtur dicere Script. 1. Paral. 2. 55. unde et Ps. 70. eis quasi cantoribus inscribitur. Sic Anna prophetissa et virgines Deo dicatæ (inter quas educata fuit B. Virgo) templo ministrabant, vestes sacras reficiendo, lavando, aptando, etc.

7. Septimo et certissime, ipsa Rechabitarum pia vita et observantia et quasi nazaræatus, vocatur hic statio sive ministerium Domini; ipsi enim æque ut Nazaræi vino abstinebant. Sicut ergo Nazaræi olim, et nunc Religiosi, dicuntur stare coram Deo illique ministrare; ita idem dici poterat de Rechabitis. Duo ergo hic eis promittit Deus, Primo, quod eorum stirps non deficiet. Secundo, quod posteri eorum in pia ista patrum observantia perstabunt, ideoque Deo cordi et curæ erunt, imo quasi familiares amici in conspectu eius iugiter cum eo versabuntur. Ita S. Benedictus, S. Franciscus, S. Ignatius, aliique illustres Sancti et Ordinum fundatores a Deo audierunt, quod Ordo eorum non deficeret, quodque Deus B semper viros insignes ei suggereret, qui disciplinam et sanctitatem Ordinis tuerentur, fulcirent, restaurarent et perficerent.

Et aptissima.

Religiones Deo sunt curæ ne deficiant.

Celebre fuit olim oraculum S. Benedicti, cuius fama totum orbem pervagata est, scilicet, quod Ordo ab ipso institutus duraturus esset usque ad finem mundi, atque in fine mundi pro Romana Ecclesia staturus fidelissime, et plurimos in fide confortaturus, quodque nullus in eo moriturus esset nisi in statu salutis, uti narrat Arnoldus Uvion in Chronicis Ordinis S. Benedicti, quæ vocat Lignum vitæ l. 1. c. 1. sub finem.

Simile exstat de Ordine S. Francisci, in eius Vita apud S. Bonaventuram, et in Chronicis Ordinis. Cum enim S. Franciscus audiens aliquos apostatare, vel opponere se Ordini suo, valde affligeretur, audivit a Deo: *Quid turbaris Francisce? quis hunc Ordinem plantavit, nisi ego? ego retinebo, ego illis cadentibus alios substituam, iique si nondum nati fuerint, faciam ut nascantur, quod si tres* C *tantum in eo permanserint, eos ipsos numquam deseram, sed erit hæc semper familia mea.*

Audi et memorabilem visionem S. Pachomii, qui ab angelo regulam monasticam accepit, quam refert Dionysius Exiguus in eius Vita: *Astiterunt,* inquit, *super eum,* (Pachomium) *angeli lucis et iuvenis in medio eorum ineffabili pulchritudine atque claritate resplendens, qui instar Solis ex se fulgoris radios emittebat, habens super caput coronam spineam. Et levantes a terra Pachomium angeli, dicunt ei: Quoniam petisti a Domino misericordiam, ecce veniet tibi misericordia tua, Deus gloriæ Iesus Christus filius Dei Patris unigenitus, qui missus est in hunc mundum, et pro salute generis humani crucifixus est, spineam ferens in capite coronam. Et Pachomius ait: Oro Domine, numquid ego te crucifixi? Et Dominus placidior ait ad eum: Non tu quidem crucifixisti, sed parentes tui.* Deinde subiungit promissionem: *Verumtamen animi æquior esto, et confortetur cor tuum, quia posteritas tua manebit in sæculum, nec usque in finem mundi deficiet, ipsique* D *qui post te futuri sunt, de profunda illa caligine liberabuntur, quotquot vixerint abstinenter, et curam salutis proprie gesserint. Modo namque qui præsentia tua se continent, tuarum sequentes exempla virtutum, maxima gratiæ luce resplendent: post te vero qui in huius sæculi caligine fuerint immorati, quia prudenter intelligent quæ petenda sunt, quæve fugienda; et spontanea voluntate nullo humanitus utentes exemplo, de tantis exilierint tenebris, omnemque iustitiam servantes, æternam vitam toto corde dilexerint: amen dico tibi, quia cum istis erunt qui nunc tecum in summa continentia et sanctitate præclari sunt, eamdemque salutem ac requiem sortientur. Hæc dicens Dominus ascendit in cælum. Sic autem illustratus aer est, ut splendor lucis illius non possit humanis sermonibus explicari.*

Pachomius ab Angelis a terra levatur.

Promittit ei Dominus posteritatis curationem.

Tropol. Rechab est Christus, filii eius sunt viri religiosi, qui eius obedientiam usque ad mortem imitantur; hi stant coram Domino, parati ad omnem eius nutum, ho-

rum progenies est perpetua. Hi sunt filii Rechab, id est equitis Christi triumphantis, et cum triumpho ascendentis in cælum: Christi enim exemplo superant et calcant omnia terrena, ut quasi equites super ea equitent, scandantque in cælum. Quocirca recte B. Petrus Damiani Card. epist. 18. ad Desiderium Card. et Abbat. *Cœnobium*, inquit, *est vivarium animarum, captabulum cælestium pecorum, aviarium volucrum. Captabulum*, vel per euphoniam elisa littera p, *catabulum* (ad quod damnatus S. Marcellus Pontif. ut pasceret bestias, ibi labore et pædore confectus, Martyr obiit) est septum vel locus, ita dictus, quod capiat animalia. Sicut enim a venor dicitur venabulum, et ita a capto captabulum, indeque catabulum, ut videtur; licet Etymologicum Græcobarbarum velit esse Græcam vocem a καταβάλλω, id est demitto, profundo, abiicio, negligo, ut catabulum sit locus demissus, profundus, abiectus, vilis, qualis est stabulum pecorum. Vide de catabulo Cardin. Baron. in Martyrolog. 19. Ianuar.

CAPUT TRIGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias dictat Baruch librum suorum oraculorum et minarum, iubetque ut eum in templo coram omni populo legat. Rex Ioakim librum comburit, et Ieremiam cum Baruch occidi iubet: fugit Ieremias, et mox Dei iussu secundum librum minaciorem conscribit.

1. Et factum est in anno quarto Ioakim filii Iosiæ regis Iuda: factum est verbum hoc ad Ieremiam a Domi-
no, dicens: 2. Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba quæ locutus sum tibi adversum Israel et
Iudam, et adversum omnes gentes, a die qua locutus sum ad te ex diebus Iosiæ usque ad diem hanc:
3. Si forte audiente domo Iuda universa mala, quæ ego cogito facere eis, revertatur unusquisque a via sua pessi-
ma: et propitius ero iniquitati, et peccato eorum. 4. Vocavit ergo Ieremias Baruch filium Neriæ: et scripsit Ba-
ruch ex ore Ieremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri: 5. Et præcepit Iere-
mias Baruch, dicens: Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini. 6. Ingredere ergo tu, et lege de volu-
mine in quo scripsisti ex ore meo verba Domini, audiente populo in domo Domini in die ieiunii: insuper et au-
diente universo Iuda, qui veniunt de civitatibus suis, leges eis: 7. Si forte cadat oratio eorum in conspectu Do-
mini, et revertatur unusquisque a via sua pessima: quoniam magnus furor et indignatio est, quam locutus est Do-
minus adversus populum hunc. 8. Et fecit Baruch filius Neriæ, iuxta omnia quæ præceperat ei Ieremias prophe-
ta, legens ex volumine sermones Domini in domo Domini. 9. Factum est autem in anno quinto Ioakim filii Iosiæ
regis Iuda, in mense nono: prædicaverunt ieiunium in conspectu Domini omni populo in Ierusalem, et universæ
multitudini, quæ confluxerat de civitatibus Iuda in Ierusalem. 10. Legitque Baruch ex volumine sermones Iere-
miæ in domo Domini in gazophylacio Gamariæ filii Saphan scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ no-
væ domus Domini, audiente omni populo. 11. Cumque audisset Michæas filius Gamariæ filii Saphan omnes ser-
mones Domini ex libro, 12. Descendit in domum regis ad gazophylacium scribæ: et ecce ibi omnes principes se-
debant: Elisama scriba, et Dalaias filius Semeiæ, et Elnathan filius Achobor, et Gamarias filius Saphan, et Sede-
cias filius Hananiæ, et universi principes. 13. Et nuntiavit eis Michæas omnia verba, quæ audivit legente Ba-
ruch ex volumine in auribus populi. 14. Miserunt itaque omnes principes ad Baruch, Iudi filium Nathaniæ filii
Selemiæ, filii Chusi, dicentes: Volumen, ex quo legisti audiente populo, sume in manu tua, et veni. Tulit ergo
Baruch filius Neriæ volumen in manu sua, et venit ad eos. 15. Et dixerunt ad eum: Sede, et lege hæc in auri-
bus nostris. Et legit Baruch in auribus eorum. 16. Igitur cum audissent omnia verba, obstupuerunt unusquisque
ad proximum suum, et dixerunt ad Baruch: Nuntiare debemus regi omnes sermones istos. 17. Et interrogave-
runt eum, dicentes: Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore eius. 18. Dixit autem eis Ba-
ruch: ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos: et ego scribebam in volumine atramento.
19. Et dixerunt principes ad Baruch: Vade, et abscondere tu et Ieremias, et nemo sciat ubi sitis. 20. Et ingres-
si sunt ad regem in atrium: porro volumen commendaverunt in gazophylacio Elisamæ scribæ, et nuntiaverunt
audiente rege omnes sermones. 21. Misitque rex Iudi ut sumeret volumen: qui tollens illud de gazophylacio Eli-
samæ scribæ, legit audiente rege, et universis principibus qui stabant circa regem. 22. Rex autem sedebat in
domo hiemali in mense nono: et posita erat arula coram eo plena prunis. 23. Cumque legisset Iudi tres pagellas
vel quatuor, scidit illud scalpello scribæ, et proiecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne
volumen igni, qui erat in arula. 24. Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua rex et omnes servi eius,
qui audierunt universos sermones istos. 25. Verumtamen Elnathan, et Dalaias, et Gamarias, contradixerunt re-
gi ne combureret librum: et non audivit eos. 26. Et præcepit rex Ieremiel filio Amelech, et Saraiæ filio Ezriel,
et Selemiæ filio Abdeel, ut comprehenderent Baruch scribam, et Ieremiam prophetam: abscondit autem eos Do-
minus. 27. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen et ser-
mones quos scripserat Baruch ex ore Ieremiæ, dicens: 28. Rursum tolle volumen aliud, et scribe in eo omnes
sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Ioakim rex Iuda. 29. Et ad Ioakim regem Iuda,
dices: Hæc dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuntians: Festinus ve-
niet rex Babylonis, et vastabit terram hanc, et cessare faciet ex illa hominem, et iumentum? 30. Propterea hæc
dicit Dominus contra Ioakim regem Iuda: Non erit ex eo qui sedeat super solium David: et cadaver eius proii-
cietur ad æstum per diem, et ad gelu per noctem. 31. Et visitabo contra eum, et contra semen eius, et contra
servos eius, iniquitates suas: et adducam super eos, et super habitatores Ierusalem, et super viros Iuda, omne
malum, quod locutus sum ad eos, et non audierunt. 32. Ieremias autem tulit volumen aliud, et dedit illud Baruch
filio Neriæ scribæ: qui scripsit in eo ex ore Ieremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Ioakim rex Iuda
igni: et insuper additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant.

Vers. 1 **Et factum est in anno quarto** regni **Ioakim**) Postquam Ioakim re cum Nabuchodonosore composita, Babylone redierat, sed non ita secure, quin adhuc Iudæi metuerent Nabuchodonosoris reditum, unde ad eum avertendum indixerunt ieiunium, v. 6.

Vers. 2. **Volumen.**) Hebr. מגלה *meghilla*, significat convolutionem: olim enim liber instar mappæ geographicæ erat quasi una membrana, ex variis membranis consuta, quæ in cylindrum convolvebatur. Hoc enim est Hebr. מגלה *meghilla*, et Latinum volumen.

Dices, Quomodo ergo paginas sive pagellas habebat, ut dicitur v. 23.

Resp. Paginæ vocantur vel ipsæ membranæ partiales invicem assutæ, ut fiat una membrana longa et lata, vel singulæ circumvolutiones, aut partes cylindro convolutæ, quæ singulæ scorsim ordine explicabantur et evolvebantur ut legi possent. Unde pro paginæ, hebr. est דלתות *delatot*, id est ostia, fores, id est aperturæ, explicationes, explicati gyri.

Secundo, per paginas accipi possunt paragraphi, vel capita, in quæ distinctus erat liber, iuxta distinctionem et diversitatem materiæ, puta oraculorum in eo descriptorum.

Tertio, Sanchez opinatur librum hunc aliam habuisse formam, quam volumen olim communiter habebat, nempe quadratam, ut in ea distinctæ essent pagellæ, uti fit in nostris libris. Horum enim tunc usum fuisse, colligitur ex eo quod scribit Ioseph. l. 12. Antiq. 5. de litteris Lacedæmonum datis ad Oniam pontificem in quibus ad calcem hæc leguntur: *Demoteles est, qui has vobis reddidit literas in pagina quadrangula scriptas, et obsignatas aquilæ sigillo draconem tenentis in unguibus.* Verum hæ literæ erant instrumenta publica amicitiæ et fœderis.

Summa scripturæ huius libri erat, ut patet v. 29. *Festinus veniet rex Babylonis, et vastabit terram hanc, et cessare faciet ex illa hominem et iumentum.* Erat ergo hic liber, vel compendium prophetiarum Ieremiæ omnium, vel certe ipse liber prophetiæ Ieremiæ a c. 1. huc usque; ita Sanch. Hoc enim plane significant verba Dei dicentis: *Scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi*, etc. *ex diebus Iosiæ usque ad hanc diem.* Unde patet Ieremiam ab anno 13. Iosiæ, quo cœpit prophetare, usque ad annum quartum Ioakim, qui hic nominatur, per annos 22. oracula sua non scripsisse; aut potius, scripsisse quidem ea in variis schedis, sed in unum librum et volumen ea non digessisse. Quare Deus hic ei iubet, ut id faciat: quia hoc anno quarto Ioakim cœpit regnare Nabuchodonosor, qui impleturus erat hæc oracula, et vastaturus Iudæos aliasque gentes.

Vers. 4 **Vocavit ergo Ieremias Baruch.**) Ut ipse quasi scriba scriberet hoc volumen dictante Ieremia; sive quia Ieremias minus polite scribebat, et malos formabat characteres, ut vult Sanchez: sive quia Ieremias totus concipiendæ et dictandæ prophetiæ erat intentus: sive quia clausus in carcere obscuro, videre non poterat ut scriberet: sive quia longum erat hoc opus, tota enim Ieremiæ prophetia describenda erat.

Vers. 5. **Ego clausus sum.**) In carcere a Ioakim rege timente, ne, si liberum me sinat, meis tristibus oraculis percellam et frangam animos populi. Ita Theod. Raban. Thomas, Lyran. Aut quia volui librum eis legere, hinc ab eis incarceratus sum. Ita Lyran. et Dionys. Inde tamen, ne rex eum occideret, a principibus emissus est, ut se absconderet, v. 19.

Secundo, planius alii, Hebr. עצור *atsur*, vertunt, detentus sum, prohibitus sum, scilicet vel a rege Ioakim, ut vult Sanchez; vel a Dei spiritu ingredi templum et legere librum, ne ibi occidat. Ita Vatabl. Paguin. a Castro et Maldon.

Hinc patet Prophetas aliquando verbo, aliquando scripto, aliquando et communiter utroque modo prophetasse. Litera enim scripta occidi nequit, rursum non erubescit, denique ad absentes et posteros transmittitur. Qua de re exstat elegans ænigma Antiphanis poetæ Græci:

Natura infantes servans est fœmina in ulnis.
Hi muti, genitam sed possunt sistere vocem
Per cunctas terræque vias, perque æquoris undas.
Cui volet absenti mortali audire licebit:
Cuique etiam sensus auditus surdus habetur.

Quod Sappho poetria ita exponit: Fœminea natura est epistola, quæ infantes circumfert litteras; quæ cum mutæ sint, iis tamen qui longe absunt, loquuntur, quibus ipsa vult: legentem vero eam nemo, ne proximus quidem, audit: quocirca litteræ æque surdæ ac mutæ esse videntur. Mutæ legenti, surdæ astanti.

Rursum ex hac scriptura Baruch liquet, quam antiquus fuerit usus scribendi calamo et atramento apud Hebræos.

In die ieiunii.) Nota v. 9. indictum est hoc ieiunium ante hanc Ieremiæ iussionem, idque ad placandum Deum, et avertendum Chaldæos; erat enim mense nono, ut dicitur v. 9. quo hactenus nullum nec a Deo, nec a Synagoga indictum erat ieiunium, ut patet ex Menologio Hebræorum apud Genebrar. Post tamen ob combustum hunc Ieremiæ librum, indixerunt Iudæi annuum ieiunium, die septima mensis noni, ut patet ex dicto Menologio. Quare minus recte aliqui per diem ieiunii intelligunt festum expiationis, quo ieiunium omnibus indictum erat sub pœna mortis, quod celebrabatur die decimo mensis septimi, Levit. 23. 27. Vers. 6.

Ieiunium ob combustum Ieremiæ librum.

Si forte cadat.) Nota. Cadere orationem in conspectu Domini, est eam acceptam esse Domino, eaque Deum exorari. Unde cap. seq. v. 19. Noster interpres Hebræam hanc phrasin vertit, *valeat in conspectu tuo deprecatio mea.* Ita Chald. S. Thom. et Dionys. Vers. 7.

Sed quia liber hic legitur populo ut convertatur et Deum oret, itaque placet; hinc melius Maldon. Sanch. Hugo et Vatabl. sic explicant, *si cadat*, id est, si forte Iudæi minis excidii quod Deus per Chaldæos intentat, territi et compuncti convertantur ad Dominum; ut humilient, prosternant, et profunde demittant se et preces suas, ut supplices a Deo veniam petant. Simili phrasi ait Ieremias c. 38. v. 26. *Prostravi ego preces meas coram rege.* Unde sequitur hic: *Et revertatur unusquisque a via sua pessima.* Simile est Daniel. 19. v. 8. Vide hic, quid facere soleant minæ Ieremiæ et concionatorum: nimirum minæ, sunt quasi pharmaca, quibus exciti peccatorum humores expelluntur.

In anno quinto Ioakim, etc. **Prædicaverunt ieiunium**, publica præconis voce indixerunt ieiunium, **in conspectu Domini.**) Id est in templo, videlicet ut omnes ieiunarent *in conspectu Domini*, id est inclinantes se, et orantes ante conspectum Domini, sicut dixit v. 7. *Si forte cadet oratio eorum in conspectu Domini.* Ita Maldon. Vers. 9.

Nota. Hoc ieiunium indictum est anno quinto Ioakim, uti hic dicitur. Ergo indictum est post obsidionem Hierosolymæ, eiusque vastationem, quæ contigit anno quarto Ioakim, in qua ipse Ioakim rex cum multis Hierosolymitis, captus, abductus est in Babylonem; sed promittens Nabuchodonosori fidelitatem et tributum in posterum, mox, eodem, ut videtur, anno, liber in Ierusalem est dimissus: ubi statim ad ingenium rediit, et Chaldæorum iugum excussit. Hac de causa, Dei monitu Ieremias iussit Baruch librum oraculorum suorum describere, regique et proceribus legere, ut modeste se gererent, subderentque ex fide data se Chaldæis: alioqui ipsos sibi, urbi et regno excidium allaturos, uti reipsa contigit.

Porro indictio ieiunii huius præcessit lectionem libri, qua nimirum Baruch legit principibus oracula et minas Ieremiæ, ut patet ex sequentibus. Quocirca hoc ieiunium non est indictum ad avertendas hasce minas, et Chald. sed potius in signum publici luctus; eo quod anno præcedenti urbs capta et spoliata esset a Chaldæis, ac multa vasa templi cum rege et proceribus abducta essent in Babylonem. Hanc ergo cladem luxerunt publico et solemni hoc ieiunio: quo tamen simul precabantur ut Deus deinceps talem cladem ab eis averteret, nec sineret amplius urbem cum templo suo ab incircumcisis ita pollui et vastari.

Vers. 12. Ad gazophylacium (id est cubiculum, vide dicta cap. præced. v. 2. et 4.) scribæ.) Id est secretarii, vel, ut Vatabl. cancellarii regii.

Vers. 16. Obstupuerunt unusquisque ad proximum suum.) Obstupentes se invicem respiciebant.

Vers. 18. Ex ore suo loquebatur quasi legens.) Prompte et expedite mihi dictabat, ac si ea ex libro legisset. Significat Baruch, hæc verba non fuisse a Ieremia præmeditata, nec quæsita, sed a Spiritu sancto suggesta, ut posset dicere cum Davide Ps. 44. 2. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis;* ita Maldon. Ieremias ergo hic omnia sua oracula sine libro dictavit et quasi reparavit; sicut multi putant, licet falso, Esdram dictasse et reparasse S. Scripturam in excidio combustam.

Vers. 19. Vade, et abscondere tu et Ieremias.) Suadent hoc eis proceres; quia sciebant ingenium et consilium Ioakim regis, qui arrogans, nec ferens se subiici Chaldæo, oderat Ieremiam suadentem, imo ex ore Dei iubentem, ut ei se subderet. Ergo ne eis rursum subiectionem occinentibus indignetur Ioakim, eosque carcere vel morte mulctet, consulunt eis fugam et latebras.

Vers. 22. Rex autem sedebat.) Hebr. יושב *ioseeb*, id est habitabat, in domo, in qua per hiemem commorari solebat: erat enim mensis nonus, id est November.

Et posita erat arula.) Foculus, vel receptaculum prunarum, quo se calefaciebat rex; ita Sept. et Chald.

Vers. 23. Pagellas.) Hoc est, gyros explicatos in explicatione voluminis, sive libri convoluti, ut dixi v. 2. Porro dicit *tres, vel quatuor*, quia legerat tres, et cœperat quartam, et quia loquitur uti vulgo homines loqui solent.

Scidit illud, scilicet ipse rex Ioakim, ut patet v. 27. et 29. furore correptus, scalpello scribæ.) Id est, cultello pennario. Ita Hugo, S. Thom. Lyran. et Vatabl. Falluntur Hebræi, putantes hunc librum fuisse Threnos Ieremiæ. Hic enim liber continebat minas excidii futuri: Threni vero continent lamentationes excidii præteriti.

Vers. 24. Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua. q. d. Timorem et horrorem non ostenderunt scindendo vestimenta sua (est hendyadis) rex, qui sciderat et combusserat librum: hunc enim maxime facti et furoris sui pœnitere debebat, et omnes servi eius.) Moris enim erat apud Hebræos, ut in blasphemia Deique iniuria, omnes audientes scinderent vestimenta, ut hoc ipso Dei iniuriam detestarentur et execrarentur. Gravis enim erat Dei iniuria, scindere et comburere eius librum et oracula. Quocirca posteri ob conscissum hunc librum, publicum et annuum indixerunt ieiunium, uti superius dixi. Sic Iosias pater Ioakim, *cum audisset verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua*, 4. Reg. 22. Quin et impius Achab idem fecit, 3. Reg. 21.

Vers. 26. Abscondit autem eos Dominus.) Scilicet in eodem loco, ad quem fugerant ut laterent: verbi gratia, in domo viri alicuius boni et pii; ibi enim Deus eos protexit, et quærentium eos phantasiam aut oculos divertit et avertit alio, ut ad eum locum non accederent, et Ieremiam cum Baruch non invenirent; ita Chald. Raban. et Hugo. Sic Christus abscondit se Ioan. 8. non fugiendo, sed faciendo se invisibilem, ait ibidem Theoph. Euthym. Lyran. Maldon. et alii.

Aliter D. Thom. qui censet Deum hic per miraculum abscondisse Ieremiam et Baruch, vel transferendo eos in latebras, uti Eliam transtulit; vel oculos eorum tenendo aut excæcando, ne Ieremiam et Baruch viderent. Ieremias fuit hic typus Christi, qui a Iudæis quæsitus ad mortem, abscondit se, et transiens per medium illorum ibat, imo sub finem vitæ secessit in civitatem Ephrem, Ioan. 11. 54. quia nondum venerat hora eius.

Vers. 29. Festinus veniet.) Hebr. בא יבא *bo iabo*, id est veniendo veniet, id est, veniens in via non tardabit; sed cito instar aquilæ advolabit, adventu suo rumorem præcurret, aderit ante portas vestras, antequam audiatis illum e Babylone discessisse. Vatabl. vertit, *certissime veniet*.

Cessare faciet.) Occidet vel auferet homines et iumenta.

Vers. 30. Non erit ex eo qui sedeat.) Scilicet diu et absolute: nam filius eius Ioachin tantum tribus mensibus regnavit, ideoque æstimatur ac si non regnasset; ita Theod. Posteri vero Ioachin non fuerunt reges, sed duces populi. Machabæi aliqui fuerunt reges; sed hi fuerunt ex tribu Levi, non Iuda; ac consequenter non fuerunt ex stirpe Ioakim.

Et cadaver eius proiicietur ad æstum per diem, et ad gelu per noctem.) q. d. Ioakim occidetur a Chaldæis, et cadaver insepultum proiicietur, ut loco publico putrescat. Hæc est infamis sepultura asini, quam ei prædixit c. 22.

Præclare Aristides orat. in Eteonem tom. 1. *Cum*, ait, *mors omnibus æque sit proposita, illud certe, ut quis præclarissima quæque consecutus, gloriose obeat, nec diis nec hominibus invisus, non omnibus est, sed paucis admodum concessum.* Subdit ad id stimulum: quia vita nostra brevis est, ut etiamsi Nestoris annos computes, minima sit pars æternitatis, imo nulla.

Vers. 31. Et non audierunt.) Id est, quia non audierunt, hoc est, obedierunt iussis et oraculis Dei editis per Ieremiam.

Vers. 32. Additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant.) Hebr. additi sunt sermones multi, similes illis prioribus, id est minaces; ita Septuag. Chald. Vatabl. et alii.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias, Sedeciæ consulenti et roganti, ut pro se et urbe oret, prophetat Nabuchodonosorem, qui a Ierusalem recesserat pugnaturus contra Pharaonem, reversurum, et Ierusalem combusturum. Hinc quasi transfugere vellet ad Chaldæos, capitur, et in tetrum locum coniicitur, sed deprecans Sedeciam, ab eo commodiorem custodiam et quotidianam annonam impetrat.

1. Et regnavit rex Sedecias filius Iosiæ pro Iechonia filio Ioakim: quem constituit regem Nabuchodonosor rex Babylonis in terra Iuda. 2. Et non obedivit ipse, et servi eius, et populus terræ, verbis Domini, quæ locutus est in manu Ieremiæ prophetæ. 3. Et misit rex Sedecias Iuchal filium Selemiæ, et Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, ad Ieremiam prophetam, dicens: Ora pro nobis Dominum Deum nostrum. 4. Ieremias autem libere ambulabat in medio populi: non enim miserant eum in custodiam carceris. Igitur exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto: et audientes Chaldæi, qui obsidebant Ierusalem, huiuscemodi nuntium, recesserunt ab Ierusalem. 5. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam, dicens: 6. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Sic dicetis regi Iuda, qui misit vos ad me interrogandum: Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, revertetur in terram suam in Ægyptum: 7. Et redient Chaldæi, et bellabunt contra civitatem hanc, et capient eam, et succendent eam igni. 8. Hæc dicit Dominus: Nolite decipere animas vestras, dicentes; Euntes

abibunt, et recedent a nobis Chaldæi: quia non abibunt. 9. Sed et si percusseritis omnem exercitum Chaldæorum, qui præliantur adversum vos, et derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de tentorio suo consurgent, et incendent civitatem hanc igni. 10. Ergo cum recessisset exercitus Chaldæorum, ab Ierusalem propter exercitum Pharaonis, 11. Egressus est Ieremias de Ierusalem ut iret in terram Beniamin, et divideret ibi possessionem in conspectu civium. 12. Cumque pervenisset ad portam Beniamin, erat ibi custos portæ per vices, nomine Ierias, filius Selemiæ filii Hananiæ, et apprehendit Ieremiam prophetam, dicens: Ad Chaldæos profugis. 13. Et respondit Ieremias: Falsum est, non fugio ad Chaldæos. Et non audivit eum: sed comprehendit Ierias Ieremiam, et adduxit eum ad principes. 14. Quam ob rem irati principes contra Ieremiam, cæsum eum miserunt in carcerem, qui erat in domo Ionathan scribæ: ipse enim præpositus erat super carcerem. 15. Itaque ingressus est Ieremias in domum laci et in ergastulum: et sedit ibi Ieremias diebus multis. 16. Mittens autem Sedecias rex tulit eum: et interrogavit eum in domo sua abscondite et dixit: Putasne est sermo a Domino? Et dixit Ieremias: Est: et ait: In manus regis Babylonis traderis. 17. Et dixit Ieremias ad regem Sedeciam: Quid peccavi tibi, et servis tuis, et populo tuo, quia misisti me in domum carceris? 18. Ubi sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, et dicebant: Non veniet rex Babylonis super vos, et super terram hanc? 19. Nunc ergo audi obsecro domine mi rex: valeat deprecatio mea in conspectu tuo: et ne me remittas in domum Ionathan scribæ, ne moriar ibi. 20. Præcepit ergo rex Sedecias ut traderetur Ieremias in vestibulo carceris: et daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec consumerentur omnes panes de civitate: et mansit Ieremias in vestibulo carceris.

Vers. 6. **Ecce exercitus Pharaonis**, etc. **revertetur in Ægyptum.**) A Narrant Rabbini, quod, cum Ægyptii iam haberent classem in mari, nutu Dei apparuerint super mare utres inflati, ad speciem viscerum humanorum, per mare agitati, dixerintque Ægyptii inter se: *Hi sunt maiores nostri Ægyptii, qui suffocati sunt in mari propter istos Iudæos, et nos nunc vadimus ut auxiliemur eis? steterunt igitur, et redierunt retro.* Hæc sunt fabellæ R. Salomonis.

Nota. Hæc prophetia contigit sub Sedecia, sub tempus obsidionis Ierusalem, ac proinde accidit diu post illam capitis præced. illa enim contigit sub Ioakim. Est enim in Ieremia crebra hysterologia: quia prophetiæ eius in unum volumen compilatæ sunt promiscue, non servato ordine, uti dixi initio in chronotaxi. Quæ hic et sequentibus cap. scribuntur a Ieremia, historiæ sunt adeo claræ, ut qui eis longa interpretatione lucem afferre velit, eas potius sit obnubilaturus et caliginem eis offusurus.

Vers. 8. **Nolite decipere animas vestras.**) Id est, primo, Nolite falso animis vestris persuadere, quod Chaldæi prorsus abibunt. Secundo, *animas*, id est vitas vestras: has enim redeuntes Chaldæi vobis eripient, aut ita affligent, ut malitis mori quam vivere. Tertio, *animas vestras*, id est vos ipsos, ut sit synecdoche.

Euntes abibunt.) Id est, omnino abibunt ut amplius non redeant.

Vers. 9. **Sed et si percusseritis omnem exercitum Chaldæorum.**) q. d. Adeo fixum et certum est Dei decretum de Ierusalem excidio, ut, licet Chaldæi ab Ægyptiis, ut vos speratis, aut a vobis cæderentur, ita ut pauci cladem hanc evaderent, iique graviter saucii; Deus tamen per illos Iudæorum agmina sterneret, urbemque concremaret. Tam durum est Deum habere adversarium, ac contra eum pugnare vel obniti, est contra stimulum calcitrare. Ita Sanchez.

Vers. 11. **Et divideret ibi possessionem.**) Non filiis suis, ut vult Chald. nullos enim habuit; mansit enim virgo, ut dixi c. 16. 2. sed fratribus et propinquis: aut ut possessionem quæ sibi forte obvenerat, vel agrum quem emerat ab Hanameel cap. 32. 9. ab aliis eius et vicinorum agris, dimetiretur et divideret. Ita S. Thom. Lyran. et Dionys.

Verum agro obstat, quod ager ille postea sit emptus, scilicet cum Ieremias incarceratus esset (qui hic v. 4. dicitur fuisse liber, unde et urbe egredi voluit v. 10.) scilicet anno decimo Sedeciæ, cum paulo post expugnata est Ierusalem, ut patet c. 32. v. 1. et 2. Adde, pene frustra fuisset hæc partitio bonorum, utpote quæ in prædam cessura mox erant victori Chaldæo: potuit tamen eam prætexere Ieremias fugæ suæ, ut mox dicam.

Secundo, Sanchez explicat, q. d. Egressus est Ieremias de Ierusalem, ut domum et habitationem a populo Solymitano divideret, id est, ut a populo iam iam vastando et perituro subtraheret; *dividere* autem *in conspectu civium*, nil est aliud, quam spectantibus civibus fugam illam seu discessum moliri. Hic sensus in Hebræo est planior. Nam ex Hebræo potest sic verti cum Vatablo et Pagnino, *ut lubrificaret exinde in medio populi*, id est, ut more rei lubricæ dilaberetur ex urbe in medio populi, qui turmatim soluta iam obsidione ex urbe egrediebatur. Aut, *ut divideret se a populo*, id est, ut secederet ab urbe. Videns enim Ieremias Sedeciam et proceres sibi offensos, et parare carceres, aliaque diriora: simul prævidens paulo post Ierusalem, et omnia quæ in ea erant, vastanda esse mature voluit sibi consulere, ac occasione disponendi de rebus suis, abire in Anathoth, et ex Ierusalem se subducere, ut se excidio eriperet. Sept. vertunt, *ut emeret inde* (aliquid) *in medio populi*, id est, in mercatu, quod Theod. explicat, q. d. Ut emeret panes; erat enim fames in urbe paulo ante obsessa.

Ierias.) Hic erat nepos, id est, filius filii Hananiæ (ut Vers. 12.
hic dicitur) cui mortem intentavit Ieremias c. 28. 16. ideoque nepos eius Ierias, ut mortem avi vindicaret, Ieremiæ infensus hic eum cap. ita R. Salom. Lyran. et alii. B

Cæsum.) Vel pugnis, vel, ut Raban. S. Thomas et Lyran. flagellis, et sic Ieremias fuit typus Christi flagellati.

Nota hic, quam perniciosa sit temeraria suspicio, et Moral.
præcipitatum iudicium. Ex eo quod Ieremias urbe exiret, de temesuspicax Ierias ait: *Ad Chaldæos profugis.* Credunt ei raria suprincipes, insontemque Ieremiam cædunt et incarcerant. spicione et iudi-
Peccavit in hoc Heli, qui Annam suspirantem ad Deum, cio.
ebriam quasi et temulentam increpavit: et Pharisæi qui Christum calumniati sunt, vocantes gulonem, vini potorem, dæmoniacum, quod cum Publicanis et peccatoribus accumberet, morbosque curaret. Gravius deliquit Theod. Iunior Imper. qui ob pomum ab Eudocia uxore dono datum Paulino nobilissimo viro, suspicatus adulterium, eum innocentem interfici iussit, Eudociam a societate thori removit. Et Constantinus Magnus, qui Crispum filium falso incestus ab uxore accusatum, mox interfici iussit. Laborant hoc malo melancholici, quia ex umbra gravia mala mox ominantur; est enim melancholia, utpote humor ater, tristis, timida, suspicax, maligna. Hi ergo contra eam ex professo pugnare debent, omniaque phantasmata suspicionum quæ incidunt animo, mox elidere; C nam ut B. Dorotheus ait *mendosa amussis etiam recta depravat.* Narrat idem B. Dorotheus, custodem horti domestici suspicatum esse de quodam Religioso, quod poma ex horto furto sublegisset, itaque accessisset ad S. Synaxin: accusavit eum apud Antistitem. Ille re examinata cognovit Religiosi innocentiam, ac hortulanum suspiciosum publice coram omnibus gravissime increpuit et confudit. S. Franciscus incidens in pauperem mendicum, cum socius ei diceret: Forte hic inopiam simulat, et dives est; iussit mox illi, ut flexis genibus a mendico veniam peteret, eumque nudum veste sua tegeret. Cassianus lib. 5. de Instit. renunc. c. 30. narrat Machatem virum sanctum, sed severi nimis et suspicacis iudicii, ita a Deo

punitum et correctum fuisse: *Machates*, inquit Cassian. *cum institueret nos neminem diiudicare debere, intulit tria fuisse in quibus discusserit vel reprehenderit fratres. Primo, quod uvam sibi nonnulli paterentur abscindi. Secundo, quod haberent in cellulis sagum. Tertio, quod oleum benedicentes sæcularibus exposcentibus darent: unde iusto Dei iudicio hæc omnia se incurrisse dicebat. Nam ægritudinem uvæ contrahens et tabescens, coactus sum, ait, eam abscindi permittere. Cuius etiam infirmitatis obtentu, sagum quoque habere coactus sum; oleum etiam benedicere et supplicantibus dare, cum alia ratione eorum importunas preces evadere non possem.* Unde concludit: *Quibus mihi manifeste compertum est, iisdem causis ac vitiis monachum obligari, in quibus de aliis iudicare præsumpserit.*

Vers 15. In domum laci.) In carcerem, qui quia teter, tenebricosus, fœtidus, cœnosus, profundus erat et horridus, hinc similis erat laco, foveæ, sepulchro et inferno. Sic Ioseph dicitur descendisse in foveam, id est in lacum carceris, Sapient. 10. 13. et Daniel c. 6. dicitur proiectus in lacum leonum. Quocirca Ieremias, ne eius squalore conficeretur, rogat inde eripi; unde in vestibulum quasi commodiorem locum translatus est v. ultimo. Sic apud omnes gentes carceres horridi longam mortem præ se ferebant; hinc Athenis carcer dictus est *barathrum*, et a Christo *tenebræ exteriores*, non quod esset extra urbem, sed *exteriores*, id est, extreme et summe tenebricosus. Carcer quoque dictus est *ergastulum*, q. d. operatorium, quia in carcere servi vincti operari, ut molere, pinsere, et statum operis pensum persolvere debebant: sed hæc in laco fieri non poterant; is tamen communi voce et more vocatur hic *ergastulum*.

Carcer dictus est barathrum, cur?

Tertia Ieremiæ incarceratio.

Est hæc tertia incarceratio Ieremiæ. Primo enim in carcerem missus fuit c. 20. v. 2. a Phassur filio Emmer, sed postridie eductus. Secundo, incarceratus fuit c. 32. v. 3. a Sedecia rege. Tertio hic. Hanc foveam sive lacum Ieremiæ Constantinum Imp. mirifica fabrica exornasse, scribit Niceph. l. 8. c. 30.

Vers. 16. Putasne est sermo a Domino.) q. d. A temetipso dicis urbem comburendam, an a Deo inspiratus? ita Hugo et Vatabl. vel potius, quia sciebat eum esse Prophetam Domini, q. d. Estne sermo aliquis novus a Deo? cupiebat enim Sedecias mitius aliquid, et favens suæ pertinaciæ oraculum novum audire. Ita ex Hebr. et Sept. Theodor. S. Thom. Lyran. et a Castro. Unde respondet Ieremias de novo mihi revelatum est, quod in manum regis Babylonis traderis.

Vers. 18. Ubi sunt.) q. d. Ex eventu videte me esse verum Prophetam, qui prædixi adventum Chaldæorum, uti iam eos

A advenisse videtis; falsos vero et mendaces Prophetas esse, qui id negarunt. Ita Theod. S. Thom. et Lyran.

Valeat deprecatio mea in conspectu tuo.) Sine te, mi rex, a me exorari; acquiesce deprecationi meæ. Vers. 19.

In vestibulo carceris.) In atrio carceris communis; non ergo erat Ieremias in cellulis vinctorum, ut vult R. David, qui τὸ *in vestibulo carceris*, per hypallagen exponit, q. d. *In carcere qui erat in vestibulo*: sed in atrio, quasi in libera custodia, idque Dei providentia, ut eum ibi facilius cives adire et audire possent. Unde in hoc atrio emit agrum ab Hanameel, fecitque emptionis instrumenta, c. 32. Vers. 20.

Torta.) Hebr. ככר *chicar*, id est, panis rotundos et orbicularis, quæ dicitur *torta* quasi *tracta*, et in orbem contorta. Hinc et talentum, quia orbiculatum, vocatur *kickar*.

Excepto pulmento.) Id est obsonio vel cibo, qui pulti vel pani additur. Veteres enim temperantes, pulte pro pane utebantur, ut dixi Gen. 25. 29. q. d. Sedecias liberalis fuit in Ieremia alendo: iussit enim in publica fame
B ei dari tortam panis, pulmentum vero sine mensura.

Aliter Sept. Chald. Paguin. et Vatabl. vertunt, scilicet, *et dedit ei tortam panis* (scilicet emptam) *de vico aut platea pistorum*, id est dedit ei tortam panis communis, quem pistores coquebant quotidie servis regiis stata quantitate et pondere; hoc enim est *chicar* sive torta.

Mansit usque ad expugnationem urbis, Ieremias in vestibulo carceris.) Merito potuit, potestque nunc maxime Ieremias cum S. Paulo gloriari in crebris continuisque carceribus ac vinculis, cum eoque dicere: *Ego vinctus in Domino*, Ephes. 3. v. 1. Et: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, 2. Corinth. 11. v. 23. Ita nuper in iisdem gloriabatur Michael in Iapone Martyr. an. Domini 1609. uti patet ex eius literis, in quibus inter alia sic ait: *Quadriennio fui in carcere, ita lætus et alacer, ut uno tantum die mihi fuisse videar. Non possum Dei in me beneficentiam verbis exæquare, quod pro eius fide captus sim;*
C *nimirum dignatam esse augustissimam illam maiestatem ex illo die, animæ et corporis mei velut adire et capere possessionem. Exinde semper in summa pace fui. Æstuabat cor meum inæstimabili desiderio, sui ad omnem Dei nutum, in prosperis et adversis ad unguem conformandi.* Et rursum: *Quantumcumque me mundus despiceret, premeret, vexaret, affligeret, statui nihil me ista pensi facturum. Satis enim scio irrisiones, contemptus, fastidia, et quaslibet iniurias pro Dei amore æquo animo toleratas, omnium Regum et Imperatorum sceptris ac diadematibus esse infinitis partibus anteponenda.*

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

E carcere Ieremias hortans populum ad deditionem, in lacum limosum coniicitur, sed ab Abdemelech Æthiope liberatur. Secundo, v. 14. rogatus secreto a Sedecia, suadet ei ut se tradat Chaldæo; rursumque in atrium carceris ligatus manibus pedibusque coniicitur, in eoque manet usque ad excidium urbis.

1. Audivit autem Saphatias filius Mathan, et Gedelias filius Phassur, et Iuchal filius Selemiæ, et Phassur filius Melchiæ, sermones, quos Ieremias loquebatur ad omnem populum, dicens: 2. Hæc dicit Dominus: Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, et fame, et peste: qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet, et erit anima eius sospes et vivens. 3. Hæc dicit Dominus: Tradendo tradetur civitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, et capiet eam. 4. Et dixerunt principes regi: Rogamus ut occidatur homo iste: de industria enim dissolvit manus virorum bellantium, qui remanserunt in civitate hac, et manus universi populi, loquens ad eos iuxta verba hæc: siquidem homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum. 5. Et dixit rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est: nec enim fas est regem vobis quidquam negare. 6. Tulerunt ergo Ieremiam, et proiecerunt eum in lacum Melchiæ filii Amelech, qui erat in vestibulo carceris: et submiserunt Ieremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum: descendit itaque Ieremias in cœnum. 7. Audivit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod misissent Ieremiam in lacum: porro rex sedebat in porta Beniamin. 8. Et egressus est Abdemelech de domo regis, et locutus est ad regem, dicens: 9. Do-

mine mi rex, male fecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt contra Ieremiam prophetam, mittentes eum in lacum ut moriatur ibi fame: non sunt enim panes ultra in civitate. 10. Præcepit itaque rex Abdemelech Æthiopi, dicens: Tolle tecum hinc triginta viros, et leva Ieremiam prophetam de lacu antequam moriatur. 11. Assumptis ergo Abdemelech secum viris, ingressus est domum regis, quæ erat sub cellario: et tulit inde veteres pannos et antiqua quæ computruerant, et submisit ea ad Ieremiam in lacum per funiculos. 12. Dixitque Abdemelech Æthiops ad Ieremiam: Pone veteres pannos, et hæc scissa et putrida sub cubito manuum tuarum, et super funes. Fecit ergo Ieremias sic. 13. Et extraxerunt Ieremiam funibus, et eduxerunt eum de lacu: mansit autem Ieremias in vestibulo carceris. 14 Et misit rex Sedecias, et tulit ad se Ieremiam prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini: et dixit rex ad Ieremiam: Interrogo ego te sermonem, ne abscondas a me aliquid. 15. Dixit autem Ieremias ad Sedeciam: Si annuntiavero tibi, numquid non interficies me? et si consilium dedero tibi, non me audies. 16. Iuravit ergo rex Sedecias Ieremiæ clam, dicens: Vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, si occidero te, et si tradidero te in manus virorum istorum, qui quærunt animam tuam. 17. Et dixit Ieremias ad Sedeciam: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas hæc non succendetur igni: et salvus eris tu, et domus tua. 18. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, et succendent eam igni: et tu non effugies de manu eorum. 19. Et dixit rex Sedecias ad Ieremiam: Sollicitus sum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos: ne forte tradar in manus eorum, et illudant mihi. 20. Respondit autem Ieremias: Non te tradent: audi quæso vocem Domini, quam ego loquor ad te, et bene tibi erit, et vivet anima tua. 21. Quod si nolueris egredi: iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus: 22. Ecce omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Iuda, educentur ad principes regis Babylonis: et ipsæ dicent: Seduxerunt te, et prævaluerunt adversum te viri pacifici tui, demerserunt in cœno et in lubrico pedes tuos, et recesserunt a te. 23. Et omnes uxores tuæ, et filii tui educentur ad Chaldæos: et non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris: et civitatem hanc comburet igni. 24. Dixit ergo Sedecias ad Ieremiam: Nullus sciat verba hæc, et non morieris. 25. Si autem audierint principes quia locutus sum tecum, et venerint ad te, et dixerint tibi: Indica nobis quid locutus sis cum rege, ne celes nos, et non te interficiemus, et quid locutus est tecum rex: 26. Dices ad eos: Prostravi ego preces meas coram rege, ne me reduci iuberet in domum Ionathan, et ibi morerer. 27. Venerunt ergo omnes principes ad Ieremiam, et interrogaverunt eum, et locutus est eis iuxta omnia verba, quæ præceperat ei rex, et cessaverunt ab eo, nihil enim fuerat auditum. 28. Mansit vero Ieremias in vestibulo carceris usque ad diem, quo capta est Ierusalem: et factum est ut caperetur Ierusalem.

Vers. 2. ERIT ANIMA (vita) EIUS SOSPES.) Hebr. *erit vita eius in spolium;* Chald. *in evasionem;* Sept. *in lucrum.* Scilicet erit quasi spolium e manibus hostium ereptum; iam enim urbs, vita et bona vestra, sunt quasi in manibus Chaldæorum.

Vers. 4. DISSOLVIT MANUS.) Dissolvit animos et vires civium, ut arma abiiciant, eo quod prophetet Chaldæos eis prævaliturus.

Vers. 5. NEC ENIM FAS EST REGEM VOBIS QUIDQUAM NEGARE.) Septuag. legentes אותם *otam* pro אתכם *etchem*, vertunt, *quia non poterat rex illis resistere*, quasi Propheta regem excuset.

Vers. 6. DESCENDIT ITAQUE.) Demersus est. Ita Hebræi.

IN COENUM.) Ioseph. 10. Antiqu. 10. in cœnosum, inquit, puteum per funem demiserunt Ieremiam, ut ibi præfocatus moreretur: ille vero usque ad collum mersus, ibi manebat. Fuit ergo hic Ieremias typus Christi, qui ait Ps. 68. v. 2. *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Nota. Lacus hi erant putei, vel cisternæ, ad colligendam aquam, vel scaturientem, vel pluvialem, ideoque crebri erant in Iudæa, et crebra eorum mentio in Script. Hisce deinde nonnulli usi sunt ad reorum custodiam, vel potius supplicium, ut scilicet eos ibi pædore, tabe et fame conficerent lenta morte. Talis videtur fuisse hic locus, qui prius fuit puteus vel cisterna Melchiæ; deinde quia erat iuxta carcerem, traductus est ad reorum custodiam, vel potius supplicium. Hi cœnosi erant, quia patentes superne, excipiebant pluviam, quæ mista cum fundo laci, faciebat lutum et cœnum. Erant et profundi; hinc funibus reos eo demittebant, uti demiserunt hic Ieremiam. Hinc erant instar barathri, ac inferni typum et speciem exhibebant. Talis videtur fuisse cisterna vetus, in quam a fratribus proiectus est Ioseph, ut ibi moreretur, Genes. 37. et David psal. 87. 7. *Posuerunt*, inquit, *me in lacu inferiori; in tenebrosis et in umbra mortis.* Et Psal. 39. *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.* Et de Christo patres e limbo liberante ait Zachar. c. 9. *Emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Ita Abul. in c. 25. Matth. quæst. 558. et Sanchez.

Moral. Nota. Deus tunc maxime adest, cum res videntur plane desperatæ et deploratæ, si serio invocetur. Quis non putasset actum de Ieremia, cum communi regis et principum consensu in lacum proiectus est? At Deus ei affuit, uti ei promiserat cap. 1. eumque confortavit. Hoc est enim quod Deo gratias agens Ieremias, ait Thren. 3. 57. *Appropinquasti in die, quando invocavi te* (in lacu, uti præcessit) *dixisti: Ne timeas.* Quocirca suscitavit Abdemelech Æthiopem, qui regis animum flecteret, et Ieremiam e lacu extraheret.

Mirare hic et imitare longam patientiam et constantiam Ieremiæ: post verbera, post nervum, post lacum, rursum eadem prophetat. Gentilitas mirata est Socratem, quasi virum patientissimum, ideoque sapientissimum: Socrates enim, teste Laertio, nuncianti quemdam se maledictis incessere; *Bene*, inquit, *loqui non didicit:* dicenti alteri; *Nonne iste tibi maledicit? Non*, inquit, *quia ista mihi non adsunt.* Xantippe eius uxor, cum in eum prius convitia, deinde aquam sordidam effudisset: *Nonne*, inquit, *dicebam, Xantippen tonantem quandoque pluituram?* Dicenti Alcibiadi, non esse tolerabilem Xantippen adeo morosam: *Atqui*, ait, *ego his iam assuetus sum, ac si iugiter sonum trochlearum audiam. An vero tu non toleras clamore perstrepentes anseres?* illo dicente: *At mihi ova pullosque pariunt: Et mihi*, ait, *Xantippe filios parit.* Asperioris ingenii uxori ita convivendum monebat, ut equis animosis equites. Nam *sicut illi, cum eos semel subegerint, reliquis facile utuntur: ita et mihi post Xantippes usum, reliquorum mortalium toleratio facilis obveniet.* Hinc Pythia dixit: *Mortalium unus Socrates vere sapit.* Verum quid Socrates ad Ieremiam? qui non unam Xantippen, sed reges, principes, omnesque Iudæos se persequentes, tot annos, tam patienter et fortiter toleravit? nimirum servo Dei *afflictio carnis est mensa spiritus*, ut ait auctor vitæ B. Petri Damiani cap 19. (Socratis patientia mira cum Ieremiæ collata.)

ABDEMELECH.) R. Salomon censet hoc nomen non esse proprium, sed commune officii. *Abdemelech* enim hebr. idem est quod *servus regis*, scilicet per excellentiam, puta regii cubiculi et cubilis custos. Hic enim græce vocatur Eunuchus. Rursum R. Salomon pro *Æthiops* vertit *Æthiopis*, ut hæc sit sententia: Audivit autem servus regis Sedeciæ Æthiopis, id est improbi, et vitiis nigri instar Æthiopis. Sic ait Poeta: Vers. 7.

Hic niger est, hunc tu Romane caveto

Et Amos c. 9. 7. *Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel?* Verum longe melius et verius vertit noster, *audivit autem Abdemelech Æthiops.*

EUNUCHUS.) Id est aulicus; Chald. vir magnus. Vide dicta c. 29. 1. Unde libere eunuchus hic principibus se opposuit, et Ieremiam liberavit. Hinc mercedem a Deo tulit, ut paulo post audiret a Ieremia, se in clade urbis incolumem evasurum c. 39. 16. cum cæteri aulici tunc fuerint occisi, ut patet cap. seq. v. 6.

Vers. 9. UT MORIATUR IBI (in lacu) FAME, NON SUNT ENIM PANES ULTRA IN CIVITATE.) Civibus enim primo omnis panum annona, cum ea pauca et parca sit, distribuetur; neglectus ergo Ieremias in lacu, ibi fame æque ac pœdore morietur, præsertim cum proceres eius mortem optent. Aliter Chald. et Sanchez hæc explicant.

Vers. 10. TOLLE TECUM HINC TRIGINTA VIROS.) Pro *tecum* hebr. est בידיך *beiadecha*, id est, qui sunt *in tua manu* et potestate, qui tibi quasi præfecto subsunt. Unde videtur hæc militaris fuisse custodia, ad propulsandam vim procerum, hostium Ieremiæ, si eius e lacu eductionem impedire voluissent. Ad extrahendum enim e lacu Ieremiam, tres quatuorque viri sufficiebant.

Vers. 11. QUÆ ERAT SUB CELLARIO.) Id est, in eam partem domus, quæ erat sub penu, ubi scruta proiiciebantur, et veteres servorum laceræque vestes et centones, pannique ad vasa tergenda.

Vers. 12. PONE, etc. SUB CUBITU, sub axillis, MANUUM.) Id est brachiorum (est synecdoche) pannos veteres, ne funibus nudis extractus lædaris. Hinc videtur, quod Ieremias nudus aut lacer et seminudus fuerit missus in lacum; alioqui enim funibus vestes supposuisset, nec eguisset his pannis. Hinc Tropol. Ieremias hic gerit speciem peccatoris, qui in lacum peccati prolapsus, ex eo resurgere nequit, sed extrahendus est.

Allegor. Allegorice S. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto, c. 11. *In nomine*, inquit, *Æthiopis Abdemelech, figura pulcherrima est, quia sermonem propheticum, quem Iudæi velut in cœnum suæ mentis carnisque detruserant, nos videlicet ex Gentibus peccatores nigri ante delictis, et quondam infructuosi elevavimus de profundo; et ideo scriptum est: Æthiopia prævalebit manus suas Deo.* Sicut enim in Ieremiam eius cives, puta Iudæi, fuerunt impii, pii vero Abdemelech Æthiops, et Nabuzardan Chaldæus: sic et in Christum pii fuerunt Gentiles, impii Iudæi.

Tropol. Panni veteres, id est, exempla veterum, fulciunt infirmos. Tropolog. S. Gregor. 25. Moral. 8. Oportet, inquit, intersint panni veteres, cum quibus melius teneantur funes, id est, *oportet ut præcedentium confortemur exemplis, ne infirmos nos ac timidos præcepta subtilia vulnerent dum levant.* Vide Hebr. 11. v. 36. Audi et Bachiarium in epistol. ad Ianuar. de lapsis: *Mittamus*, inquit, *lapso pannos veteres, id est reducamus in memoriam eius exempla antiquorum, qui collapsi in peccatum, postmodum de profundis malorum per pœnitentiam ad superna relati sunt, ne desperent.* Ita quoque explicat B. Petrus Damiani l. 6. epist. 31. ubi inter alia addit: *Servus Dei timere tunc debet, cum temporale quid percipit, tunc gaudere cum perdit.* Christiano ergo gaudendum est in adversis, timendum in prosperis.

Moral. quam gratum Deo liberare captivos. Moraliter disce hic quam gratum sit Deo incarceratos, præsertim iustos, visere et liberare. Ecce Abdemelech quia liberavit e carcere Ieremiam, solus cladem Hierosolymæ Dei oraculo evasit, ut patebit c. 39. 16.

S. Paulinus Episcopus Nolanus ut filium viduæ a Wandalis captum redimeret, se pro eo in servitutem eis tradidit. Unde factus est generi regis hortulanus, eique regis mortem prædixit: quin et rex in somnis vidit eum quasi iudicem sedentem in solio, sibique flagellum auferentem. Unde eum venerans cum honore et munere dimisit, donans ei omnes suæ civitatis captivos, quos onustis frumento navibus in gratiam S. Paulini Nolam remisit, uti refert S. August. l. 1. de Civit. Dei c. 10. et S. Gregor. lib. 3 Dialog. cap. 2.

S. Sanctulus pro Diacono captivo se vadem et captivum Longobardis obtulit. Diaconus solutus fuit. Longobardi ergo Sanctulo mortem intentarunt, cumque lictor gladium elevaret ut ei caput amputaret, illum vibrare et demittere non potuit. Unde sanctitatem Sanctuli agnoscentes, rogarunt ut manum et gladium laxaret: quod ille noluit, nisi lictor iuraret se deinceps neminem Christianum occisurum. Iuravit ille, et Sanctulus manum eius solvit: quocirca ipsum, et petitione eius omnes captivos relaxarunt. Ita cum unus pro uno se carceri et morti obtulit, multos a carcere et morte liberavit. Ita S. Greg. 3. Dialog. 37.

Tempore Tiberii Imper. anno Christi 566. Abbas Leo, dixit se regem fore: riserunt eum fratres. Tandem cum Barbari Oasim invadentes, cepissent tres Abbates, eosque infirmos, Leo ut eos redimeret, se pro eis servum obtulit. Tres ergo liberati sunt. Leo a barbaris abductus est, cumque præ debilitate ultra pergere non posset, barbari decollaverunt eum. Ita veraciter regnavit: quia animam suam posuit pro amicis suis. Ita ex Sophronio Baronius.

Idem Sophronius cap. 155. narrat de Abbate Nicolao, quod pro adolescente Tyrio a Saracenis captivo, primo lytrum, deinde seipsum obtulerit; cumque illi utrumque recusarent, oravit dicens: *Salvator noster Christe Deus, salvum fac servum tuum:* et continuo Saraceni dæmonio repleti, gladiis seipsos conciderunt. Adolescens ergo liber abiit cum eo, qui renuncians sæculo cum septem annos implesset in habitu, requievit.

Acacius Episcopus Amidæ, vasa Ecclesiæ distraxit ut septem millia Persarum, licet hostium, a Romanis capta, et fame tabescentia redimeret et aleret: quocirca mirati sunt Persæ Romanos, quibus utrumque studio esset, ut simul et bello, et benefactis vincerent. Ita Socrates lib. 7. 21.

Deogratias Episcop. Carthag. vasa sacra vendidit, ut Christianos a Wandalis captos redimeret. Ita Victor Utic. lib. 1. Wandal.

Item fecit Cæsarius Episcop. Arelat. anno Christi 508. uti habet eius vita scripta a Cypriano eius discipulo.

Idem fecit S. Rembertus Bremensis Archiep. ut habet eius vita apud Surium 4. Februa. ubi et narratur, eius precibus catenam cuiusdam captivæ miraculose fuisse diffractam.

S. Anianus Episcopus Aurelianensis, ut habet eius vita apud Surium 17. Novembr. dum pro inauguratione cum solemnitate urbem esset ingressurus, petiit ab urbis præfecto Agrippino ut captivos omnes sibi dono daret. Quod cum Agrippinus recusaret, ex ruina lapidis ex alto cadentis graviter vulneratus, sensit illico ea causa id accidisse, quod Episcopi preces reiecisset. Mittit ergo iam a famulis reportatus in domum suam, qui Episcopum vocent: mors enim propter nimiam sanguinis effluxionem iam impendere videbatur. Venit Episcopus, manu sua vulneri crucis signum imprimit, sanguis sistitur, redeunt vires prope iam deplorato, aperiuntur carceres, et exeunt miseri, beati Aniani Episcopi intercessione in libertatem vindicati.

Denique audi quid scribat de S. Hugone Abbate Hugo Cluniac. in eius vita: Aldephonsum Hispaniæ regem Sanctius frater eius regno privaverat, captum et catenatum carceri mancipaverat. Illi vero pius Hugo compatiens, pro eo apud Dominum precibus insistebat, et Apostoli confidens meritis a Domino eum absolvi poscebat. Nec mora: beatus Petrus Apostolus cuidam fratri in Cluniaco apparuit, preces Hugonis pro Aldephonsi ereptione Deum admisisse revelavit; fecit etiam Aldephonso illud in carcere nunciari. Porro Sanctio in somnis sub gravi comminatione præcepit, ut cito Aldephonsum restitueret, nec differre ausus esset. Sanctius terrore correptus, statim restituit Aldephonsum: restitutus ille, Deo et liberatori suo Hugoni gratias egit, censumque quem pater suus Ferdinandus rex quotannis Cluniacensi monasterio solvendum instituit, ipse duplicavit, ducentas et quadraginta auri uncias annuatim reddens.

Vers. 13. MANSIT AUTEM IEREMIAS IN VESTIBULO CARCERIS.) Vinctus manibus et pedibus usque ad excidium urbis. Hisce enim capta iam urbe eum exsolvit Nabuzardan c. 40. v. 4.

Vers. 14. AD OSTIUM TERTIUM, QUOD ERAT IN DOMO DOMINI.) Hebr. *ad introitum tertium*, id est ad portam tertiam templi, quæ regiæ respondebat, qua scilicet rex e regia in templum intrabat. Ita Vatabl. R. David, et Maldon.

Aliter Lyran. Dionys. et a Castro. Primum, inquit, ostium erat mulierum, secundum virorum, tertium hoc sacerdotum. Verum per illud non poterat rex laicus ingredi, nec illud secretum erat quod hic quærebat rex; sed commune et publicum sacerdotum.

INTERROGO EGO TE SERMONEM.) Quis sermo regis fuerit, tacetur; sed ex responsione Ieremiæ patet fuisse hunc: Capieturne Ierusalem et ego a Chaldæis?

Vers. 17 SI PROFECTUS EXIERIS AD PRINCIPES REGIS BABYLONIS, VIVET ANIMA TUA, ET CIVITAS HÆC NON SUCCENDETUR IGNI: ET SALVUS ERIS TU ET DOMUS TUA.) Ex hoc docent Theologi, Deum cognoscere futura libera, etiam conditionalia tantum et nunquam eventura, eo quod hypothesis vel conditio non ponatur, nec eveniat. Sic enim hic prædicit Deus regem cum domo et urbe salva fore si se dedat Chaldæis; quæ tamen numquam evenerunt, quia rex noluit ponere conditionem, id est, noluit sequi consilium Ieremiæ, nec se dedidit Chaldæis. Idem patet ex v. 19. ubi rex ait: *Sollicitus sum propter Iudæos qui transfugerunt ad Chaldæos: ne forte tradar in manus eorum, et illudant mihi.* Cui Ieremias ex Deo respondet: *Non te tradent.* Sciebat ergo Deus hanc propositionem, Si Sedecias se dedat Chaldæis, Chaldæi non tradent eum Iudæis transfugis, nec illudent ei: quæ tamen nomquam evenerunt, quia Sedecias se dedere noluit. Accipe his tria similia. Primum Matth. 11. *Væ, ait, tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent.* En hic liber eventus conditionalis, puta Tyriorum et Sidoniorum conversio, si vidissent miracula Christi, certo prædicitur a Christo; qui tamen non erat futurus, utpote sublata hypothesi: non enim Tyrii viderunt et audierunt Christum, eiusque miracula. Secundum Matth. 27. Christus prædicit Petro trinam negationem, quæ prædictio supponebat certam scientiam conditionalis futuræ, nimirum huius: Si ego Christus revelo Petro quod ter me negabit, hæc revelatio non impediet eventum, puta negationem Petri: quæ tamen conditionalis erat liberrima, et facillima factu: poterat enim facile illa percelli, et se periculo negationis subducere. Hæc ergo præscientia, quod scilicet revelatio non impediret negationem Petri, præcedere debuit voluntati revelandi eam in Christo; alioqui enim Christus exposuisset se periculo errandi et prædicendi falsum, quod absit. Tertium, 1. Reg. 23. David profugus in Ceilam, ibique concludendus a Saule, rogat per pontificem Deum duo: prius, an, si maneat in urbe Ceilam, Saul sit venturus ad obsidendam urbem. Respondet Deus, Saulem venturum. Posterius, an cives Ceilani ipsum et socios eius traditiri sint in manus Saul. Respondet Deus, Tradent. Præsciebat ergo Deus utrumque, non in effectu, qui nunquam erat futurus; sed in causa, puta in voluntate et propensione tam Saulis, quam Ceilanorum positis talibus et talibus circumstantiis; scilicet quod talis occasio et spes capiendi Davidem tali loco, tempore, cæterisque circumstantiis certo moveret Saulem, ad obsidendum Ceilam: ac quod timor Saulis percelleret et moveret Ceilanos ad tradendum ei Davidem: quorum tamen neutrum evenit: nam David accepto hoc oraculo ex urbe profugit. Ratio est, quod Deus infinita sua sapientia et scientia penetret et comprehendat omnes voluntatis cuiusque affectiones, sinus, intentiones, propensiones, æque ac obiecta et rationes cum suis circumstantiis omnibus, sciatque quibus obiectis vel rationibus in tali vel tali rerum omnium peristasi sive circumstantia movenda sit ad actum, ut consentiat et operetur, quibus non. Voluntas enim moveri nequit nisi ratio aliqua boni eam moveat, estque quasi bilanx, in qua nunc hæc lanx attollitur, nunc illa, prout pondus aliquod huic illive additur, quantumque pondus additur uni, tantum illa deprimitur et altera elevatur. Pondus voluntatis est obiectum amatum: nam, ut ait S. Augustin. *Amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror.* Scit ergo Deus quantum obiectum, quantusque eius amor requiratur: ut voluntas posita in tali vel tali rerum omnium circumstantia, se in illud inclinet, aut non inclinet. Pervidet enim commensurationem inclinationis voluntatis cum obiecto amato: unde videt v. g. cum tot gradibus amoris et obiecti amati non movebit se voluntas; sed si unus gradus addatur, movebit se; si duo, magis; si tres, amplius; etc. Idem est de odio et timore. Amor enim obiecti est odium, timor et fuga contrarii: quantum enim quisque, v. g. amat vitam resque suas, tantum odit et timet eorum amissionem. Ita Gabriel Vasquez 1. p. disp. 67. c. 3. n. 14. et 1. 2. quæst. 77. art. 2. Indicat hoc S. August. l. 11. Confess. 18. ubi docet nihil posse cognosci nisi quod præsens est, ac proinde futura cognosci, quia præsentia sunt, non in se, sed in suis causis et signis *Cum ergo*, inquit, *dicuntur videri futura, non ipsa quæ nondum sunt, id est futura sunt, sed eorum causæ vel signa forsitam videntur, quæ iam sunt: ideo non futura, sed præsentia sunt iam videntibus, ex quibus futura prædicantur animo concepta.* Et libr. de Corrept. et gratia c. 13. docet Deum omnipotentissima sua voluntate posse multis modis nostram ad id volendum quod ipse vult infallibiliter, sed libere trahere voluntatem, ideoque Deum magis habere voluntates hominum in sua potestate, quam ipsi habeant suas: quia de ipsis facit quod vult.

Ex dictis sequitur, futura contingentia, etiam conditionalia, esse determinatæ veritatis, ac habere suum esse: sed conditionatum. Verum enim est passio entis, ac proinde non est verum nunc quod aliquid sit futurum, nisi illud sit determinatum, habeatque aliquod esse, nimirum in causis et conditionibus præviis. Non enim potest cadere in scientiam quamcumque, etiam infinitam (qualis est Dei) id quod ex se non habet entitatem et veritatem obiectivam, præexistentem in instanti rationis antequam per scientiam repræsentetur: quia scientia in ratione imaginis prærequirit obiectum sub illo esse quod sciendum est, uti docet Aristotel. libr. I. Perihermin. cap. ultimo.

NE FORTE TRADAR IN MANUS EORUM.) Ne scilicet Chaldæi tradant me transfugis Iudæis qui mihi illudant et exprobrent, quod me non tradendo Chaldæis, iuxta oraculum Ieremiæ, perdiderim urbem, templum et rempubl. quæ ipsi salva cupiebant, ideoque suadebant mihi deditionem; quam cum ego nollem, ipsi occulte ad Chaldæos transfugerunt. Quocirca magis Iudæos hos, quam Chaldæos verebatur Sedecias, rex timidus nimis, parvique animi. Verum congrue ei respondet Ieremias, ni sequatur consilia sua et Dei, eum irridendum a mulieribus propriis, puta quæ fuerant ex gynæceo Ioachin. Vers. 19.

IPSÆ DICENT.) Ipsæ subsannabunt et irridebunt te, dicentes: Vers. 22.

SEDUXERUNT TE ET PRÆVALUERUNT ADVERSUM TE VIRI PACIFICI TUI) q. d. Domestici et familiares tui, sive principes, sive consiliarii, sive pseudoprophetæ, qui tibi, o Sedecia, promittebant pacem, id est omnia prospera, quique tibi persuadebant ut non crederes sermonibus Ieremiæ, nec te dares Chaldæis; hi seduxerunt te: ecce enim iam traditus es hostibus tuis. Si enim tradidisses te eis, uti se tradidit Ioachin, e cuius aula et gynæceo nos fuimus, salvus esses et felix ut Ioachin.

DEMERSERUNT IN COENO.) Chald. *in confusione*, scilicet calamitatis et captivitatis, q. d. Tentasti fugere, sed captus es a Chaldæis, et quasi in tenacissimum lutum incidisses, in extremas miserias corruisti, eo quod credideris adulatoribus, dicentibus omnia fore secura et prospera, nec Chaldæos posse expugnare Ierusalem tam munitam, et Dei præsidio vallatam. Est metaphora a cæcis, qui a pravis ductoribus, relicta via commoda, in lubricam et cœnosam inducuntur, ibique ab eisdem dolose in cœnum deturbantur, et ab eisdem deserti emergere ne-

queunt. Ita Delrio adagio 866. Præclare Aristides tom. 2. orat. 1. de Pace: *Tunc*, ait, *suscipiendum est periculum, quamvis incertus sit eventus, cum quies aperte nocet;* alias quies periculo, pax bello præferenda.

Vide hic miseriam principum, qui a suis aulicis et consiliariis ita pendent, ut ab eis regi videantur, eisque per omnia placere student, nec audent eorum impiis consiliis obluctari. Ita enim fecit timidus Sedecias, ideoque periit.

Nota et hic fructum assentatorum et pravorum consiliariorum. Sic faciunt qui nos ad luxum et voluptatum cœnum pertrahunt, Isaiæ 5. 20. et 30. 10.

Et recesserunt a te.) Scilicet pacifici tui te in afflictione reliquerunt, fugientes huc illuc. Aliter Vatabl. *conversi sunt* inquit, scilicet pedes tui, *retrorsum*.

Vers. 24 Nullus sciat verba hæc, et non morieris.) q. d. Ne significes ulli quod tecum locutus sim de obsidione et expugnatione urbis, ne id emanet in vulgus: timebat enim rex, partim principes suos, ne ipsi putantes eum iis insciis et invitis agere cum Ieremia de deditione, offenderentur: partim vulgus, ne illud animos et arma abiiceret; statuerat enim rex et principes non se dedere, sed resistere Chaldæis.

Vide hic quo homines deducat pervicacia, et pervicax amor honoris, status et opum; quam mentem excæcet, ut in suam perniciem ruat. Quam verum in Sedecia et Iudæis illud Pythagoræ:

Noris mortales sponte in sua damna ruentes:
Infelix stultumque genus, quod commoda præsens
Non oculis, non aure capit, raroque medetur.
Sic miseris sors mentem agitat, variisque cylindris
Huc illuc rotat immensis versatque periclis.

Rursum disce hic, cum Deus publicum vel privatum immittit flagellum, illi humiliter te subdere, culpam agnoscere, dorsum et scapulas Deo flagellanti præbere: atque hic est unicus modus flagellum Dei evadendi, nec est alius. Subdidit se Nabuchodonosori Ioachin rex iussu Dei, exaltatus est; restitit Sedecias, excæcatus est. Ita fecit David Psal. 38. v. 10. *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti;* et Heli 1. Reg. 3. 18. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Ita S. Lupus Trecensis Episcopus venienti Attilæ cum Clero processit obviam, dicitque: *Quis es tu, qui terram conturbas et destruis?* Cui Attila: *Ego sum flagellum Dei.* Mox Lupus iussit aperiri urbis portas, aitque: *Bene venerit flagellum Dei mei.* Intrans ergo Attila cum copiis urbem, quasi mutata a Deo mente, sine noxa altera porta egressus est. Nimirum, esto Attila esset flagellum Dei, volebat tamen Deus, ut iis qui cum tanta submissione illud recipiebant, esse flagellum desineret.

Locutus est eis iuxta omnia verba.) Ergo videtur Ieremias orasse regem, ne se mitteret in carcerem Ionathæ, (licet id hic taceatur) sicut oraverat cap. præced. v. 19. non enim fuit ipse principibus mentitus. Vers. 27.

Nihil enim fuerat auditum.) Scilicet de colloquio et actis cum rege, circa urbis cladem.

Et factum est ut caperetur Ierusalem.) Est hoc quasi initium et argumentum cap. seq. unde ad cap. sequens hæc verba referunt Sept. Raban. Hugo, S. Thom. Vers 28.

CAPUT TRIGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Capitur Ierusalem; fugit Sedecias, sed ex fuga retractus, videt coram se filios suos trucidari, ipse excæcatur et in Babylonem abducitur: nobiles Iudæi occiduntur; Ieremias v. 11. liberatur, et a Chaldæis benigne tractatur, atque v. 15. Abdemelech incolumitatem promittit, quod in Deum sperasset.

1. Anno nono Sedeciæ regis Iuda, mense decimo, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus eius ad Ierusalem, et obsidebant eam. 2. Undecimo autem anno Sedeciæ, mense quarto, quinta mensis, aperta est civitas. 3. Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, et sederunt in porta media: Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser, Rebmag, et omnes reliqui principes regis Babylonis. 4. Cumque vidisset eos Sedecias rex Iuda, et omnes viri bellatores, fugerunt; et egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, et per portam quæ erat inter duos muros, et egressi sunt ad viam deserti. 5. Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum: et comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Ierichontinæ, et captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath: et locutus est ad eum iudicia. 6. Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis eius: et omnes nobiles Iuda occidit rex Babylonis. 7. Oculos quoque Sedeciæ eruit; et vinxit eum compedibus ut duceretur in Babylonem. 8. Domum quoque regis, et domum vulgi succenderunt Chaldæi igni, et murum Ierusalem subverterunt. 9. Et reliquias populi, qui remanserant in civitate, et perfugas, qui transfugerant ad eum, et superfluos vulgi, qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem. 10. Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in terra Iuda: et dedit eis vineas et cisternas in die illa. 11. Præceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Ieremia Nabuzardan magistro militum, dicens: 12. Tolle illum, et pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias: sed ut voluerit, sic facias ei. 13. Misit ergo Nabuzardan princeps militiæ, et Nabusezban, et Rabsares, et Neregel, et Sereser, et Rebmag, et omnes optimates regis Babylonis, 14. Miserunt, et tulerunt Ieremiam de vestibulo carceris, et tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filii Saphan, ut intraret in domum, et habitaret in populo. 15. Ad Ieremiam autem factus fuerat sermo Domini, cum clausus esset in vestibulo carceris, dicens: 16. Vade, et dic Abdemelech Æthiopi, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum, et non in bonum: et erunt in conspectu tuo in die illa. 17. Et liberabo te in die illa, ait Dominus: et non traderis in manus virorum, quos tu formidas: 18. Sed eruens liberabo te, et gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.

Vers. 1. Venit Nabuchodonosor.) Sed durante obsidione per octodecim menses, secessit Epiphaniam urbem Syriæ amœnissimam, unde eo ductus est ad ipsum Sedecias, ibique trucidatis eius filiis, excæcatus est, 4. Reg. 25. 6.

Vers. 2. Quinta mensis.) Ita legendum cum Hebr. Septuag. et Rom. non *nona mensis*, uti legunt aliqui; tunc ergo capta est urbs, sed post mensem, scilicet mense quinto, septima die mensis incensa est, ut patet 4. Reg. 25. v. 8. Mensem enim quartum impenderunt Chaldæi in expilanda urbe, et perscrutandis Iudæis. Hoc est quod prædixit Sophon. c. 1. *Scrutabor Ierusalem in lucernis;* et Ioseph. lib. 7. Belli 16. et 20. ait Romanos extraxisse Iudæos latitantes in sepulchris et cavernis.

Aperta est civitas.) Hebr. הבקעה *hobkea*, id est,

rupta est urbs muri, ita ut per rupturam hanc urbem invaserint et occuparint Chaldæi. Rupta, inquam, est crebris ictibus arietum, quos Chaldæi in muros intorquebant; ita Abulens. et Vatabl. licet Caietan. 4. Regum 25. velit ruptum esse murum a Sedecia et civibus, ut viam sibi aperirent ad fugam longæ famis et belli.

Vers. 3. SEDERUNT IN PORTA MEDIA.) Occuparunt portam mediam, scilicet quæ erat inter duas portas, puta inter portam muri extimi et portam templi. Cingebatur enim urbs duobus muris, et Chaldæi per primum penetrarant ad portam secundi, quæ erat inter portam primi, et portam templi; ita Maldon.

Neregel, Sereser, etc. qui? SERESER.) Putat Vatabl. quædam horum nomina esse officiorum, ut quæ incipiunt a *rab* vel *ser*, id est dominus, ut primus fuerit *Neregel Sereser*, id est Neregel, qui est dominus vel præfectus thesaurorum: *Otsar* enim hebraice thesaurum significat, *sar*, vel *ser* vel *sir* dominum. Secundus *Semegarnabu Sarsachim*, id est, Semegarnabo qui erat præfectus unguentariorum, et idem erat *Rabsares*, id est præfectus eunuchorum. Tertius Neregel, qui erat Sereser, id est, princeps thesauri æque ac primus, et idem erat Rebmag, id est princeps liquoris: ut Tropologice videas, qui sint qui sacram urbem et templum profanent, videlicet præfecti deliciis huius mundi, et in iis principatum gerentes. Verum alii accipiunt hæc nomina ut propria: possunt tamen utroque modo accipi, scilicet ut propria ex officio. vel officium cuiusque significantia; uti cum dicimus Comestabilis, Admiralius, Marescalcus Franciæ, etc. certum principem ex officio designamus et describimus.

Vers. 4 CUMQUE VIDISSET EOS.) Non iam ingressos, sed iam iam ingressuros urbem. Patet 4. Reg. 25. 4.

PER VIAM HORTI REGIS.) Hortus regis erat inter duos muros urbis iam dictos, perque portam horti quæ videtur fuisse in muro extimo urbis, rex aufugit.

Vers. 5. PERSECUTUS EST AUTEM EOS EXERCITUS CHALDÆORUM.) Qui ex excubitorum vel civium, aut transfugarum indicio, eum fugisse cognoverant.

Tradit, vel potius fabulatur R. Salomon, Sedeciam cum suis fugisse per subterraneam quamdam viam, quæ ab urbe longe extra urbem producebatur: ubi alterum erat ostium, per quod in apertum campum egrediebantur. Cum autem Deus eum iam Chaldæorum servituti et ludibrio devovisset, excitasse ex mediis eorum castris silvestrem capram, quæ fuga supra terram eodem spatio, quo subter Sedecias cum suis ferebatur; quæ contenta fuga ad alterum usque speluncæ ostium eodem tempore ad illud pervenit, quo ex lateribus emergebat rex, atque ita eum a Chaldæis venatoribus captum fuisse. Hæc R. Salomon, quæ fuse refellit Abulens. l. 4. Reg. c. 25. quæst. 46. et Lyran. ibid. Atque ut alia taceam, satis ea refellit Scriptura, quæ dicit Chaldæos cognita fuga Sedeciæ, eum insecutos esse; ac diserte Ioseph. l. 10. Antiq. 11. ubi asserit Chaldæos fugam regis cognovisse ex perfugarum indicio.

REBLATHA.) Est provincia Syriæ, in qua erat urbs Emath minor, quæ postea Epiphania est dicta ab Antiocho Epiphane: ita S. Hieron. in Amos 6. v. 2. Ibi ergo consedit Nabuchodonosor, ut eminus spectaret belli Iudaici successum, ac vicinior esset Chaldææ, indeque suis contra Iudæos subsidia submitteret.

Nota. Sedecias a Nabuchodonosore est excæcatus Epiphaniæ, et quasi fera caveæ inclusus, ductus est Babylonem, eamque ingressus, licet non viderit, quia iam excæcatus erat, uti prædixerat Ezech. c. 12 13.

LOCUTUS EST AD EUM IUDICIA.) Id est, Nabuchodonosor acriter et iuste pro meritis Sedeciam infidelitatis et ingratitudinis arguit, scilicet quod a se constitutus rex pro Ioachin, fœdus secum initum violasset: ita Theodor. Ioseph. et alii. Addit Lyran. Sedeciam per Deum iurasse fidelitatem Nabuchodonosori, qui proinde pro Mathania vocavit eum Sedeciam, id est iustitiam Dei, ut cum nomine suo moneret, de fide et iustitia sancte et constanter servanda, quodque non tantum sibi, sed et Deo esset iniurius, perfidus et periurus, si eam violaret. Hoc ergo ei exprobravit Nabuchodonosor. Hine primum in oculis eius filios occidit: deinde oculos illi ademit, quibus suspiciens in cælum Deum in testem suæ fidelitatis invocarat; et quia cæca suorum consilia secutus erat, eum excæcavit. Pupugit hoc probrum Iudæos: quocirca annuum indixerunt ieiunium die sexto octavi mensis, puta Octobris, ob excæcatum Sedeciam, ut patet ex Menologio Hebr.

Tropol. B. Petrus Damiani l. 2. epist. 4. ad Hildebrandum, qui postea Pontifex, dictus est Gregorius VII. *Babylonis*, inquit, *rex est antiquus hostis possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat: quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse qui captus est, dolens cernat. Inde Sedeciæ oculos eruit: quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus, post intelligentiæ lumen tollit. Id Sedecias patitur in Reblatha, quæ interpretatur multa hæc. Ei namque rationis lumen merito clauditur, qui sanctæ quietis rigore postposito, per negotia mundana raptatur, eum contempto uno, per multa vagus et impatiens animus dissipatur.*

DOMUM VULGI.) Domos vulgares sive populi; ita Vatabl. Aut potius domus vulgi erat domus publica, in qua celebrabantur publici ludi, nuptiæ, convivia, iaculationes, etc. ita Adrichom. et ex eo Sanchez. Vers. 8.

SUPERFLUOS.) Iudæos qui supererant gladio, fami, et pesti. Melius Sanchez censet hic poni tres Iudæorum classes, quæ abductæ sunt in Babylonem: Prima reliquiarum populi, qui cladi superstes in civitate remanserat. Secunda eorum, qui iam ante timentes excidium, transfugerant ad Chaldæos. Tertia eorum qui belli tempore, ad arma inepti, ex urbe emissi, vel non ferentes belli strepitum sponte exeuntes, in locis vicinis degebant: hi vocantur *superflui vulgi*. Vers. 9.

MAGISTER MILITUM.) Hebr. רב הטבחים *rab hattabbachim*, quod Sept. vertunt, ἀρχιμάγειρος, id est præfectus coquorum, quia erat præfectus culinæ regiæ, ait Theod. Pagnin. vertit, præfectus lanionum; Vatabl. præfectus occisorum aut reorum capitalium: sed aptissime Iosephus vertit præfectum militum. Ad verbum *rab hattabbachim*, idem est quod princeps mactantium, quales sunt primo, laniones; secundo, coci; tertio, milites: illudque tertium optime hic congruit, agitur enim de bello: fieri tamen potuit, ut idem Nabuzardan esset et præfectus militum et œconomus, sive *maiordomo*, ut vulgo dicimus, qui præest culinæ. Unde S. Gregor. mystice per eum intelligit gulam et gulosos.

ET CISTERNAS.) Id est, agros aut hortos, qui ex cisternis irrigari poterant; ita Hebr. Sept. et alii. Has enim Iudæi effodiebant, ut in iis aquam, cuius inopia laborabant, colligerent. Hos ergo pauperes in Iudæa reliquit Nabuzardan, eisque agros et vineas divitum attribuit, ut eos colerent, indeque vectigal Chaldæis penderent. Inter hos pauperes relictos quoque fuisse Rechabitas, censet Historia Scholast. et Abulens. 4. Reg. 25. quæst. 19. qui et testem citat Iosephum. Vers. 10.

PONE SUPER EUM OCULOS.) Fave illi, curam illius habe, prospice illi. Vers. 12.

GODOLIÆ.) Erat hic vir primarius Iudæus, qui ad Chaldæos ante captam urbem iuxta monita Ieremiæ transfugerat; unde ab eis Iudææ præpositus fuit: sed mox a Iudæis æmulis occisus. Vers. 14.

UT INTRARET IN DOMUM, ET HABITARET IN POPULO.) Ut libere versaretur in medio populi et domo sua. Nota. Ieremias a suis neci destinatus, sed a Chaldæis susceptus, typus fuit Christi, quem Iudæi occiderunt, sed Gentes susceperunt.

DIC ABDEMELECH.) Qui liberavit Ieremiam e lacu cap. 38. v. 12. cuius misericordiæ hic mercedem ab eo recipit. Vers. 16

ET ERUNT (scilicet sermones, id est oracula mea de excidio Ierusalem) IN CONSPECTU TUO.) q. d. Videbis et intueberis reipsa cladem, quam ego minatus sum urbi.

Nota. Lib. 2. Machab. 2. citantur commentarii, sive descriptiones Ieremiæ, quibus ipse conscripsit ea quæ statim post eversam urbem evenerunt, antequam populus captivus in Babylonem abduceretur, scilicet Primo, de

legibus quas Ieremias populo in Babylone commoraturo præscripsit. Secundo, de igne perpetuo quem sacerdotes de altari sublatum in ignoto puteo absconderunt, quem postea nepotes e Babylone redeuntes requirentes, non ignem, sed aquam crassam invenerunt, quæ in victimas effusa miraculo versa est in ignem, uti dicitur l. 2. Machab. 1. 21. et sequentibus. Tertio, de tabernaculo, arca fœderis et altari incensi, quæ Ieremias ex urbe extulit, seposuitque in specu montis Nebo, dicens: *Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi*, etc.

Moral. quam fides hosti sit servanda, Deusque perfidiæ sit ultor.

Disce hoc cap. quam fides etiam hosti sit servanda, quamque eius violatæ vindex sit Deus. Sedecias enim se suamque stirpem ac regnum evertit; quia fidem Chaldæo datam fefellit, ut patet v. 5. Sic familia Saul suspensa et extincta est ob Gabaonitas, quibus licet fraudulentis Iosue fidem dederat et servaverat, ab eo cæsos, 2. Reg. 21.

Accipe similia, sed rara, omnium ætatum et gentium exempla, a Deo fidei vindice edita.

Anno Domini 776. Saxones iterum Carolo Magno ruptis sacramentis rebellarunt, capto Eresburgo castro. Sed cum ulterius bellum parant, apparuit gloria (gladius legunt alii) Dei supra ecclesiam, videntibus cunctis: ex quibus multi manent adhuc, qui dicunt vidisse se instar duorum scutorum colore rubeo flammantium, et sese agitantium super ipsam ecclesiam. Cum hoc signum vidissent Pagani, qui a foris erant, statim confusi sunt, et magno timore perterriti, fugere cœperunt ad castra, et omnis multitudo eorum fugam arripiens, alii ab aliis invicem interficiebantur, et qui retro respiciebant, propter pavorem ab antecedentibus lanceis confodiebantur, et diversos ictus inter se perpessi sunt omnes, et divina ultione vindicati. Quare animati Franci persecuti sunt Saxones, eosque interfecerunt usque ad flumen Lippiam, ita ex Annal. Franc. Baron. tom. 9. Annal. ad ann. Dom. 776.

Iustinus Imperator, cum bellum contra Persas gereret, Hunnos gentem bellicosam armorum socios sibi adiungere cupiens, auxilium ab eorum rege petiit; qui acceptis stipendiis, et muneribus ab Imperatore submissis, opem promisit: sed cum a Persa etiam Hunnorum rex ad amicitiam societatemque coeundam, et arma communiter inferenda invitaretur, ad illum adiit, spe maioris commodi incitatus. Hoc ubi comperit Iustinus, Persarum regem de re tota certiorem factum, ne barbari promisso fideret, commonefecit. Persa veritate facti diligenter investigata compertaque, regem eiusque milites interfici iussit; illum ut hominem perfidiosissimum; istos, ut socios consciosque periurii; ita Ioan. Zonaras 3. part. Annal. Constantin. in Iustino.

Compositis inter regem Uladislaum et Amurathem Turcarum Imperatorem rebus omnibus, rex Hungariæ violato fœdere, prior in Turcam bellum movit, initoque prælio, Turca, cum suos in pugna non sine magna cæde fugari conspicaretur, ad expianda fidei violatæ piacula, ad ulciscendam Christianorum perfidiam, et ad vindicandum ius rescissæ pacis, depromptum e sinu codicem initi sanctissime fœderis explicat, intentisque in cælum oculis: *Hæc sunt*, inquit, *Iesu Christe fœdera, quæ Christiani tui mecum percussere, per numen tuum sancte iurarunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfide Deum suum abnegarunt: nunc Christe, si Deus es*, (*ut aiunt*) *et nos hallucinamur, tuas measque iniurias, te quæso, ulciscere: his, qui sanctum tuum nomen nondum agnovere, violatæ fidei pœnas ostende.* Vix hæc dixerat, qui ultimum in se impetum exspectabat, cum prælium, quod anceps ac dubium diu fuerat, inclinare cœpit: nam camelorum onerariorum interventu a cæde ad prædam Hungari animos converterant. Tandem, trucidato rege Uladislao, Hungari in fugam coniecti, nobilem victoriam Amurathi reliquerunt; ita Antonius Bonfinius l. 26. de rebus Hungar. dec. 3. et Chron. general. Hispan. part. 4. Plura vide apud Fulgos. l. 6. et P. Ribadeneiram l. 2. de Principe Christ. c. 15. et 16. Vere ergo dixit Seneca in Thyest.

Ubi non est pudor,
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Ubi vero hæc adsunt, regnum licet debile, stabile evadit. Sane Romani fide, quam tam hostibus, quam amicis ingiter integram præstabant, omnes gentes ad se traxerunt. Celebre inter alios fuit exemplum M. Attilii Reguli Consulis, qui post multas de Pœnis victorias et triumphos, arte Xantippi captus, in carcerem missus, legatus de permutandis captivis Romam missus, dato iureiurando, ut si non impetrasset, ita demum rediret: in senatu conditionem dissuasit, reiectisque a se coniuge et liberis, Carthaginem regressus est: ubi in arcam ligneam coniectus, clavis introrsum adactis, vigiliis ac puncturis excruciatus, duram mortem subire maluit, quam fidem hosti datam fallere; ita Plinius lib. de viris illust.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sectio iv. Ieremiæ.

Hic incipit quarta sectio, sive quartus liber Ieremiæ; scilicet gesta et dicta ab eo post excidium Hierosolymæ, tum in Iudæa, tum in Ægypto. Historia est facilis et clara, quam si quis multis explicare velit, tenebras ei effundet. Quocirca brevis hic ero. Hoc ergo capite Nabuzardan dat munera Ieremiæ, qui Babyloni patriam præferens, cum reliquis Iudæis quiete degit in Iudæa sub Godolia. Secundo, v. 13. nunciantur Godoliæ insidiæ Ismahel, sed is nunciantibus fidem non adhibet.

1. SERMO, qui factus est ad Ieremiam a Domino, postquam dimissus est a Nabuzardan magistro militiæ de Rama, quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant de Ierusalem et Iuda, et ducebantur in Babylonem. 2. Tollens ergo princeps militiæ Ieremiam, dixit ad eum: Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum. 3. Et adduxit: et fecit Dominus sicut locutus est, quia peccastis Domino, et non audistis vocem eius, et factus est vobis sermo hic. 4. Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis quæ sunt in manibus tuis: si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, veni; et ponam oculos meos super te: si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside: ecce omnis terra in conspectu tuo est: quod elegeris, et quo placuerit tibi ut vadas, illuc perge. 5. Et mecum noli venire: sed habita apud Godoliam filium Ahicam filii Saphan, quem præposuit rex Babylonis civitatibus Iuda: habita ergo cum eo in medio populi: vel quocumque placuerit tibi ut vadas, vade. Dedit quoque ei magister militiæ cibaria, et munuscula, et dimisit eum. 6. Venit autem Ieremias ad Godoliam filium Ahicam in Masphath, et habitavit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra. 7. Cumque audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi et socii eorum, quod præfecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terræ, et quod commendasset ei viros, et mulieres, et parvulos, et de pauperibus terræ, qui non fuerant translati in Babylonem: 8. Venerunt ad Godoliam in Masphath; et Ismahel filius Nathaniæ, et Iohanan et Ionathan, filii Caree, et Sareas filius Thanehumeth, et filii Ophi, qui

erant de Netophathi, et Iezonias filius Maachathi, ipsi et viri eorum. 9. Et iuravit eis Godolias filius Ahicam filii Saphan, et comitibus eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis, habitate in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis. 10. Ecce ego habito in Masphath, ut respondeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos: vos autem colligite vindemiam, et messem, et oleum, et condite in vasis vestris, et manete in urbibus vestris, quas tenetis. 11. Sed et omnes Iudæi, qui erant in Moab, et in filiis Ammon, et in Idumæa, et in universis regionibus, audito quod dedisset rex Babylonis reliquias in Iudæa, et quod præposuisset super eos Godoliam filium Ahicam filii Saphan: 12. Reversi sunt, inquam, omnes Iudæi de universis locis, ad quæ profugerant, et venerunt i tnerram Iuda ad Godoliam in Masphath: et collegerunt vinum, et messem multam nimis. 13. Iohanan autem filius Caree, et omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Masphath. 14. Et dixerunt ei: Scito quod Baalis rex filiorum Ammon misit Ismahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam. 15. Iohanan autem filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Masphath, loquens: Ibo, et percutiam Ismahel filium Nathaniæ nullo sciente, ne interficiat animam tuam, et dissipentur omnes Iudæi, qui congregati sunt ed te, et peribunt reliquiæ Iuda. 16. Et ait Godolias filius Ahicam ad Iohanan filium Caree: Noli facere verbum hoc: falsum enim tu loqueris de Ismahel.

Vers. 1. SERMO QUI FACTUS EST AD IEREMIAM A DOMINO.) Id est, ut Raban. et Hugo, res quæ facta est a Domino, scilicet liberatio Ieremiæ, quæ sequitur: sic et Vatabl. qui vertit, *actio quam gessit Dominus cum Ieremia.* Et Sanchez, q. d. Tunc impletus est sermo Dei, quo Ieremiæ promisit libertatem.

Secundo, S. Thom. explicat, q. d. Liberatio Ieremiæ quæ sequitur, fuit ei ante revelata a Domino. Sed utrique huic expositioni repugnat quod hic sermo factus sit ad Ieremiam; postquam eum dimisit Nabuzardan, id est, post eius liberationem. Respondeo ergo, Sermo hic, est prophetia quam habet c. 42. v. 7. qua admonet Dominus per Ieremiam reliquias Iudæorum, ne fugiant in Ægyptum. Sed ante hanc prophetiam, hic per parenthesin interserit Ieremias longam historiam præambulam illi prophetiæ, scilicet, quomodo Godolias a Nabuzardan præpositus fuerit Iudeæ, cumque occiderit Ismahel, atque eo occiso fugere voluerint Iudæi in Ægyptum, quod sua prophetia vetuit eis Ieremias, c. 42. ita Hebr. Lyran. Maldon. et alii. Hic enim est quasi titulus novi libri, qui continet omnia gesta Ieremiæ post excidium urbis: unde Iudæi hic incipiunt tertium librum Ieremiæ, nos melius quartum inchoamus.

QUANDO TULIT EUM VINCTUM.) Dices ex c. præced. v. 14. videtur quod Ieremias Hierosol. captis statim fuerit solutus vinculis et liber dimissus, quomodo ergo hic in Rama iis solutus dicitur? Respondet Lyran. fuisse Ieremiam solutum Hierosolymis, sed, cum videret alios Iudæos duci vinctos ad Nabuchodonosorem, se sponte eorum catenis colligasse. Verum obstat, quod ipse hic dicitur inter cæteros captivos et vinctos, quasi æque adhuc vinctus esset, ductus in Rama, ubi cogebantur in unum vincti Iudæi Babylonem ducendi.

Respondeo ergo, quod breviter dicitur c. præced. v. 14. idipsum hic fuse et enucleate describitur: scilicet, quod Ieremias carcere eductus cum aliis vinctis, vinctus ductus sit in Rama: sed ibi e medio aliorum eum tollens Nabuzardan solvit catenis, et remissum in Ierusalem commendavit Godoliæ; ita Vatabl.

Vers. 3. ET FACTUS EST VOBIS SERMO HIC.) q. d. Evenit vobis malum, quod eis ex ore Dei locutus et minatus est. Est metonymia: sermo sive verbum ponitur pro re per verbum vel sermonem significata.

Vers. 4. PONAM OCULOS MEOS SUPER TE.) Favebo et prospiciam tibi.

Vers. 5. ET MECUM NOLI VENIRE.) Ex Heb. Vatabl. vertit, *nondum responderat Ieremias quod reverti vellet, cum dixit illi, Revertere ad Godoliam,* q. d. Ex ipso vultu et silentio Ieremiæ Nabuzardan advertens Ieremiæ voluntatem, cum modestiæ causa, vel cogitabundus, Deique oraculum hac de re exspectans, nondum eam verbis explicuisset, scilicet se malle reverti in Ierusalem: ut voluntati eius morem gereret, sicut ei præceperat Nabuchodonosor, dixit ei: Revertere, et noli venire mecum in Babylonem. Nisi ita explices, dicendum est, Hebræa hic esse corrupta, nec inter se apte cohærere, uti cohæret versio Latina, quæ proinde hic verior et germanior est: unde videtur quod in Heb. pro יָשׁוּב *iasciub*, legendum sit תָּשׁוּב *tasciub*, et pro עוֹדֶנּוּ *odennu*, legendum sit עוֹדֶנִּי *odenni;* ita enim legit noster interpres.

SED HABITA APUD GODOLIAM.) Godolias hic, Iudæus erat potens et prudens, qui secutus oracula Ieremiæ transfugerat ad Chaldæos, eisque utilis et fidelis extiterat: quocirca eum Chaldæi reliquiis populi remanentis præfecerunt: ita Hebræi et Lyran.

CIBARIA.) Hebr. *viaticum*, ad redeundum Ierusalem.

PRINCIPES EXERCITUS.) Qui fugiente Sedecia huc illuc fugerunt et evaserunt. Rursum ii, quos capta urbe, ii qui effugerant, in agris sibi constituerant ut se contra hostes tuerentur: priores enim principes plerique fuerunt occisi a Chaldæis, ut patet c. 39. 6. ita Iosephus 10. Antiq. 11. Vers. 7.

ET ISMAHEL.) Scilicet Ismahel: *et* enim hic, est exegeticum et enumerativum, capiturque pro *id est,* vel *scilicet.* Vers. 8.

ECCE EGO HABITO IN MASPHATH.) Hunc locum elegit Godolias, quia erat in finibus Chanaan, eratque via euntibus e Iudæa in Babylonem, ut ibi facilius ageret tam cum Babyloniis, quam cum Iudæis: unde sequitur: Vers. 10.

UT RESPONDEAM PRÆCEPTO CHALDÆORUM, QUI MITTUNTUR AD NOS.) Ut præsto sim ad respondendum et exequendum ea, quæ mihi a Chaldæis fuerint imperata.

Aliter Lyran. et Isidor. cum venerint Chaldæi, ego illis respondebo pro vobis: vivite ergo securi, ego quasi pastor bonus pro vobis animam meam ponam.

Hinc Tropolog. S. Bernardus lib. de Natura amoris, c. 9. hæc adaptat Religiosis. *Hanc,* inquit, *Apostolicæ institutionis formam quidam æmulantes, non habent domos vel diverticula, nisi domum Dei, domum orationis. Omnia quæcumque faciunt, in nomine Domini faciunt, simul habitantes uno ordine, una lege viventes, nil habentes proprium: nec ipsa corpora sua, nec voluntates in potestate sua habentes, simul dormiunt, simul surgunt, simul orant, simul psallunt, simul et legunt: fixum et immobile eorum propositum obedire præpositis suis, et subiacere eis. Ipsi vero pervigilantes pro eis, quasi rationem reddituri pro animabus eorum, reipsa ipsis prædicant, quod in Ieremia populo Israel Godolias legitur prædicasse: Ego pro vobis respondebo Chaldæis, qui veniunt ad vos. Vos autem colligite frumentum, vinum et oleum in vasis vestris, et habitate in urbibus vestris securi.*

IN FILIIS.) Ita legendum cum Hebr. et Rom. non *in finibus;* iam *in filiis,* id est, inter filios Ammon. Vers. 11.

DEDISSET, etc. RELIQUIAS.) Id est, aliquos reliquisset in Iudæa.

MESSEM.) Hebr. קַיִץ *kaits*, id est, ut Septuag. Chald. Vatabl. Pagnin. æstivos fructus, scilicet ficus qui siccantur, id est caricas: nam messis iam erat finita. Verum *kaits,* proprie significat æstatem et messem æstatis, quæ hoc anno propter obsidionem Hierosolymæ post eam captam in Iulio, fieri potuit in Augusto, saltem messis frumenti serotini, vel eius quod in agris intactum a Chald. remanserat. Adde, loqui Godoliam de messe omnium sequentium annorum. Vers. 12.

IOHANAN AUTEM FILIUS CAREE, ET OMNES PRINCIPES Vers. 13.

EXERCITUS, QUI DISPERSI FUERANT IN REGIONIBUS, VENERUNT AD GODOLIAM.) Iam ante venerant ad Godoliam, uti dictum est v. 8. sed dimissi fuerant a Godolia ad peragendam messem et vindemiam, dimissi per iter audiunt coniurationem regis Ammon, et Ismahelis contra Godoliam: properi ergo redeunt, scelusque Godoliæ detegunt. Causa coniurationis fuit, tum innatum et perenne dissidium inter Iudæos et vicinos Ammonitas et Idumæos; tum ambitio Ismahelis, qui Godoliæ præfecturam invidebat, tum quod ad Chaldæos quasi proditor transfugisset; tum quod sibi, utpote prognato ex semine regio, et Sedeciæ cognato, eam deberi censeret: ita Hebræi, Abulens. A Lyran. S. Thom. et alii.

PERCUTERE ANIMAM TUAM.) *Animam*, id est vitam, q. d. Occidere te. Sic dicitur v. seq. *ne interficiat animam*, id est vitam, *tuam*. Vers. 14.

FALSUM ENIM TU LOQUERIS DE ISMAHEL.) Nimia fides et confidentia perdidit Godoliam. Esto enim non debeat esse suspicax princeps, tamen Argus sit oportet, præsertim si novus sit, ut centum habeat oculos, et centum aures; ac esto exploratoribus non semper fidem adhibeat, tamen indaget ea quæ nunciant, sibique interim caveat, ac bene armatus stipatusque incedat. Principatus enim et imperium plurimos habet æmulos et insidiatores. Vers. 16.

CAPUT QUADRAGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ismahel dolose occidit Godoliam, eique adhærentes Iudæos et Chaldæos, populum reliquum captivum abducit; insequitur eum v. 11. Iohanan fugatque, et populum liberat, cum quo veritus ne Chaldæi necem Godoliæ ulciscantur, cogitat fugam in Ægyptum.

1. Et factum est in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regali, et optimates regis, et decem viri cum eo, ad Godoliam filium Ahicam in Masphath: et comederunt ibi panes simul in Masphath. 2. Surrexit autem Ismahel filius Nathaniæ, et decem viri qui cum eo erant, et percusserunt Godoliam filium Ahicam filii Saphan gladio, et interfecerunt eum, quem præfecerat rex Babylonis terræ. 3. Omnes quoque Iudæos, qui erant cum Godolia in Masphath, et Chaldæos, qui reperti sunt ibi, et viros bellatores percussit Ismahel. 4. Secundo autem die postquam occiderat Godoliam, nullo adhuc sciente, 5. Venerunt viri de Sichem, et de Silo, et de Samaria octoginta viri, rasi barba, et scissis vestibus, et squallentes; et munera et thus habebant in manu, ut offerent in domo Domini. 6. Egressus ergo Ismahel filius Nathaniæ in occursum eorum de Masphath, incedens et plorans ibat: cum autem occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Ahicam. 7. Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos Ismahel filius Nathaniæ circa medium laci, ipse, et viri qui erant cum eo. 8. Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismahel: Noli occidere nos: quia habemus thesauros in agro, frumenti, et hordei, et olei, et mellis. Et cessavit, et non interfecit eos cum fratribus suis. 9. Lacus autem, in quem proiecerat Ismahel omnia cadavera virorum, quos percussit propter Godoliam, ipse est, quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israel: ipsum replevit Ismahel filius Nathaniæ occisis. 10. Et captivas duxit Ismahel omnes reliquias populi, qui erant in Masphath: filias regis, et universum populum, qui remanserat in Masphath: quos commendaverat Nabuzardan princeps militiæ Godoliæ filio Ahicam. Et cepit eos Ismahel filius Nathaniæ, et abiit ut transiret ad filios Ammon. 11. Audivit autem Iohanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne malum, quod fecerat Ismahel filius Nathaniæ. 12. Et assumptis universis viris, profecti sunt ut bellarent adversum Ismahel filium Nathaniæ, et invenerunt eum ad aquas multas, quæ sunt in Gabaon. 13. Cumque vidisset omnis populus, qui erat cum Ismahel, Iohanan filium Caree, et universos principes bellatorum, qui erant cum eo, lætati sunt. 14. Et reversus est omnis populus, quem ceperat Ismahel, in Masphath: reversusque abiit ad Iohanan filium Caree. 15. Ismahel autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris a facie Iohanan, et abiit ad filios Ammon 16. Tulit ergo Iohanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, universas reliquias vulgi, quas reduxerat ab Ismahel filio Nathaniæ de Masphath, postquam percussit Godoliam filium Ahicam: fortes viros ad prælium, et mulieres, et pueros, et eunuchos, quos reduxerat de Gabaon. 17. Et abierunt, et sederunt peregrinantes in Chamaam, quæ est iuxta Bethlehem, ut pergerent, et introirent Ægyptum 18. A facie Chaldæorum timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præposuerat rex Babylonis in terra Iuda.

Vers. 1. ET DECEM VIRI.) *Et*, id est *scilicet*. Simile fuit cap. præced. v. 8. Hi decem viri pugnaces et audaces qui italice *bravi* vocantur, Ismahelem comitati sunt ad cædem Godoliæ et cæterorum; uti et optimates, eorumque famuli. Nec enim soli decem tot tantosque bellatores occidere potuissent; ita Lyran. Abulens. et Sanchez: licet Maldon. et S. Thom. a solis decem id factum putent.

Vers. 2. QUEM PRÆFECERAT REX.) Vatabl. *quia præfecerat*. Hæc ergo fuit causa cædis, quod Ismahel utpote ex semine regio oriundus, invideret Godoliæ principatum, quasi sibi debitum. Ob cæsum Godoliam indixerunt Iudæi statum ieiunium mense septimo, cuius meminit Zachar. c. 8. v. 19. uti testantur Menologia Hebræorum.

Ieiunium ob cæsum Godoliam.

Moral. Vide hic, quam verum sit illud Senecæ in Thebaid.

Simul ista mundi conditor posuit Deus
Odium atque regnum.

Ob regnum Godoliam odit et occidit Ismahel. Et istud eiusdem in Agamemn. B

Nec regna socium ferre, nec tedæ (nuptiæ) *sciunt.*

Scribit Ioseph. l. 10. Antiq. 11. Godoliam ab Ismahele occisum in ipsa cœna ad quam eum invitaverat, cum iam mero esset gravis ipse et convivæ. Additque: *Quibus necatis, adiuvante nocturno tempore, per totum oppidum grassati sunt promiscuis cædibus tam in Iudæos, quam in Babylonios milites securos, et passim dormientes.* Insuper vide hic in Ismahele quam crudelis, æque ac cæca et præceps sit libido dominandi. Nam se totumque populum stragi Chaldæorum exposuit. Vere S. Bernard. in psal. 90. serm. 6. *Ambitio*, ait, *subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli opifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.*

NULLO ADHUC SCIENTE.) Hoc addit, ut det causam, cur Sichimitæ post cædem Godoliæ, venire sint ausi; quia scilicet postridie post stragem noctu peractam, ideoque needum per vicina loca fama sparsam, venerunt. Vers 4.

Vers. 5 SQUALLENTES.) Hebr. מתגודדים *mitgodedim*, id est incisi, lacerati vel lacerantes se unguibus in facie et manibus. Septuag. vertunt, *plangentes;* in planctu enim lacerabant vestes et corpus, barbam crinesque radebant. Plangebant autem hi octoginta viri, ob eversionem urbis et templi.

IN DOMO DOMINI.) Licet enim urbem combustam audissent cum domo egrederentur, non tamen audierant de templo incenso, sed in via illud intellexerunt: unde lugentes raserunt se; ita Vatabl. et R. Salomon. Sed cum templum combustum sit mense quinto, et hi venerint mense septimo ex loco vicino, puta ex Sichem, non video quomodo rem tam famosam non audierint. Respondent ergo Christophorus a Castro et Sanchez: licet ipsi templum combustum audissent, tamen eodem templi loco quem Deus elegerat, offerre volebant sua munera. Adde, non sciebant ipsi templum ita concrematum, quin parietes, altare et partes aliæ remansissent salvæ; aut, si concremata sciebant omnia, altare restauratum, aut a se restaurari posse credebant.

Aliter respondet Maldon. scilicet hos octoginta viros non venisse in Ierusalem, sed in Masphath; ubi audierant collectas fuisse sub Godolia reliquias Iudæorum, ibique erectum fuisse altare Domino, uti olim factum fuisse colligitur 1. Reg. 7. v. 5. et 6.

Verum prior sententia est verosimilior: tum quia domus Domini proprie vocatur templum, iussu Domini in Hierosolyma constitutum: tum quia hi viri veniebant ut lugerent excidium sanctæ civitatis et templi, in suo quasi busto iacentis. Huc enim eos vocabat tum illius commiseratio, tum prisca loci religio, tum tantæ stragis novitas, quam videre et oculis conspicere cupiebant. Sic Iudæi post excidium Titi quotannis Hierosolymam venire solebant, ut lugerent urbis et templi excidium ipso eius excidii die anniversario. Audi S. Hieron. in c. 1. Soph. *Congregatur turba miserorum* (Iudæorum, ut præcessit) *et patibulo Domini coruscante, ac radiante* αναστάσει *eius, de Oliveti quoque monte crucis fulgente vexillo, videas plangere ruinas templi sui populum miserum, et tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, et livida brachia, et sparsi crines, et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat.*

Vers. 6. PLORANS.) Fingens se plorare ob eamdem urbis et templi cladem, ut illis imponeret simulata specie pietatis.

Ismahel plorans est Satanas simulans se pium. Tropolog. S. Gregor. 1. Moral. 38. *Ismahel plorans,* inquit, *est Satanas, qui ut devotas mentes interimere feriendo prævaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat: et dum concordare se vere lugentibus simulat, ad cordis intima securius admissus, hoc quod intus de virtute latet, occidit: qui plerumque spondet se ad altiora provehere; unde et dixisse perhibetur: Venite ad Godoliam: atque dum maiora promittit, etiam minima subtrahit. Unde et recte dictum est: Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos. Viros ergo ad offerenda Deo munera venientes, in medio civitatis interfecit: quia divinis deditæ operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, hoste surripiente, dum devotionis hostiam portant, in ipso itinere perdunt vitam.*

VENITE AD GODOLIAM.) Ad quem vos pariter perrecturos, ut eum pro duce Israelis agnoscatis, ideoque ei munera offeratis, plane suspicor. Dixit hoc Ismahel tentans eos, ut videret an verum esset, quod de eis suspicabatur. Cumque iis annuentibus et pergentibus ad Godoliam, id verum esse comperisset, occidit eos, quia videbat eos conspirare cum Godolia, quem sibi prælatum dolebat et invidebat, ut patet v. 9.

HABEMUS THESAUROS.) Scilicet frumenti, olei et mellis in agro, quos tibi dabimus, si non occideris nos. Vers. 8.

Tropolog. S. Gregor. supra: *Thesaurus in agro,* inquit, *est spes in pœnitentia, quæ quia non cernitur, quasi in terra cordis suffossa continetur; qui ergo thesauros in agro habuere, servati sunt: quia qui post incautelæ suæ vitium, ad lamenta pœnitentiæ redeunt, nec capti moriantur.*

PROPTER GODOLIAM.) Hebr. *in manu Godoliæ,* id est, in plaga et percussione Godoliæ. Sic Exodi 9. 3. dicitur, *Ecce manus* (id est plaga) *mea erit super agros.* Vel *in manu,* id est, quos ad manum habebat Godolias. Noster optime sensum vertit, dicens, *propter Godoliam.* Ismahel enim uti Godoliam, ita et omnes eius fautores occidit.

PROPTER BAASA.) Id est, contra excursiones Baasa et Israelitarum, tulit Asa lapides et ligna, quibus se in Rama muniebat Baasa, et ex iis munivit Gabaa, Masphath, fecitque hunc lacum seu puteum aut cisternam, ut incolæ haberent aquam, itaque Baasæ et aliorum obsidionem sustinere possent; ita Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. Vide 3. Reg. 15. 17. Vers. 9.

FILIAS REGIS.) Vel Ioakim, vel Ioachin, vel potius Sedeciæ, quas parvulas cum vulgo reliquit Nabuchodonosor, et commendavit Godoliæ; nil enim sibi ab eis timebat. Vers. 10.

AD AQUAS MULTAS.) Chald. *iuxta stagnum,* sive *piscinam Gabaon,* de qua 2. Reg. 2. 13. Vers. 12.

DE MASPHATH.) Id est, quas Ismahel captivas duxerat de Masphath, has eo fugato ex Gabaon reduxit in Chamaam. Vers. 16.

IN CHAMAAM.) Hebr. *in loco quo peregrinatus est Chamaam,* id est, in loco quem David dedit Chamaam filio Berzellai, eo quod se, cum fugeret Absalonem, secutus esset, 2. Reg. 19. 36. ita Chald. Vatabl. Pagnin. Erat hic locus iuxta Bethlehem, ut hic dicitur. Unde et S. Hieron. in Locis Hebr. Chamaon villam ponit iuxta Bethlehem. Vers. 17.

QUIA PERCUSSERAT ISMAHEL.) Timebant enim Chaldæos, ne, quia fugitivi erant, cum Ismahele in eadem causa et cæde Godoliæ involverentur. Secesserunt ergo in Chamaam, ut inde in vicinam Ægyptum transfugerent, si supervenirent Chaldæi necis Godoliæ ultores. Vers. 18.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occiso Godolia, Iohanan aliique principes timentes ne Chaldæi ulciscantur necem Godoliæ, consulunt Deum per Ieremiam, an in Ægyptum fugere, an in Iudæa manere debeant? Ieremias respondet, ut maneant in Iudæa, et obediant Chaldæis: ita salvos fore. Si enim fugiant in Ægyptum, ibi interituros Chaldæorum gladio, fame et peste.

1. ET accesserunt omnes principes bellatorum, et Iohanan filius Caree, et Iezonias filius Osaiæ, et reliquum vulgus a parvo usque ad magnum: 2. Dixeruntque ad Ieremiam prophetam: Cadat oratio nostra in conspectu tuo: et ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro universis reliquiis istis, quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuentur: 3. Et annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam, per quam pergamus, et verbum quod faciamus. 4. Dixit autem ad eos Ieremias propheta: audivi: ecce ego oro ad Dominum Deum vestrum secundum verba vestra: omne verbum, quodcumque responderit mihi, indicabo vobis, nec celabo vos quidquam. 5. Et illi dixerunt ad Ieremiam: Sit Dominus inter nos testis veritatis et fidei, si non iuxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus. 6. Sive bonum est, sive malum, voci

Domini Dei nostri, ad quem mittimus te, obediemus: ut bene sit nobis cum audierimus vocem Domini Dei nostri. 7. Cum autem completi essent decem dies, factum est verbum Domini ad Ieremiam. 8. Vocavitque Iohanan filium Caree, et omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, et universum populum a minimo usque ad magnum. 9. Et dixit ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israel, ad quem misistis me, ut prosternerem preces vestras in conspectu eius: 10. Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, et non destruam: plantabo, et non evellam: iam enim placatus sum super malo quod feci vobis. 11. Nolite timere a facie regis Babylonis, quem vos pavidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiscum sum ego, ut salvos vos faciam: et eruam de manu eius. 12. Et dabo vobis misericordias, et miserebor vestri, et habitare vos faciam in terra vestra. 13. Si autem dixeritis vos: Non habitabimus in terra ista, nec audiemus vocem Domini Dei nostri. 14. Dicentes: Nequaquam, sed ad terram Ægypti pergemus: ubi non videbimus bellum, et clangorem tubæ non audiemus, et famem non sustinebimus: et ibi habitabimus. 15. Propter hoc nunc audite verbum Domini reliquiæ Iuda; Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Si posueritis faciem vestram ut ingrediamini Ægyptum, et intraveritis ut ibi habitetis: 16. Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti: et fames, pro qua estis solliciti, adhærebit vobis in Ægypto, et ibi moriemini. 17. Omnesque viri, qui posuerunt faciem suam ut ingrediantur Ægyptum, ut habitent ibi, morientur gladio, et fame, et peste: nullus de eis remanebit, nec effugiet a facie mali, quod ego afferam super eos. 18. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Sicut conflatus est furor meus, et indignatio mea super habitatores Ierusalem: sic conflabitur indignatio mea super vos cum ingressi fueritis Ægyptum, et eritis in iusiurandum, et in stuporem, et in maledictum, et in opprobrium: et nequaquam ultra videbitis locum istum. 19. Verbum Domini super vos reliquiæ Iuda: Nolite intrare Ægyptum: scientes scietis quia obtestatus sum vos hodie, 20. Quia decepistis animas vestras: vos enim misistis me ad Dominum Deum nostrum, dicentes: Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum, et iuxta omnia quæcumque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuntia nobis, et faciemus. 21. Et annuntiavi vobis hodie, et non audistis vocem Domini Dei vestri, super universis pro quibus misit me ad vos. 22. Nunc ergo scientes scietis quia gladio, et fame, et peste moriemini in loco, ad quem voluistis intrare ut habitaretis ibi.

Vers. 2. Cadat oratio nostra.) Id est, sit tibi placita et accepta, ut exaudiatur a te oratio nostra, quæ est, ut ores pro nobis Deum: unde v. 4. respondet Ieremias.

Vers. 4. Audivi.) Id est, exoratus sum, vel obedivi, obsecutus sum vestræ petitioni.

Vers. 5. Sit Dominus inter nos testis veritatis et fidei.) Est formula iurandi, q. d. Sit Dominus testis verax et fidelis; ita Sept. Chald. et Vatabl. hoc est, testamur Deum testem verum et fidelem: vel potius, iuramus et testamur Deum, qui est testis et vindex veritatis et fidei; nos vere et fideliter facturos quidquid ex ore Dei iusseris, sive bonum sive malum, id est, sive felix sive calamitosum id fuerit; et nisi id faciamus, optamus ut Deus nos puniat. Præclare Aristides tom. 2. orat. Sicula poster. *Debent*, ait, *uti qui orant, maxima quæque a diis et iucundissima petere; ita qui deliberationem instituunt, tutissima quæque eligere, nisi post vel hi sese, vel illi deos velint culpare.* Tutissima autem sunt quæ Deus suggerit. Idem tom. 2. orat. Rhodiac. *Non*, ait, *tam rerum copia, quam consilio, fiducia, et patientia pleræque res geruntur.*

In quo, ad quod denunciandum, miserit te Dominus.

Vers. 7. Decem dies.) Nota. Decem dies perstitit Ieremias in oratione ut Dei voluntatem intelligeret circa fugam Iudæorum in Ægyptum: idque tamdiu factum est, ut populus intelligeret, se indignum esse qui exaudiretur a Deo, et ut Ieremiæ charitas magis patesceret.

Vers. 10. Ædificabo vos.) Comparat metaphorice Iudæos domui, id est, familiæ in Iudæa quasi in suo solo extructæ, cuius fundamentum est Abraham et Iacob; parietes sunt variæ familiæ ex variis lapidibus, id est filiis, coagmentati, et in altum surgentes.

Secundo, comparat eos horto, in quo pulchræ arbores, id est filii, sunt consiti. Utramque metaphoram sequitur Apostolus 1. Cor. 3. 9. *Dei agricultura estis. Dei ædificatio estis.* Utraque significatur tum firmitas Synagogæ et Ecclesiæ solide fundatæ et radicatæ, tum eiusdem incrementum et propagatio, ut quasi basilica in altum ædificetur, et quasi arbor in frondes et fructus luxuriet, fiatque quasi ingens silva.

Placatus sum super malo quod feci vobis.) q. d. Iam satis pœnarum de vobis sumpsi, ideoque iam placatus et vobis reconciliatus sum. Hebr. est, *pœnitet me mali quod vobis intuli*, id est, auferam flagella quibus vos cecidi. Alludit ad id, quod promisit c. 18. 8. *Si pœnitentiam egerit gens*, etc. *agam et ego pœnitentiam.*

Vers. 14. Nequaquam.) Scilicet audiemus vocem Domini, ut maneamus in Iudæa, sed fugiemus in Ægyptum.

Vers. 15. Si posueritis faciem.) Id est, si firmiter statueritis fugere in Ægyptum. Ubi enim est cor, eo respicit et facies intenta: ubi oculi, ibi amor: ubi manus, ibi dolor.

Vers. 16. Fames, etc. adhærebit vobis.) Sive quia Deus inseret et includet perpetuam famem in visceribus vestris, esto panis copiam habeatis. Sicut enim Deus febrim aliosque morbos; ita et bulimum caninamque famem hominibus immittit, ut quidquid comedant, semper tamen esuriant; Psal. 58. 7. *Famem patientur ut canes.* Sive potius, quia sterilitatem Ægypto, ac consequenter famem inducet, præsertim cum Nabuchodonosor eam invadet, totamque vastabit.

Vers. 18. Conflatus est.) Hebr. נתך *nittach*, id est effusus est. Est metaphora a metallis, quæ dum conflantur et liquefiunt, magno impetu instar torrentis ignei erumpunt et effunduntur, q. d. Sicut subito furore meo, instar ferri aut plumbi liquati, obruti sunt et adusti cives Ierusalem; ita vos eodem obruemini in Ægypto. Sept. vertunt, *sicut stillavit furor meus*, instar atræ et densæ nubis, quæ a sole resoluta, gurgites aquarum depluit et effundit.

Nota. Causa cur ita vetaret Deus Iudæos ire in Ægyptum, cum tamen eos permiserit duci in Babylonem, erat, quia Ægyptii idolis multiplicibus colendis deditissimi, facile pronos Iudæos ad eadem colenda, moresque suos erant conversuri, uti sane illico converterunt, ut patet c. 44. 19. 25. Melius enim erat Iudæis ferreis vinculis astringi in Babylone, quam in Ægypto idolis addici.

Moral. Disce hic, quam cavenda sint impiorum consortia, ne nobis suam impietatem affricent. Saul Rex inter Prophetas prophetavit, inter improbos vero improbe egit, 1. Reg. 19. *Morale de vitando improborum consortio.*

S. Petrus cum Christo constans fuit: at in atrio versans cum satellitibus, Christum negavit.

Audi quid Deus dicat Iosaphat confœderato cum Ochozia impio Rege Israel: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis*, 2. Paralip 20. 37. Et rursum cap. 19. 2. *Impio* (Achab) *præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia iungeris: et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te.*

Amasias Rex centum argenti talentis centum millia Israelitarum conduxerat: sed Propheta eum monuit ut eos dimitteret; impios enim esse, et infelices fore, 2. Paral. 25.

S. Ambrosius sermone de Calendis Ianuariis, Iudæorum consortia prohibens, sic ait: *Non solum Gentilium, sed Iudæorum consortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio. Hi etenim arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures iudicum et publica inquietant, et ideo magis prævalent, quo magis sunt impudentes.*

S. Augustinus ex malo consortio, se peiorem effectum docet lib. 2. Confess. cap. 3. 8. 9. et 10. *Præceps*, inquit, *ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quam audiebam ipsos iactantes flagitia sua, et tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent; et libebat facere non solum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium? Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam; et ubi non suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse quæ non feceram, ne viderer abiectior quo eram innocentior, et ne vilior haberer, quo eram castior.* Deinde subdit: *Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, et volutabar in cœno eius, tanquam in cinnamomis et unguentis pretiosis. Et in umbilico eius quo tenacius hærerem, calcabat me inimicus invisibilis, et seducebat me, quia ego seductilis eram*, etc. *O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis ex ludo et ioco nocendi aviditas, et alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla ulciscendi libidine: sed cum dicitur, Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem.*

Idem Augustinus ibidem fatetur se non fuisse pellectum ad furtum pomorum, nisi ut placeret sociis. *Quem fructum*, inquit, *habui miser aliquando in iis, quæ nunc recolens erubesco, maxime in illo furto: in quo ipsum furtum amavi, nihil aliud, cum et ipsum esset nihil, et eo ipso ego miserior? et tamen solus id non fecissem, sic recordor animum tunc meum, solus omnino id non fecissem. Ergo amavi ibi etiam consortium eorum, cum quibus id feci.*

Nebridius condiscipulus Augustorum, licet inter aulicos non mutarit mores, ab aula tamen exiit ne mutaretur. Audi S. Hieron. de eo epist. 9. ad Salvianum: *Oblitus*, inquit, *dignitatis suæ, omne consortium cum Monachis et Clericis postea habuit. Quis enim fornacem Regis Babylonii sine adustione ingressus est? Cuius adolescentis Ægyptia domina pallium non tenuit? Quæ uxor eunuchi nullos creat liberos voluptate transacta?*

Scribit noster Maffeius lib. 16. hist. Indic. nihil ita Sinensium conversionem ad Christum impedivisse, ac Christianorum quorumdam vitia et scandala. Idem de Brasiliensibus scribit lib. 15. *Accedebat*, inquit, *indomitum ac late patens malum, et quo valentius nihil aditum atque iter obsepserit Evangelio; veterum Christianorum, indigna tali nomine ac professione, licentia procacitasque, cum anxia cupiditate sordibusque coniuncta, ut eorum adventus in barbarorum vicos, vitæque consuetudo, cum graviter cunctos offenderet, tum ingentem nomini Christiano invidiam infamiamque conflaret.*

A Gordiana Gregorii Magni amita, uti ipse deplorat in l. 4. Dialogorum cap. 16. licet sanctissimo sororum suarum, Tharsillæ et Æmilianæ exemplo frueretur, tamen quia plus æquo gaudebat puellarum laicarum, et huic mundo addictarum consuetudine, post mortem sororum misere seducta est.

Eritis in iusiurandum.) Eritis in אלה *ala*, id est in iuramentum execratorium, ut qui aliquem execrari velit, dicat: Deus te perdat, sicut perdidit Iudæos, qui contra Domini voluntatem fugerunt in Ægyptum.

Nolite intrare Ægyptum: alioqui enim si eam in- Vers. 19.
traveritis, **scientes scietis**, id est scitote et mementote, **quia** (quod) **obtestatus sum vos hodie.**) q. d. Cum in Ægypto perdemini, mementote me id vobis prædixisse et obsecrasse ne id faceretis. Secundo et melius, scitote quod *obtestatus*, id est protestatus sim, vosque ipsos, fidemque vestram, et iusiurandum v. 5. a vobis præstitum in testes vocarim, uti de facto hic voco; *quia*, id est, quod, *decepistis animas vestras*, quodque in exitium vestrum sponte ruitis, ac in Ægypto gladio et fame morituri sitis. B

Decepistis animas vestras.) q. d. Decepistis me, fin- Vers. 20.
gentes vos velle acquiescere Dei voluntati; iam enim cum intelligitis eam esse, ut maneatis in Iudæa, vultu ipso tristi et averso ostenditis vos nolle acquiescere. Itaque non tam me decepistis quam animas vestras: quia pro hac fictione, inobedientia et periurio Deus vos puniet, et animas a vobis tollet, vosque occidet in Ægypto; unde Septuag. et Chald. vertunt, *malefecistis animabus vestris.* Præstitisset enim Deum non rogare, nec eius voluntati se resignare, idque cum iureiurando, quam rogato et respondenti rebellare. Hoc enim est ridere Deum: vel enim finxistis vos pariturus Deo; vel si seriam tunc parendi habuistis voluntatem eamque inter decem hosce dies, qui a vestra petitione et iureiurando effluxerunt v. 7. mutastis, chamæleonte estis leviores et inconstantiores, mendaces et periuri; itaque cum Deo agitis, ac si puer esset, scurra vel morio. Quid indignius? quibus plagis id expiandum? C

Aliter Vatabl. *Decepistis*, inquit, *me in animabus vestris*, quia cogitatio animi vestri, verbis et promissis vestris mihi factis non respondit: simulastis enim vos Deo per omnia velle parere, et tamen firmum habuistis propositum fugiendi in Ægyptum, etiamsi ego et Deus id dissuaderemus.

Moral. disce hic, inobedientes sibi periculum creare, et suo laqueo capi. Sicut enim Ionas Deum fugiens, in ventrem ceti incurrit: sic Iudæi consilium Dei et Ieremiæ fugientes, in ventrem magni illius draconis, puta Nabuchodonosoris inciderunt. Cogitent ergo illud Poetæ:

Quo fugis Encelade? quascumque accesseris oras,
Sub Iove semper eris.

Hic finitur Commentarius D. Thomæ in Ieremiam, quia morte præventus eum absolvere non potuit.

CAPUT QUADRAGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæi Deo et Ieremiæ inobedientes, ac Ieremiam mendacii arguentes, contra fidem Deo datam periuri fugiunt, secumque Ieremiam pertrahunt in Ægyptum, qui v. 8. ibi in Taphnis Ægypti, unaque Iudæorum excidium per Nabuchodonosorem prædicit.

1. Factum est autem, cum complesset Ieremias loquens ad populum universos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc: 2. Dixit Azarias filius Osaiæ, et Iohanan filius Caree, et omnes viri superbi, dicentes ad Ieremiam: Mendacium tu loqueris: non misit te Dominus Deus noster, dicens: Ne ingrediamini Ægyptum ut habitetis illic. 3. Sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum, ut interficiat nos, et traduci faciat in Babylonem. 4. Et non audivit Iohanan filius Caree, et omnes principes bellatorum, et universus populus, vocem Domini, ut manerent in terra Iuda. 5. Sed tollens Iohanan filius Caree, et universi principes bellatorum, universos reliquiarum Iuda, qui reversi fuerant de cunctis gentibus, ad quas fuerant ante dispersi ut habitarent in terra Iuda: 6. Vi-

ros, et mulieres, et parvulos, et filias regis, et omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam filii Saphan, et Ieremiam prophetam, et Baruch filium Neriæ. 7. Et ingressi sunt terram Ægypti, quia non obedierunt voci Domini: et venerunt usque ad Taphnis. 8. Et factus est sermo Domini ad Ieremiam in Taphnis, dicens: 9. Sume lapides grandes in manu tua, et abscondes eos in crypta, quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Iudæis: 10. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego mittam, et assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum: et ponam thronum eius super lapides istos, quos abscondi, et statuet solium suum super eos. 11. Veniensque percutiet terram Ægypti: quos in mortem, in mortem: et quos in captivitatem, in captivitatem: et quos in gladium, in gladium. 12. Et succendet ignem in delubris deorum Ægypti, et comburet ea, et captivos ducet illos: et amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo: et egredietur inde in pace. 13. Et conteret statuas domus solis, quæ sunt in terra Ægypti: et delubra deorum Ægypti comburet igni.

Vers. 3. SED BARUCH FILIUS NERIÆ INCITAT TE.) Quia Baruch videbatur eis audacior et animosior Ieremia miti, et tot carceribus ærumnisque exhausto: sciebant enim Baruch coram principibus legisse prophetiam, quam Ieremias ipse legere iis non audebat c. 36. v. 6. Rursum viderant Baruch, æque ac Ieremiam, a Chaldæis in excidio urbis, dimissum, et benigne habitum. Ad hæc cum scripsisse ad Iudæos in Babylonem, ne cogitent de reditu, sed ibi sedes figant, orentque pro vita Nabuchodonosor, eiusque filii Balthasar, Baruch 1. 11. Censent ergo homines suspicaces et temerarii, Baruch a Chaldæorum partibus stare, ac suggerere Ieremiæ, ut vaticinetur Iudæis hisce reliquis remanendum esse in Iudæa, ut ita eos Chaldæorum iugo subiiciat. Sequuntur humanam prudentiam: hæc enim dictabat tutius esse fugere in Ægyptum, quam in Iudæa exponere se periculo Chaldæorum. Sed secus erat in consilio Dei, qui prudentes sibi rebelles comprehendit in sua prudentia.

Vers. 7. TAPHNIS.) Metropolis erat Ægypti, et regia Pharaonis, ubi Moses sua fecit prodigia, scilicet in campo Taneos, id est Tanis vel Taphnis, Psal. 77. 43. vide dicta Num. 13. v. 23.

Vers. 9. SUB MURO LATERICIO.) Nota. Ægyptus quia lutosa est ex Nili inundatione et oblimatione, hinc abundat lateribus: inde aliqui, primariam urbem Ægypti dictam volunt Pelusium, quasi πηλούσιον, id est, latericium: licet alii Pelusium dictum putent a Peleo Achillis patre, quod is urbem hanc condiderit. *Pelusii etymon.*

Symbolice ergo, murus hic significat Ægyptum: sub eo iubetur hic Ieremias ponere lapides grandes, ut iis in terram infossis, calceque et cæmento compactis, quasi sternat fundamentum solii regalis, quod ibi collocaturus est Nabuchodonosor: quo symbolo significat Nabuchodonosorem suum solium et sceptrum impositurum Ægypto, eamque sibi subiugaturum, q. d. O Iudæi prudentuli, Deoque increduli et rebelles, putatis Deo invito abscondi et tuti esse sub muro latericio Ægypti; sed fallimini: veniet enim Nabuchodonosor, et murum hunc capiet sibique et solio suo substernet et subiiciet, vosque primos interficiet. Secundo, alludit ad servitutem Ægypti sub Mose, q. d. Fugitis in Ægyptum; sed recolite, vos ibi servivisse in fornace dura et quasi ferrea, faciendo ex luto lateres, atque scitote, simili modo vos ibi a Nabuchodonosore vel morte vel servitute mulctandos.

IN PORTA DOMUS PHARAONIS.) q. d. Regia porta et domus quæ nunc est Pharaonis, erit Regia Nabuchodonosoris; idque propter vos, ipse enim vos persequetur in Ægyptum usque; itaque vos eritis causa, cur Ægyptii pariter in manus eius veniant: vos enim peccatorum vestrorum pœnam, calamitatem et captivitatem quocumque pergatis, vobiscum trahetis.

A ECCE EGO MITTAM.) Nuncios, qui Nabuchodonosorem accersant. Nuncii hi fuerunt cogitationes et inspirationes de persequendis Iudæis, et occupanda Ægypto, menti Nabuchodonosoris iniectæ, inquit Maldon. Vers. 10.

QUOS IN MORTEM, scilicet destinavi, tradet Nabuchodonosor IN MORTEM; QUOS IN CAPTIVITATEM destinavi, tradet ipse IN CAPTIVITATEM.) Vide dicta c. 15. v. 2. Vers. 11.

ET CAPTIVOS DUCET ILLOS.) Deos aureos et argenteos Ægyptiorum traducet in Babylonem; vel *illos*, scilicet Ægyptios: hi enim in voce *Ægypti* quæ præcessit, implicite continentur. Vers. 12.

AMICIETUR TERRA ÆGYPTI.) Vox *terra*, non est nominativi casus, q. d. Terra Ægypti amicietur et vallabitur munitionibus suis, ut vult Hugo, aut militibus Nabuchodonosor, ut vult Lyran. sed est ablativi casus. Sensus ergo est, q. d. Nabuchodonosor vestiet se omnibus spoliis B et opibus Ægypti, sicut pastor cum educit oves ad pabulum in pluvia et frigore, se vestit pallio suo, præter quod non habet alias opes aut vestes, sed secum portat tectumque laremque, quod de Scythis ait Virgil. q. d. Pari modo ex Ægypto egredietur Nabuchodonosor spoliis onustus, omnesque opes Ægypti abducet. Rex enim regno suo vel a se subacto, se operit et vestit; atque cum Rex idem sit et pastor, induit se regno, velut pastor pallio; ita Hebræi. Unde et Chald. vertit, *amiciet terram Ægypti* (scilicet Rex Babylonis) *sicut amicitur pastor veste sua.* Aliter Septuag. vertunt, scilicet, *scrutabitur terram Ægypti, sicut pediculis purgat pastor vestimentum suum*, ita scilicet curiose et studiose, ut ne unum relinquat. Pastores enim raro vestes exuunt, hinc vermes contrahunt, quos in agris scrutantur: otio enim abundant, ait Theodor.

ET CONTERET STATUAS DOMUS SOLIS.) Septuag. *statuas Heliopoleos:* Heliopolis enim Græce ita dicta est, q. C d. Urbs Solis: quia in ea Sol in suo templo colebatur, cuius Sacerdos fuit Putiphar, Gen. 41. 45. Nota. Phœnices et Ægyptii, primi omnium solem, lunam et stellas, ut deos venerati sunt, quasi gignendarum abolendarumque rerum omnium causas. *Nam*, ut ait Catul. *Plantas* et omne vivens, *mulcent auræ, firmat sol, educat imber.* Pingebant autem Ægyptii Solem iuvenili forma, rotunda facie, stantem in navi, quam crocodilus ferebat, ut notat Pierius hieroglyphico 59. Per navim significabant motum Solis in aquis, id est cælis ex aqua factis; per crocodilum, aquam pluviam, cuius causa est sol. Heliopolis autem proprie uni devota Soli fuit, et quia sol est unicus, hinc phœnicem, qui in ea urbe primo visus dicitur, eamque habitare fertur, quasi unicum unico Soli hieroglyphicum attribuerunt, perinde ac sol hieroglyphicum est unius Dei: et forte hinc ab iis confictus est phœnix, avis non vera, sed symbolica, ut hoc hieroglyphico significarent cælestem et celerem motum Solis unici, uti dixi Gen. 7. 2. Vers. 13. *Solis hieroglyphicum.* *Phœnix est sol.*

CAPUT QUADRAGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Eamdem Ægypti et Iudæorum qui eo fugerant, per Chaldæos cladem confirmat, monetque Iudæos ne colant idola et deos Ægyptiorum. Secundo, v. 15, viri et mulieres ei Deoque obstrepunt, asseruntque se Reginam cæli in Ægypto, æque ac in Iudæa, culturos. Hinc Tertio, Ieremias v. 24. eis omnibus, uti et Pharaoni, gladium et famem intentat. Hæc omnia reipsa evenerunt anno 35. Nabuchodonosor: tum enim ipse subegit Ægyptum, factusque est monarcha. Unde inde cœpit æra monarchiæ eius, qua utitur Daniel. Biennio enim post eversam Ægyptum, vidit Nabuchodonosor statuam auream, uti dixi Daniel 2. v. 1.

Nota. Hæc est ultima Ieremiæ prophetia, quæ extat. Nam quæ sequuntur cap. 45. et sequent. ante hoc tempus editæ sunt, ut patet ex eorum titulis.

1. VERBUM, quod factum est per Ieremiam ad omnes Iudæos, qui habitabant in terra Ægypti, habitantes in Magdalo, et in Taphnis, et in Memphis, et in terra Phatures, dicens: 2. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Ierusalem, et super omnes urbes Iuda: et ecce desertæ sunt hodie, et non est in eis habitator: 3. Propter malitiam quam fecerunt ut me ad iracundiam provocarent, et irent ut sacrificarent, et colerent deos alienos, quos nesciebant et illi, et vos, et patres vestri. 4. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens, mittensque, et dicens: Nolite facere verbum abominationis huiuscemodi, quam odivi. 5. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam ut converterentur a malis suis, et non sacrificarent diis alienis. 6. Et conflata est indignatio mea et furor meus, et succensa est in civitatibus Iuda, et in plateis Ierusalem: et versæ sunt in solitudinem et vastitatem secundum diem hanc. 7. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Quare vos facitis malum grande hoc contra animas vestras, ut intereat ex vobis vir et mulier, parvulus et lactens de medio Iudæ, nec relinquatur vobis quidquam residuum: 8. Provocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando diis alienis in terra Ægypti, in quam ingressi estis ut habitetis ibi: et dispereatis, et sitis in maledictionem, et in opprobrium cunctis gentibus terræ? 9. Numquid obliti estis mala patrum vestrorum, et mala regum Iuda, et mala uxorum eius, et mala vestra, et mala uxorum vestrarum, quæ fecerunt in terra Iuda, et in regionibus Ierusalem? 10. Non sunt mundati usque ad diem hanc: et non timuerunt et non ambulaverunt in lege Domini, et in præceptis meis, quæ dedi coram vobis et coram patribus vestris. 11. Ideo hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum: et disperdam omnem Iudam. 12. Et assumam reliquias Iudæ, qui posuerunt facies suas ut ingrederentur terram Ægypti, et habitarent ibi: et consumentur omnes in terra Ægypti: cadent in gladio et in fame: et consumentur a minimo usque ad maximum in gladio, et in fame morientur; et erunt in iusiurandum et in miraculum, et in maledictionem, et in opprobrium. 13. Et visitabo super habitatores terræ Ægypti, sicut visitavi super Ierusalem, in gladio, et fame, et peste. 14. Et non erit qui effugiat, et sit residuus de reliquiis Iudæorum, qui vadunt ut peregrinentur in terra Ægypti: et revertantur in terram Iuda, ad quam ipsi elevant animas suas ut revertantur, et habitent ibi: non revertentur nisi qui fugerint. 15. Responderunt autem Ieremiæ omnes viri scientes quod sacrificarent uxores eorum diis alienis, et universæ mulieres quarum stabat multitudo grandis, et omnis populus habitantium in terra Ægypti in Phatures, dicentes: 16. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: 17. Sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cæli, et libemus ei libamina, sicut fecimus nos, et patres nostri, reges nostri, et principes nostri, in urbibus Iuda, et in plateis Ierusalem, et saturati sumus panibus, et bene nobis erat, malumque non vidimus. 18. Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cæli, et libare ei libamina, indigemus omnibus, et gladio et fame consumpti sumus. 19. Quod si nos sacrificamus reginæ cæli, et libamus ei libamina: numquid sine viris nostris fecimus ei placentas ad colendum eam, et libandum ei libamina? 20. Et dixit Ieremias ad omnem populum adversum viros, et adversum mulieres, et adversum universam plebem, qui responderant ei verbum, dicens: 21. Numquid non sacrificium, quod sacrificastis in civitatibus Iuda, et in plateis Ierusalem, vos et patres vestri, reges vestri, et principes vestri, et populus terræ, horum recordatus est Dominus, et ascendit super cor eius? 22. Et non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, et propter abominationes, quas fecistis: et facta est terra vestra in desolationem, et in stuporem, et in maledictum, eo quod non sit habitator, sicut est dies hæc. 23. Propterea quod sacrificaveritis idolis, et peccaveritis Domino: et non audieritis vocem Domini, et in lege, et in præceptis, et in testimoniis eius non ambulaveritis: idcirco evenerunt vobis mala hæc, sicut est dies hæc. 24. Dixit autem Ieremias ad omnem populum, et ad universas mulieres: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui estis in terra Ægypti. 25. Hæc inquit Dominus exercituum Deus Israel, dicens: Vos, et uxores vestræ, locuti estis ore vestro, et manibus vestris implestis, dicentes: Faciamus vota nostra, quæ vovimus, ut sacrificemus reginæ cæli, et libemus ei libamina: implestis vota vestra, et opere perpetrastis ea. 26. Ideo audite verbum Domini, omnis Iuda, qui habitatis in terra Ægypti: Ecce ego iuravi in nomine meo magno, ait Dominus: quia nequaquam ultra vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Iudæi, dicentis: Vivit Dominus Deus in omni terra Ægypti. 27. Ecce ego vigilabo super eos in malum, et non in bonum: et consumentur omnes viri Iuda, qui sunt in terra Ægypti, gladio et fame, donec penitus consumantur. 28. Et qui fugerint gladium, revertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci: et scient omnes reliquiæ Iuda ingredientium terram Ægypti, ut habitent ibi, cuius sermo compleatur, meus, an illorum. 29. Et hoc vobis signum, ait Dominus, quod visitem ego super vos in loco isto: ut sciatis quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum. 30. Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Ægypti in manu inimicorum eius, et in manu quærentium animam illius: sicut tradidi Sedeciam regem Iuda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui, et quærentis animam eius.

Vers. 4. De nocte consurgens.) Magna vigilantia et studio. Vide c. 7. 13.

Vers. 6. Et conflata est indignatio mea.) Id est, liquefacta est, et quasi torrens igneus effusa. Vide c. 42. 18.

Secundum diem hanc.) Sicut apparet hodie.

Vers. 9. Et mala uxorum eius.) *Eius*, id est, cuiusque eorum. Sept. pro נָשָׁיו *nasciav*, id est, uxorum eius, legerunt נְשִׂאָיו *nesiav*, id est, principum eius.

In regionibus Ierusalem.) Nota. Urbes dividebant veteres in partes vel vicos maiores, quæ regiones dicebantur. Ita Roma ab olim in varias regiones (puta a Romulo in tres, scilicet Capitolii, Palatini, et Cælii montium: a Traiano in quatuordecim; et totidem etiamnum numerantur) fuit divisa et distributa, quarum singulæ habebant, et etiamnum habent suum caput, sive Præfectum, qui italice vocatur *Caporione*, q. d. Caput, vel capitaneus regionis: cuius magna est auctoritas et potestas in interregno, mortuo Pontifice. Huius enim munus est, suam regionem a tumultu, cædibus, furtis, omnique scelere tueri; ideoque habet ius gladii et necis.

Vers. 10. Non sunt mundati.) Hebr. non sunt fracti, contriti, humiliati post tot flagella et verbera; sed sicut scoria in fornace, ita ipsi in obstinatione, æque ac in servitute et fornace Babylonia perdurant.

Vers. 11. Ponam faciem.) Deinceps aspiciam vos vultu non benigno, sed maligno, sævo ac minaci intentans vobis pœnas, et clades; in eoque vultu et aspectu truci me obfirmabo.

Vers. 12. Erunt in iusiurandum, erunt in execrationem, et in miraculum.) In stuporem; ita Hebr. ut omnes qui audient vestras calamitates, obstupescant.

Vers. 14. Ad quam ipsi elevant animas suas.) Ad quam ipsi anhelant avide, quasi se et animum suum attollentes ad Iudæam patriam, ut ad eam redeant. Vide c. 22. 27.

Nisi qui fugerint.) Ex Ægypto, sequentes consilium Ieremiæ, et timentes imminentem Ægypto gladium Chaldæorum; patet ex v. 28. unde Hebr. est, *nisi qui evaserint.*

Vers. 17. Sed facientes faciemus, omnino faciemus, omne verbum quod egredietur de ore nostro.) Faciemus quidquid voluerimus, quidquid libuerit. Simile est Deut. 8. 3. Matth. 4. 4. vel quidquid voverimus Reginæ cæli, id est lunæ, hoc offeremus. Vide dicta c. 7. 18.

Et saturati sumus.) *Et*, id est *idcirco*, saturati sumus, quia scilicet coluimus Reginam cæli.

Vers. 19. Numquid sine viris.) q. d. Nos fœminæ imitamur maritos nostros. Vide c. 7. 18.

Ad colendum eam.) Hebr. לְהַעֲצִבָה *lehaatsiba*, id est, *ad elaborandum idolum in ea.* Unde videtur, quod in suis placentis efformabant vel imprimebant effigiem idoli sui, scilicet Reginæ cæli, puta lunæ ad colendum eam. Ita Lyran. Vatabl. Sanchez et alii. Sic Turcæ colentes lunam, eius effigiem in vexillis, mensis, cibis præferunt. Causa fuit, quod luna influat et dominetur rebus sublunaribus; hinc illam velut earum Reginam colebant. Hic vetus fuit Ægyptiorum et Chaldæorum error, fatum ex siderum cursu ac dispositione constitui. Hinc Horus Apollo l. 1. Hierog. 13. ait, sidus esse hieroglyphicum fati. Et Orpheus in hymno astrorum, stellas vocat *fatales fatorum omnium indices*, quem secutus Iuvenal. satyr. 7. ait:

Sidus et occulti miranda potentia fati.

Vide dicta c. 10. v. 2.

Vers. 21. Numquid non sacrificium, q. d. Numquid recordamini, quod Dominus non sit oblitus sacrificiorum, quæ idolis obtulisse vos dicitis in Iudæa, quæ scitis Deum non potuisse ferre, sed propter ea Iudæam Chaldæis vastandam dedisse? Nota. Ascendit super cor eius.) Id est, iritavit animum eius, sicut accepta iniuria bilis ascendit in caput viri nobilis.

Vers. 27. Iuravi (iuro) in nomine meo magno.) Id est, per nomen meum magnum, puta per immensam meam maiestatem; alii, per nomen meum proprium, quod est Iehova.

Quia nequaquam ultra vocabitur.) Quod non permittam, ut quisquam ex Iudæis in Ægypto iuret per nomen meum, quia occidam eos, vel captivos ducam in Babylonem, paucis exceptis, qui refugient in Iudæam, prorsus enim indigni sunt qui ore impuro nominent nomen meum sanctum, q. d. Nolo illud ab iis nominari et pollui. Ita Lyran. Hugo, Dionys. Castrius, et alii passim.

Secundo, apposite Sanchez: Non putabant, inquit, neque cupiebant Iudæi apud exteros Ægyptios longam moram trahere; sed id agebant, ut quando meliorem statum habere videretur res Iudaica, in patriam redirent, ubi sicut parentes olim, sic ipsi verum colerent Deum, et per eius nomen sancte et legitime de more iurarent. Id ergo negat Deus, edicitque fore, ut neque in patriam redeant, neque religionem unquam repetant, quam impie prodiderunt, sed in Ægypto a Chaldæis conficiantur. Verba ergo textus sic ordinat, q. d. Nequaquam nomen meum vocabit, iurabitque per me vir Iudæus, qui est in tota terra Ægypti.

Visitem.) Id est puniam et perdam. Vers. 29.

Pharaonem Ephree.) Chald. Pharaonem claudum, Vers. 30.
quasi hic Pharao fuerit qui cognominatus est Nechao, id est claudus, uti vult Maldon. Sed videtur falli. Tam enim Hebræi, quam Septuag. et noster habent Pharaonem Ephree, non Nechao. Ephree autem non significat debilem et claudum, uti patebit in fine cap. Hic ergo Pharao fuit is, qui cognominatus est Vafres, ut vertunt Septuag. sive Apries, qui teste Herodoto lib. 2. fuit filius Psammis filii Nechao, qui Nechao Iosiam Regem Iuda occidit. Fuit ergo Nechao avus Ephree, vel Apries. Cœpit Apries regnare anno 18. Nabuchodonosoris, sive decimo Sedeciæ; nam anno Apries secundo capta est Ierusalem, teste Clement. l. 1. Stromat. Rursum, hic Ephree fuit Pharaonum postremus; nam Amasis qui ei successit, nusquam Pharao vocatur, forte quod non esset absolutus Rex, sed Nabuchodonosoris vassallus et tributarius, uti opinatur Genebrardus et Torniellus. (*Pharao Ephree vel Vafres quis?*)

Herodot. l. 2. et Diodor. lib. 2. narrant hunc Apries fuisse captum et strangulatum ab Amasi successore suo in regnum, cum antea fuisset omnium ea ætate hominum fortunatissimus, ait Herodot. et eam haberet persuasionem, quod nullus nec hominum, nec deorum sibi posset regnum adimere, quod adeo sibi videbatur stabilivisse. Unde ad hanc eius blasphemiam et superbiam alludens Ezech. c. 29. 3. *Ecce ego*, inquit, *ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et ponam frænum in maxillis tuis, etc.* Ubi adverte, errare Herodotum et Diodorum, dum narrant Apries ab Amasi captum, et suis hostibus traditum ad strangulatiouem. Apries enim non ab Amasi, sed a Nabuchodonosore captum et occisum esse, patet tum ex Ieremia hic, tum ex Ezech. c. 29. v. 19. et c. 31. v. 11. 15. et 18. tum ex Iosepho l. 10. Antiq. cap. 11. atque ex S. Hieron. in c. 4. Threnorum. Fieri tamen potuit, ut Nabuchodonosor Amasin ei in regno substituerit, ideoque eum ab Amasi captum et cæsum Herod. et Diodor. opinati sint. (*Apries fortuna et superbia.*)

Notant R. David et R. Salomon, in Hebræo nomen Pharao, idem esse cum Ephree, nisi quod in Ephree præponatur litera *chet*. Pharao enim Hebr. scribitur פרעה *Pharo:* Ephree vero חפרע *Chophra: chet* enim quia durum est, liquescit in *e*, tam apud Septuag. quam apud Latinos: hinc *Chophra* vertunt *Ephree*, sicut pro Hebræo *pesach*, vertunt *phase*, pro *Corach Core*, pro *Therach Thare*. Ludit ergo Deus similitudine dictionum, dicens נתן את פרעה חפרע *noten et Paro Chophra*, q. d. Pharaonem *Chophra*, faciam *chophra*: id est foveam (alludit enim ad foveas et fossas, quibus ob Nilum abundat Ægyptus) nudam et spoliatam bonis omnibus: sicuti si Latine diceres: Faciam Claudium esse claudum, Cæsarem esse cæsum, Iulium iugulo iugulabo: *chophra* enim componitur ex חפר *chaphar*, id est fodere, et פרע *para*, id est, nudare, spoliare. Alii censent *chet* in *Chophra* positum pro *he*, quæ est ultima in *Parao*, ac *chophra* esse participium passivæ coniugationis Hophal, ac significare

nudatus est, debilitatus est, claudus effectus est, q. d. Faciam ut Pharao iuxta nomen suum sit *Chophra*, id est nudus, debilis, claudicans. Sed prius est concinnius et verius.

Prophetia Ieremiæ de idolis Ægypti per Christum puerum deiiciendis.

Scribit S. Epiph. in vita Ieremiæ, eum in Ægypto prophetasse et exhibuisse sacerdotibus Ægypti signum, atque dixisse: oportere cuncta eorum simulachra concidere, simulque manufacta omnia (scilicet idola, eorumque templa et aras) quando in Ægyptum veniret cum suo infante virgo mater. Idem prædixit Isaias cap. 19. v. 1. uti explicat S. Hieronym. et Procop. ibidem, S. Chrysost. in Matth. 2. Athanas. de Incarn. Verbi, Euseb. lib. 6. Demonst. c. 20. Cyril. Hierosol. catech. 10. Origen. hom. 3. in diversos, Palladius in Lausiaca cap. 52. in vita Apollo. Raban. in Eccles. cap. 24. Anselm. Lyran. Abulens. et alii.

Denique ob hanc prophetiam, Ieremiam in Taphnis paulo post a Iudæis lapidatum fuisse, et Martyrem occubuisse, tradit Epiph. Doroth. Torniellus et alii. Addit Epiph. Ægyptios tantum huic vaticinio Ieremiæ tribuisse, ut solemnem induxerint morem, virginem quamdam in lecto, et infantem in præsepio passim collocandi, simulque adorandi; rogatos postea a rege quodam, quid sibi vellet hic ritus? respondisse, hoc esse mysterium, quod maiores ipsorum a sancto Propheta traditum iampridem accepissent. Idem habet Chronicum Alexandrinum.

Moral de iis qui sana respuunt consilia.

Disce hic, quam noxium sit non acquiescere sanis prudentum et iustorum consiliis. Noluit Rex et principes acquiescere consiliis Ieremiæ, hinc perierunt, Principes, Rex et regnum.

Roboam, quia stulta iuvenum consilia prætulit sapientibus senum monitis, hinc potiore parte regni privatus est. 3. Reg. 12.

Clotharius Gallorum Rex Radegundi piæ uxori permisit, ut sibi monasterium Pictavis construeret.

Quidam mali consiliarii suaserunt Regi, ut Reginam repeteret. Sensit illa periculum, scripsit ergo ad S. Germanum Episcopum Parisiensem, ut Regem ab hac mente deduceret. Fecit ille, et Regem flexit, ita ut a Regina et ab Episcopo veniam peteret, ac conatus suos malis consiliariis imputaret. Quos ultio divina persecuta est: sicut enim Arrius Catholicam fidem oppugnans, intestina sua omnia in cloacam effudit, ita et istis accidit S. Reginam infestantibus, ut habet eius vita.

Anno Domini 723. Hebræus quidam impostor in Tiberiade persuasit Ezido Regi, ut sacras imagines everteret, si hoc faceret, cum vitam commodam acturum, et regna-

A turum feliciter per triginta annos. Acquievit Rex, et iconoclasmum indixit, sed ultra annum cum dimidio non vixit, in ignemque æternum descendit: et post eius mortem imagines in suum locum restitutæ sunt. Filius autem illius Ulidus nomine, indignatus Hebræo tamquam interfectori patris, eum turpissima morte mori coegit. Ita is sui impii consilii præmium accepit, ut refert Damascen. lib. de Imagin.

Vitiza Rex Hispaniæ impurus et impius, timens ne subditi contra eum ob tyrannidem insurgerent, secutus malum cuiusdam consilium, muros urbium et munitiones regni, specie pacis dirui iussit: sed male ei cessit. Nam regno et oculis privatus, misere mortuus est, regnumque debile Roderico successori reliquit, ut Mauris facile fuerit illud subiugare. Ita Roderic. Arch. Tolet. l. 3. c. 15. et Mariana l. 6. c. 19.

B Ludovicus Sfortia Mediolani Dux, cum Ducatum Ioanni Galeatio fratris filio per scelus abstulisset, timens Alphonsum Regem Neapolis, incitavit contra eum Carolum Octavum Gallorum Regem, qui veniens Alphonsum regno exuit. Ludovicus inde timens potentiam Gallorum, facti pœnitens, contra Regem cum principibus Italiæ coniurat; sed a Gallis cæsus et captus, ac caveæ ferreæ inclusus, miserrime interiit. Ita Guicciardin. l. 3. et 4. histor. Ital. et Iovius lib. 4. Elog. milit.

Ioannes Fridericus Saxoniæ Dux cupiebat Imperium a familia Austriaca auferre. Lutherus ei consilium dedit, ut si Imperium mutatum vellet, religionem mutaret. Lutheri ergo perfidiam et consilium secutus Dux, contra Carolum Quintum arma movit; sed stulte. Nam a Carolo victus et captus, Ducatu et Electoris potestate privatus est, quam in Mauritium Ducem Ioannis Friderici patruelem, eiusque familiam Imperator transtulit, in qua etiamnum perseverat. C

Ex adverso, Clotharius Rex Chilperici filius, secutus sanum S. Columbani consilium, duobus regnis auctus est. Cum enim Theodebertus et Theodoricus Reges et fratres disceptarent de regni terminis, et uterque adversus alterum a Clothario opem peteret, petiit ille consilium a S. Columbano, qui prophetico spiritu ei dixit et suasit: Neutri opem præstes; nam intra triennium utrinsque regnum sub tuam potestatem veniet. Paruit Rex, et ut dixerat vir Dei, ita factum est; uti refert Ionas in vita S. Columbani, et ex eo Baron. Anno Domini 612.

Ita Flacitheus Rugorum Rex, secutus consilium S. Severini, insidias hostium evasit, uti narrat Eugypius in eius vita, et ex eo Baron. anno Domini 473.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias consolatur et animat ad constantiam Baruch scribam suum afflictum ob iras et minas Ioakim Regis, promittendo ei incolumitatem in communi Iudæorum strage. Hæc contigerunt anno quarto Ioakim. Est hysterologia; hoc enim caput subnectendum est capiti 36.

1. VERBUM, quod locutus est Ieremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in libro ex ore Ieremiæ, anno quarto Ioakim filii Iosiæ regis Iuda, dicens: 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te Baruch: 3. Dixisti: Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. 4. Hæc dicit Dominus: Sic dices ad eum: Ecce quos ædificavi, ego destruo, et quos plantavi, ego evello, et universam terram hanc. 5. Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus: et dabo tibi animam tuam in salutem, in omnibus locis, ad quæcumque perrexeris.

Vers. 1. VERBA HÆC.) Non huius capitis, sed quæ c. 36. scripta fuisse dicuntur: eo enim hæc pertinent, ut patet conferenti utrumque caput. Unde v. 1. dicuntur facto anno quarto Ioakim.

Quæres, Cur ita doluerit Baruch? Respondet Primo, R. Salomon: eo quod tamdiu ministrans Ieremiæ Prophetæ, adhuc non recepisset donum prophetiæ, uti rece-

D pit Iosue ministrans Mosi, et Eliseus ministrans Eliæ. Sed nil est quod significet eam ambitionem in viro sancto.

Secundo, Theodor. et Raban. censent, eum doluisse ob cladem populo imminentem, cui ipse esset involvendus.

Tertio et optime, Hugo et Lyranus ex v. 1. et ex c. 36. v. 10. putant eum doluisse, eo quod discisso et combusto a Ioakim libro quem scripserat dictante Ieremia, rursus

eumdem a Deo iussus scribere, et legere coram populo, eumque maioribus minis plenum, timebat, quod accidit, ne scilicet a furibundo Rege Ioakim quæreretur ad carceres, aut potius ad atrocem mortem. Erat ergo causa doloris, pusillanimitas timorque carceris et mortis. Unde gemens ait: *Addidit Dominus dolorem dolori meo*, puta scriptionem scriptioni, periculum periculo. Ex periculo enim prioris scriptionis fuga elapsus evaseram, nunc ad utrumque revocor, a requie scilicet ad agonem, eumque extremum.

Vers. 5. QUÆRIS TIBI GRANDIA?) Scilicet munus prophetandi, ait Vatabl. et Hebræi. Secundo et melius, *grandia* scilicet requiem et vitam prosperam sine dolore, molestia et periculo; ita Theodor. *grandia* ergo vocat raram, exquisitam et superfluam quietem: ut solus Baruch, populo toto afflictissimo mox futuro, evellendo, et in captivitatem ituro, otio frueretur, nec se exponeret periculo, legendo librum populo, sed solus in Ierusalem miserrima, omni malo metuque liber viveret, q. d. Ignavus es miles, qui pro salute populi, non audes vitam exponere, solus vis otiari, nil vis pati pro conversione et salute populi. Et esto quod parum apud populum proficies; tenta saltem, et quod tui est muneris facito atque cogita: si populares mei tam dira passuri sunt, quid ni et ego leve aliquid patiar cum eis et pro eis? Nam, ut ait Sapiens: Sicut avis ad volatum, ita homo ad laborem et dolorem natus est, ut scilicet multa dura agat et patiatur. Præclare Aristides tomo 2. orat. Rhodiaca: *Solum*, ait, *calamitates reddit leviores exemplum.* Idem ibidem: *Sicut index*, ait, *aurum probat, sic viros fortes examinant calamitates.*

Ita Hildebrandus Cardinalis et Archidiac. S. R. E. qui postea Pontifex creatus, dictus est Gregorius VII. obiecit B. Petro Damiani volenti relinquere Cardinalatum, et Episcopatum Ostiensem, ac se recipere ad monasterii quietem: *Ecce Petrus*, inquit, *latibulum quærit*, *et sub colore pœnitentiæ Romæ subterfugere quærit accessum: lucrari machinatur de inobedientia otium*, *et cæteris in bella ruentibus, hic sibi degeneris umbræ quærit opacum.* Cui quid Petrus responderit, videre est epist. eius decima ad Alexandrum II. Pontif. et Hildebrandum Archidiac. ubi inter cætera ait sibi pro refutato Episcopatu a Pontifice iniunctam fuisse centum annorum pœnitentiam, quæ erat, ut quotidie recitando Psalmum *Miserere* continenter faceret disciplinam, id est seipsum flagellaret, idque per centum annos, si tot viveret: quam pœnitentiam ipse uno anno redemit, nimirum per singulos dies toties, puta centies, disciplinam per spatium Psalmi *Miserere* iterando, ut in fine anni numerum prædictum exæquaret, uti idem alibi de se scribit.

Ita Christus Apostolos eorumque sequaces vocavit, non ad otium, sed ad agones; non ad honores, sed ad contemptus; non ad securitatem, sed ad pericula terra marique ubivis locorum subeunda. Fixum hoc certumque sibi præstituerat P. Consalvus Sylveira e Societate nostra, nobilis genere (fuit enim filius Comitis de Sortella in Lusitania) sed nobilior assiduis laboribus, et tandem glorioso martyrio, quod in Monomotapa obiit. Hic enim in litteris ad P. Cotinium datis ita scribit: *Desidero mendicare, et nil comedere nisi ostiatim emendicatum; audire confessiones perpetim, donec nullus supersit pœnitens quem audiam; vigilare usque dum nil operis restet; concionari usque ad ravim; mortificare me usque ad mortem. Nam ego in horum executione mori possum: sed cum gratia Dei non refrigescam, nunquam lassabor, sed iugiter quæram media modosque, quibus semper crucifixus sim cum Christo Iesu.* Sic B. Teresa audivit, didicitque a Christo: *Filia, meritum non consistit in fruendo; sed in operando, patiendo, amando. Paulus semel dicitur raptus in Paradisum, sed multoties passus. Mater mea audivit a Simeone: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Maioribus Sanctis Deus maiores dat cruces.* Quocirca ipsa assidue orabat: *Domine, da pati aut mori.*

Sapienter dixit R. P. Franc. Borgia, tertius Societatis nostræ Præpos. Generalis, tria hæc conservatura esse et promotura Societatem nostram. Primo, orationem: hæc enim nos iungit Deo. Secundo, obedientiam: hæc enim omnes unit capiti, ac consequenter omnes unit inter se. Tertio, persecutiones; hæ enim a mundo nos avellunt, nosque nobis uniunt, ut actus nostros ita componamus, ne hostes vel æmuli nostri habeant quod carpant. Sicut ergo in hieme arbores se contrahunt, succumque et calorem a ramis ad radicem revocant; itaque eam magis in terra figunt, muniunt et roborant: sic et homo in persecutione a solatio hominum revocatur ad se et ad cor, illudque magis in virtute et Deo defigit et roborat. Hæc tria pariter conservant et promovent virtutem cuiusque fidelis et sancti. Celebre est emblema: *Præmium ex labore.* Audi Claudian. in epith. Honorii:

Nec quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæis apibus aut spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas, mella tegunt apes.
Crescunt difficili gaudia iurgio.

DABO TIBI ANIMAM TUAM IN SALUTEM.) Salvam; Heb. *in spolium;* Sept. *in lucrum.* Vere Æschylus:

Huic qui laborat numen adesse solet.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Huc usque Iudæis prophetavit Ieremias: deinceps usque ad finem libri tonat, et fulminat contra Gentes varias, eisque prædicit excidium. Idem iisdem prædixit Isaias a cap. 13. usque ad 24. a quo multa sumpsit Ieremias; et Ezechiel a c. 25. usque ad 33. nimirum ut in ore trium horum testium stet omne verbum, et confirmetur hoc Dei onus. Hoc ergo cap. prædicit instantem cladem Pharaonis Nechao; quem iuxta urbem Charcamis dictam, percussit Nabuchodonosor hoc eodem anno quarto Ioakim, per quam Nabuchodonosor subegit sibi totam Syriam Pelusium usque, excepta Iudæa, inquit Iosephus. Inde ulterius v. 13. prædicit quod Nabuchodonosor ipsam Ægyptum et Ægyptios, quasi vitulos in silva sua lascivientes, invadet et subiugabit, uti reipsa fecit post eversam Ierusalem. Ac denique v. 25. consolatur Ægyptios et Iudæos, quod Deus tandem eorum miserebitur, atque e captivitate reducet.

Nota. Iam inde a tempore Iosiæ Regis fuit continua ambitio et concertatio de imperio et monarchia inter Chaldæos et Ægyptios; sicut fuit post Alexandrum inter Antiochos Reges Asiæ, et Ptolemæos Reges Ægypti. Inter hos media interiacebat Iudæa, quæ proinde fluctus hos bellorum sensit, nunc ab Ægyptiis, nunc a Chaldæis subacta. Primo ergo Pharao movens castra contra Chaldæos, occurrentem sibi Iosiam cecidit, et Iudæam subegit ac Ioachaz, mox Ioakim Regem constituit. Post varia Chaldæorum et Ægyptiorum certamina, tandem anno quarto Ioakim cæsus est Pharao. Hanc stragem hic prædicit Ieremias. Ergo ante annum quartum Ioakim hæc prophetavit, cum utrimque prælium et acies pararetur. Lege c. 24. lib. 4. Regum.

1. QUOD factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam contra gentes, 2. Ad Ægyptum, adversum exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti, qui erat iuxta fluvium Euphraten in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, in quarto anno Ioakim filii Iosiæ regis Iuda. 3. Præparate scu-

tum, et clypeum, et procedite ad bellum. 4. Iungite equos, et ascendite equites: state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis. 5. Quid igitur? vidi ipsos pavidos, et terga vertentes, fortes eorum cæsos: fugerunt conciti, nec respexerunt: terror undique, ait Dominus. 6. Non fugiat velox, nec salvari se putet fortis: ad aquilonem iuxta flumen Euphraten victi sunt, et ruerunt. 7. Quis est iste, qui quasi flumen ascendit: et veluti fluviorum, intumescunt gurgites eius? 8. Ægyptus fluminis instar ascendit: et velut flumina movebuntur fluctus eius, et dicet: Ascendens operiam terram: perdam civitatem, et habitatores eius. 9. Ascendite equos, et exultate in curribus, et procedant fortes Æthiopiæ et Libyes tenentes scutum, et Lydii arripientes et iacientes sagittas. 10. Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies ultionis, ut sumat vindictam de inimicis suis: devorabit gladius, et saturabitur, et inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituum in terra aquilonis iuxta flumen Euphraten. 11. Ascende in Galaad, et tolle resinam, virgo filia Ægypti: frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. 12. Audierunt gentes ignominiam tuam, et ululatus tuus replevit terram: quia fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt. 13. Verbum quod locutus est Dominus ad Ieremiam prophetam, super eo quod venturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis et percussurus terram Ægypti. 14. Annuntiate Ægypto, et auditum facite in Magdalo, et resonet in Memphis et in Taphnis, dicite: Sta, et præpara te, quia devorabit gladius ea, quæ per circuitum tuum sunt. 15. Quare computruit fortis tuus? non stetit, quoniam Dominus subvertit eum. 16. Multiplicavit ruentes, ceciditque vir ad proximum suum, et dicent: Surge, et revertamur ad populum nostrum, et ad terram nativitatis nostræ, a facie gladii columbæ. 17. Vocate nomen Pharaonis regis Ægypti, tumultum adduxit tempus. 18. Vivo ego (inquit rex, Dominus exercituum nomen eius), quoniam sicut Thabor in montibus, et sicut Carmelus in mari, veniet. 19. Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti, quia Memphis in solitudinem erit, et deseretur, et inhabitabilis erit. 20. Vitula elegans atque formosa Ægyptus: stimulator ab aquilone veniet ei. 21. Mercenarii quoque eius, qui versabantur in medio eius, quasi vituli saginati versi sunt, et fugerunt simul, nec stare potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit super eos, tempus visitationis eorum. 22. Vox eius quasi æris sonabit: quoniam cum exercitu properabunt, et cum securibus venient ei, quasi cædentes ligna. 23. Succiderunt saltum eius, ait Dominus, qui supputari non potest: multiplicati sunt super locustas, et non est eis numerus. 24. Confusa est filia Ægypti, et tradita in manus populi aquilonis. 25. Dixit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ, et super Pharaonem, et super Ægyptum, et super deos eius, et super reges eius, et super Pharaonem, et super eos qui confidunt in eo. 26. Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, et in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, et in manus servorum eius: et post hæc habitabitur sicut diebus pristinis, ait Dominus. 27. Et tu ne timeas serve meus Iacob, et ne paveas Israel; quia ecce ego salvum te faciam de longinquo, et semen tuum de terra captivitatis tuæ: et revertetur Iacob, et requiescet: et prosperabitur: et non erit qui exterreat eum. 28. Et tu noli timere serve meus Iacob, ait Dominus: quia tecum ego sum, quia ego consumam cunctas gentes, ad quas eieci te: te vero non consumam, sed castigabo te in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi.

Vers. 1. CONTRA GENTES.) Varias, de quibus hic incipit prophetare usque ad cap. 51. ita Theodor. Raban. Hugo, et Lyran. Secundo et melius, contra gentes, scilicet Ægyptios et alios qui iis iuncti contra Nabuchodonosorem pugnarunt, scilicet Æthiopes, Libyes et Lydos. Ita a Castro et Maldon.

Vers. 2. IN CHARCAMIS.) Urbs erat iuxta Euphratem, quam obsedit Pharao Nechao, et volentem id impedire Iosiam Regem Iuda, sibique occurrentem occidit, substituitque ei in regno filium Ioachaz, deinde Ioakim: supervenit tandem Nabuchodonosor, qui cecidit Pharaonem Nechao, 4. Reg. 23. 29.

PERCUSSIT.) Fugavit, cecidit; nam Nechao rediit et obiit in Ægypto, regnumque tradidit Psammi vel Psammeticho filio; ita Herodot. libr. 2. Unde Ioseph. tantum, ait, in prælio coactum fuisse cedere Chaldæis: multi tamen Ægyptiorum tunc cæsi sunt, ut patet v. 10.

Vers. 3. PRÆPARATE.) Est sarcasmus, seu hostilis irrisio, q. d. O Ægyptii, armate vos, state galeati, loricati, lanceati: sed frustra: nam cædet vos Nabuchodonosor; nihil vobis proderit omnis ille tantus belli apparatus, omnis armorum fulgor et terror.

Vers. 4. IUNGITE EQUOS.) Ad trahendos currus; tum annonæ, tum armorum, tum falcatos: in falcatis enim pugnabant.

Vers. 5. QUID IGITUR?) Quorsum tot arma, tot currus, tot milites? cum per prophetiam videam eos trepidare et fugere.

Vers. 6. NON FUGIAT VELOX.) Quia parum proderit Ægyptiis fuga: fugiens enim non effugiet, esto sit velox ut caprea, necem, aut certe servitutem.

Vers. 7. QUIS EST ISTE, QUI QUASI FLUMEN ASCENDIT!) Comparat Ægyptios flumini tum ob copiam militum, tum ob arrogantiam, qua flumini tumenti, exundanti, terramque operienti similes esse videbantur. Simile est Isaiæ 8. 7.

Vers. 9. ASCENDITE EQUOS.) Est ironia, q. d. Ascendite Ægyptii gloriantes in equis et curribus, in prælium cum Pharaone contra urbem Charcamorum: ascendite, inquam, A ad macellum, ut ibi iugulemini. Assumite et auxillares Æthiopes et Libyes, qui cominus clypeo et gladio, ac Lydios qui eminus sagittis confligunt; hi omnes vobiscum quasi victimæ mactabuntur; ut gladius Chaldæorum suo ore, id est acie, eorum sanguine inebriari et oppleri videatur. Est metaphora: gladio enim tribuitur os, saturitas et ebrietas.

LYDII.) In Africa, ita dicti, a Lud, filio Mesraim filii Cham; vel, ut S. Hieron. in Ezech. 30. Lydi in Asia, quibus Crœsus præfuit. Pharao enim toti Syriæ dominabatur, et, ut videtur, Lydiæ et Asiæ, ut potuerit hos Lydos in auxilium advocare.

VICTIMA ENIM DOMINI.) q. d. Impii Ægyptii macta- Vers. 10.
buntur, et quasi victimæ immolabuntur iustitiæ divinæ. Vide dicta Isaiæ 29. 1. et cap. 34. 6. ut quid enim eadem repetam, mihique nauseam, et lectori tædium creem?

ASCENDE IN GALAAD.) Pergit in ironia, q. d. Accipies Vers. 11.
multas et incurabiles plagas, quæ nulla resina aut medicamine curari poterunt. Galaad abundabat resina et opobalsamo, curandis vulneribus aptissimo, ut dixi c. 8. 22. B Ita Theod. Hugo, Vatabl. Ex his verbis liquet, Ægyptios resinam potissimum terræ Galaad emere solitos. Idem liquet ex Genes. 37. v. 25. Vide dicta c. 8. 22.

VIRGO FILIA ÆGYPTI.) q. d. O Ægypte, quæ tuis divitiis et robore insolescis et exultas instar pulchræ filiæ et virginis. Alii virginem eam vocari putant, quod hactenus non fuerit debellata, nec subacta.

FORTIS IMPEGIT IN FORTEM, ET AMBO PARITER CONCIDERUNT.) Notat, victoriam hanc Chaldæis ipsis, victo- Vers. 12.
ribus licet fuisse tamen cruentam. Ita Theodor. Hanc prisci *Cadmæam victoriam* vocabant, quando victus et victor mutuis vulneribus concidunt, qualis fuit in duello duodecim militum Ioab et Abner, de quibus dicitur 2. Reg. 2. 16. *Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul: vocatumque est nomen loci illius, Ager robustorum.* Secun-

do, et melius, significat, quod Pharaonis milites, fugientes alter alterum præ trepida fuga impellebant, et sic ambo collisi simul corruebant, seque invicem obterebant; nam solius Ægypti cladem et ululatum hic audiendum prædicit. Ita Hugo, Lyran. et Sanchez.

Vers. 13. Verbum quod locutus est Dominus.) Hoc versu transit Ieremias a prima clade Pharaonis Nechao, quam iuxta Charcamos intulit ei Nabuchodonosor, anno primo regni sui, ad alteram Ægypti cladem, qua Ægyptum ipsam invadens idem Nabuchodonosor, anno regni sui 23. vel, ut alii volunt. 27. eamdem occupavit, victo eius Rege Pharaone Ephree, qui nepos erat Pharaonis huius Nechao; tumque primum factus est monarcha.

Vers. 14. Præparate.) Scilicet ad excipiendum Chaldæorum exercitum.

Devorabit gladius ea, quæ per circuitum tuum sunt.) Septuag. *germen tuum;* Theod. *hederam tuam*, id est, urbes tuas vicinas, quibus circumdaris, niteris et augeris sicut salices hedera, ut, cum hanc hederam videris tibi abradi, cogites te brevi radendam. Si enim vicinos debiles, instar infirmæ hederæ, tibi quasi robustæ arbori incumbentes et innixos, a Chaldæorum rapina tutari non valuisti; agnosce te pariter debilem, et Chaldæo imparem, ac proinde te in congressu cum eo succubituram, eique pariter prædæ futuram.

Moraliter sic o iuvenis, o adolescens, cum vermis morbi tuam hederam, id est, tuas vires, florem et pulchritudinem arrodit, cogita, te brevi corrodendum et moriturum: sicut sol æstuans, hedera, quæ umbram faciebat Ionæ, corrosa a verme, percussit caput Ionæ; ita et tuis viribus morbo aut senio arrosis, mors te percutiet.

Vers. 15. Quare computruit?) Id est, tanquam putrida concidit. Chald. *cur contritus est?* Septuag. *cur fugit?* Hebr. *cur impulsus* vel *propulsatus est?* Hebr. enim סחף *sachaph*, significat impellendo aliquid evertere, ut cum pluvia vehemens paleas, ligna et semina omnia verrit. Significat ergo hac voce Ieremias, quod Ægyptii, non sua imbecillitate, nec Chaldæorum viribus, sed Dei iudicio et impulsu vincentur.

Fortis tuus.) Septuag. *vitulus electus tuus*, puta Apis tuus, scilicet idolum vituli quem colis. Secundo, Lyran. Vatabl. Raban. q. d. Pharao Rex tuus fortissimus. Tertio et simplicissime, q. d. Fortes tui milites, hi computruerunt, id est, quasi putridi corruerunt, Deo illis vires, animos, consilium et mentem eripiente.

Vers. 16. Multiplicavit ruentes, scilicet Dominus, ceciditque vir ad proximum suum, q. d. Cadent Ægyptii in prælio cæsi a Chaldæis catervatim, ita ut unus alium in eamdem ruinam secum impellat: et dicent, tum Ægyptii qui ex remotis Ægypti locis ad castra venerunt, tum eorum auxiliares Æthiopes, Libyes, et Lydii, de quibus v. 9.

A facie gladii columbæ.) Id est, Babyloniorum. Vide dicta c. 25. 38. Septuag. vertunt, *a facie gladii Græci;* videntur ipsi pro יונה *iona*, id est columba, legisse יוני *ievani*, id est Græcus: unde Theod. putat hic prædici Alexandri imperium: hic enim etiam subegit Ægyptum. Verum hic non agitur de Græcis, sed de Chaldæis.

Vers. 17 Vocate nomen Pharaonis Regis Ægypti, Tumultum adduxit tempus.) q. d. Tempus quod omnia mutat, adduxit tumultum, id est, mutationem et cladem magnam in regno tuo, unde recte voceris hoc nomine, *tumultum adduxit tempus.* Hebr. מועד *moed*, id est, tempus a Deo definitum et constitutum. Sic Isaias cap. 8. 3. de Christo ait, *voca nomen eius Accelera spolia detrahere.* Unde Sept. retinent hic voces Hebræas, quasi sint nomen proprium Pharaonis, scilicet, σαων εσβεῖε μωηδ.

Pharao vocatur tumultus, id est perturbator regni.

Secundo, Theodor. sic explicat, q. d. Vocate nomen Pharaonis perturbans et transferens tempora, id est, perturbator temporum et quietis regnorum et gentium. Tertio, ex Hebr. aptissime sic explicat a Castro, et Sanchez: nomen Pharaonis Vaphris vel Ephree, vocabitis *tumultum*, id est perturbatorem: quia superbe provocando Babylonium ad bellum, *adduxit tempus* conflictus, id est tumultus, perturbationis, cladis, suique extremi excidii. Hebr.

A enim est, *tumultus transire fecit*, vel adduxit *tempus*, scilicet excidii: et sic accipi potest noster, *Vocate nomen eius tumultum* (quem scilicet) *adduxit tempus* belli, quo ipse provocavit Chaldæum; hoc enim tempus pariter est tempus eius cladi præstitutum a Deo. Sunt enim hæc verba Ægyptiorum in hoc bello cæsorum, et fugientium, ut patet ex v. præced. Vult dicere Propheta, veniet tempus, quod horrendum tumultum, perturbationem et perniciem afferet Pharaoni. Unde Syrus vertit, *et vocate ibi nomen Pharaonis Regis Ægypti, tumultuantem* (perturbatorem) *et transire facientem tempora;* Arabicus Antiochenus, *et audierunt ibi nomen Pharaonis, Horam, et transire facientem tempora;* Arabicus Alexandrinus, *et vocate ibi nomen Pharaonis Claudi, Regis Ægypti, calamitates inferentem, et tempora percurrere facientem.*

Nota. Hebræa iam aliis punctis notantur: pro קראו *kiru* enim legunt קראו *kareu*, id est, vocarunt, clamaverunt; et pro שם *scem*, id est nomen, legunt שם *sciam*, id est ibi. Unde ea sic vertit et explicat Maldon. *Clama-* B *verunt ibi, Pharao Rex Ægypti transire faciet tempus*, id est, efficiet ut prophetia Ieremiæ sit falsa, et Chaldæi non veniant eo tempore quo eos venturos prædixit Ieremias. Unde hoc arguens subdit, *Vivo ego*, etc.

Secundo, Chald. R. David, et R. Salomon sic vertunt et explicant: *publice dicturi sunt illic, Pharao Rex Ægypti, et tumultus*, id est, turbæ multæ, puta militum multorum, *transgressus est tempus condictum*, q. d. Chaldæi publice dicturi sunt ridendo Pharaonem: Permisit Pharao labi tempus quod constituerat Chaldæis ad confligendum cum eis. Aut, q. d. Subsannabunt Pharaonem, ut timidum, quod, cum Chaldæus offerret prælium, tempusque pugnæ indiceret, ipse tantum tumultum excitaret in castris, quasi parans arma et aciem, sed eam non producens in campum, nec audens congredi cum Chaldæo. Sic timidi milites lingua terribiles sunt, non manu: bullata enim in hostem iaciunt verba, non belli spicula. Hic sensus appositus est, licet potius tumultus hic intelliga- C tur cæsorum, quam parantium aciem.

Tertio, Vatabl. sic vertit et explicat: *Clamaverunt illic: Pharao Rex Ægypti, designator temporum* (id est Deus) *circummisit vastitatem per regnum tuum.* Verum hæc longe abeunt a versione tam nostra quam Septuag.

Sicut Carmelus.) Primo, Raban. sic explicat: Sicut Vers. 18. fertilissimi montes Carmelus et Thabor, si in mare proiicerentur, amitterent suam fertilitatem; sic Ægyptus desinet esse fertilis.

Secundo, Hugo illud, *in mari*, coniungit cum *veniet*, q. d. Sicut verum est duos illos montes esse; ita vere Ægyptus veniet in mari, id est, mergetur in mari eversionis et vastitatis.

Tertio et simplicissime: sicut certum est, Thabor eminere inter montes terræ, et Carmelum inter montes qui mari adiacent; sive Thabor eminere inter montes, Carmelum inter promontoria, quæ in mare procurrunt; ita certo veniet Ægypto insignis, et præ aliis gentibus vastitatis eminens clades; ita Chald. Theod. Vatabl. et alii.

D Huc accedit expositio Maldon. quæ talis est: Rex Babylonis, qui terra et mari potentissimus est, veniet sicut Thabor in continenti inter montes, et Carmelus in mari inter promontoria eminet: sic enim terra marique potens eminet et imminet aliis gentibus quasi vallibus Nabuchodonosor.

Nota. Carmelus dicitur esse in mari non proprie, sed quia mari imminet.

Aliter explicat R. David, q. d. Sicut Thabor inter montes aptus est ad venandum, Osee 5. 1. *Rete expansum est super Thabor;* ita Rex Babylonis veniet ad venandos homines in Ægyptum: et sicut ligna Carmeli per mare transferuntur; ita Chaldæi transferent Ægyptios in captivitatem.

Vasa transmigrationis.) q. d. Fac tibi vasa, id est, Vers. 19. instrumenta et sarcinas leves, baculum, penulam contra imbres, saccum, peram et cucurbitulam, qua bibas instar peregrinantis; transmigrabis enim vel fugitiva ad

vicinas gentes, vel captiva in Babylonem; ita Theod.
Vers 20. VITULA.) q. d. Ægyptus est quasi vitula indomita, iugi expers, petulans, deliciosa, ideoque imbellis; veniet ergo Chaldæus, qui quasi stimulator eam impellat, non ad sua læta prata, sed ad fugam et captivitatem, ut transmigret in Babylonem. Simile est Osee 10. 11. et Isaiæ 15. v. 5. Alludit ad vitulum Apin, quem colebant Ægyptii, et cum quo vitulabantur; atque ad boves, quibus ob pascua fertilesque agros abundat Ægyptus. Unde Pharao vidit boves pingues e Nilo ascendentes, quæ portendebant fertilitatem Ægypti, Gen. 41. 2. Aliter Sanchez: Stimulator, ait, est œstrum, quo acti boves quasi furentes huc illucque discurrunt. Ita Chaldæi instar œstri exagitarunt Iudæos, ut quasi amentes discurrerent.
Vers. 21. MERCENARII.) Scilicet milites mercede conducti ex vicinis provinciis, qui olim apud suos robusti et validi, iam cum diu otio et suis commodis vacassent in Ægypto, eiusque aere et deliciis molles et pingues effecti essent quasi vituli saginati; hi hoste adventante terga dederunt. Sic Asia Lucullum et Romanos, Capua Hannibalem, India Europæos molles effecit et effœminavit. Aliter Lyran. ipse enim per *mercenarios* accipit mercatores, aliunde in Ægyptum mercium et lucri causa confluentes, qui veniente Chaldæo omnes diffugerunt.
Vers. 22. VOX EIUS QUASI ÆRIS.) Septuag. et Chald. *vox eius quasi serpentis.* Hebræum enim נחש *nachas*, serpentem significat, et etiam æs si addas literam tau, notam fœminini generis; ut ex *nachas* facias נחשת *nechoscet.* Quæres, cuius sit hæc vox? Respondent Hugo, Lyran. Dion. esse Babyloniæ, q. d. Vox exercitus Chaldæorum, et fragor armorum, quasi tinnientis æris sonus, aut quasi sibilus serpentum, dire et horride eminus resonabit. Secundo, melius Theodor. Raban. Vatabl. Maldon. Sanchez et alii censent hanc esse vocem Ægypti: de ea enim, eiusque onere et clade hic continuus est sermo, q. d. Ægyptus et Ægyptii in tanta suorum strage tristem, raucum et funebrem edent eiulatum, qualem edunt siticines ferali tuba ænea, cum suorum cadavera efferunt ad sepulturam, aut qualem edunt serpentes, dum lethaliter sauciantur, vel in extremo discrimine versantur: tunc enim horrificum edunt sibilum. Similem edent Ægyptii in publico quasi totius Ægypti funere. Causam subdit: *Quoniam cum exercitu properabunt* Chaldæi, *et cum securibus venient ei* (Ægypto,) q. d. Sicut lignatores securibus cædunt ligna in saltu, ita Chaldæi cædent Ægyptios in Ægypto.
Vers. 23. SUCCIDERUNT SALTUM EIUS.) Id est, succident Chaldæi silvam Ægypti. Ægyptum comparat silvæ, habitatores arboribus, Chaldæos cæsoribus et lignatoribus, inquit Maldonat.

QUI SUPPUTARI NON POTEST.) q. d. Uti silva arboribus, ita Ægyptus abundabat hominibus, ut eorum multitudo quasi innumerabilis supputari vix posset; sed tanta erit lignatorum, id est Chaldæorum, copia, vis et furor, ut universam brevi tempore succidat. Erunt enim Chaldæi pariter innumeri, quasi locustæ, quæ quasi momento integram regionem depascuntur. Sicut ergo homines si sint plurimi, succident maximam silvam, etiamsi quisque tantum unam vel alteram arborem succidat; ita et Chaldæi succident totam Ægyptum: quia numero quasi innumero erunt pares, imo superiores Ægyptiis.
Vers. 25. ECCE EGO VISITABO (id est puniam et visitabo) SUPER

A TUMULTUM.) Id est populum tumultuosum, vel multitudinem magnam, in qua solet esse murmur et tumultus; hæc enim Hebr. vocatur אמון *amon*, vel המון *hamon:* nam litteræ א et ה sæpe commutantur. Erat enim Alexandria potentia, opibus et numero civium non minor quam Ninive, ut patet Nahum 3. 8. Alii accipiunt *Amon* Amon
ut nomen proprium, putantque ita vocari Alexandriam hebr.
a Iovis Ammonii templo, quod Liber pater sub Iosue, ut quid,
docet Eusebius in Chronico, ædificavit in arena deserti, quæ ab Ægyptiis vocatur Ammon, et regio Ammonita; ita Theodor. Verum pro Alexandria Hebr. est נוא *no*, sic enim ipsa a Nahum c. 3. 8. et Ezech. c. 30. 15. vocatur נוא *no:* sic enim vocabatur tempore Ieremiæ, quæ postea ab Alexandro dicta est Alexandria. Hebræum vero *amon*, quod præponitur *no*, id est Alexandriæ, noster hic et alibi, æque ac alii, vertit multitudinem vel tumultum; ubi enim est turba, ibi est et strepitus ac tumultus. *Amon no* ergo, idem est quod turba Alexandriæ, sive, ut ait Nahum, *Alexandria populorum.* Sic *Amona* vocatur civitas
B *in valle multitudinis Gog*, in qua scilicet sepelientur innumeri milites Antichristi, Ezechiel. 39. 16. Sicut ergo *Augusta* vocatur civitas a magnificentia; ita *Amon*, id est multa, vocatur ab incolarum copia. Rursum sicut *Augusta* pluribus commune est nomen, quod proinde determinamus et contrahimus, dicendo Augusta Germaniæ, Augusta Hispaniæ, Augusta Galliæ, etc. ita *Amon* commune est nomen populosarum urbium, quod proinde determinat Propheta, dicendo *Amon no*, q. d. Multitudo Alexandriæ; ita fere Sanchez. Pari modo dicta est Rabbath filiorum Ammon ob magnitudinem et multitudinem civium. Rabbath enim Hebr. idem est quod Amon, id est multa, copiosa: unde et Rabbath dicta est Ammon, quæ postea a Ptolemæo Philadelpho subiugata, dicta est Philadelphia.

Alii denique, putant Amon esse nomen proprium Regis Alexandriæ, qui regi totius Ægypti vectigalis fuerit; ita Chal. R. David et R. Salomon, et favent Septuag. qui vertunt, *ecce ego ulciscor Amon filium eius:* sed ipsi per-
C peram pro מנוא *minno*, id est Alexandriæ, legerunt בנו *beno*, id est filium eius. Prior ergo sententia est verior.

ET IN MANUS NABUCHODONOSOR.) *Et* significat *id est:* Vers. 26.
explicat enim, qui sint qui quærunt animam eius.

HABITABITUR.) Scilicet Ægyptus; nam post 40. annos vastitatis suæ Babyloniceæ, reversi sunt Ægyptii in terram suam, sed ita ut esset regnum humile, ut ait Ezech. 29. 13. et pro domestico Rege Ephree sive Vaphres, Amasin exterum a Chaldæis constitutum habuerint. Porro Amasis hic victus a Cambyse filio Cyri, et deinceps Ægyptus a Regibus non Ægyptiis, sed Persis, per 150. annos gubernata fuit, ut habet Euseb. in Chronico.

NE TIMEAS.) Si enim Ægyptios reducam, multo ma- Vers. 27.
gis e captivitate liberabo te, o Iacob, qui es servus meus.

DE LONGINQUO.) q. d. Reducam te, o Israel, non ex Ægypto, ut Vatabl. sed e captivitate Babylonica (Babylon enim longe abest a Iudæa) post 70. annos; ita Theodor. et Lyran.

CASTIGABO TE IN IUDICIO.) Id est moderate, humani- Vers. 28.
ter, clementer: opponitur enim *iudicium* furori et iræ. Vide dicta c. 30. 11.

NEC QUASI INNOCENTI PARCAM TIBI.) q. d. Non prorsus impunem relinquam te, tanquam innocentem; sed castigabo, ut pater, non ut hostis.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Palæstinos omnes cum Tyriis et Sidoniis per Nabuchodonosorem vastandos prædicit, unde exclamat v. 6. O mucro Domini, usquequo non quiesces?

1. Quod factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam contra Palæstinos, antequam percuteret Pharao Gazam: 2. Hæc dicit Dominus: Ecce aquæ ascendunt ab aquilone, et erunt quasi torrens inundans, et operient terram et plenitudinem eius, urbem et habitatores eius: clamabunt homines, et ululabunt omnes habitatores terræ, 3. A strepitu pompæ armorum, et bellatorum eius, a commotione quadrigarum eius, et multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis 4. Pro adventu diei, in quo vastabuntur omnes Philisthiim, et dissipabitur Tyrus, et Sidon cum omnibus reliquis auxiliis suis: depopulatus est enim Dominus Palæsthinos, reliquias insulæ Cappadociæ. 5. Venit Calvitium super Gazam: conticuit Ascalon, et reliquiæ vallis earum, usquequo concideris? 6. O mucro Domini usquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile. 7. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, et adversus maritimas eius regiones, ibique condixerit illi?

Vers. 1. Antequam percuteret Pharao Gazam.) Meminit percussionis Gazæ in hac prophetia Ieremias, ne Gazenses et reliqui Philistini putarent se hac plaga expiasse sua scelera, et immunes fore a gladio Chaldæorum, q. d. O Gaza, o Palæstina, ab Austro, puta ab Ægyptiis accipies cladem; sed longe gravior te manet a sævo Aquilone, hoc est a Chaldæis. Nota. Videtur Gaza percussa a Pharaone, sub initium anni noni Sedeciæ, quando Pharao volens opem ferre Iudæis obsessis a Nabuchodonosore, fugatus est. Unde Pharao rediens in Ægyptum, in itinere Gazam, forte eo quod Chaldæis faveret, vel cum illis contra Iudæos antiquos hostes conspirasset, percussit, et inde sumpta est huius prophetiæ contra Gazenses et Philistinos occasio. Videtur ergo Ieremias hæc contra eos prophetasse anno nono Sedeciæ; ita Hebræi, Lyran. Dionys. Castrius et Maldonat. Licet Sanchez censeat Gazam captam a Pharaone anno quarto Ioakim, cum Pharao a Chaldæis cæsus in Charcamis, rediens in Ægyptum, furorem suum in Gazenses evomuit.

Gaza urbs, quæ et qualis? Nota. Gaza, quæ et Gazer et Gazara, hebr. עזה *aza*, id est fortis, Syris *atsan* dicitur, conversa ad christianismum dicta est Constantia, de nomine sororis Constantini Magni, inquit Euseb. l. 4. de Vita Constant. cap. 38. Erat una ex quinque satrapiis Philistinorum. Gazæ portas Samson abstulit, et suis humeris in montem detulit: ibidem postea captus, excæcatus, concussis columnis domus se cum Philistæis obruit et occidit. Gazam Nabuchodonosor vastavit, ut hic prædicit Ieremias: deinde eam Alexander Magnus post bimestrem obsidionem occupans, in sempiternum vertit tumulum: unde ob id deserta dicitur. Nam nova Gaza, quæ nunc cernitur, alio loco pro illa quæ corruit, ædificata est. Hanc deinde vastavit Alexander Assamonæus rex Iudæorum: postea tamen refloruit, et etiamnum magna est Gazæ auctoritas, et Syriæ urbs prima, vel secunda est; ita ex S. Hieron. Iosepho et aliis Adrichom. Denique Gazæ fuit celebre fanum Marnæ, quod agente S. Porphyrio Theodosius Imp. dirui iussit. In ea passus est martyrium S. Silvanus cum aliis 39. Ex Gaza quoque prognatus est Procopius Gazæus.

Vers. 2. Ecce aquæ ascendunt.) Comparat numerosum et impetuosum exercitum Chaldæorum, aquis et torrenti exundanti, qui evertit urbes cum incolis; ita Theodor.

Operient terram Ægypti, et plenitudinem eius.) Hoc est, omnia quæ in ea sunt: hæc enim eam quasi implent, qualia sunt urbes, campi, pagi, arces, etc.

Vers. 3. A strepitu pompæ armorum.) Hebr. *a voce strepitus ungularum fortium eius; fortium*, scilicet equorum ungula potentium. Pro *armorum* hebr. est פרסות אביריו *parsot abbirav*, quod noster interpres Isaiæ 5. 28. vertit, *ungulæ equorum eius:* ungulæ enim sunt equorum, et consequenter equitum arma, ad currendum in hostem et bellandum: equi enim in ungulis miram vim habent, iisque in cursu magnum strepitum excitant, Isaiæ 5. 28.

A Ezech. 26. 10.

Non respexerunt patres filios manibus dissolutis.) Id est, præ formidine, indeque orta manuum dissolutione et quasi paralysi patres obliti sunt naturæ, et filios neglexerunt, nec respexerunt retrorsum, ut viderent quid filiis fieret. Ita Theodor. et Chald.

Pro adventu diei.) Propter diem excidii qui veniet, quo tota Palæstina vastabitur: hinc tanta erit formido, Vers. 4.
ut patres non curent filios.

Dissipabitur Tyrus et Sidon cum omnibus reliquis auxiliis suis.) Vatabl. ex Hebræo aliter vertit, *ad delendum Tyro et Sidoni omnem superstitem auxiliatorem*, id est, ut delerentur Palæstini, qui solebant auxiliari Tyro et Sidoni. Verum nostro interpreti consentiunt Septuag. et Chald. quamquam utraque versio eodem redit.

Reliquias insulæ Cappadociæ.) Nota, Cappadociam hic vocari insulam, licet in continenti sit, quia maritima est, et longo littore in Pontum Euxinum expanditur. Ita

B Septuag. Chald. et noster Hebr. כפתור *Caphtor*, vertunt, Cappadociam. Nota, Palæstinos vocari reliquias Cappadocum: quia Cappadoces occuparunt Palæstinam, expulsis Hevæis, ut patet Deuter. 2. 23. ita Theodor. Raban. Hugo. Palæstini ergo fuerunt colonia Cappadocum. Adde, Philisthiim et Caphtorim, id est Cappadoces, fuerunt fratres, ut patet Genes. 10. 14. Caphtor est Cappadocia, quæ?

Alii, ut Theodoret. et a Castro Hebr. *Caphtor* vertunt, non Cappadociam (illa enim, inquiunt, longe distat a Palæstina) sed Cyprum: eædem enim in utraque voce sunt litteræ, si demas t in Caphtor: et Cyprum olim vocatam fuisse Cappadociam, putat a Castro; sed vellem videre ubi et a quibus. Cyprum esse censet a Castro.

Denique Torniellus anno mundi 1931. num. 32. suspicatur insulam Cappadociæ hic vocari eam, quæ postea dicta est nova Tyrus (aut locum ei vicinum) sitaque est iuxta Tyrum veterem: hæc enim proprie est insula, estque vicina Philistinis. Huic sententiæ favet Primo, quod Hebræum *Caphtor*, id est Cappadocia, idem videatur esse Novam Tyrum esse censet Torniellus.

C quod *caph*, id est manus, *tor*, id est, Tyri, q. d. manus, id est latus vel vicinia, Tyri. Secundo, quod Adrichomius ex Bredembachio et aliis, in descriptione tribus Aser, n. 91. tradat, iuxta Libanum et Adonim fluvium, non longe a Tyro, esse locum templo S. Gregorii insignem, qui ab incolis vocetur Cappadocia.

Venit (veniet certo et brevi) calvitium.) Id est, expilatio et bonorum omnium direptio, ut ne pilum quidem reliquisse videantur super Gazam; ita Raban. Lyran. Vatabl. Secundo, *calvitium*, id est, calamitas ingens et luctus. Solebant enim in luctu sese decalvare, ut patet Isai. 15. 21. Ezech. 7. 18. Amos 8. v. 10. ita Maldonat. Calvitium quid?

Conticuit Ascalon.) Id est omnino excisa et eversa est, id est excindetur et evertetur Ascalon. Est metalepsis; urbe enim excisa, rerum omnium est solitudo et si-

lentium. Simile vidimus cap. 23. 37. et alibi. Secundo, *conticuit*, quia subito et inopinato hostium adventu obstupuit. Tertio, quia hostis insolens spiritum ei præclusit et linguam; ita Sanch.

Ascalon urbs quæ et qualis? Ascalon erat urbs fortis, una ex quinque satrapiis Philistinorum. Hic Samson occidit triginta Philisthæos, eorumque vestes abstulit, ut eas daret triginta viris qui suum problema solverant, Iudic. 14. Ferunt in hac urbe natum Herodem, qui tempore Christi infantes in Bethlehem occidit, indeque dictus est Ascalonita. Hodie antiquum robur retinens Saracenorum fortissimum est propugnaculum; ita Adrichom.

Et reliquiæ vallis earum.) Et reliqua earum oppida et pagi suburbani, qui in valle erant, cum Gaza et Ascalon sitæ essent in loco altiori.

Usquequo conciderіs?) Usquequo Ascalon et Gaza unguibus, vel etiam cultris more Gentilium te laniabis præ dolore et luctu? ita Hugo, Lyran. et Vatabl. Septuag. vertunt. *usquequo incides gladius* (o gladie) *Domini?* gladius Domini, est Nabuchodonosor, ait Theod. et Raban.

O mucro Domini.) Ex ingenti commiseratione tantæ stragis Philisthinorum, quam prævidebat, Ieremias exclamat, obsecratque ut quiescat: satis enim magnam cædem factam esse; ita Maldon. Vers 6.

Refrigerare.) Ab ardore cædendi, qui manat a furore cædentis, q. d. O refrigera et tempera furorem tuum et ardorem cædendi Ascalonitas.

Quomodo quiescet?) Respondet sibi ipsi Propheta, non posse gladium quiescere, quia Deus iussit eum grassari in Ascalonem. Vers. 7.

Ibique condixerit illi.) Præceperit, ut ibi grassetur. Alii vertunt, Constituit ei tempus quo grassari debeat: itaque cessare nequit, antequam hac legatione sua tempore sibi præstituto perfungatur.

Porro impleta est hæc prophetia contra Palæstinos anno quinto post excidium Ierusalem, qui fuit annus Nabuchodonosoris 23. Tunc enim ipse vastavit Cælesyriam (ad quam pertinent Philisthini) ita Ioseph. l. 10. Antiq. c. 11.

CAPUT QUADRAGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prophetat excidium Moab non per Sennacherib, ut vult Lyran. et favet S. Hieron. hic enim diu præcessit Ieremiam; sed per Nabuchodonosorem; ita Theodoret. Raban. Hugo et Vatabl. Unde v. 11. Moabitas ait instar vini ex uno dolio in aliud, id est, ex Moab in Chaldæam, transferendos esse. Tertio, v. 26. comparat eos ebriis et vomentibus præ dolore, idque quia ipsi Iudæis cognatis suis non tulerunt opem, cum a Chaldæis impeterentur, imo eos superbe irriserunt. Quarto, v. 37. describit planctum Moabitarum. Videtur hæc prophetasse Ieremias initio regni Sedeciæ, ut colligitur c. 48. v. 34. cum venientibus regum legatis ad Sedeciam, per eos ad reges et ad gentes eis subditas, has prophetias suas ipse transmisit, c. 27. 1. Unde hoc caput et sequens subnectendum est capiti 27.

1. Ad Moab hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Væ super Nabo, quoniam vastata est, et confusa:
capta est Cariathaim: confusa est fortis, et tremuit. 2. Non est ultra exultatio in Moab contra Hese-
bon: cogitaverunt malum: Venite, et disperdamus eam de gente: ergo silens conticesces, sequeturque te
gladius. 3. Vox clamoris de Oronaim: vastitas, et contritio magna. 4. Contrita est Moab: annuntiate clamorem
parvulis eius. 5. Per ascensum enim Luith plorans ascendet in fletu: quoniam in descensu Oronaim hostes ulula-
tum contritionis audierunt: 6. Fugite, salvate animas vestras, et eritis quasi miricæ in deserto. 7. Pro eo enim
quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, et in thesauris tuis, tu quoque capieris: et ibit Chamos in transmi-
grationem, sacerdotes eius, et principes eius simul. 8. Et veniet prædo ad omnem urbem, et urbs nulla salvabi-
tur: et peribunt valles, et dissipabuntur campestria: quoniam dixit Dominus: 9. Date florem Moab, quia florens
egredietur: et civitates eius desertæ erunt, et inhabitabiles. 10. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter:
et maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. 11. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in
fæcibus suis; nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit: idcirco permansit gustus eius in
eo, et odor eius non est immutatus. 12. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus: et mittam ei ordinatores,
et stratores laguncularum, et sternent eum, et vasa eius exhaurient, et lagunculas eorum collident. 13. Et con-
fundetur Moab a Chamos, sicut confusa est domus Israel a Bethel, in qua habebat fiduciam. 14. Quomodo dici-
tis: Fortes sumus, et viri robusti ad præliandum? 15. Vastata est Moab, et civitates illius succiderunt: et electi
iuvenes eius descenderunt in occisionem: ait rex, Dominus exercituum nomen eius. 16. Prope est interitus Moab
ut veniat: et malum eius velociter accurret nimis. 17. Consolamini eum, omnes qui estis in circuitu eius: et uni-
versi, qui scitis nomen eius, dicite: Quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus? 18. Descende de glo-
ria, et sede in siti, habitatio filiæ Dibon: quoniam vastator Moab ascendet ad te, dissipabit munitiones tuas. 19. In
via sta, et prospice habitatio Aroer: interroga fugientem: et ei qui evasit, dic: Quid accidit? 20. Confusus est
Moab, quoniam victus est, ululate, et clamate, annuntiate in Arnon, quoniam vastata est Moab. 21. Et iudicium
venit ad terram campestrem: super Helon, et super Iasa, et super Mephaath, 22. Et super Dibon, et super Na-
bo, et super domum Deblathaim, 23. Et super Cariathaim, et super Bethgamul, et super Bethmaon, 24. Et su-
per Carioth, et super Bosra: et super omnes civitates terræ Moab, quæ longe, et quæ prope sunt. 25. Abscissum
est cornu Moab, et brachium eius contritum est, ait Dominus. 26. Inebriate eum, quoniam contra Dominum e-
rectus est: et allidet manum Moab in vomitu suo, et erit in derisum etiam ipse. 27. Fuit enim in derisum tibi
Israel, quasi inter fures reperisses eum: propter verba ergo tua quæ adversum illum locutus es, captivus duceris.
28. Relinquite civitates, et habitate in petra, habitatores Moab: et estote quasi columba nidificans in summo
ore foraminis. 29. Audivimus superbiam Moab, superbus est valde: sublimitatem eius, et arrogantiam, et super-
biam, et altitudinem cordis eius. 30. Ego scio, ait Dominus, iactantiam eius, et quod non sit iuxta eam virtus
eius: nec iuxta quod poterat conata sit facere. 31. Ideo super Moab eiulabo, et ad Moab universam clamabo, ad
viros muri fictilis lamentantes. 32. De planctu Iazer plorabo tibi vinea Sabama: propagines tuæ transierunt ma-
re, usque ad mare Iazer pervenerunt: super messem tuam, et vindemiam tuam, prædo irruit. 33. Ablata est læ-
titia et exultatio de Carmelo, et de terra Moab, et vinum de torcularibus sustuli: nequaquam calcator uvæ soli-
tum celeuma cantabit. 34. De clamore Hesebon usque Eleale, et Iasa, dederunt vocem suam: a Segor usque ad
Oronaim vitula conternante: aquæ quoque Nemrim pessimæ erunt. 35. Et auferam de Moab, ait Dominus, offe-

rentem in excelsis, et sacrificantem diis eius. 36. Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit: et cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum: quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt. 37. Omne enim caput calvitium, et omnis barba rasa erit: in cunctis manibus colligatio, et super omne dorsum cilicium. 38. Super omnia tecta Moab, et in plateis eius, omnis planctus: quoniam contrivi Moab sicut vas inutile, ait Dominus. 39. Quomodo victa est, et ululaverunt? quomodo deiecit cervicem Moab, et confusus est? eritque Moab in derisum, et in exemplum omnibus in circuitu suo. 40. Hæc dicit Dominus: Ecce quasi aquila volabit, et extendet alas suas ad Moab. 41. Capta est Carioth, et munitiones comprehensæ sunt: et erit cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis. 42. Et cessabit Moab esse populus: quoniam contra Dominum gloriatus est. 43. Pavor, et fovea, et laqueus super te o habitator Moab, dicit Dominus. 44. Qui fugerit a facie pavoris, cadet in foveam: et qui conscenderit de fovea, capietur laqueo: adducam enim super Moab annum visitationis eorum, ait Dominus. 45. In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes: quia ignis egressus est de Hesebon, et flamma de medio Seon, et devorabit partem Moab, et verticem filiorum tumultus. 46. Væ tibi Moab, periisti popule Chamos: quia comprehensi sunt filii tui, et filiæ tuæ in captivitatem. 47. Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus. Hucusque iudicia Moab.

Vers. 1. AD MOAB.) Scilicet dirigitur sequens prophetia. Moab, A regio est et urbs, hebr. dicta עָר *Ar*, et græce *Areopolis*; hic agitur tam de urbe, quam de tota provincia, quæ pars est Arabiæ Petreæ. Hæc enim Moabitidem, Idumæam, Amalecitidem et Cedar ambitu suo complectitur, ait Adrichom.

NABO.) Erat civitas Moab in tribu Ruben, Num. 32. 37. est etiam nomen montis et idoli Chaldæorum, Isaiæ 46. 1. *Nabo* hebr. significat oraculum; quod quia erat in hac urbe, ideo dicta videtur *Nabo:* ideoque eam primo loco in clade ponit, q. d. Tu Nabo ex falso tuo oraculo promisisti tibi cæterisque urbibus Moab pacem et immunitatem a Chaldæis; ideo falsitatis arguam te, tuumque idolum; ac te primum tradam Chaldæis, deinde cæteras urbes Moab: ita Sanchez.

VASTATA EST.) Vastabitur; omnia enim hæc præterita, prophetice pro futuris capiuntur.

CARIATHAIM.) Urbs est Moab in tribu Ruben, Num. 32. 37. ubi gigantes habitarunt, Gen. 14. 5. Tempore S. Hieron. (uti ipse testatur in Locis hebr.) Christianis omnibus florens vocabatur Coraiatha, eratque in decimo milliario iuxta Medabam urbem Arabiæ. Dicta est *Cariathaim* in duali, q. d. Duæ urbes: videtur enim duplex fuisse civitas, uti est Roma, Praga, Cracovia, aliæque multæ. Sic *Cariath iarim* dicta est, quasi civitas silvarum: *Cariath sepher*, quasi civitas literarum, puta Academia Palæstinæ, Iosue 15. v. 15. Sic Hebron dicta est *Cariath arbe*, quasi civitas quatuor; scilicet Patriarcharum, puta Adæ, Abrahæ, Isaac et Iacob, qui ibidem sepulti sunt, ait ex Hebr. S. Hieron. in c. 27. Matthæi, et Lyran. Hugo, Abulens. in Iosue c. 14. v. 15.

CONFUSA EST FORTIS.) Hebr. *confusa est refugium*, scilicet urbs Cariathaim, ad quam tempore belli, vicini confugere solebant, ob eius munitionem.

Vers. 2. NON EST ULTRA EXULTATIO IN MOAB CONTRA HESEBON.) Hebr. *de Hesebon*, quod scilicet olim fuerit urbs celeberrima Seon regis Amorrhæorum: quia destructur; unde de ea Moab gloriari non poterit; ita Sept. et Vatabl. Secundo, et potius, cum Pagnin. Chald. Lyrano, Hugone et Sanchez, aliter hæc dispungenda sunt, scilicet hoc modo: *Non est exultatio in Moab: contra Hesebon cogitarunt malum*, scilicet Chaldæi. Hesebon enim erat urbs in Moab: unde de eius malo et clade Moabitæ exultare non poterant, sed dolere et lugere. In Hebræo est pulchra paronomasia, *contra Hesebon*, id est cogitationem, machinationem, חִשְׁבוּ *chascebu*, id est, *cogitarunt malum*, sese invicem ad excidium et spolia Hesebon excitantes, et dicentes: *Venite, et disperdamus eam de gente*, id est de gentibus, ut scilicet amplius inter gentes non existat, ut non sit ipsa gens inter alias gentes. Hæc eadem de Moab prædixit Isaias cap. 15. et 16. ex quo multa hic deprompsit Ieremias, vel potius per eius os iteravit Spiritus sanctus, ut prophetiam suam et Isaiæ confirmaret.

ERGO SILENS CONTICESCES.) Scilicet tu, o Hesebon; ita Theodor. Rabanus, et Lyranus, sed Chaldæus, Vatablus, et Pagnin. accipiunt, τὸ *silens*, ut nomen proprium alterius urbis, quæ hebr. vocatur *Madmen*, id est silens, q. d. Tu quæ a silentio vocaris Madmen, ad silentium et solitudinem redigeris.

ANNUNCIATE CLAMOREM PARVULIS EIUS.) Id est, prædicite pueris eius fore ut clament: pueri enim in adversis Vers. 4. et excidiis eiulant et clamant præ aliis omnibus, præsertim cum vident parentes occidi, vel a se in captivitatem abduci.

PER ASCENSUM ENIM LUITH.) q. d. Moabitæ qui fu- Vers. 5. giunt Chaldæos, ascendent flentes in Luith locum excelsum, ut ibi tuti esse possint; ita Lyran. et Vatabl. Aliter S. Hieron. Raban. et Hugo, q. d. Per Luith clivum, Moabitæ flentes captivi abducentur in Chaldæam: hi enim putant Luith esse montem, alii putant esse oppidum; ita Euseb.

FUGITE.) O Moabitæ.

ERITIS QUASI MYRICÆ.) Id est humiles, abiecti, steri- Vers. 6. les, mœsti et solitarii; vide dicta c. 17. v. 6. Sic S. Antonius, Paulus, etc. fugerunt in desertum ob persecutio- B nes vel Decii et tyrannorum, vel amicorum et mundi, ibique latuerunt quasi myricæ.

ET IBIT CHAMOS IN TRANSMIGRATIONEM.) *Chamos* i- Vers. 7. dolum fuit Moab, cui Salomon rex fanum ædificavit 3. Chamos fuit Reg. 11. v. 7. A Chamos multi deducunt Græcum κωμος, κωμος qui Deus fuit temulentiæ, scilicet Bacchus apud Philo- Deus co- stratum, unde κωμαζειν significat lascivire, et κωμος vo- messatio- cantur cantiones et saltationes lascivæ; et Latinum co- num. messari, et comœdia atque tragœdia, inventa sunt in Icario urbe Atticæ, idque ipsius vindemiæ tempore: unde et trygœdia ab initio fuit appellata. Τρυγη enim significat vindemiam, et τρυγαν vindemiare.

Forte Chamos, ut notat Stuckius l. 1. Convival. c. 10. Chamos a Syro-chaldæo כמש *kemas*, id est occultare, latitare, fuit Bacchus. deducitur, ut intelligatur Bacchus νυκτελιος, sive cui noctu sacra faciebant per comessationes, et consequentes effrænes libidines, teste Plutarcho et Pausan. quo alludit Apostolus Rom. 13. 13. *Non in comessationibus et ebrietatibus, sed sicut in die honeste ambulemus.* Hinc quoque C κωμαζειν dicebantur, qui coronati et bene poti in alienum convivium irruebant non sine tibicine.

Secundo, Christoph. a Castro, Chamos idem vult esse Chamos cum Beelphegor, id est Deo apertionis vel nuditatis, qui fuisse Priapum voce nonnihil detorta Priapus dicitur, dicique *Chamos*, censent id est *quasi palpans* aut *contrectans*. Erat Beelphegor i- aliqui. mago viri nudi, qui habebat pellem mortui in ore; quo significabat, non esse remedium mortalitatis, nec naturam fugientem retineri posse, nisi per os cibo et potu materia libidini et generationi subministretur, per quam natura fugiens quasi tenetur et propagatur in prole; huius cultus erat in comessationibus et effræni libidine, et exercebatur per sacerdotes meretrices, Osee 4. v. 14. quarum princeps fuit Maacha mater Asa, quam Asa amovit, et Priapum evertit, 3. Reg. 15. v. 13. Verum de Beelphegor fuse egi Num. 25. v. 3.

Nota. In Hebræo pro *Chamos* scribitur *Chamis*, quasi per contemptum decurtetur et resecetur eius nomen, quod iam captus sit et confusus, et, ut Galli dicunt, *Camus*;

utpote cui imperium, vires et opes sint adempta.

Vers. 9. DATE FLOREM MOAB.) Est ironia, q. d. Videte, ut Moab floreat opibus et gloria. Floribus ergo eam redimite, coronamque floridam capiti eius imponite, imo ipsa genio et ventri indulgens coronet se rosis: sed scitote, eam cum suo flore desolandam, capiendam et egressuram in captivitatem; ita Raban. Hugo et Lyran. Vel date florem Moab, ut sciat tam brevi se ad nihilum redigendam, quam brevi marcescit flos, Isai. 40. vers. 6. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri; exsiccatum est fœnum, et cecidit flos.* Talis nimirum est omnis terræ splendor, pompa et gloria: nam in cælo dumtaxat est solida, constans et perennis decor, voluptas et gloria. Huc accedit expositio Sanchez, quæ talis est: quantumcumque in amœno et irriguo loco sit Moab, floreatque ac niteat ab ubertate patria, florens tamen et nitidus abripietur in alienum solum: *et civitates eius* prius florentes et lautæ, *desertæ erunt*, squalentes et vastæ, ut nullus illas prorsus inhabitet. Nimirum in rebus et opibus humanis verissimum est illud Senecæ epist. 39. *Sic segetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit.* Hic sensus congruus est et plausibilis. Ex eo enim discimus, tunc maxime vicinas esse urbes cladi, et homines tribulationi et cruci, cum maxime gloria, opibus et deliciis florent; sicut Moab florens et rosis se coronans, vicinissima erat excidio. Nimirum *fortuna vitrea est: dum splendet, frangitur.* Ratio est, quia rota fortunæ similis est rotæ naturæ, quæ ab auctore suo ita instituta est, ut semper gyret in orbem, cumque in sui culmine est et summa perfectione, tunc rotando descendat, et tendat ad finem. Ita poma cum maturrima sunt, putrescunt; flores cum plenissimi, marcescunt; animalia cum iustam habent staturam et ætatem, ad senium et interitum declinant. Sol cum in meridie est altissimus, mox declinat ad occasum; cum est in solstitio æstivo, declinat ad hiemem. Idem ergo est imperiorum, urbium, principum, hominum circulus, periodus, terminus et occasus.

Secundo, Kimchi, Pagnin. et Vatabl. sic vertunt, *date alam Moab quia volando volabit*, scilicet in captivitatem; aut ut eam evadat, celerrime fugiet, et quasi avolabit.

Tertio, Chald. vertit, *auferte coronam a Moab*, et scilicet date eam Chaldæo. Hebr. enim ציץ *tsits*, primo, florem; secundo, alam; tertio, coronam significat. Noster optime cum Aquila et Symmacho vertit florem.

Quarto, Sept. vertunt, *date signa Moab*, scilicet imminentis excidii, q. d. De eo monete eam, atque ut credat, eius signa proferte, vel, ut Theodor. date, id est, ponite signa per solitudinem, ut sciat Moab qua via per eam fugere debeat.

Quinto, alii sic explicant, q. d. Sicut sponsa floribus coronata ducitur ad sponsum; ita tu, o Moab, orna te marito tuo, scilicet Chaldæo, sed hosti immani.

Sexto et melius, a Castro sic explicat, q. d. Coronis floridis et odoribus, o Moab, te et tuum funus adorna; quia in Chaldæa sepelieris et morieris. Solent enim divites coronis et omni pompa suorum funera exornare. Hic sensus uti et primus, cæteris aptior est et planior. Unde Syrus et Arabicus vertunt, *date coronam Moab, quia destructione destruetur, et omnes civitates eius in desertum erunt, præ inopia incolæ.*

Floribus ornabant funera. Ubi Nota. Solebant Gentiles mortuorum corpora floribus et coronis redimere: imo si quis virtute sibi coronam aliquam peperisset, eadem etiam mortuus solebat condecorari, idque ex permissu legis duodecim tabularum, quæ extat apud Plinium lib. 21. c. 3. et Cicer. lib. 2. de Legibus: atque ita in funere Scipionis factum esse testatur ibidem Plinius: *Populus*, inquit, *funus locavit, quaque præferebatur, flores e prospectu omni sparsit.* Idem factum in funere filiæ Virginii, tradit Halicarnass. lib. 11. *Ædibus*, inquit, *exiliebant mulieres et virgines, casum illum lugentes* (erat enim occisa a patre, ne a Clodio violaretur) *atque aliæ flores et coronas in lectum iaciebant.*

A Idipsum de funere Bruti narrat lib. 5. Unde Clemens Alexan. l. 2. Strom. c. 8. *A turba*, inquit, *et negotio remotæ securitatis signum est corona: quare ea mortuos coronant.* Pluribus idipsum ex Livio, Capitolino, Ovidio, Herodiano et Virgilio probat Lipsius ad c. 14. Taciti.

Verum hunc ritum coronandi mortuos repudiarunt primi et prisci Christiani, eo quod nihil cum Gentilibus commune habere vellent. Unde contra eum Tertull. scripsit librum de Corona militis, et Minutius Felix in Octavio: *Nec mortuos*, inquit, *coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut non sentienti coronam; cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus.* Ita ipsi in odium gentilismi, et ad vitandum periculum relapsus in idololatriam: quod quia iam cessat, hinc solemus funera Doctorum, Virginum, Martyrum, etc. coronare floribus. Ita narrat Pallad. in Lausiac. c. 39 de mulieribus religiosis Tabenniositis viventibus secundum institutum S. Pachomii: *Si virgo*, inquit, *obierit, reliquæ virgines cum eam ad sepulturam concinnaverint,* Christianis olim id vetitum, cur?

B *efferunt, et eam ponunt ad ripam fluvii. Traiicientes autem fratres cum palmis et ramis olivæ, et psalmodia, eam transmittunt, et in suis monumentis sepeliunt.*

MALEDICTUS.) Est astysmus: festive enim per exaggerationem vocat eos benedictos, qui operi sancto et benedicto iustitiæ divinæ, puta excidio impiorum Moabitarum quoquomodo, etiam materialiter tantum, cooperabantur; renuentes vero et pigros in hoc opere, vocat maledictos. Loquitur enim in genere, abstrahendo ab huius vel illius Chaldæi tyrannide, tantumque spectat opus hoc in se, prout est opus iustitiæ divinæ: sic enim in se sanctum est, et quicumque illi cooperantur, sancti sunt et benedictione digni: milites vero et lictores qui ei cooperari renuunt, iniqui sunt, et maledictione digni. Sic Cyrus puniens et evertens Babylonem, itaque peragens reipsa iustum Dei contra eam iudicium, vocatur beatus psal. Vers. 10.

C 136. 8. *Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus, qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram.* Vide can. 36.

Secundo, proprie et particulatim, *maledictus est*, scilicet si sciat hanc esse Dei voluntatem, uti Chaldæi potuerunt scire ex hac prophetia Ieremiæ et aliorum, *qui facit opus Domini*, id est vastationem Moab, quam Dominus decernit et imperat (Sic cædem Chaldæorum vocat opus Domini c. 50. v. 25.) *fraudulenter* (ita legendum cum Roman. Hebr. et Chald. non, *negligenter*, licet ita vertant Sept. sed idem significant: miles enim vel servus, qui negligenter opus a duce, vel hero præceptum peragit, fraudulenter agit: defraudat enim herum suo iure et lucro) ut scilicet fingat se velle occidere Moabitas, et interim ob lytrum vel aliam causam eis parcat; unde explicans subdit: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine.* Præclare Aristides hymno in Iovem: *Ignavia*, ait, *in rebus divinis est nefaria. Sin* opere tanto *erimus inferiores, facile per argumenti naturam excusabimur, ut qui non ultro destiterimus, sed necessario victi simus: præ-*

D *stat autem rideri a diis si opus sit, quam reprehendi.*

Hinc patet, quod, si Chaldæi cognita hac Dei voluntate bona fide totos se ei conformassent, studuissentque illam tantum exequi, non peccassent, imo recte et pie egissent, vastando Moabitas: verum quia ipsi non tam Deo quam suæ ambitioni et avaritiæ servierunt, in eius et aliarum gentium excidio; hinc tyranni fuerunt, ideoque pariter et ipsi traditi sunt gladio Cyri et Persarum, ut audiemus c. 50.

Tropol. maledictus est, qui hostes suos, scilicet affectus pravos, mortificationis gladio non insequitur, non cædit; sed vivere patitur et dominari. Illi enim sunt hostes Dei, æque ac animæ propriæ, quam, nisi occidantur, occident. Maledictus ergo est qui cæde pravarum cupiditatum (quæ crudeliores sunt hostes, bellumque crudelius gerunt, quam Moabitæ) mortificationis gladium minime cruentat. Hic enim gladius cupiditates truncans, non solum de illis ipsis, sed etiam de dæmone triumphum agit. Dæmones enim per cupiditates nostras nos oppugnant; Mortificationis gladio truncandæ sunt cupiditates.

unde S. August. lib. de Agone Christiano c. 2. *Ibi*, inquit, *vincuntur inimicæ potestates, ubi vincuntur cupiditates.*

Rursum S. Greg. 3. p. Pastor. admon. 26. *Maledictus*, inquit, *qui prohibet gladium suum a sanguine; gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere; de quo rursum gladio dicitur: Et gladius meus manducabit carnes.* Notent hoc concionatores, qui vitia populi non castigant, sed dissimulant aut etiam palpant.

Magistratus est reus criminum quæ non punit.

Denique proprie iudicibus, magistratibus et Prælatis dicitur: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine.* Nam, ut ait Petrus Damianus epist. 11. c. 3. *A sanguine gladium suum prohibet, qui se ab inferenda reprobis ultione digna coercet: facti siquidem culpam habet, qui quod potest, negligit emendare.* Idque probat exemplo Heli, qui morte a Deo punitus est, eo quod non satis severe castigasset peccata filiorum.

Audi sapientem Morionis sententiam. Superiori sæculo ad Ludovicum XI. regem Franciæ venit quidam perpetrati homicidii reus, veniam criminis petens. Rex facti enormitatem considerans, quodque iam tertio impune cædem commisisset: *Ecquid*, ait, *rursus veniam postulas? iam tertium homicidium perpetrasti.* Id audiens regis Morio: *Quid*, inquit, *Domine tertium? imo primum dumtaxat est, quod hic perpetravit; secundum et tertium tuum est: quia si primum non condonasses, reliqua non perpetrasset.* Præclarius ergo fecit alter, scilicet S. Ludovicus rex Franciæ; postulaverat ab eo quispiam homicida facinoris condonationem: rex annuerat; at paulo post orans, incidensque in illum vers. psal. 106. *Beati qui faciunt iustitiam in omni tempore*, protinus eam remissionem revocavit, dicens: *Princeps, qui cum crimen punire possit, illud non punit, non minus coram Deo reus est, quam si ipse perpetrasset.* Memorabile quoque est quod legimus in vita Iacobi Carrariensis principis Patavini. Hic moriturus quosvis admisit, qui queri de se vellent. Venit cum aliis unus, qui arroganter pecuniam quam ob remissam capitis damnationem acceperat, sibi restitui postulavit, tamquam contra iustitiæ ordinem datam. Cui princeps generosa voce: *Si tunc iustitia in te reddita fuisset, nunc quod iniuste facis, queri de me non posses. Nullius ergo peccati mihi conscius sum, nisi quod mitius quam merueras, fueris mulctatus.*

Vers. 11. FERTILIS FUIT.) Hic causam cladis assignat, scilicet fertilitatem, indeque lasciviam omnemque luxum. Eamdem causam calamitatis Belgicæ iam per quinquaginta annos scimus et vidimus. Comparat Moabitas vino, terram eorum dolio, pacem et abundantiam rerum fæcibus, mores eorum sapori et odori vini, q. d. Sicut vinum, præsertim forte, quale est in regionibus calidis, quamdiu in suis residet fæcibus, suum fortem, austerum et fæculentum saporem retinet et odorem; sed ut eum mutet, et fiat purius, suavius et delicatius, de vase in vas aliud transfunditur: sic Moabitæ, in sua regione hactenus resederunt in summa pace et opulentia, nunquam capti vel abducti, ac consequenter in germana sua superbia, solitisque peccatis, præsertim Sodomæ et Gomorrhæ, cui vicinissimi sunt, remanent quasi fæcibus: fæces enim sunt otium et tranquillitas, ait Vatabl. et ut Hugo, vitia et deliciæ; et, ut Chald. et Lyran. divitiæ: quia sicut vinum fæce, sic regna divitiis conservantur. Proprie vero, ut Sanchez, fæces sunt locus ipse natalis, sive patria, quæ mater appellatur, æque ac fæces vini. Hic enim locus Sodomæ vicinus, tot flagitiis infectus aliquid tetrum et Sodomiticum exhalabat in Moabitarum mores.

Vers. 12. ET (ideo) MITTAM EI ORDINATORES, qui lagunculas aut dolia ordine solent disponere, puta victores, ut vertit Vatabl. ET STRATORES.) Non qui lagenas confringunt, et fragmenta calcant et sternunt; uti volunt aliqui: sed *stratores*, id est qui solent prosternere aut inclinare dolia, ut vinum ex uno in aliud fundant; unde Sept. vertunt, *declinatores qui eum declinabunt;* et Hebræa habent; צֹעִים וְצֵעֻהוּ *tsoim vetsiuhu*, id est *transmigratores, et transmigrare facient eum*, id est transfusores, et, ut ita dicam, transvasatores, qui transfundant eum ex uno vase in aliud. Per hos intelligit Chaldæos, qui Moabitas ex Moab in Chaldæam, quasi in aliud dolium traduxerunt, ut ipsi ibi humiliati et afflicti, novum saporem, id est novos mores, novam animi demissionem, novum Dei cultum inducerent; unde sequitur: *Et vasa eius exhaurient*, id est, urbes Moab, incolis in captivitatem abductis, evacuabunt.

ET LAGUNCULAS EORUM COLLIDENT.) Id est, urbes eorum destruent: pro eodem enim capit vasa et lagunculas, q. d. Postquam vinum transfuderint, vasa in quibus erat confringent, hoc est, postquam Moabitas ex urbibus abduxerint, urbes ipsas vastabunt ac diruent, inquit Maldon. et Vatabl.

Sic Tropologice, ut quis innovetur, subinde domum, urbem, regionem mutare debet, ut eum concubinam, socium, aut aliam proximam peccandi illecebram domi habet, quam deserere debet. Apte quoque hæc transferas ad innovationem, quæ fit transeundo ad Religionem.

ET CONFUNDETUR MOAB A CHAMOS.) Quia videbit se a Chamos non posse defendi, quin cum eo trahatur ignominiose ad ludibrium in Babylonem; sicut Israelitas a captivitate Assyriorum tutari non potuerunt vituli aurei, quos erexerant et colebant in Dan et Bethel. Meminit Bethel præ Dan, quia Bethel celebrior et sanctior erat locus, consecratus a Iacobo Patriarcha, Gen. 28. 18. ideoque peccatum et idololatria ibidem commissa a Iudæis, erat sceleratior; faciebant enim ex *Bethel*, id est domo Dei, *Bethaven*, id est domum idoli et diaboli, uti ait Osee c. 4. 15. uti et faciunt hæretici et apostatæ nostri. Vers. 13.

CIVITATES ILLIUS SUCCIDERUNT.) Ita Roman. alii, ut Plantin. legunt *succenderunt*, itaque legendum videtur. Hebr. enim est *ascenderunt*, scilicet per ignem et fumum in cælum, id est, evanuerunt in favillas et auras. Nota. Hebr. pulchra est antithesis, civitates eius quasi *cherem* et *anathema*, id est, quasi hostia piacularis iustitiæ divinæ, oblata et succensa ascendit in cælum; iuvenes vero superbi et tumidi, descenderunt ad lanienam et mortem, indeque ad sepulcrum et infernum. Vers. 15.

Aliter Maldon. *civitates*, inquit, id est populus imbellis, ascendet in captivitatem; iuvenes vero militares et bellicosi, descendent ad gladium.

CONSOLAMINI EUM OMNES.) Ex consolatione prævium luctum intelligit, q. d. Tanta erit Moab vastitas et luctus, ut omni omnium consolatione indigeat. Est metalepsis. Vers. 17.

QUI SCITIS NOMEN EIUS.) Qui habetis cum eo notitiam et amicitiam. Sic Christus ait: *Ego cognosco*, id est amo et curo, *oves meas:* et vice versa, *Nescio vos*, id est sperno, negligo vos. Porro consolationis formam præscribit, dicens:

DICITE: QUOMODO CONFRACTA EST VIRGA FORTIS, BACULUS GLORIOSUS?) Idem est baculus et virga, q. d. Quomodo confractum est sceptrum, id est regnum gloriosum Moab? In voce *fortis*, latet ironia, q. d. Moab iactabat se fortem et invictum, sed levi Chaldæorum flatu prostratus, ostendit quam fuerit debilis et infirmus.

HABITATIO, o popule, qui habitas in DIBON.) Quod interpretatur *fluens*, ait S. Hieron. vel *sufficienter intelligens*, q. d. O popule Dibon, qui ante gloriabaris de copia aquarum et sapientiæ, iam luge ac sede in situ et summa desolatione ac oblivione, quasi myricæ in deserto, uti dixit v. 6. Addit Isaias cap. 15. aquas Dibon fœdandas esse civium sanguine. Vers. 18.

Sic Deus irrogat pœnam culpæ congruentem, atque glorianti de literis, earum ignorationem; diviti paupertatem; superbo contumeliam; lascivo carceres; guloso et luxurioso morbos et cruciatus infligit.

VASTATOR MOAB.) Id est Nabuchodonosor, qui vastabit Moabitas.

CONFUSUS EST MOAB.) Hæc est responsio Moabitarum fugientium, ad interrogationem civium Aroer, quæ præcessit. Vers. 20.

IUDICIUM.) Vindicta Dei veniet ad urbes non tantum montanas, sed et campestres Moab; quæ enim sequuntur Vers. 21.

usque ad v. 25. nomina sunt urbium Moab.

Vers. 25. Cornu Moab et brachium.) Id est fortitudo, potentia, gloria et regnum: quia robur et imperium animalium est in cornibus et armis sive brachiis. Hisce enim pugnant et manus conseruut milites.

Vers. 26. Inebriate eum.) q. d. O Chaldæi, propinate Moab calicem furoris Domini, quasi lictores et executores iustæ Dei vindictæ; vino iræ et ultionis Dei eum implete et inebriate, hoc est, afflictionibus ita eum opplete, ut quasi ebrius vomere cogatur omnes opes et gloriam suam, utque volutet se in suo vomitu, præ afflictione et dolore, manus pedesque terræ allidendo, itaque aliis sit risui, uti ebrii et vomentes a sobriis rideri solent. Forte perstringit Moabitarum crapulam usque ad vomitum. Alludit ad Iob 20. *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet illas Deus, et erunt in derisum.* Causam subdit, *Fuit enim in derisum tibi Israel:* q. d. Quia tu, o Moab, derisisti Israelitas cognatos et vicinos tuos, cum ab hostibus vastarentur, *quasi inter fures reperisses eum* (Israelem) id est, instar furis, qui cum in furto deprehenditur, ridetur et ostentui habetur; ita tu risisti Israelem; ita Chald. Vatabl. et alii.

Nota. *Allidet manum*, id est, inquit Hugo, Raban. et Lyran. habebit colligatam manum, id est potestatem et dominatum. Alii, q. d. Præ nimio dolore manum ad manum complodet. Sed aptius est quod dixi, scilicet allidet manus pedesque terræ, volutando se in suo vomitu, id est, in sua terribili clade et punitione, in sua horribili afflictione et cruciatu: solent enim ebrii et vomentes præ angustia, manus non tantum complodere; sed et allidere terræ, pulsare lectum aut sedem, versare se in omnem partem, et alia angoris et doloris signa edere, iuxta illud Iob 20. 22. *Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum.*

Vers. 28. Relinquite civitates.) q. d. Cogemini, o Moabitæ, relinquere civitates, et habitare in rupibus et cavernis, easque profunde ingredi ut ibi lateatis quasi columbæ: hebr. enim est, *trans os foveæ*, id est in ulterioribus cavitatibus cavernæ.

Secundo, τὸ *habitate in petra*, sic accipi potest, q. d. Fugite ad urbem Moab, quæ Petra dicitur; quia in petra et altissimo monte sita, ideoque munitissima et ab hoste tutissima est.

Sic Tropologice, e mundo fugiendum est ad Petram, id est ad Christum. Aliter Tertio, apposite explicant Sanchez et Christ. a Castro, ut sit ironia, q. d. Licet, o Moab, fugias ad rupes et speluncas quibus abundas; inde tamen te extrahent Chaldæi; qui ut feroces prædæque inhiantes canes venatici, te quasi leporem undequaque scrutabuntur.

Vers. 30. Ego scio, etc. iactantiam.) Hebr. עברתו *ebrato*, id est iracundiam eius. Superbia enim facit homines iracundos et contumaces; ita Vatabl.

Quod non sit iuxta eam, scilicet iactantiam, virtus, id est fortitudo et vires, eius.) q. d. Ait Theodor. Plus se iactat Moab quam possit facere. Tales et hodie multos videmus, qui *in pace sunt leones, in prælio cervi;* vide Isa. 16. 6.

R. Ioseph Kimchi vertit, *novi transgressionem*, id est impregnationem et incestum. *eius*, scilicet quod natus sit Moab ex Lot per incestum cum filia: videre enim suum ortum, vitia et miserias, est remedium ad retundendam superbiam.

Nec iuxta quod poterat conata sit facere.) q. d. Non consideravit quid posset, quid ferrent humeri, sed plus conata est facere, quam præstare poterat.

Vers. 31. Muri fictilis.) Hebr. קיר חרש *kir cheres;* videtur esse nomen proprium urbis in Moab dictæ *kir*, id est paries vel murus, de qua Isa. 16. 7. ita Septuaginta, Vatablus, Pagnin. et alii: cui appositum est *cheres*, id est fictilis, quia muros habebat fictiles, et, ut Isaias ait, *coctiles*, id est latericios, quales paucæ urbes in ea regione, utpote saxosa, habuerunt. Unde et 4. Reg. 3. captis cæteris urbibus, dicuntur soli intacti mansisse muri fictiles id est *kir cheres* urbs, habens muros latericios, q. d. Quatumcumque fortis sis et latericia, evertenda tamen es a Deo, cui nihil quantumvis forte resistere potest.

Alii censent, Moabitas in genere vocari viros muri fictilis, quia latericiis muris cingebantur; ita Maldon.

De planctu Iazer.) q. d. Fletu simili fletui facto super Iazer, deflenda est fertilis vitibus, et metaphorice hominibus, Sabama; quia æque ac Iazer vastata est, id est vastabitur, a Chaldæis; unde Sept. vertunt, *iuxta planctum Iazer plangam te vinea Sabama*, ut sint verba Prophetæ. Chald. tamen accipit quasi verba Dei, q. d. Sicut feci flere Iazer; ita flere te faciam vinea Sabama. Omnes hæ urbes fuerunt Moabitarum. Notum est, Hebræos urbes, præsertim opimas et amœnas agris et vineis, metaphorice vocare vineas, et cives vites, ut patet c. 2. v. 21. c. 12. v. 10. Isaiæ 3. v. 14. Sicut enim in vinea est propago palmitum et botrorum, sic in urbe est propago civium; unde et Christus Ecclesiam vocat vineam, se vitem, Christianos palmites, Ioan. 15. v. 5. Vers. 32.

Propagines.) Id est, cives tui quos propagasti, Chaldæos fugientes, pervenerunt ad urbem Iazer, et ad illi vicinum mare mortuum, imo ultra illud fugerunt, vel in Iudæam, vel in Palæstinam, vel in Ægyptum: nam alioqui euntibus vel abductis in Chaldæam, nullum erat transeundum mare. Quare non recte videntur explicare Chald. Hugo, Lyran. Vatabl. sic, q. d. Cives Sabama abducentur trans mare in captivitatem; cives vero Iazer ad mare tantum pervenient.

Melius explicant Maldon. et Sanchez sic; *propagines*, id est multitudo civium tuorum, usque ad mare et ultra perveniebat, q. d. Nimis fertilis eras, nimis longe mittebas sarmenta tua, oportet te amputare: sic enim dicitur de Israele Psalm. 79. v. 12. *Extendit palmites suos usque ad mare.*

Denique S. Hieronym. per *mare* Babylonem accipit, ad quam abducti sunt Moabitæ. Verum primus sensus, uti maxime planus, ita genuinus est.

Ablata est lætitia et exultatio de Carmelo.) Vers. 33.
Id est, de loco culto et fertili Moab, qui in ubertate similis erat Carmelo monti Iudææ; ita S. Hieron. Pagnin. et Vatabl. quia scilicet tam messem quam vindemiam Moabitarum tollent et vastabunt Chaldæi. Aliter Sanchez: subaudiendo enim notam similitudinis *sicut*, sic explicat: Sicut Iudæa ab hoste vastata, cessavit lætitia de Carmelo, succisis pariter eius vineis et incolis; ita sublata est lætitia a Moab, illa nimirum, quam ei vini atque vindemiæ nobilitas, æque ac Carmelo, afferebat.

Solitum celeusma.) Hebr. est *celeusma non erit celeusma*, q. d. Lætum illud carmen vertetur in luctum; ita Vatabl. Secundo, celeusma non erit celeusma adhortantium sese ad calcandum uvas vinumque exprimendum, sed ad fugiendum hostem adventantem; ita R. Salomon. Tertio, celeusma non erit Moabitarum, sed Chaldæorum cohortantium se ad eorum cædem, et ad conculcationem messis et vindemiæ eorum; ita Maldon. Vide c. 25. 30. et c. 51. 14. Ita gulonum et potorum clamor et celeusma lætitiæ sæpe in luctum et celeusma tristitiæ, plaususque in planctum vertitur; dum extrema gaudii luctus occupat.

De clamore.) q. d. Fugientes de Hesebon urbe et fine Orientali Moab, continuabant fugam et clamorem usque ad Eleale, quæ urbs est et finis Occidentalis Moab. Vers. 34.

A Segor usque ad Oronaim vitula conternante.) Ita Roman. supple, clamor fugientium et vastatorum audietur. Nominat basce duas urbes, tanquam extremos et sibi oppositos terminos Moab. Segor enim erat ab Oriente iuxta mare mortuum, Oronaim ab Occidente Septemtrionali, hoc est ea parte quæ Assyrios et Babylonios respicit. Dicitur Oronaim in duali, a singulari Oron, q. d. Duplex Oron. Erant enim duæ urbes coniunctæ, quarum una Oron, vel Bethoron superior, altera Bethoron inferior dicebatur, Iosue 16. et cap. 18. ita S. Hieron. et ex eo Adrichom.

Nota. *Segor*, ait S. Hier. in Gen. 14. prius dicta est hebr. בלע *bela*, id est devoratio; deinde שלישיה *sceliscia*, id

est tertia vel conternans, eo quod, ut tradunt Hebræi tertio terræ motum sit passa et absorpta. Sic et Theod. Suidas, Hugo et Lyran. Rursum dicta est *Segor*, id est parva, a Lot eo fugiente ex Sodomis, Gen. 19. 22.

Segor dicitur vitula conternans, cur? Secundo et certius, Segor dicitur vitula conternans, id est pulchra, fortis, succulenta, perfecta, exultans. Sicut enim in hominibus trigesimus annus est perfectæ ætatis: ita in pecoribus tertius annus robustissimus est. Audi S. Cyrill. in Isa. 15. 5. *Tertius annus animantibus ratione carentibus ad ætatis florem, et ad maturitatem vires efficiendo sufficit: Itaque eo tempore domari debent. Quamdiu ergo vitula est iugi inexperta, lasciviens et iuvencula exultat.* Idem docet Columella l. 6. c. 2. et Varro lib. 7. c. 2. Sensus ergo est, q. d. Moabitæ, et præsertim incolæ Segor, instar vitulæ triennis saginati et lascivientes, iam evecti ad plenum robur, opulentiam et felicitatem temporariam, evertentur: habitabant enim in Pentapoli, quæ antequam conflagraret igne cælesti, erat amœnissima et fertilissima instar paradisi, ut dicitur Gen. 13. 10. Segor autem precibus Lot ab hoc igne mansit intacta Gen. 19. 22. ita ex Septuag. Chald. Vatabl. Pagnin. et S. Hieron. Cyrill. et Basil. in Isaiæ 15. 6. eadem enim habet ibi Isaias. Perperam ergo aliqui putant, quod *vitula conternans* sit nomen proprium urbis, diversæ a Segor.

Aquæ quoque Nemrim.) Nemrim oppidulum est, ait S. Hieron. in Isaiæ 15. v. 6. iuxta Segor et mare salsissimum sive mortuum, indeque salsis aquis, ac proinde sterilibus affluens, q. d. Simili sterilitate quæ est in Nemrim, punietur omnis Moab; ita Hugo. Secundo, S. Hieron. et Raban. q. d. Aquæ dulces ante in Nemrim, post eius subversionem, sunt conversæ in amaritudinem. Tertio, ut Lyran. aquæ Nemrim *pessimæ*, quia videlicet sanguine et cadaveribus cæsorum sunt infectæ, et quia turbabuntur multitudine calcantium eas hostium, inquit Maldonat. Quarto, *pessimæ*, id est, ut hebraice, *desolatæ erunt;* et ut ait Isaias cap. 15. *desertæ*, id est perdentur et inutiles erunt; eo quod deficiat habitator qui agros colat et riget, ut patet Isaiæ 15. 6. qui ait, *Quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit*, q. d. Ait Vatabl. Nullus locus a clade intactus in Moab relinquetur, neque quisquam in Nemrim loco irriguo habitabit, unde aquæ eius desertæ videbuntur.

Aquæ Nemrim quæ et quales? Nota. Aquæ Nemrim videntur fuisse amaræ, ex aquis salsis maris mortui vicini, eo per meatus terræ se insinuantibus, indeque vocari hebr. Nemrim, id est amaræ, a rad. מרה *mara*, id est amarus fuit. Ut ergo has aquas dulces conservarent, ne a salsis affluentibus ex mari mortuo salsedinem contraherent, debebant accolæ meatus per quos affluebant quotannis obturare; item aquas dulces aggeribus a salsis separare, et salsas percolando dulcorare. Verum accolis per Chaldæos sublatis, incultæ, et, ut ait

Nemrim id est amaræ, sunt voluptates. Isaias, desertæ manebant aquæ Nemrim, ideoque amaræ, indeque pessimæ erant. Rursum enim salsuginem contrahebant ex aquis maris mortui. Hic sensus valde genuinus videtur; simulque symbolice et tropologice docet Moabitas, omnesque alios qui voluptatibus indulgent, quod omnis voluptas et dulcedo Deo vindice eis in amaritudinem sit convertenda, sicut Deus aquas Sodomæ et Pentapolis ante dulcissimas, ob eorum libidines fecit salsissimas; et rursum aquas Nemrim antea dulces, per desolationem Chaldæorum fecit amaras et pessimas. Cogita ergo, o gulose, o luxuriose, tuas delicias esse aquas Nemrim, tuum mel brevi fore fel, te a dæmonibus cibandum esse absinthio, imo igne et sulphure æterno et ardentissimo. Audi et Gentilem Senecam: *Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur. Epulæ cruditatem afferunt: ebrietates nervorum torporem tremoremque: libidines, manuum, pedum articulorumque omnium depravationes.*

Vers. 36. Cor meum ad Moab (id est propter Moab) quasi tibiæ, scilicet in luctu adhibitæ, lugubrem edet sonum, ad viros muri fictilis.) Id est ad viros urbis dictæ *Kir cheres*. Vide dicta v. 31.

Nota. Veteres in luctu adhibebant tibias, quia lugubrem edunt sonum; hinc Matth. 9. 23. dicitur de puella defuncta, *Et cum venisset Iesus in domum principis, et vidisset tibicines*. Sic et Ovidius:

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Licet Servius in illud Æneid. 5.

Laudumque immensa cupido,

scribat, pueros cum tibiæ, viros cum tubæ sonitu sepeliri solitos. Et Gellius lib. 20. c. 2. docet veteres habuisse proprium instrumentum siticinum, id est eorum qui ad sitos, id est mortuos, canunt, eorumque cadaver suo cantu ad sepulcrum comitantur. Cuius formam describit Galenus libr. 3. de Symptom. causis, ubi et alia addit huic loco propria. Dicit enim viscerum rugitum cum vacua sunt, similem esse tibiæ funereæ. *Porro*, ait, *sunt alii* (scilicet viscerum rugitus) *bombosi, bombis latissimarum tibiarum non absimiles, quales habere solent hi qui tymbaulæ, id est sticines nominantur.* Vides ut viscera sonitum edere possint tristem et funereum; ut ingenti dolore et gemitu commota resonent, sicut ab halitu inflata tibia, aut a plectro percussa cithara.

Quia plus fecit quam potuit.) Id est, quia plures congregavit divitias, quam par aut iustum erat. Verba sunt Prophetæ, qui personam et affectum hominis Moabitæ induit et exprimit, ut futuram vastationem ob oculos ponat.

Aliter Vatablus et alii ex Hebræo, q. d. Ideo lugebo, quia divitiæ quas Moab sibi comparaverat multo labore perierunt.

Omne enim caput (Moabitarum erit) calvitium.) Vers. 37.
Id est decalvatum, quia omnes erunt vel captivi vel lugentes: utrique enim olim decalvabantur.

In cunctis manibus (erit) colligatio.) q. d. Omnium Moabitarum manus vinculis colligabuntur. Hebr. est *super omnes manus erunt incisiones;* et Septuagin. *omnes manus incidentur*: quia scilicet ex doloris vehementia et impatientia, more veteri manus dentibus vel unguibus laniabunt; vel potius, ut vertit noster interpres, quia ex vinculorum colligatione manus incidentur et lacerabuntur.

Super omnia tecta.) Quæ in Moab et Iudæa, uti et Vers. 38.
in Hispania et Italia multis in locis plana sunt, ut in iis sedeant et inambulent homines, uti dixi Deuter. 22. 8. Hæc S. Hieron. ad Suniam et Fret. *domata, meniana, et solaria* appellat.

Sicut vas inutile.) Id est reprobatum: unde hebr. est, *in quo non est voluntas*, id est, quod nemo vult, sed omnes reprobant.

Quomodo deiecit cervicem Moab?) Quæ quasi vi- Vers. 39.
tula conternans cervicem attollebat, nunc *submisit tristi colla superba iugo*, ut trahat plaustrum, vel aret colatque agros Chaldæorum. Loquitur de Moab in genere nunc masculino, nunc fœminino; quia nunc populum, nunc regionem intelligit.

In exemplum.) Terroris, ut omnes gentes videntes cladem Moab, timeant, ne in eamdem incurrant.

Quasi aquila.) Scilicet involabit in Moab Nabucho- Vers. 40.
donosor cum suis alis, id est exercitu. Comparat Chaldæos ob fortitudinem, celeritatem et rapacitatem, aquilæ volanti; idem facit Ezech. c. 17. 3. ita Theodor.

Nota. Aquila signum est impetus, vastationis, ac victoriæ celeris, violentæ ac magnificæ. Hinc horum omen Gentiles sæpe usque ad superstitionem sumpserunt ab aquilis. (Aquila symbolum victoriæ violentæ, et magnificæ. Exempla.)

Pugnantibus Locris cum Crotoniatis, aquila a facie Locrorum numquam recessit, eosque tamdiu circumvolavit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo iuvenes diverso a cæteris armorum habitu, eximia magnitudine, ex albis equis, coccineis chlamydibus paludati, pugnare visi sunt: nec ultra apparuerunt, quam pugnatum est.

Cornelius Tacitus lib. 2. Annal. auspicium aquilarum octo Germanico duci castrorum datum, notat his verbis: *Intentus paratusque miles, ut ordo agminis, in aciem adsisteret* (*adstitere* legit Lipsius, et mea quidem sententia melius) *Visis Cheruscorum catervis, quæ per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Ster-*

tinium cum cæteris turmis circumgredi tergaque invadere iubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum augurium, octo aquilæ silvas petere et intrare visæ, imperatorem advertere (id est, ad se suique considerationem verterunt; est enim *adverto* hoc sensu usurpatum sæpius a Tacito, ut notat Lipsius) *exclamat : irent, sequerentur Romanas aves, propria legionum numina.*

Cæsari contra Pompeium dimicanti, victoriam nunciarunt aquilæ, Dione auctore l. 43. *Aquilæ*, inquit, *legionum eius alas concutientes, et fulmina, quæ aurea pedibus tenebant, abiicientes, Pompeio exitium palam denunciabant, ipsæque ad Cæsarem quasi avolabant.*

Simili pacto tradunt primam aquilam, quæ in exercitu Crassi ferebatur, sua sponte nemine cogente esse conversam, eum adversus Parthos proficisceretur, ut auctor est Plutarchus in vita Crassi.

Appianus quoque libr. 4. de Bello civili, binas aquilas refert in Cassii castris apparuisse, ubi ait: *Paulo post et imperatores seculi sunt. Eo tempore aquilæ duæ superne demissæ, argenteas signiferorum aquilas insederunt, tundentes rostris, vel, ut quidam tradunt, alis protegentes. Permanserunt in exercitu alentibus imperatoribus ex publico, donec pridie quam pugnatum est avolarunt.*

Vers. 41. Sicut cor mulieris parturientis.) Quod in angustiis est, infirmum, pusillanime et plenum doloribus: in partu enim ipsa viscera confringi et disrumpi videntur præ doloris acerbitate.

Vers. 42. Quoniam contra Dominum, id est contra Israel qui est populus Domini, gloriatus est, uti dixit v. 27. qui enim eos tangebat, tangebat pupillam oculi Domini Zach. 2. v. 8.

Vers. 43. Pavor.) *Pavorem* vocat, hostilem gladium; *foveam*, casum improvisum; *laqueum*, insidias Chaldæorum ad capiendos Moabitas, q. d. Alii gladio trucidabuntur; alii dum fugiunt gladium, cadent in foveam, id est improviso aliquo casu peribunt; alii sicut aves laqueo vivi capientur. Per hæc tria, cætera calamitatum et cladium genera intelligit, ut patet ex sequent. Simile est Isaiæ 24. v. 17. et 18. vide ibi dicta.

Nota. In Hebræo pulchra est paronomasia inter hæc tria פח פחת פחד *pach, pachat, pachad*, id est laqueus, fovea, pavor.

Vers. 44. Annum visitationis, id est punitionis, eorum.

Vers. 45. In umbra Hesebon steterunt, q. d. Moabitæ qui de laqueo, hebraice de potentia et impetu ac invasione Chaldæorum fugerint, conferent se ad urbem munitissimam Hesebon, ut in ea sint tuti; sed fallentur; incident enim in maius periculum et malum: nam milites acerrimi instar ignis omnia depopulantes, scilicet Chaldæi, vi vel astu Hesebon ingressi, aut ipsimet milites Hesebon, qui tumultuantibus inter se et dissidentibus Moabitis Hesebonem Chaldæis prodent, egredientur ex Hesebon, et ardentissimi ut flamma erumpent ex urbe regis Seon (quæ est eadem cum Hesebon iam dicta) et devorabunt universam Moabitidem usque ad ultimum eius angulum; ut habent Hebræa: quin et verticem, id est urbes et arces ipsas filiorum tumultus.) Id est tumultuantium: filios enim tumultus vocat principes qui Moabitis fuerunt causa tumultuandi et rebellandi Chaldæis, quasi satis ad id virium, armorum et militum haberent: aut certe Moabitas inter se tumultuantes, dum alii pacem cum Chaldæo vellent, alii bellum, alii aliud suaderent in re ancipiti, et perplexa; ita Chald. Theodor. Rabanus, Hugo, Lyranus, et Sanchez, qui tamen per *verticem* accipit duces et principes civium et militum tumultuantium. Et recte.

Nota. Citat. Numer. 21. 26. quia quod ibi in Hesebon gestum narratur ab Amorrhæis ante Mosen, hic rursum gerendum dicitur a Chaldæis. Rursum pro *Sion* uti legunt Plantin. legendum est *Seon*, cum Rom. Hebr. Septuagin. et Chald. fuit enim Seon rex Amorrhæorum, quem devicit Moses: regia eius erat Hesebon, quæ inde dicta est urbs Seon, Num. 21. v. 26. 27. et 28.

Periisti popule Chamos.) Popule Moab, qui idolum Chamos colebas. Vers. 46.

Convertam captivitatem.) Tum temporalem Moabitarum, ut redeant e Babylone in Moab: id enim factum Vers. 47. patet ex Sophon. 2. 9. et ex Ioseph. 13. Antiq. 21. ita Theod. Lyran. et alii. Cum enim Cyrus Persa capta Babylone dedit libertatem Iudæis, dedit et Moabitis. Tum spiritualem eorum aliarumque gentium captivitatem sub iugo diaboli, solvam per Christum et Apostolos; ita Raban. Hugo, et Vatabl.

Huc usque iudicia.) Huc usque protenditur iusta sententia, iustum decretum, iusta vindicta, iustum supplicium Dei de Moab. Hoc addit ad prophetiæ prolixitatem.

Nota. Hanc cladem subiit Moab, ob duo vitia: scilicet primum superbiæ, secundum gulæ et libidinis, quo servivit deo Chamos, id est Beelphegor. Hæc vitia orta sunt ex opulentia et munitione terræ Moab. Denique Moab vastata est a Nabuchodonosore anno regni eius 23. ait Iosephus, id est, quinto anno post excidium Ierusalem: tunc ergo hæc prophetia executioui data est. Idem colligitur ex Isaiæ 16. v. 14.

CAPUT QUADRAGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit excidium per Chaldæos Ammonitis v. 1. Idumæis v. 7. Damasco v. 23. Cedar v. 28. Ælam v. 34.

1. Ad filios Ammon. Hæc dicit Dominus: Numquid non filii sunt Israel? aut heres non est ei? Cur igitur he-
reditate possedit Melchom, Gad: et populus eius in urbibus eius habitavit? 2. Ideo ecce dies veniunt,
dicit Dominus: et auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælii, et erit in tumulum
dissipata, filiæque eius igni succendentur, et possidebit Israel possessores suos, ait Dominus. 3. Ulula Hesebon,
quoniam vastata est Hai: clamate filiæ Rabbath, accingite vos ciliciis: plangite et circuite per sepes: quoniam
Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes eius et principes eius simul. 4. Quid gloriaris in vallibus? de-
fluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis, et dicebas: Quis veniet ad me? 5. Ecce ego in-
ducam super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui sunt in circuitu tuo: et dispergemini
singuli a conspectu vestro, nec erit qui congreget fugientes. 6. Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Am-
mon, ait Dominus. 7. Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum: Numquid non ultra est sapientia in The-
man? Periit consilium a filiis, inutilis facta est sapientia eorum. 8. Fugite et terga vertite, descendite in vora-
ginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis eius. 9. Si vindemia-
tores venissent super te, non reliquissent racemum: si fures in nocte, rapuissent quod sufficeret sibi. 10. Ego
vero discooperui Esau, revelavi abscondita eius, et celari non poterit: vastatum est semen eius, et fratres eius,
et vicini eius, et non erit. 11. Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vivere: et viduæ tuæ in me sperabunt.
12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent: et tu quasi
innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes. 13. Quia per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quod
in solitudinem, et in opprobrium, et in desertum, et in maledictionem erit Bosra: et omnes civitates eius erunt

in solitudines sempiternas. 14. Auditum audivi a Domino, et legatus ad gentes missus est: Congregamini, et venite contra eam, et consurgamus in prælium. 15. Ecce enim parvulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines. 16. Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui: qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis: cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. 17. Et erit Idumæa deserta: omnis qui transibit per eam, stupebit, et sibilabit super omnes plagas eius. 18. Sicut subversa est Sodoma, et Gomorrha, et vicinæ eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis. 19. Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam: et quis erit electus, quem præponam ei? quis enim similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? 20. Propterea audite consilium Domini, quod iniit de Edom; et cogitationes eius, quas cogitavit de habitatoribus Theman: Si non deiecerint eos parvuli gregis, nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum. 21. A voce ruinæ eorum commota est terra: clamor in mari Rubro auditus est vocis eius. 22. Ecce quasi aquila ascendet, et avolabit: et expandet alas suas super Bosran: et erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis. 23. Ad Damascum: Confusa est Emath, et Arphad: quia auditum pessimum audierunt, turbati sunt in mari: præ sollicitudine quiescere non potuit. 24. Dissoluta est Damascus, versa est in fugam, tremor apprehendit eam: angustia et dolores tenuerunt eam quasi parturientem. 25. Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ! 26. Ideo cadent iuvenes eius in plateis eius: et omnes viri prælii conticescent in die illa, ait Dominus exercituum. 27. Et succendam ignem in muro Damasci, et devorabit mœnia Benadad. 28. Ad Cedar, et ad regna Asor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. Hæc dicit Dominus: Surgite, et ascendite ad Cedar, et vastate filios Orientis. 29. Tabernacula eorum, et greges eorum capient: pelles eorum, et omnia vasa eorum, et camelos eorum tollent sibi: et vocabunt super eos formidinem in circuitu. 30. Fugite, abite vehementer, in voraginibus sedete, qui habitatis Asor, ait Dominus: iniit enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, et cogitavit adversum vos cogitationes. 31. Consurgite, et ascendite ad gentem quietam, et habitantem confidenter, ait Dominus: non ostia, nec vectes eis: soli habitant. 32. Et erunt cameli eorum in direptionem, et multitudo iumentorum in prædam: et dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam: et ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus. 33. Et erit Asor in habitaculum draconum, deserta usque in æternum: non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis. 34. Quod factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam adversus Ælam, in principio regni Sedeciæ regis Iuda, dicens: 35. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego confringam arcum Ælam, et summam fortitudinem eorum. 36. Et inducam super Ælam quatuor ventos a quatuor plagis cæli: et ventilabo eos in omnes ventos istos: et non erit gens, ad quam non perveniant profugi Ælam. 37. Et pavere faciam Ælam coram inimicis suis, et in conspectu quærentium animam eorum: et adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus: et mittam post eos gladium donec consumam eos. 38. Et ponam solium meum in Ælam, et perdam inde reges et principes, ait Dominus. 39. In novissimis autem diebus reverti faciam captivos Ælam, dicit Dominus.

Vers. 1 **Ad filios Ammon.**) Id est, prophetia ad Ammonitas, aut de Ammonitis, aut contra Ammonitas; hæc enim omnia significat Hebræum *lamed*, quod noster vertit *ad*.

Israel.) Israeli, q. d. Cum Israel habeat filios legitimos hæredes, ad quos pertinet terra Gad trans Iordanem, cur Melchom, id est Ammonitæ, quorum rex dominus et Deus est Melchom, occuparunt violenter terram Gad? Notat Theod. cum decem tribus abductæ sunt in Assyrios, tunc Ammonitas vicinam sibi Galaaditidem (quæ erat terra et sors tribus Gad, Ruben et dimidiæ tribus Manasse, quas primo omnium abduxerunt Assyrii, 4. Reg. 15.) utpote iam vacuam et desertam, in odium et irrisionem Israelitarum invasisse et occupasse, uti voluerunt facere sub Iephte Iudic. 11. 13. ideoque Deus hic eis quasi sibi suoque populo iniuriis, et raptoribus excidium intentat. Iustum enim est, ut privetur suis, qui invadit aliena. Rursum aliam excidii Ammonitarum causam dat Ezechiel cap. 25. 6. quod nimirum in Israelis excidio exultarint, illudque adiuverint.

Mystice Alcazar per Moab et Ammon fratres ex carnali et incesto concubitu genitos, accipit appetitum duplicem, puta per Moab concupiscibilem, per Ammon irascibilem, qui iugiter rationem et spiritum oppugnant. Ita ipse in Apocal. 14. v. 11. notat. 6.

Cur igitur hæreditate possedit.) Ammonitæ erant cognati Israelitarum: erant enim filii Loth nepotis Abrahæ, Genes. 19. v. 37. itaque cum viderent Israelitas pene abductos et abolitos esse, eorum hæreditatem quasi iure suo occuparunt. Sed retorquet hoc Deus, aitque Israelem adhuc sufficientes habere hæredes proximos, scilicet reliquias decem tribuum, et iis deficientibus, tribum Iuda et Beniamin, ut cognati, scilicet Ammonitæ, de hæreditate eius adeunda cogitare non debeant.

Vers. 2. **Rabbath.**) Urbs est Arabiæ, Ammonitarum metropolis, postea vocata est Philadelphia a Ptolemæo Philadelpho, ut asserit Stephanus lib. de Urbibus. Dicta est Rabbath, id est magna vel multa, a populi et loci magnitudine.

Erit in tumulum dissipata.) Chald. *erit in acervum desolationis cum filiabus suis*; id est minoribus oppidis et villis in acervum, inquam, lapidum et ruderum, uti esse solent urbes dirutæ.

Possidebit.) q. d. Israel ex captivitate rediens, non tantum terram suam, sed etiam Ammonitarum, qui ipsorum hæreditatem occupantes possederant, occupabit et possidebit. Id impletum est per Machabæos, ut patet 1. Machabæor. 5. 6. et ex Iosepho 13. Antiq. 21. Ita Hugo et Lyran.

Ulula Hesebon.) Hesebon urbs erat Moabitarum, vicina Hai, aliisque urbibus Ammonitarum; unde ex clade Vers. 3.
Hai et Ammonitarum, monet Hesebonem et Moabitas, ut se ad similem cladem parent. Hinc patet Hai et reliquas urbes Ammon, prius esse vastatas quam Hesebon et urbes Moab: hæc ergo prophetia de Ammonitis, præcessit illam cap. præcedentis de Moabitis; ita Isidor. Maldon. et alii.

Quid gloriaris in vallibus?) Propter earum fertili- Vers. 4.
tatem. Erat enim vicina Sodomæ et Pentapoli, quæ ante subversionem ita fertilis erat et amœna, ut videretur paradisus Dei. Genes. 13. 10.

Defluxit, Chald. desolata est, **vallis tua.**) Quia vastata ab hoste. Sicut enim in hieme defluunt frondes, fructus, omnisque viror et germen camporum et vallium; ita et in vastatione hostili.

Filia delicata.) Hebr. *filia* שׁבבה *sciobeba*, id est, *rebellis*, vel aversa; Septuag. *filia temeritatis* sive impudentiæ; quia ut suas delicias sequeretur, impudenter Deo rebellavit; Chald. *regnum insipiens*. Noster *sciobeba* deduxit a rad. ישׁב *iasciab*, id est sedit, quievit, pacifica, dives et felix fuit: unde שׁובה *sciuba* significat quietem, q. d. Quievisti et sedisti hactenus in tuis deliciis et vitiis, æque ac soror tua Moab in suis fæcibus, cap. 48. 11. nunc iis cum illa exutieris.

Quis veniet ad me.) Ut me capiat.

Vers. 5. Terrorem.) Bellicum, milites terribiles, vel terrorem panicum, ut eo correpti fugiatis nemine persequente, qualem Deus immisit in Chananæos, Genes. 35. 5. Exodi 23. 27. et alibi; ita Sanchez.

Singuli a conspectu vestro.) Mutuo, q. d. Unus ab alio, unus huc, alius alio dispergetur, ut vitæ consulat, uti fit in communi clade et perturbatione; unde Hebræa habent, *unusquisque in faciem suam*, scilicet quo eum ducet, vel rapiet facies sua, diffugiet.

Vers. 6. Reverti.) Tum a captivitate temporali; ita Theod. Hugo, Lyran. tum a spirituali diaboli, per Christum; ita Raban. et Vatabl.

Dices, Ezech. 25. v. 10. dicitur, non amplius fore memoriam Ammon. Respondeo, *Ammon*, id est regni Ammon; fuit tamen gens Ammon, sed depressa, de quo plura Ezech. 25. Cyrus enim capta Babylone detentos in ea Ammonitas, æque ac Iudæos laxavit.

Vers. 7. Ad Idumæam.) Prophetia est, vel dirigitur, scilicet ea quæ sequitur.

Theman.) Urbs erat principum Idumææ, sapientibus abundans, sic dicta a Theman filio Eliphaz filii Esau, ait Theodor. Gen. 36. 11. q. d. Qui factum est, ut Themani sapientes, iam inopes consilii non potuerint se contra hostes defendere? Videntur ergo in Theman fuisse gymnasia et academiæ sapientiæ, tam divinæ quam humanæ. Certe eam ostendit Eliphaz disputans de Deo, Deique providentia cum Iob. Fuit enim Eliphaz Themanites.

Periit consilium a filiis.) Theman. Septuagin. a sapientibus Theman: Hebr. enim בנים *banim*, tam sapientes, quam filios significat. Nota. Cum Deus vult urbem aut gentem aliquam punire, aufert sapientes, aut eos ita excæcat, ut stulta dent consilia; ita contigit Roboam, Absaloni, et aliis.

Vers. 8. Descendite in voraginem.) In fossas ad latendum; ita Theodoret. Hugo, Lyran. Est ironia, q. d. Descendes, et latitabis in speluncis, sed frustra: ibi enim te scrutabuntur et occident, vel capient Chaldæi. Patet. v. 10.

Habitatores Dedan.) Regio est, ita dicta a Dedan filio Abrahæ ex Cetura, Gen. 25. 3. Sita est in Idumæa vel iuxta eam, ut ex hoc loco patet. Sic et alii Abrahæ filii in vicinis Arabiæ provinciis habitarunt. Causam cur descendere debeant subdit:

Quoniam perditionem Esau adduxi.) Id est cladem definitam a me contra Idumæam, iam illi inducam.

Vers. 9. Non racemum.) *Non*, id est *nonne*; est enim interrogatio. Sensus est, q. d. Vindemiatores hinc inde occultum aliquem racemum prætereunt et relinquunt in vite, quia eum inter tot folia latentem non vident: at Chaldæi nihil in te relinquent, omnia scrutabuntur et prædabuntur. Eadem sententia est Abdiæ 1. 5. ita Raban. Hugo, Lyran. Sic Virgilius:

Non ego te vidi Damonis pessime caprum
Excipere insidiis?

non id est *nonne*.

Si fures in nocte.) q. d. Fures non omnia furantur: quia multa sunt abscondita et reclusa, quæ ab illis videri et rapi non possunt; sed ego discooperiam et nudabo Idumæam, ut quidquid est in ea absconditum, ab hostibus inveniri possit, q. d. In Idumæa nihil relinquam, sed illam et eius opes omnes quas abscondit, prodam hostibus Chaldæis, ita ut vastetur semen, id est omnes filii, fratres et vicini eius. Porro dicit, *Discooperui Esau*, et *Revelavi abscondita*: quia Idumæi habitabant in scissuris petrarum et speluncis, ait Abdias, v. 3. et 6. tum quia Idumæa sita est in montibus et petris; tum ob calores Solis, quibus feritur illa regio, ut ab iis se cavernarum et antrorum umbris et frigore tuerentur. Ita S. Hieron. in Abdiæ v. 6. Hæc ergo eorum antra specusque scrutati sunt, et diripuerunt Chaldæi.

Vers. 10. Et non erit.) Scilicet superstes, qui dicat socio morienti, Relinque mihi liberos tuos et viduam, ego eorum curam geram, ego eos in vita conservabo, nutriam et protegam. q. d. Omnes occidentur et morientur. Patet Ab-

A diæ v. 18. Psal. 136. 7. ita Vatabl.

Secundo, Raban. Hugo, Lyran. sic exponunt *et non erit*, supple frater, vicinus, sed omnes peribunt; unde subdit Deus dicitque: *relinque* ergo mihi *pupillos* et viduas tuas: ego eos servabo: patet enim Deum servasse aliquos in Idumæa, quia postea rursum Idumæi subacti sunt a Machabæis.

Tertio et optime, *non erit*, scilicet semen, ut præcessit, id est posteritas Idumææ: unde subdit Deus, offertque ipsi Idumææ audacter dicens: Relinque pupillos tuos si quos habes, ego faciam eos vivere; sed scito te nullos, id est paucos et vix ullos, relinquere, q. d. Ita omnes Idumæi peribunt sæviente Chaldæo, ut ne viduas quidem et infantes superstites relinquant, de quibus ego, qui maximam viduarum et pupillorum curam gero, possim tibi dicere, *Relinque pupillos tuos: ego* eos nutriam; unde Septuag. vertunt, *et non est, relinque orphanum tuum ut vivat;* ita Maldon.

B Ecce quibus non erat iudicium.) q. d. Iudæi maxime Vers. 12.
qui pii erant et boni, non videbantur mereri supplicium captivitatis, hi tamen eo puniti sunt: quanto magis tu, o Idumæa, quæ nocens es, eodem punieris? ita Theodor. Hugo, Raban. Vatabl. Aliter Sanchez, q. d. Ecce pupilli tui et orbi, qui erant innocentes, immunitatem a communi cæde consecuti non sunt; quomodo ergo tu tibi impunitatem a tuorum scelerum turpitudine polliceris?

Non eris innocens, id est impunita. Est catachresis; Vers. 13.
sed bibens bibes.) Id est omnino bibes, et usque ad fæces exhauries calicem iræ Dei, quem tibi propinat.

In maledictionem erit Bosra.) Ita horrende castigabitur et evertetur Bosra, ut videatur a Deo maledicta, utque ab omnibus alicui maledicere volentibus assumatur in exemplum, dicantque: Maledicat tibi Deus, sicut maledixit Bosræ. Sicut enim benedictio omnium bonorum, sic maledictio omnium malorum congeriem et complexum significat. Porro Bosra metropolis erat Idumææ. Bosra hebr. significat munitam; ex hac ortus est Iobab C secundus rex Idumææ, Genes. 36. 33. Erat quoque alia Bosra in Moab.

Auditum audivi.) Id est rem hanc audivi. Est meto- Vers. 14.
nymia. *Auditus* ponitur pro re audita. Orditur hic excidium Idumææ inferendum ab ovo, scilicet a legato qui sequitur.

Legatus ad gentes missus est.) *Legatus* hic, fuit Primo, Dei voluntas, et instinctus et excitatio, qua ipse excitavit Chaldæos ut invaderent Idumæam, ait Cyril. et Ribera in Abdiam, Lyran. et Sanchez hic. Secundo, Theod. *legatus*, inquit, id est angeli, qui ad bellum Chaldæos excitent. Tertio, *legatus*, quem scilicet Chaldæi miserunt ad gentes sibi subiectas, ut se ad bellum contra Edom pararent. Hic sensus est planissimus. Vide Isaiæ 5. 26. et canon. 36. et 37.

Mystice, S. Hieron. et Rupert. Christus, inquiunt, a Patre legatus missus est ad Idumæos aliasque gentes, ut earum gentilismum et vitia everteret, eosque ex Paganis faceret Christianos.

D Ecce enim parvulum.) Quia Idumæa angusta et mon- Vers. 15.
tosa, paucos habebat incolas: hi tamen superbiebant in loci sui munitione, eo quod habitarent in collibus et cavernis petrarum; ut ait v. 16. ita S. Hieron. Theodor. Raban. Hugo. Sumpsit hæc et plura Ieremias ex Abdia, cuius prophetia tota est de excidio Idumææ. Sensus est, q. d. O Idumæi dedi vobis regionem saxosam et montosam, ita ut vestræ domus videantur potius bestiarum, quam hominum, esse antra et latibula; paucos ergo parvulosque et abiectos vos effeci: quin et rursum per David et Ioab, qui in vobis omnes masculos occidit, 2. Reg. 11. 15. vos contudi, et pene extirpavi; et tamen superbitis, putatis vos ob loci munitionem invictos ob rupium asperitatem inaccessos. Fallimini: hæc omnia pervadet Chaldæus.

Aliter Vatabl. et Maldonat. q. d. *Dedi*, id est dabo et efficiam te per Chaldæos parvum et contemptibilem, o Edom, deiiciam te ac deprimam, cum tu tibi magnus esse

videaris: omnis enim qui se exaltat humiliabitur. Vide Abdiæ 2. 3. Iob. 20. 6. Matth 10. 15.

Vers. 16. ARROGANTIA TUA.) Hebr. תִּפְלַצְתְּךָ *tiphlatstecha*, id est timor et tremor tui, quod scilicet terrori esses vicinis propter potentiam; ita Chald. Hic terror peperit arrogantiam. Vatabl. et Pagnin. vertunt, *idolum tuum decepit te:* quasi idolum hoc consultum ab Idumæis, eis promiserit victoriam contra Chaldæos; sed falso.

Superbia est idolum fallax. Sic Tropologice, superbia est idolum, quod sibi fingunt homines, cum putant se pluris esse quam sint: hoc superbos decipit. Sic idolum, puta statuam altissimam, fecit sibi Nabuchodonosor ut in ea adoraretur, Dan. 3. 1.

QUI HABITAS IN CAVERNIS PETRÆ, id est, in montibus et rupibus inaccessis, uti Helvetii, ET APPREHENDERE NITERIS (hebr. תּוֹפְשִׂי *tophesi*, id est tenes et occupas) ALTITUDINEM COLLIS.) Id est montis Seir. Aliter Maldon. *apprehendere niteris,* id est, inquit, attingere tibi videris altitudinem collis, q. d. Qui tibi videris esse excelsus, et similis altissimo colli.

Vers. 17. B ET SIBILABIT.) Vel ex irrisione, vel ex admiratione tantæ cladis, utriusque enim sibilus apud Hebræos erat signum, q. d. In extrema clade, miseria et eiulatu Idumæorum, nemo eis ob eorum superbiam compatietur, sed potius eis insultabunt, eosque exsibilabunt.

Vers. 19. ECCE QUASI LEO.) Nota cum Theodor. Nabuchodonosor comparatur leoni ob furorem et fortitudinem; unde de eo dixit c. 4. *Ascendit leo de cubili suo.* Minus ergo recte Maldon. per leonem hic intelligit Machabæos, qui subegerunt Idumæos, 1. Machab. 5. Nam hic agitur de Chaldæis, non Machabæis.

Idumæa autem vocatur per ironiam *pulchritudo robusta*, eo quod Idumæi iactarent se habere pulchras et robustas urbes, sed falso; quæ enim pulchritudo potest esse in cavernis petrarum? In hanc venit Nabuchodonosor de superbia Iordanis, id est, transito Iordane tumido (in messe enim ex nivibus in Libano liquatis augetur et intumescit Iordanis, ut patet Iosue 3. 15.) superbus, quasi victa Iudæa auctisque copiis, venit in Idumæam. q. d. C Sicut Iordanis intumescens, ingenti aquarum inundatione terram obruit; ita Chaldæus multitudine militum in Iudæa confluentium et augescentium, operiet Idumæam; idque veniens a Iordane et Iudæa. Patet Abdiæ v. 18. ita Raban. Hugo, Vatabl. Sic Nabuchodonosorem comparavit flumini c. 46. 7. *Quis est iste, qui quasi flumen ascendit; et veluti fluviorum, intumescunt gurgites eius?*

Addit Raban. Theod. et Hugo, superbiam vocari partem extremam Iordanis, quæ quia plures e montibus successive defluentes in se colligit rivos, et aquas; hinc magis intumescit et superbit, hoc est, maiores voluit aquarum moles et gurgites. Insuper Chald. Lyran. et Sanchez, *superbiam Iordanis* vocari putant eum Iordanis locum, ubi et densior est silva, et pascua magis pinguia, quibus leones et feræ saginentur, fiantque animosi et superbi, q. d. Chaldæi eo impetu et ardore irruent in Idumæam, quo leo de silvis et pascuis Iordanis uberrimis procurrit, et in prædam irruit. Denique Hebr. מִן *min*, id est *de*, vertas *præ*, ut hæc sit sententia; *ecce* Chaldæus *quasi leo ascen-* D *det* inflatus et tumidus *præ superbia Iordanis,* id est magis superbus quam Iordanis aquis turgidus. Causam subdit:

QUIA SUBITO CURRERE FACIAM EUM AD ILLAM.) q. d. Quia ego robur, ardorem et impetum indam Chaldæo, ut quasi leo furens procurrat in Idumæam.

QUIS ERIT ELECTUS QUEM PRÆPONAM EI?) *Ei* scilicet Idumææ, hoc est Idumææ rebus, puta eius vindictæ, punitioni et excidio. Res enim sæpe ponitur pro rei adiunctis; sic ait Apostolus, *Induimini Christum,* id est mores et virtutes Christi. Sensus ergo est, q. d. Quem eligam, ut eum tantæ rei et cladi Idumæorum præponam, nisi invictum et terribilem Nabuchodonosorem? cui ego, qui in fortitudine similem non habeo, faveo, et propter quem pugno; ita Chald. Theodor. Hugo, Vatabl. Verum quia iam designavit Nabuchodonosorem vindictæ suæ in Idumæos administrum, dicens: *Ecce leo* (puta Nabuchodonosor sævus ut leo) *ascendet* etc. hinc Secundo melius Lyranus et A Sanchez τῷ *ei* proprie accipiunt, *ei* scilicet Idumææ, q. d. Quem eligam, ut cum præliciam Idumææ, ut Chaldæis resistat? q. d. Nullum: tum quia ego Nabuchodonosorem mitto: tum quia nullus mihi est similis, nullus est qui mihi resistat. Ait ergo Deus, inquit Sanchez: Quis Idumææ gentis imperator, tam fortunatus sit et robustus, qui mecum, qui Chaldæorum aciem rego, confligere audeat? Quis me, qui in Chaldæorum manibus contra Idumæam pugno, ardentem, versantem et commoventem omnia sustinebit?

PASTOR.) Scilicet populorum, id est rex; ita Chald. Sic Isaias cap. 44. 28. Cyrum vocat pastorem, et Homerus Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν, id est, pastorem populorum.

SI NON. Est forma iurantis in qua supplendum est, q. Vers. 20.
d. Dispeream, puniat, habear mendax, si non effecero, UT PARVULI GRÆGIS.) Id est vilissimi quique exercitus Chaldæorum, deiiciant, et, ut Vatablus vertit, raptent per terram ignominiæ causa Idumæos, suis viribus præfidentes et superbientes; ita Chald. Hugo, Lyran. Vatabl. Nam pro *deiecerint eos*, hebr. est יִסְחָבוּם *iscabum*, id est, *traxerint, distraxerint, raptarint eos;* Chald. *detrahent et occident eos;* Sept. συνυφωθῶσι, id est, *abripientur*, a συνυφόω, id est, tollo, aufero, abripio. Nonnulli codices, uti Regii, legunt συμψαβῶσι, id est, *vestigia perturbent*, a συμψάω, id est, corrado, contero, confundo, et perturbo alicuius vestigia, ne amplius appareant. Ita Deo volente et iuvante omne infirmum fit validum; ac eo se subtrahente omne validum fit infirmum.

Aliter Maldon. Parvuli, inquit, gregis, sunt pueri qui gregem custodiunt; ita vocantur Iudæi: quia pauci et iam subacti, qui in castris Chaldæorum militantes, expugnarunt Idumæos antiquos suos hostes. Hic sensus loco congruit.

A VOCE RUINÆ.) q. d. Præ fragore casus eorum terra Vers. 21.
commovebitur et contremiscet. Hebræi enim omnem sonitum vocant vocem.

CLAMOR IN MARI RUBRO AUDITUS EST.) Mari enim rubro vicina est Idumæa.

QUASI AQUILA.) Aquila est Nabuchodonosor, celer et Vers. 22.
rapax: alæ sunt copiæ eius militares.

DAMASCUM.) Post Moabitas, Ammonitas et Idumæos, Vers. 23.
qui cognati erant Iudæorum, ideoque gravius castigandi, quod eis bellum intulissent; transit ad Syros, quorum caput erat Damascus (sicut Ierusalem Iudææ, Rabbath Ammonitidis) Isaiæ 7. 8. quia hi quoque Iudæos afflixerunt. Idem facit Isaias c. 17. 1.

Nota. Damascus nobilis fuit civitas, unde v. 25. eam vocat civitatem laudabilem, urbem lætitiæ; hinc Iulianus Apostata in epistolis vocat Damascum Iovis urbem, et totius Orientis oculum. Condita est ab Hus filio Aram, filii Sem, filii Noe, ait Ioseph. lib. 1. Antiq. 6. inde dicta est Aram, ait S. Hier. postea restaurata a Dammesec servo Abrahæ, dicta est Damascus, ait idem S. Hier. idque apte: dicitur enim hebr. Dammesec, quasi דַּם שַׂק *dam sac*, id est sanguinis (id est vini rubri) saccus, et græce Damascus, quasi αμα et ασκος, id est vini uter: optimo enim vino abundat; unde finxerunt Bacchum Damasci in sacco habitasse. Damasci quoque texuntur omnifarii ac diversorum colorum bombycini, serici et byssini panni: item ex xylo sive gossipio candidissima mollissimaque xylina sive gossipina lina; unde mercatoribus abundat, qui ea in alia emporia, totamque Europam transmittunt et divendunt. Hinc Damascus fuit caput et regia Syriæ, quæ inde Damascena est dicta. Primus Damascum subegit David rex, 2. Reg. 8. 6. Damasci regem inungere et constituere Azaelem iussus est a Deo Elias 3. Reg. 19. 15. Hæc urbs ob opes in fastum et luxum abiens vastitati a Deo addicta fuit, quam ei comminati sunt Amos, Isaias, Ieremias et Zacharias. Ergo Teglatphalasar mercede conductus ab Achaz rege Iudææ anno Achaz quarto, eam expugnavit et exussit. Idem fecit postea Nabuchodonosor. Restituta fuit a Macedonibus et Ptolemæis. Tandem Pompeii tempore Damascus a Romanis capta est. Post aliquot sæcula

Damascus urbs Iovis et Orientis oculus.

Damasci origo et etymon.

in Saracenorum potestatem venit. Christiani tempore belli sacri eam obsederunt, sed proditi a Syris itineris ducibus deficiente commeatu obsidionem solverunt. Denique circa annum Christi 1400. Tamberlanes eam funditus delevit, atque in trophæum tres ex calvariis cæsorum turres summo ingenio erectas reliquit. Postea a Soldano Ægypti in integrum restituta fuit. Demum anno Christi 1517. Selymus victo et occiso Soldano Ægyptum, Damascum et Syriam occupavit: unde etiamnum paret Turcæ. Damascus nobilis est conversione S. Pauli. Locus etiamnum templo illustratus (in quo Christiani sepeliuntur) exstat situs in colle, ex quo primum urbs conspici potest; ita Ludov. Roman. Bredenbach. Adrichom. et alii. Porro Damascus sex diætis distat a Ierusalem.

Confusa est Emath, quæ postea ab Antiocho Epiphane aucta, dicta est Epiphania, et Arphad.) Erant hæ duæ Syrorum civitates, q. d. Primo a Chaldæis capietur Damascus, eaque fama percelletur Emath, Arphad, et aliæ minores Syriæ civitates.

Turbati sunt in mari.) Velut in mari: intelligitur enim caph similitudinis, q. d. Sicut qui est in mari pavoris, id est pavido ac fluctuanti, exorta tempestate quiescere non potest: sic incolæ Arphad et Emath, audito Chaldæorum adventu, præ metus, curarum et angorum æstibus quiescere non poterunt: quia videbunt se iis quasi mari conclusos, nec fugere posse, nec resistere; ita Chal. Lyran. Vatabl. et Pagnin. Aut, *in mari*, id est, instar maris procellosi, quod fluctus iactat in cælum. Sic enim ב sæpe capitur pro כ, id est, *in* pro *instar*, sicut.

Quomodo dereliquerunt.) Id est, quomodo cives deseruerunt Damascum metu Chaldæorum? ut urbs frequens et nobilis, iam sit instar pagi rusticani et deserti. Hebr. Chald. et Septuag. habent, *quomodo non est derelicta urbs laudis*, id est, celeberrima, ab opibus, palatiis, muris, imperio, etc. apud omnes gentes laudata et illustris? *derelicta*, inquam, ut esset immunis ab ista clade, q. d. Decebat urbem tam nobilem servari, nec vastari. Est vox potius Ieremiæ, quam Damascenorum, commiserantis tantæ Damascenorum cladi.

Vers. 27. Benadad.) Rex Syriæ et Damasci, pater Azaelis; hic Benadad Damascum splendidis ædificiis ornavit; ita Theodor.

Vers. 28 Cedar, quid? Cedar.) Est regio Arabiæ in Saracenorum solitudine, a Cedar secundo Ismaelis filio ita dicta, Gen. 25. 13. Fuit ergo Cedar ex Ismaele Abrahæ nepos, incoluitque eam regionem, eique suum nomen Cedar dedit, quæ postea Arabia Petræa dicta fuit: in qua erat mons Sina et Horeb, ubi Hebræi legem a Deo acceperunt. Arabiæ enim Petrææ pars est Cedar. Incolæ dicti sunt Cedareni, et Agareni ab Agar matre, quæ fuit uxor Abrahæ, eique genuit Ismaelem: dicti sunt et Saraceni, non a Sara uxore Abrahæ, sed a Saraca metropoli sua, ait Stephanus libr. de Urbibus. Apte vocantur Cedareni, id est nigri, quia ob æstum Solis quo torrentur, sunt corpore fusco. Radix enim קדר *kadar*, significat nigrescere, esse atrum.

Mores et domos eorum describit hic Ieremias, scilicet quod in tabernaculis ex pellibus et cortinis habitent, unde et ανεςιοι, id est, *sine familia et foco*, et αμαξικοι, id est *in plaustris* (hisce enim suas uxores, liberos et supellectilem secum vehunt, et quaquaversum circumducunt) *degentes* sunt appellati; de quibus Horat. l. 3. Carm. ode 24.

Quorum plaustra vagas rite trahunt domos:
Nec cultura placet longior annua.

Vivunt ex pecoribus et ex raptu etiam hodie, adeo ut Turca, cui subsunt, hosce Arabes prædones omni sua potentia compescere, et a prædis cohibere nequeat; agunt enim in rupibus, silvis, locisque desertis instar ferarum.

Ex hac Ismaelis Arabumque gente ortus est Mahometus Arabs, monstrum et pernicies orbis, qui cum moriens dixisset sese in cælum abiturum, illi diu et nequidquam rei miraculum expectantes, tandem tetro coacti odore, cadaver eius ferrea arca incluserunt, quod in Mecha urbe Arabiæ Petrææ condiderunt, servantque ad cultum et idolum posterorum.

A Ad Cedar, et ad regna Asor.) Idem est Cedar, quod *regna Asor;* nam Asor est metropolis Cedarenorum, ait S. Hier. in Isaiæ 21. Sanchez et favet Raban. Hugo, Lyran. Alii censent aliam hanc esse Asor, quæ sita fuerit in Chanaan, cuius rex fuit Iabin, habens ducem Sisaram, quem occidit Iahel, Iudic. 4. 2. et 10. S. Hieron. in Locis Hebraicis, dicit Asor esse decapolim, id est, decem urbes, quæ sunt Tiberias, Sepher, Cedes, Asor, Cæsarea Philippi, Capharnaum, Iomtera, Bethsaida, Corozaim, et Bethsan; et has vocari a Ieremia *regna Asor*, id est, diversas dominationes et toparchias Asor. Sed forte S. Hieron. si tamen is est auctor libri, lapsus fuit memoria, ut pro חצור *Chatsor*, sive Asor, per *tsade*, scriptum putarit עשור *asor*, per *ain* et *sin*, quod significat *decem*, indeque decapolim. Septuag. pro חצור *chatsor*, sive Asor legentes חציר *chatsir*, vertunt, reginæ aulæ, quod Theodor. interpretatur, q.d. Ad Cedar civitatem reginæ aulæ, id est, quæ quasi regina Agarenis imperat, qui in aulis subdialibus et tabernaculis habitant.

B Percussit.) Percutiet.

Vastate filios Orientis.) *Filii Orientis* sunt filii prognati a Cetura et Agar uxoribus Abrahæ; hi enim habitarunt ad Orientem posterorum Isaac, puta Hebræorum, uti dixi Genes. 25. 6.

Pelles eorum.) Puta tabernacula facta e pellibus. In Vers. 29. his enim habitabant Cedareni domibus carentes. Hæc cum camelis eorum, et vasis, id est supellectile tenui et pastoritia, *tollent* Chaldæi.

Et vocabunt super eos, contra eos, formidinem.) Formidabiles Chaldæos.

Consurgite.) O Chaldæi, quasi milites mei. Est vox Dei. Vers. 31.

Ad gentem quietam.) Pace abundantem.

Non ostia, nec vectes eis.) Hi sunt Agareni et Nomades vagabundi, qui extra urbes habitant in tabernaculis, et vagantur, euntque pabulatum ab una regione in aliam, q. d. Fugite, o Idumæi, ad Nomades; sed frustra; nam et horum cameli et bona diripientur, ut sequitur. Est ironia.

C Qui sunt attonsi in comam.) Id est, Saraceni, qui Vers. 32. iuxta aures comam attondebant, uti faciunt nunc Walachi et Germani nonnulli; de quibus c. 9. 26.

Ælam.) Non erat urbs maris rubri, ut vult Theodor. Vers. 34. sed pars Persiæ, ita dicta ab Ælam primogenito Sem; ita Ioseph. libr. 1. Antiquit. 7. et S. Hieron. in Traditionibus in c. 10. Genes. v. 22. Hi tulerant opem Chaldæis contra Iudæos, inquiunt Hebræi, ideoque contra eos hic vaticinatur Ieremias.

Ecce ego confringam arcum Ælam, et summam Vers. 35. (ita legendum cum Rom. Hebr. Chald. et Septuag. non *sumam*, uti passim legitur) fortitudinem eorum.) Id est confringam arcus Ælamitarum: erant enim ipsi peritissimi sagittarii; unde omne suum robur bellicum ponebant in arcubus; ita Maldonat. Idem patet Isaiæ 22. 6.

Inducam super Ælam quatuor ventos a quatuor Vers. 36. plagis cæli.) Id est, inducam quatuor militum phalanges instar ventorum, ex quatuor cæli plagis, et ventilabo D eos in omnes ventos istos, q. d. Hostes undique contra Ælamitas excitabo, qui omnes, tanquam venti validissimi, in omnes terræ partes abripiant.

Ponam solium meum.) q. d. Subigam mihi et imperabo Vers. 38. Persis, vel per Alexandrum Magnum, ut vult Hugo; vel, ut vult Isidor. per Cyrum; vel, ut optime Theodoret. per Nabuchodonosorem. Hic enim fuit flagellum orbis, et calix iræ Dei, quem Ieremias c. 25. v. 18. et 25. propinavit Ælamitis, æque ac aliis gentibus. Porro quo anno Nabuchodonosor vastarit Ælamitas, ignoratur. Sanchez Ælamitas et Medos ultimo inter gentes loco, et ultimis Nabuchodonosoris annis vastatos putat; quia eis ultimo loco a Ieremia propinatur calix iræ Dei c. 25. 25. Verum hæc ratio non concludit. Nam ibidem v. 17. et 19. hunc calicem primo propinat Iudæis, deinde Pharaoni et Ægyptiis, postea Ammonitis, Moabitis, Tyriis, quos ante Ægyptios vastatos esse constat. Perperam Rabbini id factum putant per Assuerum, qui repudiata Vasthi, et suspenso Aman

cum decem filiis, Esther iu reginæ, Mardochæum in Aman locum substituit. Verum tunc nec Ælamitæ, nec ulli eorum reges cæsi et eversi sunt.

Vers. 39. REVERTI FACIAM CAPTIVOS ÆLAM.) Scilicet per Cyrum, qui Babylone eversa, regnum ad Ælamitas, id est Persas, transtulit; ita Lyran. et spiritualiter, per Christum eosdem reducam ad libertatem et fidem Evangelicam; ita Raban. et Vatabl. Unde Act. 2. v. 7. inter alias gentes conversas ab Apostolis in Pentecoste, numerantur Ælamitæ; hinc postea in Perside ita christianismus floruit, ut ibidem multa Martyrum millia dederit: inter quos illustres fuerunt Simeones et Acepsimas Episc. Azades, Usthazanes et Pusices aulici, Æithalas, Ionas, Barachisius, et alii ad sexdecim millia numerati, præter alios plurimos, quorum numerus iniri non potuit, qui sub Sapore rege Persarum, tempore Constantii Imp. constantissime pro fide Christi mortem oppetierunt, ut narrat Sozom. lib. 2. c. 8. 9. 10. et ex eo Baron.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Chaldæis excidium per Cyrum et Darium, eo quod superbe alias gentes oppresserint, præsertim Iudæos, quibus libertatem pollicetur: unde v. 21. Darium et Cyrum evocat et immittit in Babylonem. Tertio, v. 33. Iudæis salutem, Chaldæis ubique gladium intentat. Quarto, v. 41. Persarum fortitudinem et ferociam describit. Hæc prophetavit Ieremias anno quarto Sedeciæ, ut patet c. 51. v. 59.

1. VERBUM, quod locutus est Dominus de Babylone, et de terra Chaldæorum, in manu Ieremiæ prophetæ. 2. Annuntiate in gentibus, et auditum facite: levate signum, prædicate, et nolite celare: dicite: Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum. 3. Quoniam ascendit contra eam gens ab aquilone, quæ ponet terram eius in solitudinem: et non erit qui habitet in ea ab homine usque ad pecus: et moti sunt, et abierunt. 4. In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus, venient filii Israel, ipsi et filii Iuda simul: ambulantes et flentes properabunt, et Dominum Deum suum quærent. 5. In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum. Venient, et apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur. 6. Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. 7. Omnes, qui invenerunt, comederunt eos: et hostes eorum dixerunt: Non peccavimus: pro eo quod peccaverunt Domino decori iustitiæ, et expectationi patrum eorum Domino, 8. Recedite de medio Babylonis, de terra Chaldæorum egredimini: et estote quasi hœdi ante gregem. 9. Quoniam ecce ego suscito, et adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra aquilonis: et præparabuntur adversus eam, et inde capietur: sagitta eius, quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua. 10. Et erit Chaldæa in prædam: omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus. 11. Quoniam exultatis, et magna loquimini, diripientes hæreditatem meam: quoniam effusi estis sicut vituli super herbam, et mugistis sicut tauri. 12. Confusa est mater vestra nimis, et adæquata pulveri, quæ genuit vos: ecce novissima erit in gentibus, deserta, invia, et arens. 13. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem: omnis, qui transibit per Babylonem, stupebit, et sibilabit super universis plagis eius. 14. Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes qui tenditis arcum: debellate eam, non parcatis iaculis: quia Domino peccavit. 15. Clamate adversus eam, ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta eius, destructi sunt muri eius, quoniam ultio Domini est: ultionem accipite de ea; sicut fecit, facite ei. 16. Disperdite satorem de Babylone, et tenentem falcem in tempore messis: a facie gladii columbæ unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient. 17. Grex dispersus Israel, leones eiecerunt eum: primus comedit eum rex Assur: iste novissimus exossavit eum Nabuchodonosor rex Babylonis. 18. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego visitabo regem Babylonis, et terram eius, sicut visitavi regem Assur: 19. Et reducam Israel ad habitaculum suum: et pascetur Carmelum et Basan, et in monte Ephraim et Galaad saturabitur anima eius. 20. In diebus illis, et in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, et non erit: et peccatum Iuda, et non invenietur: quoniam propitius ero eis, quos reliquero. 21. Super terram dominantium ascende, et super habitatores eius visita, dissipa, et interfice quæ post eos sunt, ait Dominus: et fac iuxta omnia quæ præcepi tibi. 22. Vox belli in terra, et contritio magna. 23. Quomodo confractus est, et contritus malleus universæ terræ? quomodo versa est in desertum Babylon in gentibus? 24. Illaqueavi te, et capta es Babylon, et nesciebas: inventa es et apprehensa: quoniam Dominum provocasti. 25. Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ: quoniam opus est Domino Deo exercituum in terra Chaldæorum. 26. Venite ad eam ab extremis finibus, aperite ut exeant qui conculcent eam: tollite de via lapides, et redigite in acervos, et interficite eam: nec sit quidquam reliquum. 27. Dissipate universos fortes eius, descendant in occisionem: væ eis, quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum. 28. Vox fugientium, et eorum qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuntient in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi eius. 29. Annuntiate in Babylonem plurimis, omnibus qui tendunt arcum: consistite adversus eam per gyrum, et nullus evadat: reddite ei secundum opus suum: iuxta omnia quæ fecit, facite illi: quia contra Dominum erecta est, adversum sanctum Israel. 30. Idcirco cadent iuvenes eius in plateis eius: et omnes viri bellatores eius conticescent in die illa, ait Dominus. 31. Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ. 32. Et cadet superbus, et corruet, et non erit qui suscitet eum: et succendam ignem in urbibus eius, et devorabit omnia in circuitu eius. 33. Hæc dicit Dominus exercituum: Calumniam sustinent filii Israel, et filii Iuda simul: omnes, qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos. 34. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen eius, iudicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, et commoveat habitatores Babylonis. 35. Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, et ad habitatores Babylonis, et ad principes, et ad sapientes eius. 36. Gladius ad divinos eius, qui stulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt: 37. Gladius ad equos eius, et ad currus eius: et ad omne vulgus, quod est in medio eius: et erunt quasi mulieres: gladius ad thesauros eius, qui diripientur. 38. Siccitas super aquas eius erit, et arescent: quia terra sculptilium est, et in portentis gloriantur. 39. Propterea habitabunt

dracones cum faunis ficariis: et habitabunt in ea struthiones: et non inhabitabitur ultra usque in sempiternum, nec extruetur usque ad generationem et generationem. 40. Sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham, et vicinas eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis. 41. Ecce populus venit ab Aquilone, et gens magna, et reges multi consurgent a finibus terræ. 42. Arcum et scutum apprehendent: crudeles sunt et inmisericordes: vox eorum quasi mare sonabit, et super equos ascendent: sicut vir paratus ad prælium contra te filia Babylon. 43. Audivit rex Babylonis famam eorum, et dissolutæ sunt manus eius: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem. 44. Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam: et quis erit electus, quem præponam ei? quis est enim similis mei? et quis sustinebit me? et quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? 45. Propterea audite consilium Domini, quod mente concepit adversum Babylonem: et cogitationes eius, quas cogitavit super terram Chaldæorum: Nisi detraxerint eos parvuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum. 46. A voce captivitatis Babylonis commota est terra, et clamor inter Gentes auditus est.

Vers. 1. IN MANU IEREMIÆ.) Per Ieremiam, opera Ieremiæ.

Vers. 2. ANNUNCIATE IN GENTIBUS.) Sunt verba Prophetæ, iubentis ut apud omnes gentes annuncient excidium Babylonis, eo quod ipsa omnibus pene gentibus iugum servitutis imposuerat, ut ipsæ iam de excusso hoc iugo lætissimum libertatis recuperatæ nuncium accipiant.

LEVATE SIGNUM.) Id est vexillum, ut ad illud populi convocentur in prælium ad excidium Babylonis; ita Sanchez: vel potius in signum excidii eius et victoriæ de ea partæ, ut omnes gentes ab eis oppressæ festos dies agant, ac triumphum de extincta Chaldæorum tyrannide, deque recuperata libertate; unde sequitur, *Dicite: Capta est Babylon*, gentium dominatrix, malleus orbis, monarcha universi; io triumphe. Addit Sanchez, per *signum* posse accipi lapides terminales, vel deos Terminos, qui in limitibus agrorum erigebantur, ut eos ab aliorum prædiis disterminarent, quales multos hic Romæ videmus priscæ gentilitatis indices, q. d. O Iudæi, capta iam Babylone, evertite titulos et signa, quæ Chaldæi in Iudæa excitaverunt, quasi eius heri et domini; ac vestra pro iis restituite. Iam enim excusso Chaldæorum iugo, Iudæa vobis, quasi avitis heris et dominis restituetur. Propheta ergo hic in spiritu prævidens futura, ea hic inducit quasi iam facta et præterita. Cum enim adhuc capienda esset Babylon, ait, *Capta est*: quia inducit gentes de ea capta exultantes et gratulantes, sic:

CONFUSUS EST, id est certo confundetur, BEL, VICTUS EST (vincetur) MERODACH.) Sunt hi duo dii et idola Babyloniorum; ita Raban. et Vatabl.

Bel vel Baal fuit Nemrod. Nota, Bel sive Belus, fuit Nemrod primus rex et tyrannus in orbe, conditorque imperii Babylonici, ut dixi Genes. 10. 8. hunc Ninus filius inter deos retulit; indeque idola passim in Script. vocantur Bel, Baal, Baalim: primi enim Babylonii, inde Phœnices et Iudæi, inde Carthaginenses coluerunt Bel sive Belum.

Merodach, fuit filius Baladan, qui primus declinante imperio Assyriorum, imperium Babylonium restituit, ideoque inter deos relatus videtur, æque ac Saturnus, Iupiter, Hercules, aliique primi Gentium principes ab iis inter deos relati sunt.

Secundo, per *Merodach* potest accipi cum Theod. Hugo, et Lyrano, Balthasar: hic enim proprie victus est et cæsus a Cyro, hicque dictus est Evilmerodach, sive Merodach, ut dixi Daniel. 5. 1. Sicut enim a primo Pharaone cæteri Ægypti reges dicti sunt Pharaones, a Cæsare Cæsares, a Seleuco reges Asiæ dicti sunt Seleucidæ; ita a primo Merodach eius posteri Babylonis reges, dicti sunt Merodach.

Confusus est ergo Bel: quia suis cultoribus Babyloniis contra Cyrum opitulari non potuit, iisque est spoliatus, imo cum iis ductus est captivus in Persidem: *victus est Merodach*, sive Deus, sive Balthasar.

Vers. 3. GENS AB AQUILONE.) Medi enim et Persæ, qui Orientales sunt Babyloni, Aquilonares gentes, scilicet Armenos, Hyrcanos, Sacas, Cadusios, et alios convocarunt contra Babylonem, ut Chaldæum communem tyrannum tollerent. Adde, Media aliquantulum vergit ad Aquilonem Babylonis. Vocat eos potius Aquilonares quam Orientales: quia Aquilo Iudæis erat infaustus et infestus, æque ac horribilis, ex eo, quod ex Aquilone, puta ex Chaldæa, acre sibi intentari flagellum primo audierant, deinde reipsa experti sunt. Hærebat in auribus et mente eorum illa Ieremiæ c. 1. vox: *Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ.* Ergo Aquilo eis erat in proverbium, ut, cum grandem cladem, aut malum significare vellent, Aquilonem nominarent. Sensus itaque est, q. d. Vos, o Iudæi, vestrum habuistis Aquilonem, puta Chaldæos; scitote et illos suum Aquilonem habituros, scilicet Persas et Medos, gentesque eis confœderatas; ita Sanchez.

MOTI SUNT.) Movebuntur, id est dispergentur.

ET ABIERUNT.) Id est fugient, vel ibunt in captivitatem.

VENIENT FILII ISRAEL, IPSI ET FILII IUDA SIMUL.) Vers. 4.
Nota. Cyrus et postea Artaxerxes, non tantum duabus, sed et decem tribubus dedit facultatem redeundi: multi ergo illorum ex Media et vicina Assyria (utramque enim iam occupabat victor et monarcha Cyrus) redierunt, et iunxerunt se Iudæ et Esdræ sub uno capite, quasi una respublica; unde omnes vocati sunt Iudæi, non Samaritæ, Rubenitæ, Gadditæ, etc. Insinuat id Ioseph. 11. Antiq. 5. et colligitur ex Isa. 11. 24. aliisque locis, quibus Deus promittit se tam Israel, quam Iuda e captivitate reducturum.

VENIENT.) Hebr. נלוו *nilvu* sociabunt se, coniungent se.

FLENTES.) Præ lætitia, ob reditum ex Babylone tempore Cyri; secundo et magis, q. d. Fideles tempore Christi, cuius typus erat Cyrus, flebunt præ gaudio, redeuntes ex captivitate diaboli.

IN SION INTERROGABUNT VIAM.) Dicentes, Quæ est Vers. 5.
via in Iudæam, in Ierusalem? mystice in Ecclesiam.

HUC FACIES EORUM.) Scilicet directe respicient et contendent.

VENIENT, ET APPONENTUR.) Hebr. נלוו *nilvu*, id est copulabuntur, agglutinabuntur, et indivulse adhærebunt Domino, eiusque populo fœdere sempiterno, quod scilicet duret semper, id est, tamdiu, quamdiu durabit Iudaismus et Iudæorum respublica. Secundo et proprie, fœdus hoc sempiternum, est fœdus Evangelicum, quod sancivit Christus cum suis fidelibus.

GREX PERDITUS, q. d. Errabat Israel per montes instar Vers. 6
ovium, quia PASTORES, id est, reges, SEDUXERUNT EOS, dum FECERUNT EOS VAGARI IN MONTIBUS ad sua idola colenda (vagari inquam, ex uno monte et idolo ad alium) hinc OBLITI SUNT CUBILIS SUI.) Id est templi, in quo solebant requiescere; ita Theodor. et Raban.

Secundo, Chald. Vatabl. et Maldon. explicant de pœna exilii et captivitatis, q. d. Populus meus seductus a regibus et pseudoprophetis peccavit; hinc sine pastore, sine rege, sine sacerdote errat in captivitate: et de monte in montem ductus est, donec veniret Babylonem; ubi multo tempore exulans, quasi oblitus est cubilis, id est patriæ suæ; paupertas enim, servitus, et ærumnæ quas tot annis in Babylone patitur, ita eum opprimunt, ut patriæ uberis, lætæ et felicis memoriam ei excusserint. Hinc dixit v. præced. *In Sion interrogabunt viam.* Hic secundus sensus sequitur ex primo: fuit enim effectus et pœna primi.

COMEDERUNT.) Expilarunt eos.

Vers. 7. Et hostes eorum (Iudæorum) dixerunt, Non peccavimus.) Expilando Iudæos, imo putavimus nos obsequium præstare Deo, perdendo gentem tam impiam, quæ ita peccavit in Dominum tam sanctum et iustum; ideoque ab eo prædæ omnium exposita videtur, ac data in direptionem et spolium. Sic enim non peccant milites, dum urbem hostilem in prædam a duce datam capiunt et expilant. Unde sequitur: *Pro eo quod peccaverunt Domino.*

Deus est decor iustitiæ, tripliciter. Decori iustitiæ.) Sic vocat Deum, Primo, quod populum suum antequam peccaret decorasset iustitia. Secundo, quod decor esset populi propter leges iustitiæ, quas illi dederat, et quibus eum gubernabat. Tertio, quod eius iustitiam et pietatem multis beneficiis decoraret et præmiaret. Potest Secundo, verti, *habitaculo iustitiæ*, id est, in quo cum iusti essent confidebant, et a quo quasi ab habitaculo protegebantur, dicentes: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur:* unde Chald. vertit, *peccaverant discedendo a Deo habitaculo iustitiæ et veritatis.*

Et expectationi, id est spei, patrum.) In quem patres sperabant, puta Domino Deo peccarunt. Hic est enim expectatio Israel c. 14. 8. vide ibi dicta, ne frustra, et cum chartæ temporisque dispendio eadem repetamus.

Vers. 8. Estote quasi hœdi ante gregem.) Nemo ex vobis in reditu ex Babylone in Iudæam refugiat primas tenere, imo quisque conetur esse primus in agmine redeuntium: sicut hœdi, id est hirci iam statæ ætatis et roboris (hos enim significat Hebr. עתודים *attudim*) generose et festinanter, etiam per arduas rupes, montes et saxa gregem præcedere solent, et ante eum exilire: læti enim et secure redibitis; esto ardua quædam superanda sint; unde Chald. vertit, *estote quasi principes in capite populi*: q. d. Hactenus quasi grex sine ductore errastis, nunc constituite vobis principes, qui populum antecedant, et redite in ovile vestrum. Aliter Theodor. q. d. Estote superiores Babyloniis, sicut arietes aut hirci superiores sunt ovibus. Alii exponunt, q. d. Redite, o Iudæi, e Babylone hilares et alacres, instar hœdorum præ gaudio subsilientium, iuxta illud Poetæ.

Hœdique petulci.

Floribus insultant. Et sane huc quoque respicit Propheta.

Tropol. Hugo, Hœdi, ait, sunt pœnitentes, qui fugiunt Babylonem, id est confusionem vitiorum, eorumque viciniam et occasiones, iuxta illud Apoc. 18. *Exite de illa* (Babylone) *populus meus, et ne participes sitis delictorum eius, et de plagis eius non accipiatis.*

Vers. 9. Inde.) Ex eo loco in quo primo Cyrus posuerit sua castra, Babylon capietur, quasi primo conflictu et oppugnatione; ita Vatabl. Significat Cyrum non mutaturum castra, non vocaturum novas copias, sed per prima sua castra brevi et facile expugnaturum Babylonem. Perperam Hugo et Dionys. legunt *in die:* hebraice enim est משם *miseiam*, id est *inde:* neque de die capta est Babylon, sed noctu, Daniel. 5. 30.

Sagitta eius, id est earum, scilicet gentium, erit quasi viri fortis interfectoris.) Hebr. משכיל *maschil*, id est *orbantis;* vel ut Septuag. et Vatabl. *prudentis* (*maschil* enim per *scin*, significat orbare, per *sin* intelligere) id est sagittandi periti. Quis est hic mystice? utique concionator, qui spiritu Dei plenus, verba ignea iaculatur ad cor, ut cor Babyloniorum, id est peccatorum, penetret, ut sermones eius sint quasi sagittæ potentis acutæ in corda inimicorum Christi, ut eos Christo occidat, imo redivivos resuscitet. Ad litteram, Ælamitis, id est Persis, tribuuntur in Script. arcus et sagittæ. quia hæc erant præcipua eorum arma: unde sagittandi erant peritissimi, et scopum hostemque quem vellent destinato ictu, certo configebant.

Vers. 10. Replebuntur.) Spoliis locupletabuntur, et, ut hebr. est, saturabuntur.

Vers. 11. Quoniam exultatis, causam dat excidii Babylonis, scilicet quod exultarit in perditione hæreditatis Domini,

A id est Iudæorum, et magna, id est superba, sit locuta, tribuens sibi victoriam; et quoniam effusi estis.) Significat eorumdem aviditatem in expugnanda et diripienda terra Iudæorum, quod, sicut vitulus irruit in herbam, et eam depascitur avidissime, eaque se impinguat ferociens et lasciviens, ideoque mugiens: ita ipsi depasti sint Iudæam et Iudæos; ita Raban. et Hugo. Hoc recte de vitulo, minus recte de tauro: taurus enim ob herbam non mugit, sed vel ob fœminam, vel ob hostem iam protritum a se: tunc enim superbit, et victoriam celebrat mugitu, eoque insultat victo. Unde Pagnin. vertit, *sicut vitula quæ pascit germina, et exultastis sicut tauri habita victoria.* Et hoc proprie significat Hebr. צהל *tsahal*, id est hinnire, uti hinniunt equi victorum. Hinc per catachresin eumdem gaudii affectum et sonum significat in bobus et tauris, quem illi exprimunt per mugitum; ita Delrio adagio 871. Sic Christus ait psal. 21. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.*

B Mater vestra.) Babylon, ut patet ex seq. Vers. 12.

Adæquata pulveri.) Plane eversa est, et solo adæquata. Est hyperbole.

Novissima erit in gentibus.) Abiectissima erit inter omnes gentes.

Sibilabit.) Id est obstupescet, vel irridebit. Vide cap. præc. v. 17. Vers. 13.

Ubique, scilicet clamate, quod dedit manum.) Id est, victa est Babylon, et victam se fatetur: miles enim cum hosti dat manum: dat et arma, seque, suaque omnia ei quasi victori et domino dedit et subiicit. Sic ait Turnus ad Æneam victorem Æneid. 12. Vers. 15.

Vicisti, et victum tendere palmas

Ausonii videre: tua est Lavinia coniux.

Rursum victus victori protendit manum supplicem, ut ab eo vitam et veniam impetret; ita Saxo victus a Carolo Quinto, equo desiliens, manum ei porrigens, ait: *Clementissime Cæsar victum me tibi sisto, veniamque peto.* Cui Cæsar: *Iam me Cæsarem agnoscis et vocas, qui me ante Carolum a Gandavo vocitabas.* Septuaginta vertunt, *dissolutæ sunt manus eius;* Chald. *tradita est in manus eorum,* scilicet hostium. Aliter Raban. et Hugo, q. d. Babylon ad omnia regna vastanda extendit manum suam, hinc et ipsa vastabitur.

C (marginal letter beside "dissolutæ sunt manus eius" above)

Disperdite satorem.) q. d. Interficite in Babylone, non solum milites, sed et agricolas qui serunt, quibus tamen in excidiis urbium solet parci, ita ut nemo remaneat, neque qui serat, neque qui metat; ita Theodor. unde Septuaginta vertunt, *disperdite semen de Babylone.* Vers. 16.

Chaldæus putat *satorem* vocari Nabuchodonosorem qui serebat ubique bella et clades; eumdem dici messorem, quia gladio demetebat gentes.

A facie gladii columbæ.) Id est, metu gladii Persici, extenti in columbam, id est in exercitum Chaldæorum, quisque fugiet. Vide dicta c. 25. 38. Nec enim columba habet gladium quo feriat, sed collum quo gladio hostili D iuguletur. Pro *columba* Septuag. vertunt *Græci;* quia Cyrus, inquit Theodor. Iones aliosque Græcos prius a se victos secum contra Babylonem duxit. Verum ipsi perperam pro יונה *iona*, id est columba, legerunt יון *iavan*, id est Græcia, ut dixi c. 25. Non recte ergo aliqui hic per columbam intelligunt Medos et Persas; eo quod cum imperio etiam militare vexillum Chaldæorum, habens insigne columbæ, ad eos translatum sit. Nam hoc needum translatum erat. Adde, Persarum insigne erat nunc aquila, teste Xenoph. lib. 7, Cyripæd. nunc effigies Solis, teste Curtio lib. 3.

Grex dispersus, q. d. Israel, quia unum Deum deseruit, sparsus per idola; ideo ut grex sparsus, factus est præda tyrannis, qui feri sunt instar leonum. Nam primo Salmanasar *comedit*, id est vastavit, decem tribus quasi carnes circumdantes ossa, relinquens tantum ipsa ossa, id est tribum Iuda fortissimam, in qua erat regnum, sacerdotium, et templum, quasi ossa et robur populi: sed hæc ossa perfregit, comminuit et avulsit Nabuchodonosor. Itaque plane rempub. Iudæorum evertit, et quasi ex- Vers. 17.

tinxit; ita passim Hebræi, Græci et Latini. Causam dat excidii Babylonis; quia nimirum ipsa excidit Iudæos, voluitque delere eorum nomen, regnum et gentem. Iustum enim est, ait Aristot. 5. Ethic. ex Rhadamanto, ut, quod quis iniuste aliis damni intulit, idem subeat et patiatur. Hæc enim est lex talionis: Occidens occidatur, mutilans mutiletur, agens in exilium exulet; erretque vagus toto orbe, comburens comburatur, excindens excindatur.

Vers. 19. PASCETUR CARMELUM.) In pinguibus Carmeli, puta Iudææ, pascuis laute pascetur Iuda quasi grex Domini (antea dispersus, ut dixit v. 17.) eaque depascetur rediens e Babylone; ita Septuag. Ex Carmelo totam Iudæam, utpote fertilem et opimam, intelligit per synecdochen.

SATURABITUR ANIMA.) Id est, appetitus eorum; sic capitur anima psal. 41. 3. psal. 62. 6. Isaiæ 5. 14.

Vers. 20. QUÆRETUR INIQUITAS ISRAEL, ET NON ERIT.) q. d. Si (hoc enim sæpe omittunt et subaudiunt Hebræi) vel etiam si quæratur iniquitas Israel, tamen non invenietur: quia Iudæi post reditum e Babylone, non amplius coluerunt idola, uti fecerant ante, ob quæ capti et puniti sunt; ita Theodor. Hugo, Lyran. Consequenter non invenietur *iniquitas,* id est pœna iniquitatis, puta captivitas, fames, paupertas, exilium, etc. q. d. Nullæ apparebunt captivitatis et cladis reliquiæ; ita Sanchez, ut sit metonymia in hac voce frequens in Script.

Secundo et verius, q. d. Tempore Christi, per Christum omnis eorum iniquitas delebitur et auferetur; ita Vatabl. et Dionys.

QUOS RELIQUERO.) Ex Israel enim reliquiæ salvæ factæ sunt, Rom. 9. 27. et cap. 11. 4.

Vers. 21. ASCENDE, scilicet o Dari et Cyre, SUPER, id est contra, TERRAM DOMINANTIUM, id est Chaldæorum, qui quasi *malleus* totam terram percusserunt, ut dicitur vers. 23. VISITA, et DISSIPA Babylonem, INTERFICE.) Incolas; ita Theodor. Est apostrophe Dei et Prophetæ ad hostes Chaldæorum.

Nota. Pro *visita*, Chald. Vatabl. et Hebræi retinent hebraice פקוד *pekod*, vertuntque, *ascende contra habitatores pekod*, quasi *pekod* sit nomen urbis in Chaldæa, vel potius Babylon dicatur *pekod*, id est visita vel visitare, id est visitatio, ut suo nomine moneatur semper, se brevi a Deo visitandam esse et puniendam. Simile est Isaiæ 8. v. 3. Ezech. 23. 23. in Hebræo.

INTERFICE QUÆ POST EOS SUNT.) Dele omnem posteritatem eorum, puta filios et nepotes.

IUXTA OMNIA QUÆ PRÆCEPI.) Præceptum vocat impulsum et instigationem, quem Deus immisit Persis ad invadendam Babylonem, uti dixi cap. 37.

Vers. 22. VOX BELLI.) Clamor bellicus auditur, q. d. Audire mihi videor tubarum clangorem, et fragorem armorum Cyri et Persarum, ac videre quam gravi contritione et ruina lapsa sit Babylon.

Vers. 23. Malleus Babylonis quis? QUOMODO CONFRACTUS EST, ET CONTRITUS MALLEUS UNIVERSÆ TERRÆ.) Hoc est Babylon, quæ quasi malleus adamantinus percussit et contudit totam terram; ita ut nihil quantumvis durum, vel æneum ei resistere, aut eius ictum sustinere posset quin confringeretur et dissiliret. Sic Fridericus II. Imp. iactabat se esse malleum Romæ, et Romanæ Ecclesiæ, quin et totius orbis; sed ab Innocent. II. aliisque Pontificibus confractus et contritus est, ut dixi Isaiæ 1. v. 10.

Sic de Assyriis ait Isaias c. 10. 5. *Væ Assur, virga furoris mei;* et de Cyro, per quem Deus castigavit Chaldæos, c. 45. 1. *Cuius apprehendi dexteram.* Sic Attila vocatus fuit *metus orbis, et flagellum Dei.* Præclare S. August. in psalm. 73. *Impietas,* inquit, *eorum tanquam securis Dei facta est: facti sunt instrumentum irati, non regnum placati. Facit enim hoc Deus, quod plerumque facit et homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam iacentem in medio, fortasse qualecumque sarmentum: cædit inde filium suum, ac deinde proiicit sarmentum in ignem, et filio servat hæreditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos.* Quocirca qui erudiuntur per malos, iis irasci non debent; nec eis imputare suas plagas, sed Deo iuste castiganti. Pulchre B. Dorotheus doctrina 7. *Nos vero,* inquit, *cum verbum ullum in nos dictum audimus, canes imitamur. Hi enim si quis in eos lapidem iecerit, iaciente dimisso, lapidem remordent. Ita nos, Deo relicto, qui nobis huiuscemodi tribulationes ad peccatorum nostrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc est ad proximum currimus.* Secus fecit S. Iob, qui spoliatus a Chaldæis, percussus morbo a Satana, dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit,* non Chaldæi, non Satan. Unde S. Augustin. in psalm. 31. *Prorsus,* inquit, *ad Deum tuum refer flagellum tuum; quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem.*

Symbolice S. Augustin. tract. de Honestate mulierum, tom. 9. docet, quod malleus Babylonicus olim dominans, et conterens totam terram, id est omnes homines, sit luxuria: *Et quamvis,* inquit, *post adventum Christi per universa monasteria monachorum, et per clericos, vel etiam laicos castitatem servantes, quasi confractus malleus ille videatur; tamen adhuc multo plures sunt, qui ab illo malleo quotidie confringuntur, quam illi, qui de ruina collisionis illius liberantur.* S. Gregor. 34. Moral. cap. 10. per malleum accipit diabolum: S. Paulin. epist. 12. curam rerum temporalium.

QUOMODO VERSA EST IN DESERTUM BABYLON IN GENTIBUS?) Inter gentes, vel potius instar aliarum gentium, in desertum et solitudinem redacta est Babylon?

ILLAQUEAVI TE.) Quasi feram laqueo inopino et improviso: quia capta est Babylon cum festum ageret, et Balthasar cum suis se inebriaret, Daniel. 5. v. 1. tunc enim Cyrus Euphratem in fossas avertit, et sicco alveo milites in urbem immisit, ut dicam v. 38. Prius enim Babylonem occupavit Cyrus, quam Cyri et occupationis metus et formido. Vers. 24.

APERUIT DOMINUS THESAURUM SUUM.) Causam dat et modum, quo tanta urbs tam facile capta et eversa est, nimirum quod Deus aperuerit armarium, vel armentarium suum, scilicet Persidem et Mediam, ait Vatabl. Vel potius secretarium omnipotentiæ suæ et iustitiæ vindicativæ, in quo infinita continentur tela et supplicia, quæ in hostes immittat, puta terror, torpor, prælidentia, fames, pestis, bellum, etc. quin et grandines, tonitrua, fulmina omnesque creaturæ: hæ enim militant et pugnant pro Deo contra insensatos. Ex hoc Deus deprompsit Darium et Cyrum, eorumque exercitus, vires et animos, quasi arma, quibus Babylonem everteret; unde Babylonis eversionem vocat opus Dei; ita Theodoret. Subdit enim: Vers. 25.

QUONIAM OPUS EST DOMINO DEO EXERCITUUM IN TERRA CHALDÆORUM.) q. d. Sicut architectus volens ædificare palatium, ad id lapides, calcem, operas, fabros, omniaque necessaria accersit. Et sicut rex parans bellum, milites, duces, arma, annonam, reliquaque quibus opus est, studiose comparat: ita et Deus accersivit et comparavit Cyrum et Persas; quia opus hoc excidii Babylonis per eos peragere destinabat; ideoque eis copias, pecunias, robur, animos, reliquaque opportuna ad hoc opus suppeditavit.

VENITE AD EAM AB EXTREMIS FINIBUS.) Scilicet o Persæ, cogite ab extremis regionibus milites contra Babylonem. Aliter Vatabl. et Pagnin. vertunt, scilicet, *venite ad eam in fine eius,* q. d. O Dari et Cyre, invadite Babylonem, quia instat finis imperii eius; unde Septuag. vertunt, *quia venerunt tempora eius,* excidii scilicet, ut terminetur eius imperium et monarchia. Vers. 26.

APERITE, scilicet portas et urbes, UT EXEANT.) Milites qui Babylonem oppugnent et conculcent. Sanchez censet hæc a Deo dici ad angelos Persarum custodes et præsides, q. d. Vos, o angeli Persarum præsides, removete claustra et remoras, quæ hactenus Persarum cohibuerunt ardorem et ambitiosum contra Chaldæos pugnandi et dominandi desiderium. Hæc enim imperiorum claustra et repagula commemorat Zachar. c. 6. 1. et Isaias c. 45. 1. agens de Cyro et Persis. Vatabl. vertit, *aperite granaria eius, et diripite:* Hebr. enim אבוס *ebus,* significat præsepe, horreum; unde et Septuag. vertunt, *aperite apo-*

thecas eius, scrutamini eam quasi speluncam. q. d. O Persæ studiose scrutamini Babylonis apothecas; ac thesauros ac opes in iis quasi speluncis reconditas vestigate et diripite; noster *abus* deducit a בוס *bus*, id est calcavit.

Tollite de via lapides, et redigite in acervos.) q. d. Facite viam planam et expeditam, ne quid remoretur Persas Babylonem venturos ut eam vastent. Solent enim duces exercitus præmittere fossores et cæsores, qui arbores et sepes sternant, viamque exercitui venturo complanent et dilatent, quales vidimus in bellis Belgicis, quos ipsi *pioniers*, Itali *guastatori* vocant. Sic Annibal aceto rupit et complanavit Alpes, ut copias transmitteret in Italiam. Ad hos ergo fossores hic convertit se Propheta, iubetque ut vias Persis sternant in Babylonem.

Potest secundo, verti cum Vatabl. conculcate eam sicut calcari solent in area manipuli tritici, ut grana exprimant: ita R. David et R. Salomon.

Tertio, R. Ioseph vertit, *elevate cumulos cumulos*, id est facite multos cumulos de spoliis Chaldæorum.

Vers. 27. Fortes.) Hebr. פרים *parim*, id est iuvencos, id est fortes quasi iuvenes tauros. Comparat Chaldæos vitulis et iuvencis mox mactandis et laniandis.

Vers. 28. Vox.) Scilicet audietur fugientium Iudæorum: aliqui enim Iudæi mox ut cæpit obsideri Babylon, ex ea profugerunt Hierosolymam, ibique nunciarunt iam obsideri et expugnari Babylonem; itaque impleri ultionem, quam ob cladem Iudæis et Gentibus illatam ei intentarat et prædixerat Ieremias, ac proinde propediem Iudæos ex ea liberandos et redituros in patriam.

Vers. 29. Annunciate in Babylonem.) Id est, dicite passim, et convocate eos qui sagittandi periti sunt, ut designato loco conveniant, ituri contra Babylonem, quod Galli dicunt, *donnez le rendez vous;* ita Maldon. unde Hebr. habent, *annunciate contra Babylonem multis: omnes iaculantes arcu castrametamini contra eam.*

Secundum opus suum.) Sicut ipsa fecit et vastavit alias gentes.

Vers. 31. Ecce ego ad te, id est contra te venio, o superbe.) Alloquitur Deus Nabuchodonosorem, vel potius Balthasar, et sub eo quemvis superbum.

Vers. 33. Calumniam.) Id est, ut Hebr. Septuag. et Chal. *vim* et oppressionem, id est violentam captivitatem sustinent Iudæi, ad eam iniuste et quasi per calumniam damnati in tyrannico Chaldæorum tribunali et iudicio. Ad hoc enim alludens subdit:

Vers. 34. Redemptor eorum fortis.) q. d. Esto fortes sint Chaldæi, fortiterque Iudæos in Babylone detineant; tamen fortior iis est Dominus, qui Iudæos e Babylone redimet et liberabit.

Iudicio, id est in iustitia, sive iuste, defendet Deus causam eorum, Iudæorum, ut exterreat terram Chaldæorum; Vatabl. vertit, *ut requiem det terræ* (aliis gentibus) et commoveat habitatores Babylonis.

Vers. 36. Gladius ad divinos (contra divinos et astrologos Chaldæorum) veniet, qui stulti erunt.) Id est apparebunt, quia nesciunt divinare suum interitum.

Vers. 38. Siccitas super aquas eius erit.) Nota ex Xenophonte lib. 7. Cyripædiæ, Herod. lib. 1. Theodor. Vatabl. Capella et a Castro, hac arte Cyrum cepisse Babylonem: scilicet Euphratem qui Babylonem interluit, in multas latas et altas fossas ad hoc a milite ante factas derivavit, ea nocte qua Babylonii quasi securissimi festa et convivia agitabant, ita ut sicco alveo militem in urbem immiserit, et cives somno vinoque sepultos trucidarit; hæc est siccitas, de qua Ieremias hic. Idem insinuat Ierem. cap. seq. v. 32.

Capta est Babylon derivatione Euphratis.

Tradit Frontinus lib. 3. c. 7. hoc stratagemate iam dicto ter captam fuisse Babylonem, scilicet primo, a Semiramide; secundo, a Cyro; tertio, ab Alexandro.

Aliter Maldon. q. d. Deus immittet Chaldææ sterilitatem et ariditatem. Nota. Noster legit יבשׁו *iabesciu*, id est, *arescent*, unde vertit, *siccitas super aquas;* Septuag. vero legerunt alio puncto יבשׁו *iabosciu*, id est, *erubescent super aquas.*

In portentis.) Id est in portentosis et monstrosis deorum suorum et idolorum figmentis. Hebr. אימים *emim*, significat terrores, id est homines vel deos terrificos et truces.

Vers. 39. Dracones cum faunis ficariis.) Ita Rom. non *fatuis sicariis*, ut habent Plantiniana, nec *fatuis siccariis*, id est, in locis siccis habitantibus, uti legit et explicat Maldonat. Hebr. est ציים את איים *tsiim et iim*, quod Chald. vertit, *cercopitheci cum felibus;* alii, *feles cum ululis;* optime Pagnin. vertit, *feræ et monstra* aut spectra, puta dæmones qui desertas terras vel insulas incolunt. Hebr. enim ציה *tsia*, significat aridum desertum, איה *iia* insulam: unde noster Isaiæ 13. 21. et 22. vertit, *bestias et ululas*, et Isaiæ 34. 14. vertit, *dæmones et onocentauros;* hic vertit, *dracones cum faunis ficariis.* Fauni sunt monstra, id est bestiæ (ex infando congressu hominum cum bestiis, verbi gratia pastorum cum capris) prognatæ aut dæmones instar hominum in silvis et montibus desertis degentes. Dicuntur ficarii, quia caprifico sustentantur, eiusque ficus comedunt. Significat ergo summam desolationem Babylonis, ut scilicet fiat spelunca draconum, ferarum et dæmonum. Vide dicta Isaiæ 34. 14.

Fauni ficarii qui?

Nota. Fauni dicuntur, quasi fari nesciant, quia incondite loquuntur et strident ut bestiæ, v. g. caprissando ut hirci: aut, ut Hesychius, dicuntur Fauni, quasi φαίνοντες ἑαυτούς, id est, ostendentes seipsos; vel quia raro videntur, vel quia dæmones solent sub eorum specie apparere; qualis forte fuit ille quem S. Antonius vidit offerentem sibi palmulas, et alter, quem sibi iter ad S. Paulum primum eremitam ostendentem conspexit.

Non inhabitabitur ultra usque in sempiternum.) Quæres, Quomodo Ieremias et Isaias dicant omnino desolandam esse Babylonem, cum post Nabuchodonosorem etiam sub tempora Alexandri Magni opibus inclyta fuerit, et unum e septem spectaculis et miraculis mundi? Respondeo, hanc prophetiam non simul, sed sensim et successive impletam esse. Primo enim per Cyrum Babyloni adempta est monarchia et imperium. Secundo, Darius Hystaspis Babylonem repugnantem expugnavit, et mœnia solo æquavit, teste Herodoto l. 3. et Iustino l. 1. Tertio, Seleucus Nicanor, condita prope Babylonem Seleucia, quæ et Babylonia inde est dicta, exhausit Babylonem civibus et opibus, eaque transtulit Seleuciam: idem fecere Parthi condita Ctesiphonte iuxta Babylonem, testis est Plinius lib. 6. 26. Quarto, tempore Adriani Imperatoris. *Babylon*, inquit Pausanias lib. 8. *omnium quas unquam sol vidit urbium maxima, iam nihil præter muros reliqui habet.* Quinto, tempore Theodosii Imperatoris, S. Hieron. in cap. 13. Isaiæ scribit, venationes tantum regias esse Babylone; et omnis generis bestias tantum murorum eius ambitu coerceri. Adhuc hodie visuntur priscæ Babylonis ruinæ, quæ miram eius amplitudinem et magnificentiam satis arguunt et testantur.

Babylonis varia excidia.

Unde Allegor. in Babylone excidium mundi et reproborum, ac nominatim Romæ, quæ ad Neroniana tempora redibit, eritque sceleratissima in fine mundi, est adumbratum, ut dixi Apocal. 17.

Vers. 41. Reges.) Xenophon libr. 3. Cyripædiæ: Cyrus, inquit, contra Babylonem et alias gentes, multos secum reges abduxit, vel sponte addictos, vel armis subactos, ut Embdam Armeniorum, Antucham Hyrcaniorum, Damatam Cadusiorum, Crœsum Lydiorum, etc.

Vers. 44. Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis.) Cap. 49. 19. idem dixit de Nabuchodonosore, et de eo hic accipiunt Raban. Hugo, Lyran. quod Iudæa victa superbus quasi triumphator ad urbem suam pulchram Babylonem ascenderit.

Secundo, Vatablus: Darius Medus, inquit, ascendit contra Chaldæum, de superbia Iordanis, id est ob superbam Iudææ gloriam et magnificentiam a Chaldæo profligatam et conculcatam.

Tertio et optime a Castro explicat, q. d. Sicut leo ascendere solet de pascuis turgidi Iordanis ad prædam; sic veniet Persa contra Babylonem pulchram et invictam urbem.

Cætera usque ad finem cap. explicata sunt cap. præcedenti a vers. 19. ad 22. ubi eadem contra Idumæos dicta sunt. Vide hic, o Christiane, humanarum rerum vicissitudinem, considera et compara Babyloniorum sortem cum ea ex qua prolapsi sunt: indeque collige quod a caducis ad æterna mentem transferre, atque Deo rebusque cælestibus adhærere, tantummodo sit sapere. *Nemo enim valet mobilia diligere, et ipse immobilis stare*, ait S. Gregor. l. 8. Moral. cap. 28. vel iuxta novam editionem, 24. *Sit ergo res temporalis in usu, æterna in desiderio, illa in itinere, hæc in perventione,* ait idem S. Greg. hom. 36. in Evang.

CAPUT QUINQUAGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit multis exaggerare excidium Babylonis, unde v. 14. exaggerat potentiam Dei, qua robur Babylonis conteret. Tertio, v. 27. convocat contra eam multas gentes. Quarto, v. 34. causam assignat, eius tyrannidem in Iudæos. Quinto, v. 45. monet Iudæos ut fugiant e Babylone. Denique v. 59. Ieremias hanc suam prophetiam scripto dat Saraiæ eunti in Babylonem, ut eam ibi legat, et lectam in Euphratem proiiciat, addens fore ut pari modo proiiciatur Babylon, æterna scilicet et irreparabili ruina.

1. Hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super Babylonem et super habitatores eius, qui cor suum levave-
runt contra me, quasi ventum pestilentem. 2. Et mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt
eam, et demolientur terram eius: quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis eius. 3. Non
tendat qui tendit arcum suum, et non ascendat loricatus, nolite parcere iuvenibus eius, interficite omnem mili-
tiam eius. 4. Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, et vulnerati in regionibus eius. 5. Quoniam non fuit vi-
duatus Israel et Iuda a Deo suo Domino exercituum: terra autem eorum repleta est delicto a sancto Israel. 6. Fu-
gite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam: nolite tacere super iniquitatem eius; quoniam tem-
pus ultionis est a Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei. 7. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians
omnem terram: de vino eius biberunt gentes et ideo commotæ sunt. 8. Subito cecidit Babylon, et contrita est:
ululate super eam, tollite resinam ad dolorem eius, si forte sanetur. 9. Curavimus Babylonem, et non est sana-
ta: derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam: quoniam pervenit usque ad cælos iudicium eius,
et elevatum est usque ad nubes. 10. Protulit Dominus iustitias nostras: venite, et narremus in Sion opus Domini
Dei nostri. 11. Acuite sagittas, implete pharetras: suscitavit Dominus spiritum regum Medorum: et contra Ba-
bylonem mens eius est ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui. 12. Super muros Babylonis le-
vate signum, augete custodiam: levate custodes, præparate insidias: quia cogitavit Dominus, et fecit quæcumque
locutus est contra habitatores Babylonis. 13. Quæ habitas super aquas multas, locuples in thesauris, venit finis
tuus pedalis præcisionis tuæ. 14. Iuravit Dominus exercituum per animam suam: Quoniam replebo te hominibus
quasi brucho, et super te celeuma cantabitur. 15. Qui fecit terram in fortitudine sua, præparavit orbem in sapien-
tia sua, et prudentia sua extendit cælos. 16. Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cælo: qui levat nubes ab
extremo terræ, fulgura in pluviam fecit: et produxit ventum de thesauris suis. 17. Stultus factus est omnis homo
a scientia: confusus est omnis conflator in sculptili; quia mendax est conflatio eorum, nec est spiritus in eis. 18.
Vana sunt opera, et risu digna: in tempore visitationis suæ peribunt. 19. Non sicut hæc, pars Iacob: quia qui fe-
cit omnia, ipse est, et Israel sceptrum hæreditatis eius: Dominus exercituum nomen eius. 20. Collidis tu mihi
vasa belli, et ego collidam in te gentes, et disperdam in te regna: 21. Et collidam in te equum et equitem eius:
et collidam in te currum et ascensorem eius: 22. Et collidam in te virum et mulierem: et collidam in te senem
et puerum: et collidam in te iuvenem et virginem: 23. Et collidam in te pastorem et gregem eius: et collidam
in te agricolam et iugales eius: et collidam in te duces et magistratus. 24. Et reddam Babyloni, et cunctis habi-
tatoribus Chaldææ, omne malum suum, quod fecerunt in Sion, in oculis vestris, ait Dominus. 25. Ecce ego ad te
mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram: et extendam manum meam super te, et evolvam
te de petris, et dabo te in montem combustionis. 26. Et non tollent de te lapidem in angulum, et lapidem in
fundamenta, sed perditus in æternum eris, ait Dominus. 27. Levate signum in terra: clangite buccina in genti-
tibus, sanctificate super eam gentes: annuntiate contra illam regibus Ararat, Menni, et Ascenez: numerate con-
tra eam Taphsar, adducite equum quasi bruchum aculeatum. 28. Sanctificate contra eam gentes, reges Mediæ,
duces eius, et universos magistratus eius, cunctamque terram potestatis eius. 29. Et commovebitur terra, et con-
turbabitur, quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat terram Babylonis desertam et inhabita-
bilem. 30. Cessaverunt fortes Babylonis a prælio, habitaverunt in præsidiis: devoratum est robur eorum, et facti
sunt quasi mulieres: incensa sunt tabernacula eius, contriti sunt vectes eius. 31. Currens obviam currenti veniet:
et nuntius obvius nuntianti, ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas eius a summo usque ad summum:
32. Et vada præoccupata sunt, et paludes incensæ sunt igni, et viri bellatores conturbati sunt. 33. Quia hæc di-
cit Dominus exercituum, Deus Israel: Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ eius: adhuc modicum, et veniet
tempus messionis eius. 34. Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis: reddidit me quasi vas ina-
ne, absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea, et eiecit me. 35. Iniquitas adversum me,
et caro mea super Babylonem, dicit habitatio Sion: et sanguis meus super habitatores Chaldææ, dicit Ierusalem.
36. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego iudicabo causam tuam, et ulciscar ultionem tuam, et desertum faciam
mare eius, et siccabo venam eius. 37. Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor, et sibilus, eo quod
non sit habitator. 38. Simul ut leones rugient, excutient comas veluti catuli leonum. 39. In calore eorum ponam
potus eorum, et inebriabo eos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Domi-
nus. 40. Deducam eos quasi agnos ad victimam, et quasi arietes cum hœdis. 41. Quomodo capta est Sesach, et
comprehensa est inclyta universæ terræ? quomodo facta est in stuporem Babylon inter gentes? 42. Ascendit su-
per Babylonem mare, multitudine fluctuum eius operta est. 43. Factæ sunt civitates eius in stuporem, terra inha-

bitabilis et deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis. 44. Et visitabo super Bel in Babylone, et eiiciam quod absorbuerat de ore eius, et non confluent ad eum ultra gentes, siquidem et murus Babylonis corruet. 45. Egredimini de medio eius populus meus: ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini. 46. Et ne forte mollescat cor vestrum, et timeatis auditum, qui audietur in terra: et veniet in anno auditio, et post hunc annum auditio: et iniquitas in terra, et dominator super dominatorem. 47. Propterea ecce dies veniunt, et visitabo super sculptilia Babylonis: et omnis terra eius confundetur, et universi interfecti eius cadent in medio eius. 48. Et laudabunt super Babylonem cæli et terra, et omnia quæ in eis sunt: quia ab aquilone venient ei prædones, ait Dominus. 49. Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Israel: sic de Babylone cadent occisi in universa terra. 50. Qui fugistis gladium, venite, nolite stare: recordamini procul Domini, et Ierusalem ascendat super cor vestrum. 51. Confusi sumus, quoniam audivimus opprobrium: operuit ignominia facies nostras: quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini. 52. Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus: et visitabo super sculptilia eius, et in omni terra eius mugiet vulneratus. 53. Si ascenderit Babylon in cælum, et firmaverit in excelso robur suum: a me venient vastatores eius, ait Dominus. 54. Vox clamoris de Babylone, et contritio magna de terra Chaldæorum: 55. Quoniam vastavit Dominus Babylonem, et perdidit ex ea vocem magnam: et sonabunt fluctus eorum quasi aquæ multæ: dedit sonitum vox eorum: 56. Quia venit super eam, id est super Babylonem, prædo, et apprehensi sunt fortes eius, et emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus reddens retribuet. 57. Et inebriabo principes eius, et sapientes eius, et duces eius, et magistratus eius, et fortes eius: et dormient somnum sempiternum, et non expergiscentur, ait rex, Dominus exercituum nomen eius. 58. Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, et portæ eius excelsæ igni comburentur, et labores populorum ad nihilum, et gentium in ignem erunt, et disperibunt. 59. Verbum, quod præcepit Ieremias propheta, Saraiæ filio Neriæ filii Maasiæ, cum pergeret cum Sedecia rege in Babylonem, in anno quarto regni eius; Saraias autem erat princeps prophetiæ. 60. Et scripsit Ieremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem, in libro uno: omnia verba hæc, quæ scripta sunt contra Babylonem. 61. Et dixit Ieremias ad Saraiam: Cum veneris in Babylonem, et videris, et legeris omnia verba hæc, 62. Dices: Domine tu locutus es contra locum istum ut disperderes eum: ne sit qui in eo habitet ab homine usque ad pecus, et ut sit perpetua solitudo. 63. Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, et proiicies illum in medium Euphraten, 64. Et dices: Sic submergetur Babylon, et non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, et dissolvetur. Huc usque verba Ieremiæ.

Vers 1. SUSCITABO SUPER BABYLONEM VENTUM PESTILENTEM, vel *ventilatores* v. 2. puta Cyrum et Persas, ET SUPER HABITATORES EIUS, QUI COR SUUM LEVAVERUNT CONTRA ME.) Puta contra populum meum, scilicet Iudæos affligendo et captivando.

QUASI VENTUM PESTILENTEM.) q. d. Suscitabo hostes, scilicet Persas et Medos, qui Babyloniis quasi ventus pestilens pestem, id est mortem, afflent, eosque qui in Babylone rerum domina, sese invictos, securos, immobiles et inviolabiles putabant, ventilent et dispergant, ut sequitur: Chaldæos enim versu sequenti comparat areæ quæ a vento ventilatur; ita Theodor. Unde Septuag. vertunt, *suscitabo super Chaldæos ventum urentem corrumpentem.*

Secundo, τὸ *ventum pestilentem* potest referri ad id quod proxime præcedit, *qui cor suum levaverunt contra me.* Hoc ergo superborum cor vocat *ventum pestilentem;* tum quia coram Deo putet et fœtet instar venti et halitus pestilentis, quem v. g. Ætna, vel Avernus eructat: tum quia omnes virtutes omniaque bona adurit, siccat et perdit, uti ventus pestilens afflat et perdit omnia germina. q. d. Ventosis et superbis Chaldæis suscitabo ventilatores Persas, qui eos ventilent; fastum eorum fastu Persarum, vires et animos Balthasaris viribus et animis maioribus Cyri contundam; unde Septuag. vertunt, ἐξαποστελῶ ἐπὶ Βαβυλῶνα ὑβριστὰς, καὶ καθυβρίσουσιν αὐτήν, *mittam in Babylonem contumeliosos, et contumelia afficient eam;* vel *iniurios, et iniuria afficient eam.* Ita Delrio adagio 874.

Vers. 3. NON TENDAT QUI TENDIT ARCUM SUUM.) q. d. Nemo conetur Babylonem arcu suo et armis defendere; quia certo exitio a Deo destinata est, et Persæ omnem defensionem prohibebunt; ita Hugo et Lyran.

Secundo, Maldon. et Sanchez explicant, q. d. Non erit opus in expugnanda Babylone, ut sagittarius arcum intendat, aut loricatus cominus cum hoste digladietur: ego enim Chaldæos epulis et mero soporabo, itaque quasi manus eorum ac pedes ligabo, ut neque sagittarii arcum tendere, neque loricati fugere aut movere se possint. Trucidate ergo eos intrepide et animose, nec parcatis illis. Aliis punctis hæc legunt Vatabl. et Pagnin. scilicet pro אַל *al,* id est *non,* legunt אֶל *el,* id est *ad:* unde vertunt, *ad eum qui tendit arcum, et loricatum* (id est ad milites Cyri) *dicit Dominus, Ne parcatis iuvenibus eius.* Sed hi multa subaudiunt et supplent; primus ergo sensus planior, secundus planissimus est.

NON FUIT VIDUATUS ISRAEL.) q. d. Israel non est quasi vidua derelicta; sed sponsus eius scilicet Deus, adhuc vivit, eiusque quasi uxoris curam gerit, ergo liberabit et vindicabit eum, exscindendo Babylonem. Vers. 5.

TERRA AUTEM EORUM, Israelis et Iudæ, REPLETA EST DELICTO A SANCTO ISRAEL.) Id est propter sanctum Israel, puta propter Deum ab eis offensum, q. d. Ideo tradita fuit Chaldæis Iudæa, quia Deum offendit; ita Theodor. et Hugo.

Secundo et melius, *terra eorum,* scilicet Chaldæorum, *repleta est delicto,* ideoque punienda *a sancto Israel,* id est propter sanctum Israel a Chaldæis offensum, dum eius populum, scilicet Israel Dei cultui addictum et sanctificatum, tot iniuriis in captivitate afflixerunt: dum enim populum Dei indigne tractarunt, ipsi Deo iniuriam irrogarunt; ita Hugo, Lyran. Vatabl. et favent Septuag. ac Maldon. *Delicto,* inquit, *a sancto Israel,* id est contra sanctum Israel, commisso.

Tertio, a Castro: *Delicto,* inquit, id est pœna delicti et vastitate, *repleta est* Chaldæa, *a sancto Israel,* id est a Deo.

FUGITE, tum Iudæi, tum potius gentes quæcumque, DE MEDIO BABYLONIS.) Mox exscindendæ, ne cum ea pereatis; uti verisimile est a Persis noctu Babylonem invadentibus, non tantum Chaldæos, sed et Iudæos, aliosque ex qualibet gente eis occurrentes, promiscue esse occisos. Vers. 6.

NOLITE TACERE SUPER INIQUITATEM EIUS.) Babylonis; sed increpate eam, o Prophetæ, ne se putet iniuste puniri; ita Raban. et Hugo.

Secundo, Maldon. et Sanchez putant esse apostrophen Prophetæ ad hostes, q. d. *Nolite,* o Persæ, *tacere,* id est dissimulare, cessare et parcere Chaldæis.

Tertio et melius, ex Hebræo sic explices, q. d. Fugite e Babylone in alias urbes et loca, o Iudæi, et quivis alii, præsertim advenæ: ne taceatis, id est, ne quiescatis in iniquitate eius, ut discatis et imbibatis eius pravos mores, et cum ea evertamini. Hæc enim præmonuit Ieremias diu ante obsidionem Babylonis, quæ et ipsa sat diu duravit; atque ad imbibendum pravos alicuius mores, sufficit

cum eo pauci temporis conversatio; facile enim malum, difficile bonum discitur. Rursum ne taceatis *in iniquitate*, id est in pœna iniquitatis eius, quæ ei imminet. Unde sequitur: *Quoniam tempus ultionis est*, q. d. Fugite ex urbe ne eius clades vos involvat.

Alii, ne taceatis, id est, ne esse desinatis, et occidamini propter iniquitatem eius; unde Septuag. Chaldæus, Vatablus et alii vertunt, *ne disperdamini*, vel *exeindamini in iniquitate eius*. Sic Loth dicitur: *In monte salvum te fac*, Genes. 19. v. 15.

Fugiendum e Babylone Trop. Tropologice, S. Bernard. serm. 30. de conversione ad clericos: *Quidni periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam? Fugite de medio Babylonis, fugite et salvate animas vestras; convolate ad urbes refugii, ubi possitis et de præteritis agere pœnitentiam, et in præsenti obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari.*

Vers. 7. CALIX.) Putat Hieron. Prado in Ezechiel. 23. 31. hic alludi ad calicem damnatorum, qui ex vino generoso et delicato dabatur damnatis ad mortem in loco supplicii, ut animosius tolerarent cruciatus, et mortis supremum agonem, q. d. Babylonii propinarunt aliis gentibus calicem damnatorum, id est, eas ad mortem damnarunt et morte affecerunt. Verum calix hic Ieremiæ torquebat et cruciabat bibentes. Erat ergo plenus felle, non vino. Est ergo alius sensus simplicior et magis genuinus, nimirum hic: *calix aureus*, id est vinum aut potius fel calice contentum aurescens, id est flavescens ut aurum, Prov. 31. 23. *esi Babylon*, hoc est, pœnas acres et felleas Deus per Babylonios propinavit et inflixit aliis gentibus, inquit Vatabl. et Pagn. Tertio et simplicissime, Theod. Chald. Origen. et Raban. q. d. Babylon fuit calix aureus, id est regnum dives, splendidum, unde Daniel. 2. v. 32. vocatur caput aureum. Hic calix plenus est felle et absinthio, id est continet calamitates, strages et excidia: dicitur esse in manu Domini: quia Dominus eius crudelitate et tyrannide uti voluit, et per eam flagellavit et percussit gentes. Clarius id significat versio Syriaca, *calix auri* (aureus) *Babylon in manu Domini, de cuius vino inebriat* (Dominus) *universam terram.*

Babylon fuit calix aureus propter opes et luxum.

Secundo, quia quasi calix propinavit gentibus iram et supplicia Dei. Dominus ergo hunc calicem aliis gentibus propinat, ut ex eo inebrientur, id est impleantur eius invasione et stragibus pene ad insaniam: itaque propinatrix calamitatum omnibus gentibus fuit Babylon. Fuit ergo ipsa quasi calix iræ Dei, sed aureus ob splendorem et gloriam imperii: per hæc enim Deus infligebat supplicium iis omnibus, quos plectere volebat. Perinde fere esset ac si diceretur, Chaldæos esse flagellum Dei, quo ipse castigabat nationes: licet autem flagellum esset inauratum, non ideo tamen plaga eius minus erat luculenta. Sed iam cecidit et per Cyrum contritus est hic calix Babylonius: quia Deus eum deiecit in terram et confregit.

Notat etiam calix aureus opes, luxum ac consequenter idololatriam, quam Babylonii gentibus aliis invexerunt; unde huc alludit S. Ioannes Apoc. 14. 8. et c. 17. 4. nimirum *venenum* non vitro, sed *auro* velatum propinatur et *bibitur*, ut ait Seneca.

Tropol. Tropologice S. Greg. 34. Moral. 8. *Babylon*, inquit, id est *mundi huius gloria, dicitur calix aureus, quia dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sua concupiscentia deebriat, ut speciosa temporalia appetant, et invisibilia pulchra contemnant. Aureus ergo calix Babylon est: quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit.* Nam, ut vulgo dicitur: *Auro loquente, nihil pollet quævis oratio;* et S. Ambros. lib. de Elia cap. 15. *Constitue*, inquit, *ante oculos tuos pompam huius sæculi, vide speciosam illecebram, sed inanem gratiam; non seducant te vasa aurea et argentea: habemus et nos thesaurum in vasis fictilibus. Vas Apostolorum fictile est, sed in eo thesaurus est Christi;* vide et Orig. hom. 2. hic, ubi docet Babylonium calicem aureum esse sermonem verborum lenociniis adornatum, qui prava audientibus instillat, qualis est hæreticorum, meretricum, adulatorum, etc.

BIBERUNT GENTES, ET IDEO COMMOTÆ SUNT.) Arabicus, *biberunt omnes populi, et babylonizati sunt*, id est confusi sunt.

TOLLITE RESINAM.) q. d. O gentes Chaldæis subditæ Babylonis ruinæ medelam afferte. Est ironia. Unde respondent hi medici, puta gentes: *Curavimus Babylonem, et non est sanata;* ergo de salute eius desperantes, recedamus quisque in terram suam; ita Theodoret. Hugo et Vatabl. Est dialogus Prophetæ et gentium. Vers. 8.

Alii volunt esse vocem Prophetarum, vel, ut Orig. Raban. et Lyran. angelorum custodum Babylonis, qui quod nihil proficerent in eius curatione, eam erant deserturi. Sic Hierosolymæ, paulo ante excidium eius, audita est vox angelorum in templo in die Pentecostes: *Migremus hinc*, ait Ioseph. libr. 7. Belli 12. Verum angeli non ululant, nec medebantur temporali auxilio Chaldæis contra Medorum impetum a Deo decretum (de quo hic est sermo) sed spirituali, contra peccata quæ curare conabantur.

Tropolog. hinc docet Origenes angelos sanctos animam impiam, quæ eorum correptiones et inspirationes in vita contempsit, deserere in agone mortis; cum undique ipsa a morbo, mundo, carne et dæmonibus impetitur, maximeque infirma est et imbecillis ad resistendum: quo fit ut ab hoste superetur, et trahatur in tartara. Sicut medicus, inquit, derelinquit ægrum, de cuius curatione desperat, *ne inter manus suas expirans, causam interitus eius ad se retorqueat.*

QUONIAM PERVENIT USQUE AD CÆLOS IUDICIUM EIUS.) Vers. 9. *Iudicium* vocat scelera enormia Babylonis, quæ vindictam et iudicium Dei clamabant et expostulabant in cælum: hæc enim faciebant plagam eius incurabilem et desperatam, uti præcessit.

Aliter R. Salomon et Maldon. q. d. Relinquamus Babylonem, quia ipsa non tam ab hominibus, quam a Deo cælitus impugnatur: unde ipsa incurabilis est, nec ab homine vel angelo adiuvari potest.

Alii, *iudicium*, inquiunt, id est pœna eius iusto Dei iudicio ei inflicta, *pervenit ad cælos*, id est, ingens est et immensa, ut sit hyperbole, qualis est illa: *It clamor cælo.*

PROTULIT DOMINUS IUSTITIAS NOSTRAS.) Id est, Deus Vers. 10. probavit ipso facto iustam esse causam nostram, qua querimur nos iniuste a Chaldæis opprimi: nullam enim eis iniuriam intulimus. Chaldæorum vero causam esse iniustam ostendit, infligens eis iustum hoc excidium ob oppressionem nostram; patet ex sequ. Est vox populi Dei, sive Iudæorum.

NARREMUS, etc. OPUS DOMINI.) Quomodo scilicet Chaldæos contriverit, et nos liberaverit.

IMPLETE PHARETRAS.) Sagittis, o Persæ, ad iaculandum Vers. 11. in Babylonios; ita multi. Aut aptius, *implete pharetras* sagittis, o Chaldæi, ut iis Persas arceatis a Babylone: quia *suscitavit Dominus spiritum regum Medorum* et Persarum; *et contra Babylonem mens eius est;* ita Sanchez. R. David vertit, *congregate clypeos*. Verum melius vertit noster, *implete pharetras;* cui consentiunt Septuagin. et Chald. Hebr. enim מלאו *milu*, significat *implete*, non *congregate*.

TEMPLI.) A Chaldæis in Ierusalem succensi.

LEVATE SIGNUM.) Censent Theodor. Hugo, Lyran. et Vers. 12. Sanchez esse sermonem ironicum ad Chaldæos a Persis et Medis obsessos, q. d. Vexillum in muris patrium erigite, o Chaldæi, custodias instaurate, insidias struite ut exploretis hostium consilia, milites instruite ad resistendum Persis. Alii tamen, ut Raban. Vatabl. et Maldonat. censent esse sermonem ad Persas obsidentes Babylonem: horum enim erat struere insidias, q. d. Explicatis vexillis, o Persæ, invadite Babylonem, agite ut vexilla vestra in ipso muro Babylonis collocetis in signum captæ urbis: ideoque *augete custodiam*, id est excubias, *levate*, hebr. excitate, *custodes*, q. d. Novos vigiles submittite, qui urbem cingant et stringant.

PRÆPARATE INSIDIAS.) q. d. Agite cuniculos, Euphratem alio deducite, simulate quietem aut fugam, aliosque

dolos struite, quia fecit, id est faciet, Dominus quæ locutus est contra Babylonem.

Vers. 13. Quæ habitas super aquas.) O Babylon, quæ sita es iuxta Euphratem, esque locupletissima. Euphrates enim Babylonem interluebat, et per varios sinus et rivos deductus, varias eius plateas oberrabat.

Venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ.) Finem pedalem præcisionis, vocat finem pede Dei, quasi æqua et iusta mensura, sceleribus Babylonis commensum et emensum. Pes enim est genus mensuræ, etiam in vindemia et vini expressione (cui supplicia scelerum a Deo iuste decreta comparare solent Prophetæ) unde Plin. l. 18. c. 31. pedem iustum vocat quando una uvarum pressura viginti culeos implet: favet vox *præcisionis*, quæ uvarum est, et notat excidium. Hinc et versu sequenti ait: *Super te celeusma* (quod est calcantium uvas) *cantabitur*. Nicolaus Damascen. apud Stobæum serm. 32. et Alexand. ab Alexand. l. 4. Genial. c. 17. narrant Indos quosdam, qui Pedalii vocantur, solere a Deo solam iustitiam postulare ut munus excellentissimum. Pedale ergo est iustus pes, sive iusta mensura punitioni Babylonis præstituta, iam sceleribus Babylonis commensum et emensum: iam enim mensuram cupiditatis et iniquitatis suæ compleverat Babylon, qua completa eam præscindere et perdere decreverat Deus. Hebr. enim ad verbum habent, *venit finis tuus*, scilicet *mensura*, id est terminus et completio *cupiditatis, avaritiæ, vel rapinæ tuæ*: quia scilicet illa ad summum iam pervenit; unde instar finis tibi, puta, *tempus præcisionis* tuæ et excidii tui; pedalem enim mensuram tibi tuoque imperio duplicem præstituit et prædefinivit Deus; primam opum et gloriæ, æque ac scelerum: secundam temporis, ut nimirum imperium teneas per 70. annos. Utramque mensuram iam implesti. Ergo finem tibi dabit Deus, teque pro meritis puniet et excindet.

Moraliter Nota, exiguam hic mensuram, scilicet pedalem, peccatorum, æque ac deliciarum, opum et imperii a Deo constitui Babyloni, et cuivis regno, ac multo magis cuivis homini (uti docet S. August. lib. de Vita Christiana c. 3. et 4. tomo 9.) qua impleta omnia simul ipsius scelera punit, eumque morte præsenti et æterna pro meritis mulctat. Ita eum impii putant se esse in cursu et vento prospero ad omnem felicitatem, se esse in flore, se stare in culmine gloriæ, subito a Deo deiiciuntur et præcipitantur in interitum; ita Sanchez. Quocirca merito miseram hominum regumque sortem miserans Sidonius Apollinaris l. 8. epist. 11. ad Lupum, exclamat: *O necessitas abiecta nascendi, vivendi misera, dura moriendi!* Et Aristides: *Nihil est in rebus humanis securum, nihil æquabile, nihil sibi sufficiens.*

Secundo, Hugo, Lyran. et Maldon. sic explicant: *pedalis præcisionis tuæ*, id est, ut funditus excindaris: loquitur enim, inquit ipse, de Babylone metaphorice, quasi de arbore, cuius pes, id est truncus, præscindendus est, q. d. Iam *securis ad radicem tuam posita est*. Verum Hebr. אמת *ammat*, non pedem, id est truncum; sed cubitum et mensuram significat.

Tertio, Vatabl. et Pagn. vertunt, *venit finis oppressionis tuæ, eo quod brachio tuo opprimebas alios*: unde pari modo tu iam opprimeris a Medis. Hinc et Chald. vertit, *venit tempus visitationis malitiæ tuæ*. Et Isidorus ac Castrius, q. d. Venit finis et tempus, quo Babylon æqua mensura tantum pœnarum exsolvat, quantum aliis gentibus intulit et inflixit. Septuag. vertunt, *venit finis tuus vere in viscera tua*, ut scilicet ea discerpant Medi: scilicet pro *ammat*, id est cubito vel pedali, legerunt אמן *amen*, id est vere, vel אמת *emet*, id est *in veritate*.

Vers. 14. Replebo te hominibus quasi brucho.) Militum Medorum multitudinem et murmur comparat bruchis, qui turmatim in germina, arbores et vineas involantes, eas stirpitus depascuntur: item vindemiatoribus communi voce quasi celeusmate se invicem ad torcular comprimendum exhortantibus. Vide dicta c. 48. 33.

Vers. 15. Præparavit.) Hebr. מכין *mechin*, id est firmavit, fundavit.

A Dante eo vocem.) q. d. Tonante Deo cælum videtur disrumpi et pluvias effundere. Exaggerat hic potentiam Dei, ut ostendat eam posse robur Babylonis evertere. Reliqua usque ad v. 20. explicata sunt c. 10. v. 14. 15. 16. Est hic a v. 16. usque ad 20. longa et pulchra Dei descriptio, per elogia fortitudinis, sapientiæ et beneficentiæ ipsius, quibus uti res omnes creavit, ita iisdem assistit iugiter, easque dirigit et gubernat. Simili modo Gentiles Deum descripserunt. Aristides hymno in Iovem: *Omnia*, inquit, *ubique sunt Iovis plena, cum ipse rebus singulis assideat, non secus atque pueris præceptores, et bellici vectores aurigis: omniumque deorum beneficia Iovi ferenda sunt accepta; nam illi huius, ceu ducis in exercitu, imperio parentes, humanis rebus provident.* Et mox: *Iupiter*, ait, *omnium rerum pater est, fluviorum, cæli, terræ, deorum, hominum stirpium: hic omnia dat et facit: hic in concionibus et iudiciis cum victoriam tribuit, Forensis vocatur; in præliis Trophæus; in morbis aut ubicumque opem fert, Servator. Hic est Liberator, hic mansuetus,*
B *quippe pater; hic Rex, Urbitenens, Elicius, Pluvius. Cælestis Coryphæus. Ab hoc incipere merito debemus, et in hoc desinere, dictorum omnium et factorum præsidem ipsum et adiutorem, seu universi imperatorem, et solum præfectum, semper invocantes.*

Collidis tu mihi vasa belli, et ego collidam in te gentes.) Id est, ut Hebr. habent: o Babylon, tu mihi fuisti מפיץ *mephits*, id est malleus collidens et conterens vasa, id est instrumenta bellica aliarum nationum, quo malleo adhuc gentes conteram, regnaque contundam, equos, equites, iuvenes, senes, pastores, agricolas et cæteros, quos describit usque ad vers. 24. Quapropter post hæc ego *reddam Babyloni, et cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum suum*, et pari modo eam conteram, quo ipsa alias gentes contrivit. Unde Chald. Vatabl. Pagnin. et a Castro sic vertunt et explicant; tu o Babylon, es mihi malleus et instrumentum bellicum, quo alias gentes contero; ac demum post eas omnes malleum ipsum, id est
C te, conteram. Sic eam malleum terræ vocavit c. 50. 23. Vers. 20.

Nota. Τὸ, *in te*, idem est quod *per te*, Theodor. aliter accipit τὸ *mihi*, q. d. Tu collidis mihi, id est in populum meum confringis et dispergis omnia vasa tua bellica. Sed prior sensus est genuinus.

Nota. Futurum *collidam*, ubique hic accipi potest pro præterito *collisi*, tumque melius cohæret cum v. 24. q. d. Collisi per te gentes, nunc pariter te collidam, quia tu pariter, imo magis mereris collidi quam alii.

Agricolam et iugales eius.) Id est boves, quibus iugatis agricola arat. Est hypotyposis vastationis bellicæ. Vers. 23.

Ecce ego ad te mons pestifer.) Nota. Babylon sita est in loco humili, scilicet campo Sennaar; hic tamen vocatur mons, tum ob gloriam et fastum imperii; ita Theodor. et Lyran. tum ob celsa palatia, atque murorum altitudinem et fortitudinem; ita Vatabl. et Maldon. Erat enim murorum Babylonis, ait Orosius lib. 2. c. 6. latitudo 50. cubitorum, altitudo quater tanta, ambitus 480. stadiorum. Vide dicta Daniel. 4. 27. Vers. 25.

D Pestifer.) Septuag. *mons corrupte;* Chald. *dissipans;* Heb. משחית *maschit*, id est *vastans*: quia omnes gentes in suam potestatem et impietatem adducit. Comparat Babylonem monti vastanti et laceranti, ac pestem, id est necem et exitium, omnibus afferenti; quia sicut ex montibus prodire solent feræ quæ omnes laniant; ita ex Babylone prodibant milites, qui gentes omnes laniabant; ita Maldon. Unde sequitur. *Qui corrumpis*, id est perdis, vastas, excindis *universam terram*.

Evolvam te de petris.) De turribus, mœnibus et munitionibus eiiciam te. Persistit in metaphora montis: sicut enim urbem vocavit montem, ita turres vocat rupes; quod enim sunt rupes in monte, hoc sunt turres in urbe.

Et dabo te in montem combustionis.) Id est combustum, ut feræ, id est milites, ex eo diffugiant.

Non tollent de te lapidem in angulum.) Hoc est, ita o Babylon, quæ videris rupes solidissima, Persarum malleo contunderis, ita eorumdem igne combureris, ut Vers. 26.

omnes tui lapides in minuta fragmenta dissiliant, aut in cinerem redigantur, nec supersint lapides iustæ molis et magnitudinis, qui in angulis domorum et fabricarum collocentur; q. d. Babylonis domos, parietes et lapides in acervum redigam, et in rudera æterna; ita Lyran. Est hyperbole.

Symbolice, per lapides angulares Reges et principes intelliguntur, q. d. ut vertit Chald. *Non tollent deinceps ex te Regem in regnum, et principem in principatum, quia omnes delebuntur;* ita et Theodor. Hugo, Vatabl. et Maldon.

Sed perditus in æternum eris.) Hebr. *eris in desolationes sempiternas*, id est, non restauraberis ultra. Videre est etiamnum rudera antiquæ Babylonis. Magis tamen loquitur Propheta de abolitione imperii Babylonici.

Vers. 27. Levate signum.) Id est vexillum. Alloquitur Deus quasi dux belli suos centuriones et chiliarchas Persarum et Medorum, q. d. Conscribite militem, delectum castrensem agite.

Sanctificate super eam Gentes.) Convocate Gentes ad sacrum bellum gerendum contra Babylonem. Vide dicta c. 6. 4.

Annunciate bellum contra illam regibus Ararat.) Id est Armeniæ, non superioris et montosæ, ut Vatabl. sed inferioris: Ararat enim, ait S. Hieron. in c. 37. Isa. regio in Armenia campestris est, per quam Araxes fluit ad radices Tauri montis altissimi, super quem arca Noe primo requievit, unde arcæ pars fertur superesse in Armenia apud montem Cordiæorum.

Menni.) Videtur esse Minyarum in Armenia regio, de qua Ioseph. 1. Antiq. 4.

Ascenez Asiani, unde orti et dicti sunt Tuiscones.

Ascenez.) Gens Armeniæ vicina, dicta ab Aschenez filio Gomer, filii Iaphet, filii Noe. Iosephus putat esse Rhegium urbem Italiæ, Vatabl. Gothiam, Iudæi Germaniam. Verum ex hoc loco Ieremiæ apparet, Aschenez fuisse populum in Asia, Medis vicinum: cum Medis enim vocatur hic ad excidium Babylonis; atque verisimile est, ex his Asianis Ascaniis posterioribus sæculis multos transisse in Europam, ab eisque ortos esse nostros Ascanios, id est Tuiscones sive Germanos: ita Torniellus anno mundi 1931. num. 21.

Numerate contra eam Taphsar.) Pro *Taphsar* Septuag. vertunt, *machinas*; Chald. *bellatores;* Vatablus, *nobilitates*; noster Nahum 3. v. 17. vertit, *parvos duces* vel *principes :* טַף *taph* enim parum, שַׂר *sar* principem significat. Iubet ergo principes vel duces conscribi ad bellum hoc; ita Pagnin. et Vatabl. Noster interpres videtur *Taphsar* accipere ut nomen proprium loci, ex quo conscribendi sint milites vel lixæ.

Adducite equum quasi bruchum aculeatum.) Qui in bello erectos et horrentes attollat crines, ac hirsutas et hispidas iubas, quasi aculeos bruchorum, id est locustarum, uti dixi Isaiæ c. 33. 4. quæ aculeum habent in cauda, pedibus et dentibus. Equos enim Persarum feroces esse, et quasi a natura stimulos habere et aculeos, neque alienis egere calcaribus, docet Oppianus, et ex eo Sanchez. Quocirca Vatabl. vertit, *quasi examen horridum evigilabit*, quæ hactenus videtur dormivisse, *cogitatio Domini* de punienda Babylone. Hebr. est, *excitabitur cogitationes Domini*, id est unaquæque cogitationum : quidquid Dominus cogitavit, id iam suscitabitur et executioni dabitur.

Vers. 31. A summo ad summum.) Ab extremitate una ad aliam.

Vers. 32. Vada (Euphratis) præoccupata sunt.) A Persis. Nam cum Cyrus Euphratem, qui Babylonem interluit, per fossas a militibus factas alio derivasset, ut per eius alveum pedites incedere possent, milites partim ea parte qua Euphrates urbem ingreditur, partim ea qua egreditur, in urbem immisit, teste Herodoto lib. 1. Et hoc est quod hic ait Propheta, *a summo ad summum.* Simili modo Tiberis inundationes Romæ damnosas, multi olim avertere, urbemque siccam conservare cogitarunt, et etiamnum cogitant, derivando Anienem aliosque fluvios qui in Tiberim influunt, in fossas, quibus per valles alio decurrant. Actum fuit ab Aruntio et Ateio hac de re in Senatu sub Tiberio Cæsare, sed itum est in hanc sententiam: *Optime rebus mortalium consuluisse naturam, quæ sua ora fluminibus, suos cursus atque originem, ita fines dederit: ipsum Tiberim nolle prorsus accolis fluviis orbatum minore gloria fluere*; ita Tacitus lib. 1.

Et paludes incensæ sunt.) A Persis, ut incensis carectis, quæ transitum militum impediebant, expeditior eis esset via in urbem; aut, ut Sanchez, ut incensis paludibus, quasi elevatis facibus, via ostenderetur transituris per Euphratis alveum in urbem. Noctu enim capta est Babylon. Porro per paludes intellige iuncos et arundines, ait Vatabl. et Pagnin. quæ apud Nilum et Euphratem in locis paludinosis crescunt in arborum altitudinem, vel certe per paludes, intellige munitiones aliquas erectas in paludibus.

Nota. Per Euphratem quo superbiebat Balthasar et Babylon, quasi per illum esset inexpugnabilis, per eumdem expugnata est. Hic verum est illud: *Unde salus, inde vulnus.*

Filia Babylonis quasi area (male legunt aliqui *arca*) tempus trituræ eius.) q. d. Hactenus Babylon fuit quasi area plena frugibus, domibus, civibus, opibus et spoliis omnium gentium, iam triturabitur; ut omnes hæ opes excutiantur, illisque ipsa spolietur, ita Theod. Vatabl. et Lyran. Vel potius area, id est seges convehenda in aream (ut sit metonymia) est Babylon; unde sequitur: *Tempus messionis eius*, scilicet advenit, ut a Persis messoribus demetatur, et bonis omnibus spolietur; messem enim vocat spoliationem rerum omnium; trituram vero attritionem et afflictionem civium. Sic enim David trituravit Ammonitas, et *fecit super eos tribulas, et trahas, et serrata carpenta* (hisce enim segetes excutiuntur et triturantur in Palæstina, Canariis, aliisque locis) *transire* 2. Reg. 12. quo hic alludit Ieremias, et forte ad literam ita Persæ triturarunt Chaldæos, quia ipsi triturarunt Iudæos, Moabitas, aliasque gentes, uti ait Isaias c. 21. 10. et c. 25. 10. hoc est, eos acriter vexarunt et afflixerunt. Vocatur ergo hic Babylon area trituræ, id est area, in qua quasi in theatro, conterendi erant, et capite bonisque mulctandi Chaldæi, ad publicum omnium gentium spectaculum, terrorem et exemplum. Sic area trituræ, id est contritionis Martyrum, fuit amphitheatrum Romæ. Vers. 33.

Adhuc modicum, et veniet tempus messionis eius.) Ut per falcem volantem quam vidit Zachar. cap. 5. id est per gladium et arma Persarum demetatur, id est capiatur et incendatur Babylon; deinde trituretur (prius enim segetes demetuntur, quam triturentur) id est cives eius occidantur, ac opes excutiantur et diripiantur.

Comedit me.) Verba sunt cœtus Iudæorum vel Ierusalem, narrantium suas oppressiones a Chaldæis illatas, quod quasi a belluis sit devorata, et ut vas inane relicta, educto omni populo in captivitatem. Idem Tropologice facit dæmon in anima peccatoris quam sibi subiugat, et devastat. Urbs vocatur *vas*, quia capit cives, uti vas capax est vini; sed uti vas vino exhausto, ita et urbs civibus exhaustis, est quasi dolium vacuum et inane. Vers. 34.

Absorbuit me.) Totam, sicut dracones marini, id est balenæ, sorbent integras naves. Huic enim comparatur Pharao Ezech. 29. v. 3. Pari modo Nabuchodonosor, ut immanis balena, absorbuit totam Ierusalem, urbem spoliando et incendendo, cives vel occidendo, vel abducendo in Babylonem; sicut enim Pharao inter rivos Nili, sic Nabuchodonosor inter fluenta Euphratis et Tigris, degebat ut crocodilus, vel ut balena; unde subdit v. 36. *Desertum faciam mare eius.*

Replevit Nabuchodonosor ventrem suum teneritudine mea.) Hebr. et Septuag. *deliciis meis*, id est Primo, adolescentibus meis nobilibus; ita Hugo. Secundo, me ipsa quæ sum tenere in Dei cultu enutrita; ita Dionys. Tertio, bonis omnibus meis, puta deliciis et divitiis, rebusque pretiosis quas tenere diligebam; ita Chald. et Theod. et tunc per ventrem accipe ærarium Nabuchodonosoris; item eius avaritiam. Hæc enim auri est avida,

æque ac venter famelicus cibi; sed hic cibo impletur, illa auro satiari nequit: est enim inexplebilis.

Et eiecit me.) Id est, evomuit me, q. d. Postquam omnes meas opes devoravit, domosque incendio absumpsit, eiecit me, id est cives et filios meos, ex terra mea, et in Babylonem abduxit.

Vers. 35. Iniquitas adversum me, violentia et clades mihi Sioni et Iudææ inique a Babylone illata, et caro interfectorum meorum, erit super Babylonem.) Ut dignas solvat pœnas suæ tyrannidis; unde subdit Dominus:

Vers. 36 Ego iudicabo causam tuam, et ulciscar ultionem tuam.) Id est, iniuriam tibi a Chaldæis illatam. Est metalepsis: iniuria enim ulciscenda, vocatur *ultio.*

Desertum faciam mare eius.) Id est, tum Euphratem; hunc enim alio derivavit Cyrus; ita Lyran. tum potius *mare*, id est abundantiam hominum et opum, quæ videbatur tanta, ut quasi mare exhauriri non posse videretur; ita Theod. et Vatabl.

Et venam.) Id est, regnum et dominationem eius in omnes et singulas gentes; ita Theodor. Vel *venam* vocat reconditos eius thesauros; ita a Castro. Tertio et aptius, *venam* vocat, tum vectigalia, quæ Babyloniis ab omnibus gentibus solvebantur; tum mercimonia: ex hisce enim quasi ex venis manabant iuges Babylonis opes.

Vers. 37. Et erit Babylon in tumulos, tum lapidum ex ruina domorum, tum arenarum, ex siccato Euphratis alveo, ideoque erit habitatio draconum.) Terrestrium, qui loca deserta incolunt.

Vers. 38. Simul ut leones rugient.) Hoc et de Persis victoribus cum Maldon. et Sanchez, et de Chaldæis victis, accipi potest cum Lyrano, Hugone, Castrio; hi enim audientes Persas Babylonem ingressos, a somno et vino expergefacti, comas excutient, ac rugient præ dolore, vel potius præ ira et indignatione, sed sero et frustra: sequentia enim Chaldæis competunt. Audi Virgil. 12. Æneid. graphice iras et animos leonis describentem:

Pœnorum qualis in arvis
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento.

Vers. 39. In calore ponam potus eorum.) Est hypallage, id est, in potibus et compotationibus Balthasaris et Chaldæorum ponam calorem eorum, id est, faciam ut incalescant, inebrientur, occidantur: convertam eorum convivia in perpetuam ebrietatem, ex qua numquam expergefiant, sed dormiant somnum sempiternum, scilicet in morte, sepulchro et inferno. Multi enim Chaldæorum dormientes et ebrii, alii semisomnes et semisobrii, alii evigilantes et sobrii occisi sunt; itaque omnes a somno temporali ad somnum perpetuum Persarum gladio transmissi sunt. Quid enim est somnus, nisi mors brevis? et quid est mors, nisi somnus perpetuus? vide historiam Daniel. 5. v. 4. et 30. Idem prædixit Isaias cap. 21. 5. Chaldæi enim deridebant Persas obsidentes, eo quod haberent in urbe res necessarias ad viginti annos, ut iis tolerare possent obsidionem, ait Xenophon lib. 7. unde præfidentes suis viribus et opibus, indulgebant genio: et tunc a Cyro oppressi sunt. Ecce, hic compotationum est finis, hæc sunt sepulchra concupiscentiæ et bacchantium.

Vers. 41. Quomodo capta est Sesach?) Id est Babylon. Vide dicta c. 25. 26. Est epiphonema Prophetæ, mirantis Babylonem esse captam, quæ videbatur insuperabilis.

Inclyta universæ terræ.) Hebr. laus et gloria universæ terræ; Syrus vertit, *quomodo capta est princeps regnorum, gloria universæ terræ? quomodo facta est in stuporem Babylon?* Arabicus Antiochenus, *quomodo capta est Aryseche*, id est, præcipua, et caput regnorum? Arabicus Alexandrinus, *quomodo obsessa est urbs præstans, gloria universæ terræ? quomodo facta est Babylon stupor?*

Vers. 42. Mare.) Grandis exercitus Medorum et Persarum obruit Babylonem. Arabicus vertit, *elevatum est mare contra Babylonem, immersa est in multitudine fluctuum eius.*

Vers. 44. Et visitabo super Bel, id est, super Chaldæos cultores Beli, ut sit metonymia: ita Chald. et Lyran. Secundo et planius, per Bel ipsum Beli idolum accipe: hoc enim quotidie devorabat sacrificia plurima cibosque sibi oblatos (Dan. 14. 2.) ac centum talentorum millia thuris, quæ quotidie ei adolebantur, teste Herodoto: item anathemata et donaria, uti vasa templi Hierosolymitani. Hæc enim in Beli templum et cultum intulit Nabuchodonosor, Daniel. 1. 2. unde subdit: Et eiiciam quod absorbuerat, de ore eius.) q. d. Bel hæc omnia absorpsit et rapuit, sed Cyrus coget eum eadem revomere et reddere: ita Theod. et Vatabl. In Hebr. est elegans paronomasia: *Visitabo Bel in Babel, et eiiciam* בלעו *bilo*, id est, *devorationem eius de ore eius, et Babel corruet.*

Veniet (Babylonem) in anno, scilicet primo Balthasaris, auditio.) Id est rumor belli, quod Medi parant: Vers. 46.
anno secundo venient ipsi Medi cum iniquitate, id est violentia: tertio anno Babylon ab iis expugnabitur, et dominator Cyrus dominatorem Balthasarem occidet: ita Vatablus, et R. David.

Secundo et simplicius, q. d. O Iudæi, ne mollescat cor vestrum, cum varios belli Persici contra Chaldæos audietis rumores (hi enim vocantur *auditio et auditio*, eaque *in anno, et post annum*, hoc est toto anno, imo post annum crebra et iterata auditio) et propter eos orientur iniquitates, id est seditiones, tumultus, et rapinæ, et bella intestina, aliis faventibus Persis, aliis Chaldæis, aliis antiquas inimicitias ulciscentibus: quia cum has turbas et iniquitates videritis, scitote imminere excidium Babylonis, et vestram liberationem. Simile ait Christus de excidio urbis et orbis, Matth. 24. 4. ita a Castro. Paulo aliter Sanchez, qui per *iniquitatem* accipit continuatam in hisce belli rumoribus Chaldæorum contra Iudæos tyrannidem et oppressionem, q. d. Ne animos vestros, o Iudæi, debilitet et frangat, quod cum uno anno, deinde alio atque alio belli rumor audiatur, nihil tamen Chaldæi de sua in vos iniquitate et severitate priori remittant, maneantque dominatores, donec novus dominator Cyrus succedat. Dies namque brevi veniet, quo Babylonem cum suis sculptilibus puniam et evertam.

Laudabunt cæli.) Id est Angeli cæli, laudabunt iu- Vers 48.
stam Dei vindictam de Babylone: vel potius, q. d. Nova erit mundi facies, ut cæli et terra præ gaudio exilire videantur, ob cæsum tyrannum Babylonium, sub quo omnes gemebant, quique terram tributis, rapinis, cædibus, excidiis vexabat; quin et cælo ac cælitibus erat iniurius, arrogando sibi divinos honores, ac idola pro Deo colendo, omnesque ad eorum cultum cogendo. Est hyperbolica prosopopœia.

Qui fugistis gladium.) Loquitur Iudæis, qui fuge- Vers. 50.
rant gladium in vastatione, non Ierusalem, ut Vatabl. (Hi omnes pene iam mortui erant; paucique tantum senes admodum ex ea erant superstites) sed Babylonis, ut iam *procul*, id est post 70. annos, recordentur pristini cultus Domini, et reditus in Ierusalem, de quo a parentibus plurima audierant, at vero a Ieremia et Ezechiele oraculum et promissionem Dei acceperant: ita Raban. Theodor. Lyran. et alii.

Confusi sumus.) Est mimesis. Respondent enim Iu- Vers. 51.
dæi, q. d. Cum recordamur Ierusalem, confundimur; et pudet nos opprobrii, quo afflictos audivimus patres nostros in excidio Hierosolymæ; et contumeliæ, quam barbari Chaldæi intulerunt templo sancto Domini: atque opprobriorum et blasphemiarum, quas eos petulanter contra Dominum, eiusque templum iactare, eique insultare sæpe audivimus, nimirum Bel esse potentiorem Deo nostro, ac evertisse eius urbem, gentem et thronum in templo. His respondet Deus, se Bel eversurum cum cæteris sculptilibus; Chaldæos vero ita vulneraturum, ut non gemant, sed mugiant instar boum dum mactantur: denique se Babylonem, quæ turres et muros in cælum attollere, ideoque munitissima videbatur vastaturum.

Vox clamoris de Babylone.) Audietur. Simile fuit Vers. 54.
c. 48. 3.

Perdidit ex ea vocem magnam.) Id est turbam tu- Vers. 55.

multuantem, et vocibus magnis conclamantem, q. d. Faciet Deus, ut in Babylonem, ubi iam ob hominum turbam magnus est strepitus et murmur, magnum inducatur silentium et solitudo, ex civium occisione et fuga.

Et sonabunt fluctus eorum.) Babyloniorum cum occidentur, eiulatus resonabunt, sicut fluctus aquarum multarum: ita Maldon.

Vers. 57. Inebriabo principes eius.) Calice iræ meæ, et extrema clade, ut dormiant somnum mortis æternum. Alludit rursum ad crapulam Balthasaris et Babyloniorum, cum Babylon caperetur. Vide v. 39.

Vers. 58. Murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur.) Erant enim muri Babylonis lati 50. cubitos, alti ducentos: longi adeo, ut per circuitum haberent portas centum: ita Herodot. lib. 1. Diodorus, Solinus et alii. Vide dicta Daniel. 5.

Labores populorum ad nihilum, et gentium in ignem erunt.) q. d. Babylonis insanæ substructiones, palatia, arces, templa, muri, horti pensiles, etc. tanto labore totius pene Asiæ tot annis extructa, igne cremabuntur, et in nihilum redigentur: ita Chaldæor. Lyran. et alii.

Aliter Vatabl. q. d. Fatigabuntur populi et plebs (in extinguendo igni) et lassabuntur, id est, non poterunt extinguere ignem, quo flagrabit Babylon.

Vers. 59. Cum Sedecia.) Qui ibat in Babylonem ad Nabuchodonosorem, ut eum salutaret eique munera offerret, ut eum sibi et captivis Iudæis redderet benevolum: contigerunt enim hæc anno quarto Sedeciæ, ut hic dicitur, quando omnia Hierosolymæ cum Chaldæis erant pacifica: ita Hebræi in Seder Olam c. 10. ac Latini. Minus recte ergo Septuag. et Chald. vertunt, *eum abiret a Sedecia*, quasi Sedecias non iverit in Babylonem, sed Saraiam legatum pro se eo miserit. Ex dictis liquet hanc prophetiam contra Babylonem quæ habetur c. 50. et 51. (quæque hoc libello descripta a Ieremia tradita est Saraiæ, ut eam Iudæis in Babylone captivis legeret. ac deinde in Euphrate submergeret) dictam esse a Ieremia anno quarto Sedeciæ, puta septem annis ante excidium Ierusalem.

Saraias autem erat princeps prophetiæ) Id est, orationis et legationis, ut quasi orator peroraret apud Nabuchodonosorem. Sic Aaron vocatur propheta, id est interpres et orator Mosis apud Pharaonem, Exodi 7. v. 1. Rursum *prophetiæ*, scilicet illius quam hic nomine totius Reipublicæ Iudaicæ commendavit Ieremias, ut eam in Babylone promulgaret voce, et reipsa perageret: ita Sanchez. Hebraice est, *princeps quietis;* quia in quiete et in somnis olim sæpe Deus Prophetis et Sanctis sua revelabat. Aliter Vatabl. *quietis*, inquit, id est, ne quis Regem quiescentem interturbaret, hic Saraias custodiebat eius cubiculum, q. d. Erat præfectus cubiculi Regii, vel *quietis*, id est recreationis Regis erat præfectus: et sic quod noster vertit *prophetiæ*, a Castro explicat, q. d. *Prophetiæ*, id est Psalmorum et musicæ, ut ea Regem recrearet. Aliter quoque Maldon. Erat, inquit, *princeps prophetiæ*, id est, primus inter Levitas qui prophetias decantare solebant, aut princeps Sacerdotum, ut vocatur cap. sequenti v. 24. Sed dubium est, an ille Saraias sit idem cum hoc.

Propheta vocatur legatus et orator.

Denique Chald. et Septuag. pro מנחה *menucha*, id est quietis, legunt מנחה *mincha*, id est munerum, q. d. Saraias erat munerum Regi oblatorum, vel a Rege distribuendorum præfectus, quem postea in aulis Regum et principum vocarunt comitem vel præfectum sacrarum largitionum. Hic sensus cohæret cum primo (idem enim erat legatus et munerum largitor) qui videtur esse maxime appositus.

Et dixit Ieremias ad Saraiam: Cum veneris in Babylonem, et videris, et legeris omnia verba hæc.) Hoc est, videndo et inspiciendo legeris verba hæc, quæ in libro tibi dato scripsi de Babylonis excidio: *legeris*, inquam, non Babyloniis: hi enim si Babylonis cladem ex te audirent, in te, æque ac in Iudæos captivos sævirent; sed Ioachin et Iudæis in Babylone detentis; ut lenias eorum dolorem, et captivitatis ærumnas spe libertatis iis dandæ a Cyro, cum ipse Babylonem everteret. Vers. 61.

Proiicies.) Primo, ad consolationem Iudæorum in Babylone captivorum: ut in spem liberationis erigantur: ita Theodor. Vers. 63.

Secundo, ad monitionem Chaldæorum, qui ex Iudæis intelligent te meo iussu et oraculo divino hæc de eorum excidio legisse, et lecta proiecisse in Euphratem: ut ipsi hanc cladem pœnitentia evadant: hinc Ieremias monuit eos anno quarto Sedeciæ, id est fere 70. annis antequam hanc cladem eis Deus inferret. Sic ait Michæas c. 9. 19. *Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra*, id est plane ea abolebit, sicut aboletur quod proiicitur in fundum maris. Sic Phocenses, teste Herodoto l. 1. fœdus ineuntes inter se de non redeundo in patriam, ferri pondus proiecerunt in mare cum gravi execratione, si in patriam redirent prius, quam pondus hoc sponte ex imo ad summum maris prosiliret. *Ferream*, ait, *massam in mare demerserunt, et iurarunt non prius se in Phocæam redituros, quam hæc massa e fundo maris emergeret, atque in summa aqua extaret.* Hoc iuramentum et execrationem quasi æternæ durationis firmamentum adhibet Horatius in Epodon ode 16.

Sed iuremus in hæc: simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas.

Sic submergetur Babylon.) Non tam in Euphratem quam in mare excidii et calamitatum. Ad hoc caput alludit sæpe S. Ioan. Apoc. 18. describens excidium novæ Babylonis, id est Romæ redeuntis ad gentilismum in fine mundi, ac nominatim ad hunc versum alludit v. 21. dicens: *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna: et ultra iam non invenietur.* Ubi Alcazar per Angelum fortem, intelligit Ieremiam. Vide ibi dicta. Vers. 64.

Huc usque verba Ieremiæ.) Scilicet de Babylone: est enim hic epilogus prophetiæ contra Babylonem titulo respondens c. 50. v. 1. idque quia longior fuit de ea prophetia. Simile fuit in prophetia contra Moab cap. 48. 47. Alii tamen volunt absolute hic esse finem totius prophetiæ Ieremiæ, idque verius et aptius est: sequens enim caput historia est, non prophetia, petita ex l. 4. Reg. c. ult.

Videtur hanc clausulam addidisse Baruch scriba Ieremiæ, adeoque collegisse omnes prophetias Ieremiæ diverso tempore editas in hoc volumen, neglecto tamen ordine temporis quo sunt editæ: quem sane Ieremias servasset, si singulas suo tempore et ordine scripsisset, ut ex eis unum volumen conficeret. Quocirca Septuag. et Arabicus Alexand. hoc loco immediate ante c. 52. et ultimum ponunt c. 45. Ieremiæ iuxta Vulgatam editionem quod continet prophetiam Ieremiæ ad Baruch, et de Baruch, ac deinde ponunt cap. 52. post quod statim subiiciunt ipsam prophetiam Baruch, ac post illam Threnos.

CAPUT QUINQUAGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Enarrat historiam cladis Ierusalem, mox Sedeciæ v. 8. deinde templi, eiusque vasa a Chaldæis avecta v. 17. Post hæc principes cæsos, et populum abductum v. 24. Denique liberationem et exaltationem Ioachin v. 31.

1. Filius viginti et unius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset: et undecim annis regnavit in Ierusalem, et nomen matris eius Amital filia Ieremiæ de Lobna. 2. Et fecit malum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Ioakim. 3. Quoniam furor Domini erat in Ierusalem et in Iuda, usquequo proiiceret eos a

facie sua: et recessit Sedecias a rege Babylonis. 4. Factum est autem in anno nono regni eius, in mense decimo,
decima mensis: Venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse et omnis exercitus eius, adversum Ierusalem, et obse-
derunt eam, et ædificaverunt contra eam munitiones in circuitu. 5. Et fuit civitas obsessa usque ad undecimum
annum regis Sedeciæ. 6. Mense autem quarto, nona mensis, obtinuit fames civitatem: et non erant alimenta po-
pulo terræ. 7. Et dirupta est civitas, et omnes viri bellatores eius fugerunt, exieruntque de civitate nocte per
viam portæ quæ est inter duos muros, et ducit ad hortum regis (Chaldæis obsidentibus urbem in gyro) et abie-
runt per viam, quæ ducit in eremum. 8. Persecutus est autem Chaldæorum exercitus regem: et apprehenderunt
Sedeciam in deserto, quod est iuxta Iericho: et omnis comitatus eius diffugit ab eo. 9. Cumque comprehendissent
regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath: et locutus est ad eum iudicia.
10. Et iugulavit rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis eius: sed et omnes principes Iuda occidit in Reblatha. 11.
Et oculos Sedeciæ eruit, et vinxit eum compedibus, et adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, et posuit eum
in domo carceris usque ad diem mortis eius. 12. In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonus
decimus Nabuchodonosor regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps militiæ, qui stabat coram rege Babylonis
in Ierusalem. 13. Et incendit domum Domini, et domum regis, et omnes domos Ierusalem, et omnem domum
magnam igni combussit. 14. Et totum murum Ierusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldæorum,
qui erat cum magistro militiæ. 15. De pauperibus autem populi, et de reliquo vulgo, quod remanserat in civita-
te, et de perfugis, qui transfugerant ad regem Babylonis, et ceteros de multitudine, transtulit Nabuzardan prin-
ceps militiæ. 16. De pauperibus vero terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ vinitores, et agricolas. 17. Co-
lumnas quoque æreas, quæ erant in domo Domini, et bases et mare æneum, quod erat in domo Domini, con-
fregerunt Chaldæi, et tulerunt omne æs eorum in Babylonem. 18. Et lebetes, et creagras, et psalteria, et phia-
las, et mortariola, et omnia vasa ærea, quæ in ministerio fuerant, tulerunt: et 19. Hydrias, et thymiamateria,
et urceos, et pelves, et candelabra, et mortaria, et cyathos: quotquot aurea, aurea, et quotquot argentea, argen-
tea, tulit magister militiæ: 20. Et columnas duas, et mare unum, et vitulos duodecim æreos, qui erant sub ba-
sibus, quas fecerat rex Salomon in domo Domini: non erat pondus æris omnium horum vasorum. 21. De colu-
mnis autem, decem et octo cubiti altitudinis erant in columna una, et funiculus duodecim cubitorum circuibat
eam: porro grossitudo eius quatuor digitorum, et intrinsecus cava erat. 22. Et capitella super utramque ærea:
altitudo capitelli unius quinque cubitorum: ei retiacula, et malogranata super coronam in circuitu, omnia ærea.
Similiter columnæ secundæ, et malogranata. 23. Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia, et omnia
malogranata centum, retiaculis circumdabantur. 24. Et tulit magister militiæ Saraiam sacerdotem primum, et
Sophoniam sacerdotem secundum, et tres custodes vestibuli. 25. Et de civitate tulit eunuchum unum, qui erat
præpositus super viros bellatores: et septem viros de his, qui videbant faciem regis: qui inventi sunt in civitate:
et scribam principem militum, qui probabat tyrones: et sexaginta viros de populo terræ, qui inventi sunt in me-
dio civitatis. 26. Tulit autem eos Nabuzardan magister militiæ, et duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha.
27. Et percussit eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath: et translatus est Iuda de terra
sua. 28. Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor: In anno septimo Iudæos tria millia et viginti tres:
29. In anno octavo decimo Nabuchodonosor de Ierusalem animas octigentas triginta duas: 30. In anno vigesimo
tertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Iudæorum septingentas quadraginta quin-
que; omnes ergo animæ, quatuor millia sexcentæ. 31. Et factum est in trigesimo septimo anno transmigrationis
Ioachin regis Iuda, duodecimo mense, vigesima quinta mensis, elevavit Evilmerodach rex Babylonis ipso anno
regni sui, caput Ioachin regis Iuda, et eduxit eum de domo carceris. 32. Et locutus est cum eo bona, et posuit
thronum eius super thronos regum, qui erant post se in Babylone. 33. Et mutavit vestimenta carceris eius, et
comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ suæ: 34. Et cibaria eius, cibaria perpetua dabantur ei a
rege Babylonis, statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suæ, cunctis diebus vitæ eius.

QUÆRES, An hoc caput sit Ieremiæ? Respondent Theod. Hugo, Raban. et Lyran. esse: quibus adde translatum esse hoc caput ex l. 4. Reg. cap. ult. in hunc locum: libri enim tertii et quarti Regum, auctor est Ieremias, ut ex Procopio, Kimchi, et Isidoro docent Sixtus Senensis lib. 1. Biblioth. et Abulens. q. 4. in cap. 17. Iudicum. Inde ergo illud huc transtulit Baruch scriba et compilator oraculorum Ieremiæ, idque tum ut ea quæ toto libro contra Ierusalem prophetavit Ieremias, impleta esse ostenderet; tum ut viam sterneret ad lamentationes sequentes. Unde Baruch quædam addidit ex se, scilicet gesta post mortem Ieremiæ, ut exaltationem Ioachin, factam post mortem Nabuchodonosoris sub Evilmerodach. Certum est hoc caput esse canonicam Scripturam.

Vers. 1. FILIA IEREMIÆ.) Non huius prophetæ: hic enim erat de Anathoth, fuitque cœlebs, sed alterius oriundi ex Lobna.

Vers. 12 DECIMA MENSIS.) Dices, 4. Reg. 25. 8. dicitur septima die venisse Nabuzardan. Respond. Septima die discessit ex Reblatha, in qua degebat Nabuchodonosor, et decima die (tridui enim est iter) pervenit in Ierusalem.

Vers. 21. DECEM ET OCTO CUBITI ALTITUDINIS ERANT IN COLUMNA UNA.) Dices, 2. Paral. 3. 15. dicuntur hæ columnæ habuisse 35. cubitos altitudinis. Respond. Utriusque columnæ tota altitudo simul iuncta erat 36. cubitorum: ergo unius altitudo erat octodecim cubitorum: bis enim octodecim faciunt 36. in libro tamen Paralip. assignantur non 36. sed 35. cubiti, quia medius cubitus in quaque columna abscondebatur in eius capitello.

A Dices Secundo, Hic dicuntur fuisse in quaque columna malogranata 96. sed 3. Reg. 7. 20. dicuntur fuisse ducenta, id est centum in quaque. Respondeo, Centum erant, sed 96. tantum videbantur: corpus enim sphæricum videri undique non potest uno obtutu, quatuor ergo latebant; ita Vatablus et Lyranus.

ET FUNICULUS.) q. d. Circumferentia columnarum, quam funiculo, aut, ut Hebr. est, filo dimetiri solemus, erat duodecim cubitorum.

IN ANNO SEPTIMO.) Nabuchodonosoris, qui fuit undecimus et ultimus Ioakim: tunc enim occiso Ioakim, abduxit in Babylonem tria millia Iudæorum, ut hic dicitur, et inter eos Ezechielem; ita Ioseph. 10. Antiq. 8. Anno vero 18. regni sui, qui fuit undecimus et ultimus Sedeciæ, Nabuchodonosor cepit Ierusalem, et transtulit Iudæos 832. Ex hoc Ieremiæ loco patet, nullam captivitatem fuisse anno quarto Ioakim, qui fuit primus Nabuchodonosoris, ut vult R. Saadias et Maldon. in Daniel. I. alioqui enim eam, æque ac alias recensuisset hic Ieremias; aut certe exiguam fuisse, scilicet Danielem et paucos alios abductos esse. Vide dicta Daniel. 1. v. 1. Vers. 28.

IN ANNO VIGESIMOTERTIO TRANSTULIT, etc. SEPTINGENTAS QUADRAGINTA QUINQUE.) Scilicet ex Ægypto ea perdomita, transtulit reliquias Iudæorum quæ eo confugerant, in Babylonem; ita aliqui. Verum Ægyptum perdomuit Nabuchodonosor anno regni sui non 23. sed 35. uti patebit Ezech. 29. v. 17. Dico ergo, Nabuchodonosorem hoc anno 23. subegisse Ammonitas et Moabitas, ac de- Vers. 30.

inde rursum racemasse Iudæos vicinos tam in Iudæa residentes, quam profugos ad Ammon et Moab, atque eos qui duabus prioribus captivitatibus superstites remanserant, abduxisse numero 745. ita Lyrau. et Dionys. Annus hic 23. fuit quintus ab eversione urbis et templi.

Vers. 31. VIGESIMA QUINTA MENSIS.) Dices, lib. 4. Regum, cap. 25. v. 37. dicitur id factum 27. die mensis.

Resp. Evilmerodach id statuit et cœpit facere die 25. sed perfecit et complevit die 27. mensis; ita Vatabl. puta 25. die Ioachinum exemit vinculis et carcere, 27. exaltavit eum supra alios Reges; ita Sanchez. Tradit vel fabulatur R. David die 25. mortuum fuisse Nabuchodonosorem, die 26. sepultum, et Evilmerodach eductum ex carcere quo tenebatur, quia regnum affectabat: die vero 27. eum Regem esse constitutum, tumque eum pariter Ioachin e carcere eduxisse et exaltasse, eo quod in carcere eo familiariter usus esset.

Alii fabulantur Evilmerodach timuisse, ne Nabuchodonosor a morte ad vitam rediret, sicuti paulo ante a forma bestiali ad humanam redierat, expectasse ergo tertium diem a morte, puta 27. quo sepulto patre iam securus regnum adiit. Alii fingunt, Evilmerodach ex consilio Ioachin patris cadaver in trecentas partes dissecuisse, easque totidem vulturibus devorandas obiecisse, ne crederetur pater rursum victurus, et in regnum rediturus, uti dixi Isaiæ 14. 19. Nota hic, Ioachin in carcere fuisse 37. annis, id est toto tempore quo regnavit Nabuchodonosor: eo mortuo eduxit eum Evilmerodach, cum Ioachin iam esset 55. annorum. Nam cum esset 18. annorum abductus est, et in carcere conclusus. Porro eduxit et exaltavit eum Evilmerodach, vel quia pater eius moriens, et tyrannidis suæ ac superbiæ pœnitens, uti innuitur Daniel. 5. 34. ita ei præceperat; vel quia in carcere moribus et alloquio eius delectatus, amicitiam cum eo contraxerat.

Vers. 32. ET POSUIT THRONUM EIUS SUPER THRONOS REGUM.) Quos tum pompæ causa, tum ne rebellarent, in aula asseclas habebat; uti etiamnum Reges aulæ asseclas habent Duces et Principes. Aut certe hi Reges fuerunt ii quos devicerat, et carceri cum Ioachin incluserat, uti Rex Tyri, Rex Ægypti, Rex Edom, Ammon, Moab, etc.

Denique Nota hic Primo, Ieremiam paulo ante expugnationem urbis, secreto e templo extulisse arcam testamenti et altare thymiamatis (et candelabrum et mensam A panum propositionis, inquit Torniellus; nam nullius horum fit mentio in spoliis captis a Chaldæis) eaque occultasse in loco aliquo subterraneo, ac postea ea transtulisse in montem Nebo, uti dicitur 2. Machab. 2. v. 4. Vide dicta Exodi 25. v. 10.

Secundo, ea quæ hoc cap. a v. 30. et deinceps scribuntur, contigisse post mortem Ieremiæ, ac proinde non ab ipso, sed a Baruch vel ab Esdra esse scripta et addita. Reliqua huius cap. explicanda sunt 4. Reg. ult. eo enim pertinent.

Hic finis Ioachin fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Sedeciæ hæc fata, hæc funera Iudæ,
Hæc Solymorum extrema dies: fuit Ilium, et ingens
Gloria Abrahamidum, Isacidumque decus.

Quam vere dixit theodidactos noster Thomas lib. 1. de Imit. Christi cap. 1. *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, præter amare Deum, et illi soli servire. Ista est summa sapientia: per contemptum mundi, tendere ad cælestia regna. Vanitas igitur est, divitias perituras quærere; et in illis sperare. Vanitas quoque est, honores ambire et in altum se extollere. Vanitas est, carnis desideria sequi; et il-* B *lud desiderare, unde postmodum graviter oportet puniri. Vanitas est, longam vitam optare; et de bona vita parum curare. Vanitas est, præsentem vitam solum attendere; et quæ futura sunt non prævidere. Vanitas est diligere, quod cum omni celeritate transit; et illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet.* Vanitas est, hortos, palatia et urbes brevi ruituras ædificare; et de domo in cælis ædificanda non cogitare. Vanitas est, aurum et argentum, hoc est terram rubram et albam, congerere; et cælestes immortalesque opes negligere. Vanum est, et nimis vanum, filiis aut nepotibus ditandis ita insudare, ut periculum gehennæ semper ardentis tibi ipsi accersas, ac vitam sempiternam amittas. O vanitas! o vanitatum vanitas! O vani, o stolidi filii Adæ, ut quid, ut quid, ut quid diligitis vanitatem, vanissimam et merissimam vanitatem, et quæritis mendacium? O veritas, o felicitas, o æternitas, quam raro versaris in mentibus hominum! quam pauci te cogitant, nulli penetrant! quia impenetrabilis es.

ÆTERNITATEM COGITA, α et ω.

ÆTERNA congere. ÆTERNA construe.

Quam arcta via quæ ducit ad vitam! quam pauci inveniunt eam!

GEMITUS, AC CONCIONIS GESTORUMQUE IEREMIÆ SYNOPSIS ET GEMMÆ.

Cap. 1. AUDI Ieremia, audi Sacerdos, audi Propheta Domini: Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te, et Prophetam in Gentibus dedi te.

A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui: quia puer ego sum.

Ego dedi te in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum super omnem terram.

Quid tu vides Ieremia? virgam vigilantem ego video: bene vidisti; quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.

Quid tu vides? ollam succensam ego video, et faciem eius a facie Aquilonis.

Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.

Cap. 2. Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum eius.

Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt?

Obstupescite cæli super hoc, et portæ eius desolamini vehementer.

Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.

Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.

A sæculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti, Non serviam.

Cap. 3. Fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus; saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.

Prævaricatrix Iuda, et aversatrix Israel, mœchata es cum lapide et ligno.

Revertere et dabo vobis pastores iuxta cor meum; et pascent vos scientia et doctrina.

In tempore illo vocabunt Ierusalem solium Domini, et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini.

Quomodo ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum Gentium?

Convertimini filii revertentes, et sanabo aversiones vestras.

Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Cap. 4.

Et iurabis, Vivit Dominus, in veritate, et in iudicio, et in iustitia.

Novate vobis novale; circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum.

Clamate: Ascendit leo de cubili suo, et prædo Gentium se levavit.

Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus eius, velociores aquilis equi illius: væ nobis quoniam vastati sumus.

Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me: contritio super contritionem vocata est, vastata est omnis terra.

Quia sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt.

Vocem quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ.

Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas: væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.

Cap.5. Circuite vias Ierusalem, et quærite in plateis, an inveniatis virum facientem iudicium, et propitius ero ei.

Idcirco percussit eos leo de silva: lupus ad vesperam vastavit eos: pardus vigilans super civitates eorum.

Stupor et mirabilia facta sunt in terra, prophetæ prophetabant mendacia, et Sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia.

Cap.6. Hæc est civitas visitationis et vindictæ, quia omnis calumnia inventa est in medio eius.

Idcirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens.

A minore usque ad maiorem omnes avaritiæ student: Propheta et Sacerdos faciunt dolum, dicentes: Pax, pax, et non erat pax.

Probatorem dedi te in populo meo robustum, et probabis viam eorum. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.

Cap.7. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.

Tu ergo noli orare pro populo hoc, et non obsistas mihi: quia non exaudiam te.

Cap.8. Ossa principum, Sacerdotum et civium, expandent ad Solem et Lunam quibus servierunt, et quæ adoraverunt.

Et eligent magis mortem quam vitam omnes qui residui fuerint.

Milvus in cælo cognovit tempus suum: turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.

Cap.9. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.

Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam.

Deducant oculi nostri lacrymas, et palpebræ nostræ defluant aquis.

Quia ascendit mors per fenestras, ingressa est domos nostras, disperdere parvulos de foris, iuvenes de plateis.

Cap.10. A signis cæli nolite metuere quæ timent Gentes: quia nec bene possunt facere, nec male.

Quis non timebit te, o Rex Gentium? tuum est enim decus: in universis regnis nullus est similis tui.

Dii qui cælos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cælo sunt.

Deus noster est qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cælos.

Qui fulgura in pluviam facit, et educit ventum de thesauris suis.

Cap.11. Maledictus vir, qui non audierit verba pacti huius.

Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?

Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.

Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta eius.

Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi.

Quia cogitaverunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium.

Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iuste, et probas renes et corda, videam ultionem tuam ex eis: tibi enim revelavi causam meam.

Cap.12. Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te.

Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui prævaricantur, et inique agunt?

Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis: quoniam dixerunt, Non videbit novissima nostra.

Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?

Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius.

Cap.13. Iussu Domini abscondi lumbare in Euphrate: et post dies plurimos tuli illud, et ecce computruerat: sic, ait Dominus, putrescere faciam superbiam Iuda.

Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel.

Plorans plorabit et deducet oculus meus lacrymam: quia captus est grex Domini.

Dic Regi et dominatrici: Humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ.

Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.

Expectatio Israel, salvator eius in tempore tribulationis: quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Cap.14.

Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: eiice illos a facie mea et egrediantur. Cap.15.

Quo egrediemur? qui ad mortem, ad mortem: qui ad gladium, ad gladium: qui ad famem, ad famem: qui ad captivitatem, ad captivitatem.

Quis miserebitur tui Ierusalem? quis ibit ad rogandum pro pace tua? tu reliquisti me, retrorsum abiisti.

Væ mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ? omnes maledicunt mihi.

Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii et filiæ in loco isto. Cap.16.

Mortibus enim ægrotationum morientur, non plangentur, et non sepelientur.

Ecce ego auferam de loco isto vocem gaudii, vocem sponsi et sponsæ.

Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit.

Peccatum Iudæ scriptum est stilo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum. Cap.17.

Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.

Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius.

Pravum est cor omnium et inscrutabile: quis cognoscet illud?

Expectatio Israel Domine, omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes a te in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.

Et ego non sum turbatus te pastorem sequens: et diem hominis non desideravi, tu scis.

Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis.

Surge et descende in domum figuli: ecce, sicut lutum in manu figuli: sic vos in manu mea, domus Israel. Ecce ego fingo contra vos malum. Cap.18.

Contere lagunculam testeam coram populo in valle filii Ennom, quia sic conteram populum istum et civitatem: in Thophet sepelientur. Cap.19.

Seduxisti me Domine, et seductus sum: fortior me fuisti, et invaluisti. Cap.20.

Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.

Maledicta dies in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta.

Dic Sedeciæ Regi: Ecce, ego do coram vobis viam vitæ et viam mortis. Cap.21.

Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, fame et peste: qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldæos, vivet.

Dic Sellum filio Iosiæ: Non revertetur huc amplius; sed in loco ad quem transtuli eum, ibi morietur. Cap.22.

Dic Ioakim: Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, et amicum suum opprimet, et mercedem eius non reddet ei.

Non plangent eum, væ frater, væ Domine: sepultura asini sepelietur, putrefactus et proiectus extra portas Ierusalem.

Terra, terra, terra, audi sermonem Domini: scribe virum istum sterilem: nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium David.

Væ pastoribus qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ. Suscitabo super eos pastores, et pascent eos. Cap 23.

Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet.

Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? numquid non cælum et terram ego impleo?

Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram?

Cap.24. Quid tu vides Ieremia? ficus: ficus bonas, bonas valde; et malas, malas valde.

Hæc dicit Dominus: Sicut ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationem Iuda in bonum, et reducam eos in terram hanc.

Et sicut ficus pessimæ: sic dabo Sedeciam et reliquos qui remanserunt in Ierusalem, in vexationem et afflictionem, in opprobrium, parabolam et maledictionem.

Cap.25. Mittam Nabuchodonosorem servum meum, et servient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.

Sume calicem vini furoris huius de manu mea, et propina de illo cunctis gentibus: ut dem eas in solitudinem, stuporem, sibilum et maledictionem.

Bibite et inebriamini, et vomite et cadite: neque surgatis a facie gladii quem ego mittam inter vos.

Dominus de excelso rugiet; et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam.

Cap.26. Dabo domum istam sicut Silo: et urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ.

Cap.27. Hæc dicit Dominus, O Ieremia, fac tibi vincula et catenas: et pones eas in collo tuo. Et mittes eas ad Regem Edom, Moab, Ammon, Tyri et Sidonis.

Cap.28. Hæc dicit Dominus Hananiæ: Catenas ligneas contrivisti, et facies pro eis ferreas: iugum enim Nabuchodonosor ferreum posui super collum cunctarum Gentium.

Cap.29. Hæc dicit Dominus: Ædificate domos in Babylone: plantate hortos. Accipite uxores, quia manebitis ibi septuaginta annis.

Cap.30. Væ, quia magna dies illa, nec est similis eius: tempusque tribulationis est Iacob.

Cap.31. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.

Hinnite, contra caput Gentium personate: salva, Domine, populum tuum reliquias Israel.

Audiens audivi Ephraim transmigrantem, castigasti me, et eruditus sum, quasi iuvenculus indomitus.

Creavit Dominus novum super terram. Fœmina circumdabit virum.

Cap.32. Eme tibi, o Ieremia, agrum patruelis tui, qui est in Anathoth, quia hæc dicit Dominus: Adhuc possidebuntur domus et agri et vineæ in terra ista.

Heu, heu, heu, Domine Deus, fortissime, magne et potens: cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam: ut reddas unicuique secundum vias suas.

Cap.33. Erit mihi Ierusalem in nomen, et in gaudium, et in laudem, et in exultationem cunctis gentibus terræ.

Audietur in ea vox lætitiæ, vox sponsi et sponsæ, vox dicentium: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.

Cap.34. Audi Sedecia Rex, capieris et Babylonem introibis: non morieris gladio, sed in pace, plangentque te, væ Domine.

Vos non audistis me ut prædicaretis annum septimum libertatis unusquisque proximo suo; idcirco ego prædico vobis, libertatem ad gladium, ad pestem, ad famem.

Cap.35. Posui coram Rechabitis scyphos plenos vino, et dixi, Bibite vinum; qui responderunt, Non bibemus.

Propterea hæc dicit Dominus, Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

Cap.36. Hæc dicit Dominus, Tolle, o Ieremia, volumen libri, et scribes in eo omnia verba quæ locutus sum tibi, adversum Israel et Iudam.

Non erit ex Ioakim qui sedeat super solium David, et cadaver eius proiicietur ad æstum per diem, et ad gelu per noctem.

Cap.37. Hæc dicit Dominus, Chaldæi a Ierusalem recedentes ut pugnent contra Pharaonem; redibunt capientque urbem, et succendent eam igni.

Cap.38. Hæc dicit Dominus, Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, fame et peste: qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet.

Cap.39. Nabuchodonosor capit Ierusalem, Sedeciam excæcat, filios eius et nobiles occidit, Ieremiam liberat.

Dic ad Abdemelech: Liberabo te, et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam.

Nabuzardan ait Ieremiæ: Si placet tibi ut venias me- Cap.40.
cum in Babylonem, ponam oculos meos super te: sin autem, habita apud Godoliam, quem præposuit Rex Babylonis civitatibus Iuda.

Ismahel occidit Godoliam, et populum capit: insequi- Cap.41.
tur eum Iohanan, et populum liberat, cum quo metuens Chaldæos, fugere cogitat in Ægyptum.

Iohanan et principes consulunt Ieremiam: quibus ille, Cap.42.
Manete in Iudæa, et obedite Chaldæis: omnes enim qui ingredientur Ægyptum, morientur gladio, fame et peste.

Contemnunt illi et fugiunt, secumque Ieremiam per- Cap.43.
trahunt in Ægyptum. Ieremias in Taphnis prophetat: veniet Nabuchodonosor, et percutiet terram, delubra, et deos Ægypti.

Quare, o Iudæi, provocatis Deum sacrificando diis a- Cap.44.
lienis in terra Ægypti?

Ecce ego tradam Pharaonem Ephree in manu quærentium animam illius.

Hæc dicit Dominus ad Baruch, Dixisti, væ misero mi- Cap.45.
hi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo.

Ecce quos ædificavi, ego destruo: et tu quæris tibi grandia? dabo tibi animam tuam in salutem.

Hæc dicit Dominus adversum exercitum Pharaonis Cap.46.
Nechao: Præparate scutum, state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis.

Vitula elegans atque formosa Ægyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei. Post hæc habitabitur sicut in diebus pristinis.

Hæc dicit Dominus contra Palæstinos: venit calvitium Cap.47.
super Gazam, conticuit Ascalon.

O mucro Domini usquequo non quiesces? quomodo quiescet cum Dominus præceperit ei, ibique condixerit illi?

Ad Moab: Fugite, salvate animas vestras: et eritis qua- Cap.48.
si myricæ in deserto.

Date florem Moab, quia florens egredietur: maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine.

Ad filios Ammon: Ulula Hesebon, quoniam vastata est Cap.49.
Hai; Melchom capietur, Sacerdotes eius et principes eius simul.

Parvulum dedi te, o Edom, in Gentibus, contemptibilem inter homines.

Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ?

Succendam ignem in muro Damasci, et devorabit mœnia Benadad.

Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach.

Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, et ad habitatores Cap.50.
Babylonis, gladius ad divinos eius, gladius ad fortes eius, gladius ad equos eius, et ad omne vulgus eius.

Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam: quoniam tempus ultionis est a Domino: vicissitudinem ipse retribuet ei.

Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians o- Cap.51.
mnem terram: de vino eius biberunt gentes, et ideo commotæ sunt.

Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis universam terram: evolvam te de petris, et dabo te in montem combustionis.

Sanctificate contra Babylonem Gentes, Reges Mediæ, duces eius, cunctamque terram potestatis eius.

Inebriabo Chaldæos, ut sopiantur, et dormiant somnum sempiternum.

Deducam eos quasi agnos ad victimam; quasi arietes cum hœdis.

Laudabunt super Babylonem cæli et terra, et omnia quæ in eis sunt: quia ab Aquilone venient ei prædones.

Qui fugistis gladium, venite, recordamini procul Domini, et Ierusalem ascendat super cor vestrum.

Dic Saraiæ, Cum veneris in Babylonem, leges omnia verba libri huius, librumque proiicies in medium Euphratem, et dices: Sic submergetur Babylon, et non consurget a facie afflictionis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Am.

COMMENTARIA IN THRENOS SIVE LAMENTATIONES IEREMIÆ.

PRÆFATIO.

Threni pathetici.

THRENI maxime pathetica et affectuosa totius S. Scripturæ sunt pars. Ieremias enim uti (teste Isidoro Pelusiota lib. 1. epist. 298.) omnium Prophetarum fuit calamitosissimus, ita pariter omnium maxime threnodus hic ubique cunctos ad dolorem, luctum et ploratum excitat. Ieremias inquam, vel potius Spiritus sanctus per Ieremiam in hisce Threnis videtur omnia sua lamenta conglobasse, atque compassioni, planctui et lacrymis habenas omnes laxasse. Idque merito, quippe qui videbat omnes suas prophetias, minas, monita et obsecrationes in irritum cecidisse, deplorata omnia, urbem Ierusalem quam tantopere salvare cupiebat, Iudæam, rempublicam et regnum gentis suæ, templum illud Salomonis orbis miraculum, populum Dei, adeoque Synagogam totam, Deique Ecclesiam vastatam, eversam et incensam a Chaldæis. Iuste ergo inconsolabiliter lamentatur, et suspirat gemitibus inenarrabilibus, ut suo exemplo suos cives gemere doceat, et pœnitentiam agere, ut a Deo veniam. atque gentis, urbis et reipublicæ restitutionem impetrent: uti de facto impetrarunt, quando septuagesimo captivitatis anno a Cyro in patriam remissi sunt, urbs et templum reædificata, respublica et Ecclesia restaurata fuerunt.

Ostenditur iuxta Ierusalem, et in eius chorographia depingitur ad Meridiem urbis, non longe ab Aceldama, fovea Ieremiæ, in qua ipse aspiciens Ierusalem a Chaldæis vastatam, dolens et flens hosce Threnos dictavit, ubi Helena Imperatrix mirifica construxit opera, ait ex Nicephoro Adrichomius in descript. Ierusalem, num. 224.

Dat ergo Ieremias hic nobis typum, exemplum et carmen quod in urbium, regnorum, reipublicæ et Ecclesiæ eversione, quod in publica calamitate et clade, quales plurimas hisce annis in Belgio vidimus et videmus, totidem verbis usurpemus, ut intimo compassionis affectu has strages tum corporum, tum magis animorum sanguineis lacrymis apud Deum deploremus. Quocirca merito Paschasius censet hoc triste Ieremiæ carmen vocari posse Threnos threnorum, vel Lamentationes lamentationum; sicut lætum Salomonis Epithalamium vocatur Canticum canticorum: uti enim eo nihil lætius, ita hoc nihil tristius in Script. aut apud profanos reperiri potest, ut cum eo comparata tragica Senecæ, et similium, umbræ esse videantur, et ludi Poetarum arte rhetorica conscripti et conficti. Hic enim non ars loquitur et gemit, sed ipse Spiritus divinus, qui totum Ieremiam occupaverat, ut gentis suæ populique Dei excidium plangeret gemitibus inenarrabilibus.

Tropol. Threni congruunt animæ pœnitenti.

Rursum mystice Ierusalem hæc ita vastata communiter accipitur hominum respublica et societas, sive genus humanum in Adamo diaboli fraude eversum, atque de primæva felicitate, Paradiso et originali innocentia deiectum. Proprie vero ac peculiariter Ierusalem hæc est anima, quæ peccato mortali consentiens, statu iustitiæ et regno Dei privata, dæmonis regnum, iugum et tyrannidem subit, et clades longe maiores quam Ierusalem olim, vel quodvis regnum aut respublica eversa, experiri et perpeti cogitur, ut merito pœnitens Threnos hosce usurpet, ac inter alia dicat illud c. 3. v. 12. *Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ:* et v. 15. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.* Exempla et lamenta pœnitentium stupenda vide apud Climachum gradu 5. de pœnitentia; item in vita S. Mariæ Magdalenæ, S. Mariæ Ægyptiacæ, et S. Pelagiæ pœnitentis. Audi et S. Hieron. de seipso epistol. ad Florentium: *Ego cinis, et vilissima pars luti, et iam favilla: ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem. Sed tamen quia Dominus solvit compeditos, et super humilem et trementem verba sua requiescit; forsitan et mihi in sepulchro scelerum iacenti, dicat: Hieronyme, veni foras.*

Symbolice Christo patienti.

Rursum Symbolice in hisce Threnis Christi patientis affectus, ac dolorum acerbitatem ita in se graphice hic exprimit ac depingit Ieremias, ut Christum hic in cruce gementem, loquentem, lamentantem audire tibi videaris. Quare Ecclesia mater nostra hos Threnos sanctissimo anni tempore, hebdomada nimirum maiori, ipsoque die Veneris sancto usurpat, et publice ac lamentabiliter decantat, ut Christum patientem repræsentet, omnesque ad compassionem moveat, atque ad pœnitentiam peccatorum, dolorem, seriam confessionem, vitæque emendationem efficacissime excitet et impellat. Qua de causa et ipsas alphabeti literas aleph, beth, ghimel lugubri voce decantat: quod licet taxet hic Petrus a Figueiro, eo quod hæ literæ non exprimantur in Hebræo; tamen recte ab Ecclesia inductum est, ut significetur hoc carmen esse alphabetarium, et quasi alphabetum pœnitentiæ a pœnitentibus usurpandum esse. Atque hinc alter sequitur Threnorum usus et fructus, scilicet quod Threni non tantum serviant propriæ cuiusque meditationi, qua se quisque ad compunctionem, compassionem et orationem excitet; sed consequenter vel maxime serviant concioni, ut concionator horum meditatione commotus et compunctus, dolore et amore accensus iisdem populum et peccatores ad Threnos, ad luctum et lacrymas concitet. Sane ad hoc nulla aptior vox, nulla potentior sententia, nulla efficacior oratio quam Threnorum. Atque hic unus est scopus et solus ad quem collimare debet concionator, scilicet non ut aures titillet, non ut sublimia doceat, non ut eloquentia plausum cieat, audiatque: Quam bene hic dicit, quam

Alphabetum pœnitentium sunt Threni.

Threni sunt concio ad planctum.

pulchre discurrit! sed ut auditores ad peccatorum detestationem, ad vitæ novæ propositum, ad planctum et suspiria impellat.

Signum bonæ vel malæ concionis.

Pulchre non minus quam vere noster P. Ramirez, celebris quondam in Hispania concionator, hoc iudicium dabat bonæ vel malæ concionis. Vis, inquit, scire an concio bona, an concionator bonus fuerit? finita concione inspice populum domum redeuntem: si videris eum exporrecta fronte hilarem, ad invicem colloquentem, connutantem, applaudentem: O quam bene dixit! quam eloquens, quam doctus, quam eleganter peroravit hic concionator! scito malam concionem, infructuosam et vanam; scito malum concionatorem et vanum fuisse: sin populum domum redire videas tristem, demisso vultu, silentem, et quasi méditabundum ac perculsum, scias bonam fuisse concionem, bonum concionatorem, qui non aures, sed cor populi tetigerit et pupugerit, atque luctum et lacrymas elicuerit.

Concionator planctum moveat, non plausum.

Hoc est quod S. Hieron. docuit Nepotianum scribens ad eum: *Docente te*, inquit, *in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: lacrymæ auditorum laudes tuæ sint:* ergo *prædicator* cum Ieremia planctum moveat instar turturis gemendo. *Illius*, inquit S. Bernard. ser. 59. in Cant. *doctoris libenter vocem audio, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, si gemere doceas. Et si persuadere vis, gemendo id magis quam declamando studeas oportebit.*

Talis fuit S. Vincentius Fererius, qui spiritu Apostolico concionabundus obiit Hispaniam, Italiam, Britanniam, Flandriam, Angliam, Scotiam, Hiberniam; nec tantum urbes maiores, sed ubique villas et pagos Christi exemplo circumiens, ac prædicans: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum.* Quocirca quocumque is pedem intulisset, mox sequebantur generales priorum delictorum pœnitentiæ, communis morum reformatio, cessabant blasphemiæ, periuria, aleæ, quin et ludi; tantaque erat omnium contritio, religio, modestia, ut prisca Apostolorum ætas rediisse videretur. Dicitur convertisse Iudæorum vigintiquinque, Saracenorum octo, Christianorum perditæ vitæ supra centum millia. Incedebat stipatus quadraginta asseclarum et auditorum millibus, ac mox a concione diverberantium se innumera erat multitudo.

Talis fuit S. Antonius de Padua iuvenis 26. annorum: mortuus est enim anno ætatis 36. qui ex longa oratione et meditatione promens conciones, loquebatur, non ut homo, sed ut Angelus. In Quadragesima concionans, ita Patavinos cives commovit ad planctum et pœnitentiam, ut turmatim per plateas publice se cædentes incederent, inclamantes: Misericordia, misericordia. Atque inde cœpit publicus disciplinæ in hebdomada sancta usus. Verba eius erant ardentia, et quasi sagittæ ignitæ feriebant corda audientium, quia manabant ex corde ardente. Inde audiebantur

A singultus, lacrymæ, tunsiones pectorum; sequebantur peccatorum insignium conversiones, morum et vitæ mutationes, hæresum abiurationes (fuit enim ipse malleus hæreticorum) usurarum restitutiones, etc. Hinc lingua ipsius incorrupta miraculo manet, quam 32. annis post eius obitum S. Bonaventura Generalis Ordinis Francisc. in manus accipiens, exosculans et illacrymans: *O lingua*, inquit, *benedicta, quæ semper laudasti Deum, et alios laudare docuisti! iam patet, quanti meriti et pretii sis apud Deum, qui te ad tam sublime officium efformavit.* Hoc sæculo P. Ignatius Martinez e Societate nostra, vir magnæ doctrinæ, et maioris sanctitatis, Paduam veniens, linguamque eamdem visitans et exosculans, ita immutatus est, ut spiritum et linguam Sancti induisse videretur. Rediens enim in Lusitaniam, deposito veteri Rhetorum more, cœpit concionari apostolice, tanto spiritu et fructu, ut totam Lusitaniam commoverit, quæ etiamnum eius, quasi Apostolici viri memoriam veneratur et celebrat. Da nobis, Domine, multos Vincentios, Antonios, Bernardinos: da Paulos, da
B Apostolicos præcones.

De S. Ioanne Baptista, præcone primo pœnitentiæ et Christi, ait Christus Ioann. 5. *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Est enim, inquit S. Bernard. sermon. de Nativit. S. Ioannis, *tantum lucere vanum, tantum ardere parum: ardere et lucere perfectum. Audi quid dicat Script. Eccles.* 27. *Sapiens permanet ut sol, stultus ut luna mutatur. Quia enim luna splendet sine fervore, modo plena, modo exigua, modo nulla videtur. Mutuatum siquidem lumen numquam in eodem permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, et penitus non comparet. Sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At vero Solis splendor igneus est, et cum fervet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus, foris lucet: et si non datur ei utrumque, curat semper ardere magis. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Et inferius: *Ille erat lucerna ardens et lucens. Non*
C *ait, Lucens et ardens: quia Ioannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore. Sunt enim qui non eo lucent, quia fervent; sed magis fervent ut luceant. At isti plane non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Vultis nosse quemadmodum arsit Ioannes, et luxit? Ego utrumque in eo triplicem posse arbitror inveniri, et ardorem scilicet et splendorem. Ardens enim erat in seipso vehementi austeritate conversationis: erga Christum intimo quodam et pleno fervore devotionis: erga peccantes proximos constantia liberæ increpationis. Luxit exemplo, digito, verbo; opere scipsum, Christum indice, nosmetipsos nobis sermone declarans.*

Vere Cicero l. 2. de Oratore: *Ardeat*, inquit, *orator, si iudicem velit incendere.*

ARGUMENTUM.

Hic liber hebraice vocatur איכה *echa*, id est quomodo: quia ab hac voce incipit. Hebræi in commentariis vocant eum קינות *kinot*, Septuaginta Θρῆνοι, id est lamentationes vel fletus. Threni ex Hebræo in Latinum conversi sunt a S. Hieron. in Græcum a Symmacho et Septuaginta: nam iam olim Aquilæ et Theodotionis versio in Threnis desiderata fuit. Titulus hic nullus est in Hebræo, sed in Græcis et Latinis Bibliis, ac in textu Arabico Alexandrino. in Antiocheno enim desideratur (a Septuaginta ut videtur, additus: unde non est canonica Scriptura: probatus tamen est ab Ecclesia, quæ eumdem titulum Bibliis Latinis, etiam Romanis præfigit) hic est: *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, et Ierusalem deserta est, sedit Ieremias Propheta flens, et planxit lamentatione hac in Ierusalem, et amaro animo suspirans, et eiulans dixit.* Unde clare liquet au-
D ctorem Threnorum esse Ieremiam, idque tota sentit Ecclesia. Rursum, Threnos esse compositos a Ieremia, non ante excidium Hierosolymæ, uti aliqui censuerunt, sed post illud: id enim clare dicit titulus.

Quæres, an titulus hic sit Scriptura canonica, et eiusdem auctoritatis cuius sunt Threni? Negant S. Bonav. Lyran. Sanchez, a Castro, Franc. Lucas in Notis Biblior. censentque ab interprete quopiam illum Threnis adiectum esse, ad hoc, ut Threnis argumentum præfigeret, quo simul eosdem apte et consequenter cum ultimo capite Ieremiæ, quo fuse narrata est vastatio Hierosolymæ, brevi eiusdem compendio copularet. Rationes sunt duæ. Prior quod hic titulus in pluribus codicibus desideretur, uti testantur Lyran. et Lucas. Posterior, quod non exstet in Hebræo, sed in versione Septuag. unde ab illis videtur additus: illi autem interpretes dumtaxat fuere,

non scriptores canonici. Idem dicendum est de epigraphe, sive titulo, qui præfigitur cap. 6. et de titulo præfixo Ecclesiastico, uti ibidem censet Iansenius.

Contrarium opinatur P. Gretserus tom. 1. defens. Bellarmin. lib. 1. cap. 14. cuius ratio est, quod in Bibliis Romanis iussu Clementis VIII. editis, in præfatione, utique ex mente et voluntate Pontificis, dicatur, in hac editione Bibliorum nihil non canonicum contineri; eaque de causa se reiecisse orationem Manassis, et lib. 3. ac 4. Esdræ, eo quod non sint canonici. In illis autem Bibliis hic titulus Threnorum, æque ac titulus Ecclesiastici, inseruntur, vel potius præfiguntur textui Scripturæ canonicæ: ergo uterque est canonica Scriptura. Secundo, quia titulos et præfationes S. Hieronymi ab hac editione reiecerunt Romani, eo quod non sint canonicæ: cum ergo hasce duas ponant, censent eas esse canonicas. Tertio, quia Septuag. (ut patet in editione Regia et Romana) titulum hunc non præfigunt Threnis, sed ponunt in ipso eorum textu, et ab eo illos inchoant, eumque faciunt initium cap. 1.

Prior sententia uti communior, ita verior videtur. Hic enim titulus non est auctoris canonici, puta Ieremiæ, sed interpretum, puta Septuag. unde non extat in Hebræo, nec in Syro, nec in Arabico, nec in Chaldæo: quod signum est eius auctorem non esse Baruch. Hic enim scripsisset hebraice, uti scripsit Threnos ipsos dictante Ieremia.

Rursum, in multis Bibliis hic titulus deest, et a multis interpretibus præteritur, puta a Theodoreto, Eusebio, Olympiodoro, S. Hieronymo, Paschasio, Rabano, Ruperto et aliis. Hi enim huius tituli mentionem nullam faciunt in suis comment.

Ad Primum alterius sententiæ, respondeo Primo, illa verba præfationis Biblior. Clementis VIII. *In hac editione nihil non canonicum, nihil ascititium, nihil extraneum apponere visum est*, non esse Pontificis, sed auctoris præfationis, qui fuit unus e Doctoribus, qui huic Bibliorum emendationi et editioni iussu Pontificis præfuerunt, quæ facta est, ut ipse ait, *annuente* tantum Pontifice, non vero decernente et definiente singula. Itaque cum ait, *nihil non canonicum*, intellige, non ex Pontificis decreto, sed ex illorum qui editioni præfuerunt, opinione et sententia.

Secundo, *nihil*, id est nullum librum, librive partem non canonicam, *apponere visum est*, quales in aliis Bibliis appositæ visuntur, uti sunt oratio Manassis, lib. 3. et 4. Esdræ: quæ proinde in hac editione Romana reiecta sunt, ut ipse auctor præfationis mox explicando subiungit. Per *nihil* ergo, non intelligit titulos librorum, sed ipsos libros, ipsumque Scripturæ textum: quare etiamsi addantur huic editioni librorum tituli, capita, capitum numeri, versus, etc. vere tamen dicitur, Nihil non canonicum illi adiectum esse. Ita P. Serarius Prolegom. in Biblia cap. 20. et præcedent. Idemque mihi asseruerunt Romæ viri docti, atque in primis Illustriss. Card. Bellarminus, præfationis illius auctor, qui et lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. *Apocrypha quoque esse*, inquit, *videtur præfatiuncula, quæ præfigitur Threnis Ieremiæ: nam nec est in Hebræis codicibus, nec in omnibus Latinis, et ab expositoribus non attingitur.* Denique si quis accurate verba præfationis illius iam citata expendat, et cum iis quæ sequuntur conferat, videbit per τὸ, *non canonicum*, non titulos, sed libros, librorumve partes non canonicas dumtaxat excludi: per *ascititium* vero, excludi marginales concordantias, notas et varias lectiones, quæ Bibliis Plantinianis aliisque adscriptæ leguntur: per *extraneum* denique, præfationes et argumenta librorum, quæ ex S. Hieron. in aliis Bibliis iis præfixa visuntur. Sic enim auctor hæc verba partito explicare videtur, dum ternas hasce rerum classes ab hisce Pontificiis Bibliis, in sequentibus ordine iam dicto ablegat. Unde sequitur dumtaxat, hanc præfationem, sive titulum Threnorum non esse extraneum, sed intraneum; quia scilicet intra contextum Bibliorum ab immemorabili tempore repositus est, non tamquam Scriptura canonica, sed tamquam titulus libri et Scripturæ canonicæ, illi pro argumento a prisco aliquo scriba, vel a Septuaginta adiectus et præfixus; sicuti Evangelio S. Matthæi, non a S. Matthæo, sed aliquo alio adiectus est hic titulus quasi intraneus, Evangelium secundum Matthæum. Nam ab eodem aliis Evangeliis similis est additus, ad ea ab invicem discernendum, nimirum hic, Evangelium secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem. De quo vide Maldon. præfatione in S. Matthæum. Sic Thren. 5. additus est ab aliquo hic titulus, *Oratio Ieremiæ:* nec enim est in Hebræo.

Ad secundum iam dixi, Doctores hosce exclusisse præfationes S. Hieron. non ea de causa quod non sint canonicæ, sed quod sint recentes et extraneæ; non priscæ et intraneæ, quales sunt hæ Septuag. quæ tot sæculorum usu Scripturæ insertæ cum ea coaluisse, ideoque ei quasi intraneæ videntur.

Ad tertium Respondeo, in nonnullis Græcis codicibus, uti Complut. titulum hunc non imponi, sed præponi c. 1. in Latinis vero Bibliis, etiam hisce ipsis Romanis, clarum est præponi, esto eodem charactere quo textus impressus sit; cum in Plantinianis aliisque diverso, eoque minutiore charactere eusus visatur. Denique in Bibliis Græcis, Regiis et Roman. *aleph*, et vers. 1. Thren. non huic titulo, sed statim post eum ad initium textus in margine annotatur: quo significatur ab eo incipere Threnos, non a titulo. Et ita Ecclesia in hebdomada sancta, Threnos orditur ab *aleph* et a textu, non ab hoc titulo.

Argumentum Threnorum non est mors Iosiæ.

De argumento Threnorum dissident interpretes. Primo, Hebræi, Chaldæus, Raban. Maldon. hic, et S. Hier. in Zachar. cap. 12. putant Ieremiam hic plangere cladem et mortem Iosiæ regis Iuda, cum ipse cæsus est a Pharaone Nechao: quod enim tunc Iosiam planxerit Ieremias patet ex 2. Paralip. 35. 21. Verum hic alius fuit planctus, aliique threni qui interciderunt, nam hisce nostris Threnis plangit Ieremias vastitatem et desolationem Hierosolymæ, ut patet tum ex titulo iam allato, tum ex ipsis Threnorum sententiis: tempore autem Iosiæ Ierusalem non fuit vastata, nec capta: ergo hi Threni non sunt de clade Iosiæ.

Nec captivitas Iechoniæ.

Secundo, Eusebius putat Ieremiam hic in primo suo alphabeto plangere captivitatem Ioachin vel Iechoniæ: verum huic sententiæ obstat idem quod priori: sub Ioachin enim non fuit vastata civitas, sed sub Sedecia.

Sed excidium Ierusalem per Chaldæos.

Dico ergo, argumentum Threnorum est: plangit hic Ieremias urbis et templi excidium, et eversionem factam a Chaldæis, atque regis Sedeciæ totiusque populi captivitatem: huic enim apte omnes Threnorum sententiæ conveniunt, eamque vel præsupponunt vel significant. Unde patet Ieremiam scripsisse hos Threnos anno undecimo Sedeciæ, qui fuit 19. Nabuchodonosoris: illo enim anno ipse cepit et vastavit Hierosolymam. Ita Orig. Theodor. Olympiodorus, Procop. Ubi adverte excidium Hierosolymæ per Nabuchodonosorem et Chaldæos fuit typus excidii Hierosolymæ per Titum et Romanos, imo quod inchoatum est per Nabuchodonosorem, hoc perfectum et consummatum est per Titum: itaque hi Threni consummate accipi possunt de excidio Iudæorum per Romanos, ut patebit cap. 4. vers. 10. et 20. Ita S. Hieron. Theod. et alii.

Threni scripti sunt anno undecimo Sedeciæ.

Nota Primo. Threni ex ingenti doloris et compassionis affectu a Ieremia scripti sunt: unde pleni sunt affectuum: ideoque sententiæ sæpe non cohærent. Sicut enim qui vehementer dolet et affligitur, sine ordine iam clamat, iam luget, iam indignatur, iam obsecrat, et in omne pathos se versat. Ita Ieremias hic iisdem affectibus et dolori suo, sine ordine aut ordinato discursu indulget, atque sententias quasi tumultuarie congerit, prout eas dolor effundit.

Carmine alphabetario sunt scripti.

Nota Secundo. Artificium hic maius est quam in cæteris prophetiis: carmine enim scribit, non certis quidem numeris temporum ac pedum, ut Latini et Græci solent, sed ut Hebræi, certo fere numero syllabarum; et initio carminis literas Hebraicas ordine alphabeti pertexens,

quod idem facit David Ps 118. Primus enim versus incipit ab aleph, secundus a beth, tertius a ghimel, et ita consequenter. Quare acrostichi sunt hi versus. Atque ut hoc ipsum in Græca et Latina versione significetur, hac de causa hæ literæ, aleph, bet, ghimel, etc. singulis versibus integræ ad marginem ascribuntur, quod non fit in textu Hebræo: quia ibi singuli versus a singulis literis, id est, à dictionibus, quæ a singulis literis incipiunt, suo ordine inchoantur. Porro utitur Ieremias literis hisce alphabeti, ut per eas quasi elementa, inquit Rupertus, tamquam pueri ad scientiam Dei adipiscendam, et ad cordis compunctionem, vitæque emendationem nos æque ac Iudæi inducamur. Simili modo et ratione docet ex Hebræis Origenes, tot esse libros veteris testamenti quot sunt literæ Hebræorum, scilicet 22. Quia, inquit, sicut literæ sunt elementa ad omnem sapientiam, ita libri illi initia sunt ad omnem Dei cognitionem.

Cur ?

Porro a Græcis tale carmen vocatur acrostichis, præsertim cum ex primis aliquot versuum continuo ordine sequentium literis oratio aliqua connectitur, teste Cicer. lib. 2. de Divinat. uti fit in quibusdam Ennianis et Sibyllinis. Quale est illud Sibyllinum, cuius primæ literæ reddunt hanc sententiam, Ιησȣς χριςος θεȣ υιος σωτηρ, *Iesus Christus Dei filius salvator:* quod recenset Euseb. lib. 4. de Vita Constantini, cuius sententiæ initiales literæ rursum reddunt hanc vocem, ιχθυς, id est piscis, quo nomine proinde Christus subinde a Patribus appellatur.

Aliud mysterium in hisce alphabeti literis non latet, inquit Lyran. et Vatab. nisi literarum Hebraicarum etyma velis interpretari, uti facit S. Hier. ep. 155. ad Paulam Urbicam. Alii tamen, ut Rupert. Hugo, S. Thom. putant hic aliquid mysterii, quod nos lateat, contineri. Sanchez censet has literas additas esse quasi notas, quæ Hebræis in memoriam revocarent, non tantum singulorum versuum initium, sed et totam numerosam eorum compositionem; sicut in memoria artificiali, imagines phantasiæ obiectæ revocant in memoriam totum quod discendum dicendumque est. Verum has imagines quisque sibi congruas format et fingit: nec apparet, quomodo hic singulæ literæ totos versus repræsentare possint singulis hominibus.

Nota Tertio. Sunt hic quatuor alphabeta iuxta quatuor capita. In primo alphabeto cap. 1. sub singulis literis, terni dodecasyllabi versus concluduntur. In secundo alphabeto cap. 2. terni quoque versus sub una eademque litera continentur: quorum primus sexdecim, reliqui duo duodecim syllabarum sunt. In tertio cap. 3. terni versus non solum sub una litera ponuntur, sed ab eadem etiam singuli inchoantur; quorum unus non servato ordine 14. alii 12. syllabarum esse solent. Quartum cap. 4. sub una litera binos versus complectitur. Hic ergo sunt dimetri, in cæteris trimetri. Quocirca S. Hieron. ep. 155. ad Paulam Urbicam, ait eos quasi Sapphico metro esse conscriptos, hoc est trimetro. Nam alioqui pedes et numeros Sapphici carminis non habent; atque numerus et mensura eorum iam ignoratur. Vetus enim Hebræorum poesis interiit.

Symbol. quadruplici hoc alphabeto innuitur, quod Ieremias non tantum Iudæorum, sed et quatuor plagarum orbis, id est totius mundi, peccata deploret, omnesque ad ea deplorandum invitet. Unde et infernus patere dicitur, et extendi ad stadia 1600. Apocal. 14. 20. Hic enim numerus a quadragenario est tetragonus: nam quadragies quadraginta faciunt 1600. ut significetur, patere infernum ad quatuor mundi plagas, ad excipiendum impios undequaque in eum ruentes. Ita Petrus Bongus lib. de Numer. Mysteriis.

Finis Threnorum quis ?

Nota Quarto. Finis scribendi Threnos fuit, ut Ieremias hoc carmine suam in patriam charitatem et commiserationem testaretur, atque eius modulatione suum et civium suorum dolorem leniret, atque alios ad commiserationem flecteret, omnesque ad pœnitentiam, reconciliationem cum Deo, ac peccatorum fugam incitaret. Quare S. Greg. Nazianz. orat. 1. pacificatoria: *Quoties,* inquit, *has lamentationes lego (lego autem, quoties ea lectione præsentis felicitatis sensum castigare voluero) vox mihi inter legendum abrumpitur, et lacrymis obruor, et velut sub aspectum venit illa clades, et cum lugentibus luctum coniungo.*

A

Finis ergo et scopus Spiritus sancti et Ieremiæ in Threnis conscribendis fuit, Primo, parentare Hierosolymæ iam vastatæ et quasi mortuæ. Celebrat enim hic funus et exequias eius, utpote patriæ et matris suæ amantissimæ, eoque simul lenit dolorem suum et civium suorum. Ad hoc enim inventum est carmen funebre. Secundo, hoc carmen est quasi epitaphium, quod Hierosolymæ memoriam ad posteros transmittat. Tertio, idipsum est stimulus ad pœnitentiam, ut Iudæi ad Deum conversi, veniam, ac suam et Hierosolymæ restaurationem a Deo impetrent. Quarto, Tropolog. datur hic schema et forma sacri luctus et pœnitentiæ, de quo mox plura. S. Chrysost. hom. in titulum, Ps. 50. *Prophetæ,* inquit, *velut quidam pictores sunt virtutis, ac militiæ,* qua contra peccata ac diabolum decertamur. Alii Prophetæ alias virtutes pingunt. Ieremias pictor est tum crucis, tum compunctionis. Hac enim excelluit, eamque lectori imprimit: ubique enim threnodus gemit et plangit: quia *magna,* inquit, *velut mare est contritio tua,* o Ierusalem. Porro compunctio mater est devotionis, omniumque virtutum. Si vis sentire devotionem, da te solitudini et compunctioni, et ut ait Psaltes, in cubili et corde tuo compungere: nam, ut ait Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Et Auctor. libr. de Spiritu et anima, tom. 3. S. August. cap. 49. *Meditatio,* ait, *parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem.* Compunctio enim gignit Primo, humilitatem. Quis enim superbiat, qui se infernum commeruisse considerat? Secundo, patientiam, ut omnes humiliationes, mortificationes, morbos, adversitates, tribulationes, persecutiones fortiter, imo alacriter suscipiat, Deoque gratias agat, et canat cum S. Theodoro in tormentis: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Benedictus Deus, qui leniter in hac vita mea peccata castigat, ne ea puniat æternis gehennæ incendiis. Tertio, amorem Dei. Quis enim non summe diligat Deum, a quo se veniam læsæ maiestatis divinæ gratis consecutum, inferno erutum, cælo redditum confitetur? Quarto, amorem proximi. Nam qui offendit Deum, iam huius offensæ gravitatem et indignitatem agnoscens, satagit eam compensare conversione aliorum, qui Deum honorent et glorificent; uti S. Paulus suam Ecclesiæ persecutionem sarcivit et compensavit omnium gentium conversione, ac perpetuis et heroicis laboribus et persecutionibus, quos pro eius propagatione continuo et generose sustinuit. Quinto, compunctio mentem avocat a terra omnique concupiscentia terrena, ac iungit Deo. Ei enim qui vere compungitur, amarescit mundus, et nil sapit nisi Deus. Unde S. Bernar. tract. de modo bene vivendi c. 10. *Bona,* ait, *compunctio thesaurus est desiderabilis, et inenarrabile gaudium in mente hominis. Anima quæ in corde habet compunctionem, proficit ad salutem: lacrymæ pœnitentium pro baptismate reputantur apud Deum.* Et paulo post: *Compunctio cordis sanitas est animæ. Compunctio mentis illuminatio est animæ: quia tunc anima illuminatur, quando ad lacrymas compungitur. Compunctio lacrymarum remissio est peccatorum: quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lacrymis ad memoriam reducuntur. Compunctio Spiritum sanctum reducit ad se: quia cum Spiritu sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat.* Hisce de causis illustres Sancti, qui aliquando peccatum mortale commiserunt, tota vita se addixerunt compunctioni et pœnitentiæ. Licet enim scirent Deum hoc peccatum sibi iam condonasse, tamen ex zelo amoris et honoris divini, eius offensam iugiter in se vindicare voluerunt. Profunde enim considerantes quanta sit illa maiestas, potentia, bonitas divina, quamque illa peccato lædatur et offendatur, noluerunt sibi parcere, sed iugiter peccatum hoc punire, ut Deo amorem et honorem, quem peccando læserant, pœnitendo restituerent. Audie-

Finis Threnorum quadruplex.

B

Ieremias est pictor crucis et compunctionis.

Compunctio est mater devotionis et virtutum.

C

D

rat S. Magdalena a Christo, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: et tamen per triginta annos usque ad mortem in Bauma sua pœnitens, continuis lacrymis, gemitibus, pœnitentiis, orationibus sese addixit, omnibusque sæculis exemplar pœnitentiæ sese constituit.

Sciebat Petrus qui Christum negaverat, Christum se respexisse, et culpam hanc condonasse; et tamen singulis noctibus ad galli cantum, ait S. Clemens, procidens in genua lacrymis uberrimis illam deflevit, adeo ut oculi eius ex assiduo ploratu apparerent quasi sanguine respersi, inquit Niceph. l. 2. 37.

Audierat S. Paulus, post persecutionem vocatus a Christo: *Vas electionis est mihi iste;* et tamen passim inter pœnitentes se collocat. *Ego*, inquit, *sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* 1. Corinth. 15. 9. Et: *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem illorum qui credituri sunt illi in vitam æternam*, 1. Timoth. 1. 15.

Sciebat regius Propheta peccatum homicidii et adulterii sibi a Deo remissum. Nam mox ut de eo increpitus a Nathan Propheta, dixit, *Peccavi Domino;* ab eo audivit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. 13. et tamen iugiter compungitur, gemit, plorat, pro venia obsecrat. *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo*, Ps. 6. v. 7. Et Psal. 79. 6. *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura*, hoc est magna mensura, ut imbres et torrentes, imo flumina lacrymarum mittam, quæ bibam et potem.

S. Augustin. etiam moriens, lacrymis se dabat, lacrymansque Psalmos Pœnitentiales meditabatur et recitabat, ideoque nullum nisi medicum ad se admittebat. Addebatque, nullum quantumvis bene sibi conscium committere debere, ut sine pœnitentia e vita excederet: ita Possidonius in eius vita cap. 30. et 31.

Ut alios omittam, hoc compunctionis spiritu inter omnes Patres excelluit S. Ephrem, qui in omnibus suis scriptis non aliud quam mortem, iudicium, luctum, pœnitentiam sonat, ut in eo hæc Christi beatitudo impleatur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

S. Ephrem proximus est S. Hieronymus, qui passim in epistolis pœnitentiam, austeritatem, mundi contemptum, vitam perfectam verbo et exemplo docet, et inculcat: qua de causa epistolæ eius dicendi libertate, efficacia, acrimonia, æque ac stili elegantia, spiritu et præceptis virtutum ac perfectionis, cuique statui accommodatis, superant omnes omnium Patrum et Doctorum epistolas, aureæque sunt et dignissimæ quæ ab omnibus assidue legantur et terantur.

Hoc suo compunctionis spiritu imbuit ipse omnes suos discipulos et asseclas, ac nominatim S. Paulam et Eustochium. Unde de S. Paula ita scribit in eius Epitaphio: *In ea fontes crederes lacrymarum: ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cumque a nobis crebrius moneretur ut parceret oculis, et eos servaret Evangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, et cerussa, et stibio sæpe depinxit: affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu.* Epistola vero 17. S. Hieron. nomine S. Paulæ invitans S. Marcellam in Bethlehem, sic ex eius persona ait: *Cum per Silo et Bethel ad nostram speluncam redierimus, canemus iugiter, crebro flebimus, indesinenter orabimus; et vulneratæ iaculo Salvatoris, in commune dicemus: Inveni quem quæsivit anima mea, tenebo eum, et non dimittam.* Rursum S. Hieronym. scribens ad Eustochium: *Amemus Christum*, ait, *eiusque semper quæramus amplexus; et facile videbitur omne difficile, brevia putabimus universa quæ longa sunt, et iaculo illius vulnerati per singula momenta dicemus, Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est!*

Porro materia, obiectum, causa et stimulus ad compunctionem est multiplex, sed maxime triplex. Primus, sunt peccata propria. Signum enim vere pœnitentiæ et conversionis est, illa, licet iam remissa, perpetuo lugere et plangere. Secundus, peccata aliena, infidelitas, hæresis, grassationes, persecutiones, ærumnæ publicæ civitatum, provinciarum, regnorum, et totius Ecclesiæ. Ita S. Augustinus, Wandalis invadentibus Africam, et Hipponem obsidentibus, ipse in urbe ab iis obsessus, assidue non suam, sed urbis et Africæ cladem plangebat, teste Possidonio in eius vita c. 29. Tertius stimulus est, hoc exilium, in quo tot periculis, tentationibus, ærumnis, infortuniis circumdati versamur. Quis enim in eo positus non gemat, non suspiret ad cælum, ad Deum? Certe suspirabat S. Paulus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Suspirabat Psaltes: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*, Psalm. 41. Et: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Præclare S. Gregor. l. 6. epist. 187. *Duo*, ait, *sunt compunctionis genera: Unum, quod æternas pœnas metuit; aliud, quod cælestibus præmiis suspirat. Deum sitiens anima, prius timore compungitur, post amore. Ante enim semetipsam in lacrymis afficit; quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam de præsumptione veniæ securitas nascitur, et in amore cælestium gaudiorum animus inflammatur, ac flet amarissime, quia differtur a regno. Contemplatur enim mens, qui sint illi angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ visio internæ charitatis Dei*, etc. Additque, hoc esse irriguum inferius et superius, quod petiit Axa a patre suo Caleb, Iosue 15. Vide eumdem lib. 23. moral. cap. 13. quod totum est de hac re.

Stimulus compunctionis triplex.

Nota Quinto. Falluntur Rabbini, dum putant has Lamentationes capitis primi, secundi et quarti esse librum illum quem combussit Ioakim Ieremiæ 36. caput vero tertium Threnorum continere alium librum, quem eodem c. 36. iussu Dei pro priore combusto restituit Ieremias, eoque dictante rescripsit Baruch: nam ille liber erat minarum de futuro excidio: hi vero Threni sunt lamentationes de excidio iam peracto et præterito. Secundo, ille liber continebat minas non tantum contra Iudæos, sed etiam contra alias gentes, ut patet ibidem v. 2. Threni autem solius Ierusalem et Iudææ excidium spectant. Tertio, ibidem v. 29. dicitur in libro illo scriptum fuisse: *Festinus veniet rex Babylonis, et vastabit terram istam*: hæc autem verba in Threnis non inveniuntur.

Tropolog. Luget hic Ieremias captivitatem animæ sub peccato, inquit Origen. quæ in Babylone, id est vitiorum confusione, inquit Olympiodorus, vincta tenetur: hæc enim Deo sponso suo viduata vectigalis facta diabolo, in singulos sæpe dies, imo horas, novorum malorum operum et lapsuum, novæque culpæ æque ac pœnæ ei pendit tributum: ideoque exulat et proscripta est a Deo, a cælo, a Sanctis et angelis, ab omni bono et virtute. Diabolus enim est verus Nabuchodonosor, id est insessio angustiæ, ait Olympiod. scilicet est crudelissimus tyrannus. Quocirca B. Isaias Abbas tom. 2. Biblioth. SS. Patrum orat. 29. lamentationes animæ peccatis subditæ, instar Threnorum Ieremiæ conscripsit, in quibus inter cætera ita plangit:

Tropol.

Væ nobis, qui in hoc exiguo vitæ spatio voluptati dediti sumus: quia ut iniquæ et brevi carnis cupiditati satisfaciamus, nos iucundissimo divinæ gloriæ spectaculo indignos constituimus.

Væ nobis, qui carnem nostram, quæ in putredinem resolvenda est, et vermium esca futura, in peccatis fovemus et enutrimus: nec ignem, in quo sumus perpetuo excru-

ciandi, nec vermem, qui nunquam dormit, extimescimus.

Væ nobis, qui mortalitatem cum immortalitate non comparamus, et divinam ac formidandam rectitudinem negligimus.

Væ nobis, qui corporis morbos et dolores tam facile sentimus; in animæ autem ægritudinibus et vulneribus gravissimis caremus omni sensu.

Væ nobis, qui cum de omni actione, de omni verbo otioso, de omnibus denique improbis et impuris cogitationibus rationem reddituri simus apud iudicem severissimum; tamen tanquam liberi simus futuri, nullis reddendis rationibus obnoxii, totum vitæ nostræ tempus sine ulla huius rei sollicitudine transigimus.

Væ nobis, qui pulicum, et lendium, et pediculorum, et muscarum, et culicum, et apum morsus atque aculeos ferre non possumus; ab ingenti autem dracone, qui fauces horrendas aperit, ut nos devoret et absorbeat, omnibusque pestiferis mortis aculeis vulneret, nec studemus aufugere, nec ullum adversus eum imploramus auxilium.

Allegor. Allegor. proprie Threni sunt planctus de Ecclesia militante, cum ipsa ob peccata suorum fidelium vexatur a persecutoribus: hæc enim est allegorica Ierusalem vastata. Ita Threnos hosce per omnia adaptat Ecclesiæ Alvarus a Pelagio l. 2. de Planctu Ecclesiæ initio, ubi plangit defectus et abusus laicorum, Ecclesiasticorum et Religiosorum in particulari. Vide et Cardin. Bellarmin. libr. de Gemitu columbæ.

Audi similes S. Hieron. threnos de cladibus sui sæculi (quales et hoc experimur) in Epitaphio Nepotiani: *Viginti et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim, et Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epiron, Dalmatiam, cunctasque Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni, vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, et ingenua nobiliaque corpora his belluis fuere ludibrio! Capti Episcopi, interfecti presbyteri, et diversorum officia clericorum. Subversæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ reliquiæ. Ubique luctus, ubique gemitus, et plurima mortis imago. Romanus orbis ruit: et tamen cervix nostra erecta non flectitur.* Et inferius: *Felix Nepotianus, qui hæc non videt, qui hæc non audit. Non miseri,* A *qui aut patimur, aut patientes fratres nostros tanta perspicimus: et tamen vivere volumus eosque qui his carent, flendos potius, quam beatos putamus. Olim offensum sentimus, nec placamus Deum. Nostris peccatis barbari fortes sunt: nostris vitiis Romanus superatur exercitus; et quasi hæc non sufficerent cladibus, plus pene bella civilia, quam hostilis mucro consumpsit. Miseri Israelitæ, ad quorum comparationem Nabuchodonosor servus Dei dicitur. Infelices nos, qui tantum displicemus Deo, ut per rabiem barbarorum, illius in nos ira desæviat. Ezechias egit pœnitentiam, et centum octoginta quinque millia Assyriorum ab uno angelo una nocte deleta sunt. Iosaphat laudes Domini concinebat, et Dominus pro laudante superabat. Moses contra Amalec, non gladio, sed oratione pugnavit. Si erigi volumus, prosternamur. Proh pudor, et stolida usque ad incredulitatem mens! Romanus exercitus, victor* B *orbis et dominus, ab his vincitur, hos pavet, horum terretur aspectu, qui ingredi non valent, qui, si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur. Et non intelligimus Prophetarum voces: Fugient mille uno persequente? Nec amputamus causas morbi, ut morbus pariter auferatur; statimque cernamus sagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere.*

Lateburius explicat Threnos de B. Virgine plangente Christi tormenta et crucem. Verum hic sensus non est proprius, sed tantum accommodatitius. Quomodo vero quædam ex Threnis proprie per allegoriam competant passioni Christi dicam cap. 3.

Threnos ex præscripto Rabbinorum legunt Iudæi in suis synagogis die nona mensis Ab, id est Iulii; quia eo die corruit Israel, et Ierusalem cum templo succensa est.

Nota. Tom. 5. S. Hieron. extant Commentarii in Threnos, sed non sunt S. Hier. idque patet tum ex stylo, tum C quod in iis inveniantur sententiæ ex S. Gregor. Papa, qui longe S. Hier. fuit posterior, decerptæ. Codex manuscriptus Gemblacensis, tribuit eos V. Bedæ. In operibus Rabani Basileæ excusis continentur et hi Comment. planeque videntur esse Rabani. Quinam in Threnos scripserunt?

Scripserunt quoque in Threnos Orig. Olympiod. Theodor. Procopius, et posterioribus sæculis Lyran. Hugo et alii multi, inter quos excellit Paschasius Ratbertus, Abbas Corbeiensis, qui floruit anno Domini 880. Novissime e Societate nostra scripserunt Martinus Delrio, Gaspar Sanchez, et Chrystoph. a Castro.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Plangit desolationem Ierusalem, non primam sub Ioachin, sed extremam sub Sedecia templo combusto: atque per antithesin prioris status et felicitatis bona cum malis posterioris, puta excidii et captivitatis confert. Sic Christus allegorice flevit super Ierusalem vastanda per Titum, Lucæ 19. 41.

Aleph. 1. QUOMODO sedet sola civitas plena populo! facta est quasi vidua domina gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo! *Beth.* 2. Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ eius in maxillis eius: non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. *Ghimel.* 3. Migravit Iudas propter afflictionem, et multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias. *Daleth.* 4. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ eius destructæ: sacerdotes eius gementes: virgines eius squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine. *He.* 5. Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatem eius: parvuli eius ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. *Vau.* 6. Et egressus est a filia Sion omnis decor eius: facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua: et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. *Zain.* 7. Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, et non esset auxiliator: viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata eius. *Cheth.* 8. Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens conversa est retrorsum. *Thed.* 9. Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. *Iod.* 10. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam. *Caph.* 11. Omnis populus eius gemens, et quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam: vide Domine et considera, quoniam facta sum vilis. *Lamed.* 12. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite,

et videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui. *Mem.* 13. De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. *Nun.* 14. Vigilavit iugum iniquitatum mearum: in manu eius convolutæ sunt, et impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. *Samech.* 15. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos: torcular calcavit Dominus virgini filiæ Iuda. *Ain.* 16. Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus. *Phe.* 17. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam: mandavit Dominus adversum Iacob in circuitu eius hostes eius: facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos. *Tsade.* 18. Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocavi; audite obsecro universi populi, et videte dolorem meum: virgines meæ, et iuvenes mei abierunt in captivitatem. *Coph.* 19. Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me: sacerdotes mei, et senes mei in urbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi ut refocillarent animam suam: *Res.* 20. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum; foris interfecit gladius, et domi mors similis est. *Sin.* 21. Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, et fient similes mei. *Thau.* 22. Ingrediatur omne malum eorum coram te: et vindemia eos sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.

Vers. 1 QUOMODO.) Vox est non inquirentis, sed admirantis et obstupescentis ad tantam tantæ urbis et reipubl. cladem et eversionem: sicut dixerat Ierem. 18. 16. *Omnis qui præterierit per eam obstupescet et movebit caput suum.* Porro in hac clade admiratur Propheta tam calamitosam, et pene incredibilem status mutationem in rebus omnibus, sed maxime in tribus in quibus elucebat Hierosolymæ maiestas: scilicet Primo, in populi frequentia, quæ iam redacta est ad solitudinem: hoc est enim quod ait: *Quomodo sedet sola civitas plena populo.* Secundo, in regis et magistratuum prudentia, qua gentibus antea quasi domina præcellebat, iam illis est viduata: unde ait, *Facta est quasi vidua domina Gentium.* Tertio, in imperio quo multis nuper solebat imperare, iam Chaldæis servit et pendit tributum: hoc enim est quod tertium aleph versum concludens dicit, *Princeps provinciarum facta est sub tributo,* q. d. Fierine potuit ut magnifica et inclyta Ierusalem, civitas sancta, Syriæ emporium, paradisus Asiæ, ocellus Orientis, mundi regina, religionis arx, fidei fax, sacrorum columen, Ecclesiæ columna, Thronus Dei, deliciæ hominum et angelorum, a Deo et Chaldæis profanaretur, everteretur, combureretur? ut tot milliones hominum qui in ea erant, ad tam paucas, viles et pauperes animas redigerentur? ut David, Salomon, Ezechias, Iosias, aliique illustrissimi eius reges et principes in hoc regni deliquio una omnes quasi interirent? ut amplum illud et nobile Salomonis imperium concideret, et serviret Chaldæis?

Triplici decore spoliata est Ierusalem.

SEDET.) Loquitur de Ierusalem quasi de matrona valde afflicta et mœrente: hæc enim præ mœrore et debilitate ac pudore (si violata sit, uti hic violata erat Ierusalem cum templo) solet sedere et plorare. Potest tamen Secundo, cum Maldon. *sedet* accipi pro *iacet*: sedere enim, uti et stare, in Scriptura subinde non certum situm significat, sed tantum præsentiam, ut idem sit quod adesse et esse præsentem, sive quis stet, sive sedeat, sive iaceat: q. d. Quomodo Ierusalem iacet prostrata, quæ prius stabat, imo verticem supra omnes gentes erigebat. Sic dixit c. 48. 18. *Descende de gloria, et sede in siti* (in loco arido et siticuloso) *habitatio filiæ Dibon.* Sic Vespasianus devicta Iudæa cudi fecit nummum, in quo Iudæa quasi mulier pingebatur sedens, et incumbens palmæ. Palma enim est insigne Iudææ, quia eius est ferax.

Sedet sola tripliciter. SEDET SOLA CIVITAS.) *Sola* Primo, quasi deserta a civibus suis, ideoque lugens. Secundo, quasi de solio gloriæ et regni deiecta. Tertio, quasi menstruata, et ob menstrua polluta et immunda: sic enim Ierusalem vocatur v. 17. aut quasi leprosa (leprosi enim extra castra et urbes soli degebant) et separata a consortio et tutela Dei et Sanctorum, ideoque quasi proiecta et excommunicata.

Vidua tripliciter. FACTA EST QUASI VIDUA.) q. d. Ierusalem quasi vidua orbata est primo, rege suo, scilicet Sedecia iam capto;

A secundo, pontifice, scilicet Saraia iam a Chaldæis occiso; tertio, aliis principibus et magistratibus iam pariter vel occisis vel captis: hi enim sunt quasi mariti reipublicæ, quæ iis ablatis fit quasi vidua. Hic sensus maxime innatus est et genuinus.

Secundo, *vidua*, quia derelicta est a Deo qui Synagogæ erat maritus, inquit Rupert. Bonavent. et Dionys. unde ait *quasi*, quia maritus eius, puta Deus, non est mortuus, sed eam tantum ut adulteram repudiavit, prædæque Chaldæis exposuit.

Tertio, τὸ *vidua* opponitur voci *domina Gentium*. Heb. enim est רבתי בגוים *rabbati baggoim*, id est magna, id est multa, gentibus: q. d. Ierusalem, quæ antea frequentabatur a gentibus, tam proselytis et ad iudaismum conversis, quam Gentilibus, mercium, sapientiæ aliave de causa ad eam, quasi ad nobilissimum emporium confluentibus, iam iis viduata est: ita Chald. et Origen. unde hebr. vidua vocatur אלמנה *almana*, id est ligata, et silens, id est serva, quæ antea erat domina. Vidua enim videtur

B habere ligatas manus, æque ac os, ut se in iudiciis tueri, suasque iniurias propulsare non possit, sed omnium calumniis et rapinis videtur exposita, dataque in prædam: quia eius tutor et vindex, puta maritus, obiit. Talis erat hic Ierusalem.

Nota τὸ *quasi*, q. d. Ierusalem non est proprie fœmina et vidua, sed illi similis civitas. Rursum non est plane viduata et desolata: quia post 70. annos captivitatis rursum Dei ope et nutu replebitur copia tam principum et indigenarum, quam gentium ad eam confluentium. Alii τὸ *quasi* exponunt, q. d. Ierusalem non est vere vidua, sed quasi: quia est mœcha et adultera. Sed hoc subtilius est quam solidius: agit enim de pœna, non de culpa Hierosolymæ.

PRINCEPS PROVINCIARUM FACTA EST SUB TRIBUTO.) q. d. Ierusalem quæ sub Davide et Salomone dominata est Philisthæis, Moabitis, Syris, Ammonitis, Idumæis, aliisque gentibus et provinciis, ut patet 2. Reg. 8. et 3. Reg. 9. nunc servit Chaldæis barbaris et infidelibus, iisque

C pendit tributum.

Nota. Tributum vocatur hebr. מס *mas*, a radice מסס *masas*, id est liquefecit. Significat ergo *mas* non tantum censum e facultatibus, sed omnem contributionem, omneque onus personale, quo tributarius in servitute alicuius se suaque omnia insumit, liquefacit et exhaurit; quod fit cum verbi gratia quis damnatur ad agros et vineas colendas, ad fodinas metallicas, ad lateres formandos, ad onera baiulanda, etc. uti contigit Hebræis in Ægypto, Exodi 1. *Tributum heb. vocatur mas, id est liquefactio, cur?*

Allegor. Synagoga fuit typus Ecclesiæ: dicatur ergo nunc de Ecclesia quæ olim in Græcia, Asia, Ægypto, Africa, Anglia, Scotia, Hollandia, Dania, Svecia floruit, iam vero Turcæ aut hæresis iugum patitur: *Quomodo sedet sola civitas?* etc. *Allegor.*

Ita hosce Threnos Africæ a Wandalis Arrianis afflictæ adaptat Victor Uticens. in fine lib. 3. histor. Wandal. *Adestote*, ait, *angeli Dei mei, et videte Africam totam dudum tantarum Ecclesiarum cuneis fultam, nunc ab omnibus desolatam, tantis ordinibus sacerdotum ornatam, nunc sedentem viduam et abiectam. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. Egressus est a facie eius omnis decor*, etc. *Deprecamini Patriarchæ, orate sancti Prophetæ, estote Apostoli suffragatores eius. Præcipue tu Petre beate, quare siles pro ovibus tuis? Tu S. Paule, Gentium magister, cognosce quid Wandali faciunt Arriani, et filii tui gemunt lugendo captivi.*

Tropol. Tropolog. anima plena populo, id est, probis cogitationibus et affectionibus quasi civibus, per peccatum iis orbatur et desolatur. Secundo, domina gentium, id est vitiorum et passionum, quas ratione regebat et Dei timore, iam omni hoc dominio, imo et Deo, et rationis imperio viduata est. Tertio, princeps in provinciis, id est, anima suis potentiis et membris imperans, facta est mancipium dæmonis, *tot sceptris serviens quot dedita est vitiis*, inquit S. Hieron. quibus dat tributum, cum iis omnes suas opes et vires impedit et exhaurit. Sceptrum ergo habet superbia in anima impii: sceptrum quoque habet avaritia, libido, cæteraque vitia; tot tyrannis servit impius quot vitiis obtemperat. Nam sceptrum et dominium rationi eripit, illudque tradit concupiscentiæ: perinde ac si quis reginæ optimæ coronam detraheret, eamque meretricis petulantissimæ capiti imponeret; regina enim est ratio, meretrix est concupiscentia: ita S. Chrysost. hom. 11. in epist. ad Romanos: unde S. August. tract. 41. in Ioan. *Tolle*, inquit, *peccati regnum, noli dare concupiscentiis tuis vires: sequendo eas, vires eis addis: dando eis vires, quomodo vinces, quando contra te inimicos nutris viribus tuis?* Huic ergo animæ peccatrici Ieremias, id est prædicator, commiserando et admirando dicit: *Quomodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua domina Gentium?* etc. De gravitate peccati vide dicta Ieremiæ 2. in proœmio.

Anima peccans regnum suum dat concupiscentiæ.

Vers. 2. PLORANS PLORAVIT.) Primo, R. Salomon putat hac geminatione duplicem ploratum significari, unum ob templi, alterum ob urbis eversionem. Verum dico esse hebraismum: *plorans ploravit*, id est continuo et effuse ploravit, scilicet urbs Ierusalem, id est pauci cives relicti Hierosolymis a Nabuchodonosor. Secundo et simplicius, urbi ipsi per prosopopœiam, ad pathos datur hic vita, vox, ploratus, etc. quia urbi tribuit personam matronæ olim felicis et gloriosæ, nunc vilis, miseræ et plorantis, ut dixi v. 1.

IN NOCTE.) Chald. sic explicat: Cum Moses, inquit, exploratores in terram promissionis misisset, iique retulissent terram esse aditu difficilem, Iudæi ea nocte præ tristitia plorarunt, quibus Deus iratus præcepit, ut ea nocte futuram templi vastationem deflerent. Sed hæ sunt Iudæorum fabulæ. Ploravit ergo Ierusalem *in nocte*, id est in calamitate, cuius symbolum est nox, inquit Raban. S. Thom. et Lyranus.

Secundo, *in nocte*, quia nocte diei nonæ mensis Ab, capta est Ierusalem: quamobrem tunc cœpit eius ploratus: ita aliqui Hebræi, et idipsum quoque insinuat Chal. imo Script. Ieremiæ 52. 7.

Nox apta compunctioni. Tertio et simplicissime, *in nocte*: quia nox ob silentium, solitudinem, vacationem a labore, tranquillitatem, collectionem et contractionem animi, aptior est meditationi, compunctioni et lacrymis: ita Orig. Isidor. S. Thom. et alii. Alludit ad vocem *vidua*: sic enim vocavit Ierusalem, v. 1. nam vidua solet noctu maxime, mariti et socialis thori recordari, suamque viduitatem experiri ac deflere, ut ait sponsa Cant. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.*

Quarto, addit Sanchez novam rationem: Quia, inquit, sicut servis nefas erat queri de dominorum imperio, licet crudeli et acerbo: sic etiam coram lugere, aut animi languorem ostendere, capitale erat crimen. Sic coram Ariovisto rege *nemini in dolore summo mutire, nedum lacry-*

A *mari licuit*, ait Cæsar lib. 1. de bello Gallico. Ita Ierusalem hic subacta et serva coram Chaldæis interdiu plorare non audebat; plorat ergo nocte. Sic apud Sophoclem Electra felicem vocat Niobem, cui plorare filiorum mortem permissum est.

LACRYMÆ EIUS IN MAXILLIS EIUS.) Scilicet hærent et perennant, q. d. Iugiter lacrymatur, iuges lacrymarum rivi ex oculis per maxillas eius decurrunt; ut non curet eas abstergere, quia novæ semper affluunt, aliæque aliis continuo succedunt. Aliter Hugo et Sanchez, q. d. Hærent in maxillis eius lacrymæ: quia barbari Chaldæi non permittunt ei otium, ut faciem abluat: aut potius, quia ipsa, cum sit tota in luctu, non laborat de cultu et munditie; sed perennibus lacrymis luctum præ se fert et profitetur.

NON EST QUI CONSOLETUR EAM.) Hoc ei ad cumulum doloris accedit, quod non habeat consolantem. Cum enim tristitia sit quasi onus quoddam infirmum animum prægravans; ubi amici lugenti condolent, videntur eum quasi iuvare in onere portando, ipseque alleviatur sentiens se non solum onus suum portare, præsertim quia inde videt se ab eis amari: ex quo tacita quadam delectatione afficitur, quæ tristitiam minuit: ita ex Aristotele S. Thom. 2. 2. q. 38. a. 3.

Tristitia est onus, quod sublevat consolatio.

Hinc et S. Gregor. lib. 5. Moral. 3. ait. *Laborantis visitatio est laboris sublevatio:* multo magis dolentis visitatio et consolatio, est doloris sublevatio. Quocirca David in persona Christi queritur psal. 68. *Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.* Et in inferno una e maximis damnatorum pœnis est quod neminem in cælo, vel in terra habeant, qui extremis eorum tormentis vel nutu compatiatur; sed omnes laudent iu eis iustum Dei iudicium, eosque his et maioribus pœnis dignos esse censeant.

Chari Ierusalem qui? Resp.

EX OMNIBUS CHARIS EIUS.) Chari et amici Hierosolymæ hic vocantur sacerdotes et Prophetæ, ait Hugo. Secundo, Gentium idola quæ colebant, et in quibus sperabant Iudæi, cum his enim quasi amasiis suis fornicata 1.
fuit Ierusalem; sed iam in excidio ab iisdem fuit deserta 2.
et derelicta: ita Raban. Tertio, hi chari sunt angeli custodes, inquit S. Bonavent. et Dionys. Quarto, planius 3. 4.
Orig. chari Hierosolymæ, inquit, sunt vicini Iudæi aliarum urbium. Quinto, Olympiodor. sic explicat, q. d. In 5
excidio Ierusalem alter alterum, amicus amicum non est consolatus: quia æque omnes fuerunt desolati. Sexto et 6.
aptissime, chari et amici Hierosolymæ hic vocantur gentes vicinæ, et amicæ antea Iudæis, nunc inimicæ: quia cum Chaldæis vastarunt Iudæos. Tales fuerunt Idumæi et Ægyptii. Hi enim huius matronæ, scilicet Hierosolymæ, fuerunt amasii, ut dixit Ierem. cap. 4. v. 30. quia eam quasi adulteri ad sua idola et vitia pertraxerunt: nunc vero hostes effecti eam per excidium viduam factam deserunt, imo spernunt, irrident et impugnant: ita S. Thom. Hugo, Bonavent. Lyran. et Dionys. Hæc enim iusta est pœna meretricum et adulterarum, ut mel eis vertatur in fel, amasii in hostes, adulatores in irrisores.

Pœna meretricum amasii versi in hostes.

D Idem, Tropolog. contigit animæ peccanti: hæc enim cum creaturis et voluptatibus fornicata, mox ab iisdem amarorem, horrorem, nauseam, aliosque corporis et animi cruciatus, iusto Dei iudicio perpetitur, præsertim in morbo et morte. Idipsum duabus pulchris parabolis Barlaam clare repræsentat regi Iosaphat apud Damascen. cap. 13. et 14. historiæ eorumdem.

MIGRAVIT IUDAS PROPTER AFFLICTIONEM.) Chald. Vatabl. Dionys. et Isidor. sic vertunt, Abiit Iudas in captivitatem, eo quod ipse afflixit pupillos et viduas, et cum duritia tractavit servos Hebræos, nec eos stato a lege et Deo tempore liberos dimisit, ut patet Ierem. 34. 13. Vers. 3.

Secundo, Lyranus et Rupert. *propter afflictionem*, inquiunt, hoc est, ut affligeretur et serviret Chaldæis propter peccata sua.

Tertio, Origen. *propter afflictionem*, inquit, hoc est, quia afflixit, id est, deiecit se, et servivit peccatis.

Quarto, optime Rabanus, Hugo, S. Thom. Dionys. et

Isidor. sic explicant, q. d. Iudas, id est multi Iudæorum, ut afflictionem, onera, tributa, servilia ministeria in aggeribus construendis, agris colendis, lateribus et calce comportandis, castris purgandis, et muniendis, quæ quasi mancipia subituri erant, aut iam subibant, uti subierant in Ægypto, Exodi 1. et 5. ut inquam servitutem tantam, tamque variam, duram et multiplicem Chaldæorum effugerent; migrarunt partim ante excidium Ierusalem, partim in illo, et post illud, ad vicinas gentes, scilicet Ammon, Moab, et præsertim Ægyptios: sed nec ibi iuvenit requiem, quia Chaldæi persequentes ibidem apprehenderunt eam, id est eos, puta Iudæos; de iis enim loquitur nunc masculine, quasi de viro et populo; nunc fœminine, quasi de matrona: talis est enim urbs et gens.

Omnes persecutores eius appreuenderunt eam inter angustias.) In loco periculis undequaque septo ut effugere non posset, v. g. in arcto utrinque muris concluso: sic enim erant Iudæi fugientes in Ægyptum: nam neque in Iudæam redire poterant, quia ipsa a Chaldæis tenebatur; neque in Ægypto manere, quia ab iisdem vastabatur Ægyptus. In his ergo verum erat istud:

Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

Et istud: *Cinerem vitans in prunas incidit.*

Nota in Hebræo pulchram et nervosam paronomasiam: nam מצרים *metsarim*, quod significat angustias, alludit ad מצרים *Mitsraim*, id est Ægyptus: q. d. Migrarunt Iudæi in *Mitsraim*, id est in Ægyptum, quasi in *metsarim*, id est in angustias suas, tanquam mures in muscipulam suam, scilicet in Chaldæorum captivitatem et gladium, qui eos ibi comprehendit. Hoc eis prædixerat, et minatus fuerat Ieremias cap. 42. v. 11. et c. 43. et 44. et 46.

Tropol. Qui fugit crucem incidit in maiorem. Tropolog. Multi ab Ecclesia fugiunt ad hæreticos, propter arctam servitutem mandatorum Ecclesiæ; sed et ibi in maiores incidunt perturbationes animæ et conscientiæ. Secundo, anima pia cum a Deo affligitur, si eum fugere velit, in maiores incidet afflictiones: dum enim crucem unam excutit, aliam graviorem incurrit. Tertio, Religiosus qui fugit labores Religionis, in sæculo maiores inveniet angustias conscientiæ cruciantis, amicorum et curarum; item afflictiones ac tentationes a carne, mundo et dæmone.

Vers. 4. Viæ Sion.) Id est viæ ad templum quod erat in monte Sion: ita Orig. Hugo, Lyran. et Dionys. Secundo, et melius Sion, id est Ierusalem, cuius potior pars erat arx et mons Sion: ita Theodoret. Hugo, S. Thom. et Bonavent. Hæ viæ ad Ierusalem lugent metaphorice, id est, desertæ sunt et desolatæ, sicut prata rident, cum florent. Cives enim civitatis, et turbæ viarum sunt quasi anima et vita: unde iis submotis videntur lugere, et emori.

Aliter Lyran. Viæ, inquit lugent, id est gramina et herbam copiosam, quasi comam instar lugentium produxerunt, eo quod nullius vestigio tererentur. Verum lugentes apud Hebræos, in luctu comam non alebant, sed tondebant, ut patet Iob. 1. 20. Ierem. 7. 29. Miche. 1. 16.

Secundo, viæ Ierusalem lugent metonymice, quia luctum excitant considerantibus tum veterem frequentiam et concursum ad solemnitates, scilicet Paschæ, Pentecostes, et Tabernaculorum, quibus omnes Iudæi non tantum ex Iudæa, sed ex toto orbe confluebant Hierosolymam: tum præsentem, eversa urbe et templo, solitudinem.

Omnes portæ eius destructæ.) Portæ serviunt primo, ad speciem et decorem urbis. Secundo ad munimen: unde olim erant altæ et munitæ quasi arces. Tertio ad senatum et iudicia: hæc enim olim iudices peragebant in portis; quia ad eas liber omnibus tam indigenis, quam exteris erat accessus. Quarto, ad nundinas, festa, ludos, omnemque populi panegyrim et conventum. In portis ergo destructis, hæc omnia pariter destructa et eversa esse significat. Unde c. 5. ait *Senes defecerunt de portis, iuvenes de choro psallentium;* ita S. Thomas.

Sacerdotes eius gementes.) Quia munere suo amoti sunt; vel potius, ut Chald. quia cessant sacrificia eorum et sacra omnia: dum enim ea vigerent, sacrificantes hymnos et psalmos cantabant ac iubilabant; nunc iis ablatis, silent et gemunt.

Virgines, quæ in urbis et templi festis solebant choros ducere, et Dei laudes canere, 1. Reg. 18. 6. iam squalidæ.) Sunt; hebr. נוגות *nugot*, id est afflictæ.

Allegor. Allegor. virgines sunt sanctimoniales, aliæque quæ virginitatem Deo dicarunt; hæ squalent cum a pristina puritate et secessu deficiunt, atque mundanas familiaritates, urbanitates et colloquia sectantur; itaque faciem suam a Deo sponso suo, ad homines convertunt.

Secundo et adæquate, virgines quælibet Hierosolymæ, quæ antea mire formosæ erant, ac nitoris et cultus studiosissimæ, iam in barbarorum Chaldæorum potestatem redactæ, eorumque ancillæ factæ, multæ etiam ab eis violatæ, lugent et squalent. Hoc est quod Sionidis superbis et comptulis minatus est Isaias c. 3. 24. *Et erit pro suavi odore fœtor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium.* Quocirca *ipsa* mater Ierusalem, suarum filiarum amantissima, videns earum squalorem et sordes, tota est *oppressa amaritudine.*

Tropolog. viæ ad vitam, virtutem et cælum sunt virtutes, fides, iustitia, misericordia, etc. hæ lugent, quia ab hominibus desertæ et neglectæ sunt. Tropol.

Secundo, portæ, id est, sensus destructi sunt, cum per eos hostis, peccatum et mors, intravit in animam.

Tertio, sacerdotes gemunt, id est mens et spiritus, quæ solebant offerre Deo meditationes, oblationes et preces, iam peccato obruta gemunt, easque negligunt.

Quarto, virgines, id est puræ et cælestes cogitationes squalent; hinc omnia amara sunt peccatori.

Rursum, portæ Ierusalem sunt virtutes animæ. Porta fundamenti est humilitas: porta excelsa in monte Sion est charitas: porta templi est religio: porta vallis est cognitio creatoris per pulchritudinem creaturarum; in hac sunt duæ valvæ, una creaturæ, altera, creatoris: porta sterquilinii est confessio, per quam emittuntur sordes animæ: porta fontis est effusio lacrymarum: porta gregis est cura pascendæ animæ suæ et suorum: porta piscium est temperantia et observatio ieiuniorum: porta equorum est robur et alacritas ad pugnandum contra hostem: porta Orientalis est fides: porta fictilis est consideratio fragilitatis humanæ: porta anguli est mutua beneficentia: porta media est mediocritas; hæ omnes destruuntur per peccatum. Portæ Sion in anima quæ?

Facti sunt hostes eius in capite.) Id est in caput: q. d. Facti sunt hostes superiores, et dominantur Hierosolymis; Solymitæ vero olim rerum domini nunc abiecti sunt, factique in caudam: sunt enim mancipia Chaldæorum. Vers. 5.

Sic Tropolog. animæ peccatrici dominantur hostes, puta dæmones et concupiscentiæ. Audi S. Greg. 1. Moral. 19. *Facti sunt hostes in capite, q. d. Cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic adversantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur; tantoque eam plenius possident, quanto et per initium dominantes tenent.* Ubi S. Gregorius per *caput* Tropolog. accipit initium actionis et intentionis. Nam, ut ait S. Bernardus lib. de Præcept. et dispens. *bonum opus prorsus condemnat intentio prava.* Sicut enim ex lutulento puteo quidquid exit turbulentum est: sic ex animo corrupto nil nisi corruptum egreditur.

Inimici eius locupletati sunt.) Hierosolymæ spoliis. Hebr. est שלו *scialu*, id est prosperati sunt, feliciter eam expugnarunt et diripuerunt, itaque ex spoliis eius *locupletati sunt.*

Quia Dominus locutus est.) Id est, hæc ipsa comminatus est Iudæis, si ab eo, eiusque lege deflecterent, per Mosen Deuteronom. c. 28. v. 13. et Levitic. 26. et alibi: et nunc recenter per me Ieremiam, per Isaiam, et alios Prophetas. Septuagin. Chald. et Vatablus, vertunt, quia Dominus afflixit vel humiliavit eam. Hebræum enim הוגה *hoga* deducunt a יגה *iuga*, id est doluit et dolere fecit; noster vero *hoga* proprie deducit ab הגה *haga*, id est meditatus est, mussitavit, locutus est.

Parvuli eius, qui vix fari et incedere cœperant, qui-

busque proinde hostes, licet barbari, parcere solent, DUCTI SUNT IN CAPTIVITATEM ANTE FACIEM TRIBULANTIS) Ante hostem Chaldæum eos quasi pecora agentem et minantem in Chaldæam. Hic enim eos, non quasi pastor, sed quasi prædo, abripere cogitabat, vel occidere.

Tropolog. Parvuli, novitii in fide vel Religione, ducuntur in captivitatem, cum seniorum peccatis et pravis exemplis in dissolutionem et scelera abducuntur.

Vers. 6. Filia Sion quid? ET EGRESSUS EST A FILIA SION OMNIS DECOR EIUS.) Nota. Filia Sion est Ierusalem, quia ipsa erat in valle, et velut sub protectione arcis et montis Sion, quasi matris suæ: ita Lyran. et Hugo.

Secundo, Origen. et Chald. filia, id est cœtus et plebs, quæ in urbe Sion, quasi fœtus in matris utero, continebatur.

Tertio et optime, Ierusalem urbs pulcherrima, dicitur filia; quia Hebræi urbes pulchras et dilectas, metaphorice vocant filias. Sic filia Babylonis est urbs Babylonis, sive ipsa Babylon formosa et amabilis quasi filia.

DECOR.) Id est regnum, aiunt Hebr. et Vatablus. secundo, Lyranus, regnum et sacerdotium; tertio, et plenius, S. Thomas, Hugo, Dionysius et Bonavent. *omnis decor*, id est, omnis ornatus et templi, et domorum, et civium, et magistratus, et sacerdotum, et virginum, et politiæ, rerumque omnium.

FACTI SUNT PRINCIPES EIUS VELUT ARIETES.) Legit interpres אילים *elim*, id est arietes; iam aliis punctis legunt איּלים *aialim*, id est quasi cervi, scilicet timidi et fugaces, facti sunt Sedecias et principes Iuda: ita Chald. et Pagnin. Eam ob causam Achilles obiurgans Agamemnonem apud Homerum, ait eum habere cor cervinum, id est esse timidissimum. Noster melius vertit, *arietes non habentes pascua*, id est sine cibo et pastu; q. d. Principes Hierosolymæ, quasi arietes emaciati, fame et lassitudine fuerunt confecti, cum in Babylonem captivi abirent; ita ut Chaldæis ad gradiendum festine impellentibus, vix possent ingredi; ita Origen. Hugo, Lyran. et Dionys.

Anima sancta est regina pulcherrima. Tropolog. anima est filia Sion, id est speculationis, et filia Sion, id est cæli civis, quæ antea per meditationem sugebat lac angelorum, iam per peccatum perdidit omnem decorem virtutum, quo Deo et angelis placebat præ omnibus creaturis: anima enim ornata gratia Dei, est regina pulcherrima, superans omnem naturalem pulchritudinem angelorum, omniumque creaturarum. Ratio est, quia per gratiam fimus *divinæ consortes naturæ*, ut ait S. Petrus; ac per consequens excellentissime et proxime participamus supernaturalem et summam Dei pulchritudinem, quæ omnem naturalem et creatam in immensum transcendit. Vide hanc sponsæ pulchritudinem in Cant. Cant. descriptam. Secundo principes, id est, ratio et voluntas, in ea præ fame rerum spiritualium lassa deficiunt. Hinc Tertio, quo dæmon eas impellit, eo cogitatione et affectu feruntur: carent enim viribus et fortitudine resistendi, hanc enim habebant a gratia, qua iam sunt spoliati. Hæc tum omnibus, tum maxime Prælatis conveniunt: hi enim quasi arietes gregem debent præire, ducere, defendere et pascere verbo et exemplo; sed si ad pascua voluptatum abeunt, ab hoste a tergo urgente minantur ad famem et mortem spiritus tum sui, tum suorum. Ita S. Hieron.

Vers. 7. RECORDATA EST.) Hebræi et Vatabl. vertunt satis apposite, *recordata est Ierusalem in diebus afflictionis suæ, in quibus dabat pœnas prævaricationis suæ, omnium desiderabilium suorum;* quorum possessione olim exultabat, nunc eorumdem amissione cruciatur, q. d. In diebus afflictionis suæ recordata est antiquæ prosperitatis suæ, auxitque illi dolorem recordatio, ut psal. 136. v. 1. dicitur: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Sed Septuag. Chald. et noster vertunt in genitivo, *recordata est dierum afflictionis suæ.* Verba ergo huius versus involuta, ita ordinanda et exponenda sunt, q. d. Ierusalem recordata est Primo, dies hosce præteritos, in quibus perfecte afflicta est; videlicet cum caderet populus in manus Chaldæorum absque auxiliatore: est enim hoc eius vulnus recens, et quasi adhuc spirans et vivum. Secundo, recordata est simul causæ tantæ calamitatis, videlicet suæ prævaricationis. Tertio, denique recordata est omnium desiderabilium ornamentorum, quæ in urbe et templo fuerunt a tempore Salomonis; cogita ergo quam tristis sit, cum se omnibus videt spoliatam, quamque se cruciet, quod tanta Dei beneficia non pluris fecerit et custodierit: ita Paschasius, Lyranus, et Dionysius.

Lysimachus rex cum præ siti se cum exercitu hosti tradidisset, hausta aqua exclamavit: *Dii*, inquit, *boni, quam exiguæ voluptatis causa, quantum regnum amisi, et ex rege me servum effeci!* Idem dicat Ierusalem: idem dicat anima pœnitens. Lysimachi pœnitentis vox.

Nota Primo. Pro *prævaricationis*, hebr. est מרודים *merudim*, quod Vatablus proprie vertit, *rebellionis*, scilicet in violanda Dei lege, et colendis idolis. Sed Septuag. vertunt ἀπωσμῶν, id est *expulsionum suarum*, hoc est, ut Pagninus vertit, *indigentiarum*, *vagationum et transmigrationum suarum;* nimirum hi τὸ *merudim*, id est rebellionem, sumunt metonymice pro pœna rebellionis, quæ fuit exilium, et dispersio per gentes.

Nota Secundo. Per desiderabilia, intelligit opes et delicias, quas quisque in excidio iam amissas recordatur et luget. Secundo, ut Vatablus, desiderabilia hæc sunt regnum, sacerdotium, pax, victoria, prophetiæ, cæteraque ornamenta illius populi; uti et templi, puta festa, oblationes, sacra vasa, vestes, etc. Hebræi τὸ *cum caderet populus*, referunt ad sequentia, tunc *hostes deriserunt sabbata eius*. Melius Rom. Septuaginta, Origenes, et alii referunt ad præcedentia, q. d. Recordata est Ierusalem dierum afflictionis, etc. tunc, cum hostilis gladius in populum impune grassaretur, nec esset qui ei ferret auxilium; cumque hostis ei, eiusque festis et religioni petulanter illuderet.

VIDERUNT EAM HOSTES, Chaldæi, inquit Hugo et Dionysius. Melius a Castro *hostes*, scilicet vicini Idumæi, Moabitæ et Ammonitæ: ET DERISERUNT SABBATA EIUS.) Id est omnia festa, cultum et religionem Iudæorum; ita Latini omnes. Videntur ergo Chaldæi irrisisse tum circumcisionem, aliosque Iudæorum ritus; tum proprie cultum sabbati, quod nimirum Deum colerent sacro hoc otio; ideoque eos coegisse ut in sabbatis æque, imo magis laborarent, quam aliis diebus profanis. Sic enim Gentiles Iudæos ridebant, quod septimam diem, ac consequenter septimam temporis et vitæ partem otiando transigerent; indeque eos vocabant Sabbatarios. Audi Iuvenal. satyra 5. Iudæum depingentem:

Cui septima quæque fuit lux
Ignava, et partem vitæ non attigit ullam.

Vide quæ dixi de sabbato Deuter 5. 12.

Verum Hebræi et Græci τὸ *sabbata* accipiunt appellative, vertuntque cessationes, vocationes, vacantias, quod scilicet iam cessent omnia negotia, commercia, lites, nundinæ, etc. in Ierusalem; uti minatus fuerat Dominus Levitici cap. 26. v. 33. vel, ut Chaldæus, quod cesset iam felicitas et lætitia, qua prius ex bonis suis fruebatur. Septuaginta vertunt ἐν μετοικεσίᾳ, id est, in habitatione eius, scilicet solitaria, id est in eius solitudine, vel in eius transmigratione.

Tropolog. Anima pœnitens dum videt ob peccata se affligi, vel a vitiis, vel a vitæ ærumnis, gemit, dum recordatur tum peccatorum, tum felicis status Adæ, atque virtutum et beneficiorum Dei quæ perdidit, instar S. Iob c. 29. 2. quod hostis ex templo animæ suæ rapuerit altare thymiamatis, id est sacrificia et orationes; et candelabrum luminis, id est intelligentiam rerum divinarum; et mensam panum propositionis, id est virtutem eleemosynæ; et alia vasa, id est virtutes; tum denique quod dæmones rideant eius religionem et cessationem a bonis operibus. Idem potest applicari animæ damnatæ. Tropol.

Audi S. Gregor. 5. Moral. c. 22. *Hostes*, inquit, *sabbata videntes, irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, ut unaquæque reproba anima quo remotior ab externis actionibus servire*

Deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. Otium enim est pulvinar diaboli, fons et scaturigo malarum cogitationum omnisque peccati. Proprie autem Turcæ, hæretici, aliique infideles rident sabbata, id est festa Christianorum, dum ipsi lascivis spectaculis, ebrietati, libidini festis diebus vacantes, turpiter otiantur.

Turcæ de Bacchanalibus dictum.

Ita risit et subsannavit legatus Turca bacchanalia Christianorum: dum enim Parisiis ageret apud regem Galliæ, videretque illis diebus miram Christianorum petulantiam et compotationes, ac statim post die Cinerum eorum modestiam et gravitatem: Quid, ait, accidit Christianis? heri videbantur ebrii et insani, hodie videntur sobrii et sani; quis est iste cinis tantæ virtutis qui fronti eorum aspersus, mira metamorphosi ex stultis sapientes, ex petulantibus modestos, ex lascivis castos reddidit? *Cur enim quod dilectus repudiat, non irrideat inimicus?* ait S. Bernar. serm. 46. in Cant.

Vers 8. PECCATUM PECCAVIT.) Id est, ut Vatabl. perpetuo, assidue et graviter peccavit. Per peccatum antonomastice intelligit idololatriam, quasi fornicationem spiritualem: loquitur enim de Ierusalem quasi de filia meretrice et adultera.

PROPTEREA INSTABILIS FACTA EST.) Vatabl. *propterea varie iactata est*, q. d. Ideo Synagoga suo loco mota, et captiva in Babylonem abducta est, quia a suo fundamento, puta a Deo, recessit. Sicut enim navis deserta a nauclero, omnibus ventis et undis iactatur: sic et Ierusalem, et quælibet civitas deserta a Deo rectore suo, bellorum et tumultuum fluctibus iactatur et propellitur. Hoc ei minatus est Ierem. c. 34. v. 17. et Moses Deuter. 28. 25.

Nota. Impii in suis infortuniis fatum, Deumque inclementiæ impie accusant, pii vero ea in seipsos et peccata sua pie et vere retorquent.

Secundo, Origen. Pagnin. et Vatabl. vertunt, *propterea facta est in commotionem,* id est capitis agitationem, id est derisionem et ludibrium Gentibus, ut sequitur hic et cap. sequen. v. 15.

Tertio, apte Hebr. נידה *nida* significat elongatam a consortio cæterorum, scilicet menstruatam, et sic noster vertit v. 17. unde quasi de tali subdit: *Viderunt ignominiam, et sordes in pedibus eius*, q. d. Peccatum peccavit Ierusalem, pollutaque est sanguine immundo, propterea facta est in elongationem et separationem.

Anima per peccatum fit instabilis, cur?

Tropolog. Anima ob peccatum, præsertim superbiæ, fit instabilis, et ex uno vitio in aliud ruit, donec tandem Deus denudet palam eius turpitudinem, tuncque confusa et pœnitens retrorsum convertitur, et ad Deum redit, ut sequitur.

Causa. 1. Porro huius instabilitatis in peccatore causa est: Prima, quia peccator avellit se a Deo, qui dicit, Ego sum qui sum, scilicet stabilis semper idemque; quique est אמן *emet*, id est veritas, stabilitas, constantia tum sua, tum rerum omnium; solus enim Deus Angelos, cælos, aliaque stabilia firmat et stabilit. Unde canit Psaltes psal. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum.* Hinc et sanctus ille dicebat: Mens mea in Deo est fixa et solidata. Quod de Olympo monte cecinit Lucanus lib. 2. Phars. *Nubes excedit Olympus,* ideoque in eo non sunt venti, non pluvia, non nix: hoc de cælo dixit S. August. lib. 1. de Genesi contra Manich. cap. 15. *Nubes excedit Olympus: pacem summa tenent.* Et Sapiens Eccles. 24. 11. *In his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor.* Et psaltes psal. 75. 3. *Factus est in pace locus eius, et habitatio eius in Sion.* Et psal. 72. 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? Deus cordis,* quia tu solus cor imples et adæquas, imo superas. Legimus de S. Deicola Abbate, quod semper facie erat læta et ridenti, cumque causam rogaretur, dixit: *Christum a me tollere nemo potest.* Hoc est quod rursum iubilans ait Psaltes psalm. 102. 5. *Benedic anima mea Dominum, qui replet in bonis desiderium tuum.*

2. Secunda, quia cor hominis instabile est, eo quod sit amplissimum et immensum; quia infinitarum rerum est capax: unde infinitorum desideriorum in se habet perennem fontem et scaturiginem; quare hunc fontem, cum sit immensus et infinitus, nulla creatura vel creata voluptas, utpote finita et valde limitata ac angusta, satiare et implere potest; sed solus Deus qui æque est immensus, a quo peccator se avertit: et hoc est quod ait S. Augustinus lib. 1. Confess. 1. *Fecisti nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Et tracta. 24. in Ioan. *Qui vult gaudere de se, tristis erit: qui autem de Deo vult gaudere, semper gaudebit: quia Deus sempiternus est.* Unde sapienter monens infert: *Vis habere gaudium sempiternum? adhære illi, qui sempiternus est.* Et iterum in Soliloq. cap. 30. *Anima rationalis*, inquit, *facta est capax maiestatis tuæ, ut a te solo, et a nullo alio possit impleri.* S. Augustinum ut magistrum sequitur S. Bernardus, qui serm. in illud. *Ecce nos reliquimus omnia: Anima*, inquit, *rationalis cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest.* Nam quod ait Sapiens Eccles. 5. 9. *Avarus non replebitur pecunia*, hoc idem de aliis dicas: Ambitiosus non replebitur honoribus, nec gulosus epulis, nec potator vino, nec scortator libidinibus, etc. Causam subdit S. Bernard. *Panis namque animæ iustitia est, et soli beati, qui esuriunt illam: quoniam ipsi saturabuntur.* Idem lib. de diligendo Deo, cap. 3. ait: *Anima re qualibet temporali inflari potest, satiari non potest: quia non sunt naturales cibi animæ.* Concludit ergo S. Augustin. vel quisquis est Auctor lib. de Spiritu et anima: *Quid ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit: desidera simplex bonum, quod est omne bonum et satis est.* Tertia, quia omnis creata voluptas, quam ambit
peccator fluxa est et evanida, ac permista cum multo felle 3.
et dolore, in quem fere semper desinit: *Extrema enim gaudii luctus occupat:* quod dum videt peccator, post peccatum voluptatem habitam fastidit, et aliam quærit; quam dum paulo post evanidam videt, pari modo fastidit, et ita ad aliam et aliam semper abit, initio amans, mox nauseans: sicque inter alternantia desideria et fastidia, quibus continuo iactatur, miser vagatur et oberrat, quærens re-
quiem, et non inveniens. Quarta, quia sicut una virtus 4.
ad aliam, ita unum vitium ad aliud transit et inclinat, sicut enim est concatenatio virtutum, ita est et vitiorum, de qua vide Origen. hom. 23. in Numer. Quinta, quia re-
morsus et angores conscientiæ non sinunt peccatorem 5.
quiescere. Unde peccator partim quietem quærens, partim volens hos angores fugere vel excutere, ab una voluptate in aliam, ab uno peccato et loco in alium se transfert: sed infelix suos aculeos secum ubique defert: hac de causa Cain parricida factus est vagus et profugus, Genes. 4. 14. Lutherus ut hos remorsus obrueret, assiduus
erat in popinis, sed postea acrius eum invadebant. Sexta, 6.
quia peccator laborat et æstuat plurimis pravis desideriis, adeoque peccatum non est aliud quam inordinatus animæ æstus et desiderium, puta febris animæ, inquit S. Ambros. Sicut ergo febris est calor vitiosus et exæstuans, qui quamdiu durat nulla aqua, nullo frigore restingui potest; sed efficit ut febricitans semper sitiat, et corrupto appetitu nunc aquam, nunc vinum, nunc cerevisiam hanc illamve appetat, semperque bibat et numquam satietur: ita prorsus se res habet in peccato et peccatore. Et hoc est quod ait Isaias cap. 57. v. 20. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus*
eius in conculcationem et lutum. Septima, quia anima iu- 7.
sta per peccatum perdit suam virginitatem, id est innocentiam: fitque meretrix, id est levis et petulans; ideoque alios et alios amasios quærit: est enim libido insatiabilis. Huc proprie respicit Ieremias: comparat enim Ierusalem meretrici.

VIDERUNT IGNOMINIAM EIUS.) Id est nuditatem et turpitudinem: idololatras enim Scrip. comparat meretrici, cui Deus minatur ignominiam, id est denudationem turpitudinis femorum et crurum, uti etiamnum subinde meretrices et fures in indusio publice in theatro, omnium lu-

dibrio exponuntur: ita Ierusalem suis rebus nudata et spoliata ob peccata turpissima fuit, et valde ignominiosa. Hinc quasi matrona cuius turpitudo et nuditas omnium irrisioni exponitur, præ pudore faciem suam convertit retrorsum, seque abscondere et latere conatur. Alii explicant, convertit se vel conversa est Primo, a mala, ad bonam vitam; ita Origen. et Olympiodorus. Secundo, a gloria et prosperitate, in captivitatem; ita S. Thomas et Lyran. Tertio, q. d. Vadens in captivitatem, frequenter retro respexit vale dicens patriæ. Verum primus sensus, quem antea dedi, est literalis et genuinus.

Vers. 9. Sordes eius in pedibus eius.) Hebr. בשוליה *besciuleha*, id est in fimbriis eius, quæ scilicet sunt in ora et extremitate vestis circa pedes; ita Pagn. Brixianus et alii Pro *sordes* hebr. est טמאתה *tumata* id est contaminationes eius, scilicet menstrua, vel potius sanguis et sordes ex fornicatione et puerperio, quæ ex puerpera post partum defluunt in vestis oram et fimbrias; q. d. Sicut in fornicariæ puerperæ fimbriis cruore infectis, scilicet ad pedes, apparent sordes eius, quibus proditur eius fornicatio et puerperium; sic in pedibus, id est extrema hac Hierosolymæ vindicta, qua ipsa publice, nudis et sordidis pedibus, quasi serva et mancipium, ducitur in captivitatem, produntur eius peccata quibus id meruit, ut ait Hugo et Bonavent. Sordes ergo pedum significant eam esse putidam et abiectam; ut omnes eam non tantum irrideant, sed et subsannent ac abominentur.

Secundo, Chald. Lyran. et Vatabl. sic explicant, q. d. Sicut mulier impudens non veretur sanguinem menstruum publice in fimbriis circumferre; ita Ierusalem sine ulla verecundia peccavit et fornicata est cum idolis, quasi suis amasiis.

Tertio, Paschas. et Hugo, Sordes, inquiunt, sunt peccata in pedibus, id est in doctoribus et Apostolis, qui debebant aliis esse via et pedes ad bonum: hi enim suis sordibus et scandalis eos avertunt potius et abducunt. Verum hic sensus non est litteralis, sed mysticus.

Nec recordata est finis sui.) Id est huius extremæ pœnæ, captivitatis scilicet, q. d. Cum esset in suis deliciis et peccatis, non cogitavit quid futurum esset sibi, quem finem habitura essent tot eius scelera; esto cum ipsi intentarent, et ob oculos ponerent Prophetæ; quod nimirum punienda esset et exscindenda, postquam scelera sua, sicut Sodoma et Gomorrha, complesset, q. d. Ita peccavit, ut videretur non recordari esse Deum, qui eam tandem puniturus esset, æque ut illi qui dixerunt: *Quomodo scit Deus? et si est scientia in Excelso?* psal. 72. 11. ita Chald. Hugo, Bonav. Lyran. Dionys. et Vatabl. Ex Hebræo vertas, *sordes eius in pedibus eius; quia non est recordata finis sui*, q. d. Ideo audacter peccatis se sordidavit, quia non cogitavit eorum supplicium, seque propter ea acerrime fore puniendam. Aliter Sanchez, q. d. Diuturna erit servitus Ierusalem, cuius finis ipsa non recordabitur: quia libertatem, quæ finis est servitutis et exilii, non videbit nisi post longum tempus, in novo quasi sæculo, quando hisce emortuis nova erit hominum generatio.

Allegor. Paschas. Iudæa non est recordata Christi, qui finis est legis.

Tropolog. S. Thomas et Raban. Ierusalem et anima peccatrix non est recordata finis, id est mortis suæ et iudicii extremi. Ita duo illi senes ardentes concupiscentia Susannæ, *everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum*, Daniel. 13. 9. Efficacissimum enim remedium contra peccata est meditatio novissimorum. Vide dicta Deuter. 32. 29. Docet Albertus Magnus in lib. de Vegetabilibus, corvum non redire ad nidum si in eo ponatur cinis ac pulvis vitri: sic dæmon fugit a nido cordis nostri, si in eo posita sit memoria cineris et pulveris, in quem convertendum est vitrum: vitrum autem sumus nos, imo vitro fragiliores.

Deposita est vehementer.) Hebr. Chald. et Septuagin. *descendit mirabiliter* vel *corruit cum admirationibus*,

A id est corruit gravissime, corruit admirabili casu, omnibus admirantibus talem florentissimæ Hierosolymæ casum: Iudæi vertunt, *parvi pendit miracula* (hæc enim significat Hebræum פלאים *pelaim*) ait Leo Castrius lib. 2. Apologetici pag. 496. Quod recte adaptes Iudæis spernentibus Christum eiusque miracula, imo ea calumniantibus ac dicentibus, *In Beelzebub eiicit dæmonia*. Idcirco enim excisi sunt a Tito.

Vide afflictionem.) Ut miserearis, et ex ea eripias me. Propheta, nomine Ierusalem ad Deum se convertit, ut se a tanta clade eripiat. Deus enim speculative semper comminus omnia videt: orat ergo Propheta, ut videat, id est videndo et miserando levet gentis suæ ærumnas.

Erectus est inimicus.) Hebr. est הגדיל *higdil*, id est magnificavit se, insolenter extulit et iactavit se hostis, quasi non tua, sed sua virtute me deiecerit.

Manum suam misit hostis.) Scilicet Chaldæi, et eis se iungentes vicini Ammonitæ et Moabitæ, prædati sunt, desiderabilia quæ erant in urbe, et maxime vasa templi, B et libros legis, ait Lyran. Vers. 10.

Quia vidit.) Ipsa Ierusalem (ut patet ex Hebr. fœminino ראתה *raata*, hoc est *vidit*) id est videre coacta est, quod numquam ante viderat; Gentes.) Scilicet Chaldæos, ait Raban. et S. Thom. vel magis proprie Gentes impias et impuras, scilicet Ammonitas et Moabitas, quibus ob scelera et odium Iudæorum interdictus erat ingressus in Ecclesiam, id est in cœtum et congregationem Iudæorum, ut essent de populo Iudaico incolæ et cives Hierosolymæ, ut dixi Deut. 23. 3. Has non tantum ipsam Ecclesiam, puta cœtum populi, sed quod multo indignius est, libere et audacter ipsum sanctuarium, puta templum sanctum, ingredi vidit. Est ergo argumentum a minori ad maius: aliud enim hic est Ecclesia, aliud sanctuarium; ita Chald, Theodor. Olymp. R. Salomon, Lyran. Vatabl. et Isidor.

Aliter explicat Paschas. Hugo, S. Thom. et Maldon. ut vox *quia* det causam expilationis; q. d. Quia Iudæi in- C duxerunt Gentes incircumcisas et interdictas in templum, ut patet Ezech. 44. 7. hinc ab eis illud ipsum spoliatum est: sicut permisit Deus ut Babylonii expilarent thesauros regis Ezechiæ, quos ipse eisdem ostenderat, Isaiæ 39. v. 2. 4. 5.

Tertio, idem Paschas. et S. Thom. Deus permittit infideles et hæreticos spoliare templa et urbes, quia gentes, id est sacerdotes, impure more Gentium viventes ausi sunt ingredi sanctuarium, et sacra altaria, vasa ac victimas pollutis manibus pertractare. Sed hic sensus est symbolicus.

Quærens panem.) Loquitur de fame quæ fuit in Ierusalem tempore obsidionis, 4. Reg. 25. 3. Vers. 11.

Dederunt pretiosa quæque pro cibo.) Sic peccator pro pane, imo mica una consolationis puta pro exiguis deliciis, pro modica gula, fastu et ambitu, puncto honoris, dat omnia sua desiderabilia, quin et vires suas omnes, ipsamque animam impendit et dæmoni vendit.

Facta sum vilis.) Omni vilitate, quam huc usque re- D censui et planxi. Sic et Septuagin. Sed Chald. et Vatabl. vertunt, *quia fui epulatrix* (hoc enim quoque significat Hebr. זוללה *zolela*) idcirco scilicet iuste punior hac vilitate et fame. Arabicus vertit, *vide Domine, quod facta sim quasi prostituta omnibus transeuntibus viam*, hoc est quasi vilis serva, qua omnes ad libidinem abutuntur.

O vos omnes.) Inducit Ierusalem suas ærumnas deplorantem, easque per comparationem cum aliis exaggerantem. Pro *o* hebr. est לוא *lo*, id est *non ad vos*, scilicet tam grave malum perveniat, quale ad me pervenit: non vobis contingat quod mihi contigit; ita Syrus, Vatabl. et Pagnin. Sed noster interpres pro *cholem* substituit *sciurec*, et pro *lo*, id est *non*, legit לוא *lu*, id est *utinam, o si ad vos*, scilicet perveniat doloris mei sensus; unde Chald vertit, *adiuro et obtestor vos omnes prætereuntes, declinate huc, aspicite et videte si est dolor sicut dolor meus*. Sic Septuag. solent *lu* vertere per εἰ, id est si, vel ἐάν, id est utinam, et sic pro οἱ hic apud Septua- Ver. 12.

gio. videtur legendum εἰ, q. d. O si, utinam; aut certe, ut vult Maldon. pro οἱ legendum disiunctive per diastolen οἱ, quod respondet Hebræo הוי *hoi*, id est heu. Sunt verba plebis relictæ Hierosolymis, sive pauperum terræ, qui suum dolorem detegunt transeuntibus; ita Theodor.

Denique Sanchez putat hoc esse epitaphium, quod Ierusalem in suo quasi busto, in quo ipsa sepulta iacet, incidi iubet, quo ipsa viatores alloquitur, ut dolorem suum dolendo solentur; q. d. O vos hospites, qui transitis, spectatisque non urbem, sed excisæ urbis informe bustum, videte si quispiam habuit graviorem aut dolendi aut lacrymandi materiam. Qui sensus plane patheticus est. Sic passim in epitaphiis ipsi sepulti vivos et lectores alloquuntur, uti Ovidius in hocce suo, quod sepulcro inscribi curavit:

Hic ego qui iaceo, tenerorum lusor amorum,
Ingenio perii Naso poeta meo.
At tibi, qui transis, non sit grave, quisquis amasti,
Dicere, Nasonis molliter ossa cubent.

Tristitia sola de peccato utilis est.

Tropolog. eadem et plura dicit anima in Purgatorio, et magis anima damnata in inferno. Præclare S. Chrysostomus hom. 5. ad populum: Tristitia, ait, nobis data est ut doleamus, non de morte aut alia re, sed tantum de peccato: ibi enim solum utilis est tristitia, cum alibi sit inutilis: nec enim dolendo possum mortuum, aut rem amissam revocare et recipere; sed tantum gratiam peccato amissam dolendo ac pœnitendo possum recuperare; hic ergo tantum utilis est dolor.

Allegor. multi hæc adaptant Christo peccata urbis et orbis luenti, matrique ei compatienti: utriusque enim dolori nullus fuit similis. Nam, ut ait Ethicus: *pulsus doloris est amor.* Ut scias quanta sit febris et calor, tangis et tentas pulsum, ita ut scias quantus fuerit dolor Christi et Virginis, cogita quantus fuerit utriusque amor tum mutuus, tum erga omnes homines. Nam mensura et *ulna doloris amor.* Quantus amor, tantus dolor: et vice versa, quantus dolor, tantus amor. Ratio a priori est: quia quantum quis amat bonum aliquod, tantum odit malum illi oppositum, tantumque dolet si illud ei infligatur. Quantum ergo Virgo amavit Christi salutem et vitam, tantum doluit de eius cruciatu et morte.

Vindemiavit me.) q. d. Hostis Chaldæus aut Deus spoliavit me bonis omnibus, uti vinea in vindemia spoliatur omni suo fructu et bono. Hebr. עולל *olel* significat *racemare*, hoc est prætermissos in collectione uvarum, et in vindemia racemos vestigare, legere et carpere: ita enim Ierusalem prius quasi vindemiata fuit tempore Ioachin, cum Nabuchodonosor inde extulit omnes thesauros, 4. Reg. 24. 13. Postea vero quasi racemata fuit, cum Nabuzardan sub Sedecia omnia reliqua in ea spoliavit, et Babylonem transtulit, Ierem. 52. 17. et 4. Reg. 25. 13. Sic vindemia sumitur pro eadem racematione, v. 22. et c. 2. v. 20. Et hanc racemationem diserte comminatus est Iudæis Ieremias c. 6. v. 9. *Usque ad racemum colligent quasi in vinea, reliquias Israel.*

Ut locutus est.) Hebræum הוגה *hoga*, rursum verti potest, *sicut afflixit me Dominus*, uti dixi v. 5.

In die iræ furoris sui.) Heb. בחרון אפו *bacharon appo*, id est in die iræ nasi sui. Sic vocat iram ac si sit flammeus halitus e naribus, et æstuans spiritus, qui quidquid comprehendit, adurit. Docte S. August. in sententiis num. 157. *Ira*, ait *Dei, non perturbatio est eius, sed iudicium quo irrogatur pœna peccato. Cognitio vero ipsius, et recogitatio mundanarum rerum, est incommutabilis ratio. Neque enim sicut homines, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius de omnibus omnino rebus tam fixa est sententia, quam certa præsentia est.*

Vers. 13. De excelso (de cælo) misit ignem in ossibus meis.) Chald. *in castella mea;* כרך *cherach* enim vel כרכא *carca*, Chald. significat arcem, turrim vel urbem munitam a rotunditate: radix enim כרך *cherach* significat involvere, convolvere, q. d. Vindicta Dei hostibus meis quasi faces suppeditavit et accendit, quibus non modo carnem et cutem, id est agros et villas, sed ossa quoque mea, id est munitissimas quasque arces, turres, templum, palatia, quæ urbem quasi ossa firmabant, expugnaret, succenderet, et in cinerem redigeret: ita Origenes, Theodor. Hugo, S. Thom. Bonavent. Lyran. et Dionys.

Secundo, Olympiod. Hugo, Paschas. Vatabl. S. Thom. ignem, id est divinam iram et vindictam, immisit in principes qui erant quasi ossa reip. eamque instar ossium fulciebant et sustentabant. Alludit ad Ezech. 24. 9. *Væ civitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram. Congere ossa quæ igne succendam, consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent.*

Tertio, Sanchez hæc metaphorice accipit: Ignis, ait, significat acrem cruciatum, ossa significant interiora et viscera, q. d. Deus de cælo immisit acrem cruciatum in intima mea, ut cor meum dolore emori, viscera mea angore dissolvi videantur.

Erudivit me.) Hebr. ירדנה *irdenna*, id est dominatus est ei, scilicet ignis ossi, id est cuilibet ossium: ita Vatabl. R. Salomon et Kimchi: vel potius legendum ירדנה *iardenna*, id est dominari fecit illum, scilicet ignem, in ossibus meis: *erudivit* ergo, id est castigavit, punivit me igne, sicut aurum adulterinum purgatur, et quasi castigatur igne; et boves duri erudiuntur, id est castigantur et domantur, stimulo: vel potius noster legit ירנה *iorenna*, id est erudivit, hoc est, docuit me, per hanc pœnam deinceps non peccare, nec idola colere: unde Iudæi deinceps post captivitatem Babylonicam idola non coluerunt, uti fecerant ante.

Tertio, Septuag. aliis punctis pro *irdenna* legentes ירדנה *ieredenna*, a radice ירד *iarad*, id est descendit, vertunt, *deduxit*, vel *descendere fecit illud*, scilicet os, id est quodlibet ossium meorum.

Moral. Deus urbes et animas perversas acri cruce immissa corrigit.

Moraliter, disce hic, sicut aurum vitiatum, quia solidum et durissimum est, excoquendum et a scoria purgandum est igne; ita urbes et provinciæ moribus omnino corruptæ, igne, peste, gladio a Deo purgandæ sunt; ut iis adulti et senes, qui in vitiis enutriti consenuerunt et incorrigibiles sunt, absumantur, et nova filiorum soboles succrescat, quæ hac patrum clade erudita sapiat, bonosque mores induat: ita Iudæi per captivitatem Babylonicam, quasi per ignem transeuntes, toti facti sunt alii, adeoque qui ante eam pronissimi erant ad idola, post eam omnia idola abominati sunt. Idem facit Deus, cum animam valde corruptam vult convertere, ingenti enim morbo, casu, aliave clade eam affligit et collidit, ut ad se redeat, resipiscat, seque reformet: alios eadem de causa in spiritu rapuit ad videndum inferorum pœnas, et cælitum gloriam: alios per efficaces instinctus, et meditationes aut prædicationes de morte et novissimis contundit et compungit, ut vitam mutent. Ita convertit Nabuchodonosorem mutando eum in bestiam; Saulum prosternendo Paulum effecit; Magdalenæ immittendo septem dæmones, qui eam vexarent, a vitiis curavit.

Thespesii mirum exemplum.

Narrat Plutarchus lib. de Sera numinis vindicta sub finem, Thespesium sceleratæ et deploratæ vitæ hominem fuisse: de quo consultum oraculum num quæ spes foret eum emendandi; respondit: *Melior erit post quam fuerit mortuus.* Paulo post Thespesius gravi casu collisus per triduum exanimis iacuit: tertio die ad se rediit, rogatus quomodo rediisset, dixit in casu hoc animam suam eductam e corpore prorsus aliam esse factam: alia enim omnia vidisse et sensisse: perinde ac si quis e navi in mare corruat alia sentit et sapit: itaque vidisse se bonorum felicitatem; impiorum, ut Neronis, quin et proprii sui parentis, pœnas (in qua tamen visione fabulæ Gentilium admiscentur) ac quemdam e cognatis vita functis ad eum accessisse et salutasse, *Salve Thespesi*: cui ille: *Non Thespesius vocor, sed Aridæus*: mox anima cognati *Aridæus fuisti, sed deinceps eris Thespesius*, id est divinus: ita factum est: qui enim antea erat impius, spurcus, planeque vitiosus, hoc casu et raptu factus est pius, castus, iustus, speculum virtutum: ita frangenda est malæ consuetudinis obfirmatio, et duro nodo durus quærendus est cuneus. Sicut ergo medicus ut curet laborantem morbo

Gallico similive, qui sanguinem, humores, totumque corpus infecit et corrupit, prius exhaurit humores omnes ita corruptos per crebras purgationes, per sudores, per phlebotomiam, per inediam; hominemque quasi exsuccum reddit, redigitque pene ad portas mortis, ac deinde ita expurgatum novis pharmacis et cibis restaurat, renovat, sanat. Eodem prorsus modo facit Deus, ut homines vitiis corruptos immutet et sanet.

Expandit rete pedibus meis.) *Rete* vocat insidias, quas Chaldæi quasi venatores, in omnibus viis Iudæis tetenderant, ut nullum eis pateret effugium: omnes enim vias insederant, ut Iudæos fugientes interciperent: hine convertit me retrorsum.) Scilicet ex fuga reduxit me, id est fugitivos meos ad Nabuchodonosorem: ita Hugo.

Secundo, Chaldæus et Maldon. explicant, q. d. Fecit ut retro cadens terga verterem hosti.

Tertio, Orig. Olymp. et Lyran. explicant, q. d. Convertit me a gloria in ignobilitatem; ut e throno regni et gloriæ, in quo auguste considebam, retrorsum deiiceret, et præcipitaret in terram, et in ergastulum.

Allegor. Paschasius, Hugo et Dionys. Misit Deus e cælo ignem, id est Spiritum sanctum linguis igneis in Apostolos, qui erant quasi ossa Ecclesiæ, et per eos erudivit Ecclesiam, expandit rete prædicationis, et convertit me, scilicet Ecclesiam Gentium, ut ad Deum redirem.

Sed quia ignis hic vindictæ est et supplicii, melius mystice sic explices: misit Deus ignem, scilicet tribulationis et tentationis, in ossa, id est robustas virtutes meas, ut vitiorum rubiginem in me excoquat et expurget, ait S. Gregor. et hoc quasi rete capiar ne fugiam, sed reducar ad Deum. Rete ergo Dei quo peccatores vel sæculares venatur, communiter est tribulatio.

Rete Dei est tribulatio.

Vers. 14 Vigilavit iugum iniquitatum mearum.) q. d. Iugum supplicii mihi infligendi ob meas iniquitates, me dormiente, nec cogitante vigilavit, ut cum impleta esset mensura peccatorum, a Deo præstituta, et vindictæ destinata, mox eo iubente, et tempus hoc statuente, me invaderet mihique incumberet, id est, ut Septuaginta, Deus, et iustitia divina vigilavit ut me puniret cito.

Ubi Nota. Septuag. pro על *ol*, id est *iugum*, alio puncto legerunt על *al*, id est *super*; unde verterunt, *vigilavit Deus super iniquitates meas*. Sed aptius noster *ol* legit vertitque *iugum*, tum quia sequitur: *In manu eius convolutæ sunt, et impositæ collo meo*: ergo iniquitates hæ colligatæ fecerunt iugum, quod peccantis collo impositum est: tum quia hoc iugum minatus est Iudæis Ieremias c. 28. 14. Porro Sanchez nostrum interpretem cum Septuag. conciliaris, τὸ *vigilavit*, accipit active: *vigilavit* Dominus *iugum*, id est, vigilanter Dominus, tanquam excubitor, speculatur et attente, quando iugum veniret, id est tempus servituti et exilio destinatum. Sic subinde verba neutra accipiuntur pro activis cum epitasi, ut *Exultabit* (id est, cum exultatione cantabit) *lingua mea iustitiam tuam*: et, *Iubilate* (id est, cum iubilo canite) *montes laudem*, Isaiæ 49. Sic Virgil. *Corydon ardebat* (id est, ardenter amabat) *Alexin*: sic *ventus avolat* (id est, avolare facit) *paleas*. Ponitur enim *Cal* pro *Hiphil*. Verum hæc acceptio verbi *vigilavit* insolens videtur et inusitata. Quocirca planius dicemus, per prosopopœiam hic iugo attribui vigiliam. Sicut enim peccata clamant vindictam, ita et vigilant, ut Deum quasi admoneant, ut impleta eorum mensura, quasi tempore a se prædefinito ad vindictam prosiliat, eamque iam olim a se decretam exequatur: unde

Nota secundo. Hoc iugum vigilans, non est aliud quam virga vigilans, visa a Ieremia incumbere Hierosolymæ c. 1. v. 11. q. d. Floruit iniquitas mea, protulit tempestive gemmas, germina et surculos, ex quibus complexis fecit Deus iugum flagellumque castigationis, et mox imposuit inflixitque illud cervicibus meis. Unde R. Abraham vertit clare, *acceleratum est iugum iniquitatum mearum*, quasi Deus iugum hoc manu teneat, ut statim mihi Hierosolymæ (quasi bovi loris alligato) illud imponat.

Nota tertio. Hebraice est נשקד *niskad*, quod per *scin* significat vigilavit: iam legunt נשקד *niskad* per *sin*, quod hic tantum reperitur; et sic R. Salomon et ex eo Vatabl. vertit, *impressum est*, vel *designatum iugum meum in manu eius*, id est Deus quibusdam notis et punctis peccata mea in suis manibus designavit et descripsit, ut illorum recordetur illaque puniat. Sic ait Iob c. 14. v. 17. *Signasti in sacculo delicta mea*: et Isaias c. 65. 13. *Ecce scriptum est coram me*: et Ierem. cap. 17. 1. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino*. Ita enim peccata cuiusque scripta sunt in mente et memoria Dei, ut iugiter oculis eius obversentur, vindictam postulent, eumque de tempore vindictæ a se præstituto admoneant, uti paulo ante dixi. Addit Sanchez, iugum dici notari punctis, ut eius gravitas et pondus significetur; scilicet iugum hoc distinctum esse foraminibus, ut multitudo ostendatur vinculorum, quæ per singula puncta inserantur, ut iis arctius peccatoris collum innodetur. Quot enim in iugo sunt foramina, tot in eo solent plerumque esse nexus et colligationes. Addunt alii, punctis significari, Deum minima etiam peccata, quæ videntur esse instar apicis et puncti, minimasque eorum circumstantias, notare, iudicare, punire. Tertio, Vatabl. et Pagnin. *niskad* vertunt, *colligatum, implexum est*, q. d. Iugum pœnæ nobis imponendum, nexum et implicatum est nostris iniquitatibus quasi nodis: de quo Isaias c. 5. ait: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis: et quasi vinculum plaustri peccatum*. Quocirca pro *vigilavit* legunt ipsi, *ligavit*; sed perperam. Biblia enim Romana, et alia correctiora legunt, *vigilavit*. Alludit enim et refricat Iudæis virgam vigilantem, quam vidit c. 1. 11. Quarto, Chald. vertit, *aggravatum est iugum*: forte pro *niskad* legit נקשה *nikscia*, a radice קשה *kascia*, id est gravis fuit. Denique Syrus vertit, *Vigilarunt* (excitata sunt) *super* (contra) *me peccata mea manibus meis, velut sella aptata sunt iuga eius super collum meum*. Arabicus Antiochenus, *Et nocte exitata sunt in me peccata mea, et manus meæ remissæ sunt; ne possim robore*, id est ne in me sit virtus tolerandi. Arabicus Alexandrinum *et facta sunt quotidie laboriosa Domine super me peccata mea, et roborata sunt onera eius, et vincula eius super collum meum*; *et hoc manu eius*.

Moraliter Nota, pœnam esse individuum comitem peccati, adeoque culpam et pœnam esse quasi duos fratres simul cubantes, ita ut si unus se moveat et surgat, statim evigilet alter. Rursum sicut prætor excubat ad fures et latrones, ita vindicta et pœna excubat ad molimina peccati, ut illud capiat et plectat. Vide dicta Ierem. 1. v. 11.

Culpa et pœna sunt duo fratres et comites.

In manu eius convolutæ sunt.) q. d. Fecit Deus ex pœnis iniquitatum mearum quasi catenam et coronam spineam, eamque iniecit et imposuit collo meo, ita gravem, ita me deprimentem, ut sub hoc onere infirmetur virtus mea, ut gemens cadam, nec possim resurgere, aut in libertatem me restituere. Refert Theodoretus in Philotheo, S. Eusebium Anachoretam, imposuisse collo suo iugum ferreum ducentarum librarum, ut deorsum semper cogeretur intueri, et terram respicere; eo quod curiosius quadam vice oculos sustulisset, et transeuntes aspexisset. Quale ergo, quamque ponderosum erit iugum, quod ob plurima peccata mortalia perpetrata, diabolus, imo Deus peccatoris cervici in gehenna imponet?

Infirmata est virtus mea.) Hebr. הכשיל כחי *hichscil cochi*, id est infirmavit, deiecit, prostravit (iugum illud) virtutem meam, vel vires meas: hoc ergo iugum pœnarum, erectas peccatorum, præsertim superborum, cervices deprimit et confringit.

Abstulit, hebr. סלה *silla*, id est calcavit, protrivit, magnificos meos.) Hebr. אבירי *abbirai*, id est validos meos, duces scilicet et milites, sicuti calcantur uvæ in torculari: unde sequitur, *Torcular calcavit Dominus*. Eodem sensu Hebr. *silla* Chal. vertit כנש *kenas*, id est collegit: et Septuag. ἐξῆρεν, id est *decerpsit*. Vers. 15.

Vocavit, vocando, id est iubendo, adduxit, tempus.) Scilicet maturitatis et vindemiæ, ut me calcaret, puta tempus a se statutum et condictum meæ punitioni. Hebraice enim est מועד *moed*, id est condictum, statutum scilicet tempus, vel locus, vel milites: unde Vatabl. ver-

tit, *vocavit super me congregationem Chaldæorum*. Melius tamen noster cum Chald. et Septuag. *moed* vertunt statutum tempus. Passim enim hoc, vel locum significat: hic autem locum significare nequit.

Quintuplex tempus.

Nota. Tempus hic quintupliciter exponi potest. Primo, *tempus*, id est ultio quæ fit in tempore. Sic dicitur Lucæ 21. *Et Ierusalem conculcabitur agentibus, donec impleantur tempora nationum*, id est tempus ultionis sumendæ de nationibus. Isaiæ 30. *Appropinquat dies Domini, dies nubis, et tempus gentium erit*, quo scilicet Deus puniet gentes per Chaldæos. Ezech. 22. *Adduxisti tempus* (id est ultionem) *annorum tuorum*. Ierem. 27. *Servient Nabuchodonosor omnes gentes et filio eius, donec veniat tempus terræ eius*, id est ultio et vastitas Babylonis per Cyrum.

Secundo, *vocavit adversum me tempus*, id est quæsivit opportunitatem et tempus aptum ad me puniendum. Sic dicitur Ezechiel. 7. *Venit tempus* (opportunitas), *prope est dies occisionis*. Est enim hoc tempus vindemiæ, id est vindictæ. Subdit enim : *Torcular calcavit Dominus*.

Tertio, *vocavit tempus*, scilicet annum et diem statutum meo excidio. Sic dicitur Ps. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*. Ezech. 21. *Quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita*. Hic sensus est maxime genuinus.

Quarto, *vocavit adversum me tempus*, id est milites, puta Chaldæos in tempore meæ vastitati condicto : unde Pagninus vertit, *vocavit adversum me congregationem*, q. d. Signavit Deus Chaldæis tempus et diem in qua eram vastanda, illamque adduxit, ipsosque evocavit ad accelerandum supplicium. Ita dicit Amos c. 5. *Væ desiderantibus diem Domini*. Et quia illudebant, dicebantque hunc diem sero venire, dicit eis Vates*: Ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebræ , et non lux*. Solent peccatores accelerare contra se tempus divinæ iræ, augentes quotidie scelera et implentes mensuram vindictæ eorum a Deo præstitutam. Ezech. 7. *Ecce venit , egressa est contritio, floruit virga*. Hebr. est, *egressa est contractio ;* et sic legit S. Hieronym. q. d. Contractum et decurtatum est tempus calamitatis vestræ, dies ultionis instat: *floruit virga*, illa scilicet quæ iam diu vobis minabatur plagam : germinavit vestra superbia, et floruit supplicium : unde subdit Vates : *Fac conclusionem, quoniam terra repleta est iudicio sanguinum, et civitas plena iniquitate*, q. d. Non est ultra tempus litigandi et se defendendi, quia terra sceleribus abundat: litem ergo concludite, ferte sententiam condemnationis in eam. Et infra : *Venit tempus, prope est dies occisionis*.

Quinto, *vocavit tempus*, scilicet miserum et calamitosum. Sic sumitur Psal. 80. *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula*, id est miseria et vastitas Iudæorum usque ad finem sæculi durabit ; ut exponit Theodor.

Tempus nos accusabit in iudicio.

Anagog. vocabit Deus tempus adversus impios in die iudicii. Tunc enim tempus erit accusator et testis contra impios, illosque redarguet, quod tempus breve a Deo datum ad merendam æternitatem beatam, expenderint in vanis et damnosis voluptatibus. Merito ergo monet S. Paulus Ephes. 5. ut redimamus tempus, quoniam dies mali sunt. Vide ibi dicta. Nam, ut ait Horatius:

Sed fugit interea, fugit irrevocabile tempus:
Heu, heu fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni.

Præteritum fuit, futurum non est, sed erit; præsens quod est, quid est nisi unum nunc et momentum temporis? Vide quam parum habeas de tempore : mutamur et currimus, et nescientes ad mortis terminos pervenimus.

Dicebat Hippocrates de medicina : *Vita brevis, ars longa, experimentum periculosum, occasio præceps, iudicium difficile : ideo maxima adhibenda est cura*. Idem dicat sibi fidelis de arte bene vivendi, et merendi in hoc tempore exiguo : O Christiane, adverte vitæ brevitatem, et artem serviendi Deo longam et difficilem : experientia est ardua, et interim occasio bene agendi e manibus nostris elabitur : o quot bene cœperunt, sed non perseverarunt ! Adhibe ergo diligentiam quam maximam, ut possis ditescere in bono, comparare lucra meritorum, dissolvere debita peccatorum. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Veniet dies cum non habebis tempus, nec horam, nec instans pœnitendi, bene agendi, salvandi animam tuam. Dum ergo habes tempus, operare bonum, vive Deo, vive cælo, vive ÆTERNITATI. Dicebat S. Bernard. *Tempus vivendi perdidi, quia perdite vixi*. Quid dicimus nos peccatores et pigri ad omne bonum?

TORCULAR CALCAVIT DOMINUS VIRGINI FILIÆ IUDA.) Vatabl. vertit, *quasi in torculari pressit filiam Iuda*, ut, sicut in torculari ex uvis exprimitur vinum : ita ex hac vastatione exprimatur sanguis Iudæorum, non tantum virorum, sed et virginum ac puellarum: ita Hector. Pintus. Unde Arabicus Antiochenus vertit, *velut torcular calcavit Dominus me. Virgo filia Sion est super hoc flens*. Minus recte Arabic. Alexandrinus hæc ad hostes Iudæorum refert, vertitque, *fecit* (Dominus) *inimicos meos ut torcular quod calcatur*.

Secundo, Chald. sic explicat : virgines Iuda Deus constuprari permisit a Chaldæis. *Polluerunt*, inquit, (Chaldæi) *virgines domus Iuda donec sanguis virginitatis earum effunderetur, sicut vinum e torculari defluit*.

Torcular significat acres pœnas.

Tertio, torcular in Scriptura significat graves pœnas et supplicia, ait S. Hier. in Isai. 63. Rabanus, Theodor. et alii : qui enim calcant uvas, ne unum quidem granum relinquunt non expressum. Calcavit ergo Deus Iudæorum torcular, id est captivitatem hanc acrem immisit Iudæis, ita ut nullum granum, sed tantum pauci acini, id est pauperes, relicti sint in Iudæa ad colendam terram : ita Hugo, Bonavent. Lyran. et Dionys.

Quarto et optime, q. d. Sicut si uvas calces vinum elicis, ita si peccata in torculari divinæ iustitiæ et iudicii premas, non aliud elicies quam iram et vindictam Dei. Hoc modo iam calcavit Deus peccata virginis filiæ Sion, id est populi Ierusalem, calcando ipsos peccatores Iudæos : ita Orig. et Olympiod. q. d. Adduxit Deus Chaldæos vindemiatores, qui Iudæis torcular calcent, id est eos sternant, calcent, affligant. Alludit ad triumphatores, qui hostes sternere et calcare solent, sicut David stravit Ammonitas, egitque super eos serrata carpenta, 1. Paral. 20.

Porro dativus *virgini* hanc vim habet, q. d. Ierusalem nullos sumptus fecit in calcando suo torculari ; quia Deus adduxit illi vindemiatores, qui gratis et sponte illud calcarunt. Loquitur de summo damno, quasi de summo beneficio, irrisorie. Sensus enim est : Dominus Hierosolymæ calcavit torcular, expressitque vinum amarissimum, utpote ex uva fellis et botro amarissimo, quoad ebrietatem et insaniam potavit ipsosmet Iudæos.

Vinum consolationis non habebis nisi premaris in torculari crucis.

Sic Christus pro nobis et peccatis nostris in torculari crucis pressus est, et Sancti cum Christo hic in torculari afflictionis premuntur, ut vinum consolationis in eis exprimatur. Audi S. Aug. in Psal. 55. *Dei uva factus es ut conculceris. Uva eram, vinum ero, sed prius calcabor*. Ubi

Nota. Hæc allegorice, non proprie et directe, sed indirecte tantum spectare ad Christum. Proprie enim spectant ad Ecclesiam peccatis et peccatoribus commistam ; ad Christum vero, quia ipse Ecclesiæ peccata et supplicia in se luenda suscepit, ut quod Christus dicit, censeatur dicere et gemere Ecclesia ; et vice versa quod Ecclesia, hoc Christus.

EGO PLORANS.) Chaldæus vertit, *Ambo oculi mei lacrymas effundunt, instar fontis aquarum*. Hebræum עין *ain* et oculum et fontem significat. Vim harum lacrymarum in S. Petro post Christi negationem flente ostendit S. Leo serm. 9. de Passione : *Felices, ait, S. Apostole lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis, et fons charitatis lavit verba formidinis*. Vide dicta Ierem. 9. 1. Vers 16.

LONGE FACTUS EST CONSOLATOR, CONVERTENS ANIMAM MEAM.) Qui scilicet animam, præ tristitia quasi exeuntem e corpore, reducat per consolationem, ut redeat quasi ad corpus, et in eo recreata et refocillata tranquille quiescat, q. d. Dolor tantus est, ut me exanimet, nec est qui

eum soletur et leniat.

Filii mei perditi.) Hebr. שוממים *sciomemim*, desolati; Septuag. ἠφανισμένοι, attoniti dolore et timore, stupidi ut nesciant quid agant, aut quo se vertant.

Vers. 17. Expandit Sion manus.) Sicut parturiens vel moriens viribus dissolutis collabitur, et manus expandit, tum ut precabunda auxilium astantium imploret, tum quia a spiritibus vitalibus deserta virium et animæ patitur deliquium, ut manus et membra continere et regere non valeat, sed ea expandi et dissipari sinat: ita Chald. Paschas. et Hugo. Hoc est enim quod ait Ierem. c. 4. 31. *Vox filiæ Sion intermorientis expandentisque manus suas: Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.* Aliter quoque Sanchez: Sion, ait, expandit manus ad Chaldæum hostem et victorem, tanquam victa et supplex: sed frustra; barbarus enim nil nisi iras spirat.

Secundo, Theodor. et Pagnin. vertunt, *Sion percutit, frangit, complodit manus suas* præ luctu et dolore.

Tertio, Vatabl. vertit, *fregit Sion manibus suis*, scilicet panem, q. d. Lugentibus solet ab aliis frangi panis, at Sion non habet consolatorem, sed ipsa debet sibi frangere panem: Primus sensus est aptissimus.

Mandavit.) Mandato suo vocavit et immisit hostes in me. Est metalepsis, q. d. Deus est, qui quasi dux Chaldæos conscripsit, eos in aciem produxit, et in Iacobæos sævire iussit.

Facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos.) Id est facta est abominabilis, uti mulier menstruata, inquit Theodor. et Lyran. Vel potius, q. d. Hostes vicini, ut Moabitæ, Ammonitæ et alii, Ierusalem, id est Hierosolymitas, e sui medio, eque sua vicinia expulerunt in captivitatem, sicut expellitur menstruata ab hominum consortio, iuxta legem Levit. 15. 19. Hebr. enim נדה *nidda* significat elongatam et eiectam, quasi excommunicatam.

Tropolog. notat S. Hieron. menstrua significare desideria et opera tum carnalia, tum sanguinaria; ac proinde eis pollutos vocari tum libidinosos, tum homicidas.

Vers. 18. Quia os eius ad iracundiam provocavi.) Hebr. *quia ori eius rebellavi*, vel *quia os eius exacerbavi, amaricavi* (hoc enim proprie est מריתי *mariti*) *et iritavi*, scilicet hoc ipso quod legem ore eius latam transgressa sum, minasque Ieremiæ et Prophetarum contempsi, provocavi eum ut ore suo ferret sententiam excidii contra me: ita Theodor. Lyran. et alii. Addit Sanchez, q. d. Os Domini suavitate plenum, amarum mihi reddidi peccando. Ipsum enim stillat melle et nectare; ast ego dum illi meum fel et absynthium propino, ita illud amaricavi, ut in me verba fellea, et irarum plena de cædibus, incendiis, excidio effunderet. Ego ergo ad hæc ipsum meis sceleribus coegi et compuli.

Aliter Origen. Hugo et Bonavent. Os Domini, inquiunt, sunt Prophetæ, præsertim Ieremias, quem toties Iudæi exacerbarunt, maxime cum ex Dei ore moneret eos ne ad Ægyptios confugerent; hoc enim ipsi eo invito fecerunt. Sunt hæc verba Hierosolymæ: male ergo R. Salomon putat hæc a Ieremia dici in persona Iosiæ regis, qui monitus a Deo ne contra regem Ægypti pugnaret, parere noluit; itaque in bello occisus est, 4. Reg. 23. 29. Auctor lib. de Essentia divinitatis apud S. August. per *os* Domini accipit Christum, quem Iudæi tot iniuriis lacerarunt. Sed hic sensus est mysticus.

Vers. 19. Vocavi amicos.) Per amicos, intelligit Theodor. idola; Orig. Assyrios et Chaldæos; alii Ammonitas; S. Thomas, amicos domesticos; optime Chald. Paschas. Hugo, S. Thom. Lyran. et alii intelligunt Ægyptios: qui cum venissent in auxilium Iudæorum obsessorum a Chaldæis, videntes eorum copias et vires, reversi sunt, et Iudæos iuvare non sunt ausi, aut noluerunt, ut patet Ieremiæ 37. 6. Sic in hora mortis vocabimus amicos quos coluimus, mundum scilicet et carnem, sed illi nos deserent. Vide dicta v. 2.

In morte amici nos deserunt. Exemplum.

Audivimus in Belgio nuper insignem virum, in morte vocantem et implorantem opem uxoris: Carissima coniux, adiuva me in his angustiis; cumque illa flens diceret, Ecqui possum te iuvare, carissime marite, in morbo incurabili? vocavit filium primogenitum: Fili adiuva, eripe me ex hisce angustiis; ego pro te nocte et die laboravi, et vitam sæpe periculo exposui: cumque ille pariter gemens diceret, Utinam mi pater, te morte eripere possem! sed hoc vires meas excedit; vocavit secundum, deinde tertium, ac cæteros ordine filios et filias, deinde famulos et ancillas, quemque sigillatim compellans, ac eius implorans opem: cumque singuli dolentes idem responderent, dicerentque contra mortem non esse remedium, exclamavit ille: O vanas hominum curas, o quantum est in rebus inane! Ecce ego tibi o uxor, vobis o filii et filiæ, laboravi, sudavi, vires et vitam impendi, quin et animam forte oppignoravi: et ecce hæc est merces mea, ut in hac hora ultima implorans opem vestram, non inveniam. O quam satius fuisset si Deo servivissem! si amicos in terra et in cælis parassem, qui in hoc articulo mihi adessent! O si vivere liceret, quam saperem!

Quæsierunt cibum.) Supple, et non invenerunt, q. d. Fame consumpti sunt.

Vide Domine.) Id est benigno vultu nos aspice, miserere nostri, fer opem afflictis. Est hic apostrophe crebra ad Deum, ut ostendat Ieremias, quo in ærumnis sit fugiendum, scilicet ad Deum. Vers 20.

Venter meus.) Hebr. *viscera mea turbata sunt*, dolore scilicet, gemitu, singultu, iustar aquæ perturbatæ, vel ebullientis: hoc enim est Hebr. חמרמר *chamarmar*.

Subversum est cor meum.) Id est, vertit se cor meum intra me ad luctum, et torquetur. *Subversum* ergo, id est dolore perturbatum et obrutum, ideoque quasi exanimatum est. Alii explicant: cor meum vertit se ad pœnitentiam. Sed prior sensus est genuinus.

Quoniam amaritudine (cordis, puta dolore) plena sum.) Secundo, verti potest cum Pagnino, Vatabl. Chal. *quia rebellando rebellavi*, vel *amaricando amaricavi*, id est irritavi Dominum: sic noster vertit v. 18. Tertio, optime, utrumque nectendo sic explices, q. d. Doleo non tam ob mala quæ patior, quam quia Deum iritavi et amaricavi: ita a Castro.

Foris, id est in plateis, interficit, hebr. שכלה *sciclela*, id est orbat, scilicet filiis me matrem Ierusalem, gladius.) Chaldæorum.

Et domi mors similis est.) Quia ibi mei cives et filii moriuntur fame, Ierem. 14. 18. ita Chald. Olympiod. Hugo et Vatablus: vel, ut alii, moriuntur domi terrore, quo mortem et gladium Chaldæorum irrumpentium in horas expectant. Sic Tropologice peccator foris flagellis divinis, intus pavore damnationis concutitur, et magis concutietur in morte iturus ad iudicium.

Audi S. Bernardum (sive auctorem libri de Interiori domo c. 38.) *Undique*, inquit, *erunt tibi angustiæ: hinc erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia: subtus patens horridum chaos inferni: desuper iratus iudex: intus urens conscientia: foris ardens mundus. Si iustus vix salvabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se vertet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile.* Angustia peccatoris in morte.

Paulo aliter S. Gregor. 3. Moral. 24. *Sæpe*, inquit, *et foris flagellis atterimur, et intus carnali suggestione fatigamur. Hinc est enim quod Ieremias deplorat dicens: Foris interficit gladius, et domi mors similis est. Foris enim gladius interficit, cum nos exterius feriens vindicta configit: sed domi mors similis est, quia et flagella quidem sustinet, et tamen intus conscientia a tentationibus sordibus munda non est.* Quam hoc verum sit quilibet in se experitur, vel expertus est aliquando.

Audierunt.) Scilicet ficti mei amici et infideles, puta Ægyptii, de quibus v. 19. ita S. Thom. item vicini Idumæi et Ammonitæ: ita Paschas. et Hugo, q. d. Quocumque me verto desolatam et afflictam me invenio; si enim amicos adeo, illi subducunt se, nec me consolantur; si inimicos, illi gaudent et irrident me. Vers. 21.

Quoniam tu fecisti.) q. d. Quoniam ipsi vident te fecisse et immisisse in me hanc plagam: quos enim tu

spernis et affligis, communiter homines spernunt et affligunt, idque iusto tuo iudicio et afflictorum merito.

Adduxisti, adduces post 70. annos desolationis, **diem consolationis.**) Hebr. *diem quem vocasti*, id est quem nominasti, et ab æterno designasti; quo scilicet convocabis contra Babylonem Cyrum, Persas et Medos, ut me e captivitate liberent: qui Chaldæis hostibus meis erit dies destructionis, tuncque fient ipsi similes mei in vastitate et miseriis: ita Raban. Hugo, Dionys. Lyran.

Secundo, clarius et aptius ad præced. q. d. Vicinis Ægyptiis et Idumæis, quando mea vastatione lætantur, adduces Domine eumdem Nabuchodonosor, qui eos eodem modo vastabit: *et fient*, id est ut fiant, *similes mei*, uti prædixit Ieremias c. 25. 29 Hæc ergo erit dies ultionis hostibus, ut vertit Chald. nobis vero erit dies consolationis. *Lætabitur* enim *iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*, Psal. 57. 11.

Nota. Pro *similes mei* Theodoret. et Olympiod. legunt, *hei mihi:* legerunt enim in Septuag. οἴμοι; sed legendum est cum Bibliis Rom. Complutensibus. et Origene, ὅμοιοι μοι, id est similes mei, ut habent Hebr. et Latina.

Vers. 22. **Ingrediatur omne malum.**) Scilicet tam culpæ hostium meorum, quam pœnæ qua me affligunt, meæ miseriæ insultando, meque cum Chaldæis vastando et diri- A piendo, q. d. Recordare, considera et animadverte, Domine, eorum in me malitiam et iniurias, ut eos punias sicut me punivisti.

Vindemia eos sicut vindemiasti me.) Vindemiam vocat racemationem, qua post collectionem uvarum racemi pauci reliqui colliguntur, q. d. Pari modo residuos eorum (Idumæorum et Ægyptiorum) in captivitatem vel mortem deducas, uti meos residuos deduxisti. Vide dicta v. 5. et 12.

Dices, Quomodo Ieremias hic hostibus male precatur: hoc enim est contra charitatem, estque species vindictæ. Quomodo Ieremias male precatur hostibus.

Respond. Primo, Hugo, hæc esse verba populi captivi, in plebe autem multi sunt mali et vindicativi. Resp. I.

Secundo, Raban. Paschas. et Dionys. imprecationem hic pro prædictione accipiunt: *vindemia*, id est vindemiabis, eos. II.

Tertio, Orig. censet hæc esse verba Prophetæ, postulantis punitionem hostium, ut per eam ipsi resipiscant, et a peccatis emendentur. III.

Quarto et optime dicemus, hæc dici a Ierusalem et a Synagoga ex zelo iustitiæ, iisque tantum peti ut iustam vindictam exerceat Deus in hostes superbos, et infideles humiliet, ac pro meritis puniat. IV.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Est hic secundum alphabetum carminis lugubris, quo rursum Ieremias plangit non tam regni Iudaici, quam urbis Hierosolymæ et templi incendium et eversionem per Chaldæos, præsertim vero refricat pristinum eius splendorem et gloriam, qui per excidium plane obscuratus, attritus et extinctus est: ita Eusebius, Rupert. Hugo, Lyran.

Aleph. 1. Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Israel, et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui. *Beth.* 2. Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, et deiecit in terram: polluit regnum, et principes eius. *Ghimel.* 3. Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel: avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici: et succendit in Iacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro. *Daleth.* 4. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis: et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam. *He.* 5. Factus est Dominus velut inimicus: præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia eius: dissipavit munitiones eius, et replevit in filia Iuda humiliatum et humiliatam. *Vau.* 6. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum, oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum: et in opprobrium, et in indignationem furoris sui, regem et sacerdotem. *Zain* 7. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni. *Cheth.* 8. Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione: luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est. *Thed.* 9. Defixæ sunt in terra portæ eius: perdidit, et contrivit vectes eius: regem eius et principes eius in gentibus: non est lex, et prophetæ eius non invenerunt visionem a Domino. *Iod.* 10. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem. *Caph.* 11. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. *Lamed.* 12. Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. *Mem.* 13. Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Ierusalem? cui exæquabo te, et consolabor te virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? *Nun.* 14. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, et eiectiones. *Samech.* 15. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Ierusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? *Phe.* 16 Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus: en ista est dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus. *Ain.* 17. Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. *Tsade.* 18. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. *Coph.* 19. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. *Res.* 20. Vide Domine, et considera quem vindemiaveris ita: ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, et propheta? *Sin.* 21. Iacuerunt in terra foris puer et senex: virgines meæ; et iuvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es. *Thau.* 22. Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu, et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur: quos educavi, et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.

Vers. 1. QUOMODO OBTEXIT CALIGINE.) q. d. Quomodo tristi calamitate hac et vastitate obtexit Deus pristinum illum decorem et splendorem Ierusalem: quomodo obscurata est illa magnificentia, illa maiestas urbis sanctæ: R. Abraham, et Kimchi vertunt, *quomodo exaltavit filiam Sion usque ad nubes*: nam eam elevavit quasi in cælum (ut sequitur) indeque in terram proiecit. Hebræum enim יעיב *iaib*, ab עב *ab*, id est nubes, deducitur significatque nubificare, id est nube tegere et obnubilare, ut vertit Noster, Septuag. et Chald. Sed R. Abraham nubificare exponit usque ad nubes attollere. Simili modo queritur Seneca in Octavia:

Quid me potens fortuna fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum mea,
Alte extulisti? gravius ut ruerem edita
Receptus arce?

Sed prior sensus verior est et congruentior. De nubibus enim et cælo sequitur. Est enim gradatio, q. d. Quomodo Deus meam gloriam, tam magnificam obscuravit: nec tantum obscuravit, sed quasi stellam fulgidam e nubibus deiecit, imo e cælo ipso præcipitavit? ita Sanchez, et alii.

DE CÆLO.) Paschas. de tutela et protectione sua. Melius Raban. Hugo, Lyran. S. Thom. exponunt, q. d. De culmine regiæ dignitatis, et de sublimi gradu gloriæ deposuit Ierusalem, et quasi in terram deiecit, eiusque superbas domos et templum solo æquavit. Est hyperbole: Ierusalem, inquam, *inclytam Israel*, id est quæ Israelis erat urbs inclyta, Israelis gloria et decus ob Dei templum et cultum: ita Septuag. et Hebr.

Sic Tropolog. anima sancta, quæ erat civis Sanctorum, et domestica Dei, dum peccat, quasi e cælo gratiæ, in terram peccatorum deiicit se, cum brutis et serpentibus vivens, terram comedens, eiusque bonis se pascens et oblectans. Est enim anima sancta quasi cælum, in quo sol est intellectus vel zelus iustitiæ, luna fides et continentia, astra reliquæ virtutes, quæ in adversis huius sæculi emicant sicut stellæ in nocte, inquit S. Bernard. serm. 27. in Cantic. Sic de angelo peccante ait Christus: *Videbam Satanam quasi fulgur de cælo cadentem;* et Isaias de rege Chaldæorum, puta de superbo Balthasare, iam prostrato cap. 14. 12. ait: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo: verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Et de rege Tyri ait Ezech. c. 28. v. 12. et sequen. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore: in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Tu Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti; perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te, et elevatum est cor tuum in decore tuo: in terram proieci te,* etc. Ecce hi sunt typi animæ e sublimi statu gratiæ corruentis, et præcipitantis se in statum peccati et damnationis.

Anima sancta est cælum, luna est fides, sol est zelus.

NON EST RECORDATUS SCABELLI.) Id est Hierosolymæ: ita Rupert. et Raban. Secundo, templi, inquit Chal. Theodoret. Olymp. S. Thom. Lyran. et passim alii. Tertio et propriissime, *scabelli*, id est arcæ testamenti: propitiatorium enim cum Cherubinis erat quasi sedes Dei, arca vero ei subiecta erat quasi scabellum eiusdem, ut dixi Exodi 25. 20. Sub arca metonymice locum arcæ et totum templum accipe: alioqui enim arcæ ipsius memor fuit Deus, cum eam per Ieremiam e templo eduxit et abscondit, ne in Chaldæorum manus incideret, 2. Mach. 2. 5.

Scabellum Christi est humanitas et crux.

Allegor. scabellum divinitatis est humanitas Christi et crux: ita S. August. et Cassiodor. illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius*, id est adorate arcam, allegorice exponunt, q. d. Adorate humanitatem Christi.

Anima sancta scabellum est Dei, peccans diaboli.

Tropolog. anima quæ erat scabellum Dei, per peccatum fit scabellum diaboli. Tamberlanes rex Tartariæ, cum prælio vicisset Baiazetem Imperatorem Turcarum, eum captum cavea inclusit et circumduxit: ac quoties equum erat conscensurus, eo quasi scabello utebatur: calcans enim dorsum Baiazetis humi strati, equum inscendebat. Unde non ferens hanc ignominiam Baiazetes, caput ad caveam allidendo se occidit. Ita dæmon peccatorem a se victum, facit sibi scabellum. Id visibiliter patet in sagis, quas quasi vilissima mancipia tractat, cædit et flagellat.

Tamberlanes Baiazete usus est quasi scabello.

Vers. 2. PRÆCIPITAVIT, hebr. בלע *billa*, id est absorbuit, deglutivit me; NEC PEPERCIT.) q. d. Sine misericordia præcipitavit et absorbuit me. Hebræi enim sæpe verbum ponunt pro adverbio, ut *non pepercit* idem sit quod imparcibiliter, irremissibiliter, immisericorditer: ita Maldon.

POLLUIT REGNUM EIUS.) Septuag. vertunt, *polluit regem eius*, id est in opprobrium dedit, indigne tractavit regem et principes, ut ait v. 6. Nam Ioackim per Chaldæos iugulavit, et sepelivit sepultura asini; Ioachin carceri inclusit; Sedeciam excæcavit. Reges enim Hebræorum oleo ungebantur, et quasi Deo consecrabantur: unde David Saulem vocabat Christum Domini; nec ausus fuit in eum, licet hostem, manus iniicere. Secundo, alii *polluit*, id est pollutum esse ostendit. Tertio et genuine, *polluit*, hebr. חלל *chillel*, id est profanavit, hoc est, Deus regnum, id est regem, principes et populum Iuda, antea sibi addictum et quasi sacrum, iam quasi profanum, immundum et pollutum, extra fanum et templum proiecit, et profanis Gentilibus vastandum, spoliandum, iugulandum, servituti et carceri mancipandum tradidit. Sic dicitur Psal. 78. 1. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.*

Vers. 3. CONFREGIT (hebr. גדע *gada*, id est, *concidit*) OMNE CORNU ISRAEL.) Id est omnem gloriam et superbiam Israelis: ita Chald. Rupert. Lyran. Secundo, Paschas. Raban. et Vatabl. *omne cornu*, id est omne regnum, scilicet tam regnum Israelis, sive decem tribuum, quam Iuda et Davidis. Tertio, Origen. Olympiod. S. Thom. Hugo, Theodor. *omne cornu*, id est omnes principes, qui eminebant, erantque quasi culmen et robur regni, uti cornu est, et eminet in animali. Quarto et simplicissime, *omne cornu*, id est omne robur et fortitudinem, ademit Deus Israeli, ne possit hominibus resistere. Hebræi enim robur vocant *cornu*, eo quod tauris omne robur sit in cornibus: est ergo Iudæus et peccator ἀκέρατος, ἄδοξος, ἄθεος, id est in cornis, inglorius, sine Deo. Iudæi ex Script. colligunt decem cornua, scilicet primo, opum et rerum copiæ; secundo, protectionis et miraculorum; tertio, regni; quarto, ducum et sapientum; quinto, prophetiæ; sexto, legis; septimo, Sacerdotii; octavo, tabernaculi, arcæ et propitiatorii; nono, murorum, civium et militum: decimo, Messiæ, quæ patribus a Deo data, et ob posterorum scelera ab Israele in eius excidio ablata esse tradunt. Unde hæc cornua explicans, subdit v. 5. *Præcipitavit omnia mœnia eius, dissipavit munitiones eius*: et v. 7. *Repulit Dominus altare suum*: et v. 9. *Contrivit vectes eius; regem eius et principes; non est lex et Prophetæ*, etc.

Cornu significat res quatuor.

Peccator est incornis, inglorius, atheus.

Audi Rabbinos in *Midras tehillim*, id est in expositione psalmorum, ad illum vers. Psal. 75. *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua iusti*, atque ex eis Galatin. lib. 9. c. 14. decem hæc patrum cornua recensentem. *Primum cornu fuit Abrahæ, de quo dictum est Isaiæ 5. Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei. Secundum cornu Isaac, de quo scriptum est Genes. 22. Et ecce aries unus retentus in densitate per cornua sua. Tertium cornu Ioseph, id est cornu regni, de quo dicitur Deuter. 24. Cornua rhinocerotis cornua eius. Quartum cornu Mosis, de quo dictum est Exodi 34. Quia cornuta erat cutis faciei eius. Quintum cornu prophetiæ, de quo dictum est 1. Reg 1. Et oravit Anna, et dixit: Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum. Sextum cornu legis, de quo dicitur Habacuc 3. Et duo cornua de materia eius ei. Septimum cornu sacerdotii, de quo Psal. 111. Cornu eius exaltabitur in gloria. Octavum*

cornu Levitarum, de quo 1. *Paralip.* 15. *Omnes isti filii Heman videntis regem in verbis Dei, ad exaltandum cornu. Nonum cornu Ierusalem*, *de quo Psal.* 21. *Et a cornibus unicornium exaudisti me. Decimum cornu Messiæ, de quo* 1. *Reg.* 2. *Et dedit fortitudinem regi suo*, *et sublimabit cornu Messiæ sui. Et sic dicit Psal.*131. *Ibi germinare faciam cornu David, paravi lucernam Messiæ meo. Quando autem peccavit Israel, ablata sunt ei cornua hæc, et data gentibus sæculi, sicut dictum est Daniel.* 7. *Ecce bestia quarta terribilis*, *etc. et cornua decem habebat. Omni autem tempore quo cornua gentium sæculi sana fuerint*, *cornua Israel confracta erunt*, *sicut dictum est Thren.* 2. *Confregit in ira furoris omne cornu Israel.* Ita isti rabbinizant.

Avertit retrorsum dexteram suam, id est Deus Israeli subtraxit auxilium suum, retraxit ab eo auxiliarem manum, a facie inimici.) Id est coram inimicis, dum iam cum eis pugnandum esset: ita Chald. Origen. Olympiodor. Theodor.

B Alii, ut Olymp. et Lyran. non male vertunt, *dexteram eius*, scilicet populi, q. d. Deus subtraxit virtutem populo, eiusque vires debilitavit, dum veniendum esset ad manus cum Chaldæis: itaque effecit ut succumberet, fugeret et cæderetur ab eis.

Tertio, Maldon. explicat, *avertit*, non Deus, sed Israel, *dexteram suam*, q. d. Israel Deo deserente fugit suos hostes, non est ausus cum iis manum conserere. Apud Hebræos enim est crebra et tacita transitio ab una persona ad aliam. Prima expositio optime congruit nostræ versioni Latinæ.

Quasi ignem flammæ.) Qua succensa est Ierusalem, et templum: vel *flammam* vocat vastitatem, qua quasi flamma cito circumcirca omnia vastavit: unde v. seq. dicit: *Effudit quasi ignem indignationem suam.* Hinc Maldon. *ignem*, inquit, *id est hostem qui instar ignis omnia consumpsit.* Alludit ad Ierem. 21. 14. ubi ait: *Succendam ignem in saltu eius, et devorabit omnia in circuitu eius.* Sicut enim rustici, ut agrum silvescentem expurC gent, in variis partibus ignem in frutices eius iniiciunt, ut ille proserpens arbusta omnia quaquaversum comburat, itaque agrum sibi, aratro, et sementi restituat: ita et Deus totam Ierusalem sceleratam excidit, ut novam quasi urbem et gentem conderet, aut potius pristinam revocaret et renovaret.

Novem effectus peccati. Tropolog. Hisce tribus versibus, Nota novem effectus peccati. In novem enim damna et ærumnas se coniicit peccator. Primo, obtegitur caligine et excæcatur. Secundo, de cælo in terram, imo in infernum proiicitur. Tertio, ex templo Dei fit scabellum diaboli. Quarto, omnes eius speciosæ virtutes et gratiæ diripiuntur. Quinto, omnes mutationes eius destruuntur. Sexto, polluitur eius regnum sanctum et castum. Septimo, cornu et robur eius confringitur. Octavo, gratia Dei destitutus, retrorsum abit et corruit coram inimicis. Nono, succenditur in eo flamma concupiscentiæ, quæ omnia animæ bona depascitur: licet enim Adam et homo per peccatum læsus sit in intellectu, memoria, voluntate et appetitu irascibili: tamen omnium maxime læsus est in appetitu concupiscibili: sicut enim fera rapitur ad prædam, ita concupiscentia rapitur et rapit hominem ad voluptates et illecebras peccati. Homo per peccatum maxime læsus est in appetitu concupiscentia.

Vers. 4. Tetendit arcum.) *Arcum*, id est vim suam ultricem, ait Orig. qua quasi firma dextra et arcu iaculatus est Deus sagittas firmissimas, certissimas et efficacissimas instar fulminum, id est clades maximas in Ierusalem: ita Rupert.

Firmavit dexteram suam quasi hostis.) Ut enim directe quis, et magno impetu sagittam ex arcu eiaculetur, necesse est ut arcum sinistra firmiter teneat, et dextera firmiter eo quo collimavit explodat, uti docet Vegetius lib. 1. cap. 15. Idem est in explosione nostrarum bombardarum. Hebr. et Chald. habent, *stetit dextera eius quasi hostis*, id est stetit Deus, Deique manus et auxilium a dextera Chaldæorum, quasi hostis Iudæorum.

A Dicit *quasi*, ait Origen: quia Deus non punit tanquam inimicitias gerens, sed ex amore, ut prosit his qui patiuntur, aut his qui vident, et aliorum punitionem speculantes sapiunt.

Occidit, id est perdidit suis sagittis (in his enim metaphorice persistit) omnia pulchra ædificia, ait Rupert. et S. Thom. monilia et vasa. Secundo et proprie, occidit omnes pulchros et florentes iuvenes, virgines et sacerdotes: ita Chald. Olympiodor. Theodor. et Hugo, idque in tabernaculo filiæ Sion.) Id est in urbe Ierusalem. Olympiod. tamen et Lyran. nomine tabernaculi accipiunt templum.

Effudit quasi ignem indignationem suam.) Perinde ac Ætna, Hecla, similesque montes effundunt et vomunt ignes, et igneos torrentes, quibus circumcirca ad centum milliaria omnia in cineres vertunt.

Replevit, Septuag. *multiplicavit*, in filia Iuda humiliatum et humiliatam.) q. d. Replevit Deus Ierusalem plurimis (geminatio enim Hebræis notat copiam, præsertim si masculino generi iungatur fœmininum, ut dixi Isaiæ 3. v. 1.) humiliatis, id est afflictis viris et mulieribus, vel omnes et viros et fœminas humiliavit, id est afflixit: hebr. est, *replevit in filia Iuda impulsum et impulsum*, id est calamitates, omni ex parte Iudæos impellentes ad ruinam et luctum: unde Chald. Vatabl. Maldonat. et Pagnin. vertunt, *replevit in filia Iuda luctum et luctum*, vel fletum et luctum. Vers. 5.

Dissipavit quasi hortum tentorium suum.) Pro *dissipavit*, hebr. est יחמוס *iachmos*, id est rapuit, diripuit, abripuit: inde enim deductum nomen חמס *chamas*, significat vim, violentiam, rapinam; q. d. Deus a fundamentis diripuit et diruit templum, quod erat quasi tentorium et tabernaculum suum, sicut a fundamentis diruitur tentorium in horto cum inde transfertur; τo enim *hortum*, idem est quod *tabernaculum horti;* unde ex Hebræo pro *hortum* verti potest *horti*, q. d. Sicut qui hortos custodiunt, postquam fructus collecti sunt, tugurium, sive casam in qua degebant, radicitus diruunt et avellunt, illamque vel dissipant, vel comburunt, vel alio transferunt: sic Deus diruit et combussit templum, eiusque sacerdotes et populum vel occidit, vel in Babylonem transtulit. Porro per tentorium Maldonat. accipit Ierusalem: alii passim accipiunt templum, idque aptius est: sequitur enim, *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum.* Alii passim plane sic explicant, q. d. Dissipavit Deus tabernaculum suum, sicut dissipatur hortus fracta et disiecta sepe, ut omnium rapinæ pateat; aut dum ex horto fit ager arabilis, vel silva. Hoc enim minatus fuit Iudæis Isaias cap. 5. v. 5. Vers. 6.

Nota, templum vocari tabernaculum, tum quia alludit ad tabernaculum Mosis, quod erat quasi templum mobile, et ambulans cum Hebræis per desertum; tum quia ad tabernaculum conveniebat populus ad Dei cultum et preces, ut ibi ab omni malorum æstu tegeretur et protegeretur; tum denique quia templum erat quasi domus temporanea Dei, habitantis inter Iudæos: tabernaculum enim D uti facile figitur, ita et refigitur, dum disturbatur, vel alio transfertur. Tale fuit templum Iudaicum, in quo modico tempore, scilicet usque ad Christum Deus habitavit: per Christum enim fundavit Ecclesiam, ad quam commigravit, in eaque fixit sibi thronum sempiternum, uti docet Isaias c. 33. 20. et Angelus ad Deiparam, Luc.1.32. Templum vocatur tabernaculum ob tres analogias. 1. 2. 3.

Porro hic maxime vox *tabernaculum* innuit divinam protectionem, quasi Deus ex templo, velut tugurio, prospectaret totam urbem, eamque ac simul totam Iudæam circumiacentem tutaretur: sic enim custos horti ex suo tugurio prospicit et tutatur totum hortum a furibus et feris.

Hac de causa 2. Paral.4. templum hebr. vocatur עזרה *azara*, id est auxilium, tutela: eo quod Dominus e templo suis auxilium ferret. Vocatur et auxilium, cur?

Hinc Secundo, Vatabl. et Pagnin. vertunt, q. d. Quam facile hortulanus transfert tugurium horti sui, tam facile Deus transtulit templum, id est templi ornamenta, Babylonem; unde editio Septuag. Caraffæ sic habet: *Fecit*

avolare quasi vilem tabernaculum suum.

Tertio, Vatabl. rursum vertit, *dissipavit tabernaculum suum simile paradiso;* q. d. Deus templum suum, licet amœnissimum et pulcherrimum instar paradisi, diruit.

Quarto, R. Abraham vertit, *nudavit, et discooperuit tabernaculum suum.* Unde et editio Septuag. communiter sic habet: *διεπετασεν ως αμπελον το σκηνωμα αυτου*, id est, *extendit* vel *expandit tabernaculum suum quasi vineam*, ut scilicet plebs et sacerdotes, qui sunt quasi vinea Dei, eius protectione, templo et arce nudati, hostium prædæ exponantur.

Oblivioni, id est in oblivionem, tradidit.) q. d. Fecit Deus ut nulla amplius mentio dierum festorum fieret, eo quod non essent qui eos celebrare possent, sicut dixit cap. 1. 4. *Viæ Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Rursum festa Iudaica Deus oblivioni tradidit, quia quasi non curans, nec æstimans ea, permisit illa aboleri, illisque silentium diuturnum, et quasi iustitium indici.

In opprobrium regem et sacerdotem.) Repete verbum *tradidit,* q. d. Tradidit Deus Sedeciam regem in opprobrium, quia eum excæcavit in Reblatha, id est Antiochiæ: Saraiam vero pontificem occidit. 4. Reg. 25. ita Chald. Rupert. Maldon. et Castrius. Unde hebr. est, *et abiecit in indignatione iræ suæ regem et sacerdotem*, ac consequenter regnum ipsum et sacerdotium: hoc enim a pontifice, illud a rege, quasi a capite pendet et sustinetur; ita Sanchez, et alii; unde sequitur: *Repulit altare suum,* etc.

Vers 7. Maledixit sanctificationi suæ.) Hoc est, Deus passus est everti sanctuarium suum, perinde ac si illud odisset, execraretur, eique omne malum imprecaretur: item perinde ac si maledictum, non benedictum et consecratum esset. Rursum maledictio omnem cladis et malorum congeriem, sicuti benedictio omnium bonorum et desiderabilium cumulum significat.

Pro *maledixit,* hebr. est נאץ *niets*, id est repulit, aspernatus, execratus est; Chald. *contempsit;* Septuag. *vi excussit:* sed ipsi pro *niets* legerunt נער *nicr*, id est excussit. Porro *sanctificationem* vocat sanctuarium, id est templum suum; ita Chald. Vatabl. Pagnin. Secundo, Pascas. Raban. S. Thomas per *sanctificationem* intelligunt sacrificia, quibus populus sanctificabatur. Tertio, Hugo, intelligit plebem a Deo electam et sibi sanctificatam; sic enim dicitur psal. 113. v. 2. *Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas* (imperium, regnum) *eius.*

Tradidit in manus inimici (Nabuchodonosoris) muros turrium, Hebr. et Chald. *palatiorum;* Symmach. *basilicarum*, eius.) Scilicet urbis, ait Origen. Raban. Hugo: vel potius templi, de quo præcessit; ita Olympiodor. S. Thom. Lyran.

Porro muros turrium, id est muros turritos, vel turribus munitos et ornatos. In iis enim fuisse turres docet Vilalp. tom. 2. lib. 2. c. 20. Adrichom. Ioseph. et alii.

Tropol. Tropolog. Deus aufert ab anima peccante muros, id est gratias gratis datas, et munitiones, id est gratias gratum facientes, puta fidem, spem, charitatem, inquit S. Gregor. 11. Moral. 41.

Vocem dederunt.) Scilicet hostes Chaldæi, in templi combustione et deprædatione, et io pæana, io triumphe canentes; ita Chald. Origen. Theodor. Olymp. et alii omnes præter Rupert. qui de Iudæis hæc accipit; q. d. Iudæi numquam altius in gaudio solemnitatum suarum cecinerunt, quam tunc in angustia et dolore suo vociferando clamaverunt.

Optimus urbium murus est religio. Moraliter, disce hic optimos urbium muros et turres esse religionem, frustraque muris cingi, nisi et religione ac iustitia cingantur; unde de Roman. ait Cicero lib. 3. de Natura deorum: *Diligentiore urbem religione quam ipsis mœnibus cingitis. Nisi* enim *Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.*

Exempla Quare vere ait Lactant. lib. de Ira cap. 12. *Religio et timor Dei solus est qui custodit hominum inter se societatem;* quia, ut inquit Livius lib. 5. *Omnia prospera eveniunt colentibus Deum, adversa spernentibus.* Hinc factum, ut Romæ ab eius conditore Romulo cum primis urbis fundamentis, religio, etsi vana, stabilita sit, et templa *Iovi Statori, et Feretrio dedicata; et sacra diis aliis Albano ritu, Græco Herculi facta*, ut ait Livius lib. 1. Scribit Plinius lib. de viris Illustr. c. 2. Numam Pompilium secundum Romanorum regem, ferum populum religionis institutione, et utilibus legibus domuisse, suumque regnum ita formasse, ut pendente eius regno nemo illi bellum moverit. Cyrus filium Cambysem admonebat, ut nihil publicum vel privatum ageret, nisi prius ad Deum confugeret, et nisi prius eius voluntatem agnosceret, cum mundus, inquit, erroribus sit plenus. Deus vero ut qui semper fuit, præterita, præsentia et futura agnoscit; et invocatus preces exaudit eorum qui religionem et pietatem colunt, et multis signis eis quid agere debeant ostendit; testis est Xenophon. lib. 8. Cyripæd.

Agesilaus Lacedæm. dux adeo religioni addictus fuit, ut delubra etiam in hostico agro sita veneraretur, ab iisque vim militum prohiberet. *Existimabat quippe divina auxilia non minus in hostili, quam amico in solo imploranda esse,* ait idem Xenophon. in laudib. Agesilai.

Vis fidelium exempla? David moriturus ait ad Salomonem filium: *Proficere poteris, si custodieris mandata et iudicia quæ præcepit Dominus Mosi*, 1. Paralip. 22. 13. Hic igitur parentis præcepto obediturus, a Deo sapientiam precatur, Deo templum magnificum extruxit, religionem amplificavit, viginti quatuor millia Levitarum constituit: tumque supra omnes reges opibus et gloria floruit, at vero postquam per uxores idololatras ad idola deductus ea venerari cœpit, Dominus dixit: *Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo*, 3. Reg. 11. v. 11. Audi de Iosaphat Script. 2. Paral. 17. v. 3. *Fuit*, inquit, *Dominus cum Iosaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primus, et non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, et perrexit in præceptis illius*, etc. *confirmavitque Dominus regnum in manu eius, et dedit omnis Iuda munera Iosaphat, factæque sunt ei infinitæ divitiæ et gloria multa.* Quocirca recte et salubriter Iustinianum Imper. Agapetus Diaconus monet: *Sceptrum Imperii cum a Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei, qui id tibi dedit: cumque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, præ omnibus eum honorare festina;* ita ipse in parænes. ad Iustinian. quam refert Baron. tom. 7. Ita ex cultu divino gloriosi et felices evaserunt Constantinus et Carolus cognomento Magni, et huius avus Carolus Martellus, Alphonsus II. Castellæ rex, Rodulphus ex Comite Habspurgensi Imperator, qui suæ familiæ Austriacæ imperium in hunc usque diem consignavit. Hoc est quod Dominus ait ad Heli 1. Reg. 2. 30. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Idem sensit Ethnicus C. Marcius apud Livium lib. 44. dicens, *favere pietati fideique deos, per quæ populus Roman. ad tantum fastigium pervenit.*

Vocem dederunt, inimici, ut præcessit, puta Chaldæi, in domo Domini, sicut in die solemni.) q. d. Sicut olim templum perstrepebat festiva musicorum, organorum, psalteriorum modulatione et cantu; ita in eius excidio perstrepuit celeusmate Chaldæorum exultantium, eorumque tympanis et tubis clangentibus; perinde ut et templi pavimentum antea victimarum, nunc sacerdotum sanguine inundat.

Cogitavit.) q. d. Non casu, non subito, non temere, sed maturo et destinato decreto Deus destruxit Ierusalem. Vers. 8.

Tetendit funiculum.) Funiculis olim metiebantur agros et hæreditates; hinc metaphorice psal. 15. v. 6. ps. 77. 55. et alibi in Script. funiculus significat hæreditatem, aut sortem cuique debitam; hic ergo significat pœnam, et plenam vastitatem peccatis Ierusalem debitam et commensuratam; ita Theod. Olymp. Raban. Rupert. et S. Thom. unde Rupert. per hunc funiculum accipit 70. annos captivitatis; hæc enim est longitudo huius funiculi. Raban. vero et Isidor. *funiculum*, inquiunt, quia ho- Funiculus. I. Est sors cuique debita.

stes urbem Hierosolymam quasi funiculo diviserunt, et inter se distribuerunt.

II. Est regula ad destruendum. Secundo et melius, funiculus, vel, ut hebraice est קו *kav*, id est regula, hic intelligitur ille, qui ab architectis æqua rectitudine extenditur, et libratur pondere plumbeo, ut ad perpendiculum construant domos, vel eas destruant et complanent: ne quid inæquale, curvum, eminens, depressum, hians, vel impolitum relinquatur. Hac enim regula, quasi amussi et norma indagant, quid rectum sit, et apte commensum, ut relinquatur; quid curvum et improportionatum, ut deiiciatur; idque tam in designatione et delineatione, quam in ipsa executione et actuali destructione earumdem. Solent enim architecti, qui aliquid designant ædificare vel destruere, primo, in ipsa designatione funem extendere, ut ad iustam proportionem rectamque mensuram ædificent, aut destruant; ac deinde ad eumdem funem et mensuram actu ædificant vel destruunt, ne a sua designatione et idea aberrent: q. d. Cogitavit Deus, et quasi fune extenso designavit iustam Hierosolymæ demolitionem; atque sicut designavit, ita et reipsa perfecit, effecitque ut Chaldæi eamdem, quasi ad iustam hanc divinæ sententiæ regulam, vastarent et destruerent. Sicut ergo Ierusalem fuit olim belle ad regulam constructa, ita et nunc ad eamdem plane destructa est, atque complanata quasi ad filum a Chaldæis, qui velut securi otiose et sine metu cum deliberatione et certa destinatione, id unum constanter agere videbantur; ita Hugo.

Funiculus hic quinque significat. Significat ergo hic funiculus Primo, accuratum Dei examen meritorum et demeritorum: inde iustum decretum et sententiam Dei de evertenda Ierusalem. Unde S. Bonavent. *per funiculum*, ait, *iustitiæ divinæ rectitudo in-*
1. *telligitur, secundum merita illi populo infelici retribuen-*
2. *tis.* Secundo, certam huius sententiæ mensuram, quæ mensuræ scelerum eiusdem responderet, ut eadem mensura qua mensa erat Deo et proximis, remetiretur ei,
3. inquit S. Hieron. Tertio, ipsam sententiæ contra eam la-
4. tæ executionem. Quarto, Chaldæos tam destinate, animose et studiose hanc Dei sententiam executos esse, ac Ierusalem destruxisse; ac si fabri fuissent, qui non aliud cogitant, quam de apte ædificando aut destruendo a-
5. liquo ædificio. Quinto, Ierusalem ab iis solo æquatam et complanatam esse. Similis phrasis est 2. Reg. 8. 1. ubi dicitur de Davide: *Mensus est eos* (Moabitas) *funiculo coæquans terræ*: *mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, alterum ad vivificandum,* q. d. David plane humiliavit Moabitas et prostravit, ut eos quasi in terram prostratos funiculo dimetiri posset: atque ex eis duas partes et sortes fecit, sed cum mensura iustitiæ, uti decebat æquum principem, unam occidendorum, alteram servandorum; ita Angelom. Beda et Caietan. ibidem, quem vide. Et 4. Reg. 21. 13. *Et extendam*, inquit, *super Ierusalem funiculum Samariæ, et pondus domus Achab*, id est, pronunciabo contra Ierusalem, eamdem sententiam quam pronunciavi contra Samariam, et iuxta eam illam destruam et demoliar; unde explicans subdit: *Et delebo Ierusalem sicut deleri solent tabulæ*, q. d. Eam solo æquabo. Sic hisce annis vidimus funiculum Dei extensum super Belgium nostrum, eoque urbes vastatas, monasteria, templa, et palatia plurima rasa, et solo æquata esse.

Et non avertit manum suam.) Id est, postquam cœpit Hierosolymam destruere et demoliri, non cessavit, nec manum ab opere removit donec rem perficeret.

Luxit.) Id est luctum excitavit. Secundo, aliqui putant pro אבל *abal*, id est luxit, legendum esse נבל *nabal*, id est defluxit, corruit. Tertio et optime, sicut metaphorice rident prata dum florent: sic *luxit*, id est lugubris fuit, quia desolatus et eversus est, Hierosolymæ *murus et antemurale.* Solent enim ante muros facere vallum aut aggerem, ut hostem longius a muris arceant, isque dicitur antemurale. Addit Sanchez, in vehementi clade et luctu, principum præsertim, muros subinde fuisse eversos. Ita enim Hephæstionis mortem luxit Alexander Magnus, teste Plutarch. in Pelopida: *Alexander,* inquit, *cum obiisset Hephæstion, non solum equos totondit, verum etiam pinnas et propugnacula a mœnibus eripuit, ut etiam civitates lacrymari viderentur.* Addit Ælian. lib. 7. ipsa quoque mœnia Ecbatanæ fuisse eversa.

Symbolice, Hugo: Murus, inquit, Hierosolymæ et cuiusvis animæ, est custodia angelorum: antemurale est custodia hominum, verbi gratia, Prælatorum et pastorum.

Allegor. Christus sublatus a Synagoga Iudæorum, translatus et factus est Ecclesiæ murus et antemurale, id est omne præsidium et firmamentum eiusdem; hic *luxit*, quando flevit super Ierusalem: corruit, cum crucifixus est.

Defixæ sunt in terra portæ eius.) Portas et vectes intellige urbis et templi, in quo erat arca; ita Chald. Origen. Theod. Hugo, Lyran. Dionys. Hæ ergo portæ et vectes, *in terra defixæ sunt:* quia murorum cum portis ruentium lapsu et ruderibus ita obrutæ sunt, ut vix quidquam earum appareret. Fabulantur Rabbini, portas Ierusalem in eius excidio, ne ab hoste everterentur, a terra fuisse absorptas; idque quia erant a Davide fabricatæ, et quia per eas transivit arca, ac ea veniente canentibus Levitis, *Elevamini portæ*, psal. 23. sponte se reserarunt. Vers. 9.

Secundo, Pasch. Raban. Rupert. S. Thom. et a Castro per portas intelligunt principes, et iudices qui sedebant in portis, Deuter. 16. 18. Iidem, inquiunt, dicuntur vectes, quia continent populum, et arcent hostes. Hi defixi sunt in terra, quia abducti detinentur in Babylone, terra gentili et hostili, ibique obscuri, et clausi carcere, vivi quasi sepulti sunt; unde explicans subdit: perdidit *regem et principes eius.* Prior sensus uti simplicior, ita magis literalis, posterior magis symbolicus videtur. Principes sunt vectes populi.

Non est lex.) Quia omnia volumina legis cum templo sunt combusta, qua de causa Esdras, post captivitatem ea ex memoria, vel ex inspiratione divina reparare et restituere debuit; ita Paschas. Hugo, Dionys. Lyran. Verum hoc incertum, imo parum probabile est. Bibliorum enim exemplaria non erant in solo templo, sed Iudæi ea domi habebant et legebant. Erant ergo illa sparsa per Iudæam et extra Iudæam.

Secundo, sensus esse potest, q. d. Iam non est observantia legis, quia ante captivitatem eam violarunt Iudæi; ita Theodor. Raban. Vatabl. et Sanchez: post eam, etiam volentes, non possunt ipsi iuxta legem in templo, utpote combusto, peragere divinum officium, itaque eam observare; ita Theodoret. Chald. Vatabl. Rursum non potest iam lex legi in sabbatis, uti assolet, nec populus, utpote dispersus et abductus, ad eam audiendam congregari. Cessat ergo legis promulgatio, cognitio et observatio.

Tertio et simplicissime, q. d. Iam nulla est forma civitatis; hanc enim facit lex cum magistratibus: nam magistratus, qui legis sunt custodes et vindices, sunt capti, et consequenter lex omnis iacet; ita Rupert. et S. Thom.

Prophetæ eius non invenerunt visionem a Domino.) *Prophetæ,* id est pseudoprophetæ, ait Origen. Theodor. Hugo, Lyran. q. d. Ideo eversa est Ierusalem, quia legem Dei non observavit, nec eius Prophetas audivit, sed a falsis seducta, Dei iussa contempsit; ita Theodor. Raban. Vatabl. et Sanchez. Secundo, melius Chald. Paschas. Rupert. S. Thom. q. d. Veri Prophetæ, ob peccata populi, a Deo irato responsa non accipiunt. Luget enim Ieremias defecisse, uti magistratus, reges, principes, ita et veros Prophetas, adeoque totum Iudæorum statum in miserabilem conditionem esse commutatum, tamque sacra quam profana esse subversa. Licet enim Ieremias subinde tunc temporis visiones acciperet a Domino, tamen is unus erat, populoque invisus, exosus, habitusque pseudopropheta. Adde, putabat Ieremias excisa iam urbe, quasi habitio iam fine, se amplius non prophetaturum.

Effusum est in terra iecur meum.) *Iecur,* id est sanguis, cuius fons est hepar, q. d. Præ dolore et angustia sudo sanguinem (instar Christi Luc. 22. 45.) ita copiose ut pene sim exanguis, ait Rupert. Hugo, Dionys. Secundo, q. d. Prostratis his filiis et civibus meis, quos ita amo, 1.
ab hostibus, simul *iecur meum,* id est amor meus, cuius 2.

Vers. 11. Iecur sumitur quintupliciter.

sedes est hepar, in terram proiectus est, q. d. Omnis af-
3. fectus, omnis animus in me concidit et collapsus est. Ter-
tio, alii explicant, q. d. *iecur*, id est felleæ, id est ama-
rissimæ lacrymæ, indices summi doloris a me effusæ sunt,
ut iecur ponatur pro conceptaculo fellis, quod in cava ie-
4. coris parte sedem habet; ita a Castro. Quarto, *effusum
est in terra iecur*, id est vita, voluptas, felicitas et gloria
mea. Hæc enim in iecore vel consistunt, vel symbolice si-
gnificantur. Unde Hebr. כבד *cabed*, id est iecur, voce et
etymo quasi idem est cum כבוד *cabod*, id est gloria.
Hinc veteres Ethnici, si in victimæ extis deesset iecur, ha-
bebant hoc magnæ infelicitatis augurium. Unde Plinius
lib. 11. cap. 37. *M. Marcello*, inquit, *circa mortem, cum
periit ab Annibale, defuit in extis iecur. Defuit et C. Ma-
rio, cum immolaret Uticæ. Item Caio principi Kal. Ianua-
riis, quo anno interfectus est. Et Claudio successori eius,
quo mense interemptus est veneno.* E contrario, *Augusto
sacrificanti Spoleti primo potestatis suæ die, sex victima-
rum iecinora, replicata intrinsecus ab ima fibra reperta
sunt, responsumque duplicaturum intra annum imperium.*
Huic expositioni favet versio Syriaca, quæ sic habet: *Re-
versus est in terram honor meus* (gloria mea) *super con-
tritione filiæ populi mei.* Favet et Arabica, quam mox ci-
5. tabo. Quinto et optime, ut sit hyperbole, q. d. *Cum defi-
cerent*, scilicet præ fame et siti, mei parvuli et lactentes
emorientes; ita præ commiseratione afflicta fui, ut vide-
rer meum iecur et viscera ac interiora omnia effusura in
terram. Nominat iecur præ aliis visceribus, quia iecur se-
des est commiserationis et amoris. Sic sæpe Psaltes que-
ritur præ dolore effusa esse viscera sua, uti et Iob cap.
16. 14. Huic expositioni favet Arabicus Antiochenus: *Con-
voluta sunt viscera eius in ventre ipsius, et coagulatum est
cor eius: quia honor eius revolutus est super terram.* Et
Arabicus Alexandrinus: *Dolore affecerunt me viscera mea
præ multitudine fletus. Cecidit honor meus super terram
præ dolore super civitate populi mei.* Narrat Gregor. Nys-
senus in elogio S. Basilii fratris sui, ipsum præfecto cui-
dam Arriano, minitanti se iecur eius de visceribus ereptu-
rum, subridendo respondisse: *Gratiam tibi huius volun-
tatis et propositi nomine habebo. Etenim haud mediocriter
molestum est iecur visceribus incumbens. Si eieceris ergo il-
lud, ut minaris, re molesta atque odiosa corporis libera-
veris.*

Schema pœnitentiæ. Est hic illustre schema et effigies pœnitentium, in quo
externa species et squalor apposite cum interno dolore
congruit, eiusque est index et testis: primo, *sederunt*, in-
quit, *in terra;* secundo, *conticuerunt;* tertio, *consperse-
runt cinere capita sua;* quarto, *accincti sunt ciliciis;*
quinto, *abiecerunt in terram capita sua*, quæ olim super-
be in cælum erexerant; ut miseros, humiles et supplices
se profiteantur; sexto, *defecerunt præ lacrymis oculi mei;*
septimo, *conturbata sunt viscera mea;* octavo, *effusum
est in terra iecur meum super contritione filiæ populi mei.*

Ex Climacho. Audi pœnitentes effundentes iecur suum apud Climachum
gradu 5. de Pœnitentia: *Quosdam*, inquit, *vidi noctibus
totis usque mane sub dio stare pervigiles, pedesque immo-
biles tenere, cumque somno miserabiliter oppressi agita-
rentur, vim naturæ inferre, nullamque sibi ipsis requiem
indulgere: sed seipsos increpare, ignominiisque et contume-
liis afficere, atque excitare. Alios miserabiliter in cælum
intuentes, et illinc adiutorium cum gemitu et suspiriis ac
vocibus invocantes. Alios in oratione existentes, ac reorum
in morem vinctis post terga manibus, humi luridas facies
inclinantes, indignosque se qui in cælum aspicerent vocife-
rantes: nonnullos in pavimento strato cilicio et cinere se-
dentes. Alios iugiter pectora tundentes. Plurimi, ut in mor-
tibus fieri solet, super animabus suis ululatum diræ vocis
emittebant. Alii ex intimo corde rugiebant, atque intra os
gemitus sonum cohibebant. Interdum vero cum se contine-
re non possent, repente exclamabant: vidisses in illis æ-
stuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his
alii sub ardentissimo Solis æstu seipsos cruciabant: alii
contra, acerrimo frigore se affligebant. Quidam modicum
aquæ degustantes ne omnino siti exarescerent, ita quiesce-*

A *bant: nonnulli cum panis exiguum quid accepissent, reli-
quum manu longius proiiciebant, indignos se qui rationali
cibo vescerentur, asserentes; quippe qui irrationabiliter e-
gissent. Quem apud illos locum risus habere poterat? quem
otiosus sermo?*

Matribus suis dixerunt, Ubi est triticum, et vi- Vers. 12.
num?) *Dixerunt*, non lactentes, sed parvuli grandiuscu-
li: hi enim pane et vino, illi lacte vescuntur.

Quasi vulnerati.) Sicut vulnerati ex vulnere deficiunt,
ita hi fame moriebantur, exanimabantur et exspirabant:
fames enim telum est durius ferro in viscera adacto; quod
non tantum matrum, sed et hostium viscera compunge-
ret. Balbutiens parvulus anhela voce poscebat panem, et
in ipsa postulatione deficiente halitu, animam exhalabat.
Infans os ad ubera matris arida admovebat, et in eorum
complexu liquente spiritu exspirabat; scilicet erat hic:

Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.

Exhalarent animas.) Præ inedia; ita Chald. et alii
passim. Aliter Vatabl. vertit enim, *cum effunderent ani-
B mam suam*, id est votum et desiderium suum.

In sinu matrum.) Petendo ab eis panem et alimenta.
Simile est 1. Reg. 1. 15. et c. 18. v. 1. Ierusalem enim a
Chaldæis fuit obsessa per biennium, unde fuit in ea ingens
fames, ita ut multi ea sint enecti, adeoque matres come-
derint filios suos, uti patet v. 20.

Cui comparabo te?) Hebr. מה אעידך *ma aidech*, Vers. 13.
quod testimonium afferam, id est quod exemplum cala-
mitatis reperire potero, quæ similis sit tuæ, ut te conso-
ler? solatium enim est misero habere socium in malis.
Sed tua clades superat stragem Ægyptiorum sub Mose,
Exodi 14. Chananæorum sub Iosue c. 7. Philistinorum
sub Davide, Hebræorum sub Heli, omnemque aliam ha-
ctenus in orbe visam, vel auditam; ita Hebræi, Chald. et
Septuag.

Cui exæquabo te?) Septuag. vertunt, *quis salvabit te?*
per metathesin enim pro אשוה *ascue*, legerunt אושע
oscia, id est salvabo, a rad. ישע *iascia*, id est salvavit.

C Et consolabor te.) Ut consoler te, scilicet per socium
aliquem aut sociam, tibi in pœna parem aut supparem.

Magna est velut mare.) Sicut nulla aquarum copia *Contritio velut mare quintuplex.*
cum mari comparari potest, ita ut omnia flumina in mare
influentia, illud non augeant, quia sunt instar guttæ: sic
nullus dolor cum tuo dolore conferri potest: quia omnes
aliorum clades ad tuam se habent, sicut gutta ad mare; 1.
ita Lyran. Rursum sicut mare tam vastum est, ut conti- 2.
neri vel includi non possit, ita dolor tuus tam magnus
est, ut nullo consolationis obice cohiberi possit. Tertio, 3.
Chald. et Vatabl. exponunt, q. d. Tanta est afflictio tua
quantus est æstus maris, tot dolores quot sunt procellæ
et fluctus quibus mare confringitur; unde Syrus vertit,
multiplicata est velut mare contritio tua; et Arabicus, *in-
valuit contritio tua.* Quarto, contritio tua est *velut mare*, 4.
quia est amarissima, insanabilis, profundissima, maxima
et quasi abyssus malorum. Sept. vertunt, *magnum est po-
culum contritionis tuæ;* legerunt enim כוס *cos*, id est *ca-
lix*, pro כים *cheiam*, id est *quasi mare*. Denique sicut ma- 5.
D re fluctus attollens et collidens, naves conterit et confrin-
git, ac confractas absorbet: ita Deus contrivit et absor-
psit rempub. Iudæorum, fecitque ut paucæ tantum tabu-
læ, naufragii indices enatarent. Ita iam Iudæi toto orbe
dispersi, quid sunt aliud quam miserandi huius naufragii
signa et tabulæ, iuxta illud Isa. 30. 17. *Donec relinqua-
mini quasi malus navis.* Rursum Ruper. *ut mare*, inquit,
Quia quicumque accedit ad medendum tuis malis et flucti-
bus, *persecutionum et mortis patitur naufragium.*

Nota. Tanti sunt maris fluctus et contritio, ut Cato do-
luerit se unquam navi ivisse quo pedibus pervenire pote-
rat. Aristot. *viros nauticos* vocat *bis mortuos:* quod nun-
quam de vita sint securi donec ad portum pervenerint.
Cropilus Platonis discipulus domus paternæ fenestras ma-
re spectantes clausit: rogatus cur? Æquora, ait, respi-
cere nolo, ne cupiat illa animus conscendere. Insipien-
tem enim magis decet navigare quam sapientem. Nam
terram Deus hominibus, aerem avibus, aquam piscibus

assignavit. Recte Eccles. c. 24. *Qui navigant mare, enarrant pericula eius.* Et Psal. 106. *Qui descendunt mare in navibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo.* Hinc Seneca ait navigantes incedere inter vitæ mortisque vias: et Anacharsis, eos quatuor tantum digitis (quibus navis mari eminet) a morte distare; testis est Laertius. Quocirca Psaltes Psal. 68. *Veni,* ait, *in altitudinem maris,* id est, in culmen malorum.

Tropol. hæc omnia facile est adaptare animæ peccatrici, quæ ut mare fluctibus cogitationum, desideriorum, dolorum, anxietatum, timorum, omniumque passionum assidue iactatur et æstuat. Unde Hugo septem qualitates maris totidem vitiis accommodat. Mirabiles scilicet, maris elationes (Psal. 92.) superbiæ; salsedinem, quæ sitim affert, avaritiæ semper clamanti Affer, affer; amaritudinem, invidiæ; fluctus, iracundiæ; spumas, luxuriæ; secundum illud Iudæ, *Fluctus feri maris despumantes confusiones suas;* altitudinem, hypocrisi et astutiæ humanæ, cuius cor profundum et inscrutabile; voragines, gulæ, turbationem et nigredinem, tristitiæ. Ita et Delrio adagio 878.

Alleg. multi hæc adaptant Christo ob peccata nostra, atrocissima in cruce patienti, et matri ei compatienti: magna enim velut mare fuit contritio tua o Christe, et o Virgo, quæ vere poteras dicere cum Noemi: *Nolite me vocare Noemi (id est pulchram) sed vocate Mara (id est amaram) quia amaritudine replevit me Omnipotens,* Ruth 1. 20. Pariter vocate me Mara, non Maria.

Contritio.) Id est pœna et plaga qua contrita es: ita interpretes: vel qua te contriverunt Chaldæi. Aliter Rupert. q. d. Casus et peccatum tuum superat Ninivitarum peccatum, qui ad prædicationem Ionæ pœnituerunt, et Tyri, et Sidonis quæ mari adiacent: quia si vidissent ea quæ in te fecit Deus, in cinere et cilicio pœnitentiam egissent, Lucæ 10. 5. Verum *contritio* hic uti non significat virtutem contritionis et pœnitentiæ, ita nec lapsum in peccatum; sed tantum afflictionem, dolorem et tristitiam: hoc enim est Hebr. שבר *sceber,* inde tamen ad pœnitentiam assurgere licet: ordinarie enim dolor de pœna inducit homines ad dolorem de culpa, quæ fuit causa pœnitentiæ: qui enim clare videt contritiones, id est pœnas, quas invexit culpa, facile incitatur ad contritionem et pœnitentiam de culpa. Sicut ergo dolor et contritio de pœna est instar maris: ita et contritio de culpa sit instar maris oportet. Nec enim omnes aquæ maris sufficerent ad lacrymas, quibus unum peccatum mortale condigne deflendum esset. Merito ergo S. Ambros. ad virginem lapsam c. 8. hanc ei pœnitentiæ formam præscribit: *Imprimis,* inquit, *omnis cura huius vitæ interimenda tibi est, et quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reviviscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, et mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt: pallescat facies quæ quondam viruit impudice: denique totum corpus iniuriis et ieiuniis maceretur, cinere aspersum, et opertum cilicio perhorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit. Peccator si sibi non pepercerit, a Deo illi parcetur; grandi plagæ alta et prolixa opus est medicina: grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Sic velut mare ingens fuit contritio S. Magdalenæ, S. Mariæ Ægyptiacæ, et aliorum pœnitentium apud Climach. gradu 5. nec non S. Pelagiæ pœnitentis, quæ a B. Nonno conversa, mutato habitu fugit Hierosolymam, ibique ad finem vitæ in oratione et lacrymis austeram egit pœnitentiam, uti habet eius vita 12. Octobr. De qua proinde vere et acute Poeta Christianus:

E pelago in pelagus lacrymosa Pelagia transis,
Tristia dum lacrymis obruis acta tuis.

Forma pœnitentiæ ex S. Ambros.

Vers. 14. Prophetæ, pseudoprophetæ quos tu veros Prophetas esse dicebas, viderunt, id est prophetarunt. (Videntes enim vocabantur Prophetæ) stulta, Hebr. *insulsa:* quia non aperiebant iniquitatem tuam.) Sed illam excusabant et elevabant tibi blandiendo, et adulando tuis deliciis, cupiditatibus et vitiis.

A

Nota. Prædicator non debet mollia et placentia, sed dura et aspera, nonnumquam et sale reprehensionis condita prædicare: ubi hoc sal, ibi sapientia, ibi puritas, ibi veritas, ibi compunctio, ibi sanitas. Sed molles et carnales oleo blandiloquentiæ perfundi malunt, quam sale perfricari: hinc putrescunt et pereunt.

Ut te ad pœnitentiam provocarent.) Recte: Hebr. enim est, *ad convertendum conversionem tuam.* Septuag. tamen id ipsum vertunt, *ut captivitatem tuam reducerent,* vel *averterent,* ut explicat Theodor. Rursum R. Salomon vertit, *ad convertendas,* id est corrigendas, *aversiones,* id est prævaricationes, *tuas;* hæc enim omnia significat Hebr. שבותך *scebutech.* Sensus est, ait Olympiodor, Prophetæ tui non indicarunt tibi quod verum est, non posuerunt tibi ob oculos gravitatem iniquitatum tuarum, ut eas cognosceres, ingemisceres, converteréris ad Deum, itaque captiva non fieres: quia, ut Chald. vertit, *non prædicarunt ultionem quæ ventura erat super te ob scelus.*

B

Viderunt autem, id est prophetarunt, tibi assumptiones falsas.) Hebr. est משא *massa,* id est pondus vel onus, ut Aquila vertit, id est prophetiam onerosam et supplicium minitantem; ita Chald. Pagnin. Vatabl. unde noster vertit, *assumptio:* eo quod onus hoc assumatur, aut levetur contra aliquem. Rursum eo quod assumendum sit ab eo, cuius humeris a Deo per Prophetam intentatur et imponitur.

Dices: Hi Prophetæ prophetabant Iudæis prospera et læta, quomodo ergo eorum prophetiæ vocantur onus? Resp. Onus vel assumptio, aliquando extenditur ad quamlibet prophetiam etiam lætam. Secundo, proprie erat hic onus: quia hi Prophetæ ut imitarentur Ieremiam intentantem Iudæis *onus Domini,* utque eius minas ostenderent esse inanes et falsas, prophetabant onus hoc Domini incumbere Chaldæis, non Iudæis; scilicet Chaldæos brevi a Deo puniendos et vastandos esse; itaque incitabant

C

Iudæos ut eis rebellarent, et fortiter contra eos dimicarent. Tertio, et subtilius Maldon. Hi Prophetæ, inquit, ne semper iucunda vaticinari viderentur, subinde levia quædam adversa miscebant, sed falsa et conficta: sicut adulatores, ut Plutarch. dixit opusc. de Discrimine adulatoris et amici, ne ad gratiam semper loqui videantur, aliquando eos quibus maxime adulantur reprehendunt, sicut catuli qui fingunt se Dominum mordere, sed dentes non figunt; verus enim amicus dentes figit et mordet, ut vitium ab amico demordeat et auferat. Idcirco ergo eorum prophetias vocat onus.

Adulator ficte amicum subinde carpit.

Et eiectiones.) Hebr. מדוחים *madduchim,* id est *expulsiones.* Iam Primo, Olympiodor. Theodor. Vatabl. subaudiunt το, *a Deo·* prophetabant enim ea quæ expellebant Iudæos a via recta, et longe faciebant a Deo. Secundo, *eiectiones* scilicet Chaldæorum e Iudæa, vel ex ipsa Chaldæa et imperio suo, inquit Hugo, S. Thom. Bonavent. Tertio, *eiectiones* scilicet quæ ex dorso tuo eiicerent onera, comminata a veris Prophetis, eaque reiicerent in dorsum hostium tuorum, scilicet Chaldæorum;

D

ita Paschas. Aut prædicebant *eiectiones,* id est prædicebant brevi fore, ut Ioachin, aliique e Iudæa in Babylonem eiecti, in patriam redirent. Quarto, Lyranus et Dionys. *eiectiones,* q. d. Falsa eorum onera, id est prophetiæ, licet in speciem blandæ et prosperæ, revera tamen fuerunt tuæ eiectiones, quia dum tu eis credis, meruisti ut eiicereris e terra tua, et captiva ires in Babylonem: meruisti ut deiiceréris de dignitate, gradu, decore, et omnibus bonis tuis, et incideres in ignominiam, pauperiem, exilium, omnesque ærumnas. Hic sensus videtur plenior et nervosior. Quinto, Maldon. ut dixi, censet hosce pseudoprophetas aliqua tristia lætis miscuisse, aliquasque Iudæis eiectiones et exilia, sed levia et brevia intentasse, præsertim si sibi suisque prophetiis non crederent, nec obedirent.

Plauserunt.) Irridentium gestu, ait Lyran. vel potius, ut Theod. Olymp. Hugo, S. Thom. gestu admiran- Vers. 15.

tium, dolentium et obstupescentium tantam Hierosolymæ mutationem et cladem.

Hæccine est urbs perfecti decoris?) Hebr. *Hæccine est urbs, consummatio decoris?* id est consummati decoris, ut videretur vocanda ipse decor, ipsa pulchritudo, imo consummatio omnis pulchritudinis. Sic de Iezabel Regina formosissima, lacerata a canibus *prætereuntes dicebant, Hæccine est illa Iezabel?*

Gaudium universæ terræ.) Quia scilicet illa tamquam domina universa terra, quæ illi parebat, gaudebat et glorificabatur. Rursum Ierusalem opibus, pompa, sapientia, aula, pontificatu (erat enim sedes et aula tam pontificum, quam Regum) pace, tubis, psalteriis, omnibusque bonis cumulata, videbatur esse gaudium orbis, præsertim in festis et solemnitatibus, ad quas proinde gentes ex toto orbe confluebant, ac videbantur eam intrantes, sibi in nuptias, et mera gaudia ingredi. Nam, ut dicitur Psal. 86. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Erat enim Ierusalem terrestris, typus Ierusalem cælestis, quæ est civitas æternæ felicitatis et voluptatis.

Vers. 16. Aperuerunt super te os.) Quasi belluæ famelicæ te pleno oris gulturisque rictu devorare et deglutire cupientes: ita Origen. Raban. Hugo; vel ut tibi insultarent et exprobrarent, teque irriderent et subsannarent: ita Theodor. Paschas. Hugo, S. Thom. Vatabl.

Sibilaverunt.) Instar serpentium, qui præda capta, antequam eam lanient et vorent, sibilant.

Fremuerunt dentibus.) Instar luporum et leonum, qui in prædam quam unguibus tenent, dentes stridendo acuunt: hic etiam est gestus insultantium et subsannantium.

Devorabimus.) Devoremus: concitant enim hic seipsos ipsi hostes contra Ierusalem, utque rabiem magis explicent, dicunt instar anthropophagorum ad carnes humanas inhiantium: *Devorabimus*, non *devoremus*. Hebr. et Septuag. habent, *devoravimus*, id est *devorabimus*, more prophetico.

Invenimus, vidimus.) Invenire est rem consequi, et votorum compotem fieri; ut patet Proverb. 19. v. 8. videre est re concupita frui et pasci: q. d. En adest tamdiu optata dies, qua expugnemus et vastemus Iudæos, nobis ita invisos: qua nos satiemus eorum spoliis, sanguine et cædibus.

Vers. 17. Complevit sermonem quem præceperat.) Scilicet edici aut comminari tibi per Prophetas: ita Chal. Rupert. Bonavent.

Vel simplicius, *quem præceperat*, id est ordinaverat et statuerat quasi præcepti sui violati pœnam et supplicium, quod tibi iam intulit: hoc enim sanxit et comminatus est Levit. 26. 15. et 25. Deuter. 28. 15. et sequent.

Destruxit, et non pepercit.) Id est irremissibiliter, et, ut ita dicam, imparcibiliter destruxit Iudæam et Ierusalem: ponitur enim verbum pro adverbio, more Hebræo.

Exaltavit cornu.) Id est potentiam, robur et vires: ita S. Thom. Hugo, Vatablus: ac consequenter victorias, triumphos, gloriam et imperium: ita Chald.

Hostium tuorum.) Nota. Ieremias hoc cap. et cap. 3. præponit literam *pe*, literæ *ain*, cum communiter iam illi postponi soleat, uti postposuit cap. 1. Quocirca videtur, quod olim inter has literas non fuerit certus ordo; sed iam hæc, iam illa præposita fuerit: ita Sanchez. Aut potius sensus et sententiæ quam literarum (harum enim sunt leves minutiæ) ordinem et connexionem spectavit Ieremias. Quia enim in præcedenti litera *samech* dixerat: *Sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Ierusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris?* etc. hinc illi apte subiungit literam non *ain*, sed *pe* quæ *os* significat, ac cœptam in *samech* sententiam prosequens, dicit: *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus suis, et dixerunt, Devorabimus: en ista est dies quam expectabamus, invenimus et vidimus.* Simile est c. 3. 48.

Vers. 18. Clamavit cor eorum ad Dominum.) *Eorum*, non Chaldæorum, et Rabsacis, Isaiæ 36. v. 4. blasphemantis Deum, quasi Iudæos non potuisset tueri a sua manu et exercitu, ut explicat Paschas. Raban. S. Thom. Lyran. Hic enim non ad, sed contra Dominum clamavit. Non etiam Mosis et Prophetarum, ut Rupert. sed Iudæorum, qui in sui expugnatione, ex intimo corde et dolore clamarunt ad Deum, ut eorum misereretur: ita Chald. S. Thom. Lyranus. Dionys.

Super muros.) Pro muris, ne muri Ierusalem subverterentur; aut potius, ut iam subversi, ut patet ex v. præced. restaurarentur. Aliter Sanchez: Iudæi, inquit, hic muros filiæ Sion, id est seipsos (res enim continens ponitur pro contenta, scilicet urbs et muri pro civibus) cohortantur, ut quisque iugiter fleat, et clamet ad Dominum, qui solus Chaldæos reprimere, et muros restaurare potest. Dicit ergo unus ad alterum: *Deduc quasi torrentem lacrymas.* Verum hic clamor est ad Dominum, non ad cives, estque non murorum, sed pro muris. Unde et Romana ante *deduc* ponunt colon, quasi ibi nova incipiat sententia, uti mox declarabo. Aliter quoque ex Hebræo vertunt Sept. nectuntque sequentibus, nimirum: O mure Sion (olim scilicet splendide, nunc meræ ruinæ) descendere fac quasi torrentem lacrymam, quasi sit prosopopœia ad muros, ut fleant. Verum melius Latinus interpres hæc ita dispungit et disiungit, ut ante *Deduc*, ponat punctum, ibique inchoetur nova sententia, in qua Propheta a Iudæis clamantibus pro muris sermonem convertit ad filiam Sion. quam iugiter flere vult: unde ait, *Deduc quasi torrentem lacrymas*, non, deducite.

Neque taceat.) Id est, ne cesset a lacrymis: tacere enim Hebræi sæpe sumunt pro cessare, ut dixi Ieremias 47. v. 6.

Lauda.) Septuag. Vatabl. et Pagninus, vertunt, *vociferare* vel *clama*. Hebr. enim רנן *ranam* significat clamare, sive laudando, sive cantando, sive lugendo: passim tamen significat iubilare et laudare: sic noster hic vertit, *lauda*, id est ora, obsecra: idque Primo, quia oratio est tacita laus Dei, et in ea assumi debet laus eiusdem. Secundo, quia Iudæi orantes, laudes maiorum assumebant, dicentes: Propter merita Abraham, Isaac, et Iacob, miserere mei: sic enim fecit Ieremias c. 7. 11. et Iudith cap. 9. v. 2. Tertio, quia a laude et gratiarum actione inchoanda est oratio: sic enim petituri aliquid a principe, eius benevolentiam captamus, initio commemorando et laudando eius in nos et alios munificentiam. Quarto, quia efficacissima est oratio, si tam in adversis quam prosperis laudemus, et gratias agamus Deo, dicamusque cum Davide, *Benedicam Dominum in omni tempore*; et cum S. Iob, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Unde sanctus ille Abbas in Vitis Patrum, tractatu de fortitudine, docet singulare remedium contra omnes tentationes et tribulationes esse, si quis in iis se Deo resignet, eique gratias agat; atque Deum a tali mox omne bellum tentationis auferre; huiusque rei experimentum et exemplum affert.

[Margin: Vers. 19. — Oratio vocatur laus, cur? Resp. 1. 2. 3. 4. — Dei laus vincit omnes tentationes.]

In principio vigiliarum.) Non dicit, in prima vigilia, aut in ortu auroræ, ut vertit Chald. neque in principio, id est ante omnes vigilias, ut exponunt Origen. et Olympiodor. Sed explicat id quod dixerat, *Consurge, lauda in nocte*, scilicet per singulas vigilias noctis, in earum exordiis laudando, id est adorando, Deum: ad hoc enim afflictio tua te excitabit, ut cum alii homines dormiant, tu mœsta dormire non possis, sed ad Deum evigiles, eumque ardenter et frequenter depreceris, ut extremam tuam miseriam levet.

Nota Primo. Romani in castris noctem in quatuor vigilias distribuebant, ut quater, id est singulis ternis horis, alii vigiles aliis dato signo a tibicine, in statione succederent. Unde Lucanus l. 7.

Tertia iam vigiles commoverat hora secundos.

Hinc Iudæi acceperunt primam, secundam, tertiam, quartam noctis vigiliam, Marci 13. 34. Rursum et Christiani, et Iudæi, hinc acceperunt horam orationis Primam, Tertiam, Sextam et Nonam: nam prima vigilia incipit hora

[Margin: Vigiliæ noctis quot et unde? Inde orationis horæ. 1. 3. 6. 9.]

prima, secunda incipit hora tertia, tertia incipit hora sexta, quarta incipit hora nona.

Nota hic Secundo, viros pios noctu, initio vigiliarum excitatos, solere Deum laudare et precari. Ita Christiani olim antelucanos hymnos Christo et Deo canebant, ut scribit Plinius ad Traianum. Ita Theodoricus Gothorum Rex *antelucanos suorum Sacerdotum cœtus, minimo comitatu expetebat quotidie, et grandi sedulitate venerabatur*, inquit Sidon. Apollin. l. 1. epist. 2. Atque hinc orti sunt tres nocturni, et Laudes in officio Ecclesiastico: hi enim respondent quatuor vigiliis noctis. Hoc etiam monuit Moses Deuter. 6. v. 7. dicens, *Meditaberis* (in præceptis Dei) *dormiens*. Hac de causa Deus voluit gallos gallinaceos canere, ut dormientes ad id excitent, ut ibi dixi. Quare recte S. Hieronym. Eustochium virginem instruit dicens: *Esto cicada noctium, lava per singulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis stratum tuum riga. Vigila, et fias sicut passer in solitudine.* Audi et insigne dogma S. Gregor. Nazianz. et ex eo Damasceni lib. 2. Parallelorum cap. 39. *Præstantissimus hic est ordo, ut qui orationem aliquam aut negotium aggreditur, et a Deo incipiat, et in Deo finem faciat.*

Antelucanæ piorum preces.

Origo Nocturnorum Ecclesiæ.

Principium tibi sit, tibi finiat omnia Christus.

Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.) Ut cordis tui duritia per amorem et devotionem liquefiat, ait S. Thom.

Secundo, Paschas. Effunde, inquit, ex intimo corde lacrymas compunctionis; Chald. Effunde per pœnitentiam, sicut aquam perversitatem cordis tui.

Tertio et optime, q. d. Sicut qui vas invertit, totam profundit aquam; ita e vase cordis, omnia tua desideria, ærumnas et gemitus, lacrymis magis quam verbis, Deo explica et profunde.

Ubi Nota. Non ait, Effunde sicut oleum, cuius pars aliqua semper vasi adhæret, sed sicut aquam: quia eius nihil in vase remanet, sed tota effunditur: ita totum cor nostrum, omnesque eius amores et dolores Deo effundere debemus. Hæc est oratio Deo grata.

Huc facit expositio Sanchez, quæ talis est: ne cesses a lacrymis et precibus, donec exhaustis aliis lacrymarum fontibus, cor ipsum extabescat, et per stillantes oculos liquefactum emanet. In huius signum, aquam effundebant afflicti et deprecantes, ut patet 1. Reg. 7. 6.

Vis orationis est in affectu, non in verbis.

Moraliter Nota hic, vim et efficaciam orationis, non consistere in verbis multis bene compositis, sed in affectu, gemitu, desideriis, et affectuosa ignitaque cordis effusione. Unde ait S. Bernard. *Clamor magnus in auribus Dei est desiderium vehemens*: apud Deum enim valet non clamor oris, sed amor cordis. Et Paulus Roman. 8. *Spiritus*, inquit, *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Hinc David orans ait Psal. 141. v. 3. *Effundo in conspectu eius orationem meam*: et Psal. 41. v. 5. *Effudi in me animam meam*: et Ps. 61. v. 9. *Effundite coram illo corda vestra.* Sic tempore Iudith c. 6. 14. omnes Iudæi *communi lamentatione et fletu, unanimes preces suas Domino effuderunt.* Ita sterilis Anna effudit animam suam in conspectu Domini, et filium Samuelem impetravit, 1. Reg. 1. 15. Effundere enim cor coram Domino, est omnes cordis affectus, omnes dolores, omnia sensa animi, omnia vota et desideria coram Deo exponere, et in eius sinum ac providentiam transfundere, ut ipse iis succurrat et provideat. Itaque hæc phrasis significat, orantis primo, ingentem afflictionem: sic enim valde afflicti per lacrymas, gemitus et querimonias, solent suos dolores effundere in aures amicorum et audientium; secundo, humilitatem, quod cor suum, instar aquæ in terram, coram Deo quasi profundant; tertio, sinceritatem, quod omnes affectus coram Deo effundant, nil celent, nil reservent; quarto, resignationem, quod omnia sua in Dei providentiam profundant et resignent; quinto, spem et fiduciam, quod omnes suos affectus et vota, a se quasi alienando et abiiciendo, uni Deo credant et committant.

Effundere cor coram Domino quinque res significat.

Orantes cur levant manus.

Leva manus.) Ad eleemosynas, ad opera misericordiæ et virtutum: ita Origen. Paschas. Rabanus, Rupert. Hugo. Secundo, et melius Chald. et S. Thom. *leva manus*, id est ora. Xenophon l. 9. Pædiæ Cyri, *Manus*, ait, *sustollimus in cælum, quo habitu testamur, nos vel orationem, tanquam munus iucundissimum Deo offerre; vel cor, quasi donum eximium, attollere ad Deum.* Hinc in sacrificio Sacerdos levat manus. Vide de hoc gestu multa quæ notavi 1. Timoth. 2. v. 8.

Pro anima.) Propter animam, propter vitam qua privati sunt parvuli, qui paulatim fame consumpti sunt (hoc enim est Hebr. עטף *ataph*) ut eorum intuitu tui misereseat. Quare minus recte aliqui hæc referunt ad preces pro animabus existentibus in Purgatorio, quod hinc probare contendunt, cum alia clara argumenta suppetant.

Compitorum.) Hebr. חוצות *chutsot*, id est platearum.

Vide.) Est oratio Hierosolymitanorum, ad quam ipsi Vers. 20.
impulsi et inducti sunt a Ieremia v. præced. ita Hugo et S. Thom.

Quem vindemiaveris.) Id est usque ad quam paucas reliquias abduxeris et captivaveris nos per Nabuzardan. Vide c. 1. 22. ita Olymp.

Ergone comedent.) q. d. Quis unquam audivit tantam rabiem famis, ut matres comederint suos infantes, uti factum est in Ierusalem.

Ad mensuram palmæ.) Hebr. טפחים *tippuchim*, id est magnitudinis palmæ, palmares, id est infantes recens natos et parvulos. Nota. Hebr. טפח *tapach* significat palma explanare, distendere, uti matres explanant membra parvulorum, ne contracta aut distorta maneant; sed ut ea apte complanent: hinc *tapach* significat etiam educare, et ad incrementum ac magnitudinem perducere, ut patet v. 40. et ultim. unde Pagnin. vertit, *parvulos educationum*; Chald. *infantes amabiles, qui involvebantur sericis linteis*: q. d. Matres comederunt parvulos suos, quos recens genuerunt, educarunt, fasciis involverunt, palmaque conformarunt, quosque proinde tenerrime amabant; tanta fuit famis acerbitas. Hoc minatus erat Dominus Deut. 28. v. 53. idque factum esse Hierosolymis patet Thren. 4. 10. *Manus mulierum coxerunt filios suos.*

Nota. Hæc pœna fuit infidelitatis et infidelium, ut matres comederent filios. Sic enim in Samaria, cum coluit vitulos aureos, matres in obsidione comederunt filios, ut patet 4. Reg. 6. vers. 28. Idem contigit Hierosolymæ obsessæ a Chaldæis, ut patet hic, quia ipsa Ieremiæ et Deo fuit incredula. Idem eidem contigit obsessæ a Tito et Vespasiano, ut testatur Ioseph. libr. 7. Belli cap. 8. quia ipsa tum fuit incredula Christo. Idem contigit hoc sæculo in urbe Franciæ, quæ vulgo Sancerra dicitur: cum enim illa a Catholicis obsideretur, duæ Calvinianæ mulieres infantes suos comederunt sub annum Domini 1572. uti testatur Florim. Remundus libr. de Antichristo, c. 7. quin et ipsi hæretici qui interfuerunt, et librum de hac obsidione ediderunt.

Infidelium pœna est ut obsessi edant filios.

Si occiditur Sacerdos?) Hinc videtur aliquis Sacerdos et Propheta in templo a Chaldæis esse occisus, unus vel plures. Hebræi cum Chaldæo accipiunt hæc de Zacharia filio Ioiadæ, q. d. Quid querimini matres comedisse filios, cum vos ipsi occideritis Zachariam Prophetam et Sacerdotem in templo? unde tradunt Iudæi, Zachariæ occisi sanguinem, instar ollæ ferventis efferbuisse, usque ad adventum Nabuzardan: qui id resciens, eius necem magna senatorum cæde ultus est, et tum sumpta vindicta fervescere desiit. Sed horum fides sit penes Iudæos. Ego certe nec expositioni huic, nec historiæ fidem habeo: olet enim Rabbini alicuius cerebrum et commentum.

Zachariæ sanguis ebulliens.

Iacuerunt.) Occisi: ita Lyran. Maldon. et Sanchez: Vers. 21.
vel potius, ut ex Hebr. Chaldæus vertit, q. d. Divites et delicati, qui cubare solebant super turgidos pulvinos et lectos eburneos, iam a Chaldæis eiecti et despecti, *foris*, id est in plateis, iacent et cubant; ita et Paschas. Hugo, et S. Thom. Sic cap. 4. v. 5. dicit de iisdem: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.*

Percussisti.) Hebr. Chald. Septuag. laniasti, mactasti quasi lanio; hoc enim est Hebr. טבחת *tabachta*.

Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent Vers. 22.

ME DE CIRCUITU.) q. d. Tuo, quasi ducis castrorum hostilium, nutu et imperio, vocatæ et congregatæ finitimæ gentes, uti olim solebant confluere Hierosolymam, cum aliquod festum celebre agebatur; ita nunc cum Chaldæis venerunt ad me terrendum et expilandum. Patet Ieremiæ 1. v. 15. Hebr. nervosius habent, *vocasti* מגורי *megurai*, id est *timores*, *terrores*, vel *pavores meos*, id est, ut Vatabl. vocasti hostes qui mihi sunt timori, et quos timeo, ne mihi parvulos et filios eripiant. Septuag. *vocasti colonias*, vel *parœcias meas*, id est omnes in villis et locis vicinis habitantes, convocasti metu Chaldæorum Hierosolymam, ubi omnes obsessi, cæsi vel capti sunt: ita Theodor. Notat Sanchez hic alludi ad tria, quæ fiebant in die festo et solemni. Primo, in eo mactabantur victimæ, q. d. Sic vocasti Chaldæos quasi victimarios, ut non boves, sed cives tibi iugularent. Secundo, ad festa undique confluebat ingens hominum copia, q. d. Sic ingentem hostium vim congregasti contra Ierusalem. Tertio (quod maxime hic intendit) in festis erat securitas, facilitas et lætitia, q. d. Te duce hostes evocante, ipsi quasi de victoria et præda certi, sic alacres in urbem confluxerunt, ac si dies obire vellent solemnes et geniales, nec belli pondus difficile subire.

EDUCAVI.) Hebr. טפחתי *tippachti*, id est parvulos complanavi, formavi et enutrivi, de quo dixi v. 20. Singula hæc verba ponderanda sunt: singula enim ingens continent pathos.

CONSUMPSIT EOS.) Septuag. vertunt *omnes eos:* legerunt enim כלם *cullam:* melius noster et alii passim legunt, כלם *chillam*, id est consumpsit eos.

Tropol. totum hoc caput facile est adaptare animæ peccatrici, quæ a Deo tot beneficiis affecta, ob ingratitudinem omnia illa, omnemque gratiam et decorem perdidit: unde pœnitens redit ad Deum, oratque pro venia.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Olympiod. Paschas. et Bonav. putant Ieremiam ad litteram hoc capite loqui de Christo et Christi passione. Verum Ieremias luget hisce Threnis ad litteram sui temporis calamitatem: ergo tantum allegorice luget Christi afflictiones et cruces. Secundo, Theodor. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. et Vatabl. putant hoc caput esse vocem populi, sive cuiuslibet Iudæi, vel Hierosolymis, vel in Babylone lugentis communem cladem. Tertio et planissime, ut verba sonant, Origen. Euseb. Rupert. Hebræi et Vatabl. censent Ieremiam hic lugere suas calamitates, præsertim eas, quibus tempore obsidionis, a suis civibus afflictus fuit, Ieremiæ 20. et sequent. hoc enim est quod initio capitis ait: Ego vir videns paupertatem meam: *et v. 15.* Factus, *ait*, sum in derisum omni populo meo: *unde et carcerem vinculaque sua plangit v. 5. 6. 7. 9. ac inediam et famem, v. 15. 16. 17. ac verbera et alapas, v. 3. 12. 30. simul tamen in seipso repræsentat et luget afflictionem populi sui, uti dicam v. 7. 8. et 10. Deinde v. 21. spem in Deum erigit, ostendendo utilitatem tribulationis. Quarto, v. 40. suos cives hortatur, ut convertantur ad Deum. Tandem v. 54. suas ærumnas et suorum civium plangendo, mala similia suis inimicis imprecatur.*

Aleph. 1. EGO vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. *Aleph.* 2. Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem. *Aleph.* 3. Tantum in me vertit, et convertit manum suam tota die. *Beth.* 4. Vetustam fecit pellem meam, et carnem meam, contrivit ossa mea. *Beth.* 5. Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle, et labore. *Beth.* 6. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. *Ghimel.* 7. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum. *Ghimel.* 8. Sed et cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam. *Ghimel.* 9. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit. *Daleth.* 10. Ursus insidians factus est mihi: leo in absconditis. *Daleth.* 11. Semitas meas subvertit, et confregit me: posuit me desolatam. *Daleth.* 12. Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. *He.* 13. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. *He.* 14. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. *He.* 15. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. *Vau.* 16. Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere. *Vau.* 17. Et repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum. *Vau.* 18. Et dixi: Periit finis meus, et spes mea a Domino. *Zain.* 19. Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis. *Zain.* 20. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. *Zain.* 21. Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. *Cheth.* 22. Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius. *Cheth.* 23. Novi diluculo, multa est fides tua. *Cheth.* 24. Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. *Thed.* 25. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. *Thed.* 26. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. *Thed.* 27. Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua. *Iod.* 28. Sedebit solitarius, et tacebit: quia levavit super se. *Iod.* 29. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. *Iod.* 30. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. *Caph.* 31. Quia non repellet in sempiternum Dominus. *Caph.* 32. Quia si abiecit, et miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. *Caph.* 33. Non enim humiliavit ex corde suo, et abiecit filios hominum, *Lamed.* 34. Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ, *Lamed.* 35. Ut declinaret iudicium viri in conspectu vultus Altissimi. *Lamed.* 36. Ut perverteret hominem in iudicio suo, Dominus ignoravit. *Mem.* 37. Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non iubente? *Mem.* 38. Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona? *Mem.* 39. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? *Nun.* 40. Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. *Nun.* 41. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. *Nun.* 42. Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus: idcirco tu inexorabilis es. *Samech.* 43. Operuisti in furore, et percussisti nos: occidisti, nec pepercisti. *Samech.* 44. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. *Samech.* 45. Eradicationem, et abiectionem posuisti me in medio populorum. *Phe.* 46. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici. *Phe.* 47. Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio, et contritio. *Phe.* 48. Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei. *Ain.* 49. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies, *Ain.* 50. Donec respiceret et videret Dominus de cælis. *Ain.* 51. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. *Tsade.* 52. Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. *Tsade.* 53. Lapsa est in lacum vita mea, et po-

suerunt lapidem super me. *Tsade.* 54. Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi: Perii. *Coph.* 55. Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo. *Coph.* 56. Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus. *Coph.* 57. Appropinquasti in die, quando invocavi te: dixisti: Ne timeas. *Res.* 58. Iudicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. *Res.* 59. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me: iudica iudicium meum. *Res.* 60. Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me. *Sin.* 61. Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me. *Sin.* 62. Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die. *Sin.* 63. Sessionem eorum, et resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum. *Thau.* 64. Reddes eis vicem Domine iuxta opera manuum suarum. *Thau.* 65. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. *Thau.* 66. Persequeris in furore, et conteres eos sub cælis Domine.

ALLEGORICE, Ieremias hic afflictus Christum patientem, et cum eo quemvis Martyrem repræsentat: vide Dionys. Carthus. illi singula adaptantem.

Tropolog. has Ieremiæ voces et lamenta imitetur pastor populi, in obsessa urbe; et Sanctus quilibet, in communi calamitate et punitione reip. Ita S. August. inquit Possidon. cum Africa a Wandalis vastaretur, flebat et lamentabatur assidue, cumque eius urbs Hippon ab eis obsideretur per 14. menses (unde et post mortem eius capta ab eis et concremata est) tertio obsidionis mense, ex dolore in febrim incidit: orabatque Dominum, ut aut urbem liberaret, aut servos suos ad perferendam voluntatem suam fortes faceret, aut se de hoc sæculo eriperet. Hoc tertium contigit ei: mortuus est enim in obsidione: sub mortem David Psalmos pœnitentiales assidue legebat, et ubertim flebat, dicebatque etiam laudatos Christianos et Sacerdotes, absque digna et competenti pœnitentia, exire de corpore non debere. Legant ergo tales hosce Threnos Ieremiæ.

S. Augustini in obsidione votum.

Vers. 1. EGO VIR.) q. d. Ego Ieremias huius cladis communis, qua cum civibus meis involutus sum, non modicam partem video, id est experior et sustineo. Isaias enim, Sophonias et alii Prophetæ cladem hanc futuram prædixerunt, sed eam non viderunt, iam ante defuncti: Ezechiel vivebat, sed procul aberat, degens in Babylone: solus Ieremias præsens cladem Hierosolymæ aspexit, ac eius pars magna fuit, non ob propriam, sed ob civium et patriæ stragem, quæ assidue oculos eius feriebat. Pro *vir* Syrus vertit, *gigas*, quo nomine Syri solent vocare Deum, ob robur immensum. Hinc in abstracto vocant eum גבורותא *gaboruta*, q. d. Ipsa giganteitas, id est ipsa immensa fortitudo, et fortissima immensitas. Vide dicta Isaiæ 57. 15.

PAUPERTATEM.) Hebr. עני *eni* plenius vertas cum Chald. et aliis, *afflictionem;* et Latinis quoque afflictio et miseria vocatur paupertas, per synecdochen. Mystice S. Bernard. serm. 2. de cœna Domini: *Secundum*, inquit, *ferculum* (in mensa Christi) *est paupertas spiritalis, quam tria constituunt: depositio rerum et contemptus: vilitas et abiectio suiipsius: abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. Voluntaria ergo paupertas, quæ sine possessione vel desiderio habetur, quanto expeditior est, tanto securior est. Custos et magistra est virtutum: sicut e contrario radix est vitiorum immoderata rerum affluentia. Expedit esse nudus, cum diabolo qui nudus est luctaturus. Nudus athleta fortius dimicat: notator exuitur, ut fluvium transeat: viator reiectis sarcinulis bene cursitat. Nobilis itaque titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit verbo, Beati, inquiens, pauperes spiritu, etc. Consecravit exemplo: nec enim habuit propriam domum in qua caput reclinaret, et in qua cum discipulis pascha manducaret: nec proprium habuit, unde tributum solveret. Commendavit eam etiam ore Prophetico dicens: Ego vir videns paupertatem meam.* Subdit exempla: *Huius paupertatis exemplum primi post Christum Apostoli tradiderunt, quando in primitiva Ecclesia multitudinis credentium erat cor unum et anima una, et omnia communia. Hæc Religiosis Apostolorum sequacibus indicta est; quæ comitem quærit paupertatem spiritus, ut humilia abiecta de seipso sentiat et iudicet,* etc.

IN VIRGA INDIGNATIONIS.) In castigatione, qua peccatis meis, meorumque civium offensus et indignatus, me Ieremiam cum meis Iudæis castigat. Alludit ad virgam vigilantem Ieremiæ 1. 11.

A EIUS.) Inimici: ita Olympiod. melius alii, *eius*, scilicet Dei: huius enim indignationem his Threnis passim inculcat, cumque assidue mente, æque ac ore, volvebat afflictus ab eo Ieremias. Sic sponsa Cant. 1. 1. *Osculetur*, inquit, *me osculo oris sui:* quis? utique sponsus, quem unum mente volvo, et alios pariter volvere opinor.

Nota. Solent pastores suarum ovium, et Sancti reip. communem cladem, suis peccatis ex humilitate attribuere. Ita fecit hic Ieremias, ita fecit Daniel c. 9. et Machabæi lib. 2. cap. 7. ita S. Lupus Trecensis Episcopus Attilæ adventanti occurrens, rogansque quis esset; ac audiens: Ego sum Attila Rex Hunnorum, flagellum Dei, dixit: *Et quis est mortalium qui Dei flagello resistat? Ego sum Lupus dissipator gregis Domini: veni ergo Dei mei flagellum, illoque utere ut Deus concedit:* iussit ergo portas aperiri, frænumque Attilæ tenens, pedes eum cum copiis per mediam urbem deduxit. Attila quasi attonitus alia porta egressus, civitatem intactam reliquit: ita Nicol. Ola. in Attila c. 9.

Sancti publicas clades suis peccatis tribuunt.

B Allegor. Christus est vir, Hebr. גבר *gaber*, id est fortis, de quo dixit Ierem. c. 31. v. 22. *Fœmina circumdabit virum:* hic enim vir, cum Moses, Gedeon, Ieremias, aliique Prophetæ omnes se excusarent a salvando Israele; solus nostram afflictionem viriliter in se suscepit, et suam fecit.

Tropolog. hic vir est Adam, *qui Paradiso pulsus veras interni gaudii divitias amisit*, inquit S. Greg. 34. Mor. 2.

ME MINAVIT.) Hebr. est, duxit et deduxit. Vers. 2.

IN TENEBRAS.) In carcerem tenebrosum, in quem a Phassur aliisque Iudæis coniectus Ieremias, in eo vitam egit per tres annos, Ierem. 32. et 38. Rursum tenebræ significant res adversas, lumen prosperas. Psal. 54. 6. *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ;* Iob 17. v. 12. *Post tenebras spero lucem*, q. d. Post nubila Phœbus, post luctum spero gaudium.

C ET NON IN LUCEM.) q. d. In meras et cimmerias tenebras, omni luce carentes. Hanc enim auxesin significat negatio adiecta affirmationi, ut cap. 2. 17. *Destruxit, et non pepercit,* id est plane, sine ulla misericordia destruxit. Ezech. 18. 21. *Vita vivet, et non morietur,* id est, omnino vivet. Isaiæ 38. *Morieris, et non vives,* id est certo morieris. Ioan. 1. *Confessus est, et non negavit,* id est plane et diserte, sine ulla negatione aut tergiversatione, confessus est se non esse Christum.

TANTUM IN ME VERTIT, ET CONVERTIT MANUM SUAM TOTA DIE.) q. d. Deus per totos dies mihi non aliud fecit, quam me assidue colaphis et alapis cædere. Est metaphora a colaphizantibus, qui continuo alicui alapas impingunt manu, nunc unam genam, nunc alteram conversim feriendo, itaque ictus geminando, iisque faciem versando et reversando instar fabri, qui ferrum versat, tundit, et retundit, donec illud in eam formam quam cupit, effingat. Vers. 3.

D VETUSTAM FECIT PELLEM MEAM.) Assidua ærumna, fame et verberibus, detrivit in me iuvenilem decorem, et seniles rugas pelli meæ induxit: unde et ossa, quibus fulcitur corpus, id est vires meæ, occisæ et quasi contritæ sunt: ita Origen. S. Thom. Dionys. Sic Psaltes ait Psal. 118. 83. *Factus sum sicut uter in pruina;* uter enim pruinæ expositus, contrahi et corrugari, ac quasi senescere solet. Vers. 4.

ÆDIFICAVIT IN GYRO MEO.) Scilicet vallum et aggeres, quibus vallarunt Hierosolymam Chaldæi: ita Chald. Origen. Theodor. Vers. 5.

Secundo et melius, Origen. et Rupert. supplent vocem *carcerem*, q. d. Deus carcerem mihi aptavit, eoque me conclusit. Patet ex v. sequ. ubi ait: *In tenebrosis collocavit me.*

Tertio, non male Maldon. et Sanchez metaphorice explicant: *ædificavit in gyro meo*, hoc est, circumvallavit me labore et felle, uti statim explicat, id est omni ex parte circumdedit me periculis et laboribus, sicut urbem quæ cincta est muris, ita ut non possim ex uno malo fugere, quin incurram in aliud.

Circumdedit me felle et labore.) Id est amaritudine et defatigatione in tot laboribus, persecutionibus et ærumnis. Hebræa sic quoque verti possunt, *circumdedit caput et suspendit ipsum:* scilicet catena et furca, quæ collo Ieremiæ iniecta fuit. Tertio, Chald. vertit, *circumdedit civitatem, eradicavit capita*, id est duces populorum. Quarto, Hebræi per *fel* accipiunt Nabuchodonosorem, per *laborem* Nabuzardan, qui urbem et templum incendit. Sed primus sensus est planissimus.

Allegor. Christus in passione felle potatus est, et fatigatus tot itineribus, plagis ac cruce.

Vers. 6. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.) In perpetuum morti et oblivioni datos, q. d. Iacui in carcere tenebroso et tetro, perinde ac iacere solent in sepulcro mortui in perpetuum, de quibus dicitur Ps. 48. *Sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Hinc apud Persas, carcer in quem morituri coniiciebantur, vocatus est λήθη, *lethe*, id est oblivio; Romanis barathrum, a profunditate et luto. Sic Ezechiel c. 37. Iudæos in Babylone captivos vocat mortuos, et Babylonem vocat eorum sepulcrum; ac consequenter reditum e captivitate in patriam et libertatem, vocat resurrectionem: uti enim servitus civilis est mors; ita carcer est sepulcrum, et incarceratio civilis hominis sepultura.

Vers. 7. Circumædificavit adversum me.) Hebr. est גדר *gadar*, id est quasi sepem obstruxit super me, q. d. Deus undique me Ieremiam conclusit carcere et compedibus, ne qua effugiam: ita Chald. Origen. Hugo, Dionys.

Secundo, Raban. et S. Thom. accipiunt hæc de populo obsesso Hierosolymæ; Theodor. Rupert. et Lyran. de captis in Babylone. Ieremias enim hic ita suam calamitatem luget, ut simul etiam cladem populi lugeat: hæc enim eum angebat, ac si propria fuisset: unde quædam verba magis Ieremiæ, quædam magis populo conveniunt, ut quod hic dicit: *Circumædificavit adversum me*, et v. 5. *Ædificavit in gyro meo.*

Tropolog. S. Greg. hom. 12. in Ezechiel. *Habemus*, inquit, *compedes ipsam infirmitatem et corruptionem mortalitatis nostræ: sed cum tribulatio nobis et gemitus additur, ipsæ naturæ compedes aggravantur.*

Vers. 8. Cum clamavero (ex Hebræo verti potest, *cum clamabam*) exclusit.) Vel, ut Septuag. *obstruxit*, scilicet fenestras, viam et fores cæli, ne ad Deum pervadat oratio mea, q. d. Deus mihi est inexorabilis, ut ait v. 42. et 44. Hinc patet, hæc non tam ad Ieremiæ personam, quam ad populi, quem ipse hic repræsentat, pertinere. Ieremiæ enim exorabilis et favens fuit Deus; populo vero inexorabilis, unde pro eo Ieremiæ vetuit orare cap. 14. 11. Quæ sane extrema afflicti, et undique ab hostibus obsessi, est calamitas; ut tam Deum, quam homines, habeat infensos; ac cælum ipsi æneum, æque ac terra ferrea esse videatur.

Vers. 9. Conclusit vias meas lapidibus quadris.) q. d. In carcere, quasi lapidibus quadris obstructus teneor, ne qua via abeam aut evadam: hinc semitas, scilicet evadendi, subvertit, id est evertit, hoc est, egrediendi omnem modum et viam ademit, ut nullum usquam pateat effugium, nullus elabendi aditus. Pro *subvertit* a Castro vertit, *excæcavit*, id est cæcas fecit semitas, id est, occultavit vias evadendi, ne eas invenire possim. Verum hebr. non est עור *iver*, id est excæcavit; sed עוה *iva*, id est curvavit, deiecit, evertit: Vatabl. vertit, *depravavit.* Hac phrasi significat Deum tam Iudæis, quam Ieremiæ, omnem spem auxilii et evasionis tum e carcere, tum potius ab instante urbis et gentis excidio præcidisse. Hæc phrasis notat eius qui positus est in arctis, e quibus eluctari nequit, extremum angorem et desperationem. Sic Iob c. 19. *Semitam*, ait, *meam circumsepsit, ut transire non possim.*

Ursus insidians factus est mihi.) Deum iuste sævientem in se et Iudæos, vocat ursum et leonem: quia Deo tribuit, quod hostes quasi ursi et leones, Ieremiæ insidiantes et invadentes, Deo permittente fecerunt, quibus ipse fuit quasi scopus, in quem ipsi omnes sagittas coniecerunt; ita Rupert. q. d. Deus qui mihi ante erat pater et protector, iam in Chaldæis factus est mihi ursus et leo. In urso notatur sævitia laniandi et devorandi; in leone etiam invictus animus, terror et fortitudo; unde Script. hæc duo animalia solet iungere, cum horribilem cladem significat, ut Proverb. 28. 15. Osee 13. 8. Amos 5. 19. Vers. 10. Deus Iudæis fuit quasi ursus et leo, cur?

Nota. Loquitur hic Ieremias nomine, non tantum suo, sed et patriæ et civium suorum; quibus ipse datus erat pastor, Propheta et præco; unde de Hierosolyma hæc explicant Theod. Chald. et alii; q. d. Chaldæi quasi ursi et leones Hierosolymæ insidiati, eam ceperunt, vastarunt, et in eam quasi scopum omnia tela iaculati sunt.

Secundo, aliqui per ursum accipiunt Nabuchodonosorem, per leonem Titum. Gravius enim et sævius fuit excidium illatum Iudæis a Tito et Romanis, quam a Chaldæis. Verum omnia hæc proprie spectant ad excidium Chaldæorum: ulterius tamen acies Prophetæ, vel Spiritus sancti, hæc omnia direxit ad excidium Romanorum. Sicut ergo Iudæis ursus et leo fuit Nabuchodonosor, ita fuit et Titus.

Semitas meas subvertit.) Recte: hoc enim significat Hebr. סורר *sorer*, quod a סור *sur*, id est recessit, geminata littera *resch*, descendit, et significat, declinavit, recedere fecit, evertit, subvertit, q. d. Sicut ursus et leo hominem in semita aggredientes eum supplantant, subvertunt, occidunt; ita et Deus me Ieremiam volentem per semitas occultas ex Hierosolyma effugere, per Phassur et Iudæos comprehendit, subvertit, et in carcerem detrusit: pari modo populum meum, puta Iudæos, ex Hierosolyma capta fugientes per semitas hortorum regiorum, a Chaldæis comprehendi, subverti, et occidi aut captivari fecit; unde explicans subdit: *Confregit me.* Vers. 11.

Secundo, *semitas*, id est actiones meas omnes, subvertit, id est, in alium exitum, quam in quem ego intendebam declinavit; fecit ut omnia mihi male succederent; ita Maldon.

Tertio, Chald. *sorer* a סיר *sir*, id est spinæ, deducens vertit, *spinis sepsit semitas meas*, ut si progredi velim, in spinas incurram, iisque pungar et cruenter.

Confregit me.) q. d. Totum me a capite ad talos, a cute ad ossa concussit, conquassavit, contrivit.

Posuit me desolatam.) Ita et Septuag. *me*, scilicet, Ierusalem, vel potius animam Ieremiæ: unde hebr. est masculine שומם *sciomem*, id est desolatum me posuit.

Tetendit arcum suum.) Id est, omnium malorum telis obiectus fui, omnibus ærumnis, quasi iaculis suis confixit me Deus. Vers. 12.

Posuit me quasi signum ad sagittam.) Posuit me scopum, in quem ipse et omnes sua tela colliment, ut eum configant. Pro *signum* hebr. est מטרה *mattara*, quæ vox non tantum signum significat, sed et custodiam, id est carcerem; quasi in eo Ieremias defixus sit instar scopi, ut sagittis configeretur. Hinc Arabicus Antioch. vertit, *fecit me obstaculum* (Alexandrinus, *adversum*) *sagittæ suæ.*

Legimus de exercitatis et peritis sagittariis, quod quolibet ictu scopum configerent. Tales fuerunt olim incolæ insularum Balearium, qui pueros suos ita in arte iaculandi exercebant, ut cibum eis non darent, nisi prius eum sagitta confixissent: et Beniaminitæ, qui etiam pilum iaculando tangebant, Iudic. 20. 16. Celebratur Alcon Cretensis sagittarius, qui cum vidisset filium Phalarum a serpente circumplexum, adeo certo ictu serpentem percussit, ut filii corpus non tangeret; de quo Virgil. eclog. 5. Sagittarii certo scopum configentes qui?

Aut laudes Alconis habes, aut iurgia Codri.

Domitianus Imper. teste Svetonio, quarumcunque ferarum capita ita directe sagitta feriebat, ut duobus iactibus

quasi duo cornua efficeret: quandoque in pueri procul stantis, præbentisque pro scopo dispansam dexteram sagittas tanta arte libravit, ut omnia digitorum intervalla digitis intactis contingeret. Simile est quod faciunt malleatores æris Dionanti, qui inter duos pollices locum malleo percutienti ostendunt et præbent, quem percussores ita certo et continuo ictu feriunt, ut ab hominum memoria in tanto numero vix ullus inventus sit qui errarit, et pollicem tenentis æs tetigerit et læserit. Parthi fugientes hostem a tergo sagittis certo configebant, teste Virgilio et Lucano:

Fidentemque fuga Parthum versumque sagitta,

Et: *Ocyor et missa Parthus post terga sagitta.*

Multo magis Deus certo scopum quem vult attingit et ferit, quemque vult mortificare directe tangit in eo quod amat et concupiscit, illudque adimit, vel in eo cruciat. Ita Iacob nimis amantem suum Ioseph mortificavit, permittendo Ioseph vendi et abduci. Ita Davidem in Absalone, Abraham in Isaaci immolatione, Heli in filiis afflixit.

Vers. 13. MISIT IN RENIBUS (id est in teneram carnem et corpus meum; est synecdoche) FILIAS PHARETRÆ.) Id est sagittas quæ in pharetra, quasi filiæ in matris utero continentur. *Filiæ pharetræ sunt sagittæ.* Sic Horat. ode 21. l. 2. vocat *pharetram gravidam sagittis.* Nomine *pharetræ* significat Dei providentiam, iudicium, vindictam, ex qua emittit tela, id est flagella, *in renes*, id est concupiscentias et desideria mea, intima æque ac secretissima (tales enim in homine sunt renes) quia omnia votis et voluntati meæ contraria facit; non ut me perdat, sed ut corrigat, erudiat, perficiat; ita Orig. et Raban. Hinc Arabicus Alexandrinus vertit: *Iniecit sagittam suam in renes meos;* Antiochenus: *Ingressa est iam in renes meos sagitta eius.*

Secundo, nominat renes, ut significet maximum dolorem; hic enim in renibus maxime sentiri solet. Quocirca renes in arcano sermone sunt quasi sedes correptionis castigationisque divinæ, iuxta illud Ps. 25. 2. *Ure renes meos.* Et Ierem. 12. 2. *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum:* unde Ps. 15. 7. dicitur: *Usque ad noctem increpuerunt me renes mei:* et Iob c. 16. 14. *Convulneravit*, ait, *lumbos meos* (qui sunt sedes renum) *et effudit in terram viscera mea. Pharetra Dei*, inquit Raban. *est occultum Dei iudicium vel consilium: sagittam vero de pharetra eiicit, quando de occulto iudicii consilio apertam sententiam emittit: quod enim flagellatur, quisque agnoscimus; sed ex qua causa flagellum veniat ignoramus: cum vero post flagella, vitæ correctio sequitur, aut non sequitur, consilii ratio aperitur: aliquos enim feriendo corrigit et emendat, alios duriores reddit, ut iustius damnet, ut Pharaonem.* *Pharetra Dei est occultum Dei iudicium.*

Moraliter, dicat hoc cum Ieremia Christus in cruce, S. Sebastianus et quilibet Christianus: *Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam: misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* *Christus et Martyr est quasi signum ad sagittam.* Sic enim Christus *positus est in signum, cui contradicetur,* et in scopum de quo configendo Iudæi et Gentiles certarunt, Luc. 2. 34. Sic Iob c. 16. 13. *Ego*, inquit, *ille quondam opulentus repente contritus sum,* etc. *posuit me quasi in signum, circumdedit me lanceis suis;* et S. Paulus 1. Thessal. 3. *Nemo*, inquit, *moveatur tribulationibus istis; ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus*, quasi scopus, ut iaculis traiiciamur. Idem 1. Corinth. 4. *Spectaculum*, inquit, *facti sumus mundo, Angelis et hominibus*, etc. *usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur*, etc. *tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc:* et 2. Corinth. 11. *In laboribus*, inquit, *plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, etc. Primo ergo sciat fidelis, quod tota vita boni Christiani est crux, vel interna, vel externa, vel immissa, vel sponte assumpta; hancque quotidie expectare et optare debet: quotidie enim vel a Deo, vel a dæmone, vel a carne, vel ab amicis, vel ab inimicis, vel a maledicis linguis sagitta aliqua configetur. *Tota vita Christiani est crux.* Sic morbi sunt sagittæ Dei. *Sagittæ Dei sunt morbi.* Sagitta in renibus est calculus, sagitta in latere est pleuritis, sagitta in oculo est catharrus, sagitta in capite est vertigo, sagitta in stomacho est cruditas; sagittæ in aure sunt convicia et maledicta, sagittæ in anima sunt motus superbiæ, iræ, libidinis, etc. quos suscitat dæmon: sagittæ in bonis sunt damna opum et fortunarum. Ita Fridericus III. Imper. audiens ab improbis multa in se maledicta iactari, ad proceres suos conversus: *An nescitis*, inquit, *principes quasi signum ad sagittas expositos? turres enim præaltas fulgura feriunt, humilia tecta prætereunt.*

Secundo, sciat sagittas has undecumque venientes esse sagittas Domini, id est providentiæ et amoris eius erga nos; non signa odii, non tela malevolentiæ. *Deus ex amore sagittat nos ob sex causas.* Sagittat ergo nos Deus Primo, ut nos recalcitrantes et superbos sternat, sibique subiiciat; sic sagittavit Paulum cum eum prostravit et convertit. 1. Secundo, ut peccata præterita castiget et expiet; ita sagittavit hic Ieremiam et Iudæos. 2. Tertio, ut concupiscentias in carne nostra occidat; sic luxuriosos sagittat morbis, utque cum concupiscentiis certare, easque vincere doceat. 3. Quarto, ut hominem ad perfectam patientiam, id est sanctitatem et perfectionem, perducat: *Patientia* enim *opus perfectum habet*, inquit S. Iacob. c. 1. 4. sic sagittavit Iob. 4. Quinto, ut hominem Christo similem et vicinum efficiat. 5. Statuit enim Deus suam virtutem et gloriam in hoc mundo ostendere in forti Sanctorum patientia, unde veniens in mundum non alium sibi locum elegit, quam in cruce. Vis ergo invenire Deum? quære crucem. In cruce es, gaude: Deum enim tecum habes; ipse enim ait: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Ita cum S. Antonius post acrem luctam cum dæmonibus rogaret Christum: *Ubi eras bone Iesu? ubi eras?* respondit illi Dominus: *Antoni hic eram, sed expectabam videre certamen tuum.* Sexto, 6. ut hominem a terrenis desideriis et cogitationibus ad cælestia transferat, cæloque præparet.

Tertio, sciat Christianus quod quotidie se offerre debeat cruci, et stare constanter, quasi signum ad sagittam; imo quotidie aliquam crucem a Deo petere, uti faciebat B. Xaverius, qui in assiduis laboribus, persecutionibus et ærumnis orabat Deum ut se iis non liberaret, nisi maiores immitteret; generosi enim animi est cum Paulo gloriari in cruce. *Christianus quotidie petat et expectet crucem.* Ergo ut adversa quælibet superemus, cogitemus nos hic a Deo positos esse quasi signum ad sagittam, ac resolvamus constanti animo nos omnes Dei sagittas excepturos; ideoque mentem per cogitationem, spem et amorem in cælo et Deo defigamus: qui enim in cælo cum Beatis versatur, omnia hæc infirma bona et mala, quasi minima et nullius momenti, despicit. Quare animum a terra et a corpore ad Angelos transferamus; conversatio nostra sit in cælis. Corpore tantum degamus in terris, ut sagittæ hæ solum corpus feriant, non animum. Anima hic instar Angeli in corpore assumpto versetur: *Anima in corpore versetur quasi angelus.* Angelus enim nulla bona vel mala corporis assumpti sentit, quia Angelus est a corpore seiunctus, et in cælo habitans; ita faciat et anima sancta: cum enim hoc fecerit, et per resignationem ac patientiam cruce superior evaserit, nullam crucem sentiet, et sæpe illa liberabitur. Ideo enim Deus crucem immittit, ut ad patientiam et victoriam nos perducat, qua parta bellum omne et crucem subducit.

INEBRIAVIT ME ABSYNTHIO.) Idem dicit quod priore hemistichio: *Replevit me amaritudinibus;* et v. 5. *Circumdedit me felle et labore:* unde v. 19. fel et absynthium coniungit. Vers. 15. S. Hieron. per hæc accipit angustias, necessitates, malorum magnitudinem: Theod. amaram et acerbam vitam; idque ad eorum purgationem et medicinam, ait Hugo. Huic enim servit absynthium.

Nota. Pro *replevit*, Hebr. est השביעני *hisbiani,* id est *saturavit me*, ut vertunt Septuag. *amaritudine,* quasi myrrha. Myrrha enim Hebr. vocatur מור *mor:* inde Hebr. מרור *maror* et *mara*, ac Latinum amara et amaritudo. Myrrhæ enim amaricies inter amara primas tenet: unde si comedatur, lacrymas ciet, ventremque et totum hominem amaricat. Hinc doloris et acerbitatis est symbolum, uti significat hoc eius ænigma:

De lacrymis, et pro lacrymis mea cœpit origo.
Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor.
Lætus honor frondis, tristis sed imago doloris.

Hinc sponsa in Cantic. c. 1. 13. *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi;* et c. 4. 6. *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris.* Talis fuit mons Calvariæ Christo crucifixo, eiusque sponsæ. Et c. 5. 5. *Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.*

Vers. 16 FREGIT AD NUMERUM DENTES MEOS.) Hebr. est, *fregit dentes meos in calculo,* vel *ad calculum*, quo scilicet rationes et numeri subducuntur; *ad numerum* ergo, id est ordine et sigillatim quemque designando: hoc enim est Hebr. חצץ *chatsats;* unde dicitur חץ *chets,* id est sagitta, quia una post aliam ordine emittitur, q. d. Ad unum omnes dentes meos fregit, dum videlicet calculos sive lapillos pani meo miscuit, quos dum mordeo, confringo dentes meos. Unde

Secundo, alii passim cum Chald. et Septuag. vertunt, *confregit lapide dentes meos.* Misti ergo reipsa fuerunt in carcere lapilli panibus Ieremiæ, qui attriverunt dentes illius, idque vel ex malitia Iudæorum, vel potius ex fame et penuria: sic enim dum pauperes sub cinere coquunt suos panes, multum pulveris et lapillorum eis admiscetur. Sic ergo Ieremias panem scrupulis plenum comedit, qui magnum ei dolorem et molestiam attulit. Unde Seneca lib. 1. de Benefic. c. 7. beneficium quod noxam et cruciatum affert, vocat panem lapidosum: ita Hebræi et Vatablus.

Tertio, Maldonat. *confregit lapide dentes meos,* id est, inquit, maximum mihi dolorem fecit, ac si lapide contrivisset mihi dentes, eosque instar arenæ comminuisset et pulverizasset, ait H. Pintus.

Quarto, alii, *lapide,* inquiunt, id est calculo decretorio et condemnatorio, ad mortem damnavit omnes dentes, id est omnia membra mea. Olim enim iudices calculis in urnam iactis ferebant sententiam; condemnationis, si atrum calculum iacerent; absolutionis, si candidum. Primus sensus est planissimus.

Allegor. dentes sunt Apostoli, qui confracti sunt, cum fugerunt in passione Christi.

Tropol. Dentes, inquit Raban. sunt prædicatores, qui populo, vel interni sensus, qui animæ cibum verbi Dei præmandunt et dissecant, atque aliena præcidunt. Si præmansores hi edentuli sint, vel dentes habeant obstupescentes; puta si sint imperiti, aut in terra terræque bonis delixi, famem sentiet totum corpus, id est totus populus et tota anima.

CIBAVIT ME CINERE.) Prostravit me, ut humi sedens in cinere, cum eo panem meum miscere debeam. Sic ait David Psal. 101. 10. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.*

Nota. Cinis et saccus, sive cilicium olim erant signa luctus, et habitus pœnitentium. Ita Iudith et Iudæi in obsidione Holofernis induti ciliciis, cinere asperserunt capita, Iudith 4. v. 9. et 16. et cap. 9. v. 1. Idem fecerunt, cum Angelus sub Davide plagam inferret populo, 1. Paralip. 21. 16. Idem fecit Esther cum suis c. 4. v. 1. et 3. Iob c. 16. v 15. qui et c. 42. ait: *Ago pœnitentiam in favilla et cinere*; et Machabæi l. 1. cap. 2. 14. et Daniel c. 9. 3. unde Chald. hic vertit, *humiliavit in cinere;* alii, *involvit, obtexit, obruit me cinere.* Si me, ergo et panem cibumque meum. Minus recte Vatablus transfert, *vertit me in cinerem;* et Tigurina, *præcipitavit me in lutum.*

Moraliter cibat se cinere, qui sæpe de morte cogitat, illudque recolit, *Cinis es, et in cinerem reverteris,* Gen. 3. v. 19. Secundo, qui memor est suæ vilitatis, illudque ruminat: *Quid superbis terra et cinis ?* Eccles. 10. Tertio, qui cum S. Iob c. 42. *Pœnitentiam agit in favilla et cinere.* Ita S. Franciscus teste S. Bonavent. pœnitentiæ causa, et ut gulam ac sensualitatem mortificaret, panem suum aspergebat cinere, ut eum redderet insipidum. Idem fecit S. Iacoponus S. Francisci assecla, qui hunc modum vincendi gulam tradebat: si quis cinere absynthio aliave amara vel insipida re cibos sapidos faceret insipidos: imo

Modus vincendi gulam.

A ipse tentatus appetitu carnis, ut eum vinceret, carnem emit, eamque putrescere permisit, putidamque quotidie ori admovebat. *Cibavit* ergo *me cinere*, q. d. A gustu et cunctis meis sensibus abstulit omnem saporem, omnem delectationem et consolationem: nec tantum a sensibus, sed et ab omnibus facultatibus et potentiis animæ meæ: hoc enim est quod sequitur:

REPULSA EST A PACE ANIMA MEA.) Ita legunt Rom. Vers. 17. Hebr. et Septuag. *Pacem* vocat quietem, prosperitatem et gaudium; unde sequitur: *Oblitus sum bonorum*, scilicet felicitatis pristinæ, q.d. Anima mea caret omni solita tranquillitate, lætitia et felicitate. Tanta enim malorum omnium congeries me ita obvallat et penetrat, ut omnem præteritæ lætitiæ, et bonorum memoriam mihi excutiat. Dicant hoc damnati, qui in tormentis repulsi sunt a pace et a Deo, qui est omne bonum; ubi bonorum quæ hic habuerunt, non reminiscuntur amplius. Sic Epuloni refricabat Abraham memoriam bonorum, quæ in vita habuerat: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua,* Lucæ 16. B quia præteritarum deliciarum non recordabatur: sicut Beati in cælo obliti sunt laborum quos hic sustinuerunt, S. Laurentius suæ craticulæ, S. Stephanus lapidum, S. Catharina rotæ, S. Sebastianus sagittarum, aliique Martyres suorum tormentorum iam quasi non recordantur. Unde Iob 11. dicitur: *Miseriæ quoque oblivisceris, et quasi aquarum quæ præterierunt non recordaberis; et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Cum Sancti videbantur consumpti a tyrannis, oriebantur ut splendentes stellæ in cælo. Sicut aquæ fluminum iam delapsæ non retrocedunt ut recurrant, sed ad mare pergunt: sic illæ miseriæ iam elapsæ ad Beatos non recurrent, ut dicitur Apocal. 21. *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, quia prima abierunt.* Hinc Christus resurgens audiens duos discipulos de sua morte loquentes: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?* ait, *Quæ*, quasi ob- C litus tormentorum omnium quæ biduo ante sustinuerat. Sancti ergo cum Christo dicunt illud Iosephi, Genes. 41. *Oblivisci me fecit Deus laborum meorum.* Sicut ergo Beati malorum, sic damnati bonorum huius sæculi penitus obliviscuntur. Vere Sapiens Eccles. 11. *Malitia,* ait, *unius horæ oblivionem faciet luxuriæ magnæ;* nimirum acerbitas et angustia horæ mortis, omnium deliciarum transactarum memoriam abolet. Dum ergo es in deliciis, memento finis: insonent tibi illæ damnatorum voces Sap. 5. *Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam fumus,* etc.

Damnati bonorum, Beati malorum obliviscuntur.

PERIIT FINIS MEUS.) Hebraice est נצחי *nitschi,* quod Vers. 18.
primo, Chald. Vatab. et Pagn. vertunt, *periit robur meum* vel fortitudo mea; secundo, Septuag. *periit victoria mea,* q. d. Spes victoriæ mihi periit, qua sperabam me hostes et tot mala superaturum; utpote cum videam Deum mihi 1.
adversum; tertio, alii vertunt, *periit stabilitas* aut *perpe-* 2.
tuitas mea; quarto, R. Salomon, *periit sæculum meum et* 3.
D *ætas mea;* quinto, R. Abraham, *periit statio mea in forti-* 4.
tudine quæ mihi erat; sexto, noster optime vertit, *periit* 5.
finis meus, id est perii ego, periit vita mea brevi finienda, 6.
q.d. Venit finis vitæ meæ, quo ego cum vita peribo; actum est de vita mea, ut sit hypallage: vel simplicius, *periit finis,* id est, periit mihi spes videndi finem malorum meorum, q. d. Numquam miseriæ meæ finientur, non est quod exspectem unquam liberationem ab his malis, non est quod deinceps sperem ullam quietem, libertatem, gaudium aut consolationem. Est hebraismus. Sic enim Hebræi dicunt: Periit fuga a me, periit spes, periit gaudium, hoc est, nullum mihi est effugium, nulla spes, nullum gaudium; sic ergo et *periit finis,* hoc est, nullus erit malorum meorum finis.

Periit finis sextupliciter. Et optime.

Dicant hoc reprobi ad ÆTERNITATEM gehennæ et incendii damnati. Spes finis levat dolores, etiam acerbissimos. Dicunt enim miseri: *O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.* Verum ubi dolorum non est finis, idque

miser certo scit, hoc est quod cruciat, quod in desperationem et rabiem eum adigit. Quocirca hæc vel maxima damnatorum est pœna, cogitatio æternitatis suæ.

Vers. 19. RECORDARE.) O Deus. Est repentina apostrophe Prophetæ plangentis, et dolore fluctuantis, atque huc illucque respectantis, num alicubi spes opis affulgeat. Dum enim ad naturam et humana præsidia respicit, desperat, aitque, *Periit finis meus:* dum vero ad Deum suspicit, spem concipit oratque, *Recordare paupertatis et transgressionis meæ*, id est miseriæ, in quam propter transgressiones meas incurri : ita Raban.

Secundo et melius, *paupertatis*, id est miseriæ, *et transgressionis*, qua scilicet mei cives Hierosolymitæ et Anathotithæ in me affligendo amicitiæ et humanitatis iura violant: ita Hugo, Lyran. et Dion. unde Septuag. vertunt, *persecutionis meæ;* Chald. *quam dure tracter ab hostibus;* Vatabl. *rebellionis meæ*, qua scilicet mihi et oraculis meis rebellant. Hebr. enim vox מרוד *marud* significat rebellionem, et τὸ *meæ* sumitur passive, non active, idemque est quod *contra me*. Minus recte ergo Dionysius exponit, *transgressionis*, id est exilii, quo de terra propria in alienam translatus et transgressus sum; et Paschas. *transgressionis*, inquit, quam scilicet ego Christus in me luendam pro hominibus accepi. Christus enim factus est pro nobis peccatum et maledictum, ut ait Apostolus Gal. 3. vers. 13.

Mystice tamen hæc verba adaptari possunt Christo peccata nostra luenti, quasi ipse in cruce victima, scelera cuiusque fidelis animæ dependens dicat ei : *Recordare paupertatis* (nuditatis) *et transgressionis meæ*, *absynthii et fellis*, quo pro te potatus sum. Cui mens pia vicario amore et compunctione transfixa occurrat, dicatque, *Memoria memor ero* (tantæ erga me charitatis) *et tabescet in me anima mea*. Christi enim patientis personam hic sustinet et repræsentat Ieremias.

ABSYNTHII ET FELLIS.) Id est amarissimæ afflictionis, ut dixi v. 5. et 15.

Vers. 20. MEMORIA MEMOR ERO.) q. d. Dum ex vehementi et acerbo sensu calamitatis meæ, et populi mei, assidue eam mente volvo et memoror, tabescit et instar ceræ liquescit et fatiscit anima mea: ita Theodoret. et Rupert. Secundo, Hugo et S. Thom. exponunt sic: dum recordor beneficiorum Dei, tabesco et liquesco. Tertio, Raban. Lyran. et Dionys. sic: dum recordor peccatorum propter quæ ita acerbe punior, tabesco. Quarto, alii sic: dum recordor et recolo hæc tria, primo, infirmitatem meam; secundo, lapsum meum; tertio, iræ Dei flagella; tunc mens mea pudore et compunctione quasi tabescit; *ideo sperabo:* quia cor contritum non despicit Deus. Primus sensus uti simplicior, et magis cum præcedentibus connexus, ita et germanior est. Incipit enim hic Ieremias ex tribulatione sua se erigere, seque excitare ad spem et fiduciam meliorum.

Moral. de memoria Dei. Moral. disce hic, quantum bonum sit iugis Dei suique memoria. Hæc enim omnium bonorum est causa, sicut oblivio omnium malorum. Hinc iterum iterumque Moses inculcat Hebræis: *Recorderis Domini Dei tui*, Deuter. 8. v. 2. 18. etc. Sic Anna recordante et invocante Dominum, quasi merces subditur: *Recordatus est eius Dominus*, ut conciperet et pareret Samuelem, 1. Reg. 1. v. 19. Sic Esther memorante et orante Dominum, dicitur c. 10. 12. *Recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hæreditatis suæ*, ut per eam liberaret Iudæos neci destinatos ab Aman. Ex adverso Isaias Damasco excidium et desolationem intentat cap. 17. 10. *Quia*, inquit, *oblita es Dei salvatoris tui, et fortis adiutoris tui non es recordata*. Et Ezechiel Hierosolymæ cap. 23. 35. *Quia*, inquit, *oblita es mei, et proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum*. Et Osee c. 1. 6. iubetur filiæ suæ imponere nomen, *Absque misericordia: Quia*, inquit, *non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum*, qui obliti sunt mei. Et cap. 4. 6. *Oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego*. Quocirca Sancti et sapientes summe caverunt oblivionem Dei, ac in iugi Dei memoria, cogitatione, invocatione, amore et laude se exercuerunt. Hinc Henoch *ambulavit cum Deo*, Gen. 5. 24. uti et Noe Gen. 6. 9. Tobias moriturus aureum filio dedit præceptum, quod utinam parentes filiis inculcent: *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum*, c. 4. v. 6. et v. 20. *Omni tempore benedic Deum: et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant*. Memorabilis vero fuit Esther Regina, quæ Deo fidenter ait cap. 14. 16. *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum*, etc. *et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus*. Quam crebram Dei memoriam habuerit David patet ex Psalmis, ut Ps. 15. 8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper*. Psal. 24. 16. *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*. Psalm. 76. 4. *Memor fui Dei, et delectatus sum*. Dei ergo memoria in fideli et sancto parit, non tantum ingens meritum, opem et gratiam, sed et cælestem delectationem. Hoc est quod ait Baruch c. 5. 5. *Exurge Ierusalem*, etc. *et vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoria*. Et Isaias c. 26. 8. *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ*. Et v. 4. *Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum*. Et c. 63. 7. *Miserationum Domini recordabor*. Et Ierem. 51. 50. *Recordamini procul Domini*. Cassianus ex Abbate Isaac collat. 10. c. 6. docet non tantum perfectionem, sed et beatitudinem huius vitæ consistere in iugi Dei memoria, quæ, ait, facit ut homo *imaginem futuræ beatitudinis in hoc corpore possidere mereatur:* ac subdit, *Hic finis totius perfectionis est, ut eo usque extenuata mens ab omni situ carnali ad spiritualia quotidie sublimetur, donec omnis eius conversatio, omnis volutatio cordis, una et iugis efficiatur oratio*. Medium et praxin suggerit c. 9. *Erit*, inquit, *ad perpetuam Dei memoriam possidendam, hæc inseparabiliter proposita vobis formula pietatis: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina. Hic namque versiculus*, etc. *recipit omnes affectus. Habet siquidem adversus discrimina universa invocationem Dei: habet humilitatem piæ confessionis suæ fragilitatis: habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam: habet confidentiam præsentis semper astantisque auxilii: habet amoris et charitatis ardorem*. Tentat te dæmon gula, superbia, ira, acedia, illico dic: *Deus in adiutorium meum intende*. Hunc ergo versiculum dormiens, vigilans, orans, operans assiduo mente revolve. Ita Ecclesia eum identidem iterat, singulasque Horas ab eo inchoat, ac suo exemplo docet idem facere quemlibet fidelem. Nemo enim ita occupatus est, quin initio cuiusque horæ, si velit, se assuefacere possit, ut voce, vel mente aspirando ad Deum, dicat: *Deus in adiutorium meum intende*.

TABESCET IN ME ANIMA MEA.) Septuag. *confabulabitur mecum anima mea;* Symmach. *secum colloquetur;* Pagnin. *incurvabitur, humiliabitur;* Vatabl. *lamentabitur anima mea*, scilicet se et suas ærumnas, ut pene tabescat et deficiat: ita Theodor. et Rupert.

HÆC RECOLENS.) Scilicet tot ærumnas, (earumque assiduam memoriam, indeque animi dolorem et contritionem) quibus videor satisfecisse delictis meis, et Deo, de quibus præcessit: simul etiam recolens argumenta et motiva ad spem efficacissima, quæ hic subiungo v. 22. et sequent. Hæc inquam recolens animum pene collapsum resumo. Deus enim cor contritum despicere, et pristinæ suæ in me populumque suum clementiæ oblivisci nequit. Est enim illa, æque ut ipse, immensa et intermina. Vers. 21.

IDEO SPERABO.) Ita legendum cum Roman. Hebr. et Chald. male ergo quidam legunt, *in Deo sperabo*. Sic Christus suum fel et dolores recolit, et commemorat coram Patre, eosque illi offert, ut fructum in nobis assequatur.

MISERICORDIÆ DOMINI.) Scilicet sunt in causa quod non simus plane ob peccata consumpti, q. d. Numquam ita sævit ira Dei, ut non temperetur misericordia, ad quam confugere licet. Chald. Pagnin. et alii vertunt, *misericor-* Vers. 22.

dix Domini sunt tantæ quod non deficiunt, q. d. Immensæ Dei misericordiæ et miserationibus tribuendum est, quod eius clementia tot peccatis nostris irritata, tamen non deficiat, nec cesset nos expectare, nobis benefacere, et nostri misereri: putant enim ipsi תמנו *tamnu* positum esse pro תמו *tammu*.

Tropolog. dicat iugiter anima pœnitens cum S. Maria Ægyptiaca: *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti:* et cum Isaia ac S. Paulo Rom. 9. 29. *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus.*

Vers. 23. Novi diluculo.) Id est, a pueritia fui illustratus tua cognitione: ita Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. Sed Nota, τὸ *novi* non est præteritum a *nosco*, sed est nomen plurale a *novus*. Id ita esse patet ex Hebr. חדשים *chadascim*, et ex Septuag. Pagn. Vatabl. et aliis, qui vertunt, *novæ quotidie apparent in nos misericordiæ tuæ;* et Chal. qui vertit, *miracula sua depromit diluculo;* et Syrus, *in novitate* (innovatione) *diluculi multa est fides tua*; et Arabicus, *fides tua Domine multa est, et nos speramus quod respicies nos, ut ortus matutini repente*. Et sic quidam Latini codices teste Franc. Luca legunt hic *novæ*, sed Romani legunt *novi:* retinent enim genus masculinum quod est in Hebræo *chadascim*. Ergo *novi*, supple dies, quotidie clari et læti ex tuarum affluentia misericordiarum illucescunt nobis: vel *novi*, scilicet effectus misericordiæ tuæ apparent in dies: q. d. Adeo non deficiunt misericordiæ tuæ, ut quotidie novas recipiamus, et novæ quotidie ipso summo mane celeriter nobis proveniant: nam cum sole, imo ante solem in ipsa aurora, in dies nova e cælo in homines beneficia, quasi manna, depluunt.

Præclare S. Bernard. in Medit. c. 6. *Sicut*, inquit, *nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in mente.*

Pro *diluculo* Hebr. est לבקרים *labbekarim*, id est singulis matutinis, sive quolibet mane: mane sive diluculum significat celeritatem et assiduitatem miserendi et benefaciendi in Deo. Legimus in vita B. Mechtildis virginis admirandæ, eam aliquando audivisse Sanctos sibi dicentes: *Eia quam felices vos estis qui adhuc vivitis in terris, et quam multa promereri potestis: quia si homo sciret, quanta una etiam die promereri posset, mox ut e somno evigilaret, tanto gaudio cor eius dilataretur, pro eo quod dies illa illuxisset, in qua Deo vivere, et ex Dei gratia suum meritum ad Dei laudem augere posset, quod tota die ad omnia quæ agere aut pati deberet, alacrior et fortior redderetur.* Refert hoc D. Blosius lib. 4. Spiritalis gratiæ c. 4. et alii. Hoc ergo est novum beneficium (unum e multis) quotidie diluculo cogitandum; atque tunc Deus simul se insinuat, et alias pias cogitationes et impulsus menti immittit, quibus homo de vitæ huius brevitate, et alterius æternitate, de virtutum dignitate, et vitiorum turpitudine ac damnis cogitans excitet se, ut illo die contra vitia sua strenue dimicet, et in virtutibus valide crescat et proficiat. Utinam omnes, hosce sanctos Dei satus et inspirationes mane exciperent, ad easque se disponerent per pias cogitationes, et per meditationem, quæ vitæ sanctæ fulcrum est et basis! Mane enim mens æque ac caput maxime serena est, vigil et acer, ideoque aptissima ad alta et divina cogitandum et meditandum, adque Dei satus et instinctus sanctos recipiendos et ruminandos. Vidit hoc per umbram Gentilis Pythagoras, inter cuius aurea documenta et carmina hoc recenset Hierocles eius discipulus:

(Visio S. Mechtildis.) (Mane aptissimum meditationi.)

Ante precatus
Numina, opus facito.

Tertio, aliqui cum nonnullis codicibus Sept. pro *chadascim* legunt חדשים *chodasceim*, id est *menses in matutinis;* ut sensus sit, q. d. Novus quisque mensis renovatur instar mane, vel ut diluculum; renovatur, inquam, tuis misericordiis quas illo mense novas nobis præstas, ideoque primo die mensis cuiusque celebramus diem festum neomeniæ, id est novi mensis, ut nova pro novo mense a Deo beneficia poscamus. Idem faciunt Christiani A prima Dominica mensis.

Allegor. S. Hieronym. vel potius Raban. hæc refert ad tempus primitivæ Ecclesiæ: hoc enim Ecclesiæ fuit quasi aurora et diluculum. *Loquitur*, inquit, *Propheta ad primitivam Ecclesiam in Ierusalem, laudans speciem eius; quæ post diluculum resurrectionis Christi veterem hominem exuens, novi hominis pulchritudinem ortu suo declarabat*, q. d. *Diluculo*, id est in resurrectione Christi, existent novi homines, id est per gratiam renovati, qui novos mores, novam vitam præ se ferent.

Multa est fides tua.) Primo, aliqui τὸ *tua* passive capiunt, ut *fides tua* idem sit, quod fides et fiducia nostra quam in te habemus, q. d. Ex tot novis misericordiis quas in dies experimur, fides nostra in te augetur, ut magis in te credamus, confidamus, omniaque nostra tibi committamus, inquit Theodor. Raban. Hugo, S. Thom. Id enim utilissimum et tutissimum esse discimus per experientiam: Deus enim in se confidentes, et recumbentes in sua providentia per omnes actiones, passiones et difficul- B tates dirigit et secundat, deducitque velut ovem Ioseph; ut dicant cum Davide, *Dominus regit me* (Hebraice, *Dominus est pastor meus*) *et nihil mihi deerit*, etc.

Secundo et melius, Lyran. Dionys. et Vatabl. sic explicant: Multa est fides, id est fidelitas et veracitas tua Domine, quia fidelissime imples quod promittis: unde non mirum, si quotidie novas misericordias a te experiamur; has enim exhaurire nequeunt peccata nostra, cum ipsæ illa longe superent et antevertant.

Tertio, alii utrumque iungunt, q. d. Magnum est in te credere, quia nunquam fallis in eo quod promittis, sed semper illud adimples: ac nominatim id, quod promisisti Davidi Psal. 88. dicens: *Si autem dereliquerint filii eius legem meam*, etc. *visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* Illa enim est immensa, ac longe maior peccatis nostris; quam proinde ut in hac castigatione nostra reipsa ostendas, oramus et obsecramus.

C Pars mea Dominus.) Id est, sors mea hæreditaria, hæreditas mea, et omne bonum meum est Dominus: unde Rupert. sic explicat, q. d. Alii solliciti sint et turbentur circa plurima, venentur opes et honores, mihi ait Ieremias, cui dictum est c. 16. 8. *Non accipies uxorem, nec erunt tibi filii et filiæ*, unum est necessarium; videlicet Dominus, quem reiecta omnium terrenorum sollicitudine, solum expectabo. Sic ait David Psal. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi:* et Psal. 72. v. 25. *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram?* Sane ne hilum quidem: *Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei* (anima et centrum) *et pars mea Deus in æternum.* Sic S. Paulinus, ait S. Augustin. captus a Wandalis aiebat: *Domine non excrucier propter aurum et argentum: ubi enim omnia mea sint tu scis*, scilicet *tu es pars mea*, et *portio mea in terra viventium:* et S. Franciscus: *Deus meus et omnia.* Vers. 24. (Dominus est sors et pars Sanctorum. Exempla.)

Secundo, *Dominus est pars mea*, id est mensura mea D et remuneratio mea, scilicet meorum operum, ac præsertim patientiæ in captivitate et tribulatione: ita Maldon. Sic enim capitur pars Iob 20. 29. *Hæc est pars* (id est remuneratio, retributio) *hominis impii a Deo.*

Bonus est Dominus sperantibus in eum.) Dat causam cur Deum in partem suam elegerit, cumque expectet; quia scilicet suis bonus est. Porro plures enumerat utilitates tolerantiæ et spei. Prima est, quod bonum, id est propensum et beneficum, inveniat Deum. Sic ait Poeta Æneid. 12. Vers. 25. (Novem fructus spei et tolerantiæ.) 1.

Vos mihi Manes
Este boni.

id est, propitii et faventes. Secundo est, v. 26. quod præstoletur in silentio, et certo expectet liberationem et salutem a Deo. Tertia est, v. 27. quod hominem a puero as- 2. 3.
suefaciat iugo disciplinæ et tolerantiæ, itaque sensim et facile eum ad perfectam patientiam et sanctimoniam perducat. Quarta, v. 28. quod afferat animæ solitudinem, 4.

5. quietem et tranquillitatem. Quinta, v. 29. quod hominem A
6. humiliet usque ad pulverem. Sexta, v. 30. quod hominem
faciat mansuetum, facilem, imo gaudentem in plagis et
opprobriis, ut iis quasi deliciis pasci et saturari videa-
7. tur. Septima, v. 37. quod inducat resignationem animi,
qua homo totum se resignet in manus et providentiam
Dei: scit enim et credit ab ea hæc omnia sibi immitti in
suum bonum, ideoque in ea plane conquiescit et recum-
8. bit. Octava, v. 40. quod hominem inducat ad serium sui
9. examen et emendationem. Nona, v. 41. quod inducat hominem ad orationem, pœnitentiam, et implorationem opis et clementiæ divinæ.

Docte et pie S. Bernard. libr. 5. de Consider. cap. 11. *Dico*, inquit, *tibi Pater Eugeni, solus est Deus qui frustra nunquam quæri potest, nec cum quæritur inveniri non potest. Doceat te hoc experimentum tuum; aut si non, experto credito, non mihi, sed sancto qui ait: Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.* Unde recte infert: *Quid ergo est Deus? quod ad universum spectat, finis.* B *Quod ad electionem, salus. Quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, iustificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.*

Illustris descriptio Dei.

ANIMÆ QUÆRENTI ILLUM.) S. Bernard. in Psalm. 90. sermon. 9. notat, *quod sperantes in eo pluraliter dixerit, quod hoc videatur commune multorum; quærentem vero cum singulariter: quod singularis sit puritatis, singularis gratiæ, singularis perfectionis, non modo nil sperare nisi ab eo, sed nihil quærere nisi eum.*

Vers. 26. BONUM (utile æque ac honestum) EST PRÆSTOLARI CUM SILENTIO.) Sine murmure, sine querela et turbato C animo, tranquille, tacite et patienter submittere se tribulationi a Deo immissæ, et expectare *salutare*, id est salutem, ut habent Septuag. et liberationem Dei. Hebr. ad verbum est, *bonum est, et silebit*: quod Hebræi exponunt, q. d. Bene faciet homo si expectet et taceat: nam, ut ait S. Bernard. epist. 341. *Enervat animam consolatio præsentium: roborat expectatio futurorum.* Sic canit David Ps. 61. v. 1. *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum: nam et ipse Deus meus, et salutaris* (salvator) *meus, susceptor meus, non movebor amplius.* Et Moses ad Hebræos trepidantes ob adventantem Pharaonem cum copiis Exodi 14. v. 14. *Dominus*, inquit, *pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Idem monet Isaias dicens c. 30. v. 15. *In silentio et spe erit fortitudo vestra.*

Silentium est mater devotionis.

Moraliter, disce hic silentium esse matrem compunctionis, devotionis et tolerantiæ. Unde Climachus gradu 4. *Studiosus*, inquit, *silentii appropriat Deo, ipsique iugiter in abdito cordis assistens illustratur ab eo.* Thalassius: *Silentium purificat mentem, et perspicaciorem reddit, custodit cor.* S. Franc. *Silentium calefacit cor amore Dei.* Alius: *Silentium mater est sapientissimarum cogitationum.* Merito ergo Gerson Cancel. Paris. tom. 2. in resp. ad 4. quæst. 91. concl. 3. *Religionum*, inquit, *fundatores considerantes multiplex in linguæ vitio pendere animæ periculum, sanxerunt providissime pro summo remedio, iuge pro loco et tempore suis sequacibus silentium, certas pœnas in robur suarum sanctionum contra transgressores adiicientes. Et clarum est experientia docente, quod ubi hæc censura silentii servatur arctius, ibi religio viget laudabilius et perfectius.* Turrecremata tract. 57. in cap. 6. reg. S. Benedicti, decem rationes et fructus silentii assignat.

Decem fructus silentii.

1. Prima est, quia per illud vitantur peccata, quæ a loquacitate oriuntur. Aureum est dogma S. Bernard. tract. de Perfect. *Bis ad limam veniant verba, prius quam semel ad linguam*: lima est silentium. Vere enim S. August. epist. 7. ad Marcell. *Quamvis*, ait, *Tullius (ut scribitur) nullum verbum emiserit unquam, quod revocare vellet: hæc tamen laus credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto.* Secunda vitantur scandala dis- 2.
sensionum, et pericula, in quæ loquaces incurrunt: unde
illud vetus proverbium: *Silentii tutum præmium.* Tertia, 3.
quia convenit statui discipulorum silere, quales sunt Re-
ligiosi, qui exercentur assidue in schola virtutum. Quar- 4.
ta, facit ad hominis perfectionem: unde Apollonius Thyanæus cum tacere nesciret, Pythagoricum et quinquennale sibi indixit silentium, adeo pertinaciter, ut Imperatori in-
terroganti non voce, sed scripto responderet. Quinta, o- 5.
peratur ad veritatem religionis, quæ sine silentio vana
reputatur. Sexta, roborat hominem, cum portam obstruit 6.
hostibus. Septima, adiuvat pacem societatis, quæ in col- 7.
legiis et claustris maxime necessaria est. Octava, præpa- 8.
rat ad contemplationem et collocutionem cum Deo. Nona, 9.
conservat fervorem devotionis. Decima, signum est sa- 10.
pientis et prudentis viri: unde Seneca: *Summa*, ait, *summarum hæc erit tibi, tardiloquentem te esse iubeo*: et Euripides: *Decorum silentium corona est viri*: et Climachus: *Dum*, inquit, *sub magistri manu sumus, silentio supremo, ignorantiam semper prætendentes, nos ipsos assuefaciamus: vir enim tacitus philosophiæ filius, plurimam scientiam semper possidet.* Nam, ut idem ait gradu 11. *taciturnitas in cogitatione est mater orationis, captivitatis revocatio, ignis divini amoris observatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lacrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, suppliciorum pictor, iudicii indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fiduciæ, quietis coniux, ambitiosæ doctrinæ adversatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus.* Hinc Esseni etiam in cœtibus suis, agapis et mensis mirum servabant silentium teste Iosepho lib. 2. c. 7. Porro Esseni fuere religiosi ante Christum Iudæi, et post Christum Christiani effecti. De Tabennensiotibus idem testatur Cassian. lib. 4. c. 17. Plura de silentio dixi Isaiæ 30. 15. et cap. 32. 17.

BONUM EST VIRO, CUM PORTAVERIT IUGUM Domini AB ADOLESCENTIA SUA.) *Iugum*, scilicet legis et mandatorum Dei, ut Deo obediat, et illius iugo colla submittat; unde Chald. vertit, *bonum est viro si docuerit animam suam, ut portet iugum præceptorum Domini a iuventute sua*: ita Hugo, Dionys. et alii: qui enim huic iugo legis assuetus est, hic facile in adversis erit patiens, mitis et humilis, Matth. 11. v. 30. Vers. 27.

Hinc Plato in dialog. qui dicitur Eutyphron, *Consentaneum*, ait, est *primam de ipsis iuvenibus curam suscipere, ut quam optimi evadant: sicut decet agricolam novellarum plantarum primam curam gerere.* Et Sapiens Proverb. 22. *Proverbium est, adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Et Iob 20. inquit Sophar: *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, et cum eo in pulvere dormient.* Quocirca S. Hieron. epist. 7. ad Lætam de instit. filiæ: *Difficulter*, ait, *eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu et saporem re-* D *tinet et odorem, quo primum imbuta est. Græca narrat historia, Alexandrum orbis domitorem, et in moribus et in incessu, Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuerat infectus.* Et S. Ambros. in Psal. 118. serm. 19. *Qui*, ait, *a iuventute iugum portaverit, et habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit; sedebit singulariter remotus a strepitu interpellantium passionum, et quietus silebit: cui necesse est iam non iurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus: quia tulit iugum verbi anima quæ quærit Deum, quæ captivas sibi fecit omnes delicias iuventutis.*

Educatio quam tenax.

Secundo, aptius et germanius, *iugum*, scilicet adversitatum quas Deus nobis imponit. Utilissimum enim est, si ab adolescentia sua cum Ieremia quis assueverit adversitati, humiliationi, iugo disciplinæ et correptionis Domini. Tacite hortatur Ieremias hic adolescentes Iudæos abductos in Babylonem ad constantiam, quod hæc exercitatio eis deinceps utilis futura sit in omnem vitam, ad faci-

lem quorumvis laborum et malorum tolerantiam, et ad profectum perfectionemque patientiæ, omnisque disciplinæ et virtutis acquirendam: hoc enim iugo solet Deus iuvenes domare, mansuefacere, formare et perficere. Rursum Deus solet hoc iugum oleo consolationis, et fructus ingentis lenire et dulcorare. Denique sapiens est et generosus ille animus, qui a puero didicit sibique persuasit, vere esse liberum, qui se divino addixit iugo; doletque si quod vitæ tempus ab hac ingenua Dei servitute et disciplina subduxit. Vult enim per omne tempus a puero usque ad senium, ei se subiicere et dedere; idque cum silentio et patientia, ut scilicet Deo illud imponenti non obstrepat, vel obmurmuret; nec rursum iugum ipsum conetur excutere; qui enim id facit, non portat iugum lubens, sed trahit invitus, illudque odit, ideoque et meritum sibi imminuit, et pœnam ac dolorem sibi duplicat. Quocirca qui meritum maius, et iugi minorem dolorem et sensum expetit, dicat cum Michæa c. 7. v. 9. *Iram Domini* (id est pœnam ab irato Deo mihi inflictam, patienter et libenter) *portabo: quoniam peccavi ei.*

Tertio, alii *beth* pro *caph* accipiunt, et pro *in adolescentia* vertunt, *instar adolescentiæ*, *sicut adolescentes*, q. d. Bonum est ferre iugum Domini instar adolescentum et iuvenum vegetorum et animosorum, qui solent esse laborum et malorum patientissimi. Verum secundus sensus est genuinus.

A puero assuescendum est austeræ vitæ.

Ex quo moraliter disce, utilissimum esse a iuventute assuescere disciplinæ, mortificationi, austeritati, patientiæ; sic enim fiet in sanctitate illustris. Ita Christus a suo præsepio cœpit pauperem et duram agere vitam, ac se parare ad crucem et martyrium: unde ait: *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea:* ita Samson et Samuel a puero, vino et sicera abstinuerunt, atque consecrati sunt nazaræi: ita S. Ioannes Baptista vix bimulus ivit in eremum, vestitus cilicio, locustis victitans, itaque meruit fieri Christi paranymphus et Martyr: ita S. Placidus quinquennis traditus S. Benedicto efformandus, a puero vitæ monasticæ se assuefecit, factusque est illustris Religiosus et Martyr: ita S. Nicolaus a puero ieiunabat feria quarta et sexta: ita S. Paulus primus eremita, S. Antonius, et S. Hilarion anno 15. ætatis relictis omnibus, eremum et vitam austeram inierunt: ita S. Benedictus pueros passim ad suum Ordinem recipiebat, ut a teneris assuescerent austeritati et disciplinæ monasticæ. Ita olim tenelli pueri et virgunculæ a parentibus educabantur ad tormenta et martyria: uti S. Felicitas septem filios educavit et perduxit ad martyrium, teste S. Gregorio hom. 3. in Evangel. Quin et nunc hoc anno et præcedentibus audivimus, in Iaponia plures pueros pro Christi fide constanter martyrium obiisse, quos parentes ad hoc educaverant et instigaverant. Extat catalogus et effigies puerorum Martyrum ac crucifixorum.

Exempla.

Atque ita fecit heroina illa, quæ sub Dunaan tyranno duas filiolas suas pie educando, consecravit et virginitati et martyrio, de quibus vide Procopium, et ex eo Baronium tom. 7. anno Christi 522. pag. 91. Rursum, ut alios prætermittam, ita fecit sub eodem tyranno gloriosa illa matrona, quæ filium suum a lacte educavit ad martyrium: cum enim Dunaan in Nagran Arabiæ civitate Christianos persequeretur, matrona hæc se et filiolum quinquennem Martyrum sanguine perungebat: quare a tyranno damnata fuit et rapta ad ignem; et ecce filiolus eius matrem raptam deflens, a Dunaan rogatus, *an secum in regno, an cum matre in rogo esse mallet?* respondit, *Cum matre esse volo, ut ipsa me quoque assumat ad martyrium: ad hoc enim ipsa me sæpe hortata est.* Cumque Dunaan ex eo quæreret, *Quid est martyrium?* respondit puer: *Pro Christo mori, et rursum vivere.* Dunaan rursus, *Quis est Christus? Veni*, inquit puer, *ad ecclesiam, et eum tibi ostendam.* Rursus Dunaan ei blandiebatur: cui puer, *Apage*, inquit, *Iudæe, non te, sed matrem quæro:* cumque vidisset matrem iniici in ignem, momordit Dunaan tyrannum in femore, et cursu contendit ad matrem, atque insiliit in fornacem, matremque amplexus, factus est cum ipsa hæres martyrii. Rem fusius ex Procopio narrat Baronius tom. 7. anno Christi 522. pag. 93. Multum ergo valet educatio puerorum pia æque ac robusta et dura; facit enim eos animosos, robustos et tolerantes malorum, ideoque naturaliter longævos: cum e contrario educatio mollis et delicata eos faciat molles, effœminatos, infirmos, debiles, ideoque brevioris vitæ. Hac de causa videmus in Alpibus ubi summa sunt frigora, parentes suas proles parvulas nudas pene in rupibus tempore gelidissimo exponere, ut ad frigus ferendum assuescant et indurescant. Sane vidi in Alpibus robustissimos viros et fœminas, in frigore vix vestitos, in aquis gelidis nudipedes incedere et laborare, imo ludere. Ita Spartani suos pueros flagellis exercebant ad tolerantiam laborum et dolorum. Audi Plutarc. in Lacon. *Lacedæmone*, inquit, *pueri per integrum diem flagellis cæsi, sæpe ad mortem usque apud Dianæ Orthiæ aram, læti alacresque tolerant, atque inter se de victoria certant, in eo posita quis diutius magisque perferat verbera; victoremque summa consequitur gloria. Certamen illud flagellatio dicitur, et quotannis habetur.* Quid mirum ergo si S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis mater, cum eum puerum Parisios ad studia mitteret, duo ei cilicia dederit, iusseritque ut bis vel ter in hebdomade illa gestaret; ac deinde sæpius alia et alia illi submiserit; tum ut iis iuvenilem ardorem et libidinem edomaret, tum ut cruci assuesceret. Unde ipse matris consilia secutus ciliciis loricam addidit, iisque mire corpus afflixit, ut patet ex vita eius c. 9. Plura Sanctorum et Martyrum qui a puero cœperunt exempla, vide in Speculo iuventutis, quod nuper edidit Bern. Dorhof.

Mira pueri Martyris fortitudo, et sapientia.

Educatio dura facit fortes et longævos.

SEDEBIT SOLITARIUS.) Id est mœstus, pœnitens, et peccatorum suorum gravitatem, quibus hoc iugum meruit, cum Magdalena meditans et deplorans. Secundo et potius, *sedebit solitarius*, quasi securus, patiens, edomitus iugo Domini, confidens, et auxilium ac liberationem ab hoc tribulationis iugo expectans, non ab homine, sed a Deo: ita Origen. Theodor. Olympiod. Vers. 28.

Moral de amore solitudinis.

Moral. Nota hic quæ bona pariat solitario solitudo. Moses in solitudine per 40. annos didicit præesse populo, ibique in rubo ardenti vidit Dominum. Christus Dominus in desertum secessit mox a baptismo, Matth. 4. Thebaicæ solitudines olim plenæ erant monachorum turmis virisque sanctissimis. Amantissimus solitudinis fuit S. Hieron. ad quam suos charissimos sodales et amicos scriptis litteris invitavit. Scribens ad Rusticum: *Mihi*, ait, *oppidum carcer, solitudo est paradisus:* et ad Heliodor. *O desertum Christi floribus vernans! o solitudo in qua magni illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni regis ædificatur! o eremus familiarius Deo gaudens!* Celebris est ob Platonis nomen villa Academia, in qua ipse docebat semotus ab urbe Athenarum, teste Laertio. Hesiodus canit se poeticam didicisse a Musis, sed in monte Helicone dum agnos pasceret, nimirum

Carmina secessum scribentis et otia quærunt.

In deserto pasti sunt filii Israel manna per 40. annos, et columna duce confisi iter in terram promissam instituerunt, ibique, non in Ægypto, legem a Deo acceperunt. S. Bernard. serm. 40. in Cant. *O sancta*, ait, *anima sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis, et ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris?* Ieremias cap. 9. v. 2. optat solitudinem, ut ibi defleat interfectos concives. Sicut pestis solet grassari in exercitu et hominum frequentia, non in villis et solitudine: sic et vitia. Hinc optat Psaltes Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Et rursum: *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Est enim eremus murus et antemurale virtutum. Sicut difficile est, ait S. Chrysost. arborem iuxta viam plantatam fructus usque ad maturitatem servare: sic difficile est virum in medio turbarum sæculi innocentiam usque ad finem servare. Naturalis calor quo magis interius hiemis tempore reconditur,

eo magis viget et concoquit; quo vero plus in æstate diffunditur, eo magis languet: eadem caloris spiritualis, hoc est divini amoris, est ratio; quo enim minus ad exteriora diffluit, eo plus in interioribus fervet. Hinc ait S. Bern. in epistol. *Experto crede, aliquid plus invenies in silvis quam in libris. Ligna et lapides docebunt te quod a magistris audire non possis.* Denique solitudo non tantum peccandi occasiones aufert, sed et mentem in cælum ad Deum sustollit. Hoc est quod ait Dominus Osee 2. *Ecce ego lactabo eam, et ducam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* Et S. Hieron. ad Marcellam epist. 15. de laudibus Asellæ: Asella, ait, *unius cellulæ clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur.* Et inferius: *Sponso aut orans loquebatur, aut psallens. Et cum gauderet proposito suo, in eo vehementius exultabat, quod se nullus cognosceret.* Denique memorabile est quod scribit Dion. Cassius in vita Adriani Imp. de quodam eius Præfecto, qui vocabatur Similis: Præfecturam, inquit, invitus accepit, quam deinde deposuit vacatione data vixitque dimissus: in agro septem annos (quod fuit reliquum vitæ) in otio et quiete exegit, atque hæc moriens sepulcro inscribi iussit: *Similis hic iacet, cuius ætas quidem multorum annorum fuit, septem tamen dumtaxat annis vixit.*

QUIA LEVAVIT SUPER SE.) Scilicet iugum tribulationum Domini, de quo præcessit: ita Theodor. Olymp. Vatabl. Hunc sensum exigit nostra versio, ut et Syriaca et Arabica, quam mox citabo.

Secundo, Vatabl. vertit, *quia levavit*, scilicet Deus, *super ipsum* hoc iugum, q. d. Quia scit afflictus et patiens, Deum sibi hoc iugum imposuisse, cui contrariare nec possumus, nec debemus; hinc patienter id subit: quia eumdem cum voluerit, illud depositurum et ablaturum credit.

Tertio, Hugo, Raban. Rupert. et Lyran. legunt, *quia levavit se super se*, scilicet a terrenis ad cælestia, q. d. Seipsum supergressus libravit se a terra in cælum, ab infirmitate ad robur, a pusillanimitate in animi celsitudinem. Alii explicant, *levavit se super se*, id est suum statum transcendens elatus est in fastum et superbiam. Unde B. Petrus Damiani priorem sensum sequens epist. 130. *Solitarius*, ait, *plane dum tacet se elevat super se: quia mens humana dum intra silentii claustra undique circumcluditur, in superiora sublimis erigitur, ad Deum per cæleste desiderium rapitur, et in amore eius per ardorem spiritus inflammatur; et tanquam fons vivus dum per verborum circulos fluere hinc inde non sinitur, undis excrescentibus in altiora cumulatur: templum ergo tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum structura consurgat, ut supernus ille sponsus quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo delectabiliter requiescat.* Et S. Bern. ser. 1. de S. Petro et Paulo: *Levavit se super se, id est,* inquit, *cum adolescens esset, et lubricæ ætatis sentiret ardores, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat: levavit se super se, quia non respicit ad se, sed ad illum qui est super se: sedebit enim et tacebit etiam modo a strepitu diabolicarum suggestionum, a strepitu carnalium desideriorum, a strepitu mundi. Felix anima quæ linguas istas non exaudit, audiat licet.* Et S. Basil. tract. de Laude vitæ solitariæ: *Sedebit,* inquit, *solitarius, et tacebit: elevabit enim se supra se. Habitator enim tuus* (o cella, o solitudo) *se elevat supra se, quia Deum esuriens anima a terrenarum se rerum obtutibus erigit, et in divinæ contemplationis arce suspendit, a mundi se actionibus segregat, atque in altum contemplationis cælestibus desideriis pennas librat: cumque illum qui est super omnia, conspicere satagit, semetipsum quoque homo cum reliqua mundanæ vallis deiectione transcendit.* Verum hæc lectio corrupta est et falsa: legendum enim est cum Hebr. Græcis et Latinis Romanis aliisque emendatis: *Levavit super se.* Unde Syrus vertit, *sedebit solus et tacebit: quia recepit super se iugum tuum;* et Arabicus Antiochenus, *sedebit solus et tacebit: quia iam imposuit sibi iugum tuum;* et Arabicus Alexandrinus, *sedebit solus et tacebit: quia recepit, ut custodiat mandata tua.* Ipse ergo per iugum intelligit Dei legem et mandata, non crucem et tribulationem.

Vers. 29. PONET IN PULVERE OS SUUM.) Humiliabit se, et Deum adorans vultu in terram demisso, usque ad pulverem deprimet os suum, atque humiliter de se sentiens et loquens dicet cum Abraham: Ego sum terra et cinis, ac quasi reus et supplex ore incumbens terræ et cineri, veniam postulabit, dicetque cum Iob, Parce mihi Domine: et cum Davide, Miserere mei Deus; si forte humili prece spei et liberationis suæ compos fieri posset. Sic e contrario *ponere in cælum os suum*, Ps. 72. 9 est superbe ac magnifice loqui contra Deum, cælum et cælites, illisque quasi insultare: ita Origen. Raban. Lyran. Vatabl. Aliter Sanchez: Ponet, inquit, os in pulvere, quasi victus, ut victor caput eius calcet, uti fecit Iosue cap. 10. unde v. 34. hic subdit: *Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.*

Aliter et Theodor. q. d. Tacebit et generose feret convicia et probra perinde ac si os haberet plenum terra. S. Ambros. in psal. 118. serm. 10. pro hoc versu ita legit, *Dabit in sepulturæ fossuram os suum, si tamen est spes patientiæ,* itaque explicat: *Ostendit supra modum patientiæ taciturnitatem, ut tanquam sepeliat os proprium, ne loquatur et velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat, tantum pondus afferens patientiæ quam spes foveat, ut vocem ipsam velut busto quodam ac tumulo sepeliat ac includat, quam nulla extorquere, nulla excitare possit iniuria.*

Taciturnitas est sepulcrum patientiæ.

Vers. 30. DABIT PERCUTIENTI SE MAXILLAM.) q. d. Hac spe animatus Dei servus, ultro se flagellis, probris, alapis exponet: alapa enim non tantum dolorem, sed et ignominiam pudoremque insignem infligit. Sic Paulus 2. Corinth. 11. datum sibi ait angelum Satanæ, qui se colaphizet, id est humiliet, et pudore afficiat: hoc enim facit stimulus carnis, id est tentatio libidinis. Describit singularem patientiam viri cuiuslibet, qui ab adolescentia iugum Domini portaverit; quod quamvis generaliter dictum sit, tamen specialiter de Christo intelligendum est: Christi enim typus fuit Ieremias incarceratus, alapa percussus et vexatus a Iudæis; et Christus omnium Martyrum, et omnis patientiæ perfectissima fuit idea et exemplar; ita Maldon. et passim Patres et interpretes.

SATURABITUR OPPROBRIIS.) Quia propter Deum ea feret, ita læte ac si cibum sumeret laute et splendide; ut hac resignatione et humili tolerantia Deum sibi promereatur, conciliet, reddatque benevolum: cogitabit enim et sibi persuadebit, *quia eum non repellet in sempiternum Dominus.*

Moral. Sanctorum est pasci opprobriis.

Nota. Illustrium Sanctorum et perfectorum est pasci et saturari opprobriis. Docet hoc S. Dorotheus magnus perfectionis doctor, narratque exempla mira sancti cuiusdam Patris, qui ab alio gravissimis conviciis lacessitus, se non avertit, sed attendit quid diceret, et gratias etiam egit: *Benedictum,* inquit, *sit frater os tuum a Domino:* illo contra responsante, *Næ tu improbe et voracissime senex hæc dicis, ut lauderis: Sane,* inquit senex, *ita planissime, mi frater, se res habet ut dicis.* Hac salutatione peracta quispiam rogavit Patrem, utrum nihil fuerit his maledictis commotus? qui nunquam alias tam pacatum se fuisse affirmavit, ut qui suam animam tum singulari Christi gratia senserit custoditam. An non hoc perfectum opus et heroicum?

Idem sanctus Pater rogatus qua ratione, si ab alio contemnaris et convitiis appetaris, animus sit ad æquitatem componendus, ne in iram prosiliat? *Si,* inquit, *teipsum contempseris, non perturbaberis,* uti docuit Pœmen Abbas. *Nam si teipsum abieceris, plena animi pace perfrueris.* Et subiecit: Quidam, ait, frater, quem ego religiosa veste Deo initiavi, cœpit postea multa de me sinistra et obscœna loqui. Id ego secreto cognovi, mihique dixi: *Hic est a Christo missus, ut omnem animæ tuæ vanitatem et gloriam ferro adurat. Hic est medicus animæ tuæ, sicuti nocent qui beatum te et sanctum prædicare solent.* Dixi ergo referentibus eius convicia in me, illa aperta esse mala, eorumque minimam partem quæ in me vidisset: occulta vero latere in animo infinita quæ non vidisset. Postea frater ille Cæsareæ mihi occurrit, meque identidem saluta-

vit et osculatus est, quasi nihil de me dixisset. Ego vicissim eum peramanter resalutavi et osculatus sum, quasi nihil scirem eorum quæ contra me dixerat. Tum ille flens procidit ad pedes meos: Ignosce, ait, Pater: multa enim indigna de te dixi. Ego contra osculo complexum compello, dicoque me omnia hæc cognovisse, et tamen eodem amore semper eum prosecutum esse, nec induci potuisse ut ullum verbum sinistrum contra eum proferrem, sed continuis votis ei numen propitiasse. Argumentum tibi, inquit, sit: laborabam graviter oculis, cum memor tui, impressi illis signum sanctæ crucis, et oravi: *O Domine Iesu Christe per preces illius* (te nominabam) *sana me:* et extemplo curatus sum.

Idem narrabat, cum mendicus quidam minus quam sperabat a B. Dionysia stipis accepisset, cœpit de illa et me inhonesta evomere; cumque illa tantam iniuriam vellet ulcisci, dixi: *Domina tibi ipsi insidiaris: omnem enim virtutem ab animo excludis. Quid dignum iis sustinebis, quæ pro te Christus sustinuit? Meministi domina, quantam vim opum velut stercora dissiparis? Quod si mansuetudinem tibi non comparaveris, perinde eris ac faber ferrarius, qui massam ferri tundit, et nullum inde vas conficit. S. Ignatius ait: Mansuetudinem volo, qua omnis vis et potestas principis huius mundi enervatur. Nota certa contemptus mundi est, nulla re perturbari.* Aurum contempsisti, aciculæ punctura moveris? non es serva Dei, sed honoris quem amas: quot enim animi sunt vitia, tot sunt et domini. Nam, ut ait Apostolus: *A quo quis superatus est, huius et servus est.* His illa auditis emendata et admirata, *Invenisti*, ait, *Deum quem desideras.* Hæc omnia ex Patrico et Dorotheo refert noster Raderus in Viridario par. 3. c. 2.

Climachus cap. de humilitate: Diem, ait, perdidisse te puta, quo non sustinueris opprobria. Quocirca regula undecima Constit. nostrarum tam serio et graviter inculcat nobis ardens desiderium patiendi iniurias et contumelias. Scribit de seipso S. Gregor. Nazianz. quod ignominia quam honore et splendore sit clarior. Idem de fratre suo Cæsario, qui a Iuliano Apostata præfectura ærarii deiectus fuerat, eo quod esset Christianus, aut potius sponte eam hortante Nazianzeno deseruerat, scribit, quod ex honoris huius neglectu factus sit honoratior, quodque ignominia hac sit decoratus et illustratus.

Vers. 32. QUIA SI ABIECIT, q. d. Esto videatur Deus afflictum ad tempus abiecisse, tamen ET MISEREBITUR.) Id est etiam rursus miserebitur eiusdem. *Non enim continebit in ira sua misericordias suas*, psal. 76. 10. hebr. est, *si dolore affecerit miserebitur:* percutiet enim, et ipse sanabit, Deuter. 32. 39. Hæc spes certa miserationis et liberationis divinæ, excitavit Ieremiam, virosque sanctos, ut facies alapis alacriter præberent, et gauderent saturari opprobriis. Ita Tobias cap. 3. *Post tempestatem*, inquit, *tranquillitatem facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis.*

Vers. 33. NON ENIM HUMILIAVIT EX CORDE SUO.) q. d. Non est Deo volupe, proprium, aut per se intentum affligere homines, sed per accidens hoc Deus facit, et quasi coactus ob peccata nostra: proprium enim est Dei misereri, et, ut dicitur Sapientiæ 1. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Unde Septuag. vertunt, *non respondit ex corde suo, et humiliavit filios viri.* Hebr. enim עָנָה *ana* et humiliare significat et respondere, quod Theodor. ita exponit, quasi Deus non ex animo loquatur, quando innuit se iratum esse, cum intus gerat viscera misericordiæ. Chaldæus prorsus aliter exponit, sic: *Quia propterea quod non affligit unusquisque animam suam, et non aufert superbiam de cordesuo, ideo hoc fecit, ut devolveretur interitus super filios hominum.* Sicut ergo medicus vult ustionem et cauterium amici ægri, non propter se, sed ut eum morbo liberet: ita et Deus vult tribulationem nostram, ut animæ vitia resecet, non ut hominem tribulet et cruciet.

Vers. 34. UT CONTERERET.) Hic versus et duo sequentes pendent ex præcedenti, q. d. Deus non humiliat ut conterat, quasi

A sævus dominus et tyrannus. Aut potius hi tres versus pendent ex fine v. 36. scilicet *Dominus ignoravit:* ibi enim concluduntur hi tres versus literæ *lamed*, qui hic incipiunt: q. d. *Dominus ignoravit*, hoc est, ignorat et nescit ut conterat pro arbitrio, non pro meritis vinctos terræ, utque declinet more perversorum iudicum iudicium, id est normam iudicii alicuius viri, nolens eum ad sui defensionem admittere, sed ex odio, vel gratia, aut donis corruptus, volens causa inaudita eum insontem damnare, aut sontem plus æquo punire, ut hominem suam causam coram se agentem et iuste defendentem pervertat, et iniuste damnet; hæc enim *Dominus*, qui iustissimus est et clementissimus pater, *ignoravit*, hebr. *non vidit*, id est facere non novit, nec cogitavit; ita Olymp. Rupert, Lyran. Vatabl. Unde Syrus vertit, *ad condemnandum hominem in iudicio suo Dominus non vidit;* et Arabicus Antiochenus adversative, sed eodem sensu, vertit, *et homo fecit iudicium eius, et exaudivit eum, quia Dominus videt eum.*

Secundo, hæc alii accipiunt ut pendeant ex fine versus
B 36. *Dominus ignoravit*, hoc modo, quasi occurrat obiectioni huic, Si verum est quod dicis, Deum non abiecisse suos fideles, sed eorum misereri; cur ergo videmus multos ex eis, ut Iudæos, conteri sub pedibus tyrannorum, scilicet Chaldæorum, et iudicium eorum deflecti, eosque iuste se defendentes condemnari, et bonis omnibus everti? Respondet, hæc omnia si fiunt, non fieri Deo probante, sed quasi ignorante, id est non volente, non iubente, sed permittente; hoc est, non fieri voluntate sua antecedente, sed consequente, scilicet ob prævisam et permissam Chaldæorum culpam: ita Raban. Hugo, S. Thom. unde Arabicus Alexandrinus vertit, *et condemnavit bonum in iudicio, et non videt id.*

Tertio, Chald. et Theodoretus explicant, q. d. Deus non humiliat ex se, et sua inclinatione, sed ob peccata, eos scilicet qui solent alios conterere, et iniuste damnare. Primus sensus est planissimus.

OMNES VINCTOS TERRÆ.) Iudææ scilicet, id est omnes
C Iudæos a Chaldæis vinctos et captos; ita Hugo, vel, ut S. Thom. *vinctos*, id est, afflictos in terra, tenues et pauperes, psal. 68. 34.

Secundo, Olympiodor. et Vatabl. per *vinctos terræ* intelligunt peccatores: hi enim peccatis obstricti et vincti sunt.

Tertio, Theodor. Hi, inquit, *vincti terræ* sunt homines terræ alligati, qui terrena sapiunt, nec mentem ad sublimia et cælestia erigunt. Sed primus sensus est literalis.

UT DECLINARET (Deus) IUDICIUM VIRI, non iusta lance Vers. 35.
eius merita ponderando, sed declinando iudicii libram in unam, vel alteram partem, IN CONSPECTU VULTUS ALTISSIMI.) Id est suo. Est hebraismus: loquitur enim Deus de se in tertia persona.

UT PERVERTERET HOMINEM.) Id est hominis causam et Vers. 36.
iudicium.

DOMINUS IGNORAVIT.) Id est practice nescit, non facit tria iam dicta, scilicet ut conterat, declinet et pervertat hominem in iudicio. Ex Hebræo aliter hi versus quatuor
D (scilicet 33. 34. 35. 36) verti et connecti possunt cum Maldon. sic: Non humiliavit Deus ex corde, *ut contereret*, scilicet hostis Chaldæus Iudæos, eorumque iudicium declinaret, et perverteret, *Dominus ignoravit*, hebr. *Dominus non vidit*, id est ita ut Dominus non videret, id est non provideret aut curaret; q. d. Deus non humiliavit Iudæos ex corde, quia non permisit Chaldæos affligere Iudæam sine magno consilio et providentia. Fecit enim hoc ut Iudæi emendarentur. Unde sequitur, *Quis est*, etc. q. d. Hæc cum ita sint, quis audeat dicere fieri quidquam Domino non iubente? id est sine eius voluntate ac providentia. Id significarunt Ægyptii imagine Dei, quam pingebant tenentem manu zonam qua cælum et terram cingebat, intelligentes per zonam providentiam, qua Deus omnia colligit, continet et moderatur. Eamdem significavit scala a terra in cælum porrecta, quam vidit Iacob, Genes. 28.

QUIS EST ISTE.) Dixit Propheta, *non ex corde*, id est, Vers. 37.

non ex Dei beneplacito, quasi pœnis innocentum Deus per se delectetur, mala Iudæis evenisse, nec Deum eos studio humiliasse et afflixisse; iam ne quis dicat, Ergo a fortuna et casu hæc Iudæis acciderunt; occurrit dicens, id tam impium et insulsum esse, ut a nemine dici possit. Hebr. est. *Quis est qui dixit, Fuit hoc,* et *Dominus non præcepit?* q. d. Nihil homini contingit in rebus humanis præter Dei voluntatem et præceptum, id est ordinationem, sive iubentem sive permittentem: ita Theod. Rupert. Hugo.

Aliter explicant alii, q. d. Quis tyrannus, verbi gratia Nabuchodonosor, dicat iubeatque aliquid mali fieri, ita ut id statim fiat, etiam præter Dei voluntatem? q. d. Id fieri nequit: tyrannus enim est tantum instrumentum et virga furoris Dei, Isaiæ 10. 5.

Vers. 38. Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona?) Pendet hæc interrogatio ex v. præced. q. d. Quis tam impius sit, ut dixerit nec adversa, nec prospera evenire nobis ex ore, id est, ex præcepto et ordinatione Dei? Est hæc consolatio efficax in omni tribulatione, si cogitemus nihil evenire nobis, cuius auctor non sit Deus, et omnia ab eo attemperari ad nostram salutem, atque interim culpam nostram agnoscamus, eiusque clementiam et opem humiliter imploremus. Hoc est quod ait Isaias c. 45. 6. *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem, et creans malum.* Et Amos 3. 6. *Si est malum in civitate quod Dominus non fecerit.* Et Eccles. c. 11. *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas,* id est opulentia, *a Deo sunt.*

Vers. 39. Quid murmuravit.) q. d. Cum punitur homo non excuset se, accusando fatum, fortunam, Dei voluntatem; sed suæ voluntati malæ et peccatis id tribuat, dicatque illud Ps. 118. *Cognovi Domine, quia æquitas iudicia tua, et in veritate tua humiliasti me*: et rursum: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum,* uti dicebat Mauricius Imper. cum a Phoca suos filios coram se interfici videret: ita Hugo, S. Thom. Lyran. Sic fere etiam explicant Origen. Olympiodor. Theodoret. sed de culpa, non de pœna, q. d. Homo peccatum suum non fato, sed sibi ascribat.

Secundo, Vatabl. exponit: Cur dolet homo de suo peccato anxie se vexando, et desperabunde loquendo? pœniteat potius, et revertatur ad Dominum.

Tertio, Chald. explicat: *Cur divitias invenit homo, quibus abutatur diebus vitæ suæ?* id est, quare non bene utitur dotibus quibus a Deo dotatus est? radix enim hebr. און *aven* significat etiam divitias labore aut rapina partas. Primus sensus est planissimus.

Pro peccatis suis.) Id est, pro pœnis peccatorum suorum; sive cum pro peccatis affligitur, q. d. Temere et iniuste murmurat *homo vivens*, cum pro peccatis punitur, quia tantum, et plus commeruit: Deus enim citra condignum punit, et iudicium misericordia temperat in hac vita. At post hanc vitam iudicium faciet sine misericordia in gehenna. Damnatus ergo gemat et queratur, non *homo vivens.* Rursum *vivens*: *quia universa vanitas omnis homo vivens.* Cur ergo Deo obmurmuret vivens, cuius tota vita, quin et ipse totus, est vanitas? ita Sanch.

Est hic locus illustris de numine et Dei providentia, quæ singula in particulari regit et ordinat; cui proinde in omnibus nos subdere et resignare debemus.

Viderunt idipsum Gentiles. Pythagoræ hæc est aurea sententia: *Quibuscumque infortuniis divinitus homines anguntur, prout sors tua fuerit, eam ferto moderate, neque indignare: decet vero etiam mederi.* Modum et causam assignat eius discipulus et interpres Hierocles: *Voluntatis,* ait, *nostræ divinique iudicii nexus infortunium parit, nihilque aliud totum hoc divinum infortunium existit, quam Dei adversus peccata calculus. Tibi ergo et culpæ tuæ indignare, non Deo: culpam tolle, et illud auferet Deus.* Quare ipse perpetuo hæc infortunia vocat δαιμονίας τυχας, id est *divinas fortunas*, vel sortes nobis iuste a Deo iudice immissas. Nam *calamitates,* ait, *invexerunt nostra iniquitas et iudicium divinum, cuius est in sceleratos animadvertere.* Homerus Odyssea 1. ita Iovem loquentem inducit:

Quam temere incusant mortales numina! Divos
Auctores faciunt si quid sensere malorum,
Cum præter fatum his pariat mens stulta dolores.

Chrysippus teste Laertio lib. 6. cap. 2. dicebat, non debere *ferri audirique homines nequam, aut ignavos et audaces, qui cum in culpa et maleficio revicti sunt, perfugiunt ad fati necessitatem, tanquam in aliquod asylum: et quæ pessime fecerunt, ea non suæ temeritati, sed fato attribuenda esse dicunt.*

Seneca epist. 108. *Optimum,* ait, *est pati, quod emendare non possis, et Deum (quo auctore cuncta proveniunt) sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Hic est magnus animus qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus ac degener, qui obluctatur, et de ordine mundi male existimat, et emendare mavult deos quam se.*

Idem de Provident. *Quid enim est boni viri? præbere se fato.* Thucyd. libr. 2. in orat. Pericl. *Ferre quæ divinitus immittuntur, necessario oportet: quæ ab hostibus, viriliter.*

Quid iam dicat fidelis et Christianus, qui fide illuminatus certo novit Dei providentiam regere omnes causas secundas, omniaque tam adversa quam prospera moderari et dirigere ad suorum servorum et amicorum salutem; qui identidem audit illud Apostoli: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum?* Sane hæc deberet cuiusque Christiani in paupertate, morbo, persecutione, calumnia, naufragio, incendio, spoliatione, excidio, morte, etc. esse constans et solida cogitatio, resolutio et consolatio: Ego certus sum, nihil mihi posse accidere, quantumvis adversum, durum et acerbum, quod prius a summa cælestis imperatoris aula non fuerit ordinatum. Certus sum, quod nihil mihi inferre possunt homines, dæmones, et creaturæ omnes totius mundi, amplius quam Deus velit, providerit, eisque facultatem dederit, qui suis omnia facit cooperari in bonum. Fiat ergo idipsum in me, non recuso, non refugio. Nihil enim aliud volo, quam ut Dei voluntas fiat, eaque in me, omnique creatura plene adimpleatur. S. Clemens in lib. Recognit. narrat se conversum a S. Barnaba missum fuisse ad S. Petrum, ut ab eo plenius erudiretur. Ivit ergo: mox S. Petrus dixit ei, ut veniret postero die ad disputationem quam ipse habiturus erat cum Simone Mago Magus deinde a S. Petro petiit inducias ad triduum: dedit ei illas S. Petrus. Indoluit de datis ei induciis Clemens: avebat enim audire S. Petrum, et ardebat. Cui S. Petrus: *Gentiles,* inquit, *turbantur, cum res non accidunt ex voto, uti desiderant: at nos Christiani, qui scimus Deum gubernare et moderari res omnes, in quolibet rerum eventu in pace consistimus et consolatione. Scito has inducias Dei consilio dari ad tuum bonum, ut scilicet interim te præparem ad futuram disputationem, quo eam melius et plenius capias.* Hoc est quod in sua epist. fideles docet idem S. Petrus: *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis.* Ergo in quolibet rerum eventu Deo fidere, ad eumque recurrere debemus, eique dicere cum Ieremia c. 14. 9. *Tu autem in nobis es Domine,* etc. *ne derelinquas nos:* nam, ut aiebat S. Teresia: *Si Deo nitimur, nulla est tanta potentia, quam non pro nobis humiliet Deus.* D. Ludovicus Blosius, vir egregie pius æque ac doctus, lib. Monit. spiritual. c. 11. narrat B. Gertrudi apparuisse sponsum suum Iesum, qui ferens in dextera sua sanitatem, et in sinistra infirmitatem, monebat eam ut eligeret quam vellet. Illam vero ab utraque Domini manu se avertentem dixisse: *Domine ego toto corde desidero, ut non meam voluntatem respicias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias.* Quocirca id laudans Dominus ei dixit: *Qui vult ut ad ipsum libere veniam, debet mihi clavem propriæ voluntatis resignare. Quod si ex humana fragilitate eam resumere contigerit, mox pœniteat, ac eam iterato mihi resignet, et suscipiet eum dextera misericordiæ meæ, deducetque ad regnum claritatis æternæ.* Præstitit id B. Gertrudis: unde nec pericula, nec tribulationes, nec damna rerum, nec

impedimenta alia, sed nec delicta quidem vel defectus proprii, securam constantemque confidentiam, quam ad benignissimam Dei misericordiam retinebat, unquam in illa obscurare potuerunt. Certissime enim confidebat, tam adversa, quam prospera omnia, sibi in bonum a Dei providentia converti. Et eidem aliquando Dominus dixit: *Secura illa confidentia quam quis erga me habet, credens me revera posse, scire et velle ei in omnibus fideliter adesse, transvulnerat cor meum, tantamque vim facit pietati meæ, ut nullatenus possim tali homini abesse vel deesse.*

Pari modo ad S. Mechtildem ait Dominus: *Mihi valde gratum est, ut homines in bonitate mea confidant, et de me præsumant. Nam quisquis in me humiliter confisus fuerit, ac mihi bene crediderit, ego et in hac vita illi adero, et post mortem supra omne meritum ei benefaciam. Quantum quis mihi credere, et de bonitate mea pie præsumere potest, tantum et in infinitum amplius obtinebit; ideoque utile homini est, ut magna sperando a me, mihi bene credat.* Mechtildi vero quærenti, quidnam potissimum credere deberet de ineffabili ipsius bonitate, respondit Dominus: *Certa fide crede, quod ego te post mortem suscipiam sicut pater filium suum charissimum, quodque nullus unquam pater tam fideliter cum unico suo nato hæreditatem suam divisit, sicut ego omnia bona mea et meipsum tibi communicabo. Quicumque hoc de bonitate mea firmiter, et cum humili charitate crediderit, beatus erit.*

Vers. 40 Scrutemur vias nostras.) Examinemus perscrutando omnes latebras usque ad imum fundum, omnes actiones vitæ et conscientiæ nostræ. *Scrutemur*, inquit S. Bernard. serm. 58. in Cantic. in fine, *vias nostras, et studia nostra, et in eo se quisque iudicet profecisse, non cum non invenerit quod reprehendat, sed cum quod invenerit reprehendet: tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti. Et toties non te fefellit inquisitio tua, quoties iterandum putaveris: si autem semper cum hoc opus est facis, semper facis: semper ergo opus esse tibi memineris superni auxilii et misericordiæ Christi.*

Examen conscientiæ quale et quam utile. Rursum scrutemur sine adulatione, et sine dissimulatione fundum cordis nostri, in quo aliquando latet appetitus aliquis qui omnia opera inquinat, quique Deo displicet, et eius gratiam ac bona a nobis avertit: hunc tolle et evelle, si vis a Deo benedici et irrorari. Huius scrutinii et examinis magna est necessitas et utilitas, eoque omnes viri sancti usi sunt, quin et Gentiles: unde illud Poetæ:

Non prius in dulcem declines lumina somnum,
Quam prius exactæ reputaveris acta diei.

S. Hieron. lib. 3. Apol. contra Ruffin. c. 10. inter aurea Pythagoræ præcepta hoc ponit: *Duorum temporum quam maxime habendam curam, mane et vesperi, id est, eorum quæ acturi sumus, et eorum quæ gesserimus.* Galenus lib. de Cognoscendis et curandis animæ morbis, cap. 6. *Singulis*, inquit, *diebus ea quæ superius dicta sunt, tibi revoca in memoriam. Atque hoc quidem præstabit te sæpius facere: quod si non possis tam sæpe, saltem matutinis horis semper antequam quidquam eorum quæ acturus sis aggrediaris, et vespertinis antequam cubitum eas.* Si Stobæo sermon. 3. credimus, Phocylides primus omnium mortales docuit, ter in die se et suas actiones discutere: qua re Pythagoram vicit.

Inter fideles S. Ephrem Syrus tom. 3. in serm. ascet. *Diebus*, inquit, *singulis vesperi et mane diligenter considera, quo pacto sese habeat negotiatio tua, ac mercimonii ratio; et vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina teipsum ac dicito: Putasne hodie in aliquo Deum exacerbavi? numquid verba otiosa protuli? num per contemptum negligentiamve peccavi? num fratrem irritavi? num cui detraxi?* etc. Deinde deprehensis peccatis iubet dolorem et lacrymas superfundi. Subdit mox de matutino examine: *Et facto iam diluculo, rursus eadem tecum meditare, et dicito: Quomodo putas ista nox præteriit? numquid improbæ et sordidæ cogitationes invaserunt me, atque illis libenter immoratus sum?*

S. Dorotheus serm. 11. *Quo pacto*, inquit, *per singulos* A *dies nos ipsos purgare et expiare debeamus, exactissime docuerunt Patres nostri: nempe ut vesperi sedulo quisque perquirat, quomodo pertransierit diem illum: rursus mane examinet quomodo exegerit noctem illam, et pœnitentiam agat, et resipiscat coram Deo, si quod peccatum admiserit.* S. Bernard. lib. de Vita solitar. *Nemo*, inquit, *te plus diligit, nemo fidelius iudicabit. Mane præteritæ noctis fac a temetipso exactionem, et venturæ diei tu tibi indicito cautionem: vespere diei præteritæ rationem exige, et supervenientis noctis fac indictionem: sic districto nequaquam tibi aliquando lascivire vacabit.*

S. Bonavent. tom. 2. epistol. 25. memor. 24. agens de puritate conservanda sic ait: *Ad quod diligentius et purius conservandum, quotidiana discussione septies in die examines vitam tuam, semper ante vel immediate post quamlibet horam canonicam, considerans et discutiens attentissime qualiter de hora in horam ambulaveris digne coram Deo, sine macula in iustitiæ semita.*

De S. Xaverio scribit Tursellin. lib. 6. cap. 6. *Sæpius* B *in die diligentius conscientiam excutiebat suam, et cæteros ad idem faciendum magnopere hortabatur, in eo perfectæ vitæ cardinem verti ratus.*

Denique S. Pater Noster Ignatius bis in die examen conscientiæ nobis præscripsit, illudque totius Societatis nostræ usu receptum est: item examen particulare cuique circa vitium aliquod extirpandum: ipsi autem in singulas horas se examinare solebat, atque horam cum hora, diem cum die, hebdomadem cum hebdomade, mensem cum mense conferre, ut videret quid profecisset, vel qua in re defecisset, uti testatur Ribad. lib. 5. c. 1. vitæ eius.

Levemus corda nostra cum manibus.) Tropologice Vers. 41.
S. Gregor. 18. Moral. 3. *Corda*, inquit, *cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat: nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat, et manus non levat: quisquis vero operatur, et non orat, manus levat, et cor non levat.*

C Ad iracundiam concitavimus.) Hebr. מרינו *marinu*, Vers. 42.
id est exacerbavimus, rebellavimus: vide dicta c. 1. 20.

Idcirco tu inexorabilis es.) Hebr. *idcirco tu non pepercisti*, id est non parcis, sed flagellas nos.

Operuisti in furore.) Id est, furorem et iram quasi Vers. 43.
velum obtendisti tibi, ne quemquam agnosceres, videres, vel precantem audires, sed sine respectu percuteres nos: unde explicans subdit: *Operuisti nubem*, etc. Ibi enim in Hebræo idem est verbum quod hic, scilicet סכות *saccota:* ita Pagnin. et Vatabl. Rursum, q. d. Iram quasi sepem et vallum inter te et nos interposuisti, ut hostili animo nos persequereris et invaderes. Hoc enim quoque significat hebr. *saccota*, unde סכות *succot* vocantur tabernacula castrensia; et סך *sac* significat aggerem, et vallum, quo dux castra sua tegit, et ab hoste separat ac communit.

Secundo, Maldon. sic explicat, *operuisti*, id est armasti te furore quasi scuto, et percussisti nos, hebr. ותרדפנו *vattirdephenu*, id est, et persecutus es nos. Aut, ut alii, D operuisti faciem tuam, ne nos filios tuos ab hoste iugulari videres; sicut pater operit faciem, ne videat filium male tractari ab hoste, aut a chirurgo secari.

Tertio, alii, q. d. Operuisti nos calamitatibus ex ira tua et furore profectis: ita Hugo et S. Thom. et Lyran. Huc pertinet expositio Sanchez: Operuisti nos, id est ad captivitatem et mortem nos damnasti. Captivis enim et damnatis solebat velari facies, uti factum est Amano Esther 7. et Ezechiel cap. 11. de Sedecia: *Facies eius operietur.* Hinc et lictores, audientes pontifices contra Christum clamantes, *Reus est mortis*, faciem eius velarunt, et velato illuserunt. Quin et apud Romanos iudex reum adiudicans morti, dicebat: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Sunt ergo hic duæ facies velatæ, prima Iudæorum hoc loco, secunda Dei, de qua subdit, *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Hic sensus appositus est.

Quarto, q. d. Obtexisti nos caligine furoris tui, ut quo

fugiamus non possimus videre, et sic occæcatos nos persecutus es usque ad exilium; ita Chald. Orig. et Vatabl. Primus sensus aptior est, et proprie respondet Hebræo *saccota*.

Vers. 44. **Opposuisti** (obtendisti) **nubem**, scilicet peccatorum nostrorum, **tibi**, inter te et nos, quia tuis oculis ea semper intueris quasi densam nubem, impedientem **ne** ad te **transeat oratio**.) Nostra; Septuag. *propter orationem*, scilicet repellendam; ita Orig. Theodor. Rupert. Hugo, S. Thom. Lyran. Sic ait Psaltes psal. 89. 7. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo:* et Isaias cap. 59. v. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum.* Ex adverso de humili ait Eccles. cap. 35. v. 21. *Oratio humiliantis se penetrat nubes*, etc.

Peccata sunt nubes ob quatuor causas.
Nota. Peccata vocantur nubes. Primo, quia sunt quasi
atri et tetri vapores ascendentes ex pravo corde, quasi ex
uliginosa et palustri terra. Secundo, quia Solis, id est Dei,
aspectum, benevolentiam et beneficentiam adimunt. Ter-
1. tio, quia, sicut ex nubibus grandines, tonitrua, et fulmi-
2. na prodeunt; ita ex peccatis prosilit ira, furor et suppli-
3. cia Dei. Quarto, sicut nubes dispescunt cælum a terra,
4. ita peccata separant hominem a Deo, cælo et angelis. Unde dives Epulo audivit ab Abraham: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*, Lucæ 16.26.

Potest secundo per nubem accipi firma Dei sententia, qua decreverat Iudæos punire, nec pati se exorari: hoc enim est quod ait Proverb. 1. 24. *Quia vocavi, et renuistis*, etc. *ego quoque in interitu vestro ridebo:* et v. 28. *Tunc invocabunt me, et non exaudiam, mane consurgent, et non invenient me.* Alludit ad iudicem qui lata sententia mortis, ne amicorum preces pro reo audiat et sententiam revocet, domi se concludit, nec aliquem ad colloquium admittit. Hinc R. Samuel apud Galatin. lib. 10. cap. 3. R. Haninæ roganti: *Quid est quod scriptum est Threnor. 3. Protexisti nube te, ne transeat oratio?* respondit: *Quia portæ orationis quandoque apertæ sunt, quandoque vero clausæ: portæ autem pœnitentiæ numquam clausæ sunt in mundo isto, sicut dictum est psal.* 65. *Spes omnium finium terræ, et mare longinquorum, est scilicet pœnitentia. Sicut enim mare hoc numquam clauditur, sed quicumque vult, lavat se ibi in omni hora qua vult: ita ipsa pœnitentia, quacumque hora homo vult ipsam facere, facit, et Deus benedictus recipit illam. Oratio autem habet tempora, sicut dictum est psal.* 69. *Et ego orationem meam ad te Deus tempore beneplaciti.*

Tropolog. S. Gregor. 28. Moral. cap. 9. *Sancti,* inquit, *viri Deo orantes dicunt: Opposuisti nubem, ne transeat oratio, quasi dicant: Menti nostræ terrenis voluptatibus assuetæ curarum suarum phantasmata iusto iudicio obiicis; quibus eam in ipsa orationis suæ intentione confundis: et quam desideriis infirmis deditam non ignoras, recte excæcatam ab intuenda lucis tuæ perspicuitate reverberas; ut cum in te intenditur, ipso a te cogitationum suarum nubilo reflectatur, et quæ terrena hæc assidue cogitat, quia vult, hæc etiam toleret in oratione cum non vult.*

Vers. 45. **Eradicationem et abiectionem posuisti me in medio populorum.**) Pro *eradicationem*, hebr. סחי *sechi*, id est rasura, v. g. pavimenti, aut domus leprosæ, q. d. Abrasisti nos a Iudæa, et fecisti nos viles et despectos quasi sordes et rasuram, quæ abraditur a pavimento. Unde Syrus vertit, *eradicatos et contemptos fecisti nos inter populos;* et Arabicus Alexandrin. *fecisti nos inter populos despectos et expulsos.* Huc alludens S. Paulus 1. Corinth. 4. v. 13. ait: *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus.* Noster interpres vertit, *eradicationem*, id est arborem eradicatam: q. d. Sicut arbor infructuosa eradicatur, et loco suo evellitur: ita nos e Iudæa eradicasti, evulsisti, et eiecisti in Babylonem. Pro *abiectionem* hebr. est מאס *maos*, id est reprobationem, id est scobem, ramenta et sordes quæ e domo aliave re everruntur, reprobantur et abiiciuntur in fimetum vel sterquilinium. Unde S. Paulus vertit, *peripsema*, cum ait: *Omnium peripsema usque adhuc.* Loquitur Ieremias in persona non sua, sed

A populi. Hoc est quod eis minatus erat Dominus, Ierem. 18. v. 7. *Repente loquar adversus gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud.*

Secundo, Chald. et Hebræi vertunt, *posuisti nos amotionem et eiectionem*, ut scilicet exularemus, atque huc illucque vagaremur inter Gentes, uti Dominus minatus fuerat Ieremiæ 34. v. 17.

Tertio, Septuag. vertunt, *connivere me, et eiici fecisti nos in medio populorum; connivere* est oculos claudere præ metu, pavore et trepidatione ne transeat oratio. Hinc R. Samuel recte ait: *Portæ orationis aliquando apertæ sunt, aliquando vero clausæ: portæ autem pœnitentiæ numquam clausæ sunt in hoc mundo.* Si roges, Cur Deus tam severe castigat suos? Respond. Quia parum proficit erga nos, cum mitius agit. Vitia nostra radicitus inhærent, ipsisque medullis infixa sunt, nec nisi asperiore et penetrabiliore scalpro evelluntur.

Aperuerunt super nos os suum.) Ut quasi belluæ nos toto quasi ore avidissime devorarent, id est vastarent et perderent. Est metaphora a lupis et leonibus, qui voraces ad prædam rictum totius oris pandunt. Vers. 46.

B Secundo, *aperuerunt os*, scilicet ad irrisionem: q. d. Irriserunt nos et conviciati sunt nobis; ita Theodor. Lyran. Vatabl. Maldon.

Tertio, *aperuerunt os*, scilicet ad iniqua decreta contra nos condenda.

Vaticinatio.) Ita et Septuag. non *vastatio*, uti corrigit Lyran. et Reuchlinus in Lexico Hebraico: licet enim Hebræi et Vatabl. Hebr. שאת *set* vertant *vastatio*, q. d. Pavor et fovea, id est laqueus, fuit nobis nostra vastatio et contritio; tamen noster cum Septuag. *set* accipit pro משׂא *massa*, id est onus, hoc est onerosa prophetia et vaticinatio; tam enim *set* quam *massa* ab eadem radice נשׂא *nasa*, id est tulit, portavit, derivatur. Sensus ergo est, q. d. Vaticinata supplicia a Ieremia et Prophetis iniecerunt nobis formidinem, et ex formidine laqueum et contritionem: dum enim ea timuimus, et evitare voluimus, rebellando Chaldæis, contra præceptum Dei et Ieremiæ, tunc incidimus in captivitatem et ruinam. Vers. 47.

C Secundo, alii explicant, q. d. Quæ vaticinati sunt Prophetæ, verum exitum habuerunt et habent: nam timemus, rapimur, conterimur, licet ea ante sperneremus; ita Raban. et Dionys.

Tertio, S. Thom. sic explicat: Vaticinatio pseudoprophetarum causa nobis fuit: primo, formidinis ante vastationem; secundo, laquei, dum in ipsa sumus capti; tertio, contritionis post ipsam.

Quarto, Rupert. explicat ut sint verba Ieremiæ, q. d. Quia vaticinatus sum quæ præcepit Deus, hinc timore concutior, illaqueor, in nervum coniicior et conteror. Primus sensus est aptissimus, Simili enim modo minatur Isaias c. 24. 17. *Formido, et fovea, et laqueus super te qui habitator es terræ.*

Divisiones.) Hebr. פלגי מים *palghe maim*, id est rivos aquarum. S. Gregor. in psal. 101. ait, quod in vere pœnitentibus tanta debet esse lacrymarum copia, ut possint dividi, sicut aquæ dividuntur ab olitore ad irrigandum olerum areolas. Tunc divisiones aquarum deducimus, cum pro singulis peccatis seorsim lacrymas fundimus. S. Bernard. Firmum, ait, est mihi propositum numquam ridendi, quousque audiam ex ore Dei illa verba, *Venite benedicti;* neque a fletu desistam donec liber sim ab illa sententia: *Ite maledicti in ignem æternum.* Hic luctus arcet peccata. Vere cecinit Ovidius: Vers. 48. Moral. de lacrymarum fructu.

D

Veneris damnosa voluptas
Non solet in mœstos sæpe venire thoros.
Mens erit apta capi tunc, cum lætissima rerum,
Et seges in pingui luxuriabit humo.
Pectora dum gaudent, nec sunt arctata dolore,
Ipsa patent: blanda tunc subit arte Venus.

Ita S. *Domnina,* inquit Theodor. in Philotheo cap. 30. *continuis lacrymis non solum rigabat genas, sed etiam vestimenta ex pilis; talibus enim indumentis tegebat corpus. Vehemens enim amor in Deum illas pariebat lacrymas, ad*

divinam inflammans contemplationem, et pungens aculeis, et urgens ad eum qui est hinc futurus excessum. Ita S. Olympias neptis Ablavii Præfecti, nobilissima et sanctissima, ideoque S. Chrysostomo charissima, iugiter flebat. *Omnis eius vita*, ait Pallad. in Lausiac. c. 144. *erat in compunctione, et frequenti profluvio lacrymarum, et potius videre licebat fonti æstate sua deficere fluenta, quam huius non sublimibus et Christum semper videntibus oculis lacrymas deficere.* Ita Abbas Macarius rogatus dicere verbum ædificationis, Lacrymans ait: *Ploremus, fratres, et producant oculi nostri lacrymas, antequam eamus hinc, ubi lacrymæ nostræ corpora comburant. Et fleverunt omnes, et ceciderunt proni in faciem, dicentes: Pater, ora pro nobis.* Rursum, *præteriens aliquando Abbas Pastor in Ægypto, vidit mulierem in monumento sedentem et flentem amare, et dixit: Si veniant omnia delectabilia mundi huius, non transferent animam illius a luctu. Ita et monachus debet semper habere luctum in semetipso.* Ita habetur in Vitis Patrum titulo de compunctione. Senex quidam vidit quemdam ridentem, et dixit ei: *Coram cæli et terræ Domino rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, et tu rides? ut umbra corpus, sic compunctio te comitetur.* Ibidem. Alius donum lacrymarum vocabat terram promissionis, ad quam si post 40. annos cum filiis Israel perveneris, non timebis bellum. Ibidem. Alius dixit: *Cum tentaris, adversum eum qui te impugnat, gladium lacrymarum exacue.* Ibidem tit. de iugi oratione. S. Antonium requisivit frater, dicens: Quid faciam pro peccatis meis? respondit: *Qui vult liberari a peccatis, fletu et planctu liberabitur ab eis: et qui vult ædificari in virtutibus, per fletum lacrymarum ædificatur. Ipsa laudatio psalmorum, planctus est. Memento lacrymarum Ezechiæ et Petri.* Ibidem lib. 7. cap. 38. S. Abraham eremita, teste S. Ephrem in eius vita, omni die lacrymabatur. *Quem*, ait, *peccatorem vel impium audiens, pro eo ut salvaretur, cum lacrymis diebus ac noctibus Domino non supplicabat?* S. Arsenius pannum habebat in sinu propter lacrymas, quæ ob desiderium vitæ æternæ crebro currebant ex oculis eius, ait Ruffinus. Abbas Pammon videns mulierem theatricam flebat: rogatus cur? Ob duas causas, ait: *Prima est, perditio huius mulieris. Secunda, quia ego non habeo tantam curam placendi Deo, quantam hæc hominibus turpibus*, ait idem Ruffinus.

Vers. 49 Oculus meus afflictus est.) Vatabl. *flevit oculus meus* (id est oculi mei) et non quiescit sine intermissione, donec respiciat me Dominus de cælo, et preces meas attendat. Hebr. est, oculus meus נגרה *nighera*, id est extractus est, vel defluxit, id est in lacrymas ita effunditur, ut evelli et excidere videatur: *eo quod non esset requies* a lacrymis, vel eo quod non esset qui mihi aliquam consolationem et requiem afferret. Nota. In Hebræo Ieremias hic commutat ordinem literarum. Nam literæ *pe* postponit *ain*, quæ in alphabeto præcedit; idque ob verborum et sententiæ connexionem: qui enim in litera *pe* dixerat v. 48. פלגי *palghe* id est, *divisiones aquarum deduxit oculus meus*, hinc apte id prosequens subiungit *ain*, quæ hebr. significat oculum, de eoque dicit v. 49. *Oculus meus afflictus est, nec tacuit*, etc. *oculus meus deprædatus est animam meam.* Vide dicta c. 2. v. 16.

Vers. 51. Oculus meus deprædatus est animam meam.) Id est, oculus eripuit mihi animam flendo, anima mea per oculos mihi in lacrymas effluxit, q. d. Miserabilis aspectus filiarum mearum captivarum, ab hoste illusarum, animam mihi expectoravit. Pro *deprædatus est*, hebr. est עולל *olel*, id est vindemiavit, q. d. Sicut qui prædantur vineam, ita ut ne unum racemum relinquant, sic oculus meus iugi suo fletu consumpsit et quasi prædatus est omnes vires, omniaque gaudia animæ meæ, ipsumque vitæ spiritum et succum cordis suxit et exhausit, *in cunctis*, id est propter cunctas urbis filias, puta Sionidas virgines teneras et delicatas, quas in captivitatem abire vidit; ita Hugo, S. Thom. Lyran. Dionys. qui tamen per *filias urbis* accipiunt urbes Hierosolymæ subditas, et vastatas a Chaldæis. Paulo aliter Sanchez, q. d. Ex quo oculo meo intuitus sum tantam populi mei stragem, nil in me reliquum est, quod voluptati esse possit aut solatio, neque alicui rei vacandum mihi video, nisi lacrymis.

A

Multo potiori iure illacrymentur oculi, qui specie vanitatis, et boni commutabilis delectati, cor seduxerunt, ut posthabito summo bono et pulchro, amplecterentur sordes creaturarum. Unde S. Gregor. lib. 21. Moral. c. 2. hanc sententiam extendens ad oculum, qui per curiositatem et culpam deprædatur animam, sic explicat: *Oculus*, ait, *meus deprædatus est animam meam; concupiscendo enim visibilia invisibiles virtutes amisit; quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum prodidit* (alii legunt *perdidit*) *per oculum corporis pertulit prædam cordis. Unde nobis ad cordis munditiem sensuum disciplina servanda est: nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt, et nisi interioris gravitatis pondere et quasi iuvenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque et levia mentem enervem tradunt; unde Iob* B *ait: Pepigi fœdus cum oculis meis.*

Post primi parentis delictum oculi sunt ostia mortis, et hostes animæ, de quibus recte dixit Seneca: Ingenti providentia posuit Deus in oculis visum et fletum, ut qui delictum committunt videndo, pœnas exolvant plorando. Quocirca Homerus cecinit Tiresiam cæcum solum sapere apud inferos, cum cæteræ animæ umbrarum more vagarentur. Et Cicero lib. 5. Tuscul. Tiresiam, inquit, augurem numquam poetæ inducunt deplorantem cæcitatem suam. Democritus Abderites censuit cæcitatem plurimum ad ingenii acumen et quietam contemplationem conferre: quare oculis se privavit, ait Gellius lib. 10. ratus commentationes suas exactiores et vegetiores fore, si eas oculorum illecebris et impedimentis liberasset. Homerus mente oculatissimus fuit cæcus. Audi eum in hymno: *Sum cæcus vir, habito vero in saxosa Chio.* Oculi enim sunt cupidinum illices, et in amore duces. Unde Virgil. in Bucol. Cæcitatis amatores.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

C Et in Georg. *Uritque videndo fœmina.* Et alius: *Mulieris oculus est spiculum iuvenibus.* Quocirca faciat quisque quod monet Ezech. cap. 18. *Unusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat.* Et Christus: *Si oculus tuus scandalizet te, erue eum*, etc. Matth. 5. v. 29. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 5. in festo omnium Sanctorum, *Vulgo dicitur, Quod non videt oculus, cor non dolet.*

Refert Ioan. Moschus in Prato spirit. c. 96. de sanctimoniali quadam, quod, cum ob speciem persecutionem assiduam pateretur a iuvene, ab eo quæsierit, quid eum ita in sui amorem raperet: cumque ille dixisset, Oculi tui; illa effodit sibi oculos, eosque misit iuveni: qui stupefactus et compunctus, vitam mutavit, monachumque se fecit. Idem fecit S. Lucia virgo, sed hæc miraculose postmodum oculos a se effossos recuperavit, uti refert Iacobus de Vitriac. et Chronica Fratrum Prædicat. S. Audomarus Episcopus Teruani anno Christi 658. cæcus existens cum Atrebati in elevatione corporis S. Vedasti eius meritis lumen recepisset, ægro animo id tulit, oransque D pro cæcitate eam rursum impetravit: dictitabat enim eam in salutem suam sibi a Deo immissam esse; ita Sigebert. in Chronico. Nam, ut de S. Spe Abbate cæco per 40. annos ait S. Gregor. 4. Dialog. 10. *Deus venerabilem senem dum exterioribus tenebris premeret, interna numquam luce et consolatione destituit.* S. Aquilinus Episc. Ebroicensis petiit a Deo, ut sibi oculorum lumina clauderet, quo melius et attentius cælestia contemplaretur: impetravit, et tamen Episcopatu egregie concionando rite perfunctus est; ita habet Auctor vitæ 19. Octobris.

S. Herluca Bavara, cum adolescentula in corpore magis quam animo ornando esset studiosior, primum morbo, deinde cæcitate a Deo percussa ad cor rediit, a vanitate ad sanctimoniam transiit. Monita deinde divinitus, ut orbem cereum ad S. Cyriaci M. tumulum pro altero oculorum recuperando votum mitteret; misit, recepit, tam acute ad ultima vitæ tempora vidit, ut aquilas et lynces superaret, nec eos ulla vi lacrymarum, quas uberrimas

profundebat, corrumperet, neque minutissima telæ acupictura hebetaret. Altero tamen caruit semper, ne causam utriusque olim amissi ex animo deleret. Ita ex Chronicis refert P. Gretserus in appendice Gregor. VII. et Raderus in Viridar. part. 3. cap. 3.

Nota. Symmachus vertit, *oculus meus demersit animam meam*, quasi in mare quoddam lacrymarum; Vatabl. *oculus meus dolorem fecit animæ meæ, propter multum fletum, præ cunctis filiabus urbis meæ*, id est, plus flevi, quam omnes filiæ urbis meæ. Minus recte vertit R. Salomon, *oculus meus inquinavit animam meam*. Dicit autem, inquit ipse Ieremias, animam suam inquinatam esse, quia cum esset ex genere sacerdotali, non debebat mortuos flere iuxta legem, Levit. 21. v. 2. Melius Arabicus vertit: *Lacrymati sunt oculi mei, et contristata est anima mea propter omnes urbes meas;* et Syrus: *Oculus meus contristatus* (vel anxiatus, conturbatus) *est super anima mea, e cunctis filiabus civitatis meæ*, vel civitatum mearum.

Vers. 52. Venatione ceperunt me.) Theodor. Hugo, S. Thom. Lyran. exponunt de populo capto a Chaldæis, qui vocantur venatores Ierem. 16. v. 16. hi enim venati sunt Iudæos gratis.) Id est, sine ulla Iudæorum culpa, non quod ipsi non peccassent in Deum, sed quod non peccassent in Chaldæos.

Secundo et melius, redit hic Ieremias ad se et suas ærumnas, et carcerem; nam Ieremiæ 37. insidiati sunt illi Iudæi dicentes, quod ad Chaldæos profugeret, et coniecerunt eum in carcerem: unde ait, *Venatione ceperunt me gratis*, id est sine demerito meo, cum nihil eos lesissem, imo iuvissem; ita Origen. Lyran. Rup. Vatabl. sic enim sumitur τὸ *gratis* psal. 34. 7. et 108. 3. et 118. 161. Vel *gratis*, quia nihil commodi ex meo malo percipient.

Vers. 53. Lapsa est in lacum vita mea.) Hebr. *strinxerunt in fovea*, id est carcere, *vitam meam*, ut nulla esset spes redemptionis; unde Septuag. vertunt, *mortificarunt in lacu vitam meam*, quia ibi spe omni salutis privatus Ieremias, quasi mortuus fuit.

Posuerunt lapidem super me.) Super lacum, sive puteum, in quem quasi in carcerem Ieremiam coniecerunt, Ierem. 38. v. 6. Sic lacum leonum, in quem Daniel coniectus fuit cap. 6. 17. texerunt lapide. Et David psal. 68. *Neque urgeat super me puteus os suum*, obstructum scilicet lapide. Videtur ergo id tum moris fuisse.

Tropolog. S. Gregor. 26. Moral. 24. *In lacum*, inquit, *vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur: lapis vero superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccato devoratur, ut etsi velit exurgere, iam utcumque non possit, quia desuper moles malæ consuetudinis premit.*

Vers. 54. Inundaverunt aquæ.) Scilicet laci, quia proiectus sum usque ad collum, ait Iosephus, in lacum limosum; vel potius *aquæ* tribulationum et ærumnarum: sic enim ait Psaltes psal. 68. 2. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

Perii) Hebr. נגזרתי *nigzarti*, id est *excisus sum*, scilicet quia vita mea staminis instar succiditur, quod a sua Clotho fieri dixere poetæ.

Hæc Christi passioni et sepulcro allegorice conveniunt: sepulcro enim lapidem imposuerunt Iudæi; ita S. Hieron. aut potius Rabanus, Olympiod. et Ruffinus in Symbolum, sub medium.

Vers. 55. De lacu novissimo.) De afflictionibus maximis.

Secundo, S. Thom. et Theodor. de carceribus subterraneis, in quos Babylone coniecti sunt Iudæi.

Tertio et optime, Ieremias qui in lacum novissimum, id est imum vel infimum (hoc enim est Hebr. תחתיות *tachtiot*) et profundissimum coniectus est, de se et suo lacu loquitur, ut dixi; ita Chald. Olympiod. Hugo, Lyran.

Vers. 56 Vocem meam audisti, cum me per eunuchum Abdemelech carcere liberasti, Ierem. 38. nunc ergo oro ut rursum, sicut soles me audias.

Ne avertas, hebr. *ne abscondas*, aurem tuam a singultu.) Hebr. *a respiratione*, quæ crebra facit singultum, q. d. In te spero et respiro: quia in humanis nulla mihi est respiratio, relaxatio, spes aut consolatio. Scripsit hosce Threnos Ieremias post excisam Ierusalem; unde hic partim commemorat mala quæ in obsidione urbis, et ante, passus est a Iudæis; partim pro futuris, iam sibi a Iudæis in Ægypto imminentibus, opem Dei postulat. Dira enim ibidem passus est, et tandem lapidatus. Vide cap. 42. 43. et 44. Hæc eius postulatio opis futuræ hic incipit, et porrigitur usque ad finem capitis.

Appropinquasti.) Accessisti ad me, mihi manum et opem tuam præbuisti, dum me per eunuchum carcere eduxisti, Ierem. 38. Chald. vertit, *applicasti angelum qui me liberaret, in die quo invocavi te. Angelum* intelligit eunuchum, qui hic Ieremiæ fuit instar angeli, vel verum angelum Ieremiæ custodem, qui eunuchum induxit, ut Ieremiam e carcere liberaret, et Ieremiam in carcere confortavit, refricans ei illam Dei c. 1. 17. vocem, *Ne timeas.* Vers. 57.

Iudicasti.) Dum scilicet, primo, hostem meum Hananiam pseudoprophetam interfecisti, Ierem. 28. 17. secundo, dum me per eunuchum, et deinde per Nabuchodonosor liberasti carcere; tertio, dum prophetias meas, quas ipsi quasi falsas insectantur, ipso eventu veras esse comprobasti, faciendo ut rex, populus et urbs caperentur, uti prædixeram; ita Chald. Origen. Rupert. Hugo, Lyran. Vatablus. Sed R. Salomon et S. Thom. hæc accipiunt de populo, quem Deus olim a Pharaone, et aliis sæpe liberavit et iudicavit, id est vindicavit et in libertatem asseruit. Vers. 58.

Iniquitatem illorum.) Hebr. est עותתי *avatati*, id est iniquitatem meam, aut perversitatem meam, puta iniuriam quam mihi faciunt hostes mei Iudæi; τὸ enim *meam* passive capitur, id est, quam ego patior; ita Chald. Vers. 59.

Omnem furorem.) Hebr. נקמתם *nikmatam*, id est ultionem eorum. Vers. 60.

Opprobrium illorum.) Quo illi me affecerunt. Vers. 61.

Labia insurgentium mihi.) Audisti. Vers. 62.

Sessionem et resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum.) Vide quod ego eorum tum quando sedent, tum quando surgunt et stant, sim fabula et canticum. Sic Christus ait: *In me psallebant qui bibebant vinum*, psal. 68. v. 13. et Iob c. 30. 9. *In eorum canticum versus sum.* Vers. 63.

Secundo, sessio est orantium; stare est laborantium, q. d. Sive in otio sunt, sive in negotio, in me dicteria iaciunt.

Tertio, sessio est iudicum, qui seria tractant; resurrectio feriantium cum a seriis cessant, q. d. Sive seria tractent, sive ab iis cessent, me irrident; ita a Castro.

Quarto, sessio et resurrectio significant omnem motum, situm, habitum, actionem, psalm. 138. v. 2. *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam*, id est, omnes motus et actiones meas, q. d. Vides Domine quod Iudæi in omni opere et actione sua in me psallant, me rideant et subsannent; ita Maldonat. Orat Propheta Deum, ut, sicut olim ante excidium ei affuit, sic et nunc adsit; ac a machinationibus Iudæorum volentium fugere in Ægyptum, vel iam eo profugorum liberet.

Dabis eis scutum cordis.) In Hebræo est pulchra paronomasia: pro נגינה *neghina*, id est cantico suo, quo psallunt in me v. 63. dabis eis iuste et apte mercedem מגנה *meghinna*, id est scutum, vel circumcinctionem cordis, id est mœrorem et angorem qui cor cingat, claudat, angat, opprimat, inquit Vatabl. et Chald. (unde et Arabicus vertit, *constringe eos mœrore cordis*) ita ut cor malis oppressum tandem obdurescat, fiatque insensibile, quasi scutum vel lapis, hoc enim in extremis periculis et ærumnis naturaliter fieri experientia constat, uti ego ipse in periculo præsentissimo captivitatis et vitæ constitutus expertus sum: aut q. d. Dabis eis cardiacam passionem, ut vocant medici, qua cor quasi imposito operimento præ dolore suffocatur; ita R. David et Maldon. hic sit carcer eorum qui me iniusto carcere concluserunt. Sic Sedecias qui Ieremiam carcere clausit, et principes eius, qui ad id eum impulerunt, a Chaldæis capti sunt, incarcerati, excæcati et occisi, itaque angustiis et doloribus circumcincti et oppressi. Alludit ad scutum veterum, quod totum pene tegebat militem, ideoque ei longitudine fere erat æ- Vers. 65. Scutum cordis est angor et mœror.

quale, cum clypeus et parma solum caput vel pectus occulerent. Id docet Livius lib. 1. *Pro clypeo secundæ classi datum est* (scutum) *quod sine lorica essent ut scutum et clypei et loricæ loco esset, et totum corpus protegeret.* Unde Ammianus lib. 16. docet milites in scutis, quasi in scaphis flumina transmisisse. Quin et milites occisos in acie, in scuto, quasi in feretro efferebant, uti Pallantem elatum docet Virgil. Æneid. 10. Hinc illud Lacænæ ad filium: *Aut scutum refer*, quasi victor; *aut in scuto redi*, quasi occisus in feretro. Sensus ergo est, q. d. Sicut scutum totum militem cingit et tegit: ita tuus labor totos eos circumcingat et opprimat. Rursum q. d. Tu Domine mihi Ieremiæ in carcere fuisti scutum amicum; sed hostibus meis et tuis esto scutum hostile. Sicut enim tuam fidem et benignitatem, scutum esse mihi voluisti; sic qui me persequuntur, non aliud habebunt abs te cordis sui scutum, quam indignationem, laborem, infortunium; ita Sanchez, qui et addit, Hebr. *meghinna*, posse deduci a rad. נגן *nagan*, id est canere, psallere, ut *meghinna* sit idem quod *neghina*; q. d. Ego sum illis psalmus et fabula ad convicium; tu eris eisdem psalmus ad laborem et luctum, quale est epicedium, aut ferale carmen, quod in mortuorum exequiis cantari solet. Hæc allusio non est incommoda: idem enim verbum ad plura alludere potest; genuina tamen et propria significatio *meghinna* est, ut significet scutum, uti vertit noster et alii, a radic. גנן *ganan*, id est texit, protexit. Quocirca prior expositio solida est et germana.

Aliter Septuag. vertunt enim, ὑπερασπισμὸν καρδίας, id est *protectionem cordis*. Et R. Ioseph scutum hoc attribuit Prophetæ, quo Deus illum sit protecturus, ne Iudæi illi infensi ei possint nocere. Sed repugnant verba textus dicentis, *Dabo eis*, non, ei. Alii per scutum vel tegumentum cordis accipiunt ignorantiam, exexcationem, obdurationem et incredulitatem; ita Hugo, Lyran. Dionys. Unde Tropolog. per hoc scutum accipias crassam et affectatam ignorantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, ait Delrio adagio 881.

Denique R. Salomon pro *scutum cordis* vertit, Contritionem, vel confractionem cordis: radix enim מגן *magan*, inquit, significat confringere et conterere. Sed in utroque errat, et se Hebræarum vocum imperitum ostendit.

Laborem tuum.) Hebr. תאלה *taala*, id est maledictionem, execrationem, ut nil eis prospere cedat, q. d. Dabis eis scutum cordis, scilicet tuam maledictionem, quæ cor eorum contegat, constringat et induret.

Secundo, R. Salomon *taala* vertit stultitiam tuam, a radice יאל *iaal*, quæ in Niphal significat esse stultum: unde אויל *evil* vocatur stultus: q. d. Ipsi dixerunt tua, o Domine, oracula et minas Ieremiæ, de excidio Hierosolymæ, deque captivitate et ærumnis Iudæorum, esse falsa et stulta: iam ergo hoc eis in os refricabis, ut hæc oracula quæ ipsi vocarunt stultitiam, reipsa eis eveniant, sintque scutum et oppressio cordis eorum: tunc videbunt non tua, sed sua dicta et facta fuisse stultitiam, seque opponendo Deo et Prophetis stulte egisse.

Tertio et optime, תאלה *taala*, id est maledictio, per metathesin ponitur pro תלאה *telaa*, id est labor: alludit enim ad v. 5. *Circumdedit me felle et labore*, ubi heb.

A est *telaa*. *Telaa* significat laborem, defatigationem, molestiam, dolorem, angorem et cruciatus; q. d. defatigationem, dolorem et molestiam, qua te, o Domine, laborare fecerunt hostes mei Iudæi, dum te suis peccatis assiduis fatigarunt; hanc redde eis quasi par pari, ut illi pariter malis et ærumnis a te immissis laborent, crucientur, et fatigentur; hæcque sit eorum scutum, sive circumcinctio et oppressio cordis: ita Rupert. Hugo, S. Thom. Unde Syrus, Arabicus uterque, et Chaldæus, *telaa* vertunt, plaga, percussio, afflictio, illudque referunt ad verbum sequens תרדוף *tirdoph*, quod noster vertit *persequeris;* ipsi vero vertunt, *persequetur* (utroque enim modo verti potest.) Sic ergo Syrus vertit, *dabis eis mærorem cordis, et plaga tua persequetur eos;* Arabicus, *constringe eos mœrore cordis, et persequatur eos persecutio tua;* Chaldæus, *afflictio tua fatigabit eos:* q. d. Sentiant Iudæi Domino manum tuam duram, et nos defatigantem: nimirum id eis reipsa evenit, cum extrema fame aliisque miseriis laborarunt in obsidione, et postea cum capta urbe
B ducti sunt in carceres, et in Babylonem: ita Lyran. Labor ergo hic active capitur, non passive, q. d. *Laborem tuum*, scilicet, non quo tu laboras et doles, sed quo eos laborare et dolere facies. Unde explicans subdit, *Persequeris in furore, et conteres eos sub cælis Domine.*

Allegor. q. d. Laborem tuum, id est laboriosam vitam, passionem, et crucem quam tibi, o Christe, imposuerunt Iudæi, redde eis in excidio per Titum et Vespasianum: ita Delrio. Huc pertinet expositio S. Hieronymi, vel potius Rabani, nisi quod ipse per *scutum cordis* accipit scandalum Iudæorum, ex humana infirmitate quam videbant in Christo: *Dedit*, inquit, *eis scutum cordis, laborem suum: quia recto iudicio inde illos* (Iudæos) *contra se superbe obstinatos exhibuit, unde ipse pro nobis in infirmitate laboravit: repulerunt quippe a se verba prædicantium, qui dedignati sunt in Domino infirma passionum.* q. d. Punivit Deus iuste Iudæos excæcatione et obduratione, quia repulerunt Christum pro se in humanitate laboran-
C tem, afflictum, et patientem: ex eo enim eum magis amare et colere debuissent, quo magis indigna pro eis suscepit: quia ergo hoc non fecerunt, sed a Christo laborante aversi sunt, hinc iuste a Deo excæcati et obdurati sunt. Sic et S. Gregor. homil. 22. in Evang. *Dabis*, inquit, *eis scutum laborem tuum: ne enim prædicationis spicula eorum corda penetrarent, dum passionis eius laborem dedignati sunt; quasi eumdem laborem illius pro scuto tenuerunt, ut eo ad se transire eius verba non permitterent, quo eum laborare usque ad mortem viderunt.* Denique Hect. Pintus sic exponit: Tu Christe dabis hominibus laborem quem pro eis suscepisti, ut sit eis scutum in omni tentatione. Tua passio erit illorum protectio, tuus labor erit illorum clypeus. At qui hunc repulerint vel neglexerint, hic affligentur, et in gehennam ibunt. Verum hic sensus parum cohæret literæ et contextui.

Sub cælis.) De terra. Hoc vere accidit: nam per 70. Vers. 66.
annos captivitatis omnes Ieremiæ inimici perierunt, nec in Iudæam aliquis ex eis reversus est: sicut in deserto perierunt omnes murmurantes, et soli Iosue et Caleb Chanaan ingressi sunt, Num. 14. v. 29.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo Rupert. et Hugo putant hoc cap. Ieremiam plangere excidium Hierosolymæ per Titum et Romanos, quia eius causam affert v. ult. scilicet, quod Christum occiderint. Secundo, Hebræi, Lyranus et Dionysius putant eum plangere necem Iosiæ optimi regis, quæ fuit causa ruinæ et excidii Iudæorum; quia ei successerunt impii filii qui sua impietate remp. everterunt, et sic v. ult. per Christum accipiunt Iosiam. Tertio, Paulus Burgensis censet Prophetam plangere templi et cultus divini eversionem. Quarto verosimilius, Theodor. Hugo, Bonav. et Dionys. censent eum lugere lapsum urbis et templi, ac totius populi, præsertim nobilium iuvenum v. 2. lactentium v. 5. Nazaræorum v. 7. mulierum coquentium filios v. 10. ex statu tam felici in tam miserum et infelicem: idque Primo et proprie per excidium Chaldæorum, deinde per excidium Romanorum. Inde v. 20. obiter avolat ad Christum, ac v. 21. cladem minatur Idumææ, ac Iudæos spe melioris sortis consolatur.

Tropolog. deplorat lapsum animæ fidelis, et ruinam per peccatum, quæ multo miserabilior est clade Hierosolymæ.

Aleph 1. QUOMODO obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? *Beth.* 2. Filii Sion inclyti, et amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? *Ghimel.* 3. Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. *Daleth.* 4. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. *He.* 5. Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. *Vau.* 6. Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus. *Zain.* 7. Candidiores Nazaræi eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. *Cheth.* 8. Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, et facta est quasi lignum. *Thed.* 9. Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ. *Iod.* 10. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. *Caph.* 11. Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ; et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta eius. *Lamed.* 12. Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Ierusalem: *Mem.* 13. Propter peccata prophetarum eius, et iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum. *Nun.* 14. Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine: cumque non possent, tenuerunt lacinias suas. *Samech.* 15. Recedite polluti, clamaverunt eis: recedite, abite, nolite tangere: iurgati quippe sunt, et commoti dixerunt inter gentes: non addet ultra ut habitet in eis. *Phe.* 16. Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos: facies sacerdotum non erubuerunt neque senum miserti sunt. *Ain.* 17. Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare non poterat. *Tsade.* 18. Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquavit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. *Coph.* 19. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. *Res.* 20. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus. *Sin.* 21. Gaude, et lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. *Thau.* 22. Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet ultra ut transmigret te: visitavit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.

Vers 1. QUOMODO.) Quo tanto scelere hominum, qua tanta indignatione Dei?

Aurum quintuplex. OBSCURATUM EST AURUM.) *Aurum* vocat templum auro obtectum et fulgidum, 2. Paral. 3. v. 5. et 8. q. d. Quomodo templum ita fulgens auro, ut videretur totum esse aureum, imo aurum, iam igne crematum a Chaldæis versum est in nigredinem, ut iam non aurum, sed fuligo et nigredo exusta esse videatur. Templi cladem præ cæteris deplorat, tum quia ipsum erat quasi sedes et thronus Dei, tum quia ita auro erat fulgidum, ita structura magnificum, ut esset orbis miraculum: ita Chald. Raban. Hugo.

LAPIDES.) Gemmæ, quibus Rationale, quod erat vestis pontificis, ornabatur: ita Raban. vel simplicius, ut Hugo et Dionys. *lapides* quibus extructum erat templum, dispersi sunt in plateis.

Secundo, Theodor. S. Thom. et Lyran. hæc sic explicant, q. d. Quomodo status regni felix sub Iosia et pius, iam sub eius filiis mutatus est in miserum, impium et idololatricum, et *lapides*, id est cives, eius dispersi sunt per Gentes.

Tertio, alii per *aurum* Iosiæ filios, principes et nobiles auro splendidos; per *lapides* sacerdotes et templi ministros aut doctores sapientia et pietate insignes accipiunt: ita Olympiod. Vatabl. Lyran. et Dionys.

Quarto, R. Salomon per *aurum* intelligit ipsos vultus

A Iudæorum, et facies antea fulgentes et nitentes ut aurum; nunc autem præ squalore offuscatos, tetros et luridos, iuxta illud Ioel. 2. *Omnes vultus redigentur in ollam*, id est denigrabuntur ut olla; et Nahum 2. *Facies omnium sicut nigredo ollæ.*

Quinto, D. Thom. refert hæc ad obscurationem mentium: aurum enim est symbolum sapientiæ et divinæ cognitionis, quæ in Iudæis per peccatum est obscurata: unde dicitur Proverb. 8. 10. *Doctrinam magis quam aurum eligite.* Et c. 16. 16. *Posside sapientiam, quia auro melior est: et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* Idem docet S. August. in illud. psal. 71. *Dabitur ei de auro Arabiæ.* Verum hæc symbolica aut mystica sunt. B Primus ergo sensus est literalis.

MUTATUS EST COLOR OPTIMUS.) Scilicet auri nitor et splendor. Hebr. est, כתם *chetem*, quod R. Iona vertit, *margaritas;* alii vertunt, *signatum*, vel forma aliqua insignitum. Alii et verius censent, *chetem* proprie significare massam auri optimi et obrizi, indeque ipsum aurum fulgidum, ac monilia aurea, sive fulgorem auri et aureorum monilium vocari *chetem*: unde noster vertit, *color optimus;* Aquila vertit, *tinctura;* Septuag. vertunt, *argentum:* forte legerunt כסף *cheseph.* Sensus est, q. d. Quomodo forma illa, et fulgor auri optimus mutatus est in templo per incendium in fumum, fuscedinem et atrorem ollæ?

Vers. 2. Filii Sion.) Id est omnes Iudæi tum forma præstantes, ut Chald. tum opibus et vestibus pretiosis splendidi, ut Orig. et maxime filii Iosiæ, qui in arce Sion, ubi erat regia, educabantur more regio: unde Septuag. vertunt, οἱ τίμιοι, id est venerabiles illi et honorabiles.

Aliter Theodor. et S. Thom. censent enim filios Sion vocari viros pietate et sapientia insignes, quos v. 1. vocavit lapides pretiosos: unde hebraice eadem est pene vox ibi, scilicet אבנים היקרים *abanim haiekarim*, id est lapides pretiosi, quæ hic, הבנים היקרים *habbanim haiekarim*, id est filii pretiosi, nobiles, splendidi, *amicti;* hebraice המסלאים *hammesullaim*, id est comparati; Chald. *similes;* Septuag. *elevati in auro*, id est aureis vestibus gloriosi et superbi. Addit Ioseph. lib. 8. Antiq. 7. Iuvenes Hebræorum nobiles solere ramenta auri capillis inspergere, ut ad radios Solis caput micare et coruscare videretur.

Reputati sunt in vasa testea.) Id est, ut Chald. captivitate et ærumnis obscurati, nigri facti sunt, et fuliginosi instar ollæ testaceæ in qua cibi coquuntur. Secundo et melius, viles facti sunt, et nullius pretii, æque ac aridi et exsucci instar testæ, qui antea rosei erant et floridi: item fragiles et imbecilli, ut vasa testea. Sic Ierem. 19. 11. dicitur: *Conteram populum et civitatem istam sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari*: idque merito et congrua vindicta: ipsi enim in corporibus aureis, ornatis et bene saginatis animos gestabant luteos et testaceos. Hinc Chald. vertit, *quorum imagines aut vultus similes erant auro, assimilati sunt lagenis testaceis;* ubi per lagenas videtur notare eorum vinositatem et crapulam. Quid enim est homo vinosus? est lagena mentis et rationis inops et vacua, sed vino oppleta et quasi saburrata.

Ebrius est lagena mentis inops, vino saburrata.

Tropolog. cum aliqua Religio (aut fidelis quispiam, præsertim clericus) olim florens et fervens, ac virtutibus fulgens tepescit, nigrescit et dissolvitur, dicere licet: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* præsertim si lapides sint dispersi, nec sint qui curent eos colligere, et disciplinam restaurare. Ita S. Basilius ad Monachum lapsum: *O gravem*, ait, *cæcitatem! O immanem crudelitatem! Deum non timuisti, homines non es reveritus, nullam amicorum rationem habuisti, sed simul omnia facto naufragio perdidisti, simul omnibus spoliatus es. Quocirca iterum miser, tui gratia doleo. Qui omnibus regni Dei rigorem annuntiabas, regno Dei excidisti. Qui doctrinæ timorem omnibus incutiebas, non habuisti timorem Dei ante oculos tuos. Qui vitæ sanctimoniam prædicabas, scelestus deprehenderis. Quomodo te lugebo? quomodo super te dolebo? Quomodo cecidit Lucifer qui mane oriebatur, super terram contritus est? Quomodo Nazaræus auro splendidior, fuligine factus est obscurior? Quomodo filius Sion præclarus, factus est vas inutile?* Audi Rabanum: *Quid auro quod cæteris metallis præeminet, nisi excellentia sanctitatis? quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reverentia Religionis exprimitur? quid per sanctuarii lapides, nisi sacrorum ordinum personæ signantur? quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo dicitur? lata enim et spatiosa est via quæ ducit ad perditionem. Aurum ergo obscuratur, cum terrenis actibus vita polluitur: color optimus commutatur, cum quorumdam qui agere religiose credebantur, existimatio anteacta minuitur, et quasi pallescit: sanctuarii lapides in plateas disperguntur, cum causa sæcularium foris lata itinera expetunt hi, qui ad ornamenta Ecclesiæ internis mysteriis, quasi in secretis sanctuarii vacare debuerant. Iacent ergo dispersi per plateas, cum personæ sacrorum ordinum voluptatum suarum latitudini deditæ, terrenis negotiis inhærent;* ac præsertim cum illi qui antea in una congregatione erant uniti, iam per odia et schismata dividuntur, et Ecclesiam templumque Dei destruunt; et qui antea erant honorati, iam divisi et dispersi, tanquam viles et communes lapides pedibus conculcantur. Et S. Bernard. serm. 2. in illud. *Non est regnum Dei esca et potus*: *Filii*, inquit, *Sion*, *illius videlicet speculativæ civitatis quam ædificavit Dominus, ut videatur in gloria sua, filii supernæ Ierusalem quæ est mater nostra, inclyti per dignitatem conditionis, amicti auro primo per divinitatis imaginem: quomodo ergo reputati sumus in vasa testea, in hæc lutea et fragilia corpora degeneravimus?* Et S. Greg. hom. 17. in Evang. *Aurum*, inquit, *obscuratum est: quia sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus: quia ille sanctitatis habitus, per terrena et abiecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides vero sanctuarii interius habebantur, nec sumebantur in summi sacerdotis corpore, nisi cum Sancta sanctorum ingrediens, in secreto sui conditoris apparebat. Nos ergo fratres charissimi, nos sumus lapides sanctuarii, qui apparere semper debemus in secreto Dei, quos nunquam necesse est foris conspici, id est nunquam in extraneis actionibus videri. Sed dispersi sunt lapides sanctuarii: quia hi qui per orationem intus esse debuerant, per vitam foris vacant. Ecce iam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. In capite ergo platearum dispersi sunt: quia et iacent per ministerium operis, et honorari volunt de imagine sanctitatis.* Hæc et plura S. Gregor. digna quæ a sacerdotibus sæpe legantur et ruminentur.

Tropol. de Religione dissoluta.

Sed et lamiæ.) Amplificat malum per comparationem cum lamiis, q. d. Crudeles feræ nudant mammas, iisque lactant et alunt catulos suos: solæ fœminæ Hierosolymitanæ præ fame ita factæ sunt crudeles in filios suos, ut non tantum eis lac negarint, sed et eos a se repulerint quasi struthio, qui deserto assuetus vagatur, ova sua derelinquit, et pullorum curam negligit; imo ut eos occiderint et devorarint, ut ait v. 10. ita Orig. Theod. Rupert. Lyran. Vatabl. et passim alii. Solus Hugo sic explicat, q. d. Ita Iudæa in solitudinem redacta est, ut feræ ibi pariant et alant catulos, atque struthio ibi moretur quasi in deserto. Septuag. vertunt, *filiæ populi mei in incurabile, quasi struthio in deserto.* Quod Olymp. Origen. Theodoret. sic explicant: Sicut struthio alas vix habens, deserto avolare non potest; ita Iudæi relicti in Iudæa ad eam colendam adeo infirmi sunt et invalidi, ut aufugere et e servitute se eripere non possint. Vers. 3.

Chald. vertit, *cœtus populi mei traditi sunt crudelibus, et matres eorum lamentantur super eis, sicut lamiæ in deserto.* Hebr. enim est לאכזר *leachzar*, id est *crudeli*, in dativo.

Sed melius cum nostro et Septuag. *leachzar* vertas *in crudelem*, scilicet mutata est, id est, facta est Ierusalem sæva et crudelis ut struthio in deserto.

Nota. Pro *lamiæ*, Hebr. est, תנין *tannin*, id est draco, sive is marinus sit, sive terrestris: ita Septuag. Chal. et alii. Quare mirum est Syrum et Arabicum vertere canem silvestrem: *Discooperuerunt*, inquiunt, *ubera sua canes silvestres, et lactaverunt catulos suos.*

Ubi Nota. In Syria est fera similis lupo et cani, quæ in silvis degens ululat ut canis, quam proinde Syri canem silvestrem vocant: videtur ergo esse species lupi, hyænæ, vel lyciscæ.

Sic lamia piscis est ex cetorum genere, qui et parit mammasque habet: ita Aristot. lib. 1. Hist. animal. 5. et ex eo Guil. Rondeletius lib. 13. de Piscibus. Hic piscis voracissimus est: unde a λαιμὸς id est guttur, dicitur lamia, quia magnam habet gulam, magnum guttur: lamia ergo hic piscis accipi posset. Lamia piscis voracissimus.

Secundo et aptius, lamiam hic accipias, ut sit nomen terrestris draconis, de quo scribit Philostr. lib. 4. de vita Apollonii, et Dion. Chrysos. scilicet in Africa lamias esse feras muliebri facie, uberibus totoque corpore ita speciosο, ut ipsis retectis homines ad se alliciant, captosque devorent: reliqua pars corporis squamis est prædura, alis carent et voce, sed sibilum edunt instar draconum. Lamia draco terrestris qualis.

Similia de manticora bellua habet Arist. lib. 2. de Histor. animal. c. 1. in fine. Plin. l. 8. 21. Solinus cap. 55. Polyhist. Et forte hanc intelligit hic Ieremias: quia ipsa est vultu humano, corpore leonino; hic autem pro *catulos* Hebr. גורהן *gurehen*, quod catulos leoninos significat. Manticora bellua quæ?

Lamiæ et empusæ veneficæ, quæ?

Albertus Magnus tale monstrum vultu virgineo se vidisse in Germania, narrat lib. 26. de Animalibus. Atque inde veneficæ, quæ pueros necant vel vorare dicuntur, vocantur lamiæ, sive empusæ, de quibus Cælius Rhodiginus lib. 29. 5. et Delrio in Magicis.

Porro dicitur draco nudare mammam: quia habet thecam vel operimentum, quo mammam includit; ita Vatablus et alii. Plura de lamiis dixi Isaiæ 34. 14.

Tropol. lamiæ sunt hypocritæ et hæretici.

Tropolog. Raban. *In lamia*, inquit, *duplicitas Iudæorum, et fictio hypocritarum exprimitur; lamia enim habet faciem humanam, sed corpus bestiale. Rursum lamiæ,* inquit S. Gregor. 19. Moral. 15. et ex eo Raban. *sunt hæretici, qui humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestant: hi mammam nudant, cum errorem libere prædicant; catulos lactant, cum male sequaces parvulorum animas, dum perversa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant.* Hi crudeles sunt ut struthiones: quia se et suos perdunt.

STRUTHIO) Hebr. יענים *iecnim* recentiores vertunt *cuculum*, qui parit in alienis nidis, et ova sua aliis fovenda exponit: sed *struthionem* hic vertunt Chald. Septuag. Vatabl. Orig. et alii. Struthio enim ova sua ponit in terra, et quasi sua non sint negligit, et Soli fovenda relinquit, adeo exposita, ut pedibus hominum aut ferarum conterantur; ad pullos autem ita obduratur, ac si eos non peperisset, ut docet Iob c. 39. v. 17. Vide de struthione Plinium lib. 10. cap. 10. unde struthio stoliditatis et inhumanitatis est symbolum: quamvis enim gemant et ululent eius pulli, ipse nihil eis compatitur: unde Micheæ 1. dicitur: *Faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum;* Hebr. *sicut filiæ struthionis,* id est sicut pulli a matribus struthionibus derelicti, qui miserabiliter plangunt et eiulant.

Struthio stoliditatis symbolum.

Vers. 4. IN SITI.) Præ siti, q. d. Lactentes non potuerunt sugere ubera matrum, quæ ob inediam exaruerant: unde præ siti adhæserunt linguæ eorum palato, uti fit in homine sitibundo et arido. Alii grandiores parvuli petierunt panem, et non erat qui daret eis. Hæc omnia significant magnam famem, inediam et penuriam. *Qui vescebantur voluptuose*, q. d. Divites et nobiles delicate enutriti, *interierunt in viis*, q. d. In locis publicis enecti fame iacuere; et *qui nutriebantur* baiulabantur et accubabant *in* fasciis et vestibus *croceis*, *amplexati sunt stercora*, id est fimeta et sterquilinia, in quibus cubarent, et fimo quasi culcitra se tegerent, uti contigit ipsi S. Iob. Et sic peregrini pauperes, ne in plateis frigidis pernoctent, fimetum adeunt, in eoque cubant, ut eius calore noctu incalescant: ita Lyran. Castrius et alii. Aut, ut Sanchez in sterquilinio, id est loco impuro, contabescunt, ibique sepeliuntur sepultura asini.

Hæc verba Victor Uticens. l. 2. Wandal. apposite adaptat Christi Confessoribus ab Hunerico Rege Arriano in arcto carcere inclusis: *In quo*, ait, *iacebant unus super alium quasi agmina locustarum, nec erat secedendi locus, sed stercora et urinam ibidem faciebant, ut ille tunc fœtor et horror universa pœnarum genera superaret: ad quos aliquando dantes ingentia munera Mauris, dormientibusque Wandalis, vix clam admissi sumus intrare. Qui introeuntes velut in gurgite luti usque ad genua cœpimus mergi, illud tunc Ieremiæ videntes fuisse completum: Qui nutriti sunt in croceis, amplexati sunt stercora sua. Exeuntes itaque die Dominica linita habentes stercoribus vestimenta, facies simul et capita, a Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes: Hæc est gloria omnibus Sanctis eius.*

Nota Primo. Pro *croceis* Hebr. est תולע *tola*, id est *cocco*, ut vertunt Septuag. unde aliqui pro *croceis* putant legendum *cocceis*, id est coccineis: quamquam croceus color accedit ad rubrum et coccineum; unde Gellius l. 2. v. 26. inter varias rubri species, recenset et croceum: et croceæ vestes speciosæ sunt et pretiosæ, æque ac coccineæ. Quocirca Syrus vertit, *qui nutriti sunt super coccos, ecce dormiunt in sterquiliniis;* et Arabicus, *qui nutriti erant in locis tincturæ mollis, et cocco, ecce sunt in sterquiliniis.*

Hinc Secundo, patet hæc referri ad vestitum, non ad cibum, licet eo referant Hugo, S. Thomas et Dionys. q. d. Qui croceis cibis et deliciis vescebantur, nunc in fame stercora columbina aliaque comedunt, uti contigit in Samaria tempore Elisæi Prophetæ, 4. Reg. 6. 25. Denique aliqui hæc referunt ad vilia ministeria sordium et latrinarum, quæ Iudæi coacti sint præstare Babyloniis heris suis: unde S. Aug. in Ps. 80. *Manus*, inquit, *eius* (Israelis) *in cophino servierunt. Per cophinum significantur opera servilia, mundare stercora, terram portare*, etc.

Tropolog. q. d. Viri religiosi et fervidi, qui olim quasi aquilæ in cælo versabantur cum Angelis, nunc quasi scarabæi volutantur in cœno et stercore voluptatum carnalium cum asinis et porcis. Ita S. Bernard. serm. de obedientia, patientia et sapientia: *Propheta*, ait, *deplorat, oblitas propriæ conditionis ingenuas creaturas tantam dissimulare miseriam: nec modo non reputare quod tolerant, sed tanquam bona magna complecti quæ paulo minus extrema sunt mala.*

MAIOR EFFECTA EST INIQUITAS, id est pœna iniquitatis, Hierosolymæ, PECCATO, id est pœna peccati, SODOMORUM.) Sic iniquitas et peccatum sumitur pro pœna peccati, Exod. 28. 38. Levit. 5. 1. et infra cap. 5. 7. Ex maiori punitione Iudæorum quam Sodomæ, colligit maiorem eorum culpam: nam Sodoma subito a Deo punita et concremata brevis temporis dolorem sensit: Ierusalem vero longa obsidione et dolore enecta, diuque torta et cruciata fuit: ita Origen. Chald. Theodor. Rupert. Unde S. Thom. *Hic*, inquit, *exaggerat pœnam in comparatione ad pœnam Sodomorum: maior effecta est iniquitas, id est maior in pœna ostensa est: maior fuit culpa, propter ingratitudinem, et propter Sanctorum profanationem: hinc et maior fuit pœna, quia diuturnior.* Vers. 6.

IN MOMENTO.) Mors enim repentina minus doloris habet: unde talem εὐθανασίαν sibi optabat Augustus Cæsar. Hinc de impiis in cumulum felicitatis eorum ait Iob cap. 21. 13. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*, id est subito moriuntur, nec diuturno cruciantur morborum dolore: unde sequitur:

ET NON CŒPERUNT IN EA MANUS.) Subaudi aliquid boni agere, et dare eleemosynas, inquit Paschas. et Dionysius. Sodomitæ enim subversi sunt ob inhumanitatem, quia *egeno et pauperi manum non porrigebant*, inquit Ezech. c. 16. 49. Secundo Lyran. *non ceperunt in ea* (Sodoma) *manus* hostium, scilicet spolia: q. d. Minus punita fuit Sodoma quam Ierusalem, quia bona Ierusalem rapuerunt sibi Chaldæi, quæ fuit una pœna Iudæorum, nempe quod viderint hostes suos gaudere et luxuriari in bonis ipsorum, quod non viderunt Sodomitæ.

Tertio, Raban. explicat, q. d. Magistri et Doctores in Ierusalem non ceperunt manus, id est fructum manuum et laborum suorum, id est doctrinæ et concionis suæ.

Quarto, Chald. per *manus* accipit Prophetas: vertit enim, *non manserunt in ea Prophetæ, ut eam converterent ad pœnitentiam.*

Quinto et optime, *non cœperunt in ea*, id est in eius expugnatione laborare *manus*, q. d. Non fuit opus incipere, multo minus perficere, expugnationem Sodomæ per manus hominum et Chaldæorum, uti in Hierosolymis; sed Deus per se, id est per Angelum pluentem ignem et sulphur, evertit Sodomam: unde ipsa velut momentaneo horæ supplicio igne absumpta, pœnam suam luit. Sic milites in bello cadentes putant se felices, iuxta illud Poetæ:

Quid enim? concurritur, horæ
Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.

Hebr. chalu quadrupliciter exponitur.

Hebr. est חלו *chalu*, quod Primo, a חלל *chalal* deductum, significat incipere: unde noster vertit *cœperunt*, id est inceperunt. Secundo, a חול *chol* deductum, significat profanare et violare: unde alii vertunt, *Chaldæi et gentes non profanarunt in ea manus suas*, vel manibus suis eam non violarunt. Tertio, a חיל *chail*, id est strenuitas vel exercitus, significat castrametari, unde Vatabl. et Pagnin. vertunt, *non sunt contra eam castrametatæ manus hostium.*

Quarto, a חלה *chala*, significat dolere, infirmari, cruciari; unde Septuag. vertunt, *non laboraverunt in ea manus;* Symmach. *non vulnerarunt eam manus;* alii, *non doluerunt, non infirmatæ sunt manus;* quia Hierosolyma magno conatu, labore et dolore Chaldæorum, æque ac Iudæorum obsessa et expugnata fuit; ut sensim impii Iudæi attererentur, et ut diu torquerentur; non sic Sodoma, cuius incuriam repente obruit pavor, pavorem disiecit angustia, angustiam præripuit cita mors.

Vers. 7. Nazaræi candidi unde?

CANDIDIORES NAZARÆI EIUS.) *Eius*, scilicet Hierosolymæ. Nota. Nazaræi, id est separati, consecrati et coronati, erant, qui se Deo devovebant, vino et sicera abstinendo, comam non tondendo, Num. 6. multi etiam a mulieribus se continendo, ut ait Epiphan. hæres. 29. et S. August. serm. 107. de tempore. Horum externam pulchritudinem mutatam dicit: erant enim inter eos multi nobiles et iuvenes pulchri, id est candore roseo, cumque sua temperantia et abstinentia, uti contigit Danieli et sociis, forte etiam arte ac studio augebant, cum se Deo consecrarent, ut internam puritatem externa repræsentarent: hi iam in fame et captivitate luridi et squalidi effecti sunt; unde sequitur, *Denigrata est*, etc. Nota. Sicut ingluvies mater est fœditatis et turpitudinis; ita parsimonia et temperantia mater est venustatis.

Temperantia mater est venustatis.

Secundo, non male Raban. Lyran. Dionys. Nazaræi, inquiunt, id est Levitæ et Sacerdotes, Deo consecrati, sacris vestibus ex hyacintho, cocco, purpura et bysso confectis induti, candore nivem, nitore lac, rubore ebur, cæruleo colore sapphirum referebant, byssus enim candida est, coccus nitens, purpura rubea, hyacinthus cæruleus.

Verum huic expositioni obstat, quod solus pontifex in tunica hyacinthina gestaret Ephod ex bysso, cocco, purpura et hyacintho; reliqui vero Sacerdotes pro ea gestarent tunicas ex lino dumtaxat, ut patet Exodi 28. v. 6. 31. 33. et 40. vide ibi dicta. Quare hæc vestium et colorum variegatura non ad Nazaræos, nec ad Sacerdotes et Levitas, sed ad solum summum pontificem spectabat.

Candidi, id est splendentes.

Porro candor hic Nazaræorum non tam colorem album, quam candicantem et fulgidum significat, scilicet cutem et vultum eorum fuisse nitentem et lucentem. Sic in transfiguratione Christi dicuntur vestes eius factæ candidæ, id est splendentes et fulgidæ.

Christus est Nazaræus et Religiosi.

Tropolog. Christus est Nazaræus, tum quia a Nazaret, quæ florem aut coronam significat, oriundus; tum quia sanctificatus et Patri ex utero consecratus: et Christiani sunt Nazaræi, maxime Religiosi et perfectionis studiosi, qui puritate vitæ nivem, nitore lac, charitate et fervore ebur, cælesti conversatione sapphirum referunt: imo de his ad litteram intelligunt Origen. Theodor. Hugo S. Thom. et Dionys. Sed constat Ieremiam ad litteram loqui de suo tempore et clade Chaldæorum. Huc facit versio Arabica Antiochena, *mundati sunt remoti eius* (qui se removerunt et separarunt a communi hominum vivendi modo et conversatione) *et albi facti sunt sicut nix;* et Alexandrina, *nitidi facti sunt abstinentes se ex hominibus eius magis quam nix.*

Fervor discipulorum S. Dominici.

Tales Nazaræi fuerunt primi discipuli et Religiosi S. Dominici, qui sane non tantum suis, sed et nobis omnibus Religionis illustre dederunt exemplum et speculum, de quibus auctor vitæ S. Dominici lib. 6. cap. 4. et seq. ita scribit: *Raro Ecclesiæ vacabant orantibus Fratribus; ubi si quæsiti essent, crebrius inveniebantur: quippe qui ab illis non discederent, die ac nocte in preces intenti. Vidisses ibi pœnitentiæ gemitus et suspiria suaque et aliorum peccata deplorantes. Post Horas et Completorium, recipiebant se in angulos, actusque suos severo examine discutientes, nodosis loris corpora sua dire lacerabant. Alii sub precibus inter cælum et terram visi sunt manere suspensi. Alii in favilla et cinere iacentes, dabant gemitus, ponentesque in pulvere os suum, nolebant oculos levare in cælum. Alii præ amoris impatientia quiescere non valentes, nolebant indulgere somno, quousque gratiam sentirent novam ipsos calefacientem.*

Subdit de eorum pietate erga B. Virginem. *Officium Virginis matris reverenter et stantes persolvebant. Post Completorium eius altare triplici nonnunquam ordine ambiebant, ut merito dici posset: Circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium: nempe pœnitentes verecundia rubicundi, et innocentes virginali pudicitia candidi. Post Matutinas pauci ad lectionum studia, pauciores ad lect[illegible] se conferebant: plerique in precibus pernoctabant*, et, ut alibi ait, ab una hora orandi ad aliam anhelabant.

Tertio, de abstinentia hæc habet cap. 5. *Alii ad dies octo potu prorsus sibi interdicebant: alii cibo apposito frigidam infundebant: alii modo ab hoc, modo ab illo edulio sibi temperabant. Quidam tota Quadragesima interdiu non bibebant, nec loquebantur nisi interrogati. In conventu lecturis et servituris multi certatim suam offerebant operam; non hominibus, sed Angelis sibi servire videbantur, ita ut præ cordis iubilo etiam scutellas clam exoscularentur.*

Quarto, de charitate ita scribit: *In sublevandis Fratrum oneribus mira erat omnibus commiseratio, et indefessa atque efficax sermonis et operis consolatio. In suscipiendis Fratribus a labore venientibus, humanissima in eis visebatur iucunditas, ingerebantque se passim eorum abluendis pedibus, et servitiis impendendis. Si quis commiseratione erga infirmos benignior, in accipiendis hospitibus hilarior, in eorum lavandis pedibus humilior, in monasterii servitiis sedulior esse posset, is se apud Deum beatiorem existimabat. Non raro sibi ipsis detrahebant tunicas, cucullos, scapularia, et vel peregrinis Fratribus, vel alia occasione indigentibus dabant. Permulti non contenti habitus monastici asperitate, clam induebant cilicia, et lumbos zonis ferreis stringebant.*

Hinc miro fervore prædicabant, adeoque *omne eorum officium erat, Deum laudare, benedicere, prædicare. Multi non sumebant cibum, nisi prius verbum Dei prædicassent vel multis, vel uni. Prædicabant, non ut ederent; sed ut prædicarent, edebant. Hinc B. Virgo visa est eis suggerere quæ prædicarent. Hinc et tanta salus animarum consecuta est. Ardebant animi eorum divini amoris igne, atque inde manantia verba auditorum animos inflammabant. Nec solum ille ardor in sermonibus inerat, sed magis etiam in actione fervescebat. Multi humi prostrati cum lacrymis multis et attentissimis precibus postulabant, ut ad Tartaros, vel ad alios Barbaros mitterentur. Flagrabat in eis ardens desiderium tum salutis animarum, tum pro Christo martyrii obeundi. Ibant igitur accincti virtutibus et ardentes, eratque aspectus eorum, ut carbonum ignis ardentium, et ignito eloquio compungebant et incendebant frigidos peccatores: erant cæteris mentibus puriores, et humilitate sublimiores. Utinam recalescat ille ignis, et qui nunc proh dolor! est in nubilo fervoris sol! O Domine, Domine tui sacri ignis flamma tepidos rursus accendat, ut, sicut olim, serviant tibi cum fervore, et tui ardeant amore. Amen.* Huc usque Auctor.

Vis ideam perfecti Nazaræi? Accipe in hac aurea Eusebii Emisseni sententia, homilia de S. Maximo: quamquam homiliæ hæ falso ascribantur Eusebio Emisseno, qui fuit Syrus; et, ut ait S. Hieron. lib. de Scriptor. Eccles. signifer Arrianæ factionis: nam illæ non Græcam, nec Syram, sed Latinam elegantiam redolent, imo repræsentant. Unde Baronius anno Domini 441. ascribit eas Eucherio Lugdunensi, Bellarminus lib. de Scriptor. Eccles. Fausto Rhegiensi, alii Cæsario Arelatensi: qui eas nuper edidit anno 1602. inscribit Eucherio. Auctor ergo hic, quisquis ille sit, S. Maximum ex Religioso Lirinensi Episcopum ita celebrat: *Et qui iam dudum in Abbate Pontificem gesserat, postmodum Abbatem in Pontifice custodivit; neglector quietis, fugax voluptatis; appetitor laboris, impatiens honoris; pauper in pecunia, dives in conscientia; humilis ad merita, superbus ad vitia.* Eadem sententia habetur in vita S. Wilibaldi c. 36. quam scripsit Philippus Episcopus Eystettensis, et edidit P. Gretserus.

Vis exemplum priscum et vivum? Accipe S. Gregor. Nazianz. qui cum S. Basilio monachi vitam egit, hæcque de seipso scribit tract. de silentio et ieiunio: *Maceravi*

continuis laboribus carnem meam, quæ in flore ætatis recalcitrabat et bulliebat: vici gulam ventris, et tyrannum iuxta eum residentem (libidinem:) *mortificavi meos oculos: repressi impetum iræ: frænavi membra mea: planxi risum: consecravi res meas omnes Christo. Terra mihi erat lectus, vestis cilicium; vigilia mihi erat somnus, et lacrymæ mea requies. Per diem humeros fatigavi oneribus et laboribus: nocte steti quasi statua scribens hymnos: nullam delectationem in animum, vel in cogitationem admisi. Hæc fuit ratio vitæ meæ in iuventute: quia caro et sanguis instar incendii evomebant flammas, et me a via in cælum avertere satagebant. Abieci pariter a me grave onus divitiarum, ut levior ascenderem ad Deum.* Eadem, imo maiora fuere virtutum exercitia S. Basilii: nam Gregorius eum longe sibi præfert, eumque vocat gigantem.

Denique S. Bernard. serm. 9. in cœna Domini: *Cum videris*, inquit, *monachum ad contumeliam humilem, ad opprobria patientem, suis devotum Prioribus, in moribus mansuetum, tacitum ad loquendum, assiduum ad silentium, in claustro attente legentem, in Ecclesia suis vocibus Christum cum omni devotione laudantem: si non continue, tamen quotidie lacrymantem, parcum in refectione, ad obedientiam promptum, ubique proclivum, ubique inclinatum, ubique verecundum, ore cælum pulsantem, semper ad Dominum corde clamantem, cultorem proximi, et contemptorem sui, cunctos diligentem, seipsum odientem; tunc dicere poteris: Monachus iste sui creatoris servat mandatum. O quam beatus est monachus talis! Profecto iste laboris sui præmium habebit Dominum Iesum.*

Nitidiores lacte.) Codices Septuag. hic variant, et varie hæc dispungunt. Aliqui enim legunt ἐτυρώθησαν, id est, *sicut lac coagulati sunt;* unde in Breviario Romano in communi Martyrum tempore Paschali in respons. lectionis octavæ legimus: *Candidi facti sunt Nazaræi eius, splendorem Deo dederunt, et sicut lac coagulati sunt.* Alii, ut Origen. seorsim legunt ἐπυρώθησαν, id est igniti, igne probati et excocti sunt. Alii, ut codices Vaticani, legunt, ἐπυρρώθησαν, id est rubuerunt, idque respondet Hebræo חכלילי *chaclile*, et Latino *rubicundiores*, quod sequitur.

Rubicundiores ebore antiquo.) Ebur enim vetustate fit rubrum ex candido: Hebraice est, *rubicundiores* עצם מפנינים *etsem mippeninim*, id est *osse* (scilicet elephanti, id est ebore: ebur enim quia inter ossa soliditate, magnitudine et pretio excellit, hinc vocatur *os* autonomastice) *ex angulatis*, id est ex fortioribus et melioribus ossibus, quale est ebur antiquum; ita Delrio. Aut potius *mippeninim*, id est ex anterioribus, id est ex antiquo ebore: hoc enim melius est, et rubescit vel natura, vel potius arte et tinctura, uti mox dicam. Quare minus germane a Castro ebur antiquum exponit, non vetus, sed pretiosum et optimum. Sic enim accipit τὸ *antiquum* Cicero lib. 1. de Inventione, cum ait: *Qui pauperes sunt, iis antiquior*, id est potior et charior, *est officio pecunia*. Non enim hic pretii, uti nec antiquitatis, sed coloris et ruboris in ebore spectatur dos et conditio. Unde idem a Castro: Aut potius, inquit, ebur dicitur antiquum, respectu prisci et antiqui temporis, quo ebur minio tingi et rubricari solebat, de quo mox. Aliter vertunt Chald. Pagnin. Vatabl. rubebant עצם *etsem*, id est corpore, facie vel specie, præ פנינים *peninim*, id est margaritis; alii, *præ coraliis* vel *rubinis*; a Castro, *præ lychnite*, qui claritatem purpureo colore suffundit, qua vigorem excitat lucernarum; unde lychnites dictus est. Syrus vertit, *rubra facta sunt ossa eorum plus sardonyche;* vel, ut Arabicus, *præ sardio.*

Ebur rubicundum quod? Dices, Ebur est candidum; et antiquum flavum fit et pallidum, non rubeum, teste Plinio lib. 8. 3. ubi asserit in pallore cognosci elephanti senectam, in candore iuventam. Respondeo, Ebur antiquum dicitur rubescere, id est flavescere (uti ait Ovidius mox citandus et alii, ipseque oculis meis conspexi) et aurescere, q. d. Nazaræi toto corpore erant candicantes et lactei: at vero capite et capillis erant rutilantes et aurescentes instar eboris antiqui rubescentis, id est flavescentis: rubeus enim color non tantum vocatur purpureus, sed et aureus. Audi Gellium: *Latina oratio una ruboris appellatione, multas rufi coloris species differentes significat*, et inter illas *aureum*: commendatur enim in capillis aureus color. Unde Tacitus Germanis rutilas attribuit comas, et Silius Batavos vocat auricomos, et Homerus priscis illis heroibus Menelao Spartano, Meleagro et Achilli, flavam sive auream cæsariem assignat: deorum quoque Bacchi et Narcissi aurea fuit coma, ut scribit Philostratus. Commodi etiam Imper. statua, ut divinitatis cæleste quoddam iubar referret, erat in coma auri scobe respersa, ut scribit Herodian. ita et Antoninus Verus, teste Capitolino, dicitur *tantam habuisse curam flavescentium capillorum, ut capiti auri ramenta aspergeret, quo magis coma illuminata flavesceret.* (Heroes et dii auricomi.)

Hinc flava cæsaries apud Romanos nomen dedit nobili familiæ Flaviæ; sicut et Ænobarborum: hi enim ita dicti sunt a barba flava. David fuit flavo capillo. Adolescentes nobiles in aula Salomonis *ramentis auri capillum quotidie spargebant, ut ad solarem radiorum contactum fulgor a capitibus eorum reflecteretur*, inquit Ioseph. l. 8. Antiq. 2. Scribit Polemon *capillos moderate flavescentes naturæ docilis mitisque, et quæ ad felicem fortunam tendat, esse signum:* et Apuleius, Flavo, inquit, capillo præditi bellatores, et ingenio præsignes sunt; et, ut medici docent, valde bono sunt corporis temperamento. Hinc sicut David et Salomon flavo, ita Christus subflavo fuit capillo, inquit Niceph. Denique flavus color symbolum est floreatis iuventæ: ita Pineda in Salomone prævio lib. 6. cap. 4. (Flavii dicti a flava coma. — Flavedo signum naturæ docilis et mitis.)

Secundo, respondet noster a Castro, Sanchez et Pineda in Iob 28. 6. Veteres, inquiunt, ebur tempore pallescens, et decolor effectum, ut ei pristinum decorem et splendorem restituerent, illud illuminabant et tingebant minio, vel purpura, sicque fiebat purpureum: ita Plinius lib. 16. 43. et Virgil. Æneid. lib. 12. (Veteres ebur tingebant minio.)

Indum, ait, *sanguineo veluti violaverit ostro*
Si quis ebur; vel mista rubent ubi lilia multa
Alba rosa; tales virgo dabat ore colores.

Et Ovidius clare lib. 2. Amor. eleg. 5. utrumque, scilicet, ebur antiquum pallere, et idcirco purpureo colore tingi docet, dicens:

Aut, quod ne longis flavescere possit ab annis,
Mæonis Assyrium fœmina tingit ebur.

Et Homer. Iliad. 4. *Veluti eum quædam mulier ebur purpura tinxerit*: et Lucianus in corpore pulchro requirit, ut corporis partes decenti rubore florescant, *qualem Homerus quasi inter omnes pictores præstantissimus, adiecit Menelai femoribus, ebori purpureo ostro infecto assimilatis.* Sic ergo Nazaræi carnem et vultum habebant candidum, sed purpureo rubore inspersum et floridum, qualis est in iuvenibus pulchris. Hic sensus videtur convenientior; tum quia hoc proprie sonat τὸ *rubicundiores;* tum quia pulchritudo maxime in vultu, eiusque roseo colore spectatur. Unde et sponsa in Canticis ait: *Dilectus meus candidus et rubicundus*: et talis est color eboris minio vel purpura tincti; cum eboris antiqui color sit pallescens et decolor. Porro nominat potius ebur, quam lanam aut sericum purpura tinctum: quia ebur, utpote tersum et politum, dum purpura tingitur, ita fit purpureum, ut splendescat et emicet, ac scintillet instar ignis, quod non facit pannus aut sericum, utpote glabra, nec tersa et polita.

Sapphiro pulchriores.) Hebr. *sapphirus excisio eorum;* Symmach. *sapphirus membra eorum;* Chald. *sapphirus erat vultus eorum;* alii, *sapphirus erat expositio eorum*, q. d. Nazaræi pulchre membris erant distincti et efformati, quasi essent excisi e sapphiro. Sic cum quem mire candidum significare volumus, dicimus, eum videri excisum ex alabastro: ita Vatabl. Origen. vertit, *excisi ex eis*, id est præelecti, illustriores ex eis, *sapphiro erant similes*, ob cælestem conversationem et mores: nam, ut ait Plinius lib. 37. 9. sapphirus est gemma cærulei coloris aureis punctis quasi stellis collucens. Sapphirus enim

Plinii alia est a moderna, fuitque instar lapidis lazuli, uti docui Apoc. 21. 19. Pineda lib. 6. de Rebus Salom. cap. 4. Sicut colorem lactis ad cutem, rubedinem ad capillos, ita sapphirum ad oculos Nazaræorum refert, quasi illi sapphirini fuerint; idque appositum est.

Oculi sapphirini.

Vers. 8. DENIGRATA.) Hebr. est יחשך *iachaseich*, id est obscurata est, Septuag. εσκοτασε, id est obtenebrata est, hoc est, ut noster interpretatur, *denigrata est*, q. d. Nazaræi præ fame quam passi sunt in obsidione, et postea in captivitate, præ macie et miseriis facti sunt nigriores carbonibus, ita ut non agnoscerentur etiam ab amicis, cum eis obviabant: et pellis eorum aruit instar ligni, olim virentis nunc aridi. Alludit ad Hebr. עצם *etsem*, id est ebur, q. d. *Etsem*, id est ebur rubens, factum est עץ *ets*, id est lignum squalidum et aridum.

Tropol. Nazaræi hic sunt Clerici deviantes a priscorum vita.

Tropol. hæc referas ad Clericos et Religiosos, qui a priscis Sanctis sui Ordinis plane deciderunt, soluta prorsus disciplina, unde non sunt cogniti in plateis: quia eorum conversatio a vita sæcularium non differt, imo subinde est peior, cuius rei causa fuit, quod minimas regulas et defectus contempserint, indeque sensim ad maiora et graviora progressi, tandem etiam vota substantialia violarint, ut docet S. Antoninus 2. part. histor. tit. 15. §. 2. Hisce dici potest illud Amos 9. v. 7. *Nunquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi filii Israel; ait Dominus?* q. d. Eratis olim filii Abraham, candidi ut Angeli, iam per peccatum facti estis nigri quasi Æthiopes, et quasi dæmones. Rursum S. Gregor. 32. Moral. 23. *Nazaræi*, inquit, *sunt continentes et abstinentes: hi in Ecclesia plerumque tam mira opera faciunt, ut ab eis multi qui cælestem vitam tenuerunt* (quos candor nivis significat) *multi qui terrena bene dispensaverunt* (quos lac significat) *superari videantur: sunt rubicundiores ebore antiquo, quia sæpe ante oculos nonnullis præcedentibus patribus studii ferventioris existunt: sapphiro sunt pulchriores, quia ad superna tendentes per cælestem conversationem videntur vincere, sed dum virtutum copia in quamdam sui fiduciam mens adducitur, et præsumptione propria fuscatur, subiungitur, Denigrata est super carbones facies eorum: nigri enim post candores fiunt, et frigidiores carbonibus extinctis, id est frigidis mentibus, evadunt*, etc.

Item continentes.

MELIUS FUIT OCCISIS GLADIO, id est cita et brevi morte peremptis, QUAM INTERFECTIS FAME.) Id est longa inedia cruciatis et tabe consumptis. Hebr. est pulchra allusio: melius fuit mortuis חרב *chereb*, id est gladio, quam רעב *raab*, id est fame: nam ut ait Homerus, *Mori fame miserrimum est.*

EXTABUERUNT, Hebr. יזובו *iazubu*, id est defluxerunt paulatim in mortem, CONSUMPTI, Hebr. מדקרים *medukarim*, id est confossi, A STERILITATE TERRÆ.) Hebr. מתנובות שדי *mittenubot sadai*, id est a fructibus agri, id est ob defectum fructuum et sterilitatem: vocat transfossos, ut alludat ad gladio confossos, q. d. Melius est illis qui gladio, quam qui fame confossi interierunt: qui enim fame consumuntur, perinde enecantur ac si fame perfossi defluerent sanguine, spiritu et vita, ac lenta tabe conficerentur. Durum ergo telum, durus gladius est fames.

Vers. 10. MANUS MULIERUM.) q. d. Matres natura in parvulos suos maxime benevolæ et misericordes, inedia ita efferatæ sunt, ut filios quasi cibum electum et delicatum (hoc enim significat Hebr. ברות *barot*) vorarent. Aliter Origen. q. d. Matres ex misericordia occiderunt filios, ut eos lenta fame, tabe et tot ærumnis per citam mortem eriperent. Nam, ut dixit vers. 9. *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame.*

IN CONTRITIONE.) Id est in obsidione quæ attulit urbi contritionem, hoc est excidium; id factum narrat etiam Baruch c. 2. v. 4.

Vers. 11. COMPLEVIT.) Omnem iram, vel id quod minatus est per Mosen, Deuter. 28. 53.

IGNEM.) Quo urbs et templum arsit; ita Hugo, S. Thom. Lyran. Secundo, *ignem*, id est famem, ait Vatabl. Tertio, Theodor. *ignem*, id est tribulationem, quæ fundamenta, id est Reges et principes cum plebe devoravit.

NON CREDIDERUNT REGES.) Scilicet finitimi, et alii qui notant munitiones Ierusalem, (unde et Iebusæi munitioni arcis Sion præfidentes, irriserunt Davidem eam oppugnantem, ponentes in muris claudos et cæcos, quasi ab his solis posset defendi, 2. Reg. 5.) quamque ipsa Deo curæ esset, et a Deo contra Sennacherib et alios Reges protecta fuisset, eam posse ab hostibus capi; ita Chald. Origen. Theodor. Lyran. Vers. 12.

Secundo, Hugo, Rupert. S. Thom. *non crediderunt Reges terræ*, scilicet Iudææ, ut Sedecias et Ioachin, qui librum Ieremiæ de adventu Chaldæorum combussit, Ierem. 36. *et habitatores orbis*, scilicet cives terræ Iudææ.

PROPTER PECCATA PROPHETARUM, (pseudoprophetarum) et SACERDOTUM.) Impiorum, ut Phassur et aliorum qui Regem inducebant, ut sanguinem iustorum et innocentum, etiam Ieremiæ funderet, Ierem. 20. 1. et c. 22. 3. Sanchez hæc refert ad iustos occisos a Manasse instinctu falsorum Prophetarum et Sacerdotum. Ob hos enim excisam esse Ierusalem, docuit Ieremias c. 15. v. 4. et 4. Reg. 24. 3. et 4. Vers. 13.

ERRAVERUNT.) Scilicet pseudoprophetæ, et impii Sacerdotes polluti sanguine innocentum, quem fuderant in obsidione et vastatione civitatis, quasi *cæci;* cumque hostis domos eorum occupasset, nescientes quo se vertere vel incedere, tenuerunt aliorum lacinias, ut ab eis vel hospitium vel auxilium quærerent: sed hi quorum laciniæ erant, eos a se reiecerunt, dicentes, *Recedite polluti*, nolite nos tangere et polluere; ita Dionys. Vers. 14.

Secundo, S. Thom. Raban. Hugo, q. d. Iudæi vulnerati, excæcati et exoculati a Chaldæis, et polluti sanguine occisorum in quos impingebant, dum non possent recto tramite incedere, quæsierunt qui eis manum daret ac deduceret; cumque neminem invenire possent, apprehenderunt aliorum lacinias, ut eorum ducatu graderentur. Solent enim moribundi homines quidquid possunt manu apprehendere ac fortiter tenere, inquit Maldon. Sic et Lyran. nisi quod ipse hæc de iustis accipiat.

Tertio, R. Salomon sic explicat: volutati sunt in sanguine, usque eo, ut non possent alii attingere eorum lacinias, dicerentque eis: *Recedite polluti.*

Quarto, Hebræi, Vatabl. Pagnin. q. d. Iudæi cæci oberrantes in plateis polluti sunt sanguine occisorum, ita ut accedentes dedignarentur contingere vestes illorum, sed dicerent, Discedite a nobis, quia polluti estis sanguine: quo dicto avolarunt et amoti sunt ab eis. Hi omnes ex Hebræo vertunt, *tenuerunt lacinias eorum* (sic enim verti potest) non *suas*, ut vertit noster.

Quinto et optime, q. d. Propter peccata pseudoprophetarum et Sacerdotum, præsertim homicidia, tam ipsi, quam cæteri omnes Iudæi in vastatione Ierusalem errarunt, quasi cæci; tum ob perturbationem animi, tum ob caliginem et fœtorem cadaverum et sordium: omnes enim plateæ plenæ erant occisis, hinc eorum sanguine multi polluebantur. Cæteri cum non possent transire facile, et sine contactu occisorum et pollutorum, ne ea tangerent et ab eis pollurentur, continebant et levabant lacinias suas, et clamabant ad alios occurrentes et oberrantes, iam sanguine occisorum maculatos et pollutos: Recedite polluti, ne tangatis aliquem e nobis, nosque polluatis: cumque alii quasi cæci hæc non curarent, cœperunt iurgari, atque ita iurgati commoti sunt, id est abducti sunt captivi, ibique vagantur huc illuc, ubi inter Gentes existentes dixerunt Gentes de eis: Non addet ultra Deus ut habitet in eis. Sanchez hæc accipit tantum de Sacerdotibus: illi enim soli, inquit, ex contactu mortui polluebantur, iuxta legem Levit. 22. 4. Verum laicos quoque eodem contactu pollutos fuisse, patet Numer. 19. 11. et seqq.

TENUERUNT LACINIAS SUAS.) Ita Hebræa, Græca, Rom. male ergo legunt aliqui: *tenuerunt lascivias suas*, id est, adhæserunt suis concupiscentiis et libidinibus. Porro lacinia est vestis extrema pars, et cæsuræ particulatim concisæ decoris causa. Dicitur enim lacinia a lacerando. Hinc lacinia tenere est leviter rem tenere, hoc est, extrema vestis ora.

Vers. 15. **Recedite polluti.**) Alii putant hæc esse verba hostium, Iudæos tamquam contaminatos execrantium; ita Chald. Alii censent esse verba ipsorum pollutorum, dicentium aliis: Recedite a me, quia pollutus sum. Alii et melius autumant, hæc esse verba Iudæorum mundorum clamantium ad immundos: *Recedite polluti*, ne nos inficiatis, uti dixi v. 14.

Iurgati sunt.) Hebr. נצו *natsu*, id est irruerunt, et quasi involarunt in invicem, rixati sunt, verbis contenderunt, aliis dicentibus: Recedite; aliis nolentibus recedere. Septuag. vertunt, *succensi sunt*, scilicet ira; Vatabl. *inquinati sunt;* Chald. *abominabiles erant;* R. Abraham, *avolarunt*, scilicet in captivitatem.

Dixerunt inter Gentes, quicumque eos inter Gentes dispersos et vagabundos videbant, dixerunt: **Non addet ultra** (scilicet Deus) **ut habitet in eis.**) Hebr. est, *non addent Iudæi ultra ad inhabitandum*, ut scilicet redeant in terram suam Iudeam, ad eam inhabitandam; ita Origen. et Vatabl. Alii, q. d. Ne nos polluant et coinquinent Iudæi, propellamus eos e nobis in alias regiones.

Vers. 16. **Facies**, ira quæ facie ostenditur, **Domini divisit**, id est dispersit, **eos** inter Gentes, quia ipsi **facies Sacerdotum non erubuerunt.**) Sed eos sine respectu Sacerdotii aut senii vexarunt et occiderunt; iuste ergo nunc par pari eis redditur: sic enim Iudæi Ieremiam Sacerdotem impudentissime tractarunt, alapis ceciderunt, incarcerarunt, etc. sic postea Christum Pontificem cruciarunt et crucifixerunt. Sunt verba Ieremiæ, ait Theodor. vel hostium et gentium inter quas dispersi erant Iudæi, ut vult Vatabl. Raban. S. Thom. Lyran. qui ipsorum sceleribus attribuebant hanc eorum dispersionem et exilium.

Aliter Orig. Chald. Lyran. et S. Thom. exponunt, ut sit sermo de Chaldæis, non de Iudæis; q. d. Chaldæi non pepercerunt Sacerdotibus aut senibus Iudæorum, propter peccata pseudoprophetarum et Sacerdotum ipsorum. Sed prior sensus est genuinus.

Vers. 17. **Cum adhuc subsisteremus**; q. d. Cum adhuc staret respublica nostra, cum erecti staremus in expectatione Ægyptiorum, ut obsidionem Chaldæorum solverent, **defecerunt oculi nostri.**) Spectantes et intenti ad auxilium Pharaonis, quod promiserat, quia diu expectatus licet non venit, et veniens nos salvare non potuit; quia non spectro suorum patrum, ut fabulantur Hebræi, sed a Chaldæis repulsus est. Vide Ierem. c. 37. ita Orig. Raban. Theod. Hugo.

Aliter Chald. et Olymp. ipsi enim hæc de Romanis explicant quorum auxilium expectarunt Iudæi contra Antiochum tempore Machabæorum, sed frustra: nullum enim ab eis acceperunt. Verum hi Threni non sunt de tempore Machabæorum, sed Chaldæorum et Ieremiæ.

Vers. 18. **Lubricaverunt.**) Hebr. צדו *tsadu*, id est venati sunt hostes gressus nostros: quia præcluserunt viam ne libere possemus incedere, et in mediis plateis insidias nobis posuerunt. Noster forte *tsadu*, deduxit a צד *tsad*, id est latus, q. d. Laterarunt, id est ad latera inclinarunt vestigia nostra, quod fit dum lubricamus ob semitæ glabritiem et difficultatem, aut ob trepidationem et capitis turbationem et vertiginem, uti hic Iudæis accidit. Alii legunt צרו *tsaru*, id est coarctarunt, præcluserunt nobis semitam et vestigia, ut consistere non possemus, ideoque vacillaremus et lubricaremus, q. d. Nil firmi fuit nobis, sed omnia lubrica. Septuag. pro צעד *tsaad*, id est gressus, vestigia, legerunt צעיר *tsair*, id est parvulus: unde vertunt, *venati sunt parvulos nostros, ne irent in plateis nostris.* Vide Ierem. 9. 21.

Vers. 19. **Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli.**) Tum cum e Chaldæa in Iudæam equis velocissimis æque ac robustissimis et ferocissimis, quasi aquilæ advolarunt, ut ait Ierem. 4. 13. et c. 48. 40. tum potius cum Sedeciam et principes fugientes ex urbe iam capta, comprehenderunt, 4. Reg. 25. 5. Pulchre et vere S. August. in Psal. 123. *Ideo*, inquit, *te quærit maior raptor, quia invenit minorem: ideo te quærit maior aquila, quia prior cepisti leporem: præda tibi fuit minor, præda eris maiori.* Iustum enim est et congruum, ut in quo peccasti, in eo et puniaris. Aquilas nominat, quia velocissimæ sunt, unde Pindarus ait aquilam esse Reginam volucrum, Delphinum piscium. Et Aristophanes, Athenienses, ait, oraculum acceperunt fore, ut tanto post se intervallo urbes alias relinquerent, quanto aquila alias aves celeritate superat.

Super montes persecuti sunt nos.) Ibi enim suas rupes inaccessas, et cavernas abditas latebrasque habebant Iudæi, in quas tempore belli se recipiebant, teste Ioseph. l. 1. Belli 12.

Spiritus oris nostri.) Id est Iosias per quem quasi auram et aerem nostrum respirabamus, et sub cuius umbra, id est innocentia, iustitia et meritis, inquit Chald. ac patrocinio pie et pacate vivebamus inter Gentes. Iosias inquam noster rex, a Pharaone Nechao vulneratus est et cæsus, 4. Reg. 24. q. d. A cæde Iosiæ cœpit calamitas nostra, cœpit ruina Iudæorum; quia successerunt ei filii impii qui regnum perdiderunt: ita Chald. Hebr. Raban. Hugo, Vatab. S. Thom. Sanchez, et S. Hieron. in 12. Zachariæ: unde Vatabl. Chald. et Pagnin. pro *Christus Dominus*, vertunt, *christus Domini*, id est unctus a Domino in regem, et ita verti potest ex Hebræo. Suavissima enim et gratissima Iudæis erat Iosiæ memoria et nomen, ut patet Eccli. 49. 1. unde vocant eum suum spiritum, animam et vitam. Sed hactenus in Threnis nulla facta est mentio Iosiæ, sed Sedeciæ; nec Iosias captus, sed vulneratus est. Denique Iosias non potest dici Christus Dominus, ut vertit noster et Septuag. Vers. 20. Spiritus oris nostri non est Iosias.

Secundo, S. Thom. Maldon. et aliqui Hebræi per Christum accipiunt Sedeciam, de quo præcessit, q. d. Christus Domini, id est Sedecias rex, qui solus nos Iudæos tutari poterat a Chaldæis, captus est ob peccata populi, et etiam sua. Sic Saul, licet impius, a Davide vocatur Christus Domini, id est a Domino unctus in regem. Hic sensus apte cohæret præced. et sequent. Nec Sedecias.

Verum quia noster et Sept. vertunt, *Christus Dominus*, id est יהוה *ichova*, ut habent Hebræa, id est Deus. Hinc S. Clemens, Iren. Iustin. Orig. Tertull. Ambros. Hieron. Theod. Olymp. et alii passim, quos fuse citat hic Christ. a Castro, accipiunt ad litteram de Christo, ut ad eum more prophetico avolet Ieremias, quasi ad clausulam et catastrophen suarum lamentationum et prophetiarum, q. d. Post omnes has calamitates illud ultimo maxime lamentandum venit, quod peccatis nostris Christo (huius enim, utpote Regis et Salvatoris nostri, mentem meam subit imago, cum eius parentes et antitypos, Iosiam, Iechoniam et Sedeciam commemoro) mortem certissime afferemus sub Pilato, et in Dei præscientia iam attulimus, imo nos Iudæi proprie Christum nostrum crucifigemus et occidemus: atque licet Deus id ita eventurum præsciat, tamen ex immenso suo erga nos amore hæc omnia permittet; imo nos captivitate Babylonica liberabit, et in Iudæam reducet; uti præscit nos Christum suum occisuros; idque ad hoc, ut per Christi mortem nos a dæmonis captivitate et morte æterna liberet. Quis ergo hanc tam indignam innocentis Christi, et filii Dei captivitatem et necem non lamentetur? quis eius potius quam Sedeciæ casum non lugeat? quis creatorem suum et redemptorem Iesum captum, et cruci affixum siccis oculis intueatur? Utroque ergo modo verti potest, scilicet *Christus Domini*, ut sic intelligatur Sedecias, et *Christus Dominus*, ad quem avolat Ieremias, quemque maxime amabat et plangebat, cuius typus fuit rex Sedecias. Obiter ergo perstringit casum Sedeciæ, quasi typum, et sub eo proprie et directe intelligit, lugetque casum Christi antitypi; hic enim proprie captus et mortuus est in peccatis, non suis, sed nostris. Rursum Christi mors et cædes fuit causa excidii Ierusalem per Titum et Romanos, cuius typus et inchoatio fuit excidium eiusdem per Chaldæos, quod hisce Threnis luget Ieremias. Sic Isaias a Cyro ad Christum subito avolat c. 45. dicens: *Rorate cæli desuper*. Et Zachar. cap. 9. 9. ab Israele ad Christum: *Ecce*, inquit, *rex tuus veniet tibi iustus et salvator.* Vide can. 4. et 5. Sed Christus.

ORIS NOSTRI.) Hebr. אפים *appaim* significat os, nares, faciem. Unde Aquila, Symmach. Chald. vertunt, *spiritus narium nostrarum;* Septuag. προσωπε, id est *faciei nostræ;* Tertull. *legit spiritus personæ eius Christus*: quia ait ipse l. 5. contra Marcion. c. 11. *Paternæ personæ spiritus est Christus*, Christus ergo vocatur *spiritus oris nostri*. Primo, quia ipse menti et ori nostro afflat spiritum prophetiæ: ita Orig. et Euseb. 4. Demonstr. 21. Christus enim qua Deus Ieremiæ aliisque Prophetis suggerebat sua oracula. Secundo, quia Christus finis erat et scopus omnis prophetiæ. Tertio, Orig. Rupert. Raban. Hugo, Lyran. Spiritus, inquiunt, oris nostri, id est anima et vita nostra, est Christus: quia sicut sine spiritu corpus mortuum est; ita anima sine gratia Christi mortua est. Hinc Christus inspiravit in Apostolos Ioan. 20. dicens: *Accipite Spiritum sanctum*, idque fecit ad vitam in nobis renovandam, sicut eamdem ipse inchoavit cum Gen. 2. 7. inspiravit in faciem hominis spiritum vitæ. Quarto, Theodor. Spiritus, inquit, lucis divinæ vehiculum est Christus, quia ipse mentem illustrat scientia Dei. Favet S. Cyrillus in c. 5. Osee sub finem, ubi pro *Spiritus* legit, *lumen*: *Lumen faciei nostræ*, inquit, *Christus Dominus*. Huic lumini apposite respondet umbra, de qua subditur: *In umbra tua vivemus in gentibus*. Sic Anna mater Tobiam filium vocat *lumen oculorum suorum, baculum senectutis, solatium vitæ*, Tobiæ 10. 4. Simili de causa dixit Plin. l. 2. cap. 99. sidus lunæ rerum spiritum existimari. *Hoc enim esse quod terras saturet, accedensque corpora impleat, abscedens inaniat. Ideo cum incremento eius augeri conchylia, et maxime spiritum sentire quibus sanguis non sit. Sed et sanguine hominem etiam cum lumine eius augeri ac minui. Frondes quoque ac pabula sentire, in omnia eadem penetrante vi.* Porro apte deitatem Soli, humanitatem Christi lunæ comparari, multis analogiis ostendit Alcazar Apoc. 12. 1. explicans illud: *Luna sub pedibus eius.*

Christus est spiritus oris nostri ob quatuor causas.
1.
2.
3.
4

Dicitur vero Christus etiam spiritus narium nostrarum; quia, ut Orig. Dei amatores assidue Christum spirant, illumque semper ante oculos, in corde et ore habent, ut cum S. Bern. dicant, *Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde*. Secundo, quia Christus in rebus afflictissimis unicum nobis est refugium et respiraculum: ita S. Thom. Tertio, quia, ut Chald. vertit, Christus Dominus charus nobis est et amabilis ac pretiosus, ut anhelitus et spiritus vitalis, quem per nares emittimus, ac ut aura quam attrahimus, et respiratio quam intromittimus: sicut enim respiratio calorem cordis temperat itaque vitam conservat: ita Christi gratia temperat concupiscentiam, et vitam gratiæ conservat. Denique, Christus est spiritus in quo vivimus, movemur et sumus: ut cum S. Paulo dicamus, *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus*, Gal. 2. 20. vide ibi dicta. Et Colos. 3. 4. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum Christus apparuerit vita vestra*, etc. Denique luculenter hunc versum ita reddit interpres Arabicus Alexandrinus: *Spiritus facierum nostrarum, qui erat forma* (species) *nostra, Christus Dominus derelictus est in delictis eorum, et corruit in foveam eorum ille, in cuius ala* (protectione) *dixi, quod vivemus, et in umbra eius inter populos.* Minus recte vertit Arabicus Antioch. *Insidiati sunt nobis, et insufflarunt nobis ad spiritum Christi Domini. Captus est in venatione eorum, cuius in umbra diximus nos esse victuros inter gentes.*

Christus est spiritus narium nostrarum quatuor ob causas.

Moral. dicat cum Ieremia fidelis et Christo dicata anima: Christus est meus spiritus, meus anhelitus, mea anima, mea vita; Christus est quem spero et spiro, in quo respiro, quem inspiro et exspiro: Christus mihi charior, mihi intimior, mihi pretiosior est ipso spiritu vitali, ipsa anima et vita mea: quia ipse est anima animæ meæ, ipse spiritus mentis meæ, ipse centrum cordis mei. Sicut ergo anima corpus animat et vivificat, ac consequenter singula membra informat, movet, regit, dirigit; ut per os loquatur, per aures audiat, per oculos videat, per pedes ambulet, etc. ita Christus animat et vivificat animam meam, et per eam corpus, omnesque sensus, potentias et membra; ac proinde ea movet et dirigit ad omne bonum, et

Moral. Christus est spiritus et anima nostra.

A ad suum Deique obsequium. Facit enim ut lingua nil nisi honestum et sanctum loquatur, ut oculi nil nisi pudicum videant, ut aures non nisi verbo Dei et castis sermonibus pateant, ut cor nil nisi cælestia amet, ut mens nil nisi divina cogitet, ut pedes non nisi ad opera bona progrediantur. Ita spiritus et anima Pauli erat Christus, ideoque dixit: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*, Philipp. 1. 21. *Sine Christo enim vanum omne quod vivimus*, ait S. Hieron. Et, *Christum inhabitare per fidem in cordibus vestris*, Ephes. 3. 17. Et, *Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus*, Rom. 14. 8. Unde cum morimur, dicimus cum S. Stephano: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum*. Et, *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*, Gal. 4. 19. Sicut enim gallina incubando et fovendo ova, parturit pullos, eisque suum calorem, spiritum animam et vitam aspirat; ita Paulus quasi incubando et fovendo Galatas, eis quasi parturiens suum calorem, suum spiritum, suam animam,

B suam vitam, puta Christum, aspirabat et inhalabat. Ita Sancti eminentes Christo adeo coniuncti, familiares et intimi fuerunt, ut non tam ipsi, quam Christus in eis vivere, spirare, loqui, operari, pati videretur. Hinc S. Dion. et rerum spiritualium magistri docent, apicem perfectionis in hac unione et inoperatione Christi consistere; scilicet ut anima in orando, operando et patiendo, potius se passive quam active habeat: itaque excipiat omnes Christi inspirationes, impulsus, inoperationes, etc. iisque sinat se agi et dirigi ad omnem virtutem. Quocirca tales in Christo Christique providentia, cura et amore secure requiescunt; omnesque sollicitudines, timores et cruces in ipsum coniiciunt dicentes: *Dominus sollicitus est mei*, ipse meam curat salutem, gratiam et gloriam: non timebo ergo quid faciat mihi homo, caro, mundus aut dæmon. Hæc est vita paradisi, et inchoatio cælestis felicitatis. Iesu dulcissime, esto spiritus oris mei; ut quoties respiro, toties te iuspirem et expirem, toties te memorem, sentiam, sa-

C piam, proloquar, omnibusque aspirem et inhalem; ut, dum spiritus hos regit artus, tu spiritum meum inhabites, animes et regas; ut nil nisi te inspirante, ex te, per te, de te dicam, doceam, scribam, agam. In te enim est totum quod desiderare possum et debeo: tu salus mea et redemptio; tu spes mea et fortitudo; tu lumen oculorum meorum; tu decus meum et gloria; tu mea vita, meus amor, meæ deliciæ, mea æternitas, mea beatitudo. Sive ergo vivam, sive moriar, in manus tuas spiritum meum et cor meum, imo tuum cum S. Catharina Senensi commendo.

IN PECCATIS NOSTRIS.) Hebr. בשחיתותם *bischitotam*, quod Primo, S. Ambros. in Ps. 118. serm. 11. vertit, *in interitu nostro*. Secundo, Dionys. Alex. in resp. ad quæst. Pauli Samosateni, vertit, *in calumniis nostris*. Tertio, Septuag. *in corruptionibus nostris*, vel, ut Romani codices habent, *in corruptionibus eorum;* hoc enim significat affixum in voce *bischitotam*. Sed noster cum S. Ambr. et aliis

Septuplex versio.

D pro *eorum* vertens *nostris*, legit בשחיתותנו *bischitotena*. Quarto, Chald. et Vatabl. vertunt, *in retibus eorum;* Arabic. *in venatione ipsorum*. Quinto, Syrus, Pagnin. et R. Salomon, *in foveis eorum*, scilicet persecutorum Chaldæorum (inquiunt ipsi) de quibus v. præced. hæc omnia significat Hebræa radix שחה *sciacha*, vel שחת *sciachat*. Sexto, noster clare et plane vertit, *in peccatis nostris*, id est, ut Olymp. et alii, propter peccata nostra, uti ait Isa. c. 53. 5. quod Theodor. explicat, ob peccata et corruptissimam impietatem et invidiam Iudæorum in Christum. Alii generalius explicant: ob peccata omnium hominum: hæc enim in se luenda suscepit Christus.

IN UMBRA.) In tua protectione, inter gentes iniquas, a malis tuti vivemus, Cant. 2. 3. ita Rupert. Hugo, Lyr. Hic sensus est planissimus.

Secundo, Origen. *in umbra*, inquit, id est ad tui imitationem; umbra enim est imago corporis, cuius est umbra.

Tertio, idem hom. 8. *in umbra*, id est in nomine Iesu, vel in humanitate et carne eius, sub quasi umbra divini-

Umbra deitatis est humanitas.

tatis vitam accepimus spiritualem. Sic et S. Bern. serm. 20. in Cant. qui putat hæc dici ex persona incipientium: *Ut quiescant*, inquit, *saltem in umbra, qui Solis ferre ardorem minus validos se sentiunt, et carnis dulcedine nutriantur, dum necdum valent percipere quæ sunt spiritus Dei: umbram siquidem Christi, carnem reor esse ipsius, de qua obumbratum est et Mariæ, ut eius obiectu fervor splendorque spiritus illi temperaretur: in carnis ergo devotione interim consolentur, qui vivificantem spiritum necdum habent.* Nam, ut idem ait serm. in Nativ. B. Mariæ: *Inter cælestes beatitudines non in umbra vivitur, sed potius in splendore: In splendoribus Sanctorum, inquit, ex utero ante luciferum genui te: Ecclesia* vero *ait, Sub umbra eius quem desideraveram sedi.* Hac de causa, ut idem ait serm. 6. de Ascens. *Apostoli* ante missionem Spiritus sancti, utpote adhuc imperfecti, *meram lucem spiritus sustinere non poterant, sed exhiberi illis oportuit Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna.* Et serm. 3. *In umbra,* inquit, *non inter angelos, ubi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur:* ita quoque S. Ambros. in Psal. 118. serm. 19. lit. *coph. Umbra*, inquit, *tua o Christe caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigeravit cupiditatum, quæ compescuit insolentiam vitiorum, quæ restinxit ignes libidinum, quæ avaritiæ diversarumque passionum incendia temperavit: et quid dicam de umbra Domini, quando et Apostolorum umbra sanabat?* Auctor libr. 2. de Incarn. Verbi ante fin. apud S. Aug. tom. 4. per umbram hanc accipit animam Christi. *Quia,* inquit, *sicut umbra corporis inseparabilis est a corpore, et indeclinabiliter motus ac gestus corporis suscipit et gerit: sic anima Christi a deitate et Verbo, cui inseparabiliter inhæreret, suum opus ac motum suscipiebat, et pro eius nutu ac voluntate cuncta perpetrabat: in huius enim umbra per fidem vivimus inter Gentes.*

In Gentibus.) Quia Christus a Iudæis ad Gentes se Ecclesiamque suam transtulit, inquit S. Augustin. loco iam citato, et Ruffin. in expos. symb.

Vers. 21. Gaude et lætare filia Edom.) Est ironia, vel concessio, qualis est illa Eccles. 11. 9. *Lætare iuvenis in adolescentia tua*, etc. nam Ieremias hic prædicit excidium Idumæorum, per eosdem Chaldæos; quia ipsi irriserant Iudæos, et iuverant Chaldæos in excidio Iudæorum, idque patet ex Abdia 1. 10. et Ezech. 35. 13. ita Theodor. Raban. Hugo, S. Thom. Lyran. redit enim et revolat Propheta de more a Christo ad sua tempora.

Hebræi, Chald. et R. Salomon per Idumæos accipiunt Romanos, quos aiunt ortos ab Idumæis. Sed illud falsum est, ut patet ex præc. hoc incertum, imo pariter falsum, et recte refutatum a Lyrano et Hugone.

Quæ habitas in terra Hus.) Hinc patet, terram Hus eamdem esse cum Idumæa, vel certe in se complexam fuisse Idumæam.

Inebriaberis atque nudaberis.) q. d. Hoc calice furoris, hac vindicta Dei ita repleberis, ita affligeris, ut videaris esse ebria et emotæ mentis, ut more ebrii nuderis, id est spolieris tuis bonis, quin et vestibus. Rursum ut more ebrii discooperias et nudes infirma et verenda tua, id est loca terræ imminuta præsidio nudes, per quæ hostis intret. Secundo, nudaberis murorum ambitu disiecto. Unde R. Abraham putat hic alludi ad verba quæ Idumæi dicebant, cum Ierusalem everteretur: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea:* q. d. Evertite Ierusalem usque ad fundamenta; utrobique enim idem est verbum ערה *ara*, q. d. O Edom everteris usque ad fundamentum, quia tu hoc Hierosolymæ optasti, et ut fieret cooperatus es. Tertio, Septuag. vertunt cum Chald. Vatabl. Pagnin. effundes, evacuabis, evomes scilicet cives tuos in captivitatem, ut maneas vacua et solitaria.

Moralit. discant hic homines, non gaudere in casu et ruina miserorum, etiam hostium, sed compati ac timere ne idem sibi eveniat. Ita cum Franc. Valesius rex Franciæ captus a Carolo V. scripsisset in pariete cubiculi sui, *Hodie mihi, cras tibi*, id legens Carolus subscripsit, *Homo sum, humani a me nihil alienum puto.*

Completa est iniquitas tua.) Id est pœna iniquitatis tuæ, q. d. Pœna iniquitati tuæ, o Ierusalem, debita hac captivitate 70. annorum complebitur; sed in eam succedet Idumæa tibi inimica, cuius peccata Deus discooperiet, et nota faciet orbi per publicam vastationem et perpetuam captivitatem; ita Theod. Orig. Hugo, S. Thom. Lyran. Concludit Ieremias Threnos consolatione Iudæorum, quod exilium et pœna eorum brevi sit finienda, atque in eorum hostes Idumæos derivanda. Hinc patet hosce Threnos a Ieremia esse scriptos post excidium Hierosolymæ. Vers. 22.

Dices, Quomodo ait: *Non addet ultra ut transmigret te*, cum postea Iudæi a Tito et Romanis vastati sint? Respondeo, *non ultra*, scilicet ad longum tempus, *transmigrabit te:* nam tempore Romanorum fuit quasi aliud sæculum, et alia Ierusalem. Simile est Isaiæ 2. 4. Adde, sub Tito non fuisse proprie transmigrationem, sed excidium Iudæorum.

Secundo, aliter S. Thom. *non ultra*, inquit, punieris, scilicet pro his peccatis, sed si nova committas, uti revera facies, rursum punieris per Titum.

Tertio, Hugo et Lyran. *non ultra*, supple si Deo servieris fideliter.

Quarto, Theodor. *non ultra addet*, scilicet Nabuchodonosor, ut transmigret te.

Alleg. Orig. et Olymp. Christi morte auferetur a filia Sion, id est ab Ecclesia, iniquitas omnis, et Idumæi, id est impii homines, disperdentur, qui semper hostiliter Ecclesiam sunt persecuti. Simile est Dan. 9. 24. Iudæi hanc felicitatem non quasi peractam sub Esdra, sed quasi futuram adhuc expectant, eamque sibi promittunt in terrena Ierusalem, ad quam se reducendos per suum Messiam sperant. Unde Chald. vertit, *deinde solvet iniquitatem tuam Synagoga, et redimeris per manus Christi et Eliæ, et non addet amplius Dominus transmigrare te, et in illo tempore visitabo iniquitatem tuam. Roma ædificata in Italia, et plena turmis Idumæorum, et venient Persæ, et angustiabunt te, et vastabunt: quoniam publicata sunt coram Domino peccata tua.* Eadem est opinio Rabbin. putant enim se libertatem non esse assecuturos, nisi per eversionem Romæ et Romanorum. Ita miseri se fabulosis spebus et odiis lactant: quid enim Romanis cum Idumæis? et quasi Assyrii, Turcæ et alii non magis afflixerint Iudæos quam Romani.

Moraliter disce hic, quam Deus afflictos, lugentes et pœnitentes consoletur, quamque tristibus læta submittat, ut in tribulatione merito sperare possimus, ac dicere: *Post tenebras spero lucem, post nubila Phœbus.* Ita cum eamdem Ierusalem vastasset et spoliasset Ramisus, dux exercitus Cosrhois Persarum regis, an. Domini 614. solatium ei dedit per S. Ioannem Eleemosynarium Archiep. Alex. qui Hierosolymam misit Chrysippum quemdam virum pium, tradens ei multum auri, frumentumque et alia alimenta et indumenta, et ad ea vehenda iumenta plurima, tum ut aspiceret vastitatem, tum etiam ut eos qui remanserant ex captivitate, per ea quæ dicta fuerunt, recrearet. Præterea autem Theodorum quoque Amathuntis Episcopum, et Anastasium Præfectum magni montis Antonii, et Gregorium Episcopum Rinocurorum emittit ad eos recipiendos qui abducti fuerant in captivitatem, vim auri præbens innumerabilem. Ita habet vita S. Ioannis Eleemosynarii. Moral. quam Deus lugentes consoletur.

Sic luctus S. Monicæ pro Augustino filio Manichæo utrique saluti fuit. Monicæ enim multum oranti et lugenti divinitus dictum est, ubi ipsa esset, ibi et illum futurum. Ab Episcopo etiam, quem ut pro illo oraret cum fletu rogaverat, audivit, fieri non posse, ut tantarum lacrymarum filius periret. Qui tandem Ambrosii Episc. prædicatione conversus, non solum errorem omnem abiecit, sed etiam errantibus viam veritatis monstravit, obscura declarando, dubia edisserendo, certa confirmando, prava falsaque omnia plenissime confutando. Tantum profecit matris pro filio lugentis assidua sollicitudo; ita S. Aug. 3. Confes. 12. et seq.

S. Dominicus, ut habet auctor vitæ lib. 1. c. 4. Fratrum Prædicatorum Antistes, optabat se totum impendere saluti proximorum, tum se revera Christi fore membrum existimans, si eius se exemplo animabus lucrandis prorsus manciparet. Plenum erat sanctissimis affectionibus pectus eius, atque erga omnia tum prospera, tum adversa proximorum, mira pietate movebatur, afflictorum rebus duris cruciabatur, pauperum penuria et miserorum calamitatibus torquebatur, atque in primis pereuntium animarum zelo mire angebatur, et mente sauciabatur. Ita nimirum instar Prophetæ, Dominicus peccata hominum et afflictorum miserias contemplans, æstuabat animo intrinsecus, et flens largissime latentem commiserationis affectum per lacrymas prodebat foris. Hanc enim excellentissimam charitatis gratiam specialiter habebat a Deo do- A natam, flendi scilicet pro peccatoribus et miseris, atque afflictis omnibus condolendi. Atque hisce lacrymis tot parturivit filios, tot animas convertit, et ad æternam quietem transmisit. Annon ergo egregiam luctus sui consolationem accepit? Iudic. 2. ascendit angelus ad locum flentium flentesque Hebræos consolatus est. Deus Ninivitas ad prædicationem Ionæ lugentes, venia et gratia sua dignatus est. De Apostolis dicitur ps. 125. *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Et sponsus sponsam lugentem vocat et consolatur: *Iam hiems transiit, imber abiit et recessit, tempus putationis advenit*, etc. *surge amica mea et veni.*

DISCOOPERUIT, q. d. Revelabit PECCATA TUA Deus toto orbi, dum ea publico excidio puniet.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput est quasi brevis iteratio et summa Threnorum. Sicut enim Rhetores in peroratione iterant densantque ea, quæ tota oratione dixerunt, tum memoriæ, tum motus causa, ut magis auditores moveant; ita et facit hic Ieremias. Inscribitur hoc caput non in Hebræo, sed a Septuag. et a nostro Interprete, Oratio Ieremiæ: *nam primo, mala populo ob peccata a Deo illata, et in Threnis recensita, refricat, et summatim enumerat: deinde orat pro misericordia, ut Deus populum in pristinum statum restituat. Hanc orationem Ieremias composuit post vastatam Ierusalem, antequam iret in Ægyptum. Porro hæc oratio non est composita ordine litterarum Hebraicarum; totidem tamen habet versus scilicet 22.*

1. RECORDARE Domine quid acciderit nobis: intuere, et respice opprobrium nostrum. 2 Hæreditas nostra
versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. 3. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ
quasi viduæ. 4. Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparavimus. 5. Cervicibus
nostris minabamur, lassis non dabatur requies. 6. Ægypto dedimus manum, et Assyriis ut saturaremur pane.
7. Patres nostri peccaverunt, et non sunt: et nos iniquitates eorum portavimus. 8. Servi dominati sunt nostri:
non fuit qui redimeret de manu eorum. 9. In animabus nostris afferebamus panem nobis a facie gladii in deserto.
10. Pellis nostra, quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. 11. Mulieres in Sion humiliaverunt, et
virgines in civitatibus Iuda. 12. Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt. 13. Adolescentibus impudice abusi sunt: et pueri in ligno corruerunt. 14. Senes defecerunt de portis, iuvenes de choro psallentium. 15. Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. 16. Cecidit corona capitis nostri:
væ nobis, quia peccavimus. 17. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri:
18. Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo. 19. Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generationem et generationem. 20. Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques
nos in longitudine dierum? 21. Converte nos Domine ad te, et convertemur: innova dies nostros, sicut a principio. 22. Sed proiiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.

Vers. 1. RECORDARE.) Hæc verba *recordare, intuere*, emphasim continent: non enim nudum et otiosum intuitum et recordationem, sed practicum, affectuosum et efficacem, scilicet affectum cum effectu coniunctum significant. Deus ergo recordari et intueri dicitur, cum miseretur, indulget, a pœnis liberat, favet, beneficia confert, etc. Recordatio enim Dei, uti et intuitus, est operativus et efficax, cum hominis sit otiosus et inefficax. Ex adverso oblivisci et non intueri, idem est, quod negligere, non curare.

Vers. 2. HÆREDITAS NOSTRA.) Iudæa quam iure hæreditario possidebamus, iam facta est Chaldæorum, eisque est tributaria. Recenset a v. 1. usque ad 19. totidem mala et clades (scilicet singulis versic. unam) puta 18. quæ illis per excidium obvenerunt. Quæ omnia et singula ad literam evenerunt Christianis, cum ob sua peccata perdiderunt eamdem terram sanctam, Græciam, Asiam, aliasque provincias, quæ a Turcis vel hæreticis occupantur. Hi ergo hæc usurpent. Tropol. hæc omnia facile est adaptare peccatori, qui totidem, imo plura damna per peccatum incurrit; vide Dionys. Carthus.

Vers. 3. PUPILLI FACTI SUMUS ABSQUE PATRE.) Quia patres occisi aut capti sunt a Chaldæis, unde uxores solitariæ et desolatæ manent quasi viduæ, et filii orphani; ita Hugo, Lyran. Chald.

Secundo, Raban. et S. Thom. q. d. Orbati sumus protectione paterna Dei, qui Synagogæ maritus, et singulorum in ea erat pater.

B Tertio, Maldon. q. d. Orbati sumus rege Iosia et Sedecia. Rex enim reipubl. et patriæ est quasi pater. Verum primus sensus est planissimus. Sequitur enim, *Matres nostræ quasi viduæ.*

AQUAM NOSTRAM PECUNIA BIBIMUS, LIGNA, etc.) q. d. Vers. 4.
Etiam res communes et viles, uti est aqua, emere debuimus. Secundo, aquam et ligna quæ prius erant nostra, iam a Chaldæis occupata, pecunia vel tributo redimere debuimus, et etiamnum debemus. Tertio, Sanchez, q. d. In Babylone, aquam Babyloniis omnibus communem, nos Iudæi captivi ab iis pecunia emere debemus; quod durum et inhumanum est. Nam, ut docet Cicero 1. Offic. res omnes quas ad communes hominum usus natura genuit, ut aqua, aer, ignis etc. iure naturæ sunt omnium et singulorum.

CERVICIBUS NOSTRIS MINABAMUR.) Hebr. *super colla* Vers. 5.
C *nostra persecutionem passi sumus*, quia scilicet funibus ad collum ligatis ducebantur in Babylonem; ita Raban. et S. Thom. iisque suas sarcinas imponebant Chaldæi, ait Chald. et Hugo: ii vero qui remanserant in Iudæa, quasi bruta ad opus et agriculturam urgebantur. Unde Sanchez per cervices oppressas, scilicet servitutis iugo, accipit quodlibet durum et vile ministerium. Portabant, inquit, servi onera, aut humeris et cervicibus imposita, sicut iumenta dorso; aut actis in iugum plaustrale cervicibus, quod boum est, ita ut plaustrum traherent, et in eo onus, stercus puta, saxa, arenam, etc. Minari autem suis

cervicibus dicuntur: quia ex hesterno opere coniectabant, quid sibi ferendum esset oneris in crastinum; quocirca illud sibi indicebant, dicebantque: O collum ingenuum quondam et liberum, quot te manent onera! servilibus etiam cervicibus indigna! O brachia, qui vos labor, quæ vos exercebunt et frangent ministeria! O caput mille iam conviciis et diris execrationibus devotum! Ita Iudæos iam vilissima tractare opera cernimus, *quorum cophinus fænumque supellex,* ait Iuven. satyra 3. qui proinde eos Verpos vocat, et irridet. Aliter Maldon. vox, inquit, *minabamur,* capitur passive, q. d. Cervicibus nostris hostes grave malum minabantur, scilicet, ut Lyran. et Dionys. minabantur se cervices nobis amputaturos, nisi faceremus statim quæcumque vellent. Unde aliqui pro *minabamur* legunt, *minabantur.* Verum codices Romani et alii correctissimi habent *minabamur;* quod hic non significat comminari: cum enim hoc significat, active semper capitur, nunquam passive, sed significat agi et duci instar pecorum: hoc enim notat Hebr. נרדף *nirdaph*, unde versus etymologicus hæc duo ita distinguit:

Pastor ovem baculo minat, lupus ore minatur.

Tertio, Chaldæus vertit, *cum iremus in exilium, vidit Nabuchodonosor principes Israel euntes vacuos, id est sine sarcina: iussit ergo consuere libros legis, et ex eis facere utres, impleveruntque lapillis qui erant ad ripam Euphratis, et imposuerunt eos supra cervices eorum.* Ita referunt vel fabulantur Iudæi: aut, si hoc verum est, merito id passi sunt, ut membranas legis in saccos conversas lapillis et arena plenas portarent, qui legem habebant in membranis tam aridam et sterilem, non in corde scriptam, ac proinde otiosam et inutilem, quæ proinde hoc pondus exilii eis accersivit, eosque degravavit et oppressit, ut in quo peccaverant, in eodem etiam punirentur.

LASSIS NON DABATUR REQUIES.) Aliter ex Hebr. vertit R. Salomon et R. Ioseph, *labor non relinquitur nobis,* id est laboramus et fabricamus ad aliquid lucrandum, sed mox lucrum omne quod percepimus nobis auferunt inhumani heri, quibus servimus. Sic dæmon sagas ad scelera adigit, et lassat, nec dat eis requiem; sic lassant compotationes, convivia, ludi, libidines etiam nocturnæ; nec misero homini lasso et exhausto dant requiem: unde aiunt impii, Sap. 5. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis;* nec enim dæmon, nec concupiscentia, nec mundus peccatori, qui eis servit quasi mancipium, ullam dant requiem. E contrario servire Deo est quiescere, imo regnare.

Dæmon suis non dat requiem.

Vers. 6. ÆGYPTO DEDIMUS MANUM.) Id est pepigimus fœdus cum Ægyptiis, inquit R. Abraham. Secundo et melius, q. d. Ab Ægyptiis auxilium et annonam petiimus, iisque supplices facti sumus, et quasi mendici extendimus eis manus ad petendam eleemosynam; ita Vatabl. Lyran. Raban. Hugo, S. Thom. Tertio, *dedimus manum,* id est dedimus et subiecimus nos, ac servivimus quasi mancipia Ægyptiis et Assyriis, ut panem lucraremur, quo victitaremus, et traheremus ærumnosam animam; ita Chald. hicque sensus videtur aptissimus. Quarto, aliter vertunt Septuag. *Ægyptus dedit manum Assur ad saturitatem ipsorum,* id est Ægyptii et Assyrii suppeditarunt annonam Iudæis, ut pane saturarentur.

Vers. 8. SERVI.) Ammonitæ et Idumæi, qui prius nobis tributarii serviebant, iam cum Chaldæis Ierusalem expugnarunt; ita Hugo, S. Thom. Lyranus.

Secundo, q. d. Chaldæi, qui ex Cham, Chus et Nemrod (qui primus regnavit in Babylone, Genes. 10. 10.) orti, a Noe damnati sunt, ut sint servi Sem et posterorum, id est nostri, Genes. 9. 27. vel, ut Raban. qui ob impietatem et idololatriam sunt servi; cum Iudæi sint ingenui: hi iam nobis dominantur. Unde Iudæi Gentiles vocabant servos, se vero liberos. Hinc ad Christum, volentem eos e peccati servitute liberare, dicunt Ioan. 8. 33. *Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam.*

Tertio, Sanchez, Verisimile est, inquit, tanquam prædæ partem datos esse Iudæos Chaldæorum servis, qui scilicet in bello Iudaico eis servierant, agebantque in castris: aut potius, Chaldæi servos suos præponebant Iudæis, ut ab illis durum operis diurni pensum severe exigerent, uti fecerunt servi Pharaonis Hebræis in Ægypto, Exodi 1. 11. et 14. Ingens est hic dolor, æque ac ignominia et probrum, qui mire heri animum pungit et premit. Eadem enim plaga a superiori, vel æquali illata, longe minus cruciat, quam si a subdito, ac præsertim a servo infligatur. Ita Maximianus Imper. ut S. Sergium primicerium suum, qui se Christianum libere profitebatur, maxime affligeret, iudicandum et atrociter puniendum misit ad Antiochum Præfectum Orientis, qui S. Sergii servus extiterat, ac eius favore illam dignitatem obtinuerat; qui ut Maximiano satisfaceret, iussit S. Sergium calceari calceis aculeatis, iisque indutum instar mancipii currere ante rhedam suam: itaque eum deduxit per tres leucas cum acri pudore, æque ac dolore: nam aculei rivos sanguinis ex pedibus eius eliciebant. Hoc tormentum deinde iterari iussit: verum cum S. Sergium nullo pudore vel dolore vinci cerneret, capite eum plecti iussit anno Domini 309. die 7. Octobris, qua die Ecclesia eius triumphum anniversaria martyrii memoria recolit.

IN ANIMABUS NOSTRIS.) Id est, cum animæ, id est vitæ, periculo, ob Chaldæos ubique palantes, et in locis desertis insidiantes ac grassantes (uti etiamnum in Iudæa et Syria grassantur Arabes) tam in obsidione, quam urbe iam capta egressi sumus pabulatum, ut annonam et victum ex agris in urbem inveheremus; ita Hugo, Lyran. Dionys. Vatabl. et R. Ioseph, qui addit: Modicum, inquit, illud panis, quod nobis ab Assyriis comparabamus et efferebamus, rapiebatur in itinere, nec erat qui nos liberaret de violentia ipsorum. Vers. 9.

PELLIS.) q. d. Sicut clibanus igne frequenti uritur, siccatur, nigrescit; ita pelles nostræ præ fame a calore naturali uruntur, siccantur, nigrescunt.

A FACIE TEMPESTATUM FAMIS.) Id est, propter ingentem famem quæ in nos irruit, quasi valida tempestas. Hebr. est, *propter exustiones famis,* id est fame urente, aut propter exustiones agrorum famem afferentes. Vers. 10.

PRINCIPES MANU, Hebr. *manu eorum,* scilicet hostium, SUSPENSI SUNT. Vers. 12.

ADOLESCENTIBUS IMPUDICE ABUSI SUNT.) Hebr. *iuvenes ad molendum tulerunt;* q. d. Ad rem vilissimam, id est ad molas agitandas, iuvenes, quasi viribus valentes, applicuerunt; ita Chald. Vatabl. Pagnin. Vers. 13.

Secundo, noster melius vertit, Adolescentibus turpiter abusi sunt; hoc enim metaphorice significat *molere* apud Hebræos, uti patet Iob 31. 10. in Hebræo, et etiam apud Horatium aliosque Latinos, quorum verbis in re obscœna libens abstineo. Sic et Græci μυλεῖν, id est molere, sumunt pro scortari; unde μυλλὰς vocatur scortum.

PUERI IN LIGNO CORRUERUNT.) Id est ligneo patibulo suspensi sunt; ita Chald. Hugo, Lyran. vel potius, ut Vatabl. sub ligneo manubrio, quo molam volvebant, præ lassitudine corruerunt; vel ut Lyran. sub onere lignorum, quod ultra vires ferre pro Chaldæis cogebantur, corruerunt. Quarto, Maldonat. et Sanchez exponit, q. d. Pueri virgis et baculis percussi sunt usque ad sanguinem et mortem.

SENES (iudices) DEFECERUNT DE PORTIS urbium, in quibus solebant sedere, dum iudicia exercebant; aut civitatis vel civium causas tractabant, IUVENES DE CHORO PSALLENTIUM.) Decus enim civitatis florentis consistit in duobus, nimirum in senum gravitate, prudentia, æquitate; atque in iuvenum vigore, lætitia et voluptate; qui choros ducere, in iisque psallere et saltare solebant. Utrumque defecit Hierosolymæ afflictæ. Pro *choro* hebraice est נגינה *neghina,* quod erat genus instrumenti musici; sed quia ad illud choros et choreas ducere solebant, hinc metonymice pro iis sumitur. Vers. 14.

CECIDIT CORONA CAPITIS NOSTRI.) Hoc est, diadema regni, puta regnum nostrum translatum est ad Chaldæos; ita Hugo, S. Tho. Lyran. Secundo, Maldon. per coronam intelligit gloriam. Tertio, Raban. Vatabl. et Isidor. per coronam accipiunt templum. Quarto et proprie: solebant Iudæi in festis et conviviis hilarioribus coronas capiti im- Vers. 16.

ponere, q. d. Defecerunt illi dies, ac deliciæ, in quibus lætari et capita coronare solebamus; ita Sanchez. Hæc omnia usurpent pœnitentes, imitenturque voces et eiulatus pœnitentium hic, et similes apud Climach. gradu de pœnitentia.

Vers. 17. Contenebrati sunt oculi nostri.) Præ iugi et nimio fletu, uti sibi contigisse queritur Iob cap. 16. 17. Secundo, *contenebrati,* q. d. Ita hac clade perculsi, prostrati et attoniti fuimus, ut oculi nostri viderentur inverti et obtenebrari. Tertio, Sanchez, Contenebrati, ait, sunt oculi: quia mœsti fugiunt lucem et homines, ac tenebras quærunt, uti Dido apud Virgil.

Mortem optat, tædet cæli convexa tueri.

Vers. 18. Vulpes ambulaverunt in eo) q. d. Templum et mons Sion ita desertus est, ut vulpes libere et intrepide in eo versentur.

Vers. 20 Quare in perpetuum.) Hebr. *cur in longitudinem dierum,* cur tam longo tempore nos derelinquis, quasi ad te non pertineremus? præsertim cum ut præcessit v. 19. in æternum permaneas, et æternum habeas apud nos regnum et solium, cui nulla hostium vis prævalere potest.

Vers. 21. Converte nos.) q. d. Quia malorum nostrorum origo fuit, a te, o Domine, recedere; hinc tu qui es immutabilis et firmus in promissis, æque ac regno æterno, ut dixi v. 19. tu, inquam, iuxta promissa tua Levit. 26. 23. ne omnino abiice nos, et pactum tuum nobiscum; atque quia ad hoc requiritur, ut oremus pro peccatis nostris, ut eorum venia a te accepta, tibi per gratiam reconciliemur, oro Domine, converte nos ad te per veram et seriam pœnitentiam, qua veniam hanc et gratiam assequamur; ita Chald. Olympiodor. Raban. Lyran. et alii. Hinc consequenter orat Propheta, ut ad illud tempus et sæculum reducatur populus, in quo ad Deum fide et mente conversus, eum pie et religiose colebat; et ab illo vicissim se ad populum suum convertente, pace bonisque omnibus donabatur; ita Raban. et S. Thom. Si enim ipse convertere velit populum suum exulem ad locum et patriam suam, æque ac ad se, convertetur eo, simulque redibit ad pristinum decus et gloriam, perinde ac si a morte resurgeret. Unde subdit: *Innova dies nostros, sicut a principio.* Duplex ergo hic significatur conversio, prima et potissima ad Dei gratiam et amicitiam; secunda consequens, ut ab exilio ad libertatem, patriam, pristinaque bona Iudæi convertantur et redeant. De secunda tantum accipit hæc Hugo.

Hinc Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. et Theologi docent, ad conversionem peccatoris necessariam esse gratiam, et liberum arbitrium gratiæ cooperans, hocque velle Zachariam cum ait cap. 1. 3. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* sed gratiam debere prævenire et excitare liberum arbitrium, peccato quasi oppressum et sopitum; hocque velle hic Ieremiam, sicque eum cum Zacharia esse conciliandum.

Innova dies nostros sicut a principio.) Ut pie et religiose te colamus, sicut cœpimus sub Mose in Sina, cum nobis dedisti legem: et tu vicissim nos, et dies nostros in pace custodias; ita Chald. Raban. S. Thom.

Secundo, Olympiodor. Dionys. Hugo, Lyran. q. d. Libera nos e Babylone, sicut olim ex Ægypto eduxisti in terram promissam. Huic petitioni similis est illa Iob 29. 2. *Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo?* etc.

Sed proiiciens.) Est hæc alia ratio, propter quam debeat exaudiri, quam clarius exprimunt Septuag. Chald. Vers. 22.
Vatabl. vertunt enim, *quia satis nos repulisti,* scilicet summam vindictam et captivitatem in nos exercendo: q. d. Iam satis pœnas dedimus, et iræ tuæ satisfecimus: redde ergo clementiam tuam nobis, et converte nos ad te. Hanc enim petitionem ex pudore et afflictione subticet. Eadem de causa Hebræa et noster addunt voculam *sed,* q. d. *Oravi dicens, Converte nos;* sed ecce non impetro, longeque absumus ab hac conversione, quia ecce tu proiiciens huc usque repulisti nos: quare tacens et confusus gemo, hocque meo gemitu tacite et verecunde imploro tuam misericordiam, ut tandem iræ tuæ parcas, flagella tua contineas, meique miserearis. Hic sensus est aptissimus. Est enim aposiopesis ad pathos, qualis esse solet valde afflictorum pro venia obsecrantium, in his enim dolor et pudor multa supprimunt. Secundo, Maldon. hæc putat respondere versui 20. cum illoque iungenda esse, q. d. *Quare in perpetuum oblivisceris nostri? sed,* id est atque adeo, *proiiciens repulisti nos.* Tertio, alii vertunt, *quamvis proieceris nos, tamen iam iræ tuæ in nos effusæ sat pœnarum dedimus.* Quarto, Sanchez sic explicat, q. d. Sed quid votis insisto, quid precibus urgeo, ut rem Iudaicam quamprimum instaures, cum tu vehementer iratus, populum ad annum usque septuagesimum abieceris, et captivitati Babylonicæ addixeris? Hic sensus quoque appositus est.

COMMENTARIA
IN
BARUCH PROPHETAM.

PROOEMIUM

Baruch liber est canonicus. *Argumentum libri.*

Quæritur Primo, an Baruch sit liber canonicus? Negat Calvinus, Kemnitius, et ex Catholicis Ioannes Driedo l. 1. de Script. c. ult. Negare quoque videtur S. Hieron. procœmio in Ieremiam, Lyran. Dionys. et aliqui alii. Primo, quia non est in Hebræorum canone, nec hebraice exstat. Secundo, quia S. Gregor. Nazianz. in carmine, S. Hieron. in prologo galeato, Damasc. l. 4. de Fide 18. ubi recensent libros canonicos, omittunt Baruch. Tertio denique, quia falsum videtur quod post templi et altaris vastationem dicit cap. 1. v. 10. Hierosolymis holocausta oblata esse, et festa celebrata.

Verum iam de fide est, librum Baruch esse canonicum, in eoque nunc consentiunt omnes orthodoxi. Ita definiunt Concil. Florentin. et Trident. in decreto de libris canonicis. Idem patet ex S. Cyrillo, S. Gregor. Nazianz. et Nysseno, ex Eusebio, Athan. Clem. Alexand. et Ambros. qui eum citant quasi canonicum. Vide Bellarm l. 1. de verbo Dei, cap. 8. Ad Primum Respondeo, multos libros esse in canone Christianorum, qui non fuerunt in canone Hebræorum, uti sunt libri Machab. Tobias, Iudith, Ecclesiasticus, Sapientia. Baruch olim extitisse hebraice, eaque lingua scriptum esse, non est dubium: nostra quoque editio Latina hebraizat; unde videtur translata ex Hebræo, non ex Græco: nam Græcus uberior subinde est, quam noster; et noster a Græcis sæpe discrepat. Ad Secundum Respondeo, veteres qui omittunt Baruch, eum comprehendere nomine Ieremiæ, cuius fuit scriba, ut mox patebit. Ad Tertium respondebo cap. 1. 10.

Quæritur Secundo, quodnam sit huius libri argumentum? Respondeo, Cap. 1. continet epistolam Iudæorum in Babylone captivorum, quam ipsi scribunt et mittunt ad Iudæos, qui erant Hierosolymis cum pecunia a se collecta, et libro Baruch, qui liber incipit 1. v. 15. Cap. 2. Baruch tradit piam orationem usurpandam a Iudæis in captivitate, qua confitentes peccata sua, remissionem a Deo impetrent. Cap. 3. hortatur captivos, ut ad Deum Deique legem redeant, sicque Deum sibi reconcilient. Cap. 4. inducit Ierusalem quasi matrem, plorantem filiorum captivitatem. Cap. 5. consolatur eos spe celeris et læti reditus in patriam. Cap. 6. est epistola Ieremiæ, qua monet Iudæos cum iam abducerentur in Babylonem, quomodo se ibi circa idola gerere debeant.

Ieremias est auctor, Baruch scriba huius libri.

Nota. Dicitur liber Baruch, vel quod Baruch sit auctor, ut vult Lyr. et Dionys. vel potius quod Baruch eum scripserit, uti testatur ipse c. 1. v. 1. dictante scilicet Ieremia: unde passim Patres citant et vocant hunc librum Ieremiæ: vide eos apud Maldon. in procœm. et apud Christoph. a Castro in c. 1. v. 1. Cum enim Ieremias persuasisset Iechoniæ regi, ut Deo obediens se cum suis traderet Nabuchodonosori, et transmigraret in Babylonem, composuit hunc librum paræneticum et consolatorium, quem tradidit Baruch, ut eum Babylonem deferret ad exulum consolationem, et spem eorum erigendam: tradidit, inquam, non tam scripto, quam verbo: Baruch vero post obitum Ieremiæ hunc librum scripsit et publicavit. Nam vastata Ierusalem, Baruch cum Ieremia a Iudæis fugientibus abductus est in Ægyptum, teste Iosepho, imo teste Ieremia cap. 44. cumque ibi a Iudæis lapidatus esset Ieremias, et mox Nabuchodonosor Ægyptum esset vastaturus; Baruch inde secessit in Babylonem, ut Iudæos consolaretur, ibique anno quinto a vastata Ierusalem, qui fuit 23. Nabuchodonosoris, scripsit hunc librum, ut patet c. 1. v. 2. Scriptus est ergo hic liber post excisam Ierusalem, non ante: de quo plura cap. 1. v. 2.

Baruch fuit nobilis. *Ieremiæ per omnia assecla.*

Quæritur Tertio, quis et qualis fuerit Baruch? Respondeo, Fuit nobilis familiæ: ita Ioseph. 10. Antiq. 11. fratrem enim habuit Saraiam principem; uterque enim fuit filius Neriæ, filii Maasiæ, ut patet c. 51. Ieremiæ v. 59. collato cum cap. 1. v. 1. hic. Rursum Baruch fuit discipulus, assecla et scriba Ieremiæ, eiusque laborum et tribulationum particeps et socius. Quare ex sapientia, patientia, zelo et sanctitate Ieremiæ facile est conicere, quam sapiens, patiens, zelosus et sanctus fuerit Baruch: unde Baruch hebr. idem est quod benedictus. Tertio, tradunt Hebræi, non tantum Baruch fuisse Prophetam, sed et eius patrem Neriam, avum Maasiam, proavum Sedeciam, abavum Sedei: illos enim nominat cap. 1. v. 1. Regula enim Hebræorum est, illos omnes fuisse Prophetas, quos Propheta aliquis initio libri quasi progenitores suos commemorat, quæ an vera sit alibi examinabitur. Putatur hic liber (idque ex eius historia colligitur) eodem tempore quo liber Tobiæ esse conscriptus: unde ab aliquibus post illum collocatur.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput est epistola Iudæorum in Babylone captivorum ad suos contribules in Ierusalem, qua significant se lecto libro Baruch compunctos, petere, ut orent, et sacrificent tam pro se, quam pro Nabuchodonosor et Balthasar, simulque mittunt eis librum ipsum a Baruch in Babylone conscriptum, ut eum legant, et pariter compungantur. Incipit vero hic liber v. 15.

1. Et hæc verba libri, quæ scripsit Baruch filius Neriæ, filii Maasiæ, filii Sedeciæ, filii Sedei, filii Helciæ,
in Babylonia, 2. In anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Ierusalem, et
succenderunt eam igni. 3. Et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoniæ filii Ioakim regis Iuda,

ed ad aures universi populi venientis ad librum, 4. Et ad aures potentium filiorum regum, et ad aures presbyterorum, et ad aures populi, a minimo usque ad maximum eorum omnium habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi. 5. Qui audientes plorabant, et ieiunabant, et orabant in conspectu Domini. 6. Et collegerunt pecuniam secundum quod potuit uniuscuiusque manus. 7. Et miserunt in Ierusalem ad Ioakim filium Helciæ filii Salom sacerdotem, et ad Sacerdotes, et ad omnem populum, qui inventi sunt cum eo in Ierusalem: 8. Cum acciperet vasa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, revocare in terram Iuda decima die mensis Sivan, vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Iosiæ rex Iuda, 9. Posteaquam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam, et principes, et cunctos potentes, et populum terræ, ab Ierusalem, et duxit eos vinctos in Babylonem. 10. Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, et thus, et facite manna, et offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri: 11. Et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vita Balthasar filii eius, ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram: 12. Et ut det Dominus virtutem nobis, et illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylonis, et sub umbra Balthasar filii eius, et serviamus eis multis diebus et inveniamus gratiam in conspectu eorum. 13. Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum: quia peccavimus Domino Deo nostro, et non est aversus furor eius a nobis usque in hunc diem. 14. Et legite librum istum, quem misimus ad vos recitari in templo Domini, in die solemni et in die opportuno: 15. Et dicetis: Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ; sicut est dies hæc omni Iuda, et habitantibus in Ierusalem, 16. Regibus nostris, et principibus nostris, et sacerdotibus nostris, et prophetis nostris, et patribus nostris. 17. Peccavimus ante Dominum Deum nostrum, et non credidimus, diffidentes in eum: 18. Et non fuimus subiectibiles illi, et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in mandatis eius, quæ dedit nobis. 19. A die, qua eduxit patres nostros de terra Ægypti, usque ad diem hanc, eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum: et dissipati recessimus, ne audiremus vocem ipsius. 20. Et adhæserunt nobis multa mala, et maledictiones, quæ constituit Dominus Mosi servo suo: qui eduxit patres nostros de terra Ægypti, dare nobis terram fluentem lac et mel, sicut hodierna die. 21. Et non audivimus vocem Domini Dei nostri secundum omnia verba prophetarum, quos misit ad nos: 22. Et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, operari diis alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei nostri.

Vers. 1. ET HÆC VERBA.) Vocula *et* respondet Hebræo *vau*, quod non semper est copulativum, sed subinde inchoativum: unde a *vau*, id est ab *et*, inchoatur liber Ezech. libr. 1. Machab. libr. 2. Esdræ, et alii: quamquam Maldonat. putat voculam *et* copulare librum cum eius titulo, qui est *prophetia Baruch*.

Vers. 2. IN ANNO QUINTO, IN SEPTIMO DIE MENSIS (primi Nisan) IN TEMPORE, id est a tempore: sic enim Hebr. *bet*, id est *in*, sæpe capitur pro מן *min*, id est *a*, QUO CEPERUNT CHALDÆI IERUSALEM, ET SUCCENDERUNT EAM.) Quia enim hoc excidium fuit famosissimum, hinc ab eo cœperunt Iudæi numerare annos, et in eo novam constituerunt æram chronologicam, sicut iam suam æram consignant in excidio Hierosolymæ per Titum, indeque numerant suos annos: ita Theodor. Hugo, Lyran. Torniellus, et alii. Aliter hæc nectunt et explicant Vatabl. et a Castro, sic: *in septimo die mensis*, scilicet illius, *in tempore*, id est quo tempore, *ceperunt Chaldæi Ierusalem*, hoc est, in tempore mensis quinti, q. d. Eodem die et mense quo capta est Iersusalem (sed alio anno, puta quinto posteriore) scripsit Baruch hunc librum, ut ex hac commemoratione et circumstantia temporis, populum vehementius promoveret ad commiserationem et lamenta. Hic sensus non est incongruus; prior tamen videtur solidior, illeque per secundum excludi non debet: nam τὸ *in anno quinto*, pendet a τῷ *in tempore quo ceperunt Chaldæi Ierusalem;* unde enim alias hunc annum quintum inchoabimus et numerabimus? plane ergo vult dicere Baruch, se hunc librum scripsisse anno quinto a capta et succensa Ierusalem.

Scripsit Baruch post eversam Ierusalem. Unde patet eum hæc scripsisse non ante, sed post eversam Ierusalem: negat hoc Maldonat. qui τὸ *in tempore* generaliter accipit, q. d. Illa tempestate, illo sæculo vel lustro, quo capta est Ierusalem, ut nomen καιρὸς non ad punctum, sed ad totum captivitatis tempus referatur. q. d. Anno quinto captivitatis, numerando et inchoando eam ex eo tempore, quo Iechonias Babylonem ductus est: eo enim tempore cepit captivitas: itaque quinto anno postquam Iechonias captus est, et sex annis antequam urbs et templum everterentur, Baruch hunc librum scripsit, et in Babylone captivis legit. Probat id Maldon. ex eo, quod tunc adhuc steterit altare, ut patet cap. 1. 10. ergo et templum. Secundo, ex eo quod Iechoniæ hic liber lectus sit, non Sedeciæ, cui pariter legendus fuisset, si post urbis excidium et Sedeciæ captivitatem hæc scripta essent.

A Verum prior sententia planior et verior est, eamque satis in sequentibus insinuat Baruch; ut cum ait c. 2. v. 2. et 3. *Facta sunt in Ierusalem mala, quæ non sunt facta sub cælo, ut manducaret homo carnes filii sui et filiæ suæ.* Hoc enim contigit in obsidione et excidio Ierusalem, non ante. Rursum v. 26. luget excidium templi: illud autem simul cum urbe eversum est.

Ad Primum Respondeo, post excidium fuisse altare, non templum, de quo plura v. 10. Ad Secundum, Iechoniæ hæc lecta sunt, non Sedeciæ: quia Sedecias Chaldæis rebellaverat, ideoque captus et excæcatus detrusus erat in carcerem, sine ulla spe reditus aut regni; Iechonias vero quia se Chaldæis dediderat, eis charus erat: unde Evilmerodach eum in solium extulit. In Iechonia ergo sitæ erant spes Iudæorum; nec frustra: nam Zorobabel nepos Iechoniæ Iudæos ex Babylone in Iudæam reduxit.

B AD AURES IECHONIÆ, etc. ET POPULI VENIENTIS AD LIBRUM.) Qui ad librum hunc audiendum concurrebat. Vers. 3.
Nota. Licet Iechonias esset captus in Babylone, tamen quia sponte se tradiderat Nabuchodonosori; hinc ipse permisit eum agere in libera custodia, uti principibus captivis fieri solet, ex qua posset subinde egredi ad certos usque terminos, præsertim comitatus militibus eum custodientibus. Agebatur enim iam annus captivitatis decimus sextus: sensim ergo maior ei data est libertas, uti et reliquis Iudæis, qui proinde hic v. 4. dicuntur habitasse in Babylonia, ad flumen Sodi.

Dices, 4. Reg. 25. 27. dicitur Iechonias usque ad regnum Evilmerodach fuisse in carcere. Resp. Carcer ibi vocatur libera custodia iam dicta: sic Paulus erat in carcere Romæ, de quo tamen ait Lucas Actor. 28. 16. *Permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.* Et v. 30. *Mansit autem biennio toto in suo conducto, et* C *suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei conducto*, scilicet hospitio, puta domo conducta. Extat etiamnum, mihique ostensa fuit Romæ hæc domus, quæ ab olim conversa est in ecclesiam, vocaturque Diaconia B. Mariæ. Sita est in via lata iuxta Collegium nostrum. Locus is erat amplissimus ac celeberrimo urbis loco. Talem enim quærebat Paulus non pro se, sed pro Luca aliisque suis comitibus (quos plures habebat: nec enim unus ipse sufficiebat ad tot millia hominum convertendum, imo alloquendum) proque Romanis, ut scilicet inter eos magis fidem Christi dispergere, omnibusque Evangelium prædicare posset, uti docet S. Hieron. in epist. ad Philem. v. 22.

Vers. 4. Filiorum regum.) Ita vocantur principes sanguinis regii cum Iechonia capti, Daniel. 1. 3.

Vers. 6. Uniuscuiusque manus.) q. d. Pro cuiusque facultate.

Vers. 7. Et miserunt in Ierusalem ad Ioakim.) Coniicit Torniellus, hunc Ioakim eumdem esse Eliacim, de quo Isaias c. 22. 20. et sequ. Uterque enim fuit filius Helciæ, et hebr. Ioakim idem est quod Eliacim, ut patet Iudith 4. 5. collato cum Iudith 15. v. 9. et quia Isaias facit mentionem quorumdam vasorum, quæ videntur esse illa quæ hic dicuntur transmissa ad Ioakim. Addit Torniellus, hunc Ioakim fuisse patrem vel patruum Saraiæ. Helcias enim genuit Azariam. Azarias Saraiam, qui cum Iosedec filio suo a Chaldæis ductus est captivus, 4. Reg. ultim. 18. Cum ergo reliqui abducerentur in Babylonem, videtur hic Ioakim præ senio relictus in Ierusalem cum Godolia, et eadem de causa post necem Godoliæ non potuisse fugere cum reliquis in Ægyptum, sed cum aliis paucis mansisse in Ierusalem. Quidquid sit, satis constat Ioakim fuisse principem sacerdotum qui remanserant in Ierusalem: ideo enim ad eum pecunia hic mittitur.

Ad sacerdotes et ad omnem populum.) Scilicet ad paucos tum sacerdotes, tum laicos, qui remanserant in Ierusalem, aut ex vicinis gentibus ad quas profugerant, vel ex Ægypto (metuentes eius cladem a Ieremia prædictam) in Ierusalem redierant: ita Lyran.

Vers. 8. Cum acciperet.) Scilicet Ioakim sacerdos, ait Maldonat. qui cum Sedecia Babylone rediens ibi accepit vasa quæ de templo sublata fuerant, reportanda in Ierusalem: non quidem eadem, neque aurea (hæc enim abstulerat, sibique servabat Nabuchodonosor et Balthasar, Daniel. 5. vers. 2.) sed argentea, quæ vice eorum in Babylone fieri curarat Sedecias. Verum hæc vasa sunt missa ad Ioakim in Ierusalem, ut hic dicitur: non ergo ea in Babylone accipere potuit Ioakim. Dico ergo, *cum acciperet*, scilicet Baruch ipse, de quo v. 1. et 3. Baruch enim hæc omnia dirigebat nomine populi: unde ipse hæc vasa templi quæ ditiores Iudæi a Chaldæis pretio redemerant, remisit in Ierusalem: ita Vatabl.

Revocare.) Ad revocandum et restituendum ea, sive ut revocarentur et restituerentur hæc vasa in Ierusalem.

Decima die mensis Sivan.) Sivan respondet nostro Maio.

Vers. 9. Posteaquam cepisset.) Refert hæc verba ad proxime præcedentia, *vasa argentea quæ fecit Sedecias*. q. d. Baruch remisit in Ierusalem vasa argentea quæ fecit Sedecias, pro aureis quæ abstulerant Chaldæi; fecit inquam initio regni sui, cum scilicet post captum et abductum Iechoniam a Nabuchodonosore, creatus est rex.

Vers. 10. Et dixerunt.) Scilicet Iechonias, principes, seniores, et populus Iudæorum in Babylone captivus, *dixerunt*, id est scripserunt ea quæ sequuntur ad suos contribules in Ierusalem. Græce est εἶπεν, id est dixit, hoc est scripsit, scilicet Baruch nomine omnium Iudæorum in Babylone captivorum.

Manna idem quod mincha. Facite manna.) Nota, *manna* non sumi hic pro manna quod pluit in deserto, nec pro manna medico, sed esse vocem Hebræam et Chaldæam. Hebr. enim מן *man*, et Chald. מנא *manna*, idem est quod pars, donum, oblatio. Secundo et verius, *manna* idem est quod מנחה *mincha*, id est oblatio proprie dicta. Sept. enim pro *mincha*, vertunt subinde et scribunt *manaa*, vel *manna*, ut patet Ieremiæ 17. 26. et Daniel. 2. 46. vide ibi dicta. Noster ergo secutus Septuag. pro *mincha* vertit *manna*: ita S. Hieron. vel potius Raban. in cap. 17. Ieremiæ, Vatabl. Maldon. et alii. Iam sensus est, q. d. Ex holocaustis et thure iam dicto facite oblationem Deo. Thus enim quod holocaustis semper superponebant, significabat ea offerri Deo, qui est in cælis sursum.

Et offerte (hostias) pro peccato.) Hæ enim hebraice vocantur חטא *chatta*, græce ἁμαρτίαι, id est peccata, per metonymiam, uti dixi Levit. 4.

Ad aram Domini Dei nostri.) Licet enim a Chaldæis iam exustum esset templum, et altare eversum, tamen Iudæi in ruinis templi erexerunt altare levi opere,

A ut haberent suæ religionis publicum exercitium, in quo sacrificabant: perinde ac habuerunt altare, antequam ædificatum esset templum, et tabernaculum in quo sacrificabant, ut patet Exodi 24. 4. ita Lyran. Id ita esse satis colligitur ex Ieremiæ 41. 5. ut ibi dixi.

Quod ergo dicitur Daniel. 3. v. 38. *Non est in tempore hoc*, etc. *holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque locus primitiarum*, intellige publicus et solemnis, qualis erat in templo.

Dices, 1. Esdræ 3. 3. dicitur Esdras post reditum e Babylone, sub Artaxerxe ædificasse Hierosolymis altare: ergo antea nullum erat. Respondeo negando consequentiam: nam antea erat altare, sed vile, subitaneum et nullius pretii. Esdras vero potestate a rege accepta, convocatis undique Iudæis amplum et splendidum magna cum solemnitate erexit.

Orate pro vita Nabuchodonosor.) Nota hic insignem pietatem Iudæorum captivorum, qui pro impio tyranno et eversore regni Iudaici iubent Deum precari, illi- Vers. 11.

B que offerri sacrificia. Id illis mandaverat Deus Ierem. 29. v. 7. *Quærite*, inquit, *pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis*. Statuerat enim Deus illos in Babylone ad 70. annos pro sui expiatione relinquere, ut ibi subessent et servirent Chaldæis. Hinc et S. Paulus iubet orari pro regibus et principibus, qui tunc erant Ethnici, 1. Timoth. 2. 1. et 2. causas ibi recensui. Idem fecerunt primis Ecclesiæ sæculis Christiani, ut patet ex Tertul. in Apolog.

Et pro vita Balthasar.) Balthasar hic recensetur quasi primogenitus Nabuchodonosoris, eique in regno successurus. Ergo hic Balthasar vel fuit frater senior Evilmerodach, qui præmature ante patrem moriens, fratrem Evilmerodach regni hæredem reliquit: vel potius hic Balthasar idem fuit cum Evilmerodach, quem 4. Regum ult. 27. constat Nabuchodonosori in regno successisse; ita ut ipse fuerit binomius, dictusque sit tam Balthasar quam Evilmerodach, qui fuit ultimus rex Chaldæorum,

C sub quo capta est Babylon: vide dicta Daniel. 5. v. 1. et Ierem. 27. v. 7.

Sicut dies cæli.) Id est, sint dies eorum diuturni et longævi, ut vivant quamdiu cælum durabit. Secundo, sint tranquilli, constantes et felicissimi, sicut vita cælicolarum tranquilla est, constans et felicissima. Est hyperbole. Sic ait Seneca: *Lucida dum current annosi sidera mundi*: sic dicitur de Salomone Ps. 88. 30. *Et ponam in sæculum sæculi semen eius, et thronum eius sicut dies cæli*, q. d. Vivat et regnet Salomon diutissime, adeoque si fieri posset, optaremus ei regnum semper durans et perpetuum, sicut cæli perpetuo durant, idque constanter in eodem semper tenore, modo et ordine; cum elementa et elementaria quotidie mutentur, nascantur, crescant, senescant, oriantur, occidant. Sic Seneca in Hercule Œtæo canit:

Nulla te terris rapiet vetustas:
Tu comes Phœbo, comes ibis astris.

Det Dominus virtutem, græce ἰσχὺν, id est fortitudi- Vers. 12.

D nem, robur, nobis.) Ad tolerandas ærumnas captivitatis.

Et illuminet oculos nostros.) Non ad cognoscenda peccata, ut vult Theodor. sed ut luce, id est prosperitate et lætitia, perfundat nos. Lux enim symbolum est et causa prosperitatis et lætitiæ, sicut tenebræ adversitatis et tristitiæ. Sicut ait Iob c. 17. 12. *Post tenebras spero lucem*. Et Ieremias Threnor. 3. 2. *Me adduxit in tenebras, et non in lucem*. Secundo, *illuminet oculos nostros*, ut scilicet videamus quæ nobis agenda, quæ fugienda sint, quomodo caute et religiose inter barbaros vivere, quomodo prudenter et decenter cum Chaldæis agere debeamus. Illuminare oculos quid.

Sub umbra.) Sub tutela et præsidio, ac benevolentia et gratia Nabuchodonosoris: optant enim regis favorem, ut Deus eum illis reddat benevolum: inde enim omnis eorum felicitas et prosperitas pendebat.

Et serviamus eis.) Potius quam aliis crudelioribus et impientioribus regibus: alioqui enim absolute optabant ab eorum, æque ac ab aliorum servitute et dominatu liberari.

Vers. 14. Et in die opportuno.) Græce και εν ημεραις καιρου, *et in diebus temporis*, quod Hebræi dicunt בימי מועד *bime moed*, id est, in diebus solemnibus, quibus convenit et congregatur populus.

Vers. 15. Domino Deo nostro iustitia.) Hinc incipit liber, id est scriptura, Ieremiæ sive Baruch; porro inchoat a prece, quæ durat ab hoc versu per totum cap. 2. usque ad v. 8. c. 3. in qua Primo, humiliter confitetur peccata populi, eumque iuste captivitate puniri. Deinde obsecrat, et multis rationibus Deum impellit ad misericordiam. Sumpsit hinc orationem suam Daniel c. 9. 19.

Deo nostro iustitia.) Scilicet ascribatur et tribuatur, q. d. *Omnia quæ fecisti nobis in vero iudicio fecisti*, Daniel. 3. 31. Idem ait Daniel c. 9. 7. *Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei*, q. d. Tu Domine dignus es iustitiæ et iustæ scelerum vindictæ laude; nos ignominia: quia iuste, utpote rei, a te plectimur.

Sicut est dies hæc.) Id est, usque ad hodiernum diem.

Vers. 16. Prophetis nostris.) Non tantum falsis, sed et veris, scilicet Ezechieli, Danieli, Baruch iustis et innocentibus accedit confusio et probrum captivitatis, non ob sua, sed ob communia peccata populi, cuius ipsi erant pars; idque factum est ad bonum populi, ut scilicet eum in captivitate docerent et consolarentur: ita Hugo et Lyran.

Vers. 17. Peccavimus.) Græce ων ημαρτομεν, id est eorum quæ peccavimus, q. d. Peccatorum nostrorum confusio (eo enim hæc pertinent) faciem nostram tegit et obruit, hoc est, pudenda hac et ignominiosa captivitate punimur, ita ut toti mundo probrum simus, et coram omnibus gentibus confundamur et erubescamus: quia peccavimus Domino: ita Vatab. Maldon. et alii. Præclare S. August. in sententiis, sent. 72. *Rectus*, ait, *est, et bene invocat Deum, qui in omnibus malis quæ patitur, se accusat, non Deum; et in bonis quæ facit, non se laudat, sed Deum. Sicut enim Deus repellit peccata sua defendentem, sic recipit confitentem.* Et sent. 83. *Vera fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare: nec ingratum esse, nec querulum; sed in omnibus Dei iudiciis gratias Deo agere, Deumque laudare, cuius omnia opera aut iusta sunt aut benigna.* Et sent. 88. *Non acceditur ad altitudinem Dei, nisi per humilitatem, cui propinquat subditus, longe ab eo recedit elatus.* Et sent. 118. *Melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio.*

Diffidentes in eum.) Quod vel nollet, vel non posset nos liberare a Chaldæis. Unde relicto Deo confugimus ad opem Ægyptiorum, ideoque deseruit nos Deus, tradiditque Chaldæis.

Et non fuimus subiectibiles illi.) Non fuimus illi subiecti, vel proprie *subiectibiles*, id est prompti et parati ut ei in omnibus subiiceremur. Cætera vide Dan. 9. 10. Vers. 18.

Incredibiles.) απειθουντες, id est increduli, rebelles, contumaces. Vers. 19.

Et dissipati, dispersi per varia idola et peccata, recessimus, ne audiremus vocem ipsius.) Græce est, εσχεδιαζομεν, id est leves fuimus, ex tempore, tumultuarie, improvide, leviter egimus ut pueri, qui ad muscæ volatum cum capite cor mutant; ita minima occasio nos distraxit, *ne audiremus vocem Domini.* Theodor. vertit, επινοουμεν, id est excogitabamus, scilicet alia et alia peccatorum genera.

Nota το *recessimus.* Nam, ut ait S. Aug. sententia 63. *Magna miseria est hominis, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo est enim, sine dubio sine illo non est; et tamen si eius non meminit, eumque non intelligit, neque diligit, cum eo non est.*

Et (id est propterea: respondet enim Hebræo *vau*, quod sæpe non copulativum, sed causale est, significans *ideo, propterea*) adhæserunt nobis multa mala.) Nota το *adhæserunt*, q. d. Ita tenaciter instar glutini nobis adhærent nostræ calamitates, ut ab iis nos expedire non possimus. Vide Ierem. 42. 16. Vers. 20.

Quæ constituit Dominus Moysi.) Quæ nobis per Mosen comminatus est Deut. 27. et 28.

Sicut hodierna die.) Supple cernimus, vel liquido constat. Vide dicta v. 15.

Et (id est *quia*. Vide dicta v. 20.) non audivimus vocem Domini. Vers. 21.

Et abivimus unusquisque in sensum cordis nostri.) Secuti sumus sensiculos nostros, sensualitates nostras. Vers. 22.

Operari, id est sacrificare, aut potius servire, diis alienis.) De quo plura capite sequenti v. 21. et 22.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit confiteri, quod iuste Iudæi a Deo puniantur. Deinde v. 11. pro eis intercedit, oratque veniam, eo quod ipsi sint populus Dei, cui pœnitenti eam Deus promisit, et quia per hoc celebrabitur Dei nomen, et magnifica clementia ac potentia.

1. Propter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum, quod locutus est ad nos, et ad iudices nostros, qui iudicaverunt Israel, et ad reges nostros, et ad principes nostros, et ad omnem Israel, et Iuda: 2. Ut adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cælo, quemadmodum facta sunt in Ierusalem, secundum quæ scripta sunt in lege Moysi, 3. Ut manducaret homo carnes filii sui, et carnes filiæ suæ. 4. Et dedit eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in improperium, et in desolationem in omnibus populis, in quibus nos dispersit Dominus. 5. Et facti sumus subtus, et non supra; quia peccavimus Domino Deo nostro, non obaudiendo voci ipsius. 6. Domino Deo nostro iustitia: nobis autem et patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc. 7. Quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc, quæ venerunt super nos: 8. Et non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut reverteremur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis. 9. Et vigilavit Dominus in malis, et adduxit ea super nos: quia iustus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandavit nobis: 10. Et non audivimus vocem ipsius ut iremus in præceptis Domini: quæ dedit ante faciem nostram. 11. Et nunc Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu valida, et in signis, et in prodigiis, et in virtute tua magna, et in brachio excelso, et fecisti tibi nomen sicut est dies iste: 12. Peccavimus, impie egimus, inique gessimus Domine Deus noster, in omnibus iustitiis tuis. 13. Avertatur ira tua a nobis: quia derelicti sumus pauci inter gentes, ubi dispersisti nos. 14. Exaudi Domine preces nostras, et orationes nostras, et educ nos propter te: et da nobis invenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt: 15. Ut sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster, et quia nomen tuum invocatum est super Israel, et super genus ipsius. 16. Respice Domine de domo sancta tua in nos et inclina aurem tuam, et exaudi nos. 17. Aperi oculos tuos, et vide; quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem et iustificationem Domino: 18. Sed anima, quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat ti-

bi gloriam et iustitiam Domino. 19. Quia non secundum iustitias patrum nostrorum nos fundimus preces, et petimus misericordiam ante conspectum tuum, Domine Deus noster: 20. Sed quia misisti iram tuam, et furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum dicens: 21. Sic dicit Dominus: Inclinate humerum vestrum, et cervicem vestram, et opera facite regi Babylonis: et sedebitis in terra, quam dedi patribus vestris. 22. Quod si non audieritis vocem Domini Dei vestri operari regi Babyloniæ: defectionem vestram faciem de civitatibus Iuda, et a foris Ierusalem. 23. Et auferam a vobis vocem iucunditatis, et vocem gaudii, et vocem sponsi, et vocem sponsæ, et erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam; 24. Et non audierunt vocem tuam, ut operarentur regi Babylonis: et statuisti verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, ut transferrentur ossa regum nostrorum, et ossa patrum nostrorum de loco suo: 25. Et ecce proiecta sunt in calore solis, et in gelu noctis: et mortui sunt in doloribus pessimis, in fame, et in gladio, et in emissione. 26. Et posuisti templum, in quo invocatum est nomen tuum in ipso, sicut hæc dies, propter iniquitatem domus Israel, et domus Iuda. 27. Et fecisti in nobis Domine Deus noster secundum omnem bonitatem tuam, et secundum omnem miserationem tuam illam magnam: 28. Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi, in die qua præcepisti ei scribere legem tuam coram filiis Israel, 29. Dicens: Si non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter gentes, quo ego eos dispergam: 30. Quia scio quod me non audiet populus; populus est enim dura cervice: et convertetur ad cor suum in terra captivitatis suæ: 31. Et scient quia ego sum Dominus Deus eorum, et dabo eis cor, et intelligent, aures, et audient. 32. Et laudabunt me in terra captivitatis suæ, et memores erunt nominis mei. 33. Et avertent se a dorso suo duro, et a malignitatibus suis: quia reminiscentur viam patrum suorum qui peccaverunt in me. 34. Et revocabo illos in terram, quam iuravi patribus eorum, Abraham, Isaac, et Iacob, et dominabuntur eis: et multiplicabo eos, et non minorabuntur. 35. Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, ut sim illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum: et non movebo amplius populum meum, filios Israel, a terra quam dedi illis.

Vers. 1. PROPTER QUOD.) Græce καὶ, id est *et*, quod respondet *vau* causali Heb. unde recte noster vertit *propter quod*, ut dixi c. 1. 20.

STATUIT VERBUM SUUM.) *Statuit*, hic non est idem quod decrevit, uti explicant Hugo et Lyran. sed *statuit*, id est stabilivit ipso eventu, et reipsa stare fecit: respondet enim Hebræo יָקֶם *iakem*, id est stare fecit, suscitavit, id est implevit, *verbum suum*, q. d. Suscitavit Deus Chaldæos, ut mala quæ per Mosem et Prophetas comminatus est, nobis inferrent; fecit ut nobis evenirent clades quas prædixerat. Sic accipitur *statuit* v. 24. Isaiæ 44. 26. Ierem. 28. 6. et alibi.

Vers. 2. SECUNDUM QUÆ SCRIPTA SUNT.) q. d. Mala quæ nobis inflicta sunt, similia, imo eadem sunt cum iis quæ Moses scripsit, et comminatus est legis suæ prævaricatoribus, Deuter. 27. et 28.

Vers. 3. UT MANDUCARET HOMO CARNES FILII.) Hoc factum esse Hierosolymæ sub Chaldæis, patet Thren. 2. 20. et c. 4. 10.

Vers. 4. ET DEDIT EOS SUB MANU.) Id est in manu et potestate: græce enim est ὑποχειρίους, q. d. *submanuales*, id est subiectos omnibus regibus vicinis; quia Iudæi nunc ab Ægyptiis, nunc ab Assyriis, nunc a Chaldæis, nunc a Syris, nunc ab Ammonitis, etc. sub iugum mittebantur.

IN OMNIBUS POPULIS.) Inter omnes populos.

Vers. 5. FACTI SUMUS SUBTUS, ET NON SUPRA.) Facti sumus subditi et servi, non domini hostium et gentium vicinarum. Alludit ad Deut. 28. v. 13. *Constituet te Dominus in caput, et non in caudam; et eris semper supra, et non subter: si tamen audieris mandata Domini.* Vide ibidem v. 43.

Vers. 6. SICUT EST DIES HÆC.) Sicut hæc dies declarat, et factum esse demonstrat.

Vers. 7. QUIA LOCUTUS EST.) Græca habent ἃ ἐλάλησεν, *quæ locutus*, id est comminatus, *est*.

Vers. 8. UT REVERTEREMUR.) Deprecantes eum, ut converteret nos: nam sine gratia Dei præveniente et excitante nemo a peccatis resurgere et converti potest: unde Thren. 5. 21. dicitur: *Converte nos Domine ad te, et convertemur.*

Vers. 9. ET VIGILAVIT DOMINUS.) Id est invigilavit nostræ culpæ et punitioni, uti prætor invigilat furibus capiendis et plectendis, q. d. Celeriter et citius opinione nostra punivit nos; alludit ad virgam vigilantem Ierem. 1. 12.

Vers. 10. ET NON AUDIVIMUS.) Non obedivimus. Hebræi enim verbum simplex usurpant pro composito quo carent.

UT IREMUS (ut ambularemus) IN PRÆCEPTIS DOMINI; QUÆ DEDIT ANTE FACIEM NOSTRAM.) Id est quæ nostræ libertati et electioni proposuit, ut ea amplectamur vel respuamus, Deut. 30. 15.

A ET NUNC DOMINE.) Incipit hic secunda orationis et deprecationis pars, qua obsecrat Propheta Deum, ut populo suo exciso et capto misereatur, utque Deum ad misericordiam flectat multas rationes adfert: Prima est, quod Iudæi sint populus Dei, quem tanto labore et cura eduxit ex Ægypto. q. d. Noli Domine tuum opus, tuam Ecclesiam perdere aut deserere. Secunda, v. 13. allegat ingentem populi calamitatem et cladem, qua factum est ut ex tot centenis millibus pauci supersint. Tertia, v. 14. non propter merita nostra, sed *propter te*, inquit, id est propter infinitam tuam clementiam parce. Sic Ecclesia orationes concludit dicens, *Per Christum Dominum nostrum.* Quarta, v. 15. *ut omnis terra*, inquit, id est omnes gentes celebrent Dei clementiam, patientiam et paternam providentiam. Quinta, v. 17. ne publicus Dei cultus in templo conticescat. Sexta, v. 28. quia Deus pœnitentibus veniam promisit. Septima, v. 34. ob merita et promissiones factas Abrahæ, Isaac et Iacob. Vers. 11. Septem rationes flectendi Deum ad misericordiam.

B IN OMNIBUS IUSTITIIS TUIS.) Contra omnia præcepta tua. Hæc enim vocantur iustitiæ, tum quia præscribunt id quod iustum est, tum quia observantem iustificant. Vers. 12. Iustitia, id est præcepta.

QUIA NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER ISRAEL.) Id est, quia Israel vocatus est nomine Dei, scilicet populus et filii Dei, hoc est ipsius cultui addicti. Secundo, q. d. Quia Israel nomen tuum, id est te, invocat, colit et obsecrat super se, ut scilicet eius miserearis. Sic dicitur Ieremiæ 7. v. 11. *Domus in qua invocatum est nomen tuum*, id est templum in quo coleris: qui enim Deum colit, eum invocat. Vers. 15.

RESPICE DOMINE DE DOMO SANCTA TUA.) Respice nos de cælo: ita Lyran. et Dionys. Secundo, q. d. Respice nos de templo tuo, vel potius de templi iam diruti loco: in templo enim et templi loco Deus suam præsentiam, aurem et opem exhibebat: ita Theodor. et Hugo. Unde Iudæi ad templum conversi orabant, ut patet Daniel. 6. 10. Vers. 16. Deus in templo exhibet suam aurem.

C APERI OCULOS.) Significat Deum quasi dormire, aut connivere. Vers. 17.

ET VIDE (considera) QUIA NON MORTUI QUI SUNT IN INFERNO (id est peccatores, inquit Theodor. verum hoc mysticum. Secundo, q. d. Cadavera mortuorum quæ sunt in sepulcris: ita Hebræi: verum hoc est arctius et alienius: nec enim sepulchrum est infernus. Tertio, q. d. Damnati in inferno non laudant Deum: ita Græci, Hugo, et Delrio adagio 197. in digress. verum hoc quoque arctius est. Quarto, Lyran. per infernum accipit limbum patrum, ad quem descendebant mortui ante Christum: in hoc enim limbo nulla erat Dei laus, scilicet utilis et meritoria: verum et hoc utrimque arctius est. Quinto et optime, per infernum accipe omnem locum inferorum ad Infernus quintuplex.

quem descendebant mortui, sive is sit gehenna, sive Purgatorium, sive limbus patrum aut puerorum) QUORUM SPIRITUS, etc. q. d. Quorum animus a corpore separatus est, DABUNT HONOREM, Græce δόξαν, id est gloriam, ET IUSTIFICATIONEM.) q. d. Mortui non celebrabunt, nec prædicabunt gloriam aut iustitiam Domini, ut suo ore et laude eum iustificent et glorificent.

Quo sensu mortui non laudent Deum. Obiiciunt hæretici: Mortui non laudant Deum, ut hic dicitur, et Psal. 113. 26. et Eccles. 17. 26. ergo Sancti vita functi non sunt invocandi. Respondeo negando consequentiam, et antecedens explico: Mortui dicuntur non laudare Deum, non quasi omnino id non faciant, ut volunt hæretici, sed falso et imperite: si enim ipsi putant mortuos non posse laudare Deum, quia nihil sunt, quasi anima eorum cum corpore interierit, sunt athei: si nolle, sunt blasphemi in animas iustas et sanctas; et contrarium patet Apoc. 5. v. 14. uti S. Ioannes vidit 24. seniores Deum adorantes et glorificantes. Dicuntur ergo mortui
Resp. 1. non laudare Deum, Primo, quia qua mortui sunt, non possunt suo corpore, ore et lingua (hæc enim iam mortua, et in pulverem redacta sunt) Deum laudare: et hoc est quod ait Ecclesiasticus c. 17. 26. *A mortuo quasi nihil*, id est tanquam ab eo qui nihil est, *perit confessio;* id est laus Dei: unde explicans subdit: *Confiteberis vivens*, etc. *quoniam non est immortalis filius hominis*, etc. *et omnes homines terra et cinis.* Homo ergo vivus laudat Deum; mortuus vero cum sit, non potest dici id facere.
2. Secundo, mortui non laudant Deum, propter nova beneficia quæ quotidie a Deo recipiunt, dum ab eo a miseriis in quibus sunt, mirabiliter liberantur, sicut accidit viventibus: hoc est quod ait Psaltes Psal. 87. 11. *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, et con-*
3. *fitebuntur tibi?* Tertio, mortui non laudant Deum, ea laude qua viventes id faciunt, nec ea laude quæ a viventibus audiatur; unde respectu viventium nulla est eorum laus, uti nec vox, aut vita. Hac de causa, et hoc respectu infernus, ad quem olim descendebant omnes mortui, in Script. vocatur דומה *duma*, id est locus silentii, tenebrarum et oblivionis, quia in eo ipsi a viventibus sunt separati, et nullum cum eis habent commercium, sed videntur eis esse mortui, silentio et oblivioni traditi. Licet ergo in limbo Patriarchæ, Prophetæ, aliique Sancti laudarent Deum, tamen illa laus a viventibus percipi non poterat; sed eis erat abscondita, incognita et quasi nulla.
Laus in Script. vocatur ea quæ publica est in templo. Scriptura enim vetus per laudem Dei, intelligit externam et perceptibilem, quæ alios ædificet et excitet ad eamdem, qualis est pœnitentium, obsecrantium et implorantium Dei misericordiam, uti erat hæc laus Baruch et Iudæorum, quæ proprie vocatur gloria vel glorificatio: gloria enim est laus et claritas publica; honor et laus possunt esse privata et secreta. Nam, ut ait Cicero 2. Tuscul. 6. *Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute.* Sic vulgo dicimus, *Romana gloria, gloria ævi nostri*, etc. Maxime vero intelligit laudem publicam et solemnem, qualis fiebat in templo, communi Levitarum et Sacerdotum concentu: in templo enim Deus suam præsentiam exhibebat, ibique Dei laus ad omnes, etiam filios et nepotes subnascentes propagabatur: unde hæc illustris Dei laus antonomastice hic vocatur laus. Porro mortuorum meminit, q. d. Nos hic in captivitate et carcere quasi mortui videmur, et brevi moriemur ex ærumnis carceris: hoc enim est quod ait cap. 3. v. 11. *Coinquinatus es*, o Israel, *cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum;* et v. 4. *Audi orationem mortuorum Israel*: reduc ergo nos Domine ad Ierusalem et templum, ut quasi redivivi publico concentu te laudemus, et filios nostros, omnesque viventes ad tui cultum et laudem excitemus.

Vers. 18. SED ANIMA QUÆ TRISTIS EST. Describit formam exulis et captivi; q. d. Anima quæ affligitur in captivitate et exilio, MAGNITUDINE MALI et ærumnarum, ideoque gemens et pœnitens INCEDIT CURVA ET INFIRMA, atque pro ope et liberatione recurrit ad Deum, eiusque misericordiam implorat, ET OCULI DEFICIENTES præ fame, debilitate et lacrymis. Sic dicitur Psal. 68. 4. *Defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum;* et Psal. 118. 123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum:* ET ANIMA ESURIENS, id est totus homo ieiunio exhaustus, fame et esurie deficiens, panemque et reliqua a Deo petens et mendicans, DAT TIBI GLORIAM.) Quod tu solus possis et velis ei succurrere. *Oculi* enim *omnium in te sperant; quia tu das illis escam in tempore opportuno, et imples omne animal benedictione.*

ET IUSTITIAM.) Quia confitetur se ob gulam, aliaque peccata iuste a te fame et ærumnis captivitatis puniri, atque pœnitens sperat a te pasci et recreari; quia credit et profitetur te iustum et fidelem esse in promissis, quibus pœnitentibus teque invocantibus alimoniam, omnemque opem necessariam promisisti. Aliqui, ut Valentia noster tract. de Pœnit. disput. 7. quæst. 2. puncto 1. non male sic exponunt: *dat iustitiam*, id est reddit compensationem pro offensa, qualem qualem potest. Pœnitentia enim est quasi quædam iustitia, licet non rigida, sed talis qualis esse potest inter creatorem et creaturam.

SUPER MAGNITUDINE MALI, ET INCEDIT CURVA.) Ita Roman. Aliter iam habent Græca, scilicet ἡ ψυχὴ ἡ λυπεμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος, ὃ βαδίζει κύπτον καὶ ἀσθενοῦν: quod Primo, Vatabl. sic vertit et explicat: *Anima mœsta super magnitudine quæ declinans et labascens abit*, id est anima mœsta super magnificentia et decore Israelis, qui declinat et perit. Secundo, melius Christoph. a Castro sic: *anima tristis super* magnitudine, scilicet corporis, *quod*, scilicet corpus alioqui magnum, robustum et erectum, propter ærumnas captivitatis et exilii *curvum incedit et infirmum.* Huc pertinet explicatio Maldon. quæ talis est, *anima quæ affligitur propter magnitudinem, quæ* (magnitudo) *incurva et infirma vadit*, id est, anima mole corporis labascente curvatur, et infirma deprimitur, iuxta illud Sapient. 9. v. 15. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Alii denique putant in Græco esse errorem, sicque corrigendum esse, ἡ βαδίζοι κύπτοντα καὶ ἀσθενοῦντα: ita enim habet Latina editio: unde noster in Græco ita legisse videtur.

NON SECUNDUM IUSTITIAS.) Id est, non propter iusti- Vers. 19.
tias, non præfidentes iustitiis patrum nostrorum. Græcum enim ἐπὶ, quod noster vertit *secundum*, capitur pro Hebræo עַל *al*, (id est *super*, *propter*) quod est in eadem hac oratione apud Daniel. cap. 9. 18.

FUNDIMUS PRECES.) Græce est ἔλεον, id est fundimus miserationem vel miserabilitatem nostram, id est miserabiles nostros gemitus et preces: hoc enim est Hebræum תחנוננו *tachanunenu*, quod est apud Danielem.

SED QUIA MISISTI.) q. d. Fundimus preces quia ærum- Vers. 20.
mnis tuis urgemur et cogimur ad te recurrere.

IN MANU PUERORUM.) Per pueros: manus enim Hebræis significat instrumentum, et causam instrumentalem.

OPERA FACITE.) ἐργάσασθε, id est servite: servorum enim Vers. 21.
est operari pro hero: et hoc respondet Hebr. עבד *abad*, quod est apud Ieremiam: ita Vatabl. et Maldon.

DEFECTIONEM VESTRAM FACIAM.) Faciam vos deficere, Vers. 22.
et expelli ab urbibus Iuda: unde sequitur:

ET ERIT TERRA SINE VESTIGIO AB INHABITANTIBUS Vers. 23.
EAM.) Id est, terra tota deserta erit ab habitatoribus et vestigiis transeuntium. Græce est, *terra erit* εἰς ἄβατον, id est *in invium:* Ieremias c. 7. v. 34. (quo alludit hic Baruch) habet, *in desolationem.* Græca Roman. iam pro ἔκλειψιν, id est *defectionem*, habent ἐκλεῖψαι ποιήσω, id est *deficere faciam de urbibus Iuda vocem sponsi et sponsæ.* Quæ lectio clara est, et plane ex præcedentibus fluit.

A FORIS IERUSALEM.) Ita vocat suburbana Hierosolymæ, vicosque et civitates ei subiectas.

ET STATUISTI.) Id est ideirco fecisti, ut reipsa nobis Vers. 24.
evenirent mala quæ minatus eras per Prophetas: vide dicta v. 1.

UT TRANSFERRENTUR.) Id est, ait Maldon. ut non sepelirentur in sepulchris patrum suorum, sed in terra aliena morerentur; ut sit metalepsis: per translationem enim sepulturæ intelligit translationem mortis, et consequenter ipsorum morientium, puta translationem ipso-

rum viventium in Babylonem. Secundo et planius, *ut transferrentur*, id est ut effoderentur, et effossa proiicerentur huc illuc sub dio: hoc enim fecisse Chaldæos, ut thesauros e sepulchris Iudæorum eruerent, dixi Ierem. 8. v. 1. et 2.

Vers. 25. IN DOLORIBUS PESSIMIS.) ἐν πόνοις πονηροῖς, id est, *in laboribus laboriosis et malignis*, puta acerbæ captivitatis.

ET IN EMISSIONE.) In exilio, in dispersione: ita Theod.

Vers. 26. ET POSUISTI.) Id est, redegisti templum ad eum statum quo hodie conspicitur, scilicet ut sit combustum et desolatum: unde Græca habent, *non est templum tuum*.

IN QUO INVOCATUM EST NOMEN TUUM.) Quod vocabatur templum Dei.

IN IPSO.) Hæc verba redundant: est enim Hebraismus.

Vers. 27. SECUNDUM OMNEM BONITATEM TUAM.) Græce est ἐπιείκειαν, q. d. *Punivisti nos benigne et remisse*. Est enim *epiikia* quædam iuris remissio, indulgentia et benignitas: hoc est quod ait Ierem. Thren. 3. 22. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti*. Aliter quoque explicat Maldon. Ipsam, inquit, punitionem vocat benignitatem Dei, quia per eam factum est ut populus peccata sua recognosceret, et Dei misericordiam imploraret, uti significatur v. 31. 32. 33. Verum priorem sensum exposcit Græcum ἐπιείκεια.

Epiikia est iuris remissio.

Vers. 28. CORAM FILIIS ISRAEL.) Proponendo eam filiis Israel, ut eam libere acceptarent vel respuerent: vide dicta v. 10.

Vers. 29. MULTITUDO HÆC MAGNA.) Græce ἡ βόμβησις ἡ μεγάλη, id est, turba hæc magna, et quasi examen apum, quod bombare vel bombulare dicitur ob sonum quem edit. Est onomatopœia, q. d. Iudæi fuerunt quasi alveare plenissimum, non apibus, sed hominibus; nunc inane sunt et vacuum, ita ut pauci supersint ex tanto numero.

QUIA SCIO QUOD ME NON AUDIET POPULUS.) Citat non verba, sed sensum Deut. 31. 29. Vers. 30.

POPULUS EST ENIM DURA CERVICE.) A Castro insignem hic dat regulam, Vis, inquit, scire, quanta sit tua superbia et culpa? Vide quanta flagella morborum, ignominiæ, paupertatis, tentationum, adversitatum illi curandæ adhibeat Deus, qui scientissimus morborum animæ est medicus.

Superbiam tuam metire ex adversitate, qua ei medetur Deus.

ET CONVERTETUR AD COR SUUM.) Resipiscet: vexatio enim dabit illi intellectum, Isaiæ 28. 19. Citat Levit. 26. v. 39. 40. 41.

ET DABO EIS COR.) Novum. Citat non verba, sed sensum Deuter. 30. 6. Vers. 31.

ET AVERTENT SE A DORSO SUO DURO.) A sua contumacia et morum duritie; huius enim symbolum est durum dorsum, æque ac cervix. Vers. 33.

ET STATUAM.) Hæc ex Ieremia sumpta sunt cap. 31. v. 31. vide ibi dicta. Vers. 35.

TESTAMENTUM ALTERUM SEMPITERNUM.) Id est diuturnum: vel *sempiternum*, scilicet ut quiete possideant Iudæam sub hac conditione, si videlicet, et quamdiu leges meas servabunt, inquit Dion. Secundo, melius et plenius, testamentum hoc sempiternum est novum, quod nobiscum iniit Christus: nam cum captivis redeuntibus e Babylone alterum novumque fœdus Deum iniisse non legimus; et si iniisset, vere non fuit sempiternum: nam Iudæi rursum per Titum et Romanos Iudæa eiecti sunt: fœdus autem Christi proprie est, eritque cum Ecclesia sempiternum: ita Hugo, Lyran. et alii.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur orationem et preces usque ad v. 9. inde docet tam Iudæos quam Gentes ob neglectum sapientiæ periisse: in sapientia enim sitam esse immortalitatem, salutem et beatitudinem; quare illam a Deo petendam esse, Deumque ut eam homines doceret, esse incarnatum.

Sapientia practica est Dei timor et cultus.

Nota. Per sapientiam accipit practicam, scilicet Dei cognitionem, amorem, cultum, id est legis Dei observantiam: hoc enim sapientia in Proverbiis, et omnibus libris sapientialibus significat: ita Theod.

1. ET nunc Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te. 2. Audi Domine et miserere, quia Deus es misericors, et miserere nostri: quia peccavimus ante te. 3. Quia tu sedes in sempiternum, et nos peribimus in ævum? 4. Domine omnipotens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, et filiorum ipsorum qui peccaverunt ante te, et non audierunt vocem Domini Dei sui, et agglutinata sunt nobis mala. 5. Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus tuæ, et nominis tui in tempore isto: 6. Quia tu es Dominus Deus noster, et laudabimus te Domine: 7. Quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, et ut invocemus nomen tuum, et laudemus te in captivitate nostra, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt ante te. 8. Et ecce nos in captivitate nostra sumus hodie, qua nos dispersisti in improperium, et in maledictum, et in peccatum, secundum omnes iniquitates patrum nostrorum qui recesserunt a te Domine Deus noster. 9. Audi Israel mandata vitæ: auribus percipe, ut scias prudentiam. 10. Quid est Israel quod in terra inimicorum es? 11. Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum. 12. Dereliquisti fontem sapientiæ; 13. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. 14. Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax. 15. Quis invenit locum eius? et quis intravit in thesauros eius? 16. Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? 17. Qui in avibus cæli ludunt. 18. Qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum? 19. Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. 20. Iuvenes viderunt lumen, et habitaverunt super terram: viam autem disciplinæ ignoraverunt, 21. Neque intellexerunt semitas eius, neque filii eorum susceperunt eam, a facie ipsorum longe facta est: 22. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. 23. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ, et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius. 24. O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius! 25. Magnus est, et non habet finem: excelsus et immensus. 26. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. 27. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt: propterea perierunt. 28. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. 29. Quis ascendit in cælum, et accepit eam, et eduxit eam de nubibus? 30. Quis transfretavit mare, et invenit illam? et attulit illam super au-

rum electum? 31. Non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius: 32. Sed qui scit universa, novit eam, et adinvenit eam prudentia sua: qui præparavit terram in æterno tempore, et replevit eam pecudibus, et quadrupedibus: 33. Qui emittit lumen, et vadit: et vocavit illud, et obedit illi in tremore. 34. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt: 35. Vocatæ sunt, et dixerunt: Adsumus: et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. 36. Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. 37. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Iacob puero suo, et Israel dilecto suo. 38. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

Vers. 1. IN ANGUSTIIS.) Tunc enim coacta anima ad Deum, quasi unicum solatium recurrit, et Deus auxilium talibus promisit. Denique proponit hic Synagoga suas angustias et miserias, ut iis Deum ad misericordiam commoveat; ipse enim dixit Psal. 49. 15. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me.* Ita omnes angustiis pressi Deum inclamantes ab eo adiuti sunt; ita Anna opprobrium sterilitatis depulit, dum flendo et ingemiscendo ad Deum, Samuelem impetravit, 1. Reg. 1. 10. Ita David: *Ad Dominum*, inquit, *cum tribularer clamavi, et exaudivit me*, Psal. 119. 1. Ita Ionas c. 2. in ventre ceti invocavit Deum: *Cum angustiaretur*, inquit, *in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum*, etc. *et dixit Dominus pisci, et evomuit Ionam in aridam.* Ita Tobias angustiatus orans cum lacrymis, exauditus est c. 3. 24.

Deus adest orantibus in tribulatione.

A

Vers. 3. QUIA TU SEDES, id est permanes et perduras, IN SEMPITERNUM, ET NOS PERIBIMUS IN ÆVUM.) q. d. Cum tu vitam degas æternam, permittesne nos tam cito mori, et perire in æternum? nam per et post hanc vitam continuo tendimus ad mortem æternam, uti scilicet huic sæculo mortui, non amplius eo revertamur. Hoc est quod ait S. Iob c. 14. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore*, etc. *qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra;* quin et Hippocrates in principio definitionum: *Ars*, inquit, *longa, vita brevis.* Idem epist. ad Damagetum: *Homo*, ait, *totus, a nativitate morbus est.* Et quid est morbus, nisi via et inchoatio mortis? Idem ibidem: *Homo*, ait, *dum educatur, inutilis est, et alienum auxilium implorat: dum crescit, protervus est, insipiens, pædagogo indigens; dum in vigore est, audax est: dum decrescit, miserabilis, ubi labores suos imprudenter recolit et iactat.* Solon rogatus quid esset homo? ait: *Putredo est in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte.* Merito ergo exclamat, et suspirat gemitque Lucretius:

O miseras hominum mentes, o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi quodcumque est!

Mors incerta instat.

Audi et Ciceronem l. 3. Tusc. *Theophrastus*, inquit, *moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur.* Eadem fuit querela Arist. apud Senecam l. de Brevitate vitæ c. 1. Accedit, quod finis vitæ, puta annus et dies mortis, nobis sint incerti, sed ex improviso nos occupent sicut fur in nocte, uti ait S. Paulus. Quare prudenter monet S. August. serm. 120. de tempore: *Præveniendus est dies qui prævenire consuevit.* Prævenire solet dies mortis homines imparatos, is præveniendus est a prudentibus, et suæ salutis amantibus diligenti præmeditatione et præparatione. Ita Gentilis Seneca hunc diem præveniebat, ut omnes dies pro extremis haberet; sic enim ait epist. 94. *Non me ad eum diem aptavi quem ultimum mihi spes avida promiserat, sed nullum non tanquam ultimum aspexi.* Spes vitæ avida multos promittit annos, coerce hanc spem, non fallet te: singulos dies extremos puta; para te ad mortem, imo ad immortalitatem.

Ad eam te para.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Quocirca recte idem Seneca epist. 115. *Nihil*, ait, *æque tibi profuerit ad temperantiam rerum omnium, quam frequens cogitatio brevis ævi, et huius incerti. Quidquid facies, respice ad mortem.* Et Martial. lib. 5. Epigr.

Cras te victurum cur dicis, Posthume, semper?
Dic mihi cras istud, Posthume, quando venit?
Quam longe cras istud? ubi est, aut unde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Iam cras istud habet Priami, vel Nestoris annos,
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras vives, hodie iam vivere Posthume, serum est.
Ille sapit quisquis, Posthume, vixit heri.

Præclare S. Hier. in Epitaphio Nepotiani: *Xerxes*, ait, *ille Rex potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, et innumerabilem vidisset exercitum, flesse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus; iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus et regnis regna collisa: alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi; hic nuptias, ibi planctum; illos nasci, illos mori; alios affluere deliciis, alios mendicare; et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. Vincitur sermo rei magnitudine, et minus est omne, quod dicimus. Redeamus igitur ad nos, et quasi e cælo descendentes paulisper nostra videamus. Sentisne, obsecro te, quando infans, quando puer, quando iuvenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? Quotidie morimur, quotidie commutamur, et tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum damna sunt temporum. Scribimus atque rescribimus: transeunt maria epistolæ; et scindente sulcum carina, per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur. Solum habemus lucri, quod Christi nobis amore sociamur.*

B

C

Audi patheticum B. Petri Damiani epitaphium, qui deposita purpura Cardinalitia et Episcopatu Ostiensi, sponte se ad suam eremum Camaldulensem, solitudinis et contemplationis desiderio, recipiens, sancte obiit anno Domini 1072. quod ipsemet sibi composuit.

Quod nunc es, fuimus: es, quod sumus, ipse futurus.
His sit nulla fides, quæ peritura vides.
Frivola sinceris præcurrunt somnia veris:
Succedunt brevibus sæcula temporibus.
Vive memor mortis, quo semper vivere possis,
Quidquid adest, transit: quod manet, ecce venit.
Quam bene providit, qui te, male munde, reliquit,
Mente prius carui, quam tibi carne mori.
Cælica terrenis præfer, mansura caducis,
Mens repetat proprium libera principium.
Spiritus alta petat, quo prodit fonte, recurrat:
Sub se despiciat quidquid in ima gravat.
Sis memor, oro, mei, cineres pius aspice Petri:
Cum prece, cum gemitu dic, Sibi parce, Deus.

D

Græce pro *sempiternum* et *ævum*, eadem est vox *αἰών*, quasi *ἀεὶ ὤν*, id est semper existens, q. d. ait Theod. Tu es æternus, nos temporanei, imo quasi nullius ævi; nam tibi competit vita æterna, nobis interitus et mors æterna; tu vivis in æternum, nos morimur et perimus in æternum; tibi adest *αἰών* sive ævum vitæ, nobis ævum mortis: semel enim mortui huic vitæ, amplius ad eam non redibimus in æternum. Miserere ergo, o æterne, mortalium et mortalitatis nostræ; hæc enim tam fragilis est, ut sicut a vita sua, ita et a recto et virtute quotidie decidat et peccet: nos ergo valde egemus tua misericordia, cum tu non egeas nostra miseria; valet multum ad impetrandam misericordiam, et petentis infirmitas, et eius a quo postu-

Deus habet ævum vitæ, nos mortis.

latur celebrata facultas. Sic Psaltes ait Psal. 102. 13. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus;* ita Maldon.

Vers. 4. Mortui Israel qui? AUDI NUNC ORATIONEM MORTUORUM ISRAEL.) Scilicet Abrahæ, Isaac, Iacob, et aliorum sanctorum Patriarcharum, qui dum viverent orabant, et iam mortui in limbo orant pro suis posteris; ita Hugo et Lyran. Sic enim Iudas Machabæus vidit Ieremiam iam defunctum orantem pro populi salute, 2. Machab. 15. 14. Verum quia hos mortuos vocat peccatores, dum filios eorum vocat filios των αμαρτανοντων, id est peccatorum; hinc melius per mortuos accipias eos, qui recenter et proxime erant vita functi: qui licet peccassent, tamen pœnitentes decesserant, ideoque in limbo, æque ac in vita et morte, orabant pro filiorum libertate. Hinc patet animam manere post mortem, esseque immortalem, ait Theod. Potest Tertio, cum Maldon. sic explicari: *orationem mortuorum*, id est nostram, qui ita afflicti sumus ut nihil a mortuis differre videamur; uti ait v. 11. *Et*, id est idcirco, *agglutinata sunt*, id est tenaciter adhærent, *nobis mala.*

Vers. 5. MEMENTO MANUS TUÆ.) Id est potentiæ tuæ, quam sæpe pro populo tuo exseruisti, et toti mundo ostendisti; q. d. Ne consideres quid nos mereamur, sed quid deceat solitam tuam potentiam, opitulationem et gloriam.

Vers. 7. DEDISTI TIMOREM TUUM IN CORDIBUS NOSTRIS.) Id est terrefecisti nos multis cladibus et ærumnis affligens, ut disceremus te timere et revereri.

CONVERTIMUR.) Græce απεστρεψαμεν, *aversati sumus* peccata patrum; ita Theod. Aliter Vatabl. Convertimur, inquit, ad cor, id est mente revolvimus, recordamur peccata patrum nostrorum, ob quæ puniti sunt. Aliter quoque Maldon. *Redieramus*, inquit, *ad ingenium* (et ad) *omnem iniquitatem patrum nostrorum.* Sed primus sensus est planissimus, eumque exposcit nostra Vulgata editio Latina.

Vers. 8. IN PECCATUM.) Id est in pœnam et opprobrium peccati, ut ab omnibus vocemur magni peccatores, quod ob peccata tantas ærumnas patiamur; ita Hugo et Lyran. Aliter Dionys *in peccatum*, inquit, id est in peccati, verbi gratia, idololatriæ, occasiones, quas habemus in assidua cum Chaldæis idololatris conversatione. Tertio, Græce est οφλησις, id est debitum, quod ærario debetur, q. d. Hic in captivitate oneramur tributis, et consequenter debitis et ære alieno; ita Vatabl.

Vers. 9. AUDI ISRAEL.) Hic finitur oratio, et incipit secunda libri pars, scilicet admonitio ad pœnitentiam et prudentiam, id est ad legem Dei resumendam et observandam: huius enim neglectu inciderant in captivitatis ærumnas. Est hic ergo apostrophe pathetica ad populum cum emphatica oratione.

Vers. 10. et 11. QUID EST? q. d. Cogita quæ sit causa tanti mali, tam longi exilii tui: nam INVETERASTI, id est consenuisti IN TERRA ALIENA.) In Chaldæa.

COINQUINATUS ES CUM MORTUIS.) q. d. In Babylone versaris velut in sepulcro, quasi cum mortuis iam esses mortuus, ita sordes, ita squales. Patet ex sequentibus. Mortui enim sive cadavera sunt coinquinata tum naturaliter, tum moraliter ex lege veteri.

DEPUTATUS ES CUM DESCENDENTIBUS IN INFERNUM.) Infernus hic significat statum mortuorum: nam corpus descendebat sub terram ad sepulcrum, anima ad infernum: ita Theodor. Solent Hebræi valde ærumnosos et squalidos comparare mortuis. Sic enim ait David Ps. 27. v. 1. *Nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum:* et Psal. 87. v. 5. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.*

Aliter Hugo et Lyran. q. d. *Coinquinatus es cum mortuis*, scilicet spiritualiter, id est cum peccatoribus, puta Chaldæis, quorum vitiis contaminatus, instar eorum addictus es inferno. Hic sensus magis est mysticus quam literalis: quem secutus S. Bern. serm. 83. in Cant. docet, quomodo anima quantumcumque vitiis corrupta, per amorem possit redire ad nuptias, et ad thalamum sponsi, puta Dei et Christi. *Docuimus*, inquit, *omnem animam, licet oneratam vitiis, peccatis irretitam, captam illecebris, exilio captivam, corpore carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, distentam negotiis, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, sollicitudinibus anxiam, suspicionibus inquietam, et postremo advenam in terra inimicorum iuxta Prophetæ vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui in inferno sunt: licet inquam sic damnatam, et sic desperatam; docuimus tamen hanc in sese posse advertere non modo unde respirare in spem veniæ, in spem misericordiæ queat, sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire fœdus societatis non trepidet, suave iugum amoris cum rege ducere Angelorum non vereatur*, etc. Exempla sunt in vita S. Magdalenæ, S. Mariæ Ægyptiacæ, S. Pelagiæ pœnitentis, etc. quas Deus ex cœno libidinum ereptas sibi despondit, atque ex fœminis et sirenibus Angelos terrestres effecit.

DERELIQUISTI FONTEM SAPIENTIÆ.) Scilicet Deum, Ecclesiastici 1. 1. dum eius rivum, scilicet legem, reliquisti. Est anthypophora sive subiectio, qua præcedenti interrogationi respondet, causamque tantæ cladis et captivitatis assignat, eamdem scilicet quam assignavit magister eius Ieremias c. 2. 13. dicens: *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Sapientiam enim vocat aquam vivam: nam apud Deum est fons vitæ, Psal. 35. 10. Vers. 12.

IN PACE SEMPITERNA.) Ita legendum cum Rom. Græcis, Hugone, et aliis, non *in pace super terram*, uti passim legitur. Porro pax Hebræis est prosperitas, et rerum omnium affluentia et felicitas: unde Psaltes Ps. 121. v. 7. cum dixisset, *Fiat pax in virtute tua;* explicans subiecit, *Et abundantia in turribus tuis.* Porro pax et felicitas plena esse nequit, nisi semper duret, sitque æterna. Hinc vir sapiens dixit: *Absque æternitate divinæ rationes quietem non haberent:* multo minus humanæ et angelicæ: unde idem: *Absque æternitate*, ait, *æviternitas non esset, et absque æviternitate nulla creatura quietem haberet*, præsertim rationalis, quæ æterna æternitati creata et destinata est. Quocirca S. Bernard. *Ut mens*, inquit, *quieta sit, in æternitate figenda est.* Et S. August. explicans illud Ps. 4. *In pace in idipsum dormiam et requiescam;* ait, *Singulares ergo et simplices, id est secreti a multitudine ac turba nascentium rerum ac morientium, amatores æternitatis et unitatis esse debemus, si uni Deo et Domino nostro cupimus inhærere.* Idem in sententiis: *Non potest quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Æterna enim exultatio est quæ bono lætatur æterno.* Vers. 13.

DISCE, tuo flagello et verbere, UBI SIT PRUDENTIA.) Perinde ac si quis ægroto ob crapulam diceret, Disce ubi sit temperantia, ut discas ubi sit sanitas; aut puero ob petulantiam castigato diceret, Disce quid sit esse petulantem, disce quid sit modestia, ut scias ubi sit libertas, et a plagis immunitas. Vers. 14.

UBI SIT VIRTUS.) Græce ισχυς, id est fortitudo ad resistendum hostibus, ait Theodor. et Hugo: non ergo loquitur de virtute morali, ut vult Lyran.

UBI SIT INTELLECTUS.) Id est rerum agendarum intelligentia. Nota. Sapientiam practicam Baruch nunc vocat prudentiam, nunc intellectum. Vocatur sapientia, quia est sapida scientia, sive cognitio coniuncta cum sapore, gustu, affectu et amore rerum cognitarum. Vocatur prudentia, quia vere prudentis est ita sapere, scilicet timere et amare Deum ac cælestia, non caduca. Vocatur intellectus, quia facit fidelem vere intelligentem, et æstimantem res uti in se sunt, nimirum parvas ut parvas, temporales ut temporales, magnas ut magnas, æternas ut æternas. Sic Lucæ 1. 17. hæc sapientia vocatur prudentia iustorum: *Ut convertat* (Ioannes Baptista, ait Gabriel) *corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Eadem Sapient. 10. 10. vocatur scientia Sanctorum: *Dedit*, inquit, *illi* (Iacobo) *scientiam sanctorum.* Sic in Proverbiis et alibi Sapiens, sa-

pientiam hanc sive Ethicam sanctorum, copiæ causa, vocat nunc sapientiam, nunc scientiam, nunc prudentiam, nunc intellectum, nunc doctrinam, nunc disciplinam, nunc discretionem, nunc eruditionem. Hæc enim omnia idem sunt, et eamdem rem denotant, et tantum distinguuntur connotato, sive etymo, et etymi propria significatione, ut patet cuique illud intuenti. Dicitur enim scientia, quia facit hominem scientem: dicitur discretio, quia discernit inter bonum et malum: dicitur doctrina, quia docet viam virtutis et salutis: dicitur disciplina, quia discenda est, docetque fidelem discipulum, etc.

Ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ.) Græce, πȣ ἐςιν μακροβιωσις καὶ ζωὴ, *ubi sit longævitas et vita*, aut potius *victus* et alimonia qua vitam sustinemus. Sic enim magis ζωὴ, id est victus, distinguitur a μακροβιώσει, id est a longævitate.

Ubi sit lumen oculorum.) Quod oculos mentis illuminat: *lex* enim *est lux*, Prov. 6. 23. Secundo, ut Maldonat. lumen oculorum res prosperas, sicut tenebræ adversas, significat.

Sex effectus sapientiæ sive obedientiæ.

Nota hic sex effectus sapientiæ, sive obedientiæ legis divinæ: primus est, v. 13. pax sempiterna; secundus, v. 13. est prudentia et virtus; tertius, est intellectus; quartus, est longævitas; quintus, est victus et rerum copia; sextus, est lumen oculorum. Unde Sap. 6. 21. dicitur: *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus et sceptris, o Reges populi, diligite sapientiam ut in perpetuum regnetis*: et v. 26. *Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum, et Rex sapiens stabilimentum populi est*: et c. 7. 8. *Præposui illam* (sapientiam) *regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius*: *venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Infinitus enim thesaurus est hominibus*: et v. 25. *Vapor est virtutis Dei, et emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera: candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula. Et cum sit una, omnia potest, et omnia innovat, amicos Dei et Prophetas constituit: neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior sole.* Et c. 8. 1. *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter: hanc amavi et quæsivi sponsam mihi assumere. Et si divitiæ appetuntur, quid sapientia locupletius? sobrietatem et prudentiam docet, et iustitiam et virtutem. Si multitudinem scientiæ desiderat quis? scit præterita, et de futuris æstimat. Habebo propter hanc claritatem ad turbas*, etc. *immortalitatem et memoriam æternam. Disponam populos, timebunt me audientes Reges horrendi.* Unde cap. 9. toto affectu pro ea obsecrat dicens: *Tu elegisti me Regem populo tuo, mitte illam* (sapientiam) *de cælis sanctis tuis, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.*

Exempla Hebræorum.

Miros vero effectus et exempla sapientiæ recenset c. 10. Primo, Adami vers. 1. *Hæc* (sapientia) inquit, *illum qui primus formatus est*, etc. *custodivit et eduxit illum a delicto suo.* Secundo, a contrario Caini v. 3. *Ab hac ut recessit iniustus* (Cain) *in ira sua per iram homicidii fraterni deperiit.* Tertio, Noe v. 4. *Cum aqua deleret terram, iterum sanavit sapientia, per contemptibile lignum iustum gubernans.* Quarto, Abrahæ v. 5. *Hæc scivit iustum* (Abraham) *et conservavit sine querela Deo, et in filii misericordia fortem custodivit:* quia scilicet effecit, ut Abraham fortiter vinceret amorem et misericordiam filii sui Isaaci, quando Deo iubente eum immolare voluit. Quinto, Lot. v. 6. *Hæc iustum a pereuntibus impiis* (Sodomitis) *liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim.* Sexto, Iacobi v. 10. *Hæc profugum* (Iacobum) *iræ fratris* (Esau) *iustum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei* (in Bethel Gen. 28. v. 5.) *et dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius: in fraude circumvenientium* (Labani et filiorum eius) *illum affuit illi.* Septimo Iosephi vers. 13. *Hæc venditum iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum re-*

A

gni. Octavo, Hebræorum v. 15. *Hæc populum iustum liberavit a nationibus* (Ægyptiis) *quæ illum deprimebant, intravit in animam servi Dei* (Mosis) *et stetit contra Reges horrendos in portentis et signis: et reddidit iustis mercedem laborum* (spoliando Ægyptum) *et deduxit illos in via mirabili, et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem, transtulit illos per mare rubrum*, etc.

Exempla Christianorum.

Vis exempla Christianorum? Alphonsus Aragon. Rex potentissimus, teste Panorm. lib. 3. de gestis eiusdem rogatus quomodo tot partis regnis opibusque privari, et ad paupertatem redigi posset? respondit: *Si venderetur sapientia: illam enim omnibus opibus præferrem et emerem.* Vere enim *nescit homo pretium eius*, ut ait Iob, *nec invenitur in terra suaviter viventium.* Idem sciscitanti quo nomine sapientiam decorandam censeret? dixit: *Eam ego existimo Dei filiam, ac solam rerum omnium esse immortalem, solique homini inter animantia datam.*

Exempla Gentilium.

Constantinus Imp. orat. ad cœtum Sanct. c. 25. *Hæc*, ait, *cælestis plane et divina sapientia est, ut pati malimus*

B

iniuriam quam facere, et damnum potius accipere quam inferre parati simus. Ita enim vincimus hostes omnes, et pacem cum Deo et hominibus, atque gaudium animi conservamus, uti nos docuit Christus et Apostoli, tam exemplo quam verbo.

Vis Gentilium? Cicero in lib. de Finibus docet sapientiam esse hominis custodem et procreatricem. Alius *sapientes* vocabat *Prometheos. Ignis enim Promethei doctrina est, qua remota ex homine truncus; et addita, e trunco redditur homo.* Lucret. lib. 2.

Nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita, doctrina sapientum, templa serena:
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Iuvenalis: *Nullum numen abest si sit prudentia.*

Alius: *Una est recte gubernandi ars, sine qua nec regere quis potest, nec regi, prudentia.*

C

Regina Saba venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, eaque audita dixit: *Beati viri tui qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum*, 3. Reg. 10. 8.

Porro sapientiam hanc non esse inanem speculationem, sed in timore Dei et custodia legum eius consistere, docet Psaltes Ps. 100. 10. *Initium sapientiæ timor Domini:* et Iob cap. 28. v. 28. *Timor Domini ipsa est sapientia:* et Eccles. c. 1. 20. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum:* et Eccles. c. 12. 13. *Deum time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo. Si hoc est omnis homo*, ergo, inquit S. Bernard. *absque hoc nihil est homo;* nec homo est, sed aut saxum, aut bestia. Et Moses Deut. 4. 6. *Hæc est vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes dicant, En populus sapiens et intelligens, gens magna: nec est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Denique Sap. cap. 6. 19. *Initium illius* (sapientiæ)

D

verissima est disciplinæ concupiscentia: concupiscentia ergo disciplinæ dilectio est; et dilectio custodia legum illius est; custoditio autem legum consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit proximum esse Deo.

Quis invenit locum eius.) Scilicet sapientiæ seu disciplinæ, patet ex anteced. et sequ. Docet veram sapientiam quæ homines beat, nulla arte aut ingenio inveniri, nulla potentia acquiri posse, sed in Deo quasi in suo fonte quærendam esse, ab eoque postulandam. Simili modo ait Iob cap. 38. 36. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo* (Hebr. לשכוי *lasseci*, quod Arias vertit, *contemplationi;* alii, *intellectui*) *intelligentiam.* Et Iacobus cap. 1. 5. *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.*

Vers 15. Sapientia non invenitur nisi apud Deum.

Ubi sunt principes.) q. d. Quid contulit principibus principatus, pompa et gloria? utique parum vanitatis, sed nihil veritatis: hæc enim eis sapientiam conferre non potuerunt.

Vers 16

Vers. 17. Qui in avibus cæli ludunt.) Græce εμπαιζοντες, id est *illudunt*, dum eas cantu, esca aut reti decipiunt, capiunt, et postea eis ad cantum et recreationem abutuntur. Unde Vatabl. vertit, *qui aves cæli ludos faciunt*. Secundo, recte noster Vincentius Regius Evangelic. dilucidat. lib. 4. 15. Ludere, inquit, est quasi ludendo aliquid facere, id est sine difficultate, ut Proverb. 8. 30. *Cum eo eram cuncta componens, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*. Ergo ludere in avibus cæli, est adeo potentem et imperiosum esse, ut videatur quis non modo in bestias, sed et in aves cæli pro arbitratu dominari; unde Nabuchodonosor dicitur imperasse avibus cæli, Daniel. 4. 18.

Ludere est ludendo facere per catachresin.

Vers. 18. Qui argentum fabricant.) Argentum, inquit Maldon. fabricare, est non modo argentum conflare, sed etiam quibusvis modis et artibus corradere, et varias rationes excogitare inveniendæ pecuniæ, ita ut eam excudere quodammodo videantur. Proprie argentum fabricant, qui e suis venis et mineralibus illud liquando et conflando efformant, efformatumque recondunt: quod est regum et principum.

Nec est inventio operum illorum.) Supple numeri aut termini, non est invenire numerum aut terminum excellentium operum illorum. Aliter Maldonat. et Vincent. Regius, q. d. Nihil lucri percipiunt ex operibus suis; ευρεμα enim aut ευρεσις aut εξευρεσις, id est inventio, lucrum et emolumentum significat; quia quod invenimus in lucro ponimus, ut Eccli. 20. v. 9. *Est inventio in detrimentum*, id est lucrum damnosum: et c. 29. 4. *Multi quasi inventionem*, id est quasi lucrum, *æstimaverunt fœnus*: et v. 7. *Computabit illud quasi inventionem*, id est in lucris ponet. Tertio, alii, q. d. Non est invenire, id est comprehendere opera illorum. Quarto, alii, q. d. Opera eorum pereunt, ita ut non inveniantur amplius. Quinto, alii, q. d. *Non est inventio*, id est nullus est finis operum illorum, scilicet congerendi auri et opum. Tertius sensus et primus sunt planissimi, apteque respondent ei quod præcessit, *Non est finis acquisitionis illorum*. q. d. Quid prodest principibus, quod non solum hominibus, sed et bestiis dominentur? quod in avibus cæli ludant? etc. cum sapientia careant, nec eam consequi possint; ibi enim eam quærunt ubi non est. Est enim non in auro et pompa, sed in Deo quasi in suo fonte quærenda, et ab eo postulanda: ideo principes olim famosi exterminati sunt et ad inferos descenderunt.

Inventio pro lucro ponitur.

Vers. 19. Ad inferos descenderunt.) Talis fuit Balthasar rex Chald. potentissimus, cuius miserabilem casum et descensum instar Luciferi describit Isaias cap. 14. 4. et seq. et Daniel. cap. 5. item rex Tyri, cuius casum describit Ezechiel cap. 28. et Pharao, cuius demersionem in mare et abyssum describit Moses Exodi 14. et alter Pharao, cuius stragem describit Ezechiel c. 29.

Vers. 20. Iuvenes.) q. d. Qui loco patrum surrexerunt iuvenes, lucem huius vitæ aspexerunt, acres et animosi vixerunt, vel etiamnum vivunt in terra, sed viam sapientiæ, æque ut parentes, ignorarunt, q. d. Nati sunt iuvenes qui illis succederent, et opes omnes quas collegerant dilapidarent: ita Vatabl. et Maldon.

Vers. 22. Non est audita in terra Chanaan.) Nota. Chananæi, scilicet Phœnices, uti Tyrii, nauticæ et mercaturæ erant addicti, eiusque scientissimi: hinc et primi inter Gentiles literas invenerunt. Audi Euseb. l. 1. Præpar. 7. *Iaatus*, inquit, *Phœnix primus elementa literarum conscripsit, primus naves construxit, primique Phœnices herbarum vires ad medicinam invenerunt*: et Lucan. l. 3.

Phœnices invenerunt literas.

Phœnices primi (famæ si creditur) ausi
Mansuram rudibus vocem formare figuris.

In Theman.) Erat metropolis Idumææ, ita dicta a Theman filio Eliphaz, filii Esau, Gen. 36. 11. et 15. Per Theman totam Idumæam intelligit. Est synecdoche, q. d. Esto Chananæi et Idumæi visi sint sapientissimi in re nautica, in mercimoniis, in parabolis et fabulis rerum naturalium; tamen veram sapientiam quæ animam sanctificat, et ad salutem ac beatitudinem perducit, ignorarunt: licet enim S. Iob eiusque amici eam cognoverint, tamen eam non a Chananæis vel Idumæis, sed a Deo; non a terra, sed e cælo acceperunt: illa enim *desursum est descendens a patre luminum*, Iacobi 1. 17.

Nota hic antiquitatem gymnasiorum et Academiarum. Nam tempore Mosis et Iosue Cariatsepher, id est urbs literarum, dicta est Academia Palæstinæ, Iosue 15. 15. Sic Theman fuit Academia Idumææ, Tecua Chananææ; unde vocatur mater in Israel, 2. Reg. 20. v. 19. et ex illa prodiit mulier illa sapiens Tecuitis, quæ Absalonem Davidi reconciliavit, 2. Reg. 14. v. 2. Sic Ægypti Academiæ erant Memphis, Heliopolis, Alexandria; uti Helladis Athenæ. Vide Middendorpium lib. de Academiis.

Filii quoque Agar.) Qui quasi filii Abrahæ sapientiam venditabant, sed mundanam: erant enim negotiatores mercium, et mercandi ac fallendi subinde peritissimi.

Negotiatores terræ.) Corrige cum Rom. et Græcis, *negotiatores Merrhæ*: nomen est loci: forte Merrha est Maara Sidoniorum, de qua Iosue 13. 4. hi enim præcipui erant mercatores, a quibus Tyrii sunt orti. Vers. 23.

Fabulatores.) Qui fabulas, uti metamorphoses Iovis, hominum, animalium narrant; vel, ut Theodor. qui per symbola et parabolas sua tradunt: sic enim Æsopus per fabulas mores hominum informavit. Sic μυθολογι sive fabularum scriptores vel interpretes olim Philosophi, imo Theologi habebantur, a quibus nata est Theologia μυθικη, id est fabulosa, da qua Fulgent. librum scripsit, eiusque meminit S. August. lib. 6. de Civit. c. 5. et Euseb. lib. 3. de Præpar. c. 2. q. d. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*, Psal. 118. 85.

Exquisitores prudentiæ et intelligentiæ.) Naturalis et mundanæ, supple extiterunt, fueruntque celebres et famosi: sed tamen viam veræ et divinæ sapientiæ nescierunt.

O Israel.) Postquam ostendit sapientiam non fuisse inventam in Chanaan, nec in Theman, nec apud alios Gentiles: nunc convertit sermonem ad Israelitas, ut eos doceat quantas Deo gratias agere debeant, quod ipsi soli ex omnibus gentibus hanc sapientiam per Dei legem et Prophetas adepti sint, quamque eam excolere, et iuxta eam vivere et conversari debeant. Vers. 24.

Quam magna est domus Dei!) Per domum Dei non intelligit templum Hierosolymitanum, ut vult Hugo; non etiam cælum tantum, ut vult Lyran. nec enim in templo aut cælo fuerunt gigantes; templum etiam suum habuit finem, quorum utrumque hic de domo Dei negatur. Domus ergo Dei hic est totus mundus: ita S. Ambros. l. 6. Hexam. 3. et alii: nam, ut ait Diogenes apud Plutarch. in fine libr. de Tranquillitate animi: *Mundus est fanum quoddam sanctissimum et Deo dignum*: et Thales Milesius rogatus, *Quid omnium esset pulcherrimum?* respondit, *Mundus: est enim opus Dei, quo nihil est pulchrius*: ita Laert. lib. 1. q. d. Sapientia nec visa est in Chanaan, nec in Theman, quæ regiones hominibus visæ sunt sapientissimæ, nec usquam in toto mundo, qui domus est Dei, reperitur; imo nec apud gigantes bellicosissimos, nec in cælo, nec ultra mare, ut sequitur v. 26. 29. 30. sed tantum apud Deum mundi opificem, et ductorem ac doctorem, ut dicitur v. 32. Deus enim est sapientia increata, qui terram, animalia et stellas creavit, et creata gubernat in sapientia, ut dicitur v. 33. et 34. quique hanc sapientiam in parvo mundi angulo collocavit, cum eam solis pene Iudæis olim communicavit: nunc vero per Christum omnibus gentibus eamdem communicat et per totum mundum dispergit, ut dicitur v. 37. et 38.

Domus Dei est totus mundus.

Mundus est fanum Dei sanctissimum.

Hinc Secundo, tacite hic insinuat Propheta locum, fontem et iter sapientiæ esse, si ascendas a mundo qui domus est Dei, ad Deum ipsum, id est, si ascendas a creaturis ad creatorem. Datur enim sapientia illis qui Deum totius mundi, qui nobis immensus videtur, quasi domus suæ præsidem et patremfamilias agnoscunt et colunt; quique Dei magnitudinem et pulchritudinem metiuntur ex magnitudine et pulchritudine mundi, et maxime cæli,

ubi thronus est gloriæ Dei, et hæreditas sapientum Sanctorum eius; eorum inquam qui non in terra reptant, sed super solem in cælo cum Deo et angelis versantur, terram exilem despiciunt, et cælum immensum affectant. Sapienter Demonax, cum quidam exquirerent, an mundus esset animatus? et rursus, an globosus? *Vos*, inquit, *de mundo solliciti estis, at vestram ipsorum immunditiem non curatis.* Ita refert Anton. in Melissa part. 2. ser. 77. Et S. August. in sententiis n. 73. *Mirabilis*, ait, *est fabrica mundi, sed mirabilior fabricator. Et male occupatur creatis, qui a creatore discedit: cui si inhæserit, inferiora calcabit, ne quod dilexerit contra naturam, convertatur in pœnam.*

Vers. 25. MAGNUS EST, ET NON HABET FINEM.) q. d. Locus possessionis Dei, de quo præcessit, immensus est, nec habet terminum. Dices, quomodo mundus dici potest immensus, cum sit creatus et finitus? Resp. Theodor. Baruch loqui de loco non materiali, sed spirituali Sanctorum, qui est ipse Deus: non enim, inquit, loquitur de finita aliqua possessione, sed de infiniti boni possessione, quæ est ipse Deus. Huc accedit noster Christoph. Gillius lib. 2. tract. 9. de Immensitate Dei c. 16. ubi domum hanc, et locum Dei interpretatur immensitatem et ubiquitatem Dei. Locus enim quasi Dei est ubique. Hinc sicut Deus est immensus, ita et locus eius est immensus. Nam supra cælos per immensa illa vacui spatia porrigit se Dei immensa substantia. Verum hic locus Dei potius symbolicus est, quam proprius et litteralis: litteralis enim est mundus: hic enim est *locus possessionis eius*, ipsaque possessio Dei: unde sequitur: *Ibi fuerunt gigantes:* hi enim fuerunt in mundo, non in Deo, nec in spatiis vacuis supra cælum.

Fateor tamen, Baruch ad hunc locum Dei symbolicum quoque respicere: ex mundo enim quasi loco creato Dei vastissimo, colligit Dei creatoris et possessoris mundi vastitatem et immensitatem. Unde S August. lib. 3. contra Maxim. cap. ult. hinc colligit contra Arrianos, Filium Dei esse immensum: est enim argumentum petitum ab analogia et proportione: q, d. Si mundus est tantus et pene immensus, quantus quamque immensus debet esse ipse mundi creator et Dominus?

Mundus ergo vocatur immensus: quia maximus est et capacissimus, per hyperbolen.

Terræ ambitus est 22500. milliarium

Pro quo Nota. Terræ et maris ingens vastitas patet ex tot regnis et insulis in tabulis geographicis; et ex eo quod docent Mathematici, ambitum sive circulum terræ sub Æquatore, ubi maximus est, esse 22500. milliarium.

Cæli magnitudo prob.

Cæli vero quanta sit amplitudo, liquet Primo, ex eo, quod, ut Alphagranus et communiter Astronomi docent, stella quævis fixa sextæ et infimæ magnitudinis (distinguunt enim eas in sex magnitudinum differentias) totam terræ magnitudinem contineat decies et octies; primæ vero et summæ magnitudinis eamdem contineat centies et septies.

I. Stella quævis continet terram decies et octies.

II. Terra est punctum respectu cæli.

Secundo, ex eo quod globus terræ respectu firmamenti, sit instar puncti. Quocirca Diogenes dicebat, *cælum esse sphæram volubilem et tectum immensum.*

III. Stella quævis una hora conficit 42. milliones milliarium si sit sub æquinoctiali.

Tertio, ex eo quod convexum firmamenti contineat in suo gyro milliones mille et septemdecim cum dimidio. Unde sequitur, quod punctum quodlibet in Æquatore positum, sive stella quælibet in æquinoctiali conficiat suo motu et circulatione singulis horis milliaria quadragies bis millena millia, 398. millia et 437. hoc est milliones quadragintaduos, et insuper tertiam partem millionis, hoc est tantum quantum eques quadraginta milliaria quotidie conficiens, posset 2904. annis conficere. Una ergo hora quælibet stella sub æquinoctiali conficit bis millies ambitum terræ: sol vero una hora percurrit unum millionem et centum quadraginta millia milliarium, hoc est terræ ambitum quinquagies.

IV. Sol quatuor millionibus distat a terra.

Quarto, ex eo quod sol quatuor millionibus milliarium distet a terra, ita ut si e terra recta ascenderes ad solem, deberes conficere quadragies centena millia milliarium. Millio enim sunt decies centena millia. Firmamentum vero distat a terra octoginta millionibus milliarium cum

A

medio; ita ut si a terra ascenderes ad concavum firmamenti, deberes conficere octoginta milliones cum medio. Iam vero eadem est distantia a concavo firmamenti ad eius convexum: spissitudo enim firmamenti est octoginta millionum. Unde sequitur, quod si lapis molaris a convexo firmamenti caderet, opus ei esset nonaginta duobus annis ut terram attingeret, etiamsi singulis horis caderet ad ducenta milliaria: nec enim amplius posset.

Firmamentum octoginta millionibus distat a terra. Spissitudo firmamenti est 80. millionum. Lapis molaris 92. annis egeret ut e firmamento in terram caderet.

V.

Quinto, ex eo quod totus mundus intra concavum firmamenti contentus, si conferatur ad globum e terra et aqua conflatum, eamdem proportionem habeat, quam ad unum vel unitatem habent myriadum undecim millia et 623. myriades. Myriadem voco mille milliones, millio sunt decies centena millia, ut dixi. Quocirca Ptolemæus Mathematicorum princeps, qui floruit sub Adriano Imp. anno Domini 130. l. 1. Almagesti c. 6. docet terram esse punctum respectu firmamenti, sive cæli stellati, idque tribus rationibus Mathematicis evidenter demonstrat. Prima est, quod si terra esset alicuius quantitatis respectu firmamenti, non contingeret medietatem cæli videri. Rursum, oculus existens in centro terræ, videret medietatem

B

cæli: sed idem existens in superficie terræ videt eamdem medietatem: ergo insensibilis est quantitas terræ quæ est a superficie ad centrum, et per consequens quantitas totius terræ insensibilis est respectu firmamenti. Secunda, cernimus quotidie extremas umbras gnomonum in horologiis, aliorumque corporum ita uniformiter et regulariter incedere, motuique Solis conformari, ac si in centro terræ extremitates gnomonum illorum, sive corporum essent collocatæ. Ergo gnomon, seu stylus quicumque in superficie terræ positus, non discrepat a centro mundi sensibiliter: quia sol et circa mundi centrum, et circa huiusmodi stylum uniformi motu incedit. Hoc enim fieri non posset, si notabiliter stylus a centro mundi distaret. Tertia, in omnibus terræ partibus, sive climatibus, eodem tempore a variis Astronomis magnitudo et distantia unius eiusdemque stellæ, v. g. Martis, eadem semper est depre-

C

hensa. Ergo nullus terræ locus ab alio, respectu unius eiusdemque puncti cælestis, differt sensibiliter. Rursum, eædem stellæ non maiores, sed æquales apparent iuxta horizontem positæ, ubi dimidium terræ inter oculum et stellam interiicitur, ac positæ in medio cæli, ubi nil terræ interiicitur. Signum ergo est terram nihil hic augere, et esse insensibilem.

VI.

Sexto, ex eo quod multo minor sit proportio totius mundi intra concavum firmamenti contenti, ad convexum cæli empyrei, quam sit globi terræ et aquæ ad firmamentum.

VII.

Septimo, quia ex dictis sequitur, quod si bis mille annis viveres, et quotidie directe in altum ascenderes centum milliaria, idque continuo, post bis mille annos necdum pervenires ad concavum firmamenti. Rursum post alios bis mille annos recta ascendens et conficiens quotidie centum milliaria, non pervenires a concavo firmamenti ad eiusdem convexum: inde vero ad empyreum longe maior est distantia.

4000 annis non pervenires a terra ad convexum firmamenti, licet quotidie ascenderes ad centum milliaria.

D

Hæc et plura docet P. Christoph. Clavius in sphæra ex communi Mathematicorum sententia, quibus uti et aliis in sua arte credendum est. Ite nunc mortales ambite prædia, domos, villas, regna et punctum hoc in infinita puncta discerpite. Nimirum hoc puncto luditis cælum: hoc instanti a vobis luditur Æternitas. Sapientius Cicero: *Quid ei potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo?* Idem in Somnio Scipionis: *Ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum eius attingimus, pœniteret, quam cum magis intuerer, Quæso, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? nonne aspicis quæ in templa veneris.* Et inferius: *Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum contemplari, ac domum: quæ si tibi parva, ut est, ita videtur, hæc cælestia semper spectato, illa humana contemnito.* Hinc Horatius docet in rebus humanis nil esse admirandum, quia nihil magnum:

Nil admirari, prope res est una Numici,

Solaque quæ possit facere et servare beatum.

A Et Ptolemæus, ut habetur in Præfatione Almagesti, dictitabat non esse mirandum si regna ab uno in alium transferantur: *Ille*, inquit, *inter homines altior est mundo, qui non curat in cuius manu sit mundus.* Quocirca Plotinus lib. 3. a viro probo et sapiente exigit oblivionem rerum inferiorum et terrenarum, ut dumtaxat memor sit altissimarum et divinarum.

Præclare Seneca lib. 1. Natur. quæst. in proœmio, *Punctum est*, inquit, *in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis: sursum ingentia spatia sunt.* Item: *Hoc est punctum quod inter gentes ferro et igni dividitur, o quam ridiculi sunt hominum termini!* Deinde cum formicis homines conferens, *Cum te*, ait, *in illa vere magna sustuleris, quoties videbis exercitus subrectis ire vexillis, dices: It nigrum campis agmen. Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium.* Boetius vero lib. 2. de Consolatione, *terram* non solum punctum, sed *punctum puncti* appellat. Terra enim tota punctum est respectu cæli: huius terræ quam exigua portio est illa quam possidemus! sane ex puncto punctum decerpimus et occupamus. *In hoc ergo*, inquit, *minimo quodam puncti puncto conclusi, de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis?* Tam parvus est vicus orbis terrarum, si cælo conferatur.

Terra est punctum puncti.

B

Quare merito S. Ludovicus Episc. Tolosan. Caroli Siciliæ regis filius, regnum terrenum vocabat splendidam servitutem: *Si domum*, inquit, *ac paternum regnum contemplor, parvum id est contemplanti ingentia illa spatia quæ sursum sunt; in quorum possessionem animus admittitur, si se homo erexerit super se.* Et S. Fulgent. visa Romana magnificentia: *Quam speciosa*, inquit, *est Ierusalem cælestis, si ita fulget Roma terrestris: et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præstabitur Sanctis diligentibus veritatem?* Et Porphyrius Gazæ Episc. videns Theodosii Imp. infantem cum tanta pompa baptizari: *Si ea*, inquit, *quæ paulo post evanescunt tantum gloriæ splendorem habent, quantum habitura sunt cælestia, quæ parata sunt Sanctis et electis Dei?* Denique hinc S. Ambros. libr. 6. Hexam. ostendit pauperem æque felicem esse ac divitem: quia ei, inquit, communis est hæc domus amplissima, scilicet mundus, et communis fax scilicet sol, communes stellæ quasi tapetes, communis aer, communis aqua, etc.

Gnoma Sanctorum de terræ parvitate et cæli magnitudine.

C

Vers. 27. Non nos elegit Dominus.) Deus enim non staturam, non robur, non numerum, sed mores eligit; imo in prima vocatione ad fidem et gratiam mores non eligit, sed eligendo eos facit et format bonos. Hoc est quod ait Moses Deuter. 7. 6. *Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram: non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, et elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores.*

Vers. 29 Quis ascendit.) q. d. Ab homine nusquam nec in cælo, nec in terra inveniri potest sapientia, sed tantum apud Deum qui est fons et pelagus sapientiæ, cum ergo divina et cælestis sit sapientia, nemo potest eam scire nisi Deo revelante: sicut ipse revelavit eam olim Iudæis per Mosen et Prophetas, quibus proinde facilis et ad manum fuit hæc sapientia, ut dicitur Deuter. 30. 11. atque ut eamdem plenius et clarius doceret, ad nos tandem et carnem nostram descendit factus homo, ut ait v. ult.

D

Sic Poetæ fingunt Prometheum, cum lux orbi deesset, facem suam in cælo accendisse, eaque orbi lumen præbuisse. Per facem enim hanc et lumen, significarunt sapientiam a Deo in terras demissam, eam illuminasse, et docuisse viam salutis; vide Iob 28. 12. et seq.

Promethei fax quæ?

Vers. 30. Et attulit illam super (id est potius quam) aurum electum?) Sapientia enim est margarita pretiosa, pro qua sapiens mercator mare transfretabit, ut eam sibi comparet, imo opes omniaque sua pro ea dabit: ipsa enim omne pretium superat, ut ait Iob c. 28. 15. et Salomon Proverb. 3. 14.

Vers. 31. Neque qui exquirat semitas eius.) Græce est, *non est qui animo comprehendat semitam eius.*

Sed qui scit universa.) q. d. Solus Deus, qui est ipsa sapientia æterna et increata, eam invenit, et cui vult communicat. Nota. Deus ab æterno habuit innatam quasi sibi sapientiam increatam, tumque ex ea adinvenit et elicuit creatam dandam creaturis, de qua hic loquitur Baruch. Vers. 32.

Præparavit, id est firmavit (hoc enim est Hebr. כון *con*) terram.) Ut duret æterno tempore, id est semper.

Qui emittit lumen, et vadit.) *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos*, Matth. 6. v. 45. Vers. 33.

Et obedit illi in tremore.) Id est statim, celerrime et ad nutum, ac si summa humilitate et tremore Deum et Dominum suum agnosceret. Est catachresis poetica.

In custodiis suis.) In suis stationibus et locis a Deo designatis. Est metaphora ab excubiis militum: stellæ enim sunt militia cæli et milites Dei. Vers. 34.

Et lætatæ sunt.) Id est fulserunt, vel prompte et alacriter Deo obediverunt, tam in lucendo quam in gyrando, quin et miraculose ad Dei nutum se sistendo, vel lumen et iter reflectendo, uti contigit sub Iosue.

Dixerunt.) Non verbo, sed facto: est enim hic continua prosopopœia. Simili utitur Iob cap. 38. 35. *Numquid mittes fulgura et ibunt, et revertentia dicent tibi, Adsumus?* Vers. 35.

Adversum eum.) Græce πρὸς αὐτὸν, *ad eum*, id est qui ei, scilicet Deo, comparetur. Vers. 36.

Hic adinvenit.) Conclusio est totius discursus, scilicet Deum esse a quo sapientia petenda et requirenda sit. Vers. 37.

Et tradidit illam Iacob puero suo.) Scilicet cum Iacobæis dedit legem per Mosen in Sina, cumque eos docuit viam salutis per Isaiam aliosque Prophetas.

Post hæc in terris visus est.) Scilicet in Sina, quando in nube apparens Hebræis dedit legem, et quando cum eis, præsertim cum Mose, per 40. annos in deserto est conversatus, colloquens cum eo familiariter, nunc in columna ignis et nubis, nunc in tabernaculo; ita aliqui apud Lyran. Unde ex Græco verti potest, *hæc visa est*, scilicet sapientia, vel via disciplinæ, id est lex Dei, *in terris*, scilicet in monte Sina Sed Respondeo: *in terris visus est*, scilicet Deus, qui est ipsa sapientia, dum carnem induit, et cum hominibus per triginta tres annos conversatus est: *visus est*, id est, nascetur et videbitur: *conversatus est*, id est, conversabitur: loquitur enim prophetice; ita Theodoretus, Hugo, Lyran. Dionys hic: item Tertull. lib. contra Praxeam c. 6. Cyprian. libr. 2. contra Iudæos c. 5. Chrysost. hom. 2. in Matth. Athanas. quæst. 36. ad Antioch. Euseb. l. 6. Demonst. c. 19. Ambr. l. 1. de Fide 2. Hilar. l. 5. de Trinitate in fine, Nazianz. orat. 4. de Theologia, August. l. 18. Civ. 33. Cyril. l. 10. contra Iulian. Basil. l. 4. contra Eunom. Bern. serm. 13. in Cant. et alii, qui hinc contra Arrianos docent Christum Filium Dei esse verum Deum, unumque cum Patre; unde ait: *Post hæc*, id est post legem veterem datam Israeli in Sina. Vers. 38.

Ubi Nota. In incarnatione tam arcta fuit unio Dei cum homine in Christo, ut viso hoc homine, puta Iesu, vere Deus videri diceretur, et hoc homine inter homines ambulante et conversante, vere Deus ipse ambulare et conversari cum hominibus dici posset; adeoque eumdem hominem digito demonstrantes, vere dicere possemus: Hic est Deus noster, ut ait hic Baruch. Per incarnationem enim deitas et humanitas ita unita sunt in una hypostasi, ut ipsæ idiomata et attributa mutua sibi invicem communicarint, tamque dici possit quod Deus sit natus, visus, passus, crucifixus, mortuus; quam quod hic homo, puta Iesus, sit filius Dei, homousios Patri, æternus, immensus, etc. Vox enim *hic homo*, et vox *Deus*, in Christo unam eamdemque hypostasin significant, scilicet Verbi et Filii Dei, quæ utramque naturam, divinam scilicet et humanam, sustentavit, cui proinde omnia attributa et actiones, æque ac passiones tam humanitatis quam divinitatis competunt, vereque attribuuntur. Vide hic quanta sit concordia et parilitas Prophetæ cum Evangelista S. Ioanne: quod enim Propheta hic futurum prædicit, *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus;* hoc

Unio et communicatio idiomatum in Christo.

Ex unitate hypostasis.

Evangelista factum narrat, aitque, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Unde patet contra Iudæos, Messiam vere esse Deum, non merum hominem.

Tertio, a Castro et Lyran. utrumque sensum iam datum coniungunt, q. d. Postquam Deus, id est Dei Filius, adinvenit ab æterno sapientiam et viam disciplinæ (est enim ipse Verbum, Sapientia et idea Patris æterni) in terris visus est; quia Filius Dei passim in veteri testamento patribus apparuit, puta angelus corpus humanum assumens, in eoque apparens gerebat personam Filii Dei quandoque incarnandi. Sic ergo Filius Dei visus est Iacobo patriarchæ, vel Iacobo, id est posteris Iacobi, scilicet Mosi et Hebræis, præsertim cum in Sina eis dedit legem: de ea enim agit in anteced. et seqq. Deinde plane et perfecte in veritate, quæ veteri illo typo in Sina adumbrabatur, visus est corporaliter in terra, cum de Virgine natus cum hominibus conversatus est. Sed τὸ *post hæc*, scilicet postquam *adinvenit viam disciplinæ, et tradidit illam Iacob puero suo*, ut præcessit, priorem sensum excludit, et solum secundum sensum Patrum, qui de Christo est, patitur, eumque exposcit; alioqui Græcum τὸ μετὰ τȣτο, id est *post hoc*, scilicet postquam adinvenit viam disciplinæ, utrumque sensum aliquatenus admittit, magis tamen secundum: τὸ enim *post hoc* totum versum præcedentem referre videtur, q. d. *Postquam adinvenit viam disciplinæ, et tradidit illam Iacob puero suo*, in terris visus est.

Pulchre S. Bern. serm. 2. de cœna Domini: *Ut invisibilis*, inquit, *videretur a nobis, ut immortalis moreretur pro nobis; Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Habitavit hoc Verbum in nobis obumbratum carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis, Verbum in carne, sol in nube, mel in cera, lumen in testa, cereus in lucerna. Sustinuit in assumpta carne incommoda nostra sine peccato carnis, portans in carne peccata nostra: et hoc totum non propter se, sed propter nos: ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis.* Vide hic quam purus fuerit amor Christi in nos, qui sibi nihil, omnia nobis quæsivit, sine suo commodo, imo cum magno incommodo: totum enim se pro nobis in vita et morte expendit et exhausit. Redde amorem amori, purum puro.

Mysterium incarnationis quantum?

Huc alludit S. Paulus Hebr. 1. 1. cum ait: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in filio:* et ad Titum. 3. 4. dicens: *Cum autem benignitas et humanitas* (græce φιλανθρωπία, id est singularis ille erga homines amor) *apparuit Salvatoris nostri Dei*, etc. et c. 2. v. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei.* Ecce hæc est vera sapientia, quam ut nos doceret Christus, incarnatus est. Unde 1. Tim. 3. 16. vocat hoc *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne*, etc. Præclare S. Cyprianus serm. de Ascensione: *Quid amplius*, ait, *vis o homo? prius dicebatur Deo. Tuus est homo; nunc dicitur homini, Tuus est Deus.* Ex quo optime concludit, *O homo sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.* Unde S. August. serm. 26. de tempore sic argumentatur: *Deus sequendus erat qui videri non poterat, homo sequendus non erat qui videri poterat: ut ergo haberet homo, et quem videret homo, et quem sequeretur homo, Deus factus est homo.* Quare S. Leo serm. 1. de Nativit. *Agnosce*, ait, *o homo dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* Merito S. Paulus 1. Corinth. 16. 22. *Qui non amat*, ait, *Dominum Iesum Christum, anathema*, id est, sit a Deo separatus: et rationem reddit: מרנא אתה *marana ata*, id est Dominus noster venit, q. d. Talis non potest excusari ullo modo, quia iam Dominus venit summum nobis ostendens amorem æque ac humilitatem, docensque reipsa omnem sapientiam, puta veram in Deum fidem, spem, charitatem, patientiam, religionem, misericordiam, zelum, orationem, mansuetudi-

A nem, sobrietatem, modestiam, iustitiam, magnanimitatem, cæterasque virtutes, omnemque perfectionem vitæ Christianæ: unde ipse ait: *Ego sum via, veritas et vita: ego sum lux mundi. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Beati pauperes spiritu, beati mites, beati misericordes, beati qui esuriunt, beati pacifici, beati mundo corde, beati qui persecutionem patiuntur*, etc.

O sapientes, o felices, qui hanc Christi sapientiam audiunt, hauriunt, gustant, ut dicant cum S. Paulo: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus!* Et, *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum*, 1. Corint. 2. v. 2. Vere Poeta:

Si Christum noscis, nil est si cætera nescis.
Si Christum nescis, nil est si cætera noscis.

De talibus dici potest, quod de S. Paulo dixit Dionys. Areopag. *in Paulo vivere vitam amatoriam.* Nam, ut idem ait 1. Corinth. 15. 48. *Qualis terrenus* (Adam) *tales et terreni: et qualis cælestis, tales et cælestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cæle-*B*stis:* et Ephes. 4. 13. *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis.*

Christus enim talis est magister et doctor sapientiæ, qui, ut dicitur Act. 1. 1. cœpit prius facere, deinde docere. Quare nos Christiani debemus tenere illud Isaiæ 30. 20. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum; et exultare*, ut ait Ioel c. 2. 23. *Domino Deo nostro, quia dedit nobis doctorem iustitiæ;* atque gaudere quoties in Evangelio audimus, *Dixit Iesus discipulis suis:* quin et invicem adhortari verbis Isaiæ c. 2. 3. *Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius:* et c. 30. 21. *Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Itaque Christus Christique sapientia et vita est omne bonum nostrum. *Ergo*, inquit S. Paulin. epist. 4. *illum amemus, quem amare debitum est: illum osculemur, quem osculari castitas est: illi subiiciamur, sub quo iacere, supra mundum stare est; propter il-*C*lum deiiciamur, cui cadere resurrectio est: illi commoriamur, in quo vita est.* Rursum Christus non tantum verbis et exemplis, sed et gratia sua mentem illuminans et affectum inflammans nos docet; unde ait Apostolus 1. Corint. 1. 30. *Qui* (Christus) *factus est nobis sapientia a Deo, iustitia, et sanctificatio, et redemptio.*

Christus est doctor sapientiæ.

Christum ergo gestemus in oculis, in ore, in aure, in corde. Ita Constantinus Imp. Christi nomen duabus descriptum literis initialibus, uti Deus ei in visione monstraverat, semper in galea et in labaro gestabat, itaque ubique victor evasit; unde Baron. anno Christi 312. Ita Diaconus ille et Martyr apud Euseb. l. 5. Histor. c. 1. nomine Sanctus, cum examinaretur de suo nomine, patria, familia, statu, non aliud respondebat, quam *Christianus sum*; et S. Blandina in tormentis dicens assidue, *Christiana sum; et apud nos nihil sceleris admittitur*, summum dolorum levamen et consolationem sentiebat.

Christi fideles semper sit in ore et corde.

D Denique vide hic, o Christiane, dignitatem tuam, tuique nominis, et tuæ sapientiæ. *Christianismus*, inquit Nyssen. tract. de profess. Christiani, *est imitatio naturæ divinæ.* Si ergo Christianus es, Christum imitare, noli vacuum ferre nomen et inane, sed plenum, tanti mensuram nominis imple operibus nomine dignis: qui aliter facit, nomen ementitur, simia Christi est, non Christianus. Dicat proinde Christianus: Mihi genus ab Iove summo, Filius Dei meus frater, meus doctor, meus pædagogus est: divine ergo mihi vivendum est, angelus sim oportet: nam, ut ait S. Petrus ep. 1. cap. 29. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Denique cum Christus factus sit homo, ut nobiscum conversaretur, et nos familiariter cum eo versari, cogitare et colloqui discamus. Quisque sibi proponat et imprimat speciem Christi vel nascentis, vel docentis, vel crucifixi, vel aliud agentis, scilicet illam, qua se facilius magisque ad amorem et pietatem moveri persentiscit: atque per eam ad deitatis et Trinitatis contemplationem et venerationem

Christiani dignitas.

transcendat. Ideo enim Christus humanitatis nostræ factus est particeps, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.

Ita per 34. annos assidue versata est cum Christo B. Virgo, quanto fructu? quanto pietatis, quanto amoris et dulcedinis sensu? Ita S. Paulus, *Vivo*, ait, *iam non ego, vivit vero in me Christus*. Et, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*. Ita S. Magdalena per triginta annos in Bauma sua non aliud egit, quam versari cum Christo, eius dicta, facta, beneficia sibi collata, passionem et mortem recolendo, ac præ suavitate consolationum cælestium continenter lacrymando; quocirca Christus eam e cælo visibili specie plus centies visitavit, et mire recreavit. Ita S. Hieron. ut vivaciter sibi semper ob oculos poneret Christum, secessit in Bethlehem, ibique ad Christi præsepe, eum nascentem, vagientem, lactentem assidue contemplans, vitam cum Christo iucundissime et sanctissime transegit. Quocirca ipse scribens ad Eustochium: *Amemus*, ait, *nos Christum, eiusque semper quæramus amplexus, et facile videbitur omne difficile: brevia putabimus universa quæ longa sunt, et iaculo illius vulnerati per horarum momenta dicemus, Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est!* Eustochium ergo, Paula, Melania, et nobilissimarum Romanarum virginum chorus S. Hieron. in Bethlehem secutus est. Audi quibus verbis Paula et Eustochium eodem invitent Marcellam epist. 17. apud S. Hieron. *Cum comitante Christo per Silo et Bethel, et cæ-*
A *tera loca, in quibus Ecclesiæ, quasi quædam victoriarum Domini erecta sunt vexilla, ad nostram speluncam* (Christi nascentis in Bethlehem) *redierimus; canemus iugiter, crebro flebimus, indeficienter orabimus, et vulneratæ iaculo Salvatoris in commune dicemus: Inveni quem quæsivit anima mea, tenebo eum, et non dimittam illum.*

Ita S. Edmundus Cantuar. Archiepisc. adhuc puer cum Christo puero corporaliter sibi apparente, in schola familiariter versabatur, indeque tantus Ecclesiæ Præsul evasit. Ita S. Catharina Senensis cum Christo, quasi sponsa cum sponso iugiter tractabat, ab eoque et spineam coronam quam capiti impressit, et novum cor, novamque mentem christiformem accepit. Ita a puero versata fuit cum Christo S. Ioanna regina: unde et pingitur cum puero Iesu qui porrigit ei annulum, eoque eam sibi desponsat. Imaginis vero eius ex vita hæc est subscriptio: *B. Ioanna sanctitate celebris, filia Ludovici XI. et uxor Ludovici XII. regum Franciæ, Ducissa Bituricensis, post di-*
B *versas, etiam a puerilibus annis, a Filio Dei eiusque sanctissima Matre acceptas revelationes, anno* 1501. *fundavit sanctissimum Ordinem eiusdem Deiparæ Virginis Mariæ* (Annunciationis, unde et vulgo *Annunciatæ* vocantur, quæ in Francia et in Belgio, præsertim Lovanii et Antuerpiæ valde florent) *ab Alexandro VI. Iulio II. et Leone X. Pontificibus approbatum et confirmatum. Denique post mortem miraculis clara migravit ad cælestem suum sponsum Biturigis an. Domini* 1504. *ætatis suæ annum necdum quadragesimum ingressa.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit commendare et hortari suos ad sapientiam, eamque docet sitam esse in Dei lege et cultu: id facit a v. 1. usque ad 9. inde inducit Ierusalem quasi matrem lugentem filiorum suorum captivitatem, quos consolatur spe liberationis a v. 9. usque ad 30. Exinde ad finem capitis Propheta consolatur ipsam Ierusalem, prædicens excidium Babylonis, et Iudæorum libertatem.

1. Hic liber mandatorum Dei, et lex, quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem. 2. Convertere Iacob, et apprehende eam, ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius. 3. Ne tradas alteri gloriam tuam, et dignitatem tuam genti alienæ. 4. Beati sumus Israel: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. 5. Animæquior esto populus Dei, memorabilis Israel: 6. Venumdati estis gentibus non in perditionem: sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum, traditi estis adversariis. 7. Exacerbastis enim eum qui fecit vos, Deum æternum, immolantes dæmoniis, et non Deo. 8. Obliti enim estis Deum, qui nutrivit vos, et contristastis nutricem vestram Ierusalem. 9. Vidit enim iracundiam a Deo venientem vobis, et dixit: Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum: 10. Vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, et filiarum, quam superduxit illis Æternus. 11. Nutrivi enim illos cum iucunditate: dimisi autem illos cum fletu et luctu. 12. Nemo gaudeat super me viduam, et desolatam: a multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt a lege Dei. 13. Iustitias autem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per vias mandatorum Dei, neque per semitas veritatis eius cum iustitia ingressi sunt. 14. Veniant confines Sion, et memorentur captivitatem filiorum, et filiarum mearum, quam superduxit illis Æternus. 15. Adduxit enim super illos gentem de longinquo, gentem improbam, et alterius linguæ: 16. Qui non sunt reveriti senem, neque puerorum miserti sunt, et abduxerunt dilectos viduæ, et a filiis unicam desolaverunt. 17. Ego autem quid possum adiuvare vos? 18. Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum. 19. Ambulate filii, ambulate: ego enim derelicta sum sola. 20. Exui me stola pacis, indui autem me sacro obsecrationis, et clamabo ad Altissimum in diebus meis. 21. Animæquiores estote filii, clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum. 22. Ego enim speravi in æternum salutem vestram: et venit mihi gaudium a sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro. 23. Emisi enim vos cum luctu et ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio et iucunditate in sempiternum. 24. Sicut enim viderunt vicinæ Sion captivitatem vestram a Deo, sic videbunt et in celeritate salutem vestram a Deo, quæ superveniet vobis cum honore magno, et splendore æterno. 25. Filii patienter sustinete iram, quæ supervenit vobis: persecutus est enim te inimicus tuus, sed cito videbis perditionem ipsius: et super cervices ipsius ascendes. 26. Delicati mei ambulaverunt vias asperas: ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicis. 27. Animæquiores estote filii, et proclamate ad Dominum: erit enim memoria vestra ab eo qui duxit vos. 28. Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis eum. 29. Qui enim induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam iucunditatem cum salute vestra. 30. Animæquior esto Ierusalem, exhortatur enim te, qui te nominavit. 31. Nocentes peribunt, qui te vexaverunt: et qui gratulati sunt in tua ruina, punientur; 32. Civitates, quibus servierunt filii tui, punientur; et quæ accepit filios tuos. 33. Sicut enim

gavisa est in tua ruina, et lætata est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione. 34. Et amputabitur exultatio multitudinis eius, et gaudimonium eius erit in luctum. 35. Ignis enim superveniet ei ab æterno in longiturnis diebus, et habitabitur a dæmoniis in multitudine temporis. 36. Circumspice Ierusalem ad orientem, et vide iucunditatem a Deo tibi venientem. 37. Ecce enim veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab oriente usque ad occidentem, in verbo sancti gaudentes in honorem Dei.

Vers. 1. **Hic liber mandatorum Dei.**) Id est sapientia, de qua egi cap. præced. non est aliud quam *liber mandatorum Dei*. Vide dicta c. 3. v. 14.

Et lex quæ est in æternum.) Nota. Non loquitur de lege Evangelica, ut vult Theodoret. sed veteri: hanc enim suis Iudæis commendat; ita Hugo et Lyran. Hæc est æterna: Primo, quia durat longissimo tempore, scilicet toto tempore legis veteris. Secundo, quia lex vetus quoad moralia præcepta est æterna, quoad cæremonialia est æterna non in se, sed quoad eorum completionem et perfectionem in suo antitypo: durant enim illa in lege nova, puta in mysteriis Christi et Ecclesiæ, quæ adumbrabant et præsignificabant, per eaque implentur. Tertio, quia lex vetus in se semper vera et iusta est, continetque veras, non fallaces promissiones, esto mutanda et abolenda esset. Quarto, quia observatores sui perducebat ad vitam æternam: qui enim eam ex charitatis et obedientiæ spiritu observabant, salvabantur; ita Maldon.

Lex vetus æterna quadrupliciter.

Vers. 2. **Convertere Iacob**, o Iacobæi, o Israelitæ, **ambula ad splendorem eius.**) Sequere legem quasi facem prælucentem, incede per viam quam ipsa tibi sua luce et splendore demonstrat: nam, ut ait David psal. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis:* et Salomon Prov. 6. 23. *Mandatum lucerna est, et lex lux.*

Contra lumen eius.) Id est, e regione luminis eius, sicut fit cum præeuntem lucernam sequimur.

Vers. 3. **Ne tradas alteri gloriam.**) Ne te subiicias aut complaceas cuiquam contra aut præter Dei voluntatem, ut scilicet eius gratia gloriam tuam, quæ est unius summi veri Dei cultus et religio, prodigas declinando ad idola et vitia. Hic sensus appositus est et genuinus.

Gloria fidelium triplex.

Secundo, Maldon. Gloriam, inquit, Iudæorum vocat Dei legem: per hanc enim apud Gentes erant celebres et gloriosi.

Tertio et melius, gloriam Iudæorum vocat eorum Ecclesiam, sacerdotium, Prophetas, etc. quibus gloriosus erat populus Dei. q. d. Vide ne Deum Deique legem offendas, ne Deus tibi iratus a te auferat suum cultum, Ecclesiam, Prophetas, sacrificia, miracula, aliaque privilegia, quibus cæteris gentibus gloriose præemines, eaque transferat in Chaldæos aut aliam gentem, sicut transtulit in eos tuam patriam, opes et cives: et sicuti post Christum omnia hæc a Iudæis transtulit ad Christianos, iuxta prædictionem Christi Matth. 21. 41. ita Hugo, Lyran. et a Castro.

Vers. 4. **Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.**) Quia scilicet voluntatem suam, per legem quam nobis dedit, declaravit. Hoc est in quo exultat Psaltes dicens psal. 147. 9. *Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua* (leges suas) *non manifestavit eis:* et Moses Deuter. 4. 8. *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, iustaque iudicia et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?*

Vers. 5. **Memorabilis Israel.**) Id est, o Israel, qui es non in oblivione, sed in memoria Dei, ut te liberet; ita Hugo et Lyran. Sed Nota, græce est μνημοσυνον, id est memoriale vel monumentum, q. d. O popule Dei, o Synagoga Iudæorum, tu es monumentum Israelis, scilicet in quo servatur nomen et memoria Israelis sive Iacobi, et totius populi ex eo nati, qui æterna memoria est dignus. Populum vocat memoriale, eo quod bellis accisus ad paucos redactus esset, et qui superstites erant quasi reliquiæ a Deo fuissent conservati, ne Israelis memoria et stirps interiret.

Vers. 6. **Venumdati estis Gentibus.**) Id est traditi estis in servitutem Chaldæis, perinde ac si eis in servitutem essetis venditi. Est catachresis. Sic Apostolus Roman. 7. 14. ait se venumdatum sub peccato, id est traditum concupiscentiæ; et Achab dicitur *venumdatus ut faceret malum*,

A id est traditus suis libidinibus et nequitiis, 3. Reg. 21. v. 25. Secundo, proprie Chaldæi Iudæos a se captos vendebant aliis Chaldæis et Gentibus; erant ergo Iudæi venumdati Gentibus.

Non in perditionem.) Non ut penitus vos perderet et aboleret, sed ut castigaret et expiaret.

Obliti enim estis Deum qui nutrivit vos.) Græce Vers. 8.
est, επελαθεσθε δε τον φυσαντα υμας θεον αιωνιον, hoc est, *obliti estis Deum æternum qui vos genuit*, ideoque meriti estis, ut pariter Deus obliviscatur vestri in æternum; sed ipse 70. annis tantum vestri obliviscetur, vosque in captivitate relinquet, ut ad eum recurrentes, pristinam eius paternam curam experiamini. Hæc Dei est immensa bonitas.

Contristastis nutricem vestram Ierusalem.) Ierusalem vocat, non civitatem et cives: hi enim peccaverant, et contristaverant Ierusalem; sed Ecclesiam quæ eos in fide, lege et cultu Dei nutriverat: sicuti enim Deum vocat patrem, ita Synagogam vocat matrem Iudæorum.

B **Vidit.**) Ierusalem, id est Ecclesia, per Prophetas, quasi Vers. 9.
oculos suos: hi enim præviderunt et prædixerunt hæc mala, quæ populo Dei acciderunt.

Audite confines Sion.) Vox est Sion vel Ierusalem, id est Ecclesiæ, quasi matris ad filios suos captos, et ad *confines*, id est ad finitimas olimque sibi subditas urbes: ita Theodor. q. d. Cum vidisset Ecclesia futuram captivitatem impendere, monuit vos, luxitque orbitatem sibi imminentem: sed vos monita hæc non curastis, nec resipuistis.

Nemo gaudeat super me.) Nemo mihi insultet. Monet, ait Maldonat. Ecclesia hæreticos et infirmos in fide, ne sibi insultent dicantque: Vexatur Ecclesia a Deo; quia non est vera Ecclesia Dei; hinc Deus eam negligit: et ne dicant: *Non est salus ipsi in Deo eius*, Psal. 3. v. 3. aut, *Ubi est Deus eorum?* Psal. 41. 11. Vexatur enim ad tempus, non quod sit pseudoecclesia, sed quod filii eius Deum C offenderint. Vers. 12.

Viduam et desolatam.) Derelictam a Deo meo marito, eiusque vicario Summo Pontifice, æque ac filiis meis orbatam.

Et memorentur.) Plangendo mecum commemorent Vers. 14.
cladem filiorum, ut hic planctus mihi sit solatio, allevietque tristitiam meam.

Adduxit enim super (contra) **illos de longinquo**, Vers. 15.
de Chaldæa, **gentem improbam.**) Græce αναιδεες, id est *impudentem*, quæ sine pudore et respectu dignitatis aut ætatis, nobiles æque ac pauperes, senes æque ac iuvenes, fœminas æque ac viros, indigne tractet, spoliet vel occidat, Thren. 4. 10. et c. 5. v. 12.

Et alterius linguæ.) Id est barbaram, græce αλλογλωσσον: hæc enim ingens est miseria, uti nos videmus dum Christiani a Turcis capti eos intelligere nequeunt, ideoque cum eis obsequi, et quæ iubent exequi non valeant, male mulctantur. Hoc Iudæis comminatus erat Moses Deuter. D 28. 49. et Ierem. c. 5. 15.

Et abduxerunt (ita legendum, non, *adduxerunt*, ut Vers. 16.
habent Plantin. **dilectos viduæ**, filios meos quæ sum vidua, **et a filiis unicam desolaverunt.**) Id est, filiis privatam me desertam ac solam reliquerunt.

Ambulate filii.) Ite in captivitatem, et ego sola re- Vers. 19.
linquar, fortiter tolerabo meam desolationem, ut vos fortiter et æquanimiter toleretis captivitatem, donec Deus vos ex ea liberet, et mihi restituat.

Exui me stola pacis.) *Stola* vestis erat talaris ac Vers. 20.
muliebris, qua utebantur tempore prosperitatis et lætitiæ, pro qua Ierusalem hic desolata ait se sumere saccum obsecrationis, id est vestem lugubrem, qualis est pœnitentium, vel obsecrantium pro venia, puta cilicium, ut patet Ionæ 3. 6. Vide dicta Thren. 2. 10.

Cilicium est vestis obsecrationis, stola exultationis.

Et clamabo ad Altissimum in diebus meis.) Ut vos e Babylone ad me Ierusalem reducat. Loquitur quasi fœmina quæ 70. annis esset victura, quibus duratura erat captivitas, Ierem. 25. 11.

Vers. 22. Ego enim speravi in æternum.) Græce επι τω αιωνιω, *in æterno:* sic Deum appellare solet, q. d. Esto duret captivitas vestra 70. annis, Deus hosce annos superabit (est enim æternus) iisque exactis vos ex ea liberabit, dabitque salutem æternam, itaque suam felicitatem et æternitatem vobis communicabit.

Nota. *Salutem* vocat liberationem e captivitate Babylonica, ut explicat Theodor. et Hugo, et sub eius typo intelligit liberationem a peccato et morte, plenamque redemptionem per Christum; hæc enim proprie erit æterna: ita Lyran.

Et venit mihi gaudium a sancto.) A Deo cui Seraphim accinunt Sanctus, sanctus, sanctus, Isaiæ 6. q. d. Cum sperarem et orarem Deum pro vestra liberatione, ipse spem et gaudium mihi infudit, dum per Prophetas mihi significavit, quod vos brevi (græce enim est εν ταχει) salvabit et liberabit. Deum enim vocat *salutarem*, id est salvatorem: hoc enim est Græcum σωτηρος.

Vers. 24. Vicinæ Sion.) Gentes et urbes Gentiles vicinæ Iudææ, ut Ammonitæ et Idumæi, qui Iudæos in captivitatem euntes irriserant, Ierem. 48. 27.

Captivitatem vestram a Deo.) In quam Deus iuste vos duci permisit.

Et splendore æterno.) *Æterno*, id est longo tempore duraturo. Græca Rom. habent, *cum splendore ipsius æterni*, scilicet Dei. q. d. Redibitis cum splendore et gloria divina. Omnes enim videbunt, Deum vestrum esse liberatorem et reducem.

Vers. 25. Persecutus est te inimicus.) Chaldæus: ita omnes præter Theod. qui per inimicum accipit vicinos Idumæos et Ammonitas: hi enim Iudæis erant infesti.

Et super cervices ipsius ascendes.) Illi dominaberis, illi imperabis, adeo ut iis quasi suppedaneis uti possis: sicut Sapores rex Persarum usus est Aureliano Imp. Roman. ac Tamberlanes Baiazete Imper. Turcarum. Sic Iob c. 16. 13. ait: *Tenuit cervicem meam, confregit me*, sicut miles gallinam cervice apprehendens et intorquens, confringit et necat. Hinc videtur quod Cyrus Iudæos extulerit, ut eum suis hostibus, puta Chaldæis a Cyro victis, quasi domini imperiose agere possent. Plenius tamen id factum est a Christo, qui Ecclesiam et Apostolos fecit dominari cunctis gentibus, Isaiæ 60. 14. Ita ad literam Alexander Papa III. Friderici Ænobarbi superbam cervicem domuit et calcavit, cum Venetiis eius in terra prostrati collum pede premens, dixit: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Resultanti Friderico, *Non tibi, sed Petro;* Alexander rursum, *Et Petro et mihi:* ita Chronicon Bessarionis, et recentiores chronologi, præsertim hæretici. Verum hæc, utpote turgida et insolentia, ab insigni modestia Alexandri III. et a veritate aliena esse ostendit Cardin. Baron. anno Christi 1177. tom. 12. ex historicis illius ævi, qui absolutioni Friderici interfuere.

Vers. 26. Delicati mei.) Filii a me in deliciis educati: supplenda est hic altera pars antithesis hoc modo; inimicus duxit delicatos meos per vias asperas, Deus autem reducet eos per vias planas. Idem mystice facit diabolus, et ex adverso Christus: hoc enim est quod ait Isaias cap. 40. 4. *Erunt prava in directa, et aspera in vias planas.*

Vers. 27. Erit enim memoria vestra.) Id est *vestri*, q. d. Recordabitur Deus vestri, ut, sicut vos duxit Babylonem, ita et inde reducat.

Vers. 28. Sicut enim fuit sensus vester, græce διανοια, id est cogitatio, conceptus et voluntas vestra, ut erraretis a Deo: decies tantum, etc.) Græce δεκαπλασιασατε, id est *decuplate conversi quærere eum.* Hoc est quod huc alludens Paulus monet Romanos cap. 6. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.* q. d. O filii mei Iudæi, esto Deum offenderitis, nolite desperare; quia animæ pœnitentis et generosæ est non cadere animo, ob peccatum in quod lapsa est, sed inde fortius resurgere et duplicare, imo decuplare cursum in stadio virtutis. Atque ita fieri solet, indeque fit quod ait S. Gregor. *ut plerumque gratior sit Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia.* Id videre est in S. Paulo, in S. Magdalena, in S. Petro, Matthæo, et aliis vere pœnitentibus.

Vers. 30. Animæquior esto.) Maldon. putat esse verba Ierusalem, id est Ecclesiæ, ad Ierusalem, id est ad civitatem Ierusalem. Verum ut caveamus hanc æquivocationem in voce Ierusalem, convenientius dicemus esse verba Dei, aut potius Prophetæ ad Ierusalem. Est enim in Prophetis crebra enallage personarum, quas quasi in dialogo loquentes varie inducunt.

Exhortatur enim te.) Græce παρακαλεσει σε, quod Theodoret. et alii vertunt, Consolatur te, scilicet exhortando te ad spem melioris sortis et fortunæ.

Qui te nominavit.) Ut voceris Ierusalem, quæ ante Salem et Iebus dicebaris, ait Dionys. Secundo, Hugo, *qui te nominavit,* inquit, id est qui te nominatam ac celebrem per orbem fecit. Tertio, alii *nominavit*, id est nomen novum tibi dabit, cum te captivitate quasi novam reducet et reformabit, ut voceris novus Israel. Quarto, *nominavit*, id est unice diligit, habetque in sua memoria et cura, noscens te ex nomine. Sic de Beseleel dicitur: *Novi te ex nomine*, Exodi 31. 2. et de Mose Exodi 33. 12. et de Christo Isaiæ 49. v. 1. dicitur: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Quinto et optime, *qui te nominavit,* id est vocavit, *civitatem sancti*, id est Dei, Isaiæ 52. 1. et c. 60. 14. Deus enim in Ierusalem suum habebat templum, quasi regale solium in sua metropoli.

Vers. 31. Nocentes peribunt.) Græce est, δειλαιοι οι σε κακωσαντες, id est, *miseri erunt qui te vexaverunt*, uti præclare prædixit Isaias c. 17. c. 18. c. 19. et Ieremias c. 46. c. 47. c. 48. c. 49. et 50.

Vers. 32. Et quæ accepit.) Babylon, quæ filios tuos in captivitate et carcere excepit et afflixit.

Vers. 34. Et amputabitur.) Græce και περιελω, id est, *et amputabo* exultationem frequentis multitudinis eius, id est qua frequens eius populus exultat, vel qua ipsa Babylon ob frequentiam et multitudinem populi sui exultat.

Et gaudimonium.) Γαυριαμα, id est superbia et iactantia, qua insolenter exultat, convertetur in luctum: ita in tyrannis et impiis, *extrema gaudii luctus occupat:* contra piis et afflictis ait Christus, *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Vers. 35. Ignis.) Id est, acerba punitio instar ignis superveniet Babyloni. Secundo, proprie, *ignis ab æterno*, scilicet Deo, ad multos dies per Persas in Babylonem coniectus, eam combussit et in cineres redegit, ut patet Isaiæ 13. 19. Ierem. 50. 39. idque in congruam pœnam, eo quod Babylonii tyrannice Hierosolymam igne combusserant.

Habitabitur a dæmoniis.) A Satyris et Faunis: vide dicta Ierem. 50. 39. et Isaiæ 34. v. 14.

Vers. 37. Ab Oriente ad Occidentem.) Id est ex Persia, Media, Babylonia, quæ ad Orientem sunt Ierusalem (licet ipsa Babylon proprie esset ad Septemtrionem Hierosolymæ) redibunt Iudæi ad Ierusalem.

In verbo sancti.) Id est, iuxta promissum Dei, quo ipse illud per Prophetas pollicitus est, quoque illud ipsum exequetur et iubebit per Cyrum, cui hoc inspirabit, quemque Iudæis benevolum efficiet: ita Theod.

Allegor. hoc verius est in fidelibus, qui ex omni orbis parte confluunt ad Christum Christique Ecclesiam.

*

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iubet Ierusalem induere vestem lætitiæ, ob lætum filiorum e Babylone reditum, Deo præeunte, ac rebus omnibus in via illis collætantibus. Ita Theodor. et Hugo.
Allegor. hoc verius est in salute, liberatione et gloria per Christum parta. Ita Lyran. et Hugo.

1. Exue te Ierusalem stola luctus, et vexationis tuæ: et indue te decore, et honore eius, quæ a Deo tibi est, sempiternæ gloriæ. 2. Circumdabit te Deus diploide iustitiæ, et imponet mitram capiti honoris æterni. 3. Deus enim ostendet splendorem suum in te omni qui sub cælo est. 4. Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in sempiternum : Pax iustitiæ, et honor pietatis. 5. Exurge Ierusalem, et sta in excelso: et circumspice ad orientem, et vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo sancti gaudentes Dei memoria. 6. Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis : adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore sicut filios regni. 7. Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum , et rupes perennes , et convalles replere in æqualitatem terræ: ut ambulet Israel diligenter in honorem Dei. 8. Obumbraverunt autem et sylvæ, et omne lignum suavitatis, Israel ex mandato Dei. 9. Adducet enim Deus Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suæ, cum misericordia, et iustitia, quæ est ex ipso.

Vers. 1. Induere decorem duo significat. INDUE TE DECORE.) Amplectere exultabunda decorem et gloriam, qua te operiet et quasi vestiet Deus, cum te gloriose e Babylone reducet in Iudæam.

Moral. S. August. in sentent. num. 9. *Deum quærens,* inquit, *gaudium quærit. Sic ergo quærat, ut non in se, sed in Domino gaudeat. Accedendo enim ad Deum illuminatur ignorantia, et corroboratur infirmitas, data sibi et intelligentia qua videat, et charitate qua ferveat.*

Nota. Scriptura per induere vel vestire significat duo: Primo, copiam rei, ut res illa hominem quasi vestis undique ambire et operire videatur, ut dixi in S. Paul. c. 28. Secundo, arctam coniunctionem rei, uti vestis arcte corpori coniungitur, illudque stringit. Hunc decorem et gloriam Hierosolymæ pariter apprecatur Isaias c. 52. 1. et c. 61. 3.

Vers. 2. CIRCUMDABIT TE DEUS DIPLOIDE IUSTITIÆ.) Ita legendum cum Roman. non, *circumdato te diploide a Deo iustitiæ*, uti passim alii codices habent. Per diploidem iustitiæ intelligit tunicam sacerdotalem et pontificiam, per mitram honoris cidarim, in qua scriptum erat *sanctitas iehova*. Inde vocatur diplois iustitiæ, quia erat index sanctitatis divinæ, quam imitari debet sacerdos. q. d. Restituet Deus tibi, o Ierusalem, vestes sacerdotales, ipsumque sacerdotium et pontificatum, ac consequenter restaurabit templum, suumque in eo cultum et religionem: ita Theod. Secundo, simplicius et aptius a Castro et Maldon. Diplois, inquiunt, est tunica talaris muliebris: loquitur enim de Ierusalem quasi de muliere: dicitur diplois, id est duplex, quia pelle et panno erat inferta et suffulta: dicitur iustitiæ, id est iusta, quia Deus iuste et fideliter, uti promiserat, compensavit eius dedecus gloria, tristitiam hilaritate, captivitatem libertate. (Diplois iustitiæ quæ?)

ET IMPONET MITRAM CAPITI HONORIS ÆTERNI.) Id est mitram honorificam et gloriosam, quæ ostendat Ierusalem æterna gloria affectam, et sacerdotio ac regno rursum decoratam esse: hac enim de causa sacerdotes in capite gerebant coronas et mitras, ut patet Ezech. 16. 12. Verum simplicius mitram hic æque ac diploidem, non sacerdotalem , sed muliebrem accipias, q. d. Sicut regina ornatur sua mitra et diploide, ita Ierusalem rursum sua gloria et decore ac honore vestietur et ornabitur. Est enim hic continua metaphora sive allegoria in prosopopæia Hierosolymæ, de qua quasi de regina in regnum restituta loquitur, cui omnis suus ornatus tam sacer quam profanus, tamque sacerdotium quam regnum restituitur: et hoc modo hic sensus priorem ambit et complectitur. Id ita esse patet ex simili loco Ezec. 16. v. 2. 10. 11. 12. 13. collatis cum v. 18. et 19. Mitra ergo est ornamentum capitis muliebre, Servius calanticas vocat. (Mitra vestis reginæ.)

Vers. 3. DEUS ENIM OSTENDET.) Id est, Deus faciet ut toto orbe sis nominatissima et clarissima : hoc est quod eidem Hierosolymæ, sed per Christum restauratæ, id est Ecclesiæ Christianæ, ait Isaias c. 60. 3. *Super te orietur Dominus, et gloria eius in te videbitur, et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.*

NOMINABITUR : est hebraismus ויקרא לך *vaicra lach,* id est, et imponetur tibi nomen a Deo, scilicet PAX IUSTITIÆ, ET HONOR PIETATIS.) Iam vocari vel nominari ponitur pro esse, q. d. O Ierusalem eris civitas in qua abundabit pax nata ex iustitia, et honor sive gloria ex pietate proveniens; ita ut merito vocari possis Primo, *Pax iustitiæ*, id est abundans pace, hoc est prosperitate et rerum copia, quæ tibi obveniet ex iustitia, qua Deus iuste tuos oppressores et tyrannos Chaldæos evertet, teque ex eis liberabit: item ex iustitia , quam coles , quaque tuos cives gubernabis. Secundo, eris et vocaberis *honor*, id est gloria, *pietatis*, ut omnes gentes perpetuo tuam pietatem, id est Dei cultum et religionem, celebrent. Hæc et sequentia inchoate competunt Ierusalem Iudaicæ e Babylone redeunti sub Esdra: plene vero competunt eidem Christianæ, hoc est Ecclesiæ quæ in Ierusalem cœpit, et a captivitate peccati et diaboli liberata est per Christum: ita Theod. Hugo, et Lyran. (Vers. 4. — Ecclesia vocatur pax iustitiæ. — Et honor pietatis, cur?)

IN VERBO SANCTI GAUDENTES DEI MEMORIA.) q. d. Vide filios tuos Babylone redeuntes iuxta verbum , id est iuxta promissum et ordinationem Dei, gaudentes et lætabundos ex memoria Dei sui liberatoris, et ex recordatione divinæ beneficentiæ, quæ eis hanc liberationem præstabit. Loquitur de futuro bono, quasi præsens illud spectet, digitoque aliis ostendat, more prophetico. (Vers. 5.)

Nota. Solus Deus est verum et plenum cordis gaudium. Ratio est: quia solus Deus cor hominis et angeli adimplet; solus omnem eius capacitatem, omnia eius desideria exsaturat. Expertus id Psaltes canebat psal. 72. 26. *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Qui rursum inde se gaudio perfusum significat, psal. 76. 4. *Memor fui Dei, et delectatus sum;* et psal. 144. v. 7. *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et iustitia tua exultabunt.* Quocirca merito S. August. in Soliloq. c. 18. *Sicut*, ait, *nulla est hora, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar: sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in memoria mea, et te non diligam ex omni fortitudine mea.* Et Nazianz. orat. de cura pauper: *Non tam sæpe respirare oportet,* inquit, *quam Dei meminisse. Deus enim perpetuo et continenter nobis benefacit, in esse conservans, et necessaria ministrans.* Et S. Ephrem serm. de secundo Domini adventu: *Semper*, ait, *Dei memineris , et cælum mens tua evadet.* S. Ignat. ad Heronem: *Memento*, ait, *Dei, et non peccabis.* S. Hieron. lib. 7. in Ezech. cap. 22. *Memoria*, ait, *Dei excludit omnia flagitia*, ac consequenter omnem tristitiam ; hæc enim ex peccato et conscientiæ peccantis remorsu oritur: nam secura mens quasi iuge convivium. (Moral. memoria Dei solidum parit gaudium.)

Refert S. Dorotheus se Dositheo discipulo suo hoc dedisse præceptum, aureis literis describendum: *Numquam cordi tuo excidat Deus: cogita semper Deum tibi præsentem, et te coram illo stare.* Fecit id Dositheus exacte, adeo ut nec in ægritudine, etiam gravissima et extrema, Dei cogitationem dimiserit: indeque ex milite nobili et dissoluto, sanctus et perfectus evasit, ac post mortem inter beatos anachoretas iam cum Christo regnantes conspectus fuit. Denique Ieremias Thren. 3. 20. *Memoria*, inquit, *memor ero, et tabescet in me anima mea*: vide ibi dicta.

Vers. 6. PORTATOS IN HONORE SICUT FILIOS REGNI.) Honorifice reductos, equisque et curribus vectos quasi filios regum: Cyrus enim dedit redeuntibus aurum, argentum, equos, camelos, 1. Esdræ 2. v. 66. Quin et Darius *rex misit cum eis equites mille, donec deducerent eos in Ierusalem cum pace, et cum musicis, et cum tympanis, et cum tibiis: et omnes fratres erant ludentes*, ut dicitur Esdræ 5. v. 2. vide Ioseph. 11. Antiq. 4. ita Theod. Si talis fuit lætitia redeuntium e Babylone, quanta erit redeuntium tum ex iudaismo et gentilismo ad Ecclesiam, tum ex hoc exilio ducibus angelis remeantium in cælum? de his enim cæteri interpretes hunc locum accipiunt; hi enim sunt filii regni cælestis. Hos ergo hic maxime spectat, sed ita ut priores simul, quia typus et præambulones eorum erant, suique temporis, obiter innuat et quasi perstringat. De his simili modo ait Psaltes psalm. 125. v. 6. *Euntes ibant et flebant*, etc. *venientes autem venient cum exultatione.* Vide et Isaiæ cap. 66. 20. et cap. 49. v. 22.

Vers 7. CONSTITUIT ENIM DOMINUS HUMILIARE OMNEM MONTEM.) Est allegoria, significans tantum quod Deus redeuntibus e Babylone omnem viæ asperitatem leniet et auferet, ait Theodor. atque hostes vel aperte in montibus, vel clam in latebris vallium Iudæis insidiantes reprimet et compescet, ut eis nocere non possint: nec enim legimus Deum proprie eis complanasse montes, et valles implesse.

Allegor. Deus humiliat montes, id est omnem superbiam; et valles, id est pusillanimitatem erigit, omniaque impedimenta et inæqualitatem vitæ spiritualis amovet et levigat, ut vetus Israel, id est fidelis populus, recta in viis et legibus Dei ambulet, iuxta prophetiam S. Ioannis Baptistæ, Luc. 3. 5.

Anagog. hoc verissimum est in cælesti itinere, quod Deus iustis expeditissimum facit.

UT AMBULET ISRAEL DILIGENTER, celeriter et expedite; græce ἀσφαλῶς, id est tuto, secure, IN HONOREM DEI.) Id est ad gloriam Dei, ut ex hoc eorum glorioso reditu Dei reducis gloria et honor celebretur. Sic ait Psaltes ps. 113. 1. *In exitu Israel de Ægypto*, etc. *facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius*, id est ex liberatione Iudææ et Israelis ex Ægypto sanctitas et potentia Dei liberatoris omnibus apparuit et inclaruit.

Vers. 8. OBUMBRAVERUNT.) Id est obumbrabunt: loquitur enim prophetice. Legit interpres in Græco ἐσκίασαν, et recte; Complut. legunt ἐσκίρτησαν, id est exultaverunt, ut alludat ad psal. 113. 4. *Montes exultaverunt sicut arietes.*

SILVÆ.) q. d. Uti olim Deus populum in deserto proficiscentem protexit ab æstu Solis, per columnam nubis expansam super castra; ita faciet eidem nunc Babylone redeunti, ut scilicet silvæ et arbores suavissimum odorem spirantes, suam Dei iussu umbram ei præbeant. Hoc efficere facile fuit divinæ providentiæ: potuit enim ita iter, tempus, aliaque per causas secundas disponere, ut iucundissimum esset iter Hebræis sicut est in Maio apud nos. Adde, allegorice et hyperbolice hæc tantum significare lætissimum fuisse reditum, sicut lætissime redeuntibus silvæ, prata et omnia quæ transeunt amœna, sibique arridere videntur. Simili prosopopœia ait Psaltes psal. 95. *Lætentur cæli, et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo eius, gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna silvarum*, cum scilicet Iudæi Babylone redeuntes reædificabunt templum. Et Isaias c. 44. 23. *Resonate montes laudationem, saltus, et omne lignum eius.* Simili utitur Virgilius eclog. 5.

Ipsi lætitia montes ad sidera iactant,
Ipsa sonant arbusta Deus, Deus ille Menalca.

Theodoret. tamen per silvas, figurate accipit gentes inter Babylonem et Iudæam interiacentes, quæ quasi silvæ non ferebant Deo fructum pietatis: hæ Israelem redeuntem iussu Cyri et Darii, cum omni obsequio, honorifice prosecutæ sunt.

Allegor. hæc uti et priora veriora sunt in Ecclesia sub Christo, ubi omnia iustis serviunt, viamque ad Deum suavem faciunt, maxime a terra euntibus in cælum.

OMNE LIGNUM SUAVITATIS.) εὐωδείας, id est *suave olens.*

IN LUMINE MAIESTATIS SUÆ.) q. d. Sicut Deus in columna ignis noctu Hebræos duxit per desertum, ita eos ex Babylone reducet quasi lumen Solis stabile, et solito iucundius eis præferens, suaque luce, id est præsentia, eos recreans et exhilarans: sicut enim v. præcedenti allusit ad columnam nubis, ita hic alludit ad columnam ignis, quæ Hebræorum castra noctu illuminabat in deserto. Vocat hoc lumen *maiestatis Dei*, id est lumen augustum et magnificum, Deo dignum, et a Deo peculiari et extraordinaria providentia productum, ad suam magnificentiam et gloriam Hebræis aliisque Gentibus ostendendam. Simili schemate et prosopopœia de Iudæis ab excidio Aman liberatis per Esther cap. 8. 16. dicitur: *Iudæis autem nova lux oriri visa.* Sic Horatius gaudium Romanorum ex Cæsaris adventu ita describit: Vers. 9.

Vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent.

CUM MISERICORDIA, qua Hebræos e duro carcere liberavit; ET IUSTITIA.) Qua tyrannos Babylonios cæterosque hostes Iudæorum punivit, ait Theodor. et Hugo. Secundo, *cum iustitia*, id est iuste, puta fideliter, exequens id quod promiserat.

QUÆ EST EX IPSO.) Cuius ipse auctor est, non nos, nec nostra merita; ita Vatabl. Secundo, Maldonat. *quæ est ex ipso*, id est, inquit, quæ eius promissis ultroneæ factis respondet.

Nota. Hoc capite Deus Iudæis Babylone redeuntibus promittit octo felicitates, scilicet Primo, v. 1. et 2. diploidem lætitiæ æque ac iustitiæ, et mitram honoris æterni. Secundo, v. 3. splendorem maximum. Tertio, v. 4. nomen novum, scilicet *pax iustitiæ* et *honor pietatis.* Quarto, v. 5. quod collecti ab Oriente usque ad Occidentem turmatim redibunt simul, gaudentes in verbo sancti. Quinto, v. 6. quod pedibus exierint, sed equis et curribus vecti splendide redibunt, quasi filii regni. Sexto, v. 7. Quod Deus eis montes, aspera et profunda quæque complanabit, ut æquabili et facili via transeant. Septimo, v. 8. quod silvæ eis umbram, ligna odorata suavem halitum aspirabunt. Octavo, v. 9. quod solem iucundius et fulgidius lucentem eis quasi facem præferet. Octo felicitates Babylone redeuntium.

Hæc mystice facile est adaptare animæ sanctæ tendenti in cælum, tamque peregrinanti adhuc in corpore et Ecclesia militante, quam e corpore exeunti. In cælo enim, ait S. Augustin. in psal. 49. *omnia summa sunt, vera sunt, sancta sunt, æterna sunt*: et ad illa ait idem in psal. 86. et 89. *Ipse rex descendit, et factus est nobis via in peregrinatione, ut in illo ambulantes nec erremus, nec deficiamus, nec in latrocinantes aut in laqueos incidamus, sed in illam civitatem perveniamus ambulantes, ergo in Christo et adhuc peregrinantes, et suspirantes desiderio ineffabilis quietis, quæ in illa civitate habitat, non nos avertat inimicus a via.*

Primo ergo, in cælo fruemur lætitia et honore sempiterno. *Quæ lingua*, inquit S. August. in psal. 118. *docere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia? angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari.* Hinc Apocal. 21. v. 4. dicitur: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit,* Octo dotes Beatorum. 1. Lætitia æterna.

neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra: quia prima abierunt. Et Isaiæ 35. v. 10. *Lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium et exultationem obtinebunt.* Rursum S. Augustin. orat. contra Paganos, Iudæos et Arrianos c. 21. comparans hanc vitam cum futura: *Hic,* inquit, *falsitas, ibi veritas; hic perturbatio, illic fida possessio; hic pessima amaritudo, illic sempiterna dilectio; hic periculosa elatio, illic est secura exultatio; hic timetur ne qui erat amicus, efficiatur subito inimicus: illic semper qui est manet amicus, quia nullus illic admittitur inimicus; hic quidquid est bonum timetur ne pereat: illic quidquid acceperis ab eo servatur qui fecit, ut ne tu transeas: et quod acceperis non amittas; hic mors, ibi vita; hic omnia qui creavit Deus, illic Deus erit omnia in omnibus, ibi videbimus quod oculus non vidit, ibi audiemus quod auris hic non audivit, ibi intelligemus quod cor humanum comprehendere hic non valet, videntes scientesque exultabimus inenarrabili gaudio.*

II. Splendor. Secundo, splendebunt et *fulgebunt sancti sicut sol in regno patris eorum;* et ut ait Daniel cap. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt ut splendor firmamenti; et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Atque ut ait Apostolus 1. Corinth. 15. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim differt a stella in claritate; sic et resurrectio mortuorum; seminatur in ignobilitate, surget in gloria,* etc.

III. Nomen novum quod? Tertio, habebunt Beati nomen novum, scilicet pax iustitiæ; ibi enim est Ierusalem, id est visio pacis, quare Beati insultabunt timori, tristitiæ et morti, dicentes: Ubi est, o mors, victoria tua, ubi est stimulus tuus? S. Augustin. in psal. 36. *Quæ erunt,* inquit, *o amator Dei, deliciæ tuæ? delectabuntur in multitudine pacis: aurum tuum erit pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax, quidquid desideras pax tibi erit; hic quod est aurum, non potest tibi esse argentum; quod est vinum, non potest esse panis; ibi Deus tuus totum tibi erit: manducabis eum ne esurias; bibes eum ne sitias; illuminaberis ab eo ne sis cæcus; fulcieris ab eo ne deficias; possidebit te totum integrum totus integer, totum habebis totum, et ille habebit: quia et tu et ille unum eritis; quod unum totum et ille habebit, qui vos in pace possidebit.*

Rursum habebunt Beati nomen, honor pietatis. Erunt enim piissimi, ideoque summe a Deo et angelis honorati: canent enim piissime et lætissime Deo perpetuum alleluia: *Beati,* inquit Psaltes, *qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te;* et, *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei: sicut lætantium omnium habitatio est in te.* S. Bernar. in lib. Meditat. cap. 4. *Ibi,* inquit, *videbimus gloriæ decorem, Sanctorum splendorem, et regiæ potestatis honorem; cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti benignissimam clementiam. O beata visio, videre Deum in seipso, videre in nobis, et nos in eo felici iucunditate et iucunda felicitate!*

IV. Multitudo Beatorum. Quarto, in cælo erunt turmæ et agmina Sanctorum. *Ibi,* inquit S. Bernard. loco citato, *una erit omnium lingua, iubilatio indefessa, unus affectus, amor æternus: patebit veritas, fulgebit sicut sol humanitas glorificata, quieta erit et concors carnis et spiritus societas, angelorum et hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium; quæ ergo nos angit vesania vitiorum sitire absynthium, et non magis convolare ad angelorum societatem, ut possimus intrare in potentias Domini, et videre superabundantes divitias illas bonitatis illius?* Et S. August. in lib. Medit. cap. 22. et 25. *Ibi,* inquit, *est dulcis solemnitas omnium ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium: ibi Prophetarum providus chorus: ibi duodecim Apostolorum numerus: ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus: ibi sanctorum Confessorum sacer conventus: ibi veri et perfecti solitudinis cultores: ibi sanctæ mulieres quæ voluptates sæculi et sexus infirmitatem vicerunt: ibi pueri et puellæ, qui annos suos sanctis moribus trascenderunt. Dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium. Omne opus eorum laus Dei sine fine, sine labore. Felix ergo et vere in perpetuum felix, si post resolutionem huius corpusculi audiam illa cantica cælestis melodiæ.* Quale gaudium erit audire et videre Virgines, Martyres, Confessores per millia turmatim prodire e Iaponia, e China, e Græcia, ex Persia, ex Æthiopia, ex Peru, totoque orbe, et in unam Beatorum Ecclesiam colligi? ibique narrare suam conversionem, sua eventa, sua martyria? omnesque invicem quasi fratres amplecti ac iubilare?

V. Curru triumphali ibunt in cælum. Quinto, circuierunt hic in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: sed ab angelis curru quasi triumphali vehentur in cælum: *Currus enim Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Eis ergo acclamari poterit, quod Eliseus Eliæ dum in cælum raperetur acclamabat: *Pater mi, currus Israel, et auriga eius.* Sic anima Lazari ab angelis, cum iubilo translata est in cælum. Sic et animæ S. Martini, S. Servuli, S. Nicolai, S. Catharinæ, et aliorum Sanctorum ab angelis cælesti melodia concinentibus, glorioso triumpho in cælum subvectæ sunt.

VI. Deus eis omnia complanabit. Sexto, Deus illis omnia complanabit, nihil ibi erit asperum, nihil sublime, nihil depressum; sed omnia facilia et æquabilia, omnia læta et iucunda. *Erit enim eorum summa felicitas,* inquit S. Bernard. Meditat. cap. 4. *summa iucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, et secura æternitas: ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, et omnis beatitudo. Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, et concordia dulcis.*

VII. Omnes creaturæ Beatos recreabunt. Septimo, omnia Beatos recreabunt, Deus, angeli, elementa, astra, aer, terra; quin et infernus ac damnati, quos se vicisse et pedibus premere gaudebunt. Merito ergo exclamat S. Augustin. loco citato: *O vita quam præparavit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, vita nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine varietate, sine perturbatione; vita totius elegantiæ et dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus et timor nullus, ubi dies æternus, et unus omnium spiritus! quanto plus te considero, tanto plus amore langueo. O tu vita felicissima, o regnum vere beatum, cui nulla tempora succedunt per ævum: ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus: ubi victor miles illis hymnidicis angelorum sociatus choris, cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion!*

VIII. Sol eis erit Deus. Octavo, vis solem Beatorum? audi S. Ioann. Apoc. 22. 5. *Nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis; quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabit in sæcula sæculorum;* et cap. 21. 23. *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna eius est agnus, et ambulabunt gentes in lumine eius.* Quin et sol ipse congaudens Sanctis, longe erit fulgentior solito. *Erit enim lux lunæ sicut lux Solis, et lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum,* inquit Isaias c. 30. 26.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ieremias Iudæis captivis per Nabuzardan collectis, in Babylonem iam iam ituris hanc dedit epistolam, qua eos dehortatur ne Chaldæorum idola sequantur: illa enim non aliud esse quam truncos et lapides, probat ex eorum materia, fabrica, turpitudine, impotentia et ineptitudine ad omnia. Porro hanc epistolam esse Ieremiæ, patet ex 2. Machab. 2. 1. ubi eius nomine citatur; atque ex Patribus, nominatim ex Tertull. in Scorpiaco, ubi ait, tres pueros Daniel. 3. noluisse adorare statuam regis, eo quod Ieremias hac de re eos sua epistola præmonuisset, et ne id facerent corroborasset.

EXEMPLAR epistolæ, quam misit Ieremias ad abducendos captivos in Babyloniam a rege Babyloniorum, ut annuntiaret illis secundum quod præceptum est illi a Deo. 1. Propter peccata, quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam captivi a Nabuchodonosor rege Babyloniorum. 2. Ingressi itaque in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, et temporibus longis, usque ad generationes septem: post hoc autem educam vos inde cum pace. 3. Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos, et argenteos, et lapideos, et ligneos in humeris portari, ostentantes metum gentibus. 4. Videte ergo ne et vos similes efficiamini factis alienis, et metuatis, et metus vos capiat in ipsis. 5. Visa itaque turba de retro, et ab ante, adorantes, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari Domine. 6. Angelus enim meus vobiscum est: ipse autem exquiram animas vestras. 7. Nam lingua ipsorum polita a fabro, ipsa etiam inaurata et inargentata, falsa sunt, et non possunt loqui. 8. Et sicut virgini amanti ornamenta: ita accepto auro fabricati sunt. 9. Coronas certe aureas habent super capita sua dii illorum: unde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum et argentum, et erogant illud in semetipsos. 10. Dant autem et ex ipso prostitutis, et meretrices ornant: et iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos suos. 11. Hi autem non liberantur ab ærugine et tinea. 12. Opertis autem illis veste purpurea, extergunt faciem ipsorum propter pulverem domus, qui est plurimus inter eos. 13. Sceptrum autem habet ut homo, sicut iudex regionis, qui in se peccantem non interficit. 14. Habet etiam in manu gladium, et securim: se autem de bello et a latronibus non liberat. Unde vobis notum sit quia non sunt dii. 15. Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt et dii illorum. 16. Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt pulvere a pedibus introeuntium. 17. Et sicut alicui qui regem offendit, circumseptæ sunt ianuæ; aut sicut ad sepulchrum adductum mortuum, ita tutantur sacerdotes ostia clausuris et seris, ne a latronibus expolientur. 18. Lucernas accendunt illis, et quidem multas, ex quibus nullam videre possunt: sunt autem sicut trabes in domo. 19. Corda vero eorum dicunt elingere serpentes, qui de terra sunt, dum comedunt eos, et vestimentum ipsorum, et non sentiunt. 20. Nigræ fiunt facies eorum a fumo, qui in domo fit. 21. Supra corpus eorum, et supra caput eorum volant noctuæ, et hirundines, et aves etiam similiter et cattæ. 22. Unde sciatis quia non sunt dii. Ne ergo timueritis eos. 23. Aurum etiam quod habent, ad speciem est. Nisi aliquis exterserit æruginem, non fulgebunt: neque enim dum conflarentur, sentiebant. 24. Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis. 25. Sine pedibus in humeris portantur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea. 26. Propterea si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgunt: neque si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit, sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur. 27. Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum, et abutuntur: similiter et mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt; 28. De sacrificiis eorum fœtæ et menstruatæ contingunt. Scientes itaque ex his quia non sunt dii, ne timeatis eos. 29. Unde enim vocantur dii? Quia mulieres apponunt diis argenteis, et aureis, et ligneis: 30. Et in domibus eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, et capita, et barbam rasam, quorum capita nuda sunt. 31. Rugiunt autem clamantes contra deos suos, sicut in cœna mortui. 32. Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, et vestiunt uxores suas, et filios suos. 33. Neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, poterunt retribuere: neque regem constituere possunt, neque auferre. 34. Similiter neque dare divitias possunt, neque malum retribuere. Si quis illis votum voverit, et non reddiderit: neque hoc requirunt. 35. Hominem a morte non liberant, neque infirmum a potentiori eripiunt. 36. Hominem cæcum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt. 37. Viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient. 38. Lapidibus de monte similes sunt dii illorum, lignei, et lapidei, et aurei, et argentei. Qui autem colunt ea, confundentur. 39. Quomodo ergo æstimandum est, aut dicendum, illos esse deos? 40. Adhuc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea: qui cum audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui: 41. Quasi possint sentire qui non habent motum, et ipsi cum intellexerint, relinquent ea: sensum enim non habent ipsi dii illorum. 42. Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum. 43. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit. 44. Omnia autem quæ illis fiunt, falsa sunt. Quomodo æstimandum aut dicendum est, illos esse deos? 45. A fabris autem, et ab aurificibus, facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id quod volunt esse sacerdotes. 46. Artifices etiam ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea quæ fabricata sunt ab ipsis esse dii? 47. Reliquerunt autem falsa, et opprobrium postea futuris. 48. Nam cum supervenerit illis prælium, et mala: cogitant sacerdotes apud se, ubi se abscondant cum illis. 49. Quomodo ergo sentiri debeant quoniam dii sunt, qui nec de bello se liberant, neque de malis se eripiunt? 50. Nam cum sint lignea, inaurata, et inargentata, scietur postea quia falsa sunt, ab universis gentibus et regibus: quæ manifesta sunt quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum Dei opus cum illis. 51. Unde ergo notum est, quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum Dei opus in ipsis est? 52. Regem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt. 53. Iudicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab iniuria: quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cæli et terræ. 54. Etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum,

argenteorum, et aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, et liberabuntur: ipsi vero sicut trabes in medio comburentur. 55. Regi autem, et bello non resistent. Quomodo ergo æstimandum est, aut recipiendum quia dii sunt? 56. Non a furibus, neque a latronibus se liberabunt dii lignei, et lapidei, et inaurati, et inargentati: quibus hi qui fortiores sunt. 57. Aurum et argentum, et vestimentum, quo operti sunt, auferent illis, et abibunt, nec sibi auxilium ferent. 58. Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam: aut vas in domo utile, in quo gloriabitur qui possidet illud: vel ostium in domo, quod custodit quæ in ipsa sunt, quam falsi dii. 59. Sol quidem, et luna, ac sidera cum sint splendida, et emissa ad utilitates, obaudiunt. 60. Similiter et fulgur cum apparuerit, perspicuum est: idipsum autem et spiritus in omni regione spirat. 61. Et nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo perambulare universum orbem, perficiunt quod imperatum est eis. 62. Ignis etiam missus desuper ut consumat montes, et sylvas, facit quod præceptum est ei. Hæc autem neque speciebus, neque virtutibus uni eorum similia sunt. 63. Unde neque existimandum est, neque dicendum, illos esse deos, quando non possunt neque iudicium iudicare, neque quidquam facere hominibus. 64. Scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos. 65. Neque enim regibus maledicent, neque benedicent. 66. Signa etiam in cælo gentibus non ostendunt, neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt ut luna. 67. Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi. 68. Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii: propter quod ne timeatis eos. 69. Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit: ita sunt dii illorum lignei, et argentei, et inaurati. 70. Eodem modo et in horto spina alba, supra quam omnis avis sedet. Similiter et mortuo proiecto in tenebris, similes sunt dii illorum lignei, et inaurati, et inargentati. 71. A purpura quoque et murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dii. Ipsi etiam postremo comeduntur, et erunt opprobrium in regione. 72. Melior est homo iustus, qui non habet simulachra: nam erit longe ab opprobriis.

Vers. 1. QUAM MISIT IEREMIAS.) Hinc patet hanc epistolam esse Ieremiæ, scriptam vero a Baruch; unde in Græcis Sixtinis, sive Caraffæ, hæc epistola ponitur immediate post Threnos Ieremiæ.

AD ABDUCENDOS.) Ita Rom. et Græca, non *ad abductos*, uti legit Hugo et Lyran. unde et v. 1. ait, *abducemini*, non, *abducti estis*. Respondet Hugo, hanc epistolam scriptam ad Iudæos dum in itinere essent, quo tempore partim abducti erant, partim abducendi. Lyran. vero et Dionys. aiunt eam scriptam antequam abducerentur, sed missam postquam essent abducti. Sed nullum huius rei testem citant: gratis ergo ista dicuntur. Quare vera lectio est, *ad abducendos*.

Vers. 2. USQUE AD GENERATIONES SEPTEM.) Id est usque ad 70. annos manebitis in Babylone. Nota. Græcum γενεα, id est ætas vel progenies, quæ in Scriptura dicitur generatio, varie definitur. Primo, Dionys. Halicarn. l. 1. Rom. Ant. dat illi centum annos. Sic et Varro lib. 5. qui et addit, sæculum dici a sene, *quod illud spatium senescendorum hominum putarint;* sic et Script. Genes. 15. v. 16. ubi dicitur, fore ut Hebræi generatione quarta ex Ægypto revertantur, id est post 400. annos. Secundo, Censorin. de die natali, et alii passim, dant ei annos triginta; sic Nestor dicitur vixisse tres ætates, id est 90. annos. Tertio, Herodot. lib. 1. dat ei 23. annos. Quarto, Euseb. 10. Præparat. c. ult. dat ei annos viginti. Quinto, S. August. in Psal. 101. dat ei annos quindecim: ea enim ætate homo potens est ad generandum. Sexto, γενεα sive generatio est spatium septem annorum, sic medici vetant ante duas generationes venam incidi Puero: et apud Suidam Orpheus dicitur vixisse novem generationes, id est 63. annos. Septimo, ætas est annus: unde Virgil. 3. Georg.

Generatio vel ætas capitur octupliciter.

At tribus exactis ubi quarta advenerit ætas.

Ubi Servius, *Quarta ætas*, inquit, *id est quartus annus*; et addit: ætas, ait, significat quodvis tempus. Sic ait et Varro, *Ætatem vix decimam*, id est, vix decimum annum, *ingressus:* et Plinius l. 8. c. 40. *Annua*, inquit, *ætas canum iusta est ad pariendum.* Hinc Octavo, γενεα sive ætas, est spatium decem annorum: denarius enim insignis plenusque est numerus, qui omnes simplices numeros, quos Arithmetici digitos vocant, puta omnes ab uno ad novem, in se complectitur. Rursum, denarius primus est numerus multitudinis post digitos, estque terminus numerandi; nam post decem redimus ad unitatem: decem et unum sunt undecim; decem et duo sunt duodecim, et ita consequenter. Sic hoc loco capitur γενεα, id est generatio.

Generationes septem sunt 70. anni.

Septem ergo generationes sunt septuaginta anni captivitatis, qui inchoantur anno undecimo Ioakim, et terminantur anno primo Cyri, ut dixi Ierem. 25. 11. eo enim se refert Baruch discipulus et scriba Ieremiæ. Licet a Castro hæc referat ad 70. annos desolationis, qui, inquit, inchoantur anno undecimo Sedeciæ, et terminantur anno secundo Darii Hystaspis, de quibus dicendum est Zachar. 1. 12. Nonnulli generationem hic accipiunt septem annorum, ut septem generationes sint 49. anni: tot enim, inquiunt, fluxerunt ab anno undecimo Sedeciæ, quando hæc scripsit Ieremias, usque ad annum primum Cyri; nam Nabuchodonosor exinde regnavit 24. annos, Evilmerodach 23. Balthasar 3. Verum hæc nostræ chronologiæ non consentiunt: inchoando enim annos 70. captivitatis ab anno undecimo Ioakim, dicendum est ab anno undecimo Sedeciæ usque ad primum Cyri fluxisse annos 59.

Aliter has septem generationes explicat Vilalpando noster in Apparatu Ezech. p. 1. lib. 3. cap. 2. Generatio, inquit, complectitur quatuordecim annos; tunc enim mas potens est generare, tuncque valide matrimonium contrahit. Porro generatio hic capitur non pro actu generandi, sed pro genitis sive filiis. Generatio ergo prima ab Ierusalem est translata Babylonem: ea cum primum Babylonem appulit, filios, id est secundam generationem, procreavit; hæc vero post quatuordecim annos tertiam; tertia post totidem annos, scilicet anno 28. desolationis quartam genuit; quarta anno 42. desolationis genuit quintam; hæc sextam anno 56. quæ tandem septimam generationem edidit anno desolationis 70. quo e captivitate liberati sunt. Hæc explicatio non est improbabilis, nec incongrua.

OSTENTANTES METUM GENTIBUS.) Ad incutiendam hominibus religionem, et sacrum quemdam metum ac reverentiam. Vers. 3.

FACTIS ALIENIS.) Græce est αλλοφυλοις, id est alienigenis, puta Chaldæis, q. d. Ne vos conformetis Chaldæorum idololatriæ. Vers. 4.

ADORANTES.) Græce est προσκυνουντας αυτα, id est *adorantes* (scilicet turbam, puta Chaldæos) *ipsa* scilicet idola. Noster non legit το αυτα: unde *adorantes* retulit ad Iudæos, non ad Chaldæos. Vers. 5.

ANGELUS ENIM.) Scilicet Michael, ut colligitur Daniel. 12. v. 1. ubi inducitur Michael quasi custos et præses Hebræorum; q. d. Me adorate, non idola Chaldæorum; nec est quod Chaldæos timeatis: ego enim vos ab illis defendam; nam ego paternam vestri curam gero. Primo, quia Angelum meum vobis destino in tutorem, utque ipse vos educat ex Babylone, sicut eduxit ex Ægypto, eo enim alludit, scilicet ad Exodi 33. v. 2. Secundo, quia exquiram animas vestras, id est vindex vester ero, ulciscar iniurias vestras, ac præsertim mortem si quis eam vobis intulerit; ita Hugo et Lyran. Vers. 6.

AMANTI ORNAMENTA, sicut virgini φιλοκοσμω, id est ornatum amanti et affectanti undecumque ornamenta conquiruntur: ITA Chaldæi idololatræ AURO ACCEPTO.) Idolis ornatum asciscunt. Vers. 8.

UNDE SUBTRAHUNT.) q. d. Sacerdotes aurum a diis suis Vers. 9.

auferunt, et in suos usus convertunt, dantque prostitutis et meretricibus quas domi alunt; ita Græca. Ex eo quod idola sint insensibilia quasi saxa et metalla, quæ patiantur sibi ornamenta eripi, omnemque aliam iniuriam tolerent; ostendit eos non esse deos, imo non esse animatos, nec ullam habere nostri cognitionem, curam atque providentiam. Vere Poeta:

Idolum nihil est nisi marmor inutile, cuius
Est proprium numquam vivere, scire nihil.

Vers. 11. Ab ærugine et tinea.) q. d. Idola corroduntur ærugine et tinea, atque pulveribus opplentur, nec eos excutere possunt, perinde ac si mera ligna aut lapides essent, uti revera sunt: non ergo sunt dii.

Vers. 13. Sceptrum autem habet.) Idolum sceptrum gestat, quasi Rex et Iudex esset omnia gubernans, cum neminem damnare et interficere possit. Est enallage: locutus est enim de idolis in plurali, nunc de iis loquitur in singulari numero.

Vers. 17. Sicut alicui qui Regem offendit, circumseptæ sunt ianuæ, dum quasi reus carceri includitur; aut sicut ad sepulcrum adductum mortuum.) Id est sicut cadaver mortuum cum ad sepulcrum adducitur, tutari solent custodes, ne spolietur pretiosis vestibus, armis et instrumentis, cum quibus illud humare solent tam Iudæi quam Gentiles; ita Hugo et Lyran. Aliter ex Græco iam vertit Vatabl. sic, *uti cuipiam qui Regem offendit atria circumcludi solent, tamquam ad supplicium adducendo: ita Sacerdotes ædes eorum muniunt ostiis, claustris et vectibus, ne a latronibus, aut potius furibus* (quos et ipsos a latendo λῃστὰς voces) *compilentur.*

Vers. 18. Sunt autem sicut trabes.) Idola sunt stipites, ligna et saxa, quæ lumen videre non possunt; vide Delrio adagio 883.

Vers. 19. Corda.) Aliqua enim idola erant interius terrea, vel ex alia fragili materia, exterius vero erant ænea vel aurea, et sic serpentes qui terram comedunt, comedebant corda, id est interiora, horum deorum. Secundo, Maldon. *corda*, inquit, id est medullam ligni ex quo facti sunt, elingunt et corrodunt serpentes, id est vermes, ut sit catachresis.

Vers. 21. Cattæ.) Catti, feles: Græce enim est αἴλουροι: ita Vatabl.

Vers. 24. Ex omni pretio.) Maximo pretio sunt empta, et tamen carent spiritu; ita Vatabl.

In quibus spiritus non inest ipsis.) To *in ipsis* per Hebraismum redundat; unde videtur interpres ex Hebræo hæc transtulisse: nam in Græco non est.

Vers. 26. Munera.) Græcum δῶρον etiam significat palmum minorem, qui quaternum digitorum erat, idem quod παλαιστὴ seu tertia pars spithamæ, ut tradit Eustath. Sic accipit hic Pagnin. q. d. Palmo humerisque fulciunt idolum, ut stet, ne cadat.

Vers. 27. Mulieres eorum decerpentes.) Ex donariis quæ idolis oblata sunt. Græce παριχεῦσαι, id est *in penum recondentes*, q. d. Omnia sibi reservant, nihil egenis impertiuntur.

Vers. 28. Fœtæ.) Puerperæ, quæ quia immundæ, arcentur templo et sacris, Levit. 12. 2. Licet enim hac lege Iudæorum Gentiles non obligarentur, tamen per se indecens erat personas ita sordidas et pollutas sacra contingere, præsertim apud Iudæos quibus id erat abominabile, unde Propheta id eis inculcat, ut ex cultorum irreverentia ostendat ipsius culturæ, puta idololatriæ, turpitudinem.

Vers. 29. Quia mulieres apponunt.) Escas vel donaria et anathemata suis idolis. Est subiectio: rogarat enim, Unde idola sunt dii? Respondet, Quia stultæ et superstitiosæ mulierculæ eis, quasi diis dona apponunt: mulieres ergo faciunt hosce deos.

Vers. 30. Tunicas scissas.) Quod vetatur Iudæis, Levit. 10. 6.

Et barbam rasam.) Quod vetatur laicis Iudæorum, Levit. 19. 27. et sacerdotibus Levit. 21. v. 5. tum honestatis et decoris causa, tum ne hac in re communicarent cum sacerdotibus Isidis, aliorumque deorum Gentilium. Vide dicta Levit. 19. et 21. et Ezech. 44. 22. Notat illorum hypocrisin et simulationem. Rursum Iudæos absterret ab eorum cultu et cæremoniis, quod eæ repugnent ritibus a Deo et Mose institutis.

Rugiunt contra deos, clamant ad deos suos misero et lugubri eiulatu, sicut in cœna mortui.) Id est, sicut solent audiri lugubres clamores et gemitus in cœna funerea alicuius mortui, maxime qua Gentiles, ut ait Epiph. in Ancorat. ad sepulcrum ferentes cibum, insolenti clamore evocabant defunctos, dicendo: Resurge, o Hector, comede et bibe: vel dicentes, Vale. Sic Achillem in funere Patrocli fecisse ait Homer. Iliad. 18. *Salve mi Patrocle atque vale:* et Æneam in funere Pallantis, Virgil. Æneid. 11. Vers. 31. Valedicebant Gentiles defunctis offerentes eis cibos.

Salve æternum mihi maxime Palla,
Æternumque vale.

Ita Hugo, Lyran. et Dionys. Innuit deos Gentium fuisse homines, iamque esse mortuos. Nam, ut ait Cicero l. 1. de Natura deor. *Suscepit vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tolleret. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber.* Nam Æsculapium medicina; Liberum, Saturnum et Cererem agricultura; Apollinem cithara; Vulcanum fabrica deos fecit. Hinc Ægyptus Isidem, doctæ Athenæ Minervam coluere; quod illa lini, hæc olei, usum artemque lanificii invenisse credatur.

Accesserunt etiam Poetæ, ait Lactant. lib. 1. c. 15. *qui compositis ad voluptatem carminibus, in cælum eos sustulerunt, sicut faciunt qui apud reges etiam malos, panegyricis mendacibus adulantur. Quod malum a Græcis ortum est. Unde eos sic increpat Sibylla:*

Græcia quid confidis in viros principes?
Ad quid dona inania mortuis ponis?
Immolas idolis: quis tibi in mentem dolorem
Imposuit, ut hæc perficias magni Dei ore
Relicto?

Porro cœna hæc mortuorum a Græcis vocabatur περιδεῖπνον, a Tertull. in Apolog. et Latinis *silicernium*. Hinc senes capulares, etiam dicti *silicernii*, quasi pro quibus iamiam morituris cœna funeralis paranda esset; non ergo a curvitate, quod silices spectent, ita dicti sunt, ut aliqui putarunt; sed a cœna hac quæ silicernium dicebatur, eo quod cum silentio edentes cernerentur, vel quod silentes cogitarent se mox illum secuturos. Unde abeuntes a convivio, velut non amplius se visuri, invicem salutabant, dicebantque, Vale. Hinc Varro: *Funus exsecuti, laute ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est convivium in quo pransi discedentes dicimus aliis alii, Vale.*

Neque hoc requirunt.) Non expostulant, non ulciscuntur voti et promissi sibi facti neglectum et perfidiam. Vers. 34

Adhuc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea.) Vers. 40.
q. d. Præsertim cum etiam ipsi Chaldæi contemnant idola sua; cum enim muto a Belo muto loquelam petunt, nec impetrant, sicque intelligunt idola sua esse muta, relinquunt ea et missa faciunt. Ita Iuvenal. satyra 13. Iovi insultat:

Audis
Iuppiter hæc, nec labra moves? cum mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel aheneus.

Quasi possint sentire quæ non habent motum.) Vers. 41.
Scilicet naturalem, ut animalia. Non enim potest quidpiam, quod totum sit atque integrum, et suam naturam retineat, tali motu carens, habere sensum. Omne ergo quod sentit, per se et moveri potest, vel progrediendo, vel se dilatando et contrahendo. Dico per se; nam per accidens, puta per morbos, et in toto animali, et in parte potest perire motus manente sensu; in toto quidem, ut per catalepsim; in parte vero, cum paralysis non procedit usque ad sensus sublationem. Adde, ex motu nos iudicare de sensu et vita: unde Ecclesia non baptizat abortivos fœtus, nisi motus alicuius speciem præ se ferant. Hæc et plura Valesius Sacræ Philosoph. cap. 79. Ratio a priori est, quia animalia omnia habent cerebrum: a cerebro autem quasi a proprio principio manat tam motus, Quæ motu carent, carent et sensu. Cur?

quam sensus, per instrumenta, scilicet per nervos et musculos.

Tribus modis movent se inanimæ.

Nota. Idola et statuæ movere se possunt variis modis. Primo, si eis indatur argentum vivum. Secundo, per ventum quem sinibus suis affabre factis excipiunt, quomodo Albertus Magnus olim, et nunc Mirabiliarii faciunt corvos et dracones volantes, quales sæpius vidi. Tertio, per pondera, rotas et æquilibria dextre in statua, quasi in horologio, disposita. Ita oblata est mihi Norimbergæ venalis statua pueri Iesu elegantissima, quæ mox ut loculum in quo iacebat aperiebas, caput motitando annictare et arridere videbatur. Ita Augustæ Vindel. vidi tum alia, tum Centaurum inauratum nostro P. Trigautio pro Sinensibus donatum, qui tactu rotulæ cuiusdam per se et sponte procurrebat ad spatium trium quatuorve pedum, telum ex arcu eiaculabatur usque in tabulatum, sonabat, pulsabat, aliaque mira faciebat. Verum nihil horum fit motu animali, qui a forma intrinseca, puta ab anima et spiritu vitali, proficiscitur: unde motus hi non diu durant, et cessante causa impellente cessant.

Et ipsi.) Cultores idolorum, puta Chaldæi, relinquunt ea, ut dixi. Græca contrarie habent, *et non possunt ipsi intelligentes relinquere ea*, id est, ipsi idololatræ adeo sunt dementati et excæcati, ut cum intelligant idolorum mutorum vanitatem et stoliditatem, ea tamen ex inveterata prava consuetudine relinquere non possint.

Vers. 42. Virgines Cypriæ colebant Venerem stupro, eiusque pretio.

Mulieres circumdatæ funibus.) Nota ex Herodoto lib. 1. Babylonias et Cyprias virgines ante matrimonium, imo omnes eorum mulieres sic coluisse Venerem, ut semel saltem in vita ad Veneris templum desiderent, suamque pudicitiam exponerent, ut qui primo obvius vellet, eis abuteretur, dato tamen pretio cum hac imprecatione: *Tanti ego tibi deam Milyttam*, id est Venerem, *imploro;* hocque pretium istæ illusæ templo Veneris dicabant, sicque virginitate quasi Veneri dicata, putabant se faustas inire nuptias. Audi S. August. lib. 4. de Civit. c. 10. *Veneri*, ait, *Phœnices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam eas iungerent viris.* Idem de Phœnissis mulieribus testatur S. Athanas. orat. contra idola, ubi originem idololatriæ investigans, eam institutam esse ait *desiderio eorum, qui stupris et propudiis pleni, figmentis repræsentantur;* itaque turpissimam sibi suorum deorum vitam idolorum cultores imitandam proposuisse. Et Strabo lib. 11. in fine agens de sacris Persarum, Medorum et Armeniorum, sic scribit de Anatide: *Hæc est Venus in Oriente culta, Armeniorum idolum: illustrissimi eius nationis filias suas virgines ei dedicant, ac lex est ut longo tempore apud deam constupratæ, deinde nuptum dentur, nemine talis mulieris coniugium dedignante* (o miseros cornutos et infames Gentilium maritos!) *Tales quippe etiam Herodotus de Lydiis mulieribus scribit: omnes enim ex meretrices sunt.* Sic Scoti Gentiles, filias suas sponsas antequam a sponsis cognoscerentur, primo regi suo violandas tradebant: cuius incestus loco et vice iam Christiani effecti induxerunt, ut novæ sponsæ certum nummum regi pendant: cuius rei testes sunt Polydorus Virg. et Hector Boet. in histor. Scot. Vide hic gentilismi stolidam et insanam spurcitiam, religionis, id est superstitionis, larva, dæmonis suggestu obtectam.

Hac de causa iuxta templum Veneris plurima erant diverticula, ait Herodot. funiculis distincta, additque aliquas difformes ad duos vel tres annos ibi desedisse, et amasios expectasse in tentoriis quæ funibus tendebantur. Atque de hisce funibus putant aliqui Baruch hic loqui. Verum obstat quod non erat necesse hos funes rumpere; quod tamen de suis ait hic Baruch: deinde addit, ipsas mulieres circumligatas fuisse funibus: ergo mulierum, non tentoriorum erant hi funes.

Quare Secundo, funiculi hi possunt accipi serta, de iuncis et floribus contexta, quibus hæ prostitutæ capita cingebant, teste Herodot. et Strabone, qui ait eas thominge, id est vinculo vel funiculo, coronatas fuisse.

Tertio et propriissime, hæ mulieres cingulo vel funiculo corpus vinciebant, ut significarent se virgines, et Ve-

A neris religione et amore captas detineri; hocque signo quasi Veneri sacras, primo obvio sui copiam facere, et petere ut funem solvat, et nefaria sacra Veneri faciat: sicque incesta copulatione, cesto sive zona dirupta, matrimonium inibant. Idem faciebant coniugatæ si Veneri se dicare vellent: ita ex Herod. Strab. et Curtio libr. 5. a Castro. Hinc cestus, sive zona priscis signum erat virginis et virginitatis, quam tunc primum solvebant mariti, cum nova nupta primo eorum thalamum subibat. Sic Romani in philtro, amasii statuam ternis funiculis colligabant, testis est Virgil. ecloga 8.

Virgines Veneri se vinciebant funibus, cur?

Zona symbolum erat virginitatis.

Ossa olivarum.) Τὰ πίτυρα, id est furfures tritici vel hordei, ait Vatabl. Sic enim πίτυρα accipiunt Hesych. Dioscorides et Theophrast. Sed melius noster hic vertit, *ossa olivarum*, id est nucleos duros et quasi osseos olivarum (sic Beroaldus apud Henr. Steph. in Lexico πιτύριον vocat ossiculum olivæ) vel minutas olivas duriores, ac pene osseas, utpote quæ solo fere constent nucleo. Dicuntur hæ πίτυρα, quod furfuracei sint coloris, vel quod

Πίτυρα id est ossa sive nucleos olivarum comburebant. Cur?

B in olivis tritis et contusis ossa sint quasi furfures et excrementa: ita Athenæus lib. 2. cap. 14. ex Callimacho et Philæmone: πιτυρίδες, ait, sunt olivæ θλασταί, id est tritæ, contusæ; vel, ut alii legunt, φαῦλαι, id est malæ. Oliva enim priscis tam Ægyptiis quam Hebræis, teste Pierio hieroglyph. 53. hieroglyphicum fuit misericordiæ, pacis, amoris, concordiæ; imo supplicationis, spei et precum: unde Statius:

Oliva symbolum supplicis.

Vittatæ laurus et supplicis arbor olivæ.

Hinc Romani pro oliva laurum teste Virgilio urebant, quasi amasio supplicantes. Hoc ergo philtrum sive veneficium magicum erat, quo diobolares istæ, quas nec divitiæ, nec forma, nec genus commendabat, cremando ossa, id est nucleos olivarum, flammam concupiscentiæ testabantur, et procorum duritiem mollire et incantare studebant, ne diu desiderent, sed cito amasium allicerent. Unde simul cum hac crematione precabantur, ut sic hospites earum amore torrerentur. Demum sic adusta, et in cine-

Philtrum ex nucleis olivarum, quale?

C res redacta spargebant in ventum, iacta trans caput. Sic enim Theocritus in Pharmaceutria, docet hoc a Babyloniis didicisse Græcos, scilicet Smithæam veneficam, quæ Delphidem iuvenem deperibat: sic enim ait: *Sicut ego hanc ceram Deo iuvante liquefacio, ita præ amore statim liquefiat Myndius Delphis, utque volvitur hic æneus orbis ope Veneris, sic ille volvatur ante nostras fores. Lynx trahe tu illum meum virum ad domum nostram, nunc sacrificabo vel succendam pityra.* Et Virg. ecloga 8.

Eius carmen.

Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti
Transque caput iace.

Ita Guevara præfatione in Habacuc: vide Delrio in Magic. p. 1. q. 3. sect. 2. et Perer. in Daniel 5. 4.

Porro apposite ignem concupiscentiæ suæ testabantur cremando nucleos olivarum, quia hi nuclei, utpote oleati et pingues, vehementer ardent, imo præ nucleis aliarum arborum flammam vomunt: qua de causa in Apulia fornaces, in quibus coquitur vitrum, calx, etc. quæ ar-

D dentissimæ sunt, nucleis olivarum tritis accendunt: oleis enim ita abundant, ut inde ignem struant. Lignum autem oleæ, etiamsi viride sit et recenter succisum, ardet tamen et flammam edit quia pingue et oleatum. Idipsum Romæ mihi affirmarunt viri graves oculati testes, imo ad oculum ostenderunt.

Affert obscœnitatem hanc idololatrarum Ieremias, q. d. O Hebræi advertite obscœnitatem idololatriæ, videte an hic sit Deus, cui quasi lenoni stupra, et stupri pretia Gentiles offerunt, contra legem Deut. 23. 18. rursum cui ne olivas quidem aut oleum, sed tantum ossa olivarum contrita, scilicet sordes et excrementa, dedicant. Nimirum talibus gaudet dæmon, hoc eius est thymiama, ut habent Græca. Deus autem vester et verus gaudet castitate, victimis purissimis et optimis, ac thymiamate odoratissimo.

Dæmon gaudet obscœnitate, Deus castitate.

Hinc Isidor. l. 3. Sententiarum c. 13. Poetæ, ait, finxerunt Venerem impudicam esse deam, et Martem adulterum esse deum, ut hominibus hæc flagitia persuade-

rent, quasi in iis deos imitarentur; quis enim non honestum putaret, sibique licere arbitraretur, quod dii fecisse dicebantur?

Vers. 44. FALSA.) Vana sunt, res nihili, res mendaces sunt, q. d. Idola omnisque eorum cultus falsa sunt, et superstitiose ab hominibus adinventa.

Vers. 45. SACERDOTES.) Græce τεχνῖται, id est fabricatores sive artifices idolorum, quales erant Sacerdotes, qui ea curabant fieri, vel ipsi ea faciebant.

Vers. 46. NON SUNT MULTI TEMPORIS.) q. d. Artifices idolorum sunt brevis ævi et vitæ, quomodo ergo possunt facere deos æternos et immortales?

Vers. 47. RELIQUERUNT AUTEM FALSA ET OPPROBRIUM.) Reliquerunt idola, quæ sunt res falsæ et mendaces, dignæque opprobrio. Secundo, reliquerunt posteris falsam fidem et religionem idolorum, dignamque opprobrio. Tertio, q. d. Pro diis reliquerunt materiam falsitatis et opprobrii posteris: magna enim falsitas, error et opprobrium est, ligna et lapides colere quasi deos: ita Maldon.

Vers. 49. SENTIRI.) Existimari, q. d. Palpari pene potest manibus quod ipsi non sunt dii: ita Græca.

Vers. 50. SCIETUR POSTEA.) Prudentia naturalis ex eventu et experientia quod idola non sentiant, nec iuvent, docebit tandem omnes Gentes ea non esse deos: ita Hugo. Secundo, q. d. In lege et luce Evangelica totus mundus cognoscet et despiciet idola: ita Lyran.

ET NULLUM DEI OPUS CUM ILLIS.) Idola scilicet nihil posse facere quod proprium sit Dei; puta non posse mortuos suscitare, cæcos illuminare, mutis loquelam dare, Reges creare, pluvias tribuere, ut sequitur.

Vers. 51. UNDE ERGO NOTUM EST?) q. d. Non aliunde quam ex ipsa idolorum inspectione, et ex experientia. q. d. Quid opus est argumentis? res in se nota et clara est, scilicet quod idola non sint dii: unde Græca habent: τινι ȣν γνωςεον εςιν; *cui ergo cognoscendum est eos non esse deos?* q. d. Quis tam hebes est, ut debeat doceri idola non esse deos? Vatabl. pro ȣν legit ȣ, unde vertit, *quis nesciat illos non esse deos?*

Vers. 53. IUDICIUM QUOQUE NON DISCERNENT.) Non diriment lites hominum edito miraculo, uti Deus diremit litem Aaronis contra Core, Dathan et Abiron, Num. 16. et alias sæpe.

SICUT CORNICULÆ.) Imbelles et imbecilles, quæ licet avium putentur esse duces, tamen ignave volantes vix teli iactum effugiunt, et in prælio statim hosti cedunt.

Secundo, *sicut corniculæ* infirmissimæ sunt aves, et præter crocitationem nihil habent: sic et idola præter materiam et externam figuram nihil habent. Hinc a corniculis proverbium est κρώζειν, id est *cornicari*, significans inepte garrire, quod usurpat S. Hieron. epistol. ad Rusticum, et Persius satyra 5.

Nescio quid tecum grave cornicaris inepte.

Tertio, sicuti Gentiles observabant volatus et clamores cornicularum, ut ex iis superstitiose divinarent res futuras: ita et observabant idola, id est idolorum victimas, earumque gestus et motus, ut ex iis divinarent futura. Ita olim puellæ nubiles ut ominatas consequerentur nuptias, opimum prandium afferebant cornici, ut patet ex Phœnice Colophonio apud Athenæum libr. 8. Quin et apud Romanos, ait Festus, *Corniscarum Divarum lucus trans Tiberim cornicibus dicatus erat, quod in Iunonis tutela esse putabantur.* Superstitionis origo fuit, quod cornix sit coniugalis amoris symbolum. Mares enim fœminis connubio coniuncti, nunquam ad alteram divertunt cornicem, nec fœmina quoad vivit, ad alium marem: quod si mors divortium fecerit, qui superstes est, perpetuum sibi indicit cœlibatum: ita Horus Apollo lib. 1. Hierog. 8. et ibidem P. Nicol. Causinus. Insuper vulgus corniculam, quia garrula est, fatidicam putat. Hinc illud eius ænigma:

Vivo novem vitas, si non me Græcia fallit,
Et non irascens ultro convicia dico.

Vers. 56. QUIBUS III QUI FORTIORES SUNT.) q. d. Qui idolis iniurii sunt, eaque diripiunt, iis sunt fortiores. q. d. Fures sunt potentiores idolis.

A OBAUDIUNT.) Obediunt Deo creatori et gubernatori suo. Vers. 59.

IDIPSUM, id est similiter, SPIRITUS, id est ventus, IN OMNI REGIONE SPIRAT.) Nam, ut ait Seneca lib. 5. Natur. quæst. cap. 16. 17. 18. *Totidem ventorum sunt, quot cæli discrimina. Nulla enim propemodum regio est, quæ non habeat aliquem flatum ex se nascentem, et circa se cadentem.* Et Plin. l. 2. cap. 47. *Omnes*, ait, *venti vicibus suis spirant, maiori ex parte autem, ut contrarius desinenti incipiat.* Quin et S. Thom. in Iob c. 37. 12. Venti, inquit, videntur per vices suas Solis motum sequi, ut primum cum oriente sole Orientales, deinde Meridionales, postea Occidentales venti spirent. Idem innuit Eccles. c. 1. 5. *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur: ibique renascens gyrat per Meridiem, et flectitur ad Aquilonem: lustrans universa in circuitu pergit spiritus.* Vers. 60.

HÆC AUTEM (idola) NEQUE SPECIEBUS, Græce εἴδεσις, id est formis et pulchritudinibus, NEQUE VIRTUTIBUS, id est viribus, SIMILIA SUNT.) Soli, igni, fulguri, etc. sed informia sunt, inepta, mortua, imbecilla. Vers. 62.

B NEQUE REGIBUS MALEDICENT.) Neque Regibus facient male, nec bene, non facient Reges felices vel infelices. Præ aliis hominibus nominat Reges, quia in iis dirigendis maxime cernitur Dei providentia, quæ regna et respublicas præmiat vel punit per suos Reges et præsides. Ipse enim confert, conservat, amplificat; vel minuit, debilitat aut tollit regna, ut indicavit v. 33. et 52. et Iob c. 12. 18. et Daniel. 4. 14. ita Maldon. Vers. 65.

SIGNA ETIAM IN CÆLO.) q. d. Plus possunt sol et luna, plusque præstant hominibus quam idola: tum quia signa sunt dierum, mensium et temporum, eaque describunt, Gen. 1. 14. eo enim alludit; tum quia Gentibus timorem incutiunt. Gentes enim ex superstitione metuebant sibi ab astris, ut patet Ierem. 10. 2. Vers. 66.

FORMIDO.) Græce προβασκάνιον, id est terriculamentum, v. g. puer stramineus cum arcu, positus in horto ut aves terreat et fuget, quæ cum vident puerum non moveri, pulso timore libere in cucumeres involant: hæc Græci vocant Vers. 69. Formido quid?

C μορμολύκεια. Sic Horat.

Deus inde ego furum, aviumque maxima formido.

Comparat idola hisce terriculis avium, quæ fructus vere non custodiunt, sed tantum ex opinione et phantasia avium, quæ putant ea esse veros homines, cum tantum sint simulacra hominum: sic enim et idola non sunt dii, sed simulacra. Secundo, comparat ea spinæ hortensi, id est rhamno, cui aves libere insident, cum videant spineam esse sine aculeis. Tertio, cadaveri mortuo et insensibili.

Tropol. talis est princeps et Prælatus insipiens et timidus, ait Hugo, et ex eo Delrio adagio 886. Sicut enim, inquit, aves primo intuitu metuunt: hoc terriculum, mox tamen ut moveri aut lædere non posse advertunt, assident propius, deinde insident et coinquinant: ita subditi primo Prælatum reverentur, at dum vident ignavum et timidum, contemnunt, supplantant, conculcant. Hic similis est Sobnæ præposito templi, cui ait Isaias c. 22. 15. *Quid tu hic,*
D *aut quasi quis hic?* De talibus quæritur Ierem. c. 23. 13. *In Prophetis Ierusalem vidi fatuitatem.* Et Zachar. c. 11. v. 17. *O pastor, et idolum, derelinquens gregem.* Tales enim sunt idola, umbræ et larvæ pastorum, non veri pastores; quibus, uti et idolis, ac terriculis, recte competit vetus parœmia: *Simia in purpura.* Quam multos id genus simios videre est in aulis principum, quibus si purpuram, si torquem, si gemmam detrahas, meros cerdones deprehendes. In hos competit illud, quod teste S. Hieron. ad Pammach. *de Cæsare egregie dixit Tullius: Cum quosdam, ait, ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit.*

A PURPURA QUOQUE ET MURICE, QUÆ SUPRA ILLOS TINEANT.) Ita legendum, non *teneant*, q. d. Ex vestibus idolorum purpureis et muriceis, quæ a tineis consumuntur, utique scietis quid sint idola, scilicet quod sint saxa et ligna, non dii. Vers. 71.

Nota. Pro *murice* aliqui legunt *marmore:* Græce enim est τῆς μαρμαρȣ, quod Vatablus vertit, splendore; μαρμαρ

enim significat fulgorem, splendorem, et a splendore dictus est tam lapis marmor, uti docet Anselm. Boetius l. 2. de Lapidibus, c. 266. quam hic murex sive purpura: nam, ut ait Poeta Æneid. 4. *Tyrioque ardebat murice læna; læna*, id est toga duplex, quæ erat amictus auguralis, ait Paulus Manutius: si ardebat, ergo et splendebat. Secundo, marmor tingi solet rubeo colore. Hinc significat muriceum sive conchyliatum et purpureum colorem et vestem, quæ supra idola *tineat*, id est a tinea arroditur et consumitur: Græce σηπομένης, id est quæ putrefit.

SCIETIS ITAQUE.) Potius legendum cum Maldon. *scietis utique:* sic enim connexa erit sententia præcedentium, eaque hic explebitur. Id ita esse patet ex Græco.

ET ERUNT OPPROBRIUM.) Erunt omnibus risui et probro. Omnes enim rident, cum vident aliquod idolum saxeum vel ligneum, cariosum, truncum pedibus, manibus, oculis aut capite, adorari, aut adoratum fuisse.

Ex hoc capite refellitur Calvinus, qui ait Gentiles non fuisse tam stupidos, ut adorarent ligna et lapides, sed in iis adorasse Deum, quasi in imagine, uti faciunt Christiani. Hoc enim falsissimum esse, patet ex toto hoc capite, et ex Arnobio, Lactantio, Tertul. Iustino, Athenag. et aliis, qui passim rident Gentiles, quod lapides et ligna pro diis colant. Idem videmus hodie facere Iapones et Indos. Simplices ergo statuas colebant ut deos: sapientiores quasi corpus vel membra Dei; putabant enim numen statuæ et idolo, quasi sui simulacro, esse affixum, in illo habitare, et circa illud versari et ludere; sapientissimi riserunt idola, ut Socrates et Plato; licet quidam ex eis ea coluerint metu hominum: qua de re alibi plura dixi.

Quocirca Barlaam apud Damasc. in historia c. 10. Iosaphato demonstrat stultitiam idololatrarum per apologum aucupis et lusciniæ, eamque triplicem. Primo, quod res præteritas, puta Iovem, Mercurium, aliosque homines flagitiosos iam mortuos suscitare velint. Secundo, quod tentent impossibilia: petunt enim vitam a statua inanima. Tertio, quod credant rem incredibilem, scilicet saxa esse deos. Apologum lusciniæ recensui Ierem. 8. v. 7. Et S. Augustin. in sententiis, sent. 215. *Sic*, ait, *sunt qui colunt idola, quomodo qui in somnis vident vana. Si autem evigilet anima ipsorum, intelligit a quo facta sit, et non colit quod ipsa fecit.*

Moral. quam Sancti exhorruerint idola.

Moraliter ergo disce hoc cap. quam impia et stolida sit idololatria, quæ Deum verum divinitate sua privare, eamque in creaturam transferre conatur. Hinc Sancti eam, ut summum crimen læsæ maiestatis divinæ, tantopere detestati sunt, ut maluerint quævis tormenta et mortes acerbissimas pati, quam idola colere. Primis trecentis Ecclesiæ Christianæ annis, plusquam sexcenta Christianorum millia hac una de causa martyrium subierunt, vel ad furcas, vel ad ignes, vel ad gladios, vel ad cruces, vel ad bestias damnati.

Quocirca B. Remigius Archiepis. Rhemensis, cum Clodovæum Francorum regem, primum ex regibus Franciæ conversum ad Christum post superatos Alemannos baptizare deberet, coram procerum frequentia, deponenti ornamenta regalia, et ad sacrum se lavacrum humilianti, cunctis audientibus dixit: *Mitis depone colla Sicamber; adora quod incendisti; incende, quod adorasti:* hoc est, Christum adora, cuius ecclesias incendisti Paganus; incende idola, quæ tunc adorasti: ita Ioan. Trithem. lib. 1. Compend. Annal. et lib. de Origine Francorum.

S. Chrysogonus, Diocletiano Imperatore, Romæ inclusus in carcere, ibi biennium vixit. Sed cum Imperator Diocletianus Dalmata, obscuro loco natus, Romam scripsisset, ut reliquis Christianis, qui in vinculis essent, interfectis, Chrysogonus Aquileiam ad se mitteretur, eo perductus est: cui Imperator, Accersivi, inquit, te, Chrysogone, ut honoribus augeam, si modo induxeris animum deos colere. At ille: *Ego eum, qui vere est Deus, mente et oratione veneror: deos autem, qui nihil sunt nisi dæmonum simulacra, odi et execror.* Quo responso exeandescens Imperator, ad aquas Gradatas eum securi percuti iubet: ita habet eius vita.

Romæ, sub Adriano Imperatore, Seraphia virgo Antiochena, cum in domo Sabinæ præclarissimæ fœminæ apud urbem commaneret, rapta ab officio Præsidis exhibita est in conspectu ipsius. Cui ille: Sacrifica diis immortalibus, quibus sacrificant domini Imperatores. Beata Seraphia respondit: *Timeo et colo omnipotentem Deum, qui fecit cælum et terram, et omnia quæ in eis sunt. Nam dii quos iubes adorare, non sunt dii, sed sunt dæmonia; et ideo non licet mihi eos adorare, quia Christiana sum.* Rursum Præses, Sacrifica diis, inquit, ne morte plectaris. Cui virgo: *Non facio voluntatem patris tui Satanæ, quia Christiana sum.* Quare varie torta, tandem capite plexa Martyr in cælum evolavit. Ita Ado in Martyrol. 3. Septemb.

S. Perpetua et Felicitas Africanæ Martyres sub Severo Imp. anno Domini 205. quas sæpe dilaudat S. Augustin. damnatæ ad leones, cum ducerentur ad amphitheatrum ut iis obiicerentur, alta alacrique voce canebant: *Omnes dii Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit.* Cumque Præses iuberet alapis faciem et os earum contundi, illæ maiori et contentiori voce idipsum canendo iterarunt, ut habent earum Acta 7. Martii: illa enim die S. Perpetua a leonibus, S. Felicitas a leopardis dilacerata, de idolis et dæmonibus triumpharunt.

Tropolog. idolum hæretici est hæresis, superbi honor, gulosi crapula, inobedientis propria voluntas, etc. Morere hisce tuis idolis, vive Deo: despice vana, suspice vera: despice terrena, suspice cælestia: morere sæculo, vive cælo: morere tempori, vive ÆTERNITATI.

COMMENTARIA IN EZECHIELEM PROPHETAM

PROOEMIUM

An Ezechiel fuerit Pythagoras? Affirmant aliqui.

Fuerunt nonnulli veterum qui putarunt Ezechielem fuisse Pythagoram. Audi Clementem lib. 1. Strom. *Alexander*, inquit, *in libro de Symbolis Pythagoricis, refert Pythagoram fuisse discipulum Nazarethi Assyrii. Quidam eum existimant Ezechielem; sed non est, ut ostendetur postea. Clearchus autem Peripateticus, dicit se nosse quemdam Iudæum, cum quo versatus est Aristoteles.* Insinuat Aristotelem sua hausisse a Iudæis, æque ac Pythagoram, et Platonem, qui proinde vocatus est Moses Atticus. Atque ab Ezechiele nomen accepisse videtur Ezechielus poeta tragicus, de quo idem Clemens eodem libro sic scribit: *De Mosis educatione nobiscum quoque consentiet Ezechielus Iudaicarum tragædiarum poeta in Actu qui inscribitur* ἐξαγωγη, *id est Eductio, sic scribens ex persona Mosis*, ubi multa eius carmina, de Mose recitat.

S. Ambr. Iudæum fuisse Pythagoram censet.

Ad hosce accedit S. Ambros. qui Pythagoram a Iudæis ortum censet. Sic enim scribit ad Irenæum lib. 3. epistol. 20. *Pythagoricum mandatum in aliquorum scriptis prædicari invenimus, quo ille discipulos suos communem atque usitatam populo prohibuit ingredi viam. Sed hoc unde assumpserit, non est incognitum. Nam eum ex populo Hebræorum (ut plerique arbitrantur) genus duxerit, ex eius disciplina derivavit etiam magisterii præcepta, meritoque magnus apud Philosophos habitus, qualem (ut aiunt) vix reperis ullum. Legerat itaque in Exodo Mosi divino præceptum esse oraculo: Solve calceamentum pedum tuorum. Id etiam præceptum Iesu Nave; videlicet, ut detritæ et popularis vitæ deponerent pulverem, qui viam Domini ambulare desiderarent. Legerat præceptum eidem Mosi, ut montem cum sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret.* Et Theodoret. l. 1. de Fide, ubi Pythagoram circumcisum asserit: *Fertur*, inquit, *Pythagoras circumcisionem subiisse acceptam ab Ægyptiis, quam tamen Ægyptii ab Hebræis patribus accepissent.* Favet et

Ratio.

ratio, vel potius coniectura. Nam tam Ezechiel, quam Pythagoras totus mysticus est et symbolicus, uterque sua oracula, suamque Ethicam docet per symbola et ænigmata. Ad hæc, uterque eodem fere tempore floruit, videlicet Ezechiel sub Nabuchodonosore, Pythagoras sub Cyro et Cambyse, teste Eusebio in Chronico. Insuper sicut Ezechiel cum Deo collocutus est, ab eoque edoctus; ita et Pythagoras dixit se familiarem esse Apollini, ab eoque edoceri: unde et Pythagoras dictus a Pythio Apolline, quod cum illo colloqueretur, ideoque non minus vera doceret, quam Pythius. Quocirca ipse suis erat instar oraculi: de eo enim dicebant, αυτος εφα, Pythagoras hoc dixit: ergo verum est et indubitatum. Unde Ovidius de eo canit l. 15. Metamorph.

Mente deos adiit, et quæ natura negavit
Usibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Resp. negative.

Verum certum est Pythagoram nec Ezechielem fuisse, nec Iudæum, etsi a Iudæis et Prophetis sua dogmata forte etiam circumcisionem, mutuatus sit. Nam Primo, veteres passim docent Pythagoram ex Samo insula prodiisse: er-
A go Græcus fuit, non Iudæus. Secundo, Pythagoras docuit μετεμψυχωσιν, id est animarum ex uno corpore in aliud, non tantum hominis, sed et bestiæ transmigrationem: quæ plane Hebræorum placitis repugnant, et nominatim oraculo Ezechielis c. 37. de anima ad sua ossa, suamque carnem redeunte. Pythagoras enim, uti diserte docet Tertul. libr. de Anima c. 28. ut hunc suum de animarum transmigratione errorem populo probaret, mortem simulavit, subterraneo latuit in specu per septennium, illic se patientia damnans una matre conscia: et ubi satis visus est corpulentiam interpolasse, de aditis fallaciæ emersit, ut ab inferis redire crederetur, dicens se primo fuisse Æthalidem, sive Euphorbum, Pyrrhum deinde piscatorem, et mox Hermotimum. Pythagoræ est illa vox, quam in se transcribens Hermias Philosophus irridet tract. de Gentilium Philosophorum irrisione, qui extat tom. 4. Biblioth. SS. Patrum. *Nunc*, ait, *immortalis sum, et gaudeo; nunc contra mortalis fio, et ploro; mox in individua corpora solvor, aqua fio, fio aer, fio ignis; paulo post nec aerem,*
B *nec ignem, sed feram me facit, piscem me facit. Itaque vicissim fratres habeo delphinos. Cum vero intueor corpus, pertimesco, et nescio quo nomine id vocem nominemve, an canem, an lupum, an taurum, an avem, an serpentem, an draconem, an chymæram. In cunctas enim bestias commutor, terrestres, aquatiles, volucres, multiformes; agrestes, cicures; mutas, vocales, brutas, ratione munitas. Nato, volo, sublimis in aere feror, serpo, curro, sedeo.* Tertio, quia Ezechiel et Pythagoras non fuerunt synchroni, sed hic illo fuit posterior. Ezechiel enim floruit regnante apud Chaldæos Nabuchodonosore, apud Romanos Tarquinio Prisco, olympiade 49. Pythagoras vero floruit eversa Chaldæorum monarchia, regnante apud Persas Cambyse, apud Romanos Tarquinio Superbo, olympiade 64. ita Euseb. in Chronico. Ergo Ezechiel quindecim olympiadibus, hoc est sexaginta annis præcessit Pythagoram. Insuper Eusebius, *Olympiade*, inquit, *quinquagesima sub Cyro floruit Thales præceptor Anaximandri: hic Anaximenis, hic Anaxagoræ, hic Periclis fuit magister: Anaxagoræ vero*
C *temporibus Xenophanes et Pythagoras fuerunt.* Ergo Pythagoras Cyro duabus, Ezechiele tribus vel quatuor generationibus fuit posterior.

Quæritur ergo primo, Quis, et qualis fuit Ezechiel? Respondet S. Hieron. in cap. 47. et alibi: *Ezechiel Scripturarum et oceanus, et mysteriorum Dei labyrinthus:* mysteria quæ alii Prophetæ aperto sermone prophetant, ipse sacris velut hieroglyphicorum arcanis tegit et obsignat.

Ezechiel S. Script. oceanus et labyrinthus.

Primo ergo, Ezechiel fuit sacerdos, oriundus ex tribu Levi, uti testatur S. Hieron. in c. 14. Ezech. v. 23. imo ipse Ezechiel cap. 1. v. 3. Patria ei fuit Sarara, ait Epiphan. in eius vita. Fuit filius Buzi. Hunc Buzi tradunt, aut potius fabulantur Hebræi, fuisse Ieremiam Prophetam, qui dictus sit Buzi, id est contemptus, eo quod Iudæis esset contemptui et ludibrio. Nazianz. vero orat. 47.

An filius Ieremiæ?

Ferunt, inquit, *Ezechielem servum Ieremiæ prius extitisse*. Sed et hoc fabulosum videtur: fuit enim ipse ex genere sacerdotali, quod apud Iudæos erat nobilissimum. Videtur ergo hæc lacinia Nazianzeno assuta: aut certe Nazianzen. Rabbinorum sui temporis sententiam refert tantum, non probat, uti et facit sæpe eius discipulus S. Hieronymus.

Ezechiel, id est robur Dei. Secundo, Ezech. hebr. idem est quod חזק אל *chezec el*, id est, robur seu fortitudo Dei aut roboratus a Deo. Unde c. 3. v. audit a Deo: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem* (hebr. est חזקים *chazakim*, unde *Ezechiel*) *faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam.* Origen. tamen, et S. Hieron. in cap. 47. v. 8. Ezechielem interpretantur, *imperium Dei;* חזק *chazac* enim et roborari, et prævalere, hoc est dominari et imperare significat.

Fuit Propheta. Tertio, fuit Propheta, doctor et Martyr: unde fuit typus Christi, ideoque, æque ut Christus, vocatus filius hominis: ita S. Gregorius, Isidorus et alii.

Porro S. Gregor. lib. 26. Moral. c. 5. *Ezechiel*, inquit, *magistrorum speciem tenet.* Idem in Ezech. homil. 12. *Ezechiel*, inquit, *typum prædicantium tenet.* Idem libr. 3. exposit. in 1. Reg. c. 9. *Ezechiel*, ait, *durus prædicator contra duros in malo veniebat, ut dura quæ ventura erant locuturus ostenderet, septem diebus in medio eorum, antequam loqueretur, flebat*, Ezech. 3. 15. *Illos enim imitari electus prædicator debet, qui et acuta prædicant, et quæ loquuntur observant.*

Portentum. Quarto, fuit ipse sui sæculi portentum, uti de eo dicit Deus c. 24. v. 24. ut portentosis suis dictis et factis flecteret et frangeret Iudæorum duritiem et obstinationem in peccatis. Hac de causa obsidionem urbis in latere descripsit, panem stercore boum coctum comedit, et super unum latus cubavit 390. diebus, c. 4. v. 4. Hac de causa describit c. 1. currum bellicum Dei, cum angelis bellum, vindictam et exeidium Iudæis aliisque gentibus minitantis et comparantis.

Martyr. Quinto, fuit Martyr, occisus a Iudæis et a duce populi sui, ait Epiphan. apud Babylonem; eo quod eos de cultu idolorum argueret. Unde in Romano Martyrologio de eo ita legimus die 10. Aprilis: *Ezechielis Prophetæ, qui a iudice populi Israel, quod eum de cultu idolorum argueret, apud Babyloniam interfectus, in sepulcro Sem et Arphaxad, Abrahæ progenitorum, sepultus est, ad quod orationis causa multi confluere consueverunt.* Idem docent S. Dorotheus in Synopsi cap. 16. Isidor. libr. de Vita et obitu Sanctorum cap. 39. Epiphan. libr. de Prophet. vita et interitu cap. 19. Porro de genere mortis non constat. Auctor operis imperfecti in Matthæum hom. 46. tradit eum raptatum et excerebratum: *Misi*, ait, *Ezechielem, et tractum super lapides excerebrasti eum.* Adricomius in descript. terræ sanctæ, pag. 246. anno mundi 3386. tradit eum equis fuisse distractum; sed veterem huius rei auctorem neminem citat.

Miracula eius. Sexto, Epiphan. Isidor. Doroth. ibidem miracula eius narrant. Primo, quod quasi alter Moses, Iudæos per flumen Chobar sicco pede deduxerit, Chaldæis eos insequentibus in eo demersis. Secundo, quod piscium copiam suis precibus a Deo impetrarit, qua Iudæos fame pene enectos refecit. Tertio, quod venenatos serpentes in impios Danitas et Gadditas immiserit. Verum horum fides sit penes auctores.

Quæritur secundo, quando cœperit prophetare, et quamdiu prophetarit Ezechiel? Respond. Daniel e Ierusalem abductus fuit a Nabuchodonosor in Babylonem anno tertio Ioakim, Daniel 1. 1. Ezechiel vero post eum abductus fuit octavo anno, puta anno undecimo et ultimo Ioakim, scilicet postquam a Chaldæis occisus est Ioakim, eique in regno successit filius Ioachin per tres menses; et eo deinde pariter abducto, Sedecias, qui erat frater Ioakim. Ita Ioseph. l. 10. Antiq. 8.

Chronol. Ezechielis. Secundo, Ezechiel vaticinari orsus est anno quinto postquam abductus est, puta anno quinto transmigrationis Ioachin, qui pariter fuit annus quintus regni Sedeciæ. Patet

A id Ezech. 1. 2. Prophetare ergo cœpit Ezechiel post Isaiam anno 199. post Ieremiam anno 34. Ieremias enim cœpit anno 13. Iosiæ, Ierem. 1. 2. a quo 13. anno usque ad quintum Sedeciæ sunt 34. anni: ita S. Hier. sub initium c. 1. Ezech. Ante Danielem vero Ezechiel prophetare cœpit annis 22. Excipio historiam Susannæ: hanc enim Daniel spiritu prophetico a morte liberavit antequam inciperet prophetare Ezechiel, ut patebit Daniel. 13. Perrexit tamen Ezechiel prophetare ac post eum Daniel, Iudæis in Babylone, eodem tempore, quo Ieremias pergebat Iudæis prophetare in Ierusalem. Causam dat S. Hieron. in Ezech. c. 12. v. 7. *Illius* (Ieremiæ) inquit, *prophetia mittebatur ad captivos in Babylone, et huius* (Ezechielis) *ad eos qui habitabant in Ierusalem, ut unius in diversis regionibus Dei providentia probaretur, et intelligerent audientes quæcumque accidebant populo, nequaquam idolorum potestate, sed Domini iussione consistere.* Denique S. Hier. Orig. Greg. et Hebræi censent, Ezechielem cœpisse prædicare et prophetare anno ætatis 30. eodem enim cœperunt alii, et

B Christus, et Ioannes Baptista. Verum hoc incertum est: nam puer abductus est, si credimus Iosepho, et mox anno quinto cœpit prophetare: atque de Ieremia constat, eum puerum cœpisse prædicare, Ierem. 1. 6.

Tertio, prophetavit Ezechiel annis 20. Cœpit enim anno quinto transmigrationis Ioachin. Finiit eiusdem anno 25. ut patet c. 40. 1. Quare ibidem falsus videtur S. Gregorius homil. 13. dum eum prophetasse scribit annis 25. putat enim ipsum cœpisse anno quinto Ioakim patris, non Ioachin filii, cuius contrarium diserte tradit Iosephus l. 10. c. 8. et S. Hier. imo ipse Ezechiel, qui toto hoc libro prophetias suas consignat per annos transmigrationis Ioachin, non Ioakim (hic enim non transmigravit, sed occisus est) quia nimirum ipse eodem anno quo Ioachin, et, ut videtur, cum ipso Ioachin abductus est in Babylonem: ita enim habet S. Hieron. in præfatione, et communis interpretum opinio. Prophetavit annis 20.

Adde iam dictis unam prophetiam, quam habuit Eze-

C chiel c. 29. 17. anno transmigrationis Ioachin 27. quam si cæteris addas, colliges eum prophetasse præcisi 22. annis. An ulterius prophetarit, et scriptis eius non liquet.

Cœpit ergo Ezechiel prophetare anno mundi 3317. qui fuit ante Christum 632. in hunc enim annum incidit annus quintus transmigrationis Ioachin sive Iechoniæ, qui idem fuit quintus regni Sedeciæ uti dixi in proœmio in Synopsi chron. Desiit vero prophetare anno mundi 3339. qui fuit ante Christum 610. quo cœpit prophetare Daniel, uti ostendam Daniel. 2. 1. Eodem ergo anno quo desiit Ezechiel, cœpit Daniel, ut ille huic lampada tradidisse videatur Nunc accipe quadrigam chronologiæ quatuor prophetarum. Isaias cœpit prophetare anno 17. Oziæ, cum ageret annum ætatis trigesimum circiter. Ergo cœpit ante Romam annis fere quinquaginta. Roma enim condita est sub annum undecimum (licet Euseb. in Chron. habeat decimum sextum) Ioatham filii Oziæ; ac post quatuor annos Romulus occiso fratre Remo in ea regnare cœpit, cum Isaias esset circiter octoginta annorum, uti dixi proœmio Chronol. quatuor Prophetarum.

D in Isaiam. Ab anno undecimo Ioatham, usque ad annum decimum tertium Iosiæ, quo cœpit prophetare Ieremias, fluxerunt anni centum viginti. Totidem fluxerunt a primo anno Romæ conditæ usque ad annum secundum Anci Martii, qui fuit quartus rex Romanorum. Ergo Ieremias cœpit prophetare anno secundo Anci Martii. Ab hoc anno secundo Anci usque ad annum decimum tertium Tarquinii Prisci fluxerunt anni 34. Totidem fluxerunt ab anno 13. Iosiæ usque ad annum quintum Sedeciæ, quo cœpit prophetare Ezechiel. Cœpit ergo anno decimotertio Tarquinii Prisci. Ab hoc anno decimotertio Tarquinii Prisci usque ad annum trigesimum quintum eiusdem Tarquinii Prisci fluxerunt anni 22. Totidem fluxerunt ab anno quinto transmigrationis Ioachin, usque ad annum 27. transmigrationis eiusdem quo cœpit prophetare Daniel. Cœpit ergo Daniel anno 35. Tarquinii Prisci. Accipe horum seriem et synopsin, per parallela annorum regum Iuda et regum Romæ.

REGES IUDA.

Ozias vel Azarias, cuius anno 17. cœpit prophetare Isaias, regnavit annis 52
Ioatham regnavit annis 16
Achaz regnavit annis 16
Ezechias regnavit annis 29

Manasses regnavit annis 55
Amon regnavit annis 2

Perperam enim Euseb. in Chronico ex Septuag. dat Amoni annos 12. cum constet eum tantum biennium regnasse, uti diserte dicitur 2. Paral. 33. 21. et 4. Reg. 21. 19.

Iosias regnavit annis 31

Eodem tempore in Ægypto regnabat Pharao Nechao : ab hoc enim occisus est Iosias.

Ioakim regnavit annis 11

Ioachin sive Iechonias, filius Ioakim, regnavit mensibus tribus : post quos captus a Nabuchodonosor transmigravit in Babylonem, succedente sibi Sedecia patruo : iidem ergo sunt anni transmigrationis Iechoniæ et regni Sedeciæ. Ab hac transmigratione Iechoniæ incipiunt 70. anni captivitatis Babylonicæ.

Sedecias regnavit annis 11

Post quos a Nabuchodonosore captus, et excæcatus, atque eversa est Ierusalem regnumque Iuda. Ita nimirum Hierosolyma ruente succrevit Roma; et in ea quasi in semine Romana Ecclesia, cui hæc sua oracula conscripserunt Prophetæ.

Anno 27. transmigrationis Iechoniæ et captivitatis Babylonicæ, qui fuit annus 16. ab eversa Ierusalem et a capto Sedecia, cœpit in Babylone prophetare Daniel, Dan. cap. 2. v. 1.

Anni 70. captivitatis Babylonicæ finiuntur anno 27. Cyri, qui fuit annus 1. monarchiæ Cyri, et Tarquinii Superbi septimus: licet Eusebius in Chron. putet fuisse annum hunc Tarquinii 27. eo quod Amoni regi Iuda det annos, non duos, sed 12. (quod repugnat S. Scripturæ Hebrææ et Latinæ) atque 70. annos captivitatis non a transmigratione Iechoniæ : sed decem annis serius, puta a capto Sedecia, et ab eversa Ierusalem ordiatur. Adde enim his decem annis decem Amonis, habebis annos 20. Eusebii, quos ipse hic addit et interserit, ut anno Tarquinii Superbi, non septimo, sed 27. qui et Cyri fuit 27. putet expleri annos septuaginta captivitatis Babylonicæ. Insuper Euseb. annos Romuli quinque annis serius quam nos orditur, puta ab anno 5. Achaz, cum nos ab anno 16. Ioatham eos ordiamur.

ROMA, EIUSQUE REGES.

Romæ conditio (qua prima urbis iacta sunt fundamenta) quinque annis antecessit regnum Romuli. 5

Ita Euseb. in Chron. et alii exactiores Chronologi, licet nonnulli exordia Romæ et Romuli confundant. Roma enim condita est Palilibus (qui postea dies festus fuit) anno 40. Amulii regis Latii, inquit Euseb. qui secundum tabulam chronologicam, quam Genesi præfixi, fuit annus undecimus Ioatham, ac post quatuor annos, scilicet post annum 44. Amulii, abavunculi sui, puta anno Ioatham decimo sexto, cœpit in ea regnare Romulus, qui regnavit annos 39

Porro Roma condita est olympiadis sextæ anno tertio, uti ex Varrone, Livio, Solino et Dionisio docent Gordonus, Mercator, Torniellus, et passim alii Chronologi. Quocirca initium olympiadum præcessit initium Romæ annis viginti tribus: tot enim annos faciunt sex olympiades. Quapropter initium olympiadum in tabula chronologica quam Genesi præfixi, consignatur anno 40. Oziæ vel Azariæ regis Iuda; qui regnavit 52. annis, cui successit filius Ioatham, cuius anno undecimo condita est Roma. Numera enim annos a 40. Oziæ ad undecimum Ioatham, invenies 23. Iidem auctores, licet varient in consignatione initii olympiadum, et urbis Romæ ad annos regum Iuda; consentiunt tamen in eo, quod Roma condita sit post Troiam eversam anno 432

Post Romulum ante Numam fuit interregnum unius anni. 1

Numa Pompilius secundus rex Romanorum (sub quo a Manasse occisus est Isaias) regnavit annos 41

Tullus Hostilius tertius rex Rom. regnavit annis 32

Ancus Martius quartus rex Rom. regnavit annis 23

Secundus annus Anci incidit in 13. Iosiæ, quo cœpit prophetare Ieremias.

Tarquinius Priscus quintus rex Roman. regnavit annis 37

Annus 13. Tarquinii Prisci incidit in annum 5. transmigrationis Iechoniæ, et in annum 5. regni Sedeciæ, quo cœpit prophetare Ezechiel, qui pariter fuit annus 13. Nabuchodonosoris, qui tum regnabat in Babylonia.

Eodem pariter anno in Media et Perside cœpit regnare Astyages, regnavitque 38. annos, quibus exactis successit ei Cyrus.

Rursum annus 35. Tarquinii Prisci incidit in annum 27. transmigrationis Iechoniæ; quo cœpit prophetare Daniel.

Servius Tullus sextus rex Rom. regnavit annis 34

Anno 14. Servii Tulli moritur Astyages, et succedit ei in regno Persidis Cyrus, qui regnavit in ea triginta annis, ac anno 27. regni sui expugnavit Babylonem, factusque est monarcha. Eodem tempore in Lydia regnabat Crœsus, quem devicit Cyrus: tunc quoque floruit Solon legislator Atheniensis.

Tarquinius Superbus septimus et ult. rex Rom. regnavit annis 35

Ergo 27. annus Cyri, quo capta Babylone obtinuit monarchiam, ac solvit Iudæorum captivitatem Babylonicam, incidit in annum septimum Tarquinii Superbi : annus vero 30. Cyri, quo mortuus est, incidit in annum decimum eiusdem Tarquinii. Cyro successit Cambyses, regnavitque 8. annos, sub quo floruit Pythagoras, inquit Euseb. in Chron. qui tot annos dat cuique regi Roman. quot hic assignavi; licet alii varient, et quibusdam dent plures, quibusdam pauciores annos.

Tres partes prophetiæ Ezech.

QUÆRITUR TERTIO, quodnam sit eius argumentum? Respond. Idem est quod Ieremiæ, sed figuris et ænigmatibus magis involutum, et obscurum. Sicut ergo Ieremias primis 27. capitibus excidium Iudæorum, et captivitatem Babylonicam impiis Iudæis minatur ac prædicit: ita idem facit Ezechiel per prima 24. capita, causasque, scilicet peccata eorum, recenset, et arguit. Secundo, sicut Ieremias a cap. 47. ad 51. aliis gentibus, ut Ammon, Moab, Edom, Philisthæis, Tyro, Ægypto, item Chaldæorum excidium intentat: ita facit et Ezechiel a cap. 25. ad 34. Denique ultimis 14. capitibus prophetat liberationem et reditum e captivitate, Christi regnum pastorale, baptismum, vocationem Gentium, resurrectionem, interitum Gog ac Magog: itaque suos solatur. Unde cap. 40. et sequent. ad finem usque prædicit urbem incensam, et templum cum suis, quas minutim describit, partibus et dimensionibus, reædificanda, scilicet non tam literaliter, quam mystice in Christo et Ecclesia. Idem ex parte facit Ieremias a c. 30. ad 34. Deus ergo, qui omni tempore Ecclesiæ et fidelibus providet doctores et præcones; hoc sæculo Iudæis in Babylone dedit Ezechielem, Iudæis vero in Ierusalem dedit Ieremiam.

Ezechiel missus est ut in Babylone, Ieremias ut in Ierusalem idem prophetent.

Causa prophetandi fuit, ut Ieremiæ prophetiam de urbis et gentis excidio confirmaret. Erat enim Hananias Ierem. 28. et Semeias cap. 29. aliique pseudoprophetæ, qui Ieremiam falsitatis arguebant, vaticinantes Iudæis pacem et prospera omnia, ac eos qui in Babylonem abducti fuerant, brevi in patriam redituros; cum Ieremias contrarium ediceret, scriberetque abductis in Babylonem, ut domos ædificarent, plantarent vineas, ducerent uxores, quasi ibi mansuri ad 70 annos, c. 29. 5. Ezechiel ergo missus est a Deo, tum ut Ieremiæ oracula confirmet, tum ut captivos in Babylone soletur. Erant enim quos pœnitebat deditionis suæ, quam fecerant Chaldæis, eo quod viderent Ierusalem subsistere, nec everti, uti minatus fuerat Ieremias. Hisce Ezechiel prædicit, post quinque annos certo evertendam Ierusalem, omnesque cives abducendos in Babylonem, ac proinde eos gaudere debere, quod hoc excidium non sint visuri, sed pacifice degant in Babylone: ita S. Hieron. in præfatione.

Atque hac de causa, tanta est inter Ieremiam et Ezechielem affinitas et consensio, ut uterque non tantum idem prædicat, sed et iisdem sæpe verbis ac sententiis utatur, uti in decursu ostendam. Quocirca quod philosophus rogatus, quo pacto differret Dialectica a Rhetorica, respondit: *Sicut manus contracta a seipsa explicata;* idem de Ezechiele et Ieremia dicere liceat: utrumque scilicet idem iisdem vaticinari, sed Ezechielem obscure per symbola, instar manus complicatæ et convolutæ; Ieremiam vero aperte et plane, instar manus explicatæ et explanatæ. Sicut ergo Zeno Logicam pugno, Rhetoricam palmæ comparabat; ita pugno Ezechielem, palmæ Ieremiam compares. Rursum, sicut S. August. in psal. 105. dixit, *novum testamentum in veteri velari, vetus in novo revelari;* ita pariter dicas Ieremiam in Ezechiele velari, Ezechielem in Ieremia revelari, ut *Ezechiel sit Ieremias velatus, et Ieremias Ezechiel revelatus.*

Porro Iosephus lib. 10. Antiq. 10. et 11. scribit Sedeciam et Iudæos nec Ezechielis, nec Ieremiæ oraculis credidisse; eo quod contraria vaticinari viderentur. Nam Ieremias c. 21. 7. prædixerat Sedeciam in Babylonem abducendum: Ezechiel vero c. 12. v. 11. negaverat eum Babylonem visurum. Sed utrumque fuisse verum, docuit eventus. Nam a Chaldæis excæcatus Sedecias, ductus est in Babylonem; itaque eo ivit; sed quia cæcus, eam non vidit. Et utrumque loco citato prædixit Ezechiel. Frustra ergo antilogia hæc incredulitati Iudæorum prætexitur.

Denique Ezechiel omnes, tam Gentes, quam Iudæos, ad Dei cultum, et Iesu Christi obsequium allicit et invitat, tum spe præmiorum, tum metu pœnarum et excidii. Hoc est quod ait Ecclesiast. c. 49. 10. *Ezechiel vidit currum gloriæ, quam ostendit in curru Cherubim. Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis qui ostenderunt vias rectas;* quod scilicet Deus ulciscere-

A tur inimicos suos, instar imbris et procellæ desuper irruentis (huic enim Deum ultorem comparat Ezechiel c. 18. 22. et c. 38. 5.) quodque benefaceret recte agentibus, aut ad eum per pœnitentiam redeuntibus, ut patet iisdem locis iam citatis.

Citant veteres oraculum de partu Virginis, ex Ezechiele iuxta versionem Septuag. petitum, estque hoc, *Pariet vitula, et dicent, non peperit.* q. d. Pariet B. Virgo, at hæretici virginem peperisse negabunt. Ita Epiphan lib. 1. contra hæresin Ebionitarum, et Tertull. lib. de Carne Christi c. 23. Alii legunt, *peperit, et non peperit.* q. d. Virgo peperit, at non peperit ut aliæ matres, ex viri semine, cum dolore et reseratione claustri virginalis. Ita Clemens lib. 7. Stromat. Vide Delrio adagio 915. Verum nil tale iam in Ezechiele reperitur.

Ezechiel symbolicus et obscurus.

QUÆRITUR QUARTO, quanta sit Ezechielis sublimitas et obscuritas? Resp. Illa ad oculum patet, si quis solum caput primum et cap. 40. cum sequentibus octo inspiciat. Hinc S. Gregor. Nazianz. orat. 23. *Ezechiel* ait, *o-*
B *mnium Prophetarum maximus est et excelsus.* Idem oratione 34. *Quid,* inquit, *Isaiam et Ezechielem rerum maximarum spectatorem, reliquosque Prophetas commemorem? quorum alter Dominum sabaoth in gloriæ throno sedentem vidit, eumque a Seraphim senis alis præditis in orbem cinctum, ac laudatum, et occultatum, seque ipsum carbone perpurgatum, atque ad obeundum Prophetæ munus adornatum: alter vehiculum quoque Dei, hoc est Cherubinos describit, tronumque ipsis excelsiorem, eoque sublimius firmamentum, atque insuper eum qui in firmamento sese utcumque conspiciendum præbebat, vocesque etiam quasdam, et impetus atque actiones, sive divinum hoc fuerit spectrum, solis optimis et sanctissimis viris spectabile: sive minime fallax noctis visio; sive mentis impressio quædam et informatio, cum rebus futuris quasi cum præsentibus commercium habens; sive arcanum quoddam aliud prophetiæ genus, dicere nequeo, novit hoc Prophetarum Deus, et qui huiusmodi afflatibus agitantur.*
C Hebræi tradunt duas esse in Scriptura leges, alteram scriptam, de rerum creatione; alteram secretam traditam Mosi de divinitatis specie; illam appellatam *berescit*, istam *mercaba;* illam contineri Genesi, istam in Ezechielis curru; illam vulgatam esse omnibus, hanc solis sapientibus detectam. Quocirca S. Hieron. hic, apud Hebræos vetitum asserit, ne quis Ezechielis principium et finem, Cantica Canticorum, et initium Geneseos, legat ante ætatem sacerdotalem, id est ante annum trigesimum. Est enim Ezechiel inter Prophetas, quod inter Græcos Heraclitus, qui teste Plutarcho in vita Fabii Max. ab obscuritate dictus est σκοτεινός, id est tenebricosus, ait Delrio adag. 197.

Amplius tradunt et observant Rabbini, scilicet, neminem ante trigesimum annum ad Ezechielis lectionem admitti. Rursum, negant fas esse cuiquam Ezechielem scriptis commentariis explicare, nisi summa tantum eius capita attingendo. Verum hæc eorum est superstitio. Quod enim Deus per Prophetam scribi, hoc et legi et explicari voluit. Ezechielis ergo precibus adiuti eum inchoabimus.

Cur?

D Porro obscuritatis in Ezechiele causa est duplex. Prior est, materiæ et rerum sublimitas, uti cap. 1. Deum, Deique et angelorum attributa per currum Cherubim, per rotas oculatas, per quaternas animalium facies, per firmamentum, per crystallum, per electrum, etc. adumbrat et explicat. Posterior est, modus dicendi et sermo in se facilis quidem et simplex, sed qui figuratus sit, suaque proponat per symbola et ænigmata. Cuius rei unam causam dat Theodor. videlicet, quod Iudæos redarguat, eosque exscindendos et reprobandos prædicat, ex adverso Gentium vocationem et salutem prænunciet; ideoque timendum fuisse, ne, si Iudæi plane dicta et scripta eius intelligerent, ex invidia librum abolerent. Verum, si ita est, cur non aboleverunt prophetiam Ieremiæ, quæ clare (uti et quædam capita Ezechielis) hoc excidium denunciat? Potius ergo ad varietatem prophetiæ id referendum videtur, ut scilicet quæ Ieremias clare Iudæis in Ierusalem, eadem iisdem in Babylone per symbola Ezechiel repræsen-

taret; ut Babylonii ea intelligere, itaque Iudæos irridere et subsannare nequirent; sed soli Iudæi, quibus ea explicabat Ezechiel.

Interpretes Ezechielis. Scripserunt in Ezechielem e Latinis S. Hieron. et S. Gregorius; e Syris Theodoretus; e Græcis Apollinaris iunior, Laodiceæ Episcopus (qui fuit præceptor S. Hieronymi) anno Christi 380. sub Gratiano Imp. Polychronius Apameæ Episcopus (ex quo multa sumpsit Theodoretus) frater Theodori Mopsuesteni anno Christi 400. Origenes, Severus et alii qui recensentur in Catena Græcorum, quæ extat hic in Bibliothec. Vaticana, qua et usus est P. Prado et Vilalpando; qui iussu et impensis Serenissimi Philippi II. Regis Hisp. sexdecim annos et vitam impenderunt in Ezech. editis tribus tomis in 28. prima, et tria finalia (puta 40. 41. 42. quæ sunt de templo) capita Ezech. Porro S. Hieron. et Gregor. hanc Ezechielis expositionem aggressi sunt, cum Roma et Romanum Imperium a Wandalis et Gothis, ac a Longobardis, perinde ac Iudæa et Ierusalem a Chaldæis tempore Ezechielis vastaretur, ut ex eo, atque ex simili Israelitarum strage, suam suorumque solarentur. *Duo,* inquit S. Gregorius præfat. in lib. 2. comment. in Ezech. *sunt quæ in hac re* (expositione Ezechielis) *perturbant animum meum. Unum, quod hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur. Aliud, quod iam Agilulphum Longobardorum regem ad obsidionem nostram summopere festinantem. Padum transmisisse cognovimus.* Scripsit ergo S. Gregorius hæc anno Domini 593. Mauritii Imp. 10. pontificatus sui anno 6. uti notat Baron. Miratur, et merito, S. Bernard. lib. 1. de Consider. ad Eugen. c. 9. Gregorium ita occupatum in Pontificatu, æque ac afflictum, id præstare potuisse. *Non defuere*, inquit, *Romani Pontifices, qui sibi otia inter maxima negotia invenirent. Obsidio urbi, et barbaricus ensis civium cervicibus imminebat: numquid tamen istud terruit B. Papam Gregorium, quo minus sapientiam scriberet in otio? Eo nempe temporis (quod ex eius præfatione liquet) obscurissimam et extremam partem Ezechielis tam diligenter, quam eleganter exposuit:* nec tantum exposuit, sed et ad populum pro concione dixit, uti ipse testatur in præfatione libri 1. S. Hieron. vero præfatione lib. 1. in Ezech. *Ad Ezechielem,* ait, *transire cupiebam; et ecce subito mors mihi Pammachii atque Marcellæ, Romanæ urbis obsidio, multorumque fratrum et sororum dormitio nunciata est.* Et mox: *Postquam clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, imo Romani Imperii truncatum caput, et, ut verius dicam, in una urbe totus orbis interiit, obmutui et humiliatus sum.*

(Margin: Hieron. et Greg. scripserunt obsessa Roma.)

Scripsit ergo ipse hos in Ezech. commentarios anno Domini 410. qui fuit Honorii Imp. 16. Innocentii I. Pont. 9. illo enim contigit hoc Romæ per Alaricum regem Gothorum excidium, uti ex Orosio et aliis docet Baronius.

Denique in Ezechielem scripserunt Lyran. Hugo, Dionys. Vatabl. Hector Pintus, et Petrus Serranus Cordubensis, cuius et in Leviticum commentarii extant.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechiel videt currum gloriosum, Deumque in solio ei præsidentem. Primo ergo videt turbinem, nubem et ignem venientia ab Aquilone. Secundo, v. 5. ex igne videt prodeuntia animalia quatuor, singula cum quaternis faciebus, scilicet hominis, et a dextris eius leonis, a sinistris bovis, desuper aquilæ, quæ ibant instar fulguris. Tertio, v. 15. videt quatuor rotas horrendæ altitudinis, plenas oculis, quæ pariter cum quatuor animalibus incedebant: habebant enim spiritum vitæ. Quarto, v. 22. videt super animalia firmamentum instar crystalli horribilis, et in eo solium ex sapphiro. Quinto, v. 26. Videt in solio sedentem hominem, superne similem electro, inferne totum igneum et amictum iride.

1. Et factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in medio captivorum, iuxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, et vidi visiones Dei. 2. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachim, 3. Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar: et facta est super eum ibi manus Domini. 4. Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone; et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu eius: et de medio eius quasi species electri, id est de medio ignis: 5. Et in medio eius similitudo quatuor animalium: et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis. 6 Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni. 7. Pedes eorum pedes recti, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, et scintillæ quasi aspectus æris candentis. 8. Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus: et facies et pennas per quatuor partes habebant. 9. Iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum; non revertebantur cum incederent: sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. 10. Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis, a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. 11. Facies eorum, et pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, et duæ tegebant corpora eorum: 12. Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat: ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent. 13. Et similitudo animalium, aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. 14. Et animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. 15. Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram iuxta animalia, habens quatuor facies. 16. Et aspectus rotarum, et opus earum, quasi visio maris: et una similitudo ipsarum quatuor: et aspectus earum et opera, quasi sit rota in medio rotæ. 17. Per quatuor partes earum euntes ibant: et non revertebantur cum ambularent. 18. Statura quoque erat rotis, et altitudo, et horribilis aspectus: et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor. 19. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ iuxta ea: et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ. 20. Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ pariter elevabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis. 21. Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant: et cum elevatis a terra, pariter elevabantur et rotæ, sequentes ea: quia spiritus vitæ erat in rotis. 22. Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis, et extenti super capita eorum desuper. 23. Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum: unumquodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur. 24. Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei: cum ambularent quasi sonus erat multitudinis ut sonus castrorum: cumque starent, demittebantur pennæ eorum. 25. Nam cum fieret vox super fir-

mamentum, quod erat super caput eorum, stabant, et submittebant alas suas. 26. Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni: et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. 27. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum: a lumbis eius et desuper, et a lumbis eius usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. 28. Velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviæ; hic erat aspectus splendoris per gyrum.

Vers. 1 **Et factum est.**) Coniunctio *et*, inquit S. Gregorius hic homil. 1. et S. August. in psalm. 4. nectit verba exteriora Prophetæ cum visione interiore. Prius ergo interius in mente quædam viderat, vel audierat a Deo, quæ subticet, eaque cum aliis quæ postea vidit et audivit, quæque hic enarrat, per copulam *et* coniungit. Verum simplicius et solidius S. August. ibidem, Orig. Maldon. et alii hic, notant vocem *et* per pleonasmum addi more Hebræo, ideoque redundare et superfluere. Hebræi enim *vau*, id est *et*, ponunt quasi libri vel narrationis exordium, ut patet in libro Exodi, Levitici, Numerorum, Iosue, Iudicum, Regum, qui omnes incipiunt a *vau*, id est *et*.

In trigesimo anno.) Vitæ Ezechielis, inquit Orig. homil. 1. S. Gregor. homil. 2. et Torniellus in Chronol. Verum hoc improbat S. Hier. non enim solent Prophetæ in publicis scriptis annos consignare a numero vitæ suæ, vel alterius privati. Secundo, *trigesimo anno*, ab ultimo scilicet iubileo, inquit S. Hier. et R. David. Tertio, *trigesimo anno*, scilicet ab anno 18. Iosiæ, quo inventus est liber legis, et celebratum pascha solemne: ita Ionathas Paraphrastes Chaldæus, quoque, ut ait Maldon. et Theodor. prænunciata fuit captivitas (de ea enim hic agitur) Babylonica, 4. Reg. 22. 16. his verbis: *Ecce ego adducam mala super locum istum*, etc. *omnia verba legis quæ legit rex Iuda*: ab illo enim anno 18. Iosiæ usque ad annum quintum transmigrationis Ioachin, præcise sunt anni 30. Rursum insignis quidam chronologus censet, hunc esse annum 30. regni Astyagis, avi Cyri. Quarto, et certius noster Prado: *in trigesimo anno*, ex quo, inquit, cœpit regnare Nabopolassar, pater Nabuchodonosoris, et conditor monarchiæ Chaldæorum. Ab anno enim 1. Nabopolassar publica auctoritate constituta est *æra*, a qua Babylonii annos numerabant, et publica instrumenta consignabant. Sicut ergo Daniel, Esdras et Nehemias consignant sua monumenta per annos Cyri, Darii, Artaxerxis, regum Persarum, quia inter eos degebant, eisque erant subiecti: ita et Ezechiel per initium regni Chaldæorum sua oracula consignat; quia inter Chaldæos agebat, eisque cum omnibus Iudæis, ipsaque Iudæa erat subditus. Id ita esse patet ex eo, quod Nabopolassar, teste Iosepho l. 1. contra Apion. regnavit 19. annis. Ei successit filius Nabuchodonosor, qui cœpit regnare anno 4. Ioachim. Porro Ioachim regnavit annis 11. a quibus deme annos quatuor, quibus ante Nabuchodonosorem regnavit Ioachim cum patre eius Nabopolassar, remanent anni Ioachim septem: quibus adde annos 5. Sedeciæ (idem enim est annus quintus Sedeciæ et quintus transmigrationis Ioachim, ut patebit v. 2.) habebis annos 30. quos quærimus. Sic etiam Sinenses annos suos numerant et consignant per annos regis eo tempore regnantis, nec aliam habent æram, uti testatur P. Nicolaus Trigault. oculatus testis lib. 1. de Expedit. Sinensi. Obiicit contra hanc sententiam insignis Chronologus: Nabonassar, a quo æra Babyloniorum consignatur teste Ptolemæo, 123. annis præcessit Nabuchodonosorem et Ezechielem: ergo nequit esse is, cuius anno 30. cœpit hic prophetare Ezechiel. Respondeo, Nabonassar alium esse a Nabopolassar nostro: ille enim hunc antecessit 123. annis. Id patet tum ex aliis, tum ex Ptolemæo, qui l. 5. Almages. cap. 14. asserit annum 5. Nabopolassar fuisse 127. a Nabonassaro. Nabonassar enim cœpit regnare anno 9. Ioatham regis Iuda, olympiadis quintæ anno 4. ante Alexandrum Magnum anno 412. Nam Ptolemæus tradit Alexandrum mortuum esse æra Nabonassar 424. Ab hoc enim Nabonassar, Ptolemæus, qui floruit sub Adriano Imp. testatur lib. 3. Almages. c. 8. se habuisse priscas astronomi-

Anni Nabopolassar, quibus utitur Ezechiel.

A cas observationes usque ad sua tempora. Porro hunc Nabonassar censet Genebrar. in chronol. et alii fuisse Salmanasar: melius Scaliger lib. 5. de Emend. temp. et ex eo Torniellus, aliique multi censent fuisse Baladan regem Babylonis, de quo 4. Reg. 20. 12. et Isaiæ cap. 39. 1. A Nabonassar ergo Ptolemæus numerat et consignat annos Cambysis (ait enim annum Cambysis 7. esse 225. ab anno primo Nabonassar) Darii, Alexandri, Ptolemæi Philadelphi, Augusti, et Adriani. Noster vero Nabopolassar, vel, ut Ioseph. lib. 1. contra Apion. vocat, Nabulassar, fuit pater Nabuchodonosoris Magni, uti docet Eusebius, Bellarm. in Chron. Scaliger, et Iosephus, qui et lib. 10. Antiqu. c. 11. ex Beroso vocat eum Nabuchodonosorem Seniorem. Porro ab hoc Nabopolassar, æque ac a Nabonassar, æram annorum fuisse constitutam, docet diserte Scaliger lib. 5. Emend. temp. dicens pag. 217. *Nabopolassar qui a Beroso Chaldæo* Ναβȣλάσσαρος *citante Iosepho, sed emendatius ab Eusebio* Ναβοπολλάσσαρος, *quomodo et a Ptolemæo, dicitur. Is igitur Nabopolassar fuit pater magni Nabuchodonosoris, ut testatur idem Berosus apud Io-*
B *sephum, et Eusebium, qui totius Syriæ et Asiæ imperium obtinuit. Quare ab initio eius imperii æra instituta, ut a Nabonassaro. Primusque eius annus consurgit a 123. Nabonassari. Hæc æra imprimis Biblicæ historiæ studiosis notanda est, cum sit ea, qua utitur Ezechiel Propheta, qui in Chaldæa prophetans æra, qua tunc Chaldæi utebantur, tempora signat.* Confirmatur, quia non est alia æra communis et publica illius ævi, a qua hunc annum trigesimum Ezechielis arcessere possimus. Accedit, quod ab hoc Nabopolassar, id est a Nabuchodonosore seniore eversam esse Niniven, anno 13. Iosiæ regis Iuda, asserat S. Hieron. præfatione in Ionam, et alii. Idem colligitur ex Tobia cap. ult. v. 16. et ex Iosepho libr. 9. Antiq. 11. uti ostendi Ierem. 1. v. 2. Hoc si verum est, non est dubium exinde æram Babyloniorum esse constitutam, perinde ut Persarum constituta est ab anno 1. Cyri, Græcorum a 1. Alexandri. Nabopolassar enim eversa Ninive, quæ erat sedes regum Assyriorum, eorum monarchiam
C evertit, et trastulit in se ac Babylonios, perinde ac Cyrus ad Persas, Alexander ad Græcos. Unde tunc in Script. nullos Assyriorum reges legimus, sicut legimus cum Nabonassaro, sive Baladan rege Babylonis, in Ninive regnasse Sennacherib regem Assyriorum, et post eum Asarhaddon. Causa erroris P. Pradi et aliorum, qui Nabonassar confuderunt cum Nabopolassar, putantes hos duos unum esse eundemque, fuit, quod chaldaice idem, aut fere idem sint hæc nomina, Nabonassar, Naboneser, Nabuchodonosor, Nabopolassar, Nabopolnassar, uti ostendit Scaliger l. 5. unde et Alfonsini eumdem faciunt Nabuchodonosor et Nabonassar: et in Albatenio Nabonassar Ptolemæi semper vocatur Nabuchodonosor.

In quarto.) Scilicet mense, ut sequitur. Ita Septuag. quod enim nos præponendo vocem *mensis*, dicimus, *in quarto mense die quinta*: hoc Hebræi eam postponendo, dicunt, *in quarto, in quinta mensis.* Mensis hic quartus, vel fuit *Tebet*, id est Ianuarius; hic enim est quartus ab Octobri, a quo Hebræi incipiebant annum communem et profanum: ita S. Hieron. Vel potius est Tammus, id est
D Iunius, vel partim Iunius, partim Iulius. Hic enim est quartus a Nisan, id est a Martio, a quo incipiebant annum sacrum, quo utitur sacra Scriptura, et scriptores hagiographi: ita Chald.

Iuxta fluvium Chobar.) *Chobar* est Euphrates (hic enim alluit Babyloniam, in qua Ezechiel erat captus) ut volunt Rabbini, et ex iis Maldon. aut potius, est rivus, vel ramentum Euphratis. Euphrates enim, æque ac Nilus in Ægypto, iuxta Babylonem in varios rivos se dividit.

Chobar rivus Euphratis, unde? Dictus est *Chobar*, ab aquarum copia. Hebr. enim et chald. כביר *chebir*, crebrum, copiosum, multum significat: aut, ut Plinius lib. 6. cap. 26. a Chobare præfecto, qui Euphratem fidit, deducto ex eo rivo Chobar; ne nimis præcipiti, copioso et violento cursu Babylonem infestaret, vel obrueret.

Aperti sunt cæli.) q. d. Videbatur mihi cælum, id est æther, ex hiatu in eo apparente, et fulguribus intermicantibus dividi et aperiri. Sic Silius Italicus lib. 1.

Ruptoque polo micat ignibus æther.

Et Statius:

Subita face (id est fulgure) *rumpitur æther.*

Cælum aperit fulmen. Hæc omnia non revera fiebant, sed per visionem symbolice obiiciebantur phantasiæ Prophetæ, ut attentionem eius excitarent; et maiestatem Dei, eiusque currus Cherubici repræsentarent. Aperiri enim videbantur cæli, ut Deum currumque eius, in cælo quasi clausum et invisibilem conspiceret. Simili ratione Christo baptizato aperti sunt cæli, Matthæi 3. v. 16. et Stephano martyrium obeunti, Actor. 7. 56. Quamquam in baptismo Christi, non B per phantasiam, sed oculis corporeis vidit, tam Christus, quam reliqui astantes, hiatum quemdam in cælo, ita ut cælum videretur aperiri, uti cum Iansenio, Suarez et aliis docui Matt. 3. v. 16.

Et vidi.) Imaginaria et mentali visione: si quis insuper oculis corporeis eum hæc vidisse contendat, non obluctabor.

Visiones Dei.) Id est mirabiles, magnificas, divinas. Sic vocantur cedri Dei, montes Dei, id est excelsi et maximi. Secundo, *Dei*: quia Deus has visiones ei obiiciebat, non phantasia, non angelus, q. d. Non somniavi, non finxi; sed a Deo accepi quæ narraturus sum.

Quæres, cur iuxta aquas Ezechiel et Daniel viderint suas visiones, et mysteria divina?

Cur ad aquas prophetet Ezechiel? Respondent R. Salomon, et R. David, Spiritum sanctum numquam Prophetis locutum nisi in terra sancta, puta in Iudæa; ideoque Ionam fugisse in Tharsis, quasi Spiritum sanctum, et spiritum prophetiæ posset effugere. Si quando vero extra terram sanctam iis loquatur, non loqui nisi in loco aliquo mundo, qualis est fluvius, et aqua. Verum hæc Rabbinica, id est futilia, sunt. Respondeo ergo causam esse, quia Prophetæ iuxta fluenta, quasi loco silenti et amœno, et suavi murmure aquæ, quasi musica Elisei (vide histor. 4. Reg. 3. 15). delectati et excitati, mentem in Deum elevabant, itaque per orationem et contemplationem ad visiones, et raptus divinos se disponebant. Ita Prado. Hinc et Poetæ cum Musis adamarunt et adamant fontes Heliconis, ut sublimiore conceptu et voce loquantur. Poetæ enim suis erant Prophetæ.

Mysticam causam dat Apollinaris: quia, inquit, Spiritus sanctus, qui Prophetas erudit, comparatur aquæ; et aquas, id est populos multos, hic docet; atque ut Theodor. eos per aquas baptismi regenerat; æque ac per aquas lacrymarum pœnitentiæ abluit, et pristino nitori restituit. Sicut ergo Ezechieli iuxta Chobar aperti sunt cæli; ita Christo in Iordane baptizato aperti sunt cæli, et vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus.* Denique S. Gregor. homil. 2. *Chobar*, id est gravitas, inquit, est genus humanum, cui peccatorum suorum pondera portanti, et defluenti ad mortem, per incarnationem appropinquare dignatus est Christus, qui est Ezechiel, id est virtus Dei.

Symbolice, flumen non est aliud, quam magna vis præterlabentis aquæ, quo significatur vis propheticæ gratiæ quæ data est Ezechieli et Prophetis, non fuisse instar habitus permanentis, sed instar actualis illuminationis, quæ velut per transcursum, more fluentis aquæ, datur et præterit: ita S. Hieronymus.

In quinta.) Supple die.

Vers. 2. Ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachin.) Ioachin hic idem est qui et Iechonias, filius Ioakim, qui patre Ioakim a Chaldæis cæso, tres menses regnavit, sponteque se tradidit Chaldæis, qui eum A cum suis traduxerunt Babylonem. Unde hæc eius cum suis traductio non vocatur captivitas, quasi bello et vi capti abductique fuerint, sed transmigratio, scilicet dedititiorum. Ioachin transmigrante, mox Chaldæi ei suffecerunt in regno Iudææ patruum, scilicet Sedeciam: quocirca idem est annus regni Sedeciæ qui et transmigrationis Ioachin, vel Iechoniæ. Hic ergo annus utriusque quintus, præcessit excidium Ierusalem 6. annis. Excisa enim est ipsa anno 11. et ultimo Sedeciæ, qui pariter fuit 11 a transmigratione Ioachin.

Factum est verbum.) Quod prius vocavit *visionem*, hic vocat *verbum*, scilicet oraculum et prophetiam continentem tam visiones, quam verba et iussa Dei. Vide can. 1. Porro hæc capitis 1. visio obscurissima est, et quasi ænigma. Primo, ergo ænigmatis ipsius speciem, sequendo et explicando verba textus proponam. Deinde in fine capitis, quid singula symbolice significent, per quæstiones elucidabo. Vers. 3.

Ad Ezechielem.) Ad me. Est enallage personæ; loquitur enim de se in tertia persona. Vide can. 16. Causam dat S. Gregorius hom. 2. scilicet, ut per hoc indicent Prophetæ, non se, sed Spiritum sanctum per ipsos loqui.

Filium Buzi.) Id est filium contemptus: talis enim est Ezechiel, id est fortitudo Dei, quem enim mundus contemnit, hunc Deus corroborat, et favore suo prosequitur.

Alleg. S. Greg. homil. 2. Ezechiel, ait, id est Christus, qui est fortitudo Dei, est filius Buzi: quia ex populo Iudaico, quem propter perfidiam despexit, incarnari dignatus est.

Et facta est super eum ibi manus Domini.) *Manus*, id est potentia, efficacia, impulsus et virtus præpotens, puta spiritus Domini, non perturbans, ut volunt Rabbini, sed elevans et roborans spiritum Ezechielis ad videndum mysteria divina, et ad prophetandum. Ita Theodoret. et Chald.

Manus ergo *Domini* vocatur prophetia Domini, tum hic, tum capite 2. 9. et cap. 3. 14. et 22. et cap. 8. 1. C et cap. 40 1. et alibi. Atque hinc factum est, ut in vetustis imaginibus Prophetarum quales vidi in antiquis Bibliis Vaticanis, in quibus Prophetæ depinguntur, pingatur superne manus e cælo porrecta, et radiis circumdata; quasi index Dei loquentis, suggerentisque Prophetæ sua oracula. Cum enim Deum uti in se est, depingere non possent faciem Dei cum facie Prophetæ (ne illi Deum adæquare videantur) pingere noluerunt. Facies enim personam uti in se est, clare repræsentat: sic autem a Prophetis videri non potuit Deus. Unde et Deus ipse ad Mosen ait: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*, Exod. 32. Pinxerunt ergo manum, quasi membrum remotum a facie, et quia manus index est potentiæ, impetus et operationis divinæ, quæ Prophetas ad prophetandum evexit et impulit. Manus symbolum prophetiæ, cur?

Et ecce.) Rem miram. Vers. 4.

Ventus turbinis.) Ventus turbulentus, qui vocatur *turbo*. Unde Theodotion vertit, *flatus tempestatis*; Theodor. ex Symmacho, *ventus impetu flans*; Septuag. *ventus* D *auferens* aut extollens. Hic ventus significat indignationem Dei, et vindictam validam, celerem et impetuosam. Venit ab Aquilone, id est e Babylone: significat enim Babylonios, qui ad Aquilonem erant respectu Ierusalem, eam eversuros.

Eosdem specie ollæ accensæ venientes ab Aquilone vidit et prædixit Ieremias c. 1. 13. ita Theodor. licet enim Ezechiel in Babylone esset, ibique hæc videret, tamen quia de Iudæa agit, ita loquitur ac si Hierosolymis esset: ita Maldon. Simile est Ieremiæ 23. 19. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super capita impiorum.*

Nubes magna.) Quasi vehiculum Dei, ait Scholiastes: vel potius *magna*, quia tenebrosa erat, ac pluvia, grandine et procellis gravida. Hæc *nubes* significat Dei iram, iam tela omnia, et dira in Iudæos hostes suos parantem. Unde Sophoniæ 1. v. 15. vocatur *dies nebulæ et turbinis:* nubes enim copiam et inundationem hastarum et

*

telorum significat, ait Theodoretus. De nube hac plura dicam c. 10. v. 3. et 4.

Et ignis involvens.) Vatabl. vertit, *ignis se reciprocans*, q. d. Nubes hæc erat ignita, et volumina flammarum sese per totam nubem insinuabant et convolvebant. Secundo, Septuag. vertunt, *ignis fulgurans*, id est iaculans fulgetra. Hebr. est, *ignis recipiens se*: fulmina enim e nubibus ita emicant, ut cum iis convolvi, et se iterum intra nubem receptare videantur: perinde ac cum domus aliqua comburitur, flammæ foras erumpentes, rursus intra domum se receptant, et cum trabibus sese convolvunt et implicant, ut iis se pascant. Hæc omnia significant magnam tempestatem.

Quocirca ignis hic symbolice significat tum acrem Dei punitionem, ut ait S. Hieron. tum urbis et templi Ierusalem inflammationem, ut ait Theodor.

Et splendor in circuitu eius.) Scilicet nubis. Nam in circuitu ignis non poterat non esse splendor. q. d. Nubes hæc ignea circumcirca splendorem quasi iridis emittebat. Ita Prado. Secundo et aptius, q. d. Nubes hæc adeo crebras coruscationes et fulgetra eiaculabatur, ut totum circumcirca spatium resplenderet: ignis enim fulgurans et procellosus, non iridem, sed fulgetra evomebat: ita Maldonat. Splendor hic significat terribilem Dei præsentis maiestatem et gloriam, quæ se in reorum horribili supplicio ostendit: ita Theodor. et Polychron.

Et de medio eius.) Non nubis, ut vult Chaldæus; sed ignis, ut patet ex Hebræo et Septuag. Unde et noster explicans subdit, *id est de medio ignis*. Significat ergo Propheta, se vidisse in medio ignis, qui erat in medio nubis flammas et fulmina eiaculans, fuisse speciem, id est imaginem, hominis ex electro, ut patet v. 27.

Electrum quid?

Quæres, quidnam sit electrum? Resp. Hebr. est חשמל *chasmal*, quod nusquam, nisi apud Ezechielem reperitur. Rabbini recentiores vertunt *angelum*. Unde Lyranus ait, se mirari cur S. Hieron. verterit, *electrum*, sed mirari non debuit, cum et Septuag. et Aquila et Theodotion, doctissimi Hebræi, verterint, *electrum*. Porro angelum hunc *Chasmaelem*, vel *Hasmaelem*, tradunt, vel potius fingunt, fuisse doctorem Ezechielis. Audi ex eis hæc enarrantem Agrippam lib. 3. cap. 47. de Vanitate scientiar.

Hasmael angelus Rabbinorum.

Fatidici, inquit, *spiritus solent bene expurgatis animis etiam sese visibiles præbere et comites, cuius exempla multa sunt in sacris Literis, ut in Abrahamo, et ancilla eius Agar, in Iacob, Gedeone, Elia, Tobia, Daniele et multis aliis.* Hactenus bene, at quæ sequuntur, qualia! *Sic Adam*, inquit, *familiarem consuetudinem habuit cum angelo Raziele: Sem filius Noe cum Iophiele: Abraham cum Sadkiele: Isaac et Iacob cum Peliele: Ioseph, Iosue et Daniel cum Gabriele: Moses cum Metratton: Helias cum Malhiele: Tobias iunior cum Raphaele: David cum Cerniele: Manue cum Phadaele: Cenez cum Ceruele: Ezechiel cum Hasmaele: Esdras cum Uriele: Salomon cum Michaele.* Ita isti, aut magi, aut nominum et portentorum figuli, quos non Uriel, sed Magiel, aut Vaniel et Stultiel nescio quis exagitat. S. Scriptura enim, æque ac Ecclesia, non nisi tria angelorum nomina agnoscit, *Michael, Gabriel, Raphael*: atque hasce patrum cum angelis familiaritates ignorat.

Primo ergo Anton. Nebrissens. in Quinquagena cap. 18. et alii multi putant electrum esse id quod vulgo dicitur ambra, id est bitumen, quod e scopulis maris manat, vel in littore effoditur liquidum, sed aeris et aquæ frigiditate gelatum durescit (perinde ut crystallus) diciturque succinum, et ambra: atque invenitur in insula Florida, aliisque Indici Oceani littoribus: quin et in Germania, in iis maris littoribus, quæ sunt inter Suevi amnis et Vistulæ ostia; sed rarius: crebrius vero in Prussia, in littore Pucici sinus, non longe a cœnobio, quod Olivam vocant. Verum obstat, quod ambra in igne non durat; hæc autem electrina imago visa est ab Ezechiele in igne durare, imo splendescere.

Secundo, Plinius lib. 33. 4. et ex eo S. Gregor. ac noster Alcazar in cap. 4. Apoc. v. 3. not. 4. censent electrum esse metallum conflatum ex auro et quinta argenti parte, cuius natura inquiunt, est, ad lucernarum lumina argento clarius splendescere.

Tertio, Origen. S. Hieron. Theod. ex S. Dionys. c. 15. Cælest. hierarch. Prado et alii passim, censent electrum non esse succinum, nec aurum vel argentum, sed æris speciem. Dico ergo, electrum esse æs selectum et præstantissimum, quod vocatur *aurichalcum*, quasi aureum æs; quia fulget ut aurum, durum est ut æs: dicitur et *orichalcum*, id est montis æs; vel *chalcolibanum*, id est æs Libani, puta ex monte Libano effossum. Hoc enim erat præstantissimum: unde ex eo facta sunt vasa templi, teste Iosepho libr. 7. Antiq. cap. 5. sicut postea æs Corinthium fuit in pretio, et toto orbe celebratum. Dices, Cur ergo S. Hieron. et alii dicunt, electrum esse auro et argento splendidius et præstantius, cum constet æs iis esse vilius? Respondeo, quia aurichalcum apud veteres, teste Servio in lib. 12. Æneid. Virg. præ omnibus metallis habitum fuit in pretio; eo quod splendorem auri, et æris duritiem possideret: unde fiebat subinde ex auro et ære commistis (inde enim fieri æs præstantissimum, docet Scaliger et alii) alias ex ære optimo, sed in camino per ignem plane excocto, expurgato et conflato, ita ut magis quam aurum fulgeret. Quocirca superabat aurum, tum splendore, tum duritie. Addit Plinius: *Electrum quod est nativum venena deprehendit: namque discurrunt in calicibus arcus cælestibus similes, cum igneo stridore, et gemina ratione prædicunt.* Unde et Serenus poeta cecinit:

Electrum est aurichalcum, id est æs præstantissimum.

Produnt electri variantia pocula virus.

Quod si verum est, non mirum veteres electrum æstimatione anteposuisse auro.

Porro electrum esse æs, non aurum, non argentum, suadet. Primo aliarum figurarum Ezech. similitudo. Nam Cherubim igneas ex se scintillas emittebant, et ex ære ardenti videbantur conflati; perinde ac Daniel. 10. 6. pedes Gabrielis archangeli dicuntur fuisse quasi species æris candentis, id est politi et fulgentis. Secundo, quia hoc 2.
æs suo fulgore optime repræsentabat maiestatem Dei; sua vero duritie eiusdem invictum robur: de quo plura in fine cap. Tertio, quia S. Ioan. Apocal. 1. v. 15. ad Eze- 3.
chielem hic alludens, vidit effigiem similem Dei, aitque de ea: *Pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.* Ergo et hic species Dei visa est Ezechieli esse ex aurichalco, id est ære aureo. Quarto, quia Hebr. *chasmal* 4.
deducitur a חשל *chascial*, id est deiecit, prostravit, domuit; et per metathesin alludit ad חלמיש *challamis*, id est silex, q. d. æs durum ut silex, quod omnia deiicit, comminuit et prosternit: tum quia alia metalla superat, ut dixi; tum quia sua duritie penetrat lapides et muros, omniaque prosternit. Hac enim specie significabatur fortitudo Dei, prosternentis et evertentis Ierusalem. Denique, quia *chasmal* proprie significat lucidissi- 5.
mam scintillam, et excitatissimam flammam ignis, quæ propter excellentiam visum et aciem oculorum debilitat, qualis est electri, seu æris igne candentis, talisque fuit hic. Æs ergo in igne fulgens et scintillans est *chasmal*, hoc est electrum.

Probatur 1.

Symbol. electro, sive aurichalco aurea Dei bonitas repræsentatur, quæ omnia creavit, hominesque ad se, uti electrum paleas, trahit.

Et in medio eius, scilicet ignis iam dicti, prodibat similitudo quatuor animalium.) Hect. Pintus cum nonnullis censet, hæc quatuor animalia unum idemque fuisse animal, repræsentans unum Christum; sed illum unum habuisse quatuor animalium speciem et faciem, ideoque vocari quatuor animalia. Probat id ex eo, quod cap. 10. 15. et 20. de iisdem dicatur in singulari: *Et elevata sunt Cherubim, ipsum est animal quod videram iuxta fluvium Chobar.* Verum, certum est non unum, sed quatuor fuisse animalia. Id enim hic diserte dicit, repetit et inculcat Propheta. Idem clare patet Apocal. 4. 6. ubi hæc animalia non tantum facie, sed toto corpore; nec tantum individuo, sed et specie ac natura discriminantur. Denique quatuor fuisse liquet ex eo, quod singula

Vers. 5.

Ezechiel vidit 4. animalia, non unum.

erant a singulis lateribus, sive rotis currus Dei, quasi eius stipatores: latera autem hæc et rotæ erant quatuor. Ita communiter interpretes. Hinc Hebræi hanc visionem vocant מרכבה *mercaba*, id est quadrigam: quia ex quaternis animalibus, æque ac rotis constabat.

Porro hæc quatuor animalia significabant quatuor primarios angelos, qui sunt quasi principes et stipatores Dei, mundi et Ecclesiæ protectores, omnisque providentiæ et gubernationis Dei administri; ac nominatim belli, victoriæ et triumphi, quem de Pharaone et Ægypto, aliisque hostibus egit, præsides et ductores, uti dicam in fine capitis.

Denique vocat ea *similitudinem* animalium: quia vere non erant animalia, sed animalium speciem tantum præ se ferebant. Symbolice enim hæc omnia per ideas et figuras imaginarias obiecta sunt imaginationi Prophetæ. Ita S. Hieron.

Et hic aspectus (hæc species, hæc forma qua conspiciebantur) eorum, similitudo hominis in eis.) q. d. Species eorum erat similis speciei hominis, forma eorum erat humana; facie, et toto corpore videbantur esse homines.

Tropolog. S. Gregor. hom. 2. Sancta animalia, id est prædicatores, inquit, habent speciem hominis: quia Christi mores imitantur, ac proinde sicut ei hic in labore, gratia et passione conformantur, ita eidem conformabuntur et in gloria. Christi ergo crucifixi exemplar menti suæ imprimunt, ut ex eo eiusdem imaginem exprimant in mentibus audientium, instar S. Pauli doctoris Gentium, qui se asserit nec aliud scire, nec aliud prædicare nisi Christum crucifixum, 1. Corinth. 1. 23. et cap. 2. v. 2.

Vers. 6. Quot facies habebat Cherub? Quatuor facies uni.) Quæritur, quodque animal ex hisce quatuor, quot facies habebat? Primo, Chaldæus censet quodque animal fuisse quadripartitum, et unicuique parti quatuor fuisse facies, itaque quodque animal habuisse sexdecim facies, quatuor vero animalia habuisse 64. facies.

Respond. Prado unam. Secundo, noster Hieron. Prado et Pererius in Apocal. 4. disput. 18. e contrario censent, quodque animal tantum unum habuisse caput et vultum, scilicet humanum: de iis enim hic dicitur: *Hic aspectus eorum similitudo hominis in eis*, id est, hæc quatuor animalia erecta erant, et toto corpore habebant figuram humanam: ita tamen, ut quatuor aliorum animalium insignibus essent induta et vestita. Si obiicias. Quomodo ergo Propheta v. hoc, et 10. diserte cuique dat quatuor facies, sive vultus? Respondent esse hebraismum, quo per quatuor facies significatur ea habuisse quatuor formas, figuras, aspectus, habitus, similitudines, insignia. Sic enim Hebræi vocant faciem cæli, aeris, terræ, id est formam sive speciem eorum. Erant ergo in his animalibus Cherubim, facies, id est forma, humana in vultu et toto corpore: erat facies, id est forma, vituli in pedibus: quia habebant ungulam bifidam, qualis est vitulorum. Sic enim explicat v. 7. Tertio, facies, id est forma, leonis erat in pectore, cervicibus, armis: quia in his erant iubæ instar leonum. Quarto, in humero erat facies, id est forma, aquilæ, scilicet alæ. Finge hominem, adde illi in cervice et pectore iubas leonis, adde alas aquilæ, adde pedes bovis, habebis unum Cherubinum, cui reliqui tres erant omnino similes. Et has quatuor formas habuisse Cherubinos templi, et tabernaculi Mosis, opinatur Prado. Unde et Iosephus vocat eos animalia volucria, et ignota.

Probat I. Probant hanc sententiam Primo, quia unumquodque animal ex hisce quatuor hieroglyphicum fuit, et concinnum ac pulchrum: ergo non habuit quatuor facies; hoc enim valde inconcinnum et monstrosum fuisset, præsertim in stipatore Dei, quales erant hi Cherubini. Sic enim pinguntur cum pluribus capitibus et faciebus Proserpina, Cerberus, Hydra, aliaque monstra.

II. Secundo, quia Apocal. 4. v. 7. singula hæc animalia clamant humana voce, *Sanctus, sanctus, sanctus*: ergo habebant singula faciem et os humanum. Bos enim, nisi magicus sit, non loquitur, sed mugit, uti leo rugit. Idem S. Ioan. vocat hæc animalia similitudines aquilæ, leonis, vituli; de homine vero agens vocat faciem hominis, quasi ea sola proprie fuerit in quolibet eorum.

Tertio, hi Cherubim Ezechielis erant tales (imo iidem) quales fecit Moses in tabernaculo: hi autem unum habebant os et vultum, quo alter alterum aspiciebat, Exodi 25. 22. et quales fecit Salomon, quorum facies versæ erant ad exteriorem domum, 2. Paral. 3. v. 13. ergo habebant unicam tantum faciem tam hi Salomonis, quam illi Ezechielis. Hæc sententia nova licet, ingeniosa tamen, concinna et plausibilis videtur. III.

Tertio, alii passim cuique e quatuor hisce animalibus et Cherubinis, dant quatuor facies, sive vultus; et consequenter totidem capita, aut potius semicapita, ita ut anterius quodlibet haberet caput et faciem hominis, quasi primariam et eminentiorem, cui a dextris inserta, vel annexa erat facies et caput leonis; a sinistris facies et caput vituli; sursum facies et caput aquilæ: ita ut per quatuor hæc capita et facies, in unum quasi corpus et caput compacta, essent quatuor animalia, scilicet homo, leo, bos et aquila. IV. Verius est habuisse quatuor.

Hæc sententia vera, et quasi certa videtur. Nam Primo, hoc proprie significat Hebr. פנים *panim*, quod Septuag. Chald. noster, et alii passim, tam hic, quam cap. 10. constanter vertunt *vultus*, vel *facies*. Cum enim de aliis, quæ proprie faciem non habent, loquitur Propheta, ut de iride, electro, firmamento, eorum formam et speciem non vocat *panim*, sed מראה *mare*, id est visionem; vel דמות *demut*, id est similitudinem. Et sane, quis per faciem leonis, intelligat iubas? per faciem bovis, pedes et ungulas? per faciem aquilæ, alas? Quod si eas intellexisset Ezechiel, utique explicuisset, cum singula graphice depingat, et fuse enarret. Insuper si facies fuissent iubæ, nominasset eas alicubi, sicut nominavit alas in pennis, ungulam in pede, non in facie. Probat. I.

II. Secundo, quia v. 10. diserte has facies vocat *vultus*, itaque eas depingit, ut non iubas, non ungulas, sed facies proprie dictas se intelligere demonstret. Ait enim: *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Quid clarius? præsertim cum faciem bovis fuisse a sinistris, faciem leonis a dextris asseveret; hoc enim de iubis et ungulis dici nequit: hæ enim tam a dextris, quam a sinistris sunt vitulo, æque ac leoni.

III. Tertio, quia v. 8. ait: *Facies et pennas*, id est alas, *per quatuor partes habebant:* distinguit hic Propheta facies ab alis. Ergo alæ aquilæ non erant facies aquilæ.

IV. Quarto, quia post facies describit animalium pennas, pedes et manus. Ergo facies non fuerunt pennæ, sive alæ, ac pedes; sed sicut proprie sumuntur pedes, pennæ et manus, ita et facies. Ait enim: *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni, pedes eorum pedes recti, et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Ergo pennas et pedes vituli non numeravit inter facies.

V. Quinto, quia de iis dicit v. 9. et 11. *Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat.* Ubi certum est apud omnes, faciem proprie sumi pro vultu, scilicet primario, qui erat ante, scilicet hominis. Ergo vocem *facies* hic proprie capit: constanter enim toto capite eas vocat facies et vultus, non iubas, non ungulas.

VI. Sexto, quia S. Ioannes Apoc. 4. v. 7. de hisce quatuor animalibus agens, dicit primum animal fuisse simile leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ. Ergo proprie habebant faciem, primum leonis, secundum vituli, tertium hominis, quartum aquilæ: tum quia animalia illa Apocalypseos erant separata et seiuncta, ita ut quodque unius tantum animalis speciem, seu formam exhiberet: tum quia ex facie proprie dinoscitur et denominatur quodque animal, æque ac homo, inquit S. Greg. Et ita tota Ecclesia ex Apocal. 4. pingit quatuor Evangelistas, scilicet Matthæum, quasi hominem, facie humana: Marcum, quasi leonem, facie leonina: Lucam, quasi bovem, facie bovina: Ioannem, quasi aquilam, facie aquili-

na. Ita Cherubinos hosce cum quatuor faciebus et capitibus expressos vidi in priscis et vetustis imaginibus, uti in Carolinis deauratis, quæ Bibliis Caroli Magni Imp. insertæ sunt, et Romæ religiose asservantur in basilica S. Pauli, ubi illæ mihi ostensæ sunt. Ex adverso quis unquam S. Marcum vidit pingi corpore et facie humana, cum iubis leoninis? Lucam, quasi hominem, cum ungula bovis? Nam a sola ungula et iubis non potest dici et denominari animal, quod sit leo, vel bos: hoc tamen ait S. Ioannes, *Primum*, ait, *animal simile leoni, secundum vitulo*, etc. Quod enim Prado pag. 38. exponit, primum fuisse simile leoni per solas iubas: secundum vitulo per ungulas, etc. Rursum S. Ioannem vocare quatuor animalia ipsas quatuor facies animalium ab Ezechiele hic descriptas, q. d. S. Ioannes: Vidi quatuor animalia Ezechielis, in quatuor angulis solii Dei constituta, quorum quodque quatuor habebat facies, id est quaternis erat vestitum animalibus, quorum primum erat simile vitulo per ungulas, secundum leoni per iubas, tertium aquilæ volanti per alas; hoc inquam facile refellitur, tum ex iam dictis, tum ex eo, quod inde sequeretur, tam secundum, tertium et quartum animal fuisse simile leoni, quam primum; ac vicissim tam primum fuisse simile vitulo, quam secundum, etc. quod tamen negat S. Ioannes: non enim ipsas species quatuor animalium in uno animali coadunatas, sed singula animalia disparata, et separatim in quatuor angulis solii collocata, vocat quatuor animalia, de iisdemque mox subdit dicens: *Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo*, etc. unde et hoc modo, haecque forma quatuor Evangelistas per illa significatos concipit et depingit tota Ecclesia.

Aliter respondet Perer. scilicet, primum animal vocari simile leoni; eo quod in eo excelluerit præ aliis species leonis, quia præ aliis erat iubatum: secundum vitulo, quia præ aliis erat ungulatum, etc. Sed et hoc iisdem argumentis refellitur: quatuor enim solida animalia integra et disparata, ac consequenter quatuor animalium facies habentia describit S. Ioannes; non autem unum dumtaxat quatuor animalium insignibus indutum et vestitum. Ita tam illa, quam hæc Ezechielis, describunt et explicant omnes Patres et interpretes, S. Iustin. ad Orthod. quæst. 44. ubi hæc quatuor animalia vocat *quadrifrontia*, S. Hieronym. Theodor. Gregor. Lyran. et Petrus Serranus hic, Ribera, Viegas et alii Apoc. 4. Anton. Fernand. vis. 13. Sebast. Barradius tom. 4. in Evang. lib. 9. cap. 13. Ludov. Alcazar Apoc. 4. v. 7. not. 12. et passim alii, estque hic communis quasi Doctorum sensus. Ut alios prætercam, S. Dionys. Areopag. diserte idipsum asseverat cap. 15. cælest. Hierarch. ubi loquens de tribus faciebus horum quatuor animalium, leonis scilicet, aquilæ et vituli, eas vocat effigies bestiarum; et faciei bovis assignat cornua. Rursum in aquila notat oculorum aciem et vim, qua ex adverso, vultu irretorto solem intuetur. Et cap. 2. agens de aquila Ezechielis, ait eam fuisse *ad aquilarum recurvis rostris effigiem*. Cavendum ergo est interpreti S. Script. ne, dum sensus expeditos tradere nititur, magis intricatos afferat.

Resp. ad primum contrariæ sententiæ. Ad Primum Respondeo, monstra quoque esse animalia quæ vultum habent hominis, iubas leonis, alas aquilæ, pedes bovis. Monstris ergo utitur Scriptura quasi hieroglyphicis, perinde ac Ægyptii, ut per ea res monstrosas vel miras, arcanas et magnas indicet ac monstret. Talis fuit monstrosa illa statua ex quatuor metallis conflata, portendens quatuor monarchias, Daniel. 2. Talia fuerunt monstra ex variis animalibus conflata, Daniel. 7. Nam primum, scilicet leo, habebat tres alas, et mox speciem hominis: secundum, scilicet ursus, pariter habebat alas, et tres dentium ordines, etc. Porro in hisce monstrosis hieroglyphicis res melius monstrantur et repræsentantur per facies, quam per pedes, alas aut iubas. Similia hieroglyphica prodigiosa sunt plura in Apoc. ut cap. 5. v. 6. ubi filius hominis describitur quasi agnus occisus, habens cornua septem et oculos septem; et c. 9. locustæ proponuntur loricatæ, similes equis, facie humana, capillis mulierum, dentibus leonum: et cap. 10. 1. describit angelum amictum nube. *Et iris*, inquit, *in capite eius, et facies eius erat ut sol, et pedes eius tamquam columna ignis:* et c. 13. describit bestiam habentem capita septem, et cornua ac diademata decem, quæ similis erat pardo, et habebat pedes ursi, et os leonis: et cap. 17. v. 2. Babylonem depingit quasi mulierem sedentem super bestiam coccineam, habentem cornua septem et capita decem. Denique noster Alcazar hos Cherubinos quadrifrontes concinne et pulchre depingit in eorum effigie, quam exhibet Apoc. 4. pag. 392.

Ad Secundum Respondeo, hæc animalia Ezechielis non induci ut loquentia: nihil enim dicunt; quod si quid dicerent, ore humano, non aquilino, bovino, vel leonino loquerentur. Apud S. Ioannem vero Apocal. 4. 7. cum non quatuor facies tantum, sed quatuor integra sint animalia, loquuntur omnia. Et quid mirum? nonne asina Balaam per angelum voces humanas edidit? Adde hæc non fuisse vera animalia, sed animalium spectra quædam et symbola pulchris vultibus, pulchris ac splendidis corporibus prædita. In symbolis autem non spectandum est quid natura valeat, sed quid Deus significare velit. Ita Barrad. tom. 4. l. 9. c. 13. Porro S. Ioan. faciem hominis vocat, aliorum vero similitudines: quia facies hominis in Cherubinis Ezechielis ad quos alludit, erat primaria, cæterorum vero ascititia instar emblematis: de quo plura inferius. Adde, facies propria est homini, et humana; nec bruta propria dicuntur habere faciem. Ad secundum.

Ad Tertium Respondeo, Cherubinos hosce fuisse similes Mosaicis in multis, sed non in omnibus. Insuper verisimile est, Mosaicos pariter quatuor habuisse facies, ut dixi Exodi 25. 22. ita tamen ut facie primaria, scilicet humana, sibi invicem essent obversi, seque invicem aspicerent. Nota. Hi Cherubini non erant nudi, uti Mosaici, sed vestiti, imo armati, uti eos depingit Alcazar: stipabant enim quasi milites currum bellicum Dei, euntis ad excidium Ierusalem, et aliarum gentium. Atque hæc fuit causa, cur in capite galeam et exuvias, puta similitudines sive facies aquilæ, leonis et bovis gestarent, uti docent Græci Patres: hæ enim facies non erant eis naturales, sed ascititiæ (ideoque non directæ, sed laterales: erant enim ad latus faciei humanæ, quæ erat directa, ideoque propria et naturalis) uti et galeæ. Solebant enim veteres Romani terribilia monstra animalium in galeis præferre, ad virium et roboris ostentationem, et ad terrorem hostibus incutiendum, atque ad omen victoriæ vel raræ aut arcanæ alicuius rei repræsentationem. Ita Plinius l. 10. c. 4. docet Romanos in galeis gestasse figuras minotaurorum, luporum, aprorum et aquilarum. Vide Alexandr. ab Alexandr. libr. 1. Genial. 22. Sic Pyrrhus, teste Plutarcho, hircina cornua gestabat in galea: quia volebat videri natus Iove Hammonio, qui hirci specie colebatur. Sic Turnus, ut animos suos et iras in Troianos patefaceret, in casside gestabat chimæram incendia vomentem: de quo Virgilius l. 7. Æneid. Ad tertium. Monstra in galeis olim.

Cui triplici crinita iuba galea alta chimæram
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.

Idem l. 10. Æneid. galeæ Cygni plumas cygnorum addidit, quibus se ex Cygno natum esse gloriabatur. Sic enim de eo canit:

Cuius olorinæ surgunt de vertice pennæ,
Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ.

Sic Cimbri equites in galeis hiantium animalium formidabiles species ostentabant, teste Plutarcho in Mario, quales etiamnum Romæ ad radices Capitolii ex spoliis Marii, quæ ex Cimbris retulit, appensas conspicimus. Pro quibus omnibus Constantinus Imper. crucem Christi in galea gestavit: de quo canit Prudent. libr. 1. contra Symmach.

Ardebat summis crux addita cristis.

Sic etiamnum Poloni equites, non tantum pennas struthionum in galeis, sed et singuli in tergo integras exuvias leopardi, lupi aut leonis gestant; insuper alas aquilarum in ephippiis utrimque; tum ut sint formidabiles ho-

stibus: tum quia alæ hæ, utpote ingentes, iuvant celeritatem equorum in cursu. Id accepi Romæ a Patribus nostris Polonis.

Simili modo Cherubini hic depinguntur, quasi habentes aquilam impositam galeæ, cui ad dexteram annexa, vel coniuncta erat facies leonis, a sinistris vero bovis. Inducuntur enim hic quasi iuvenes et milites galeati Dei cum exuviis leonis, aquilæ et bovis, quasi cælestis militiæ duces, qui ad devastandam Ierusalem pergebant: ita Alcazar. Et sic hi Cherubini non fuerunt monstrosi, sed concinni: instar enim animosorum militum, hisce faciebus, quasi galea se vestiunt et ornant.

Porro sumunt exuvias horum trium animalium potius, quam aliorum; quia hæc tria principalia, sunt quasi reges in suo genere. Leo enim rex et princeps est ferarum, aquila volucrum, bos armentorum: perinde ac homo universorum est rex et dominus: ita Pererius Apocal. 4. disp. 18. et seqq. Adde, videtur Deus hasce quatuor facies Cherubim magnificas opposuisse statuæ Manassis, idololatræ et impiissimi regis, qui ante annos quinquaginta ex fastu similem sibi effigiem posuit. De eo enim sic scribit Euseb. in Chron. *Manasses* XVI. *rex Hebræorum, regnavit annis* 55. *impius, Isaiam interfecit, statuamque suam posuit quinque facies habentem.* Hasce enim facies, hæcque eius idola debellaturi et vindicaturi veniunt quadrifaciales Cherubini. Quatuor ergo facies significant eos ad quatuor, id est, ad omnes mundi plagas respicere, omnia quæ ubilibet geruntur intueri; hostes omnesque eorum insidias et conatus cernere, eosque quaquaversum terribili vultu aspicere, invadere et persequi. Rursum, significant Dei domini sui (cuius stemmata et insignia gerunt) omniscientiam et omnipræsentiam, quodque omnia ubivis locorum nuda et aperta sint oculis eius lucidissimis, et quaquaversum respicientibus: denique quod providentia eius omnia penetret, inspiciat, provideat, præmiando pios, et puniendo impios: quam dotem a Deo participant et mutuantur angeli.

Alias huiusce rei causas et significationes symbolicas afferam in fine capitis. Denique Clemens Alexand. lib. 5. Strom. (idem innuitur 1. Machab. 3. 48.) docet Gentiles ex hisce Cherubinis quadrifrontibus mutuatos esse suos sphingas, quasi ænigmata Dei. Sphinx enim habebat imaginem tam feræ quam hominis, ut significaret, quod Deum oporteat non solum amare, ut sanctis pium et benignum; sed et timere, ut iustum et sævum ac terribilem vindicem impiorum.

Ex Cherubinis pinxerunt sphinges

ET QUATUOR PENNÆ UNI.) *Uni* scilicet faciei, inquit Chald. R. Salomon et Maldon. Putant enim ipsi quamlibet faciem habuisse quatuor alas, duas ad volandum, duas ad tegendum partem corporis faciei illi subiectam, ac proinde quemque Cherubim constantem quatuor faciebus, habuisse sexdecim alas: imo Chald. et R. Salomon, cum quodque animal putant fuisse quadripartitum, ac proinde sexdecim habuisse facies, quarum cuilibet dant quatuor alas; hinc consequenter asserunt quodque animal habuisse 64. alas; omnia vero simul habuisse 256. alas. Verum hæc sunt ridicula, et paradoxa. Dico ergo *uni*, scilicet animali, ut patet ex Hebræo. q. d. Quodque animal quatuor habebat alas, duas ad volandum, duas ad regendum femora: ita communiter interpretes.

Nota. Ezechiel in Hebræo de hisce animalibus nunc loquitur in genere fœminino, ut cum dicit מראהן *marehen*, id est visio earum, respicit enim pronomen *hen* חיות *chaiot*, id est animal, quod Hebræis est fœmininum. Nunc loquitur in genere masculino, quia respicit speciem hominis quam habebant hæc animalia: homo enim, sive vir, est masculini generis apud omnes gentes.

Symbolice, S. Dionys. c. 15. Cælest. hierarch. *Alis*, inquit, *significatur et cælestis vitæ cursus, et quod ad superna ferantur, mortalibus atque infimis omnibus excepti, et terreni corporis sarcina liberi.*

Vers. 7. PEDES, id est, tibiæ et crura, ut vertunt Sept. (Simili synecdoche per manus accipit tota brachia) RECTI.) Id est sine poplitibus, vertebris et iuncturis, ait Vatabl. Pintus et Maldon. quales sunt pedes elephantum, qui carent genibus. Verum hi non hominum, sed brutorum sunt pedes. *Recti* ergo pedes vocantur humani, quia brutorum sunt recurvi; in poplite enim curvantur: homo autem poplitem non habet in pedibus, uti bruta, sed in genibus; illa ergo curvat homo, pedes vero habet rectos. Itaque licet planta eorum esset vitulina, puta ungula bifida, ut mox dicam; pedes tamen, sive tibiæ, erant humani, non vitulini. Unde *recti* vocantur, ne quis eis ob ungulam, proportionem aut pulchritudinem humanam deesse suspicaretur. Hinc patet hæc animalia, non quatuor, ut volunt Dionys. Carthusianus, et aliqui alii, sed duos tantum habuisse pedes: erant enim specie humana, ut patet v. 5. homo autem bipes est, non quadrupes. Perperam ergo ait Petrus Serranus hæc animalia quaternos habuisse pedes, uti quaternas habebant facies, alas et manus. De pedibus enim id falsum est, de cæteris verum. Significat Propheta, Deum, quasi principem sedere in solio: Angelos, puta Cherubim, ei quasi stipatores astare cum timore ac reverentia; ac habere crura recta, id est promptos pergere quoquoversus, esseque præsto ad omnem occasionem, et nutum Dei, quasi aurigæ sui. Rectitudo ergo pedum, eorum alacritatem, rectitudinem et promptitudinem significat.

Pedes recti quid?

Symbolice ergo angeli habent pedes rectos tres ob causas. Prima est, quia non incerte vagati sunt, declinando ad dextram vel sinistram, sed semper ad exactissimam iustitiæ libram gressus suos direxerunt, et quasi modulati sunt. Rectum enim est id, cuius medium æquabiliter sua interiacet puncta, ait Euclides libr. 1. definitione 4. Secunda est, quia pedes recti significant affectus voluntatis angelicæ quaquaversum esse perfectos. Nam, ut ait S. Hieron. in c. 25. Iob, beati spiritus omne liberum arbitrium suum Dei solius charitate vertunt, hoc est, in gyrum perfectionis educunt: hinc et aurea zona cor, id est voluntatem, Christi ambit Apocal. 1. 13. quia voluntas Christi perfectissima est in omnibus suis desideriis. Hinc Tertio, Theod. pedes, recti, inquit, significant summam angelorum erga Deum obedientiam in omnibus, utpote ad omnem quasi venti flatum versatilium: ita Anton. Fernand. loco citato.

Tropolog. S. Gregor. hom. 3. Sancti ait, habent pedes rectos: quia eorum gressus et opera, ad sequendam iniquitatem non sunt retorta.

ET PLANTA PEDIS EORUM QUASI PLANTA PEDIS VITULI.) Aquila, teste S. Hieron. Chald. et R. Salomon vertunt, *quasi planta pedis rotundi*, q. d. Habebant pedes teretes, versatiles et rotundos, ut facile ad quamlibet mundi plagam se verterent, et quo vellent incederent. Hoc videntur quoque voluisse Septuag. πτερωτοι οι ποδες αυτων, id est, *pennati pedes eorum*, hoc est, agiles et celeres, ut pennati et alati esse viderentur, sicuti Gentiles suo Mercurio nuncio veloci, in pedibus addiderunt talaria. Unde S. Dionys. Cælest. hier. c. 15. *Sanctorum*, ait, *spirituum pennatos Theologia pedes effinxit*: non quod vere haberent talaria, instar Mercurii: nec rursum *pennati*, id est pennis cooperti. Licet enim id verum esset tamen hoc non significat vox *pennati*. *Pennati* ergo idem est quod celeres et veloces instar volucrum pennatarum. Addit Alcazar, *pennati* dicuntur, quia pennæ et alæ hæ imæ nascebantur ex eorum pedibus, id est ex summa parte femorum: licet enim id fieret, ut iis tegerent femora, tamen simul per hoc significabatur eorum agilitas et velocitas. Verum Hebr. *egel* non originem, sed rotunditatem pedum aut potius vitulinos pedes significat. Quocirca noster et alii melius vertunt, *vituli*: hebr. enim est עגל *eghel*, quod *vitulum*; non עוגל *agol*, quod *rotundum* significat. Esto *eghel*, id est vitulus, nuncupetur ab *agol*, eo quod sit rotundus, et dum petulcus lascivit, in rotundum se gyret et saltet. Adde, plantas vituli esse rotundas.

Eghel, id est rotundum vocatur vitulus, cur?

Habebant ergo Cherubim pedes vituli, hoc est ungulam rotundam et bifidam instar vituli. Primo, ut significetur eos esse mobiles et versatiles in omnem partem ad Dei nutum. Secundo, vitulus, quia victima, significat sacerdotium et sacrificium, per quod Hebræos ex Ægypto, Exo-

di 12. 3. et omnes homines a potestate et tyrannide diaboli redemit Iesus Christus, qui quadrigam moderatur, de quo in fine capitis. Tertio, plantæ vitulinæ horum quatuor animalium, significant eorum gressus omnes ad utilitatem electorum tendere. Vitulus enim et bos utilitatis et beneficentiæ est symbolum: ita Alcazar. Sed de hoc plura inferius quæst. 3.

Æs candens quod? ET SCINTILLÆ QUASI ASPECTUS ÆRIS CANDENTIS.) Ita quoque vertunt Chald. et Septuag. et Hebr. נחושת *nechoseet*, proprie significat æs. Vatabl. tamen vertit *chalybem*, q. d. Mittebant scintillas tales, quales chalybs politus emittit. Nota. Animalia hæc habebant pedes ex ære polito, sive ex aurichalco, ac proinde fulgentes ac scintillantes. Rursum, insistebant in medio ignis; ergo igniti scintillabant. Denique, ex igne elatæ scintillæ, et ab animalibus, eorumque pedibus repercussæ, coruscabant quasi æs vel chalybs *candens*. Hebr. קלל *kalal*, id est *politus;* Septuag. ἐξαστράπτων, id est *effulgurans*.

Notant hi pedes symbolice Angelos et Apostolos, de quibus dicitur: *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Candens* ergo æs, ait S. Gregor. hom. 3. *scintillas proiicit: quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt.*

Vers. 8. Quot manus habebant Cherubini? ET MANUS HOMINIS SUB PENNIS EORUM IN QUATUOR PARTIBUS.) Habebant brachia respondentia quatuor eorum faciebus, ita ut unicuique faciei duo paria brachiorum subiicerentur, essentque unicuique animali brachia sexdecim, inquit Maldon. Sic Gerion et Briareus, a Gentilibus poetis brachiorum multitudine armati pinguntur: quia terribiles erant bellatores, quales erant et hi Cherubini. Tot enim habebant manus, quot alas: cum ergo Maldon. et aliqui alii, eis tribuant 16. alas, ut dixi v. 7. hinc consequenter tribuunt eis 16. manus. Chaldæus vero, et R. Salomon, et Anton. Fernand. visione 13. sect. 6. sicut singulis dant 64. alas, ita et dant 64. manus. Secundo, optime Richard. Victor. tract. in hanc visionem, Petrus Serranus hic, et Alcazar loco citato, censent quemque Cherubim habuisse quatuor manus, uti et quatuor alas, scilicet sub qualibet ala manuum; uti inter paria alarum et manuum, iusta esset proportio, porro alæ hæ manus tegebant et quasi vestiebant, uti vestiunt in vespertilione, et nonnullis avibus. Habebant ergo binas manus, æque ac alas, a dextris: et binas a sinistris; itaque eis quasi quadrum, sive quadratum, ut habent Hebræa, efficiebant. Et hoc est quod ait Noster, illos habuisse manus in quatuor partibus. Recte, ait Alcazar in Apocal. 4. pag 380. Cherubinis properantibus ad obstinatorum excidium, quatuor tribuuntur manus: quia hæ apposite significant, eos fortissimos esse bellatores, æque ac celerrimos; ita ut fulmina in sceleratos desuper contorqueant. Hine a Poetis Briareus centimanus dicitur et pingitur.

Verum, quia Cherubini erant specie humana: homo autem tantum duas habet manus, hinc (aiunt alii) et ipsi duas tantum habuisse videntur. Quod ergo dicitur, illos manus habuisse a quatuor partibus, vel, ut hebraice est, רבעיהם *ribehem*, id est quadraturis, vel lateribus eorum; quadraturas et latera, non interna, uti vult Maldon. et Alcazar, sed externa intellige, quibus scilicet obversi erant ad quatuor latera currus, de quo sequitur, et per ea dispositi; ut, sicut currus erat quadratus, sic et ipsi sua positione ad quatuor eius rotas et latera collocati, quadraturam efficerent. Erat ergo hæc quadratura currus, cui se conformabant stipatores Cherubini: ita Chald. Sensus ergo est, q. d. Singula animalia, quæ erant in quaternis lateribus currus, habebant sub alis binas manus, et consequenter bina brachia. Sicut enim sub pedibus tibias, sic sub manibus brachia, per synecdochen intelligit. Hæc sententia naturæ, sed prior S. Script. et textui est conformior. Ait enim: *Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus: et facies et pennas per quatuor partes habebant.* Atqui quaternas habebant facies, ad quatuor partes sive latera: ergo et quatuor manus. Hæc enim animalia symbolica sunt, non naturalia.

Manus significant eorum efficaciam et operationem sub alis absconditam et invisibilem, inquit Theodoret. et ex eo Prado, et S. Gregor. homil. 3. *Manus,* ait, *hominis sub pennis, est virtus operis sub volatu contemplationis,* id est virtus Marthæ sub Maria. Ita Apollo sapientiæ præses a Spartanis cum quatuor auribus, totidemque manibus fingebatur, quo significabant viro prudenti multa esse audienda, deinde sedulo, manibus operi admotis, exequenda. Nihil enim aures prosunt sine manibus, auditio sine operatione, scientia sine praxi. Ægyptii, ait Horus hieroglyph. 27. sermonem notantes, pingebant linguam, et sub ea manum, significantes ut sermo sit efficax, opere implendum esse quod quis dicit et suadet. Quid enim prodest χρυσοῦ λαλοῦντων ἄπρακτος λόγος; ait Nazianz. in Iambicis. *Odi homines ignava opera,* ait Pacuvius. Rursum, hæ manus erant ad quadraturam currus, ut utrimque Cherubini tam anteriores, quam posteriores, ignem qui erat in prunario in medio currus, manibus ex eo possent accipere, eoque inflammare Ierusalem: ad hoc enim destinabantur, idque reipsa fecerunt cap. 10. 2. Unde Chald. ex suo interserens *Seraphim* ex Isaiæ 6. v. 2. sic vertit, *et manus quasi hominis factæ erant, ut haurirent in eis prunas de medio* (curru) *Cherubini sub firmamento, quod erat super capita eorum, ad dandum super pugillos Seraphim, ut dispergerent eas super locum impiorum, ad disperdendos sceleratos qui transgrediuntur verbum eius, et ut susciperent in eis conversionem omnium qui convertuntur.* Denique manus hæ erant alatæ, ut significetur celeritas angelorum in operando, et in exequendo Dei iussa, puta vindictam hic.

ET FACIES, ET PENNAS PER QUATUOR PARTES HABEBANT.) Hebr. est, *et facies, et pennæ* (quaternæ enim erant) *secundum quatuor ipsa,* q. d. Iuxta numerum quatuor animalium, quaternæ erant cuique facies et alæ, æque ac manus, eæque per omnia similes, per quatuor partes, id est loca et situs, dispositæ. Quaternis enim locis erant dispositæ alæ, et totidem, sub alis dispositæ erant manus: facies vero quaternis quoque locis, sed diversis a locis alarum et manuum, ut patet, erant dispositæ. Nec enim alæ et manus erant ante, ad dexteram, ad sinistram, et desuper, uti erant facies: sed omnes erant laterales, puta ad sinistram, et ad dexteram; sed duæ erant sursum, et alteræ duæ deorsum. Ludit enim in quaternario, datque causam, vel potius congruentiam, cur fuerint *manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus*: quia nimirum similiter *facies et pennas per quatuor partes habebant,* ut scilicet esset quaternitas tam in manibus, quam in faciebus, alis, animalibus, eorumque partibus, id est locis: simul quoque redit ad id quod dixerat v. 6. singula animalia habuisse quatuor facies: hic enim declarat quomodo illæ fuerint sitæ, et quo ordine positæ, nempe singulis erat una facies ante, altera a dextris, tertia a sinistris, quarta sursum, sive desuper, uti explicat v. 10. Hine noster vertit, *per quatuor partes*: hæ enim non significant quatuor plagas mundi, sed quatuor situs, scilicet ante, ad dexteram, ad sinistram et sursum, ita Alcazar.

IUNCTÆQUE ERANT PENNÆ ALTERIUS AD ALTERUM.) Vers. 9.
Primo Vatabl. sic explicat, q. d. Contigua erant sibi animalia: stabant enim in eadem linea recta. Verum obstat, quod v. 8. dicat, ea fuisse a quatuor lateribus, scilicet currus.

Secundo, Maldon. ex Hebræo sic exponit hæc de alis, non diversorum animalium, sed unius et eiusdem, q. d. In eodem animali ala unius faciei, alæ alterius faciei erat coniuncta, ita ut totum animal alis tectum esset.

Verum τὸ *alterius ad alterum*, animal respicit, non faciem, ut patet: sic enim dicendum fuisset, *ad alteram*. Dico ergo, sensus est, q. d. *Iunctæ erant pennæ* horum quatuor animalium, videlicet quando eas explicabant et expandebant ad volandum. Tunc enim inter duos priores Cherubinos, unus sua ala alam alterius tangebat: similiter et inter duos posteriores, qui erant ad duas ultimas rotas currus Dei, unus sua ala alam alterius contingebat, uti pulchre in imagine exprimit et repræsentat Prado.

Porro hæc coniunctio significabat, tum eorum unionem,

tum motum parem et uniformem, quod scilicet uno eodemque impetu omnia simul in eamdem partem, æqualique celeritate volare possent, et reipsa volarent: ita Maldon.

Tropolog. S. Gregor. homil. 7. *Quod*, inquit, *apud Ezechielem penna, hoc apud Petrum* (epist. 1. c. 4.) *accepta gratia dicitur. Et quod ille ait, Rectæ pennæ alterius ad alterum; hoc Ecclesiæ pastor dicit: Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.*

Non revertebantur cum incederent.) Id est, non regrediebantur, sed cum curru suo semper antrorsum progrediebantur, q. d. Cum incederent, ad destinatum locum constanter et recta pergebant, non convertebantur retrorsum, non etiam huc illucque deflectebant gyrando, (hoc enim innuit Hebr. לא יסבו *lo issabu*) sed coram facie antrorsum semper pergebant. Significat angelos recta properare eo quo mittuntur, nec desistere, sed perseverare donec illud perficiant, idque citissime. Rursum, significat providentiam, decretum et motum Dei immutabilem esse, ac retractari non posse, inquit Apollin. Polychron. et Prado. Deo enim, quasi domino suo, in omnibus se conformant Cherubini; unde et eius symbola gerunt, quibus eius proprietates repræsentant.

De motu tria axiomata.

Physici de motu sublunarium, præsertim animalium, hæc tradunt axiomata. Primo, motus ad locum, est naturalis; in loco, est voluntarius; extra locum, est violentus. Secundo, motus naturalis est ad locum suum sibique proprium, ideoque hic motus est rectus, sive fit per lineam rectam, ut patet cum lapis descendit deorsum, ignis sursum: circularis vero motus est voluntarius. Tertio, naturalis motus in fine validior est quam in principio: secus est in violento. Motus ergo hic Cherubinorum quaquaversum ita voluntarius est, ut videatur esse naturalis: ambulant enim coram facie sua, id est recta antrorsum. Rursus, ita naturalis est et voluntarius, ut videatur esse violentus: eunt enim in similitudinem fulguris coruscantis, idque uniformiter, hoc est, æque celeriter in fine ac in principio, et vice versa.

Qui imitentur motum Cherubim.

Tropologice, S. Gregorius docet homilia 5. nos motum Cherubinorum imitari, dum per viam virtutum in cælum, vi gratiæ et spiritus divini nos impellentis, tendimus: *Quia*, inquit, *ante nos æterna sunt, post nos temporalia, nos vero et illa pergentes invenimus, et ista recedentes quasi post dorsum relinquimus, nec ad mala perpetranda redimus.* Sic ambulabat Paulus ea quæ retro sunt obliviscens, et ad anteriora se extendens, Phil. 3. 13.

Vers. 10. Similitudo autem vultus eorum: facies hominis.) Hinc putant nonnulli Hebræi, teste Vatablo et Maldon. hæc animalia tantum unam habuisse faciem, scilicet humanam, sed quæ simul referret aliquid ferinum, puta leoninum, bovinum et aquilinum: quomodo Aristot. in Physiognomica, alios homines ad leones, alios ad boves, alios ad alia animalia referri dixit: et Plato, singulos homines aliquid in cerebro alicuius bestiæ habere, asseruit. Verum ex dictis contrarium certum est, scilicet quaternas habuisse facies, ita nimirum ut primaria esset hominis, uti hic significatur; tres reliquæ secundariæ, et laterales, ideoque ascititiæ, proprie essent facies leonis, bovis et aquilæ, quæ dextræ vel sinistræ vocantur respectu faciei hominis.

In cerebro cuiusque est aliquid bestiæ.

Facies leonis a dextris.) Laborat hic Prado, qui per *facies leonis* intelligit iubas, per *facies bovis* ungulas, quomodo illa fuerit a dextris, hæc a sinistris: iubas enim a dextris, æque ac a sinistris habent leones; uti et ungulas boves. Quocirca ipse Primo respondet: dextrum, inquit, et sinistrum non significant hic situs aut loci differentiam certam, sed confusam. q. d. Una parte hæc animalia erant similia homini et leoni, altera vero parte bovi et aquilæ. Sic Abraham ait ad Loth Genes. 13. 9. *Si tu ad dexteram iveris, ego ad sinistram pergam*, id est, si tu ad unam partem iveris, ego ad aliam me convertam.

Secundo, ad dextram, inquit, id est sursum habebant iubas leonis, ad sinistram, id est deorsum, habebant calceos bovis. Sed quis umquam dextrum vocavit sursum, sinistrum deorsum?

Tertio ergo, et propriissime, inquit ipse, horum animalium armus dexter erat iubatus, pes vero sinister erat fissus et calceatus: unde proprie a dextris habebant faciem, id est speciem, leoninam; a sinistris bovinam. Verum si iubata fuerunt hæc animalia, utique toto corpore iubata fuerunt; si calceata ungula, utroque pede calceata et ungulata fuerunt. Hoc enim exigit concinnitas et proportio: unde et Apoc. 4. 7. hæc animalia vocantur homo, bos, leo, aquila; scilicet a toto, vel potiori parte corporis, saltem ea qua leo et bos dignoscuntur, scilicet leo iubis, bos ungula. Quare dicendum est has facies fuisse proprie dictas, quarum leonina erat a dextris, bovina a sinistris, ut dixi v. 6.

Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.) τo *desuper* non habent Hebr. nec Chald. nec Septuag. nec Complutensia, nec Arabicus Alexandrinus: Romana tamen et alia Latina, ac Syrus, et Arabicus Antiochenus, passim legunt τo *desuper*. Unde ex Hebræo videtur excidisse vocula על *al*, id est *desuper*. Nam S. Hieron. in comment. eam legit et explicat, uti et S. Gregor. omnesque Latini. Quare aquila in capite et galea Cherubinorum eminebat, uti Romani et alii in capite olim gestabant aquilas, ut dixi v. 6.

Quocirca minus recte censent Theodoret. (cuius verba mox citabo) Richard. Victor. et Maldon. faciem aquilæ fuisse aversam et a tergo oppositam faciei hominis. Propheta enim ait eam fuisse desuper, non a tergo; ac milites in galeis hosti adversas, non aversas gestant aquilas.

Symbolice, quatuor facies eædem omnibus et singulis, significant quatuor horum animalium miram per omnia concordiam et consensionem. Tale est Gerionis emblema: depingitur enim homo tricorpor, triplici capite, manibus ter binis, cui titulus inscribitur: *Concordia insuperabilis.*

Facies eorum.) Supple, erant tales, et eo modo dispositæ, quo dictum est. q. d. Hactenus de faciebus: ita Vatablus. Verum Romana hæc iungunt sequentibus, q. d. Tam facies, quam alas Cherubim fuisse extentas et eminentes. Significant hæ alæ agilitatem Cherubinorum et angelorum, ac vim sublimiora penetrandi, inquit Severus in Catena. Vers. 11.

Alæ symbolum agilitatis et mentis sursum tendentis.

Tropolog. S. Gregor. homil. 4. *Significatur*, ait, *quod omnis intentio, omnisque contemplatio Sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci, quod in cælestibus appetit. Qui enim per bona quæ facit, terrenam gloriam concupiscit, pennas suas et faciem deorsum deprimit.*

Duæ pennæ singulorum iungebantur.) Non pennis alterius Cherubini sed inter se. q. d. Binæ singulorum pennæ erant æqualiter extentæ, et elevatæ; ac quasi iunctim aut complicatæ, aut potius expansæ. Unde Vatabl. vertit, *duæ alæ erant ex adverso positæ, et correspondentes, quibus volabant.* Significatur his alis eos paratos fuisse ad volandum, quocumque Deus iussisset. Aliis vero duabus pennis et alis tegebant femora sua. Tegumen femorum significat angelorum castitatem, et puritatem ab omni concupiscentia. Secundo, quod divini sint, non tantum cum volant ad Deum in oratione; sed etiam cum per femora et pedes quasi descendunt, euntque ad opera externa, in quibus homines etiam spirituales sæpe labuntur, et quasi homines deficiunt: ita Apollinaris.

Alæ tegentes femora significant castitatem.

Tropol. S. Greg. homil. 4. *Quatuor*, ait, *sunt virtutes, quæ a terrenis actibus omne pennatum animal levant; in futuris videlicet amor et spes, quæ sunt coniunctæ; quia electi amant cælestia, et sperant quæ amant: de præteritis autem timor et pœnitentia, quæ a Dei oculis eorum mala præterita abscondunt;* ideo tegunt eorum corpora.

Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat.) Vers. 12. Quia facies habebant quatuor, inquit Theodor. ad quatuor mundi plagas: ergo ad quamcumque incederent, coram facie una, quæ illi plagæ obversa erat, ambulabant. Audi Theodor. *Homo, ait, ad Borealem partem incedens, deinde cum vult ad Australem redire, necessario convertitur, unam tantum faciem sortitus: sed cui tot sunt numero facies, quot partes orbis terræ, huic Australe nihil est,*

sed ubique facies illius omnia intuetur, et quocumque velit incedit, neque indiget conversione. Ita et Richard. Victor. tract. in hanc visionem, et Maldon.

Secundo et melius, *coram facie sua,* scilicet primaria, puta humana. q. d. Quodlibet animal licet esset quadriforme, tamen coram facie sua humana ambulabat: excepta enim triplici aliorum animalium facie, quoad cætera omnia erat homo: unde plane decebat, ut ad eam faciem ambularet: alioqui enim retrogrado et averso incessu ambulasset.

Spiritus motor currus. UBI ERAT IMPETUS.) q. d. Deus quasi auriga, vice flagelli et habenarum spiritum, id est vim, impulsum et energiam divinam impresserat animalibus ad progrediendum, volandum vel sistendum.

Tropolog. S. Gregor. initio homil. 5. *Electos*, inquit, *impetus spiritus agit ad charitatem, humilitatem, continentiam*, etc. *reprobos agit impetus carnis ad gulam, odium, rixas, etc. Examina ergo uter spiritus te agat, et cave, ne impetus carnis pro impetu spiritus latenter te subiiciat.*

Vers. 13. Aspectus quasi carbonum. ASPECTUS EORUM QUASI CARBONUM IGNIS, etc. ET IN MEDIO ANIMALIUM SPLENDOR IGNIS.) Nota. In medio animalium erat quasi fornax, vel foculus, sive prunarium, ut patet tum ex hoc loco, tum ex cap. 10. v. 2. 6. 7. Ex hac fornace ignis diffusus igniebat Cherubinos, ut viderentur esse flammei, et quasi ardentes carbones, vel lampades, hebr. לפידים *lappidim*, id est faculæ, vel titiones. Idem ignis aerem ambientem splendore et fulgetris complebat. Quocirca probabiliter censet Prado, ex hac Ezechielis visione ortam fuisse consuetudinem Chaldæorum et Persarum, præferendi ante regem (qui quasi Deus quidam est in terris) et ante exercitum ignem, sive arulam cum igne: hoc enim eos fecisse testatur Curtius lib. 3. et Xenophon. lib. 8. Illos postea imitati sunt Romani, teste Herodiano lib. 1. c. 2.

Tropol. Tropolog. S. Gregor. hom. 5. *Quia*, inquit, *sancti viri quosdam iuxta se positos quasi tangendo, ad amorem patriæ cælestis accendunt, carbones sunt: quia vero quibusdam longe positis lucent, eorum itinera, ne in peccati sui tenebras corruant, lampades fiunt.*

HÆC ERAT VISIO DISCURRENS.) q. d. Videbatur in medio animalium splendor ignis discurrere et de igne fulgur egredi. Mystice ignis hic est charitas, et subinde tribulatio: hac enim nos carneos purgari oportet, ait Vatablus, hæcque facit, ut Dei amore inflammemur.

Vers. 14. Instar fulguris ibant. IBANT (Hebræa, et Septuag. *currebant*) ET REVERTEBANTUR.) Non retro: hoc enim negavit v. 3. et 17. Sed in latus, vel in gyrum, q. d. Ad nutum aurigæ, puta aurigantis Dei, nunc huc, nunc illuc se flectebant aut circumvolvebant. Ita aliqui. Secundo et melius, Vatablus, q. d. Dum irent Cherubini, non aspiciebant huc, illuc, sed recta ad locum, ad quem impetu spiritus Dei agebantur, tendebant: cum autem venissent ad locum quo mittebantur, revertebantur, id est convertebant se, et ibant quocumque Deus iubebat: aut revertebantur, ut rursum se sisterent Deo, quasi prompti ad alia eius iussa excipienda, et pari rectitudine et fortitudine exequenda. Licet enim hi Cherubini essent stipatores tam rotarum, quam solii Dei, tamen nec rotis, nec solio erant alligati; sed Deo iubente evolabant et revolabant celerrime instar fulguris. Deus enim in solio longe supra rotas et super Cherubim eminente, altissime residebat. Unde poterat vel residere, vel simul cum rotis et Cherubim progredi, prout volebat. Hinc a rotis et a Cherubim separare se et divellere visus est c. 9. 3. et c. 10. 18.

Tropol. Tropol. S. Greg. hom. 5. q. d. Electi sic ad bona ardenter tendunt, ut iis peractis ad Deum redeant, illique omnem operum gloriam ascribant.

IN SIMILITUDINEM FULGURIS.) q. d. Cherubini erant non tantum instar carbonum, sed instar fulguris, quod splendidissimum, celerrimum, efficacissimum, et plusquam igneum omnia pervadit.

Prælatus vita fulguret, ore tonet. Moraliter, tales debent esse Prælati, puta Episcopi, Pastores, rectores, nimirum ut sint instar S. Basilii, de quo

A scribit S. Nazianz. in carmine funebri:

Βροντη σειο λογος, αςεροπη δε βιος.

Tonitru tuus (o Basili) *erat sermo; at vita fulgur.*

Boanerges quid? I. Sic Marci 3. v. 17. S. Iacobus et Ioannes Apostoli a Christo vocati sunt *boanerges*, id est filii tonitrui, id est tonantes, scilicet Evangelii prædicatione, atque terrorem incutientes Gentilibus, hæreticis omnibusque improbis. Tale tonitru dedit S. Ioannes, qui unus fuit ex quatuor hisce Cherubim, habens faciem et speciem aquilæ, cum initio Evangelii intonuit dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, etc. *Et Verbum caro factum est.* Ita Epiphan. hæres. 73. Unde et scribente eo Evangelium, tonitrua et fulgura, æque ut in Sina, cum ibi tabulas legis a Deo acciperet Moses, emicasse, ex Prochoro et aliis docet Cardin. Baronius anno Christi 99. in fine.

Secundo, per *boanerges*, id est filios tonitrui, Baron. II. accipit fulmina: fulmen enim ex tonitru, quasi filius ex patre, nasci et prodire videtur. Sic Hebræi *filios pharetræ* vocant sagittas, *filios areæ* vocant frumenta et grana B tritici, q. d. Iacobus et Ioannes verbis et factis erunt fulminantes, et quasi fulmina Christi; quomodo Poeta dixit:

Duo fulmina belli Scipiadæ:

ita hic *duo fulmina belli Zebediadæ.*

Sic Seleucus, quintus post Alexandrum Magnum Syriæ rex, cognominatus est Ceraunius, id est fulmineus, quod ingenio veloci et audaci esset quasi fulmen, de quo Appianus in Syriaco, et Daniel. c. 11. v. 10.

Sic legio Christianorum sub Antonino Pio Imp. ab eo fulminea est cognominata, quod in summa rerum desperatione et siti, suis precibus pluviam et fulmina in hostes Romanorum a Deo impetrasset, teste Eusebio l. 5. c. 5.

Sic Plinius lib. 30. c. 1. Martem appellat fulminantem. Sic quasi Martes fulminantes erant hi Cherubini. Et Cicero ad Papirium l. 9. epist. 21. *Insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis fulmina.*

Tertio, *boanerges*, id est filii tonitrui, hoc est Christi, III. C qui ad nos venit cum luce doctrinæ, ac tonitru et horrore miraculorum, æque ac metus gehennæ, quem prædicando suis incussit, atque cum pluvia gratiæ, inquit noster Salmeron. Det Deus nobis multos tales Boanerges, multa talia fulgura et tonitrua. Denique hinc patet, quanta futura sit dos agilitatis in Beatis, nimirum in ictu oculi penetrabunt quasi angeli, ab Oriente usque ad Occidentem instar fulguris, uti de Christo veniente ad iudicium dicitur Matth. 24. 27.

ROTA UNA.) Iuxta unum animal, hoc est singulæ rotæ Vers. 15. Rotæ. erant iuxta singula animalia; hæ enim quatuor rotæ erant per omnia similes, et quasi una rota, ut qui unam videret, omnes videret: ita S. Hier. Non enim unam, ut vult Lyran. sed plures fuisse rotas, patet ex eo quod sequitur: *et aspectus rotarum*, etc. Transit hic Propheta a Cherubinis ad rotas. Hinc patet hæc quatuor animalia non fuisse in ipso curru, ut aliqui opinantur, sed iuxta currum; erant enim quasi eius stipatores. Unde cap. 10. 9. dicitur: *Rotæ iuxta Cherubim.* Porro inter has rotas erat arula D cum igne, ex qua ignem acceperunt Cherubim, quo succenderunt Ierusalem, ut dicitur cap. 10. 6. Sicut enim in templo altare thymiamatis erat coram Deo residente in sancto Sanctorum, ut thymiamatis suffitu eum honoraret: ita et instar illius erat hic arula. Simili modo regibus Chaldæorum et Persarum præferebatur foculus ignis, uti dixi v. 13.

SUPER TERRAM.) Non quæ hic a nobis calcatur, sed quæ ei similis in cælo Ezechieli per visionem ostensa est: sicut pictores currum pingunt in pariete, quasi terræ insistentem.

HABENS QUATUOR FACIES.) Vatablus vertit, *ad quadraturam facierum ipsorum*, id est ad quatuor angulos, in quibus singulis erant singula animalia, hoc est, quadruplex, sive quadripartita erat rota. q. d. Vidi quatuor rotas consistentes ad quatuor animalium latera: singula enim animalia suam habebant rotam, ut patet c. 10. 9. ita Maldon.

Secundo, Vatabl. putat hanc quadraturam fuisse quatuor semicirculos cuiuslibet rotæ: rotam enim quamlibet fuisse duplicem instar sphæræ, sive coluri Mathematici, de quo mox.

Tertio, melius ex Hebræo vertas, *secundum quatuor facies eius*, scilicet animalis. q. d. Rota quælibet habebat sibi insculptam faciem bovis, leonis, hominis et aquilæ, æque ut quilibet e Cherubinis: ita S. Hieron. Erant enim similes Cherubinis: unde quisque Cherubim suam habebat rotam: atque stemmata ac trophæa Dei tam in rotis currus triumphalis, quam in Cherubinis stipatoribus exprimebantur, uti ostendam in fine capitis. Videntur hæ quaternæ facies ad quatuor rotarum latera, quasi ad quatuor earum angulos fuisse disposita et distributa.

Nota. Animalia sub se habebant rotas, quia rotæ tangebant terram, animalia autem alis se super terram librabant. Symbolice Scholiastes: rota super terram, inquit, significat continuationem providentiæ Dei et angelorum in homines, tam suavem et efficacem, quam est motus rotæ. Secundo, rota est anni circularis revolutio, et spirituum periodus, ait idem Scholiast. Tertio, Orig. Rota, ait, est hic mundus, et generatio una alteri in eo succedens. Omnes ergo sub rota sumus:

Rota significat rotationem mundi.

Et fugit interea, fugit irrevocabile tempus.
Eheu fugaces, Posthume, Posthume,
Labuntur anni,

ait ex Lyrico S. Hieron.

Vers. 16. Et aspectus, id est forma, figura, species, rotarum: et opus, id est materia, earum quasi visio maris.) Id est, marini et cærulei erat coloris. Hebr. est, *quasi species tharsis*, vel *lapidis tharsis*, uti habetur c. 10. 9. Porro lapidem tharsis Aquila interpretatur chrysolitum: Symmac. hyacinthum: quia uterque est marini coloris (*Tharsis* enim significat mare.) R. Salomon vero et Maldonat. vertunt, *crystallum*, quæ ex aquis non colorem modo, sed et originem et nomen trahit, inquit Plinius lib. 37. c. 2. q. d. Tam materia quam forma rotarum videbatur esse crystallina, aut hyacinthina, aut chrysolithina. Mare enim Solis radiis fulgens habet speciem chrysolithi, per quem ardens cælestis sapientia significatur.

Visio maris quæ?

Rursum, rotæ hæ mari similes significant res creatas habere speciem maris; quia non tantum splendore, et quasi colore referunt mare; sed etiam motu suo rato et constanti, mare ac cælum imitari videntur. Nam mare ex impressione cælesti, statis vicibus noctu interdiuque æstuat: ita rotæ visæ sunt ad motum Cherubim ire et redire, quasi æstus marinus: ut huc videatur respexisse David Psal. 76. 20. *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.* Ita Hugo Card. et Anton. Fernandius lib. de Vis. veter. Testam. vis. 13. sect. 12. Rotæ, inquit, mari similes, statos æstus marinos, reciproca sua motione exprimunt. In mari enim, eiusque vastitate, reciprocatione, fluctibus, balænis et piscibus, etc. maxime relucet mira Dei providentia et gubernatio, quam currus hic Cherubicus repræsentat. Vide Psal. 103. 25. et Psal. 106. 23.

Una similitudo ipsarum quatuor.) q. d. Rotarum singularum similis erat species, figura, dimensio, color.

Quasi sit rota in medio rotæ.) Hoc est, quasi sit circulus circulum secans in sphæra ad angulos rectos sphærales, ita ut quælibet rota haberet quadraturam, id est quatuor semicirculos ex quibus fiebat colurus, sive sphæra et sphæricus globus: atque ita has quatuor rotas quasi quatuor coluros et globos. depingunt Parisienses quidam in suis Bibliis, Richard. Victor. tractat. in hanc Ezech. visionem. Vatabl. Alcazar, Lyran. ac Maldon. hic, qui censent has rotas fuisse duplices; unam enim intersecasse alteram, uti fit in coluro, atque ita universim fuisse octo: licet enim integræ tantum essent quatuor, quæ et loco erant disiunctæ; tamen singulæ constabant ex duabus rotis, sive circulis sese intersecantibus ad angulos rectos, in modum crucis; atque ita universim erant octo. Erant ergo hæ quatuor currus Dei rotæ quasi quatuor coluri, sive sphæræ. Porro, quotiescumque quiescebant hæ rotæ, quiescebant in puncto aliquo quo se secabant, eoque terram attingebant: sic enim fiebat, ut, cum movendæ essent, quamcumque in partem moveri possent sine conversione corporis rotæ. Hoc est, ait Maldonatus, quod dicitur v. sequenti: *Per quatuor partes earum euntes ibant.* Erant enim hæ rotæ symbolicæ, cælestes et divinæ: referebant enim cælestes coluros, sphæras et circulos. Hoc enim proprie significat, *rota in medio rotæ;* erantque simul curules, ac mobiles et gyrabiles ad quamvis mundi plagam. Aliter Hieronym. Prado: Rota, ait, in medio rotæ, erat modiolus, qui solet esse in rotis: ex eo enim radii procedunt ad canthos, sive ad ipsam rotæ peripheriam, quasi illa sit rota extima, modiolus vero sit rota intima. Verum, modiolus non est rota, multo minus est rota in medio rotæ, et, ut Arabicus Antioch. vertit, *rota in rota;* et, ut Syrus, *rota intra rotam;* et ut Arabicus Alexand. *rota, quæ sit in interiori parte* (in ventre) *alterius rotæ.*

Rotæ hæ erant quatuor coluri.

Symbolice, rota hæc in medio rotæ, Primo, est circulatio rerum sublunarium et terrestrium, quæ a sole, cælis, et motu primi mobilis ambitur, et fit. Secundo, est principium, profectus et finis rerum omnium, quæ in orbem hic aguntur: ita Apollinaris, qui Tertio, addit, per eam significari misericordiam et iustitiam, quæ a Deo quasi pariter et vicissim procedunt, tamquam eant in orbem. Omnia enim opera Domini misericordia et veritas, sive æquitas et iustitia: unde Psaltes, *Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine.*

Quæres, an rotæ hæ fuerint solæ, an axe coniunctæ, ita ut efficerent currum? Axe iunctas, perfectumque currum fuisse, cui imposita fuerit arula, sive focus ignis cum arca fœderis, censet Prado. Probat quia Eccli. 49. v. 10. et passim ab interpretibus vocatur currus. Verum, cum Propheta hic, et c. 10. solas rotas nominet, easque fuse et operose describat, nec nominet axem, currum aliaque ad currum necessaria, frustra quis ea confinget, rotisque addet. Quod enim Propheta non exprimit, quis exprimere et fingere audeat? Adde, in hisce rotis non sedebat Deus, sed in solio supra firmamentum elevato; ergo non opus erat curru. Huius enim usus non est, nisi ut quis in eo sedeat, eoque vehatur. Porro ad sustinendam arulam, vel foculum ignis, non erat opus curru; tum quia non constat an vere fuerit arula (hæc enim non nominatur) an tantum ignis et prunæ; hæc enim nominantur: tum esto ignis et prunæ fuerint in arula (uti fieri solet) hæc sustinebatur et movebatur a spiritu Dei, æque ac rotæ et Cherubini. Hic enim spiritus omnia sustinebat, agebat, et quasi animabat; nisi quis malit arulam hanc a Cherubinis Deo prælatam, aut ex firmamento super rotas exspanso suspensam fuisse, ex eoque pendulam hæsisse inter rotas, sicuti in templis nostris lampades ex alto suspensæ, ante Venerabile Sacramentum pendulæ hærent. Hæc enim arula ignis est instar lampadis: præfertur enim Deo, ut indicet eum esse lucem et ignem mundi, uti est Christus in Eucharistia, quod lampade ei prælucente significatur. Id ita esse patet ex eo, quod rotæ hæ erant currus et solii Dei: videbantur ergo quasi sustinere firmamentum, cui insistebat solium Dei, non autem ipsam arulam: sic enim fuissent rotæ currus arulæ, non currus et solii Dei. Tertio, quia rotæ aptius sunt symbolum providentiæ Dei quam currus, aptiusque repræsentant orbes tum elementares, tum cælestes, quibus singulis singuli præsunt angeli, sicuti singulæ rotæ hic sequuntur motum et ductum singulorum Cherubinorum, qui singuli singulis rotis astant, ut dicitur cap. 10. 9. Quarto, quia rotæ hæ erant coluri, ideoque ad quamvis partem et plagam mundi gyrabiles: ergo carebant axe. Axis enim in longum porrigitur, firmusque consistit, ac firmat currum. In his autem rotis nihil erat firmum et consistens, sed omnia volubilia; omniaque rotabantur: constat autem axem, totumque currum non posse sursum, deorsum, antrorsum et retrorsum rotari. Quinto, nulla fit hic equorum mentio, qui in curru sunt necessarii, ut eum protrahant.

An solæ, an cum axe et curru?

Dices, Cur ergo vocatur hic currus Dei? Resp. Voca-

tur currus metaphorice et analogice; Primo, quia sicut in curru sunt quatuor rotæ, ita erant et hic. Ubi enim sunt quatuor rotæ æque semper distantes, quæ simul semper aut consistunt aut moventur, idque eadem et pari velocitate ac tenore, ita ut dum binæ priores procedunt, mox pari passu binæ posteriores sequantur; ibi dicimus esse currum et quadrigam: quadrigam enim faciunt quatuor rotæ, uti bigam duæ: atqui ita erat hic: ergo iure vocatur currus. Simili modo Cherubini, quos fecit Salomon 1. Paral. 28. v. 1. ad altare thymiamatis, ut illud alis suis velarent, similes Cherubinis Mosaicis velantibus arcam, vocantur ibidem quadriga, id est currus, Cherubim. Ibi ergo ipsos Cherubim Scriptura vocat currum; quia eis quasi solio curuli insidebat Deus: q. d. Confecit Salomon Cherubinos, qui binis alis utrimque iunctis facerent quadrum, et quasi quadrigam, essentque quasi currus, aut potius solium curule, cui insideret Deus. Ita Lyranus, Abulensis, et Vatabl. Sic Deus dicitur vehi, equitare super Cherubim, iis quasi currui insidere, quia Cherubini quos fecit Moses, alis expansis exhibebant quasi solium Deo; cumque essent duo, speciem quamdam exhibebant bigæ, sive currus: multo ergo magis quatuor hæ rotæ Cherubinorum, quæ exhibent speciem non bigæ, sed quadrigæ, analogice possunt vocari currus, sive quadriga Dei.

Secundo, singulæ rotæ, cum essent coluri et sphæræ, habebant speciem quamdam currus rotundi et tecti, ita ut viderentur hic esse quatuor partiales parvique currus.

Denique recte vocatur hic Ezechielis currus Cherubim, non quod solæ rotæ efficerent currum; sed quod tota hæc visio speciem currus exhiberet. Nam quatuor rotæ erant quasi rotæ currus, sive quadrigæ: super rotas et Cherubim expansum erat firmamentum, quasi tabulatum currus (quod aliquo modo referebat et repræsentabat propitiatorium, quod cum arca et Cherubim fecit Moses) super quo erat solium Dei: ita ut hæc omnia simul quasi repræsentarent Deum solio et currui triumphali, qui quaternis rotis subiectis agebatur, insidentem. Erat ergo hic currus, non quales sunt terreni; sed divinus, qui tamen aliquo modo terrenis esset similis. Erant enim in hoc Dei curru, in imo quatuor rotæ, super has eminebant Cherubim, super Cherubinos expansum erat firmamentum, super hoc erat solium regale, cui insidebat Deus. Hic enim currus significabat totum universum, omnesque creaturas, quibus præsidet Deus creator. Rotæ ergo imæ significant orbes quatuor elementorum, omnesque orbes cælestes, quos regunt Cherubini, id est angeli. Hisce imminet firmamentum, id est cælum empyreum, in quo solium suum habet Deus, gloriamque suam Beatis ostendit et communicat, de quo plura inferius. Sicut ergo orbes elementares orbibus cælestibus, et hi cælo empyreo immediate subiiciuntur, et inter se continua successione, sine axe aliove vinculo, copulantur: ita et rotæ hæ sine axe aliove vinculo inter se et cum firmamento sola dispositione, puta proportionata serie, successione et ordine, quem in eis causabat spiritus vitæ qui erat in rotis, cohærebant et copulabantur. Denique hac de causa rotæ, licet integræ tantum essent quatuor, tamen quia singulæ erant duplices, hinc revera erant octo: quia repræsentabant septem orbes planetarum, et octavum orbem firmamenti, in quo sunt stellæ et astra. Hæc enim, quia sola hominibus conspicua sunt, tantum repræsentat hic Scriptura, sub quibus cæteros orbes quos Astrologi ponunt, comprehendit.

Vers. 17. PER QUATUOR PARTES EARUM EUNTES IBANT.) q. d. In quatuor currus lateribus pari passu, rectitudine et constantia, æque ac velocitate movebantur hæ quatuor rotæ: non enim revertebantur, sed directe et constanter pergebant ad locum destinatum, quasi quadrata castrorum acies recte ordinata. Nota. Hæc geminatio *euntes ibant*, significat tum constantem rectitudinem, tum velocitatem in motu rotarum.

Secundo et congruentius, Maldon. et Vatabl. q. d. Ibant hæ rotæ ad quatuor latera, scilicet nunc ad dexteram, nunc ad sinistram, nunc antrorsum, nunc retrorsum; ubi tamen motum aliquem inchoaverant, ad scopum pergegant, quem ubi attigerant, in quamlibet partem erant gyrabiles. In omnem ergo partem moveri poterant, Deique currum per quatuor mundi plagas agere: insistebant enim puncto rotas intersecanti in modum crucis, ut iam dictum est. Qua re significabant, Evangelium Dei quavis mundi plaga perferendum et propagandum.

ET NON REVERTEBANTUR.) Scilicet, retro, ut retrorsum agerentur, et agerent solium Dei: hoc enim indecens fuisset. Significat directum et constantem motum rotarum antrorsum. q. d. Cum rotæ aliquo tenderent, eo constanter et recta tendebant, non incidebant, non circumflectebant motum: non gyrabant (hoc enim significat Hebr. לא יסבו *lo issabu*) uti gyrare et circuire solent currus nostri cum in paludes, anfractus, rupes, aliaque invia incidunt. Hæ enim rotæ Dei recta pertransibant, aut recta librabant se sursum cum opus erat, itaque avia omnia superabant: nam spiritus vitæ erat in rotis. Cessante tamen illo motu, cum ad locum destinatum pervenissent, poterant alium inire, et quaquaversum, etiam retro se flectere si vellent; uti de facto currus hic retro actus quandoque fuit. Nam primo Ezechiel consistens in Chobar et Babylone, vidit hunc currum e Chobar tendentem Hierosolymam, quasi ad eius expugnationem et excidium. Unde c. 8. 4. spiritu raptus in Ierusalem, ibi eumdem vidit: ait enim: *Et ecce ibi gloria* (gloriosus currus Cherubim) *Domini, iuxta ostium quod respiciebat Aquilonem.* Et c. 9. 3. *Gloria Domini assumpta est ad limen domus.* Inde vero c. 11. v. 22. currus hic motus fuit, et tetendit ad montem Oliveti. Ait enim: *Elevaverunt Cherubim alas suas, et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque supra montem, qui est ad Orientem.* Denique Tertio, c. 42. 2. ex monte hoc revectus est in urbem. Ait enim: *Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem;* et v. 4. *Maiestas Domini ingressa est templum, per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem.* Ex his locis liquet, currum hunc Dei primo e Babylone Hierosolymam, id est, ab ortu ad occasum perrexisse; secundo rediisse ad ortum, scilicet ad montem Oliveti: ac tertio, inde ad occasum, puta ad urbem et templum, rediisse. Ivit ergo et redivit currus. Ita Alcazar loco superius citato.

Non revertebantur quomodo?

Alii τὸ לא יסבו *lo issabu* vertunt, *non volvebantur in orbem*, non circinabant; sed quasi fixo cantho et gradu procedebant, aut raptabantur instar animalium; uti fit, cum rotæ curruum in declivi, et descensu montis, ne ruant in præceps, catena ferrea vinciuntur et constringuntur, itaque immotæ sensim trahuntur et raptantur. Unde ait: *Spiritus vitæ erat in rotis.* Verum ad quid rotæ, nisi ad rotationem et volubilitatem? Rotatio enim proprius est motus rotæ et currus. Unde cap. 10. v. 13. rotas istas vocat volubiles.

STATURA QUOQUE ERAT.) Hebr. *dorsa*, vel *canthos habebant, eratque illis altitudo* tanta, ut *metum* (terrorem et stuporem) *afferrent* aspicientibus: q. d. Habebant hæ rotæ ingentem altitudinem, æque ac ambitum et peripheriam, scilicet, ut hæc earum currusque altitudo et magnitudo responderet magnificentiæ solii et aurigæ, puta, Dei dignitati et maiestati. Unde Richard. Victorin. tract. in hanc Ezechiel. visionem. Erant, inquit, hæ rotæ aspectus horribilis, id est enormis magnitudinis. Canthos voco circulos extimos rotæ, qui fere lignei sunt, et canthis, sive laminis ferreis obducuntur et muniuntur. Hi enim sunt quasi dorsum et peripheria rotarum. Vers. 18.

Dorsa rotarum sunt canthi.

Tropologice, S. Gregor. hom. 6. *S. Script.* ait, *staturam habet quia mores ad standum dirigit, ne ad terrena curventur. Altitudinem habet: quia in cælesti patria æternæ vitæ gaudia promittit. Horribilem quoque aspectum habet: quia omnibus reprobis gehennæ supplicia minatur.* Vide sequentia.

TOTUM CORPUS, hebr. *dorsa*, sive canthi earum, PLENUM OCULIS.) Id est, ocellis pulcherrimis, quales sunt in caudis pavonum, ex lucis et coloris commistione et reflexione: sicque pulcherrime, hi ocelli respondebant colori marino rotarum: glaucum enim oculi est coloris marini. Rursum hi oculi significant, rotas has habere motus cer-

tissimos, quasi oculis ducibus factos: ita Fernand. vision. 13. sect. 13.

Ocelli cæli sunt stellæ. Symbolice, rotæ ornatæ ocellis sunt cæli ornati stellis lucidissimis, quasi ocellis et floribus pulcherrimis. Ita Severus in Catena. Quin et Plinius l. 2. c. 5. *Inde*, ait, *tot stellarum collucentium illos oculos.*

Mystice, oculi hi sunt symbolum circumspectionis et vigilantiæ, quæ esse debet in aurigatione currus, id est, in regimine orbis et Reip. Hinc tam rotæ, quam Cherubim ut patet c. 10. 12. et Apoc. 4. 8. pleni erant oculis. Quot ergo vides noctu stellas in cælo, tot et longe pluribus angelorum et Beatorum oculis, cogita te ubique aspici, ac dicito cum Apostolo: *Spectaculum* (græce θέατρον, id est, *theatrum*) *facti sumus mundo, et angelis, et hominibus*, 1. Corinth. 4. 9. Maxime vero cogita oculum illum Dei lucidissimum, et maximum te, tuaque facta, dicta et cogitata ubique intueri, æque ac regere. Hinc Ægyptii Deum pingebant, quasi oculum baculo insistentem: baculo, sive sceptro denotabant Dei potentiam et imperium: oculo, eius omniscientiam et omniprovidentiam; *Deus ergo totus est oculus, totus est auris*: quia omnia videt, omnia audit. Hoc est quod ait Sapiens Sapient. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc* (πνεῦμα id est hic spiritus) *quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Nolite ergo murmurare, detrahere, vana loqui; quia hic spiritus qui omnia continet, singulas vestras voces audit et notat. Et Proverb. 15. 3. *In omni loco oculi Domini* lucidiores sole *contemplantur bonos et malos.* Merito ergo dixit Boethius; Magna nobis iniecta est necessitas bene agendi, quando omnia agimus in conspectu iudicis cuncta cernentis, qui, ut ait Poeta, est:

Moral. de Dei præsentia.

Ἥλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.

Sol qui omnia videt, et omnia audit. Deus ergo est sol, est ἔνδικον ὄμμα, id est iustus oculus, index vindexque omnium: perinde hac ab Ovidio 4. Metamorph. sol vocatur mundi oculus. Et Psaltes Psalm. 138. 7. *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam?* etc. *Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me: et nox illuminatio mea in deliciis meis: quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur.*

Rectores sint Argi. Tropolog. significatur rectorem debere esse pervigilem, ut omnia circumlustret et perspiciat. Ita fingunt Poetæ Argum pastorem plenum fuisse oculis: illi enim Iuno custodiendam dedit Io Inachi filiam mutatam in vaccam. Sed Mercurius a Iove missus dulcedine cantus illum sopitum occidit. Oculos tamen Argi Iuno indidit caudæ pavonis, quæ dicitur avis Iunonia. Unde Virgil. 7. Æneid.

Et custos virginis Argus.

Et Ovidius l. 1. Metamorph.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inque suis vicibus capiebant bina quietem:
Cætera servabant, atque in statione manebant.

Rector ergo sit Argus, sit centoculus.

Porro censet Prado, oculos hosce in rotis, ac consequenter in Cherubinis, non fuisse vivos et humanos, sed symbolicos et quasi pictos, aut cælatos, quales visuntur in cauda pavonis. Verum alii passim veros hic accipiunt oculos, qui videbantur esse vivi: *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Et tales habuerunt Cherubini Apocal. 4. 8. unde ibidem cap. 5. 6. Agnus, id est Christus, dicitur similes habere septem oculos, humanos utique et vivos. Dices, Hi oculi cum rotis perpetuo rotatu per terram volvebantur: ergo non erant veri, nec vivi: fuissent enim ad terram allisi, et læsi. Respondet Alcazar Apoc. 4. oculos hos non tetigisse terram, sed vel ad latera rotarum fuisse dispositos, vel introrsum in chantis fuisse reconditos, et quasi cancellis inclusos, ut tangi aut lædi nequirent. Et tales oculos Poetæ dant Argo, utpote vigiles et excubantes. Vivos in rotis oculos dixi, non quod vere essent vivi (nec enim rotæ vivebant) sed quod essent vivaces, et similes vivis. Erant enim tales, quales sunt oculi angeli dum corpus assumit. Hi enim videntur veri vivique oculi, revera tamen non sunt: quia angelus iis, uti et toti corpori assumpto assistit, tantumque illud movet et agitat, non autem informat et animat.

Vers. 19. CUMQUE AMBULARENT ANIMALIA, AMBULABANT PARITER ET ROTÆ.) q. d. Rotæ æqualiter ad cursum animalium volvebantur, sive sursum, sive deorsum: ita ut idem semper esset inter rotas et animalia spatium. Ita Maldon.

Vers. 20. QUOCUMQUE IBAT SPIRITUS, scilicet animalium, ILLUC ET ROTÆ, etc. SEQUENTES EUM.) De animalibus enim dixit, v. 12. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Ita Maldon. Secundo Septuag. vertunt, *ubicumque erat nubes, illuc spiritus ambulabat, ambulabant animalia, et rotæ.* Per *nubem* accipiunt sedentem in nube, eaque tectum, scilicet Deum, q. d. Ad nutum Dei præsidentis agebatur spiritus, id est vis et impetus impellens tam animalia, quam rotas.

Vers. 21. SPIRITUS ENIM VITÆ ERAT IN ROTIS.) q. d Quocumque animalium spiritus impellebat animalia, eo spiritus rotarum impellebat et rotas. Erat enim unus idemque hic Dei spiritus, æquabiliter, non animans, sed impellens tam rotas quam animalia. Fuit enim quasi spiritus animalis, et halitus vitalis Dei, ab eo rotis aspiratus, per rotas permeans et diffusus, illasque movens et agitans: instar illud Platonis, et Virgilii:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Spiritus vitæ in rotis quid? Sensus est: Hoc Dei vehiculum non trahebatur equis, bobus, aut camelis; sed per se currebat, ac si vitam habuisset, animalibus præcedentibus, et rotis subsequentibus per se motis, ex vi et impulsu, quem Deus iis per angelos imprimebat. Hinc Cherubim præeunt, eorumque ductum et motum per omnia sequuntur rotæ.

Symbolice, significatur, ait Polychron quod cæli, resque omnes et tempora, perinde ac si spiritum et sensum haberent, moveantur a Deo, pareantque Dei præceptis. Rursum, quod cæli ac mundus sint quasi currus Dei præsidentis, sponte currens sub Domino sine equis, sine habenis, sine temone; quodque Deus supervehatur omnibus cælestibus, iisque sine strepitu et rigore dominetur, inquit Apollinar. Tertio, quod Deus per angelos gyret cælos, tempora, et creata omnia; eaque suavissime, æque ac fortissime regat et moveat, sicque eis quasi spiritum vitalem, animalem et motivum imprimat. Et hoc est, quod ait v. 19. *Cum ambularent*, vel elevarentur *animalia*, id est angeli, *ambulabant pariter* et elevabantur *rotæ*, id est cæli.

Vers. 22. ET SIMILITUDO SUPER CAPITA ANIMALIUM FIRMAMENTI, QUASI ASPECTUS CRYSTALLI HORRIBILIS, etc.) q. d. Super capita Cherubinorum vidi firmamentum, id est, cælum sphæricum expansum coloris aerei, diaphanum et splendescens, quasi crystallum, eratque horribile, id est, augustum, et eximii splendoris, ideoque admirabile, suspiciendum et venerandum. Erat enim palatium, aut potius suppedaneum Dei sedentis in throno; ideoque eius divinitatem et maiestatem quodammodo repræsentabat. Unde *firmamentum* hoc Syrus vocat *tegmen*, vel tectum; Arabicus Antiochenus, *umbraculum*; Arabicus Alexan. *caliginem*, vel obscuritatem. Quocirca verisimile est, cælum hoc illustribus stellis, variis et plurimis fuisse interstinctum. Tale enim est nostrum firmamentum: et tale in hac visione depingit noster Ant. Fernandius, et alii. Aristot. de mirabil. auscult. scribit stagnum esse ambitu suo scutum non excedens, in quod si quis lavandi gratia ingrediatur, in latum extendi; quod si iteret, amplius dilatari. Talis est natura Dei: *tantum recedit, quantum capitur*, ait Nazianzen. orat. 1. Id repræsentat hic firmamentum horribile, et, ut Arabicus vertit, caligo.

Firmamentum instar crystalli quod?

Horrendum, id est, stupendum. Nota. *Horribile*, id est *horrendum*, per metalepsin sumitur pro re mira et stupenda. Ita Nonius Marcellus lib. de proprietate sermonum: *Horrendum*, ait, *significat novum et admirabile.* Hinc illud Virgilii lib. 3. Æneid.

Horrendum dictu, video mirabile monstrum.

Et lib. 8.

Nascenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat.

Venerandum. Secundo, *horrendum*, id est, venerandum. Ita Virgil

de domo Pici lib. 7. Æneid.

Horrendum silvis, et relligione parentum.

Horrendum, id est, venerandum, non quod horrori sit, ait Servius. Et hoc significat Hebr. נורא *nora*, id est, terribilis, horribilis. Sic enim Deus sæpe vocatur *nora*, quia metuendus est et colendus. Unde Chald. pro *nora* vertit חסין *chasin*, id est, fortis: *quasi aspectus*, inquit, *gelu fortis*. Et Septuag. subinde pro *nora* vertunt, ἔνδοξον, id est, gloriosum. Quia enim cælum est forte, potens, gloriosum, augustum et admirabile Dei habitaculum, hinc venerationem, et sacrum quemdam horrorem intuentibus incutit.

Nota Secundo. Quia rotæ hæ, et animalia videbantur esse in terra: in ea enim visuntur animalia, et rotæ; hinc, ne putaremus eorum aurigam, puta Deum, cælo subesse et tegi; subiicit, cælum supra rotas et supra Cherubim expandi, Deum vero supra cælum in suo solio residere, et tam cælum quam terram pedibus premere, et utrique dominari.

Vers. 23. Pennæ (alæ) eorum rectæ, id est, extentæ ad eamdem rectitudinem et altitudinem: alterius ad alterum.) Hebr. אשה אל אחותה *iscia el achota*, id est, *fœmina ad sororem suam*, id est, unaquæque ad eam quæ sibi vicina erat. Non vult dicere, alam unius animalis alæ alterius fuisse coniunctam; sed in eodem animali, alam sinistram ex æquo respondisse dextræ, et dextram sinistræ; easque pari rectitudine et mensura fuisse expansas et elevatas. Vide dicta v. 11. Ita Maldon.

Et alterum, id est, quodlibet aliorum animalium, similiter velabatur.) Duabus suis alis. Patet ex textu Hebræo, qui habet: *Unicuique duæ* alæ *tegentes illis, unicuique duæ* alæ *tegentes corpora ipsorum*. Sic enim iterant Hebræi verba, cum distributionem universalem significant.

Vers. 24. Et audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum.) Duplex erat motus Cherubim. Primo, volabant quasi aves, cum vi spiritus tollebantur in altum; tuncque alarum concussione mirum, sed confusum excitabant sonum et fragorem, quasi aquarum multarum, dum in mari ad littus, vel in flumine ad saxa alliduntur, et quasi sonum sublimis (hebr. שדי *sciaddai*, id est, *omnipotentis*, ut vertit noster cap. 10. 5.) Dei.) Id est, quasi sonum tonitrui. Unde Symmach. et Theodotion vertunt, *quasi tonitru Dei potentis*. Tonitruum enim est vox et sonus Dei psal. 28. 3. *Vox Domini super aquas: Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas*. Aut, ut Scholiast, *quasi sonum sublimis Dei*, id est, quasi sonum tubæ clangentis, quæ erat signum et insigne adventus Dei in castra, Numeror. 23. 21. Secundo, cum ambulabant Cherubini edebant sonum et murmur, quasi turbæ multæ, et castrorum; quia quadriga hæc exercitus et castrorum Dei erat hieroglyphicum.

Vers. 25. Cumque starent, dimittebantur pennæ eorum.) A motu et concussione, q. d. Cum cessarent, tunc non movebant, non concutiebant alas suas; servabant tamen semper eas extentas, et ad volandum paratas, uti dixit v. 11. Unde Septuag. vertunt, *cessabant alæ eorum*.

Cum fieret vox.) Notat celerem angelorum in omnibus ad Dei nutum obedientiam, ait Theodor. q. d. Cum Deus quasi auriga voce signum daret Cherubinis ut sisterent, statim *submittebant*, hebr. תרפינה *terappena*, id est remittebant, hoc est, cessare et quiescere faciebant alas suas; servando tamen eas extentas, ut dixi v. præc.

Vers. 26. Similitudo throni.) Est hysterologia, sive inversus ordo. Verba enim transponenda, et ita ordinanda sunt, *super firmamentum erat similitudo throni*, *quasi ex sapphiro* fabricati, id est, candoris, pretii et splendoris admirandi. Nam sapphirus, ait Plinius lib. 37. 2. aerii est coloris, aureis punctis micans, centroque crystallino. Quocirca sapphirus significat nobilitatem et splendorem divinæ maiestatis nobis inaccessum et invisibilem. Vide

Homines sunt dii mortales. de symbolis sapphiri ea quæ dixi Exodi 24. 10. et c. 28. 18.

Quasi aspectus hominis.) q. d. Visus sum mihi videre hominem: puta regem, in hoc solio. Huc pertinet illud

A Luciani: *Quid sunt homines! Dii mortales. Quid sunt dii? homines immortales.* Nota. *Aspectus* toto hoc capite significat colorem, vel apparentiam, quæ aspicienti videtur inesse rei a se visæ.

An Deus in hoc solio steterit, an vero sederit, non exprimit Propheta. Putant aliqui stetisse, Primo, quia hic est situs bellatoris, et triumphatoris, qualis hinc inducitur Deus. Secundo, quia capite 10. 18. de eo ait Propheta: *Et egressa est gloria Domini a limine templi, et stetit super Cherubim.* Tertio, quia sic S. Stephanus vidit Christum stantem, quasi paratum ad præliandum secum contra Iudæos: ac probabile est Beatos in cælo stare, non sedere, uti dixi Coloss. 3. v. 1. Verum S. Hieron. Anton. Fernand. visione 13. et alii passim censent et pingunt Deum sedisse, idque Primo, quia sic Isaias cap. 6. 1. vidit Deum sedentem in solio, uti et Daniel cap. 7. 9. cum ait: *Antiquus dierum sedit*: et S. Ioannes Apocal. 4. 10. eumdem vidit sedentem in throno, circumstantibus iisdem Cherubinis. Secundo, quia regis et iudicis est se-

B dere, non stare: Deus autem hic inducitur ut rex et iudex. Tertio, hoc exigit solium: solium enim est ad sedendum, non ad standum. Quarto, quia sessio nobis magis indicat Dei maiestatem, potentiam et tranquillitatem, nimirum eam ita super omnia creata esse elevatam, efficacem et tranquillam, ut solo verbo et nutu suo vel per se, vel per angelos, efficiat quidquid voluerit, puniendo hos, præmiando illos, ac regendo totum orbem: sicut peritus auriga sedens in curru, placide solo nutu aurigatur, regitque equos et currum. Hinc pulchre pieque S. Bern. serm. 23. in Cant. O vere, ait, quietis locus, in quo Deus non quasi turbatus ira, nec velut distentus cura percipitur, sed quiescens! Hic ergo vere quiescitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia, et quietum aspicere quiescere est. Quocirca Deus in Script. vocatur Altissimus, ut significetur Deum in iis quæ in orbe efficit, altitudini suæ nulla ex parte derogare, sed in omnibus quas humano more assumit, passionibus, suam nihilominus in seipso conservare

C eminentiam. Hinc Lucæ 1. v. 35. Gabriel ait B. Virgini concepturæ Dei filium: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, q. d. Hæc Dei virtus in te supplebit defectum mariti; sed ita, ut de altitudine sua nihil amittat, de ea non descendat, sed in ea permanens, levi tantum umbra obumbret tibi ad concipiendum Christum. Unde Petr. Chrysolog. serm. 1. de incarnatione, ait Gabrielem missum, ut opus incarnationis Altissimi virtute quasi suspensum ostenderet. Hac ergo de causa Deus hic eminenti loco considere visus est Ezechieli. In imo enim erat nubes et turbo: in nube erant rotæ cum Cherubim: inter rotas erat arula cum igne: super arulam firmamentum: super firmamentum solium eminens: in solio residebat Altissimus specie humana. Si ergo nubes et ventos transcendit Olympus, estque pacatissimus et serenissimus semper, multo magis id facit Deus.

Et vidi quasi speciem electri.) De electro vide dicta v. 4. Ex Hebræo sic clare vertit Vatabl. *Et vidi velut speciem electri, intra quam speciem, sive in cuius spe-* Vers. 27. Dei corpus sursum erat ex electro.

D *ciei medio conspiciebatur tamquam ignis per circuitum, a lumbis eius sursum versus, et a lumbis eius deorsum versus.* Hæc species, sive imago est illa ipsa, quam vidit v. 4. Nam firmamentum erat intra nubem; nimirum, hæc imago erat hominis, sive regis, qui videbatur habere totum corpus ex electro accenso, quod interius, sursum et deorsum, et circumquaque ignitum erat; sursum tamen splendidius erat, deorsum calidius, et magis ignitum. Huic expositioni favet Syrus: *Vidi*, inquit, *quasi aspectum Dei, et quasi aspectum ignis intrinsecus per circuitum, ex aspectu lumborum eius et desuper: et a lumbis eius, et deorsum vidi quasi aspectum ignis.* Similis fuit species angeli quem vidit Daniel c. 10. 5.

Secundo, S. Gregor. et Maldon. sic vertunt, et explicant: a lumbis sursum electrum, sive electrina imago Deorsum ex igne. videbatur: a lumbis vero deorsum videbatur ignis, sive ignea. Volunt ergo ipsi hanc speciem hominis sedentis in solio superne fuisse electrinam, inferne igneam. Hæc

sententia videtur verior. Nam cap. 8. 2. videns et describens eamdem hanc speciem diserte ait: *Cecidit ibi super me manus Domini: et vidi, et ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumborum eius, et deorsum, ignis: et a lumbis eius, et sursum, quasi aspectus splendoris, ut visio electri.* Quid clarius? Accedit; si tam superne, quam inferne erat species electri igniti, ut vult prior expositio; quorsum distinguit Ezechiel visionem corporis a lumbis sursum, ab ea quæ erat a lumbis deorsum? Huic expositioni favet Arabicus uterque: *Aspectus*, inquit, *eius* (Dei) *a dorso eius et supra velut lazuli* (lapis, vel etiam chrysoberyllus) *et a dorso eius et deorsum velut ignis.* Lapis autem lazuli aureis punctis interpungitur. Itaque species hæc hominis superne videbatur esse aurea, quasi esset ex aurichalco splendenti et radianti; ita tamen, ut intrinsecus haberet ignem inclusum, qui per aurichalcum pellucebat et splendebat: inferius vero femora et tibiæ eius videbantur esse totæ igneæ. Itaque quoad speciem et aspectum, prima expositio cum secunda hac consentire, et quasi in idem redire videtur. Sive enim inferior pars vere fuerit ex electro, æque ut superior, sive non; Prophetæ tamen apparebat tota ignea, ita ut ei, non electrum, sed ignis esse videretur. Itaque pars superior splendebat ut aurichalcum, uti dicitur c. 8. v. 2. inferior vero ut ignis, uti hic dicitur.

Ænigma cucurbitæ. Simile fuit ænigma Demetrii Phalerei: *Vidi*, inquit, *virum πυριχαλκον, id est, ignæreum agglutinantem adeo agglutinanter, ut consanguineus fieret.* Hoc est, vidi hominem qui cucurbitas æreas (talibus enim olim utebantur, teste Celso) corpori admoveret: porro cucurbitam vocat ignæream; quia cum corpori admovetur, in ea stupa accensa introcluditur, ut corpori agglutinetur. Meminit huius ænigmatis Aristot. l. 3. Rhetor. et Plutarch. dial. de sapientibus. Sic Deus visus hic fuit Prophetæ quasi πυριχαλκος, id est ignæreus.

Vers 28. Iris circa Deum. VELUT ASPECTUM ARCUS.) q. d. Ignis, et splendor, qui infra lumbos apparebat, similis erat colori, qui in iride apparet. Nam unus ex coloribus iridis est igneus. Ita Maldon.

Secundo, et melius, q. d. Corpus hoc regis sedentis in solio supra firmamentum, infra lumbos igneum, radios vibrabat in nubem opacam vicinam, et ex radiorum reflexione conflabatur splendida et pulcherrima iris in conspectu solii magnifici. Sic enim naturaliter fit iris ex radiis Solis in nube roscida varie receptis et transparentibus. Unde τo *splendentis* idem est, quod splendorem emittentis, et in nube refringentis. Ita Lyrau. Hic enim est aspectus iridis, scilicet multicolor; non autem solus igneus, ut vult Maldon. Nota, iridem hanc infra sedentem in solio fuisse, uti infra eum erat et firmamentum, præsertim, quia iris hæc producebatur ex igne pedum et femorum; non autem capitis et pectoris eius. Fuit ergo vel infra, vel ad latus eius in circuitu. Sic et S. Ioannes Apoc. 4. 3. Deum vidit amictum iride: *Et iris*, inquit, *in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.*

Symbol. Symbolice, electrum, est Christi humanitas præstantissima; ignis divinitas; iris, gloria miraculorum, doctrinæ et virtutum Christi, uti inferius dicam pluribus.

Idea et synopsis totius visionis cap. 1. Hæc ergo est idea visionis, æque ac summa capitis totius. Obiecta est phantasiæ Ezechielis species turbinis a vento Aquilonari excitati; quem consecuta est atra nubes: in nubis medio splendidus visebatur currus, habens ignitas rotas quatuor, easque vitali spiritu præditas, et altitudinis horrendæ. Secundo, rotas circumstabant quatuor animalia, aut potius quatuor iuvenes alati, toti flammantes, et scintillantes; quorum quisque ante habebat faciem hominis, a dextris faciem leonis, a sinistris faciem bovis, desuper faciem aquilæ. Tertio, hi iuvenes habebant singuli quatuor alas, binis velabant femora, binis volabant iunctis, id est, pariter et æqualiter extensis; idque cum tanto fragore, ut castra diceres te audire collatis signis dimicantia, vel mare ad scopulos allisum, aut tonitruum. Habebant et singulis suas manus. Singuli autem stabant a singulis lateribus currus, puta ad singulas rotas; itaque quadrum efficiebant, ac ab omni parte stipabant qua-

A drigam Dei. Quarto, super iuvenes cælum visebatur extensum pellucidum, quasi crystallus; cui impositum erat solium regale, in quo sedebat homo, toto corpore splendens et ignitus: habebat enim superne corpus ex electro, id est, ex aurichalco interius ignito; inferne tibias plane igneas; idemque iride fulgenti erat circumamictus. Quinto, ante hunc hominem, sive regem inter rotas, erat arula, vel foculus ignis, de quo v. 13. Porro spiritus Dei agebat tam Cherubinos, quam rotas, et currum directe versus Ierusalem.

Cherubim Ezechielis similes sunt Mosaic. et Salomonicis. Nota Primo. Hæc visio similis fuit, et repræsentavit Cherubinos, tum tabernaculi Mosis, tum templi Salomonis. Fecit enim Salomon quadrigam Cherubim in templo 1. Paral. 28. 18. Hæc enim erat currus et solium gloriæ Dei. Unde et Ezechiel postea hunc eumdem vidit Hierosolymis in templo: ibi enim Deus quasi habitabat, indeque ignis, id est ira eius, prosiliit ad punienda peccata populi, et maxime sacerdotum, commissa in templo, ut patet cap. 10. 2. et cap. 11. 1. et sequent. Imo cap. 10. 20. diserte B ait: *Intellexi quod esset Cherubim*, scilicet templi. Quocirca ita censet Prado: Pro duobus, inquit, Cherubim, quos fecit Moses ad arcam, quæ erat quasi biga Dei; Salomon addidit duos alios, 3. Reg. 6. 23. ita ut iam essent quatuor, itaque ex biga Mosis fecit quasi quadrigam. Deinde arcam cum propitiatorio, quod erat quasi solium Dei, imposuit, ut videtur, plaustro cum rotis. Indecens enim erat, ut arca humi reperet. Et hoc est, quod 1. Paralip. 28. 18. dicitur David reliquisse Salomoni aurum, ut ex eo *fieret similitudo quadrigæ*, Hebr. מרכבה *mercaba*, id est currus, *Cherubim extendentium alas, et velantium arcam fœderis Domini.* Sic et arca a Mose non videtur humi posita fuisse, sed suos habuisse pedes et fulcra; ut ex Hebræo verti potest Exodi 25. 12. ubi pro, pones circulos *per quatuor arcæ annulos*, ex Hebræo verti potest, *per quatuor arcæ pedes*, id est, globos et sphærulas, quæ erant instar rotarum. Verum prius hoc de quadriga Salomonis ad arcam, non videtur verum. Nam duo Cherubini quos C Mosaicis parvis addidit Salomon, erant iis longe maiores: ergo non poterant cum iis combinari ut facerent quadrigam: præsertim, quia illi Salomonis aliter erant dispositi quam Mosaici, nimirum uterque consistebat ab uno eodemque latere, ita ut alis expansis porrigerent se in longum a latere Meridionali Sancti sanctorum, ad oppositum latus Septemtrionale eiusdem; ita ut unus una ala tangeret parietem Meridionalem, alter sua ala tangeret parietem Septemtrionalem. Cum ergo in eodem ordine consisterent, nec alas iungere et complicare, nec currum aut quadrigam efficere poterant. Itaque verius est quod ibidem censet Abul. scilicet Salomonem iussu Davidis duplices fecisse Cherubinos, unos ad arcam 3. Reg. 6. de quibus iam dixi; alteros ad altare thymiamatis utrimque dispositos, uti dispositi erant Mosaici ad arcam, ita ut alis binis utrimque expansis et coniunctis facerent quadratum, ideoque vocantur quadriga Dei, 1. Paralip. 28.

Porro caminus ignis, quem vidit Ezechiel in curru inter quatuor animalia, repræsentabat altare thymiamatis, D sive incensi in templo, et tabernaculo.

Rursum, hosce Cherubinos Ezechielis fuisse similes Salomonicis et Mosaicis, liquet ex eo quod omnes erant alati, vultuque humano. Denique hos, æque ac illos fuisse quadruplici facie, colligitur ex eo, quod tales vidit Ezechiel, non tantum hic, sed et c. 41. 18. in templo illo suo, quod erat simile templo Salomonis, et tabernaculo Mosaico. Ibi enim vidit Cherubim in pariete inter palmas sculptos dimidiata cælatura, non integra; *Duasque facies*, inquit, *habebat Cherub, faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, et faciem leonis iuxta palmam ex alia parte;* quia nimirum, in dimidiata sculptura (qualem requirit murus et paries) duæ facies aquilæ et vituli ipso muro abscondebantur et tegebantur: uti recte advertit Alcazar loco citato. Quocirca, et Mosaicos Cherubim effictos fuisse quadriformi hac facie, verisimile est: uti dixi Exodi 25. v. 22. Licet Moses facies has, nec quoad numerum, nec quoad formam et figuram descripserit; veritus nimirum

ne populus Iudæorum ad idololatriam pronus eas deinde effingeret, et quasi idola coleret. Hinc ergo liquet ternos hosce Cherubinos fuisse similes; adeoque hosce Ezechielis expressos esse ad illos Mosis et Salomonis, eosque referre et repræsentare. Hinc consequenter videtur, inquit Prado, quod currus hic Ezechielis non fuerit vacuus, sed continuerit arcam testamenti adinstar Mosis et Salomonis, quasi scabellum pedum Dei sedentis in solio, quasi in propitiatorio: atque ante arcam videtur fuisse arula, sive foculus ignis, quasi altare thymiamatis, quod in tabernaculo et templo erat ante arcam. Verum nulla hic arcæ testamenti fit mentio. Adde, rotæ hæ vacuæ erant et solæ, uti ostendi v. 15. Quocirca congruentius dicemus, rotas ipsas quatuor, quæ speciem exhibebant quadrati, et quadrigæ, formam quamdam dedisse arcæ, quæ pariter quadrangula erat, et quasi quadriga, id est currus Dei. Unde sicut super arcam expansum erat propitiatorium, ita hic super rotas expansum erat firmamentum quasi suppedaneum Dei: sicut ergo firmamentum gerebat typum propitiatorii, ita rotæ referebant arcam. Hinc rotas stipabant et circumstabant Cherubini, sicut iidem stipabant arcam. Rursum, sicut super Cherubim arcæ erat quasi solium Dei, ita hic super Cherubim et firmamentum erat solium Dei ex sapphiro. Differt tamen hæc visio a Cherubinis arcæ, Primo, quod ad arcam erant duo tantum Cherubini: hic vero ad rotas erant quatuor. Secundo, quod Cherubini arcæ iungebant alas, iisque iunctis efficiebant quasi sedem et solium Dei: hic vero alas non iungebant; sed solium Dei elevatum super illos erat ex sapphiro. Origo ergo et occasio horum Cherubim, currusque Dei, quem vidit Ezechiel, fuerunt Cherubini et arca Mosis: sed in quibusdam ab eo differentes et dissimiles: quia Cherubini et arca Mosis facta fuerunt post victoriam Hebræorum de Ægyptiis, quando illi cum Pharaone mersi sunt in mari Rubro: unde repræsentabant triumphum et currum triumphalem Dei. Hic vero repræsentant currum bellicum Dei: Deus enim hic vectus curru bellico, et Cherubinis stipatus pingitur: quia prodit in aciem, ut debellet impios Iudæos, aliasque gentes. Ex dictis sequitur hanc Ezechielis visionem simul complecti Cherubinos Mosis ad arcam, et Cherubinos Salomonis ad altare incensi: ambiunt enim Cherubini Ezechielis quadrigam rotarum, uti Mosaici ambiebant arcam. Rursum ambiunt arulam ignis, uti Salomonici ambiebant altare incensi.

Cherubim similes Seraphinis Isaiæ 6. Secundo, hæc visio Cherubim apud Ezechielem, similis est visioni Seraphim apud Isaiam c. 6. Utrique enim erant iuvenes alati, igniti, et stipatores solii Dei. Dissimilis fuit tamen in quibusdam. Primo, Seraphim Isaiæ alis velabant faciem; Cherubini vero Ezechielis facie erant aperta. Ratio discriminis est, quod Seraphim astabant Deo: unde præ tantæ maiestatis reverentia velabant facies. Hi vero Cherubini tendunt ad bellum, et in hostem feruntur, quem videre debebant, ut eum ferire possent: oculos ergo habent apertos et circumlustrantes. Hac de causa, Secundo, Seraphim Isaiæ habebant sex alas; Cherubim vero Ezechielis tantum quatuor. Nam quod Prado respondet Cherubim habuisse duas manus, quæ supplebant, et erant instar duarum alarum, quas insuper habebant Seraphim, non videtur congrue dici: nam manus non sunt alæ. Rursum etiam Seraphim habebant manus: nam iis acceperunt calculum ignitum de altari. Isaiæ 6. 6. Quocirca licet subinde Patres Seraphim cum Cherubim confundant, easdemque figuras Ezechielis et Isaiæ nunc vocent Cherubim, nunc Seraphim, uti facit Cyril. Hierosolym. catech. 9. et Cyril. Alex. in Liturgia, quam ex lingua Ægyptia in Latinam convertit Victorius Hacurensis Maronita, et Clemens Alexand. lib. 5. Strom. et Tertul. l. 2. contra Marcion. c. 22. Ex quibus, et ex R. Mose Ægypt. l. 3. More cap. 7. Maldonatus et Prado censent Seraphim Isaiæ, et Cherubim Ezechielis non tam chororum distinctorum inter angelos, quam muneris et significationis diversæ esse nomina. Tamen contrarium longe verius est, scilicet Cherubim a Seraphim, et nomine, et significatione, et munere, et choro, et natura, ac specie plane esse distinctos et diversos. Hinc enim S. Dionys. in Eccles. hierarch. et post eum tota Ecclesia primum ordinem angelorum ponit Seraphim, secundum Cherubim. Nec enim alibi in Scriptura eos est reperire.

Cherubim Ezechielis et Ioannis Apocal. 4. similes. Tertio, hæc visio similis, et pene eadem est cum visione S. Ioannis Apoc. 4. 7. ubi ait: Vidi quatuor animalia. Animal *primum simile leoni, secundum vitulo, tertium habens faciem quasi hominis, quartum simile aquilæ volanti.* Negat hoc Isidorus Clarius. Sed eamdem esse utrobique visionem communiter asserunt S. Hieron. Richard. Ansbertus, Rupert. Hugo, Alcazar, et alii, quos citat et sequitur noster Viegas in Apocal. 4 sect. 12. in fine capitis. Differunt tamen in nonnullis. Primo, S. Ioannis animalia erant disparata plane, scilicet homo, leo, bos, aquila; Ezechielis erat unum quadruplicatum: quodlibet enim habebat speciem hominis, sed faciem quadruplicem, scilicet, hominis, leonis, bovis et aquilæ. Secundo, animalia S. Ioannis habebant alas sex; Ezechielis quatuor tantum. Tertio, illa Ioannis plena erant oculis intus et foris; Ezechielis foris tantum. Ex hisce patet, hanc ideam Cherubim, currus, et solii Dei, quater in Script. iterari. Primo enim Cherubinos ad arcam fabricavit Moses, iussu Dei Exodi 25. Secundo, præter Cherubinos arcæ, duos alios maiores fabricavit Salomon 3. Reg. 6 v. 23. et alios ad altare thymiamatis, 1. Paralip. 28. v. 18. Tertio, quaternos Cherubinos stipantes quadrigam Dei vidit Ezechiel. Quarto, eosdem vidit Ioannes Apoc. 4. 5. Ioannes enim sequitur Ezechielem, qui quaternos vidit; eo quod binos Mosaicos, et binos Salomonicos repræsentarit, unicaque visione sit complexus.

Similes quoque angelis Daniel c. 7. Quarto, eadem similis est visioni Danielis cap. 7. ubi Deum vidit quasi iudicem in throno imposito rotis igneis, circumstantibus millibus angelorum, quos significant hic quatuor Cherubim: quatuor enim latera sunt omnia. q. d. Ab omni latere stipatus erat Deus angelis et Cherubinis.

Quinto, simili modo passim in Script. inducitur Deus quasi eques, vel auriga, vectus carruca cælorum, vel Cherubinorum: diciturque volare, sedere, equitare super Cherubim, Deuter. 33. 26. Psal. 17. 10. Psal. 79. 2. Ps. 98. 1. 4. Reg. 19. 15. Isaiæ 37. 16. Daniel. 3. 55. Habacuc. 3. 8.

Denique hoc æmulati Poetæ finxerunt et pinxerunt Iovem, Apollinem, Mercurium, etc. curru regali et divino equitantes. Quin et Plato, teste S. Iustino orat. ad Gentes, ex hoc curru Cherubico Ezechielis, affirmat Iovem volucri in cælo curru vehi: *Iupiter*, inquit, *in summo volucrem regit æthere currum.* Hinc Iosias 4. Reg. 23. 11. abstulit e templo equos, quos dederant Soli reges Iuda, currusque Solis combussit.

Hæc de ipso cortice literæ, et specie ænigmatis; nunc eius significationem indagemus.

Sex visiones c. 1. Sex visiones hoc capite describit Ezechiel. Primo, v. 4. ventum, nubem, turbinem et ignem; id est, procellam et tempestatem adducentem currum Dei bellicum et gloriosum. Secundo, currum et quadrigam Dei obscure, v. 4. sed clare v. 15. usque ad finem capitis. Tertio, eius stipatores, quatuor Cherubim, a v. 5. ad 15. Quarto, speciem rotarum, a v. 15. ad 22. Quinto, Dei solium et scabellum, puta, firmamentum, ac prævium ignem in arula a v. 22. ad 27. Sexto, Dei in eo sedentis formam humanam ex electro ignito et coruscante, quam amiciebat iris v. 27. usque ad finem capitis.

Quæs. 1. Quid ventus, turbo, ignis? QUÆRITUR ergo PRIMO, quid significet ventus, turbo et ignis?

Respon. Significant tempestatem, id est, calamitatem grandem imminere Iudæis, aliisque gentibus ab Aquilone, id est, a Chaldæa. Vide dicta Ierem 1. v. 11. et 13. Hoc est quod Osee c. 8. 7. minatur: *Ventum seminabunt, et turbinem metent.*

Nubes magna significat ingentem exercitum Nabuchodonosoris: de eo enim dixit Ieremias c. 4. 13. *Ecce quasi nubes ascendet, et quasi tempestas currus eius.* Nubes ergo innuit, Primo, velocitatem eius; secundo, impetum,

cui nemo resistere possit; tertio, quod, sicut nubes imbrem, grandinem, fulmina et tonitrua eiaculatur: ita ille ingentes clades et strages sit editurus. Quocirca

Ignis involvens significat primo, iram et indignationem Dei, quæ iam iam per Chaldæos erat effundenda in Iudæos, et alias gentes; secundo, bilem et truculentiam Nabuchodonosoris, qui quasi fulmen erat omnia allaturus et consumpturus; tertio, futurum per eum templi et urbis incendium. Vide Ierem. 4. v. 4. et Thren. 2. 4.

Tempestas hæc tribuitur Deo, quia Deus per Chaldæos eam effecit. Quocirca *splendor in circuitu* symbolum est divinæ maiestatis et gloriæ. Deus enim *amictus* est *lumine sicut vestimento*, Psalm. 103. 2. Dei enim quasi ductu et impulsu venerunt et vicerunt Chaldæi, sine quo nihil efficere potuissent. Ita Maldon.

Currus ergo hic Dei tempestate involvitur, venitque ab Aquilone; quia vehit Deum iratum, et ruentem ad vindictam per gentes Aquilonares, id est per Chaldæos, exercendam in Iudæos, Idumæos, Moab, Ammon, Tyrios et Ægyptios. Sic Ovidius lib. 2. Metamorph. Deum pingit:

Ille pater, rectorque deum, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Allegorice, S. Gregor. homil. 2. hæc refert ad diem iudicii, quo Christus veniet in nube fulgida, et quasi turbo ac ignis convolvet reprobos in gehennam.

Quæst. 2. Quid currus Dei?

QUÆRITUR SECUNDO, quid significet hic currus Cherubim, et quadriga Dei?

I. Sententia, esse Nabuchodonosor.

Primo, S. Iustin. quæst. 44. ad Orthodoxos, et Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. verbo *sigillorum septem*, respondent quadrigam hanc significare Nabuchodonosorem quadrifacialem, id est, quadriformem. Nam faciem habuit hominis, ungues aquilarum, pilos leonis, fœnum ut bos comedit. Coniunguntur in eo animal mansuetum, scilicet homo; et ferum, scilicet leo: rursum grave, scilicet bos; et leve ac volucre, scilicet aquila: ut significetur mutandum et transponendum eius imperium leoninum et ferum, in mansuetum et lene regnum Cyri; qui gravem Iudæorum captivitatem solvat, ut ex ea Iudæi, quasi aves evolent. Sic et Maldon. putat hac visione significari, quod post turbinem et tempestatem, id est, cladem Iudæorum, erit quadriga rotarum, id est magna regum et regnorum, præsertim in Babylone et Chaldæa, rotatio, conversio et mutatio. Verum hic currus est bellicus, atque ad prælium et excidium Iudæorum tendit, uti mox patebit; ergo non pacem, nec felicitatem, sed strages advehit. Fateor tamen per hanc quadrigam posse significari quatuor monarchias, ac præsertim eam, quæ fuit Chaldæorum, uti inferius dicam.

II. Esse quatuor orbis plagas.

Secundo, Origenes censet quadrigam hanc esse quatuor mundi plagas: hæ habent quatuor facies, id est, quatuor elementa, aerem, ignem, terram, aquam, ex quibus omnia constant. Rota in medio rotæ, est circulus, et continua revolutio quatuor temporum anni, veris, æstatis, autumni et hiemis:

Namque in se sua per vestigia volvitur annus.

Firmamentum, est cælum, cui Deus, quasi cuncta regens, insidet.

III. Esse quatuor hominis appetitus.

Tertio, idem Origen. et Nazianz. orat. 47. quæ inscribitur *significatio in Ezechielem*, censent hanc quadrigam significare quatuor microcosmi, id est hominis, facultates. Nam pars rationalis, est homo; irascibilis, leo; concupiscibilis, vitulus; syndheresis, sive conscientia, est aquila: hæc enim oculatissima est et perspicacissima instar aquilæ, ac secreta et intima mentis perspicit, pungit et mordet. Aut quatuor passiones, quas Virgil. brevi hoc versu complexus est:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

Has regit et frænat Deus. Audi Nazianz. totam hanc visionem breviter et punctim explicantem: *Existimamus per hominem vim rationalem intelligi, per leonem irascibilem, per vitulum concupiscibilem, per aquilam conscientiam reliquis incumbentem, quæ a Paulo spiritus hominis dicitur. Per eum qui insidet, Patrem: per spiritum, Spiritum sanctum; per nubem, Filium, ab Aquilone, id est a*

A *puerili institutione, ad excellentiora progredientem. Iam splendor dicitur, quia homo illuminatur: ignis, propter correptionem: fulgurans, quia per intervalla pœnæ infliguntur: electrum, animæ a vitiis repurgatæ statum significat. Illud autem notandum; hominis similitudinem præcedere. Porro natura omnis rationis particeps, spiritualibus pennis instructa est. Mutuo autem se constringunt, propter societatem et concordiam. Manus vero hominis sub pennis, propter ordinis rationem et disciplinam. Firmamentum additur, propter soliditatem, ac firmitatem. Iris autem, propter pacem et fœdus a Deo nobiscum initum. Sapphirus autem arcana designat: crystallus puritatem, animique affectionem ab omni fraude alienam.* Prosequitur Nazianz. significationem pedum, rotarum, spiritus, splendoris et ignis, etc. aitque: *Ad hæc recti pedes dicuntur, propter incedendi facultatem, et constantiam. Ignis in medio convolutus, non autem segnis ac remissus, et diffluens. Splendor autem, propter quietis finem. Iam pedum vestigium, ut quidem Symmachus reddidit, vituli, propter agriculturæ laborem: ut autem Aquila exposuit, ro-* B *tundum, quia figura ea omnes pulchritudine vincit. Præterea forma rotarum, ut explicat Symmachus, hyacinthina. Revertebantur autem instar formæ Bezec, velut iter ægre facientes, quoniam totam lucem non habent; sed instar formæ Bezec, id est, fulguris. Ac siquidem omnibus suis numeris partibusque absolvatur hominis similitudo, aliis hominibus dominatur: sin secus, contrarium contingit. Iam vero leo aliquid habet, alacritatem nempe et acrimoniam, ut eo recte commodeque utamur. Accedit vitulus, ut recte atque honeste concupiscamus. Ait Isaias: Sanctificabis eum in igne ardenti. A lumbis, et supra electrum: superiores etenim partes coerceri nihil necesse est. A lumbis, et inferioribus partibus ignis æstuat, nimirum gignendi actiones; atque hæc coercitione et castigatione opus habent. Cæterum spiritus primo extollit, dum purgat: ac deinde eos, qui ab hoc purgati non fuerint, ignis purgat; tum splendor faustum ac iucundum finem significat. Hu-* C *iusmodi enim sunt supplicia, in quibus inferendis id unum sibi summus rerum opifex proponit, ut subiacentem materiam arbitratu suo, atque ut per artem licet, fabricetur velut Deus bonus et sapiens.*

IV. Esse angelorum quatuor ordines.

Quarto, Apollinaris et Polychronius in Catena, volunt hanc quadrigam Cherubim esse angelicos Dei exercitus, scilicet Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, quibus orbem, quasi currum ipse regit. Habent quatuor facies; quia hi angeli præsident homini, id est, omni rationali creaturæ; et leoni, id est, agrestibus; et vitulo, id est mansuetis; et aquilæ, id est volucribus; quia omnes creaturas faciunt servire Deo. Ad nutum etiam eorum et motum moventur rotæ, id est, orbes cælestes, et totus orbis. Hoc satis appositum est, uti mox ostendam.

V. Esse quatuor monarchias.

Quinto, Lyran. vult quadrigam esse quatuor monarchias. Verum cum Deus hic armatus inducatur non tantum contra Iudæos, sed etiam contra hæc Chaldæorum et gentium aliarum regna, non videntur ipsa congrue apponi ad vehendam quadrigam Dei. Potest tamen hæc sen- D tentia commode accipi, apteque exponi, uti inferius ostendam.

VI. Esse castra Israel.

Sexto, Hebræi, et ex parte Catina Syrus apud S. Hieron. Quadriga, inquiunt, hæc, est quadratura castrorum Israel incedentium per desertum in terram promissam, designata ab angelo duce itineris. Nam in medio eorum erat arca, et Cherubim, quasi currus et thronus Dei. Ad Orientem erat acies sive tribus Iuda, Issachar et Zabulon, habens effigiem leonis pro insigni et vexillo, eo quod Genes. 49. 9. Iudas vocatur catulus leonis. Ad Austrum erat tribus Ruben, Simeon et Gad, habens insigne hominis, id est, caput humanum, cum mandragoris, quas ad matrem attulerat Ruben; vel potius, quia Ruben erat primogenitus, et familiæ caput. Tertio, ad Occidentem erat Ephraim, Manasses et Beniamin, habens effigiem bovis; quia parens Ioseph comparatus fuit bovi, Deuter. 33. 17. Quarto, ad Aquilonem erat Dan, Aser et Nephthali, habens insigne aquilæ; ut tradunt Hebræi, et ex eis Andreas

Masius in c. 9. Iosue v. 9. Aquila enim a duce huius legionis electa est; quia inimica serpenti, cui Iacob Dan comparaverat Genes. 49. v. 17. Horruit enim Dan præferre serpentem pro insigni: vel potius, ut opinatur noster Prado, pingebatur aquila, quæ unguibus arreptum gestaret colubrum vel draconem, quod erat Lacedæmoniorum stemma. Unde ipsi hoc signo et symbolo obsignarunt literas, quas ad Iudæos quasi ad consanguineos suos miserunt, teste Iosepho lib. 12. Antiquit. 5. Ita Hebræi. Vide de hisce castris et insignibus dicta Numerorum 2. v. 2. quæst. 2. Verum catina per hominem, totum Israel; per vitulum, Levi; per aquilam, Nabuchodonosor vindicem accipit: sed non recte: quid enim Nabuchodonosori cum templo, et populo sancto, ac Cherubinis?

Porro rota in medio rotæ, est quatuor harum legionum consensio, charitas et consanguinitas. Ad hæc omnes quatuor sequuntur ductum et impetum spiritus, puta columnam ignis et nubis eos deducentem, protegentem et illuminantem in deserto. Non revertebantur in Ægyptum, sed continuo gressu in Chanaan festinabant.

Huc pertinet expositio Theodoreti, quæ talis est: Leo, inquit, est regnum, vitulus sacerdotium, aquila prophetia homini data a Deo, ut Deum colat, eique serviat et obediat. Sed homo hic est obiectum vel subiectum, non donum, uti sunt tria reliqua animalia.

VII. Esse quatuor, in quibus confidebant Iudæi.

Septimo, a Castro in cap. 9. Ieremiæ num. 14. censet quadriforme hoc animal significare remp. Iudaicam Deo resistentem, eo quod in his quatuor confideret; scilicet in sua velocitate, instar aquilæ; in sua fortitudine, instar leonis; in sua abundantia et opulentia, instar bovis; denique in hominis consilio et sapientia. Sed Deum hoc animal suo spiritu agitare, quantumvis pertinax, quocumque voluerit; nec illud ulla vi et industria se ab eo liberare posse, quin rotarum velocitate, ad nutum Dei spiritui obedientium, ducatur in Chaldæam. Verum obstat, quod Cherubim hic Deo non resistunt; quin potius ad motum eorum movetur currus Dei.

VIII. Esse quatuor fœdera Dei.

Octavo, Iren. lib. 3. c. 11. accipit quatuor fœdera Dei; primum, initum cum Adam; secundum, cum Noe, tertium cum Mose; quartum, cum Apostolis.

IX. Esse omnes creaturas.

Nono, S. Hieron. per hæc quatuor accipit omnes creaturas, tam cælestes quam terrestres, infernas et super cælestes, quæ Deum laudant.

Nota, quatuor animalia huius quadrigæ esse Cherubim, ut explicat Ezechiel c. 10. v. 20.

Resp. I. Currus designat providentiam Dei.

Dico ergo, hunc currum Cherubim esse symbolum gloriæ Dei, ut dicitur cap. 2. 1: id est, Primo, essentiæ et beatitudinis; providentiæ item, potestatis, et regni Dei; quo Deus, quasi auriga, pro voluntate omnia regit: astant quasi stipatores et administri cum summa reverentia, obedientia, celeritate Cherubim, id est, angeli quatuor, hoc est, a quolibet latere, sive undique. Ita Polychron. Theodor. Origen. Apollin. Severus. Solet enim fortuna uni insistens rotæ dipingi, ut eius mobilitas et inconstantia significetur: Dei vero providentia fortunæ contraria, recte pingitur insidens quadrigæ, ut eius constantia et æquabilitas declaretur. Quatuor rotæ, quatuor animalia, et quatuor utrorumque facies significant providentiam in omnes mundi partes æqualiter, firmiter et constanter pervadentem. Alæ extensæ notant eius celeritatem: quæ vero corpus tegunt indicant, multa nos in Dei providentia latere; multa esse quæ Dei consilio fiant, quæ, quia causas ignoramus, casu fieri videntur. Splendor eiusdem, providentiæ splendorem repræsentat, qui in rerum omnium temperatione, ordine, modo et administratione relucet. Hinc eius stipatores sunt non Seraphim, sed Cherubim, qui a scientia et sapientia nomen habent. Sapientia enim in providentia et regimine primas tenet, uti dixi Exodi 25. 22. Sic et primas tenet in castris et bellis, quæ significat quoque hic currus, ut mox dicam. Nam, ut ait Vegetius: *Dux belli sit callidior, quam fortior.* Hoc est quod ait Horat. lib. 1. epist. 1.

Ad summum sapiens uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, sapiens, rex denique regum.

A Porro Dei providentia habet quatuor facies; quia fortis est, ut leo; velox et penetrans, ut aquila; suavis et amabilis, ut homo; longanimis et patiens, ut bos. Rota in medio rotæ, significat connexionem causarum et rerum omnium inter se, qua Deus eas iugi et continua serie instar rotæ innectit et connectit; unde eius symbolum apud veteres erat catena, puta annuli annulis consequenter semper inserti et innexi, hac inscriptione: *arcanis nodis.* Hinc eam Gentiles vocavere fatum. *Fatum enim est inhærens rebus mobilibus dispositio immobilis, per quam divina providentia suis quæque nectit ordinibus*, ait Boetius lib. 4. Consol. prosa 61. Et Cicero lib. 1. de Divinatione, *Fieri*, ait, *omnia a fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Græci* εἱμαρμένην, *id est ordinem seriemque causarum, cum causa causæ nexa, rem ex se gignat: ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. Quod cum ita sit, nihil est factum quod non futurum fuerit: eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas idipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, ut* — Fatum quid?

B *fatum sit, non id quod superstitiose, sed id quod physice dicitur causa æterna rerum, cur et ea quæ præterierunt, facta sint; et quæ instant, fiant; et quæ sequuntur, futura sint.* Verum, quia Stoici fatum hoc homini, æque ac aliis rebus creatis, necessitatem inferre censebant, hinc fati nomen repudiarunt Christiani. Unde S. August. tract. 37. in Ioannem, dicentibus Christum fuisse sub fato, et fato sua fecisse, respondet: *Si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum. Si fatum a fando dictum est, id est a loquendo, Verbum Dei quomodo habet fatum, quando in ipso Verbo omnia sunt quæ condita sunt?*

Currus Dei est orbis.

Hinc consequenter symbolice, currus hic est cælum, et universum cui Deus præsidet. Rotæ sunt cæli, et orbes cælestes. Rota in medio rotæ, sunt orbes inferiores, medii inter cælum et terram. Item coluri (horum enim speciem habebant hæ rotæ, ut patet ex dictis v. 16.) Zodiacus, horizon, æquinoctialis, aliique circuli cælestes. Item globus terræ et maris, qui rotarum harum est quasi cen-

C trum, sicut enim rota hæc conflatur ex duabus, estque sphæra: ita globus terræ conflatur ex duobus, scilicet ex globo terræ et ex globo maris: et sicut rota rotam, ita mare terram intersecat. Hinc et rotæ habebant speciem maris. Atque ita quatuor elementa hic repræsentantur, scilicet aqua et terra in rota duplici: ignis in arula et igne qui erat inter rotas: aer in aere ambiente ignem et rotas. Rursum, rotæ habebant speciem et colorem maris, ut significetur mira Dei providentia, qua non tantum in cælis variat solis, lunæ, cælorum et siderum motus et vices; sed et sublunaria omnia generationi et corruptioni, ac perpetuæ mutationi et vicissitudini (instar maris æstuantis et reciprocantis) obnoxia; ita ut stata lege, tempore et modo has mutationes et vices subeant, in iisque perennent. Vere enim dixit S. Greg. et S. Bernard. quod *mundus hic sublunaris sit stabilis quædam instabilitas, ac constans quædam inconstantia, et inconstans constantia:* qua in re elucet magna Dei gubernatoris potentia, æque ac providentia. Oculi sunt stellæ. Prunarium, sunt ful-

D gura, et tonitrua. Cherubim sunt angeli, qui eis præsunt, et movent. Rursum quadriga hæc habens facies quatuor animalium, hoc ipso repræsentat mundum sublunarem, qui ex quatuor elementis constat. Leo enim significat ignem, bos terram, homo aerem, aquila aquam: ex aqua enim Deus creavit aves. Ita Aretas in Apocal. 4. Quocirca vere Tertul. vel potius Novatianus lib. de Trinitate c. 8. de mundo loquens: *Hic est*, inquit, *currus Dei decies millies multiplicatus* (psal. 67.) *id est innumerus, infinitus, immensus. Sub iugo enim naturalis legis omnibus datæ, alia quasi frænis revocata retrahuntur, alia quasi effusis habenis excitata impelluntur. Mundum enim istum, currum Dei, cum omnibus et ipsi angeli ducunt et astra, quorum varios licet meatus, certis tamen legibus vinctos inspicimus ad metas definiti sibi temporis ducere.* Quin et Plato in Phædro: *Magnus*, ait, *dux in cælo Iupiter citans alatum currum, primus incedit exornans cuncta provideque disponens. Hunc sequitur deorum dæmonumque*

exercitus per undecim partes ordinatus: permanet autem Vesta in deorum æde sola. Magni ducis nomine Deus significatur, quasi auriga et anima mundi; quem sequitur deorum dæmonumque exercitus, hoc est undecim sphærarum animæ, sive intelligentiæ, motrices undecim cælorum, quas plurimi angeli sequuntur, earum mandata perficientes. Vesta, centrum universi terramque designat, circa quod immobile, et suo in loco perpetuo consistens, sphæræ omnes rotantur et volvuntur. Sic et Orpheus hymno in Apollinem:

Sunt tibi totius confinia mundi,
Est curæ tibi rerum finis, principiumque,
Tu cithara totum dulci moderaris Olympum,
Per te cuncta virent.

Modus ascendendi ad Deum? Hinc, ut docte docet S. Basil. homil. de fide, ratio et via ascendendi ad Deum, eumque cognoscendi est, mentem sursum erigere, et transcendere omnia creata. Audi S. Basil. *Tu autem si aliquid de Deo dicere aut audire cupis; mitte corpus una cum sensibus corporeis: relinque terram; mare, et aerem sub tuis ponito pedibus: transi* B *contemplatione temporum pulchre distinctas ordinationes. Supra æthera mentis oculos attolle: siderum cursus mirandamque naturam præteri, ordinem, magnitudinem, quantos omnibus usus præbeant, splendorem, motum, collocationem, ut inter se iungantur et distent, mirabili quadam ac perpetua ratione; omnia mente sublimior factus despice.* Pergit ulterius. *Deinde supra cælum ascende, et animo pulcherrima, quæ ibi adsunt, contemplare, cælestes exercitus, Angelorum choros, præsulatus Archangelorum, gloriam Dominationum, sedes Thronorum, Virtutes, Principatus, Potestates, singula percurrendo creata; mentem amore divino incensus altius illis attolle, ac omnium conditricem naturam divinam intuere stabilem, immobilem, nihil in se alienum retinentem, simplicem, impassibilem, indivisibilem, incompositam, lucem inhabitantem inaccessibilem, potentiam ineffabilem, magnitudinem incircumscriptam, gloriam supermicantem, bonitatem desiderabilem, pulchritudinem inenarrabilem: quæ anima vehementer consternata contingi quidem, sermone autem nequaquam explicari possunt. Ibi namque Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt increata natura, Dominica maiestas, naturalis bonitas.*

II. Currus notat bellum et victoriam Dei, quam? Secundo, ad literam hic est currus gloriæ, id est, belli, victoriæ et triumphi, quem Deus egit de hostibus, maxime Pharaone et Ægyptiis. Triumphus enim olim umbra erat regni, et quasi regnum temporarium. Hoc enim curru quasi processit Deus in aciem contra Pharaonem. Habacuc. 3. 8. *Qui ascendis super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio*; psal. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex*; psal. 76. 19. *Vox tonitrui tui in rota*: eoque currus Pharaonis subvertit, Exod. 15. 3. et 4. Unde post hanc victoriam, mox hunc currum Cherubim Mosi in Sina ostendit, Exodi 25. 22. et 40. eumque fabricari, et in tabernaculo poni iussit in perpetuum monumentum, tum victoriæ et liberationis Hebræorum ex Ægypto; tum per illam parti regni et populi, id est institutæ Ecclesiæ; quod scilicet in Sina Hebræos a se ex Ægypto redemptos sibi in populum, Ecclesiam et regnum adoptarit. Unde consequenter currus hic significat Synagogam, sive Hebræos, qui erant regnum Dei. Est ergo hic triumphus Dei redemptoris. Sicut enim in triumphis, ait Apollinar. eburnea sella currui imposita Imperatores vehebantur, stabant hastati circumcirca, præcedebant subiectæ nationes, trophæa cum armis victoriæ ostentabantur: ita hic Deus solio vehitur, stipant angeli, insigna victoriæ gestant tum angeli, tum rotæ; scilicet, vitulum, qui significat sacrificium, cuius immolatione liberati sunt Hebræi, Exodi 12. 7. Homo significat immolantes Hebræos. Aquila symbolum est agilitatis, æternitatis (diutissime enim vivit) et sublimis spiritus, id est, angeli percutientis Ægyptum. Leo princeps ferarum significat Deum, fortitudine hic sua quasi regem sævientem in Ægyptios. Hæc ergo insignia et trophæa præfert currui suo triumphali Deus, quasi redemptor Israelis, et triumphator Ægyptius, eaque A perpetuo voluit extare in arca, Cherubim et curru hoc. Unde ea stemmata vocat gloriam suam. Tunc etiam assumpsit nomen redemptoris Israel: quo nomine Deus ab Isaia c. 63. 13. et passim alibi a Prophetis vocatur. Imo tunc proprium, et creaturis incommunicabile nomen *Iehova* sibi indidit, Exod. 3. 14. et 6. 3. Sicut P. Scipio dictus est Africanus, a devicta Africa; et frater eius L. Scipio dictus Asiaticus, a devicta Asia. Vide dicta Ex. 25.

Vidit ergo Ezechiel Deum iratum Hebræis, quasi curru suo bellico ignito vectum, ut Hebræos puniat et proterat, uti olim protrivit Ægyptios. Id ita esse patet, Primo, ex eo quod currus hic Cherubim fuerit adinstar, imo idem cum Cherubim Mosis Exodi 25. 22. Illi autem fuerunt symbolum belli et victoriæ Dei de Pharaone, aliisque hostibus, uti ibi ostendi: ergo et hic fuit currus belli et vindictæ Dei. Currus hic fuit Dei bellantis, et exscindentis Iudæos per Chaldæos. Prob. I.

Secundo, quia mox post hunc currum Ezechiel c. 2. v. 1. et sequent. et cap. 10. v. 2. vidit et audivit Deum, ex hoc suo curru et solio increpantem Iudæos, eisque excidium per Chaldæos minitantem. Ergo currus hic fuit militaris, vindictæ et excidii. Unde v. 24. *Cum ambularent*, inquit, *quasi sonus erat multitudinis, ut sonus castrorum.* II.

Tertio, quia idcirco currus hic venit involutus igne, nube, turbine et procella, idque ab Aquilone c. 1. v. 4. ut significet se procellam, id est cladem et stragem, Iudæis advehere a Chaldæa, quæ Aquilonaris est Iudææ. III.

Quarto, quia hunc currum vidit Ezechiel anno quinto transmigrationis Ioachim, ut patet v. 1. qui fuit annus quintus Sedeciæ, et sextus ante excidium Hierosolymæ. Ergo imminens hoc excidium curru isto portendi cognovit. Cum enim a Deo designatus esset Propheta Iudæorum, utique imminentes eis post sex annos clades extremas prævidere et prædicere debuit: sicut eodem tempore Ieremias, Sophonias, Habacuc, Nahum easdem præviderunt et prædixerunt. Unde et Ieremias vidit eas venire ab Aquilone, cap. 1. 14. æque ut Ezechiel hic. Idem C ergo hic Ezechiel, quod Ieremias cap. 1. vaticinatur. IV.

Quinto, quia hæc visio ab Ezechiele toti eius prophetiæ quasi titulus et prologus præponitur. Tota autem eius prophetia est, de excidio Ierusalem, et aliarum gentium eis inferendo a Chaldæis. Ergo eodem spectat hæc visio, et hic currus, ut scilicet excidium hoc referat et repræsentet quasi in synopsi, et in ænigmate, quod deinceps toto libro explicat Ezechiel. Atque hoc est, quod Ezechiel mox cap. 2. 9. vidit sibi dari librum involutum, in quo scriptæ erant lamentationes, carmen et væ. V.

Denique id clare docet Ezechiel c. 43. 3. dicens: *Et vidi visionem* (currus Cherubim) *secundum visionem quam videram iuxta fluvium Chobar, quando venit ut disperderet civitatem.* Ita censent Chald. hic vers. 8. Hieronym. Prado. Alcazar in Apocal. 4. Nam, ut tradit S. Hieron. in Prologo hic, et ex eo Lyran. Iudæi, qui cum Ioachin dediderant se Chaldæis, et ab eis ducti fuerant in Babylonem, paulo post pœnitere cœperunt de sua deditione, D eo quod viderent Ierusalem in suo statu consistere, quam ipsi putabant mox evertendam, eo quod id prædixisset Ieremias cap. 24. ubi et addit peiorem fore sortem Sedeciæ et remanentium Hierosolymæ, quam transmigrantium in Babylonem. Cum ergo ipsi per quinque annos contrarium vidissent, et experti essent, ideoque dolerent, et facti pœniterent; Deus anno quinto dedit Ezechieli spiritum prophetiæ, qui consolaretur captivos, et confirmaret oraculum Ieremiæ, nimirum post paucos annos evertendam Ierusalem, atque tum melius fore iis qui transmigraverant in Babylonem, quam iis qui remanserant Hierosolymæ. VI.

Currus ergo hic symbolice datur Deo, ut significet eius potentiam, impetum, et quasi pugnam bellicam, qua Iudæos, aliosque hostes proterit, cædit et punit.

Porro cum eos puniat Deus tum per angelos, tum per homines: hinc consequenter Primo, S. Dionys. Cælest. hierarch. c. 15. Theodor. Alcazar, et alii censent hunc currum et rotas esse angelos. Hisce enim vehitur, pugnat

*

Currus Dei sunt angeli.

et vincit Deus. Unde de iis dicitur psalm. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis, in Sina, in sancto.* Angeli hi vocantur currus, quia olim reges e curribus dimicabant. Hinc et strepitus stridorque alarum Cherubim, non aliud significat, quam vastitatem illam perfidæ Hierosolymæ cælesti bello, divinitus per angelos inferendam. Quatuor ergo Cherubim sunt superiores angeli, quasi duces cæterorum angelorum Dei militum: currus, et rotæ sunt inferiores angeli. Hinc rotæ plenæ sunt oculis, quia hi angeli ad animarum custodiam sunt destinati, inquit Alcazar: unde consequenter

Et quatuor monarchias.

Tertio, currus hic sive quadriga, adumbrabat quatuor monarchias, inquit Lyran. Maldon. S. Iustin. Sixtus Senensis, et alii, puta Chaldæorum, Persarum, Græcorum, et Romanorum; et consequenter Ægyptiorum, Tyriorum, Gog et Magog, de quibus fuse agit Ezechiel, aliorumque omnium Regum et regnorum mundi. Totus enim mundus est quasi currus, quem moderatur auriga Deus, uti superius dixi, q. d. Deus est, qui quasi rex regum omnibus regibus et regnis præsidet, ea confert, mutat, transfert, exeindit prout vult: quasi currus enim et rotæ ei subiacent, ut mox rotentur et volvantur eo quo ipse iusserit. Deus etiam est, qui regnis et monarchis, quasi curru et castris suis utitur ad debellandum suos hostes, ad evertendos reges et regna impia; uti hic usus est monarchia Chaldæorum et Nabuchodonosore ad debellandos Iudæos, aliasque gentes. Id ita esse, colligitur ex eo, quod cap. 28. 14. regem Tyri appellat Cherub. *Tu,* inquit, *Cherub extentus, et protegens,* etc. Ergo pariter Chaldæi, aliique reges sunt Cherubim, et currus ac castra Dei. Hi reges habent quatuor facies; tum quia participant a Deo fortitudinem leonis; beneficentiam vituli; æquitatem, et iudicium hominis; perspicacitatem, et celeritatem aquilæ: tum quia aliquando regunt ut homines, scilicet moderate et pacifice; aliquando ut leones, dum vicinas gentes trucidant; aliquando ut boves, dum eas conculcant; aliquando ut aquilæ, dum eas diripiunt, spoliant, et in captivitatem ducunt. Hinc Nabuchodonosor sæpe vocatur aquila, et leo, atque in bovis speciem tandem commutatus herbam quasi bos comedit Daniel. 4. 30. Simili modo virga vigilans, quam vidit Ieremias c. 1. significabat Primo, sceptrum et regnum Dei. Secundo, sceptrum Nabuchodonosoris: per hunc enim quasi per virgam Deus flagellavit Iudæos. Monarchia ergo eius et Chaldæorum hoc curru repræsentatur, unde in eo præsidet Deus. Hinc et vox quam Ezechiel supra firmamentum audivit, erat imperium Dei, quo omnia regna gubernat, dilatat, promovet, atque quocumque vult transfert, prout hic iubebat Iudæam, gentesque vicinas everti per Chaldæos. Hoc est, quod ait Iob cap. 12. 18. *Baltheum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum:* et, *Regnum a gente in gentem transfert propter iniustitias,* etc. Et Daniel cap. 4. 14. dixit huic nostro Nabuchodonosori: *Dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit dabit illud; et humillimum constituet super eum.* Hoc est quod de curru, id est regnis, et Cherubim, id est regibus, dicit Ezechiel: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* q. d. Eunt quocumque Deus eos impellit, uti hic iverunt Chaldæi impulsi a Deo ad excidium Iudæorum, aliarumque gentium; perinde ac postea Persæ in Chaldæorum, Græci in Persarum, Romani in Græcorum excidium Deo impellente perrexerunt, eo sensu quem dedi can. 35. et 36. Ignis, qui in medio erat animalium, indicabat spiritum igneum Dei in regibus, regnisque omnibus residere, ut eos huc illuc agat et propellat instar animæ. Unde ait: *Spiritus vitæ erat in rotis. Cor* enim *regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud. Non revertebantur cum incederent;* quia Dei voluntati nullo modo resistebant, nec resistere poterant. Ibant et revertebantur instar fulguris; quia brevi tempore regna auferuntur (unde Apelles pinxit Alexandrum quasi fulgur, quia subito omnia pervasit, et mox disparuit ut fulgur) et eidem cui ablata fuerant restituuntur; uti contigit nostro Nabucodonosori Daniel. 4. 33. Sonus alarum indicabat, numquam regna sine magno strepitu converti. Cherubim præeunt currum, qui eos quaquaversum sequitur; quia reges sua regna secum sive in salutem, sive in interitum trahunt. Oculi rotarum sunt consiliarii regnorum, aut Dei providentia per omnia regna diffusa, qua, sicut corpus oculis, gubernantur. Color rotarum crystallinus, id est cælestis, indicium erat regna cælitus a Deo dari. Terribilis rotarum magnitudo, terribilem regnorum magnitudinem declarabat. Ita Maldonatus.

Allegor. currus hic est Evangelii et Ecclesiæ.

Allegorice, currus hic est symbolum belli et triumphi filii hominis, id est Christi, de Satana, peccato, morte, Hebr. 1. v. 2. unde ait Christus: *Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra. Ite docete omnes Gentes.* q. d. Agite currum Evangelii et gloriæ meæ, vos o Apostoli, quos binos mitto, quasi bigam, vel binas rotas ad prædicandum regnum Dei per omnes mundi plagas, ut omnes agnoscant Deum currus præsidem, et quem is misit Iesum Christum. Hinc consequenter currus hic migrans e templo Hierosolymitano cap. 3. 12. et cap. 10. 18. significat gloriam et Ecclesiam Dei transmigrantem e templo et Iudæa ad Gentes. Currus ergo est Ecclesia a Christo rege, quasi auriga gubernata, Cant. 1. 4. *Equitatui meo,* id est, quadrigæ, vel carrucæ, *assimilavi te.* Hæc dicitur regnum cælorum, et cælum. Primo, quia de cælo descendit eius institutum. Secundo, quia in cælis versatur fide, spe, et cælesti conversatione. Tertio, quia regem habet Christum, qui est rex cælorum. Quarto, quia ad cælum nos ducit. Quatuor rotæ sunt Apostoli, et Evangelistæ, Pastores ac Doctores. Dicuntur rotæ, quia terram vix extremis digitis pedum tangunt, ait S. Hieron. Secundo, veloci impetu et efficaci, quasi fulgura feruntur ad ulteriora, quæ retro sunt obliviscentes, et in altum assurgunt semper, id est, in cælum arduum iter, hoc est perfectam viam et vitam, moliuntur. Ita S. Gregor. hom. 3. Tertio, currum Evangelii et Ecclesiæ agunt, et propagant per totum orbem. Rota in rota significat mutuum eorum, et fidelium amorem inter se, et cum capite Christo. Pleni sunt oculis, quia sunt vigilantissimi.

Anagog. currus Dei est Ecclesia triumphans.

Anagogice, currus hic significat triumphum Beatorum, et Ecclesiam triumphantem. Ita Elias triumphans curru igneo raptus est in cælum; cui proinde acclamabat Eliseus: *Pater mi, currus Israel, et auriga eius,* 4. Reg. 2. 12.

Quæs. 3. Qui sint quatuor Cherubim? Resp. sunt quatuor principes angeli.

Quæritur tertio, qui sint quatuor Cherubim?

Respond. cum S. Dionys. cap. 15. Cælest. hierarch. Theodor. Polychron. Alcazar loco citato, esse angelos principes Deo astantes. Dicuntur Cherubim a scientia et sapientia, qua Deo in mundi gubernatione deserviunt, a radice נכר *nachar* et רב *rab*, id est *scivit multum*: vel potius per metathesin Cherubim quasi רכובים *recubim*, id est, currus, quia stipant currum Dei. Unde Deus dicitur sedere et equitare super Cherubim. Potest etiam deduci per metathesin a כביר *cabbir*, id est, multiplex, scilicet scientia, robore, forma ac figura; habebant enim quatuor facies. Vide dicta Exodi 25. v. 22. quæst. 5. Porro Cherubim pinguntur quasi iuvenes alati, et imberbes, ut significetur, ait S. Dionys. eorum perennis vigor, immortalitas et æternitas. Ita Gentiles Apollinem, per quem Deum intelligebant, pingebant quasi puerum impuberem, ut hac ratione perpetuam illi adolescentiam ascriberent. Æsculapium vero eius filium, per quem res naturales a Deo creatas significabant, pingebant barbatum, et senectute quasi fatiscentem: ut significarent Deum esse immortalem, res vero naturales et creatas mortalitate esse damnatas, ideoque sensim senescere et deficere.

Apollo imberbis; Æsculapius barbatus, cur?

Dices, Cur hic dicuntur esse quatuor angeli principes Deo astantes, cum Tobiæ 12. v. 15. dicantur esse septem?

Resp. Septem dicuntur, id est, omnes; quia septenarius, ob revolutionem septem dierum hebdomadæ, competit cælestibus, significatque universitatem et perfectionem. Vide Serrarium Tob. 12. v. 15. In curru vero sunt quatuor; quia currus est quadriga, id est, quadratus; ita ut in quolibet latere, id est undique, angeli stipent currum Dei.

Secundo, curæ sublunarium competit quaternarius; quia sublunaria constant quatuor elementis, et e quatuor mundi plagis fideles in Ecclesiam conveniunt, ait Iren. lib. 3. c. 11. Quatuor ergo vocantur omnes angeli Dei stipatores, mundi præsides, et Ecclesiæ protectores. Addit Polychron: proprie esse quatuor ordines angelorum, qui præsunt orbi et Ecclesiæ, scilicet, Dominationes, Principatus, Virtutes, Potestates. Addunt alii, propriissime esse quatuor angelos principes, quasi consiliarios et præfectos Dei, in gubernatione mundi et regnorum omnium, scilicet, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, aut similes; qui alios inferiores ducunt, et quasi repræsentant, sicut rex repræsentat regnum, princeps remp. Sicut enim in regno et repub. sæpe sunt Triumviri, quales erant Romæ Augustus, Antonius, et Lepidus, deinde Septemviri: ita et in cælo primi angelorum principes sunt quatuor, deinde septem. Hoc maxime literale et genuinum videtur, itaque censent Alcazar Apoc. 4. et Pererius Apoc. 6. pagina 301. Favet Pineda lib. 5. de rebus Salom. c. 4 ubi ex Cabalistis explicans Salomonis, id est Christi, *ascensum*, id est currum, *purpureum*, ait purpuram hebr. vocari *Argaman*, eamque vocem constare quatuor literis quæ sunt initiales quatuor angelorum; nimirum R. Raphael; G. Gabriel; M. Michael, N. Nuriel, qui idem est cum Uriel: atque significare quatuor virtutes, seu attributa Christi; scilicet, Michael repræsentat Christi iustitiam et sanctitatem; Gabriel fortitudinem; Raphael mansuetudinem et clementiam; Uriel veritatem et doctrinam. Si dicas, Michaelem esse ex ordine primo Seraphim, hos autem esse Cherubim. Respond. Michaelem simul esse Seraphinum et Cherubinum: sicut sunt Principes, qui simul sunt Comites et Barones: aut certe, Michaelem Seraphinum habere sibi cognominem Michaelem inter Cherubinos: aut denique dici Cherubinum a sapientia, officio et gubernatione Cherubini, quam Dei iussu usurpat. Quin et in Missa Æthiopum, quæ habetur tomo 4. Biblioth. SS. Patrum fol. 120. ita orat sacerdos: *Custodi Domine populum tuum per preces maiorum angelorum splendentium, Michaelis, et Gabrielis, ac Raphaelis, et Urielis; et quatuor animalium sine carne.* In sepulchro Mariæ coniugis Honorii Imp. in capsula argentea reperta fuit aurea lamina, in qua hæc nomina legebantur Græcis literis inscripta: Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, ut testatur Barth. Marlianus lib. 5. Topograph. c. 21. Urielem etiam inter angelos primarios ponit Esdras lib. 4. c. 4. et 6. Et S. Ambros. lib. 3. de Fide ad Gratian. c. 2. *Non moritur*, ait, *Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel.* Et Andreas Cæsar. in Apocal. 22. Albert. Magnus, Bonavent. Prado, Sixtus Senens. et alii, quos citat Alcazar Apoc. 1. v. 4. notat. 4. in fine. Ut ut est, certum est esse quatuor; esto, qui sint, et quo nomine, sit incertum. Anton. Fernand. visione 13. sect. 4. censet hæc quatuor animalia fuisse ex tertio ordine angelorum primæ hierarchiæ, qui Throni dicuntur, eo quod per eos quasi iudices et vindices Deus sua iudicia exerceat, ut hic facit. Scopus enim eius in hac visione est, comprimere refractarium Sedeciam, et consolari obedientem Iechoniam, qui se iussu Dei tradiderat Chaldæis. Hinc habent speciem bovis, quia corda nostra sulcant, inducuntque ad pœnitentiam; et aquilæ, quia oculatissimi sunt iudiciorum Dei inspectores. Verum alii probabilius opinantur, hosce quatuor angelos fuisse ex ordine secundo, qui vocatur Cherubim. Primo, quia vocantur hic et c. 10. Cherubim: sicut ergo Isaiæ 6. per Seraphim proprie accipimus Seraphinos, ita per Cherubim proprie hic videntur Cherubini intelligi. Unde Ecclesia colligens novem angelorum ordines, sicut ex Isaiæ 6. accipit primum ordinem Seraphim, sic ex hoc loco accepisse videtur secundum Cherubim. Secundo, quia Cherubini dicti sunt a sapientia et prudentia, quæ prima est dos rectoris et gubernatoris, qualis hic in toto universo inducitur Deus; cuius administri dicuntur esse Cherubini, qui a Deo hanc sapientiam participant, eaque cæteris antecellunt. Vere enim dixit B. Teresia: *Sanctitas sibi, prudentia aliis magis prodest;* ut, si quæratur rector,

A eligendus potius sit prudentior, quam sanctior. Unde et S. Antonius *discretionem* dixit *esse aurigam virtutum.* Hac de re multorum sententias et gnomas citavi Exodi 25. 22. in fine. Hinc patet, Cherubinos non tantum assistere Deo, uti volunt aliqui cum S. Dionysio, sed et foras mitti, uti missus est Seraphim ad Isaiam cap. 6. Tertio, quia similiter legimus Cherubinos exercere Dei iudicium et vindictam in Adamum, eiusque posteros, dum a Deo positi custodes paradisi terrestris, flammeo gladio prohibent, ne Adam, vel quis posterorum eius illum ingrediatur, Genes. 3. 24. Ergo similiter Cherubini hi, qui exercent vindictam Dei in Iudæos, aliasque gentes, sunt veri Cherubini. Denique Ezechiel concludens hanc visionem cap. 10. 20. diserte ait, *Et intellexi quia Cherubim essent.* Si ergo ex his sit Michael, Cherubinus sit oportet: si non est, non est ex his.

Quatuor facies significant quatuor stemmata Dei.

Sed cur Cherubim habent quatuor facies? Resp. quia his significant quatuor insignia et stemmata domini sui, scilicet Dei sedentis in curru; tum qua creator est; tum B qua redemptor; tum proprie, qua vindex et castigator est Hebræorum. Primo, qua creator est, facies aquilæ significat Dei sapientiam; hominis, Dei bonitatem, mansuetudinem, clementiam; leonis, Dei fortitudinem et potentiam; bovis, Dei iustitiam, religionem, et cultum illi debitum, ut scilicet bobus, aliisque victimis illa maiestas, quasi rerum omnium principium, causa et summum bonum, colatur et adoretur. Hæc attributa a Deo ipsi Cherubini, id est angeli, in se participant et repræsentant. Hinc facies non tegunt; tum quia pergunt ad prælium; tum quia insignia Dei quatuor faciebus omnibus repræsentant et ostentant. Secus est de Seraphim Isaiæ 6. Illi enim cum Deo assistant adorantes, velant facies. Ita S. Dionys. c. 15. Cælest. hierarch. *Leonis facies*, ait, *significat vim illam in angelis principalem, robustam et indomabilem, per quam occultissimo illi incloquibilis divinitatis arcano pro viribus similes nituntur evadere, operti spiritualibus vestigiis, et expedita illa atque ineffabili celeritate itineris ad* C *divini fulgoris secreta tendentis. Bovis autem imago fortitudinis ac roboris præfert speciem, queis spiritales sulcos suscipiendis cælestibus fœcundisque imbribus scindunt:* (boves enim cum celeritate fortiter figunt pedem in cursu. Taurus, inquit Horus hierogl. 44. integris viribus, fortis ac temperans) *Porro effigies aquilæ significat regiam dignitatem, motumque ad superna tendentem, celeremque volatum, atque ad captandum necessarium reparandis viribus cibum agilitatem atque vigilantiam, et cursum facilitatemque summam: ac propterea vim illam singularem speculandi atque intuendi libere, directe, in nullam partem inclinando aciem luminum, in radium illum uberrimum et lucidissimum deitatis, quem ex se instar Solis emittit.* Quatuor ergo animalium facies, quatuor primariarum Dei virtutum et dotum sunt symbola. Leo enim est symbolum maximæ fortitudinis; vitulus summæ beneficentiæ; homo rationis et æquitatis; aquila altissimæ sapientiæ. Aquilæ enim, ait Plinius l. 10. 3. *clarissima est oculorum acies.* Et inferius: *Implumes etiamnum pullos* D *cogunt subinde adversos intueri Solem: et quos conniventes animadvertunt, præcipitant e nido, velut adulterinos atque degeneres: illos autem, quorum facies firma contra steterit, educant.* De leone audi plura. Ægyptii, inquit Horus Apollo in Hierogl. cap. 17. *animum, sive iram volentes signare, leonem pingunt. Caput enim magnum habet hoc animal, et pupillas quidem igneas, faciem vero rotundam, et circumquaque radiorum more sparsos pilos instar Solis. Quare et sub solio Hori, id est Solis, leones supponunt, huius animalis cum Deo similitudinem maximam demonstrantes.* Addit, eosdem per leonem significasse, primo, robur; secundo, vigilantiam et custodiam: quia leo apertis oculis dormit; tertio, terribilem ac formidandum. Deus autem robustissimus est, vigilantissimus et providentissimus, ac maxime formidandus: eius ergo hieroglyphicum est leo. Hæ ergo quatuor animalium dotes requiruntur in rege et gubernatore, præsertim universi, qualis est Deus. Unde Pierius hieroglyph. 32. *de*

capite affert antiquissimam picturam divinæ providentiæ, quæ in quatuor angulis hæc nomina habebat inscripta: *Virtus, auctoritas, scientia, felicitas. Virtus*, est fortitudo; *auctoritas*, est iustitia; *scientia*, est sapientia; *felicitas*, est beneficentia, *Beatius est enim dare, quam accipere*. Has quatuor dotes symbolice significant quatuor angeli; scilicet, Michael iustitiam, Gabriel fortitudinem, Raphael beneficentiam, Uriel sapientiam. Hi ergo sunt instar quatuor Cherubim, divinæ providentiæ administri, et suæ quisque virtutis ac dotis præsides, inquit Alcazar in Apoc. 1. v. 4. et 5. ubi et addit easdem significari per quatuor Prophetas. Isaias enim heb. idem est quod *Domini salus*, ecce beneficentia: Ieremias, *celsitudo Domini*, ecce sapientia: Ezechiel, *fortitudo Dei*, ecce tibi virtus: Daniel, *iudicium Dei*, ecce æquitas et iustitia. Ita et S. Hieron. Prolog. in Ioelem. Porro inter hos quatuor interiicitur Baruch, id est *benedictus*, ut intelligatur benedictus Dei Christus, his quatuor Dei providentiæ spiritibus communiri. Rursum has quatuor dotes significant nomina ab Isaia indita parvulo nobis nascituro, c. 9. 6. Vocabitur, inquit, nomen eius *admirabilis consiliarius*, ecce sapientia; *Deus fortis*, ecce virtus; *pater futuri sæculi, princeps pacis*, ecce beneficentia; *sedebit super solium David*, ecce iustitia.

Emblema.

Rursum has significarunt veteres Romani per duplex emblema. Primum erat gryphus, id est, imago superne habens formam aquilæ, inferne leonis cum magnis auribus. Hoc enim significat sapientiam iungendam fortitudini, sed sapientiam debere præire, fortitudinem sequi. Magnas habet aures; tum quia auditus est sensus disciplinæ; tum quia decet sapientem principem suis consiliariis attentas præbere aures. Unde finxerunt gryphum aurum eruere, illudque ab Arimaspe tueri et servare; ut significarent felicitatis et securitatis reip. causam esse, coniunctionem sapientiæ et virtutis. Secundum est minotauri, qui caput habebat humanum, reliquum corpus bovinum, caudam in spicas desinentem; de quo Ovidius:

Emblema gryphi, quid?

Et Minotauri.

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

Hoc significabant rempub. crescere, augeri et ditescere æquitatis (cuius symbolum est homo) et beneficentiæ (cuius symbolum est bos: dat enim lac, carnes, corium, et arando segetes) coniunctione, hoc est, mutuis inter se civium tum iustitiæ, cum charitatis officiis. Hæc enim in spicas, id est, in fertilitatem, et rerum copiam desinere. Utrumque hoc symbolum ex Petro Pighio depingit Alcazar pag. 373.

Adde, hæ formæ, ait Scholiast. significant universam naturam, cui imperat Deus, et Dei providentiam per angelos, qui omnibus eminent, omniaque moderantur. Unde eorum insignia sibi assumunt. Per aquilam ergo significatur Deum per angelos imperare omnibus avibus, inter quas eminet aquila; per leonem omnibus feris inter quas eminet leo; per bovem omnibus iumentis, inter quæ eminet bos; per hominem omnibus rationabilibus. Sic et Polychr. et Apollinar. Simul movent rotas, id est orbes cælestes, cum subiectis, id est cum aere et igni, et centro, id est, globo terræ et aquæ.

Facies quatuor significant quatuor dotes Dei redemptoris.

Secundo, qua Deus redemptor est Israelis, hæ quatuor facies Cherubim sunt hieroglyphicum belli, vindictæ et triumphi illius de Ægyptiis, ut dixi quæst. 1 Quibus adde, vitulum, posse significare Apin, id est, vitulum, vel bovem Deum Ægyptiorum, ipsosque Ægyptios. Hi enim in triumpho circumstant et præeunt, quasi victi, currum Dei triumphalem: unde a sinistris esse dicuntur. Hinc et vitulus hic ungulam habet, ut significetur prostratus et calcatus Apis a Deo.

Consequenter hæ quatuor facies symbola sunt et stemmata regni et Synagogæ, quam post hanc victoriam in Sina instituit Deus, id est, populi Israelitici, sive castrorum egredientium ex Ægypto: quæ ut dixi, opinione 6. quæst. 1. quatuor habebant acies insignitas vexillis horum quatuor animalium; scilicet acies Iuda insignita erat leone, acies Ruben homine, acies Ephraim bove, acies Dan aquila. Adde, aquila significabat prophetiam, homo A doctores, leo regnum, vitulus sacerdotium Synagogæ a Deo datum. Ita Theod.

Tertio, proprie et genuine hic qua bellator et vindex est Deus, atque excisor Hierosolymæ, habet quatuor facies, id est, dotes et virtutes, quas in excidio ostendit et exhibuit; scilicet, primo, leoninam fortitudinem; secundo, humanam iustitiam; tertio, bovinam æquitatem et beneficentiam; quia Hebræos ita punivit ad eorum salutem, ut ipsi hoc flagello ad cor et Deum, et consequenter ad pristinam reip. gloriam redirent, uti et factum est: unde et deinceps numquam publice coluerunt idola. Hinc et Cherubim desinebant in bovis ungulam; ut significarent clades has et excidia Iudæorum in clementiam et beneficentiam Dei erga eos desitura. Sic enim Dei ira et castigatio hominibus emendatis in clementiam et misericordiam desinere solet. Vide dicta Isaiæ 32. 20. Rursum, sicut ungula bovis calcat segetes, sed calcando triturat, et grana pura excutit: ita Deus per Chaldæos calcavit Iudæos, sed calcando trituravit, et puros quasi triticum effecit. Hoc est, quod Deus Iudæos compellans ait: *Tritura mea, et filii areæ meæ*, Isaiæ 21. v. 10. Vide ibi dicta. Denique planta vituli fortis, et divisa, significat fortitudinem æque ac discretionem Dei in puniendis his qui merentur, et liberandis illis qui sunt innocentes. Quarto, desuper faciem aquilinam, id est, altissimam ostendit sapientiam, et consilium, quam per Christum, Christique redemptionem exhibuit, in qua Iudæorum excæcatio et perditio, fuit Gentium salus, lux et plenitudo. Ita Alcazar loco citato.

Et Dei bellatoris vindicisque.

B

Allegorice, licet alii id velint esse literale, stemmata hæc sunt filii hominis, id est Christi: imo Hector Pintus ad literam per quatuor animalia Christum accipit, cuius ductum et motum sequitur rota, id est, Ecclesia et Christiani. Verum Apoc. 5. v. 8. et 14. quatuor hæc animalia adorant agnum id est Christum; non ergo sunt ipsa Christus, sed Christus potius est filius hominis sedens in solio, cuius hæc animalia gestant insignia. Christus enim C ostendit quaternas facies; aquilæ, quia est Verbum Patris; hominis, quia est verus homo; leonis, quia est rex; vituli, quia est sacrificium et sacerdos, idque in calce, id est, in fine vitæ. Rursum, planta et ungula vituli divisa et fissa, notat pedes Christi Crucifixos. Clavis enim per eos in crucem adactis, quasi divisæ et fissæ sunt plantæ Christi, uti ungula vituli quasi adacto clavo secta et fissa videtur. Porro quodque horum quatuor animalium habet hasce quatuor facies: quia hic homo (puta Christus) et rex est, et sacerdos, et Deus: vicissim hic rex (puta Christus) et homo est, et sacerdos, et Deus. Rursum hic sacerdos (puta Christus) et Deus est, et homo, et rex. Denique hic Deus (puta Christus) et homo est, et rex, et sacerdos; ideoque in fine cap. puta c. 2. 1. dicitur: *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini*. Hinc et quodque habet quatuor pennas, sive alas, tum ut celeritas redemptionis Christi significetur; tum ut notetur eius in amore Dei nostrique, et virtutibus omnibus soliditas: quod enim quadrum est, solidum est. Sive ergo Christum spectes ut hoD minem, sive ut regem, sive ut sacerdotem, sive ut Deum, alis, id est amore et virtutibus, quaquaversum plenum cernes. Insuper ungula vituli, vel bovis, quia fortis, notat Christi fortitudinem in tolerandis laboribus et doloribus: eadem quia divisa, notat Christi discretionem et prudentiam. Cherubim scintillantes instar æris candentis notant fulgorem et sonitum Evangelii: æs enim est sonorum. Hinc et serpens æneus in deserto fuit typus Christi crucifixi. Quod non revertebantur, nec respiciebant retro, notat constantiam Christi in opere redemptionis nostræ.

Allegor. significant quatuor stemmata Christi.

Cherub ergo repræsentat multiformem sapientiam Christi. Quadriformis est; quia humana facies significat Christi incarnationem; vitulina, mortem; leonina, fortitudinem, quam ostendit in resurrectione; aquilina, ascensionem in cælum, indeque missionem Spiritus sancti quasi aquilæ advolantis, in Ecclesiam, ait Iren. lib. 3. c. 11 Unde ultima et superna animalium facies est aquilæ. Quo-

circa S. Ambros. lib. 2. de Salomon. c. 2. citans illud Proverb. 30. 18. *Tria sunt difficilia mihi*, etc. *Viam aquilæ in cælo*, id est, inquit, *Christi advenientis ad terram, ac redeuntis ad cælos vestigia comprehendi non possunt.* Has quatuor Christi facies describit Apostolus Philip. 2. 6. et Hebr. 1. 3. ut ibi dixi, et Isaias cap. 9. 6. Ita Rupert. et Iren. qui addit, Christum ut regem, apparuisse patriarchis; ut pontificem Mosi et Hebræis; ut hominem, Iudæis, cum viveret; ut Deum, Apostolis in Pentecoste.

Aspectus quasi carbonum ardentium significat charitatem ardentem Christi, qua se pro nobis in mortem dedit; quæ tanta fuit, ut optaret eadem pati usque ad diem iudicii, imo pro singulis hominibus, toties iterata passione quot sunt homines, si Deo id volitum et placitum esset. Tantus enim erat Christi erga Patrem amor; tantus et erga homines, quos adeo a Patre amari videbat, ut omnis passio hoc amore absorberetur, perinde ac gutta aquæ iniecta in ingentem rogum statim ab eo sorbetur. Hac de causa avebat et ardebat crucem et mortem. *Desiderio desideravi*, inquit, *manducare hoc pascha*, etc. Et: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur?* Hanc crucis sitim alllavit S. Laurentio, qui tyranno minanti ignes et eculeos respondit, hasce epulas se esurire; nec esse quem famelicum aut sitibundum, qui escas et potus ita esuriat et sitiat, ac ipse esuriret et sitiret tormenta omnia, ut amorem amori, puta Christo Domino, rependeret. Fuit ergo Christus portentum infamiæ, portentum nuditatis, portentum dolorum: fuit et portentum humilitatis, patientiæ, etc. sed maxime charitatis. Quod enim maius portentum, quam Deus in cruce ex amore hominum? *Cernis ut in toto corpore* scriptus, imo *sculptus amor*, tot litteris, quot vulneribus. Atque hæc Crucis Christi fuit causa. Volebat enim Deus divinum et immensum suum amorem hominibus patefacere et communicare: hoc non potuit magis meliusque facere, quam dando pro nobis unigenitum suum in crucem et mortem. Hic enim fuit transcendens, extaticus, immensus, Deo dignus amor. Quocirca sicut de Cherubim dicitur: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur;* ita de Christo ait Lucas c. 4. 1. *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane; et agebatur a spiritu in desertum*, ut ieiunaret *diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo.* Pari modo ad prædicandum, ad orandum, ad offerendum se passioni et cruci, adque singulas suas actiones agebatur Christus impulsu Spiritus sancti, et Verbi in se inhabitantis. Manus quaternæ significant tum fortitudinem, tum operationem continuam Christi. Amor enim et virtutes in mente sunt torpidæ et inanes, nisi in opera se exerant. Manus hæ erant sub alis, iisque velabantur: quia operationes Christi divinæ, quas S. Dionys. vocat theandricas, q.d. Dei viriles, sive Dei hominis, puta Verbi incarnati, tegebantur carnis assumptæ et passionis infirmitate; ut doceret fideles suos, pari modo dona Dei non ostentare, sed per humilitatem et silentium ea tegere et abscondere. Pennæ extentæ desuper significant Christi, et Sanctorum eius intentionem sursum ferri; cælum, et Deum unum spectare in omnibus actibus, non terram et homines.

Porro *animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis:* fulgur significat celeritatem et splendorem miraculorum Christi. Hinc pridie palmarum Hierosolymam ingrediens vectus asello, acclamationes accepit a Cherubinis, id est, infantibus et parvulis innocentiæ angelicæ: *Hosanna filio David. Hosanna in excelsis*, quasi Deus, et filius David, homoque et rex ipsorum; ac simul quasi victima, puta agnus paschalis, urbem ingreditur, exultans, eminens, et triumphans quasi aquila: quia fortis ut leo, resolutus erat et certus, quod per mortem et crucem vinceret peccatum, mortem et diabolum; ideoque ante duellum triumphat, quia certus de victoria. Quare S. Hier. vel quisquis est auctor præfationis in S. Marcum, hæc quatuor stemmata S. Marco adaptat: *Qui*, ait, *fremit ut leo, volat ut aquila, discit ut homo, immolat ut sacerdos: qui irrigat ut flumen, floresecit ut ager, fervet ut vinum. Christus enim de quo loquitur, homo est nascendo, vitulus moriendo, leo surgendo, aquila est ascendendo. Quatuor insuper sunt qualitates, de quibus S. Evangelia contexuntur: Præcepta, mandata, testimonia, exempla. In præceptis iustitia, in mandatis charitas, in testimoniis fides, in exemplis perfectio consistit*, etc.

Hinc secundo, S. Iren. et post eum S. Athanas. August. Hieron. Ambros. Gregor. et communiter Patres et Doctores, quos citant Viegas, Alcazar, Pererius, et Ribera Apoc. 4. recte accomodant quatuor Cherubim, quatuor Evangelistis, qui sunt præcones triumphi Redemptoris: quatuor facies, sunt quatuor trophæa et excellentiæ Christi quas suis Evangeliis exprimunt: S. Ioannes est aquila, quia canit deitatem Christi: S. Matthæus est homo, quia humanitatis opera describit: S. Lucas est bos, quia incipit a sacerdotio Zachariæ: S. Marcus est leo, quia incipit a rugitu S. Ioannis Baptistæ. Quocirca Veneti, qui possident corpus S. Marci, et in eius honorem magnificum templum ædificarunt, eumque mira veneratione colunt, adeo ut Venetiæ videatur esse civitas S. Marci; pro insigni habent leonem S. Marci, cum hac epigraphe: *Pax tibi Marce, Evangelista meus*; quæ verba S. Marco pergenti ad martyrium apparens dixit Christus. Hæ facies omnes sunt in uno, et in quolibet Cherubino; quia omnes hæc quatuor de Christo annunciant; sed facies id est initium, eos distinguit. Cherubim quaterni sunt quatuor Evangelistæ.

Duabus alis, id est, fide et scientia divina, in cælum volant: duabus tegunt femora, id est, humanam scientiam abscondunt, imo eam cæcam reddunt. Ita S. Hieronymus. Strident alis: quia *in omnem terram exivit sonus eorum.* Scintillæ ex illis emicabant; quia splendor Evangelii eos quaquaversum sequebatur. Manus hominis habebant sub alis; quia non solum verbis, sed et factis homines ad salutem adiuvabant. Non revertebantur, id est, non retractabant quæ dixerant; quia omnia erant vera et certa. In medio eorum erat ignis; quia Spiritu sancto regebantur et inflammabantur. Ita S. Hieron. Hic tamen sensus non est primarius; imo, ut recte notat Prado, mysticus est, non literalis, ut satis indicat ipse Irenæus primus eius auctor. Nam certum est apud omnes Cherubim, uti et Seraphim, esse angelos, non homines Evangelistas.

Tropologice, hæ quatuor facies sunt quatuor stemmata Ecclesiæ. Illi enim quasi regno suo Christus rex sua stemmata communicavit, quæ quatuor membra Ecclesiæ constituunt. Aquila enim significat Prophetas, Apostolos, Evangelistas; homo Rectores, Pastores, Episcopos; vitulus victimas, scilicet Martyres; leo Principes Ecclesiæ defensores: uti fuit Constantinus, Carolus, Ludovicus. Hi Cherubini agunt Dei currum et rotas. Tropol. quatuor facies sunt quatuor stemmata Ecclesiæ.

Rota est prædicatio Evangelii, et circulatio per totum orbem, cui spiritus Dei insinuabat se, ut corda hominum converteret.

Rursum, Cherubim sunt Prælati, ait Bernard. tractat. de modo bene vivendi ad sororem serm. 18. et sacerdotes, maxime præcones. Hi debent esse pleni cælesti scientia, esseque homines, id est, humani; et leones, id est, pro iustitia et disciplina fortes; et vituli, id est, mortificati, ac strenui pro bono communi; et aquilæ, id est, contemplativi, ac orationi dediti. Habent ungulam bovis, quia laboriosi sunt in arando et excolendo agro Dominico, puta, in prædicando, docendo, exhortando. Unde iis ait Isaias cap. 32. v. ult. *Beati qui seminatis super omnes aquas immittentes pedem bovis et asini.* Rursum S. Gregor. homil. 3. *In sanctis*, ait, *prædicatoribus planta pedis est vituli, scilicet mature incedens, et fortis, et divisa; quia unusquisque prædicator et venerationem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et divisionem ungulæ in discretione. Non enim prædicatio eius accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum ipsa fortitudo operis amittit, si discretio in intellectu non fuerit.* Iam alæ, manus, pedes, etc. Cherubinorum, quæ de

Christo allegorice explicui, simili sensu tropologice hisce Christi asseclis applicanda et adaptanda sunt.

Ita Alcazar in Apoc. 4. pag. 370. per illa quatuor animalia S. Ioannis similia hisce Ezechielis ad literam intelligit viros Apostolicos: unde concludens, ait: *Hæc ergo clausula est: Iesu Christi spiritum, qui leo, vitulus, homo et aquila per excellentiam est, præcipuum atque unicum auctorem esse, qui viros Apostolicos leonino robore, vitulina beneficentia, æquitate humana, aquilina perspicacitate penitus adimplet.* Ita ipse ad literam, ego tropologice.

Tales similiter debent esse Christiani, qui Christum perfecte sequi, ei astare, eiusque currum et Ecclesiam provehere satagunt. Ita S. Gregor. Hinc aliqui apud S. Hieron. per hæc quatuor animalia accipiunt quatuor virtutes cardinales. Aquila, inquiunt, est prudentia, leo fortitudo, vitulus temperantia, homo iustitia. Sic et S. Gregor. hic, et S. Ambros. lib. 3. de Virginibus, sub finem; qui tamen per hominem accipit prudentiam, per aquilam iustitiam.

S. Pantaleon has quatuor facies ostendit.

Ita faciem, æque ac nomen leonis habebat S. Pantaleon Martyr, qui iuvenis Nicomediæ sub Maximiano Imp. anno Christi 311. fortissime eculeos, candentes laminas, ungulas, leones et tigrides, quasi aquila conversans cum Christo, cumque invocans, imo præsentem cernens superavit. Quocirca in tormentis Christum alloquens, dicebat: *Cum tu mecum sis Domine, quid possim timere?* Habuit et faciem bovis: quia multos et verbo et magis exemplo suæ pietatis et constantiæ ad fidem convertit. Quapropter cum caput carnificibus amputandum porrigeret, eisque veniam et misericordiam a Deo precaretur, audivit e cælo vocem: *Deinceps non vocaberis Pantaleon, sed Pantaleemon*, id est, omnino misericors: *quia per te multi misericordiam consequentur apud Deum.* Ita habet eius vita 27. Iulii. Hoc etiamnum miraculo publico testatur Deus. Nam duæ ampullæ sanguinis eius concreti, quarum una asservatur Romæ in templo Congregationis Oratorii, ex qua prodiit Cardin. Baronius: altera Ravelli in regno Neapolitano, recurrente die martyrii illius, resolvi et liquefieri solent; uti hic Romæ quotannis fieri conspicimus.

Vidi nonnullos apposite quatuor personas agere, hominis, bovis, angeli, leonis. Si humane cum illis ageres, nihil illis humanius: si solide et cordate, nihil illis cordatius (eburnei videbantur:) si pie de rebus divinis loquereris, respondebant ut angeli: sin illos pungeres, et bilem acueres, rugiebant ut leones. Aliquos etiam rixari et furere vidisses ut dæmones, ac subito ex angelis ac Cherubinis, quasi in dæmones se transformantes, ut non nisi diabolos, imo centum millia diabolorum parti adversæ imprecarentur.

Itaque Religiosus, imo quilibet Christianus, quadrifacialis sit, scilicet habeat faciem aquilæ in templo, faciem hominis in domo, bovis in cella et officina, leonis in foro et castris: puta in orando sit aquila, in conversando homo, in laborando bos, in dimicando leo, ut tentationes, et adversa arduaque quæque generose aggrediatur et superet tamquam leo. Ita quaquaversum erit angelus, quaquaversum Cherub.

Symbol. quatuor animalia sunt quatuor sedes Patriarchales.

Symbolice, Lyranus has quatuor facies, et hæc quatuor animalia quatuor Patriarchalibus Ecclesiis adaptat: scilicet, leonem Hierosolymitanæ, bovem Antiochenæ, hominem Alexandrinæ, aquilam Constantinopolitanæ. Hi sunt Cherubim Christi, eiusque vicarii Summi Pontificis; cui proinde quatuor horum Patriarchatuum stemmata præferuntur. Hierosolymitana enim apte comparatur leoni, ob fortitudinem et constantiam Apostolorum, qui primitus eam erexerunt, et in ea vixerunt. Antiochena vitulo; quia subdidit colla Apostolis, Act. 15. et sequent. Alexandrina homini, ob viros doctissimos, quos habuit Episcopos, aut Doctores: quales fuerunt Panteus, Heraclas, Origenes, Clemens, Athanasius, Cyrillus, Dionysius, et alii. Constantinopolitana aquilæ: quia in ea floruerunt viri magnæ contemplationis, uti S. Chrysostomus, Nazianzenus, et alii.

Et quatuor Doctores Ecclesiæ.

Denique alii hos quatuor Cherubim adaptant quatuor Ecclesiæ Doctoribus, scilicet hominem esse, facilem Gregorium; leonem, fortem Ambrosium; bovem, laboriosum et solidum Hieronymum; aquilam, sublimem Augustinum. Ita S. Hieron. se bovem vocat, scribens ad S. August. *Bos lassus,* inquit, *fortius pedem figit.*

Anagog. quatuor stemmata Eccl. triumphantis.

Anagogice, hæc quatuor sunt stemmata Ecclesiæ triumphantis, et regni cælestis, ubi Deus proprie regnat in solio gloriæ. Aquila significat visionem Dei, homo mutuum Sanctorum amorem et concordiam; leo, eorum potentiam, et immortalitatem; vitulus oblationem, Deique adorationem; aquila, Dei laudem, gratiarum actionem, et iugem glorificationem cantantium, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Vide in hac multiplici sensuum varietate fœcunditatem sacræ Scripturæ, et Theologiæ symbolicæ.

Quæs. 4. Quid significent rotæ habentes quatuor facies? Resp. Deus est circulus qualis?

QUÆRITUR QUARTO. Quid significent rotæ habentes quatuor facies, æque ut Cherubim v. 15.? Respond. Sicut currus significat Dei maiestatem, providentiam, regnum, gloriam: ita rotæ significant Dei æternitatem, celeritatem, efficacitatem in operando: item eiusdem immensitatem. Unde Empedocles: *Deus,* ait, *est circulus, cuius centrum est ubique, circumferentia nusquam.* Hinc rotæ plenæ sunt oculis; quia Dei providentia et imperium est oculatissimum: quia Deus ipse totus est oculus, uti eum pingebant Ægyptii. Denique rotæ significant iugem actionem Dei, angelorum et hominum divinorum. Hinc Ægyptii laboris perpetui hieroglyphicum pinxere cælum, appicto corde, cui foculus ardens subiiciebatur, teste Plutarcho in Iside et Osir. Quo significabant viros magnos et cælestes, iugibus gravibusque curis semper agitari, atque instar cordis aut cæli semper moveri, et, quod de Vespasiano scribit Sveton. stantes mori. Quocirca Pacatus in Panegyric. Theodosii: *Gaudent,* inquit, *divina perpetuo motu, et iugi agitatione se vegetat æternitas, et quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est: ut indefessa vertigo cælum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, et stare sol nescit; ita tu Imperator continuatis negotiis, et in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es.* Similes sunt rotæ. Hoc enim earum est ænigma:

Quatuor æquales currunt ex arte sorores,
Sic quasi certantes, cum sit labor omnibus unus,
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

Hinc Ægyptii, ait Clem. Alexandr. lib. 5. Strom. rotas in templis ponebant, vel pingebant, duas ob causas. Prior, ut Dei naturam adumbrarent. Ex eorum enim placitis Democritus Deum depingens, appellat *Mentem in igne orbiculari.* Et Parmenides eumdem definit *coronam, continentem ardore lucis orbem, qui cingit cælum.* Et Iamblichus lib. de Mysteriis, notat Ægyptios Deum pingere solitos sedentem in loto arbore aquatica, cuius folia et poma rotunda sunt, ut significaretur circularis actio mentis in se undique remeans. Hinc et Pythagoræ dogma: Deum adorans in orbem te gyra, uti gyratur cælum, quod proinde Stoici *rotundum et volubilem Deum* nuncupant.

Quocirca Hebræi aliqui volunt אופנים *ophannim*, id est *rotas*, esse nomen angelorum, sicut Seraphim et Cherubim; atque quia hi proximi sunt Cherubinis, vehuntque thronum Dei, itaque sunt quasi thronus Dei, hinc esse Thronos, vel, ut Prado, esse ex secunda hierarchia, scilicet Principatus. Vide dicenda cap. 10. vers. 13.

Verum, quia, ut dixi, Cherubim significant angelos, currus vero mundum; hinc rotæ sunt orbes cælestes: quatuor in curru sunt omnes. In eis est constellatio bovis, aquilæ, leonis, hominis.

Secundo, sicut currus hic est triumphalis Dei: ita rotæ significant celeritatem, et efficacitatem victoriæ, quæ quasi pernici rotatione Pharaonem et hostes protriverit. Consequenter sicut Synagoga est currus Dei; ita rotæ sunt Moses, Aaron, aliique duces et doctores Hebræorum.

Allegor. rotæ sunt Apostoli.

Allegorice, sicut currus Christi est Ecclesia: ita rotæ sunt Apostoli, ut dixi. Sicut ergo Synagoga, eiusque duces participarunt quatuor stemmata et insignia redemptoris sui Dei: ita Ecclesia et Apostoli participant stemmata sui redemptoris et sponsi Christi.

Idem ergo allegorice significant quatuor facies rotarum, quod tropologice quatuor facies Cherubim. Deus enim sua stemmata communicat Cherubinis, id est angelis, et per eos currui et rotis, id est Ecclesiæ, et hominibus: atque angeli quasi duces hominum in se ostendunt quales debeant esse homines, maxime Apostoli et Prælati.

Rota in medio rotæ est eorum concordia, subordinatio et hierarchia Ecclesiastica, qua instar cælestis hierarchiæ alii suo ordine præsunt, alii subsunt; alii mandant, alii exequuntur. Aliter S. Gregor. homil. 6. et S. Hieron. Rota, aiunt, in medio rotæ, est testamentum novum adumbratum, et quasi inclusum et involutum in veteri: *Quod enim vetus promisit, hoc novum exhibuit. Prophetia ergo testamenti novi testamentum vetus est; et expositio testamenti veteris testamentum novum est.* Et S. Ambros. lib. de Spiritu S. c. 22. *Rota*, ait, *est intra rotam, eo quod Iudæa intra Ecclesiam sit, lex intra gratiam.* Rursum rota in medio rotæ, ait S. Hier. est Evangeliorum consonantia et cohærentia (Marcus enim in Matthæo, Matthæus in Luca, etc. includitur) ac mysteriorum fidei connexio.

Facies aquilæ in rotis quid?

Ad literam ergo, Prima facies in rotis est aquilæ, quæ a nobis in cælum, quasi ad Deum altissime evolat. Hæc significat, Synagogam Hebræorum esse Dei peculium, ut sit Dei populus, et Deus sit eorum Deus: sicque ipsa quasi divinitatem participat, Deut. 4. 8. Allegorice, id verius est in Ecclesia, et Christianis, 2. Petr. 1. 4. Hinc Deus Hebræis daturus legem Exodi 19. 4. ait: *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi.*

Hominis.

Secunda facies, hominis ingenui significat legislationem et liberationem, tum corporalem a servitute Ægyptiorum, Deuter. 4. 8. qualis fuit Iudæorum: tum Allegorice, spiritualem a peccato, et timore servili, qualis est Christianorum.

Vituli

Tertia, vituli significat sacerdotium carnale Iudæorum. Allegor. spirituale Christianorum, quo vitia mortificamus Deo, ut iugulet in se quisque quod animale est; ut vivat, quod spirituale est.

Leonis.

Quarta, leonis significat regnum temporale Iudæorum: et Alleg. spirituale Christianorum; quod est, ut animo munifico, spontaneo, regio vincamus omne malum, etiam inimicos. Hoc regnum per vitulum, hoc est mortificationem concupiscentiæ, comparatur. Idem ergo rex et sacerdos sit oportet: sicut Machabæi principes erant, et sacerdotes. Sic et Ecclesia, id est, Pontifex, qui est caput Ecclesiæ, sacerdos est; ex qua potestate sacerdotali in regiam dignitatem emanat auctoritas, ut princeps sit, et regibus imperare possit, cum Ecclesiæ bonum hoc exigit.

Nota. Ad motum Cherubim, id est, angelorum præsidum, moventur rotæ et currus, id est, Ecclesiæ præcones et fideles; imo cæli, et totus orbis.

Tropol. homines et regna quasi rotæ rotantur a Deo.

Tropologice, Primo, significant hæ rotæ, omnia regna, omnesque creaturas a Deo rotari, volvi et gubernari, iuxta illud Eccles. 1. v. 4. *Generatio præterit, et generatio advenit. Oritur sol, et occidit*, etc. Ita S. Hieron. Rotæ, ait Plutarch. in Numa, significant in rebus humanis nihil esse stabile, sed volubiles et irremeabiles esse temporum lapsus, ut desidem esse non liceat, sed velis nolis ad alteram vitam curras oportet, iuxta illud Persii satyr. 5.

Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, et in axe secundo.

Et Anacreon:

Rota velut curulis,
Properat volucris ætas.

Ita Soldanus vir sapiens captus a rege Francorum, cum e carcere rotæ conversionem diu fixe contemplatus esset, ex mœrore longo solutus in risum, rege causam sciscitante, respondit: *Hanc ego incertæ inconstantisque hominum felicitatis imaginem sentiens risi, cum quod mihi in mentem veniret, quam instabili nos de re superbiremus: tum simul hoc fieri posse iudicans, ut quomodo ex summo factus sum imus, ita ex humili rursum loco ad prius attollar fastigium.* Id refert Cedrenus in compend. pag. 475. Ita Heliogabalus *Ixionios amicos* per ludibrium ad rotam aquarum alligatos, sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat, ait Lampridius: quo ludo sæpe ludunt aulici, in hoc aularum et rerum humanarum æstu. Hæc docte annotavit P. Nicol. Causinus Elect. symbol. pag. 209.

Secundo, nos quasi rotas esse in manu Dei: itaque nos debere sinere ab eo regi et rotari. Huc spectat veterum proverbium, *Adorato circumactus:* quo monebant adorantem adorare Deum circumactu corporis, et gyrando illud in orbem: nimirum ad imitationem cæli perpetua vertigine circumacti, præsertim quia prisci crediderunt cælum esse Deum. Addit Plutarch. corporis vertigine significari rotas Ægyptias (symbolicas) quibus illi significabant, nihil in rebus humanis esse stabile aut perpetuum, sed utcumque visum fuerit Deo vitam nostram vertere ac volvere, æquum esse ut boni consulamus. Audi S. Bernard. lib. de Natura amoris c. 8. *Rotæ*, ait, *in quibus est spiritus vitæ, semper eunt in voluntatem Domini perficiendam, nec revertuntur ad faciendam suam. Si iubentur præesse, præsunt in sollicitudine: si iubentur subesse, in humilitate: si aliquibus coesse, in charitate. Si prælati sunt, sunt sicut patres ad filios: si subiecti, ut filii ad patres suos: si conviventes, omnium servos se faciunt.*

Tertio, debere nos in omnibus eius impulsum et spiritus impetum sequi: tunc enim a via salutis, qua ipse nos dirigit, aberrare non possumus: si enim resistamus, et alio flectamus iter, a via salutis et a salute aberrabimus.

Secreta praxis assecurandi salutem.

Hoc ergo secretum est cuique prudenti notandum et practicandum. Vis certam facere salutem tuam, vis assecurare tuam electionem et prædestinationem? Sequere Deum, sine te regi a Deo. Statum illum, officium illud, actionem illam, passionem illam amplectere, ad quam te vocat et impellit Deus; esto sit humilis, molesta, difficilis: Deus enim, qui te eo vocat, dabit vires et modos, omnia difficilia, omniaque pericula superandi, et recta te diriget ad salutem. Dic ergo cum Psalte: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Et, *Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* Et cum S. Paulo: *Domine quid me vis facere? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Et cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Scimus Samsonem heroica fortitudinis opera, supra humanas vires irruente in se spiritu Domini perpetrasse, cum leonem occidit, cum tria millia Philisthinorum mandibula asini cecidit, cum portas Gazæ humeris in montem sustulit, cum concutiens columnas domus, eam evertit, principesque Philisthinorum eius ruina una secum obruit: verum cum non spiritum Dei, sed Dalilam suam secutus est, effœminatus et invalidus effectus, hostibus prædæ et ludibrio fuit. Idem prorsus nobis evenit. Oremus ergo Deum assidue, ut impetu hoc spiritus sui nos assidue et continue agat; imo quasi cogat ad omne bonum, præsertim arduum et sublime, utque rectis itineribus, quæ peccati non habeant scandalum, nos impellat, et ducat ad cælum et salutem. Rotæ hæ plenæ sunt oculis; quia in corpore hoc cæco, tot miseriis, illecebris et tentationibus obnoxio, multa vigilantia et circumspectione uti debemus. Hoc est quod Trismegistus in septimo Pimandri scripsit: *Oportet*, inquit, *vestem quam circumfers exuere, indumentum inscitiæ, pravitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, vivam mortem, sensitivum cadaver, sepulcrum vertibile, domesticum furem, qui dum blanditur odit, dum odit invidet.* Sic finxerunt veteres, Ianum priscum Italiæ regem, geminam faciem prætulisse, atque oculis ante et retro, præterita et futura considerasse. Denique iuxta Minervam draconem, qui est acutissimi visus, pinxerunt; ut significarent summa opus esse vigilia et solicitudine, ne sapientiam, quam Minerva significat, amittamus. Hinc et S. Ioannes Apocal. 4. hæc quatuor animalia vidit plena oculis, ante, et retro, et paulo post asserit, intus esse oculata. Non enim exteriora solum, sed interiora etiam virtutis et salutis suæ amanti, perspicienda et exploranda sunt. Quare recte S. Gregor. Nazianz. Christianum comparat funambulo. Sicut enim hic omnia

Rotarum oculi notant circumspectionem Sanctorum.

Ianus bifrons quid.

Minerva cum dracone.

circumspicit, ne ex fune labatur, et collidatur: ita et Christianus faciat, oportet. Quocirca S. Gregor. Magnus hic homil. 7. *Circumspecta*, ait, *est vita Sanctorum, ne sic sit libera, ut superba sit: ne sic sit humilis, ut formidolosa: ne sic sit parca, ut tenax sit: ne sic sit misericors, ut effusa sit.*

Rota in medio rotæ, inquit S. Ambros. l. 3. de Virgin. *est veluti vita intra vitam, quod sanctus sibi vita non dissonet; sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit et sequentis: vel quod in hac vita corporis, vitæ volvatur usus æternæ.*

Anagogice, rotæ sunt æternitas. Anagogice, sicut hic currus Dei triumphalis repræsentat Ecclesiam Beatorum triumphantem in cælis: ita rotæ significant eiusdem æternitatem: in rota enim non est principium, nec medium, nec finis: ita nec est in æternitate. Æternitas ergo est rota et circulus, cuius centrum est semper, circumferentia nusquam: quia nunquam finietur, unde durationis nullum habet limitem, vel terminum. Quocirca pingitur æternitas quasi circulus, aut quasi serpens orbicularis, qui caudam ore complectitur: ubi enim una pars temporis in æternitate desinit, ibi alia incipit, itaque semper itur in orbem, estque in ea iugis, et fine carens, ac perpetua circulatio. Notat ergo rota perpetuos fore triumphos, æterna fore gaudia, æternas coronas Beatorum. *Lux* enim *perpetua lucebit sanctis tuis Domine, et* ÆTERNITAS *temporum.* Ab æternitate enim increata Dei, manet æviternitas creata angelorum, et æternitas temporum in Beatis. Ita enim competit æternitati æternare, sicut perfectioni perficere, sapientiæ sapere.

Quæs. 5. Quid solium, firmamentum, arca, arula? Resp. 1.

QUÆRITUR QUINTO, quid significet solium, firmamentum, arca, et arula sive caminus? Respond. Solium Primo, significat divinam maiestatem et celsitudinem. Secundo, regiam eius dignitatem. Tertio, perennitatem, et æternam eius quietem, quam nulla perturbatio inquietare potest. Quarto, iudiciariam potestatem. Deus ergo hic sedet in solio, quasi iudex et vindex Hebræorum, ut eos pro meritis puniat. In Scriptura enim, et apud omnes gentes, thronus, sive solium, est symbolum iudicii, ac sedis iudicis. Unde Psal. 9. 5. dicitur: *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam:* ubi S. Basilius, *Thronus*, ait, *Dei ex iustitia constat.* Quinto, gloriam triumphantis. Veteres Rabbini, et ex iis Galatin. lib. 7. c. 19. symbolice per solium hoc Dei accipiunt B. Virginem, in qua sedit et conceptus est Messias Deus. Hinc est ex sapphiro: quia sicut sapphirus licet ex elemento terrestri, opaco et obscuro originem habeat, a sui tamen principio diaphanus est et clarus: ita immaculata mater Messiæ, etsi a parentibus peccato obnoxiis prodierit, a sui tamen initio clarissima, et absque originalis peccati macula fuit.

2. Scabellum solii crystallinum, id est, firmamentum extentum super capita animalium, significat cælum empyreum, in quo videtur et regnat Deus. Porro quadriga hæc Dei speciem habet arcæ fœderis quadratæ, uti dixi superius.

3. Arca fœderis legem continet, et pactum Dei cum Hebræis in Sina initum, et cum Christianis in Sion sancitum, ac sanguine Christi confirmatum. Lex illa, et propter legem arca legem continens, dicta est gloria Israel; quia per legem Israel excellebat omnes mundi populos. Sic lex gratiæ et amoris, est gloria Ecclesiæ Christi. Hoc est quod ait Christus Ioan. 13. 34. *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Quia ergo Deus, hic legis vindex advenit, puniturus Iudæos legis violatores, hinc lex ei in arca quasi præfertur.

4. Caminus ignis, sive prunarium plaustro vectum est altare thymiamatis; et allegorice sacrificium incruentum Eucharistiæ Deo suavissimum et gratissimum, Malachiæ 1. v. 11. Altare hoc polluerunt Iudæi thurificando idolis; quocirca hic illius vindex, contra Iudæos insurgit Deus, eosque igne ex illo desumpto comburit. Ita videmus et hodie certam perniciem imminere regnis et rebus publicis cum in illis sacra violantur, negliguntur et profanantur.

A Symbol. Tertul. vel potius Novatianus lib. de Trinitate c. 8. in hoc curru, inquit, id est in mundo, quem quasi auriga regit Dei providentia, *medius est ignis: sive quoniam ad igneum diem iudicii mundus iste festinat: sive quoniam omnia opera Dei ignea, nec sunt tenebrosa, sed vigent: sive etiam ne, quia ex terrenis ista fuerant orta principiis, naturaliter de originis suæ rigore torperent, addita est omnibus interioris spiritus calida natura, quæ frigidis concreta corporibus, ad usuram vitæ æqualia omnibus libramenta monstraret.*

QUÆRITUR SEXTO, Quid significet species hominis in solio, quæ superne videbatur esse ex electro intrinsecus ignito, inferne vero esse ignea, et amicta iride? Resp. Electrum hoc sive aurichalcum, quia præstantissimum est, fulgidissimum, durissimum et sonantissimum, repræsentat maiestatem Dei; tum quia ipsa est auro fulgentior, et ære durior ac fortior; tum quia ipsa durum bellum et vindictam contra Iudæos, aliasque gentes impias moliebatur per Chaldæos. Ignis superne in eo erat intrinsecus; quia B gloria deitatis in se latet, et hominibus est abscondita, inquit S. Hier. Inferne vero pedes habet igneos et coruscantes, facientesque iridem; quia Deus cognoscitur per opera ad extra, scilicet, per creationem, gubernationem, punitionem, etc. quæ sunt quasi pedes, et inferior pars Dei. Rursum, pedes habet igneos, ut iis tum calcet, tum comburat Iudæos, gentesque impias. Nam, ut ait Moses, et ex eo S. Paulus, Hebr. 12. 29. *Deus noster ignis consumens est.* Quæs. 6. Quæ species hominis ex electro et igne? Resp. I.

Insuper supra lumbos aureo splendore, quasi aurichalcum coruscat, ut significet favorem et amorem suum in veros Israelitas, virosque bonos et sanctos. Infra lumbos vero pedes habet ignitos: hi significant iram, et vindictam in Iudæos, aliosque impios. Hæc enim duo sunt quasi munia et symbola Dei, scilicet misericordia, et iustitia; quæ toties decantat Psaltes: ut Psal. 88. 15. *Misericordiam, et iudicium cantabo tibi Domine.* Hæc enim sunt quasi duo brachia Dei, quibus orbem et creaturas C omnes amplectitur ac regit. Hæc duo significabat quoque columna nubis protegens Hebræos, et ignis perdens Ægyptios. Unde Maldon. Erat, inquit, imago supra lumbos electrina, infra lumbos ignea; quia post ignem, id est iram Dei, sequitur electrum, id est misericordia. *Cum enim iratus fuerit, misericordiæ recordabitur*, Habacuc. 3. 2. Electrum enim cum vim habeat paleas attrahendi et alliciendi, est symbolum misericordiæ. Sic et Origen. hic homil. 1. *Auriga*, inquit, *quatuor animalium non totus est igneus, sed pube tenus, et exinde usque ad summum electri fulgore rutilat: non solum enim tormenta habet Deus, sed sunt in eo etiam refrigeria: punit peccatores, sed per ea ministeria quæ deorsum sunt.*

Secundo, iris sub pedibus Dei, significat Primo, varietatem et pulchritudinem, tum providentiæ Dei, qua punit impios, præmiat pios; tum creaturarum eius, in quibus resplendet gloria Dei creatoris, quæ superne in eo intrinsecus est abscondita. Iris enim, quia speciem habet arcus, symbolum est iudicii et vindictæ, præsertim duplicis generalis. D Cæruleus enim eius color, notat aquæ iudicium, iam factum per diluvium: rubicundus notat iudicium ignis, quo in fine cremandus est mundus. Rursum iris est signum, et vel causa, vel effectus pluviæ. Unde ait: *In die pluviæ.* Significat ergo Deum in impios pluiturum plagas, grandinem et procellas. Secundo, iris significat gloriam apud omnes homines et angelos, resultantem ex hac punitione et vindicta Iudæorum, aliorumque impiorum. Tertio, iris significat vindictam hanc mistam esse clementia et misericordia. Huius enim symbolum est iris, ut patet in mundi reconciliatione cum Deo per Noe, cuius symbolum fuit iris, Gen. 9. 13. Hinc et Apoc. 10. 1. de angelo invitante homines in fine mundi ad reconciliationem cum Deo, dicitur: *Et iris in capite eius.* Ita et hic iris significat vindictam lenitate temperatam. Deus enim puniebat Iudæos et Gentes, non ut eos disperderet; sed ut castigaret, emendaret et salvaret. Vide de iride dicta Genes. 9. v. 13. Unde S. Hieron. *Hic arcus*, ait, *signum est clemen-* II. Iris quid?

tix, et testamenti Dei, quod fecit cum hominibus, ut, quando apparuerit in nube, sciamus nos nequaquam perituros esse diluvio. Ex quo ostenditur post pœnas atque supplicia, et purgationem peccatorum futuram misericordiam, dumtaxat in his, qui Deum meruerint videre regnantem. Quocirca sequitur, *Hic erat aspectus splendoris per gyrum*, throni videlicet, vel Dei, vel omnium, quæ visa sunt. Iris ergo in nube, est misericordia et auxilium Dei in tribulatione. Rursum, turtures inter amuleta et præsidia varia, quæ sibi quæque eligunt animantes, iridis fructum habent, ait Ælian. l. 1. c. 35. Iris est pœnitentia: nam ut illa unguentis et medicinæ nascitur, ut ait Plinius, ita et hæc peccatorum remediis. Turtures vero sunt gemebundi peccatores. Ita Causinus lib. 10. Parabol. histor. cap. 41.

Alleg. electrum ignitum est humanitas deitati unita.

Allegorice, electrum hoc ignitum, est Christus, puta humanitas divinitati unita, et per eam quasi ignita. Sicut enim hæc species electro et igne constabat: ita Christus constat humanitate et divinitate: quia in eo, inquit S. Gregor. homil. 2. *cum humanitas ad maiestatis gloriam excrevit, divinitas a sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit, et quasi electrum in igne est Deus factus homo in persecutione.* Unde Hebræum חשמל *chasmal*, id est *electrum*, si per anastrophen retrogrado ordine legas, idem est, quod למשיח *lammasciach*, id est *Messias*, sive *Christus*. Ita Cabalistæ. Unde et S. Ioann. Apocal. 1. 15. *Pedes*, inquit, *eius*, Christi, *similes aurichalco, sicut in camino ardenti*. Quia, ut explicat Rupert. sicut aurichalcum, multis ignium impendiis ex ære perducitur ad colorem auri: ita illa humanitas, per multas tribulationes passionis et mortis, perducta est ad gloriam maiestatis. Christus superne est electrinus, id est, beneficus et pius in suos fideles et electos; inferne vero est igneus, id est, vindex terribilis in peccatum, mortem, dæmones et reprobos. Iris in circuitu eius, est gloria miraculorum eius; item splendor operum, doctrinæ, Sacramentorum, virtutum et gratiarum eius. Iris enim, ut ait Virgil.

Mille trahit varios adverso sole colores.

Rursum S. Gregor. hom. 7. A lumbis sursum, inquit, id est ante incarnationem, ignis erat in Iudæa tantum intrinsecus, et non splendebat; quia Spiritus sanctus in multis partibus Iudæam repleverat, sed ad notitiam Gentium non perveniebat: a lumbis vero et deorsum, ignis in circuitu splendet; quia post incarnationem longe lateque Spiritus sancti gratia diffusa est. *Per lumbos enim propago mortalitatis signatur. De lumbis enim Abrahæ orta est virgo Maria, in cuius utero Dei filius incarnatus est; ex qua incarnatione universo mundo innotuit Deus.* Pergit deinde ad iridem. *Una est*, inquit, *similitudo ignis, et arcus. In igne enim est ardor Spiritus sancti, qui in arcu quoque signatur, in quo aqua et ignis apparent: et post*

A *mediatoris adventum, eo virtus Spiritus sancti in humano genere claruit, quo et aqua baptismi electos Dei lavit, et igne divini amoris accendit. Quasi enim admisto colore aquæ simul et ignis, quidam arcus in nube ad probationem ponitur, cum Veritas dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Qui arcus in nube est in die pluviæ: quia in Dominica incarnatione, et in effusione prædicationis ostenditur, ut ad veniam corda credentium, Domino parcente, revocentur.*

Tropol. electrum in igne est Sancti in tribulatione.

Tropologice, electrum ignitum sunt Sancti, in camino tribulationis et charitatis, ac præsertim martyrii, probati, excocti et electi. Hi enim Deo sunt selecti, dæmonibus terribiles, aliis suo exemplo et fulgore admirabiles. De quibus dicitur Sap. 3. 6. *Tamquam aurum in fornace probavit illos: et quasi holocausti hostiam accepit illos.* Et Isaiæ 48. 10. *Elegi te in camino paupertatis.* Et Dan. 11. v. 33. *De eruditis ruent ut conflentur, et eligantur, et dealbentur.* B Hi sunt supra lumbos, ait S. Hier. ubi sensus et ratio versatur, ideoque non indigent exteriori igne et flammis; sed pretiosissimo metallo et purissimo: qui vero a lumbis deorsum sunt, ubi est coitus et generatio, ubi incentiva vitiorum, indigent purgatione flammarum, ut purgati habeant arcus, id est iridis, similitudinem. Hi ergo tribulatione fiunt divini, et quasi dii sedentes in throno Dei, superiores mundo, et calcantes omnia prospera et adversa. Hos stipant Cherubim et angeli, eosque quasi victores triumphali et igneo curru, quasi novos Elias rapiunt et deducunt in cælum. Rursum æs ignitum, est vita prædicantium sonans et ardens; uti docet S. Gregor. dicens: *Æs candens dicitur; quia vita prædicantium sonat et ardet, ardet desiderio, sonat verbo.* Nam cum desiderio rerum cælestium, quas prædicat, ardet, eodem ardere facit et accendit auditores.

C Mystice, S. Bern. homil. de duobus discip. euntibus in Emaus, per scintillas quas electrum hoc proiicit, accipit radium iubilationis, qui ex fervida contemplatione, quasi ex igne, in mente resultat, et quasi scintillat. *Hic*, inquit, *est ille radius suavissimus contemplationis, quo anima per cincinnum capitis elevatur, cum meditatione exardescente, et oratione scintillante nascitur, in corde iubilus quidam, scilicet mellifluus cordis risus, quem nemo scit nisi qui sentit, nec etiam ipse qui sentit, quia cito pertransit. Felix hora, sed brevis mora; quia factum est silentium in cælo quasi media hora. Norunt experti quæ dico, qui hæc experientia suavitatis intimæ didicerunt: quia cum in fervore orationis admiscetur ardor meditationis, erumpit ille contemplationis radius de medio earum, quasi species electri, hoc est de medio ignis; et scintillæ, quasi æris candentis, suspiria scilicet conscientiæ iubilantis.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mittitur Ezechiel ad contumaces Iudæos, ac v. 8. accipit a Deo librum, in quo scriptæ sunt lamentationes, carmen et væ: ut per eorum comminationem, eos ad pœnitentiam, et ad Deum revocet, itaque ipsi minas has evadant.

1. Hæc visio similitudinis gloriæ Domini; et vidi, et cecidi in faciem meam, et audivi vocem loquentis.
Et dixit ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. 2. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, et statuit me supra pedes meos: et audivi loquentem ad me. 3. Et dicentem: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me: ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc. 4. Et filii dura facie et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te: et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: 5. Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quoniam domus exasperans est: et scient quia propheta fuerit in medio eorum. 6. Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque sermones eorum metuas: quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est. 7. Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant: quoniam irritatores sunt. 8. Tu autem fili hominis audi quæcumque loquor ad te, et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum et comede quæcumque ego do tibi.
9. Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber: et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris: et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ.

Vers. 1. **Hæc visio similitudinis gloriæ Domini.**) q. d. Visio currus Cherubim, quatuor animalium quadrifacialium, quatuor rotarum plenarum oculis, firmamenti crystallini, solii, et in eo sedentis regis, superne instar electri, inferne instar ignis, quæ vidi c. 1. erat visio gloriæ et magnificentiæ Domini, quam ipse his figuris et symbolis repræsentabat. Gloria enim Domini in se nulli mortali, sed solis Beatis visibilis est.

Cecidi in faciem.) Primo, præ magna novitate et admiratione tantæ visionis. Secundo, præ timore et reverentia, quasi fasces suos submittens maiestati, ait Fernand. visione 13. com. 2. sect. 6. Si enim Seraphim velant ora coram Deo, ait Theod. quidni cadat homo mortalis videns gloriam Dei? Tertio, ut adoraret Deum residentem in solio. Cadere enim in faciem, est gestus adorantis: cadere vero in dorsum, est gestus reiecti, obstinati, impœnitentis et reprobi, qui nequit se erigere, et surgere. Ita in faciem cecidit Abraham, cum illi Deus loqueretur, Genes. 17. 3. Et Isaias c. 21. 3. et Daniel c. 8. 9. In dorsum vero cecidit, occiditque morte corporali Heli, 1. Reg. 4. 18. et Iudæi capientes Christum, audientes ab eo *Ego sum*, Ioan. 18. 9. Ita S. Hieron. De his ait Isaias cap. 28. 13. *Ut cadant retrorsum, et conterantur, et illaqueentur.*

Cadunt in faciem pii, in dorsum impii.

Vocem loquentis.) Scilicet Dei e solio: sed dicit *vocem loquentis*, non Dei; quia turbatus, et cadens in faciem, loquentem videre et agnoscere non poterat. Simile contigit Paulo, dum a Christo deiectus et conversus est, Act. 9. 4.

Fili hominis.) Hebr. *fili Adam*. Nam ab Adam primo homine, et parente omnium, quivis homo dicitur *Adam*. q. d. O homo. Quia enim Ezechiel inter angelos, puta inter Cherubim, versabatur, hinc distinctionis causa vocatur homo. Idem contigit Danieli cap. 8. 17. Ita S. Hieron. ibi, Maldon. et Delrio adag. 890. Secundo, ne propter sublimitatem visionis angelum te existimes: scito te esse filium hominis. Sic S. Paulus 2. Corinth. 12. 7. *Ne magnitudo*, inquit, *revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Ita Theodor. q. d. Ne superbias cum elevo te ad prophetiam hanc, et ad visionem tam admirabilem Dei et Cherubim, inquit Vatablus, quasi sis angelus: es enim Adam, id est homo, ab humo rubra, miser peccator, et filius Adæ. Memento quis sis ex infirmitate, ne extollaris de contemplationis magnitudine, ait S. Gregor. hom. 14. Memento tuæ conditionis, ut videas, quantum ab angelis, quorum colloquio frueris, distes, idque grata mentis cogitatione pertractes. Ergo Ezechiel hic fuit typus Christi, qui post descensum in carnem vocatur *filius hominis*.

Ezech. vocatur filius hominis, tribus de causis. 1. 2.

3. Addit Ribera in comment. non editis, quæ citat Delrio adag. 890. Ezechielem præ aliis Prophetis toties vocari filium hominis, eo quod cap. 1. 26. vidisset Deum in specie hominis solio Cherubico insidentem, indeque Deo revelante cognovisse filium Dei pro nobis incarnandum, foreque filium hominis: quocirca mira dulcedine et devotione perfusum, ingens ardensque desiderium et amorem incarnationis Verbi concepisse: ideoque, inquit, vocatur Ezechiel filius hominis, quasi ardens amator Christi, qui futurus erat filius hominis, ac redemptionis eius valde particeps futurus: sicut Daniel vocatur cap. 9. et 10. vir desideriorum, quia ardebat desiderio liberationis et salutis populi sui. Hinc et Ezechiel viso Deo specie hominis non fuit exanimatus, nec perculsus, ut Daniel c. 10. 8. sed cecidit in faciem præ magna lætitia et reverentia, ut Deum tam misericordem erga homines adoraret. Hæc sententia tam probabilis est quam pia. Esto enim Deus, vel angelus Danieli, et Isaiæ c. 6. ac aliis Prophetis subinde specie hominis apparuerit, tamen illa species terrifica erat, et Prophetas percellebat: Ezechieli vero Deus magis blanda, humana ac benevola forma apparuit, tali nimirum qualem assumpsit factus homo: unde Ezechiel hac specie visa, sensit Dei incarnandi non timorem, sed suavem amorem sibi indi, quem significat vox *filius hominis*. Denique quod uni Ezechieli, qui in hac re fuit illustris, tribuitur, id de aliis Prophetis non negatur: sicut, cum dicimus S. Petrum fuisse fervidum in amore Christi, non negamus quin et S. Paulus fuerit.

Moraliter, disce hic, hominem non vocari אִישׁ *is*, id est *virum* a vi et robore: sed אדם *adam* ab *adama*, id est *terra* et *pulvere*, ex quo formatus est. Quid est ergo Adam, quid est homo?

Moral. de miseria hominis.

Primo, *homo quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet*, Iob 14. 1. Nullum enim vitæ spatium est aut metu liberum, aut calamitatibus vacuum, aut mœroribus solutum. Hinc homo mox ut nascitur, flere incipit. Et quis non fleret, dum nascitur, si videret omnes dolores et ærumnas sibi in vita subeundas?

Secundo, *omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri*, Isaiæ 14. 6. Vide ibi dicta.

Tertio, *Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens; et deinceps exterminabitur*, ait S. Iacob. 4. v. 15.

Quarto, homo instar umbræ, somnii, venti, avis et navis pertransit, nec post se relinquit vestigium, Sap. 5. 9.

Quinto, *universa vanitas omnis homo vivens*, psal. 38. 6. Unde recte Ecclesia in die Cinerum: *Memento*, ait, *homo quia pulvis es. et in pulverem reverteris.* Quid ergo superbis terra, et cinis? Quid intumescis, o homo, qui vitreo vase fragilior es? ait S. August.

Vis Gentiles? Primo, Aristot. apud Stobæum: *Quid*, ait, *est homo? est imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago.* Atque hoc est animal, quod tantos molitur tumultus, et cuius cupiditatibus angustus est hic orbis.

Secundo, *homo nihil aliud est, quam ipsa calamitas*, ait Herodot.

Tertio Philosophus quidam: *Homo*, ait, *est mancipium mortis, hospes loci, viator transiens.* Interrogatus idem quomodo se haberet, respondit: *Ut lucerna ad ventum, quæ cito extinguitur: ut scintilla in mari, quæ cito ab undis sorbetur: ut spuma gracilis, quæ cito a procella dispergitur: ut lanugo, quam subito rapit et dispellit ventus.* Idem ait Sapiens, Sapient. 5.

Quarto, Sophocles in Aiace: *Video*, ait, *nos nihil aliud esse nisi simulacra, quotquot vivimus, aut tenuem umbram.* Homerus Iliade ζ: *Qualis*, ait, *foliorum generatio, talis est hominum.* Pindarus: *Homo est umbræ somnium.* Seneca: *Homo est animal ad omnem fortunæ contumeliam proiectum.* Zeno Imper. *Ludibrium Dei est homo.*

Sta super pedes.) Id est, ne timeas, ait Polychr. non enim venio, ut te puniam, sed ut eligam in Prophetam populi. Secundo, Apollin. *Stantis*, ait, *est divinorum auditio, non resupini.* q. d. Erige te, resume vires corporis et animi, quas ex consternatione perdidisti, ut audias et capias, quæ tibi dicturus sum.

Tropologice, S. Hieron. Sanctorum est stare: *State succincti lumbos*, Ephes. 6. 14. Nam de peccatoribus dicitur: *Non stabunt* (ita habent Hebræa) *impii in iudicio*, psal. 1. 6. et S. Gregor. hic homil. 9. *Iacenti*, inquit, *dicitur ut surgat: stanti autem præcipitur, ut ad prædicationem proficisci debeat. Adhuc enim nobis in infirmitatis confusione iacentibus, præberi non debet auctoritas prædicationis.*

Tropol. Sancti stant erecti supra terrena.

Denique vir sanctus, præsertim Dei præco, stet oportet supra mundana omnia erectus, menteque fixus in cælo. Nam, ut vere ait S. Cyprianus epist. ad Donatum: *Mundus hic arridet, ut sæviat; blanditur, ut fallat; illicit, ut occidat; extollit, ut deprimat. Fœnore quodam nocendi, quam fuerit amplior summa dignitatis, tam maior exigitur et usura pœnarum.* Viderunt idipsum Gentiles, sed per umbram. Hinc Alcinous libr. de Doctrina Platonis ait, *philosophiam esse solutionem animæ a corpore, et conversionem quamdam ad ea quæ vera sunt atque divina.*

Et ingressus est in me spiritus.) Id est divina virtus, ait Theodor. et ut S. Greg. et Hieron. Spiritus sancti tetigit me et erexit. Secundo, *spiritus*, scilicet animalis, et vigor cordis et corporis, quem metus ademerat, Deo me confortante rediit, meque erexit. q. d. Rediit ad me Vers. 2.

animus meus. Prior sensus germanior videtur; tum, quia de eo subdit: *Et statuit me supra pedes meos;* tum, quia cap. 3. 24. repetens hæc verba, significat se de Spiritu Dei loqui: ait enim: *Et ingressus est in me spiritus, et statuit me supra pedes meos, et locutus est mihi, et dixit ad me: Ingredere, et includere in medio domus tuæ.*

Vers. 3. MITTO EGO TE AD FILIOS ISRAEL, ut prophetes, tam iis, qui in Ierusalem; quam iis, qui in Babylone captivi sunt, AD GENTES.) Scilicet ad Iudæos, qui gentium idola et vitia secuti, recte contemptim *gentes* vocantur. Iudæi enim prævaricati sunt pactum Dei, quod sequitur. Alii accipiunt per *gentes*, Moab, Ammon, etc.

APOSTATRICES, QUÆ RECESSERUNT.) Hebr. *ad rebelles, quæ rebellarunt in me,* vel irritaverunt me; Septuag. *quæ in amaritudinem me converterunt*, id est bilem amaram mihi movent; quia nimirum pactum meum, puta conditiones pacti, cum eis per Mosen initi, Exodi 24. 8. nimirum leges meas violarunt.

Vers. 4. ET FILII DURA FACIE.) Hoc est, ut aliqui vertunt, pertinaces faciebus, vel frontibus, id est, ut Theodoret. et Vatabl. impudentes, quos sceleris non pudet, ut effrontes publice scelera patrent, imo de iis glorientur. Sic Cicero pro Quintio ait: *Dixi mihi videri ore durissimo esse.* Et in Pisonem: *Os tuum ferreum.* Et Seneca: *Durus hic vultus lacrymare nescit.*

Duricordes. ET INDOMABILI CORDE.) Obstinato obdurato animo, cervicosi; et, ut Septuag. vertunt, σκληροκάρδιοι, id est, duricordes, atque ut Isaias ait cap. 48. 4. frontis æreæ qui nec minis, nec promissis, nec flagellis ad pœnitentiam induci possunt, vel a malo deterreri. Ita Origen. et Theod. Hebr. חזקי לב *chizke leb*, id est, *fortibus corde*, id est duris et obstinatis, quibus apposite Deus opponit חזקי אל *chizke el*, id est, *fortes Dei*, puta, Ezechielem (illud enim est eius etymon) et similes Prophetas. Sic *siliceus homo*, a Seneca lib. 3. de Ira cap. 7. vocatur durus, et ab Horatio *scopulis durior Icari*. Cassiodor. in psalm. 94. *Non credentium corda*, inquit, *omnino lapidea sunt, et vere silicibus comparanda.* Ennius Andromache: *Quasi ferrum, aut lapis durat.* Cassiodor. rursum in psal. 34. *Saxeo*, ait, *stupore durata sunt pectora.*

Duri dure increpandi, verecundi modeste. Duri enim dure increpandi sunt, ut durities eorum contundatur, uti docet Apostolus ad Titum 1. v. 13. et S. Gregor. 3. part. Pastor c. 8. *Aliter*, ait, *admonendi sunt impudentes, aliter verecundi. Illos namque ab impudentiæ vitio non nisi increpatio dura compescit, illos autem ad melius exhortatio modesta componit.* Ita fecit S. Stephanus Actor. 7. v. 51. Nota hic, Deum obduratis non negare gratiam sufficientem (alioqui enim viderentur ipsi esse extra statum salutis, et quasi damnati, nec possent resistere tentationibus vehementibus, sed necessario succumberent iis, ac peccarent) qua si utantur, sensim maiorem accipiunt et maiorem, ut tandem vere pœniteant, convertantur et salventur. Hac enim de causa Deus eos vocat et invitat ad pœnitentiam, eisque offert suam gratiam, quasi cupiens eos sibi rursum adoptare in filios. Vide Cardin. Bellar. lib. 2. de gratia, et libero arbitr. c. 5. Admirare hic clementiam, et viscera misericordiæ Dei nostri.

ET DICES AD EOS, HÆC DICIT DOMINUS.) q. d. Tu prophetabis, utierisque præfatione solita Prophetis, dicendo: *Hæc dicit Dominus*, q. d. Ego te ex nunc constituo Prophetam, ut nomen meum tuis dictis præferas, dicasque quasi Propheta: *Hæc dicit Dominus.* Ita Vatabl. Porro quidnam sit dicturus, quidque eis per eum dici velit Dominus, audiet in sequentibus.

Vers. 5. SI FORTE VEL IPSI AUDIANT, ET SI FORTE QUIESCANT, scilicet a peccato, inquit Chald. et Septuag. q. d. Dico *si forte.* Nam non ausim certo polliceri quod audient, et quiescent; QUONIAM DOMUS EXASPERANS EST.) q. d. Volo te Iudæis etiam aversis et invitis concionari, quia *sæpe fit, ut audientes verbum moleste, suscipiant fructuose*, inquit S. Hieron.

Secundo, ex Hebræo sic vertunt et explicant. Vatabl. R. David, et Maldon. *sive audiant, sive cessent;* id est, loqueris ad eos, sive audiant te, sive non: quod posterius, spectando eorum indolem, magis credo futurum, *quoniam domus exasperans est*, q. d. Esto sint duri et exasperantes, volo tamen te eis prædicare, ut sciant me eis non defuisse; sed Prophetam et prædicatorem, qui eos libere salutis et officii sui moneret, misisse. Hunc esse sensum colligitur ex cap. 3. v. ult. ubi hæc eadem verba repetuntur, et sensu iam dicto accipiuntur. Eodem sensu ergo et nostra versio accipienda videtur, q. d. *Et si forte quiescant*, scilicet ab audiendo, hoc est, si audire nolint, vel negligant, q. d. Sive audiant, sive non audiant, tu tamen eis concionare.

QUONIAM DOMUS EXASPERANS EST.) Hebr. בית מרי *bet meri*, quod Primo, verti potest, *domus mutabilitatis* et defectionis, sive apostasiæ est. Secundo, *domus amaritudinis,* sive domus amaricans et exasperans, et, ut Septuag. vertunt, *irritans*, scilicet Dominum. Tertio, *domus* rebellionis. Ita Chald. Vatabl. Maldon. et alii, q.d. Quamvis Iudæi, ad quos te mitto, sint contumaces, rebelles, intractabiles; ideoque me ad iram et indignationem concitent, tamen ne timeas eos.

ET SCIENT, QUIA PROPHETA FUERIT IN MEDIO EORUM.) q.d. Si audire nolint inexcusabiles erunt, nec me arguent; utpote qui eos monui, et feci quidquid potui, ut se corrigerent. Sic Deus obduratis dat gratiam, licet prævideat eam fore cassam; idque facit ad suam iustificationem, ut ostendat per se non stetisse, quo minus salvarentur. Id patet in Pharaone. Ita Theodor.

QUONIAM.) q. d. Præmoneo te ne timeas, ut virum te præbeas; quoniam ad incredulos et rebelles mitto te. Vel, *quoniam*, id est, quamvis. Vide canon. 16. et 24. Ita Scholiastes. Vers. 6.

INCREDULI.) Id est, inobedientes, rebelles. Septuag. *insanientes, quasi boves*, ait Theodoret. *æstro agitati.* Vatabl. *contentiosi.* Hebr. סרב *sarab* alibi non reperitur. Noster accipit pro סרר *sarar*, id est, renuere, declinare, avertere se, rebellare.

ET SUBVERSORES.) Vatablus et Hebræi vertunt, *quasi spinæ*, id est, ut Vatabl. *spinosi.* Chald. *duri*; noster vertit *subversores*, qui alios sua mala doctrina vel exemplo subvertunt, dantque scandalum: unde cap. 3. v. 20. vertit, *offendiculum.*

SUNT TECUM.) Septuag. et Chald. *sunt contra te*, q. d. Esto res tibi sit cum hominibus rebellibus et asperis, qui quasi spinæ pungere solent eos, qui secum agunt, suosque monitores; tu tamen ne timeas, sed audacter eos increpa.

ET CUM SCORPIONIBUS HABITAS.) *Scorpio* est animalculum venenatum, habens aculeum in cauda aduncum, et fistulatum, quo arcuato vulnere ferit, et rupta fistula venenum diffundit. Norunt hoc Itali. Scorpiones qui?

Secundo, Vatabl. vertit *cum spinis*: quia scorpio etiam significat flagellum aculeatum, referens ungues scorpionum; ut patet 3. Reg. 12. 11. ubi dicitur: *Cædam vos scorpionibus.* Notat Iudæos, Prophetarum carnifices et flagellatores: Sic enim scorpii utrique pungunt eos, qui se tangunt. Secundo, in voce scorpionum, notat pseudoprophetas pestilentissimos, qui ore blandiuntur, dicentes, Hæc dicit Dominus: sed cauda, id est in fine, venenum impietatis instillant. Vide Viegas in Apocal. 9. comment. 2. sect. 12. ubi scorpiones docet esse hæreticos, ob sex utrorumque analogias et similitudines.

EXASPERANS). Chald. *rebellis*, *contumax*; Septuag. *irritans*, scilicet me. Vide dicta v. 5.

ET QUIESCANT.) Hebr. *et si quiescant*; Vatabl. *sive audiant, sive non audiant.* Vide dicta v. 5. Vers. 7.

ET NOLI ESSE EXASPERANS.) Id est, rebellis, et irritans Dominum, sicut illi sua inobedientia et rebellione irritant. q. d. Noli resistere Spiritui sancto, qui te vocat ad prophetandum et prædicandum rebellibus; sicut illi, eidem vocanti ad pœnitentiam resistunt, noluntque audire eum per Prophetas loquentem, sed ab iis se avertunt. Vers. 8.

APERI OS TUUM.) Origen. aperi vasa animæ tuæ ad excipienda eloquia mea, id est, ea memoriæ manda, ac retine, q.d. Quidquid a me acceperis et audieris, æquo ani-

mo excipe, nihil recusa, nihil reiice, nihil dissimula, omnia dicito, omnia populo denunciato.

Scribebant prisci in corticibus arborum, deinde in pellibus.

INVOLUTUS LIBER.) Hebr. *Volumen libri.* Veteres enim in consutis pergamenis, sive pellibus et membranis scribebant, easque in spiras et cilindrum convolvebant, cumque legere vellent, eas revolvebant et explicabant. Antiqui in corticibus arborum contortis, ut sunt, scribere cœperunt, deinde in membranis, hœdinisve chartis, quas pergamenas vocant, credentes Pergami urbe Troadis primum inventas ab Attalo rege, qui cum Eumene sibi successore celebrem illam bibliothecam, exemplaribus undique conquisitis, hœdinis chartis construxisse dicitur. Verum chartæ hædinæ antiquiores sunt Troade et Pergamo: nam illis usus est Moses, quare et volumina vocavit, quod membranæ proprium est in spiras sponte convolvi. Mos autem erat, ut servarentur illæsæ, eas convolvere circa virgam cedrinam, vel alterius prætiosæ materiæ, cui extremum membranæ colligatum erat. Meminit Ovidius eius consuetudinis:

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,
Candida nec nigra cornua fronte geras,

Eum autem morem convolvendi librum, existimo observatum in instrumentis magni momenti: alioqui literas familiares Lacedæmoniorum ad Iudæos quadrangula forma complicatas, testatur Iosephus lib. 12. Antiq. c. 5. dicens: *Portitor literarum Dimo tales epistolas vobis defert quadrangulo scriptas, figmentum habentes aquilam,* etc. Unde cognoscimus, alios atque alios complicandarum chartarum modos apud hos, vel illos extitisse. Meminit voluminis D. Lucas dicens, Luc. 4. 17. *Ut revolvit librum.* Est eadem phrasis etiam in psalmo 39. 8. *In capite libri scriptum est de me.* Ita enim vertunt Septuag. Hebraice etiam legimus, *in volumine libri*, hoc est in Pentateucho, seu quinque libris legis, qui antonomasticῶs appellantur *volumen* a Davide, quod exarati essent oblonga et continenti charta, ex multis membranis consuta, quæ duabus columellis hinc inde astantibus alligata convolvebatur et revolvebatur; quem ritum hodie observant Iudæi in synagogis, legis volumen eo, quo diximus, apparatu custodientes. Et cæteri quidem libri sacri, ut Psalmi, vel Prophetæ in membranis scripti erant; quæ convolutæ claudebantur, revolutæ explicabantur, ut vidimus ex Luca. Verum lex, sive explicanda esset, sive complicanda, semper volvebatur in spiras circa unum vel alterum cylindrum. Ita Prado.

EXPANDIT.) Ut prophetiam eo scriptam intelligerem, et intellectam Iudæis annunciarem. Ita Polychron.

SCRIPTUS INTUS ET FORIS.) Id est, ut Syrus, *ante*, *et retro* (unde Septuag. vertunt: *anteriora et posteriora*) sive in facie, et in tergo; et, ut Arabicus *scriptum erat dorsum eius et venter eius*, id est, anterior et posterior pars: hoc est, pagina tam aversa, quam adversa, puta, undequaque. Veteres, hosce libros vocabant Opistographos, quod a tergo scripti essent, ab οπισθεν id est retro, et γραφω, id est scribo. De quibus Iuvenalis sat. 1.

Opisthographi libri, qui.

Scriptus et in tergo, necdum finitus Orestes.

Et Plinius epistola 49. *Commentarios 160. mihi reliquit opistographos et minutissimis characteribus.* Ad eamdem formam opistocomæ dicebantur Euboici, qui comam, ut ait Pollux, per terga fusam alerent: sicut acrocomæ Thraces, qui antias in frontem muliebriter demitterent.

Significat hic liber opistographus prophetiam fore prolixam, ait Vatablus, eamque tam multa mala, quæ Iudæis impendebant continere, ut totum volumen implerent intus, et foris. Ita Mald. Porro Orig. *ante*, inquit, scriptum erat *carmen*, id est, promissa sanctis, et vita Beatorum; *foris* sive retro scripta erant supplicia peccatorum, scilicet, *lamentum* peccatoribus non desperatis; *væ* desperatis et puniendis; quod mox examinabo. Verius enim est, tam ante, quam retro non nisi mala et minas scripta fuisse. Ita sanctus quidam senex, vidit angelos deferentes librum scriptum intus et foris ad S. Ephrem (utpote mitem, et humilem corde) et surgens mane, audivit ex ore eius divinos sermones omnis compunctionis et timoris divini,

A velut ex fonte aliquo scaturientes, et agnovit senex a Spiritu sancto illa suggeri, quæ ex illius ore manabant. Ita auctor vitæ S. Ephrem. Sic Moses a Deo accepit tabulas lapideas legis, in quibus digito Dei scriptus erat decalogus: ac per hoc quasi consecratus est legislator et doctor populi, Exodi 31. 18. Sic Zacharias c. 5. 1. vidit *volumen volans*, audiitque: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ.* Sic Ieremias dictans sua oracula scribæ suo Baruch, *ex ore suo loquebatur quasi legens* ex libro, Ierem. 36. 18. Sic S. Gregorius Thaumaturgus, iussu B. Virginis a S. Ioanne Apost. in somnis Symbolum accepit, quod doceret, et Origenistis opponeret ait Nyssenus in eius vita. Atque hinc videtur manasse mos, ut Doctores crecntur porrigendo eis librum, Aristotelis in Philosophia, Codicis in Iure, Bibliorum in Theologia. Hinc S. Dominicus orans in templo S. Petri, vidit S. Petrum scipionem ad peregrinandum, et S. Paulum librum sibi dantem, dicentemque: *Vade concionare divinitus ad id ministerium electus.* Ita habet eius vita lib.
B 2. c. 1.

Libro cælitus accepto consecrati quasi Prophetæ et Doctores.

Mystice, S. Gregor. hom. 9. *S. Script.* ait, *est liber scriptus intus per allegoriam, foris per historiam; intus, quia invisibilia promittit: foris, quia visibilia præceptorum suorum rectitudine disponit; intus, quia cælestia pollicetur: foris autem, quia terrena contemptibilia qualiter sunt vel in usu habenda, vel ex desiderio fugienda præcipit. Involutus est ut ipsa obscuritas occasio sit plurium sensuum*: insuper et studii, ac meditationis; ut illum evolventes, sensim ad divina mentem attollere discamus, ait S. Dionys. cap. 1 Cælest. hierarch.

S. Scriptura scripta intus et foris quomodo.

Symbolice, liber involutus significat arcanum consiliorum et decretorum Dei. Hic scriptus est intus et foris, quia plurima, imo infinita Dei consilia in eo scripta sunt. Est involutus, quia in Dei mente reconditus; sed a Deo Prophetis panditur et communicatur, cum ipse illis sua secreta decreta revelat. Ubi Nota. In Deo est quasi triplex liber. Primus, creationis et creaturarum, de quo dicitur
C psal. 138. 16. *In libro tuo omnes* (res) *scribentur.* Secundus, legum et obligationum, de quo dicitur Baruch 4. 1. *Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum.* Tertius providentiæ particularis circa quamlibet creaturam, maxime hominem et angelum, qua, v. g. hos in particulari ob merita præmiare, illos ob demerita punire decernit, singulisque suam sententiam dictat, eamque in mente sua quasi conscribit, de quo dicitur psal. 68. 29. *Deleantur de libro viventium.* Primus liber est idearum: secundus legis æternæ: tertius mortis aut vitæ, uti hic Ezechieli datus est liber mortis. In primo enim scriptæ sunt ideæ rerum, in secundo leges æternæ Dei, in tertio damnandi et salvandi. Ideæ sunt conceptiones, et exemplaria creaturarum singularum in mente divina, secundum quas Deus singulas creat et producit, de quibus ait S. Aug. quod in mente Dei sint, vivantque immobiles et sempiternæ rerum omnium rationes. Lex æterna, est conceptus rei gubernandæ, præscribens creaturæ quomodo ipsa debeat operari congrue, vel ad naturam, si irrationalis; vel ad
D rationem, si rationalis sit. Aut, ut docet S. Thom. 1. 2. quest. 93. articolo 1. lex æterna est summa ratio in mente divina, secundum quam dirigit omnes creaturarum actiones et motus in suos fines; puta, est actus divinæ mentis, quo concipit et iudicat regulas practicas necessariæ et æternæ veritatis, ad quas naturaliter quælibet creatura obligatur, quasque Deus cuique imprimit, v. g. homini Deum esse amandum, parentes honorandos, nemini faciendam iniuriam. Sicut ergo idea est ratio et conceptus rerum creandarum in mente divina: ita lex æterna in eadem est conceptus rerum gubernandarum, quo scilicet concipit et iudicat, quomodo quælibet creatura debeat suas functiones obire, adiuncta simul voluntate eam obligandi, vel imprimendi ei inclinationem ad eam regulam sequendam. Hinc sicut ideæ sunt plures (quæcumque enim creatura suam ideam habet in Deo) ita sunt plures leges æternæ in mente divina respectu diversarum rerum, quæ alio et alio modo gubernantur, et etiam respectu di-

versorum operum quæ diversis regulis diriguntur. Alia enim est lex cælorum, alia aquarum, alia ignis, grandinis, nivis, glaciei, quæ faciunt verbum eius. Nam regulæ secundum quas hæc reguntur, diversæ sunt, et conceptus divinæ mentis inter se ratione distinguuntur. Unde S. August. 9. Civit. 22. ait, angelos in æternis Dei legibus qui in eius sapientia vivunt, mutationes temporum prævidere, indicans multas esse leges æternas in Deo. Hæ leges particulares, sunt una Dei lex generalis et æterna, imo sunt una eademque res in Deo: omnes enim identificantur cum divina essentia. Hæc lex dicitur liber Dei: quia Deus illam ab æterna concepit, et in mente sua quasi in libro iustitiæ descripsit, ac voluit ad eam subditos, qui in eius sapientia erant, obligare, quando inciperent esse in tempore. Unde S. August. lib. 2. de Ordine cap. 7. docet legem hanc quæ est in Deo, esse disciplinam vitæ. *Hæc*, ait, *disciplina ipsa Dei lex est, quæ apud eum fixa et inconcussa semper manens, in sapientes animas quasi transcribitur, ut tanto se sciant vivere melius, tantoque sublimius, quanto et perfectius eam contemplantur intelligendo, et vivendo custodiunt diligentius.* Tertius liber vitæ et mortis est, in quo sigillatim et nominatim describuntur ii, qui legem æternam Dei servant, et qui eam violant: hi enim morti, illi vitæ a Deo destinantur; uti Iudæi hic excidio et morti destinabantur: unde in hoc eorum libro Ezechieli tradito, scriptæ erant lamentationes, carmen, et væ. Hic ergo liber Ezechielis creatus et temporalis, descendit et derivatur ab illo increato et æterno, qui est in mente Dei, tamquam radius a sole, rivus a fonte, flumen a mari.

CARMEN.) Septuag. melos, scilicet lugubre, ut patet ex sequent. Vocat *carmen*, vel quia modulatum, vel potius, quia erat formula quædam conceptis verbis composita ad funus, qua plangebant defunctum. Unde hebr. dicitur הגה *heghe*, id est, meditatio, quia præmeditata, et lugubris. Vatabl. Maldonat. vertunt, *gemitus*. q. d. Scripta erant in eo excidium urbis et templi, exilium et captivitas Iudæorum, omniaque mala eis eventura. Hic ergo liber non continebat totam prophetiam Ezechielis: nam in ea sunt etiam multa læta, multaque promissa; sed tantum priorem eius partem, quæ minax est, tristis et funesta.

Lamentationes, carmen et væ, quid? ET VÆ.) *Væ* significat vocis gemitum et tunsionem pectoris, cum querimonia. Hinc dicitur Ierem. 22. v. 18. *Væ frater, væ soror.* Est ergo auxesis infortunii et calamitatis, id est, captivitatis Iudæorum, quæ sensim crescebat,
I. Expositio. donec Sedecias cum omnibus abductus est. Nam *lamentatio* est simplex planctus; *carmen* est vehementior, et præmeditatus: *væ* etiam tunsionem et complosionem significat. Hinc S. Maria Oigniacensis sub mortem, peracta peccatorum pœnitentia, inde ex spe gloriæ iubilans: *Præcesserunt*, inquit, *lamentationes, me pro peccatis lugente: præcessit carmen, me propter bona sempiterna exultante et iubilante; et ecce sequitur væ infirmitatis et mortis*, quod tamen væ, puta naturalis de morte doloris sensus, mox versum est ipsi in iubilum, cum a Christo, B. Virgine et Sanctis se ad cælestes nuptias vocari intellexit: ita Iacob. de Vitriaco Cardin. lib. 2. Vitæ eius cap. 11. et sequent.

II. Aquilæ. Aquila pro *lamentationes*, *carmen et væ* vertit, κτισις, id est *creatio* (hebr. קנים *kinim a* קנה *kana*, id est condere, possidere, deducit) και αντιβλησις, id est *exemplar vel collatio* (hoc enim est hebr. הגה *heghe*, id est meditatio; et meditari significat tota intentione incumbere, uti pictores in exemplar, vel autographum, ut illud in antigraphum exprimant) και εσται, *et erit;* Hebr. enim הי *hi*, non a נהה *naha*, id est lamentari, sed ab היה *haia*, id est *sum*, deducit. q. d. Hæc tria erant in libro scripta, *fabrica, exemplar, et erit:* sicut *mane, tekel, phares*, hoc

A est, numerus, pondus, divisio; hoc est, ratio petita de regno, rationis examen, et sententia de dividenda et transferenda monarchia Chaldæorum in Persas, scripta fuerunt in pariete, et ostensa Balthasari, Daniel. 5. 25. *Fabrica* ergo, significat urbem, templum, regnum et sacerdotium Iudæorum a Deo condita et instituta: *exemplar*, significat hæc omnia transfusa a Iudæis ad Gentes, ibique restituta, scilicet apud Christianos: *erit*, significat hanc Dei de eis sententiam fore irrevocabilem; item æternitatem regni et sacerdotii in populo Christiano. Hæc enim est summa prophetiæ Ezechielis. Ubi Nota, bona Synagogæ, fuisse exemplar et typum bonorum Ecclesiæ. Hic est sensus iuxta versionem Aquilæ: nam nostra versio, non nisi mala complectitur.

Tertio, R. Salomon *lamentationes*, ait, sunt dolores iustorum in hoc sæculo; *carmen*, præmium Sanctorum in futuro, ut canant alleluia; *væ*, tormenta impiorum in futuro sæculo. Vide Iren. epistol. 46. et 48. *In Script.* ait, *pœnitens plangitur, iustus canitur, maledicitur desperans.* III. R. Salomonis.
B Et S. Gregor. hic hom. 9. *Lamentationes* ait esse pœnitentium, carmina beatorum, væ damnatorum. In sacro, inquit, volumine, id est Scriptura sacra, tria scripta sunt. Primo, *lamentationes*, quia in eo scripta est pœnitentia peccatorum. Secundo, *carmen*, quia ibi pronunciantur gaudia iustorum: unde *carmen in nocte, est lætitia in tribulatione.* Tertio, *væ*, quia illic expressa est damnatio obstinatorum et reproborum. Ita et S. Hieron. Quocirca pie concludens S. Gregor. *Quid igitur fratres*, inquit, *quid agendum est miseris nobis, nisi ut evigilemus ad huius verba voluminis, et mala quæ nos egisse meminimus, fletibus puniamus, ut per lamenta pœnitentiæ, perveniamus ad carmen vitæ? Ne, si affligi modo pœnitendo nolumus, væ postmodum sine fine sentiamus.* Sic et S. Ambr. l. 2. de Pœnitentia cap. 6. *Ezechiel*, ait, *iussus est flere Ierusalem, et accepit librum in cuius capite scripta erant lamentatio, et melos, et væ: duo tristia, et unum delectabile: quoniam ille salvus erit in futuro, qui in hoc sæculo plus fleverit.*

C S. Chrysostomus in cap. 6. Isaiæ, ubi excæcationi Iudæorum miscetur hymnus Seraphicus: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth*, quærit, cur criminum exprobrationibus misceatur carmen et melodia? ac respondet: ut, inquit, modulatione carminum peccator erigatur, ne ex conscientia criminum, eorumque obiurgatione cadat in animi deiectionem, et desperet; sed ita doleat, plangatque peccata, ut in spem veniæ, lætitiæ et gloriæ cælestis assurgat.

Hinc patet, Aquilam, Origen. S. Hieronym. S. Ambr. S. Gregor. R. Salomonem, et alios, per *carmen* accepisse læta promissa. Quæ sententia ob tot tamque graves auctores probabilis est; licet contraria videatur textui conformior, ut nimirum *carmen* interiectum inter *lamentationes* et *væ*, eiusdem cum iis sit rationis, sitque carmen triste, et threnodum. Omnia enim hæc minacia sunt et funesta.

Nota. S. Ioannes in suis Apocal. visionibus, sæpe alludit ad visiones Ezechielis, et Danielis. Ita ad hanc visionem Ezechielis alludit c. 4. et 5. Sicut enim Ioannes c. 4.
D vidit Deum in augusto solio residentem, et circumamictum iride stipari a quatuor animalibus; ita eodem schemate eumdem stipari a quatuor Cherubinis vidit Ezechiel c. 1. Secundo, sicut S. Ioannes c. 5. vidit in dextera Dei librum signatum, scriptum intus et foris, continentem futura, ac præsertim persecutiones Ecclesiæ, et plagas orbi a Deo immittendas sub tempora Antichristi: ita Ezechiel hoc cap. 2. vidit a Deo sibi mitti librum, in quo intus et foris scriptæ erant *lamentationes, carmen et væ*; puta prophetiam hoc libro ab eo conscriptam de excidio Hierosolymæ, et aliarum gentium per Chaldæos.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechiel comestione libri, visione gloriæ Dei, crebra iussione et corroboratione Dei, factus quasi adamas, excitatur ut libere prophetet Iudæis obstinatis. Hinc Secundo, v. 12. spiritu Dei transfertur ad Iudæos habitantes iuxta Chobar, cum eisque sedet mærens septem diebus. Inde speculator a Deo constituitur, iubeturque sub pœna mortis, mortem ex parte Dei denunciare impiis. Tertio, vers. 23. rursum videt gloriam Dei, ab eoque domi includitur, et quasi amens ligatur, fitque elinguis; ut hac sua inclusione, et silentio, repræsentet urbis obsidionem.

1. Et dixit ad me : Fili hominis , quodcumque inveneris comede: comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel. 2. Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo, 3. Et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi. Et comedi illud : et factum est in ore meo sicut mel dulce. 4. Et dixit ad me: Fili hominis , vade ad domum Israel , et loqueris verba mea ad eos. 5. Non enim ad populum profundi sermonis et ignotæ linguæ, tu mitteris ad domum Israel : 6. Neque ad populos multos profundi sermonis , et ignotæ linguæ , quorum non possis audire sermones: et si ad illos mittereris, ipsi audirent te. 7. Domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me ; omnis quippe domus Israel attrita fronte est , et duro corde. 8. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum , et frontem tuam duriorem frontibus eorum. 9. Ut adamantem , et ut silicem dedi faciem tuam : ne timeas eos, neque metuas a facie eorum ; quia domus exasperans est. 10. Et dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te , assume in corde tuo, et auribus tuis audi. 11. Et vade ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui, et loqueris ad eos , et dices eis : Hæc dicit Dominus Deus : si forte audiant, et quiescant. 12. Et assumpsit me spiritus, et audivi post me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco suo: 13. Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram , et vocem rotarum sequentium animalia , et vocem commotionis magnæ. 14. Spiritus quoque levavit me , et assumpsit me: et abii amarus in indignatione spiritus mei : manus enim Domini erat mecum , confortans me. 15. Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar , et sedi ubi illi sedebant: et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum. 16. Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me , dicens : 17. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. 18. Si dicente me ad impium : Morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via sua impia, et vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. 19. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia : ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. 20. Sed et si conversus iustus a iustitia sua fuerit , et fecerit iniquitatem : ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei ; in peccato suo morietur , et non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecit : sanguinem vero eius de manu tua requiram. 21. Si autem tu annuntiaveris iusto ut non peccet iustus, et ille non peccaverit : vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti. 22. Et facta est super me manus Domini , et dixit ad me : Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum. 23. Et surgens egressus sum in campum : et ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria , quam vidi iuxta fluvium Chobar : et cecidi in faciem meam. 24. Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos : et locutus est mihi, et dixit ad me: Ingredere, et includere in medio domus tuæ. 25. Et tu fili hominis , ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis : et non egredieris de medio eorum. 26. Et linguam tuam adhærere faciem palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est. 27. Cum autem locutus fuero tibi , aperiam os tuum , et dices ad eos : Hæc dicit dominus Deus : Qui audit, audiat : et qui quiescit , quiescat : quia domus exasperans est.

Vers. 1. Et dixit ad me.) Dominus auriga currus Cherubim. Quodcumque inveneris.) Supple , in manu mea. q. d. Volumen, quod tibi offero, comede, non ore corporali, sed per visionem imaginariam, qua hæc omnia Ezechieli repræsentabantur.

Comede volumen istud.) Scilicet per visionem , ut dixi, quæ significat id, quod explicat v. 10. dicens, *Omnes sermones meos quos loquor ad te, assume in corde tuo*. q. d. Hæc traditio voluminis, symbolum est legationis tuæ, tibique infundi spiritum prophetiæ; (sicut ergo Doctores creantur, tradendo librum : sic hic Ezechiel creatur Propheta, accipiendo volumen prophetiarum a Deo) comestio vero significat ea quæ in illa audis et vides, in intima animæ tuæ ruminando et meditando transmitti; ut eum affectu , et ex calore interno , ac toto animo et spiritu , ea populo proloquaris: sicut cibus et vinum , sanguinem et spiritus excitant, et novos suggerunt, qui linguam faciunt disertam. q. d. *Comede, et pasce ; saturare , et eructa ; accipe, et sparge; confortare, et labora,* ait S. Hieronym.

Vers. 2. Cibavit me.) Visus sum mihi volumen hoc comedere: videbatur enim mihi, quod Deus volumen in os meum ingereret, faceretque ut illud devorarem : hoc est, docuit me A cuncta, quæ in eo erant scripta, scilicet minas et excidia Iudæorum , aliarumque gentium , eis a Deo decreta. Ita Chald.

Venter tuus comedet, id est comedat, et viscera tua complebuntur.) Id est compleantur. q. d. Non evome, nec tantum auribus et memoria haurias verba prophetiæ: sed meditatione assidua revolve, concoque , pasce, satura voluntatem et affectum tuum, ut quasi plenus et ebrius illa eructes. Vers 3.

Notent præcones verbi Dei, se illud assidua meditatione prius debere decoquere. Hinc S. Scriptur. doctrinam Prophetarum vocat ructum: quia, ut ructus ex cibo cocto exhalatur, sic verbum Dei, ex corde alimonia cælesti pleno et amore ebrio, depromi debet. Hoc sentiebat Psaltes, dicens Psal. 44. v. 1. *Eructavit cor meum verbum bonum,* uti notat ibidem S. Chrysost. tom. 1. et Psal. 144. 7. *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et iustitia tua exultabunt.* Unde S. Greg. hic homil. 11. *Fit,* inquit, *plerumque, quod tales quique ex dono cælestis gratiæ etiam verbum doctrinæ percipiant, atque de veritatis pabulo, quod ipsi intrinsecus dulciter ruminant, proximos suaviter pascant.*

Prædicator ruminet verbum ut illud eructet.

Et factum est in ore meo sicut mel dulce.) Primo, quia divina, et arcana Dei consilia et iudicia cognoscere, dulce est. Ita S. Hieron. et Theodor. Rursum, per hanc dulcedinem excitabatur ad illa excipienda, et prædicanda. Quod enim dixit Plato, tamdiu difficile est hominem in recto contineri, quamdiu recti suavitatem non gustaverit: *tota enim vita gustu ducitur:* hic etiam locum habet. Secundo, concionari intrepide de suppliciis peccatorum, ut convertantur, dulce est; et valde suavis, ait Apollin. est delictorum lamentatio; ut patet in Magdalena. Tertio, quia dulce est zelanti Dei iustitiam, videre supplicia peccatorum, quibus vindicetur Dei honos. Sed, ut habet v. 14. et ex eo S. Ioannes Apoc. 10. v. 9. postquam volumen transglutivit, amaricatus est venter meus; quia ut revolvi tanta esse supplicia gentis meæ, ex intimis visceribus indolui. Secundo, quia eorum revolutio et prædicatio, fuit mihi causa, cur Iudæi me vexarint, afflixerint, occiderint. Hac de causa aiebat Michæas c. 2. 11. *Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer!*

Verbum Dei est quasi pilula. Nota hic. Verbum Dei est simile pilulis, quæ foris auratæ, vel saccharatæ deglutiuntur cum suavitate; sed cum in ventre dissolvuntur, aloe, myrrha, crocus, etc. ventrem amaricant, et torminibus eum cruciant, ac quasi lacerant. Sic ait D. Thom. in Apoc. 10. verbum Dei dulce est rationi, sed amarum sensualitati. Sicut ergo pilulæ, quæ ventrem non lancinant, bonæ non sunt, sed evanidæ et inefficaces; quia noxios humores non expellunt, nec expurgant: ita concio, quæ mentes et conscientias suis vitiis affixas non concutit, non turbat, non exagitat, bona non est, sed evanida, quia aures tantum mulcet, et e corde noxios mores non defricat, non expellit; quod enim sunt pravi humores in ventre, hoc sunt mali mores in mente.

Vers. 5. Non enim ad populum profundi sermonis.) Est metalepsis: *profundi*, id est, obscuri et difficilis intellectu. Quæ enim profunda sunt, obscura sunt; quæ obscura, difficilia auditu sunt; quæ difficilia auditu, etiam difficilia intellectu sunt. Sic ait Virgil.

Speluncis abdidit atris,

id est, profundis. Quæ enim profunda sunt, tenebrosa sunt; quæ tenebrosa sunt, nigra videntur. Hebr. est, *non ad populum profundi labii, et gravis linguæ.* Alienus enim et barbarus sermo gravis est et molestus; quia insuetus auribus. Septuag. una voce vertunt nervose et eleganter, ȣ πρὸς λαὸν βαθὺ χεῖλον καὶ βαρύγλωσσον, id est, *non ad populum profundilabium, et gravilinguem*, id est tardilinguem, *tu mitteris:* ita Prado, et Pineda lib. 3. de Rebus Salom. c. 12.

Ad domum Israel.) Subaudi cum Chald. et Vatabl. *sed*, q. d. Non mitto te ad barbaros; sed ad Israelitas, quorum linguam nosti, quique meam noverunt, cum quibus sæpe miscui colloquia per Mosen et Prophetas.

Vers. 6. Neque ad populos multos.) Id est, diversos, varios, indeque varii sermonis. Ita Maldon. Aliter R. David *multos*, inquit, id est, *longinquos*, remotos, multi itineris.

Et si ad illos mittereris.) Hebraice אם לא *im lo*, id est, *si non*. Quod Primo, sic aliqui explicant: *si non*, id est, alioqui, quin potius si ad illos mittereris, ipsi audirent te. Secundo, Vatabl. τὸ *im*, id est *si*, putat hic esse formulam iuramenti execratorii, q. d. Dispeream, nisi te audissent, si ad eos te misissem. Tertio, alii, q. d. Si ego non mitterem te, ipsi audirent te, q. d. Iudæi nolunt te audire; non, quia oderunt te, sed me. Verum dico, pro לא *lo*, id est *non*, legendum est לוא *lu*, id est, *utinam, si*, q. d. Si, si inquam misissem te, etc. Id ita esse patet tum ex nostro, tum ex Septuag. et aliis, qui vertunt assertive, non negative. Unde et R. David. Vatabl. et Maldon. vertunt, *certe si misissem te ad eos, audissent te.*

Vers. 7. Attrita fronte.) Hebr. *fortes fronte*. S. Hieronym. *dura facie*, id est, contumaces, impudentes. Sept. *contentiosi*. Vide cap. 2. 4. q. d. Illi impudentes sunt, sed tu ne cedas impudentiæ ipsorum: et si illi audacter et sine pudore mala perpetrant, tu audacter et sine pudore eos reprehendas. Ita S. Hieron. Cum impudentibus enim impudenter agendum est. Si quis ergo sit perfrictæ frontis et effrons; tu esto fronto, et quasi frontonem te iis opponito.

Effronti esto fronte. Nota. In vultu et fronte perspicitur animus, eiusque affectus; unde Cicero ad fratrem de Petitione consulatus, *frontem* vocat *animi ianuam:* hinc frons Gentilibus erat sacra genio, item pudori; pudoris enim sedes est frons. Quocirca non habere frontem dicitur, qui non habet pudorem. Quin et Aristotel. in Physiognomicis, scribit exigua fronte homines indociles, et ad disciplinas ineptos videri, atque ad suum genus pertinere; sues enim quia parvam habent frontem, hinc sunt indociles et stupidæ, ideoque impudentes. Rursum, hinc perfriguisse frontem dicuntur ii, qui pudorem omnem dedidicerunt, velut absterso manu a vultu pudore. Solent enim pudibundi, præsertim agrestes et rusticani, qui dicturi facturive quidpiam sunt apud ignotos, verecundiæ causa, manu faciem perfricare, ut ita quasi pudorem e fronte eiiciant et abstergant. Plutarchus scribit hunc gestum peculiarem fuisse Ciceroni, ut dicturus, læva faciem demulceret; et fatetur ipse Cicero, initio dicendi sese timidiorem et verecundiorem fuisse. Ubi enim timor, ibi et pudor. Sic hi Iudæi frontem perfricuerant et detriverant: quocirca Ezechiel hic iubetur a Deo duriorem frontem eis opponere, eorumque impudentiam audaci et minaci vultu contundere.

Nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte pudorem?

ait Iuvenal. satyra 13.

Dedi faciem.) q. d. Hos obstinatos argue, obsecra, increpa: en tibi animos, et libertatem indo, faciemque interritam. Ideo, inquit S. Hieron. *Dedi tibi vultum durissimum, et frontem, quæ nullo pudore superetur. Ex quo discimus, interdum gratiæ Dei esse, impudentiæ resistere, et cum res poposcerit, frontem fronte concutere.* Hoc uti verbo, ita exemplo suo docuit S. Hier. Nam carpens vitia clericorum, eorum odium incurrit. Quocirca scribens ad Asellam: *Gratias*, ait, *ago Deo meo, quod dignus sim, quem oderit mundus.* Et epistol. ad Furiam, ostendens quantis maledictis a maledicis lacesseretur, ait: *Addant si volunt, Samaritanum, ut Domini mei titulum recognoscam.* Et epistol. ad Pammachium, laudat eum, quod ex Consule monachum professus, vulgi sermones contempserit. *Quis, ait, crederet hoc, ut Consulum pronepos, et Furiani germinis decus, inter purpuras senatorum, fulva tunica pullatus incederet, et non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se derideret? Prima virtus est monachi, contemnere hominum iudicia, et semper Apostoli recordari, dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Tale quid et Dominus loquitur ad Prophetas, quod posuerit faciem eorum quasi urbem æream, et lapidem adamantinum, et columnam ferream, ne paverent ad iniurias populi, sed impudentiam subsannantium frontis rigore contererent.* Vers. 8

Ut adamantem.) Cuius duritia est indomabilis, qui malleos frangit, incudem findit, ignem superat. Sic ait Hesiodus: Vers. 9 Adamantis natura.

Durus at his animus solido ex adamante creatus.

Origenes hom. 3. in Ieremiam, docet diabolum esse malleum terræ, persecutiones esse incudem, qui ad incudem malleo illisi manent constantes in fide viva, hos esse homines adamantinos, et adamantes Deo charos et pretiosos.

Talis sit concionator, audax, fortis, constans, liber; qui nec pudore vincatur, nec metu taceat, aut pallescat. Sed, ut Tertull. ait, *honesta inverecundia veritatem annunciet; nullius faciem reveritus.* Sed adhibendum tamen est prudens iudicium, et discretio cum modestia, quando corripiendi sunt Magnates: uti Nathan fecit arguens Davidem. Talis fuit Elias, Ioannes Baptista, S. Stephanus. Concionator ergo et Prælatus, sit per mansuetudinem magnes, ut omnes ad se alliciat, per patientiam et constantiam adamas. Rursum Prælatus dum durum corripit, adhibeat duritiem increpationis, non solum instar adamantis, ut terrorem correptus aspiciat; sed etiam instar silicis, quæ percussa non repercutit, sed scintillas iacit; quia in illa

ipsa duritie scintillæ charitatis emicare debent in corripiente. Vide S. Greg 21. Moral. c. 24. et S. Bern. ser. 44. in Cant. Huius rei symbolo Summus Pontifex in pectore gestat crucem adamantinam, etiam dum celebrat: quia summa in eo requiritur tum patientia, tum fortitudo in tuenda fide Christi crucifixi contra hæreticos et infideles, æque ac iustitia et pietate contra impios, præsertim principes et tyrannos; ut sit instar Petri, qui audivit a Christo: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Huius enim petræ successor et hæres est Pontifex. Eadem de causa, Episcopi gestant crucem ex auro, aliove metallo duro.

Porro Plinius lib. 37. 4. adamantis virtutem describit, *invictam, et contemptricem, duarum violentissimæ naturæ rerum, ferri ignisque.* Hinc adamantis figura pro emblemate usus est Cosmus, Magnus Hetruriæ dux, multi etiam alii Italiæ Principes.

Censent aliqui, S. Scriptur. non meminisse adamantis in bonum, sed tantum in malum: unde non ponere eum inter gemmas Rationalis pontificis, Exodi 28. 17. nec inter gemmea fundamenta cæli, Apoc. 21. 19. idque, quia adamas est symbolum duritiei, obstinationis et tyrannidis, ut patet Ierem. 17. 1. Zachar. 7. 12. Unde græce dicitur ἀδάμας, id est indomabilis, hebr. vero *sciamir,* a radice שמר *sciamar,* id est, custodivit, cavit, q. d. Cave ab adamante, id est, a duro, vel tyranno. Huc facit, quod acuminatus nascitur adamas, quodque a magnete abstrahit ferrum, teste Plinio: sic enim tyranni privatos rebus suis spoliant. Addunt alii, adamantem unius hirci sanguine mollescere: sic tyranni, sola gula et libidine solvuntur et mollescunt. Insuper, quia pretiosissimus est, symbolum esse singularitatis et fastus. Denique, sunt qui putant, hac de causa post Christum, adamantem mutasse naturam, eiusque priscas conditiones interiisse, uti interiit phœnix: ut per hoc significaret Deus, quod Christus indomita et adamantina hominum corda, vi crucis et gratiæ suæ fregerit et mollefecerit, iuxta illud quod ipse ait Ioan. 12. 32. *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Ita censet Origenes Adamantius l. 2. in Iob, aut quisquis est auctor: vetus certe est; sed Origenis non esse, censet Sixtus Senensis, Doctores Lovanienses, et alii, esto Origeni tribuat Trithemius. Idque liquet ex eo, quod auctor hic l. 2. meminerit S. Luciani Martyris, cum constet, Lucianum Origene fuisse posteriorem. Rursum, l. 1. meminit Homousianorum, dicitque esse sectam trium Deorum, quæ replet totum orbem: unde liquet auctorem esse Arrianum, et Arrio, ac multo magis Origene posteriorem. Verum hoc auctoris huius dictum falsum esse, constat experientia. Nunc enim eamdem naturam, aliasque dotes easdem in adamante experimur, quas ei attribuit Plinius, excepta duritie: nam nunc nullus est adamas, qui non mallei ictu in partes dissiliat, ait Anselm. Boet. lib. 2. de gemmis cap. 4. Prius etiam, scilicet quod S. Script. adamante non utatur nisi in malum, eo quod symbolum tyranni sit et tyrannidis, falsum est: nam Deus hic, Ezechielem Prophetam facit adamantem. Rursum, adamas est gemma pretiosissima, clarissima et præstantissima, estque Regum et Pontificum, uti iam dixi. Denique, adamas symbolum est invictæ fortitudinis et constantiæ, ideoque Martyrum et S. Prælatorum: quinimo scribunt medici, adamantem, si gestetur, facere hominem fortem et impavidum, ac metus et phantasmata dispellere. Addit S. Epiphan. tract. de lapidibus et gemmis, pontificem Hebræorum ingredientem in templum tribus anni solemnitatibus, puta in Paschate, Pentecoste, et festo Tabernaculorum, adamantem in pectore gestasse, qui splendebat, si populus a peccatis immunis, Deo charus esset; sin autem obnubilabatur, aut rubescebat ut sanguis, quasi gladium stragemque Dei comminans; cuius rei penes ipsum sit fides.

S. Basilius erat adamas et magnes.

Tropolog. adamas erat S. Basilius, de quo scribit Nazianz. in oratione funebri: *Duorum lapidum naturas imitabatur laudabilium, factus est enim percutientibus adamas, dissidentibus magnes.*

A Tales adamantes hoc sæculo fuere Martyres, ob fidem et fidei veræ prædicationem varie enecti, in Anglia, Hollandia, Francia, in quos proinde Huguenottorum furor inaudita feritate desæviit. Nam alios terræ vivos infoderunt, aliorum parvulas proles discerpserunt, sacerdotes eviscerarunt, aliis abstractam capitis pellem refixere clavis, aliis impudenti crudelitate verenda resecuerunt, eaque miseros vorare compulerunt. Nam reliqua erant vulgaria, strangulationes, confossiones, submersiones, carceres, contumeliæ et verbera. Sacras ædes evertisse, aut fœdasse flammis, ludus erat. Vestes sacras in cineres redegisse, calices surripuisse, confregisse sacras Christi et Sanctorum Imagines, pietatis opus credebatur. Vide Theatrum hæreticæ crudelitatis. Vide et dicta Isaiæ 50. 7.

Audi et Gentilem Senecam epist. 24. ubi docet sapientem vano hominum timore non moveri, sicut pueri personatos et larvatos expavescunt. *Non hominibus tantum,* inquit, *sed et rebus persona demenda est et reddenda facies*
B *sua. Quid mihi gladios et ignes ostendis, et turbam carnificum circa te frementium? Tolle istam pompam sub qua lates, et stultos territas. Mors est? quam nuper servus meus, quam ancilla contempsit. Pauper fiam? inter plures ero. Exul fiam? ibi me natum putabo, quo mittar. Alligabor? quid enim? nunc solutus sum? Ad hoc me natura grave corporis mei pondus astrinxit. Moriar? hoc dicis, desinam ægrotare posse, desinam alligari posse, desinam mori posse.* Idem epistol. 5. *Desines timere, si sperare desieris.* Et Cicero Tuscul. 4. *Is est sapiens, is est beatus, cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri potest. Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo?* Rursum Seneca l. 1. de Clementia: *Magnam,* inquit, *fortunam magnus animus decet, cuius est proprium placidum esse tranquillumque, et iniurias atque offensiones superne despicere.* Nam, ut recte notat Tacitus l. 4. Annal. *Convicia, si irascare, agnita videntur; spreta, exolescunt.* Audi et Calani gymnosophistæ responsum ad Alexandrum apud Plutarchum, et S. Ambr. epist. 7. *Cum enim Alexander eum iuberet sequi: Qua me, inquit, laude dignum Græciam petere poscis, si possum cogi facere quod nolo? Et vere plenus auctoritatis*
C *sermo, sed magis mens libertatis. Denique et epistolam scripsit Calanus Alexandro: Amici persuadent tibi manus et necessitatem inferre Indorum Philosopho, nec in somniis videntes nostra opera. Corpora enim transferes de loco ad locum, animas non coges facere quod nolunt, non magis quam saxa et ligna vocem emittere. Maximus ignis viventibus corporibus dolorem inurit, et gignit corruptionem; super hunc nos sumus: viventes enim exurimus. Non est rex, neque princeps qui extorqueat a nobis facere quod non proposuimus. Nec similes sumus Græciæ Philosophorum, qui verba pro rebus meditati sunt ad opinionis celebritatem. Nobis res sociæ verbis, et verba rebus: res celeres, et sermones breves, in virtute nobis libertas beata est. Præclara verba, sed verba; præclara constantia, sed viri; præclara epistola, sed philosophi. Apud nos autem et puellæ de mortis*
D *appetentia sublimes usque ad cælum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnetem, quid Pelagiam loquar, quæ tamquam nobilia vitulamina pullulantes, ad mortem quasi ad immortalitatem festinaverunt? Inter leones virgo exultavit, et prodeuntes bestias expectavit intrepida. Et ut nostra cum Indorum Gymnosophistis conferamus: quod ille verbis gloriatus est, S. Laurentius factis probavit, ut vivus exureretur, et flammis superstes diceret: Versa, manduca. Haud degener Abrahamidarum, et Machabæorum concertatus puerorum, quorum alii super flammas canebant, alii cum exurerentur non rogabant, ut parceretur; sed invehebantur, ut amplius persecutor inflammaretur. Liber igitur sapiens. Quid autem sublimius S. Pelagia, quæ vallata persecutoribus, priusquam tamen in eorum conspectum veniret, aiebat: Volens morior, nemo me continget manu, nemo oculo protervo violabit virginem. Mecum feram pudorem, mecum incolumem verecundiam. Nullum prædones lucrum suæ capient insolentiæ. Pelagia Christum seque-*

tur, libertatem nemo auferet, nemo captivam videbit liberam fidem, insignemque pudicitiam, et prosapiam prudentiæ.

Quatuor adamantum species, eorumque dotes septem. Nota. Plinius lib. 37. 4. quatuor recenset adamantum species, ex locis ubi generantur, scilicet, Indicum, qui inter omnes principatum tenet, Arabicum, Macedonicum et Cyprium; atque miras eorum dotes recenset, quæ apte forti viro, præsertim Dei præconi, et Prælato, conveniunt.

I. Primo, *Maximum*, inquit, *in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas, diu non nisi regibus, et iis admodum paucis cognitus.* Scimus adamantes fuisse merces regum Lusitaniæ, adeoque unum instar nucis venire sexaginta millibus aureorum. Ita fortitudo, et præsertim Martyrum, maximi apud Deum et homines est pretii, ut patet in S. Laurentio, S. Stephano, S. Vincentio, et aliis.

II. Secundo, *Indicus adamas*, ait Plinius, *a crystallo colore translucido non differt, et laterum sexangulo lævore turbinatur in mucronem.* Ita patientia fortis, quasi crystallus mentem ab omni concupiscentia depurat, facitque pellucidam, ac tunsionibus et pressuris ab omni parte perpolita et angulata, turbinatur in mucronem, quo suos hostes omnes transfigit et perimit; ut merito audiat ipsa: *Omnium patientia victrix.*

III. Tertio, *Arabici*, ait, *adamantes incudibus deprehenduntur, ita respuentes ictum, ut ferrum utrimque dissultet, incudesque etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, simulque ignium victrix natura, et nunquam incalescens. Unde et nomen indomita vis Græca interpretatione accepit:* ἀδαμας enim græce, idem est quod indomitus. An non S. Laurentius sua forti patientia vicit ignes, ferrum et quidquid sub cælo durum est? Finxerunt Poetæ Herculem habuisse cor adamantinum, ideoque in laboribus et certaminibus tam heroicis fuisse invictum; cessit tamen illud Cupidini. Verius tale cor obtinent Christiani Hercules, qui nec amore, nec terrore vincuntur; quibus esto *sit fragilis caro, et corpus luteum, mens tamen adamantina est.*

IV. Quarto, *adamas Cyprius, in medicina est efficacissimus.* Quid efficacius in quavis adversitate patientia, et fortitudine? Sæviant in nos tyranni, feræ irruant, ignes urant, catastæ distendant, scorpii dilacerent: hisce omnibus efficaciter dominatur patientia. Nam *in patientia vestra possidebitis animas vestras*, ait Christus Dominus.

V. Quinto, *adamas dissidet cum magnete in tantum, ut iuxta positus, ferrum non patiatur abstrahi: aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat.* Ita fortis Dei præco, ingens habet cum mundo dissidium, nec patitur ab eo homines abduci et illici; quin et si quos allexerit, omni vi et modo abstrahere conatur.

VI. Sexto, *adamas venena irrita facit, et lymphationes abigit, metusque vanos expellit a mente: et ob id quidam eum anachiten* (q. d. indolorium) *vocavere.* An non robustus Dei præco, vitiorum venena, vanos hominum metus circa vitam sanctam consectandam, ac inanes sollicitudines depellit, facitque ut in animi quiete et securitate alacres serviant Deo?

VII. Septimo, *illa invicta vis, ferri ignisque contemptrix, hircino rumpitur sanguine*, ait Plinius, licet noster Alcazar id fabulosum putet. Quocirca notat S. Hieron. in Amos 7. v. 7. Sicut adamas licet indomitus, hirci tamen sanguine frangitur; ita pariter sanctissimos viros, qui alias erant fortissimi et adamantini, sæpe tamen mortiferæ libidinis calore dissolvi. *Hæc enim*, inquit, *sanguinis hircorum, et ipsius hirci dicitur esse natura, ut sit ad libidinem calidissimus, et quod ignis edomare nequeat, solus illius dissolvat cruor.* Addit ibidem Christum Dominum esse adamantem nostrum, eumque *stare supra murum adamantinum, id est super Sanctos et Apostolos suos, quibus donavit, ut et ipsi adamantes vocarentur, et a nullo separati dicerent: Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio*, etc? *Petrus quoque erat fortissimus adamas; hinc portæ inferi non prævaluerunt adversus eum.*

A Denique Rabbini, et ex eis Lyran. pro *ut adamantem*, vertunt, *ut vermem fortiorem rupe dedi faciem tuam:* et per vermem intelligunt sanguinem cuiusdam vermis, quo sine sonitu incidebantur lapides in fabrica templi Salomonis. Hoc si verum esset, tropolog. recte aptaretur Christo dicenti: *Ego sum vermis, et non homo.* Christus enim quasi tenerrimus ligni vermiculus, suæ passionis infirmitate terebravit saxea hostium corda. Verum hic vermis fictitius est: et Hebr. *sciamir* adamantem, aut sentes ubique nusquam vermem significat.

Et ut silicem.) Hebr. *et fortiorem*, vel *duriorem silice.* Tropol. S. Gregorius, ut adamantem, inquit, ne scilicet per exhibitum honorem ab auditoribus, refrænetur lingua ex verecundia: et ut silicem, ne per despectum taceat ex infirmitate: tam enim honor extollendo, quam despectus deprimendo ligare solet linguam prædicatoris vani, vel timidi.

Sermones meos.) Hic incipit explicare voluminis significationem, ut dixi v. 2. *Sermones*, id est res visas, Vers. 10.
B scilicet librum, *assume in corde*, id est, in phantasia tibi figura, deinde audi a me eius explicationem. Aliter R. David, Vatabl. et Maldonat. ו *vau*, inquiunt, id est *et*, capitur pro *postquam*, q. d. Excipe et conserva sermones meos in animo tuo, postquam eos auribus audieris. Sed ו *vau*, vix alibi sumitur pro *postquam*.

Ad transmigrationem.) Id est, ad concives, qui te- Vers. 11.
cum transmigrarunt Babylonem. Ponitur abstractum pro concreto.

Populi tui.) q. d. Non tam mei, qui tam fœde a me descivit; sed tui, cuius te præconem, et quasi custodem constitui.

Si forte audiant, et quiescant.) Vatabl. *sive audiant, sive non.* Vide dicta c. 2. v. 5.

Assumpsit me spiritus.) Id est, divina virtus, vel spi- Vers. 12.
ritus angelicus. Angelus enim Ezechielem cunctantem quasi per vim rapuit, non tantum in spiritu, sed et in corpore, ac realiter, quasi alterum Habacuc, a flumine C Chobar, ubi solus secesserat oraturus, transtulit ad pagum vicinum, ubi Iudæos, qui secum transmigrarant in Babylonem, reliquerat. Ita S. Hieron. et patet v. 15. Hinc sequitur, *Et audivi post me vocem.* Ezechieli enim c. 1. currus Cherubim cum toto illo strepitu, non a tergo, sed a fronte apparuerat. Hic vero assumptus a spiritu, missusque Propheta, et translatus ad populum, visionem reliquit a tergo; atque ita dum pergit, strepitum, quem ante se prius audierat, a tergo postea exaudit; ut præsenti adhuc currus et rotarum stridore, quasi stimulis quibusdam incitatus, ad iussa Dei exequenda alacrius properaret.

Vocem commotionis magnæ, id est, strepitum, tum venti procellosi, qui aera commovebat cum impetu; tum Cherubim, qui magno clamore et fragore clamabant: benedicta gloria Domini de loco suo.) Iam *gloria Domini*, est arca testamenti, inquiunt Hebræi, et noster Prado, q. d. Ecce brevi arca efferetur ex templo, et urbs ac templum concremabitur.

D Secundo, et melius, *gloria Domini* est gloriosus Dei currus Cherubim, ipsaque Dei maiestas gloriose illi insidens. Hæc *benedicta est de loco suo*, id est, *in loco suo.* Sic enim angeli in nativitate Christi cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo.* Aut potius: *de loco suo*, id est, de cælo suo, supple, *venit*, et descendit in terram. Currus enim hic Dei aliquando levabatur in cælum, aliquando descendebat in terram, ut indicavit cap. 1. v. 19. Hic ergo descendit cum magno strepitu, quasi tonitru, ad castigandos Iudæos. Hoc enim commotio illa magna significat. Simile est psal. 49. 3. *Ignis in circuitu eius exardescet: et in circuitu eius tempestas valida.* Et Michææ 1. v. 3. *Ecce Dominus egredietur de loco suo: et descendet, et calcabit super excelsa terræ.* Ita S. Hieron. Maldon. et alii.

Tertio, Polychr. et ex eo noster Prado, *benedicta sit gloria Domini*, quæ, supple, recedit *de loco suo.* Vidit enim Ezechiel Deum, cum suo curru, rotis et Cherubim, ex templo Hierosolymitano, ubi sibi videbatur eum vide-

*

re et audire loquentem; finita visione et sermone, migrare magno fragore alarum Cherubim, et rotarum ac venti, ut sequitur v. 13. ut significaret templi et urbis excidium, seque illud derelicturum, utque Propheta magis stimularetur ad libere et mox prædicandum hæc populo. Secundus sensus magis genuinus, et ad rem videtur. Agit enim de Deo quasi vindice et milite armato, veniente in curru suo bellico ad proterendum hostes. Nam de recessu Dei e templo, et e Synagoga dicet cap 10. v. 18.

Tropologice S. Gregor. homil. 10. *Locus*, ait, *gloriæ Dei est vel sancta quæque anima, vel unusquisque in cælestibus permanens angelicus spiritus. Et gloria Domini de loco suo benedicitur, cum vel ab electis hominibus, vel a sanctis angelis auctori omnium laus æterna cantatur.*

Vers. 13. Et vocem alarum animalium.) Septuag. vertunt, *et vidi vocem alarum animalium*: ut intelligatur visio fuisse in spiritu, et vox sine sono in visione imaginaria; ubi idem est audire, et videre. Vide canon. 1.

Percutientium alteram ad alteram.) Heb. מַשִּׁיקוֹת *mascikot*, id est, *quæ osculabantur*, id est, attingebant altera alteram. Vide dicta c. 1. v. 9.

Morale. Moraliter, S. Gregor. 24. Moral. 6. *Quid*, ait, *alas animalium nisi virtutes debemus sentire Sanctorum? qui dum terrena despiciunt, ad cælestia volando sublevantur. Unde recte per Isaiam* c. 40. *dicitur: Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas ut aquilæ. Volantia itaque animalia alis suis se vicissim feriunt: quia Sanctorum mentes in eo quod superna appetunt, consideratis invicem alterius virtutibus excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis propriæ me ad melius accendit: Et ala mea vicinum animal ferio, si aliquando alteri opus bonum quod imitetur ostendo.* Vide eumdem hic homil. 10.

Vers. 14. Spiritus quoque levavit me.) Repetit quod dixit v. 12. q. d. Interim dum Deus de loco suo recedit et descendit, recedo et ego, et quasi avis transferor ex Chobar in suburbia transmigrantium, puta, *ad acervum novarum frugum.*

Et abii amarus, scilicet, ubi me deposuit angelus, abii lento gradu, meditabundus et tristis, in indignatione spiritus mei.) Qua cum Deo indignabar sceleribus populi mei, propter quæ Deus urbem et templum volebat evertere; simul anxius quid facerem. Dicebam enim intra me: Si hæc quæ Deus iubet prædicem populo, eum contra me concitabo; si non, Dei maiestatem offendam. Hic ecce pilula voluminis in ore dulcis, quia exterius saccharata, in ventre dissoluta operatur, et ventrem torquet et lancinat.

Nota. lxx. apud S. Hieron. et Theodor. habent, *et abii* μετέωρος, id est *sublimis* (forte pro מַר *mar*, id est amarus, per anastrophen legerunt רָם *ram*, id est excelsus, sublimis) *in impetu spiritus mei.* Sed delendum cum Vaticanis τὸ *sublimis*, q. d. Abii zelo Domini incensus. Ita Maldon.

Tropologice, S. Gregor. hic sub finem homil. 10. *Mentem*, ait, *quam Spiritus sanctus replet, in amaritudinem temporalium delectatione æternorum commovet.* Vide quæ subdit.

Manus enim.) *Enim*, id est, *autem*, q. d. Manus autem Domini, id est, Dei virtus et auxilium me roborabat, ut parerem Deo, et prædicarem. Hebr. et Septuag. habent, *et manus Domini confortabat me*, id est, ut Chald. *prophetia a facie Domini super me confortata est*, id est, spiritus interior prophetiæ me vehementius urgebat, fortior fuit in me, prævaluit, atque hoc sensu vox *enim* dat causam, cur tristis abierit; quia scilicet spiritus prophetiæ urgebat eum tam dira suis vaticinari, nec sinebat tacere.

Et veni ad transmigrationem, ad Iudæos, qui in Babylonem transmigraverant, ad acervum novarum frugum.) Id est, ad areas frumentarias, in quibus Iudæi detinebantur triturantes. Nota, hoc esse nomen proprium loci. Unde Chald. Aquila, Symmach. Theod. retinent Hebr. תל אביב *tel abib*. Sed S. Hieron. illud vertit, *acervum novarum frugum*: quia ita vocatus videtur locus ab Hebræis, qui demessi ex Iudæa, eo translati sunt, terendi a Chaldæis, quique ab eis damnati ad opera rusticana, ibi novas segetes excutiebant, itaque ab eis atterebantur; sed a Deo incolumes servabantur in populi seminarium, et spem gentis propagandæ. Ita Vatabl. Aliter Septuag. nam pro *tel abib* vertunt, *sublimis circuivi*. Videntur ipsi legisse *tal*, a תלל *talal*, id est suspensus, ideoque sublimis; et pro אביב *abib*, legisse אסיב *asib*, id est circuivi.

Et sedi.) Habitavi, commoratus sum cum eis. Sedere est mœsti animi signum, sicut gestire læti. Psalm. 136. 1. *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus.* Sic Iob afflictus sedit in sterquilinio, c. 2. 8. Rursum S. Gregor. hic hom. 11. *Quasi quoddam*, ait, *nutrimentum verbi est censura silentii.*

Et mansi ibi septem diebus mœrens.) Puta per integram hebdomadem. Tropolog. significatur, tota vita (hæc enim septem dierum revolutione continua agitur et decurrit) Prophetæ, æque ac peccatori pœnitenti lugendum esse. Septenarius enim est numerus perfectus, ideoque symbolum universitatis: hinc, ut ait Cicero lib. 4. de Repub. septenarius est nodus rerum omnium. Nam conflatur ex ternario, qui est primus numerus impar, habens principium, medium et finem, de quo Arist. lib. 1. de Cælo c. 1. et ex quaternario, qui est primus numerus par quadratus, et perfectus: componitur enim ex duplici binario. Plura de septenario dixi Deuter. 5. v. 12.

Mœrens.) Hebr. מַשְׁמִים *masmim*, id est *stupens*, attonitus; Theodor. *admirans*; Aquila, *quiescens*; Chald. *tacitus*; Septag. *conversans*, id est conferens, et animo versans tantam populi pertinaciam, eum tanta calamitate et supplicio, quod ei eventurum prævidebam. Speculator Dei, ait S. Hieron. *multo tempore debet quiescere, et dolere ad ea quæ videt; nihilque habere eorum in conscientia, quæ in aliis correpturus est.*

Speculatorem.) Chaldæus, *doctorem;* Septuag. σκοπὸν *inspectorem*. Unde nomen *Episcopus*, id est superintendens, superspeculans: ut, quæ in specula prophetiæ eminus vides, et futura prævides, populo in captivitate prædicas. Ita Theodor. *Speculator*, ait S. Greg. hom. 11. *in mentis altitudine sedeat: atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. In alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam*, scilicet, ut prospectet an hostes incurrant, ne cives male cautos opprimant. Sic concionator provideat et moneat de adventu Domini, qui quasi fur veniet ad iudicium, ne male cautos opprimat peccatores. Hinc Cant. 7. 4. *Nasus*, id est, discretio et prospectio speculatoris, dicitur esse, *sicut turris Libani.* Rursum vigilantiæ pastorum symbolum sunt psittaci Brasiliæ, qui dum gregatim pascuntur, speculatorem unum ex suo grege collocant in arboris cacumine, qui si quid periculi superveniat signum edit, quo reliqui possint avolando saluti consulere. Extat hac de re carmen apud Nicol. Causinum Paral. histor. lib. 6. c. 101. Vers. 17. Ezechiel speculator cur?

Dum psittacorum viridis exultat phalanx,
Unus sub alta nixus arbore excubat,
Solersque vigili prospicit cura suis;
Ne quem rapaces aucupis lædant manus.
Sic unus amplo consulens pastor gregi,
Somnos tuetur omnium solus vigil.

Huc facit Evenii pœna, qui oves civitatis custodiens, cum sua incuria permisisset lupum ingredi in ovile, et sexaginta oves devorare, iudicio civitatis damnatus, oculis orbatus est, ut narrat Herod. lib. 9.

Dedi, posui, te.

Si dicente me ad impium, id est, si, cum ego tibi dixero, ut dicas impio, Morte morieris.) Id est, ut Vatabl. certissime morieris, morte corporis, et consequenter animæ. Vers. 18.

Non annuntiaveris ei.) Hebr. *non expolieris ei.* Doctor enim et monitor rubiginem ab intellectu et voluntate, sua lima admonitionis aufert. Hebræum זהר *zahar*, significat etiam repetere, inculcare: uti lima tracta et retracta per ferrum, illud polit: sic concionator eadem sæpe inculcare debet. Septuag. vertunt, *si non distinxeris*, id est, non di-

stincte et diserte monueris impium. Tropol. S. Franciscus paulo ante mortem rogatus a quodam, quomodo hæc Ezechielis sententia intelligenda foret, respondit: *Si verba hæc debent generaliter intelligi, ego illa ita censeo declaranda, quod servus Dei sic debet vita et exemplo in se ipso ardere et fulgere, ut luce exempli et sanctæ conversationis omnes impios reprehendat. Sic enim splendor vitæ eius, et odor famæ eius annuntiabit omnibus iniquitates suas; cuius oppositum si fecerit, populos aut proximos scandalizando, divinæ ultionis non evadet iudicium*: ita Barth. Pisanus Confess. 12. cap. 24. et Rodulph. de Orac. S. Francisci.

In iniquitate.) Propter iniquitatem.

Sanguinem.) Id est mortem, metonymice, q. d. Eius necem in tuo capite ulciscar. *Si Prælatus de morte corporis quandoque morituri tam graviter reus tenetur, quo reatu de morte animæ subiecti constringitur, quæ potuisset semper vivere, si verba correctionis audisset?* ait S. Gregorius. Vide sequentia. Hæc Ezechielis, immo Dei sententia acer fuit stimulus S. Augustino, ut sciens se a Deo constitutum speculatorem, id est Episcopum, instanter populo prædicaret, eique peccata et pericula libere denuntiaret. Audi eum l. 3. de verbis Domini ser. 12. *Domine scis quia dixi, scis quia non tacui, scis quo animo dixi, scis quia animo flevi, cum dicerem et non audirer. Ipse puto, quod ratio nostra integra est: quia cum vidi gladium venientem, velut speculator, ut Dominus admonet per Ezechielem, annuntiavi impio impietatem suam, id est correxi, non fugi: et ideo animam meam liberavi.* Et hom. 28. inter 50. *In magno*, ait, *sum periculo et exitio constitutus, si tacuero; sed cum ego dixero et implevero officium meum, vos iam attendite periculum vestrum. Quid vero volo, quid desidero, quid cupio, quare hic loquor, quare hic sedeo, quare vivo, nisi hac intentione ut cum Christo simul vivamus? Cupiditas mea ista est, possessio mea ista est, gaudium meum hoc est. Sed si me non audieritis, et tamen ego non tacuero, liberabo animam meam: sed nolo salvus esse sine vobis.* Et hom. 24. inter 50. *Die*, inquit, *isto solemni episcopatus mei, prius paucis verbis alloquar debitores meos, qui mihi nescientes apud Deum suffragantur, dum faciunt debita quæ dimittam, ut et mea mihi dimitti promerear. Vobis itaque dico, quibus inimicus efficior verum prædicans, quorum requirens utilitatem, cogor offendere voluntatem: nolite esse sicut equus et mulus non habentes intellectum. Nam et hæc iumenta eos calce morsuque appetunt, a quibus curantur, et ut curentur eorum vulnera contrectantur. Non parcis, non parco: adversaris, adversor: resistis, resisto. Lucta nos comparat, sed causa separat. Tu inimicus es medico, ego morbo: tu diligentiæ meæ, ego pestilentiæ tuæ.*

S. Aug. speculator solicitus.

Vers. 20. Ponam offendiculum coram eo.) Ut incedat, et impingat in pericula mortis et moriatur. Unde Septuag. vertunt, *ponam tormentum*; Theodotion, *infirmitatem*. Secundo, S. Gregor. Hoc *Domini ponere*, inquit, *est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle a peccato liberare. Ponam* ergo, id est, poni permittam coram eo offendiculum, eumque deseram, itaque ille gravius impinget, et corruet. *Peccatum quippe*, ait S. Gregor. *quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul et pœna peccati.* Tertio, Theodor. q. d. In mentem revocabo illi exitium et barathrum, quod manet peccatores. Quarto, Vatabl. et R. David: *ponam offendiculum*, id est, faciam ut omnia habeat prospera, calamitatibus eum a peccato non revocabo. Quinto, Chald. eos, qui iusti videri volunt, permittam in publicum peccatum labi, ut agnoscantur iniqui. Primus sensus maxime est genuinus.

Offendiculum ergo hic, non occasionem ruinæ, id est culpæ, sed pœnæ significat, scilicet aliquid quod offendit, lædit et pungit, quo puniatur peccator, et punctus resipiscat. Ita passim interpretes et Scholastici, ac nominatim Franc. Suarez in opusculo de Concursu Dei lib. 2. cap. 8.

Iustitiæ.) Opera iusta.

Vivens vivet.) Omnino vivet securus a morte.

Vers. 21 Et tu animam tuam liberasti.) q. d. ait Theodor. Duplicem lucratus es vitam, tuam et illius. Unde S. Gregor. hom. 11. *Vobis, et nobis parcitis*, inquit, *si a pravo opere cessatis. Vobis et nobis parcimus, quando hoc quod displicet, non tacemus.*

In campum.) Ubi quies, solitudo, silentium; ideoque mens aptior contemplationi et visioni. Vers. 22

Gloria Domini.) Quam vidi cap. 1. in curru Cherubim. Unde Apollin. *paratum*, ait, *vidi iudicem*. Vers. 23.

Cecidi in faciem.) Tremebundus, et adorabundus.

Et ingressus est in me spiritus.) Animalis virtus, quæ in me defecerat, ad me rediit: aut potius spiritus Dei. Vers. 24.

Statuit me super pedes.) Id est, labantes pedes firmavit. Vide dicta c. 2. 3.

Includere in medio domus tuæ.) Ut ipso opere vicinam urbis obsidionem prophetes; ita S. Hieron. Sicut enim tu domo, ita Iudæi urbe sua concludentur. Secundo, R. Salomon, q. d. Contine te domi; quia nihil proficies, increpando eos. Tertio, Maldon. q. d. Abde te domi, ut prius audias ex Deo omnia, quæ dicturus es, quam incipias ea annunciare. Itaque, inquit ipse, usque ad cap. 11. v. 24. et 25. nihil annuntiat; sed tantum audit et videt, quæ illi Deus aut dicit aut ostendit. Ita et Vatabl. Omnes hæ causæ, et expositiones veræ sunt: Deus enim voluit Ezechielem hic apud rebelles et contumaces Iudæos, fieri portentum, uti ait cap. 12. v. 6. et 11. Quare iussit eum se includere domi suæ, ibique silere, nec verbis sed silentio, et miris quibusdam actibus vaticinari et portendere clades urbi impendentes. Unde cap. 4. iussus est silens describere in latere obsidionem urbis, et fimum boum comedere, et cubare in latere uno 390. diebus: ita ut affines eius, videntes eum mutum tam portentosa agere, putarint eum esse emotæ mentis, eumque quasi insanum ligarint, ut mox prædicit ei Deus: qui nihilominus iubet eum pergere in silentio, et audire Dei oracula; ut quasi attonitus attonitos quoque reddat spectantes eum Iudæos, donec iubeat eum post longum silentium proloqui, et erumpere in minas, lamenta et suspiria, quæ in longo hoc suo silentio animo concepit et parturivit. Iubet ergo eum silere et se audire, usque ad finem cap. 11. Nam ibi v. 25. fari et loqui incipit.

Tropologice, S. Gregor. hom. 12. *Propheta*, inquit, *post campum in domo includi præcipitur, ut prædicator post gratiam doctrinæ, quam proximis ministrat, ad conscientiam redeat, seque ipsum subtili examinatione discutiat: ne de his, quæ foris prædicat, aliquid ipse apud se intrinsecus transitoriæ laudis quærat: quia quanto plus se in cogitatione discusserit, tanto amplius agnoscit iusti anima, quantis mortalitatis suæ infirmitatibus sit ligata.*

Tu fili hominis.) Audi scilicet. Vers. 25.

Data sunt, dabuntur, iniicientur super te vincula, et ligabunt te in eis.) Id est eis; scilicet, vicini et familiares Ezechielis, videntes eius quasi attoniti et rapti gestus, eum æstimantes amentem vinculis colligarunt: quæ tamen vincula significarunt obsidionem, et captivitatem Iudæorum. Ita S. Hieronymus. Unde Syrus vertit, *iniectæ sunt super te catenæ*; Arabicus, *iniicio super te catenas*. At Chald. vertit, *verbum meum super te sicut vinculum*: quasi non revera sit ligatus, sed in visione tantum vinculi mandati divini. Unde Maldon. censet, una cum his verbis iniecta fuisse Prophetæ per visionem vincula, quæ eum domi suæ colligarent, et includerent.

Linguam tuam adhærere faciam palato tuo.) Adimam tibi linguæ usum, ne cum iis, qui ad te domum venerint, loqui possis, aut eos obiurgare; ut hoc silentio tuum timorem, et Iudæorum pervicaciam castigem. Ita S. Hieronymus, Polychr. Theodor. Unde S. Gregor. homil. 17. in Evangel. sic explicat: q. d. *Idcirco tibi prædicationis sermo tollitur: quia dum me in suis actibus plebs exasperat, non est digna cui exhortatio veritatis fiat.* Et S. Hieron. *Ex quo*, ait, *perspicuum est, ubi multitudo fuerit peccatorum, indignos esse peccantes qui a Domino corrigantur.* Potior tamen causa fuit ea, quam paulo ante dedi; videlicet, ut suo silentio commoveret duros Iudæos, quos voce non poterat: ut scilicet Iudæi, videntes eum elinguem et cogitabundum, secum reputarent: Quid contigit Eze- Vers. 26.

chieli? Quid incedit attonitus? Quid animo parturit? Atque causam ab eo perquirentes, audirent ab eo Dei minas et oracula, quæ prius audire noluerant.

NEC QUASI VIR OBIURGANS.) Ut non sis vir, qui eos obiurges, quia me exasperant, q. d. Deus Iudæis: Non vultis audire, non audietis igitur; ideoque Ezechielem Prophetam vestrum, mutum et elinguem faciam. *Prophetarum ergo silentium, signum est iræ divinæ*, uti docet S. Chrysostomus in Isaiæ 6. homil. 4.

Vers. 27. CUM AUTEM LOCUTUS FUERO.) Cum ego tibi indicavero tempus esse loquendi, cumque os iam a me clausum A tibi aperuero; tunc loqui incipies, dicesque ea, quæ vidisti et audisti.

QUI AUDIT, AUDIAT: ET QUI QUIESCIT, QUIESCAT.) Non sunt hæc verba, quæ Ezechiel dicturus est populo, sed verba Dei ad Ezechielem: q. d. Dices illis quæ audisti, et vidisti; et qui voluerit ea audire, audiat; qui non voluerit audire, non audiat. Scio enim plerosque non audituros, quia domus exasperans, pervicax et rebellis est. Vide dicta c. 2. v. 5. Unde Septuag. vertunt, *qui audit, audiat; qui incredulus est, incredulus sit;* Aquila vero, *qui audit, audietur; et qui relinquit, relinquetur.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Repræsentat ad vivum instantem obsidionem, famem et pressuram Ierusalem, quæ postea anno sexto contigit, puta anno 11. Sedeciæ. Quocirca Primo, iubetur describere in latere urbem, et circa eam aggeres, et castra Chaldæorum eam obsidentium, ac sartaginem ferream, quasi murum, ponere inter se, et civitatem. Secundo, vers. 4. iubetur cubare super latus sinistrum 390. diebus pro totidem annis iniquitatis Israel, et 40. diebus super latus dextrum, pro totidem annis iniquitatis Iuda. Cibus vero, et potus quotidianus ei præscribitur, scilicet panis ponderans viginti stateres, et aquæ sexta pars hin. Tertio, vers. 12. iubetur panem suum coquere stercore hominum: sed obsecrans impetrat, ut pro stercore hominum, substituat stercus boum. Hisce autem omnibus, portendit famem, sordes, et angustias, quas passuri erant Iudæi obsessi a Chaldæis in Ierusalem.

Moraliter disce hic, quam viles, et exiles sint urbes, quæ mundanis magnificæ videntur, utpote quæ in vili, et parvo latere describantur. Vere Seneca dixit, Punctum, et adhuc puncto minus est id quod colimus. *Nam, ut ait Boetius lib. 2. de Consol.* tota terra non est nisi punctum puncti. *Quocirca Socrates Alcibiadem superbientem opibus prædiisque, in quemdam locum duxit, in quo suspensa erat cosmographica tabula terræ circuitum complexa; iussitque Alcibiadem, Atticam in ea inquirere: quam ut invenit, sua etiam prædia inspicere præcepit. Quæ cum Alcibiades nusquam esse picta diceret:* Cur igitur; *dixit Socrates,* ob illa superbis, quæ circa nullam terræ partem existunt? *ita Ælian. lib. 5.*

1. ET tu fili hominis sume tibi laterem, et pones eum coram te: et describes in eo civitatem Ierusalem. 2. Et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. 3. Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam in murum ferreum inter te, et inter civitatem: et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem, et circumdabis eam: signum est domui Israel. 4. Et tu dormies super latus tuum sinistrum, et pones iniquitates domus Israel super eo numero dierum quibus dormies super illud, et assumes iniquitatem eorum. 5. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos et nonaginta dies: et portabis iniquitatem domus Israel. 6. Et cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundo: et assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus; diem pro anno; diem, inquam, pro anno dedi tibi. 7. Et ad obsidionem Ierusalem convertes faciem tuam, et brachium tuum erit extentum: et prophetabis adversus eam. 8. Ecce circumdedi te vinculis: et non te convertes a latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ. 9. Et tu sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et viciam: et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum: trecentis et nonaginta diebus comedes illud. 10. Cibus autem tuus quo vesceris erit in pondere viginti stateres in die: a tempore usque ad tempus comedes illud. 11. Et aquam in mensura bibes, sextam partem hin: a tempore usque ad tempus bibes illud. 12. Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud: et stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum. 13. Et dixit Dominus: Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes ad quas eiiciam eos. 14. Et dixi: A, a, a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta; et morticinum, et laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc, et non est ingressa in os meum omnis caro immunda. 15. Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: et facies panem tuum in eo. 16. Et dixit ad me: Fili hominis, ecce ego conteram baculum panis in Ierusalem: et comedent panem in pondere, et in sollicitudine: et aquam in mensura, et in angustia bibent. 17. Ut, deficientibus pane et aqua, corruat unusquisque ad fratrem suum: et contabescant in iniquitatibus suis.

Vers. 1 LATEREM.) In quo stylo ferreo delinees urbem Ierusalem, et circa eam obsidionem, id est, castra et machinas Chaldæorum obsidentium. Ex lateribus enim fiunt domus, et urbes. Rursum, later magis aptus erat ad picturam, quam lapis. Ita R. David, et Maldon.

Symbolice, Theodor. Later, ait, significat incolarum debilitatem, qui non ædificarunt domum suam supra petram, sed super arenam. Et Origen. Later, ait, sunt ineruditæ animæ.

Moral. de oppugnatione vitiorum et resistentia virtutum. Notat Lyran. et alii, laterem accipi hic crudum, nondum igne decoctum et duratum: alias enim non potuisset Propheta in illo civitatem, eiusdemque obsidionem describere. Igitur Ierusalem obsessa, est anima posita in peccato, contra quam omnes divinæ iustitiæ munitiones B diriguntur. Verum hæc omnia in latere non decocto, sed crudo, qui facile aqua dissolvitur, describuntur; ut intelligamus, omnes divinæ iræ munitiones adversus peccatores dispositas, pœnitentiæ lacrymis posse dissolvi, atque adeo totam dæmonis accusationem aboleri. Rursum S. Gregor. 26. Moral. cap. 5. *Sancti*, inquit, *prædicatores obsidionem circa laterem in quo Ierusalem civitas descripta est, ordinant, quando terrenæ menti, sed iam supernam patriam requirenti, quanta eam in huius vitæ tempore vitiorum impugnet adversitas, demonstrant.* Idem Gregor. fusius hic homil. 12. *Sume*, inquit, *tibi laterem, videlicet proximi cor terrenum. Pones eum coram te, scilicet ut vitam atque intellectum illius intenta mente custodias. Et describes in eo civitatem Ierusalem, ut ei, quæ sint*

superna gaudia de visione pacis innotescas, etc. Et ordinabis adversus eam obsidionem. Nam ut valeat anima ad illa pacis gaudia æterna pertingere, hanc hic procul dubio oportet tribulationum et tentationum certamina multa sustinere; unde prædicatores contra erudiendam animam obsidionem ordinant, cum præmonendo indicant quibus se modis vitia virtutibus opponant; quomodo luxuria castitatem feriat; qualiter ira tranquillitatem animi perturbet; quantum inepta lætitia vigorem mentis resolvat; qualiter multiloquium munitionem cordis destruat; quomodo invidia charitatem interficiat; quemadmodum superbia arcem humilitatis effodiat, etc. Et dabis contra eam castra; ut ostendas quomodo maligni spiritus animam, non ex uno, sed ex coniunctis vitiis simul tentent. Huc pertinet illud S. Hieron. ad Heliodor. *Erras frater, erras, si putas unquam Christianum persecutionem non pati. Tunc maxime oppugnaris, si te oppugnari nescis. Tranquillitas ista, tempestas est. Nam militia est vita hominis super terram*, ut ait S. Iob cap. 7. Animet nos sententia S. Cypriani: *Semel*, ait, *vincit, qui statim patitur. At qui manens semper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur* Quotidie enim lentum et longum obit martyrium. Ita ipse lib. 2. epistol. 4.

Denique H. Pintus: Moraliter, inquit, in mente nobis describere et pingere debemus Ierusalem, id est, imaginem urbis et regni cælestis: simul et obsidionem, id est hostes qui nos obsident, et ab ea impediunt: quibus opponenda est sartago ferrea, id est fortis charitas, et invicta constantia. Hoc accomodatitium est.

Vers. 2. MUNITIONES.) Hebr. דיק *daiek*, id est turrim ligneam, in cuius summo scilicet, statuebantur balistæ, scorpiones, arietes, et aliæ machinæ ad muros quatiendos. Unde Hebræi *daiek* a דקק *dakak*, id est comminuere, deducunt. Ita R. David. De his turribus agit Vitruvius l. 10. 1. Dicebantur ambulatoriæ hæ turres, quia dissolutæ ab exercitu circumferri poterant. Septuag. vertunt, προμαχῶνας, id est *propugnacula*. Propheta hic, tum Dei, tum Chaldæorum urbem obsidentium personam gerit.

ET COMPORTABIS AGGEREM.) Aggestæ terræ cumulum, item lapidum, cespitum, lignorum congestionem; ut excites propugnaculum ex quo quasi e monte displodantur balistæ in mœnia et cives: aut potius, *aggerem*, quo scilicet se Chaldæi a telis Iudæorum tueantur. Solent enim hostes urbem obsessuri aggeres ante se aggerere atque promovere, ut illæsi ad muros accedant. Ita Maldon.

DABIS.) Depinges. Omnia enim hæc, non realiter fecit, sed in latere pinxit Ezechiel.

Aries bellicus qualis? ARIETES.) Ita dicta trabs, quæ pendens ex funibus, et retrorsum ab obsidentibus repulsa ferro in fronte instar cornu prominente, quasi aries mœnia et portas magno impetu percutiebat et deiiciebat. Plinius l. 7. 56. auctorem huius machinæ facit Epeum, qui equum Troianum (hunc enim ait fuisse arietem) fabricavit, quo capta est Troia. Vide Iosephum l. 3. Belli c. 9. Chald. pro *arietes* vertit, *duces*. Sicut enim arietes ducunt gregem, ita duces exercitum.

Vers. 3. SUME TIBI SARTAGINEM.) Hinc videtur Ezechiel realem sartaginem sumpsisse, non autem eam pinxisse in latere.

SARTAGINEM.) In qua friguntur carnes, pisces, ova, et, si magna sit, homines; uti in ea Machabæos frixit Antiochus 2. Machab. 7. 5. Unde et Syrus vertit, *sartaginem ferri*, ex ferro; Arabicus Antioch. *patellam ferream*.

Quæres, cuius rei hæc sartago sit symbolum? Resp. Maldonat. eam significare urbem Ierusalem; quia sartago ferro quasi circumdatur: ferrum autem significare urbis munitionem, quod inexpugnabilis esse videretur, ac si ferreos muros habuisset; fore tamen ut ab ira Dei, quæ fortior est ferro, expugnetur. Verum obstat, quod Propheta iubetur hanc sartaginem ponere inter se et urbem; ergo non fuit urbs ipsa, sed medium quid inter urbem et Prophetam. Nota ergo Primo. Propheta gerens personam Dei, inter se, et laterem, in quo Ierusalem delinearat, posuit sartaginem ferream, ut significaret, quasi ferreum murum interiectum esse inter se et cives, id est Deum, Deique decretum et sententiam contra eos latam, esse inexorabilem, nec Deum civium preces et querimonias auditurum, aut misericordia flectendum: ita Theodor. Polych. S. Hieron. Vatabl. et alii. Sartago ergo sunt atrocia crimina, quæ iter ad Dei misericordiam impediunt quasi rupes, Isai. 59. 2. aut quasi nubes, Thren. 3. 44. scilicet corda Iudæorum, ait R. David, ferro duriora, et fuligine turpiora; quæ Deum natura sua mollem, misericordem et melleum, durum et ferreum efficiunt, atque decretum ferreum duræ punitionis et vindictæ ab eo extorquent.

Sartago I. Est ferrea Dei sententia in ferreos Iudæos.

Secundo, hæc sartago significat, igne comburendam urbem, civesque gravissime cruciandos, et quasi frigendos. Idem significat olla accensa Ieremiæ 1.

II. Igne frigendos esse Iudæos, significat.

Tropologice, S. Gregor. hom. 12. *Sartago*, ait, *ferrea, est spiritalis zeli frixura, in qua amore virtutum contra vitia populi concionator ardet.* Talis fuit Paulus dicens: *Quis scandalizatur, et ego non uror? Nullum Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum*, ait S. Gregor. ibidem Melius S. Ambros. in psal. 38. ad istum versiculum: *Tabescere fecisti sicut araneam, animum eius. Mittuntur*, ait, *in sartaginem animæ peccatorum, ut defluat quædam peccati caro, quæ obduxerat animæ ac mentis vigorem, et velut iure quodam, ita quibusdam infuderat animam illecebris cupiditatum. Expectant igitur nos quædam sartagines: ideo hic conteramus cor nostrum, ut subtile fiat, et deponat omnem duritiem, et pinguedinem carnalis arvinæ.*

OBFIRMABIS FACIEM.) Tum contra sartaginem, tum contra urbem, q. d. Severo et implacabili vultu, quasi inexorabilis, urbem et sartaginem aspicies; quasi iudex, qui cum a sententia lata immobilis est, eam ac reum obfirmatis oculis intuetur. Aliter Polychr. et Kimchi, q. d. Avertes ab urbe faciem indignabundam et minacem lævorsum.

SIGNUM EST DOMUI ISRAEL.) Id est, hæc figura et delineatio Ierusalem obsessæ, significat vere Ierusalem ita brevi obsidendam. Iudæos vocat Israelitas, quia decem tribubus iam abductis in Assyriam, tota Israelis, id est Iacobi, progenies, in solo patrio consistebat in Iuda et Iudæis, de quo mox plura.

DORMIES.) Hebr. שכב *seecab*, iace, decumbe. Non ergo dormivit Propheta 390. dies; sed vigil decubuit, quasi obsidens, aut potius spectans obsidionem urbis. Sic vulgo dicimur tota nocte dormire, id est decumbere in lecto, etiamsi multi multas horas proprie non dormiant, sed vigilent, vel morbi, vel curarum, vel orationis causa. Vers. 4.

SUPER LATUS TUUM SINISTRUM.) Apposite Israel ponit ad sinistrum, quia vere Samaria, id est, decem tribus, ad sinistrum habitabant respectu Iuda, ait Polychr. et R. Salomon. Secundo, Maldon. Iuda, ait, ponitur ad dextrum, quia dignior erat, habebatque sacerdotium et regnum: Israel vero ad sinistrum; quia vilior, et quia primitus suberat Iudæ.

PONES INIQUITATES.) Ut sic iacendo per 390. dies, feras, vel potius ferendo repræsentes pœnam iniquitatibus Israelitarum debitam. *Iniquitas* enim ponitur metonymice pro pœna iniquitatis.

ET ASSUMES.) Sustinebis, feres pœnas peccatis eorum debitas, simulque pro venia eis impetranda Deo supplicabis.

ANNOS INIQUITATIS EORUM NUMERO DIERUM.) q. d. Vers. 5. Pro annis 390. iniquitatis Israelitarum, do tibi pœnam decubitus per 390. dies. Pro annis vero 40. peccatorum Iuda, cubabis in latere dextro totidem dies 40.

Notat Origenes, aliquos in versione Septuag. legere dies 150. alios 190. alios 350 Sed vera lectio est 390. Ita Hebræa, Aquila, Symmach. Theodor. S. Hieron. et alii. Ubi Nota Dei clementiam, quæ pro anno peccatorum, dat diem pœnæ. Punit ergo longe citra condignum. Punitio enim Dei, ad culpam eam proportionem habet, quam unus dies ad dies 365. Tot enim habet annus.

AD OBSIDIONEM IERUSALEM CONVERTES FACIEM.) q. d. Vers. 7.

In hoc tuo decubitu, laterem, in quo delineasti obsidionem Ierusalem, fixe intueberis (ita Hebr.) ut significes, hæc omnia mira quæ facis, portentum esse obsidionis arctissimæ Ierusalem, qua capietur et exscindetur.

Et brachium tuum erit extentum.) Ita Rom. id est, ut Hebr. *nudatum exertum;* extendi enim brachium, est nudari. Tunicæ enim viriles veterum, in caput iniectæ, et cingulo præcinctæ, vix summa tegebant brachia. Quocirca P. Africanus P. Sulpitio Gallo probro dedit, quod tunicis uteretur manicatis, uti fœminæ, ait Gellius libr. 7. cap. 12. Præsertim vero milites olim solebant nudatis brachiis pugnare: quod etiamnum Africani et Indi faciunt. Sensus est, q. d. Brachium exertum ostendes, ac si velles acriter dimicare, urbemque invadere.

Prophetabis.) Non verbis: erat enim mutus, ut patet cap. 3. 26. sed hisce factis; teipso scilicet tuoque gestu, referes Deum per Chaldæos oppugnantem Ierusalem. Ita Prado.

Vers. 8. Ecce, circumdedi te vinculis.) Feci, ut cognati et amici te quasi insanum vincirent: sed sustine patienter, tum eorum vincula, tum mea iussa, ut te non convertas in latus aliud, sed impleas dies obsidionis tuæ, scilicet 390. et alios 40. quibus repræsentes obsidionem Ierusalem. Ita Vatabl. Prado, et alii, et colligitur ex cap. 3. v. 25. Aliter Maldon. Putat enim ipse, Ezechielem a Deo ligatum, ne se posset ex uno latere in aliud convertere; quæ expositio est probabilis. Porro hic Propheta gerit personam civitatis, et civium mox obsidendorum et vinciendorum.

Vers. 9. Et tu sume tibi, etc. viciam.) *Vicia* cibus est equorum et pecorum. S. Hieron. in comment. vertit, *avenam;* Symmach. et Aquila zeas, id est *speltam.* Iubetur hic Propheta frumentum, hordeum, milium, fabam, viciam, etc. miscere, ut inde viles et necessarios vitæ faciat panes 390. quos singulos per totidem dies comedat; ut significet, tantam fore famem urbis obsessæ, ut cives non delicias quærant, sed panem, etiam ex lente et vicia confectum. Sub 390. intellige a pari et 40. alios, pro diebus 40. quibus cubare debebat in latere dextro: nec enim tunc ieiunare poterat per totidem dies.

Vers. 10. In pondere.) Id est non quantum voles et appetes; sed certo pondere, ut in magna fame urbis obsessæ fieri solet. Porro pondus illi præscribit *viginti stateres;* hebr. *viginti siclos.* Siclus, teste S. Hieron. et Iosepho 4. drachmas ponderabat: drachmæ 8. unam faciunt unciam. Viginti stateres ergo, sunt decem unciæ, quæ necdum libram (libra enim continet uncias 12.) panis efficiunt, quibus proinde per diem trahitur magis anima quam sustentatur. Mirum ergo est, Polychr. et Theodoret. viginti stateres æquare tribus unciis. Alii, viginti stateres æquant quinque unciis; putant enim staterem hic non integrum, sed dimidiatum accipi, qui erat quarta pars unciæ. Et hoc forte voluerunt Theod. et Polychr. ut per cyphram scripserint 5. id est quinque, quod descriptores depravarint, scribendo 3. id est tria; facilis enim ex 5 in 3. est lapsus. Nimis enim parum datur viginti stateribus, cum eis tantum dantur tres unciæ; plusculum, cum quinque: hæ enim continent drachmas quadraginta.

A tempore usque ad tempus comedes illud.) Scilicet a vespere usque ad vesperam, inquit S. Hieron. vel, ut Vatabl. a meridie in meridiem. Aliter Apollinar. scilicet, *ab anno in annum,* q. d. Toto anno quotidie comedes panem decem unciarum.

Vers. 11. Et aquam in mensura.) Id est, non quantum voles, sed sextam tantum partem *hin,* puta duos sextarios Italicos. Exiguus ergo hic Prophetæ potus datur, qui tantum mortem prohibeat; ut significet sitim futuram obsessæ urbis. Vide ea quæ de mensuris dixi in fine Pentateuchi.

Vers. 12. Quasi subcinericium hordeaceum comedes illud.) q. d. Panes quos iussi te edere, non coques clibano, uti honestiores coquunt, sed sub cinere, quasi rusticos et hordeaceos; ut significes tantam fore famem, ut homines non expectent panes coqui clibano, sed sub cinere torreant, ut statim eos vorent. Addit Apollinar. significari

A inopiam lignorum, ut clibanum iis accendere non possint, sed prunis et cinere uti cogantur ad panes coquendos.

Stercore quod egreditur de homine, operies illud.) Scilicet, dum illum coques, ut habent Hebr. sub cinere stercoris humani. Significat lignorum inopiam, adeoque pro stercore sicco boum (quo rustici ignem faciunt, dum lignis carent) deficiente, opus fore ignem facere stercore humano siccato ad coquendos panes, uti rustici utuntur cespite. *Stercus non comedit, sed eo panes coxit Ezechiel.* Non ergo vult illini stercus pani, ut cum eo comedatur, uti vulgus autumat, sed tantum eo coqui. Hoc enim est Hebr. עוג *ug,* unde עגות *uggot,* vocantur panes cocti sub prunis et cinere. Hinc et vers. 15. dicitur: *facies* (id est coques) *panem tuum in eo,* fimo boum; hebr. *super eum,* sicuti liba coquuntur super prunas. Ita R. David, Marinus, Mercerus, Forster. Pagnin. in Lexicis, Pintus, Lyran. Vatabl. Maldon. Prado, et alii hic. Unde Arabicus Antioch. vertit, *inassabis eam stercore hominis;* Arabic. Alex. *comedes placentam pistam supra stercus hominum;* Syrus, *comedes assatum super stercus* B *hominis.* Hac re significat Iudæos, tum in urbe obsessa, tum in Babylone, horridum immundumque panem comesturos: hoc enim portendit coctura hac panum tam insolita et abominabili Propheta.

In oculis eorum.) Ut scilicet videntes, rogent causam tam miræ rei, et discant famem et cladem urbi sibique imminentem. Hinc patet, non esse hæc facta per visionem imaginariam, uti volunt Vatabl. et aliqui alii, sed reipsa: de quo mox plura.

Panem suum pollutum.) Quia panis ex vario semine Vers 13.
factus, videtur lege veteri fuisse immundus; uti de agro expresse habetur Levit. 19. 19. Verum, nil ibi statuitur de pane; alioqui legem hanc obtendisset Deo, excusans se ab hoc cibo Ezechiel. Panis ergo pollutus dicitur, ob fœditatem et fœtorem stercoris humani: unde et ipsum lege erat abominabile, Deut. 23. 12. Significat ergo, quod præ fame in obsidione debebunt comedere similes panes sordidos, quos homo alias abominatur.

C Nota. Quia Iudæi coluerunt idola, quæ in Script. vocantur stercora et sordes, ex contemptu et vilitate; hinc apte puniuntur, ut sordes suas vorent. Ita et Tropolog. crapulam sordesque suas, multo tempore decoquere coguntur gulosi, ebriosi et libidinosi.

Eiiciam.) Hebr. *impellam,* scilicet, quasi gregem cogam, in media Ierusalem immolandum a gentibus Chaldæis. Non ergo loquitur de abductione in Babylonem, ut aliqui volunt; sed de obsidione et captivitate Ierusalem, ut patet ex antecedentibus, et sequent. Ita Prado.

A, A, A.) Hebr. אהה *aha:* si cuilibet consonanti substi- Vers 14.
tuas vocalem, erit *a, ha, ha,* quasi triplex detestatio cibi polluti, et lege vetiti. Est interiectio dolentis, aversantis et deprecantis. Unde Symmachus et Septuag. vertunt, *nequaquam;* Theodotion, *o Domine Deus.* Ad hæc Dei iussa percellitur Ezechiel; quia homo nitoris et honestatis amans naturaliter horret sordes et stercora.

Quocirca monstrum naturæ, et portentum sordium fuit Constantinus Imper. Iconoclasta, qui hisce sordibus D earumque odore delectabatur, indeque *Copronymus,* id est stercorarius, est cognominatus; eo quod dum baptizaretur stercora emiserit, eisque baptisterium polluerit, in signum quod Ecclesiam sua hæresi, et purissimam Virginem Deiparam suis blasphemiis polluere conaturus esset. *Constantinus Copronymus stercore delectabatur.* Inde et *Caballinus* est cognominatus, quod caballorum stercore et lotio recrearetur: ita ex Theophane Baron. tomo 9. anno Christi 775. Audi Theostericum in Niceta: *Tantopere,* ait, *sordium et impurissimæ cuiusque rei odore malo delectabatur, ut animalium brutorum stercoribus se illiniret, et eos qui cum illo erant, id facere iuberet; quos amabat, ob idque benigne accipiebat, quod rebus male olentibus semper delectaretur.* Hisce spurcis parentibus glorientur nostri Iconoclastæ, et Hagiomachi.

Morticinum.) Id est, *quod absque effusione sanguinis amittit vitam, et quo moritur anima,* ait S. Hieronym. ut quod sponte moritur, vel aquis suffocatur, aut strangulatur.

Et laceratum a bestiis.) Utrumque quasi immundum vetatur lege Levit. 11. v. 11. 24. etc. Argumentatur a maiore ad minus, q. d. Si carnem immundam nunquam comedi, quomodo comedam panem stercore humano coctum?

Nota. Exaudit eum Deus: quia non patitur misericors Pater, suos in oratione diutius affligi, vel se pœnitentiis affligere, quin eos exaudiat. Sic fecit afflicto Mosi, Eliæ, Elisæo, et aliis. Pro stercore ergo humano, concedit ei stercus boum, quod minus est abominabile. Ita vidi in Belgio viros expertos, qui fimo equino, ægroto in cibum aut potum porrecto cerio eum curarent.

Vers. 16. Baculum panis.) Heb. מטה *matte*, id est *substantiam, sustentationem panis;* Aquila, Symmachus et Septuag. *firmamentum panis;* Chald. *sustentaculum panis.* Non est sensus, q. d. Tollam a pane vim nutriendi et sustentandi, ut volunt aliqui; sed, q. d. Tollam ipsum panem nutrientem, tollam fruges et frumenta, inducam sterilitatem, et annonæ inopiam. Per hebraismum enim, sustentatio panis, vocatur panis sustentans.

Sic Allegorice, ob hæresim aufert Deus panem Eucharistiæ, qui animam sustentat.

Vers. 17. Ad fratrem.) Apud fratrem, cum ad eum ibit, ut petat et mendicet panem, fame corruet.

Contabescant.) Fame macrescant, indeque orta lue et peste putrescant, et in tabem ac pestifera ulcera liquescant, defluant et tabescant.

In iniquitatibus.) Propter iniquitates.

Quinam 390 anni iniquitatis Israel? Quæritur Primo, qui sint hi anni 390. iniquitatis Israel, et 40. Iuda, de quibus v. 5. et 6. Aliqui iniquitatem proprie pro culpa, puta idololatria; alii metonymice pro pœna accipiunt, ut anni iniquitatis sint anni captivitatis.

I. Sententia. Primo, ergo Polychr. pro 390. legit 150. eosque numerat ab anno sexto Ezechiæ, quo Osee ultimus rex Israel captus, ductus est in Assyriam, usque ad ultimum Sedeciæ, quo ipse rex Iuda captus est. Sed hic, non nisi 133. anni interfluxerunt. Theodor. numerat etiam 150. ab anno quinto transmigrationis Ioachin, quo prophetare cœpit Ezechiel, usque ad annum 20. Artaxerxis Longimani, quo templum absolutum est, urbsque Ierusalem muris cincta fuit: 40. vero annos Iudæ numerat ab eodem anno 5. Ioachin, usque ad annum 2. Cyri, qui Iudæorum captivitatem Babylonicam solvit. Verum nihil hæc faciunt ad Israel, id est, ad decem tribus; sed tantum ad Iuda. Adde, falso eum legere 150. pro 390. ut alia plura taceam.

II. Secundo, Iudæi teste S. Hier. iungunt 40. cum 390. ut fiant 430. quos numerant a secundo anno Vespasiani, qui Ierusalem evertit, quam post 430. annos sibi et Iudæis restituendam et reædificandam asserunt. Sicut post 430. annos Ægyptia servitute liberati sunt, Exodi 12. 40. Verum iam patet, plus mille quingentis annis Iudæos e Ierusalem exulare, et per Gentes dispersos, ubique misere servire.

III. Tertio, S. Hieron. et ex eo Maldonatus, numerant iniquitatis, id est captivitatis, Israel 390. annos, a prima captivitate decem tribuum, quando Teglathphalassar sub Phacee rege Israel, transtulit Israelitas in Assyriam: vel potius quando Phul Assyrius 4. Reg. 15. 19. venit in terram Israel, cui Manahem rex Israel dabat tributum mille talentorum argenti: eosque finiri anno 28. Artaxerxis Mnemonis, id est Memoris (fuit enim ipse excellentis memoriæ) qui successit Dario Notho, fuitque maritus Esther, qui ad preces Esther omnes Iudæos morte liberavit. Annos autem 40. numerant a primo anno Iechoniæ, qui se dedidit Nabuchodonosori, usque ad annum primum Cyri. Sed horum utrumque magis ad Iudæos in Babylone, et Perside captivos, eosque non a captivitate, sed a morte liberandos, quam ad Israel, sive decem tribus pertinet. Captivitas enim Iuda in Babylone laxata est a Cyro annis 128. ante Artaxerxem Mnemonem. Rursum, in Mnemone non est finita captivitas decem tribuum, sed adhuc perdurat: imo Mnemon nullam captivitatem solvit, sed tantum Iudæos morti ab Aman destinatos liberavit.

A Denique computus annorum non adæquat annos 390. Nam a Phul usque ad annum 28. Mnemonis, tantum fluxerunt anni 383. ut summum. Adde, longe verius est, annos hos non esse captivitatis, sed iniquitatis proprie dictæ: hanc enim portat et luit Propheta.

Quarto, R. Salomon, et Kimchi annos 390. numerant ab initio idololatriæ regni Ieroboam, qui peccare fecit Israel, usque ad annum nonum Osee, quo eversum est regnum Israel, qui sunt anni 241. His addunt annos 149. quos mutuant a tempore Iudicum, id est, a primo anno Abimelech, usque ad ultimum Heli. Annos vero 40. Iuda, numerant etiam intercalando, scilicet sexdecim Manassis, quibus peccavit; duos Amon; et 22. Ioachim et Sedeciæ. Sed gratis, et præter ordinem chronologiæ, ac morem Scripturæ hos annos Israel et Iuda intercalant. Nam ante Abimelech quoque coluerunt Baalim, tam Iudæi, quam Israelitæ: atque ante Manassem, Achaz quoque et Salomon coluerunt idola. IV.

Quinto, alii a 25. anno Heli, ad ultimum Osee numerant annos 390. Sed et hi errant in computu. Atque ut demus eos non errare, quid hoc ad rhombum? Nam post Heli, David, Iosaphat, Ezechias et Iosias, non coluerunt idola, nec peccarunt: quomodo ergo hi anni sunt iniquitatis Israel? V.

B

Sexto, alii per Israel intelligunt duas tribus et urbes Iuda, in quibus permisti erant Iudæi et Israelitæ, maxime post fugam et captivitatem decem tribuum, in quibus viguit idololatria ab anno 4. Roboam, usque ad ultimum Sedeciæ per annos 390. per Iuda intelligunt urbem Ierusalem, in qua cædes Christi et Christianorum viguit per annos fere 40. scilicet ab anno 18. Tiberii usque ad 2. Vespasiani, qui eam evertit. Hoc utrumque verum est, sed posterius est allegoricum: nam ad literam loquitur Ezechiel de peccatis suo tempore commissis; et de obsidione præsenti facta per Nabuchodonosor, non per Vespasianum. VI.

Pro respons. Dico Primo, hæc omnia significare obsidionem Ierusalem, in qua resp. Iudæorum, id est tam Israel, sive decem tribuum, quam Iuda, plene eversa et vastata est. Id ita esse patet Primo, quia Ezechiel et Ieremias solis Iudæis prophetant, prædicuntque iis Iudææ et Hierosolymæ excidium. Secundo, quia decem tribus iam pridem anno Ezechiæ sexto excisæ, et abductæ erant in Assyriam, indeque numquam redierunt: ergo per Israel non hæ decem, sed duæ tribus puta Iuda et Beniamin, et quicumque ex decem tribubus cum Iuda erant commisti, intelligendi sunt. Tertio, id patet ex initio capitis, quod est quasi titulus totius prophetiæ, quæ hoc cap. et sequent. enarratur. Illud enim sic habet: *Et tu fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Ierusalem, et ordinabis adversus eam obsidionem*, etc. Omnia ergo hæc referuntur ad Ierusalem, eiusque obsidionem et excidium. Unde mox subdit v. 3. *Signum est domui Israel*, q. d. Hæc descriptio obsidionis Ierusalem in latere, signum est, et portendit brevi reipsa futuram hanc obsidionem Israelitarum, hoc est Iudæorum, signum enim quod Prophetis datur, est rei futuræ, non præteritæ. Quarto, quia regnum Israel, id est decem tribuum, non stetit annis 390. sed tantum 256. tot enim fluxerunt a primo anno Roboam, et Ieroboam, qui fuit primus rex decem tribuum, usque ad annum sextum Ezechiæ, quo hoc regnum ab Assyriis eversum est, ut patet 4. Reg. 18. 10. Ergo hi anni 390. iniquitatis Israel, complectuntur quoque iniquitates regni Iuda. VII. Genuina.

C

D

Dico Secundo, Prophetam hic sustinere tum personam gentis obsessæ, ut cum 390. dies catenatus decumbit, comedens panem subcinericium, quo significat cives urbe constringendos, et fame cruciandos; tum gentis obsidentis, ut cum brachium contra urbem exerit, et sartaginem ei, opponit quasi scutum.

Dico Tertio, diebus 390. portendit urbis obsidionem, diebus vero 40. excidium urbis (unde ultimis 40 non exprimitur, ut paret sibi panem, quia capta urbe non fuit tanta fames) nam per 390. dies fuisse urbem obsessam;

patet numeranti dies a principio obsidionis ad finem. Nam, ut patet 4. Reg. 25. Nabuchodonosor cœpit obsidere urbem anno 9. Sedeciæ decimo die decimi mensis, et cepit eam anno undecimo, quarti mensis die nono. Iam 390. dies faciunt menses duodecim, dies viginti quinque, quibus arcte fuit obsessa Ierusalem. Omittit ergo Ezechiel aliquot menses respirationis Ierusalem: quia scilicet pœnitentibus Iudæis, et servos iuxta legem liberos dimittentibus, Chaldæi omissa Ierusalem, Ægyptiis ad opem Iudæorum adventantibus iverunt obviam: postea ad scelera redeuntibus Iudæis, ac servos suos revocantibus, redierunt ad obsidionem Ierusalem, donec eam caperent, ut patet Ierem. 34. Ita Theodor. Vatabl. et alii ibidem. Porro excisam et vastatam esse Ierusalem per 40. dies, patet: quia, ut dicitur 4. Reg. 25. 8. et Ierem. 52. v. 12. die nona mensis quarti, capta est civitas; die vero decima mensis quinti incensum est templum; intermedii ergo fuerunt dies 30. quibus adde dies 10. quos facile victor Chaldæus insumpsit in tot domorum et murorum eversione, habebis quadraginta, quos quærimus.

Denique 390. dies decubitus Ezechielis in latere sinistro, portendere totidem dies obsidionis Ierusalem, patet ex v. 8. ubi dicitur: *Non te convertes a latere tuo* (sinistro, in quo prius iussi te decumbere per 390. dies v. 4.) *in latus aliud* (dextrum, in quo posterius iussi te decumbere 40. dies v. 6.) *donec compleas dies obsidionis tuæ* (390. tot enim iussus est decumbere in latere hoc sinistro.) Unde et de eodem assignans illi cibum, subdit: *Et tu sume tibi frumentum, et hordeum,* etc. *et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum*: 390. *diebus comedes illud.* Ex quo clarum est, 390. diebus, quibus Ezechiel decubuit in latere sinistro, eum portendisse et repræsentasse 390. dies obsidionis Ierusalem.

Dico Quarto, cubare in latus sinistrum est molestum et anxium, quia tunc cor, quod in sinistrum latus propendet, a superimposito hepate æstuat, et suffocatur. Unde hæc cubatio, symbolum est animi solliciti, et sæpe evigilantis ob periculum imminens. Is habitus fuit Chaldæorum, urbem Ierusalem sollicite obsidentium. In dextrum vero latus cubare, somnum facit suavem et iucundum, qualis est eius qui cura solutus est. Hæc ergo cubatio, signum est victoriæ, qua scilicet Chaldæi capta urbe præ gaudio, et Iudæi rebus desperatis præ mœrore, profunde dormierunt.

Dico Quinto *iniquitas* hic significat iniquitatis pœnam, quia addit: *Portabis iniquitatem domus Israel*, q. d. Tot diebus catenis gravatus sustinebis molestiam debitam iniquitatibus Israel, atque ea tolerantia repræsentabis molestiam, quam ipsi laturi sunt totidem obsidionis diebus.

Dico Sexto, cum, ait *diem*, intellige pœnæ, *pro anno* culpæ præteritæ *dedi tibi.* Sunt ergo hi anni iniquitatum præteritarum Israel, non autem supplicii eis inferendi: nam sic dicere debuisset, *Annum pro die dedi tibi*, qui populi personam sustines: iam autem e contrario dicit: *Diem pro anno dedi tibi*, q. d. Tot tibi dedi dies famis et afflictionis, quot annis impune peccarunt Israelitæ.

Dico Septimo, per Israel accipit tam Iudæos quam Israelitas, hoc est, tam duas, quam decem tribus; quia utrique commisti fuerunt in Iudæa, maxime postquam decem tribus maiori ex parte abductæ fuerunt in Assyriam. Utrique ergo vocantur hic Israel potius quam Iuda: quia in Israele cœpit, viguit et perduravit iniquitas, quæ hic punitur, puta, idololatria, atque ex Israele manavit ad Iudam. Per domum vero Iuda, accipit regiam domum familiam et regnum, quod erat in stirpe Davidis et Iuda: atque per eam notat Manassem, cuius iniquitas et idololatria per 40. annos fuit tanta, ut repleverit, ait Scriptura 4. Reg. 21. 16. Ierusalem sanguine Prophetarum usque ad os; utque Deus propter eam eius stirpem et urbem certo destinarit excidio, atque irremissibiliter et inexorabiliter eam exciderit, 4. Reg. 23. 26.

40. annis durarunt scelera Manassis.

Porro Manassis scelera durasse per 40. (non autem 22. ut volunt Hebræi in Seder olam) annos colligitur ex eo, quod teste Polychron. Septuag. 4. Reg. 21. 18. iuxta aliquos codices, dicunt Amon filium Manassis, regnasse 12.

A annis; quia scilicet post patrem solus duobus annis regnavit, ut habent Hebr. et Latina 4. Reg. 21. 18. Patre vero captivo in Babylone, regnavit 10. annis, pater vero e captivitate rediens non diu superstes fuit, sed quinque fere annis vixisse et regnasse videtur. Iam tolle hos quinque ultimos regni annos, et decem captivitatis eius ab annis 55. quibus universim dicitur regnasse Manasses, habebis annos 40. peccatorum et regni scelerati eiusdem. Unde Vatabl. *Quadraginta*, ait, *annis peccavit gravissime Israel tempore Manassis, qui quindecim tantum annis mansit in officio, et quadraginta peccavit.*

Anni hi 390 incipiunt a primo anno Roboam et Ieroboam, ac finiuntur anno ultimo Sedeciæ.

Anni ergo 390. iniquitatis Israel incipiunt a primo anno Roboam regis Iuda, et Ieroboam regis Israel, qui mox ut creatus est rex, fecit idola scilicet vitulos aureos, quos eodem anno coluerunt Israelitæ, atque ad quos et ad Baalim post tres annos deflexerunt etiam Iudæi sub Roboam. Finiuntur vero hi 390. anni, ultimo anno Sedeciæ, quo urbs eversa est. Tot enim, scilicet 390. annos, inter annum primum Ieroboam, et ultimum Sedeciæ interfluxisse, B consentiunt passim chronologi. His ergo 390. annis iniquitatis, in pœnam successerunt 390. dies obsidionis urbis; quos Propheta repræsentat suo decubitu in latus sinistrum per 390. dies. Annis autem 40. peccatorum domus Iuda, id est Manassis, succedunt 40. dies excidii et vastationis urbis; quos Propheta repræsentat decumbendo in latus dextrum per 40. dies. Nec mirum, annos 40. Manassis in annis 390. includi, et consequenter bis numerari; quia hi anni 40. insigniores fuerunt malitia, ideoque quasi duplices. Hi enim fuerunt unica causa irrevocabilis sententiæ Dei de exscindenda Ierusalem. Sensus ergo est, q. d. Prioribus peccatis per 390. annos a Iudæis commissis, debetur obsidio Ierusalem; posterioribus vero peccatis Manassis, per 40. annos patratis, decretum est certum urbis excidium et plena vastatio. Ita Hieron. Prado, et Vatablus. Aliqui non improbabiliter hos 40. annos scelerum domus Iuda, numerant ab anno 13. Iosiæ, usque ad undecimum et ultimum Sedeciæ: hi enim proprie fuerunt C Iuda: nam Israel, id est decem tribus iam erant abductæ. Tunc enim Iudæi fuere solito sceleratiores; adeo ut Ieremiam, aliosque præcones Dei iram denunciantes riderent et torquerent. Ad hanc sententiam accedit noster Pineda, qui lib. 7. de rebus Salom. cap. 9. censet hos 390. annos inchoari ab anno 27. Salomonis, quo ipse lapsus est in idololatriam: inde enim usque ad ultimum annum Ioachim (quo censet hosce annos finiri) numerat annos 390. Licet enim post Ioachim regnarit Sedecias, sub quo eversa est Ierusalem; tamen huius eversionis et excidii initium fuit illa prior captivitas sub Ioachim et Ioachin. Atque hac de causa Script. narrans excidium Ierusalem, facit mentionem Salomonis; quia ipse fuit origo peccati, puta idololatriæ, ac consequenter excidii. Mentio hæc fit 4. Reg. 24. ubi post cladem Ioachim, et captivitatem eius filii Ioachin, subdit Script. v. 13. de Nabuchodonosor: *Concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini iuxta verbum Domini.* D Hæc sententia coniecturam affert accommodam et plausibilem, præsertim quia Salomon fuit primus auctor idololatriæ Israelis, quæ deinceps continuata fuit per 390. annos, usque ad eius excidium. Verum, quia Salomon coluit quidem idola, sed publico edicto eorum cultum non sanxit, multo minus Dei veri cultum in Israele abolevit: et quia incertum est, quo præcise anno Salomon apostatarit et coluerit idola: hinc melius et certius hos annos inchoabimus a schismate, quod tam a Iuda quam a Deo fecit Ieroboam, qui primus idololatriæ vexillum sustulit, constituens vitulos aureos in Dan et Bethel, ac vetans ne quis templum Hierosolymitanum ad Deum colendum adiret. Unde hoc schisma in Script. est celeberrimum, et contra illud, puta contra vitulos aureos, passim detonant Prophetæ.

Quæritur Secundo, an revera, an vero per visionem tantum decubuerit, id est, visus sit sibi decumbere Ezechiel per 390. dies?

Respond. S. Hieron. Vatabl. et alii, fuisse tantum i-

Ezechiel non per visionem, sed reipsa decubuit per 390. dies.

maginariam visionem, quia natura non patitur, ut tot dies homo in uno latere dormiat, ita ut nunquam se in aliud latus convertat. Sed Resp. revera eum decubuisse in sinistro latere per dies 390. et in dextro per dies 40. Patet, quia revera hoc iubet Deus hic: hoc enim simpliciter significant verba præcepti huius. Ergo Propheta, utpote Deo per omnia obediens, idipsum opere præstitit et adimplevit.

Secundo, quia v. 12. dicitur, de facto ita eum decubuisse *in oculis eorum*. Ergo non fuit id factum per visionem: hanc enim solus vidisset Ezechiel, non oculi aliorum. Ita Chrysost. l. 3. de Dei providentia post medium, Basil. in Isai. 8. Theodor. in Osee 1. Ribera in Osee 1. n. 47. Prado et alii.

Ad argumentum Resp. Prophetam non dormisse semper, sed iacuisse hoc situ, nunc vigilem, nunc dormientem. Id enim significat Hebr. שָׁכַב *sciacab*. Porro id fieri posse, si non per naturam, certe per specialem Dei opem, nemo dubitat. Vidi ego Lovanii virum nobilem paralyticum, qui iam decimum sextum annum continuo supinus mira patientia iacebat. Noster Prado testatur, se vidisse amentem, qui quindecim totos annos in uno latere decubuit. Sic Simeon Stylita octoginta annos continuos eodem pede stetit, naturam adiuvante Dei gratia. Quin et Epimenides quem S. Paulus Tit. 1. Cretensium proprium vocat Prophetam, a Laertio lib. 1. in eius vita et aliis, ipsos 57. annos in specu dormisse traditur. Quod si hoc Plinio lib. 7. cap. 52. merito fabulosum videtur, certe fabulosum non est, quod de septem sanctis fratribus, qui Ephesi dormierunt annos pene ducentos, cumque cessante persecutione evigilarent, putabant se tantum unam noctem dormisse, narrant Gregor. Turon. Nicephor. et alii, et ex iis Baron. in Martyrol. 27. Iulii, quos ut videret Theodosius Imp. Ephesum venit. Simile de septem dormientibus in Germania, refert Paulus Diaconus l. 1. de gestis Longobard. cap. 3. Recte enim Aristot. lib. 4. Physic. text. 97. docet eos qui dormiunt, non percipere tempus in quo dormiunt; sed nunc temporis in quo incipiunt dormire, copulare cum eo in quo expergiscuntur: quia tempus medium non sentiunt, eo quod nullam percipiant mutationem: *sicut neque ii*, inquit, *qui in Sardis fabulose dicuntur dormire apud Heroas, cum fuerint experrecti*. In quem locum Simplicius comment. 104. scribit, cum Sardi capti essent a Græcis, in antro inventos esse novem Heroes, Herculis filios, mortuos, ita tamen bene aromatibus conditos, ut viderentur dormire. Dicit autem Philopon. et ex eo Toletus in locum Aristot. iam citatum, quod qui male habebant ferebantur ad hos, qui statim magno somno corripiebantur, ita ut evigilantes non perciperent tempus longum sui somni.

Exempla dormientium plures annos.

Sic ergo hic Propheta, ut Iudæos, qui verbis non movebantur aut minis, admirandis et miserandis moveret factis, catenatus uno latere dies 390. decubuit gravissimo sane dolore, ut gravissimas obsidionis angustias et dolores repræsentaret. Ita Theodor.

Dices: Hæc visio contigit anni quinti Sedeciæ mense 4. die 13. ut colligitur ex cap. 1. v. 1. et 2. et ex cap. 3. v. 15. atqui anno sexto, mense sexto, die quinta, ut habetur cap. 8. sedit (non cubavit, ut hic dicitur) Ezechiel domi cum senibus Iuda: iam a die 13. mensis 4. anni 5. ad diem 5. mensis 6. anni 6. sunt dies 406. (sunt enim 51. menses Hebræorum lunares, ex quibus duodecim fit annus lunaris, qui anno solari minor est undecim diebus) dies autem 390. iuncti cum aliis 40. faciunt dies 430. desunt ergo hic 24. dies: subtrahe enim 406. a 430. remanent 24.

Respond. Prado illum annum fuisse intercalarem, habuisseque tredecim menses, id est, 30. dies amplius aliis. Tertio enim quoque anno Hebræi intercalabant mensem, ut suos annos lunares æquarent solaribus. Itaque supplendos hic esse dies 24. qui desiderantur, ex diebus 30. mensis 13.

Moraliter, disce hic, quam Deus suos illustres amicos et Prophetas exerceat, quam dura eis imperet, quam eos mortificet, ut sint in exemplum et portentum toti orbi. Huic simile finxerunt Gentiles, scilicet Endymionem puerum formosum a luna adamatum, perpetuo dormire, eo quod luna id a Iove petiisset et impetrasset. Unde Proverbium: *Endymionis somnum dormis*, quo usus est Aristoteles lib. 10. Moralium, colligens, neque otium convenire diis, neque rursus aliam ullam actionem illis dignam videri præter contemplationem. *Porro cum constet*, ait, *deos vivere, consentaneum est, eosdem et agere quidpiam. Neque enim oportet eos Endymionis, ut aiunt, dormire somnum.* Hinc et Cicero lib. 1. de Finibus docet, molestissimum esse sapienti et cuivis homini otium: quia maxime nobis insitum est a natura, ut agamus quidpiam. *Itaque*, inquit, *ne, si iucundissimis quidem nos in somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari, idque si accidat, mortis instar putemus.* Idem Tuscul. 1. *Quamquam*, ait, *qui leviorem faciunt, somni simillimam faciunt. Quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, cum sexaginta vixerit, reliquos dormiat. Ne sues quidem id velint. Endymion vero, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latino, obdormivit, qui est mons Cariæ, nondum, opinor, experrectus.* Si longus somnus est instar mortis, adeoque vivi hominis sepultura; quid erit longa vigilia? quid perpetua cubatio in uno codemque latere? quæ præter fatigationem, latus debile tota mole corporis onerat et opprimit, ut sæpe pellem et carnes atterat et defricet, solaque homini ossa relinquat?

Moral. quam Deus suos exerceat et mortificet.

Rursus disce hic, quam Deus doceat iubeatque suos stultescere mundo, ut sapiant Deo: ut Dei electos a cultu mundi, ad cultum Dei abducant et pertrahant. Hac enim de causa imperavit eis paradoxa, et a communi vitæ usu abhorrentia, ut eos aliosque doceret tum simplicem obedientiam, tum perfectum sui mundique contemptum. Ita enim Ezechiel hic cap. 4. iussus est vesci pane in stercore cocto: et cap. 5. iussu Dei, ritu furentis, rasam barbam capillosque gladio concidit, in aerem sparsit, et flamma combussit. Nimirum, qui paret Deo, tum demum sapit, cum illius iussu desipit. Ita Isaias cap. 20. vir tantus, et regia stirpe oriundus, in rege urbe palam nudus incessit. Ita Ieremias cap. 27. velut servus fugitivus et furcifer, vinculis onustus vias urbis obambulavit. Ita Osee castissimus iubente Deo, meretricem duxit uxorem. Ita Propheta ait socio, 3. Reg. 20. 35. *Percute me;* quod cum ille nollet, audiit, *Percutiet te leo*: et mox a leone interemptus est; læsus deinde ab alio, Achabo regi occurrit, eumque arguit, quod Benadad captum non occidisset.

Deus suos vult stultescere mundo.

Ita veteres Ascetæ et Monachi suos exercebant, paradoxa quædam, et in specie stulta eis præcipiendo. Ita S. Antonius Paulum Simplicem mire ieiuniis et laboribus exercuit. Ita Ioannes Abbas iussit discipulo per triennium quotidie irrigare lignum aridum, quod proinde tandem per miraculum virescere cœpit. Ita S. Alexander mirus sui contemptor, ex Philosopho fecit se carbonarium, ut celaret suam pulchritudinem; ex carbonario factus est Episcopus, ex Episcopo Martyr: testis est Nyssen. in vita S. Gregorii Thaumaturgi. Ita S. Amma apud Pallad. in Lausiaca c. 42. stultam se in monasterio simulans, et ut stulta ab omnibus irrisa et divexata, tandem a S. Pitirione Dei iudicio declarata est omnium sanctissima et sapientissima. Ita Simeon Salus, id est fatuus, mire celebratur ab Evagrio et Leontio in eius vita. Hanc sanctam fatuitatem passim docuit verbo et exemplo S. Franciscus, B. Iuniperus, B. Iacoponus, et similes alii. Quin et Apostoli, ac S. Paulus, dum passim prædicat crucem Christi, *Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam.* Audi eum 1. Corinth. 4. 9. *Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. Nos stulti propter Christum*, etc. *maledicimur, et benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, et obsecramus; tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Plura vide apud nostrum Raderum lib. de simplici obedientia et contemptu sui.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iubet Deus Ezechieli, ut radat caput et barbam, atque unam tertiam partem pilorum comburat igni, alteram concidat gladio, tertiam dispergat in ventum; ut per hoc portendat tertiam partem civium Hierosolymæ consumendam peste et fame, tertiam gladio, et tertiam dispergendam per orbem.

1. Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum, radentem pilos: et assumes eum, et duces per caput tuum,
et per barbam tuam: et assumes tibi stateram ponderis, et divides eos. 2. Tertiam partem igni combu-
res in medio civitatis, iuxta completionem dierum obsidionis: et assumes tertiam partem, et concides
gladio in circuitu eius: tertiam vero aliam disperges in ventum, et gladium nudabo post eos. 3. Et sumes inde
parvum numerum: et ligabis eos in summitate pallii tui. 4. Et ex eis rursum tolles, et proiicies eos in medio i-
gnis, et combures eos igni: et ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel. 5. Hæc dicit Dominus Deus: Ista
est Ierusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu eius terras. 6. Et contempsit iudicia mea, ut plus es-
set impia quam gentes, et præcepta mea ultra quam terræ quæ in circuitu eius sunt: iudicia enim mea proiece-
runt, et in præceptis meis non ambulaverunt. 7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis gentes, quæ
in circuitu vestro sunt, et in præceptis meis non ambulastis, et iudicia mea non fecistis, et iuxta iudicia gentium,
quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati: 8. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, et ipse ego faciam
in medio tui iudicia in oculis gentium: 9. Et faciam in te quod non feci, et quibus similia ultra non faciam, pro-
pter omnes abominationes tuas. 10. Ideo patres comedent filios in medio tui, et filii comedent patres suos: et fa-
ciam in te iudicia, et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum. 11. Idcirco vivo ego, dicit Dominus
Deus: nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, et in cunctis abominationibus tuis:
ego quoque confringam, et non parcet oculus meus, et non miserebor. 12. Tertia pars tui peste morietur, et fa-
me consumetur in medio tui: et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam vero partem tuam in o-
mnem ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos. 13. Et complebo furorem meum, et requiescere faciam
indignationem meam in eis, et consolabor: et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero
indignationem meam in eis. 14. Et dabo te in desertum et in opprobrium gentibus, quæ in circuitu tuo sunt,
in conspectu omnis prætereuntis. 15. Et eris opprobrium, et blasphemia, exemplum, et stupor in gentibus quæ
in circuitu tuo sunt, cum fecero in te iudicia in furore, et in indignatione, et in increpationibus iræ. 16. Ego
Dominus locutus sum: Quando misero sagittas famis pessimas in eos: quæ erunt mortiferæ, et quas mittam ut
disperdam vos: et famem congregabo super vos, et conteram in vobis baculum panis. 17. Et immittam in vos fa-
mem, et bestias pessimas usque ad internecionem: et pestilentia, et sanguis transibunt per te, et gladium indu-
cam super te: ego Dominus locutus sum.

Vers. 1. GLADIUM ACUTUM, RADENTEM PILOS.) Id est gladiolum, vel cultrum acutum, sicut novaculam tonsorum, ut habent Hebr. Septuag. Vatabl. et alii. Hic *gladius*, et, ut Septuag. *rhomphæa*, significat, tum Dei iram, ut exponit Maldon. tum Dei voluntatem, puniendi et excindendi Iudæos, ut Vatabl. tum Dei vindicem potestatem, ut Polych. tum, ut aptissime S. Hieron. Nabuchodonosorem carnificem Iudæorum, qui instar gladii et novaculæ, Hierosolymæ capillos, id est decorem et pulchritudinem, ac barbam, id est virilitatem, scilicet robur omne, puta iuvenes speciosos, ac viros robustos ex Iudæa resecuit. Barba enim symbolum est virilitatis, coma libertatis et nobilitatis. Unde Absalom nutriebat cæsariem, et Nazaræi Deo consecrati, quasi filii Altissimi comam fovebant, Numer. 6. Vide dicta Levitici 19. 27. Quocirca apud priscos ingens erat probrum barbam alicui præscindere, aut vellere, quasi hoc ipso virilitatem et virile decus ipsi abstulissent. Hinc Horat. Sermon. lib. 1.

Barbam tibi vellunt Lascivi pueri.

Et Persius:

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellit.

Hinc proverbium: *Barbam vellit mortuo leoni*, qui ferox et contumeliosus est in prostratum. Mirantur Gentiles Dionysium Siculum, qui ausus est Æsculapio barbam auream detrahere. Sic Hanon illusit legatos Davidis, radens dimidiam partem barbæ eorum, 2. Reg. 10. 4. quam iniuriam bello, et gentis excidio ultus est David. Hac ergo barbæ rasura, Propheta adumbrat Iudæorum, non tantum excidium, sed et summam ignominiam et opprobrium.

Mor. homo est pilus coram Deo. Moraliter, disce hic, hominem coram Deo esse quasi unum pilum. Quod ergo nobis caput est capillis densum, hoc Deo est orbis refertus hominibus. Ne cæsaries luxuriet, tondetur: et ne hominum progenies nimis excrescat,

A demetitur a Deo: quæ enim regio omnes caperet, quæ tellus aleret? Etenim *dii nos quasi pilas*, imo quasi pilos, *habent*, ait Plautus. Defluit pilus e capite, quis curat? Perit homo, quid Deo decedit? Et tamen (quæ Dei est dignatio) pilos hosce suos tuetur Deus. Nam *capillus de capite vestro non peribit*, ait Apostolis suis Christus: quia *etiam capillus unus suam habet umbram*, uti dixit Mimus Publianus.

Rursum, Deus abradit eos, qui sunt pilo tenus viri, et barba tenus sapientes, id est, qui extrinsecus præ se ferunt habitum viri cordati et sapientis, cum intrinsecus nil habeant viri, nil cordis et sapientiæ, quales erant hi Iudæi. Sic Lucianus ridet Philosophorum profundam barbam, in Eunucho Bagoas, dicens, *si Philosophum oporteat ex barba metiri, hircos primam laudem ablaturos.* Hoc competiit Iuliano Apostatæ, qui Philosophum se ex bar-
B ba prolixa ostentabat. Recte Plutarch. in Symposiacis: *Neque*, inquit, *barbam alere, aut gestare vile pallium Philosophum facit; neque lineis vestiri, Isiacos*, hoc est Isidis sacerdotes. Quocirca apud priscos Romanos, barbati, proverbiali ioco vocabantur homines priscis ac simplicibus moribus, rusticanæque veritatis: unde Iuvenal.

Facile est barbato imponere regi.

Romani enim sero cœperunt barbam radere, et tonderi. Tonsores enim primi, ut scribit Plinius lib. 7. c. 59. *in Italiam ex Sicilia venere, post Romam conditam anno* CCCCLIV. *adducente P. Licinio Mena ut auctor est Varro: ante intonsi fuere.*

DUCES.) Duci facies per tonsorem: nec enim commode ipse caput suum tondere poterat.

Tropol. pili sunt curiositates, superfluæ cogitationes, appetitiones, illecebræ et vanitates mundi: has Ezechiel, id est vir fidelis, resecet oportet easque gladio et igne, id est mortificatione et puro Dei amore consumat, ideoque

superflua in pauperes per eleemosynam effundat. Dum enim hoc igne amoris Dei et proximi consumuntur, vertuntur in holocaustum Deo gratissimum.

Stateram ponderis.) Qua scilicet res ponderari solent, aut quæ iusta sit, et probati ponderis. Hæc *statera*, sive libra, significat æquitatem divinæ iustitiæ et vindictæ, quam temperat et moderatur clementia, ne modum, non iustitiæ (hoc enim fieri nequit) sed humanitatis et benignitatis excedat.

Vers. 2. Tertiam partem igni combures.) Ignis significat pestem et famem, quæ tertiam partem pilorum, id est, civium Hierosolymitanorum quasi ignis denigravit, adussit, voravit: patet vers. 12. Pestis enim physice est quasi ignis comburens et inflammans corpora.

In medio civitatis.) In qua versaris, iuxta Chobar in Chaldæa; aut potius in medio Ierusalem, quam in latere descripsisti. Ita Vatabl. Maldon. et R. David.

Iuxta completionem.) Id est, ut Vatabl. vertit, *postquam impleti fuerint dies obsidionis*, scilicet 390. quibus volui te decumbere ante laterem, in quo obsidionem urbis delineasti, ut hac ratione repræsentares dies arctissimæ obsidionis Ierusalem. q. d. Post dies 390. et alios 40. tui decubitus, facies de pilis tuis ea, quæ hic præscribo. Aliter alii, q. d. Combure ex pilis aliquos quotidie, donec dies obsidionis 390. compleantur.

Et assumes tertiam partem pilorum tuorum, et concides gladio in circuitu eius.) Urbis scilicet. *Gladius* hic repræsentat gladium Chaldæorum. Nam Iudæi, qui cum Sedecia, aut ante, ex urbe fugere subdole conabantur, hi omnes a Chaldæis cæsi sunt circum et iuxta urbem. Rursum, dum urbem caperent Chaldæi, obvios quosque in ea trucidarunt.

Tertiam vero aliam disperges in ventum.) Hi fuerunt, qui cum Iohanan filio Caree fugerunt in Ægyptum, Ierem. 43 Item omnes qui in Babylonem abducti, vel fuga vage huc illucque dilapsi et dispersi sunt.

Et gladium nudabo (ita Roman. Hebr. Chald. Septuag. Perperam ergo aliqui codices legunt, *nudabis*) post eos.) Nam Chaldæi Iudæos in Ægyptum fugientes persecuti, ibi eos cum Ægyptiis trucidarunt; uti minatus eis erat Ieremias cap. 42. 16.

Vers. 3. Inde, ex tertia et ultima parte, sumes paucos capillos, et ligabis eos in summitate, id est extremitate, vel ora, pallii tui.) Significat, Dei providentia et clementia, aliquot Iudæos a vastatione Chaldaica servatos. Ita Apollin. scilicet eos, qui cum Ieremia, eo suadente, se dediderunt Nabuchodonosori cum Ioachin rege. Verum, quia, cum hæc audiret Ezechiel, iam ante se Chaldæis dediderat Ioachin: hinc melius accipias reliquias profugorum Iudæorum, Dei providentia servatas in seminarium et propaginem gentis suæ: hi enim, quasi angulo pallii Domini colligati, protecti sunt Dei prædestinatione et protectione.

Ex eis rursum tolles, et proiicies eos in medio ignis.) Quem scilicet in medio lateris, in quo obsidionem descripserat, accenderat: ex quibus subito flamma sublata, universam urbem descriptam lambere cœpit, et delere. Hi sunt, ait Apollinaris, qui post reversionem ex Babylonia, ob nova peccata a Macedonibus, præsertim Antiocho Epiphane grassante instar ignis, interempti sunt. Item, et magis, qui a Tito et Romanis, cæsi et capti sunt: tunc enim tota domus Israel eversa est: de quo plura v. 9. Denique Galatinus l. 4. de Arcanis fidei c. 21. ex priscis Rabbinis hæc refert ad stragem Iudæorum, quam post Titum fecit Hadrianus Imp. in Iudæa, præsertim in urbe Bitter, ubi et eorum ducem occidit qui se vocabat *Barchochebas*, id est filium stellæ (dicebat enim se divinitus missum, esseque stellam de qua prædixit Balaam Numer. 24. *Orietur stella ex Iacob*, quasi ipse excusso Romanorum iugo, lucem et libertatem Iudæis esset allaturus) cum revera esset *Barchosba*, id est filius mendacii, puta impostor; fingebat enim se esse Messiam. Quocirca Hadrianus cecidit ad quinquaginta Iudæorum millia, totamque gentem protrivit. Vide Euseb. libr. 4. histor. cap. 6.

A Et ex eo.) Scilicet populo. Ita S. Hieron. vel *ex eo*, Vers. 4
scilicet parvo numero v. 3. (Septuag. vertunt, *ex ea*, scilicet urbe) q. d. Ex eo, scilicet populo reduce, ignis scelerum egressus est, quæ fuit causa ultimi excidii. Nam primum ob scelera traditi sunt Antiocho: deinde ob necem Christi, eorum filii cum urbe et templo, Romanorum gladio, fame, peste, incendio perierunt. Secundo et melius, *ex eo*, scilicet reliquo populi coniecti in ignem, id est, ignitam Antiochi persecutionem, egredietur ignis, id est, incendium tum ambitionis et discordiæ inter principes sacerdotum, indeque omne genus flagitiorum; tum consequentis calamitatis, crudelitatis omnis et vastitatis. Ita Apollin. Nam Menelaus, Iason, Alcimus, et alii proditores Iudæi, ambientes pontificatum et dignitates, cum eas legitime obtinere non possent apud suos, profugerunt ad Antiochum, eumque incitarunt in perniciem suæ gentis, cladesque illas, quæ narrantur in libris Machabæorum. Vide 1. Machab. 7. 5. et l. 2. c. 3. 4. et Ioseph. 12. Antiquit. 7.

B Rursum, inter ipsos Machabæos ortum de regno litigium, ipsos et gentem perdidit. Nam Hyrcanus et Aristobulus de regno inter se concertantes, causa fuerunt, cur Pompeius et Romani Iudæam sibi subiugarint: quod Gentilium iugum non ferentes Iudæi, cum illud excutere vellent, tandem plene a Tito et Vespasiano excisi sunt. Quocirca allegorice, ignis hic significat Iudæorum in Christum et Christianos furorem, qui causa fuit, cur Iudæa et Ierusalem gladio et igni Romanorum tradita sit, Iudæique reliqui in omnes terras dispersi. Ita Apollin. et S. Hieron.

Aliter R. David, R. Salomon, et ex iis Lyran. hæc interpretantur, scilicet de Achab et Sedecia, quos rex Babylonis igne frixit, qui toti Israeli facti sunt in proverbium, ut cum cui maledicere volunt dicant: *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab*, Ierem. 29. 22. Sed hoc frigidum est et distortum. Quocirca Maldon. de iisdem accipit, sed hoc sensu, q. d. Hi pseudoprophetæ, scilicet
C Achab et Sedecias, qui persuadebant populo, fore ut nunquam Ierusalem caperetur, causa fuerunt, cur rebellarint Chaldæis Iudæi, urbsque capta et incensa fuerit. Verum, iam ante hoc excidium repræsentavit Propheta in resectione capillorum, eorumque divisione in tres partes; non ergo de illo, sed de alio, quod posterius consecutum est, hic agit.

Ista est Ierusalem, in medio Gentium.) q. d. Hoc Vers. 5.
schemate, scilicet tui capitis et capillorum, repræsentatur Ierusalem; Ierusalem, inquam, quam ego Deus olim posui quasi mundi caput, et quasi reginam in medio Gentium, ut ei ipsæ quasi ancillæ, custodes essent et stipatores. Ita Polychr. et Scholiast. Quocirca

Ierusalem erat cor, caput et centrum terræ, cur?

Posui eam, et in circuitu eius terras.) Gentium, scilicet, Ierusalem a Septemtrione habet Scythiam, Armeniam, Pontum; ab Oriente, Asiam; ab Occidente, Europam; ab Austro, Lybiam, ait Apollin. Unde Ezechiel. 38. 12. vocatur umbilicus terræ, et Psal. 73. 12. medium terræ: quia Ierusalem est in quarto climate ex septem, in
D quæ dividitur terra habitabilis. Idque feci hoc fine, ut omnes Gentes in vita spiritali, puta in religione rebusque divinis, ait Theodor. a Ierusalem omnem sensum et notitiam, puta pietatem, fidem et legem, quæ dirigit gressus hominum ad salutem, acciperent. Verum hoc ipsa adeo non præstitit, ut potius ab eis impietatem didicerit, atque ipsa olim magistra veritatis, et exemplar pietatis, facta sit discipula erroris et impietatis, atque in ea mox magistros suos, scilicet alias Gentes, superarit; iuste ergo excidio a me destinatur. Ita S. Hieron. et Chald. Ierusalem ergo et templum erant quasi centrum terræ, imo quasi eius caput, fundamentum, fons et cor; utpote ex qua tamquam ex centro lucis splendor in omnem terram; tamquam ex corde spiritus vitalis; tamquam ex capite aliarum provinciarum et gentium sensus, motio et concitatio ad ambulandum in via Domini; denique tamquam ex centro linearum deductio, omnis boni et precum ac votorum perfectio expectanda erat; ac tamquam ex fonte rivulorum deriva-

tio in alias regiones; et tamquam ex fundamento stabilitas aliarum provinciarum: ut non immerito dictum fuerit Psal. 47. 2. *Fundatur* (stabilitur velut fundamentum, cui innitatur reliquum orbis; Chald. vertit, *pulcher ut sponsus*) *exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni. Deus in domibus eius cognoscetur.* Ita Pineda lib. 5. de rebus Salom. cap. 5. n. 31. Talis est Roma Christianis.

Symbolice, Nota hic. Sicut homo est parvus mundus; sic mundus est magnus homo, cuius membra sunt provinciæ et gentes: caput est Ierusalem; tum quia in altissimo monte Sion erat sita, Isai. 2. v. 2. 3. tum quia ex ea, quasi capite, in totum corpus universi, derivabatur sensus, id est Dei cognitio, et motus, id est, vitæ et actionum institutio. Sed quia illa suæ dignitatis oblita, legem meam, ait Deus, quæ illam mundi caput fecerat, abiecit; hinc abradam eius comam et barbam, id est, omnes nobiles et robustos eius auferam, eamque toti orbi ostentui exponam, et hostibus derelinquam.

Dices, Si Ierusalem est caput, quomodo est in medio Gentium? Respond. Sicut caput est inter duos humeros, quasi in medio duorum laterum hominis: sic Ierusalem quasi domina, sita erat in medio Gentium. Ita Prado. Adde, simile non per omnia esse simile.

Vers. 6. Iudicia mea.) Legem meam, secundum quam iudicare debet iudex.

Vers. 7. Superastis Gentes.) Scilicet peccatis, et impietate vestra, eiusque facti estis quasi antesignani, uti solent facere apostatæ. Secundo, Hebr. המון *hamon*, verti potest cum Vatablo et R. David, *copia vestra*, id est, pompa, fastus, luxus, opes, ferocia vestra maior fuit quam Gentium, q. d. Copiam rerum vobis dedi; vos reddidistis mihi copiam ingratitudinis, et scelerum. *Incrassatus est enim dilectus, et recalcitravit.* Tertio, Septuag. vertunt, *forma vestra*, exemplar, vel character, *ex Gentibus*, id est, ut Theodor. induistis formam, religionem, mores et impietatem Gentium.

Vers. 8. Iuxta iudicia Gentium.) *Iudicium* hic, est consuetudo, institutum; sequenti vero vers. significat castigationem, q. d. Mores bonos quos habent Gentes, non estis secuti. Vel potius, q. d. Gentes deos suos, quantumvis viles et mutos, non mutant, nec relinquunt: vos autem me Deum vivum relinquitis, ut muta idola adoretis; ergo nequiores et stolidiores estis Gentibus. Ita Apollinaris et Scholiast.

Iudicia.) Id est, supplicia, quasi iustus ultor, inferam tibi.

Vers. 9. Faciam in te quod non feci.) Etiam in diluvio, etiam Sodomis, etiam Pharaoni, etiam Chananæis. Thren. 4. 6. q. d. Quia, o Ierusalem, fecisti scelera, quæ Gentes non fecerunt; ego quoque plagas acres tibi infligam, quas Gentibus non inflixi.

Et quibus similia ultra non faciam.) S. Hieron. et noster Prado, referunt hoc ad vastationem Ierusalem per Titum: nam illa fuit maior quam Chaldæorum Matthæi 24. v. 21. Sicut cædes Christi maior fuit sceleribus Iudæorum veterum: unde ob eam Iudæi dispersi sunt ad omnes ventos; quod hic ait Propheta. Potest tamen referri quoque ad excidium Chaldæorum, si τὸ *ultra*, accipias strictim, scilicet q. d. Hac generatione, hoc sæculo, hac temporum memoria: sic enim τὸ *ultra*, sæpe alibi capitur. Nam Prophetæ suis Iudæis minantur primo excidium Chaldæorum, et deinde Romanorum.

Vers. 10. Ideo patres comedent filios, etc. et filii comedent patres.) Utrumque accidit in excidio tam Chaldæorum, quam Romanorum. Ita Theodoretus. Vide dicta Thren. cap. 2. 20. et cap. 4. 10.

Nota, quod matres filios comederint, alibi legimus; quod vero filii comederint patres suos, nusquam legimus. Ex hoc tamen loco certum est, id in obsidione Ierusalem contigisse.

Aliter Vatabl. q. d. Ideo tanta erit fames, ut filii parentibus, et parentes filiis cibos, præripiant. Sed hoc frigidum est, et alienum. Aliud est enim comedere cibum patrum,

A aliud comedere patres. Ita Honorio Imper. tanta Romæ fuit annonæ, rerumque omnium caritas, ut homines hominibus iam imminerent, adeoque palam audita sit vox in circo: *Pone pretium humanæ carni*, uti refert Procop. lib. 2. de bello Gothico. Audi lamentabilem vocem matris occidentis et comedentis filium præ fame, in obsidione Ierusalem per Titum, apud Ioseph. l. 7. Belli c. 8. *Miserum te*, ait, *infans, in bello, et fame, et seditione cui te servavero? Apud Romanos etiamsi vixeris, serviturus es: fames autem prævenit servitutem: his vero seditiosi sæviores sunt. Esto igitur mihi cibus, et seditiosis furia, et humanæ vitæ fabula, quæ sola deest calamitatibus Iudæorum. Et hoc simul dicens occidit filium, coctumque medium comedit.*

Idcirco, ob peccata tua, vivo ego, id est, iuro per vitam meam, nisi, etc. confringam.) Supple, habear mendax, aut peream: τὸ enim אם לא *im lo*, id est *si non, nisi*, est Hebræis formula iuramenti execratorii, quo se quasi devovent. Unde malum, cui se devovent, subticent horroris, et boni ominis causa, ut alibi dixi. Vers. 11.

B Sanctum meum). Hebr. מקדשי *mikdasci*, id est, sanctuarium meum, sive templum: radix Hebr. קדש *kadas* primo, significat sanctificare; secundo firmare, stabilire; tertio purificare. Sic domus Dei dicitur *sancta*, id est, Deo consecrata, quasi stabilis in perpetuum, quæ proinde merito debet esse mundissima. Ad tertium hoc, puta ad munditiem, hic respicit Deus; q. d. Domum meam, quæ debebat esse mundissima, idolorum, quæ in templum intulisti, 4. Reg. 21. et 23. sordibus violasti et polluisti.

In omnibus offensionibus tuis.) Heb. שקוצים *scikutsim*, id est, execrationibus, id est, idolis, quæ quasi res execrabiles, Dei et piorum visum offendunt. Simile est 4. Reg. 23. 13. Unde mox idola vocat *abominationes*: ut et Daniel cap. 9. 27. *Erit in templo abominatio desolationis*, id est, idolum Antiochi.

Confringam.) Alludit ad secundam significationem *mikdasci*, id est, sanctuarii, q. d. Stabilem statueram mihi domum in templo, sed quia eam polluistis, hinc e-

C go eam ut temporaneam confringam. Unde Chald. vertit, *ego quoque brachium tuum conteram.* Hebr. est אגדע *egda*, quod secundo, potest verti, *abradam*, ut alludat ad Nazaræos, et leprosos, qui ab immunditia et lepra purgabantur, radendo pilos corporis, Num. 6. 9. Levit. 14. 8. q. d. Sicut illi radendo pilos expiantur: sic ego servans hanc eamdem legem meam, sanctuarium meum, quod polluistis, illud radendo et delendo, purificabo et sanctificabo. Simile est 4. Reg. 21. 13. Tertio, *egda*, verti potest *minuam*. Unde R. David sic explicat, q. d. Sicut tu gloriam meam in templo meo minuisti: sic et ego vicissim minuam gloriam tuam. Unde Septuag. vertunt, *ego etiam abiiciam te.*

Non parcet oculus.) Parcere est animi, tribuitur vero oculis quasi indicibus: hi enim sunt in amore duces, æque ac in misericordia; ex qua homo claudit oculos, connivet, eos avertit, dum non potest videre reorum tantam miseriam et supplicium; sed dolet, abstinet ab eo, et parcit.

D Non parcit, ait S. Hieronymus, Deus ex misericordia: *sicut enim clementissimus medicus cupiens putidas carnes, et cariosa vulnera adurere cauterio non parcit, ut parcat; non miseretur, ut magis misereatur*, scilicet vivæ carni, ne a vicina putida corrumpatur. Sic facit Deus, dum suos castigat, ut vitia eorum pœnasque futuras resecet; aut certe curat, ne in alios proserpant.

Requiescere faciam, exsaturabo animum meum eorum pœna, deflagrabitque ira mea, et consolabor.) Solet enim vindicta esse levamen acceptæ iniuriæ aut contumeliæ. Unde Poeta: Vers. 13.

Est vindicta bonum vita iucundius ipsa.

Locutus sum in zelo.) Sententiam decrevi irrevocabilem, truculentam, sanguinariam. Zelus, ait Prado, est indignatio ex amore profecta, qua pater charis filiis succenset, vel sponsus sponsæ, ob acceptam adulterii iniuriam. Unde crescit tantum, quantum amor crescit, estque fortis et violenta, ut memoranda adeat facinora. Sic

Deus adulterium idololatriæ punit, complendo indignationem, id est, effundendo omnes iras suas et vindictas.

Vers 15. BLASPHEMIA.) Ut omnes te videntes blasphement, id est, tibi maledicant, tibi convicientur. Sic enim vulgus blasphemiam vocat quamvis maledicentiam; cum proprie blasphemia sit contumelia, quæ Deo vel Sanctis irrogatur. Unde hebr. est גדופה *ghedupha*, quod quodvis convicium et probrum significat. Unde Septuag. vertunt, στενακτή, id est, *eris gemibilis*, id est, gemens, et digna gemitu, super cuius plaga videntes omnes gemant. Theodotion vertit, δειλαιστὴν vel δειλαιαν, quod alii, infelicem et miseram; alii, perspicuam et expositam ad miserias interpretantur, ait S. Hieron.

EXEMPLUM.) Scilicet infelicitatis, æque ac improbitatis, ut cæteri tuo malo discant, Deum non irritare. Unde hebr. est מוסר *musar*, id est, disciplina, castigatio.

STUPOR.) Ut cæteri videntes tuas calamitates, stupeant quasi attoniti. Unde aliqui vertunt, *terror*. Similes minæ sunt Ierem. 19. 8. et c. 25. 9. et alibi.

IUDICIA.) Extrema supplicia. Est metonymia; ponitur *iudicium* pro pœna in iudicio decreta.

IN INCREPATIONIBUS IRÆ.) Id est, ut Septuag. castigatione et ultione, quæ fit ab irato Deo.

Vers 16 SAGITTAS FAMIS.) Sic vocat, tum fulmina, ventos, procellas, quibus quasi sagittis Deus sternit segetes, famemque inducit; tum locustas, erucas, bruchos, æruginem, et alias frugum pestes, quibus quasi sagittis famem immittit et iaculatur in homines. Unde subdit, *Et famem congregabo super vos. Famem*, id est, erucas, bruchos, etc. quæ famem solent afferre. Ita R. David, Vatabl. Maldon. et alii.

BACULUM PANIS.) Chald. *sustentaculum;* Septuag. *firmamentum panis.*

Vers. 17. BESTIAS.) Id est, Chaldæos, ait Theodor. qui quasi ferino rictu, et unguibus sanguinariis, vos quasi oves discerpent. Secundo, proprie leones, et alias bestias, immittam in eos, qui fugerint Chaldæos: nam faciam, ut in montibus et silvis latitantes, devorentur a feris. Has bestias Iudæis peccantibus, minatus est Moses Deut. 32. 24. rursum Ezech. c. 34. 27. Item Chananæis, Exod. 23. 28. Sic Deus in Cuthæos translatos ab Assyriis in Samariam immisit leones, eo quod non timerent Dominum, 4. Reg. 17. v. 25. Sic posterioribus sæculis et hoc subinde lupos, ursos, aliasque feras, immittit nonnullis provinciis, ad punienda incolarum scelera.

Tropol. bestiis tradimur cum vitiis. Tropologice, S. Hieron. *Sed in nostram*, ait, *Ierusalem* (puta in Ecclesiam, et in animam) *mittuntur bestiæ pessimæ, quando tradimur in passiones ignominiæ, et in reprobum sensum, et conscientiam peccatorum, quæ excruciant atque dilacerant animum nostrum. Dissensiones, hæreses, schismata, æmulationes, invidiæ, tristitiæ, detractiones, desideria mala, avaritia, quæ est radix omnium malorum, bestiæ pessimæ sunt. Quæ cum fuerint in nobis, meremur audire: Corripiet te prævaricatio tua. Precamurque et dicimus: Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.*

SANGUIS, id est cædes et strages belli, TRANSIBUNT.) Grassabuntur. Sic enim dicitur Psal. 41. 8. *Fluctus tui super me transierunt*: et Ps. 87. 17. *In me transierunt iræ tuæ*, id est grassatæ sunt in me.

EGO DOMINUS LOCUTUS SUM.) Sic statuo, sic subscribo more regum huic prophetiæ, quasi diplomati meo.

Deus præmonet de instanti clade, cur? Moraliter, ex tot signis et portentis, quibus Deus per Ezechielem præmonuit Iudæos de futura vindicta, Nota. Solet Deus signis præviis futuras reip. et Ecclesiæ calamitates præmonstrare, ut peccatores moneat, et incitet ad pœnitentiam, qua eas evadant: iustos vero præmuniat ad eas fortiter tolerandas.

Ita diluvium mundo inducere noluit, nisi prius de eo futuro per Noe homines admoneret, Genes. 6.

Ita cladem Hierosolymæ, Moabitarum, Ammonitarum, Ægyptiorum, Babyloniorum, etc. per Isaiam, Ieremiam, et Ezechielem prædixit: Babylonis vero excidium Balthasari in pariete præscripsit: *mane, thekel, phares*, Daniel. 5. Iudææ cladem per Antiochum portenderunt acies in cælo visæ concurrere, 2. Machab. 5. 2.

Ita Iudæis cladem Iudææ per Titum imminentem præsignificavit. Nam supra Ierusalem stetit per annum cometes similis gladio. Rursum, visi sunt in cælo currus, et acies præliantium. Audita est in templo vox angelorum: *Migremus hinc*. Iesus quidam Ananiæ filius per septennium assidue clamavit: *Væ Hierosolymis*, nec flagris compesci ab hac voce poterat, donec in muro clamans: *Væ Hierosolymis, et mihi*, telo hostili ictus interiit. Ita Iosephus lib. 7. Belli c. 12.

Ita Hunerici regis Wandalorum persecutio præsignificata fuit: nam quidam vidit ecclesiam S. Fausti, insolito ornatu, cereis, velis, lampadibus rutilantem, mox vidit succedere Æthiopes, omnemque hunc ornatum dispellere. Alius vidit eamdem ecclesiam turbis hominum refertam, mox porcis et capris repleri. Tertius vidit quemdam grana a paleis eventilantem. Quartus vidit quemdam clamantem: *Migrate, migrate*. Quintus vidit nubes, rugiente cælo, ingentes iaculari lapides, qui in terra incensi omnes comburebant. Sexto, Paulus Episcopus vidit arborem usque ad cælos ramis florentibus expansam, quæ totam Africam opacabat, et ecce venit asinus violentus (Hunericus) qui cervicem ad radicem defricans, eam ad terram elisit. Septimo, Quintilianus Episcopus vidit se super montem stare, e quo conspiciebat gregem innumerabilem ovium suarum, et in medio gregis duæ erant ollæ nimium bullientes (hæ portendebant Hunericum, et Cyrolam Episcopum eius.) Aderant autem ovium occisores, quarum carnes ollis bullientibus demergebant. Ita Victor Uticens. lib. 2. Wandal. Portenta cladis Wandalicæ.

Circa annum Domini 1017. uti ex Annalib. Franc. refert Baron. in regione Aquitaniæ, temporibus Benedicti VIII. secus maritima, tale prodigium accidit ante solemnitatem S. Ioannis Baptistæ: Tribus diebus de cælo pluit sanguis, qui cadens super carnem hominis, aut super lapidem, non poterat lavari; si vero super lignum caderet, lavabatur. Perterrefecit universas Gallias eiusmodi prodigium, adeo ut Robertus rex Francorum, scriptis consuleret Fulbertum Episcopum Carnotensem, inter Gallicanos Episcopos doctrina facile principem, cuius de his ad eumdem regem tunc respondentis data extat epistola, in qua, quid ista portenderent, in fine ita philosophatur: *Quod autem nuper hujusmodi cruorem in quadam parte regni vestri pluisse audistis: et quod ille cruor ubi supra petram, vel supra carnem hominis ceciderat, ablui non poterat; ubi autem supra lignum ceciderat, facile abluebatur: per hæc, tria genera hominum significata esse videntur: per lapidem, impii; per carnem, fornicarii; per lignum vero, quod neque durum est ut lapis, neque molle ut caro, illi, qui neque impii sunt, neque fornicarii: cum ergo venerit super illam gentem cui portenditur gladius sive pestilentia designata per sanguinem; si antea duri et molles, non fuerint mutati in melius, morientur perpetualiter in sanguine suo: medii vero, per angustiam mortis, vel aliter, poterunt liberari, pro arbitrio secretissimi atque præstantissimi iudicis.* Hæc ad Robertum regem Fulbertus. Porro consecuta esse bella gravissima in ea provincia, inter Guilielmum Aquitaniæ Ducem, et Gaufridum Comitem Andegavensem, quibus seipsos mutuo adversis armis confecerunt, affirmat idem auctor. Ecce triplex portentum, simile triplici portento capillorum Ezechielis hic.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Montibus, aris excelsis, idolis et idololatris, ac toti terræ Israel, id est Iudæis, minatur vastitatem et stragem. Secundo, vers. 8. promittit se reliquias populi servaturum, quæ videntes tantam stragem, ad cor et ad Deum redibunt. Tertio, vers. 11. iubet Deus Prophetæ, manu percutere femur, et pede plodere, terramque pulsare, ut ira sua ostendat iram et vindictam Dei. Quia, *ait v. 12.* qui longe est, peste morietur; qui autem prope, gladio corruet: et qui relictus fuerit et obsessus, fame morietur.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis pone faciem tuam ad montes Israel, et prophetabis ad eos, 3. Et dices: Montes Israel audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, et collibus, rupibus, et vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra, 4. Et demoliar aras vestras, et confringentur simulachra vestra: et deiiciam interfectos vestros ante idola vestra. 5. Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulachrorum vestrorum: et dispergam ossa vestra circum aras vestras 6. In omnibus habitationibus vestris. Urbes desertæ erunt, et excelsa demolientur, et dissipabuntur: et interibunt aræ vestræ, et confringentur: et cessabunt idola vestra, et conterentur delubra vestra, et delebuntur opera vestra. 7. Et cadet interfectus in medio vestri: et scietis quia ego sum Dominus. 8. Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in gentibus, cum dispersero vos in terris. 9. Et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas captivi ducti sunt: quia contrivi cor eorum fornicans, et recedens a me: et oculos eorum fornicantes post idola sua: et displicebunt sibimet super malis quæ fecerunt in universis abominationibus suis. 10. Et scient, quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc. 11. Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam, et allide pedem tuum, et dic: Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israel: quia gladio, fame, et peste ruituri sunt. 12. Qui longe est, peste morietur: qui autem prope, gladio corruet: et qui relictus fuerit, et obsessus, fame morietur: et complebo indignationem meam in eis. 13. Et scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, et in cunctis summitatibus montium, et subtus omne lignum nemorosum, et subtus universam quercum frondosam, locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis. 14. Et extendam manum meam super eos: et faciam terram desolatam et destitutam a deserto Deblatha, in omnibus habitationibus eorum: et scient quia ego Dominus.

Vers. 2. **Pone faciem tuam.**) Interrita fronte, libere et audacter loquere et vaticinare Iudæis hasce suas clades.

A

Ad montes Israel.) Ad Sion, Moria, montem olivarum, montem offensionis, in quibus Iudæi collocarunt et coluerunt idola. *Israel* enim non vocat decem tribus: illæ enim iam abductæ erant; sed Iudæos, ut dixi cap. 4. 3. Montes ergo Iuda puniendos et desolandos prædicit, quia peccato idololatriæ fœdati sunt. Peccatum enim non tantum hominem, sed et elementa, et creaturas omnes maculat; imo solvit harmoniam universi. Nam mundi primo die, creata est lux: hanc fugat peccatum, Ierem. 4. 23. *Aspexi cœlos, et non erat lux in eis.* Secundo die creatum est firmamentum: iam ob peccata *complicabuntur sicut liber cœli*, ait Isaias cap. 34. 4. ne scilicet homines operiant. Tertio die, productæ sunt plantæ: has destruit peccatum: nam ut ait Ierem. 4. *Aspexi terram, et ecce vacua erat et nihili.* Quarto die, factus est sol: hunc peccatum eclipsat et obscurat, Isa. 13. 10. Die quinto, formati sunt pisces et aves: iam ob peccatum *omne volatile cœli recessit*, ait Ierem. 4. 25. Die sexto, condita sunt quadrupedia et homo: illa peccatum aufert ex montibus et silvis, ut patet hic, et Osee 4. 3. Omnia ergo creata puniuntur, quia homini ad peccatum serviunt. Unde Vatabl. v. 6. vertit, *ita ut aræ vestræ vastentur, et culpam luant.* Vel potius homo in omnibus punitur, dum omnibus quibus abusus est privatur.

Peccatum turbat totum universum.

Nota prosopopœiam. Res inanimas, scilicet montes, alloquitur, quasi dedignatus homines tam impios alloqui, ut sic eos provocet ad verbum Dei audiendum, quod inanima audiunt auditu, id est instinctu naturæ, eique obediunt. Ita Prado.

Mystice, montes sunt magnates, et valde sapientes; colles sunt inferiores; rupes sunt fortes et zelosi; valles sunt plebeii, qui omnes verbum Dei iubentur audire, ut quisque pro suo modulo intelligat, quid Dominus præcipiat, ait S. Hieron.

Vers. 3. **Rupibus.**) Hebræa אפיקים *aphikim*, quod S. Hieron. vertit, *torrentes;* Sept. νάπας, id est, loca nemorosa inter montes sita; hæc enim amœna sunt et fertilia, ob radiorum Solis ad montium radices reflexionem. Unde Napeæ, herbarum et florum deæ et Nymphæ, de quibus Virgil. 4. Georg.

Faciles venerare Napeas.

Hebr. vox *aphikim* proprie videtur significare alveum torrentium, vel rivorum; inde ripas et rupes, et nemora vicina significat, sub quorum umbra erigebant Iudæi idolis altaria.

Et vallibus.) Sic in Gehennom, id est in valle Hennom, filios immolabant idolo Moloch. Frequentius tamen Iudæi idola erigebant et colebant in collibus et montibus: indeque vocantur Excelsa, de quibus sequitur: ac nomen Excelsi generale fuit, et translatum ad omnia altaria et templa idolorum, ut etiamsi essent in vallibus, communi tamen nomine vocarentur Excelsa, uti hic ea vocat Ezechiel. Sic altare dictum est quasi alta ara, ait Festus.

Excelsa quæ.

Excelsa vestra.) Scilicet loca, montes puta et colles, in quibus more Gentium deos Gentium colitis. Vide 3. Regum 14. 23.

B

Mystice, excelsa animi, sunt fastus, arrogantia, dignitatum ambitio; hæc demolitur Deus. Vere Poeta:

Summa petit livor, perflant altissima venti:
Summa petunt dextra fulmina missa Iovis.

Vers. 4. **Deiiciam interfectos**, vel *cruentatos*, aut *vulneratos*, ut vertit Vatablus, (omnia enim hæc significat Hebr. חלליכם *challelechem*) cives **vestros ante idola vestra.**) Sicque illa, et aras eorum, cadaverum vestrorum contactu polluam et contaminabo. Ex lege enim tactus cadaveris faciebat tangentem immundum. Ita Theodor. Cuius rei causa erat Primo, quod cruor, vel cadaver, vel ossa sint signa mortis, quæ filia peccati est. Secundo, quia, mors horrenda, fœda, turpis, invisa et exosa merito iudicatur. Nota. Ubi peccarunt, ibi puniuntur et occiduntur Iudæi. Ita S. Hieron.

Idola.) Hebr. גלולים *ghillulim*, id est sordes, stercora, volutabra, q. d. In idolis vos volutatis quasi sues, et upupæ in stercoribus. Causa est, primo, quia idola sunt res fœdissimæ; secundo, quia, sicut veram fidem sequitur vitæ honestas et puritas; ita malam fidem, puta

idololatriam et hæresim, sequitur luxus, spurcitia, et omnes sordes. Iure ergo idola et hæreses vocantur stercora.

Vers. 6. INTERIBUNT.) Hebr. יאשמו iescemu, id est desolabuntur.

Idola vocantur Hammonim a Iove Hammonio. Unde is Hammon?

DELUBRA.) Hebr. חמנים *chammanim*, id est solaria, scilicet delubra, vel simulacra dicata Soli, qui hebr. dicitur חמה *chamma* ab arbore, a rad. חמם *chamam*, id est incaluit. Secundo et planius, idola vocantur Hammonim a celebri idolo Iovis Hammonii, cui in Africa templum fuit Solis simulacro nobile, teste Macrob. l. 1. Satur. 21. Quia ergo celebre fuit in Ægypto idolum Solis, et Iovis Hammonii, hinc quævis idola vocantur *chammanim*, id est solaria. Ægyptiis enim vicini erant Iudæi. Sed unde Iupiter vocatus est Hammon? Respondeo Primo, Sextus Pompeius lib. 8. Plinius lib. 12. et passim Lexica Latina Hammon deducunt a Græco ἄμμος, id est arena, ut Iupiter dicatur Hammonius, id est arenarius, eo quod in ea repertus sit. Verum Hammon non Græcorum, sed Ægyptiorum fuit numen et nomen: unde et ab Hebræis, ut patet ex Ezech. hoc loco, eorum idola, eorum nomine vocantur Hammonim. Secundo, *voce Ammon, Manethos Sebennita putat significari occultatum, et occultationem: Hecatæus autem Abderita hoc verbo invicem uti Ægyptios ait, cum alter alterum vocat. Esse enim vocem invocativam, et cum principem Deum eumdem cum universo putent, utpote obscurum et absconditum, vocari ab iis et orari Ammon, dicentibus ut prodat se, et conspiciendum præbeat*, ait Plutarchus libr. de Iside et Osiride sub initium. Tertio, Hebræi censent idola dici חמונים *chammonim*, id est solaria, ab Hebr. חמה *chamma*, id est sol; indeque vocatum esse Iovem Hammonium. Unde et multi Gentilium, teste Giraldo in Hammone, censent in Hammone cultum et adoratum fuisse solem. Hinc et Hammon fertur habuisse formam arietis, tum quia cornua eius repræsentant radios Solis (unde hebr. radii vocantur cornua; sic Moses dicitur habuisse cornua, id est radios, lucis) tum quia in vere, puta sole existente in ariete, creatus est mundus: inde ergo incipiebat olim initium anni, et cursus solaris, ut patet Exodi 12. 1. Quarto, verius alii censent, Hammon non Hebræam, sed Ægyptiam esse vocem, et significare caprum: capri enim specie colebatur Iupiter Hammonius: fuit enim ipse a pastoribus, caprarum custodibus, relatus inter deos, ut iis esset Iupiter caprarius, et caprarum pastorumque deus tutelaris, de quo plura Daniel. 8. 5. Qua de causa capræ vel hirci specie, coluerunt Gentiles suos Faunos et Satyros. Hinc et Iovem capræ lacte nutritum tradiderunt Poetæ. Causam dat Plinius l. 28. c. 9. *Maxime*, inquit, *alit quodcumque humanum* (lac), *mox caprinum:* unde *fortassis fabulæ Iovem ita nutritum dixere. Dulcissimum hominibus camelinum, efficacissimum ex asinis, stomacho accommodatissimum caprinum, quoniam fronde magis quam herba vescuntur:* qua de causa a Medicis in phthisin propensis præscribitur. Denique, nonnulli Hammon putant esse Cham (sive Ham: literam enim chet alii pronunciant ut ch, alii ut h.) filium Noe impium: sicut Apollo Dodonæus dictus videtur a Dodanim nepote Noe, Gen. 10. 4. Cham enim primus Ægyptum incoluit, eiusque fuit rex; unde Saturnus Ægyptius est appellatus, uti docet Berosus lib. 4. et 5. et Diodorus l. 1. Hac de causa Ægyptus vocatur terra Cham, Ps. 105. 22. et alibi. Cham successit filius *Mesraim*, a quo Ægyptus hebr. dicta est *Misraim*, et etiamnum a Turcis et Arabibus vocatur *Mesra*. Vide dicta Genes. 10. 6.

OPERA VESTRA.) Idola scilicet et delubra, id est dii, quos vestris manibus vobis facitis. Est sarcasmus, sive irrisio hostilis.

Vers. 7. ET SCIETIS QUIA EGO SUM DOMINUS.) Scietis, quod ego solus, Deus, sum omnium dominus; idola autem deos esse vanissimos. Secundo, scietis, me esse *Iehova* (sic enim habent Hebr.) id est, *eum, qui sum* constantissimus in dictis et factis; ut minas vobis intentatas opere compleam. Tertio, scietis me esse Deum sanctum et iustum, qui odio habeam peccata, cum eorum supplicium senseritis.

Vers. 9. LIBERATI VESTRI) Qui necem evaserint. Nota hic: signum pœnitentiæ esse, sua idola, et irritamenta et occasiones peccatorum funditus delere aut ablegare. Qui enim serio pœniteat, qui illicem peccati, v. g. concubinam, secum detinet? Idolum nostrum est ambitio, libido, opes, deliciæ, et quidquid relicto Deo colimus, quæque ut summum bonum nostrum diligimus, et in mente fingimus ac depingimus. Recte S. Chrysost. *Contemne*, ait, *divitias, et eris dives; contemne gloriam, et eris gloriosus.*

Ubi Nota. Sicut voluntatis complacentia requiritur et sufficit ad peccatum: sic voluntatis displicentia, si sit seria, et ex amore placendi Deo super omnia dimanet, requiritur et sufficit ad contritionem. Hæc enim secum affert efficax propositum novæ vitæ. Per quas enim causas aliquid producitur, per easdem et dissolvitur. Ita S. Chrysost.

CONTRIVI COR EORUM FORNICANS.) *Contrivi*, id est, conteram, q. d. Faciam, ut eos peccati pœniteat, affligens eos longa captivitate. Nota. Afflictio et dolor vehemens, est quasi pondus grave, cor premens et angens, ac quasi malleus, conterens et molliens cor lapideum, ut quasi cera verbum Dei suscipiat; et oculos, ut ex cordis contritione solvantur in lacrymas.

Vere S. August. *Oratio*, ait, *Deum lenit, sed lacryma cogit: illa ungit, hæc pungit.* Fletus est lavacrum scelerum et refectio animarum. Tota aqua maris non extinguit unam prunam Purgatorii; et lacrymæ, omnes eius flammas extinguunt. R. David passive vertit, *contritus sum;* et Pagnin. *contrivi me;* et Vatabl. *fractus fui*, id est, mœrore affectus, *ob meretricium eorum cor, et oculos*, id est, quia sua fornicatione me contristarunt. Fornicationem de more vocat idololatriam: hæc enim est mystica et spiritalis animæ cum idolis fornicatio. Passive vertunt, quia Hebr. נשברתי *nisbarti*, est passivum Niphal. Verum sæpe Niphal capitur pro activo Cal. Tertio, alii *nisbarti* vertunt, *emi*. Sic enim capitur Gen. 41. 57. q. d. Eorum cor, quod se dæmonibus tradiderat, eorumque oculos, qui vanitatibus serviebant, ego emi; eorum animos et oculos meos feci cum antea essent mundi, carnis, et dæmonis. Peccatores enim nec cor, nec oculos, nec pedes, nec quid aliud proprium habent; quia hæc omnia voluptati et dæmoni manciparunt. Deus ergo ea sibi emit et redimit. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi*, ait Paulus 1. Corinth. 3. v. ult.

ET DISPLICEBUNT SIBIMET.) Hebr. נקטו *nakottu*, quod Vatabl. vertit, *pudore et mœstitia afficientur;* Sept. *cædent faciem suam*, vel, *plorabunt ante faciem suam*. Ad verbum vertas, *tædio erunt sibi*, sibique offensi, tædebit (et ita vertit noster Iob 10. 1. *Tædet animam meam vitæ meæ*) eos peccatorum, offendentur sibi, dissecabuntur corde, id est, mala quæ fecerunt, quasi carnifices eorum corda discerpent.

Hinc patet contra Lutherum, pœnitentiam non esse nudam resipiscentiam, sed detestationem et dolorem præteritorum, displicentiam sui, odium præteritæ lascivæ vitæ, etc.

NON FRUSTRA.) Id est, non incassum, sed ut eos castigando corrigerem, et ad pœnitentiam adducerem. Vers. 10.

PERCUTE MANU TUA. Ita Hebr. Chal. Sept. qui vertunt, *plaude manu, et strepe pede;* ac Latini correcti, non *manum tuam*, ut legunt alii. *Percute* ergo *manu tua*, supple, alteram manum, vel femur tuum, uti facis c. 21. 12. Vers. 11. ALLIDE PEDEM TUUM, scilicet ad terram. Sunt hæc signa stupentis, dolentis et indignantis ad tanta mala Iudæis impendentia, ait S. Hier. et Polychr. scilicet, AD, id est propter, ABOMINATIONES MALORUM, id est peccatorum, DOMUS ISRAEL.

HEU.) Ita vertendum Hebr. אח *ach*, ut sit dolentis. Sed Septuag. et Theodot. *ach* accipiunt pro האח *heach*, unde vertunt, *euge*, q. d. Ait Theodoret. Tu, o Ezechiel, pede plaude, aut potius plode, ac admirare sententiæ iustitiam: et, ut Scholiast. Gaude de idolorum eversione, eisque insulta, dicens, *Euge;* ut τὸ *plaude* non sit dolentis, sed lætantis, et instigantis ad sæviendum. Sic enim Romani plausu indicabant favorem, approbationem, gratulationem in comœdiis, ut patet ex Plauto.

Mystice S. Hieron. *Percutimus*, ait, *manu quando a malis nos operibus separamus. Allidimus pedem, quando non gradimur itinere peccatorum. Plangimus, et ploramus, quando nobis displicent, quæ geruntur.*

Vers. 14. A DESERTO DEBLATHA.) Supple, *usque ad Ierusalem.* q. d. Tota Iudæa per Chaldæos vastabitur, a Deblatha usque ad Ierusalem, *ut omnibus pateat, nihil esse inter solitudinem et mare magnum, quod non hostilis mucro consumpserit*, ait S. Hieron. Porro *Deblatha* videtur esse eadem, quæ *Reblata* vocatur a Ieremia, et lib. 4. Reg. 25. v. 6. Literæ enim ד *dalet* et ר *res*, charactere sibi simillimæ sunt, ut facilis ex una in aliam sit lapsus. Hinc pro *Benadad* Septuag. vertunt, *Benadar*, Amos 1. 4. Sic Sophon. 3. 9. pro *Tunc reddam populis labium* ברורה *berura*, id est, *electum*; Septuag. legunt בדורה *bedora*, id est, *in generatione sua*. Sic pro *Gersam* Numer. 3. v. 17. 22. et alibi, legunt *Gedsam*. Sic pro *Asdod*, legitur *Asdor*, pro *Dodanim*, *Rodanim*; atque Iudæi pro *Duma* legunt *Ruma*, sed perfide. Porro *Reblata*, est Epiphania Syriæ, ubi teste Ieremia cap. 39. 5. resedit Nabuchodonosor, belli Iudaici finem expectans; unde ad eum ibi ductus est Sedecias, et excæcatus: atque hac de causa nominat hic *Deblatha* præ aliis locis. Ita S. Hieron. Vatabl. et Hebræi. Adrichomius tamen *Deblatha* a *Reblata* distinguit, ac *Deblatha* ponit terminum tribus Ruben. Ita ipse in Descript. terræ sanctæ.

ד in ר sæpe commutatum.

Tropologice, S. Hieron. *Deblatha*, ait, παλάθην, *hoc est, massam ficorum sonat, ut, postquam in simulata dulcedine, quæ non erat terræ cultæ, sed solitudinis, amaritudinem repererint, tunc cognoscant, quia ipse sit Dominus. Mel enim distillat de labiis meretricis, quæ ad tempus impinguat vescentium fauces, sed postea amarius felle reperitur. Hoc significant et duo calathi ficorum, Ierem.* 24.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Audit a Deo de Iudæa, Finis venit, venit finis: prope est dies occisionis: floruit virga, germinavit superbia. *Secundo, Iudæorum infirmitatem, pavorem et trepidationem describit vers. 16. Tertio, vers. 19. ait, opes eorum, et aurum avare collectum, item templum, polluenda futuraque prædæ impuris Chaldæis. Denique v. 23. audit:* Fac conclusionem *qua omnium stragem una sententia concludas.*

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Et tu fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israel: Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ. 3. Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te: et iudicabo te iuxta vias tuas: et ponam contra te omnes abominationes tuas. 4. Et non parcet oculus meus super te, et non miserebor: sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt: et scietis quia ego Dominus. 5. Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio una, afflictio ecce venit. 6. Finis venit, venit finis, evigilavit adversum te: ecce venit. 7. Venit contritio super te qui habitas in terra: venit tempus, prope est dies occisionis, et non gloriæ montium. 8. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, et complebo furorem meum in te: et iudicabo te iuxta vias tuas, et imponam tibi omnia scelera tua. 9. Et non parcet oculus meus, nec miserebor, sed vias tuas imponam tibi, et abominationes tuæ in medio tui erunt: et scietis quia ego sum Dominus percutiens. 10. Ecce dies, ecce venit: egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia. 11. Iniquitas surrexit in virga impietatis: non ex eis, et non ex populo, neque ex sonitu eorum: et non erit requies in eis. 12. Venit tempus, appropinquavit dies: qui emit, non lætetur: et qui vendit, non lugeat: quia ira super omnem populum eius. 13. Quia qui vendit, ad id quod vendidit non revertetur, et adhuc in viventibus vita eorum: visio enim ad omnem multitudinem eius non regredietur: et vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur. 14. Canite tuba, præparentur omnes, et non est qui vadat ad prælium: ira enim mea super universum populum eius. 15. Gladius foris: et pestis et fames intrinsecus: qui in agro est, gladio morietur: et qui in civitate, pestilentia et fame devorabuntur. 16. Et salvabuntur qui fugerint ex eis: et erunt in montibus quasi columbæ convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua. 17. Omnes manus dissolventur, et omnia genua fluent aquis. 18. Et accingent se ciliciis, et operiet eos formido, et in omni facie confusio, et in universis capitibus eorum calvitium. 19. Argentum eorum foras proiicietur, et aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est. 20. Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines abominationum suarum et simulachrorum fecerunt ex eo: propter hoc dedi eis illud in immunditiam: 21. Et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud. 22. Et avertam faciem meam ab eis, et violabunt arcanum meum: et introibunt in illud emissarii, et contaminabunt illud. 23. Fac conclusionem: quoniam terra plena est iudicio sanguinum, et civitas plena iniquitate. 24. Et adducam pessimos de gentibus, et possidebunt domos eorum: et quiescere faciam superbiam potentium, et possidebunt sanctuaria eorum. 25. Angustia superveniente, requirent pacem, et non erit. 26. Conturbatio super conturbationem veniet, et auditus super auditum: et quærent visionem de propheta, et lex peribit a sacerdote et consilium a senioribus. 27. Rex lugebit, et princeps induetur mœrore, et manus populi terræ conturbabuntur. Secundum viam eorum faciam eis, et secundum iudicia eorum iudicabo eos: et scient quia ego Dominus.

Vers. 2. ET TU FILI HOMINIS.) Supple, audi et vaticinare id quod sequitur.

FINIS VENIT, VENIT FINIS SUPER QUATUOR PLAGAS TERRÆ.) Scilicet Israel, ut præcessit, q. d. Finis et excidium venit totius Iudææ, imo iam imminet. Unde ter repetit, *Finis venit*, q. d. Post tres annos veniet: nam hæc dixit anno quinto Sedeciæ, sive transmigrationis Ioachin, ut patet cap. 1. 2. Anno autem nono eorumdem obsessa est Ierusalem, et post duos annos capta et eversa. Similis vox et visio portendit invasionem Longobardorum: nam ut ait S. Gregor. hom. 1. in Evang. et lib. 3. Dial. 38. *Priusquam Italia Gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cælo acies vidimus, ipsumque qui postea humani generis fusus est sanguinem, coruscantes.* Deinde addit, Redemptum Episcopum Ferentinatem vidisse nocte S. Eutychium Martyrem, dicentem: *Redempte vigilas?* Quo respondente: *Vigilo;* subiunxit, *Finis venit universæ carnis;* et tertio idem repetiit. Mox a Longobardis depopulatæ sunt urbes, concrematæ ecclesiæ, destructa monasteria, prædia vastata et desolata. Unde concludit: *In hac*

Præsagia cladis Longobardæ.

terra (Italia) *in qua nos vivimus, finem suum mundus iam non nunciat, sed ostendit. Tanto ergo nos necesse est instantius æterna quærere, quanto a nobis cognoscimus velociter temporalia fugisse. Mundus enim, qui tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur clamat?*

Vers 3. Super te.) O terra Israel.

Iudicabo te iuxta vias tuas.) Iudicans puniam te pro factis et meritis tuis. Est metonymia. Orig. legit, *vindicabo te:* quia peccator, ait, peccando, est agens et patiens, id est iniuriam facit, sed sibi ipsi. Est ergo tam iniurians, quam iniuriam patiens. Deus suo iudicio et supplicio, tollit iniuriantem, id est, vitium et malitiam peccatoris, et sic relinquit patientem eumdem, sine iniuria et iniuriante: sicque eum vindicat, quia tollit ab eo iniuriam tam passivam, quam activam: facit enim, ut nec faciat, nec patiatur iniuriam, id est peccatum. Hoc subtilius est, quam germanius.

Peccator sibi facit iniuriam per peccatum.

Et ponam contra te.) Ut sint quasi tui accusatores coram me: tu enim es rea, peccata te accusant, ego sum iudex et vindex. Itaque est hysterologia Hebræis usitata. Prius enim dicere debuisset: *Ponam contra te abominationes tuas:* deinde, *iudicabo,* id est, vindicabo et puniam *te* iuxta eas. Secundo, *contra*, id est coram *te*, q. d. Tuas abominationes oculis tuis obvertam, ut earum deformem speciem, et conscientiam iis turpissime fœdatam, cogaris intueri, quæ soles manticam scelerum a tergo portare, et oblivisci. Grave supplicium sibi est se intuens fœda conscientia, et magis si se intueri semper cogatur, ut a fœditate sua nequeat oculos avertere. Tertio, Septuag. et Chald. vertunt, *dabo super te.* q. d. Percutiam te ob tuas abominationes.

Vias tuas.) Pœnam viarum, id est, vitæ tuæ actæ, et peccatorum.

Vers. 4. Abominationes, pœna abominationum, in medio tui.) Erit tibi quasi gladius, dissecabit cor, et viscera acerbissimo dolore discruciabit. Secundo, *in medio tui* erit, id est, omnibus erit manifesta et conspicua, ait Maldon.

Vers. 5. Afflictio una, scilicet perfecta, singularis, extrema et funestissima venit.) Quæ quasi fulmen totam Ierusalem aduret, ut opus non sit altera. Hoc est, quod dixit c. 5. 9. *Et faciam in te quod non feci.* Sic *semel* capitur pro *perfecte*, 1. Reg. 26. 8. *Perfodiam eum* (Saulem) *lancea semel, et secundo opus non erit.* Secundo, *afflictio una*, et *afflictio*, supple altera, *ecce venit*, id est, una calamitas alteram excipit, non licet respirare. Sic Ps. 41. 8. dicitur: *Abyssus abyssum invocat*, id est, fluctus fluctum excipit. Unde Chald. vertit, *malum super malum venit.* Sed videtur Chald. pro אחד *achad*, id est *una*, legisse אחר *achar*, id est *post*, q. d. *Malum post malum venit*, malum malo succedit. Ausonius in Epigram. eleganter dixit, *catenatos labores et dolores*, cum labor labori, dolor dolori succedit. Homer. Iliad. κ. pulchre ventis tales traditos asserit.

Tradebat Notus hunc Boreæ quandoque vehendum,
Hunc rursum Zephyro iactandum tradidit Eurus.

Vers 6. Finis venit, venit finis.) Scilicet excidium et exitium adest. Repetitio hæc significat primo, certitudinem et confirmationem; secundo, magnitudinem; tertio, celeritatem futuri excidii, q. d. Brevi erit finis et exterminium regni nostri.

Evigilavit.) Scilicet maturo tempore. Sicut fructus æstivi in æstate, maturi sunt et colliguntur: ita matura est malitia tua, ut colligatur, sitque ei finis. Hoc enim est Hebr. הקיץ *hekits.* Alludit ad id quod subdit, *Venit contractio.* Et v. 10. *Floruit virga.* Secundo, Maldon. *evigilavit*, id est cito veniet, quasi summo mane evigilaverit ut veniret. Septuag. vertunt, *surrexit.* Alludit, et confirmat oraculum Ieremiæ 1. 11. *Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me, Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.* Simili phrasi ait idem Thren. 1. 14. *Vigilavit iugum iniquitatum mearum.* In Hebræo est pulchra paranomasia, inter הקץ *hakets*, id est, *finis;* et הקיץ *hekits*, id est *evigilavit.*

A Venit contritio.) Sic legunt Romana, non *contractio*, uti legit S. Hier. et Maldonat, nec *confractio*, ut legunt alii. Hebr. est צפירה *tsephira*, id est *maturatio, frondatio*, sive primum germen, quod mane, id est statim, protruditur: צפר *tsaphar* enim significat *mane surgere;* inde *tsephira*, vocatur primum germen et gemma arboris, sive folliculus complicatus, et primo erumpens frondium vel florum, antequam expandant se, et in lucem prodeant. Chald. *coronam* vertit; quia ex his gemmis pulchræ fiunt coronæ. Unde Vatab. *venit corona*, inquit, id est, regnum Nabuchodonosor, *super te.* Arabicus Alex. vertit, *et veniet ad te tartareus habitator terræ, et præsens est tempus, et appropinquant dies mali;* Syrus, *et venit matutinus habitator super* (contra) *te, venit tempus et appropinquavit dies perturbationis.* Pro *matutinus* ex Syro verti posset, *hircus*, quasi צפיר *tsephir* ponatur pro שעיר *sair*, id est pilosus, hircus, Satyrus. Noster vertit *contritio*, quia hæc gemma sive calyx et folliculus, significat contritionem, Vers. 7.

B de quo v. 10. Verum videtur legendum *contractio*, ut habent manuscripta, et S. Hier. unde et Septuag. et Theodotion vertunt, πλοκή, id est complexio, complicatio, id est, folliculus contractus et complicatus; hoc enim est *tsephira*, q. d. Sicut in vere mane, id est statim, primum germen et folliculus erumpit: ita statim erumpet et tuum flagellum tuaque virga, quæ te castigabit. Aquila, inquit S. Hieron. *tsephira* vertit, προκοπὴν, id est contemplationem, et prospectionem, q. d. Venit excidium quod metuebas, quod tibi eventurum prospiciebas, vel tu, vel Prophetæ tui.

Non gloriæ montium.) Hebr. *instat dies tumultus, non celeusmatis vindemiatorum in montibus. Gloria* ergo hic, est lætus clamor, gloriatio, laudatio, ovatio colligentium uvas in montibus: vel, ut Vatabl. est *echo*, id est vox lætitiæ, quam referunt et reverberant montes vitiferi clamantibus vindemiatoribus, Ierem. 48. 33. vel etiam idololatris, circa idolum in montibus saltantibus et cantantibus. Unde Secundo, Vatabl. et R. David sic vertunt,

Gloria vel echo montium, quæ?

C *prope est dies tumultus, non echo montium*, q. d. Instat verus ab hoste clamor et tumultus, non autem fictus, qualis est quem edit echo resonans ex repercussu loci concavi. Nam, ut ait Plinius lib. 2. cap. 44. *Montium flexus, crebrique vertices, et conflexa cubito, aut confracta in humeros iuga, concavi vallium sinus, scindunt inæqualiter inde resultantem aera: quæ causa etiam voces multis in locis reciprocas facit.* Eleganter vero Ovid. 3. Metamor.

Aspicit hunc trepidos agitantem in retia cervos
Vocalis Nymphe, quæ nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.

Sic et R. Iona et Pagnin. Hebr. הד *hed* vertunt *echo*. Verum, quia הד *hed* per crasin idem est quod הידד *hedad* id est emissio vocis libera et læta, ovatio, carmen vindemiæ, celeusma: hac de causa melius priore modo et sensu vertas, *prope est dies clamoris et tumultus, non celeusmatis:* q. d. Non audietur in montibus celeusma vindemiantium, sed clamor hominum qui occidentur, aut hostium irruentium, et sese invicem ad cædem cohortan-

D tium. Instat ergo tibi, o Ierusalem, dies occisionis, non gloriæ et iubilationis, quo in montibus, in quibus vel vindemiando, vel idola colendo gloriari et iubilare solebas, iam non exultes, et iubiles, sed a Chaldæis macteris et occidaris, ideoque plores et eiules, uti dixit cap. 6. v. 13. Simile est Ierem. 25. 30. et cap. 51. 14. Chald. vertit, *nec licebit in montium vertices evadere.*

Nunc de propinquo, brevi, vel prope est, ut effundam iram. Vers 8.

Egressa est contritio, etc.) Legendum videtur, ut dixi v. 7. *contractio*, id est, prodiit folliculus contractus, explicatur iam germen, protruditur frondatio, q. d. Superbia et impietas Iudæorum primo, quasi gemma egressa est, mox floruit, germinavit, et crevit in virgam vel baculum, qua Deus vos flagellabit, q. d. Ita crevit impietas vestra, ut sustineri non possit: sed ipsa flagellum dat in manum Dei, quo iam iam vos feriet. Hoc flagellum, seu virga vigilans Ierem. 1 est Nabuchodonosor, iam pa- Vers 10.

ratus ad vastandam Ierusalem. Dicitur autem hæc virga floruisse, id est parata esse, citoque ventura; quia postquam arbor floret, statim fructum profert; fructus autem et effectus virgæ, est flagellatio. Unde virga hæc, quam Ezechiel florentem, Ieremias vigilantem vocat. Simili modo de Sennacherib dixit Isaias cap. 10. 5. *Væ Assur, virga furoris mei: baculus ipse est in manu mea.* etc. Quocirca Syrus vertit, *egressus est hircus* (Nabuchodonosor) *et fronduit virga, et germinavit opprobrium.* Arabicus Antiochen. *et iam egressi sunt hostes, et admirantur, et viderunt, et iniquus permanet supra virgam iniquitatis.* Arabicus Alex. *iam advenit interitus tuus, iam concussa es, et iam præsens factus est tartareus, et vicit virga, et germinavit contemptus.*

Nota. Virga hæc impietatis significat scelera, præsertim superbiam, violentiam et iniustitiam, qua iudices et potentes apud Iudæos, pauperes opprimebant, eorum ius et iudicium inflectebant, et ad divites torquebant. Hinc consequenter virga hæc significat flagellum, quo Deus hos violentos castigavit. Unde v. 11. Hebræa habent, *surrexit iniquitas in virgam impietatis.* Quocirca Secundo, notat hinc S. Hieron. Dei iustitiam et vindictam, peccatis quasi irrigari, ut floreat in virgas, et fructus plagarum ac verberum producat. Tertio, significatur hic, ipsammet superbiam Iudæorum germinasse virgas, quibus ipsimet a Deo verberarentur. Sciat ergo peccator, sciat superbus, sciat rapax, sciat gulosus, sciat luxuriosus, se peccando, superbiendo, rapiendo, gulæ indulgendo, luxuriando non aliud facere, quam parare sibi virgas, quibus paulo post, et in hac vita, et in futura flagelletur. An non superbus Aman paravit sibi virgas, imo crucem, quando eamdem erexit Mardochæo et Iudæis? Annon Adam et Eva, superbiendo, et comedendo pomum vetitum, sibi et posteris omnibus virgas pararunt, quibus usque hodie misere flagellamur omnes? Hoc aliis proverbiis et metaphoris, sæpe alibi inculcat Scriptura. Primo, funium. Prov. 5. 22. Impius *funibus peccatorum suorum constringitur.* 2. Reg. 22. 6. *Funes inferni circumdederunt me.* Secundo, vinculorum. Prov. 7. 21. *Ignorans quod ad vincula stultus trahatur.* Isai. 25. 7. *Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati.* Eccles. 7. 27. *Vincula sunt manus illius.* Sapient. 17. 18. *Una catena tenebrarum omnes Ægyptii erant colligati.* Tertio, oneris. Galat. 6. 5. *Unusquisque onus suum portabit.* Quarto, laqueorum mortis. 2. Reg. 22. vers. 6. *Prævenerunt me laquei mortis.* Proverb. 21. v. 6. *Impingitur ad laqueos mortis.* 1. Cor. 15. 56. *Stimulus mortis peccatum est.* Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Quinto, lapidis. Eccli. 27. 28. *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet.* Sexto, spinæ. Hebr. 6. v. 8. *Terra proferens spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima.* Nahum 1. 10. *Sicut spinæ se invicem complectuntur; sic convivium eorum pariter potantium, consumentur quasi stipula ariditate plena.* Psal. 57. 10. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum.* Septimo, vermis. 1. Machab. 2. 62. *Gloria eius* (impii) *stercus et vermis.* Octavo et sæpe, seminis, et messis. Osee 8. 7. *Ventum seminabunt, et turbinem metent.* Osee 10. 13. *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacii.* Prov. 21. 8. *Qui seminat iniquitatem, metet mala.* E contrario iustis dicitur Osee 10. 12. *Seminate vobis in iustitia, et metite in ore misericordiæ;* et Galat. 6. 7. *Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Nono pulcherrime et efficacissime ignis, quem impios sibi succendere ait Isaias cap. 50. v. ult. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis, quas succendistis.* Peccata ergo nostra ligna sunt, quibus pyra Chaldæorum, Turcarum, hæreticorum, hostium, et dæmonum contra nos fovetur, et in dies inflammatur. Ergo *subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.* Cessent scelera, et bella ac plagæ cessabunt.

Mor. peccator peccando sibi plecit virgas, catenas et laqueos.

Floruit virga.) q. d. Agite iam Floralia, mox acturi Virgalia: agite iam Saturnalia, mox acturi Funeralia. Ita

A Romanis Floralia erant festa et ludi annui in honorem Floræ, quæ cum magnas ex arte meretricia comparasset opes, moriens populum Romanum scripsit hæredem. Pari modo qui ventri et veneri licenter serviunt, dicunt Sap. 2. 7. *Vino pretioso, et unguentis nos impleamus: et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sed mox c. 5. 2. de iisdem dicitur: *Videntes turbabuntur timore horribili,* etc. *dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes,* etc. *Lassati sumus in via iniquitatis. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra.* Et vers. 22. *Ibunt* (in impios emissæ a Deo vindice) *directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu exterminabuntur; excandescet in illos aqua maris,* etc. Hæc est virga quam flos concupiscentiæ germinat et producit ipsimet peccatori. Nimirum hi sunt ut vulgo dicitur, *Samiorum flores.* Hoc enim nomine vocabatur locus in Samo insula, ubi viri cum B fœminis convivia agitabant et voluptuabantur: quibus deliciis effœminati Samii, a Persis subacti sunt, et in servitutem redacti.

Germinavit superbia.) Superbia vestra excrevit in virgam et flagellum, ut iam dixi. Aliter R. David, Maldon. et Vatabl. putant enim hic esse repetitionem; quam enim prius vocavit virgam, nunc, aiunt, vocat superbiam, quia rex Babylonis superbus erat. Unde Vatablus pro *superbia,* vertit, *vir superbiæ,* scilicet Nabuchodonosor, qui se parat, ut te, o Ierusalem, oppugnet. De quo ait Ierem. 50. 31. *Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus.* Quocirca quod ante dixit, *floruit,* nunc dicit, *germinavit.* Unde Chal. vertit, *germinavit dominator, apparuit impius.* Sic et Græci accipiunt hæc de Nabuchodonosor, q. d. *Floruit virga,* id est sceptrum, vel regnum Babyloniæ: *germinavit superbia,* id est, Nabuchodonosor superbus auctus est regnis et opibus.

Iniquitas surrexit in virga impietatis, id est, cum Vers. 11.
C sceptro impii crevit iniustitia. Hæc autem incrementa non ex eis (Chaldæis) proveniunt, neque ex multitudine populorum, neque ex strepitu et tumultu exercituum; sed ex Deo, qui illum et illos fecit flagellum vestrum. Et ideo non erit requies in eis.) Id est, non quiescent Chaldæi, donec urbem capiant et vastent. Sic et Delrio adag. 714. qui et in voce *floruit,* id est crevit viribus et gloria, putat alludi ad virgam Aaron, ut indicet Nabuchodonosurem a Deo electum ut puniat et affligat, quos Deus volet. Sed melius de Iudæis hæc accipias, ut dixi, et magis patebit ex sequentibus. Adde, longe elegantior et profundior est sensus prior: explicat enim pulchre, quomodo superbia et iniquitas Iudæorum sibi flagellum fecerit, non Deus.

Iniquitas surrexit in virga.) Hebraice למטה *lematte,* id est *in virgam,* q. d. Iniquitas eorum excrevit in virgam, qua flagelletur ipsorum impietas. Iniquitas ergo est radix germinans in surculos scelerum, qui tandem crassescunt in virgas, quibus ipsamet castigetur. Vide dicta
D v. 10. Ita Hebræi, Vatabl. Maldonat. et alii. Pro *in virga impietatis,* verti potest, *in virgam malam,* id est, acriter cædentem, acri dolore afficientem.

Non ex eis, scilicet erit quisquam iudicum et principum, qui virgam, id est flagellum Dei, evadat, nec etiam ex populo.

Neque ex sonitu.) Id est, nec e lætitia, tripudiis, cantu, ac pompa turbarum et musicorum, scilicet quidquam erit superstes, aut remanebit. Secundo, Septuag. vertunt, *non cum perturbatione, neque cum festinatione,* supple, capiet te Nabuchodonosor, sed quiete et facile. Tertio, R. David putat, Hebr. מהמהם *mehemehem,* conflatum esse ex הם *hem* geminato: unde vertit, *non ex illis illis,* q. d. Nemo ex illis et illorum stirpe remanebit. Ita et Chald.

Et non erit requies in eis.) Triplex est hic lectio et versio. Noster legit נח *noach,* id est *requies,* q. d. Non dabo eis requiem, semper eos affligam. Secundo, Hebr. iam habent נה *noah,* id est *lamentatio.* Unde Vatabl. et

R. David vertunt, *non erit luctus*, vel *lamentatio*, q. d. Tanta erit morientium multitudo, et tanta superstitum calamitas, ut vivi mortuos non lugeant, utque mortui careant decenti sepultura, id est exequiis, et funebri planctus pompa, uti eis minatus est Ieremias c. 16. 4. et c. 25. v. 33. Tertio, Septuag. aliis punctis legunt נוה *nave*, id est *species, decor*. Unde vertunt, οὐδὲ ὡραισμὸς ἐν αὐτοῖς, id est, *neque erit pulchritudo in eis*. Prima lectio planior, et contextui accommodatior est.

Vers. 12. QUI EMIT, NON LÆTETUR, quia rem emptam prædabuntur Chaldæi; ET QUI VENDIT NON LUGEAT.) Id est non doleat: quia etiamsi non vendidisset, perditurus erat rem venditam rapiente victore et prædatore Chaldæo.

QUIA IRA DEI SUPER OMNEM POPULUM EIUS.) Scilicet regionis, puta Iudææ. Hebr. enim est pronomen fœmininum. Vatab. vertit, *quia ira super omnem opulentiam*, vel *super omnes eius*, q. d. Deus iratus eorum opes tradet hosti; unde non gaudeant eas possidentes, nec doleant eas transferentes, vel amittentes. Hoc scribit Propheta Iudæis in Iudæa secure degentibus, hostemque non timentibus. Sicut vice versa Ieremias Iudæis qui in Babylone erant captivi, scribit c. 29. 5. *Ædificate domos, plantate hortos, accipite uxores*, quasi diu in captivitate mansuri.

Vers. 13. QUIA QUI VENDIT, AD ID QUOD VENDIDIT, NON REVERTETUR.) Uti in iubilæo res vendita ad venditorem redibat, iuxta legem Levitici 25. v. 10.

ET ADHUC IN VIVENTIBUS VITA EORUM.) q. d. Permanebunt in vita, et tamen ad bona sua vendita nunquam redibunt, ne quidem in iubilæo, ut vita eorum sit pauper et misera, et potius longa mors quam vita.

VISIO ENIM (prophetia hæc comminatoria) NON REGREDIETUR.) Vacua et irrita; sed perficietur. Non erunt dumtaxat verba et minæ; sed res ipsa, et verbera sequentur. Est metaphora a sagitta, quæ cum non perforat scopum, resilit inani ictu: vel a legato, milite, aut satellite, qui re infecta, ad Dominum remittitur. Rursum regredi, est ad os loquentis verbum revocari; quod vulgo dicimus, Verba sua comedere, id est retractare, q. d. Deus verba sua non revocabit, suas minas et decreta non retractabit.

Secundo, Chald. et Hebræi vertunt, *visio ad omnem multitudinem, et tamen non revertetur*, id est non aget pœnitentiam.

Tertio, alii vertunt, *apprehensio*, id est, possessio bonorum suorum, *ad multitudinem non redibit*. Hebr. enim חזה *chaza*, et apprehendere et videre significat. Unde חזון *chazon*, et apprehensionem et visionem denotat.

VIR IN INIQUITATE VITÆ SUÆ NON CONFORTABITUR.) Ut resistat Chaldæis, opesque suas ab iis tueatur, et retineat, q. d. Iniquitas non addet impio fortitudinem: vel potius, *in*, id est, propter iniquitatem suam non confortabitur, nec prosperabitur vir; sed cadet, hostibusque succumbet, et iis erit prædæ.

Vers. 14. CANITE.) Est sarcasmus, q. d. Clangite, o Iudæi, convocate milites, arripite hastas et clypeos; en hostes adsunt, en irruit Nabuchodonosor, quid cunctamini? Respondet: Nullus est, qui vadat ad prælium, omnes despondent animum; quia Deus ob scelera, eis metum et pavorem iniicit, uti eis minatus est Moses Deut. 32. 30. Hunc esse sensum, patet ex v. 16. et 17.

IRA ENIM MEA SUPER UNIVERSUM POPULUM EIUS.) Hoc capite Deus identidem v. 8. v. 12. et 14. suam iram ingeminat. Quæritur ergo, an in Deo vere et proprie sit ira? Lactant. l. de Ira c. 4. refert Epicureos, et c. 5. Stoicos, negantes in Deo esse iram; ipse vero docet, iram proprie esse in Deo: *quia ira*, inquit, *est motus animi ad coercenda peccata insurgentis*. Sed in Deo est talis motus: ergo in Deo proprie est ira, non tamen furor, qui perturbationem et præcipitantiam sonat. Idem docet Petrus Gregor. in Syntaxi artis mirabilis l. 11. c. 21. ex eo, quod Script. passim Deo tribuat iram.

An in Deo proprie sit ira?

Verum communis Patrum et Scholasticorum sententia est, in Deo non esse iram proprie, sed metaphorice; quia scilicet obiurgat, et punit, occiditque reos, ac si eis irasceretur. Nam *ira*, ut ait Arist. lib. 1. de anima cap. 1. text. 16. in corpore *est sanguinis effervescentia circa cor*; in anima vero est, *appetitio doloris vicissim adversario inferendi*. Cicero, teste Lactantio, *Ira*, inquit, *est libido ulciscendi*. Damasc. l. 2. de Fid. 16. *Ira est appetitus recruciationis, et ultionis ex accepta iniuria*. Horat. *Ira furor brevis est*. Ira ergo supponit dolorem irati; Deus autem est doloris incapax; ergo et iræ. Rursum, ira versat et versatur circa vindictam arduam et difficilem: in Deo autem, uti nulla est cupido vel libido vindictæ, ita nec ulla vindicta ardua et difficilis. Definitio ergo iræ, quam dat Lactantius, diminuta est, et insufficiens. Ira enim passionem sonat effervescentem, concitatam et turbidam, qualis nulla est in Deo, cuius mens est, etiam dum impios hostes suos punit, serenissima, quietissima et pacatissima. Ita docent Orig. in Rom. 1. S. Chrysost. serm. de pœnitentia, Basil in psal. 37. Damasc. 1. Fid. 14. Cyprian. ad Demetrianum, Ambros. in psalm. 37. Hieron. in psalm. 29. August. lib. 13. de Trinit. c. 16. et alii, quos sequitur D. Thom. 1. p. q. 20. ar. 1. ad 2. et Gabriel Vasquez 1. p. disp. 84. c. 4.

Resp. negative.

ET ERUNT IN MONTIBUS QUASI COLUMBÆ.) Profugi Iudæorum erunt quasi columbæ trepidæ, quæ ex vallibus ubi degunt, metu aucupum ad montes convolant. Alii, erunt ut columbæ volitantes in montibus, quæ tempestate imminente ad valles se demittunt, quasi in locum apricum. Nota. Pro *columbæ convallium*, Theodotion vertit, *columbæ meditantes, et mussitantes*, id est, ut Theodor. suspirantes, gementes. Vers. 16.

OMNES MANUS DISSOLVENTUR.) Hebr. *flaccescent*, id est, erunt debiles et imbelles, pugnare non poterunt Iudæi, nec consistere præ metu. Metus enim spiritus animales ad cor pavidum et afflictum solandum et sustentandum revocat, quo fit ut manus, et pedes, aliæque partes externæ fiant debiles et flaccidæ.

ET OMNIA GENUA FLUENT AQUIS.) Puta, *sudore*, ex gravi angustia; vel potius *urina*, ex pavore. Ita S. Hieron. et Græci. Unde Septuag. vertunt, *omnia femora polluentur humore*. Causam cur in metu solvatur vesica, dat Aristoteles in Problem. Vers. 17.

OPERIET (undique vallabit) EOS, et obruet, et quasi vestis operiet eos totos FORMIDO.

IN OMNI FACIE CONFUSIO.) Pudor et rubor. *Conscientia peccatoris lucet in facie*, ait S. Hieronymus.

ET IN UNIVERSIS CAPITIBUS EORUM CALVITIUM.) Calvitium capitis, ait S. Hieron. luctus est signum, quando decorem perdit cæsaries. Hebræi enim tam viri, quam fœminæ (apud Græcos solæ fœminæ, ait Plutarch. probl. 13.) comam nutriebant. Unde signum adversitatis erat, detonsio, vel calvitium. Vide Deuter. 14. 1. Isaiæ 15. 2. Ierem. 47. 5. et c. 48. 37. Contra Romani in prosperis barbam et capillum tondebant, in luctu vero dimittebant.

ARGENTUM EORUM FORAS PROIICIETUR.) Ut sint expeditiores ad fugam; *ne sit ponderi, quod prius fuit luxuriæ*, ait S. Hieron. Vers. 19.

Secundo, Theodor. et Polychr. exponunt, q. d. Præ fame et desperatione extrema, abiicient aurum et argentum: perituris enim non magis proderit, quam sterquilinium. Hæc expositio melior est: sequitur enim: *Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos*, etc. *et ventres eorum non implebuntur*. Cui adde

Tertio, *Argentum eorum foras proiicietur* a Chaldæis rapientibus, illudque proiicientibus in suos equos et currus.

ET AURUM EORUM IN STERQUILINIUM ERIT.) Hebr. לנדה *lenidda*, id est, in elongationem, in separationem; et, ut R. David, in commotionem et transmigrationem, q. d. Transferetur in Babylonem. Hinc Secundo, לנדה *lenidda*, idem est, quod in immunditiam; unde noster vertit hic *sterquilinium*. Per immunditiam vero, intelligit profanationem et pollutionem, qua aurum et argentum Iudæorum, id est populi Dei, diripiebatur a Chaldæis incircumcisis et infidelibus, ideoque sordidis et immundis. Hoc enim ipso, aurum prius quasi sanctum videbatur profanari, pollui, sordidari et proiici quasi in sterquilinium, ex opinione et æstimatione Iudæorum, &c

legis veteris, q. d. Iudæi laborant auri sacra fame, et propter aurum violant leges meas, ut illud per fas et nefas congregent: quare ego aurum illud profanabo, tradamque illud impuris et immundis Chaldæis, ut Iudæis suum aurum antea ita amabile, fiat execrabile. Hunc esse sensum patet ex v. 20 ubi pariter de ornamento monilium ait: *Propter hoc dedi eis illud in immunditiam* (hebr. לנדה *lenidda*) *et dabo illud in manus alienorum* (Chaldæorum) *et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud.* Hinc Chaldæus, et Septuag. vertunt, *dabo illud eis in contemptum.* Res enim immundas et profanatas a Gentibus, contemnebant et abominabantur Iudæi. Aliter Maldon. *in contemptum,* inquit, quia aurum contemnetur a Chaldæis, ita ut nolint illud accipere in lytrum, et propter illud parcere vitæ Iudæorum, iuxta illud Isa. 13. 12. *Pretiosor erit vir auro, et homo mundo obrizo,* q. d. Pluris facient Chaldæi vitam hostibus Iudæis adimere, quam ab eis accipere aurum, præsertim, quia iis occisis, simul potientur eorum auro.

Argentum eorum, et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.) Quando Dominus quasi furibundus obsidebit eos per Chaldæos, ac fame, peste, gladio et igne conficiet et interimet. Idem eis intentavit et prædixit Sophonias c. 1. 18. *Argentum eorum,* inquit, *et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini.* Tanta enim erit Dei peccatis indignantis ira, ut subdat: *In igne zeli eius devorabitur omnis terra: quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* Notent hoc avari, notent scelerati; a Dei ira, a morte, a gehenna, nec opes, nec nepotes, nec filii, nec uxores, nec cognati, quos inique ditare voluerunt cum animæ suæ perditione, eos liberare volent, aut valebunt. Sapienter ergo Eccles. c. 5. 10. *Noli,* ait, *anxius esse in divitiis iniustis,* ut eas tibi tuisque per fas et nefas coacerves: *non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ.* Et Proverb. 11. 4. *Non proderunt divitiæ in die ultionis: iustitia autem liberabit a morte.* Quanta ergo vanitas, quanta stoliditas, inique congregare ea, quæ congreganti exitium et gehennam creent, nec ab ea valeant liberare! Clamat Christus: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Clamat Psaltes: *Frater* (filius, nepos, uxor) *non redimit, redimet homo? non dabit Deus placationem pro anima sua.* Epulonem inferno liberare pater Abraham nec voluit, nec valuit: multo minus Lazarus; multo minus divitiæ et deliciæ. Hic est vermis conscientiæ qui damnatos usque ad ossa rodit, et in æternum rodet: Cur stolide animam tuam pretiosissimam, æternam, et unicam tam vili pretio, puta terra alba et rubra (non enim aliud est argentum, aurum, divitiæ, et deliciæ) dæmoni et inferno vendidisti? cur pro brevi et spurca voluptate æternos et ineluctabiles ignes tibi accersivisti? Poteras iis rite ad Dei nutum et obsequium uti, iisque promereri æternam gloriam, ut inter angelos et Beatos collocareris; tu iis stulte abuti maluisti, ideoque cum dæmonibus et damnatis erit æterna tua sors, ubi *vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Heu insensate, cur in te adeo fuisti improvidus et crudelis? cur beatitudinem tuam tam vili esca prodegisti? cur æternitatem miserrimam momentanea iucunditate commutasti, tibique comparasti? Quid tibi iam prodest superbia? quid divitiarum iactantia? quid nepotum et familiæ splendor? Transierunt ista velut fumus, velut somnium, velut navis, velut avis prætervolans, Sapient. 5. 8.

Vere S. August. *Avarus,* inquit, *antequam pecuniam lucretur, seipsum perdit: priusquam aliquid capiat, capitur.* Et H. Pintus hic: Fluvii, inquit quamvis dulcissimi, cum tandem mare ingrediuntur, fiunt amarissimi. Sic mundi opes et prosperitates, in vitæ cursu, qui instar fluvii præterlabitur, possessores suos oblectant quasi in transcursu; sed in fine dum mare mortis attingunt, quo omnia flumina voluptatum et bonorum huius vitæ tandem ingrediuntur, tristes, amaræ et intolerabiles evadunt.

A Rursum S. August. in psal. 38. Vide, inquit, *ne dum colligis* (opes) *colligaris: ne forte cum vis esse prædo minoris, sed præda maioris.* Idem alibi: *Avarus utitur Deo, fruitur nummo*: quia Deo servit propter nummum. Et: *Avarus plenam habet arcam, sed inanem conscientiam.* Poetæ avaritiam pinxerunt per Tantalum, quem aiunt damnatum apud inferos, ut in Eridano inferorum stans, nec undis præsentibus, nec vicinis eius pomariis perfruatur, sed perpetua siti crucietur. Unde Horat. satyr. 1. *Quid rides? o avare: mutato nomine de te fabula narratur.* Quia enim avari hic iugiter sitiunt opes, hinc in gehenna siti extrema torquentur. Quocirca Plato in Cratylo scribit, Tantalum dictum esse quasi Ταλαντατον hoc est infelicissimum.

Animam.) Appetitum animæ, id est famem suam.

Quia scandalum iniquitatis eorum factum est.) Hoc est, aurum et opes fuerunt eis occasio avaritiæ, iniustitiæ, luxus, ac præsertim idolorum, quæ ex auro conflarunt, q. d. Quia aurum rapuerunt, hinc aurum eorum
B diripietur; quia auro peccarunt, hinc auro punientur, eoque spoliabuntur. Vere dixit Chilo apud Plutarchum in Apophth. *Uti aurum probatur lapide, ita homo auro. Sicut enim lydius lapis affrictu prodit quale sit aurum: ita aurum suo attactu probat qualis sit homo, hominisque cupiditas aut continentia, vitium aut virtus.*

Ornamentum monilium.) Monilia, quæ eis dedi in ornamentum, ipsi converterunt in superbiam et fastum, id Vers. 20.
est in superbum ornatum, tum suum, tum idolorum suorum. Septuag. vertunt, *electa mundi* (scilicet muliebris: græce enim est κοσμος, id est, ornatus, mundus muliebris. Non ergo mundi, id est orbis, ut intellexit S. Hieronymus) **in superbiam posuerunt, et imagines** (aliqui legunt, *et imaginationes,* id est imagines quas imaginabantur et confingebant) **abominationum suarum et simulachrorum** (*et* significat *id est*, q. d. *Abominationum,* id est *simulachrorum abominandorum*) **fecerunt ex eo.**) Sicut enim in Sina vitulum aureum conflarunt
C ex monilibus suis, Exod. 32. 2. ita et fecerunt tempore Prophetarum. Tertio, pro *ornamentum* hebr. est צבי *tsebi*, id est, gloria, decor, ornamentum. Iam, quia gloria Iudæorum erat templum; hinc subinde capitur pro templo, imo pro Ierusalem, uti ostendam Daniel. 8. 9. Unde Hebr. et Vatablus vertunt, *et gloriam ornamenti posuerat* (Deus) *eis in superbiam,* id est, dederat eis Deus templum gloriosum et superbum, *sed ipsi fecerunt abominationes suas in eo:* quia idola posuerunt et coluerunt in templo, uti obiicit eis Ieremias cap. 32. 34.

Abominationum.) Idolorum. ita Theodor. et Apollin. Illud, illa scilicet simulachra ex auro facta dedi eis; vel planius: *illud,* scilicet, *ornamentum monilium,* ex quo conflarunt idola: sed eodem redit sensus. Hæc ergo dedi eis, scilicet Iudæis, **in immunditiam.**) Symmachus, *in nauseam.* Chald. *in contemptum*: ut scilicet *ornamentum monilium,* puta idola ex eo facta, quasi stercora abominentur, cum viderint se propter ea, et cum eis ca-
D pi. Vide dicta v. 19.

Impiis.) Septuag. *pestilentiis,* id est, Babyloniis pesti- Vers. 21.
lentissimis, et instar pestis grassantibus. *Quod scimus et a Babyloniis, et a rege Antiocho Cneoque Pompeio, et ad extremum factum esse sub Vespasiano et Tito, quando templum captum atque subversum est, et omnia perpetrata, quæ sequens Prophetæ sermo complectitur,* ait S. Hier.

Contaminabunt.) Profanabunt, et quasi profanum rapient, quod vos sancte colebatis.

Tropolog. dum peccator opibus, aliisque Dei donis ad superbiam, aliaque peccata abutitur, dantur nostræ divitiæ in manus dæmonum, ut eis utantur ad libitum; ac impiis terræ, id est vitiis et peccatis, quæ illa contaminant: ut qui locus debuit esse sanctitatis, fiat locus immunditiæ, iuxta illud Evang. *Domus patris mei domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum,* ait S. Hieron.

Et avertam faciem meam ab eis.) A Iudæis. Vers. 22.
Violabunt, id est profanabunt, **arcanum meum**) Se-

ptuag. *visitationem meam*, id est, templum, in quo ego populum visito, et ab eo visitor. Chaldæi enim armati et sanguinolenti, intrabunt Sancta sanctorum, quæ arcana sunt et abscondita, ibique obvios iugulabunt. Ita Theod.

EMISSARII.) Emissi milites. Hebr. פריצים *paritsim*, id est, irruptores, grassatores, prædones; Symmach. et Theodot. *irrumpentes, et pestilentes*.

Vers. 23. FAC CONCLUSIONEM.) Id est, minas omnes et pœnas Ierusalem brevi sermone, qui proxime sequitur v. 24. et sequent. conclude. Chald. et recent. vertunt, *fac catenam*; ut eam scilicet ostendas Iudæis, in signum, quod capientur et ligabuntur, uti catenas iussu Dei fecit et gestavit Ieremias cap. 28. 13. Symmach. et Theodotion vertunt, *fac confixionem*; Septuag. φύρμον, quod S. Hieron. vertit, *perturbationem*; Theodor. *inquinationem*; apte ut scilicet terra tot inquinata sanguinibus perturbetur, et inquinetur civium cædibus.

QUONIAM TERRA PLENA EST IUDICIO, id est damnatione, SANGUINUM.) Vel sanguinibus iudicio iniusto ab iis damnatis et effusis; hoc est terra repleta est homicidiis. Ita Hebræi et Chald. ut *iudicium* capiatur active. Potest Secundo, capi passive: *iudicio sanguinum*, id est, sanguinibus et cædibus, ob quas iudicandi et damnandi sunt. Tertio, et optime capias, tam active quam passive; sed ita, ut iudicium sive damnatio referatur ad ipsos sanguines, hoc est, scelera, q. d. Sanguines, id est, scelera enormia Iudææ et Iudæorum, per se damnata sunt: hinc ipsa, ut testes contra se clamant, ipsa sui iudices contra se ferunt sententiam damnationis, dicuntque: Perdamur nos, perdantur nostri auctores, perdatur terra, quæ tam impios homines, tamque impia eorum facinora sustinuit.

Scelera dant sententiam contra se et sui auctores.

Nota. Quia homicidium enorme est scelus, hinc sanguis, vel effusio sanguinis, significat quævis enormia scelera, ut dixit Isaiæ 1. 15.

Vers. 24. SUPERBIAM.) Templum magnificum et superbum, quo quasi inexpugnabiles superbiunt et gloriantur, dicentes: *Templum Domini, templum Domini*. Ita Scholiast. Unde sequitur, *Possidebunt* Chaldæi *sanctuaria eorum*. Secundo, proprie et simpliciter, *superbiam* eorum contundam et deiiciam.

SANCTUARIA.) Id est, sanctuarium, quod tres habebat partes, et quasi tria sanctuaria, scilicet, atrium, sanctum, et Sanctum sanctorum. Alii *sanctuaria*, quæ scilicet suis idolis fabricarunt.

Vers. 25. ANGUSTIA SUPERVENIENTE.) Chald. vertit, *præcisio venit*. Sic enim Hebr. קפד *kaphad* vertit noster Isaiæ 38. 12. Septuag. contrarie vertunt, *misericordia veniet*.

REQUIRENT PACEM.) Et prece et pretio a Babyloniis, sed non erit qui concedat. Hoc est quod ait Ierem. cap. 14. 19. *Expectavimus pacem, et non est bonum: et tempus curationis, et ecce turbatio*. Vide ut Ezechiel confirmet oracula Ieremiæ, adeo ut iisdem cum eo verbis et sententiis utatur, idque crebro.

A CONTURBATIO SUPER CONTURBATIONEM.) Id est, ut Chald. *contritio super contritionem*; Septuag. *væ super væ*; R. Salomon, *casus super casum*; Vatabl. *calamitas una super aliam veniet*. Vers. 26.

ET AUDITUS.) Id est, rumor et nuncius malus de adventu et crudelitate hostium, unus super alium adveniet. Idem prædixit Ieremias cap. 50. v. 46.

QUÆRENT VISIONEM.) Prophetiam, quomodo possint cladem evadere, et non invenient. Idem prædixit Isaias cap. 3. 1. et 2. et factum impletumque narrat Daniel cap. 3. 38.

LEX.) Interpretatio legis; Chald. *doctrina*, q. d. Non erunt docti sacerdotes, et senes, qui possint sua sapientia cladem avertere, vel dare consilium evadendi.

REX LUGEBIT.) Hebr. יתאבל *itabbel*, id est, luctu se conficiet. Vers. 27.

INDUETUR MOERORE.) Pallio mœroris; hebr. est שממה *scemama*, id est, stupore, q. d. Opplebitur tristitia ad stuporem, ut præ vehementia doloris videatur esse stupidus, attonitus, et emotæ mentis.

B MANUS POPULI TERRÆ CONTURBABUNTUR.) Septuag. *dissolventur:* non habebunt vires, nec animum pugnandi pro patria, rebus desperatis, q. d. Omnes Iudæi, tam nobiles quam plebeii lugebunt, omnes obstupescent, omnes exanimabuntur præ metu et pavore.

SECUNDUM VIAM.) Secundum actiones et scelera eorum.

SECUNDUM IUDICIA.) Secundum merita, secundum quæ Iudicatur, et fertur sententia. Unde Vatabl. exponit, q. d. *Pro ratione delictorum, quibus morte digni sunt;* vel potius, *secundum iudicia*, etc. q. d. Eo modo, quo iudicarunt alios, et ego iudicabo ipsos; eo modo, quo iudicantes fecerunt aliis, et ego faciam eis. Oppresserunt pauperes, opprimentur et ipsi; non audierunt, non audientur ipsi; repulerunt legem, et repellentur; occiderunt, occidentur. Ita Prado. Hæc enim est iusta talionis lex, uti ostendi C Exodi 21. 23. *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente*, etc. Item illa Genes. 9. 6. lata a Deo mox a diluvio: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Ita fratres, qui Ioseph vinculis et captivitati tradiderant, ab eodem iuste pari carceri mancipati sunt, Gen. 42. 16. Simile, sed illustrius fuit exemplum S. Ephrem, quod ibidem recensui. Ita Iudæi, qui Christum, quasi agnum paschalem in Paschate occiderunt, pariter a Tito in Paschate capta Ierusalem, quasi paschales victimæ divinæ iustitiæ mactati et occisi sunt: imo iusta Dei vindicta factum est, ut, sicuti ipsi Christum corona spinea coronatum, chlamyde purpurea indutum, et arundine quasi sceptro insignitum salutantes, *Ave rex Iudæorum*, illuserant: ita et paulo post eorum rex Agrippa, Alexandriæ, licet absens, per comœdum, qui eius personam sustinebat, publice in theatro per ludibrium, eodem prorsus modo quo Christus, coronaretur et illuderetur, uti narrat Philo in Flaccum.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechiel in Babylone existens, videt Deum specie illa viri, qua viderat eumdem c. 1. 27. ab eoque, eiusque manu in spiritu rapitur in Ierusalem, ibique videt idololatriam, et abominationes quadruplices, quæ fiebant in templo: scilicet v. 5. videt idolum zeli, id est, Baal. Vers. 10. videt depicta idola in exedris, ac sacerdotes eis thurificantes. Vers. 14. videt mulieres plangentes Adonidem. Vers. 16. videt sacerdotes obvertentes terga Sancto sanctorum, adorare solem orientem. Quocirca v. 18. minatur Deus eis suum furorem et vindictam. Hinc patet Iudæos instante excidio adhuc idola coluisse idque in templo ipso Dei.

1. ET factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis: ego sedebam in domo mea, et senes Iuda sedebant coram me, et cecidit ibi super me manus Domini Dei. 2. Et vidi, et ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumborum eius, et deorsum, ignis: et a lumbis eius, et sursum, quasi aspectus splendoris, ut visio electri. 3. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: et elevavit me spiritus inter terram et cælum: et adduxit me in Ierusalem in visione Dei, iuxta ostium interius, quod respiciebat ad aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. 4. Et ecce ibi gloria Dei Israel, secundum visionem quam videram in campo: 5. Et dixit ad me: Fili hominis, leva oculos tuos ad viam

aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam aquilonis: et ecce ab aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu. 6. Et dixit ad me: Fili hominis, putasne, vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recedam a sanctuario meo? et adhuc conversus videbis abominationes maiores. 7. Et introduxit me ad ostium atrii: et vidi, et ecce foramen unum in pariete. 8. Et dixit ad me: Fili hominis fode parietem. Et cum fodissem parietem apparuit ostium unum. 9. Et dixit ad me: Ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. 10. Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. 11. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, et Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas: et unusquisque habebat thuribulum in manu sua: et vapor nebulæ de thure consurgebat. 12. Et dixit ad me: Certe vides fili hominis quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui: dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. 13. Et dixit ad me: Adhuc conversus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt. 14. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad aquilonem: et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. 15. Et dixit ad me: Certe vidisti fili hominis: adhuc conversus videbis abominationes maiores his. 16. Et introduxit me in atrium domus Domini interius: et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad orientem: et adorabant ad ortum solis. 17. Et dixit ad me: Certe vidisti fili hominis: numquid leve est hoc domui Iuda, ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic: quia replentes terram iniquitate conversi sunt ad irritandum me? et ecce applicant ramum ad nares suas. 18. Ergo et ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor: et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.

Vers. 1. ANNO SEXTO a trasmigratione Ioachin, ut patet ex cap. 1. v. 2. SEXTO MENSE.) Elul, qui respondet nostro Augusto. Nota. Hanc visionem habuit Ezechiel post 430. dies decubitus, atque ieiunii, ut dixi cap. 4. sub finem: hisce enim diebus, puta per annum integrum et duos menses, scilicet a 13. die mensis quarti anni quinti, usque ad quintam diem mensis sexti anni sexti, Propheta siluit, et silens edoctus fuit a Deo. Nunc igitur e schola quasi Dei educitur, ut, quæ a Deo didicit, alios doceat: prius tamen in spiritu, ait Hieronymus, Hierosolymam rapitur, ut videat abominationes, quæ in templo fiebant, quæque fuerunt causa excidii Iudæorum.

CECIDIT, quasi fulgur efficax et penetrans SUPER ME MANUS DOMINI.) Id est, virtus, operatio, illuminatio Domini, id est, ut Chald. spiritus prophetiæ, ac præsertim visio gloriæ Domini in curru Cherubim.

Vers. 2. SIMILITUDO.) Septuag. *Similitudo viri*. Vidit ergo hic Propheta, ut et cap. 1. 27. virum a lumbis deorsum ignitum et flammantem, quasi in camino ignis; a lumbis vero sursum splendentem quasi aurum, scilicet quasi electrum, id est aurichalcum. Color hic aureus significat amorem ingentem Dei. Caminus ignis zelum et indignationem eiusdem, quod sponsa, id est plebs Israel, sibi præferat Baal. Unde hoc eius idolum vocatur *zeli*, quia Deum ad æmulationem provocabat. Pulchras hic antitheses dilectionis et æmulationis habet noster Prado, quem vide, si libet.

QUASI ASPECTUS SPLENDORIS.) Theodotion Hebræum זהר *zohar*, id est *splendor*, vertit, *auram; ut in supernis Dei refrigeria demonstret. Sic* 3. *Reg*. 19. *Elias adventum Domini non in tempestate contemplatur et turbine, non in ignis ardoribus: sed in aspectu auræ tenuis atque levissimæ, ut Dei omnipotentis mansuetudinem comprobaret*, ait S. Hieronymus.

Vers. 3. ET EMISSA SIMILITUDO MANUS.) Hebr. *et emisit* vel *extendit*, scilicet species illa hominis, puta, homo electrinus mihi in spiritu apparens, *similitudinem manus*, quæ me per crines apprehenderet, et transferret in Ierusalem. Ita Septuag. Vatabl. et alii.

CINCINNO.) *Septuag. transtulerunt*, κρασπεδον, *id est, fimbriam, quorum alterum in capillis, alterum in vestibus accipi solet*, ait S. Hieron.

ET ELEVAVIT ME SPIRITUS INTER TERRAM ET CÆLUM.) Videbar mihi quasi avis aerem secare, et per eum vehi, a spiritu manus et hominis mihi apparentis.

Tropol. cincinnus est collectio mentis. Moraliter, talis est sanctus, præsertim Religiosus et contemplativus. Nam, ut ait S. Gregor. lib. 31. Moral. c. 7. *Quilibet sanctus in carne mortali positus, inter cælum et terram est constitutus; quia plene quidem adhuc ad superna non pervenit, sed iam tamen ima dereliquit*. Nam, ut ait Apostolus Philip. 3. *Conversatio nostra in cælis est*, q. d. Vitam quidem in terris agimus per carnem, sed per

A desiderium et affectum, in cælo conversamur. Porro ad hoc rapitur cincinno. *Quid est*, ait S. Gregor. ibidem, *cincinnus capitis, nisi collectæ cogitationes mentis, ut non sparsæ diffluant, sed per disciplinam constrictæ subsistant? Manus ergo desuper mittitur, et Propheta per cincinnum capitis elevatur: quia cum nostra mens sese per custodiam colligit, vis superna seorsum nos ab infimis trahit.*

IN VISIONE.) Hinc, et v. 1. patet, Ezechielem non corpore, sed spiritu vidisse, cum domi sederet inter senes Iuda v. 1.

IUXTA OSTIUM INTERIUS.) Hebr. *ad ostium portæ interioris*, supple, atrii templi. Atrium enim vocabatur interius, non porta, 3. Reg. 6. 36. Porro atrium interius, erat atrium sacerdotum, in quo erat altare holocaustorum. Dicitur *interius*, respectu exterioris, quod erat quasi templum laicorum. *Quod*, scilicet ostium, non atrium, *respiciebat ad Aquilonem*. Nam in atrio, ad quatuor mundi

B plagas erant ostia.

IDOLUM ZELI AD PROVOCANDAM ÆMULATIONEM.) Syrus, *statua zeli* (æmulationis, indignationis) Arabicus Antiochen. *statua indignans* (furens) *zelo: indignans* in significatione Hiphil, id est indignari faciens, ad indignationem provocans Deum, angelos et homines. Potest ex Hebræo verti, *idolum zeli possidentis*, vel possessoris; ita Septuag. hoc est Baal. Baal enim hebr. significat possidentem, herum, dominum. Inde idolum vocabant Baal, quasi Deum omnium dominum et possessorem. Noster pro *possidentis*, vertit, *provocantis* (sic et Chald. et Vatablus) vel *ad provocandam æmulationem* (quia Hebræum קנא *kana* per *aleph* significat æmulari; per *he* קנה possidere. Licet ergo hic sit per *he*, tamen noster *he* pro *aleph* accepit: quia Hebræi sæpe commutant *aleph* et *he*) q. d. *Idolum zeli zelare me faciens*. Alii vertunt, *idolum accensionis*, vel *irritationis*. Hinc Deus dicitur zelotes;
Idolum zeli quid?
Baal, id est dominus.

C quia non patitur alienos deos a se amari, coli, adorari: sicut uxor marito movet zelotypiam, si ipsa alium amet. Hinc proverbium: *Qui non zelat, non amat*, quod citat S. August. lib. contra Adimantum c. 13. Ita Polych. S. Hieron. et Theodor. Unde Isaias c. 28. 20. ait: *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest*. Et Apost. 2. Corinth. 6. 15. *Quæ conventio Christi ad Belial?*

Nota, Manassen in templo posuisse idolum Baal; hoc abstulit Iosias 2. Paral. 34. 4. sed repositum est sub Ioakim et Sedecia, patet 4. Reg. 23. 37. 2. Paral. 36. 14. Porro hoc idolum positum fuit in Aquilonari parte templi. Primo, quia ea parte acclivi, facilius adibatur templum. Secundo, quia in ea regione offerebantur victimæ et holocausta. Ita Prado.

Moraliter, *idolum zeli*, est in cupido pecunia et avaritia, quæ est idolorum servitus, ut ait Apostolus: in ambitioso, honor et celsitudo: in ebrioso vinum, in obscœ-
Mor. idolum superbi est honor, avari nummus, gulosi venter.

no, amasia; in hæretico, proprium iudicium et hæresis, ait S. Hieronym. Hæc enim sunt εἴδωλα, id est, res vanæ et umbraticæ, quas quisque sibi pro summo bono, ac consequenter pro Deo format, et in mente fingit, quibus Deum ad zelum et iram provocat, eiusque indignationem, et pœnas tum præsentes tum æternas, sibi accersit. Ita hoc ipso anno 1618. videmus Bohemos, dum ab una unius Dei et Ecclesiæ fide, et consequenter ab uno suo principe et rege abeunt, eique rebellant, ut sua Wiclephi et Hus idola tueantur; suam famam, opes et vitam prædæ exposuisse, et difficultatibus inextricabilibus sese implicuisse. Similiter Calvinistas in Hollandia dum ab unitate fidei suique principis discedunt, hoc eodem anno cernimus in sectas et schismata implicabilia devolvi, quæ nisi alterutrius partis internecione numquam sopientur: nimirum reipsa monet eos Deus, ut ad unitatem pristinam, ad Deum inquam, et Ecclesiam redeant, si pacem, si salutem præsentem et æternam consequi velint. Eleganter Poeta:

Lurconi venter Deus est, ac nummus avaro,
Et cui sunt Veneris gaudia prima, Venus.
Huic honor, et vero Deus est pro Numine fama,
Quem famæ exstimulat non satianda fames.
Cui nimio Christus studii vilescit amore,
An non is studium Numinis instar habet?

Ita Alexandro Magno idolum fuit gloria; huic ipse servivit, huius se fecit mancipium. Cui proinde iure Brachmanes philosophica libertate scripserunt: *Tu hostes exteriores expolias, ut interiores nutrias: tu homines tuæ servituti subiicis, et intus tuis appetitibus servis*: ita Curtius, et Plutarchus in Alexandro.

De essentia deitatis est ut sit una, cur?

Porro, zelatur Deus pro sua deitate, nec patitur rivalem: quia si plures essent Dei, divinitas, quæ est una et indivisibilis, in plures esset dividenda, atque ita divinitas mutilaretur, ac consequenter e mundo tolleretur. Docte Prudent. l. 2. contra Symmachum:

Tu me præterito, meditaris Numina mille,
Ut me per partes minuas, cui nulla recidi
Pars aut forma potest, quia sum substantia simplex.

Hinc Pythagoras principiorum monada censuit esse Deum, qui bonum quoque, quæ est unius natura, sit, mensque ipsa. Socrates et Plato, unum unigenitum suapte ipsum sponte natum, singulare, verum, germanumque bonum, puta Deum, esse arbitrati sunt.

Lactantius lib. 1. cap. 30. *Deus*, ait, *quia perfectus est, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Quidquid enim capit divisionem, et interitum capiat necesse est.* Aristoteles lib. 8. Physicor. docet, omnem motum ad aliquod primum movens esse referendum, ne sit progressus in infinitum: hoc ergo primum esse, et unum, puta Deum. Vide dicta Deuter. 6. 4.

Quocirca merito queritur Deus, Deuter. 32. 21. *Ipsi me provocaverunt* ad zelum *in eo qui non erat Deus; et ego provocabo eos* ad zelum *in gente quæ non est*, uti legit S. Hieron. Atque hac de causa flagrans amore, æque ac cognitione Dei, Deique zelum hunc induens S. Aug. dicebat: *Domine, valde exultat anima mea, dum cogitat quod tu sis Deus. Verum si per impossibile fieri posset, ut Augustinus esset Deus, et tu esses Augustinus: omnino vellem esse Augustinus, ut tu esses Deus.* Hæc sententia a nostro P. Ribadeneira in vita S. Augustini, P. Rossignolio libr. 5. de Perfect. Christ. cap. 20. et ab aliis pluribus, quos citat et laudat R. P. Cornelius Lancillottus S. Theolog. Doctor, et Ordinis Eremitarum S. August. per Belgium Provincialis in vita S. Augustini l. 3. cap. 42. tribuitur S. Augustino, licet eam hactenus in libris S. Augustini non invenerim. Quæ ut sana sit, sane debet intelligi, non de mutatione personæ in personam, aut substantia in substantiam: si enim sic accipiantur, absurde sonare videntur. Si enim Deus mutaretur in substantiam Augustini, prorsus desineret esse Deus, et inciperet esse alia persona et substantia, scilicet Augustini. Vicissim, si Augustinus mutaretur in substantiam Dei, desineret esse Augustinus et inciperet esse Deus; ac consequenter, ipse a seipso, et a quovis alio super omnia amandus es-

Si Deus esset Augustinus, dicerem, Esto tu Deus, ego sim Augustinus, quo sensu?

set, illiusque Esse et conservatio, cuivis alterius rei Esse, utpote creato et finito, præponendum esset. Intelligi ergo hæc sententia debet, de mutatione status in statum, sive de mutatione conditionum, dotum et qualitatum, salva utrinsque natura et persona: q. d. Si per impossibile fieri posset, ut Augustinus manens in substantia et persona Augustinus, dotes tamen et excellentias Dei consequi posset, v. g. sapientiam, potentiam, gloriam et honorem Dei, ita ut ab omnibus haberetur Deus: vicissim si vice versa per impossibile fieri posset, ut Deus manens in sua natura, descenderet ad statum, abiectionem et infirmitates Augustini, si indueret formam et speciem Augustini, ut ab omnibus haberetur Augustinus. Ego dicerem: Domine, esto tu Deus sicut hactenus fuisti, omnipotens, omniscius, gloriosus: ego vero sim Augustinus, miser, abiectus, inglorius, ignorans, infirmus, qui ante fui. Tuæ enim naturæ, id est divinitati, debentur istæ dotes et excellentiæ; meæ vero naturæ debetur ista subiectio, infirmitas et miseriæ. Tibi ergo quasi Deo meo, opto et transcribo omne bonum tuum, nec mihi illud cupio, sed tibi: Tu enim es Deus meus, amor meus, bonum meum orbisque universi, et omnia.

In campo.) q. d. Visio mihi ostensa, similis fuit illi, quam vidi, cum Dominus e Chobar me educeret in campum c. 3. 22. Vidit hic Propheta gloriam Dei in templo, quasi abiturientem, et transmigrare parantem utpote polluto ob tot idola et scelera in eo admissa, ut patebit cap. 10. et 11. Vers. 4.

Portæ altaris.) Sic dicta ab altari idoli, vel potius, quia 4. Reg. 16. 14. Achaz transtulit altare Salomonis a medio atrii ad portam Aquilonarem, quæ inde dicta est porta altaris. Ita Prado. Vers. 5.

Putasne, vides tu quid isti faciunt?) Hebr. *An vides*, q. d. Putasne te videre omnes abominationes Israel? Si id putas, falleris. Nam plures maioresque mox tibi ostendam. Vers. 6.

Ut (*ita ut*: significat enim non causam, sed consequentiam) **procul recedam** (hebr. *ad recedendum*, quod Septuag. referunt ad populum: vertunt enim, *ut recedant ipsi*, scilicet Iudæi) **a sanctuario meo.**) Scilicet sacrificiis et cultu, ad cultum suorum idolorum. Melius S. Hieron. refert ad Deum, q. d. Ipsi me suis sceleribus templo abigunt, et cogunt recedere, introducto Baal. Ita et Chald. et Hebræi.

Ostium.) Non templi, sed gazophylacii, sive cubiculi sacerdotum, patet v. 12. Talia enim cubicula plura erant in atrio sacerdotum prope Sanctum, sive templum, in quibus manebant sacerdotes: quæ nunc vocantur exedræ, nunc gazophylacia, nunc pastophoria. Unde patet, scelus hoc idololatriæ fuisse sacerdotum, qui populum Dei legem et cultum docere debebant, nunc autem ipsimet pro Deo colebant idola. Grave ergo fuit hoc eorum peccatum, quod Dei zelum et indignationem concitavit ad totius gentis excidium. Grave inquam, Primo, quia erat contra religionem, et directe contra Deum, petebatque quasi iugulum Dei. Secundo, quia erat profanatio loci sanctissimi, puta domus Dei. Erat ergo crimen læsæ maiestatis divinæ. Quocirca Isaias cap. 26. 10. *In terra*, ait, *sanctorum iniqua gessit; et*, id est idcirco, *non videbit gloriam Domini.* Tertio, quia peccata sacerdotum inficiunt totum populum: sicut si cor aut cerebrum veneno aut peste corripiatur, mox ab iis lues per totum corpus diffunditur. Quocirca S. Chrysost. homil. 28. in Matth. quærens causam, cur Christus ingressus Ierusalem, primo templum adierit, hanc dat: Sicut medicus, inquit, invisens ægrum, primo quærit de stomacho, eumque mox componere satagit: quia eo sanato, sanabitur totum corpus: ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum, fides omnium languescit et marcescit. Additque: Agricola cernens arborem pallentibus foliis, mox cognoscit in radicibus hærere læsuram: sic tu si videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosces sacerdotium eius non esse sanum. Quis enim non putet sibi licitum, imo bonum et religiosum, quod sacerdotibus Vers. 7.

licere et libere videt? Ita sub Iove adultero adulteria libertatem sunt nacta, ait Naz. orat. 1. contra Iulianum, et, ut ait S. Cyprian. epist. 32. *Deos suos imitantur: denique fiunt miseris et religiosa delicta.*

Vers. 8. FODE PARIETEM.) Hinc liquet, ostium hoc fuisse cubiculi, non atrii. Mystice, pulchre hinc docet S. Gregor. 2. part. Past. cap. 10, quomodo Prælati debeant scrutari conscientias subditorum, eorumque peccata, etiam secreta, solerter indagare, castigare et emendare.

Vers. 10. IDOLA DOMUS ISRAEL DEPICTA). Censet Maldonat. non vere fuisse depicta idola, sed quasi depicta obiici phantasiæ Ezechielis, ut per hoc significetur symbolice, Iudæos extrinsecus Deum colere; in cubiculo vero, id est, intrinsecus et in occulto, idola. Verum ad literam repræsentari hic Prophetæ idola, quæ realiter in templo depicta erant, verius est; et liquet ex dictis cap. 5. 11. et Ierem. cap. 7. 30. et cap. 32. 34.

Vers. 11. ET SEPTUAGINTA VIRI DE SENIORIBUS.) Videntur hi 70. fuisse senatores concilii Sanedrim: hoc enim erat 70. virum; eratque summus hic Iudæorum senatus, qui Christum ad mortem damnavit, uti docui Num. 11. 16.

IEZONIAS FILIUS SAPHAN.) Polychron. putat esse Sophoniam sacerdotem, qui datus fuit quasi iudex Ieremiæ cap. 29. 25.

STANTIUM ANTE PICTURAS.) Stantes ergo orabant Iudæi, ut et Pharisæus *stans hæc apud se orabat*, Luc. 18. 11.

Vers. 12. IN ABSCONDITO CUBICULI SUI.) Hebr. *in penetralibus picturæ suæ*, id est, in cubiculis suis egregie pictis, et plenis idolorum picturis. Sic Tropol. peccator in mente depingit imaginem scorti, Bacchi, etc. Sanctus vero Dei, angelorum et virtutum. Vide S. Greg. 2. parte Pastor. c. 10. Hæc Ezechiel suis sui ævi, nos cum S. Cypriano l. 2. epist. 2. eadem et plura ac graviora nostris nostri ævi dicere

Cypriani sententia. possumus. *Paulisper*, inquit Cyprianus, *te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem, speculare inde rerum infra te iacentium facies, et oculis in diversa porrectis, ipse a terrenis contactibus liber fluctuantis mundi turbines intuere. Iam sæculi et ipse misereberis, tuique admonitus et plus in Deum gratus, maiore lætitia, quod evaseris, gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella ubique divisa: madet orbis mutuo sanguine.* Et inferius. *O si et possis in illa sublimi specula constitutus oculos tuos inserere secretis, recludere cubiculorum obductas fores, et ad conscientiam luminum penetralia occulta reserare: aspicias ab impudicis geri, quod nec aspicere possit frons pudica. Videas, quod crimen sit et videre: videas quod vitiorum furore dementes gessisse se negant, et gerere festinant: libidinibus insanis in viros viri proruunt. Fiunt quæ nec ipsis, nec illis possunt placere, qui faciunt. Iidem in publico accusatores, in occulto rei, in semetipsos censores pariter et nocentes. Damnant foris quod intus operantur; quorum quo secretior culpa, maior audacia est, etc.*

NON VIDET DOMINUS.) Putant impii et athei, Deum in tenebris, et locis abditis, multo magis in corde et anima, non videre sua scelera; quia putant se a Deo non inspici, ait Theodor. hinc ruunt in scelerum abyssum.

Vers. 13. CONVERSUS VIDEBIS.) Iterum videbis. Verbum Hebr. שׁב *sciab* id est, reverti, converti, si alteri verbo iungatur significat *rursus, iterum*. Simile est vers. 15. 17. et alibi.

Vers. 14. INTRODUXIT ME PER OSTIUM PORTÆ, q. d. Duxit me ad portam atrii exterioris (ibi enim erant mulieres et laici, non in interiori atrio) QUOD RESPICIEBAT AD AQUILONEM.

Adonis quid? PLANGENTES ADONIDEM.) Syrus, *Plangentes Tomuzo*; Arabicus Alex. *plangentes Tamuza*; retinent Hebr. vocem *Tammuz*, id est Adonis, de quo mox. Perperam Arabicus Antioch. vertit, *plangentes Iudam*. Vetus fabula est Ægypt. de qua Macrob. lib. 1. Satur. cap. 26. Theocritus in idyllio 23. Ovidius 10. Metamorph. Fulgent. 3. Mythol. Adonidem filium Cinaræ Cypriorum regis, Veneris amasium, cum iuvenis esset pulcher, dente apri occisum, quem Venus planxit quasi mortuum, mox revi-

A scentem cum gaudio recepit. *Pingitur Adonis*, ait Macrob. *capite obnupto, specie tristi, faciem manu læva intra amictum sustinens, lacrymæ visione conspicientium manare creduntur.* Fœminæ ergo, et viri libidinosi, hoc planctu Venerem colebant, eamque sibi reddebant propitiam. Ita S. Hieron. Porro Venus Adonim inter lactucæ folia sepelivit, de quo extat viri docti epigramma apud Giral. syntag. 13.

Inguina dente fero suffossum Cypris Adonim
Lactucæ foliis condidit exanimem.
Hinc genitali arvo tantum lactuca resistit,
Quantum eruca salax vix stimulare potest.

Lactuca enim libidinem sua frigiditate enervat. Quocirca Hercules, teste Hesychio, cum primum Adonim vidisset, dixit οὐδὲν ἱερόν, *nihil sacrum.* Huius fabulæ veritatem sic explicant Macrob. et alii. Adonis est sol, aiunt Ægyptii, aper lutulentus et cænosus est hiems, Venus est pulchritudo terræ in vere, quæ deplorat Solis absen-

B tiam per hiemem: nam cum sol excipitur a nubibus, quasi confici videtur ab apro pulcher Adonis; hinc gaudet cum in vere redit sol. Unde Adonis dictus est ἀπὸ τοῦ ἁδεῖν τοῖς ἀνθρώποις, id est, ab eo quod hominibus canat, ait Phornutus apud Giraldum syntagmat. 13. de Diis Gentium.

Quod Symbolice et Tropologice explicans S. Hier. *Nos quoque*, ait, *eos qui ad sæculi mala vel bona contristantur vel exultant, mulieres appellemus, molli et effœminato animo, dicamusque eos plangere Tammus, ea videlicet, quæ in rebus mundi putantur esse pulcherrima.* Unde et *Adonidis horti*, proverbialiter significant res ad modicum florentes et oblectantes, sed mox pereuntes et evanescentes. Ex adverso alii nonnulli sat congrue hæc mystice adaptant Christo morienti et resurgenti; Christus enim est noster Adonis, noster sol, nostrum gaudium, noster amor. Unde eius mortem mire luxerunt B. Virgo, Maria Magdalene, Salome, aliæque piæ mulieres, eamque quotannis luget tota Ecclesia in parasceve; imo quotidie in Missa, et in

C meridie pulsu lugubri campanarum. Et quælibet anima pia et sancta per omnem vitam assidue hunc suum Adonidem, quasi sponsum, in cruce contemplatur, luget et admiratur: ac resurgentem nova exultatione et iubilo complectitur.

Hebraice, Chaldaice et Syre dicitur *Tammus*, id est *Iunius*, quia in Iunio dicitur occisus Adonis. Hinc eodem mense, anniversariam ei celebrabant solemnitatem, in qua quasi mortuus plangebatur, et mox quasi reviviscens canebatur et laudabatur. Ita S. Hier. Addunt R. Salomon, et R. David, *Tammus* fuisse idolum concavum, cuius oculos, plumbo implebant, quod accenso intus igne, liquefiebat, et imago videbatur flere. Verum non imago, sed colentes eam flebant et plangebant, uti hic dicitur. Noster Prado putat, Adonidem esse Osirim regem et Deum Ægypti. Sic et Stephanus lib. de Urbibus. Adduntque, Adonis idem esse quod εἶδος ὀδύνης (id est, forma doloris, luctus et planctus) quo nomine Syrophanes apud Fulgent.

D lib. 1. Mythologiæ, vocavit idolum filii sui mortui, cuius mortem deplorabat: quod idolum, Prado censet fuisse omnium primum in mundo, esseque illud idem, quod Sapiens describit c. 14. 12. quod ibidem examinandum erit. Verum potius ab Hebræo Adonai, nomen Adonis Ægyptios, uti et alia, accepisse crediderim, quam a Græcis; cum hi ab Ægyptiis suam sapientiam et sacra hauserint. Hebr. enim אדני אוני *Adonai oni*, idem est, quod Dominus vel Deus doloris, qualis erat Adonis. Sic Beniamin dictus est *Ben oni*, id est filius doloris.

Denique R. Moses filius Maimon in libr. More, refert historiam de pseudopropheta idololatra, cui nomen Tammus, qui cum regi cuidam persuasisset, ut faceret septem stellas, et duodecim signa, ab eo interfectus est. Ob cuius mortem omnia mundi idola congregata sunt in templum Babel, ad auream Solis imaginem, quæ inter cælum et terram suspensa erat: ea deinde in medio templi corruit. Omnia ergo idola stantia in circuitu fleverunt tota nocte, et proxima luce avolarunt inde in sua templa. Inde mos

natus est, ut anniversario mortis eius die, mulieres eum deflerent. Verum hæc est fabula a Rabbino quopiam de more conficta.

Vers. 16. In atrium domus Domini interius.) In atrium sacerdotum.

Et altare.) Holocaustorum, quod erat ante templum seu Sanctum, sub dio in atrio sacerdotum.

Dorsa habentes contra templum Domini.) Id est, aversi terga dabant arcæ Domini, et ipsi Domino, atque ad Orientem conversi solem adorabant more Gentilium.

Gentiles adorabant solem orientem.

Gentiles enim adorabant solem orientem, teste Trismegisto in fine Asclepii, et S. Iobo cap. 31. v. 26. dicens: *Si vidi* (ut adorarem more aliorum Gentilium) *solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare: et osculatus sum manum meam ore meo.* Hoc enim osculum, erat ritus salutandi et adorandi, uti ex S. Hieron. Plinio, Apuleio et aliis, docet Lipsius lib. 2. Electorum cap. 6. Quin et Virgil. 12. Æneid. docet veteres orienti Soli sacrificasse: ait enim:

Illi ad surgentem conversi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

Sol enim a priscis dictus est mundi oculus. Taceo somnium Xenophanis, qui putavit eum in occasu perire, sed exortu novum fieri solem. Hinc manarunt matutinæ illæ deorum salutationes, quibus dicebantur primam diei horam diis suis nunciare, quasi dormientes deos prima luce excitarent, uti docet Arnobius lib. 7. contra Gentes, et Seneca epist. 96. Sic Socratem salutare solitum solem orientem tradit Plato. Ita Q. Catullus:

Constiteram solem exorientem forte salutans,
Cum subito a læva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cælestes, dicere vestra,
Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Hunc morem adorandi solem ut Deum videntur Hebræi accepisse a vicinis Ægyptiis, inter quos sub tempora Mosis diu commorati, eorum religionem et mores imbiberunt. Ægyptii enim coluerunt solem, adeo ut urbem eius cultui dicarint, et ex eius nomine nuncupariut Heliopolim, id est Solis urbem. Quin et Osirim ipsorum numen præcipuum non aliud fuisse quam solem, docet Macrob. lib. 1. Saturn. 21. cum ait: *Osirim Ægyptii ut solem esse asserant; quoties hieroglyphicis literis suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum, in eoque speciem oculi exprimunt, et hoc signo Osirim monstrant: quia solem, Iovis oculum, appellavit antiquitas.* Idem ibidem c. 17. docet, omnes deos ad solem referri. Sic solem nomine Mithræ coluerunt Persæ. Græci nomine Apollinis. Hinc proverbium apud Athenæum l. 3. *Iupiter qui iuvenis est regnat.* Et: *Plures adorant solem orientem quam occidentem:* quod Pompeius iuvenis efflorescens dixit Cinnæ seni; et postea Cæsar idipsum fuit Pompeio.

Huius idololatriæ declinandæ causa, iusserat Deus sanctum Sanctorum erigi ad Occidentem. Quocirca Iudæi conversi ad sanctum Sanctorum, orabant conversi ad Occidentem. Quo tropologice significabatur, ait Theodor. eos qui se dedicare volunt Deo, debere vertere terga Orienti, id est pompis et speciebus mundanis in hoc mundo exorientibus; quomodo ambitiosi dicuntur adorare solem orientem, cum novis principibus aut Prælatis adulantur. Has enim spes calcare debet servus Dei, ideoque Orienti dorsum obvertere, faciem vero Occidenti, utpote cui occidat hic mundus cum omni sua spe et vanitate. Insuper templum, teste Iosepho lib. 8. Antiquit. habebat ostium versus Orientem, ita ut sol inde exoriens, subito per templi et oraculi ostia radios dirigens, arcam et propitiatorium collustraret, ac velut primus adoraret Deum in eo super Cherubim residentem; ut Iudæi a sole discerent, Deum in templo adorare, non solem. Porro cum idololatria hæc evanuit, Christiani adorarunt et adorant Deum conversi ad Orientem: tum quia in Oriente erat paradisus; quam causam assignant S. Chrys. Theodor. et Damasc. uti dixi Gen. 2. 8. tum quia cum sole oriente, prima beneficia Dei, simul quasi nobis orientis illo die

Christiani orant versi ad Orientem, cur?

A excipimus: tum quia Christus facie a Ierusalem et templo aversa, ac conversa in Occidentem, puta ad Gentes, crucifixus est. Ergo conversi ad Orientem, respicimus et adoramus faciem Christi crucifixi. Ita Damasc. lib. 4. de Fide cap. 13. et alii. Tum denique quia Christus ascendit super cælos cælorum ad Orientem, et quasi nos adhuc teneant ascendentis desideria, illuc intendimus, ubi cælum surgit, ait S. August. tom. 4. l. 2. de serm. Domini in monte cap. 9.

Duas alias causas addit S. Thom. 2. 2. qu. 84. art. 2. ad 3. scilicet, Primo, *propter divinæ maiestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu cæli, qui est ab Oriente.* Secundo, *propter Christum, qui est lux mundi, et Oriens nominatur*, Zachar. 6. *Et qui ascendit super cælum cæli ad Orientem: et ab Oriente etiam expectatur venturus, secundum illud* Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque ad Occidentem, ita erit et adventus filii hominis.* Huc usque S. Thom. Sicut enim Christus ascendit ad cælum in Monte Oliveti, qui est ad Orientem Hierosoly- B mæ; ita ibidem descendet ut iudicium peragat in valle Iosaphat, quæ monti Oliveti adiacet.

Nota. Propheta quatuor idololatriæ genera hic numerat: primum, Baal in introitu primi atrii; secundum, picturarum in atrio; tertium, Adonidis; quartum, Solis iuxta altare, quod averso vultu a Dei altari adorabant.

Tropologice, prima idololatria et abominatio, est cogitatio sceleris; secunda, perpetratio; tertia, consuetudo; quarta, defensio cum Dei contemptu, et obstinatione. Hæc est impœnitentia irremissibilis, reliquæ tres pœnitenti remitti possunt.

Iniquitate.) Hebr. חמס *chamas*, id est, violentia, in- Vers. 17.
iuria, oppressione pauperum et proximorum, q. d. Hoc scelus eis non sufficit; sed insuper in me violenti sunt, et irritant sua idololatria.

Applicant ramum ad nares suas.) Hebr. זמורה *zemora*, quod aliqui Hebræi, ut R. Salomon et R. David vertunt, *fœtorem*, q. d. Mittunt fœtorem (id est, crepi- C tum ventris) in faciem meam. Unde Septuag. vertunt, *et ecce ipsi subsannantes*, q. d. Adorant idola, irridentes me. Syrus vertit, *et ipsi vim inferunt in* (cum) *naribus suis*, id est ut Scholiast. infremunt, et per nares indignationis ostentandæ causa, veluti cum strepitu quodam flatum emittunt. Arabicus Alex. *et cum illis mentio de me fit, extollunt nares suas, et subsannant, et abhorrent mentionem mei.* Hebr. enim *zemora* et ramum, et subinde sonitum cantumque significat: unde מזמור *mizmor*, id est psalmus. Hinc et Symmachus vertit, *quasi emittentes sonitum in similitudinem cantici per nares suas*, scilicet fœdum et raucum in contemptum Dei. Chald. vertit, *adducunt confusionem ad faciem suam*, id est, faciunt ea, unde quandoque pudefient et confundentur. Verum Iudæos hæc fecisse non derisionis causa, sed adorationis, patet ex circumstantiis. Rursum *zemora*, proprie significat *ramum*, scilicet lauri, qui Soli sacer erat, ait Giraldus syntagm. 16. et Plinius lib. 12. c. 1. Sicut enim Gentiles Iovi sacrificabant coronati æsculo, Minervæ olea, Veneri myr- D to, Herculi populo, Baccho hedera, 2. Machab. 6. 7. vel pampinis, Pani pino, Silvano et Diti cupresso, Isidi abrotano; sic Apollini, id est Soli sacrificabant redimiti tempora lauro. Athenis festus erat dies ramorum, quo in honorem Bacchi præferabantur ὀχι, quasi μοχι, hoc est tenues rami, præsertim vitis, quasi vituli et victimæ. Ex quo ὀχφοροι, id est ramiferi, appellati, et festum ὀχφορια. Quin et Ioseph. l. 3. 10. docet Iudæos solitos pro gratiarum actione sacrificare manibus gestantes ramos myrti et palmæ, ex quibus mala Persica dependebant, ut significarent cor et linguam Deo esse dicanda. Persicum enim frondes habet in linguæ speciem acuminatas, fructus vero in cordis effigiem conformatos. Hinc et Hebræi Christum quasi Messiam regem inducentes Hierosolymam in die Palmarum, ramos palmæ et olivæ ei prætulerunt. Causam dat Porphyrius, et ex eo Nicol. Causinus Elect. Symbol. pag. 212. *Antiqui*, inquit, *neque thus, neque aliam victimam offerebant, sed folia, velut primam pube-*

scentis naturæ lanuginem manibus decerptam diis adurebant: quo signo Deum creatorem testabantur, a quo herbæ et fruges, atque omnia a terra orta producerentur et adolescerent. Insuper coronabant non tantum se, sed et victimas et aras, quin et astantes. Sol enim est rex astrorum, sicut laurus arborum; hinc laurus priscis symbolum et omen fuit regni. Ita Svetonius in Galba narrat, quod Liviæ statim post Augusti nuptias Veientanum suum revisenti, prætervolans aquila gallinam albam, ramum lauri rostro tenentem, demiserit in gremium. Cumque nutriri alitem, et plantari ramum placuisset, tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa Ad gallinas vocetur: tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent. Fuitque mos triumphantibus, alias confestim eodem loco plantare. Et observatum est sub cuiusque obitum, arborem ab ipso institutam elanguisse. Itaque ultimo Neronis anno, et silva omnis exaruit radicitus, et quidquid ibi gallinarum erat, interiit. Rursum credita est laurus, æque ac sol, venena dispellere. Hinc Plinius l. 15. c. 30. docet laurum lustrationibus adhiberi solitam. Insuper unica arborum laurus non icitur fulmine. Quocirca Tiberius, teste Svetonio, iugiter in capite gestabat coronam lauream, tonan- A te cælo. Denique Romani reges laurum, quasi proprium donum Apollini Delphico mittebant, teste Plinio loco iam citato.

Videntur ergo Iudæi conversi ad solem orientem, eumque adorantes, ramos, non palmarum, ut S. Hieron. sed lauri gestasse manibus, atque eos quia odoratos, admovisse naribus, quasi gratias agentes Apollini conditori lauri, et auctori suavis eius odoris, eosque osculando adorasse Apollinem, sicut osculo manuum adorabant solem, Iob 31. 26. Cum enim eum osculari et contingere non possent, eius loco manum et ramum osculabantur, sicque eum adorabant et venerabantur. Hinc Virgil. eclog. 7.

Gratissima Phœbo
Laurus.

Et Horatius lib. 4. Carm. ode 2. *Apollinari laurea donandus.* Atque ab Ovidio, *laurus Apollinea et Phœbea*, ac vicissim *Phœbus*, id est sol, *laurifer* vocatur. Perperam ergo Hebræi apud Galatin. lib. 1. c. 8. hic corrigunt, et legunt, *applicant ramum ad nasum meum;* eum legendum sit, *suum*, non *meum;* ita enim legunt Hebr. Chald. noster, et interpretes passim.

Faciam.) Illis quod merentur. Vers 18.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iubet Deus angelo, ut Hierosolymæ signet pios lugentes peccata populi signo tau; deinde iubet sex aliis angelis, ut signatis parcant, reliquos omnes non signatos per Chaldæos occidant.

1. Et clamavit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquaverunt visitationes urbis, et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. 2. Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem: et uniuscuiusque vas interitus in manu eius: vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes eius: et ingressi sunt, et steterunt iuxta altare æreum. 3. Et gloria Domini Israel assumpta est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus: et vocavit virum, qui indutus erat lineis, et atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. 4. Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam civitatem in medio Ierusalem: et signa tau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. 5. Et illis dixit, audiente me: Transite per civitatem sequentes eum, et percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. 6. Senem, adolescentulum, et virginem, parvulum, et mulieres, interficite usque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis, et a sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo a viris senioribus, qui erant ante faciem domus. 7. Et dixit ad eos: Contaminate domum, et implete atria interfectis: egredimini. Et egressi sunt, et percutiebant eos qui erant in civitate. 8. Et cæde completa, remansi ego: ruique super faciem meam, et clamans aio: Heu, heu, heu, Domine Deus: ergone disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Ierusalem? 9. Et dixit ad me: Iniquitas domus Israel et Iuda magna est nimis valde, et repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione: dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. 10. Igitur et meus non parcet oculus, neque miserebor: viam eorum super caput eorum reddam. 11. Et ecce vir, qui erat indutus lineis qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbum, dicens: Feci sicut præcepisti mihi.

Vers. 1. Et clamavit.) Idem Dominus auriga currus Cherubim, de quo cap. 8. 5.

Visitationes.) Id est, visitatores, id est, ultores et vindices. Sic enim visitator, visitans provinciam, reos punit. Septuag. vertunt, *appropinquavit vindicta urbis.*

Vas interfectionis.) Id est, instrumentum ad interficiendum, scilicet gladium, aut securim, uti v. 2. vertunt Septuag.

Vers. 2. Sex viri qui? Sex viri.) Id est, sex dæmones, ait S. Hieron. sex angeli, ait Theodor. *Nam unus*, inquit, *angelus centum octoginta quinque millia Assyriorum occidit, et primogenita Ægyptiorum. Sed hic ob impietatis Iudæorum exuberantiam sex angeli vindices mittuntur.*

Tertio, noster Prado et Maldon. censent esse sex archiduces Nabuchodonosoris, qui in porta Ierusalem sedentes et urbem obsidentes, primi eam ceperunt, scilicet: Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsaces, Rebmag, de quibus Ierem. c. 39. 3. et Ioseph. 10. Antiqu. 10. Sed quia v. 6. hi sex viri iubentur discernere signatos a non signatis, eisque parcere, melius cum Theod. dicemus fuisse sex angelos: nec enim Chaldæi viderunt, B aut respexerunt quinam signati essent signo *tau*, qui non, ut illis parcerent, hos occiderent. Ponuntur autem sex angeli, iuxta numerum sex ducum Chaldæorum iam dictorum; quia hi angeli eos duces direxerunt, ut signatis parcerent, non signatos occiderent.

Veniebant de via.) Id est per viam, quæ ducit ad portam superiorem, id est interiorem, ad quam quia gradibus ascendebatur, hinc dicitur *superior*, qua scilicet intrabatur ad atrium sacerdotum.

Ad Aquilonem.) Scilicet ubi peccarant idololatria c. 8. v. 5. Nota. Eadem porta, qua Deum eliminamus, intrant eius lictores: manet enim post ostium peccatum, quod venienti hosti et morti pandit fores. Nam *per peccatum mors intravit in mundum*, Roman. 5. 12. Et Dominus ad Cain Genes. 4. 7. *Si male*, ait, *feceris*, *in foribus peccatum cubat*, ut habent Hebr. ut scilicet valvas hosti aperiat. Ita hic, per eamdem portam intrarunt Chaldæi in urbem, per quam intraverat idololatria. Hinc Clemens Alex. lib. 5. Strom. ait, angelos subinde igneos effici, ut impios puniant, iuxta illud psal. 103. 4. *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.*

Vas interitus.) Hebr. *instrumenta bellica;* Septuag. *securis.*

Vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis.) Septuag. *podere*, id est, ut c. 10. 2. vertunt, *stola sancta*, non ad genua, instar sagi militaris, ut vult Scholiast. sed ad pedes et talos demissa. Inde enim dicitur *poderis.* Hic ergo septimus non habuit vestem militarem et arma, uti priores sex, ad puniendum et occidendum: sed sacerdotalem, utpote qui supplicaret pro redimendis a strage Chaldæorum et salute dignis, eosque quasi notarius atramento litera *tau* signaret. Unde fuit typus Christi, qui mediator fuit inter Dei iustitiam, et homines salvandos. Ita S. Hieron. et Theodoret. Fuit autem ad literam vir hic, angelus tutelaris piorum Iudæorum. De podere, eiusque symbolis vide ea quæ dixi Exodi 28. 4.

Alleg. Quocirca alleg. S. Gregor. 22. Moral. 13. *Vir*, ait, *vestitus lineis est Redemptor noster, qui etiam de tribu sacerdotali parentes aliquos habuit.* Linea *enim erat vestis sacerdotum, significans puritatem conscientiæ, qua pollere debet sacerdos.* Vel certe, inquit, *quia linum de terra, non autem, sicut lana, de corruptibili carne nascitur: ipse autem indumentum sui corporis ex matre virgine, non autem ex corruptione commistionis sumpsit: profecto ad nos vestitus lineis venit. Et atramentarium scriptoris ad renes eius. In renibus posterior pars corporis est. Et quia ipse Dominus postquam pro nobis mortuus est, et resurrexit, et ascendit in cælum, tunc testamentum novum per Apostolos scripsit, atramentarium ad renes habuit. Qui enim scripturam testamenti novi postquam decessit condidit, atramentarium quasi a tergo portavit.* Sic et Rupertus, Pintus, et Fernand. visione 15. qui per virum hunc ad literam intelligunt Christum, pro qua sententia citat Fernand. Irenæum lib. 4. ubi ait: Verbum ante incarnationem suas salutes præstruebat, præludens videlicet, et quodammodo exercens simulacra salutis in veteri testamento, præstando illam multis non in vero, sed in simulato corpore, ut quasi addiscerent per experientiam quomodo eam in vero corpore esset præstiturus. Sed verius est, ad literam virum hunc fuisse angelum, qui allegorice repræsentaret Christum: angeli enim sunt administratorii spiritus, qui a Deo mittuntur quaquaversum. Unde vir hic dicit Deo v. ultimo: *Feci sicut præcepisti mihi:* quod angelo competit, non Verbo: hoc enim cum sit æquale Patri, præceptum nullum ab eo accipit.

Moral. Moraliter, in die cinerum sacerdos vestitus lineis, atramento, id est atris cineribus, signat inscribitque frontibus fidelium signum *tau*, id est crucis, dicens: *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris;* ut per mortis memoriam, incitet eos ad pœnitentiam et gemitum, quo irato Deo reconciliati, eius vindictam evadant.

Atramentarium.) Ita Hebr. Aquila in secunda editione, ait S. Hieron. Orig. et Vatabl. sed Symmachus *tabellam* (in qua scilicet scripta sint peccata Ierusalem, eiusque pœna et excidium, ac sancti a peccatorum numero segregati, et seorsim scripti sunt, ait S. Hieron.) vertit; Septuag. *zonam sapphiri* (pro ספר *sopher*, legerunt ספיר *sappir.*) Aquilæ prima editio et Theodot. retinent vocem Hebr. vertuntque *καστυ librarii*, hebr. enim est קסת *keset; καστυ* ergo et *keset*, idem est *quod καλαμάριον, ab eo quod calami in illo recondantur; nos atramentarium, ex eo quod atramentum habeat, dicimus*, ait S. Hieron. Gestat hic angelus atramentarium, ut quasi notarius atramento literam *tau* lugentium frontibus inscribat, uti iam dixi.

Ingressi sunt.) In atrium interius.

Altare æreum.) Holocaustorum: nam aliud altare thymiamatis, erat aureum.

Vers. 3. Et gloria Domini.) Hebr. est אלהים *Elohim*, quod significat Deum qua iudicem et vindicem: ipse enim hic vindictam in Iudæos per sex angelos exercet. Iam *gloria Domini*, id est, solium Domini gloriosum, factum ex alis Cherubim, elevatum supra propitiatorium arcæ fœderis, Exodi 25. 22. Vel potius, solium sapphirinum imminens currui Cherubim, quem vidit in Chobar, ut ait c. 8. v. 4. A semper enim persistit in visione currus cap. primi. q. d. Hoc solium, et consequenter ipse Deus solio suo insidens, qui ob idololatrarum scelera cap. 8. v. 3. 4. 6. et cap. 3. v. 12. admissa, ex templo migrarat in atrium Gentium, iam assumptus est de Cherub: non quasi Cherubinos reliquerit, ut volunt aliqui; sed quod de loco Cherub, seu in quo constiterat ipse Deus super Cherub (super quem solet esse et equitare) id est de atrio Gentium, revolarit vectus suis Cherubim ad limen domus, id est templi, scilicet in atrium interius sacerdotum; ut ibi quasi pro tribunali sedens, lictores vocet, mandetque ut urbem gladio et igne vastent, uti dicitur v. sequenti. Alii *gloriam Domini*, interpretantur imaginem Dei electrinam, quam Ezechiel vidit in curru Cherubim cap. 1. 27 quasi illa a suis Cherubim discesserit, et prosilierit quasi e suo curru; ut significaretur, Deum a veteri templo et propitiatorio discessurum subito, quasi moræ impatientem ex ira et indignatione vehementi. Hæc sententia est probabilis, illique favet v. 18. cap. 10. *Et egressa est gloria Domini* B *a limine templi, et stetit super Cherubim.* Inde enim videtur colligi, quod ante iam Cherubinos deseruerat.

Moraliter, Deus recedit a Cherubim et propitiatorio, id est loco placationis, cum vult punire impios Iudæos: quia eius proprium est, misereri; alienum et peregrinum, punire, ut ait Isaias c. 28. 21. Miserendi enim causam sumit ex se, puniendi aliunde, scilicet a peccatis hominum; unde tunc videtur quasi a se suaque natura recedere, et peregre proficisci. Ita Theodor. et Fernand. visione 15. sect. 2.

Signa tau.) Ita vertit et Theodotion, Chald. Vatablus Vers. 4 et alii passim: sed Septuag. et Symmachus vertunt, *signa*, vel *pone signum*, vel *notam:* Syrus et Arabicus, *signa signaculum inter oculos*, vel *super frontes virorum qui gemunt.* Prior versio melior et verior est: nam quoties Deus in re simili signum aliquod dedit, certum dedit; quod non solum eam liberationem quæ tunc fiebat, sed eius quoque antitypam, scilicet eam quæ multo post per C Christum futura erat, significaret: qualis fuit sanguis agni paschalis (qui proinde in formam crucis distentus assabatur, ait S. Iustin. cont. Tryphon.) Exod. 12. v. 7. Serpens erectus in deserto, Num. 21. v. 9. Ita Maldon.

Quæres, Cur iubet eos signari *tau?* Resp. aliqui, *tau* Signum tau quale? significare תחיה *tichie*, id est vives. Alii significare תם *tam*, id est simplex, innocens et perfectus est, ac proinde dignus qui in vita servetur. Rursum Hebræi, ait Origen. tradunt, *tau*, quia ultima est literarum Hebraicarum. et quia תורה *tora*, id est lex, incipit a litera *tau*, significare eos, qui perfectam practicamque habent scientiam divinæ legis, et ex hac scientia habent sensum ac dolorem prævaricationum. Unde et S. Hieron: *Hebræi*, inquit, *autumant, quia lex apud eos appellatur Thora, quæ hac in principio nominis sui litera scribitur, id est tau; quod illi hoc accepere signaculum, qui legis præcepta compleverant.* Verum melius idem S. Hieron. Origen. Tertul. contra Iudæos, Ambros. lib. 1. de Abraham, S. August. in Dialogo altercationis Ecclesiæ et Synagogæ, Clem. lib. 6. D Stromatum, et alii passim, respondent, literam *tau* ante Esdram, apud Hebræos priscos habuisse figuram crucis, fuisseque similem literæ *tau* Græcorum et Latinorum. Quocirca Syri codices hic pro *signa tau*, legunt, *signa crucem*, uti refert ex Caninio Ioannes Grial in notis ad S. Crux symbolum vitæ, et salutis. Isidorum lib. 1. Etymol 3. Crux ergo signum hic datur liberandorum a nece, æque ac salutis per Christi crucem consequendæ. Unde et Ægyptii, Serapidis pectori *tau* inscribebant, quasi signum futuræ vitæ. De qua re vide nostrum Iacobum Gretserum lib. 1. de Cruce cap. 51. ubi ex Ruffino, Socrate, Sozomeno, multis idipsum confirmat contra nonnullos, qui id in dubium revocant. Addit S. Hieron. aves in surrectum se attollentes, crucis exprimere figuram; quod etiam adorans homo, et natans facit. Sed et navis antenna, cruci assimilata sufflatur. Quin ipsa, inquit, crucis figura quid est, nisi quadrati mundi forma? Et S. Bernard. sermon. 4. in vigilia Nativit. *Fortasse*, inquit, *crux ipsa nos sumus, cui Christus memora-*

tur infixus. Homo enim formam crucis habet: quam, si manus extenderit, exprimet manifestius. Corpus enim brachiis expansis habet figuram crucis. In eo ergo anima est quasi in cruce crucifixa; ac consequenter ipse Christus, qui est vita et anima animæ Christianæ, in eo quasi infixus est et crucifixus. Sic et Græcis et Latinis, *tau* erat symbolum vitæ, *theta* mortis. Imo iudices, teste Asconio Pediano, damnatos notabant litera *theta*, liberandos *tau*. Scilicet hoc et multa alia Romani a Græcis, hi ab Ægyptiis, hi ab Hebræis acceperunt. Porro *theta* apud iudices fuisse notam θανατου, id est mortis, constat; unde Ausonius in Eunum epigram. 120.

Miselle doctor, θ tibi sit obscœno,
Tuumque nomen theta sectilis signet.

Ubi Scaliger: θ, inquit, *erat signum suspendii; refert enim laqueum collo involutum; θ. litera condemnatoria: quin et in castris militem ex cohorte morte dispunctum, hæc nota significabat.* Verum pie et eleganter noster Martialis Christianus lib. 3.

Infelix multis theta est, mihi litera felix:
Si θανατον scribit, scribit et illa θεον.

Nota. Salvandi quasi pauci signantur. Erant enim in Ierusalem aliquot iusti, ait Polychr. ut Ieremias, filii Rechab, Urias, et pauci alii. Potissima ergo causa, cur liberandi a cæde Chaldæorum in excidio Ierusalem, signentur hic signo *tau* potius quam alio, fuit, quod hi liberandi et signati reipsa portabant crucem in corde et corpore, dolendo, gemendo et affligendo se ob peccata populi. Rursum, quod litera *tau* formam et speciem haberet crucis, essetque symbolum redemptionis et vitæ: *quoniam eo signo vita hominum præstruebatur*, ait Tertul. libr. contra Iudæos, ut significaretur, nos per crucem Christi a morte, a gehenna, ac dæmonum tyrannide liberandos; præsertim eos, qui crucem Christi fronti et animo imprimunt, id est, ut ait Isidorus lib. Allegoriarum c. 25. ut crucem Christi post eum tollant, acrius se edomant, et erga proximos suos charitatis compassione crucientur. Unde et in fine mundi, crux signum erit servorum Christi, oppositum signo bestiæ, id est Antichristi, Apocal. 13. 16. Quocirca et Apostolus ait Ephes. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.*

Nota. Hæc omnia vidit Ezechiel, non revera fieri, sed in visione, ut patet ex simili cap. præced. v. 3. in visione ergo ei signari videbantur ab angelo gementes, ac signati servari, non signati occidi; ut significaretur, gementes pios quasi ab angelo signatos et protectos, a cæde Chaldæorum fore immunes; alios vero omnes, utpote impios, ab eis occidendos. Ita enim angelus Chaldæos direxit, ut a se signati eorum manus evaderent, non signati ab eis trucidarentur.

Symbolice, Primo, *tau* est ultima litera Hebræorum: significat ergo Christum, qui pro nobis factus est novissimus virorum in cruce, ut ait Isaias c. 53. 3. quem proinde repræsentavit sol descendens in horologio Achaz, ad decem lineas, ut sanitatem redderet Ezechiæ, uti dixi Isaiæ 38. v. 8. Rursum *tau* significat Christum, qui est α et ω, principium et finis legis. Unde multi psalmi inscribuntur למנצח *lamnatseach*, id est *vincenti*, quod Sept. vertunt, εἰς τέλος, *in finem*: quia Christum ut finem spectavit tam David, quam Moses et Prophetæ, illique suos psalmos dedicavit et inscripsit. Christus enim sua humilitate et passione evasit victor peccati, gehennæ et diaboli: descendit enim infra omnes, ideoque meruit ascendere super omnes et omnia. Christi ergo fidem, spem, amorem et crucem non tantum in frontibus, sed et in cordibus signatam habent sancti et electi. Secundo, *tau* hebraice significat primo, signum et crucem; secundo, limitem, terminum, consummationem. Significat ergo gementes et dolentes ob peccata populi esse perfectos in charitate, et consummatos in virtute: atque crucem et tribulationem unicum esse sanctitatis et perfectionis instrumentum.

Moral. de crucis amore et desiderio.

Moraliter hic disce, crucem esse signaculum et tesseram amicorum et electorum Dei, ideoque eam non fugien- A dam, sed ambiendam esse.

Idipsum docet Primo, Christus Matth. 16. 24. *Si quis*, inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Secundo, S. Paulus et Barnabas confirmabant animos discipulorum, dicentes: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, Act. 14. 22. Idem Roman. 3. 3. *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur*, etc. Et 2. Cor. 4. 10. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.*

Tertio, S. Iacobus c. 1. 12. *Beatus*, inquit, *vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Quarto, S. Petrus epist. 1. cap. 2. v. 21. *In hoc vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*, etc.

B Quinto, S. Ignatius ad Roman. *Utinam*, inquit, *fruar bestiis, quæ ad me dilaniandum præparatæ sunt*, etc. *Iam incipio discipulus esse Christi. Frumentum Dei sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Ignis, crux, bestiæ, ossium confractiones, concisiones membrorum, omnia tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar.*

Sexto, apud S. Cyprian. lib. 5. epist. 12. Moses, et alii Confessores: *Quid*, inquiunt, *gloriosius, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interritum confiteri Dominum? quam collegam passionis cum Christo, in Christi nomine factum fuisse? quam ipsam, quæ ab omnibus metuitur, mortem moriendo subegisse? quam per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse? quam omnibus sævitiæ tormentis excarnificatum, ipsis tormentis tormenta superasse? quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse? quam sanguinem suum profluentem non horC ruisse?*

Septimo, S. Basilius se miserum et calamitosum dicere solebat, quod Martyrum pro veritate certamina imitari non posset, ait Nyssen. in eius vita.

Octavo, Nazianz. orat. 43. in Pascha: *Omnibus*, inquit, *diebus, et omnibus noctibus nos Deo sacrificemus; omnia pro verbo suscipiamus; per passiones passionem imitemur; per sanguinem sanguinem* (Christi) *honoremus; crucem alacres conscendamus. Dulces sunt clavi, tametsi valde acerbi. Præstat cum Christo et pro Christo pati, quam cum aliis in deliciis versari. Si Simon Cyrenæus es, crucem tolle, ac sequere.*

Nono, S. Ambros. quantopere crucem desiderarit, patet ex eius epistol. 32. et 33. ubi inter cætera ait: *Scitis quod soleam suppliciis me libenter offerre nec cedere. Non metuit arma, non barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur. Petrus Roma noctu egressus, videns sibi in porta Christum occurrere, ait: Domine, quo* D *vadis? Respondit Christus: Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum. Itaque sponte remeavit, et interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificavit Dominum Iesum. Athleta Christi non delicias, sed passiones suas exigit. Respondi ego quod sacerdotis est; quod Imperatoris est, faciat Imperator. Prius est ut animam mihi quam fidem auferat. Incendia aliqui, gladium, deportationem minantur. Didicimus Christi servuli non timere. Non timentibus numquam gravis est terror. Si patrimonium petitur, invadite: si corpus, occurram: vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi, libens immolabor.* Vide Gretserum toto libro 4. de Cruce.

Super frontes.) Alludit hic Ezechiel ad servos, qui domini sui nomen aut stigma inustum in corpore, ac præsertim in fronte, gestabant, teste Rhodigino lib. 5. c. 31. indeque inscripti, vel literati servi dicti sunt. Idem fiebat facinorosis. Unde Seneca l. 4. de Beneficiis c. 137. et 138

tradit, scelerato cuidam supplicii causa inustam fuisse frontem. Sic Machab. lib. 3. c. 2. ab Ægypti rege, Iudæorum corporibus inustum fuit folium hederaceum, in honorem Bacchi, ut hoc signo quasi legitimo Bacchi titulo eius cultores consignarentur. Sic Paulus Galat. 6. v. 17. ait, se stigmata Christi in corpore suo portare.

Ita nuper anno Domini 1614. in Iapone, Christianos Martyres signo crucis in fronte a tyranno candenti ferro inustos legimus, et in imaginibus hic Romæ excusis expressos vidimus et videmus, quasi servos crucis et Christi crucifixi. Quod supplicii genus Seneca libr. 3. de Ira cap. 3. vocat *Inscriptionem frontis:* de quo et Athenæus l. 6. ex Diphilo: *Inustam*, inquit, *punctis frontem capillo obvelat.* Sustulit in reis hanc vultus inustionem Constantinus Magnus scribens ad Eumelium lib. 2. de pœn. Cod. Theodos. *Si quis*, inquit, *fuerit pro criminum qualitate damnatus, minime in eius facie scribatur, dum et in manibus, et in suris possit pœna damnationis una scriptione comprehendi, quo facies quæ ad pulchritudinis cælestis similitudinem est figurata, minime maculetur.* Sed hanc legem infregit Theophilus Imper. Iconoclasta, qui vultus S. Martyrum Theophanis et Theodori stigmate inussit, teste Cedreno. Infringet et Antichristus: nam Apoc. c. 13. v. 16. qui bestiæ se subiecerunt, habent eius characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis. Sic milites auctorati olim compungebantur in cute. Audi Vegetium lib. 2. c. 5. *Victuris in cute punctis milites scripti, et matriculis inserti iurare solebant.* Et Actium apud Lipsium lib. 1. de Militia Romana, dial. 9. *Stigmata,* ait, *vocant, quæ in facie, aut alia parte corporis inscribuntur, qualia sunt militum in manibus.* Vide et S. Greg. lib. 1. Regist. ep. 100. ad Mauritium, et epistol. 103. ad Theodorum, ubi edicti Imperatoris meminit, quo sanciebat, ne quis manu signatus, ante expletam militiam in monasterium reciperetur: cui edicto se opponit Gregorius. Denique de Iacobitis tradit Ioachimus Abbas in appendice nationum Christianarum, quod candenti ferro impressum frontibus signum crucis circumferant. Sic etiamnum in Africa, qui a priscis Christianis descendunt, et a Mauris separati in montibus habitant, crucem brachio impressam, quasi signum christianismi gerunt, cætera rudes: illudque Lusitanis ostentant, cum Arzilam, Azamorem, aliasque eorum in Africa urbes accedunt, ut ab eis in christianismo erudiantur. Lusitani eos vocant *Alvares*, quasi Aphros genuinos; cæteros enim vocant *Moros*, sive Mauros.

Ad hunc Ezechielis locum alludit angelus Apoc. 7. 3. dicens: *Nolite nocere terræ*, etc. *quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum*, eodem utique signo *tau*, id est, crucis. Signabunt ergo angeli tempore Antichristi fideles constantes et electos signo crucis. Primo per sacerdotes in Baptismo et Confirmatione, visibiliter cruce eos consignando. Secundo, spiritaliter inducendo et exhortando eos, per se et per præcones Evangelii, ad liberam, publicam et constantem fidei, et crucis Christi professionem (cuius symbolum est frons) usque ad mortem. Addit Andreas Cæsar: quod tempore Antichristi signo crucis fideles ab infidelibus se secernent. *Tunc enim*, inquit, *fideles intrepide, citraque ruborem signaculum crucis Christi in conspectu impiorum deferent.* Græcum enim σφραγὶς sigillum visibile et expressum significat. Signantur ergo hic tum in frontibus suis, tum in mente angelica, illi, qui pro cruce Christi in persecutione Antichristi dirissima patientur, ideoque eligentur ad vitam æternam. Signantur, inquam, speciali Dei providentia, et gratia, ad hoc, ne cum impiis et reprobis paria mala, et clades divinas, quas sub finem mundi angeli orbi inferent, patiantur. Unde ad hanc sigillationem sponsam sponsus invitat, dicens Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Quod S. Ambros. libr. de Isaac c. 8. sic explicat: *Signaculum*, inquit, *Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio: in fronte, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur.* Quapropter Origen. hom. 8. in diversos: *Gaudentes,* ait, *hoc signum levemus in fronte, quod dæmones cum viderint contremiscunt: nam qui aurea capitolia non timent, crucem timent.* Quocirca apud Æthiopes Christianos, puta Abyssinos mos est, ut populus cruces e collo pendulas gestet; monachi hoc amplius etiam manu. Auctor est Damianus Goes in Æthiopic. Imo S. Ephrem crucem gestabat in fronte, uti docet eius imago ad vivum expressa ex prisca quæ exstat Constantinopoli, quam eius operibus præfixit Gerardus Vossius. Hinc S. Ephrem serm. de panoplia, sive armatura spiritali, et serm. de S. Cruce tomo 3. crucem vocat scutum et panopliam Christianorum contra omnes hostium insultus, ac multa et magnifica cruci dat elogia et encomia. Audi pauca e multis serm. de S. Cruce: *Crux, spes Christianorum. Crux, resurrectio mortuorum. Crux, claudorum baculus. Crux, pauperum consolatio. Crux, frænum divitum. Crux, superborum eversio. Crux, triumphus adversus dæmones. Crux, iuvenum pædagogus. Crux, inopum abundantia, desperatorum spes, navigantium gubernatio. Crux, fluctuantium portus, oppugnatorum murus. Crux, orphanorum ac pupillorum pater, iustorum consiliarius. Crux, afflictorum consolatio, ac sublevamen. Crux, infantium custos, virorum caput, senum corona. Crux, lumen eorum qui in tenebris sedent; et regum magnificentia. Crux, servorum libertas, imperitorum sapientia, barbarorum philosophia. Crux, Prophetarum prædicatio, Apostolorum comes, Martyrum gloriatio. Crux, virginum pudicitia, sacerdotum gaudium. Crux, Ecclesiarum firmamentum, ac orbis terrarum securitas. Crux, imbecillorum fortitudo, ægrotorum medicina. Crux, leprosorum purgatio, paralyticorum erectio. Crux, cibus esurientium, et fons sitientium. Crux, monachorum fiducia, nudorum tegumentum. Hæc in medio terræ plantata, sapientissime fines mundi complexa est. In hac exaltatus Christus Deus noster, vicissim captivam duxit captivitatem, voracissimum inferni disrupit ventrem, nimisque patulum diaboli os obstruxit. Hac crucis armatura muniti sancti Apostoli, omnem inimici potestatem conculcarunt, cunctasque gentes suis sagenis ad huius adorationem attraxerunt, et congregarunt. Hac thoracis loco amicti milites Christi, sancti Martyres, quascumque artes et adinventiones, audaciamque tyrannorum superarunt. Hanc sancti baiulantes monachi, abdicato sæculo, ingenti cum gaudio et alacritate, in solitudinibus et montibus, speluncis et terræ cavernis sibi mansiones delegerunt. O ineffabilem atque immensam benignissimi Dei bonitatem, qui tot et tanta bona per crucem generi humano donavit! Gloria ipsius benignitati, et adoratio, atque imperium in sempiterna sæcula. Amen.*

Dolentium.) Hebr. *clamantium*, scilicet præ dolore et zelo violatæ legis, id est, qui non solum malis non consenserunt operibus, sed et aliena planxere peccata, inquit S. Hieronymus. Qualis fuit David, dicens: *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei*, psalm. 118. v. 139. et S. Paulus: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* 2. Corinth. 11. 29.

Moral. de crucis confessione et professione.

Moraliter, hoc signum *tau* in fronte gesserunt Confessores et Martyres, libere et publice Christi fidem et pietatem profitentes. Audi illustres Christi milites hunc Christi characterem ostentantes. Hunericus rex Arrianus, instinctu Cyrillæ Episcopi, iussit Catholicos omnes rebaptizari ab Arrianis, itaque arrianismum profiteri. Rebaptizatis curabat dari chirographum, quo significabatur eos paruisse regi, scilicet esse rebaptizatos, et Arrianos. Hoc chirographum erat character bestiæ, scilicet Antichristi: sine hoc enim nemo quid emere aut vendere, imo de loco uno in alium transire poterat. Steterunt tunc orthodoxi, præsertim clerici fortes in fide. Inter alios illustres fuerunt sex monachi, cum Liberato Abbate suo; qui pertracti Carthaginem, cum præses eis offerret amplos honores, opes, voluptates et regis amicitiam, si eius iussui parerent; ipsi, quasi generosi milites Dei, omnia hæc veluti contagia respuentes, uno ore clamarunt: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma: nec poterit in nobis adiuvante Deo iterari, quod in sancto Evangelio semel præceptum*

est dari. Facile quod vultis, inferte pœnas corporibus nostris. Melius est ad modicum temporalia sufferre supplicia, quam æterna pendere et subire tormenta. Habete quæ promittitis, cum ipsis divitiis post paulalum perituri. Nobis vero nullus de postibus frontium valebit evellere, quod in uno baptismate artifex Trinitatis dignatus est titulare. Quocirca in tetrum coniecti sunt carcerem: deinde iussit eos Hunericus imponi navi aridis lignis plena, ut in medio mari iis succensis cremarentur. Incedebant ad supplicium quasi ad epulas, una voce per ambitus platearum Domino decantantes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Votiva nobis hæc dies est, et omni festivitate festivior. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide Domini Dei nostri perferimus præparatum supplicium, ne amittamus acquisitæ fidei indumentum.* Quin et populum publica voce clamando, ita ad constantiam in fide excitabant: *Ne timeatis, o populi Dei, ne formidetis minas et terrores præsentium tribulationum; sed potius moriamur pro Christo, quoniam ipse mortuus est pro nobis.* Erat inter eos puer nomine Maximus; hunc a morte liberare cupiebant Arriani, dicentes: *Infantule, quid festinas ad mortem? Dimitte eos, insaniunt: et audi consilium nostrum, ut possis invenire vitæ remedium, et tanti regis adire palatium.* Quibus auditis puer inclamavit: *Nemo me separet a sancto Patre meo Liberato Abbate, et fratribus meis, qui me in monasterio nutrierunt. Cum ipsis sum in timore Dei conversatus, cum ipsis desidero passionem suscipere, cum quibus credo me et futuram gloriam invenire. Nolite putare, quia potestis seducere pueritiam meam. Simul nos septem voluit Dominus congregare, simul dignabitur omnes uno martyrio coronare, uti fecit septem Machabæis. Nam si negavero eum, ipse negabit me, uti ipse prædixit.* Ducti ergo sunt in altum mare, ubi ignis accensus est, sed mox nutu Dei extinctus: idque secundo, et tertio contigit. Quare tyrannus pudore et ira fremens, iussit eis vectibus remorum cerebrum comminui, itaque enecari. Tali ergo genere mortis felicem animam Deo exhalarunt: quorum corpora mare præter naturam, eadem hora illæsa in terram exposuit, ad quod tyrannus expavit: Clerus ea honorifice sepelivit. Ita Victor Uticens. lib. 3. Persec. Wandal. in fine.

Simili modo crucem in fronte ostentabat, de eaque gloriabatur S. Augustinus: ita enim scribit in psalm. 141. *Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem.* Et serm. 2. in Parasceve: *Crucem illam, in qua ille crucifixus est in corpore, nos gestamus in fronte.* Et in psalm. 36. *A locis suppliciorum fecit crux transitum ad frontem Imperatorum.* Quocirca Tertullianus lib. 5. contra Marcion. crucis signum appellat *signaculum frontium.* Unde patet, Christianorum olim communem morem fuisse, formare signum crucis in fronte. Cuius moris causam dat S. Augustin. in ps. 30. *Non sine causa,* inquit, *signum suum in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat.* Aliam dat sermone 20. de diversis, recens editis Lovanii: *Si portas,* inquit, *in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi.* Tertiam dat tract. 36. in Ioan. *Ipsam,* inquit, *crucem de diabolo superato tamquam trophæum in frontibus fidelium positurus erat.* Et S. Cypr. lib. 2. testim. 17. *Hic,* ait, *est lapis, quo David frontem Goliæ percussit et occidit.* Quartam dat S. Cyrill. catech. 14. *Non pudeat,* ait, *nos crucis Christi. Quod si aliquis id occultet, tu manifeste te signa cruce in fronte, ut dæmones signum regis videntes, trementes procul fugiant.* Idem ait S. Chrysostomus homil. 55. in Matth. Quintam dat S. Agnes. apud S. Ambros. serm. 90. *Posuit,* ait, *signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* q. d. Gero signum crucis in fronte, ut omnibus ostendam me esse servam, sponsam et ancillam Christi. Sextam dat S. Cæsarius Arelat. homil. 5. de paschate, ut signo crucis quasi titulo consecremur in domum et templum Dei. *Hodie,* inquit, *agnus ille offertur, quando postes domorum sanguine illius iubentur inscribi, id est titulo crucis frons nostra depingi.* Denique in fronte nostra celebratur et glorificatur crux, quæ in Calvariæ monte fuit irrisa et infamata. Ita Gretserus tomo 1. de cruce lib. 4. c. 31. qui et cap. 32 ostendit, hac de causa Ethnicos et hæreticos frontes Martyrum exquisitis pœnis excruciasse, quod ipsi se ibidem signarent cruce, quam ipsi extreme oderant.

Ita factum est Sancto Glyceriæ Martyri sub Antonino Pio, ut patet ex eius vita 10. Maii: et sancto Armogasti Martyri, cuius frontem cruce signatam ita arcte nervis constrinxerunt Arriani, ut resonare et mugire viderentur: sed virtute crucis, *ut fila aranearum, Sancto cælum respiciente crepabant,* inquit Victor Uticens. libro primo persecut. Wandal.

S. Theophanes et Theodorus a Theophilo Imper. crucis et imaginum hoste, in fronte notis compuncti sunt, quas recenset Zonaras tomo 5. in Theophilo. Refert Gregor. Turon. lib. 3. miracul. S. Martini cap. 23. S. Martinum apparuisse cuidam muto et surdo, eumque sanasse pingendo in fronte eius signum crucis, ac dicendo: *Dominus te sanum fecit, surge et propera ad ecclesiam, et age gratias Deo tuo.*

Eusebius in vita Constantini lib. 3. cap. 2. refert Constantinum solitum signare frontem cruce, *quasi trophæo victorioso.* Nam ipse contra Maxentium ancipiti prælio dimicaturus vidit signum crucis in cælo, illique ascriptum: εν τουτω νικα, id est, *in hoc vince.* Dubitanti quid hoc sibi vellet, nocte sequenti apparuit Christus cum crucis signo in cælo monstrato, ac præcepit, ut eius adinstar vexillum, sive labarum efformaret, quo in prælio contra hostes uteretur: fecit, et Maxentium vicit. Ita Euseb lib. 9. histor. et in vita Constantini lib. 1. cap. 20. et 22. Quocirca idem Constantinus contra Byzantinos dimicans, ac semel et iterum ab iis cæsus, tandem oculos in cælum sustollens, Deumque invocans, vidit iterum crucem stellis sicut antea effigiatam, eique subscriptum: *In hoc ipso signo omnes hostes vinces.* Postridie ergo signum crucis in acie præferri curans fortiter illos vicit, et urbem ipsam cepit, quam Imperii arcem ac caput constituit, et ex suo nomine Constantinopolim nominavit. Ita Nicephor. lib. 7. histor. cap. 47. *Constantini per crucem victoria.*

Hac de causa Sanctos omnes tantopere crucem honorasse, adamasse, sitiisse legimus. Inter quos eminens fuit S. Andreas, cuius crucifigendi ad crucem affectuosa salutatio, fidelium omnium animos ad crucis amorem accendit. Similis fuit ardor S. Petri, et S. Philipphi euntium ad crucem. In vita S. Calliopii 7. Aprilis narratur, quod, cum ipse pro fide Christi crucifigeretur, vox audita sit de cælo: *Veni civis Christi, et cohæres sanctorum angelorum.* S. Iulia ancilla, ob fidem Christianam crucifixa, constanter in cruce efflavit spiritum: de cuius ore sancto columba exivit, et cælum petiit, uti refert Ado 22. Maii, et ex eo Baron. tomo 6. anno Christi 440. Vere S. Leo serm. 9. de Quadragesima: *Certa,* inquit, *atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis.* *S. Andreas crucis avidus.*

Denique putant nonnulli, teste Salm. in c. 24. Matt. v. 30. cruce quasi tessera et trophæo, in frontibus insigniendos omnes Beatos in cælo; ut significetur eos merito crucis tam Christi, quam suæ cælum possidere: idque Allegorice, vel potius Anagogice hic significari, cum dicitur: *Signa tau super frontes virorum gementium;* litteraliter vero idipsum dicere S. Ioann. Apoc. 7. 3. dum ait, *Signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.*

Parvulum.) Id est parvulos, quos parentes a puero sua impietate imbuebant. Hos enim cum parentibus occiderunt Chaldæi. Vel ergo erant doli et peccati capaces et noxii, et consequenter rei mortis: vel, si infantes erant, ideoque innoxii, parentes eorum cæde puniebantur. Infantes vero felices erant, quorum malam educationem, et animæ interitum Deus morte præcidebat. Ita Scholias. Vere Plutarchus: *Sicut,* ait, *ischiacis medici pollicem adurunt, et cum alibi doleat, alibi admovent remedium: ita Deus nonnunquam, ut patres sanet, sævit in filios.* Vers. 6

Ne occidatis.) Hebr. et Septuag. ne *appropinquetis.* A sanctuario.) Septuag. *a sanctis*, id est, ut Theodoretus, primo sacerdotes mihi consecratos occidite; ut qui gradu et scelere excellit, etiam reliquos supplicio præcedat; ut quibus occasio fuit ruinæ, exemplum sit necis.

Coeperunt ergo a viris senioribus.) Scilicet a 25. sacerdotibus, qui adorabant solem orientem, cap. præced. v. 16. qui erant ante faciem domus, id est templi, scilicet inter vestibulum, et altare. Simili modo ait S. Petrus epist. 1. v. 17. *Tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei.* Passim hic seniorum scelera insectatur Propheta, quia hi iunioribus erant causa peccati ruinæque, et quia erant obstinati et incorrigibiles. Ambrosius Leonis c. 285. problem. hoc problema proponit: *Cur senes non corriguntur, ut iuvenes?* ac respondet: *An quia senes duri sunt ob desiccatum corpus, spiritum et animam? Durum autem manens, est et immutabile. An quia iuvenibus vel una vel altera ætas superest? hæc enim omnia fere mutari consuetum est. Senes vero a nulla ætate altera mutari queunt: sunt enim in extrema. Eam ob rem quæ semel obduxere, ea retinere ac servare solent.*

Vers. 7. Contaminate domum.) Id est templum, id est, atrium sacerdotum, ut in loco sancto quo peccarunt, occidantur, q. d. Implete atrium cadaveribus impiorum sacerdotum. Subaudi: *Et fecerunt ita.* Unde eo peracto, dicit illis, *Egredimini.* Ipsa concisa narratio significat rem subito, et quasi in momento peractam. Ita Maldon.

Vers. 8 Remansi ego.) Solus superstes, subaudi, cum signatis: vel, solus in templo inter sacerdotes. Nam hi omnes videntur cæsi. Unde angelus iussus fuit signare aliquos in civitate, sed neminem in templo.

Effundens.) Id est, nihil retinens de furore, sed totum enim effundens, ut totum Iudæorum populum deleas.

Vers. 9. Domus Israel.) Ita vocat eos, qui ex decem tribubus remanserant in Iuda.

Sanguinibus.) Chaldæus, *homicidiis*; Septuag. *iniustitiam, et immunditiam. Sanguines* enim, vel effusio sanguinis, per catachresin significat quævis enormia scelera, uti iam sæpius dixi.

Aversione.) Hebr. מוטה *mutte*, id est, declinatione, defectione, scilicet a Deo ad idola. Per *aversionem* ergo significat violationem primæ tabulæ decalogi; uti per *sanguines* secundæ.

Dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt.) q. d. Hic est fons omnium scelerum, quod impii negent Dei providentiam videre, curare, punire, præmiare facta hominum.

Vers. 10 Viam.) Actiones.

Vers. 11. Feci sicut præcepisti mihi.) Signavi *tau* gementes, innoxios et pios, uti præcepisti vers. 4.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iterum describit Propheta Dei currum Cherubim a se visum in templo quem vidit et descripsit cap. 1. Ad hæc v. 6. iubet Deus viro lineis induto accipere prunas e medio currus sui, easque spargere per Ierusalem; ut hoc signo portendat urbis incendium per Chaldæos.

1, Et vidi, et ecce in firmamento, quod erat super caput cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solii, apparuit super ea. 2. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, et ait: Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim, et imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, et effunde super civitatem. Ingressusque est in conspectu meo: 3. Cherubim autem stabant a dextris domus cum ingrederetur vir, et nubes implevit atrium interius. 4. Et elevata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus: et repleta est domus nube, et atrium repletum est splendore gloriæ Domini. 5. Et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis. 6. Cumque præcepisset viro, qui indutus erat lineis, dicens: Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter cherubim: ingressus ille stetit iuxta rotam. 7. Et extendit cherub manum de medio cherubim, ad ignem qui erat inter cherubim: et sumpsit, et dedit in manus eius, qui indutus erat lineis: qui accipiens egressus est. 8. Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum: 9. Et vidi, et ecce quatuor rotæ iuxta cherubim: rota una iuxta cherub unum, et rota alia iuxta cherub unum: species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi: 10. Et aspectus earum similitudo una quatuor, quasi sit rota in medio rotæ. 11. Cumque ambularent, in quatuor partes gradiebantur: et non revertebantur ambulantes, sed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat, sequebantur et ceteræ, nec convertebantur. 12. Et omne corpus earum, et colla, et manus, et pennæ, et circuli, plena erant oculis, in circuitu quatuor rotarum. 13. Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me. 14. Quatuor autem facies habebat unum: facies una, facies cherub: et facies secunda, facies hominis: et in tertio facies leonis: et in quarto facies aquilæ. 15. Et elevata sunt cherubim: ipsum est animal, quod videram iuxta fluvium Chobar. 16. Cumque ambularent cherubim, ibant pariter et rotæ iuxta ea: et cum elevarent cherubim alas suas ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed et ipsæ iuxta erant. 17. Stantibus illis, stabant: et cum elevatis elevabantur: spiritus enim vitæ erat in eis. 18. Et egressa est gloria Domini a limine templi: et stetit super cherubim. 19. Et elevantia cherubim alas suas, exaltata sunt a terra coram me: et illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt: et stetit in introitu portæ domus Domini orientalis: et gloria Dei Israel erat super ea. 20. Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel iuxta fluvium Chobar: et intellexi quia cherubim essent. 21. Quatuor vultus uni, et quatuor alæ uni: et similitudo manus hominis sub alis eorum. 22. Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram iuxta fluvium Chobar, et intuitus eorum, et impetus singulorum ante faciem suam ingredi.

Vers. 1. Quasi species similitudinis solii.) Supple, et Deus specie humana insidebat solio, ut dixit cap. 1. 26. Ita Polychron. et patet vers. 2.

Vers. 2. Et dixit.) Scilicet sedens in solio. Aliqui putant Ezechielem hic, et cap. 8. et 9. tantum vidisse in solio splendorem; sed cap. 1. vidisse virum sedentem in solio. Verum hic eum quoque vidisse virum patet, quia vidit cap. 8. v. 2. æque ac cap. 1. 27. lumbos sedentis, qui sane sunt viri. Et quorsum solium? utique non ut splendor in eo sedeat, sed ut homo. Reliqua explicui cap. 1.

Ingredere in medio rotarum.) Nota. In curru hoc Dei, videtur de more fuisse arca fœderis; ante arcam vero, inter duas rotas erat prunarium, significans altare thymiamatis, ac consequenter hoc prunarium erat inter duos Cherubim; quia quæque rota suum habebat Cherub, ut dixi cap. 1. Iubet ergo hic Deus, ex suo curru ignem, quo comburenda est urbs, accipi; ut significet urbis incendium, non casu, non hominum consilio, sed

Dei providentia et decreto futurum esse.

EFFUNDE SUPER CIVITATEM.) Septuag. *disperge*, dissemina, ut post cædem civium, de qua cap. præced. civitas tota comburatur. Nam mox, ut ait Polychron. *quoquoversum ut sors tulerat, dispergit ignem, simul cunctos calamitate comprehendens*. Alcazar in Apoc. 8. v. 4. notat. 6. contrarium censet (et innuit S. Hieron. hic licet ipse in priore expositione combustionis postea persistat) videlicet post peractam punitionem, et cæsos omnes non signatos, mitti ignem, non ad exurendam, sed ad purgandam et sanctificandam Ierusalem: sicut Isaias c. 6. calculo ignito purgatus et sanctificatus fuit: esse ergo hunc ignem charitatis et zeli, quem Christus venit mittere in terram, et voluit accendi. Rursum, ignem hunc prunarum ex altari, symbolum esse religionis, quæ post cæsos non signatos, postque reditum e Babylone in Hierosolyma refloruit, duce et pontifice Esdra; qui proinde videtur esse hic vir lineis indutus, prunas hasce in Ierusalem effundens. Nam pœnitentia ac religio civitatis illius, præcipuus fuit fructus, quem ex ipsius supplicio cepit Deus. Verum ex capitibus sequentibus, æque ac præcedentibus liquet, omnia hæc spectare ad clades et incendium Hierosolymæ. Prior ergo expositio verior est.

INGRESSUSQUE EST.) Scilicet vir ille linteatus, ut acciperet ignem ex prunario: idem scilicet angelus, qui pios signavit, et liberavit c. præced. vers. 4. Hic impios iubetur plectere, impiam eorum urbem comburendo. Angelorum enim munus est, Dei iussa exequi, tam in puniendo malos, quam in præmiando bonos: nec per hoc inquinatur angelorum pietas et sanctitas. Unde angelus hic, æque ut ante vestitur lineis et mundis vestibus: quia, ut ait S. Bernardus in psal. 90. serm. 8. *Non inquinabit in sanguine* (peccatorum) *manus, sed lavabit: ut unde ille cruentus magis, inde iste nitidior videatur*. Et S. Gregor. 18. Moral. 13. *In peccatorum*, ait, *morientium sanguine iusti lavant manus: quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur*. Discunt enim homines cavere peccata, quæ a Deo et angelis vident tam graviter puniri.

Tau notat primum Christi adventum, ignis secundum. Hinc Allegorice, angelus hic significat Christum, qui suos hic signat *tau*; in die vero iudicii, in reprobos immittet ignem gehennæ. Est ergo hic elegans symbolum duplicis adventus Christi, si illum altera manu *tau*, sive crucem; altera ignem præferentem quis depingat: primi enim adventus symbolum est crux, secundi ignis.

Vers. 3 A DEXTRIS.) Quia Deum et angelos, inquit S. Hieron. dexter locus decet; dæmones sinister: et quia in dextro templi latere erat candelabrum septem lucernis accensis, quæ significant, veritatem, veramque fidem, et Dei religionem ad omnes Gentes a Iudæis migraturam, omnesque illuminaturam.

DOMUS.) Scilicet Dei, hoc est templi. Per domum ergo hic, et in sequentibus intellige templum.

Cur Deus soleat apparere in nube? Resp. NUBES.) Quæres, cur Deus passim apparuerit in nube? Respond. quia nubes est maximum divinæ providentiæ, gubernationis, et punitionis, æque ac præmiationis instrumentum. Nam Primo, e nubibus emittit Deus rorem,

I. pluviam, nivem, grandinem, lapides, tonitrua et fulmina. In nubibus etiam apparet iris pulcherrima. Nubes ergo aliquando terrorem, aliquando hilaritatem afferunt.

II. Secundo, nubibus Deus cælos obducit, ac solem tegit, eiusque ardorem temperat; iisdem hiemis et glaciei rigorem resolvit ac mitigat. Rursum terram, omniaque germina irrigat, et fœcundat, et totum orbem alit et pascit.

III. Tertio, Deus nubibus indidit miram velocitatem, ut statim ex una regione in aliam transvolent.

IV. Quarto, Deus nubes ab ima humo educit, et ad summum quasi aeris attollit, quo nulla vis humana pertingere potest, quæ eas impediat.

V. Quinto, Deus nubes agit ad omnes mundi plagas; nunc ad Orientem, nunc ad Occidentem, nunc ad Meridiem, nunc ad Septentrionem: easque facit modo imbriferas et fœcundas, modo siccas et steriles. Merito ergo dixit Moses Deuter. 33. 26. *Magnificentia eius discurrunt nubes*. Hinc et nubes in Script. dicuntur esse currus quasi regalis Dei. Psal. 98. v. 7. *Ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*.

Nubes sunt currus regalis Dei. Deus in nube se ostendit.

I. In castris. Quocirca in Synagoga et Ecclesia Primo, in columna nubis præcessit Deus castra Hebræorum, eaque deduxit salva in Chanaan.

Secundo, cum legem dedit in Sina, nube totum montis cacumen involvit, Exod. 19. 16. II.

Tertio, Mosis tabernaculum eo die quo absolutum est, æque ac Salomonis templum in die dedicationis, nube implevit. III.

Quarto, in nube Deus pro populo suo contra Pharaonem pugnavit, interiiciens se per nubem inter Hebræos et Ægyptios, Exodi 14. 20. IV.

Quinto, in nube suam præsentiam Deus Hebræis ostendebat, in eaque loquebatur cum Mose, ut ex ea populus Mosen quasi cælestem legislatorem agnosceret et revereretur, Deuter. 4. 11. V.

Sexto, in Christi transfiguratione, *nubes lucida obumbravit eos*, ait Matth. 17. 5. VI.

Denique, cum Christus ascenderet in cælum, *nubes suscepit eum ab oculis eorum*, Act. 1. 9. atque veniens ad iudicium veniet *in nubibus cæli*, Matth. 24. 30. VII.

Ubi adverte. Nube Deus suam præsentiam solet exhibere, et simul eadem se occultare et tegere; ut indicet suam providentiam præsentissimam esse, pariter et occultissimam. Ita Maternus Firmicus ad Mavortium Lollianum: *Celari*, ait, *et abscondi plurimis tegumentis natura divinitatis ab initio voluit, ne omnibus facilis esset accessu, neve cunctis patefacta maiestatis suæ origine panderetur*. Propria ergo nubium significatio, est divinitatis et providentiæ quasi per velum ostensio. Hinc Christus in transfiguratione et ascensione nube tectus fuit, et tegetur in iudicio; ut significetur eum esse supremum mundi dominum, moderatorem et iudicem; quod deteget, et toti mundo ostendet in die iudicii. Hinc dies nubis vocatur dies vindictæ, qualis erat hæc Ezechielis, et qualis erit in die iudicii, ut patet Ioelis 2. v. 2. Vide dicta c. 1. v. 4.

Allegorice, nubes symbolum est humanitatis Christi: hæc enim celat et velat eius deitatem. Nubes ergo significat Christi providentiam supernaturalem, arcanam et divinam, qua regit Ecclesiam, illique præfulget quasi columna nubis et ignis, illuminans simul, et protegens eam, ducensque rectis semitis in cælum. Ita S. Hieron. Cyrill. Isychius, August. Gregor. Rupert. quos citat et sequitur Alcazar Apoc. 1. v. 7. notat. 7. *Allegor. nubes deitatis est humanitas Christi.*

Symbolice, nubes sunt angeli. Hi enim sunt instrumenta et executores divinæ providentiæ. Ita S. Dionys. c. 15. Cælest. hierarch. *Symbol. nubes sunt angeli.*

Tropologice, nubes sunt Apostoli, et prædicatores Evangelii ob novem analogias. *Tropol. nubes sunt prædicatores, cur? Analogia.*

I. Prima est, sicut nubes e terra et mari in altum sublatæ, a ventis impelluntur: ita et Apostoli ex terrenæ humilitatis humo, et huius sæculi mari Dei gratia attolluntur, et spiritu Dei aguntur et impelluntur. Ita S. Hieron. August. et Gregor.

II. Secunda, sicut columna nubis et ignis Hebræis præluxit, et duxit in Chanaan: ita prædicatores in caligine huius sæculi mundo prælucent, hominesque ducunt in cælum.

III. Tertia, hæ nubes in populum emittunt doctrinæ cælestis rorem ac pluviam, qua eum impinguant et fœcundant. Ita S. Dionys. c. 15. Cælest. hierarch.

IV. Quarta, harum nubium gloria est iris cælestis, id est, Christi passio, 1. Cor. 2. 2.

V. Quinta, hæ nubes sunt gloriosus Dei currus, qui Christi nomen quovis Gentium vehit et portat.

VI. Sexta, harum nubium vox est tonitru, id est, Evangelicæ prædicationis efficacia, qua improbos percellunt, et fulgore lucis cælestis, quasi fulmine perstringunt; ita ut intimos mentis et cordis recessus penetrent et afflent.

VII. Septima, quia Evangelii mysteria, scilicet, incarnationis, Trinitatis, redemptionis hominum, Eucharistiæ, etc.

ita aperiunt, ut tamen simul quasi nubes eadem tegant, et humanæ rationi impenetrabilia esse ostendant; ut omnes agnoscant verum esse illud Salomonis: *Dominus dixit ut habitaret in nebula.* Illudque psal. 17. 12. *Posuit* (Dei maiestas) *tenebras latibulum suum.*

VIII. Octava, nubes in se Solis claritatem accipiunt, et desuper valde illustrantur; sed eam refrangunt, et temperatam, ac nostro visui accommodatam ad nos transmittunt: ita faciunt et Apostoli, ac doctores et angeli, ait S. Dionys. cap. 15. Cælest. hierarch.

IX. Denique, harum nubium comitatu septus Christus ad extremum iudicium veniet *in sanctis millibus suis,* Deuter. 32. v. 2. Ita Alcazar loco paulo ante citato.

Vers. 4. Et elevata est gloria Domini.) Id est, solium Dei gloriosum, quod erat super Cherubim, ipsis volantibus translatum est a dextero angulo vestibuli sanctuarii, ubi sententiam cædis et incendii in urbem pronunciaverat, ad limen Orientale domus, id est atrii interioris sacerdotum, quod inde repletum est nube: atrium vero exterius repletum est splendore gloriæ Domini, qui a nube splendida et gloriosa manabat.

Nota. *Gloria Domini*, sive Deus gloriosus in Scripturis tripliciter nuncupatur, et tribus rebus assimilatur. Primo, vocatur lux, ut 1. Timoth. 6. 16. *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum videre potest.* Et psal. 103. 2. *Amictus lumine, sicut vestimento.* Est enim Deus in se, suaque natura lux et claritas increata et immensa.

Secundo, nuncupatur caligo, nubes, nebula, tenebræ. Aliqui putant ipsam lucem Dei inaccessam, ipsumque iubar divinitatis vocari caliginem et nubem, eo quod nimia hac luce siderentur mortalium oculi; nec aliam Mosi et Hebræis apparuisse nubem vel tenebras, nisi ingentem lucem quæ intuentium oculos feriret et perstringeret. Ita censet noster Prado hic. Favet Caietan. qui illud Actor. 1. 9. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum*, exponit de luce nimia, quæ a corpore Christi glorioso dimanabat. Unde et aliqui dicunt, illam veluti nubem in longum ductam, quæ lacteam in cælo viam efficit, nihil esse aliud, quam plurium stellarum ibi congregatarum fulgorem. Verum contrarium longe verius est, scilicet proprie dictam fuisse nubem et caliginem, qua se Mosi et Hebræis exhibuit Deus. Esto enim ipse in se totus sit lux, tamen quia oculi hominum hanc lucem non ferunt, nec capiunt; hinc eam tegit et vestit nube (unde psalm. 96. 2. et alibi dicitur: *Nubes et caligo in circuitu eius)* ita tamen, ut aliqui lucis eius radii per nubem diffundantur, et transpareant: quia per hos Deus aliquid suæ claritatis ostendit; aliquid et longe amplius nube velat et abscondit. Porro in lege veteri fere ostendit se Iudæis per nubem obscuriorem: quia illa lex, æque ac Dei cognitio erat Iudæis obscura, et quia lex illa erat umbrosa, ac terrore rudes Iudæos cogens ad legis divinæ observantiam. In nova vero lege ostendit se per nubem lucidiorem: est enim nunc clarior Dei cognitio quam olim; estque lex Christi amoris, non timoris. Hinc in transfiguratione Christi, *nubes lucida obumbravit eos,* Apostolos scilicet tres Christi comites, Matth. 17. 5. Nubes enim lucida significat Dei familiaritatem et favorem erga Christianos, indeque Christianorum prosperitatem et felicitatem: nubes vero obscura et tenebricosa significat Dei terrores et minas erga Iudæos, indeque eorum plagas et adversitates. Hinc

Tertio, Deus apparuit in fumo, ut cum dedit legem in Sina, totus mons ardere et fumare videbatur, Exodi 19. 18. Fumus hic minax erat incendii, simul et excæcationis Iudæorum, si, uti fecerunt, legem Dei violarent: qua de causa urbs et templum tum a Chaldæis, tum postea a Romanis et Tito incensa, et in fumum cineresque redacta sunt. Quare non recte aliqui ut Forerius in Isaiæ 4. v. 5. fumum cum nube confundunt, putantque fumum eumdem fuisse cum nube. Porro fumum fuisse symbolum excæcationis Iudæorum, et præsertim sacerdotum, docent S. Hieron. Cyrill. et Græci in illud Isaiæ 6. 4. *Et domus repleta est fumo.* Nam paulo post v. 10. sequitur: *Excæca cor populi huius.*

Vox Dei omnipotentis.) Id est, ut Symmachus et Theodotion, *quasi tonitrui Dei.* Significat hæc alarum vox migrationem Dei et angelorum ex templo. Unde sub Tito, ait Ioseph. audita est vox e templo, *Migremus hinc.* Pro *omnipotentis*, hebraice est שדי *sciaddai*, quod Deum, et qua beneficum potentemque, et qua vastatorem (qualis hic erat) significat, uti dixi Genes. 17. 1. Vers. 5.

Extendit Cherub manum, scilicet unus, de medio Cherubim.) Id est, unus e quatuor Cherubinis. Nam *in medio esse* Hebræis idem est, quod esse ex illis, vel esse inter illos. Vers. 7.

Dedit.) Scilicet ignem, qui præcessit, ad Ierusalem inflammandam.

Manus hominis.) Et consequenter brachii: erant enim Cherubim quasi homines, specie et forma humana. Porro manus hæc non erat exerta, sed sub pennis, quasi gladius intra vaginam, ut significetur hæc esse comminatio, sed quæ habeat alas ad celerem et efficacem executionem. Ita Fern. visione 16. sect. 1. qui et aliam dat causam: Manus, inquit, erat sub alis quasi sub penicillo, quo clades urbis depingebatur Prophetæ, ut innueret incendium hoc esse pictum, sed tale, quale hic pictum erat, realiter Hierosolymæ obventurum. Vers. 8.

Chrysolithi.) Hebr. *tharsis*, id est, marini coloris, ut dixi cap. 1. v. 16. Symmach. vertit, *hyacinthi*; Sept. *carbunculi*, ut scilicet ignem, et incendium Hierosolymæ significent, ait S. Hieron. Idem significat chrysolithus, qui aureis et igneis lineis punctisque inspergitur et variegatur, teste Plinio. Vers. 9.

Aspectus, id est, forma et species, erat similitudo, id est similis et una omnibus quatuor rotis: quasi sit rota in medio rotæ, q. d.) Erant hæ rotæ non curules, sed quasi coluri. Vide dicta cap. 1. v 16. Unde recte Alcazar in Apocal. pag. 362. sic explicat: rota una in aliam inserta erat ad angulos rectos, instar coluri. Erant ergo in rotis singulis quatuor coniuncturæ, sive semicirculi: in quibus singulis singuli erant aspectus, id est, quatuor facies animalium. Ergo facies primæ coniuncturæ, sive primi semicirculi rotarum omnium, vitulinæ erant omnes; secundæ humanæ; tertiæ leoninæ; quartæ aquilinæ. Aliter Prado: vult enim rotas has curules fuisse, non coluros; unde quamlibet duplicem habuisse faciem, non quadruplicem, uti habent communes carrucæ. Vers. 10.

In quatuor partes.) Id est, latera vel angulos currus, ut iam in dextrum, iam in sinistrum, iam retrorsum, iam antrorsum moverentur, ut dixi cap. 1. v. 17. Aliter Prado: In quatuor, inquit, partibus, id est angulis, currus rotæ circumvolvebantur, hoc est, omnes rotæ totusque currus circumvolvebatur, et pergebat eo, quo pergebant Cherubini. Verum hoc frigidum est. Quis enim nescit moto curru omnes rotas, partes et angulos currus moveri? Vers. 11.

Nec convertebantur.) Alio, sed motum primæ rotæ uniformiter et constanter sequebantur cæteræ.

Corpus.) Hebr. *caro*, id est corpus, q. d. Totum corpus rotarum, id est, ipsæ rotæ totæ. Vers. 12.

Colla.) Hebr. *terga*, id est, modioli rotarum.

Et manus.) id est radii, quibus canthi modiolo iungebantur.

Et pennæ, id est circuli, sive canthi lignei, qui rotæ sunt quod pennæ avi; et circuli.) Id est, canthi ferrei, quibus lignei firmantur. Tribuit enim rotis figuram volucris, ut ingentem earum velocitatem indicet. Hæc omnia plena erant oculis, id est, stellis cælatis: quia repræsentabant cælum stellis collucens. Unde et cap. 1. v. 18. non Cherubinis, sed rotis oculi tribuuntur. Ita S. Hieron. Vatabl. Maldon. et alii. Oculi in rotis ad literam.

Secundo, Theodoret. et Lyran. hæc omnia de ipsis Cherubinis accipiunt, et probabiliter. Hi ergo pleni erant oculis. Significant enim Ecclesiæ Prælatos et Doctores, qui quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Sic et rotarum quadriga plena ocellis, significat Dei providentiam oculatissimam: et mystice iustos, qui fulgent ut splendor firmamenti.

*

Tertio, alii, quibus favet Maldon. rotis tribuunt corpus, et circulos; Cherubinis vero colla, manus et pennas; ut hic exprimat quod cap. 1. subticuit, scilicet hæc omnia plena fuisse oculis.

Hæc sententia valde probabilis et congrua videtur. Primo, quia colla, manus et pennæ proprie sunt Cherubinorum, non rotarum: atque de Cherubinis et rotis mistim et confuse loquitur Propheta; quia erant quasi unum quid, sicut auriga et currus sunt quasi unum quid in aurigando: rotæ enim quoquoversum sequebantur Cherubinos quasi suos duces, ac si iis fuissent alligatæ. Secundo, quia Cherubini S. Ioannis Apocal. 4. 8. pleni erant oculis: illi autem iidem sunt cum hisce Ezechielis. Tertio, quia tam, vel magis decebat Cherubinos, utpote duces, circumquaque esse oculatos, quam rotas: hi enim oculi significant angelos, et præsertim Cherubinos, esse perspicacissimos, sapientissimos et providentissimos. Recte Andreas Cæsar. in Apoc. 4. *Multitudine*, ait, *oculorum significatur mirifica vis, qua pollent cælestes beatique spiritus, ad hauriendos divinitatis radios.* Quarto, quia Heb. ad verbum habent, *et omnis caro eorum, et dorsum eorum, et manus eorum, et alæ eorum, atque rotæ plenæ erant oculis circumquaque ipsis quatuor rotis ipsorum*, scilicet Cherubinorum, ut vertit Vatablus, Septuag. et alii. Quæ verba plane significant et Cherubinos, et rotas, plenos fuisse oculis. Cherubinis enim proprie competit caro, id est corpus, dorsum, manus et alæ; quæ metaphorice tantum conveniunt rotis, iuxta sensum primo datum; quia scilicet spiritus vitæ erat in rotis, ac consequenter rotæ videbantur habere carnem, id est corpus et membra, quæ hoc spiritu quasi vegetarentur. Utrumque ergo verum est, et utrumque significat hic Script. unum de Cherubinis proprie, alterum de rotis metaphorice. Atque hac de causa noster interpres, pro *rotæ* vertit, *circuli*: quia Hebr. אופנים *ophannim* proprie rotas, et consequenter circulos (qui sunt quasi rotæ extimæ, sive canthi) significat: rursum pro *eorum* vertit, *earum;* quia de rotis agebatur: et quia Hebr. *ophannim*, id est rotæ, tam est masculinum, quam est *Cherubim:* הם *hem* ergo, id est *eorum*, tam ad *ophannim*, id est rotas, quam ad *Cherubim* referri potest: de utrisque enim egit in præcedentibus, scilicet prius de *Cherubim*, deinde de *ophannim*, id est de rotis: ac proinde de utrisque hic asserit, quod pleni fuerint oculis. Dum ergo noster vertit, *omne corpus earum, et colla, et manus, et pennæ, et circuli plena erant oculis*, videtur primum et ultimum, id est corpus et circulos, ad rotas; tria vero media, scilicet, colla, manus et alas, ad Cherubinos referre. Pronomen enim *earum*, cum ait *corpus earum*, rotas notat, non Cherubinos, ut patet: licet ex Hebræo, ut dixi, corpus quoque, vel, ut heb. est, caro, proprie ad Cherubinos, metaphorice ad rotas referatur, æque ac colla, manus et alæ. Circuli vero non nisi ad rotas pertinent: quia Heb. *ophannim* non nisi rotas aut circulos rotarum significat.

Symbol. Symbolice, *Rotæ*, ait S. Hieron. *habent colla, manus, et pennas, ut efficientias rerum in singulis, non membrorum imagines sentiamus.* Significant ergo hæc, obsequia a rotis, et a creaturis insensibilibus Deo debita. Nam collum iugo, manus operi, pennæ volatui serviunt, quæ sunt propriissima ad perfecte obediendum instrumenta. Unde rotas, quas primo vocavit אופנים *ophannim*, hic vocat גלגל *galgal*, id est volubiles. Datur ergo hic schema perfectæ obedientiæ, quod ita depingit S. Bernard. trac. de præcepto et dispensatione: *Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, et se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis.* (Schema perfectæ obedientiæ)

Vers. 13 ET ROTAS ISTAS VOCAVIT VOLUBILES.) Deus currus auriga, vel aliquis Cherubinorum inclamavit: O *galgal*, id est, o rotæ, scilicet volvimini, vel agite hoc, vel illud. Subticet enim formam dati præcepti. Ita Vatabl. Secundo, et simplicius, q. d. Rotas has, quæ proprie hebr. vocantur אופנים *ophannim*, Deus ob velocitatem vocavit גלגל *galgal*, id est, volubiles. Unde Septuag. retinent Hebræam vocem, vertuntque, *vocavit Deus Gelgel.* Ita S. Hieron. Chaldæus, et alii.

Rursum, *το volubiles*, significat rotas fuisse ingentes: ingens enim erat currus, utpote Dei. Nam rotæ magnæ magis volubiles sunt, quam parvæ. Hinc Romæ in parvis curribus utuntur rotis ingentibus: experiuntur enim equos in iis trahendis minus laborare, et per eas onera et pondera longe maiora attrahere, quam per parvas. Eas adinvenit magnus ille basilicæ S. Petri (quæ vere orbis est miraculum) architectus *Michael*, qui inde *Bonarota* est cognominatus. Eiusque ratio est clara. Maiores enim rotæ magis aptæ et accommodæ sunt ad rotationem, ideoque magis capaces ad vim et impulsum attrahentis recipiendum, quam sint minores; sicut pila, vel globus magis accommodus est ad motum et rotationem, magisque capax vis impressæ quam sit folium, vel papyrus: unde fit ut eadem vi longius quis proiiciet pilam vel globum, quam folium vel papyrum. Sicut ergo eadem qualitas (v. g. calor) recepta in subiecto capaciori, v. g. densiori, puta in ferro, efficacius et validius agit, quam recepta in subiecto minus capaci, v. g. minus denso, puta in aere, vel aqua: ita et hic eadem vis, idemque impulsus magis movet, rotatque rotas maiores, quam minores; quia illæ his sunt magis accommodæ ad rotationem magisque capaces impulsus et motus, ideoque volubiliores. Ad hæc, quo magis linea, sive peripheria distat a centro, eo celerius (quia maiorem describit circulum, ideoque plus spatii conficit) a vi trahente, vel impellente movetur, atque ob id facilius. In centro enim consistit hæretque pondus et gravitas rotæ, axis et currus: quod proinde a vi trahente per se et directe attrahitur; sed per rotas maiores (utpote volubiliores et celeriores) facilius, per minores difficilius. Rursum, maiores rotæ, quia volubiliores, facilius rotant axem, sive modiolum, et per axem currum, eiusque onera. Pondus enim axis et currus, quod in parvis rotis quasi contrahitur, et circa axem hæret, æque ac rotæ, in magnis rotis, et in magna canthorum peripheria, per eam quasi dispergitur, ideoque minuitur, et quasi evanescit. Quocirca pondus centri, sive axis, minus gravitat in rotis maioribus, quam in minoribus. Adde, maiores habere plures partes impellentes, quam habeant minores. Habent enim plures maioresque canthos in peripheria, qui per impulsum a vi trahente sibi impressum, simul omnes valide impellunt rotantque axem; ideoque facilius eumdem versant et volvunt, quam minores. Ita vidi Coloniæ ad Rhenum ingentes rotas, in quibus unus homo incedens, easque incessu suo versans, per funes cum rota circumactos, ingentia vini plaustra e navibus attollebat et educebat. Simile est in vecte, qui si longus sit maius pondus attollit, quam si brevis. Rursum, si duo in vecte ferant pondus, ille cui pondus est vicinius, magis sentit onus, quia breviori vectis parte illud sustinet, etc. Pulchre hæc ad oculum demonstrat Alexander Piccolomineus in Quæst. Mechanicis. (Rotæ magnæ volubiliores sunt parvis. — Cur? — Vectis longus maius pondus attollit, quam brevis, cur?)

Nota. Rotæ hebraice dicuntur *ophannim*, quod Hebræi volunt esse angelorum certorum nomen, sicut Seraphim, et Cherubim, unde pleni sunt oculis, et spiritus vitæ erat in eis. Erant ergo intellectuales substantiæ Deo propinquæ, uti et Cherubim. Non sunt autem Throni (quia hi sunt thronus Dei: ophannim autem vehunt thronum Dei) sed Principatus, ait Prado. Verum hoc symbolicum est, non literale. Ad literam enim *ophannim* significat rotas; easque veras, et proprias hic intelligi, patet, tum ex eo, quod erant rotæ quadrigæ Dei; tum ex eo, quod vocentur volubiles. (Ophannim, id est rotas, esse angelos censet Prado.)

QUATUOR FACIES HABEBAT UNUM.) Scilicet animal, id est, quisque Cherubim. Ita Septuag. Ex Hebræo quoque vertas, *quatuor facies habebat una*, scilicet rota quælibet. De rotis enim præcessit: et rotas, æque ac Cherubim habuisse quatuor facies dixi vers. 10. Atque est hæc causa, cur prima facies vocetur Cherub, id est bovis. Hæc enim est prima in rotis, uti iam dicam. Vers. 14.

FACIES UNA, FACIES CHERUB.) Id est, *bovis*, ut vertit Arabicus Antiochenus. Ita et S. Hieron. Vatabl. Maldo-

Bos vocatur Cherub quasi rocheb, id est trahens currum.

nat. Prado, et alii. Nota, *cherub* per metathesin idem esse quod *rocheb*, id est equitans, vel agens currum. Quatuor ergo angeli dicuntur Cherubim, quia agebant et præcedebant Dei currum. Hic tamen appropriatur facies, id est forma Cherub, formæ bovis; quia boum proprie est agere currum. Cherub ergo humana erant forma; sed habebant faciem quadruplicem, scilicet bovis, qui hic vocatur Cherub; hominis, leonis et aquilæ. Humana erat primaria, quoad personam; sed bovina erat primaria, quoad currum: boum enim est, non hominum, trahere currum. Primariam personam exposuit cap. 1. hic ergo exposuit primariam speciem currus Cherubici, ideoque vocat eam Cherub: quia eum vidit hic moveri et agitari, quem c. 1. quietum et consistentem viderat: in motu enim et tractu currus primas tenet bos. Dat enim causam cur rotas vocarit volubiles, quia scilicet agebantur a Cherub habente speciem bovis.

Aliter alii. *Pro facie vituli, ponitur facies Cherub*, ait Anton. Fernandius lib. de Visionibus veteris Testament. vision. 16. section. 2. *quia Cherub ad arcam erat specie, non vituli, sed pueri elegantis; ut significetur per faciem vituli, id est, per labores angelorum, quos circa nos impendunt,ut ad pœnitentiam convertant,nos interventu pœnitentiæ, in Cherubinos quosdam converti: quoniam resipiscendo ad veram sapientiam perducimur, qua simus cautiores in posterum.* Censet ergo ipse, Cherubim hic mutasse faciem vitulinam, quam habuerat c. 1. in humanam pueri: et sic R. David, et Pagnin. in Lexico, *Cherub* interpretantur *puer*, quod fuerit specie et facie pueri. Sed obstat, quod sequitur: *Et facies secunda facies hominis.* Ergo prima non erat hominis, sed bovis. Fuerunt enim hic eædem facies, uti et iidem Cherubim, idemque currus, qui fuerunt c. 1. Proinde minus probabiliter Emmanuel Sa e contrario censet, Cherubim faciem primariam humanam, quam habebant cap. 1. mutasse hic in faciem bovinam. Nam secunda facies dicitur hic fuisse hominis, non prima. Denique eosdem fuisse hic Cherubim, et easdem facies, quæ fuerunt c. 1. patet ex v. 20. *Ipsum*, inquit, *est animal quod vidi*, etc. *Et intellexi quia Cherubim essent. Quatuor vultus uni*, etc. *Ipsi vultus quos videram iuxta fluvium Chobar.*

Allegor. Christus est bos.

Allegorice, prima facies Christi et dignitas est, quod quasi bos, victima fuerit immolatus pro hominibus, et per hanc factus est Cherub, id est gloriosum nomen, æque ac corpus accepit, ut esset mundi redemptor.

S. Thomas Aquinas, cum a condiscipulis ob modestiam et iuge silentium rideretur, bosque mutus nuncuparetur, ab Alberto Magno præceptore suo defensus, audiit: *Bos hic mutus brevi edet vocem, quam totus exaudiet orbis.* Ita factum, cum scilicet bos hic laborando, docendo, scribendo versus in gloriosum Cherub, Angelici Doctoris nomen accepit. Hunc sequere, o Christiane, o Religiose, o doctor, o prædicator; et angelus, imo Cherub et Seraph, efficieris. Labor ergo boves facit angelos et Cherubinos. Unde

Tropol. bos symbolum est laboris, qui nos facit Cherubos.

Tropologice, bos symbolum est laboris. Hinc bovem, bovisque symbolum ita pingit Ovid. 15. Metamorph.

Quid meruere boves, animal sine fraude doloque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?

Unde Ægyptii, teste Pierio in Hieroglyph. volentes laborem pingere, pingebant caput bovis: et Romani illud corollis, corymbis et sertis redimire solebant (qualis corona, sive fascia molem operosam Hadriani hic Romæ, quæ nunc castellum S. Angeli dicitur, ambiebat, cuius frusta adhuc cernuntur) ut significarent fructus et glorias ex labore manantes, scilicet, quod labores faciant Cherubos, id est angelos nobilissimos et gloriosissimos. Id in primis præstant labores virorum Apostolicorum, qui Evangelii et Ecclesiæ Christi currum per totum orbem circumagunt. Ita Claudianus in nuptiis Honorii:

Herculem, ait, *duri celebrant labores,*
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit sævo spolium leoni,
Cerberum traxit triplici catena;
Ultimus cælum labor in reflexo
Sustulit collo, pretiumque rursus
Ultimi cælum meruit laboris.
Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Ducit exempli via.

Sallust. in Iugurtha: *Audivi*, ait, *sæpe a sanctis viris, munditiam mulieribus, laborem viris convenire; hominibus bonis oportere plus gloriæ, quam divitiarum esse.*

Gnomæ et exempla laboris.

Alexander Magnus videns suos post tot prælia remissiores factos, et luxui indulgere, eos modeste reprehendit, dicens: *Nihil magis servile est, quam luxuriari; nihil magis regium, quam laborare.* Ita Plutarch. in Alexandro.

Arrianus lib. 5. histor. *Ego*, ait, *nullum generoso viro laborum finem statuo, quam labores ipsos, qui ad gloriam et decus ducunt.*

Democritus dicebat omnes labores otio iucundiores esse, quando illa consequuntur homines, quorum gratia laborant, aut consecuturos se sciunt. Ita Stobæus serm. 29. Idem rogatus quomodo laboriosi differrent a desidiosis: Quo, inquit, pii ab impiis: spe nimirum bona. Sperant enim qui corpus laboribus exercent pinguia laborum præmia: desides autem semper præsentem intuentur paupertatem. Ita Maximus serm. 32.

Diogenes, teste Laertio lib. 6. cuidam monenti, ut iam senex, quiesceret a laboribus: *Quid*, inquit, *si in stadio currerem, utrum oporteat iam metæ vicinum cursum remittere, an magis intendere?*

Ptolemæus initio Almagesti: *Quanto*, inquit, *magis fini appropinquas, tanto magis bonum cum augmento operare.*

Severus Imp. teste Spartiano, symbolum tribuno dari iussit, *laboremus:* Pertinax vero, *militemus.*

Alfonsus rex Arag. seni cuidam ebrietatem suam excusanti, quod vinum esset lac senum, respondit: *Sed regum cibus est honos, quem dii non otio aut luxu, sed improbis laboribus hominibus vendunt.* Ita Panorm. in gestis eius.

Florus hos versus scripserat in Cæsarem Hadrianum:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Cui Cæsar respondit:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Ita Svetonius.

Præclare Philo lib. de Sacrif. Abelis: *Sicut*, ait, *a cibo pendet tota vita, cum suis actionibus: ita a labore pendet quidquid in rebus bonum est. Sicut enim cibus se habet ad vitam, sic labor ad honestatem.*

Ita Vespasianus, Masinissa rex Numidarum, Carolus Magnus, et Maximilianus primus Imp. laboribus assiduis, et valetudinem tuiti sunt, et imperium propagarunt.

Laertius scribit Cleantem Philosophum, vocatum fuisse alterum Herculem, quod esset omnium laborum patientissimus, adeo, ut noctu hauriret aquam e puteo, ut sibi victum pararet: unde et φρεαντλης vocatus est.

Brachmanes Philosophi pueros impransos extrudebant foras, si quando nihil operæ vel parentibus, vel suis rebus necessariis dedissent.

Parthi, teste Dionys. l. de situ orbis, cavebant, ne quis exorto die ante liberis victum præberet, quam cursus iaculandique certamine suscepto, sudore circumquaque diffuso fessus permaduisset.

Idem etiamnum observant nonnulli Indorum reguli, ideoque vegeti perdurant ad longam ultimamque senectam, ut e literis nostrorum Patrum, qui in Indiis versantur, intellexi.

Narratur de rustico morituro, qui vocatis filiis, *Vobis*, ait, *parce vivendo quidquid potui in vita mea recondidi, idque totum in vinea nostra quærere poteritis.* Mortuo patre filii putantes eum in vinea thesaurum abscondisse, ligonibus totum vineæ solum perfodiunt, ac thesaurum quidem invenere nullum; terra tamen fodiendo perculta, vites uberrimum fructum tulere.

Hæc Gentiles. Quid hic dicant, quid faciant Christiani? quibus pro modico labore æterna quies et beatitudo promittitur, quibus assidue tuba Apostolica insonat: *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* qui ducis sui Christi Domini continuos labores et fatigationes, amore sui susceptos intuentur, audiuntque eum inclamantem: *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea:* laborem labori, amorem amori repende: qui Anachoretarum duras exercitationes, Apostolorum itinera et pericula, Virginum certamina, Episcoporum vigilias, Martyrum agones quotidie legunt, audiunt, celebrant: qui Laurentios, Stephanos, Vincentios, Hilariones, Antonios, Agnetes, Cæcilias; qui Petros, Paulos, Thomas, Andreas in hac arena luctantes, præsultantes, vincentes et triumphantes aspiciunt: qui Deum agonothetem, in hoc brevi stadio fortiter laborantes intuentem, eisque bravia immensa adornantem et ostentantem contemplantur. Quid non vincat Dei, quid non Christi amor? Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, etc. Quis non esuriat labores, quis non sitiat cruces Christi amore, qui scit quis quantusque sit Deus, cui vitam et omnia nostra debemus; qui scit quantus Christi in nos sit amor, qui eum ad nostram carnem, crucem et mortem atrocissimam adegit et impulit? Præclare S. Hieron. ad Eustochium de custod. virg. *Hæc,* ait, *est sola digna retributio, cum sanguis sanguine* (sudor sudore, labor labore) *compensatur; et redempti cruore Christi, pro redemptore libenter occumbimus. Quis sanctorum sine certamine coronatus est?* Et, *Amemus Christum, eiusque semper quæramus amplexus, et facile videbitur omne difficile: brevia putabimus universa quæ longa sunt: et iaculo illius vulnerati, per singula momenta dicemus: Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est.* Et S. Bernard. ad Cleric. c. 30. *Non sunt,* ait, *condignæ passiones et labores huius temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur: non ad præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur: non ad futuram gloriam, quæ promittitur.* Idem alibi dat stimulum, simul et dulciarium laboris: *Ubi amor,* inquit, *ibi non est labor, sed sapor:* qui ergo laborem sentit, deficit in amore. Ut ergo laborem non sentias, ama. Amanti enim nil difficile, sed currit, volat, superat omnia ardua.

Et in tertio.) Non animali, sed aspectu, q. d. Tertia facies erat leonis.

Et in quarto.) Id est, quarta erat, aquilæ. Quodque enim animal in aspectu ad quatuor latera, quatuor hasce habebat facies.

Vers. 15. Elevata sunt Cherubim.) Alis, quasi volando in altum.

Ipsum est animal.) Est enallage numeri singularis pro plurali, q. d. Ipsa sunt quatuor animalia, quæ videram iuxta fluvium Chobar c. 1. v. 13.

Vers. 16. Cumque ambularent Cherubim, ibant pariter et rotæ.) Significat Primo, nec in regnis, nec in Ecclesia, quæ est currus Dei, fieri motus, tumultus, vicissitudines, mutationes, sine Dei et angelorum providentia. Ita Scholiastes. *Nihil,* ait S. August. l. 3. de Trin. 4. *fit visibiliter et sensibiliter quod non de interiore, invisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica.*

Secundo, significat quod, si Cherubim, id est Prælati, exemplo præeant currum, id est fideles, eos mox secuturos: quia spiritus vitæ, qui agitat supra terram Cherubim ad volandum, excitat rotas ad sequendum pernicissime in terra: sed ita, ut vix in puncto terram tangant. Qui et si plane in altum elevarentur Cherubim, elevabantur pariter et rotæ, eos sequentes, uti sequitur. Hoc est quod iis præscribit S. Petrus epist. 1. cap. 5. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei,* etc. *Neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

Et egressa est gloria Domini a limine templi.) Vers. 18.
Id est, a limine portæ atrii interioris sacerdotum.

Et stetit.) Est hebraismus, id est, stans super Cherubim. Numquam enim ab eis, et suo solio recessit. Deseruit ergo Deus templum, et Iudæos tempore Ezechielis ad tempus; ac plane, et in perpetuum tempore Christi: quia vera Dei religio et fides migravit ad Gentes.

Elevantia.) Cherubim est masculinum, sed Septuag. Vers. 19.
et Græci faciunt neutrum. Hos sequitur S. Hier. vertens, *elevantia,* et S. Paulus Hebr. 9. v. 5. intelliguntur enim animalia. Ait enim de iis: *Ipsum est animal.*

Stetit in introitu portæ.) *Portæ,* scilicet atrii populi.

Et gloria Dei, id est, thronus gloriosus Dei, erat super ea) En quam ægre suam domum deserit Deus! quot stationes facit!

Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israel.) Vers. 20.
Puta, sub imagine electrina, quæ Deum referebat, insidebatque solio, quod erat supra firmamentum, et capitibus Cherubim imminebat c. 1. v. 26.

Quia Cherubim essent.) Id est, quia similes essent Cherubinis templi nostri, quos omnes Hebræi, maxime sacerdotes, qualis sum ego Ezechiel, novimus.

Et similitudo manus hominis sub alis eorum.) *Ma-* Vers. 21.
nus significant executionem, *alæ* celeritatem. Manus ergo hic needum exerta, sed adhuc sub pennis quasi latens, est quasi gladius intra vaginam; ut tacita quidem sit interminatio, sed quæ habeat alas, ad celerem et certam executionem vindictæ, excidii et incendii Hierosolymæ.

Intuitus eorum.) q. d. Ipso intuitu et oculis indica- Vers. 22.
bant singuli se ad anteriora properare.

Et impetus.) Hebr. אותם *otam;* Septuag. *ipsamet,* vertunt enim, *et ipsamet* (animalia) *secundum faciem suam ambulabant.* Alii apud Vatabl. vertunt, *essentiæ eorum;* S. Hieron. *signum eorum:* אות *ot* enim hebr. significat signum, q. d. Impetus eorum, puta Cherubinorum, erat signum eos coram facie ad anteriora ferri, ac procedere; non vero regredi. Hoc toties repetitum significat Allegorice, Dei aurigæ constans decretum deserendi Synagogam, ac sensim migrandi ad Ecclesiam Gentium.

Tropologice, significat vitam Sanctorum esse progredi, non regredi. Quid enim ipsa est aliud, quam iter proficientium? quam navigantium? quam peregrinantium? quam currentium in stadio? ut ait Apostolus 1. Cor. 9. v. 24. Hebr. 11. 13. Philip. 3. 12. Qua in re præcedit nos dux noster Christus Dominus: qui, ut ait Psaltes ps. 18. 6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam:* cuius proinde nomen est, *Accelera spolia detrahere, festina prædari,* Isaiæ 8. 3. Ita Prado. Unde et S. Hieron. *Intuitus,* inquit, *Cherubim, et appetitus eorum est oblivisci præteritorum, et in futura se extendere.* Denique Christus Matth. 11. 12. *Regnum,* ait, *cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Sine vi ergo continua cælum non conscendes: arduos, laboriosos, imo violentos dumtaxat cælum recipit, est enim domus fortium: est domus philoponi. Labor ergo est Cherub, qui Eliam curru igneo eo vexit, nosque pariter vehet. Quocirca Abbas Athanasius apud Sophronium in Prato spirit. c. 130. audiens choros laudantium Deum, volensque ad eos ingredi, audivit a Cherubo, ab angelo inquam: *Nemo negligens huc ingreditur, abite, certate, contemnite vanitates sæculi.*

Vita Sanctorum est progredi, non regredi.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudæis, qui contra Dei iussum remanserant in Ierusalem, prædicit excidium: iis vero, qui Deo et Ieremiæ obedientes tradiderant se Chaldæis, ductique erant in Babylonem, promittit v. 6. reditum in Ierusalem; atque ab his avolans ad Christianos promittit eis cor carneum, et spiritum novum.

1. ET elevavit me spiritus, et introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ respicit ad solis ortum: et ecce in introitu portæ viginti quinque viri: et vidi in medio eorum Iezoniam filium Azur, et Pheltiam filium Banaiæ, principes populi. 2. Dixitque ad me: Fili hominis, hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem, et tractant consilium pessimum in urbe ista, 3. Dicentes: Nonne dudum ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes. 4. Idcirco vaticinare de eis, vaticinare fili hominis. 5. Et irruit in me spiritus Domini, et dixit ad me: Loquere: Hæc dicit Dominus: Sic locuti estis domus Israel, et cogitationes cordis vestri ego novi. 6. Plurimos occidistis in urbe hac, et implestis vias eius interfectis. 7. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Interfecti vestri, quos posuistis in medio eius, hi sunt carnes, et hæc est lebes: et educam vos de medio eius. 8. Gladium metuistis, et gladium inducam super vos, ait Dominus Deus. 9. Et eiiciam vos de medio eius, daboque vos in manu hostium, et faciam in vobis iudicia. 10. Gladio cadetis: in finibus Israel iudicabo vos, et scietis quia ego Dominus. 11. Hæc non erit vobis in lebetem, et vos non eritis in medio eius in carnes: in finibus Israel iudicabo vos. 12. Et scietis quia ego Dominus: quia in præceptis meis non ambulastis, et iudicia mea non fecistis, sed iuxta iudicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati. 13. Et factum est, cum prophetarem, Pheltias filius Banaiæ mortuus est: et cecidi in faciem meam clamans voce magna, et dixi: Heu, heu, heu, Domine Deus: consummationem tu facis reliquiarum Israel? 14. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 15. Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, et omnis domus Israel, universi, quibus dixerunt habitatores Ierusalem: Longe recedite a Domino, nobis data est terra in possessionem. 16. Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia longe feci eos in gentibus, et quia dispersi eos in terris: ero eis in sanctificationem modicam in terris, ad quas venerunt, 17. Propterea loquere: Hæc dicit Dominus Deus: Congregabo vos de populis, et adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel. 18. Et ingredientur illuc, et auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes eius de illa. 19. Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum: et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum: 20. Ut in præceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant, faciantque ea: et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. 21. Quorum cor post offendicula et abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus. 22. Et elevaverunt cherubim alas suas, et rotæ cum eis: et gloria Dei Israel erat super ea. 23. Et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem, qui est ad orientem urbis 24. Et spiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam ad transmigrationem, in visione, in spiritu Dei: et sublata est a me visio, quam videram. 25. Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi.

Vers. 1. INTRODUXIT ME.) Scilicet ab atrio sacerdotum (ubi c. 9. v. 6. vidi eorum cædem; et cap. 10. v. 4. et 6. ibidem audivi sententiam a Deo ferri de Ierusalem incendenda) ad portam Orientalem atrii laicorum, ubi scilicet constiterat Dei gloria.

QUÆ RESPICIT AD SOLIS ORTUM.) Est pleonasmus. Idem enim est quod Orientalis, uti præcessit. Hæc porta erat celeberrima, quia inde cernebatur augustissima templi facies, ad Orientem conversa.

VIGINTIQUINQUE VIRI.) Non sacerdotes, uti illi necei a Deo destinati, cap. 8. 16. sed, ut sequitur, principes populi. Tradunt enim Hebræi, Ierusalem in 24. vicos fuisse distributam, et quisque vicus suum habebat ducem, vel principem (uti etiamnum fit Romæ.) Erant ergo 24. Porro vigesimus quintus videtur esse præses omnium, et gubernator urbis. His respondent 24. seniores Ecclesiæ, Apoc. 4. 4. Hi ergo 24. principes hic conveniunt ad portam templi, ut de rep. consultent.

IEZONIAM FILIUM AZUR.) Alius ergo fuit hic a Iezonia cap. 8. v. 11. ille enim fuit filius Saphan.

Vers. 3. NONNE DUDUM ÆDIFICATÆ SUNT DOMUS? HÆC EST LEBES, NOS AUTEM CARNES.) Vatabl. vertit, *non in propinquo est contritio, ædificemus domos.* Sic et Pagnin. et alii. Septuag. cum nostro legunt per interrogationem: *non*, id est nonne, noviter *ædificatæ sunt domus?* Sunt verba principum aliquorum, q. d. Domus et muri Ierusalem instar lebetis, sunt ferrei et fortissimi, quis ergo timeat Chaldæos? Esto viderit Ieremias cap. 1. lebetem, id est, ollam succensam, et nos quasi carnes ea coqui; tamen non extrahemur olla, id est Ierusalem, nisi decocti, id est, in extrema senecta. Ita Theodor. Carnes enim olla eximi non solent, nisi percoctæ sint, inquit Maldon.

Secundo, aliter S. Hieron. et Origen. quasi sint verba aliorum principum contrariæ sententiæ: q. d. Esto Ierusalem sit muris ferreis cincta, nos tamen in ea, quasi carnes in lebete, a Chaldæis succendemur et coquemur; fugiamus ergo in Ægyptum.

Tertio, et plene. Suadebat Ieremias Iudæis, dicens: Dedite vos Chaldæis et vivetis; sin eis repugnetis, urbs succendetur, vosque peribitis. Iudæi contra: Non est quod timeamus Chaldæos in urbe tam munita. Contra Ieremias: Vidi, ait, Ierusalem quasi ollam succensam. Videris, inquiunt Iudæi, attamen post hoc iam diu vidimus, et, ut Septuag. noviter videmus ædificari domos: non ergo verum est Ieremiæ vaticinium; nec vulgo illud timent. Et esto Ierusalem sit olla vel lebes, nos simus in ea carnes; malumus tamen coqui et cremari in ea, quam gladio iugulari, si nos Chaldæis dedamus. Est ironia, q. d. Non ignem timemus in urbe, sed gladium foris. Patet v. 8. Urbs enim quasi lebes munitissima nos, quasi carnes servabit et tutabitur.

Symbolice, Nota hic impios et carnales, animos suos ad ollas deprimere, illas amare, in illis habitare; ut dicant suo sensu illud psalm. 59. 10. *Moab olla spei meæ.* Ita Hebræi Ægypto egressi mox murmurare cœperunt: *Utinam*, inquiunt, *mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium*, illis toto corpore, mente, affectu et gula incubantes, Exodi 16. 3. Hoc facit in eis perpetua gulæ aviditas et consuetudo. Non enim aliud faciunt, quam illam irritare assidue vorando et potando. Ea est vis consuetudinis et exercitationis. Id pulchro duorum caniculorum exemplo, Spartanis ostendit ad oculum Lycurgus. Nam geminos catulos eiusdem matris, haud similibus educavit moribus: alterum enim domi alendo helluonem, alterum foris exercendo sagacem et venatorem reddidit. Postea cum Lace-

Carnales in ollis habitant.

Licurgi exemplum.

dæmonii convenissent in unum locum: *Ad parandam*, ait, *virtutem ingens est momentum doctrina et consuetudo: quod vobis illico ostendam.* Mox duos catulos adducens, cum ollam in medio, leporemque coram eis posuisset, alter quidem in leporem, alter in ollam magno erupit impetu. Tum ille: *Hi ambo iisdem orti parentibus, cæterum diversam vitæ consuetudinem asseculi, alter gulosus, alter venator evasit.* Ita Plutar. in Lycurgo.

Vers. 7. INTERFECTI VESTRI, SUNT CARNES.) q. d. Non vos estis carnes in Ierusalem quasi olla coquendæ et sepeliendæ, uti vultis vos, o Iudæi; sed carnes sunt Prophetæ, quos quasi victimas Dei mactastis: vos vero ex Ierusalem abducemini, indigni qui in ea sepeliamini, occidendi in Reblata v. 10. Ita Orig. et Polychr.

Vers. 8. GLADIUM METUISTIS.) Id est, noluistis vos tradere Babyloniis, uti iussit Ieremias, metuentes ab eis occidi: hinc gladius eorum vorabit vos. Porro hæc affirmatio tacitam continet negationem. q. d. Non timuistis captivitatem, sed gladium, id est bellum a Chaldæis, ideoque contra eos opem petistis ab Ægyptiis, Ierem. 2. 18. quocirca utrumque vobis immittam, scilicet gladium, quem timebatis; et captivitatem, quam non timebatis. Ita Maldon.

Vers. 9. IUDICIA.) Iustam ultionem.

Vers. 10. IN FINIBUS ISRAEL.) In Reblata, quæ est in finibus Israel.

Vers. 11. IUDICABO, Chald. *ulciscar vos;* quia ibi Nabuchodonosor principes occidit, et Sedeciam excæcavit, Ierem. 39. v. 6. q. d. Non in olla, id est in Ierusalem, uti vos iactatis; sed in finibus Israel moriemini, imo occidemini. Quocirca HÆC (Ierusalem) NON ERIT VOBIS IN LEBETEM, ET VOS NON ERITIS IN MEDIO EIUS IN CARNES, q. d. Ierusalem quasi lebes vos quasi carnes tueri non poterit; quia IN FINIBUS ISRAEL (in Reblata) IUDICABO, id est puniam et occidam, vos.

Vers. 13. CUM PROPHETAREM, PHELTIAS FILIUS BANAIÆ MORTUUS EST.) Cum in Babylone existens, spiritu raptus in Ierusalem viderem et audirem Deum, eiusque verba viderer mihi proponere principibus Iuda; ecce in spiritu vidi unum ex eis mori, scilicet Pheltiam: ut sicut sacerdotes cap. 9. v. 6. ita hic principes per sex viros, de quibus cap. 9. v. 2. cædere Deus incipiat.

ET DIXI: HEU, HEU.) Licet enim Pheltias esset impius, deque eius nece gaudendum esset, tamen ingemuit Propheta: quia cæso Pheltia duce populi, timebat ne pariter totus eius populus cæderetur.

Vers. 15. FRATRES TUI, id est propinqui, scilicet Iudæi tecum abducti in Babylonem, et tradentes se Chaldæis, ridentur ab Hierosolymitanis, id est, a Iudæis, qui se dedere noluerunt Chaldæis. Hi enim eis subsannando, dicunt: RECEDITE A DOMINO.) Id est ab urbe, et templo, ac hæreditate Domini, abdicate vos iure Israelis. Vos Dominus a se procul esse voluit, nobis autem promissionis terram distribuit. Idcirco ait Propheta, imo per eum Deus: E contrario omnia fient. Nam vos neci tradam, illos vero reducam, ut sint seminarium posteritatis, et hæredes Ierusalem. Ita Theodor. et S. Hieron. Est aposiopesis Hebraica. *Fratres tui*, subaudi, *irridentur, et subsannantur*. Sensus ergo est, q. d. Iudæi, qui contra Dei iussum Hierosolymæ manent, nolentes se dedere Chaldæo, quique gloriantur suo templo, quod illud retineant et incolant: hi, inquam, vere non habent templum, quia solos templi parietes retinent, sine Deo. Nam ego Deus, omnisque mea gloria iam a templo, et Iudæis recessit, uti dixi cap. præced. v. 4. et 18. Rursum hi ab illis ipsis templi et urbis parietibus, quos retinent paulo post ignominiose a Chaldæis eiicientur: Iudæi vero, qui me iubente se dedidere Chaldæo, et transmigrarunt in Babylonem, quosque alii manentes in Iudæa putant esse sine templo, et sine Deo, hi in Babylone templum habent; quia me habent, qui ero illis in templum invisibile ad modicum tempus, donec paulo post eos in patriam, ad templum visibile reducam. Ita Maldon.

Vers. 16. ERO EIS IN SANCTIFICATIONEM MODICAM.) Hebraice למקדש *lemikdas*, id est in sanctuarium, vel templum

A modicum. Vatabl. *paucorum*, q. d. Licet me iubente templum Iudææ deserant, dabo tamen eis in Babylone aliud templum, quod ipsi adeo desiderant, puta, dabo eis locum, et oratorium, in quo ipsi pauci me colant, et ex quo quasi e templo, ego illos exaudiam, consoler, tuear, prospiciam. Id ita factum esse colligimus ex Psal. 136. v. 1. Vocat *modicum*, quia in exilio non habebant templum, sed oratorium. Rursum *modicum*, id est modico tempore duraturum. Allegorice, hoc verius factum est, cum Deus per Christum novam Ecclesiam paucorum ædificavit in Sion: eo enim assurgit Propheta.

Aliter S. Hieron. q. d. In Babylone sanctificabo eos, id est, ab idololatria avertam, ut me sancte colant. Mutabo cor eorum pravum, dabo eis cor pium, rectum, mundum et sanctum. Rursum Scholiast. q. d. Modicos, id est paucos, sanctos eis dabo, scilicet, Danielem, tres pueros, Zachariam Prophetam, etc. Denique Theodor. q. d. Sanctificationem, id est consolationem modicam eis afferam, nimirum promittendo eis, quod brevi captivitate liberabun- B tur. Unde alii vertunt, *et ero eis in sanctificationem ad modicum tempus.*

LOQUERE.) Scilicet Iudæis in Babylone captivis, ut eos Vers. 17.
consoleris. Huc usque enim Propheta locutus est Iudæis in Ierusalem manentibus, iisque tristia prædixit: iam vero captivis læta, lætamque liberationem promittit, idque hoc fine, ut Iudæi obedientes, et in Babylone captivi sibi gratulentur: inobedientes vero, et in Iudæa remanentes compungantur et pœniteant.

CONGREGABO VOS.) Sub Zorobabel, Esdra, Nehemia reducam vos e Babylone in terram Israel. Ita S. Hieronymus.

AUFERENT OMNES OFFENSIONES, CUNCTASQUE ABOMI- Vers. 18.
NATIONES.) Id est idola, quibus Deum offendebant, ideoque ad omnes clades pariter offendebant et impingebant. A reditu enim e captivitate numquam Iudæi publice coluerunt idola, sed Deum verum. Ita Theodor. et Prado: Israelitæ, inquit, quasi igne captivitatis excocti in Babylone, rubiginem idololatriæ deposuerunt.

C ET DABO EIS COR UNUM.) Id est unanime, amicum et Vers. 19.
consentiens, ut scilicet unanimi consensu Deum patrum suorum colant: quos veteres vocarunt *unicordes*, pro quibus orat Christus, *Ut omnes unum sint*, Ioan. 17. 21. De his dicitur Actor. 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una.* Vel *unum*, id est totum, et integrum, non divisum, non duplex: ut scilicet, uno corde Deum, altero idola colant. Ita Chald. R. David, et Maldon. Sic Ecclesiastici 2. v. 14. dicitur: *Væ duplici corde.* Et ps. 11. 3. *In corde et corde locuti sunt.* Hypocritæ enim et fraudulenti videntur habere duo corda, unum intra pectus, alterum in labris; similes perdicibus Paphlagoniæ, quæ bicordes sunt, ideoque fraudulentæ et perniciosæ, testibus Plinio lib. 11. 37. Æliano lib. 10. de Animal. c. 35. Gellio l. 16. c. 15. unde et S. Ambros. lib. 6. Hexam. c. 3. perdicem dictam vult a perdendo. Septuag. vertunt *dabo eis cor alterum*, id est, aliam voluntatem. Videntur ipsi pro אחד *echad*, id est *unum*, legisse אחר *acher*, id est *alterum*.

(Dolosi sunt bicordes ut perdices.)

D ET SPIRITUM NOVUM.) Novam mentem, voluntatem, impetum ad Dei iussa et obsequium, etiam per ardua virtutis opera peragendum; eumque eis inditum vi gratiæ Spiritus sancti aspirantis, et impellentis animum ad hæc heroica facinora.

Nota, hæc inchoate impleta esse in Iudæis Babylone redeuntibus ad novum Dei unius cultum, et ad novam vitam, novosque mores: sed plene hæc facta sunt in Christianis e captivitate peccati redeuntibus, quos Iudæi hi repræsentabant.

AUFERAM (Septuag. *extraham*) COR LAPIDEUM, durum et intractabile; ET DABO EIS COR CARNEUM.) Id est, molle, facile, obediens, flexibile. Quocirca S. August. 18. contra Faustum c. 4. Cor, ait, lapideum est voluntas sine sensu; cor carneum est voluntas cum sensu, scilicet et gustu rerum divinarum. *Auferam*, inquit August. *eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum, id est non cor sine sensu, sed cor cum sensu: unde traxit Apost. cum* ait 2. Corinth. 3. 3. *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis*

carnalibus. Quid enim aliud dixit, quam cor carneum? Idem l. de Gratia et l. arbit. c. 14. *Quia*, ait, *lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum; cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari?* Et infra: *Cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem, et adversus Deum omnino inflexibile est.* Mox c. 15. obiicit S. August. ex mente Pelagii: Si Deus aufert cor lapideum, quomodo ergo Iudæis ait Ezechiel cap. 18. 31. *Facite vobis cor novum, et spiritum novum?* ac respondet: *Meminerimus ipsum dicere, Facite vobis cor novum, et spiritum novum, qui dicit, Dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo vobis. Quomodo ergo quod dicit, Facite vobis, hoc dicit, Dabo vobis? quare iubet si ipse daturus est? quare dat si homo facturus est, nisi quia dat quod iubet, et adiuvat ut faciat cui iubet?* q. d. Deus dat cor novum et spiritum novum, aspirando homini gratiam prævenientem, et cooperantem, qua excitatus homo, eique libere cooperans, faciat sibi cor novum et spiritum novum. Cor ergo novum et est Dei præmoventis, et hominis Deo cooperantis. Sic etiam explicant S. Hieronymus, Theod. et passim interpretes, et doctores Orthodoxi. Simili schemate dixit Ovidius:

Natus es in scopulis, nutritus lacte ferino,
Et dicam silices pectus habere tuum.

Plura de corde carneo et lapideo dicam cap. 36. v. 26.

Nota. Deus aufert cor durum et obstinatum in peccatis, et dat cor carneum, molle et obediens sibi. Primo, quia aufert duritiem, quæ est qualitas naturalis; corporea, in corpore, v. g. lapide; spiritalis, puta obfirmatio et pertinacia, in anima. Potest autem eam auferre negando tantum concursum, qui ad eius sustentationem et conservationem est necessarius. Rursum duritiem aufert auferendo difficultates, quæ quasi lapis voluntatem gravant, deprimunt et obdurant, v. g. apprehendit luxuriosus impossibile esse sibi abstinere a fornicatione, quia consuetudinem, quæ est quasi altera natura, sibi induxit. Accdus apprehendit suam pusillanimitatem et infirmitatem; ob quam putat sibi esse impossibile arduam virtutis viam capessere. Deus has aufert, ostendendo rationi per gratiam suam viresque divinas possibile, imo facile esse hæc omnia vincere, et multos Sanctos ea vicisse.

Secundo, quia mollitiem indit animæ; Primo, ostendendo rationi planum esse virtutis iter, et quidquid in ea est arduum fortiter facileque superari, tum per opem Dei, tum considerando et comparando illud cum immensitate et æternitate tam præmiorum cælestium, quam pœnarum infernalium; tum alia similia motiva rationi proponendo ita vivaciter, ut ipsa illa penitus apprehendat, æstimet et ponderet pro rerum gravitate et dignitate. Deus enim non tantum proponit obiectum, sed simul aperit intellectum, ut illud bene penetret et ponderet: ita Actor. 16. 14. Deus aperuit cor Lydiæ, ut intenderet iis quæ dicebantur a Paulo. Rursum voluntati indit pias affectiones, impulsus, corroborationes, consolationes, etc. quibus anima excitatur et aspirat ad virtutem quantumvis arduam, sensimque superat omnes obices et propensiones contrarias. Qua de re exemplum de seipso illustre refert S. August. lib. 8. Confess. 11. et lib. 9. cap. 1. ubi inter cætera ait: *Quam subito factum est mihi suave carere suavitatibus nugarum! eiiciebas enim eas tu, et intrabas pro eis, mea vera et summa suavitas: atque ita quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat.*

Denique Deus solus omnipotentia et omnipotente sua voluntate comprehendit et continet voluntates singulas, tam hominum, quam angelorum, illisque solus illabi potest, easque suaviter allicere et flectere, ut ipsæ libere consentiant, seque flectant ad omnem Dei nutum, uti docet S. August. l. de Corrept. et grat. c. 13. et S. Thom. q. 6. de verit. art. 3. ubi ait Deum, quando vult aliquem convertere, dare ea quæ aptissima sunt ad movendam voluntatem, tollendo impedimenta passionum et tentationum, ac faciendo ut nulla ratio boni appareat in opposito, nulla difficultas in eo quod est eligendum. Rursum S. August. lib. de Spiritu et lit. cap. 38. in hoc ponit efficaciam gratiæ quod illa faciat, ut nihil nos lateat eorum quæ pertinent ad iustitiam, et ea sic animum delectet, ut quidquid aliud voluptas vel dolor invehit, delectatio illa superet. Ita flexit Deus cor Pauli persecutoris, ut tactus a Deo mutaret prorsus propositum et mentem, factusque Paulus ac discipulus, diceret: *Domine quid me vis facere?* Actor. 9.

IUDICIA.) Mandata iusta.

FACIANT.) Perficiant. Hoc enim Hebræis est *facere*, scilicet perficere, exacte facere, absolvere: significatur enim actus completus, non inchoatus. Vers. 20

ET SINT MIHI IN POPULUM; ET EGO SIM EIS IN DEUM.) Primo, active, ut scilicet, ipse quasi meus populus, me suum regem et Deum adoret et colat: ego vicissim eum quasi populum meum tuear, alam, regam. Secundo passive: ipsi erunt populus a me custoditus, alitus, gubernatus: ego vicissim ero eorum Deus ab eis cultus, amatus, invocatus.

VIAM, id est facta et merita, IN CAPITE SUO PONAM.) Vers. 21.
Id est, in capite eorum ulciscar, q. d. Puniam eos pro meritis. Respicit Iudæos Hierosolymæ Deo invito remanentes.

ET ASCENDIT GLORIA DOMINI.) q. d. Imago illa electrina, de qua c. 1. v. 27. Deum repræsentans, discessit a Ierusalem, et a templo. Vers. 23.

STETITQUE SUPER MONTEM, QUI EST AD ORIENTEM URBIS.) Id est, ut Chald. Theodor. Polychr. S. Hieron. stetit supra montem Oliveti, ut inde incendium et vastationem Hierosolymæ spectet, utque inde peracto suo opere remigret in cælum. Allegorice, ut significet Christum ex eodem monte in cælum conscensurum. Denique, ut ex hoc monte expectet et spectet novam Ierusalem, quasi phœnicem ex veteris cineribus resurgentem in Sion, puta, Ecclesiam Christi: quæ recte Primo, oliva et olivetum dicitur; quia oleum et misericordiam a Deo consecuta, et plantis semper virentibus, scilicet sanctis animabus, consita est.

Secundo, dicitur esse ad Orientem: quia orientis Solis, id est gratiæ Dei, radios excipit. Hanc novi iustitiæ Solis felicitatem, posterioribus sæculis in Ierusalem restaurata et renovata orituram, prospectans Baruch cap. 4. vers. 36. exultans clamat: *Circumspice Ierusalem ad Orientem, vide iucunditatem a Deo tibi venientem;* et cap. 5. v. 5. *Exurge Ierusalem, et vide collectos filios tuos ab oriente sole.* Vide Euseb. 6. Demonstr. 1. et dicta Ierem. 11. 16.

ADDUXITQUE, reduxit me spiritus ex Ierusalem, IN Vers. 24.
CHALDÆAM.) Ezechiel corpore et reipsa erat in Chaldæa: sed quia spiritu raptus et ductus fuerat in Ierusalem; hinc eodem nunc visione peracta, reducitur, non corpore, sed mente et spiritu. Hæc enim omnia per visionem in mente et spiritu facta sunt, ut ait hic Propheta.

AD TRANSMIGRATIONEM.) Id est, ad captivos qui mi- Vers. 25.
grarant in Babylonem, cum quibus corpore degebam. Nam cap. 8. v. 1. ait: *Ego sedebam in domo mea, et senes Iuda sedebant mecum.*

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ezechiel convasando sua, et transmigrando vespere velatis oculis, portendit fugam Sedeciæ et principum ex urbe capta, eiusque comprehensionem et excæcationem a Chaldæis insequentibus. Secundo, v. 17. iubetur comedere et bibere in conturbatione et mœrore, ut repræsentet idem facturos cives obsessa Ierusalem. Tertio, v. 21. docet non differenda hæc diu, sed brevi reipsa esse complenda.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas: qui oculos habent ad videndum, et non vident: et aures ad audiendum, et non audiunt: quia domus exasperans est. 3. Tu ergo fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, et transmigrabis per diem coram eis: transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si forte aspiciant: quia domus exasperans est. 4. Et efferes foras vasa tua quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum: tu autem egredieris vespere coram eis, sicut egreditur migrans. 5. Ante oculos eorum perfode tibi parietem: et egredieris per eum. 6. In conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine effereris: faciem tuam velabis, et non videbis terram: quia portentum dedi te domui Israel. 7. Feci ergo sicut præceperat mihi Dominus: vasa mea protuli quasi vasa transmigrantis per diem: et vespere perfodi mihi parietem manu: et in caligine egressus sum, in humeris portatus in conspectu eorum. 8. Et factus est sermo Domini mane ad me, dicens: 9. Fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus Israel, domus exasperans: Quid tu facis? 10. Dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Super ducem onus istud, qui est in Ierusalem, et super omnem domum Israel, quæ est in medio eorum. 11. Dic: Ego portentum vestrum: quomodo feci, sic fiet illis: in transmigrationem, et in captivitatem ibunt. 12. Et dux, qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur: parietem perfodient ut educant eum: facies eius operietur ut non videat oculo terram. 13. Et extendam rete meum super eum, et capietur in sagena mea: et adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum: et ipsam non videbit, ibique morietur. 14. Et omnes qui circa eum sunt, præsidium eius, et agmina eius, dispergam in omnem ventum: et gladium evaginabo post eos. 15. Et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in gentibus, et disseminavero eos in terris. 16. Et relinquam ex eis viros paucos, a gladio, et fame, et pestilentia: ut enarrent omnia scelera eorum in gentibus, ad quas ingredientur: et scient quia ego Dominus. 17. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 18. Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede: sed et aquam tuam in festinatione et mœrore bibe. 19. Et dices ad populum terræ: Hæc dicit Dominus Deus ad eos, qui habitant in Ierusalem in terra Israel: Panem suum in sollicitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent: ut desoletur terra a multitudine sua, propter iniquitatem omnium qui habitant in ea. 20. Et civitates, quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta: et scietis quia ego Dominus. 21. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 22. Fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel, dicentium: In longum differentur dies, et peribit omnis visio? 23. Ideo dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus, Quiescere faciam proverbium istud, neque vulgo dicetur ultra in Israel: et loquere ad eos quod appropinquaverint dies, et sermo omnis visionis. 24. Non enim erit ultra omnis visio cassa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Israel. 25. Quia ego Dominus loquar: et quodcumque locutus fuero verbum, fiet, et non prolongabitur amplius: sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum, et faciam illud, dicit Dominus Deus. 26. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 27. Fili hominis, ecce domus Israel dicentium: Visio, quam hic videt, in dies multos: et in tempora longa iste prophetat. 28. Propterea dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Non prolongabitur ultra omnis sermo meus: verbum, quod locutus fuero, complebitur; dicit Dominus Deus.

Vers. 2. Domus exasperantis.) Chald. *populi contumacis, et me irritantis*, q. d. Tu habitas inter Iudæos in Babylone, qui eum videant Ierusalem superstitem, dolent quod ex consilio Ieremiæ dederint se Chaldæis, vellentque reverti contra meum oraculum, et iussum: itaque prædic, cito eos visuros excidium Ierusalem.

Qui oculos habent ad videndum.) Id est, habent intellectum quo clare intelligere possint, sed nolunt videre, id est, intelligere præcepta mea; et habent aures, ut possint audire ea, et obedire, sed nolunt.

Notat Prado, visum pro intellectu, auditum pro voluntate sumi. Rationem addit: quia hi sensus sunt ministri intellectus et voluntatis, heris suis per omnia similes (nam visus et intellectus claritate delectantur, et operantur; auris et voluntas suavitate et bonitate capiuntur.) Inde est, ut pro intellectu non excæcato usurpetur oculus videns, et auris audiens pro voluntate non obdurata affectu aliquo immoderato apud Matthæum c. 13. 9. et Apocal. 13. 9. *Si quis habet aurem audiat*, id est voluntatem morigeram et obedientem. Inde et illud Psal. 17. v. 45. *Auditu auris obedivit mihi*. Et Prov. 20. 21. *Oculum videntem, et aurem audientem Dominus fecit utrumque*, id est doctorem eruditum, et auditorem verbi docilem esse, opus est Dei ex æquo magnum et mirabile.

Vers. 3. Fac tibi vasa, id est instrumenta, transmigrationis.) Id est, transmigrantis, scilicet baculum, calceos, peram, penulam. Hæc enim sibi facere aut comparare solent peregrinaturi. Rursum *vasa*, id est intrumenta, *transmigrationis* vocat saccos, currus, vasa, vectes, quibus suas sarcinas imponere, et de loco uno in alium transferre solent homines, q. d. Convasa res tuas, collige sarcinas. Unde sequitur:

Et transmigrabis.) Id est, instrumentis iam dictis transferes supellectilem tuam interdiu; ut non verbis, sed facto et reipsa repræsentes instantem captivitatem. *Transmigrabis* ergo, non est idem quod migrabis, sed idem quod transferes sarcinas.

Et efferes foras vasa tua.) Tum iam dicta v. 3. Vers. 4.
tum *vasa*, id est supellectilem tuam, sarcinas tuas. Hæ enim efferri solent, non fieri, uti dixi v. 3. Quare aliter hic, aliter ibi capitur vox *vasa*: ita Vatabl. et Maldon.

B Tu autem egredieris vespere, ut hoc ipso portendas Sedeciam vespere, imo noctu capta urbe fugam initurum, ut patet Ierem. 39. 4 sicut egreditur migrans.) Fugiens scilicet, anxius et pavidus, aut, ut Maldonat. *Sicut egreditur migrans*, id est, vespere. Solent enim, qui ex una domo in aliam migrant, per diem supellectilem transferre, ipsi vero omnibus translatis vespere, vel noctu migrare.

Perfode tibi parietem.) Ut indirecte per hoc por- Vers. 5.

tendas et repræsentes, quod Chaldæi perfodient et rumpent muros Ierusalem, itaque eam capient, uti eos fecisse liquet 4. Reg. 25. 4. directe vero, ut tu per eum exeas: unde ait, *Egredieris per eum;* ut per hoc portendas Sedeciam, non per portam urbis, sed per ostium horti regii, quasi per augustum muri foramen instar muris fugiturum, ut eum fecisse patet Ierem. 39. 4. Hoc est quod ait v. 11. *Ego portentum vestrum: quomodo feci, sic fiet illis.* Ita S. Hieron.

Vers. 6. In humeris portaberis.) Hebr. Chald. et Hieron. in comment. legunt, *portabis*, scilicet sarcinulas tuas. Sept. et noster legunt, *portaberis*, et melius; nam idipsum explicans et applicans Regi, v. 12. ait: *Et dux qui est in medio eorum, in humeris portabitur.* Sequitur: *In caligine effereris;* hebr. תוציא *totsi*, id est, *efferes.* Sed activum Hiphil sæpe capitur pro Cal, vel Niphal passivo: *totsi* ergo, id est *efferes*, hic idem est, quod *effereris:* aut certe pro *totsi* aliis punctis passive legendum in Hophal תוצא *tutsa*, id est *effereris:* sic enim vertunt Septuag. noster, et alii. Idque exigit contextus: nam Deus iubet hic Prophetæ, ut per diem res suas transferat, ipse vero vespere migret. Iubetur ergo Propheta sarcinulas suas per diem transferre, noctu parietem perfodere, et per eum ante lucem se demittere, quasi clam fugiens: sed foris a familiaribus a se ad hoc constitutis excipitur, humerisque baiulatur oculis velatis, ne viam, qua portatur aspiciat: ut populus hæc admirans roget, quid ea significent: cui ipse respondeat, simili modo capta urbe Sedeciam clam fugiturum, et humeris suorum exportandum, sed capiendum a Chaldæis, et excæcandum, sicque deportandum in Chaldæam, ut patebit v. 12. Rursum, hac Prophetæ exportatione repræsentatur, fore ut cives e Ierusalem non sponte, sed vi exportati migrent in Chaldæam.

Allegor de Christo. Allegorice, S. Hieron. *Ezechiel*, ait, *hic est typus Christi, qui nostra in se peccata suscepit. Vasa captivitatis est corpus humanum: perfodit parietem, id est, infernum: et resurgens a solis credentibus visus est. Portatur in humeris; quia cum angelicis potestatibus ad cælum victor ascendit: velat faciem, ne in carne mortali videatur divina maiestas; et non videt terram, ne oculis illius illustretur, quæ eius non meretur aspectum: sic est portentum, ut dura ad se Iudæorum corda converteret.* Sed hæc allegoria, utpote læta et felix, non satis respondet miseriæ et excæcationi Sedeciæ, quam hic ad literam repræsentat Ezechiel.

Faciem tuam velabis.) Sicut homo, qui pudore affectus non vult videri, neque cognosci: ut repræsentes confusionem et excæcationem Sedeciæ, cum ipse ducetur in Babylonem. Ita S. Hieron.

Vers. 9 Numquid non dixerunt.) Id est, numquid non dicent? q. d. Utique dicent.

Vers. 10. Super ducem onus.) Hebr. est paronomasia על נשיא המשא *al nasi massa*, q. d. Super principem, qui quasi baiulus onera reip. ferre debet, quique ex tyrannide gravia onera et vectigalia ei imposuit, hanc impone onerosam sententiam quam meruit onerando iniuste remp. q. d. Sedeciæ canitur hæc cantilena. Iustum enim est, ut principes grave onus quod subditis imposuerunt, ipsi vicissim experiantur et subeant. Si hæc principi minatur Deus, quid faciet Præsulibus, quorum proprium est esse pastores non dominos, patres non reges, currus potius quam aurigas, imo baiulos, nutrices, matres, si dominentur in cleris, et virga ferrea populos comminuant; et quasi plaustrum onustum stridentes obviantibus clament, Incurvare, ut transeamus? ait Prado.

Super omnem domum Israel.) *Israel* vocat Iudæos quoslibet, non autem eos solos, qui erant ex Samaria, sive ex decem tribubus.

Vers. 11. Ego portentum vestrum.) q. d. Mea transmigratio vobis insolens et portentosa videtur, et revera portendit miserabilem captivitatem vestram, scilicet spoliationem urbis, migrationem civium, excæcationem et opprobrium regis vestri. Hebr. מופת *mophet* a rad. יפה *iapha*, id est pulcher fuit, speciosus, elegans, significat signum pulchrum, elegans, speciosum. Rursum alludit ad פנה *pana*, id est aspexit, respexit: hinc significat signum visibile de re futura, vel bona vel mala admonens, secundum quam vel iucundum est aspectu, vel triste et horrendum, quod Latini prodigium, vel portentum vocant. Sic hæc transmigratio Ezechielis erat res exterius aspectu iucunda, mira, nova, mimica, et ludicra; sed significatio erat tristis et horrida: significabat enim similem Iudæorum transmigrationem et captivitatem. Unde subdit: *Quomodo feci, sic fiet illis*, id est, vobis. Est enallage personæ Hebræis frequens.

Dux, Sedecias, qui est in medio eorum, qui inter suos securus agit, nihil timens, in humeris portabitur.) Sedecias enim capta Ierusalem, rupto muro horti regis, fugit per desertum, non pedes, sed portatus in sella humeris baiulorum, vel ob eius pavorem, et consternati debilitatem; vel ob mollitiem et effœminationem, Isai. 3. v. 4. Alii vertunt, *in humeris portabit*, scilicet gemmas, et res pretiosiores. Vers. 12.

Facies eius operietur.) A se suisque, ne scilicet ab obviis agnoscatur; et ex pudore et dolore, ne urbem captam videat, et magis doleat. Sed hoc portendebat eum, quasi reum mortis velandum et excæcandum a Nabuchodonosore. De hoc velamine, uti et portatione in humeris, nihil narrat Script. in fine lib. 4. Reg. ex hoc tamen loco ea contigisse constat.

Rete meum.) q. d. Chaldæorum persequentium arte, velocitate et industria capietur. Chaldæi vocantur hic, aut piscatores; quia ad Euphratem fluvium habitabant: apud flumina enim habitare solent piscatores; aut certe venatores, quia in deserto fugientem Sedeciam, quasi feram rete ceperunt. Vers. 13.

Ipsam non videbit.) Quia antequam eo duceretur exoculatus est in Reblata, 4. Reg. 25. Hæc verba cum non intelligeret Sedecias, putaretque esse contraria verbis Ieremiæ, neutrius oraculis credidit, teste Iosepho 10. Antiquit. cap. 10.

Symbolice, Sedecias est schema peccatoris, qui a Nabuchodonosore, id est a dæmone, oculis, id est consideratione et intelligentia, privatur, Babylonemque ducitur, id est in tartarum. Sicut ergo auceps accipitris oculos obtegit, ut in manu eius consistat: ita diabolus peccatoris oculos velat, ne videat vanitatem suarum voluptatum, et æternitatem pœnarum, quæ ipsum manet, ut in eius manu et potestate conquiescat. Symbol. Sedecias est peccator cæcus

Secundo, sicut Sedecias Babylonem ductus est, eam tamen non vidit: sic hæretici et peccatores, nec suam cæcitatem, nec suum statum vident. Nonne hæretici suam Babylonem, id est confusionem doctrinæ, non vident, qui eam Ierusalem Dei appellant, qui conciliabula dæmonis Ecclesiam Christi nuncupant? Scribit Seneca epistol. 50. de Harpaste cæca, quod cæcitatem suam ignoraret. *Harpaste, inquit, nescit se esse cæcam: subinde pædagogum suum rogat ut migret: ait domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa videmus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum.* Apud Aristophanem in Pluto stomachatur merito servus in herum, quod ipse videns, Plutum oculis captum sequeretur, causamque dat:

Nam qui videmus ducimus cæcos: at hic
Sequitur, simulque cogit eadem facere me.

Quot hodie sunt videntes, qui Plutum cæcum cæce sequuntur! Plutarch. in vita Lycurgi, eum laudat, quod suis legibus effecerit, ut Plutus apud Spartanos esset ἄσυλος, id est tutus a furibus, et quasi in asylo positus; ἄζηλος, id est neglectus, quem nemo zelaret, atque ἄπλουτος, id est pauper. Docuerat enim Spartanos per frugalitatem contemnere divitias, opesque parvipendere quasi imbecilles et inopes: ideoque ait Plutarch. Plutus ex omnibus civitatibus quæ sub sole sunt, in una Sparta servabatur τυφλὸς, id est cæcus ac repos tus, non aliter quam tabula anima carens, aut vile metallum. At nunc Plutus est cæcus, quia divites opes suas recondunt, ut nunquam videant lucem: et quia oculos mentemque hominum excæ-

cat, ut per fas et nefas, per mille labores et pericula insano studio eum consectentur: est enim non ἄζηλος, sed ζηλωτός, id est optabilis cunctis, in zelo et votis omnium, ideoque non est ἄσυλος, sed carens asylo, ubique σύλη, id est prædæ et rapinæ obnoxius. Nullus enim locus est tam sacer, quem non violet auri sacra fames. Utinam his nostris cæcis daretur novus Elisæus, qui Syris militibus cæcitate percussis, et Samariam ingressis, ait: *Domine aperi oculos istorum ut videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, et viderunt se esse in medio Samariæ.* Utinam, inquam, aliquis esset Propheta, qui a Deo hisce cæcis lumen impetraret, ut viderent, quod videre nolunt, se esse in medio Samariæ, id est, in medio crudelissimorum hostium, quorum fames non nisi eorum æternis tormentis exsaturari potest.

Vers. 16. UT ENARRENT OMNIA SCELERA EORUM. q. d. Ut narrent Gentibus me non ob infirmitatem, vel crudelitatem, sed ob scelera eos tradidisse Chaldæis: sicque Gentes SCIENT QUIA EGO DOMINUS.) Scilicet, sum iustus iudex, et malorum ultor.

Vers. 18. PANEM TUUM IN CONTURBATIONE COMEDE.) Chald. *in tremore;* Septuag. *in dolore;* S. Hieron. *in angustia.* Ut portendas hoc facto, quod Iudæi in obsidione panem comedent cum anxietate, et pavore hostium imminentium. Hactenus egit de futura regis urbisque captivitate, nunc

A redit ad eius obsidionem, in eaque famem et trepidationem.

AQUAM TUAM IN FESTINATIONE ET MŒRORE BIBE.) Septuag. *in tormento et anxietate;* Chald. *in desolatione et stupore;* Hebr. *in concussione*, id est, in tremore et anxietate aquam bibe.

IN SOLLICITUDINE.) Chald. *in tremore;* Septuag. *in indigentia.* Vers. 19.

IN DESOLATIONE.) Chald. *in stupore;* Septuag. *in interitu*, id est, in desperatione.

UT DESOLETUR, quia desolabitur, id est evacuabitur, TERRA, et destituetur MULTITUDINE SUA.) Tum civium, tum frugum et opum.

IN LONGUM DIFFERENTUR DIES.) Scilicet calamitatis Vers. 22. et vastitatis prædictæ a Prophetis. Est miosis: *in longum*, id est in sempiternum. Volunt enim dicere prophetiam excidii fore irritam, et nunquam eventuram, semperque staB turam Hierosolymam, et se in ea.

NEQUE DIVINATIO AMBIGUA.) Septuag. *ad gratiam*, id Vers. 24. est, adulatoria, mendax; hebr. חלק *chalac*, id est *lubrica*, uti est assentatorum; vel potius *lubrica*, id est ambigua, lubrici sensus, ut in hanc, et illam partem torqueri possit, q. d. Ego non ambigue, sed rebus et virgis, puta gladiis et plagis manifestis, aperte et distincte castigando Iudæos loquar meas in eos iras et minas, quas Prophetæ eis intentant, et ipsi irrident.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur falsis Prophetis, qui pacem et prospera populo pollicebantur, quod instar parietis luto absque paleis illiti imbre et grandine divinæ vindictæ prosternentur. Secundo, v. 17. idem intentat mulieribus, puta pseudoprophetissis, quæ consuebant pulvillos sub omni cubito, et faciebant cervicalia sub omni capite: hæc enim cum ipsis sutricibus se dirupturum minatur. Hæc a pari facile est adaptare concionatoribus et doctoribus, qui falsa docent, et peccatoribus adulantur.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, vaticinare ad prophetas Israel, qui prophetant:
et dices prophetantibus de corde suo: Audite verbum Domini. 3. Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophe-
tis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident. 4. Quasi vulpes in desertis, prophetæ
tui Israel erant. 5. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel ut staretis in prælio
in die Domini. 6. Vident vana, et divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus: cum Dominus non miserit eos:
et perseveraverunt confirmare sermonem. 7. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem
locuti estis? et dicitis, Ait Dominus: cum ego non sim locutus. 8. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locu-
ti estis vana, et vidistis mendacium: ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus. 9. Et erit manus mea super pro-
phetas, qui vident vana, et divinant mendacium: in consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel
non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: et scietis quia ego Dominus Deus: 10. Eo quod deceperint po-
pulum meum, dicentes: Pax, et non est pax: et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque
paleis. 11. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit: erit enim imber inundans, et dabo lapi-
des prægrandes desuper irruentes, et ventum procellæ dissipantem. 12. Siquidem ecce cecidit paries: numquid
non dicetur vobis: Ubi est litura, quam linistis? 13. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam
spiritum tempestatum in indignatione mea, et imber inundans in furore meo erit: et lapides grandes in ira in
consumptionem. 14. Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento: et adæquabo eum terræ, et re-
velabitur fundamentum eius: et cadet, et consumetur in medio eius: et scietis quia ego sum Dominus. 15. Et com-
plebo indignationem meam in pariete, et in his qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis: Non est
paries, et non sunt qui liniunt eum. 16. Prophetæ Israel, qui prophetant ad Ierusalem, et vident ei visionem pa-
cis: et non est pax, ait Dominus Deus. 17. Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ
prophetant de corde suo: et vaticinare super eas, 18. Et dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ consuunt pulvil-
los sub omni cubito manus: et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: et cum caperent
animas populi mei, vivificabant animas eorum. 19. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hor-
dei, et fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, et vivificarent animas, quæ non vivunt, men-
tientes populo meo credenti mendaciis. 20. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad pulvillos vestros,
quibus vos capitis animas volantes: et dirumpam eos de brachiis vestris: et dimittam animas, quas vos capitis,
animas ad volandum. 21. Et dirumpam cervicalia vestra, et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt
ultra in manibus vestris ad prædandum: et scietis quia ego Dominus. 22. Pro eo quod mœrere fecistis cor iusti
mendaciter, quem ego non contristavi: et confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, et vive-
ret: 23. Propterea vana non videbitis, et divinationes non divinabitis amplius, et eruam populum meum de manu
vestra: et scietis quia ego Dominus.

Vers. 3. VÆ PROPHETIS INSIPIENTIBUS, QUI SEQUUNTUR SPIRITUM SUUM, id est, sequuntur id, quod suggerit et inspirat, non Deus, sed phantasia, humana cogitatio, appetitus et concupiscentia; idque venditant pro Dei oraculis, ET NIHIL VIDENT.) Et, id est, cum, q. d. Cum nihil a Deo audiant, prophetant quidquid illis in buccam venit.

Nota. Eos vocat insipientes, cum posset vocare falsarios; quia erant sacerdotes, quorum honori consulit, dicens, quod ex ignorantia et insipientia, non ex malitia falsa prædicant.

Verum, quia v. 6. et seq. mendacii eos arguit, melius dicas, vocari *insipientes*, id est stolidos et stultos; quia suis mendaciis sibi, æque ac populo perniciem creabant.

Vers. 4. QUASI VULPES IN DESERTIS.) Id est, *in maceriis vineæ ruptis* (ut ex Hebræo vertit Vatabl.) et sepe disrupta, per quam vulpes vineam intrant, quasi sepe sua desertam: hæc enim et ab hominibus transeuntibus, et a feris carpitur, vastatur fitque quasi desertum. Unde Symmach. et Theod. vertunt, *in parietinis*, q. d. Sacerdotes hi non sunt pastores et custodes populi, sed lupi et vulpes. Primo, quia occulte et dolose populum vastant, quasi ex insidiis, simulantes se populo commoda loqui, ut ab eo sua lucra aucupentur. Secundo, quia timidi periculo ingruente hosti se non opponunt, sed quasi vulpes in suis cavernis delitescunt. Ita Maldon. Unde sequitur: *Non ascendistis ex adverso*, etc. Ideoque eis eveniet illud psal. 62. 11. *Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt*, ut scilicet a vulpibus terrenis eorum cadavera, ab infernalibus animæ vorentur.

Moral. vulpes sunt hæretici et hypocritæ. Moraliter Nota hic, vulpes esse hypocritas, et adulatores, præsertim pseudo prophetas et hæreticos, ait S. Hieron. de quibus Cant. 2. v. 15 *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Uti sola pellis vulpis in pretio est, caro autem edulis non est: sic species externa hypocritæ bella est, sed interiora plena sunt dolo et veneno. Carbo vir prudens apud Plutarch. volens Syllam crudelem vocare, et fallacem, dixit eum esse leonem, et vulpem. Et Lysander dicebat *addendam esse vulpinam pellem, si leonina non sufficeret*, hoc est, utendum esse calliditate et fraude, cum vires deessent, aut non sufficerent. Et Plato lib. 2. de Repub. *Sibi quisque*, inquit, *ceu vestibulum virtutis umbram circumponere debet, sed ita ut sapientissimi Archilochi vulpem a tergo trahat.* Versutia enim vulpes superat cætera animalia, qua de re extat apologus apud Plutarch. in Moral. cum aliquando, inquit, pardus præ se vulpem despiceret, quod ipse haberet pellem omnigenis colorum maculis variegatam, respondit vulpes, sibi id decoris in animo esse, quod illi erat in cute: præstare autem animo esse versicolore et versipelle, quam corpore. Idipsum indicat vulgare proverbium: *Vulpes non corrumpitur muneribus.* Aves enim et feræ capiuntur esca, vulpes non item. Et alterum: *Vulpi esurienti somnus obrepit.* Dum enim famet vulpes, dat se somno: tum quia physice somnus famem et sitim sopit et extinguit: tum quia vulpes urgente fame somnum simulat, ut allectas gallinas capiat et devoret. Et tertium: *Vulpinari cum vulpe.* Et quartum: *Vulpes multa, echinus unum novit*, scilicet exserere spinas quasi aculeos, quibus se instar globi involvit, dum canes eum persequuntur.

Hanc artem egregie callent hæretici, præsertim Calvinistæ, qui latent, et furtim in urbes et provincias irrepunt ut vulpes, sed cum fiunt rerum domini, grassantur ut leones. Docuit hoc eos Calvinus, qui per Lutherum subdole specioso titulo, quasi reformator religionis tam Lutheranæ, quam Orthodoxæ, *ingressus est ut vulpes*: mox Lutherum supplantans, *regnavit ut leo*: ac tandem rigens et blasphemans, *mortuus est ut canis*, uti in eius vita Bolsecus, et alii referunt. Pythagoras non aliam ob causam aiebat, gustanda non esse ea, quæ nigram haberent caudam, nisi ut nos doceret hypocritarum insidias esse declinandas. Et si enim candorem et amicitiam præ se ferant, cauda tamen tetra est, finis nequam, et propositum perversum. Poetæ cum narrant Actæonem a canibus suis, quos alebat fuisse devoratum, nihil aliud significare voluerunt, ait Phavorinus, quam eum, qui suos laudatores et adulatores alit et fovet, ab illis ipsis quos educavit, non raro devorari et consumi. Canis enim capite et cauda hero suo blandiens, symbolum est hypocritæ, et adulatoris.

NON ASCENDISTIS EX ADVERSO.) *Hostium*, vel potius, ut sequitur, *Domini Dei*, qui hostes Chaldæos, immittit in murum vineæ, id est urbis Ierusalem disruptum. Unde hebr. est, *non ascendistis in fracturas*, vel *interruptiones*: ita Pagninus. Septuag. vertunt, *non steterunt in firmamento.* Vers. 5.

NEQUE OPPOSUISTIS MURUM, Hebr. et ut Vatabl. vertit, *neque sepivistis sepem*, PRO DOMO ISRAEL, UT STARETIS IN PRÆLIO IN DIE DOMINI.) Cum scilicet Dominus, quasi dux hostium urbem invasit: ut scilicet iræ, et vindictæ Dei per preces et sanctimoniam resisteretis, et de eius clementia reportaretis victoriam. Comparat populum urbi; leges et sanctitatem muris; peccata muri rupturis. Reprehendit ergo falsos Prophetas, quod vitia populi non emendaverint, quodque pro eo intercedendo, Dei iram ab eo non averterint.

Disce hic, quanti zeli, orationis et sanctitatis debeat esse Prælatus et prædicator, nimirum, ut se Deo irascenti quasi murum opponat. Ita se ei opposuit Moses, dicens Exodi 32. v. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et S. Paulus Rom. 9. 3. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Ita sæviente Dei incendio in murmuratores, Aaron obtulit thymiama, stansque inter mortuos et vivos, stitit iram et plagam Dei, Numer. 16. v. 48. Ita Ieremiæ ait Deus cap. 7. 16. *Ne obsistas mihi.* Audi rursum S. Gregor. 2. p. Pastor. cap. 4. *Ex adverso ascendere, est pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare, est pravis decertantibus ex amore iustitiæ resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid aliud est quam tacendo terga præbuisse? qui nimirum si pro grege se obiicit, murum pro domo Israel hostibus opponit.* Prælatus se quasi murum Deo irascenti opponat.

ET PERSEVERAVERUNT.) Chald. *impudenter asseverarunt ad confirmandum sermonem suum.* Vers. 6.

ECCE EGO AD VOS.) Chald. *mittam iram meam in vos.* Est aposiopesis. Vers. 8.

ET ERIT MANUS MEA, id est ultio, et ut Chald. *plaga potentiæ meæ*, SUPER falsos PROPHETAS.) Ita et Elias 400. Prophetas Baal occidit, 3. Reg. 18. Ita subito, et misere omnes pene hæresiarchæ perierunt. Arrius crepuit medius, ut Iudas. Iulianus apostata e cælo hasta confossus est. Ioannes Hus combustus. Mahomet apoplexia peremptus. Lutherus dormiens cum sua pellice noctu est suffocatus. Manichæus a rege Persarum vivus excoriatus. Calvinus a vermibus corrosus est. Hoc est quod ait Isaias cap. 45. 16. *Abierunt in confusionem fabricatores errorum.* Sic e cælo ferietur Antichristus cum suis copiis, Ap. 20. *Ignis descendit a Deo de cælo, et devoravit eos.* Vers. 9. Hæresiarchæ subito et misere pereunt.

IN CONCILIO POPULI MEI NON ERUNT.) q. d. Non vocabuntur ad concilium seniorum in Ierusalem, post reditum e Babylone, 1. Esdræ 12. Unde Chald. vertit, *non erunt in secreto*; Vatablus, *in arcano.* Secundo, *in concilio*, id est, in cœtu populi redeuntis e captivitate non erunt. Septuag. vertunt, *non erunt in doctrina, vel institutione populi*, id est, amplius non docebunt populum, docendi munere privabo eos.

ET IN SCRIPTURA DOMUS ISRAEL NON SCRIBENTUR.) Id est, in catalogo Israelitarum viventium, et redeuntium e captivitate non scribentur; quia morientur. Talis enim catalogus Hebræorum exeuntium ex Ægypto texitur Num. 2. et redeuntium e Babylone I. Esdræ 8. Hic catalogus dicitur liber vitæ, et viventium: inde translatus est ad viventes et Beatos in cælo.

DICENTES: PAX.) *Pax*, id est prosperitas, q. d. Ego minor bellum populo, ut resipiscat: illi promittunt pacem, et sic fovent populum in suis peccatis. Vers. 10.

IPSE ÆDIFICABAT PARIETEM.) Id est, primus pseudo-

A propheta statuebat parietem, id est falsam prædictionem; hanc alii assentando oblinebant, et approbabant. Ita Vatabl. Secundo, S. Hieron. *Deus*, ait, *per legem, et minas Prophetarum ædificabat parietem populi, sed falsi Prophetæ oblinunt suis mendaciis.* Tertio Scholiast. *Paries*, ait, *est doctrina falsorum Prophetarum, quam oblinunt orationis elegantia.* Quarto, optime Prado et Mald. Ipse, scilicet populus, parietem, id est sepem et murum suæ vineæ, id est urbis et regni, ruentem et ruptum, puta Dei protectionem, quæ Iudææ erat instar muri, ab ea se subducentem, conatus est restaurare auxilio humano, maxime Ægyptiorum, sed vano. Hunc lactabant falsi Prophetæ, liniendo male compactum parietem luto absque paleis, id est, vanam fiduciam in Ægyptiis confirmando mendacibus promissis: cum potius hunc murum evertere debuissent, et alium ex spe in Deum, exque Dei ope et clementia a fundamentis construere, inquit Theodor.

Nota. Fabri solent parieti, ad eum firmandum, crustam inducere, sed ex calce et luto non friabili et soluto, ut hi B faciebant; sed paleis et stramine mistis colligato et constricto. Sicut ergo lutum sine paleis superveniente pluvia labefit et decidit: sic omnes pseudo prophetarum rationes, quibus pacem et securitatem populo promittebant et confirmabant, bello ingruente labefactatæ sunt. Dicendo vero lituram non duraturam, satis innuit firmum non fore murum. Eam enim non tantum ornatui, sed et firmitati muri subservire, patet ex Amos 7. 7. ubi cum Dominus trullam deponit, et murum linere desinit, casura populi fortitudo præmonstratur: ita Ribera, et ex eo Delrio adag. 907.

Pulchre S. Gregor. et habetur 46. dist. c. *Sunt nonnulli*: *Parietis*, inquit, *nomine peccati duritia designatur. Ædificare ergo contra se parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur; ut quæ illi perverse agentes ædificant, illi adulantes quasi nitidum reddant.*

Vers. 11. ABSQUE TEMPERATURA.) Absque paleis, quibus temperatur et miscetur argilla, sive cæmentum. Hebr. enim C est eadem vox, quam paulo ante interpres vertit, *absque paleis*, scilicet תפל *taphel*, quæ proprie significat *insulsum*. Unde Aquila vertit, ἀνάλῳ, id est *sine sale:* quia, ut caro sine sale, sive insulsa, non est solida et firma: sic nec lutum sine paleis. Aut potius Aquila hæc accepit non de luto, vel arenato, sed de albario ex calce, quod non est idoneum ad liniendum, nisi calx pura sali, et coriorum præsegminibus misceatur, et recte maceretur temperetурque, teste Vitruvio lib. 7. cap. 2. et 3. Noster interpres, Chald. Symmach. Vatabl. et alii de arenato acceperunt. Septuag. et Theodotion vertunt, *stultitiam*: quia insulsa cogitatio et oratio sive sermo, carens sale discretionis et sapientiæ, est stulta. Vertunt ergo, *et ipsi liniunt cum stultitia.*

DABO LAPIDES PRÆGRANDES.) Sic et Sept. πετροβόλους, id est catapultas, quæ lapides magnos eiaculantur; Hebr. אלגביש *elgabis*, id est grandis *grandinis*. Ita S. Hier. Pagninus, Forsterus, Marinus, et passim Hebræi, et si D hæc vox alibi non reperiatur. Per imbrem, lapides, ventum, procellam sive tempestatem, intelligit impetum Chaldæorum, qui quasi procella Iudæam obruit et evertit. Ita et Chal.

Vers. 14. REVELABITUR FUNDAMENTUM.) Id est, evertetur usque ad fundamentum, ut illud reveletur et appareat.

ET CADET, paries, ET CONSUMETUR.) Scilicet is, qui parietem linit. Corrigendum videtur cum S. Hieron. *consumentur*, scilicet linitores, falsi Prophetæ. Unde Hebr. Chald. et Septuag. habent, *consumemini*, scilicet, o vos linitores.

Vers. 15. NON EST.) Id est, corruit murus cum ædificantibus et linientibus.

Vers. 16. PROPHETÆ ISRAEL.) Tolle punctum ante *Prophetæ*, et lege: *qui liniunt cum Prophetæ Israel.* Licet Romani codices habeant punctum: quod videtur esse mendum præli.

Vers. 17. PONE FACIEM TUAM.) Id est, vultu obfirmato et minaci loquere non ad viros, uti hactenus; sed ad mulieres pseudoprophetides. Licet Scholiast. viros putet hic vocari fœminas, ob affectionem muliebrem, qua molles pulvillos omni cubito consuebant. Sic de Iove ait Poeta:

Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis.

Transit hic a viris ad fœminas prophetidas (licet aliqui per fœminas accipiant viros effœminatos, et effœminantes alios) quarum par erat falsitas, maior impostura ob blandiloquentiam. Tales Montano hæresiarchæ fuerunt *Prisca et Maximilla, quæ vaticinatione mendacii fidem subverterunt veritatis*, ait S. Hieron. Hinc proverbium: *Mulierum exitia.* Mulieres enim omnium fere calamitatum auctores viris fuere. Testis est Pandora Hesiodi, testis Helena Troiana, testis Deianira quæ Herculem interemit, testis Danaidum fabula, testis Lemniarum mulierum historia, testis Cleopatra, testis Dalida, testes amasiæ Salomonis, testis Eva. Quamquam maior est culpa viri, qui sapientior ab imbecilla et insipiente muliere se regi et decipi patitur. Quod enim animus est corpori, id virum oportet esse mulieri. Vetus est sapientis dictum: *Ne fidem habeas, nec emorienti fœminæ.*

VÆ QUÆ (ita legendum cum Hebr. Septuag. et Romanis, non *qui*) CONSUUNT PULVILLOS SUB OMNI CUBITO MANUS: ET FACIUNT CERVICALIA SUB CAPITE UNIVERSÆ ÆTATIS.) Id est, væ falsis prophetissis, quæ Iudæis in suis vitiis et rebellione adulantur, illosque fovent, ut in eis secure et molliter quiescant, promittentes pacem, id est securitatem et prosperitatem, quasi Chaldæi Ierusalem non sint expugnaturi. Apposite viris tribuit ædificare parietem, et incrustare; mulieribus vero pulvillos et cervicalia suere. Hoc enim est fœminarum, illud virorum. Pulvillus ergo est delicata et voluptuaria vita: hanc consuunt qui dicunt: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Ita Origen. S. Hieron. et alii passim. Hinc Vers. 18.

Pulvilli peccatorum.

I.

II. Secundo, Polychr. et Theodor. *Pulvillus*, inquiunt, *et cervical sunt molles et blandiores sermones ad lucrum compositi, qui ad tempus titillant auditum, sed animas evertunt.* Sic et S. Greg. 18. Moral. 4. *Quisquis*, ait, *male agentibus adulatur, pulvillum sub capite, vel cubito iacentis ponit; ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat.*

III. Tertio, Lyran. Vatablus et Isidorus Clarius, putant mulieres has vere pulvillos et cervicalia consuisse, ac per ea prophetasse, vel alios prophetare docuisse. Audi Clarium: mulierculæ magica instructæ arte consuebant pulvillos, et sciscitantium virorum axillis inducebant; et pepla, hoc est tenuissimos lineos pannos, imponebant capitibus eorum, quasi per hæc indumenta apti fierent ad suscipiendum oraculum sacrum. Quin et ipsæ interim ea quæ commentæ erant, insipientium ingerebant auribus, quod scilicet hæc vel illa eis eventura essent. Verum hæc commenta nova videntur et frivola, ac a communi interpretum sententia dissona. Censent enim interpretes passim, pulvillos hic et cervicalia proverbialiter sumi, non proprie, esseque adagia.

IV. Hinc Quarto, accedunt Græcus Scholiast. Polychron. et noster Prado, qui Hebræum כסתות *chesatot*, quod noster vertit, *pulvillos*, vertunt, *phylacteria;* et Hebr. מספחות *mispachot*, quod noster vertit, *cervicalia*, vertunt, περιάμματα, id est *amuleta magica*, scilicet chartas, bullas, catenas reticulatas, quæ collo vel brachio appendebantur, quasi iis tuti futuri essent homines contra hostes, gladios, et omnes incursus; quibus hæ veneficæ lucrum captabant, et simul venabantur quasi hoc reti suo animas dæmoni; et hæc amuleta a nostro vocari *pulvillos*, et *cervicalia*, quod in iis, quasi molli pulvino securi conquiescerent, putat Prado.

Sed verius videtur, tam Græcas quam Hebræas voces iam dictas, proprie significare reticulatum operculum, et velamen (unde Septuag. vertunt, προσκεφάλαια καὶ ἐπιβόλαια, id est cervicalia, et velamina, vel additamenta; et Symmach. vertit, ὑπαγκώνια καὶ ὑπαυχένια, id est, pulvillos sub cubitis et cervicalia) quod alicui rei circumligatur, vel apponitur, ac prætenditur ad eam tegendam et fovendam, uti sunt pulvilli et cervicalia. Ita enim vertunt Chald. Se-

ptuag. S. Hieron. Theodor. Vatabl. Lyran. Pagnin. Clarius, aliique insignes Hebræi, qui censent מספחות *mispachot* poni pro מטפחות *mitpachot* (commutatione litteræ ס in vicinam ט) *mitpachot* autem significare linteamina; a rad. טפח *tapach*, id est, explanavit, explicavit, distendit, uti fit in linteaminibus et velis. Sic כסתות *chesatot* significare pulvillos clarum est: radix enim כסה *casa* significat tegere, operire. Unde כסה *chisse* significat sedem, solium, quod pulvillo tegitur et operitur. Favent linguæ vulgares huic voci affines. Sic enim Itali dicunt *cussinetto*, Hispani *coxin*, Galli *coussinet*, Flandri et Germani *cussen*. Consuere ergo pulvillos et cervicalia, est adagium significans palpare, adulari. Nam, ut Plutar. lib. *de discrimine adulatoris et amici*, adulationes similes sunt pulvillis et cervicalibus, quæ cum videantur incumbentium capitibus resistere et reniti, cedunt magis et obsecundant. Sic enim et adulator assumit fucatam dicendi libertatem, et subinde quædam carpit et reprehendit, videturque attolli et tumere, ut subsidens et contrahens sese capiat, et pariter abripiat in ipsam se conicientem. Et hoc est quod subdit Propheta, *ad capiendas animas*. Simili phrasi Plautus et alii dicunt, *consuere dolos, fraudes, mendacia*. Ita Origen. Theodoret. S. Hieron. S. Gregor. 18. Moral. 4. Delrio adag. 908. et alii passim. Vere S. Hieron. ad Eustochium epist. 19. *Quoniam*, inquit, *mel in Dei sacrificiis non offertur, nimia dulcedo arte mutata est, et quadam, ut ita dicam, piperis austeritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantum suave placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis.* Deo ergo placet non adulatio blanda et fallax, sed veritas severa et mordax. Porro Syrus vertit, *cervicalia et operimenta;* Arabicus Antioch. *pulvillos pro cubitis manuum, et operimentum omni capiti;* Arabicus Alex. *væ illis, quæ consuunt pulvillos, ut incumbant cubiti manuum, et texunt et faciunt sudaria* (velamina) *omni capiti.* Primus ergo sensus uti communis, ita verior videtur, eique secundus connexus est et subservit.

Voluptas Prælatis est rete diaboli. Moraliter Nota. *Pulvillus*, id est voluptas, est rete quo diabolus capit animos. Hæc ergo ingens Ecclesiarum et rerumpubl. est calamitas, et certa ruina, cum pastores vitia populi non insectantur, sed iis se conformant, iisque adulantur. Deplorat hoc S. Hier. de sua patria Stridone epist. 43. ad Chromatium: *In mea*, ait, *patria rusticitatis vernacula Deus venter est, et in diem vivitur: et sanctior est ille, qui ditior est. Accessit huic patellæ dignum operculum, Lupicinus sacerdos, secundum illud, de quo semel in vitu Crassum risisse ait Lucilius: Similem habent labra lactucam, asino carduos comedente, videlicet, ut perforatam navem debilis gubernator regat, et cæcus cæcos ducat in foveam, talisque sit rector, quales illi qui reguntur.* Rursum disce hic, vitia subditorum tales pulvillos, id est pastores, quærere et mereri: culpa ergo auditorum est, quod Prophetæ, id est præcones, sint blandi, fallaces et mendaces. Dicunt enim *videntibus, Nolite videre; loquimini nobis placentia, videte nobis errores, cesset a facie nostra sanctus Israel*, Isaiæ 30. 10. Et S. Paulus 2. Timoth. 4. 3. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Pruritus ergo discipulorum provocat frictionem et titillationem magistrorum, quæ de more in dolorem et cruciatum desinit. Ita, ut vere ait Cicero orat. pro Cælio: *Amores et deliciæ mature et celeriter deflorescunt, et in omnibus rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est.* Et Boetius l. 3. metro 7.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum
Ubi grata mella fundit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Huius rei appositum symbolum est Hypanis fons, qui teste Herodoto l. 4. quinque dierum via dulces, sed exiles fundit aquas: deinde post aliorum quatuor dierum iter, dat amarissimas. Item pardalis, quæ suavi odore dorcades et capras ad se allicit, mox arripit et laniat: ita Plutarch. lib. contra volupt.

VIVIFICABANT ANIMAS.) Promittebant animabus, id est hominibus, vitam et salutem, sed falso. Vers. 19.

VIOLABANT ME AD POPULUM.) Dicentes se agi et prophetare ex spiritu meo, cum suo agerentur. Æque enim iniurium est Deo, si prophetias Dei dicas esse humanas, ac si humanas dicas esse divinas; utrobique enim Deus miscetur et æquiparatur homini, ac consequenter utrobique fit mendax. Nam omnis homo est mendax.

PROPTER PUGILLUM HORDEI.) q. d. Suæ prophetiæ mercedem vilem exigunt et referunt, scilicet frustum panis, et pugillum hordei. Vide quam vili pretio peccator animam suam immortalem et divinam, vendat peccato et dæmoni.

UT INTERFICERENT, et prædicerent interitum Prophetis veris, et sanctis viris, qui NON MORIUNTUR.) Hebr. *qui non morientur*, id est, mori non debent, mortem non sunt meriti.

ET VIVIFICARENT, id est, vitam promitterent falsis Prophetis, et Iudæis, qui NON VIVUNT.) Hebr. *qui non vivent*, id est vivere non debent, sed occidendi sunt. Nimirum, ut prædicerent fore ut ii, qui cum Iechonia se dederent Chaldæis, morerentur, qui tamen salvi futuri erant: atque ex adverso salvos fore eos, qui Hierosolymæ manentes Chaldæis resisterent, qui tamen occidendi erant. Ita Maldon. Loquitur de vita et morte, Primo, corporis et præsenti; deinde, animæ et æterna. Aliter Prado, q. d. Quia suis veneficiis occidebant sanctos, et vitam servabant impiis, utentibus eorum amuletis.

Moraliter S. Gregor. hom. 27. in Evang. *Non morientem vivificat*, inquit, *qui iustum damnat: et non victurum vivificare nititur, qui reum a supplicio absolvere conatur.*

ECCE, EGO AD PULVILLOS, scilicet propheto, et prædico eis exitium; quia sunt quasi rete, quo CAPITIS, hebr. *venamini*, quasi aucupes ANIMAS VOLANTES.) Id est, animas quasi aves volucres. Est aposiopesis. Minus recte Clarius vertit, *ut sint advolantes et venientes ad eos*, q. d. Alliciunt animas mendaciis suis ut eas perdant. Minus etiam apte Pagnin. et Vatabl. vertunt, *ut volent*, id est evolent e corpore. Vers. 20.

Nota. *Animas* vocat *volantes*, id est animas quæ sunt quasi volucres, sicut adulatores erant quasi aucupes. Persistit enim in metaphora aucupii et venationis. Intelligenda est ergo nota comparationis *quasi volantes*, id est quasi volantes sive volucres, id est quasi aves. Verum, quia noster interpres vertit non, *volucres* potentialiter, sed, *volantes* actu, hinc plus significatur, scilicet hosce aucupes animas capere dum volant, quando plane securæ videntur, nec ullos laqueos cogitant, aut metuunt; uti videmus fieri in retibus ex alto, puta ex arbore, vel inter arbores suspensis. Sic Tropol. dæmon per se, et per suos hosce aucupes, similesque, maxime insidiatur et tendit laqueos animabus, dum ex peccato, vel mundo, ad statum gratiæ vel perfectionis in altum evolare cogitant, uti experimur omnes. Quocirca Psaltes psalm. 54. 7. *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo* (ut evolem ex hisce laqueis) *et requiescam?* Ita S. Antonius vidit totum aerem et mundum plenum laqueis, quibus capiebantur animæ in altum evolantes: cumque ingemisceret, diceretque: *Domine, quis evadet hosce laqueos?* audivit, *Humilitas;* hæc enim sub laqueis demittendo se elabitur. Sic mulieri, id est Ecclesiæ, cui insidiatur Antichristus, datæ sunt alæ *ut volaret in desertum*, Apocal. 12. 14: Sic Osee c. 9. 11. ait: *Ephraim quasi avis avolavit.* Et Proverb. 6. 5. *Eruere quasi damula de manu, et quasi avis de manu aucupis.* Ieremias quoque luget Thren. 3. 52. dicens: *Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.*

Nota Secundo. *Pulvillos* hosce comparat retibus, tum quia delicatiores mollitiei et elegantiæ causa, forinsecus solent esse acu picti, vel texti opere reticulato, puta ocellati instar retis: tum quia illis quasi retibus capiebant animas, q. d. Sicut auceps reti capit aves, sic vos pulvil-

lis vestris reticulatis capitis animas. Aliter Delrio adag. 904. ubi censet in pulvillis alludi ad areolas, quas aucupes avibus concinnant. Sed areolæ non sunt pulvilli; nec pulvilli, sed retia et escæ avibus capiendis concinnari solent. Vere S. August. in sententiis, sentent. 137. *Adulantium*, ait, *linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur.*

Dirumpam eos.) Ostendendo falsitatem vestrarum promissionum de pace, ut non molliter, sed dure ab hoste tractemini: deliciæ enim, relaxatio, dissolutio et voluptas, quæ sunt pulvilli et cervicalia peccatorum, non sinunt eos agnoscere Deum, nisi discindantur, ait Scholiast. Sicque *animas*, quas vos capitis quasi aucupes, *dimittam ad volandum*, id est in libertatem educam more avis e laqueo ereptæ. Aliter Prado. q. d. Dirumpam amuleta et præstigias vestras, quibus, quasi reti, animas incantatis et capitis.

Nota. In Hebr. est eadem vox לפרחות *leporechot*, quam hoc versu Interpres vertit, *ad volandum*, versu vero præcedenti vertit, *volantes*. Itaque *ad volandum*, subaudi, natas et paratas; quod idem est cum *volantes*, id est volaturientes. Aut potius ל in *leporechot*, potest accipi ut articulus, et tum significat *volantes;* potest et accipi ut præpositio, et tum significat *ad volandum*. Sagax ergo Interpres priori loco vertit, *volantes*, quia ibi agebatur de aucupio, quo animæ quasi aves volantes capiuntur: hic vero vertit, *ad volandum*, quia agitur de earum liberatione, qua Deus laqueos disrumpens, animas hasce expedit ut volent quo cupiunt. Ita S. Hieron. *Deus*, inquit, *disrumpit pulvillos earum, quæ instar retium volantes animas capiunt, ut postquam rupti fuerint, liberam habeant volandi potestatem:* ita et Clarius, et Delrio adag. 909.

Vers. 21. Neque erunt ultra in manibus vestris (in potestate vestra) ad prædandum.) Ut eas deprædemini.q.d. Non patebunt amplius prædæ manuum vestrarum.

Vers. 22. Mœrere fecistis cor iusti prophetando ei tristia, et mortem: atque ex adverso confortastis manus impii.) Prophetando ei læta, et vitam, eo quod daret vobis munera.

Vers. 23. Vana non videbitis.) Chald. *falsa non prophetabitis;* quia occidam vos, vel peste, vel gladio Chaldæorum.

Moral. de adulatione. Moraliter, disce hoc capite quantum malum sit adulatio. Hac deceptus fuit Iustinianus, alias sagax Imp. Huic enim Tribonianus Iurisconsultus, prave illi adulans, ingessit, teste Suida in voce Tribonianus (ex quo idipsum narrat Theatrum vitæ humanæ vol. 13. lib. 2. p. 2852.) *Non moriturum ipsum, sed una cum corpore in cælum migraturum.* Quis non rideat principis adulatorem hunc foventis et exaltantis stoliditatem? qui adulatori minus certe credidisset, si Agapeti Pont. moniti meminisset, sic ad eum scribentis: *Amplectere eos, o Imperator, qui bonorum te consiliorum admonitum volunt, non eos, qui adulari sæpe student. Illi enim quod expedit revera, perspiciunt; hi vero ad ea quæ placent potentibus, respiciunt, corporumque umbras imitantes, singulis eorum dictis applaudunt.*

C. Caligula, teste Dione lib. 59. cum pro deo haberi vellet, atque adeo videri rem se cum luna habere, quæsivit a Vitellio, vidissetne se cum dea congredi? Hic Vitellius, quasi perculsus oculis in terram demissis: *Solis*, inquit, *domine, vobis diis licet invicem videre.* Ita adulator, et quidem senator. Sincerior fuit Sutor ille Gallus, a quo cum idem Caligula pro tribunali sub specie Iovis sedens quæreret, *quidnam ipsi videretur esse*? respondit, *Magnum deliramentum.*

Parisiis ostenditur os cloacæ in foro frumentario, in qua sepeliri se iussit quidam, quem sero pœnituit noxiæ adulationis. Regi enim tristi ob angustias rei nummariæ, suasit, ut ex minimis etiam rebus, quas rustici deferunt in urbem, unum aut alterum nummulum exigeret, idque ad biennium tantum: atque ex eo, cum viderent consiliarii in urbe, ob populi frequentiam, ingentem vim pecuniæ colligi, plures similes exactiones plebem gravantes excogitatæ sunt. Qui igitur dederat consilium, cum videret se non idem auctoritatis habere in dissuadendo, quod habuerat in suadendo, in magnos animi angores incidit, peneque de salute desperavit. Atque ut pœnitentiam hanc suam testaretur, eaque alios moneret cavere adulationem, testamento cavit, ut in ea cloaca, in quam totius illius fori sordes confluunt, sepeliretur; in quo manet etiamnum in hunc usque diem exactionis ab eo suasæ et persuasæ executio.

Vere dicunt Græci, *satius est incidere εἰς κόρακας ἢ κόλακας*, id est, *in corvos quam in adulatores.* Nam primo, illi mortuos, hi vivos devorant, aiebat Demosthenes; secundo, illi cadaveribus, hi menti oculos eruunt, dicebat Epictetus.

Aristonymus, teste Stobæo sermon. 12. aiebat, *Ligna dum augent ignem, consumi ab ipso: opes, dum alunt adulatores, ab eis ipsis perire.*

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hypocritis, qui ficte verbum Dei a Propheta requirebant, minatur tum realem, per plagas et verbera; tum fictam et fallacem, per pseudoprophetas responsionem. Secundo, v. 14. edicit quod, etiamsi Noe, Iob et Daniel orarent pro Iudæis, non eos exaudiret: reliquias tamen ex eis servandas v. 22. promittit.

1. Et venerunt ad me viri seniorum Israel, et sederunt coram me. 2. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 3. Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, et scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam: numquid interrogatus respondebo eis? 4. Propter hoc loquere eis, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam interrogans per eum me: Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum: 5. Ut capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis. 6. Propterea dic ad domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Convertimini, et recedite ab idolis vestris, et ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras. 7. Quia homo homo de domo Israel, et de proselytis quicumque advena fuerit in Israel, si alienatus fuerit a me, et posuerit idola sua in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam ut interroget per eum me: ego Dominus respondebo ei per me. 8. Et ponam faciem meam super hominem illum, et faciam eum in exemplum, et in proverbium, et disperdam eum de medio populi mei: et scietis quia ego Dominus. 9. Et propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi prophetam illum: et extendam manum meam super illum, et delebo eum de medio populi mei Israel. 10. Et portabunt iniquitatem suam: iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit: 11. Ut non erret ultra domus Israel a me, neque polluatur in universis prævaricationibus suis: sed sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum.

12. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 13. Fili hominis, terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendam manum meam super eam, et conteram virgam panis eius: et immittam in eam famem, et interficiam de ea hominem et iumentum. 14. Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, et Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. 15. Quod si et bestias pessimas induxero super terram ut vastem eam: et fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias: 16. Tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt: sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. 17. Vel si gladium induxero super terram illam, et dixero gladio: Transi per terram: et interfecero de ea hominem, et iumentum: 18. Et tres viri isti fuerint in medio eius: vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios, neque filias: sed ipsi soli liberabuntur. 19. Si autem et pestilentiam immisero super terram illam, et effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam ex ea hominem, et iumentum: 20. Et Noe, et Daniel, et Iob fuerint in medio eius: vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt: sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. 21. Quoniam hæc dicit Dominus Deus: Quod et si quatuor iudicia mea pessima, gladium, et famem, ac bestias malas, et pestilentiam, immisero in Ierusalem, ut interficiam de ea hominem, et pecus: 22 Tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios, et filias: ecce ipsi ingredientur ad vos, et videbitis viam eorum, et adinventiones eorum, et consolabimini super malo, quod induxi in Ierusalem, in omnibus quæ importavi super eam. 23. Et consolabuntur vos, cum videritis viam eorum, et adinventiones eorum: et cognoscetis quod non frustra fecerim omnia, quæ feci in ea, ait Dominus Deus.

Vers. 1. VIRI SENIORUM.) Id est, ex senioribus Israel, puta primores et magistratus: hi enim fere creabantur ex senibus: unde et senatus a senio nomen accepit, ait Cicero de Senectute. Venerant isti ad Ezechielem, ut eum consulerent, sed ficte; propterea sederunt cum eo, quapropter revelat Deus Prophetæ, quales sint, nimirum hypocritæ, ne miretur si pro ipsorum meritis dure respondeat, aut omnino non respondeat. Hoc est, quod ait: *Numquid interrogatus respondebo eis?*

Vers. 3. POSUERUNT IMMUNDITIAS SUAS IN CORDIBUS SUIS.) Id est, ut Aquila, *dedicarunt idola in corde suo*, scilicet quasi in altari: id est, ea cordi intime impresserunt, cum exterius præ se ferant Dei veri cultum, ac verbi Dei et prophetiæ cupiditatem.

ET SCANDALUM INIQUITATIS.) Id est, idola quæ eis sunt scandalum, et occasio omnis iniquitatis, id est, culpæ, et pœnæ ac ruinæ, ut impingant et corruant in omnia mala, omnesque plagas.

STATUERUNT CONTRA FACIEM SUAM.) Ut iis fixe oculos et animum pascant et oblectent, q. d. Animum plene defixerunt in idolis, illorum cultum sibi pro fine, summoque bono constituerunt. Aliter Septuag. *tormentum*, vel pœnam *iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam*, id est, ut Theodor. sciunt pœnas idololatris a me decretas, et non curant, sed pergunt in idololatria; atque, ut Scholiastes, impudenter peccant neglecta mea supplicii comminatione.

NUMQUID INTERROGATUS RESPONDEBO EIS?) Heb. *numquid interrogatus interrogabor*, vel requisitus requirar? id est, licet roger ab eis, verene rogatus, et ad respondendum obligatus censeor? q. d. Non: ficte enim me rogant ii qui in corde gerunt et rogant idola. Ita Orig. et Vatabl. ac S. Hieron. dicens: *Qui cum pristinis vitiis ad Prophetam venerit sciscitandum, ego respondebo iuxta cor, et immunditias suas, ut iuxta quod vult, et credit, ita et audiat. Non enim meretur correctionem, qui non discendi, sed tentandi animo interrogat: nec meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat, sed suo corde capiendus est. Sic Christus dixit Scribis: Quid me tentatis hypocritæ? Et rursum: Nec ego dicam in qua virtute hæc facio.* His enim quadrat illud Epicharmi: *Quid cæco cum speculo?*

Præclare Ptolemæus initio Almagesti: *Non disseras*, inquit, *nisi cum eo qui veritatem concedit: nec respondeas nisi a te quærenti consilium, et cupido recipiendi.*

Vers. 4. HOMO, HOMO.) Hebr. *Vir, vir*, hoc est, quilibet vir, quicumque.

Tropologice, S. Hier. *Duplex*, ait, *est homo, exterior in ore, et interior in corde.* Vide eum.

EGO DOMINUS RESPONDEBO EI IN MULTITUDINE IMMUNDITIARUM SUARUM.) S. Hieron. in comment. *respondebo ei iuxta cor, et immunditias suas;* Septuag. *respondebo ei in iis, in quibus tenetur* (id est, delectatur) *mens eius.* q. d. Responsum attemperabo, vel per falsos Prophetas attemperari permittam interrogantis affectui, et desiderio; uti fecit Michæas Achab regi, 3. Reg. 22. Mentiuntur enim se quærere Dei oraculum, cum potius id ratum fieri cupiant, quod iam in animo suo statuerunt, quodque omnino desiderant. In his verum est illud S. August. *Deus spargit pœnales cæcitates* (et deceptiones) *super illicitas cupiditates, ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus.* Hebræa interserunt בה *ba*, quod R. David, et alii dicunt scribi, בה *ba* per ה, sed legi בא *ba* per א, id est, ut Chald. *Venienti.* q. d. Respondebo venienti, licet veniat plenus cultu idolorum. Ita Vatabl. Vel potius, venienti ad me, pro merito sordium et idolorum eius respondebo. Verum lectio et sensus interpretis nostri longe est verior et melior, ut τὸ *ba* vel deleatur, vel per pleonasmum redundet.

UT CAPIATUR DOMUS ISRAEL IN CORDE SUO.) Id est, Vers. 5.
ut Israel suo affectui et desiderio obsequens, eo quasi laqueo capiatur. q. d. Ipsi sibi laqueos in corde tetenderunt, quibus illaqueabuntur. Nota, appetitus et concupiscentias esse retia et laqueos desideranti, quibus ipse capitur, et sæpe strangulatur. Sic et falsi Prophetæ, concionatores, confessarii, qui concupiscentias suorum fovent, laquei sunt animarum. Vere dixit Sapiens Proverb. 5. 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur:* et Isaias c. 5. 28. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum.* Vide ibi dicta, uti et Rom. 1. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.*

ET DE PROSELYTIS.) *Proselyti*, id est, advenæ, vocan- Vers. 7.
tur Gentiles aliunde advenientes, ut inserantur religioni Iudæorum, et populo Dei. Hi vocantur timentes Deum, Actor. 13. 16. Nota hic, nolle Deum ut Iudæi permittant peregrinos apud se colere idola: multo ergo minus Christiani debent hæreticos pati suam apud se hæresim exercere, ait Maldon.

PER ME.) Non per Prophetæ verbum, sed per me, et mea flagella, quæ ei immittam: aut, q. d. Ego ipse pronunciabo sententiam meam contra eum. Unde sequitur:

FACIAM EUM IN EXEMPLUM.) Divinæ ultionis, quod Vers. 8.
proferent, cum eam alicui proponere vel imprecari volent.

ET IN PROVERBIUM.) In fabulam, ut in ore sit omnium; ut, cum grandem vindictam significare volent, pœnam illius appellent, sicut Tantali et Tityi pœnas dicimus.

ET PROPHETA.) Id est, pseudopropheta; nam verus er- Vers. 9.
rare nequit.

EGO DOMINUS DECEPI.) Id est, decipi permisi, non redargui cum possem, toleravi eius mendaces prophetias et promissiones; ut per eum puniam interrogantes, non me, sed idola, et eorum Prophetas. Par enim est, ut fraudulento consultori, mendacem deum et Prophetam consulenti, ab eodem fraudulentum, captiosum et mendax responsum, sive oraculum detur. Agit enim de idololatris et pseudoprophetis, ut patet v. 7. et ex eo, quod subdit: *Delebo eum de medio populi.* Nam quomodo Deus deci-

piat Prophetas, ipse declarat 3. Reg. 20. 21. ubi decepit Prophetas Achab, non aliter quam permittendo, ut spiritus mendacii, puta diabolus, eos deciperet. Et ratio ipsa et pietas docet, Deum non posse esse auctorem mendacii, uti blasphemat Calvinus. Alii exponunt *decepi*, id est, declaravi esse deceptum; alii *decepi*, id est, affeci eum pudore et pœna, quam non expectabat.

Cur Dei permissio vocatur actio et deceptio? Resp. I.

Quæres, Cur permissio deceptionis in Deo vocatur actio, puta deceptio? Cur ait *decepi*, non, permisi decipi?

Resp. Primo, quia permissio in Deo est actio, puta positivum decretum permittendi hanc vel illam deceptionem hoc vel illud peccatum. Sine hoc enim decreto prævio, nullus dæmon, vel homo impius alium decipere, peccare, aut agere quidquam posset; præsertim quia Deus ad deceptionem, uti et ad quemlibet actum peccati, generali suo concursu physice concurrere et cooperari debet: sine hoc enim Dei concursu nil effici, nil produci potest.

II. Secundo, quia hæc permissio in Deo est certa et efficax, certoque ponit effectum. Præscit enim Deus ex eo quod penetrat, et funditus pervidet tum infirmitatem et propensionem humanæ; tum astutiam, vim et nequitiam diabolicæ voluntatis, quod talis homo hic et nunc positis talibus circumstantiis, certo et infallibiliter decipietur a dæmone, si ipse dæmoni id permiserit, et laxaverit habenas ad eum tentandum et decipiendum: posita hac præscientia, dicit et decernit Deus: Permitto dæmoni, ut talem tentet et decipiat: unde certo sequitur, talem tentari et decipi. Sicut ergo qui canem venaticum coram lepore solvit, et manu mittit, dicitur canem in leporem immittere: quia canis naturaliter et certo invadet leporem, si solvatur: ita et Deus dæmoni permittens certam deceptionem, quam sine Dei permissu facere non poterat, censetur per eum decipere. Quod enim quis per alium facit, hoc per se facere videtur. Aliter ergo permittit mala Deus, aliter homo: homo negative, Deus positive.

III. Tertio, quia id facit Deus in pœnam præcedentis peccati, v. g. hypocrisis et fraudis. Est ergo hæc deceptio punitio Dei, et pœna a Deo irrogata fraudulento. Quidni ergo Deo, quasi iudici et vindici iusto, ascribatur? Deus enim ex pleno et summo dominio quod obtinet in omnes creaturas et voluntates, eas vel active in bonum, vel permissive in malum dirigit, prout eius providentiæ vel misericorditer, vel iuste placuerit et libuerit; tamque certo permissio eius effectum suum sortitur, quam actio, uti dixi. Cum ergo ex hac Dei permissione et punitione certo decipitur homo, a Deo decipi dicitur. Sic Deus *deludet illusores*, Proverb. 3. 34.

Moral. disce hic, Deum talem se ostendere hominibus, talemque se erga eos exhibere quales ipsi sunt. Humilibus se exhibet mitem et humilem, sinceris sincerum, fidelibus fidelem, amantibus amicum, liberalibus liberalem, etc. superbis se præbet excelsum, subdolis subdolum, duris durum, avaris, avarum, etc. Hoc est quod canit Psaltes psal. 17. 26. *Cum sancto sanctus eris* (o Domine, sanctum, id est pium, te erga eum gerendo, benignum te illi exhibendo) *et cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris: et cum perverso perverteris.* q. d. Bono, probato et electo, bonum, probatum et electum te exhibebis; *cum perverso perverteris*, id est, non candide, non benigne, sed (ut ita dicam) prave, maligne et perverse, id est vafre, severe et hostiliter ages; ac morem tibi proprium, qui est misereri et benefacere, invertes; quia ipse ab eo qui esse deberet inversus et perversus est. Ita S. Hieron. et Iansen. ibidem. Et Levit. 26. 27. *Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaveritis contra me: et ego incedam adversus vos in furore contrario, et corripiam vos septem* (id est multis) *plagis propter peccata vestra.* Sic incessit contra contumacem Pharaonem, alliciendo et mergendo cum dolose in mari rubro; et contra superbum Nabuchodonosorem convertendo eum in bestiam, Daniel. 4. Sic sæpe hypocritis et impiis populis dat hypocritas et impios reges et magistratus; discipulis indoctis indoctos magistros: morosis uxoribus morosos maritos; parentibus perversis perversos filios, etc.

Similia proverbia sunt: *Fallacia alia aliam trudit: Est pylus ante pylum: Lis litem serit, fraus fraudem: Pro exceco exoculatus est: Malum malo medica, morbum morbo adure: Lutum luto purga: Cretiza cum Cretensi.*

PORTABUNT INIQUITATEM SUAM.) Tam falsus Propheta, quam qui eum consulit: *iniquitatem* vocat vindictam et pœnam iniquitatis. Est metonymia: ponitur enim causa pro suo effectu, culpa pro pœna. Vers. 10.

IUXTA INIQUITATEM.) Id est ficte et mendaciter me roganti, ficte et mendaciter respondebo per pseudoprophetam. Secundo, pari pœna et interitu, uterque pro pari simulatione punietur, scilicet et consulens, et consultus pseudopropheta.

UT NON ERRET ULTRA DOMUS ISRAEL A ME.) Videns scilicet alios, qui a me recesserunt, errasse, et esse punitos, q. d. Ut sic hac pœna Israelem a falsorum vatum sequela liberem. Ita Polychron. Vers. 11.

TERRA (habitatores terræ) UT PRÆVARICETUR PRÆVARICANS.) Id est, ut valde prævaricetur. Origenes hic hom. 4. videtur terram ipsam accipere, quasi ea sit animata, et ratione pollens, sicuti Plato censuit spiritum Dei esse animam mundi: sed loquitur metonymice; alibi enim contrarium diserte docet. Vers. 13.

CONTERAM VIRGAM PANIS.) Hebr. *baculum* vel *sustentaculum panis*, id est panem, qui vitam sustentat, q. d. Immittam famem in eam. Vide de hac phrasi ea quæ dixi Isaiæ 3. v. 1.

ANIMAS SUAS.) Id est seipsos, suam vitam, et salutem. Vers. 14.

SI DIXERO.) Id est, si iussero, si ordinavero ut gladius hostilis puniat terram peccantem. Vers. 17.

IN SANGUINE.) Corrumpendo aere pestifero sanguinem, qui corruptus cætera hominis membra inficit. Ita Vatabl. Secundo, melius Prado et Maldon. *in sanguine*, inquiunt, id est ad cædem et carnificinam, ut sanguis, id est vita, effundatur. Vers. 19.

ET NOE, ET DANIEL, ET IOB.) Quæres, Cur hi tres nominantur præ Abraham, Iacob, Mose? Vers. 20.

Cur hic Daniel, Noe et Iob præ aliis Sanctis nominantur? Resp. I.

Primo, Orig. apud S. Hieron. respondet: quia hi tres primo, prospera; secundo, adversa; tertio, rursum prospera conspexerunt. Scilicet, Noe vidit mundum integrum, mox diluvio deletum, et paulo post renovatum. Daniel vidit Iudæos florentes, captos, et reduces. Iob vidit suam felicitatem, plagam et restitutionem, q. d. Sic et populus Israel si pœniteat, ad patriam et primam felicitatem redibit. Verum hoc non est ad propositum huius capitis.

II. Secundo, S. Hieron. ait, hos tres esse quasi tria exempla divinæ severitatis. Nec enim Noe vir perfectus potuit iram et diluvium Dei avertere nisi a filiis, qui iusti erant, et servabantur in seminarium hominum: nec Daniel potuit a populo avertere captivitatem Babylonicam: nec Iob a filiis et filiabus mortem. Sed tantum Noe ipse cum suis iustis a diluvio; Iob a pestifera morte, Daniel a leonibus, ob suam iustitiam a Deo fuerunt liberati. Ita et Maldon. Idque satis apposite dicitur, quasi argumentetur ab exemplo. Sicut nec Noe orbem, nec Iob filios, nec Daniel populum suum liberarunt: ita nunc non poterunt populum meum liberare.

III. Tertio, e contrario S. Chrysost. hom. 47. in Genes. respondet: quia, inquit, Noe filios et filias, sic Daniel, et Iob multos alios servarunt, tum familiares, tum populares, tum subditos suos.

IV. Et plene.

Quarto, plenissime Prado respondet: quia hi tres suo sæculo, quasi soles iustitiæ illustres orbi præfulserunt, et fuerunt salutis aliorum amantissimi; ideoque Deo charissimi, et in oratione fuerunt efficacissimi. Unde de Noe dicitur Eccli. 44. 17. quod *factus est mundi reconciliatio*, ut scilicet eum restauraret. Iob etiam fuit integerrimus c. 1. v. 1. uti et Daniel, qui a Deo vocatur *vir desideriorum*.

Daniel adhuc vivebat, eratque 34. annorum, instar Christi.

Nota. Tum vivebat Daniel, cum hoc elogium de eo dedit hic Ezechiel, cumque Noe et Iobo comparavit, et tantum erat 34. annorum. Nam 20. annorum erat cum translatus est in Babylonem, anno 3. Ioakim, qui postea adhuc 8. annis regnavit, cui successit filius Ioachin, qui ter-

tio mense translatus est in Babylonem. Hæc autem prophetat Ezechiel anno sexto a translatione Ioachin, ut patet ex cap. 8. 1. et 20. Hic ergo annus 6. Ioachin fuit annus 14. a translatione Danielis. Adde 14. ad 20. habebis 34. annos vitæ Danielis, dum hæc de eo dixit Ezechiel. Fuit ergo hic Daniel typus Christi, cuius ultima et perfectissima ætas fuit 34. eius anno. Daniel ergo adhuc vivens hic adeo celebratur, et quasi canonizatur. Sic Nicolaus V. Pontifex dixit de S. Antonino, *Tam recte canonizari potest S. Antoninus vivens, quam S. Bernardinus defunctus.* Sic S. Agatha quasi canonizavit S. Luciam viventem. Dum enim S. Lucia eam invocaret, peteretque ut matrem Eutychiam sanaret, audivit ab ea: *Quid a me petis soror Lucia, quod ipsa poteris continuo præstare matri tuæ?* Sic et S. Paulus quasi canonizatus est a Deo dicente: *Vas electionis est mihi iste*, Actor. 9. 15. et Ioannes Baptista Lucæ 1. 15. et Ieremias c. 1. 5. Imperite ergo hæretici hoc loco abutuntur, ut ex eo probent Sanctos in cælis non esse invocandos. Nam Primo, Noe et Iob, hoc tempore Ezechielis non erant in cælo, sed in limbo, id est in statu non beatitudinis et visionis, sed pœnitentiæ et caliginis: Daniel vero in terris vivebat. Ex quo iuxta argutationem hæreticorum, a pari inferendum esset, non esse poscendas preces iustorum adhuc viventium, quas tamen sæpe exposcit S. Paulus, postulans ut fideles orent pro se, et pro Gentium conversione, ac Evangelii propagatione. Secundo, non vetat hic Deus ne Sancti invocentur, sed asserit se eos non exauditurum; non quod eos non amet, vel alias non exaudiat: sed quod iam tanta sint Iudææ scelera et obstinatio, ut eam prorsus per Chaldæos vastare decreverit, nec ullius precibus flecti se sinet, ut illi parcat. Alias enim constat Danielem cap. 9. 13. Iudæis pœnitentibus libertatem e captivitate Babylonica; Iobum c. 42. 8. veniam amicis suis; Noe ne amplius homines perirent diluvio Genes. 8. 21. sui precibus et sacrificiis impetrasse. Potius ergo hinc contrarium inferendum esset, scilicet invocandos esse Sanctos. Hoc enim mandavit Deus amicis Iob, c. 42. v. 8. dicens: *Ite ad servum meum Iob: Iob servus meus orabit pro vobis.*

Hinc probatur invocatio Sanctorum.

Sed dicit rex principi quem amat: Noli orare pro isto perduelli, quia te non exaudiam, q. d. Alias te exaudiam, sed hac vice non, quia scelus est enorme.

Tropol. pater filium non liberabit ex inferno.

Tropol. S. Hieron. *Si Noe*, ait, *Iob et Daniel congregati, eos qui in terra peccatrice habitant, non possunt iræ Dei subtrahere; quid dicendum est de his, qui putant merito parentum posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberari? unde nec peccatorem filium iustus pater poterit liberare, nec sanctæ conversationis mater impudicæ filiæ dabit præmia pudicitiæ. E contrario parentum vitia filiis non nocebunt, sed anima quæ peccaverit ipsa morietur. Loth in Sodomis habitans, sed et spiritu et carne peregrinus, uxorem, quia post tergum respexerat, non liberavit; sed tantum filias, quæ forsitan non peccaverant.*

Denique Symbolice, Abbas Pastor in Vitis Patrum dicebat: *Paupertas, tribulatio et discretio, sunt operationes* A *solitariæ et perfectæ vitæ. Scriptum est enim: Quia si fuerint hi tres viri Noe, Iob et Daniel. Noe personam habet nihil possidentium; Iob autem personam tribulatorum; Daniel vero discernentium. Si ergo sunt hæ tres actiones in homine, Deus habitat in eo.*

Noe typus est Rectorum, Daniel continentium, Iob coniugatorum.

Et S. Gregorius hom. 16. in Ezech. *In Noe*, ait, *Daniel et Iob, prædicatores, continentes et coniugati signati sunt. Nam Noe arcam in undis rexit, et ideo figuram Rectorum tenuit. Daniel in aula regis abstinentiæ deditus fuit, et ideo vitam continentium signavit. Iob in coniugio positus, et curam propriæ domus exercens placuit, per quem digne bonorum coniugatorum ordo signatur.*

Et S. Bernardus serm. in illud Psal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus: Noe*, ait, *Daniel et Iob, tres ordines exprimunt; continentium, Prælatorum, et coniugatorum; si tamen continentes a carnalibus desideriis ad ea quæ cordis sunt, id est ad spiritalia desideria, convertantur. Unde et Daniel vir desideriorum ab angelo nuncupatur. Et Prælati prodesse magis studeant, quam præesse:* B *quoniam ipsos maxime decet sanctitudo. Unde et in psalmo sancti specialiter appellantur. Et coniugati mandata non transgrediantur, ut merito plebs Domini, et oves pascuæ eius debeant nominari.* Idem S. Bernar. ser. de tribus ordin. Ecclesiæ ad Patres in Capitulo: *Tres*, inquit, *sunt, Noe, Daniel et Iob: quorum primus navi, secundus ponte, tertius vado transit. Porro tres homines, tres ordines Ecclesiæ signant. Noe quidem arcam rexit ne periret diluvio, ubi protinus Rectorum Ecclesiæ formam agnosco. Daniel vir desideriorum abstinentiæ et castimoniæ deditus, ipse est soli Deo vacans continentium et pœnitentium ordo. Iob quoque substantiam huius mundi bene dispensans in coniugio, fidelem designat populum terrena licite possidentem*, etc.

Iudicia mea pessima.) Septuag. *ultiones*, id est flagella acerbissima: vel *iudicia*, id est iudices, ultores, aut potius lictores, qui vindictam exigunt de sceleratis. Vers. 21.

Tamen relinquetur in ea salvatio.) Hebr. *evasio*, id est, aliqui ex clade evadentes et superstites, qui etiam C educent ex hac clade filios et filias, ut in eis servetur et propagetur stirps Abrahæ. Vers. 22.

Ecce ipsi ingredientur ad vos.) Id est, ecce ipsi abducentur captivi in Babylonem, in qua vos estis, q. d. Ipsi sequentur vos, non vos ipsos.

Videbitis viam eorum, scilicet mores eorum improbos, ob quos alios punivi, sed eos ex misericordia servavi: sicque consolabimini.) Videntes merito ob tanta scelera me urbem et templum Hierosolymæ evertisse, et tamen clementer servasse aliquos, eorumque filios improbos (in Babylonem licet abductos) in seminarium stirpis Abrahæ, cum alias gentes funditus everterim. Sic enim respondet senibus, mirantibus minas Ieremiæ et Ezechielis, quomodo Deus gentem suam et urbem perderet, æque ut alias gentes? Respondet enim, mitius Deum agere cum Iudæis, quos non plane disperdit, uti perdidit alias Gentes. Vers. 23.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Deus improbos et incorrigibiles mores Iudæorum præ aliis gentibus ostendere per lignum vitis præcisum, quod præ aliis lignis ad nihil, nisi ut comburatur, aptum est. Quocirca se Ierusalem igne crematurum prædicit.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum? 3. Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas? 4. Ecce igni datum est in escam: utramque partem eius consumpsit ignis, et medietas eius redacta est in favillam: numquid utile erit ad opus? 5. Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cum illud ignis devoraverit, et combusserit, nihil ex eo fiet operis? 6. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quomodo lignum vitis inter ligna sylvarum, quod dedi igni ad devorandum, sic tradam habitatores Ierusalem. 7. Et ponam faciem meam in eos: de igne egredientur, et ignis consumet eos: et scietis quia ego Dominus, cum posuero faciem meam in eos, 8. Et dedero terram inviam, et desolatam: eo quod prævaricatores extiterint, dicit Dominus Deus.

*

Vers. 2. **Ex omnibus lignis nemorum.**) Id est, præ omnibus arboribus silvestribus, et infructiferis. *Ex* sumitur pro *præ*, uti et Ps. 138. 6. Hoc enim est Hebr. מִן *min*, q. d. Qua re præstat lignum vitis alii arbori, si fructum non fert? scilicet, adeo non præstat, ut sit omnium abiectissimum, et ad aliud non valeat, quam ut comburatur. Ita Vatablus et Maldon.

Ecclesia, et anima sancta est vinea, non silva, cur? Nota. Deus voluit Ecclesiam, et animas sanctas, non esse viridarium, nec nemus, sed vineam; ut non flores, non frondes, non ramos, sed fructum ferant. Secundo, ait noster Prado, Ecclesia non pomus, non ficus, sed vitis est, ob amœnitatem, et fructus præstantiam. Vinum enim pro ligno vitæ hominibus datum est, ut cor exhilaret, spiritus reficiat, mentem excitet, vitam foveat. Et sicut in vite, id est, ligno vili et despecto, intus est succus efficacissimus et optimus: ita in Ecclesia est gratia Christi, quæ per viles et pauperes Apostolos, totum mundum inebriavit sua efficacia. Ad hæc, hoc vinum germinat virgines, scilicet purissimas, et immortales; virgo enim semper virens symbolum est immortalitatis. Hinc vitis est quasi virgo: unde hoc eius est ænigma:

Nolo thoro iungi, quamvis placet esset maritam.
Nolo virum thalamo, per me mea nata propago est.
Nolo sepulcra pati, scio me submergere terræ.

Tertio, nulla arbor vite est feracior pro sui tenuitate, ait Plinius libr. 14. cap. 4. Rursum: *Invenimus vitem et malum Punicam stirpe fructum tulisse, non palmite, aut ramis*, ait Plinius libr. 17. cap. 25. Hoc viri boni et humiles faciunt, qui fructus, hoc est opera iustitiæ, occultant, quo fit ut tutior sit virtus, et minus insidiis dæmonum obnoxia, qui ad explicatas merces uno agmine prosiliunt:

Vive tibi, et longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes prælustria vita:
Sævum prælustri fulmen ab arce venit,

ait Ovid. 3. Trist. eleg, 4.

Quarto, vitis frigore emoritur, ait Plinius l. 17. v. 24. item nitro, alumine, marina aqua calida, et fabarum putaminibus: læditur raphano, lauro, caulibus et corylo. *Lædit*, inquit Plinius, *odore aut succi mistura raphanus et laurus vitem. Olfactrix enim intelligitur, et tangi odore mirum in modum: ideoque cum iuxta sit, averti, et recedere, saporemque inimicum fugere. Hinc sumpsit Androcydes medicinam contra ebrietates, raphanum mandi præcipiens. Odit et caulem et olus omne; odit et corylum; ni procul absint: tristis atque ægra. Nitrum quidem et alumen, marina aqua calida, et fabæ putamina vel ervi, ultima venena sunt.* Pari modo Ecclesia et anima sancta quasi emoritur frigore acediæ, nitro et alumine iræ, marina aqua amaritudinis: læditur raphano acoris, lauro ostentationis, oleribus vanitatis, corylo æmulationis. Fugit ergo hos succos et mores inimicos.

Quinto, hæc vinea Iudaica a Deo et Prophetis culta fuit, sed fructum non tulit. Unde excisa et præcisa, vel eradicata ad nil valet, nisi ut comburatur, cum alia ligna præ-

A cisa valeant ad hastas, ostia, tabulas, naves et domos fabricandas. Sic ergo Iudæa incorrigibilis igni tradetur, aliæ gentes per Christum et Apostolos dolabuntur, ut fiant vasa ex eis in honorem. Ita S. Hieron. et Polychron. Huc allusit Christus Ioann. 15. 5. dicens: *Ego sum vitis, vos vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Quod explicans S. August. tract. 81. in Ioannem: *Ligna*, ait, *vitis tanto contemptibiliora sunt si in vite non manserint, quanto gloriosiora si manserint.* Idque probans ex hoc Ezechielis loco, subdit: *Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit.* Ita Romæ vitium sarmenta continuo in hieme comburimus, nec sæpe alterius ligni fasces habemus. Idem S. Augustin. in sententiis, sentent. 364. *Ita*, ait, *sunt palmites in vite, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant ut vivant. Sic quippe est vitis in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis: ac*
B *per hoc et manentem in se habere Christum et manere in Christo, discipulis utrumque prodest, non Christo. Nam præciso palmite potest de viva radice alius pullulare: qui autem præcisus est, sine radice vivere non potest.*

Utramque partem eius consumpsit ignis.) Hebr. *utramque extremitatem.* Ex sarmentis enim vitis nihil in igne remanet: quia cum facillime ardeant, mox tota ignis depascitur. At ex aliis lignis igni iniectis remanent titiones, ex quibus paxillus, aut quid aliud fieri potest. Ita S. Hier. et Chald. q. d. Medietas huius vitis redacta est in favillam, id est, medietas populi Iudaici consumpta est a Nabuchodonosore sub Ioakim, et Ioachin; altera pars brevi consumetur sub Sedecia. Vers. 4.

Nota. Ignem vocat, extremam et acerrimam perniciem, quæ infertur vel gladio, vel fame, vel igne. Vide cap. 26. Sept. pro שְׁנֵי *scene*, id est *utramque*, legunt aliis punctis שָׁנָה *sciana*, id est, *annuam*. Unde vertunt, *annuam purgationem eius consumpsit ignis*, id est, sarmenta quæ quotannis putantur a vite, missa sunt in ignem. Sic uno an-
C no purgavit et putavit Iudæam Deus per Pharaonem, alio anno per Nabuchodonosorem sub Ioakim, alio sub Ioachin, etc.

Cum illud ignis devoraverit.) Scilicet cum media ex parte, ut præcessit, est combustum lignum vitis, quid fiet de reliqua parte ustulata? Vers. 5.

Dedi, id est dare soleo, **igni.** Vers. 6.

De igne egredientur, et ignis consumet eos.) Id est, si ex igne egressi fuerint, rursum in ignem coniiciam eos ut omnino comburantur: uti in vitium sarmentis, ea quæ remanent, rursum in ignem coniicimus, q d. Hi Iudæi ex una calamitate transibunt ad aliam, ex fame ad obsidionem, ex obsidione ad necem, vel captivitatem. Ita Theodor. Aliter Origen. q. d. Iudæi a Nabuchodonosoris clade ad Vespasiani cladem transibunt. Vers. 7.

Posuero faciem meam in eos.) Obfirmavero vultum minacem ad eos puniendum.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub specie adulteræ, describitur Ierosolymæ, id est Synagogæ, ortus, educatio, adulterium, id est idololatria; sorores, scilicet Sodoma et Samaria, repudium, et rursum reconciliatio cum Deo marito, per Dei vocationem et gratiam, et Synagogæ pœnitentiam. Primo ergo, describit Propheta Dei in Synagogam beneficia, quod nimirum in Ægypto eam afflictam, nudam et miseram collegerit, honestarit, uxorem duxerit, omnibusque ornamentis dotarit. Secundo, vers. 15 describit eius adulteria, quod scilicet omnibus his Dei ornamentis abusa sit ad cultum idolorum, quodque lupanaria, id est aras et idola, passim ad omne caput viæ erexerit, ibique deos Ægyptiorum, Chaldæorum, aliarumque gentium coluerit. Tertio, vers. 35. intentat ei pœnas; tum lapidationis, quasi adulteræ; tum gladii, quasi homicidæ; tum ignis, quasi incendiariæ, eo quod filios suos concremarit idolo Moloch. Quarto, vers. 46. docet quod impietate vicerit sorores suas, scilicet, Sodomam et Samariam. Denique v. 53. promittit se eam cum sororibus e captivitate tum Babylonica, tum potius diabolica per Christum reducturum. Datur ergo hoc cap. vivus typus et schema animæ peccatricis, et pœnitentis.

Tropologice ergo, mutato tanto nomine, totum hoc caput congrue adaptabis animæ tum fideli, cum a fide in hæresin, aut infidelitatem; tum peccatrici, cum a statu gratiæ in statum peccati; tum religiosæ, cum a vita religiosa ad sæcularem, relicto Deo sponso suo, redit et prolabitur. Simili schemate sponsæ adulterantis, idololatriam et peccata Hierosolymæ depingit Ierem. c. 2.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, notas fac Ierusalem abominationes suas: 3. Et
dices: Hæc dicit Dominus Deus Ierusalem: Radix tua, et generatio tua de terra Chanaan: pater tuus A-
morrhæus, et mater tua Cethæa. 4. Et quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus,
et aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. 5. Non pepercit super te oculus ut faceret ti-
bi unum de his, misertus tui: sed proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es.
6. Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo: et dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Vive: dixi,
inquam, tibi: in sanguine tuo vive. 7. Multiplicatam quasi germen agri dedi te: et multiplicata es, et grandis ef-
fecta, et ingressa es, et pervenisti ad mundum muliebrem: ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit: et
eras nuda, et confusione plena. 8. Et transivi per te, et vidi te: et ecce tempus tuum, tempus amantium: et ex-
pandi amictum meum super te, et operui ignominiam tuam. Et iuravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait
Dominus Deus: et facta es mihi. 9. Et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te: et unxi te oleo. 10. Et
vestivi te discoloribus, et calceavi te ianthino: et cinxi te bysso, et indui te subtilibus. 11. Et ornavi te ornamento,
et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum. 12. Et dedi inaurem super os tuum, et circulos
auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo. 13. Et ornata es auro, et argento, et vestita es bysso, et polymito,
et multicoloribus: similam, et mel, et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis: et profecisti in re-
gnum. 14. Et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem
posueram super te, dicit Dominus Deus. 15. Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo:
et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut eius fieres. 16. Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi ex-
celsa hinc inde consuta: et fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est. 17. Et tulisti vasa de-
coris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi: et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis.
18. Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, et operuisti illas: et oleum meum, et thymiama meum posuisti co-
ram eis. 19. Et panem meum, quem dedi tibi, similam, et oleum, et mel, quibus enutrivi te, posuisti in conspectu
eorum in odorem suavitatis, et factum est, ait Dominus Deus. 20. Et tulisti filios tuos, et filias tuas, quas genera-
sti mihi: et immolasti eis ad devorandum. Numquid parva est fornicatio tua? 21. Immolasti filios meos, et dedisti
illos consecrans eis. 22. Et post omnes abominationes tuas, et fornicationes, non es recordata dierum adolescen-
tiæ tuæ, quando eras nuda, et confusione plena, conculcata in sanguine tuo. 23. Et accidit post omnem malitiam
tuam (væ, væ tibi, ait Dominus Deus) 24. Et ædificasti tibi lupanar, et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.
25. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ: et abominabilem fecisti decorem tuum: et divisisti pe-
des tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas. 26. Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis ma-
gnarum carnium: et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me. 27. Ecce ego extendam manum meam
super te, et auferam iustificationem tuam: et dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum, quæ eru-
bescunt in via tua scelerata. 28. Et fornicata es in filiis Assyriorum, eo quod necdum fueris expleta: et postquam
fornicata es, nec sic es satiata. 29. Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis: et nec sic
satiata es. 30. In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis, et
procacis? 31. Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, et excelsum tuum fecisti in omni platea: nec fa-
cta es quasi meretrix fastidio augens pretium. 32. Sed quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alie-
nos. 33. Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, et dona do-
nabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum. 34. Factumque est in te contra consuetudinem mu-
lierum in fornicationibus tuis, et post te non erit fornicatio: in eo enim quod dedisti mercedes, et mercedes non
accepisti, factum est in te contrarium. 35. Propterea, meretrix, audi verbum Domini. 36. Hæc dicit Dominus
Deus: Quia effusum est æs tuum, et revelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos, et su-
per idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis: 37. Ecce ego congregabo omnes
amatores tuos, quibus commista es, et omnes quos dilexisti, cum universis quos oderas: et congregabo eos super
te undique, et nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam. 38. Et iudicabo te
iudiciis adulterarum, et effundentium sanguinem: et dabo te in sanguinem furoris et zeli. 39. Et dabo te in ma-
nus eorum, et destruent lupanar tuum: et demolientur prostibulum tuum: et denudabunt te vestimentis tuis, et

auferent vasa decoris tui: et derelinquent te nudam, plenamque ignominia: 40. Et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis. 41. Et comburent domos tuas igni, et facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum: et desines fornicari, et mercedes ultra non dabis. 42. Et requiescet indignatio mea in te: et auferetur zelus meus a te, et quiescam, nec irascar amplius. 43. Eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, et provocasti me in omnibus his: quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, et non feci iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis. 44. Ecce omnis, qui dicit vulgo proverbium, in te assumet illud, dicens: Sicut mater, ita et filia eius. 45. Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum suum, et filios suos: et soror sororum tuarum es tu, quæ proiecerunt viros suos, et filios suos: mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus. 46. Et soror tua maior, Samaria, ipsa et filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autem tua minor te, quæ habitat a dextris tuis, Sodoma, et filiæ eius. 47. Sed nec in viis earum ambulasti, neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus: pene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis. 48. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, et filiæ eius, sicut fecisti tu, et filiæ tuæ. 49. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius, et filiarum eius: et manum egeno et pauperi non porrigebant. 50. Et elevatæ sunt, et fecerunt abominationes coram me: et abstuli eas sicut vidisti. 51. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit: sed vicisti eas sceleribus tuis, et iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. 52. Ergo et tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis: iustificatæ sunt enim a te: ergo et tu confundere, et porta ignominiam tuam, quæ iustificasti sorores tuas. 53. Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, et conversione Samariæ, et filiarum eius: et convertam reversionem tuam in medio earum. 54. Ut portes ignominiam tuam, et confundaris in omnibus, quæ fecisti consolans eas. 55. Et soror tua Sodoma, et filiæ eius revertentur ad antiquitatem suam: et Samaria, et filiæ eius revertentur ad antiquitatem suam: et tu, et filiæ tuæ, revertimini ad antiquitatem vestram. 56. Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ. 57. Antequam revelaretur malitia tua: sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, et cunctarum in circuitu tuo filiarum Palesthinarum, quæ ambiunt te per gyrum: 58. Scelus tuum, et ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus. 59. Quia hæc dicit Dominus Deus: et faciam tibi sicut despexisti iuramentum, ut irritum faceres pactum: 60. Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ: et suscitabo tibi pactum sempiternum. 61. Et recordaberis viarum tuarum, et confunderis: cum receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis: et dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo. 62. Et suscitabo ego pactum meum tecum: et scies quia ego Dominus. 63. Ut recorderis, et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus quæ fecisti, ait Dominus Deus.

Vers. 2. **Notas fac Ierusalem.**) Per epistolas. Nam Ezechiel erat in Babylone.

Vers. 3. **Radix tua.**) Chal. et Rabbini vertunt, *habitationes tuæ*, quasi מכרתיך *mechorotaich* positum sit pro מגרתיך *megurotaich*, per commutationem litteræ *caph* in *ghimel*: sensumque dant, q. d. Ita vivis, ac si semper inter Chananæos habitasses. Verum melius Septuaginta et noster vertunt, *radix tua*; ac Leo Hebræus, *venæ tuæ*; מכרה *mechora* enim significat excisionem. Iam excisionem Hebræi vocant generationem et originem, ex qua Iudæi excisi, id est progeniti, sunt. Unde explicans subdit, *et generatio tua*. Alludit ad Isaiæ 51. *Attendite ad petram*, id est Abraham, ut sequitur, *unde excisi estis*.

Generatio tua, genus tuum, origo tua est **de terra Chanaan.**) Id est ex Ægypto, ait S. Hier. cuius conditor fuit Mesraim, frater Chanaan, filius Cham. Secundo, et melius, *generatio tua de terra Chanaan* esse videtur, non ob generis, sed ob morum similitudinem. Unde explicans subdit:

Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.) q. d. Licet filia naturalis sis o Ierusalem, Abrahæ et Saræ: tamen per imitationem et conversationem, videris filia Amorrhæorum et Hethæorum; quia eorum mores æmularis. Ita S. August. tract. 42. in Ioan. tom. 9. explicans illud, *Vos ex patre diabolo estis: Quia*, ait, *erant impii Amorrhæi*, *et Cethæi* (vel Hethæi; littera enim *chet* Hebr. nunc per h, nunc per ch, effertur) *Iudæi autem imitati sunt impietates illorum: invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectantes, pariter damnarentur. Unde et illius pater*, ait S. Hieron. *appellatur Amorrhæus, qui* hebr. *interpretatur* λαλούμενος, *id est multo sermone celebratus* (אמר *amar* enim significat loqui) *et mater tua Cethæa, id est* ἐξιστῶσα, *quæ vel ipsa insanit, vel alios mittit in amentiam. Omnis enim qui facit peccatum, de diabolo natus est. Unde et in toto orbe huius antiqui patris famosum vocabulum est, et multos vertens in amentiam. Præcipiturque Ierusalem; ut relinquat antiquum patrem, et dicitur ad eam: Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.*

A Sic Dido furens abeunti Æneæ insultat Æneid. 4.

Nec te diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanæque admorunt ubera tigres.

Loquitur Propheta de statu populi tum præsentis, tum præteriti, cum primum electus et erectus fuit a Deo in Synagogam, q. d. Non tantum nunc, sed et olim antequam ego vos, o Iudæi, mihi in populum, Ecclesiam et sponsam eligerem, et quasi in uxorem ducerem, puta cum viveretis in Ægypto; eratis adeo barbari, maleque morati, ut inter Amorrhæos et Cethæos nati et educati videremini. Hunc esse sensum patet ex eo, quod subdit: *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et aqua non es lota*. Hoc est enim barbararum gentium. Ita Maldon.

Inter septem Chananææ gentes nominat Amorrhæos; quia hi proceritate et viribus eminebant: atque Cethæos, B vel Hethæos; quia horum fœminæ impudentia et impudicitia erant infames, ut patet v. 45. et Genes. 27. 46.

Quando nata es.) Chrysost. hom. 33. in Matt. in opere imperf. *Ortus Israelis*, ait, *est vocatio Abrahæ; iuventus, dum Iacob cum suis descendit in Ægyptum; virilis ætas tempus regum; senectus a captivitate Babylonica ad Christum.* Vers. 4.

Secundo, S. Hieron. et Polychron. Ortus, inquiunt, Israelis fuit exitus de Ægypto; tunc enim quasi orta est Ecclesia vetus, sive Synagoga, cum data est ei lex in Sina.

Tertio, optime Prado, ortus fuit Israel post mortem Ioseph. Tunc enim in Ægypto Israel multiplicatus est, ut inciperet esse non familia Israelis, sed populus: esset tamen quasi puer proiectus et expositus tyrannidi Pharaonis; quasi puer, inquam, neglectus, cui nec umbilicus præsciditur, quique nec lavatur, nec salitur, nec involvitur, ut sequitur. Ita Chald.

C **Non est præcisus umbilicus tuus.**) Septuag. *Non ligasti*, vel, ut S. Hieron. *non ligarunt mamillas tuas*. Solent enim puellis infantulis mamillæ ligari, ne incipiant intumescere, ut pulchritudinem custodiant virginalem. Verum Hebræa ad verbum vertit noster: *non est præcisus umbilicus tuus*. Solet enim recens natis fistula pellicea instar farciminis ab umbilico pendens præcidi, per quam

aiunt medici embryonem in utero matri cohærere, ab eaque alimenta trahere, nutriri et augeri: scilicet per eam sugere sanguinem (non ad stomachum; quia iam a matre concoctus est sanguis) sed ad hepar, indeque eum per totum corpus embryonis distribui, illudque eo ali. Audi Plutarch. lib. 5. de Placit. cap. 16. *Non*, inquit, ut putarunt Democritus et Epicurus, *fœtus in utero per os alitur; ut propterea statim atque natus est, ore ad mammam feratur: nam et in utero esse ubera quædam, et oscilla, quibus alatur. Non*, ut censuit Alcmæo, *alitur per totum corpus, quod spongiæ in morem recipiat, quæ alendo sunt idonea: sed*, ut vere senserunt Stoici, *per umbilicum. Itaque hunc statim a partu ab obstetricibus ligari, et os infanti aperiri, ut de alio cogitet alimento.* Umbilicus ergo in utero est quasi os fœtus, quo sugit per venas alimentum ex materno sanguine: sed cum natus est fœtus, præscinditur umbilicus, quia eius iam nullus est usus; cum infans ore uti et sugere debeat.

Symbolice, umbilici præcisio notat humanæ vitæ, quasi navigationis, et navis præcisa anchora, iactationes et discrimina. Homo enim, et humana vita, est quasi navis, Sapient. 5. v. 10. Proverb. 30. 19. qua ab utero matris egressi, et solventes e statione tendimus ad portum mortis et immortalitatis. Umbilicus est quasi anchora, qua fœtus in utero matris, quasi in terra, firmat se et sustentat: eo præciso, solus puer omnibus huius vitæ fluctibus exponitur, agitatur et iactatur: ita Democritus, et ex eo Plutarch. lib. de Amore prolis.

Videtur ergo dicere Propheta: ex materna alvo, id est ex Ægypto trahebas adhuc impietatis alimentum, ait Theodor. et Polychr. ac sordes idololatriæ et gentilismi, ac præsertim libidinem. Unde addunt nonnulli, dicuntque: sicut in viris seminis origo est in lumbis, ita in fœminis est in umbilico. Ita S. Hieron. hic, et Origen. homil. 6. et S. Gregor. in Iob. 40. v. 11. Verum licet hoc in bestiis, uti elephante, locum habere nonnullis videatur (dico videatur: nam idipsum recte negat Pineda, et passim alii) Iob loco citato, non tamen in hominibus. Nam, ut docent Physici, et medici, umbilicus nullum habet usum, nisi ad fœtum in utero a matre fovendum, et alendum, nulloque modo generationis est instrumentum in fœmina potius quam in viro: sed tam in fœmina, quam in viro origo seminis est in lumbis (ibi enim sunt vasa seminalia, in quibus semen formatur ex spirituoso sanguine, quem ipsa hauriunt a vena cava, quæ ex hepate derivatur ad lumbos et renes) qui utero coniuncti sunt: unde et *morbi uterales cum lumborum distensione* coniuncti sunt, ait Galenus lib. 2. de Semine, cap. 1.

Umbilici usus quid?

Simplicissime ergo exponas, q. d. Cum primum nata es in Ægypto, legem et directorem non habens, in sordibus Ægypti pudendis vitam vixisti; inculta et informis, æque ac sordida fuisti; egisti vitam et mores Ægyptiorum, atque, ut ait Theodor. *quasi ex terra nativitatis nondum præciso umbilico, adhuc ex utero materno impietatis Ægyptiacæ alimenta cepisti.* Nam infans per umbilicum nutritur et augetur. Unde symbolice S. Gregor. 32. Moral. 11. *In die*, ait, *ortus umbilicum præcidere, est conversionis tempore carnis luxuriam resecare: sed Iudæa impræcisum præputium retinuit: quia fluxa luxuriæ non abscidit.* Umbilicus enim non in se, sed quia ventri et genitalibus vicinus, est symbolum libidinis. Ita Pineda in Iob cap. 40. v. 11.

ET AQUA NON ES LOTA IN SALUTEM.) Recte: nam Hebr. מִשְׁעִי *misci* significat salutem, a radice יָשַׁע *iascia*, id est salvavit. Solent recens natorum corpora lavari, Primo, ut sordes uteri abluantur: unde Prado censet *salutem* hic et alibi significare munditiam; et R. Manahen vertit, *non es lota ad munditiam*, additque Hebr. מִשְׁעִי *mi ci* arabice significare munditiam. *Cruenta*, inquit S. Hieronymus, *infantium corpora, statim ut emittuntur ex utero, lavari solent*: additque huc allusisse Christum, cum instituens baptismum dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.* Audi Plutar. libro de Amore prolis: *Nihil*, ait, *est ita imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, ut homo a partu*, etc. *Sanguine inquinatus, tuboque oppletus, et occiso magis quam nato similis, a nemine tangi, tolli, suaviari ac amplexu foveri potest, nisi natura insitum gerente amorem.* Secundo, ut membra quæ in utero contracta fuerunt, calida aqua extendantur, et conformentur. Tertio, ut caro reddatur lenis et mollis, inquiunt Rabbini. Unde R. David vertit, *non es lota ad lenitatem*; R. Manahen, *non es lota ad delicias.* Verum caro infantis mollissima, potius eget soliditate quam maiori mollitie. Quarto, *ad salutem*, ut sequitur, id est, ad sanitatem et incolumitatem, ne videlicet ex sordibus uteri putredinem fœtorem et morbum contrahant. Adde, quod Ægyptii et Mexicani recens natos in frigidam immergunt, sicque proles fiunt robustiores; et ad hoc medici nonnulli suadent, ut infantes abluantur vino. Quinto, aliqui hebr. periti apte vertunt, *ad aspectum*: hunc enim significat Hebr. מִשְׁעִי *misci*, a radice שָׁעָה *sciaa*, id est aspexit, intuitus est cum voluptate, q. d. Non es lota ut a deformitate tua exuereris, fieresque pulchra et aspectabilis; cui proinde mater, et nutrices abblandiri solent, eumque amplecti et osculari. Unde aliqui vertunt, *non es lota ad amplexum, ad blanda oscula.*

Recens nati ab luuntur, cur?

Symbolice significat Iudæos lacrymis non abluisse peccata præteritæ vitæ.

Allegorice, Theodor. exponit, q. d. *Non es lota*, scilicet in baptismo, *in salutem*, id est, ad vitam immortalem. *Multa enim*, ait S. Hier. *sunt lavacra, quæ Ethnici in mysteriis suis et hæretici pollicentur, qui omnes lavant, sed non lavant in salutem.*

NEC SALE SALITA.) Saliuntur corpora recens natorum, ut solidiora fiant, et constringantur, ait S. Hier. ac siccentur ab omni immunditia uteri, et ut vulnus umbilici præcisi sale stringatur, claudatur et sanetur. Audi et Galen. lib. 1. de Sanit. tuenda c. 7. Sanitati conducit, *ut primum sale modico insperso cutis eius* (infantis) *densior solidiorque iis quæ intus sunt partibus, reddatur. In utero enim æque cum reliquis mollis erat, cum nec durius ullum externum corpus inibi contigerit, nec aer illi usquam frigidus inciderit.* Ita veteres: at iam molles obstetrices sale, utpote mordaci, abstinent.

Et saliuntur, cur?

Symbolice, significat Hebræos sale sapientiæ fuisse destitutos, qui timore pœnarum carnis concupiscentias stringit et a peccati corruptione præservat. *Sal* enim *est quasi naturæ balsamum*, ut recte ait Ansel. Boet. medicus Rodulphi II. Imperat. lib. 2. de Lapidibus cap. 302. sal enim pene omnibus mistis natura immiscuit, ut ea condiat, stringat, et a corruptione præservet. Sic ad literam saliebant infantes ne cito ingenito sibi mortis et corruptionis semine putrescerent. Quocirca Homerus salem divinum appellat, et Plato asseruit salem rebus divinis amicissimum familiarissimumque: cuius dicti causam indagans Plutarch. in Sympos. decade 5. docet salem hoc in se divinum habere, quod a corporibus vita destitutis putrefactionem et tabem arcet, neque sinit prorsus interire, diu morti velut resistens, animæque quoad licet, vice fungens. Atqui nihil est anima divinius. Huius ut est officium, animantia tueri continereque, neque sinere compaginem dilabi: itidem sal animæ exemplo cohibet armoniam corporum ad tabem tendentium, et membrorum inter se amicitiam conservat. Rursum, sal est necessarium ciborum condimentum. Quamobrem Plinius l. 31. c. 7. *Ergo hercle*, inquit, *vita humana sine sale nequit degere, adeo necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sales appellantur: omnisque vitæ lepos et summa hilaritas.* Atque hinc insulsa oratio, quæ nihil habeat leporis; et insulsus homo moribus inelegantibus. Et cap. 9. *Corporibus nihil esse utilius sale et sole dicunt.* Hinc et illud Catulli:

Non est in tanto corpore mica salis.

Hinc recens baptizatis datur sal, quasi symbolum sapientiæ Christianæ, quæ consistit in mortificatione vitiorum: sic enim sal mortificat carnes vivas, exugendo ex eis et consumendo sanguinem, omnemque humorem super-

Sal Baptismi quid?

fluum. Inde Burgundi cognomen, ut vocetur *Bourgoignon salé*, id est Burgundio salitus. Cuius origo est, quod Burgundi primi e Gallis baptismum, fidemque Christi susceperint, in eoque de more sale aspersi sint: quocirca tunc per iocum a vicinis adhuc Gentilibus *saliti*, vel sale conditi, sunt appellati, quod cognomen deinceps eis adhæsit.

Nec involuta pannis.) Fasciis, quæ corpus stringunt, conformant, rectificant. *Unde et corpora barbarorum Romanis corporibus rectiora sunt: usque ad secundum enim et tertium annum semper pannis involvuntur*, ait S. Hier. Significant hæ fasciæ virtutum et charitatis vestes, quibus carebant plerique Iudæi; vel legis doctrinam, quæ rectum faciebant Israelem. Ita Theodoretus.

Vers. 5. Non pepercit super te oculus.) Id est, ut ex Hebræo vertit Vatablus, *non est misertus tui oculus hominis*, ut te oculis compassionis aspiceret, ac aliquod officium pietatis recens natæ, ita sordidæ, abiectæ et derelictæ necessarium præstaret.

Sed proiecta es super faciem terræ.) Sicut infantes expositi proiici solent. Secundo et proprie, sicut infantes nascendo effunduntur et abiiciuntur in terram. Unde Romani finxerunt deam Levanam, quasi quæ pueros iam natos levaret e terra. Verum hoc est officium *omnium nutricis gratiæ Dei*: ipse igitur *levet de terra*, *et vocetur Levana*, ait S. Augustinus libr. 4. de Civit. c. 11. Sensus est, q. d. Cum abiecta iaceres, nuda et derelicta, ego quasi Levana te sustuli, lavi, curavi, educavi, adoptavi, etc.

In abiectione animæ tuæ.) Id est, vitæ tuæ, q. d. Proiecta es ut morereris. Ita Maldon. Rursum *animæ tuæ*, id est personæ tuæ, vel corporis tui, quod est receptaculum animæ, ut sit metonymia. Sic sæpe in Levit. *immundus super anima*, vocatur immundus ex contactu cadaveris, q. d. Uti ex utero matris effusa, eras secundinis et sordibus cooperta, et abominabilis, illota, insulsa, nuda: sic iacebas in medio agro, cæli iniuriis et bestiis exposita, et ab hominibus abiecta. Ita Prado. Nimirum id factum est, ut ait Scholiastes et Chaldæus, cum Pharao iussit mares Hebræorum mergi, et occidi. Tunc enim abiiciebant eos matres in agrum, aut in carectum, uti Mosi contigit. Rursum, cum Pharao relegavit, et quasi proiecit eos ad lateres formandos ex luto et paleis Ægypti, Exodi 1.

Vers. 6. Transiens.) Quasi rex, qui it venatum, et in agro incidit in puellam expositam. Alludit ad Mosen, qui infans expositus in carecto, a transeunte filia Pharaonis liberatus et educatus est. Simili enim modo Deus cæteros Hebræorum infantes morte, æque ac parentes servitute liberavit.

Vidi te conculcari in sanguine tuo.) Scilicet, qui ex alvo cum fœtu et secundinis egreditur; id est, vidi te totam sordidam, barbaram, incultam, miserabilem; fidei, legis, gratiæ, salutis, omniumque Dei donorum expertem; ac mystice sordidatam sanguine, id est peccato originali, quod quasi sanguinem ex utero matris traxeras. Ita Maldon. Quocirca R. David, *in sanguine*, ait, id est in luto immersam, ex quo cogebaris facere lateres: lutum enim rufum est, et sanguinei coloris.

Et dixi, etc. In sanguine tuo vive.) Id est volui, decrevi efficaciter, id est, iussi et feci (Dei enim dicere est efficax, idemque quod facere) ut, cum fere animam ageres, viveres, essesque vitalis et valens; imo in sanguine, id est in luto et lateribus afflictus magis cresceres, quasi germen adolescens, et multiplicareris *ad decem millia*, ut habent Hebræa, id est in immensum. Sicque ego fui tibi, tuisque infantibus quasi obstetrix, eisque obstetrices beneficas contra Pharaonis imperium effeci. En amorem Dei obstetricantis infantulus Hebræorum: quis ergo, quantusque amor eius, cum ipse pro parvulis factus est parvulus, et sordes infantiæ nostræ suscepit? Aliter Chald. *In sanguine*, ait, *circumcisionis miserebor vestri, et in sanguine phase redimam vos.*

Vers. 7. Ingressa es, progressa es, adolevisti ad tempus pubertatis, ut esses nubilis, quæ ætas postulat mundum muliebrem.) Ut paret se et ornet sponso suo. Hebr. est, *ingressa est*, *et pervenisti ad ornamentum ornamentorum*. Ita Theodot. hoc est, ad omnimodum ornamentum, quale

A habere solet virgo nobilis cum iam est nubilis, scilicet armillas, torques, inaures, monilia, etc. Talis erat Israel, cum servitute Ægypti egressus, per Mosen, per columnam, per legem, per tabernaculum, perque alia miracula et dona Dei parabatur, ut Deo desponderetur in Sina. Sept. pro ד legente ר scilicet pro עדי עדים *adi adaim*, legentes ערי ערים *are arim*, vertunt, *ingressa es in civitates civitatum*, id est, in plurimas et maximas civitates Chanaan, quas dedi tibi duce Iosue.

Ubera tua intumuerunt.) Id est, pervenisti ad annos pubertatis, factaque es nubilis. Tunc enim ubera crescunt.

Et eras, cum esses ea ætate, quæ maxime ornari solet, nuda, et confusione plena.) Primo, quasi serva et captiva vix viles habebas vestes, quibus nuditatem et pudorem tuum tegeres. Ita R. David. Secundo, ut Theodor. non acceperas legis tegumentum. Tertio, non protegebaris Dei auxilio. Ita S. Hieron. Quarto, in Ægypto colebas Ægyptiorum idola, inquit Scholiast.

B Et ecce tempus tuum, tempus amantium.) Hebr. דדים *dodim*, id est, ut Theodot. μαστῶν, *uberum*, scilicet intumescentium; Symmach. ἀγάπης, id est, *dilectionis;* Aquila, *tempus* συναλλαγῆς, id est conciliationis, puta *sponsalium et nuptiarum;* Pagnin. *tempus amorum;* Septuag. *tempus divertentium*, hoc est, ut Scholiast. ex Theodor. *tempus ut ex virginibus excedas*, et in ordinem coniugatarum transeas. Hoc est, eras ea ætate ut viro esses copulanda; et nemo te, quia nuda eras, sordida et misera, ducere volebat: ego autem vestivi te, atque uxorem duxi; cum per Mosen te vocavi, adamavi, fœdere copulavi, deduxi, et protexi.

Expandi amictum meum super te.) Hebr. כנפי *chenaphi*, id est *meam alam*, id est, oram mei vestimenti expandi super te, hoc est, desponsavi te mihi in uxorem. Maritus enim expandens oram vestimenti in fœminam apud Hebræos, hoc signo et ritu accipiebat eam in coniugem, ut patet Ruth 3. 9. Ita S. Hieron.

C Operui ignominiam tuam.) Id est, nuditatem, de qua v. 7. texi vestibus et spoliis Ægyptiorum. Item dando legem, auxilium et protectionem meam divinam.

En iuravi tibi, et ingressus sum pactum tecum.) Fœdus hoc nuptiale iniit Deus cum Israele ita paupere et misero, Exod. 24. illudque confirmavit ibidem iuramento, quasi execratorio, non verbis, sed factis. Divisio enim victimarum, quibus fœdus sanciebatur, idipsum significabat: tantumdem enim erat ac si diceret: Sic Deus dividat alterutrum, qui fœdus violarit. Vide ibi dicta.

Facta es mihi.) Scilicet sponsa et uxor, ait S. Hieron. et Theodor. ac quasi possessio, ut mea sis et dicaris, et a me nomen accipias, vocerisque Synagoga Dei, sponsa Dei, populus Dei, Israel Dei.

Tropol. anima fidelis est sponsa Dei, de qua ait Apost. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Cor. 11. 2. Vide ibi dicta.

Lavi te aqua.) Primo, q. d. Abstersi sordes paupert- Vers. 9.
tatis et nativitatis tuæ, teque honestam, divitem et formosam effeci. Ita Maldonat. Secundo, *lavi te*, id est, in mari rubro quasi lavacro baptizavi te, dum te per illud D traduxi, et in eodem Ægyptios mersi, 1. Corinth. 10. 1. Tertio, ut Origen. Theodor. Apollin. aqua doctrinæ, et, ut Vatabl. gratiæ meæ, lavi tuos sanguines, id est, scelera. Quarto, Prado, q. d. Baptismatibus et lustrationibus lege præscriptis sustuli immunditias tuas legales, et, ut Theodor. per circumcisionem emundavi sanguinem, id est peccata tua. Alludi ad Exod. 19. 10. ubi ante fœdus cum Deo ineundum, populus iussus est lavare vestes, ut ita se mundaret, et pararet ad legem et pactum cum Deo. Hic sensus maxime videtur genuinus.

Unxi te.) Nota. Novæ nuptæ, uti et convivæ solebant lavari, deinde ungi, ac denique pretiosis vestibus indui, ut patet Esther 2. 12. Ruth 3. 3. Iudith 10. 3. *Unxi ergo te*, id est recreavi te ex laboribus, ait Polychr. et Prado. Secundo, et melius: *unxi te*, id est Aaronem, et posteros eius (atque in iis totum populum) per unctio-

nem mihi sacerdotes creavi et consecravi. Hæc enim magna erat dignitas populi, quod nimirum esset gens sancta, et regnum sacerdotale, Exod. 19. v. 6. A

Mystice, Orig. *Unctio*, ait, *est inhabitatio Spiritus sancti, in gratia, et cognitione veritatis.*

Allegorice, est unctio chrismatis, qua confirmamur in Sacramento Confirmationis.

Vers. 10. VESTIVI TE DISCOLORIBUS.) Id est, acu pictis et variegatis opere phrygionico. Hoc enim significat Hebr. רקמה *rikma*, vel *recama*; unde Italicum *ricamo*, *ricamare*, et *ricamato*. Nimirum, talis erat vestis variegata sacerdotum, in qua, ait Sapiens c. 18. v. 24. descriptus erat universus orbis, qui erat quasi dos uxoris. Omnia enim illi tradidit Deus in obsequium, iuxta illud Psal. 8 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas, insuper et pecora campi.* Ita Chald. Per vestes ergo has, æque ac per unctionem significatur sacerdotium et pontificatus collatus a Deo Synagogæ.

Vestis exterior est modestiæ, interior iustitiæ. B Tropologice, vestis *discolor*, est variegatura virtutum omnium. Hæc enim quasi veste undique cingimur, ornamur et munimur: præsertim vero vestis exterior est modestia, gravitas, comitas, omnisque externa verborum, morum et gestuum ad decorem et pietatem compositio. Vestis interior est iustitia, quæ est complexio virtutum omnium, mentem rite secundum Deum, Deique legem componens et conformans.

Nota. Hebr. *rikma*, quod hic interpres vertit, *discolor;* alibi vertit, *polymita;* alibi, *scutulata;* alibi, *variegata;* alibi, *plumaria;* alibi, et proprie, *phrigionica*, seu acu picta: quia ex una specie variegatarum vestium aliæ intelliguntur, scilicet, Attalica, Babylonica, Alexandrina, scutulata, de quibus Plinius lib. 8. 48. *Trabeis*, ait, *usos accipio reges, pictas vestes iam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ: acu facere Phryges invenerunt, ideoque phrygiones appellati sunt. Aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus rex: unde nomen Attalicis. Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, et nomen imposuit. Plurimis liciis texere, quæ polymita appellatur, Alexandria instituit; scutulis dividere Gallia.* Huc usque Plinius. Ita imagines hominum, arborum, bestiarum, rerumque omnium intexere tapetibus, per diversicolorà fila artificiose admodum Aldenardenses in Belgio conspexi; qua in re non tantum Belgis, sed et aliis pene omnibus nationibus antecellunt. Rursum, acu pictum duas habet species: una est operis plumarii, quo lineæ telæ variæ picturæ, sericis filis versicoloribus inducuntur, ut in cervicalibus elegantioribus videmus. Altera operis Phrygii, cum aureæ telæ, vel sericæ acu innectuntur segmenta auri. Vide dicta Exodi 26. 1. et Prado, qui de his fuse hic agit.

Variegatæ vestis species, et inventores.

CALCEAVI TE IANTHINO.) Scilicet calceo ianthini, sive hyacinthini, ut vertunt Septuag. id est violacei (ἴα enim Græcis est viola) et cælestis coloris. Hebr. enim תחש *tachas*, id est taxus, est animal simile vulpi, violacei coloris, de quo Exod. 25. 5. Ex huius ergo corio fecit Deus Synagogæ sponsæ suæ calceos. Alludit ad pelles ianthinas, quibus tectum fuit tabernaculum, id est, Sanctum, et Sanctum sanctorum, Exod. 26. 14. (hæ enim hebr. vocantur *tachas*) quod quia quadratum, vel potius quadrangulum, formam habebat calcei, et, ut calcei, ex pellibus erat confectum, sive obtectum. Significatur ergo hic, quod Deus Synagogæ dederit tabernaculum, sive templum ex cocco, purpura, bysso et hyacintho pulchre variegatum, omnemque eius ornatum, vasa et supellectilem: puta altare tam thymiamatis, quam holocaustorum, labrum vel mare æneum, mensam panum propositionis, candelabrum, propitiatorium, arcam, Cherubim, etc.

Calceus. I. Signum est libertatis. Symbolice, calceus signum est, Primo, libertatis, et dominii: servi enim, uti et captivi, incedebant nudis pedibus, Exod. 12. 11. Unde dicit David Idumæam subiugaturus Psal. 59. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Hinc

II. Possessionis. Secundo, calceus, signum est usucapionis et possessionis: discalceatio ex adverso, cessionis iuris sibi debiti, Deuter. 25. 7. Ruth 4. 7.

III. Lætitiæ. Tertio, signum est lætitiæ: sicut e contrario discalceare se, ac coronam ponere, et comam radere signa erant luctus. Huc spectat Alciati emblema, quo docet ianthinum colorem esse symbolum eius, qui sorte sua contentus est. Ait enim:

Quisquis sorte sua contentus, ianthina gestet.

IV. Constantiæ. Quarto, in militia calceus signum est constantiæ, confidentiæ, et animi intrepidi: qui enim nudipes est, timide incedit, ne offendat pedem. Sic sponsa Israel hactenus discalceata, quasi captiva; iam libera facta calceatur, idque calceo hyacinthino, ut significet Primo, cælestem eius esse conversationem, et spem. *Hyacinthus enim aerii et κυανεω coloris est, ut rapiatur in occursum Domini, et ad cælestia festinet*, ait S. Hieronym. et S. Gregorius Moral. 10. Item, eam a Deo in cælis protegi, ut perfectius ambulet, et prædicet, ait S. Hieron. Tertio, hyacinthus vestis est regum, Eccles. 40. 4. Significat ergo animum regium et excelsum, qui in cælis fixus hæc omnia terrena pessumdat et proterit: unde luna est sub pedibus Ecclesiæ et Sanctorum, Apoc. 12. 1. Hisce de causis olim baptizatis in baptismo dabatur, uti vestis candida, ita et calcei candidi, quos calceabant, et gerebant per septem dies, quo alludit Paulus Ephes. 6. 15. dicens. *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Ita Rupert. lib. 7. cap. 1. Vide Iosephum Vicecomitem de Ritibus Baptismi lib. 5. c. 18. Huc facit ænigma vetus, quod Virgil. ecloga 3. ita proponit:

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores?

Hoc est, dic ubi nascantur hyacinthi. Flos enim hyacinthi, teste Plinio lib. 21. c. 11. Pausania lib. 1. et aliis passim, natura sua habet duas hasce literas A. I. sibi inscriptas, venis quibusdam, ait Plinius, vel maculosis notis, uti eas vocat Dalecampius, ita discurrentibus, ut hasce litteras in flore efforment. Hæ autem literæ A. I. initiales sunt nominis Aiax, qui celebris fuit ille rex Græcorum, Troiæ eversor, de quo Homerus tota Iliade. Unde Poetæ finxerunt Aiacem mortuum in florem hyacinthi fuisse conversum, uti describit Ovidius Metamorph. 13. Hyacinthus ergo regum gestat nomen et insigne: hinc et regum vestis fuit, æque ac coccus vel purpura. Quocirca illa, æque ac hyacinthina utuntur Cardinales: hi enim sunt regnum sacerdotale, et sacerdotium regale Christi, ut, sicut ipse in passione et cruce purpuram induit, sanguineque suo purpuravit, tam seipsum, quam Ecclesiam: ita et ipsi pro Christo et Ecclesia, proque eius fide et gloria, stent quasi columnæ usque ad mortem, atque pro ea, si res poscat, sanguinem fundant, et martyrium subeant. Sic fecerunt primi, non nomine (nomen enim Cardinalium cœpit primariis urbis Romæ Parochis, puta Presbyteris et Diaconis, tribui sub tempora Silvestri, sub quo pax Ecclesiæ cœpit. Unde in Conc. Romano sub Silvestro cap. 7. nominati reperiuntur Diaconi Cardinales: quorum et meminit S. Gregorius lib. 5. epist. 11. ad Fortunatum, D et l. 11. epist. 34. ad Ioannem. Deinde anno Domini 769. in Conc. Rom. sub Stephano IV. Pontif. statutum est, ut nemo crearetur Pontifex, nisi qui prius fuisset Cardinalis: et sic Eugenium II. ex Cardinali S. Sabinæ creatum esse Pontificem anno Domini 824. tradit Anastasius Biblioth.) sic inquam fecerunt primi, non nomine, sed reipsa Cardinales, cruore suo russati, S. Laurentius, S. Cyriacus, S. Largus, S. Smaragdus, et alii plurimi, imo pene omnes primis trecentis post Christum annis; quibus Pontifices omnes cum suis Cardinalibus, id est primariis Presbyteris et Diaconis, martyrio purpurati sunt. De quibus proinde merito canit Ecclesia:

Rubri nam fluido sanguine, laureis
Ditantur bene fulgidis.

Purpura quando, et cur data Cardinalibus. Hosce ergo sibi imitandos proponant Cardinales. Quod ut faciant, utque huius constantiæ, charitatis et martyrii, perpetuo habitum suum intuentes admoneantur; primus Paulus Secundus, qui Pontifex creatus est anno Domini 1464. cui Platina a secretis fuit, eis vestem rubeam, sive

purpuream attribuit: atque ante eum Innocentius IV. anno Domini 1245. creatis duodecim Cardinalibus, primus eisdem galerum purpureum assignavit, ut illi usque ad sanguinem et mortem Friderico Imp. hosti Ecclesiæ sese una secum obiiecerent, eique caput suum quasi murum opponerent. Ita Martinus Polonus, Platina, Onuphrius, et alii in horum Pontificum vita.

Card. Poli longum martyrium.

Hoc calceo hyacinthino, æque ac pileo, ac veste coccinea egregie inter alios decoratus fuit Reginaldus Polus Cardinalis, qui mente in cælo Deoque defixus, non tantum opes et honores omnes; sed et terricula, tristiaque omnia, et mortem ipsam parvi pendit et contempsit, adeoque martyrium longum, et quasi perpetuum generose sustinuit. Cum enim Henricus VIII. rex Angliæ facto schismate, male sibi conscius metueret Pontificem et Polum, utpote Cardinalem, et e sanguine regio Anglorum oriundum, ei in Angliam, uti ipse metuebat, quandoque perrecturo continuas ubique tetendit insidias. Quocirca Polus missus a Paulo III. Legatus ad Franciscum Galliæ regem, cum rex eum moneret, ut, si salvus esse vellet, statim abiret, in eo tanto periculo, cum omnes viæ armatis militibus et grassatoribus, et Anglis ipsis refertissimæ essent, nihil unquam de sua remisit constantia et gravitate; imo vero comitibus eius omnibus adeo exterritis, ut nemo esset qui crucem, ut mos est Pontificiis Legatis, præferre auderet, ipsemet crucem sumpsit in manu, erectamque gestavit, donec famuli pudore impulsi eam repeterent. Deinde cum in Belgium evasisset, nec tamen cessaret impius rex ab insidiis, eiusque caput quinquaginta aureorum millibus proscripsisset, nec maius posset esse vitæ periculum; semper tamen sui similis, eademque vultus ac mentis serenitate perstitit uno Deo nixus, qui sane ei non defuit. Leodium enim eum invitavit Episcopus et Cardinalis Groisbeeck, a quo humanissime exceptus, cum audiret ingentia, et vix credibilia promissa, quæ Anglus Belgis offerebat, si sibi Polum traderent; miratus hominis amentiam, dixit, *se quidem iampridem vitæ huius tædio affectum, mortem et transitum ad meliorem vitam optare; ac proinde cum Henricus tanta sua impensa et cura hoc ipsius desiderium adiuvare conaretur, nihil aliud facere, quam si quis dormitum ire cupienti vestes ipsas exuere velit.* O vocem Cardinale dignam; vocem, inquam, non hominis, sed angeli! quam uti ore edidit, ita reipsa præstitit: neque enim ante ex Belgio, ubi a vicinis Anglis mille petebatur insidiis, discessit, quam a Pontifice revocaretur; cum ita diceret, esse se in Pontificis potestate, et ad eius nutum omnia facturum: ita Sander. et alii in hist. Anglic.

Cingulum byssi ad quid?

CINXI TE BYSSO.) Fascia ex lino mollissimo et candidissimo quasi cingulo te cinxi. Cingulum hoc significat castitatem, fidem, amorem coniugalem, et purum cor, ut sponsa Synagoga non nisi Deum sponsum amet. Alludit tum ad cortinas et vela e bysso ambientia tabernaculum, tum ad cingulum ex bysso, quo tunicam cingebant sacerdotes, Exod. 28. 39. Hoc enim significabat sacerdotem, et per eum totum populum Deo astringi, ut patet Ierem. 13. 11. quamquam non est necesse hæc omnia sigillatim accommodare. Omnis enim hic ornatus tantum significat in genere, Israelem a Deo omnibus donis et gratiis ornatum fuisse. Putat Prado בוץ *buts*, id est, byssum veterum fuisse gossipium, quod est candidissimum et mollissimum. Plinius tamen videtur distinguere byssum a gossipio, lib. 19. cap. 1. Unde noster Delrio Genes. 41. v. 42. *Byssus*, ait, *non vermiculi partus est, sed terræ seu plantæ*, quale illud Bengalense, cuius meminit Hugo Lindescotus in sua navigatione, quæ videtur byssus Plinii, et Q. Curtii carbasus indica Nobis in Europa nihil bysso similius quam lina Cameracensia. Ut ut est, sat constat apud omnes, byssum fuisse non sericum, sed linum candidissimum, subtilissimum et præstantissimum. Ita ex Iulio Polluce, Plinio et Pausania docet Ulysses Aldrovandus lib. 3. de insectis, sive exanguibus cap. 77. Vide dicta Exod. 25. v. 4.

Byssus veterum quæ?

ET INDUI TE SUBTILIBUS.) Septuag. τριχαπτω, id est, veste tantæ subtilitatis, quæque tam tenue habet stamen

A et subtegmen, ait S. Hieronymus, ut pilorum et capillorum tenuitatem habere videatur: τριχας enim Græci vocant capillos. Ita S. Hieron. et Origen. Hebr. est משי *mesci*, id attractum, sive bombycinum filum, quod a bombycibus quasi ex visceribus extrahitur, ab iisque conglomeratum aqua ferventi immergitur, solvitur, et attrectando in fila distrahitur: radix enim משה *mascia* significat trahere. Unde Moses, quia aquis extractus, hebr. vocatur *Mose*. Idem a colore hebr. שרק *serec* dicitur, id est, flavi coloris; unde equi rufi, varii, Zachar. 1. v. 8. heb. שרוקים *serukim*, id est, flavi, vocantur. Et Isa. 5. v. 1. vocatur vinea *sorec*, id est flava; quale est vinum Creticum, vulgo Malvasia. Sic enim et byssus, uti a bombycibus netur, flava est. Ab Hebr. *serec* deductum est Latinum *sericum*; non autem quod apud *Seras* (licet id velint recentiores) populos Scytharum, vel Indorum inventum sit. Idem ergo est sericum, quod bombycinum: et Seres idem sunt quod bombyces, ait Isidor. lib. 19. Originum. Quare quod Procopius lib. 1. belli Persici, et Zonaras referunt, semen

Serec hebr. est flavum: unde sericum.

B bombyceum sericum facientium, a monachis quibusdam ex India Constantinopolim delatum tempore Iustiniani Imper. non negat, quin prius in Asiam et Europam tela serica apportata fuerit, ut patet hic, et ex Aristot. lib. 1. de Natura animal. Unde Delrio Genes. 41. v. 42. notat proprie distinguenda esse hæc tria, byssus, sericum, bombycinum. Byssus est ea, quam dixi: Sericum ex foliis palmæ minoris conficiebatur. Veteres depexione lanuginis confici censuerunt; sed recentiores refellunt, et dicunt folia decerpi, expurgari, et in fila tenuissima deduci, uti describit Eduardus Lopesius in descriptione Africæ. Bombycina sunt, quæ nos (uti et veteres multi, sicut iam dixi ex Isidoro) serica vocamus; ex bombyce vermiculo, a quo fila ista nentur. Propheta ergo significat per subtilia, et per *serec*, extimum peplum sericum et subtile, a capite ad talos fere demissum, quo se totas operiebant virgines et meretrices, quæ se virgines mentiebantur: coniugatæ vero eo omnia velabant præter faciem. Tale peplum ge-

Differunt byssus, sericum, bombycinum, qua ratione?

C stabant Hebrææ, uti iam Italicæ mulieres. Hoc est theristrum, quod assumpsit Thamar Genes. 38. 14. et Rebeccæ pallium Genes. 24. 65. Peplum hoc, sive velamen in capite, signum est subiectionis sponsæ, quod scilicet viro sit subdita, 1. Cor. 11. 7. et cum faciem velat, signum est casti pudoris et verecundiæ. Significat ergo submissionem Synagogæ sub Deo, quæ illi non tam oneri erat quam honori et ornamento; quod scilicet per eam Deum haberet dominum et protectorem, quasi velamen suum.

Velum signum subiectionis et protectionis.

ORNAVI TE ORNAMENTO.) Armillis, torque, inauribus, ut sequitur. Significat victorias, trophæa et spolia, quæ Israel Deo duce retulit ex hostibus, inquit Apollinar. Verum per hæc quævis ornamenta accipias. Tantum enim significat Synagogam quasi sponsam, a Deo omnimode comptam et ornatam fuisse: maxime autem ex agresti et inculta, factam esse civilem, politam, illustrem per legem, quam a Deo in Sina accepit. Ita Maldon. Chaldæus tamen, et Græci Patres singula verba singulis Dei beneficiis accommodant. Vers. 11.

D DEDI ARMILLAS.) Armillæ in manibus, aut potius iuxta manus in brachiis (per manus enim et brachia accipit) significant mutuam stipulationem, contractum et fidem; in cuius signum datæ sunt Rebeccæ, Genes. 24. 22. Diffundebantur ad posteros gestamina hæc, quo iuniores ad imitandas maiorum suorum virtutes invitarentur. Hinc apud Svetonium in Caligula cap. 15. legas, Caligulam vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademisse, Torquato torquem, Cincinnato crinem, Pompeio Magni cognomen. Porro armillæ erant ornamenta brachiorum et manuum tam virorum, quam fœminarum. Audi Festum: *Armillas ex auro, quas viri militares ab imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant: unde arma* (et armillæ) *ab his dependentia sunt vocata.*

Tropologice, armillæ significant nil indecorum esse agendum; sed manus, id est, opera debere esse decora. Ita Orig.

Armillæ tropol. quid?

Secundo, significant virtutem Spiritus sancti qui ad agendum nos excitat, et manum operi admovet. Ita Theodor. et Orig. dicens: *Cum mihi Deus dederit occasionem bonorum operum, armillas circumdat manibus meis.*

TORQUEM.) Septuag. κατεμα, id est monile ex variis gemmis, a collo in pectus mulierum descendens. Torques, ait Origen. significat in honestate libertatem, et intellectum veritatis: Theod. vero et Chald. per torquem accipiunt iugum legis, iuxta illud Proverb. 1. 8. *Audi fili mi disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.*

Vers. 12. Inauris quid?

INAUREM SUPER OS.) Hebr. *super nares tuas.* Unde Vatabl. vertit, *circulum in naribus tuis*, quales gestant Indi. Erat ergo hoc monile in naribus, aut potius, ut ait S. Hieron. ex fronte in nasum dependens, quod Isaias c. 3. v. 21. vocat *gemmas ex fronte pendentes;* unde et Symmachus hic, επιρριvιον, vertit. Hinc liquet, fœminas Iudaicas hoc monile in fronte supra nares gestasse. Dicitur inauris, quia similis erat illi, quæ pendebat ex aure, ait S. Hieron. Chald. per inaurem hanc accipit arcam fœderis, quæ in fronte castra Hebræorum præibat in deserto.

Inauris est silentium, et oratio.

Tropologice, inauris super os est silentium, et oratio. Inauris circa nasum, ait Orig. est fragrantissima mysteriorum cognitio: vel, ut Theodor. lex frænans vitia: sic enim tauri circulo in naribus frænantur et circumaguntur. Aliter Maldonatus: putat enim inaurem super os esse idem, quod circulum in auribus, puta inaurem proprie dictam, ut aures vocentur os, quia sunt supra os. Itaque hic idem aliis verbis repeti.

CIRCULOS AURIBUS.) Hi *circuli* sunt inaures, per quas Origen. accipit legis obedientiam; Theodor. doctrinam, et auditionem verbi Dei, quæ aures quasi subula vulnerat, et perforat, quia carni est contraria.

Corona.

ET CORONAM DECORIS IN CAPITE TUO.) Id est, coronam, quæ sponsæ solebat dari; sed quasi reginæ, regalem. q. d. Dedi tibi regnum, et reges. Sic Ecclesia est regnum Christi, vel potius regina Christi regis. Chald. vertit, *et nubes gloriæ meæ obumbrabat vos, et angelus missus a facie mea ducebat in capite vestro.* Hæc enim nubes obumbrans castra Hebræorum in deserto, erat quasi corona regni cælestis, et divini. Hinc olim Christianorum capiti in baptismo imponebatur corona, ut significaretur eos per Christum fieri mysticos reges et sacerdotes, iuxta illud 1. Petri. 2. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*, etc. de quo ibidem plura.

Porro non tantum reges et reginas, sed et sponsos et sponsas solere coronari, patet Cantic. 4. 8. *Veni de Libano sponsa mea*, etc. *veni, coronaberis;* et c. 3. 11. *Videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius;* Isaiæ 61. 10. *Quasi sponsum decoratum corona.* Ita etiamnum sponsas sertis, vel gemmeis, vel rosaceis, si plebeiæ sint, coronari videmus.

Tropologice, corona est victoria vitiorum, et præmium gloriæ cælestis. Vide dicta Isaiæ 61. 3. et c. 62. v. 3.

Vers. 13.

ET ORNATA ES AURO ET ARGENTO, q. d. Ornata es, inquam, aureis monilibus et argenteis iam recensitis; ET VESTITA ES BYSSO, ET POLYMITO, ET MULTICOLORIBUS.) Iam dictis, q. d. Dedi tibi aurum, et opum abundantiam. Chald. *Dedi tabernaculum meum in medio vestri ornatum auro, argento, cortinis, byssinis*, etc.

Tropologice, ornata est anima auro, id est, charitate; et argento, id est, sapientia et eloquentia, de quo Apocal. 3. 18. *Suadeo tibi emere aurum ignitum.*

SIMILAM, ET MEL, ET OLEUM COMEDISTI.) Id est, dedi tibi non glandes, non cepas, quas antea cum rusticana esses comedisti in Ægypto; sed delicias, puta abundantiam frugum optimarum in Chanaan, atque in deserto manna, quod erat quasi simila mellita et oleata, ut sit hendyadis; *similam et mel*, id est similam melleam, puta manna: ita Chald.

Allegorice, significatur hic corpus Christi in Eucharistia, pascens ut simila; delectans ut mel; vegetos et robustos faciens quasi athletas ad pugnam, ut oleum. Quocirca hoc eodem, quo hic Ezechiel, ornamentorum schemate ornatum spiritalem animæ suæ, ita describit S. Agnes apud S. Ambros. sermone 90. Cum, inquit, præfecti urbis Romæ filius, quasi amasius, ei adolescentulæ pretiosissima ingereret ornamenta, illa generose respondit: *Discede a me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede a me, quia iam ab alio amatore præventa sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, et annulo fidei suæ subarrhavit me, longe te nobilior et genere et dignitate. Ornavit me, inæstimabili dextrocherio. Dexteram meam, et collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, ut nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum, si ei perseveravero, repromisit.* Et inferius: *Iam mel, et lac* (in baptismo) *ex ore eius suscepi, iam amplexibus eius castis astricta sum, iam corpus eius corpori meo sociatum est* (in Eucharistia) *et sanguis eius ornavit genas meas: cuius mater virgo est, cuius pater fœminam nescit: cui angeli serviunt: cuius pulchritudinem sol et luna mirantur: cuius odore reviviscunt mortui*, etc. *Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo. Quem cum amavero, casta sum: cum tetigero, munda sum: cum accepero, virgo sum.*

Ornatus S. Agnetis.

ET PROFECISTI IN REGNUM.) Evecta es, o Ierusalem, in regni sedem et caput. Ita Chal. Radix Heb. צלח *tsalach* significat prosperari, feliciter crescere, proficere.

Moraliter hic discant ii, qui ex humili et abiecta sorte in altum conscendunt, meminisse prioris sortis, ut non insolescant, sed in modestia se contineant, Deoque sint grati. Alias enim, ut ait Poeta:

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.

Quocirca Agathocles ex figulo factus Siciliæ rex, cœnabat semper in vasis figulinis, ut figulum se fuisse meminisset. Pie vero Placilla uxor Theodosii, qui ex milite creatus erat Imperator, ei crebro occinebat: *Semper te, mi vir, cogitare oportet, quis olim fueris, et quis iam sis. Ita assidue animo complectens, non te ingratum ostendes erga patronum; sed Imperium quod suscepisti, iuste et legitime gubernabis: atque eo rite administrando, eum qui ipsum donavit, auguste sancteque coles.* Ita Theod. lib. 5. histor. cap. 18.

PROPTER SPECIEM.) Septuag. *propter pulchritudinem*, scilicet omnem iam dictam. *Speciem* vocat politiam, et rectam ordinatamque Reipubl. administrationem, quæ excivit reginam Saba, ut veniret ad Salomonem, 3. Regum 10. v. 1. Vers. 14.

HABENS FIDUCIAM IN PULCHRITUDINE TUA.) Et ex fiducia securitatem et audaciam, q. d. Ex pulchritudine, opibus et felicitate quam tibi dedi, facta es secura et audax. Ita S. Hieron. Vel potius, ut Apollin. *habens fiduciam*, id est, superbiam, q. d. Superbiens in tua pulchritudine me contempsisti, fornicata es cum idolis Gentium *in nomine tuo*, propter famam tuam, qua omnes Gentes te celebrabant quasi felicem, et opulentam, ac pulchram; vel *in nomine tuo*, id est, quasi libera esses, et tui iuris, non mihi desponsata, sic palam, et cum omnibus fornicata es, non adulterata. Nam adulteræ cum paucis et clam timidæ adulterantur. Ita Prado. Vers. 15.

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam; ait Ovid. 1. Fast.

Sapiens vero Proverb. 31. depingens mulierem fortem et illustrem, cum vers. 25. dixisset: *Fortitudo et decor indumentum eius;* mox vers. 30. in quo hæc sita sint, nimirum in timore Dei, ita declarat, dicens: *Fallax gratia, et vana est pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Disce hic quam periculosa sit corporis pulchritudo, qua multi et multæ efferuntur, omnisque pariter mundi pompa, et gloria. *Fallax gratia, et vana est pulchritudo*, ait Sapiens. *Pulchritudo*, ait S. August. *donum Dei est, sed nostro abusu fit mala.* Quin et Socrates: *Pulchritudo*, ait, *est modici temporis tyrannis.* Et ut Theo-

phrastus ait, *Est tacita deceptio*. Euripides in Helena, *Pulchritudo*, inquit, *est res infelix*. Proclus Platonicus l. de Anima: *Animæ*, ait, *quæ ob perversam educationem a superno munere decidunt, in simulacra pulchra incidentes, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur et depereunt*. Et Poeta:

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Pulchritudo est viscus oculis. Gnomæ. Egregie vero Petrarcha lib. 1. de Remediis utriusque fortunæ, *pulchritudinem* vocat, *velum oculis, laqueum pedibus, viscus animæ, ut non facile vera discernat, nec virtutem perspiciat, nec in altum possit mente evolare*. Et paulo post ait eam esse, *hostem domesticum, raptorem quietis, materiem laboris, fomentum libidinis*. Quare merito S. Hieron. *amorem corporeæ pulchritudinis*, ait, *esse oblivionem rationis*.

Hinc moraliter S. Hieron. *Grande*, ait, *discrimen, non in Deo, sed in suo decore confidere, quantoque quis sublimior fuerit, debet timere ne corruat, et fornicetur in nomine suo. Adversariæ siquidem potestates solitos contemnunt cibos, et peregrina alimenta desiderant. Unde de diabolo dicitur: Escæ eius electæ; non vult quemlibet decipere. Saul regem, qui electus a Domino est, et Iudam Apostolum supplantare festinat. Non ergo confidamus in propria pulchritudine, nec Domini liberalitatem nostram putemus esse virtutem.*

Exposuisti fornicationem tuam omni transeunti.) Quasi meretrix, quæ se omni transeunti prostituit. Sic enim Ammonitis, Idumæis, et aliis gentibus per te transeuntibus te prostituisti, colens deos eorum: vel *exposuisti*, et, ut Hebr. *effudisti*, id est, docuisti tuam idololatriam omnes gentes.

Ut eius fieres.) Scilicet concubina, hebr. *cui erat*, scilicet desiderium tuum, quem desiderabas: vel *cui erat*, scilicet tui desiderium, qui te desiderabat, q. d. Capta es amore omnium idolorum quæ desiderabas, et a quibus vicissim, quorumque cultoribus desiderabaris ut hoc faceres. Ita Vatablus, R. David, et alii. Aliter Chald. Nam pro לו *lo*, per *vau*, legens לא *lo* per *aleph*, vertit, *quod non fiet*, id est, *quod fieri non oportuit*.

Vers. 16. Fecisti, id est, ornasti, ut explicatur vers. 18. (nec enim excelsa fiebant proprie ex veste) tibi excelsa, scilicet ut Septuag. *idola;* vel potius fana et altaria idolorum, hinc inde consuta.) Quia scilicet ea tuis vestibus versicoloribus, quasi peristromatis varie consutis instravisti, et ornasti quasi lupanaria, vel lectulos in quibus cum amasiis tuis, scilicet idolis, fornicareris. Ita Schol. Hoc enim est quod subdit: *Et fornicata es super eis.*

Sicut non est factum.) q. d. Nunquam visum est, ut meretrices cultum suum offerrent in ornamentum lupanarium: tu ergo quæ id fecisti omnibus meretricibus es improbior et impudentior.

Vers. 17. Vasa decoris tui.) Id est instrumenta pulchritudinis tuæ. Sic vocat inaures, torques, armillas et cætera mulierum ornamenta, ex quibus idola fabricarunt, aut ornarunt. Rursum vasa hæc possunt accipi non propria, sed templi, quæ diripuit Achaz, ex iisque fecit idola et excelsa, ut patet 2. Paral. 28. 24. Ita S. Hieron.

Vers. 18 Fornicata es in eis.) Cum eis, ea colendo.

Oleum meum.) Quod tibi dedi, vel quod præscripsi ut lucernis meis infunderes; vel *oleum* id est unguentum, quo iussi vestes et vasa sacra inungi. Exod. 30. 23. dedisti idolis.

Vers. 19. Posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis.) Adolendo scilicet et concremando oleum, mel, similam, quasi oblationem idolo gratissimam, et suavissimi odoris. Mel enim Gentiles sacrificasse, ideoque Iudæis id in sacrificiis vetuisse Deum, docui Levit. 2. 11. Alludit ad veterum morem nuptialem. In nuptiis enim, et nuptiali epulo sponsæ et convivis solebat dari simila, sive placenta mellita, ut suaves blandasque fore nuptias significaret. Hanc placentam nuptialem vocabant sesamon, quia fiebat ex sesamo (id est frumento Indico) melle et oleo. Sic sponsus invitans sponsam: *Comedi*, inquit, *favum meum cum melle meo: bibi vinum meum cum*

A *lacte meo: comedite amici et bibite.* Ubi Septuaginta vertunt, *manducavi panem meum cum melle meo;* ita Pineda libro 5. de rebus Salom. cap. 4.

Et factum est, ait Dominus Deus, et tulisti.) Vers. 19. et 20.
Est hebraismus, q. d. Et insuper *tulisti filios*, ut cremares eos idolis, quod longe horribilius est. Secundo, et planius R. David, et Maldon. q. d. Ita revera factum est, ita se res habet, ut dixi. Unde Chald. vertit, *nonne facta sunt omnia hæc?* scilicet circa proles tuas *quas generasti mihi*, quasi marito tuo. Ego enim ex te eas procreavi, ego illas tibi dedi, ut me colerent.

Ad devorandum.) Ut ignis devoraret corpora puerorum tuorum, in gratiam et cultum idolorum. Ita Vatablus.

Et post omnes abominationes tuas, et fornicationes, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ.) Vers. 22.
Ac consequenter nec tuæ pristinæ miseriæ, nec meæ erga te clementiæ, qua te vilem in sponsam assumpsi.

Moral. Nota. Inter omnia mala, et vulnera quæ in A- Moral.
B damo peccante accepimus, ex eoque cum peccato origi- quantum
nali trahimus, unum vel maximum est oblivio tum Dei, malum sit obli-
tum sui. Est hæc ingens hominis miseria, omnisque mali vio Dei,
causa: a qua homo hebr. dictus est אנוש *enos*, id est et sui.
obliviosus; de quo Psaltes psal. 8. 5. *Quid est homo* (heb. *enos*) *quod memor es eius?* q. d. Quis est ille hebes, et obliviscens, ut eius o Domine digneris esse memor? vel quis est ille miser, desperatus, damnatus ad mortem oblivioni tradendus, memoria indignus ut eius recorderis? Et psal. 49. 22. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum.* Hæc enim oblivio tollit memoriam præteritæ miseriæ, et peccatorum: inde præsentibus Dei donis, quasi suis, superbit et insolescit homo; ideoque a Deo abiicitur, siniturque ruere in omnia scelera. Hoc est quod ait S. Petr. epist. 2. c. 1. v. 9. *Cui enim non præsto sunt hæc* (fides, scientia, abstinentia, patientia, pietas, amor fraternitatis, de quibus egit v. 5.) *(cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens* (obliviscens) *purgationis veterum suorum delictorum.* Hinc de senibus Susannæ pudicitiam ten-
C tantibus dicitur Daniel. 13. 9. *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum* (Deum cæli præsidem) *neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Si enim cogitassent Deum fore sui sceleris vindicem, si prævidissent Dei iudicia per Danielem mox in se exercenda, frænassent utique eorum metu suam intemperantiam. Hac de causa tam serio, et tam frequenter Moses iam moriturus Hebræis inculcat: *Observa, et cave nequando obliviscaris Domini Dei tui, ne, postquam comederis et satiatus fueris*, etc. *elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis, et ductor tuus fuit in solitudine*, etc. *et cibavit te manna*, etc. *Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos*, etc. *ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas*, Deuter. 8. vers. 11. 12. 14. 19. et cap. 6. 12. et cap. 4. 9. 23. 31. et cap. 9. 7. Atque verus fuit vates: nam Deuter. 32. 18. eis improperat: *Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.*
D Unde Dei pœnas, et diras omnes eis intentat: *Ignis*, ait, *succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima. Congregabo super eos mala, et sagittas meas complebo in eis.* Sic Iudic. 3. 7. causa cur Hebræi traditi sint Philistinis et Chananæis, assignatur hæc: *Fecerruntque malum in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui.* Sic 1. Reg. 12. 9. de iisdem ait Samuel: *Obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisaræ.* Sic dicitur Iob 8. v. 13. *Vix omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit.* Ita Psaltes Ps. 9. 18. *Convertantur*, ait, *peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.* Et Psal. 77. 11. *Obliti sunt benefactorum eius, et mirabilium eius quæ ostendit eis*, Hebræis per Mosen, Iosue, David, etc. Quocirca Psal. 102. *Benedic*, ait, *anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Et Ps. 103. et

104. et 105. et 106. iugiter canit: *Benedic anima mea Domino. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia*, etc. Denique omnes Prophetæ non aliud improperant peccatoribus, quam oblivionem Dei.

Vers. 24. Lupanar.) Excelsa et templa idolorum ædificasti in angulis et viis omnium platearum Ierusalem, ut patet 4. Reg. 16. 21. Ita Polychr. Ob hæc excandescens et implacabilis paulo ante intonuit: *Væ, væ, tibi; Væ* enim geminatum significat animum sponsi plane offensum, et parantem sponsæ, puta Hierosolymæ, duplex excidium, scilicet præsens per Chaldæos, et æternum in gehenna per dæmones.

Vers. 25. Signum prostitutionis.) Id est, prostibulum, lupanar, puta excelsum iam dictum.

Moral. *Lupanar sibi ædificat, qui tota frontis libertate delinquit, iuxta id quod scriptum est: Peccator, cum venerit in profundum iniquitatis, contemnit*, ait S. Hieron.

Abominabilem fecisti decorem tuum.) Sicut meretrices, quæ ex nimio longoque usu libidinis fiunt fœdissimæ, ait Maldon.

Vers. 26. Magnarum carnium.) Pinguium corporum, plenorum succi, et consequenter libidinosorum. Tales, ait Orig. sunt dæmones, qui gaudent libidine, et peccatis carnalibus. Proprie *magnas carnes* vocat magna membra, quæ significant libidinosum, de quibus ait cap. 23. 20. *Quorum carnes sunt ut carnes asinorum.* Vide canon. 55. Non quod Ægyptii hæc membra maiora habuerint, quam alii homines; sed quod magis idololatriæ (hæc enim a Prophetis vocatur scortatio) dediti fuerint quam aliæ gentes. Est metaphora.

Symbol *Unde* Symbolice, *Sanctus*, ait S. Hieron. *carnium dicitur parvularum, quæ in eo decrescunt quotidie, et per virtutes attenuantur, ita ut nequaquam caro appelletur, sed spiritus, et loquatur in psalmo: Sitivit anima mea ad te Deus, quam multipliciter tibi caro mea? sive (ut quædam habent exemplaria) quomodo consumpta est caro mea? De hac carne scriptum est: Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos fœni. Aruit fœnum, et flos eius decidit: verbum autem Domini manet in æternum. Et Apostolus: Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. Et in Genesi loquitur Deus: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Et ad credentes dicitur: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt: vos autem non estis in carne, sed in spiritu.*

Vers. 27. Iustificatio sextuplex. Auferam iustificationem tuam.) Id est, legis cæremonias, cultum templi, et sacrorum; quia ea profanasti, uti dixi v. 17. et sequent. Ita S. Hieron. Secundo, noster Prado, *auferam iustificationem tuam*, id est, ut aliqui legunt, *ius tuum*, id est, libertatem et regimen, quo tuis ius dicis, tibi adimam, faciamque ut Philisthæis subiiciare, et ab eis iura petas, quæ Dei ius violasti. Unde Septuaginta vertunt, *auferam legitima tua.* Hinc et sequitur: *Et dabo te in animas odientium te.* Verum iustificatio nusquam significat libertatem aut potestatem regendi. Tertio R. David, et Vatablus, vertunt, *auferam a te, dimensum tuum*, id est, annonam tuam, qua te quotidie alebam, puta similam, mel et oleum, quæ tibi dedi, ut dixi vers. 9. unde et Chald. vertit, *auferam bonum tuum.* Quarto, alii vertunt, *auferam a te decretum*, vel *statutum tuum*, quo scilicet statueram et promiseram, quod nunquam te desererem. Quinto, Maldon. *auferam*, inquit, *a te iustificationem tuam*, id est, favorem meum, quo dum te prosequor, videris esse iusta; et puniam te, ut appareat te iniustam esse. Hic sensus satis appositus est. Sexto, et optime: *iustificationem*, id est sanctificationem, *tuam*, id est sancta tua. Hoc enim est Hebr. חקך *chukech*: q. d. Ego te, quasi sanctam meam sponsam, ornavi auro, argento, bysso, et omnibus bonis, iisque te quasi sanctificavi, dotavi, et mihi astrinxi vers. 10. et seq. tu vero eadem sanctificasti et consecrasti idolis tuis, itaque non tam sanctificasti, quam profanasti et polluisti ea, vers. 17. et seq. Quocirca ego hæc ipsa bona sancta auferam, imo quasi mea repetam a te, daboque ea hostibus tuis, ut ipsi omne tuum aurum, omnes fruges et opes di-

A ripiant; quia ipsi te sunt sanctiores et meliores. Hunc sensum poscunt præcedentia, et sequentia. Hanc enim pœnam idololatriæ eorum clare intentat vers. 39. dicens: *Denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui: et derelinquent te nudam plenamque ignominia.* Hoc enim maxime timent impii: nec enim curant Dei favorem, ritus et cæremonias sibi auferri; cum ea iam ipsimet sibi sponte abstulerint, imo a se expulerint, et in idola sua transtulerint.

Moral. Nota, Deum opes, bonaque quæ nobis largitur, vocare sancta; quia ea dat ut iis sanctificemur, sancteque Deum colamus, expendendo ea pie in usus templi Religiosorum, pauperum, filiorum educandorum in timore Dei, etc.

Dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum.) *In animas*, id est, in desideria, ut te pro voto abutantur, Filiæ Palestinæ, id est, oppida, vel potius cives Palestinæ: vocat filias potius quam filios, ad decorum: populum enim Ierusalem hactenus quasi puellam

B Deo desponsam induxit, q. d. Tradam te voluntati atque libidini Palæstinorum, ut te spolient, capiant, occidant. Vetus enim et perenne fuit odium inter Philisthinos sive Palæstinos, et Iudæos.

Erubescunt.) Septuag. *declinant de via tua.* Non audent te tamquam infame scortum comitari per vias, pudet illas tui, licet sint illæ impudentes; quia iustiores sunt te, uti ait v. 52.

In filiis, id est cum filiis Assyriorum. Vers. 28.

In terra Chanaan.) In quam te ex Ægypto transtuli, et in qua habitas. Aliter Prado, *in terra Chanaan*, inquit, id est mercatorum, qui mercimonia exercent cum Chaldæis. Sic Proverb. 31. 24. dicitur: *Cingulum tradidit Chananæo*, id est, mercatori. Aliter rursus Maldon. q. d. Usque in terram Chanaan, scilicet imitando etiam eius idololatriam. Vers. 29.

Cum Chaldæis.) Hebr. כשדימה *casdima*, id est, usque in Chaldæam, scilicet mittendo eo nuncios, qui referrent quo cultu colendi essent eorum dii. Ita Vatabl. et

C Maldon.

In quo, qua re, quo lixivio mundabo, et ut Hebr. *circumcidam* (legendum enim est אמלה *emola*, id est circumcidam, a rad. מול *mul*, id est *circumcidit*) cor tuum.) Septuag. *Quid faciam cordi tuo?* iuxta illud Osee 6. 4. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* Et Isaiæ 5. 4. *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci?* Chaldæus, *quam fortis malitia cordis tui!* Vatabl. *o impotens cor tuum!* Prado, *quam depravatum, infirmum et corruptum est cor tuum!* Ipsi enim pro *emola*, legunt אמלה *amula*, a rad. אמל *amal*, id est infirmus fuit. Unde אמלל *umlal*, vocatur infirmus, corruptus, putridus.

Lupanar.) Hebr. גב *gab*, id est excelsum, scilicet templum et idolum. Vide v. 24. et 25.

Nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium.) q. d. Meretrix quæ scit se ob pulchritudinem quæ-

D ri, fastidit amasios, et parva lucra, ut maiora offerantur: tu vero tuam pulchritudinem vilissimo pretio vendidisti, imo gratis obtulisti cuivis, in grande mei et tui vilipendium: uti facit adultera, quæ non mercedis, sed libidinis insatiabilis causa, præter maritum aliis se prostituit: quinimo mercede provocasti amasios tuos, uti fecit Achaz mittens regi Assyriorum, multa auri talenta, cum eius idola in templum induxit 4. Regum 16.

Tropologice, anima dum peccat, quasi meretrix voluptatibus se prostituit, atque omnes suos spiritus, potentias ac vires, quas a Deo habet, exhaurit, et offert dæmoni. Ita Origen. Vide historiam filii prodigi, Lucæ 15.

Post te non erit fornicatio.) Scilicet similis, ut nimirum meretrix pretio conducat amasios, sicuti tu facis. Ita Chald. Vers. 34.

Effusum est æs tuum.) Id est, pecuniam tuam prodige effudisti in amatores tuos, puta in deos tuos, et idola tua. Ita S. Hieronymus. Sic Romanis teste Festo, *ære dirutus miles* dicebatur, cui stipendium ignominiæ causa Vers. 36.

non esset datum, quique illud prodegisset; eo quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. Sic Verrem act. 7. facete mordet Cicero: *Aleatoris*, inquit, *Placentini castra commemorabuntur: in quibus cum frequens fuisset, tamen ære dirutus est*. q. d. Licet Verres non esset emansor, sed frequens in castris aleatoriis, tamen ære dirutus est, id est, stipendia perdidit et prodegit, alea scilicet omnia absumente. Sic in castris Veneris et dæmonis ære diruitur Ierusalem, et quivis peccator. Aliter Chald. R. David. Vatabl. et Maldonat. vertunt enim, *effusum est imum tuum*, id est, ima pars ventris, scilicet pudenda tua manifestata sunt publice. Hebr. enim נחשתך *nechustech* vertunt *subæratum*, id est, fundum. Fundus enim vasorum solet esse æratus, ut diutius durent. Aliter quoque vertit et explicat Prado: Argentum, ait, signum est puritatis, æs sordium, quia contrahit facile rubiginem: q. d. Sordes tuæ effusæ sunt, id est, ut sequitur, fornicationes tuæ effusæ sunt. Unde et Pagninus vertit, *effusa est turpitudo tua;* Brixianus, *effusa est impuritas tua.*

Denique apposite per æs durum et forte, accipi potest robur et fortitudo: q. d. Fornicando assidue, cum semine profudisti omne tuum robur et fortitudinem. Docent enim medici, et ipsa experientia, immodico veneris usu vires exhauriri, hominemque debilitari et emori. Cuius rei varias dant causas. Prima est, quod semen spiritu plenum sit, præsertim vitali, uti docet Hippocr. libr. de Natura fœtus cap. 3. unde sequitur, veneri indulgentes non esse multum vitales: seminis enim emissione, pariter spiritus vitalis emittitur et dissipatur, ut ait Galen. lib. 1. de Semine cap. 16. Porro Galen. lib. 1. de Natur. facul. c. 5. et 6. docet in semine triplicem esse spiritum: Est, inquit, in eo *spiritus vitalis ad generationem cordis, spiritus naturalis ad generationem hepatis, et animalis ad generationem cerebri*. Modum subiicit. *Subintrante ergo in profundum spermatis ventositate, actione trium spirituum in medio nascitur vesicula quædam, superius autem prope alia vesicula, a latere iuxta inferiorem alia: ex prima vesicula formatur ipsum cor: ex secunda superius posita cerebrum: ex tertia hepar.* Cum ergo triplex hic spiritus in veneris usu emittatur, necesse est vires et vitam atteri. Secunda est, quia in venere optimum et fortissimum excernitur. Audi Hippocr. lib. de Genit. *Genitura viri provenit ab omni humido, quod in corpore existit, ut quod robustissimum est, secernatur. Argumentum autem eius, quod robustissimum secernitur, hoc est, quod a veneris usu, paucula adeo re remissa, imbecilles reddimur.* Et Galen. l. 1. de Semine c. 16. *Quare non mirum est immoderato coitu utentes imbecilliores reddi, a toto corpore utroque* (humore scilicet, et spiritu) *sincerissimo ablato.* Tertiam attexit ibidem Galenus, dicens: *Accedente insuper voluptate, quæ ipsa per se sufficiens est vitalem firmitatem dissolvere, adeo ut iam quosdam ex nimia voluptate ac iucunditate mortuos esse constet.* Hinc venere utentes quasi extra se rapiuntur, et obstupescunt: unde Diogenes coitum vocabat brevem epilepsiam: et Alexander Magnus aiebat, hac sola ex re agnoscere sese esse hominem, suamque infirmitatem. Quarta est, quia in nimia copula, effuso omni semine, effunditur tandem et sanguis. Id deducitur ex Galeno loco citato cap. 12. ubi arterias et venas semen ex sanguine operari, diserte affirmat. Idem docet Avicenna lib. 3. sen. 20. tract. 1. c. 1. *Semen*, inquit, *est sanguis magis digestus, et magis subtilis.* Idem docent alii medici et Physici, uti Aristot. l. de Long. et brevitate vitæ, ubi idipsum confirmat exemplis. Nam mulus, ait, diutius vivit quam equus et asinus ex quibus genitus est, quia vix generat (unde idem Arist. lib. 6. histor. animal. cap. 24. ait Athenis fuisse mulum octoginta annorum) et fœminæ diutius vivunt maribus, si hi libidinosi sint (nam alias mas diutius vivit, quia calidior) uti hac de causa passeres mares brevius vivunt quam fœminæ. Nam ut idem docet lib. 9. histor. animal. c. 7. passeres mares qui salacissimi sunt, annuam vitam complere non existimantur, fœminas autem diutius vivere certum est.

Libido minuit vires et vitam, cur?

ET SUPER IDOLA.) Id est, ut Vatabl. duobus modis revelata est ignominia et turpitudo tua, sive deprehensa es meretrix, primo, ex eo quod colebas idola abominanda; secundo, ex eo quod idolis immolasti sanguinem filiorum tuorum.

CONGREGABO OMNES AMATORES.) q. d. Per ipsos amatores tuos ulciscar te, scilicet faciam ut Chaldæi, quorum amicitiam, indeque idola coluisti, gentes vicinas tibi amicas, æque ac inimicas sibi aggregent, et te obsideant. Ita Theodor. Vers. 37.

NUDABO IGNOMINIAM TUAM.) Heb. *nuditatem*, id est, pudenda tua, ut quibus peccasti, iis puniaris et infameris. Intelligit destitutionem opis et auxilii, ait Vatabl. vel potius publicam infamiam, qua ob scelera, Ierusalem quasi meretrix, violanda et vastanda erat, ideoque a gentibus hostilibus subsannanda et irridenda, uti ridetur meretrix infamis, dum publice in cippo probro exponitur.

IUDICABO TE IUDICIIS ADULTERARUM, ET EFFUNDENTIUM SANGUINEM.) Id est vindicabo te pœna tum lapidationis, quasi adulteram: tum gladii, quasi homicidam, v. 40. Occidisti enim infantes tuos cremando et immolando eos Moloch. Vers. 38

DABO TE IN SANGUINEM, id est in cædem, FURORIS ET ZELI.) Id est, truculentam, qualem exercent furiosi et zelotypi mariti, dum solent iugulare uxores in adulterio deprehensas. Hebr. *Ponam te sanguinem*, id est, totam sanguinolentam, vulneribus confossam, et undique cruentam, ut videaris tota esse sanguis.

DESTRUENT LUPANAR TUUM.) q. d. Chaldæi destruent excelsa et fana tua. Vide v. 24. Vers. 39.

AUFERENT VASA DECORIS TUI.) Puta vasa aurea, et argentea, omnesque opes et thesauros tuos, quibus nunc pulchra esse videris.

ADDUCENT SUPER TE MULTITUDINEM.) Te quasi adulteram tradent, iuxta legem, multitudini lapidandam. Vers. 40.

ET LAPIDABUNT (Chaldæi) TE.) Proiicientes lapides per catapultas in muros tuos, ut eos verberent, et deiiciant: item in urbem tuam, ut domos confringant, et homines in plateis occidant.

ET COMBURENT DOMOS.) Hæc altera erat adulterarum pœna, aiunt Hebræi, scilicet ignis, quo eas comburebant; licet eius vix exstet exemplum, nisi in Thamar Genes. 38. v. 24. Vide ibi dicta. Vers. 41.

FACIENT IN TE IUDICIA.) Iustam ultionem. Vocat *iudicia* in plurali, quia multas plagas significat.

IN OCULIS MULIERUM PLURIMARUM.) Mulieres intelligit nationes et gentes; quia et ipsa Ierusalem inducitur hic quasi mulier meretrix. q. d. Pœnam tuam videbunt aliæ mulieres, id est gentes, ut caveant ne sint adulteræ, id est idololatræ. Ita Vatabl.

AUFERETUR ZELUS MEUS.) Cum videro te iugulatam, et flammis datam, cessabit indignatio mea, et zelotypia, quæ cor meum rodebat; tum, quia non amplius mihi præpones amasios tuos, ait Theod. tum quia indignationem meam puniendo te exsaturabo. Vers. 42.

NEC IRASCAR AMPLIUS) Huic scilicet generationi, et sæculo; quia illam disperdam. Sequenti tamen generationi, quasi alteri, et novo sæculo miserebor, et si peccet irascar. *Ex hoc perspicimus*, ait S. Hieron. *grandem offensam esse nequaquam curæ haberi a Deo, sed permitti hominem sceleribus suis atque peccatis.* Eumdemque locum expendens Origenes homil. 8. super Exodum: *Vide*, inquit, *misericordiam, pietatem et patientiam boni Dei, quando vult misereri, indignari se dicit et irasci, sicut per Ieremiam, cap. 26. ait: Dolore et flagello castigaberis Ierusalem, uti ne abscedat anima mea abs te. Hæc si intelligis, miserantis Dei vox est: ubi irascitur, et zelatur, ubi adhibet dolores et verbera? flagellat enim omnem filium quem recipit, Heb. 12. Vis audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Oseam cap. 4. Cum enumerasset multa nefanda quæ Ierusalem commiserat, addit: Non visitabo super filias vestras cum fornicantur, neque super nurus vestras cum mœchantur.* Hæc Origenes. In hanc eamdem sententiam interpretatur D. August.

Moral. Deum non punire peccatores, est grande malum.

illud ps. 98. *Domine Deus noster tu exaudiebas eos; Deus tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones,* seu, ut alii legunt, *affectiones eorum. Etiam,* inquit August. *vindicans propitius fuisti.* Sed multo elegantius sermone 37. de verbis Domini: *Magnæ,* inquit, *misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere, et ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur castigare. Vis nosse nulla pœna quanta sit pœna? Davidem interroga, qui ait psalm. 9. Irritavit Dominum peccator. Quare? Quid vidisti? vidi peccatorem impune luxuriantem: et exclamavi: Irritavit Dominum peccator. Quare hoc dixisti? vide quid sequitur. Secundum magnitudinem iræ suæ non quæret. Ideo nempe non exquirit, quia multum irascitur; parcendo cædit, sed iuste cædit.* Unde apud Isaiam c. 26. magni supplicii loco dicitur: *Misereamur impio, et non discet iustitiam.* Hoc est quod Ps. 80. 12. dicitur: *Non audivit populus meus vocem meam, Israel non intendit mihi: et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Et Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.*

Puniri peccata a Deo signum est amoris et curæ Dei. E contrario puniri hic a Deo, singulare quoddam divinæ clementiæ beneficium existimandum est. Hac enim ratione Dominus Ierusalem consolatur Isa. 40. *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, et advocate eam; quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu domini duplicia pro peccatis suis.* Quo loco recipere duplicia pro peccatis, seu, ut habent Septuag. *recipere duplicia peccata sua,* est propter peccata multis pœnis affici, ut multi volunt. Idcirco regius Vates postulat: *Proba me Domine, et tenta me,* psalm. 15. et alio loco: *Ego in flagella paratus sum,* psal. 37. Audi S. Gregor. l. 7. Moral. c. 7. *Quia sancti viri corruptionis suæ vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, ut aperto vulnere virus peccati exeat. Id quod idem Job luculentius significavit, subiungens; Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. Electi quippe cum perpetrasse se illicita noverunt, et tamen perscrutantes inveniunt, quod nulla pro illis adversa perpessi sunt, in immensæ formidinis terrore tabescunt, ne in æternum se gratia deseruerit, quos in præsenti vita mali sui retributio nulla castigat, et propterea feriri paterna correptione desiderant, et dolorem vulneris medicamen salutis putant. Recte igitur ait Iob: Hæc mihi consolatio sit, ut affligens me dolore non parcat; ac si apertius diceret: Qui ideo hic quibusdam parcit, ut eos in perpetuum feriat; ideo me hic feriat, ut non parcendo in perpetuum parcat.* Hactenus Greg.

Vers. 43. VIAS TUAS, id est scelera tua, IN CAPITE TUO DEDI.) Ut in caput tuum redundent, et capite luas scelus.

ET NON FECI IUXTA SCELERA TUA.) q. d. Parum te pro impietate punivi, plus merebaris. Ita Septuag. et S. Hieron. Verum Chald. et Hebræi pro עָשִׂיתִי *asiti,* id est *feci,* legentes עָשִׂית *asita,* id est *fecisti,* vertunt, *non fecisti, cogitationem* (id est mentis reflexionem, ut videres tuam turpitudinem, statumque periculosum) *super omnibus abominationibus tuis,* id est, non cogitasti a tuis idolis recedere, non cogitasti mutare mentem, redire ad frugem. Unde sequitur: *Sicut mater, ita et filia eius,* q. d. Quales fuerunt parentes Iudæorum, tales sunt et filii; perdurant enim in pristina patrum impietate et idololatria.

Vers. 44. ECCE OMNIS, QUI DICIT VULGO PROVERBIUM, IN TE ASSUMET ILLUD. Hebr. *omnis paræmiator paræmiabit,* id est, hoc scomma de te dicet quasi proverbium: SICUT MATER, ITA ET FILIA EIUS.) Id est, sicut mater tua Cethæa v. 45. et Chananæa ob scelera vastata est: ita et tu filia eius vastata es. Ita Vatabl. Theod. Polychr. Itaque se explicat Propheta v. sequenti. Aliter Chald. et Hebræi, uti iam dixi.

Vers. 45. FILIA MATRIS TUÆ ES TU, QUÆ PROIECIT VIRUM SUUM, ET FILIOS SUOS.) q. d. Æmulatrix es matris tuæ, id est, terræ Chananææ, quæ suis sceleribus ex Chanaan per Iosue et Hebræos expulit virum, id est reges suos, et filios, id est incolas. Ita Polychron.

Secundo, et melius, q. d. Sicut Chananæi et Cethæi virum suum, id est Deum, proiecerunt adorantes idola et filios consecrarunt idolis: ita et tu quasi filia, id est imitatrix, eorum fecisti. Ita Theodor.

Tertio alii, q. d. Cethæa mater tua, impudens meretrix, solebat virum et proles abiicere, et cum aliis libidinari: ita tu, o Ierusalem, me abiecisti, et cum idolis libidinaris.

Tropologice, Iudæi, et quivis impii abiecerunt Prophetas, qui erant patres eorum spirituales; et viros iustos, qui erant eorum filii.

ET SOROR SORORUM TUARUM.) q. d. Similis es sororibus tuis, ne hilo es illis melior, aut purior. Sorores Ierusalem vocat vicinas urbes, scilicet Samariam et Sodomam.

SOROR TUA MAIOR, SAMARIA.) Quia sicut Ierusalem Vers. 46.
erat metropolis regni Iuda: ita Samaria erat regni Israel, sive decem tribuum. Unde eam vocat *maiorem*: quia in Iuda tantum erant duæ tribus.

IPSA ET FILIÆ EIUS.) *Filiæ,* id est, oppida Samariæ subiecta. Metropoles enim Hebræis et Græcis vocantur *matres;* et vice versa aliæ urbes, et vici eis subiecti, vocantur *filiæ.*

SOROR AUTEM TUA MINOR TE, etc. SODOMA.) Id est, Galgala trans Iordanem, ubi habitabant duæ tribus, cum dimidia. Hæ enim recte dicuntur sorores Iudæorum, id est fratres et cognati. Ita Scholiastes et Polychron. Verum melius proprie accipias Sodomam. Hæc enim vocatur *soror* Ierusalem, non cognatione, sed impietate; *minor* vero, non ætate, sed civitatum et civium numero: hæc habitat, non quasi superstes sit, sed iacet et manet in lacu, ubi ostendit priscæ gloriæ ruinas, imo gehennæ speculum Iudæis et peccatoribus ostentat.

NEQUE SECUNDUM SCELERA EARUM FECISTI PAUXILLUM MINUS.) Ita Romana distinguunt, q. d. Scelus tuum Vers. 47.
non fuit paulo minus scelere Sodomæ, et Samariæ, imo in omnibus pene maius, ut sequitur. Paulo aliter ex Hebræo vertit Pagnin. *neque secundum scelera earum fecisti, ac si hoc paululum pauxillumque foret, quinimo sceleratiora fecisti illis.*

VIVO EGO.) Testor, et iuro per vitam meam. Vers. 48.

ECCE HÆC FUIT INIQUITAS SODOMÆ.) Scilicet prima, Vers. 49.
et origo cæterarum, puta libidinum portentosarum: nimirum fuit in Sodoma. Quinque peccata Sodomæ.

Primo, SUPERBIA.

Secundo, SATURITAS PANIS.) Id est ciborum et deliciarum; hoc est cummessatio et compotatio.

Tertio, ABUNDANTIA.) Rerum omnium luxus, et deliciæ.

Quarto, OTIUM.

Quæritur, Ægysthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Vere Ennius in Iphigenia:

Otio qui nescit uti, plus negotii habet
Quam cum est negotium in negotio.

Præclare S. Iustin. contra Tryphon. *Iesus,* ait, *Iosephi fabri filius, solebat dum inter homines degeret, aratra fabricare iugaque, ut per has figuras iustitiam doceret, et reipsa fugam otii.* Fuit commune Patrum dogma: *Diabolus semper te occupatum inveniat,* ut patet ex Vitis Patrum.

Quinto, immisericordia, quod scilicet MANUM EGENO ET PAUPERI NON PORRIGEBANT.

Aliter vertit Syrus referens hæc ad præcedentia, nimirum sic, *hæc est iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbæ, gloriosæ, quæ saturabatur pane, et sedebat* (habitabat) *in quiete* (securitate, otio, quieta, secura, otiosa) Et Arabicus Antioch. *vivo ego, dicit Dominus, quod neque Sodoma, neque filiæ eius fecerunt, ut quod fecisti tu, et filiæ tuæ; atqui etiam soror tua formosa, quæ satiabatur pane, et sedebat ipsa et filiæ eius in quiete.*

Nota. Idem hic dicitur cum eo quod ait S. Ioannes epist. 1. c. 2. 16. *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

scilicet, superbia, deliciæ, divitiæ origo sunt malorum omnium in mundo, faciuntque ut mundus sit filius et hæres Sodomæ. Ita S. Hieron. Ita Pythagoras, teste Laertio dixit, in urbes ingredi, primo, delicias; secundo, saturitatem; tertio, violentiam; quarto, exitium.

Tria sanitatis præcepta. Tradit Lævinus Lemnius, aliique medici, quod, sicut sanitatem tam corporis, quam animi causant et conservant hæc tria; scilicet. exercitium, sobrietas et castitas: ita ægritudinem tam corporis, quam animi pariant hæc tria; scilicet, desidia, saturitas sive repletio, et libido. Unde ipsi hæc tria sanitatis dant præcepta: *Corpus laboribus exerce: vescere citra saturitatem: ne te in venerem effundas.* Aureum est dogma Hippocratis 6. Epid. Sanitatem hæc duo tuentur: *cibis non satiari, et impigrum esse ad labores.* Rursum, nulla re magis curari flatus, cruditates, pituitam, etc. quæ plurimorum morborum sunt causa et fons, quam inedia, utpote quæ hæc omnia digerat et consumat, consentiunt medici.

Audi S. Hieron. *Superbia,* inquit, *saturitas panis, rerum omnium abundantia, otium, et deliciæ, peccatum Sodomiticum est, et propter hoc sequitur Dei oblivio, quæ præsentia bona putat esse perpetua, et nunquam sibi necessariis indigendum. Quapropter et lege, Deuter.* 8. *præcipitur: Attende ne comedens et bibens, et saturatus, ædificatis domibus optimis, habensque oves et boves, argentum et aurum, obliviscaris Domini Dei tui. Et in alio loco, Deuter.* 32. *de Israel scriptum est: Manducavit et bibit, et saturatus est, et impinguatus, et calcitravit dilectus. Quod sciens et sapientissimus omnium Salomon in Proverbiis c.* 30. *deprecatur: Tribue mihi necessaria, et quæ sufficiant, ne saturatus mendax fiam et dicam: Quis me videbit? aut pauper effectus, furer, et peierem nomen Dei mei.*

Porro prima hic est superbia; quia hæc est centrum, a quo exeunt lineæ ad circumferentiam omnis iniquitatis. Unde S. Ambros. *Superbia,* ait, *ex angelis dæmones effecit.* Et Isidorus: *Superbia est origo omnium criminum, et ruina cunctarum virtutum;* ideoque ruina salutis. Nam, ut ait S. August. *Excelsa est patria, sed humilis est via.* Superbia ergo hic ponitur peccatum Sodomiticum, idque primum. Deus enim superbos deprimit, permittendo eos labi in portentosas et probrosas libidines, uti ostendi Roman. 1. 27.

Secunda est saturitas. Venter enim satur, meroque æstuans, despumat in infandas libidines. Recte Seneca epistol. 61. *Ventri,* ait, *obedientes brutorum animalium loco numeremus, non hominum.* Ut hanc everteret Plato scripsit ad Dionis propinquos: *Nullo modo debere quemvis in die saturum fieri.* Gula ergo Sodomam fecit et perdidit; gula enim est strues lignorum quibus accenditur libido. *Non Ætnæ ignes,* ait S. Hieron. ad Furiam, *non Vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis æstuant ardoribus, ut iuveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatæ.* Et Euripides: *Saturo Venus adest.* Et Athen. lib. 10. ex Aristophane, *vinum* vocat *lac Cypriæ deæ*, id est Veneris, quod alat libidinem. Denique, *sine Cerere et Baccho friget Venus.*

Tertia est abundantia rerum, indeque luxus. De qua dixit Apostolus 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas,* græce φιλαργυρία. Vetus est proverbium apud Strobæum: *Satietas ferociam parit, tollit animos opulentia.* Et Homerus: *Fastum copia gignit,* indeque libidines.

Quarta est otium, de quo Proverb. 1. *Prosperitas impiorum perdet eos.* Pro quo alii vertunt, *pax,* sive *quies insanorum evertet eos.* Et Poeta:

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque iacent, et sine luce faces.

Otio, inquit S. Augustin. *perit Roma deleta Carthagine.* Recte Sapiens, et ex eo Chrysost. *Omnem malitiam docuit otiositas.* Cum rogaretur Cleomenes, ut est apud Plutarchum: cur Lacedæmonii, cum Argivos sæpe vincerent, eos non delerent? *Nolumus,* inquit, *ut habeamus qui iuvenes nostros exerceant. Sunt enim ipsi eorum cos, qui ipsorum virtutem acuant, ne otio enerventur, et in vitia ac mollitiem diffluant.* Vide quæ de otio dixi 2. Thess. 3. v. 10.

Quinta est immisericordia: hæc quoque fuit causa libidinis Sodomiticæ. Qui enim crudeles sunt in proximum, crudeles quoque sunt in naturam, violando eius generationem: quique crudeles sunt in alimoniam et vitam proximi, crudeles itidem sunt in eius corpus, ut eo per pudendas libidines probrose abutantur. Sic Sodomitæ, quia erant crudeles in hospites et peregrinos, idcirco angelos corpore indutos, et quasi peregrinos divertentes in Sodomam ad Loth, appetierunt ad nefarium concubitum, Genes. 19. 5. Immisericordia enim et crudelitas faciunt, ut qui ea laborat non respiciat pudicitiam, nec famam, nec corpus, nec vitam proximi, præsertim exteri aut peregrini; sed iis omnibus quasi mancipiis crudeliter ad suam libidinem abutatur, eaque quasi res viles et nullius pretii prodigat et profundat. Ita crudelis Amnon nihil fecit pudicitiam et famam sororis suæ Thamar, sed ea quasi vili scorto abusus est. 2. Reg. 13. 13. et sequ. Ita hodie sævitia et barbaries Turcarum facit, ut pueros et mancipia Christianorum ad hoc nefas impune et impudenter cogant, quin et vim inferant. Videant nunc Christiani, qui eleemosynis et donis procurant, et quasi emunt usum corporum fidelium et pauperum ad suam obscœnitatem, quam in eos barbari et crudeles sint instar Turcarum: dant enim cibum corpori, ut eius decus, famam et pudicitiam absorbeant: nutriunt carnem, ut animam occidant. Itane vili esca, vili nummo appenditis, emitis, perditis thesauros incomparabiles, puta Christianum corpus, conscientiam, castitatem animam ad Dei imaginem creatam, et Christi sanguine redemptam? Itane obolo destruitis eius gloriam et felicitatem, eique emitis et accersitis ignes sempiternos? o crudelem eleemosynam, o immisericordem misericordiam, o pretium iniquum et satanicum!

Et elevatæ sunt.) In fastum et arrogantiam. Vers 50.

Fecerunt abominationes coram me.) Publice in oculis Solis huius Deum contemnentes.

Sicut vidisti.) Ita Romana, id est, sicut audisti, et vides in effectu, scilicet in lacu Asphaltite sulphureo, quanta fuerit iniquitas Sodomæ: utpote, quæ ob scelera in lacum tam tetrum est versa. Vide dicta Genes. 19. 25. Iam Hebræa habent: *sicut vidi*, id est cum, vel postquam vidi, *eas abstuli.*

Iustificasti.) Ostendisti Sodomam et Samariam te Vers 51. esse iustiores, id est, minus impias, ita ut tecum comparatæ iustæ videantur. Sicut enim lux Solis obscurat lucem stellarum, ita sanctitas magna minorem, et iniquitas insignis minorem, ita ut esse non videatur. Vide Origenem. Notat Theodoret. Ierusalem magis peccasse Sodoma, non peccati substantia, sed qualitate. Habebat enim legem, sacerdotes, Prophetas, Dei cognitionem, cultum et templum, quæ omnia profanavit idolis et peccatis; unde gravius peccavit. Hoc est quod Christus Matth. 11. 23. et 24. ait: *Et tu Capharnaum numquid usque in cælum exaltaberis? usque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi.* Et Ierem. Thren. 4. 6. *Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Vide ibi dicta.

Porta confusionem.) Septuag. *sustine tormentum.* Vers. 52.

Quæ vicisti sorores tuas.) Hebr. *quæ iudicasti*, id est, condemnasti, *sorores tuas*, q. d. Cum peccando certares tu cum sororibus tuis, tu eas condemnasti, id est superasti, et vicisti: ita, ut si diabolus, vel quis impius in iudicio præses sedisset, iudicaturus utra vestrum impietate vinceret, et impudentia esset insignior ac nobilior; tuque coram eo cum sororibus tuis in hac causa litigasses, ille causam tibi adiudicasset, et sororibus abiudicasset, easque condemnasset. Hæc enim eius fuisset sententia: Ierusalem peccando superavit sorores suas; itaque in hoc certamine primum ei debetur peccati et impietatis præmium.

Sceleratius agens ab eis.) Præ eis. Hoc enim significat hebraice מִן *min* comparativum.

Et convertam restituens eas conversione Sodo- Vers. 53.

MORUM, etc. ET CONVERSIONE SAMARIÆ, etc.) Id est, reducam te o Ierusalem e captivitate, ut cum Sodoma et Samaria revertaris in patriam. Nota Primo. Conversio, reversio, captivitas, idem significant, scilicet captivos revertentes. Secundo, licet Romana legant *conversione*, tamen clarius Septuag. vertunt, *conversionem;* et Aquila, ac Symmachus, *captivitatem. Convertam* ergo *conversionem*, idem est quod reducam captivitatem, id est captivos, *restituens eas*, scilicet sorores tuas, puta Sodomam et Samariam, hoc est, captivos e Sodomis, et e Samaria sibi et patriæ restituam.

Quomodo Sodomitas reduxit Deus. Resp. Quæres, quando, et quomodo reducet Deus Sodomitas, cum omnes cælesti igne consumpti sint?

I. Primo, pro *convertam* Theodor. legit, *avertam*, id est, aversata est me Sodoma, et ego vicissim aversatus sum eam, ac punivi excidio. Verum, quia Latina passim legunt *convertam;* hinc Emmanuel Sa, et aliqui alii accipiunt hæc ironice, aut legunt per interrogationem. Verum hoc quoque repugnat sequentibus.

II. Secundo, Iudæi, ait S. Hieron. inter cæteras fabulas fingunt, in adventu sui Christi, id est Antichristi, et in mille annis regni eius Sodomam esse restituendam in pristinum statum, ut sit quasi paradisus Dei; ac tum pariter Samariam pristinam recepturam felicitatem.

III. Tertio, S. Hieron. ex Origen. Sodoma, ait, sunt Gentes; Samaria hæretici; Ierusalem peccatores fideles, qui omnes in primo Christi adventu, ut vult Origen. vel, ut S. Hieron. non ex sua, sed ex aliorum sententia, in secundo ad magnam gratiam et gloriam evehentur. Verum hoc mysticum est, et sapit errorem Orig. qui ex Platone censuit, post certum annorum curriculum, fore rerum omnium revolutionem et restitutionem; ita scilicet, ut etiam damnati sibi restituantur, et salventur.

IV. Quarto, Lyran. et Vatabl. Sodomitæ, aiunt, sunt Ammonitæ et Moabitæ; quia orti ex Loth, qui habitavit in Sodomis. Hi cum Samaritis et Iudæis ad Christum convertentur.

V. Quinto, Polychr. Scholiast. et Prado, per Sodomam accipiunt duas tribus, Ruben et Gad, cum dimidia tribu Manasse, trans Iordanem in Galaad (non in Galgala, ut habet Scholiast.) et Basan habitantes. Hæc enim regio fertilissima quasi Sodoma, in luxum, otium, et vitia soluta, prima ante alias septem tribus ducta est in Assyriam captiva a Teglatphalassar. Verum has tribus complectitur Samaria, non Sodoma. Samaria enim apud Prophetas significat regnum Israel, puta, non septem, sed decem tribus. Rursum sicut Samaria et Ierusalem proprie hic capiuntur: ita e Sodoma, ut patet ex eo, quod dixit v. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ.*

VI. Et genuine. Dico ergo, per Sodomam hic accipi totam Pentapolim, ex Pentapoli autem incendium Sodomæ evasit urbs Segor, cum suis villis et pagis ob preces Loth. Rursum, sub Sodoma intelliguntur vicini Moabitæ et Ammonitæ. Hi enim orti sunt ex incestu Sodomitico filiarum Loth cum patre in Sodomis, puta in Segor, uti notavit Lyran. et Vatablus. Hi ergo origine et nativitate fuerunt Sodomitæ. Hosce omnes in captivitatem Babylonicam abduxit Nabuchodonosor. Hic ergo Propheta de more tristibus læta subiungens, prædicit eorum liberationem et reditum. Idem de iis prædixit Ieremias c. 48. v. 47. et c. 49. 6. Ad literam enim loquitur Propheta de reductione tum harum gentium, tum Iudæorum e Babylone. Nam multi ex Samaria, id est ex decem tribubus, misti Iudæis, id est duabus tribubus, inde sub Cyro redierunt. Sed sub hac reductione verius et potius intendit significare reditum Iudæorum, et Gentium e servitute peccati et dæmonis ad libertatem gratiæ Christi, et Ecclesiæ ac regni cælorum. Hæc est enim patria nostra felicior et feracior, quam Ierusalem, Sodoma, et Samaria: et sic redimus ad *antiquitatem* nostram, ut ait hic Propheta, id est, ad pristinum statum iustitiæ et felicitatis.

Sodoma vocantur omnes Gentiles. Ubi Nota. Per Ierusalem Propheta intelligit Iudæos; per Samariam Samaritanos, qui medii erant inter Iudæos, et Gentiles; per Sodomam Gentiles, qui impie vivebant, ut Sodomitæ. Ponit enim unam Gentilium civitatem impiissimam pro omnibus: sicut Christus Matth. 11. 21. 22. 23. pro iisdem posuit Sodomam, Tyrum et Sidonem: et Isaias pro iisdem posuit Bosra, et Edom c. 34. v. 6. Item Ægyptum c. 19. v. 21. Significat ergo Propheta fore, ut prius Sodoma, id est Gentiles; et Samaria, id est Samaritani, a peccati captivitate liberentur, et ad Ecclesiam veniant, quam Ierusalem, id est Iudæi, hosce enim post illos venturos. Ita Maldon.

ET CONVERTAM REVERSIONEM, id est, captivitatem (uti iam dixi) TUAM IN MEDIO EARUM.) Id est, una cum illis: quasi non illas propter te, sed te propter illas liberare videar. Ita Maldon.

UT PORTES IGNOMINIAM TUAM, etc. CONSOLANS EAS.) Vers. 54. *Ignominiam*, qua scilicet in captivitate misera fuisti, ex qua iam redis, sicque consolaris Samariam et Sodomam in sua ignominia; quia consolatio est reorum, habere socium, vel maiorem in pœna. Ita Vatabl.

Secundo et potius, in conversione ad Christum Iudæi venerunt in medio Gentium, id est, inter Gentes pari iure, imo inferiori et subordinato. Quia enim Christus missus fuit in salutem omnium gentium, totiusque mundi; hinc et consequenter missus fuit in salutem Iudæorum. Hoc inviderunt Gentibus Iudæi, ideoque a Christo sunt aversi et reiecti, pauci vero conversi. Hæc fuit confusio Iudæorum, et consolatio Gentium, ac salus. Hoc est quod ait Christus Matth. 8. 11. *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob in regno cælorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Ita Prado, et Mald.

ET SOROR TUA SODOMA.) Significat Gentes prius convertendas ad Christum: postea, in fine mundi Iudæos, cum plenitudo Gentium intraverit, Roman. 11. 26. Dices, Christus Matth. 15. 24. ait ad Chananæam: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Resp. Sensus est, q. d. Sum missus ut solis Iudæis, utpote quibus promissus est Messias, corporalem præsentiam, ac per consequens Evangelii mei, et miraculorum meorum gratiam, quam hic panem voco, exhibeam: unde et a S. Paulo Rom. 15. vers. 8. Christus vocatur minister circumcisionis, id est circumcisorum, hoc est doctor et prædicator Iudæorum: ita S. Hilar. in locum Matth. citatum, et S. August. tract. 31. in Ioan. Christus ergo personaliter missus est ad Iudæos, ut per eos, puta per Apostolos, converteret cæteras Gentes, totumque orbem. Ergo omnium Gentium conversio, fuit universalis, primus et adæquatus finis missionis Christi, inter quas continentur Iudæi, ac deinde quælibet particulares gentes. Vers. 55.

AD ANTIQUITATEM SUAM.) Ad pristinam libertatem, et possessionem tum terrenam tum potius spiritalem, puta Ecclesiæ, in qua ab olim in Adamo et Noe, omnes conscripti fuimus cives, imo hæredes et filii.

NON FUIT AUTEM SODOMA SOROR TUA AUDITA IN ORE TUO, IN DIE SUPERBIÆ TUÆ, ANTEQUAM REVELARETUR MALITIA TUA: SICUT HOC TEMPORE IN OPPROBRIUM FILIARUM SYRIÆ, etc. PALÆSTINARUM, etc.) q. d. Cum, o superba Ierusalem, peccares contra me, non es recordata, nec ullam fecisti mentionem peccatorum et pœnarum Sodomæ, ut te metu similis supplicii a similibus sceleribus revocares. Ita S. Hieron. et Maldon. Vers. 56. et 57.

Secundo, et nervosius, q. d. *In die superbiæ*, id est, felicitatis et opulentiæ tuæ tempore, cum donis meis superbires, non dignabaris vel nominare peccatricem Sodomam, quasi tu iusta esses, et felix meo templo: sed nunc vides illam præ te iustificari, cum revelatur tua malitia hoc tempore, ut sis in opprobrium et contemptum Syrorum et Philistinorum, qui sunt vicini tui. Ita Prado.

Simili parabola Pharisæi despicientis publicanum, Christus proponit contemptum Iudæorum contemnentium Gentes, Luc. 18. v. 10. et seq.

QUÆ AMBIUNT TE PER GYRUM.) Ex Hebr. vertas cum Vatabl. *quæ te contemnebant*, vel *diripiebant circumquaque.* Vers. 57.

SCELUS TUUM, ET IGNOMINIAM TUAM TU PORTASTI.) Septuag. *tu porta pœnam tuæ arrogantiæ, et impietatum,* Vers. 58.

ut quæ fastidiebas vel nominare Sodomam et Gentes, iam eis postponaris in gratia et regno Christi.

Vers 59. Et faciam tibi.) Puniam te per Chaldæos; sicut despexisti iuramentum, id est execrationem, quam legis transgressoribus intentavi, Deut. 27. itaque irritasti pactum mecum initum, q. d. Pœnarum metu non es aversa a legis violatione, iam ergo eas sustine.

Vers 60 Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ; et suscitabo tibi pactum sempiternum.) q. d. Ego tamen, o Synagoga, licet a te despectus, te non deseram; sed recordabor pacti mei cum Abrahamo initi, quod scilicet ex eius semine esset nasciturus Christus, salvator tuus, et Gentium, initi inquam, cum adhuc esses adolescentula, imo in lumbis Abrahæ: vel potius pacti, scilicet cum Mose in Sina initi: tunc enim eras quasi adolescentula, ut dixit v. 4. *Recordabor*, ut te recipiam, ineamque tecum aliud pactum novum, tum per Zorobabel, tum potius per Christum, illudque sempiternum, Ierem. 31. 31. Nam pactum sub Zorobabel non fuit sempiternum, nisi hyperbolice, id est, diuturnum.

Aliter Maldon. q. d. *Recordabor pacti mei*, id est, puniam te secundum pactum meum. Nam in fœdere non solum promissa erant præmiorum, sed et pœnarum contra transgressores comminationes, Levit. 26. q. d. Quia tu non es recordata pacti mei, ego eius recordabor. Servabo enim illud in sumendo de te pœnas, eo comminatas: cum autem punivero te, auferam pactum illud, et dabo tibi pactum aliud sempiternum, quod est Evangelium.

Vers. 61. Et recordaberis viarum tuarum, et confunderis: cum receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis.) q. d. Cum te ad gratiam et regnum Christi eveham, erubesces vitam et peccata præterita, Actor. 2. 17. miraberis meam bonitatem, qua sororem tuam maiorem Samariam, et minorem Sodomam, id est gentes

A omnes vicinas, ad te deducam, ut eas in Ecclesiam et regnum tuum recipias, quasi filias. Hierosolymæ enim cœpit Ecclesia Christi; unde Hierosolymitana Ecclesia mater est fidelium omnium. Hinc Isaias c. 60. 4. sub nomine Ierusalem alloquens Ecclesiam: *Filii*, ait, *tui de longe venient*, q. d. Tunc non amplius superbe arrogabis tibi iustitiam, nec sorores tuas, id est alias gentes, contemnes; sed summa reverentia veneraberis mea iudicia, et summa gratitudine mihi devincta, gentes omnes ut sorores complecteris, et ut filias amabis.

Non ex pacto tuo.) Cum Mose, et tecum inito in Sina (quod servos faciebat, et regebat metu mortis) quod violasti; sed ex pacto meo, quod olim Abrahæ promisi, et nunc per Christum præstabo, quod est pactum faciens, et adoptans te in filium, ac regens te spiritu charitatis, et timoris filialis, puta pactum et testamentum novum, quod est lex gratiæ, imo gratia Christi. Vers. 63.

B Et non sit tibi ultra aperire os.) q. d. Non audebis ultra conqueri, immo nec hiscere, aut mutire, cum videbis tuam indignitatem, meamque erga te clementiam et beneficentiam, qua quasi certabo cum tua impietate, eamque vincam et obruam. Mittam enim tibi tuisque Christum, unigenitum meum, qui ibit quasi lux ad cæcos, vita ad mortuos, via ad errantes, veritas ad falsos et fallaces, salus ad ægros, fortitudo ad fragiles, redemptio ad captivos, iustitia ad iniustos, fons aquæ vivæ ad aridos, princeps pacis ad discordes, panis vitæ ad laborantes fame, Deus ad peccatores; eosque faciet sanctos, saturos, concordes, iustos, liberos, sanos, fortes, veraces, vivaces, vegetos et lucidos. Tractat hoc argumentum Apostol. epist. ad Roman. præsertim cap. 3. ubi docet, nec Iudæos, nec Gentes debere gloriari de sua iustitia, sed confundi ob sua peccata, ac laudare et gratias agere Deo, qui gratis indignis contulit gratiam, iustitiam et salutem per Christum.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub typo duarum aquilarum pugnantium, quarum maior minorem debellat, describit Nabuchodonosorem, et Pharaonem inter se pugnantes, ex quibus ille hunc debellavit. Quocirca prædicit, quod Pharaoni innixus Sedecias et Iudæa (quam vineæ comparat) ac contra Dei voluntatem rebellans Nabuchodonosori, ab eo regno, oculis et patria privabitur: Ioachin vero ex Dei voluntate, eidem se tradens, exaltabitur. Primo, proponit ipsam parabolam: deinde v. 11. eam applicat, et explicat eo modo, quo dixi.

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis propone ænigma, et narra parabolam ad domum Israel, 3. Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri. 4. Summitatem frondium eius avulsit: et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam. 5. Et tulit de semine terræ, et posuit illud in terra pro semine, ut firmaret radicem super aquas multas: in superficie posuit illud. 6. Cumque germinasset, crevit in vineam latiorem humili statura, respicientibus ramis eius ad eam: et radices eius sub illa erant: facta est ergo vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines. 7. Et facta est aquila altera grandis magnis alis, multisque plumis: et ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui. 8. In terra bona super aquas multas plantata est: ut faciat frondes, et portet fructum, ut sit in vineam grandem. 9. Dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ergone prosperabitur? nonne radices eius evellet, et fructus eius distringet, et siccabit omnes palmites germinis eius, et arescet: et non in brachio grandi, neque in populo multo, ut evelleret eam radicitus? 10 Ecce plantata est: ergone prosperabitur? nonne cum tetigerit eam ventus urens siccabitur, et in areis germinis sui arescet? 11. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 12. Dic ad domum exasperantem: Nescitis quid ista significent? Dic: Ecce venit rex Babylonis in Ierusalem: et assumet regem, et principes eius, et adducet eos ad semetipsum in Babylonem. 13. Et tollet de semine regni, ferietque cum eo fœdus: et ab eo accipiet iusiurandum: sed et fortes terræ tollet, 14. Ut sit regnum humile, et non elevetur, sed custodiat pactum eius, et servet illud. 15. Qui recedens ab eo misit nuntios ad Ægyptum, ut daret sibi equos, et populum multum. Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem qui fecit hæc? et qui dissolvit pactum, numquid effugiet? 16. Vivo ego, dicit Dominus Deus: quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, et solvit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. 17. Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium: in iactu aggeris, et in extructione vallorum, ut interficiat animas multas. 18. Spreverat enim iuramentum ut solveret fœdus, et ecce dedit manum suam: et cum omnia hæc fecerit, non effugiet. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Vivo ego, quoniam iuramentum quod sprevit, et fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput

eius. 20. Et expandam super eum rete meum, et comprehendetur in sagena mea: et adducam eum in Babylonem, et iudicabo eum ibi in prævaricatione qua despexit me. 21. Et omnes profugi eius cum universo agmine suo, gladio cadent: residui autem in omnem ventum dispergentur: et scietis quia ego Dominus locutus sum. 22. Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, et ponam: de vertice ramorum eius tenerum distringam, et plantabo super montem excelsum et eminentem. 23. In monte sublimi Israel plantabo illud, et erumpet in germen, et faciet fructum, et erit in cedrum magnam: et habitabunt sub ea omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit. 24. Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile: et siccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum, et feci.

Vers. 2. PROPONE ÆNIGMA.) Id est, obscuram similitudinem, sive, ut sequitur, parabolam. In Scriptur. enim sæpe hæc tria, parabola, ænigma, proverbium, confunduntur, et pro eodem sumuntur, uti notat Iansen. initio Proverb. scilicet significant illustrem quamlibet sententiam, præsertim acutam, parabolicam, moralem. Hebr. enim משל *mascial*, significat sententiam eminentem et prædominantem, uti est proverbium, axioma, gnome, quales sunt in Proverbiis Salomonis. Parabola, græce *παραβολη*, proprie est comparatio et similitudo. Ænigma est sententia obscura et subitilis: radix enim *αινιττομαι* significat obscure loqui. Unde hebr. vocatur חידה *chida*, id est acuta propositio; a rad. חוד *chud*, vel חדד *chadad*, id est acuminare, acuere, acute loqui.

Vers. 3. AQUILA GRANDIS.) Id est, Nabuchodonosor rex: Aquila enim avium princeps, et viribus, et pernicitate, et altitudine volatus, et audacia, et aduncitate rostri regiam præ se fert maiestatem. Unde Cyrus, et Artaxerxes Persæ; ac postea Romani aquilam habuerunt pro insigni, sicut Chaldæi columbam, Ierem. 50. v. 16. Sic de eodem rege ait Ierem. cap. 49. v. 22. *Ecce quasi aquila ascendet, et avolabit, et expandet alas suas super Bosram.*

Aquila symbolum est regis et regni. Nota. Aquila symbolum est regni et imperii: est enim ipsa avium regina. Unde Pyrrhus rex aquila dici voluit. Nam, ut ait Plutarch. in eius vita, *dum a pugna magna cum gloria ac lætitia in Epirum reversus, a suis αετος*, id est *aquila, salutaretur: Per vos, inquit, αετος sum, qui me vestris armis, tamquam alis in altum extulistis. Unde semper ei aquilæ cognomen summe placuit, eoque usus est.*

Filius Caroli Magni dictus est Arnulphus, quod germanice sonat *Arent ulph*, id est, aquilæ auxilium; vel quod illud aliquando ab illa acceperit, vel potius, ut nomine suo moneretur se suis natis, amicis, ac subditis aquilina fortitudine, seu instar aquilæ auxilium præbere debere. Hoc enim est munus principis.

Aiax cognomen habuit aquila: causam dat Pindarus Isthm. ode 6. cum ait: *Hæc illi locuto misit Deus ducem, avim magnam aquilam, et dulce ei intus titillavit gaudium, et dixit, locutus ut vir vates: Erit tibi filius, quem petis, Telamon, et eum aquilæ, quæ apparuerit, cognomento appellabis Aiacem late potentem, stupendum in laboribus turmarum Martiarum.* Cum enim Hercules in Telamonis gratiam sacrificaret, ut ei filius nasceretur, prætervolabat aquila: itaque propter aquilæ prætervolantis auspicium, filius Aiax Telamoni natus, *αετος* dictus est. Hinc tradunt Gentiles, imo et Catholici, aquilam multis

Aquila portendit imperium Alexandro Magno. portendisse imperium. Quin et Gentiles omen et augurium ex aquila capiebant usque ad superstitionem. Ita, inquiunt, *in die natali Alexandri Magni, aquilæ duæ præpetes supra culmen domus insederunt; omen duplicis imperii, Europæ Asiæque præ se ferentes.*

Maximo. *Nato Maximo (qui turbulentissimis Reipub. temporibus Imperator electus est a senatu, ut Maximini obviam iret crudelitati) quamvis ex humili et obscuro genere, patre scilicet arte ferrario, aut, ut alii dicunt, carpentario, auspicium dedit aquila, cum carnem bubulam, et quidem multam in patris cellam angusto impluvio proiecisset, eam denique cum iaceret, et nemo attingere auderet religionis metu, iterum sustulit, et in proximum sacellum Iovis Præstitis detulit.*

Aureliano. *Simili ostento aquila infantem adhuc Aurelianum, vinctum fascia, sine ulla noxa de cunis sustulit, et in aram, quæ intra sacellum forte sine ignibus erat, deposuit*, ut auctor est Sabellicus, et ante eum Flav. Vopiscus ex Callicrate Tyrio in Aureliano.

Albino etiam septima hora, postquam natus est, in convivio, quod natalitiis suis deputabatur, dum sibi inderetur nomen, septem aquilæ parvulæ allatæ sunt, et quasi ad cunas pueri constitutæ. Omen pater eius proclivius admisit, eo quod id rarissimum esset in illis regionibus, ubi Hadrumetum est. Albino.

Octavio Augusto, cum puer adhuc ruri, quarto ab urbe lapide via Campana educaretur, in nemore prandenti ex improviso aquila de manibus panem rapuit, moxque altissime evolavit, quæ paulo post leniter delapsa, ex improviso eumdem ei reddidit, Xiphilino, Svetonio et Dione testibus. Augusto.

C. Marius cum nidum aquilæ cum septem pullis, puer adhuc in agro reperisset, cumque gremio susceptum ad patrem detulisset; is admiratione motus, consultis auspicibus, septies penes filium rei summam futuram accepit. Id in tot, quot gessit consulatibus apparuit, quos eo numero primus omnium assecutus est. Hoc tamen Plutarch. Romanæ censor historiæ fabulosum existimat, quod aquilam dicant non ultra duos pullos parere, scilicet naturaliter, et ordinarie. C. Mario.

Regni auspicium Romulo allatum ab aquilis, ex Ennio docet Cicero l. 1. de Divinat. *Dum enim fratres de imperio certarent, ac uter eorum mœnia conditurus esset, contenderent, se auspicio staturos pactum inierunt: itaque aquilæ binæ præpetes Romulo primas detulerunt.* Romulo.

Aquilam Tarquinio Prisco regnum portendisse, vulgatissimum est; quippe quæ pileum sedenti abstulit, mox remisit: futurum inde Tanaquil eius uxore, Hetruscorum disciplina instructa, interpretante, ut principatum caperet. Rem gestam narrat Dionysius Halicarnasseus lib. 3. Antiq. Rom. Tarquinio.

Plutarchus de Agone scribit: *Apud Argivos aliquando defecit Heraclidarum genus, e quo regem eos deligere patria consuetudo iubebat. Quærentibus et sciscitantibus, oraculum datum est, regem ab aquila demonstratum iri, ac post paucos dies aquila in domum Agonis devolare conspecta fuit, itaque Agon rex designatus est.* Agoni.

Marcianus Imperator egregia præditus indole, cum miles esset, forte ad expeditionem se conferebat. In itinere cum dormiret aliquando, ii, qui cum eo cubabant, citius experrecti, aquilam homini expansis alis umbram præbere vident. Itidem in expeditione adversus Geiserichum Libyæ principem accidit, ut Marcianus inter alios in hostium potestatem veniret. Itaque Geiserichus captivos inspicere volens, ex sublimi quodam loco eos intuebatur. Hic Marciano consopito cernens umbram fieri ab aquila expansis alis, rem pro miraculo habuit, et virum divinum, et Imperio Romano dignum censuit. Marciano.

Idem accidit Basilio Macedoni, Imperatori, qui annis viginti regnum obtinuit. Is cum adhuc infans admodum esset, uti Zonaras commemorat, *forte soli expositus in æstu iacebat, messe occupatis parentibus, egenis admodum. Tum vero aquila de sublimi advolans, expansis alis umbram ei præbebat. Cum autem aliquoties mater eam abigere conata, nihil efficeret, tandem hanc rem boni augurii loco duxit.* Basilio.

Lechus primus Polonorum dux nidum aquilarum invenit, ibique ducatus et gentis suæ præsidium, ac quasi arcem construxit, vocavitque Gnesnam, a nido, quem Boemi Gnisdo vocant. Inde insigne boni auspicii, et stemma Lecho et Polonis.

*

successoribus eius mansit, ut usque in hunc diem regis et regni Poloniæ stemma sit alba aquila coronata, erecta expansis alis, hiante rostro, merito Turcis formidabilis, minansque exitium. Ita Martin. Cromerus l. 2. de rebus Polonicis, et l. 16.

Galba. Svetonius quoque inter alia prodigia quæ Galbæ Imp. regnum portendebant, de aquila ita scribit: *Galbæ Imperatoris avus dum sacra perageret, fulgur procurans, cum aquila ex eius manibus exta rapuisset, sublimiusque elata in frugiferam extulisset quercum, augurque summum, sed serum imperium portendi dixisset: Sane, inquit ille, irridens, cum pariet mula. Quo prodigio imprimis Galba confirmatus dicitur. Nam cum in Hispania res novas moliri est adortus, in ea terra mula enixa est.*

Claudio. Felix insuper illud fuit, quod idem Svetonius recenset de Claudio, *qui cum diu inter ludibria aulæ fuisset, sub Caio demum fratris filio consulatum adeptus est; quamprimum autem, inquit auctor, cum fascibus ingressus est forum, prætervolans aquila dexteriore consedit humero, indicio futuri apud eum imperii manifesto.*

Vitellio. Et rursus de Vitellio copias suas dividente, quas adversus Othonem præmitteret, quasque ipse perduceret, faustum hoc narrat augurium: *Siquidem a parte dextra repente aquila advolavit: lustratisque signis ingressos viam sensim antecessit.*

Hieroni. *Hieronem quoque Siculum admodum adolescentem, privatæ fortunæ hominem aquila, quæ primo bello, quod iniit, in eius clypeo resedit, regem aliquando futurum indicavit*: ita Aldrovandus Ornithol. cap. 1. in aquila.

Porro pii principis et Imperatoris emblema est aquila ita depicta, ut pedibus terram tangat, capitibusque (est enim nostris Imperatoribus biceps) ad cælum elatis, et alis expansis, cum fulmine a sinistra, et lauri ramo a dextra, habeat hoc lemma: ἐν καιρῷ ἑκάτερον, id est, *in opportunitate utrumque.* Hic enim est typus Imperatoris, demonstrantis se in terris quidem imperare, sed tamen mentis intentione ad cælum aspirare, summoque studio, cum contemplationi, tum administrationi imperii (ut illud domi militiæque bene gerat) intentum esse, ut ad Deum, cui omnia refert accepta, perveniat: aquila enim imperii; fulgur belli, et pœnarum; laurus pacis et præmii signum est.

Magnarum alarum.) Multos habens sub se populos, et numerosos exercitus, quos ille secum traxerat. Hæ enim sunt alæ militares.

Longo membrorum ductu.) Chald. *longa membris*; Septuag. *extensa.* Per hoc significatur robur et potentia Chaldæorum, quasi longe se extendens, et late imperans. Membrorum enim exporrecta longitudo, apposite significat regni eius amplitudinem et diuturnitatem: regnavit enim ipse 45. annis Ex Hebræo verti potest cum Vatabl. et Maldonat. *longis pennis*, ac per pennas accipi possunt per metaphoram hastæ, aut equi velocissimi, quibus volare videbantur Chaldæi. De quibus Ierem. 4. 13. *Velociores aquilis equi illius.*

Plena plumis, et varietate.) Id est, plena plumis versicoloribus, instar pavonis, ait R. David. Hæ plumæ significant exercitum Nabuchodonosor ex variis gentibus conflatum. Septuag. vertunt, *plena unguium*, id est militum rapacium. Rursum plumæ hæ significant opes et gloriam.

Symbola aquilæ aptata Chaldæis. Audi S. Gregor. 31. Moral. 19. *Aquila*, ait, *est Nabuchodonosor: pro immensitate exercitus, dicitur magnarum alarum: pro diuturnitate temporum, longo membrorum ductu: pro multis divitiis, plenus plumis: pro innumera terrenæ gloriæ compositione, plenus varietate describitur.* Et Aldrovandum Ornithol. c. 1. *Plumæ*, ait, *significant opes, quibus affluebat: varietas plumarum, gloriam rerum ab eo gestarum: ungues, armorum horrorem: Libanus, Iudææ claritatem, atque celsitudinem longa annorum serie conspicuam. Unde ille medullam cedri avulsit, quippe nobilitatem extirpavit; et summas quasque frondes decerpsit, id est, ne tenerrimæ quidem regum proli, id est ætati infimæ, pepercit. Nam plumæ regum sunt opes. Sicut enim*

A *aquila sine plumis volare nequit: ita et principum dignitas omnis nisi pecunia (quæ belli nervus est) fulta, enervis, et robore carens facile corruit, uti dixit Carolus IV. Imper. ad principes Germaniæ apud Dubravium lib. 22.*

Venit ad Libanum.) Id est, ad templum, ait S. Hieron. vel ad domum regiam, a Salomone ex cedris Libani constructam: vel potius ad ipsam Iudæam, et urbem Ierusalem, uti explicatur v. 12. Libanus enim terminus est Iudææ, cuius caput est Ierusalem, quæ altitudine et candore murorum, ac densitate palatiorum ex cedris Libani constructorum, similis erat monti Libano. Ita Origen. Apollin. Theodor. Ierusalem ergo vocat Libanum, quia persistit in metaphora aquilæ, quæ in montibus, non in urbibus versari solet. Septuag. vertunt, *qui habet ductum intrandi in Libanum*, quasi Nabuchodonosor non sua sponte, sed Dei impulsu et ductu venerit in Ierusalem. Ita Theodor.

Tulit medullam cedri.) Hebræi vertunt, *tulit cacumen cedri*, id est, regiam stirpem cum suis principibus B duxit in Babylonem.

Summitatem frondium, id est, proceriores stolones: ita Chald. (Alludit enim ad stolones qui ex arbore avelluntur, ut in aliam inserantur, et transplantentur) eius avulsit.) Id est, regem Ioachin tenerum, octodecim scilicet annorum, ac proceres abduxit. Ita Theodor. et Apollin. et patet v. 12. Unde S. Gregor. 31. Moral. 19. *Nabuchodonosor*, ait, *quasi aquila Iudææ celsitudinem petens, nobilitatem regni eius, quasi medullam cedri abstulit, et dum tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium eius avulsit.*

Et transportavit eam in terram Chanaan.) Id est, in Chaldæam, quæ Chanaan dicitur, quia mercaturæ erat dedita, ideoque potentissima, frequentissima, opulentissima; Chananæi enim mercaturæ erant addicti. Hine Chananæus hebr. significat mercatorem, ut patet Prov. 31. 24. et alibi. Pari modo emporium mercium omnium, C et urbs negotiatorum erat Babylon, ut patet Apoc. 18. v. 10. Unde *Chanaan* explicans, subdit, *In urbe negotiatorum posuit illam.* Ita S. Hier. Prado, Maldon. et alii. Aliter Apollinar. et Theodor. censent enim Chaldæos vocari Chananæos, quod eorum mores et vitia imbibissent. Aliter quoque vertit Chald. nimirum: abduxit ad terram liberam a servitute, quæ scilicet nulli erat subiecta et vectigalis, qualis erat terra Chanaan ante ingressum Iosue et Hebræorum in eam. Chaldæa vocatur Chanaan quia mercaturæ dedita.

Et tulit de semine terræ.) Id est, postquam stolones transplantavit, id est, Ioachin et principes Babylonem transtulit, accepit ex semine cedrorum terræ Iuda, id est accepit Sedeciam, qui erat de semine regio Iudæorum, scilicet patruus Ioachin, eumque *posuit in terra*, id est, in Iudæa regem constituit, *pro semine*, ut scilicet in eo maneret semen stirpis regiæ, utque ipse stirpis regiæ *firmaret radicem super aquas*, id est populos multos, Apoc. 17. v. 2. Septuag. Chald. et Hebræi vertunt, *in terra seminis*, id est, fertili et sativa, quæ semen facile exD cipit, et copiose refundit. Ita vocatur Iudæa, quia fœcunda. Vers. 5.

In superficie posuit illud.) Non profunde plantavit, sed in superficie iecit hoc semen (hoc enim est Hebr. צפצפה *tsiphtseph*) sicut vites inseruntur in fossa, non profunda, sed extante, ac pene æquante superficiem terræ. Sensus est, q. d. Nabuchodonosor non firmavit Sedeciam alta regni radice, sed vires eius fregit Nabuchodonosor, ut sibi maneret supplex, et penderet a se, utpote, quem tam facile poterat evellere, quam eum severat, regemque creaverat. Chald. vertit: vitem posuit illud, quia sequitur, *crevit in vineam*, quasi Propheta mutet metaphoram: nam Ioachin comparavit cedro, hic vero Sedeciam comparat viti ob causam, quam mox dicam.

Crevit in vineam latiorem (luxuriantem) humili statura.) Id est Sedecias quasi vitis, opibus, et gloria ac imperio crevit, verum non ut cedrus procera, sed quasi vitis humilis. Semper enim Babylonius eum sibi subie- Vers. 6.

ctum tenuit. q. d. Cedrus versa est in vitem; quia regnum Iudæorum quod in Ioachin et aliis fuit excelsum ut cedrus, in Sedecia fuit humile ut vitis.

RESPICIENTIBUS RAMIS EIUS AD EAM.) Scilicet aquilam, id est, ut S. Hieron. voluit Nabuchodonosor Sedeciam præesse populis Iudæorum: sed ita, ut ipse, et populi respicerent ad Nabuchodonosoris domini sui imperium et iussum.

Secundo, vicinius et melius: *ad eam*, scilicet vitem, q. d. Rami huius vitis non in altum surgebant, sed repressi incurvabantur, et respiciebant ipsam vitem, vitisque radicem. Ita enim refracta et repressa fuit potentia Sedeciæ per Chaldæos, ut ramos, id est principes, haberet, non potentes ut Salomon; sed accisos, depressos, tenues et imbecilles. Est metaphora a vite, vel arbore, cuius rami ab alia altiore, vel a tecto aut muro reflectuntur ne in altum surgant, ita ut curventur, et arborem ipsam respiciant. Ita Maldon.

ET RADICES EIUS SUB ILLA ERANT.) q. d. Aliquas, licet non altas, agebat illa vinea, id est regnum Sedeciæ, radices, ita ut in latum propagaretur. Alii, *sub illa*, scilicet aquila, puta sub Nabuchodonosor, firma radice stabat regnum Iudæorum.

FRUCTIFICAVIT IN PALMITES.) q. d. Filios, et magnates protulit.

ET EMISIT PROPAGINES.) Id est, teneriores ramos, scilicet civium, et populi longe lateque sese propagantes.

Vers 7. ET FACTA EST AQUILA ALTERA GRANDIS.) Scilicet Pharao, qui dictus est Vaphres, vel Apries, vel Ephree, rex Ægypti, qui magnus quidem erat, sed minor Nabuchodonosore, cum quo Sedecias rebellans Nabuchodonosori, fœdus iniit. Ita S. Hieron. Theodor. S. Chrysost. homil. 9. ad populum, tom. 5. et alii passim. Hæc ergo aquila priori opposita, et ab ea subiugata significat Pharaonem Nabuchodonosori oppositum, et ab eo subactum. Sic duæ aquilæ inter se pugnantes, cum altera vinceretur, portenderunt exitium Bruto cum Antonio et Augusto decertaturo, si credimus Romanis Historicis. Cum enim starent ambæ acies in procinctu signum expectantes, duæ aquilæ magno alarum clangore ex adverso conflixerunt, rostris sese mutuo, ac infesto volatu incessentes. Suspendit id ostentum utrumque agmen, in præsentis pugnæ eventum. Postremo, quæ ex Antonii plaga stetit, valide adversam avem fugavit. Quo omine Antoniani in spem certam victoriæ erecti, sublato clamore in hostem decurrunt. Nec adversa parte minus ferociter confligitur: fit primo congressu cruentum prælium, complexi se invicem milites, consertisque manibus, non minore odio, quam vi utrique dimicant, circumsonare gemitus et suspiria cadentium; et iam plurimus erat cruor fusus tetra illa et cruenta cæde, cum primo acies Bruti loco submota est, ordinibusque vi solutis, ad secundum tertiumque ordinem penetravit metus. Tum res ad fugam inclinavit, qua animadversa Octavii milites hostilium castrorum portas multa vi occupant, ne cedentibus a tergo pateret effugium. Tum vero exclusorum cædes fit, et a fronte Brutiani pressi fœda colluctatione, cæcoque occursu in se ruentes cæduntur. Meminit eiusdem augurii Appianus lib. 4. de Bellis civil. *Iamque dies*, inquit, *dum se parant, ad nonam horam processerat, cum aquilæ duæ pugnare cœperunt inter utramque aciem intentam summo silentio. cumque fugata esset quæ a Bruto steterat, conclamarunt hostes, et signa collata sunt, fuitque congressus superbus et immitis.*

(Aquilæ pugnantes symbolum victoriæ Antonio.)

Eiusmodi duarum aquilarum pugnantium auspicium Vespasiano contigit, narrante his verbis Svetonio: *Ac non multo post comitia secundi consulatus ineunte Galba, statua divi Iulii ad Orientem sponte versa est: acieque Bebriacensi prius, quam committeretur, duæ aquilæ in conspectu omnium conflixerunt, victaque altera, subvenit tertia, a Solis ortu, ac victricem abegit.* Per duas autem aquilas primas, intelligitur Vitellius et Otho; tertia vero veniens ab ortu Solis significabat Vespasianum, qui cum ex Iudæa veniret, abegit victricem illam aquilam, hoc est Vitellium Othonis victorem.

(Vespasiano)

A De Octavio Augusto contra Antonium et Lepidum pugnaturo, Svetonius in hæc verba scribit: *Confractis ad Bononium Triumvirorum copiis, aquila tentorio eius supersedens, duos corvos hinc inde infestantes afflixit, et ad terram dedit, notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas discordiam talem, qualis secuta est, ac exitium præsagiente.* Nam aquila significabatur Augustus, qui collegas Antonium et Lepidum infestos ita affligeret vexaretque, quemadmodum aquila duos corvos afflixit. (Augusto.)

Triste item minimeque faustum fuit, quod Lacapeno Imperatori, et Simeoni Bulgarorum principi accidisse scribitur. Quo enim tempore hi congressi inter se colloquebantur, aquilæ duæ supra ipsos volasse traduntur, cumque non sine clangore, et alarum insigni strepitu, sese mutuo infesto rostro unguibusque aggressæ conflixissent; mox alteram ab altera discessisse, cum una se in urbem conferret, altera Thraciam versus volaret. Hoc prodigium augures minime lætum esse iudicabant; nam significari futurum, ut hæc inter eos pax rescinderetur. (Lacapeno.)

B MULTISQUE PLUMIS.) Id est, multis militibus: item, opibus et pompa; Septuag. *multorum unguium*, id est, rapax, et vastator gentium multarum. ita S. Hieron.

ET ECCE VINEA ISTA QUASI MITTENS RADICES SUAS AD EAM.) q. d. Sedecias, et Iudaica gens vires suas coniunxit cum copiis Ægypti contra Nabuchodonosor. Alludit ad arbores, quæ in eam partem radices mittunt, ubi aquam esse sentiunt. Sic enim Sedecias legatos misit in Ægyptum, opis petendæ causa, quæ tota Nili aquis irrigatur. Ita Maldon. qui per *radices* intelligit legatos.

PALMITES SUOS, id est, nuncios, ait S. Hieron. et duces cum donis, EXTENDIT AD ILLAM.

UT IRRIGARET EAM DE AREOLIS GERMINIS SUI.) Id est, ut contra æstum, id est iram Nabuchodonosoris eam arefacientem, rigaret de germine, id est robore et copia militum suæ areæ, id est Ægypti. Aquæ enim sunt milites; quia sicut aquæ per areolas in hortos, vel agros vicinos derivantur, ita et milites ex Ægypto transmittebantur in

C Iudæam. Alii, ut Vatablus, *ut irrigaret eam per fossas suas germinantes*, id est per fossas sui Nili abundantes, id est, per fruges et opes Ægypti. Alludit enim ad Nilum, qui irrigat et fœcundat Ægyptum immissus in agros per fossas, quæ ex eo in agros ducuntur. Septuag. *ut irrigaret eam cum gleba plantationis suæ*, id est, ut iuvaret Iudæam cum populo, in quo plantatus est Sedecias rex quasi vitis primaria. Regem enim comparat viti, populum glebæ.

IN TERRA BONA.) q. d. Non defecit Sedecias ad Pharaonem ex inopia, vel regni oppressione, quia benigne habebatur a Nabuchodonosor, eratque terra Iudææ fertilis et dives: sed ex ambitione, nolens subdi Nabuchodonosori. Vers. 8.

NONNE RADICES EIUS EVELLET? q. d. aquila illa prior, id est Nabuchodonosor radicem, id est regni Iudæorum robur evellet, et Sedeciam regno eradicabit: ET FRUCTUS, id est filios, EIUS, quasi olivæ bacchas teneras DISTRINGET, id est occidet, ET SICCABIT OMNES PALMITES.) Id Vers. 9.

D est, principes morti dabit, ut sint quasi sicci palmites.

NON IN BRACHIO GRANDI, NEQUE IN POPULO MULTO.) q. d. Non opus erit magna virtute aut milite ad superandum Iudæos et Ægyptios: nam primo conflictu id faciet Nabuchodonosor. Ita factum est; unde adepta hac victoria Nabuchodonosor, quasi securus et quietus resedit in Reblatha cum copiis, et partem earum misit contra Ierusalem, quam duce Nabuzardan cepit et succendit, 4. Reg. ult. Aliter Maldon. q. d. Non poterit rex Ægypti, quamvis cum magnis copiis veniat, Iudæos et Sedeciam a Chaldæis liberare.

UT EVELLERET EAM RADICITUS.) Pendet hæc interrogatio ab initio versus: *Nonne radices eius evellet*, etc. q. d. Nonne fecit id quod paulo ante dixi, scilicet, nonne egit et peregit *ut evelleret eam radicitus*? idque non magnis copiis.

CUM TETIGERIT EAM VENTUS URENS.) Hebr. est קדים Vers 10
kadim, id est, Orientalis, qui siccus est, et urens. q. d.

Cum Chaldæus, qui est ad Orientem Iudææ, eam quasi vitem, copiis licet Ægypti irrigatam, tetigerit, et quasi ventus urens afflarit desiccabit et desolabit eam in sua area, scilicet in ipsa Iudæa, fœcunda et germinante. Nam Sedecias, et eius principes in campis Ierichuntinis capti sunt, reliqui in urbe ipsa iam expugnata, 4. Reg. 25. Nota. Chaldæa est terræ Israel ad Orientem Septentrionalem; unde nunc Orientalis, nunc Aquilonaris vocatur. Vide dicta Ierem. 1. v. 14.

Vers. 12. ASSUMET, etc. ADDUCET.) Id est, assumpsit, adduxit. Hæc enim Propheta dixit anno sexto post abductum regem Iechoniam in Babylonem. Unde in Hebr. est ו *vau* conversivum, quod vertit futurum in præteritum. Hic incipit ænigma aquilarum, cedri et vitis explicare eo modo, quo iam explicui.

Vers. 13. ET TOLLET DE SEMINE REGNI.) Tollet Sedeciam, eumque pro nepote Ioachin, regem constituet.

FERIETQUE CUM EO FOEDUS.) Ut regnet, sed sibi sit vectigalis; quod licet in libris Regum non narretur, ex hoc tamen loco factum esse liquet.

SED ET FORTES TERRÆ TOLLET.) Principes multos tollet, vel sublatos apud se retinebit, tum in obsides, tum ut regni vires debilitet. Sic enim sustulit Ioachin cum filiis, aliisque primoribus.

Vers. 17. ET NON IN EXERCITU GRANDI, NEQUE IN POPULO MULTO, non Pharaonis, sed Chaldæorum, q. d. Non erit magnus exercitus Chaldæorum et Nabuchodonosoris, contra quem pugnabit Pharao, et tamen vincetur. *Neque* (hoc enim per hebraismum repetendum) IN IACTU AGERIS, ET IN EXTRUCTIONE VALLORUM.) Faciet Pharao prælium, ut interficiat multos Chaldæorum; sed primo congressu fugiet, cedetque tota Syria: ita Polychro. et Græci, et patet ex v. 9. illum enim hic applicat, et explicat. Alii affirmative hoc accipiunt, idque dupliciter. Primo, de Pharaone, q. d. Chald. vim non impediet Pharaonis parvus exercitus, quantumvis iaciat aggeres, et vallos exstruat. Favet Ioseph. 10. Antiq. 20. Secundo de Nabuchodonosore: unde Vatabl. vertit, *neque Pharao cum magnis istis copiis, et ingenti multitudine quidquam efficiet, dum extruitur agger, et munitio ad exscindendum animas multas*, id est, ut Maldon. cum iecerit Nabuchodonosor aggerem, nihil poterit Pharao Sedeciam adiuvare: qui sensus planus est, et congrue cum præced. et sequent. cohæret.

Vers. 18. SPREVERAT ENIM (Sedecias) IURAMENTUM.) Fidelitatis præstitum Nabuchodonosori.

ET ECCE DEDIT MANUM.) Id est, et tamen fœdus cum Nabuchodonosore data dextera inierat: q. d. Violavit fœdus data manu initum. Ita Vatabl. Secundo, et aptius, q. d. Cum sprevisset et violasset Sedecias fœdus initum cum Chaldæis, dedit manum, fœdusque aliud iniit cum Pharaone. Ita Chald. et Maldon. Vide hic quam velit Deus servari fidem etiam hosti, eique infideli, quamque perfidiam ulciscatur. Vide dicta Ieremiæ 39. in fine.

Vers. 19. IURAMENTUM.) Hebr. et Septuag. *iuramentum meum, et fœdus meum*, non quod cum Deo, sed quod nomine Dei interposito initum esset hoc fœdus.

PONAM IN CAPUT EIUS.) Ulciscar in eius capite.

Vers. 20 EXPANDAM, etc. RETE MEUM.) Puta Chaldæorum copias. De quibus cap. 12. 13.

IN PRÆVARICATIONE (Hebr. *propter prævaricationem*) QUA DESPEXIT ME.) Violando iuramentum et fœdus per nomen Dei factum et initum.

Vers. 22. SUMAM EGO DE MEDULLA CEDRI (de familia regia) DE VERTICE, id est de Ioachin, sive Iechonia rege, ramum TENERUM, id est Zorobabel nepotem (Ioachin enim genuit Salathiel, hic genuit Zorobabel) DISTRINGAM.) Sept. *auferam*: cæteris scilicet foliis et ramis, id est regibus et principibus, sublatis, unum hunc tollam et extollam (hoc enim est distringere) ut *plantem eum in monte excelso*, id est, in Ierusalem. Cedrus ergo est familia regia Davidis, vertex ramorum est Ioachin rex, surculus tener et lacteus est Zorobabel nepos Ioachin, mons excelsus est Ierusalem. Propheta hic de more tristibus læta, minis promissa et consolationes subiungit.

Nota. Perstringit obiter Zorobabel, sed sub eo magis intendit significare Christum, qui natus ex Zorobabel, vel, ut Theodor. ex medulla cedri, id est ex Davide, qui fuit vir secundum cor Dei, et quasi medulla cedrorum, id est sanctorum in Israel, regnum Ecclesiæ suæ instituit Hierosolymis. Ita Theodor. Nec enim Zorobabel rex fuit, nec sub eius umbra omnes volucres requieverunt, nisi hyperbolice. Unde paraphrasis Chaldæa, et ex ea R. Salomon sic vertunt, *accipiam ego regem Messiam, et plantabo illum super montem excelsum.*

Opponit se hic Deus Nabuchodonosori: q. d. Ille regem ex semine regio constituet Sedeciam, sed modico tempore regnabit. Perfidus enim erit, ideoque a Chaldæo excæcabitur, et regno privabitur. At Deus ex eodem Davidis semine constituet, uti promisit, regem Christum, ut regnet super Sion montem sanctum eius, puta in domo Iacob in æternum: regni enim eius non erit finis.

ET PLANTABO (tenerum hunc cedri ramum, et verticem, id est, Christum) SUPER MONTEM EXCELSUM ET EMINENTEM.) Puta in Sion, id est, Ecclesia. Septuag vertunt, *suspendam illum in monte sublimi Israel*, id est, ut Theodor. *crucifigam Christum in monte Calvariæ*, ut postea proferat fructum, et germen Christianorum immortale in toto mundo. Quod Nota contra Iudæos, qui negant Christi crucem et mortem; quia putant Messiam venturum cum pompa et fastu quasi novum Salomonem. Porro apte vertunt Septuag. Nam pro ותלול *vetalul*, id est, *et suspensum in alto*, hoc est *eminentem*, ut vertit noster; ipsi legerunt אתלול *ellol*, id est *suspendam*. Proprie enim dicitur quid, vel quis, in monte suspensus, non autem ipse mons suspensus. Adde, sola unius puncti mutatione, legi posse ותלול *vetalol*, id est, *et suspendere*, hoc est, *et suspendam*. Sæpe enim Hebræi infinitivum pro futuro usurpant, præsertim quando alia futura præcedunt, aut sequuntur, ut hic fit. Est enim Christus cedrus, quæ numquam putrescit; unde et qua homo peccare non potuit. Rursum suos, sibique fideles facit immortales. Tertio, Prado, cedrus, ait, sublimis, est Deus, qui solus habet immortalitatem. Cor cedri et medulla, est Unigenitus, qui est in sinu Patris, quem plantavit in monte excelso, id est, in utero Virginis virtutibus excelsæ, quasi in paradiso, ut ubi natus homo fructum daret pulcherrimum et præstantissimum. De cedro plura dicam cap. 31. v. 3. et sequent.

FACIET FRUCTUM.) Faciet homines fideles, sanctos et beatos. Vers. 23.

ERIT IN CEDRUM MAGNAM, id est, fiet magnus rex et dominus (cedrus enim inter arbores primatum, et quasi regnum tenet) non Zorobabel, ut patet, sed Christus; ita ut SUB UMBRA FRONDIUM EIUS, id est potestate et protectione, OMNES VOLUCRES, id est iusti, ait Chald. qui cælestia cogitant, et e terra ad cælum evolant, HABITENT.) Simile est Daniel. 4. 17. de quo ibidem plura.

Nota Primo. Cedrus arbor est perpetuo virens iunipero non absimilis, radicibus raris, per summa terræ dispersis, folio duro, acuto mucrone, capillato et spinoso; ligno contorto, nodoso; medulla rubente, odorata; baccis myrti flavis, odoratis et esculentis; novo fructu per autumnum cum anniculo pendente. Laudatissima in Creta nascitur, item in Libano, et Africa. Cedro æterna materies, cariem non sentiens. Unde *digna cedro* dicuntur, quæ merentur immortalitatem, ut consecrentur æternitati. Cedri descriptio.

Nota Secundo. Cedrus tres regni Christi dotes denotat. Nam Primo, cedrus est arbor maxime procera. In Cypro enim nascitur 130. pedes habens in longitudine; crassitudine autem ad quinum hominum complexum; hinc sublimitatem regni Christi significat. Secundo, odore fragrat; hinc celebritatem Christi et Ecclesiæ adumbrat. Tertio, incorruptibilis est; hinc notat eius æternitatem. Tres dotes cedri et Christi.

Narrat Plinius lib. 13. cap. 13. Numæ libros, cum essent chartacei, et terræ infossi, quia succo cedri erant illiti, durasse ad annos 535. Porro succus hic vim habet diversam: nam viva corpora corrumpit, mortua servat in-

corrupta: unde a nonnullis cedrus vocata est νεκρῶ ζωή, id est mortui, puta cadaveris, vita.

Vers. 24. ET SCIENT OMNIA LIGNA REGIONIS.) Id est, omnes homines, omnes gentes, quæ ex variis regionibus crediderint huic cedro, id est Christo, præsertim feræ et barbaræ: hæ enim sunt ligna, id est arbores agri, ut habent Hebræa; cum Iudæi, utpote domestici Dei, sint eius quasi arbores hortenses.

HUMILIAVI LIGNUM SUBLIME, ET SICCAVI LIGNUM VIRIDE.) Id est, deiiciam regnum Sedeciæ, qui videtur iam florere et superbire; et exaltabo lignum humile et aridum, id est regnum Iechoniæ, qui iam in Babylone captus videtur aruisse, nec habere spem prolis regnaturæ. Nam Evilmerodach Ioachin exaltavit in solium regni, 4. Reg. 25. 7. et nepos eius Zorobabel dux fuit populi redeuntis A e captivitate, et ex eo ortus est Christus, totius terræ dominus. Christo enim proprie hæc competunt, Zorobabeli hyperbolice tantum. Hoc est quod ait Isai. cap. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Iesse* (quæ iam exaruisse videtur) *et flos de radice eius ascendet.*

Moraliter S. Bernard. *Humilitas*, ait, *est receptaculum gratiæ*, scilicet, est vas in quo Deus sua dona recondit. Unde S. Chrysost. *Humilitas*, ait, *est sacrificium maximum, et sublimioris philosophiæ mater.* Et S. Greg. *Humiles dum se deiiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt.* Superbi contra, dum ascendunt, diabolum imitantur, qui angelus existens ascendere voluit in montem Dei, sed repulsus descendit diabolus. Humilitas ascendit ad Deum.

ET FECI.) Et faciam certissime.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet filios non puniri pro delictis parentum, sed pro meritis cuique vel vitam reddi, vel necem. Primo ergo docet se sublaturum vulgare hoc Iudæorum proverbium: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt; *ac pro eo contrarium sancit v. 20. dicens,* Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum. *Deinde v. 21. edicit:* Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor. *Et vicissim:* Si averterit se iustus a iustitia sua, omnes iustitiæ eius non recordabuntur. *Denique v. 30. invitat peccatores ad pœnitentiam, dicens:* Facite vobis cor novum, et spiritum novum: et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis.

1. ET factus est sermo Domini ad me dicens: 2. Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt? 3. Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel. 4. Ecce omnes animæ, meæ sunt: ut anima patris, ita et anima filii mea est: anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. 5. Et vir si fuerit iustus, et fecerit iudicium, et iustitiam, 6. In montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel; et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit: 7. Et hominem non contristaverit: pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit: panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento: 8. Ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit: ab iniquitate averterit manum suam, et iudicium verum fecerit inter virum et virum: 9. In præceptis meis ambulaverit, et iudicia mea custodierit ut faciat veritatem: hic iustus est, vita vivet, ait Dominus Deus. 10. Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, et fecerit unum de istis: 11. Et hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, et uxorem proximi sui polluentem: 12. Egenum et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, et ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem: 13. Ad usuram dantem, et amplius accipientem: numquid vivet? non vivet: cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis eius in ipso erit. 14. Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile eis: 15. Super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit: 16. Et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento: 17. A pauperis iniuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit, iudicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. 18. Pater eius quia calumniatus est, et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua. 19. Et dicitis: quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius iudicium et iustitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, et fecit illa, vivet vita. 20. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum. 21. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam: vita vivet et non morietur. 22. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, vivet. 23. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? 24. Si autem averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, numquid vivet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. 25. Et dixistis: Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel: Numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ pravæ sunt? 26. Cum enim averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur. 27. Et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit iudicium et iustitiam: ipse animam suam vivificabit. 28. Considerans enim, et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, et non morietur. 29. Et dicunt filii Israel: Non est æqua via Domini. Numquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, et non magis viæ vestræ pravæ? 30. Idcirco unumquemque iuxta vias suas iudicabo domus Israel, ait Dominus Deus. Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas. 31. Proiicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum: et quare moriemini domus Israel? 32. Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite,

Vers. 2. QUID EST QUOD INTER VOS PARABOLAM VERTITIS IN PROVERBIUM (hebr. *cur parabolizatis parabolam istam?* id est, cur crebro utimini hac parabola, seu proverbio) PATRES COMEDERUNT UVAM ACERBAM, ET DENTES FILIORUM OBSTUPESCUNT?) Syrus, *patres comederunt uvam acrem, et dentes filiorum obstupescunt*, vel congelantur: id est, ut Chald. *patres peccaverunt, et filii vapulant*. Occasio proverbii fuit, quod Prophetæ passim edicerent, Ierusalem evertendam ob peccata Manassis, sicut Israel eversus fuit ob peccata Ieroboam. Hi enim inventores, et quasi fundatores fuerunt idololatriæ Iudæorum. Ita Theodoretus.

Hinc patet, Prophetam hic, et toto capite loqui de peccatis actualibus, non de originali. In hoc enim verum est dicere: *Pater noster Adam comedit pomum acerbum, et dentes omnium filiorum obstupescunt;* et, ut ait S. Bern. tract. de gradib. humil. *Ideo nascimur morituri, quia prius morimur nascituri;* et, ut ait S. August. *prius damnati, quam nati*: quia Deus ex suo summi dominii (quod in suas creaturas habet) iure voluntatem omnium posterorum posuit in voluntate Adæ, ut quod ille faceret bene vel male, hoc posteri censerentur facere. Voluntas ergo Adæ, fuit voluntas omnium posterorum; idque fecit Deus, ut Adam esset typus, imo antitypus Christi, cuius voluntatem, satisfactionem et merita, voluit esse nostram voluntatem, satisfactionem et merita. Christus enim *factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio*, ait Apostolus 1. Corinth. 1. 30. qui et causam subdit: ut *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Unde pie S. Bernard. serm. de passione: *Electe*, ait, *puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? prorsus nihil. Ego, ego homo perditus totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine uvam acerbam comedi, et dentes tui obstupuerunt.* Porro qua sapientia, æquitate, potentia et bonitate id fecerit Deus, in hac vita perspicere et penetrare nequimus, sed fide credimus. Quocirca est hoc unum e quatuor summis et difficillimis fidei nostræ mysteriis, quæ humanum captum superant. Primum enim est mysterium SS. Trinitatis; secundum, incarnationis Verbi; tertium, Eucharistiæ; quartum, peccati originalis. Nota *obstupescunt:* nam qui uvas immaturas comedunt, ipsimet odontalgiam, id est dentium dolorem, patiuntur: qui vero comedentibus astant, et in eos intuentur, eorum dentes obstupescunt, inquit Aristot. problem. sect. 7. quæst. 5. Ita et hic queruntur filii, ex parentum gula et culpa suos dentes obstupescere. Sic ait Poeta: *Delicta parentum immeritus Romane lues.* Simile est adagium Eubuli: *Si quid cocus deliquerit, vapulat tibicen.* Et illa: *Canis peccatum sus dependit· Faber cadit cum fallonem feris: Hic peccat, ille plectitur. Quidquid delirant reges plectuntur Achivi.*

Morale. Moraliter S. Gregor. lib. 11. Moral. c. 15. *Quid*, ait, *uva acerba, nisi peccatum est? uva quippe acerba, est fructus ante tempus. Quisquis enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur uvam acerbam comedit, dentes eius obstupescunt: quia qui præsentis mundi delectatione pascitur, interni eius sensus ligantur, ut iam spiritalia mandere, id est intelligere, nequeat: quia unde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt.*

Vers. 3. VIVO EGO, DICIT DOMINUS DEUS, SI ERIT ULTRA VOBIS PARABOLA HÆC IN PROVERBIUM.) Vatabl. *non erit ultra qui utatur ista parabola*. q. d. Iuro per vitam meam, quod efficiam ut ulterius non utamini ista parabola: quia scilicet reipsa contrarium ostendam. Aliter Prado: censet enim hæc verba non esse asseverantis, sed comminantis. q. d. Iuro per vitam, quod, si ulterius utamini hoc proverbio, ego severe vos puniam. Hoc enim intelligitur in isto *si* execratorio, quod tamen boni ominis et euphemismi causa subticent Hebræi. Hic sensus planus est, sed prior planior.

Vers. 4 OMNES ANIMÆ, MEÆ SUNT.) Ratione creationis, et infusionis earumdem, ait Vatabl. q. d. Omnes animæ a me creatæ, et corpori infusæ sunt; ergo ob peccata patris, non peribit morte æterna filius. Secundo, et melius, omnes animæ, id est, omnes homines mei sunt. q. d. Ne quis putet me grassari in filios, quod parentes punire non possim, uti subinde homines debiles et infirmi faciunt: ecce edico quod omnes sciunt: *Omnes animæ meæ sunt*. q. d. Ego omnium hominum, tam parentum quam filiorum, tam maiorum quam minorum æque sum creator, dominus et iudex: ego in omnes vitæ et necis habeo imperium: ego sum, qui, quos lubet, mortifico et vivifico: ac proinde æquam pro meritis (sum enim æquissimus iuxta ac potentissimus) cuique dabo sententiam et sortem temporalis vitæ, vel mortis. Ita Polychron. De temporali enim ad literam loqui hic Prophetam patet ex sequent. *Anima*, id est homo, *quæ peccaverit, ipsa morietur*. Respondet enim Iudæis, qui falso querebantur se plecti, et morte aliisque cladibus puniri ob peccata, non sua, sed parentum. Licet inde argumento ducto a minori ad maius, id verius sit in pœna æterna.

FECERIT IUDICIUM.) Iudex facit iudicium, cum damnat reos; iustitiam, cum innocentes absolvit, et vindicat. Privatus quisque facit iudicium, si nulli faciat malum; iustitiam, si benefaciat, et bona opera accumulet. Ita hic capitur, privato enim cuilibet hæc dicuntur. Ita Prado. Vers. 5.

Notat S. Hieron. hic texi catalogum, et quasi gradus septemdecim virtutum: *prima*, inquit, *est, fecisse iudicium; secunda, iudicio copulasse iustitiam; tertia, non comedisse in montibus; quarta, oculos non levasse ad idola; quinta, uxorem proximi non violasse; sexta, menstruatæ uxoris vitasse complexus; septima, hominem non contristasse; octava, pignus debitori reddidisse; nona, per vim nihil rapuisse; decima, panem suum esurienti dedisse; undecima, nudum operuisse vestimento; duodecima, ad usuram pecuniam non dedisse; decimatertia, nihil ex his, quæ dederis, amplius accepisse; decimaquarta, ab iniquitate avertis e manum suam; decimaquinta, iudicium verum fecisse inter virum et virum; decimasexta, in præceptis Domini ambulasse; decimaseptima, iudicia et iustificationes illius custodisse.*

IN MONTIBUS.) Id est, in excelsis idolorum non comederit idolothyta. Solebant enim idolis immolantes ex victimis a se immolatis comedere, ut essent participes sacrificii. Eratque comestio hæc consummatio idololatriæ. Ita S. Hieron. Vers. 6.

OCULOS SUOS NON LEVAVERIT.) Id est, non adoraverit, non obsecraverit. Hic enim est gestus orantium, ut oculos ad Deum attollant, psal. 122. 3. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

IDOLA.) Hebr. גלולים *ghillulim*, id est *volutationes*, id est, stercora convoluta. Ita vocantur idola, ob turpitudinem. Septuag. vertunt, *cogitationes*, id est, dii ab eis excogitati. Hæ enim sunt mentis eorum volutationes: assidue enim deos suos mente revolvunt, novosque ritus et modos eos placandi excogitant.

AD MULIEREM MENSTRUATAM NON ACCESSERIT.) Quia, ut S. Hieron. ex hoc congressu subinde nascuntur leprosi et vitiosi; et, ut Xistus Pythagoricus dixit: *Adulter est uxoris amator ardentior.* Talis autem est, qui ea tempore indebito utitur. Vide dicta Levit. 20. 18.

HOMINEM NON CONTRISTAVERIT.) Non læserit; Sept. *non oppresserit.* Vers. 7

PIGNUS DEBITORI REDDIDERIT.) Scilicet, qui pauper sit. Huic enim ex charitate pignus reddi iubet lex, Exodi 22. 26. Est ergo iniquitas, uti summo iure, dum per hoc charitas violatur: unde de tali ait Deus: *Si clamaverit ad me* (pauper a quo pignus repetis) *exaudiam eum*, teque rigidum exactorem puniam: *quia misericors sum*, Exod. 22. 26.

PANEM SUUM ESURIENTI DEDERIT.) Nota. Hic Propheta commendat duo misericordiæ opera, quæ mire et peccatori, et iusto gratiam Dei conciliant. Primum est pascere esurientem. Huic impense se addixerunt fideles olim, et Sancti. Moral. de eleemosyna et pastu pauperum.

S. Exuperius, inquit S. Hieron. epist. ad Rusticum monachum, *Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator,*

esuriens pascit alios, et ore pallente ieiuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.

S. Dominicus adhuc iuvenis, in communi fame Hispaniæ distraxit libros, et omnes res suas, pretiumque in pauperes expendit.

Idem in fame Burgundiæ fecit Ecdicius senator, qui ad quatuor millia pauperum assidue aluit. Unde vox ad eum de cælo lapsa est: *Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi, et semini tuo panis non deerit in sempiternum; eo quod obedieris verbis meis, et famem meam refectione pauperum satiaveris.* Ita Gregor. Turon. l. 2. histor. Franc. c. 24.

S. Iudocus, Britonum regis filius, panem unicum quem habebat ad victum quotidianum distribuit pauperibus, dicens: *Deus nobis providebit.* Et ecce per fenestram visæ et inventæ sunt in alveo fluminis quatuor naviculæ victualibus onustæ, de quibus, quis eas adduxerit, vel quo, iam victualibus exoneratas reduxerit, nescitur usque hodie, ait Florentius Abbas in eius vita.

Leo primus Imper. cum adhuc privatus viveret, in itinere cæco cuidam sitienti dux viæ fuit, et potum quæsivit, cumque diu quærens non inveniret, B. Maria virgo voce cælitus lapsa aquam ei in luco demonstravit, promisitque quod luto oculis cæci illito cum illuminaret, ac tandem Imperium ei promisit. Omnia hæc reipsa ei evenerunt. Ita historia Ecclesiast. et ex ea Baron. anno Christi 457.

Cum S. Heimerammus Episcopus Ratispon. in tormentis gravissimis esset, et carnifices videntes eum ita cruciari, nec tamen a laudibus cessare, invidentes linguam ei præciderunt, itaque corporis trunco relicto abierunt. Venerunt ad eum Clerici, et Vitalis Presbyter, vir pius, a quo poposcit aquam: qui respondit; *Quid vis refocillari, cum sis membris corporis destitutus? Mors tibi potius optanda est, quam vita.* Cui Episcopus sine lingua loquens, hanc pœnam inflixit, dicens: *Quoties potum ori tuo applicueris, mentis inops fias; nec tamen cuiquam noceas, sed inobedientiæ exemplum de te præbeas.* Dixit hoc vir sanctus, et ut dixit ita factum est. Ita Cyrinus Episcopus in eius vita.

S. Willebrordo poscente pabulum et potum a divite, cum ille renuens abiret, ardenti siti percussus est, quam extinguere toto anno non potuit, donec post annum redeunte S. Willebrordo, veniam ab eo petens impetravit. Nam Sanctus dedit illi cum benedictione de calice suo bibere, itaque absolutus et sanatus est. Ita Albinus Flaccus in eius vita.

Illustrius est exemplum puellæ Alexandrinæ Gentilis, quod refert Sophronius in Prato Spirit. cap. 207. Hæc quemdam ob debita parantem sibi laqueum, et debito et morte liberavit, omnes suas opes elargiens. Unde cœpit ipsa egere, ita ut ad victum comparandum corpus prostitueret. Incidit in morbum, quo in se reversa, facti pœnitens petiit baptismum. Repulit eam sacerdos nisi sponsorem, quod deinceps caste viveret, adduceret. Cum neminem reperiret, qui spondere vellet, obtulerunt se angeli specie aulicorum quorumdam, dicentes se spondere pro illa, itaque baptizata est: postea rogati de ea aulici illi, negarunt se eam nosse, aut vidisse. Unde cognitum est fuisse angelos. Illa rogata ab Episcopo, vitam suam et eleemosynam narravit, moxque obdormivit in Domino, dicente Episcopo: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.*

Anno Domini 1123. asperrima fuit hiems, unde secuta est ingens fames, in qua Caroli Comitis Flandriæ mira fuit liberalitas. Nam quotidie omni panem petenti integrum dari præcepit; ita ut semel apud Ipras, una hora octingenti pauperes totidem panes acciperent. Præterea consuetudo illi fuit, omnibus feriis sextis tredecim pauperibus tredecim tunicas, totidem paria calceorum, totidem subuculas lineas elargiri. Ipse vero iisdem feriis (nisi præcipuum festum incidisset) in pane et aqua ieiunabat,

A Indutus cilicio nudis pedibus, tunica talari, ne facile pedum nuditas videretur, ad ecclesiam mane properabat: Illic ad meridiem usque devotioni deditus permanebat. Interim ex principibus eius duo, Præpositus S. Donatiani, et Præpositus Aulæ emerunt maximam frumenti copiam, ut venderent ad libitum suum: sed Carolus fecit illis reddi pecuniam: frumentum vero distribuit indigentibus aliis gratis, aliis competenti pretio. Quod dicti mercatores ægre tulerunt, et ex illa die in mortem domini conspiraverunt. Itaque die secunda Martii, feria sexta, in templo S. Donatiani, post altare legentem psalmum *miserere*, necaverunt ipsum, fisso capite, et amputato brachio dextro. Cuius pretiosa mors illico miraculis declarata est. Ita Christianus Massæus libr. 18. Chronicorum, et Iacobus Meyerus l. 9. Annal. Flandric. anno Domini 1126.

Eximium est quod scribit Martin. Cromerus lib. 2. de rebus Polonorum, Popielo principi Polonorum, ob crudelitatem et stragem suorum, a muribus e cadaveribus enatorum occiso, successisse Piastum hominem simplicem,
B qui agello modico colendo et mellificio vitam sustentabat, eo quod in egenos beneficus esset, et in peregrinos hospitalis. Cum enim duos habitu peregrino (angeli fuisse putantur, vel SS. Ioannes et Paulus Martyres, quos Iulianus Apostata ob opes in pauperes expensas, et ob Christi fidem necavit) regia exclusos, hilariter domum receptos laute pro modulo suo tractasset; accrevit ei porcina, redundavit ex vase mulsa, adeo ut principem cum toto comitatu penuria laborantem, rerum copia refecerit. Quo miraculo vulgato, una voce omnes Piastum divino indicio principem sibi dari conclamarunt, invitumque rusticano centone vestitum in regiam protractum, principatui inaugurarunt.

ET NUDUM OPERUIT VESTIMENTO.) Alterum hoc est misericordiæ opus Dei gratiam concilians, ideoque a priscis frequentatum, uti a Tobia c. 1. v. 20. a S. Iob. c. 31. 19. et 20. Ita S. Martinus Ambiani pauperi, cum nihil aliud haberet, dimidiam chlamydem suam dedit. Nocte *Moral. de vestiendis nudis.*
C sequente vidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitum, qui ad angelorum multitudinem dicebat: *Martinus adhuc catechumenus, hac me veste contexit.* Testis est Sulpitius in eius vita.

Ita S. Marcianus unica veste interiore, qua erat indutus, vestivit pauperem, uti refert ex eius vita, Baron. anno Christi 459.

Ita S. Martyrius pallio suo involvens leprosum, et asportans admirabili miraculo deprehendit se Christum texisse, et portasse. Christus enim in cælum ascendens, dixit: *Martyri tu non erubuisti me super terram, ego te non erubescam super cælos.* Ita refert S. Gregorius hom. 30. in Evang.

S. Franciscus adhuc sæcularis, vestiens militem pauperem, vidit nocte sequente palatium speciosum et augustum, cumque rogaret cuius essent illa omnia, audivit: *Tua erunt, tuorumque militum.* Ita S. Bonav. in eius vita.

S. Elisabetha, Hungariæ regis filia, pauperi donans suum pallium, cum maritus illud ab ea requireret, ipsa
D illud ipsum ei in pertica miraculose restitutum ostendit, uti refert Iacobus Spirensis in eius vita.

Audi miram S. Catharinæ Senensis liberalitatem, pariter et remunerationem, quam refert Raymundus in eius vita. Illi enim ex templo domum redire volenti, Christus occurrit in forma iuvenis ac peregrini, triginta plus minus annorum, petivitque ab ea vestem. Illa rediens ad sacellum, unde descenderat, tunicam non manicatam, quam sub extima veste propter frigus habebat, sibi caute detraxit, pauperique tribuit, nesciens esse Christum. Et ille etiam lineum vestimentum petiit. Tum illa iubet illum se sequi ad ædes suas: ubi ei subuculam et subligaculum dedit. Verum non destitit ille plura mendicare, ut probaret eius animum. *Quid*, inquit, *faciam hac tunica, quæ manicis caret? Quæso etiam mihi manicas largiaris.* Illa perlustrat domum, et ecce vidit a pertica suspensam novam ancillæ tunicam: ab eaque manicas au-

ferens dat pauperi. Rursus ille etiam socium in domo hospitali se habere dicit, valde indigentem vestibus. Tum vero S. virgo nihil prorsus sibi superesse videns, quod daret præter tunicam, qua erat induta, quam non sinebat virgineus pudor et honestas ut sibi detraheret, ne nuda cogeretur cum multorum offendiculo incedere, dixit pauperi : *Revera charissime, si possem ullo pacto, libenter aliquid præstarem socio tuo.* Ille vero subridens : *Video*, inquit, *promptum animum tuum : sed iam bene vale.* Etsi autem S. virgo, illo recedente, ex quibusdam signis coniecit Dominum Iesum esse: tamen, quia tanta gratia se indignissimam putabat, ad consueta se recepit exercitia sua. Sed nocte sequenti Dominus ei oranti manifeste se visendum præbuit, in illius pauperis effigie, in manu tenens tunicam, quam ipsi virgo dederat, margaritis iam et coruscantibus gemmis conspicuam, aitque se illi daturum vestem invisibilem, quæ ab ea arceret omne noxium utriusque hominis frigus. Quod certe etiam reipsa præstitit, adeo, ut ex eo tempore, iisdem hieme, quibus æstate contenta fuerit vestibus: immo nec hiemis intemperiem unquam senserit. Simul autem etiam Dominus, cum hanc tunicam illi ostenderet, talia promissa ei fecit, unde certo illi constare posset, ipsam in cælis excellenti gloria sine fine perfruituram.

Audiant divites, audiant principes auream Agapiti Pontif. sanctimonia clari sententiam in epist. paræn. ad Iustinianum Imper. *Vestimentum non veterascens, est beneficentiæ amictus, et incorrupta stola est misericordia erga pauperes. Eum igitur oportet qui pie regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare. Amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cælestis quoque regni compos efficitur.*

Vers. 8. Amplius (hebr. *superabundanter*, id est aliquid supra sortem, vel capitale) non acceperit.) Nota. Deus inter alia crimina etiam usuræ, et usurariis mortem intentat, idque iuste. Nam, ut ait S. Ambros. libr. de Tobia c. 10. *Nihil interest inter funus et fœnus, nihil inter mortem distat et sortem.* Et Cato rogatus, *Quid esset fœnerari? Est*, inquit, *hominem occidere.* Quocirca S. Ambros. libro citato cap. 12. usuram comparat echidnæ, sive viperæ. *Echidna*, ait, *quædam est fœneratoris pecunia, quæ tanta mala parturit. Echidna tamen fœcunda pœnis viscera trahens, partu suo rumpitur, et morte materna docet sobolem non esse degenerem in matrem. Illam morsibus suis scindit. Illic ubi nascitur venenum, primum probatur. Pecunia autem fœneratoris omnia mala sua concipit, parit, nutrit, atque ipsa magis in sobole sua crescit, tristi prole numerosior.* Et inferius: *Ibi ergo dolores, ut parturientis. Unde etiam τόκους Græci appellaverunt usuras, eo quod dolores partus, animæ debitoris excitare videantur.* Plura de usura dixi Deuter. 23. 19.

Fœnus est funus, et sors mors.

Vers 9. In præceptis meis ambulaverit, et iudicia mea custodierit.) Idem per epexegesin aliis verbis inculcat. Idem enim in re sunt iudicia, et præcepta; sed connotato distincta, ut patet etyma intuenti. Alii per *præcepta*, accipiunt affirmativa, per *iudicia* negativa; intellige gravia, et obligantia sub peccato mortali. Nam, ut sapienter ait S. Augustinus in sententiis: *Sicut non impediunt ab æterna vita iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt aliqua bona opera impio, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur.*

Ut faciat veritatem.) Id est, officium, vel debitum virtutis. Sicut enim veritas in dictis, est adæquatio dicti ad id, quod est in mente: sic veritas in factis, est adæquatio operis ad id, quod dictat lex, ratio aut fides agendum esse.

Vita vivet.) Vitam vivet felicem, scilicet temporalem: et secundo, vitam gratiæ et gloriæ in cælo vivet iustus et beatus. Nam vita vivere, Hebræis est iucunde, feliciter, ad voluntatem et voluptatem vivere.

Vers. 13. Morte morietur.) Infelici morte rapietur, non ei scelerato proderit patria virtus. Ita Prado.

A Sanguis eius in ipso erit.) Luet sanguine, id est morte, quam sibi conflavit; ipse sibi causa erit mortis. Sic c. 33. 4. dicitur: *Sanguis ipsius super caput eius erit.* Aliter Chald. q. d. Reus erit mortis. Aliter quoque Maldon. q. d. Pœnas persolvet sanguinum, id est homicidiorum, quæ perpetravit: sicut aliorum sanguinem fudit, ita sanguis eius fundetur.

Si genuerit, latro iam dictus v. 10. et sequentibus, filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile eis, etc. Hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet.) Sic Achaz, Manasses, Amon, reges impii male perierunt: horum vero pii filii, scilicet Ezechias et Iosias, vixerunt felices et gloriosi. Ita Theodor. Vers. 14. et 17.

Dices Exodi 20. 5. dicitur: *Ego Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* Rursum 2. Reg. 24. ob peccatum David cæsa sunt 70. millia populi. Ob peccata Dathan, Abiron, et Sodomitarum tota familia et gens cum parvulis innocentibus B est deleta. Sic in Madian Deus omnes etiam parvulos occidi iussit, Numer. 31. 17. Sic in Iericho iussit Iosue omnes etiam infantes occidi, Iosue 6. 17. et 21. Ergo Deus peccata parentum punit in filiis.

An et quando Deus puniat peccata patrum in filiis? Resp.

I. Respondet S. Augustin. epist. 75. filios ob peccata parentum puniri pœna corporis, quod a parente acceperunt, non pœnis animæ, id est spiritualibus. Verum Ezechiel æque ac Moses, loquitur proprie de pœnis corporis, ut dixi.

II. Secundo, S. August. Enchiridii 46. S. Leo epistol. 84. et S. Gregor. 15. Moral. 22. hæc explicant de peccato actuali, quod opponitur originali. Peccatum, inquiunt, originale trahimus a parentibus; quia unum cum illis sumus: sed ab eo liberati per baptismum, iam non parentum culpas, sed quas ipsi committimus, habemus. Verum Ezechiel, uti et Moses, loquitur de pœna, non culpa; pœna, inquam, temporali non peccati originalis, sed actualium, quæ Iudæi post circumcisionem, et deletum per eam peccatum originale, commiserant.

C Tertio, S. August. l. 6. quæst. veter. testam. cap. 8. et S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 8. respondent: Deum flagellare filios, etiam bonos, malorum parentum, ut hæc flagella sint pœna parentum, et medicina præservativa filiorum. Idem docet Plutarchus lib. de sera numinis vindicta. Hoc refellit Prado: quia hæc filiorum medicina est, non pœna. III.

Quarto, Maldon. respondet hanc generalem Prophetæ sententiam intelligendam esse, non generaliter de omnibus personis, et de omni tempore; sed accommodate ad id, de quo agitur. Agitur autem hic de pœnis, quas Iudæi ob peccata Manassis se luere querebantur: quibus respondet Deus fore, ut non amplius ob peccata Manassis puniantur: sive, quia ob ea iam sat pœnarum dederant; sive, quia ipsi satis peccatorum habebant, ut merito de illis gravissimas pœnas Deus sumeret. Verum verba Prophetæ generalia generalem esse sententiam evincunt, esto, occasio eius fuerit particulare scelus Manassis. IV.

Resp. ergo, Prophetam loqui de adultis filiis piis, qui impiorum parentum peccata detestantur; Mosen vero loqui de impiorum patrum impiis filiis, qui peccata parentum imitantur: in his enim peccata parentum punit Deus. Tunc enim parens et in se punitur, et in filio: ac filius punitur ob peccatum patris, non quatenus est peccatum patris; sed quatenus illud imitatus est, et sibi proprium effecit. Verum tamen est, quod non puniretur ita cito et graviter filius, nisi peccata patris præcessissent: quia gravius peccat, eo quod maiorum scelera imitans, ea approbet, et complacendo participet, ideoque impudentior sit et pervicacior, dum iisdem sua addit et adiicit ut faciat cumulum. Ita S. Hieron. Vide dicta Exodi 20. v. 5. Dico, de adultis; quia parvulos pœna mortis temporalis subinde punit Deus, et communi parentum cladi involvit, ut patet in Sodomis, in Iericho, in Chanaan, in Madianitis, in Davide. Ratio est, quia parvuli sunt quasi unum adhuc cum parente, eiusque quasi pars et possessio. Unde parvuli insontis morte gravius cruciatur parens, sceleris V. D Et verius.

sui conscius. Ipsis autem parvulis hac morte bene fit; quia si peccato originali expiati sunt, salvantur, et periculis damnationis eripiuntur. Sin in eo sunt, uti fuerunt Sodomitarum parvuli, præstat cum eo solo mori, quam cum multis et infandis actualibus, in quæ incidissent certo, si vixissent. In adultis ergo filiis impiis impiorum parentum, verum est illud Exodi dictum: adulti enim filii a parentibus discunt et imbibunt mores sceleratos, ob quos tam ipsi, quam parentes in ipsis puniuntur. Simile est proverbium: *Mali corvi malum ovum.* Cuius origo hæc a nonnullis refertur: Corax quidam primus Syracusis, post mortem Hieronis, instituit artem rethoricen mercede profiteri. Cum hoc adolescens quidam Tisias hac lege pactus est, ut tum demum mercedem persolveret, ubi artem perdidicisset. Dein ubi iam arte cognita præmium reddere cunctaretur, Corax in ius discipulum vocat. Ibi iuvenis huiusmodi dilemma proponit. Percunctanti quis esset rethorices finis, ubi Corax respondisset: Persuadere dicendo: *Age*, inquit, *si persuadeo iudicibus, me nihil debere, non reddam, quia vici causam: sin minus persuadeo, non reddam, quia non perdidici artem.* At Corax dilemma quasi ἀντιςρεφον in discipulum retorsit: *Imo*, inquit, *si persuades, dabis, quia tenes artem, et debes ex pacto: sin minus, dabis, quia sententiis iudicum damnatus.* Quod commentum tam vafrum adolescentis audientes iudices succlamarunt: κακȣ κορακος κακον ωον, mali corvi malum ovum. Corax enim græce corvum significat. Ita legitur in Prolegomenis in Hermogenis rethoricam. Simile prorsus de Protagora Sophista, et eius discipulo Evathlo, narrat Gellius l. 5. c. 10.

Vers. 17. IN INIQUITATE, id est, propter iniquitatem, PATRIS SUI.

Vers. 18. ECCE MORTUUS EST, ecce morietur, IN INIQUITATE SUA.) Propter iniquitatem suam.

Vers. 20. ANIMA QUÆ PECCAVERIT, IPSA MORIETUR.) Hinc infert S. August. tract. 3. in Apocal. tom. 9. *Multi*, ait, *in corporibus vivis animas mortuas portare noscuntur.* Sicut enim anima est vita corporis: ita animæ vita est Deus, et Dei gratia: hanc ergo per peccatum amittens anima, recte mori dicitur. Secundo, et simplicius, *anima*, id est homo, qui peccaverit, ipse morietur, morte tum temporali (quam maxime timebant Iudæi) tum spiritali, et æterna. Quid est ergo peccatum? Est mors animæ immortalis: est ergo mors viva, mors æterna; quia est mors animæ semper viventis, et æternæ. Eius ergo mors immortalis est peccatum.

IUSTITIA IUSTI SUPER EUM ERIT.) q. d. Iustus referet mercedem iustitiæ suæ, scilicet vitam; et impius impietatis suæ pœnas, scilicet mortem. Hinc liquet, nos formaliter esse iustos per iustitiam, non Christi nobis imputatam, ut volunt hæretici, sed per propriam et inhærentem, quam Deus ob Christi merita animæ infundit. Rursum, nos tam vere et proprie cum gratia Dei bene operando præmia mereri, quam sine illa male operando pœnas et mortem meremur. De utroque enim eodem modo loquitur hic Propheta.

Moral. hinc disce illud S. Clementis lib. 2. Const. Apost. cap. 14. *Non esse vitandam communitatem sermonis cum delinquentibus, sed actionis:* hæc enim contaminat, non illa.

Vers. 21. SI AUTEM IMPIUS EGERIT POENITENTIAM.) Si corde conteratur, si serio doleat et pœniteat, mutetque vitam. Unde hebr. est, *cum discesserit ab omnibus peccatis suis, et custodierit omnia præcepta*, id est, proposuerit custodire omnia, esto necdum actu custodiat: neque enim uno die aut hora servari possunt omnia mandata; neque tamen expectanda est remissio peccatorum ad longum tempus, cum Ezech. c. 33. 12. asserat, peccatorem quacumque die conversus fuerit, indulgentiam habiturum. Hæc ergo ad votum et propositum custodiendi mandata, quod includit pœnitentis contritio, referenda videntur. Hebræorum enim vera sæpe actum non perfectum, sed inchoatum, puta propositum, destinationem, conatum significant. Sic Paulus ait: *Gratiam, quæ data est* (id est dari decreta sive prædestinata) *nobis ante tempora secularia*, 2. Tim. 1. v. 9. Hic ergo pœnitens *in iustitia sua, quam operatus est*, id est, quam operari cœpit, et deinceps se operaturum firmiter proposuit, *vivet.* Ita D. Bellarm. libr. 2. de pœnit. c. 6. qui hinc probat, requiri ordinarie formale propositum emendationis ad veram contritionem: nec sufficere virtuale. E contrario Andreas Vega libr. 13. in Trident. cap. 21. dicens sufficere virtuale, sic explicat, q. d. Post iustificationem per pœnitentiam adeptam, in ea permanendum est, per custodiam omnium præceptorum deinceps. Verum, quia Propheta hoc requirit quasi conditionem et dispositionem ante remissionem peccatorum, ut Deus eorum non recordetur, utque peccator vita vivat: hinc prior expositio verior est, quam sequuntur Caietan. Soto. Navar. Gerson, Ruard. et alii, quos citat et sequitur Franciscus Suarez tractat. de Pœnitent. qu. 85. art. 1. disput. 4. sect. 3.

VITA VIVET.) Certo vivet tum vita temporali, tum spiritali et æterna. Vide dicta v. 4.

OMNIUM INIQUITATUM EIUS, etc. NON RECORDABOR.) Adeo, ait S. Hier. *peccata patrum in filios non redundant, ut si ipse idem impius pœniteat, Deus dicat, Non recordabor peccatorum eius.* Nota vim pœnitentiæ, quæ peccatum non tantum ex conscientia, sed et e Dei memoria delet, Dei, inquam, qui læsus est. Nam alias de hominibus vulgo dicitur: Vers. 22. Pœnitentia delet peccatum e memoria Dei.

Pulvere qui lædit scribit, sed marmore læsus.

Hebr. est: *non recordabuntur illi*, id est, non imputabuntur ei ad culpam, et pœnam, id est, condonabuntur et abolebuntur ut amplius non sint.

Hinc ergo patet contritionem perfectam, quæ absolute omnia peccata admissa, quasi summa mala, detestatur ex amore Dei super omnia, cum serio et absoluto proposito ea, omniaque alia deinceps cavendi, abolere peccata omnia, et adducere gratiam iustificantem. Est enim ipsa ad eam ultima dispositio: quocirca hæc contritio vocatur, et reipsa est *charitate formata.* Porro sicut hoc in veteri testamento (ubi Sacramenta ex opere operato iustificantia, aliaque iustitiæ remedia non habebant) verum fuit: ita et est in novo. Est enim hoc quasi connaturale veræ contritioni. Deus autem naturam et ordinem rerum non mutat, sed perficit. Ita docent Patres et Scholastici omnes 3. p. in materia de pœnitent. immo Conc. Trident. sess. 14. cap. 4. Contritio iustificat quasi ultima dispositio ad iustitiam.

Ex hoc loco Purgatorium impugnat Petrus Martyr. Si Deus, inquit, post pœnitentiam et contritionem non recordatur peccatorum: ergo ea non punit pœna temporali in hac vita, aut futura. Resp. negando consequentiam. Nam sensus huius loci est: *iniquitatum non recordabor*, supple, quasi manens infensus, et hostis qui recordatur iniuriæ ab hoste acceptæ, ut eam vindicet; sic enim Deus ante pœnitentiam recordabatur peccati: post eam vero iam reconciliatus, non recordatur: q. d. Ego iam depono iniuriæ memoriam ac inimicitiam, quam hactenus cum eo qui peccavit, in mente gessi et servavi; iam eum in gratiam et amicitiam recipio et restituo, ac proinde vita vivet, et non morietur; q. d. Non puniam eum morte, uti ante decreveram, sed vita tum præsenti (Iudæos, qui hanc maxime spectabant et optabant) tum æterna vere pœnitentes, mihi reconciliatos donabo, in eaque conservabo: ita tamen, ut pœna aliqua temporali, vel hic, vel in Purgatorio luant et expient, non quasi hostes, sed quasi amici et filii, qui nuper me offenderunt, delectationem, quam in peccato, et mei offensa hauserunt. Alioquin enim constat, Deum speculative recordari peccatorum uti, et rerum cæterarum omnium, quæ præteritæ sunt: ergo hæc sententia non omnino absolute sed determinate ad præsentem materiam accipienda et limitanda est. Nam ex adverso de iusto dicitur, quod si peccet, *omnes iustitiæ eius non recordabuntur*, scilicet ita, ut propter eas maneat iustus et amicus, vitaque donetur præsenti et æterna. Constat enim, quod Deus eorum, imo illorum qui semper fuerunt impii, bona opera subinde mercede aliqua temporali Obiic. hic everti Purgatorium. Resp.

remuneretur: idque diserte docet S. Chrysostom. hom. 67. ad populum, Hieron. in caput 29. Ezech. August. l. 5. de Civitate c. 15.

Vers. 23. NUMQUID VOLUNTATIS MEÆ EST MORS IMPII?) Numquid antecedenter, et ex meipso volo, ac delector morte impii? Absit hoc a divina bonitate et clementia. Apage ergo Calvine, qui blasphemas, Deum damnandos creasse ad suam damnationem, et mortem æternam: fatum hoc non Christianum, non Stoicum, sed tyrannicum, sed diabolicum est.

Vers. 24 OMNES IUSTITIÆ EIUS QUAS FECERAT, NON RECORDABUNTUR.) Ut eum coram Deo faciant iustum, gratum, vitaque dignum, non morte. Vide dicta v. 22.

Vers. 25. ET DIXISTIS, NON EST ÆQUA VIA DOMINI.) Vere S. August. in sententiis tomo 3. sent. 177. *Sicut*, ait, *palato non sano pœna est cibus, qui sano suavis est; et oculis ægris odiosa lux, qua incolumis gaudet obtutus: ita displicet iniquis iustitia Dei, cui si subiicerentur, non conturbarentur.*

NUMQUID VIA MEA NON EST ÆQUA? etc. CUM ENIM AVERTERIT SE IUSTUS.) Nota. Deus calumniantibus suam iustitiam, respondet illud idem quod calumniabantur, quasi hoc argumento eos convincens: quia videlicet prima principia causam et demonstrationem non habent, sed seipsis nituntur, et intelliguntur cognitione et inculcatione terminorum. Sic divina veritas sibi nititur, et divina æquitas iustitiæ suæ nullam præter seipsam rationem habet: sed res ipsa clamat, eam esse iustissimam. Ita Polychron. Theodor. Prado, et alii. Sic Cicero crimen parricidæ exaggerans ait: *Matrem tuam occidisti. Quid dicam amplius? matrem tuam occidisti.* Quia gravius non habebat, quod adderet.

Vers. 26. MORIETUR IN EIS.) Pro eis, propter eas scilicet iniquitates. Aliter Theod. et Polychr. q. d. Qui obduratus est in peccatis et impœnitens, morietur in eis, ac consequenter ibit ad mortem æternam.

Vers. 27. VIVIFICABIT.) Septuag. *custodiet et servabit in vita.*

Vers. 30. ET NON ERIT VOBIS IN RUINAM INIQUITAS.) Peccatum non erit vobis causa ruinæ et mortis.

Vers. 31. COR NOVUM.) Novam voluntatem, spiritum novum, novum affectum, ardorem, ut ab idolis ad me, a vitiis ad virtutes transeatis. Notat libertatem arbitrii, qua cum gratia Dei possumus nobis facere cor novum.

QUARE MORIEMINI.) Id est, ut Vatablus, cur negligentia vestra et impœnitentia committeretis ut moreremini? Atque ut Maldon. Si hoc feceritis, nihil causæ erit cur moriamini. Non enim voluntatis meæ est mors vestra, ut dixi v. 23. Peccatum solum vobis est causa mortis, quare moriemini? cur sponte vestra mori vultis? cur non arripitis salutem, quam vobis offero?

Pia Dei invitatio ad pœnitentiam. Præclare et efficaciter noster Prado verba Prophetæ urget, et exhaurit: Si ego, inquit, qui supremus iudex sum, in vestram partem inclino, et sententiam damnationis ferre omnibus modis recuso; si ego ipse, qui actor sum,

A vel a vobis lacessitus, vindictam non expeto, sed sponte noxam condono, si sani estis, neque vitam propriam despicitis, *et quare moriemini domus Israel?* cum pro actore habeatis advocatum, et pro iudice patronum? Moriemur quia lex ministra mortis transgressores damnat. Sed ego pœnitentes absolvo: *Quare* igitur *moriemini?* Quia patres nostri peccaverunt, nos morimur. At vivo ego, quia filii non portabunt iniquitatem patrum. *Et quare moriemini domus Israel?* Quia fecimus pactum cum morte, et fœdus cum inferno. Sed in vestra potestate est, dissolvere fœdus percussum: revertimini, et vivite. *Quare moriemini domus Israel?* Quia lege membrorum gravati in mortis barathrum deiicimur. Sed fas est, si lubet, facere vobis cor novum. *Et quare moriemini?* Quia arduum est ad vitam conari per legis custodiam. Atqui facile est vobis comparare spiritum et animum novum, quo ad cælestem vitam rapiamini. *Quare moriemini* filii *Israel?* Quia iam neci traditi sumus a divina iustitia. At

B ego, qui nolo mortem morientis, ab ipsis faucibus mortis etiam devoratos eripiam. *Quare*, igitur *moriemini?* Quia Dominus oblitus est nostri ob peccata regum nostrorum, Achaz et Manassis, ideo morimur. Sed oblivisci non possum Abraham, Isaac, Israel et Davidis obsequia: eorum memor, vobis, o domus Israel, misericordiam exhibebo et clementiam. *Et quare moriemini?* Quia divinæ potentiæ obsistere non valemus, quæ nos Babyloniis venumdedit. At licet vobis, si ad misericordiam confugiatis, contra Deum fortes esse, quod olim Israelem patrem vestrum fecisse non ignoratis. *Quare* ergo *moriemini?* Illud unum est, quod vos accusat, quod deprimit, quod damnat, et morti adiudicat, nimirum quod resipiscere non vultis; quia quid sit vivere necdum nostis. Sed ego vel phrenesi tam periculosa laborantes non desinam admonere, et ad saniora consilia cohortari: *Quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis*, etc. *revertimini, et vivite.*

C Narrat Plutarch. olim Milesias virgines furore actas, solitas sibi mortem consciscere, cum nihil haberent causæ, nisi *volo mori*. Dumque nec minis, nec promissis ab hac re averti possent, sapientem quemdam hoc consilium dedisse, ut quotquot se enecassent, publice nudæ suspenderentur. Infamia hæc virgines a sui cæde compescuit. Ita facit peccator: nam quasi furens in suam necem ruit, sibi ipsi mortem consciscit, eamque æternam. An non hæc amentia? an non furor? damnati iam suum furorem, suum errorem vident et dolent. *Sed sero sapiunt Phryges.* Iuste ergo hic vermis conscientiæ iugiter rodit eos. Cur stolidissime viventium, hanc tibi miseriam æternam sponte ascivisti? cur te in æternitatem incendiorum ultro coniecisti? Nemo te compulit: diabolus non coegit, sed invitavit. Tu tibi imputa tuam sortem: tu libere elegisti mortem præ vita; dæmones præ angelis; infernum præ cælo. Dum tempus habemus, hæc cogitemus et sapiamus. Milesiarum virginum et peccatorum furor.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Luget cladem Hierosolymæ, ac filiorum Iosiæ, scilicet Ioachaz, Ioakim, Ioachin, et Sedeciæ regum Iudæ, eamque sub duabus metaphoris describit. Prima est catulorum leonum; secunda vineæ vers. 10.

1. ET tu assume planctum super principes Israel, 2. Et dices: Quare mater tua leæna inter leones cubavit,
in medio leunculorum enutrivit catulos suos? 3. Et eduxit unum de leunculis suis, et leo factus est: et
didicit capere prædam, hominemque comedere. 4. Et audierunt de eo gentes, et non absque vulneribus
suis ceperunt eum: et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. 5. Quæ cum vidisset quoniam infirmata est,
et periit expectatio eius: tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum. 6. Qui incedebat inter leones, et
factus est leo: et didicit prædam capere, et homines devorare: 7. Didicit viduas facere, et civitates eorum in desertum adducere: et desolata est terra, et plenitudo eius a voce rugitus illius. 8. Et convenerunt adversus eum
gentes undique de provinciis, et expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est. 9. Et mise-

runt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis: miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox eius ultra super montes Israel. 10. Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus eius, et frondes eius creverunt ex aquis multis. 11. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, et exaltata est statura eius inter frondes: et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum. 12. Et evulsa est in ira, in terramque proiecta, et ventus urens siccavit fructum eius: marcuerunt, et arefactæ sunt virgæ roboris eius: ignis comedit eam. 13. Et nunc transplantata est in desertum, in terra invia et sitienti. 14. Et egressus est ignis de virga ramorum eius, qui fructum eius comedit: et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, et erit in planctum.

Vers. 1. PRINCIPES ISRAEL.) Reges iam in Synopsi nominatos.
Vers. 2. QUARE MATER TUA LEÆNA INTER LEONES CUBAVIT?) Matrem vocat familiam regiam Davidis, vel potius Synagogam, ut Vatabl. vel, ut optime Prado, et Maldonat. Hierosolymam. Addit *tua*, id est vestra; quia tam singulos, quam omnes reges iam dictos alloquitur. Porro Ierusalem vocatur *leæna*, ob nobilitatem, audaciam et sævitiam incolarum: leones sunt vicini reges Gentium: q. d. Olim Ierusalem citra ullum metum versabatur inter reges Gentium, perinde atque leæna intrepida inter leones. Ita Orig. S. Hieron. et Theodor.

Rursum leæna notat Ierosolymæ impudicitiam: leæna enim symbolum est meretricis, quæ in amasios rapacitatem et imperium exercet. Nam, ut ait Poeta:

Par est leænæ et fœminæ crudelitas.

Unde meretrices vocantur Megaricæ sphinges: sphinges enim capite erant humano, sed corpore leonino. Sed et ante urbem Corinthum Veneris erat templum, iuxtaque Laidis tumulus, cui leænæ imago apposita videbatur, ariete inter priores pedes apprehenso: quod nimirum eius petulantiam indicabat, qua præcipue lasciviunt arietes. Idem ex Aristophane confirmat Pierius l. 1. Hierogl. c. 21.

ENUTRIVIT, Hebr. רבתה *ribbeta*, id est multiplicavit, CATULOS SUOS.) Scilicet leunculos: q. d. Ierusalem principes suos filios regum enutrivit inter leunculos, id est, inter alios principes filios regum et principum. Leunculos vocat Ioachaz, Ioakim, Ioachin, et Sedeciam; tum, quia iuvenes erant, tum quia respectu Davidis, Salomonis, Iosiæ, aliorumque priorum regum exigui fuerunt, atque sub iis regnum collabi cœpit. Ita Maldon.

Leænam semel tantum parere censet Epiphan. sed falso.

Tradit Epiphan. hæresi 78. quæ est Antidicomarianitarum, Physicos (puta Herodotum l. 3. hist. qui fabulosus est, cuius verba recitat Gellius l. 13. c. 7.) docere, quod leæna tota vita unum tantum pariat catulum, ut per illam repræsentetur B. Virgo quæ unum tantum peperit filium, scilicet Christum. *Aiunt*, inquit, *leænam non parere præterquam semel, et unum.* Causam subdit, quod ipsa per 26. menses fœtum utero gestet; itaque fœtum suis saltitationibus, motibus et unguibus *divellere et incidere matricem*, ac proinde *una cum partu etiam uterum ac matricem excerni.* Leo ergo est Christus, leæna Virgo mater. *Leænæ autem non contingit secundus partus. Ergo non amplius partum novit Maria, non amplius coniunctionem corporum sancta Virgo.* Hausit hoc S. Epiphanius ab Ægyptiis, ex quibus Horus Apollo l. 2. Hierogl. 78. semel, inquit, enixam mulierem significantes, leænam pingunt. Hæc enim bis uterum non fert. Commentum Ægyptiorum hoc censet Arist. et Plin. l. 8. c. 16. Quare S. Epiph. hic non suam, sed aliorum refert sententiam, eamque apposite adaptat B. Virgini. Nam illam falsam esse patet ex hoc loco, ubi leæna dicitur habere plures catulos et leunculos. Idem rationes evincunt. Si enim leæna unum tantum pareret catulum, species leonina multiplicari non posset, sed in uno semper unius catuli capite consisteret, cum tamen sciamus certo toto orbe plures esse leones. Secundo, si catulus sit mas, aut si occidatur antequam generet, species leonina interiret, cum mater eius leæna amplius generare nequeat. Constat autem Samsonem Iudic. 14. 5. Davidem, et alios plures cepisse et occidisse catulos leonum, etiam tenerrimos, antequam generare possent. Ergo iampridem interire debuisset species leonum. Scimus consequens esse falsum, ergo et antecedens. Tertio, catulus leonis semper deberet esse fœmina, ut per eam propagari posset species: atque hæc a parente suo leone imprægnari deberet, itidem eius proles, et rursum prolis proles, idque consequenter per omnia sæcula; utpote cum non sit alius leo, qui id facere possit, posito quod unus sit tantum leænæ per omnem vitam catulus, unaque unius generatio. Hæc et plura absurda evincunt sententiam hanc esse falsam. Constat enim ex Gen. 7. 2. unum tantum par leonum, scilicet unum marem et unam fœminam, servatum esse in arca Noe, ad speciei propagationem; ex quo tantum leonum numerum toto orbe iam propagatum cernimus. Denique Aristot. et ex eo Plinius l. 8. c. 16. tradunt, *leænam primo fœtu parere quinque catulos, ac per annos singulos uno minus ab uno sterilescere.* Idem scribunt Homerus (quem citat Gellius l. 13. 9.) Solinus, Oppianus, Philostratus, Ælianus l. 10. Rhodiginus l. 29. 9. et alii, quos citat Gesnerus in leone pag. 650.

Tyranni vocantur leones, cur? I. Ratio.

Nota. Tyranni insignes in Scriptura comparantur leoni, ut Pharao Ezech. 32. 2. Nabuchodonosor Ierem. 4. 7. quia leo magnanimus est, pervigil, et sævus, adeoque omnia animalia subiugat et prædatur. Ita Lucullus Consul Rom. cum Mithridate Ponti rege bellum gerens, cum ad Troadem appulisset, et iuxta ædem Veneris castra haberet, visus est deam sibi noctu hæc dicentem audire: *Quid dormis generose leo? en hinnuli tibi præsto.* Experrectus, cum audisset classem hostilem in propinquo stationem habere, eam invasit, et prælio victos omnes cum Isidoro duce occidit. Mox Tigranem regem Armeniæ aggressus est. Tigranes militum eius paucitatem contemplans, dixit: *Siquidem legati adsint, esse multos: sin milites, paucos.* Verum Lucullus in eos irruit, et trucidavit ut leo, adeo ut Livius prælium illud admirans dicat, nunquam Romanos dimicasse numero hostium tanto inferiores: victores enim vigesimam eorum fuisse partem, qui victi fuerant. Unde et Antiochus Philosophus scribit, solem nullam aliam talem pugnam vidisse.

II. Leo est solitarius, quia nulli se comparari patitur.

Rursum leones, ait S. Basil. homil. 9. Hexam. incedunt solitarii: causamque addit, ne videlicet pares honores congressionesque cum cæteris acceptent. Idem faciunt reges; ut enim excellentiam suam ostendant, soli degunt, caventque ne cum aliis regibus concurrant. Ad hæc, sicut aquila inter aves; Leviathan, id est balena, inter pisces; sic leo rex est inter bestias.

Hac de re insignis extat apologus in mythis Æsopi: Leo, inquit, asinus et vulpes societatem inierant, ut quod venando cœpissent, id inter se dividerent. Ergo cum venatu prædam essent nacti; mox iubet leo ut asinus eam dividat. Ille, ut erat stolidus in tres æquas portiones partitus est. Hac partitione indignatus leo, quod cæteris æquaretur, asinum adortus discerpsit; inde iussit vulpi quæ supererat sola, ut prædam dividat: vulpes ergo asini clade cautior, totam fere prædam leoni attribuit, sibi vix portiunculam servans. Leo probata distributione rogat, quisnam illam dividendi artem docuisset? cui vulpes: Calamitas, inquit, asini. Hoc apologo docemur, cavendam esse plebeiis societatem cum principibus aut præpotentibus. Hæc enim est societas leonina, in qua leo cæteros vi fraudans, omnia pene sibi ascribit. Ita in Pandectis, ex Ulpiano narrat Aristo, Cassium Iuriscon. respondisse, societatem talem coire non posse, ut alter lucrum tantum, alter damnum sentiret, et hanc societatem esse leoninam.

Tertio, leones soli ex feris clementia utuntur in supplices, et prostratis parcunt, teste Plinio lib. 8. cap. 16. Idem faciunt reges, quorum hoc est axioma: III.

Parcere subiectis, et debellare superbos.

IV. Quarto, leones, ait Plinius, timent rotarum orbes circumactos, et currus inanes, ac cristas cantusque gallinaceorum; sed maxime ignes: ita tyranni umbras timent, res nihili suspectas habent, et quemvis populi concursum ac globum, hostilem putant.

V. Quinto, leones, æque ac tyranni, a teneris natura sua feruntur ad prædam. Idem faciunt et lynces, quorum tota memoria et anima est in fame et præda. Audi S. Hieron. ad Chrysogonum epist. 44. *Quod natura, ait, lynces insitum habent, ne post tergum respicientes meminerint priorum, et mens perdat quod oculi videre desierint: ita nostræ es necessitudinis oblitus.* Et mox docet lynces in capreas et cervos incautos, dum frondes arborum captant, insilire, *Currentemque*, ait, *frustra prædam, dum hostem suum secum vehit, rabido desuper ore dilaniant, et tamdiu meminere prædandi, quamdiu venter vacuus siccum fame guttur exasperat: ubi vero sanguine pasta feritas viscera distenta compleverit, cum saturitate succedit oblivio, tamdiu nescitura quid capiat, donec memoriam revocaverit esuries: tu ergo*, ait, o *Chrysogone, necdum satiatus nobis, cur finem iungis exordio?* etc. Tyranni ergo sævitia superant leones et lynces. Nam horum prædandi cupido et gula cum fame saturatur: tyrannorum vero avaritia et ambitio insatiabilis est; nec nisi morte et strage; non tam aliorum, quam propria finitur et desinit.

Lynces respiciendo, et comedendo perdunt memoriam.

Vers. 3. Et eduxit unum de leunculis suis: leo factus est.) Intelligit Ioachaz, qui et Sellum dictus est, quartum Iosiæ filium, quem Iosia mortuo populus *eduxit;* hebr. *extulit in altum*, id est sibi regem constituit, forte quia ipse fratribus erat animosior, bellicosior, crudelior. Chald. clare vertit, *evexit unum de filiis suis, rex fuit*. Per catulos enim filios regum, per leonem regem intelligit; simulque indicat Ioachaz, mox ut rex factus est cœpisse rugire et sævire quasi leonem. Unde sequitur: *didicit prædam capere*, etc. Hinc proverbium: *Leonis catulum ne alas*, cuius auctor est Æschylus apud Aristophanem in Ranis, quo monemur, non esse fovendam potentiam quæ rempub. possit opprimere: quod si forte quis talis extiterit, et iam prævaleat, non esse e republ. dimicare cum illo, quem nequeas nisi magno reipubl. malo superare. Tyrannus enim non est recipiendus; quod si receptus est, ferendus est.

Hominemque comedere.) Chald. *occidere*, scilicet innocentes, uti fecerat Manasses eius abavus, illorumque bona prædari.

Vers. 4. Audierunt de eo (de eius ferocia, studioque bellandi) Gentes.) Scilicet Ægyptii. Alludit ad morem gentium; cum enim audiunt leonem, ursum, similemve feram in locis agrisve suis versari et grassari, ex condicto omnes conveniunt ut eam capiant.

Et non absque vulneribus suis ceperunt eum.) Significat quod tacet liber Regum, Ioachaz quasi iuvenem bellicosum, prælio cruento contra Ægyptios decertasse, et in eo vulnerantem et vulneratum captum esse. Heb. *captus est in fovea eorum*, scilicet Ægyptiorum stratagemate: sicut leo capitur in fovea, vel spelæo suo; aut potius in fovea, quam iuxta spelæum, aut locum, in quo versari solet leo, facere solent venatores, eamque ramis aut germine tegere, ut nesciens leo in eam cadat, ibique capiatur. Noster vertit, *in vulneribus*, quia Heb. שחת *sciachat*, significat et foveam, et interitum vel corruptionem, q. d. Multorum strage et cæde captus est. Hoc est quod dicitur 4. Reg. 23. 33. *Vinxitque eum* (Ioachaz) *Pharao Nechao in Rebla.*

Vers. 5. Quæ, scilicet leæna, id est Ierusalem, cum vidisset quoniam infirmata est.) Id est, orbata filio suo et rege Ioachaz. Sic 1. Reg. 2. 5. dicit Anna de Phenenna: *Quæ multos habebat filios infirmata est*, id est iis orbata: robur enim et decus matris consistit in filiis. Rursum, *cum vidisset quod periit expectatio;* Septuag. *substantia*, id est subsistentia, puta fortitudo, *eius*, quam scilicet de regno Ioachaz ferocis conceperat.

Tulit unum.) Id est alterum, scilicet Ioachin filium Ioakim, ait S. Hieron. et Theodor. vel potius ipsum Ioakim patrem Ioachin: hic enim proxime successit Ioachaz 2. Paral. 36. 5. et per undecim annos regnavit, cum Ioachin tantum per tres menses regnarit. Ioakim ergo a Pharaone, cum consensu populi creatus rex, quasi leo incedebat inter leones; quia cum Pharaone, Nabuchodonosor, et aliis vicinis regibus fœdus iniit, ac inter tyrannos, quari tyrannus incessit.

Moraliter Nota. Parentes nimis amantes filios, eisque indulgentes, eos perdunt, itaque hæreditatem aliis, nec raro inimicis relinquunt. Id teste Horo Apol. lib. 2. Hierogl. 62. Ægyptii indicabant pingendo simium, retroque parvum alterum. Is enim cum geminos pariat, ex his supra modum alterum diligit, alterum odit. Quem autem diligit, ante se assidue gestans soffocat: at quem odit, retro habet, et deinceps educat. Ita mater hæc nimis amans filios suos, eos perdidit, suumque et eorum regnum reliquit Chaldæis hostibus.

Didicit viduas facere.) Occisis earum maritis, et bonis fisco addictis. Hebr. est, *cognovit viduas eius*, vel *suas*, quod Vatabl. exponit, q. d. Libidinem exercuit cum viduis, quarum maritos occiderat. Verum hoc facere non solet leo; noster ergo optime hebraismum expressit. Est enim aposiopesis: *scivit*, vel *didicit viduas eius*, supple *facere*. Chald. pro ל *lamed* legens ר *resch*, scilicet pro אלמנותיו *almenotav*, id est *viduas*, legens ארמנותיו *armenotav*, id est, *palatia eius*, vertit, *arces et palatia eorum cognovit*, id est, sibi vindicavit, ascripsit, pro suis habuit, agnovit ut propria. Vers. 7.

Et civitates eorum.) Hominum, quos occiderat. Est enallage numeri; transit enim a singulari, ad pluralem. Populus enim collective est singularis, distributive pluralis. Vers. 8.

Desolata est terra, et plenitudo eius.) Id est incolæ, qui terram implent, civitates suas deseruerunt, et fugerunt ob sævitiam Ioakim: sicut fugiunt animalia audito rugitu leonis.

Et convenerunt adversus eum Gentes.) q. d. Babylonii suis copiis, quasi reti ceperunt Ioakim, et abduxerunt eum in Babylonem.

In vulneribus earum, tam activis, quam passivis, id est vulnerans, et vulneratus, ut dixit v. 4. captus est.) Hanc leonum stragem et parabolam apposite Card. Baron. adaptat Leonum Imp. stirpi, quæ ob iconoclasmum, et ob rapinas necesque Religiosis illatas, a Deo excisa est, nimirum impegit fortis in fortem, leo in leonem, rex in Deum, et ab eo contritus est. Primus ergo Imp. iconoclasta fuit Leo Isaurus, qui post multas orthodoxorum, sanctas imagines venerantium, rapinas, exilia et cædes, Numinis vindictam publicam sensit. Nam irato Numine totus contremuit Oriens, civitates complures solo æquatæ fuere, et quæ erant in urbe statuæ Imperatorum, collapsæ et contritæ sunt, quasi ipsæ stare non possent, ubi sacræ imagines essent ab ipso impio Leone prostratæ; qui nec ipse quidem amplius potuit esse superstes: nam paucos post menses a terræmotu ex hac vita sublatus est, anno Domini 741.

Successit Leoni filius Constantinus Copronymus, qui imperium iniit hæresin spargendo fraudulenter quasi vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis. Primo enim occulte, mox imperio confirmato publice grassatus est in sanctas imagines, templa, monachos, ipsamque B. Virginem, quam Deiparam non esse contendebat; sed ab ea plaga in cruribus percussus, quæ græce ἄνθραξ dicitur; indeque febrem validissimam contrahens, miserabiliter mortuus est, clamans et dicens: *Vivens adhuc igni inextinguibili sum traditus*, anno Domini 775.

Copronymo successit filius Leo Iunior, mali corvi malum ovum, et ex leone leunculus sæviens in sanctas imagines, earumque cultores: cumque insaniret circa lapides pretiosos, nimis adamavit coronam magnæ ecclesiæ, et accipiens gestavit eam. Mox prodierunt carbunculi in capite eius, et captus valida febre, mortuus est anno regni quinto, Christi 780. Amans ergo carbunculos, ex sacrilegio carbunculos pariter passus est, et his coronatus, morte est punitus.

Leoni marito successit Irene uxor pia, cum Constantino filio decenni, quæ εἰρήνην, id est pacem, reip. et Ecclesiæ attulit: ac statim ecclesiæ reddidit suum stemma, coronam scilicet a marito sublatam, pulcherrime fabrefactam, et gemmis pretiosis exornatam. Quocirca sub ea quidam in Thraciæ muris fodiens, invenit arcam lapideam, et in ea virum iacentem, cui inscriptum erat: *Christus ex virgine Maria nascetur. Credo in eum. Sub Constantino et Irene Imp. o sol iterum me videbis.* Increbuit sermo, vatis alicuius ante Christum fuisse sepulcrum, eiusdemque fuisse hoc oraculum a Deo revelatum: ita Theophanes, et Baron. in eorum gestis et annis.

Vers. 9. Miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox eius ultra.) *Eum*, scilicet Ioakim patrem; sub eo quoque intelligit Ioachin filium (de quo hæc intelligunt S. Hier. et Theodor.) Ioachim enim primo rebellans Chaldæis, ab eis captus est, mox spondens se fore eis subditum, remissus est in regnum: rursumque rebellans, non captus, sed occisus est. Ioachin vero captus, imo sponte se dedens Chaldæis, ab eis ductus est in Babylonem, ibique tota vita captivus permansit. Hinc Propheta omittit hic Ioachin; quia eum sub patre Ioakim complectitur. Sedeciam vero præterit; quia is adhuc hoc tempore regnabat.

Moral. quam brevis sit tyrannis. Moraliter vide hic, quam brevis sit tyrannis, quamque celer et funestus tyrannorum exitus. En quatuor hi leunculi Ioachaz, Ioakim, Ioachin, et Sedecias, omnes simul vix 22. annis regnarunt. Vere Seneca l. 1. de Clementia: *Reges*, ait, *consenescunt, liberisque ac nepotibus tradunt regna: tyrannorum exsecrabilis ac brevis potestas est.* Thales, teste Laertio in eius vita, rogatus, *quid difficile vidisset? Tyrannum*, inquit, *senem.* Et Iuven. satyr. 1.

Ad generum Cereris sine cæde et sanguine pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Et Curtius l. 4. *Nulla quæsita scelere potentia diuturna est.* Et Sallust. ad Cæsarem: *Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba quam diuturna arbitror: neque quemquam a multis metuendum esse, quin ad eum ex* C *multis formido recidat. Eam vitam bellum æternum et anceps gerere: quoniam neque adversus, neque a tergo, neque a lateribus tutus sis, semper in metu aut periculo agites.* Et Seneca Tragœdus: *Necesse est multos timeat, quem multi timent.* Et Cicero lib. 2. de Officiis: *Nulla vis imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. Multorum odiis nullæ opes possunt obsistere. Quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periisse expetit. Malus est custos diuturnitatis metus: contraque fidelis est ad perpetuitatem benevolentia.* Idem Philip. 1. et 2. docet hanc tyrannorum esse vocem, sed insipientem: *Oderint, dum metuant. Nam timor non diuturni magister est officii. Millies perire est melius, quam in sua civitate sine armorum præsidio non posse vivere. Præsidium charitate et benevolentia civium septum oportet esse, non armis.* Denique Ælian. l. 6. 13. *Pulcherrime*, ait, *a diis immortalibus comparatum est, ut nullam tyrannidem usque ad tertiam generationem propagent: sed aut confestim tyrannos tamquam proceras piceas perdant et extirpent, aut liberos eo-* D *rum viribus denudent ac spolient. Memorantur apud Græcos intra hominum memoriam, hæ solum tyrannides usque ad nepotes permansisse, Gelonis in Sicilia, Leucaniorum in Bosphoro, et Cypsellidarum Corinthi.*

Omnis principatus brevis. Porro id non tantum in tyrannis, sed et in legitimis regibus et principibus locum habet. Nam ut ait Eccles. c. 10. 11. *Omnis potentatus brevis vita.* Et alius: *Mundi gloria et prosperitas non est diuturnior, nec constantior, quam sit serenitas hiemis, tranquillitas navis, stabilitas lunæ.* Vis exempla? audi S. Hier. in epitaphio Nepotiani p. 15. *Constantius, Arrianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum paratur, et concitus fertur ad pugnam, in Mopsi viculo moriens, magno dolore hosti reliquit imperium. Iulianus proditor animæ suæ, et Christiani iugulator exercitus, Christum sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat: dumque Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos. Iovianus, gustatis tantum imperialibus bo-* A *nis, fœtore prunarum suffocatus interiit, ostendens omnibus, quid sit humana potentia. Valentinianus, vastato genitali solo, et inultam patriam derelinquens, vomitu sanguinis extinctus est. Huius germanus Valens, Gothico bello victus in Thracia, eumdem locum et mortis habuit, et sepulchri. Gratianus ab exercitu suo proditus, et ab obviis urbibus non receptus, ludibrio hosti fuit; cruentatæque manus vestigia parietes tui Lugdune testantur. Adolescens Valentinianus, et pene puer, post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine imperium, haud procul ab urbe fraternæ mortis conscia, necatus est, et cadaver exanime suspendio infamatum. Quid loquar de Procopio, Maximo, Eugenio, qui utique dum rerum potirentur, terrori gentibus erant? Omnes capti steterunt ante ora victorum, et, quod potentissimis quondam miserrimum est, prius ignominia servitutis, quam hostili mucrone confossi sunt. Ad privatas veniam dignitates, nec de his loquar, qui biennium excedunt: atque, ut cæteros prætermittam, sufficit nobis trium nuper consularium diversos exitus scribere.* B *Abundantius egens Pithyunte exulat. Ruffini caput pilo Constantinopolim gestatum est, et abscissa manus dextera, ad dedecus insatiabilis avaritiæ ostiatim stipem mendicavit. Timasius, præcipitatus repente de altissimo dignitatis gradu, evasisse se putat, quod Assæ vivit inglorius.* Ut alios sæculares taceam, idipsum clarissimum est in Pontificibus, quorum multi tres tantum annos, alii unum, alii paucos menses, alii paucos dies in Pontificatu sederunt. Vidimus uno eodemque anno 1590. successive illi præsidere tres Pontifices, Sixtum V. Urbanum VII. Gregorium XIV. et mox anno 1591. Innocentium IX. et post triginta dies Clementem VIII. Quin et, quod mirum videtur, ex omnibus Pontificibus, qui hucusque per annos 1618. Ecclesiam rexerunt, nemo extitit, qui ad 25. annum Pontificatus perveniret. Accesserunt sat prope S. Leo I. qui 21. annis; S. Silvester, qui totidem; et omnium proxime Adrianus I. qui anno Domini 772. creatus Pontifex, sedit ipsos annos 24. exceptis 43. diebus: sedit enim integros annos 23. menses decem, et dies 16. mortuusque est anno Domini 795. ait Baron. et alii. Ergo nec ipse, nec quis alius præcise attigit 25. Quocirca Pontifici dum inauguratur, acclamatur: *Beatissime Pater, annos Petri non videbis.* Id enim ita fore, experientia continua tot centenorum annorum satis præsagit, imo evincit, divina providentia arcane ita disponente, sive ob honorem S. Petri, qui primus Pontificatum Romæ constituit, seditque annos 25. ut ipse sicut dignitate et meritis, ita et annis reliquos omnes sequaces et posteros suos superet: sive, ut Pontifices in tanto fastigio et culmine dignitatis constitutos, humilitatis et modestiæ admoneat, doceatque illud parvipendere, et cælestes æternosque honores ambire: sive, ut hic eis stimulus sit ad acre et continuum heroicorum operum et virtutum studium, dum cogitant brevem sibi fore Pontificatum, æque ac vitam: ideoque assidue sibi dicant, Quod facere destinas, fac cito: brevis enim erit tibi hæc potestas, brevis facultas magnorum facinorum: paucos ergo annos magnis virtutibus imple: paucis annis tot tantaque facito, quæ nomen tuum, et in terra et in cælis illustrent, ac æternitati transcribant: imitare Linos, Cletos, Clementes, Gregorios, Leones, qui consummati in brevi impleverunt tempora multa. Proposuit olim Alexander II. Pontif. hanc quæstionem B. Petro Damiano, cur Pontifices tam paucis annis viverent, et nemo ad annos S. Petri pertingeret, cum nonnulli florente fuerint ætate ac validi? Respondet Petrus Damian. l. 1. epist. 17. hoc iudicii cælestis ordinem disposuisse, ut humano generi metum mortis incuteret, et quam despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu, ac veluti sole deliquium patiente evidenter ostenderet; præsertim cum unus omni mundo præsideat Papa, reges sint simul plures: nec sic soleant Pontifices violenta morte occumbere, uti reges. Addit noster Lorinus in 2. Petri cap. 1. 14. id fieri, ut minus appetant homines Papatus culmen, quod fere certi sunt non diu duraturum.

Mater tua (id est vestra, o reges Iuda: vide dicta v. Vers. 10.

2.) QUASI VINEA IN SANGUINE TUO SUPER AQUAM PLANTATA EST.) Ierusalem, et prosapiam regiam paulo ante Propheta comparavit mulieri et leænæ; nunc eam viti generosæ confert: sanguis enim regius purpuratorum, similis est liquori uvæ rubeo et purpureo, a quo vitis purpurea vocatur ab Ovidio 8. Metamorph. Hæc vitis quasi plantata ad aquas excrevit suis ramis et pampinis, puta suis familiis, civibus, potentia, divitiis et gloria: quia erat stirps Davidis a Deo electi, cui Deus promiserat thronum et domum stabilem psal. 88. 5. Aliter Maldon. *In sanguine tuo*, id est, inquit, in flore tuo, ut flos propter ruborem vocetur sanguis. Unde Septuag. verterunt: *ὡς ἄνθον ῥοᾶς*, id est *sicut flos malogranati*. Verum verius videtur Septuag. pro בדמך *bedamecha*, id est, *in sanguine tuo*, legisse aliis literis Hebraicis vicinis כרמון *cherimmon*, id est, *ut malogranatum mater tua est*, scilicet frondens, et multum fructum producens; atque, ut Eucherius, sicut in malogranato, uno exterius cortice, multa interius grana uniuntur; sic plurimos cives, et urbes unitas regni et regis continet. Secundo, sicut grana illa suis loculis sunt ordinata et folliculis discreta: ita quoque cives suis familiis et collegiis. Hinc veteres Iunoni, quasi præsidi regnorum, malum Punicum dedicarunt, et in manu posuerunt. Et sacerdos Hebræorum in veste habebat mala Punica permista tintinnabulis, quæ significant unitatem Ecclesiæ ex multis gentibus in eumdem sonum, id est, in eamdem legem et religionem, convenientium, ait Eucherius, et S. Gregor. in Cant. 4. Vel significant earumdem varietatem et consonantiam virtutum, de qua dicitur Actor. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una*. Ita S. Hieron. et ex eo Prado.

Malogranatum symbolum urbis et reip. cur?

Vers. 11. ET FACTÆ SUNT EI VIRGÆ SOLIDÆ IN SCEPTRA DOMINANTIUM.) Id est unus hic vitis palmes, quasi una virga fortissima excrevit in virgas multas, quæ essent sceptra dominantium, ut scilicet reges ex ea fierent. Olim enim patriarchæ et principes, quasi pastores cum virga sequebantur et regebant suum agmen. Hinc iam pro virgis reges sceptra gestant: q. d. Ierusalem multos et fortes protulit reges, gestantes sceptra. Virga enim insigne est regni, et regis. Ita Chald.

ET EXALTATA EST STATURA EIUS INTER FRONDES.) q. d. Ierusalem in tot tantosque cives et principes excrescens, cum eis et inter eos alta et gloriosa apparuit.

ET VIDIT.) Id est, videndo sibi placuit, et superbivit. Legit interpres active ויירא *vaiar*, iam passive legunt ויירא *vaiera*, id est, *et visa est*.

Vers. 12. EVULSA EST IN IRA.) Scilicet, vinea Ierusalem in ira Dei excisa, et quasi vitis eradicata est sub Sedecia.

ET VENTUS URENS, id est, hostium Chaldæorum impetus, SICCAVIT FRUCTUM EIUS, id est, filios et opes Ierusalem exhausit: AREFACTÆ SUNT VIRGÆ ROBORIS EIUS.) Id est, regnum et potentia eius exaruit; aut, ut Maldon. *Virgæ roboris*, id est validæ, et *solidæ in sceptra dominantium*, ut dixit v. præced. id est, filii Sedeciæ, qui in regnum patris successuri erant, sceptraque recturi, vel capti, vel occisi sunt, 4. Reg. 25. 7. *Ignis*, id est, vindicta Dei, et plaga, ac proprie ignis et incendium Chaldæorum, *comedit eam*. Aliter Vatablus. Vitis, ait, est Sedecias, fructus filii eius, ignis afflictio. Unde hebr. est: *comedit eum*, scilicet Sedeciam; quia in carcere, sine successore regni mortuus est.

ET NUNC TRANSPLANTATA EST IN DESERTUM, IN TERRA INVIA ET SITIENTI.) Id est, in Babylonem translati sunt cives Hierosolymæ, ubi quasi in deserto arido, omnium sunt indigi. Ita S. Hieron. vel, ut idem addit: ipsa Iudæa vastata, quasi mutata est in desertum, incolis cæsis aut captis, et urbibus eversis. Unde sequitur: Vers. 13.

ET EGRESSUS EST IGNIS DE VIRGA RAMORUM EIUS, QUI FRUCTUM EIUS COMEDIT.) q. d. Ismael de semine regio, invidens Godoliæ, quem Nabuchodonosor præfecerat Iudææ, principatum, eum cum plurimis ei adhærentibus occidit; et hoc est quod subdit: *Devoravit fructum eius*. Unde reliqui Iudæi iram Chaldæorum veriti, fugerunt cum Iohanan in Ægyptum. Ita S. Hier. et Theodor. Nota. Prophetice hæc præterita significant futura. *Evulsa est, transplantata est*, id est evelletur, transplantabitur; *egressa est*, id est egredietur. Hæc enim dixit Proph. anno sexto Sedeciæ, ut patet c. 8. v. 1. cum adhuc staret Ierusalem. Aliter Chaldæus, q. d. *Ignis*, id est pœna, quæ Ierusalem absumpsit, *ex ea*, id est ex principum et civium eius impietate, processit. Aliter quoque R. David, q. d. Egressus est Sedecias ex semine Hierosolymæ regio, qui quasi ignis omnes eius opes perdidit: quia ipse causa fuit excidii. Unde sequitur: *Non fuit* superstes *in ea virga fortis, sceptrum dominantium*: q. d. Non reliquit hæredem, qui in sceptrum et regnum succederet. Vers. 14.

PLANCTUS EST.) Id est, nunc planctus fit pro Ioakim et civium captivitate; sed maior erit planctus in urbis et regni excidio.

Secundo, Maldon. et Vatabl. ex Chaldæo, et Hebræis exponunt, q. d. Hic est planctus, quem initio exposui, et lamentabilis prophetia; sed maior erit ipse eventus: nam cum hæc, quæ hic plangendo prædico, reipsa evenient, maximus erit omnium planctus et comploratio.

Septuag. vertunt, *in parabolam lamentationum est, et erit in planctum*: q. d. Cum maximam calamitatem deprecabuntur posteri, utentur hoc quasi exemplo et proverbio, Ne mihi contingat quod Hierosolymæ. Ita Theod.

Quarto, simpliciter sic accipias, q. d. Ierusalem plangitur, et plangetur: q. d. Hic Hierosolymæ planctus diu durabit, eritque iugis et continuus.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus per Ezechielem consultus a senioribus Iudæorum de eventu belli Iudaici, negat se responsurum, sed exprobrat illis propria et patrum peccata, asseritque se iis relictis, pie colendum a veris Israelitis. Quocirca, Primo, exaggerat beneficia a se in eos collata, tum in Ægypto vers. 4. tum in deserto vers. 13. tum in Chanaan vers. 27. Ostendit enim se omnibus hisce locis beneficiis certasse cum ipsorum impietate et ingratitudine. Unde Secundo, vers. 30. graves eis pœnas comminatur, ac dicentibus: Erimus sicut Gentes, *volentibusque Dei iugum et flagellum excutere, respondet:* Vivo ego, quoniam in furore effuso regnabo super vos. *Tertio, v. 39. prædicit se, impiis et idololatris Iudæis relictis, facturum ut a piis Israelitis colatur in Sion, tum eo redeuntibus ex Babylone sub Esdra; tum potius in Sion nova, id est Ecclesia erigenda per Christum. Denique 45. nova parabola ignis et flammæ Iudæis excidium intentat.*

1. ET factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis: venerunt viri de senioribus Israel, ut interrogarent Dominum, et sederunt coram me. 2. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 3. Fili hominis loquere senioribus Israel, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid ad interrogandum me vos venistis? vivo ego quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus. 4. Si iudicas eos, si iudicas fili hominis abominationes patrum eorum ostende eis. 5. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: In die, qua elegi Israel, et levavi manum meam pro stirpe domus Iacob, et apparui eis in terra Ægypti, et levavi manum meam pro eis,

dicens: Ego Dominus Deus vester: 6. In die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Ægypti, in terram quam provideram eis, fluentem lacte et melle: quæ est egregia inter omnes terras. 7. Et dixi ad eos: Unusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat, et in idolis Ægypti nolite pollui: ego Dominus Deus vester. 8. Et irritaverunt me, noluerunt que me audire: unusquisque abominationes oculorum suorum non proiecit, nec idola Ægypti reliquerunt: et dixi ut effunderem indignationem meam super eos, et implerem iram meam in eis, in medio terræ Ægypti. 9. Et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, in quarum medio erant, et inter quas apparui eis ut educerem eos de terra Ægypti. 10. Eieci ergo eos de terra Ægypti, et eduxi eos in desertum. 11. Et dedi eis præcepta mea, et iudicia mea ostendi eis, quæ faciens homo, vivet in eis. 12. Insuper et sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos: et scirent quia ego Dominus sanctificans eos. 13. Et irritaverunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, et iudicia mea proiecerunt, quæ faciens homo vivet in eis: et sabbata mea violaverunt vehementer: dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto, et consumerem eos. 14. Et feci propter nomen meum, ne violaretur coram gentibus, de quibus eieci eos in conspectu earum. 15. Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in terram, quam dedi eis, fluentem lacte et melle, præcipuam terrarum omnium: 16. Quia iudicia mea proiecerunt, et in præceptis meis non ambulaverunt, et sabbata mea violaverunt: post idola enim cor eorum gradiebatur. 17. Et pepercit oculus meus super eos ut non interficerem eos: nec consumpsi eos in deserto. 18. Dixi autem ad filios eorum in solitudine: in præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini. 19. Ego Dominus Deus vester: in præceptis meis ambulate, iudicia mea custodite, et facite ea: 20. Et sabbata mea sanctificate, ut sint signum inter me et vos, et sciatis quia ego sum Dominus Deus vester. 21. Et exacerbaverunt me filii, in præceptis meis non ambulaverunt, et iudicia mea non custodierunt ut facerent ea, quæ cum fecerit homo, vivet in eis: et sabbata mea violaverunt: et comminatus sum ut effunderem furorem meum super eos, et implerem iram meam in eis in deserto. 22. Averti autem manum meam, et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, de quibus eieci eos in oculis earum. 23. Iterum levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes, et ventilarem in terras: 24. Eo quod iudicia mea non fecissent, et præcepta mea reprobassent, et sabbata mea violassent, et post idola patrum suorum fuissent oculi eorum. 25. Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et iudicia in quibus non vivent. 26. Et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua: et scient quia ego Dominus. 27. Quamobrem loquere ad domum Israel, fili hominis: et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc et in hoc blasphemaverunt me patres vestri, cum sprevissent me contemnentes: 28. Et induxissem eos in terram, super quam levavi manum meam ut darem eis: viderunt omnem collem excelsum, et omne lignum nemorosum, et immolaverunt ibi victimas suas: et dederunt ibi irritationem oblationis suæ, et posuerunt ibi odorem suavitatis suæ, et libaverunt libationes suas. 29. Et dixi ad eos: Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? et vocatum est nomen eius Excelsum usque ad hanc diem. 30. Propterea dic ad domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Certe in via patrum vestrorum vos polluimini, et post offendicula eorum vos fornicamini: 31. Et in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie: et ego respondebo vobis domus Israel? Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis. 32. Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium: Erimus sicut gentes, et sicut cognationes terræ, ut colamus ligna et lapides. 33. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos. 34. Et educam vos de populis: et congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, in manu valida, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos. 35. Et adducam vos in desertum populorum, et iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem. 36. Sicut iudicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti, sic iudicabo vos, dicit Dominus Deus. 37. Et subiiciam vos sceptro meo, et inducam vos in vinculis fœderis. 38. Et eligam de vobis transgressores, et impios, et de terra incolatus eorum educam eos, et in terram Israel non ingredientur: et scietis quia ego Dominus. 39. Et vos domus Israel, hæc dicit Dominus Deus: Singuli post idola vestra ambulate, et servite eis. Quod si et in hoc non audieritis me, et nomen meum sanctum pollueritis ultra in muneribus vestris, et in idolis vestris: 40. In monte sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israel: omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi, et ibi quæram primitias vestras, et initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris. 41. In odorem suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, et congregavero vos de terris, in quas dispersi estis, et sanctificabor in vobis in oculis nationum. 42. Et scietis quia ego Dominus, cum induxero vos ad terram Israel, in terram, pro qua levavi manum meam, ut darem eam patribus vestris. 43. Et recordabimini ibi viarum vestrarum, et omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis: et displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris, quas fecistis. 44. Et scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum, et non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima domus Israel, ait Dominus Deus. 45. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 46. Fili hominis, pone faciem tuam contra viam austri, et stilla ad africum, et propheta ad saltum agri meridiani. 47. Et dices saltui meridiano: Audi verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum viride, et omne lignum aridum: non extinguetur flamma succensionis: et comburetur in ea omnis facies ab austro usque ad aquilonem. 48. Et videbit universa caro, quia ego Dominus succendi eam, nec extinguetur. 49. Et dixi: A, a, a, Domine Deus: ipsi dicunt de me: Numquid non per parabolas loquitur iste?

Vers. 1. ET FACTUM EST IN ANNO SEPTIMO.) Scilicet transmigrationis Ioachin, et regni Sedeciæ, puta post undecim menses et quinque dies a visione præcedenti: ita S. Hieron. Idque colligitur ex c. 8. v. 1. Inde enim pendent omnia, quæ sequent. capp. narrantur huc usque, ubi novus annus consignatur.

IN QUINTO.) Supple mense, puta in Iulio. Hic enim A quintus est a Martio, qui primus Hebræorum est mensis, Exod. 12. 2.

VENERUNT VIRI, etc. UT INTERROGARENT DOMINUM.) Per me Prophetam: *interrogarent*, inquam, de exitu et successu belli, quod Nabuchodonosor iam parabat contra Sedeciam, eo quod fœdus rupisset. Ita Scholiastes.

NON RESPONDEBO.) Quia ex curiositate mera rogatis, 3.

contrarium facturi, nisi respondeam id, quod vos desideratis. Ita Theodor. et Apollinar.

Vers. 4. Si iudicas eos fili hominis?) Legendum est per interrogationem. Hebr. enim est התשפוט *hatispot, anne iudicabis eos?* quod Primo, explicari potest, q. d. Defendesne eos, eorumne causam in iudicio meo ages? Hebræum enim שפט *sciaphat*, significat actiones quæ fiunt in iudicio, tam iudicis, quam actoris et advocati. Ita Theodor. ex Septuag. Nam *εκδικεις*, hic non *ulcisceris*, ut vertit Latinus Theodoret. interpres, sed *defendis* vertendum esse, patet ex ipso Theodor. Ita Prado.

Secundo alii explicant, q. d. Ne iudices, id est condemnes eos, sed potius ostende illis scelera patrum, ut compungantur et resipiscant.

Tertio, et optime: *nonne iudicabis*, id est, argues, et arguendo damnabis impietatem eorum? Ita Maldon. Unde et Chald. vertit, *si increpas eos more iudicis, et condemnas?* Simile est cap. 22. 2.

Abominationes patrum ostende eis.) Ut quorum imitantur vitia, eorum supplicia pertimescant: *quia hæreditario malo longissimum funem trahunt peccatorum*, ait S. Hieron.

Vers. 5 Apparui eis in terra Ægypti.) Est hic climax, sive gradatio. Primo enim hic Hebræis improperat idololatriam, et peccata perpetrata in Ægypto. Deinde vers. 13. maiora perpetrata in deserto. Tertio, v. 27. maxima perpetrata in terra promissa.

Vers. 6 Levavi manum.) Nota. *Levare manum* aliquando significat iurare elata manu in cælum, quasi Deum vocando in testem, Gen. 14. v. 22. Unde Chald. vertit hic, *iuravi.* Sic et Vatabl. et Maldon.

Secundo, Septuag. vertunt, *cognitus sum semini Iacob* quasi manu detegens et ostendens eis faciem meam.

Tertio, et optime, *levavi manum meam*, id est, ostendi potentiam, opem et auxilium meum Mosi et Hebræis, manu mea percutiendo Pharaonem et Ægyptios, ac ab eorum tyrannide potenter liberando et educendo Hebræos.

Fluentem lacte et melle.) Hoc est fertilissimam. Est hyperbole, de qua dixi Exodi 3. v. 8. Numer. 13. 28.

Quæ est egregia.) Hebr. צבי *tsebi*, id est, præstantia, exultatio, superbia, q. d. Terra Israel est excellentia et superbia, æque ac pulchritudo et deliciæ regionum. Vatabl. *est desiderabilis et amabilis ut caprea*, quæ hebr. *tsebi* dicitur; Septuag. *est favus supra omnem terram*, id est dulcior et fertilior omni terra; Aquila *tsebi* vertit *firmamentum;* Theodot. *fortitudinem;* Symmach. *στασιν*, id est statum, puta statam *religionem*, quia in ea erat templum et cultus Dei. Quid proprie sit *tsebi* dicam Daniel. 8. v. 9. Commemorat pristina sua in eos beneficia, ut eos ingratitudinis coarguat.

Vers. 7 Offensiones.) Symmach. *nauseas;* Aquila, *abscissiones;* Hebr. צקוצי עיניך *tsiccutse enav*, id est, *abominationes oculorum*, hoc est, idola abominanda, tetra et horrida, quæ aspicientibus nauseam movent et aversionem, ut ea a se abscindi et amoveri velint.

Idolis.) Hebr. גלולים *ghillulim*, id est, sordes, stercora, id est, idola sordidissima, et quasi stercorea.

Vers. 8. Et dixi.) Apud me in mente mea, q. d. Cogitabam de Iudæis tam impiis perdendis in Ægypto.

Vers. 9. Et feci non quod cogitabam, sed ut educerem eos de terra Ægypti, uti sequitur, ut non violaretur.) Id est blasphemaretur et infamaretur, nomen meum coram Gentibus, quasi non potuissem, aut noluissem populum me colentem liberare et salvare, uti promiseram.

Vers. 11. Et dedi eis præcepta mea, et iudicia mea, etc.) Idem sunt hæc duo, ait Theodor. Sed Polychr. *præcepta*, ait, sunt decalogus, reliqua mandata sunt *iudicia.* Rursum Scholiast. *præcepta*, ait, sunt quæ præmium spectant; *iudicia*, quæ Dei cultum.

Quæ faciens homo, vivet in eis.) q. d. Qui facit ea, quæ lege mea præcepta sunt, propter ea non punietur morte, quam lex transgressoribus minatur, sed vivet in terra vitam longam, lætam et beatam. Patet Deut. 30. v. 19. Aliter Theodoret. *vivet*, ait, *vita gratiæ;* et Chald. *vivet vita æterna*, scilicet si in fide et gratia Dei ea impleat. Vide dicta Levit. 18. 5. et Rom. 10. v. 5.

Vers. 12. Insuper et sabbata mea dedi eis.) Aliqui censent dici hic *sabbata* in plurali, ut significet triplex sabbatum. Scilicet primum dierum, quod proprie dicebatur sabbatum; secundum mensium; tertium annorum. Sabbatum mensium erat mensis septimus, qui magna sui parte erat festus. Sabbatum annorum, erat annus septimus, et annus quinquagesimus iubilæi. Nam sabbata hæc omnia dedit Deus Iudæis in signum salutis et quietis dandæ per Christum.

Secundo, et melius: q. d. *Sabbata mea*, id est, meas ferias, et consequenter meas delicias, et meam felicitatem, quæ in mei ipsius contemplatione consistit, dedi et communicavi eis, ut in iis, quasi sabbatis, et feriis sacris a laboribus et curis sæculi vacantes, divina opera, iudicia, consilia meditarentur, quæ ego ipse die septimo considerabam, inspiciebam, laudabam, et in quorum perfectione conquiescebam: ut hac consideratione et meditatione ad mei amorem, laudem et imitationem accenderentur et sanctificarentur. Huius enim rei sabbata erant signa, et stimuli.

Vers. 15. Ego igitur levavi manum meam.) Id est, ego igitur iuravi, iuxta illud Psalmi 94. v. 11. *Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Aliter ergo hæc phrasis capitur hic, quam vers. 5.

Vers. 16. Post idola enim cor, id est mens et affectus, eorum gradiebatur.) q. d. Toto studio et affectu ferebantur ad idola colenda.

Vers. 23. Iterum levavi manum.) q. d. Iterum iuravi, et iurando comminatus sum. Sæpius enim murmurante populo in deserto, sæpe quoque Deus voluit eum delere, sed a Mose precante cohibitus est.

Vers. 25. Ergo et ego dedi eis præcepta non bona.) Id est, non perfecta, uti dedi in Evangelio, ait S. Ambros. l. 3. epist. ad Clementianum, et Cyrill. l. 9. contra Iulianum. Sic et Gregor. 28. Moral. cap. 17. in alia editione 9. *Mala enim*, ait, *quasi mala esse desinunt comparatione peiorum; et bona quasi bona non sunt comparatione meliorum. Nam sicut peius delinquenti Iudææ de Sodoma atque Gomorrha dicitur: Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es: ita melioribus novi testamenti præceptis subsequentibus, præcepta bona quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur.* Rursum S. Clemens lib. 6. Constit. Apost. cap. 21. *Illis*, inquit, *qui noluerunt videre, neque audire, non quia privati essent facultate partium animi, sed quia nimia erat eorum perversitas ac malitia; illis inquam dedi præcepta non bona, et iustificationes, in quibus non vivent in ipsis; non bona dico, illorum scilicet proposito (ferrum enim ad urendum, et scalpellum ac medicamenta inimica sunt non valentibus) non sunt autem servata propter eorum contemptum obediendi: ex quo fit, ut non servata mortem eis afferant.*

Secundo, Theodor. Apollin. et Iustin. contra Tryphon. *Dedi eis præcepta*, scilicet cæremonialia, *non bona*, id est inutilia, inquiunt, quia sacrificiorum leges non sponte institui, quasi victimis carnium delectarer; sed ob pronitatem populi in idololatriam, ut illum ab ea averterem.

Tertio, *non bona*, id est, non iucunda, suavia, facilia; sed gravia et difficilia.

Quarto et melius: *dedi*, id est permisi eis dari, *præcepta* Gentilium et idololatrarum de ritu colendi idola, q. d. Permisi eos sequi suos affectus, quibus ferebantur in idola; permisi eos sequi suas pravas cupiditates, ut eos punirem. Ita Chald. S. Hieron. et Maldon.

Quinto, et optime, *το* ergo significat pœnam consequentem, et inflictam propter culpam præviam, q. d. Quia Iudæi suavem meam legem reiecerunt; hinc permisi eos subdi hostibus et tyrannis, qui præcepta tyrannica et intoleranda eis darent, sub quibus vix traherent animam, vix viverent. Hoc est enim quod subdit: *In quibus non vivent*, id est, in quibus morientur. Est liptote. Opponit hoc suis præceptis, de quibus dixit v. 11. *Quæ faciens homo vivet in eis*, q. d. In meis præceptis vivere noluerunt, morientur ergo, et occidentur in alienis et tyrannicis. Ita Hebræi

et ex iis Prado. Nota miosin, *non bona*, id est mala, imo pessima, molestissima et difficillima. Bona enim vocantur ea quæ suavia sunt et iucunda, ut Ps. 132. 1. *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.* Ex adverso Matth. 6. dicitur: *Sufficit diei malitia*, id est molestia et afflictio, *sua*.

Porro hostes hi et tyranni non fuerunt reges et principes Edom, Ammon, vel aliarum gentium (nullis enim harum servierunt, aut subiecti fuerunt Iudæi in deserto, de quo hic agitur, ut patet vers. 13. et 23.) sed earum dii, aut potius dæmones, quos colentes Hebræi in deserto, eorum duris et mortiferis ritibus et legibus se subiecerunt. Notat maxime leges et præcepta colendi Moloch per mactationem filiorum et filiarum. Hæc enim *præcepta non bona*, sed pessima, et maxime malefica ac lethifera fuerunt; *in quibus non vivent*, quia per ea eorum stirps et posteritas occidebatur, eorumque nomen et familia succidebatur et interibat. Hinc Arabicus Antioch. vertit, *neque eis dedi præcepta non polluta*. Unde et sequitur:

Vers. 26. **Pollui eos in muneribus suis**, id est, quia mea sabbata, ritus, victimas optimas, sanctissimas, facillimas et iucundissimas reiecerunt, permisi eos pollui in muneribus, id est, oblationibus suis, ut offerant **omne quod aperit vulvam.**) Id est, suos primogenitos, propter delicta sua expianda, in sacrificium Saturni et Moloch. Hunc esse sensum patet ex v. 31. In maxima enim clade pueros quasi gratissimam victimam diis, ut eos propitiarent, immolabant, ut Agamemnon Iphigeniam, rex Moab suum primogenitum, 4. Reg. 3. v. ult. Porro Iudæos in deserto (de quo hic agitur) non tantum vitulum aureum, sed et Saturnum, Moloch, aliosque deos coluisse, patet Act. 7. v. 43. Vide quæ de Moloch, rituque eum colendi dixi Levit. 18. 21. Significat ergo hic Deus, se in pœnam prioris idololatriæ, aliorumque scelerum permisisse Iudæos labi in tam fœda, infamia et sacrilega sacrificia, imo parricidia, ut scilicet filios proprios mactarent et immolarent Moloch. Idem facit etiamnum sagis et magis, qui a Deo desciscentes ad dæmonem, eum adorare, eique infantes immolare coguntur, ab eoque verberantur et tractantur quasi mancipia. Similiter Philosophos Deum agnoscentes, sed non colentes, permisit labi in infames et portentosas, tum libidines, tum religiones et sectas, Rom. 1. vers. 21. et seqq.

In muneribus.) Septuag. εν δογμασιν, id est, *in dogmatibus*: sed corrigendum εν δομασιν, id est, *in donariis*. Theodor. tamen ex Aquila habet *in dogmatibus*, quibus scilicet docebant hæc munera Deo suo danda.

Propter delicta sua.) Expianda: vel potius, ut Mald. q. d. Ut ipsi suis manibus concremantes suos filios, sua delicta punirent, et sibi ipsis, puta suis filiis et hæredibus, essent carnifices. Unde Septuaginta vertunt, *ut delerem eos*, puta stirpem eorum.

Vers. 28. **Dederunt ibi irritationem oblationis suæ.**) Id est oblationem suam irritantem Deum: quia scilicet offerebatur idolis in iniuriam et contemptum Dei. Est hic tertius gradus, sive apex gradationis, de qua dixi vers. 8. Hic enim exprobrat Iudæis summa peccata, commissa in Chanaan, post tot tantaque Dei beneficia ibidem accepta.

Vers. 29. **Quid est excelsum?** Scilicet altare idolorum, q. d. Quæ religio? quæ utilitas est in excelso, ad quod ingredimini crebro? **et vocatum est**, id est, ita ut usque nunc vocetur a Gentilibus et idololatris a sublimitate **excelsum.**) Quasi locus nobilissimus et famosissimus. Ita Theod. Apollin. et alii: q. d. Aram meam in Levitico vocavi altare: vos vestram vocatis *Excelsum*: quod nomen, uti et res, puta idololatria, quæ ibidem peragitur, inventum est, non meum, sed dæmonis et idololatrarum. Nomen ergo excelsi vos moneat, et doceat, quod non mei, sed dæmonis et idolorum sitis servi et cultores. Ita Maldonatus.

Vers. 30. **Vos polluimini.**) Non qui me hic rogatis captivi in Babylone, sed fratres vestri, qui sunt Hierosolymis, pro quibus iam iam vastandis rogatis et consulitis Deum. Ita Apollin. Theodor. et alii.

Vers. 32. **Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium: Erimus sicut Gentes.**) Non ut colamus (hoc enim iam facimus) sed ut impune colamus idola. Videbant enim Gentes idola colentes a Deo non puniri, videbantque eos prosperari, et pace gaudere, bonisque affluere, hocque idolis earum ascribebant: se vero a Deo suo negligi, imo affligi et puniri; unde et dicunt: Deum nostrum nobis non beneficum, sed maleficum relinquamus, ut eius legibus tot tamque difficilibus soluti, licenter pro libito vivamus, ac cum Gentibus colamus idola, quæ suis opes, omniaque bona largiuntur. Hisce Deus apte respondet et intentat, dicens: *In manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos*: q. d. Non excutietis iugum meum, quin in virga ferrea vos regam et mactem.

Educam vos de populis.) Ammon, Moab, Tyriis, Æ- Vers. 34.
gyptiis, inter quos fugientes Chaldæos dispersi estis: q. d. Retraham vos ex fuga, et tradam Chaldæis, sicque in furore regnabo super vos. Ita Scholiast.

Aliter S. Hieronymus, q. d. Educam vos e captivitate Babylonica, et furore effuso non in vos, sed in Chaldæos, ab eis eripiam vos, ut super vos regnem.

Et adducam vos in desertum populorum.) Id est in Vers. 35.
Gentes a Deo desertas, ait Theodor. Verum *desertum populorum* non significat desertum inter populos, sed a populo, puta desertum in quo non est populus. Sic ad Roman. 1. 4. dicitur: *Ex resurrectione mortuorum*, id est, ex resurrectione a mortuis: q. d. Sicut olim patres vestros ex Ægypto redemptos, in desertum Arabiæ induxi, id est, libertate donavi, et sui iuris remp. feci: sic vos post iustam punitionem ex Babylone eductos libertate donabo, et in desertum, quod est inter Iudæam et Chaldæam, et inde in patriam reducam, tum per Cyrum, tum maxime per eius antitypum Christum Dominum. Nota. Desertum signum est libertatis; uti urbs et arx, subiectionis et servitutis. Ita Prado, Mald. et alii. Ita S. Hieron. ad Rustic. *Mihi*, ait, *oppidum carcer, solitudo est paradisus*.

Et iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem.) *Iudicabor*, id est, puniam, ait Theodor. Melius S. Hieron. *iudicabor*, id est, iudicio contendam vobiscum, *facie ad faciem*, id est, non ex auctoritate, sed coram, quasi par cum pari ex æquitate causæ: q. d. Sicut olim in Arabia patribus vestris contra me murmurantibus, palam tot beneficiis et signis ostendi illos esse fœdifragos, me vero in promissis esse fidelem: ita, cum vos Babylone eduxero, reipsa palam ostendam iustitiam meam, ut videatis vos ob peccata iuste a me fuisse captivitate damnatos, et nunc misericorditer a me ex ea eductos. Aliter Maldon. *facie ad faciem*, id est, inquit, solus cum solis, sine arbitris, ne Gentes videant pœnas, quas de vobis sumpturus sum, et lætentur.

Nota, hanc prophetiam non exhauriri in solutione captivitatis Babylonicæ per Cyrum; sed in solutione captivitatis Satanæ et peccati per Christum, cuius illa fuit typus. Ubi adverte. Redemptio Christi duplici nomine significatur, scilicet strage, et salute; ultione, et redemptione; indignatione, et pace; sanguine, et incolumitate. Hinc ab Isaia c. 59. 17. et c. 61. v. 63. et alibi, induitur Christus quasi dux cataphractus, qui furore divino in hostes irruat, proterat, trucidet; scilicet proterit impios, ut faciat pios: iidem ergo sunt trucidati, et redempti; hostes, et amici; sed secundum affectus et mores mutatos, alii et dissimiles: cuius rei typus fuit Cyrus. Sicut enim Cyrus in Babylone Chaldæos occidit, Iudæos salvavit; ita Christus in eodem homine peccatum et peccatorem occidit, virtutem et virtuosum suscitat, et vivificat; dum Petrum v. g. ebriosum, incestum, impium occidit, et pro eo suscitat Petrum sobrium, castum, pium, etc. Cyrus enim Christi typum gerit; Chaldæi, peccati et peccatoris; Iudæi, virtutis, fidelium et iustorum. Vide canon. 46. Ita ait S. Augustinus, homil. 9. in epist. 1. S. Ioan. *O si occidas eos* (impios) *de gladio bis acuto, et non sint hostes eius* (verbi Dei:) *sic enim amo eos occidi sibi, ut vivant tibi*. Ita et Prado. Sic quod ait hic: *In manu forti et furore*, subaudi, contra vitia, *regnabo super vos*, quasi homines iam dæmone et vitiis exutos et liberatos, atque in

Redemptio Christi fuit strages peccati, et vita virtutis in eodem homine.

*

novam vitam resuscitatos, Deoque et cælo viventes: *et iudicabor ibi facie ad faciem*, quia, cum Christus nostram culpam suscipiens, publice coram Pilato iudicatus et damnatus est, et pro culpa nostra satisfecit, nos cum illo iudicato et damnato, publice, adversario dæmone vidente, et nil, quod exigeret a nobis, habente, redempti, absoluti et liberati sumus: sicut palam, media luce, non noctu, intrepide egressi sunt Hebræi, liberati, et redempti ex Ægypto, Exod. 14. v. 8. Hoc est ergo iudicium Christi, et nostrum, quo nos per Christum absoluti; dæmon vero condemnatus, suaque potestate in homines exutus est: de quo ait Christus: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Et rursum: *Ille* (Paracletus) *arguet mundum de peccato, de iustitia, et de iudicio*, etc. *De iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est*, Ioan. 16. 11.

Vers. 37. ET SUBIICIAM VOS SCEPTRO MEO.) Hebr. *transire vos faciam sub virga*, scilicet, quasi pastor numerans sigillatim pecora, et cuiusque curam gerens. Hinc Christo nascente descriptus est universus orbis, ut Christus eos scriberet in libro vitæ æternæ, uti ait S. Gregor. homil. 8. in Evangel.

ET INDUCAM VOS IN VINCULIS FOEDERIS.) Id est, ut Hebr. *in vinculum fœderis*: q. d. Novum fœdus et pactum vobiscum inibo, eoque vos mihi devinciam tum per Esdram, tum potius per Christum.

Vers. 38 ET ELIGAM DE VOBIS TRANSGRESSORES.) Sicut olim rebelles Iudæos, quos eduxi de Ægypto, in deserto occidi, ut in terram Chanaan promissam non introirent: sic non tam sub Esdra, utpote sub quo omnes non tam educti, quam reducti sunt in Ierusalem; sed sub Christo Iudæos incredulos de sua terra per Titum in totum orbem expellam, et dispergam, ut nunquam ad eam regrediantur.

Vers. 39. POST IDOLA VESTRA AMBULATE.) Et nolite mihi, et meo templo offerre munera: quia indigni estis meo imperio, et nomen sanctum meum polluitis, dum me cum Baal comparatis et colitis, ac mihi offerre simulatis quæ idolis offertis, et qui idolorum cultores estis, meos vos esse dicitis, aut certe me simul cum idolis conferre et colere vultis. Ita Aquila, Chald. Septuag. et Hebræi. Unde et Symm. vertit, *ite et servite idolis, siquidem non auditis me.*

Vers. 40. IN MONTE SANCTO MEO, etc. IBI SERVIET MIHI OMNIS DOMUS ISRAEL.) q. d. Ne putetis me vestro cultu indigere, habeo alios, scilicet, qui redibunt Babylone in Ierusalem, qui mihi ibi servient. Secundo, et melius habeo Israelitas spiritales, scilicet Christianos, qui in monte, id est Ecclesia, quæ incipiet in monte Sion, mihi servient. Simile est Malach. 1. 10. et 11. Ita Mald. Prado, et alii.

IN TERRA.) Sancta scilicet, aut promissa, id est Ecclesia, quam vetus terra sancta præsignabat.

IN QUA PLACEBUNT MIHI.) Hebræa, *ibi occurram eis*, scilicet, quasi in amplexum sponsæ.

INITIUM.) Septuaginta, *primitias decimarum;* Hebr. משאותיכם *massotechem*, id est onerum vestrorum et debiti vestri, sive illud ex decimis, sive ex censu, quo quisque tenebatur Deo dare semisiclum, ex lege Exodi 30. v. 12. sive ex voto, aut aliunde sit debitum.

IN OMNIBUS SANCTIFICATIONIBUS VESTRIS.) Id est, in omnibus festis, quæ mihi sanctificabitis: vel potius, in omnibus sanctis vestris sacrificiis, decimis, oblationibus eritis mihi grati, quasi thymiama fragrantissimum et suavissimi odoris; hunc enim vocat *odorem suavitatis*, hebr. *quietis:* de qua phrasi disserui Genes. 8. v. 21. Sic Apostolus ait: *Ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata, in Spiritu sancto*, Rom. 15. 16.

Vers. 41 SANCTIFICABOR.) Id est, sancte colar, vel laudabor et glorificabor a Gentibus quasi sanctus, potens, beneficus, fidelis dux Israelis, in vobis scilicet liberandis sicut olim ex Ægypto, ita nunc e Babylone, et maxime e servitute diaboli extollendis et sanctificandis. Vel, *in vobis* passive,

A id est in vestra sanctitate, pietate, religione, *sanctificabor.*

ET DISPLICEBITIS VOBIS.) Septuag. *et percutietis facies vestras*, scilicet, quasi in vos indignantes; quod tam beneficum Deum offenderitis; Symmach. *et parvuli vobis videbimini*, id est, vos deiicietis, et humiliabitis. Prima enim Christi et Apostolorum vox fuit: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*, Matth. 3. 2. Vers. 43

Nota, hæc omnia de reditu e Babylone per Esdram; sed melius de redemptione hominum per Christum accipi: huic enim plene conveniunt, licet priorem perstringant. Vide canonem 5.

PONE.) Hæc pertinent ad materiam c. sequentis. Unde S. Hieronymus, et aliqui alii hinc ordiuntur c. 21. quia eiusdem est argumenti. Nota, *pone faciem tuam*, id est, obfirmata facie, libere et intrepide vaticinare. Vide c. 4. vers. 3. Vers. 46.

CONTRA VIAM AUSTRI, ET STILLA AD AFRICUM, ET PROPHETA AD SALTUM AGRI MERIDIANI.) Id est, contra Ierusalem, ut patet c. sequent. v. 2. Erat enim Ezechiel
B in Babylone; Ierusalem autem partim Australis, partim Occidentalis est respectu Babylonis, hoc est, proprie respicit Africum. Unde humum Israel vocat saltum agri meridiani, eo quod sit montosa et nemorosa, ac Meridionalis Babyloni. Ita Polychr. Licet Theodor. per *saltum* hunc Ierusalem accipiat, quæ, inquit, dicitur saltus ob sterilitatem fructuum, duritiam, mentis confusionem, et quia ferorum hominum erat receptaculum. Eadem phrasi utitur Isaias c. 9. 18. et Ierem. c. 21. 14.

STILLA.) Id est, ut Chald. *vaticinare*. Nam sermo similis est pluviæ, utpote qui ex ore dicentium in aures audientium, suaviter quasi stilla illabitur. Vide et aliam causam, quam dedi can. 48.

COMBURAM IN TE OMNE LIGNUM VIRIDE, ET OMNE LIGNUM ARIDUM.) Id est, omne omnino lignum, nullo excepto. Omne enim lignum vel viride est, vel siccum. Persistit in metaphora saltus. Hic enim lignis abundat, simulque innuit futurum urbis incendium. Sensus est, q. d. Vers. 47.
C Omnes, principes, et subiectos; senes, et iuvenes; divites, et pauperes, igni, id est vastationi Chaldæorum, tradam.

Secundo, melius S. Hieron. *Lignum*, ait, *viride vocat iustos, aridum vero peccatores*, q. d. Interficiam in te omnes, sanctos æque ac peccatores. Sanctos, ut ipsi captivitatis mala effugiant morientes: peccatores, ut suppliciis tradantur æternis. Sic enim cap. sequent. v. 3. explicans parabolam, ait, *Occidam in te iustum, et impium.* Huc allusit Christus Luc. 23. 31. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?*

FLAMMA SUCCENSIONIS.) Id est, flamma succensa non extinguetur ut prius, sed totam gentem et urbem comburam et evertam. Hebr. est *flamma flammæ*, id est, flamma continua et maxima, ut una continuo alteri succedat. Per flammam intelligit gladium, ut patet cap. sequent. v. 3. et quodlibet supplicium, ut dixi canon. 26.

COMBURETUR IN EA OMNIS FACIES AB AUSTRO USQUE AD AQUILONEM.) Vatabl. et R. David vertunt, *ignescent facies eorum*, q. d. Præ rubore et ignominia videbuntur
D ignescere et comburi omnes facies captivorum, tota via euntium, scilicet a Ierusalem in Babylonem.

Secundo *omnis facies*, id est. quidquid pulchrum et spectabile est tota Iudæa, tam ad Austrum, quam ad Aquilonem vergente, comburetur a Chaldæis. Ita Prado.

Tertio, Maldon. q. d. Omnes facies hominum adeo erunt fame et metu extenuatæ et pallidæ, ut combustæ esse videantur, uti ait Isaias cap. 13. 8.

PER PARABOLAS LOQUITUR ISTE?) Id est, ita obscure ut non intelligatur: vel q. d. Ipsi dicunt meum sermonem non esse prophetiam, sed parabolicum, ad ostentationem ingenii compositum. Ita Theod. Unde mox cap. sequent. apertius eadem proloqui iubet illi Dominus. Aliter Maldonat. q. d. Ipsi dicunt me delirare, ideoque parabolica, quæ nec intelligantur, nec inter se cohæreant, loqui. Vers. 49.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Explicat parabolam flammæ grassantis in silvam, quam proposuit in fine capitis præced. dicens: Gladius triplicatus exacutus est et limatus contra Ierusalem: vade quocumque faciei tuæ est appetitus. Secundo, v. 19. prædicit quod Nabuchodonosor in bivio sagittas commiscens, ex iis capiet omen an Ierusalem, an Ammonitas invadere debeat, omen vero casurum contra Ierusalem, itaque contra eam perrecturum regem: quocirca in eam exclamat, dicens: Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam. *Denique v. 28. eamdem vastitatem Ammonitis, ac v. 30. Chaldæis per Cyrum et Persas intentat.*

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pone faciem tuam ad Ierusalem, et stilla ad sanctuaria, et propheta contra humum Israel: 3. Et dices terræ Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, et eiiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te iustum et impium. 4. Pro eo autem quod occidi in te iustum et impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab austro usque ad aquilonem: 5. Ut sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem. 6. Et tu, fili hominis, ingemisce in contritione lumborum, et in amaritudinibus ingemisce coram eis. 7. Cumque dixerint ad te: Quare tu gemis? dices: Pro auditu: quia venit, et tabescet omne cor, et dissolventur universæ manus, et infirmabitur omnis spiritus, et per cuncta genua fluent aquæ: ecce venit, et fiet, ait Dominus Deus: 8. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 9. Fili hominis propheta, et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Loquere: Gladius, gladius exacutus est, et limatus. 10. Ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est: qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum. 11. Et dedi eum ad levigandum, ut teneatur manu: iste exacutus est gladius, et iste limatus est, ut sit in manu interficientis. 12. Clama, et ulula, fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel qui fugerant: gladio traditi sunt cum populo meo, idcirco plaude super femur. 13. Quia probatus est: et hoc, cum sceptrum subverterit, et non erit, dicit Dominus Deus. 14. Tu ergo, fili hominis, propheta et percute manu ad manum, et duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, 15. Et corde tabescere, et multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum, dedi conturbationem gladii acuti et limati ad fulgendum, amicti ad cædem. 16. Exacuere: vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus. 17. Quin et ego plaudam manu ad manum, et implebo indignationem meam: ego Dominus locutus sum. 18. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 19. Et tu fili hominis pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis: de terra una egredientur ambæ: et manu capiet coniecturam, in capite viæ civitatis coniiciet. 20. Viam pones ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, et ad Iudam in Ierusalem munitissimam. 21. Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas: interrogavit idola, exta consuluit. 22. Ad dexteram eius facta est divinatio super Ierusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones. 23. Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum, et sabbatorum otium imitans: ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. 24. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod recordati estis iniquitatis vestræ, et revelastis prævaricationes vestras, et apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris: pro eo, inquam, quod recordati estis, manu capiemini. 25. Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita: 26. Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit? 27. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: et hoc non factum est, donec veniret cuius est iudicium, et tradam ei. 28. Et tu fili hominis propheta, et dic: Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, et ad opprobrium eorum, et dices: Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias, et fulgeas, 29. Cum tibi viderentur vana, et divinarentur mendacia: ut dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. 30. Revertere ad vaginam tuam, in loco in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ iudicabo te. 31. Et effundam super te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo in te, daboque te in manus hominum insipientium, et fabricantium interitum. 32. Igni eris cibus, sanguis tuus erit in medio terræ, oblivioni traderis: quia ego Dominus locutus sum.

Vers. 2. STILLA AD SANCTUARIA.) Vaticinare contra Sanctum, et Sanctum sanctorum, quæ sunt quasi duo sanctuaria, id est sancta templa. Item contra atrium, et porticus, quod est locus et templum populi, in quo prædicarunt Christus et Apostoli. Hic clare explicat parabolam præcedentem, quam proposuit in fine cap. præced. Ita S. Hieron.

Vers. 3. ECCE EGO AD TE.) Scilicet converto faciem, et mitto furorem meum. Ita Chald. Est aposiopesis, significans Deum omnino indignabundum.

EIICIAM (educam, distringam) GLADIUM MEUM DE VAGINA SUA.) *Vagina*, ait Theodoretus, est Dei longanimitas, *gladius* est Dei vindicta et supplicium, quod exercuit per Chaldæos. Secundo et verius, gladius est Nabuchodonosor, uti explicatur v. 19. et 30. Vagina est patria eius, puta Babylon, ut patet v. 30. q. d. Nabuchodonosorem et Chaldæos educam de Chaldæa contra te o Ierusalem. Ita Maldon. Quod ergo parabolice cap. 20. v. 47. vocavit *ignem*, hic proprie vocat *gladium*.

A OCCIDAM IN TE IUSTUM, ET IMPIUM.) Dices, qua iustitia occidit Deus iustum? Septuag. ut hoc evadant, vertunt, *delebo ex te iniustum et iniquum;* Chaldæus, *migrare ex te faciam iustos tuos, ut perdam peccatores tuos.* Verum Hebræa habent, ut vertit noster, *occidam* ergo *in te iustum*, scilicet, qui se putat iustum, cum vere sit iniustus et reus. Est catachresis. Adde, Deus communi clade et excidio (quale erat Hierosolymæ) involvi permittit sontes, et insontes, non autem id facit in clade particulari, uti dixit c. 18. 4. Et sic hæc duo loca inter se concilia.

PRO EO AUTEM, q. d. Si meam gentem, Iudæos scilicet, Vers. 4.
ita punio, quanto magis puniam alienas, quæ lætatæ sunt de excidio Iudæorum, illudque adiuverunt, Zachar. 1. v. 14. puta Ammon, Moab, aliasque gentes, quæ habitant AB AUSTRO USQUE AD AQUILONEM.) Id est, ab Ierusalem usque ad Chaldæam. Verum, quia de solis Iudæis hic agit, de Ammon vero aget v. 28. et 30. hinc melius exponas, q. d. *Ego occidi*, id est, occidere decrevi, *iustum et*

impium, idcirco de facto et reipsa *egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro usque ad Aquilonem*, ut scilicet grassetur per totam Iudæam, ut trucidet omnes Iudæos habitantes a Dan usque ad Bersabee. Dan enim erat terminus Iudææ Aquilonaris, Bersabee Australis. Respondent hæc parabolæ cap. præced. v. 47.

Vers. 5. IRREVOCABILEM.) Quem nemo revocare et impedire poterit, scilicet, donec fecerit voluntatem meam, et compleverit iustam vindictam.

Vers. 6. INGEMISCE IN, id est præ, CONTRITIONE LUMBORUM.) Id est, geme uti solent ii, quibus contriti sunt lumbi, quales sunt parturientes; aut q. d. Geme vehementer, ita ut ob suspiria et gemitus lumbi tibi conteri et rumpi videantur. Ita S. Hieronymus, et Maldonatus.

IN AMARITUDINIBUS.) Scilicet animæ, id est, amare; Septuaginta, *in doloribus*. Nota, hoc præceptum fuisse efficax. Unde Ezechiel correptus fuit acri lumborum dolore, ex eoque gemitus profundos dedit. En quam dura subeunt Prophetæ, ut populum flectant, nimirum, *si vis me flere, flendum est tibi prius*.

B

Vers. 7. PRO AUDITU, id est, propter auditum, id est, rem auditam, QUIA VENIT.) q. d. Ingemisce, quia res audita, scilicet clades, quam audivi a Deo, iam adest, et venit in Iudæos, eorumque capiti imminet et impendet. Septuag. vertunt, *pro nuncio;* Vatablus, *propter rumorem*, scilicet adventantis hostis.

TABESCET, id est, pavore deficiet, et quasi liquescet, OMNE COR: INFIRMABITUR, Chaldæa, *obscurabitur;* Sept. *exanimabitur*, OMNIS SPIRITUS.) Id est, anima, et animæ vis et vigor. Deseret animus corpora, vis animum, ait Prado.

FLUENT AQUÆ.) Id est, sudor aqueus; vel potius, ut S. Hieronymus urina. *Naturale est enim*, inquit, *ut timore cogente vesica laxetur, et adversus hominis voluntatem humor defluat.* Vide canon. 55. Est hic hypotyposis, sive viva descriptio ingentis timoris et pavoris.

Vers. 9. GLADIUS, GLADIUS (Geminatio hæc significat terribilem et duplicem, id est multiplicem, Iudæis instare gladium, hoc est, multam et magnam cito fore eorum stragem) EXACUTUS EST, ET LIMATUS.) Id est, politus; est periphrasis instantis acris prælii: in eo enim solent milites gladios acuere et polire.

C

Mystice, gladius iræ Dei vindex et executor est diabolus, inquit S. Hieron. Sic contra Ammon clamat v. 28. *Mucro, mucro evagina te ad occidendum: lima te ut interficias, et fulgeas.* Idem contra Palæstinos vociferatur Ieremias cap. 47. v. 6. *O mucro Domini, usquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare et sile. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, etc. ibique condixerit illi?* Sic alibi sæpe Ieremias Ezechieli quasi chorus choro succinit et concinit; ut quod in Babylone vaticinabatur Ezechiel, hoc Hierosolymis iisdem sæpe verbis, quasi ἀντιφώνως et ἀντιστρόφως resonaret et responderet Ieremias. Similem gladium sæpe Deus gentibus ob peccata ostendit et intentavit. Sic per cometem habentem formam gladii, per annum integrum Hierosolymæ incubantem, eidem intentavit excidium per Titum, teste Iosepho lib. 6. Belli cap. 12.

Cometæ quasi gladii cælestes minitantes terræ.

D

Sic anno Christi 337. quo mortuus est Constantinus Magnus, ante mortem eius cometem inusitatæ magnitudinis diu refulsisse, prænuncium mortis eius, et cladium quas sub Constantio eius filio Ecclesiæ intulerunt Arriani, testis est Eutropius lib. 10.

Sic anno Christi 444. qui fuit Leonis primi Pontificis 5. Theodosii iunioris Imp. 37. cometes maiori anni parte ardere visus, minitans et portendens Hunnorum irruptiones in Romanum imperium, quas hoc anno facere cœperunt in Illyricum, ait Marcellinus in Chronico.

Sic anno Christi 632. qui fuit Heraclii Imper. 23. cometes in meridie gladii forma apparuit, minitans Christianis, præsertim Palæstinis, ob eorum peccata, irruptiones Saracenorum, puta Eububezer successoris Mahometis, quæ eodem anno contigit: ita Theophanes, et ex eo Baronius.

A

Sic anno Christi 679. cometes per tres menses apparuit, intentans gravem famem et pestem, quæ post tres annos secuta est, præsertim in Anglia, uti refert Beda l. 4. hist. c. 13.

Sic anno Christi 837. Ludovicus Imp. filius Caroli Magni, Aquisgrani videns cometem, qui post 25. dies tandem in capite tauri sub aurigæ pedes, igneum globum, iubarumque prolixitatem deposuit, sensit sibi mortem, regnoque mutationem portendi. Cumque Mathematici eum ab hoc sensu diverterent, citantes illud Ierem. c. 10. *A signis cæli nolite metuere, quæ pavent Gentes:* ille solita usus magnanimitate et prudentia, Non alium, inquit, timere debemus præter illum, qui nostri et huius sideris creator est. Sed eius clementiam non satis laudare et imitari possumus, qui nostram inertiam, cum simus peccatores et impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo et me, et omnes communiter hoc ostentum tangit; omnes pro posse et sapere ad meliora festinemus, ne forte misericordiam illo prorogante, et nostra impœnitudine impediente, nos illa inveniamur indigni. Quocirca ipse eleemosynas largissimas erogavit, Missarumque solemnia per quoscumque potuit, celebrari fecit, non tantum sibi metuens, quantum Ecclesiæ sibi creditæ prospiciens: ac mox Carolum filium regem coronans ad mortem se comparavit, quæ contigit anno Domini 840. ita refert auctor vitæ eius, et oculatus horum testis.

Sic anno Christi 729. apparuerunt cometæ duo circa solem, multum intuentibus terrorem incutientes. Unus quippe solem præcedebat orientem, alter vespere sequebatur solem occidentem, quasi Orienti simul et Occidenti diræ cladis præsagi. Portabant autem faciem ignis contra Aquilonem, quasi ad accendendum acclivem. Quo tempore gravissima Saracenorum lues Gallias misera cæde vastavit, inquit Beda lib. 5. histor. cap. 24. Fuerunt ergo hæ quasi duæ linguæ igneæ, quæ strages in miseros Christianos, in sacra templa direptiones, incendia et sacrilegia, in sacerdotes cædes, in sacratas Deo virgines stupra, etc. prænunciarunt, inquit Baronius.

Sic anno Christi 1110. cometes apparens portendit bellum acre, et vincula dura, quæ Romanæ Ecclesiæ intulit Henricus IV. Imper. eodem anno in Italiam adveniens: ita Petrus Diacon. Chron. Cassin. lib. 4. c. 37.

UT CÆDAT VICTIMAS.) Quia Deus cæde impiorum honoratur et placatur quasi victimis, Iosue 7. 25. Isa. 34. 6. Rursum vox *victimas*, significat ingentem fore cladem, ut scilicet homines more pecudum mactentur. Unde Hebr. est, *ad mactandum mactationem*, vel, *ad victimandum victimas*. Hæc enim eiusdem vocis geminatio magnam auxesin continet. Similis phrasis est Ierem. 46. 10. Vers. 10.

UT SPLENDEAT.) Id est, splendore suo percellat Iudæos.

QUI MOVES SCEPTRUM FILII MEI, SUCCIDISTI OMNE LIGNUM.) q. d. O gladie Chaldæorum, *qui* suo loco *moves*, id est destruis, virgam et *sceptrum*, id est regnum, *filii mei*, scilicet Israelis, *succidisti*, id est succides etiam facilius, *omne lignum*, id est, omnem alium populum, et gentem. Unde Septuag. vertunt, *interfice, contemne, repelle omne lignum.* Iam Hebræa habent, ut vertunt Vatabl. et alii, *quomodo gaudebimus* (scilicet de gladio isto) *qui perdit, et abiicit tribum filii mei, et omnem arborem?* q. d. Nequaquam hic gaudendum est, quasi gladius hic stringendus sit in hostes, cum magis in tribum filii mei, scilicet in Iudam, sæviturus sit, quam in reliquas gentes. Verum nostra lectio est verior et congruentior. Videtur interpres noster pro אר נשיש *o nasis*, id est, *quomodo gaudebimus*, legisse מנשיא *mansi*, id est, *auferens, movens*: in utraque enim voce litteræ Hebrææ sibi similes sunt, et vicinæ. Ita Maldon. Prado, et alii. Denique Chald. vertit, *ut occidat occisionem evaginatus est, ut faciat ultionem exacutus est: pro eo, quod lætatæ sunt tribus Iuda et Beniamin ob tribus Israel, quando migraverunt, quia servierant idolis, et conversæ sunt ipsæ ut errarent post simulacra lignea.*

DEDI EUM AD LEVIGANDUM.) q. d. Exacui et polivi hunc gladium, scilicet vires et arma Chaldæorum, ut melius Vers. 11.

scindat, penetret, occidat, dum tenetur manu, scilicet hostium Chaldæorum. Ita Vatabl. Vel, ut Prado, *ut teneatur manu*, scilicet Dei, qui ducem agit in exercitu Babyloniorum.

Vers. 12. HIC FACTUS EST IN POPULO MEO.) *Hic factus est* ut exeratur: vel potius *hic factus est*, id est, fiet et exeretur in populum meum, et in cunctos duces, QUI FUGERANT.) Id est, qui fugient, puta in Sedeciam, eiusque principes, qui fugientes a Chaldæis capientur et occidentur, Ierem. 52. 10. Alii explicant de Iohanan, aliisque ducibus, qui post cædem Godoliæ fugerunt in *Ægyptum*. Hi enim ibi a Chaldæis cæsi sunt, Ierem. 43.

PLAUDE SUPER FEMUR.) More scilicet stupentium, et valde dolentium percute femur. Simile est Ierem. 31. 19.

Vers. 13. QUIA PROBATUS EST.) Scilicet gladius esse probus, politus, et aptus ut scindat et occidat; Septuag. *quia iustificatus est*, id est, iudicatus aptus muneri suo; Aquila, *quia investigavit*, id est, etiamsi quis abdiderit se, hunc tamen inveniet hic Dei gladius. Est enim instar Dei centoculus, ut Argus.

ET HOC CUM SCEPTRUM SUBVERTERIT, id est, regnum Iuda, ET NON ERIT.) Id est, ita ut non sit: q. d. Gladius hic se probavit, cum sceptrum Iuda tam validum succidit, quod aptus sit ad succidendas alias gentes. Septuaginta, *et quid si etiam tribus Iuda repellatur?* R. David, et Hebræi aliter vertunt, nimirum: *et quid si etiam sceptrum reprobaverit?* id est, prætermiserit, non occiderit, sed illi pepercerit; *non erit*, scilicet probatus, hoc est, frustra politus acutusque fuerit. Verum reprobare, non est parcere.

Vers. 14 PERCUTE MANU AD MANUM.) Præ admiratione, stupore et dolore complode manus semel, secundo, et tertio: quia secundo, et tertio veniet gladius Chaldæorum ad interficiendum Iudæos, scilicet primo, sub Ioakim; secundo, sub Ioachin; tertio, sub Sedecia. Ita S. Hieron. Hic ergo gladius triplicatus *est occisionis magnæ*, præsertim sub Sedecia capta Ierusalem futuræ. Hebræi vertunt, *interfecti magni*, id est, interfectorum magnorum, qui scilicet multos magnates occidet.

QUI OBSTUPESCERE EOS FACIT.) Hebraica, *qui penetrat eos*, ut sanguine effuso fiant rigidi et stupidi. Nam Hebr. חדר *cader* significat penetrale: q. d. Esto fugiatis in Ægyptum, aut in silvas et speluncas, gladius hic vos persequetur, etiam usque ad intima penetralia. Unde Vatabl. vertit, *gladius qui versabitur in cubiculis*, ut scilicet occidat cives in iis latitantes. Alii vertunt, *gladius qui hactenus delituit*. Verum S. Hier. Septuag. et Chald. vertentes, *qui obstupescere*, aut, *contremiscere faciet eos*, pro חדר *chader* per metathesin legerunt חרד *charad*, id est, tremere, percelli, obstupescere.

Vers. 15. ET CORDE TABESCERE.) q. d. Faciet hic gladius, ut cor dissolvatur, et quasi liquefiat.

MULTIPLICAT RUINAS.) Id est, cadavera, quæ in terram corruent, et in quæ transeuntes impingant. Unde hebr. est מכשלים *michscelim*, id est, offendicula. Simile est illud psal. 109. 6. *Iudicabit in nationibus*, *implebit ruinas*, id est cadavera multiplicabit, multos occidendo.

IN OMNIBUS PORTIS DEDI CONTURBATIONEM.) Id est, multi in portis fugæ occasionem quærent, sed incident in hostes, qui eos percellent et occident. Ita Scholiast.

LIMATI AD FULGENDUM.) Septuag. *sicut fulgur pertransi.* Sic enim legunt Complut. et Theodor. licet Romana legant, *benefactus est ad fulgorem*. Hebr. enim ברק *barak* et fulgur et fulgorem significat. Sic dicuntur duo fulmina belli Scipiadæ. Sic Apelles pinxit Alexandrum quasi fulmen, subito pervadens et perstringens orbem, sed cito disparens. Sic hoc epitaphium datum est Ludovico Imper. filio Caroli Magni, qui mortuus est anno Christi 840. uti refert auctor vitæ eius:

Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Excitus a sæculo conditur hoc tumulo.

GLADII AMICTI AD CÆDEM.) *Amicti*, id est obvoluti, palliati, q. d. Sicut carnifex gladio præcisurus rei caput, A gladium limat et acuit, et limatum ne maculetur involvit et tegit, non vagina, sed, ut eum ad manum habeat, et reo inscio subito caput amputet, sub pallio aut veste: ita gladius hic Dei amictus est, id est, pallio tectus, quasi paratus ad subitam cædem. Hinc Prado, *amicti*, ait, id est, ex amictu, sub quo latebat, repente exempti ad cædem. Idem aliter quoque vertit Hebræum מעטה *meutta*, scilicet *involantis* ad cædem, instar rapacis avis, quæ prædam expansis alis operiendo opprimit. Aliter Maldon. *amicti*, ait, id est, qui baltheo accinctus est militi: involutus est enim et amictus corrigiis gladius, cum eo miles accingitur. Aliter et Vatabl. *gladii involuti*, id est, ait, inserti suo capulo, aut manubrio, ut manu ferientis teneri possit.

EXACUERE, o gladie, VADE AD DEXTERAM, SIVE AD SINISTRAM, QUOCUMQUE FACIEI TUÆ, id est aciei tuæ, EST APPETITUS.) Id est, impetus: hoc est, in quamcumque partem voles, id est, volet Chaldæus, qui te manu vibrat, grassare, q. d. Libere qua volet, quaquaversum grassabitur occidendo Chaldæus. Hebr. est, *uni te, o gladie dex-* B *tra te, pone te, sinistra te, quocumque facies tua parata est*, id est, pone faciem tuam ad dexteram, aut ad sinistram, id est, ito quocumque voles, et obvios quosque ad quamcumque partem trucida. Noster interpres pro *uni te*, vertit *exacuere*: quia Hebr. אחד *achad*, id est univit, affine est voce et significato verbo חדד *chadad*, id est acuit: quia dum ferrum, v. g. gladius coti allisus unitur, tunc acuitur; eoque magis acuitur, quo magis eius acies unitur, stringitur, et quasi in punctum per cotis allisionem redigitur. *Achad* ergo ponitur pro *chadad*; et *chadad* ab *achad* suam coniugationem Hitpael mutuatur. Vers. 16.

PLAUDAM MANU AD MANUM.) Non ex dolore, quo doleo vicem populi indurati, ut vult Vatabl. et R. David: sed præ exultatione et insultatione ac indignatione, quam complebo in hostes meos. Unde S. Hieron. *Dominus*, ait, *exultat, quasi hortator gladii sævientis;* et Chald. vertit, *adducam ultionem super ultionem*. Sensus est, q. d. Tu, o Ierusalem, plaudes manibus, iisdem plaudam et ego; C sed tu præ dolore, ego præ gaudio, insultans tibi quasi hosti meo. Sic plaudere est gestientis et insultantis Psal. 46. 1. Thren. 2. 15. 4. Reg. 11. 12. et alibi. Vers. 17.

PONE TIBI DUAS VIAS.) Describe tibi viam unam e Chaldæa in duas partes, sive semitas divisam, quarum una ducat in Ierusalem, altera in Rabbath, id est Philadelphiam, ut repræsentes tibi et populo deliberationem et viam Nabuchodonosoris: scilicet, quod ipse cum veniet, *in capite viæ*, id est in bivio, ubi duæ viæ ad duas civitates ducentes coeunt, tunc manu capiet coniecturam, utram viam ingredi, et utram urbem aggredi debeat, ac divinatione facta, viam inibit versus Ierusalem. Hæc omnia in charta, vel latere, vel assere depingere, et reipsa populo repræsentare iubetur hic Propheta, scilicet narrationem sequentem de omine, quod cepit Nabuchodonosor dum dubitaret an Iudæos, an Ammonitas invadere deberet. Sic iussus est cap. 4. obsidionem urbis in latere depingere. Vers. 19.

UT VENIAT GLADIUS.) Id est, quibus (scilicet viis, ut D præcessit) venire potest exercitus Chaldæorum.

CONIICIET.) Coniecturam capiet ex sortitione, et omine, quod subdit.

VIAM PONES.) Id est alteram viam describes, qua exercitus Chaldæorum ad Rabbath metropolim Ammon venire possit; alteram, qua ad Ierusalem. Vers. 20.

STETIT.) Id est, stabit Nabuchodonosor captans omen. Vers. 21.

COMMISCENS SAGITTAS.) Ut scilicet uni sagittæ inscribens nomen Rabbath, alteri nomen Ierusalem, deinde commiscens eas in pharetra, et clausis oculis unam educens, sorte disceret eo sibi esse eundum, cuius nomen illa continebat; Deo autem volente Ierusalem per eum punire, et manum eius dirigente, eduxit illam cui inscriptum erat Ierusalem; contra eam ergo perrexit. Ita S. Hieron. Omen Nabuchodonosor per sagittas quale?

Potest ex Hebræo verti, *iaciens sagittas*, ut scilicet mistim recta in altum librans duas vel tres sagittas, videret an in dextrum versus Ierusalem, an in sinistrum versus Rabbath caderent, et eo, quo caderent, pergeret. Ita Chald. et Polychr. et hoc videtur aptius ad capiendum

omen viæ: ac Hebr. קלקל *kilkal*, significat leves, vel veloces fecit sagittas, scilicet eas iaciendo in altum. Unde Syrus vertit, *immisit sagittam;* Arabicus uterque, *iniecit sagittam.*

Tertio, Vatabl. vertit, *polivit sagittas*, id est, ferrum sagittarum ut splenderet, in eoque splendore cernerent divinatores qua eundum esset, uti iidem aspicere solent in ungue pollicis manus splendente, ex eoque divinare. Ita et R. David, et R. Salomon. Volunt ergo hic significari genus divinationis catoptromanticum, quo augures in splendenti cuspide, velut in crystallo vel ungue, futura inspiciebant. Sed cum hoc sit recentiorum commentum, præstat S. Hieronym. et Septuag. versionem et explicationem sequi. Ita Delrio lib. 4. Disquis. magic. c. 2. quæst. 7. sect. 3.

Septuaginta vertunt, *ut faciat ebullire virgam.* Græci hanc vocant βελομαντειαν vel ραβδομαντειαν, id est divinationem per sagittas, aut per virgas. Hanc superstitionem Chaldæorum imitati sunt Hebræi, ut docent S. Hieron. Cyril. et Theoph. in illud Osee 4. *Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus eius annunciavit ei*, scilicet futura. Porro fuisse apud priscos varias divinandi rationes per virgas aut baculos in sublime iactos, docet Cælius Rhodiginus l. 7. Antiq. lect. 29. Porro rex hic omen captat sagittis, non libris, vel alia re, tum quia oraculum quærebat de bello, in quo de more pugnaturus erat sagittis: tum quia oraculum hoc poscebat e cælo a diis, ad quos iaciebat sagittam in altum. Ita *Abaris sagitta*, symbolice est mens contemplans, et evolans ad Deum et divina, ait B. Greg. Nazianz. et ex eo Nicol. Causinus l. 12. Paral. histor. c. 49. Narrant enim, vel potius fabulantur Abarim Scytham sagittam tanta vi iecisse, ut a Græcia usque ad Scythas transvolarit, quod B. Nazianz. explicat, affertque quasi typum mentis, quæ contemplationis alis subnixa ad cælum fertur celeritate ingenti: et ut Abaridis sagitta patriam, sic illa Beatorum domicilium appetit.

Sortes et omina veterum. Iuliani Apostatæ.

Nota. Fuerunt apud veteres, Gentiles maxime, valde usitatæ hæ sortes, et hæc omina. Iulianus Imp. (uti scribit Ammian. Marcell. libr. 32.) Babylonio equo cadente, et ex lapsu cum ornamentis ruente ad terram, inde coniectavit Babyloniam suæ ditioni subiectam iri.

Cæsaris.

Cæsar, exscensione facta in littus Africanum, forte impedito pede pronus lapsus est in arenam. Hunc casum, ut infaustum aliqui exceperunt: ipse autem ut animum suis ex eventu tristibus adderet, utraque manu constringens arenam, alta voce clamavit: *Teneo te Africa.* Ita Dio lib. 42.

Guillielmi Normanni.

Simile imperii omen accepit Guillielmus Normannus, Angliam invadens. Confestim enim ut e navi egressus est, parum lapsus fixit alte pedem in arena. Quo viso miles lætitia exultans, et alacer ait: *Iam dux firmo pede Angliam tenes.* Testis est Polyd. l. 8. hist. Anglic.

Cæsar cum somniasset se nocte fœde cum matre copulatum; hoc eius potentiam et imperium in remp. prænunciare affirmarunt augures. Unde patet, ipsos hæc ostenta ad gratiam, hominumque arbitrium, non ex firma aliqua ratione interpretari solitos.

S. Gregorii.

Verius et divinius Dei instinctu omen accepit de conversione Angliæ S. Gregor. uti habet Ioannes Diacon. lib. 1. eius vitæ cap. 21. 23. et 24. Cum enim Romæ venales in foro videret pueros candidos et venustos, sed Paganos, Paganorum filios, ingemiscens, rogavit quo nomine vocarentur. *Mercator respondit, Angli vocantur. At ille, Bene, inquit, Angli quasi angeli: quia angelicos habent vultus, et tales angelorum in cælis decet esse concives. Iterum ergo interrogat, quod nomen haberet ipsa provincia. Mercator respondit: Provinciales illi Deiri vocantur. Et Gregorius: Bene, inquit, Deiri; quia de ira sunt eruendi, et ad Christi gratiam convocandi. Rex, ait, illius provinciæ quomodo nuncupatur? Mercator respondit: Aelle vocatur. Et Gregorius alludens ad nomen, dixit: Bene, quia rex dicitur Aelle: Alleluia enim in laude creatoris in partibus illis oportet decantari.* Quocirca ipse in Angliam a Benedicto Pontifice mitti petiit et impetravit. Et ecce aliud eius omen. Cum enim in Angliam pergeret, in loco quopiam quiescens, et lectitans, *superveniens locusta coegit eum paululum a legendo quiescere, et ex consideratione nominis docuit eum in eodem loco restare debere. Tunc fertur dixisse: Locusta, inquit, dici potest quasi loco stat.* Mox supervenientes legati a Pontifice, eum redire compulerunt. Populus enim Romanus id a Pontifice petierat, imo extorserat, dicendo ei: *Petrum offendisti, Romam destruxisti, quia Gregorium dimisisti.* Nimirum Deus eum non Angliæ, sed totius Ecclesiæ Doctorem et rectorem destinabat. Quocirca ipse paulo post creatus est Pontifex, ac mox S. Augustinum cum sociis in Angliam destinavit, qui eam ad Christi fidem converterunt.

Ita S. Eustratius, nobilis in Armenia sub Diocletiano Martyr, cuius reliquias Romæ in Collegio Germanico veneratus sum, martyrii avidus, sed sævitiam præsidis pertimescens, hoc Dei instinctu martyrii omen captavit. Iussit famulo ut zonam suam in altari deponeret, observaretque num presbyter Auxentius vir sanctus, ad orandum ingrediens, illam de altari tolleret, an non. Si tolleret, non dubitabat felicem fore successum martyrii; sin minus, debere se latere, nec ingerere se martyrio. Contigit ergo Auxentium tollere zonam, quod intelligens Eustratius lætus exiliit, Martyrumque in carcere vinctorum precibus se commendans, Lysiæ præfecto se stitit, et mira libertate se Christianum professus, gloriosum martyrii agonem fortiter obiit. Ita habet eius vita 13. Decemb.

INTERROGAVIT IDOLA, EXTA CONSULUIT.) Triplicem ergo rex divinationem captavit: primo, ex sorte et omine sagittarum, de quo iam dixi; secundo, petendo oraculum a Bel, Nebo, aliisque suis idolis; tertio, consulendo exta. Exta proprie vocantur cor et pulmo, ab extando; quia in parte superiore locantur: item, splen, hepar, ventriculus; quia supra inferiora intestina locantur. Exta dicuntur, ait Festus, quod ea diis prosecentur, quæ maxime extant eminentque. Per hæc divinabant Gentiles, considerando victimæ cor, hepar, stomachum, etc. eorumque situm et seriem: unde tales divinationes appellarunt extispicia, ab extis inspiciendis; ac divinator vocabatur Extispex: ita Cicero l. 2. de Divinat.

AD DEXTERAM EIUS FACTA EST DIVINATIO.) Per sortes sagittarum iam dictas, forte etiam per responsa idolorum et aruspicum intellexit ineundam sibi esse viam versus Ierusalem. Eo enim ire verebatur Nabuchodonosor, ait S. Hieron. memor ibi ab angelo cæsa esse Assyriorum 185. millia una nocte, et sciens urbem esse munitissimam. Vers. 22.

UT PONAT ARIETES.) Bellica scilicet instrumenta, quibus quatiat portas et muros Hierosolymæ.

UT APERIAT OS IN CÆDE.) Ut in cædem suos milites ore adhortetur et accendat.

IN ULULATU.) Septuag. *in clangore tubæ.*

ERITQUE QUASI CONSULENS FRUSTRA ORACULUM IN OCULIS EORUM.) q. d. Iudæis videbitur frustra ex sua divinatione Nabuchodonosor venire contra Ierusalem. Putant enim ipsi eam esse inexpugnabilem: sed ignorant non idola, sed Deum sortes ita moderatum, ut rex Ierusalem sibi expugnandam deligeret, ac proinde illum Dei nutu et ope eam certo expugnaturum. Vers. 23.

ET SABBATORUM OTIUM IMITANS.) Id est, ut S. Hier. videbitur Iudæis Nabuchodonosor quasi sabbatorum otium tenere, ludere videlicet, et nihil operis perpetrare omni suo apparatu bellico. Sept. Hebræa ad verbum vertunt, εβδομαζων τας εβδομαδας αυτοις, id est, *videbitur eis hebdomadas hebdomadatim computare.* Aliter Vatabl. et Kimchi vertunt, *iurantes iuramenta illis*, q. d. Non credent Iudæi venturos Chaldæos, quia cum eis fœdus iuramento sanxerunt. Aliter et R. Salomon, et Chald. vertunt, *septies septem*, id est 49. vicibus, *sortem misit Chaldæus, et toties exivit contra Ierusalem.* Hebræum enim שבע *sceba*: primo, significat septem; secundo, septimum diem, puta sabbatum; tertio, septimanam; quarto, iuramentum. Veteres enim iurabant per septenarium, uti ostendi Gen. 21. 28. Hinc rursum alii vertunt, *iuramenta*

iuramentorum ipsis, id est, quia ipsi, scilicet Iudæi, fidunt pactis et iuramentis, quibus promisit Deus se urbem et templum tutaturum, hinc securi degunt, putantes urbem, utpote Dei præsidio tutam esse inexpugnabilem. Unde apte sequitur:

IPSE AUTEM, scilicet Nabuchodonosor, RECORDABITUR INIQUITATIS.) Iudæorum, et maxime perfidiæ et periurii Sedeciæ, contra fidem Chaldæis datam rebellantis, q. d. Mox ut sors cecidit contra Ierusalem, exclamavit Nabuchodonosor: Iustum hoc est Dei iudicium, et punietur perfidus Sedecias.

Vers. 24. PRO EO QUOD RECORDATI ESTIS.) Commemorastis, propalastis, iactastis vestras iniquitates (ita ut et hostes eas audiant et exsecrentur) iustum est ut eis vos tradam.

Publicas clades tantum ob publica peccata immittit Deus. Nota, publicas clades non immitti nisi ob publica peccata, maxime cum ea impii prædicant et iactant: tunc enim clamant in cælum, indeque vindictam provocant.

MANU, scilicet Chaldæorum, CAPIEMINI.) Ita Chald.

Vers. 25. TU AUTEM PROFANE) Hebr. חלל *chalal*, id est pollute; Chaldæus, *qui es reus mortis*; Vatabl. *ad occisionem damnate*. Loquitur Sedeciæ fœdifrago.

CUIUS VENIT DIES, scilicet ultionis, IN TEMPORE INIQUITATIS.) Eo tempore, quo tu inique iuramentum violasti, *præfinita* a Deo. Posset verti, *in tempore iniquitatis præfinitæ*, id est consummatæ, quo scilicet consummata impietate tua maxima, illius et regni tibi instat finis et consummatio. Unde alii vertunt, et explicant, *in tempore iniquitatis finis*, id est in tempore, quo iniquitas tua per excidium finienda erit: aut, in tempore, quo iniquitas tua tibi finem regni afferet. Ita R. David.

Vers. 26. AUFER CIDARIM, TOLLE CORONAM.) Id est ut Theod. et Chald. tolle Saraiam pontificem, eumque pontificali cidari, et sacerdotio spolia: tolle et coronam regiam ex capite Sedeciæ. Sed quia uni tantum loquitur, scilicet duci, id est regi, melius sic accipias, ut idem sit cidaris et corona, scilicet fascia alba, qua caput circumligabant. Hæc enim olim regibus erat corona (et inde dicitur diadema a διαδεῖν, id est a circumligando) sicut in veteribus numismatibus Imperatores sculpuntur fascia caput redimiti, et coronati. Et hoc significat Hebr. מצנפת *mitsnephet*: צנף *tsanaph* enim est involvere. Sic Plutarchus in Lucullo, narrat uxorem Mithridatis diademate suo collo circumdato, se suspendisse. Et Iustinus l. 15. Alexandrum suo diademate Lysimacho vulnus alligasse, quod omen fuit eum futurum regem. Et Dion in Pompeii vita, refert Tigranem candidam fasciam ante Pompeii pedes abiecisse, quasi insigne regium et regnum ipsi subiiceret. Ita Maldon. et Prado, qui et addit: Vel certe cidarim vocat pileum, coronam vero fasciam iam dictam pileo circumductam.

Diadema olim quale, et unde dictum?

NONNE HÆC EST, QUÆ HUMILEM SUBLEVAVIT?) Hæc corona regalis humilem Ioachin sublevavit ad thronum regium. Evilmerodach enim videns Ioachin humilem, regium ei habitum et coronam restituit: vel potius, q. d. Hæc corona Sedeciam cum humilis esset, in regnum et gloriam evexit; iam eumdem ob superbiam deiiciet et humiliabit: corona enim hæc amat et sequitur humiles, odit vero et fugit superbos. Honor enim et celsitudo sequitur fugientes, fugit sequentes et ambientes. Ita Chilon, vel, ut alii volunt, Æsopus, rogatus quid Iupiter faceret? respondit: *Excelsa deprimit, depressa exaltat*. Aliter S. Hieron. Hæc, ait, est cidaris et corona quæ nihil fecit iuste: nam *humilem*, id est, eum qui humiliari debebat (puta Sedeciam) *sublevavit* et *sublimem*, id est, eum qui sublimari debebat, v. g. Ioachin, *humiliavit*. Aliter et Hector Pintus: q. d. Hæc est potestas regia Sedeciæ, quæ iustitiam pervertit, scilicet humiles et viles, quos debebat abiicere, extollendo; et sublimes ac egregios, quos extollere debebat, humiliando. Hinc propone ei iniquitatem triplicem: primam, quam fecit contra me; secundam, quam fecit contra populum; tertiam, quam fecit contra Nabuchodonosor, dum fœdus cum illo initum violavit.

Vers. 27. INIQUITATEM, INIQUITATEM, INIQUITATEM PONAM EAM.) Hebr. עוה *ava*, id est *perversitatem*, *curvitatem*, *obliquitatem ponam eam*, scilicet coronam regiam Sedeciæ et Iudææ, q. d. Efficiam ut Sedeciæ cidaris, vel tiara, quæ prius recta erat more regum, incurvetur, idque sensim et tertio, scilicet primo, a Nabuchodonosor; secundo, ab Antiocho et Græcis; tertio, et plene a Tito et Romanis. Simplicius æque ac planius posset iniquitas tam proprie pro culpa, quam figurate accipi pro pœna iniquitatis, q. d. Proponam et omnibus ostendam eius iniquitates multiplices, hoc ipso, quo eam per Chaldæos puniam, deprimam, et ad terram incurvabo. Per trinam enim iniquitatem, significat omnem: item magnam et multiplicem. Ternarius enim symbolum est multitudinis et universitatis. Tria enim sunt omnia, scilicet, prima, ait Aristot. Nec enim de uno, nec de duobus, sed de tribus primo dicitur, quod sint omnes, vel omnia. Huic expositioni favet Syrus, dum vertit, *atque etiam hanc in iniquitatem et fraudem* (oppressionem) *faciam eam*; et Arabicus Antioch. *et hanc etiam iniquitas, et ignorantia fecit eam*; et Arabicus Alex. *et hunc facite illum in iniquitatem et fallaciam*.

ET HOC NON FACTUM EST, q. d. Hoc non fiet, scilicet non omnino curvabitur et deiicietur corona regni Iudaici DONEC VENIRET, id est veniat, CUIUS EST IUDICIUM.) Id est, ius ad regnum hoc. Is est non Nabuchodonosor, ut vult Lyrau. et Pintus; non Zorobabel, ut Polychr. sed Christus, cui Pater omne iudicium dedit Ioan. 5. 22. Quia qui post Sedeciam Iudæorum fuerunt reges ex Machabæis, uti Alexander, Aristobulus et Hyrcanus, non tam iure hæreditario, quam vi regnum adepti sunt, ait S. Hier. Hinc alii vertunt, *curvam*, *curvam ponam illam*, scilicet coronam Iudææ, id est faciam ut nullius capiti quadret, *donec veniat* Christus, *cui debetur*, et cui reposita est.

AD FILIOS AMMON.) Hic Propheta a Iudæis transit ad Ammonitas, eisque simile excidium intentat; eo quod Iudæos cognatos et vicinos suos, cum a Chaldæis vastarentur, irriserint, et eorum possessiones invaserint. Ierem. 49. v. 1. Vers. 28.

AD OPPROBRIUM EORUM.) Quo Ammonitæ exprobrabant Iudæis, et Deo eorum quasi imbelli, quod Nabuchodonosor v. 21. ad eos deflexisset, quasi Ammonitas invadere non ausus. Idem prædicit Sophonias c. 2. 8.

MUCRO, MUCRO EVAGINA TE AD OCCIDENDUM, LIMA TE.) Corrige cum Hebræis, Græcis, Romanis, *evaginate*, *limate*, in vocativo: q. d. O mucro Chaldæorum, tu iam evaginatus es, et limatus, ut post Ierusalem sævias in Ammonitas. Hebr. est, *o gladie*, *o gladie aperte*, id est qui iam apertus, evaginatus et districtus es, ut fulgeas, et occidas Ammonitas.

LIMA TE UT INTERFICIAS, ET FULGEAS.) Leo Hebr. vertit, *politus ut consumas, et in hoc splendes*; Vatablus, *politus est ut sustineat, et propter fulgorem*; hoc est, inquit, *politus est ut sufficiat multis interficiendis, et ut terreat suo fulgore* (quasi fulgure. Hebr. enim ברק *barak*, tam fulgur quam fulgorem significat) *perdendos*; Sept. *evaginatus ad consumptionem, surge ut fulgeas*; alii, *tersus ad capiendum*, ut scilicet capias et contineas multorum cædes et strages. Ita Pineda ex Complut. lib. 5. de rebus Salomon. c. 5. Hæc omnia eodem recidunt. Hebr. enim הכיל *hachil* descendit a rad. כול *cul*, quæ significat posse, sufficere, sustinere, consummare, omnia complecti. Nomen enim *col* idem est quod *omnis*. Significat ergo universalem omnium cædem et interfectionem. Porro Syrus vertit, *mucro, mucro, qui paratus* (aptatus) *es ad occisionem, et exacutus es, et fulgens*; Arabicus Ant. *et dic, gladius, gladius extractus, paratus est ad occisionem*; Arabicus Alex: *o gladie parate ad occisionem, qui limatus es, qui refulges, dominare super visiones eorum vanas et falsas*.

CUM TIBI VIDERENTUR VANA, ET DIVINARENTUR MENDACIA.) q. d. Hinc mucro tibi paratur, o Ammon, cum tui pseudo prophetæ mendaciter tibi promittunt immunitatem ab eo, et securitatem: sicut ante contra Iudæos paratus et limatus est, cum ipsi falsis Prophetis confisi, non credebant eum contra se venturum. Nota. Hæc ver- Vers. 29.

ba quasi per parenthesin interseruntur. Unde sequitur: Ut dareris, scilicet, o mucro, super colla vulneratorum impiorum.) Scilicet Ammonitarum, æque ac ante super colla Iudæorum datus fuisti.

In tempore iniquitatis.) Vide dicta v. 25.

Vers. 30. Revertere ad vaginam tuam, scilicet, o Chaldæe, qui es mucro vindex Domini, peracta vindicta redi in Chaldæam: ibi iudicabo te.) Id est, puniam tuam tyrannidem et alia scelera, uti per te alias gentes punivi. Babylonem enim Cyrus evertit. Ita S. Hier. et Theod. Transit enim hic Propheta ab Ammon ad Chaldæos, quibus simile per Cyrum excidium comminatur.

Vers. 31. In igne furoris mei sufflabo in te.) O mucro, in fornace quasi ignita, et sufflando accensa igni te tradam, ut consumaris. Ita S. Hier. Unde aliqui vertunt, *ignem furoris mei sufflabo in te*, id est furorem meum quasi sufflando magis et magis accendam in te.

Daboque te in manus hominum (hostium) insipientium.) Potest Hebr. בערים *baarim*, verti cum Sept. et Vatablus, *barbarorum*, qui nullam personæ, ætatis, aut sexus rationem habeant: vel ut Prado, *ardentium*, scilicet, qui quasi in igne furoris sui fabricant tibi interitum, ut sequitur: significat impetum et furorem Persarum contra Babylonios. Ita Polychron. Rursum, eos bellis assuetos, mactandi et iugulandi peritos, ac in cædibus perpetrandis versatos et exercitatos esse.

Vers. 32. Igni eris cibus.) Igne combureris.

Sanguis tuus erit in medio terræ.) Sanguis tuus absorbebitur et absumetur a terra, ut nemo ulciscatur cædem tuam. Hoc enim significare hanc phrasin, patet Iob 16. v. 18. ubi dicitur, *Terra ne operias sanguinem meum*, q. d. Fac ne moriar inultus. Cum enim sanguis videtur, reducit in memoriam cædem patratam, et requirit vindictam. Secundo, et melius, q. d. Non in latebris, et operte, sed aperte et publice occideris. Tertio, et optime, q. d. Nullus amicorum colliget sanguinem tuum et cadaver, ut sepeliat, sed in sanguine tuo computresces. Unde sequitur: *Oblivioni traderis*, id est, carebis sepulcro. Hoc enim mortui memoriam servat. Ita Prado: q. d. Nulla erit amplius tui memoria. Clades hæc nomen tuum et famam cum vita extinguet, et æterno silentio sepeliet.

Moraliter Nota hic, quam graviter puniantur tyranni, iique qui eis cooperantur, novasque artes et modos alios opprimendi, torquendi et perimendi, adinveniunt; etiamsi Deus iis subinde utatur, ut alios castiget. Illustre est exemplum Perilli, Atheniensis fabri, qui, ut Phalaridi crudeli tyranno complaceret, taurum illi æneum donavit, in quo inclusi homines igne supposito cruciarentur, et mugirent ut boves, itaque tyranni aures oblectarent. Nam iussu Phalaridis ipse faber primus in taurum, quem fabrefecerat inclusus, artis suæ experimentum ei dedit. De quo Ovidius: Tormentorum inventores iisdem pereunt. Exemplum Phalaridis.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.

Tale fuit et Thrasii apud Busirim, quod Ovid. in Ibin ita describit: Et Busiridis.

Dicitur Ægyptus caruisse iuvantibus arva
Imbribus, atque annos sicca fuisse novem,
Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Iovem.
Illi Busiris: Fies Iovis hostia primus,
Inquit, et Ægypto tu dabis hospes aquam.
Iustus uterque (Busiris et Phalaris) *fuit; neque enim lex iustior ulla est,*
Quam necis auctores arte perire sua.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Enumerat crimina Ierusalem, scilicet impietatem, incestum, adulteria, cædes, usuras, etc. Quocirca v. 17. docet Iudæos per hæc quasi versos esse in scoriam, ideoque igne esse conflandos et expurgandos. Tertio, v. 25. docet horum omnium causam extitisse Principes, qui quasi lupi; et Prophetas falsos, qui quasi leones prædæ inhiantes, omne ius et fas violarunt.

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Et tu fili hominis nonne iudicas, nonne iudicas civitatem sanguinum? 3. Et ostendes ei omnes abominationes suas, et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Civitas effundens sanguinem in medio sui, ut veniat tempus eius: et quæ fecit idola contra semetipsam, ut pollueretur. 4. In sanguine tuo, qui a te effusus est, deliquisti: et in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es: et appropinquare fecisti dies tuos, et adduxisti tempus annorum tuorum: propterea dedi te opprobrium gentibus, et irrisionem universis terris. 5. Quæ iuxta sunt, et quæ procul a te, triumphabunt de te: sordida, nobilis, grandis interitu. 6. Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te, ad effundendum sanguinem. 7. Patrem et matrem contumeliis affecerunt in te, advenam calumniati sunt in medio tui, pupillum et viduam contristaverunt apud te. 8. Sanctuaria mea sprevisti, et sabbata mea polluisti. 9. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, et super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui. 10. Verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te: 11. Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, et socer nurum suam polluit nefarie, frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. 12 Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem: usuram et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris: meique oblita es, ait Dominus Deus. 13. Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti, et super sanguinem, qui effusus est in medio tui. 14. Numquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ, in diebus quos ego faciam tibi? ego Dominus locutus sum, et faciam. 15. Et dispergam te in nationes, et ventilabo te in terras, et deficere faciam immunditiam tuam a te. 16. Et possidebo te in conspectu gentium: et scies quia ego Dominus. 17. Et factum est verbum Domini ad me, dicens; 18. Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti æs, et stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quod versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Ierusalem, 20. Congregatione argenti, et æris, et stanni, et ferri, et plumbi in medio fornacis: ut succendam in ea ignem ad conflandum: sic congregabo in furore meo, et in ira mea, et requiescam: et conflabo vos, 21. Et congregabo vos, et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio eius. 22. Ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio eius: et scietis quia ego Dominus, cum effuderim indignationem meam super vos. 23. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 24. Fili hominis, dic ei; Tu es terra immunda, et non compluta in die furoris. 25. Coniuratio prophetarum in medio eius, sicut leo ru-

giens, rapiensque prædam, animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt, viduas eius multiplicaverunt in medio illius. 26. Sacerdotes eius contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam: et inter pollutum et mundum non intellexerunt: et a sabbatis meis averterunt oculos suos, et coinquinabar in medio eorum. 27. Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas, et avare ad sectanda lucra. 28. Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus. 29. Populi terræ calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter: egenum et pauperem affligebant, et advenam opprimebant calumnia absque iudicio. 30. Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: et non inveni. 31. Et effudi super eos indignationem meam, et in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

Vers. 2. NONNE IUDICAS, nonne arguis, increpas (*iudicare* enim significat quemvis actum iudicis) q. d. Quid cessas arguere et increpare CIVITATEM SANGUINUM.) Id est, Ierusalem, quæ tot innocentum sanguinem fudit? Nota Synecdochen. Per effusionem sanguinis enim significat omnem iniuriam proximo illatam contra secundam tabulam Decalogi; sicut per idololatriam significat omnia peccata contra primam tabulam, id est contra Deum commissa.

Vers. 3. CIVITAS (est ista) EFFUNDENS SANGUINEM IN MEDIO SUI) publice et impune) UT VENIAT TEMPUS punitionis et supplicii EIUS.) Patet ex vers. sequenti

CONTRA SEMETIPSAM.) In suam perniciem.

Vers. 4. APPROPINQUARE FECISTI DIES TUOS.) Chald. *dies interitus tui*, q. d. Multiplicando scelera fecisti, ut citius punirem te quam decreveram, uti significavi vers. præc. Nota. Peccator suo peccato accelerat sibi tempus mortis et vindictæ, atque arctat et contrahit tempora divinæ longanimitatis.

Vers. 5. TRIUMPHABUNT DE TE.) Hebr. יתקלסו *itkallesu*, id est, irridebunt te, insultabunt tibi dicendo, *O sordida, nobilis*, id est, o insigniter impudens, nobilis et famosa meretrix. Hebraice enim est, *sordida nomine*, vel *fama*. Vel Secundo, ut sit antithesis, q. d. Quæ prius eras nobilis stemmate, opibus, potentia, iam facta es vilis et sordida meretrix. Hinc eris et *grandis interitu, ut quanto sublimior eras, tanto fortius, et maiori fragore ruas*, ait S. Hieron. et quæ fuisti nobilis adulteriis, fias nobilis tam insigni clade et interitu. Aut, *grandis interitu*, vel, ut alii vertunt, *multæ contritionis*, id est, quæ variis cladibus, puta fame, gladio, peste contereris et interibis. Ita R. David.

Vers. 6. SINGULI IN BRACHIO SUO.) Chald. *singuli in fortitudine sua*: Vatabl. *quisque principum pro virili sua contendit plebeios opprimere, et innocentes occidere*; Sept. *quisque ad cognatos suos consociati sunt in te ad effundendum sanguinem*, q. d. Quisque pro viribus conatus est in te cædes patrare.

Vers. 9. VIRI DETRACTORES.) Symmach. et Theodot. *viri dolosi*; Septuag. *viri latrones*. Ubi Nota, detractorem et susurronem (hic enim hebr. vocatur רכיל *rachil*) esse latronem; quia famam diripit, et rixas ac odia concitat, ex quibus non raro sequuntur homicidia. Aliter Maldon. *viri*, ait, *fraudis*, sive doli, sunt falsi testes, qui pecunia corrupti contra innocentes falsa dicunt testimonia, quibus eorum sanguis effunditur.

Detractor et susurro est latro

SUPER MONTES, scilicet sacrificarunt idolis in excelsis, et idolothyta COMEDERUNT.

Vers. 10. VERECUNDIORA PATRIS DISCOOPERUERUNT IN TE.) Id est, rem habuerunt cum uxore patris, id est cum noverca: itemque cum menstruata. Hoc enim est, *immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te*, scilicet congrediendo cum ea, quæ immunditia menstrui laborat; quod sordidum est et proli noxium, ideoque lege vetitum, Levit. 18. 19.

Vers. 12. MUNERA ACCEPERUNT.) Muneribus corrupti iudices innocentes, morte condemnarunt.

SUPERABUNDANTIAM, excessum, id est plusquam sortem, plusquam capitale, puta usuram, ut præcessit, ACCEPISTI.

AVARE.) Causa avaritiæ scilicet ad eos expilandum calumniata es proximos tuos. Septuag. *consummasti consummationem malitiæ tuæ in oppressione*, id est, omnia

A scelera explesti causa avaritiæ, ut alios opprimeres. Quid enim mali non concipit auri sacra fames? Vatablus, *ditasti socios tuos*, scilicet Ægyptios et Assyrios, *per calumniam*, id est pecunia et opibus per calumniam et oppressionem extortis, ut illi tibi auxiliarentur, in quibus fidebas, non in me, ut sequitur.

MEIQUE OBLITA ES.) Hic est fons omnium scelerum; quia, ut ait S. Hieron. *Sicut Dei memoria excludit cuncta flagitia: ita Dei oblivio convehit omnium vitiorum catervam.*

ECCE COMPLOSI MANUS, more irati, indignantis et vindictam indicentis, SUPER AVARITIAM TUAM QUAM FECISTI.) Notant R. David et Hebræi, hic 24. numerari scelera, sed uni avaritiæ quasi cæterorum fonti, tribui excidium urbis. Sic Lycurgus Spartam staturam per contemptum opum, perituram per avaritiam prædixit, verusque B fuit vates, Plutar. teste in eius vita. Vers. 13.

Moraliter ex hoc loco disce quam turpis, Deoque exosa sit avaritia. Audi B. Petrum Damiani sparsim epist. 2. lib. 2. ad S. R. E. Episcopos Cardinales, qua eos hortatur, ut ex curia Romana, totaque Ecclesia extirpent avaritiæ vitium, utpote omnium Ecclesiæ malorum causam et fontem. *Nulla sane*, inquit, *putredo vulneris, in Dei naribus intolerabilius fœtet, quam stercus avaritiæ. Et cupidus quisque dum sordentis pecuniæ quæstus accumulat, vertens exedram in latrinam, quasi molem stercoris coacervat. Hinc est, quod per Ezechiel dicitur: Argentum eorum foras proiicietur, et aurum eorum in sterquilinium erit: argentum eorum et aurum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Et alibi* (Habacuc, 2.) *scriptum est: Væ ei, qui multiplicat non sua usquequo, et aggravat contra se densum lutum. Et Isaias cap. 5. Væ, qui con-* C *iungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis. Et Eccles. cap. 10. Avaro nihil est scelestius. Unde et Apostolus dicit Coloss. 3. Avaritia, quæ est idolorum servitus. Et 1. Timot. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Deinde invehitur in Prælatos qui accipiunt munera, iisque utuntur ad luxum, aitque: *Cui non dissimilis et illa creditur esse dementia, dum lectulus tam operosis decussatur impendiis, ut ornamentum sacrosancti cuiuslibet, vel etiam ipsius Apostolici præcellat altaris. Et quam videtur absurdum, ut stratus ille diligentius excolatur, ubi corruptibilis caro soporis quiete resolvitur; quam ara crucis, in qua videlicet hostia Dominici corporis immolatur? Hoc ergo modo cum sobrietas soleat commendare Pontifices, effusis nunc opibus facti sunt helluones. Vulpes foveas habent, filius autem ho-* D *minis non habet ubi caput suum reclinet. Ecce non reclinatur in vulpeculis Christus; dormit sub vulpinis pellibus Christianus. Pontifices lignei auratis usi sunt baculis; dum sacerdotii meritum non nitor efficiat vestium, sed spiritalium norma virtutum; et non micantia margarita, vel gemmæ, sed mores aurei deceant sacerdotem. Cor sacerdotis Dei templum, Christi debet esse sacrarium; non certe spelunca latronum, vel sordentis pecuniæ receptaculum. Hoc enim unaquæque mens in divino deputatur examine, quod versat per concupiscentiam in cogitatione. Hæc enim sunt idola domus Israel depicta in pariete, quæ vidit Ezech. c. 8. Sic humana mens dum terrena meditatur, terra conspicitur; dum cælestia, cælum, Deique templum. Sæcularis*

Morale. Avaritia est ruina reip. et Ecclesiæ.

*

pompæ facessat ambitio. In manus pauperum nostra pecunia transeat. Nostræ divitiæ sint lucra animarum, et talenta virtutum.

Vers. 14. NUMQUID SUSTINEBIT COR TUUM.) q. d. Misella, superbula crisne ferendo mala futura? An manus tuæ poterunt avertere tonitrua et fulmina afflictionum et pœnarum, quæ ego in te manu mea potenter torquebo? Manus enim, virium; dies, adversitatis, et afflictionis est symbolum.

Vers. 15. et 16. DEFICERE FACIAM IMMUNDITIAM TUAM: nam in captivitate afflicta detestaberis tua peccata et idola, quæ afflictionis tuæ sunt causa; ac tunc rursum POSSIDEBO TE.) Et quasi hæreditatem meam et peculium ad me revocabo, atque e captivitate reducam: tuncque *sanctificabor in te*, ut vertit Chaldæus; alii, ut Aquila et Theodotion, vertunt, *contaminabo te*, id est, ostendam meis plagis te impiam esse et contaminatam. Alii vertunt, *vulnerabo te*. Hebr. enim נחלתי *nachalti*, si a נחל *nachal* deducas, significat possidebo: sin a חול *chul*, vel חלל *chalal*, significat vulnerabo, vel polluam et contaminabo; aut per antiphrasim, sanctificabo.

B

VERSA EST MIHI DOMUS ISRAEL IN SCORIAM.) Israel prius erat quasi argentum; quia sanguine nobilis, moribus candidus, religione splendidus, opum et potentiæ fama celebris; nunc versus est in scoriam; quia omnia hæc obscuravit sua idololatria et sceleribus; et gloriam ac opes perdidit, per arma hostium et captivitatem.

Vers. 18. OMNES ISTI ÆS, ET STANNUM, ET FERRUM, ET PLUMBUM IN MEDIO FORNACIS: SCORIA ARGENTI FACTI SUNT.) q. d. Iudæi prius erant puri, et pretiosi quasi argentum, sed illud adulterarunt et miscuerunt, imo mutarunt in vile *stannum;* hi sunt, ait Scholiast. qui simulant pietatem: et in *ferrum*; hi sunt potentes et tyranni: et in *plumbum;* hi sunt avaritia graves: et in *æs;* hi sunt impudentes in malitia et obstinati: et sic omnes corrupti sunt, et quasi versi in scoriam argenti: quare ego ut argentarius coniiciam eos in fornacem tribulationis et vastationis, ut purgentur.

Moral. de iis qui tribulatione fiunt peiores. Audi et S. Gregor. 3. p. Pastor. cap. 14. *Purgare*, ait, *eos per ignem tribulationis volui, et argentum illos vel aurum fieri quæsivi; sed in fornace mihi in æs, stannum, et ferrum, et plumbum versi sunt. Æs quippe dum percutitur, amplius metallis cæteris sonitum reddit. Qui igitur positus in percussione erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est in medio fornacis. Stannum vero cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur. Qui vero simulationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro autem utitur, qui vitæ proximi insidiatur: ferrum itaque in fornace est, qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque cæteris metallis gravius est. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus a terrenis desideriis non levetur. Hinc rursum scriptum est Ezech. 24. Multo sudore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo eius neque per ignem.* Vide dicta Ierem. 6. 28.

Vers. 19. et 20. CONGREGABO VOS IN MEDIO IERUSALEM CONGREGATIONE ARGENTI ET ÆRIS, etc.) Id est, ut Theodor. quia vos scelerum colluvionem admisistis, et facti estis quasi argentum adulterinum, fornacem vobis constituam ipsam Ierusalem; et carbonum instar hostes iniiciam; meamque vim et iracundiam, quasi follem adhibebo, ut igne tribulationis, scilicet peste, fame, gladio vos conflem; ut illos, qui insanabili morbo, id est peccato, laborant, quasi alienam materiam consumam et conficiam; eos vero, qui purgationem admiserint expiem, depurem, et quasi quoddam purgatum argentum reddam. Hoc est quod subdit:

Vers. 20. ET REQUIESCAM, ET CONFLABO VOS.) Pro *requiescam*, hebr. est הנחת *hinnachti*, id est, requiescere faciam, id est, dimittam vos in fornace, id est in gladio, fame et peste, ut iis vel purgemini, vel consumamini, uti iam dixi. *Hinnachti* enim proprie significat, relinquam, dimittam. Radix enim ינח *iunach*, significat, rem suo loco relinquere, sinere et dimittere. Sin alio puncto legas הנחתי *henachti,* significat quiescere faciam, a rad. נוח *nuach*, id

A est quievit. Unde et Noe vocatus est, quod orbi quietem attulerit, uti dixi Genes. 5. 29. Aliter Maldonat. *requiescam*, inquit, id est, desinam vos punire, cum plane conflavero et expiavero vos. Sed sic dicendum fuisset, *et conflabo vos, et requiescam;* iam autem dicit, *et requiescam, et conflabo vos.*

DIC EI.) Dic urbi Ierusalem, vel ipsi Iudææ. Respicit Vers. 24. ad id, quod dixit vers. 19. *Congregabo vos in medio Ierusalem.*

NON COMPLUTA IN DIE FURORIS.) q. d. Deus iratus ob tua scelera negavit, et deinceps negabit tibi, quasi terræ immundæ, ingratæ et indignæ, stato tempore pluviam, ut fias terra arida, infrugifera, veprium et bestiarum ferax, uti comminatus est Deut. 11. 16. Isaiæ 5. 6. Ierem. 3. 3.

Nota. Deus ob peccata uni urbi pluviam subtrahit, quam vicinis largitur, ut patet Amos 4. v. 7.

Potest secundo, sic accipi, q. d. *In die*, id est, ad diem furoris servata es, quia brevi comburenda: uti solent terræ senticosæ comburi, ut sentium cinere terra quasi impinguata, gramina saltem producat.

Rursum recte ex Septuag. Theodor. q. d. O terra immunda non compluta, non irrigata, id est quæ pluviam, hoc est doctrinam sanctorum Prophetarum, quasi saxum repellis; hac de causa Deus, ut negat tibi pluviam naturalem, ita negabit et spiritalem, puta sanctas inspirationes, et sanctos concionatores ac Prophetas tibi subtrahet et auferet.

CONIURATIO PROPHETARUM.) q. d. Coniurant et conspirant pseudoprophetæ contra me, Ieremiam, aliosque Vers. 25. veros Prophetas, et cum nos cladem et excidium minitemur, illi prospera omnia spondent, itaque tacite populum in nostri odium et cædem incitant. Unde sequitur:

ANIMAS DEVORAVERUNT, id est, vitam ademerunt, tum veris Prophetis, qui cladem urbi intentant: ad horum enim cædem plebem, prospera promittendo, impellunt; tum quia alios homicidas dantes eis munera, tuentur ut cædes perpetrent, itaque VIDUAS multiplicant: sicque o-

C PES, et PRETIUM falsæ suæ prophetiæ ACCEPERUNT.) Et in hoc coniurant simul. Perperam aliqui pro *opes* legunt *opus*, id est, mercedem sui operis.

INTER POLLUTUM ET MUNDUM NON INTELLEXERUNT.) Vers. 26. Septuag. *non distinxerunt;* Vatabl. *non indicarunt* plebi quid immundum, quid mundum, v. g. in victimis, contactu cadaveris, lepræ, menstrui et aliis, quæ lex quasi immunda prohibet.

A SABBATIS, q. d. Videntes a populo sabbatum violari, non eum corripuerunt, sed averterunt oculos suos, et conniventes dissimularunt; sicque COINQUINABAR.) Id est profane tractabar ab eis.

PRINCIPES EIUS IN MEDIO ILLIUS, QUASI LUPI RAPIENTES PRÆDAM AD EFFUNDENDUM SANGUINEM.) Sicut enim Vers 27. lupi rapiunt prædam, ut occidant, et occisam devorent: ita principes Iudæorum plebeios per calumniam, vel falsos testes, aut per vim opprimebant et occidebant, ut in eorum bona invaderent. Per principes, sæculares intelli-

D git S. Hieron. tamen recte hæc quoque accommoda Ecclesiasticis. Hi enim, ait, fundunt sanguinem non corporum, sed animarum. Unde sequitur: *Ad perdendas animas et avare ad sectanda lucra: nequaquam illo contenti*, ait S. Hieronymus, *ut qui serviunt altari vivant de altari, sed postquam ad ministerium Dei accesserunt, Crœsi divitias congregant.* Audiant isti S. Bern. epist. 2. *Conceditur*, ait, *ut, si bene deservis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata,* etc. *Denique quidquid præter necessarium victum, simplicemque vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Quis tam sancti Doctoris verbis non credat? Vide eumdem epist. 33. ubi ait, hanc persecutionum omnium Ecclesiæ esse maximam. *Ministri*, inquit, *Christi sunt, et serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde splendidæ mensæ*, etc. Quocirca Concil. Carthagin. et citatur distinct. 41. cap. penult. ita de E- Moral. de avaritia clericorum.

piscopis decernit: *Episcopus vilem supellectilem, et mensam et victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide, et vitæ meritis quærat.* Hoc reipsa per omnia præstitit S. Augustin. Hipponens. Episcop. teste Possid. in eius vita. Idem pene ad verbum sancit Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de reformat. additque ut in tota Episcopi domo nihil appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, zelum Dei, et contemptum vanitatum præ se ferat. Subdit deinde, hæc quoque ad Cardinales S. Roman. Ecclesiæ pertinere. Qua in re illustre hoc sæculo Episcopis et Cardinalibus omnibus exemplum dedit S. Carolus Borromæus, qui omnem supellectilem alicuius pretii, conopæa, aulæa, aliaque eius generis a se removit: ac sub habitu Cardinalitio veste ex simplici tela, et panno utebatur: quin et cubicularis eius amictus erat ex panno cinericio, rudi, et crasso, quam ipsam vestem totis 14. annis nunquam mutavit. Vere dixit S. Augustinus in Ps. 76. *Omnis philosophiæ magistra nobis est inopia.* Et S. Chrysost. *Paupertas est manuductrix in viam, quæ ducit ad cælum.* Quin et Plutarch. *Contemptus,* ait, *divitiarum est instrumentum philosophiæ.* Et Bias: *Quis dives? qui nihil cupit. Quis pauper? avarus.* Et Seneca: *Brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est.* Et Crates opes suas in mare deiiciens: *Abite,* ait, *malæ cupiditates, ego vos mergam, ne mergar a vobis.* Denique S. Gregor. *Ille,* inquit, *pauper est, qui eget eo quod non habet. Nam et qui non habens habere non appetit, dives est. Paupertas enim in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Nam cui cum paupertate bene convenit, non est pauper.*

Vers. 28. PROPHETÆ AUTEM EIUS LINIEBANT EOS ABSQUE TEMPERAMENTO.) Id est adulabantur principibus, eosque animabant in sua tyrannide, promittentes eis securitatem, et omnia bona; sed falso, et mala fide, ac deceptorie: invenient enim se ab eis deceptos, cum Dei minas reipsa incurrent, et sentient: perinde ac ille, qui incrustat parietem luto, nec temperat lutum paleis ut sibi cohæreat, decipit herum domus; nam lutum friabile non hærebit, sed defluet. Vide dicta c. 13. 10. Huius linitionis et adulationis causa erat, quod alimoniam, oblationes aut dignitates a populo aut principibus expectarent, uti dixit v. 12. et 25. et 27. Hoc est quod dixit Isaias c. 5. v. 23. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus.* Et ex adverso cap. 33. 15. *Qui,* inquit, *ambulat in iustitiis,* etc. *et excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.*

Libertas Confessario principis necessaria. Refert ex nonnullis Hispan. historicis Ferdinandus Castiglius in histor. S. Dominici l. 2. cap. 17. p. 1. olim in regno Aragoniæ moris fuisse, ut rex non eligeret sibi confessarium, sed is in comitiis regni a Statibus eligeretur, regique daretur. Cui rex non poterat bene facere, vel male, ad hoc, ne vel spes, vel timor retardaret confessarium ab officio suo, quin libere, cum ea, qua par est, sinceritate et rectitudine regem moneret, et cum opus esset argueret. Quod enim os sustineat allatrare pascentem se, aut a quo mitram expectat? Sane si hoc fieret, aut in usum revocaretur, quam securitati conscientiæ regum principumque consuleretur, et querelis multis populi satisfieret?

Quocirca idem refert ibidem B. Raimundum, qui secundus fuit a S. Dominico Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, ita datum fuisse confessarium Iacobo regi Aragoniæ, qui eum libere ob concubinatum arguit et corripuit: cumque rex meliora semper sponderet, sed non præstaret, Raimundus ab eo missionem petiit. Negavit ille, omnibusque nautis sub pœna capitis prohibuit, ne quis Raimundum alio transveheret. Verum Raimundus oratione sua implorans Dei opem, accessit ad mare, in eoque cappam suam, facto signo crucis, extendit, in quam, quasi in navem inscendit, utens scapulari pro velo, et baculo pro gubernaculo; itaque secundo vento celerrime navigavit, adeo ut sex horarum spatio in conspectum Barcinonis venerit. Descendens in terram collegit cappam, eamque adeo siccam advertit, ac si mare non attigisset. Tota Barcinone fama huius miraculi excita, ad virum sanctum accurrit. Quin et rex ipse cum tota aula, Sanctum cum discederet, cappæ innavigantem stupens et attonitus conspexit. Hoc speculum sibi proponant confessarii principum.

Similis fuit libertas S. Francisci de Paula, fundatoris Ordinis Minimorum. Hic enim vocatus a Ludovico Undecimo Franciæ rege in Galliam, noluit venire: sed Sixtus IV. Pontifex ad instantiam regis, iussit eum regem adire. Itaque cum rex ægrotus ab eo posceret sanitatem sibi a Deo impetrari; ipse oratione facta dixit, id non placere Deo: quocirca hortatus est regem, ut se conformans voluntati divinæ, componeret se ad morbi a Deo immissi tolerantiam, indeque ad iustum et modestum regimen sui regni, sibi a Deo commissi, atque ad mortem brevi obventuram, et ad tribunal ac iudicium Christi, ad quod brevi vocandus esset, ut rationem et vitæ et regni sui Deo exactam redderet. Hæc libertas eum regi venerabilem et amabilem effecit, ut, etiamsi rex voto suo non potiretur, tamen eum ut virum cordatum et sanctum coleret, eique plura monasteria in Francia ædificaret. Ita habet eius vita.

RAPIEBANT VIOLENTER.) Hebræa, *rapiebant rapinam,* Vers. 29.
id est, rapinis addicti erant.

ABSQUE IUDICIO.) Id est, absque iustitia, iniuste, contra ius et fas.

ET QUÆSIVI DE EIS VIRUM, QUI INTERPONERET SEPEM.) Vers. 30.
Id est orationem, et, ut Chal. opera bona, ad me placandum, ne populum disperderem.

Nota. Ait *de eis,* scilicet quos reprehendit. Alioqui enim Ieremias, Baruch, et alii viri sancti se sepem pro populo interponebant, et propter eos dilata et mitigata fuit Iudæorum clades.

ET STARET OPPOSITUS.) Hebræa, *staret in ruptura.* Est metaphora a militibus strenuis, qui facta muri ruptura, hosti per eam irrumpenti sese opponunt. Vide dicta c. 13. vers. 5.

EFFUDI.) Effundam. Sic et alia præterita hic significant Vers. 31.
futura. Est enim continua hæc prophetia de futuro, non historia de præterito.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub parabola duarum meretricum, scilicet Ollæ et Oolibæ, describit fornicationem, id est idololatriam, tam decem, quam duarum tribuum, scilicet, tam Samariæ quam Ierusalem; imo asserit Ierusalem in scelere superasse Samariam. Quocirca v. 22. ei, æque ac Samariæ pœnam adulterarum et homicidarum, puta lapidationem, incendium, gladium et excidium intentat.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt. 3. Et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt: ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum. 4. Nomina autem earum, Oolla maior, et Ooliba soror eius minor: et habui eas, et pepererunt filios, et filias. Porro earum nomina Samaria Oolla, et Ierusalem Ooliba. 5. Fornicata est igitur super me Oolla, et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes. 6. Vestitos hyacintho, principes,

et magistratus, iuvenes cupidinis, universos equites, ascensores equorum. 7. Et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum universos: et in omnibus in quos insanivit, in immunditiis eorum polluta est. 8. Insuper et fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit: nam et illi dormierunt cum ea in adolescentia eius, et illi confregerunt ubera pubertatis eius, et effuderunt fornicationem suam super eam. 9. Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine. 10. Ipsi discooperuerunt ignominiam eius, filios et filias eius tulerunt, et ipsam occiderunt gladio: et factæ sunt famosæ mulieres, et iudicia perpetraverunt in ea. 11. Quod cum vidisset soror eius Ooliba, plusquam illa insanivit libidine: et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ. 12. Ad filios Assyriorum præbuit impudenter, ducibus et magistratibus ad se venientibus indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, et adolescentibus forma cunctis egregia. 13. Et vidi quod polluta esset via una ambarum. 14. Et auxit fornicationes suas: cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, 15. Et accinctos balteis renes, et tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt, 16. Insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum, et misit nuntios ad eos in Chaldæam. 17. Cumque venissent ad eam filii Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis, et polluta est ab eis, et saturata est anima eius ab illis. 18. Denudavit quoque fornicationes suas, et discooperuit ignominiam suam: et recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea a sorore eius. 19. Multiplicavit enim fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti. 20. Et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum: et sicut fluxus equorum, fluxus eorum. 21. Et visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Ægypto ubera tua, et confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ. 22. Propterea Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua: et congregabo eos adversum te in circuitu: 23. Filios Babylonis, et universos Chaldæos nobiles, tyrannosque et principes, omnes filios Assyriorum, iuvenes forma egregia, duces et magistratus universos, principes principum, et nominatos ascensores equorum: 24. Et venient super te instructi curru et rota, multitudo populorum: lorica, et clypeo, et galea armabuntur contra te undique: et dabo coram eis iudicium, et iudicabunt te iudiciis suis. 25. Et ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore: nasum tuum, et aures tuas præcident: et quæ remanserint, gladio concident: ipsi filios tuos, et filias tuas capient, et novissimum tuum devorabitur igni. 26. Et denudabunt te vestimentis tuis, et tollent vasa gloriæ tuæ. 27. Et requiescere faciam scelus tuum de te, et fornicationem tuam de terra Ægypti: nec levabis oculos tuos ad eos, et Ægypti non recordaberis amplius. 28. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti, in manus, de quibus satiata est anima tua. 29. Et agent tecum in odio, et tollent omnes labores tuos, et dimittent te nudam, et ignominia plenam, et revelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, et fornicationes tuæ. 30. Fecerunt hæc tibi, quia fornicata es post gentes, inter quas polluta es in idolis earum. 31. In via sororis tuæ ambulasti, et dabo calicem eius in manu tua. 32. Hæc dicit Dominus Deus: Calicem sororis tuæ bibes profundum et latum: eris in derisum, et in subsannationem, quæ est capacissima. 33. Ebrietate, et dolore repleberis: calice mœroris, et tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. 34. Et bibes illum, et epotabis usque ad fæces, et fragmenta eius devorabis, et ubera tua lacerabis: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 35. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia oblita es mei, et proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum, et fornicationes tuas. 36. Et ait Dominus ad me, dicens: Fili hominis numquid iudicas Oollam, et Oolibam, et annuntias eis scelera earum? 37. Quia adulteratæ sunt, et sanguis in manibus earum, et cum idolis suis fornicatæ sunt: insuper et filios suos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad devorandum. 38. Sed et hoc fecerunt mihi: polluerunt sanctuarium meum in die illa, et sabbata mea profanaverunt. 39. Cumque immolarent filios suos idolis suis, et ingrederentur sanctuarium meum in die illa ut polluerent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus meæ. 40. Miserunt ad viros venientes de longe, ad quos nuntium miserant: itaque ecce venerunt: quibus te lavisti, et circumlinisti stibio oculos tuos, et ornata es mundo muliebri. 41. Sedisti in lecto pulcherrimo, et mensa ornata est ante te: thymiama meum, et unguentum meum posuisti super eam. 42. Et vox multitudinis exultantis erat in ea, et in viris qui de multitudine hominum adducebantur, et veniebant de deserto, posuerunt armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum. 43. Et dixi ei quæ attrita est in adulteriis: Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc. 44. Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem: sic ingrediebantur ad Oollam et Oolibam, mulieres nefarias. 45. Viri ergo iusti sunt: hi iudicabunt eas iudicio adulterarum, et iudicio effundentium sanguinem: quia adulteræ sunt, et sanguis in manibus earum. 46. Hæc enim dicit Dominus Deus: Adduc ad eas multitudinem, et trade eas in tumultum, et in rapinam: 47. Et lapidentur lapidibus populorum, et confodiantur gladiis eorum: filios et filias earum interficient, et domos earum igne succendent. 48. Et auferam scelus de terra, et discent omnes mulieres ne faciant secundum scelus earum. 49. Et dabunt scelus vestrum super vos, et peccata idolorum vestrorum portabitis: et scietis quia ego Dominus Deus.

Vers. 2. DUÆ MULIERES) Duæ gentes, duæ resp. scilicet Iuda et Israel, hoc est, duæ et decem tribus.

FILIÆ MATRIS UNIUS.) Scilicet Synagogæ, vel Saræ; *filiæ* inquam naturales: metaphorice vero fuerunt filiæ gentilitatis Ægyptiacæ, a qua, ut sequitur, quasi a matre didicerunt idololatriam. Sic dixit cap. 16. v. 3. *Mater tua Cethæa.* Simili ænigmate et schemate Theodectes in fabula Œdipi, teste Hermippo, descripsit diem et noctem. *Duæ*, inquit, *sunt sorores, quarum una parit alteram, et ipsa quæ genita est parentem interimit.* Nam dies parit noctem, et nox diem: atque dies noctem præviam, et nox diem præviam interimit.

Nota. Impudentiam et malitiam Israelitarum et Iudæo- A rum describit per hasce duas mulieres: quia *ignis, mare, mulier, tria sunt mala maxima,* ut habet vetus proverbium. Euripides vero apud Planudem in vita Æsopi, inter omnia mala principatum tribuit mulieri, præsertim meretrici. Sic enim canit:

Furore multo sævit iratum mare,
Pronique fluvii, et ignis acris impetus,
Inopia acerba, acerba alia quam plurima:
Sed nil ita acerbum et noxium ut mulier mala.

Huc pertinet illud Plauti Trucul.

Meretricem ego item esse reor
Mare ut est, quod des devorat: numquam abundat.

ET FORNICATÆ SUNT.) Mystice, id est, idola coluerunt.

Vers. 3. **Ibi subacta sunt ubera.**) Nota. Ubera erecta et solida signa sunt virginitatis; laxa corruptionis, tum enim concidunt, q. d. Perdidit Israel in Ægypto virginitatem, id est, primigenium veri Dei cultum, in adolescentia, id est sub Mose; unde laxus defluxit in varios errores, quos, quasi lac, aliis propinavit: uti meretrix uberibus suis lactat filium. Ita Theodoretus.

Vers. 4. **Oolla maior, et Ooliba.**) Scholiast. et Polychron. volunt vere fuisse has meretrices in Ægypto. Melius S. Hieron. et alii censent esse parabolam, et ficta nomina ad mysterium. Sunt enim hæc nomina Hebræa, non Ægyptia.

Oolla. Hebr. אהלה *Ahola*, significat tabernaculum eius, scilicet Samariæ est in Dan et Bethel, continens vitulos aureos. Hæc est soror maior; quia numerosior, continens nimirum decem tribus; cum alia tantum contineret duas.

Ooliba.) Hebr. אהליבה *Aoliba* significat tabernaculum meum in ea. Deus enim suum templum habebat in Ierusalem. Per Samariam decem tribus, per Ierusalem duas intelligit: quia Samaria decem tribuum, Ierusalem duarum erat caput et metropolis.

Allegor. Oolla est synagoga hæreticorum, quæ suæ hæresis idolum fingit et colit: Ooliba est Ecclesia orthodoxorum: hæc enim est tabernaculum Dei; sed si alicubi, ut in Græcia, ad schisma et hæresin deflectat, gravius peccat, graviusque punitur quam Oolla. Tropol. Oolla est infidelis, Ooliba fidelis. Rursum Oolla est laicus, Ooliba est clericus et Religiosus. Hic si a Deo per impietatem desciscit, gravius peccat, graviusque plectetur quam laicus.

Habui eas.) Quasi uxores, cum sub Iosue, Davide, et aliis piis principibus, mihi quasi Deo, Domino et marito suo servirent.

Vers. 5. **Fornicata est igitur super me.**) Contra me; Chald. *a cultu meo*; Septuag. *a me* q. d. Oolla, id est Samaria, nuptiis meis adulteria et adulteros, puta idola, superinduxit: R. David vertit, *sub me*, id est sub velo et tegumento matrimonii mecum initi, sicut solent adulteræ adulteria sua matrimonii velo tegere, prolesque ex adulterio susceptas marito tribuere. Sic Ieroboam sua idola, id est duos vitulos aureos, Dei veri nomine decoravit, ac ut tales populo colendos proposuit, dicens: *Ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, 3. Reg. 12. 28.

In Assyrios propinquantes.) Id est, venientes ad se, ut vertit noster v. 12. sibique confœderatos. Ita Maldon. Alii, ut Vatabl. et R. Salomon, q. d. Quos diligebat ut propinquos, scilicet ingenio et moribus vicinos et similes, licet loco essent dissiti.

Vers. 7. **Et dedit fornicationes super eos.**) Id est ad eos, uti explicat v. 12. hoc est eis, q. d. Se eis prostituit, cum eis fornicata est, qui erant *iuvenes cupidinis*, id est formosi, amabiles, illecebrosi, q. d. Eorum forma, opibus, vestitu illecta, eorum deos, id est idola, coluit, cum eisque fornicata est. Agit enim de cultu idolorum.

Et in omnibus.) Id est, in omnium amasiorum immunditiis polluta est. Est hebraismus: redundat enim τὸ *eorum*, et τὸ *omnibus* resolvendum est per *omnium*

Vers. 8. **Insuper et fornicationes quas habuerat in Ægypto, non reliquit.**) q. d. Samaria cum idolis Assyriorum retinuit et idola ac superstitiones Ægyptiorum, quibus imbuta fuerat ab infantia sua. Hi enim devirginaverunt eam, dum primi docuerunt eam idola colere.

Et effuderunt.) Id est tradiderunt ei, eamque imbuerunt omni sua fornicatione, id est superstitione et idololatria. Vox *effuderunt*, significat fornicationis, id est idololatriæ, abundantiam, ait S. Hieron. Ægyptus enim varias superstitiones, et deorum portenta excogitavit. Quocirca a Iuvenali satyr. 15. merito *demens* vocatur:

Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet saturam serpentibus ibim, etc.

Vers. 10 **Ipsi** (Assyrii) **discooperuerunt ignominiam eius.**) Chald. *nuditatem*, scilicet pudenda. Ceperunt enim Samariam, spoliarunt, ignominiose tractarunt, itaque denudarunt eius fornicationes, id est idololatriam, ob quam tam dire tractabatur a Deo, qui iusto iudicio eam punivit et vastavit per eos, quos impie adamaverat, 4. Reg. 17. v. 6. Assyrii enim cum Samaria fecerunt perinde ac adulter qui adulteræ libidine satiatus, eam spoliat, nudamque abigit. Ita

Tropol. facit et dæmon, mundus, ac caro cum peccatoribus. Unde S. Hieron. *Quidquid*, ait, *de Ierusalem* τροπικῶς *dicitur, et ad animam referri potest, quæ virtutibus Dei iunctu complexui, postea adulteravit in vitia, et recessit ab eo, et patefactis universis sceleribus eius, denudata est, atque turpata, et ostensa omnibus.* (Dæmon tractat peccatores, ut adulter adulteram.)

Ipsam (Samariam) **occiderunt.**) Id est vastarunt, incenderunt, exciderunt.

Et factæ sunt famosæ mulieres: Samaria scilicet cum sorore sua Iuda, aut potius cum filiabus suis, uti præcessit (nam de Iuda agit in sequentibus) q. d. Samaria cum suis filiis et filiabus, facta est celebris, uti flagitiis, ita et suppliciis. Nam **iudicia**, id est, ut Septuag. *ultiones*, **perpetraverunt** hostes **in ea.**) Scilicet Samaria. Ita S. Hieron. q. d. Samaria ita vastata data est toti orbi in exemplum, ut omnes caveant a fornicatione, id est idololatria.

Vers. 11. **Fornicationem suam**, scilicet augens, **super fornicationem sororis suæ.**) Scilicet Samariæ, q. d. Ierusalem magis insanivit in idola, quam Samaria, et cuius exemplo melior fieri debuerat, facta est deterior.

Vers. 12. **Ad filios Assyriorum præbuit.**) Scilicet se ad fornicandum, id est fornicationem suam, ut præcessit.

Vers. 14. **Expressas coloribus.**) Hebr. *depictas minio.* A Troianis enim temporibus, ait Plinius lib. 33. 7. minium erat in honore et usu: nam eo tingi solebant proceres, et deorum simulacra; quia aurum non tantum lucere, sed et ardere videtur, dum minio quasi prunis accensis permistum est: et minium maxime refert sanguinem, ac cum cerussa mistum ad vivum refert roseum colorem carnis humanæ. (Minii vetus usus in pictura deorum, cur?)

Vers. 15. **Formam ducum omnium.**) Vidit viros depictos accinctos balteis (eo enim per appositionem refert τὸ *formam*) eorumque tiaras instar ducum, aut, ut Hebr. *triariorum*, easque tinctas. Nam soli reges gerebant candidas, ut dixi cap. 21. v. 26. Describit habitum Chaldæorum, in pariete ita ad vivum depictorum, ut non picti, sed in terra Babylonis orti et nati viderentur. Hoc est enim quo subdit:

Similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt.) Est appositio, q. d. ait Prado. Hæ deorum tiaræ in pariete depictæ similes erant iis, quas more patriæ gerere solebant iuvenes nobiles Babylonis et aliarum urbium Chaldææ, in quibus nati erant, scilicet ipsi iuvenes, vel etiam ipsi viri depicti, id est dii Chaldæorum, qui non aliunde asciti, sed in Chaldæa sunt orti, ibique primo eis decreta est divinitas et sacrificia.

Secundo, planius et congruentius, non ad deos, sed ad Chaldæus hæc referas, q. d. Hi iuvenes in pariete Iudæorum depicti, similes erant nobilibus filiis Babylonis in terra nativitatis suæ, ut habent Hebræa, id est, ita erant ornati, sicut vestiuntur et ornantur nobiles in Chaldæa. Videntur ergo hi iuvenes non dii fuisse, sed nobiles Chaldæi egregia forma, et habitu Babylonico insignes, ex quo Iudæi ad ipsos eorumque deos adamandos fuerunt illecti.

Vers. 17. **Ad cubile mammarum.**) Hebraica vox דודים *dodim*, et mammas, et amores significat. Mammæ enim sunt symbola amoris. Significat ergo cubile amatorium, ait Vatablus. Ita vocat ipsam Ierusalem, aut potius eius fana et delubra, in quæ suas pollutiones, id est deorum suorum sacra, invexerunt Chaldæi, ait Polychron.

Notant Physici et Medici, ut Hippocrates 5. Aphorism. et Galenus in eius Commentar. mammas respondere utero, ac proinde in illis voluptatis esse sedem: venas enim, et arterias ab utero in mammas protendi: ideoque pro qualitate fœtus mammas aut intumescere, aut languere et deiici: tempore conceptionis venas iterum oppleri et

turgere. *Communes*, ait Galenus in 6. Hippocrat. de Morbis vulgaribus Commentar. 5. *sunt uberibus et utero venæ, et ubi ad alterutram partium sanguis defertur, altera siccescit.*

Ubera symbolum amoris. Hinc in Script. mammæ et ubera sunt symbolum amoris et libidinis. Uti hic et v. 3. *In adolescentia sua fornicatæ sunt, ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ mammæ pubertatis earum.* Proverb. 6. 19. *Ubera eius inebrient te;* et cap. 7. 18. *Inebriemur uberibus.* Quocirca Osee cap. 2. 2. significat adulterium versari in lasciva, et molliter culta facie, atque in uberibus: *Auferat*, inquit, *fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum.* Hinc Iuvenalis satyra 6. portentosam Messalinæ libidinem notavit ex nudatis papillis. Quare ubera in Scriptur. significant amores et voluptates. Isaiæ 66. 11. *Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis eius;* et v. 12. *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.* Ezechiel. 16. 18. *Tempus tuum, tempus amantium;* Hebr. *tempus tuum, tempus uberum.* Denique sponsus habet mammas et ubera, id est amores, Cant. 1. 2. et c. 7. 12. Nam et Galenus in fine libr. 7. de Usu partium, docet in hominibus recte a natura mammas pectori additas, cum in aliis animalibus ad extrema ventris demissæ sint; quod in homine sit illarum cum corde specialis consensio: cor autem amoris et ferventioris sanguinis sedes est. Ita Pineda in Iob 40. v. 11.

Tropol. S. Hieron. *Annon*, ait, *mittimus nuncios ad Chaldæos, qui interpretantur quasi dæmones, quando pandimus eis, et præbemus frangenda ubera in pectore, ubi mentis hospitium est, per voluptates, ab una ad aliam more scortatorum transeundo?*

Et saturata est anima eius.) *Voluptas enim non est perpetua, sed cito satiat*, ait S. Hieron. Hebr. *et discessit anima eius ab illis.* Ita Septuag. q. d. Usque ad nauseam et fastidium satiata est earum libidine, unde nauseans discessit ab eis, imo eiecit illas: uti Amnon peracto stupro abiecit Thamar. Aliter R. David, q. d. *Discessit ab eis*, id est rupit amicitias et fœdus, quod cum illis pepigerat, *et insanivit libidine super concubitum eorum;* Hebr. *super pellices eorum*, q. d. Inter omnes Chaldæorum pellices Iudæa fuit salacissima in idololatria: quia præ omnibus gentibus, quæ quasi pellices Chaldæis fuerunt subiectæ, vel addictæ, ipsa Chaldæorum idola coluit.

Vers. 20. Quorum carnes sunt ut carnes asinorum.) Id est, quorum membra sunt grandia, quasi membra asinorum. Significat salaces et libidinosos. Asini enim inter omnes bestias maxima habent genitalia. Unde et Commodus Imp. a membri magnitudine dictus est ονος, id est asinus. Ita S. Hieron.

Moral. S. Bernard. lib. de Natura et dign. divin. amoris cap. 2. *Quorum*, ait, *spiritus, ut spiritus bestiarum*, vel pecorum; horum *carnes, ut carnes asinorum.*

Et fluxus, scilicet seminis, eorum.) Quasi fluxus et inundatio seminis equorum, ait Vatabl. Equus enim impotenter in venerem ruit. Hinc Ægyptii libidinosum significantes, pingebant equum, talesque vocabant ιπποβιους et ιππιπορνους: ita Pier. hierogl. 4. Metaphorice per membra et instrumenta libidinis, significat profusam Chaldæorum idololatriam et superstitionem, quam effuse sectati sunt Iudæi. Simul obiter quasi ad literam perstringit libidinem Chaldæorum: idololatriam enim et hæresin sequitur vitæ corruptio, lascivia et libido, ait Polychr. huius enim symbolum sunt membra asini. Hinc luxuriosi post mortem sæpe apparuerunt in carne et forma asinina.

Luxuriosi post mortem apparent quasi asini. Ita B. Petrus Damianus Episcopus, et Card. Ostiensis epist. ad fratres Eremi, et ex eo Baron. anno Christi 1054. narrat de Benedicto Nono, sui temporis Pontifice, primum Papa, deinde Antipapa damnato: *Vactus quidam*, inquit, *dum iter ageret, accidit ut iuxta molendinum equo insidens pertransiret: et ecce repente monstrum immane conspexit. Quo viso, subito eum terror invasit, et stupefactus intremuit. Videbatur autem monstrum illud in aures aselli caudamque desinere, cætera ursus erat. Cumque viator, ad hoc portentum territus, obrigesceret, fugamque præcipitem formidolosus iniret: informe prodigium humanæ vocis verba formavit. Noli, inquit, o vir, expavescere, hominem me olim fuisse, sicut et ipse nunc es, proculdubio crede; sed quia bestialiter vixi, post finem vitæ, bestiæ præferre speciem merui. Porro, cum ille perquireret, quis fuisset: Ego, ait, solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicæ Sedis apicem indignus obtinui. Inquisitus autem quidnam retributionis haberet: Nunc, inquit, usque ad diem iudicii, per dumosa atque squallentia, perque sulphurea loca, et fœtorem exhalantia, atque incendiis conflagrata rapior et pertrahor. Post extremum vero iudicium, corpus meum simul et animam irremediabilis cruciatus, et gehennalis barathri irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulla mihi recuperationis spes in posterum restet. Post hæc vero, et huiusmodi verba disparuit.* Quærit deinde Damianus, cur miser hic in asini et ursi specie apparuerit, ac respondet: *Quia miserabilis ille ab ipso Pontificatus primordio, usque ad finem vitæ in luxuriæ cœno conversatus est, non incongrue visus est, et ab auribus incipere, et in caudam asini desinere. Asinus quippe luxuriosum est animal, sicut Propheta ait: Et carnes asini carnes eorum. Quod autem per cætera membra ursi, tenebat speciem, vitam in omnibus docetur duxisse carnalem. Ursa enim cum parit, non catulum, sed frustum carnis effundit, quod lingendo et lambendo componit.* Similes apparitiones hoc ævo factas commemorare possem, nisi familiarum insignium honori parcerem.

Visitasti, repetiisti veterem in Ægypto idololatriam: ita Chald. Vel *visitasti*, id est, visitari fecisti, et Deo in memoriam revocasti: nimirum fecisti, ut Deus visitaret et puniret scelus adolescentiæ tuæ. Vers. 21.

Amatores, de quibus satiata est anima tua.) Hebr. *a quibus discessit anima tua*, q. d. Sicut meretrix amasio satiata, alium quærit: ita tu satiata Chaldæis, ab eis ad Ægyptios fugis; unde Chaldæi non ferentes hunc sui contemptum, uti Deus tulit, Ierusalem armis invadent. Vers. 22.

Principes principum.) Septuag. *tristatas. Pro quibus Latina simplicitas*, ait S. Hieron. *ternos statores transtulit. Tristatæ autem nomen est apud Græcos secundi gradus post regiam dignitatem, de quibus scriptum est 1. Paral. 11. Verumtamen ad tres primos non pervenit: qui principes equitum peditumque erant, et tributorum, quos nunc magistratus utriusque militiæ, et præfectos annonarii tituli nominamus.* Huc usque S. Hieron. Chaldæus Hebræa nomina putans esse propria gentium vertit, *suscitabo contra te Pecoduitas, Saoitas, Coaitas.* Vers. 23.

Nominatos ascensores equorum.) Equites præstantes et celebres.

Instructi curru et rota.) Id est curribus et rotis. Vers. 24.

Et dabo coram eis iudicium.) Scholiast. *per hos te iudicabo:* permittam illis causæ tuæ cognitionem, sententiam et ultionem, ut pro arbitratu suo te tractent et puniant. Nam *dare coram aliquo* Hebræis est, ponere quid in alterius potestate, iudicio et arbitrio, ut Deut. 30. 30. *Proposui in conspectu tuo vitam, et bonum, et e contrario mortem, et malum.*

Iudicabunt te iudiciis suis.) Chald. *legibus suis*, q. d. Pro arbitratu et odio suo in te crudelissime te punient, et conterent; cum alias ego Deus, licet irritatus et zelotypus, castigem tantum, non conteram.

Et ponam zelum meum in te, *zelum* vocat zelotypam vindictam, sive punitionem ex zelotypia manantem, Vers. 25. quem exercent, id est exercebunt et peragent, ut habent Hebr. et Septuag. Chaldæi tecum in furore.) Non tam meo, quam suo. Unde hebr. ad verbum est, *et facient tecum in furore*, id est, furent et sævient in te, uti sæviunt milites furore incensi in cives, dum vi expugnant civitatem. Hinc Mald. iuxta Hebræa, per *zelum* accipit Chaldæos ministros iræ Dei, sicut Assur vocatur virga furoris Dei, Isa. 10. 5.

Nasum tuum, et aures præcident.) Quia Chaldæi Iudæos alios occiderunt, alios ad ignominiam naso et auribus truncarunt. Alludit ad pœnam adulterarum, quas

Ægyptii naso truncabant, uti docet Rodigin. l. 21. c. 45. Vel secundo, q. d. Reddent te turpissimam, uti est mulier præciso naso et auribus. Tertio, multi per nasum accipiunt regem et regnum, qui in populo, quasi nasus in facie, eminet: per aures, pontificem, per quem quasi aures populus Dei vocem audiebat, quæ omnia Iudæis abstulit et præcidit Deus. Ita Hebræi, Chald. Maldon. et Prado. Quin et Hieron. per nasum regem, per aures iudices accipit. Hic sensus appositus est, sed symbolicus.

Hæc Ezechielis oracula apposite B. Petrus Damiani adaptat Ioanni Episcopo Placentino, Antipapæ, qui eiecto Gregorio, Othonis Imper. consanguineo, Roman. Ecclesiæ cathedram, ut fur atque tyrannus obtinuit; *sed paulo post resipiscente Quiritum populo, et exardescente, irruentes in eum manus iniiciunt, oculos eruunt, aures naresque præcidunt. Expertus est itaque, quod et tunc sibi, et nunc tibi per Ezechielem c. 23. Dominus comminatur, dicens: Venient super te instructi currus, et tota populorum multitudo, lorica, et clypeo, et gladio armabuntur contra te, etc. Nasum tuum, et aures tuas præcident. Postquam Romani ita ut dictum est, rependissent Pontifici; mox ante retro conversum, in asello gloriosum equitem posuerunt, tenentemque sui vectoris in manibus caudam, per publicam totius urbis viam, hæc ut caneret, impulerunt: Tale supplicium patiatur, qui Romanum Papam de sede sua pellere nititur.* Ita ipse ad Cadiloum Antipapam l. 1. epist. 21.

NOVISSIMUM TUUM, id est, urbis reliquiæ, puta templum, palatia et domus, incolis vel occisis, vel abductis vacuata, DEVORABITUR IGNI.

Vers. 27. REQUIESCERE FACIAM SCELUS.) q. d. Tunc pudebit te idololatriæ, tunc ab ea quiesces et cessabis, upote cuius ignominia eo tempore revelabitur in tam ignominiosa tui punitione et eversione: ut sit hypallage, *requiescere faciam scelus tuum*, id est, quiescere faciam te a tuo scelere.

Secundo, simplicius Maldon. ait esse hebraismum, q. d. Tollam, auferam a te scelus tuum, excoquam te suppliciis, ut nihil veteris sceleris in te remaneat.

NEC LEVABIS OCULOS TUOS AD EOS.) Scilicet deos Ægypti. Hi enim intelliguntur in fornicatione Ægypti, quæ præcessit, q. d. Eos non invocabis, in eis non confides. Levare enim oculos symbolum est spei et invocationis.

ET ÆGYPTI, id est fornicationis, puta idololatriæ Ægypti, NON RECORDABERIS.

Vers. 28. TRADAM TE IN MANUS EORUM QUOS ODISTI.) Scilicet in manus Chaldæorum, quorum libidine, id est idololatria, satiata est anima, id est appetitus tuus.

Vers. 30. FECERUNT, id est facient, HÆC TIBI.

Vers. 31. IN VIA SORORIS, q. d. Imitata es mores sororis tuæ Oollæ, id est idololatriam Samariæ: ET, id est idcirco, DABO CALICEM EIUS IN MANU TUA.) Id est, iisdem pœnis te alliciam. Nota. Calicem vocat mensuram supplicii a Deo decretam. Hæc dicitur calix, ait Prado, alludendo ad calicem vini, qui morte damnatis, ut fortius eam ferrent, præbibebatur. Hinc calix significat pœnam mortis, vel necis decretum et destinationem: aut potius, ut idem censet, alluditur ad compotores, qui certant in calicibus exhauriendis. Nos enim Deo quasi propinamus calicem voluptatum, ille vicissim nobis calicem vindictæ ad fundum, æque ut priorem voluptatum, exhauriendum. Verum hæc arctiora sunt; primum quod dixi, generale videtur, et aptissimum. Alluditur enim ad præfectum convivii, qui symposiarcha, vel modimperator dicebatur: hic enim singulis conviviis suum calicem vini dabat et temperabat pro cuiusque ætate, appetitu et gustu: sic Deus pro cuiusque meritis calicem, id est sortem, pœnarum vel præmiorum temperat et distribuit. Vide Ps. 15. 5. et Ps. 74. 9. Unde sequitur: *Ebrietate, et dolore repleberis.*

Calix est mensura pœnæ a Deo sonti commensa.

Vers. 32. CALICEM SORORIS TUÆ BIBES (idem cum Samaria supplicium feres) PROFUNDUM, pœnarum magnitudine; ET LATUM) Amplo tempore captivitatis 70. annorum.

QUÆ EST (ita Rom. legunt, non *es*) CAPACISSIMA.) Id est maxima, scilicet subsannatio. Verum ex Hebræo plane vertas, *qui*, scilicet calix, *est capacissimus*. Hebræum

A ergo genus retinet interpres. Calix enim Hebræis est fœminini generis: *quæ* ergo, id est *qui*, scilicet calix, multus est ad capiendum, vel complectendum. Aliter Maldon. Legit enim, *quæ es capacissima*, q. d. O Ierusalem, quæ nunc amplissima es, et frequentissime habitaris, eris in sibilum et stuporem propter solitudinem, ad quam redigent te hostes.

CALICE, etc. TRISTITIÆ.) Septuag. *perditionis*, vel *delectionis*, quo omnino es perdenda et delenda; hebr. est, *calice solitudinis et vastationis.* Vers. 33.

ET EPOTABIS USQUE AD FÆCES.) q. d. Totum calicem pœnarum hauries, extrema mala patieris. Vers. 34.

ET FRAGMENTA EIUS DEVORABIS.) Est auxesis. Fragmenta enim devorari nequeunt. Sensus ergo est, q. d. Exhausto calice fractoque, etiam guttulas, quæ in fragmentis manserint, lambere cogeris, hoc est calicem ebibere cogeris usque ad ultimam eius guttulam. Quamquam et proprie capi potest. Sunt enim aliqui potores tam intemperantes et vecordes, ut post vinum, vitra fracta hauriant
B et glutiant etiam cum vitæ periculo: quales vidi in aquis Spadanis, frustra ab iis remedium mortis quærentes, suamque vecordiam sero damnantes. Unde sequitur: *Ubera tua*, præ dolore, *lacerabis*.

PROIECISTI ME POST CORPUS TUUM.) Retrorsum post tergum, q. d. Mei oblita es, me sprevisti, atque idola et voluptates mihi anteposuisti. Ita Theodor. Vers. 35.

FILI HOMINIS NUMQUID IUDICAS.) Nonne æquum est, o Ezechiel, ut iudices, id est arguas, has meretrices? Deus iam populo, iam Prophetæ loquitur, q. d. Quid hæres, quid cessas o Propheta, quin iudicas et condemnas hasce adulteras? Vide dicta c. 22. 2. Vers. 36.

SANGUIS IN MANIBUS EARUM.) Suas manus macularunt, cruentas adhuc habent manus ex sanguine Prophetarum, aliorumque innocentum quos occiderunt. Aliter Prado: Sanguinem, ait, gestare manibus, est de homicidio perpetrato gloriari, et sanguinem effusum quasi ostentare. Vers. 37.

CUM IDOLIS SUIS.) Septuag. *cum cogitationibus*, id est,
C ut Cyril. cum idolis quæ excogitarunt, quæ animo et mente volvunt et concupiscunt.

QUOS GENUERUNT MIHI, q. d. Filios quos mihi quasi marito gignere debuerant, genuerunt, et OBTULERUNT idolis AD DEVORANDUM.) Id est, ut in eorum honorem igne cremarentur et devorarentur.

POLLUERUNT SANCTUARIUM MEUM.) Tum aliis peccatis, tum in templo ponendo Baal et idola, uti dixit c. 8. vers. 10. Vers. 38.

ET SABBATA MEA PROFANAVERUNT.) Quia non mea sabbata et festa, sed Baal observarunt.

IN DIE ILLA.) q. d. Eadem die qua filios cremaverant idolo Moloch, ausi sunt ingredi templum meum, illudque polluere, ac me irritare. Ita Chald. Vers. 39.

ETIAM HÆC FECERUNT IN MEDIO DOMUS MEÆ.) q. d. Etiam in templo meo idolis immolarunt, ut patet Ierem. 7. 30. et supra cap. 8. v. 10.

MISERUNT nuncios AD VIROS, VENIENTES DE LONGE, Vers. 40.
ad Chaldæos: ITAQUE ECCE VENERUNT.) Scilicet Chaldæi
D amasii tui olim, quibus ut placeres, te lavisti, linisti stibio, ornasti. Ornabant enim se ituri ad festa idolorum, perinde ac meretrices se ornant ituræ ad amasios. Ita Theod. Rursum significat Chaldæos, æque ac Ægyptios, cum in Iudæam venirent, magna pompa et magnificentia a Iudæis exceptos fuisse, ac Iudæos eis ostendisse suos thesauros et opes, uti fecit Ezechias, Isaiæ 38. 2. Hi, inquam, venerunt, iam non amasii, sed irati hostes tui, et furentes ac ruentes in tuam necem.

SEDISTI IN LECTULO.) Quasi fœmina: fœminæ enim, viris ad mensam discumbentibus, id est cubantibus, cœnitabant sedentes, eo quod in fœmina turpis esset accubitus. Ita Valer. Maximus lib. 2. cap. 1. Alludit ad meretrices se stibio ornantes, et cum amasiis convivantes: Ierusalem enim idololatrantem toto hoc cap. comparat meretrici fornicanti. Notat insuper morem mulierum quæ se mire ornare et fucare solent, ut sedentes videantur esse reginæ, imo deæ. Causas, cur præ viris idipsum faciant, Vers. 41.

indagat Ambrosius Leonis Philosophus problem. 299. ac respondet duas esse. Prior, quod salaces sint, virosque in sui amorem pellicere cupiant. Posterior, quod natura sint informes et turpes; eo quod natura in eis defecit; hinc idipsum ornamentis et fucis instaurare conantur. Informes eas esse probat: *Quia*, inquit, *sunt mares imperfecti; et frigidæ temperaturæ. Hinc cum amota fuerint omnia ornamenta, nigricare cernuntur, et pallescere, et squallere: unde contemptui et hodio habentur. Signum est, quod multi mares uxores suas contemnant, quia sæpe eas inornatas vident; ac ad meretriculas deflectant, quæ non nisi ornatæ se exponunt.*

Mensa.) Scilicet sacra, id est, altare diis tuis ornasti, cap. 41. 22.

Thymiama meum, quod mihi adolere debueras, posuisti super eam.) Scilicet mensam, id est super altare idolorum, q. d. Thymiama meum idolis dedisti et incendisti.

Vers. 42. Et vox multitudinis exultantis, hymnos et laudes deorum suorum canentis, erat in ea.) Iuxta eam, circa eam, puta, circa mensam, id est, altare idolorum: aut potius, *in ea*, scilicet Ooliba, id est in Ierusalem, erat vox turbæ exultantis, uti mœchi solent convenire ad meretrices in lupanari, ibique exultare et canere carmina amatoria.

Et in viris.) Mœchis, qui ad eam conveniebant, supple, audiebatur vox exultantis: aut potius, *posuerunt armillas in manibus eorum*, ut sequitur.

Et veniebant de deserto.) Legit interpres שבאים *scebaim* per *scin*, vel per *sce* relativum שבאים *scebaim*, id est, qui veniebant: aut, ut Maldonat. legit per duplex *bet*, סב באים *sab baim*, id est, qui circum circa, id est undique veniebant. Iam Hebr. habent שבאים *Sebaim* per *sin*, id est Sabæi, scilicet Arabes, et Æthiopes, Abyssini. Septuag. legerunt סובאים *sobeim*, id est, ebrii: sed eodem omnia redeunt, q. d. Ooliba, id est Ierusalem, excepit Sabæos, secundum nomen suum vinosos, et ebrietati addictos, qui de deserto Arabiæ veniebant Hierosolymam, q. d. Non tantum speciosos et nobiles Assyrios, sed et vilia mancipia, fæcem mundi, deformes Æthiopes, et latrones Sabæos adamavit hæc meretrix: imo eos suis armillis et coronis ornavit, amore ardens et insana. Ita S. Hieron. et Latini omnes; ac Septuag. et Chald. qui legunt; *in manibus eorum*, licet in Hebr. sit, *in manibus earum;* quasi amasii meretricibus dederint armillas, non meretrices amasiis. Forte corruptus est textus Hebræus, aut certe hic, uti et alibi הן *hen*, id est *earum*, capitur pro הם *hem*, id est *eorum*. Notat miram libidinem Hierosolymitarum. Sed sub hac proprie intelligit idololatriam, cuius causa, comes et effectus est libido et lascivia. Ita Theodor. Consequenter amasii sunt idola, quæ Ooliba, id est Ierusalem, ornavit suis armillis et coronis.

Victimas et dona olim coronabant. Coronas.) Olim, ait Athenæus lib. 25. sacrificantes, id quod diis offerebant, vel acceptum referebant coronabant. Hinc Plautus in Amphitr.

Serta, unguenta, coronas ferre Veneri, et Cupidini.

Idem in Aulular. prolog.

Has coronas floreas ut imponantur in foco nostro Lari.

Idem in Pseudol.

Illam esse domum Iovis,
Augurium menti querna corona dabat.

Et Ovidius lib. 3. Tristium eleg. 1.

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

Causam dat Aristoteles libro Sympos. nimirum ut significarent nil diis mutilum, sed integra et perfecta esse offerenda. Corona ergo est perfectionis et plenitudinis symbolum. Hinc, ait Aristotel. apud Rodigin. l. 27. 26. in conviviis accumbebant coronati, quasi augurantes fertilitatem annonæ, et rerum abundantiam. Sed prima huius coronationis origo et causa fuit, quod cum multum biberent, ne capite dolerent, illud vinciebant fascia lanea, vel linea. Hæc enim prima fuit corona teste Festo, deinde ad delicias addita sunt serta ex frondibus et floribus, vel calidis, quæ molliter meatus aperiunt, ut vinum perspiret; id facit corona ex nardo: vel frigidis, ut astringant et reprimant vim vini; id facit corona ex violis, rosis, et ex hedera. Liber, sive Bacchus, ait Plutar. 3. Sympos. 1. hedera bacchantes coronavit, ut minus a vino læderentur, hedera frigore suo ebrietatem restinguente. Has coronas vel imponebant capiti, vel fronti et temporibus circumdabant, vel e collo suspendebant. Ita Stuckius in Conviva1. Cur?

Et dixi ei quæ attrita est.) Id est, assueta; Chald. *inveterata in adulteriis*, q. d. Itane vetula hæc nondum satiata est sordibus meretriciis? adhuc ad eas insane ruit? adhuc fornicatur et perfornicatur, ut sit quasi meretrix publica provocans Chaldæos, et omnes gentes ad suos dæmones et idola colenda? Aliter Chaldæus, q. d. *Et dixi de cœtu Israel, cuius populus inveteratus est in peccatis: Nunc dimittet idola sua, et convertetur ad cultum meum; et non est conversus.* Vers. 43.

Viri ergo iusti sunt.) Babylonii iustam de Ierusalem (æque ac fecerunt Assyrii de Oolla, id est, de Samaria) deposcent ultionem. Licet enim ipsi in se æque impii, et idololatræ sint ac iniusti; erunt tamen lictores iustæ sententiæ Dei, et iustæ punitionis Iudæorum. Impios enim per impios, idololatras per idololatras puniri decet, et vero iuste punire solet Deus. Vers. 45.

Iudicio adulterarum, et effundentium sanguinem.) Id est, eo supplicio, quo plecti solent adulteræ, et homicidæ (utrumque enim est Ierusalem) scilicet ut lapidentur et concrementur, uti dixit cap. 16. v. 38. et sequent.

Adduc, id est, prædic addducendam fore (vide cap. 29.) ad eas multitudinem, Chaldæus, *exercitum*, scilicet Chaldæorum, et trade eas in tumultum.) Chald. *in interitum;* Hebr. *in commotionem*, id est, in trepidationem, fugam, dispersionem: iuxta minas Mosis Deuter. 28. 25. et Ierem. 34. 17. Vers. 46.

Lapidentur.) Quasi adulteræ. Significat balistas, quibus lapides in Ierusalem iaculati sunt Chaldæi: vel metaphorice significat excidium urbis, quo civitas quasi lapidibus fuit obruta. Vers. 47.

Discent omnes mulieres.) Omnes civitates, et provinciæ. Vers. 48.

Et dabunt scelus vestrum, id est sceleris vestri, puta cultus idolorum, pœnam, super vos.) q. d. Pro meritis scelerum punient vos. Vers. 49.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub parabola ollæ carnium igne excoctæ, percoctæ, et liquefactæ, significat carnes, id est cives Hierosolymæ obsessæ a Chaldæis consumendos; ollam vero, id est ipsam Ierusalem, destruendam et comburendam. Secundo, v. 15. moritur uxor Ezechielis, ipsique iubet Deus ut eam non plangat, ut portendat excidium urbis, in quo quasi in communi omnium clade et comploratione nemo fratrem, patrem aut uxorem sit plancturus. Hinc Tertio, v. 24. statuit Ezechielem Iudæis in portentum.

1. Et factum est verbum Domini ad me, in anno nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens: 2. Fili hominis, scribe tibi nomen diei huius, in qua confirmatus est rex Babylonis adversum Ierusalem hodie. 3. Et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, et loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Pone ollam: pone, inquam, et mitte in eam aquam. 4. Congere frusta eius in eam, omnem partem bonam,

femur et armum, electa et ossibus plena. 5. Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea: efferbuit coctio eius, et discocta sunt ossa illius in medio eius. 6. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ civitati sanguinum, ollæ, cuius rubigo in ea est, et rubigo eius non exivit de ea: per partes et per partes suas eiice eam, non cecidit super eam sors. 7. Sanguis enim eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram ut possit operiri pulvere. 8. Ut superinducerem indignationem meam, et vindicta ulciscerer: dedi sanguinem eius super petram limpidissimam, ne operiretur. 9. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ civitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram. 10. Congere ossa, quæ igne succendam: consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent. 11. Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat, et liquefiat æs eius: et confletur in medio eius inquinamentum eius, et consumatur rubigo eius: 12. Multo labore sudatum est, et non exivit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. 13. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. 14. Ego Dominus locutus sum: Veniet, et faciam: non transeam, nec parcam, nec placabor: iuxta vias tuas, et iuxta adinventiones tuas iudicabo te, dicit Dominus. 15. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 16. Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga: et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. 17. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, et calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes. 18. Locutus sum ego ad populum mane, et mortua est uxor mea vespere: fecique mane sicut præceperat mihi. 19. Et dixit ad me populus: Quare non indicas nobis, quid ista significent, quæ tu facis? 20. Et dixi ad eos: Sermo Domini factus est ad me, dicens: 21. Loquere domui Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri, et desiderabile oculorum vestrorum, et super quo pavet anima vestra: filii vestri, et filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadent. 22. Et facietis sicut feci: ora amictu non velabitis, et cibos lugentium non comedetis. 23. Coronas habebitis in capitibus vestris, et calceamenta in pedibus: non plangetis neque flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, et unusquisque gemet ad fratrem suum. 24. Eritque Ezechiel vobis in portentum: iuxta omnia, quæ fecit, facietis cum venerit istud: et scietis quia ego Dominus Deus. 25. Et tu fili hominis, ecce in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum, et gaudium dignitatis, et desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animæ eorum, filios et filias eorum: 26. In die illa cum venerit fugiens ad te, ut annuntiet tibi: 27. In die, inquam, illa aperietur os tuum cum eo qui fugit: et loqueris, et non silebis ultra: erisque eis in portentum, et scietis quia ego Dominus.

Vers. 1. In anno nono.) Scilicet a captivitate Ioachin. Ita omnes Hebræi, puta anno 9. regni Sedeciæ. Nota. Eodem die, quo Nabuchodonosor cœpit obsidere Ierusalem, scilicet anno 9. die 10. decimi mensis, ut patet 4. Reg. 25. v. 1. Eodem, inquam, die hic Ezechieli in Babylone existenti idem revelatur. Unde iubet notari diem, ut postea, cum Iudæi in Babylone, Hierosolymis per suorum literas ita factum intellexerint, sciant Ezechielem esse verum Prophetam: et hæc non casu, sed Dei providentia fieri contra Ierusalem. Ita S. Hier. Hoc est quod subdit:

Vers. 2. Scribe tibi nomen diei huius.) q. d. Nota et consigna hunc diem in Babylone; quia hoc ipso die Nabuchodonosor in Syria incipit obsidere Ierusalem. Hebr. est, *signa tibi nomen diei, et os*, id est substantiam, *diei huius*, q. d. Hanc diem, ipsissimam hanc diem consigna, nimirum, scribe, et annota: *Decima die mensis decimi, anni noni transmigrationis Ierusalem, facta est hæc ad me prophetia de obsidione et excidio Ierusalem, in qua confirmatus est.* Vatabl. *corroboravit se*, id est sua castra posuit et munivit, *rex Babylonis adversus Ierusalem.*

Vers. 3. Ad domum irritatricem.) Ad gentem et urbem Ierusalem, mihi rebellem, meque exasperantem, uti noster vertit cap. 2. 3. et cap. 3. v. 5.

Olla est Ierusalem, carnes cives, coci Chaldæi. Pone ollam.) Revera ergo obediens Deo Propheta, posuit carnes in olla ad ignem, ut non tantum verbis, sed et factis prophetaret. Olla est Ierusalem; aquæ infusio est obsidio longa (nam longiore tempore aqua ab igne evaporatur, ut olla remaneat vacua, uti huic contigisse patet v. 11.) et eius calamitates; pecus pinguissimum sunt incolæ ditiores, lauti et lascivi; carnes sunt cives; caput rex; cor pontifex; viscera sacerdotes; armi magnates; femora milites; crura fabri, et plebs; ossa sunt potentiores, vel ipsi magistratus; ignis est oppugnatio inducens pestem et famem; frusta carnium ex olla extracta, et proiecta in omnem ventum, sunt cives profugi, vel captivitate dispersi; rubigo est obstinatio Iudæorum. Ita S. Hieron. Vatablus, Prado, Maldon. et alii. Rursum, olla hæc rubigine plena, significat Ierusalem cædibus et sceleribus repletam, non posse nisi igne purgari: ac proinde eam, et in ea cives a Chaldæis concremandos, uti v. 6. et 10. explicatur. Hæc ergo est parabola ollæ, quam proposuit quoque cap. 11. 3. Ita La-

A cenæ mulieres ollas in regum suorum iustis pulsitabant per urbem discurrentes, ut ita civitatem orbam rege, animo carere significarent, sicut ollæ illæ inanes erant: ita Pierius hierogl. 56.

Insuper Eucherius in Spirital. form. cap. 8. Olla, ait cum sit condimentorum, quæ ad humanum victum pertinent, receptaculum, in sacris Literis pro sobole, vel progenie solet accipi: nam sicut ex olla desumitur quod ad victum facit; sic de humano vasculo genitura depromitur, quæ in multas hominum ætates propagatur. Ideo psal. 59. dicitur: *Moab olla spei meæ*, id est Ruth Moabitis est progenies mea quam spe concepi: nam illa pariet Christum: ita ipse, et Pier. hierogl. 56. licet alius sit literalis eius loci sensus.

Symbolice, olla sceleris, ac terræ et carnalis vitæ est symbolum. Unde proverbium: *Ipsa olera olla legit*, quod B in eos dicitur, qui ita sceleribus assueverunt, ut ad ea nati videantur, utque non possint non peccare. Ita Catullus in Cæsarem: Olla significat carnalem vitam.

Hoc est quod dicunt: Ipsa olera olla legit.

Rursum, hi ollis incubant, ollas lingunt et liguriunt, ollas ostentant, his ollaris est Deus; mens tota in olla.

Quocirca hisce recte detur epitaphium illud coci:

Antoni, tibi pro tumulo sint arma culinæ,
Olla, lebes, ligulæ, trulla, patella, veru.
Ungere non opus est unctum, neque adurere corpus,
Cum satis ad Manes unctus, et ustus eas.

Allegor. olla hæc ad vivum repræsentat tartarum, et ollam Vulcaniam inferni. Est enim tartarus olla rubiginosa, carnibus, id est carnalibus hominibus, plena, perpetuis flammis imposita, de qua recte dicitur: *Væ civitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram.*

C Omnem partem bonam.) Significat optimum quemque militem, æque ac civem in urbe consumendum. Vers. 4.

Electa, et ossibus plena.) q. d. Optima quæque membra, quæ ossibus, quasi fulcris plena esse solent. Septuag. vertunt, *crus et armum carne ab ossibus separata.* Sed hæc versio non satis consonat Hebræo.

Compone quoque ossium strues sub ea.) Septuag. *succende ossa sub eis.* Ossa ergo hic sunt vice lignorum, et cum lignis ardent, coquuntque carnes. Significant hæc, cædem innocentum esse causam obsidionis, et eo- Vers. 5.

rum ossa eos persequi, ac vicissim quasi sub olla succendere eorum ossa, posita in olla. Ita Vatabl. R. David, et alii. Sic enim se explicat v. 10. *Congere ossa* (sub olla) *quæ igne succendam: consumentur carnes, et ossa* (quæ in olla cum carnibus sunt) *tabescent*, id est solventur, et quasi liquescent. Ubi distinguit inter ossa, quæ foris sub olla sunt, et ossa, quæ intus in olla sunt: illa enim succendit, ut hæc tabescant. Hinc etiam explicans parabolam v. 6. ait: *Væ civitati sanguinum etc.*

Aliter Prado: *sub ea*, id est, intra ollam, ima sub carnibus ossa pone. Estque hoc probabile. Nam ossa vix ardent, etiam cum lignis. Significat autem principes primo loco, quasi in fundo ollæ sint, obsidionis et excidii ignem sensuros. Ita Maldon. et R. Salomon.

Efferbuit coctio eius.) q. d. Pressuræ obsidionis ita invaluerunt, ut discocta, id est percocta, sint etiam ossa, licet durissima, et coctioni inepta, hoc est, fortissimi et potentissimi Iudæorum, fame, gladio, peste consumpti sint, aut dispersi. *Efferbuit*, id est, iam iam effervescet. Unde Hebr. est, *bullire fac bullitiones eius.*

Vers. 6. Væ civitati sanguinum.) Væ Ierusalem cædibus, etiam innocentum, ac sceleribus oppletæ, et infami. Vide c. 22. 2. Hic parabolam explicat Propheta.

Rubigo.) Adustio, puta sordes carnium adustæ, quæ ollæ adhærescunt: non spuma, ut volunt Vatabl. et R. David, qui vertunt et explicant, q. d. Hæc olla bullivit diu, sed non est despumata, id est, a sceleribus repurgata. Verum spuma ab igne aqua ebulliente statim dispellitur et evomitur: atque Hebr. חלאתה *chelata* significat rubiginem non spumam, ut patet v. 11. Rubigo est impietas, et obstinatio. Huc alludere Apostolum Hebr. 13. 11. cum ait, *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum*, censent ibidem Œcumen. et Vatabl. pro *circumstans* enim ipsi vertunt, *tenaciter adhærescens:* quasi Apost. nos et corpora nostra comparet ollæ, peccatum vero et concupiscentiam adustioni, sive sordibus carnium adustarum, quæ ita defricari nequeunt, quin reliquiæ remaneant, et ollæ adhæreant. Rubigo enim in metallis situ, in ollis adustione contrahitur, arida et rubra, ollas et metalla paulatim absumens, dicta a colore: nam veteres robum, rubrum vocitabant.

Vers. 7. Per partes, et per partes suas eiice eam, non cecidit super eam sors.) Vatabl. *frustillatim*, sive *per frusta evacua ollam*, q. d. Singula frusta exime, et proiice: ut significes cadavera civium non omnia simul, et eodem tempore, sed successive, et sigillatim (ita ut nullus superstes remaneat) unum post aliud proiicienda, *sine sorte*, id est sine delectu. Rursum *sine sorte*, id est, non sortito occidentur, uti aliquando fieri solet, ut decimus, vel centesimus, in quem cadit sors, plectatur; uti in Thebæis Martyribus factum legimus: sed ad unum omnes paulatim sine discrimine fame, gladio, peste consumentur vel capientur. Ita Apollin. S. Hieron. Maldon. et alii.

Sanguis enim eius.) Scilicet Prophetarum, innocentum parvulorum a Manasse et aliis effusus, implevit Ierusalem quasi ollam ad os, 4. Reg. 12. 16. Hinc ex lege et pœna talionis, ipsi pariter intra mœnia, in urbe quasi in olla conclusi, obsidione Babylonica lixabuntur, ardebunt, contabescent.

Allegorice, ob sanguinem Christi effusum, Ierusalem quasi olla conclusa et succensa est a Tito.

Anagog. olla ardens erit orbis in fine mundi. Anagogice, olla est orbis rotundus, qui in fine mundi conflagrabit, ut omnes eius sordes et scelera, in eo commissa comburantur et expientur. Ita S. Hieron.

Tropol. est mala conscientia. Tropologice, olla semper bulliens, et ardens, est mala conscientia, quæ semper æstuat, tum malis desideriis, tum doloribus et angoribus. Nam, ut ait S. Hier. *Quot sunt vitia, tot sunt animi tormenta.* Et S. Ambr. *Impius ipse sibi pœna est, iustus gloria.* Et S. Bernard. *Nihil est in hac vita laboriosius, quam desideriis terrenis æstuare; et nihil quietius, quam sæculi huius nihil appetere.*

In medio eius est.) q. d. Sanguis, id est, cædes et scelus eius in propatulo publice omnibus expositum et manifestum est. Vide cap. 22. 3. et 13. unde sequitur:

Super limpidissimam petram effudit eum.) Vatab. *in eminente petra*; scilicet colles erant in Valle Ennom, et alibi iique petrosi, ubi innocentes mactabant. Melius noster vertit, *limpidissimam*. Non enim significatur locus eminens sed saxeus, et tersus, ac sine pulvere, ubi scilicet pulvis non posset sanguinem imbibere et tegere. Unde explicans subdit:

Non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere.) q. d. Ierusalem non abscondit suas cædes, sanguinem et cadavera, sed aperte et publice eas fecit, et exposuit. Sic Christus in Golgotha rupe, ab eadem occisus est: ita S. Hieron. et Theod. qui et addit: Sanguis, inquit, non in terra effusus, et ab ea absorptus, sed super glabrum lapidem iniectus est, qui continenter servatur ut eos accuset, qui illum effundere ausi sunt. Sic Abimelech occidit 70. fratres super lapidem unum, Iud. 9. 5. quia volebat sanguinis remanere vestigia et memoriam. Ita parricida ex parricidio gloriam et nomen captabat: sicut Herostratus incendit templum Dianæ, ut hoc facto ex sacrilegio nomen suum celebraret et æternaret.

Mystice, S. Gregorius l. 15. Moral. cap. 19. *Sanguis*, ait, *super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione iustæ animæ grassatur.*

Ut superinducerem indignationem meam.) Vox *ut* Vers. 8.
non finem, sed consecutionem significat, q. d. Inde factum et consecutum est, ut indignationem meam ei superinducerem. Unde hebr. est, *ut accendere facerem iram meam*. Quocirca

Dedi, id est dabo, sanguinem eius super petram limpidissimam.) q. d. Ego etiam vicissim aperte et publice eam puniam: sicut publice peccavit, ita publice a me plectetur. Aliter Maldon. q. d. *Ut superinducerem*, id est, idcirco permisi, ut sanguis, quem illa effudit, non in terram, sed in petram caderet, ut eum videns, contra illam indignationem meam et ultionem sumerem. *Dedi* ergo *sanguinem eius*, quem illa effudit, *super petram limpidissimam*, id est, permisi, ut non super terram caderet, sed super petram ne pulvere operiretur.

Cuius ego grandem faciam pyram.) Hebr. *etiam* Vers. 9.
ego magnum faciam rogum, q. d. Ierusalem multum sanguinis fudit; ita et ego magnum supplicium et incendium illi immittam.

Congere ossa.) Hebr. et Chald. *multiplica ligna, suc-* Vers. 10.
cende ignem, ut grandem facias pyram. Noster melius pro עצים *etsim*, id est ligna, legit עצמים *atsamim*, id est ossa. Explicat enim parabolam ollæ et ossium, de quibus v. 5.

Et coquetur universa compositio.) Scilicet commistio carnium in olla. Unde Septuag. vertunt, *minuetur iusculum*, sive ipsum ius carnium; Vatabl. *condiam condimentum*, q. d. Uti caro conditur aromatibus, ut fiat sapidior; ita Ierusalem condiam ærumnis, ut Dei iustitia, æque ac hostes ex eis delectationem capiant, quasi ex cibo bene condito. Ita R. David. Rursum Maldon. et alii vertunt, *coquam decoctionem pigmentorum*, id est, excoquam illos sicut pharmacopolæ sua pharmaca et pigmenta coquere solent, donec scilicet omnia consumantur, et tertium quiddam fiat.

Ossa in olla, id est, principes in Ierusalem, tabescent.) Id est, calore et æstu afflictionis, puta fame, peste et gladio consumentur; Chald. vertit, *fortes eius insaniet.*

Pone quoque eam super prunas vacuam, ut inca- Vers. 11.
lescat, et liquefiat æs eius.) q. d. Carne exempta et consumpta, ipsum æs ollæ igne liquescet, et olla cum sua rubigine absumetur, id est, civibus cæsis, ipsa urbs Ierusalem incendio consumetur.

Symbolice, hæc adaptat Romæ a Longobardis vastatæ S. Gregorius homil. 18. in Ezechiel, sub finem. *Ossa*, inquit, *sunt magistratus, et potentes; caro est populus. Quia enim senatus*, ait, *deest, populus interiit: et tamen in paucis qui sunt, dolores, et gemitus quotidie multiplicantur: iam vacua ardet Roma. Iam enim et ipsa olla consumitur, in qua prius carnes et ossa consumebantur: quia postquam defecerunt homines, etiam parietes cadunt.*

Vers. 12. Non exivit rubigo neque per ignem.) Malitia Iudæorum igne non est abrasa. Hoc est quod ait Ierem. 6. 29. *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.*

Allegorice, S. Hieron. q. d. Malitia Ierusalem non est purgata per Christum, qui in ea fatigatus est, æstuavit, sanguinemque sudavit: vel potius per Titum eam vastantem et incendentem.

Vers. 13. Donec quiescere faciam indignationem meam in te.) q. d. Donec furorem in te effundam, te occidam et vastem; itaque cesset indignatio mea.

Secundo, et melius, q. d. Donec exhausero et exsatiavero omnem iram meam: donec omnia tela vindictæ meæ in te effudero; ut illa, simulque ira mea in te quiescant et sepeliantur. Vide dicta cap. 16. 42.

Vers. 14. Veniet.) Iam adest ultio, et dies ultioni decreta. Unde Hebr. habent באה *baa*, id est *venit*. Quare minus recte Maldon. legit, *veni*, q. d. Adesdum et perficiam in te, quæ locutus sum.

Non transeam.) Non prætermittam quod minatus sum. R. David. *non retrocedam*, id est, non discedam a sententia mea; Septuag. *non differam*.

Vers. 16. Tollo a te desiderabile.) Hic est secunda pars capitis, qua ab obsidione transit ad eversionem urbis, eamque adumbrat per aliam parabolam, scilicet per mortem uxoris. *Tollo* ergo *a te desiderabile*, id est, uxorem tuam gratiosam et amabilem; quia enim qui amat rem, sæpe in eam oculos coniicit, hinc desiderium oculorum significat rem charam, scilicet, *ubi oculus, ibi amor*: *ubi manus, ibi dolor*.

Secunda pars capitis, qua mors uxoris Ezechiel adumbrat excidium urbis.

In plaga.) Id est, ut Hebr. *violenta morte*, scilicet, subito morbo, vel casu potius, et vi illata: significat enim Ierusalem, vi illata a Chaldæis subito evertendam. Improvisa enim mors et excidium magis affligit et percellit: tela enim prævisa minus feriunt.

Vers. 17. Et non planges.) Ne plangas, ne plores. Hæc enim futura significant Dei præceptum; quare per imperativum exponenda sunt.

Ingemisce tacens.) Secreto geme, ut gementem te nemo audiat. Aliter Chaldæus et Hebræi vertunt; scilicet, *a gemitu tace*, q. d. Ne quidem gemere tibi permitto. Sed melius noster, et Sept. vertunt: nam v. 23. explicans parabolam ait, *unusquisque gemet fratrem suum*, id est silens lugebit.

Corona tua circumligata sit tibi.) *Corona*, id est fascia qua sacerdotes pileum quasi coronant et capiti aptant: vel certe coronam vocat ipsum pileum rotundum, qui instar coronæ caput coronat et circumdat, quales erant mitræ et tiaræ sacerdotum, ac nunc sunt Turbanti Turcarum: hæ enim hebr. vocantur פאר *peer*, id est decor et gloria capitis: ac habebant lemniscos aut vittas quasdam, quibus capiti alligabantur. Erat enim Ezechiel sacerdos, ideoque mitra quasi corona vestiebatur. Aut denique coronam vocat capillorum, puta cæsariem in rotundum vel attonsam, vel potius colligatam. Ita Septuag. Vertunt enim, *erunt crines tui colligati super te*, uti legunt S. Hieron. et Theodor. Verum editio Romana Sep. legit contrarie: *non erunt crines tui colligati super te*. Sensus est, q. d. Noli lugere, nec more lugentium comam, pileum aut fasciam cum coronantem deponere, et calceos exuere, ut nudo capite et pedibus incedas; nec os velabis, aut veste teges, uti pullati faciunt. Ita S. Hieron.

Ita Græci olim et Romani in funere deponebant coronas. Audi S. Hieron. ad Heliodorum in Epitaph. Nepotiani: *Proponunt*, ait, *innumerabiles viros et maxime Periclem, et Xenophontem Socraticum*: *quorum alter, amissis duobus filiis, coronatus in concione disseruit*, ut ostenderet se non non dolere, nec lugere: *Alter cum sacrificans filium in bello audisset occisum, deposuisse coronam dicitur; et eamdem capiti reposuisse, postquam fortiter in acie dimicantem reperit concidisse.* Sed de his mox plenius et plura.

Nota hic ritum lugendi defunctos usitatum apud Iu-

A dæos. Primo, deponebant coronas, vestetque solitas, ac lugubres induebant. Sic Gentiles insignia magistratus in luctu ponebant, uti narrat Tacitus lib. 3. in funere Germanici. Idem etiamnum faciunt Sinæ, qui moriente aliquo suorum ita lugent, ut magistratu se ad aliquot annos plane abdicent, domique in silentio vitam agant. Annulos eos mutasse liquet ex Svetonio, qui Augusto mortuo quosdam censuisse tradit, *exsequiarum die ponendos annulos aureos, ferreosque sumendos.* Livius l. 34. *Quid aliud*, inquit, *in luctu quam purpuram atque aurum deponunt?* Ovidius l. 8. Metamorph. de Althæa, cum conspicaretur fratres extinctos:

Quæ plangore dato mœstis clamoribus urbem
Implet, et auratis mutavit vestibus atras.

Huc pertinet epigramma C. Cilnii Mæcenatis in Horatium, quod est apud Isidorum lib. 19. cap. 32.

Lugens te, mea vita, nec smaragdos,
Beryllos neque, Flacce, nec nitentes
Semper candidas quæro margaritas:
B *Nec quos Thynica lima perpolivit.*
Anellos, nec Iaspios lapillos.

Quin et apud Romanos in publico principum luctu erat iustitium: consules sedebant vulgari sede in curia: eis fasces præferabantur inversi: læta omnia vitabant: abstinebant se publico. Audi Tacitum lib. 3. in funere Germanici: *Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum sumpto iustitio desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia et gemitus.* Pedo Albinovanus in eleg. de morte Drusi:

Iura silent, mutæque iacent sine vindice leges,
Aspicitur toto purpura nulla foro.

Secundo, Iudæi in luctu calceos ponebant, incedebantque nudipedes: unde Ezechieli iubet hic Deus, ut calceatus incedat, ne mortem uxoris excalceatus lugeat.

Tertio, velabant eos, quasi vocem et respirationem sibi interciperent in luctu eius, qui utrumque in morte amiserat. Sic apud Romanos si mortuus liberos reliquisset C superstites, ex iis filii quidem velatis, filiæ vero apertis capitibus in funus prodibant, uti docet Plutarch. in Prob. Rom. problem. 14. Quin et comam resecabant, eamque ponebant super mortui pectus. Ita factum in funere Virginiæ, filiæ Virginii, tradit Dionys. Halicar. lib. 11. et Ovid. lib. 3. Metam. de sororibus Narcisi:

Planxere sorores
Naiades, et sectos fratri imposuere capillos.

Quarto, abstinebant conviviis. Paulus lib. 2 sentent. c. 21. *Qui luget*, ait, *debet abstinere a conviviis.* Cicero ad Attic. lib. 12. in obitu Tulliæ: *Cum*, inquit, *mihi carendum sit convivio, malo id lege videri facere, quam dolore.* Imo et foco abstinebant. Iuven. satyr. 3.

Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.

Ubi vetus interpres: *Nec focum*, inquit, *in nostra domo fieri patimur, quod et lugentes observare solent.*

Nec cibos lugentium.) q. d. Ex epulo funebri, sive ex exequiis non comedes. His omnibus significat in morte et occasu Ierusalem vicinos non facturos luctum, sed D gavisuros; et Ierusalem nullum habiturum, qui sibi condoleat, seque consoletur: imo tantam fore cladem et omnium communem dolorem, ut nemo alterius, etiam amici et fratris dolore et morte tangatur. Ita Theodor. Simile est Ierem. 16. v. 5. Vide ibi dicta.

Et mortua est uxor mea.) Uti Deus prædixerat v. 16. Vers 18.

Fecique mane sicut præceperat mihi.) Id est, caput coronavi, pedes calceavi, nullumque luctus signum dedi.

Moraliter, disce hic viros sapientes et divinos, quales erant Prophetæ, non debere nimis lugere et plangere clades, tum privatas, tum publicas, et quasvis ærumnas huius vitæ; sed potius in iis se resignare et conformare divinæ voluntati illas immittenti, aut permittenti; præsertim, quia mens sapientis in cælo et Deo defixa, omnia sublunaria, sive bona, sive mala, parva et exilia æstimat, uti revera sunt, respectu cælestium et inferorum. Adde, scit sapiens mortalia omnia morte damnata esse: scit, post

Moral. de moderanda tristitia in cladibus publicis et privatis.

peccatum genus humanum hisce ærumnis addictum: scit, ab omni ævo tales fuisse regnorum eversiones, clades et strages. Itaque nihil hic videt novum quod miretur et doleat; præsertim cum dolor hic et tristitia, nec sibi, nec aliis utilis (nec enim per eam clades inferendas impedire, aut illatas revocare et integrare potest) sed potius damnosa et noxia sit, ipsamque calamitatem augeat et duplicet. Eccli. 30. vers. 24. *Tristitiam longe repelle a te: multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa.* Cassian. lib. 9. de Institut. renuncian. cap. 12. ait: *Omnis tristitia, præter illam, quæ vel pro salutari pœnitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, quasi tristitia sæculi, et quæ mortem inferat, æqualiter repellenda est, ac sicut fornicationis spiritus, vel philargyriæ, de nostris cordibus penitus extrudenda.* Seneca quidquid dolorem pascit, id minimum putat, id est, rem risu dignam. Idem epist. 77. *Præcogitati*, ait, *mali mollis ictus venit: ideo sapiens assuescit futuris malis, et quæ alii diu patiendo, levia facit diu cogitando.* Servius Sulpicius consolans Ciceronem de obitu Tulliæ filiæ: *Nullus*, ait, *est dolor, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.* Et Sophocles: *Tempus*, ait, *est facilis Deus*: qui omnia lenit et mollit, atque molestiis medetur omnibus. Hoc præcipit meditando sapiens. Anaxagoras audita filii nece apud Troiam: *Sciebam*, ait, *me mortalem genuisse. Sciebam me eum in mortiferum bellum, non in epulas mittere.* Nimirum, inquit Cicero lib. 3. Tuscul. *Hæc est præstans et divina sapientia, perceptas penitus, et pertractatas humanas res habere; nihil admirari cum acciderit; nihil antequam evenerit, non evenire posse arbitrari.* Seneca epist. 86. *Demetrius noster*, ait, *vitam securam, et sine ullis fortunæ incursionibus mare mortuum vocat. Nihil habere ad quod exciteris, cuius denunciatione et incursu firmitatem animi tui tentes; sed in otio inconcusso iacere, non est tranquillitas, sed malitia. Atticus iste Stoicus dicere solebat: Malo me fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat. Torqueor, sed fortiter, bene est.* Et libr. de Providentia, ante medium: *Nihil*, ait, *mihi videtur infelicius eo, cui nihil umquam evenit adversi: non licet enim illi se experiri. Male de illo dii iudicarunt: indignus est visus a quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignavissimum quemque refugit.* Et inferius: *Miserum te iudico, quod non fuisti miser: transiisti sine adversario vitam.* Cicero 3. Tuscul. *Mortalis nemo est quem non attingat dolor, morbusque: multi sunt humandi liberi, rursus creandi: mors est finis omnium. Reddenda est terra terræ, tum vita omnibus: metenda ut fruges: sic iubet necessitas ferenda conditionis humanæ, quasi cum Deo pugnare prohibeat.* Euripides in fine Phœnissarum: *Quid*, ait, *ista lamentor, et frustra deploro? Mortali ferendum est, quidquid immittit Deus.*

Gnomæ

Hermes Episcopus et Martyr, discipulus S. Pauli in libr. qui inscribitur Pastor, qui citatur et probatur a Dorotheo, Damaso, et aliis Patribus, visione quinta, mandato decimo, narrat sibi apparuisse angelum in figura pastoris, et inter alia ei dixisse: *Tristitia omnium spirituum nequissimus est, et pessimus servis Dei, et omnium spiritus exterminat, ac contribulat Spiritum sanctum: atque oratio tristis hominis non habet virtutem, ut ascendat ad altare Dei: sicut enim vinum mistum aceto, eamdem suavitatem non habet; sic et tristitia Spiritui sancto mista, eamdem orationem mundam non habet.*

Denique Psaltes psal. 76. 3. *Renuit*, ait, *consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum.* Unde Nemesius lib. de Natura homin. cap. 19. *Qui*, inquit, *in hisce* (tristibus) *se contemplationi rerum totum tradiderit, nihil omnino commovebitur, cum se ab his rebus, quæ in hominum vita geruntur, semoverit, et cum Deo coniunxerit, iuxta illud psalmi 36. 4. Delectare in Domino.* Et Cassian. lib. 9. de Instit. renunc. cap. 13. *Hanc*, ait, *perniciosissimam passionem tristitiæ sic expellere poterimus, si mentem nostram futura spe, et contemplatione promissæ beatitudinis erigamus.*

Vis exempla constantiæ in publica clade, eaque Genti-A lium? Antiochus a L. Scipione ultra Taurum montem imperii finibus summotus, cum Asiam provinciam vicinasque ei gentes amisisset, gratias se agere pop. Romano dixit, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur.

Exempla Gentilium: Antiochi.

Prudenter Solon neminem dum adhuc viveret, beatum dici debere arbitrabatur, quod ad ultimum usque fati diem, ancipiti fortunæ subiecti essemus. Felicitatis igitur humanæ appellationem mors consummat. Idem cum ex amicis quemdam graviter mœrentem videret, in arcem perduxit, hortatusque est ut per omnes subiectorum ædificiorum partes oculos circumferret: quod ut factum animadvertit: *Cogita nunc tecum*, inquit, *quod multi luctus sub his tectis, et olim fuerint, hodieque versentur, insequentibusque sæculis sint futuri: ac mitte mortalium incommoda tamquam propria deflere.* Qua consolatione demonstravit, urbes esse humanarum cladium conspecta miseranda. Idem aiebat: *Si in unum locum cuncti mala sua* B *contulissent, futurum, ut propria deportare domum, quam ex omni miserarium acervo portionem suam ferre mallent.* Quo colligebat, non oportere nos quæ fortuito patimur, præcipuæ et intolerabilis amaritudinis iudicare. Ita Valer. Max. lib. 7. cap. 2.

Solonis.

Verum illustriores constantioresque habemus fideles. Ezechias rex audiens ab Isaia suos thesauros et posteros tradendos esse in manus Chaldæorum: *Bonus*, ait, *est sermo Domini, quem locutus est, sit tantum pax et veritas in diebus meis.*

Fidelium: Ezechiæ.

Irene a Nicephoro servo suo imperio deiecta: *Ego*, ait, *Deo acceptum refero, quod me orphanam et indignam ad Imperii clavum collocavit: quod vero me iam deiici permittit, meis peccatis ascribo. In cunctis autem bonis, ac malis omnibus sit nomen Domini benedictum.* Ita Paulus Diacon. lib. 23. rerum Roman.

Irenes,

Pius Secundus Pont. audiens suum in Picenis exercitum ab hoste deletum, nihil motus: *Nostrum*, ait, *erit iam vincere, qui victi sumus. Fortuna belli nobiscum est, nam* C *eos, quos primum fovet, postea destituit.*

Pii II.

Ferdinandus Aragon. et Neapolis rex, regno a Gallis exutus, et accepta interim nova clade ad Semenariam, eosdem prope ac si vicisset, spiritus gessit: querebatur tantum se sua opinione deceptum, ac nihil de fortuna dubitare, quæ iam pluribus ostentis maturum in regnum patriamque reditum omnino despondisset.

Ferdinandi.

Henricus Sextus Angliæ Rex, ab Eduardo æmulo suo regno privatus, et in vincula coniectus, occiso insuper filio, gratias egit Deo, quod hoc sibi in vita purgatorium dedisset, quo peccata expiaret. Testis est Polydor. l. 24.

Henrici VI.

Vis exempla privata, et propria huic loco, eorum scilicet qui uxorum, filiorum, et suorum obitum æquo et forti animo tulerunt? Audi profana. P. Æmilius duos habebat filios, quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem præcessit: alter in triumphali curru conspectus, post tertium diem exspiravit; quem casum Æmilius eo robore animi sustinuit, ut ad populum de rebus a se gestis verba faciens, dixerit: D *Cum in maxime proventu felicitatis vestræ, Quirites, timerem, ne quid mali fortuna moliretur, deos precatus sum, ut si adversi quid pop. Rom. immineret, totum in domum meam converteret. Quapropter bene habet se res: annuendo enim votis meis id egerunt, ut vos potius meum casum doleatis, quam ego vestrum ingemiscerem.* Ita Valer. Max. lib. 5. cap. 10.

Exempla Gentilium qui suorum mortem fortiter tulerunt.

Lacæna cum filium, quem unice amabat, in prælio interfectum audisset dixit: *Idcirco eum genueram, ut esset, qui pro patria non dubitaret mortem oppetere.* Testis est Plutarch. in Apophtheg. Disce ergo ita liberos procreandos, ut memineris his a natura, et accipiendi spiritus, et reddendi, eodem momento temporis legem dici.

Atheniensis quidam Elpinicen filiam exanimem indecore lugebat, prostratus humi, et vociferans: *Quas inferias tibi faciam filia? Quid tecum sepeliam?* Superveniens Sextus Philosophus: *Maximum*, ait, *munus dederis filiæ, si moderate lugeas.* Ita Philost. in Sophista.

Amasis ad quemdam filio privatum dixit: *Si non trista-*

tus es eum nondum filius esset, ne nunc quidem dolere debes, cum non amplius est.

Quirinus Sophista amicis eum de morte filii consolantibus: *Quando*, inquit, *potius apparebo vir quam nunc?* Sentiens dolorem quidem esse acerbum, sed hoc fortitudinis laudem fore splendidiorem. Ita Philost.

Herodem Sophistam immodice lugentem Pollucis obitum præmaturum, cum vellet illi currus et equos velut ascensuro iungere, atque etiam cœnam apparare, adiit Demonax: *En tibi*, ait, *a Polluce literas.* Exhilarato Herodi, et quid vellet sciscitanti: *Incusat te*, inquit, *quod cuncteris ad ipsum venire.* Significans Pollucem ad ipsum non rediturum, sed recte parari currum, si vellet sequi defunctum.

Horatius Pulvillus, cum in Capitolio Iovi opt. max. ædem pontifex dedicaret, interque nuncupationem solemnium verborum postem tenens, mortuum esse filium suum audisset; neque manum a poste removit, ne tanti templi dedicationem interrumperet, neque vultum a publica religione ad privatum dolorem reflexit; ne patris magis, quam pontificis partes egisse videretur.

Q. Martius Rex superioris Catonis in consulatu collega, filium summæ pietatis, magnæ spei, et quæ non parva calamitatis accessio fuit, unicum amisit. Cumque se obitu eius subrutum et eversum videret, ita dolorem altitudine consilii coercuit, ut a rogo iuvenis protinus curiam peteret, senatumque, quem eo die lege haberi oportebat, evocaret.

Princeps Atheniensium Pericles, intra quatriduum duobus mirificis adolescentibus filiis spoliatus, his ipsis diebus et vultu pristinum habitum retinente, et oratione nulla ex parte infractiore concionatus est. Ille vero caput quoque solito more coronatum gerere sustinuit: ut nihil ex veteri ritu propter domesticum vulnus detraheret. Non sine causa igitur tanti roboris animus, ad Olympii Iovis cognomen conscendit.

Xenophon, quod ad Socraticam disciplinam attinet, proximus a Platone felicis ac beatæ facundiæ gradus, cum solemne sacrificium perageret, e duobus filiis maiorem natu nomine Gryllum, apud Mantinæam in prælio cecidisse cognovit, nec ideo institutum deorum cultum omittendum putavit; sed tantummodo coronam deponere contentus fuit; quam ipsam, percunctatus quomodo occidisset, ut audivit fortissime pugnantem interiisse, capiti reposuit: numina, quibus sacrificabat, testatus, maiorem se ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire. Hæc Valer. Max. lib. 5. cap. 10. Audi S. Hieron. ad Heliodorum, dum eum consolatur in morte Nepotiani nepotis: *Quid memorem*, inquit, *Romanos duces, quorum virtutibus, quasi quibusdam stellis, Latinæ micant historiæ? Pulvillus Capitolium dedicans, mortuum, ut nunciabatur, subito filium se iussit absente sepeliri. L. Paulus septem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scævolas, Metellos, Scauros, Marios, Crassos, Marcellos, atque Aufidios, quorum non minor in luctu, quam in bellis, virtus fuit; et quorum orbitates in consolationis libro Tullius explicavit: ne videar potius aliena, quam nostra quæsiisse. Quamquam et hæc in suggillationem nostri breviter dicta sint; si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas.*

Denique luctus, ac eiulatus et fletus funebris legibus duodecim tabularum Romanis vetitus erat.

Verum hæc exilia sunt, si cum fidelium moderatione, robore et æquanimitate conferantur.

Fidelium exempla et gnomæ. S. Iob, et bonis, et prolibus omnibus eodem tempore privatus, non ingemuit, non Deum, non homines incusavit; sed Deo se resignans, eum benedixit: *Dominus*, ait, *dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.*

Huic virtute suppar, sexu licet inferior et infirmior fuit S. Paula Romana, ait S. Hieron. in eius Epitaphio, cum ei dispendia rei familiaris, et totius patrimonii eversio nunciaretur: *Quid*, ait, *prodest homini si universum mundum lucretur?* Et: *Nudus exivi de utero matris meæ, nudus et redibo. Sicut Domino placuit, ita factum est.*

S. Bernard. noluit plangi S. Malachiam mortuum in Claravalle. Sic enim scribit in eius vita: *Et revera quid rationis habet immoderatius plangere Malachiam, quasi non sit pretiosa mors eius, quasi non sit magis somnus, quam mors, quasi non sit mortis portus, et porta vitæ? Malachias amicus noster dormit, et ego lugeam? Luctus iste usu se, non ratione tuetur. Si Dominus dedit dilecto suo somnum, et talem somnum in quo hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris, quid horum videtur fletum indicere? Egone fleam illum qui fletum evasit? Ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus est in gaudium Domini sui, et ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi invideo.*

Æque generosæ, imo generosiores fuerunt Martyrum matres. Mater septem Machabæorum, 2. Machab. 7. S. Symphorosa, et S. Felicitas, æque septem filiorum matres, et heroinæ, quæ in filiorum morte pro Deo obita exultarunt, eosque ad mortem capessendam, et vultu, et verbis, et exemplis incitarunt.

Talis fuit et S. Sophia mater trium filiolarum, Fidei, Spei, et Charitatis, quæ illas adhuc impuberes ad martyrium efformavit, et accendit; vere tripliciter et quadrupliciter martyr. Vide harum martyria in vitis Sanct. I. Augusti. Vide et S. Gregor. Nyssenum oratione cui titulus est: Non esse dolendum de obitu eorum, qui in fide dormierunt.

Ecce ego polluam, profanabo per Chaldæos templum, quod est **superbia** (id est gloria, celsitudo et magnificentia: sic enim superbas urbes et ædes vocamus gloriosas, splendidas et inclytas) **imperii vestri**, Chal. et Septuag. *fortitudinis vestræ*, id est, de quo quasi invicto superbitis, quodque est **desiderabile oculorum vestrorum**, id est, oculis vestris maxime amabile, cuius scilicet aspectu maxime delectamini: et **super quo pavet anima vestra**.) Id est, timet ne pereat, vastetur, incendatur. Heb. *indulgentiam animæ vestræ*, id est, rem quam ita amatis, ut parentes indulgentes amant suos filios. Explicat parabolam. Nam per uxorem Ezechielis significavit templum, quod Iudæis erat in summis deliciis. Posset Secundo, τὸ *desiderabile, et super quo pavet anima vestra*, referri ad uxores, vel potius ad filios, quos tenerrime diligebant, occisos, ut quasi explicans subdat: *et filii vestri et filiæ, quas reliquistis, gladio cadent.* Unde Septuag. vertunt, *quibus parcunt animæ vestræ.* Vers. 21.

Quas reliquistis.) In Ierusalem. Loquebatur enim Iudæis Babylone degentibus.

Et facietis sicut feci.) q. d. Sicut mihi non licuit uxorem mortuam plangere: ita nec vobis licebit Ierusalem, et amicos plangere, nec luctus signa dare, quæ sequuntur, et de quibus dixi v. 17. quia Chaldæi, tum illi, quibuscum in Babylone quasi captivi et subditi versamini, tum illi, qui Ierusalem expugnabunt, violantes uxores vestras, et parvulos allidentes ad petras, non sinent vos illacrymari, aut gemere. Unde in secreto maxime quisque gemet in corde, et ad fratrem suum; scilicet tacitus apud se, et alius alium aspiciens. Aliter Maldon. Non poteritis, ait more vestro mortem filiorum et fratrum plangere; quia in captivitate versamini, ubi commode ritus vestros servare non potestis, ac ne plangere quidem commode. Vers. 22.

Coronas habebitis.) *Coronas* vocat pileos rotundos, quales gestant Turcæ; aut cæsariem in rotundum ad modum coronæ attonsam; aut fascias byssinas, quibus caput, vel pileum, in modum coronæ nobiliores circumdabant. Vers. 23.

Eritque Ezechiel vobis in portentum.) Chald. *in signum*, scilicet futurorum. Loquitur ex Dei persona, ut efficacius persuadeat. Vers. 24.

Tollam ab eis fortitudinem eorum.) Describit templum: primo, quod munitissimum esset, et situ, et Dei protectione, 3. Reg. 8. secundo, quod sua pulchritudine et ornatu omnes recrearet, et gaudio afficeret; tertio, quod sua dignitate et maiestate divinæ præsentiæ omnibus gentibus esset venerabile. Itaque templum Iudæis a- Vers. 25.

sylum erat in bello, gaudium domi, foris gloria : uti iam est templum nostrum, et Eucharistia, quæ est quasi templum Dei, scilicet Verbum corporatum, panis speciebus obtectum, ait Prado.

Sex elogia templi. Nota ergo hic sex epitheta illustria templi a Iudæis usurpata, et Christianis imitanda. Nam Primo vocant illud *suam fortitudinem*, quasi confitentes omne suum robur in templo, Deique cultu consistere. Secundo, vocant illud *superbiam, et gloriam suam*. Tertio, *gaudium dignitatis suæ;* Hebr. *gloriæ suæ ;* id est, in quo maxime gaudent et gloriantur. Quarto, *desiderium suum*. Quinto, *super quo* confidunt, et *requiescunt*. Sexto, *super quo pavet anima* eorum, sicut pavebat anima Heli super arca fœderis : unde audiens eam captam, perculsus ex turbatione et terrore retrorsum corruit. Et vere fideli pavendum est, cum templa et sacra evertuntur : tunc enim certum imminet reip. excidium, uti vidimus in iconoclasmo Belgii.

SUPER QUO REQUIESCUNT ANIMÆ EORUM.) Hebr. *elevationem animæ suæ*, id est, ad quam levant animam suam, id est in quo sperant et confidunt. Alii vertunt, *onus animæ suæ*, id est, sollicitudinem suam, de quo, scilicet, ne profanetur maxime solliciti sunt. Sicut enim onus corpus, ita sollicitudo animam gravat et deprimit.

IN DIE ILLA CUM VENERIT.) Scilicet nuncius e Ierusalem, qui ex eius clade evadet, nuncians illam esse vastatam, quod factum est post tres annos, ut patet c. 33. 22. tunc loqueris hæc a te esse prædicta, et iam impleta, et non silebis, nec timide et trepide per parabolas et ænigmata loqueris, uti antea fecisti, eo quod Iudæi non crederent tibi; sed libere, aperte et audacter argues eorum peccata, ut agnoscant ea et propter ea se iuste esse vastatos. Dices enim : Ecce videtis excidium urbis iam ita accidisse uti prædixeram : at noluistis tunc mihi credere, nunc ergo et deinceps mihi credite, ac corrigite scelera, quæ toties castigavi, et ob quæ excidium hoc vobis obventurum prædixi. Vers. 26.

ERISQUE EIS IN PORTENTUM.) Agnoscent te fuisse, et esse portentum, ac futura portendere, eruditi iam experientia et malo suo. Vers. 27.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hactenus Propheta vaticinatus est Iudæis, nunc transit ad alias gentes, eisque simile vaticinatur excidium. Idque facit ab hoc capite fere usque ad caput 40. Hoc ergo cap. minatur vastitatem hostibus Iudæorum, puta Ammonitis vers. 5. Moabitis v. 8. Idumæis vers. 12. Philistæis vers. 14. eo quod de Ierusalem vastatione exultaverint, eique insultaverint, vel odio gentis, vel Dei, quasi Deus Hebræorum se, suos et templum defendere non potuisset, quodque Chaldæos in expugnatione Ierusalem adiuverint.

1. ET factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon, et prophetabis de eis. 3. Et dices filiis Ammon: Audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixisti: Euge, euge super sanctuarium meum, quia pollutum est: et super terram Israel, quoniam desolata est: et super domum Iuda, quoniam ducti sunt in captivitatem: 4. Idcirco ego tradam te filiis orientalibus in hæreditatem, et collocabunt caulas suas in te, et ponent in te tentoria sua : ipsi comedent fruges tuas: et ipsi bibent lac tuum. 5. Daboque Rabbath in habitaculum camelorum, et filios Ammon in cubile pecorum: et scietis quia ego Dominus. 6. Quia hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod plausisti manu, et percussisti pede, et gavisa es ex toto affectu super terram Israel: 7. Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, et tradam te in direptionem gentium, et interficiam te de populis, et perdam de terris, et conteram: et scies quia ego Dominus. 8. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dixerunt Moab et Seir : Ecce sicut omnes gentes, domus Iuda : 9. Idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus, de civitatibus, inquam, eius, et de finibus eius inclytas terræ Bethiesimoth, et Beelmeon, et Cariathaim, 10. Filiis orientis cum filiis Ammon: et dabo eam in hæreditatem: ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in gentibus. 11. Et in Moab faciam iudicia : et scient quia ego Dominus. 12. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecit Idumæa ultionem ut se vindicaret de filiis Iuda, peccavitque delinquens, et vindictam expetivit de eis: 13. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Extendam manum meam super Idumæam, et auferam de ea hominem et iumentum, et faciam eam desertam ab austro: et qui sunt in Dedan, gladio cadent. 14. Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel : et facient in Edom iuxta iram meam, et furorem meum: et scient vindictam meam, dicit Dominus Deus. 15. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecerunt Palæstini vindictam, et ulti se sunt toto animo, interficientes, et implentes inimicitias veteres: 16. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos, et interficiam interfectores, et perdam reliquias maritimæ regionis : 17. Faciamque in eis ultiones magnas arguens in furore: et scient quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam super eos.

Vers. 2. PONE FACIEM.) Septuag. *obfirma faciem*, id est firmo, torvo ac minaci vultu intuere Ammonitas. Hoc est, converte faciem tuam versus Ammonitidem, ut libere et interrite eis mala obventura prædicas. Simile fuit c. 6. 2. et c. 13. 17.

Vers. 3. AUDITE VERBUM DOMINI.) Dixit hoc audientibus non Ammonitis, sed Iudæis, qui Ammonitis idipsum referre poterant, idque ut consoletur Iudæos, ex hoc, quod Deus eorum iniurias sit ulturus.

Vers. 4. DIXISTIS, EUGE, EUGE.) Id est, ut Septuag. gavisi estis in eversione templi. Simile est Psal. 34. 21.

TRADAM TE FILIIS ORIENTALIBUS.) Hoc est, Medis et Persis, ait R. David, et Vatabl. Secundo, Arabibus, ait Theod. et Mald. Arabes enim sunt vicini et Orientales Ammonitis, erantque pastores et camelarii. Unde eis apte convenit, quod sequitur: *Collocabunt caulas in te, ipsi bibent lac tuum, eris in habitaculum camelorum, et in cubile pecorum.* Tertio, et optime *Orientalibus*, id est Chaldæis, ait S. Hier. et Hebræi. Non enim Arabes, nec Medos, aut Persas, sed Chaldæos Ammonitidem vastasse legimus. Nam Nabuchodonosor, ut audivimus c. 21. v. 21. stans in bivio iecit sortem, an contra Ammon, an contra Ierusalem pergere deberet; cumque sors cecidisset contra Ierusalem, eo perrexit, eamque vastavit · ac post eius vastationem anno quinto vastavit Ammonitas, uti docet Iosephus lib. 10. Antiq. c. 11. Quocirca idem excidium Ammonitis prædixit Ieremias c. 49.

Possunt tamen per *Orientales* accipi quoque Arabes, sive quod illi Chaldæos iuverint in expugnatione Ammonitarum; sive quod Ammonitis occisis, vel abductis illi

regionem eorum compascuam invaserint et occupaverint, ibique sua pecora paverint. Arabes enim, prognati ex filiis Abrahæ, quos genuit ex Cetura, in Script. vocantur *filii Orientis*, ut dixi Genes. 25. 6.

Collocabunt in te caulas suas.) Id est, evertent te et vastabunt, ac comburent tuas urbes et arces, ut in iis, quasi in agro aperto et germinante sua tentoria et caulas ovium figere possint. Metaphorice enim Chaldæos vocat pastores. Sicut enim pastor regit oves, easque ducit, tractat et mactat prout vult; ita et Chaldæi Ammonitas. Aliter Theodoret. et Maldon. q. d. Tradam vos Ismaelitis, quibus moris est in tentoriis degere.

Vers. 7. Interficiam te de populis.) Id est, excindam te ne sis in numero populorum, ne inter populos nomineris et numereris.

Et perdam te de terris.) Ut non sis amplius in terra.

Vers. 8. Seir.) Id est Idumæa. Esau enim dictus est Seir, quia pilosus: inde regio, quam incoluit vocata est ab eo Seir, æque ac Edom, vel Idumæa.

Ecce sicut omnes gentes.) q. d. Nec Deum, nec quid aliud egregium præ aliis Gentibus habent Iudæi, sed similiter ac aliæ obnoxii calamitatibus, et Chaldæis subiecti sunt.

Aperiam humerum Moab.) Chald. *Conteram fortitudinem Moab.* Viri enim fortitudinem suam habent in humeris, et brachiis. Secundo, Vatabl. humerum sive latus aperire, ait, est aditum facere ad firmissima et munitissima loca, ut hostibus pateant. Habent enim arces, urbes munitæ, et propugnacula speciem humerorum. Hæc ergo vocat *humeros de civitatibus*, id est civitatum Moab.

De finibus eius.) De civitatibus limitaneis, quæ in finibus eius sunt. Illæ enim, quasi antemurale regionis, solent esse munitissimæ, quales in Moab erant Bethiesimoth, et Beelmeon, et Cariathaim, unde eas vocat *inclytas terræ.*

Vers. 10. Filiis Orientis.) Id est Chaldæis. Refert ad *aperiam humerum Moab*, q. d. Arces et oppida Moab aperiam et pandam Chaldæis.

Cum filiis Ammon, q. d. Sicut Chaldæis aperiam humerum Moab: sic et aperiam eisdem humerum filiorum Ammon, et dabo eam, scilicet Ammon, id est Ammonitidem, aut potius Moab, id est Moabitidem, ita S. Hier. in hæreditatem Chaldæis; ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in Gentibus.) q. d. Ut quomodo filiorum Ammon non erit memoria in Gentibus; sic et *in Moab* ultiones *faciam*, et *iudicia*, ut sequitur. Ita S. Hieron. licet Biblia Romana, hæc aliter distinguant; ponunt enim punctum ante *et in Moab faciam iudicia*, ibique inchoant v. 11. Quocirca iuxta hanc distinctionem melius id, quod præcessit, *dabo eam in hæreditatem*, accipias de Ammonitide. Loquitur mistim de Ammon et Moab, unde mox ad Moab redit, quia hæ gentes vicinæ et commistæ erant, æque ac cognatæ. Ammon enim frater fuit Moab, ex patre Loth, quando cum eo incestum commiserunt filiæ. Septuag. vertunt, *contra filios Ammon.* Unde Vatabl. clare vertit, *filios Orientis accersam contra Ammonitas, et tradam ipsam Ammonitis in possessionem, ne memoria Ammon sit in gentibus.*

Vers. 12. Pro eo quod fecit Idumæa ultionem.) q. d. Quia Idumæi Chaldæis se coniunxerunt in expugnatione Ierusalem, ut patet Abdiæ cap. 1. v. 14. et quia occisis, vel abductis Iudæis, Idumæi Iudæam occuparunt, ut ait Ieremias cap. 49. v. 2. Idcirco *extendam manum meam super eam*, percutiam eam, et plagis afficiam.

Vers. 13. Et faciam eam desertam ab Austro.) Hebr. מתימן *mitteman*, id est a Theman, quæ fuit urbs primaria Idumææ: ita dicta, a Theman filio Eliphaz, filii Esau, Gen. 36. v. 15. Sed quia *Theman* urbs australis erat Idumææ, ac *Theman* hebr. significat *Austrum;* hinc recte noster vertit *ab Austro.* Idem ergo est *a Theman*, ut habent Hebr. et Septuaginta quod *ab Austro.* Significat Propheta totam Idumæam ab Austro ad Aquilonem (huius enim limes videtur fuisse Dedan) a Chaldæis fore vastandam. Ita Maldon. et innuit S. Hieron.

Vers. 14. Dabo ultionem super Idumæam per manum populi mei.) Id est occasione, vel causa iniuriæ populi mei, id est populo meo ab Idumæis illatæ. Ita Prado. Secundo, simplicius dicemus, quod Iudæi ultionem sumpserint de Idumæis tempore Machabæorum, vel alias. Hoc enim plane hæc verba sonant, licet rei gestæ historia, ait Vatabl. in Script. scripta non extet; uti nec plura alia a Prophetis dicta. Vide dicta Ierem. 49. 2.

Et scient, id est experientur, vindictam meam.

Vers. 15. Pro eo quod fecerunt Palæstini.) Ab Idumæis transit ad Palæstinos, sive Philistinos, veteres Iudæorum hostes.

Vers. 16. Interficiam interfectores.) Ita vertunt et Aquila et Symmachus et Theodotion. *Interfectores* vocat Palæstinos, qui Iudæos interficere solebant. Unde Chald. vertit, *interficiam eos, qui morte digni sunt:* hebr. est, *interficiam Cerethim*, qui ut et Pelethi, et Gethæi, videntur fuisse populi ex urbibus, vel locis Palæstinorum, dictis Geth, Peleth, Cereth, 1. Reg. 30. 14. qui, quod essent bellicosissimi et fidelissimi, iamque ut videtur conversi ad iudaismum, factique proselyti, asciti sunt a Davide ad custodiam sui corporis, 2. Reg. 15. 18. uti iam ab exteris principibus asciscuntur Helvetii. Ita Hebræi, licet Ribera in Sophon. 2. numer. 11. censeat Cerethim non esse nomen proprium gentis, sed commune omnium Palæstinorum. Hos enim dici Cerethim, id est excisores; quia erant bellicosi et feri. Quæ sententia non est improbabilis. Sane hic, et alibi per Cerethim intelliguntur omnes Philistini, per synecdochen, qua ex parte totum intelligimus. Sept. *Cerethim* vertunt *Cretenses.* Cretenses ergo hi, sunt Cerethi Palæstinæ incolæ iam dicti, qui coloniam duxerunt in Cretam insulam, indeque dicti sunt Cretenses, et regio eorum Creta. Unde et in Creta portus erat dictus Phœnix, Actor. 17. 12. a Phœnicibus, qui suos hos colonos, vel vicinos Cerethæos eo comitati sunt. Ita Prado. Non est ergo quod quis cum S. Hieron. miretur, cur Septuag. hic verterint *Cretenses;* per eos enim intelligunt non Cretenses insulanos, sed Cerethim Palæstinos. Cerethim enim idem est quod Cretes et Cretenses. Cretensium origo.
Porro Iudæos et Palæstinos permultos in Cretam insulam transmigrasse, patet tum ex aliis, tum ex eo quod Iosephus nobilis Iudæus ex Creta uxorem acceperit. Sic enim scribit in fine vitæ suæ: *Post eam duxi aliam mulierem Cretensem, Iudæam genere, parentibus natam domi nobilissimis, et moribus inter cæteras eximiis.* Et Strabo lib. 10. Curetum sive Cretensium transmigrationem in alias terras, æque ac fortitudinem bellicam celebrat. An vero Cretenses insulani orti sint ex hisce Cerethæis Palæstinæ, an ex adverso hi ab illis, dissentiunt interpretes. Prius asserit Prado, posterius Scholiast. et Theodor. ex eo quod hic subditur: *Perdam reliquias maritimæ regionis:* in eo tamen conveniunt passim, quod hi Cerethim, sive Cretes fuerit gens particularis, quæ vel totam Palæstinam, vel partem eius aliquam maritimam incoluerit. Ita censent Vatablus 1. Reg. 10. Abulens. ibidem quæst. 10. R. David, Mercerus, et alii in Lexic. ac Prado hic, et Pineda l. 2. de Rebus Salom. c. 4. Quare non videtur verum, quod aliqui, ut Avenar. in Lexico, censent, Cerethi esse Cretam, sive Curetam insulam, ita dictam ab Hebr. כרת *carat*, id est excidere, occidere, eo quod Cretenses insulani essent bellicosissimi milites; indeque derivatum esse verbum Græcum κρατεω, et Latinum *certo*, quasi *Cretes* idem sint quod *certatores*, et κρατȣντες, id est potentes, vincentes, dominantes. Certum est enim hic agi de Cretensibus incolis, non insulæ Cretæ, sed Palæstinæ. Sic et David 1. Reg. 30. 14. ait se irruisse *ad meridiem Cerethi*, sive Cretæ, non insulæ (hæc enim ab eo toto mari erat semota) sed Palæstinæ: hæc enim erat vicina tribui Iudæ, et Siceleg, in qua degebat David, profugus a Saule.

Et perdam reliquias maritimæ regionis.) Id est, perdam Philistinos. Hi enim erant accolæ maris Mediterranei.

Tropologice, S. Hieronymus, per Ammon accipit hæreticos, per Moab Philosophos superbos, de quibus dici-

tur: *Perdam sapientiam sapientum, et intelligentiam intelligentium reprobabo.* Per Idumæam terrenam eos, qui relicto spiritu carnem sequuntur. Hos Deus subiiciet Iudæ, id est rationi et spiritui: *Ut illi,* inquit, *coniuncta caro esse desistat, et Idumæa transeat in Iudæam. Philistiim interpretantur cadentes poculo, qui et ipsi de aureo Babylonis calice inebriati sunt, et sæviunt, et toto animo Israel insultant, ideoque a populo Dei divisi sunt.* Per hos ergo Turcæ et Pagani accipi possunt, quos Deus tandem disperdet.

Moral de immisericordia et invidia. Moraliter, disce hoc capite, quam Deo displiceat immisericordia et invidia, quamque simili clade et calamitate puniat eos, qui aliorum calamitati non condolent, sed insultant. Ideo enim Ezechiel, Ieremias et Isaias Moab, Ammon, Philistinis, Tyriis, aliisque gentibus excidium intentant, quod in Iudæorum clade et excidio non doluerint, sed exultarint. Hannibal et cælitum et hominum odium sibi conscivit, dum inspecta humani sanguinis plena fossa, dixit: *Pulchrum hoc esse spectaculum.*

Et Vitellius Cæsar, dum ob cadaveris fœtorem via declinantibus cæteris, ipse recta per acervum mortuorum profectus, dixit: *Optime olere hostem, et præsertim civem.* Ita Sveton. in Vitellio.

Magis vero Wenceslaus Imp. Bohemiæ rex, qui ita ferus fuit, ut assiduum penes se haberet carnificem, quem compatrem appellabat; quia filium eius de sacro fonte levarat, et tam familiariter eo utebatur, ut aliquoties uno eodemque equo secum vehi illum passus fuerit, ait Dubravius l. 23. Quocirca merito a regni Baronibus captus, et ab Electoribus Imperio deturbatus est anno Domini 1400. Ita Æmilius lib. 10.

Commiseratio Romanorum in hostes victos. Ex adverso æque Deo et hominibus placet, hostibus victis et afflictis compati, ac misereri. Illustres hac in re fuerunt Romani. Senatus enim Romanus Syphacem quondam opulentissimum Numidiæ regem, captivum in custodia Tibure mortuum publico funere censuit efferendum; ut vitæ dono honorem sepulturæ adiiceret. Consimilique clementia in Perseo usus est. Nam cum Albæ, in quam custodiæ causa relegatus erat, decessisset: Quæstorem misit, qui eum publico funere efferret, ne reliquias regias iacere inhonoratas pateretur. Hostibus hæc, et miseris, et fato functis officia regibus erogata. Atque ut ab universis Patribus C. ad singulos veniam, *L. Cornelii.* L. Cornelius Consul primo Punico bello, cum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime pugnans Hanno dux Carthaginiensium occiderat, corpus eius e tabernaculo suo amplo funere extulit: nec dubitavit hostis exequias ipse celebrare. Eam demum victoriam, et apud deos, et apud homines minimum invidiæ

A habituram credens, quæ plurimum humanitatis habuisset.

M. Marcelli. Age M. Marcelli clementia, quam clarum, quamque memorabile exemplum haberi debet? Qui captis a se Syracusis, in arce earum constitit, ut urbis modo opulentissimæ, tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret. Cæterum casum eius lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit. Quem si quis ignarus vir aspexisset, alterius victoriam esse credidisset. Itaque Syracusana civitas in maxima clade tua, aliquid admistum gratulationis habuisti: quia si tibi incolumi stare fas non erat, leviter sub tam mansueto victore cecidisti.

Pompeii. Pompeius regem Armeniæ Tigranem, qui et per se magna cum pop. Rom. bella gesserat, et infestissimum urbi nostræ Mithridatem Ponto pulsum viribus suis protexerat; in conspectu suo iacere supplicem diutius passus non est, sed benignis verbis recreatum, diadema, quod abie-B cerat, capiti reponere iussit, certisque rebus imperatis, in pristinum fortunæ habitum restituit; æque pulchrum esse iudicans et vincere reges et facere.

Cæsaris. Catonis quoque morte Cæsar audita, et se invidere illius gloriæ, et illum suæ invidisse dixit: patrimoniumque eius liberis ipsius incolume servavit.

M. Antonii. Marci autem Antonii animus talis humanitatis intellectu non caruit. M. enim Bruti corpus liberto suo sepeliendum tradidit, quoque honoratius cremaretur, iniici ei suum paludamentum iussit, iacentem non hostem, sed civem, deposito existimans odio. Cumque interceptum a liberto paludamentum comperisset, ira percitus, protinus in eum animadvertit, hac ante præfatione usus: *Quid? tu ignorasti cuius tibi viri sepulturam commiserim?*

Annibalis. Annibal Æmilii Pauli apud Cannas trucidati quæsitum corpus, quantum in ipso fuit, intumulatum iacere C passus non est. Idem Tib. Gracchum Lucanorum circumventum insidiis, cum summo honore sepulturæ mandavit: et ossa eius in patriam portanda militibus Romanis tradidit. Idem M. Marcellum in agro Brutio, dum conatus Pœnorum cupidius, quam consideratius speculatur, interemptum legitimo iure extulit; Punico quoque sagulo, et corona donatum laurea rogo imposuit. Ita Valer. Max. lib. 5. cap. 1.

Agesilai. Agesilaus audita suorum Spartanorum contra vicinos Corinthios victoria, sed utrimque cruenta ingemuit: *Quot,* inquit, *perierunt Græciæ cives, qui barbarorum, ac præsertim Persarum vires et incursus retundere potuissent!* Ita Plutarch. in Agesilao.

Q. Fabii. Q. Fabius Maximus, qui cunctando Annibalem fregit, a clementia dictus est ovicula, teste Plinio libr. de Viris illustribus.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite, et duobus sequentibus transit Propheta ad Tyrum, eique idem, quod aliis gentibus minatur, excidium, eo quod invidens et æmula gloriæ Hierosolymæ, in eius clade exultarit. Quocirca graphice Tyri clades describit. Inde v. 15. asserit, quod insulæ, et principes, ac naves stupebunt in Tyri eversione. Idem Tyro comminatur Isaias cap. 23. (vide ibi dicta) Ieremias cap. 47. 5. Amos cap. 1. 9.

1. Et factum est in undecimo anno, prima mensis, factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Ierusalem: Euge confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad me: implebor, deserta est. 3. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te Tyre, et ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. 4. Et dissipabunt muros Tyri, et destruent turres eius: et radam pulverem eius de ea, et dabo eam in limpidissimam petram. 5. Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus: et erit in direptionem gentibus. 6. Filiæ quoque eius, quæ sunt in agro, gladio interficientur: et scient quia ego Dominus. 7. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab aquilone, regem regum, cum equis, et curribus, et equitibus, et cœtu, populoque magno. 8. Filias tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet: et circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in gyro, et elevabit contra te clypeum. 9. Et vineas, et arietes temperabit in muros tuos, et turres tuas destruet in armatura sua. 10. Inundatione equorum eius operiet te pulvis eorum: a sonitu equitum, et rotarum, et curruum, movebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatæ. 11. Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio cædet, et statuæ tuæ nobi-

les in terram corruent. 12. Vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas: et destruent muros tuos, et domos tuas præclaras subvertent: et lapides tuos, et ligna tua, et pulverem tuum in medio aquarum ponent. 13. Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, et sonitus cithararum tuarum non audietur amplius. 14. Et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis ultra: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 15. Hæc dicit Dominus Deus Tyro: Numquid non a sonitu ruinæ tuæ, et gemitu interfectorum tuorum cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur insulæ? 16. Et descendent de sedibus suis omnes principes maris: et auferent exuvias suas, et vestimenta sua varia abiicient, et induentur stupore: in terra sedebunt, et attoniti super repentino casu tuo admirabuntur. 17. Et assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo peristi, quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi? 18. Nunc stupebunt naves in die pavoris tui: et turbabuntur insulæ in mari, eo quod nullus egrediatur ex te. 19. Quia hæc dicit Dominus Deus: Cum dedero te urbem desolatam, sicut civitates quæ non habitantur: et adduxero super te abyssum, et operuerint te aquæ multæ: 20. Et detraxero te cum his qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, et collocavero te in terra novissima sicut solitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, ut non habiteris: porro cum dedero gloriam in terra viventium, 21. In nihilum redigam te, et non eris, et requisita non invenieris ultra in sempiternum, dicit Dominus Deus.

Vers. 1. UNDECIMO ANNO.) A captivitate Ioachin, qui fuit quoque annus undecimus regni Sedeciæ: quo anno a Chaldæis expugnata et eversa est Ierusalem; qui rursus fuit annus 18. Nabuchodonosoris. Ergo illo anno necdum erat obsessa Tyrus. Nam v. 3. ait: *Ascendere faciam ad te gentes multas;* et v. 7. *Adducam ad Tyrum Nabuchodonosor.* Falluntur ergo, qui eam obsessam volunt anno septimo Nabuchodonosoris. Idem patebit c. 29. 17.

PRIMA die MENSIS.) Scilicet quinti, quando Tyrus iam accipere intra 20. dies potuerat nuncium, de Ierusalem expugnata nona die mensis quarti præcedentis, ut habetur 4. Reg. 25. 1. Ex circumstantiis ergo temporis recte coniicit R. David, Prado et alii, quintum mensem hic notari. Itaque Tyrus gaudens de excidio Ierusalem dixit:

Vers. 2. CONFRACTÆ SUNT PORTÆ POPULORUM.) Id est, confractæ sunt portæ Ierusalem, ad quam omni ex parte gentes conveniunt quasi ad mercaturæ et religionis celeberrimum emporium. Hinc eam per portas denotat. Unde Vatabl. et Maldonat. vertunt et explicant, q. d. Confracta est urbs portarum, vel urbs, quæ erat portæ populorum. Urbem enim vocat portas, eo quod undique portas haberet, per quas circumquaque populi omnes ad eam confluebant. Aliter quoque Maldon. q. d. *Urbs portarum,* id est urbs ex qua omnes populi portam aliquam suam denominant. Solent enim minores urbes ex maioribus portas, quibus ad eas itur, appellare, ut in multis Galliæ urbibus aliqua porta Parisiensis vocatur.

CONVERSA EST, scilicet illa populi frequentia et negotiatio a Ierusalem AD ME.) Tyrum.

IMPLEBOR.) Opibus et mercibus, quia vastata est Ierusalem, q. d. Eius evacuatio erit mea impletio; eius vastitas erit mea celebritas; eius ignominia erit mea gloria.

Mundus unum spoliat ut alium ditet. Moraliter, intuere hic mundi inopiam, conditionem et praxim: non ornat hos, quin spoliet illos: si quem opibus cumulat, alium premit egestate: non potest impleri hic, quin evacuetur ille; atque ita facit, ut unus alteri invideat, eiusque bonis inhiet. Ut sol dum unum hemisphærium sua luce illustrat, alteri tenebras offundit; atque uti in haustro dum una situla attollitur, altera deprimitur: ita in mundo nemo attolli potest et inclarescere, nisi alii deprimantur et obfuscentur, ait H. Pintus. E contrario Deus dives est in omnes. Unde de iusto, qui in Deo habitans ditatur, ait Psaltes psalm. 111. *Gloria, et divitiæ in domo eius: et iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Et psal. 36. *Spera in Deo, et fac bonitatem, et inhabita terram, et pasceris in divitiis eius.*

Vers 3. SUPER TE.) Vatablus, *contra te*, supple, veniam, vel virgam meam et gladium vibrabo.

MARE FLUCTUANS.) Significat Chaldæorum multitudinem, tumultum, fragorem, per fluctus Tyro, mari adiacenti, notissimos. Copias ergo Chaldæorum vocat fluctus; quia erant maximæ, plurimæ et sævissimæ. Sic et Ierem. c. 46. 9. copias Ægypti, et c. 51. 42. copias Cyri vocat fluctus.

Vers. 4. ET RADAM PULVEREM EIUS DE EA.) Est hyperbole, q. d. Tyrum evertam, et eradam usque ad fundamenta, A faciam ut ne pulvis quidem in ea remaneat. Erat enim Tyrus extructa in rupe, in medio mari. Incolæ vero terram ad fabricandum, et hortos construendos eo comportaverant, quam Deus dicit evertendam, imo radendam, ut rupes nuda relinquatur, qualis erat antequam urbs construeretur. Unde sequitur: *Dabo eam in limpidissimam petram,* hoc est, faciam ut in Tyro sola relinquatur limpidissima, Septuag. *nitidissima* rupes, in qua constructa est (unde hebr. Tyrus dicitur צור *tsor*, id est *petra*) sitque tanta Tyri solitudo, ut in ea piscatores sagenas suas madefactas extendant et exsiccent. Ita Theodor. Hoc est, quod subdit: *Siccatio sagenarum erit* Tyrus. Nulla ergo urbs, nullus mercator, nullus princeps glorietur suo robore, suis opibus, suis civibus, suis clientelis: licet enim iis abundet quasi Tyrus, et quasi mare aquis, tamen si Deum offendat, facile ab eo omnibus spoliabitur, et in siccam limpidamque petram redigetur.

FILIÆ QUOQUE EIUS.) Hoc est, Sidon, et aliæ urbes et vici Tyro quasi metropoli subiecti. Hæ enim ab Hebræis Vers. 6.
B vocantur filiæ, sicut ipsa metropolis vocatur mater.

REGEM REGUM.) Ita vocat Nabuchodonosorem, qui multos reges habebat subiectos. Unde Megasthenes apud Ioseph. 10. Antiqu. 13. contendit Nabuchodonosorem fortitudine, et rerum gestarum magnitudine superasse Herculem. De quo plura Daniel. 2. 37. Alii per *regem regum* intelligunt Alexandrum Magnum, qui post Nabuchodonosorem anno 243. Tyrum expugnavit. Quem Paulus Orosius vocat magnum miseriarum gurgitem, et totius Orientis atrocissimum turbinem. Nota. Putant multi Tyrum a Nabuchodonosor esse expugnatam paulo post Ierusalem, scilicet anno 23. Nabuchodonosor, cum ipse Tyrum obsedisset tres annos cum dimidio, teste Philostrato apud Ioseph. Unde Isaiæ 23. 17. dicitur post 70. annos Tyrus reædificanda, scilicet cum Ierusalem a Cyro, sed falluntur: nam tredecim annis fuit obsessa Tyrus, et capta anno 35. Nabuchodonosoris, uti ostendam cap. 29. 17. Vers. 7. Alexander turbo orbis et miseriarum gurges.

ELEVABIT CONTRA TE CLYPEUM.) Ut eo contra tua tela se protegat, cum te invadet: vel q. d. Sublatis conser- Vers 8.
C tisque clypeis milites contra te testudinem de more facient, per quam in muros tuos inscendant urbem invasuri. Testudo enim erat continuata clypeorum series a militibus subiectis curvata in formam animalis, quod testudo vocatur. Unde Livius: *Ipse scalas ferri ad muros ab omni parte muri iussit, ac testudine ad portas successit:* *testudine,* id est continuata clypeorum crate super capita. Idem l. 4. de bello Maced. *Sublatis deinde supra capita scutis, continuatisque ita inter se, ut non modo ad cæcos ictus, sed ne ad inserendum quidem ex propinquo telum, loci quidquam esset, testudine facta subibant.*

VINEAS.) Erant quasi magni corbes ex vimine (hinc Vers. 9.
vocantur vineæ, quasi vimineæ) quibus obsidentes se tegebant, et iis tuti penetrabant ad murorum fundamenta subruenda. Ita Veget. l. 4. c. 15. Aliter Vatabl. vertit, scilicet, *tormentum feriendi.* Heb. enim מחה *macha,* significat delere, evertere. Hinc מחי *mechi,* significat tormentum evertens muros.

Et arietes.) Aries priscis bombardas et tormenta ænea non habentibus, erat trabs armata ferro instar arietis, quæ impulsu multorum militum mœnia percutiebat, nec ulla turris tam valida erat, aut murus, qui licet primos arietis ictus sustinuisset, assiduos vinceret, ait Ioseph. 3. Belli 9. Vide arietis formam apud Lipsium l. de Militia Rom. Septuag. vertunt, λογχας, id est lanceas; R. Salomon balistas, quæ lapides in muros eiaculantur.

Vers. 10. Inundatione equorum.) Id est, ut Septuag. *multitudine equorum operiet te pulvis eorum*, q. d. Tam multi equites Chaldæi te invadent, tantumque pulveris ungulis suis excitabunt, ut tota pulvere tegi et obnubilari videaris. Sic ait Isaias cap. 60. 6. *Inundatio camelorum operiet te.*

A sonitu (præ sonitu) equitum.) Vix credat, nisi expertus, quantus sit fragor et terror equitum urbe vi capta discurrentium, tum ut forum, plateas, vicos, locaque omnia refugii occupent; tum ut milites et incolas ne fuga evadant, comprehendant; tum ut resistere volentes percellant. Vidi ego, et audivi hæc in Belgio Traiecti ad Mosam degens, cum ea urbs ab Hispanis vi caperetur. Sane videbar mihi videre et audire fragorem et terrorem, qui erit in ultimo mundi die.

Vers. 11. Statuæ tuæ nobiles, id est trophæa tua, vel imagines clarorum virorum, in terram corruent.) Ita Vatabl. Hæ enim hebr. vocantur מצבות *matsebot*, id est statuæ. Tales sunt columnæ, pyramides et arcus triumphales, quales hic Romæ videmus: nimirum, columna Traiani 120. pedum altitudinis, et tanta crassitie, ut interius per cochleam ab imo in summum ascendatur, in qua victoriæ omnes Traiani exsculptæ sunt. Item columna Antonini, pyramides Ægyptiæ ante templum S. Petri ante basilicam Lateranensem, et ante ecclesiam S. Mariæ Maiorem. Item arcus Titi et Vespasiani de devicta Iudæa: arcus Septimii Severi, ad radices Capitolii: arcus Constantini de devicto Maxentio.

Aliter Prado: per *matsebot* enim accipit idola, quæ Tyrii tam anxie custodiebant, ne hostili carmine evocati eorum dii, aut indignati discederent, ut vinculis ea annecterent. Erant hæc simulacra Herculis et Apollinis, teste Curtio l. 4. de vita Alexandri et Plut. problemat. 61. Septuag. vertunt, *substantiam fortitudinis tuæ;* et R. David, *turres fortitudinis tuæ.*

Vers. 13. Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum.) Quibus tu o Tyre mercatrix, quasi meretrix, mercatores ad te pellicis. Vide dicta Isaiæ 23. 15. et 16

Vers. 14. Nec ædificaberis ultra.) Dices, Isaiæ 23. 17. dicitur Tyrus instauranda post 70. annos. Resp. S. Hieron. instauratam fuisse Tyrum in urbem, sed non in regnum; nam Tyrus deinceps subfuit Chaldæis, Græcis, Romanis. Secundo, resp. Scholiast. cives Tyri omnes pene fuisse deletos, ac proinde postea aliam fuisse quasi Tyrum, quæ ab alia hominum natione, aliis legibus et moribus, imo, ut aliqui volunt, alio loco instaurata sit. Tertio, et plane Heb. עוד *od*, id est amplius, significat tempus iubilæi, id est sæculum 50. annorum (ut patet Exodi 21. v. 6.) intra quod Tyrus non est ædificata, sed post annos 70. ita Theodor. Vide dicta Isaiæ 23. 15.

Vers. 15. A sonitu ruinæ.) Est hyperbole, q. d. Sicut turre ruente omnia vicina commoventur: ita Tyro ruente vicinæ insulæ, id est insulani, ad famam et nuncium vastationis Tyri commoti sunt, id est commovebuntur pavore et admiratione.

Vers. 16. Descendent de sedibus suis.) Ut sedeant in terra more lugentium.

Principes maris.) Id est vicinarum insularum, quæ in mari sunt, æque ac Tyrus.

Exuvias suas.) Heb. מעיליהם *meilehem*, id est pallia sua; Septuag. *coronas et diademata sua.*

Repentini casus acerbi. Attoniti super repentino casu tuo.) Repentini enim et improvisi casus acerbiores sunt. Hinc Hadrianus Imp. annulum gestabat, quem aiebat fuisse Drusi Germanici, cui insculptum erat: *Illis gravis est fortuna, quibus est repentina.* Et Seneca: *Gravius*, ait, *nocet*, *quodcumque inexpertum accidit: melius est præcavere, quam ca-*

A *vere.* Hoc est quod ait S. August. lib. de Singular. Clericor. *Ubicumque fuerit providentia, frustrantur universa contraria: ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur.* Si ergo sapis, utere consilio, quod est oculus futurorum, eoque futura dispice et prospice.

Et assumentes super te lamentum.) Simile lamentum Babyloni excisæ inducit Isaias cap. 14. 10. Vers. 17.

Tropologice, hoc lamentum animæ excelsæ, quæ in peccatum mortale prolabitur, recte adaptat S. Hieron.

In die pavoris tui.) Septuag. *in die ruinæ tuæ.* Vers. 18.

Abyssum.) Chald. exercitum immensum, ut operiant Vers. 19. te aquæ multæ, id est multi hostes et populi, ac consequenter multæ ærumnæ, gravesque et profundæ clades. Sic ait Psaltes psal. 41. *Abyssus, abyssum invocat in voce cataractarum tuarum*, id est, una afflictio alteram secum trahit, dum tu Domine cataractas tuas aperis, et pluis in nos calamitates.

Qui descendunt in lacum.) Id est in foveam et se- Vers. 20.
B pulcrum.

Ad populum sempiternum.) Heb. *ad populum sæculi*, id est, ad populum iam olim a multis sæculis mortuum, qui dormit somnum sempiternum, ut ait Ierem. cap. 51. 35. et 57. quos proinde vocat *mortuos sempiternos*, Thren. 3. v. 6. Secundo, q. d. Cum descendentibus in lacum, id est in infernum, ad æternum ignem destinatis constituam te, in sempiternum arsuram. Ita S. Hieronym. et R. Solomon.

In terra novissima.) Heb. תחתיות *tachtiot*, id est inferiori, scilicet in sepulcro et inferno.

Sicut solitudines veteres.) Id est similem ruinis urbium antiquis, quarum vix ullum cernitur vestigium. Ita Maldon.

Cum dedero gloriam in terra viventium.) Cum restituero felicitatem et gloriam pristinam Hierosolymæ, ex quo omnes meam potentiam glorificabunt. Unde Chal. vertit, *gaudium in terra Israel dabo.*

Vocatur Ierusalem terra viventium, Primo, quod in ea Ierusalem vocatur
C coleretur Deus verus et vivus, qui sui cultores sibi simi- terra viventium
les facit viventes; uti idola mortua faciunt stupidos. tres ob causas.

Secundo, quia in Ierusalem sepulti erant fideles et iusti, post modicum tempus resurrecturi in vitam æternam, Isaiæ 26. 20. Apoc. 6. 9.

Tertio, q. d. Tu Tyre insultasti Hierosolymæ, quod iam esset terra mortis et mortuorum: ecce faciam ut tu descendas in lacum, et sis terra mortuorum: Ierusalem vero sit terra viventium, cum reflorescet hominum viventium numero et gloria. Ita R. David, Maldon. Prado et alii. Alii explicant, q. d. *Cum dedero gloriam in terra viventium*, id est, cum in tui punitione et excidio gloriam meæ vindictæ et potentiæ ubique terrarum ostendero. Hic commentarium suum cum vita finiit noster Prado, transiitque ad terram viventium.

In nihilum redigam te.) *Te*, id est tuam gloriam, Vers. 21. imperium, opes, delicias, palatia, merces, etc. ut amplius non sint, nec in sua forma et essentia existant, et quoad
D eam quasi annihilentur. Nam quoad materiam primam, certum est eam non annihilari. Res ergo dicuntur annihilari, cum earum species, forma et decor perit, ita ut quasi ad materiam primam, et ad rude chaos, ex quo prodierunt, redigantur. Unde explicans subdit: *Et non eris, et requisita non invenieris ultra in sempiternum.* Hic finis Tyri inclytæ. Hic finis regum, regnorum, opum, honorum et pomparum mundi. Sic Apocal. 17. 11. de regno Antichristi et mundi dicitur, *Bestia quæ erat, et non est*: de Deo vero, eiusque regno dicitur Apocal. 1. 4. *Qui est, qui erat, et qui venturus est.* Et Daniel. 7. 27. *Cuius regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient.* Hoc est ergo elogium, hoc nomen regis, et cuiusvis hominis defuncti: *Fuit, et non est.* Dei vero et Beatorum: *Fuit, est, et erit in perpetuum.* Sic transit gloria mundi: sic durat gloria cæli.

Exstat Epitaphium cuiusdam regis Franciæ acutum et patheticum hac de re, quod citat Delrio adag. 8. estque tale:

Risi, ploro. Fui, non sum. Studui, requiesco.
Lusi, non ludo. Cecini, nunc mutio. Pavi
Corpus, alo vermes. Vigilavi, dormio. Dixi
Salve, dico Vale. Rapui, rapior. Superavi,
Vincor. Certavi, pace utor. Iure ego vixi,
Iure igitur morior: non obsto, obstare nequirem.
Terra fui quondam, rursum sum terra. Nihil sum.
Terra caduca vale, vermes salvete, recumbo.

Hoc erit et epitaphium cuiusque nostrum. Quam sapiens qui caduca, et mox casura spernit, ac æterna et iugiter mansura ambit! Audi epitaphium Romæ captæ, et vastatæ a Genserico rege Gothorum, sub Honorio Imp. anno Domini 410. quod inaudiens et ingemiscens S. Hier. in Bethlehem, ita orditur procemium lib. 3. comment. in Ezech. *Nihil longum est quod finem habet, et omnis retro temporum series transacta non prodest; nisi forte bonorum operum sibi viaticum præparaverit, quæ semper ad* A *futura, imo ad æterna respiciunt, et nullis terminis coarctantur. Vera sententia: Omnia orta occidunt, et aucta senescunt. Et alibi: Nihil est enim opere et manu factum, quod non conficiat et consumat vetustas. Quis crederet, ut totius orbis exstructa victoriis Roma corrueret, ut ipsa suis populis, et mater fieret et sepulcrum? ut tota Orientis, Ægypti, Africæ littora olim dominatricis urbis, servorum et ancillarum numero complerentur? ut quotidie sancta Bethleem, nobiles quondam utriusque sexus, atque omnibus divitiis affluentes susciperet mendicantes? Quibus quoniam opem ferre non possumus, condolemus, et lacrymas lacrymis iungimus: occupatique sancti operis sarcina, dum sine gemitu confluentes videre non patimur, explanationes in Ezechielem, et pene omne studium omisimus; Scripturarumque cupimus verba in opera vertere; et non dicere sancta, sed facere.*

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tyri naves, opes, merces, superbiam, ideoque excidium quasi naufragium describit, ut quo maior eius fuit gloria, eo maior eiusdem ruina appareat. Primo ergo eius merces, et gentes Tyrum ad mercatum venientes recenset. Deinde v. 26. omnium horum ruinam et rapinam prænuntiat, ideoque Tyrum fore materiam lamenti gentibus omnibus asseverat.

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum:
3. Et dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas: Hæc dicit
Dominus Deus: O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum, 4. Et in corde maris sita. Finitimi tui,
qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum: 5. Abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis
maris: cedrum de Libano tulerunt ut facerent tibi malum. 6. Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos: et trans-
tra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, et prætoriola de insulis Italiæ. 7. Byssus varia de Ægypto texta est tibi in
velum ut poneretur in malo: hyacinthus et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum. 8. Habitato-
res Sidonis et Aradii fuerunt remiges tui: sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui. 9. Senes Giblii, et pru-
dentes eius, habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ: omnes naves maris, et nautæ earum, fue-
runt in populo negotiationis tuæ. 10. Persæ, et Lydii, et Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum
et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. 11. Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circui-
tu: sed et Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi com-
pleverunt pulchritudinem tuam. 12. Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argen-
to, ferro, stanno, plumboque, repleverunt nundinas tuas. 13. Græcia, Thubal, et Mosoch, ipsi institores tui: man-
cipia, et vasa ærea advexerunt populo tuo. 14. De domo Thogorma, equos, et equites, et multos adduxerunt ad
forum tuum. 15. Filii Dedan negotiatores tui: insulæ multæ negotiatio manus tuæ: dentes eburneos et ebeni-
nos commutaverunt in pretio tuo. 16. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, gemmam, et
purpuram, et scutulata, et byssum, et sericum, et chodchod proposuerunt in mercatu tuo. 17. Iuda et terra Israel
ipsi institores tui in frumento primo, balsamum, et mel, et oleum, et resinam proposuerunt in nundinis tuis.
18. Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diversarum opum, in vino pin-
gui, in lanis coloris optimi. 19. Dan, et Græcia, et Mosel, in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum:
stacte et calamus in negotiatione tua. 20. Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. 21. Arabia, et univer-
si principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ: cum agnis, et arietibus, et hædis venerunt ad te negotiatores tui.
22. Venditores Saba, et Reema, ipsi negotiatores tui: cum universis primis aromatibus, et lapide pretioso, et
auro, quod proposuerunt in mercato tuo. 23. Haran, et Chene, et Eden, negotiatores tui: Saba, Assur, et Chel-
mad, venditores tui. 24. Ipsi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi, et polymitorum, gazarumque
pretiosarum, quæ obvolutæ et astrictæ erant funibus: cedros quoque habebant in negotiationibus tuis. 25. Naves
maris, principes tui in negotiatione tua: et repleta es, et glorificata nimis in corde maris. 26. In aquis multis
adduxerunt te remiges tui: ventus auster contrivit te in corde maris. 27. Divitiæ tuæ, et thesauri tui, et mul-
tiplex instrumentum tuum, nautæ tui et gubernatores tui, qui tenebant supellectilem tuam, et populo tuo præe-
rant: viri quoque bellatores tui. qui erant in te, cum universa multitudine tua quæ est in medio tui, cadent in
corde maris in die ruinæ tuæ. 28. A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes: 29. Et de-
scendent de navibus suis omnes qui tenebant remum: nautæ et universi gubernatores maris in terra stabunt:
30. Et eiulabunt super te voce magna, et clamabunt amare: et superiacient pulverem capitibus suis, et cinere
conspergentur. 31. Et radent super te calvitium, et accingentur ciliciis: et plorabunt te in amaritudine animæ
ploratu amarissimo. 32. Et assument super te carmen lugubre, et plangent te: Quæ est ut Tyrus, quæ obmu-
tuit in medio maris? 33. Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos: in multitudine
divitiarum tuarum, et populorum tuorum, ditasti reges terræ. 34. Nunc contrita es a mari, in profundis aquarum
opes tuæ, et omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt. 35. Universi habitatores insularum obstu-
puerunt super te: et reges earum omnes tempestate perculsi mutaverunt vultus. 36. Negotiatores populorum si-
bilaverunt super te: ad nihilum deducta es, et non eris usque in perpetuum.

Vers. 2. ASSUME LAMENTUM.) Heb. שׂא *sa*, id est assume, eleva, attolle voces lamentabiles, ex affectu commiserationis erga tantam cladem Tyri.

Vers. 3. QUÆ HABITAT IN INTROITU MARIS.) Hebr. *quæ habitat iuxta ostia*, id est portus maris. Erat enim insula multorum portuum, inquit Vatab.

NEGOTIATIONI.) Tyrus, ait S. Hier. dicitur hic *negotiatio*, id est celeberrimum emporium negotiationis, *populorum ad insulas multas*, cuius negotiatores scilicet erant potentes et opulenti et principes. Secundo, Mald. et Vatabl. *negotiationi*, aiunt, id est negotiatrici, quæ cum insulis et populis remotissimis negotiatur.

Primum Tyri peccatum, superbia

PERFECTI DECORIS EGO SUM.) Primum crimen Tyri, ait S. Hieron. est superbia, quod suam pulchritudinem, non Dei putet esse, sed suæ industriæ et virtutis. Secundo, quod perfectam sibi arroget pulchritudinem, q. d. Sum urbium pulcherrima, sum ocellus orbis, ita sum pulchra, ut nihil mihi addi possit; quod solius est Dei, ait Dion. c. 4. de Div. nom.

Vers. 4. ET IN CORDE MARIS SITA.) In medio mari, q. d. Dixisti superbe, o Tyre, ego sum munitissima æque ac speciosissima domina ac regina maris, circumquaque mari cæruleo circumdata, et quasi coronata, Isa. 23. 8. Erat enim Tyrus rotunda forma super rupem durissimam (unde et hebr. צור *tsor*, chald. תור *tor*, latine Tyrus dicitur, q. d. Rupes, vel saxum) undique quasi insula mari cincta, quatuor stadiis, id est 500. passibus, id est, medio milliari distans a terra. Sed Nabuchodonosor, et post Alexander, terra, lignis, lapidibus mare una ex parte implevit, ut Tyrus pedibus adiri et expugnari posset, sicque ex insula fecit peninsulam. Ita S. Hieron. Plinius lib. 5. 19. et Curtius l. 4. Vide quæ de Tyri opibus et gloria dixi Isaiæ 23. initio cap.

Mystice, Tyrus sunt angustiæ (has enim significat heb. צור *tsor*, id est, Tyrus) istius mundi, qui in maligno est positus, et variis perturbationibus, quasi fluctibus coarctatur atque percutitur, ait S. Hier. Quæ ergo de Tyro hic dicuntur ad literam, mystice mundo adapta.

FINITIMI TUI, QUI TE ÆDIFICAVERUNT, IMPLEVERUNT DECOREM TUUM.) Vatab. *absolverunt pulchritudinem tuam*, id est, omnibus ornamentis te exornarunt, quidquid in orbe pulchrum erat in te contulerunt. Certum est, ait ex Beroso Adrichomius in descriptione terræ sanctæ in Tyro, Tyrum dictam et conditam paulo post diluvium a Tyras, qui septimus fuit filiorum Iaphet: postea a Sidoniis fuit aucta, teste Iustino lib. 18. Unde S. Hieronymus vocat Tyrum Coloniam Sidoniorum. Pro *finitimi tui*, hebr. est גבוליך *ghebulaich* id est, *termini tui*, id est, habitantes in terminis tuis, hoc est, accolæ et finitimi tui, puta Sidonii, Giblii, etc. Verum Vatab. proprie τὸ *termini* capit iungitque præcedentibus, ac vertit, *in medio mari sunt termini tui*. Sic vertunt et Septuag. in editione Complutensi. Verum S. Hieronymus asserit Septuag. vertisse, *Beelim filii tui circumdederunt tibi decorem tuum*, additque eos corrupte legisse, *Beelim* pro *ghebulaich*; et בניך *banaich*, id est filii tui, pro בניך *bonaich*, id est ædificatores tui. Noster tamen Vilalpando prosequens hoc cap. et sequenti commentarium P. Prado, contendit studio id ab eis factum esse, suggerente Spiritu sancto, ut significarent quod Tyrus non Deo, sed Baalim acceptum tulerit suum decorem; vel potius, quod filii, id est cives Tyri, eam exornarint superbis templis, ædificatis Baal et Astarthæ. Unde Septuag. in editione Roman. Caraffæ ita habent, *tu dixisti, Ego circumdedi mihi decorem meum in corde maris, ipsi Beelim* (vel *Baalim*) *filii tui circumdederunt tibi decorem*. Baal erat Saturnus, cui pueros ingenuos immolabant, ait Curtius l. 4. q. d. Hic ornatus tuus, o Tyre, non ornatus, sed potius infamis est turpitudo, et sacrilegum infanticidium, immo parricidium.

Vers. 5. ABIETIBUS DE SANIR.) Loquitur tropice, ait S. Hier. de Tyro maritima quasi de navi (Tyri enim gloria erat in navibus) malo, velis, remis, omnique re instructissima, ut significet urbis opes, quæ Austro, id est Nabuchodonosoris furore, illisa, naufragium fecit. Porro Sanir, vel

A Sarior est mons Hermon, qui Sanir dicitur, id est nivosus, ait Chald. quia nivibus semper riget, ideoque dicitur Chermon, sive Hermon, id est perditus, excisus, sterilis, ait Masius; vel, ut Vilalp. quia valle a Libano dividitur, et quasi succiditur. *Sanir et Hermon unde dicti?*

Nota. Per hos abietes significat potentes, magnates, et gubernatores urbis.

CUM OMNIBUS TABULATIS MARIS.) Navis enim duo tabulata, id est, duos tabularum ordines, habet, q. d. Omnes navium, id est domorum, tuarum tabulæ, erant abiegnæ. Hinc hebr. est לחתים *luchotaim*, quod est duale, q. d. Duæ tabulæ, puta duo tabularum ordines. Noster per diastolen legit לחת ים *luchot iam*, id est tabulas vel tabulata maris.

MALUM.) Aliqui intelligunt templum Iovis Olympii, et alia in Tyro ædificata.

TRANSTRA.) Dicuntur quasi transversim strata: sunt tigna, quæ in navi vel domo transversim posita, latera connectunt et stringunt. Sept. vertunt, ἱερὰ id est *templa*: quia, ut Sex. Pompeius, templum est tignum transversum in quo sedent remiges. Transtra ergo ait Cæsar, sunt remigum sedilia; hæc lignea, superbe ebore in laminas secto et cælato operuerunt et exornarunt Tyrii. Aliqui, ait Theodor. vertunt, *cornu tuum*, id est robur, et vires tuæ, scilicet idola tua et religio, quæ est robur reip. indeque forte Septuag. vertunt, *templa*, scilicet idolorum. Vers. 6.

B

EX EBORE INDICO.) Nam ut Virgil.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi;
At Chalybes duri ferrum, virosaque Pontus
Castorea.

ET PRÆTORIOLA.) Prætorium Svetonio in Caligula, est magnificum conclave, vel domus suburbana. Significat ergo hic magnifica palatia, cœnacula, conclavia, suburbana æque ac urbana Tyrios ædificasse lignis pretiosis, advectis ex Italia. Unde Septuag. et Aquila vertunt, *domos nemorosas*. Prætorium enim proprie vocabatur magnifica et ampla domus in agro et ruri extructa: in quæ

C ædificia, pecunias ingentes effundebant. Audi Sveton. in Caligula c. 37. *In extructionibus prætoriorum atque villarum, omni post habita ratione, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod effici posse negaretur.* Idem in Augusto c. 72. *Ampla et operosa prætoria gravabatur*, hoc est iniquo animo ferebat Augustus villas quasdam elegantius et sumptuosius extructas. Palladius l. 1. *Ipsius etiam prætorii situs sit loco aliquatenus erectiore, et sicciore quam cætera, propter iniuriam fundamentorum, et ut læto fruatur aspectu.* Quia enim prætores, utpote exercitus duces, sæpe degebant in agris, ibique splendidas ædificabant ædes; hinc quævis aliorum fabricæ similes a pari vocatæ sunt prætoria; et si minores essent, prætoriola. Hinc Ezechiel prætoriola hæc, id est conclavia splendida, ponit in navi: navi enim comparat Tyrum, utpote maritimam: eius ergo palatia, et augustas fabricas vocat prætoriola.

ITALIÆ.) Hebr. est כתים *chittim*, quod non tantum Cyprum, sed et Italiam significat, uti ostendi Num. 24. 24.

D Chald. vertit, *de insulis Apuliæ*, id est ex Cypro, Creta, Sicilia, aliisque Apuliæ et Italiæ vicinis.

BYSSUS VARIA DE ÆGYPTO TEXTA EST TIBI IN VELUM.) Significat tapetes, et alia similia Tyrum ex Ægypto afferri solita, ait Theod. Secundo, Vilalp. Navis, ait, est tyrannis; malus est rex; funes sunt principes et duces, qui regem sustinent; velum sunt instructæ acies. Sed Nota, non esse necesse singula applicare. Tantum enim per pretiosam hanc omnem navis supellectilem, significat pretiosas urbis fabricas, domos, arces, templa, mœnia, omnemque urbis supellectilem, opes et merces: cumque tantus esset Tyri luxus, facile fieri potuit, ut revera in navibus vela ex bysso, transtra ex ebore facerent. Vers. 7.

Mystice, S. Hieronym. Per byssum significatur terra, quia ex terra oritur; per hyacinthum aer; per purpuram mare, ex quo conficitur; addito coccino bis tincto, quod ignem suo rubore repræsentat, quibus pontificis vestimenta texuntur. Hæc ergo quatuor significant *quatuor elementa, terram, aerem, aquam, et ignem, ex quibus constant*

omnia, quæ sibi assumit Tyrus, ut Dei creaturis non utatur cum gratia, sed dicat: Perfecti decoris ego sum: vel, Decorem mihi ipsa circumdedi.

Hyacinthus.) Id est, lana et pannus hyacinthini, id est violacei coloris, de quo dixi Exodi 25. 3.

De insulis Elisa.) Id est Græciæ, ait Theodor. maxime iis, quæ sunt in mari Ionio, ait S. Hieron Elisa enim fuit filius Iavan, a quo culta et nuncupata est Græcia: hæc enim hebr. vocatur *Iavan.* Imo ab Elisa, aliqui Æolas dictos putant. Chald. *Elisa* vertit, *insulas Italiæ;* alii, *fortunatas insulas*, quæ Elysiæ dicuntur ob amœnitatem et ubertatem, maxime arborum et pomorum aureorum, quæ ibi sæpius in anno maturescunt. Licet enim Tyrus in se abundaret purpura (eaque esset optima et nominatissima, unde vocatur Tyria, et Sarranum ostrum) tamen illa aliunde quoque eo advehebatur, quasi ad commune emporium, ut inde in omnes regiones distraheretur. Vilalpando per insulas Elisa accipit urbes et insulas Hispaniæ iuxta Gades, et Xerizium: ibi enim ab Homero primitus positos fuisse campos Elysios, ob loci amœnitatem et fertilitatem. Unde ibi est Lethæus fluvius, vulgo *Guadalete*, quem ad Elysios campos constituunt Virgil. 6. Æneid. et Strabo lib. 1. Ita et Pineda lib. 4. de Rebus Salom. c. 14. Quin et Ioan. Annius in Berosi l. 5. in nono rege Assyr. inde Bætin et Bæticam Hispaniæ dictam censet. *Bætùs*, inquit, *ab Aramæis interpretatur locus vitæ felicis. Est enim Bætica Hispanis deliciarum hortus, et ab Homero campus Elysius usque in angustias Oceani Gadium, dictus. A Bæto ergo, id est vitæ meæ felici duce, Bætica, quasi Beatica, Hispania, et Bætis fluvius in Oceanum fluens, dictus est.* Ita ipse, sed incertæ et suspectæ fidei.

Operimentum tuum.) Quo operiebas et ornabas tum te, id est, tuos cives iis vestiens; tum tuas domos, aulas et cubicula insternens byssinis et purpureis aulæis, sedibus, pulvillis, etc.

Vers 8. Aradii.) Incolæ insulæ Arados iuxta Tyrum, quam condidit Aradius, nonus filius Chanaan, Genes. 10. v. 18. Septuag. vertunt, *principes tui Sidonii* (qui scilicet olim tibi imperabant, nunc) *cum Aradiis sunt remiges tui.*

Mystice, Aradii hebr. significant deponentes, Sidonii venatores, de quibus dicitur Psal. 123. *Anima nostra erepta est de laqueo venantium*, hebr. צידונים *Tsidonim*, id est Sidoniorum. *Hi, ergo, sunt, qui venantur animas incautas in sublimi positas, ut ad terrena deducant, et efficiantur remiges, ut ducant eas ad naufragia*, ait S. Hier.

Vers. 9 Senes Giblii.) Gobel, vel Gebal (Ps. 82. v. 8. *Gebal, et Ammon, et Amalec, cum habitantibus Tyrum)* est Giblus, vel Biblus urbs Phœniciæ, unde incolæ dicti sunt Giblii, vel Biblii, aut Gebalii. Sept. vertunt, πρεσβύτεροι βιβλίων, quod ambigue vertit eorum interpres, *senes Bibliorum;* et male Scholiastes, *senes in libris.* Biblii enim non sunt Biblia, nec libri, sed gens iam dicta, quæ nobiles habebat fabros lignarios; unde Giblii præciderunt ligna Salomoni in fabrica templi, 3. Reg. 5. v. 18. Hebr. est, *senes Gebal, et sapientes eius instauraverunt in te rimas tuas*, ne scilicet navis tua aquam admitteret; navis, inquam, tum proprie dicta, quia abundans navibus in mari; tum metaphorice, scilicet urbs, et respublica tua. Unde Septuag. vertunt, *senes Biblii, et sapientes eorum qui erant in te, confortabant consilium tuum.* Nimirum boni consiliarii suo consilio rempubl. quasi navem, ab omnibus procellis tutam in omni periculo et calamitate, ne rimas agat, conservant.

Omnes naves maris, et nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.) Ex Hebræo clare sic vertas, *omnes naves maris, et remiges earum fuerunt in te, ad negotiandum negotiationem tuam*, vel ad distrahendum merces tuas; Septuag. *facti sunt tibi in Occidentem Occidentis.* Hebr. enim ערב *arab* significat spondere, contrahere, negotiari, et generaliter commisceri: hinc significat etiam vesperam, sive Occidentem, quando miscentur lux et tenebræ. S. Hieron. et Theodor. sic explicant: Mercatores ad te venerunt ex omnibus, etiam remotissimis regionibus Occidentalibus, puta ex Hispania, inquit Pinedo

A libr. 4. de Rebus Salomonis cap. 5. Tartessus enim urbs Hispaniæ ad Gades, fuit colonia Tyriorum; unde cum iis magna habebat commercia. Sic Canticum Canticorum vocatur canticum maximum, pulcherrimum. Chaldæus vertit, *omnes descendentes in mare, et nautæ eorum fuerunt remiges in te*, q. d. Tanta erat magnificentia et gloria tua, o Tyre, ut remiges tibi ascisceres eos, quia aliarum gentium fuerant nautæ, hoc est naucleri et gubernatores navium.

Tropologice Vilalpando: mercator, ait, avarus vespera dicitur, vel Occidens; primo, quia fraude et mendacio merces suas vendit, vel emit; secundo, quia quasi lupus vespertinus pauperum bonis inhiat; tertio, ob cæcitatem mentis, quam affert lucri cupiditas; quarto, quia hæc lucri aviditas cum suis asseclis ducit eum ad tenebras æternas inferni. Ita S. Hieronymus. Avarus est vespera, cur?

Persæ et Lydii.) q. d. Omnes populi serviebant tibi: viles quidem in rebus fabrilibus, ut Giblii, Aradii, Sidonii; fortes vero et militares in bello, ut Persæ, Lydii et Afri; qui tempore belli tibi erant præsidio; tempore vero pacis suspensis galeis et clypeis, ornamento, ait Maldon. Vers. 10.

B

Sed et Pygmei.) Plinius libr. 7. 2. scribit Pygmæos esse populos in extrema India salubri cælo, et semper vernante; qui ternos dodrantes, sive spithamas non excedunt. Idem cum Aristotele lib. 8. Histor. animal. 12. asserit eos pugnare cum gruibus. Unde et Ovid. l. 6. Fastor. Vers. 11. An Pygmæi existant?

Nec quæ Pygmæo sanguine gaudet avis, id est grus.

Fuse vero satyra 3. Iuvenalis de iis canit:

Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis.
Mox impar hosti, raptusque per aera curvis
Unguibus a sæva fertur grue, etc. *Ridet*
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.

Quocirca Pygmæos hosce quasi monstruosos homines, admittit S. August. lib. 16. c. 8. Addunt alii, generare eos anno ætatis quinto, mori octavo. Verum hæc fabulosa esse probatur: Primo, quia primus Pygmæorum auctor est Homerus, Poeta fabulosus, Iliade γ. ex eo enim sua habent Esse fabulosos probatur.

C Aristot. Plinius, August. et alii. Unde Eustathius in Homerum scribens, ait eum per gruum comparationem Troianorum tumultum amplificare: Pygmæos autem, tamquam iucundam fabulæ partem more suo inducere. Idem ex eo, et ex Suida docet Aldrovandus lib. 20. c. 5. I.

Secundo, quia hi auctores inter se dissentiunt de loco. Scholiastes enim Homeri ponit eos in media Ægypto: Plinius iam in Asia, iam in India, iam in Æthiopia. Aristot. Ammianus, Philostrat. in terræ cavernis, quasi formicas. II.

Tertio, quia illa ὀρνιθομαχία, scilicet pugna cum gruibus, uti et generatio, et alia his similia, fabulosa videntur. Tale est et istud Menalcæ apud Athenæum l. 9. c. 13. perdicibus pugnam esse cum Pygmæis; cum ex adverso Basilius scribat Pygmæos perdicibus inequitare, atque ita adversus grues in bellum exire. Quid ni? tempore Theodosii Imp. ait Nicephor. l. 12. c. 37. visus est homo perdicis magnitudine, utique Pygmæus. III.

Ita fabula fabulam, mendacium mendacium, uti fragum
D fragum, serit; sed et pariter interimit: fabulones enim et mendaces sibi statim contradicunt. Nanos pusillæ staturæ in aulis principum videmus, et tales crebro in Tartaria nasci narrant nostri Lusitani: sed hi monstra sunt; nec progeniem aut propaginem habent, ut gentem efficiant. Unde Martial. lib. 14. pumilionem ita pingit:

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas:
Si stantem videas, Astyanacta putes.

Certe in tam parva ætate et statura non posse servari et propagari speciem humanam, docet Cardanus libr. 8. de Varietate rerum cap. 40. ubi hanc Pygmæorum fabulam vult esse ortam à quodam simiarum genere: et Paulus Iovius libr. de Moscovitica legatione, docet Pygmæos ultra Iaponem esse, et magis ad simias, quam ad homines accedere. Et Albertus Magnus lib. 1. de Animal. cap. 3. omnem illis rationem adimit. Denique Gellius lib. 9. c. 4. Pygmæos inter fabulas, et res incredulas reponit.

Quarto, quænam, quæso, hæc laus esset Tyri, quod homunculos Pygmæos haberet propugnatores? Respondet Ly- IV.

ran. eos positos fuisse non ad tutelam, sed ad irrisionem hostium: sicut Iebusæi in Sion posuerunt cæcos et claudos, quasi ipsi Sion validissimam per se contra Davidem defenderent, 2. Regum 5. 6. Sed quid opus Pygmæos ad hoc tam longe accersere? Poterant ad hoc ponere infantes, et μορμολυκεια, id est larvas, v. g. homines stramineos, quibus fugantur aves ne triticum carpant. Et quomodo de iis diceret Ezechiel: *Ipsi compleverunt pulchritudinem tuam?*

V. Quinto, Hispani et Lusitani, qui Indias omnes explorarunt, nullos viderunt Pygmæos. Rursum, ex omnibus Geographis, qui curiose et studiose totum orbem lustrarunt, nemo est qui scribat, vel asserat se Pygmæos hos vidisse; ergo nulli sunt. Non enim sunt tam parvi, ut sint invisibiles.

Dices, Olaus Magnus libr. 2. de Gentib. Septemtrion. c. 11. dicit etiamnum in Septemtrione extare Pygmæos. Resp. Tantum dicit se a viris gravibus audisse, quod incolæ Gruntlandiæ pugnent cum gruibus, uti Pygmæos facere asserit Plinius. Itaque non diserte asserit incolas illos esse Pygmæos: nam etiam incolæ Germaniæ pugnant cum gruibus, dum eas sagittis, bombardis, hastis conficiunt, capiunt et occidunt, qui tamen non sunt Pygmæi. Adde, Olaus non dicit se id vidisse, sed audisse. Denique auctor hic plura habet fabulosa et incredibilia, uti dum tradit veros esse gryphes, qui anterius sint aquilæ, posterius leones, qui aurum effodiant, ex eoque nidos construant: unde ad aurum hoc diripiendum, contra eos in aciem prodire aliquot hominum millia. Quæ omnia falsa et fabulosa esse demostravi Levit. 11. v. 13. Sane ex Septemtrione ob frigus, viros vastos et proceros, et gigantes potius quam pygmæos prodire videmus.

Dices Secundo, In historia S. Macarii Romani in Vitis Patr. dicitur, quod S. Macarius pergens ad paradisum, invenerit gentem, quæ in altitudine habebat unum dumtaxat cubitum, eamque vocat *Pichiti*, et *Pygmæos*. Resp. illam historiam Baronio, aliisque eruditis de falsitate esse suspectam. Nam in eadem narratur, quod S. Macarius proxime accesserit ad paradisum terrestrem, qui situs est, inquit, *ubi cælum terræ iungitur:* et ante eum excubare Cherubim, *qui a pedibus usque ad umbilicum habet similitudinem hominis, pectus sicut pectus leonis, manum sicut crystallum*, etc. quæ fabulas redolent. Adde, pro *Pichiti*, manuscriptus codex legit *Pytici;* unde Pytheci, unde cercopitheci (uti annotavit P. Heribertus) quæ est species simiarum. Simiæ ergo fuerunt, non homines.

VI. Sexto, quia hebr. est גמדים *gammadim*, quod Chald. vertit, *Cappadoces*; Septuag. *custodes*. Theodotion retinet Hebr. *Gammadim;* noster, Aquila, Vatabl. Paguinus, Hugo et Lyran. vertunt, *Pygmæos*. Syrus et Arabicus uterque nullam hic Pygmæorum mentionem faciunt. Pygmæus ergo idem est, quod πηχυαιος, id est cubitalis. Ita Hesychius, Favorinus, Henricus Stephanus et alii in Lexicis. Porro dicuntur *cubitales*, non quod unum tantum cubitum essent alti, ut volunt auctores iam citati: non etiam, ut Forsterus, quod præ turrium, in quibus erant, altitudine, hominibus infra stantibus viderentur esse unius cubiti, quanti vulgo putantur esse Pygmæi; sed quod quinos vel senos haberent cubitos staturæ, essentque maximi quasi gigantes: ita ut non pede, sicut passim alii viri, sed cubito mensurarentur. Sic hebr. אנשי המדה *hansee hammidda*, id est viri mensuræ, 1. Paral. 20. 6. et alibi vocantur non qui parvam, sed qui magnam habent staturam. Hinc S. Hier. huius versionis auctor: *Pygmæi*, ait, *dicuntur απο τας πυγμης, id est a lucta, et certamine*, ut idem sit Pygmæus quod πυκτης απο τȣ πυκτευειν, id est pugil, a pugnando et luctando, q. d. Propheta, Pygmæi, id est, pugiles bellicosissimi erant in Tyri præsidio. Talis Pygmæus, id est cubitalis, erat ille, de quo scribit Plinius l. 7. 16. *Invenimus in monumentis Salaminæ, Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse.* Talis quoque גמד *gammad*, id est cubitalis, fuit Og rex Basan, de quo dicitur Deut. 3. 11. *Monstratur lectus eius ferreus novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis,*

Pygmæus idem quod cubitalis id est procerus, quasi gigas.

A *ad mensuram cubiti virilis.* Talis fuit et *Goliath*, qui fuit *altitudinis sex cubitorum, et palmi*, 1. Reg. 7. 4. Gigantes enim, quia vasto corpore, validi erant et bellicosi, Genes. 6. 4. Hinc aliqui censent, Hebr. *Gammadim* esse nomen proprium certæ gentis, quæ tunc erat illustris et bellicosa. Unde Marinus in Lexico vertit, *Gammadenses:* iunguntur enim Persis, Lydis, Aradiis aliisque gentibus. Verum hanc gentem, et hocce eius nomen nusquam reperire potui. Reperi apud Melam et Plinium Gamphasantes Æthiopiæ populos: sed hi a *Gammadim*, uti nomine, ita et proprietate longe abeunt: fuerunt enim imbelles. Audi Plinium lib. 5. cap. 8. *Gamphasantes nudi præliorumque expertes, nulli externo congregantur.* Secundo, et germanius, *Gammadim* videntur dici a rad. גמד *gomed*, id est, cubito, quasi *cubitantes*, id est, luctantes (et πυγμη Polluci mensura est continens spatium quod est a cubito usque ad digitos clausos, quod alias πηχυς dicitur) quia videntur fuisse bellatores validi, totique luctis et pugnis B dediti. Sicut enim arietes pugnant cornibus, ideoque dicuntur cornutare, et vocantur cornutantes: sic *Gammadim* vocantur quasi cubitantes, id est cubitis, et cubitorum impulsione ac protrusione decertantes. Summa enim vis hominis est in cubitis, perinde ac iumentorum in cornibus. Tales cubitantes erant olim pugiles, qui vocabantur Pancratiastæ, qui toto corpore, sed maxime cubitis certabant; sicut Acrochiristæ vocabantur, qui summis manibus et digitis duellabant: Pugiles vero qui pugnis dimicabant, non quod hi de turribus Tyri pugnarent solis cubitis; sed *Gammadim*, id est cubitantes, vocantur validi et pugnaces luctatores, robusti bellatores in luctis armisque exerciti, per catachresin: sicut pugiles vocantur non tantum qui pugnis, sed qui gladiis, hastis, telis decertant. Pancratium, inquit Budæus (græce παγκρατιον, id est omnia potens) ludi et luctæ genus, ita dictum ex eo, quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorum contentione transigitur. Calcibus enim etiam, et cubitis, non modo pugnis, Pancratiastæ utebantur, o- C mnique impetendi prehendendique modo. Unde Propert. lib. 3. eleg. 14.

Et patitur duro vulnera pancratio.

Nam lucta pugilum et palæstritarum inde orta est, quod, ut Donatus ait, veteres ante usum ferri et armorum, cubitis, pugnis, calcibus, morsibus, corporumque luctatione certabant. Unde Lucret. l. 5.

Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuerunt.

Idem annotavit Carol. Paschalius lib. 6. de Coronis cap. 24. Ergo *Gammadim* hebr. idem sunt, quod græce Anconitæ et Pancratiastæ, latine Cubitantes: cubiti enim angulati, acuti, reflexi et duri, in homine sunt id, quod cornua in ariete. Unde illud Homer. Odyss. 3. *cubito innixus cubabo:* ex quo Ancus Martius quartus Rom. rex nomen accepit, ait Servius. Ancus enim, gr. αγκων, significat cubitum: unde *Ancus* latine *vocatur qui aduncum habet brachium, ut exporrigi non possit*, ait Festus, ab ancone, id est, cubito incurvo, et ancilia dictæ sunt peltæ et scuta reflexa ad αγκωνα, id est cubitum, ad quem circumaguntur. D Cubitantes ergo dicuntur, quia ad cubitum ancilibus induti et tecti. Hinc rursum Homero Iliade ϐ αγκυλοτοξοι vocantur sagittarii, qui arcu instar cubiti incurvo et inflexo utuntur: et αγκυλιϛαι, iaculatores qui iaculo adunco utuntur, quod αγκυλη dicitur, quia simile cubito reflexo. Α'γκυλη enim vocatur incurvatio cubiti. Insuper Ancones in parietibus, et in promontoriis dicuntur anguli, qui utrumque latus continent et tutantur. Unde Plinius de Ancona urbe Italiæ, eius etymon ex situ assignans lib. 3. c. 13. *In ipso*, inquit, *flectentis se oræ cubito sita.* Ancon enim græce est cubitus. Sicut igitur Ancona dicitur, quod in angulo inflexo quasi cubiti sita, totam illam Italiæ regionem tutetur: et sicut Ancones tutantur parietes et utramque maris oram: ita hi *Gammadim* validi bellatores, quasi Ancones tutabantur Tyrum. Itaque vocantur *Gammadim*, id est cubitantes, hoc est cubitis validi et pollentes (sub cubitis accipe vicinos armos et lacertos) atque scutati et ancilibus ad cubitum armati; vel sagittarii arcu

recurvo et adunco instar cubiti, tela iaculantes. Denique quasi Ancones fortissimi defensores et propugnatores Tyri: nam eos fuisse iaculatores patet ex eo, quod sequitur: *Pharetras suas suspenderunt in muris tuis*, q. d. Sunt *Gammadim*, id est ad cubitum levi pelta armati et tecti, simulque arcus cubito tendentes. Nam iaciebant sagittas cubito flexuque tum brachii, tum arcus sui, iisque illæsi ipsi vulnerabant et lædebant hostes. Inde Symmach. vertit *Medos:* Medi enim olim insignes fuerunt sagittarii. Unde Horat. lib. 2. Carm. ode 16. *Decori*, ait, *pharetra Medi*. Hinc ait Ezechiel: *Ipsi compleverunt pulchritudinem tuam*. Rursum Medi habitu et pugna fuerunt terribiles, et ut Horatius ait lib. 1. Carm. ode 29. *horribiles*. Audi Herodotum lib. 6. *Athenienses*, inquit, *primi omnium Græcorum cursu in hostem usi sunt, primi sustinuerunt cernere Medica veste indutos, cum antea vel audire nomen Medorum Græcis terror fuisset*. Videntur ergo hi Gammadim, id est cubitantes, fuisse certum genus hominum pugnax, totumque pugnis bellisque addictum, quales apud Romanos olim erant gladiatores, apud Davidem Cerethi et Pelethi; et nunc apud Polonos sunt Cozaki, apud Hungaros Haydones, apud Turcas Ianizari. Id ita esse liquet ex S. Hieronymo, qui cum sit auctor nostræ versionis, et *Gammadim*, secutus Aquilam, verterit *Pygmæos*, diserte eos sic explicat in comment. *Pygmæi*, inquit, *id est bellatores, et ad bella promptissimi*, απο τις πυγμας, *quæ Græco sermone in certamen vertitur*. Quid clarius?

Denique *Gammadim* alludit ad rad. עמד *amad*, id est stetit, perstitit, constitit. Affines enim sunt literæ *ain* et *ghimel*. Unde Syri, et etiamnum Hebraizantes, pro *ain* dicunt *gain*: quin et Sept. S. Hier. aliique veteres idipsum subinde fecerunt, cum pro עמורה *amora*, transtulerunt *Gomorrha*: pro עמר *omor*, *gomor*. Sic *Gammadim* dicitur quasi עמדים *Ammadim*, id est, milites statarii, quales olim apud Romanos erant triarii, nunc sunt Helvetii. Hi enim maxime valent in bello defensivo: fortiter enim et constanter in statione sua consistunt, sinuntque se potius conscindi, quam ab ea discedant, et principem suum urbemve hosti dedant: unde solent collocari in præsidiis urbium. Hinc Septuag. verterunt, *custodes tui*, q. d. Habuisti o Tyre, in tui tutelam quidquid humanitus optari potest: habuisti enim mare pro fossa, rupem pro vallo, turres pro propugnaculis, *Gammadim* pro præsidiariis; sed nihil horum te contra Chaldæos, vel potius contra Deum Chaldæos immittentem tutari poterit. Habeas gigantes, qui cubitis constringentes hostes, eos collidant, uti leo stringens feram suis brachiis, eam collidit, et occidit quasi pulicem: habeas Helvetios, habeas Cozakos, habeas Ianizaros cubitis peltatos et pharetratos; omnes hosce exsufflabit Deus quasi muscas, ut ex te discant mortales, sua præsidia non in militibus, non in muris, non in tormentis, sed in uno Deo collocare, eumque peccatis suis iratum sibi per pœnitentiam reconciliare studeant: quod si fecerint, nec *Gammadim*, nec Helvetiis indigebunt, sed Deus eos contra omnes hostes, contra omnes milites pugnacissimos, contra omnes dæmones defendet et propugnabit, iuxta illud Proverb. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit iustus, et exaltabitur*.

Vers. 12. CARTHAGINENSES.) Heb. *Tharsis* significat mare, uti vertit hic Chald. et omnes insulanos, vel transmarinos, quales maxime erant Carthaginenses, qui classibus suis omnia maria replebant, præsertim Tyrum. Carthago enim filia et colonia fuit Tyri. Apte ergo per Tharsis hic intelligitur Carthago. Vide dicta Isaiæ 2. 16. Fuit hæc urbs æmula, et terror Romani imperii, ait Cicero pro Murena. De ea sic canit Virgil. 1. Æneid.

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra, Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli.

Et Solinus c. 30. *Urbem istam*, inquit, *ut Cato in senatoria oratione autumat, cum rex Hiarbas rerum in Libya potiretur, Elisa mulier extruxit, domo Phœnix, et Karthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam: Kartha* enim idem est quod civitas, *hada* nova; pro quo Hebræi (quibus affinis est tam Phœnicum quam ab iis prognata Punica lingua, teste S. Aug.) dicunt *Kiriat chadas* vel *hadas*. Porro ex Karthada facta est Karthago, mutando d in g, et a in o. Hinc a Stephano lib. de Urbibus vocatur καινηπολις, id est nova urbs, et Virgil. 1. Æneid. idem ei dat epithetum, dum ait: — *Cernes*
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem.

Græcis vocatur καρχηδων quasi καρθαχηδων. Figmentum ergo est, Karthaginem dici a Kartha, id est, taurinum tergus. Sic Hispani novam urbem quam condiderunt in India Occidentali, vocarunt Carthaginem. Simili modo Dido Carthaginis conditrix, *vero nomine*, ait Servius, *Elisa ante dicta est: sed post interitum, a Pœnis Dido appellata fuit, id est virago, Punica lingua*, sive *dilecta;* et forte etiam ante interitum a דוד *dod*, id est dilectus: unde *David*, et illud psalm. 67. *Rex virtutum dilecti, dilecti*, inquit P. Serarius in Iosue 2. quæst 25. apud quem vide plura de nominibus Hebræo punicis.

GRÆCIA.) Hebr. יון *iavan*, idem est mutatis punctis, Vers. 13.
quod *Ionia*, id est, Græcia, dicta *Iavan*, a *Iavan* quarto filio Iaphet. Iavan, ait S. Hier. significat, *est, et non est*, quales tropologice sunt fallaces hæreses. Ad literam Vilalpando: *Iavan*, inquit, id est, *est, et non est*, sunt Græci mercatores, qui iam sunt in hoc portu, iam non sunt, sed alio discedunt. Addit Alcazar Apoc. 17. v. 7. p. 812. in fine hoc nomine notari Græcorum omnium inconstantiam, non ingeniorum modo, sed et fastus, ac potentiæ.

THUBAL.) Id est, Iberi puta Hispani. Ita S. Hieronymus. Vide dicta Genes. 10. 2.

MOSOCH.) Id est Cappadoces, quorum metropolis, quæ postea ab Augusto Cæsare Cæsarea appellata est, usque nunc lingua ipsorum *Macaza* dicitur, ita dicta a Mosoch, sexto filio Iaphet, ait Ioseph. 1. Antiqu. 6.

ADVEXERUNT POPULO TUO.) Hebr. addunt בנפש *benephes*, id est, *in animabus hominum*, hoc est, cum periculo animarum, id est, vitarum hominum. Hæc enim pericula subeunt mercatores.

DE DOMO, id est, de natione et gente THOGORMA.) Id Vers. 14.
est Phrygiæ, qui equitatu valent, adeoque bigas primum iunxit Phrygum natio, ait Plin. l. 7. cap. 16. Ita Theodor. et Ioseph. 1. Antiqu. 6. Thogorma enim fuit filius Gomer, Genes. 10. 3. ex quo Tigranæi, qui a Græcis Phryges dicuntur, appellati creduntur, et Hebraico verbo corrupto Turcæ, ait Maldon. Unde nonnulli hic Turcas accipiunt. Alii Germanos esse credunt. Unde Chaldæus vertit, *ex provincia Germaniæ*, quasi per aphæresin primæ syllabæ *Tho*, Thogorma idem sit, quod Germania.

EQUOS, ET EQUITES.) *Equites* vocat tum milites, tum aurigas, et qui currus et equos regunt, quales erant Phryges, qui quasi servi et mancipia, magis aurigationi, quam militiæ serviebant, et ad hoc in foro Tyri vendebantur: ita Maldon. Secundo, Vatablus, per *equites* accipit agitandorum equorum magistros, qui nobiles iuvenes docent modum equitandi, quos Galli vocant *les picqueurs*: hi prostabant in foro Tyri, ut artis equestris avidis suam artem et operam locarent et venderent; uti in foro Romano prostat turba colonorum et rusticorum. Tertio et melius, Marinus in Lexico, et Pineda l. 5. de Rebus Salomon. cap. 9. *Equos*, ait, *equites et mulos*, Hebr. סוסים פרשים פרדים *susim, parascim et peradim*, quæ profecto sunt tria equorum genera, quæ Tyri vendi solebant. Primo, סוסים *susim* significat equos communes, et curules. Secundo, פרשים *parascim* significat equos militares, acres et bellicosos. Tertio, פרדים *peradim*, quod noster vertit, *mulos*, est equi genus proprium Syriæ, aptum ad bellum, et velox ad cursum, de quo Aristot. l. 6. histor. animal. c. 24. et 36. unde eo vehebantur reges et principes, uti Absalon eiusque fratres, 2. Reg. 13. 29. et c. 18. v. 9. Hinc vocatur equus quia generat: vocatur et mulus ab Aristot. hebr. פרד *pered*, id est separatus: quia separatum et peculiare est equorum genus; et quia mulo facie est simile, ut ait Arist. Muli ergo hi Syriæ nostris sunt dis-

similes, partimque equis, partim mulis nostris similes.
Porro equitem subinde poni pro equo ipso docent Latini, idque facit Virg. 3. Georg.

Impositi dorso, atque equitem (id est equum)
docuere sub armis
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.

Sic Salomoni dicuntur fuisse *mille quadringenti currus, et duodecim millia equitum*, id est equorum militarium, qui hebr. *parascim* vocantur, 2. Paral. 1. 14. *Parascim* ergo nunc equum militarem, nunc equitem significat, qui פרש *paras*, id est calcaribus pungit et stimulat equum ad cursum.

Vers. 15. Filii Dedan.) Septuag. *filii Rhodiorum*. Ita et Polychron. Theodoret. et Græci. Non quasi Septuag. decepti sint similitudine literarum Hebræarum *resch*, et *dalet*, ut vult S. Hieron. sed quod a quarto filio Iavan, Dedan dicto, dicta sit Dedan, quæ postea corrupta voce dicta est Redan, quam Græci suo idiomati aptantes, *Rhodon*, quasi rosæ hæc insula similitudinem habeat, vocaverunt. Maldon. vult *Dedan* urbem esse Idumææ, de qua Ierem. 25. v. 23. Verum hæc Dedan alia est ab illa: nam hæc ponitur inter insulas; illa vero fuit in continenti, puta in Idumæa.

Insulæ multæ, negotiatio manus tuæ.) Id est, tecum negotiationem exercuerunt. Ita Septuag.

Ebeninos.) Factos ex ebeno, quod genus est ligni pretiosi, unde ex eo nunc fiunt rosaria pretiosa. Sola *India nigrum fert ebenum*, ait Virgil. 2. Georg. Sub India, ait Servius, et Æthiopiam, et vicinam Ægyptum Virgilius accepit. Ebenum est nigrum, solidum, pulchrum, nitore ac pondere lapidem referens, unde in aquis immersum mergitur, uriturque odore iucundo. Creditur esse tenuis substantiæ et abstergentis virtutis, ideoque oculorum caliginem discutere. Hinc priscis ebenum ita in pretio fuit, ut Neroni Imp. ebenus quasi res rara allata sit. Herodotus scribit, Æthiopes cum auro et ebore, centenas quoque phalangas ex ebeno, tertio quoque anno pensitasse. Ita ut in tributorum auctoritate tertia res fuerit ebenus, ait Plinius lib. 12. 4. Chald. vertit, *pavones*.

(Ebeni pretium.)

Commutaverunt in pretio tuo.) *In*, id est, pro pretio tuo.

Vers. 16 Syrus.) Hebr. *Aram*. Aram fuit filius Sem, nepos Noe, a quo culta et dicta est Armenia. Nisi malis dictam Aram ab altitudine: רם *ram* enim significat altum, excelsum. Ita S. Hieron. Armenia enim est omnium terrarum altissima. Argumento est, quod in ea primum resederit arca finiente diluvio, Gen. 8. 4. Olim, *Aram* vocabatur omnis Syria, eique vicinæ regiones. Sic *Aram dammesec* est Syria, Damasci, id est Cœlesyria, quæ est inter Libanum et Antilibanum. *Aram naharaim* est Mesopotamia quæ est inter duos fluvios, Tigrim et Euphratem. Septuaginta vertunt, *homo*, forte pro *Aram* legentes *Adam*, ut vult S. Hieron. vel, ut Vilalp. quia Aramæi, teste S. Hieron. mercaturæ addictissimi, Adamæi, id est terreni, et terræ lucra quærentes nuncupantur.

(Armenia unde dicta.)

Operum tuorum.) Puta mercium: vel, ut Sept. *mercatus tui;* Chal. *divitiarum tuarum*, q. d. Ut emerent res, quæ in te miro artificio fiebant, præsertim purpuram, omne genus mercium ad te convehebant.

Gemmam.) Ita Romana: ergo Theodor. et Mald. male legunt *guttam*, id est, balsamum, vel guttam myrrhæ, id est stacten, ut habent Septuag. quamquam Maldonat. ex R. David guttam interpretetur genus lapidis pretiosi et nigri, quem S. Hieron. alibi *carbunculum* vertit.

Et scutulata.) Id est, vestes squamatas, et quasi scutis distinctas, puta Phrygias varie acu pictas: hoc enim significat רקמה *rikma*.

Chodchod.) Id est onyx, ait Theod. S. Hieron. Isaiæ 54. 12. *iaspidem* vertit. Chald. *gemmas*. Hebræi quasvis pretiosas merces hoc nomine intelliguut. Polychron. Alabaudenum, id est, carbunculum, sive rubinum, de quo Plinius lib. 37. 7. Sic et Vilalp. et Vatablus.

Vers. 17. In frumento.) Id est, frumenta proposuerunt in nundinis tuis. Hebr. enim ב *bet* ponitur pro את *et*, præsertim in verbis contactus.

Primo.) Id est, optimo, præcipuo.

Assignat hic Ezechiel opes variarum gentium. Simili modo signanter Sidonius Apollin. Panegyr. ad Maiorianum August. quid quæque gentes et regiones proferant, ita describit:

Fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Assyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus,
Athis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon olivam,
Argos equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
Arma chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham,
Pontus Castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus,
Sardinia argentum, naves Hispania defert.

Sic et Pindarus in Pythiis Lacedæmoni canes, Syriæ capras, Argis arma, Thebis currus, Siciliæ vehicula assignat. Et Virgil. 2. Georg.

Sola India nigrum
Fert ebenum: Solis est thurea virga Sabæis.
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Media fert tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali.

Et mox Italiam omnibus præferens, eius opes et proventus ita enarrat:

Sed gravidæ fruges, et Bacchi Massicus humor
Implevere: tenent oleæque armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert.
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas.
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
Hæc eadem argenti rivos, ærisque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum, Marsos, pubemque Sabellam
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello: et te maxime Cæsar.
Salve magna parens frugum Saturnia tellus,
Magna virum.

In multitudine operum tuorum.) Quia scilicet ope- Vers. 18.
ra, v. g. vestes Tyrias, sive purpureas, quæ faciebas, o Tyre vendebas Damascenis. Ita Polychr. et Theodor.

In vino pingui.) Aquila, et Theodotion retinent vocem Hebræam, vertuntque, *in vino de Chelbon*, quod Scholiast. censet esse urbem Malabam: unde videtur dicta Malvasia, (vinum delicatissimum) sed Damascena, non Cretica: nam agitur hic de opibus Damasci Tyrum delatis.

Coloris optimi.) Hebr. צחר *tsachar*, id est nitidi, splendidi.

Dan.) Urbs in finibus Israel, 1. Reg. 3. 20. quæ postea Vers. 19.
Paneas, et in gratiam Tiberii Cæsaris dicta est Cæsarea Philippi, a Philippo Tetrarcha, fratre Herodis.

Mosel.) Loci nomen: ubi is sit necdum inveni, et nemo explicat. Vatab. accipit Mosel ut appellativum, et vertit, Græcus vagabundus, id est, huc illucque currens mercatus causa.

Stacte.) Myrrha stillatitia (στάζειν enim est stillare) quæ est purissima, et optima. Hinc vocatur lacryma myrrhæ, uti lacryma vini præstantissima est et delicatissima.

Calamus.) Non est cinnamomum, sed aliud aroma odoratum, de quo Plinius lib. 12. 21.

In tapetibus ad sedendum.) Quibus utebantur tum Vers. 20.
in cubiculis iis vestitis domi manentes, tum curru iis instrato vecti. Chaldæus vertit, *vestibus pretiosis ad equitatum*. Scilicet hæc stragula pretiosa erant quibus currus et equos tegebant, et ornabant. Septuag. vertunt, *iumentis electis ad currus*.

Cedar.) Arabiæ regio, dicta a Cœdar filio Ismaelis, ait Vers. 21.
S. Hieron.

Negotiatores manus tuæ.) Id est, manu data stipulantes tecum: vel potius, q. d. Ad manum tibi erant, id est, vicini, et propinqui afferentes hædos et agnos ad tuas nundinas: aut, ut Maldonat. qui pro te negotiabantur, quasi pro manibus et ministris tibi essent, uti v. 15. dixit: *Insulæ multæ, negotiatio manus tuæ*.

Negotiatores tui cum universis primis aromati- Vers. 22.
bus.) Aromata vocantur non solum odores, sed et fructus

odorati et medicati, sive omnes merces aromaticæ, ut cariophyllum, piper, cinnamomum, nux myristica, galbanum, stacte, thus, aloe, muscum, sandalum, mastix, ambra, balsamum, zinziber, cassia, etc. quæ olim ex Arabia et India Tyrum et Alexandriam, nunc Olysipponem devehuntur.

SABA.) Unde Arabes Sabæi.

REEMA.) Urbs est Arabiæ Felicis.

Vers 23. HARAN.) Id est Charræ Parthorum, ubi Crassus est cæsus.

CHENE.) Theodor. vult esse Chalne, vel Chalanne, ubi turris Babel ædificata est, ut decurtate et corrupte dicatur *Chene* pro *Chalanne;* aut certe Babel vocata est hebr. *Chene*, id est cognominata, celebris. Sept. vertunt, *terram Chanaan.*

EDEN.) Regio Syriæ amœnissima iuxta Damascum, ut colligitur Amos 1. v. 5. ex Hebræo, ubi Adamum formatum, et paradisum fuisse multi putant.

CHELMAD.) Chald. Media.

Vers. 24. MULTIFARIAM.) Hebr. במכללים *bemichlulim*, id est in universitate, vel omnimoda varietate mercium, v. g. pannorum, quos involvebant pretiosis *involucris* ex hyacintho, et funiculis ex serico astringebant: tantus erat Tyri luxus, tantæ opes. Ita S. Hieron. et Theodor.

Vers. 25. NAVES MARIS, PRINCIPES TUI IN NEGOTIATIONE TUA.) Hebr. *naves tuæ sunt* שרות *sarot*, id est præcipuæ, scilicet eminent inter omnes omnium gentium naves. Hinc Plin. lib. 5. cap. 13. Phœnices, quorum caput erat Tyrus, laudat, quasi inventores artis, primo, nauticæ; secundo, bellicæ; tertio, siderum; quarto, literarum.

Noster vertit *tui*, q. d. Principes tui sunt quasi naves, quia sua industria omnes merces et opes in urbem convehunt, id est convehi curant, q. d. Principes tui negotiantur navibus maris, iisque se ditant: vel, ut alii, q. d. Naves, quæ in mari pro te negotiantur, principes tui sunt, id est, principum tuorum: hoc est, negotiatores et nautæ tui non sunt pauperes, aut plebeii, sed principes. Vel, ut Vilalp. *principes tui sunt quasi naves,* quia sicut navis fert merces, quæ navi nihil conferunt imo sæpe obsunt, et eam mergunt: sic principum divitiæ, honos, et reip. administratio ipsis gravi ponderi, et sæpe exitio est, non levamini aut consolationi, Eccl. 5. 12. Quinto, et simplicissime, ac aptissime ad Hebr. q. d. Naves tuæ sunt principes tui, id est, principem primumque locum tenent in tua negotiatione, ut videantur esse principes tuæ mercaturæ.

GLORIFICATA ES.) Potest ex Hebræo verti, *aggravata es*, scilicet quasi navis tuis mercibus, et opibus, quibus gloriaris: unde iis demersa et oppressa naufragium fecisti, ut sequitur.

Vers. 26. IN AQUIS MULTIS ADDUXERUNT TE REMIGES TUI.) q. d. Sicut triremis valde onerata, si in altum mare ducatur a remigibus, periculo exponitur, ne vento, et fluctibus, et suo onere mergatur: ita tui, o Tyre, gubernatores volentes te in altitudinem gloriæ et opum evehere, exposuerunt te periculo excidii.

Secundo, in aquas multas, scilicet calamitatum, vel populorum, et militum Nabuchodonosoris gubernatores te induxerunt; dum eos divitiarum suarum et rerum copia allexerunt ad tui obsidionem et expugnationem.

VENTUS AUSTER CONTRIVIT TE.) Id est conteret te, quasi arborem in medio mari super rupem plantatam: in hanc enim sævit, imo furit Auster. Hic est Nabuchodonosor, quem recte comparat Austro; quia ipse ab expugnatione Ierusalem, quæ sita erat ad Austrum, Tyrum venit. Secundo, Auster procellosissimus apte procellas, tempestates et naufragia Tyri significat. Unde Austrum ab hauriendis aquis dictum volunt. Ita Polychron. Theodor. et S. Hieron. qui ait, *Omnes divitiæ Tyri flante Austro dispereunt.*

Vers 27. INSTRUMENTUM TUUM.) Omnes sarcinæ tuæ, omnes capsæ mercibus plenæ, omnis supellex, ait Maldon. Vatabl. vertit, *omnis negotiatio tua*, id est omnes merces et opes tuæ, quas negotiando acquisivisti.

Vers 28. A SONITU CLAMORIS GUBERNATORUM TUORUM CONTURBABUNTUR CLASSES.) q. d. Uti navi in naufragio pereunte clamant nautæ et gubernatores, ita ut conturbentur aliæ naves et classes, idem sibi naufragium pertimescentes: ita ad tuam, o Tyre, cladem, et in clade eiulatum et clamorem turbatæ sunt aliæ urbes et regna.

Secundo, proprie, q. d. Aliæ naves et classes, quæ ad te merces advehebant, videntes te everti, conturbabuntur, et descendent e navibus suis ad terram, ut sequitur.

Mystice, S. Hieronymus. *Quidam*, ait, *ridicule gubernatores episcopos hæreticorum, consiliarios Presbyteros. proretas Archidiaconos, remiges atque nautas Diaconos interpretantur, rectores vero ad cunctum populum referunt; quod si addidissent nauclerum diabolum, implessent tragœdiam. Qui omnes eiulabunt pariter, postquam senserint naufragium navis suæ, et in terra steterint, omnemque decorem falsi nominis scientiæ amiserint, et pro gaudio atque lætitia, in cordis amaritudine pœnitentiam mœrore signaverint.*

RADENT.) Radendo caput facient calvitium. Vers. 31.

QUÆ EST UT TYRUS?) Hoc est carmen lugubre. Lu- Vers. 32.
gentes enim dicent: *Quæ est ut Tyrus?* q. d. Quæ urbs fuit olim tam gloriosa, et nunc est tam miserabilis ac Tyrus?

QUÆ OBMUTUIT.) Quæ perdidit, et vocem, et vitam: quæ occisa est, id est, excisa est, et periit, ut vix sit eius vestigium, aut memoria. Mortui enim vocantur silentes apud Hebræos et Latinos. Hinc Hebr. דומה *duma*, id est silentium, vocatur infernus. Sic et Ovidius 5. Fastor.

Mox etiam lemures animas dixere silentum.

Hinc obmutescere et silere, idem est quod mori.

QUÆ IN EXITU NEGOTIATIONUM TUARUM.) Quæ in ex- Vers. 33.
portatione mercium per mare populos implebas. Ita Maldonat.

NUNC CONTRITA ES A MARI.) q. d. In mari videbaris Vers. 34.
tibi esse firmissima, sed Chaldæi in mare tuos cives et opes coniecerunt. Unde subdit: *In profundis aquarum opes tuæ.*

ET REGES EARUM OMNES TEMPESTATE PERCULSI MU- Vers 35.
TAVERUNT VULTUS.) *Tempestatem* vocat cladem Tyri, utpote in mari sitæ, cuius fama vicinos reges quasi tempestas perculit et exterruit. Tempestas enim cladem navibus et insulis adducit. Hebr. est, *reges earum horrore horruerunt, et vultu turbati sunt:* ita Vatabl. Septuag. *reges earum stupore stupescent, et flebit facies eorum.* Verum horror et stupor potest accipi horrenda et stupenda tempestas, ut vertit noster interpres.

SIBILAVERUNT.) Vel quasi stupentes; vel potius quasi Vers. 36.
irridentes: sicut qui hominem videt in lutum cadere, primo miseretur, deinde irridet. Similia sunt Ieremiæ 19. v. 8. et c. 49. v. 17.

AD NIHILUM DEDUCTA ES.) Vatablus vertit, *terror facta es,* id est facta es speculum et exemplum iræ Dei, quo omnes gentes terreantur et percellantur.

NON ERIS IN PERPETUUM.) Id est, in longum tempus, scilicet ad 70. annos, ut dicitur Isaiæ 23. 15. vel q. d. Numquam ad pristinam gloriam et opes redibis. Vere S. August. in sententiis, sent. 96. *Malorum*, ait, *impietatem perire necesse est aut proprio iudicio aut sententia Dei. Nulla enim iniquitas permanet, cui finem aut correctio, aut damnatio facit.*

Nota. Hoc cap. remp. comparat navi, gubernatores nauclero, opes mercibus: idque apposite ad regnum et remp. Tyri, quæ in mari sita, navibus, naucleris et mercibus abundabat: Tyrus ergo in mari eminebat quasi navis. Ita Symbol. urbs quælibet potens speciem habet navis: utraque enim suis muris et vallis cingitur: utraque suas habet domos, cellas, tabulata, turres, speculas: utraque suos cives, milites, gubernatores, temones et gubernacula. Hinc Iuvenal.

Respub. est quasi navis, nauclerus est gubernator.

Aut de temone Britanno
Decidet Arviragus;

significans Domitianum Britannia potiturum, expulso Arvirago insulæ domino. Porro Sveton. in Nerone cap. 46. narrat eum paucis diebus ante mortem vidisse per quie-

tem sibi navim regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octavia in arctissimas tenebras: quod aruspices respondere, portendere eum administratione imperii deiiciendum, et miserrime moriturum. Insuper in Tyriorum numo veteri exstat navis cusa, nimirum ea de causa, quod Tyrii iactent se primæ navigationis esse auctores: ita Pier. hierogl. 45. c. 10. In Iani numis priscis visitur navis cum rectore hac inscriptione, Roma. Ianus enim (quem multi putant fuisse Noe) navi appulit in Italiam. Unde Ovid. 1. Fastor.

At bona posteritas puppim signavit in ære,

A *Hospitis adventum testificata Dei.*

Porro in Evangeliis Ecclesia per navim significatur, præsertim quia e navi Petri Christus concionatus est, docuitque turbas. Hinc Pontifex Rom. in annulo gerit navim cum piscatore Petro. Hic enim regit navim Christi, puta Ecclesiam: de qua proinde dicitur:

Fluctuat, at numquam mergitur illa ratis.

Meminerint ergo principes et magistratus se esse naucleros reip. ac remp. regere debere ea sollicitudine, vigilantia et industria, qua nauclerus regit navim. Sint ergo Argonautæ.

CAPUT VIGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arguit arrogantiam regis Tyri, quod hominem se esse oblitus, Deus esse voluerit; inde v. 12. assumit super eum lamentum: Tu signaculum similitudinis, *etc.* in deliciis paradisi Dei fuisti. Tu Cherub extentus, *etc.* in medio lapidum ignitorum ambulasti, et peccasti, et eieci te de monte Dei. *Secundo, v. 21. Sidoni idem excidium intentat. Denique vers. 25. ex adverso Israeli reditum e captivitate, et felicitatem promittit.*

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei. 3. Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum a te. 4. In sapientia et prudentia tua fecisti tibi fortitudinem: et acquisisti aurum et argentum in thesauris tuis. 5. In multitudine sapientiæ tuæ, et in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem: et elevatum est cor tuum in robore tuo. 6. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum quasi cor Dei: 7. Idcirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentium: et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, et polluent decorem tuum. 8. Interficient, et detrahent te: et morieris in interitu occisorum in corde maris. 9. Numquid dicens loqueris: Deus ego sum, coram interficientibus te: cum sis homo, et non Deus, in manu occidentium te? 10. Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 11. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis leva planctum super regem Tyri: 12. Et dices ei: Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, 13. In deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, et iaspis, chrysolithus, et onyx, et berillus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus: aurum opus decoris tui: et foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt. 14. Tu cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. 15. Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. 16. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti: et eieci te de monte Dei, et perdidi te, o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. 17. Et elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te: ante faciem regum dedi te ut cernerent te. 18. In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. 19. Omnes qui viderint te in gentibus, obstupescent super te: nihili factus es, et non eris in perpetuum. 20. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 21. Fili hominis pone faciem tuam contra Sidonem: et prophetabis de ea, 22. Et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Sidon, et glorificabor in medio tui: et scient quia ego Dominus, cum fecero in ea iudicia, et sanctificatus fuero in ea. 23. Et immittam ei pestilentiam, et sanguinem in plateis eius: et corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum: et scient quia ego Dominus. 24. Et non erit ultra domui Israel offendiculum amaritudinis, et spina dolorem inferens undique per circuitum eorum, qui adversantur eis: et scient quia ego Dominus Deus. 25. Hæc dicit Dominus Deus: Quando congregavero domum Israel de populis, in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram gentibus: et habitabunt in terra sua, quam dedi servo meo Iacob. 26. Et habitabunt in ea securi: et ædificabunt domos, et plantabunt vineas, et habitabunt confidenter, cum fecero iudicia in omnibus qui adversantur eis per circuitum: et scient quia ego Dominus Deus eorum.

Vers. 2. Dic principi Tyri.) Id est, diabolo, ait S. Hieron. ad Damas. epist. 146. S. August. 11. Civit. 15. Origen. Isidor. de Summo bono c. 12. et Beda l. quæst. q. 9. de angelis, Ambros. l. de Paradis. cap. 2. Tertull. 2. contra Marcion. 10.

Secundo, Polychr. principem hunc vult esse ipsum regem Tyri, qui superbivit maxime hoc nomine, quod a Nabuchodonosore superari non potuisset, qui hoc anno undecimo et ultimo Sedeciæ, qui fuit Nabuchodonosoris, ait, 22. statuam constituit, ut in ea ab omnibus adoraretur. Sed errat in chronologia. Hic enim fuit annus 18. non 22. Nabuchodonosoris. Anno enim 18. evertit regem et regnum Iudææ. Statua etiam a rege erecta est alio anno, uti ostendam Daniel. 3. 1.

Tertio, Apollinar. et ex eo Theodor. censent hic quæ-

B dam de diabolo, quædam de rege Tyri dici, quædam de utroque. Verum dico, proprie Prophetam loqui de rege Tyri, ut patet ex eius verbis: sed ita, ut sub typo diaboli, quem imitatus est rex, regis superbiam et ruinam describat. Sic Isaias c. 14. sub typo Luciferi Balthasaris superbiam et lapsum similem describit. Ubi Nota, utrobique quædam dici, quæ proprie, et grammatice competunt diabolo, sed hyperbolice, vel metaphorice explicari debent de rege Babylonis, vel Tyri; ut quod ait Isaias: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* Et quod ait hic Ezechiel: *Dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi;* quæ verba, ait S. Hieronymus, proprie sunt insanientium dæmonum; sed hyperbolice regis Tyri, qui ita intumuit felicitate sua, et regni potentia, ut præsentia bona putans esse perpetua, hominem se esse nescierit, et æternum sibi impe-

rium vendicarit. Vide canon. 5.

Principi.) Hebr. est נגיד *naghid*, quod deducitur a נגד *neghed*, id est coram, scilicet populo; quia rex est quasi speculum coram populo, quem scilicet populus in omnibus actionibus aspicit et sequitur. Sic Tyri regis superbiam populus secutus est. Hinc regis peccatum præ aliis exaggerat Propheta.

Eo quod elevatum est cor tuum.) Hæc verba pendent et explentur v. 7. *Idcirco ecce ego adducam super te alienos.*

Dixisti: Deus ego sum.) Hebr. אל אני *el ani*, ego sum potens ille, scilicet omnipotens, qui omnia possum. Sic Iulius Cæsar passus est sibi aras templaque dicari, teste Svetonio. Alexander voluit haberi et coli quasi Iovis Ammonii filius. Sic Nabuchodonosor Daniel. 3. 1. et alter, Iudith. 3. 13. item Caius Caligula, Domitianus, Heliogabalus voluerunt coli ut dii. Hæc recte adaptat Donato, auctori Donatistarum hæretic. Optatus Milevitan. l. 3. Fuit enim Donatus princeps, id est Episcopus, Tyri, id est Carthaginis, quæ Tyriorum est colonia. Ad quem Deus ait: *Dixisti, Ego sum Deus. Extulit enim cor suum, ut nullum hominem sibi comparandum arbitraretur. Deinde cum Episcopi Deo debeant famulari, tantum sibi de Episcopis exigit, ut cum non minori metu omnes venerentur, quam Deum. Et cum per solum Deum soleant homines iurare, passus est homines per se iurare, tamquam per Deum. Deinde cum ante ipsius superbiam, omnes qui in Christo crediderant, Christiani vocarentur, ausus est populum cum Deo dividere, ut qui illum secuti sunt, non Christiani vocarentur, sed Donatistæ: unde ipsius ad singulos aliunde venientes, hæc sunt verba: Quid apud vos agitur de parte mea? Erat etiam in corde maris, id est in amore sæculi. Visus est sibi sapientior Daniele in repudiandis muneribus, dum accipere noluit* (instar Danielis) *quod ab Imperat. Christiano* (Constante) *missum esse videbatur. Unde constat, Donatum omnium malarum fontem fuisse causarum.* Huc usque Optatus. Pari modo hæc Luthero, Calvino, Zuinglio, et similibus adaptes.

C

In cathedra Dei sedi (id est sedeo) in corde maris.) q. d. In hoc excelso throno eminentis rupis, quæ mari undique cincta omnem habet pulchritudinem, munitionem, opes, merces et gloriam, sedeo quasi Deus, tam fortis et securus, ut neminem timeam: ago Deum quemdam in mari: sedeo in Tyro excelsa et inaccessa, quasi Deus in cælo, quem nemo potest attingere, aut lacessere: quod Deo cælum, hoc mihi est mare: tam enim ego tutus et munitus sum hac insula cincta mari, quam Deus muris cælestibus.

Cum sis homo.) q. d. Oblitus tuæ originis, miseriæ, et conditionis humanæ, ac mortalis, Deum te esse iactas. Hunc Tyri regem Tobaal nominatum, et tredecim annis obsessum fuisse a Nabuchodonosor, tradit ex Beroso Ioseph. lib. 1. contra Apion. sub finem.

Dedisti cor tuum quasi cor Dei.) Gessisti animos Dei: tam elato fuisti animo et spiritu, quasi Deus tibi esse videreris. Nota: *cor*, sive mens significat consilium, sapientiam, prudentiam cum animi magnitudine coniun- D ctam, quæ neque deprimitur adversis, nec prosperis extollitur. Patet ex sequent. Unde de eo dicitur: *Mens sua cuique Deus;* et, *Mens cæli terræque regina*, quod celebrat Socrates apud Platonem in Philebo: et Pithagoras *mente deos adiit*, ait Ovid. 15. Metam. ob eius sapientiam et virtutem. Hæc virtutes sunt regiæ, ac regi necessariæ, ut recte regat remp. ut patet in Salomone 3. Reg. 4. 29. quibus excellit Deus rex regum, et principum princeps, utpote earum origo et finis. Hanc Dei excellentiam sibi arrogat hic rex Tyri, quasi hasce dotes ex se habeat, non a Deo, atque in iis omnes omnino viventes, et homines, et genios, et deos excellat. Vere S. Gregor. 17. Moral. 6. *Humilis*, ait, *ignorantia magis Deo placet quam elata scientia.*

Vers. 3. Ecce.) Est ironia. Unde Septuaginta vertunt, *numquid tu sapientior es Daniele?* premit fastum regis Tyri, q. d. Tu tibi arrogas sapientiam Dei, cum Daniel, licet capti-

A vus et Hebræus, ex Hebræis, quos tu despicis, te longe sit sapientior, cumque ut sapientissimum colant Nabuchodonosor eiusque satrapæ omnes, ait Theod. et Scholiast. Imo omnis illa ætas Danielem, quasi omnes mortales sapientia præcellentem, et quasi nulli conferendum in ore ac oculis habebat, adeo ut nec Tyri rex se ei conferre auderet, præsertim in somniis explicandis, et futuris prædicendis.

Aliter Vilalp. q. d. Cum tu habeas cor Dei, quis dubitet te sapientiorem esse Daniele? Ille enim suam sapientiam non sibi, sed Deo ascribit c. 2. 28. tu eam nec homini, nec Deo, sed tibi ascribis. Ille a Nabuchodonosore volente adorari noluit; tu vis adorari etiam a nolentibus, q. d. Atqui hoc est absurdum, omnes enim Danielem, ut mortalium sapientissimum venerantur. Vide ergo, et agnosce tuam stoliditatem et arrogantiam.

Nota. Hæc prophetavit Ezechiel anno undecimo Sedeciæ, ut patet cap. 26. 1. cum Daniel esset triginta octo annorum, ut colligitur ex dictis cap. 14. 14. Vide ergo B quam iuvenis fuerit Daniel cum sapientia, virtute, et fama toto orbe fuit celeberrimus. Ea ergo ætate tantæ sapientiæ et famæ erat Daniel, ut sapientissimi reges et principes averent audire, *alter Daniel*, uti de eximio oratore dicimus, Est alter Cicero; de raro philosopho, Est alter Aristoteles; de medico, Est alter Galenus; de Theologo, Est alter Augustinus. Ita Petro Abailardo, magni ingenii et scientiæ viro (qui errores suos corrigens, monasticenque amplexus Cluniaci sancto fine quievit anno Christi 1140.) Galli hos titulos in epitaphio dederunt:

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles; Logicis quicumque fuerunt
Aut par, aut melior.

Ita Colonienses Alberto Magno præceptori S. Thomæ, apud Prædicatores hoc epitaphium prisci styli et carminis posuerunt:

Phœnix doctorum, paris expers philosophorum,
Princeps doctorum, vas fundens dogma sacrorum,
Maior Platone, vix inferior Salomone.

Quin et Sidonius Apollinaris Claudiano presbytero, fratri S. Mamerci Episcopi Viennensis, hoc epitaphium scripsit anno Christi 490.

Germani decus et dolor Mamerci,
Mirantum unica gemma Episcoporum,
Triplex bibliotheca qua magistro
Romana, Attica, Christiana fulsit.
Orator, Dialecticus, Poeta,
Tractor, Geometra, Musicusque,
Doctus solvere vincla quæstionum,
Psalmorum hic modulator et phonascus, etc.

Fecisti tibi fortitudinem.) Fecisti tibi munitiones, Vers. 4.
et stabilimentum regni tum opulenti, tum optimis, et perpetuo duraturis legibus instructi. Unde Chaldæus vertit, *fecisti tibi opes, substantiam, copias et exercitus.* Hæc enim omnia significat Hebr. חיל *chel.* Omnia hæc non in se, et in rei veritate, sed ex opinione ipsius regis intelligenda sunt. Rex enim putabat et iactabat se hisce omnibus abundare,

In robore.) R. David, *in exercitu;* alii, *in opibus.* Hæc Vers. 5
enim duo robur regni faciunt. Hebr. rursum est חיל *chel.*

Robustissimos.) Septuag. *pestilentes*, qui te uti pestis Vers. 7
aerem et corpora, inficient et occident, nullo ætatis, generis aut sexus discrimine.

Pulchritudinem sapientiæ tuæ.) Id est pulcherrimum tuum regnum, et urbis gloriam: vel potius, quidquid est pulchrum in te, in urbe et regno tuo, quod omne tuæ tribuis sapientiæ, id omne Chaldæi suis gladiis fœdabunt sanguine tuo.

Polluent.) Perdent, vastabunt.

Interficient.) Hebr. *in fossam deiicient te*, hoc est in Vers. 8
abyssum tui maris demergent te.

Et morieris in interitu occisorum in corde maris.) Id est morieris et sepelieris in mari, uti accidit illis, qui moriuntur in mari; nimirum, ut in mari, in quo gloriatus es, quasi in loco inexpugnabili, et mercibus ad-

rectis opulentissimo, in eodem undis mergaris, et fias piscium esca, ipsique tuum sint sepulcrum.

Vers. 9 NUMQUID DICENS LOQUERIS.) Est sarcasmus, q. d. O Tyri rex, iactare soles te esse Deum, idne iactabis cum hostes te invadent, ut eis nomen Dei prætendas, eosque nomine Dei quasi obstupefacias? Minime. Imo ipsi te occidendo, ostendent te hominem esse, non Deum. Ita Theodoretus.

Vers. 10 MORTE INCIRCUMCISORUM.) Quam scilicet tibi inferent incircumcisi, id est Gentiles impii, barbari, crudeles Chaldæi. Unde sequitur, *In manu alienorum*. Hæc enim mors apud Iudæos erat probrosa. Unde Saul a Philisthæis vallatus, ne ab iis interficeretur, iussit armigero ut se occideret, 1. Reg. 31. 4. Ita Maldonatus.

Secundo, *morte incircumcisorum*, id est, qualem merentur incircumcisi, id est, infideles et impii, morieris. Hi enim plerumque infelicem et miserabilem habent vitæ finem. Ita Chald. et R. David.

Tertio, Vilalpando explicat, q. d. Cum ultio, quam in alios exercebas, in te exercebitur, tunc apparebis præputiatus in vindicta, id est, in ea superabundans fuisse, et omnino excedens terminos tibi a Dei iustitia et misericordia præscriptos. Iudices enim et principes ita reos punire debent, ut nil propriæ indignationis admisceant: sed potius cum Christo Luc. 19. v. 41. imo et cum Tito, qui in iusto Hierosolymæ excidio illacrymarunt, fleant et condoleant: tibi vero morienti non condolebunt, sed insultabunt Chaldæi: quia tu pariter alios morte afficiens, eis non condoluisti, sed insultasti. Sicut ergo tu tuam vindictam in alios non circumcidisti, sed libere grassari permisisti: sic et Chaldæi suam in te vindictam non circumcident, sed libere grassari permittent.

IN MANU ALIENORUM.) Ut scias me non tantum Iudæorum esse Deum, sed et Chaldæorum: quibus quasi ministris te puniam. Ita Polychr.

Vers. 11. LEVA PLANCTUM.) Plange magna voce carmen lugubre. Hoc enim est קינה *kina*, de quo v. 19.

Vers. 12 TU SIGNACULUM.) Scilicet perfecte expressum. Signaculum enim est sigilli signaculum, quale est quod epistolis sigillo imprimitur et exprimitur, dum illæ clauduntur, et signaculo obsignantur, ne quis eas aperire et legere possit. Posset Secundo, *signaculum* accipi pro ipso sigillo: hoc enim significat Hebr. חותם *chotam*, q. d. Tu eris sigillum perfecte incisum, planeque referens et exprimens tuum, tum exemplar, tum opificem et sculptorem. Vatablus ex Hebr. vertit, *tu sigillans dispositionem*, sive *figuram ædificii*, hoc est, tu undequaque eras perfectus et absolutus. Qui enim sigillat aliquid, ei extremam manum imponit, opusque complet et absolvit. Hebr. enim *chotam* significat sigillum, vel signaculum: sed alio puncto חותם *chotem* (uti iam punctant et legunt Hebræi) significat signantem, et sigillantem. Pari modo vertit Syrus, *tu signaculum es similitudinis, plenum sapientia, et corona gloriæ;* at Arabicus Antioch. *et tu signaculum in similitudine rei plenæ sapientia, et corona gloriæ;* et Arabicus Alex. *Tu autem es velut signaculum plenum sapientia.*

Signaculum similitudinis, quod? SIMILITUDINIS.) Id est simillimum, et aptissime repræsentans exemplar seu sigillum ipsum quod annulo incisum est, q. d. Omnium rerum formam, pulchritudinem et dispositionem tu exples, velut signata et expressa Dei, et consequenter rerum omnium similitudo; sive velut earum omnium sigillum expressum. Unde LXX. explicando addunt: *Tu corona pulchritudinis*, q d. O rex Tyri, olim cum versareris cum Davide, Salomone, aliisque piis Iudææ regibus, et sanctis Dei amicis, eras quasi signaculum, vel imago expressa Dei in sapientia, pulchritudine, gloria, opibus, sicuti fuerunt David, et Salomon. Ita Scholiastes. Secundo, sicut signaculum obsignat et confirmat litteras regis, et opus artificis (tunc enim perfectum est opus, cum artifex ei suum sigillum apponit) sic tu omnium Dei operum, quasi complementum ultimum et perfectissimum fuisti. Unde Maldon. *Tu signaculum similitudinis*, id est, inquit, tu perfectio imaginis. Solent enim imagines, uti et alia opera, cum perfectæ sunt, obsignari, q. d. Si quis felicissimi et perfectissimi principis imaginem depingere voluisset, eam ex te sumere, teque depingere debuisset. Tu enim eras exemplar mirabilis cuiusdam perfectionis, in quod omnes, quasi in perfectissimum virtutum speculum intueri possent, et deberent. Deus enim te insignivit sua similitudine, et quasi sigillo appenso et impresso testatus est, et quasi gloriatus te esse suum opus, illustre scilicet, magnificum, perfectum, primum et præcipuum; in quo præ cæteris eius sapientia, bonitas, potentia et gloria expressa relucebat et resplendebat, quasi imago in speculo. Unde Vatablus vertit, *tu es omnibus numeris absolutum exemplar*. Alii vertunt, *tu signans numerum*, vel *sigillans summam*, id est, tu omnibus numeris eras absolutus, aut certe tibi esse videbaris. Hebræum enim תכנית *tachnit* multa significat: Primo, summam et numerum. Ita Pagn. Secundo, dispositionem, figuram, adoptationem. Ita Marinus. Tertio, dimensum, mensuratum, elaboratum secundum omnes eius dimensiones, q. d. Tu eras velut sigillum dimensum, seu mensuratum, et quaquaversum penitus elaboratum, suæque ideæ plane commensum et adæquatum. Ita Forsterus. Radix enim תכן *tachan* significat appendere, ponderare, ordinare, aptare, certo dimetiri, commensurare. Hinc Quarto, *tachnit* significat similitudinem (quamquam Pagn. putet tunc legendum esse per ב, תבנית *tabnit*) uti vertunt Septuag. et noster. Sed eodem redeunt omnes hæ versiones: significant enim hoc sigillum ita fuisse perfectum, ut suo exemplari plane esset adaptatum, commensum et simile.

Nota Primo. Origen. libr. 1. Periarchon, et S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 18. et Tertullian. lib. 2. contra Marcion. c. 10. et alii nonnulli, censent hæc omnia non homini, v. g. principi Tyri, sed soli diabolo, id est Lucifero, competere. Hic enim fuit omnium angelorum sapientissimus, et eminentissimus. Hic in paradiso Dei natus est. Hic fuit Cherub extentus, etc. Verum S. Ambr. l. 1. de Paradiso cap. 2. S. Hieronymus, Theodoretus, et alii ad litteram hæc explicant de rege Tyri: figurate, sive parabolice de diabolo. Et S. Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam cap. 25. ex professo probat, hæc non posse de diabolo intelligi: unde contendit, ex hoc loco non posse convinci angelos fuisse creatos in gratia: convinci dico, scilicet directe et demonstrative: indirecte enim et probabiliter satis idipsum ex hoc loco deduci et probari potest. Ad literam ergo loquitur Propheta de rege Tyri, sed sub typo et parabola diaboli, uti dixi v. 2. q. d. Sicut diabolus creatus fuit pulcherrimus angelus, ut esset signata similitudo, id est, perfecta imago Dei, sed ex hac dignitate per superbiam decidit, et corruit: ita omnino et tibi contigit, o Tyri rex. Simili modo ad Hebræos 1. v. 3. filius Dei dicitur *splendor*, *et figura substantiæ Patris*, uti ibi dixi. Alludit ergo Propheta ad creationem angeli, æque ac primi hominis in paradiso (unde utrique hæc omnia recte adaptes) sed directe et proprie ad litteram loquitur soli regi Tyri. Hic ergo rex vocatur signaculum et imago, non diaboli, ut vult quidam doctus interpres, sed Dei, ut patet ex sequent. q. d. Videbaris o rex Tyri esse viva Dei in terra imago, esseque Deus quidam terrestris.

Nota Secundo. Tertullianus lib. 2. contra Marcion. 10. legit, *tu resignaculum similitudinis*; quia videlicet diabolus cor suum a Deo suo, ipsius sigillo obsignatum avertens, fraudulenter sibi per appetitionem propriæ excellentiæ resignavit. *Tu*, inquit, *es resignaculum similitudinis, qui scilicet integritatem imaginis et similitudinis resignaveris*. Meminit huius lectionis S. Hieronymus in Ezechielem, sed eam non probat. *In Latinis*, ait, *codicibus pro signaculo resignaculum legitur: dum* κακόζηλος, *id est malus imitator, verbum e verbo exprimens*, ἀποσφράγισμα, *quod habent Septuag. resignaculum vertit. Unde quidam sic intelligunt, qaod signaculum Dei, et figuram, quæ velut in cera mollissima expressa sit, rex Tyri resignaverit atque perdiderit, ut pro signaculo fieret resignaculum.* Verum Hebræum חותם *chotam* signaculum significat, non resignaculum.

Parabolice Rupert. lib. 1. de Victoria Verbi Dei c. 8.

Diabolus, inquit, fuit signaculum similitudinis S. Trinitatis quoad tria, scilicet magnitudinem, scientiam et pulchritudinem. *Cuius enim similitudinis, nisi sanctæ et adorandæ Trinitatis signaculum, secundum hæc tria fuit? Sancta quippe Trinitas ipsa est magnitudo, sapientia et pulchritudo. Magnitudo namque Filii et Spiritus sancti Pater est. Sapientia Patris et Spiritus sancti Filius est. Pulchritudo Patris et Filii Spiritus sanctus est: quia de magnitudine, sapientia et pulchritudine participavit* (diabolus, puta Lucifer) *plus cæteris. At ille vecors, cum in tanto honore esset, non intellexit, et hæc omnia vertit in materiam superbiendi. Non suffecit ei tanta largitas creatoris, nisi idem diceretur vel existimaretur de ipso, quod de Deo. Negavit quippe Deum esse creatorem suum, et dixit se esse Deum.* Huc usque Rupert. Simili modo dixit Trismegistus in Pimandro cap. 11. *Imago Dei est ævum, ævi mundus, mundi sol, Solis autem homo*, et magis angelus, præsertim Lucifer. Nam, ut idem ait in Asclepio cap. 11. *Cum Deo constitit æternitas, mundum intra se habens, Deique imago: hinc consequenter mundus* (præsertim angelus, et homo) *effectus est æternitatis imitator.*

Vers 13 IN DELICIIS PARADISI DEI FUISTI.) Eras in Tyro felix quasi in paradiso Dei, id est, eximia, amœnissima, deliciarumque plenissima. Ex Hebræo verti potest, *eras in horto Eden*, id est, eras quasi in paradiso terrestri, in quo conditus est Adam. Eædem enim sunt voces Hebrææ hic, quæ Genesis 2. 8. Unde Arabicus Antioch. vertit, *in Eden paradisi Dei eras.* Huius enim paradisi opulentia et deliciæ in proverbium abiit, ut dicatur de quovis loco ditissimo et deliciosissimo, uti erat Tyrus. Sic Græcis erant *Alcinoi horti, Thessalica tempe, Midæ rosetum, Elysii campi*, quos a paradiso terrestri mutuatum esse Homerum censent viri docti. In paradiso enim non tantum florum et fructuum, sed et auri ac gemmarum, quæ hic regi Tyri tribuuntur, felix erat proventus. Audi de eo Tertul. lib. de Iudicio Domini:

Flores in pratis fragrant, et purpura campis. Et mox:
Gemma coloratis fulget speciosa lapillis;
Inde nitet prasinus; illinc carbunculus ardet;
Herbosaque viret prægrandi luce smaragdus.

Deinde de aromatibus subdit:

Hic et odoriferis nascuntur cinnama virgis,
Et spisso lætum folio confragrat amomum.

Ac de metallis:

Hic iacet ignitum radiantis luminis aurum,
Vernantesque gravant uberrima germina ramos.

Tandem de copia mellis et lactis hyperbolice ita concludit:

Mella viridanti confragrant pinguia canna,
Lac etiam plenis manat potabile rivis.

Secundo, Theodor. *eras in paradiso Dei*, id est, ait, in Ierusalem quasi familiaris et fœderatus illi. Ierusalem enim dicitur, paradisus Dei: quia habebat legem, prophetias, pontifices, etc. salutem et vitam subministrantes.

Parabolice, dæmon fuit in paradiso, id est, in cælo empyreo; ibi enim creatus est. Ita S. Hieron.

OMNIS LAPIS PRETIOSUS OPERIMENTUM TUUM.) Chald. *omnes lapides pretiosi ordinati erant in vestimento tuo.* Notat S. Hieron. eosdem esse hic lapides, qui erant in Rationali pontificis, Exod. 28. v. 17. (vide quæ de iis ibi dixi) et in fundamentis cælestis Ierusalem, Apocal. 21. v. 18. Sed ibi esse duodecim, hic tantum novem, quasi regi Tyri hic vitio vertatur, quod sacras has gemmas profanarit, et iis se ac diadema suum vestiens, divinos honores affectarit. Verum potius hæc ad laudem et gloriam regis Tyri spectant, ut patet. Laudatur ergo hic ab opibus et pulchritudine, quod auro et gemmis vestitus, totus coruscaret, ut gemmeus esse videretur.

Symbolice, per hasce gemmas intelliguntur spirituales gratiæ et ornamenta angelorum ante lapsum.

S. Gregor. 32. Moral. 18. per novem hosce lapides accipit novem choros angelorum, quibus quasi asseclis et castris suis vestitus et amictus fuit dux omnium Lucifer: atque perfectiones horum omnium, utpote superior ipse, in se continebat.

A AURUM OPUS DECORIS TUI.) Id est, auro artificiose et operose elaborato te condecorasti; Septuag. *auro replesti thesauros tuos;* Hebr. *tympana tua*, ut ex toto tympana, et alia instrumenta musica, rex fecerit ex auro.

FORAMINA TUA.) Scilicet auri, quibus gemmæ erant inclusæ: vel *foramina* vocat ipsas gemmas micantes, ob fulgorem ocellis, vel foraminibus similes. R. David vertit, *fistulas tuas.* Possunt etiam accipi omnia instrumenta musica, quæ foraminibus constant.

Mystice, S. Gregorius 31. Moral. 18. *Foramina auri*, ait, *sunt capacitas charitatis.* Diabolus enim ipse *capax charitatis est conditus*, intellige perfectæ et constantis. Nam alioqui non tantum capax, sed et præditus charitate creatus est Lucifer. Omnes enim angeli, etiam qui ceciderunt, creati sunt in gratia. Id velle S. Gregorium patet ex sequent. *Si enim*, ait, *charitatis auro penetrabilem sese præbuisset, sanctis angelis sociatus, in ornamento regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium charitatis auro non sunt repleta.*

B IN DIE QUA CONDITUS ES.) q. d. A die nativitatis tuæ creatus es rex, pretiosis fulgens gemmis, quasi Deum quemdam agens in terris, cuius potestatem exerces. Potest verti, *in die qua recreatus*, vel *impinguatus es*, id est copia rerum omnium affluere cœpisti. Hebræum enim ברא *bara*, et creare, et recreare significat. Inde בריא *bari* vocatur recreatus, nitens, pinguis. Aliter Chaldæus explicat, q. d. Adeo superbia intumuisti, ut oblitus conditionis tuæ, non consideraveris te esse hominem, tibique eo die quo natus es, quasi homini foramina oris et narium ad spirandum data esse. Rursum Hebræi, æque ac Chaldæus, hæc referentes ad sequentia, explicant, q. d. Opus tympanorum tuorum et fistularum tuarum in te, in die quo creatus es, parata fuerunt, id est, concrepantibus tympanis, fistulis, aliisque instrumentis musicis natus es. Ita R. David.

TU CHERUB.) Nota. *Cherub* dicitur rex Tyri, Primo, ob multitudinem sapientiæ, quam vel habebat, vel sibi arrogabat. *Cherub* enim idem est, quod כרב *kerab*, id est sicut rabbi, sicut sapiens, et doctor: inde enim octavus ordo angelorum dictus est Cherubim, et eo hic alluditur. Rex enim, Prælatus et princeps debet esse Cherub, id est pollere et præcellere sapientia: de quo multa dixi Exod. 25. 18. Vers 14. Rex Tyri vocatur Cherub. I.

C

Secundo, alluditur ad Cherubim templi, ut patet ex sequent. q. d. Tu, o rex, qui alis potentiæ et ditionis tuæ extensis, et in sublime elatis elevatisque, plurimos populos subditos protegis, sicut Cherubim protegunt arcam, et propitiatorium. Ita S. Hieronymus. Hinc R. David explicat, q. d. *Tu Cherub*, id est rex maximæ dignitatis. Hebr. enim רב *rab* significat magnum, opibus, viribus, scientia, aliisque dotibus pollentem et potentem, uti est rex. Erat enim Tyrus in mari quasi ales, quæ binis alis suæ potentiæ et imperii mare et terram, ac præsertim Ierusalem et Iudæam, in qua erat templum, arca, atque propitiatorium, obumbrabat et protegebat. II.

D Rursum, sicut arca tegebatur duobus Cherubinis, utrimque collocatis: ita ex parte Occidentis Tyrus et mare templo, Hierosolymæ, et Iudææ, erat quasi Cherub, id est murus et antemurale; ex parte vero Orientis idem illi præstabat Iericho, Iordanis et lacus Asphaltites. Insuper, sicut Cherub flammeo gladio custodit paradisum terrestrem, Genes. 3. 24. ita tu quasi alter Cherub custodi tuo gladio terram sanctam, quæ est quasi paradisus Dei. Unde de eo dixit v. 13. *In deliciis paradisi Dei fuisti.* Et hoc versu: *In medio*, ait, *lapidum ignitorum ambulasti.*

Tertio, per metathesin *Cherub* dicitur quasi רכב *rocheb*, id est equitans, id est princeps, moderator, gubernator: hi enim olim equis vehebantur, et sicut eques equum habenis, sic ipsi populum legibus gubernabant. Rursum *Cherub* dicitur a רכב *recheb*, id est currus. Princeps enim est, quasi currus reipub. qui eius onera portat. Sic Elias dicitur *currus Israel, et auriga eius*, 4. Regum 2. vers. 12. et Christus dicitur portare omnia verbo virtutis suæ, Hebr. 1. v. 3. III.

Parabolice, Lucifer appellatur Cherub, id est, plenus scientia: quia in scientia, aliisque donis naturalibus, æque ac in gratia, alios angelos præcelluit. Ita Molina 1. p. q. 63. art. 7.

Ubi Nota. Ezechiel comparat regem Tyri, eiusque antitypum diabolum Cherubo, non Seraphino: quia versabatur inter Cherubim, ut patet c. 1. c. 10. c. 43. v. 3. et alibi. Ex adverso Isaias c. 14. v. 12. regem Babylonis, eiusque antitypum diabolum comparat Seraphino, puta principi angelorum omnium, qui est Lucifer: quia Isaias versabatur inter Seraphim, ut patet Isaiæ 6. Rursum Lucifer, licet fuerit ex Seraphim, recte tamen vocatur Cherub: quia Lucifer dicitur a luce, uti Cherub a scientia, quæ est lux animæ. Verum quia hæc lux in eo fuit ignita, id est Seraphica, hinc ad Seraphim alludens, dicit de eo, et de ea Ezechiel: *In medio lapidum ignitorum ambulasti.*

Extentus.) Hebr. ממשח *mimsciac;* Septuaginta, κεχριμένος id est, *unctus*, scilicet ad regnum, ut habet Chal. vel clarus, lucidus, illustris. Hi enim sunt olei et unctionis effectus. Unde Forsterus *mimsciac* vertit, unctus, expictus, pigmentatus, coloratus, clarus, illustris; Vatablus vertit, inunctus. Sic et R. David, Pagninus, Mercerus, Marinus, et alii. Noster interpres forte pro *mimsciac* legit ממשה *mimscia*, id est extractus, extentus, expansus, a radice משה *mascia*, id est traxit, extraxit, extendit. Hoc enim proprie competit Cherubim, qui extentis alis tegebant propitiatorium. Unde sequitur, *et protegens.* Sensus est is, quem paulo ante dedi. Syrus vertit, *et fuisti cum Cherub mensurato* (vel uncto) *et adumbrato*; Arabicus Antiochenus, *et eras cum Cherub mensurato et adumbrato;* Arabicus Alexand. *et eras cum Cherub mensurato* (vel uncto) *qui respicit in umbra* (qui præstans est in umbra.) Eadem vox tam Syra, quam Arabica, significat metiri et ungere.

Symbolice, hæc aptius conveniunt dæmoni, eiusque asseclis, qui ante lapsum fuerunt Cherubim, id est pleni scientia, præsertim hi, qui ex octavo ordine Cherubinorum fuerunt. Hi a die, et instanti creationis suæ fuerunt uncti oleo gratiæ. Unctio ergo hæc fuit sanctificatio, ait Theodoretus, et S. Hieronymus. Hi etiam alis suæ potentiæ et sapientiæ quasi extentis tegebant inferiores angelos, homines, cæterasque res creatas.

Posui te in monte sancto Dei.) Perperam Chald. vertit, *tu montem sanctum Dei sprevisti, et in populum sanctum dominari cogitasti.* Melius Maldon. hæc exponit de Hiram rege Tyri, qui Salomoni ligna ad fabricam templi submisit, 3. Reg. 5. vers. 9. Ideoque dicitur *in monte sancto Dei* positus fuisse, quod templi ædificationem iuverit. Sic et Hebræi, qui putant hæc omnia ad Hiram dici: eum enim vixisse mille annis, scilicet a sæculo Salomonis usque ad tempora Danielis. Quam fabulam ridet hic S. Hieronym. Verum Nota. Tyrus in monte sita erat intra terminos terræ sanctæ, videlicet in tribu Aser; licet eam obtinere non potuerint Iudæi. Hinc sancta dicitur, sicut tota Chananæa populo sancto Iudæorum destinata, dicitur terra sancta, etiam cum a pessimis Chananæis incoleretur, Sapient. 12. v. 3. Deut. 32. v. 8. et 9. Arguitur hic ergo rex Tyri, quod in terra sancta non sancte, sed impie vivat.

Quocirca S. August. lib. 11. de Genes. ad litteram c. 25. tomo 3. hæc ad literam ampliando accipit de impiis, qui a gratia Dei in statum peccati delapsi sunt, *factique corpus diaboli. Hi enim,* ait, *creati sunt Cherub, id est, cum sede Dei, quæ interpretatur multiplicata scientia: et posui te in monte sancto meo, id est in Ecclesia. Fuisti in medio lapidum flammeorum, id est Sanctorum spiritu ferventium, lapidum vivorum: ambulasti sine vitio in diebus tuis, ex quo die creatus es tu, donec inventa sunt delicta tua in te.*

Tropol. Theodoretus: *Mons,* ait, *sanctus est cognitionis Dei celsitudo.* Aliter R. David, et R. Salomon, q. d. Dedi tibi occasionem merendi, scilicet dando tibi facultatem mittendi ligna et artifices Salomoni ad fabricam templi.

Symbolice, S. Hieronym. mons sanctus est cælum: et, ut Scholiast. celsissimus angelicus status, ex quo Cherubim quasi hastati diabolum eiecerunt, qui scientiam depravaverat, et ob superbiam suam stationem et locum tenere nesciverat.

In medio lapidum ignitorum.) Id est, micantium et fulgurantium instar ignis, v. g. carbunculorum, q. d. Ita gemmis abundabas, ut patet v. 13. ita iis coopertus eras, ut inter carbunculos videreris ambulare. Addit R. David, regem Tyri iis noctu usum ad lumen loco candelarum. Sed hoc frivolum est, et impossibile.

Secundo, et sublimius, alludit ad duodecim lapides pretiosos, qui erant in Rationali pontificis, quibus inscripta erant nomina duodecim filiorum Iacob, et tribuum Israel: qui inde recte vocantur lapides igniti, maxime, quia per lapidum horum tempore belli, ut ait Iosephus, splendorem exstraordinarium, significabat Deus suum erga duodecim tribus favorem et protectionem, q. d. Habitasti inter Iudæos quasi lapides ignitos, et tamen frigidus mansisti, ac vitali gratiæ et fidei calore destitutus. Unde R. Ionathan explicat, q. d. *Inter populum sanctum vixisti.* Polychr. per lapides ignitos accipit tabulas lapideas decalogi, cum igne in Sina datas et promulgatas.

Hisce tropis graphice depingit decorem et gloriam regis Tyri. Simili tropo orator rosæ decorem descripsit, dicens: *Rosa inter flores est pyropus, hortorum purpura, odorum sapphirus. Aprilis oculus, veris phœnix, naturæ pompa.* Simili schemate Vindocinensis Tobiæ suo hoc epitaphium posuit: (Rosæ elogia.)

Nobilibus trabeatus avis, decus orbis, honesti
Forma, sacerdotum gemma, lucerna gregis.

Simili schemate S. Hieronymus a S. Laurentio Iustiniano sermone de S. Hier. vocatur *Pater communis omnium, lux mundi, prædicator regni, mediator Dei et hominum, speculum sanctitatis, exemplar virtutis, defensor Ecclesiæ, protector fidelium, martyr, esto sine effuso sanguine, Domini.* Et ab aliis, *iaspis fidei, smaragdus spei, carbunculus charitatis, adamas constantiæ.* Et S. Augustinus a S. Paulino et aliis vocatur *sal terræ, puteus sapientiæ, magister Theologiæ, flos ingeniorum, ornamentum scholarum, templum religionis, columna Ecclesiæ, scutum fidei, exemplum Prælatorum, lux prædicatorum, doctor doctorum, homo theodidactos, eruditorum sanctissimus, et sanctorum eruditissimus.* Et S. Chrysostomus homil. de SS. Petro et Paulo, eos vocat *lucem mundi, potentiores regibus, fortiores militibus, copiosiores divitibus, sapientiores philosophis, eloquentiores oratoribus, nihil habentes, et omnia possidentes, exemplar Martyrum, coronam Virginum, regulam coniugatorum, formam monachorum, ornamentum regum, frænum barbarorum, malleum hæreticorum.* Et Eusebius Emissenus sermone de iisdem, eos vocat *duos fontes exorientes e throno Dei, duos cælestes medicos, duas sagittas acutas emissas a pharetra Dei, duas tubas mundi, duas lampades orbis.* Et S. Gaudent. serm. 3. de iisdem dicit eos esse *fundatores Ecclesiæ, magistros innocentiæ, auctores omnis sanctitatis et veritatis.* Et S. Leo eosdem vocat *duos oculos corporis mystici Christi.* (S. Hieronymi elogia. Et S. Augustini. Et SS. Petri et Pauli.)

Symbolice, dæmon inter novem lapides nominatos v. 13. id est inter novem ordines angelorum, et inter Seraphim ignitos, ait R. Iona, illis similis habitavit: nunc vero in inferni ignibus habitat. Ita S. Hieron. et S. Gregor. 32. Moral. 18. iuxta aliam editionem 25. circa finem: *Diabolus,* ait, *in medio lapidum ignitorum ambulavit: quia inter angelorum corda charitatis igne succensa, clarus gloria conditionis extitit. Quid namque boni non habuit, qui signaculum similitudinis Dei fuit?* Lucifer enim inter lapides ignitos fuit lapis igneus, inter Seraphim Seraph, imo dux et princeps Seraphim.

Ambulasti.) Hebr. התהלכתי *hitallacti*, in *hitpael* reciproca coniugatione, significat compositum ad ostentationem et superbiam incessum, uti pavones in medio ocellorum erectæ suæ caudæ extento collo se circumagunt, q. d. Superbe incessisti ut pavo, ostentans tuas opes, et gloriam.

Vers. 15. Perfectus in viis tuis.) Est hyperbole, q. d. Ab infantia didicisti bene, et perfecte, vivere, agere et regere populum. Polychr. exponit, q. d. Experientia didicisti mea iura.

Symbolice hæc aptius conveniunt dæmoni. Unde ex hoc loco S. August. Gregor. et Theologi docent, angelum a Deo creatum in gratia perfectum, sed sua voluntate libere peccasse, et factum esse dæmonem. Unde sequitur:

Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ.) Hæc verba parabolice indicant non unam, sed plures operationes bonas et meritorias angelos in statu viæ exercuisse, ait Lud. Molina 1. p. q. 63. a. 6. Idem significat vox *ambulasti*. Ambulare enim plusquam unum instans, et plusquam unum gressum operationis innuit. Ad literam *viæ* significant opera, et actiones et eventus regis Tyri, q. d. Potens eras et felix, faciebas quidquid volebas, quocumque te vertebas, quidquid agebas, quidquid moliebaris, omnia tibi feliciter ex voto succedebant. Sed hæc felicitas te superbum, indeque infelicem effecit.

Vers. 16. In multitudine negotiationis tuæ.) q. d. Mercatura tua et opes fuerunt tibi causa et occasio avaritiæ, iniustitiæ, fraudum, superbiæ, gulæ, luxuriæ, et omnium peccatorum. Ita Polychr.

Parabolice S. Hieron. et Theod. q. d. Dæmon non contentus sua scientia et potestate sibi data, sed maiorum cupiditate incensus calcitravit contra Creatorem.

Notat R. David, fraudes et peccata mercatorum Tyriorum regi imputari: quia ea non impedivit cum potuit et debuit. Simile est Numer. 25 v. 1. et sequent.

Et peccasti.) Hebr. חטא *chata*, et Græcum ἁμαρτάνω, significat aberrare a spe, a scopo, et fine proposito, q. d. Cum tu in summa felicitate, gloria, divitiis, pulchritudine, sapientia versareris, superbe maiora, scilicet divinitatem affectasti et expectasti: sed toto cælo aberrasti, contraria fini media elegisti: hinc et contrarium omnino finem prætento consequeris, ait Vilalpando, ut nimirum non in summum ascendas, sed in imum descendas: ut non Cherub, sed חוטא *chote*, id est ignorans et errans: non felix, sed infelix evadas.

Aliter Scholiast. q. d. *Peccasti*, ita ut te non pœniteret, scilicet per impœnitentiam: hinc punieris.

Aliter et Polychr. *peccasti*, id est punitus es, et gradu ac loco deiectus.

Moral. via ad celsa est humilitas. Moraliter, disce hic veram viam ad celsitudinem et gloriam esse sui demissionem et humilitatem. Hanc scivit et inivit humilis æque ac sapiens S. Franciscus. Narrat S. Bonavent. in vita eius cap. 6. quod quidam Religiosus magnæ virtutis, in extasi viderit inter multas in cælo sedes unam præ cæteris digniorem, gemmis ornatam, et omni gloria refulgentem, audieritque vocem: *Sedes ista unius de ruentibus fuit, et nunc humili servatur Francisco.* Qui ut visionis veritatem exploraret, rogavit S. Franciscum, quid de seipso sentiret? Cui Franciscus: *Videor mihi maximus peccatorum.* Replicat alter, eum hoc non posse sana conscientia dicere, nec sentire. Respondit Franciscus: *Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane quod multo quam ego gratior ei esset.* Confirmatus fuit Religiosus ex tam admirabilis humilitatis auditu, de veritate visionis ostensæ, sciens ex Evangelio, quod ad excellentiam gloriæ vere humilis exaltetur.

Perdidisti (Hebr. *corrupisti*) sapientiam tuam in decore tuo.) Septuag. *cum decore tuo. Dum plus vis esse*, ait S. Hieron. *quam conditus es, et magis sapere, quam a Deo acceperas, etiam id perdidisti quod habebas, et pro pulchritudine atque doctrina, deformitas te atque stultitia possederunt.* Polychron. apte per decorem regni gloriam accipit, q. d. Dum ex splendore regiæ tuæ dignitatis et gloriæ te superbe extulisti, perdidisti veram sapientiam, quæ in vera sui cognitione, et demissione et modestia sita est.

Potest secundo verti, *corrupisti sapientiam propter decorem tuum*, dum scilicet nimis decori studes et inhias. Id mulieres sæpe faciunt, ait Tertull. l. de Cultu fœminarum.

A Dum enim se nimis ornant, corrumpunt nativum suum decorem, et sapientiam, quæ in gravitate et modestia vestitus consistit.

Moraliter S. Bernard. serm. 74. in Cant. *Perdidisti in decore tuo sapientiam. Nolo*, ait, *decorem, qui mihi sapientiam tollat. Quæris, quis ille tam noxius decor? tuus. Planius audi, privatus, proprius. Non culpamus donum, sed usum. Et ni fallor, unus angeli animæque decor ipsa* (sapientia) *est. Quid enim vel hæc, vel ille absque sapientia, nisi rudis deformisque miseria est? Sed perdidit eam, cum fecit suam, ut non sit aliud in decore suo, quam in sua sapientia perdidisse sapientiam. Proprietas in causa est. Quod sibi sapiens fuit, quod non dedit gloriam Deo, quod non retulit gratiam pro gratia, istud est, cur eam perdidit, imo istud est quod eam perdidit. Etenim sic habere perdere est.*

In terram proieci te.) Id est regno, te deieci, ait S. Hieronym. et, ut Polychr. excellentia te privavi: qui enim aliis prælatus superbit a dignitate cadens, nulla alia

B re subditis antecellit, nisi infamiæ nota, ait Vilalpando.

Symbolice, dæmon e cælo in aerem hunc, terram et infernum cecidit, ait Apollin. Hoc est, quod ait Christus Luc. 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Simili modo Adam ob superbiam e paradiso eiectus est, Genes. 3. ait S. Hier.

Polluisti sanctificationem tuam.) Id est pristinam Vers. 18. sanctitatem et religionem: vel potius, montem sanctum Dei, in quo tamquam Cherub esse videbaris. Hebr. enim est מקדש *mikdas*, id est sanctuarium, q. d. Tua superbia et peccatis polluisti urbem tuam regiam, et palatium tuum, quod erat in monte et terra sancta, quodque quasi quid sanctum, et hostibus intemeratum, a gentibus omnibus celebrabatur et colebatur: hinc ego eadem nunc quasi profana hostium incursibus obiiciam, faciamque ut ab eis fœdentur et evertantur. Ita Maldon. Vilalp. et alii. Addit, vel potius fingit R. David palatium regis Tyri fuisse fabricatum in modum et formam sanctuarii, id est templi.

C Producam ergo ignem de medio tui.) Scilicet o Tyre, qui te cum rege comburat, q. d. Faciam ut ex peccatis tuis pœna nascatur, qua consumaris, sicut domus igne in ea exorto consumi et conflagrare solet.

Sic Tropologice, mercaturæ, avaritiæ et superbiæ collisione accenditur ignis discordiæ, principem cum rep. devorans. Sic dæmon, sic peccator peccatis suis sibi ignem struit et præsentem et æternum, Isa. 50. vers. 11. Alii exponunt, q. d. Faciam ut ex tuis incolis aliqui ad Chaldæos profugiant, eisque te prodant.

Et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium.) Ut hic cinis sit monumentum incendii Tyri, in æternum mansurum, in aliorum exemplum.

Symbolice, Theodor. *Homo*, ait, *in sua terra lapsus factus est pulvis, et diabolus, qui orbi imperabat, a Christo eversus, quasi cinis ab hominibus conculcatur.*

Nihili factus es.) Qui volueras esse Deus, o rex et Vers. 19. o dæmon, nihili factus es, abiectissimus, vilissimus, et in perpetuum non restitueris pristinæ dignitati. Hebr. est,

D *terror eris*, id est terrori eris omnibus sæculis, omnes posteri tuo exemplo deterrebuntur a peccatis, et offensa Dei; quia peribis plane, *et in sæculum non eris.* Alii hæc non de rege, sed de ipsa Tyro accipiunt, quæ est restituta post 70. annos; et nunc *perpetuum*, sive sæculum significat 50. annos iubilæi.

Moraliter, Tyrus, et rex Tyri est typus peccatorum, maxime superborum et Apostatarum, qui a Clero, vel ab Ordine, vel etiam a S. Ecclesia ad hæreticos, aliosve transfugiunt: eiusque abiectio et incendium repræsentat ignes gehennæ. Sic feriunt summos fulmina montes. Quare? *Quia*, ait August. *voluerunt ascendere in montem, in quem ascendit, et descendit diabolus;* montem inquam celsitudinis, æqualitatis Dei, superbiæ et fastus. Hæc ergo omnia quæ dicuntur regi Tyri, recte accomodes dicasque Iudæ proditori, Origeni, Tertulliano, Luthero, Calvino, horumque similibus.

Pone faciem.) Hæc phrasis significat libertatem, et Vers. 21.

immobilem animi constantiam in prædicatoribus requisitam, ait Schol. Secundo, ut Vilalpand. significat quam eisdem sit pronunciationi invigilandum, ut curent actione, v. g. hic torvo vultu exprimere, quod verbis significant. Sensus est, q. d. Converte vultum et sermonem tuum ad Sidonem, eique libere et severe prædic exitium, quod, sicut Tyro loco et moribus est vicina, ita et pœna et mortibus futura sit similis.

SIDONEM.) Sidon condita est a Sidone, filio Chanaan, filii Cham, filii Noe, ait Ioseph. 1. Antiqu. 6. Licet Iustinus lib. 18. Sidonem dictam velit a multitudine piscium. Phœnices enim pisces vocant Sidon, ab Hebr. צוד *tsud*, id est venari: unde צדה *tseda* significat venationem tam avium, quam piscium.

Vers. 22. ECCE EGO AD TE.) Supple veniam, ut puniam, ait S. Hieron. Est aposiopesis irati.

GLORIFICABOR IN MEDIO TUI.) In tui iusta punitione et vindicta ostendam meam iustitiam et gloriam.

Vers. 23. CUM, etc. SANCTIFICATUS FUERO, cum Sidonem puniens, ostendam me esse iustum, et sanctum impiorum vindicem, ut omnes glorificent et laudent me, meamque sanctam iustitiam et vindictam in impios Sidonios. Hinc *immittam ei pestilentiam, et* SANGUINEM.) Cædem, effusionem sanguinis.

Vers. 24. ET NON ERIT ULTRA DOMUI ISRAEL OFFENDICULUM AMARITUDINIS.) Id est scandalum amaricans, vel amaritudinem et afflictionem inducens. R. David vertit, *spina pungens*. Sidonii enim et vicinæ gentes suo exemplo, familiaritate, suasionibus Iudæos ad sua scelera, maxime idololatriam pertrahebant. Unde Deus eos illis ipsis tradebat vexandos et puniendos: qui non moderate, nec ut Dei iustitiæ, sed ut suo odio et indignationi satisfacerent, gravissime Iudæos afflixerunt, sicque fuerunt eis quasi spina pungens, Iosue 23. 12. et adversarii, ut hic dicitur, q. d. Ego Deus ita Iudæos, et populum meum amo, ut propter eos Sidonios, et alios circumquaque eis vicinos evertam; ne eos deinceps habeant Iudæi exemplar impietatis, pariter et hostes crebro se invadentes et excruciantes. Ita Theodor.

Vers. 25. SANCTIFICABOR IN EIS.) Ut omnes celebrent sanctam meam iustitiam, æque ac misericordiam et fidelitatem, ac curam in populum meum cum viderint me eum longa captivitate ob peccata punivisse: punitum vero et correctum in pristinum statum, libertatem et patriam restituisse per Cyrum; ac mystice per Christum eumdem e captivitate peccati et diaboli in pristinam libertatem, et gratiam Dei revocasse: tunc enim omnino securi habitabunt in Ecclesia pacem internam conscientiæ habentes cum Deo.

Notat Theodor. Aliter Deus punit amicos, aliter inimicos; aliter electos, aliter reprobos: hos ut perdat, illos ut corripiat et emendet. Sic Iudæos hic emendavit, Sidonios perdidit. Denique vide ut rex Tyri ceciderit, vide ut inclyti cadant. Problema hac de re egregium proponit Ambrosius Leonis, insignis Philosophus in Problem. c. 283. *Cur*, inquit, *quamplurimi eorum, qui Heroes appellati sunt, atque viri illustres in maximas ærumnas inciderunt ut ait Isocrates, veluti Hercules, Achilles, Aiax, Hector, Themistocles, Romulus, Camillus, Marcellus, Scipio uterque, Hannibal, C. Cæsar, Cicero, Demosthenes, Plato, Socrates, Aristoteles, Euripides, Empedocles, Plinius, atque innumeri alii?* Et respondet Primo, *An hoc ipsum verum non est? videtur tamen esse. Namque hominum vita omnis variis calamitatum modis afflictata est adeo, ut nemo sit, qui non gravitate malorum affectus pressusque sit. Quamobrem sicut plurimi obscurorum hominum calamitatibus afficiuntur; ita etiam illustrium magna pars, si non omnes, ærumnis attingitur. Verumtamen excellentia personæ, qua unusquisque heroum ante omnium oculos positus est, facit ærumnas ferentis illustriores.* Secundo: *An etiam verum hoc est, acciditque ob summi boni arduam ac difficilem conditionem, quam natura et fortuna tolerare vix queunt? quamobrem qui natura duce præstitit ingenio et corpore, huic fortuna sæpe nequivit aspirare: sicut sæpe qui fortuna excelluit, is ingenio hebeti, languidoque corpore iacuit.* Ita enim Deus naturam instituit, ut bona malis, ac consequenter magna mala magnis bonis in hac vita permista sint, ut ad beatam vitam aspiremus. Omitto invidiam, quæ sæpe magnos viros premit: quodque viri magni magnis periculis sæpe se exponunt, in quibus pereunt. Denique moralis causa, quam hic Propheta assignat, est superbia: magni enim magnos gerunt spiritus, quos premit Deus opt. max.

CAPUT VIGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vaticinatur, Ægyptum, quæ Iudæis Deo et Nabuchodonosori rebellandi fuit instigatrix et opitulatrix, Nabuchodonosori a Deo tradendam; pro mercede, qua in Tyro expugnanda et punienda pro Deo laboravit Nabuchodonosor. Ægypti ergo excidium per Chaldæos prædicit, idemque prosequitur per tria sequentia capita, scilicet 30. 31. 32. Porro duas de hoc Ægypti excidio hoc cap. recenset visiones: unam quam habuit anno decimo Sedeciæ vers. 1. et sequent. alteram quam habuit post 17. annos vers. 17.

1. In anno decimo, decimo mense, undecima die mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, et prophetabis de eo, et de Ægypto universa. 3. Loquere, et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. 4. Et ponam frænum in maxillis tuis: et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis: et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt. 5. Et proiiciam te in desertum, et omnes pisces fluminis tui: super faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis: bestiis terræ, et volatilibus cæli, dedi te ad devorandum: 6. Et scient omnes habitatores Ægypti quia ego Dominus: pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel. 7. Quando apprehenderunt te manu, et confractus es, et lacerasti omnem humerum eorum: et innitentibus eis super te, comminutus es, et dissolvisti omnes renes eorum. 8. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam super te gladium: et interficiam de te hominem, et iumentum. 9. Et erit terra Ægypti in desertum, et in solitudinem: et scient quia ego Dominus: pro eo quod dixeris: Fluvius meus est, et ego feci eum. 10. Idcirco ecce ego ad te, et ad flumina tua: daboque terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatam, a turre Syenes, usque ad terminos Æthiopiæ. 11. Non pertransibit eam pes hominis, neque pes iumenti gradietur in ea: et non habitabitur quadraginta annis. 12. Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, et civitates eius in medio urbium subversarum, et erunt desolatæ quadraginta annis: et dispergam Ægyptios in nationes, et ventilabo eos in terras. 13. Quia hæc dicit Dominus Deus: Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus dispersi fuerant. 14. Et reducam captivitatem Ægypti, et collocabo eos in terra Phathures, in terra nativitatis suæ: et erunt ibi in regnum humile: 15. Inter cætera regna erit humillima, et non elevabitur ul-

tra super nationes, et imminuam eos ne imperent gentibus. 16. Neque erunt ultra domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem, ut fugiant, et sequantur eos: et scient quia ego Dominus Deus. 17. Et factum est in vigesimo et septimo anno, in primo, in una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: 18. Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est: et merces non est reddita ei, neque exercitui eius, de Tyro, pro servitute qua servivit mihi adversus eam. 19. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti: et accipiet multitudinem eius, et deprædabitur manubias eius, et diripiet spolia eius: et erit merces exercitui illius: 20. Et operi, quo servivit adversus eam: dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus. 21. In die illo pullulabit cornu domui Israel, et tibi dabo apertum os in medio eorum: et scient quia ego Dominus.

Vers. 1. In anno decimo.) Captivitatis Ioachin, qui pariter fuit annus decimus Sedeciæ. Nota. Præcedentes prophetiæ contra Tyrum factæ sunt posterius, scilicet anno undecimo Sedeciæ, ut patet c. 26. 1. præponuntur hic tamen, quia Tyri vastatio, quam minatur Propheta, prius contigit, quam Ægypti. Nam Chaldæis ob eversam Tyrum, Ægyptus data fuit in prædam, ut dicitur v. 18. et 19. Duas alias causas affert Maldon. Prior est, quod Tyrus vicinior sit Hierosolymæ, quam Ægyptus, itaque maluit Propheta locorum, quam temporum ordinem servare. Posterior, quod Ezechiel alteram prophetiam contra Ægyptum et Pharaonem post illam de Tyro, nimirum anno vigesimo septimo captivitatis Ioachin acceperit, ut constat v. 17. et voluerit utramque coniungere.

Apposite Tyro coniungitur Ægyptus eiusque vastatio; quia hæc illi in moribus et vitiis erat similis. Unde hebr. utraque nomen habet affine, et quasi idem, ab eadem radice צור *tsur*, id est arctavit, angustiavit. Inde enim dicitur Tor et Tyrus; inde et dicitur מצרים *mitsraim*, id est Ægyptus. Mitsraim ergo idem est quod ἐκθλίβοντα, id est *coangustans et tribulans eos, qui sibi subditi sunt*, ait S. Hieron.

Duodecimo mense.) Adar qui respondet Februario. Iudæi enim annum inchoabant a Paschate et mense Paschali, puta a Nisan, id est Martio, ex decreto Dei, Exodi 12. 1. Verum corrige hic, ac lege *decimo mense*, id est in Decembri: ita Hebr. Septuag. Rom.

Undecima die.) Hebr. habent, *duodecima die*.

Vers. 3 Ecce ego ad te.) Scilicet veniam et mittam furorem ac vindictam meam. Ita Chald.

Pharao.) Pharao non proprium, sed commune regum Ægypti erat nomen. Pharao enim Ægyptie regem significat, uti ex Eusebio et Iosepho docui Exodi 1. 10. idque asserit hic S. Hier. qui et exempla addit: *Sicut*, inquit, *apud Romanos, Cæsares et Augusti reges eorum appellantur a primo Caio Cæsare, et secundo adoptivo eius Octaviano, qui postea Augustus est nominatus; et apud Syros, Antiochi: apud Persas, Arsacidæ: apud Philistiim, Abimelech: et post Alexandrum in Ægypto Ptolemæi usque ad Cleopatram; qua victa apud Actium, Ægyptus Romana est facta provincia.* Symbolice Pharao, si Hebræum etymon spectes *interpretatur* διασκεδαστής, *interfector videlicet et lacerator, et gladio cuncta concidens et dividens.* Talis est diabolus, qui est rex Ægypti, id est mundi, qui tribulat eos qui sibi subditi sunt, eosque a Deo et cælo separat ac dividit, mittitque in gehennam et mortem æternam: ita S. Hieron.

Pharao vocatur draco, id est crocodilus, cur? Draco magne.) Nota. Pharaonem vocat draconem, scilicet marinum, id est cetum, sive balenam; vel potius fluviatilem, puta crocodilum, qui est in fluviis Ægypti, id est in Nilo, qui in septem rivus, et quasi flumina sectus septem ostiis mare Mediterraneum ingreditur. Ægyptus enim Nilo exundante tota pene, quasi mari oppletur, ut eius limo quasi stercoretur et fœcundetur. Hinc apta methapora regem Ægypti, quasi in Nilo regnantem, vocat cetum, vel crocodilum. Unde ait: *Qui cubas in medio fluminum tuorum*, scilicet rivorum Nili; Syrus, *qui cubas inter flumina*; Arabicus, *qui cubas in ventre* (in medio) *fluminum*. Idem facit Psaltes psalm. 73. 14. *Tu confregisti capita dracones*, id est Pharaonis. Pharaones enim et Ægyptii superbiebant Nilo, quasi nec cælo nec Iove indigerent; sed Nilus eis tantam fertilitatem afferret,

A ut Ægyptus vocaretur horreum orbis. Audi Lucanum:

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Iovis: in solo tanta est fiducia Nilo.

Inde est ut nemo aratorum in Ægypto cælum suspiciat, ait Seneca: et Claudian. epigram. 6.

Ægyptus sine nube ferax, imbresque serenos.
Sola tenet, secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis quas ipsa vehit, Niloque redundat.

Rursum, Nilus recedens maiorem partem terræ Ægypto adiecit et aggessit, ut docet Plinius lib. 2. cap. 85. *Idem amnis unus omnium nullas expirat auras*, ait idem lib. 5. c. 9. Insuper Nilus in septem rivos se findens, totidem quasi insulas facit et fœcundat, totidemque ostiis in mare influit. Hinc teste eodem, tempore Roman. ita superbiebant Ægyptii, ut dicerent in suis manibus esse vel abundantiam, vel famem victoris populi Romani. Ex copia B ortus est luxus, fastus et nequitia. Unde Plinius in Panegyrico Traiani:

Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Ægyptios inter malos medium tenere locum, docet vetus verbum: *Lydi mali, secundi Ægyptii, tertii Cares*, inquit Eustath. ad Dionys.

Comparat ergo Pharaonem crocodilo. Primo, quia, sicut crocodilus piscibus in Nilo, ita Pharao Ægyptiis in Ægypto dominabatur. Secundo, quia sævus erat et rapax ut crocodilus, de quo Plinius lib. 8. c. 25. crocodilum, ait, *habet Nilus quadrupes malum, et terra pariter ac flumine infestum. Unum hoc animal terrestre linguæ usu caret. Unum superiore mobili maxilla imprimit morsum, alias terribile, pectinatim stipante se dentium serie. Parit ova quanta anseres: eaque extra eum locum semper incubat, prædivinatione quadam ad quem summo auctu eo* C *anno egressurus est Nilus.* Tertio, *nec aliud animal ex minori origine in maiorem crescit magnitudinem: magnitudine excedit plerumque duodeviginti cubita:* ita Pharao e parvo crevit adeo, ut aspiraret ad monarchiam orbis. Quarto, *unguibus hic armatus est, contra omnes ictus cute invicta. Dies in terra agit, noctes in aqua, teporis utrumque ratione.* Ita Pharao et terræ et aquis dominabatur, iisque ita cingebatur, ut videretur invictus, imo inaccessus. Quinto, subdit Plinius crocodilum tres habere hostes; primo, ichneumonem; secundo, delphinum; tertio, Tentyritas. Crocodilum, inquit, *saturum cibo piscium, et semper esculento ore in littore somno datum, parva avis, quæ trochilos ibi vocatur, rex avium in Italia, invitat ad hiandum pabuli sui gratia, os primum eius adsultim repurgans, mox dentes, et intus fauces quoque ad hanc scabendi dulcedinem quam maxime hiantes: in qua voluptate* D *somno præssum conspicatus ichneumon, per easdem fauces ut telum aliquo dimissus, erodit alvum. Verum in crocodilo maior erat pestis, quam ut uno esset eius hoste natura contenta. Itaque et delphini immeantes Nilo, quorum dorso tanquam ad hunc usum cultellata inest pinna, abigentes eos præda, ac velut in suo tantum amne regnantes, alioquin impares viribus ipsi, astu interimunt. In ventre mollis est tenuisque cutis crocodilo: ideo se ut territi immergunt delphini, subeuntesque alvum illa secant spina. Quin et gens hominum est huic belluæ adversa in ipso Nilo Tentyritæ, ab insula in qua habitat appellata. Flumini innatant, dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, addita in os clava, dextera ac læva tenentes extrema eius utrimque, ut frænis in ter-*

ram agunt captivos. Ita Pharao tres habuit hostes, Æthiopes, Syros, Chaldæos. Hæc symbolice facile est adaptare diabolo, qui insuper celer est ut crocodilus, quem ut fugiant canes, ex Nilo non stando, sed currendo aquam lambunt, dum sitiunt. Denique crocodilus dicitur, eo quod crocum, eiusque odorem fugiat.

Ego feci memetipsum.) Scilicet regem. Unde Chald. vertit, *meum est regnum, et ego subiugavi illud*, q. d. Qui superbis sicut rex Tyri, quasi a Deo non acceperis regnum; sed tuæ prudentiæ et fortitudini illud arrogas, quasi Deus quidam. Secundo, Septuag. vertunt, *ego feci ea*, scilicet flumina; et Vatabl. *ego feci mihi*, scilicet Nilum, et Nili rivos et aggeres, ut totam Ægyptum partim sepiant et muniant, partim irrigent et fœcundent. Sic enim gloriatur v. 9. q. d. Regnum Ægypti tam potens, tam fertile per aquæductus ego feci. Et sic hæc versio et explicatio consentit cum priore. Porro hic superbus Ægypti rex fuit Pharao cognomento Ephree, vel Apries, de quo scribit Herod. l. 2. *Sibi*, ait, *persuasit, quod nullus hominum, vel deorum sibi regnum adimere posset, quod ita stabilivisset.* Vide dicta Ieremiæ 44. 30.

Ita Niobe Thebarum regina, septem filiorum, et totidem filiarum mater, iactabat se invictam et felicissimam; ideoque Latona in eam exardescens, movit Apollinem, ut septem eius filios totidem iaculis configeret. Audi Ovidium .6. Metamorph.

Felicissima matrum
Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.

Dicebat enim:

Sum felix, quis enim neget hoc? felixque manebo;
Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
Maior sum quam cui possit fortuna nocere.

Imo vero, *inopem te copia fecit*, felicitas infelicem, superbia abiectam.

Ita Capaneus apud Statium Theb. 2. superbe ait:

Virtus mihi numen, et ensis
Quem teneo.

Idem lib. 10.

Ades o mihi dextera tantum,
Tu præses bellis, et inevitabile numen,
Te voco, te solam superum contemptor adoro.

Et Mezentius Æneid. 10.

Dextra mihi Deus, et telum quod missile libro.

Et Flaminius Consul apud Silium 5. Pun.

Divus sat magnus in hostem,
Auspicium Latio, quod in armis dextera præstat.

Et Alcmena apud Senecam in Hercule Œtæo, filium pro Iove sibi fuisse asserit:

Quidquid negaret Iuppiter, daret Hercules.

Et Cæneus, a quo proverbium, *Cænei hasta*, eo quod et ipse eam pro Deo haberet, et alios cogeret adorare. Sed horum omnium impia ora Deus contudit. Nam Capaneum Iupiter fulmine sideravit, Mezentium Æneas trucidavit, Flaminius eo prælio a Pœnis est occisus, Hercules ab uxore ignara, Nessi fraude, interemptus occubuit, Cæneus a Centauris truncis arborum oppressus interiit. Ita et Pharao hic a Deo, per Chaldæos regno et vita mulctatus est.

Vers. 4. Ponam frænum in maxillis tuis.) Ut quasi equum effrænem te fræno, id est calamitate, domem, et in gyrum rationis, ac meæ voluntatis agam et inflectam.

Secundo, ex Hebr. Chald. et Vatabl. vertunt, *ponam hamum in ore tuo*, ut te capiam, ut quasi cetum, aut potius crocodilum, ex aquis, puta ex Ægypto regno tuo, te extraham et gravissime affligam. Hamum autem vocat Chaldæos, per quos Ægyptus capta et vastata est.

Et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis.) Ut scilicet, subditi tibi Ægyptii, tam principes, quam cives et plebeii, tibi iungantur in clade et captivitate, quam inferent tibi Chaldæi. Alludit ad pisces gregales, qui suum regem habent, eumque sequuntur, et cum eo capiuntur, uti sunt haleces.

Moral. de piscatione Christi et diaboli.

Symbolice Nota. Mundus est mare, homines quasi pisces, piscatores sunt Christus et diabolus: Christus hamo piscatur, quia paucos: diabolus, quia multos, reti, cuius

A ingressus amplissimus est, sed exitus angustus et difficilis instar nassæ. Unus homo hic alium, quasi piscis piscem devorat: esca diaboli est voluptas (hæc enim est esca malorum, ait Plato) potentia, opes, deliciæ; Christi esca aspera est, mortificatio, humilitas, abstinentia, patientia. Sic S. Bernard. *Monasteria*, ait, *sunt vivaria, in quæ coniicit Christus pisces, quos traxit ex mari mundi;* ut ibi eos in sanctitate et quiete custodiat, ac gratia sua nutriat, ac provehat ad gloriam. Piscator dum magnum piscem inescavit, non statim violenter eum attrahit, ne ille mole sua setam abrumpat, vel elabatur et diffugiat; sed lactat eum, sinitque setam eum sequi, donec ille unco plane se induat, ut evadere non possit: ita facit et dæmon. Idem potiori iure faciat concionator, et quicumque animas piscari et lucrari Deo satagit.

Proiiciam te in desertum.) q. d. Sicut pisces capti proiiciuntur in terram, ibique moriuntur (piscium enim elementum, et locus naturalis est aqua, extra quam vivere nequeunt) sic te in terram prosternam et collidam, ut

B moriaris. Forte etiam prælium in deserto commisit Pharao cum Chaldæis, ubi occubuit: aut certe, ut Maldonat. in aridam terram Babylonis ductus est Pharao; ibique mortuus, insepultus proiectus fuit bestiis et avibus devorandus. Vatabl. vertit, *deseram te in deserto.*

Non colligeris.) Insepultus iacebis, erisque præda ferarum.

Pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel.) Quia Israelitas concitasti, ut rebellarent Chaldæis, fisi tua ope et viribus, fuisti eis *baculus*, id est sustentaculum in promissione, sed in solutione *arundineus*, id est infirmus, vacuus, inanis et fallax, quia promissis non stetisti; imo causa fuisti cur Iudæi a Chaldæis, utpote tuis æmulis, gravius sint afflicti, ut patet Isaiæ 36. 6. Apposite Ægyptios comparat arundini, tum quia Ægyptus in longum excurrit secus Nilum, estque instar longæ arundinis: tum quia Ægyptus arundinibus tam papyriferis, quam aliis abundat, uti docet Plinius lib. 13. cap. 11. tum quia Vers. 6.

C arundo omnis non solum plotia, quæ debilior; sed etiam characia, quæ solidior; cassa, inanis, fragilis et infirma est. Ita Delrio adag. 215.

Sic omnis mundi spes, et promissa sunt baculus arundineus, Ierem. 17. 5. et sequent. Vide ibi dicta. *Causa ergo iræ Domini contra Ægyptum illa est, quod populum Dei suo deceperit auxilio, ne speraret in eum, itaque Deum ad iracundiam provocarit*, ait S. Hieron.

Apprehenderunt, scilicet Iudæi, te quasi baculum manu.) Ut se, et suum regnum sustentarent. Vers. 7.

Confractus es.) Cæsus a Chaldæis, aut eorum vires metuens rediisti in Ægyptum, Ierem. 37. 7.

Et lacerasti omnem humerum eorum.) Id est, fregisti omnes Iudæorum vires, q. d. In causa fuisti, ut altera pars Iudæorum, quæ Iechonia in Babylonem ducto in Ierusalem remanserat, quasi alterum eorum brachium, a manu usque ad humerum, id est, a minimo usque ad maximum, puta usque ad regem Sedeciam, vel occideretur, vel in captivitatem abduceretur. Ita Maldon.

D Et dissolvisti renes eorum.) *Renes*, id est vires. Qui enim renibus dolent, non possunt sine baculo stare, et baculo eliso concidunt: ita Iudæi subducentibus se Ægyptiis, conciderunt. Videntes enim Iudæi Ægyptios, in quibus confidebant, cæsos a Chaldæis, animos et vires amiserunt. Pro *dissolvisti*, Hebr. et Chald. habent העמדת *heemadta*, id est, *stare facies eos super lumbos suos*, ut sibi solis nixi, ultra tibi (utpote a te decepti) non nitantur. Sed noster interpres pro עמד *amad*, id est stetit, legit per metathesin מעד *maad*, id est dissolvit, nutavit, ruinam minatus est. Imo R. David putat, hic *amad* pro *maad*, per literarum transpositionem positum esse.

Ego feci eum.) Scilicet Nilum, ut esset tutor et fœcundator Ægypti; quia eum per fossas in omnes Ægypti regiones derivavi, ut dixi v. 3. Similiter, sed modestius, Vespasianus cum recens auctus Imperio lustraret Ægyptum, fertur Ægyptiis pro concione dixisse: *Haurite a me tamquam a Nilo.* Ita refert Philostr. l. 5. de vita Apollo- Vers. 9.

nii cap. 10. Nilus enim in agros exundans, significat reges debere se in publicam utilitatem effundere. Talis fuit Manuel Comnenus, nimirum *mare magnificentiæ, abyssus misericordiæ, morum suavitate congressuque facilis, sed regia virtute inimitabilis.* ait Nicetas in eius vita.

Vers. 10 A TURRE SYENES.) Id est a principio usque ad finem. Syene enim initium erat Ægypti inter mare rubrum et Nilum, ait Solinus cap. 45. Æthiopia vero erat terminus Ægypti versus Occasum.

Vers. 12. IN MEDIO TERRARUM.) Id est, similem aliis terris desertis faciam Ægyptum. Idem hebraismus est v. 7. et Lucæ 22. 27. *Ego*, ait Christus, *in medio vestrum sum*, id est, similis vobis, *sicut qui ministrat.* Nam qui in media aliorum turba est, illis similis est, ait Maldon.

ERUNT DESOLATÆ.) Hebr. *erunt ipsa desolatio 40. annis.* De his annis, quando scilicet, quomodo, et a quo restituta sit Ægyptus, nec in Script. nec in Iosepho, nec in aliis historicis quidquam legimus. Verisimile est, Cyrum cum expugnavit Babylonem anno primo monarchiæ suæ, solvisse captivitatem tam Ægyptiorum, quam Iudæorum. Nam paulo post filius Cyri Cambyses Ægyptum iam tum rursum potentem et florentem invasit et subiugavit, uti S. Hier. Iustin. et alii passim tradunt. Confirmatur: nam Ægyptus expugnata fuit a Nabuchodonosor anno regni eius 35. uti ostendam v. 17. Numera ab hoc anno 35. annos 43. præcise pervenies ad annum primum Cyri, quo ipse e Babylone Iudæos, Ægyptios, aliasque gentes ibi captivas liberavit. Porro dicit Ezechiel fuisse 40. annos, cum præcise fuerint 43. quia solent scriptores minutias numerorum præterire, et solitos integrosque numeros consignare.

Vers. 14. REDUCAM CAPTIVITATEM, id est captivos, ÆGYPTI.

Vers. 15 ET NON ELEVABITUR Ægyptus ULTRA SUPER NATIONES.) *Ultra*, scilicet per longum et immemoriale tempus. Nam post ducentos annos rediit Ægyptus ad pristinam potentiam et gloriam sub Ptolemæis, qui cum Antiochis regibus Asiæ de imperio concertarunt.

Vers. 16. NEQUE ERUNT ULTRA DOMUI ISRAEL IN CONFIDENTIA.) q. d. Frangam vires Ægyptiorum, qui Iudæos docent idololatriam, aliasque iniquitates, ut Israelitæ in eis amplius non confidant, nec ad eos confugiant.

Vers. 17. ET FACTUM EST IN VIGESIMO ET SEPTIMO ANNO.) Non a Tyri eversione, ut vult H. Pintus, sed a transmigratione Ioachin, sive ab initio regni Sedeciæ. A transmigratione enim Ioachin hactenus annos suos consignavit Ezechiel. Ubi Nota, Nabuchodonosorem cœpisse regnare anno tertio Ioakim: inde post octo annos occidit Ioakim, et paulo post Ioachin filium eius in Babylonem abduxit. Hæc est transmigratio Ioachin, a qua annos suos numerat Ezechiel. Annus ergo hic 27. transmigrationis Ioachin est 35. regni Nabuchodonosor, quo paulo post hanc prophetiam expugnavit Ægyptum. Nam anno regni sui 18. expugnavit Ierusalem: inde, teste Iosepho, quinto anno invasit Ammon, Moab, et tredecim annis obsedit et expugnavit Tyrum; mox, scilicet, anno 35. regni, invasit Ægyptum, qua subacta factus est monarcha: ac post biennium suæ monarchiæ, vidit idem Nabuchodonosor somnium de arbore succidenda, quæ significabat ipsum regno suo eiiciendum, et relegandum ad bestias: inde duodecimo mense regno reipsa eiectus est; deinde septem annos cum bestiis quasi fera vixit. Menti postea et regno redditus, paulo post mortuus est, scilicet anno regni sui 45. qui fuit monarchiæ eius, seu ab Ægypto subacta annus decimus. De quo plura Daniel. 4.

Chronologia expugnationis Ægypti, Tyri, Ammon, etc.

Dico ergo: Nabuchodonosor sub annum regni sui non 20. nec 25. uti volunt aliqui ex Iosepho, sed 35. expugnasse Tyrum, et paulo post Ægyptum. Id ita esse, probatur Primo, quia hic annus 35. Nabuchodonosoris est 27. transmigrationis Ioachin, quo vastandam Ægyptum a Chaldæis prædicit hic Ezechiel, ergo tunc necdum vastata erat, sed paulo post vastanda. Paulo autem ante Ægyptum excisam esse Tyrum, patet ex hoc eodem loco. Nam Deus hic eodem anno iam dicto, promittit Chaldæis ob labores, quos recenter impenderant in expugnatione Tyri, vice mercedis spolia Ægypti: ergo mox illa eis contulit. Deus enim promissa sua statim explere solet. Nam ulterius non posse differri expugnationem Ægypti, patet ex eo, quod paulo post, scilicet post biennium, Nabuchodonosor ob monarchiam superbiens, eiectus sit ad bestias per septem annos, ac restitutus, mortuus est anno regni sui 45. Iam ab his annis 45. deme annos septem eiectionis, et biennium ante eam, pervenies ad annum 35. iam dictum. Secundo, si 20. aut 25. anno Nabuchodonosor capta fuisset Tyrus, deberet obsidio eius inchoata esse anno eiusdem septimo, aut duodecimo; ac proinde fuisset ipsa ante obsidionem et expugnationem Ierusalem, quæ facta est anno eiusdem decimo octavo. Hoc autem falsum esse, patet tum ex Iosepho, tum ex Ezechiele c. 26. 2. et 7. ubi minatur Tyro adventum et obsidionem Chaldæorum, eo quod ipsa exultarit in excidio Ierusalem: ergo hoc excidium Ierusalem præcessit obsidionem Tyri. Quare anno 18. Nabuchodonosor necdum obsessa erat Tyrus; cumque Nabuchodonosor post Ierusalem expugnarit Ammon, Moab, aliasque vicinas gentes per quinque annos; videtur sub annum 6 qui erat regni eius 23. inchoasse obsidionem Tyri, ac post tredecim annos eam expugnasse anno regni 35. atque hoc est quod ait Ioseph. l. 1. contra Apionem ex Beroso, scilicet Nabuchodonosorem Tyrum, eiusque regem Thobalum cœpisse obsidere anno regni sui septimo (inchoante) scilicet computando annos regni eius ab expugnata Ierusalem. Nam ante eam non potuisse illum obsidere Tyrum, liquet ex dictis: et consentiunt fere omnes, eum anno regni sui septimo proprie sumpto, non obsedisse Tyrum. Hinc sequitur, 70. annos, quibus desolatam fore Tyrum prædicit Isaias c. 23. 15. non esse 70. annos captivitatis Babylonicæ, ut aliqui autumant. Hi enim inchoantur anno undecimo Ioakim, qui fuit annus primus transmigrationis Ioachin, et octavus regni Nabuchodonosor; atque finiuntur anno primo monarchiæ Cyri: eo enim Cyrus Iudæos Babylone liberavit. Anni vero 70. desolationis Tyri incipiunt anno 27. transmigrationis Ioachin, qui fuit annus regni Nabuchodonosor 35. unde consequens est, eos finiri 27. annis post primum annum monarchiæ Cyri. Id ita esse, liquet rursum ex eo, quod paulo ante v. 12. dixerit Ezechiel de Ægypti captivitate et vastitate (quæ, uti iam ostendi, cœpit paulo post captivitatem Tyri, ac soluta est a Cyro anno primo, quo ipse solvit captivitatem Iudæorum) eam duraturam non 70. sed 40. tantum annis. Ergo a vastatione Tyri usque ad Cyrum non sunt 70. sed 40 aut præcise 43. anni, uti iam ostendi, ac proinde 70. anni desolationis Tyri finiuntur 27. annis post Cyrum.

Nabuchodonosor anno regni non 25 sed 35. expugnavit Ægyptum. Prob. 1. ... *2.*

Nota rursum, non servari hic ordinem temporis in prophetia: nam c. sequ. v. 20. et c. 31. v. 1. affert prophetias habitas anno undecimo a captivitate Ioachin, cum hæc habita sit anno 27. Videntur ergo hæ prophetiæ sparsæ fuisse per schedas, atque ex iis collectæ ordine subinde non servato, ut dixi initio Ieremiæ et canon. 50. Hæc ergo est altera prophetia contra Ægyptum, quam Ezechiel septemdecim annis post primam accepit, ait S. Hieron. et Maldon. Aliter respondet Scaliger, scilicet hunc annum 27. esse iubilæi; ab uno enim iubilæo usque ad alium computabant annos quinquaginta. Sed cum Ezechiel semper utatur eadem æra, scilicet numerando annos a transmigratione Ioachin, quorsum hic solum aliam iubilæi poneret?

IN PRIMO mense, UNA MENSIS.) Id est, prima die mensis. Sic *una sabbati*, vocatur prima dies septimanæ, Luc. 24. v. 1.

Vers 18. OMNE CAPUT DECALVATUM, ET OMNIS HUMERUS DEPILATUS.) Scilicet ex gestatione galearum et onerum continua per tredecim annos obsidionis Tyri, caput militum Chaldæorum erat decalvatum, et humeri eorum depilati et attriti ex gestatione saxorum, lignorum ac terræ ad implendum maris alveum, ut eo impleto et siccato, Tyrum in mari sitam sicco pede aggredi et oppugnare possent.

ET MERCES NON EST REDDITA EI.) Quia Tyrii prævidentes excidium, furtim impositas navigiis suas res et

merces avexerant; et civitas usque adeo deleta est, ut ex antiquo splendore et frequentia nihil fuerit reliquum præter limpidissimam petram. Unde S. Hier. in Ezech. 23. ait, Tyrios cum viderent nullam salutis sibi superesse viam, conscensis navibus abiisse Carthaginem, et ad alias insulas Ionii atque Ægæi pelagi, idque se in antiquis historiis Assyriorum legisse.

Quomodo Ægyptus data est in mercedem Chaldæis pro expugnata Tyro?

QUA SERVIVIT MIHI.) Hinc videtur Dei instinctu, vel Ieremiæ et Prophetarum monitu Nabuchodonosor Tyrum invasisse bello iusto. Unde Deus pro hoc obsequio moraliter bono, infideli alias et impio Nabuchodonosori dat mercedem non ex condigno, sed ex congruo, scilicet spolia Ægypti. Ita Hector Pintus et Emmanuel Sa. Notent milites, qui regi fideliter in bello iusto serviunt, se Deo servire, etiamsi id expresse non cogitent. Deus enim omnis iustitiæ est præses. Unde S. Hieron. ex hoc loco colligit, Deum etiam infidelium bona opera remunerare. Verum verius videtur, quod Nabuchodonosor inscius materialiter tantum serviverit Dei providentiæ, et iustæ vindictæ in vastanda Tyro: formaliter vero, et ex intentione obsecutus sit suæ superbiæ et ambitioni regnandi. Dicitur ergo merces ei data a Deo, non proprie, sed materialiter, id est, voluit Deus et statuit, ut ipse, quia voluntatem suam in Tyro punienda compleverat, ornaretur et honoraretur regno Ægypti. Vide canon. 35. et 36. Voluit Deus hic ostendere, quam sancta, ipsique chara sit scelerum et sceleratorum vindicta; utpote qui eam licet materialem tantum, in Chaldæis tam ampla mercede, scilicet spoliis Ægypti, et monarchia sit remuneratus. Chaldæi enim materialiter tantum impleverant vindictam et voluntatem Dei, quia scilicet materialiter fecerunt volitum Dei, sive id quod volebat et optabat Deus, nimirum ut Tyrus puniretur et vastaretur; cum formaliter non intenderent Dei, sed suam implere voluntatem dominandi. Sicut ergo improprium fuit hoc eorum meritum, et impropria adimpletio voluntatis divinæ; ita et impropria fuit eorumdem merces: proprie enim fuit donum Dei, non merces. Simili phrasi Chaldæos ad excidium Moab hortatur Deus, dicens Ierem. 48. 10. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter: opus Domini* vocat vindictam et excidium Moab. Unde explicans subdit: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine,* ne occidat impios Moabitas. Vide ibi dicta.

Perperam ergo aliqui apud S. Hieron. hæc referunt ad Cambysem Cyri filium, *qui Ægyptum usque ad Æthiopiam vastavit, ita ut Apim interficeret, et omnia eorum simulacra deleret. Quam ob causam putant eum versum in amentiam ex casu equi, et proprio pugione confossum, uti narrat Herodotus,* inquit S. Hieron. Expresse enim non de Cambyse, sed de Nabuchodonosor, ait Propheta, quod Deus pro labore obsidionis Tyri, dabit ei in mercedem Ægyptum.

ACCIPIET MULTITUDINEM EIUS.) Populum in servitutem rediget. Vers. 19.

OPERI.) Septuag. *ministerio.* Vers. 20.

IN DIE ILLO.) Id est, vastata Ægypto faciam, ut *cornu*, id est regnum Israelis, refloreseat: scilicet anno decimo a vastata Ægypto Evilmerodach, filius Nabuchodonosoris, solium regis Ioachin præ aliis regibus erexit, 4. Reg. ultim. ac paulo post Cyrus Iudæos patriæ restituit. Cornu enim symbolum est roboris, gloriæ, potentiæ et regni. Vers. 21.

TIBI DABO OS APERTUM.) Id est libertatem loquendi. Cum enim viderint omnia quæ prædixeras accidisse, credent tibi, poterisque aperte et libere, non per parabolas, uti hactenus fecisti, illis loqui. Hoc enim promisit ei Deus c. 24. 27. Huc alludit Apost. Ephes. 6. 19. ubi iubet pro se orari: *Ut detur*, inquit, *mihi sermo in apertione oris, cum fiducia notum facere mysterium Evangelii.*

Allegorice, expugnata Ægypto, id est eversa mundi idololatria, pullulabit fortitudo credentium, et Christi regnum fide, spe, charitate, miraculis et virtutibus florebit, atque tunc apertum erit os Christi et Apostolorum evangelizantium: vel, q. d. Tunc aperta erit, et omnibus manifesta hæc de Christo prophetia mea, ut sciant eam completam in ipso. Unde S. Hieron. *Dei*, ait, *misericordiæ est, ut mundi huius pereat abundantia, et Ægypti fluenta siccentur, imo terra eorum sit in solitudines, et sententia Domini dissipetur a turre Syenes (quæ interpretatur gyrus, ut nihil in se recti habeat) usque ad terram Æthiopum, qui humiles appellantur; ut videlicet omnis superbia, quæ se contra Dei scientiam erexerat, destruatur et humilietur in salutem suam, habiletque in terra Phatures, quæ interpretatur panis conculcatus, ut nequaquam ultra eleventur in superbiam, sed sint in regnum humile, scientes in quem peccaverint.* Allegor.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit vaticinari cladem Ægypti et Æthiopiæ illi vicinæ. Videtur hæc prophetia priori sui parte, scilicet ad v. 20. pertinere ad caput præcedens, ac proinde edita fuisse anno 27. captivitatis, ut patet cap. præced. v. 17. Nam hic v. 20. aliam contra Ægyptum consignat prophetiam; quam a Deo accepit anterius, scilicet anno undecimo captivitatis: sed utraque eiusdem est argumenti, et una alteram confirmat. Idem Ægypti excidium, eiusque clades prædixit Isaias c. 19. et c. 30. et 31. ac Ieremias c. 24. et c. 43. et 44. et 46. Itaque ibi dicta non repetam, ideoque ero hic brevis.

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis propheta, et dic: Hæc dicit Dominus Deus: Ululate, væ, væ diei: 3. Quia iuxta est dies, et appropinquat dies Domini: dies nubis, tempus gentium erit. 4. Et veniet gladius in Ægyptum: et erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destructa fundamenta eius. 5. Æthiopia, et Libya, et Lydi, et omne reliquum vulgus, et Chub, et filii terræ fœderis, cum eis gladio cadent. 6. Hæc dicit Dominus Deus: et corruent fulcientes Ægyptum, et destruetur superbia imperii eius: a turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum: 7. Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, et urbes eius in medio civitatum desertarum erunt. 8. Et scient quia ego Dominus, cum dedero ignem in Ægypto, et attriti fuerint omnes auxiliatores eius. 9. In die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus ad conterendam Æthiopiæ confidentiam: et erit pavor in eis in die Ægypti, quia absque dubio veniet. 10. Hæc dicit Dominus Deus: Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis. 11. Ipse et populus eius cum eo, fortissimi gentium adducentur ad disperdendam terram: et evaginabunt gladios suos super Ægyptum: et implebunt terram interfectis. 12. Et faciam alveos fluminum aridos, et tradam terram in manus pessimorum: et dissipabo terram, et plenitudinem eius manu alienorum, ego Dominus locutus sum. 13. Hæc dicit Dominus Deus: et disperdam simulacra, et cessare faciam idola de Memphis: et dux de terra Ægypti non erit amplius: et dabo terrorem in terra Ægypti. 14. Et disperdam terram Phathures, et dabo ignem in Taphnis, et faciam iudicia in Alexandria. 15. Et effundam indignatio-

nem meam super Pelusium robur Ægypti, et interficiam multitudinem Alexandriæ, 16. Et dabo ignem in Ægypto: quasi parturiens dolebit Pelusium, et Alexandria erit dissipata, et in Memphis angustiæ quotidianæ. 17. Iuvenes Heliopoleos et Bubasti gladio cadent, et ipsæ captivæ ducentur. 18. Et in Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi sceptra Ægypti, et defecerit in ea superbia potentiæ eius: ipsam nubes operiet: filiæ autem eius in captivitatem ducentur. 19. Et iudicia faciam in Ægypto: et scient quia ego Dominus. 20. Et factum est in undecimo anno, in primo mense, in septima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: 21. Fili hominis brachium Pharaonis regis Ægypti confregi: et ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pannis, et fasciaretur linteolis, ut recepto robore posset tenere gladium. 22. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, et comminuam brachium eius forte, sed confractum: et deiiciam gladium de manu eius: 23. Et dispergam Ægyptum in gentibus, et ventilabo eos in terris. 24. Et confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu eius: et confringam brachia Pharaonis, et gement gemitibus interfecti coram facie eius. 25. Et confortabo brachia regis Babylonis, et brachia Pharaonis concident: et scient quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis, et extenderit eum super terram Ægypti. 26. Et dispergam Ægyptum in nationes, et ventilabo eos in terras, et scient quia ego Dominus.

Vers. 2. ULULATE.) O Ægyptii et cæteri, quorum cladem hic prædico.

Vers. 3. VÆ DIEI.) id est, ut Vatabl. *o diem infelicem*. Hebr. enim הוי *hoi*, id est væ, uti literis et sono, ita et significatione subinde consentit cum אוי *oi*, id est o.

DIES DOMINI.) Quo Dominus publicam contra Ægyptios exercebit vindictam, eamque acrem et terribilem.

DIES NUBIS.) Dies nubilus, id est tristis, turbulentus, calamitosus.

TEMPUS ultionis GENTIUM ERIT.) Scilicet Babyloniorum vastantium et ulciscentium; vel potius gentium ulciscendarum et vastandarum, scilicet Ægyptiorum. Ita Chald. Sic v. 9. *dies Ægypti*, vocatur dies excidii Ægypti.

Tropolog. dies mortis, et dies iudicii erit dies Domini, *quando omnis sæculi conversatio destruetur, et errore sublato, una veritas apparebit, diesque nubis et nebulæ. Nullus enim trepidus, incertusque de sententia absque pavore iudicem præstolatur. Et tempus, sive finis gentium erit, non unius gentis Ægyptiæ, sed universarum. Sequitur, Veniet in Ægyptum gladius, gladius versatilis et flammeus, sermo divinus: qui bonos a malis dividat, et pessimos suo igne consumat: in Ægyptum, inquam, huius sæculi; ita ut pavor sit in Æthiopia: qui trans Ægyptum in nocte erroris, et tenebris commorantur, et quorum nigredo in candorem aut difficulter, aut nequaquam convertitur. Et auferetur multitudo Ægypti: lata enim et spatiosa est via, quæ ducit ad mortem*, ait S. Hieron.

DESTRUCTA FUNDAMENTA EIUS.) Puta urbes, et arces bene fundatæ et munitæ. Alii principes intelligunt, alii leges: utrique enim sunt fundamenta reip. et politiæ.

Vers. 5 ÆTHIOPIA.) Scilicet vicina Ægypto, puta Abyssinia, ubi dominatur rex vulgo dictus Preto-Ioannes.

LYDI.) Non ex Lydia, in qua rex fuit Crœsus (licet id velint aliqui. Quis enim credat Lydos tam remotos, venisse ad opem ferendam Ægyptiis?) sed ex Lyda urbe Palæstinæ, vicina Ægypto, ubi S. Petrus Actor. 9. 34. Æneam paralyticum sanavit; ubi et S. Georgius martyrium obiit, et sepultus est: unde etiamnum Ad S. Georgium dicitur, inquit Vitriac. et ex eo Adrichom. in Lyda vel Lydda: erat enim bellicosa, et ut talis ab Ezechiele inducitur: unde tempore S. Hieron. Diospolis, id est urbs Iovis, dicebatur, eratque una ex XI toparchiis Iudææ, ordine quinta.

CHUB.) Symmachus, et Hieron. vertit, *Arabes*. Forte sunt hi, quos Ptolem. l. 4. Geogr. c. 5. Cobios vocat.

ET FILII TERRÆ FOEDERIS.) Incolæ terræ quæ cum Ægyptiis fœdus iniit, q. d. Et omnes alii, qui cum Ægyptiis confœderati sunt. Ita enim hunc hebraismum v. sequent. explicat Propheta, dum eosdem vocat *fulcientes* et roborantes *Ægyptum*. Alii, q. d. Iudæi incolæ Iudææ, quæ in fœdere Dei cum Abraham illi, et semini eius fuit promissa, et cuius incolæ Deo erant fœderati. Unde Septuaginta vertunt, *et filii testamenti mei*.

Vers. 6. A TURRE SYENES.) Scilicet usque ad terminos Æthiopiæ, de qua præcessit, hoc est per totam Ægyptum, uti explicui cap. præced. v. 10.

Vers. 7. IN MEDIO CIVITATUM.) q. d. Inter civitates desertas, id est vastatas, similiter vastabuntur et desereutur urbes Ægypti: vicinas enim omnes vastavit Nabuchodonosor. Vide de hac phrasi dicta c. præced. v. 12.

CUM DEDERO IGNEM IN ÆGYPTO.) Id est, cum eam igne combussero: vel, ignis significat cuiusvis calamitatis acerbitatem. Vers. 8.

EGREDIENTUR NUNCII A FACIE MEA.) Chaldæi scilicet, quasi legati missi a Deo, terra sua egredientur, vecti triremibus ad conterendos Æthiopes. Verum quia Chaldæi e Chaldæa terrestri itinere venerunt, non navali, ut patet ex Geographia; hinc secundo, melius Maldon. q. d. Ibunt nuncii ex Ægypto per Nilum in Æthiopiam, qui nunciantes Ægypti vastationem, Æthiopiæ nimis securæ, sibique confidenti terrorem incutient. Dicit autem Deus eos a facie sua egressuros, quia eius consilio ac providentia egressuri erant. Vers. 9.

ET ERIT PAVOR IN EIS, in Æthiopibus, IN DIE ÆGYPTI (Hebr. *sicut in die*, scilicet vastationis *Ægypti*, fuit in ea magnus pavor, sic erit in Æthiopia) QUIA ABSQUE DUBIO VENIET.) Scilicet vastatio Æthiopiæ.

ET FACIAM ALVEOS FLUMINUM ARIDOS.) Scilicet, ut puniam Ægyptum siccitate et sterilitate. Si enim Nilus non exundet et oblimet Ægyptum, erit ipsa sterilis. Alii, q. d. Tanta erit Chaldæorum multitudo, ut ebibant aquas fluminum. Sic enim gloriatur Sennacherib 4. Reg. 19. 24. *Bibi aquas alienas, et siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas*. Ita Maldon. Vers. 12.

Symbolice, R. David per rivos accipit opes, q. d. Auferam Ægypto suas opes. Hæ enim in Ægypto consistunt in aquis et exundatione Nili.

IN MANUS PESSIMORUM.) In manus Chaldæorum crudelium.

CESSARE FACIAM IDOLA DE MEMPHIS.) *Memphis*, Hebr. נוף *noph*, amplissima Ægypti urbs et populosissima, formam habet perspicilli, sita iuxta Heliopolim, eo loco quo Nilus scinditur, et triangulum, sive triquetram Δ formam efficit, condita a Minæo rege. Fuit olim sedes regis Ægypti: hinc in ea erant regum sepulturæ, columnæ et pyramides, de quibus Martial. lib. 1. Vers. 13. Memphis, quæ?

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis.

Hinc et in ea erant sapientes et philosophi: unde Pythagoras et Plato profecti sunt in Ægyptum, ut Memphiticos vates audirent, ait S. Hieron. Fuit superstitioni addictissima, ideoque metropolis superstitionis habita. Colebatur ibi etiamnum tempore S. Hier. æneum bovis simulacrum pro Deo: fuerat enim ibi quondam Apis, Apidis vel Serapidis templum, ibi consultus dæmon responsa reddebat. De quo Ovid. lib. 1. de Arte amandi:

Neu fuge Niligenæ Memphitica sacra iuvencæ.

Et Tibullus lib. 1.

Barbara Memphitem plangere docta bovem.

Atque hæc est causa, cur contra eam detonent Ezechiel, Isa. c. 19. Ierem. c. 44. Osee c. 9. præsertim, quia Iudæi profugi e patria metu Chaldæorum, consederunt in Memphi, contra iussum Domini, ait S. Hieron. in Osee 9. Postea Memphis dicta est Ægypti Babylonia: nunc Arabum lingua Cairus vulgo Alcair dicitur: fuit sedes Sultani Ægypti; sed eo (Campson vocabatur) in acie occiso, eam

cum tota Ægypto sibi subiecit Selymus Turcarum Imper. planeque Mamaluchorum imperium evertit sub annum Domin. 1516. Sunt qui eam quinquies Parisiis maiorem asserant; sed hi suburbanum agrum comprehendunt, qui innumeris vicis spargitur, ait Ludovicus Roman. libr. 1. Navig. cap. 1.

Et dux de terra Ægypti non erit amplius.) Scilicet ad longum tempus, puta ad quadraginta annos, uti dixit c. præced. v. 13.

Vers. 14. Dabo ignem in Taphnis.) Comburam Taphnis, vel Tanis antiquissimam Ægypti urbem, ut patet Num. 13. 23. Dicta est Tanis Hebr. צוען *tsoan*, inde extrita media litera *ain* צן *tsan*, inde *Tan*, inde *Tanis*. Syri enim *tsade* in *tet* commutant. A Tani dicti sunt Titanes gigantes, incolæ eius.

Faciam iudicia in Alexandria.) Acriter puniam Alexandriam; hanc enim significat Hebr. נא *no*, uti vertunt Chald et Hebræi. Alexandria enim tempore Ezechielis vocabatur *No*, eratque urbs magna et potens, adeo ut Nahum 3. v. 8. dicatur non cedere ipsi maximæ Ninivæ, quæ in circuitu murorum constabat stadiis 480. ait Diodor. Siculus l. 3. c. 1 id est 60. milliaribus, quæ faciunt leucas 20. Maior ergo fuit No quam postea Alexandria, quæ, in longitudine erat 30. stadiorum, in latitudine decem, ait Ioseph. lib. 2. Belli 16. in ambitu vero murorum habebat 80. Unde Septuag. vertunt διόσπολιν, q. d. Urbem Iovis. Hanc vastavit Nabuchodonosor, sed postea restauravit Alexander, eamque amplissimis muris cinxit, et a se vocavit Alexandriam. Est ergo prolepsis. Per anticipationem enim noster vocat eam Alexandriam, quæ tum *No* dicebatur. Sic Virgilius de Ænea dixit:

Lavinaque venit Littora.

Non quod eo tempore quo Æneas in Latium venit, Lavina dicerentur, sed quæ postea Lavina nuncupata sunt, ait S. Hieron. Unde civitas Lavinia, quæ non longe a Roma etiamnum extat, hocque nomen retinet. Hinc patet Alexandriæ Alexandrum non conditorem, sed instauratorem et nomenclatorem esse.

Vers. 15. Pelusium robur Ægypti.) Quia Pelusium erat munitissimum, et portum habens magnum et securum; hinc navibus et mercibus erat florentissimum. *Unde et Poeta Pelusiacam lentem appellat, non quod ibi nascatur, sed quod e Thebaide, omnique Ægypto per rivum Nili illuc plurimum deferatur*, ait S. Hieron.

Vers. 17. Iuvenes Heliopoleos, et Bubasti gladio cadent.) Heliopolis urbs est Ægypti, quæ a Græcis, teste Diodoro Siculo, vocatur Thebe. Huius cives teste Herodoto lib. 2. apud Ægyptios omnium sapientissimi habebantur. Latine civitas Solis dicitur, quod in ea esset simulacrum et templum Solis. Tradunt veteres, phœnicem avem degere Heliopoli: quia videlicet Heliopolitani solem pingebant, quasi avem orientem et occidentem. Nec enim phœnix avis est, aut fuit in orbe, uti ostendi Genes. 7. 2. *Bubasti*, vel potius *Pubasti*, hebr. פי בסת *pi beset*, urbs est prope Pelusium, ad ostium Orientale Nili. Ptolemæo vocatur Heroum civitas: ab ea circumiacens regio et adiacens fluvius Bubastus vocatur. Erat in ea celebre Dianæ templum: unde ab Ovidio sancta vocatur: sic enim ille canit Metam. 9.

(Phœnix est Sol, non avis.)

Cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variisque coloribus Apis.

(Mystice.) Mystice S. Hieron. *Phatures*, ait, *interpretatur panis conculcatio. Taphnis, sive Tanis, mandatum humile. Diospolis, quæ Hebr. est No, requies: Sain, tentatio. Quibus nominibus diversa hæreticorum, et omnium mendaciorum conciliabula demonstrantur, qui conculcant panem Ecclesiasticum atque contemnunt; et sequuntur mandatum humile, et ad cælestia non perducens; et deliciis vacant, et sunt in requie (qualem in Evangelio legimus divitem purpuratum) et tentationibus inserviunt. Hæc omnia Dominus disperdet atque succendet, æque ac iuvenes Heliopoleos. Hebr.* און *on, quod interpretatur dolor: et Bubasti, id est, oris experimentum. Omnes isti qui dolorem ferre non poterant, sed delicias Diospolis sectabantur, et confidebant sibi in volubilitate sermonum, et adversus extera dogmata disputantes, habentes experimenta victoriæ, gladio sermonis Dei concident.* Hæc S. Hieron. prolixe, cuius verba in pauca contraxi.

Et ipsæ, scilicet mulieres iuvenum Heliopoleos, et Pubasti, captivæ ducentur.) Ita Septuag. Sic enim in simili clade Taphnis dicitur et explicatur v. sequent.

Nigrescet dies.) q. d. Tantus erit luctus et mæror, ut Ægyptiis dies nigrescere et noctescere videatur, ac nube operiri. Hæc est dies nubis, de qua v. 3. Vers. 18.

Et factum est in undecimo anno.) Transmigrationis Ioachin, ut patet c. præc. v. 17. qui fuit ultimus annus Sedeciæ, quo regnum Iudaicum et urbs Hierosolyma a Chaldæis eversa sunt. Vers. 20.

Brachium, Chald. *fortitudinem* Pharaonis confregi.) Vers. 21. Id est, confringam, ita ut nulla arte, vel ope in integrum, et pristinum statum restitui possit. Secundo, et magis proprie iam confregi Pharaonem Nechao præliantem in Charcamis contra Chaldæos, anno quarto Ioakim regis Iuda, q. d. Rex Ægypti Chaldæis resistere non poterit; quia ex superiori prælio iam dicto fractum habet brachium, id est vires ita contusas, ut gladium tenere non possit. Nec enim hæc contusio curari huc usque potuit; quia vires suas et regiones, præsertim Syriæ, illo prælio amissas recuperare non potuit Ita H. Pintus, Maldon. et Hebræi. Quare brachium eius ita fractum et contusum, facile paulo post omnino confringam et comminuam. Unde sequitur:

Ecce ego ad Pharaonem.) Scilicet veniam, ut eum Vers. 22. disperdam.

Et comminuam brachium eius forte, sed confractum.) Hebr. *et forte et confractum*. Ita Septuag. q. d. Ægypti rex olim duo habebat brachia, id est regna, scilicet Ægypti et Syriæ: alterum, scilicet Syriæ, iam confractum est, eique ademptum; restat alterum, scilicet Ægypti, quod adhuc tenet, sed illud pariter conteram, ita ut utroque brachio et manu mutilus, imbellis sit, nec gladium hac illave manu ad Chaldæis resistendum tenere possit. Ita Hebræi.

Et confortabo.) Robur, animos, opes et copias dabo Vers. 24. Chaldæo.

Et gement, etc. interfecti.) Hebr. חללים *chalalim*, id est vulnerati, saucii letaliter; τὸ ergo *interfecti*, significat hic actionem, aut potius passionem inchoatam, non completam; nec enim complete interfecti, id est mortui, gemere possunt. Sic sæpe alibi noster Hebr. *chalalim* vertit, *interfecti*. Significat enim eos, qui vulnerati sunt, indeque moriuntur.

Coram facie eius.) Scilicet tum Pharaonis, tum regis Babylonis.

Cum dedero gladium meum.) Vocat Deus Chaldæorum gladios, suos: quia iis, quasi suis instrumentis et lictoribus, utebatur ad puniendum gentes: sicut enim Prætor dat gladium carnifici, ut reo caput amputet: ita Deus vires dedit Chaldæis, aliisque tyrannis, ut gentes peccatrices plecterent. Vide canon. 35. et 36. Vers. 25.

CAPUT TRIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sub parabola cedri, Assyrii, id est Ægyptii, regis gloriam, superbiam, ac vers. 10. casum et cladem describit.

1. Et factum est in anno undecimo, tertio mense, una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens:
2. Fili hominis dic Pharaoni regi Ægypti, et populo eius: Cui similis factus es in magnitudine tua?
3. Ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et
inter condensas frondes elevatum est cacumen eius. 4. Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltavit illum, flumina e-
ius manabant in circuitu radicum eius, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis. 5. Propterea elevata est al-
titudo eius super omnia ligna regionis: et multiplicata sunt arbusta eius, et elevati sunt rami eius præ aquis mul-
tis. 6. Cumque extendisset umbram suam, in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia cæli, et sub frondibus eius
genuerunt omnes bestiæ saltuum, et sub umbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum. 7. Eratque pul-
cherrimus in magnitudine sua, et in dilatatione arbustorum suorum: erat enim radix illius iuxta aquas multas.
8. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquaverunt summitatem eius, et platani non
fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini eius. 9. Quo-
niam speciosum feci eum, et multis condensisque frondibus: et æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant
in paradiso Dei. 10. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod sublimatus est in altitudine, et dedit sum-
mitatem suam virentem atque condensam, et elevatum est cor eius in altitudine sua, 11. Tradidi eum in manu
fortissimi gentium, faciens faciet ei: iuxta impietatem eius eieci eum. 12. Et succident eum alieni, et crudelis-
simi nationum, et proiicient eum super montes, et in cunctis convallibus corruent rami eius, et confringentur
arbusta eius in universis rupibus terræ: et recedent de umbraculo eius omnes populi terræ, et relinquent eum.
13. In ruina eius habitaverunt omnia volatilia cæli, et in ramis eius fuerunt universæ bestiæ regionis. 14. Quamo-
brem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum, nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa at-
que frondosa, nec stabunt in sublimitate sua omnia quæ irrigantur aquis: quia omnes traditi sunt in mortem ad
terram ultimam, in medio filiorum hominum, ad eos qui descendunt in lacum. 15. Hæc dicit Dominus Deus: In
die quando descendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abysso: et prohibui flumina eius, et coercui aquas
multas: contristatus est super eum Libanus, et omnia ligna agri concussa sunt. 16. A sonitu ruinæ eius commo-
vi gentes, cum deducerem eum ad infernum, cum his qui descendebant in lacum: et consolata sunt in terra infi-
ma omnia ligna voluptatis egregia atque præclara in Libano, universa quæ irrigabantur aquis. 17. Nam et ipsi
cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio: et brachium uniuscuiusque sedebit sub umbraculo eius in
medio nationum. 18. Cui assimilatus es o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum li-
gnis voluptatis ad terram ultimam: in medio incircumcisorum dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio: ipse
est Pharao, et omnis multitudo eius, dicit Dominus Deus.

Vers. 1. In anno undecimo.) A capto et abducto Iechonia. Tertio mense.) Hanc ergo prophetiam duobus mensibus post eam quæ præcessit, accepit Ezechiel.

Una, id est prima die, mensis.

Vers. 2. Cui similis factus es?) Tum reipsa, tum opinione tua, q. d. Cui te comparasti o Pharao?

In magnitudine tua.) Chald. *in fortitudine;* Septuag. *in celsitudine.*

Vers. 3. Ecce Assur.) q. d. Ecce Sennacherib rex Assyriorum gloriosus fuit ut tu, o Pharao; attamen postea a filiis suis cæsus est: ita ergo et tu cæderis a Deo. Ita Maldon. aut, ut S. Hieron. q. d. Non mirum si tu, o Pharao, a Chaldæis vincendus et vastandus sis, cum ab iisdem victi sint, et subacti Assyrii, qui te erant potentiores. Sed verius est ipsum Pharaonem et Ægyptios vocari hic Assur, uti et Isaiæ 52. 4. idque quia Ægyptii ab Assyriis erant oriundi: vel potius, quia gloria, potentia et regno se iactabant pares regibus Assyriorum: et quia æque ac Assyrii a Chaldæis erant vastandi. Assur enim fuit exemplar tyrannorum, ideoque quosvis tyrannos significat, uti dixi Isa. 8. v. 4. Porro per Assur intelligi hic Pharaonem, patet ex eo, quia toto hoc cap. prophetans contra Pharaonem, continue agit de hoc Assur: ergo Assur est Pharao. (*Assur vocatur Pharao, cur?*)

Secundo, postquam egit fuse de Assur, non explicat, nec comparat eum Pharaoni; ergo quæ de Assur dicit, ea de Pharaone intelligenda relinquit.

Tertio, quia Pharaonem non tam comparat Assyrio, quam cedro, uti patet in sequentibus. Unde concludens v. 18. *Cui*, ait, *assimilatus es, o inclyte, inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam.* Pharaonem ergo vocat Assur et cedrum, eo schemate, quo c. 28. 14. regem Tyri vocavit Cherub; et Isaias cap. 14. v. 12. Balthasarem vocavit Luciferum. Quare hoc schema eodem modo explicandum est, quo ibidem explicui.

A Ecce Assur quasi cedrus in Libano.) Sicut cedrus alias Libani arbores altitudine superat: ita Assur, id est Pharao, gloria, divitiis, potentia omnia anteibat.

(*Pharao comparatur cedro, cur? Resp.*) Simili ratione Daniel cap. 4. v. 7. Nabuchodonosorem comparat arbori præcelsæ et ingenti. Comparat ergo Pharaonem cedro, Primo, ob amplitudinem ramorum, id est provinciarum; item ob animi altitudinem et fastum: ab ea enim cedrus a Poeta ardua vocatur. Secundo, quia cedrus est odorata. Unde Virgil. 3. Georg. (1. 2.)

Disce et odoratam stabulis accendere cedrum.

Et lib. 7. Æneid.

Tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Hosce odores et honores ambiebat Pharao. Tertio, quia cedrus cariem non sentit: unde *cedro digna* dicuntur, quæ promerentur immortalitatem, et æternæ posteritati consecranda sunt. Hinc et cedri succo libros illinebant, ne tineas sentirent: hosce libros Plinius lib. 13. 13. vocat cedratos, qui et c. 5. *Materia,* inquit, *ipsi* (cedro) *æternitas.* B *Itaque et simulacra deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus, Seleucia advectus.* Et Virgilius 7. Æneid. (3.)

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro.

Hanc æternitatem spectabat Pharao. Quarto, cedro in sacris utebantur. Nam, ut ait Plinius lib. 13. c. 1. *Iliacis temporibus nec thure supplicabatur: cedri tantum et citri in sacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem noverant.* Rursum, cedrus montes amat, ut idem ait l. 16. 18. Ad hæc, cedro folia non defluunt, ut idem ait ibid. c. 21. qui et c. 24. asserit ea esse capillata. Quinto, cedrus picem fundit, ut idem ait lib. 14. c. 19. Ad hæc, *in Ægypto et Syria reges, inopia abietis, cedro ad classes feruntur usi,* ait idem l. 16. c. 40. Cedro ergo abundabat Pharao, et cedrinis classibus gloriabatur. Sexto, cedrus (4. 5. 6.)

fructum fert suavem, *novusque fructus in ea cum annotino pendet*, ait Plin. l. 16. 26. ita Pharao fruges Ægypti
7. toti orbi ostentabat. Septimo, pix cedri dolores dentium sedat. *Cedri scobe serpentes fugari certum est. Cedrides, id est fructus cedri, tussim sanant, urinam cient, alvum sistunt*, ait Plinius l. 24. 5. Ita Pharao iactabat se Iudæorum infirmitatem et clades sanaturum.

Pulcher ramis, id est filiis ornatus, et frondibus.) Id est magnatibus et principibus multis. Regem vocat cedrum, filios ramos, principes frondes. Aut potius ramos vocat extensionem et amplitudinem imperii eius, eiusque opes et potentiam; frondes vero, eiusdem gloriam et pompam. Unde sub ramis eius, ait v. 6. nidificasse omnes volucres cæli.

Vers 4. Aquæ nutrierunt illum, id est illam, scilicet cedrum: sed dicit *illum*, quia intelligit Assyrium: et abyssus.) Per aquas, abyssum et flumina intelligit Nilum, qui in rivos et fossas deductus, omnes Ægypti agros irrigat et fœcundat: sed sub his symbolice intelligit copiam divitiarum et militum, quæ a rege ad vicinas arbores et ligna, id est, non tantum ad homines Pharaoni subditos, etiam viles et plebeios; sed etiam ad Iudæos, aliasque gentes vicinas et amicas dimanabat.

Vers 5 Super omnia ligna regionis.) q. d. Pharao factus est potentior aliis regibus.

Multiplicata sunt arbusta (id est, ut Hebr. et Septuag. rami) eius, et elevati sunt rami eius.) Id est, extensi sunt fines imperii eius, et longe lateque propagati, hoc est, extensum et exaltatum est regnum eius. Alii, q. d. Filii eius et nepotes opibus et gloria multiplicati et exaltati sunt, idque *præ aquis*, id est, propter aquas Nili, et opum ac militum copias iam dictas.

Vers. 6. Volatilia. Nota. Per *volatilia* intelligit magnates; per *bestias saltus*, plebem et gentes maxime feras et barbaras, quas Pharao domuit et subiecit: unde hæ nidificabant, id est degebant, in ramis eius.) Id est, sub eius potestate et protectione. Simile est Daniel. 4. 18.

Vers. 7. Eratque pulcherrimus.) Id est, pulcherrima cedrus: sed dicit masculine *pulcherrimus*, quia per cedrum hanc intelligit Assyrium, id est Pharaonem.

Vers 8. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei.) Id est, nullus rex potentia par fuit Assyrio, id est Pharaoni, nullus, inquam, rex, etiamsi videretur esse in paradiso Dei, id est, in omnium deliciarum, voluptatum et opum affluentia.

Principes vocantur abietes et platani, cur? Abietes, etc. platani, etc. omne lignum.) Per hæc intelligit principes divites et potentes, quorum nullus Pharaoni par fuit in imperii magnitudine et gloria. Hi enim comparantur Primo, platano; quia platanus late spargit ramos, indeque platanus dicitur, quasi πλατυς, id est lata: hinc sub ea, utpote opaca et umbrifera, convivari solebant; unde ab Ovidio 10. Metamorph. platanus vocatur genialis. Et Virgil. 4. Georg. *Iamque ministrantem platanum potantibus umbram.* Platanus ergo divites, splendidos et geniales repræsentat. Secundo, Plinius lib. 12. 1. *Quis*, ait, *non iure miretur arborem umbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est per mare Ionium in Diomedis insulam, eiusdem tumuli gratia primum invecta, inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ. Dionysius prior Siciliæ tyrannus Rhegium in urbem transtulit eas, domus suæ miraculum.* Addit, *Tantumque postea honoris increvit, ut mero infuso enutriantur; compertum id maxime prodesse radicibus.* Quin et *gentes vectigal pro umbra* (platani) *pendunt.* Licinius consul epulatus est intra platanum cum octodecim convivis, *large ipsa toros præbente fronde, ab omni afflatu securus, optans imbrium per folia crepitus, lætior quam marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubans in eadem.* Sic et Caius princeps in Veliterno rure cum quindecim convivis in platano cœnavit, *quam cœnam appellavit ille nidum. Commendatio* platani *non alia maior est, quam solem æstate arcere, hieme admittere.* Porro umbra platani iucunda est, quamquam crassa, ait idem l. 17. c. 12. Idem l. 15. 7. tradit ex platani baccis aqua

A et sale maceratis oleum fieri luminum causa. Idem l. 16. c. 44. ait: *Sunt auctores qui Delphicam platanum Agamemnonis manu satam* asserunt. Quin et stolidus Persarum rex Xerxes, in Lydia cum vidisset proceram platanum, diem solidum ad eamdem exegit, et castra tota circa eam posuit, quin et ramos eius veneratus est, torques armillasque ex eis suspendens: denique curatorem ei reliquit quasi custodem et propugnatorem: ita Ælian. l. 2. c. 14. Themistocles comparabat se cum platanis, ad quas ingruente pluvia confugiunt, mox serenitate reddita, viatores vellicant et insectantur. Platanus est vir potens; tempestas, calamitas; serenitas, prosperitas; vellicatio platani, vexatio viri, de quo bene meriti sumus: ita Causinus l. 10. Parab. histor. c. 62.

Rursum comparat Pharaonem abieti, quæ vulgo sapinus dicitur, cuius folia sunt instar pectinum, ait Plinius, et numquam decidunt, estque arborum altissima, valide pondus sustinens, et antennis utilis. Rursum *firmissima ad tectum abies. Eadem valvarum repagulis, et ad quæ-*
B *cumque libeat intestina opera aptissima, sive Græco, sive Campano, sive Siculo fabricæ arcis genere spectabilis, ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens ad incitatos runcinarum raptus. Eadem et curribus, maxime sociabilis glutino in tantum, ut findatur ante qua solida est:* ita Plinius l. 16. c. 42. Abies enim procera est, enodis, crispa, longa, amans alta: unde Virgil. ecloga 7.

Populus in fluviis, abies in montibus altis.

Hinc in Apologis abieti proceram illam suam staturam et pulchritudinem intemperantius iactanti inculcat rubus:

Nunc læta quidem bona sola fateris,
Et nostris frueris imperiosa malis:
Sed cum pulchra minax succidet membra securis,
Quam velles spinas tunc habuisse meas.

Ita Avianus fab. 19. Quocirca abies symbolum est ambitiosi et iactabundi, cuius fastus et pompa mox sternitur et evanescit. Ex abiete fiunt hastæ longæ, item naves: unde Claudian.

C *Apta fretis abies, bellis accomoda cornus.*

Hinc abietis epithetum est audax. Audi Statium libro 6. Theb.

Hinc audax abies, et odoro vulnere pinus.

Quid enim audacius navibus, quæ fiunt ex abiete? Quocirca Virgil. 2. Georg. ait:

Abies casus visura marinos.

Hasce ob causas principibus, et urbibus magnificis in deliciis est abies. Ita iuxta Norimbergam, densam ex abietibus silvam, quæ per aliquot milliaria protenditur, cum voluptate spectavi.

Hasce ergo abietes, platanos, etc. ait non potuisse æquari cedro, id est Pharaoni, tum ob causas iam dictas; tum quia proprium cedro est, ut *clavum*, si quis ei infigatur, *non teneat*, ait Plinius l. 16. c. 40. Ita Pharao septus Nilo, omnem hostium vim respuebat, omnium regum arma quasi securus eludebat, et repellebat. Rursum Plin. lib. 24. c. 5. *Cedrus*, inquit, *defuncta corpora incor-*
D *rupta ævis servat, viventia corrumpit, mira differentia, cum vitam auferat spirantibus, defunctis pro vita sit. Vestes quoque corrumpit, et animalia necat.* Ita Pharao principum erat pestis et internecio: mortuorum vero, id est sibi subactorum, erat vita, et rerum copia. Adde, Ægyptios cadavera condire incorruptioni, uti caromomia testantur.

Symbolice, et antitype perstringit hic decorem et gloriam Luciferi, qui fuit in paradiso, id est, cælo cui nulli cedri, abietes et platani, id est, nulli angeli in scientia, et gratia ac potentia comparari potuerunt. Ita S. Greg. 32. Moral. 18. Sic et Rupert. l. 1. de Victoria verbi Dei cap. 8. per cedros, abietes et platanos, accipit reliquas angelorum dignitates, tamquam si in tribus illis cælestium spirituum hierarchiis, nihil esset cum Luciferi sublimitate conferendum. Pari ratione adaptes hæc dotibus et gratiis Adami, quas habuit in statu innocentiæ et paradiso.

Æmulata sunt eum, inviderunt ei omnes reges et prin- Vers. 9.

cipes, qui ERANT IN PARADISO DEI.) Id est, qui florebant divitiis et honoribus, omnique felicitate, et gloria, ac si fuissent in paradiso: est catachresis. Ita Vatablus.

Vers. 10. ET DEDIT SUMMITATEM SUAM VIRENTEM ATQUE CONDENSAM.) Id est, ut Vatab. vertit, *posuit*, scilicet ex superbia, *fastigium suum inter condensa*, id est, stipatus erat densa multitudine regum et nobilium.

Vers. 11. TRADIDI, id est tradam, EUM IN MANU FORTISSIMI GENTIUM.) Id est, in manum Nabuchodonosoris.

FACIENS FACIET EI.) Id est, quod libuerit faciet ei: erit enim in eius manu et potestate.

Vers. 12. SUCCIDENT EUM ALIENI, ET CRUDELISSIMI NATIONUM.) Puta Chaldæi crudeles præ aliis Gentibus: quocirca in Scrip. crudelitatis epitheto denotantur. Hæc et plura habet quoque Isaias c. 19. 4. vide ibi dicta.

RECEDENT DE UMBRACULO EIUS OMNES POPULI.) q. d. Populi Pharaoni antea subditi, vel confœderati, iam videntes eum cæsum, ab eo, eiusque imperio se subducent.

Vers. 13 IN RUINA EIUS, in trunco huius cedri prostratæ HABITAVERUNT, id est habitabunt, VOLATILIA, id est magnates, et principes Pharaoni subditi, aut confœderati, ET IN RAMIS EIUS BESTIÆ.) Id est plebei, et populi eorumdem, q. d. Prius aves et bestiæ erant sub ramis eius, postquam autem corruerit, sedebunt super eam, id est conculcabunt eam. Significat fore, ut Gentes, quæ prius in Pharaonis tutela erant, eo a Chaldæis prostrato, contra eum convertantur, eumque dispolient. Persistit semper in metaphora arboris cedri. Ita Maldon.

Vers. 14. QUAMOBREM.) q. d. Hoc Pharaonis exemplo perculsi, sapient alii principes, ut non superbiant, ne pari modo a Deo deiiciantur.

OMNIA LIGNA AQUARUM.) Quæ aquis abundant, hoc est, omnes principes divitiis abundantes.

QUIA OMNES TRADITI SUNT IN MORTEM, AD TERRAM ULTIMAM.) Hebr. *infimam*, id est, ad sepulcrum et infernum relegati sunt. Unde explicans addit:

IN MEDIO FILIORUM HOMINUM.) Id est, cum aliis, vel instar aliorum hominum communium, plebeiorum et ignobilium. Vide dicta c. 29. 12. Hebræi enim *filios viri* vocant nobiles; *filios* vero *hominum* vocant plebeios et viles.

AD EOS QUI DESCENDUNT IN LACUM.) Id est in infernum.

Vers. 15. IN DIE QUANDO DESCENDIT, id est descendet, AD INFEROS, INDUXI, id est inducam, LUCTUM.) q. d. Ob cædem Pharaonis omnibus eius amicis, et toti eius regioni planctum induoam.

OPERUI EUM ABYSSO.) Id est, multitudine calamitatum, ipsaque abysso, id est, inferno. Hebræi et Vatabl. vertunt, *operui super eum abyssum*, q. d. Abyssus illa aquarum, quæ v. 4. cedrum, id est Pharaonem, exaltavit, mœsta fuit eius casu, id est, opes illæ destitutæ suo rege, videbuntur lugere, q. d. Mortuo rege exhaurietur eius ærarium, ita ut ipsum squalere et lugere videatur. Unde apte sequitur: *Prohibui flumina eius.* Sept. vertunt, *luxit eum abyssus*, id est multitudo gentium Pharaoni subditarum.

PROHIBUI FLUMINA EIUS.) De quibus v. 4. ne scilicet hanc cedrum rigarent, q. d. Desiccavi eam, arefeci, et privavi omnibus bonis.

CONTRISTATUS EST SUPER EUM LIBANUS.) Hebr. est אקדיר *akdir*, id est, *pulla et lugubri veste indui Libanum.* Per Libanum intelligit Iudæam, Phœniciam et Syriam, vicinas Ægypto, eique confœderatas regiones, q. d. Hæ regiones lugebunt Pharaonis et Ægypti cladem, et *omnia ligna agri*, id est, omnes populi audita hac strage timore concutientur.

ET CONSOLATA SUNT IN TERRA INFIMA, id est, in inferno consolationem acceperunt, id est accipient, OMNIA Vers. 16.
LIGNA.) Id est nobiles, et reges iam vita functi, qui in hac vita et mundo excellebant quasi cedri in Libano: quia videlicet gaudebunt, se iam Pharaonem habere socium in clade et pœna.

NAM ET (Vatabl. et Emmanuel Sa legunt, *sed et*) IPSI Vers. 17.
CUM EO DESCENDENT.) Aliqui legunt, *descenderunt.* Sic enim habent Hebræa. Utrumque est verum: tyranni enim præteriti descenderunt, futuri descendent in tartara.

ET BRACHIUM UNIUSCUIUSQUE SEDEBIT SUB UMBRACULO EIUS.) q. d. Sicut fessi sedent sub arbore umbrosa, ibique refocillantur innixi brachio, id est, cubito; ita alii reges et principes in inferno, sub pœna Pharaonis quasi refocillabuntur, videntes se minus, illum gravius puniri. Aliter. Vatabl. et alii, q. d. Sed et ipsi descenderunt cum eo ad inferos, qui sub umbra brachii eius sederunt in medio gentium, id est socii, et adiutores Pharaonis, qui securi inter alias gentes habitabant, eo quod eis faveret et protegeret Pharao. Et sic nostrum interpretem accipiunt aliqui, ut *sedebit*, sit idem, quod *sedebat.*

CUI ASSIMILATUS ES?) q. d. Voluisti o Pharao, assi- Vers. 18.
milare te Assyrio, et cedro: sed neutrius gloriam assecutus es, et cum utroque ruente corruisti.

CUM LIGNIS VOLUPTATIS.) Cum aliis regibus.

IN MEDIO INCIRCUMCISORUM, id est, more infidelium; Chald. *peccatorum*, DORMIES.) In morte somnum æternum apud inferos.

IPSE EST PHARAO.) q. d. Hæc quæ hactenus dixi, de Pharaone et eius populo intelligo. Vel, hic finis, et tristis exitus erit Pharaonis, principum, et omnis populi eius. Sic Eccles. cap. 12. v. 13. suam de vanitate rerum omnium, quæ in mundo sunt concionem concludit, dicens: *Hoc est enim omnis homo.* Sic et Virgil. lib. 2. Æneid. Troiæ casum concludit, dicens:

Hic finis Priami fatorum, hic exitus illum Sorte tulit.

Vide hic rursum mundi inconstantiam. Audi Ovidium 10. Metamorph.

Paulumque morati
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes. Hæc est domus ultima, vosque (o inferi)
Humani generis longissima regna tenetis.

Idem lib. 15. Metamorph.

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Idem lib. 3.

Este precor memores, qua sitis stirpe creati.

Et rursum lib. 15.

Nihil est toto quod perstet in orbe.
Cuncta fluunt.
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen: sed ut unda impellitur unda,
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem,
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur,
Et nova sunt semper.

CAPUT TRIGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in Pharaonis gloria et ruina ac clade prædicênda, eamque per lugubre carmen deplangit æque ac describit. Primo ergo tantum Ægyptiorum stragem fore asserit, ut omnes aves et feræ accurrant ad eos devorandum, utque sol, luna et stellæ obscurari videantur. Secundo, v. 17. instaurans planctum, et carmen lugubre, dicit eos descensuros in imum inferni, ubi sepulti sunt Assyrii, Persæ, Idumæi, aliique tyranni, quorum descensum et sepulturam fuse et pathetice describit.

1. Et factum est, duodecimo anno, in mense duodecimo, in una mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, et dices ad eum: Leoni gentium assimilatus es, et draconi qui est in mari: et ventilabas cornu in fluminibus tuis, et conturbabas aquas pedibus tuis, et conculcabas flumina earum. 3. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, et extraham te in sagena mea. 4. Et proiiciam te in terram, super faciem agri abiiciam te: et habitare faciam super te omnia volatilia cæli, et saturabo de te bestias universæ terræ. 5. Et dabo carnes tuas super montes, et implebo colles tuos sanie tua. 6. Et irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes, et valles implebuntur ex te. 7. Et operiam, cum extinctus fueris, cælum, et nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum. 8. Omnia luminaria cæli mœrere faciam super te: et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus. 9. Et irritabo cor populorum multorum, cum induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis. 10. Et stupescere faciam super te populos multos: et reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare cœperit gladius meus super facies eorum: et obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinæ tuæ. 11. Quia hæc dicit Dominus Deus: Gladius regis Babylonis veniet tibi, 12. In gladiis fortium deiiciam multitudinem tuam: inexpugnabiles omnes gentes hæ: et vastabunt superbiam Ægypti, et dissipabitur multitudo eius. 13. Et perdam omnia iumenta eius, quæ erant super aquas plurimas: et non conturbabit eas pes hominis ultra, neque ungula iumentorum turbabit eas. 14. Tunc purissimas reddam aquas eorum, et flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus: 15. Cum dedero terram Ægypti desolatam: deseretur autem terra a plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores eius: et scient quia ego Dominus. 16. Planctus est, et plangent eum: filiæ gentium plangent eum: super Ægyptum, et super multitudinem eius plangent eum, ait Dominus Deus. 17. Et factum est in duodecimo anno, in quinta decima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: 18. Fili hominis, cane lugubre super multitudinem Ægypti: et detrahe eam ipsam, et filias gentium robustarum, ad terram ultimam, cum his qui descendunt in lacum. 19. Quo pulchrior es? descende, et dormi cum incircumcisis. 20. In medio interfectorum gladio cadent: gladius datus est, attraxerunt eam, et omnes populos eius. 21. Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus eius descenderunt, et dormierunt incircumcisi, interfecti gladio. 22. Ibi Assur, et omnis multitudo eius: in circuitu illius sepulcra eius: omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio. 23. Quorum data sunt sepulcra in novissimis laci: et facta est multitudo eius per gyrum sepulcri eius: universi interfecti, cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium. 24. Ibi Ælam, et omnis multitudo eius per gyrum sepulcri sui: omnes hi interfecti ruentesque gladio: qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam: qui posuerunt terrorem suum in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. 25. In medio interfectorum posuerunt cubile eius in universis populis eius: in circuitu eius sepulcrum illius: omnes hi incircumcisi, interfectique gladio: dederunt enim terrorem suum in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum: in medio interfectorum positi sunt. 26. Ibi Mosoch, et Thubal, et omnis multitudo eius: in circuitu eius sepulcra illius: omnes hi incircumcisi, interfectique et cadentes gladio: quia dedederunt formidinem suam in terram viventium. 27. Et non dormient cum fortibus, cadentibusque et incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terra viventium. 28. Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris, et dormies cum interfectis gladio. 29. Ibi Idumæa, et reges eius, et omnes duces eius, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio: et qui cum incircumcisis dormierunt, et cum his qui descendunt in lacum. 30. Ibi principes aquilonis omnes, et universi venatores: qui deducti sunt cum interfectis, paventes, et in sua fortitudine confusi: qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, et portaverunt confusionem suam cum his qui descendunt in lacum. 31. Vidit eos Pharao, et consolatus est super universa multitudine sua, quæ interfecta est gladio: Pharao et omnis exercitus eius, ait Dominus Deus: 32. Quia dedi terrorem meum in terra viventium, et dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio: Pharao, et omnis multitudo eius: ait Dominus Deus.

Vers. 1 Et factum est duodecimo anno.) A transmigratione Iechoniæ

In una, id est prima die, mensis.

Vers. 2. Assume lamentum) Id est carmen lugubre, quale assumpsisti super cladem regis Tyri c. 27. 2. et Isaias super Balthasarem c. 14. 4. Fuit hic mos veterum tam fidelium, quam Gentilium, ut lamento defunctis parentarent, et quasi iusta persolverent: unde in eo solebant enarrare opes, virtutes, et trophæa defuncti. Ita David cæso Saule et Ionatha, hoc carmine eos planxit, 2. Reg. 1. 19. *Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt: quomodo*

Funebris orationis origo, et antiquitas.

A *ceciderunt fortes?* etc. *Sagitta Ionathæ numquam recessit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis. Saul, et Ionathas amabiles, et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores.* Tale carmen sunt Threni Ieremiæ, quibus plangit ruinam Ierusalem. Tale etiam est Ierem. 51. 41. quo plangit occasum Babylonis: *Quomodo capta est Sesach, et comprehensa est inclyta universæ terræ?* etc. Ita Romani defunctos in forum efferebant, ibique publice pro rostris funebri oratione laudabant. Cuius laudationis origo tribuitur Valerio Poplicolæ, qui primus Brutum mortuum pro ro-

stris laudavit, teste Plutarcho, et Dionysio Halicarnas. l. 5. Alii tamen anterius, ad tempora regum hunc ritum referunt. Acro vetus Horatii interpres in Epod. *Varro*, ait, *pro rostris sepulcrum Romuli dixit: ubi etiam in huius rei memoriam, duos leones fuisse erectos constat: unde factum est, ut pro rostris mortui laudarentur.* Porro hæc elogia habebantur a proximis cognatis. Ita Fabium pro rostris filium laudasse, auctor est Plutarchus in eius vita; et de Tiberio ait Svetonius: *Novem annos natus defunctum patrem laudavit.* Audi et Appian. lib. 1. *Pro rostris in suggestu posito cadavere, funebrem orationem habuit vir eius ætatis eloquentissimus, quod Faustus filius nondum esset maturus.*

Leoni Gentium.) q. d. O Pharao eras inter gentes, quod leo inter bestias, eisque ut leo dominabaris, imo cum lubebat eas devorabas.

Et draconi.) Ceto, sive balenæ. Unde Aquila vertit, *Leviathan:* unde sequitur, *Qui est in mari*, id est, qui in mari dominatur, qui ingentes aquarum moles naribus exsufflat, et in altum iacit, totumque mare commovet: sic enim Pharao dominabatur in Ægypto, quæ septem rivis Nili, quasi maris brachiis circumdatur.

Ventilabas cornu.) Ita et Septuag. vertunt, q. d. *Agitabas cornu*, id est potentiam et ferociam tuam in Ægypto. Legit interpres ותנגח *vattaggach*, a rad. נגח *nagach*, id est cornutare, cornu petere. Sic enim bestiæ maiores et fortiores suis cornibus ventilant, fugant et sternunt minores et infirmiores in terra, æque ac crocodili pisces et bestias cæteras in Nilo, ac balenæ in mari. Sic Homer. Illiad, β. Τρωας κεραιζε, *Troianos cornu ventilavit*; hoc, uti et alia multa, ab Hebræis sacrisque libris mutuatus. Iam legunt ותגח *vattagach*, id est, ut Vatab. *eduxisti*, scilicet aquas per flumina tua, hoc est, deduxisti Nilum in multos rivulos, ut omnes campos irriget et fœcundet. Alii, *saltasti*, lascivisti *in fluminibus tuis;* alii, *proserpis, proripis te, protrudis* (uti pisces alii alios protrudunt) *in fluminibus tuis.* Hoc enim significat radix גוח *guach.*

Et conturbabas aquas.) Qui insanis bellis turbabas quasque gentes propinquas, et earum flumina, id est regiones, conculcabas.

Secundo, per conturbationem aquarum intelligitur turbulenta subditos gubernandi ratio. Pharao enim impius, immanis, discordiæ amantissimus omnia turbabat et miscebat. Alludit ad Nilum, qui turbidis est aquis, et cum exundat, omnem terram operit et confundit.

Vers. 3. Expandam super te rete, te quasi feram, puta leonem, et quasi cetum sagena capiam in multitudine populorum.) Solent enim multi ad capturam leonis, æque ac ceti, convenire, q. d. Ego te, o Pharao, per Chaldæos regno tuo extraham, et in terram proiiciam (cetus enim, et pisces aqua extracti, in terra moriuntur) ut *te*, id est tuum regnum et opes, *volatilia*, id est principes Chaldæorum *et bestiæ*, id est milites, prædentur, lanient, devorent.

Rete est facilitas providentiæ Dei. Symbolice, per rete significatur Deum facillime sua providentia omnia capere et comprehendere. Hinc proverbium: *Retibus urbes capit;* quod ænigma in eos dicitur, quibus in peragendis rebus est fortuna secunda; tractum, ut scribitur, a Timotheo Atheniensi, cui a bona fortuna ευτοχης cognomen inditum est, cuique noctu dæmonis umbra apparuisse dicitur, quæ ad captandas urbes rete ei dabat: atque ideo ipse dictus retibus urbes capere. Id scribit Ulpianus in secunda Demosthenis Olynth. et Aristophanis interpres. Hunc ipsum quoque Timotheum pingi solitum a pictoribus ea effigie, Suidas et Ulpianus aiunt, ut illi dormienti fortuna urbes, quas ille ceperat, retibus inclusas afferret. Verum cum insolentia quadam elatus diceret, non fortunæ nutu, sed propria virtute tantas se res gerere, ad summam redactus est inopiam. Lege Plutarchum.

Vers. 5. Implebo colles sanie tua.) Id est, cadaveribus tui exercitus. Ita R. David. Pro *sanie* verti potest, *altitudine tua*, id est, alto cumulo cadaverum; Sept. *sanguine tuo.* Pisces enim pro sanguine habent saniem.

A Foetore.) Hebr. צפה *tsapha* potest Primo, deduci a צוח *tsuph*, quod significat natare, inundare, q. d. Ut Ægyptus aquis, sic nunc sanguine occisorum inundabit; ita ut hic sanguis montes excedat. Secundo, si a rad. צפה *tsapha* deducas significat speculari, q. d. Terram e qua specularis, id est tuos montes, sanguine tuo rigabo. Vers. 6.

Et valles implebuntur ex te.) Ex sanguine tuo, id est, tuorum militum, q. d. Natabunt valles et colles in cruore tuo. Est hyperbole; vide canon. 32.

Operiam, etc. cælum, et nigrescere faciam stellas.) Extinguendo splendorem tuum, quo tu prius hæc omnia collustrare videbaris. Est hyperbole, et hypallage poetica. Nam acerbitatem doloris solet Scriptura exprimere per obscurationem Solis, lunæ, stellarum, non quod vere hæc obscurata sint: sed quod tantus sit dolor, et mentis ac sensuum perturbatio in hominibus, ut eis sol et stellæ cadere, vel obscurari videantur. Simili schemate poetico dixit Poeta: Vers. 7.

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

B Pari modo hæc omnia a Propheta hic poetice dicuntur et exaggerantur. Est enim hoc Pharaonis lamentum, id est lugubre carmen, uti dixit v. 2.

Allegorice, hæc vere et reipsa contingent in fine mundi, Matth. 24. 29.

Tropologice, sol, luna et stellæ Ecclesiæ obscurantur, cum principes Ecclesiastici, vel sæculares a iustitia et sanctitate deficiunt ad improbitatem.

Et irritabo, id est, non tam ira, quam metu concitabo et percellam, ut patet ex sequentibus, cor populorum multorum, cum induxero contritionem.) Id est, cum te, o Ægypte, captivam duxero ad gentes tibi ignotas: vel, cum fecero, ut contritio et clades tua gentibus ignotis innotescat per fugam tuam, cum ad eas cives tui vastati confugient. Vers. 9.

Cum volare, id est stringi, et coruscare, coeperit gladius meus super facies eorum.) Id est, cum ipsi viderint fulgenti et districto gladio te cædi, contremiscent, existimantes rem suam agi, *paries cum proximus ardet.* Vers. 10.

C Pro anima sua.) Timentes animæ, id est, vitæ suæ, ne eodem modo, quo tu, cædantur.

Perdam omnia iumenta eius, quæ erant super aquas plurimas.) Id est, quæ pascebantur in pratis, et agris, qui aquis ex Nilo deductis, indeque germine abundant. Vers. 13.

Non conturbabit eas pes hominis.) Tanta erit Ægypti vastitas et solitudo, ut non sint homines, qui aquas pedibus suis conturbent, ut in aquatione fieri solet.

Quasi oleum.) Id est, quietas, indeque puras, claras et limpidas sicut oleum. Loquitur poetice, uti dixi v. 7. Vers. 14.

Plenitudine.) Habitatoribus. Hi enim implent terram, eiusque sunt quasi plenitudo. Vers. 15.

Planctus est.) Id est erit: vel potius ex Hebræo, q. d. Hic est planctus. Hebr. קינה *kina*, id est lamentum, et carmen lugubre, quo, ut supra dixi plangent Ægyptum. Vers. 16.

D Filiæ, id est, nationes, vel urbes Gentium.) Urbes enim ob pulchritudinem ab Hebræis vocantur filiæ; ut, filia Sion, id est, urbs speciosa Sion.

Super Ægyptum, etc. plangent eum.) *Eum* scilicet planctum. Sic dicimur flere fletum, ridere risum. Aliter Maldon. *plangent eum*, id est *eam*, scilicet Ægyptum, ut sit enallage generis. Verum quia ait *Plangent eum super Ægyptum:* hinc το *eum*, necessario planctum refert, non Ægyptum.

Et factum est in duodecimo anno (eodem anno) in quinta decima mensis.) Eiusdem, id est duodecimi, ut dixerat v. 1. Hoc est quatuordecim diebus postquam ei dictum fuit: *Assume lamentum.* Ita Maldon. Vers. 17.

Detrahe, prædic detrahendam Ægyptum, et filias, id est urbes, aliarum Gentium vicinarum, in lacum et terram ultimam.) Id est, non in sepulcrum, ut vult Vatabl. sed in infernum. Vers. 18.

Quo pulchrior es.) Ita Hebr. et Rom. q. d. Cui te, o Ægypte, præfers? quo altior, quo speciosior es? Ecce Vers. 19.

quo altior tibi videris, eo profundius rues; quo speciosior, eo in tetriorem laci locum cades, ob superbiam ergo tuam descende, et dormi in sepulcro, et in inferno cum incircumcisis, et, ut Chald. peccatoribus. Hoc est, quod ait Christus de Capharnaum Luc. 10. 15. *Et tu Capharnaum usque ad cælos exaltata es, usque ad infernum demergeris.* Septuag. pro ממי *mimmi*, id est *quo*, alio puncto legentes ממי *mimme*, id est, *ex aquis*, vertunt, *ex aquarum pulchritudine* id est ex Ægypto, quæ Nilo pulchra fit et fœcunda, *descende.*

S. Gregor. l. 24. Moral. cap. 3. assertive hæc legens, non interrogative, sic moraliter explicat: *Extollenti se animæ dicitur: Quo pulchrior es descende, et dormi cum incircumcisis. Omnis enim qui infirmitatis suæ fœditatem considerare negligit, sed per elationis fastum virtutis suæ gloriam attendit, unde pulchrior est, inde descendit: quia extollendo se de suis meritis, inde in ima deterius corruit, unde gloriosum se esse iudicavit. Qui descendens cum incircumcisis dormit: quia in æterna morte cum cæteris peccatoribus deficit.*

Vers. 20. GLADIUS DATUS EST, Nabuchodonosori et Chaldæis, et ATTRAXERUNT EAM.) Scilicet Ægyptum, in os gladii, et in mortem. Paguin. vertit, *gladio data est*, scilicet Ægyptus.

Vers. 21. LOQUENTUR EI.) Quasi gratulandi causa: gaudebunt enim de eius ad inferos descensu, uti dixit cap. præced. Verba quæ loquentur omittit, sed ea intellige ex Isa. 14. 10. fore hæc aut his similia: *Et tu vulneratus es o Pharao, sicut et nos: descendisti ad inferos*, etc.

Vers. 22. IBI ASSUR.) Rex Assyriorum, quem cecidit, et cui regnum ademit Nabuchodonosor, adiutus a Cyaxare et Medis.

Vers. 23. QUORUM DATA, id est posita, SUNT SEPULCRA IN NOVISSIMIS LACI.) Id est, in imo inferni, q. d. Qui ex summo regni et tyrannidis culmine descendunt in imum gehennæ.

ET FACTA EST MULTITUDO EIUS.) q. d. Principes et milites Assur iuxta regem suum sepulti sunt, cum in hac vita omnibus terrori essent. Vide hic quo evadat tyrannis, et tyranni. Hæc est enim iusta et congrua merces, ut qui alios occidendo miserunt ad tartara, et ipsi occisi eodem mittantur: τὸ enim *qui* significat *quia*, ut patet v. 26. Nota. Impii in inferno dicuntur habere sua sepulcra, quia sunt in morte secunda. Sic Epulo Lucæ 16. v. 22. dicitur sepultus in inferno.

Mystice, S. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 39. Assur, ait, est superbus diabolus, qui multos ad culpam et pœnam secum pertrahit: *quem videlicet*, inquit, *cum humana corda suscipiunt, eius proculdubio sepulcra fiunt. Sed in circuitu illius sepulcra eius sunt: quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta coniungit. Et quoniam nunc in semetipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulcra cum mortuis* (cum dæmonibus) *ardebunt.*

IN TERRA VIVENTIUM.) Inter viventes in hoc mundo. Terram enim viventium opponit inferno, qui est terra mortuorum. Alii *viventium*, id est, iustorum et fidelium, scilicet Iudæorum, quos afflixit.

Vers. 24. IBI ÆLAM.) Persæ. Vide dicta Ierem. 49. 34. Ita S. Hieron.

SEPULCRI SUI.) Id est sepulcri eius, scilicet Ælam.

PORTAVERUNT IGNOMINIAM SUAM.) q. d. Tyranni, qui hic aliis terrori erant, gladio tandem cæsi, ignominiose mortui sunt, atque asportaverunt secum in infernum opera sua mala, et ignominiæ plena, indeque ignominiam et pœnam perpetuam.

Vers. 25. POSUERUNT scilicet dæmones, qui tyrannos et impios ad inferos deducunt, imo pertrahunt, CUBILE EIUS, scilicet Ælam, id est, regis Persarum, infernale inter populos, qui ei in hac vita paruerunt, et IN CIRCUITU EIUS SEPULCRUM ILLIUS.) Scilicet populi iam dicti. Nota enallagen numeri; iam enim populos vocat, iam populum. In Hebræo quoque est enallage generis. Iam enim de Ælam masculine loquitur, quasi de rege, iam fœminine: intelligit enim eius congregationem et multitudinem.

Vers. 26. IBI MOSOCH) Id est Cappadoces.

ET THUBAL.) Id est, Hispani, vel Iberi. Ita Lyranus. Alii Italos accipiunt. Vide cap. 27. v. 13.

Nota. Horum populorum regem intelligit. Unde sequitur: *In circuitu eius*, scilicet regis, vel principis, *sepulcra illius*, scilicet multitudinis, vel populi collocata sunt.

QUIA DEDERUNT.) q. d. Quia alios gladio interemerunt, hinc et ipsi gladio interempti sunt. *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matth. 26. 52.

Vers. 27. ET NON DORMIENT.) Non morientur morte naturali, uti heroes, qui victores gloriose mortui cum armis, gladiis et pompa sepeliuntur: sed bello vincentur, ibique victi turpiter et violente occidentur. Comparat ergo eos, non cum iustis, sed cum infidelibus, qui licet incircumcisi, gloriose tamen occubuerunt, q. d. Illis ergo hi infeliciores erunt: illi enim gloriose, hi autem ignominiose quasi victi et occisi descenderunt ad inferos.

ET POSUERUNT, id est, poni præceperunt, vel, ut ponerentur meruerunt, GLADIOS SUB CAPITIBUS SUIS.)

ET FUERUNT INIQUITATES EORUM IN OSSIBUS EORUM.) q. d. Ossa eorum proiicientur insepulta ob iniquitates eorum, quibus ita imbuti sunt, ut illæ adhuc videantur ossibus quasi inhærere. Aliter R. David, et ex eo Maldon. q. d. Qui gladio usque ad ossa confixi, iniquitatum suarum pœnas dederunt; de cætero vero honorifice et fortiter mortui sunt. Aut, ut alii, dederunt pœnas iniquitatum suarum, non ignominiose moriendo, sed in inferno intimis ossibus ardendo.

ET TU ERGO.) O Pharao eris hisce tyrannis, et occisis æque in pœna, ac in culpa et tyrannide socius, cum eisque sepelieris in imo inferni. Vers. 28.

IBI IDUMÆA.) In inferno erunt Idumæi, æque ac Assyrii, Ælamitæ, etc. Est repetitio poetica. Idem enim in singulis repetit et refricat more Hebræo, ad maius pathos. Vers. 29.

IBI PRINCIPES AQUILONIS.) Id est Babylonii, aliique Aquilonares tyranni, uti fuerunt Tyrii, et Sidonii, etc. Vers. 30.

ET UNIVERSI VENATORES.) Id est tyranni, qui aliorum bona et corpora venantur, quorum pater fuit Nemrod, magnus venator coram Domino, Genes. 10. 9. Chald. vertit, Sidonii: retinet enim verbum Hebræum *Sidonim*, quasi proprium, quod noster accepit ut appellativum: sic enim צדנים *tsidonim* significat venatores.

VIDIT EOS PHARAO, ET CONSOLATUS EST.) Cum videret se tot, tamque illustres asseclas et comites habere, quia per se levamen est pœnæ, in ea habere socium: esto aliunde ea crescat, dum ipsi invicem affligunt, et maledicunt, ut faciunt damnati in inferno. Vers. 31.

QUIA DEDI TERROREM MEUM.) Ita Hebr. Septuag. et Romana, q. d. *Quia*, id est, equidem ego Deus, uti olim dedi per eos terrorem Iudæis, et aliis viventibus, quos afflixerunt: ita iam illos puniendo, et deturbando ad tartara, ipsum omnesque tyrannos pariter terrebo. Alii legunt: *quia dedi terrorem suum*, q. d. Sicut ille sua crudelitate terruit omnes; ita ego illum puniendo, terrebo omnes impios, statuamque illum quasi speculum terroris mei, quo omnes gentes percellantur. Eodem redit uterque sensus. Ita Virgil. 6. Æneid. describit Æneam descendentem ad inferos, vidisse ibi Agamemnonem, Didonem, Titanes, Cyclopes, aliosque principes et tyrannos: Vers. 32.

Inter quas Phœnissa recens a vulnere Dido
Errabat silva in magna.

Et mox:

Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis
Parthenopæus, et Adrasti pallentis imago.
At Danaum proceres, Agamemnoniæque phalanges
Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu, pars vertere terga.
Atque hic Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit.

Et inferius:

Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo volvuntur in imo.

Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iovis, et sonitus imitatur Olympi.
Demens qui nimbos, et non imitabile fulmen,
Ære, et cornipedum cursu simularat equorum,

Et rursum:

Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent, sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus: Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos.

Sed audi certa et sacra. Ita Lazarus e sinu Abrahæ vidit divitem Epulonem in gehenna cruciari, suamque et Abrahæ opem implorantem. Sed frustra: nam ab Abraham audiit: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*, Lucæ 16. 25. Ita Eremita sanctus vidit Theodoricum regem discinctum, discalceatum, vinctisque manibus inter Ioannem Papam, et Symmachum patritium (quos iniuste occiderat) duci et proiici in ollam Vulcaniam, uti refert S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 30. Qui et c. 31. narrat Reparatum vidisse rogum parari cuidam scelerato, cuius cacumen in cælum a terra porrigi vide-

A batur. Et c. 36. narrat Petrum quemdam gehennæ supplicia vidisse, cumque in ea mergendus videretur, ab angelo liberatum audisse: *Regredere, et qualiter tibi post hac vivendum sit, cautissime attende.* Et cap. 38. narrat Chrysaorium in morte vidisse teterrimos spiritus sibi imminere, ut ad inferni claustra cum raperent. Et cap. 54. narrat de tinctore quodam, qui sepultus in templo S. Laurentii, noctu e sepulcro clamavit, *Ardeo, ardeo:* cumque sepulcrum inspicerent, vestes eius viderunt, at corpus non invenerunt.

Ita nuper consiliarius quidam Elisabethæ reginæ Angliæ, moriens vidit suam in gehenna sedem profundam, igneam, aliasque similes iuxta eam suis collegis paratas, uti a viris omni fide dignis accepi. Hosce Deus mortalibus dedit tibicines, hosce siticines, qui iugiter mutis, sed igneis vocibus, peccatoribus inclament: Sapite, nostro damno sapite. Hodie mihi, cras tibi: o vanas opes, o mendaces honores! Ambitio, avaritia et crapula duxerunt nos, vosque pariter ducent ad tartara. Quis poterit habitare cum igne devorante, commorari cum ardoribus sempiternis?

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet officium speculatorum, id est Prophetarum et prædicatorum, esse, præmonere populum de instante clade. Secundo, v. 10. invitat ad pœnitentiam, docens et promittens quod impius, si se convertat, vivet; iustus, si a iustitia deficiat, morietur; idque esse æquum et iustum. Tertio, v. 21. in Babylone existens edicit Ierusalem a Chaldæis iam esse captam et vastatam, quod postridie nuntius ex Iudæa veniens, verum esse confirmat. Inde Iudæis in Iudæa reliquis superbientibus, quasi ipsi soli Iudæam essent possessuri, cladem intentat. Denique v. 30. eis qui oracula Prophetæ, quasi carmen musicum audiebant et irridebant, stragem eis comminatam certo obventuram denuntiat.

1. ET factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis loquere ad filios populi tui, et dices ad eos: Terra cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terræ virum, unum de novissimis suis, et constituerit eum super se speculatorem: 3. Et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo: 4. Audiens autem, quisquis ille est, sonitum buccinæ, et non se observaverit, veneritque gladius, et tulerit eum: sanguis ipsius super caput eius erit. 5. Sonum buccinæ audivit, et non se observavit, sanguis eius in ipso erit: si autem se custodierit, animam suam salvabit. 6. Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. 7. Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. 8. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. 9. Si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua: ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti. 10. Tu ergo fili hominis dic ad domum Israel: Sic locuti estis, dicentes: iniquitates nostræ, et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus? 11. Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel? 12. Tu itaque fili hominis dic ad filios populi tui: Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccaverit: et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: et iustus non poterit vivere in iustitia sua, in quacumque die peccaverit. 13. Etiam si dixero iusto quod vita vivat, et confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. 14. Si autem dixero impio: Morte morieris: et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque iudicium et iustitiam, 15. Et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam iniustum: vita vivet, et non morietur. 16. Omnia peccata eius, quæ peccavit, non imputabuntur ei: iudicium et iustitiam fecit, vita vivet. 17. Et dixerunt filii populi tui: Non est æqui ponderis via Domini, et ipsorum via iniusta est. 18. Cum enim recesserit iustus a iustitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. 19. Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque iudicium et iustitiam, vivet in eis. 20. Et dicitis: Non est recta via Domini. Unumquemque iuxta vias suas iudicabo de vobis, domus Israel. 21. Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Ierusalem, dicens: Vastata est civitas. 22. Manus autem Domini facta fuerat ad me vespere, antequam veniret qui fugerat: aperuitque os meum donec veniret ad me mane, et aperto ore meo non silui amplius. 23. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 24. Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israel, loquentes aiunt: Unus erat Abraham, et hæreditate possedit terram: nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem. 25. Idcirco dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Qui in sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias vestras, et sanguinem funditis: numquid terram hæreditate possidebitis? 26. Stetistis in gladiis vestris, fecistis abominationes, et unusquisque uxorem pro-

ximi sui polluit: et terram hæreditate possidebitis? 27. Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus Deus: Vivo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent: et qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum: qui autem in præsidiis et speluncis sunt, peste morientur. 28. Et dabo terram in solitudinem, et in desertum, et deficiet superba fortitudo eius: et desolabuntur montes Israel, eo quod nullus sit qui per eos transeat. 29. Et scient quia ego Dominus, cum dedero terram eorum desolatam et desertam, propter universas abominationes suas, quas operati sunt. 30. Et tu fili hominis: Filii populi tui, qui loquuntur de te iuxta muros, et in ostiis domorum, et dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes: Venite et audiamus quis sit sermo egrediens a Domino. 31. Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus, et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum. 32. Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur: et audiunt verba tua, et non faciunt ea. 33. Et cum venerit quod prædictum est (ecce enim venit) tunc scient quod prophetes fuerit inter eos.

Vers. 2. AD FILIOS POPULI TUI.) Ad Iudæos populares tuos, q. d. Hactenus contra Gentes iussi te vaticinari, nunc redi ad tuos, eisque quasi speculator scelera, ob eaque clades imminentes speculare, et annuntia.

TERRA.) Est hebraismus. Sensus est, q. d. Cum super terram gladium induxero. Hebræi enim ponunt antecedens cum relativo.

Vers. 3. GLADIUM.) Id est, hostes. Nota metaphoram, vel allegoriam. Sensus enim est, q. d. Sicut tempore belli solet in urbe ex novissimis, id est infimis et plebeiis, constitui speculator, qui cives admoneat de hostium adventu; qui si idipsum non fecerit, illi mors et cædes civium imputabitur: sin ipse buccinando præmoneat, et aliquis ab hoste sibi non caveat, sanguis eius super ipsum erit, id est, ipse sibi est causa mortis, ipse suam mortem imputet sibi: ita speculator spiritualis, id est, Propheta et prædicator (qualis ego sum, non ex plebeio et infimo, sed ex nobili, puta ex sacerdotali genere a Deo electus et constitutus, ut libentius et attentius a vobis audiar) si minas Dei, ac pœnas præsentes et futuras peccatoribus non denunciet, ipsi peccatorum mors imputabitur: sin denuntiet, et aliquis non caveat sibi, sua mors et perditio eidem imputabitur. Unde S. Clemens libr. 2. Const. Apost. c. 6. docet Episcopum debere prædicare Evangelium. Hoc est enim tuba qua canit: *Gladius*, inquit, *iudicium est, tuba vero sacrum Evangelium, speculator autem Episcopus, qui præest iudicio et Ecclesiæ, quem oportet prædicando testari et affirmare de iudicio. Si enim non denuntiatum et testatum populo erit, peccatum ignorantium ascribetur vobis.* Hinc moraliter S. Bernard. *Sollicitudo*, ait, *officium Prælati est, non celsitudo.* Et Chrysost. in ep. ad Hebr. *Miror*, ait, *si quem ex his qui obtinent principatum, contigerit salvari in tanta eorum desidia, et in tot Dei adversus eos comminationibus.*

Prælati officium est sollicitudo, non celsitudo. Præclare S. Gregor. homil. 17. in Evang. *Vos estis sal terræ. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis debet esse sacerdos in populis. Curare namque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat, ut quisquis sacerdoti iungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Sed tunc vere aliis recta prædicamus, si dicta rebus ostendimus, si nos ipsi divino amore compungimur, et humanæ vitæ, quæ sine culpa transiri nequaquam potest, quotidianis lacrymis maculas lavamus. Tunc autem de nobis vere compungimur, si studiose patrum præcedentium facta pensamus, ut ex conspecta illorum gloria, in nostris nobis oculis nostra vita sordescat.* Et inferius gemens queritur, seque cum cæteris accusans, ait: *Ad exteriora negotia delapsi sumus, et aliud ex honore suscipimus, aliud ex officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, et ad pœnam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus. Hi qui nobis commissi sunt quotidie per multas nequitias pereunt, et eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere volemus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Unde bene S. Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. Vineæ quippe nostræ actiones sunt, quas usu quotidiani laboris excolimus. Nullum puto, fratres charissimi, ab aliis ma-*

A *ius præiudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, etc. Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis: Et erit sicut populus, sic sacerdos. Sacerdos enim non distat a populo, quando nullo merito vitæ suæ vulgi transcendit actionem. Imploremus Ieremiæ lacrymas, consideret mortem nostram, et deplorans dicat, Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*, etc. Subdit deinde hac de causa Deo vindice a barbaris eversa esse templa et monasteria, depopulatas urbes, agros vastatos. Ac rursum exhortans, ait: *Pen-*

B *semus ergo qui umquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti, pœnitentiam egerunt: quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit: Negotiamini dum venio. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo iudex veniet, et rationem cum servis suis quibus talenta sua credidit, ponet. Ecce in maiestate terribili, inter angelorum atque archangelorum choros videbitur. Ibi Petrus cum Iudæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam: ibi Ioannes Asiam, Thomas Indiam, in conspectu sui iudicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis a-*

C *rietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus, Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus; qui pastorum nomen habuimus, et oves quas ex nutrimento nostro debemus ostendere, non habemus? Ingrediuntur electi, sacerdotum manibus expiati, cælestem patriam; et sacerdotes ipsi per vitam improbam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens illos ad regnum cæleste mittit, et ipsa postea in cloacas descendit?* Hæc et plura Gregorius luctu dignissima, et factu necessaria.

SANGUIS EIUS IN IPSO ERIT.) Id est, ipse causa erit suæ mortis, nec in alium eam poterit conferre. Vers. 5.

D ANIMAM, id est, hominem. Est synecdoche, q. d. Si aliquem ex eis hostis occiderit, ILLE QUIDEM IN INIQUITATE, id est, ob iniquitatem et scelera sua, punietur et morietur; quia Deus hostes non immittit nisi ob peccata populi; tamen SANGUINEM EIUS DE MANU SPECULATORIS REQUIRAM.) Id est puniam speculatorem ut homicidam; quia mortem alterius imminentem, quam prædicere, quemque præmonere debebat, prædicendo et præmonendo, quantum in se erat, non impedivit. Vers. 6

SPECULATOREM DEDI TE.) O Ezechiel. Accommodat thesin ad hypothesin, ut et Ezechiel Iudæis prophetet, et Iudæi eum audiant, eique credant. S. Clem. lib. 2. Const. Apost. c. 6. ex doctrina S. Petri et Apostol. ita sancit de Vers. 7.

Episcopo: *Vos Episcopos speculatores populi esse oportet, quod vos quoque speculatorem habeatis Christum. Et vos igitur estote boni speculatores populi Dei. Ait enim Dominus unicuique nostrum per Ezechielem: Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel*, etc.

Audi S. Prosper. l. 1. de Vita contemplat. c. 20. *Speculatorem dedi te, hoc*, inquit, *est dicere, si ei peccata sua non annuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur, et vivat: et te, quia non increpasti; et ipsum, qui te tacente, peccavit, flammis perennibus perdam. Quis tam saxeus, tam ferreus erit, quem sententia ista non percellas?* Et S. August. hom. 7. inter 50. *Si diligenter*, ait, *attenditis, omnes sacerdotes in grandi periculo esse cognoscetis. Ipsis enim contestatur Spiritus sanctus dicens Isa.* 58. *Clama ne cesses. Et Ezech.* 33. *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram. Et Apostolus Hebr.* 13. *Ipsi pervigilant, tamquam rationem reddituri de animabus vestris.* Si quisque pro se vix poterit rationem reddere in die iudicii, quid faciet pastor, a quo omnium subditorum animas requiret Deus?

Egregie quoque Origen. hom. 7. in Iosue: *Tu*, inquit, *qui Ecclesiæ præsides, corporis Christi es oculus; vide ergo ut omnia circumspicias, omnia circumlustres, etiam ventura prævideas. Pastor es, vides oviculas Domini ignaras periculi ferri ad præcipitia, et per prærupta pendere, nec occurris? non revocas? non saltem voce cohibes, et correptionis clamore deterres? sic memor es Dominici sacramenti, ut, cum ille derelictis nonaginta novem in cælestibus, propter unam oviculam, quæ erraverat, in terras descenderit, et inventam vectaverit humeris suis ad cælum, nos in nullo prorsus in curandis oviculis magistri pastoris sequamur exemplum?*

Pastoris vigilia triplex. Rursum S. Bernard. in sententiis: *Pastorum est*, inquit, *vigilare super gregem propter tria necessaria: videlicet, ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur a pusillanimitate. In disciplina rigor est iustitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece affectus compassionis.*

Moral. quam libere Prælati arguere debeant peccantes. Hinc Secundo, disce hic, quam Deus velit principes et Prælatos sollicite monere, et libere redarguere peccantes: ni enim id faciant, eis mortem intentat. Quocirca Nehemias c. 5. audiens clamorem populi propter gravamina, quæ patiebatur a divitibus, increpavit optimates et magistratus. Idem fecit pro eo, quod multi portando onera, diem sabbati profanabant.

Daniel discrete, sed libere arguit regem Balthasar exemplo patris sui. Rex eum patienter audivit: imo licet ei Daniel exitium intentaret, magnifice tamen eum honoravit, Daniel. 5.

S. Ioannes Baptista miro fervore corripuit Pharisæos, dicens: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Matth. 3.

S. Stephanus in concilio Iudæos acriter reprehendit, dicens: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri, ita et vos*, Actor. 7. 51.

S. Paulus intuens Elymam magum, qui nitebatur avertere Paulum Proconsulem a fide, dixit illi: *O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, et inimice omnis iustitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.*

S. Macedonius Anachoreta iussit iudices Imperatoris ex equo descendere, ac renuntiare Imperatori: sciret se esse hominem, ac eiusdem naturæ cum aliis, quare non tam crudeliter curaret e medio tolli homines, qui sunt vivæ et spirantes Dei imagines, præsertim cum ipse Imperator tam ægre tulerit coniugis suæ imaginem æneam contumelia affici, ut propterea tot homines trucidare velit. Ita Theodor. in eius vita, et Baron. anno Christi 388.

Isaacius monachus Valentem Imperatorem proficiscentem ad bellum libere redarguit, eique interitum prædixit. A Cumque Valens eum capi et custodiri iuberet, donec a bello victor rediret, dixit Isaacius: *Eneca etiam*, inquit, *si mendacia deprehenderis verba mea.* Et vere: nam Valens a Gothis victus in casa ab eis combustus est: atque Isaacius absens in carcere suis nuntiavit diem et horam necis eius; quin et nidore assarum carnium eius repletus est. Ita Niceph. lib. 11. cap. 50.

S. Amandus Episcopus, Romæ in ecclesia S. Petri pernoctans, vidit S. Petrum, qui ei iussit ut ad Dagobertum regem Francorum pergeret, eumque de suis peccatis corriperet, quod et fecit; ideoque regia extrusus est. Sed tandem resipiscenti Dagoberto Amandus gratus fuit. Ita habet eius vita.

Verum advertat Prælatus, et monitor, quod correctio non debeat esse nimis severa et ultrix; sed mansueta, et talis, ut ex charitate proficisci videatur; alioqui noxia est. Correptio, sit lenis, et ex charitate manans.

Nota est visio S. Carpi anno Domini 59. qui in somnis indignans in Gentiles, quod fidelem quemdam a fide averterant, optansque eos in tartara trudi, vidit Christum eis B manum porrigentem, ac dicentem Carpo: *Percute adversum me: paratus enim sum iterum pro salvandis hominibus pati: tu autem inspice an tibi utile sit, hanc in gehenna mansionem præferre Dei et angelorum consortio.* Rem fuse narrat S. Dionysius epistol. ad Demophilum.

Cum Ameras Tharsi dux Saracenorum contra Romanos cum exercitu profectus esset, atque in Herculis vicum milites deprædatum misisset; quidam presbyter Themel nomine, sacrificium incruentum peragens, ut agnovit Saracenorum irruptionem, relicto sacrificandi munere, ita ut erat indutus, manibus gestans Ecclesiæ mysterium, sic eos, qui invaserant propulsavit, et multos vulneravit, non paucos interfecit, reliquis in fugam versis. Cum vero Episcopus idcirco ei sacris interdiceret, interdicti relaxationem petiit: postquam non impetravit, ad Agarenos se contulit, et Christianam fidem eiuravit, atque cum ipsis egressus non solum Cappadociam, et finitima loca vexavit, sed etiam usque ad Asiam, quæ Minor dicitur, pervenit; et C quanta detrimenta intulerit, nec scribere quidem nobis fas est, inquit Curopalates, et ex eo Baron. anno Christi 957. Quanto præstitisset Episcopum leniter cum eo egisse, ac petenti et pœnitenti interdictum relaxasse?

PECCATA NOSTRA SUPER NOS SUNT.) Nos gravant, et ducunt ad mortem. Vers. 10.

NOLO MORTEM IMPII.) *Nolo*, scilicet antecedenter, et quantum est ex parte mea: quia, ut sequitur, volo ut convertatur impius a via sua, et vivat; ideoque te, Ezechiel, aliosque Prophetas et prædicatores ad eos mitto, eisque sub pœna mortis præcipio, ut eos moneant, arguant, ac ad pœnitentiam invitent. Atque sicut exterius per prædicatores; ita et interius per sanctos gratiæ impulsus, perque terrores et consolationes, quas eis immitto, ad eamdem illos invito. Sine his enim frustranea et inanis foret omnis exterior prædicatio. Quod si tot modis a me excitati, ipsi aures obturent, et converti nolint: tunc ego consequenter volam et decernam eorum mortem, quasi iustum D eorum supplicium, quo cæteri terreantur. Non ergo per Deum, sed per peccatores stat, quod ipsi in peccatis maneant, pereant et damnentur. Hoc est quod ait Sapiens Eccli. 15. 11. *Non dicas, Per Deum abest: quæ enim odit ne feceris.* Vide dicta c. 18. 23. Vers. 11

IMPIETAS IMPII NON NOCEBIT EI, IN QUACUMQUE DIE CONVERSUS FUERIT AB IMPIETATE SUA.) Prudenter S. August. tract. 33. in Ioannem in fine tom. 9. *Homines*, ait, *periclitantur, et sperando, et desperando. Sperando, dum dicunt, Bonus est Deus, faciam quod mihi placet, quod libet: desperando*, dum ob gravia peccata, quæ fecerunt, *dicunt, Iam damnandi sumus, quare non quod volumus facimus? Metuendum est, ne te occidat spes, et cum multum speras, de misericordia incidas in iudicium. Metuendum est rursus, ne te occidat desperatio*, etc. Hinc utrique succurrere volens Dominus, *illis qui spe periclitantur dicit Eccles.* 5. *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Illis qui despe-* Vers. 12

ratione periclitantur quid dicit? In quacumque die impius conversus fuerit, omnes iniquitates eius obliviscar. Propter illos ergo, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum: propter illos, qui spe periclitantur, et dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat ultimus dies nescis. Ingratus es, si eum expectas: quia hodiernum habes, in quo corrigaris.

Vers. 13. Etiamsi dixero iusto, quod vita vivat.) Scilicet, si permanserit in iustitia sua.

Vers. 14. Fecerit iudicium, et iustitiam.) Innocenter et iuste vixerit.

Vers. 15. Mandatis vitæ.) Quæ ducunt ad vitam præsentem et æternam.

Vers. 17. Et dixerunt, etc. Non est æqui ponderis.) Id est, æqua; Septuag. *recta*, id est, non est æquo pondere rationis et iustitiæ librata, q. d. Non æque, non recte nobiscum, puta cum piis et impiis, agit Deus. Vide dicta c. 18. sub finem.

Vers. 18. Et, id est cum, ipsorum via iniusta.) Iniqua, prava et detorta sit.

In eis.) Propter eas.

Vers. 21. Et factum est in duodecimo anno, etc. transmigrationis nostræ.) Hinc patet Ezechielem annos suos consignare per æram transmigrationis Iechoniæ, uti sæpe superius dixi.

Venit ad me qui fugerat.) Expugnata iam urbe Ierusalem, uti prædixerat illi Deus c. 21. v. 26. Expugnata enim fuit Ierusalem anno undecimo, mense quarto, die quinta, Ierem. 39. 2. facile ergo spatio sesquianni potuit Ezechiel in Babylone accipere nuntium de eius expugnatione: imo potius mirum est, quod non prius eum acceperit: verum in tanta vastitate, et paucitate eorum, qui cladem Hierosolymæ effugerant, atque in tanta locorum intercapedine id mirandum non est, cum quisque de se et vita sollicitus, parum de clade hac in Babylone nuntianda cogitaret.

Vers. 22. Manus Domini, id est virtus, efficacia et operatio Domini afflaverat me pridie spiritu prophetico, ut libere prædicarem in Babylone excidium Ierusalem nuper factum, et non silerem, quod postridie nuntius adveniens reipsa completum, et verum esse nuntiavit. Hoc enim est, quod ait: Aperuitque Dominus os meum.) Id est, dedit mihi loquendi libertatem et audaciam.

Vers. 24. In ruinosis his.) In ruinis Ierusalem, et Iudææ a Chaldæis eversæ, q. d. Hi relicti a Chaldæis in Iudæa cum dolere deberent, gaudent, quod pauci ipsi totam Iudæam sint possessuri, dicuntque id non esse mirum, eo quod uni Abrahæ Deus illam promiserit; illi autem pro Abraham sint multi.

Vers. 25. In sanguine.) Cum sanguine comeditis carnem. Sanguinis enim esus lege vetitus erat, Levit. 19. 26. Alii exponunt, q. d. Qui inter comedendum de sanguine proximi fundendo cogitatis: aut, postquam sanguinem innocentem fudistis, cruentis adhuc manibus cibum securi sumitis, quasi nihil mali fecissetis. Ita Maldon.

Oculos levatis ad immunditias vestras.) Cum amore, reverentia, spe, veneratione, affectu, desiderio respicitis ad idola vestra. Levare ergo oculos ad idola, symbolum erat et signum adorationis eorum. Ita Chald. Vatabl. et alii. Vel proprie, q. d. Respicitis ad libidines et turpitudines vestras.

Vers. 26. Statistis in gladiis.) Cum gladiis vestris, quasi parati ex habitu et consuetudine occidere innocentes. Ita R. David: vel, stetistis innixi gladiis vestris, quasi iis confisi, ac dicentes, *Manus nostra excelsa, et non Dominus,*

A *fecit hæc omnia*. Unde Chald. vertit, *stetistis in fortitudine vestra.*

Qui in ruinosis, in ruinis Ierusalem, habitant. Vers. 27.

Gladio cadent.) Godolias enim cum suis occisus est ab Ismaele, et post eum alii multi a Chaldæis.

Eo quod, ita ut, nullus sit qui per eos transeat. Vers. 28.

Qui loquuntur de te.) Qui obloquuntur, et irrident Vers. 30.
te, uti otiosi et sanniones in foro facere solent.

Quasi si ingrediatur populus.) Id est, sicut solet Vers. 31.
populus ingredi, scilicet confertim, et multi simul. Ita Septuag.

In canticum.) Id est, rident, contemnunt, vertunt in locum et canticum tuas minas et conciones.

Et es eis quasi carmen musicum.) q. d. Audiunt te Vers. 32.
voluptatis et recreationis ergo, non doctrinæ, ut vitam corrigant, quasi audirent te scite pulsantem instrumentum musicum, solo concentu delectati. Septuag. *et es eis quasi vox psalterii;* Chald. *quasi canticum organorum;* B Vatabl. *velut canticum amorum*, vel *amatorium: canticum*, id est canens amatoria, q. d. Tu es illis ludibrio, rident te, quasi histrio eorum esses. Sic Quintilian. l. 1. v. 10. ait, *Assignare carmen allectationi*, et *carmen componere ad lyram*. Hinc et proverbium: *Musice vivit*, id est, otiose et voluptuarie vivit: sed horum musica fit *Bœotica cantilena*, id est in luctum, et funebre carmen convertitur, dum extrema gaudii luctus occupat, et sanniones sentiunt iras Dei, quas ante riserant. Narrat Herodotus lib. 2. Cyrum, cum Iones pacis conditiones quas prius repudiarant, ab eo reposcerent, dixisse eis apologum tibicinis, qui ad alliciendos pisces tibia cecinerat, sed cum nihil proficeret, sagenam misit in mare, multosque pertraxit, quos cum palpitantes intueretur: *Temperate*, ait, *iam a saltationibus*, *quia me canente noluistis saltare*. Ita Deus Iudæis tibiam Ezechielis et Prophetarum respuentibus, hamum Chaldæorum immisit, quo capti et necati sunt. Hinc Themistocles in regendo duo adhibenda esse numina dicebat, πειθω και βιαν, ut qui illius C suavitatem contempserint, huius stimulos sentiant. Id declarat apologus (nostro huic antistrophus et dissimiliter similis) Phædri l. 3. c. 55. de cicada, quæ rogata a noctua ut taceret, nec somnum impediret, cum illa nollet, invitata a noctua ad Palladis nectar, ut sitim canendo contractam extingueret, veniens ab ea occisa est. *Sic viva quod negarat, tribuit mortua*. Ita impii qui viventes noluerunt obsequi Deo et Prophetis, moriendo obsequuntur. Canunt illi suas cantilenas lascivi, silere nolunt iubente Deo, qui proinde morte eos puniens silentium eis indicit.

Tales et hodie sunt multi, qui prurientes auribus conciones serias et efficaces fastidiunt, elegantes et curiosas sectantur; similes Atheniensibus tempore S. Pauli, qui ad nihil aliud vacabant, nisi ut aliquid novi dicerent, vel audirent, Actor. 17. Verum Dei præco propterea animum non despondeat, nec a concione cesset, neque rursum modum concionis mutet, ut eorum auribus se accommodet, easque scalpat: sed perstet in suo munere, gradu et spiritu, D nec dubitet Deum copiosum ex hoc labore et ministerio fructum eliciturum. Et esto paucos converteret, tamen nec concio fructu, nec ipse mercede sua condigna frustrabitur. Unius enim animæ conversio et salus, condignum omnis laboris est pretium. Refert Cicero lib. de Claris Orator. Antimachum nobilem poetam, cum convocatis auditoribus, legeret eis suum carmen, eumque loquentem omnes præter unum Platonem reliquissent, dixisse:

Legam nihilominus, Plato enim unus mihi instar est omnium.

CAPUT TRIGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pastores, qui non gregem, sed seipsos pascunt, arguit, punit, officio privat. Inde v. 11. se gregem suum visitaturum; ac v. 23. se verum Pastorem missurum promittit, Christum scilicet, qui dissipatum gregem colligat, pascat, et salvet.

1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis propheta de pastoribus Israel: propheta, et dices pastoribus: Hæc dicit Dominus Deus: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur? 3. Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. 4. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. 5. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor: et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt. 6. Et erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso: et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. 7. Propterea, pastores, audite verbum Domini. 8. Vivo ego, dicit Dominus Deus: quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, et greges meos non pascebant: 9. Propterea, pastores, audite verbum Domini. 10. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultra eis in escam. 11. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. 12. Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis. 13. Et educam eas de populis, et congregabo eas de terris, et inducam eas in terram suam: et pascam eas in montibus Israel, et rivis, et in cunctis sedibus terræ. 14. In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. 15. Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. 16. Quod perierat requiram, et quod abiectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam: et pascam illas in iudicio. 17. Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego iudico inter pecus et pecus, arietum et hircorum. 18. Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. 19. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. 20. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, et macilentum. 21. Pro eo quod lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras: 22. Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et iudicabo inter pecus et pecus. 23. Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. 24. Ego autem Dominus ero eis in Deum: et servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum. 25. Et faciam cum eis pactum pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terra: et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. 26. Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem: et deducam imbrem in tempore suo: pluviæ benedictionis erunt. 27. Et dabit lignum agri fructum suum, et terra dabit germen suum, et erunt in terra sua absque timore: et scient quia ego Dominus, cum contrivero catenas iugi eorum, et eruero eos de manu imperantium sibi. 28. Et non erunt ultra in rapinam in gentibus, neque bestiæ terræ devorabunt eos: sed habitabunt confidenter absque ullo terrore. 29. Et suscitabo eis germen nominatum: et non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra opprobrium gentium. 30. Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, et ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus. 31. Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis: et ego Dominus Deus vester, dicit Dominu Deus.

Vers 2 Væ.) Id est, æternum exitium eis intento. *Tot mortibus*, ait S. Greg. *Prælati digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

Pastoribus.) Tum laicis, uti sunt reges, principes, magistratus; tum sacris, uti in veteri testamento erant pontifices, Scribæ et sacerdotes: iam sunt Episcopi et Parochi.

Qui pascebant semetipsos.) Lacte et carnibus gregis mei, id est, qui sua, non gregis, commoda et lucra quærebant; cum boni pastoris sit gregem sibi commissum, non seipsum, pascere. Unde explicans subdit:

Vers 3. Lac comedebatis, et lanis operiebamini.) Per *lac* et *lanam* intelligit fruges et opes subditorum, quas exhauriebant falsi et ficti, imo picti pastores. Noster, et Sept. legentes חלב *chalab*, vertunt, *lac*; iam Hebræi aliis punctis legentes חלב *cheleb*, vertunt, *adipem*, sive *pinguedinem*, q. d. Pinguissima gregis vorabatis. Verum noster melius legit *chalab*, id est *lac*. Grex enim hæc tria præstare solet pastori, scilicet, lac, lanam, carnes. Per lac apposite Maldon. accipit stipendium pastorum. Pastor enim suo iure lacte gregis vescitur, ut ait Apost. 1. Cor. 9. v. 7. Lana est, quidquid præter sua salaria, spoliantes populum, accipiebant. Lana enim vel est ovium, vel heri et domini earum, non pastoris. Pastor ergo eam detondens, vel oves, vel herum re sua dispoliat. Carnes sunt hæreditates, quas per fraudes, iniqua iudicia et homicidia captabant. Unde subdit: *Quod crassum erat occidebatis*, etc. Audi S. August. tract. de Pastor. tom. 9. c. 2. et 3. *Accipiant*, ait, *pastores sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt: non expectent illi mercedem, nisi unde et isti salutem. Quid ergo isti increpantur, unde arguuntur? quia cum lac sumerent, et lanis se tegerent, oves negligebant. Qui præbet lac, victum præbet; qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo quæ a populis quærunt, qui seipsos pascunt.*

Quod crassum erat occidebatis.) Divitibus mortem

Moral. de avaritia Eccle-siast. in pensioni-bus nimiis.

inferebatis, ut eorum divitias raperetis. Audiant has Prophetæ minas Ecclesiastici, Pastores et Prælati illi, qui ex beneficiorum proventibus lucris inhiantes, arcarum opes quærunt, non animarum; qui beneficia beneficiis, pensiones pensionibus accumulantes, quæstuarii potius sunt, quam beneficiarii. Nonne hi detondent oves, tonsasque et nudas aliis misellis pascendas relinquunt, qui Pastoratus, Canonicatus, Episcopatus resignant in alios, ac fructus pene omnes sibi reservant; ut, si aureos mille annuedet beneficium, ipsi ducentos vel trecentos cum eo resignent, sed octingentos cæteros sibi prætextu pensionis reservent? Nonne hos directe iaculo suo ferit et configit hic Deus, dicens: *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis?* Nonne in hos detonat Ieremias c. 6. v. 13. *A minore usque ad maiorem omnes avaritiæ student, et a Propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum?* Et Isaias c. 56. 11. *Ipsi pastores ignorarunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam.* Sanctio prisca Ecclesiæ est, *beneficium dari propter officium.* Quomodo ergo hi beneficii commoda et lucra captant, qui officium non præstant, sed illud in alium transferunt? Hæccine fuit mens fundatorum ecclesiæ, alere homines in ea nihil agentes et otiosos? Nonne si ad nos redirent protestarentur (imo iam in cælo, aut in Purgatorio degentes protestantur) sua legata et testamenta everti, se sua bona legasse ecclesiæ ad alendos pastores et ministros, qui reipsa per se fideles Christi docerent, pascerent, regerent, non ut iis alii, qui nihil ecclesiæ suæ conferunt, fruerentur et ditescerent? Nonne Dei hominumque fidem implorarent, ut hæc iis, quibus ipsi ea legarunt restituerentur? Ingens sane hæc est iniquitas, Primo, in Deum et Christum. Christi enim patrimonium, Christi Ecclesiæ ministrantibus deputatum, ab iis avertitur, et in extraneos, non ministrantes transfertur.

I.

II. Secundo, in ecclesiam quamque particularem, quæ hisce suis proventibus spoliatur; ac proinde doctos et insignes pastores et ministros nancisci nequit; sed pauperes, misellos, quin et ignorantes et inidoneos, qui quodvis stipendium acceptant, ut vivant. Quod si quando dignos nanciscatur, illi pro dignitate officium administrare, imo vivere nequeunt.

III. Tertio, in populum et fideles, qui ab hisce misellis ita erudiri, corrigi, formari et dirigi in vita Christiana nequeunt, uti a doctis et cordatis erudirentur et dirigerentur. Quare multorum salus periclitatur, imo de facto multi pereunt et damnantur ministrorum Ecclesiæ ignorantia, inexperientia, incuria, qui salvati fuissent, si ministros dignos, quales poscebant opes ecclesiæ, nacti fuissent. Annon hasce animas Christus in die iudicii requiret ab hisce lucrionibus?

IV. Quarto, in ipsos fundatores, quorum ultima voluntas, ipsaque legata et donationes evertuntur, ut dixi. Ipsi enim rogati dicerent, aliam prorsus fuisse suam mentem, numquam se in hasce pensiones, imo lacerationes et distractiones suarum oblationum consensisse, numquam consensuros.

V. Quinto, in Canones omnes antiquos, qui hasce pensiones vetant, statuuntque, ut non nisi iusta et gravi de causa, præsertim bene de Ecclesia meritis et emeritis assignentur, idque ut habet communis mos, ea proportione, ut tertiam fructuum beneficii partem non superent.

VI. Sexto, in Ecclesiam universalem, cui ingens datur scandalum. Rident et subsannant hæretici, sic ubi vident hasce avaritiæ in Prælatis Ecclesiæ nundinationes. Gemunt fideles. Clerici imitantur, ut pastorum et Prælatorum exempla sectentur, ac pensionibus similibus inhient.

VII. Septimo, in Episcopos et Patres omnes priscos et sanctos, quorum sanctiones, vita et exempla violantur. Hæc lucra, has pensiones non sectatus est, imo in nullo suorum admisit S. Augustin. qui teste Possid. in Episcopatu non opes, sed animas quæsivit, ideoque opes suas in pauperes erogavit. Non S. Greg. cuius liberalitatem et elee-

A mosynas deprædicat Ecclesia Romana. Non S. Ambrosius, non Chrysostomus, non Basilius, non Nazianzenus, non Athanasius.

Patres in ea invehuntur, quasi in crimina, imo sacrilegia, eisque inhiantes sacrilegii accusant: tum quia patrimonium Christi diripiunt. tum quia indignos et inidoneos se faciunt suo gradu, dignitate et officio. Officium enim eorum est verbo et magis vita dicere: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei*, ille est, *qui restituet hæreditatem meam mihi.* Clericus enim a κλῆρος, id est sors, dicitur; quod scilicet sortem non ambiat in terra, sed quod instar Levitarum et Sacerdotum veteris testamenti, sors eius sit Dominus, a quo hæreditatem expectat in cælo. Clericus ergo profitetur se non quærere opes in terra, sed in cælo, se cor habere fixum in Deo. Iam si quis lucris terrenis studeat, contrarium profitetur: clamat enim reipsa cor suum non esse in æthere, sed in ære, sortem suam non esse Deum, sed mammonam. Rursum officium eorum B est, prædicare regnum cælorum, quod Christus et Apostoli prædicarunt, ut scilicet homines a carne et terra ad spiritum et cælum avocent; ut a superbia, gula, avaritia homines ad humilitatem, temperantiam, opum contemptum traducant. Iam quomodo prædicabunt opes cælestes, qui toti terrestribus inhiant? quomodo oppugnabunt avaritiam, qui non nisi pensionibus accumulandis student? quomodo æternitatem et bona æterna inculcabunt, qui non nisi temporalia et caduca sectantur? S. Hilar. cap. 4. in Matth. explicans illud Christi: *Vos estis sal terræ*, ait, quod Apostoli, et eorum successores sint *rerum cælestium prædicatores, et æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes. Merito igitur sal terræ sunt nuncupati, per doctrinæ virtutem saliendi modo æternitati corpora reservantes.* At quomodo *æternitatis erunt satores*, qui toti temporalium sunt messores? Quomodo erunt sal terræ, qui quasi sal infatuatum in terram et terrena conversi sunt? Qui, ut subdit S. Hilarius, *sensu accepti saporis amisso, vivifi-* C *care corrupta non possunt, et proiecti de Ecclesiæ promptuariis, cum iis quos salierint, pedibus incedentium proteruntur.*

Denique in hos graviter invehitur S. Script. et Patres. Clamat Zachar. cap. 11. 17. *O pastor et idolum, derelinquens gregem*, q. d. Videris esse populi pastor, sed revera es idolum et larva pastoris: es fictus et pictus, non vivus et verus pastor, qui gregem deseris et te pascis. *Pascentes semetipsos* culpat S. Iudas. Lex Apostoli est: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant*, 1. Corinth. 9. 13. Qui ergo sacrario et altari non deserviunt, ex eo non edant, ex eo non vivant, nec deservientes ex stipendiis sibi constitutis defraudent, eaque ad se transferant. Apostoli, quorum hi sunt posteri, fidenter dicunt Christo Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Quomodo hi relinquunt non omnia, sed sua, qui inhiant alienis? Act. 3. 6. S. Petrus ait claudo, petenti eleemosynam: *Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* D Ac per hoc meritus est id, quod ait S. Aug. in Ps. 103. dicens: *Prorsus totum mundum dimisit Petrus, et totum mundum Petrus accepit: quasi nihil habentes et omnia possidentes.* Quomodo hæc dicent S. Petri asseclæ et discipuli, qui immodice aurum auro, pensionem pensioni, beneficium beneficio, ac quasi talpæ terram terræ accumulant? Merito de his questus est S. Bonifacius Germaniæ Apostolus, et in Frisia Martyr anno Christi 755. atque ex eo Concil. Triburiense c. 18. et habetur de consecr. dist. 1. cap. *Vasa quibus? Olim*, inquit, *sacerdotes aurei celebrabant in vasis ligneis, nunc sacerdotes lignei celebrant in vasis aureis.* Et S. Greg. hom. 17. in Evang. *Pensate*, ait, *fratres, quantæ damnationis est, sine labore percipere mercedem laboris; quanti criminis peccatorum pretia accipere, et nihil contra peccatum prædicando dicere.* S. Hieron. in illud Ezech. 22. *Principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, non corporum*, ait, *sed animarum; ut avare sectentur lucra, ne-*

quaquam illo contenti: qui serviunt altari, vivant de altari; sed postquam ad ministerium Dei accesserint, Crœsi divitias congregant.

S. Bernard. serm. 10. in Cant. acriter in eos invehitur, qui cum sint de crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, animarum salutem vel ruinam nihili æstimant: *Qui*, inquit, *Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem et mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, et profligant in acquisitionem turpis quæstus, et pretium universitatis suis marsupiis includere festinant.* Vide eumdem epist. 2. ubi de his inter alia dicit: *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* S. Nazianz. apolog. 1. *Spiritualis omnis præfecturæ*, ait, *finis est, privata utilitate neglecta commodis aliorum inservire.*

Hoc, ut alios taceam, præstitit hoc sæculo S. D. N. Gregorius XIII. qui opes Ecclesiæ in Ecclesiæ utilitatem et salutem animarum erogavit: excitavit et dotavit Collegia ad viginti: tot millia pauperum intra urbem et extra aluit, ut Cardin. Baron. tom. 2. anno Christi 172. narret ei erectam a Romanis statuam in Capitolio, cum hac inscriptione: *Sestertium octingenties, singulari beneficentia in egenos distributum*, id est vicies centena aureorum millia. Alexander Quintus, qui ex Ordine S. Francisci evectus est ad Pontificatum, adeo liberalis et effusus in pauperes fuit; ut diceret *se divitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.* Vide S. Chrysost. hom. 38. in S. Matth.

Denique inter alia de pensionibus ita sancit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 13. *Omnes cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, et parochiales, quæ summam ducatorem centum non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.* Hinc a pari, vel simili collige cætera: et Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. 32. graviter sancit, ut quibuslibet Ecclesiæ deservientibus, etiam vicariis, congrua fructuum portio assignetur, ex qua honeste iuxta statum vivere possint. O æterna veritas, vera sanctitas, sancta felicitas, illumina tenebras nostras, aperi oculos mentis nostræ, ut nulla nos seducat, nulla inquinet, nulla condemnet philargyriæ vanitas. Eia aspiret dies et lux tua, ut inclinentur umbræ. Infunde cordi nostro iustitiam, ut quæ Ecclesiæ sunt, Ecclesiæ; quæ Dei sunt, Deo reddamus. Infunde continentiam, ut modico (pro modica enim via huius vitæ modico opus est viatico) victu et amictu contenti, sobrie, iuste et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. Infunde religionem et pietatem, ut non Mammonæ iniquo, sed tibi Domino nostro serviamus in sanctitate et iustitia omnibus diebus nostris. Infunde charitatem, ut animam magis diligamus quam arcam, ut pauperes et inopes magis amemus quam aurum et opes. Infunde sapientiam, ut veras divitias ambiamus et coacervemus, quæ nobiscum perennent in cælis, non vanas et mox perituras in terris. Da nobis sic transire per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Da ut domos, nomen et familiam construamus non apud homines brevi morituros, sed apud te et SS. angelos, beatos et gloriosos, quæ in omnia sæcula durent et æternent. Da ut simus sal terræ, et lux mundi: ut exemplo magis quam verbo omnes trahamus ad te, eosque doceamus reipsa contemnere terrena et amare cælestia, ut in magno illo decretorio mundi die a te iudice audire mereamur: Euge serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Amen.

Vers. 4. QUOD INFIRMUM.) In Hebr. hæc omnia neutra sunt fœminina, scilicet infirmas, ægrotas, confractas, abiectas, errantes non reduxistis: intelliguntur enim oves.

ABIECTUM.) Hebr. נדחת *niddachat*, id est propulsum, vel deiectum, v. g. in fossam, vel in avia et devia: perditam et vagantem ovem intelligit. Unde Chald. et Sept. *errans non reduxistis.* Vide hæc explicantem S. Gregor. 2. p. Pastor. cap. 6. in fine ubi sic ait: *Abiectum reducitur, cum quisque in culpa lapsus, ad statum iustitiæ, ex pastoralis sollicitudinis vigore revocatur. Fracturam vero ligamen astringit, cum culpam disciplina deprimit, ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctat. Sed sæpe deterius frangitur, cum fractura incaute colligatur, ita ut gravius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Unde necesse est, ut, cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtor ipse moderetur; quatenus sic iura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est, ut rectorem subditis et matrem pietas et patrem exhibeat disciplina: ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa.* Pulchre S. Clemens singula hæc explicans l. 2. Const. Apost. c. 19. *Episcopus*, inquit, *tamquam filios diligat laicos, fovens eos tamquam ova ad acquirendum pullos, aut tamquam pullos sinu eos complectens, ad acquirendum gallinas*, etc. *quod forte est custodiens, id est quod firmum est in tuto servans, populum pacifice pascens: quod vexatum est firmans, hoc est, cum qui tentatur et quatitur, admonitione firmum solidumque efficiens: quod ægrotum est curans, id est, eum qui ex fide ægrotat ambigendo, huic curationem adhibens docendo: quod contritum est alligans, id est errantem, aut quassatum, aut peccatis confractum, ita ut in via claudicet, monitione hortatoria vincens, et ex delictis deonerans, et bona spe esse iubens: quod eiectum est converte, id est, eum qui in peccatis fuit, et ut obiurgaretur ex Ecclesia eiectus est, ne sinas foris permanere, recollige ut sic in ovile restituas*, etc. *neque sinas ut dicat desperanter: Impietates nostræ in nobis, et nos in ipsis liquescimus, et quomodo vivemus?*

Illustre hac in re exemplum dedit S. Augustin. verus Ecclesiæ Hipponensis pastor, ut patet ex eius homiliis. Audi eum homil. 26. inter 50. *Me*, inquit, *putate matrem esse animarum vestrarum, et ita vos velle componere* (sicut mater filiam propriis manibus componit et ornat) *ut in vobis nec macula, nec ruga possit ante tribunal æterni iudicis apparere. Animabus enim vestris non solum ornamenta, sed etiam medicamenta desiderans providere, studeo dissuta consuere, conscissa sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, et ea quæ sunt integra spiritalibus margaritis ornare.*

POTENTIA.) Sævitia, q. d. Tyrannice.

ERRAVERUNT GREGES MEI IN CUNCTIS MONTIBUS.) Tum confugiendo ad idola in montibus; tum fugiendo sævitiam principum; tum, quia desidia et malitia pastorum traditi sunt hostibus Chaldæis, a quibus partim abducti, partim dispersi sunt, fugientes et errantes per silvas et montes. Vers. 6.

ECCE EGO IPSE SUPER PASTORES, Chald. *super gubernatores mittam furorem meum*, vel *super pastores*, id est a pastoribus, REQUIRAM GREGEM MEUM, requiram, inquam, DE MANU EORUM.) q. d. Rationem exigam cur grex sit perditus et dispersus, eiusque necem et damna exigam a pastoribus. Vers. 10.

UT ULTRA NON PASCANT.) Scilicet per Esdram, Nehemiam, etc. ac magis per Christum, et per Apostolos. Deus veteres Scribas et sacerdotes officio pascendi privavit.

NON ERIT ULTRA EIS IN ESCAM.) Ut devorent gregem meum.

ECCE EGO, etc. VISITABO (Hebr. בקרתים *bikartim*, id est *quæram*) EAS.) Scilicet oves, nimirum Iudæos in captivitate Babylonica vagantes et errantes quasi oves, per Zorobabel, Esdram, Nehemiam et alios in Iudæam reducam, ut ibi eos pascant et regant iuxta legem Mosis. Vers. 11.

Allegorice, fideles, quasi oves meas, pascam per Christum. Ad Christum enim sensim assurgit Propheta. Unde v. 23. de eo ad literam loquitur.

Nota τὸ *visitabo*. Nam pastorem et herum monet Sapiens Proverb. 27. 23. dicens: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Refert Aristot. l. 1. Œconom. Persam rogatum, quid maxime saginaret equum, respondisse: *Oculum Domini.* Afrum vero rogatum, quodnam in agro esset stercus optimum, respon-

disse: *Domini vestigia*, id est in agro ambulatio et præsentia. Sic ad saginandas oves rationales et fœcundandum agrum Ecclesiæ plurimum valent pastoris vestigia, et oculus, id est cognitio et præsentia. Id significat ipsum nomen pastoris et Episcopi. Pastor enim a pascendo dicitur: ἐπίσκοπος idem est, quod speculator. *Episcopus*, inquit Chrysost. hom. 10. in 1. ad Timoth. *ex eo dicitur, quod omnes inspiciat, cunctaque speculetur.* Talis Episcopus et speculator hoc sæculo fuit B. Carolus Borromeus, qui diligentissime omnes suas parœcias et populos etiam per rupium et montium abdita, hieme et æstate obivit et visitavit, cum singulis agens, singulos docens, instruens, et dirigens in viam salutis. Vere dixit vir sapiens: *Præsul ut præsit et prosit suis, ab iis non absit.* Ita luna, licet minima pene sit stellarum, præ omnibus tamen in terrena hæc influit, eaque moderatur, quia vicina et citima est terræ.

Vers. 12. IN DIE NUBIS ET CALIGINIS.) Id est tempore calamitatis et captivitatis.

Vers. 13. EDUCAM EAS DE POPULIS.) Ex captivitate Babylonica; item ex Ammon, Idumæa, Ægypto, Persia, Media, quo fugientes dispersi sunt, reducam eos per Esdram ad loca herbida, amœna et fructifera Iudææ; et multo magis nationes omnes ex Gentibus et gentilismo, per Apostolos Christi adducam ad pascua Ecclesiæ.

Vers. 16. Decem officia pastoris. QUOD CONFRACTUM FUERAT ALLIGABO.) Nota hic, et v. 26. omnia officia veri pastoris: Primum gregem pascere; secundum, facere eum accubare; tertium, infirmum consolidare; quartum, ægrotum sanare; quintum, confractum alligare; sextum, abiectum, et errantem reducere; septimum, quod perierat quærere; octavum, leniter eis imperare; nonum, pascere gregem in iudicio; decimum, pingue et forte custodire. Quæ omnia ad hoc unum principium rediguntur, nimirum: *Pastor primo pascat gregem, non seipsum.* Ita Adrianus Imp. teste Spartiano in concione sæpe dixit, *ita se remp. gesturum, ut sciret populi rem esse non propriam.* Rex enim est pastor populorum, ait Homer. illos ergo, non se pascere debet.

PASCAM ILLAS IN IUDICIO.) Id est, pascam eas maturo iudicio, sapientia, discretione, sciens, et dans cuique id, quod ei convenit. Secundo, *in iudicio*, id est iuste, dans cuique quod suum est, quodque ei iure debetur.

Vers. 17. VOS AUTEM GREGES MEI.) Increpitis pastoribus convertit se ad gregem, eumque increpat usque ad v. 23. gregem, inquam, id est subditos, qui cum laute vivant, alios opprimere et turbare nituntur. Dicit ergo se eos iudicaturum, agnosque ad dexteram, hircos ad sinistram collocaturum: uti Christus ex hoc loco se facturum promittit in extremo iudicio, Matth. 25. 33. unde explicans, subdit:

EGO IUDICO INTER PECUS ET PECUS, ARIETUM, ET HIRCORUM.) Iudico inter bonos et malos; ut bonos præmiem, malos puniam. Per arietes intelligit, bonos; per hircos, malos, qui petulci aquas pedibus conculcant, id est pacem perturbant. S. Gregorius tamen hæc quoque accipit de pastoribus, qui bene prædicant; sed pede, id est actione, aquam turbant. Grex enim sequitur opera, non verba. Hoc est, inquit S. Clem. lib. 2. Const. Apost. c. 19. *iudicabo Episcopum cum Episcopo comparans; iudicabo item laicum cum laico, et magistratum cum magistratu conferens; sunt enim hi oves rationis participes, item arietes; ne laicus dicat, Ego ovis sum, et non pastor, et nullam mei rationem habui; pastor viderit ipse solus pœnas pro me dabit. Ut enim ovis, cum non sequitur bonum pastorem, lupis exposita est; sic rursum cum malum pastorem sequitur, certus est ovis interitus a malo pastore, qui eam devorabit. Quare fugiendi sunt pastores interfectores.*

Vers. 18. NONNE.) Alloquitur, ut dixi, non pastores, sed hircos, id est subditos malos et inquietos. Vere S. Gregor. 25. Mor. 14. *Certum*, ait, *est, quod ita sibi invicem et rectorum merita connectantur et plebium, ut sæpe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, et sæpe ex plebium merito mutetur vita pastorum.*

PURISSIMAM AQUAM.) Hebr. *profundam:* quæ enim profunda, etiam purissima est.

RELIQUAM PEDIBUS VESTRIS TURBABATIS.) Notat divites, qui splendide viventes, ea quæ superant perdere malebant, aut canibus et bestiis suis dare, quam pauperibus elargiri. Unum ergo peccatum immisericordiæ loco cæterorum ponit. Idem facit Christus Matth. 25 42. *Esurivi*, ait, *et non dedistis mihi manducare* etc.

IUDICO INTER PECUS PINGUE ET MACILENTUM.) *Pingue pecus* sunt divites, qui pauperes opprimunt; *macilentum*, sunt pauperes et oppressi. Ita Chald. Aliter Mald. *Pecus*, ait, *pingue* sunt benefici et eleemosynarii, quibus Christus dicit: *Esurivi, et dedistis mihi manducare. Macilenti* sunt avari et inopes bonorum operum, quibus Christus dicit: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare.* Vers. 20.

LATERIBUS, ET HUMERIS.) Toto corpore et conatu. Est metaphora a bobus pinguibus et fortibus, qui imbecilles lateribus, humeris et cornibus a pascuis expellunt. Significat divites omnia rapuisse, nec quidquam pauperibus reliquum fecisse. Vers. 21.

ET SUSCITABO SUPER EAS PASTOREM UNUM, QUI PASCAT EAS, SERVUM MEUM DAVID.) Id est Christum, cuius pater et figura fuit David, bonus pastor et rex, 1. Reg. 17. 34. uti et Moses Exod. 32. 11. et Iacob Gen. 31. 38. Vers. 23.

Ita S. Ambros. l. 7. epist. 47. *David*, ait, *utique rex iam defunctus erat; et ideo verus David, verus humilis, verus mansuetus, verus manu fortis, Dei filius hoc annunciatur nomine.* Ita et S. August. l. de octo Dulcitii quæst. qu. 5. Quin et Hebræi, teste R. David, per pastorem hunc intelligunt Messiam. Unde eum vocat, *pastorem unum.* Hunc enim unum opponit multis pontificibus veteris testamenti, qui multi pari iure sibi invicem succedebant; in Ecclesia vero unus est pastor et pontifex Christus, cui Pontifices Romani, non pari, sed vicario iure succedunt, uti docet Apostolus Heb. 7. 25. Vide ibi dicta. Sic Isaias c. 40. 11. de Christo ait: *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* Hinc Christus Ioan. 10. 11. *Ego*, ait, *sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Porro Christum vocari David non est novum. Sic enim vocatur Osee 3. 5. *Post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum.* Et Ezechiel. 37. 24. *Servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum.* Et v. 25. *David servus meus princeps eorum in perpetuum.*

Nota. Christus dicitur servus Dei Patris, ratione humanitatis assumptæ. Vide Franciscum Suarez 3. p. q. 20. a. 2. disp. 44. sect. 1. Denique Iudæi moderni per David accipiunt Zorobabel, ducem Babylone redeuntium: sed licet ad eum alludat, et quasi obiter perstringat Propheta; tamen hæc tam augusta proprie Christo soli competunt.

FACIAM CUM EIS PACTUM PACIS.) Id fecit Christus cum dixit Ioan. 14. 27. *Pacem meam relinquo vobis;* eumque instituit novum testamentum. Hoc enim totum est testamentum charitatis et pacis. Vers. 25.

ET CESSARE FACIAM BESTIAS PESSIMAS.) Id est vitia, et hominum malorum ac dæmonum potestatem, q. d. Auferam dæmoni potestatem, quam habuit in homines.

PONAM EOS IN CIRCUITU COLLIS, Chald. *sanctuarii*, vel templi, id est Ecclesiæ, BENEDICTIONEM.) Ut sint benedictio, id est benedicti, id est felices et fœcundi. Faciam scilicet, ut omnia prospere, salutifere et feliciter eis succedant. Vers. 26.

PLUVIÆ BENEDICTIONIS, id est, pluviæ fertilitatis et fœcunditatis, id est utiles, non nocivæ, ERUNT.) q. d. Dabo eis doctrinam Evangelicam, quæ quasi pluvia animos, quasi arbores, vel agros et terram irrigabit, virtutum fructus producet, et alet ad æternitatem.

CUM CONTRIVERO CATENAS IUGI EORUM.) Quod scilicet dæmon et peccatum imposuit hominibus. Vers. 27.

ET ERUERO EOS DE MANU IMPERANTIUM SIBI.) De potestate diaboli, carnis, mundi, peccati. Hebræi, de manu Chaldæorum: atque eo alludit, ut dixi.

Vers 29. SUSCITABO EIS GERMEN NOMINATUM.) Id est nobile; Septuag. *plantam pacis;* Chald. *plantationem ut permaneant,* q. d. Suscitabo eis celebrem plantam, scilicet Christum, et populum Christianum; Hebræa, *plantam in nomen,* id est, quæ pariet eis nomen et famam. Christum intelligit, a cuius nomine appellandi erant Christiani, qui toto orbe, scilicet in cælo, et in terra, futuri erant celebres in omne ævum. Planta significat Deum factum hominem, ait Vatablus. Sic Zachar. 3. 8. Christus vocatur *oriens;* hebr. צמח *tsemach,* id est germen.

Nota. Germen hoc nominatum, quod ex imbre cælesti et benedicto, uti præcessit, progerminat, est Christus; sed multipliciter.

Christus est germen quadruplex. I. Nam Primo, ipse irrorante Spiritu sancto ex virgine, quasi germen purum conceptus et natus est; ut nos, quasi oves, seipso, quasi germine, pasceret. Hoc est, quod canimus ex S. Ambrosio in officio Eccles.

Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides,
Læti bibamus sobriam
Ebrietatem Spiritus.

II. Secundo, in Eucharistia Christus nobis oviculis, non tantum est pastor, sed et germen, id est cibus. Unde de eo ait Zachar. c. 9. v. 17. *Quod enim bonum eius est, et quod pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?*

III. Tertio, Christus sua doctrina et gratia, quasi imbre suscitat in mente, id est, in intellectu et voluntate nostra pia et sancta germina, puta sanctas inspirationes virtutum, ut iis pasti et roborati nullam in spiritu famem sentiamus: sed nutriamur, crescamus, et proficiamus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

IV. Quarto, Christi germina sunt Apostoli, Martyres, Virgines, quorum exemplis, quasi germinibus nos pascit, ut easdem virtutes zeli, patientiæ, martyrii, virginitatis et castitatis imbibamus, hauriamus et induamus. Horum enim exempla nobis sunt germina, id est nutrimenta et incitamenta virtutum.

Ergo — *Iesu pie, pastor bone, panis vere*
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.

NON ERUNT ULTRA IMMINUTI, id est consumpti, FAME IN TERRA.) q. d. In Ecclesia non deerit vera doctrina, quæ animam pascat, non erit fames verbi Dei, non minuetur propter hanc famem fidelium numerus, fame non morientur, uti ante Christum factum est.

GENTIUM.) A Gentibus.

Vers. 31. VOS AUTEM.) Est inversus ordo, sic in rectum invertendus: Vos, o homines, estis greges mei, et oves pascuæ meæ. Explicat superiorem allegoriam, q. d. Quæ dixi pecora, non bruta, sed homines sunt, et pastor vester ego sum Dominus Deus vester.

Moral. de pastorum munere et virtutibus. Est hoc cap. locus moralis de pastorum Ecclesiæ munere, dignitate, virtutibus. De quibus audi Primo, Christum discipulos suos, futuros pastores formantem, Matt. 5. 13. *Vos,* inquit, *estis sal terræ; quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi,* etc. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*

I. Eas describit Christus.

II. S. Paulus. Secundo, S. Paulus vivam veri pastoris effigiem in seipso depingit octo virtutibus, quasi coloribus, 1. Thes. 2. ut ibi dixi in synopsi capitis. Idem facit Act. 20. v. 28. et 1. Cor. 2. v. 3. et sequent. et epist. 2. c. 1. v. 2. et seq. item c. 4. ad Ephes. denique totis epist. ad Timoth. et ad Titum.

III. S. Petrus. Tertio, S. Petrus epist. 1. c. 5. v. 2. *Pascite,* inquit, *qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, non turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo: et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

A Ex quibus verbis elicias hosce sex canones: Sex canones pastoris.

I. Qui pastor es, gregem pascito spontanee.

II. Pastor gregem non suum, sed Dei esse cogitato.

III. Pastores non lucrum, sed animas quærunto.

IV. Pastores alienum gregem non invadunto, nec in suum dominantor: obsequentes tuentor; rebelles resecanto. Nam ut ait Poeta:

Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

V. Pastores Ecclesiam verbo, et sanctæ vitæ exemplis gubernanto.

VI. Pastores ideam veri pastoris Christi, et coronam ab eo promissam iugiter sibi proponunto. Qui hæc non cogitant, nec curant, et tamen pastores esse aliosque regere volunt, tam se quam suos agunt in ruinam et perniciem æternam. Repræsentarunt id Gentiles historia, vel potius apologo Phaethontis, qui cum regendi avidus, supra vires posceret a sole, patre suo, habenas et regimen currus solaris; respondit ei sol pater: Fili *pœnam pro munere poscis.* B At cum filius urgere pergeret, tandem ei regimen currus sui cessit et concessit. Sed cum Phaethon eum regere nesciret et nequiret, eodem, utpote igneo, non tantum terram adussit, sed et ipse conflagravit, uti graphice describit Ovid. l. 2. Metamorph. Ita qui regere et dominari ambiunt, nec dotes viresque ad id necessarias habent, se suosque perdunt, et præcipitant in interitum. Hoc est quod Christus Iacobo et Ioanni, primas in regno eius ambientibus, respondit: *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* nimirum honos est onus, et cathedra pascendi est calix patiendi.

Quarto, Nazianz. orat. 21. in laudem S. Athanasii, in eo illustrem pastoris imaginem exhibet. *Athanasius,* inquit, *Primo, vita sublimis erat, verum animo humilis; secundo, ea virtute præditus, ut nemo ad eam aspirare posset; tertio, ea comitate, ut ad eius congressus facilis omnibus esset aditus; quarto, mansuetus, et ab ira alienus; quinto, ad miserationem propensus; sexto, sermone iucun-* C *dus, moribus iucundior; septimo, facie angelicus, animo magis angelicus; octavo, in increpando placidus, in erudiendo vim habens; sic utrumque temperans, ut increpatio paternam charitate, et laudatio imperio gravitatem dignam obtineret: nec aut mollities dissoluta, aut severitas rigida et tetrica esset; quin potius illa facilitatis et benignitatis, hæc prudentiæ nomen haberet, utraque vero prudentiæ laudem consequeretur. Denique nono, ita se comparans, ut nec sermone, propter mores abunde ad instructionem sufficientes, magnopere opus haberet; nec rursum propter vim facultatemque dicendi, virga admodum egeret: sectione porro multo minus, ob virgam immoderate ferientem.* IV. Nazianzenus.

Quinto, S. Gregor. Pontifex scripsit librum de Pastorali cura in tres partes divisum, dignum qui a pastoribus Ecclesiæ sæpe legatur, in quo inter alia ait: *Ars artium est regimen animarum. Pastor ergo primo, cogitatione sit mundus; secundo, operatione præcipuus; tertio, discretus in silentio; quarto, utilis in verbo; quinto, singu-* D *lis compassione proximus; sexto, præ cunctis contemplatione suspensus; septimo, bene agentibus per humilitatem socius: octavo, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus; nono, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, et externorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens; decimo, ne placere suo studio hominibus appetat; sed tamen ad quid placere debeat intendat: hypocritas prudenter dignoscat; undecimo, in eo sit discretio correctionis dissimulationis, fervoris et mansuetudinis; duodecimo, præcipue sacræ legis meditationibus intentus esto; decimotertio, in applicatione verbi Dei erga oves Dei sibi commissas, totus esto; decimoquarto, sciat aliter admonendos esse viros, aliter fœminas; aliter iuvenes, aliter senes; aliter divites, aliter pauperes; aliter lætos, aliter tristes; aliter subditos, aliter Prælatos; aliter servos, aliter dominos; decimoquinto, graviora vitia præcipue persequatur; decimosexto, infirmis mentibus abstrusa non proponat; decimoseptimo, et maxime, non vo-* V. Gregorius.

ce tantum, sed et opere gregem in fide, spe, et charitate contineat.

VI. Bernardus. Sexto, S. Bernardus in vita S. Malachiæ, eum ut verum exemplar pastorum proponit; ubi inter cætera de eo ait: *A die primo conversionis suæ usque ad extremum vitæ, primo, sine proprio vixit, etiam in Episcopatu, adeoque domum propriam non habuit; secundo, incessanter circumibat parœcias omnes, Evangelio serviens, et de Evangelio vivens; tertio, frequentius ipsum Evangelium sine sumptu ponens, de laboribus suis suorumque vivebat; quarto, si interdum quiescere oporteret, in sanctis hoc faciebat locis, illorum se conformans moribus et observantiis, communi contentus vita et mensa; quinto, cum exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes et ipse ibat Episcopus et Legatus.* Deinde illum comparans cum pseudopastoribus et mercenariis sui et huius sæculi: *Illi*, inquit, *primo, dominantur in clero: iste dum esset liber ex omnibus, omnium se servum fecit. Secundo, illi, aut non evangelizantes manducant, aut evangelizant ut manducent: Malachias imitans Paulum manducat, ut evangelizet. Tertio, illi fastum et quæstum æstimant pietatem: Malachias hæreditatem sibi vendicat opus, et onus. Quarto, illi felices se credunt, si dilataverint terminos suos: Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Quinto, illi congregant in horrea, et dolia replent, unde onerent mensas: Malachias colligit in deserta et solitudines, unde impleat cælos. Sexto, illi cum accipiant decimas, primitias, et oblationes, insuper et de Cæsaris beneficio telonia et tributa, et alios redditus infinitos, solliciti nihilominus sunt quid manducent et bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis nec sollicitudinis est finis: Malachias cupiens nihil, non novit tamen cogitare de crastino. Septimo, illi a pauperibus exigunt, quod dent divitibus: iste sollicitat divites pro pauperibus sustentandis. Octavo, illi marsupia vacuant subditorum: iste pro peccatis eorum altaria cumulat votis, hostiisque pacificis. Nono, illi alta palatia erigunt, turres ac mœnia ad cælos levant: Malachias non habet ubi caput reclinet, et interim opus facit Evangelistæ. Decimo, illi equos ascendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, et non suum: Malachias septus sanctorum Fratrum collegio pedes circuit, portans panes angelorum, quibus satiet animas esurientes. Undecimo, illi plebes ne agnoscunt quidem: iste erudit. Duodecimo, illi potentes et tyrannos honorant: iste punit.*

Denique S. Bernardus in sententiis: *Pastori*, ait, *tria sunt necessaria: bonitas, disciplina, scientia. Bonitas attrahit, disciplina corripit, scientia pascit. Bonitas amabilem, disciplina imitabilem, scientia docibilem reddit.* Idem epist. 245. *Præsis*, ait, *ut prosis verbo, exemplo, oratione; sed magis oratione; non plausu, sed planctu.*

Sic et S. Iordanes secundus Generalis Patrum Prædicatorum, rogatus quodnam esset suorum officium? respondit trinum esse, illudque a Psalte psalm. 118. tribus verbis recenseri, cum ait, *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me.* Ergo in pastore ante omnia requiritur vitæ probitas, qua suis exemplo virtutis præluceat. Est hoc S. Eucherii dogma et consilium in epistola parænet. *Commendo*, ait, *animo tuo curam animæ tuæ.* Et S. Gregorius lib. 4. epistola 15. *Nomen nos pastoris, non ad quietem, sed ad laborem suscepisse cognoscite. Exhibeamus ergo in opere, quod signamur in nomine.* Et Greg. Nazianz. orat. 21. ineptissimos ad regimen esse censet eos, *qui alios ante purgant, quam ipsi purgati fuerint. Duorum enim alterum peccant, vel, quia venia ipsi opus habent, ultra modum aliis ignoscentes, ut sic vitium non modo non reprimatur, sed etiam doceatur: vel, quia imperii acerbitate vitia sua obtegunt, ut non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem astruat, ordine admodum præpostero.* Tertull. l. de Patient. *Dicta*, ait, *factis deficientibus, crubescunt.* S. Hieron. epist. 2. *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis?* Et epist. ad Princip. *Erubescit quamvis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia.* Rursum S. Gregor. Nazianz. orat. 33. *Cur*, inquit, *manibus vinctis linguam armamus? Nec enim qui in sermone sapiens est, hic mihi sapiens est; sed is, qui pauca quidem de virtutibus verba facit, cæterum per ea quæ agit, multa demonstrat, ac fidem et auctoritatem sermoni suo, per vitam conciliat. Præstantior siquidem meo iudicio est pulchritudo ea, quæ oculis cernitur, quam quæ sermone pingitur; et sapientia quæ per opera demonstratur, quam quæ oratione nitet et splendescit.* Rursum S. Gregor. lib. 21. Moral. c. 8. loquens de meretrice, quæ dormiens oppresserat filium, quem vigilans lactaverat, 3. Reg. 3. *Magistri*, ait, *vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnum torporis occidunt: et negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur.* S. Paulinus epist. ad Iovium, ei consulit: *Non tam lingua*, ait, *quam vita sis eruditus; non tam disseras magna, quam facias.* Licet enim subditis servandum sit illud Christi præceptum: *Omnia quæ dixerint vobis, servate, et facite:* atque illud Eucherii documentum epistola parænet. iam citata: *Obsecro te, delictum alienum* (etiamsi is Superior sit) *semper ut opprobrium respice, numquam ut exemplum:* tamen infirmitas humana docet verissimum esse id, quod ait Abbas Chæremon apud Cassianum, collat. 11. cap. 4. *Numquam erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.* Quocirca de S. Athanasio scribit Nazianz. orat. 21. *Ita se comparans, ut nec sermone, propter mores ad institutionem abunde sufficientes, magnopere opus haberet.* Et de S. Basilio idem dicit orat. 20. *Sermone ad animarum curationem haud multum indigens.* Cur? causam subdit: *Opere quam plurima perficiens.* Hinc *tonitruum eius erat oratio, quia vita erat fulgur.*

Vitæ probitas maxime requiritur in pastore.

Gnomæ.

CAPUT TRIGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit excidium Idumæorum, eo quod Iudæos semper divexarint, ac nominatim eo quod exultarint in Hierosolymæ excidio, eiusque cives a Chaldæis afflictos magis afflixerint, ac terram eorum invaserint. Idem est argumentum prophetiæ Abdiæ.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis pone faciem tuam adversum montem Seir, et prophetabis de eo, et dices illi: 3. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te mons Seir, et extendam manum meam super te, et dabo te desolatum atque desertum. 4. Urbes tuas demoliar, et tu desertus eris: et scies quia ego Dominus. 5. Eo quod fueris inimicus sempiternus, et concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ. 6. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus: quoniam sanguini tradam te, et sanguis te persequetur: et cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te. 7. Et dabo montem Seir desolatum atque desertum: et auferam de eo euntem, et redeuntem. 8. Et implebo montes eius occisorum suorum in collibus tuis, et in vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent. 9. In solitudines sempiternas tradam te, et civitates tuæ non habitabuntur: et scietis quia ego Dominus Deus. 10. Eo quod dixe-

ris: Duæ gentes, et duæ terræ meæ erunt, et hæreditate possidebo eas: cum Dominus esset ibi: 11. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam iuxta iram tuam, et secundum zelum tuum, quem fecisti odio habens eos: et notus efficiar per eos cum te iudicavero. 12. Et scies quia ego Dominus audivi universa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israel, dicens: Deserti, nobis ad devorandum dati sunt. 13. Et insurrexistis super me ore vestro, et derogastis adversum me verba vestra: ego audivi. 14. Hæc dicit Dominus Deus: Lætante universa terra, in solitudinem te redigam. 15. Sicuti gavisus es super hæreditatem domus Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus eris mons Seir, et Idumæa omnis: et scient quia ego Dominus.

Vers. 3. ECCE EGO AD TE (Chald. *ecce ego mitto furorem meum super te*) O MONS SEIR.) Id est Edom, vel Idumæa; Esau enim cultor Idumææ dictus est Edom, quia rufus; et Seir, quia pilosus, Genes. 36. 8. et 9.

Vers. 5. EO QUOD, etc. CONCLUSERIS FILIOS ISRAEL.) Quia, ut ait Abdias v. 14. Idumæi fugientes a Chaldæis ad se Iudæos occidebant, alios etiam persequebantur et capiebant: imo cum Chaldæis obsederunt et expugnaverunt Ierusalem.

IN TEMPORE INIQUITATIS EXTREMÆ.) Hebr. *in tempore, quo finem habuit iniquitas.* Ita Vatab. et Pagn. id est, in tempore, quo Deus finem dedit peccatis Iudæorum, per eorum excidium: tunc enim Chaldæis se iungentes Idumæi Iudæos afflixerunt et exciderunt. Alii, *iniquitatis,* id est punitionis, et calamitatis *extremæ.* Ita Maldon. ut sit metonymia, qua iniquitas ponatur pro effectu et pœna iniquitatis. Hic sensus valde congruit Hebræo, et præcedentibus.

Alii *iniquitatis extremæ*, non Iudæorum, sed Idumæorum. Summum enim eorum scelus fuit, cum Chaldæis se iungere, ut populum Dei everterent.

Vers. 6 SANGUINI, id est cædi, vel cæsoribus et sanguinariis, TRADAM TE.) Hebr. ad verbum est, *sanguinem faciam te*, q. d. Ita vulnerabo et cruentabo te, ut videaris totus conversus esse in sanguinem, nec aliud esse quam sanguis.

ET CUM SANGUINEM, id est cædem et occisores, ODERIS.) Illi tamen persequentur te. Aliter hunc versum vertit et explicat Vatabl. nimirum, q. d. Feceram te sanguinem, id est, consanguineum Hebræorum, quos odisti, cum eos amare debuisses. Efficiam ergo, ut sanguis, id est ultio sanguinis, vel sanguinarii te persequantur. Ita enim iusta Dei ultio homicidas persequitur, ac si sanguis occisorum, ipsique occisi, aut occisorum larvæ vel furiæ eos persequerentur. Unde sæpe videntur sibi eos videre, semperque eorum phantasiæ obversantur: nec eos quiescere sinunt quasi eos insectentur, et ad necem adigant; cuius rei illustria exempla recensui Genes. 9. 5. et Deuter. 21. 4.

Vers. 8. MONTES EIUS.) Montes Seir, id est Idumææ, de qua nunc in singulari loquitur, nunc in plurali, intelligens eius cives et incolas.

Vers. 10. DUÆ GENTES; etc. MEÆ ERUNT, scilicet Israel, et Iuda, q. d. O Idumæa spe devoraveras totam Iudæam et Samariam, dicebasque, Duæ hæ gentes, id est gentium regiones, scilicet Iudæa, et Israel sive Samaria, meæ sunt, CUM DOMINUS ESSET IBI.) Id est, ibi coleretur, essetque Iudææ quasi præses, tutor et rex, q. d. Non es reveritus Dei præsentiam, et quasi eo vidente et nolente voluisti terram eius occupare, et quasi Deum sua possessione depellere. Ita S. Hieronymus. Vide Ierem. 49. 1.

FACIAM IUXTA IRAM TUAM.) Id est, prout meretur tua ira, et, ut Septuag. *inimicitia et zelus*, id est, ut Chald. æmulatio contra fratres tuos Iudæos, q. d. Irascar tibi, sicut tu iratus es populo meo: iratusque tractabo te, sicut tu eum iratus tractasti; et gloriam meam ostendam, illos liberando, te puniendo, ait Maldonatus. Vers. 11.

IUDICAVERO.) Puniero.

DESERTI, scilicet montes Iudææ, a Iudæis iam occisis, vel abductis, NOBIS AD DEVORANDUM DATI SUNT.) Vers. 12

INSURREXISTIS SUPER ME.) Contra me. Hebr. *magnificastis os vestrum super me*, id est, superbe mihi insultastis. Sic dicitur psalm. 72. v. 8. *Posuerunt in cælum os suum: et lingua eorum transivit in terra*, q. d. Nulli hominum, vel cælitum pepercerunt, sed in omnes fuerunt maledici, contra omnes acuerunt et exseruerunt linguam suam virulentam. Vers. 13.

DEROGASTIS ADVERSUM ME VERBA VESTRA.) Detraxistis mihi per verba vestra quæ adversum me iactastis: iis enim meæ gloriæ derogastis. Simili phrasi dixit Seneca in præfat. lib. 1. Natur. quæstion. *Derogare aliquid ex lege fatorum:* derogare, id est, detrahere. Sic vulgo dicimus, *Derogare fidem*, vel *gratiam alicui*. Et Tacitus lib. 1. *In commune*, ait, *nihil derogent*. Simili catachresi scripsit S. Polycarpus epist. ad Philipp. *Si quis*, inquit, *deviaverit eloquia Domini ad propria desideria, et dixerit neque resurrectionem, neque iudicium esse, hic primogenitus Satanæ est. Deviaverit*, id est, detorserit, inflexerit, depravarit. Hebr. est העתרתם *hatartem*, id est efflagitastis, expostulastis, dura verba multiplicastis contra me, hoc est, superbe et impudenter multa aspera et contumeliosa iactastis contra me, et gloriam meam. Septuag. *vociferati estis contra me.* Derogare, id est detrahere.

LÆTANTE UNIVERSA TERRA.) q. d. Sicut tu in vastatione Iudææ lætatus es: ita faciam ut in tui vastatione aliæ gentes lætentur, gaudeant et exultent. Æquum enim est, ut qua mensura mensus es aliis, eadem remetiatur tibi. Hoc excidium Idumææ factum est per Nabuchodonosor et Chaldæos, teste Iosepho. Vers. 14.

CAPUT TRIGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit se Israel e Babylone reducturum, et restauraturum; ac eius antitypo per Christum a captivitate peccati et diaboli eum redempturum; atque daturum ei spiritum novum, et vitam novam, sanctam et divinam per baptismum. Ubi Adverte. Propheta, more suo, res sui populi, scilicet captivitatem et liberationem pertractat: sed sub his potius spectat, aciemque mentis defigit in Christum quasi propheticæ suæ scopum: unde clare et diserte ad eum assurgit v. 25. Vide canon. 4. et 5.

1. TU autem fili hominis propheta super montes Israel, et dices: Montes Israel audite verbum Domini: 2. Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod dixerit inimicus de vobis: Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatem datæ sunt nobis, 3. Propterea vaticinare, et dic: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod desolati estis, et conculcati per circuitum, et facti in hæreditatem reliquis gentibus, et ascendistis super labium linguæ, et opprobrium populi: 4. Propterea montes Israel audite verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus montibus, et collibus, torrentibus, vallibusque et desertis, parietinis, et urbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt, et subsannatæ a reliquis gentibus per circuitum. 5. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quoniam in igne zeli mei lo-

cutus sum de reliquis gentibus, et de Idumæa universa, quæ dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio, et toto corde, et ex animo: et eiecerunt eam ut vastarent: 6. Idcirco vaticinare super humum Israel, et dices montibus, et collibus, iugis et vallibus: Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego in zelo meo, et in furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis. 7. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Ego levavi manum meam, ut gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent. 8. Vos autem montes Israel ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel: prope enim est ut veniat: 9. Quia ecce ego ad vos, et convertar ad vos, et arabimini, et accipietis sementem. 10. Et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israel: et habitabuntur civitates, et ruinosa instaurabuntur. 11. Et replebo vos hominibus, et iumentis: et multiplicabuntur, et crescent: et habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo maioribus, quam habuistis ab initio: et scietis quia ego Dominus. 12. Et adducam super vos homines populum meum Israel, et hæreditate possidebunt te: et eris eis in hæreditatem, et non addes ultra ut absque eis sis. 13. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod dicunt de vobis: Devoratrix hominum es, et suffocans gentem tuam: 14. Propterea homines non comedes amplius, et gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus: 15. Nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium, et opprobrium populorum nequaquam portabis, et gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus. 16. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 17. Fili hominis, domus Israel habitaverunt in humo sua, et polluerunt eam in viis suis, et in studiis suis, iuxta immunditiam menstruatæ facta est via eorum coram me. 18. Et effudi indignationem meam super eos pro sanguine, quem fuderunt super terram, et in idolis suis polluerunt eam. 19. Et dispersi eos in gentes, et ventilati sunt in terras: iuxta vias eorum, et adinventiones eorum iudicavi eos. 20. Et ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, et de terra eius egressi sunt. 21. Et peperci nomini sancto meo, quod polluerat domus Israel in gentibus, ad quas ingressi sunt. 22. Idcirco dices domui Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus, ad quas intrastis. 23. Et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio earum: ut sciant gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. 24. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. 25. Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. 26. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. 27. Et spiritum meum ponam in medio vestri: et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et iudicia mea custodiatis, et operemini. 28. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris: et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. 29. Et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris: et vocabo frumentum, et multiplicabo illud, et non imponam vobis famem. 30. Et multiplicabo fructum ligni, et genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus. 31. Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum: et displicebunt vobis iniquitates vestræ, et scelera vestra. 32. Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis: confundimini, et erubescite super viis vestris, domus Israel. 33. Hæc dicit Dominus Deus: In die, qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris, et inhabitari fecero urbes, et instauravero ruinosa, 34. Et terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, 35. Dicent: Terra illa inculta, facta est ut hortus voluptatis: et civitates desertæ, et destitutæ atque suffossæ, munitæ sederunt. 36. Et scient gentes quæcumque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificavi dissipata, plantavique inculta, ego Dominus locutus sim, et fecerim. 37. Hæc dicit Dominus Deus: Adhuc in hoc invenient me, domus Israel, ut faciam eis: multiplicabo eos sicut gregem hominum. 38. Ut gregem sanctum, ut gregem Ierusalem in solemnitatibus eius: sic erunt civitates desertæ, plenæ gregibus hominum: et scient quia ego Dominus.

Vers. 1. PROPHETA SUPER MONTES (de montibus) ISRAEL.) Id est, de restauratione montium Iudææ, ac consequenter totius Iudææ, quæ magna ex parte montosa est. Est synecdoche.

MONTES ISRAEL.) Est prosopopœia. Montes enim quasi homines alloquitur: vel *montes*, id est incolæ montium, ut sit metonymia.

Vers. 2. EO QUOD DIXERIT INIMICUS.) Idumæus, Ammonita, Moabita, ut dixit c. 25. 3.

ALTITUDINES, id est, montes Iudææ, SEMPITERNÆ, hebr. *sæculi*, id est, quæ ab initio sæculi, et mundi fuerunt, et in sæculum, id est semper, durabunt: vel, quas semper fore nostras putamus, IN HÆREDITATEM DATÆ SUNT NOBIS.) q. d. Gloriantur Idumæi se Iudæam a Chaldæis vastatam possidere, et possessuros semper successione et iure quasi hæreditario. Sunt enim ipsi Iudæorum affines et cognati; nam Esau parens Idumæorum fuit frater Iacob, parentis Iudæorum: Ammon vero et Moab fuerunt filii Loth, nepotis Abrahæ, qui fuit avus Iacobi: ergo Iudæis e Iudæa abductis, putant se in Iudæam, quasi hæreditatem suam debere succedere. Vide Ierem. 49. 1.

Vers. 3. ET CONCULCATI PER CIRCUITUM.) Hebr. *et absorbuerunt vos* vicinæ Gentes.

ASCENDISTIS SUPER LABIUM LINGUÆ.) Facti estis fabula populi, dicterium et opprobrium, iuxta id, quod minatus est vobis Ieremias c. 24. 9.

Vers. 4. PARIETINIS.) Muris et parietibus dirutis.

Vers. 5. IN IGNE ZELI.) Chald. *ultionis;* Septuag. *furoris*, q. d. In ardore iræ et indignationis minatus sum Idumæis excidium, quia ipsi in clade Iudæorum exultarunt, ac Iudæam quasi suam invaserunt et occuparunt.

EIECERUNT EAM, id est habitatores eius, UT VASTARENT.) Id est, diriperent eorum æque ac terræ spolia; Vatabl. *ut eiicerent eam in prædam.*

Vers. 6. IN ZELO MEO, etc. LOCUTUS SUM, Chald. *in indignatione;* EO QUOD CONFUSIONEM GENTIUM SUSTINUERITIS.) Quia a gentibus probris et iniuriis affecti estis, o Iudæi, qui estis populus meus: hinc ego ad consolationem vestram ulciscar vos, et Gentibus talionem reddam. Hinc præclare S. August. in sententiis, sent. 207. *Melior*, ait, *est tristitia iniqua patientis, quam lætitia iniqua facientis.*

Vers. 7. LEVAVI MANUM MEAM.) Iuravi quasi elata manu, q. d. Sancte iuro quod faciam ut Gentes vobis hostiles, etiam suam ferant ignominiam, et dent pœnas opprobrii quod intulerunt vobis, o Iudæi.

Vers. 8. PROPE ENIM EST UT VENIAT.) q. d. Tempus imminet ut redeat, scilicet e Babylone, populus Israel ad vos, o montes Iudææ: incipite ergo frondescere, et fructus illis præparare. Hinc Chald. vertit, *prope est ut veniat dies redemptionis.*

Vers. 9. ECCE EGO AD VOS.) Scilicet o Iudæi, veniam; et, ut Chald. *apparebo*, non quasi ultor, sed quasi beneficus pater, ut omnia necessaria vobis suppeditem, uti explicat vers. 15.

Vers. 11. BONISQUE DONABO MAIORIBUS.) Scilicet spiritalibus tempore Christi: Christus enim in Iudæa vixit, docuit, miracula fecit. More enim suo Propheta assurgit et avolat ad Christum, uti dixi in synopsi capitis. Nam Iudæi sub Davide, Salomone, Iosue, etc. maiora habuerunt bona temporalia, quam post reditum e Babylone habuerint. Ergo non illa, sed spiritalia Christi hic accipienda sunt.

Vers. 12. ADDUCAM SUPER VOS HOMINES.) Septuag. *generabo super vos homines pro populo meo Israel*, q. d. Ego, o Christiani, o Ecclesia mea, pro populo Israel olim fideli, generabo tibi Apostolos, viros Apostolicos, et fidelium ex omnibus Gentibus immensum numerum.

NON ADDES ULTRA UT ABSQUE EIS SIS.) Loquitur non tam de terrena Iudæa: nam illa postea vastata est omnino a Tito; quam spiritali, id est Ecclesia Christi, ut dixi: eo enim assurgit et rapitur more Prophetarum. Ecclesia enim in æternum durabit, et suos semper habebit cives.

Vers. 13. DEVORATRIX. Est enallage generis, et numeri: hactenus enim populo in plurali locutus est, nunc vero in singulari loquitur terræ, quasi mulieri infami, quæ accusatur, quod filios suos comedat aut in lecto suffocet, q. d. Hactenus, o Iudæa, perdidisti habitatores tuos peste, fame, dissidiis, bello: sed NON COMEDES AMPLIUS, id est ego efficiam, ut hoc probrum tibi amplius non obiiciatur; quia non patiar habitatores in te devorari, id est occidi.

Vers. 17. IUXTA IMMUNDITIAM MENSTRUATÆ FACTA EST VIA EORUM, q. d. Uti maritus uxorem in menstruis sordidam et fœtentem abominatur: ita ego abominatus sum Israelem propter eius menstrua, id est sordes idololatriæ, homicidiorum et aliorum scelerum, inquit Theodor. uti explicat

Vers. 18. vers. sequent. ait enim: PRO SANGUINE, id est propter sanguinem, ET IN IDOLIS.) Repete causalem *pro*, id est propter, quæ præcessit, q. d. Odivi eos propter sanguinem, quem effuderunt; et propter idola, puta, quia *in idolis suis polluerunt* terram. Cur scelera comparentur menstruis, dixi Ierem. 2. v. 24.

Vers. 20. ET INGRESSI SUNT AD GENTES, Gentium, ad quas ducti sunt, vitiis et idololatriæ adhæserunt, sicque polluerunt nomen Dei, id est ansam dederunt, cur Gentes blasphemarent Deum Israelis, dicerentque, POPULUS DOMINI ISTE EST.) q. d. Iudæi sunt populus Domini, et tamen e Iudæa expulsi, ac in Babyloniam abducti sunt: ergo Dominus vel negligit et non curat eos: vel non potest eos conservare et protegere: frustra ergo colunt eum, et sperant in eo.

Vers. 21. ET PEPERCI NOMINI SANCTO MEO.) Statui parcere nomini meo, id est facere, ne illud amplius a Gentibus rideatur: sed potius illud sanctificabo, id est sanctum et admirabile illud ostendam, non propter merita vestra, sed propter nomen meum.

Vers. 23. CUM SANCTIFICATUS FUERO IN VOBIS.) Ostensa scilicet sancta mea iustitia, per vestram punitionem et captivitatem: et iam misericordia, per vestri liberationem. Cum enim vos pœnitentes Deum invocaveritis, ac vitia et idola repudiaveritis; tunc Deus vos e captivitate liberabit, et intelligent Gentes, Dei potentiam, iustitiam et misericordiam hæc omnia iuste et concinne disposuisse et ordinasse.

Vers. 25. EFFUNDAM SUPER VOS AQUAM.) Iudæi per aquam intelligunt temporalium bonorum abundantiam, ac nominatim pluviam, quæ segetes riget et fœcundet. Sed hæc non emundat peccata, ut sequitur, imo sæpe auget. Aqua ergo hæc est gratia, et bonorum spiritualium abundantia, quæ a Christo per sacramenta dimanat: sed propriissime est aqua baptismi peccata omnia emundans; de qua ait Apostolus ad Titum 3. 5. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Ita Patres passim: quin et Chald. et R. David, licet baptismum non agnoscant, tamen censent hic agi de remissione peccatorum. Quocirca has omnes promissiones ad novum testamentum pertinere, docet S. August. lib. 3. de Doctr. Christian. cap. 34. et alii passim. Præclare S. Clemens lib. 6. Const. Apost. c. 26. *Omnis*, inquit, *secundum veritatem baptizatus, a spiritu quidem diabolico separatus est, intra sanctum vero Spiritum consistit: et in eo quidem qui honestis actionibus studet, permanet Spiritus sanctus, eumque implet sapientia et intellectu, neque malum spiritum sinit prope accedere, cuius incursus et aggressiones observat.*

Audi quid de efficacia baptismi, suaque per eum immutatione scribat S. Cyprianus lib. 2. epist. 2. ad Donatum: Efficacia baptismi. *Uti ego quam plurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me non posse crederem; sic vitiis obsecundans eram, et desperatione meliorum malis meis velut iam propriis ac vernaculis favebam. Sed postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cælitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit; mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare, quod prius difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur ut esset; agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei esse cœpisse, quod iam Spiritus sanctus animaret.* Deinde subdit: *Scis ipse profecto, et mecum pariter recognoscis quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum.* Ubi Nota. Baptismus est *mors criminum*, et *vita virtutum*: quod eleganter carmine expressit S. Paulinus epist. 12. ad Severum: Baptismus est mors criminum.

Culpa perit, sed vita redit; vetus interit Adam,
Et novus æternis nascitur imperiis.

Idipsum in sua conversione et baptismo expertum se esse fatetur S. Augustinus libr. 9. Confess. c. 12. et sequent. Hanc baptismi vim etiamnum experiuntur Indi, etiam feri et barbari, qui per baptismum, et Christi gratiam eo acceptam, ita sæpe mutantur, idque subito, ut ex bestiis in homines transformari videantur, ipsique suam mutationem admirentur et stupeant. Ut alios taceam, nota est Iaponum conversio, fides, sanctitas et martyria, quæ cum primis Ecclesiæ martyriis ac Martyribus certant, si non superant.

AUFERAM COR LAPIDEUM.) Id est, durum et in vitiis obfirmatum, quod nullam piæ ac salubris doctrinæ impressionem admittit. Vers. 26.

Nota hic novem dona ingentia, quæ Ecclesiæ, et cuique fideli ac iusto per Christum promittit hic Deus, quæque Christi baptismus et gratia cuilibet sancto confert et inoperatur. Primum est, *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Secundum, *Dabo vobis cor novum.* Tertium, *Auferam cor lapideum, et dabo vobis cor carneum.* Quartum, *Spiritum meum ponam in medio vestri.* Quintum, *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, et iudicia mea custodiatis, et operemini*, ideoque abundetis bonis operibus, virtutibus et meritis gloriæ cælestis. Sextum, *Habitabitis in terra quam dedi patribus vestris*, q. d. In pace, gaudio et abundantia bonorum spiritalium habitabitis in Ecclesia, uti Patriarchæ in ea habitarunt in Chanaan. Septimum, *Eritis mihi in populum.* Octavum, *Ego ero vobis in Deum*, q. d. Ero vester protector, provisor, nutritor, promotor, gubernator, ductor, iustificator, glorificator et omne bonum. Hoc enim suis est Deus. Unde sequitur: *Vocabo frumentum, et multiplicabo illud.* Hoc est quod Deus Abrahæ, et in eo cuique sancto, qui spiritalis est Abrahæ filius, promisit Gen. 15. 1. *Noli timere, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Et Zachar. c. 2. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et Psal. 90. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Et Ps. 33. 16. *Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum. Multæ tribulationes iustorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus,* etc. Nonum, *Terra* olim *inculta* erit *hortus voluptatis*, uti ait v. 35.

ET DABO VOBIS COR CARNEUM.) Id est, ut S. Hieron. Theodor. et alii, molle, docile, tractabile, persuasibile; et, ut S. Aug. legit, *obediens*; et ut Chald. *timens me, quod faciat voluntatem meam*. Nota, metaphorice cor lapideum dici voluntatem liberam, sed vitiis assuetam: unde illam aufert Deus, non aliam potentiam, aut libertatem indendo; sed, ut sequitur, *dando spiritum novum*, scilicet mulcendo, et molliendo eam suis minis, promissis, consola- Quomodo Deus cor lapideum mutet in carneum.

tionibus, aliisque sanctis inspirationibus, quibus allecta ipsa, corroborata ac elevata libere se flectit ad Dei nutum. Hoc ergo modo Deus etiam rebelles hominum voluntates ad se compellit, non vi cogendo, sed suadendo; non tantum per leges et concionatores exterius, ut volebat Pelagius, sed etiam interius, mentem vel terrendo, vel suaviter alliciendo, ac affectiones pias ei indendo: itaque facit, ut in præceptis suis ambulent, itaque operatur in nobis velle et perficere, ut ait Apostol. Philipp. 2. 13. Vide ibi dicta.

Cor est mens et voluntas, cur? Nota. Cor in Script. significat mentem et voluntatem. *Cor* ergo *novum* est voluntas, gratia et spiritu Dei innovata, quæ veteri vitæ, et conversationi terrenæ moriens, vivit Deo et cælo, pro qua orat David Ps. 50. dicens: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Cor lapideum* est voluntas in impietate et peccatis obstinata et indurata ut lapis, qualis fuit Iudæorum: sic cor hirsutum et pilosum reipsa habuisse Hermogenem, Leonidam, Aristomenem, Messenium, Lysandrum, esseque hominum durorum, asperorum et crudelium, tradit Plinius l. 11. 37. Plutarch. in Parall. et Rhodig. l. 4. c. 16. *Cor carneum*, leve et tersum, est voluntas facilis, obsequens et flexilis ut caro, quæ Dei instinctus, legem et impressiones statim excipit, sibique imprimit, et opere

Resp. 1. exequitur. Ratio huius phrasis est Prima, quia, sicut cor est principium vitæ naturalis: sic voluntas est principium vitæ piæ, vel impiæ. *Cor*, inquit Plinius lib. 11. cap. 37. *primum nascentibus formari in utero tradunt, deinde cerebrum, sicut tardissime oculos; sed hos primum mori, cor novissime.* Alii tamen dicunt primum in corpore formari hepar, non cor; sed cor primo animari, et ultimo mori, uti docet Francisc. Vales. lib. 2. Controvers. medic. c. 6. Unde cor vocatur *primum vivens* et *ultimum moriens;* sicut ex adverso oculi sunt ultimum vivens, et primum moriens, quia longissime a corde, quod est vitæ principium, distant. Quocirca notarunt historici, quod Iulio Cæsari Dictatori, eo die quo primum in purpura processit, et in aurea sella sedit, sacrificanti bis in extis victimæ cor defuit. Helvio quoque Pertinaci eo die quo occisus est, cum sacrificaret cor in hostia non comparuit, quod malum mortis omen interpretati sunt.

II. Secunda, quia, sicut cor est officina spirituum, quos toti corpori subministrat, per eosque est principium et causa omnis motus et actionis animalis: ita voluntas est officina virtutis et vitii, meriti et demeriti, omnisque actionis bonæ vel malæ. Tradunt Physici, quatuor partes esse vitales, quibus maxime vita constat et conservatur, cor, cerebrum, hepar, pulmonem. Cor enim calorem et spiritus corpori subministrat; hepar sanguinem, quo corpus nutritur; cerebrum spiritus animales, quibus sensatio, intellectio et motio localis conficitur; pulmo quasi follis cordi dat refrigerium: ita vita spiritalis constat recta voluntate quasi corde; prudentia quasi cerebro; iustitia quasi hepate, sanguinis decorisque effectore; continentia quasi pulmone, affectus moderante et refrigerante.

III. Tertia, quale est cor, talis est spiritus, talis est et habitus corporis: sic qualis est voluntas, talis est et homo. Hinc iubemur diligere Deum ex toto corde, Matth. 15. v. 8. Et cor sibi poscit Deus Proverb. 23. 26. *Præbe fili mi cor tuum mihi:* qui enim dat cor Deo, dat arborem cum fructibus.

IV. Quarta, sicut corpus animæ, ita cor voluntati subservit: unde passiones corporales in corde, similes passiones spiritales excitant in voluntate: v. g. ira, quæ est ebullitio sanguinis circa cor, iram similem, id est, indignationem, et cupidinem vindictæ excitat in voluntate. Quocirca B. Catharina Senensis, ut habet eius vita lib. 2. c. 16. a Christo sponso suo petiit auferri sibi suum cor, ac dari cor Christi: annuit Christus, ac cor vere illi exemit, et post aliquot dies quibus illa corde caruit, aliud, scilicet suum, id est, a se factum, sibique conforme illi indidit: unde illa deinceps orans ad Christum aiebat, *Commendo tibi Domine tuum cor, non meum:* cor enim est symbolum et sedes amoris. Quocirca Nyss. et S. Thom. dicunt, Spi-

A ritum sanctum Ecclesiæ quasi cor a Deo fuisse datum in Pentecoste.

Quinta, Physici nonnulli censuerunt sensum communem esse in corde: licet alii melius censeant esse in cerebro; sed cor eius esse originem. Unde vulgo dicitur: *Cor sapit, et pulmo loquitur.* Hinc Salomon orat: *Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit*, 3. Reg. 3. 9. Hinc et veteres cordatum, solertem et sapientem vocabant *corculum;* uti Nasica ob prudentiam vocatus est corculum teste Plinio libro de Viris illust. c. 44. perinde ac Iudas Thaddæus cognominatus est Lebbæus, id est corculum. Hinc et Eccl. c. 21. 29. ait: *In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientum os illorum*, q. d. Fatui nil reticere possunt, sed quidquid in buccam venit eloquuntur: sapiens vero nil eloquitur, nisi prius in corde examinatum, ponderatum et præmeditatum. V.

Sexta, corde sano sanum est corpus, gaudente, gaudens, dolente dolens. Hinc intimus summusque dolor a Plauto et aliis vocatur *cordolium:* unde ænigma Pytha- VI.
B goræ, *Cor ne edas*, id est animum curis ne affligas, nec lancines: ita sana voluntate sana est mens, lætante læta, mœrente mœrens. Quocirca Sapiens Prov. 4. 23. *Omni*, ait, *custodia serva cor tuum: quia ex ipso vita procedit.*

Septima, cor hominis, substantia sua est solidum firmumque, ait Galen. lib. 6. de Usu part. c. 2. complexione igneum, figura pyramidale; sed situ inverso: nam superne ad cælestia est amplum, et cavosum; inferne ad terrena in cuspidem desinit. Significat ergo voluntatem hominis solido amore ferri debere in cælestia, eaque pleno sinu haurire et excipere; terrena vero vix, et quasi in puncto tantum attingere. Addit Galen. cor situm esse in medio hominis, ut repræsentet animum, et voluntatem rectam in medio vitiorum consistentem, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantem. Hæc nimirum est voluntas amore Dei, et virtute imbuta: virtus enim consistit in medio. VII.

Octava, cor inquietum est, et continua agitatione movetur a seipso, quasi solitarium animal. Nam vel per dia- VIII.
C stolen extenditur, ad recipiendum ea quæ homini sunt utilia: vel per systolen contrahitur, ad expellendum ea quæ noxia: ita et voluntas nostra. Unde S. Augustin. 1. Confess. 1. *Fecisti*, ait, *me Deus ad te, et inquietum est cor meum donec requiescat in te.* Et S. Bernard. tract. de Interiori domo c. 55. *Mens*, ait, *desideriis suis circumagitata numquam requiescit: idcirco in uno æternitatis desiderio immobiliter figi debet.*

Nona, cor est in homine quod sol in universo, scilicet fons lucis et vitæ: imo Stoici solem proprie esse cor mundi censebant: putabant enim mundum esse animal magnum, sensu et ratione præditum. Unde Plutarch. tract. de facie in orbe lunæ: stellæ, ait, sunt oculi lucentes in facie universi: sol vi præditus cordis: ut hoc sanguinem et spiritum, sic sol diffundit ex se vegetantem calorem et lucem. Terra et mari mundus, ut animal, quasi ventre et IX.
D vesica utitur. Luna inter solem et terram, ut inter cor et ventrem, velut iecur, aut aliud molle viscus est. Igitur quod in cælo est sol, hoc in homine est cor, id est in corpore ipsum cor, in anima ipsa voluntas: quæ proinde suum opificem, æque ut sol, iugiter respiciat oportet. Ita S. Paulus iugiter habebat Iesum Christum in ore, iugiter in corde. Ita S. Ignatius assidue Iesum vocabat amorem suum, nec aliud fere sonat tota epistola ad Romanos: unde et Deifer et Christifer est cognominatus: atque inde putant nonnulli manasse id quod vulgo dicitur, Iesu nomen post mortem in corde eius literis aureis inscriptum inventum esse: qua phrasi significatur, ipsum assidue hoc nomen in corde et ore habuisse. Nam alioqui veteres, et ex iis Baron. Tom. 2. anno Christi 110. tradunt eum a leonibus usque ad ossa, uti exoptaverat, devoratum esse. Etsi id neget Ado in Martyrolog. qui vere Iesu nomen in corde eius repertum scribit, quem S. Thom. S. Antoninus, et alii plures secuti sunt.

Decima, cor est sedes animæ, voluntatis et amoris, ac consequenter Dei, qui animam sui similem nobis inspirat. Quocirca symbolici *cor*, per singulas sui literas ita inter- X.

pretantur, q. d. *camera omnipotentis regis;* puta *acropolis divinitatis:* unde S. August. serm. de redempt. *Corda*, inquit, *fidelium cælum sunt, quia in cælum quotidie eriguntur.* Nam, ut ait Christus, *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Hinc David dicitur fuisse vir secundum cor Dei, 1. Reg. 13. 14. ac *cor regis in manu Domini* esse dicitur Proverb. 21. 1. Rursum S. August. describens l. 9. Confess. cap. 2. miram sui, suæque voluntatis cælitus a Deo factam conversionem: *Sagittaveras*, inquit, *tu Domine cor nostrum charitate tua, et gestabamus verba tua transfixa visceribus; et exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, et de mortuis vivos feceras, congesta in sinu cogitationis nostræ, urebant et absumebant gravem torporem.* Sagitta et nos, o Domine, vulneraque cor nostrum igneo amoris tui iaculo, ut cor nostrum algidum et crystallinum accendas, faciasque carneum, purpureum, flammeum: da quod iubes, et iube quod vis; ut te unum toto corde ardenter amemus, tibi uni placere satagamus, tuam sanctissimam legem et voluntatem per omnia ad amussim compleamus. Quotidie ergo oremus, dicamusque ex intimo cordis affectu: *Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium, tuique amoris ignem in eis accende; lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum; fove quod est frigidum, rege quod est devium, infirma nostri corporis virtute firmans perpeti.* Da ut in cordis medullis sentiamus, quod sentiebat cor sponsæ a te accensum in Cantic. ac cum ea iubilantes canamus: *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia: donec aspiret dies, et inclinentur umbræ: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Deus cordis mei*, imo iam non mei, sed tui; posside cor meum, imo tuum. *Deus cordis mei*, imple et satia cor meum, quod a nullo alio impleri aut satiari potest. *Deus cordis mei*, quem unum cor meum amat, sitit et ambit, da ut totum cor meum totis viribus te diligat, totum tui amore ardeat, totum tuo igne ignescat, liquescat, et a se deficiens in te transeat, tuque sis Deus meus, amor meus et omnia.

Vers. 28. HABITABITIS IN TERRA, QUAM DEDI PATRIBUS VESTRIS.) In Iudæa; vel potius, in Ecclesia quæ cœpit in Iudæa. Hanc patribus *dedi*, id est, dare promisi: τὸ enim dedi significat actum non completum, sed inchoatum et destinatum; quomodo Apostolus 2. Timoth. 1. 9. dicit, quod Deus dedit nobis gratiam per Christum ante tempora sæcularia: *dedit*, id est, dare decrevit et prædestinavit.

A VOCABO FRUMENTUM.) q. d. Ad iussum meum, ad unam vocem, imo nutum, veniet abundantia frumenti, non tam corporei, quam spiritalis, q. d. Dabo vobis copiam gratiæ, Sacramentorum, ac præsertim Eucharistiæ, quibus anima pascatur et delicietur. Vers. 29.

ET NON IMPONAM, Hebr. non dabo, non inducam, FAMEM.

MULTIPLICABO FRUCTUM LIGNI, ET GENIMINA AGRI.) Id est multiplicabo omnes herbas, fruges et fructus, non tam corporis, quam animæ, ut dixi. Vers. 30.

UT NON PORTETIS ULTRA OPPROBRIUM FAMIS IN GENTIBUS.) Ut Gentes deinceps vobis exprobrare nequeant quod fame affligamini, aut moriamini.

DISPLICEBUNT VOBIS INIQUITATES VESTRÆ.) Hebr. Vers. 31.
ונקטתם *unkototem:* quod Vatabl. vertit, *pudebit vos in facies vestras iniquitatum vestrarum;* alii, *nauseabitis*, fastidietis, tabescetis *intra vos super iniquitates vestras;* a-
B lii, *litigabitis intra vos contra flagitia vestra;* Septuag. *et abominationi habebimini ante facies vestras, in iniquitatibus vestris;* Chald. *ingemiscetis ob peccata vestra.*

NON PROPTER VOS.) Non vestris meritis, sed mea misericordia. et propter nomen meum, ut dixit v. 22. Vers. 32.

INSTAURAVERO RUINOSA.) Domos, et urbs dirutas Iudææ, scilicet per Zorobabel: et potius cum per Christum *instauravero* animas quæ in peccata corruerunt, tunc *dicent: Terra illa inculta facta est ut hortus voluptatis;* hebr. עדן *eden*, q. d. Est instar paradisi terrestris, de quo Genes. 2. v. 8. Vers. 33.

MUNITÆ SEDERUNT.) Id est munitæ sedent, id est munitæ sunt et tutæ: qui enim tuti sunt, sedent. Unde Septuag. vertunt, *munitæ apparuerunt;* Chald. *inhabitantur.* Sic et Hebr. ac Vatabl. Quare perperam aliqui legunt, *minutæ sederunt.* Vers. 35.

C EGO LOCUTUS SIM, ET FECERIM.) Id est, scient gentes quod, sicut locutus sum, vobisque promisi, sic et reipsa feci ac præstiti. Vers. 36.

UT FACIAM EIS.) Quæ sequuntur: vel ea, quæ optant et petunt, ait Maldon. Vers. 37.

MULTIPLICABO EOS SICUT GREGEM HOMINUM.) Ut solet grex pecorum multiplicari, sic multiplicabo homines in Iudæa, et potius in Ecclesia.

UT GREGEM IERUSALEM IN SOLEMNITATIBUS EIUS.) q. d. Sicut in Ierusalem in festis, præsertim tribus solemnioribus, puta Paschæ, Pentecostes, et Tabernaculorum, magnus concurrit grex, tum hominum, tum ovium immolandarum: sic multiplicabo oves Christi pastoris, id est, fideles et Christianos. Hi enim sunt grex sanctus Dei, æque ac olim oves immolandæ Deo, erant grex sanctus Dei. Vers. 38.

CAPUT TRIGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Caput hoc eiusdem est argumenti, æque ac methodi cum præcedente; sed quod ibi plane, hic eleganter per parabolam describit. Nam sub typo ossium aridorum reviviscentium significat captivorum in Babylone liberationem: sub quo rursum symbolice ad litteram significat peccatorum a morte animæ suscitationem, et reductionem ad Ecclesiam per Christum, primo quidem obscure et tacite, sed deinde clare et expresse. Nam ad Ecclesiam et Christum clare et diserte assurgit v. 15. ubi asserit Israel et Iuda olim ab invicem divisos, imo contrarios, in unam Ecclesiam coniungendos, ubi ab uno pastore Davide, id est Christo, pascentur et regentur, per quem novum fœdus pacis sempiternum cum eis sanciet, ut sit eis Deus et sanctificator, ac ipsi sint ei populus sanctus. Itaque parabolam hanc ossium reviviscentium ad litteram spectare Christum et Ecclesiam patet, tum ex decursu capitis, præsertim v. 15. usque ad finem: tum ex cap. præced. cui hoc connectitur. Hic enim explicat illud, quod ibi dixit v. 16. Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor (*osseum, imo*) lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum: et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et salvabo vos, *etc. Explicat inquam per parabolam ossium, quæ accepto spiritu vitali reviviscunt: ita enim peccatores accepto spiritu pœnitentiæ et gratiæ Christi redeunt ad vitam spiritalem. Iustificatio ergo est resurrectio. Hinc ait Apostolus Rom. 6. 4.* Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris; ita et nos in novitate vitæ ambulemus. *Et ad Coloss. 3. 1.* Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite. *Vide ibi dicta.*

1. FACTA est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini: et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus: 2. Et circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. 3. Et dixit ad me: Fili hominis putasne vivent ossa ista? Et dixi: Dominus Deus,

tu nosti. 4. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis: et dices eis: Ossa arida audite verbum Domini. 5. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis. 6. Et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem: et dabo vobis spiritum, et vivetis, et scietis quia ego Dominus. 7. Et prophetavi sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus, prophetante me, et ecce commotio: et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam. 8. Et vidi, et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt: et extenta est in eis cutis desuper, et spiritum non habebant. 9. Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, et dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant. 10. Et prophetavi sicut præceperat mihi: et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde. 11. Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc universa, domus Israel est: Ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus. 12. Propterea vaticinare, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus: et inducam vos in terram Israel. 13. Et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra vestra, et eduxero vos de tumulis vestris, popule meus: 14. Et dedero spiritum meum in vobis, et vixeritis, et requiescere vos faciam super humum vestram: et scietis quia ego Dominus locutus sum, et feci, ait Dominus Deus. 15. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 16. Et tu fili hominis sume tibi lignum unum: et scribe super illud: Iudæ, et filiorum Israel sociorum eius: et tolle lignum alterum, et scribe super illud: Ioseph ligno Ephraim, et cunctæ domui Israel, sociorumque eius. 17. Et adiunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum: et erunt in unionem in manu tua. 18. Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes: Nonne indicas nobis quid in his tibi velis? 19. Loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, et tribus Israel, quæ sunt ei adiunctæ: et dabo eas pariter cum ligno Iuda, et faciam eas in lignum unum: et erunt unum in manu eius. 20. Erunt autem ligna, super quæ scripseris in manu tua, in oculis eorum. 21. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt: et congregabo eos undique, et adducam eos ad humum suam. 22. Et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans: et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna. 23. Neque polluentur ultra in idolis suis, et abominationibus suis, et cunctis iniquitatibus suis: et salvos eos faciam de universis sedibus, in quibus peccaverunt, et emundabo eos: et erunt mihi populus, et ego ero eis Deus. 24. Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum: in iudiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient, et facient ea. 25. Et habitabunt super terram, quam dedi servo meo Iacob, in qua habitaverunt patres vestri: et habitabunt super eam ipsi, et filii eorum, et filii filiorum eorum, usque in sempiternum: et David servus meus princeps eorum in perpetuum. 26. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis: et fundabo eos, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. 27. Et erit tabernaculum meum in eis: et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. 28. Et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

Vers. 1.

Manus Dei quintuplex.

MANUS DOMINI.) Id est, operatio et afflatus prophetiæ: ita Chald. Secundo, proprie visa est Prophetæ ipsa manus Dei, quæ ipsum apprehendit, et in campum ossibus plenum deduxit: uti eidem contigit c. 8. v. 3. *Et emissa,* inquit, *similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, et elevavit me inter cælum, et terram.* Ita Maldon. Tertio, manus Domini, id est ipsum Dei Verbum, ait S. Hieron. quia per ipsum facta sunt omnia. Unde S. August. in psal. 104. Christus, ait, se in Prophetis prædicabat, quoniam ipse est Verbum Dei: annunciabant ergo Christum pleni Christo. Quarto, Theod. per manum accipit vim et impulsum Dei, quem præsentiebant Prophetæ antequam prophetarent, quaque quasi ad prophetandum impellebantur: manus enim est impellere. Hinc aliqui notant, Prophetas nominare manum Domini, cum illustre quid dicturi sunt, quod manum, id est potentiam, Dei doceat. Quinto, Anton. Fernand. visione 17. sect. 1. manus, inquit, sumitur pro locutione qua aliquid faciendum præcipitur: manu enim impellimus subditum eo quo volumus. Hæc omnia eodem redeunt. Proprie manus hæc sustulit Prophetam, et transtulit spiritaliter in campum plenum ossibus: videbatur enim sibi Propheta, se per manum hanc accipi, eoque transferri: fuit enim hæc mentalis visio, non realis translatio. Unde sequitur:

ET EDUXIT ME IN SPIRITU DOMINI.) q. d. Non corporaliter, sed mente et spiritu raptus a Domino egressus sum in campum. Hoc est, non reipsa, sed per propheticam visionem ivi in campum. Secundo, *in spiritu,* id est, virtute et impulsu *Domini.*

Vers. 2.

An in valle Iosaphat omnes resurgent?

ET DIMISIT ME IN MEDIO CAMPI.) In campo Sennaar, sive Babylonis: ibi enim erant ossa arida, id est, Iudæi in captivitate pene exsucci et emortui, uti mox fusius dicam. Hinc symbolice D. Soto, et ex eo noster Ioannes Salas 1. 2. q. 5. a. 4. tract. 2. disp. 14. sect. 7. censent omnes homines resurrecturos in eodem loco et campo, puta in valle Iosaphat, ubi fiet iudicium: eo ergo singu-

A lorum ossa ex toto orbe transferenda esse ab angelis, ut ibi communiter omnes resurgant. Verum non minus probabiliter Richard. in 4. dist. 48. a. 1. q. 7. et Franc. Suarez tom. 2. p. 3. disp. 50. sect. 7. censent quemque resurrecturum eo loco ubi fuerit cadaver, et ossa, aut maior eorum pars: ibi enim per angelos adducendas alias partes: indeque singulos iam resuscitatos transferendos in vallem Iosaphat ad tribunal Christi. Illudque innuit hic Ezechiel v. 12. dicens: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris populus meus, et inducam vos in terram Israel.* Campus ergo hic fuit integra Babylonia ad litteram, qui symbolice significabat totum orbem. Hic enim per speciem huius campi menti Prophetæ, per visionem elevatæ, obiectus fuit quasi parvus quidam campus, huic similis: sicut S. Benedictus mente elevatus, in Deo vidit totum orbem in specie globi. Idem significat Christus Ioan. 5. 28. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et procedent,*
B *qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.*

Vers. 3

Ossa arida reviviscentia symbolum sunt resurrectionis.

Item iustificationes impii.

FILI HOMINIS PUTASNE VIVENT OSSA ISTA?) Ad litteram ossa arida vocat Iudæos in Babylone captivos, squalore confectos, et quasi aridos ac emortuos; eo quod non haberent spem reditus in patriam, ut patet v. 11. Consequenter suscitationem et vitam eorum vocat liberationem a captivitate, quæ eis erat instar mortis. Est metaphora, vel potius parabola, aut ænigma sumptum ab ossibus hominum mortuorum, qui resurgent in die iudicii. Rursum per ossa hæc arida, puta per Iudæos in Babylone quasi emortuos, intelligit peccatores, qui per peccatum perdiderunt animam et vitam, id est, gratiam Dei. Unde his dicit; *Audite verbum Domini;* quia hi per prædicationem verbi Dei convertuntur, et a peccato resurgunt; uti iam plenius dicam.

EGO INTROMITTAM IN VOS SPIRITUM.) Vitalem. *Per resurrectionis parabolam de restitutione Israelis prophe-*

tat, ait S. Hieron. Itaque grammatice, quasi in cortice literæ significat resurrectionem mortuorum, et sub hac quasi parabola significat liberationem Iudæorum e captivitate, in qua quasi ossa arida sine spiritu et vita, id est, omni carentes consolatione et vigore, sine ulla spe inde evadendi iacebant. Qui enim in captivitate et miseriis vitam degunt, in sepulcris habitare perhibentur, ut psal. 67. 7. *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.* Vere enim ait Poeta: *Non est vivere, sed valere, vita.* In Iure quoque civili servitus censetur esse mors civilis, sicuti libertas censetur esse vita civilis.

Tertio, liberatio nis e captivitate Babyl.

Secundo, sub typo liberationis e captivitate Babylonica, quam perstringit, et quasi præsupponit, proprie ad literam intelligit peccatorum, qui quasi ossa arida sine spiritu et gratia, quæ est vita animæ, in peccato captivi tenentur, ut ex eo nulla vi naturali exurgere possint resuscitationem per afflatum spiritus et gratiæ Christi. Est ergo gemina hic quasi parabola, id est, geminus eius sensus literalis (illo enim involvit simul typum cum antitypo) sed unus alteri subordinatus, et quasi subalternus, uti explicui canon. 5. Itaque ex hoc loco, et ex hac parabola recte probamus fore resurrectionem corporum, ut docet Tertull. lib. de Resurr. carnis, cap. 29. *Non enim, inquit, posset de ossibus figura* (*parabola*) *componi, si non idipsum et ossibus eventurum esset.* Sic et S. Ambros. l. de Fide resurrectionis, Theod. Iustin. Apol. 2. pro Christianis, Cyprian. l. 3. ad Quirinum cap. 49. Cyrill. Hierosol. catechesi 18. S. August. lib. 3. de Doctrin. Christian. cap. 31. Iren. l. 5. 15. et S. Hieron. qui idipsum ita probat: *Numquam enim poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, et futura crederetur: quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat.* Hinc S. Ambros. lib. de Fide resurrectionis, ossa hominum in sepulcris iacentia vocat semina æternitatis; quod ea post carnem consumptam supersint, sicut post pomum semina, ex quibus Deus hominem suscitabit, quasi novam arborem, qui in æternum vivat: ossa ergo reviviscentia, quasi semina repullulantia, florem Sanctis proferent immortalitatis: flos enim resurrectionis est immortalitas, inquit S. Ambros. Hinc et S. Hilar. in psal. 52. 6. *Spes*, ait, *æternitatis in ossibus significari solet, ex quo dictum est: Hoc nunc os ex ossibus meis; quod B. Apostolus, quia magnum mysterium est, ad Christum et Ecclesiam refert, quæ ex Adæ sui æternitate, æternitatis substantiam mutuatur, quod in Domini vulnerato licet corpore confixoque non frangitur. Os, inquit, eius non conteretur: quia cum fuerit vis passionis in carne, in æternam tamen divinitatis et impassibilem naturam nihil licuit passioni. Integram autem et incorruptam spem æternitatis significari in ossibus, etiam illic meminimus, ubi dicitur: Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur: quia secundum demonstratam Ezechieli resurrectionem, sacramentum eius sub ossium significatione sit revelatum.* In ossibus ergo est quasi vis seminalis resurrectionis, non naturalis et physica; sed moralis et obedientialis; quia a Deo destinata et reservata sunt resurrectioni: ita Franc. Suarez 3. p. disp. 50 sect. 4. Rursum ossa hæc inter se colligata, et congrue aptata erant quasi organa musica, quibus Deus flatum immisit ad reddendam vitæ harmoniam. Sic corpus Adami fuit quasi lyra, membra quasi fistulæ, in quæ Deus inspiravit spiraculum vitæ, ut convenientem Domino offerrent melodiam, ait S. Chrysost. Hinc inter omnia resurrectionis symbola quæ vera sunt (nam phœnix est fabula) nullum similius et significantius est hydrargyro, sive argento vivo. Hoc enim si manu diducas (uti reipsa expertus sum) in minutissimas arenulas, et quasi atomos, ita ut in pulvisculos evanescere videatur; mox ut eos rursum manu associas et coniungis, in pristinam hydrargyri formam confluendo redeunt, et quasi reviviscunt. Notavit hoc Gabriel Fallopius, medicus Mutinensis in hydrargyro, et multis sæculis ante eum S. Gregor. Nyssenus lib. de Creat. homin. cap. 28.

Ossa sunt semina resurrectionis, quomodo?

Aliud symbolum resurrectionis est semen, quod in terram iactum moritur, sed in vere repullulat, novumque granum et semen producit, quod affert Apostolus 1. Cor. 15. 37. Verum non resurgit semen idem numero, sed idem specie: in hydrargyro autem idem numero quasi resurgit, sicut in resurrectione idem numero corpus quod vixit resurget. Porro est hic hysterologia, sive ordo narrationis inversus; nam primo narrat quod factum est ultimo loco. Primum enim ossa iuncta sunt, deinde nervis et carnibus tecta, postremo spiritum receperunt, ut patet v. 8. et 9. Ita Maldon.

Factus est autem sonitus.) Id est, strepitus ossium, quæ movebantur et transferebantur, ac accedendo ad alia collidebantur, et edebant strepitum. Significat hic strepitus Primo, sonitum Iudæorum, et iubilum exultantium de sua liberatione et reditu, ad eumdemque se comparantium, et sua convasantium. Secundo, sub hoc typo significat peccatores concione commoveri ad scelerum detestationem, eaque plangere. Ingens enim in corde peccatoris fit commotio, et strepitus affectuum inter se colluctantium dum convertitur. Vers. 7.

Commotio.) Significat attritionem, vel contritionem de peccatis in fieri, sive in actu inchoato: tum enim needum vivit, id est iustificatur, homo: sed eum ad eam quasi in facto esse infunditur gratia iustificans. Grammatice significat motum, quo ab angelis ossa in resurrectione invicem unientur: tunc enim ingens fiet tum terræ et sepulcrorum, tum ossium inde exeuntium, et ad se invicem accedentium commotio. Symbolice significat motum Iudæorum in Babylone, quo quilibet ad iuncturam suam, id est tribum et familiam, movebatur, ut ei adhæreret, et cum ea rediret in Iudæam. Docet ergo, ait Tertul. loco citato, quod Iudæorum populus *emortuus, exaridus, et dispersus in campo orbis recolligi habeat, et recompingi os ad os, id est, tribus ad tribum, et populus ad populum, et recorporari carnibus facultatum, et nervis regni: atque ita de sepulcris, id est habitaculis captivitatis tristissimis, atque teterrimis educi, et refrigerii nomine respirare, et vivere exinde in terra sua Iudæa.* Verum sub hoc quasi typo rursum intelligit compunctionem et commotionem peccatoris, dum convertitur, ut dixi.

Commotio triplex. 1. Iudæorum. 2. Peccatorum. 3. Resurgentium.

A quatuor ventis.) Quia in omnes plagas dispersi sunt mortui, et captivi. Hinc exinde veni, o spiritus Dei, tum essentialis, tum notionalis, id est, o Spiritus sancte, et affla eis spiritum vitæ; mortuis, ut resurgant; captivis spiritum, id est, vires, animum et audaciam tribue redeundi; peccatoribus da spiritum gratiæ, ut iustificentur. Apposite animam comparat vento: quia vento, id est spiratione et exspiratione, quam causat anima, vivimus. Porro animæ dicuntur ad corpus venturæ a quatuor ventis: tum quia ibi reliquerunt corpora sua, dum mortui sunt homines: anima enim videtur ibi esse, ubi remansit, dum suum destituit corpus: tum quia aliæ e cælo venient, aliæ e Purgatorio, aliæ e qualibet mundi plaga, puta animæ eorum qui morientur in die iudicii in qualibet orbis parte. Hæ enim subito inde ad suum corpus revocabuntur, dum resurgent. Vers. 9.

Ossa hæc universa domus Israel.) q. d. Ossa hæc significant domum Israel, quæ fuit in Babylone captiva, quasi in sepulcro fuisset mortua. Hic applicat parabolam Iudæis in Babylone captivis, qui de se suoque reditu actum putabant; neque plus esse spei, ut in libertatem et patriam restituerentur, quam ut ossa illa reviviscerent. Deus ergo ostendit se et hoc, et illud efficere posse. Vers. 11.

Aruerunt ossa nostra.) q. d. Iamdiu mortui sumus omnem vigorem, animum, spiritum et fortitudinem perdidimus. Mystice S. Clemens l. 5. Const. Apost. c. 6. censet Iudæos hæc dixisse, eo quod non crederent futuram resurrectionem, quibus proinde respondet Deus, spondetque resurrectionem, dicens: *Ecce ego aperio sepulcra vestra, et educo vos ex eis*, etc.

Periit spes nostra.) In patriam revertendi.

Abscissi sumus.) Sicut ramus a radice avulsus spem

vitæ non habet, ut radici rursum iungatur: ita nos a patria avulsi non speramus reditum, ut ei rursum iungamur. Sic peccator non sperat veniam, imo sæpe desperat; nisi a spiritu Dei spes ei affletur. Ossa ergo hæc arida symbolum sunt extremæ calamitatis, in qua omnia videntur homini naturæ vires metienti esse desperata; sed tunc Deus invocatus maxime adesse et opitulari solet, etiam supra naturam. Ita permisit Deus Iudæos in Babylone atteri et consumi quasi usque ad ossa, ut eos doceret sperare in rebus desperatis, Deumque invocare, ac invocatus gloriose eos liberaret, et quasi a morte suscitaret. Hoc est quod ait Isaiæ 26. 19. *Vivent mortui mei, interfecti mei resurgent: mei,* hoc est meo imperio, nutui et virtuti subditi, ut eos a morte suscitem: hinc subdit Isaias: *Expergiscimini, et laudate qui habitatis in pulvere: quia ros lucis ros tuus,* q. d. Quam facile ros herbas aridas irrigando vegetat, et quasi vivificat; tam facile ego Deus, mea gratia et virtute vos aridos et mortuos ad vitam revocabo. Quare tunc beati dicent illud psalm. 34. 20. *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?*

Vers. 12. Aperiam tumulos.) *Tumulos* et sepulcra vocat carceres Chaldææ, et sub his carceres peccati: captivitas enim dicitur mors civilis, q. d. Ego vos liberabo a Babylonica servitute: ac pariter mundum eripiam a captivitate peccati.

Vers. 14. Humum vestram.) Scilicet Iudæam; et sub hac intelligit Ecclesiam.

Vers. 16. Sume tibi lignum unum.) Chald. *tabulam;* Septuag. *virgam unam.* Resurrectionem et reditum e Babylone hactenus descripsit per parabolam ossium aridorum reviviscentium, nunc eadem describit per aliam, sed similem parabolam ramorum, sive lignorum aridorum in manu Ezechielis unitorum, et quasi reviviscentium, ut fiant velut una arbor. Illa ab animalibus sumpta est, hæc a plantis, quæ similem habent animam et vitam: habent enim suas venas, fibras, medullam, succum, ramos quasi membra, radices quasi cor et stomachum, folia quasi comam, fructus quasi proles, instar animalium: unde homo vocatur arbor inversa. Rursum, semen in terra moriens et mox reviviscens; ac arbor in hieme quasi moriens in vere reviviscens, symbolum est resurrectionis, uti ex Apostolo, et S. August. docui 1. Cor. 15. 36. Porro arbor hæc conflata ex duobus lignis, quasi ramis reviviscentibus, apposite significat Ecclesiam, quæ ex variis hominibus, et gentibus, antea sceleratis, et per peccata mortuis, nunc per gratiam reviviscentibus, conflatur, et in Christo coalescit. Vide Origen. homil. 7. in c. 10. Levitici. Iubetur ergo hic Propheta a Deo sumere duo ligna, id est sceptra, scilicet unum Iuda, cui adhæret Israel, id est, tribus Beniamin et Levi; alterum Ioseph, sive Ephraim, id est, decem tribuum: hæcque duo in unum coniungere, ut fiat unum sceptrum, unum scilicet regnum et una resp. Nota. Sub duobus lignis significat duo regna, scilicet, unum Iuda, alterum decem tribuum, quod vocat Samariam, Ioseph, et Ephraim: quia ex tribu Ioseph, sive Ephraim (Ephraim enim fuit filius Ioseph, et ab avo Iacob, Manassi fratri seniori prælatus, factus est primogenitus, Genes. 48. 20. quocirca tribus Ioseph vocata est tribus Ephraim, Num. 1. 10.) ortus fuit Ieroboam primus rex Israelis, sive decem tribuum, rebellionis contra Iudam, et domum Davidis auctor.

Duæ virgæ sunt duo regna.

Secundo, hæc duo ligna coniuncta sunt: quia e decem tribubus multi se iunxerunt Iudæ, cum sub Zorobabel, Esdra et Nehemia omnes e Babylone redierunt in Iudæam, et coaluerunt in unam remp.

Tertio, sub his significat unionem Iudæorum et Gentium in Ecclesia Christi. Christus enim *fecit utraque unum,* Ephes. 2. 14. *Ut in illo non sit Iudæus, et Græcus, sed omnes sint unum,* Coloss. 3. 11. Unde subdit, *Et erunt in unionem in manu tua,* id est, ita ea iunges, iunctaque manu gestabis, ac si unum esset lignum.

Ioseph ligno Ephraim.) Id est, ut Chald. *Ioseph qui est tribus,* vel *regnum Ephraim.* Inde enim dictæ sunt duodecim שבטים *scebatim,* id est, *tribus,* quasi duodecim virgæ ex eodem trunco, scilicet patre Iacob, prodeuntes. Nomen enim שבט *scebet* virgam et sceptrum, indeque tribum significat: quæque enim tribus suam habebat virgam, ut patet Numer. 17. 2.

Assumam lignum Ioseph, id est, tribum et regnum Ioseph, sive decem tribuum, quod est in manu Ephraim.) Vers. 19.
Quia primus rex Israelis Ieroboam, et fere alii sequentes fuere ex tribu Ephraim. Unde Chald. vertit, *qui est tribus Ephraim.*

In manu eius.) Ita Rom. *eius,* scilicet Dei, Hebr. *in manu mea,* scilicet Dei: ego enim Deus hic loquor. Sept. *in manu Iuda,* q. d. Hominum malitia et æmulatione, cum unum esset regnum Iudæorum, sub Roboam et Ieroboam scissum est in duo: mea vero potentia cum duo sint, aut potius nullum, rursum unum fient: sicut tu duo ligna in manu tua ita iunxisti ut unum esse videantur. Hoc autem fecit Deus non tam per Zorobabel, quam per Christum. Hic enim sustulit æmulationem et contentionem inter Iudæos et Samaritas, ac utrosque in sua Ecclesia Deo sibique coniunxit, uti ipse ait Ioan. 4. 21.

Faciam eos in gentem unam.) In unum populum fidelem, et Christianum. Vers. 22.

In montibus Israel.) In Ecclesia Catholica. Hæc enim est vera Sion, et Israel. Vide dicta Isaiæ 2. v. 22.

Et rex unus erit omnibus imperans.) Puta, unus rex Christus. *Unum enim imperii corpus, unius animo regendum videtur,* ait Tacitus lib. 1. Annal. sicut ab uno gubernatore una navis. Si plures des, turbas afferes, non aliter quam *si duo soles velint esse, periculum est, ne incendio omnia perdantur,* inquit Serinus. Hinc legimus, imo ipsi vidimus, *discordantis* sæpe *patriæ non aliud remedium fuisse, quam si ab uno regeretur,* ait Tacitus l. 1. Nam, ut ait Plato in Polit. ο βασιλευς ως θεος εξ ανθρωπων, *rex, Deus quispiam humanus est.* Et Callimachus: *Ex Iove sunt reges.* Unde et Homer. διοτρεφεας βασιληας, *a Iove educatos reges* nuncupat. Et Livius lib. 26. *Regnum* (monarchia) ait, *res inter deos hominesque pulcherrima.* Denique Homerus Iliad. β

εις κοιρανος εστω,
εις βασιλευς.
Herus unicus esto,
Unicus et princeps.

De universis sedibus, id est habitaculis, suis.) In Vers. 23.
quibus vel habitarunt, vel dispersi fuerunt quasi fugitivi, aut captivi, ibique aliarum Gentium idola et peccata imbiberunt. Nam, ut ait Psaltes psalm. 105. 35. *Commisti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum.*

David rex super eos.) Id est, Christus filius Davidis Vers. 24.
erit rex et pastor omnium fidelium. Huc alludit Christus Ioan. 10. 16. dicens: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor.* Unde de iis ait: *In iudiciis,* id est præceptis, *meis ambulabunt super terram quam dedi servo meo,* id est in Sion, id est, in Ecclesia Christiana.

Princeps eorum in perpetuum.) Quia *regni eius,* sci- Vers. 25.
licet Christi, *non erit finis,* Luc. 1. 33.

Fœdus pacis.) Novum testamentum quod nos Deo re- Vers. 26.
conciliat, et totum spirat pacem, amorem, concordiam. Vide cap. 34. 25. Porro ait, *percutiam fœdus,* id est sanciam, paciscar, condam: quia fœdera et pacta iniri solent stipulatione, id est mutua percussione manus; et quia sanciebantur percussione et mactatione victimarum fœderalium. Unde Poeta:

Stabant, et cæsa firmabant fœdera porca.

Inde phrasis, icere, id est percutere, fœdus.

Fundabo eos.) In Ecclesia quasi firma terra et fundamento, imo petra.

Dabo sanctificationem, id est sanctitatem, meam.) Vel sanctum Eucharistiæ Sacramentum, ait H. Pintus. Sed Nota. Hebr. est מקדשי *micdasci,* id est, sanctuarium, sive templum meum, ut vertit Chald. q. d. Habitabo cum Christianis in Ecclesia, uti cum Iudæis olim habitabam in templo: ita Vatabl. Hinc Christiani sunt templum, in quibus habitat Deus, ut ait Apostolus, 1. Cor.

3. 16. et 2. Cor. 6. 16. Vide ibi dicta. Septuag. vertunt, *sancta*, in plurali eodem sensu: nam ita vocant sanctuarium, quod olim divisum erat in Sanctum, et Sanctum sanctorum; licet H. Pintus per *sancta*, accipiat septem sancta Ecclesiæ Sacramenta.

Vers. 27. ET ERIT TABERNACULUM MEUM IN EIS.) Nota. Ecclesiam vocat *tabernaculum*, uti paulo ante sanctuarium, vel templum vocavit. Ecclesia enim militans hic quasi degit in tabernaculo.

Vers. 28. SANCTIFICATIO.) Hebr. *sanctuarium*, scilicet templum, id est Ecclesia sancta, ut dixi v. 26.

Huc alludit S. Ioannes Apocal. 21. 3. imo hæc ipsa Ezechielis verba citat, eaque adaptat Ierusalem cælesti: in ea enim complebuntur, cum in terrestri, puta in Ecclesia militante, inchoentur, illudque innuit vox *in perpetuum*. Noster Turrianus lib. de Eucharistia, hæc accommodat S. Eucharistiæ, in qua Deus, puta Christus, corporaliter residet, ac per eam in Ecclesia quasi in tabernaculo suo remanet, et habitat.

Moral. de symbolis resurrectionis. Est hoc capite locus didacticus, æque ac moralis de futura omnium hominum resurrectione. Voluit enim Deus hoc schemate ossium reviviscentium acuere in Iudæis, æque ac in Christianis fidem et spem resurrectionis, quæ acer est stimulus ad omnem virtutem. Nam, ut ait Tertull. *Spes Christianorum, est resurrectio mortuorum.* Hac de causa eamdem Deus sæpius claris miraculis hominibus repræsentavit.

I. Est conservatio corporum. Primo, conservando corpora Sanctorum incorrupta. Hoc enim est specimen, et quasi præludium resurrectionis.

Tempore Theodosii Imper. anno Christi 430. cum, ut multi referunt (licet id neget Baronius) magna Constantinopoli esset de resurrectione mortuorum dissertatio, Deus miraculo rem definivit. Nam in lucem produxit septem fratres sanos et vegetos, qui Ephesi sub Decio fugientes persecutionem in spelunca latuerant, et dormierant a Decio usque ad Theodosium, id est annos 181. Unde Theodosius, ut eos videret Ephesum profectus est: extat eorum quasi sanctorum, titulo Septem dormientium, memoria in Martyrol. 27. Iulii.

Testatur Metaphrastes in vita S. Antonomi Episcopi et Martyris, se vidisse eius reliquias in sepulcro integras et vividas post ducentos a morte annos, adeo ut etiam coma capitis esset illæsa, et formæ character consisteret integer, pelle firma et extensa, ne amissis quidem pilis labri superioris. Figura quoque corporis suam conservabat compagem, sine ulla partium a se invicem disiunctione.

Sumus supra annum 352. inquit Thomas Bozius l. 15. de Signis Ecclesiæ c. 3. ex quo Ubaldus Episcopus Eugubinus e vita migravit, et tamen ego bis aspexi vivida immaculataque eius membra, ac propius intuitus sum sacerdotum manibus attrectari, et in omnes partes versari, perinde ac si caro viva esset, non corruptioni obnoxia.

Ita anno Domini 771. Huberti Episcopi Leodiensis corpus, dum decimo septimo anno a morte eius elevaretur, integrum illæsumque cum cæsarie, et mirifice fragrans repertum est, ut habet eius vita 3. Novembr.

Ita S. Claudii Archiepiscopi Bisuntini corpus usque in præsens in S. Eugendi Ecclesia, cunctis admirantibus incorruptum et integrum monstratur, innumeris coruscans miraculis, ut habet eius vita, die 6. Iunii.

Ita anno Domini 1170. S. Sigeberti regis Francorum corpus integrum inventum est, ac si dormiens illic iaceret, cum iam 572. annos iacuisset in sepulcro, inquit Sigebertus monachus in vita eius 1. Februarii.

S. Ferreolus Martyr sepultus Viennæ in Gallia, post multos annos inventus est integer et illæsus, ut videretur dormire, neque colore faciei demutatus, neque capillorum decisione turpatus, neque ulla putredine resolutus, inquit Gregor. Turon. de Miraculis S. Iuliani c. 2.

Ita et B. Xaverii corpus virgineum Deus ad hæc usque tempora integrum illæsumque conservat. Hæc sunt præludia resurrectionis.

II. Secundo, resurrectionem hanc futuram demonstravit Christus, ostendens se multoties post mortem in corpore glorioso: item Sancti apparentes post mortem. Ita S. Acholius Episcopus Thessalon. apparuit S. Ambrosio, dicens, se in cælo requiescere, uti ipse refert l. 3. epist. 22. Apparitiones Christi et Sanctorum

Ita S. Eugenia matri mœstæ apparens habitu splendidissimo, cum multis virginibus, *Noli*, ait, *flere, sed lætare: nam ego, et pater Philippus vivimus in quadam ineffabili Martyrum lætitia una cum Christo versantes, et conregnantes, qui te etiam non post multos dies ad hanc vitam evocabit. Meis autem fratribus conserva firmum ac stabile, quod est in Christo signaculum; et assidue hortare, ut sint etiam mihi fratres animis, ut sic totum genus offeramus pulchrum donum Domino.* Ita habet eius vita c. 37. apud Surium 25. Decembris.

Ita S. Agnes post mortem parentibus apparuit, dicens: *Ne me quasi mortuam lugeatis; nam una cum his virginibus vivo apud illum in cælis, quem in terris tota mente dilexi*, uti refert S. Ambr. serm. 90.

III. Membrorum abscissorum unio. Tertio, per unionem membrorum abscissorum ad corpus, vel eorum gestationem.

Scribit S. Greg. 3. Dial. c. 13. S. Herculani Episcopi et Martyris caput, quo a Totila truncatus erat, quadragesimo post die in sepulcro inventum fuisse ita unitum corpori, ac si nulla ferri incisio illud tetigisset.

S. Wenceslaus Bohemiæ rex, ab iniquissimo fratre suo Boleslao interfectus, inventus est integer, discissaque auricula rursus capiti adhærebat. Ita Dubravius lib. 4. histor. Bohem.

Memorabile, et pene inauditum est quod legimus in vita S. Stanislai Episcopi Cracoviensis, celebrantque Poloni in Sanctorum suorum Breviario, nimirum Boleslaum regem trucidasse S. Stanislaum, mox ministros regis ex rabie corpus Sancti in partes 72. dissecuisse, easque canibus et avibus devorandas proiecisse: verum cælitus advolantes aquilæ, Sancti corpori custodes et tutores se præbuere. Post biduum clerus animos resumens, Episcopi sui membra requisivit et composuit. Res mira: Dei virtute factum est, ut illico ita simul concrescerent, ac si numquam divulsa fuissent. Digitus unus deerat, sed ne istum quidem diu latere passus est Deus. Lucerna cælestis eum in vicinam piscinam coniectum, et a pisce devoratum demonstravit, quem exenterantes digitum exemerunt, suoque loco restituerunt. Hoc est quod vidit hic Ezechiel, ossa ossibus, carnem carni, membra membris sociari; utique aperto symbolo et argumento resurrectionis futuræ. Nimirum Dominus custodit ossa Sanctorum suorum, unum ex his non conteretur. Quocirca S. Ambros. in natali S. Nazarii et Celsi: *Honoro ergo*, inquit, *in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam in perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum meum docuit mortem non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et dæmones? quod et afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulcro. Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.*

Non minus mirabile, magis etiam evidens resurrectionis argumentum, imo testimonium est quod subiicio. Idem S. Stanislaus cum a Boleslao rege urgeretur proferre tabulas, vel testes venditionis agri, quem a Petro quodam ante triennium defuncto pro Ecclesia emerat, nec quisquam auderet pro eo testimonium ferre, omnibus regis iram metuentibus; ipse spiritu zeloque Dei correptus: *Quoniam*, inquit, *diminutæ sunt veritates a filiis hominum, de terra veritas oriatur, et iustitia de cælo prospiciat. In nomine Iesu Christi cui servio, et cuius Ecclesiam tueor, recipio me abhinc tertio die ipsum Petrum vivum, testem veritatis et æquitatis causæ meæ ad hoc tribunal adducturum.* Inde tres dies orationi et ieiuniis vacans, adit Petri sepulcrum, eumque nomine Dei omnipotentis compellans: *Exi*, inquit, *foras Petre, ac sepultæ a vivis veritati mortuus de sepulcro perhibe testimonium.* Prodit

ille triennalis mortuus, quem dextra apprehensum Stanislaus ad tribunal regis adducit. Tum ille: *Ego sum*, inquit, *Petrus, qui testimonium veritatis redditurus ex quietis sedibus huc venio. Huic ego rus meum iusto pretio vendidi, et addixi.* Regem deinde ac hæredes suos increpat, quod sancto viro negotium absque causa facessant: ita habet eius vita, et Breviarium Polonicum die 13. Maii. Ecce hic in Petro redivivo non tantum caro carni, et ossa ossibus copulata fuerunt; sed et *ingressus est in ea spiritus, et vixerunt,* quod ait Ezechiel v. 10.

S. Dionysius Areopag. capite plexus se erexit, et resumptum caput ad duo fere milliaria portavit, uti refert Hilduinus in eius vita.

S. Ursus et Victor Martyres, cum sexaginta sociis Thebæis sub Diocletiano et Maximiano capite truncati, et in flumen proiecti, flumen egressi sunt, capita sua in manibus portantes, et ad locum, ubi nunc in honorem eorum fabricata est ecclesia, pervenerunt. Mirabilia hæc, sed mirabiliora succedunt. Sancti enim Martyres genua ad terram flectentes, quasi unius horæ spatio, priusquam corpora sua ad terram deponerent, cunctis cernentibus orabant. Oratione facta corpora sua ad terram dimiserunt, ac si dicerent: *Hæc requies nostra in sæculum sæculi.* Ita habet eorum vita.

Anno Domini 306. sub Daciano, S. Lambertus ob Christi fidem ab hero capite truncatus est, qui mox resumpto capite ultra quatuor passuum millia profectus est ad locum, ubi multi iacebant Martyres occisi; tum dixit, *Exultabunt sancti in gloria;* responderunt illi, *Et lætabuntur in cubilibus suis.* Ita Vasæus.

S. Gregorius Turon. de Gloria Confess. c. 50. refert S. Severinum, cum equitans a mespilo arbore perculeretur,

A ei maledixisse, eamque arefecisse. Post aliquot dies rediens, vidensque eam aridam, cœpit orare, dicens: *Tu Domine, qui corpora nostra facies resurgere, præcipe ut revirescat hæc arbor;* moxque reviruit et revixit.

Perillustre est quod legimus in vita S. Ioannis Chrysost. Cum enim ipse in exilio Comanæ esset defunctus, civesque Constantinopol. eius corpus ad suam urbem reducere vellent, illud nulla vi aut ratione loco movere potuerunt; donec Theodosius Imp. humillimas ad Chrysost. quasi adhuc viventem litteras dedit, quibus culpæ in eum a matre Eudoxia admissæ veniam precatus, enixe rogabat ut ad se suosque cives rediret: qua epistola supra corpus Sancti posita, subito moveri et traduci se permisit. Sed audi maiora. Theodosius omnium ordinum cœtu et pompa stipatus, mira gratulatione illud excepit, atque in genua procumbens veniam matri postulans, rogavit, ut tumuli eius motus et strepitus consisteret. Nam per 35.
B annos iam is quatiebatur, ab eo scilicet tempore quo ipsa Ioannem æque ac Ecclesiam concusserat. Exoravit Imperator: confestim namque urna matris constitit et conquievit. Atque ubi Proclus Patriarcha Constant. Sanctum secum in eodem throno collocavit, plebs circumfusa uno ore exclamavit: *Accipe thronum o Pater.* Fertur ipse tum labia dudum clausa aperuisse, ac dixisse: Pax vobis, uti circumstantes et Proclus Patriarcha testati sunt. Ita ex Cosma Vestiario, Niceph. et aliis Baron. anno Christi 438. Annon ossa Sanctorum coram Deo vivunt? nonne vivit Chrysostomus? Denique ossa S. Ianuarii, Pantaleonis, Nicolai, Andreæ, et aliorum Sanctorum ebullire, et liquorem odoriferum et salutiferum stillare, itaque quasi vivere videntur. Hoc est quod prædixit Isaias cap. 66. v. 14. *Ossa vestra quasi herba germinabunt.* Vide ibi dicta.

CAPUT TRIGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Egit de regno Israelis et Christi, ac de resurrectione, nunc agit de contrario regno Antichristi, scilicet de eius ducibus, et exercitu Gog et Magog, eorumque potentiam, deinde cladem prædicit. Cum fine ergo Ecclesiæ et mundi finem prophetiæ pariter imponit Propheta. Hoc ergo capite, Primo, Gog arma, copias et gentes auxiliares, vim et impetum, qua Ecclesiam, ac nominatim Hierosolymam tunc fidelem et Christianam invadet, describit. Inde v. 17. eius stragem persequitur, quod scilicet mutuis cædibus, peste, igne, lapidibus et fulmine de cælo in eius copias misso, interibunt omnes.

1. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: 2. Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch et Thubal: et vaticinare de eo, 3. Et dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch et Thubal. 4. Et circumagam te, et ponam frænum in maxillis tuis: et educam te, et omnem exercitum tuum, equos et equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam, hastam, et clypeum arripientium et gladium. 5. Persæ, Æthiopes, et Libyes cum eis, omnes scutati et galeati. 6. Gomer, et universa agmina eius, domus Thogorma, latera aquilonis, et totum robur eius, populique multi tecum. 7. Præpara, et instrue te, et omnem multitudinem tuam, quæ coacervata est ad te: et esto eis in præceptum. 8. Post dies multos visitaberis: in novissimo annorum venies ad terram, quæ reversa est a gladio, et congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti iugiter: hæc de populis educta est, et habitabunt in ea confidenter universi. 9. Ascendens autem quasi tempestas venies, et quasi nubes, ut operias terram tu, et omnia agmina tua, et populi multi tecum. 10. Hæc dicit Dominus Deus: In die illa ascendent sermones super cor tuum, et cogitabis cogitationem pessimam: 11. Et dices: Ascendam ad terram absque muro: veniam ad quiescentes, habitantesque secure: hi omnes habitant sine muro, vectes et portæ non sunt eis. 12. Ut diripias spolia, et invadas predam, ut inferas manum tuam super eos, qui deserti fuerant, et postea restituti, et super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui possidere cœpit, et esse habitator umbilici terræ. 13. Saba, et Dedan, et negotiatores Tharsis, et omnes leones eius dicent tibi: Numquid ad sumenda spolia tu venis? ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, et aurum, et auferas supellectilem, atque substantiam, et diripias manubias infinitas. 14. Propterea vaticinare fili hominis, et dices ad Gog: Hæc dicit Dominus Deus: Numquid non in die illo, cum habitaverit populus meus Israel confidenter scies? 15. Et venies de loco tuo a lateribus aquilonis tu, et populi multi tecum, ascensores equorum universi, cœtus magnus, et exercitus vehemens. 16. Et ascendes super populum meum Israel quasi nubes, et operias terram. In novissimis diebus eris, et adducam te super terram meam: ut sciant gentes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog. 17. Hæc dicit Dominus Deus: Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu servorum meorum prophetarum Israel, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos. 18. Et erit in die illa, in die ad-

ventus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo. 19. Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus sum. Quia in die illa erit commotio magna super terram Israel: 20. Et commovebuntur a facie mea pisces maris, et volucres cæli, et bestiæ agri, et omne reptile quod movetur super humum, cunctique homines qui sunt super faciem terræ: et subvertentur montes, et cadent sepes, et omnis murus corruet in terram. 21. Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus: gladius uniuscuiusque in fratrem suum dirigetur. 22. Et iudicabo eum peste, et sanguine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis: ignem et sulphur pluam super eum, et super exercitum eius, et super populos multos, qui sunt cum eo. 23. Et magnificabor, et sanctificabor, et notus ero in oculis multarum gentium: et scient quia ego Dominus.

Quæst. de Gog et Magog, quinam sint? I. Sentent.

QUÆRES, qui sint Gog et Magog? Iudæi fabulantur esse gentes Scythicas innumerabiles, quæ latent inter montes Caspios, et venient cum Antichristo contra Messiam, sed ab eo cædentur in Palæstina. Unde consequenter inferunt Messiam necdum venisse; quia necdum venit Gog, qui ab eo sit cæsus.

II. Secundo, Lactantius lib. 7. c. 24. putat prælium Gog et Magog futurum mille annis post resurrectionem, et mortem Antichristi. Idem censuit Tertull. Papias, Iustinus, et alii Chiliastæ.

III. Tertio, Eusebius libr. 9. Demonstration. cap. 3. docet Gog esse Romanum Imperatorem, Magog Romanum Imperium.

IV. Quarto, alii volunt Gog et Magog, esse prælia angelorum et diaboli.

V. Quinto, Theodoretus asserit Gog et Magog esse Alexandrum Magnum, et reges Syriæ ac Ægypti, Alexandri successores, qui Iudæos afflixerunt, et tandem a Iudæis superati sunt. Sed hoc falsum est: licet enim contra eos illustres victorias habuerint Iudæi, tamen numquam eos plane superarunt, quin semper ab eis vexati sint. Huc pertinet expositio Pererii libr 15. in Genes. num. 12. et Alcazar Apocal. 20. 7. qui per Gog accipiunt Antiochum Epiphanem, qui valde afflixit Iudæos (postquam illi e captivitate Babylonicam in patriam a Cyro restituti sunt, de quo egit Ezechiel cap. præcedenti,) et tandem a Deo morbo putido percussus, misere interiit, ut patet ex libris Machab. Addit Alcazar, S. Ioannem Apoc. 20. 7. de alio Gog loqui, de alio loqui Ezechielem: S. Ioannem enim loqui de Gog futuro in fine mundi, ac per Gog significare milites Antichristi: Ezechielem vero Gog vocare Antiochum, qui proxime successit Nabuchodonosori in persecutione Iudæorum; sed sub Antiocho potius respicere ad Romanos Imp. qui bellum Christianis et Ecclesiæ intulerunt, ac ab ea tandem superati et conversi sunt. Verum de eodem Gog loqui Ioannem et Ezechielem docent communiter interpretes, et conferenti utriusque verba clarum est. Porro Alcazar in Apoc. 20. n. 7. not. 7. per Magog accipit urbem Syriæ ita dictam syriace, quæ græce dicta est Hierapolis. Fuit enim Magog, inquit, idololatriæ metropolis in toto Antiochi imperio. Unde a templorum multitudine vocata est Hierapolis, uti Ptolemæus in quarta Asiæ tabula annotavit, ubi septem solum expressit insignes Asiæ civitates, et secunda earum est *Hierapolis, a multitudine templorum sic appellata a Græcis, cum proprium ipsius nomen sit Magog;* et Plinius lib. 5. cap. 23. *Cœlesyria,* ait, *urbes habet Bambycen, quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog. Ibi prodigiosa Atergatis, Græcis Derceto dicta colitur.* Constat autem Derceto idolum fuisse humana facie, cætera piscem. Et forte idem erat, quod in libr. Regum vocatur Dagon. *Dag* enim hebraice significat piscem: quare et idolum illud inferne habuisse figuram piscis traditur. Compulit ergo Antiochus omnes Iudæos ad idololatriam, cuius caput erat urbs Magog, hinc eum vocat Gog principem Magog, quæ est Hierapolis. Huc usque Alcazar. Sane verisimile est, sicut Antiochus typus fuit Antichristi, ut patet Daniel. 11. 36. ita alludi hic ad urbem gentemque eius impiam et idololatram nuncupatam Magog. Sicut enim illa tempore Antiochi persecuta est fideles, puta Iudæos: ita similiter impii et idololatræ tempore Antichristi persequentur Christianos, ideoque vocantur Magog, quasi posteri et æmuli impietatis gentis Magog, quæ fuit sub Antiocho. Rursum Gomer, Thogorma, Mosoch et Thubal,

A quos hic cum Magog sociat Ezechiel, fuerunt gentes Asiaticæ subditæ Antiocho.

Verum huc tantum alludit, eamque obiter quasi perstringit Ezechiel. Nam directe ad literam loquitur de Magog, qui erit in novissimo tempore, et in fine mundi, ut ait ipse, æque ac S. Ioannes. Adde, de Antiochi exercitu non potest dici, quod ita prostratus sit a Machabæis, ut hastæ et tela cæsorum suffecerint Iudæis ad focum et ignem per septem annos. Tertio, de eodem dici nequit, quod Deus eum e cælo perdiderit lapidibus grandinis, igne, sulphure, imbre, etc. quod de Magog asserit Ezechiel hoc cap. 38. 22. Quarto, nec Antiochus vocatus fuit Gog, nec tota eius regio Magog, sed una tantum urbs. Nec rursum eius exercitum sepultum legimus in valle multitudinis Gog, iuxta civitatem Amona: quod tamen de Magog fore affirmat Ezechiel cap. 39. 15. Denique Iu-

Refellitur. I. II. III. IV.

B dæis sub Antiocho non convenit, quod ait ibidem v. ultimo: *Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.* Constat enim Iudæos a successoribus Antiochi, et rursum a Romanis graviter fuisse afflictos, imo excisos. V. Sententia.

Sexto, Theodorus Bibliander, quem sequitur Chytræus in cap. 20. Apocal. Gog et Magog volunt esse Gregorium Septimum, Godefridum Bullonium, et Christianos principes, qui terram sanctam recuperarunt. Sed hoc est impium; Gog enim pugnabit contra castra sanctorum, et sanctam civitatem, id est, veram Dei Ecclesiam; cum ergo Bullonius et socii in bello sacro pugnaverint contra Turcas et Saracenos, sequitur ex sententia Bibliandri Turcas et Saracenos esse castra sanctorum, et sanctam civitatem. Huc accedunt Calvinistæ, qui Gog et Magog aiunt
C esse Papam et Papistas, Gog enim esse Antichristum, quem non alium esse censent quam Papam. Quam virulentam, æque ac stolidam calumniam fuse refutavi 2. Thessal. 2. v. 11. q. 1.

VI. Gog esse Papam.

Septimo, Magdeburgenses opinantur Gog et Magog esse Turcas et Saracenos, sed errant: Gog enim et Magog tantum erunt in fine mundi cum Antichristo, ut patet Apoc. c. 20. v. 7. et 11. VII. Esse Turcas.

Octavo, S. Ambros. lib. 2. de Fide cap. ult. putat Gog esse Gothos, qui Romanorum provincias vastarunt; ideoque Gratianum Imper. ibidem hortatur, ut pergat contra Gothos, certamque illi de eis promittit victoriam, utpote prædictam et promissam hic ab Ezechiele. Audi eum: *Gog,* ait, *iste Gothus est, quem iam videmus exisse, de quo nobis promittitur futura victoria, dicente Domino: Et deprædabuntur eos, qui deprædati eos fuerant,* etc. *Nec*
D *ambiguum, sancte Imperator, quod qui perfidiæ alienæ pugnam excepimus, fidei catholicæ in te vigentis habituri simus auxilium. Evidens enim ante hæc divinæ indignationis causa præcessit, ut ibi primum fides Romano Imperio frangeretur, ubi fracta est Deo.* S. Ambrosium sequitur Aretas in c. 20. Apoc. Qua de re S. Hieron. Ambrosium in proœmio lib. 11. comment. in Ezechiel. tacito nomine reprehendit. VIII. Esse Gothos.

Alii Gog et Magog, Getas et Massagetas esse volunt, uti refert S. August. lib. 20. de Civit. c. 11. IX.

Nono, S. Hieron. sentit Gog esse hæresiarchas, Magog esse illos, qui eis credunt. Esse hæreticos. X.

Decimo, S. August. l. 20. Civit. 11. per Gog et Magog non certas gentes, sed generaliter omnes Ecclesiæ persecutores accipit. Nam Gog, ait, hebraice idem est quod tectum, sive domus: Magog idem est, quod, de tecto, sive Esse omnes Ecclesiæ persecutores.

ille, qui de domo procedit. Gog ergo sunt gentes, in quibus velut in domo et abysso diabolus est inclusus; Magog est diabolus, qui de illis gentibus quodammodo se effert, et procedit: vel Gog sunt gente, in quibus nunc includitur et tegitur diabolus; et eædem gentes erunt Magog, id est, de tecto, quando in apertum odium, de operto erupturæ sunt. Ita August. Verum Gog non fore diabolum, patet ex Apocal. 20. ubi S. Ioannes dicit, quod diabolus suscitabit Gog; non ergo Gog est diabolus.

Respond. Gog. erit dux exercitus Antichristi. Pro responsione, Nota ex S. August. Areta, Primasio, Ruperto, Anselmo, et aliis passim, Gog et Magog futuros tempore Antichristi: unde Ezechiel ait eos fore tempore novissimo, et patet Apoc. 20. v. 7. et 11.

Dico ergo, prælium Gog esse prælium Antichristi contra Ecclesiam, esseque novissimam persecutionem. Ita S. August. et alii.

Secundo, Gog videtur esse ipse Antichristus, ut vult Lyran. Vatabl. et Paulus Burgensis: vel potius primarius eius rex, et belli dux: Magog erit exercitus eius: quia Ezechiel semper Gog vocat principem, Magog vero vocat terram, vel gentem. Ita Cardin. Bellarminus l. 3. de Pontif. cap. 17. Gregor. de Valentia, et alii. Gog enim sepelietur in terra Israel ad Orientem maris, cum Antichristus vivus sit rapiendus ad inferos, ut ait S. Ioannes Apoc. 19. in fine. Rursum Gog hic vocatur princeps Mosoch et Thubal: Antichristus autem multo plurium nationum erit princeps.

Tertio, Gog dicitur a Magog, quia princeps erit gentis Magog. Hoc licet non sit certum, probabile tamen est, videturque id innuere Ezechiel hoc cap. 38. v. 2. Huic sententiæ favet, quod etiamnum Tartari suos principes vocent *Gog*, ut *Gog Chan*, *Gog Elp:* pro *Gog* Turcæ dicunt *Kioc*, vel *Gioc*, Mogores *Gio*. Unde modernus Mogorum princeps, Ecbari filius, qui a Tamberlane directa generationis linea septimus descendit, vocatur *Sciegio*, q. d. *Sciegi Gog*. Ita epistolæ Mogoricæ, et Leunclavius in Turcico Pandecte c. 1. ac ex iis noster Nicol. Serarius in Tobiæ cap. 14. quæst. 4.

Magog erunt Scythæ, Turcæ, Tartari, etc. Quarto, exercitus Antichristi dicitur Magog: quia constabit Scythis, Turcis, Tartaris: vel, quia barbarus erit et crudelis instar Scytharum: nam Magog esse Scythas colligitur ex Genes. 10. ubi filius Iaphet vocatur Magog; a quo inhabitatam et nominatam Scythiam docet Iosephus lib. 1. Antiq. 11. et Hieron. in quæstionibus Hebraicis in Genes. Unde et socii Gog, quos hic nominat Ezechiel, scilicet Gomer, Thogorma, Mosoch, Thubal, filii sunt vel nepotes Iaphet, a quibus aliæ gentes nomen sunt sortitæ, ut Thubal sint Iberi, Thogorma Phryges, Mosoch Cappadoces. Huius sententiæ sunt Theodor. Doroth. in Synopsi, Eucher. l. 2. in Gen. c. 10. et multi recentiores, qui Iosephum l. 1. Antiq. c. 6. ducem sequuntur. Hi enim censent Gog et Magog Scythas esse, qui trans Caucasum montem, et Mœotidem paludem prope mare Caspium, ad Indiam usque tenduntur. Hos enim dici Magog, a Magog filio Iaphet, qui eas terras primitus habitavit. Hinc rursum Ezech. hoc c. 38. 15. dicit Gog et Magog venturum ex Aquilone: in Aquilonem autem habitant Scythæ, et Tartari: et hi fuerunt milites Tamberlanis, qui quasi alter Antichristus innumerabili suo exercitu omnia vastavit.

Dices, Apoc. 20. 7. dicitur, quod Satanas seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, et Magog: ergo Gog et Magog sunt gentes ex quavis mundi plaga. Ita S. August.

Respondeo, Sensus S. Ioannis est, Satanas seducet omnes gentes, quin etiam Gog et Magog, τον Γωγ και τον Μαγογ, id est, ipsum Gog, et ipsum Magog. S. Ioannes enim Magog non accipit ut terram, uti facit Ezechiel, sed ut populum, vel populi principem. A terra enim Magog incolæ eius, æque ac princeps vocabuntur pariter Magog. Hæc enim terra proprium habebit principem, minorem tamen, et, ut videtur, subditum ipsi Gog. Gog enim ab Ezechiele hoc cap. 38. 2. vocatur *princeps capitis Mosoch et Thubat*, eiusque ditio primaria vocatur *terra Magog*. Videntur ergo Gog et Magog fore reges et gentes maxime

A feræ et fortissimæ ex septem illis regibus, qui erunt in fine mundi, quique videntes stragem trium regum, sponte se subdent Antichristo, de quibus Apoc. 17. v. 12. et sequent. Ita Ribera in Apocal. 20. num. 60. aut certe, ut idem ait num. 63. sensus est, q. d. Seducet Gentes multas, quæ sunt in quatuor angulis terræ, Gog, inquam, regem, et Magog. Nam cum eis veniet multitudo magna hominum ex quatuor orbis partibus; ut Persæ ab Oriente, Æthiopes ab Occidente, Lybies a Meridie, Gomer et Thogorma ab Aquilone.

Quinto, exercitus Gog et Magog venient ad Antichristum in Ierusalem, ut in ea, totaque Iudæa fideles et Christianos deleant. Confluent enim undequaque Christiani et Gentiles Hierosolymam, ut audiant Eliam et Enoch in ea concionantes. Et hoc significat S. Ioan. Apoc. c. 20. cum ait v. 8. *Et ascenderunt* (Gog et Magog) *super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam*, Hierosolymam scilicet: *castra sanctorum*, vocat receptacula et latibula sanctorum: non enim verisi-

B mile est, oppressos Christianos habituros militaria castra sub Antichristo potentissimo, quibus, collatis signis cum Antichristo, totoque eius exercitu, confligant. Unde subdit S. Ioannes, quod iuxta Hierosolymam de cælo pugnabit contra Antichristianos hos Christus, omnesque disperdet in loco, qui inde hebraice dicetur Armageddon (Apoc. cap. 16. v. 16.) q. d. Anathema excidii, id est, plenum excidium. Addo tamen, fore aliqua eorum castra, qualia habuerunt Machabæi sub Antiocho, qui fuit præcursor Gog et Antichristi. Id patebit c. sequenti v. 4.

De Gog, et Magog plura dicam c. 39. in fine capitis.

PONE FACIEM TUAM, converte te, et libere vaticinare, Vers. 2.
CONTRA GOG, TERRAM MAGOG.) Syrus vertit, *pone faciem super* (contra) *Gog, et super terram Magog, gubernatorem* (ducem, principem) *et caput Mosoch et Tubel*. Arabicus Antioch. *festina et exi super terram, et fac ducem* (gubernatorem) *quia non habet principem, et Thubal*. Textus hic videtur corruptus. Arabicus Alex. *pone fa-*

C *ciem tuam ad Agog, et terram Magog, iudicem Mosoch et Tebal*.

PRINCIPEM CAPITIS MOSOCH, ET THUBAL.) q. d. Vaticinare contra Gog, qui erit princeps et imperator regis Cappadociæ, et Hispaniæ. Caput enim est rex, Mosoch est Cappadocia, Thubal Hispania, uti ex Iosepho dixi c. 27. 13. Unde Hector Pintus opinatur fore, ut rex Hispaniæ subiiciatur Antichristo, eiusque exercitus ex Hispanis, æque ac ex aliis gentibus confletur. Card. vero Bellarm. l. 3. de Pontif. c 17. et Pineda lib. 4. de Rebus Salom. cap. 7. putant Hispanos Occidentales, eosque qui in Peru et Americam transmigrarunt fore in exercitu Antichristi, idque ex eo quod Apoc. 20. 7. dicatur, has gentes fore *super quatuor angulos terræ*. Quamquam alii per Thubal melius nec Hispanos, nec Italos, ut vult Vatabl. sed Iberos, quasi Ibelos, qui Scythis vicini sunt, intelligant, de quibus dixi Gen. 10. 2. Est enim Iberia, Aquilonaris regio iuxta Pontum, inter Colchidem et Armeniam, quæ Caucasiis montibus circumdatur, a quibus profecti dicun- Thubal, an Hispania?

D tur quidam, qui in Hispaniam venerunt: unde et ipsa paulatim Iberia dicta est. Iberia enim hic vocatur Aquilonaris, qualis non est Hispania. Ita Ribera Apoc. 20. n. 61. et Maldon. hic. Nota. Gog proprie erit princeps terræ, et gentis Magog: Magog autem, Mosoch, et Thubal erunt tria ampla regna, sicut eorum duces et primi incolæ Magog, Mosoch et Thubal fratres erant, Genes. 10. 2. Hæc ergo regna singula suos habebunt reges, sed omnium princeps et imperator erit Gog, qui proinde vocatur *princeps capitis*, id est princeps summus, uti vertit Chaldæus. Hinc de tribus hisce quasi de uno tantum loquitur, cumque Gog appellat nomine communi. Ita Maldon. Sic ergo verba textus connectenda et exponenda sunt, q. d. *Pone faciem tuam contra Gog*, eiusque *terram Magog*, contra *principem*, inquam, *capitis Mosoch et Thubal*, q. d. Pone faciem contra Gog, qui erit proprie princeps terræ Magog; sed princeps capitalis, id est imperator, erit regionum Mosoch et Thubal. Sic enim se explicat Propheta cap. sequ.

v. 1. dicens: *Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch et Thubal.* Certum ergo est ipsum Gog, non alium, uti aliqui putant, fore summum principem Mosoch et Thubal.

Vers. 4 Circumagam te. Ita et Septuag. idque melius quam Chald. qui vertit, *decipiam te;* et R. David, qui vertit, *conteram te.* Sensus est, q. d. Ego te, o Gog, quasi equum effrænem et indomitum frænabo, ut nil facias, nulli noceas, nisi cui voluero, vel permisero. Educam te.) De terra tua, tamquam equum de stabulo iniecto fræno, et extra terram tuam perdam te. Cædetur enim Gog cum Antichristo iuxta Ierusalem, ut patet Apoc. 20. v. 8. et 9.

Vestitos loricis.) Vatabl. *indutos panoplia*, id est, omni armorum genere a capite ad pedes; gallice, *de pied en cap.*

Vers. 6. Gomer.) Id est Galatæ. Ita Ioseph. 1. Antiq. 6. Theodor. Vatabl. et alii.

Thogorma.) Chald. et Vatabl. *Germaniæ.* Scholiast. Armenios accipit, aut Cappadocas et Galatas. Melius alii Phryges accipiunt. Ita Ioseph. et alii. Sic et Sibylla l. 3. Orac. varias gentes cum Gog venturas et cædendas edicit: *Væ*, inquit, *væ tibi Gog, et omnibus deinceps cum Magog, Marsog atque Angon: quanta tibi mala fatum affert! Multa etiam filiis Lyciorum, Mysorumque, Phrygumque. Multæ etiam Pamphyliorum gentes, Lydorumque cadent, Maurorumque, Æthiopumque, et gentium barbaræ vocis, Cappadocumque, Arabumque*, etc.

Vers. 7 Præpara te.) Ad bellum. Est sarcasmus, sive hostilis irrisio, q. d. Compara te ad prælium; sed scito te in illo cædendum et periturum.

Esto eis in præceptum.) Præcipe, et impera tuo exercitui, duc illos quasi dux et imperator. Hebr. Chald. et Septuag. habent, *esto eis in custodiam*, q. d. Frustra duces, et custodies eos: Deus enim cædet eos.

Vers. 8. Post multos dies.) Scilicet sub finem mundi: quod S. Ioannes Apoc. 20. 7. dixit: *Post mille*, id est multos, *annos.*

Visitaberis.) Punieris a Deo.

In novissimo annorum, prope diem iudicii, venies ad terram, id est, adversus Ecclesiam, quæ reversa est a gladio.) Id est, liberata a cædibus et persecutione, quas passa fuit a tyrannis. Vatabl. et Pagn. vertunt, *venies ad terram quæ contrita est gladio*, id est, ad Ecclesiam sanguine Martyrum cruentam. Alludit ad Ierusalem, id est, Iudæos e Babylone reversos. Ierusalem enim est typus et symbolum Ecclesiæ. Adde, proprie venturum Antichristum et Gog ad Ierusalem: quia in Ierusalem regiam suam collocabit Antichristus, et iuxta eam cum fidelibus confliget, ac cædetur. Hoc enim est, quod ait S. Ioannes Apoc. 20. 8. *Et ascenderunt* (Gog, et Magog) *super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum* (Christianorum) *et civitatem dilectam* (Ierusalem) *et descendit ignis de cælo, et devoravit eos.*

Ad montes Israel, id est in terram sanctam, scilicet, in Ierusalem venies. Aliter alii, q. d. Venies ad Ecclesiam, quæ montibus Israel, id est sanctis Patriarchis et Prophetis, insita est per eamdem fidem: qui fuerunt deserti iugiter.) Id est longo tempore, puta 70. annis captivitatis, Ierem. 25. 12. Imo a Christo et Tito usque ad Antichristum, et finem mundi per tot annorum centurias deserti et derelicti a Deo et hominibus fuerunt Iudæi, æque ac Iudææ montes.

Hæc terra, id est incolæ terræ, de populis multis educta est.) Id est, vocata est e Gentibus, vel *educta* e potestate Chaldæorum, aliorumque populorum et regum infidelium, ita ut in ea cives confidenter ac secure habitent.

Vers. 9 Quasi tempestas.) Pagn. *velut multitudo aquarum;* alii, *uti inundatio aquarum, quæ veniunt cum impetu;* Pintus, *quasi desolatio, aut vastatio.* Duabus metaphoris, scilicet tempestatis, et nubis significat multitudinem et impetum Gog. Simile est Daniel. 11. 40. et Ierem. 4. 13.

Vers. 11. Dices, Ascendam ad terram absque muro.) Id est, Ecclesiam et Iudæam, ac Ierusalem invadam, quæ tunc

A erit muris, et omni defensione et auxilio destituta.

Ut inferas manum super eos qui deserti fuerant, et postea restituti.) Ut affligas Christianos, qui in gentilitate deserti, postea a Christo gratiæ, Ecclesiæ et bonis omnibus sunt restituti. Secundo, et aptius ad præced. et sequent. q. d. Ut affligas Christianos, qui in Iudæa a Turcis oppressi, et quasi deserti vixerunt: sed postea excusso Turcarum iugo, suæ libertati sunt restituti. Unde videtur, quod, sicut sub Godefrido Bullonio factum est, sic ante Antichristum terra sancta a Christianis recuperabitur. Aliter Maldon. Hebr. ait, est, *ut reducas manum tuam*, id est ut eos, qui ante a Chaldæis spoliati fuerant, iterum spolies: aut mystice, ut eos, qui sub diaboli captivitate fuerant, iterum in eamdem trahas: aut, ut eos non semel tantum, sed iterum atque iterum spolies. Vers. 12.

Qui possidere cœpit.) Ex Hebræo vertas, *qui facit pecudem et opes*, id est, qui conquirit pecudes et opes. Per hæc duo omne genus divitiarum intelligit: veterum B enim opes erant pecudes.

Mystice, per opes virtutes et dona Spiritus sancti accipe, quæ Antichristus, et Gog, eiusque ministri ex Christianorum animis rapere conabuntur. Ita Maldon.

Umbilici terræ.) Id est Iudææ, quæ erat in medio terræ tunc habitatæ; præsertim, quia ex Iudæa cœpit Christianismus, et inde Christiani circumquaque propagati sunt toto orbe. Sicut enim infans per umbilicum sugit alimentum a matre: ita cæteræ gentes per Ierusalem suxerunt fidem, sapientiam gratiam et salutem a Deo. Sic Cicero action. 6. in Verrem Ennam urbem, Siciliæ umbilicum vocavit, eo quod in medio insulæ sita esset. Sic Livius l. 5. ait Ætolos incolere umbilicum Græciæ: sic Reate oppidum vocamus umbilicum Italiæ. Sic Cicero 2. de Divinat. ait: *O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides.* Errant ergo Iudæi, qui Ierusalem putant umbilicum terræ dici, eo quod altissima totius terræ sit urbs et regio.

Saba, id est Sabæi; et Dedan, id est Idumæi, ut pa-C tet ex c. 25. 13. et cap. 27. 15 negotiatores Tharsis.) Chald. *maris;* Septuag. *Carthaginis;* alii, *Tarsi, et Ciliciæ.*

Leones.) Chald. *reges;* Septuag. et Theodotion vertunt, *villæ eius*, quos S. Hieron. taxat erroris. *Si enim* כפיר *kephir*, inquit, *per iod scribas*, uti hic scribitur, *appellatur catulus leonis; si autem sine iod*, et aliis punctis scribas, legasque כפר *kephar, ager appellatur et villa. Unde et Capharnaum, ager pulcherrimus dicitur, kephar* enim agrum, נעים *naim* pulchrum significat.

Cum habitaverit Israel, id est, cum Christiani quiete habitabunt in terra sancta, tunc scies.) Et videbis, quæ hic de te prædico, o Gog, impleri. Chald. *scies ultionem potentiæ meæ;* Sept. *consurges*, scilicet contra eum, puta Israelem. Vers. 14.

A lateribus Aquilonis.) Ex Scythia; alii, ex Babylone. Vers. 15.

Terram meam.) Iudæam, quam quasi meam dedi pa-D tribus, et in qua ego Christus natus sum et vixi.

Cum sanctificatus fuero in te.) Scilicet te puniendo et occidendo, et Christianos meos liberando. Tunc enim omnes sanctam Dei iustitiam et misericordiam glorificabunt, eumque verum esse Deum agnoscent et colent. Vers. 16.

In manu Prophetarum.) Per Prophetas meos. Daniel enim cap. 7. 8. et 9. Isaias, Ieremias, multique alii quorum scripta non extant, prophetaverunt de Antichristo, eiusque exercitu. Vers. 17.

Ascendet indignatio mea in furore meo.) Id est, indignatio mea furibunda, sive furor indignabundus. Asserit Deus se contra Ecclesiam valde indignaturum: quia ob fidelium peccata permittet eam graviter a Gog et Antichristo impeti et divexari. Unde erit Vers. 18.

Commotio.) Id est, turbatio magna, vel terræmotus maximus, ut explicat Vatabl. unde sequitur, *Et subvertentur montes, et cadent sepes, et omnis murus corruet in terra.* Ingens ergo, et a sæculis inauditus erit tunc terræmotus. Vers. 19

Vers. 20. PISCES ET VOLUCRES.) Est hyperbole, q. d. Tanta erit calamitas et clades, tamque universalis, ut eam pisces et volucres persentiscere et turbari videantur. Nam, ut ait Plinius lib. 2. cap. 84. *Fiunt cum terræmotu et inundationes maris, eodem videlicet spiritu infusi aut residentis sinu recepti.* Hic ergo spiritus commovet et alterat tam pisces in mari, et aves in aere, quam homines et ea quæ sunt in terra, cum eam, æque ac mare concutit. Hinc terræmotus primo vocatus est terripavium, inde terripudium; deinde tripudium, a pavio, id est ferio.

CADENT SEPES.) Chald. *cadent turres;* S. Hieron. *cadent munitiones,* q. d. Sublatis omnibus præsidiis et munimentis nihil uspiam erit tutum.

Tropolog. montes et sepes, id est magnates, Præsules, concionatores elati et celebres cadent et cedent Antichristo.

Vers 21. EUM.) Gog, q. d. Concitabo alias gentes, aut potius ipsos eius milites inter se tumultuantes, contra Gog, qui eum cædant. Unde explicans subdit:

GLADIUS UNIUSCUIUSQUE IN FRATREM SUUM DIRIGETUR.) Id est faciam, ut milites Gog mutuis vulneribus se interficiant, sicut feci olim Philistæis 1. Reg. 14. 20. ut ita vires et castra Gog et Antichristi enervent.

Vers. 22. ET IUDICABO EUM, id est, puniam Gog PESTE ET SANGUINE, id est cæde et strage, ET LAPIDIBUS IMMENSIS; Chald. et Septuag. *lapidibus grandinis.* Pluet ergo Deus de cælo lapides et grandinem super Gog: item IGNEM ET SULPHUR.) Quæ damnatorum est pœna, ut gehennam

A suam hic inchoent. Hoc est quod canit Psaltes psal. 10. 6. *Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Porro constat aliquando pluisse lapides grandinis tantos, ut iis homines et animalia sternerentur et necarentur. Talis fuit grando in Ægyptum immissa per Mosen Exodi 9. v. 24. de qua dicitur: *Percussit cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad iumentum.* De grandine rursum ait Sapiens cap. 5. 23. *A petrosa ira plenæ mittentur grandines.* Talis fuit grando missa a Deo contra Amorrhæos Iosue 10. 11. *Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.* Unde de eadem ait Eccles. cap. 46. 6. *Audivit illum* (Iosue orantem) *magnus et sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis.* Talis erit grando in fine mundi, uti dicitur Apoc. 16. 21. *Et grando magna sicut talentum descendit*

Grandinis horribilis exempla.

B *de cælo in homines.* Plura ingentis grandinis exempla recensui Exodi 9. c. 24. Porro hoc de Gog et Magog, congrue Scythis contra Theodosium pugnantibus, cælitusque prostratis adaptavit Proclus Constantinopol. Archiepisc. Nam *dux illorum, nomine Rugas, fulmine moritur, et pestis subsecuta maximam eorum partem qui sub illo fuerant, perdit. Neque sic plaga quiescit, sed et ignis cælitus delapsus multos e reliquis absumit,* ait Socrates l. 7. c. 43. Gog enim et Magog erunt Scythæ, Tartari, etc.

SANCTIFICABOR.) In sancta impiorum vindicta. Vers. 23.

NOTUS ERO.) Chald *manifestabo potentiam meam.*

CAPUT TRIGESIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit atrocitatem cladis Gog describere. Asserit ergo exercitum Gog cædendum in montibus Israel tanta strage, ut Iudæi per septem annos eius hastas et arma comburant, ab eaque vocetur vallis multitudinis Gog, *et civitas vicina* Amona, *id est turba, sive multitudo. Hinc secundo, v. 17. omnes gentes et feras invitat ad epulum tot cadaverum, quasi ad victimam suam sanctam. Denique v. 25. cæso Gog, et Antichristo, Iudæos ad Christum convertendos vaticinatur.*

1. TU autem fili hominis vaticinare adversum Gog, et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch et Thubal: 2. Et circumagam te, et educam te, et ascendere te faciam de lateribus aquilonis: et adducam te super montes Israel. 3. Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, et sagittas tuas de manu dextera tua deiiciam. 4. Super montes Israel cades tu, et omnia agmina tua, et populi tui, qui sunt tecum: feris, avibus, omnique volatili, et bestiis terræ, dedi te ad devorandum. 5. Super faciem agri cades: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. 6. Et immittam ignem in Magog, et in his qui habitant in insulis confidenter: et scient quia ego Dominus 7. Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel, et non polluam nomen sanctum meum amplius: et scient gentes quia ego Dominus sanctus Israel. 8. Ecce venit, et factum est, ait Dominus Deus: hæc est dies, de qua locutus sum. 9. Et egredientur habitatores de civitatibus Israel, et succendent, et comburent arma, clypeum, et hastas, arcum, et sagittas, et baculos manuum, et contos: et succendent ea igni septem annis. 10. Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus: quoniam arma succendent igni, et deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerant, et diripient vastatores suos, ait Dominus Deus. 11. Et erit in die illa: dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel: vallem viatorum ad orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes: et sepelient ibi Gog, et omnem multitudinem eius, et vocabitur vallis multitudinis Gog. 12. Et sepelient eos domus Israel, ut mundent terram septem mensibus. 13. Sepeliet autem eum omnis populus terræ, et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus. 14. Et viros iugiter constituent lustrantes terram, qui sepeliant et requirant eos qui remanserant super faciem terræ, ut emundent eam: post menses autem septem quærere incipient. 15. Et circuibunt peragrantes terram: cumque viderint os hominis, statuent iuxta illud titulum, donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog. 16. Nomen autem civitatis Amona, et mundabunt terram. 17. Tu ergo fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucri, et universis avibus, cunctisque bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel: ut comedatis carnem, et bibatis sanguinem. 18. Carnes fortium comedetis, et sanguinem principum terræ bibetis: arietum, et agnorum, et hircorum, taurorumque, et altilium, et pinguium omnium. 19. Et comedetis adipem in saturitatem, et bibetis sanguinem in ebrietatem, de victima, quam ego immolabo vobis: 20. Et saturabimini super mensam meam de equo, et equite forti, et de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus. 21. Et ponam gloriam meam in gentibus: et videbunt omnes gentes iudicium meum, quod fecerim: et manum meam, quam posuerim super eos. 22. Et scient domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum a die illa, et deinceps. 23. Et scient gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quod dereliquerint me, et absconderim faciem meam ab eis: et tradiderim eos in manus hostium, et ceciderint in gladio universi. 24. Iuxta immunditiam eorum et scelus feci eis, et abscondi faciem meam ab il-

lis. 25. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captivitatem Iacob, et miserebor omnis domus Israel: et assumam zelum pro nomine sancto meo. 26. Et portabunt confusionem suam, et omnem prævaricationem, qua prævaricati sunt in me, cum habitaverint in terra sua confidenter neminem formidantes: 27. Et reduxero eos de populis, et congregavero de terris inimicorum suorum, et sanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum. 28. Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod transtulerim eos in nationes, et congregaverim eos super terram suam, et non dereliquerim quemquam ex eis ibi. 29. Et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.

Vers. 1 SUPER TE.) Contra te, scilicet veniam, ut te puniam. PRINCIPEM CAPITIS.) Id est summum principem. Aliter Vatabl. q. d. Qui es caput Mosoch, id est Cappadociæ; et Thubal, id est Italiæ. Vide cap præced. v. 2.

Vers. 2 CIRCUMAGAM TE.) Vatabl. *frangam*, vel *conteram te;* Pintus, *in frusta*, vel *scintillas redigam te.*

EDUCAM TE.) Pintus, *succidam te;* Chald. *errare faciam te;* hebr. est ששאתיך *sciseeticha*, id est *sextabo te*, quod exponit Pagnin. q. d. *Relinquam sextam partem ex te*, id est, ex tuo exercitu, quia scilicet reliquas quinque interficiam. Melius R. Ioseph, R. David, Vatabl. et Maldon. exponunt: *sextabo te*, id est, sex plagis afficiam te, scilicet peste, sanguine, imbre, lapidibus grandinis, igne et sulphure, ut dixi cap. præc. v. 22. Agit enim de pleno Gog excidio et interitu.

Vers. 3. PERCUTIAM ARCUM IN SINISTRA TUA.) Omnem potentiam et vires tibi auferam. Solent enim sagittarii arcum sinistra, sagittas dextra gestare. Unam speciem pro toto armorum genere ponit, q. d. Exarmabo te, excutiam arma e manibus tuis.

Vers. 4. SUPER MONTES ISRAEL.) Hinc videtur quod contra Gog rex aliquis, vel plures principes Christiani ingentem exercitum educent, et cum Gog in Iudæa confligent, eumque cædent, ita ut cæsorum cadavera insepulta fiant præda avium et ferarum. Magis tamen id fiet armis Dei, quam fidelium; hoc est enim quod dicitur Apoc. 20. 9. *Et descendit ignis a Deo de cælo, et devoravit eos.* Et Apoc. 19. 14. *Exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum*, Christum scilicet euntem ad bellum contra Gog.

Vers. 6. IMMITTAM IGNEM, fulmina et ignes de cælo, IN MAGOG.) Id est in regionem et terram æque ac in exercitum regis Gog: et in insulas, scilicet subiectas, vel confœderatas Magog.

Mystice, significat fore ut totum Antichristi regnum evertatur.

Vers. 7. NON POLLUAM, non permittam pollui, id est profanari et blasphemari, NOMEN SANCTUM MEUM AMPLIUS.) Uti per Gog, et Antichristi victorias et impietatem hactenus pollui permisi.

Vers. 8. ECCE VENIT, ET FACTUM EST.) q. d. Quod dico instat, et tam certo ac cito fiet, ac si iam factum esset. Nimirum, mille anni apud Deum sunt, sicut dies una, 2. Pet. 3. 8. Unde et S. Ioan. epist. 1. c. 2. 18. hanc ultimam mundi ætatem vocat horam novissimam.

Vers. 9. ET EGREDIENTUR DE CIVITATIBUS ISRAEL.) q. d. Cæso Antichristo, Gog omnique eius exercitu tanta erunt cæsorum spolia, hastæ et arma, ut Iudæi ex omnibus urbibus confluant, ut ea diripiant, et septem annis sat habeant ad ea comburendum, nec alia lignatione et silvis egeant. Vide Apoc. 19. v. 17. et sequent.

Post Antichristum plures anni dabuntur lapsis ad pœnitendum. Hinc apparet, post mortem Antichristi dandos non tantum 45. dies ut aliqui male colligunt ex Daniel. 12. v. 12. sed plures annos, ut ii, qui lapsi sunt sub Antichristo pœniteant, tumque post summam persecutionem erit summa Ecclesiæ pax. Ita H. Pintus, Ribera in Apoc. 20. n. 72. Lessius lib. 13. de Attribut. divinis c. 19. sub finem et alii. Non enim ait Ezechiel, quod Iudæi comburere poterunt, sed quod comburent de facto arma exercitus Gog cæsi, per septem annos. Rursum vers. 12. et 13. ait: *Post menses septem quærere incipient* reliquias cadaverum Gog, ut eas sepeliant. Ratio est: nam, ut ait Apostolus Roman. 11. 25. tunc *omnis Israel salvus fiet:* ad hoc autem plus temporis requiritur. Adde verisimile est tunc in Iudæa rursum fundandas esse Ecclesias, et in Ierusalem tunc Christiana tam Iudæos, quam Gentiles Christum cultu-

A ros, uti expresse docet Ven. Beda in Lucæ 21. et Dionys. Carth. hic. Idque insinuatur Apoc. 20. 8. Lege ibi Pannonium. Denique Lyran. in 1. Thessal. 5. *Doctores*, inquit, *et Sancti communiter dicunt, quod mortuo Antichristo, et falsitate eius manifeste detecta, omnes gentes convertentur ad Christum.* Unde Sebast. Barrad. tom. 3. l. 9. cap. 7. concludit, aliquot annos superfuturos esse ab Antichristi nece usque ad iudicium. Deus enim Iudæis, æque ac Gentibus tempus concedet ad conversionem, et ad fundationem Ecclesiarum, ut religio Christiana apud eos stabiliatur. Quot autem præcise futuri sint anni, an septem, an plures, vel pauciores non constat; præsertim cum per septem hosce annos Maldon. et aliqui alii, non præcisi septem, sed indefinite multos intelligant; ut numerus certus et definitus ponatur pro indefinito. Tantum enim per hæc omnia figurate significari putant, insignem B fore stragem hostium et victoriam. Et sic sæpe alibi septenarius numerus tantum significat copiam et multitudinem. Sic ait v. 12. *Septem*, id est multis, *mensibus*. Quocirca Sibylla lib. 3. Orac. docet post mortem Antichristi regnaturam fœminam viduam, quæ aurum, argentum, æs, et ferrum in mare proiiciet, tumque secuturum finem mundi et diem iudicii.

Fuit error Chiliastarum, sive Millenariorum, qui docebant, quod post Antichristi persecutionem iusti soli resurgerent, ut cum Christo regnarent mille annis in terra, et post hosce mille annos venturos Gog et Magog, ac bellum Ecclesiæ illaturos, atque tandem fore generalem resurrectionem, et extremum iudicium. Quin vero nonnulli Catholici, etsi Chiliastarum errori non subscribant, tamen quod attinet ad mille annorum designationem post mortem Antichristi, consentiunt cum Chiliastis. Inter eos C est Ioachimus Abbas, Ubertinus de Cassalis, Seraphinus de Fermo, Pannonius, atque alii scribentes in Apoc. 20. 6. ubi agitur de hisce mille annis. Verum hæc sententia improbabilis est, et caret fundamento, ut ostendam Apoc. 20.

NEQUE SUCCIDENT DE SALTIBUS.) Ita legendum cum Roman. et hoc significat Hebr. חטב *chatab*. Corrupte ergo hic legunt nonnulli *succendent*. Vers. 10.

LOCUM NOMINATUM.) Legit Hebr. מקום שם *mecom scem*, id est, locum nominis, id est, nominatum. Sic et Septuag. Iam male aliis punctis legunt שם *sciam* id est *ibi*, q. d. Hic locus ex strage et multitudine hominum, quæ cum illo ibidem sepelietur, erit nominatus et celebris: vocabitur enim *polyandrion*, sive *vallis multitudinis Gog*. Syrus vertit, *et vocabitur vallis* (vel torrens) *interitus* (perditionis) *Gog;* Arabicus, *et vocabitur vallis perditionis Agog.* Vers. 11.

D VALLEM VIATORUM AD ORIENTEM MARIS.) q. d. Sepelietur superbus Gog veniens ex montibus, in valle Iudææ frequenti et celebri, ut a quam plurimis sepulcrum eius videatur, nimirum in valle, qua viatores venientes ab Oriente eunt ad mare, scilicet mortuum, vel Tiberiadis potius. Hoc enim proprie dicitur mare Iudææ. Ita Chald. qui vertit, *ad mare Genesareth;* quod alio nomine, ab urbe vicina in honorem Tiberii Cæsaris ædificata, vocatur Tiberiadis.

Allegorice, hæc vallis est infernus, qua multi viatores, qui latam ineunt viam, pergunt. Hæc est ad orientem maris; quia ex ea oritur amaritudo, et in ea fons est amarissimus dolorum omnium.

QUÆ OBSTUPESCERE FACIET.) Ob copiam sepulcrorum, et sepultorum. R. David vertit, *quæ vallis obturare faciet nares prætereuntium, ob intolerabilem putorem cadaverum.*

Vers. 12. UT MUNDENT TERRAM.) Scilicet a fœtore cadaverum. Mystice, q. d. Laborabunt septem, id est multis, mensibus Catholici in opprimenda Antichristi, et hæreticorum hæresi, ut Ecclesiam expurgent. Ita Maldon. licet ipse velit hunc sensum esse literalem.

Vers. 13. ET ERIT EIS NOMINATA DIES, IN QUA GLORIFICATUS SUM.) Cædendo scilicet tantum exercitum Gog et Antichristi. Hic ergo dies celebris erit Christianis: quia simul cum eo eius hæreses et vitia extirpabunt et sepelient fideles et Prælati.

Vers. 14. POST MENSES SEPTEM.) Quibus cadavera sepelient, ut ait vers. 12. incipient quærere, num quæ sepelienda restent.

Vers. 15. CUMQUE VIDERINT OS HOMINIS, STATUENT IUXTA ILLUD TITULUM.) Ut ex eo, quasi signo cognoscant esse os hominis, non bestiæ, illudque sepeliant.

POLLINCTORES.) Id est, qui curant funera, et cadavera sepeliunt: de quibus Martial. l. 10.

Iam scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato.

Vers. 16. NOMEN CIVITATIS, iuxta quam sepelietur Gog cum suis, vocabitur AMONA.) Id est, multitudo eius. Septuag. vertunt, πολυανδριον, id est cœmeterium, vel multitudo virorum sepultorum, ait S. Hieron. Scilicet ab hac cæsorum multitudine vocabitur urbs vicina *Amona:* sicut v. 11. dixit, Vocabitur *vallis multitudinis Gog.* Aliqui putant hanc urbem esse Ierusalem. Syrus vertit, *et vocabitur nomen civitatis fortis* (munita) Hebr. enim אמן *aman* (unde *Amona*) significat firmare, munire, confirmare: unde *amen*, est nota confirmationis. Arabicus Ant. *et vocabitur nomen civitatis illius, potens;* Arabicus Alex. *et vocabitur nomen civitatis, fortis* (gloriosa, illustris.)

Vers. 17. VICTIMAM.) *Victimam* vocat Deus magnam hostium stragem, quam iustitiæ suæ quasi immolavit.

Vers. 18. TAURORUMQUE, ET ALTILIUM.) Hebr. *taurorum et boum Basan*, id est, qui in pingui regione Basan aliti, saginati et impinguati sunt. Ita Vatabl. qui per hos accipit magistratus, et eos, qui aliquo publico officio functi erant in exercitu Gog. Sed hoc mysticum videtur, prius literale.

Vers. 20. SUPER MENSAM MEAM.) Mensam suam vocat Deus vallem illam plenam cadaveribus Gog.

Vers. 21. ET PONAM (ostentabo) GLORIAM MEAM inter Gentes, ET MANUM.) Id est potentiam et vindictam meam, qua eos cecidi.

Vers. 23. ET SCIENT QUONIAM IN INIQUITATE.) Propter iniquitatem suam, qua Christum occidit, capta et eversa sit domus Israel, id est Iudæa, per Titum, manseritque eversa et desolata usque ad Antichristi interitum, post quem, videntes Iudæi se ab eo iactante se esse Messiam, delusos, omnes ad Christum convertentur. Et hoc est quod ait v. 25. *Nunc reducam captivitatem Iacob;* licet aliqui putent, quod ibi redeat ad liberationem e captivitate Babylonica. Sed prior expositio est genuina, et communior, quam et sequitur Adrian. Finus l. 7. Flagelli Iudæorum capite 15. Frustra ergo hoc loco abutuntur Iudæi, ut suum iudaismum tueantur. Obiiciunt enim Catholicis: Promittit hic Deus nobis Iudæis reditum e captivitate post cæsum Gog et Magog: ergo tum veniet Messias noster, qui Iudæos et iudaismum restituet. Respond. negando consequentiam. Messias enim iampridem venit, et iudaismum abolevit, ac novum testamentum veteri surrogavit, uti ostendi Daniel. 9. vers. 25. ex 70. hebdomadibus, et Ieremiæ 31. v. 31. ubi hoc novum Christi testamentum promittitur, et Genes. 49. v. 10. ubi Iacob prædicit Messiam venturum, cum defecerit sceptrum de Iuda: hoc autem defecit sub Herode; et alibi. Ad hæc, captivitas hæc Romana Iudæis accidit, ob spretum et occisum ab eis Christum, uti ostendi in Daniele, loco citato; ergo ut ab ea liberentur et redeant, debent prius per pœnitentiam redire ad Deum, et ad Christum ab eo missum, fierique Christiani: quod facient in fine mundi. Deus enim pœnam non aufert, nisi prius auferatur culpa, quæ eius est causa. Quamdiu ergo Iudæi in iudaismo, et in odio Christi manent, manent in culpa, ac consequenter et manent in sua captivitate, quam non evadent nisi relicto iudaismo,

A Christum et christianismum amplectantur, quod fiet post cæsum a Christo Antichristum: tunc enim reliquiæ Israel ab eo deceptas se videntes, convertentur ad Christum, itaque salvæ fient. Et hoc est quod ait Daniel: *Et post hebdomades sexagintaduas occidetur Christus; et non erit eius populus qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus* (exercitus Titi) *cum duce venturo; et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio*, etc. *et in dimidio hebdomadis* (qua occident Christum) *deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio* templi, ac consequenter et iudaismi. Adde, hanc libertatem fore *in novissimo annorum*, uti dicitur c. 38. v. 8. Erit ergo, non terrena, ut volunt Iudæi, sed spiritalis et cælestis, scilicet quæ hic inchoetur per gratiam, et mox in cælo perficiatur per gloriam.

ASSUMAM ZELUM.) Zelabor populi mei Iudaici salutem, non propter eorum merita, sed propter me, et nomen meum, ut nominer fidelis et misericors pater. Vers. 25.

B PORTABUNT CONFUSIONEM SUAM.) Quando cogitabunt se Christum occidisse, cum contumeliis et iniuriis affecisse in iudaismo, iam conversi ad Christum confundentur. Vers. 26.

REDUXERO EOS DE POPULIS.) Inter quos Iudæi fuerunt dispersi tum per Titum, tum per Antichristum, reducam eos ad suas sedes, et ad Iudæam, tum corporalem, tum potius spiritalem, id est, ad Ecclesiam Christi. Vers. 27.

ET SANCTIFICATUS FUERO IN EIS.) Cum sanctam meam misericordiam, uti ante iustitiam, in eos ostendero et exercuero, itaque declaravero me esse Deum, cuius proprietas est esse sanctum. Quocirca Deum sanctificari in Scriptura est Deum ostendere se esse Deum. Deus enim est sanctus, et sanctitas ipsa infinita et increata per essentiam.

SPIRITUM.) Gratiæ, iustitiæ, sanctitatis; Chaldæus, *Spiritum sanctum;* Septuag. vero, *furorem*, scilicet quem effudi in Iudæos ob eorum scelera. Vers. 29.

Ex his duobus capitibus, et ex cap. 19. Apocal. v. 11. et sequent. cap. 20. v. 7. et sequent. hæc certo colligimus de Gog et Magog. Proprietates Gog.

I. Primo, eos fore exercitum Satanæ et Antichristi, qui pugnabit contra Christum et Christianos. Hoc enim est quod dicitur Apoc. 19. v. 19. *Et vidi bestiam* (id est Antichristum) *et reges terræ, et exercitus eorum* (Gog et Magog) *ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo* (id est cum Christo, ut patet ibidem v. 13.) *et cum exercitu eius.* Et cap. 20. 7. *Solvetur Satanas, et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog*, etc. *et circuierunt castra sanctorum.*

II. Secundo, fore plurimos, et quasi innumerabiles. Hoc est enim quod dicitur Apoc. 20. v. 7. *Quorum numerus est sicut arena maris.* Rursum fore feros, et venturos ab Aquilone, ut dicitur Ezech. 38. v. 15. idque in fine mundi. Hoc est enim quod ibidem ait Ezech. v. 8. *In novissimo annorum veniet;* et S. Ioan. Apoc. 20. v. 7. *Post mille annos solvetur Satanas, et seducet Gog.*

III. Tertio, Ierusalem tunc redituram ad pristinum splendorem, et regni, et fidei; ita ut in ea plurimi sint fideles, et Christiani: quocirca in ea regiam sibi constituet Antichristus, ibique contra eum certabunt et prædicabunt Elias et Henoch, ut patet Apocalyps. c. 11. v. 8. ad quorum prædicationem multi confluent Hierosolymam, ac cum eis constanter instar Machabæorum, opponent se Antichristo, qui suo exercitu Gog et Magog eos cinget, ut disperdat iuxta Ierusalem, ibique Antichristus, Gog ac Magog divinitus cædentur. Hoc est enim quod dicitur Apocal. 20. v. 8. *Et ascenderunt* (Gog et Magog) *super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum* (Christianorum) *et civitatem dilectam. Et descendit ignis de cælo, et devoravit eos.* Ierusalem erit regia Antichristi.

IV. Quarto, quod Deus e cælo pluet in exercitum Gog et Magog lapides grandinis, pestem, ignem et sulphur, quibus eum conficiet, uti expresse dicitur Ezechielis 38. v. 22. Rursum mittet in eos terræmotum horribilem, item terrorum et furorem panicum, ut se invicem mutua cæde

trucident, ut ibidem dicitur v. 21.

V. Quinto, tantam fore stragem Gog et Magog, ut arma eorum Iudæis fidelibus pro lignis ad comburendum per septennium sufficiant, utque omnes aves et feræ eorum cadaveribus se pascant.

VI. Sexto, quod ipsi cædendi et sepeliendi sunt iuxta civitatem Amona, in valle multitudinis Gog, ut patet Ezechiel. 39. 11. et 16.

VII. Septimo, quod in hoc prælio cædetur ipse Antichristus, eiusque præcursor, sive pseudopropheta, ac uterque cælitus deturbabitur ad tartara. Hoc est enim quod Apoc. 19. v. 19. de hac pugna dicitur: *Et apprehensa est bestia* (id est Antichristus) *et cum eo pseudopropheta*, etc. *vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.*

VIII. Octavo, quod post cædem Antichristi, Gog et Magog, Iudæi ad Christum convertentur; et Christiani lapsi in persecutione Antichristi ad Christum redibunt, tumque florebit Christi fides et religio. Hoc est enim quod dicitur hoc cap. 29. v. 25. *Nunc reducam captivitatem Iacob, et miserebor omnis domus Israel, et assumam zelum pro nomine sancto meo*, etc.

Ex dictis patet, minus probabile videri quod docet Pererius Prologo in Apocal. disputatione 5. scilicet Gog et Magog fore post Antichristum: sextam enim persecutionem Ecclesiæ inferendam fore ab exercitu Antichristi: septimam vero ab Antichristi reliquiis, scilicet Gog et Magog. Scriptura enim significat ultimam fore persecutionem Antichristi, et in ea socios ei adiungit Gog et Magog.

Mystice, Gog sunt hæretici. Mystice, Gog et Magog, et Antichristi præcursores fuerunt hæretici, qui Ecclesiam oppugnarunt: ac proinde similiter ac illi a Deo puniti perierunt.

Arrius. Arrii et Arrianorum, ac maxime Constantii Imper. quantus in Orthodoxos fuerit furor, tum S. Athanas. et alii, tum S. Hilarius scribens ad eum, ita enarrat: *Sacerdotes*, ait, *carceribus continentur, plebs in custodiam catenati ordinis constricta disponitur, virgines nudantur ad pœnam, sacrata Deo corpora publico exposita conspectui, ad fructum spectaculi et quæstionis aptantur. Cogunt nempe, non ut Christiani omnes simus, sed ut Arriani.* Quocirca Arrius vindice Deo viscera sua, (quibus filii in matris utero continentur, eo quod ipse in filium Dei impius fuisset et blasphemus) in latrinis cum anima effudit.

Constantius. Constantius mœrore pene periit, cum a Iuliano Apostata cognato suo, quem Cæsarem constituerat, imperio et vita sensim se excludi videret.

Valens. Valens Arrianus, magnus Homousianorum persecutor, a Gothis rebellantibus victus, et in fuga graviter saucius, tuguriumque forte obvium ingressus, igne ab hostibus iniecto vivus est concrematus: dignum profecto accipiens temporarii incendii ab iis exitium, quibus conciliarat æternum. Nam ipse Gothos ante a se debellatos fecerat Arrianos.

A Theodoricus Gothorum rex Arrianus, Symmachum Patricium, et Boetium Senatorem, viros Catholicos et virtute præstantes gladio trucidavit: quare moriens visus est sancto cuidam eremitæ discinctus et discalceatus, vinctusque manibus inter eos duci, ac proiici in vicinam Vulcani ollam, ut ab illis significaretur in æternum missus ignem, quos hic iniquissimis iudiciis oppresserat, uti narrat S. Gregor. in Dialog. Theodoricus.

Totila Gothorum rex invasit Italiam et Siciliam, sævus ubique, et sui in Ecclesiasticos crudelissimi odii passim vestigia relinquens: unde et Cerbonium Populonii Episcopum, quod milites Catholicorum excepisset hospitio, domique a supervenientibus Gothis occultasset et conservasset, ursis immanissimis obiici iussit in theatro, in quo rex ipse spectator consedit. Deinde Perusium cepit, moxque tale sævitiæ præfecto suo dedit mandatum: *Episcopo* (erat is S. Herculanus) *prius a vertice capitis usque ad calcaneum e cute corrigiam tolle, et tum caput amputa: omnem vero populum, qui illic repertus fuerit, gladio perimito.* Quare merito a S. Benedicto audivit: *Multa mala facis, multa mala fecisti, iam ab iniquitate conquiesce. Equidem mare transiturus es, Romam ingressurus, novem annos regnabis, decimo morieris.* Eo enim anno Narses Exarchus ab Imper. missus Gothos prælio cecidit, et Totilam interfecit. Vide S. Gregor. 3. Dialog 12. et 13 et lib. 2. cap. 15. Totila.

B

Iulianus Apostata Galilæorum (ita Christianos vocabat) hostis cælesti telo ictus, interiit, clamans: *vicisti Galilæe, vicisti.* Iulianus.

Quantas clades fidelibus intulerint Wandali Arriani, eorumque rex Hunericus videre est apud Victorem Uticens. tribus libris, quos de persecutione Wandal. scripsit. At quis finis? Hunericus diu sanctorum sanguine pastus, tandem a dæmone correptus, propriis se morsibus laniavit, ait Gregor. Turon. atque, ut auctor est Victor. Uticens. patefacto in secretioribus partibus corpore, scatens vermibus expiravit. Hunericus.

C

Constantinus, qui ex fœdato, cum baptizaretur, fonte, Copronymus est dictus, iuratus B. Virginis, et SS. imaginum hostis, ac monachorum exterminator, cum 35. annos in hac sævitia regnasset, ardentissimis correptus febribus, desperabundus clamabat, vivum sese adhuc igni inextinguibili traditum esse, postulavitque, ut B. Dei genitrici (quam toties blasphemiis impetierat) suus restitueretur honos. Copronymus.

Aistulphus Longobardorum rex graviter diuque vexavit Ecclesiam, fideles occidit, destruxit templa, fidem datam rupit, minatus est se omnes Romanos uno gladio iugulaturum: minatus est et Stephano Papæ ac Pipino, tandem Romam obsedit. At quis finis? Audi Anastasium: *Infelix*, ait, *Aistulphus quodam loco in venationem pergens, divino ictu percussus defunctus est* anno Domini 756. Aistulphus.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

1. **I**N vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quarto decimo anno postquam percussa est civitas: in ipsa hac die facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc. 2. In visionibus Dei adduxit me in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis: super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum. 3. Et introduxit me illuc: et ecce vir, cuius erat species quasi species æris, et funiculus lineus in manu eius, et calamus mensuræ in manu eius: stabat autem in porta. 4. Et locutus est ad me idem vir: Fili hominis vide oculis tuis, et auribus tuis audi, et pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi: quia ut ostendantur tibi adductus es huc: annuntia omnia, quæ tu vides, domui Israel. 5. Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique, et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, et palmo: et mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. 6. Et venit ad portam, quæ respiciebat viam orientalem, et ascendit per gradus eius: et mensus est limen portæ calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine: 7. Et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum: et inter thalamos, quinque cubitos: 8. Et limen portæ iuxta vestibulum portæ intrinsecus, calamo uno. 9. Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, et frontem eius duobus cubitis: vestibulum autem portæ erat intrinsecus. 10. Porro thalami portæ ad viam orientalem, tres hinc et tres inde: mensura una trium, et mensura una frontium ex utraque parte. 11. Et mensus est latitudinem liminis portæ, decem cubitorum: et longitudinem portæ, tredecim cubitorum: 12. Et marginem ante thalamos cubiti unius: et cubitus unus finis utrinque: thalami autem, sex cubitorum e-

rant hinc et inde. 13. Et mensus est portam a tecto thalami, usque ad tectum eius, latitudinem viginti quinque cubitorum: ostium contra ostium. 14. Et fecit frontes per sexaginta cubitos: et ad frontem atrium portæ undique per circuitum. 15. Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos. 16. Et fenestras obliquas in thalamis, et in frontibus eorum: quæ erant intra portam undique per circuitum: similiter autem erant et in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus, et ante frontes pictura palmarum. 17. Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia, et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pavimenti. 18. Et pavimentum in fronte portarum, secundum longitudinem portarum erat inferius. 19. Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad orientem, et ad aquilonem. 20. Portam quoque quæ respiciebat viam aquilonis atrii exterioris, mensus est tam in longitudine, quam in latitudine. 21. Et thalamos eius tres hinc, et tres inde: et frontem eius, et vestibulum eius secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem eius, et latitudinem viginti quinque cubitorum. 22. Fenestræ autem eius, et vestibulum, et sculpturæ secundum mensuram portæ, quæ respiciebat ad orientem: et septem graduum erat ascensus eius, et vestibulum ante eam. 23. Et porta atrii interioris contra portam aquilonis, et orientalem: et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos. 24. Et eduxit me ad viam australem, et ecce porta, quæ respiciebat ad austrum: et mensus est frontem eius, et vestibulum eius, iuxta mensuras superiores. 25. Et fenestras eius, et vestibula in circuitu, sicut fenestras ceteras: quinquaginta cubitorum longitudine, et latitudine viginti quinque cubitorum. 26. Et in gradibus septem ascendebatur ad eam: et vestibulum ante fores eius: et cælatæ palmæ erant, una hinc, et altera inde in fronte eius. 27. Et porta atrii interioris in via australi: et mensus est a porta usque ad portam in via australi, centum cubitos. 28. Et introduxit me in atrium interius ad portam australem: et mensus est portam iuxta mensuras superiores. 29. Thalamum eius, et frontem eius, et vestibulum eius eisdem mensuris: et fenestras eius, et vestibulum eius in circuitu, quinquaginta cubitos longitudinis, et latitudinis viginti quinque cubitos. 30. Et vestibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, et latitudine quinque cubitorum. 31. Et vestibulum eius ad atrium exterius, et palmas eius in fronte: et octo gradus erant, quibus ascendebatur per eam. 32. Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem: et mensus est portam secundum mensuras superiores. 33. Thalamum eius, et frontem eius, et vestibulum eius, sicut supra: et fenestras eius, et vestibula eius in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, et latitudine viginti quinque cubitorum. 34. Et vestibulum eius, id est, atrii exterioris: et palmæ cælatæ in fronte eius hinc et inde: et in octo gradibus ascensus eius. 35. Et introduxit me ad portam, quæ respiciebat ad aquilonem: et mensus est secundum mensuras superiores. 36. Thalamum eius, et frontem eius, et vestibulum eius, et fenestras eius per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, et latitudine viginti quinque cubitorum. 37. Et vestibulum eius respiciebat ad atrium exterius: et cælatura palmarum in fronte eius hinc et inde: et in octo gradibus ascensus eius. 38. Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum: ibi lavabant holocaustum. 39. Et in vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, et duæ mensæ inde: ut immoletur super eas holocaustum, et pro peccato, et pro delicto. 40. Et ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ quæ pergit ad aquilonem, duæ mensæ: et ad latus alterum ante vestibulum portæ, duæ mensæ. 41. Quatuor mensæ hinc, et quatuor mensæ inde: per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant. 42. Quatuor autem mensæ ad holocaustum, de lapidibus quadris extructæ: longitudine cubiti unius et dimidii: et latitudine cubiti unius et dimidii: et altitudine cubiti unius: super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum, et victima. 43. Et labia earum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum: super mensas autem carnes oblationis. 44. Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad aquilonem: et facies eorum contra viam australem, una ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viam aquilonis. 45. Et dixit ad me: Hoc est gazophilacium, quod respicit viam meridianam, sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi. 46. Porro gazophylacium, quod respicit ad viam aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris: isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei. 47. Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum per quadrum: et altare ante faciem templi. 48. Et introduxit me in vestibulum templi: et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde: et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde. 49. Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, et latitudinem undecim cubitorum, et octo gradibus ascendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus: una hinc, et altera inde.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quanta obscuritas templi Ezechiel.

Ab hoc capite usque ad finem libri tanta est obscuritas, et quasi inexplicabilis urbis et templi labyrinthus, quia inextricabilis, ut S. Hieron. de eius intelligentia et explicatione desperans, manum hic de tabula tulerit, et commentarium suum hic abrupisset, nisi S. Eustochium eum pergere compulisset. Quocirca ipse hic sic orditur: *Trepidationem meam in explanatione templi Ezechielis, imo tacendi perseverantiam, tuæ, filia Eustochium, preces, et Domini promissa superarunt, dicentis: Petite, et accipietis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Et qua nos excusatione usi sumus, ut in calce anterioris voluminis diceremus, Melius est nihil quam parum dicere; tu eam vertisti in contrarium, ut referre putes saltem parum, quam nihil dicere: quia in altero prompta voluntas, in altero totius operis desperatio est.* Subdit: *Illud lecturo tota libertate denuntio, ut si veritatem desiderat, eam* A *quærat ab aliis. Nos autem ea quæ in opere difficillimo suspicari possumus, simpliciter confitemur atque dictamus.* Et S. Gregor. initio l. 2. in Ezechiel. *Duo sunt*, ait, *quæ in hac re perturbant animum meum. Unum, quod hæc eadem visio tantæ obscuritatis nebulis tegitur, ut vix in ea aliquid intellectu interlucente videatur.* Et inferius: *Obscurum quidem valde opus est, quod aggredimur; sed ponamus in animo, quia nocturnum iter agimus. Restat ergo ut hoc palpando carpamus.* Oremus igitur: *Revela Domine oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Abyssus* enim ignorantiæ et miseriæ nostræ, *abyssum* sapientiæ et felicitatis tuæ *invocat.* Hoc ergo capite ad finem usque libri, per novem capita, vidit Ezechiel ideam templi et urbis, in eoque ordinem et officia Levitarum, ritus et victimas a Deo præscribi, terramque Israel per tribus dividi.

Quodnam hoc templum. Iudæi illud a Messia expectant. Refelluntur. Quæres, Quænam est hæc fabrica, quod templum, quæ civitas?

Rabbini et Iudæi, præsertim Romæ accipiunt augustissimum templum et urbem ædificandam a Messia, quem ipsi expectant: unde ipsi inferunt Messiam necdum venisse, quia necdum tertium hoc templum apparuit, necdum nova urbs eis a Messia reædificata est. Verum errare eos toto cælo, patet Primo, quia Daniel cap. 9. in fine, diserte docet eversionem et desolationem templi factam a Tito et Romanis, ob occisum a Iudæis Christum, duraturam usque ad finem mundi: frustra ergo Messiam expectant, qui hoc templum eis reædificet. Rursum, experientia constat Iudæos sub Iuliano Apostata, et alias sæpius voluisse reædificare hoc suum templum, ac semper cælitus a Deo fuisse prohibitos et impeditos. Signum ergo est, eos a Deo esse reiectos, eique exosos una cum suo templo et sacrificiis.

I.

II. Secundo, quia Aggæus cap. 2. v. 8. et 10. prædicit desideratum cunctis gentibus, hoc est Messiam, in templo illo quod tempore Aggæi a Zorobabele restaurabatur, versaturum, nimirum docturum et facturum miracula; ac proinde maiorem fore gloriam domus istius posterioris, puta templi Zorobabelis, quam fuerit primæ, puta templi Salomonis. Ergo Messias iampridem venit, versatusque est in templo Zorobabelis, quod eversum est a Tito. Quocirca frustra expectatur a Iudæis Messias, quasi adhuc venturus, qui iam a 1600. annis venit.

III. Tertio, visionem hanc templi, et urbis novæ habuit Ezechiel anno 14. ab excidio Hierosolymæ, et templi, facto per Chaldæos; uti patet v. 1. idque ad consolandos Iudæos in Babylone captivos spe restaurationis Hierosolymæ, et templi: ergo potius eius restaurationem per Zorobabel, post paucos annos futuram, hic prophetat, quam futuram post duo et plura annorum millia a Messia, quem ipsi expectant: illa enim vicina erat instabatque, quam proinde ipsimet captivi, eorumque filii erant visuri, eaque fruituri: hanc vero nec ipsi, nec filii, nec nepotes, nec abnepotes usque ad vigesimam generationem erant visuri. Quorsum enim Propheta prætervolaret et omitteret restaurationem templi instantem sub Zorobabel, quæ Iudæis afflictis erat futura summæ consolationi, et ea neglecta avolaret ad restaurationem templi tam remotam, obscuram et incertam, quam afflicti Iudæi non erant conspecturi, ac proinde parvam de ea consolationem et lætitiam accepturi? Accedit quod Isaias, Ieremias, Ezechiel, aliique Prophetæ soleant consolari Iudæos in Babylone captivos, promittendo eis liberationem vicinam per Cyrum, ac deinde per Cyrum avolare ad Christum. Ergo idem facit hic Ezechiel.

IV. Quarto, hæc non posse accipi de templo corporali et Iudaico, nec de Ierusalem terrestri, patet ex multis. Primo, quia c. 45. et 48. docet hoc templum fore extra urbem, et ab ea remotum fore quindecim millibus calamorum, id est viginti septem millibus passuum: ergo non agitur hic de templo Hierosolymitano, cum templum hoc a Ierusalem distet viginti septem milliaribus. Secundo, quia novæ huius urbis accolas fore tam decem Tribus, quam duas, id est tam Samaritas quam Iudæos, fuse docet c. 47. et 48. atqui constat decem Tribus ex captivitate Assyriaca nunquam rediisse, nec unquam redituras, sed solum duas, uti Rabbini fatentur, omnesque Iudæi, quibus Samaritæ ab olim sunt exosi: ergo hæc de Ierusalem terrestri, et de duodecim Tribubus Israelis carnalis intelligi nequeunt. Tertio, c. 47. 8. docet Ezechiel aquas e templo egredi, easque ita crescere, ut transvadari nequeant, ac intrare in mare Mortuum, eiusque salsedinem edulcorare: atqui in Ierusalem et templo hæ aquæ nunquam visæ sunt, imo esse nequeunt; quæ enim aquæ edulcorarent totum mare Mortuum, quod de facto totus Iordanis in illud influens, dulcorare non potest? Similia sunt quæ c. 44. 2. de porta Orientali semper clausa, de arboribus utrinque ad aquas dispositis, et per singulos menses fructus proferentibus, aliisque plurimis hisce octo capitibus dicuntur, quæ clarum est corporaliter, et ut sonant, accipi non posse.

V. Quinto, hanc novam civitatem fore novi testamenti, non veteris, docet diserte Ieremias cap. 31. conferendo versum 31. cum v. 37. Unde et Ezechiel eam non vocat Ierusalem, sed *nomen civitatis ex die illa, Dominus ibidem*, ait ipse c. 48. v. ult. quod proprie et plene soli Ecclesiæ Christianæ competit.

VI. Sexto, idipsum tandem rationibus hisce aliisque convicti fatentur ipsimet Rabbini, et nominatim R. Abba, et R. Salomon (teste Galatino l. 5. c. 12. et Adriano Fino lib. 2. Flagelli Iudæorum c. 8.) qui et novam rationem afferunt: quia, inquiunt, alioqui sequeretur Ierusalem maiorem fore toto orbe. Talis enim erit hæc Ezechielis urbs. Nam de ea dicitur cap. 48. 35. quod erit octodecim millium, scilicet leucarum, uti ipsi et Iudæi subaudiunt, de quo cap. 47. 22. et cap. 48. 35.

VII. Denique passim Rabbini dicunt, initium prophetiæ Ezechielis, æque ac finem de novo templo et urbe, esse arcana inexplicabilia, et a nemine intellecta; unde ipsi suis lectionem horum capitum interdicunt. Quomodo ergo ipsi hæc inexplicabilia de templo materiali a Messia ædificando explicare audent? Quomodo ex re obscura, quam se non intelligere fatentur, argumentum pro suo iudaismo contra Christum formare præsumunt? Nimirum cæci sunt, et duces cæcorum: cæca ergo eorum argumenta cæcis relinquamus. Iudæis itaque confutatis et reiectis.

Respondet S. Hieron. templum hoc Ezechielis esse Ecclesiam Christianam: *Nec hoc*, inquit, *de illo tempore dicitur, quod quidam imperiti Iudæorum volunt, quando sub Zorobabel, et sub Iesu filio Iosedec sacerdote magno templum extructum est. Hoc enim templum, quod nunc describitur, et ordo sacerdotii, terræque divisio, et fertilitas multo augustius est, quam fuit quod Salomon extruxerat. Illud autem quod ædificatum est sub Zorobabel, in tantum parvum erat, et prioris comparatione nihili, ut qui prius templum viderant, ac postea hoc aspiciebant, eiularent, doloremque suum lacrymis testarentur, et multo maior esset clamor ululantium, quam clangor tubarum.* Et inferius: *Mihi legenti descriptionem templi mystici, quod Iudæi secundum literam in adventum Christi sui, quem nos esse Antichristum comprobamus, putant ædificandum, et nos ad Christi Ecclesiam referimus, et quotidie in sanctis eius ædificari cernimus, accidit*, etc. Et S. Gregor. hom. 13. et sequent. et Maldon. Piutus, Dionys. Isidor. Viegas in Apoc. 12. com. 3. sect. 33. Barradius l. 2. proleg. c. 6. et Anton. Fernand. visione 18. sect. 4. ubi docet per templum et urbem Ezechielis significari duplicem in Ecclesia Christi principatum, Ecclesiasticum et sæcularem.

Unde Alcazar in Apoc. 3. vers. 12. notat. 2. pag. 308. plane contendit hoc templum Ezechielis aliud esse a Salomonico (licet eo alludat) esseque mysticum et spiritale. Nam hoc Ezechieli cap. 45. et cap. 48. visum fuit extra urbem, quindecim millibus calamorum, quæ faciunt viginti septem passuum millia, atque in eo commutantur sors Iudæ, Beniamin, et aliarum Tribuum. Itaque censet ipse Iudæam hic esse Ecclesiam; urbem, quam in ea vidit Ezechiel, esse Romam, non Ierusalem; unde eius nomen est, *Dominus ibidem* est, scilicet in suo vicario Romano Pontifice: templum, esse monasteria, virosque religiosos, qui a Roma separati sunt, non tam loco, quam mente, actione et contemplatione, ut se totos Deo consecrent.

Resp. esse templum Salomonis restauratum per Zorobabel. Nihilominus respondeo, et dico primo post captam a Chaldæis Ierusalem, et exustum templum Salomonis, quæ huc usque partim prædixit, partim iam facta enarravit Ezechiel, hoc cap. et seq. illud idem templum describit, ut patet cap. 41. v. 1. 4. et sequent. *Hoc est*, ait, *Sanctum sanctorum*, etc. Unde et hoc Ezechielis templum eamdem habet figuram et dimensionem (licet id negare videatur S. Hieron. in cap. 43.) cum templo Salomonis: scilicet Sanctum sanctorum utrobique longum, latum et altum est cubitis 20. Sanctum, latum 20. longum 40. vestibulum, longum 20. latum 11. atrium populi undique am- Probat.

biens atrium sacerdotum, et Sanctum, ac Sanctum sanctorum, 500. erat cubitorum in longitudine, et 500. in latitudine: atrium voco murum extimum atrii. Sic murus atrii Gentium erat 600. cubitorum. Quocirca cap. 40. 1. de veteris urbis eversione mentionem facit, ab eaque huius prophetiæ exordium sumit, quasi significare volens se de eius restauratione agere. Unde et eodem loco, id est in monte Sion, templum hocce suum collocat. Denique ita urbem Ierusalem, Sanctum, Sanctum sanctorum, atrium triplex, exedras gazophylacia, sacerdotes, Levitas, oblationes, victimas depingit, et minutatim dimetitur, idque tam fuse, operose et exacte, ut non aliud quam templum Hierosolymitanum hic agnoscere possimus. Nota: Apposite Ezechiel uti cœpit a templo, ita finit in templo. Cœpit enim a visione currus Cherubim: vidit enim cap. 1. Deum prodeuntem e templo suo cælesti, et vectum curru Cherubico pergere ad excidium urbis Ierusalem, et templi: hic vero videt eumdem eadem restaurare, ac novum templum condere, tum materiale per Zorobabel, tum potius spiritale et mysticum (puta Ecclesiam) per Christum. Quocirca currus Cherubim speciem habebat templi: solium enim repræsentabat propitiatorium cum arca: utrique enim insidebat Deus; qui proinde ante se habebat arulam cum igne, uti in templo habebat ante se altare thymiamatis, eiusque ignem et incensum: Cherubini in utroque iidem sunt.

Hoc ergo templum Salomonis ostensum est hic Ezechieli describendum, primo, ad hoc, ut moveret populum ad pœnitentiam, ob cuius peccatum templum hoc erat eversum, ut patet c. 43. v. 10.

Secundo, ut eos in captivitate tot ærumnis afflictos consolaretur, et in spem erigeret templi reædificandi, ac consequenter reipubl. et Ecclesiæ ac religionis restaurandæ. Hinc Leviticam hierarchiam, ritus sacrificiorum, et Iudææ divisionem præscribit et instaurat c. 44. et sequent.

Tertio, ut eius iam prorsus aboliti et eversi septuaginta annis (ita ut nemo superesset, qui eius formam mente retineret, ut eam architectis plane et plene delineare posset) ideam, et quasi ex prototypo paragogum præscriberet, ut patet cap. 43. 12. quam ideam secuti sunt Zorobabel, Aggæus, et Zacharias, cum illud reædificarunt. Id ita esse diserte docet ipse Ezechiel cap. 43. ubi postquam fabricam templi tribus præced. cap. descripsisset, et dimensus esset, subdit v. 7. se audisse a Deo in templo hoc consistente: *Fili hominis, locus solii mei* (supple hic est) *et locus vestigiorum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum, et non pollument ultra domus Israel nomen sanctum meum.* Et v. 9. *Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, et ruinas regum suorum a me, et habitabo in medio eorum semper. Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam* (ut eam reædificando templum sequantur, et fabricando reipsa exprimant) *figuram domus, et fabricæ eius, exitus et introitus, et omnem descriptionem eius*, etc. *ostende eis, et scribes in oculis eorum, ut custodiam* (in eius reædificatione) *omnes descriptiones eius.* Quid clarius? Ita veteres Hebræi, Theodor. et fuse Vilalpando, et Ribera l. 1. de Templo c. 27. quin et S. Chrysost. hom. 17. in epistolam ad Hebræos, ac Richardus Victorinus libr. de Ezechielis templo, item Lyranus, Hugo Cardin. et alii, ac Torniellus in Chronol. anno mundi 3460.

Obiicitur. I. Dices primo: Templum Zorobabel non fuit tam augustum quam Salomonis, ut patet Aggæi 2. 3. et 1. Esdræ 3. 11. ita S. Hieron.

Respondeo: Fuit tam augustum quoad figuram, dispositionem, fabricam, quæ sola hic describuntur, non autem quoad materiam auri, lapidum, omnemque ornatum.

II. Dices secundo, Salomonis templum altum fuit cubitis 120. ut patet 2. Paral. 3. 4. Zorobabelis vero tantum cubitis 60. ut patet 1. Esdræ 6. 3.

Respond. illam fuisse Cyri dispositionem, cui Iudæi eius offensam verentes non contradixerunt, et hac parte non assecuti sunt ideam Salomonis et Ezechielis; uti nec

A ornatum, magnificentiam, opulentiam. Verebatur enim Cyrus, ne Iudæi arcem facerent ex templo, et res novas molirentur ac rebellarent. Herodes tamen, qui Zorobabelis templum restauravit, fecit illud 120. cubitorum in altitudine, teste Iosepho 15. Antiquitatum c. 14. Aliam causam dat Lyran. in fine libri: ait enim, Deum non omnia explesse, quæ in hac idea præscribit: quia hæc promissio templi et urbis reædificandæ facta fuit sub conditione, hac videlicet, si Iudæi servirent Deo ut debebant: hoc autem illi non præstiterunt. Nam multi manserunt in Babylone, nolentes reverti in Iudæam: alii duxerunt uxores alienigenas 1. Esdræ 9. alii deflexerunt ad idololatriam sub Antiocho Epiphane, ut patet ex libris Machab. Quocirca Deus quoque non explevit hanc perfectam suæ ideæ fabricam. Sicut primitus sub Iosue Hebræis non dedit totam terram promissam, sed tum ob peccata eorum, tum ut eos in armis iugiter exerceret, reliquit in terra eis a se promissa complures Amorrhæos et Chananæos hostes. Voluit ergo

B Deus hic per Ezechielem dare et describere perfectam ideam templi, urbis et reip. Israeliticæ, uti fecit Plato in libris de Repub. esto sciret, quod ipsi eam per omnia assequi et exequi non possent: quia per eam symbolice nobiliorem Ecclesiæ fabricam, in qua hæc omnia mystice perficienda forent, adumbrare et delineare volebat. Unde:

Dico secundo: Licet ad literam, ut dixi, describatur hic templum Salomonis magnifice restaurandum per Zorobabel; tamen magis allegorice significatur restaurandam Synagogam Iudæorum per Ecclesiam Christi. Una enim est Ecclesia, quæ olim fuit Iudæorum, iam est Christianorum. Sed hæc illa amplior est, augustior, operosior, gloriosior, perfectior, pulchrior, gratiosior; quia summe perfecta, æterna, cælestis est, et divina. Unde ad hoc symbolice significandum, voluit Deus vetus templum Salomonis per hoc Ezechielis idem plane reædificari, et stare donec conderetur Ecclesia a Christo, hoc templo præsignata, ut notat S. Chrysostomus homil. in Psal. 14. tom. 1. et Athanasius orat. 5. contra Arrian. Ecclesia autem con- (In templo hoc symbolice potius describitur Ecclesia Christi.)

C dita templum vetus fuit dirutum, et fundamenta evulsa; imo ipse mons cui insidebat, teste Iosepho abscissus est, ut Iudæi nullam haberent spem eius reædificandi. Atque hac de causa quædam augustiora de hoc templo hic dicuntur, quam ut templo Salomonis, vel Zorobabelis conveniant; ut quod templum Zorobabelis fuerit in urbe, Ezechielis vero extra eam, imo semotum 27. milliaribus. Simile est de porta templi Orientali semper clausa, *quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*, cap. 44. v. 2. Rursum quod inter templum et civitatem Propheta hic c. 48. describit partem quamdam portionis sacerdotum, et totam portionem Levitarum. Quod ibidem terram Israel distribuit duodecim tribubus, cum constet duas tantum ex captivitate rediisse, decem vero in ea mansisse. Ad hæc quod cap. 47. v. 8. dicit de aquis e templo egredientibus, et in mare mortuum intrantibus, eiusque aquas salsas edulcorantibus. Item de arboribus fœcundissimis, quæ singulis mensibus uberrimos fructus proferebant, aliisque si-

D milibus. Solent enim Prophetæ a typo ad antitypum, a litera ad allegoriam avolare, ac subinde ea commiscere: unde licet ad litteram de typo agant, quædam tamen immiscent, quæ magis antitypo conveniant, ut significent se magis antitypum, quam typum spectare, uti dixi can. 4. et 5. Et hoc videntur voluisse S. Hieronymus, Gregorius, et alii, dum negant hic templum Zorobabelis delineari: quia scilicet mystice magis hic delineatur Ecclesia Christi, quam templum hoc. Porro quia Ezechiel c. 47. et 48. templum hoc a civitate et civibus secernit; hinc præcise et distincte per templum accipiendus est status sacerdotalis apud Christianos, eiusque templa: item Roma, ut ait Alcazar, in qua est apex sacerdotii, templorum et sacrorum. Per civitatem vero intelligendus est status fidelium laicorum, et regimen politicum, de quo plura c. 45. 6. et c. 48. 35. Iam vero quæ sit Ecclesiæ longitudo, id est quot sæculis sit in hoc orbe duratura: quæ sit latitudo, id est, quas regiones, nationes, hominesque usque ad orbis finem sit complexura: quæ altitudo charitatis et me-

ritorum: quæ profunditas humilitatis: quæ rectitudo operum: quis ordo lapidum, id est pontificum, regum, hominumque cæterorum: quinam superiori, qui inferiori ædificii loco sint collocandi, ille novit, qui eius est architectus, quique totam fabricam funiculo calamoque suo, id est infinita sapientia, metitur et explorat.

Allegor. templi restauratio est resurrectio.

Rursum allegorice, hæc templi reædificatio significabat mortui Christi resurrectionem: eius enim mors, fuit mors Synagogæ; eius resurrectio, fuit resurrectio et instauratio Ecclesiæ, Ioan. 2. 19. Et sic illud Amos 9. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum eius, et ea, quæ corruerant restaurabo, et reædificabo illud sicut in diebus antiquis;* non tantum de Ecclesia, sed et de Christo interpretantur B. Cyril. lib. 4. in Ioannem 35. Theodor. et S. Hieronym. in Amos 9. imo S. Petrus Actor. 15. v. 16.

Ex hominis fabrica sumpta est architectonica symmetria.

Ubi nota. Omnem architectandi rationem ex hominis symmetria, tamquam ex perfectissimo naturæ ædificio, desumptam fuisse censet Vitruvius, et ex eo Vilalp. pag. 471. quocirca assumpta a Verbo humanitas singulis fere templi mensuris indicatur. Nam si quamlibet porticum 50. cubitis latam, centum vero longam consideres, eiusque latitudinem in tres dividi ambulationes animadvertas, longitudinem præterea in octo intercolumnia, sive vestibula partiri; invenies partitiones has omnes humanæ staturæ mira proportione conformari, uti in imagine spectandum exhibet Vilalp. pag. 472. Homo enim, ut docet Vitruvius et alii, sex pedibus altus est, tantumdemque brachia eius extensa protenduntur. Quod si brachia in medio pectore ita complicentur, ut apex longioris digiti dextræ manus apicem etiam medii digiti sinistræ manus attingat, certe a cubito ad cubitum tres pedes latus erit homo: quorum medius pes pectori datur, reliqui utrinque brachiis ab humeris ad summos cubitos assignantur: qua ratione porticus dividitur in tres æquas ambulationes, pectori et brachiis respondentes. Hæc et plura Vilalp. loco citato.

Anag. describitur hic templum cæleste.

Anagogice describitur hic Ecclesiæ in cælis triumphantis gloria, et mira amplitudo, ubi Beati pulcherrimis ornamentis redimiti et communiti, ac cælestibus et inexplicabilibus gaudiis magnificentissime cumulati Deum ipsum intuentur, et sempiterna Dei visione fruuntur. Intuetur ergo et describit hic Ezechiel cælestis Ierusalem, et templi Beatorum mensuras: de quibus ait Apostolus Ephes. 4. 13. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, et sublimitas, et profundum.* Id ita esse patet ex eo, quod ita Ezechielem anagogice explicet eius assecla, imitator et interpres S. Ioannes in Apocalypsi. Hanc enim ipse, secutus Ezechielem, post enarratam c. 18. Babylonis, et cap. 19. Gog, et Magog, Antichristi, mundique totius stragem et excidium, concludit c. 21. et 22. descriptione novæ Ierusalem. Ergo cum ipse explicet eam esse cælestem, sequitur illam quoque vel maxime in sensu anagogico spectasse Ezechielem. Hinc et fluvium illum suum cælestem, utrinque consitum arboribus vitæ, quæ fructus suavissimos per singulos menses proferunt, Apoc 22. v. 1. S. Ioannes plane mutuatus est ab Ezechielis cap. 47. v. 5. Ad hanc urbem et templum suspirabat Psaltes, dicens Psal. 136. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Et Psal. 41. *Memor ero tui de terra Iordanis et Hermoniim a monte modico. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam.* Utinam mihi in hac lacrymarum valle, tui memoria semper oculis mentis obversetur! Utinam pectus meum sit oratorium, in quo teipsum o Christe exsculpas, ut aurea tua imago sit in terreo altari cordis mei, ut te semper intuear: ac tanta sit amoris tui vis et flamma, ut me transformet in te a claritate in claritatem! ut tandem ab hoc exilio in patriam, ab hospitio in domum me reducas, ubi te laudem, te amem, te fruar in omne ævum. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.*

Tropol. anima sancta.

Tropologice, templum hoc est anima fidelis et sancta. A *Caste et pie viventes templum sunt Spiritus sancti*, aiebat S. Lucia ad tyrannum. Porro qua ratione anima fiat templum Dei, ita describit S. Hieron. ad Celantiam epist. 14. *In omni actu atque verbo quieta mens et placida servetur, semperque cogitationi tuæ Dei præsentia occurrat: sit humilis animus ac mitis, et adversus sola vitia erectus. Nunquam illum aut superbia extollat, aut avaritia inflectat, aut ira præcipitet. Nihil enim quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius ea mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est: quem non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta delectant, sed anima ornata virtutibus. Ideo et templum Dei sanctorum corda dicuntur, affirmante Apostolo, qui ait* 1. Corinth. 3. *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Plura vide apud S. Bernardum tractat. de Interiori domo. Quocirca S. Chrysost. orat. 3. contra Iudæos in fine, docet non tam gratum esse Deo excitare templum Salomonico maius et illustrius, quam convertere animas, easque erigere in templum gratiæ viventi B Deo. Et S. Greg. hic hom. 12. asserit nullum sacrificium esse Deo acceptius animarum zelo.

Hoc ergo c. 40. atriorum templi Hierosolymitani mensuras, illuc spiritu raptus, angelum calamo definientem videt et describit Ezechiel, nimirum mensuras longitudinis, latitudinis et altitudinis portarum, thalamorum, fenestrarum, vestibulorum, cubiculorum, graduum, et totius denique ædificii. Itaque angelus hic primo, portam orientalem, et cæteras exteriores atrii laicorum dimetitur. Inde v. 17. atrium laicorum ingressus, illud ipsum cum suis porticibus, thalamis, portis et vestibulis, a porta in portam per partes sigillatim mensurat. Tertio, ingressus atrium sacerdotum v. 28. illud pari modo metitur. Denique v. 39. describit mensas, in quibus mactantur victimæ, ac cubicula tam laicorum quam sacerdotum.

Idea generalis trium partium tabernaculi et templi.

Nota: Tabernaculum Mosis, et templum, quod illius ad instar fabricavit Salomon, proprie habebat duas partes, scilicet Sanctum, et Sanctum sanctorum. In Sanctum in- C grediebantur soli sacerdotes: in Sanctum sanctorum solus Pontifex, idque semel in anno. Ante Sanctum erat atrium, idque duplex: primum, et proximum Sancto erat atrium sacerdotum: in hoc atrio erat altare holocaustorum: ibi enim sub dio mactabantur et cremabantur victimæ, ut fumus in aerem ascenderet, ibique evanesceret. Circumcirca hoc atrium erat porticus (vulgo galeria) columnis innixa, in qua erant gazophylacia, sive exedræ, et pastophoria, id est, cubicula sacerdotum. Alterum atrium erat Israel, id est laicorum: hoc enim ipsorum erat templum, eratque ingens, utpote pro toto Israele; unde vocatur basilica grandis 2. Paral. 4. 9. Porro divisum erat ab atrio sacerdotum per septum, sive murum altum tres cubitos, ita ut laici ex suo atrio possent videre sacrificia, quæ fiebant in atrio sacerdotum, non tamen illud ingredi: ita Ribera, Abul. Azor, Barrad. Caiet. Salmer. quia et Theodoret. ac Procopius. Verum rident hoc Vilalp. et Pineda l. 5. de Reb. Salom. c. 5. ac demonstrant murum D cingentem atrium sacerdotum in altitudine parem et similem fuisse muro qui cingebat atrium laicorum, ac consequenter habuisse tres contignationes ex lapide polito, et quartam summam ex cedro: tot enim habebat murus atrii Israel. Inter atrium sacerdotum et templum interiectum erat spatium, sive platea viginti cubitorum, ut patet cap. 41. 10. in quo spatio erat locus orationis sacerdotum. Ergo atrium sacerdotum, puta peribolus, sive murus atrii sacerdotum distabat a templo, sive a vestibulo Sancti et Sancti sanctorum viginti cubitis, idque ad reverentiam Dei, eiusque templi. Utrumque hoc atrium pro solis Iudæis erat. Unde non tantum Herodes rex, ut vult Ribera, sed ipsi etiam Salomon, atrium tertium addidit extimum pro Gentilibus, teste Iosepho, quem sequitur Vilalp. p. 2. l. 3. c. 27. Cassiod. Beda, Abul. Hugo, Azor, et alii quos citat et sequitur Pineda l. 5. de Rebus Salom. c. 5. Porro atrium laicorum Iudæorum, divisum erat in atrium fœminarum, et atrium virorum: erantque quatuor atria, scilicet primo, Gentium; secundo, fœminarum; ter-

Atrium sacerdotum. Atrium laicorum. Atrium Gentium. Atrium fœminarum.

tio, virorum; quarto, sacerdotum. Audi Iosephum lib. 6. Belli cap. 6. et lib. 3. Antiq. c. 5. *Templum*, ait, *quatuor porticus* (atrium vocatur porticus, quia porticu fornicata et columnis innixa circumseptum erat: unde vocatur et vestibulum) *circum se habuit, et earum unaquæque suam custodiam. In extimam porticum ingredi licuit omnibus, etiam extraneis, tantum menstruatæ fœminæ intrare vetabantur. In secundam porticum intrabant Iudæi omnes, eorumque coniuges, si erant ab omni pollutione mundæ. In tertiam mares Iudæi mundi, atque puri. In quartam sacerdotes vestitu sacerdotali induti.* Vide dicta Exodi 27. v. 9. Ezechiel vero et Scriptura duplex tantum nominat atrium (tertium enim Gentium omittit) exterius scilicet, et interius. Aliqui atrium exterius vocari putant id, quod erat mulierum: interius vero id, quod erat virorum. Ita R. Salomon, et Maldon. Verum melius Vilalpando p. 2. l. 3. c. 15. per atrium exterius accipit atrium laicorum, per interius vero sacerdotum. Dicitur interius, quia vicinius erat Sancto, et Sancto sanctorum. Unde in eo erat altare holocaustorum, ibique immolabantur victimæ. Ita enim atrium interius explicat Ezechiel c. 8. v. 1. 7. 14. 17. Favet et locus 3. Reg. 6. v. 36. ubi, uti et alibi, duplicis tantum atrii, scilicet laicorum et sacerdotum fit mentio. Unde censet Vilalpando, atrium mulierum separatum tum nondum extitisse, sed illud ab atrio virorum separatum fuisse post captivitatem Babylonicam. Atrium exterius septenis distinctum erat areis subdialibus, quæ senis porticibus erant distinctæ, ait Vilalpando.

Atrium exterius erat laicorum, interius sacerdotum.

Atrium cinctum porticibus.

Utrumque atrium septum erat porticibus, ut sub eas Iudæi se reciperent tempore pluvio, vel urente sole, earumque fornice se tegerent. Porro porticus omnes atrii interioris, pares erant porticibus exterioris. Rursum, porticus in ternas ambulationes erant divisæ. Ad hæc, atrium interius in quavis dimensione centum habebat cubitos, dimidium eius quinquaginta. Altaris vero quadrata forma viginti cubitorum fuit. Fuit autem altare positum in medio atrii. Quare supersunt ab altari usque ad peribolum, id est, murum Occidentalem atrii cubiti quadraginta: inter peribolum porro et vestibulum templi platea erat viginti cubitos lata: ex quo fit, ut spatium omne inter vestibulum et altare relictum fuerit cubitorum sexaginta, fere triplo maius eo quod assignatur a Rabbinis in secundo templo: huic enim ipsi dant viginti duos cubitos.

Cubicula atrii vocantur thalami, exedræ, gazophylacia, pastophoria: cur?

Atrium vero laicorum, utpote totius populi, tam in longitudine quam in latitudine habebat quingentos cubitos. In utroque atrio erant cubicula sacerdotum, ianitorum, cantorum, et aliorum templi ministrorum, quæ variis nominibus appellantur. Nam primo, vocantur thalami; secundo gazophylacia: quia gaza, id est opes et supellex templi, in iis custodiebatur; tertio, vocantur exedræ; non eo quod essent extra ædem, id est templum, uti aliqui volunt; sed a sessione, quod in iis sacerdotes mactando, et sacra obeundo fessi sederent et requiescerent. Exedra enim græce sessionem, vel sedem significat. Ita Pollux l. 1. c. 4. Unde et Cicero l. 3. de Orat. indicat exedram esse locum, in quo posito lectulo meridie requiescant; quarto, vocantur pastophoria: παστος enim Græcis thalamum significat, aut velum. Velo enim prisci Gentilium quoque sacerdotes caput obnubebant. Unde Virgil.

Et capite ante aras Phrygio velatus amictu.

Hinc sacerdotes vocabantur pastophori, sicut et πυροφοροι, id est igniferi, eo quod ignem ante alios sacrificiis inferrent, teste Giraldo Syntag. 17.

Ridiculum ergo est quod affert Abulens. in l. 3. Reg. c. 6. quæst. 21. scilicet, pastophoria fuisse loca separata ad comedendum, ut in eis sacerdotes comederent partes sacrificiorum sibi ex Dei lege obvenientes, et inde dici *pastophoria* a *pastu* et *foris*. Alio quoque sensu παστοφορος corrupte dicitur a Clemente Alex. l. 5. Strom. sacerdos, vel æditums, pro παστοφρουρος, id est templi custos, ait Nicol. Causinus Elect. symb. p. 200.

Denique in atrio laicorum facta sunt omnia, quæ in Evangeliis legimus de Christo, scilicet, quod in templo docuerit, quod ex eo eiecerit ementes et vendentes, quod dixerit illud esse domum Dei, et locum orationis, etc. Hæc enim omnia in atrio laicorum, quod eorum erat templum, facta sunt. Nec enim Christus ulterius, in atrium scilicet sacerdotum ingredi poterat, cum non esset sacerdos de tribu Levi.

Porro atrium universum stratum erat pretioso marmore. Censet Ribera l. 1. de Templo c. 16. atrium utrumque, scilicet tam sacerdotum quam populi Israel, tantum fuisse ab Oriente templi, cui favet Ioseph. l. 6. de Bello c. 6. Verum Cassiodor. Lyran. Dionys. Azor, Vilalpand. et Montanus, quos citat et sequitur Pineda l. 5. de Templo c. 5. §. 20. et 21. melius censent utrumque atrium cinxisse totam domum. Sic enim castra Israel (quæ repræsentabat hoc atrium) cingebant tabernaculum undique ad quamlibet mundi plagam, ut patet Numer. 2. 2. Et quia vocatur *atrium maius rotundum*, quia in orbem, id est circumcirca, totum templum ambiebat, 3. Reg. 7. 12. alioqui enim atrium hoc figura quadratum erat, non rotundum. Sed ita hæc intellige, ait Pineda, ut, quoniam Sanctum cum Sancto sanctorum et atrio sacerdotum, multo longiora erant quam lata, ex latere Occidentali sacerdotum nulla esset area ὑπαιθρα, id est subdialis; sed tantum *tres* illi *ordines lapidum politorum per circuitum*, de quibus 3. Reg. 7. 12. id est porticus triplex.

In atrio hoc tres erant portæ, Orientalis, Australis et Aquilonaris: ad Occidentem enim nulla erat porta, eo quod id exigeret dignitas et reverentia Sancti sanctorum, quod illi parti Occidentali proximum erat sola porticu interiecta: ita Ioseph. l. 6. de Bello c. 6. Plura de templo dixi Exodi 25. et sequ. ac 3. Reg. 7. Hic enim fere tantum eius mensuræ describuntur.

Horum atriorum, porticuum et exedrarum dimensionem et ichnographiam in tabulis ad oculum expressam vide apud Vilalp. p. 144. et sequent.

IN VIGESIMO QUINTO ANNO TRANSMIGRATIONIS NOSTRÆ.) Vers. 1.
Qua scilicet Ezechiel cum Ioachin rege anno primo, mense tertio regni eius traductus est a Nabuchodonosore in Babylonem: Ioachin successit Sedecias, cuius undecimo anno eversa est urbs, et regnum; ergo ab hac eversione anno decimoquarto vidit hæc Ezechiel, scilicet templi, et urbis nuper eversæ restaurationem. Quocirca hæc visio, a visione capitis primi, qua anno quinto transmigrationis vidit Deum iratum imminere et intentare urbi ac templo vastationem, distat, et posterior est viginti annis. Quapropter Hebræi hos viginti annos addentes triginta, de quibus c. 1. v. 1. (quos illi computant a iubilæo, ut ibi dixi) ita ut fiant 50. censent hunc annum fuisse quinquagesimum, id est, iubilæum. In Iubilæo ergo vidisse Prophetam novæ urbis, et novi templi fabricam. Estque probabile, licet alii aliunde illos triginta annos c. 1. v. 1. computent, ut ibi dixi.

IN EXORDIO ANNI, DECIMA die MENSIS.) Id est, decima die Nisan, quo Hebræi Exod. 12. iubentur tollere agnum, eumque servare ad diem 14. ut eo oblato liberentur ex Ægypto. Itaque hic eodem die videt Ezechiel templi et populi e Babylone restitutionem, quo idem olim ex Ægypto, eiusque servitute liberatus est. Ita Christus eodem die asello vectus, quasi agnus paschalis ingressus est Hierosolymam, Ecclesiam et populum Dei restituturus. Aliter Hebræi: cum enim putent hic notari annum iubilæum, censent pariter primum mensem fuisse septimum. A Tisri enim, id est a mense septimo, incipiebat iubilæum.

QUARTO DECIMO ANNO.) Ab excidio urbis et templi, uti iam exposui.

Mystice, S. Hieron. censet hic significari quatuordecim generationes a David ad Christum, qui templum, id est Ecclesiam, reædificavit.

IN IPSA HAC DIE.) Scilicet decima iam dicta; non autem *ipsa die*, scilicet, qua eversa est Ierusalem, uti S. Gregorius videtur interpretari. Eversa est enim non decima, sed nona die mensis quarti, Ierem. 39. 2.

Manus vocatur prophetia, cur?

FACTA EST SUPER ME MANUS DOMINI.) *Manus*, dicitur hebr. יד *iad*, quasi proiiciendi instrumentum, vel quia emissa et manans a brachio. Radix enim ידה *iada*

significat proiicere, emittere. Manus ergo hic est virtus, potentia, efficacitas, operatio manans a Deo in Ezechielem, id est, spiritus prophetiæ promittens populo libertatem et felicitatem. Vel manus est Spiritus sanctus, qui a Patre Filioque quasi manus et digitus (uti vocatur Exod. 8. 19.) dimanat, q. d. Spiritus Dei, sive Spiritus sanctus rapuit me in spiritu illuc, scilicet in Ierusalem.

Vers 2. In visionibus Dei.) q. d Rapuit me non corporaliter, sed mentaliter per visionem, eamque sublimem, mirabilem et divinam. Theodoret. το *Dei* explicat, q. d. In similitudinem Dei. Sicut enim Deus ut in aliquo loco operetur, non seipsum illo transfert, sed efficacitatem spiritus sui omnia permeantis ibi ostendit, et exserit: ita et mens Prophetarum uno loco cum corpore substantialiter existens, alio et alio per visiones vi spiritus rapiebatur. Habet enim spiritus noster quamdam quasi immensitatem participatam a Dei spiritu; ut, sicut hic substantialiter ubique præsens est, sic noster intellectualiter ubique præsentem quasi se sistat. Hoc est quod ait Christus Ioan. 3. 8. *Spiritus ubi vult spirat; et nescis unde veniat, aut quo vadat*, q. d. Non intelligis, o Nicodeme, quomodo tua mens et spiritus sua cogitatione discurrat nunc per Europam, nunc per Asiam, nunc per aerem, nunc per cælos, nunc per inferos, ibique quasi præsentem se sistat, ac mox transvolet: non cognoscis hos discursus et volatus animæ tuæ, quomodo in momento eat et redeat, ac totum oberret mundum: mirum ergo non est, quod non capias vim et operationem Spiritus sancti, qua facit ut vetus homo renascatur, totusque renovetur in baptismo: ita Fernand. visione 23. sect. 1.

Et dimisit me super montem.) Moria, ubi ædificatum olim, et iam rursum reædificandum erat templum. Templum ergo erat in monte sublimi, tum quia ipsum civitatis erat quasi caput; tum quia ipsum erat quasi cælum terrenum, in quo sacerdotes et Israelitæ erant quasi astra. Ita Pineda l. 5. de Rebus Salom. c. 5.

Super montem excelsum nimis.) Super Sion.

Super quem erat quasi ædificium civitatis.) Scilicet ipsa urbs Ierusalem, ait Lyran. vel potius ipsum templum: ad hoc enim inductus est Ezechiel: ita Fernand. vision. 18. sect. 5.

Templum vocatur civitas, cur? Nota: Templum erat quasi civitas, quia undique cinctum erat muris et portis; atria habebat, quasi plateas; gazophylacia, quasi domos. Unde angelus ostendit ei quasi ædificium civitatis, id est, quasi civitatem ædificatam, aut quia adhuc ædificabatur, iuxta viri, qui ædificationi præerat, dimensiones, ut sequitur. Ait ergo, *quasi;* quia nondum nova urbs, aut potius templum, de quo agit, erat ædificatum: sed solum prima eius apparebant lineamenta, et ichnographia. Dicit autem, *Vergentis ad Austrum:* quia venienti Ezechieli, ab Aquilone, scilicet e Babylone, Iudæa et templum erant ad Austrum. Ita Apollinar. Sic templum et monasterium regium S. Laurentii iuxta Matritum, S. Benedicti Cassinense, Fuldense, aliaque plura sunt instar urbium.

Montis symbola. Symbolice, significatur hac fabrica in monte Ecclesia super montem, id est altissime, ædificata a Christo Matth. 5. 14. de qua Isaias cap. 2. 1. *Erit*, etc. *mons in vertice montium.* Unde S. Chrysost. in Matth. 5. ait montem esse insigne divinæ potentiæ, quæ vi sua divina Ecclesiam sustinet, ut portæ inferi ei prævalere non possint.

Secundo, S. Greg. hic, Quem, inquit, significat mons excelsus nimis, nisi Christum, qui de terra quidem, sed ultra terram est? Nam caro eius de imis habet materiam, sed in summis potestate præeminet. Voce ergo *nimis*, altitudo divinitatis incomprehensibilis exprimitur. Homo enim ultra homines, at ultra angelos etiam Deus inventus est. Unde Isaiæ 2. dicitur esse in vertice montium: quia quantumvis Sancti in Christo profecerint, Christi vestigia vix tangere poterunt ex vertice cogitationum. Christus ergo est quasi divinus Atlas, qui instar montis molem Ecclesiæ sustinet, eamque facit dæmonibus invictam et inaccessam, ac hominibus conspicuam, totique orbi illustrem.

Tropol. Rupert. Monte, inquit, significatur eminentia conversationis fidelium, quia nostra conversatio in cælis est. Unde Tertull. lib. 3. contra Marcion. in fine: *Quid*, ait, *nos Dominus civitati supra montem constitutæ comparavit, si non extamus inter demersos?* q. d. Si non eminemus infidelibus, quos terrena conversatio demergit?

Et ecce vir.) Scilicet angelus habens formam viri: isque vel Michael, templi et Ecclesiæ præses, vel Gabriel, de quo Dan. 9. 21. Vers. 3.

Allegorice, S. Gregor. et S. Hieron. Vir hic, inquiunt, est Christus, qui novæ Ecclesiæ partes describit, distribuit, ædificat, æque ac veteris fuit quasi custos, quando inde eiecit vendentes et ementes, et non permisit vas per templum transferri. Unde stat in porta: *Quia per ipsum ad Patrem ingredimur, et sine ipso civitatem Dei intrare non possumus. Stat ergo in porta, ut dignos suscipiat, indignos abiiciat. In porta quoque iudicium est,* ait S. Hier. significat ergo iudiciariam Christi potestatem. Denique *stat in porta*, quia læto hilarique vultu omnes venientes excipit, ducit, et in Ecclesiam introducit.

Quasi species æris.) Scilicet politi et splendentis. Significatur pulchritudo, et fortitudo angelorum, de quo c. 1. v. 7. *Æs enim*, ait S. Hieron. *cunctis metallis vocalius est, et tinnitu longe resonat. Unde et in Daniele cap.* 2. *in imagine quæ erat ex auro, argento, ære ferroque compacta regnum Alexandri atque Græcorum in æris similitudine demonstratur, ut Græcæ linguæ eloquentia signaretur.* Additque, æs significare *adhuc eos indigere doctrina, qui templi spiritaliter ædificandi necdum plene novere mysteria.* Aliter Alcazar in Apoc. 11. v. 1. p. 560. *Æs, inquit, significat fortitudinem Christi, qua calamum, sive virgam, id est passionem, et crucem sex cubitorum, id est magnam et ingentem, fortissime toleravit: atque per hanc erexit atque dimensus est fabricam templi, id est Ecclesiæ suæ.* Æs significat robur et pulchritudinem angelorum.

Funiculus lineus.) Septuag. *funiculus cæmentariorum*, quo scilicet, ait Greg. exploretur æqualitas vel rectitudo surgentis parietis, ut si lapis intus est, foris educatur; si nimis exterius prominet, interius revocetur.

Mystice, cæmentarii sunt angeli, vel Apostoli: hi enim ædificant templum, id est, Ecclesiam Dei, ait S. Hieron.

Calamus.) Hebr. קנה *kane*, id est, canna mensoria. Similis visio est Zachar. 2. 1. et Apoc. 21. 15. in fabrica novæ et cælestis Ierusalem.

Mystice, S. Hieron. *Calamus est gratia prophetalis, de qua psal. 44. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*

Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique.) q. d. Visus sum mihi videre domum et murum extra illam per circuitum. Domus hæc non erat ipse mons, ut vult R. David, sed templum, quod iam inchoabatur: aut spatium, in quo paulo post templum idem architectus delineat. Porro murus hic, sive peribolus erat tertius, et extimus, qui totum claudebat templi ædificium: scilicet, ambiebat atrium Gentium, ac consequenter atrium Iudæorum, quod erat medium, et atrium sacerdotum, quod erat intimum. S. Hieronymus mystice hunc murum refert ad fabricam Ecclesiæ, et ad cryptas Martyrum Romæ: *Dum essem*, inquit, *Romæ, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris eiusdem ætatis et propositi, diebus Dominicis sepulcra Apostolorum et Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossa ex utraque parte ingredientium, per parietes habent corpora sepultorum: et ita obscura sunt omnia, ut prope illud Prophetæ compleatur, Descendant ad infernum viventes; et raro desuper lumen admissum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen dimissi luminis putes: rursumque pedetentim acceditur, et cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur:* S. Hier. visitabat cryptas Martyrum Romæ.

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Hoc mihi dictum sit, ut prudens lector intelligat, quam habeam sententiam super explanatione templi Dei in Ezechiele, de quo scriptum est: Tenebræ latibulum eius.

Nota: Tribus muris circumdatum erat templum. Primus murus erat periboli extimi; hic hoc v. 5. describitur; secundus atrii exterioris; tertius atrii interioris. Primus murus, qui omnia templi ædificia et atria complectebatur, significat Dei custodiam quæ ambit totam Ecclesiam, iuxta illud psal. 124. 2. *Dominus in circuitu populi sui*, ideoque, ut præcessit, *non commovebitur in æternum qui habitat in Ierusalem.* Secundus murus significat custodiam angelorum, de quibus ibidem dicitur: *Montes in circuitu eius. Montes*, id est angeli, ait ibidem S. August. qui montana proceritate sanctitatis, ut ait S. Hieron. ambiunt Ecclesiam. Tertius murus repræsentat custodiam sacerdotum, ac Prælatorum Ecclesiæ, de quo dicitur Ezech. 13. 5. *Non opposuistis murum pro domo Israel.* Per hos tres muros ad templum ibatur tribus portis, ad tres orbis plagas spectantibus, scilicet Orientem, Septentrionem et Austrum: quo significatur, a tribus præcipue partibus homines venturos ad Ecclesiam, nimirum ab Asia quæ est ad Orientem, ab Africa quæ est ad Austrum, ab Europa quæ est ad Septentrionem respectu Asiæ et Africæ. Tres portæ in singulis muris sibi obversæ, significant tres gradus venientium ad fidem, incipientium, proficientium, perfectorum, quos per tria sponsi oscula significari, pulchre docet S. Bernard. serm. 4. in Cant. Ita Anton. Fernand. visione 18. sect. 8.

Calamus mensuræ sex cubitorum.) Hebr. *sex cubitorum in cubito*, id est, certo, iusto ac vero cubito, q. d. Sex cubitorum iustæ mensuræ.

Et palmo.) Non quasi eo manu teneretur calamus, ut vult Richard. Victor. Sed palmus hic est pars mensuræ, ut patet ex verbis, et ex ipsa dimensione quæ sequitur. Palmus, qui græce dicitur παλαιστὴ, ait S. Hieronym. est sexta pars cubiti, puta, quaterni manus digiti iuncti. Differt ergo palmus a palma, quæ græce dicitur σπιθαμὴ, estque spatium, quod extensa manu diductisque digitis, interiacet inter ultimum pollicis et extremum minimi digiti. Porro Hebræi, et ex eis Maldon. sic interpretantur: *sex cubitorum et palmo*, id est, sex cubitorum, et sex insuper palmorum; sex cubitorum, et uno amplius palmo addito ad singulos cubitos, q. d. Sex cubitorum sacrorum. Nam cubitus communis continebat quinque palmos, sacer sex, ut tradunt Hebræa. Hebr. enim est, *sex cubitorum in cubito, et palmo*, id est, sex cubitorum ex cubitis, quorum unusquisque continet communem cubitum, et palmum. Sic et Septuag. ac Chaldæus. Favet id, quod dicitur cap. 43. 13. *Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum.* Cubitum enim verissimum vocat cubitum sacrum, qui communes cubitos uno palmo superabat. Calamus ergo mensorius, quem angelus hic manu tenebat quasi architectus, habebat sex cubitos sacros, septem vero communes et unum insuper palmum. Ita S. Hieron. Vatablus, Maldonatus, Hebræi, et Alcazar tract. de mensuris propos. 9. *Sex cubitorum et palmo, id est*, inquit, *sex cubitorum, non quorumcumque, sed eorum, qui vulgarem cubitum superant uno palmo.* Vilalpando tamen hic part. 2. lib. 3. c. 12. contendit hunc calamum fuisse sex cubitorum, et unius palmi tantum; sed sic potius dicendum fuisset, *et palmi*, non *et palmo*, uti urget Alcazar. Porro ruente hac calami Vilalpandi mensura, ruit pariter magna pars dimensionum eius in templo, quæ calamo hoc mensuratur.

(Palmus et palma qui differant. — Calamus sacer erat sex cubitorum sacrorum.)

Tropologice, S. Greg. *Sex*, ait, *cubiti sunt vita activa, quia sexto die perfecit Deus opera sua. Palmus vero, qui super sex cubitos est, iam de septimo est, ipse tamen cubitus non est, significat vitam contemplativam, quæ quasi in sabbato quietem agit in Dei contemplatione.*

Rupertus vero per sex cubitos, et palmum qui septimus est, accipit septem dona Spiritus sancti. *Palmus*, ait, *est sapientia, quasi quiescentium merces, reliqua sex operantium sunt instrumenta.*

Vers. 5. Et mensus est latitudinem, altitudinem quoque calamo uno.) Id est, calamo uno mensus est omnes ædificii partes non pluribus, ait H. Pintus. Secundo et melius, ex Septuag. q. d. Tam latitudo, quam altitudo huius extimi muri, de quo v. 5. erat unius calami: erat enim reliquis muris inferior. Hinc a Sept. vocatur προτείχισμα, id est antemurale, et peribolus, id est, ambitus, vallum, septum. Itaque latitudo et altitudo muri extimi erat æqualis, sex nimirum cubitorum, id est, triginta sex palmorum, ait Maldon.

Tropologice, S. Gregor. *Tam latitudo, quam altitudo muri sunt calami unius; quia quæque anima quam lata fuerit in amore proximi, tantum et alta erit in cognitione Dei. Dum enim se per amorem iuxta dilatat, per cognitionem superius exaltat.* Et S. Hieron. *Calamus*, ait, *habens sex cubita, et palmum unum, significat Deo notam esse conversationem nostram, quæ in sex diebus in quibus mundus factus est, continetur. Et notam esse rationem operum singulorum, ut aliud ad opera pertineat, aliud ad mentem: unde et latitudo æqua est altitudini, quorum latitudo ad opera, uti diximus, altitudo refertur ad animum qui ad alta festinat.* (Tropol. latitudinis et altitudinis æqualium.)

Et venit ad portam, quæ respiciebat viam Orientalem.) Id est, ad portam atrii Israel, eamque Orientalem, utpote nobilissimam, per quam rex intrabat, et qua sola cernebatur gratissima Sancti, et Sancti sanctorum facies. Facies enim domus, ait cap. 47. 1. respiciebat ad Orientem. Vers. 6.

Petes, Cur non metitur prius ipsum atrium Gentium, quod erat omnium extimum?

Respondeo, Quia proprie metitur hic templum et atrium populi Dei, id est Iudæorum, non Gentium. Mystica causa est, ut significet ad Ecclesiam Christi Gentiles innumerabiles venturos, quasi atrium hoc eos non capiat, sitque quasi immensum. Unde de ea dicitur psal. 35. 7. *Homines et iumenta salvabis Domine*, ut ibidem explicat S. August.

Ascendit per gradus eius.) Hinc sequitur, aream atrii Israel fuisse altiorem atrio Gentium: alioqui enim eo non oportuisset per gradus ascendere. Sic atrium sacerdotum altius erat atrio Israel, id est, populi, sive laicorum Iudæorum. Septuag. addunt fuisse septem gradus, idque patet ex v. 22. et tot erant ad alias portas: ex atrio ergo Gentium ad atrium Israel ascendebatur septem gradibus. Inde ad atrium sacerdotum gradus erant octo, ut patet v. 31. inde ad Sanctum erant gradus decem. Erant ergo 25. gradus ab atrio Gentium usque ad Sanctum: sed usque ad atrium sacerdotum erant quindecim, in quibus decantabant quindecim psalmos graduum, sive Graduales, ut tradunt Hebræi, S. Hieron. et alii. (Psalmi 15. graduales unde dicti.)

Et mensus est limen.) Hebr. סף *saph* tam limen superius et inferius, quam duos postes, qui ex duobus lateribus portam efficiunt, significat: unde Aquila vertit πρόθυρον, noster *limen*, R. David *postes*. Sed eadem videtur fuisse postium et liminum crassities: ex uno ergo alterum intellige.

Id est limen unum calamo uno in latitudine.) Subaudi consequenter, *et limen alterum calamo uno in latitudine*, id est, ut Vatabl. tam unus postis portæ, qui erat ad Austrum, quam alter, qui erat ad Aquilonem, crassus erat uno calamo: erat enim æque crassus ac murus, cuius crassitudo erat calami, ut patet v. 5. Itaque uterque postis latus erat triginta sex palmos.

Et thalamum.) Id est, unumquemque thalamum. Sex enim erant, tres ex una parte portæ, et tres ex altera, ut patet v. 12. Porro thalami hic vocantur parva cubicula, in quibus templi custodes habitabant, qualia nunc in portis urbium conspicimus. Hæc enim hebr. vocantur תאים *taim*, a radice תאה *taa*, id est, designare, definire, circumscribere, q. d. Conclave sua mensura designatum et circumscriptum: quia hi talami postibus terminabantur et fulciebantur, unde eiusdem cum iis erant mensuræ: et quantum hi thalami a thalamo, tantum postes unius a postibus alterius distabant. Iam Hebr. *taim* retinentes Septuag. vertunt, θεεὶμ, quod librarii corruperunt θεὲ. Erant ergo thalami ad portam cubicula ianitorum, scilicet Levitarum, ut impuros, et alios, quibus fas non erat ingredi, templo arcerent. Symmachus vertit, παραστάδες, id est, postes ex utraque parte. Vers 7

Et inter thalamos quinque cubitos.) Id est, inter unum cubiculum et alterum intererat murus quinque cubitorum. Ita Chald.

Vers. 8. Limen portæ iuxta vestibulum portæ intrinsecus.) Id est, porta interior habebat limen mensuræ calami, æque ut exterior, v. 6. Erant ergo duæ portæ quadrato epistylio tectæ, et coniunctæ, uti portæ urbium fornice iunguntur. Itaque vestibulum hoc fuit intra duas portas: duabus enim portis intercipiebatur. Et in hoc vestibulo erant sex thalami, id est, cubicula ianitorum, puta Levitarum qui custodiebant portas, scilicet tria ab uno latere, et tria ex altero: quorum eadem erat mensura, scilicet unius calami in longum, et alterius in latum, ut dicitur v. 7. Porro vestibulum vocatur pars illa ante domum, quæ pervia relinquitur, de qua Vitruvius lib. 6. c. 10. Dicitur vestibulum, ait Gellius lib. 16. cap. 5. quasi venientium statio, aut stabulum: aut, ut Servius, quod vestiat ianuam, quasi camera duabus sustentata columnis; vel quia Vestæ consecratum est. Unde novæ sponsæ olim limen non tangebant. Hinc Lucanus lib. 2.

Vestibulum quid, et unde dictum.

Translata vetuit contingere limina planta.

Hebr. vestibulum vocatur אולם *ulam*, a radice אלם *alam*, id est, colligavit, q. d. Vinculum, colligatio, nexus postium, id videlicet omne, quo postes desuper vinciuntur, sive fornix sit, sive rectæ trabes, sive tectum. Hinc non raro significat ipsam postium et fornicum seriem, quin et spatium sub fornice relictum, atque alias ipsos postes, sive fornice, sive muro, sive alio modo iunctos. Ita Vilalp. Hinc et Symmachus vertit, *propylæum*, id est locus ante domum, puta ante domus portam. S. Hieron. vocat *tectum atrium*. Talia vestibula videmus Romæ in omnibus pene basilicis.

Iam in ipso vestibulo, imo in porta transversim ad latera faciebant veteres cubicula pro ianitoribus et famulis, teste Vitruvio libr. 6. cap. 10. Unde et talia erant in hoc Ezechielis templo, sive atrio. Hinc Græcis vocantur ϑυρωρεῖον, id est, ianitoris locus.

Vestibulum erat cæli symbolum.

Denique vestibulum hoc erat cæli symbolum: hoc enim est quod ait Iosephus lib. 6. Belli cap. 6. *Neque fores habebat: cælum enim undique conspicuum, lateque patens significabat.* Ut horum ideam concipias, scito templum, id est Sanctum, et Sanctum sanctorum situm fuisse ad Occidentem: ante se habebat atrium, primo sacerdotum, deinde laicorum. Ingressus ergo et portæ utriusque atrii erant ex ternis lateribus, puta versus tres mundi plagas, scilicet ad Orientem, ad Aquilonem, et ad Meridiem (Iudæi itaque orantes, conversi ad templum spectabant Occidentem, non Orientem, uti Christiani) erant ergo tres portæ in atrio sacerdotum iuxta tria latera, et tres mundi plagas; et totidem in atrio laicorum prioribus directe obversæ, et respondentes. In singulis erant tres thalami, id est, cubicula ianitorum a parte dextra, et totidem a sinistra. Hæ portæ habebant sua vestibula: de hisce omnibus sigillatim hic agitur. Vide ichnographiam templi, atriorum, porticuum, portarum, thalamorum et vestibulorum apud Vilalpandum figura nona.

Mystice, porticus significant subsidia, et quasi umbracula, quibus Deus fovet et tegit laborantes in opere virtutum. Exedræ, sive gazophylacia in quibus thesauri domus Dei servantur, et sacerdotes hebdomadarii manent, significant, per hæc Dei præsidia, et per hanc protectionem esse in nobis, conservarique thesauros gratiæ atque virtutum et donorum, magis quam per nostram industriam; et per eadem effici, ut nos Deo ministremus, et ei per pœnitentiam et bona opera sacrificium cordis contriti et humiliati offeramus: ita Ribera lib. 1. de templo c. 25.

Vers. 9. Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum.) Dices, Quomodo vestibulum potuit esse octo cubitos longum, cum thalamus in medio eius positus longus fuerit unum calamum, id est sex cubitos, ut superius dictum est? Resp. Vilalp. postes vestibulum, id est eius fornicem, sustinentes, a sese invicem distabant cubitis octo: thalami vero inter postes medii tantum habebant calamum, sive sex cubitos longitudinis: quia duos fere cubitos occupabant postes, eorumque ornamenta, puta stylobatæ, et spirarum proiecturæ.

Et frontem eius.) Per *frontem* multi intelligunt appendicem, quæ ex porta superne extabat ad arcendam pluviam. Alii, ut Maldon. per frontem intelligunt postes, id est, turres in quibus cochlea erat, qua gradatim ascendebatur, et fenestellæ, ut dicitur v. 16. murus ergo turris cochleam circumcingens, spissus erat duos cubitos. Optime Vilalp. per frontem accipit columnas, seu potius semicolumnas vestibuli. Has ait fuisse duorum cubitorum in latitudine sive crassitie.

Tropol. frontes sunt viri eminentes et fortes, qui palam intrepide docent ea quæ sunt salutis, uti Apostoli, Martyres et Doctores. Rursum frons seu facies Ecclesiæ, est charitas. Ex hac enim illa, eiusque decor agnoscitur, uti docet Cyrill. Alexand. explicans illud Christi: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem,* Ioan. 13. 35.

Frontes vestibuli qui Tropologice.

Et mensus est latitudinem liminis portæ.) Id est, latitudinem vestibuli dicti, quod erat inter duas ianuas, quod habebat suas trabes quasi limina, quæ vestibulum, id est spatium inter portas, operiebant. Hæc ergo vestibuli latitudo erat decem cubitorum. Nam, ut recte docet Vilalp. mensus est angelus latitudinem eius spatii quod reliquum est inter semicolumnas, quæ a postibus thalamorum exstabant, ac reperit ibi decem cubitos: latitudo enim liminis portæ, quam aliqui putarunt hoc loco angelum metiri, dimensa iam fuerat octo cubitis. Cum enim in limine portæ triplicem liceat observare dimensionem: latitudinem, id est crassitudinem, muri, quæ erat unius calami, ut dixit: et longitudinem, quantum nimirum postis distabat a poste, quæ erat octo cubitorum: et altitudinem, quam paulo post dicet tredecim fuisse cubitorum; nihil superest in limine portæ decem cubitis metiendum. Quapropter ultra parietem exteriorem ingressum fuisse angelum dicere cogimur, et utroque pariete dimisso, spatium quod Græci ϑυρωρεῖον vocant, mensum fuisse iuxta latitudinem, a meridie ad Aquilonem, ac reperiisse decem cubitos. Vers. 11.

Et longitudinem, id est altitudinem, portæ tredecim cubitorum.) Ita Lyran. et Vilalpando.

Et marginem.) Hebr. גבול *ghebul*, id est, terminum. Vers. 12.
Alii putant sic vocari sedile, quod ante thalamos erat; alii spatium ad ambulandum; Maldon. et alii melius per terminum accipiunt spatium, quod erat inter portam et unum ordinem thalamorum, id est cubiculorum, una ex parte muro adhærentium, et alterum ex altera, quod unius cubiti fuisse dicit.

Et cubitus unus finis utrinque.) *Finis*, id est terminus, q. d. Cubitus unus utrinque terminabat thalamos, id est, cubicula, eaque ab invicem separabat. Terminum hunc, sive marginem clare in ichnographia spectandum exhibet Vilalpando.

Thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde.) Scilicet tres hinc, tres inde, id est, tres ex una parte, et tres ex altera.

Mystice S. Hieron. *Hoc*, ait, *significat quod tam litera quam spiritus, et utraque intelligentia et historiæ et tropologiæ ad Trinitatis sacramenta pertineant.*

Et mensus est portam.) *Portam* vocat non solum Vers. 13.
introitum, ut v. 11. sed introitum, et totum ædificium, quod porta ornabat, ait Maldon. in quo et ipsa porta, et thalamorum latitudo continebatur: quod totum ædificium a tecto unius thalami, id est ab extremitate unius cubiculi usque ad extremitatem ultimam alterius cubiculi e regione respondentis, viginti quinque cubitorum fuisse asserit. Nam quisque thalamus habebat sex cubitos. Itaque uterque thalamus, scilicet unus ex una, et alter ex altera parte illi illiusque portæ oppositus, habebat duodecim cubitos. Porta vero habebat decem, et margo ac terminus utrinque duos simul, ut dixit vers. 11. et 12. qui omnes iuncti faciunt cubitos 24. Videtur autem tectum thalamorum eminuisse tribus palmis, id est dimidio cubito. Itaque in duobus thalamis est unus cubitus, suntque univer-

sim cubiti viginti quinque. Sic et Vilalp. c. 21. *Hæc*, ait, *mensura thalamos, frontes, et introitum portæ iam ante dimensa complectitur; eius tamen per partes dimensio alia est a iam dicta, uti eodem capite est videre.* Sensus ergo est, q. d. A tecto thalami, quod est ad Aquilonem portæ, ad tectum thalami, quod est in Meridie, id est, ut sequitur, latitudinem, sive transversam distantiam unius lateris tecti ab altero, mensus est 25. cubitorum.

Ostium contra ostium.) Id est, ducendo mensuram per vel supra ostium unius thalami ad ostium alterius, quod ex adverso per rectam lineam illi opponitur: sicut videmus in monasteriis monachorum cubicula et ostia esse disposita, et sibi invicem ex adverso opposita. Ita Lyranus.

Vers. 14. Et fecit frontes.) *Fecit*, id est metiendo designavit, ipsaque mensura ostendit frontes fuisse altitudinis sexaginta cubitorum. Frontes vocat columnas, sive postes et limina. Ita R. Salomon, Vatabl. Isidorus Clarius, et Vilalp. Tales columnarum frontes videmus hic Romæ in magnifica S. Petri basilica Vaticani, quæ vere est orbis miraculum, et novum novi Salomonis templum, in quo et ipsissimæ templi Salomonici columnæ visuntur. Alii per frontes cubicula intelligunt, de quibus sequenti cap. v. 1. Erant enim circum templum cubicula eiusdem longitudinis cum templo: templum autem longum erat sexaginta cubitis. Unde Symmachus vertit, παραστάτας, id est, circumstantias; Aquila vero κρίωμα, id est frontem, uti et noster interpres. Porro S. Hieron. hæc sic explicat. *Puto autem*, inquit, *inter murum templi exstrinsecus per circuitum, et ipsam ædem in atrio, hoc est in medio, quædam fuisse propter ornatum posita, quæ Symmachus interpretatur circumstantias, id est, stantia quædam, et terræ solo erecta in sublime, et hæc sexaginta cubitorum obtinere spatium. Rursumque egredientibus de porta interiori ad faciem vestibuli, quod respiciebat portam exteriorem, quinquaginta cubitos obtinuisse locum: in quibus fenestræ erant obliquæ, quas Septuag. absconditas, Symmachus τοξικὰς vocat. Et hæ fenestræ erant in thalamis, hoc est, in cubiculis singulis, et porticibus; quæ ante cubicula tendebantur, obtinentes cubitos quinquaginta. Quæ fenestræ obliquæ, sive τοξικαι, idcirco a sagittis vocabulum perceperunt, quod instar sagittarum angustum in ædes lumen immittant, et intrinsecus dilatentur: omniaque per circuitum plena erant huiuscemodi fenestris. Et ante frontes, inquit, porticuum pictura, sive cælatura palmarum: per quæ ostenditur in introitu portæ, statimque ingredientibus murum, sexaginta occurrere cubita cum variis ornamentis.* Deinde has parastases, thalamos, et fenestras obliquas ita mystice interpretatur: *Hæc*, ait, *referuntur ad conditionem mundi, ut ex creaturis creator intelligatur, et omnia ordine et ratione currentia, ostendant mundi varietatem: qui apud Græcos κοσμος ab ornatu nomen accepit, et in sex diebus factus est, ut per singulos dies decades singulæ supputentur, quem perfectum numerum supra diximus. Post hæc ingredientibus nobis atrium interius, occurrunt ante ipsum vestibulum portæ interioris thalami cum obliquis fenestris, quinquaginta cubitorum tenentes spatium; qui et ipse sacratus est numerus. Et post septem hebdomadas plenus festivitatis et gaudii, ogdoadis prima incipit dies, quæ est resurrectionis, et introducit nos ad viciniam templi. Cum enim omnia fecerimus, agentes prioris erroris pœnitentiam, tunc vicini et proximi efficimur Deo: ut in exteriori atrio, notitiam creatoris creaturarum ordo nos doceat atque constantia: et in interiori, verus iubilæus, in quo omnia nobis debita dimittuntur, instruat θεολογιαν, et introducat ad Sancta sanctorum. Notandum quoque, quod interius atrium plures fenestras habeat non directas et æquales, sed obliquas, et angustas exterius, et se intrinsecus dilatantes; ut per parva quædam foramina possimus ad interiora penetrare, et ad clarissimi luminis, quod versatur in templo, plenitudinem pervenire. Denique post sexaginta et quinquaginta cubitos, et thalamos, et porticus, et frontes porticuum, fenestras plurimas per circuitum, palmarum nobis cælatura vel pictura monstratur, ut de mundo victo-*

Allegor. thalamorum ex S. Hier.

A *riam possidentes, digni efficiamur plagas* (puto legendum *palmas*) *videre virtutum.*

Et ad frontem atrium portæ undique per circuitum.) q. d. Æquali fronte, id est, altitudine columnarum cinctum erat undique atrium, id est, par mensura columnarum ordinibus erat, atrium cingentibus.

Ante faciem.) Id est, ab ante faciem, id est, a facie anteriori portæ, usque ad faciem interiorem alterius portæ vestibuli, totum interiectum spatium erat cubitorum 50. quos ita computat Maldonat. Inter unam, et alteram portam erant terni hinc inde thalami, quorum quisque sex cubitorum erat, ut dictum est v. 7. Ter sex sunt octodecim. Inter thalamum et thalamum erat spatium quinque cubitorum, et erant quatuor talia spatia: quater quinque sunt viginti, quos si addas prioribus octodecim, efficies triginta octo. Rursum, utraque porta habebat limen latum sex cubitos, ut dixit v. 6. hi geminati faciunt duodecim: qui si addantur triginta octo, efficient quinquaginta. Aliter eos computat Vilalp. cap. 23. sed obscurius, et B iuxta suam calami mensuram, in qua ab aliis passim dissentit, ut dixi v. 5. Vers. 15.

Et fenestras obliquas.) De his nonnulla paulo ante dixi ex S. Hieron. plura dicam c. 41. 26. Vers. 16.

Et eduxit me.) Id est, et portam quidem egressum induxit me in atrii exterioris Orientalem aream subdialem; quam ingressus animadverti eam porticibus undique cinctam fuisse, tessellatis pavimentis affabre elaboratis, quibus gazophylacia imminebant in singulis intercolumniis singula, erantque omnia circumcirca triginta. Unde patet, τὸ *per circuitum*, ad gazophylacia, non ad pavimentum referendum esse. Non enim sensus est, pavimentum fuisse stratum per circuitum; sed gazophylacia fuisse per circuitum atrii, uti statim explicatur. Vers. 17.

Gazophylacium.) Est exedra, id est, locus ubi considetur, vel ubi residet et quiescit homo: ita Pollux l. 1. 4. Scilicet erant hæc cubicula, ubi quiescebant et se recipiebant sacerdotes et Levitæ, resque et supellectilem, opesC que templi reponebant. Unde vocatur gazophylacium, et pastophorium, ut dixi initio capitis. Ita S. Hieron. Ribera, Vilalpando, Maldon. et alii. Porro *ante gazophylacia erant porticus, et in frontibus porticuum columnæ per ordinem porticus sustinentes*, ait S. Hieron.

Tropol. gazophylacium Ecclesiæ est traditio patrum. Rursum gazophylacia sunt memoriæ Sanctorum, in quibus thesauri cælestium asservantur, de quibus dicitur psal. 144. 7. *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* Tale passionis Christi gazophylacium erat memoria sponsæ Cant. 1. 12. dicentis: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Hanc imitatus S. Bernard. ibidem fatetur, se a puero fasciculum passionum Christi collegisse, et in mente recondidisse.

Pavimentum stratum lapide in atrio.) Hebr. רצפה *ritspa* significat prunas, et pavimentum stratum lapide prunas referente, id est, lapide porphyretico. Hoc ergo durissimo, expolitissimo et pretiosissimo lapide stratum D videtur fuisse pavimentum atrii (uti eodem, aliisque æque pretiosis lapidibus stratum videmus Romæ pavimentum templi S. Agnetis, aliaque nonnulla: in templo enim Salomonis nihil videri poterat præter cedrum, aurum, argentum, et marmor, lapidesque pretiosos) de quo S. Hieron. *Pavimentum*, inquit, *quod stratum erat lapidibus, et ante porticus atrii tendebatur, inferius erat in ascensione porticuum, et eamdem habebat longitudinem, quam thalamorum ædificatio possidebat.* Quod deinde mystice explicans: *Pavimentum*, ait, *stratum erat lapide, ne luto, et terra, et pulvere peccatorum habitantium polluerentur vestigia, sed ut super vivos incederent lapides, quibus ædificatur templum Dei.* Eodem modo, sed clarius, Vilalp. hunc versum explicat.

In fronte portarum.) Hebr. *ad latus portarum.* Portas intelligit non gazophylaciorum, sed ipsius atrii exterioris, sive laicorum, quæ duæ erant, quibus ex atrio exteriori in atrium interius ingressus erat, ad quas portas Vers. 18.

per gradus ascendebatur: quia cum templum esset in monte, ad omnes portas et vestibuli et atrii per gradus ascendendum erat. Hoc est quod dicit, *secundum longitudinem portarum erat inferius*, id est, tanta erat pavimenti inferioris porta, quanta erat altitudo graduum, quibus ad portam ascendebatur. Hanc enim altitudinem, longitudinem portarum vocat, ut supra v. 11. ait Maldon. Melius S. Gregor. homil. 18. et Vilalp. longitudinem hic non pro altitudine, sed proprie sumunt, sensumque dant, q. d. Latitudo porticuum, quæ utrinque procurrebat a lateribus portarum, erat 50. cubitorum, quanta nimirum erat longitudo portarum. Harum vero porticuum longe maior erat longitudo, scilicet quingentorum cubitorum. Complebant enim totam latitudinem atrii Israelis. Metitur hic atrium exterius, sive atrium Israelis, puta laicorum, per partes, puta per areas varias, quæ a porta una usque ad aliam interiacebant: quæ areæ erant quasi parva atria, et porticus totius atrii, et porticus Israelis, quod erat ingens et vastum, utpote capax totius populi.

Vers. 19. Et mensus est latitudinem: *latitudinem* vocat aream, sive spatium: qua enim alia ratione ad Orientem, et ad Aquilonem latitudinem posset metiri? aream, inquam, quæ erat, vel intercurrebat a facie portæ interioris, id est a principio portæ Orientalis (quam mensus est v. 6.) quod extrinsecus prospiciebat: hanc enim vocat faciem portæ. Inferiorem autem nuncupat respectu portæ atrii secundi, quæ erat superior, uti et ipsum eius atrium. Nam a primo atrio ad secundum per octo gradus ascendebatur.

Usque ad frontem atrii inferioris, id est, usque ad frontem, sive initium atrii sacerdotum, extrinsecus.) q. d. Mensus est extra atrium interius spatium, quod erat inter illud et primam portam Orientalem, et invenit eius latitudinem, id est, spatium et capacitatem, puta tam eius *longitudinem*, quæ spectatur ab Occidente *ad Orientem*, quam *latitudinem* proprie dictam, quæ spectatur a Meridie *ad Aquilonem*, esse centum cubitorum. Erat ergo spatium hoc atrii non quadrangulum, sed quadratum omnibus suis lateribus et costis par et æquale. Ita Lyran. et Maldon. et Vilalp. qui hunc v. 19. paraphrastice ita explicat: *Et mensus est latitudinem Orientalis areæ atrii exterioris, a facie portæ exterioris nuper dimensæ, usque ad frontem atrii interioris, centum cubitis ab Oriente ad Occidentem, ac longitudinem totidem a Meridie ad Aquilonem: vel mensus est aream subdialem inter exteriorem et interiorem portam iacentem, exclusis portis, latitudinis et longitudinis centum cubitorum.*

Vers. 20. Portam quoque.) q. d. Angelus me ex porta Orientali, quam hactenus mihi ostendit, et dimensus est, deduxit ad portam Aquilonarem eiusdem atrii exterioris, et mensus est singularum eius partium longitudinem et latitudinem, invenitque illud per omnia Orientali esse simile et æquale, ut tribus versibus sequentibus, eadem quæ de Orientali dixerat, iterando enarrat. Transit enim hic ad dimensionem portæ aquilonaris, sub qua et eius vestibulum, et thalamos adiunctos comprehendit.

Vers 23. Et portæ atrii interioris.) Id est, his duabus portis atrii exterioris, Orientali et Aquilonari, quas delineavi, respondebant ex adverso aliæ duæ portæ in atrio interiori. Idemque de aliis portis intelligendum est. Ita Maldon.

Vers. 24 Ad viam Australem.) Dimetitur hic portam Australem eodem plane modo, quo reliquas iam dictas. Omittit hic dimensionem portæ Occidentalis, quia in atrium exterius tribus tantum portis extrinsecus erat ingressus. Nam quarta porta quæ erat ad Occidentem, communis erat atrii, exterioris, et interioris, qua ab uno in aliud transibatur.

Vers. 28. Et introduxit me in atrium interius.) Transit a dimensione atrii exterioris, sive laicorum, quod dicebatur atrium Israelis, ad dimensionem atrii interioris, sive sacerdotum, illudque dimetitur eadem figura et mensura, qua exterius, usque ad v. 32.

Vers. 29. Thalamum eius.) Hebr. תאו *taav*, id est thalamos

A eius: ita Septuag. plures enim erant, ut patet ex v. 10.

Et vestibulum.) Hebr. אלמו *elammav*, id est *vestibula eius per gyrum longitudine vigintiquinque cubitorum, et latitudine quinque cubitorum*: ita Romana, Hebræa, S. Hier. Vatabl. et alii passim. Male ergo Vilalp. legit, *quinquaginta cubitos longitudinis, et latitudinis vigintiquinque cubitos.* Dices: Vestibula omnia erant æqualia; atqui cætera erant longa 50. cubitos, lata 25. ergo et hoc. Resp. S. Hieron. *Hanc ambiguitatem tollit illud quod sequitur: Et vestibulum eius ad atrium exterius, et palmas eius in fronte, ut scilicet hoc atrium quod habebat in longitudine vigintiquinque cubitos, et in latitudine quinque, non interioris, sed exterioris atrii sit, ut prioris atrii longitudinem, id est vigintiquinque cubitos, exterioris atrii possideat longitudo, et in latitudine quinque cubitos teneat.* Vers. 30.

Secundo, Mald. אלמים *elammim*, vel אלמות *ulamot*, inquit, id est vestibula, vocantur illa quatuor spatia vacua, quæ inter thalamos magni vestibuli erant, quorum unumquodque quinque habebat cubitos latitudinis,
B ut dixit v. 7. longitudinis autem 25. hæc enim erat latitudo magni vestibuli. Vocat autem hic vestibulum spatium, quod constabat ex duobus oppositis collibus, qui inter thalamos erant, alter ex una, alter ex altera parte, et præterea ex spatio vacuo magni vestibuli.

Symbol. quid significent hæ mensuræ et numeri, puta 25. 50. 60. 100. etc. vide apud Riberam l. 1. de Templo c. 20. ac apud Petrum Bongum Bergomatem lib. de Numerorum mysteriis, quo singulorum numerorum in S. Script. celebrium symbola et significationes fuse persequitur.

Et introduxit me in atrium interius.) Non in aliud, sed in illud idem atrium sacerdotum, quod interius appellatur, sed per aliam portam, ait Maldon. Vers. 32.

Thalamum eius et frontem eius.) Hebr. *thalamos et frontes eius*, uti et v. 29. et v. 36. Vers. 33.

Et introduxit me ad portam.) Septemtrionalem eiusdem atrii. Nota: Quidquid in una porta mensuratur, id aliis omnibus est commune: ita Vilalp. Vers. 35.

C Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum: ibi lavabant holocaustum.) Id est, ad sena, (tot enim erant) thalamorum ostia, quæ erant inter frontes interiores portarum, lavabantur holocausta: ita Vilalpando, q. d. Singuli thalami, sive gazophylacia habebant sua ostia, per quæ ex atrio victimæ immolandæ in illa inferebantur, ut in ipsis earum intestina et carnes lavarentur ante earum oblationem et concremationem. Ad hoc enim extructa erant hæc gazophylacia. Vers. 38.

Et in vestibulo (interiori) portæ, duæ mensæ hinc, et duæ mensæ inde.) Vestibulum portæ vocat, quod portæ eminentia tegitur; quod duplex erat, alterum interius, alterum exterius: in utroque quaternæ erant mensæ, id est, universim octo, ut ait v. 41. q. d. In ipso vestibulo interiori portæ, erant duæ mensæ hinc ad binos postes, et duæ mensæ illinc ad totidem similes postes: super quibus expansæ pecudes iugulabantur in holocaustum, vel pro peccato, vel pro ignorantiæ delicto: ita Vi- Vers. 39.
D lalpando.

Et ad latus exterius, vestibuli, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad Aquilonem.) q. d. Cum primum quis ascensis gradibus, ostium ingreditur vestibuli exterioris per portam Aquilonarem, duæ erant mensæ ab uno latere, et duæ ab altero, id est, universim quatuor, æque ac in interiori vestibulo, ut dixi v. præced. Unde subdit: Vers. 40.

Quatuor mensæ hinc, id est intra portam vestibuli, et quatuor inde.) Scilicet extra portam, ita ut in totum essent octo mensæ, super quibus iugulabantur victimæ. Vers. 41.

Quatuor autem mensæ ad holocaustum, non aliæ, sed eædem iam dictæ. Nam et priores fuisse ad holocausta dixit v. 39. Repetit ergo hasce mensas, ut earum materiam et quantitatem describat, scilicet quod fuerint de lapidibus quadris extructæ, longitudine cubiti unius et dimidii, et latitudine cubiti unius et dimidii, et altitudine cubiti unius.) Quod mystice ex- Vers. 42.

plicans S. Hieron. longitudo, ait, habet cubitum et dimidium, itidem et latitudo, *quæ simul iuncta tres cubitos faciunt: qui tres cubiti habent in altitudine cubitum unum, ut mysteria Trinitatis unius cubiti, hoc est divinæ maiestatis mensura conservet, dicente Domino: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nomen autem Dei, quasi unius altitudinis cubitus est, qui tres complectitur proprietates, et holocausta oblationum nostrarum semper assumit. Super mensas autem ponuntur vasa in quibus immolatur holocaustum Martyrum, de quibus dicitur: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius; et eorum victimæ, qui continentia, et corporis sanctitate animas suas immolant Domino: mensarumque istarum nomina puto in Matthæo, et Luca, et Marco, et Ioanne Apostolis contineri.* Quadratæ mensæ significant firma proposita virtutis conceptæ, et mente destinatæ, de quibus ait S. August. in psalm. 86. *In omni opere bono conquadramini, ad omnes tentationes parati, quidquid impulerit, non vos evertat.* Talis quadratura charitatis Christi erat in Paulo, cum diceret Rom 8. 35. *Quis nos separabit a charitate Christi?* etc. *Certus sum quia neque mors, neque vita,* etc.

Super quas ponant vasa, in quibus (id est, *quibus:* est enim Hebræum *beth*, id est *in*, instrumenti) immolatur holocaustum.) Talia vasa erant cultri, phialæ, quibus sanguis victimarum excipiebatur; acetabula, et scutellæ, quibus thus, simila et sal, quibus aspergenda erat victima, imponebantur, de quibus dixi Exodi 25. 29.

Vers. 43 Et labia earum.) Legit שפתים *sephataim*, per *sin*, id est *labia*, iam legunt *scephataim*, per *scin*, vertuntque *tripodes*, quibus imponuntur ollæ: ita R. David; aut *uncinos ferreos*, quibus suspendi solent carnes: ita Chald. R. Salomon, Pagnin. Pineda lib. 5. de Rebus Salom. c. 10. et Maldon. Unde Vatabl. vertit, *et clavi palmares aptati fuerant in ea domo per circuitum.* Verum melius noster legit per *sin*, vertitque *labia*. Nam ita quoque verterunt Septuag. Iam *labia earum* vocat cymatia mensarum, sive earum additamenta, et ornamenta superiora, quæ idcirco erant reflexa. Hæc enim erant palmi unius: ita Vilalp. Dicuntur cymatia a Græco κῦμα, id est, unda: undæ enim speciem hæc ornamenta habebant.

Vers 44. Et extra portam interiorem, id est, atrii interioris, q. d. Atrium interius ingressus, vidi gazophylacia, id est cubicula, cantorum.) Erant in atrio quolibet tres portæ, præter Occidentalem, qua ingressus erat in sacrarium. Ad singulas hasce tres portas erant decem gazophylacia, id est, cubicula, puta quinque ad unum latus, quinque ad alterum, ita ut universim essent triginta, ut dixit v. 17. In hisce habitabant Levitæ, aliique templi ministri iuxta cuiusque gradum, ordinem et officium. In iis ergo quæ erant ad Aquilonem, dicit habitasse cantores.

Una ex latere portæ.) Hebr. אחד *echad*, id est unus, scilicet ordo cubiculorum, erat versus illud latus portæ Orientalis, quod Aquilonem spectat: alter autem ordo cubiculorum erat versus Occidentem. Hic ergo respiciebat Orientalem portam, ille Occidentalem: ita Mald.

Vers. 45. Hoc est gazophylacium.) Id est, hic est alter cubiculorum ordo qui respicit Aquilonem: hic erit pro habitaculo sacerdotum, qui custodiunt et curant res altaris, puta, qui sacrificant.

Vers. 46. Gazophylacium quod respicit ad viam Aquilonis, sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris.) Hebr. *qui custodiunt altare*, puta ignem altaris perpetuum. Ex quo suas custodias Vestalis ignis per virgines Vestales, quasi Vestæ sacerdotes, mutuata est delusa antiquitas, de quo Virg. Æneid. 4.

Vigilemque sacraverat ignem
Excubias divum æternas.

Isti sunt filii Sadoc.) Qui illustris fuit pontifex tempore Salomonis, primusque in eius templo sacrificavit, et munia sacra obivit, ac Salomonem in regem unxit et consecravit.

Qui accedunt de filiis Levi.) Id est, qui sunt Levitæ, sive posteri Levi, quos Deus sibi elegit ut accedant ad templi ministeria, in eisque ei serviant et ministrent.

Et mensus est atrium (interius) quod interiorem portam egressus paulo ante ingressus fuerat (ait Vilalp.) longitudine centum cubitorum, et latitudine centum.) Erat ergo atrium hoc sacerdotum non quadrangulum, sed quadratum omnibus lateribus isopleuron et æquale. Audi S. Gregorium homil. 22. hoc atrium describentem: *In parte autem superiore* (inquit) *tres portæ descriptæ sunt, id est, Orientis, Austri et Aquilonis: ac deinde porta atrii interioris dicta est, in qua mensæ de quadris lapidibus extructæ memorantur: et porta quæ respiciebat ad Aquilonem, in qua mensæ essent ad sacrificium, non ad holocaustum, etc. Sed his expletis rursus Propheta incipit interiorem portam, atque tres alias, id est Aquilonis, Austri et Orientis, describere, et in earum atrio interiori, quod erat extra portam interiorem, esse gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia perhibet.* Hæc S. Gregor. qui sex dumtaxat portas recensens, tres scilicet exteriores et tres interiores, cum Scriptura plures videatur recensere, easdem repetitas esse docet. Atrium ergo, quod situm erat inter portas tres interiores, nunc metitur angelus, longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum per quadrum. Vers. 47.

Audi et S. Hieron. *Iste autem vir*, inquit, *qui introduxit Ezechielem in atrium interius, et, ut ita loquar, ad Sancta sanctorum, mensus est ipsum atrium, in quo erant duæ exedræ, sive gazophylacia custodum templi, sive altaris habitaculis delegata: et reperit longitudinis et latitudinis per quadrum centenos cubitos; ut sacerdotes ministerio Dei servientes, qui per arctam et angustam viam intraverant, habeant deambulacra latissima, et in perfecto consummatoque virtutum numero commorentur.*

Et altare ante faciem templi.) Templum hic proprie dictum, scilicet sacerdotum, non laicorum accipe, puta Sanctum, et Sanctum sanctorum. Ante Sanctum enim in atrio sacerdotum, sub dio erat altare holocaustorum. Unde de eodem subdit:

Et introduxit me in vestibulum templi.) Transit ab atrio ad domum, puta ad templum; unde hic eius mensuras inchoat a vestibulo, quod Symmachus propylæon, Vitruvius, πρόναον vocat. Erat enim ante fores templi, et superne tectum, ut templo exeuntes ibi degere possent, tutique esse a pluvia, grandine, æstu, etc. qualia vestibula Romæ in plerisque templis videmus. Nota: Inter atrium sacerdotum et templum intererat platea viginti cubitorum, quæ circumquaque templum proxime cingebat, de qua c. 41. v. 10. Post hanc plateam, erat vestibulum, sive porticus templi, plane adhærens templo, eiusque portæ, ut ea aperta statim esset ingressus in templum. De eo hic agitur, ut eo mensurato, incipiat mensurare ipsum templum, uti facit c. seq. Vestibulum hic ergo non aream subdialem, nec atrium sacerdotum, uti alibi; sed ipsa templi adyta, puta locum ante templum superne tectum, ita ut templi ipsius pars et initium esse videatur, significat. In hoc vestibulum, uti et in templum nulli laico, sed solis sacerdotibus fas erat ingredi. In hoc ergo vestibulum nunquam Christus ingressus est, nec Apostoli: quia ipsi non erant sacerdotes Levitici. De vestibulo plura dixi v. 8. ibi enim dimensus est vestibulum atrii, sicut hic dimetitur vestibulum templi. Vers. 48. Mensuræ vestibuli, sive porticus templi.

Et mensus est vestibulum quinque cubitis.) *Vestibulum* hic non accipit totum et integrum: hoc enim fuit longum viginti cubitis, latum undecim, ut sequitur; sed murum quo utrinque claudebatur vestibulum, quod Vilalpando vocat *postem vestibuli;* Chald. et R. David, *frontem vestibuli.* Huius muri utrinque crassitiem hic describit, scilicet quod utrinque fuerit crassus quinque cubitis.

Et latitudinem portæ.) Ita vocat latera post portam, quæ utrinque habebant tres cubitos, id est, universim sex: quos si demas a viginti cubitis, quibus longum erat vestibulum, ut sequitur, remanebunt quatuordecim cubiti, quibus lata erat porta: ita R. David, et Vilalp.

Vers 19. LONGITUDINEM AUTEM VESTIBULI VIGINTI CUBITORUM.) Nota: Latitudo templi erat viginti cubitorum, longitudo autem templi ab Oriente in Occidentem tendebatur: vestibulum autem hoc, sive porticus, situm erat ab Oriente templi, eratque longum cubitos viginti, quanta erat latitudo domus: ita ut ex æquo responderet longitudini vestibuli domus, quod iusta fabricæ proportio exigebat: ita Vilalpando.

Eiusdem mensuræ fuit porticus templi Salomonis, ad cuius ideam facta est hæc fabrica templi Ezechielis. De illa enim sic dicitur 3. Regum 6. 3. *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis.* Sed difficultas est in eo quod ibidem sequitur: *Et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.* Nam hoc Ezechielis dicitur hic non 10. sed 11. habuisse cubitos. Respondet Vilalpando parte 2. lib. 3. cap. 46. fuisse præcise 10. cubitos cum dimidio; unde liberum fuit scriptori vel a minori nominare, ut fecit historicus lib. 3. Reg. decem scribendo; vel a maiori, ut fecit Ezechiel undecim numerando; quoniam æque distabat ab utroque.

Porro altitudo porticus erat centum viginti cubitorum, uti asserit Script. 2. Paral. 3. 4. et Ioseph. l. 8. Antiq. c. 2. Hæc porticus alia fuit ab illa quæ in Evang. vocatur porticus Salomonis, in qua docebat Christus et Apostoli, A Act. 5. 12. de qua vide Vilalp. et Pinedam lib. 5. de Rebus Salom. c. 5. §. 19. In hanc enim soli ingrediebantur sacerdotes Aaronici.

Mystice, longitudo viginti cubitorum significat longanimitatem et patientiam electorum: erat iuxta latitudinem templi, in qua designatur latitudo charitatis: quia quanta est latitudo charitatis, quæ in amicos et in inimicos extenditur, tanta debet esse longanimitas et patientia in operibus pœnitentiæ, et aliarum virtutum, ut tam suavia quam insuavia amplectatur, et nullo tempore desit, nulla difficultate vincatur, iuxta illud: *Patientia opus perfectum habeat:* ita Ribera lib. 1. cap. 20.

ET COLUMNÆ ERANT IN FRONTIBUS.) Similes illis duabus æreis quas fecit Salomon, ac nominavit Booz et Iachin, id est fortitudinem et firmitatem, vel directionem, q. d. Utinam Deus diutissime hoc templum servet, dirigat et confirmet. Porro columnas has singulas in circumferentia fuisse sex cubitorum, in altitudine viginti, coronamenta vero, id est, epistylia, zophoros, coronices, simul sumpta fuisse alta quinque cubitis, docet Vilalpando.

Mystice, hæ duæ columnæ, scilicet una ad dexteram, altera ad sinistram, significant fortitudinem et perseverantiam tam in prosperis quam in adversis. Vide de his columnis dicta 1. Timoth. 3. 15. Porticus symbolum longanimitatis.

EXPOSITIO MYSTICA CAP. XL.

EX S. GREGORIO.

Scripsit S. Gregor. in hoc caput totum librum secundum in Ezechielem, puta ab homilia 13. usque ad 22. et ultimam, homilias decem, in quibus fuse, æque ac pulchre hæc in sensu morali explicat. Contraham verba eius in pauca, sed ita, ut ipsis eius verbis utar; sic ergo ait:

SYNOPSIS HOMILIÆ XIII.

Vers. 1. FACTA EST SUPER ME MANUS DOMINI.) *Manus in visione est virtus in contemplatione.*

Vers. 2. DIMISIT ME SUPER MONTEM EXCELSUM NIMIS.) *Mons hic est Christus, mediator Dei et hominum; excelsus est, quia Deus est et homo: quia etsi de terra est per substantiam humanitatis, incomprehensibilis tamen est ex altitudine divinitatis.*

Ecclesiæ fabrica qualis? SUPER QUEM ERAT QUASI ÆDIFICIUM CIVITATIS VERGENTIS AD AUSTRUM.) *Dicit quasi, quia cor audientium ad spiritualem fabricam mittit, de qua psalm. 121. Ierusalem quæ ædificatur ut civitas. Quia enim illa internæ pacis visio ex Sanctorum civium congregatione construitur, Ierusalem cælestis ut civitas ædificatur. Quæ tamen in hac peregrinationis terra dum flagellis percutitur, tribulationibus tunditur, eius lapides quotidie quadrantur. Et ipsa est civitas, scilicet sancta Ecclesia, quæ regnatura in cælo, adhuc laborat in terra. Cuius civibus Petrus dicit: Et vos tamquam lapides vivi superædificamini. Et Paulus ait: Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Quæ videlicet civitas habet hic in sanctorum moribus magnum iam ædificium suum: In ædificio quippe lapis lapidem portat, quia lapis super lapidem ponitur; et qui portat alterum, portatur ab altero. Sic itaque, sic in S. Ecclesia unusquisque et portat alterum, et portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium charitatis surgat. Hinc enim Paulus admonet dicens: Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. Cuius legis virtutem denuntians ait: Plenitudo legis charitas. Si enim ego vos portare negligo in moribus meis, et vos me tolerare contemnitis in moribus vestris, charitatis ædificium inter nos unde surgit, quos vicaria dilectio per patientiam non coniungit? Omne autem pondus fabricæ fundamentum portat, et ipsum ab aliis non portatur: quia redemptor noster omnia nostra tolerat, sed in ipso malum non fuit, quod tolerari debuisset.*

SUPER MONTEM *ergo, id est super Christum,* ERAT QUA- B SI ÆDIFICIUM CIVITATIS.) *Quia mores et culpas nostras solus ille sustinet, qui Ecclesiæ fabricam portat. Et notandum, quod civitatem* ad Austrum *vergentem vidit. Auster enim est symbolum Spiritus sancti, Aquilo diaboli; quia et ille relaxat in calore, et iste constringit in frigore: de illo dicitur Psalm.* 125. Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in Austro. *Captivitas enim nostra, quæ torporis frigore ad sequendum Deum pigra remanserat, per calorem Spiritus sancti relaxatur, ut currat in amorem Dei. Unde et valido amore succensus contemplator dicebat:* Anima mea exultavit in Domino, delectabitur super salutari suo; *quia inde gaudium in mente conceperat, unde per amorem fortiter ardebat. Prior ergo illa civitas, scilicet Synagoga, in infidelibus suis ad Aquilonem stetit, quæ in frigore perfidiæ duravit. Sancta vero Ecclesia, quia charitatem fidei concepit, per calorem ad Austrum vergit, et quasi calido vento innititur, quia non in sui fiducia, sed in dono spiritualis gratiæ lætatur.* Auster est Spiritus sanctus, Aquilo diabolus.

C ET INTRODUXIT ME ILLUC.) *Cælestis civitatis ædificium ille intrat, qui in sancta Ecclesia bonorum vias imitando considerat: v. g. coniugatus, qui suis rebus contentus est, et quidquid prævalet indigentibus largitur, ac peccata sine quibus quotidiana vita coniugalis duci non potest, flere non negligit. Ille vero iam cuncta quæ mundi sunt deseruit, qui solius contemplationis exercitatione pascitur, spe præmiorum cælestium cum fletibus lætatur, transcendit præsentia, quotidianum cum Domino habere secretum quærit, nulla eius animum prætereuntis mundi cura perturbat, mentem semper in expectatione cælestium gaudiorum dilatat.* Vers. 3.

ET ECCE VIR CUIUS ERAT SPECIES QUASI ÆRIS.) *Ipse signatur in viro, qui figuratur in monte (scilicet Christus) quia et ipse omnia intra S. Ecclesiam iudicando disponit, et ipse eamdem portat, et portando ad cælestia sublevat. Habet speciem æris, quod durabile est, et sonorum; quia formam servi accipiens, fragilitatem nostram carnis humanæ, per resurrectionis suæ gloriam vertit in æternitatem: quia in ea caro facta est iam sine fine durabilis, ac per eam-* Æs symbolum æternitatis beatæ.

dem insonuit omnibus gloria maiestatis suæ; quia Deus mundo innotuit ex carne. Solus enim torcular, ut ait Isaias (cap. 63.) in quo calcatus est, calcavit, qui sua patientia, quam pertulit, passionem vicit.

Camerarii sunt sancti doctores. ET FUNICULUS LINEUS IN MANU EIUS.) *Sept. habent, Funiculus camerariorum. Quid aliud camerarios, quam sanctos doctores accipimus, qui loquendo spiritalia ad cæleste ædificium vivos lapides, id est electorum animas, componunt? Funiculus lineus est prædicatio subtilis, quæ non tantum opera externa, uti lex Iudaica, sed etiam mentem audientis ligat, ne se vel in misera cogitatione dissolvat. Funiculus in manu est prædicatio in operatione: ipse enim ostendit omne quod docuit. Cœpit enim Iesus facere et docere.*

Calamus sunt iudicia Dei. ET CALAMUS MENSURÆ IN MANU EIUS.) *Per hunc calamum occultas esse dispositiones eius agnoscimus. Nam per incomprehensibile eius iudicium, et alter inter mensuram electorum mittitur, et alter foras relinquitur. Redemptor enim noster alios a suis iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit. Potest etiam calamus mensuræ S. Script. pro eo intelligi, quod quisquis hanc legit, in ea semetipsum metitur, quantum in spirituali virtute proficit aut deficit.*

STABAT AUTEM IN PORTA.) *Quia Redemptor noster incarnatus per humanitatem visibilis apparuit, et sese invisibilem per divinitatem servavit. Qui enim in porta stat, ex quadam parte foris, ex quadam vero parte intus videtur. Unde de eo dicitur (Cant. 2.)* En ipse stat post parietem nostrum, quia humanitatis naturam quam assumpsit ostendit et divinitatis naturam humanis oculis occultavit. *Respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos, ut Deus et appareret ex miraculis, et lateret ex passionibus: et homo cerneretur ex passionibus; sed tamen esse ultra hominem ex miraculis agnosceretur. In portæ ergo facie interius, et tergo exterius stetit, cuius oculi ædificium suum semper aspiciunt: quia quantum quisque in virtutibus proficiat indesinenter attendunt. Propheta vero ad portam respicit, quia qui verba Dei audit, semper oculos cordis ponere ad exitum debet, et sine cessatione meditari quomodo a præsente vita exeat, atque ad æterna gaudia pertingat. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

Vers. 4. ET LOCUTUS EST AD ME IDEM VIR.) *Christus enim in ipso quoque passionis suæ tempore, præcepta vitæ discipulis dedit, ut si qui in eum credunt ad portam semper respiciant, et passionem eius sollicita consideratione pensantes, a suo quoque exitu oculos mentis non avertant: quia dum a sacramentis temporalibus transire ad æterna cupimus, quasi iam præsenti vitæ terga dedimus, et cordis faciem in desiderio nostri exitus habemus. Portæ igitur intendit, qui veræ libertatis suæ gaudia conspicit, iamque exire concupiscit, sed adhuc non valet. Ibi enim stamus, ubi oculos mentis figimus. Unde Elias ait:* Vivit Dominus in cuius conspectu sto. *Ibi utique stabat, ubi cor fixerat.*

SYNOPSIS HOMILIÆ XIV.

FILI HOMINIS, VIDE OCULIS TUIS, ET AURIBUS TUIS AUDI.) *Propheta vocatur filius hominis, ut memoretur semper quid sit ex infirmitate, ne extollatur de contemplationis magnitudine. Hinc post contemplationem et compunctionem sæpe sequitur tentatio, quatenus tentatio aggravet, ne contemplatio inflet; et item contemplatio elevet, ne tentatio demergat. Sic mira dispensatione in quodam medio anima libratur, ut neque in bonis superbiat, neque in malis cadat. Unde et per B. Iob dicitur: Et aquas appendit in statera.*

ANNUNTIA OMNIA QUÆ TU VIDES.) *Quia quisquis spiritualia videndo proficit, oportet loquendo etiam hæc aliis propinet.*

Vers. 5. Murus est Christus. ET ECCE MURUS FORINSECUS IN CIRCUITU DOMUS UNDIQUE.) *Murus est Christus, qui nos undique custodiendo circumdat, estque forinsecus: murus enim nobis intus est Deus, murus vero foris est Deus homo; idque in circuitu,*

A *quia qui sursum est firmitas angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominum: qui ut nos perfecte custodiret omnia quæ docuit ostendit, nimirum despicere nos bona transitoria docuit, et mala temporalia non timere. Suscepit mortem, ne mori timeremus: ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse crederemus.*

ET IN MANU VIRI CALAMUS MENSURÆ SEX CUBITORUM ET PALMO.) *Calamus mensuræ est S. Script. quia in ipsa omnem vitæ nostræ actionem metimur, ut videamus quantum proficimus, vel a profectu distamus. Est in manu viri, id est in potestate Christi, qui quod scribi voluit operando complevit. Per sex cubitos quid aliud quam vita activa exprimitur? quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua. Contemplativa significatur per palmum, quia de ca etiam cum cor tendimus, vix parum aliquid attingere valemus. De septimo ergo cubito palmum tangimus, qui in hac vita positi contemplationis intimæ sola initia degustamus; ea ergo hic incipitur, ut in cælesti patria perficiatur.* Sex cubiti sunt vita activa; palmus contemplativa.

ET MENSUS EST LATITUDINEM ÆDIFICII CALAMO UNO,
B ALTITUDINEM QUOQUE CALAMO UNO.) *Primo, Deus qui nec in magnis tenditur, nec in minimis angustiatur, sic de tota Ecclesia loquitur, ac si de una anima loquatur. Latitudo ergo pertinet ad charitatem proximi. Nil enim latius, quam omnes in sinu amoris recipere, et nullas odii angustias sustinere. Altitudo pertinet ad intelligentiam contemplationis. Sed latitudo et altitudo ædificii uno calamo mensuratur: quia unaquæque anima quantum lata fuerit in amore proximi, tantum et alta erit in cognitione Dei. Secundo, altitudo est angelica natura, latitudo humana; quia ista adhuc in imis degit, illa vero in sublimibus permanet. Sed uno calamo mensuratur utraque: quia humilitas hominum quandoque ad æqualitatem perducetur angelorum.*

SYNOPSIS HOMILIÆ XV.

ET VENIT AD PORTAM QUÆ RESPICIEBAT VIAM ORIENTALEM.) *Christus est vir, est et porta. Ipse enim in suis* Vers. 6.
C *membris (fidelibus) est qui intrat, ipse est et caput ad quod intrantia membra perveniunt. Ipse enim nobis est via qui dicit:* Ego sum via, veritas et vita. *Ipse etiam Orientalis via, de qua scriptum est (Zachar. 6.)* Ecce vir, oriens nomen eius. *Porta ergo viam Orientalem respicit; quia illum signat qui nobis iter ad ortum fecit luminis. Potest etiam portæ nomine unusquisque prædicator intelligi: quia quisquis nobis ianuam regni cælestis ore suo aperit, porta est.*

ET ASCENDIT PER GRADUS EIUS.) *Quid sunt gradus portæ nisi merita et incrementa virtutum? de quibus dicitur Psal. 83.* Ambulabunt de virtute in virtutem. *Aliud namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Christus ergo in nobis ascendit: quia tanto ipse sublimior nobis ostenditur, quantum noster animus a rebus infimis separatur.* Gradus sunt incrementa virtutum.

ET MENSUS EST LIMEN PORTÆ CALAMO UNO LATITUDINEM.) *Si porta est Dominus, quis huius portæ limen est, nisi illi antiqui patres, ex quorum progenie Dominus incarnari dignatus est? Quia ergo eorum vitam in unita-*
D *tem fidei, et perfecta operatio, et inchoata contemplatio sublimem reddidit, in uno calamo mensura liminis fuit.* Limen sunt antiqui patres.

ET THALAMUM UNO CALAMO IN LONGUM, ET UNO CALAMO IN LATUM.) *Qui sunt in S. Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ per amorem sponso invisibili iunguntur, ut eius desiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cælestis sponsi visione requiescere? Longitudo ad longanimitatem exspectationis pertinet, et latitudo ad amplitudinem charitatis: quia quantum amorem habuerit ad colligendum proximum, tantum et longanimitatem exhibet ad exspectandum Deum, et patienter portat moras longitudinis: quia se in profectu proximi dilatat amplitudo charitatis: quia quantum lata mens fuerit per amorem, tantum erit et patiens per longanimitatem.* Vers. 7.

ET INTER THALAMOS QUINQUE CUBITOS.) *Quia qui ab exterioribus quinque sensibus adhuc ad intellectum mysti-*

cum non assurgunt, dum inter eos sunt, qui spiritu amoris fervent, velut manentes inter thalamos, in fidei constructione proficiunt, et a mensura cœlestis ædificii disiuncti non sunt: quia vapore charitatis animantur. Hoc est quod Cantic. 3. *dicitur:* Ferculum sibi fecit rex Salomon, etc. ascensum purpureum: *quia maxima multitudo fidelium in exordio nascentis Ecclesiæ, per martyrium pervenit ad regnum. Verum quia nos ascensus purpureus non sumus, hinc media charitate constravit. Habe quippe charitatem, et ibi sine dubio pertines, ubi et columna argentea erigitur, et ascensus purpureus tenetur.*

Vers. 8. Et limen portæ iuxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno.) *Duo limina scilicet exterius et interius, sunt patres veteris, et patres novi testamenti: quia qui Christum prædicare, et in eo sperare meruerunt, cunctis ad eum venientibus aperuerunt aditum fidei: sin per portam accipias S. Scripturam, limen exterius est littera, interius allegoria. Limen ergo calamo uno mensuratur: calamus autem in sex cubitis, et palmo tenditur: quia videlicet in S. Scriptura doctrina perfectæ operationis, et initium superne contemplationis invenitur. Sin vero porta hoc loco unusquisque prædicator accipitur, limen exterius in porta est vita activa, limen vero interius vita contemplativa. Per illam quippe ambulatur in fide, per hanc vero festinatur ad speciem.*

SYNOPSIS HOMILIÆ XVI.

Vers. 9. Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, et frontem eius duobus cubitis: vestibulum autem portæ erat intrinsecus.) *Quid per interius vestibulum, nisi æternæ vitæ latitudo designatur? Ad atrium (id est vestibulum) ergo per portam tenditur, quia ad latitudinem solemnitatis pertingitur ab angustia confessionis. Vestibulum octo cubitis dicitur mensuratum. Ibi enim omnes recipiendi sunt, qui nunc in exercitio operis laborant, et ad æterna gaudia per contemplationis gratiam suspirant: quia septem diebus universum tempus evolvitur. Æterna etenim dies, quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur, octava est. Christus enim sexta feria passus est, sabbato quievit in sepulcro, Dominico die resurrexit a morte. Præsens ergo vita nobis adhuc est sexta feria, quia in doloribus ducitur, et in angustiis cruciatur. Sed sabbato quasi in sepulcro quiescimus; quia requiem animæ post corpus invenimus. Dominico vero die, videlicet a passione tertio, a conditione octavo, iam corpore a morte resurgemus, et in gloria animæ etiam cum carne gaudebimus. Quod ergo mire Salvator noster fecit in se, hoc veraciter significavit in nobis, ut nos dolor in sexta, et requies in septima, et gloria excipiat in octava. Octo itaque cubitis vestibulum mensuratur intrinsecus; quia per lucem, quæ post septem dies sequitur, latitudo nobis æternitatis aperitur.*

Vestibulum est æternæ vitæ latitudo.

Et frontem eius duobus cubitis.) *Frons portæ est boni meritum vitæ præsentis. Frons ergo portæ duobus cubitis mensuratur: quia quisquis hic dilectionem Dei et proximi servare studuerit, ipse ad æternitatis atrium pertingit.*

Vers. 10 Porro thalami portæ ad viam Orientalem, tres hinc, et tres inde, et mensura una trium.) *Primo, thalami iuxta viam Orientalem sunt corda ferventium in amore Dei, q. d. Dum inter veteres et novos patres Dominus incarnari dignatus est, quasi in medio thalamorum via Orientalis apparuit, qui thalami ad veram speciem ex SS. Trinitatis sunt cognitione decorati. Secundo, tres thalami sunt tres virtutes, fides, spes et charitas, q. d. Eadem fides, spes et charitas in antiquis patribus quæ in novis doctoribus fuit. Tertio, tres thalami sunt tres fidelium status, scilicet prædicantium, continentium, coniugatorum (quos repræsentant Noe, Daniel et Iob, uti dixi c. 14) tam qui in veteri, quam qui in novo testamento Deo famulati sunt. Trium una mensura est, quia etsi in eis meritorum magna est diversitas, tamen distantia in fide, in qua tenduntur, non est: vel certe quia in retributione ultima, quamvis eadem dignitas omnibus non sit, una tamen erit omnibus vita beatitudinis. Nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum: quia etsi alter minus, alter amplius exultat, omnes tamen unum gaudium de conditoris sui visione lætificat.*

Tres thalami sunt tres fidelium status.

Et mensura una frontium.) *Quia patres nostri vel prius a veteri, vel nunc a novo testamento venientes in una mediatoris fide conveniunt. Qui pro eo quod charitate pleni sunt, carnem suam abstinentia edomant, corda audientium prædicationis lumine illustrant, signa faciunt, virtutes operantur. Per hoc quod eorum bona nobis foris innotescunt, non immerito huius cœlestis ædificii frontes vocantur.*

Et mensus est latitudinem liminis portæ decem cubitorum, et longitudinem portæ tredecim cubitorum.) *Longitudo portæ altitudo dicitur: latitudo fuit lex veteris, longitudo fuit gratia novi testamenti, q. d. Durus ille Iudæorum populus decalogum solum tenebat in fide, ei serviens in mandatorum latitudine, et legem SS. Trinitatis nesciens: sed per testamentum novum in corde fidelis populi super mandata decalogi, quem verius custodit, cognitio SS. Trinitatis crevit. Quia quanto mundus ad extrema ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur.* Vers. 11.

Et marginem ante thalamos cubiti unius.) *Margo ante thalamos est fides ante ardorem charitatis: quia nisi ea, quæ audis, credideris, ad amorem eorum quæ audieris nullatenus inflammaris. Margo est cubiti unius: quia tunc fides corda audientium in amore copulat, quando per errores et schismata diversa non est, sed in unitate perdurat.* Vers. 12.

Margo est fides.

Et cubitus unus finis utrimque.) *Quia Christus, quem lex prædixit, in carne apparuit, et ipse, quem nunc novum testamentum loquitur, in gloria maiestatis apparebit. Et tunc utrorumque finis erit, cum visus in divinitatis suæ præsentia, omnia quæ sunt prædicta compleverit. Visio enim divinitatis, quæ una est in Patre, Filio, et Spiritu sancto, est quasi visio cubiti unius. Sic et arca Gen.* 6. *id est Ecclesia, quia ad unum hominem (Christum) qui est sine peccato, colligitur, quasi in uno cubito consummatur, ad quem omnes proficiunt qui se esse peccatores noverunt. Cubitus ergo unus finis utrinque est: quia unius Domini et Salvatoris visio in electis suis fidem finit, et charitatem perficit.*

SYNOPSIS HOMILIÆ XVII.

Thalami autem sex cubitorum.) *Palmus hic deest, qui superius in mensura calami dicebatur adesse (calamus enim continebat sex cubitos, et palmum) calamo ergo mensurantur thalami, id est fideles ita in amore perfecti, ut sex cubitos operationis, et palmum contemplationis possideant. Alii palmo carent, id est, contemplari nesciunt. Hi sex cubitos habent, et palmum non habent; quia Deo per amorem iuncti sunt, sed ex contemplationi disiuncti,* hinc et inde, *id est, collecti ex Iudæis, et Gentilibus.*

Thalami sunt fideles in amore perfecti.

Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum eius, latitudinem viginti quinque cubitorum.) Vers. 13.
Porta accipi potest, vel fides, vel Christus, vel S. Scriptura. Habet ergo thalamus tectum, quia Scriptura tota quidem propter nos scripta est, sed non tota intelligitur a nobis, ut ad humilitatem magis, quam ad intelligentiam proficiamus. Cœlestia enim quæ in ea dicuntur, solis supernis cœli civibus patent; in his tamen ad quæ intelligendo pervenimus, dilatari per bonam operationem debemus, ut pertingamus ad latitudinem 25. cubitorum, *quia in exteriore quinque sensuum multiplici operatione (quinque enim multiplicata per semetipsa, id est per quinque, faciunt 25.) probatur et cognoscitur, quæ intrinsecus largitas bonitatis habeatur. Potest et porta aditus regni cœlestis intelligi. Habet nunc thalamus tectum, habet et porta tectum: quia et quanta sit nostra charitas inter Deum et proximum non cognoscitur, et quando de hocce sæculo ad æternæ vitæ requiem introducamur ignoratur. Esse enim nobis conditor noster diem mortis nostræ incognitum voluit, ut, dum sem-*

per ignoratur, semper esse proximus credatur, et tanto quis ferventior sit in operatione, quanto et incertus est de vocatione.

OSTIUM CONTRA OSTIUM.) Quia per aditum fidei aperitur aditus visionis Dei. Secundo, quia anima a cognitione sui ascendens, ac sensus et sensibilia omnia transcendens, tendit ad cognitionem Dei, de quo ait Psaltes Psal. 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me. Anima enim in corpore vita est carnis: Deus vero qui vivificat omnia, vita est animarum.

Vers. 14. ET FECIT FRONTES PER SEXAGINTA CUBITOS, ET AD FRONTEM ATRIUM PORTÆ UNDIQUE PER CIRCUITUM.) Senarius numerus perfectus est, non quia (ut volunt Arithmetici) suo ordine numeratus perficitur, ut cum unus, duo, tres dicuntur, senarius impleatur: vel quia in tribus partibus dividitur, id est sexta, tertia et dimidia, videlicet in uno, duobus et tribus; sed quia sexto die perfecit Deus opera sua Genes. 1. Quoniam vero peccatori homini legem dedit, quæ in decem præceptis scripta est, et sex in decem ducta in sexagenarium surgunt, recte per sexaginta cubitos bonorum operum perfectio designatur. Unde in parabola seminantis Matthæi 13. unum afferebat triginta, et unum sexaginta, et unum centum; scilicet triginta, cum mens perfectionem fidei, quæ est in Trinitate, conceperit: sexaginta, cum bonæ vitæ opera perfecte protulerit; centum, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. Fecit itaque frontes per sexaginta cubitos. Quid enim per sexagenarium numerum, nisi perfectio; quid per frontes ædificii, nisi ipsa opera designantur, quæ exterius videntur? Prædicationis enim verbum tribuere alimenta esurientibus, vestimenta algentibus dare, et pro bono opere patienter adversa tolerare, quid aliud quam frontes sunt ædificii cælestis? Quia pulchritudo operum exteriorum ornat habitaculum Dei, quod adhuc latet intrinsecus. Sed istæ frontes habent atrium undique per circuitum; quia in hoc magna sunt opera, si hæc in mente dilatet amplitudo charitatis, de qua scriptum est Ps. 18. Latum mandatum tuum nimis. Via enim Dei et incipientibus angusta est, ut ait Christus Matth. 7. et proficientibus et amantibus lata fit, ut pro amore eius etiam persecutio placeat, et omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat, dum scit animus se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere, itaque incipit, quod affligitur amare: idque undique per circuitum, ut videlicet homo per omne quod agit, semper se in charitatis amplitudine dilatet, ne hanc aut timor, aut gaudia angustent. Si quis ergo de verbo Dei loquitur, et charitatem quam prædicat in mente non servat, ædificii frontem habet, sed atrium ante frontem non habet. Sic est et qui illatas a proximo contumelias tolerat, sed in mente dolorem tenet, nec amat eum, quem sustinet. Patientia enim vera est, quæ et ipsum amat quem portat, ac lucrari ad tranquillitatem mansuetudinis etiam ipsum, qui male excesserat, quærit. Nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Hoc atrium portæ dicitur, quia in quantum quis amat Deum et proximum, in tantum ad ingressum regni cælestis propinquat; quod licet adhuc contingere non possumus, iam tamen per desiderium intramus.

Atrium ante frontem est charitatis amplitudo.

Vers. 15. ET ANTE FACIEM PORTÆ, QUÆ PERTINGEBAT USQUE AD FACIEM VESTIBULI PORTÆ INTERIORIS, QUINQUAGINTA CUBITOS.) Per locum hunc spes nostra signatur, quæ dum æternam requiem (hanc enim significat numerus quinquagesimus: hic enim est anni iubilæi) quærit, mentem ad vestibulum portæ interioris ducit: signetur ergo per portam fides, per atrium charitas, per locum ducententem ad vestibulum spes; quia per desideria atque suspiria introducit animum ad secreta gaudia quietis.

Vers. 16. ET FENESTRAS OBLIQUAS IN THALAMIS.) Quia exiguum valde est, quod de æternitate mentes contemplantium vident; sed ex ipso exiguo laxatur sinus mentium in augmento fervoris et amoris. Et inde apud se amplæ sunt, unde ad se veritatis lumen, quasi per angustias admittunt.

Fenestræ obliquæ sunt mentes contemplantium

ET IN FRONTIBUS EORUM, QUÆ ERANT INTRA PORTAM UNDIQUE PER CIRCUITUM.) Scilicet erant fenestræ hæ obliquæ: quia quisquis cor intus habet, ipse quoque lumen contemplationis suscipit: dum enim sola visibilia cogitantur, lumen invisibile ad mentem non admittitur. Rursum obliquæ significat contemplationi studentem debere esse humilem. Per obliquas enim fenestras lumen intrat, et fur non intrat: quia qui vere speculatores sunt, semper sensum in humilitate deprimunt, atque ad earum mentes intelligentia contemplationis intrat, sed iactantia elationis non intrat. Et patent itaque fenestræ, et munitæ sunt, idque per circuitum, quia gratiam contemplationis sæpe summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando etiam coniugati percipiunt, ne quis de ea, quasi privato dono glorietur, dum sæpe alter est ditior, quem habere apud se bonum aliquod non putat.

SIMILITER AUTEM ERANT ET IN VESTIBULIS FENESTRÆ PER GYRUM INTRINSECUS.) Fenestræ in vestibulis est donum contemplationis in fidelibus, qui humanis oculis despecti videntur, sed apud se sapientiæ studiis vacant, ad cælestia anhelant, atque in quantum prævalent, quæ sint gaudia æterna considerant. Bene autem dicitur in gyrum, quia sanctorum vitam omniaque circumspiciunt, ut in moribus proficiant.

ET ANTE FRONTES PICTURA PALMARUM.) Quid per palmas, nisi præmia victoriæ designantur? Unde de iis qui in certamine martyrii hostem antiquum vicerant, scriptum est Apoc. 7. Et palmæ in manibus eorum. Palmas quippe in manibus tenere, est victorias in operatione tenuisse. Dicitur autem pictura palmarum, non palmæ; quia sanctos viros aspicimus mira agere, leprosos mundare, dæmones eiicere, futura prædicere. Sed cuncta hæc nondum palmæ sunt, sed pictura palmarum. Nam et hæc aliquando dantur reprobis. Unum vero signum electionis est, soliditas charitatis: mira enim, quæ electi faciunt ex charitate, hæc reprobi student agere per elationem. In hac ergo vita Sanctis non dantur palmæ, sed pictura et ostensio palmarum, quas a Deo accipient in futuro. Ibi enim eis palma erit, ubi iam mortis contentio non erit, cum fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? 1. Cor. 15.

SYNOPSIS HOMILIÆ XVIII.

ET ECCE GAZOPHYLACIA, ET PAVIMENTUM STRATUM LAPIDE IN ATRIO PER CIRCUITUM.) Quia gr. φυλάττειν servare dicitur, et gaza persice divitiæ vocantur, gazophylacium locus appellari solet, in quo divitiæ servantur. Quid itaque per gazophylacia designatur, nisi corda doctorum sapientiæ ac scientiæ divitiis plena? Qui igitur bene vivit, et prudenter prædicat, gazophylacium spiritualis ædificii est: quia ab eius ore cælestes divitiæ dispensantur, iuxta illud Proverb. 22. Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Habent ipsa gazophylacia pavimentum per circuitum, quia eis adhæret ac subiacet humilitas auditorum: quod pavimentum recte stratum lapide in atrio dicitur; quia in latitudinem charitatis vicissim sibi iunctæ sunt animæ fideles: quæ et lapides appellantur pro fortitudine fidei, et stratæ in pavimento sunt in compage humilitatis. Vers. 17. Gazophylacia sunt corda doctorum.

TRIGINTA GAZOPHYLACIA IN CIRCUITU PAVIMENTI.) Denarius significat perfectionem, quia in decem præceptis legis custodia, ac vita activa et contemplativa continentur. Sunt ergo gazophylacia triginta, ut cum denarius ter ducitur, vita et lingua doctoris in fide SS. Trinitatis solidetur. In circuitu pavimenti: Gazophylacia ergo fuerunt inter pavimentum, et vicissim pavimentum, inter gazophylacia. Habet enim pavimentum in circuitu gazophylacia; quia vitam audientium erudit quotidie et custodit lingua doctorum. Sed habent ipsa quoque gazophylacia in circuitu pavimentum; quia sæpe etiam doctorum cor vitiorum tentationibus, elationis, iræ etc. tangitur, sed eis magna custodia est vita venerabilis auditorum: quia erubescunt pulsantibus vitiis non resistere, qui contra vitia alios armaverunt.

ET PAVIMENTUM IN FRONTE PORTARUM, SECUNDUM LONGITUDINEM PORTARUM ERAT INFERIUS.) Quid est, Vers. 18.

quod pavimentum cum portis longum similiter erat, sed æquale non erat, nisi quod longe distat vita populorum a vita docentium? Quia etsi ad regna cœlestia tendentes eamdem longanimitatem spei habent, eadem tamen vivendi studia non habent. Pavimentum enim inferius iacet, ut omnes auditores prædicatores suos longe suis meritis antecedere cognoscant. Rursum, tanto pavimentum iacet inferius, quanto unaquæque porta surgit in altitudinem: quia quanto sanctior est vita doctoris, tanto fit humilior sensus audientis.

Vers. 19. ET MENSUS EST LATITUDINEM A FACIE PORTÆ INFERIORIS, USQUE AD FRONTEM ATRII INTERIORIS EXTRINSECUS, CENTUM CUBITOS AD ORIENTEM ET AD AQUILONEM.) *Porta inferior fides est, atrium vero interius contemplatio: per centenarium magna perfectio designatur. Ait ergo:* Mensus est latitudinem, *etc. quia Redemptor noster quotidie per magistros et doctores, in mensura perfectionis metitur vitam fidelium, vel in specie boni operis per fidem, vel in sanctis desideriis per contemplationem. Centum ergo cubitis mensuratur is, cuius bona operatio recta intentione utitur. Sunt enim qui ab alimentis abstinent, carnem cruciant; sed tamen si palpati fuerint, cognoscuntur quia ad mundi gloriam anhelent. Isti frontem atrii interioris ostendunt, sed per centum cubitos non mensurantur. Porro extrinsecus porta mensuratur, quia per hoc quod videmus, cognoscimus operantis animum et perfectionem, quam non videmus. Cum enim alios conspicimus largiri eleemosynam, afflicto occurrere, oppresso subvenire, nihil in hoc mundo gloriæ quærere, nullis huius mundi compendiis inhiare: atque alios videmus carnem domare, lacrymis insistere, verbis cœlestibus occupari, nihil transitorii honoris appetere, quid aliud debemus, nisi eos perfectos esse credere, sanctos æstimare?*

Frontes centum cubitorum sunt qui rectam intentionem in bonis operibus habent.

AD ORIENTEM ET AD AQUILONEM.) *Id est, ex Iudæis (ibi enim ortus est sol iustitiæ Christus) et ex Gentibus: hi enim fuerunt Aquilo, qui diu perfidiæ suæ frigore torpuerunt. Aut Oriens sunt iusti, Aquilo peccatores, quos Dei misericordia ad pœnitentiam revocat, compunctione et lacrymis lavat, virtutibus ditat, et usque ad perfectionis gloriam sublevat.*

SYNOPSIS HOMILIÆ XIX.

Vers. 20 PORTAM QUOQUE, QUÆ RESPICIEBAT VIAM AQUILONIS ATRII EXTERIORIS, MENSUS EST TAM IN LONGITUDINE QUAM IN LATITUDINE.) *Porta viam Aquilonis respicit, cum prædicator quisque vitam peccatoris (hic enim est ad Aquilonem, quia frigore peccati torpet) agnoscit eique interiora vitæ per verbum prædicationis aperit. Exterius quippe atrium, est vita præsens, in qua omne quod corporaliter agitur, corporaliter etiam videtur, quæ tam in longitudine, quam in latitudine mensuratur; quia cum ad fidem peccator ducitur, necesse est, ut eius doctor consideret, vel quantum in longitudinem spei, vel quantum in latitudinem charitatis ex eius admonitione proficiat. Cum enim conversus quisque æternæ vitæ gaudia longanimiter sperat, proximorum molestias cum charitate tolerat, et ea quæ non habet, concupiscere contemnit, longitudinem et latitudinem porta habet; quia gloria prædicatoris est profectus auditoris.*

Exterius atrium est vita sæcularium.

Vers. 21. ET THALAMOS EIUS TRES HINC, ET TRES INDE.) *Quia omne quod per testamentum novum de Trinitate conditor loquitur, hoc etiam de testamento veteri ostendit. Et cor audientium in amore cœlestis patriæ perficit, ut anima inhærens Deo, quasi sponsa cum sponso in quodam iam thalamo sedeat, atque se a terrenis desideriis funditus avertat. Prædicator ergo cum ad supernam patriam auditorem provocat, et novos patres et veteres anhelasse cœlesti desiderio demonstrat.*

ET FRONTEM ET VESTIBULUM EIUS.) *Porta habet frontem, quia sunt in prædicatoris vita aperta opera, quæ videntur. Hinc et ante frontem vestibulum; quia priusquam bona opera insinuet, prædicat fidem, per quam anima humiliter veniens ad bonorum actuum altitudinem sublevetur.*

QUINQUAGINTA CUBITORUM LONGITUDINEM EIUS.) *Quia*

A *ad quinquagenarium iubilæi, id est ad æternam requiem, pervenire non potest, nisi qui ad eam spem suam modo tendere longanimiter potest.*

ET LATITUDINEM VIGINTIQUINQUE CUBITORUM.) *Cuncta bona opera per quinque sensus exhibentur. Quinarius vero per semetipsum ductus ad 25. pervenit, q. d. Bona opera cum agi cœperint, per fervorem animam ad augmentum excitant, et per semetipsa multiplicantur: unde et latitudinem menti faciunt, ut non sit angusta per teporem, sed expansa in bonis actibus per charitatem. Omnis enim torpor teporis angustia est; omnis vero benignitas charitatis magna latitudo. Nam et si res desunt quæ proximo indigenti præbeantur, ampla est substantia voluntatis bonæ.*

FENESTRÆ AUTEM EIUS, ET VESTIBULUM, ET SCULPTURÆ SECUNDUM MENSURAM PORTÆ, QUÆ RESPICIEBAT AD ORIENTEM.) *Porta ad Aquilonem ea omnia habere perhibetur, quæ porta ad Orientem, fenestras scilicet contemplationis, vestibulum humilitatis, sculpturam bonæ operationis. Innocentes enim habent portam ad Orientem, pœnitentes ad Aquilonem: quia eis etiam post peccati frigus, regni aditus per misericordiam patet.* Vers. 22

B

SEPTEM VERO GRADUUM ERAT ASCENSUS EIUS, ET VESTIBULUM ANTE EAM.) *Quia per septiformem gratiam aditus nobis regni cœlestis aperitur. In mente enim nostra primus ad cœlestia ascensionis gradus est timor Domini, secundus pietas, tertius scientia, quartus fortitudo, quintus consilium, sextus intellectus, septimus sapientia, Isaiæ* 11. *v.* 2. *Vestibulum ante gradus est fides: neque enim quis potest bona agere, nisi prius credat. Per fidem enim homo venit ad opera, sed per opera solidatur in fide.*

Septem gradus sunt septem dona Spiritus sancti.

ET PORTA ATRII INTERIORIS CONTRA *(id est, recte obversa rectaque tendens ad)* PORTAM AQUILONIS ET ORIENTALEM.) *Quia non solum his, qui in innocentia permanent (qui pertinent ad Orientem) sed etiam peccatoribus (quos denotat Aquilo) peccata sua pœnitendo damnantibus aperiuntur interioris atrii gaudia, ut ineffabilia mysteria patriæ cœlestis agnoscant, agnoscendo sitiant, sitiendo currant, currendo perveniant. Hæc æterni gaudii secreta cognoverat, qui dicebat:* Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? *Prædicator Gentium ad hunc aditum regni cœlestis anhelabat, dum dicebat:* Cupio dissolvi, et esse cum Christo. *Quid ergo restat, nisi ut se ad perfectioris vitæ cursum dirigant omnes, qui illa gaudia patriæ cœlestis agnoscunt?* Vers. 23.

Portam interiorem ingrediuntur qui anhelant ad cœlestia.

C

ET MENSUS EST A PORTA USQUE AD PORTAM CENTUM CUBITOS.) *Centenarius, quia decies per denarium ducitur, perfectionem denotat. Is itaque qui aditum atrii interioris videt, profecto necesse est ut per viam perfectionis currat, et a porta inchoationis usque ad consummationis ingressum perveniat. Sunt enim multi qui iam in septem gradibus aditum portæ exterioris intraverunt, per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum providi, per sapientiam maturi; sed adhuc quibusdam necessitatibus obligati, huius mundi curis inserviunt, licet inviti; his vera gaudia quæ cognoverunt, amare non licet tantum, quantum libet: hi plerumque a iugo mundi colla mentis excutiunt, omnia deserunt, terrenæ curæ pondera deponunt, atque ut ad cœleste desiderium latius animi sinum laxent, vitam remotam petunt, et in ea sanctis precibus et sacris meditationibus intenti, quotidiano se fletu afficiunt, et vetustatem cordis igne amoris conflant, atque ad cœleste gaudium accendendo se innovant. Hi plerumque in ipso suo desiderio accensi, exire iam de carne concupiscunt, atque ad vitam præsentem redire post fletum nolunt: sed tamen differuntur, ut dilatus amor ex ipsa sua dilatione proficiat, et ardenti desiderio quasi quod negatur crescat. Quibus sæpe evenit, ut cum se viderint magno cœlestis gratiæ munere compunctos, iam se perfectos existiment, et obedientes putent; sed quia nullus est, qui dura præcipiat, patientes esse se credant; sed quia nemo eos per contumelias et adversitates pulsat. Et plerumque contingit ut spirituale ministerium vel inviti suscipiant, atque ad gubernationem fidelium deducantur. Qui cum magnis tribulationibus fue-*

D

Qui perfectos se putant, tentationibus pulsantur, ut videant se imperfectos.

rint hinc inde pulsati, turbati mente, sese imperfectos inveniunt; qui non pulsati perfectos se esse crediderunt. Qua ex re agitur, ut se ad semetipsos colligant, et apud se opprobrium suæ infirmitatis erubescant, atque ex ipsa sua confusione roborati, contra adversa patientiam opponant, et ex tribulatione proficiant, qui prius in otio ex ipsa sua securitate torpebant. Et veraciter esse tales incipiunt, quales se esse prius inaniter putaverunt. Per quotidiana enim desideria in mente perfici, quasi centum est cubitis interius atrium mensurari.

Vers. 24 et 25. Oriens notat innocentes, Aquilo pœnitentes, Auster ferventes.

Et eduxit me ad viam Australem: et ecce porta quæ respiciebat ad Austrum, etc.) *Cuncta hæc in Orientis et Aquilonis porta iam dicta sunt. Ad Orientem sunt innocentes. Ad Aquilonem pœnitentes. Ad Austrum spiritu ferventes. Rursum porta in Oriente est fides, quia per ipsam lux vera nascitur in mente. Porta ad Aquilonem est spes, quia unusquisque in peccatis positus, si de venia desperaverit, funditus perit; sed per spem misericordiæ reviviscit. Porta ad Meridiem est charitas, quia igne amoris ardet. Tribus igitur portis ad atrium interius tenditur: quia per fidem, spem atque charitatem ad gaudia secreta pervenitur.*

Vers. 26. Et cælatæ palmæ erant, una hinc, et altera inde in fronte eius.) *Qui in vita sua impressa esse sancta opera demonstrant, palmas in fronte cælatas habent: quia quanta illos in posterum victoria sequatur, iam nunc in sanctis suis operibus ostendunt. In Orientis porta est pictura, in Aquilonis vero et Meridiei est cælatura palmarum: quia signum victoriæ, quod inchoantibus ostenditur, hoc in revertentibus atque ferventibus iam solidius et robustius tenetur.*

Pictura palmarum est ostensio coronæ cælestis.

Una hinc, et altera inde.) *A dextro palmam habet is, quem prospera non extollunt: a sinistro, quem adversa non deiiciunt. Quasi ex utraque parte Paulus portabat palmam, cum diceret:* Per arma iustitiæ a dextris, et a sinistris; per gloriam, et ignobilitatem; per infamiam, et bonam famam; ut seductores et veraces; *quia et in adversitate fortis, et in prosperitate humilis permanebat. Ut ergo hinc et inde palma gestetur in fronte, adesse semper nostris mentibus debet, et in adversis fiducia, et in prosperis timor. Hinc est quod idem egregius prædicator dicebat:* Scio et humiliari, scio et abundare. *Quem ergo nec abundantia in superbiam elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia usu, non in affectu possidemus. Ita S. Iob carnis vulneribus iacens, mentis robore stans contra desperationis impulsum reduxit ad memoriam bona quæ egerat:* Oculus, *ait,* fui cæco, et pes claudo, *etc. et qui in prosperitate humilis fuit, revocatis bonis suis ad memoriam, infractus in adversitate permansit. Sic impletur quod scriptum est Eccles.* 11. In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum.

SYNOPSIS HOMILIÆ XX.

Vers. 27. Et porta atrii, etc.) *Cuncta hæc superius exposita sunt. Nam versu sequenti metitur atrium interius ad portam Australem, et v.* 23. *idem ad portam Orientalem, et v.* 35. *idem ad portam Aquilonarem, singula eadem mensura. Prædicatores portæ nobis sunt tam exteriores, quam interiores: quia nos et in primo aditu fidei, spei atque charitatis instituunt: et cum iam proficientibus cælestis regni mysteria prædicant, per subtiliorem sensum nos ad interiora perducunt. Unde et per septem gradus prius ascensus eorum describitur, et postmodum per octo. Septem enim gradus sunt: quia timorem Domini, pietatem, et scientiam, et fortitudinem, et consilium, intellectum, et sapientiam suis auditoribus prædicant. Sed cum iam dimitti præcipiunt, cum nihil in hoc mundo diligi admonent, nil per affectum teneri, vim contemplationis cælestis patriæ intendi, atque in eius suadent mysteriis delectari, gradum addunt, et ad interiora traiiciunt. Iste gradus a Christo ostenditur iuveni præcepta servanti Matthæi* 19. *cum ei dicitur: Adhuc unum tibi deest.* Si vis perfectus esse, vade,

Portæ interiores et exteriores sunt prædicatores.

A vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo: et veni sequere me. *Rursum, per octavum numerum et dies æterni iudicii, et carnis resurrectio designatur. Habent autem interiores portæ vestibula, quæ vigintiquinque cubitis in longitudinem metiuntur. Si enim octo ter ducimus, ad vigintiquatuor perducimus: cui unus additur, ut vigintiquinque teneamus. Auditores enim boni, qui quasi quædam vestibula sunt portarum, æternæ spei longanimitatem tenent, octavum diem in Trinitatis fide sustinent. Quæ Trinitas quia unus est Deus, octo quidem per tria ducunt, sed in unius Dei confessione solidantur. Plana sunt vestibula: quia humilia sunt corda bonorum auditorum. Habent longitudinem, quia in spei perseverant longanimitate. Ergo habent vigintiquinque cubitos in longitudine, quia resurrectionem carnis in octava per Trinitatem credunt, et eamdem Trinitatem unum Deum esse fatentur. Habent quoque quinque cubitos in latitudine, quia per vitam simplicem, quæ quinque sensibus ducitur, circa amorem proximi dilatantur. Intus ergo*
B *sunt in spirituali ædificio per amorem, et quasi foris respiciunt per simplicitatem.*

Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum.) *Gazophylacia sunt corda doctorum, quæ scientiæ divitias servant. Frontes autem portarum sunt opera et verba prædicatorum, in quibus eos foris agnoscimus, quales apud se intrinsecus vivant. Est autem ostium per gazophylacia singula in frontibus portarum: quia unusquisque doctor in corde auditoris intellectum aperit in dictis et operibus patrum.* Vers. 38.

Holocaustum inquinatum quod?

Ibi lavabunt holocaustum.) *Qui se per fidem in conversione sancta Domino devoverunt, holocaustum Domino facti sunt: v. g. quis pro timore Domini patiens esse devovit, nulli convicium pro convicio reddere, omnia æquanimiter tolerare; et tamen cum hunc contumelia ab ore proximi illata percusserit, turbatur, forte aliquid loquitur quod loqui non debuit. Certe iste iam holocaustum est, sed adhuc inquinatum. Fortasse contra illa-*
C *tas contumelias patientiam exhibuit, tacitus permansit: sed tamen contra easdem contumelias, quas portat dolore tangitur, eiusque animus in charitate sauciatur. Hic itaque in cogitatione sua se iudicat, reprehendit semetipsum, quia dolet, nec tamen apud se prævalet obtinere ne doleat. Iam ergo per bonam voluntatem holocaustum est, sed tamen per dolorem quo tangitur, adhuc inquinatum. Alius decrevit indigentibus cuncta tribuere: forte surrexit cogitatio. Unde vives si cuncta dederis? nec tamen desistit tribuere: sed quod lætus dare cœperat, postmodum tristis præbet. Quid huius mens, nisi misericordiæ holocaustum est? sed tamen per tristitiam cogitationis inquinatum. Aut enim deliberare summa non debuit, aut post deliberationem nullo modo dubitare. Alius contempta mundi superbia, ultimum appetit inter homines locum; sed cum subito a proximo se despici agnoscit, dedignatur cur despicitur. Vult quidem esse in loco humili, sed tamen attendi contemptibilis non vult. Hunc iam devotio elevat, sed adhuc infirmitas gravat; holocaustum est, sed inquinatum.*
D *Hi vero cum per verba doctorum dicta Patrum intelligunt, et in quanta culpa iaceant agnoscunt, seque ipsos pœnitentiæ lamentis afficiunt, holocaustum in ostio portarum lavant. Porro sacrificium est, cum quis aliquid Deo vovet, aliquid non vovet; aliquid dat pauperibus, aliquid sibi servat. Holocaustum vero sunt, qui sibi nihil reservant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant. Pinguedo est devotio et compunctio, de quibus Psaltes psalmo* 65. Holocausta medullata offeram tibi. *Qui enim bona operatur, et visioni iam creatoris sui inhiat, atque ad æterna contemplationis gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore, quo accenditur, in fletibus mactat, holocausta Domino medullata dedit. Cum ergo nostro bono operi admistum aliquid malitiæ, vel pravæ delectationis agnoscimus, redeamus ad lacrymas, lavemus holocaustum. Sunt autem quidam, qui in magnis actionibus se Domino devoverunt, atque ad tantam perfectionem perveniunt, ut ab eis nulla unquam difficultate flectantur. Nam quando per sugge-*

Sacrificium sunt qui partem, holocaustum qui totum dant Deo.

Pinguedo est devotio.

stionem caro pulsat, surgere non permittitur: quia vigore iudicii calcatur. In deliberatione quoque patientiæ nec sermo inordinatus ab ore prodit, nec dolor tacitus animum premit: in largitate eleemosynæ nulla inopiæ suspicio tristitiam generat: in deliberatione humilitatis nullus despectus animum mordet. Sed cum iam in his, quæ recte devoverunt, sese fortiter exhibent, priora tamen peccata, quæ ab ipsis ante bonam deliberationem perpetrata sunt, ad memoriam reducunt et plangunt. Hi per vitam quam tenent holocaustum sunt, sed per vitam quam ante tenuerunt, inquinatum. Lavent ergo et ipsi lamentis suum holocaustum. Magnus est enim Creatori nostro ad recipiendos fletus humilium misericordiæ sinus.

SYNOPSIS HOMILIÆ XXI.

Vers. 39. Mensæ binæ sunt charitas Dei et proximi. ET IN VESTIBULO PORTÆ DUÆ MENSÆ HINC, ET DUÆ MENSÆ INDE, ET IMMOLETUR SUPER EAS.) *Binæ mensæ in quibus immolamus bona opera, sunt charitas Dei, et dilectio proximi: quia in dilectione Dei necessario est tenenda fides et vita: in dilectione autem proximi debet summopere patientia et benignitas custodiri. Charitas enim patiens est, benigna est,* etc. 1. *Corinth.* 13. *Patiens scilicet, ut illata a proximis mala æquanimiter portet: benigna, ut sua bona proximis desiderabiliter impendat. Rursum, in veteri lege patribus binæ mensæ erant, doctrina et prophetia: populo vero circumcisio et sacrificium. Erant ad Aquilonem: quia lex sub timore mortis frigida Iudaici populi corda constringit.*

Vers. 41. QUATUOR MENSÆ HINC, ET QUATUOR MENSÆ INDE, PER LATERA PORTÆ.) *Dum enim vita et fides, doctrina et prophetia in bonorum mentibus custoditur, porta nostra, id est intellectus sacri eloquii, quatuor ex latere mensas habet. Cumque in proficientibus populis sancta prædicatio patientiam et benignitatem servat, quæ prius in carnalibus circumcisionem et sacrificium custodiebat, mensæ quoque quatuor quasi ex alio latere monstrantur.*

Vers. 42. QUATUOR AUTEM MENSÆ AB HOLOCAUSTUM, DE LAPIDIBUS QUADRIS EXTRUCTÆ.) *Quia fides et vita, patientia et benignitas de quadris lapidibus extructæ, id est, de vita Sanctorum, in exemplum datæ sunt sequentibus populis, ut iam vestibulum mensas habeat, id est, virtutes vitæ populus teneat, in quibus Deo orationis sacrificium in ara sui cordis incendat. Quisquis enim Sanctus in prosperitate non extollitur, in adversitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus a bono opere non revocatur, lapis quadrus est. Et quasi ex omni latere statum habet, qui casum in qualibet permutatione non habet. Talis lapis quadrus erat, qui dicebat:* Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. *Vultis vitam cognoscere?* Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Vultis patientiam audire?* Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et colaphis cædimur, *etc.* maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus. *Vultis benignitatem cognoscere?* Ego libentissime impendar, et superimpendar pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar.

Lapis quadrus est constans in tentatione.

Rursum, verba sacræ Scripturæ lapides quadri sunt, qui ubique stant: quia ex nullo latere reprehensibilia inveniuntur. Ex his construuntur mensæ ad holocaustum: quia qui Dei verba semper cogitant, semetipsos Domino a carnali vita in cogitatione mactant.

Longitudo est spes, latitudo charitas. LONGITUDINE CUBITI UNIUS ET DIMIDII, ET LATITUDINE CUBITI UNIUS ET DIMIDII.) *Longitudo pertinet ad longanimitatem spei, latitudo ad charitatis amplitudinem. Tendantur ergo in longanimitate spei corda Sanctorum, tendantur in perfectione quam habent cubito uno. Sed quia adhuc plene videre non possunt, ubi spei oculum mittunt, hoc quod super unum cubitum habent, in dimidio cubito recidatur, quatenus in hac vita semper se imperfectos aspiciant, et ardentius ad perfectionem currant. Habent quoque latitudinem cubiti unius et dimidii: quia Sanctorum corda in charitatis amplitudine dilatata, proximum quem vident perfecte diligendo, habent cubitum unum; sed Deum, quem medullitus diligunt et sequuntur, tantum diligere non possunt quantum debent, quia adhuc non valent videre quem diligunt: et mensura amoris minor est, ubi adhuc mensura minor est cognitionis. Super unum ergo cubitum dilectionis proximi habent dimidium dilectionis Dei.*

ALTITUDINE CUBITI UNIUS.) *Quæ est enim altitudo Sanctorum, nisi fides invisibilium? Per fidem enim creditur quod non videtur, atque ideo per hanc iustorum mensa ad altitudinem ducitur, ut cuncta visibilia despiciat in terra, et ea quæ audit invisibilia sequatur in cælo. Sed unum cubitum habet altitudo mensæ, quia unitas est fidei in corde omnium Sanctorum.* Altitudo fides est.

SUPER QUAS PONANT VASA IN QUIBUS IMMOLATUR.) *Quid enim sunt animæ fidelium, nisi vasa sancta, quæ verba pietatis capiunt, ut ex eorum mentibus holocaustum vitæ atque orationis immoletur? Sic de Paulo dixit Christus:* Vas electionis mihi est. *Et pastoribus dicitur:* Mundamini, qui fertis vasa Domini.

HOLOCAUSTUM ET VICTIMA.) *Quia et perfecti (hi enim sunt holocaustum) cum omnia deserunt, totum cor in amore Domini accendunt; et imperfecti (qui sunt victima simplex) sacrificium offerunt quod ex parte devoverunt.*

ET LABIA EORUM PALMI UNIUS, REFLEXA INTRINSECUS PER CIRCUITUM.) *Quid est, quod labia palmo metiuntur, nisi quod in palmo manus tenditur, et sancti patres ac doctores ea prædicant, in quibus auditorum opera tenduntur? Quasi enim manum extendimus, cum opera nostra dilatamus. Doctor ergo dum cor audientis ad bona opera distendit, palmum se habere in labiis ostendit. In palmo digitus maior ac minimus tenditur, quibus magna et minima actio designatur. Sic enim auditor magna opera, quæ audivit et didicit, faciat, ut agere et minima non omittat: sic minimis intentus sit, ut piger in agendis maioribus non sit. Unde per Evangelium Veritas dicit:* Væ vobis Scribæ et Pharisæi; quia decimatis mentam, et anetum, et cyminum, et relinquitis quæ graviora sunt legis, iudicium, misericordiam et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere. Vers. 43.

PALMI UNIUS.) *Quia ex doctorum prædicatione sicut unitas tenetur in fide, ita quoque unitas mentium servari debet in opere, ne per bonum opus, quod alter agit, alter ad discordiæ malum prorumpat. Ita enim bona opera agere debemus, ut per hæc quoque cum his cum quibus vivimus, unanimitatem recte ut possumus, conservemus, id est, non deserendo quod agimus, sed præveniendo bonis persuasionibus malum discordiæ quod timemus.*

REFLEXA INTRINSECUS PER CIRCUITUM.) *Tunc enim mensarum labia intrinsecus reflectuntur, quando doctores ad conscientiam revocant tacita cogitatione omne quod dicunt, quando semetipsos subtiliter perscrutantur, si faciunt omne quod loquuntur: ne si prædicantes bona facere dissimulent, sui vastatores sint, cultores alieni. O doctor, ecce iam mensa es, iam vasa portas, iam in vasis fidelibus pondus holocausti et victimæ sustines; sed intus reflecte labium, id est, ad cor revoca sermonem; audi quæ dicis, operare quod prædicas. Si enim negligis implere quod doces, aliis messem seminas, et ipse a frumenti participatione ieiunas. Doctrina viri per patientiam noscitur: tanto ergo quis doctus ostenditur, quanto patiens fuerit. Nec tamen si quædam sibi deesse videt, a prædicatione conticescat. Sæpe enim quod vivendo nescimus, compulsi loqui doctrinam, loquendo discimus, ut dum de cogitationis nostræ pigritia reatus nascitur in mente, eamdem mentem subito compunctio oborta transverberet, et sua voce excitata evigilet in opere, quæ prius torpebat in otio sine voce.* Reflexum labium est examen operum.

SUPER MENSAS AUTEM CARNES OBLATIONIS.) *Doctores enim sancti, cum pro compunctis peccatoribus atque confitentibus Deo preces fundunt, per hoc, quod ad veniam pro carnali eorum vita postulant, mensæ Domini carnes oblationis portant. Quod quoties agunt, et in hoc pro alienis peccatis interveniunt, sua ante Dei oculos amplius detergunt: quia ea ipsa charitate se iustificant, qua mira pietate pro alienis iniquitatibus se in lamentis mactant. Nec laboriosum debet esse doctori, pro conversis peccatoribus lacrymas fundere, quando et ipse, qui omnia crea-*

vit, homo factus, pro nostris iniquitatibus in cruce sanguinem fudit.

SYNOPSIS HOMILIÆ XXII.

ET ULTIMÆ.

Vers. 44. **Et extra portam interiorem, gazophylacia cantorum in atrio interiori.**) *Atrium hoc interius erat respectu portarum extimarum quibus concludebatur. Idem erat exterius respectu atrii et portarum intimarum. Sancta enim Ecclesia duas vitas habet, unam, qua laborat in terra; aliam, qua remuneratur in cælo: atque in utraque offert sacrificium; hic videlicet sacrificium compunctionis, et illic sacrificium laudis. In utroque autem carnes offeruntur: quia hic oblatio carnis est maceratio corporis, ibi oblatio carnis est in laude Dei gloria resurrectionis. Tunc quippe illic quasi in holocaustum caro offertur, quando in æterna incorruptione permutata, nil contradictionis, nil mortalitatis habuerit: quia tota simul amoris eius ignibus accensa, in laude sine fine permanebit. Quid sunt autem gazophylacia cantorum, nisi sancta desideria amantium? Qui præcepta divina quasi quasdam divitias custodiunt in mente, quas cantando servant: quia mandata Dei non ex timore, sed ex amore perficiunt. Vultis cor iusti quasi cuiusdam cantoris gazophylacium audire?* Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco incolatus mei, *Ps.* 118. *Audi aliud:* Ego enim iam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus index, 2. *ad Timotheum* 4. *Annon hic impletur illud?* Misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine? *Eorum ergo corda, qui adventum iusti iudicis diligunt, gazophylacia cantorum sunt, quia per præsumptionem gratiæ et vitæ, per virtutes sancti desiderii cantant iusti iudicium, quod omnes iniusti pertimescunt. Hæc gazophylacia inter portam Orientis et Aquilonis esse memorantur, atque ad* viam Australem *respicere: quia corda Sanctorum inter fidem et spem posita Australem viam respiciunt, quoniam sanctæ charitatis ignibus inardescunt. Orientis porta viam Aquilonis respicit, cum vita nostra per perceptam fidem, adhuc aliquatenus in frigore culpæ torpescit. In multis enim offendimus omnes. Ergo ad Australem viam facies intendamus, exerceamus nos in ardore charitatis, et ibi tendamus oculos cordis, ubi accendamur ignibus amoris. Annon quasi calore meridiani fervoris ardebat, qui æstuabat dicens:* Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? *Hoc quoque ardore succensus fuerat, qui dicebat:* Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. *Habeant ergo sancta gazophylacia hinc Orientis portam, et inde Aquilonis: quia inter ipsa redemptionis suæ mysteria, quæ sequuntur, et carnales quosdam, quos et intra sanctam Ecclesiam tolerant, multi in Deum forti amore proficiunt, virtutibus excrescunt, æterni iudicis adventum quærunt, et inter ea quæ amant, atque ea quæ tolerant, quasi quædam gazophylacia divitias spiritus in mente servant. Nec inter Sacramenta quæ diligunt, et quæ iam contraria portant, deficiunt, quia ad Australem viam facies intendunt. Quid enim patimur, quod patres nostri pro amore Domini antea non pertulerunt? Rursum per portam ad Aquilonem accipi potest Gentilitas, per portam ad Austrum Iudæa, per Orientalem portam Christus, cuius nomen est Oriens, q. d. Una est via et illis qui ab Austro sunt, et his qui ab Aquilonis porta respiciunt: quia electis Iudæis et Gentibus Dominus ac Redemptor noster expulsa pæna formidinis, ad Patrem factus est iter amoris, atque adiutorium perventionis.*

Gazophylacia cantorum sunt desideria amantium.

Vers. 45. **Hoc est gazophylacium, quod respicit viam Meridianam; sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi.**) *Qui sunt sacerdotes, qui templum Dei custodiunt, nisi qui orando, prædicando, spiritalibus actibus vigilando, sanctam Ecclesiam a malignorum spirituum immissionibus, a pravorum suasionibus, ab hæreticorum erroribus defendunt? Annon custos templi fuerat, qui labores passionis suæ enumerans dicit:* In labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, *etc.* Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum? *Laborat, luget, esurit, sitit, alget, ieiunat, vigilat, et tamen vigilando de Ecclesiarum omnium sollicitudine cogitat. Ne quis in perfidiam, ne quis in superbiam, ne quis in rapinam, vel immunditiam labatur, exquirere atque compescere, hoc est templum Dei, id est Ecclesiam, custodire. Sunt autem minoris ordinis sacerdotes,* qui excubant ad ministerium altaris, *v.* 46. *qui videlicet in adiutorio maiorum peccata delinquentium subtiliter investigant, et vitam carnalium corrigunt, atque ad lamenta pœnitentiæ perducunt. Ab his quasi in altari iam caro incenditur, ut in conspectu Dei inde sacrificium redoleat, unde prius culpa displicebat. Porro gazophylacium sacerdotum maioris ordinis, qui excubant in custodiis templi, solum respicit* viam Meridianam: *quia hi solis studiis spiritalibus occupati, semper his, quæ amoris Dei sunt, sollicite intendunt. Sacerdotes autem minoris ordinis, qui discutiendis peccatis delinquentium præsunt, etiam* ad viam Aquilonis *oculos reflectunt, ut in mentibus peccantium, quæ sint opera frigoris videant, et hæc verbis correptionis usque ad pœnitentiæ gemitus perducentes, quasi carnes in altari Domini incendant. Respiciunt etiam cum magnis sacerdotibus ad Meridianam viam: quia quantum ad semetipsos est, fervent igne charitatis, et succensi sunt flammis amoris Dei.*

Custodes templi sunt zelosi.

Vers. 46. **Isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum, ut ministrent ei.**) *Sadoc latine dicitur iustus. Quis autem iustus est, nisi ipse cui dicitur:* Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum? *Qui vero sunt filii iusti, nisi hi, de quibus scriptum est:* Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri? *Levi autem interpretatur assumptus. Quis autem assumptus est, nisi populus fidelis qui per Sacramenta fidei est a perfidis segregatus? Omnes ergo, qui perseverantes spiritalibus actibus intendunt, filii sunt iusti. Et de filiis populi assumpti accedunt ad Dominum, ut ministrent ei: quia de ipsis fidelibus eliguntur, qui ad Dei ministerium veniant, et cælestibus studiis pro eruditione populi intendant. Sed qui sunt, qui Domino ministrant? De quibus Dominus per Psalmistam dicit Psal.* 100. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. *Habet enim maculam in via, qui in bono opere, quod agit, terrenæ gloriæ sibi præmium proponit, quia speciem boni operis fœdat per maculam pravæ intentionis. Fortasse quis disciplinæ studio intentus, culpas delinquentium resecat: qui tamen si ad hoc non Dei amore, sed zelo proprio ducitur, sibi in his, et non Domino ministrat. Alius ne asper esse videatur, multa leniter tolerat, quæ prave perpetrantur. Iste itaque quia videri pro Domino districtus non vult, per lenitatis suæ studium sibi, et non Domino ministrat. Restat ergo ut, sive in Dei ministerio fatigemur, sive indigentibus nostra largiamur, sive per abstinentiam carnem domemus, sive zelo moveamur, sive per patientiam aliquando leniter prava toleremus, nos summopere debeamus intentionem nostram discutere, quatenus omne quod facimus, non nostro, sed Dei zelo faciamus, ne in his quæ agimus, nobis potius quam Domino ministremus. Nam, ut ait Paulus:* Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. *Idem vero Paulus cum coelectis fratribus, non sibi ministrare, sed Domino, et vivendo et moriendo festinabat, dicens:* Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domini sumus. *Sibi enim sancti nec vivunt, nec moriuntur. Sibi non vivunt, quia per omne quod agunt ad lucra spiritalia anhelant: atque orando, prædicando, sanctis operibus insistendo, cælestis patriæ cives multiplicare desiderant. Sibi minime moriuntur, quia in conspectu hominum Deum sua morte glorificant, ad quem pervenire etiam moriendo festinant.*

Filii Sadoc sunt fideles iusti.

Non Domino, sed sibi ministrantes qui?

Et mensus est atrium longitudine centum cubi- Vers. 47.

Centum cubiti atrii significant perfectionem fidelium.

TORUM, ET LATITUDINE CENTUM CUBITORUM PER QUADRUM.) *Quid est atrium spiritalis ædificii, nisi amplitudo fidelium populorum? Ipsa autem longanimitas spei, et latitudo charitatis vacua in cordibus fidelium non est. Nam per fidem, quidquid valet, operatur. Si ergo in vita fidelium iuxta quemdam modum, per singulos perfecta est longanimitas spei, perfecta latitudo charitatis, perfecta certitudo fidei, perfectum studium operationis, atrium templi per quadrum centum cubitos habet. Centenarius enim symbolum est perfectionis. Metiantur ergo fideles populi virtutes in quadrum: quia quisque tantum credit, quantum sperat et amat: et tantum operatur, quantum credit, amat et sperat. Quia itaque S. Ecclesiæ populi multi sunt, et robusti per fidem, et longanimes per spem, et ampli per charitatem, et efficaces per operationem, atrium templi centum cubitis in quadro mensuratur. Rursum quadrum fidelium sunt prudentia, iustitia, fortitudo, et temperantia; quæ ita in quadro esse debent, ut una aliam non excedat. Magna quippe est prudentia, sed si minus est a voluptatibus temperans, si vincitur delectatione, si minus in periculis fortis, si minus in operationibus iusta, profecto minus est prudens. Magna est temperantia, sed si minus intelligit unde se temperat, si adversa sustinere per fortitudinem minus valet, atque in timore animum deiicit, si per præceptionem suam aliquando ad iniustitiæ opera prorumpit, minus est temperans. Idem est de fortitudine, et de iustitia. Mensuretur ergo vita perfectorum per quadrum: et tantum habeat spiritalis ædificii latus unum, quantum latera singula: quia quisque tantum prudens est, quantum temperans; et tantum est iustus, quantum prudens, temperans et fortis fuerit.*

Quadrum virtutum cardinalium quale?

Altare holocaustorum est mens vacantium mortificationi.

ET ALTARE ANTE FACIEM TEMPLI.) *Quid est templum, nisi fidelis populus? Quid altare Dei, nisi mens bene viventium? ubi ex compunctione ignis ardet, et caro consumitur. Altare ergo ante faciem templi est, cum multi in sanctæ Ecclesiæ conspectu sunt propositi, qui æterni iudicii memores, semetipsos quotidie Deo sacrificium in lamento compunctionis mactant; quia corpora castigant, quatenus illud magistri Gentium impleant:* Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. *Hostia quippe occiditur, ut offeratur: sed hostia vivens est corpus Domino afflictum: quod et hostia dicitur, et vivens; quia vivit in virtutibus, et est a vitiis occisum: vivit ergo, quia cuncta quæ prævalet bona operatur. Duo erant altaria; unum aureum ante arcam, alterum æneum in atrio. In hoc cremantur carnes, in isto incenduntur aromata: quia duo sunt compunctionis genera. Alii enim per timorem, peccatorum suorum memores, dum supplicia æterna* A *pertimescunt, carnalia opera plangunt, et quotidianis se lacrymis affligunt. Alii vero a carnalibus vitiis liberi, aut longis iam fletibus securi, amoris flamma in compunctionis lacrymis inardescunt, cœlestis patriæ præmia cordis oculis aspiciunt, supernis iam civibus interesse concupiscunt. Dura eis apparet servitus longitudo peregrinationis suæ. Regem in decore suo videre desiderant, et flere quotidie ex eius amore non cessant. Quid isti, nisi altare sunt aureum? Est hoc altare ante arcam, eiusque velum; quia Sanctorum corda, quæ cum magnis virtutibus in Dei amore succensa sunt, per sanctum desiderium in illo ardent, quem adhuc revelata facie videre non possunt. Arca enim intra velum, est Redemptor noster in cœlo. Talis erat sponsa, de qua dicitur Cant.* 3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? *Nam S. Ecclesia* B *dum ab hoc mundo in sanctis precibus ardenti amore se erigit per desertum quod deserit, ascendit. Fumus ex aromatibus est compunctio orationis concepta ex virtutibus amoris: quæ tamen oratio virgula fumi dicitur, quia dum sola cœlestia postulat, sic recta progreditur, ut ad terrena petenda minime reflectatur; nec virga, sed virgula nuncupatur: quia interdum in compunctionis ardore tantæ subtilitatis est vis amoris, ut hanc nec ipse animus possit comprehendere. Myrrhæ et thuris sacrificium offerunt, qui et carnem affligunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, et redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt, seque ipsos Deo in sanctis virtutibus exhibent.* Pulvis pigmentarii *est virtus bene operantis. Nemo autem me reprehendat, si post hanc locutionem cessavero; quia, sicut cernitis, undique gladiis circumfusi sumus. Alii detruncatis manibus ad nos redeunt, alii captivi,* C *alii interempti nuntiantur. Iam cogor linguam ab expositione retinere: quia tædet animam meam vitæ meæ. Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. Quid ergo restat, nisi ut inter flagella, quæ ex nostris iniquitatibus patimur, cum lacrymis gratias agamus? Sit itaque gloria omnipotenti Domino nostro Iesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

Altare thymiamatis est mens suspirans ad cælum.

Huc usque sanctus Gregorius pene ad verbum.

Hic ergo ipse ob clades Longobardorum et imminentem ab eis Romæ obsidionem ingemiscens, manum de tabula tulit, ac calamum et linguam stitit.

Aliam magis particularem, magisque distinctam et distributam singularum templi partium explicationem afferam ex Lyrano in fine cap. 42.

CAPUT QUADRAGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Cap. præced. Angelus dimensus fuit atrium interius et exterius, nunc ingressus templum, illud dimetitur, puta Sanctum v. 1. et Sanctum sanctorum v. 3. et 4. mox v. 5. et seq. thalamos, id est, cubicula templo adhærentia, eorumque cochleam, plateam, oratorium, ethecas, limina et fenestras dimetitur. Denique v. 18. docet templo insculptos fuisse Cherubim et palmas; ac v. 22. altare incensi, et templi ostia describit. Mystice in hisce omnibus templi ornamentis Ecclesiæ ordinem, pulchritudinem, hierarchiam, et Sacramenta delineat et depingit. Templum Græci vocant ναον, *atrium sive vestibulum* προναον, *q. d. antetemplum: ita Vitruvius lib. 3. c. 1.*

Porro hic par est caligo, et obscuritas eadem quæ fuit cap. præcedenti. Unde S. Hieron. initio cap. 42. Volueram, *ait*, de desperatione, et magnitudine rei præsens testimonium silentio præterire, sed melius arbitratus sum, quodcumque dicere, quam omnino nihil dicere; Sacraticum illud assumens: Scio quod nescio. Pars enim scientiæ est scire quod nescis. *Idem ibidem in prœmio:* Quamobrem tibi filia Eustochium, quæ nostra, qualiacumque fuerint libenter accipis, contestatum volo, et illud Rhetoris Victorini breviter admoneo, ut obscuritatem voluminum tribus ex rebus fieri scias: vel rei magnitudine, vel doctoris imperitia, vel audientis duritia: quorum primum et secundum liquido in hoc opere confitebor: tertium, acumen ingenii tui et desiderium Scripturarum facile renuit: quæ privilegio virginali, et victus continentia, non dicam frequentem, sed iugem hospitem possides Deum.

1. ET introduxit me in templum, et mensus est frontes, sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde, latitudinem tabernaculi. 2. Et latitudo portæ, decem cubitorum erat: et latera portæ, quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde: et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, et

latitudinem viginti cubitorum. 3. Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos cubitos : et portam, sex cubitorum : et latitudinem portæ, septem cubitorum. 4. Et mensus est longitudinem eius viginti cubitorum, et latitudinem eius viginti cubitorum, ante faciem templi : et dixit ad me : Hoc est sanctum sanctorum. 5. Et mensus est parietem domus sex cubitorum : et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus. 6. Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria : et erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum, ut continerent, et non attingerent parietem templi. 7. Et platea erat in rotundum, ascendens sursum per cochleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum : idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium. 8. Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio : 9. Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum : et erat interior domus in lateribus domus. 10. Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique, 11. Et ostium lateris ad orationem : ostium unum ad viam aquilonis, et ostium unum ad viam australem : et latitudinem loci ad orationem, quinque cubitorum in circuitu. 12. Et ædificium, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum : paries autem ædificii, quinque cubitorum latitudinis per circuitum : et longitudo eius nonaginta cubitorum. 13. Et mensus est domus longitudinem, centum cubitorum : et quod separatum erat ædificium, et parietes eius, longitudinis centum cubitorum. 14. Latitudo autem ante faciem domus : et eius quod erat separatum contra orientem, centum cubitorum. 15. Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem eius, quod erat separatum ad dorsum : ethecas ex utraque parte centum cubitorum : et templum interius, et vestibula atrii. 16. Limina, et fenestras obliquas, et ethecas in circuitu per tres partes, contra uniuscuiusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu : terra autem usque ad fenestras, et fenestræ clausæ super ostia. 17. Et usque ad domum interiorem, et forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus et forinsecus, ad mensuram. 18. Et fabrefacta cherubim et palmæ : et palma inter cherub et cherub. Duasque facies habebat cherub : 19. Faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, et faciem leonis iuxta palmam ex alia parte, expressam per omnem domum in circuitu. 20. De terra usque ad superiora portæ, cherubim et palmæ cælatæ erant in pariete templi. 21. Limen quadrangulum, et facies sanctuarii, aspectus contra aspectum. 22. Altaris lignei trium cubitorum altitudo, et longitudo eius duorum cubitorum : et anguli eius, et longitudo eius, et parietes eius lignei. Et locutus est ad me. Hæc est mensa coram Domino. 23. Et duo ostia erant in templo, et in sanctuario. 24. Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur : bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum. 25. Et cælata erant in ipsis ostiis templi cherubim, et sculpturæ palmarum, sicut in parietibus quoque expressæ erant : quam ob rem et grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus. 26. Super quæ fenestræ obliquæ, et similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli, secundum latera domus, latitudinemque parietum.

Triplex mundus triplici templo figuratus.

SYMBOLICE veteres triplicem depinxerunt mundum; primum sublunarem, quatuor elementis et mistis constantem, in quo terra, quasi centrum et basis imum tenet locum, estque hominum et animalium habitaculum; secundum cælestem, qui constat septem orbibus planetarum, firmamento, cælo crystallino, et primo mobili; tertium supramundanum, angelicum et intellectualem, qui est mentium beatarum domicilium, ubi sempiterno ævo, et gloria Dei fruuntur.

Hos tres mundos adumbravit tabernaculum Mosis, et templum Salomonis et Ezechielis. Nam sublunarem repræsentavit atrium, in quo degebant homines laici, viri, et fœminæ cuiusvis status et gradus, pii et impii. Cælestem repræsentavit Sanctum : candelabrum enim septiceps repræsentabat septem planetas. Supramundanum repræsentavit Sanctum sanctorum, in quo erant arca et propitiatiorium, quasi thronus Dei, cum Cherubim; ita enim hæc explicat S. Paulus Hebr. 9. 11. et sequent.

Tres fidelium ordines.

Pari modo templum hoc adumbravit triplices homines, sive triplicem Ecclesiæ statum. Nam atrium repræsentavit plebem Christianam; Sanctum, viros perfectos; Sanctum sanctorum, Beatos regnantes cum Deo in cælis. Vide dicta Exod. 25. et 26.

Porro hebraice hæ tres templi partes ita vocantur; prima אולם *ulam*, id est vestibulum, porticus, atrium; secunda היכל *hechal*, id est templum, sive basilica; tertia דביר *debir*, id est oraculum : ex propitiatorio enim Deus dabat oracula.

Vers. 1. ET INTRODUXIT ME ex atrio IN TEMPLUM.) Puta in priorem partem templi, quæ basilica, aula et Sanctum dicebatur, quod augusta æque ac firma; quod anterior, quod Dei cultui destinata, quod pulcherrima, quod Dei præsidiis et beneficiis foret illustris.

ET MENSUS EST FRONTES SEX CUBITOS.) Per *frontes* Mald. accipit cubicula, quæ extrinsecus templo adhærebant : hæc, inquit, dicuntur frontes, quia tres erant longitudines, quarum secunda extra primam, tertia extra secundam eminebat. Habebant autem *sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde*, id est, tam ea

A quæ erant ex una parte, quam ea quæ erant ex altera parte sacrarii sive templi, quæ eadem erat latitudo tabernaculi. Cum autem dicit sex cubitos latitudinis habuisse, de supremo tecto sive tabulato intelligendum est. Nam inferne quatuor cubitos habebant, ut indicat v. 5. Eminebat autem secunda contignatio extra primam cubito uno, et tertia extra secundam cubito altero.

Melius Vilalpando per *frontes* accipit postes portæ templi : hi enim hebr. vocantur אילים *elim* a robore, et hos vocavit frontes cap. 40. v. 14. Symmachus vertit, *in circuitu*, significans eosdem postes, qui portam in circuitu ex utraque parte muniebant. Quocirca recte R. Salomon postes hosce definit latitudinem crassitiei parietis templi, qui erat inter templum et vestibulum. Tanta enim fuit muri interioris domus crassitudo, quanta et omnium murorum templi, scilicet calami unius, id est sex cubitorum. Sensus ergo est, q. d. mensus est angelus utrumque portæ postem, dextrum, et uniuscuiusque latitudinem ab O-
B riente ad Occidentem, sex cubitorum. *Latitudinem tabernaculi*, hebr. אהל *ohel*, id est tabernaculum, sive extensum, aut expansum, vocat per catachresin superliminare portæ templi, quod cum planum esset, et extensæ cortinæ persimile, obumbrabat ac protegebat ianuam desuper, ut sensus sit, postes singulos superliminare sustinentes latitudine fuisse cubiti unius, quanta nimirum erat superliminaris desuper extensi latitudo, et parietis Sanctum a vestibulo dividentis crassitudo, ait Vilalpando.

Porro postes et columnæ, tum decoris, tum roboris causa suas habebant parastades, id est ad pactas pilas, sive semicolumnas.

LATITUDO PORTÆ DECEM CUBITORUM ERAT.) q. d. Limen portæ templi latum erat cubitos decem, quam latum Vers. 2.
fuerat olim Mosis tabernaculum. Tacet portæ altitudinem, quam ex epistyliorum atrii libratione fuisse viginti cubitorum, dupla scilicet proportione ad alias portas, coniicit Vilalpando.

ET LATERA PORTÆ, QUINQUE CUBITIS HINC, ET QUINQUE CUBITIS INDE.) Pro *latera* hebr. est כתפות *chitphot*, id est humeri, et, ut Septuag. ἐπωμίδες. Ita vocantur par-

tes illæ parietes a lateribus portæ relicti; quod sicut humeri pectus, ita ipsæ portam utrimque muniant; unde latine vocantur *latera portæ*, quod ex utroque portæ latere relinquantur. Latitudo ergo templi erat 20. cubitorum, et latitudo portæ 10. unde remanent latera eius hinc et inde 5. et quinque cubitorum: aperiebatur enim porta inter hæc latera in medio Sancti.

Porro hæc latera portæ interiora fuisse constat ex eo, quod ibidem mensus est Sancti longitudinem ac latitudinem, ut mox audiemus, inquit Vilalp.

Et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum.) *Eius*, non portæ, ut vult S. Hieronymus; sed templi, puta Sancti: ita Maldon. Vilalp. et alii, q. d. Sancti longitudinem mensus est cubitis 40. latitudinem 20. quanta a Salomone observata fuit: dupla nimirum latitudinis longitudine, quæ maxime a Vitruvio libro 6. c. 5. aliisque priscis architectis probatur. Sic enim dicitur 3. Reg. 6. 2. et 3. *Domus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine: domus*, scilicet tota, *habebat sexaginta cubitos in longitudine;* quia Sanctum sanctorum habebat viginti, Sanctum quadraginta: quæ duo iuncta faciunt sexaginta.

Templum longum erat 40. cubitis, latum 20. altum 30.

Porro latitudo tam Sancti, quam Sancti sanctorum erat eadem, scilicet 20. cubitorum, uti et altitudo 30. Hi viginti cubiti latitudinis Sancti ita colliguntur: porta Sancti erat 10. cubitorum, latus sinistrum 5. dextrum 5. iunge hæc omnia, habebis 20. cubitos, quæ erat Sancti, sive sanctuarii latitudo.

Vers. 3. Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portæ duos cubitos.) *Intrinsecus*, id est in interiorem partem templi, puta in Sanctum sanctorum. Huius enim portam hic, ipsummet vero v. seq. dimetitur. *Frontem*, vocat postem portæ, hic enim Hebr. vocatur איל *el*, uti dixi v. 1. Duo ergo erant postes portæ, hinc et inde quorum quisque latus erat duos cubitos.

Hinc R. Salomon, Lyranus et Maldonat. per *frontem portæ* accipiunt crassitiem portæ, sive muri et parietis, aiuntque hanc fuisse duorum cubitorum. Certum enim est, murum interfectum fuisse, et divisisse Sanctum a Sancto sanctorum: in muro autem erat porta hæc, qua ex Sancto ibat pontifex in Sanctum sanctorum.

Et portam Sancti sanctorum, sex cubitorum; et latitudinem portæ, septem cubitorum.) *Latitudinem*, vel, ut hebr. est *humeros*, vocat latera portæ, sive spatia utrimque a porta ad murum interiacentia, ut dixi v. 1. et 2. Sensus est ergo, q. d. Duo erant latera portæ, puta duo spatia iam dicta, scilicet unum a porta usque ad murum Meridianum, alterum usque ad Aquilonarem, unumquodque eorum habebat septem cubitos longitudinis. Tota enim latitudo sanctuarii erat 20. cubitorum, ut dixit v. 2. Duo latera habebant singula septenos cubitos, id est universim 14. portæ sex. Adde sex ad 14. habebis 20. cubitos latitudinis sanctuarii, et Sancti sanctorum. Ita Theodor. Maldon. et Vilalp.

Vers. 4. Et mensus est longitudinem eius (Sancti sanctorum, sive oraculi, ut sequitur) viginti cubitorum, et latitudinem eius viginti cubitorum, ante faciem templi.) Erat ergo Sanctum sanctorum quadratum: latitudo enim eius æqualis erat longitudini, cum Sanctum esset quadrangulum. Dupla enim erat eius longitudo ad latitudinem: erat enim longum cubitis 40. latum 20. Perperam ergo nonnulli codices Septuag. pro *viginti* hic legunt *quadraginta*. Porro in hisce cubitis includitur crassities muri interiecti inter Sanctum et Sanctum sanctorum. Tota enim longitudo sanctuarii erat 60. cubitorum, ex quibus 40. habebat Sanctum, reliquos 20. Sanctum sanctorum. Ergo crassities muri hisce cubitis includitur; alioqui enim sanctuarium longum fuisset non 60. sed 62. cubitis: ita Vilalp. qui et cap. 11. docet, oraculum hoc, sive Sanctum sanctorum, in media area atrii interioris, sive atrii sacerdotum constitutum fuisse.

Sanctum erat quadrangulum, Sanctum sanctorum quadratum.

Ante faciem templi.) Id est versus Sanctuarium, Declaratur, quam vocaverit latitudinem Sancti sanctorum. Cum enim quadratum fuerit, non videtur latitudinem a longitudine distinctam habuisse: dicit ergo se latitudinem appellare eam partem, quæ versus sanctuarium, sive Sanctum erat; non quod proprie esset latitudo Sancti sanctorum distincta ab eius longitudine, sed quod ea esset latitudo templi et Sancti: ita Maldon.

Hoc est Sanctum sanctorum.) Hinc patet angelum hic ad litteram vetus Salomonis templum, puta Sanctum, et Sanctum sanctorum, dimetiri, ut illius ad instar Iudæi Babylone redeuntes novum ædificent. Verum hunc paraphrastice ita reddit Vilalp. *Et mensus est oraculi latitudinem viginti cubitorum, eiusque longitudinem viginti cubitorum; cuius altitudo quoque* (usque ad fornicem; nam cum fornice 30. imo 40. uti dicitur 2. Paral. 3. v. 4. erat cubitorum) *viginti cubitorum fuit. Et dixit mihi: Hoc est Sanctum sanctorum, quod domus interior dicitur, et adytum quasi absque introitu* (ab α litera privativa, et δύω, id est ingredior, q. d. Penetrale sine ingressu, id est inaccessum) *et domus animæ, in qua una Israelis spes firma quiescit.* Dicitur et oraculorum, sive responsum, aut locutorium Dei; ac tandem Sanctum sanctorum, hoc est, locus sanctissimus, semotus a communi et vulgari, eo quod supremum cælum referat, ubi Christi summi sacerdotis oblatio fit.

Sanctum sanctorum dicitur adytum, domus animæ, et oraculum, unde?

Et mensus est parietem domus sex cubitorum.) Vers. 5.
q. d. Mensus est crassitudinem parietis templi sex cubitis. Cum enim vestibuli altitudo esset centum viginti cubitorum, reliquæ vero domus nonaginta, postulabat certe tanta domus celsitudo parietem in imo crassissimum.

Et latitudinem lateris quatuor cubitorum.) Latera sive costas vocat anterides, sive antas, vel pilas, quæ sunt quasi appendices murorum, et quasi fulcra (vulgo pilastri vocantur) e muro extant ipsi adhærentes, et ipsum fulcientes, quarum singulæ singulis atriorum postibus latitudine respondebant, ac situ.

Secundo et genuine Maldon. per latus hebr. צלע *tsela*, accipit tabulatum, thalamum, cubiculum. Id ita esse patebit v. sequent. Cuiusque ergo cubiculi templi muro adhærentis latitudo erat quatuor cubitorum, intellige de cubiculis infimis. Nam suprema sex cubitos habebant, media quinque; quia secunda primis sive imis; tertia, sive summa, secundis uno cubito latiora erant. Itaque eadem latitudo erat supremi cubiculi, et infimæ partis muri; et infimi cubiculi, et supremi muri; et medii cubiculi, et medii muri. Paulo scilicet uno cubito, maior erat latitudo cubiculorum horum in templo Salomonis. Nam ima erant lata quinque, media sex, summa septem cubitos, uti docet Ribera lib. 1. de Templo cap. 14. Unde tanta quoque fuisse in templo hoc Ezechielis censet Vilalp. Sed cubito minora fuisse docet hic Ezechiel; nisi quis dicat fuisse quatuor cubitorum cum medio, ita ut et quatuor, et quinque cubitorum dici possint.

Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria.) Vers. 6.
Septuag. habent *triginta trium*, scilicet cubitorum: hi enim præcesserunt, et ita legunt Latina Complut. Verum Romana, et alia passim legunt, *triginta tria*. Iam Primo, sensum dat Vilalp. q. d. Anterides, sive pilæ iam dictæ, invicem sibi respondentes, et oppositæ (hoc enim vocat *latus ad latus*, id est pila ad pilam, sive pila una alteri respondens et opposita) erant bis triginta tres, id est sexaginta sex. Pro *bis* hebr. est פעמים *peamim*, quod pedes, gressus, vices, aliaque significat. Noster legit in duali פעמים *paamaim*, id est duabus vicibus, hoc est bis.

Allegor. hæ 33. pilæ significant 33. annos vitæ Christi; hi enim quasi fulcierunt templum, id est Christum, ait Vilalp.

Secundo et genuine, per *latera* intellige cubicula, vel tabulata, q. d. Erant bis 33. cubicula, ita ut unus cubiculorum ordo esset supra alium, ac 33. cubicula essent in una v. g. inferiori contignatione, vel tabulato, et totidem in superiori.

Duos ordines cubiculorum 33.

Hunc esse sensum patet Primo, ex sequentibus, ubi dicitur, quod in hæc cubicula per cochleam ascendebatur,

quodque non in muro, sed in muri prominentiis incumbebant, etc. Secundo, quia cubicula hebraice vocantur צלעות tselaot, id est latera, quia lateralia erant templo. Tertio, quia talia cubicula templo Salomonis annexa, fuisse tum ad decorem, tum ad robur et firmitatem, tum ad usum, ut scilicet in iis reponeretur supellex templi, utque essent quasi oratoria annexa templo, patet ex 3. Reg. 6. v. 5. et diserte ex Iosepho 8. Antiq. 2. et lib. 6. Belli c. 6. ita Ribera l. 1. de Templo c. 14. ubi ex Iosepho ostendit hæc cubicula fuisse pervia, atque inferioris templi altitudinem æquasse, id est in sexaginta cubitos surrexisse. Porro τὸ *latus ad latus*, partim significat continuationem cubiculorum, ita ut invicem fuerint collateralia, et aliis in adverso latere contraposita, uti explicat Ribera; partim subordinationem, quod scilicet alia aliis fuerint subordinata, et quasi inferiora superioribus, opposita, imo supposita, et ex æquo respondentia. Huc accedit Chald. et R. Salomon, qui sic explicant: tabulata erant aliud supra aliud 33. undena per ordinem. Cum enim quatuor essent latera sanctuarii, ad latus Orientale non erant cubicula; quia ibi erat porta: singula vero tria alia latera undena habebant cubicula: itaque cuncta erant 33. Nota. Hæc cubicula, utpote templo adhærentia, erant diversa ab exedris, sive cubiculis sacerdotum, quæ erant in atrio. Ita Ribera l. 1. de Templo c. 14. et c. 17.

Tertio, R. David, et eius sequaces, *peamim* vertit *pedes*, sensumque dat, q. d. Cubicula erant aliud supra aliud 33. pedibus in altum.

Quarto, Vilalp. pariter *peamim* vertens *pedes*, sic vertit, et explicat, q. d. Latera, id est anterides binæ sibi invicem respondentes, a pariete domus proiiciebantur pedes 33. Verum hoc recte refellit Maldon. ex eo, quod Ezechiel nusquam pedibus, sed cubitis semper fabricam hanc metitur.

Quinto, Maldon. sic vertit, et explicat: *Thalamus supra thalamum tres et triginta vicibus*, id est tres erant thalami (id est cubicula) alius supra alium, idque triginta vicibus. Itaque erant nonaginta thalami. Verum hæc omnia uti a nostro interprete, ita et a se invicem discedunt et evariant: quisque enim hic quasi in tenebris cæcus palpat et coniectat. Ergo versioni nostræ, quam probavit Ecclesia, standum est, ut firmo et solido pede progrediamur. Secunda ergo interpretatio est germana.

Canes in fabricis qui?

Et erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus.) q. d. Cum fabricaretur murus templi, relictæ sunt in eo prominentiæ, quæ canes ab architectis vocantur, super quas transversæ trabes cellarum, sive cubiculorum muro templi adhærentium ponerentur, ut iis incumberent, et sustentarentur; quo fiebat, ut cubicula non hærerent muris templi, id est, non esset necesse pro iis capere partem muri, aut perforare, ut continere possent trabes, quas non decuit templi parietem contingere, nedum illi insistere. Ita Chald. qui vertit: *Capita trabium requiescebant supra illud quod eminebat, neque trabes penetrabant per parietes domus.* Unde quæ hic vocantur *eminentia*, 3. Reg. 6. v. 5. vocantur *trabes;* quia eminebant ex pariete ad sustentandas trabes transversas imponendas, ideoque hebr. dicuntur מגרעות *migraot*, id est deficientiæ, quia non erant integræ trabes, sed capita: et a Septuag. vocantur διάστημα, quia recedebant a pariete foras prominentes: Chald. et alii *proiecturas* vocant; ita Ribera l. 1. de Templo c. 14. Vilalp. et alii.

Vers. 7. Cochlea templi.

Et platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam.) Plateam vocat latitudinem rotundam cochleæ. Unde hebr. est, *dilatabat sese* (thalamus) *ac circuibat*, q. d. In crassitudine parietis facta est cochlea (ita vocatur scala, sive gradus, quales videmus in turribus) per quam ex imo cubiculorum ordine ad medium, et ex medio ad tertium et summum ascenderetur. Similem cochleam in templo fecit Salomon 3. Reg. 6. 8. Noluit enim Salomon extra templum scalas apponi; ne extra omnino ascenderetur ad tabulata, et ut vacua area relinqueretur decoris causa: fecit ergo cochleam. Quia autem cubicula cuiusque lateris erant pervia omnia, unum ostium cochleæ satis erat ad singula latera per circuitum. Et ascendentes creberrimas habebant a meridie fenestras, quarum luce clare et certo ubique incederent: ita Beda, et ex eo Ribera l. 1. de Templo c. 15.

Porro cochlea tantum latitudinis habebat, quantum superius cubiculum extra inferius eminebat, id est cubitum unum sex palmorum. Paries (ut diximus c. 40.) latitudinem habebat palmi unius: interior cavitas quatuor erat palmorum: ita ad secundum cubiculum, sive cubiculorum ordinem ascendebatur. Ex secundo cubiculo rursus eminebat alia cochlea, qua extrinsecus ascendebatur ad tertium. Similem cochleam videmus Romæ in columna Traiani, qua per 185. gradus intrinsecus (est enim columna hæc crassissima instar turris) ab imo ad summum ascenditur, in qua loco fenestrarum fissuræ quædam parvæ aperiuntur scandentium lumini necessariæ, sed ita exiguæ, ut ab iis qui prope accedunt vix percipiantur, et rimæ esse videantur: sunt eæ numero 54. Cochlea in columna Traiani.

Latius erat templum in superioribus.) Hebraice est, *quia latior erat domus superius*, id est, quia cubiculorum ordo secundus (quem domum appellat) latior erat uno cubito quam primus, et tertius quam secundus, uti paulo ante dixi.

Reddit rationem, cur potuerit cochlea esse, qua extrinsecus ex uno cubiculorum ordine in aliud ascenderetur, ait Maldonat. quia nimirum domus erat latior superius, quam inferius: hoc enim exigebat cochlea gyrans extrinsecus, seseque magis in superioribus dilatans.

Porro inæqualitatis tabulatorum, sive cubiculorum causa fuit angustia areæ: fuit enim admodum angusta, ait Ribera; hinc ima fuerunt uno cubito angustiora secundis, et secunda tertiis.

Et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium.) Id est per medium, scilicet tabulatum, et cubiculorum ordinem: ita Chald. Hoc est quod 3. Regum 6. v. 8. dicitur: *Et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium.*

Mystice cochleam et cubicula hæc explicat Beda libro de Tabernaculo cap. 7. et ex eo Ribera lib. 1. de Templo cap. 24. Tres, inquiunt, ordines cellarum circum domum ædificati tres vitæ rationes significant, quæ omnes bonæ sunt, et ad Ecclesiam pertinent. Prima est coniugatorum, secunda continentium, tertia virginum. Et quia quælibet harum multos recipit, ac proinde multæ in eis divitiæ domus Dei servantur, recte cellæ dicuntur, sive domunculæ. Primus ordo strictior est, quia minorem habuerunt latitudinem animi atque spei coniugati, putantes se aut nullo modo, aut difficillime in castitate posse permanere, et illud Pauli auscultates 1. Cor. 7. 9. *Quod si non se continent, nubant.* Hæc latitudo maior est in continentibus, et maior adhuc in virginibus; idcirco secundus ordo latior est, tertius adhuc latior. Primus ordo quinque cubitorum est; quia quinque sensuum voluptatibus non admodum abstinet: secundus sex, quia perfectior est; senarius enim perfectionem significat, ut supra diximus: tertius septem, quo numero integra perfectio significatur. In hoc a Beda recedimus; quoniam ipse in ea fuit sententia, ut putaret infimum tabulatum esse septem cubitorum, supremum vero quinque. Mystice, cochlea, et tres cellarum ordines sunt tres fidelium status.

Secundo, Rupertus in comment. l. 3. Reg. c. 10. in his tabulatis significari affirmat tres vivendi distinctiones, quæ significatæ sunt Ezech. 14. in Iob, Noe, Daniele. Prima est coniugatorum, qui per fidem et patientiam in coniugio Deo placent, ut Iob. Secunda est prælatorum, qui in Noe, qui gubernavit arcam in fluctibus, significantur. Tertia et suprema est contemplationi vacantium, qualis fuit Daniel. Prima est quinque cubitorum, in qua mensura intelligitur labor exterior quinque sensus corporis occupans. Secunda est sex cubitorum; quia versatur et laborat in opere Dei: Deus autem sex diebus absolvit opera sua. Tertia septem habet, quia septimo die, id est sabbato, requies significatur, et sabbatismus: in hac enim vivendi ratione sancta anima sabbatizat sæculo altior, et cum adhuc teneatur in corpore, per contempla-

tionis requiem quodammodo iam fruitur cælo. Hæ vivendi rationes, sive hoc, sive illo modo interpretemur, adiunctæ sunt templo; quoniam Ecclesiasticam normam sequuntur, et ad Ecclesiam pertinent; sed non hærent muris templi, id est, non sunt perforati muri ad eas sustinendas, aut super muros non fulciuntur: nihil enim per earum diversitatem onerata aut gravata est Ecclesia, nihil de sua integritate aut unitate amisit. Trabes tamen positæ sunt in muro, quibus hæc tabulata sustinentur; quoniam hæ vivendi rationes præceptis et consiliis Christi, quæ nobis Ecclesia tradidit, innituntur.

Ostium quo ad has intrabatur, in pariete domus erat, non extra; quia qui ita vivunt, membra Ecclesiæ sunt, et extra Ecclesiam nec coniugium Deo placet, ut coniugium sanctorum; nec continentia, ut virginitas; etiamsi vere hæ duæ virtutes extra eam invenirentur. Sed erat in pariete domus dextero, id est in Meridiano, quæ pars cæli in bonam partem sumi solet in Scriptura, quia plus lucis et caloris habet; sicut pars Septemtrionalis in malam, quia frigida est et obscurior, ut sciamus has distinctiones graduum in Ecclesia bonas esse, et Deo placere.

Ad primum ordinem cellarum facile quisque ascendit, quia nemo est, qui sibi continentiam non promittat in coniugio. Ille magis ascendit qui transit ad secundum, id est ad vitam continentium, qui iterum atque iterum secum volvit, quam fluxæ sint voluptates carnis, et simul per orationem mente ad Deum ascendit, ac illas contemnit, et vitam ab eis abhorrentem eligit. Similiter a secundo ascenditur ad tertium; quoniam qui continentiam ad tempus elegerat, similiter volvendo, et ascendendo transit ad electionem perpetuæ virginitatis, si eam nondum amisit; aut si amisit, transit ad altioris continentiæ genus per votum solemne, et ad tantam puritatem, et tantum castitatis amorem, ut meritum virginitatis possit æquare. Si autem iuxta Rupertum, medius ordo sit doctorum, tertius contemplationi vacantium, ab eo ad hunc tertium ascenditur, quia qui bene et magna cum charitate docent, et in opere Dei laborant, ad altiorem contemplationis gradum provehuntur. Denique Beda c. 8. ostium lateris medii dicit esse vulnus lateris Christi: quia dextrum eius latus a milite apertum sancta credit Ecclesia, ut idem ait, et addit: Ubi et apto verbo usus est Evangelista, ut non, Percussit diceret, aut Vulneravit, sed, *Unus militum lancea latus eius aperuit*, quasi ostium lateris medii, per quod nobis iter ad cælestia panderetur. Per hoc namque ostium nobis ascensus est in medium cœnaculum, et a medio in tertium; quia per fidem et mysteria nostri Redemptoris de præsenti Ecclesiæ conversatione ad requiem animarum post mortem ascendimus, rursumque de requie animarum adveniente die iudicii ad immortalitatem quoque corporum, quasi in tertium cœnaculum sublimiore profectu penetrabimus. Rupertus etiam c. 10. ostium dicit esse latus Christi lancea apertum; quia ex eo exivit sanguis et aqua, id est baptismus, per quem in Ecclesiam ingredimur, et tunc aut manemus in imo, aut ascendimus in medium, sive ad tertium cœnaculum, pro voluntate nostra cum gratia Dei.

Cochlea est via tortuosa in cælum. Denique platea hæc per cochleam ascendens in gyrum, significat nonnisi per tortuosam laborum et dolorum viam in cælum ascendi. Eadem iisdem pene verbis docent Eucherius et Angelomus in l. 3. Reg. c. 6. ac Vilalpando hic c. 21. Talis scala et cochlea fuit, quam per visionem vidit S. Perpetua, ex eaque se suosque socios per martyrium in cælum vocari cognovit. Vidit enim scalam auream ex terra in cælum porrectam, cultris et gladiis quasi gradibus intextam: simulque vidit Satyrum socium suum in carcere, per eam fortiter et animose conscendere, ac in summo stantem, se suosque hortari ut intrepide eadem via se sequerentur. Cumque visum hoc Satyro et sociis cæteris narraret, acclamarunt omnes cum iubilo se vocari ad martyrium. Unde gratias agentes Deo, ad illud se compararunt, quod primo obivit Satyrus, deinde cæteri 7. Martii anno Domini 205. sub Severo Imp. Ita habent eorum Acta.

A Et vidi in domo altitudinem per circuitum.) *Altitudinem* vocat non tectum, uti volunt Beda, Eucherius, Angelomus, Lyranus et Richard. sed suprema cubicula; quia hæc erant omnium altissima: ita Chald. Theodoret. Maldon. et Vilalp. Vers. 8.

Fundata latera ad mensuram calami.) Hebraice מוסדות הצלעות *musedot hatselaot*, id est fundamenta thalamorum, sive cubiculorum, unius cannæ, q. d. Vidi fundamenta supremorum cubiculorum sex cubitorum esse. Fundamenta vocat imam partem cubiculorum, non quæ in terra, sed quæ in summo tabulato erat. Significat ergo id, quod supra dixi, suprema cubicula sex cubitos habuisse, tam in longitudine, quam in latitudine.

Addit autem τo *sex cubitorum*, ut explicet mensuram cannæ, sive calami: ita Maldon.

Et latitudinem.) q. d. Paries cubiculorum extrinsecus quinque habebat cubitos in latitudine. Vers. 9

Et erat interior domus.) Hebr. *et intervallum, quod erat domui cubiculorum, quæ erant in templo*, subaudi quin-
B que etiam cubitorum erat: hoc est, spatium interiectum inter thalamos et murum qui templum circuibat, quinque etiam cubitorum erat. In Hebr. est vox מנח *munnach*, de qua mox.

Et inter gazophylacia latitudinem.) Id est plateam, q. d. Platea quædam viginti cubitos lata, erat inter gazophylacia atriorum, et prædicta cubicula templo adhærentia, quæ undique totam domum cingebat, ab Oriente, Meridie, Occidente et Aquilone: ita Vilalp. Ex hoc loco patet, quod inter templum et atrium sacerdotum, interiectum fuerit spatium, sive platea viginti cubitorum, quæ porrigebatur ex omni parte circa templum, illudque proxime ambiebat. Erat hæc platea sub dio, ibique orabant sacerdotes. Unde de ea dicitur Ioel 2. 17. *Inter vestibulum et altare* (puta in platea iam dicta) *plorabunt sacerdotes, ministri Domini, et dicent: Parce Domine.* Et hic v. 11. dicitur ibi fuisse locus ad orationem, id est oratorium sacerdotum. Hunc locum profanarunt impii, de quibus dixit
C c. 8. 16. *Inter vestibulum et altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem, et adorabant ad ortum Solis.* Itaque inter vestibulum templi et peribolum, sive murum atrii sacerdotum, interiacebat hoc spatium vacuum, puta platea viginti cubitorum: ita Vilalp. Pineda, et passim alii. Vers. 10.

Et ostium lateris, id est, ostia cubiculorum erant ad orationem.) Id est ad locum iam dictum, puta ad cubicula templum ambientia, quæ erant loca ad orationem deputata. Vers. 11.

Et latitudinem loci ad orationem quinque cubitorum.) q. d. Et prædicti loci, sive cubiculorum latitudo erat 5. cubitorum. Tot enim distat ab interiori domus pariete exterior costarum, ait Vilalp. Quamquam Pineda l. 5. de Reb. Salom. cap. 5. §. 11. dubitat an hi quinque cubiti spatii fuerint designati et definiti in ipsa platea viginti cubitorum, de qua versu præcedenti, an vero ulterius circa ipsam domum in interstitio duorum murorum quibus cingebatur.

D Nota. Pro *ad orationem* hebr. est מנח *munnach*, id est requies, puta locus quietis. Unde noster paulo ante vertit, *domus interior*. Ita vocatur oratorium, et alibi *templum*: Primo, quia hoc est quasi locus in quo requiescit Deus, uti ait Isaias cap. 66. 1. Unde et David ait Psal. 131. 14. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Et 2. Paralip. 6. 41. *Surge Domine in requiem tuam.*

Oratorium vocatur munnach, id est, requies, cur?

Secundo, quia ibi orantes requiescunt in Deo, iuxta illud Ps. 90. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Orationem* ergo vocat locum orationis, sive oratorium cellarum et cubiculorum. Hinc Christiani suas Ecclesias olim vocarunt προσευχάς (uti hic vertunt Septuag.) id est orationes, id est loca orationis: est metonymia. Porro eadem cubicula, sive oratoria, mox v. 12. vocat *ædificium separatum*.

Et ædificium, quod erat separatum.) Aliqui intelligunt totum spatium templi cum suis thalamis, et cæte- Vers. 12.

ris appendicibus, dicique *separatum*, quia in eo divisum et separatum erat Sanctum a Sancto sanctorum. Hoc ergo aiunt fuisse latum cubitos 70. quos ita colligit Mald. Sanctum sanctorum habebat 20. cubitos latitudinis, murus sex cubitos inferne: erat autem duplex; alter Meridionalis, alter Septemtrionalis; sunt 12. qui additi ad 20. efficiunt 32. Cubicula inferiora quatuor habebant cubitos: erant autem duo cubiculorum ordines, unus in uno latere, alter in altero: sunt ergo 8. cubiti, quos adde ad 32. habebis 40. Murus cubiculorum forinsecus erat latus 5. cubitos, unus ex uno, alter ex altero latere: sunt 50. Spatium quod relictum erat inter cubicula et murum, qui Sanctum sanctorum circuibat, quinos utrinque habebat cubitos: sunt sexaginta. Murus Sanctum sanctorum ambiens quinos etiam utrinque cubitos habebat: sunt septuaginta. *Et longitudo eius nonaginta cubitorum;* scilicet vestibulum sanctuarii 11. cubitos habebat latitudinis cap 40. 49. Murus autem erat latus quinque cubitos cap. 40. 48. sunt 16. Habebat autem sanctuarium 40. cubitos longitudinis, ut patet v. 2. sunt 56. Sanctum sanctorum viginti cubitos habebat longitudinis v. 4. sunt 76. murus Sancti sanctorum versus Occidentem latus erat 5. cubitos: sunt 81. thalami infimi 4. erant cubitorum: sunt 85. et spatium quod relictum erat inter thalamos, et alterum murum, erat 5. cubitorum: sunt 90. Quibus si addas 5. cubitos, quos habebat murus templum circumdans ex una parte, et totidem ex altera, efficies 100. cubitos, quos dicet vers. 13. 14. 15. totum templi circuitum in quadrum habuisse. Huc usque Maldon. Sic et Vatabl.

Secundo et melius Vilalp. ædificium, ait, separatum, vel, ut hebr. est גזרה *ghizra*, id est præcisum, (Chald. vertit, *conseptum;* Sept. *reliqua*) vocat ædificium cellarum, sive cubiculorum, et oratoriorum iam dictorum templo adhærentium. Hoc enim recte vocatur בנין *binian*, id est ædificium constans variis partibus inter se connexis et colligatis. Hebr. ad verbum est, *ædificium quod erat ante faciem separati*, id est templi: noster vertit *separatum;* quia tam ædificium hoc cellarum a templo, quam templum ab ipso ædificio erat separatum. Separatum enim est relativum æquiparantiæ: separatum enim est separati separatum. Porro mare vocat Occidentem; Iudæis enim mare Mediterraneum est ad Occidentem. Sensus ergo est, *et ædificium, quod erat separatum*, id est ædificium cellarum quod erat locus orationis, quodque a latere Meridiano et Aquilonari templi extructum erat, latum erat, id est extendebatur ab Oriente in Occidentem, cubitos Septuaginta.

Paries autem ædificii quinque cubitorum, etc.) Id est, huius autem ædificii paries, qui domum undique cingebat, latus erat, vel crassus, 5. cubitos, longus vero, id est altus, cubitos 90.

Vers. 13 Et mensus est domus longitudinem centum cubitorum, et quod separatum erat ædificium, etc. longitudinis centum cubitorum.) To *et* significat, *id est*, at Lyran. et Vilalp. *domus* enim idem est, quod *ædificium separatum*. Sensus est, q. d. Mensuras domus, sive ædificii cellarum, quas hactenus per partes dimensus fuerat angelus, eas nunc in unam summam colligit, eiusque longitudinem ab Oriente in Occidentem centenario, id est perfecto, numero cubiculorum definit. Nam ipsa domus longitudo, et orationis locus, et parietes, omnia simul sumpta longitudinem complent centum cubitorum.

Hosce centum cubitos per partes collegi v. 12. ex Maldon. Eadem enim ædificii huius, quæ templi, cui adhærebat, erat mensura.

Vers. 14. Latitudo autem ante faciem domus, etc. centum cubitorum.) Id est, et platea quædam, quæ iacebat ante eximium hoc ædificium separatum, Orientem respiciens longa erat cubitos 100. huius vero plateæ longitudinem v. 20. viginti cubitis definivit.

Hæc pauca e multis: aveo enim ex implexis hisce mensuris, et spinosis symmetriis me, æque ac lectorem expedire, ac eas architectis (ad quos proprie pertinent) relinquere, qui plura volet consulat Vilalpandum.

Nota. Latitudo vocatur platea: græce enim πλατος, unde platea dicitur, significat latum, vel latitudinem. Rursum *contra Orientem*, id est, contra atrium interius, quod erat in Orientali parte, respectu templi. Platea dicta a latitudine.

Et mensus est longitudinem ædificii, iam dicti, contra faciem eius: *eius*, id est quod erat appositum et oppositum ei, quod erat separatum, id est, templo: hoc enim significat Hebr. *ghizra*, ut dixi: ad dorsum.) Hebr. אחריה *achareha*, id est, *post illud*, id est, quod erat pone latus Orientale, quod ante mensus fuerat, q. d. Uno verbo, Mensus est latus Orientale, ait Maldon. Aliter Vilalp. puta enim ipse angelum hic metiri atrium, quod templum circumdabat, vel potius postes et vestibula, quibus atrium triplici ex parte cingebatur. Vers. 15.

Ethecas ex utraque parte centum cubitorum.) Quæres, quæ vocentur ethecæ. Primo, Chald. vertit, *angulos*. Secundo, Maldon. Vatabl. et alii putant thalamos, sive exedras, et gazophylacia, id est cubicula, vocari *ethecas*. Hinc aliqui Rabbini putant ethecas fuisse cubicula in quibus sacerdotes, cum in Sanctum sanctorum ingrediebantur, aut inde egrediebantur, mutabant vestes. Tertio R. Salomon, et ex eo Lyran. ethecæ, ait, sunt pilarii, qui inseruntur parietibus magnorum ædificiorum, ad ea fortificandum. Etheca quid?

Verum dico *etheca* esse vocem Chaldaicam, a rad. נתק *natak*, id est avulsit, abrupit. Unde *etheca* vocatur porticus, ut vertit Noster c. 42. 5. quæ postibus sive columnis fulta, a muro separata, et quasi avulsa videtur: sicuti *ghizra* paulo ante vocavit templum, quia separatum, et quasi ab omni alia fabrica avulsum: ita Vilalp. aut potius, ut S. Hieron. *Ethecas*, inquit, *Romæ appellant solaria cœnaculorum parietibus eminentia, sive mœniana, ab eo qui primum ea invenit, quæ nonnulli Græcorum εξωστας vocant*. Hæc enim proprie hebr. vocantur *ethecæ*, id est, avulsio, id est locus extans, et quasi a muro domoque avulsus. Hæc enim vocari possunt porticus, unde græce εξοστοαι, id est exteriores, vel extantes porticus vocantur: qua de causa etiam porticus, quia a muro quasi avulsa, vocatur etheca, ut Noster vertit c. 42. 5.

Sensus ergo est, q. d. Mensus est longitudinem porticus Occidentalis, aut potius mœnianum, quæ respiciebant Occidentale posticum domus, centum cubitis. Erant enim quadrata, eamdem habentia latitudinem et longitudinem, scilicet centum cubitorum.

Et templum interius, et vestibula atrii.) q. d. Atque adeo mensus est templum interius, et atrii vestibula. Ita Vilalpandus.

Limina, et fenestras obliquas, et ethecas in circuitu per tres partes.) Repetit quæ dixit cap. superiori, ut indicet angelum ibi particulatim, hic communiter mensum esse omnia per tres partes, id est per tria latera, scilicet ad Meridiem, Aquilonem, et Occidentem. Nam ad Orientem, qua in Sanctum sanctorum introitus erat, non poterant esse thalami, nec ethecæ, id est eorum porticus. Vers. 16.

Contra uniuscuiusque limen.) q. d. Postibus domus singulis respondebant singula limina, vel tabulata singulis tabulatis.

Stratumque ligno per gyrum in circuitu.) Id est, postes vero domus, vel parastades, operiebantur tabulatis (tabulis cedrinis, inquit Chald.) cubiculorum, in circuitu trium laterum iam dictorum: ita Vilalpandus.

Terra autem usque ad fenestras.) Richard. Victor. libr. de Templo Ezech. c. 17. hinc colligit, domum ipsam terra sepultam fuisse usque ad fenestras. Sed hoc repugnat ornatui domus, et architecturæ. Sensus ergo est, q. d. A terra usque ad fenestras, supple tabulatis, et tabulis iam dictis opertæ erant ethecæ, scilicet usque ad altitudinem 25. cubitorum. Vel, et solidius, q. d. Paries erigebatur usque ad fenestras domus, quæ super altitudine 25. cubitorum aperiebantur in pariete Meridiano, et Aquilonari. Ita Septuag. Chald. Hebræi, Vilalp. et alii.

Et fenestræ clausæ.) q. d. Fenestræ vero templi, quæ super huiusmodi pariete aperiebantur, ab eodem ita

abscondebantur, ut ex atriorum pavimento inferiori videri non possent. Rursum, *fenestræ clausæ super ostia*, q. d. Et fenestræ clausæ triplici operimento, scilicet cancellis, valvis et aulæis, aperiebantur super altitudine ostii Orientalis domus.

Vers 17. Et usque ad domum interiorem, et forinsecus per omnem parietem in circuitu, intrinsecus et forinsecus ad mensuram.) q. d. Aperiabantur inquam fenestræ loco et modo iam dicto, per parietes exterioris domus usque ad parietem interioris: nam in interiori (puta in Sancto sanctorum ut mox dicam) nullæ erant, atque in eadem altitudine procurrebant tum in parte interiori domus Meridiana, et Aquilonari, tum in exteriori costarum et cubiculorum. Vel *intrinsecus*, id est in interiori domo Sancti Sanctorum; et *forinsecus*, id est in exteriori Sancti ad mensuram operiebantur omnia tabulis eiusdem mensuræ, in quibus fabrefacti, id est insculpti, erant Cherubim et palmæ, ut sequitur: ita Vilalp.

Fenestræ obliquæ quæ? Quæres, quales fuerint hæ fenestræ, et cur vocentur obliquæ? Respondet R. David, et Isidorus Clarius fuisse fenestras introrsum angustiores, extrorsum vero latiores.

Secundo, alii passim censent, eas extrorsum fuisse angustiores, introrsum latiores: inde dicuntur obliquæ, tum quia declives erant, tum consequenter quia per eas lumen non rectum ingrediebatur, sed obliquum et declive: ita censet Beda l. 1. de Templo c. 7. Angelomus, Caiet. et Abulens. 3. Reg. 6. v. 4. Richar. Victor. Lyran. Vatab. Maldon. hic, Riber. lib. 1. de Templo cap. 13. Verum Angelomus et Abulensis affirmant, non dici obliquas eo quod revera essent obliquæ, sicut exiguæ fenestræ, quæ fiunt in quibusdam arcibus; sed quod, cum essent introrsum latiores, lineæ laterum illarum non erant parallelæ, sed a se invicem semper elongabantur, sicut latera trianguli: ita enim exponit Abulensis, et addit: *Istud autem fit ad hoc, ut lux multa intret per illas; quod non fieret, si essent fenestræ æquales intus, et extra. Causa huius est, quod radii Solis venientes ab extra intersecant se in superficie fenestræ, ubi est locus strictior, et deinde dilatantur, et intrat lux in domum per modum pyramidis eversæ. De quo patet lib. 1. Perspectivæ communis propositione 6. et sic fiunt fenestræ communiter in Ecclesiis, et aliis domibus.*

Prob. hæc sentent. Primo, quia hoc significat vox *obliquas*; secundo quia pro *obliquas* 3. Reg. 6. 4. in Hebræo est, שְׁקוּפִים אֲטֻמִים *scekuphim attumim*, id est, *apertas clausas*, quia scilicet interius erant latæ et patulæ, exterius angustæ, ut pene clausæ viderentur. Non enim omnino clausæ erant: sic enim non fuissent fenestræ. *Clausas* ergo idem est quod angustas, ut explicat Pagninus. Unde Chald. vertit, *apertas intrinsecus, et clausas forinsecus*; et Sept. vertunt, *fenestras cancellatas occultas*.

Tertio, quia S. Hieron. id docet verbis citatis cap. 1. 16. ubi has fenestras ex Symmacho vocat τοξικάς, quod lumen instar sagittæ transmitterent.

Porro hæ fenestræ cancellis quibusdam transversis in modum retis erant obductæ, et quasi clausæ: ideo enim hebr. vocantur *atumim*, id est clausæ. Id clare docent Septuag. qui 3. Reg. 6. v. 4. vertunt, θυρίδας διεκτυωμένας κρυπτάς, id est, *fenestras reticulatas occultas*; et sic v. 16. θυρίδες δικτυωταί, id est *fenestræ reticulatæ*, sive *cancellatæ*. Ubi S. Hieron. *Fenestræ*, inquit, *factæ erant in modum retis, instar cancellorum, ut non speculari lapide, nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis clauderentur (pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habet) quæ in tribus tantum erant partibus templi, ad dexteram scilicet, et ad sinistram, et post tergum. Orientalis enim pars non habebat fenestras: quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, et cuncta interiora templi ianuarum lumine complebantur, ita ut per singulas fenestras et cancellorum foramina, intra quis posset aspicere.* Ita Ribera et Vilalpando in cap. 40. Ezech. ubi et addit, *obliquas* dici, eo quod eorum anguli obliqui essent, non recti, uti sunt in reti, et in cancellis transversis: rursum dici τοξικάς, quod in modum cuspidis sagittæ foramina hæc acuminarentur. Harum ichnographiam claram exhibet Vilalpando in tabula post paginam 144.

Mystice, fenestræ sunt doctores. Mystice fenestræ templi (ut ait Beda cap. 7.) doctores Ecclesiæ sunt, qui dum fidei mysteria, et facienda docent, per eos lux ad reliquos ingreditur. Ideo dictum est Matth. 5. *Vos estis lux mundi.* Fenestræ obliquæ sunt eodem auctore; quia nimirum necesse est, ut quisquis iubar supernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox sinum cordis amplius castigando dilatet, atque ad maiora capessenda solerti exercitatione præparet. Sunt etiam introrsum latiores, quia etsi magna latitudo charitatis cerni in eis debet exterius, maior intus debet in corde fervere.

Et vulnera Christi. In corde Christi fenestras interpretari possumus vulnera, quæ magnam ostendunt charitatem, multo tamen maior erat in eius corde intus. Christus enim immense amabat Deum Patrem, tum quia clare perspiciebat immensam eius pulchritudinem, dignitatem, amorem, aliaque eius attributa divina: tum quia immensum eius in se amorem cernebat, quo humanitatem suam ad unionem hypostaticam cum Verbo evexerat, omnibusque sapientiæ, gratiarum et virtutum donis mire decorarat. Et quia immense amabat Patrem, immense amabat et homines, utpote pro quibus Deus Pater eius humanitatem ita evexerat et decorarat, volebatque ut Christus pro eorum salute hæc omnia expenderet, ac tormenta et mortem crucis subiret. Immensus ergo hic Christi in Deum amor, indeque ad nos reflexus, mortis crucisque terminis limitari non potuit. Sicut enim semel mortuus est, ita millies mori et crucifigi voluisset, si id Pater iussisset: ac ut omnium hominum causa mortuus est, sic unius hominis causa mori paratus erat, ad idque abundantissimum et promptissimum habebat amorem: atque non tres tantum horas, sed usque ad diem iudicii in cruce pendere, ibique laboribus et doloribus confici, si id Pater postulasset, cupivisset, et ad hoc reipsa præstandum vires superabundantes amor hic ipsi subministrasset. Hinc ipse sitiebat crucem et mortem omnesque dies quibus illa differebatur, præ amore nimis illi longi videbantur. Hoc est quod ait Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Pelagus ergo amoris Christus intra viscera occluserat, cuius exiguos tantum rivulos per vulnera nobis commonstravit. Hoc est exemplar amoris, quod nobis imitandum et rependendum proposuit Christus: de quo docte et pie disserit noster Bernardin. Rossignol. de Disciplina Christianæ perfect. lib. 5. c. 26.

Erant autem fenestræ in tribus lateribus templi, id est, in omnibus, præterquam in Orientali, et in omnibus contignationibus, quia omnium conditionum homines lumine Solis iustitiæ indigent, quod per doctores Ecclesiæ, et per spirituales viros diffunditur. Latus Orientale, quia magnam habet ianuam, et orientis Solis radiis plenissime perfunditur, fenestris non indiget; quia pars illa Ecclesiæ, quæ plene a Deo illuminatur in beatitudine, non necesse habet ab hominibus doceri. Hinc de ea dicitur Apocal. 21. *Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est agnus.* Denique fenestræ erant tantum in atrio, et Sancto, non in Sancto sanctorum. Hoc enim undique clausum et opacum erat sine fenestris, idque quia Deus, id est angelus, vice Dei in assumpto ex aere corpore sedens, et respondens in propitiatorio, a pontifice ingrediente Sancta sanctorum videri nolebat. Est enim caligo et nubes latibulum eius: unde pontifex vocem loquentis audiebat, sed speciem aut formam nullam cernebat, ut dicitur Num. 7. 89. ita docet Abulens. Exodi 25. quæst. 22. Vilalpan. hic cap. 34. et alii.

Et fabrefacta Cherubim et palmæ: et palma erat inter Cherub et Cherub.) q. d. In parietibus templi insculptæ erant effigies Cherubim, et palmarum, ita ut alterne succederent sibi invicem imago Cherub et imago palmæ, atque quisque Cherub esset inter duas palmas; et quæque palma inter duos Cherubim. Parietes ergo alternis Cherubinis, et palmarum spatulis, quasi coronis exornabantur. Vers 18.

*

Causam dat Alcazar Apocal. 3. vers. 12. not. 1. quod templum a Salomone erectum sit Deo victori, ob eximias victorias, quas eius pater David Dei ope et ductu de hostibus reportaverat. Constat hoc 1. Paral. 26. 27. et c. 29. 11. ubi David, eiusque duces dicuntur obtulisse spolia bello capta ad fabricam templi, dicente Davide: *Tua est Domine magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria, et tibi laus.* Sic Philippus II. Hisp. Rex augustum illud S. Laurentii templum ædificavit ob victoriam, quam S. Laurentii die festo, et ipsius patrocinio consecutus fuerat. Nam Cherubini (id est iuvenes alati) æque ac palmæ victoriarum sunt symbola, uti videre est in antiquis sculpturis et numismatibus; eaque Romani et Græci a Salomone et Hebræis mutuati videntur. Nam cum constet palmam oriundam esse ex Iudæa et Phœnicia (ideoque in antiquis nummis, ubi Iudæa effingitur, palma velut eius nota et insigne additur) dubitandum non videtur, quin ex templo Salomonis desumptum sit, ut palma pro victoriæ signo ponatur ab Ethnicis, atque ut in certaminibus victori daretur palma.

Palma victoriæ symbolum Hebræis, indeque Romanis.

Quod autem simulacrum Victoriæ effingeretur altera manu palmæ, altera oleæ ramum præferens, id etiam ex eodem templo derivatum videtur; quia in eo frequentes erant palmarum et oleæ frondium effigies.

Vers. 18. et 19. Duasque facies habebat Cherub: faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, et faciem leonis iuxta palmam ex altera parte.) Quaternas facies habebant Cherubim, uti vidimus c. 1. nimirum in statua separata; sed in pariete plano insculpti duas tantum facies ostendebant, scilicet hominis, et leonis: quia duæ aliæ facies, scilicet aquilæ et vituli, intercipiebantur et abscondebatur ab ipsa planitie parietis.

Dimidiata sculptura Cherubim qualis?

Fuit enim hæc Cherubinorum dimidiata sculptura (quam Galli *demie taille* vocant) in qua necesse est, ut multæ partes occultentur, nec appareant: quia figuræ imperfectæ sunt, et ex parte extantes, reliqua vero parte in plano parietis absorbentur. Cum ergo aquilæ facies in editiori parte capitis extaret, facile fuit illam in eiusmodi cælatura abditam remanere: eam enim solum vultus partem ars eminentem, sive extantem reliquit quæ satis erat, ut inspici, et ex ea cognosci posset, superiori capitis parte imperfecta seu abscondita relicta. Secundo, ut leonis facies cerneretur, necesse fuit Cherubinum ex latere, sive obliquum figurari. Quare eo ipso quod humanam faciem, et leonis vultum monstraret, necessario erat vituli facies obtegenda, inquit Alcazar Apocal. 4. v. 7. not. 12.

Mystice, S. Hieron. *Cum ingressi* (ait) *sumus Sancta sanctorum, et vitia mortificamus, indigemus facie hominis et leonis, id est, prudentia et fortitudine.* Hinc patet, Cherubinos habuisse plures facies proprie dictas. Nam unam convertebant ad palmam unam hinc, et alteram ad aliam palmam inde; non ergo facies leonis erant iubæ, nec facies aquilæ erant alæ, nec facies vituli erant ungulæ, uti vult Prado et Vilalp. Leo enim tam habet iubas in pectore, quam in tergo.

Vers. 19. Per omnem domum in circuitu.) Ita ut in sanctuario octo numerarentur Cherubini in quaternis parietibus, quatuor in Sancto sanctorum arcam circumstantes, duodecim in exteriori domo: ita ut omnes Cherubini templi fuerint 24. ad quos proinde alludit Ioannes Apoc. 5. 8. dum totidem, id est 24. seniores numerat Deo et agno astantes, ait Vilalp. c. 45. Hi enim seniores sic dicti sunt, quod ab exordio temporis, ex quo sub aliqua sensibili forma Dei invisibilis sedes hominibus ostensa fuit, Dei maiestati astarent. Verum de 24. senioribus dicendum est Apoc. 5.

Vers. 20. De terra usque ad superiora.) q. q. Quantum erigebatur Orientalis portæ limen, vel ostium, tantumdem a terra parietes templi et oraculi insculptis palmis ac Cherubinis exornabantur, hoc est, in altitudine cubitorum viginti: tanti ergo erant Cherubini, æque ac palmæ, scilicet alti cubitos viginti: ita Vilalpandus.

Vers. 21. Limen quadrangulum.) Hebr. *et templi postis* (subaudi uterque) *quadratus erat.* Unde R. David ait: limen portæ templi quadratum erat, ad differentiam eorum, qui limina faciunt rotunda. Porta ergo templi quadrata erat, non fornicata: ita Vilalpandus.

Et facies sanctuarii aspectus contra aspectum.) Hebr. מראה כמראה *mare chemare*, id est, *aspectus sicut aspectus*, q. d. Facies id est postes, et portæ templi, omnes erant similes, sibique invicem obversæ, ut se invicem paribus oculis, parique aspectu intueri et aspicere viderentur: ita Maldon. Aliter Chald. et R. Salomon, q. d. Aspectus Sancti sanctorum similis erat aspectui gloriæ Domini, quam videram iuxta fluvium Chobar cap. 1.

Tertio, et melius, Vilalp. q. d. Sancti sanctorum, et Sancti facies, utpote quæ eamdem spectabant cæli regionem, et eodem aspectu videri poterant, erant omnino similes dispositione, ornamentis, incrustaturis; sed una symmetria dispares: nam huius antepagmentum utrumque ex quarta, illius ex quinta latitudinis portæ parte factum fuisse dicitur.

Addit Vilalp. cap. 46. portam templi Iudaici similem fuisse portæ templi Romani, quod Pantheon dicitur, a M. Agrippa tempore Augusti Cæsaris, in honorem omnium deorum ædificatum.

Altaris lignei.) Describit et dimetitur hic altare thymiamatis, sive incensi, quod erat ante portam Sancti sanctorum, aitque ipsum, id est eius angulos, id est tigilla angularia, et parietes, et tabulam, sive mensam (hanc enim vocat longitudinem) facta fuisse ex lignis, sed quæ aureis laminis tegebantur, addita desuper aurea craticula pro foco; additque altare hoc altum fuisse tres cubitos, longum æque ac latum duos cubitos. Hoc altare, utpote quadratum et ligneum, formam et typum gerebat crucis Christi, ait Vilalp. Vers. 22.

Hæc est mensa.) q. d. Hoc altare est quasi mensa, in qua Domino ignis et thymiama, quasi esca Deo gratissima proponitur: vel q. d. Angelus ab altari convertens se ad mensam panum propositionis dixit: Hæc est mensa in qua iugiter Deo duodecim panes proponuntur et offeruntur a duodecim tribubus Israel, quibus protestantur se a Deo ali, frugesque et panes quotannis percipere. Alioqui dicendum est, Prophetam omittere hic mensam, uti et candelabrum in Sancto, æque ac arcam cum propitiatorio, et Cherubim in Sancto sanctorum. Cuius ratio est, quod arca a Ieremia fuerit abscondita. Unde in templo Zorobabelis non fuit arca, uti diserte docet Iosephus lib. 6. de Bello, c. 6.

Duo ostia.) Hebr. שׁנים דלתת *secttaim delatot*, id Vers 23.
est geminæ fores, q. d. Tam Sancti, quam Sancti sanctorum, sive oraculi, ostium unumquodque binis claudebatur foribus.

Et in duobus ostiis, etc. bina erant ostiola.) q. Vers. 24.
d. In singulis foribus rursum erant aliæ binæ plicatiles fores. Itaque in quolibet ostio erant quatuor fores, duæ ex una parte plicatiles, et totidem ex altera, quales hodie multis in locis videmus: ita Vilalp. et Maldon.

Et grossiora erant ligna.) Id est, ligna ex quibus Vers. 25.
fores erant factæ, eminebant extrinsecus, ut Cherubim et palmæ sculperentur. Chald. et Hebræi aliter hæc vertunt, et explicant, scilicet de trabe cedrina, quam a pariete templi ad parietem vestibuli traiectam dicunt, ad continendum utrumque parietem, uti in amplis ædificiis fieri solet.

Porro trabes, æque ac postes, et columnæ, ait Vilalp. exornatæ erant insigni cælatura triglyphorum, metoparum, et zophororum. Triglyphi vocantur capita trabium, sic dicta, quod tribus canalibus exornarentur. Metopæ vocantur quadrata spatia inter triglyphos. Zophori erant Cherubinorum capita, puta hominis, aquilæ, leonis, et vituli metopis insculpta; sicut postea Dores taurorum, aliorumque animalium capita metopis insculpserunt. Dicitur ζωοφορος a ζωη, id est vita, et φερω, quasi viventis, id est animalis, caput referens et repræsentans. Qua ratione eodem nomine vocatur Zodiaci circulus, propter signa animantium formis distincta, quæ in se complectitur; scilicet hæc duodecim, totidem mensibus respondentia:

Triglyphi quid? Metopæ. Zophori.

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo,
Libraque, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces.

Vers. 26. SUPER QUÆ erant FENESTRÆ, de quibus dixi v. 16. et 17. ET SIMILITUDO PALMARUM HINC ATQUE INDE IN HUMERULIS (hebr. חלפות *chilpot*, id est *lateribus*) VESTIBULI, q. d. In fronte vestibuli ex utraque parte erant capitella sculpta, ad modum palmarum in parastadis angularibus, uti videmus in elegantibus frontispiciis palatiorum et templorum: Capitella inquam SECUNDUM LATERA DOMUS, LATITUDINEMQUE PARIETUM.) Id est, similia capitellis, paria, et æque librata, quæ domum universam cingebant, et omnes eius undique parietes: ita Vilalp. quem fere præ aliis hic sequor (nisi urgens ratio aliud suadeat, imo cogat) quia ipse et architectus fuit insignis, et viginti duos annos, uti ipsemet profitetur, in hanc templi fabricam insumpsit: cuique enim in sua arte et professione credendum est.

Mystice ostia ex olea sunt opera misericordiæ. Mystice Ribera l. 1. de Templo c. 21. ostia duo templi, id est cæli, sunt opera bona duplicis charitatis, Dei scilicet, et proximi. Unde ostia oraculi in templo Salomonis facta erant ex olea, quæ est symbolum misericordiæ. Palmæ significant viriliter esse certandum, ut palma donemur. Postes quadranguli sunt quatuor virtutes cardinales, aut quatuor præcipui affectus animæ, quos poeta expressit:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque:

quos tam in adversis, quam prosperis moderari et expolire oportet. Cherubim significant electos eo tendere debere, ut angelorum vitam puritate et amore imitentur, inter quos vident sibi vivendum esse in cælo. Ostium exterius est charitas proximi, ostium interius est charitas Dei; quia per illam ad hanc accedimus. Quodque ostium binas habet fores, quia in charitate Dei debent adesse duo, A scilicet fides veritatis, et puritas bonæ operationis. Itidem in charitate proximi debent adesse duo, scilicet patientia ad tolerandas iniurias molestiasque fratrum; et benignitas ad dimittendum ex corde, et benefaciendum iis a quibus iniurias sustinet: aut duo hæc sunt fervor operum, et interior animi devotio. Ante hæc ostia erat velum. Velum ante Sanctum sanctorum significabat clausum esse cælum, et abscondita esse hominibus, quæ intra cælum sunt. Velum ante Sanctum significabat, abscondita esse hominibus nondum expertis ea bona, quæ Deus preparavit iis, qui per pœnitentiæ et abnegationis (hanc enim significabat altare holocaustorum, et labrum æneum, quod erat in atrio ante Sanctum) sui perseverantiam transeunt ad perfectionem charitatis, et semper cogitant de futuris bonis, eaque tantum expetunt obliti cæterorum.

Palma symbolum constantiæ et coronæ; hinc victori datur. ET SIMILITUDO PALMARUM HINC ATQUE INDE IN HUMERULIS VESTIBULI.) B Palma symbolum est roboris et victoriæ, eo quod ponderibus impositis humeris renitatur. Audi Gellium lib. 3. c. 6. *Rem mirandam Aristotel. in 7. Probl. et Plutarch. in 7. Sympos. dicunt: Si supra palmæ, inquiunt, arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, nec infra flectitur, sed adversus pondus resurgit, et sursum nititur, recurvaturque: propterea, ait Plutarch. in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ: quoniam ingenium huiusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat.* Rursum palma in summo coronata est: habet enim frondium et fructuum suorum comam circumcirca instar coronæ. Pari modo victoriæ debetur corona, eaque paratur constantia ac magnanimitate palmata, ac magnanimis debetur.

CAPUT QUADRAGESIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit atria templi dimetiri et describere sigillatim, quæ cap 40. generaliter tantum dimensus fuerat, ac tandem in fine omnia, id est, extimum omnium ambitum quingentis calamis in quolibet latere, id est universim bis mille calamis, hoc est, duodecim mille cubitis circumscribit.

1. Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem, et introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium et contra ædem vergentem ad aquilonem. 2. In facie longitudinis, centum cubitos ostii aquilonis: et latitudinis quinquaginta cubitos, 3. Contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus iuncta porticui triplici. 4. Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Et ostia eorum ad aquilonem: 5. Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora: quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii. 6. Tristega enim erant, et non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferioribus, et de mediis a terra cubitis quinquaginta. 7. Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia: longitudo eius quinquaginta cubitorum. 8. Quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris, quinquaginta cubitorum: et longitudo ante faciem templi, centum cubitorum. 9. Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori. 10. In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam orientalem, in faciem ædificii separati, et erant ante ædificium gazophylacia. 11. Et via ante faciem eorum, iuxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via aquilonis: secundum longitudinem eorum, sic et latitudo eorum: et omnis introitus eorum, et similitudines, et ostia eorum: 12. Secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad notum: ostium in capite viæ: quæ via erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus. 13. Et dixit ad me: Gazophylacia aquilonis, et gazophylacia austri, quæ sunt ante ædificium separatum: hæc sunt gazophylacia sancta: in quibus vescuntur sacerdotes qui appropinquant ad Dominum in sancta sanctorum: ibi ponent sancta sanctorum et oblationem pro peccato, et pro delicto: locus enim sanctus est. 14. Cum autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius: et ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt: vestienturque vestimentis aliis, et sic procedent ad populum. 15. Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me de viam portæ, quæ respiciebat ad viam orientalem: et mensus est eam undique per circuitum. 16. Mensus est autem contra ventum orientalem calamo mensuræ, quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. 17. Et mensus est contra ventum aquilonis quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum. 18. Et ad ventum australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. 19. Et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ. 20. Per quatuor ventos mensus est murum eius undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, et latitudinem quingentorum cubitorum, dividentem inter sanctuarium et vulgi locum.

Vers. 1. **Et eduxit me in atrium exterius.**) Propheta ex atrio interiori, ubi eius dimensionem et ornatum contemplatus fuerat, deductus est ab angelo in exterius, scilicet in eius porticus, et atriola, et ambulacrum ad Occidentem extensum, hinc atque illinc cinctum gazophylaciis, id est, exedris. *Gazophylacium* enim vocat ordinem gazophylaciorum omnium: ita Vilalp. Alii per atrium exterius intelligunt fœminarum; hoc enim exterius erat, respectu atrii virorum, quod erat interius. Alii, ut Mald. putant atrium virorum vocari exterius. Verum iam dixi c. 40. atrium exterius vocari atrium sive templum laicorum; interius vero esse sacerdotum, quia erat vicinum templo, puta Sancto.

Atrium exterius quod?

Contra separatum ædificium.) Hebr. contra הגזרה *hagghizra*, id est contra separatum: significat templum, de quo c. præc. v. 12.

Et contra ædem vergentem ad Aquilonem.) Id est contra gazophylacium, vel potius gazophylacia templo adhærentia ex parte Aquilonis.

Vers. 2. **In facie longitudinis, centum cubitos ostii Aquilonis: et latitudinis quinquaginta cubitos.**) q. d. Hæc porticus habebat centum cubitos longitudinis, et 50. latitudinis.

Vers. 3. **Contra viginti cubitos atrii interioris.**) Id est castellum, vel quadrata porticus, de qua sequitur hoc eodem versu, ex qua aditus patebat et in ambulacrum, et in exedras prædictas, respiciebat ex altero latere plateam viginti cubitorum, quæ erat inter vestibulum et atrium sacerdotum, et quæ totam undique domum cingebat. Aliter hæc explicat Maldon. et alii. Varii enim varias hic sibi huius fabricæ ideas formant.

Et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris.) Id est respiciebat ex altero latere porticum, quæ in atrio Aquilonari Occidentalis erat.

Nota. Pavimentum stratum lapide vocat porticus inferiores. Hæ enim stratæ erant lapide vivo, ut nec æstatis pulvere, nec luto hiemis sacerdotum vestigia polluerentur, ait S. Hieron. quod mystice explicans subdit: *Unde et Dominus ascensurus ad Patrem, Apostolorum lavat pedes, ut mundatis purgatisque vestigiis scandant regna cælorum: et imperat Apostolis, ut in quamcumque ingressi fuerint civitatem, et non susceperint eos, excutiant pulverem pedum suorum, quo scilicet nihil munerum terrenorum ab eis apud se remanere patiantur.*

Ubi erat porticus iuncta porticui triplici.) Erat castellum, vel porticus quadrata, quæ erat in medio porticuum, trium scilicet, Occidentalis, Aquilonaris et Meridianæ.

Vers. 4. **Viæ cubiti unius.**) Spatio cubiti unius: ita Hebr. sed Romana et alii legunt, *ad interiora respiciens vix cubiti unius.* Sensus est, q. d. Deambulatio media lata erat decem cubitis ad parietem, sed ultra utrinque adhuc habebat viam et spatium unius cubiti, vel extabat adhuc uno cubito: ita Vilalp.

Vers. 5 **Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora.**) Exedræ, sive cubicula superiora humiliora erant quam inferiora. Ab his enim sustineri debebant; sicut arbor, ait Vitruvius lib. 5 c. 1. quo altius crescit, eo fit gracilior semper. Sic Tropologice quanto quis fit excelsior, tanto debet fieri humilior, ut cum Paulo dicat: *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus*, 1. Cor. 15. 9. ita S. Hieron.

Quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii.) Id est, quia columnæ Meridianæ, quas supportabant et fulciebant ipsæ porticus infimæ, eminebant ex ipsis, vel præ ipsis porticuum postibus, id est contractiores surgebant, quam postes inferiores, et supremæ columnæ adhuc exiliores attollebantur quam Meridianæ: quales videre est in Collegio Romano Soc. Iesu a Gregorio XIII. ædificato, in quo mira est peristyliorum superiorum cum inferioribus symmetria: ita Vilalpan. inferiores enim erant quasi fundamenta superiorum: et solent fundamenta latiora esse; quæ vero iis superædificantur, sursum arctari.

Tristega enim erant.) Id est, tria quasi tabulata erant per triplicem columnarum ordinem: sive tres erant contignationes, trabeationes et columnationes ex triplici columnarum serie, una alteri supposita, subordinata et substructa. Vers. 6.

Et non habebant columnas.) Scilicet superiora cœnacula.

Propterea eminebant.) Hebr. *propterea decisum est supremis*, præ inferioribus et mediis a terra, q. d. Necesse fuit cubicula superiora esse humiliora inferioribus, quia columnæ eorum, vel pilæ erant contractiores, quam inferiores columnæ: et ideo sicut detractum est aliquid superioribus de crassitie columnarum inferiorum, sic necesse fuit detrahi aliquid de altitudine in secundo ordine, et tertio. Ita ergo videntur hi tres ordines columnarum dispositi, ut licet ordo inferior columnarum nulla habuerit gazophylacia, sed fuerit totus in postes et columnas distributus, ac perflabilis undequaque; tamen ordines superiores, nempe medianus et supremus, suas habuerint frontes columnationibus instructas, cum summa symmetria et pulchritudine, et cum ea proportione quam Vitruvius l. 5. c. 1. exigit, *ut columnæ superiores quarta parte minores, quam inferiores constituantur.* Porro videntur fuisse hi *tres ordines lapidum politorum*, de quibus 3. Reg. 6. 36. sive, ut Chald. vertit, *tres ordines lapidis boni*, id est pretiosi, puta ex marmore Pario candidissimo, serrato, politissimo et tersissimo, inquit Pineda l. 5. de Reb. Salom. c. 5.

Cubitis quinquaginta.) Hoc non est in Hebr. nec in Septuag. sed additum a nostro paraphrastice.

Et peribolus exterior.) Peribolus vocatur murus, Vers. 7.
vel septum, q. d. Murus Orientalis huius ædificii longus erat 50. cubitis, sicut et ipsa gazophylacia longa erant 50. cubitis, licet neget hoc Maldon.

Et longitudo ante faciem templi.) Transit ab exedris Aquilonaribus ad Meridianas. Metitur ergo latitudinem atrii interioris ab ædificio Aquilonari usque ad Australi oppositum, centum cubitis. Vers. 8.

Gazophylacia hæc) Australia. Vers. 9.

In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam Orientalem in faciem ædificii separati, et erant ante ædificium gazophylacia.) Loquitur de peribolo seu muro trium cubitorum, uti asserit Ioseph. qui atrium sacerdotum cingebat, et distinguebat ab atrio laicorum. Loquitur autem de muro Australi, q. d. Latitudo huius porticus, et muri Meridiani ambientis atrium sacerdotum, cuius adytum et portam dixi spectare Orientem, procedebat versus Occidentem coram latere ædificii separati, id est, templi, dextro; et ante illud latus ædificii, sive templi Meridianum, erant gazophylacia, sicut a latere Aquilonari. Vers. 10.

Et via ante faciem eorum iuxta similitudinem gazophylaciorum quæ erant in via Aquilonis.) q. d. Media ambulatio, et exedræ laterales Meridianæ eadem ratione erant constructæ, eadem mensura, qua Aquilonares, quas supra descripsi. Vers. 11.

Secundum longitudinem eorum, sic et latitudo eorum.) Non quod latitudo par esset longitudini, sed q. d. Longitudo huius ædificii Meridiani par fuit longitudini alterius Aquilonaris; et latitudo huius par fuit latitudini illius. Est hebraismus.

Omnis introitus.) Septuag. vertunt, *exitus*. Nota. Introitus, et exitus Hebræis idem est, quod forma, ordinatio, dispositio, mensura.

Introitus et exitus idem est quod forma et dispositio.

Et similitudines eorum.) Scilicet gazophylaciorum, quæ primum mensus fuerat in Aquilone. Deinde necte hæc cum versu sequenti, q. d. Sicut similitudines eorum, et sicut ostia eorum, sic erant ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad Notum, id est Austrum, hoc est, Australia similia erant Aquilonaribus.

Ostium in capite viæ, quæ via erat ante vestibulum separatum per viam Orientalem ingredientibus.) Pro vestibulo hebr. est גדר *gheder*, id est peribolus, sive murus separans sacerdotes a laicis, q. d. Ædifi- Vers. 12.

cium hoc Australe ascensum habuit a fronte Orientali, gradusque eius duxit in ambulationem mediam superiorem, quæ procurrebat Occidentem versus secundum longitudinem periboli elegantis, et separantis populum a clero.

Vers. 13 Ante ædificium separatum.) Ita vocat templum, sive Sanctum, et Sanctum sanctorum, quia erat separatum ab atriis: hebr. enim est *ghisra*, uti iam sæpius dixi.

Appropinquant ad Dominum in Sancta sanctorum.) Id est, in atrium, et templum sanctissimum; quia scilicet intrant Sanctum, et sic appropinquant Sancto sanctorum.

Ibi ponent sancta sanctorum.) Id est, carnes sanctissimas Deo immolatas, scilicet partes illas, quæ sacerdotibus Deo consecratis et sanctificatis ex lege a Deo deputatæ sunt.

Vers. 14. Cum autem ingressi fuerint.) q. d. Sacerdotes in Sancto sanctorum, id est, suo atrio sanctissimo, scilicet in suis gazophylaciis comedent carnes Deo oblatas, sicque consummabunt sacrificium, tumque eodem loco vestes sacras deponent, assumentque suas communes, quibus ad populum egredientur in atrium Israel exterius.

Nota. Quam voluit Deus sacerdotes a populo loco et religione secerni et coli.

Vers 16. Mensus est autem contra ventum Orientalem.) Metitur murum extimum atrii Israel quater, per quatuor latera, incipiendo a quolibet latere, asseritque quodlibet latus habuisse in longitudine quingentos calamos. Ita S. Hieron. Lyr. Maldon. et alii. Contrarium sentit Vilalp. scilicet angelum hic metiri non singula latera seorsim, sed omnia, sive totum circuitum simul, idque quater; quia a quolibet latere vicissim incipit eum dimetiri. Censet ergo ipse totum muri circuitum fuisse tantum quingentorum calamorum. Favet vers. ultim. ubi totus concludi videtur quingentis calamis. Porro calamos hosce ipse per partes subducit pagina 380. Verum aliud exigit ipse planus textus literæ, quæ singula latera per partes ordine dimetitur. Et quorsum quæso idem quater dimetiretur? Ita passim interpretes.

Porro murus hic dividebat Sanctum a profano, ut dicitur v. ult. Faciebat enim peribolum circa templum, qui et ipse sacer erat, sicut nunc cœmeteria, quæ templis adhærent, ait Maldon.

Calamo mensuræ.) Id est maximo calamo, qui sex cubitos habebat, cum vulgaris non haberet nisi cubitos quinque: erat ergo hic calamus sacer.

Quingentos calamos.) Id est, ter mille cubitos habebat quodlibet latus quadrati; totus ergo murus, sive totum quadratum habebat in circuitu bis mille calamos, id est, duodecim millia cubitorum: ita Maldon.

Quocirca videtur hic alius murus (magis extrinsecus) a muro, qui cingebat atrium Israelis in templo Salomonis, describi. Illud enim atrium erat 500. cubitorum tantum: hic vero peribolus dicitur fuisse 500. calamorum, idque a quolibet latere. Calamus autem sacer (de quo hic agitur) continet sex cubitos. Idipsum liquere videtur ex capite sequenti v. 12. ubi totum templi et fabricæ huius ambitum concludens, ait: *Ista est lex domus in summitate montis: omnis finis eius in circuitu Sanctum sanctorum est*: pro quo ex Hebr. vertunt Septuag. *ista est descriptio domus in vertice montis, et omnes termini eius in circuitu Sancta sanctorum.* Clarius vero Vatabl. *lex domus huius hæc est, totus terminus ipsius erit in montis vertice, et circumposita quoquoversus sacra Sancta.* Ergo peribolus hic extimus non tantum verticem montis, sed et circumposita per quatuor mundi plagas ambiebat.

Simili modo c. 45. 3. longe maiorem dat peribolum et ambitum templo. Habet enim vigintiquinque millibus calamorum circumscribi locum sacerdotum; et in eo ædificari templum. Ait enim: *Et a mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque millium, et latitudinem decem millium, et in ipso erit templum, Sanctumque sanctorum.*

Per quatuor ventos, etc. longitudinem quingentorum cubitorum.) Nota. Hic in Hebræo non est *cubitorum*, sed ex præcedentibus subintelligi et repeti debet *calamorum*: ita S. Hieron. Lyran. Maldon. et alii; unde textus Bibliorum in Glossa ordinaria, et in aliis nonnullis codicibus, omittit τὸ *cubitorum*, et legit tantum *quingentorum*, supple calamorum, qui præcesserunt: τὸ ergo *cubitorum* omittendum videtur, vel corrigendum *calamorum*. Est enim hoc versu repetitio, et quasi generalis complexio quatuor præcedentium dimensionum, quatuor versiculis præcedentibus comprehensarum. Vers. 20.

Aliter Vilalp. qui hic se torquet, ut eum non capiam. Vult enim tueri vulgo tritam lectionem *cubitorum*, quam habent et Septuag. ac proinde v. 15. usque ad 19. putat describi murum unum 500. calamorum, hoc vero v. ult. alium 500. cubitorum, quod intuenti textum parum probabile videtur. Sic et Pineda l. 5. de Rebus Salom. c. 5. putat hic mensurari atrium extimum Gentium, non intimum Israel.

Sed audiamus S. Hieron. ingenue et candide sic profitentem: *Illud autem,* inquit, *quod per simplicitatem interpretationis (dum parum attendimus celeritate dictandi) et Septuag. habet et nostra translatio: Murum eius undique per circuitum longitudine quingentorum cubitorum, et latitudine quingentorum cubitorum, Hebræus sermo non continet; sed simpliciter, Longitudinem quingentorum, et latitudinem quingentorum, ut subaudiatur calamorum: sicuti quarto supra dictum est, ad Orientalem ventum, et ad Aquilonem, et ad Austrum, et ad mare quingentis calamis, murum partium singularum ab eo qui tenebat calamum fuisse dimensum.* Quid clarius? Mystice deinde S. Hieron. numerum quinquagenarium refert ad remissionem omnium peccatorum, puta ad Pentecosten.

Symbolice ergo, quingentesimus numerus significat quietis perfectionem, quia fit ex quinquagenario decies multiplicato. Quinquagenarius autem requiem, denarius perfectionem significat. Audi S. Gregor. l. 1. Moralium 15. ad illud Iob 1. fuerunt Iob *quingenta iuga boum, et quingentæ asinæ.* In quinquagenario, inquit, numero, qui septem hebdomadibus, ac monade addita impletur, requies designatur, denario autem summa perfectio. Quia ergo fidelibus perfectio quietis promittitur, quasi quinquagenario decies ducto, ad quingentesimum pervenitur. Symbolice 500. significant quietis perfectionem.

Porro quod quingentesimus remissionis et indulgentiæ teneat sacramentum, non solum vetus Script. docet, sed etiam Christus, qui Lucæ 7. dum remissionis et indulgentiæ parabolam edocet, debitores introducit, unum 50. alterum 500. denariorum.

Inter sanctuarium et vulgi locum.) Id est, inter atrium Israel, quod sanctum erat, utpote populi templum, *et locum vulgi*, id est Gentilium, quod profanum erat, vel, ut Maldon. *locum vulgi*, id est urbem, ut scilicet murus hic divideret locum sanctum a Gentilibus, et ab urbe. Declarat usum muri, quod scilicet ad hoc circumcirca templum cingebat, ut locum sanctum a profano distingueret et separaret. Nam quidquid intra murum illum erat, sanctum erat: unde et templum subinde vocatur, ut cum Christus vendentes et ementes e templo eiecisse dicitur Ioannis 2. 15. non enim erat ipse in templo, id est in Sancto; sed in hoc exteriori peribolo, puta atrio, non sacerdotum, sed laicorum: ita Maldon.

EXPOSITIO MYSTICA

TOTIUS FABRICÆ EZECHIELIS, EX LYRANO.

Lyranus in fine comment. in Ezechielem notat S. Gregorium in expositione mystica huius templi, quam recensui c. 40. per varia et diversa accipere idem. Nam et per montem super quem ductus est Propheta, accipit Christum, et per virum mensurantem ædificium, item per portam, et alia plura accipit eumdem Christum. Convenientius enim, inquit Lyran. exponetur visio, si per diversas partes et similitudines accipiantur diversa. Quare ipse diversa diversis sigillatim applicans, totam hanc fabricam a c. 40. huc usque descriptam ita explicat:

In Ecclesia, ait, *quæ est congregatio fidelium, duplex est regnum. Unum quantum ad spiritualia, et hoc designatur per ædificium templi: aliud autem quantum ad temporalia, et hoc designatur per divisionem terræ et ædificium civitatis circa finem libri; utrumque tamen regnum est a Deo. Ideo dico cum B. Greg. quantum ad hoc, quod per montem in quo Propheta dicitur dimissus vel positus supra* 40. *c. intelligitur Christus, de quo scribitur Dan.* 2. Lapis qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram: *quod exponitur de Christo a doctoribus Hebraicis et Latinis. Super istum autem montem fundatur Ecclesia, sicut ipse dicit Matth.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, *id est super me; et hoc quantum ad duplex regimen Ecclesiæ prædictum. Et sicut patet ex præcedentibus, primo agendum est de ædificio spirituali, quia primo describitur in præcedentibus ipsum templum: circa cuius ædificium describitur triplex murus, scilicet, exterior, medius et interior. Per exteriorem vero qui circumdat omnia ædificia, intelligitur protectio seu custodia divina omnia complectens: de quo muro dicitur Isaiæ* 26. Urbs fortitudinis nostræ Sion. Salvator ponetur in ea murus, *etc. Per murum vero medium intelligitur custodia seu protectio angelica, quæ includitur sub divina, unde dicitur Psal.* 124. Montes in circuitu eius. *Id est angeli, ut dicit gl. August. qui sunt in circuitu Ecclesiæ per modum muri. Per murum autem interiorem qui est minoris ambitus, intelligitur protectio seu custodia humana, per prælatos Ecclesiæ et eorum ministros, quæ minoris efficaciæ est quam angelica. De hoc autem muro contra malos prælatos dicitur supra* 13. Non opposuistis vos murum pro domo Domini. *Intra muros istos est ingressus ex tribus partibus, per quas intelliguntur tres partes terræ habitabilis, Asia, Africa, et Europa, ex quibus ingressi sunt Ecclesiam multi per susceptionem fidei et Sacramentorum, et ingrediuntur de præsenti, et ingredientur de futuro. De istis vero tribus terræ partibus dicitur Ierem.* 22. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. *De quibus tribus terræ partibus plures audierunt sermonem Apostolorum aliorumque Christi discipulorum cum effectu credendi. Ex qualibet autem parte trium partium dictarum sunt tres portæ in tribus muris ex opposito se respicientes: per quas significantur tres gradus vel status venientium ad fidem, scilicet incipientium, qui designantur per portam exteriorem, sive primam; proficientium, qui significantur per mediam vel secundam; perfectorum, qui designantur per tertiam vel interiorem. De portis istis dicitur Psal.* 86. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. *Per tabernacula Iacob intelligitur status vel gradus fidelium tempore legis Mosaicæ, per portas Sion status vel gradus fidelium tempore legis Evangelicæ, quæ dicitur lex amoris, lex autem vetus lex timoris; propter quod portæ Sion bene dicuntur prædilectæ. In portis autem exterioribus non sunt ædificia magna, sed quædam domunculæ super eas ædificatæ, ut supra dictum est: per quod designatur, quod*

A *status incipientium est adhuc notabiliter imperfectus. In portis autem mediis et in interioribus sunt ædificia pulchra, ad designandum quod proficientes et perfecti habent maiorem perfectionem; perfecti iam actu proficientes in potentia actui propinqua, ad quod designandum ad portas medias est ascensus per septem gradus tantum, ad interiores vero seu tertias est ascensus per octo gradus. Habet autem quælibet sex portarum vestibulum, porticum, duas frontes, et sex thalamos. Per vestibulum præcedens porticum intelligitur gratia præveniens, de qua dicitur Ps.* 58. Misericordia eius præveniet me. *Misericordiæ namque Dei et eius gratiæ sunt idem. Per porticum vero gratia subsequens, de qua dicitur Psal.* 22. Misericordia eius subsequetur me. *Vel aliter potest dici, quod per vestibulum et porticum designatur voluntas bona et operatio sancta, de quibus dicit Aug. super Ioannem*: Præcedet velle, subsequetur perficere. *Per duas frontes, quæ sunt ad decorem et fortitudinem portarum (propter quod factæ sunt*

B *ad modum duarum turrellarum ex utraque parte cuiuslibet portæ) designatur patientia in adversis, quæ stabilit hominem ne per impatientiam frangatur: et modestia in prosperis, quæ tenet hominem ne per superbiam elevetur. De istis duabus turrellis dicitur Psal.* 121. Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis: *nam per patientiam in adversis, et per modestiam in prosperis acquiritur et conservatur abundantia omnium divinorum beneficiorum in nobis. Per thalamos autem, in quibus homines dormiunt et quiescunt, intelligitur pax. Unde Ps.* 4. In pace in idipsum, dormiam et requiescam. *Est autem duplex pax, scilicet interna et fraterna; ideo dicuntur thalami esse hinc et inde ex utraque parte portæ, et tres ex una parte, quia pacem internam tria faciunt. Primum est conscientia munda. Eccli.* 44. Homines divites in vir-

C tute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, *id est, in conscientiis propriis. Secundum est amicitia divina. Aug. lib. Confessionum*: Inquietum est Domine cor meum, donec requiescat in te. *Et Psal.* 118. Pax multa diligentibus legem tuam, *quæ est lex divini amoris. Tertium est sufficientia modesta, per quam aliquis est contentus his quæ habet, et sic in se pacificatus; de quo potest exponi quod dicitur Matth.* 5. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Tales enim filii Dei quodammodo Deo assimilantur, qui non indiget aliquo extra se, sed est sibi sufficientissimus. Similiter ex altera parte portæ sunt tres thalami, quia tria faciunt pacem fraternam. Primum est humilitas vera, quæ in tantum pacifica est, quod facit pacifice habitare cum suo contrario: et hoc est speciale in hac virtute; nam castus non habitat pacifice cum luxurioso, nec iustus cum iniquo: sed humilis ha-*

D *bitat pacifice cum superbo, quia sicut superbus vult dominari, ita vere humilis subiici, et sic uterque habet quod quærit, et per consequens quiescit. Ideo dicitur Psal.* 119. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. *Id est, cum superbis, de quibus dicitur Proverb.* 13. Inter superbos semper iurgia sunt. *Secundum est æquitas iusta, sine qua nulla societas potest esse pacifica, sicut patet de societate latronum, qui sunt adversarii iustitiæ; nisi enim inter se iuste dividerent spolia, statim inter eos oriretur discordia, ideo dicitur Isaiæ* 32. Erit opus iustitiæ pax. *Tertium est taciturnitas debita, quæ tenet os clausum ne prorumpat in verba discordiæ seminativa: unde per oppositum dicitur Ecclesiast.* 28. Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. *De quolibet autem dictorum thalamorum potest dici quod scribitur Deuter.* 33. Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi

in thalamo morabitur sola die; *qui enim Deum vere diligit, in dictis thalamis iugiter commoratur. Post expositionem portarum procedendum est ad expositionem gazophylaciorum, quæ supra describuntur esse circa pavimentum orientale, et dicuntur esse 30. per quæ designatur impletio decem præceptorum temporibus tribus necessaria, scilicet, tempore legis naturæ, et tempore legis Mosaicæ, et tempore legis Evangelicæ. Denarius autem numerus multiplicatus per ternarium, consurgit in tricesimum. Et bene dicuntur gazophylacia a gaza et phylace, quod est servare: nam per impletionem decem præceptorum conservantur divitiæ virtutum. Post expositionem gazophylaciorum sequitur expositio mensarum, quæ supra dictæ sunt octo: per quas designantur quatuor partes veteris testamenti, et quatuor novi, de quibus tamquam de mensis spiritualibus reficitur totus populus Christianus, secundum quod dicitur Deuter.* 8. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. *Quod autem vetus testamentum in quatuor partes dividatur, dixi plenius in principio Geneseos. Dividitur enim in libros legales, historiales, prophetales et sapientales. Et consimiliter dividitur novum testamentum. Nam libris legalibus correspondent Evangelia, historialibus Actus Apostolorum, sapientialibus epistolæ Pauli et epistolæ canonicæ, prophetalibus autem Apocalypsis. De qualibet autem dictarum mensarum potest dici quod scribitur Proverb.* 9. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. *Scriptura namque sacra est mensa sapientiæ. Post expositionem mensarum sequitur expositio atrii interioris, in quo secundum Hebræos quatuor ponuntur, scilicet, altare holocaustorum, gazophylacia sacerdotum hebdomadariorum, et gazophylacia cantorum similiter hebdomadariorum, et transitus aquarum a latere altaris. Et quoniam ædificatio Ecclesiæ spiritualis non solum consistit in moribus et refectione de mensa sacræ Scripturæ, sed etiam in Sacramentis;ideo per altare holocaustorum intelligitur Eucharistiæ Sacramentum, in quo quotidie immolatur agnus qui tollit peccata, unde dicit Aug. in lib. sententiarum Prosperi:* Semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur *in Sacramento, in quantum per hoc Sacramentum efficimur quotidie participes fructus Dominicæ passionis: unde et in quadam Dominicali oratione secreta dicitur: Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. De hoc autem altari dicitur Hebr.* 12. Habemus altare, de quo non habent edere potestatem hi qui tabernaculo deserviunt, *id est, cæremonias legis veteris observantes. Et quoniam Eucharistiæ Sacramentum cum divinis laudibus est conficiendum, ideo prope altare scilicet in atrio interiori, ponuntur gazophylacia sacerdotum hebdomadariorum, et similiter cantorum, per quæ designantur merita celebrantium et eis ministrantium. Per aquas vero egredientes de templo et transeuntes ad latus altaris significatur Sacramentum baptismi, de quo dicitur Iocl.* 3. Fons egredietur de domo Domini, et irrigabit torrentem spinarum. *Dicuntur autem aquæ istæ egredientes de templo, per quod templum significantur duo principales nostræ fidei articuli, scilicet articulus sanctæ Trinitatis, et articulus incarnationis, ut postea plenius dicetur: quia baptismus secundum communem Ecclesiæ formam confertur in nomine sanctæ Trinitatis, secundum quod dicitur Matth. ult.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. *Et quia in primitiva Ecclesia fuit collatus in nomine Christi, ut habetur in Actibus Apostolorum in pluribus locis, quod est nomen suppositi, in quo uniuntur natura divina et humana. De duobus autem istis Sacramentis loquitur specialiter Ezechiel Propheta, quia sunt speciali modo Sacramenta novæ legis, in quantum Christus per se ea instituit, et eis usus fuit in seipso: et hoc patet de Sacramento baptismi in quatuor Evangeliis quantum ad utrumque, scilicet institutionem et usum: et similiter de Sacramento Eucharistiæ, quantum ad eius institutionem. Quantum autem ad eius*

A *usum, non habetur in Evangeliis expresse, sed hoc tenet communitas Ecclesiæ qua dicitur Act.* 1. Cœpit Iesus facere et docere: *et ideo sicut prius baptizari voluit, et postea baptismum aliis imposuit; sic in cœna primo corpus suum et sanguinem sumpsit, et postea discipulis sumendum tradidit. Unde dicit Hieron. ad Lesbiam,* Dominus Iesus ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur: *unde versus:*

Rex sedet in cœna turba cinctus duodena,
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Per hæc autem duo Sacramenta, quæ principalia sunt, alia intelliguntur. Post expositionem atrii interioris procedendum est ad expositionem templi. Et quoniam ædificatio Ecclesiæ spiritualis non solum consistit in moribus et refectione per sacram Scripturam, et Sacramenta, sed etiam in fidei articulis: ideo per templum significantur sequentia, quod dividitur in tres partes, scilicet porticum, Sanctum, et Sanctum sanctorum. Per porticum autem est ingressus ad alias partes, et ideo per ipsam intelligitur B *articulus unitatis divinæ essentiæ, et articulus suæ providentiæ quantum ad præmiationem boni et punitionem mali. Fides enim istorum articulorum semper fuit necessaria ad salutem, et est prima ad aliorum credulitatem: unde dicitur Hebr.* 11. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. *Per Sanctum sanctorum intelligitur articulus sanctæ Trinitatis secundum tres mansiones, una super aliam ibidem existentes. Licet autem non sit ibi superioritas nec inferioritas proprie, tamen Filius est a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque: secundum hoc dicit Hilarius, quod* auctoritas *est in Patre, et* subauctoritas *in Filio. Per partem templi quæ dicitur Sanctum, intelligitur articulus incarnationis benedictæ, per quam tres naturæ in supposito Filii sunt unitæ, scilicet natura divina, anima rationalis, et caro Christi purissima: quæ significatur per tres mansiones una super aliam existentes. Divina namque natura superior est ad animam, et anima ad carnem. De istis vero duabus* C *templi partibus potest accipi quod dicitur Apoc.* 21. Et templum non vidi in ea, *scilicet materiale: quia secundum istum ultimum exponendi modum, per visionem Ezechielis non intelligitur aliqua ædificatio materialis, sed tantum spiritualis; ideo sequitur ibidem:* Dominus enim Deus omnipotens, *trinus in personis*, templum eius est, *quantum ad Sanctum sanctorum;* et agnus, *id est, Filius incarnatus, quantum ad illam templi partem, quæ dicitur Sanctum*: ita Lyran.

Aliter hæc cum Ribera explicui Exodi 26. initio, scilicet atrium significare pœnitentes; unde in eo erat labrum pœnitentiæ, et altare holocaustorum, in quo mactantur victimæ, id est mortificantur sensus et cupiditates: Sanctum significare iustos; Sanctum sanctorum Beatos, etc. idque videtur aptius. Pergit Lyranus:

Per pilarios autem templi significantur miracula confirmantia fidem Christi: unde dicitur Marci ult. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Per cochleas* D *vero quibus ascenditur sursum possunt intelligi notitiæ creaturarum, quibus ascendimus in cognitionem divinorum secundum quod dicitur ad Rom.* 1. Invisibilia ipsius, *id est Dei*, a creatura mundi, *id est ab homine*, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius et divinitas. *Per appendicia vero circa templum existentia intelliguntur omnia alia ad fidem pertinentia, eo quod ad prædictos articulos annectuntur. Et quoniam fides informis mortua est, nisi fuerit charitate formata: ideo ex una parte templi ponitur ædificium Australe, ex qua parte provenit æstus caloris, ideo ædificium Australe significat fervorem dilectionis. Ex altera vero parte ædificium Aquilonare ex qua parte venit horror frigoris: propter quod ædificium Aquilonare significat donum timoris filialis: timor enim causativus est infrigidationis et tremoris, ut patet ad sensum. Dictum est autem supra quod in his duobus ædificiis est habitatio sacerdotum, quia sacerdotes esse debent in continuo timore, ne*

Deum offendant; et in fervore dilectionis, ut ei devote deserviant. De istis ædificiis Aquilonari et Australi potest accipi id quod scribitur Cant. 4. Surge Aquilo et veni Auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius. *Per spiritum enim timoris et dilectionis fluunt aromata charismatum in horto Ecclesiæ militantis. Per quatuor autem atriola possunt intelligi quatuor virtutes cardinales, de quibus atriis dicitur psalm.* 83. Melior est dies una in atriis tuis super millia. *Nam commorari in exercitio virtutum cardinalium est optimum. Per culinas vero seu coquinas possunt intelligi doctores sacræ Scripturæ devoti, qui suis meditationibus decoquunt cibum sacræ Scripturæ, ut alii possint inde refici, secundum illud psalm.* 38. Con-

A caluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. *Iste vero coquinæ sunt in atriolis situatæ, quia doctores sacri eloquii debent prius in quatuor virtutibus cardinalibus esse exercitati. Dicitur enim* 1. *Ethic. quod moralis Philosophiæ non est conveniens auditor ille, qui est secutor passionum; et multo minus est conveniens auditor Theologiæ; et adhuc multo minus conveniens eius doctor, propter quod in sacræ Scripturæ doctoribus præexigitur exercitium in virtutibus moralibus: unde dicit Philos.* 7. *Physic. quod sedendo fit anima sciens et prudens, quia sedando turbationes passionum, et quiescendo ab impulsionibus earum, quod fit per virtutum moralium exercitium, acquiritur sanctarum notitia Scripturarum.*

CAPUT QUADRAGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Gloria Domini, quæ cap. 9. 3. et cap. 10. 4. et 18. visa est e templo egredi, cum illud a Chaldæis evertendum erat; nunc cum illud a Zorobabele reædificandum est, illuc revertitur, iubetque Dominus Ezechieli, ut ideam templi, eiusque ritus et præcepta Iudæis ostendat, ut ipsi eam custodiant; quod si fecerint, promittit se in eo cum ipsis iugiter habitaturum. Inde v. 13. describit altare holocaustorum, et v. 18. ritum sacrificandi.

1. Et duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam orientalem. 2. Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur
per viam orientalem: et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a maiestate eius.
3. Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet civitatem: et species
secundum aspectum, quem videram iuxta fluvium Chobar: et cecidi super faciem meam. 4. Et maiestas Domini
ingressa est templum per viam portæ quæ respiciebat ad orientem. 5. Et elevavit me spiritus, et introduxit me
in atrium interius: et ecce repleta erat gloria Domini domus. 6. Et audivi loquentem ad me de domo: et vir qui
stabat iuxta me 7. Dixit ad me: Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito
in medio filiorum Israel in æternum: et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum in fornicationibus suis, et in ruinis regum suorum, et in excelsis. 8. Qui fabricati sunt limen suum iuxta li-
men meum, et postes suos iuxta postes meos: et murus erat inter me et eos: et polluerunt nomen sanctum meum
in abominationibus, quas fecerunt: propter quod consumpsi eos in ira mea. 9. Nunc ergo repellant procul forni-
cationem suam et ruinas regum suorum a me: et habitabo in medio eorum semper. 10. Tu autem fili hominis os-
tende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam: 11. Et erubescant ex
omnibus quæ fecerunt: figuram domus, et fabricæ eius exitus, et introitus, et omnem descriptionem eius, et u-
niversa præcepta eius, cunctumque ordinem eius, et omnes leges eius ostende eis, et scribes in oculis eorum: ut
custodiant omnes descriptiones eius, et præcepta illius, et faciant ea. 12. Ista est lex domus in summitate mon-
tis: omnis finis eius in circuitu, sanctum sanctorum est: hæc est ergo lex domus. 13. Istæ autem mensuræ alta-
ris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum: in sinu eius erat cubitus, et cubitus in latitudine, et de-
finitio eius usque ad labium eius, et in circuitu, palmus unus: hæc quoque erat fossa altaris. 14. Et de sinu ter-
ræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti, et latitudo cubiti unius: et a crepidine minore usque ad crepidi-
nem maiorem quatuor cubiti, et latitudo cubiti unius. 15. Ipse autem Ariel quatuor cubitorum: et ab Ariel us-
que ad sursum, cornua quatuor. 16. Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudi-
nis: quadrangulatum æquis lateribus. 17. Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis, per quatuordecim cu-
bitos latitudinis in quatuor angulis eius: et corona in circuitu eius dimidii cubiti, et sinus eius unius cubiti per cir-
cuitum: gradus autem eius versi ad orientem. 18. Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi
sunt ritus altaris, in quacumque die fuerit fabricatum: ut offeratur super illud holocaustum, et effundatur san-
guis. 19. Et dabis sacerdotibus, et Levitis, qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut
offerant mihi vitulum de armento pro peccato. 20. Et assumens de sanguine eius, pones super quatuor cornua e-
ius, et super quatuor angulos crepidinis, et super coronam in circuitu: et mundabis illud, et expiabis. 21. Et tol-
les vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato: et combures eum in separato loco domus extra sanctuarium. 22. Et
in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: et expiabunt altare, sicut expiaverunt in vi-
tulo. 23. Cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, et arietem de grege im-
maculatum. 24. Et offeres eos in conspectu Domini: et mittent sacerdotes super eos sal, et offerent eos holocau-
stum Domino. 25. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: et vitulum de armento, et arietem de pe-
coribus immaculatos offerent. 26. Septem diebus expiabunt altare, et mundabunt illud: et implebunt manum e-
ius. 27. Expletis autem diebus, in die octava et ultra, facient sacerdotes super altare holocausta vestra, et quæ
pro pace offerunt: et placatus ero vobis, ait Dominus Deus.

Vers. 1. Et duxit me, ex peribolo exteriori, quod cap. præcedenti coram me dimensus est, ad portam.) Templi, id est atrii exterioris (nam v. 5. ex eo ducit Prophetam in atrium interius) quæ prior occurrebat spectans ad Orientem: quia ductor hic est sol iustitiæ, cuius nomen est Oriens, Zachar. 3. 8. et quia per portam Orientalem recta ibatur in Sanctum sanctorum, ubi sedes et thronus eius erat: ita Maldon.

B Gloria Dei.) Scilicet currus Cherubim gloriam Dei repræsentans, quam describit c. 1. 8. et c. 10. vocavitque gloriam Dei. Vers. 2.

Et vox erat ei quasi vox aquarum multarum.) *Ei*, non Deo, sed gloriæ Dei, puta Cherubinis, q. d. Cherubim cum currum hunc Dei gloriosum, ipsumque Deum in eo residentem deferent, alarum concussione sonum edebant similem sono aquarum inundantium, quæ dum

inter se et ad littora ac saxa alliduntur, fremere, imo rugire videntur. Simile est Apocal. 1. 15.

Et terra splendebat a maiestate eius.) Maiestatem vocat lucem et splendorem currus Cherubici, sive gloriæ Dei.

Mystice S. Thomas 3. p. q. 27. art. 3. in corpore, docet B. Virginem peculiariter fuisse sanctificatam eo tempore, quo concepit in utero Filium Dei. *Et hoc*, inquit, *significatur Ezech.* 43. *ubi dicitur: Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem, id est per beatam Virginem; et terra, id est caro ipsius, splendebat a maiestate eius, scilicet Christi.* Tunc enim censet ipse in B. Virgine plane fuisse extinctum fomitem concupiscentiæ, per Verbum in ea incarnatum, qui antea tantum erat ligatus. Verum hunc fomitem in ea extinctum fuisse dum primo conciperetur, adeoque tunc eam fuisse præservatam a peccato originali, et consequenter ab eius fomite longe verius videtur: estque hic communis fidelium sensus, uti docent Suarez, Barrad. Canisius et alii. Hæc enim omnimoda puritas decebat matrem Dei. Quis enim credat matrem Dei aliquando fuisse servam peccati, et filiam diaboli? Ipsa ergo in conceptione integram sanctitatem, in incarnatione vero ingens sanctitatis incrementum, a Christi sui maiestate accepit. Et hoc significat vox *splendebat*, pro qua vertunt Septuag. ἐξέλαμπεν ὡς φέγγος, id est *resplendebat quasi fulgor* (Complut. vertunt, *quasi fulgur*) q. d. B. Virgo concipiens Christum, ab eo illustrem sanctitatis splendorem et fulgorem accepit, quæ in primo sui conceptu eiusdem nitorem acceperat, ut iam miro splendore fulgeret, imo fulguraret, quæ ante plane nitebat et lucebat.

Vers. 3. Et vidi visionem secundum speciem quam videram c. 1. et c. 10. quando venit ut disperderet civitatem.) Hinc patet, currum Cherubim fuisse quasi currum bellicum et triumphalem Dei, quo Deus iratus et armatus in aciem quasi prodibat, ut impios Iudæos cum terra per Chaldæos disperderet, uti dixi c. 1.

Et cecidi.) Præ fulgore et terrore gloriæ Domini pene exanimatus.

Vers. 5. Introduxit me (ex atrio exteriori, sive laicorum, de quo v. 1.) in atrium interius.) Sacerdotum. Erat enim Ezechiel sacerdos: ita Vatabl.

Vers. 6. Et audivi (Deum) loquentem ad me de domo.) Id est de Sancto, ait Vatabl. vel potius de Sancto sanctorum: hic enim erat sedes Dei supra arcam et Cherubim: ita Maldon.

Vers. 6. et 7. Et vir (angelus) qui stabat iuxta me (hebr. est, *et vir erat stans iuxta me*) dixit ad me.) Hebr. *et dixit ad me:* unde patet, verba sequentia, *Locus solii mei*, etc. esse dicta a Deo loquente ex templo. Sed cum Ezechiel fragore huius vocis perculsus eam minus perciperet, angelus ei astans eamdem moderata voce iteravit, ut Ezechiel eam perciperet. Constat enim τo *locus solii mei*, esse proprie verba Dei, non angeli, nisi ut legati, vel interpretis verba Dei referentis.

Vers. 7. Locus solii mei (supple, hic est in templo, puta in propitiatorio) et locus (scilicet hic est) vestigiorum pedum meorum.) Hebr. כפות רגלי *cappot raglai*, id est plantarum pedum meorum, q. d. Hic meos pedes, meas plantas fixi, quasi hic iugiter habitaturus: atque, ut ait Maldonat. q. d. Hic locus mihi erit domus, instar cæli et terræ. *Cælum enim sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum*, Isaiæ 66. 1.

Ubi habitabo.) Hebr. אשכן *escon*, id est *habitabo*, ubi iugiter manere et habitare decrevi in medio filiorum Israel.

Et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, etc. in fornicationibus suis.) Quia post reditum e Babylone Iudæi amplius non coluerunt idola. Hic enim cultus a Prophetis vocatur fornicatio, scilicet spiritualis et mystica. Quare non recte Maldon. nixus S. Hieron. ex hoc loco contendit, hæc non ad templum Hierosolymitanum, sed ad cæleste referendum esse: eo quod templum Hierosolymitanum sæpe postea pollutum fuerit, et a Deo derelictum, tum sub Antiochis, tum sub Pompeio, Tito et Romanis. Fateor tamen hæc magis ad templum spirituale, id est Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem pertinere. Huius enim typus fuit templum Iudaicum: unde Propheta subinde a typo ad antitypum de more salit et resilit, ut dixi can. 4. et 5.

In ruinis, hebr. בפגרי *bepigre*, id est in cadaveribus, regum suorum.) Templum enim, et loca sacra contactu cadaverum contaminabantur. Alludit ad Amon et Manassem reges, qui sepulti sunt in hortis suis proxime ad templum 4. Reg. 21. 18. Erat enim regia iuxta templum: ita Hebræi, Vatabl. et Mald. Noster cadavera vocare solet ruinas; cadavera enim a casu et ruina dicuntur. Sic dicitur Psal. 109. 6. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas*, q. d. Magnam stragem hostium dabit Christum, ut plateas impleat ruinis, id est cadaveribus.

Qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum.) Vers. 8.
Dat causam cur reges templum polluerint; quia scilicet cum palatium haberent templo contiguum, ut ab eo solo limine et pariete interiecto distare viderentur, crimina, quæ in aula perpetrabant, in templo perpetrare videbantur: ita Vatabl. Maldon. et alii.

Huc accedit S. Hieron. sic explicans, q. d. Cum reges in vicinia templi habitarent, non fuerunt idcirco aliis puriores et sanctiores, sed potius nequiores, polluentes nomen sanctum meum, ideoque *consumpsi eos* per Chaldæos *in ira mea.*

Audiant, ait S. Hieronym. hæc mulierculæ (moniales, Clerici et monachi) oneratæ peccatis, mentem iunctam Deo, non vicinitatem ecclesiarum, et habitationem proximam, Dei in se provocare clementiam: quin potius indignationem Domini commoveri, quoniam in consecratis Deo locis indignus habitator est. Non enim gentem propter locum, sed locum proptes gentem eligit Deus. *Deus amat vicinos mente, non loco.*

A me.) A templo, et solio meo, in quo sedeo et habito. Vers. 9.

Ostende domui Israel templum.) Id est ideam templi brevi restaurandi, eiusque figuram et dimensiones, Vers. 10.
atque fac eos suis manibus illud metiri, ut cum eius amplitudinem viderint, confundantur, quod ob sua scelera, tam magnifica Dei basilica sit eversa.

Et (hebr. ואם *veim*, id est, *et si*) erubescant.) q. Vers. 11.
d. Si ostensa tam magnifica templi idea, dataque spe illud reædificandi, pœnitere voluerint, explica illis sigillatim singulas partes, earumque mensuras, ut, cum tempus advenerit, ad eam formam illud ædificent, ait Mald. qui hic videtur concedere, quod Ezechiel ad litteram describat templum a Zorobabele restaurandum, licet id alibi neget.

Exitus, et introitus.) Id est totam figuram, rationem et ordinem fabricæ. Est hebraismus, ut dixi c. 42. 11.

Præcepta eius.) Ritus legesque sacrificiorum: Hebr. enim חקות *chuckot*, significat præcepta cæremonialia sacrificandi ritum spectantia, quæ in Levitico a Deo sancita et præscripta sunt, quæque rursus hic v. 18. describit, ut cum in captivitate pene obliterata essent, eorum cognitionem et memoriam eis refricet.

Ista est lex domus.) Hæc est templi descriptio, hæc Vers. 12.
idea illi a me designata et præscripta, ut iuxta illam ædificeris: ita Hebr. Vatabl. et alii.

Omnis finis eius in circuitu.) q. d. Hi sunt fines, hic terminus et peribolus templi, quem dimensus sum cap. 42. v. 16. et sequent. qui summitatem montis Sion ambiebat, imo et spatia monti adiacentia, ut ex Hebr. vertit Vatablus.

Sanctum sanctorum est.) q. d. Hic locus sanctissimus est: est enim Dei templum, eiusque atria, et periboli, quæ omnia Deo sacra sunt. Hinc Ierem. 17. 12. dicitur: *Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ*, hoc est, in nostro templo, nostræque sanctificationis loco summa inest celsitudo, summa maiestas, id est, sanctitas templi maxima est et celsissima. Erat enim templum domus Dei, solium Dei, voluptas Dei Psal. 26. 3. *Unam petii a Domino, hanc requiram*, nimirum *ut videam voluptatem Domini*, hoc est, *et visitem templum eius.* Hinc templum Latinis a tuendo dicitur, *Templum est domus sancta, et voluptas Dei, ac imago cæli.*

quia Deus illud quasi domum suam iugiter tuetur, id est inspicit, prospicit, protegit et custodit. Quocirca templum est imago cæli, imo totius mundi. Mundus enim est primigenia domus, et templum Dei, ut ait Philo.

Vers. 13. Istæ autem mensuræ altaris (holocaustorum. Nam altare incensi mensus est c. 41. 22.) in cubito verissimo.) Id est perfectissimo. Sic sæpe verus pro perfecto capitur, ut cum Apostolus dicit 1. Timoth. 6. v. 19. *Ut apprehendant veram vitam; veram*, id est perfectam. Vide ibi dicta. Hebr. est, *et hæ mensuræ sunt altaris per cubita:* dicitur enim et cubitus masculine, et cubitum neutre.

Qui habebat cubitum et palmum.) q. d. Cubitus ille de quo loquor, est cubitus sacer, qui profanum palmo excedit. Hic enim cubitus est cubitus communis, sive profanus, et insuper palmus, uti dixit c. 40. v. 5.

In sinu eius erat cubitus.) Per *sinum* R. David accipit cavitatem, quæ in altari superne erat cubiti unius, ad excipiendam struem lignorum, quibus cremandæ erant victimæ. Melius Vilalp. p. 389. Sinus, ait, cavea est in marmoreo pavimento excisa, altare cingens, cubito uno alta, et altero lata, in quam fundebatur victimarum sanguis, perque subterraneos cuniculos ducebatur in torrentem, de quo cap. 47. v. 5. Huius fossæ locum significant Chald. Maldon. et alii, dum sinum interpretantur fundamentum. Erat enim hic sinus in imo, non in summo altaris. In imo enim fundebatur sanguis victimarum, uti pulchre in effigie altaris repræsentat Vilalp. loco citato. Ex base enim et fundamento, altaris huius descriptionem inchoat Propheta.

Et definitio.) Hebr. גבולה *ghebula*, id est *limes*, vel *terminus eius*, uti vertunt Aquila, Symmachus et Theodotion; sed Septuag. vertunt, γισος, cuius vocis significationem ait S. Hieron. se ignorare.

Usque ad labium eius, et in circuitu, palmus unus.) Id est, basis altaris præter latitudinem unius cubiti, habebat labium unius palmi circumcirca elegantiæ causa, ait Maldon. Sic et Vatabl. vertit enim *margo*, id est corona, sive clausura altaris, *quæ erat in extremitate ipsius per circuitum, erat palmi unius, sive quatuor digitis transversis alta.* Sic et Vilalp. qui clarius vertit, corona sinus (sive cavitatis et fossæ ad excipiendum sanguinem victimarum iam dictæ) per labium fossæ procurrens circumcirca, erat lata palmum unum. Sic et Chald. Nota. Palmus hic non est minor quatuor digitorum transversorum, ut vult Vatabl. sed est maior, continens ternos palmos minores, scilicet duodenos digitos, hoc est semicubitum. Hunc enim significat Hebr. זרת *zeret*, et Græcum σπιθαμή. Huius coronæ faciendæ causa fuit duplex; prior ne sacerdotes incaute ad altare accedentes in foveam inciderent; posterior, ne fossa victimarum sanguine sacra, communis haberetur ac pervia.

Palmus maior et minor qui?

Hæc quoque erat fossa altaris.) De qua iam dixi. Est enim recapitulatio dictorum, q. d. Itaque talis erat fossa altaris, scilicet semicylindri excavati: neque enim angulos habebat in parte inferiori, sed semicirculo definiebatur, ne sanguis hæreret in angulis, ait Vilalp. Huius fossæ usum et modum describit Aristæas in hist. 70. interp. *Sunt*, ait, *apud aræ basin frequentes aperturæ, omnibus quidem nisi his qui ministrant incognitæ* (erant enim in ima fossa) *quarum influxu et impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur.*

Aliter Septuag. *et altitudo altaris*, scilicet erat ea, quæ sequitur, puta duorum cubitorum; et Vatabl. *atque hoc dorsum*, vel *eminentia altaris existit.* Sic et Maldon. Legerunt enim גב *gab*, id est eminentia, altitudo, dorsum eminens. Noster vero legit גב *gheb*, id est fossa, cavea, lacuna. Nota. Cum ait, *Et definitio eius usque ad labium eius: et in circuitu palmus unus*, palmus hic accipi debet maior, ut vertit Vatabl. qui tres minores continebat, puta digitos transversos duodecim. Hanc enim mensuram significat Hebr. זרת *zeret*, et Græcum σπιθαμὲ, ut vertunt Sept. Quocirca hic error irrepsit in comment. S. Hieron. uti recte advertit Vilalp. tom. 3. p. 473. habet enim: *Quæ definitio, sive gyrus per circuitum palmi unius, sive παλαιστῆς latitudine tendebatur.* Ubi pro σπιθαμῆς irrepsit παλαιστῆς, quod paulo ante præcessit in textu initio huius versus, ubi dicitur: *Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum.* Ibi enim palmus minor intelligitur, qui Græcis vocatur παλαιστή, uti vertunt Sept. Ibi enim in Hebræo non est *zeret*, sed טפח *topach*, quæ est mensura quatuor digitorum transversorum, puta palmus minor.

Vers. 14. Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti.) Hebr. est עזרה *azara*, quod alibi *atrium* significat. Verum errant Hebræi et Vatabl. dum docent hic describi atrium sacerdotum in tres partes divisum, scilicet in atrium inferius, superius, et medium in quo erat altare. Agitur enim hic de altari, non de atrio: de atriis enim egit c. 40. et 42.

Secundo, Maldon. significat, inquit, Propheta in altari supra fundamentum duas fuisse contractiones, quas עזרות *azarot*, id est atria, vocat: quia erant duo spatia in quibus sacerdotes obambulare poterant, et altare circumire, quas recte S. Hieronymus crepidines vocavit.

Tertio, et optime Vilalpando; crepido, inquit, hebraice dicitur עזרה *azara*, a rad. עזר *azar*, id est iuvare, fulcire, sustentare: inde *azara* significat podium, sive fulcrum, cui domus vel altare (ut hic) innititur, et a quo sustentatur. Vulgatus vertit crepidinem, quia crepido a discrepando dicta, significat fabricæ partem extantem ubi discrepat regula, gradum scilicet introrsum procurrentem, latioremque quam sit fabricæ latitudo, quale erat hoc fulcrum altaris. Unde notanter dixit, *De sinu terræ:* quia sinus iam dictus, sive fossa, non erat extra pavimentum, sed erat terræ immersus, ut per illam spargeret sanguinem victimarum: ab huius ergo sinus labio superiore usque ad crepidinem, duos numerat altitudinis cubitos.

Crepido quid, et unde dicta.

Porro crepido altaris erat duplex, altera superior, altera inferior: de inferiori hic dicitur, quod fuerit alta duos cubitos: illa enim vocatur hic novissima, id est ut hebr. est *inferior*. Sic enim novissimum sæpe significat sequens, posterius, inferius.

Crepido altaris duplex.

Et latitudo cubiti unius.) Erat crepido hæc alta duos cubitos a pavimento templi, ubi arctabatur, et gradum faciebat latum cubito uno.

Et a crepidine minore usque ad crepidinem maiorem quatuor cubiti altitudinis, et latitudo cubiti unius.) *Maiorem crepidinem* vocat superiorem, non quod latior esset (erat enim arctior) inferiore, sed quod ea esset altior: erat enim alta quatuor cubitos, cum inferior alta tantum esset duos, quæ proinde et minor dicitur: ita Maldon. et Vilalp. qui graphice utramque crepidinem, æque ac fossam, coronam, etc. altaris in imagine depingit.

Ipse autem Ariel quatuor cubitorum.) *Ariel* significat tertiam et summam altaris partem, utrique crepidini iam dictæ, quasi duplici basi, insistentem, quæ proprie erat ipsum altare, in quo victimæ cremabantur: hoc ergo asserit super crepidines elatum fuisse in altum, ad quatuor cubitos. Altare vocatur הראל *harel*, id est mons Dei; quia in monte Sion, puta in atrio sacerdotum instar monticuli eminebat. Rursum mox vocatur האריאל *haariel*, id est leo Dei; quia, ut ait R. David, ignis sanctus, qui de cælis tempore Aaronis, et tempore Salomonis in illud delapsus erat, iugiter excubabat in eo quasi leo; vel potius quod victimarum sanguine perpetuo maderet, uti leo prædam discerpens. Addit Vilalp. altare æque ac alias templi partes sculpturis Cherubinorum, ac consequenter leonis quoque, per latera quaquaversum fuisse insignitum. Insuper formam leonis (uti communiter tradunt Hebræi) prætulisse, et in se expressisse: leonina enim crura habebat pro pedibus; unde videtur emanasse, ut in priscis aris pedes et ungues leonini effingerentur; idque ad hoc, ut sacrificaturi accedentes ad altare, recordarentur Deum altari colendum, similem esse leoni, qui superbos discerpit, humilibus et deprecantibus parcit. Hoc est, 3. quod monet Apostolus Hebr. 12. ult. *Serviamus placentes Deo cum metu et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est.*

Vers. 15.

Altare vocatur Ariel, id est mons Dei.

Altare vocatur Ariel, id est leo Dei, cur? 1. 2.

Alludit ad Isaiæ 29. 1. *Væ Ariel, Ariel, civitas quam expugnavit David.* Ubi licet Chald. vertat, *væ altare, altare, quod constructum est in civitate, in qua mansit David;* omnes tamen alii passim per *Ariel* intelligunt Ierusalem. Hæc dicitur *Ariel*, id est leo Dei, quia fortissima erat, et in ea David rex fortissimus, aliique eius posteri regnarunt, de quibus prædixerat Iacob Gen. 49. 9. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum?*

Porro a civitate altare ipsum vocatum est Ariel, quia altare proprie erat Deo dicatum, Deumque repræsentabat: erat ergo Ariel, id est leo Dei. Deus enim in altari quasi habitans, instar leonis excubabat ad tutelam suæ urbis et gentis, et quasi leo ex altari suo in infideles Philistinos, aliosque populi et Ecclesiæ suæ hostes insiliit, quamdiu Ierusalem in fide et religione Dei sui stetit, eumque pie et sancte in hoc altari suo coluit. Hæc videtur vera origo, hoc etymon Arielis. Discant ergo hic et fideles, et hæretici, altaria, et templa, ipsamque veram religionem et cultum Dei esse reipub. firmamenta, eamque instar leonis tueri et propugnare. Hac de causa ait Isaias c. 31. 9. *Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, et caminus eius in Ierusalem.* Vide ibi dicta.

Ariel, id est maledictionis aries. Ariel, id est uriel. Tertio, *Ariel* idem est quod maledictionis aries; quia in altari ariete pro maledictione, id est peccato, offerebantur. Quarto, S. Hieron. putat Ariel dici quasi Uriel, id est lux, vel illuminatio Dei, quæ in altari per flammam repræsentatur.

Allegor. Christus nobis est Ariel. Allegorice, hæc omnia competunt Christo, qui est nostrum altare, id est mons, leo, lux, aries Dei, factusque pro nobis maledictum, atque hæc eadem ipse suis fidelibus communicat, quia communicat seipsum, præsertim in Eucharistia. *Quocirca tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, et caput nostrum mente revolventes, et charitatem quam nobis exhibuit,* ait S. Chrysost. hom. 61. ad populum. Et S. Aug. l. 10. de Civitate c. 4. *Cum ad Deum*, inquit, *est sursum cor nostrum, Dei est altare: ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro veritate certamus.* S. Gregor. Nazianzen. orat. in funere patris, iugem in adversis patientiam vocat rationale holocaustum, in cuiusque corpore insigniter consumptum. Clemens Alex. l. 7. Strom. corpus vocat altare, in quo, ait, *Dei holocaustum fit, cum quis seipsum interimit, veterem scilicet hominem qui per cupiditates corrumpitur, de medio tollens, novum autem suscitat a veteri mortis conversatione.*

Tropol. cor pium est altare.

Rursum Allegorice, altare est crux Christi: in hac enim ipse se immolavit Patri. Unde canit Ecclesia: *Cuius corpus sanctissimum in ara crucis torridum.* Quatuor cornua altaris sunt quatuor cornua crucis.

Altare habebat cornua, cur? Et ab Ariel usque ad sursum cornua quatuor.) Habebat altare in summo in quatuor angulis tigilla quatuor extantia, sive quatuor parvas pyramides instar cornuum. Altare ergo pedibus leonem referebat, cornibus taurum, ut effigiem Cherubim ex parte præferret. Erant hæc cornua quasi prædæ trophæa. Nam in festis solemnioribus tauri et iuvenci Deo mactabantur, et Arieli, seu sacro leoni, proiiciebantur devorandi. Hac de causa videntur veteres frontes sacrarum ædium taurorum zophoris, id est craniis, exornasse, quasi sacrificiorum trophæis et insignibus, ait Vilalp.

Vers. 16. Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis.) Id est, altare (quod dixi fuisse altum quatuor cubitis supra crepidines, sive bases duas) longum erat duodecim cubitos, et totidem latum. Erat ergo quadratum et æquale omnibus quatuor suis lateribus.

Vers. 17. Et crepido quatuordecim cubitorum, etc.) q. d. Crepido vero altaris pariter erat quadrata, sed duobus cubitis superabat ipsum Arielem, id est altare sibi impositum. Habebat enim non duodecim ut altare, sed quatuordecim cubitos tam in longitudine, quam in latitudine. Cuius ratio erat, quod crepido, vel basis altaris superior in singulis lateribus extabat cubitis singulis extra ipsum Arielem. Ergo si Ariel duodecim habebat cubitos quaquaversum, necesse erat ut crepido, vel basis superior quatuordecim cubitis quaquaversum extenderetur; ac pari ratione inferior crepido, quæ extra superiorem quaquaversum singulis cubitis extabat, 16. cubitis tam in longum quam in latum extenderetur: ita Vilalp. Altare enim in imo latius erat, et sursum ascendendo sensim magis arctabatur: habebat ergo duas retractiones duorum cubitorum, unam in superiori crepidine, alteram in ipso Ariel. Aliter Maldon. hæc dimetitur.

Et corona in circuitu eius dimidii cubiti.) *Coronam* vocat coronicem, sive limbum instar coronæ ambientem, non imam crepidinem, ut vult Maldon. sive fundamentum altaris: de hoc enim dixit v. 13. Sed summam eius superficiem, et quatuor eius cornua. Sic enim videmus etiamnum Romæ altaria multa, in summo tali coronice ornari et coronari, que proinde hebr. vocatur גבל *ghebul*, id est limes, terminus rem definiens et circumscribens: unde noster v. 13. vertit *definitio:* hanc asserit fuisse medii cubiti.

Altare ergo universum altum erat decem cubitos, quos sic collige: infima crepido alta erat duos cubitos, secunda quatuor, ipsum Ariel quatuor, qui omnes collecti faciunt decem. Infima crepido tam in longitudine quam in latitudine habebat sexdecim cubitos; secunda quatuordecim; ipsum Ariel duodecim. Minus ergo erat hoc altare altari quod fecit Salomon 2. Paral. 4. 1. illud enim longum erat viginti cubitis, latum totidem, altum decem, ut ibi dicitur.

Et sinus eius unius cubiti per circuitum.) Sinum vocat caveam, vel foveam sanguinis, de qua dixit v. 13. Repetit enim quod ibi dixit.

Gradus autem eius versi ad Orientem.) q. d. Gradibus ab Oriente versus occidentem ad altare ascendebatur. Rationem dat Vilalp. quod scilicet vellet Deus Iudæos avocare ab idololatria Gentilium, qui adorabant solem orientem: voluit ergo Iudæos dare terga Orienti, et verum Deum ad Occidentem adorare, uti dixi c. 8. v. 16. Vide S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 5. et Athanas. Nicen. q. 18. in S. Script. et Pinedam in Iob 31. v. 26.

Hi sunt ritus altaris.) q. d. Hosce ritus in sacrifi- Vers. 18.
cando super altare observabitis, ut illud expietis, consecretis et sanctificetis. Ritus hos in sequentibus præscribit, et ex Levitico iterat. Hic ergo proprie sancit ritum servandum in consecratione altaris.

Et dabis.) Trades hosce ritus a me præscriptos sacer- Vers. 19.
dotibus et Levitis, aut potius dabis vitulum, eumque sacrificabis, ut reipsa eis ostendas quomodo sacrificare debeant: hoc enim in tam longa captivitate Babylonica obliti sunt. Unde subdit v. 20. *Et assumens de sanguine eius, pones super quatuor cornua eius.* Videtur ergo Ezechiel reipsa sacrificasse, itaque docuisse sacerdotes ignaros ritum sacrificandi: ita Maldon.

Qui sunt de semine Sadoc.) In Sadoc enim amoto Abiathar, et posteris eius Salomon transtulit sacerdotium et pontificatum, uti dixi c. 40. 46. Sadoc hebr. idem est quod iustus, ait S. Hieron.

Qui accedunt ad me.) Qui accedunt ad altare, ut mihi ministrent.

Super quatuor cornua eius.) Altaris. Huius enim Vers. 20.
cornua singula, sanguine victimæ tingi præceperat Deus Exodi 29. 12. et Levit. 16. 18.

Et combures.) Hebr. שרפו *sarephu*, id est combu- Vers. 21.
rent, scilicet sacerdotes ad hoc a te destinati. Nec enim unus Ezechiel hæc omnia per se præstare poterat.

In separato loco.) Nam *quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra*, Hebr. 13. 11. Levit. 4. 12. et c. 6. 30. et c. 16. 27. vide ibi dicta. Erat enim hæc publica altaris et loci a Chaldæis contaminati et profanati, per victimam vituli expiatio et consecratio, in qua hic ritus præscriptus est Levit. 16. 27.

Extra sanctuarium.) Extra atrium sacerdotum, quod dicitur sanctuarium, quia sanctificatum et consecratum

erat sanguine vituli cæsi, ait Vatabl.

Vers. 22. Hircum caprarum.) Id est hircum non annosum, sed iuvencum, ut matrem capram adhuc sequatur, et subinde sugat. Cum enim Hebræi animali addunt nomen matris, significant illud tenerum esse, et adhuc matrem sequi. Sic Daniel c. 8. v. 5. Alexandrum vocat hircum caprarum, quia iuvenis erat. Septuag. vertunt, *die autem secundo tollent duos hædos immaculatos pro peccato.* Mystice, hi duo hædi proxime post passionem Domini immolati, sunt S. Iacobus frater S. Ioannis, et S. Stephanus. *Hi enim sunt primitiæ Martyrum, quos Christi confessio coronavit*, ait S. Hieron.

Hircus symbolum peccati. Erat hæc secunda victima expiatoria, et consecratoria altaris, scilicet hircus; prior enim fuit vitulus. Nam hircus ob fœtorem est symbolum peccati, quod hoc altari, per victimas deinceps iugiter in eo immolandas, expiandum erat.

Immaculatum.) Carentem macula, non coloris, sed sanitatis et integritatis, hoc est, non mancum, non mutilum, sed sanum et integrum, uti dixi Levit. 21. v. 19. 20. 21.

A

Facies, id est sacrificabis, hircum.) Sic dixit Poeta : Vers. 25.
Cum faciam vitula, id est cum sacrificabo vitulam, *pro frugibus, ipse venito.*

Et implebunt manum eius.) *Manum*, id est latus, Vers. 26.
hoc est latera, *eius*, scilicet altaris, q. d. Per septem dies replebunt latera altaris victimis, et sanguine victimarum. Unde Chald. vertit, *offerent oblationem eius.* Agitur enim de consecratione altaris; et *implere manus*, Hebræis idem est, quod consecrare, uti ostendi Exodi 29. v. 9. et 35. ita Maldon.

Alii, ut Vatablus, accipiunt manum non altaris, sed sacerdotis, q. d. Sacerdotes replebunt carnibus victimæ manus sacerdotis sacrificantis per septem dies, hoc est, dabunt illi quotidie tot victimas, quot per septem dies immolare poterit.

Facient, id est immolabunt, ut dixi v. 25. sacerdo- Vers. 27.
tes super altare holocausta vestra, et quæ pro pace offerunt.) Id est, victimas pacificas, quas pro pace, id est incolumitate domus, vel futura, et impetranda; vel præterita, et impetrata in gratiarum actionem (unde Vatablus vertit, *eucharisteria*) offerent.

CAPUT QUADRAGESIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit portam Orientalem sanctuarii clausam, sancitque ut in ea solus sedeat princeps, eo quod Dominus ingressus sit per eam. Secundo, v. 5. sancit, ut incircumcisi carne et corde arceantur a sanctuario. Tertio, v. 10. Levitas qui ministrarunt idolis, arcet a ministerio templi, eisque surrogat Levitas filios Sadoc, et sacerdotes qui nunquam idolis, sed semper Deo vero servierunt. Quarto, v. 17. sancit eorum ritus et vestes, scilicet Primo, ut in templo utantur vestibus lineis, non laneis. Secundo, ut caput non radant, neque comam nutriant, sed tondeant. Tertio, ut sacerdotes ministrantes in templo, vinum non bibant. Quarto, ut uxorem ducant virginem, vel viduam sacerdotis. Quinto, ut populum doceant quid sanctum sit, quid pollutum. Sexto, ut ad mortuum non ingrediantur. Denique vers. 28. in mercedem et præmium eis promittit, quod ipse eis erit hæreditas, dando eis suas victimas, primitias et oblationes, uti in Levitico sanxerat, cuius præcepta obliterata in captivitate hic iterat, et in memoriam revocat.

1. Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem: et erat clausa. 2. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa 3. Principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino: per viam portæ vestibuli ingredietur, et per viam eius egredietur. 4. Et adduxit me per viam portæ aquilonis in conspectu domus: et vidi, et ecce implevit gloria Domini domum Domini: et cecidi in faciem meam. 5. Et dixit ad me Dominus: Fili hominis pone cor tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de universis cæremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius: et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii. 6. Et dices ad exasperantem me domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel, 7. Eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, et polluant domum meam: et offertis panes meos, adipem, et sanguinem: et dissolvitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris. 8. Et non servastis præcepta sanctuarii mei: et posuistis custodes observationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis. 9. Hæc dicit Dominus Deus: Omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne, non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israel. 10. Sed et Levitæ, qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, et erraverunt a me post idola sua, et portaverunt iniquitatem suam: 11. Erunt in sanctuario meo æditui, et ianitores portarum domus, et ministri domus: ipsi mactabunt holocausta, et victimas populi: et ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis. 12. Pro eo quod ministraverunt illis in conspectu idolorum suorum, et facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis: idcirco levavi manum meam super eos, ait Dominus Deus, et portabunt iniquitatem suam: 13. Et non appropinquabunt ad me ut sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum iuxta sancta sanctorum: sed portabunt confusionem suam, et scelera sua quæ fecerunt. 14. Et dabo eos ianitores domus in omni ministerio eius, et in universis quæ fient in ea. 15. Sacerdotes autem et Levitæ filii Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi: et stabunt in conspectu meo ut offerant mihi adipem et sanguinem, ait Dominus Deus. 16. Ipsi ingredientur sanctuarium meum, et ipsi accedent ad mensam meam ut ministrent mihi, et custodiant cæremonias meas. 17. Cumque ingredientur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur: nec ascendet super eos quidquam laneum, quando ministrant in portis atrii interioris et intrinsecus. 18. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, et feminalia linea erunt in lumbis eorum, et non accingentur in sudore. 19. Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarii, et vestient se vestimentis aliis: et non sanctificabunt populum in vestibus suis. 20. Caput autem suum non radent, neque comam nutrient: sed tondentes, attondent capita sua. 21. Et vinum non bibet omnis sacerdos quando ingressurus est atrium interius. 22. Et viduam et repudiatam non accipient uxores, sed virgines

de semine domus Israel: sed et viduam, quæ fuerit vidua a sacerdote, accipient. 23. Et populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum, et inter mundum et immundum ostendent eis. 24. Et cum fuerit controversia stabunt in iudiciis meis, et iudicabunt: leges meas, et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, et sabbata mea sanctificabunt. 25. Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem et matrem, et filium et filiam, et fratrem et sororem, quæ alterum virum non habuerit: in quibus contaminabuntur. 26. Et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei. 27. Et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus. 28. Non erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum: et possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum. 29. Victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent: et omne votum in Israel ipsorum erit. 30. Et primitiva omnium primogenitorum, et omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, sacerdotum erunt: et primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui tuæ. 31. Omne morticinum, et captum a bestia de avibus et de pecoribus non comedent sacerdotes.

Vers. 1. ET CONVERTIT ME, mensor et architectus, puta angelus, de quo cap. 40. 3. AD VIAM PORTÆ SANCTUARII EXTERIORIS.) Id est atrii. Nam sanctuarium interius erat ipsum templum, puta Sanctum, et Sanctum sanctorum.

Alii per *sanctuarium exterius* accipiunt Sanctum, per interius Sanctum sanctorum: ita R. David, et Mald. Verum obstat, quod princeps, utpote laicus non poterat ingredi Sanctum, imo nec atrium sacerdotum.

ET ERAT CLAUSA.) Postquam gloria Dei per eam ingressa fuerat. Hæc enim per eam apertam ingredi visa est Prophetæ c. 43. 2.

Vers. 2. CLAUSA ERIT, populo, ait Mald. nam sacerdotes, qui Dei personam gerebant, per eam ingrediebantur. Unde causam clausuræ subdit: QUONIAM DOMINUS DEUS ISRAEL INGRESSUS EST PER EAM.) Arabicus vertit, *hæc porta erit clausa, et non aperietur, et non ingredietur per illam quisquam: nisi Dominus Deus Israel ingreditur per eam, et egredietur ex illa. Clausa ipsius annulo. Et erit habitatio gubernatoris* (ducis) *et sedet* (sedebit) *in ea ipse omni tempore coram Domino.*

ERITQUE CLAUSA PRINCIPI.) Id est, in usum principis, scilicet non ut ingrediatur per eam, sed ut sedeat in ea. Hoc enim est, quod subdit:

Vers. 3. PRINCEPS IPSE SEDEBIT.) Id est consistet, stabit. Stabant enim Iudæi orantes et sacrificantes; porro scitum est sedere Hebræis significare commorari, manere, consistere, esse præsentem, sive quis sedeat, sive stet, sive discumbat) IN EA, q. d. Princeps sacrificium oblaturus insistet in limine huius portæ, ibique comedet de victimis suis pacificis, non tamen ingredietur, nec transibit illam, ut aliqui putant; quia Dominus ingressus est per eam; sed PER VIAM PORTÆ VESTIBULI, id est, per portam communem laicorum, una cum ipsis INGREDIETUR, ET EGREDIETUR.) Princeps enim, cum esset quasi vicarius Dei in temporalibus, habebat hoc privilegii, ut proxime ad atrium sacerdotum accederet, ac in limine huius portæ, quæ in gratiam eius aperiebatur, exterius spectaret sacrificia, ibique de iis comederet: non tamen fas erat ei, utpote laico, ipsam portam transire, et per eam in atrium sacerdotum, multo minus in Sanctum ingredi. Hunc esse sensum, huncque fuisse usum huius portæ principis, diserte et fuse declaratur cap. 46. v. 1. 2. 3. 12. et seq. Ubi de porta hac dicitur: *Erit clausa sex diebus, in quibus opus fit, die autem sabbati aperietur. Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in limine portæ et facient sacerdotes holocaustum eius, et pacifica eius, et adorabit super limen portæ, et egredietur: porta autem non claudetur usque ad vesperam.* Et vers. 12. *Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta, quæ respicit ad Orientem, et faciet holocaustum suum, et pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati: et egredietur, clauderturque porta postquam exierit.*

[Margin: Principis porta quæ?]

Allegorice, et potius, porta hæc clausa est B. Virgo Maria, in qua sedit princeps, id est Christus Dominus, cum in sacro eius utero quasi thalamo et templo suo, ex purissimis eius sanguinibus conceptus, per novem menses habitavit; quia *Dominus Deus Israel ingressus est per eam,* scilicet Deus pater eam sibi desponsans et maritans: Deus Spiritus sanctus eam obumbrans et fœcundans: Deus Filius in ea carnem assumens. Nam *est eadem mater, filia, sponsa Dei;* nempe ipsa est filia Dei Patris, sponsa Spiritus sancti, et mater Filii, scilicet Christi.

[Margin: Allegor. porta principis, id est Christi, est Virgo Deipara.]

Ita Patres omnes, et interpretes Christiani, e quibus plurimi censent hunc esse sensum literalem. Certe primarius est, et maxime intentus a Spiritu sancto. Ita Græcus Scholiast. breviter æque ac subtiliter. *Solus,* ait, *Christus portam hanc nondum apertam supernaturaliter aperuit, et clausam naturaliter servavit.* Vide dicta Exodi 13. v. 2.

S. August. serm. 2. de Nativit. *Porta,* ait, *clausa est signaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas: non enim violata est partu, quæ magis est sanctificata conceptu.*

Et S. Bernard. hom. 2. super *Missus est: Deum,* inquit, *huiusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur: talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum.* Et S. Cyril. Hierosol. catech. 12. *Decebat sane,* inquit, *ut purissimus puritatis doctor ex thalamis puris prodiret.* Ita quoque explicant S. Hieron. hic, S. Ambros. l. de Institut. virg. cap. 8. *Porta,* ait, *clausa virginitas est, et hortus clausus virginitas, et fons signatus virginitas.* Sic et Epiphan. serm. de laudibus Virgin. Cyprian. vel potius Ruffinus, in expositione Symboli, Chrysost. hom. de Ioanne Baptista tom. 3. et alii passim.

Hinc subditur: *Eritque clausa principi,* q. d. Etiam cum princeps per eam transibit, erit et manebit clausa. Pagninus vertit, *eritque clausa principis,* q. d. Plures portas habet princeps, sed hæc per excellentiam vocatur porta perpetuo clausa, ideoque porta principis, qui per eam clausam transivit. Unde Sept. vertunt, *et erit clausa, quia dux iste sedebit in ea.* Ex hisce patet de fide esse B. Virginem fuisse et mansisse semper virginem; quia hic dicitur, quod ipsi quoque principi, puta Christo, futura sit clausa, et nullo pacto in conceptu eius et partu per virginei claustri sigillique apertionem reseranda, ideoque vocabitur porta principis, ut vertit Pagninus.

Quocirca hic triplex hæresis convellitur. Primo, Ebionis et Cherinti, qui teste Iren. lib. 1. c. 25. impie docebant B. Virginem ex Iosepho concepisse. Secundo, Iovinaoi, qui asserebat B. Virginem fuisse in partu corruptam: testis est S. August. l. de hæres. Tertio aliorum, qui cum eam ante partum, et in partu Christi virginem faterentur, tamen a partu dixerunt plures filios ex Iosepho concepisse, qui propterea ab Evangelio vocentur *fratres Domini.* Cuius erroris assertor fuit Helvidius, contra quem integrum librum erudite scripsit S. Hieron.

[Margin: Triplex hæresis circa B. Virginem.]

Quin et Zuinglius ex hoc loco probat perpetuam virginitatem B. Mariæ, teste Canisio lib. 2. Marial. cap. 6. Quocirca ter hic clausa dicitur porta hæc, ut significetur Deiparam virginem fore ante partum, in partu, et post partum, ait Galatin. lib. 7. de Arcan. fidei c. 11.

Denique B. Virgo vocatur porta Orientalis, quia, ut exponit S. Ambros. l. de Instit. virg. cap. 7. generavit Christum, qui est sol iustitiæ, et cuius nomen est Oriens, Zachar. 3. 8. Hæc omnia paucis nervose et eleganter complexus S. August. serm. 14. de Natali Domini: *Quid,* ait, *est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, Homo non transit per eam, nisi quia Ioseph non cognovit eam? Et quid est, quod Deus solus intrat et egreditur per eam, nisi quia Spiritus san-*

ctus imprægnavit eam? Et quid est quod clausa erit in æternum, nisi quia Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum? Dicat ergo Maria: Porta facta sum cæli, ianua facta sum Filio Dei. Illi facta sum ianua clausa, qui post suam resurrectionem ingressus est per ostia clausa, qui natus de ventre meo, me matrem dimisit intactam. Adimplevit ventrem meum divinitate, et uterum meum non evacuavit castitate: nec in conceptione inventa sum sine pudore, nec in parturitione inventa sum cum dolore.

Porta clausa est utraque B. Virginis conceptio immaculata.

Symbolum portæ Orientalis semper clausæ, denotat utramque Virginis conceptionem fuisse intemeratam et immaculatam, scilicet tam activam, qua concepit et peperit Christum, cuius nomen est Oriens, Zach. 3. quam passivam, qua ipsa concepta et orta est quasi aurora consurgens, et mater Solis orientis. Quocirca sapienter et solerter D. Ioannes d'Avila, nostri ævi in Hispania prædicator Apostolicus, et ex eo noster P. Ribadeneira in vitis Sanctorum tractans de Concept. B. Virg. die 8. Decemb. ex crebra certaque experientia tradunt singulare et efficax remedium contra tentationes carnis ad conservandam castitatem esse, si tentatus B. Virginem invocet, opemque ab ea poscat per immaculatam eius conceptionem et angelicam puritatem, qua concepta est, et qua pariter ut virgo concepit Dei filium; atque in honorem utriusque conceptionis hymnos, vel preces aliquas recitet. Sane constat plures Sanctos per beatam Virginem, donum virginitatis vel castitatis impetrasse. Ipsa enim est rubus ardens incombustus, Exodi 3. 2. qui uti a se, ita et a Mose, aliisque sibi fidelibus flammas concupiscentiæ repellit. Ipsa est fons sibi aliisque signatus, ac puteus aquarum viventium, quæ ardorem carnis restinguunt, Cant. 4. Ipsa lilium inter spinas, ipsa sanctuarium Dei, ipsa altare thymiamatis, ipsa hortus conclusus, ipsa speculum sine macula, ipsa virga Mosis, ipsa vellus Gedeonis, ipsa turris eburnea, ipsa pulchra ut luna, electa ut sol, ipsa terribilis dæmonibus ut castrorum acies ordinata. Hisce enim titulis B. Virgo a Patribus salutatur, et ab Ecclesia in Litaniis invocatur. Vide nostrum P. Canisium in Mariali.

Remedium efficax contra tentationes carnis.

B. Virgo est porta gratiarum.

Tropol. porta hæc templi, id est cæli, significat omnem gratiam, omniaque dona e cælis a Deo per B. Virginem, utpote portam, ad nos descendere. Hæc enim porta non tantum est porta, sed et solium gloriæ Dei; puta thronus veri Salomonis, a quo omne bonum ad nos derivatur. Ipsa est arca testamenti, ipsa clypeus omnibus in se sperantibus, ipsa stella maris, ipsa domina, advocata, mediatrix nostra. Ipsa urbs fortitudinis, ipsa civitas refugii, ipsa propitiatorium Altissimi. *Ipsa virgo virginum, Sancta sanctorum, lumen cæcorum, iustorum gloria, peccatorum venia, gratiæ inventrix, mediatrix salutis, restauratrix sæculorum, reverenda angelis, desiderata gentibus, Prophetis et Patriarchis præcognita, electa ex omnibus, prælata omnibus,* ait S. Bern. epist. 74. Ipsa navis institoris de longe portans panem, ipsa mater misericordiæ, ipsa signum magnum in cælo, ipsa prodigium et miraculum sæculorum. Nam *illius est mater, cuius Deus est pater,* ait S. Bernard. serm. 3. super *Missus est. Deum enim peperit, et de Deo concepit.* Idem serm. 3. in *Salve regina: Propter hanc,* ait, *totus mundus factus est, et hæc gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est. Verbum Dei caro factum est, Deus humilis et homo sublimis.*

B. Virgo est porta cæli.

Rursum porta hæc significat, hominibus e terra in cælum per B. Virginem, quasi portam, intrandum et ascendendum esse. Quocirca ipsa vocatur scala Iacob, ianua cæli, porta paradisi, mater salutis, domina angelorum, regina mundi, SS. Trinitatis filia, sponsa, parens; nimirum filia Patris, parens Filii, sponsa Spiritus sancti. Hinc passim Doctores docent, medium efficacissimum ad assecurandam sibi æternam felicitatem esse, si quis cultui B. Virginis se abdicat, ab eaque poscat dirigi rectis itineribus in viam portumque salutis. Ipsa enim est gloria Ierusalem, ipsa mulier amicta sole, habens in capite coronam stellarum duodecim. Ipsa mater, uti Christi, ita Christianorum omnium, puta Ecclesiæ tam militantis,

A quam triumphantis. Exempla plurima horum omnium per singula sæcula moderni plures, tam qui de B. Virgine, quam qui in catechismum scripsere, collegerunt. Denique S. Bernard. serm. 4. de Assumpt. *Sileat,* ait, *misericordiam tuam Virgo beata, si quis est qui invocatum te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Et mox: *Quis ergo misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo eius usque in diem novissimum, invocantibus eam subvenit universis. Latitudo eius replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas eius civitatis supernæ invenit restaurationem: et profundum eius sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Ierusalem. Ad hunc misericordiæ cumulum tota solicitudine miseria nostra recurrat.* Idem homil. 4. super *Missus est: Ex ore tuo* (o Virgo) *pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, sa-* B *lus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui.* Idem serm. 2. in die Pentecostes: *Ad illam* (B. Virginem) *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt et qui in cælo habitant, et qui in inferno, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati natorum et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, ut resarciantur: qui in inferno, ut eripiantur: qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generationes genitrix Dei, domina mundi, regina cæli. In te enim angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ: quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis, quidquid creavit, recreavit.* Nam, ut ipse ait serm. 3. super *Missus est:* In B. Maria inhabitavit plenitudo divinitatis corporaliter, puta θεάνθρωπος; ut ait S. Dionys. ex quo theandricæ, id est deiviriles, actiones, quibus homines C Deo reconciliavit, promanarunt. Idem serm. 3. inter parvos: *Ave Maria, gratia plena. Bene plena, quia Deo, et angelis, et hominibus grata: hominibus per fœcunditatem, angelis per virginitatem, Deo per humilitatem.* Idem serm. de B. Maria: *Eva spina fuit, quæ et virum suum ad mortem pupugit, et posteritati sui peccati aculeum infixit: rosa Maria. Eva spina, vulnerando: Maria rosa, omnium affectus mulcendo. Eva spina infigens omnibus mortem: Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem.* Idem serm. 3. in *Salve regina: Fiat, inquit, firmamentum, et dividat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu domina, quæ eum quem cæli cælorum capere non poterant, cepisti et concepisti: portasti, et non defecisti: genuisti, aluisti, educasti. Tu in medio aquarum divisisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium. Posuit in hoc firmamento Deus solem et lunam, Christum et Ecclesiam; et stellas, prærogativas gratiarum multas.*

Symbol. porta clausa est Sacra Scriptur.

Symbolice, Origen. hic hom. 14. et ex eo S. Hieron. D per portam clausam intelligunt S. Scripturam, quæ clausa fuit, donec princeps, id est Christus, eas aperuit, de quo dicitur Apoc. 5. 5. *Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David aperire librum, et solvere septem signacula eius.* Nam, ut ait S. Hier. *Priusquam Salvator humanum corpus assumeret, et humiliaret se formam servi accipiens, clausa erat lex, et Prophetæ, et omnis scientia Scripturarum. Postquam autem ille pependit in cruce, statim velum templi scissum est, et aperta sunt omnia, ablatoque velamine dicimus: Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam.*

Anagog. est cælum clausum ante Christum.

Anagog. porta clausa fuit cæli ianua clausa usque ad Christum, quam Christus clave suæ crucis aperuit: quam ob causam S. Stephanus martyrium obiens dixit Act. 7. *Ecce video cælos apertos.* Et S. Petrus Actor. 10. vidit cælum apertum, et ex eo descendens vas quoddam velut linteum magnum.

Vers. 4. Per viam portæ Aquilonis. Quia porta Orientalis clausa erat, ut dixit v. 2. hinc per portam Aquilonis quæ aperta erat, induxit angelus Ezechielem in conspectu domus.) Id est, ut Hebr. *in conspectum templi*, ut scilicet videret gloriam Domini, quæ illud implebat: unde eam videns præ fulgore reverberatis luminibus, et præ reverentia et stupore tantæ maiestatis in terram corruit. *Cecidit autem in faciem suam Propheta*, ait S. Hieron. *ne, dum plus cernere cupit, quam humana potest fragilitas intueri*, etiam ipsum oculorum lumen amitteret.

Vers. 5. Et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii.) Hebr. *et pones cor tuum ad domus ingressum, et ad omnes ingressus sanctuarii*, id est contemplare omnes ingredientes et egredientes e templo, considera omnia, quæ in templo geruntur, perspice totam templi administrationem: ita Vatabl. Aliter Mald. q. d. Observabis diligenter omnes templi introitus atque exitus, ut doceas Iudæos, qua populus, qua princeps, qua sacerdotes ingredi egredique debeant, uti paulo post innuit, et fusius declarabit cap. 46.

Vers. 6. Ad exasperantem.) Ad rebellem, suaque rebellione me irritantem: vide dicta c. 2. 5.

Vers. 6. et 7. Sufficiant vobis omnia scelera vestra, q. d. Sufficiat vobis huc usque scelerate egisse, eo quod incircumcisos.) Infideles et sceleratos induxistis in templum meum: desistite ab hisce sceleribus: deinceps nolite eos inducere, et profanare templum meum: ita Hebræa.

Aliter Maldon. q. d. Sufficiat vobis, quod vos ipsi vestra idololatria et cædibus templum meum polluatis, quamvis alienigenas, et profanos homines non introducatis, qui illud contaminent. Verum *eo quod*, non significat hic *quamvis*, sed causam vel modum scelerum. Unde hebr. est, *in introducendo vos alienigenas*. Alienigenæ enim arcebantur templo, id est, atrio Israel.

Incircumcisos corde, id est sceleratos, et incircumcisos carne.) Id est Gentiles, infideles et idololatras. Illo enim tempore fere soli circumcisi, id est Iudæi et proselyti, erant fideles, Deique veri cultores; incircumcisi erant Gentiles et infideles.

Tropol. de circumcisione cordis et carnis. Tropol. S. Hier. *Cor*, ait, *circumcidimus cultello Dei, et aufertur de corde nostro præputium, quando turpes cogitationes nequaquam exeunt de corde nostro, nec de nobis dicitur: Impinguatum est cor populi huius, et auribus suis graviter audierunt. Ergo et caro similiter circumcidatur, ut nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro necessitate corporis facere compellimur, cibum capere, et potum et somnum, et uti vestibus: quæ tunc circumcidimus, si non ad delicias, et ad luxuriam, et ad inertiam, sed ad necessitatem naturæ et corporis istius sustentaculum cuncta facimus. Qui bibit vinum propter stomachum, et frequentes infirmitates, et odit ebrietatem, circumcidit carnem suam, etc. Et sic circumcisi ingrediamur sanctuarium Dei. Audiant hoc Episcopi atque presbyteri, et omnis ordo Ecclesiasticus, ut non inducant filios alienos incircumcisos corde et carne, ne polluant domum eius.*

Et offertis panes meos, adipem et sanguinem.) *Offertis*, scilicet per alienigenas iam dictos: ita Vatabl. qui censet hic taxari Iudæos, quod, cum ipsi deflexissent ad idola, in templum inducerent Gentilium sacerdotes, qui ritu suo idolis sacrificarent.

Simplicius Maldon. explicat, q. d. Offertis mihi panes et victimas, quas ab alienigenis accepistis. Hoc enim vetitum erat Levit. 22. 25. ubi dicitur: *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerit: quia corrupta et maculata sunt omnia.*

Vers. 8. Posuistis custodes observationum mearum; Hebr. משמרתי *mismarti*, id est custodiæ meæ, in sanctuario meo, scilicet in templo, vobismetipsis.) Id est, pro vestro arbitratu, non pro mea voluntate. Nam posuistis custodes templi, qui in illud admittunt incircumcisos, quod ego nolui et vetui. Aliter Vatabl. q. d. Ordinastis sacerdotes Gentilium, qui templum vestrum custodirent, in eoque sanctificationes, id est sanctas hostias, pro vobis offerrent.

Sed et Levitæ, qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, q. d. Levitæ illi, qui cum Israelitis coluerunt idola, indeque in alia scelera prolapsi sunt, et portaverunt iniquitatem suam.) *Et* significat *ideo*, q. d. Ideoque pœnam suæ iniquitatis reportarunt, scilicet captivitatem Babylonicam. Aliter Vatabl. vertit enim in futuro, *luent pœnam iniquitatis suæ*, quam eis intento v. 11. et 13. ut scilicet reiiciantur in gradum laicorum, sintque æditui et ianitores templi. Vers. 10.

Distinguit hic Deus duo genera Levitarum, ait S. Hier. scilicet unum eorum qui cum populo secuti sunt idola. Tempore enim Manassis, Achaz aliorumque regum impiorum et idololatrarum populus pariter fuit idololatra: et ex Levitis plurimi, ne gradu suo exciderent, captantes gratiam regis et populi, idolis serviebant, iisque inter sacrificandum iuxta suum gradum ministrabant. Alii vero constantes in fide et suo officio steterunt, malentes suo gradu et gratia regum et populi excidere, quam conscientiam lædere. Hi vocantur hic filii Sadoc: fuit enim Sadoc verus et fidelis Dei pontifex; et posteri eius, qui patris virtutem secuti sunt, merito eius filii tum progenie, tum imitatione nuncupantur.

Hisce ergo sancit et confirmat Deus ministerium sacerdotale, priores vero punit excludendo illos a sacerdotio, et deturbando eos ad officia vilissima æedituorum, et laniorum ad mactandas victimas. Hoc est, quod subdit:

Erunt in sanctuario meo æditui.) q. d. *Pro sacerdotali officio*, ait S. Hieron. *qui holocaustum, et victimas, omneque sacrificium offerre consueverant, redigentur in ultimum gradum, et erunt ianitores domus in ignominiam sempiternam, ut ab universo populo intrante et exeunte videantur, de quam sublimi dignitate, ad quem ultimum gradum pervenerint.* Sic Ecclesia olim Episcopos et presbyteros lapsos in arrianismum aliamve hæresin, recipiebat quidem ad pœnitentiam, sed privabat officio sacerdotali, et sæpe redigebat ad communionem laicam: sed postea invalescente lapsorum numero, multos in pristinum sacerdotii gradum restituit. Quod deplorans ait S. Hier. *Quomodo*, ait, *sibi sacerdotale et pontificale assumunt fastigium, et audent offerre victimas Deo, cultores quondam idolorum? Sed, ut ardentissimus poeta testatur, quidquid a multis peccatur multum est, multitudo peccantium impetrabiliorem fecit impiis veniam, ut qui redacti in laicos, pristina sacrilegii sui scelera debuerant deplorare, nunc resupini in pontificali solio sedeant, et ructent nobis simulatæ fidei nauseas, imo opertæ fidei aperta compendia. Audiant igitur salutem sero, et observent præcepta omnipotentis Dei: Omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne non ingredietur sanctuarium meum, licet ille sit filius, licet cognatione sociatus.* Vers. 11.

Pro eo quod ministraverunt illis.) Quia populo in idololatria servierunt, ideo illi, etiam ab idololatria revocato, perpetua servitute obstricti manebunt, ait Mald. Vers. 12.

Idcirco levavi manum meam, id est elata manu iuravi, super eos, et (id est *quia*, vel *quod*) portabunt iniquitatem suam.) Per hanc ignominiæ, puta irregularitatis, suæ pœnam iam dictam.

Et custodiant cæremonias meas.) Hebr. est, *et custodiant custodiam meam*, id est, fungantur per omnia officio sacerdotis: illi enim competit custodia templi et sacrorum: ita Vatabl. Vers. 16.

Cumque ingredientur portas atrii interioris.) Id est atrii sacerdotum. Alii intelligunt Sanctum sanctorum, quasi hic præcipiatur, ut pontifex illud expiaturus in die expiationis vestiat se tunica linea, uti præcepit Deus Levit. 16. v. 2. et sequent. Sed Sanctum sanctorum non vocatur atrium. Vers. 17.

Vestibus lineis.) Tunica enim linea erat vestis communium sacerdotum, ex lege Exodi 29. 8.

Linea vestis notat sanctitatem sacerdotum.

Hic mystice significatur, nos munda conscientia debere tractare sancta Dei Sacramenta, ait S. Hieron.

Nec ascendet super eos quidquam laneum.) Linum differt a lana, quod hæc est propria brutarum animantium vestis; linum vero est nobilis plantæ medulla,

quæ hominum industriæ abdita asservatur. Unde Apuleius in Apologia: Lana, inquit, segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, iam inde Orphei et Pythagoræ scitis profanus vestitus est. Itaque lanea vestis videtur desidiam atque segnitiem indicare: et in lino saltem maior multo diligentia significatur.

II Secundo, mira est lini tenuitas atque subtilitas, quod valde perpendit Plinius in thorace illo, qui in Rhodiorum insula in templo Minervæ ostendebatur, cuius singula fila 365. filis constabant. Hieronymus etiam in id Ezechielis 16. *Cinxi te bysso*, ait, tenuissima ex bysso fila texuntur in veste pontificis. Hoc aptum in primis est, ut denotetur hanc mysticam veræ sanctitatis vestem, non crasso (quod aiunt) filo, sed tenui atque subtili esse texendam.

III. Tertio, linum ingentem utilitatem hominibus affert, orbem terrarum, ait Plinius, ultro citroque portat. Quibus verbis ponderat magna commoda, quæ ex lino ad navigationem sequuntur; vela enim, quibus naves uti solent, ex lino generatim conficiuntur. Unde linum ipsum est præcipuum instrumentum, cuius ope ac subsidio maxima navigia tot ac tantis oneribus stipata, se mari committant, et in remotissima littora navigent. Ex semine parvo nascitur linum, quasi gracilis et humilis avena, ut eo ingentes opes ac merces utilissimæ, ex aliis provinciis in alias advehantur. Quod mirifice repræsentat, quam utilis sit toti terrarum orbi Christi fidelium sanctitas, quæ secundo divini Spiritus flamine, cælestes opes ac merces plane divinas ad barbaras etiam gentes, et longissime dissitas nationes comportat. Summa etiam utilitas lini est, quod ex eo tentoria fiant et vela, etiam in atriis, aut locis aliis patentibus tendi solita, quæ Solis ardorem arceant. Non secus iustorum sanctitas reipublicæ umbraculum est ab æstu, et vitæ humanæ forum spiritualiter inumbrat, ut salutarius homines vivant.

IV. Quarto, magnus erat optimi lini, id est byssi, splendor et pretium. Siquidem Achaica byssus auri pondere vendebatur, ita ut uncia byssi centum argenteis nummis appenderetur, aut secundum novum monetæ valorem, centum decem; et libra duodecim unciis constans, mille et ducentos argenteos valeret; seu (nova ratione) 1320. quo pretio sericum in triginta libras vendi solet. Quin addit Pausanias, Iudææ byssum Achaica fuisse præstantiorem. Si igitur magnum ipsius splendorem cum ingenti pretio, et magnis eius deliciis consideremus, facile intelligimus, byssum apte deservire ad opes, gloriam atque delicias denotandas: quippe quæ res erat principum valde propria. Vide Genes. 41. 42. de byssina Iosephi stola in ipsius triumpho, et Lucæ 16. 19. de divite avaro byssinis vestito. In eadem vero veste, prout est sanctitatis et religionis symbolum, hæc omnia optimam habent significationem. Nihil enim honorificentius, nihil præstantius atque gloriosius spiritu principali, quo Deus suos amicos confirmat. Nullæ sunt deliciæ, quæ veræ sanctitatis delicias ulla ex parte æquare possint; nullæ opes, quæ cum ipsius opibus valeant comparari: ita Alcazar in Apocal. 1. v. 13. not. 11. Alias linei vestitus sacerdotalis causas recensui Exodi 28. 39.

Et intrinsecus.) In Sancto, adolendo thymiama, accendendo lucernas, et ponendo panes propositionis.

Vers. 18 Et non accingentur in sudore.) Id est, in loco sudoris, q. d. Parte media corporis cingent se, non autem ad pectus, vel ad axillas, in quibus facile sudatur: ita Chald. Hebræi, Maldon. et alii.

Secundo, et potius, *non accingentur in sudore*, id est, ita arcte ut sudent: ita Vatabl. Nam Septuag. vertunt, *non accingentur violenter*, q. d. Non accingant se violenter et constricte instar vinctorum, ne in ministeriis sacerdotalibus et Leviticis inhabiles fiant, et tenere et cædere victimas, attrahere quoque nequeant, et discurrere, ait S. Hieron.

Vers. 19. Cumque egredientur ad populum, etc. vestient se vestimentis aliis, profanis et communibus, et non sanctificabunt populum in vestibus suis.) Id est, ne sanctificent populum, *qui ad sanctificationem se non præparavit, ut sit Domini Nazaræus*, ait S. Hieron. Profana enim ex contactu sacrorum fiebant sacra, iuxta legem Exodi 30. 29. ita Vatabl. et Maldon. Vetat Deus sacra profanari, et ad profanos usus adhiberi, ne sacrorum maiestas vilescat, fiatque toti vulgo communis.

Caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondent.) Perperam hæc contra tonsuram monachorum torquet Hortensius Landus lib. de Persecutione barbarum. Pro quo Nota. Sacerdotibus Iudæorum prohibita fuit rasura Levit. 21. 5. non quod in se mala esset, sed quia minus decora, et ne viderentur similes sacerdotibus Gentilium, in quorum vicinia habitabant, qui toto capite raso idolis sacrificabant, ut patet ex epistola Ieremiæ, Baruch 6. v. 30. Quod idipsum ex se non esset malum, patet, quia Ezechiel, qui erat sacerdos, iubetur a Deo radi cap. 5. 1. et Num. 6. Nazaræus completo tempore voti iubetur radi. Hinc et Paulus rasus est Actor. 21. v. 24. Ergo tantum ob viciniam idololatrarum prohibebantur sacerdotes Iudæorum radi. Quæ forte causa erat cur tempore Optati Milevitani, S. Hieron. et Ambrosii, Christiani sacerdotes non raderentur, sed tonderentur. Nam adhuc ipsorum tempore erant sacerdotes Isidis et Serapis, qui caput radebant, ut S. Hieron. hic, et Ambros. epistol. 36. testantur. Postquam autem illa causa cessavit, nil absurdi faciunt, qui ad aliquid sacrum significandum caput radunt: ita Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 40. Vers. 20.

Sacerdotes olim non radebantur, cur?

Moraliter S. Gregor. part. 2. Pastor. cap. 7. in fine: *Quia*, inquit, *cuncti qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen vehementer iis incumbere; sacerdotes recte et caput prohibentur radere, et comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum, nec a se funditus amputent, nec rursum ad crescendum nimis relaxent. Unde et bene dicitur: Tondentes tondeant capita sua, ut videlicet curæ temporalis sollicitudinis et quantum necesse est provideant, et tamen resecentur citius, ne immoderatius excrescant.*

Stabunt in iudiciis meis.) Legibus et præceptis meis insistent, ut ex illorum præscripto iudicent, litesque dirimant. Vers. 24.

Quæ alterum virum non habuerit, quæ secundo non nupserit, in quibus contaminabuntur.) q. d. Licebit sacerdoti accedere ad funus patris officii et pietatis causa, ut eum sepeliat, et hoc casu licebit ei se legaliter contaminare, sive inducere sibi irregularitatem legalem, quæ ob funera contrahitur: hæc enim cedere debet pietati paternæ. Pontifici vero nullum, ne patris quidem funus prosequi licebat, vide dicta Levit. 21. 11. Voluit Deus hac sanctione avocare animos sacerdotum ab affectu humano, quo homines amant sanguine iunctos et cognatos, ideoque in eorum morte lugent et plangunt: nimirum voluit sacerdotes ab hoc affectu esse liberos, ut animum totum a cognatis, rebusque caducis, ad Deum et divina transferrent, utque resurrectionem et æternitatem iugiter cogitarent, earumque fidem et spem et verbo et facto alios docerent. Hac ergo de causa pontifex nec patrem, nec matrem lugere poterat. *Postulat enim*, ait Philo l. 2. de Monarchia, *lex in eo viro præstantiorem hominibus indolem; quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, velut in quodam divinæ humanæque naturæ confinio, ut hoc mediatore Deus propitietur hominibus.* Vers. 25.

Moral. de moderando Ecclesiasticorum erga cognatos affectu.

Hæc sacerdotes veteris testamenti, coniugiis, filiis et familiæ illigati: quid iam faciant sacerdotes et Episcopi novi testamenti, quos Deus cælibes et illiberes esse voluit, ut a curis terrenis ad cælestia mentem transferrent, eamque totam in Deo bonisque æternis defigerent? Quare sapienter monet S. Basil. in constit. monast. c. 23. *Scientes itaque intolerabile detrimentum huius erga cognatos affectus, fugiamus illorum curam, tamquam diabolicam ad nos impugnandum armaturam.* Sed ecce, inquit doctor sapiens, hisce Satan invidens insidias ex latere ponit, dum cognatos pro filiis substituit, eosque curandos, et ex imo sensim ad summos opum et dignitatum gradus provehen-

dos esse suggerit; in illis extollendam et perpetuandam esse familiam; in illis conservandum et celebrandum apud posteros nomen. Ita nimirum:

Cum factor rerum privaret semine clerum,
Ad Satanæ votum successit turba nepotum.

Hæc est fraus, hic laqueus diaboli, hæc petra scandali, in quam non pauci alias boni impingunt, ut ab hoc cognatorum affectu se vinci et vinciri sinant, iisque opes et status iugi cura et studio sine fine accumulent, etiam e bonis Ecclesiæ cum animæ et salutis suæ suorumque gravi periculo. Gliscit enim, serpit et crescit hæc cupiditas instar ignis latentis, quo magis illi indulgetur, tandemque fit insaturabilis, et in immane evadit incendium. Ita sacerdotes, qui cælestes esse debebant, fiunt terreni, et summi fiunt imi: ita quos animo excelso omnia humana despicere, illisque altiores esse, aliosque idipsum docere oportebat, ad ea conversi prolabuntur, mentemque sublimem ad infima hæc deprimunt.

O curvæ in terras animæ, et cælestium inanes!

Quam hi a Christi et priscorum patrum virtute degenerant! Non loquor de illis, qui consanguineis pauperibus subveniunt, vel eos qui digniores, aut sibi et Ecclesiæ aptiores promovent: hoc enim si moderate fiat, pietati, charitati et prudentiæ est consentaneum, ut docet D. Thom. 2. 2. p. 185. a. 7. ad 2. Loquor de iis qui non nisi affectum sequuntur, ideoque indignos promovent, vel dignos immodice locupletant.

Exemplum Christi. Christus Dominus moriturus matrem unicam et dilectissimam, eamque pauperem non Iosepho ab Arimathia, nobili et diviti; sed Ioanni pariter pauperi commendavit. Christus cognatis suis, Iacobo et Ioanni, non opes et delicias, sed calicem passionis suæ propinavit. Cum enim mater eorum pro eis interpellaret, diceretque: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo; respondens Iesus dixit: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo,* Matth. 20.

S. Petri. S. Petrus vocatus a Christo, omnem carnalem erga uxorem, et filiam Petronillam affectum exuit et deposuit, easque sanctas esse maluit, quam opulentas: unde cum uxor ad martyrium duceretur, non aliud egit, non aliud dixit, quam, *Heus tu memento Domini*, uti refert Clemens Alexandr. lib. 7. Stromat.

S. Pauli. S. Paulus de Ecclesiast. ita sancit 2. Timot. 2. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Idem epist. 1. ad Timoth. Episcopum Ephesi cap. 6. v. 6. taxat Ecclesiasticos, qui existimant quæstum esse pietatem. *Est enim*, inquit, *quæstus magnus pietas cum sufficientia*, græce αὐτάρκεια, id est animo suis paucisque contento. *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*

S. Cypriani. S. Cyprianus a coniugio assumptus ad Episcopatum Carthag. adeo uxorem et liberos non ditavit, non evexit, ut bona sua in pauperes erogarit, curamque uxoris et filiorum plane a se abdicaverit, eamque Cæcilio presbytero commiserit, relinquens eis dotem quæ tantum ad necessaria vitæ sufficeret, uti refert Pontius diaconus in eius vita.

S. Augustini. Audi et sequere exemplum magni Augustini, de quo ita scribit Possidon. in Vita eius cap. ult. *Nec suos consanguineos vel in proposito, vel extra constitutos, in sua vita et morte vulgi more tractavit. Quibus dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod et cæteris erogarit, non ut divitias haberet, sed ut aut non, aut minus egeret.*

S. Hilarii. S. Hilarius Episcopus Pictaviensis, unicam filiam, Abram nomine, quam ante Episcopatum in coniugio susceperat, aspirantem ad coniugium adeo non promovit, ut ex adverso suavi exhortatione eam ad virginitatem Deo offerendam, vitamque religiosam capessendam inflexerit: ita habet eius vita. Plura recensui Num. 27. in fine.

S. Gregorii. Præclare S. Gregor. lib. 7. Moral. c. 14. cum dixisset de nonnullis, qui mundum et mundana superant et calcant, de iis subdit: *Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiscrete deserviunt, ad ea sæpe per affectum cognationum redeunt, quæ iam et cum proprio despectu subegerant: cumque plus quam necesse est carnis propinquos diligunt, retracti exterius a cordis parente dividuntur. Quo itaque isti nisi in rete ambulant, quos a præsenti sæculo inchoata iam vitæ perfectio solverat, sed inordinatus amor terrenæ cognationis ligat? Hinc enim Veritas dicit* Lucæ 21. *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.*

S. Hier. Quocirca recte S. Hieron. ad Heliodorum: *Aries*, inquit, *iste pietatis* erga parentes et cognatos, *quo fides quatitur, Evangelii retundendus est muro: Mater mea, et fratres mei hi sunt, qui faciunt voluntatem patris mei qui in cælis est. Si credunt Christo, faveant mihi pro eius nomine pugnaturo: si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos.*

Climachi. Et Climachus gradu 3. *Melius est*, inquit, *contristare parentes, quam contristare Dominum Iesum: hic enim nos creavit et salvavit; illi sæpe suos amando perdiderunt. Amor Dei, ipsiusque sanctum desiderium extinguit in anima carnalem parentum amorem: qui autem utrosque in uno corde claudi posse putat, is seipsum decipit. Ne te moveant tuorum lacrymæ, ne tu tibi ipsi æternas lacrymas parias.*

Mosis. Quocirca Deus ipse Deuter. 33. 11. per Mosen Levitas veteris testamenti collaudans, quod parentes et cognatos in devia et idola abeuntes occidissent, ideoque eis benedicens, ait: *Qui dixit patri suo, et matri suæ, Nescio vos; et fratribus suis, Ignoro vos, et nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt: iudicia tua o Iacob, et legem tuam o Israel. Ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. Benedic Domine fortitudini eius, et opera manuum illius suscipe.* Multo magis Levitæ novi testamenti sibi dictum putent illud Christi: *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem suum*, etc. Matth. 10. 34. gladio enim, id est, vehementi ictu et conatu, opus est, ut quis affectum hunc erga parentes et cognatos, ita naturæ infixum, divellat et discindat. Rursum sibi dictum putent illud Dei ad Abraham: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi*, Gen. 12. 1. Et illud: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Hic enim inducitur (esto habuerit) in Script. quasi *sine patre, sine matre, sine genealogia*, ut ait Apost. Hebr. 7. 3. ut indicet sacerdotes parentum oblivisci debere, ac si cælestes et de cælo lapsi essent. Sic enim hoc viscoso cognationis glutino expediti, omnes suas curas in communibus Ecclesiæ commodis, uti obligantur, curandis deligent. Posteriori ævo eximium et omnibus sæculis celebrandum hac in re exemplum dederunt plures Romani Pontifices, ut alios innumeros inferioris classis et notæ prætercam. Benedictus XII. Pont. anno Domini 1334. nullum e suis propinquis ad ullum Ecclesiæ munus promovit, dietitans, *Pontificem non habere propinquos*: eum enim quasi Melchisedec terra et hominibus esse celsiorem. Qua de causa tantæ omnibus fuit venerationi, tamque charus, ut eo post annum septimum defuncto, funus ipsius uberrimis universorum lacrymis celebratum sit. Par ei fuit Benedictus XI. anno Domini 1303. qui matrem pauperem ad se accedentem gratulationis causa, ideoque cultiori habitu indutam, agnoscere noluit, dicens: *Hæc non est mater mea: nam mater mea inops est, nec sumptus habet ad tam pretiosas vestes comparandas.* Quibus illa verbis icta, et pudore suffusa abscessit; sed paulo post propriis et tenuibus vestibus induta rediit: ac tum Pontifex surgens e sede, *Hæc*, ait, *est mater mea, non illa prior;* inter quæ verba amanter eamdem amplexatus est. Suppar his fuit Nicolaus IV. anno Domini 1288. qui in

cognatos ita affectus erat, ut iis nil se plus debere diceret quam cuivis bono: ita Platina, Baron. et alii in vitis eorumdem. Ex adverso probro viris sanctis datum est, quod propinquis plus æquo essent addicti; imo iidem divinam sensere vindictam, seroque errorem suum agnoverunt et damnarunt.

Memorabile exstat exemplum in S. Udalrico Augustano Episcopo, qui anno Domini 974. episcopatum resignans in Adalberonem nepotem suum, licet sapientia et virtutibus conspicuum moriturus ad Dei iudicium raptus, per visum accepit se ea de causa pœnis purgatorii mancipandum. Audi auctorem vitæ eius c. 26. *Quadam die quasi de gravi somno expergefactus, ei assidentibus ait: Heu, heu, quod meum nepotem Adalberonem unquam vidi: quia pro eo quod ei secundum suum desiderium consentiebam, nolunt* (cælites) *me impunitum in suum recipere consortium.* Quocirca Udalricus post mortem Purgatorium subiit, et nepos eius Adalbero anno sequenti repentina morte extinctus est. Hæc recensens Cardin. Baron. merito hoc epiphonema subiungit: *Potentissimum diaboli telum est amor affinium, quo etiam Sanctos appetit, quod secundum Apostolum nemo carnem suam odio habet, sed fovet et nutrit eam.* Sane crebro nepotes suis patruis Prælatis, nimis iis indulgentibus, multarum molestiarum, litium, bellorum, et non raro infamiæ, melancholiæ, morborum ac mortis præsentis, utinam non et æternæ, sunt origo et causa: cuius rei exempla funesta hoc sæculo vidimus multa, eaque illustria. Expergiscimini Ecclesiastici, evigilate Prælati: heroum filii, imo nepotes, noxæ. *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Quid prodest homini*, si nepotibus *universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* inquit æterna Veritas, et Sapientia summa. Facite ergo in vita, quod in hora mortis, in die iudicii (in quo frater non redimet, redimet nepos?) in horizonte inquam æternitatis optabitis fecisse. O Iesu dulcissime, da nobis hanc sapientiam, ordina in corde nostro charitatem, ut parentes et cognatos non nisi secundum te, per te, in te, et propter te diligamus; ut dum eos diligimus, eos in te, et te in ipsis, uti lex tua sancta iubet, diligamus.

Vers. 26. Et postquam fuerit emundatus (ab hac immunditia legali) septem dies numerabuntur ei.) Antequam liceat ei ad ministerium sacerdotale accedere. Hæc nova est sanctio in novo templo: nam in Levitico nil tale præscribitur: ita Vatablus.

Aliter R. Salomon, et Maldon. q. d. *Postquam fuerit emundatus*, id est separatus a mortuo, *septem dies numerabuntur ei*, quibus expietur, nec liceat ei ad altare accedere.

Vers. 27. In die introitus sui, quo die primum introibit templum, offeret pro peccato suo.) Decimam partem ephi similæ, uti tradunt Hebræi, et lex ipsa præscribit Levit. 6. 20.

Vers. 28. Non erit autem eis hæreditas.) Sic legendum est cum S. Hieronymo in comment. et Romanis, scilicet cum negatione *non*. Male ergo quidam codices eam tollunt, et legunt affirmative. Constat enim sacerdotes non habuisse hæreditatem in Israel: ita enim præcipit lex Deuter. 18. v. 1. unde subdit:

Ego enim possessio eorum.) q. d. Possidebunt sacerdotes meas, non hæreditates, sed victimas, oblationes, et primitias mihi debitas, et a populo dandas.

Moralit clericus non aliam sortem habeat quam Deum. Moraliter egregie S. Hieronymus Nepotianum clericum instruit dicens: *Igitur clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur. Sic enim κλῆρος græce, sors latine appellatur: propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet; talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, et cum Propheta dicit, Pars mea Dominus; nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus: v. g. si aurum, si argentum, si possessionis, si variam supellectilem; cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, et funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi Levita et Sacerdos vivo de decimis, et altari serviens altaris oblatione sustentor: habens victum, et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, et repetens iterum iterumque monebo; ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas, quam quando clericus esse cœpisti, et dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores monachi, quam fuerant sæculares; et clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete et fallace diabolo non habuerant: ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos. Mensulam tuam pauperes et peregrini, et cum illis Christus conviva noverit. Negotiatorem clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem, fuge. Ignominia sacerdotis est, propriis studere divitiis. Natus in paupere domo, et in tugurio rusticano, qui vix milio et cibario pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam, et mella fastidio: novi et genera et nomina piscium, in quo littore concha lecta sit, calleo: saporibus avium discerno provincias: et ciborum me raritas, ac novissime damna ipsa delectant*, etc.

Victimam et pro peccato.) Quærit S. Hieron. cur Propheta hic repetat ea, quæ sancita sunt in Levitico, ac respondet: *Ut videlicet quæ in mentibus hominum sunt, vel legendi negligentia, vel audiendi contemptu et oblivione deleta; viva voce innoventur, quæ non sit scripta calamo et atramento, sed spiritu et verbo Dei*, scilicet, mystice et spiritualiter. Vers. 29.

Et omne votum.) Hebr. כל חרם *col cherem*, id est, ut Aquila, Symmach. et Theodot. *omne anathema*. Vide de cherem et anathemate dicta Levit. 27. 28.

Et primitiva omnium primogenitorum.) Est pleonasmus: eadem enim sunt primitiva, quæ primogenita, q. d. Primitias omnes, sive animalium quæ pecora gignunt, sive fructuum, quos profert tellus, puta primitias vini, olei, frumenti, obtinebunt sacerdotes. Vers. 30.

Et primitiva ciborum vestrorum.) Hebr. *pastarum vestrarum*, id est, panum confectorum ex primitiis frugum vestrarum. Primitias enim panum offerebant sacerdoti in Pentecoste.

Alleg. ex hoc loco, et ex Levitico, ac Numer. 18. 11. et seq. docet S. Clemens primitias omnium rerum dandas esse sacerdotibus et Episcopis: *Episcopum*, inquit, *oportet ut patrem diligere, ut regem metuere, ut dominum honorare, offerendo in benedictionem vestram fructus vestros, et opera manuum vestrarum, tribuendo, inquam, ut sacerdoti Dei primitias vestras, et decimas vestras, primitias frumenti, vini, olei, pomorum, lanæ, et quidquid Dominus Deus vobis suppeditat: et erit oblatio tua accepta in odorem suavitatis Domino Deo tuo; et benedicet Dominus operibus manuum tuarum, et multiplicabit bona terræ tuæ; quia benedictio super caput impartientis.* Ita ipse lib. 2. Constit. Apostol. c. 34.

Ut reponat benedictionem.) Hebr. *ut requiescere faciat benedictionem*, q. d. Dabis primitias Deo, id est Dei sacerdoti, ut Deus benedicat domui tuæ dando tibi frugum, quarum primitias ei obtulisti, abundantiam, eamque iugem et stabilem: hoc enim significat vox *requiescere*.

Omne morticinum.) Hæc vetantur omnibus, etiam laicis, Levitici 5. 2. et seq. Sed maxime sacerdotibus: hos enim decet cæteris esse puriores et sanctiores. Vers. 31.

Mystice, Lyran. in fine libri: *Describitur*, ait, *sacerdotum genus, habitus, modus, victus et actus.* Circa primum, etc. dicitur quod sint filii Sadoc, qui interpretatur iustus: et per hoc designatur, quod Ecclesiæ ministri debent esse per imitationem specialem filii Christi, qui dicitur autonomastice iustus Isaiæ 45. *Rorate cæli desuper*, Moral. de sacerdotibus.

et nubes, etc. Unde Ioannes Apostolus de se, et sibi similibus dixit 1. epist. cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Quantum ad secundum, dicitur quod habeant vestes lineas, per quas in ministris Ecclesiæ designatur mentis et corporis puritas. Et subdit: quod femoralia linea operiant turpitudinem carnis suæ: per quod significatur, quod in ministris Ecclesiæ nihil turpitudinis aut dissolutionis in verbo, gestu, vel facto debeat apparere. Unde dicitur Exodi 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad me, sanctificentur, ne percutiam eos.* Dicitur etiam supra de sacerdotibus, quod in aliis vestibus ministrent in templo, et in aliis habitent cum populo: quod impletum videtur in novæ legis sacerdotio. Quantum ad tertium, dicitur quod sacerdotes comam non nutriant, sed attondentes tondeant. Per quod significatur tonsura clericalis in ministris novæ legis. Quantum ad quartum vero, dicitur quod sacerdotes non comedant captum a bestia, nec per se mortuum. Per quod A designatur, quod ministri Ecclesiæ non debent de rapina, vel alio illicito vivere. Item de sacerdotibus dicitur, quod vinum non bibant quando ingressuri sunt templum. Per quod intelligitur, quod in ministris Ecclesiæ esse debet sobrietas, et potissime quando debent celebrare. Tunc enim in eis requiritur non solum ieiunium Ecclesiæ, sed etiam naturæ. Quantum ad quintum, dicitur quod celebrent divinum officium, et quod doceant populum, quid sit mundum et immundum, et quod in dubiis determinent, quid sit tenendum. Per quod designatur, quod in ministris Ecclesiæ debet esse devotio, ad debite celebrandum divina; et sacræ Scripturæ cognitio, ad docendum populum, quæ sunt licita, et quæ illicita; et ad determinandum quæ in dubiis sint tenenda. Ista tamen cognitio maior requiritur, secundum quod aliquis in Ecclesiæ gradu maiori constituitur. Propter quod de ignorantibus dicitur Osee 4. *Quia repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

CAPUT QUADRAGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit ab idea et fabrica templi ad urbis et terræ sanctæ divisionem et dimensionem. Sicut ergo Iosue ingrediens terram promissam eam Hebræis divisit, ita iubet hic Deus iisdem post reditum e Babylone, eamdem rursum dividi ea ratione et mensura, quam hic præscribit. Itaque hoc capite secat Ierusalem in quatuor portiones; quarum Primam deputat sacerdotibus et templo vers. 3. Secundam Levitis v. 5. Tertiam civitati et civibus v. 6. Quartam principi v. 7. Porro terræ Israel dimensionem, et per duodecim tribus distributionem prosequitur sequentibus tribus capitibus, usque ad finem libri. Unde vers. 9. sancit leges iustitiæ, præsertim ut iusta sint pondera, ac v. 15. leges religionis de primitiis et victimis, et nominatim vers. 18. et sequent. de sacrificiis, primo mense, et in Paschate, et v. 25. in festo scenopegiæ offerendis.

1. Cumque cœperitis terram dividere sortito, separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine viginti quinque millia, et latitudine decem millia: sanctificatum erit in omni termino eius per circuitum. 2. Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum: et quinquaginta cubitis in suburbana eius per gyrum. 3. Et a mensura ista mensurabis longitudinem viginti quinque millium, et latitudinem decem millium, et in ipso erit templum, sanctumque sanctorum. 4. Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarii, qui accedunt ad ministerium Domini: et erit eis locus in domos, et in sanctuarium sanctitatis. 5. Viginti quinque autem millia longitudinis, et decem millia latitudinis, erunt Levitis, qui ministrant domui: ipsi possidebunt viginti gazophylacia. 6. Et possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis, et longitudinis viginti quinque millia, secundum separationem sanctuarii, omni domui Israel. 7. Principi quoque hinc et inde in separationem sanctuarii, et in possessionem civitatis, contra faciem separationis sanctuarii, et contra faciem possessionis urbis: a latere maris usque ad mare, et a latere orientis usque ad orientem: longitudinis autem iuxta unamquamque partem a termino occidentali usque ad terminum orientalem. 8. De terra erit ei possessio in Israel: et non depopulabuntur ultra principes populum meum: sed terram dabunt domui Israel secundum tribus eorum. 9. Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis principes Israel: iniquitatem et rapinas intermittite, et iudicium et iustitiam facite, separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus. 10. Statera iusta, et ephi iustum, et batus iustus erit vobis. 11. Ephi et batus æqualia, et unius mensuræ erunt: ut capiat decimam partem cori batus, et decimam partem cori ephi: iuxta mensuram cori erit æqua libratio eorum. 12. Siclus autem viginti obolos habet. Porro viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli, mnam faciunt. 13. Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis: sextam partem ephi de coro frumenti, et sextam partem ephi de coro hordei. 14. Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est: et decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum. 15. Et arietem unum de grege ducentorum de his quæ nutriunt Israel in sacrificium, et in holocaustum, et in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus. 16. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel. 17. Et super principem erunt holocausta, et sacrificium, et libamina in solemnitatibus, et in calendis, et in sabbatis, et in universis solemnitatibus domus Israel: ipse faciet pro peccato sacrificium, et holocaustum, et pacifica ad expiandum pro domo Israel. 18. Hæc dicit Dominus Deus: In primo mense, una mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctuarium. 19. Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato: et ponet in postibus domus, et in quatuor angulis crepidinis altaris, et in postibus portæ atrii interioris. 20. Et sic facies in septima mensis, pro unoquoque qui ignoravit, et errore deceptus est, et expiabis pro domo. 21. In primo mense, quarta decima die mensis, erit vobis Paschæ solemnitas: septem diebus azyma comedentur. 22. Et faciet princeps in die illa pro se, et pro universo populo terræ, vitulum pro peccato. 23. Et in septem dierum solemnitate faciet holocaustum Domino septem vitulos, et septem arietes immaculatos quotidie septem diebus: et pro peccato hircum caprarum quotidie. 24. Et sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem faciet: et olei hin per singula ephi. 25. Septimo mense, quinta decima die mensis, in solemnitate faciet sicut supra dicta sunt per septem dies: tam pro peccato, quam pro holocausto, et in sacrificio, et in oleo.

Notat Vilalp. l. 1. cap. 13. hanc urbis et terræ, æque ac templi, ideam et mensuram Ezechieli hic propositam, a Zorobabele et Iudæis Babylone redeuntibus non B fuisse opere plane completam ob metum Cyri et Persarum, ne viderentur arcem exstruere, ac velle rebellare, tum impediente Sanaballat, aliisque vicinis hostibus, ut

patet Nehemiæ 4. et seq. tum ob Iudæorum paupertatem: tum denique ut ostenderet Deus, hæc mystice in Ecclesia Christi perfecte fore complenda: se enim eam magis hic spectare et delineare, quam templum Iudæorum.

Porro par hic est difficultas, par obscuritas cum illa, quam in idea templi huc usque vidimus. Unde S. Hieron. lib. 14. in Ezech. hoc cap. sic orditur: Canit Poeta:

Hic labor ille domus, et inextricabilis error.

Et alio in loco:

Ut quondam fertur Creta labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque.
Mille viis habuisse dolum, quo signa sequenti
Falleret indeprehensus et irremeabilis error:

S. Scriptura Oceanus est et labyrinthus. *Ita et ego istarum Scripturarum ingressus Oceanum, et mysteriorum Dei, ut sic loquar, labyrinthum, de quo scriptum est: Posuit tenebras latibulum suum, et nubes in circuitu eius; perfectam quidem scientiam veritatis mihi vendicare non audeo, sed nosse cupientibus aliqua doctrinæ indicia præbuisse, non meis viribus, sed Christi misericordia, qui errantibus nobis ipse dolos tecti ambagesque resolvit, cæca regens Spiritu sancto vestigia, quem sequentes ad portum explanationum Prophetæ Ezechielis pervenire poterimus.*

Vers. 1. Cumque coeperitis terram dividere sortito.) Inter Iudæos Babylone redeuntes. Dicit *sortito,* non quod sorte divisa sit a Nehemia (uti Iosue c. 14. 2. per sortem eam divisit) nam divisa est ex Dei arbitrio et præscripto, ut sequitur: sed sortem vocat hæreditatem (hanc enim significat Hebr. נחלה *nachala*) quæ per sortes solebat dividi; unde hebr. ad verbum est, *cum feceritis terram cadere in hæreditatem*, id est cum sortito dividetis terram: ita Vatabl. Rursum licet ex parte Dei dividentis pro arbitrio, non esset hic sors; erat tamen sors respectu Hebræorum, quibus cuique sua pars, quasi sorte et casu obveniebat, quantum erat ex parte ipsorum. Sic ait Apostolus nos sorte vocatos ad gratiam et salutem. Ex parte enim vocatorum est sors, non meritum, non debitum; licet ex parte Dei vocantis non sit sors, nec casus, sed destinatum consilium et decretum.

Finis huius libri pendet ex intelligentia huius capitis. Facta est enim terræ Israel distributio in duodecim partes, præter habitacula sacerdotum, Levitarum, urbis et principis.

Separate primitias Domino.) Hebr. הרימו *harimu*, id est levate, id est *offerte oblationem Domino*, id est separate portionem terræ, quæ offeratur Domino, eique sit sacra. Solebant enim primitiæ frugum levari in altum cum offerebantur Domino, ut patet Levit. 23. 11. Hinc levare per catachresin idem est, quod offerre.

Sanctificatum.) Ut sanctificetur et consecretur Domino pars illa terræ.

Longitudine vigintiquinque millia.) Non cubitorum, ut aliqui putant, sed calamorum: calamus enim mensorius in manu viri hæc metientis erat cap. 40. 3. ac terra non cubitis, sed calamis sive cannis mensurari solet: ita S. Hieron. Maldon. Vatabl. et alii.

Mysteria num. 25 Symbolice, numerus 25. hic et alibi sacer est. Est enim primitiarum Domini, est Sacerdotum, Levitarum, urbis ac templi. Pari modo idem sacratus fuit annuntiatione et conceptione B. Virginis, ac incarnatione Filii Dei, qui est primogenitus omnis creaturæ, idque in templo, scilicet sacro Virginis utero. Nam S. Athanas. vel potius Anastasius, ad Antiochum principem quæst. 17. docet Christum incarnatum in utero Virginis 25. Martii, ac eodem die in mundi principio Deum creasse primum hominem. Hinc esse, quod in hoc ipso mense omnes arbores et herbæ, animalia quoque prolificent, tamquam a Deo hoc tempore creata sint.

Nazianz. quoque oratione 2. in Pascha: *Arcanus*, ait, *apud Hebræos est sermo, hoc tempus esse quo Deus universam condidit molem. Verum porro hoc tempus est, quo succrescunt herbæ.* Unde et hoc die, vel circiter, celebratur Pascha. Quare Romani hoc 25. die Martii celebrabant Hilaria, id est festa lætitiæ, et ludos publicos, ac dies hilares; quod eo tempore iterum sol, peragrato Zodiaci spatio per omnes signorum stationes, ad nos redeat. Plura vide apud Petrum Bongum lib. de Numerorum mysteriis pag. 450.

Notat R. David, et Vatabl. hic longitudinem ab Oriente ad Occidentem, latitudinem a Meridie in Septemtrionem spectari, uti spectant et describunt Cosmographi. Nam alioqui Iudææ longitudo a Meridie in Aquilonem, latitudo ab Oriente in Occidentem spectabatur; illa enim parte longius excurrebat, hac arctabatur.

Sanctificatum erit in omni termino eius per circuitum.) q. d. Hoc terræ spatium iam dimensum separate et dicate Deo, non ad solum templum (hoc enim tantum habebat quingentos calamos ad quamlibet mundi plagam, uti patet ex cap. 42. v. 16. et sequent.) sed etiam ad habitationem et usum sacerdotum, qui Dei sunt ministri.

Censet S. Hieron. tantum hic designari locum sacerdotibus circa templum, dum in eo erant ministraturi: nam alias cum non ministrabant, habitabant sparsi per totam Iudæam. Similiter v. 5. iubet Levitis ædificari viginti gazophylacia circa templum, dum scilicet in eo ministrabant: nam aliis omnibus non suffecissent centum, nec mille. Sed hoc de loco sacerdotum in dubium revocari potest. Ingens enim eis hic assignatur, scilicet 25. millium calamorum, quæ faciunt quinquaginta milliaria, uti ostendam in fine cap. 47.

Et erit ex omni parte sanctificatum.) Clare vertit Vatablus, *inde* (id est ex hac prima parte oblationis) *spatium quadratum quoquoversus quingentorum calamorum cedet sacratiori loco*, id est, erit pro sanctuario. Ex toto sacerdotum loco decerpit et designat hic templum. Vers. 2.

Quingentos per quingentos.) Id est, quingentos ad singula latera. Est hebraismus. *Quingentos*, non cubitos, sed calamos intellige, ut patet ex dictis c. 42. v. 16. ita S. Hieron Suburbana quæ?

Et quinquaginta cubitis in suburbana eius.) *Suburbana*, hebr. מגרש *migras*, vocat locum neque arboribus consitum, neque domibus occupatum, sed relictum vacuum, ut vertit Vatabl. reverentiæ et sanctitatis, æque ac decoris causa, ut scilicet templum esset magis conspicuum: ita S. Hieron.

Aliter Vilalp. pag. 23. Per suburbana enim accipit atrium Gentium, quod putat hic describi. Sed illud non recte vocatur *suburbana*.

Et a mensura ista.) *A*, id est *in*. Sic enim Hebr. *min* sæpe ponitur *bet*. Porro *in mensura ista,* id est in calamo, q. d. Metieris locum hunc Deo consecratum, puta longitudinem 25. millium, et latitudinem decem millium calamorum eadem mensura, qua mensus es templum c. 42. 16. scilicet calamo, atque in hoc spatio designabis locum pro templo. Male ergo putant nonnulli hic describi stationem Levitarum. Vers. 3.

Sanctificatum de terra.) q. d. Hic locus e terra Iuda erit separatus et sanctificatus, ita ut in eo construatur templum, et circa illud post interiectum spatium quinquaginta cubitorum, ut dixit v. 2. construantur domus sacerdotum. Vers. 4.

Nota, moraliter hunc locum pro residentia Pastorum et sacerdotum, utpote quos Deus hic in circuitu templi residere et habitare voluit. Vide H. Pintum hic.

Viginti quinque autem millia.) Alia scilicet præter illa, quæ iam sacerdotibus assignata sunt. Iubet enim hic Levitis tantumdem spatii admetiri, quantum admensus est sacerdotibus. *Eadem*, ait S. Hieron. *assignantur hic spatia longitudine et latitudine pro multitudine Levitarum, quæ habet paucitas sacerdotum.* Describitur hic ergo portio et sedes Levitarum iuxta templum; utpote in quo et ipsi Domino ministrabant, et sacerdotibus subserviebant, uti nostris presbyteris diaconi. Aliter hæc distinguit S. Hieron. censet enim hæc ad præcedentia, et ad sacerdotes pertinere. Levitis vero assignat sequentem dimensionem civitatis, scilicet 25. millia longitudinis, et quinque millia latitudinis, ita ut sors eorum minor fuerit sorte sacerdotum quinque millibus in latitudine. Vers. 5.

Ipsi possidebunt viginti gazophylacia.) Scilicet in templo, id est in atrio sacerdotum. Necesse enim erat, ut dum per vices suas ministrabant, ibi æque ut sacerdotes, sua haberent habitacula. Ita R. Salomon. et Mald.

Alii censent hic præcipi, ut in eorum sorte viginti construantur cubicula. Sed quid hæc inter tot, et tantos? Multa enim eorum millia multo plures mansiones et ædes poscebant. Unde et sors eorum æquatur hic sorti sacerdotum. Nam loci spatium spatio sacerdotum par et æquale eis hic assignatur, scilicet quod habeat in longitudine 25 millia calamorum, et decem millia in latitudine.

Vers 6 Et possessionem civitatis.) Tertiam hic sortem et partem, scilicet civitatis et civium Ierusalem, dimetitur, eamque in longitudine parem sorti sacerdotum et Levitarum; sed in latitudine inferiorem et imparem, scilicet calamorum quinque millium, cum illorum esset decem millium, assignat. Discant hic principes, quam ampla Deus suis sacerdotibus et ministris habitacula concesserit, ut ipsius civitatis spatium superent: quamquam non vetet, sed permittat, ut, cum numerus civium, qui iam Babylone redeuntium exiguus erat, creverit, ipsi spatia hæc dilatent. Ita olim in Thebaide et Ægypto urbes integræ plura millia monachorum, quam civium laicorum continebant. Ita etiamnum Romæ potiorem partem ecclesiarum, et ecclesiasticorum videmus. Rursum in condenda civitate, puta Ierusalem, Deus incipit a templo et loco sacerdotum, eumque ante omnia designat. Idem imitentur principes.

Moral. de sacrorum locorum cura.

Secundum separationem sanctuarii.) Hebr. *e regione oblationis sanctitatis*, id est, portionis sacerdotum et Levitarum, q. d. E regione sortis; sive post sortem sacerdotum et Levitarum construes civitatem. Describit hic Deus ideam fidelis et perfectæ civitatis, sicut reip. ideam perfectam descripsit Plato in lib. de Repub. et nostro ævo B. Thomas Morus in sua Utopia; æque ac Xenophon in Cyro, non tam Cyrum, quam ideam boni principis describit. Esto Iudæi eam reipsa non expresserint, nec adæquare potuerint ob paupertatem, vicinos hostes, metum Cyri, aliasque causas, quas initio capitis recensui. Verum hæc omnia potius allegorice ad fabricam Ecclesiæ, tum militantis, tum triumphantis pertinent, quam describit S. Ioannes Apoc. 21. ubi prorsus alludit ad hanc fabricam Ezechielis, uti patet conferenti utriusque verba et phrases. Quocirca non tantum S. Hieron. sed et Hebræi per principem, de quo sequitur, Messiam intelligunt: unde et de hoc principe operose agitur cap. sequenti. Rursum, urbs hæc augustior est, quam fuerit Ierusalem a Nehemia reædificata: unde et habuit templum non intra, sed extra se, uti et habitacula sacerdotum. Quare urbem hanc ad litteram significare sæcularem principatum et statum in Ecclesia, æque ac templum Ecclesiasticum censent S. Hieronym. Gregor. Hugo, Carthus. Maldon. Lyranus, et Fernand. visione 19. sect. 1. Porro sicut templum dignius est urbe, ita episcopatus præstat principatui sæculari, eumque dirigere, non vero ab eo regi debet. Sacra enim profanis præstant, eorumque sunt finis et scopus: ac Deo magis obediendum est quam regi.

Idea perfectæ urbis.

Urbs potestatem civilem, templum Ecclesiasticum significat.

Ita S. Mauritius Maximiano Imp. se, suosque Thebæos Martyres cogenti ad sacrificium idolis immolandum: *Milites*, inquit, *tui sumus o Imperator, sed tamen servi Christi: tibi disciplinam et operam debemus militarem, Deo autem debemus obedientiam et innocentiam.* Hinc et S. Gregor. Nazianzen. orat. 17. ad principes suæ diœcesis: *Vos quoque*, ait, *lex Christi imperio meo ac throno subiicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius et perfectius; nisi vero æquus est spiritum carni fasces submittere, et cælestia terrenis cedere.* Si ergo princeps velit regere Episcopos, perinde facit, ac si caro spiritum terra cælum regeret.

Omni domui Israel.) *Domui*, id est tribui: nam ex omni tribu habitaturi erant in Ierusalem.

Vers. 7 Principi quoque.) Scilicet dabitis suum locum et spatium uti cæteris, sed particulare, et principe dignum. Quarta hic sors principi designatur.

A Hinc et inde.) Ex utroque latere, scilicet, ab Oriente, et Occidente; vel ad Meridiem, et ad Aquilonem.

In separationem sanctuarii.) *In*, id est usque: *separationem* vocat sortem separatam, q. d. Post sortem, quam iussi separari primo sacerdotibus, deinde Levitis, tertio civitati et civibus; quarto loco separabis et designabis locum principi, ut ipse quasi ultimus, omnes cingat instar valli, quasi reipubl. tutor et defensor, uti patebit cap. 48. v. 21. Ex hoc v. 7. colligit Fernand. visione 19. sect. 4. potestatem regiam fluere a Deo, non immediate, sed mediante republica, quæ quasi intermedia est inter Deum et regem. Deus enim instinctu naturæ cuique populo ius dedit creandi sibi regem.

Alii explicant, q. d. Inter sortem sanctam templi, sacerdotum et Levitarum, atque inter sortem laicam civitatis et civium, medio loco constitue principem, ut melius utrosque, scilicet tam clericos quam laicos, tueri possit; et quia decens videtur, ut primus locus sacerdotibus
B detur, secundus Levitis, tertius principi, quartus populo. Ita Maldon.

Principis locus quis?

Hoc de sorte duodecim tribuum verum est, non de urbe, ut cap. 48. patebit.

Ita videmus in regnis bene ordinatis, reges in medio regni residere, esseque quasi centrum in circulo, ut et undequaque facile et æqualiter a subditis adiri, et ipsi eos adire possint; utque uno quasi intuitu omnes regni sui fines circumspiciant, singulisque provideant, utque omnes regiones in medio sibi quasi uniant et connectant. Regnum enim quo magis sibi regique suo unitum est, eo validius est et firmius. Repræsentavit hoc Calanus philosophus Alexandro Magno in corio sicco: illi enim in limitibus dum insisteret, subsiliebat; dum vero in medio illud calcabat, totum quiescebat: ita Plutarc. in Alexand.

Rex sit in medio regni, quasi centrum, in circulo.

Aliter Hebræi et Vatablus, q. d. In portione principis erit portio sacerdotum et Levitarum, item templum cum urbe. Sed hoc parum est probabile: sic enim sors principis omnes aliorum sortes complexa fuisset, cum hic ei,
C æque ut aliis, peculiarem et propriam Deus assignet.

Contra faciem separationis sanctuarii.) E regione sortis sacræ, et sortis sive possessionis civitatis. Explicat quod paulo ante dixerat, *In separationem sanctuarii, et in separationem civitatis.* Hæc patebunt cap. 48. in figura divisionis sortium omnium, quam initio capitis exhibebo.

A latere maris usque ad mare.) Id est, ut Vatabl. a plaga Occidentali in Occidentem (Hebræis enim *mare* est Occidentale; hinc per *mare* significant Occidentem) et a plaga Orientali in Orientem. Explicat quod dixit superius, *Hinc et inde*, q. d. Metieris terminos principis utrinque, tam versus Occidentem, quam Orientem.

Longitudinis autem iuxta unamquamque partem.) Hebr. *et longitudo* (eius erit) *e regione unius ex partibus*, id est, longitudo sumetur ab Occidente in Orientem e regione unius ex partibus, scilicet pars principis Meridionalis erit e regione partis Meridionalis civium, et pars Se-
D ptemtrionalis principis e regione partis Septemtrionalis civium, a termino Occidentali (ipsius partis principis, æque ac civium) usque ad Orientem, ait Maldon.

Quanta fuerit hæc sors principis Scriptura non exprimit, et variant interpretes: Maldon. et alii censent tantam fuisse, quanta erat sors sacerdotum et Levitarum: Hebræi vero, quibus favet S. Hier. censent, tertiam laicorum sortem fuisse partitam in tredecim partes æquales: ex quibus una principi, cæteræ duodecim in totidem tribus Israel fuerint distributæ.

Nota. Aliqui per principem accipiunt pontificem; ei enim dari iubet primitias v. 16. et v. 17. et sequent. iubet hunc principem facere, id est sacrificare victimas: erat ergo sacerdos, non laicus. Ratio est, quia post captivitatem Iudæi caruerunt rege et principe sæculari, ac pontifices præfuerunt populo tam in politicis, quam in sacris, uti patet de Machabæis: unde et mox iubet hunc principem, id est pontificem, populum non gravare tributis, ac curare ut iusta sint pondera. Respicit enim præcipue Mes-

siam, sive Christum, qui fuit princeps tam sæcularis, quam sacer, uti docent Hebræi, et S. Hieronym. Verum c. 46. 2. patebit principem hic sæcularem intelligi, non pontificem.

Vers. 8. DE TERRA ERIT EI POSSESSIO.) q. d. Princeps vivet ex parte terræ, quam seorsim ei assignari iubeo, ne invadat agros populi, aut eum tributis oneret et opprimat.

SED TERRAM DABUNT.) q. d. Terram reliquam populo distribuent.

Vers. 9. SUFFICIAT VOBIS.) O principes, quod huc usque populum gravaveritis et expilaveritis, videte ne deinceps eos expiletis aut gravetis. Quocirca

SEPARATE CONFINIA VESTRA.) Ut vestris limitibus contenti, alienos populi vestri non invadatis. Hebræi, et Vatablus vertunt, *removete angarias vestras*, id est tributa et exactiones vestras. Hebr. *migras*, proprie significat confinia, et loca suburbana.

Vers. 10. STATERA IUSTA.) Principis enim est definire ponderum et mensurarum quantitatem, ac curare, ut ea ab hominibus æqua servetur. Hoc enim exigit iustitia publica in emendo et vendendo: quæ si violetur, tota respubl. turbatur et confunditur. Hinc Salomon ait Proverb. 20. 10. *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum*, q. d. Qui diversa et inæqualia habet pondera et mensuras, v. g. maiorem adhibet dum emit, minorem dum vendit; hunc abominatur Deus iustus, et iustitiæ vindex. Iosephus narrat urbem primam quam condidit Cain, et ex nomine filii sui vocavit Enochiam, eo maxime ab eodem corruptam fuisse, quod iniusta pondera et mensuras adinvenerit. Quam enim necessaria sit hæc ponderum et mensurarum iustitia docet Deus, qui eamdem tam verbo hic, ac Levit. 19. 35. et Amos 8. 5. quam exemplo sanxit. Ipse enim, ut ait Sapiens cap. 11. 21. hanc universi remp. condens, omnia in mensura, et numero et pondere disposuit. Eamdem in repub. in primis necessariam esse docet Arist. l. 9. Metaphys.

Vers. 11. EPHI, ET BATUS ÆQUALIA.) Pares mensuræ erant ephi, et batus; sed ephi erat aridorum, batus liquidorum, scilicet erant hæ mensuræ decima pars cori. Corus enim continebat tria sea, sive sata, hoc est triginta modios: ephi et batus tres modios. Septuag. pro bato vertunt chœnicem, pro coro vertunt gomor; sed corrupte legitur גומר *gomor* pro עומר *homer*, uti est in Hebræo. Gomor enim exigua erat mensura victus diurni, uti dixi Exodi 16. v. 16. homer vero, sive corus, ingens et vastus, continens triginta modios.

IUXTA MENSURAM CORI ERIT ÆQUA LIBRATIO.) Id est æqua ad pondus divisio, et ad eorum accommodatio, q. d. Utrumque ad rationem cori exigetur, scilicet ut ephi et batus sint decima pars cori. Ita Vatabl.

Vers. 12. SICLUS AUTEM VIGINTI OBOLOS HABET.) Siclus, sive stater, erat tetradrachmus, æqualis in pondere et pretio quatuor Iuliis Italicis, et quatuor regalibus Hispanicis, sive uni floreno Belgico: hic enim continet 20. obolos, id est stuferos. Vide dicta Exodi 30. 13.

Mna sive mina quæ, et quotuplex. PORRO VIGINTI SICLI, etc.) q. d. Mna, sive mina continet sexaginta siclos. Nota. Minam hic distribuit in tres partes, quia erant tres species numismatum separatæ, quas omnes complectebatur mina, scilicet erat numisma; primo, quindecim siclorum, sive quarta minæ pars; secundo, viginti siclorum, id est, tertia minæ pars; tertio, viginti quinque siclorum, id est, tertia cum duodecima minæ pars; ita R. David, Vatabl. Maldon. et Vilalp. t. 2. p. 527. ubi docet singulas hasce species mnas quoque sive minas vocari, ideoque quadruplicem fuisse minam, scilicet primam, quindecim; secundam, viginti; tertiam, viginti quinque; quartam, sexaginta siclorum, illudque hic innuit Ezechiel. Unde et Salomon 3. Regum 10. v. 17. dicitur suis stipatoribus peltas fecisse, quarum singulæ vestiebantur trecentis minis auri; ubi mina non sexaginta siclorum (sic enim peltæ hæ fuissent gravissimæ, et a viris fortissimis importabiles) sed viginti accipienda est. Sic enim in ducentas hasce peltas insumpta fuissesexcenta sexaginta sex talenta, de quibus 3. Reg. 10. v. 16. recte calculando ostendit Vilalp. Notant Hebræi et Mald. de profana mina hic agi: nam sacram fuisse duplo maiorem, ac continuisse centum viginti siclos. Verum hoc alii negant, censentque unam eamdemque fuisse minam sacram et profanam, sive templi et fori, vulgi et sacerdotum, uti dixi Exodi 30.

Porro dicitur mina, vel mna quasi מנה *mana*, id est portio, vel pars numerata et detracta, a rad. מנה *mana*, id est numeravit. Unde *Mane, Tekel, Phares*, Daniel. 5. 25.

HÆ SUNT PRIMITIÆ QUAS TOLLETIS.) Hebr. אשר Vers. 13.
תרימו *ascer tarimu*, id est, quas offeretis elevando illas coram Domino Hoc enim ritu offerendæ erant primitiæ, iuxta legem Levit. 23. 11. ut ita protestarentur se fruges hasce a Deo accepisse, ideoque ei primitias earum offerre. Quæres, de quibus primitiis hic agatur? R. David censet hic taxari eas, quæ in communi templi dedicatione offerendæ erant. Maldon. putat hic taxari sacrificia principum: sed sacrificia non sunt primitiæ, et illa taxantur cap. sequ. Melius ergo S. Hier. cum Hebræis proprie primitias frugum, v. g. tritici, hordei, etc. Deo et sacerdotibus offerendas hic taxari autumant, ne aut sacerdotum avaritia plus exigeret, aut laicorum minus daret, quam par erat.

Iubet ergo, ut sexagesima pars frugum pro primitiis Deo detur: iubet enim dari sextam partem ephi quæ est sexagesima pars cori.

Notant Hebræi hic taxari primitias iuxta imam taxam. Sexagesima pars danda pro primitiis. Tradunt enim ipsi, pro primitiis nec minus quam sexagesimam, nec plus quam quadragesimam partem dari licuisse. Unde S. Hier. *Inter quadragesimam*, ait, *et sexagesimam licebat offerri quodcumque voluissent*.

MENSURA QUOQUE OLEI.) Iubet hic in sexagesimam Vers. 14.
partem farinæ, quæ pro primitiis offertur, misceri centesimam partem olei. Nam decima pars bati, sive ephi, est centesima pars cori. Corus enim continebat decem batos, sive ephi.

ET ARIETEM UNUM.) Hebr. ושה אחד *vese echad*, id Vers. 15.
est, pecudem unam, non agnam aut fœminam, ut volunt Hebræi, sed masculum. Unde noster docte vertit, *arietem*. Mascula enim Deo in sacrificio offerenda erant.

DE GREGE DUCENTORUM.) q. d. Qui ducentas habuerit oves, unam, puta ducentesimam dabit Deo in sacrificium.

OMNIS POPULUS TERRÆ TENEBITUR PRIMITIIS IIS PRIN- Vers. 16.
CIPI.) Scilicet sacerdotum, hoc est pontifici. Minus recte alii regem intelligunt: nam pontifici, non regi, ex iure divino dandæ sunt primitiæ. Aliter ergo hic sumitur princeps, quam cap. sequ. et cap. 44. v. 3. Sensus est, q. d. Populus dabit pontifici hasce primitias, ut iis ipse sustineat onus offerendi holocausta et victimas in sabbatis, Calendis, aliisque festis pro toto populo. Ita S. Hieronym. Vatabl. et passim Hebræi. Hoc est enim quod subdit:

ET SUPER PRINCIPEM ERUNT HOLOCAUSTA, etc.) q. d. Vers. 17.
Principi, et principis quasi humeris incumbet onus holocaustorum, etc.

PRIMO MENSE.) Nisan, qui partim Martio, partim A- Vers. 18.
prili nostro respondet, estque primus ab æquinoctio verno, ideoque paschalis, Exodi. 12. 2.

UNA, id est prima die, MENSIS.) Sic sæpe alibi per enallagen cardinalis numerus ponitur pro ordinali, unus pro primo.

ET TOLLET SACERDOS DE SANGUINE sacrificii, vel pia- Vers. 19.
culi, QUOD ERIT PRO PECCATO.

ET PONET IN POSTIBUS DOMUS.) Scilicet templi: ita Hebræi.

ET IN QUATUOR ANGULIS CREPIDINIS, non atrii, ut volunt Rabbini, sed ALTARIS.) Hoc enim duplicem habebat crepidinem, eaque hebr. vocatur עזרה *azara* c. 43. 14. æque ac hic.

ET IN POSTIBUS PORTÆ ATRII INTERIORIS.) Atrium interius erat atrium sacerdotum, ut dixi c. 42. 3. Minus recte R. David per atrium exterius accipit atrium fœminarum, per interius virorum.

Vers. 22 ET FACIET, id est sacrificabit, PRINCEPS.) Non per se, sed per sacerdotes, uti explicatur c. sequ. v. 2.

Vers. 23. QUOTIDIE, SEPTEM DIEBUS.) Id est, quotidie septem vitulos, et septem arietes, idque per septem dies. Ita Hebræi, Vatabl. et Mald. Hæ victimæ videntur hic præscribi soli principi. Nam festi et populi aliæ et plures erant victimæ, quæ præscribuntur Num. 29. v. 13. et sequenti.

Vers. 24. ET SACRIFICIUM EPHI PER VITULUM.) Pro *sacrificium* hebr. est מנחה *mincha*, id est sacrificium farreum, sive similæ, q. d. Offeret ephi similæ cum singulis vitulis, et A cum singulis ephi miscebit unum hin olei. De hin, ephi, aliisque mensuris Hebr. vide dicta in calce Pentateuchi.

IN SOLEMNITATE.) Scilicet festi Tabernaculorum: hoc enim die 15. mensis septimi celebrabatur, Levit. 23. 39. Vers. 25.

TAM PRO PECCATO.) q. d. Dixi de victimis, simila et oleo offerendis in festo Paschæ, eadem intelligenda, et eodem prorsus modo ac mensura servanda sunt in festo Tabernaculorum: ita Vatabl. Mald. et alii. Ex hisce victimis, libaminibus, cæterisque omnibus patet, hæc ad litteram spectare templum et rempubl. Iudaicam.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribit sacrificia principi, et v. 16. legem fert de donis et legatis principis, denique v. 19. præscribit locum et culinas victimarum.

1. HÆC dicit Dominus Deus: Porta atrii interioris, quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit: die autem sabbati aperietur, sed et in die calendarum aperietur. 2. Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in limine portæ: et facient sacerdotes holocaustum eius, et pacifica eius: et adorabit super limen portæ, et egredietur: porta autem non claudetur usque ad vesperam. 3. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis, et in calendis coram Domino. 4. Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino: in die sabbati sex agnos immaculatos, et arietem immaculatum. 5. Et sacrificium ephi per arietem: in agnis autem sacrificium quod dederit manus eius: et olei hin per singula ephi. 6. In die autem calendarum vitulum de armento immaculatum: et sex agni et arietes immaculati erunt. 7. Et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium: de agnis autem, sicut invenerit manus eius: et olei hin per singula ephi. 8. Cumque ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, et per eamdem viam exeat 9. Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus: qui ingreditur per portam aquilonis, ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ: porro qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ aquilonis: non revertetur per viam portæ, per quam ingressus est, sed e regione illius egredietur. 10. Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur, et cum egredientibus egredietur. 11. Et in nundinis, et in solemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem: agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus eius: et olei hin per singula ephi. 12. Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino: aperietur ei porta quæ respicit ad orientem, et faciet holocaustum suum et pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati: et egredietur, clauditurque porta postquam exierit. 13. Et agnum eiusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino: semper mane faciet illud. 14. Et faciet sacrificium super eo cata mane mane sextam partem ephi, et de oleo tertiam partem hin, ut misceatur similæ: sacrificium Domino legitimum, iuge atque perpetuum. 15. Faciet agnum, et sacrificium, et oleum cata mane mane: holocaustum sempiternum. 16. Hæc dicit Dominus Deus: Si dederit princeps donum alicui de filiis suis: hæreditas eius, filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditarie. 17. Si autem dederit legatum de hæreditate sua uni servorum suorum: erit illius usque ad annum remissionis, et revertetur ad principem: hæreditas autem eius, filiis eius erit. 18. Et non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, et de possessione eorum: sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis: ut non dispergatur populus meus unusquisque a possessione sua. 19. Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ, in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes, quæ respiciebant ad aquilonem: et erat ibi locus vergens ad occidentem. 20. Et dixit ad me: Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro peccato, et pro delicto: ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius, et sanctificetur populus. 21. Et eduxit me in atrium exterius, et circumduxit me per quatuor angulos atrii: et ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii. 22. In quatuor angulis atrii atriola disposita, quadraginta cubitorum per longum, et triginta per latum: mensuræ unius quatuor erant. 23. Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola: et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum. 24. Et dixit ad me: Hæc est domus culinarum in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

Vers. 1 PORTA ATRII INTERIORIS.) Id est atrii sacerdotum. Hæc est porta clausa, de qua dixit c. 44. v. 2. et 3. Hanc iubet hic aperiri principi in sabbatis, et Calendis.

Mystice S. Hieron. *Sex diebus,* ait, *quibus operamur in mundo, porta Orientalis atrii interioris clausa nobis est. Postquam autem venerimus ad diem septimum, id est ad diem sabbati in quo æterna requies est: sive ad diem Calendarum, quando post cæcam noctem, et horribiles tenebras lucis exordium est, aperitur nobis porta Orientalis: si quis nostrum per merita virtutum ducis nomen et dignitatem fuerit consecutus, per viam vestibuli portæ deforis, hoc est per mundi huius labores; et portam Ecclesiæ, quæ adhuc in terrenis finibus posita est, ingredietur, non interius atrium (hoc enim in præsenti loco scribitur) sed ad limen portæ interioris, et stabit in ea.*

Vers. 2 INTRABIT PRINCEPS PER VIAM VESTIBULI PORTÆ DE-B FORIS, id est exterioris, ut vertit Chald. et Tigur. quæ scilicet erat in atrio laicorum: ET STABIT IN LIMINE PORTÆ.) Interioris, inquit S. Hieron. quæ scilicet erat in atrio sacerdotum, q. d. Princeps intrabit per portam atrii laicorum, pergetque usque ad portam atrii sacerdotum, ut inde spectet sacrificia, quæ per sacerdotes offert in ipsorum atrio. Sicut enim nemo laicus, sic nec princeps poterat ingredi atrium sacerdotum, sed soli sacerdotes: princeps tamen proxime ad illud accedebat, adeoque consistebat in porta atrii sacerdotum, ibique sedem regalem habebat, in qua sederet si vellet, aut iuxta eam staret, si mallet: τὸ enim *stabit* præsentiam et consistentiam significat, non situs qualitatem: *stabit* ergo, id est, eo loco consistet et deget, sive stando, sive sedendo, sive genuflectendo. Sedem hanc regis iuxta atrium sacerdotum graphice repræsentat Adrich. in effigie Hierosolymæ et tem-

pli num. 95. Simili modo olim reges Christiani prohibebantur ingredi chorum sacerdotum, et cogebantur ante chorum in templo cum populo consistere, uti Theodosium consistere coegit S. Ambrosius. Idem etiamnum servant Græci, qui chorum in quo Missas celebrant, undique clausum, nec ulli, nisi sacerdoti eiusque ministris, pervium habent. Discant hic principes ex sanctione Dei, quantam modestiam exhibere in templo, quamque sacerdotes, quasi Dei ministros venerari debeant.

Porta autem non claudetur usque ad vesperam.) Causam dat S. Hieron. *ut post principem*, inquit, *omnis populus terræ adoret contra ostium portæ illius; adoret autem in sabbatis, et in Calendis, quando aperitur porta.*

Et facient.) Id est offerent, sacrificabunt.

Vers. 3. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ.) Scilicet foris post principem. Princeps enim in ipso limine portæ consistebat et adorabat.

Vers. 5. Et sacrificium.) Hebr. *mincha*, id est sacrificium, sive libamen similæ erit mensura *ephi*.

In agnis autem sacrificium quod dederit manus eius.) q. d. Libamen et mensuram similæ ad agnos, quos immolabit princeps, non præscribo: det ipse tantum, quantum volet, ita tamen ut *olei hin per singula ephi* similæ, quæ dare voluerit, addat et misceat. In omnibus enim victimis animalium addenda erant simila, oleum, sal et thus, quasi libamina et condimenta sacrificii, uti dixi sæpius in Levitico.

Vers. 6 Vitulum de armento.) Hebr. בן בקר *ben bakar*, id est filium bovis, sive vaccæ, id est vitulum iuvenem et tenerum, qui adhuc matrem, puta vaccam, sequitur.

Vers. 7. Ephi quoque similæ per arietem faciet sacrificium.) Hebr. *mincha*, q. d. Ad quemlibet arietem offeret ephi similæ pro mincha, id est sacrificio, sive libamine farreo. Passim enim hic, uti et Levitici 2. sacrificium, hebr. *mincha*, vocatur similæ oblatio et libatio.

Sicut invenerit manus eius.) Sicut dare potuerit et voluerit. Vide dicta v. 5

Vers 8 Cumque ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ.) Orientalis, ut dixit v. 2. Duo hic sanciuntur, duplexque statuitur discrimen inter principem et populum. Primum, ut princeps solus per portam Orientalem ingrediatur, eaque alias clausa, illi ingredienti aperiatur, et eo egresso claudatur ad vesperam: populus vero per portam Meridionalem et Aquilonarem ingrediatur et egrediatur, ut dicitur versu seq. Secundum, ut princeps per eamdem portam ingrediatur, et egrediatur: populus vero per unam ingressus, per alteram et adversam egrediatur, uti statuitur v. 10. ita S. Hieron. Vilalp. Maldon. et alii.

Hinc recte infert Vilalp. p. 396. in fine, id multo potiori iure sacerdotibus in altari et templo ministraturis licuisse, quod principi licebat. Nam a sacerdotibus sanctitas, sapientia, divini cultus observantia, atque religio maior exigebatur, quam a sæculari principe, cui maximi privilegii loco dabatur, ut usque ad limen (vel postem) interius adoraturus ingrederetur, ulterius progredi omnino prohibebatur: cuius quidem contemptæ legis severissimas pœnas luit Ozias rex, percussus lepra a Deo, 2. Paral. 26. vers. 16. et 19.

Moralis causa erat, ut significaretur principem, æque ac sacerdotes, aliam decere viam, id est vitam et mores, quam populum, puta peculiares et sanctiores.

Aliter R. Salomon, R. David, et Hebræi. Censent enim hic statui legem tantum de sabbatis et Calendis, ut scilicet hisce festis tam princeps quam populus una porta ingredi, altera vero egredi debeat, idque putant sanciri v. 9. et 10. Verum prior sententia verior est.

Vers. 9. Cum intrabit populus.) Statuitur hic ut populus per portam, non Orientalem, sed Meridionalem ingressus, Aquilonari egrediatur; ingressus vero Aquilonari porta per adversam, scilicet Meridionalem, egrediatur.

Causam dant Hebræi, ne finita oratione, quæ fiebat in medio atrii Orientali coram Domino, converteretur adorans contra templum, ad eamdem portam reversurus, itaque dorsum obverteret templo: quod rusticum fuisset, et incivile. Verum æqua erat conversio, scilicet lateralis, sive per eamdem, sive per diversam portam quis egrederetur: tamque tergum, aut potius latus obvertebat ingrediens per unam portam, et egrediens per alteram, quam ingrediens et egrediens per unam eamdemque. Verior ergo causa fuisse videtur, ut in tanta populi turba facilior esset transitus. Si enim eadem porta, qua ingressi erant, egressi fuissent, occurrissent venientibus et intrantibus, itaque invicem sese in transitu impedivissent, dum hi volunt ingredi, illi egredi: quod vitatur, si hi, qui una porta ingrediuntur, alia egrediantur. Id experimur hic Romæ in Basilicis Apostolorum et Martyrum dum sunt stationes solemnes.

Tropol. significatur in via et cultu Dei non esse regrediendum, sed progrediendum, ut cum Apostolo, quæ retro sunt obliviscentes in priora nos extendamus, ait S. Hieron.

Princeps autem in medio eorum.) Id est princeps per portam ingredietur, quæ media est inter Meridionalem et Aquilonarem, quibus populus ingreditur: sic enim quasi in medio populi, utroque ex latere intrantis, ingrediebatur princeps. Vers. 10.

Cum ingredientibus ingredietur.) Id est, eodem tempore, quo alii ingrediuntur, in medio eorum, uti iam dixi, ipse ingredietur; et eodem tempore quo alii egrediuntur, egredietur ipse.

Et in nundinis.) Hebraice בחגים *bechaghim*, id est in festis. Vers. 11.

Cum autem fecerit princeps.) Cum obtulerit per sacerdotes, ut dixit v. 2. Vers. 12.

Spontaneum holocaustum.) Aut spontaneas victimas, pacificas, vel eucharisticas, q. d. Princeps, cum præter sacrificia, quæ hic in festis ei præscribuntur, voluerit aliis diebus sponte sua sacrificium offerre, aperietur illi porta Orientalis, sicut in festis. Ita Hebræa, Mald. et alii.

Cata mane mane.) Id est, singulis diebus mane. Est græcismus: κατα enim Græcis idem est, quod secundum, per: geminatio vero significat distributionem universalem, q. d. Per singula mane. Vers 14.

Hæreditas eius (filii principis) filiorum suorum erit.) q. d. Transmittet filius ad posteros suos hanc hæreditatis partem, a patre principe dono acceptam. Loquitur de parte bonorum regalium, ut patet ex v. sequenti. Vers 16.

Legatum, hebr. מתנה *mattana*, id est donum, uti præcessit, usque ad annum remissionis.) Scilicet iubilæi, de quo dixi Levit. 25. 13. illo enim possessiones venditæ ad primos venditores, sive dominos revertebantur. Statuitur hic discrimen inter dona, quæ princeps dat filiis, et ea quæ dat servis, scilicet, ut servis, id est subditis, data revertantur ad principem in iubilæo, filiis vero data non revertantur. Hoc enim est, quod ait, *Hæreditas autem eius, filiis eius erit;* quod clarius dicunt Hebræa, *Verumtamen hæreditas eius, filiorum eius* (id est filiis eius ab eo dono data) *ipsorum erit.* Vers. 17.

Hinc docet S. Hier. (qui per principem intelligit pontificem) sacerdotes filiis non debere relinquere bona Ecclesiastica: sed tantum hæreditaria. *Sugillat*, inquit, *non solum illius temporis sacerdotes et principes, sed nostri quoque, qui ditiores fiunt sacerdotes dignitate, et præter ea, quæ sibi Domini dispositione debentur, tollunt a pauperibus per violentiam, vel sub honoris nomine divites spoliant, ut ipsis quoque filiis suis, quibus paterna debetur hæreditas, nil debeant derelinquere nisi quod sibi a parentibus derelictum est. Ergo qui ditior est sacerdos, quam venit ad sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus, et sanctis fratribus, et domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum, ut reddat ea, quæ Domini sunt, Domino suo; qui loquitur in Evangelio: Quidquid uni istorum fecistis, mihi fecistis. Ipse enim in pauperibus suscipitur hospitio, visitatur in carcere, nudus tegitur, sitiens, bibit, saturatur esuriens. Ut non dispergatur populus meus: dispergit ergo populum Dei, et aufert ab eo possessionem fidei sempiternam qui aliena do-*

Sacerdos non potest filiis dare bona Ecclesiastica.

na vel bona, vel rapina, vel adulatione, vel blanditiis, vel prætextu religionis filiis fratribusque, et consanguineis derelinquit. Hæc S. Hieron. Vide dicta c. 44. 23.

Vers. 18. PER VIOLENTIAM.) Vatabl. vertit, *ut per vim et oppressionem de ipsorum possessione eos deiiciat.*

Vers. 19. ET INTRODUXIT ME PER INGRESSUM, etc.) Vatabl. vertit. *Porro introduxit me per ingressum, qui erat in latere portæ* (Orientalis atrii sacerdotum) *ad exedras sanctas, quæ versæ erant ad Aquilonem.*

Vers. 20. ET SANCTIFICETUR POPULUS.) Contactu aut præsentia carnium sanctificatarum, quidquid enim sanctum tangebat, sanctum putabatur. Simile dixit de vestibus sacris c. 44. 19. Sancit Deus res sanctas, uti victimas, loco congruo et sancto asservari, ne in profano inter laicos vilescerent, aut minus reverenter haberentur. Unde S. Hieron. *Significat*, inquit, *ne facile non sanctificatis sancta tribuamus, nec mittamus iuxta Evangelium margaritas ante porcos, nec demus sanctum canibus.*

Vers. 21. ET EDUXIT ME IN ATRIUM EXTERIUS.) Scilicet in atrium populi, uti paulo ante dixit: interius enim atrium erat sacerdotum. Hinc ergo videtur, quod in atrio laicorum per quatuor eius angulos fuerint atriola separata, et pariete sine muro circumsepta, ut dicitur vers. 23. in quibus erant culinæ ad coquendas partes victimarum pacificarum, laicis offerentibus ex lege debitas, quas deinde in eodem atrio comedebant epulantes, et gaudentes

A coram Domino: atrium enim sacerdotum non suffecisset omnibus hisce coquendis, cum partes sacerdotum et Dei ibi coquendæ essent. Deinde molestum fuisset, præsertim in hieme et frigore, singulas laicorum carnes coctas ex uno atrio in aliud transferre, et singulis suas reddere et distribuere in tanta populi turba.

Aliter Maldon. putat enim atrium hoc exterius fuisse in eodem atrio sacerdotum, dicique exterius, quia erat extra gazophylacia.

MENSURÆ UNIUS QUATUOR ERANT.) q. d. Quatuor hæc atriola culinarum, in quatuor angulis atrii magni laicorum posita, erant unius et eiusdem mensuræ, scilicet singula erant longa quadraginta cubitos, lata triginta, ut præcessit: ita Vatabl.

ET CULINÆ FABRICATÆ ERANT SUBTER PORTICUS.) Porticus hæ innitebantur parietibus, sive muris atrium ambientibus, de quibus iam dixi. In hisce porticibus dicit ædificatas fuisse culinas ad coquendas victimas. Aliter vertit Vatabl. scilicet, *sub muris*, vel *foraminibus foci erant circumcirca;* sicque explicat, *in parte*, ait, *muri superiore erant foramina, quibus ollas imponebant, inferne autem alia foramina ad subiiciendum ignem.* Vers. 23.

B

IN QUA COQUENT MINISTRI DOMUS DOMINI VICTIMAS POPULI.) Sicut victimæ, utpote sanctæ, a solo sacerdote mactabantur, ita et earum carnes a solis templi ministris, puta a Levitis, coquebantur, etiam in atrio laicorum. Vers. 24.

CAPUT QUADRAGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Propheta aquas ex templo manantes. Deinde vers. 13. dividitur terra inter duodecim tribus.

1. Et convertit me ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem: facies enim domus respiciebat ad orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris. 2. Et eduxit me per viam portæ aquilonis, et convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ab orientem: et ecce aquæ redundantes a latere dextro. 3. Cum egrederetur vir ad orientem, qui habebat funiculum in manu sua, et mensus est mille cubitos: et traduxit me per aquam usque ad talos. 4. Rursumque mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad genua: 5. Et mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. 6. Et dixit ad me: Certe vidisti fili hominis. Et eduxit me, et convertit ad ripam torrentis. 7. Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. 8. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquæ. 9. Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet: et erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ, et sanabuntur et vivent omnia, ad quæ venerit torrens. 10. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ: 11. In littoribus autem eius, et in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur. 12. Et super torrentem orietur in ripis eius ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ eius de sanctuario egredientur: et erunt fructus eius in cibum, et folia eius ad medicinam. 13. Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus, in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel: quia Ioseph duplicem funiculum habet. 14. Possidebitis autem eam singuli æque ut frater suus: super quam levavi manum meam ut darem patribus vestris: et cadet terra hæc vobis in possessionem. 15. Hic est autem terminus terræ: ad plagam septemtrionalem, a mari magno via Hethalon, venientibus Sedada, 16. Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci et confinium Emath, domus Tichon, quæ est iuxta terminum Auran. 17. Et erit terminus a mari usque ad atrium Enon terminus Damasci, et ab aquilone ad aquilonem: terminus Emath plaga septemtrionalis. 18. Porro plaga orientalis de medio Auran, et de medio Damasci, et de medio Galaad, et de medio terræ Israel, Iordanis disterminans ad mare orientale, metiemini etiam plagam orientalem. 19. Plaga autem australis meridiana a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades: et torrens usque ad mare magnum: et hæc est plaga ad meridiem australis. 20. Et plaga maris, mare magnum a confinio per directum, donec venias Emath: hæc est plaga maris. 21. Et dividetis terram istam vobis per tribus Israel: 22. Et mittetis eam in hæreditatem vobis, et advenis, qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrum: et erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israel: vobiscum divident possessionem in medio tribuum Israel. 23. In tribu autem quacumque fuerit advena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

Vers. 1. AD PORTAM DOMUS.) Id est templi. Maldon. per domum accipit Sanctum sanctorum. Porta hæc erat Orientalis, ut patet ex sequentibus.

ET ECCE AQUÆ EGREDIEBANTUR.) Quæritur, quænam hæ aquæ? Resp. Vilalp. fuisse aquas subterraneas tem-

C pli, quæ per canales ductæ in atrium sacerdotum effluebant, qua tum victimæ, tum ipsum lanienæ solum assidue lavabatur. De quibus S. Hieron. in caput 40. Ezech. v. 41. *Ad latus exterius*, inquit, *iuxta Septuag. erat rivus fabrefactus, qui holocaustum, cineres, et carnium virulentias* Aquæductus in atrio.

*

efferebat exterius. Sanguis enim, aliique humores et excrementa tot victimarum quotidie, fœtorem intolerabilem creassent, nisi his aquis abluta per canales et aquæductus foras propulsa fuissent. De hisce aquis et aquæductibus ita scribit Aristæas, oculatus testis, lib. de Septuag. interpretibus sub initium. Erant in templo occulta receptacula aquarum, quæ ad diluendum sanguinem iugulatarum hostiarum funduntur, quarum fluxus tam assiduus est, ut perennis fons videatur. Et ad hoc sunt iuxta aræ basim frequentes aperturæ, solis ministris cognitæ. Sed mirabilis est, et fere inenarrabilis subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque usque stadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fistulæ quacumque per muros, et templi solum, quibus omnia abluantur mundenturque, descendunt.

Tales aquæductus et subterraneos, et supraterraneos videmus Romæ, ac in primis S.D.N. Sixti V. in Quirinali, et Pauli V. in Ianiculo, sive Montorio. Plinius hosce aquæductus vocat orbis miracula. Unus eorum ab eo sic describitur l. 36. c. 15. *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a Caio Cæsare, et peracti a Claudio: quippe a quadragesimo lapide ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxere Curtius, atque Cæruleus fontes. Erogata in id opus sestertium ter millies. Quod si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis villis, spatioque advenientis extructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in orbe terrarum.* Porro aquæductus Salomonis hisce Romanis fuisse mirabiliores, docet Vilalp. p. 565. Hisce adhuc Roma plena est, ideoque in singulis pene plateis extant foricæ et ostiola, quibus sordes in hosce aquæductus et cloacas subterraneas, tandemque in Tiberim devolvantur, adeo ut Roma in imo videatur concava, et stare in fornicibus, mirumque sit eam hiatibus et terræmotibus sæpius non concuti, imo conquassari.

(Aquæductus Rom. orbis miracula.)

Allegor. et potius, hæ aquæ significant tum aquas baptismi, quæ e limine templi, id est a Christo, qui est via et veritas; et ab altari crucis, puta a latere Christi, profluxerunt; omniaque gratiarum genera, quæ ex illis emanarunt; tum Evangelicam doctrinam, ait S. Hieron. de qua dixit Propheta c. 36. 25. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et Zachar. c. 14. 8. *Et erit in illa die, et exibunt aquæ vivæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare novissimum, in æstate, et in hieme erunt.* Nam, ut ait Isaias cap. 2. 3. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Ita S. Hieron. Theodor. Vatabl. Mald. Pintus, et alii, q. d. Per totum orbem dispergetur doctrina, baptismus, lex, et gratia Christi. Nominat duo maria, Orientale, scilicet Mortuum; et Occidentale, scilicet Mediterraneum; quia hæc erant limites Palæstinæ, et populi Dei; ac per illa quævis alia intelligit: ita S. Chrys. ibid. De his aquis ait Christus Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Et Psaltes psal. 22. *Super aquas refectionis educavit me.* Et Isaias cap. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris;* et cap. 35. 6. *Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine; et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum.* E contrario Ierem. cap 2. iuxta Septuag. increpat Iudæos, quod eant ad aquas Ægypti; *Quid vobis*, ait, *et viæ Ægypti, ut bibatis de aquis Geon?* qui hebr. dicitur שיחור *seichor*, id est, turbidus, atque cœnosus: hic est Nilus. Tales aquæ sunt dogmata hæreticorum, inquit S. Hieron.

(Mystice, hæ aquæ significant baptismum, gratiam et doctrinam Christi.)

Vers. 2. ET EDUXIT ME PER VIAM PORTÆ AQUILONIS.) *Per viam portæ*, id est per portam. Hebræi enim nomen *viæ* addunt per pleonasmum, q. d. Angelus me circumduxit per portam atrii utriusque, ut totum templum circumambularem.

ET CONVERTIT ME AD VIAM FORAS.) Clare vertit Vatabl. *et circuire me fecit in viam foras ducentem ad portam exteriorem* (scilicet Aquilonarem) *in viam quæ tendit in Orientem.* Reductus est ergo hic Propheta ad portam Orientalem templi, ad quam primo ductus fuerat c. 40. 6.

ET ECCE AQUÆ REDUNDANTES.) Ille ipse quas viderat v. 1. per dextrum templi latus defluentes, templum circumambientes, ad portam Orientalem redibant. Non enim quatuor erant rivi, ut nonnulli putarunt, sed unus tantum ad dextrum latus fluens, ait Maldonatus; sed hic rivus variis locis per canales et epistomia erumpebat. Unde Hebræi et Vatablus putant, Prophetam vidisse primo aquam exorientem e limine, postea ex loco, qui suberat lateri domus. Alii dicunt, Prophetam vidisse aquam scaturientem e limine, quod erat prope latus parietis domus.

ET MENSUS EST.) To *et* redundat per hebraismum: alioqui enim pendet sententia. Vers. 3.

AQUÆ PROFUNDI TORRENTIS.) Hebr. *aquæ natationis torrentis, qui non poterat transvadari*, id est, quæ ita intumuerant, ut non nisi natando transvadari possent. Ductus est Propheta ad aquas sensim profundiores, scilicet primo profundas usque ad talos, unde Chald. vertit, *usque ad aquas talorum;* deinde usque ad genua; tertio, usque ad femora et renes; quarto, excedentes staturam hominis, ut natando transcundæ forent. Symbolice, hæ aquæ sensim crescentes significabant res Iudæorum Babylone redeuntium, post templi reædificationem, ex parvis initiis ingens incrementum accepturas. Aquæ enim bonorum affluentiam significant, ut patet v. 8. et 9. Isaiæ 66. v. 12. *Ecce*, inquit, *ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis.* Vers. 5.

(Symbol. aquæ sensim crescentes, quæ?)

Alleg. et potius, significabant, ait Maldon. Ecclesiam, et Evangelicam doctrinam parvo sumpto initio, ab Ierusalem per totum terrarum orbem longe lateque propagandam donec dominetur Christus a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, Psal. 71. 8. omnesque gentes, ad quas ea doctrina pervenerit, a corruptione morum, errorumque pravitate curandas. Aut, primi mille cubiti infimum Christianorum ordinem denotant, qui incipientium appellatur, qui minore gratiarum copia perfunditur (nempe usque ad talos) id est, donec in mandatis Dei ambulent, ut Scriptura loqui solet, consilia vero non servent. Alii mille cubiti, proficientes significant, qui ad præcepta consilia etiam Evangelica adiungere conantur; sed nondum ad perfectionem pervenerunt. Alii mille, perfectos, quibus usque ad lumbos aqua circumfluit, id est, tantum gratiæ accipiunt a Deo, ut perfectam castitatem servare possint ac velint, qua homines angelorum vitam imitantur. Postremi, Beatorum statum, qui transvadari non potest; quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum, Isaiæ 64. 4. et 1. Cor. 2. 9. Sic fere et Theod. Hinc Eccli. 24. 40. sapientia quæ primo erat exigua, quasi dioryx, id est aquæductus, dicitur crevisse in fluvium immensum. *Ego*, inquit sapientia, *quasi trames aquæ immensæ de fluvio.* Et rursum: *Et ecce factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare.* Sic quoque has dimensiones explicat Ant. Fernand. vision. 20. sect. 2. ubi et addit, quod aqua primo, genua superans, significabat Christi doctrinam, quæ paulatim pervasit et persuasit ut omnes curvarent sibi genu; secundo, pertingens ad renes, significabat, quod illa carnem et concupiscentias (harum enim sedes sunt renes) latius restringeret, ac ad virginitatem et cælibatum multos impelleret; tertio, quod iam transvadari non potuerit, sed nando fuerit transmittenda, significabat Christianos, præsertim perfectos, in Ecclesia Deique gratias quasi pisces natare. Porro hæ aquæ egrediuntur e sanctuario, hoc est e Spiritu sancto qui totius sanctitatis est auctor: item e Christo; erat enim corpus Christi templum Dei, iuxta illud Ioan. 2. 29. *Solvite templum hoc.* Ergo pectus, sive cor Christi erat velut sanctuarium, ex quo hæc aqua divina scaturivit. Simili modo explicat S. Gregor. l. 22. Moral. c. 14. *Aquam*, ait, *us-*

(Allegor.)

quo ad talos venire, est iam nos per acceptam sapientiam desideratæ rectitudinis vestigia tenere. Qui rursum mille metitur, et Propheta usque ad genua per aquam ducitur: quia cum boni operis plenitudo tribuitur, ad hoc usque nostra sapientia augetur, ut in pravis iam actibus minime flectatur. Qui iterum metitur mille, et Propheta per aquam usque ad renes ducitur; quia videlicet tunc in nobis plenitudo operis excrescit, quando in nobis percepta sapientia omnem quoque, in quantum est possibile, delectationem carnis extinxerit. Quia adhuc mensus est mille, torrentem videlicet quem Propheta pertransire non potuit. Percepta namque perfectione operis, ad contemplationem ducitur, in qua mens sublevata in Deo, non potest penetrare quod videt.

Audi et S. Ambros. in Apocal. c. 21. 1. *Per torrentem*, inquit, *Scripturam divinam intelligere debemus, quæ de templo, id est de Ecclesia, egreditur, ab ore scilicet prædicatorum: angelus vero Dominum significat. Angelus itaque Prophetam mille cubitos ducit, cum Dominus alicui fideli suo desiderium largitur intelligendi Scripturas. Propheta namque typum tenet eorum, qui divinas Scripturas ad hoc discere volunt, ut ipsi in eis proficiant, et alios per earum scientiam instruant. Millenarius vero numerus perfectionem alicuius rei sæpe demonstrat. Et prima transductio ad historiæ intelligentiam, secunda ad moralem, tertia pertinet ad spiritualem. Angelus igitur transducit Prophetam usque ad talos, cum ei historiæ intellectum tribuit. Quisquis enim moralem et spiritualem intelligentiam in divinis Scripturis investigare desiderat, necesse est, ut historiæ intelligentiam prius possideat. Secundo, Angelus Prophetam mille cubitos ducit, cum Dominus fidelem suum ad moralem intelligentiam percipiendam accendit; per quam usque ad genua eum transducit, cum moralis scientiæ sensus ei manifestat. Torrentemque non potuit transvadare, quia profunditatem divinorum cælestiumque mysteriorum nullus sicut est, perscrutari potest. Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus, sicut dicit Apostolus: Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Et iterum, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Hunc torrentem idem Paulus transmeare se non posse considerans, dicebat: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius!*

Mira visio Alberti Magni.

Mirabilem visionem de hisce aquis oblatam Alberto Magno, nimirum quod ipse torquens se in explicandis quibusdam locis difficilibus S. Dionysii, a S. Paulo ad eas sit ductus, et ad domum Aaronis, cumque Apostolo eas sicco pede transeunte, ipse ab eo invitatus, sequi, easque tranare non posset; tum acceperit ab eo resolutionem dubiorum occurrentium in Ecclesiastica hierarchia S. Dionysii, ipsiusmet Alberti verbis recenset gravis auctor Ferdinandus Castiglius in historia Ordinis S. Dominici, parte 1. l. 3. c. 47.

Vers. 6.

CERTE VIDISTI.) Hebr. הראיתה *haraita*, an vidisti? q. d. Si non bene vidisti, plenius vide, et observa; si satis vidisti, audi mysterium pariter et usum, fructumque harum aquarum, scilicet *ligna multa,* id est arbores multas, quas aquæ hæ irrigando producunt et nutriunt. Mystice, ligna sunt Christiani aquis baptismi loti et rigati, ut proferant poma, id est virtutum fructus, de quibus dicitur Psalm. 95. *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit.* Et Matth. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.*

Arbores sunt fideles.

Rursum magis apposite (quod tamen eodem redit) ligna sive arbores, sunt fides, spes, charitas, aliæque virtutes habituales. Hæ enim ex terra cordis nostri aquis Evangelii irrigata nascuntur, ac proferunt fructus bonorum actuum (sicut enim fructus ex arbore, sic actus ex habitu proficiscuntur) sibi similium et folia modestiæ, pietatis, decoris et omnis honestatis externæ. Quocirca anagogice ex hisce rursum enascuntur dotes habituales et actuales beatitudinis, uti mox dicam. Nam gratiæ et virtutibus respondet et datur gloria beatifica, eiusque dotes, sicut semini respondet messis, merito merces, victoriæ præmium.

Vers. 8.

AD TUMULOS SABULI ORIENTALIS.) Ex Hebræo גלילה *ghelila*, verti quoque potest, *ad Galilæam Orientalem*: ita Septuag. Hebræi et Vatabl. Tradunt Hebræi amnem hunc in duos rivos fuisse divisum, unum Orientalem, alterum Occidentalem; per quæ Latini Orientalem, et Occidentalem Ecclesiam intelligunt, ait Vatabl. Pintus, et alii. Prior ergo, inquiunt, fluebat in mare Galilææ, puta Tiberiadis, aut in mare Mortuum, sive Sodomorum, quod Orientale erat; alter in mare Mediterraneum, quod erat Occidentale. Licet Maldonat. per mare Orientale accipiat sinum Persicum; sed hic nimis remotus est a Ierusalem et templo.

Idem quod Ezechiel hic ait, dixit Zach. c. 14. 8. verbis paulo ante citatis.

Noster melius vertit, *ad tumulos sabuli.* Huius enim convolutiones et tumulos significat Hebr. *ghelila*, uti recte docet S. Hier. in comment. Iam sensus est, q. d. Hæ aquæ, quæ ex limine sanctuarii egredientes fluunt versus Orientem, suoque cursu vehementi trahunt arenas, eriguntque tumulos earum in alveo suo, et descendunt ad planitiem solitudinis, ingredientur mare Mortuum, et exibunt ab eo, ita ut maris aquæ huius fluminis ingressu sanentur, et quæ prius amaræ erant, dulcescant, quæque prius in eo mortua erant reviviscant. Alludit ad Iordanem: hic enim ingreditur una parte, et alia egreditur mare Mortuum; eiusque aquas ex parte dulcorat; convolvit quoque, efficitque tumulos arenarum, q. d. Aquæ hæ, quæ fluunt in Iordanem, postea in mare Mortuum introibunt.

Mare mortuum sunt peccatores.

Porro ad litteram aquæ hæ parum sanabant, id est corrigebant, salsedinem maris Mortui, aut torrentium in illud influentium: magis ergo mysticas et antitypas hic aquas intelligere debemus, scilicet aquas baptismi; et per torrentes tendentes in mare Mortuum, perque ipsum mare Mortuum accipere infideles et peccatores mortiferis peccatis obsitos, qui hisce aquis recipiunt salutem et vitam, ac virtutum fructus ferunt uberrimos et lætissimos, ut qui antea erant vitiorum vorago, lacus libidinum fœtidus, et mare sceleribus amarum ac mortuum, ubi nihil erat vitæ, nihil gratiæ, nihil veræ dulcedinis, in fluvium amœnum, suavem et salutarem, ac piscibus abundantem, convertantur, de quibus sequitur. Mali ergo, utpote mortui, Christo, virisque piis debent, quod sint et vivant.

Vers. 9.

ET OMNIS ANIMA VIVENS, QUÆ SERPIT, hebr. אשר ישריץ *ascer iasrits*, id est quæ reptat vel natat, puta piscis, VIVET.) Rursum *iasrits*, id est quæ ebullit, multiplicatur, scaturit instar ranarum et piscium. Nam ut ait Plin. l. 2. c. 2. in mari plura et maiora animantia nascuntur, quam in terra, ob humoris luxuriem. Hac de causa Propheta Ecclesiam comparat mari, fideles piscibus; quia multi sunt, et virtutibus meritisque magni. Unde explicans subdit:

Piscis est Christus et Christiani.

ET ERUNT PISCES MULTI.) Pisces sunt Christiani, qui renati aquis baptismi vitam gratiæ consequuntur. *Baptismus enim corpus tangit, et cor abluit*, ait S. Augustinus tract. 80. in Ioan. Hinc Christus dictus est ιχθυς, id est piscis. Si enim vocis ιχθυς initiales litteras exponas, idem erit, quod Ιησȣς Χριςος θεȣ υιος σωτηρ, id est Iesus Christus Dei filius servator: ita S. August. lib. 18. Civit. 13. Hæc enim admirabilis mutatio, puta maris mortui, id est peccatoris vivificatio, provenit ex aquis manantibus a limine et ostio Sancti sanctorum, id est a Christo, qui est porta cæli, fluuntque in latus dextrum, id est per Christi crucifixi latus dextrum lancea apertum et vulneratum: ex eo enim sanguis et aqua, atque Ecclesiæ Sacramenta fluxerunt, ait S. Augustinus. Ubi Nota. Communis veterum sententia est, latus Christi in cruce a milite perfossum, fuisse dextrum, idque putant aliqui hic prædici ab Ezechiele, cum ait v. 2. *Et ecce aquæ redundantes a latere dextro.* Ex hoc ergo latere Christi exivit sanguis et aqua, Primo, ut quasi duplicem ex se Christus emanaret baptismum, scilicet aquæ in Sacramento, et sanguinis in martyrio; illum enim fidelibus omnibus, hunc Martyribus collaturus erat: ita Cyrill. Hierosol. catachesi 13. Tertul. lib. de Baptismo, S. Hier. epist. 83. ad Oceanum: *Latus*, inquit, *Christi percutitur lancea, et baptismi atque mar-*

Latus Christi perfossum fuit dextrum.

Cur ex eo exiit sanguis et aqua.

tyrii pariter Sacramenta funduntur. Secundo, ut hac re A significaretur, quod baptismus aquæ ex sanguine Christi haberet vim et efficaciam abluendi peccata. Unde S. Ambros. de Benedict. c. 4. *Aqua*, inquit, *ad lavacrum, sanguis ad pretium.* Tertio, ut significaretur, quod ex latere Christi fluerent quasi Sacramenta, quibus formanda et nutrienda erat Ecclesia. Unde Patres latus Christi vocant ianuam baptismi et cæterorum Sacramentorum: adduntque, ex latere Christi dormientis in cruce formatam esse Ecclesiam, sicut ex latere Adæ dormientis formata est Eva. Ita S. Cyprianus, et Tertullianus libro de Baptismo. Hinc et S. Chrysost. in c. 19 Ioan. v. 34. et ibid. S. Cyrillus, per aquam intelligunt baptismum, per sanguinem calicem Eucharistiæ: illo enim generamur, hoc nutrimur. Denique S. Cypr. sermon. de Resurrect. Christi: *Ex hoc*, ait, *fonte non solum ablutionis primæ undas haurimus, sed et compunctionis et lacrymarum perennes effluunt rivi, misericordiarum suavitas, et totius pietatis affectus.*

Et sanabuntur.) In baptismo Christi sanatæ sunt aquæ: quia per contactum vivificæ carnis Christi, vim vivificandi acceperunt, ait S. August. ser. 36. de Tempore.

Anagog. fluunt hæ aquæ ad latus dextrum, id est ad beatitudinem, et sortem locumque electorum. Hos enim Christus in iudicio statuet a dextris, reprobos vero a sinistris. Unde sequitur:

Vers. 10. Et stabunt super illas piscatores.) Apostoli scilicet, qui audierunt a Christo: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.*

Apostoli sunt piscatores non venatores, cur?

Nota. Apostoli vocantur piscatores, potius quam venatores; quia ipsi non violentis cædibus, sed dulcibus sermonibus et moribus suaviter traxerunt homines ad se, et ad Christum; ac sensim sine sensu eos in retia Ecclesiæ compulerunt, ut vivos caperent, et ad meliorem vitam transferrent. Esca eorum fuit promissio vitæ cælestis. Denique obedientia vocatorum et captorum, ostendit quam dulcis fuerit eorum piscatio.

Ab Engaddi usque ad Engallim.) Ab uno termino usque ad alium. *Engaddi* civitas est iuxta mare Mortuum, C alio nomine dicta Asasonthamar, id est urbs palmarum; eo quod floreret palmis et balsamis. Unde ibi erat hortus, sive vinea balsami, quod pene ibi tantum, non alibi in toto orbe, reperiebatur. Hunc hortum seu vineas balsami, tempore Herodis Magni, Cleopatra Ægypti regina, concedente Antonio amasio, invidens tantam felicitatem Herodi, transtulit in Ægyptum, teste Iosepho libr. 1. Belli cap. 13. Burchardo, Saligniaco, et aliis in descriptione terræ sanctæ.

Engallim vicus vel urbs erat in principio maris Mortui, ubi scilicet Iordanis influit in mare. Atque ex hoc loco tendebant retia sua piscatores ad siccandum, usque ad Engaddi, uti ait hic Ezechiel. *Engallim*, ait S. Hieron. *est in principio maris Mortui, ubi Iordanis ingreditur; Engaddi vero ubi finitur atque consumitur. Engaddi fontem hædi, Engallim fontem vitulorum sonat.*

Siccatio sagenarum erit.) Piscatores sordes retium abluunt aqua marina, deinde ea ad solem exponunt, et exsiccant: ita qui piscatur animas, humorem et sordes mundanæ vanitatis, quas conversando cum hominibus contraxit, abluat amaritudine pœnitentiæ, mentemque ad se, et ad Deum revocet per meditationes, examina et similia exercitia spiritualia; ut ita a sole illo divino calore gratiæ ipsius exsiccentur; ipseque aptior fiat ad novam animarum piscationem. Hoc significat Engaddi, id est fons hædi; et Engallim id est fons vitulorum. Hædus enim et vitulus, utpote victimæ pro peccato, sunt symbolum pœnitentiæ et mortificationis.

Vers. 11. In littoribus autem, et in palustribus non sanabuntur.) Ad litteram, ait S. Hieron. hoc verum est in mari mortuo. Nam in eo, eiusque paludibus nullus piscis, aliudve animal nasci, aut aliunde illatum vivere potest. Unde et vocatur mare Mortuum. Audi S. Hieron. *Nihil quod spiret, et possit incedere, præ amaritudine nimia, in hoc mari reperiri potest. Nec cochleolæ quidem, parvique vermiculi, et anguillæ, et cætera animantium sive serpentium genera, quorum magis corpuscula possumus nosse, quam nomina.*

Symbolice, palustria, sunt homines in segnitiem prolapsi: lacunæ, sunt ii qui in superficie versantur, ac sola prædicatione induti, v. g. prædicatores lingua, non vita, quales nostrum sunt plurimi, ait Theodor. Hi difficile sanantur.

Allegor. extra has aquas baptismi, id est extra Ecclesiam in qua est baptismus, non est salus, omnisque Gentilium et hæreticorum doctrina salsa est et amara, utpote cœnosa et palustris: *quia in salinas dabuntur*, quia dum Deus deteget eorum falsitatem, eosque puniet, erunt aliis sal, ut scilicet alii eorum exemplo sapiant et caveant, iuxta illud, quod scriptum est Proverb. 19. *Pestilente flagellato stultus sapientior erit*, ait S. Hieron.

Audi et P. Barrad. tom. 1. lib. 2. cap. 6. ubi templum hoc Ezechielis mystice explicat, sed salinas aliter, imo contrarie interpretatur: *Mundi typus*, ait, *est mare mortuum; hoc sanant Evangelii aquæ, in illud influentes. Iordanis* B *aquæ in mare Mortuum influebant, sed sanare illud non poterant: eumdem in modum Mosis doctrina in mundum illabebatur, at sanare illum nequibat. Influxit Evangelii unda salutifera, et sanavit. Sanari autem dicuntur aquæ, cum a salsedine, amarore et sterilitate ad dulcedinem fœcunditatemque transferuntur. Unde Elisæus 4. Regum 2. Sanavi (inquit) aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas. Sanavit ergo Deus aquas maris mortui, id est, mundi, quia salsedinem, amarorem, infœcunditatem et mortem eius cum dulcedine, et fœcunditate, et vita, influentibus Evangelii aquis commutavit. Unde mare illud quod ne piscem quidem unum gignebat, iam nunc tot gignit, ut adiungat Vates, Plurimæ species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.*

Ait præterea Ezechiel relinquendas salinas aliquot, has ego Religiosorum familias academiasque esse existimo; quemadmodum enim in salinis, ita in cœnobiis et academiis, sal efficitur, de quo Christus Matth. 5. Vos, inquit, estis sal terræ. Iam vero piscatores, quorum eodem loco Propheta meminit: quid nisi concionatores adumbrant, quos Dominus hominum vocavit piscatores? Siccatio vero sagenarum illud indicat, debere concionatores sagenas suas, id est conciones, prius quam in mare iaciant, Solis, id est Christi, radiis exponere, illasque eiusdem Solis calore incendere, atque ab omni humanæ cupiditatis humore desiccare.

Et super torrentem.) q. d. Fideles (eorumque fides Vers. 12. et virtutes) qui irrigantur aquis doctrinæ Christianæ, et S. Script. erunt sicut arbores frondentes semper, et fructificantes, ut singulis mensibus, id est perpetim, congruis scilicet temporibus novos bonorum operum fructus afferant.

Per singulos menses afferet primitiva.) Primitiva reddere, est primitivum fervorem initio mensis cuius- D que resumere: quod viri pii et sui profectus studiosi faciunt. Estque valde utile, imo sæpe necessarium. Mens enim humana, ut ait S. Greg. l. 22. Moral. 2. *dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris: nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare.*

Fructus sunt virtutes.

Et erunt fructus eius in cibum.) Fructus virorum iustorum sunt virtutes, quæ sunt cibi, quibus animus alitur ad æternitatem: *unicuique sua cultura fructus donat*, ait S. Ambros. in cap. 7. Luc. quantum enim quisque se mentemque excolit, in tantum fructus fert: cæremoniæ sunt folia conferentia salutarem instructionem et medicinam: ita Alcazar in Apoc. 22. 2. in fine. Ad hæc fructus sunt opera, folia sunt verba salutaria, quibus alios instruimus, docemus, consolamur, excitamus, etc. Nam, ut ait S. Basil. *verba perfectorum sunt verba vitæ, et incolumitas animæ.* Rursum S. Hier. S. Script. ait, est hæc sacra arbor, sive lignum vitæ, cuius historicus sensus nobis est cibus, quia eo fidem nostram pascit: allegoricus et moralis est *in medicinam*: quia eo mores corriguntur.

Folia cæremoniæ.

Huc alludit, imo hunc locum anagogice (nam ad litteram loquitur Ezechiel de Ecclesia crescente et militante) citat S. Ioan. Apoc. 22. 1. dum ait: *Ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, et agni* (sicut hic v. 1. videtur procedere a limine domus Dei) *in medio plateæ eius, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim; per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem Gentium:* ubi fluvius aquæ vitæ, vel vivæ est visio beatifica, de qua ait Psaltes, *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei:* lignum vitæ est Christus, sive Christi humanitas, qui Beatis sua visione et fruitione dat vitam immortalem, estque eis quasi in cibum et voluptatem recentem per duodecim menses, id est, perpetuo in omnia sæcula, in omnem æternitatem: folia ligni sunt verba Christi, quibus Beatos omnium gentium mulcebit et consolabitur.

Audi et Ambros. in Apoc. 22. 1. *Duæ ripæ*, ait, *duo testamenta significant. Inter has duas ripas magnus torrens Scripturarum, qui a sanctis Patribus editus est, decurrit: per ligna vero doctores Ecclesiæ designantur, qui in utrisque ripis, id est, in doctrina veteris et novi testamenti, plantati esse dicuntur: unde aquas veræ scientiæ trahentes, et fructus gignunt et folia. Per fructus namque opera bona: per folia autem verba prædicationis designantur, fructus in cibum, et folia ad medicinam proficiunt: quia unusquisque doctor languenti animæ medicinam verborum salutiferam tunc ministrat, cum eam prius exemplis bonorum operum paverit. Ecce Ezechiel torrentem de templo exiisse se vidisse dixit; Ioannes autem non torrentem, sed fluvium a sede Dei et agni procedentem sibi ostensum fuisse dicit. Torrens ex nimio ardore solis solet siccari, fluvius vero nullo ardore exsiccatur. Non inconvenienter ergo per torrentem divina Scriptura exprimitur, quæ veniente sole, id est Domino ad iudicium siccabitur: quia post resurrectionem divina Scriptura necessaria non erit. Porro per fluvium, qui nullo ardore Solis exsiccatur, gloria Sanctorum perpetua intelligitur: qui a sede Dei et agni procedere dicitur, quia ab illo fluvius gloriæ sanctorum procedet, a quo illis in carne positis processit rivus omnium bonorum: qui fluvius splendidus tamquam crystallus esse dicitur.*

Vers. 13. Hic est terminus, in quo possidebitis terram.) Cap. 45. cœperat Propheta dividere terram Israel, sed interpositis quibusdam incidentibus divisionem istam intermiserat, nunc ad eam perficiendam redit. Antequam vero terram dividat per sortes, distinguit eius terminos ex omni parte, scilicet ad quamlibet mundi plagam.

Quia Ioseph duplicem funiculum habet.) *Funiculum,* id est sortem, sive portionem hæreditariam. Olim enim funiculis agros et hæreditates dimetiebantur; hinc *funiculus* per metonymiam idem est, quod sors, vel pars hæreditaria, ut Psal. 15. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris:* quod explicans subdit, *Etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Dat causam, cur iusserit terram dividi per duodecim tribus, cum seclusa tribu Levi, quæ partem terræ non accepit (eo quod eius pars esset Dominus, id est, Domini oblationes) tantum restarent undecim tribus. Causa hæc est, quod Ioseph a patre Iacob duplicem acceperit sortem in terra Chanaan. Iacob enim Genes. 48. 13. adoptavit sibi in filios immediatos et proximos, filios Ioseph, Ephraim et Manasse, nepotes suos, ad hoc, ut uterque tribum unam constitueret, ac in Chanaan pari sorte et iure cum aliis tribubus, puta cum immediatis filiis Iacob, qui fratres erant Iosephi (hi enim singuli singulas tribus constituebant) succederent, terramque dividerent. Tribus ergo Ioseph cum esset una, in duas fuit divisa; ita ut secluso Levi, remanerent adhuc duodecim tribus; quia posteri Ioseph successerunt in locum Levi, ut dicitur Iosue 14. 4.

Tribus Ioseph erat duplex.

Vers. 14. Possidebitis autem.) Iubet hic terram æqualiter dividi inter duodecim tribus, cum secus factum esset sub Iosue: tunc enim maior tribus maiorem, minor minorem terræ partem accepit.

Super quam levavi manum meam.) Quam elata quasi manu, uti homines faciunt dum iurant, iuravi me patribus vestris, vobisque daturum.

Et cadet.) Sortitione, non cuiusquam electione, ut dixit c. 45. 1.

Vers. 15. Hic est autem terminus.) q. d. Hi sunt termini, hi fines Chananææ inter duodecim tribus dividendæ.

A mari magno.) Scilicet ab ea parte maris Mediterranei, quæ ad Aquilonem vergebat; eam enim hic disterminat.

Via Hethalon.) Id est veniendo ab Hethalon in Sedada: utraque enim urbs erat in limitibus tribus Iuda. Nota. Divisio Chananææ tertio in Script. describitur: primo, a Mose Num. 34. secundo, a Iosue cap. 15. tertio, hoc loco.

Vers. 16. Emath, Berotha.) Repete, veniendo ab Hethalon in Emath, Berotha, etc. Alii exponunt, q. d. In hac parte et plaga erunt hæc oppida, Emath, Berotha, etc. Porro Emath est urbs, quæ ab Antiocho Epiphane dicta est Epiphania, ait S. Hieron. eratque terminus terræ sanctæ Septemtrionalis et Orientalis, Iosue 13. 1.

Quæ est inter terminum Damasci.) Id est, *quæ sita est inter fines Damasci*, ut vertit Vatablus: Chananæa enim Hebræis a Deo destinata et data, pertingebat usque ad fines Damasci.

Domus Tichon.) Hisce duabus vocibus quasi proprio nomine vocabatur hic locus, vel urbs, scilicet hebraice הצר התיכון *chatser hattichon*, quod Septuaginta vertunt, *atrium Tichon.*

Vers. 17. Et erit terminus a Mari.) q. d. Atque ita terminus, id est mensura, plagæ Aquilonaris erit a mari Mediterraneo usque ad Chatser Enon, id est atrium Enon, uti vertunt Septuag. qui est *terminus Damasci*, id est locus vel urbs prope Damascum, eratque alter terminus terræ sanctæ ex altera parte, ad radices Antilibani.

Ab Aquilone ad Aquilonem terminus Emath.) q. d. Ad Aquilonem una parte terminus Chananææ erit Chatser Enon, uti præcessit; altera ex parte terminus erit Emath, id est Epiphania. Hi sunt ergo limites totius plagæ Septemtrionalis.

Vers. 18. De medio Auran.) q. d. Limes Orientalis Chananææ erit linea, quæ deducetur inter Auran, Damascum, Galaad, et terram Israel: ita Vatabl.

Ad mare Orientale.) Id est, ad mare Mortuum; alii, ad mare Galilææ, sive Tiberiadis: Iordanis enim ab uno mari in alterum fluens, terminabat Chananæam ad Orientem: utrumque mare ponitur terminus Chananææ Orientalis, Num. 34. v. 3. et 11.

Vers. 19. Plaga autem Australis meridiana.) q. d. Limes Chananææ Australis versus meridiem, erit ab urbe quæ vocatur Thamar, id est palma, quia palmis abundat.

Usque ad aquas contradictionis Cades.) Id est, usque ad Cades, qui locus ob Iudæorum murmur dictus est aquæ contradictionis, uti dixi Num. 20. 1. et seq.

Nota. *Thamar* a palmetis dicta est *Palmira*, urbs, quam ædificavit Salomon, quæ postea ab Hadriano Imp. instaurata dicta est Hadrianopolis. Ager in quo sita est, dives est et ferax, qui vasto undique ambitu arenis includitur. Sola Palmira ex vicina solitudine, quæ inde Palmirena vocatur, fontibus et puteis abundat: ita Adrichomius. Quocirca Thamar, sive Palmira non est Iericho, uti aliqui putant, eo quod Iericho quoque vocetur civitas palmarum; nam Iericho in tribu Beniamin, Palmira in tribu Manasse sita erat.

Thamar sive Palmira est Hadrianopolis.

Et torrens.) Scilicet terminus erit. Hic est torrens Ægypti, qui iuxta Rhinocoluram in mare influit, de quo Num. 34. 5. ibi enim iidem termini Chananææ nominantur, qui hic, scilicet torrens Ægypti, Enan, Sephama, Emath, Sedada, mare, etc.

Vers. 20. Et plaga maris.) Id est, hic est limes plagæ Occidentalis (mare enim magnum erat ad Occidentem terræ sanctæ) nempe mare magnum, id est Mediterraneum.

A confinio per directum, donec venias Emath.) Id est, qua parte mare hoc per sua confinia directe respi-

cit et tendit in Emath. Unde Vatabl. vertit, *qui*, scilicet limes, *est e regione introitus Emath.*

Vers. 22 Et mittetis eam in hæreditatem.) Id est, missis sortibus eam dividetis, et hæreditabitis.

Et advenis.) Proselytis. Iubet hic Deus terram dividi tam proselytis e gentilismo ad Iudaismum conversis, quam ipsis originariis Iudæis, ut una ex utrisque coalesceret Ecclesia et resp. Quod cum ab Esdra et Nehemia factum non legamus, imo Esdras a sacerdotio eiecerit alienigenas Iudæis admistos, Esdræ 2. v. 62. potius hæc ad Ecclesiam Christi referenda sunt, in qua æqualem sortem habent Gentiles et Iudæi; ut merito Ephesiis Gentilibus scribat Paulus c. 2. 19. *Iam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei.*

Pari modo templum hic describitur, quasi situm extra civitatem, ubi licet alludatur ad arcem et montem Sion, in quo erat templum (hic enim mons erat extra urbem Ierusalem, id est extra civitatem populi, quæ erat in valle monti Sion subiecta: unde Sion vocabatur civitas David, Ierusalem vero civitas populi) tamen nec distantiam utriusque tantam, nec habitacula sacerdotum et Levitarum circa templum tanta, nec magnificentiam tantam, quanta hic describitur, in templo, et urbe Hierosolymitana, post reditum e Babylone extitisse legimus. Esto sensim creverit post Esdram numerus et opes, tum civium, tum urbis; adeoque Herodes, ut haberetur Messias, permagnificum extruxerit templum, priori Zorobabelis diruto, quod cum Salomonico certaret. Hæc ergo omnia Ezechielis programmata, potius idea sunt perfectæ Ecclesiæ et reip. qualis fuit apud Christianos, non apud Iudæos. ac præsertim qualis erit in Ierusalem cælesti, ut dicam in fine c. 48. Nam, ut alia taceam, nusquam legimus portionem sacerdotum habuisse 25. millia calamorum in longitudine, et totidem sortem Levitarum.

Pro quo Nota. Quinque pedes faciunt passum, passus 125. faciunt stadium, octo stadia faciunt milliare: milliare enim sunt mille passus. Porro calamus sacer, uti dixi c. 40. v. 5. continet sex cubitos, id est, sexies pedem cum dimidio (cubitus enim est pes cum dimidio.) Calamus ergo sacer continet novem pedes. Igitur calamus continet duos passus excepto uno pede: quare cum mille passus faciant milliare, sequitur, quod mille calami faciant duo milliaria exceptis mille pedibus, qui faciunt ducentos passus; et quingenti calami faciant unum milliare, exceptis quingentis pedibus, qui faciunt centum passus. Ergo 25. millia calamorum faciunt quinquaginta milliaria, exceptis 25. millibus pedum, qui faciunt quinque millia passuum, puta quinque milliaria. Ergo 25. millia calamorum faciunt præcise 45. milliaria. Ubi, et quando sacerdotes possederunt spatium 45. milliarium? Rursum murus urbis c. 48. in fine dicitur habuisse octodecim millia calamorum, id est 32. milliaria et 400. passus. Quis unquam vidit tantos muros, tantam urbem?

Quid pes, passus, calamus, stadium, milliare, cubitus.

CAPUT QUADRAGESIMUMOCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post descriptionem et divisionem terræ sanctæ ad quatuor mundi plagas, nunc eamdem inter duodecim tribus distribuit, dans cuique suam partem et sortem, uti olim eis eam distribuit Moses et Iosue. Primo ergo septem tribubus versus Septemtrionem, assignat suam cuique sortem. Deinde v. 8. sacerdotibus, Levitis, civitati et principi suam, in medio duodecim tribuum, partem attribuit, eamque repetit ex c. 45. 1. Tertio, v. 25. redit ad tribus, et quinque reliquis portiones singulas versus Meridiem admetitur.


1. Et hæc nomina tribuum a finibus aquilonis iuxta viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad aquilonem iuxta viam Emath. Et erit ei plaga orientalis mare, Dan una. 2. Et super terminum Dan, a plaga orientali usque ad plagam maris, Aser una. 3. Et super terminum Aser, a plaga orientali usque ad plagam maris, Nephtali una. 4. Et super terminum Nephtali a plaga orientali usque ad plagam maris, Manasse una. 5. Et super terminum Manasse, a plaga orientali usque ad plagam maris. Ephraim una. 6. Et super terminum Ephraim, a plaga orientali usque ad plagam maris, Ruben una. 7. Et super terminum Ruben, a plaga orientali usque ad plagam maris, Iuda una. 8. Et super terminum Iuda, a plaga orientali usque ad plagam maris, erunt primitiæ, quas separabitis, viginti quinque millibus latitudinis et longitudinis, sicuti singulæ partes a plaga orientali usque ad plagam maris: et erit sanctuarium in medio eius. 9. Primitiæ, quas separabitis Domino: longitudo viginti quinque millibus, et latitudo decem millibus. 10. Hæ autem erunt primitiæ sanctuarii sacerdotum: ad aquilonem longitudinis viginti quinque millia, et ad mare latitudinis decem millia, sed et ad orientem latitudinis decem millia, et ad meridiem longitudinis viginti quinque millia: et erit sanctuarium Domini in medio eius. 11. Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt cæremonias meas, et non erraverunt cum errarent filii Israel, sicut erraverunt et Levitæ. 12. Et erunt eis primitiæ de primitiis terræ sanctum sanctorum, iuxta terminum Levitarum. 13. Sed et Levitis similiter iuxta fines sacerdotum viginti quinque millia longitudinis, et latitudinis decem millia. Omnis longitudo viginti et quinque millium, et latitudo decem millium. 14. Et non venumdabunt ex eo, neque mutabunt, neque transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino. 15. Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine per viginti quinque millia, profana erunt urbis in habitaculum, et in suburbana: et erit civitas in medio eius. 16. Et hæ mensuræ eius: ad plagam septemtrionalem, quingenta et quatuor millia: et ad plagam meridianam, quingenta et quatuor millia: et ad plagam orientalem, quingenta et quatuor millia: et ad plagam occidentalem, quingenta et quatuor millia 17. Erunt autem suburbana civitatis ad aquilonem ducenta quinquaginta, et ad meridiem ducenta quinquaginta, et ad orientem ducenta quinquaginta, et ad mare ducenta quinquaginta. 18. Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarii, decem millia in orientem, et decem millia in occidentem, erunt sicut primitiæ sanctuarii: et erunt fruges eius in panes his qui serviunt civitati. 19, Servientes autem civitati, operabuntur ex omnibus tribubus Israel. 20. Omnes primitiæ, viginti quinque millium, per viginti quinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarii, et in possessionem civitatis. 21. Quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarii, et possessionis civitatis e regione viginti quinque millium primitiarum usque ad terminum orientalem: sed et ad mare, e regione viginti quinque millium usque ad terminum maris, similiter in partibus principis erit: et erunt primitiæ sanctuarii, et sanctuarium templi in medio eius. 22. De possessione autem Levitarum, et de possessione civitatis in medio partium principis: erit inter terminum Iuda, et inter terminum

Beniamin, et ad principem pertinebit. 23. Et reliquis tribubus: a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Beniamin una. 24. Et contra terminum Beniamin, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Simeon una. 25. Et super terminum Simeonis, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Issachar una. 26. Et super terminum Issachar, a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Zabulon una. 27. Et super terminum Zabulon, a plaga orientali usque ad plagam maris, Gad una. 28. Et super terminum Gad, ad plagam austri in meridie: et erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades, hæreditas contra mare magnum. 29. Hæc est terra quam mittetis in sortem tribubus Israel: et hæ partitiones earum, ait Dominus Deus. 30. Et hi egressus civitatis: a plaga septemtrionali quingentos et quatuor millia mensurabis. 31. Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel, portæ tres a septemtrione, porta Ruben una, porta Iuda una, porta Levi una. 32. Et ad plagam orientalem, quingentos et quatuor millia: et portæ tres, porta Ioseph una, porta Beniamin una, porta Dan una. 33. Et ad plagam meridianam, quingentos et quatuor millia metieris: et portæ tres, porta Simeonis una, porta Issachar una, porta Zabulon una. 34. Et ad plagam occidentalem, quingentos et quatuor millia, et portæ eorum tres, porta Gad una, porta Aser una, porta Nephtali una. 35. Per circuitum, decem et octo millia: et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.

NOTA. Dat hic Deus ideam perfectæ reip. Israeliticæ, non quæ fuit post captivitatem Babylonicam, sed quæ esse debuit, sicut Plato dat ideam perfectæ reipub. quæ esse debet, etiamsi illa in rerum natura non extet. Nam duæ tantum tribus e captivitate redierunt, reliquæ decem in ea remanserunt exceptis paucis, qui cum duabus tribubus misti redierunt. Quocirca hæc magis Apostolos et Christianos, quam Iudæos spectant, uti dicam in fine capitis.

Accipe hic ideam omnium terræ portionum, eiusque per tribus, sacerdotes, templum, urbem, et principem ordinatam divisionem.

AD AQUILONEM.



AD MERIDIEM.

Ecce hæc est idea perfecta reipub. Israelis, prout a Deo instituta est sub Mose et Iosue, sed suo vitio collapsa hic plenius, perfectius et pulchrius a Deo restituitur, quam fuerit primitus instituta; restituitur inquam non reipsa, sed in idea, quæ fuit typus Ecclesiæ et reipub. Christianæ, in qua militante hæc idea compleri incipit, sed plene complebitur in triumphante. Hac ergo de causa nominat duodecim tribus prout primitus fuerunt, eisque suam sortem assignat. Duodenarius enim symbolum est perfectæ reip. et universitatis. Nam duodenarius, ut notat Petrus

Mysteria duodenarii.

Bongus lib. de Num. myst. p. 386. et sequent. perfectus
est numerus: hinc naturalis est mensium anni. Unde et
plenæ civitatis ac reip. tam apud Ezechielem, quam apud
Platonem est numerus. Rursus in duodenario continen-
tur omnes toni, et harmonia musices, scilicet, prima ses-
quialtera nascitur inter tria et duo; unde quinarius dici-
1. tur prima radix huius proportionis. Prima quoque sesqui-
tertia provenit inter quatuor, et tria: quare septenarius
est radix sesquitertiæ. Sesquialtera consonantia generat
diapente, sesquitertia generat diatessaron. Ex his duabus,
quinta et septima, conflatur consonantia in dupla propor-
tione consistens, diapason, cuius radix est duodenarius.
2. Secundo, duodenarius est primus numerus impariter par.
Surgit enim ex ductu primi imparis, scilicet ternarii in
quaternarium, qui primus est pariter par; ter enim qua-
tuor faciunt duodecim. Rursum duodenarius componitur
ex senario geminato; senarius autem est primus perfe-
ctus: quia primus est, qui ex omnibus suis primis parti-
bus componitur. Nam unum, duo, tria, quæ sunt pri-
3. mæ partes senarii, faciunt sex. Tertio, Plato in Phædo-
ne, duodenario formarum numero describit orbem. In
Phædro deorum dæmonumque exercitum sub duce Iove,
in ordines duodecim disponit. In Legibus custodias, ma-
gistratus, agros, vicos, civitatemque secat in duodecim
partes. Suam quoque civitatem diis duodecim commen-
dat: unde et in duodecim sideribus Zodiaci, totidem a
Pythagoræis positi fuerunt particulares dii. Quin et Plato
lib. 8. de Repub. duodenarium celebrat ut divinum. Quo-
circa Platonici duodenarium aiunt esse universalis for-
mæ mundanæ et humanæ, atque civilium gubernatorem,
plurimumque rerum propagationi mutationique congrue-
re. Quin et mundus a Platone in Timæo, formatur duo-
decim facierum numero, suntque duodecim primariæ or-
bis partes, scilicet quatuor elementa, et octo cæli usque
ad sidereum, sive firmamentum. Denique dies, et nox,
4. duodecim horis describuntur. Quarto, duodenarius in in-
ferioribus ostendit suam fœcunditatem. Pavo teste Ari-
stot. lib. 6. de Anim. cap. 9. duodecim ova ponit; acan-
this avis minima duodecim parit pullos, teste Plinio; le-
pus, et cuniculus fœcundissimi, duodecies in anno gene-
rant pariuntque; singulis etiam mensibus pariunt colum-
bæ; camela duodecim mensibus fœtum gerit, et licet tan-
tæ sit magnitudinis, usque ad duodecimum diem sine potu
perdurat; cynocephalus in utroque æquinoctio duodecies,
puta singulis horis, potus excrementa profundit, tumque
argutiore ululatu vociferatur, quasi singulas horas voce
indicans: unde ab Ægyptiis in hydrologiis insculpitur,
5 quasi symbolum divisionis diei in duodecim horas. Quin-
to, in Scriptura frequens et sacer est hic numerus. Nam
duodecima mansione Hebræorum in deserto, descendit
Deus in Sina, ibique legem dedit; duodecim Patriarchas,
tribus et principes elegit, totidemque dona offerre iussit,
Numer. 1. 2. et sequent. Duodecim fontes fuerunt in E-
lim, quibus sitibundi Israelitæ satiati sunt, Exodi 15.
27. Duodecim erant lapides in rationali pontificis. Duo-
decim exploratores misit Iosue in Chanaan, Num. 13.
Duodecim lapides e Iordane electi et fixi sunt in monu-
mentum transitus Hebræorum, Iosue 4. Duodecim fue-
runt leunculi in solio Salomonis, 2. Paral. 9. Duodecim
cubiti Ariel, Ezech. 43. v. 15. Duodecim fundamenta cæ-
lestis Ierusalem, et duodecim fructus ligni vitæ, Apocal.
22. Ex singulis tribubus signantur duodecim millia, A-
pocal. 7. Duodecim a Christo electi sunt Apostoli; quia
ternarius SS. Trinitatis, quam prædicarunt, ductus in
quatuor mundi plagas, ad quas mittebantur, facit duode-
narium. Mulier illa cælestis amicitur stellis duodecim,
Apoc. 12. 1. Duodecim panes propositionis Deo in men-
sa iugiter proponebantur, Levit. 24. Apostoli, et viri A-
postolici sedebunt super sedes duodecim, iudicantes duo-
decim tribus Israel. Duodenarius enim symbolum est uni-
versitatis, tum hominum, tum electorum.

Denique 4. Esdræ 14. duodenis partibus divisum esse dicitur sæculum; quoniam iusti ibunt in vitam æternam, mali in ignem æternum.

ET HÆC NOMINA TRIBUUM.) q. d. Hæc sunt nomina portionum, sive possessionum singularum tribuum. Metonymice enim nomina possessorum vocat ipsos possessores, et per possessores ipsas possessiones intelligendas relinquit. Sic Apocal. 3. v. 4. dicitur: *Habes nomina pauca in Sardis. Nomina*, id est, homines. Sic apud Senecam l. 5. de Benef. ονοματα vocantur ανθρωποι. *Vers. 1. Nomen pro homine.*

A FINIBUS AQUILONIS.) Id est, ab extremo fine et limite Chananææ versus Aquilonem.

ET ERIT EI PLAGA ORIENTALIS MARE.) q. d. Hæc sors et divisio terræ dauda Dan, et aliis tribubus, fiet a plaga Orientali versus Mare, id est versus Occidentem. Hoc est, fiet per lineam ductam ab Oriente in Occidentem: per illam enim accipiebatur longitudo terræ, et sortis cuiusque tribus: ita Vatabl. et Hebræi.

DAN UNA.) q. d. Tribui Dan assignabitur prima sors ad Aquilonem. Dan ergo primam tribuit partem, secundam Aser, tertiam Nephthalim, quartam Manasse, quintam Ephraim, sextam Ruben, septimam Iuda. Cæteris quinque tribubus inferius v. 23. portiones ad Meridiem assignat. Hæc, uti ostendi cap. 40. initio, mystice accipienda sunt, non ad literam, ut sonant. Nam decem tribus e captivitate non redierunt, sed disperierunt et evanuerunt. Per eas ergo accipi debent tribus, familiæ et Ecclesiæ Christianorum. Porro quinam Christiani in particulari mystice intelligantur per Dan, quinam per Aser, Nephthalim, Iuda, etc. dixi Genes. 30. 24. Numer. 2. sub finem Apocal. 7. 5. Ibi enim S. Ioannes recitans duodecim tribus, signatosque ex singulis ad duodecim millia, alludit plane ad has Ezechielis duodecim tribuum partitiones et sortes. Quomodo autem hæc sortium Ezechielis divisio ad literam intelligenda sit factaque, nemo explicat, nec ego divinare ausim.

ET SUPER TERMINUM DAN.) q. d. Proxime post terminum et sortem Dan, secundam partem accipiet Aser. *Vers. 2.*

ET SUPER TERMINUM ASER.) *Super*, id est iuxta. Sic dicitur de Christo Lucæ 4. v. 39. *Stans super*, id est iuxta, *illam imperavit febri.* Hoc enim significat Hebr. על *al.* *Vers. 3.*

PRIMITIÆ.) Id est prima oblatio, sive prima sors et pars terræ danda Deo et sacerdotibus. Repetit partem possessionis sacerdotum, quam descripsit cap. 45. 1. *Vers. 8.*

Asserit ergo portionem sacerdotum in longitudine, ab Oriente in Occidentem habere 25. mille calamos, et in latitudine decem mille. Deinde similiter Levitarum partem ait occupare alios 25. mille calamos in longitudine, et alios decem mille in latitudine. Tertio, civitati assignat pariter 25. mille calamos in longitudine, et quinque mille in latitudine. Quocirca hæ tres portiones iunctæ efficiebant quadratum perfectum, quod habebat 25. mille calamos in longitudine, et totidem in latitudine. Nam decem mille latitudinis sortis sacerdotum, et decem mille sortis Levitarum addita quinque millibus civitatis faciunt 25. millia.

Huc anagogice alludens S. Ioannes Apocal. 21. 16. *Civitas*, ait, *in quadro posita est*, ut significet Ierusalem cælestis firmitatem, æque ac pulchritudinem: nam quadratæ urbes, æque ac domus, firmissimæ sunt, teste Vitruvio. Porro hæ tres sortes et portiones habent ex utraque parte portionem principis, ab Oriente scilicet, et ab Occidente. Quo fit, ut hæ quatuor portiones simul iunctæ, efficiant unam portionem, quæ a Meridie ad Aquilonem occupet 25. mille calamos, sed ab Oriente ad Occidentem, adiunctis sortibus duodecim tribuum, multo plures, nempe tot, quot habet quælibet portio cuiusque tribus. *Quadratæ urbes et domus, firmissimæ.*

Mystice S. Hieronymus docet, *vigesimum quintum numerum referri ad sensus* (hi enim quinque sunt, et quinies in vigesimo quinto continentur) *de quibus dictum est, Sensum divinum possidebitis: et decem millium ad perfectam consummatamque virtutem, quæ decalogo veteris instrumenti ad Evangelium perveniat Sacramentum.*

ET LONGITUDINIS SICUT SINGULÆ PARTES.) Id est, longitudo harum trium partium simul iunctarum, erit 25. millium calamorum; sicut longitudo singularum per se

sumptarum, scilicet ab Oriente in Occidentem, æque 25. millium est.

Vers. 9. Primitiæ quas separabitis Domino.) Prima pars, quam assignabitis sacerdotibus. Hisce enim proprie hic sortem assignat. Sortem enim, quam versu præcedenti generatim sacerdotibus, Levitis et civitati attribuit, hic sigillatim cuique suam assignat.

Vers. 10. Ad Aquilonem longitudinis vigintiquinque millia.) Dimetitur quatuor latera portionis sacerdotum, iuxta quatuor plagas: scilicet duo latera longitudinis ab Oriente in Occidentem, quorum unum erat ad Septemtrionem, alterum ad Austrum; utrumque autem habebat 25. millia calamorum, uti dixit cap. 45. 3. Alia deinde duo latera latitudinis metitur, quorum unum erat ad Orientem, alterum ad Occidentem; utrumque autem habebat decem millia calamorum: ita Maldon.

Vers. 11. Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc.) Pro *sanctuarium*, hebr. est, מקדש *mekuddas*, id est sanctificatum, q. d. Totum hoc spatium a me divisum, separatum et sanctificatum est, ut detur sacerdotibus filiis Sadoc, de quibus dixi cap. 44. 15.

Nota. Quod Ezechiel viderit templum ab urbe semotum per quindecim millia calamorum, cum templum Salomonis fuerit in ipsa urbe, allegorice significat Ecclesiam Christi longe esse sublimiorem Synagoga Mosis. Nam ad hanc, eiusque carneas hostias et ritus non erat opus, ut quis longius recederet aut exiret: at ut Deo spirituale Evangelicæ legis sacrificium offeratur, opus est ut Christianus seipsum abneget, a se exeat, se relinquat, et ad Deum quærendum procedat, quod maxime faciunt, qui se a suorum, et totius sæculi commercio abducunt, et in Religionis asylum confugiunt. Hoc enim significat novum hoc Ezechielis templum. Porro quindecim millia calamorum faciunt circiter 27. (et si calami sint sacri, trigiuta) milliaria Italica, quod est iter uuius diei: quo significatur opus esse viam hanc mane, id est tempestive, inchoare, ut ante vitæ vesperam, solisque et lucis occasum, possimus eo pervenire, ubi plenum et perfectum spirituale hoc sacrificium Deo offeramus. Ita Alcazar in Apocal. 21. vers. 22. notat. 38.

Vers. 12. Et erunt eis primitiæ.) *Primitiæ* hic non frugum, sed terræ accipiendæ sunt, uti dixi v. 9. Unde hebr. est, *erit itaque eis oblata* (portio terræ) *de oblatione terræ sanctitas sanctitatum*, id est sanctissima, quia in ea erigetur Deo templum.

Iuxta, scilicet ante, terminum Levitarum.) Nam portio terræ sacerdotum prima erat, eam deinde sequebatur portio Levitarum, ut patet cap. 45. 5.

Vers. 13. Omnis longitudo.) Vox *omnis* distribuit quatuor latera sortis Levitarum, q. d. Utraque longitudo et lateris Septemtrionalis, et lateris Australis, erit 25. millium calamorum; et utraque latitudo lateris, tam Orientalis, quam Occidui, erit decem millium calamorum.

Vers. 15. Quinque millia autem quæ supersunt in latitudine per vigintiquinque millia, profana erunt urbis.) Nota. Sors sacerdotum in latitudine habebat decem millia, sors Levitarum totidem, sors civitatis quinque, ita ut universa latitudo trium harum sortium esset 25. millium. Porro ex his viginti millia cedebant sorti sacerdotum et Levitarum. Supererant ergo quinque millia pro civitate, quæ proinde profana vocat, quia destinata erant civibus laicis *in habitaculum, et in suburbana*; unde Symmachus et Theodotion pro *profana* vertunt, λαϊκόν. Hinc et subdit, *Et civitas in medio eius*, q. d. In medio huius spatii tertii, quod 25. millia calamorum habet in longitudine, decem in latitudine, erigetur civitas Ierusalem. Porro *suburbana* vocat locum ante urbem vacuum et domibus, et arboribus, quod Vatabl. et Livius pomœrium, alii circum, alii aream vocant.

Mysteria quinarii. Mystice quinque millia, quæ erant profana extra templum, designant iuxta S. Hieron. deditos quinque sensibus. Unde et turris illa carnea, puta Goliath, habebat loricam ponderantem quinque millia siclorum æris, 1. Regum 17.

Hinc Pythagorici quinarium Minervæ sacrum habuerunt, quia sterile producit. Unde Servius Minervam natam dicit quinta luna, sicut omnes qui steriles fuere. Hinc Titanis filios steriles quinta luna natos dicunt: antiquis enim creditum est, quidquid quinta luna nasceretur, sterile et damnosum fore. Hinc et natum adagium, ut nullius numeri hominem quinta luna natum dicant, uti testatur Cicero in Academ lib. 2. Accedit Hesiodus lib. de Diebus, qui reprobat quintas in quibus Erinnyes. Rixæ filias natas dicit, quas iussu Plutonis vagari, et plus habendi desideria castigare, periurosque deposcere ad supplicium significat. Eum secutus Virgil. 1. Geor. sic canit:

Quintam fuge, pallidus Orcus,
Eumenidesque satæ.

Quinque ergo carni et quinque sensibus addictos denotant. Itaque quinque filiæ Salphaad, qui mortuus est in peccato Numer. 27. designant opera quinque sensuum, ait S. August. in psalm. 49. aut ipsos sensus, qui sunt filiæ quæ nascuntur ex oblivione, non ex memoria. Quinque ani aurei 1. Reg. 6. teste S. Gregor. designant memoriam peccatorum per quinque sensus commissorum. Quinque in domo una Lucæ 12. 52. (teste S. Ambr.) hoc est, in homine sunt anima, caro, appetitus carnalis, concupiscibilis, et irascibilis; et dividuntur, quæ prius in malum consentiebant. Quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, sunt figura quinque sensuum, cum ad carnis et Ægyptias delicias deficiendo, declinant, uti Isaiæ 19. ex S. Hieron. dixi. Verum, quia civitas hæc sancta erat, hinc alii quinque hæc millia spatii eiusdem in bonum accipiunt, scilicet pro bono usu quinque sensuum. Sic enim et carmina Salomonis quinquies mille, 3. Regum 4. pro quinque sensibus intelliguntur, quos qui in diversis virtutibus bene regit, beatus est: rectus enim usus horum et moderatio, est quasi ratio canendi Domino laudes. Quocirca etiam per eos, quasi quinque millia carmina Domino Salomon canit. Sic et quinque millibus virorum satiatis a Christo Matth. 14. designantur, qui sunt perfecti quinque sensibus, qui scilicet viriliter agere et confortari satagunt, sobrie, iuste et pie vivendo, ut cælestis sapientiæ dulcedine mereantur recreari. Sic apud Romanos de iure triumphandi extabat lex, ne quis triumpharet, nisi qui hostium quinque millia una acie cecidisset. Erat ergo hic numerus quinque millium augustus, sacer, triumphalis.

Porro Plato l. 5. de Legibus numerum quinquies mille et quadraginta summopere commendat in Magistratuum, domiciliorum, agrorumque partitione; utpote omnium utilissimum, eo quod in se multas distributiones partium integras contineat: unde eum legislatori, quasi civitati commodissimum commendat. Nam si hunc numerum in binas seces partes, pars dimidia 2520. continebit. Si in partes tres, pars tertia erit 1680. Si in quatuor, quarta pars erit 1260. Si in quinque, quinta pars 1008. continebit. Si in sex, quælibet 840. Si in septem, septima pars 720. Si in octo, octava 630. Si in novem, nona 560. Si in decem, decima 504. Huc usque partes omnes sunt integræ. Sed si in undecim secemus, undecima erit 458. atque insuper duæ undecimæ portiunculæ. Si in duodecim, duodecima erit 420.

Vers. 16. Ad plagam Septemtrionalem.) Hoc est, limes Aquilonaris huius urbis habebit calamos quatuor mille et quingentos: totidem habebit limes Australis, et totidem Orientalis, æque ac Occidentalis. Itaque tota urbs occupabit in ambitu octodecim millia calamorum, id est centum et octo millia cubitorum, et insuper octodecim millia palmorum. Calamus enim sacer (de quo hic agitur) continebat sex cubitos, et palmum, uti dixit cap. 40. v. 5. Erat civitas hæc quadrata habens singula quatuor latera æqualia: quodque enim latus continebat 4500. calamos. Porro cum tota illa portio in qua sita erat civitas, contineret 5000. calamos, liquet, urbem ipsam non implere totam hanc portionem. Supersunt enim quingenti calami, nempe 250. ex una parte civitatis, quæ erat ad Aquilonem, et totidem ex altera parte ad Austrum. Et

hæc duo spatia vocantur hic suburbana, de quibus mox subdit: *Erant autem suburbana*, etc. Post hæc suburbana sequebantur agri ministrorum, qui serviebant civitati. Hinc patet, quantum superarit suburbanum urbis suburbanum templi. Urbis enim continebat 250. calamos, templi quinquaginta cubitos tantum, uti dixit capite 40.

Vers 18 QUOD AUTEM RELIQUUM FUERIT.) Occupabat spatium illud profanum in quo urbs collocanda erat, 25. millia calamorum longitudinis, uti dixit cap. 45. v. 6. urbs autem non habebat nisi quinque millia calamorum, uti iam dixi: ergo supererant viginti millia calamorum, decem ex una parte ad Orientem, decem ex altera ad Occidentem. Nam, ut dixit cap. 45. v. 7. longitudo sumebatur ab Oriente in Occidentem.

SECUNDUM PRIMITIAS SANCTUARII.) Hebræa, *iuxta oblationem sanctam*, id est, iuxta Levitarum portionem, quæ ad partem urbis sancta erat. Idem significat id quod sequitur: *Sicut primitiæ sanctuarii*. Hebraice enim idem est, scilicet *iuxta oblationem sanctam*.

ERUNT FRUGES EIUS IN PANES.) q. d. Alentur inde ministri urbis, quos hic vocat *servientes*; quales sunt famuli Consulum, Prætorum, Senatus; item ii qui curant plateas, sarta tecta murorum, qui præsunt annonæ et foro, tabelliones, procuratores, aliique qui in aliis officiis publicis civitati necessariis, eidem deserviunt. Non ergo servientes, vel ministros urbis vocat vinitores et agricolas, ut vult R. David.

Vers. 20. OMNES PRIMITIÆ.) Est anacephalæosis: recapitulat enim generatim mensuras sortium omnium, quas prius particulatim dimensus est. Scilicet tres hæ sortes sacerdotum, Levitarum, et civitatis simul iunctæ, habebant 25. millia calamorum in longitudine, et totidem in latitudine. Efficiebant ergo quadratum geometricum. Porro totum hoc spatium vocat *primitias*, vel, ut hebraice est תרומה *teruma*, id est oblationem sanctam; quia, licet spatium civitatis esset profanum, uti paulo ante dixit, respectu spatii sacerdotum et Levitarum; erat tamen sanctum respectu cæterarum urbium. Urbs enim Ierusalem erat urbs sancta, in qua Deus habitabat, scilicet in eius templo.

Vers. 21. QUOD AUTEM RELIQUUM FUERIT.) Longitudo triplicis sortis, scilicet sacerdotum, Levitarum et urbis, non pertingebat usque ad Iordanem, qui erat Orientalis terminus terræ sanctæ ex una parte; nec ad mare Mediterraneum, quod erat limes eiusdem Occidentalis ex altera parte. Itaque spatium, quod supererat, datur hic principi, ut ipse sua sorte ambiat sortem sacerdotum, Levitarum et populi: quia princeps Ecclesiam, æque ac remp. instar valli sepire, munire et defendere debet: unde sequitur:

Vers. 22. DE POSSESSIONE AUTEM LEVITARUM.) Hebr. מאחזת *meachuzat*, id est, *a possessione Levitarum, et a possessione urbis (quæ est in medio eius) quod erit reliquum, principis erit; quod erit inter terminum Iuda et Beniamin, principis erit*, q. d. Possessio illa principis, in cuius medio erit possessio Levitarum, et consequenter sacerdotum ac urbis, erit inter tribum Iuda et Beniamin: unde clare vertit Vatablus, *possessio quoque Levitarum, et possessio urbis erit intra illud spatium, quod principis est: denique princeps inter Iuda et Beniamin terminos, habebit possessionem*. Est quasi iteratio et confirmatio præcedentis versiculi, cum una clausula, sive additione de situ sortis principis inter sortem Iuda et Beniamin. Nam sors Beniamin erat ad Austrum, Iuda ad Aquilonem. Iam quidquid medium erat inter utramque sortem, hoc principis erat. Aliter paulo hæc explicat Maldon. ex R. Salomone.

Sors Iuda et Beniamin commutantur, cur? Notat S. Hieron. et Alcazar Apocal. 3. in fine p. 309. hic permutari sortes Iudæ et Beniamin. Nam Iosue cap. 18. v. 5. tribui Iudæ dedit sortem ad Austrum, Beniamin vero ad Aquilonem v. 12. hic vero ex adverso Iuda collocatur ad Aquilonem, Beniamin vero ad Meridiem. Beniamin, inquit Alcazar, ponitur ad Austrum, id est ad dexteram templi, (templum enim Orientem solem respiciebat, ita ut Auster esset ei dexter, Aquilo sinister) Iuda vero ad Aquilonem, id est ad sinistrum, ut significetur illud Christi, *Qui se humiliat, exaltabitur:* ille enim vere est Beniamin, id est filius dexteræ, qui per hoc dexteram meretur, quod in oculis suis minimus, sit et meliorem ac digniorem locum fratri, puta Iudæ, concedat.

Vers. 23. ET RELIQUIS TRIBUBUS.) Est tertia pars capitis. Nam post sortes septem tribuum, et post sortes sacerdotum, Levitarum, civitatis et principis, hic reliquis quinque tribubus sortem cuique assignat.

A PLAGA ORIENTALI.) Supple, erit longitudo: idem intellige in cæteris usque ad versum 28. Latitudinem vero non describit: per quod Iudæi significari censent, quod ipsorum regnum sub Messia nullis limitibus terminabitur. Hoc verum est de regno Messiæ, quem ipsi frustra venturum expectant, nos venisse credimus. Christus enim Ecclesiam suam per Apostolos toto orbe propagavit. Unde de eo præcinuit Psaltes psalm. 71. *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

Vers. 24. ET CONTRA TERMINUM.) *Contra*, id est iuxta. Hoc enim Hebr. est על *al*. Sic *supra*, id est iuxta, *terminum*, uti dixi v. 3. 4. 5. et sequent.

Vers. 28. ET ERIT FINIS DE THAMAR.) q. d. Limes Australis plagæ erit ab urbe Thamar, id est, non a Iericho, sed a Palmira usque ad Aquas contradictionis, scilicet usque ad Cades, uti dictum est c. precedenti v. 19. In qua plaga ultimum locum ad Austrum, occupabat tribus Gad.

Vers 29. HÆC EST TERRA.) Hæ mensuræ et partes terræ sanctæ inter duodecim tribus distribuendæ. Est anacephalæosis præcedentium.

Vers. 30. ET HI EGRESSUS CIVITATIS) Rabbini per *egressus* accipiunt portas: melius S. Hieronymus accipit latera, sive ambitus civitatis, a quatuor eius lateribus. Hi enim singuli, non autem portæ, habebant *quingentos quatuor millia* calamos, uti dixit v. 16. Quibus si adiicias bis ducentos quinquaginta calamos suburbani, qui erant utrinque, habebis mensuram quinque millium, de qua superius dixi.

Vers. 31. PORTA LEVI UNA.) Levi non habebat sortem in terra, habebat tamen portam in civitate: ita Vatablus. Describit hic duodecim portas, scilicet ternas a quolibet latere, inscriptas nominibus duodecim tribuum. Itaque ad Septemtrionem porta prima erat Ruben, secunda Iuda, tertia Levi. Ad Orientem porta prima erat Ioseph, secunda Beniamin, tertia Dan. Ad Meridiem porta prima erat Simeon, secunda Issachar, tertia Zabulon. Ad Occidentem porta prima erat Gad, secunda Aser, tertia Nephthali. Portæ 12. tribuum quæ?

Notat Alcazar in Apocalyps. 21. v. 13. pag. 934. portas hasce Ezechielis non per omnia respondere portis priscæ Hierosolymæ. Nam porta Ephraim, quæ eadem est cum porta Ioseph, hic ab Ezechiele ponitur ad Orientem, cum in Hierosolyma veteri eadem fuerit ad Septemtrionem, uti docet Adrichom. Vilalpand. et alii. Rursum non vocantur hæ portæ Ephraim, Dan, Manasse, etc. eo quod per illas iretur ad sortem et terram tribus Ephraim, Dan, Manasse, etc. sed quod eorum nominibus inscriptæ essent, aut ab iis extructæ, iuxta ea quæ scribit Nehemias capite 3. Unde et Ezechiel hic vers. 19. videtur eos vocare *servientes civitati*. Nam alioqui Ezechiel sortem tribuum duodecim ita distribuit, ut septem ponat ad Septemtrionem, quinque reliquas ad Meridiem, uti dixi initio capitis.

Vers. 35. PER CIRCUITUM, scilicet per quatuor urbis latera, DECEM ET OCTO MILLIA.) Quater enim quatuor millia quingenti faciunt octodecim millia, non leucarum, ut vult Lyranus et Rabbini, sed calamorum, uti ostendi vers. 30. Porro octodecim millia calamorum, faciunt 32. milliaria et 400. passus, uti patet ex dictis c. 47. in fine.

ET NOMEN CIVITATIS EX ILLA DIE.) Qua restaurata vel extructa fuerit.

DOMINUS IBIDEM.) Hoc imperfecte competit Hierosolymæ, in qua Deus in templo habitavit modico tempore, scilicet ab Esdra usque ad Titum et Vespasian. perfecte vero competit Ecclesiæ Christi, imo de ea sola intelligit

S. Hieron. Lyran. Vatablus, Hugo, Dionys. Maldonat. Pintus. et alii. Unde Ionathas Chaldæus paraphrastes vertit: *Et nomen civitatis exponent a die quo posuit Deus divinitatem suam ibi;* Syrus vertit: *Et nomen civitatis a diebus eius* (ex quo condita est) *Dominus appellavit eam;* Arabicus Antioch. *Nomen civitatis, ex quo ædificarunt eam, Domino,* id est, appropriata et dicata Domino; Arabicus Alexand. *Et nomen civitatis iam nominavit eam Dominus prima die illius,* ex quo cœpit esse. Hoc nomen valde congruit cum illo, quod Christo imponitur Isaiæ cap. 7. 14. *Vocabitur nomen eius Emmanuel,* id est *nobiscum Deus.* In Ecclesia enim Deus cum suis filiis et fidelibus est, iuxta illud Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ab consummationem sæculi.*

Lyran. per urbem accipit laicos fideles, per templum clericos.

Ubi Nota. Apposite Lyranus censet duplex hic Ecclesiæ regnum describi, scilicet spirituale in templo, de quo c. 40. in fine, temporale in civitate hac; hoc est, templum significare clericos, civitatem laicos fideles, in qua proinde præscribuntur iusta pondera, aliæque leges iustitiæ: hæc enim columen est et basis reipub. ac regni. Civitas enim est civium unitas, quæ maxime iustitia et charitate coalescit. In quolibet latere civitatis sunt tres portæ, et a duodecim tribubus nominatæ, et ad quatuor orbis partes æqualiter respicientes: ut significetur ad principem Christianum pertinere præesse communitati civium, ita ut omnes Christiani et subditi tam minores, quam maiores ex qualibet parte regni liberum ad eum habeant accessum, tamquam ad conservatorem et defensorem omnium. Et quia in hoc sunt ministri Dei, ut docet Apostolus Roman. 13. 6. dicens: *Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes;* ideo hic dicitur: *Et nomen civitatis ex illa die Dominus ibidem:* quia civitas non nominatur a vicario, sed a principali domino: et sic communitas populi Christiani nominatur a Christo. Porro per numeros calamorum et cubitorum, in genere dici potest, quod per ipsos intelligatur certa quantitas meritorum secundum conditiones et opera personarum, quæ soli Deo nota est quantum ad omnia. Huc usque Lyran. in fine libri.

S. Hier. per urbem accipit Ecclesiam, Alcazar Romam

Hieron. vero per urbem potius accipit Ecclesiam Christianam, quam rempub. fidelium temporalem. Hinc Alcazar in Apocal. c. 4. p. 326. littera C. per civitatem hanc accipit Romam, cuius nomen ait, est *Dominus ibidem.* Sed audi S. Hieronymum.

Tribus, ait S. Hieronym. duodecim circa tabernaculum (ut patet Numer. 2. 5.) ita castrametabantur, *ut ad Orientem fuerit Iudas, Issachar et Zabulon, filii Liæ; et ad Meridiem, Ruben, Simeon, Gad, duo filii Liæ, et tertius filius Zelphæ ancillæ Liæ; ad Occidentem vero Ephraim, et Manasses, et Beniamin, duo videlicet filii Rachelis: quia Ioseph pro tribu Levi, quæ sacrificiis deputata est, in duas tribus, Ephraim et Manasse divisa est. Ad Aquilonem autem Dan, et Aser, et Nephthali: quorum primus et tertius filii sunt Balæ ancillæ Rachelis; secundus, filius Zelphæ ancillæ Liæ, ignobiles, et ad Aquilonem positi: quippe qui ex ancillarum inter se dissidentium stirpe generati sint.* Deinde eis opponens hasce tribus et urbem Ezechielis, puta duodecim Apostolos, eorumque prosapiam et Ecclesiam, subdit: *Nostra vero urbs, quæ est civitas magni regis, cuius artifex et conditor est Deus, de qua et Psalmista canit: Numquid Sion dicet, homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus? Aliam habet tribuum in terra sancta descriptionem, et mensuram civitatis, possessionis ordinem, et plagas tribuum singularum. Primum enim plagæ Aquilonis opponuntur tres portæ, sive exitus civitatis: quorum est primogenitus Ruben, et Iudas regiæ stirpis auctor, et Levi: super cuius nomine in tabernaculo, et sacrorum descriptione nil dictum est, ut primogenita possidentes, quasi genus regale et sacerdotale, Aquilonis frigora contemnamus. Secundo vero ad Orientem est Ioseph, Beniamin, et Dan; ambo filii Rachel, et unus Balæ ancillæ eius. Ad Meridiem vero Simeon, Issachar et Zabulon: qui tres Liæ filii sunt. Porro ad Occidentem Gad, Aser et Nephthali: quorum priores duo filii Zelphæ sunt, ancillæ Liæ; tertius filius Balæ, ancillæ Rachelis. Quis sapiens, et intelliget hæc? intelligens, et cognoscet ea? Quia rectæ viæ Domini, et iusti ambulabunt in eis: prævaricatores vero corruent in illis. Has duodecim portas, sive exitus, pro qualitate meritorum atque virtutum, singulis tribubus, sub Apostolicis et patriarcharum nominibus arbitror delegatas. De quibus et in Apocalypsi Ioannis apertius scribitur, et multarum divinarum Scripturarum sacramenta testantur. Et necesse est, ut talis civitas decem et octo millium per circuitum teneat calamorum: sub quo numero, et in duodevigesimo psalmo lex naturalis est scripta, gratiaque Evangelii describitur; quibus Ecclesia, id est urbs Salvatoris, extructa est. Nomen quoque ipsius civitatis nequaquam erit, ut prius Hierosolyma* (*quæ interpretatur, visio pacis*) *sed* אדני שמה *Adonai sciamma, quod in Latinum sermonem vertitur, Dominus ibidem: qui recedat nunquam ab ea, ut a priori populo ante discessit, dicens ad discipulos: Surgite, abeamus hinc; et ad Iudæos: Relinquetur vobis domus vestra deserta, sed æternam habeat possessionem, et sit ei ipse possessio, iisdem discipulis repromittens: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Quin et ipsi Rabbini post Christum, licet aliquando Christianis obiiciant, Christum nostrum non esse Messiam, eo quod ipsis templum et civitatem hic ab Ezechiele descriptam non ædificarit; tandem tamen fatentur, urbem hanc cum templo spiritalem fore et mysticam, non corporalem. Ita R. Salomon hic fatetur, aitque: Omnia quæ in Ezechiele de Ierusalem scribuntur, de sancta civitate superna Ierusalem absque dubio intelligenda sunt. Idem docent Thalmudistæ, quos citat Finus Adrian. l. 2. Flagelli Iudæorum c. 8. ubi per Ierusalem congregationem Gentium ad Christum, sive universitatem Christianorum; per templum congregationem sacerdotum; per portam clausam B. Virginem accipiendam esse docet: alioqui, inquit, civitas hæc mundi magnitudinem adæquaret, si non superaret. Quæ ratio non est solida: nam hæc octodecim millia civitatis, quæ hic numerat Ezechiel, non sunt leucarum, ut ipse cum Rabbinis censet, sed calamorum. Itaque civitas hæc cum duodecim tribubus, sacerdotibus et Levitis symbolice significabat Ecclesiam cum duodecim Apostolis, populo fideli, sacerdotibus et diaconis. Est in quadro posita, quia firmissima, ut portæ inferi ei prævalere nequeant. A singulis lateribus habet tres portas, quia undique a quatuor mundi plagis ad illam concurrerunt et ingressæ sunt Gentes, idque per fidem Sanctissimæ Trinitatis. Duodecim tribus sunt omnes fideles, et Christiani: hi enim sunt veri Israelitæ, filii Apostolorum, cives sanctorum, et domestici Dei. Nomen civitatis est, *Dominus* (hebr. *Iehova*) *ibidem,* quia in Ecclesia est Deus, qui est suum, et omnium rerum esse. Ibi est Sanctissima Trinitas, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Ibi realiter et corporaliter in Sacramento et sacrificio Eucharistiæ est Iesus Christus, Deus et homo. Quanta hæc dignitas! quanta consolatio! quantum præsidium! quid enim deesse potest ei, qui Deum habet?

Explicatio urbis, id est Ecclesiæ per singulas eius partes.

Anagog. urbs hæc est Ierusalem cælestis.

Anagog. hæc civitas cum duodecim tribubus et portis significat Ecclesiam electorum triumphantium. Ita enim huc alludens, imo verba Ezechielis citans explicat S. Ioannes Apocalyps. 21. v. 10. *Ostendit,* inquit, *mihi civitatem sanctam, Ierusalem descendentem de cælo a Deo, habentem claritatem Dei,* etc. *Et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim, et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab Oriente portæ tres, et ab Aquilone portæ tres, et ab Austro portæ tres, et ab Occasu portæ tres. Civitas in quadro posita est, et longitudo eius tanta, quanta et latitudo. Et mensus est murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli,* etc. Vide ibi dicta, vide et ea quæ dixi Numer. 2. sub finem. Castra enim duodecim tribuum circa tabernaculum erant quasi urbs mobilis et castrensis, significans Ecclesiam militantem, quæ tendit ad triumphantem; idque armata manu decertans, et perrumpens per medios hostes carnis, mundi et diaboli. Civitas Dei paradisus est, ubi vita, et gaudia æterna: civitas diaboli tartarus est, ubi mors, et tor-

menta æterna. Alterutra te manet. Deus qui spiritus est incorporeus et immortalis, dedit tibi animam ad imaginem et similitudinem suam, animam incorpoream, immaterialem, spiritualem et immortalem, ut eum colendo, amando, obediendo, pie, caste et sancte serviendo, paradisum et regnum eius beatum, gloriosum et æternum assequare; sin autem, minatur tibi tartarum, et flammantia ac æternantia gehennæ incendia. In medio positus elige bonum, vel malum; vitam, vel mortem; cælum, vel tartarum; felicitatem, vel miseriam æternam. In mundo degis medius inter cælum, et tartarum, quasi in hospitio, quasi in palæstra, quasi in theatro, quasi in civitate vanitatis: vides opes, delicias, honores statim evanescere, cur vanis, cur fluxis, cur momentaneis inhias? O vanas hominum spes, et res! o vana et miserabilis hominum conditio! Vana omnia sunt sub sole. Vides iuvenem, vides iuvenculam, ætate, forma, opibus, gratia, nobilitate florentem, hominem vides pulverem cras futurum. Mortalia omnia morte damnata sunt, ut vivas ÆTERNIS. In cælis veritas est, sanctitas est, gaudium est, deliciæ sunt, omne bonum est; quia *Dominus ibidem*. Gloria et divitiæ in domo eius. Civitas illa non eget sole, neque luna, nam claritas Dei illuminat eam, et lucerna eius est agnus, et ambulabunt Gentes in lumine eius, et reges terræ afferent gloriam suam, et honorem in illam. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ A Agni. Ibi est vita sempiterna sempiterne beata, ibi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, felix æternitas, æterna felicitas; ubi amor est perfectus, timor nullus, dies æternus, iugis vigor, alacer motus, et unus omnium spiritus; quia *Dominus ibidem*.

VIVE DEO, VIVE FELICITATI, VIVE ÆTERNITATI: nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria ÆTERNITATIS acquiritur. Breves virtutis labores æterna voluptas sequitur.

Ite nunc fortes ubi celsa magni
Ducit exempli via, cur inertes
Terga nudatis? superata tellus
Sidera donat.

Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam Tobiæ 13.
claritatem Ierusalem. Portæ Ierusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ eius sternentur, et per vicos eius alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltavit illam, et sit regnum eius in sæculum sæculorum super eam, Amen. Quoniam apud te Domine est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. O quando hoc lumen illucescet? o quando inclinabuntur umbræ mortalitatis, et aspirabit dies divinæ immortalitatis? Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus IN ÆTERNUM?

EPINICION
DEI OPTIMI MAXIMI
CURRU CHERUBICO IMPIOS DEBELLANTIS,
de iisque triumphantis, ex oraculis Ezechielis.

Cap. 1. APERTI sunt cæli, et vidi visiones Dei.

Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone; et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circuitu eius: et de medio eius quasi species electri, id est de medio ignis.

Et in medio eius similitudo quatuor animalium; et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.

Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni.

Cap. 2 Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber: et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris: et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ.

Cap. 3. Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel dulce.

Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum.

Ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas a facie eorum: quia domus exasperans est.

Cap. 4. Pone sartaginem ferream in murum ferreum inter te, et inter civitatem. Et dormies super latus sinistrum trecentis nonaginta diebus pro iniquitatibus domus Israel.

Deinde dormies super latus dextrum quadraginta diebus pro iniquitatibus domus Iuda.

Et aquam in mensura bibes sextam partem hin.

Panem subcinericium comedes, et stercore hominis operies illum.

Et dixi: A, a, a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta; et morticinum, et laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc, et non est ingressa in os meum omnis caro immunda.

Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: et facies panem tuum in eo.

Rades caput et barbam, ac pilos divides, tertiam partem igni combures, tertiam concides gladio, tertiam disperges in ventum. Cap. 5.

Vivo ego, dicit Dominus, quia violasti sanctum meum, tertia pars tui peste morietur, tertia gladio cadet, tertiam in omnem ventum dispergam.

Et eris opprobrium et blasphemia, exemplum et stupor in Gentibus.

Montes Israel audite verbum Domini: ecce ego inducam Cap. 6.
super vos gladium, et disperdam excelsa vestra.

Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum: et dispergam ossa vestra circum aras vestras.

Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam, et al- Cap. 7.
lide pedem tuum, et dic: Heu, ad omnes abominationes malorum domus Israel: quia gladio, fame, et peste ruituri sunt.

Hæc dicit Dominus: Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ.

Ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, et imagines simulacrorum fecerunt ex eo.

Propterea dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, et impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud.

Emissa manus, et spiritus elevavit me inter cælum et Cap. 8.
terram, et adduxit me in Ierusalem.

Et vidi ab Aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu.

Et dixit: Videbis abominationes maiores.

Dixit Dominus scriptori vestito lineis: Transi per me- Cap. 9.
diam civitatem in medio Ierusalem: et signa thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.

Deinde dixit sex viris, quorum quisque habebat vas interfectionis in manu: Transite per civitatem sequentes eum, et percutite: non pareat oculus vester, neque misereamini.

Cap.10. Vidi Cherubim, et super ea firmamentum, et solium ex sapphiro.

Et extendit Cherub manum de medio Cherubim, ad ignem, qui erat inter Cherubim: et sumpsit, et dedit in manus eius, qui indutus erat lineis: qui accipiens egressus est.

Cap.11. Cogitant filii Israel, dicentes: Nonne dudum ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, nos autem carnes.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Interfecti vestri, quos posuistis in medio eius, hi sunt carnes, et hæc est lebes: et educam vos de medio eius.

Cap.12. Tu ergo fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, et transmigrabis per diem coram eis: transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si forte aspiciant: quia domus exasperans est.

Cap.13. Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.

Quasi vulpes in desertis, prophetæ tui Israel erant.

Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.

Ecce ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas volantes: et dirumpam eos de brachiis vestris: et dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum.

Et dirumpam cervicalia vestra, et liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt ultra in manibus vestris ad prædandum: et scietis quia ego Dominus.

Cap.14. Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, et Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, sed nec filios, nec filias liberabunt: sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur.

Cap.15. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum?

Ecce igni datum est in escam: utramque partem eius consumpsit ignis, et medietas eius redacta est in favillam: numquid utile erit ad opus?

Cap.16. Proiecta es super faciem terræ in abiectione animæ tuæ, in die qua nata es.

Et vestivi te discoloribus, et calceavi te ianthino: et cinxi te bysso, et indui te subtilibus.

Et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum.

Propterea meretrix audi verbum Domini.

Et iudicabo te iudiciis adulterarum, et effundentium sanguinem: et dabo te in sanguinem furoris et zeli.

Et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum; et demolientur prostibulum tuum: et denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui: et derelinquent te nudam, plenamque ignominia.

Et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis.

Et comburent domos tuas igni.

Cap.17. Hæc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.

Summitatem frondium eius avulsit: et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam.

Cap.18. Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt.

Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Israel.

Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit iudicium, et iustitiam: vita vivet, et non morietur.

Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, vivet.

Si autem averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, morietur.

Leæna tulit unum de leunculis suis, leonem constituit Cap.19.
eum: didicit prædam capere, et homines devorare.

Didicit viduas facere, hinc Gentes miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis.

Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium.

Et evulsa est in ira, ignis fructum eius comedit: planctus est, et erit in planctum.

Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, Cap.20.
et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos.

Et dixi: A, a, a, Domine Deus; ipsi dicunt de me: Numquid non per parabolas loquitur iste?

Et dices terræ Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce Cap.21.
ego ad te, et eiiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te iustum et impium.

Ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est: qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum.

Exacuere, vade ad dexteram, sive ad sinistram, quocumque faciei tuæ est appetitus.

Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas: interrogavit idola, exta consuluit.

Ad dexteram eius facta est divinatio super Ierusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones.

Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita.

Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam; nonne hæc est, quæ humilem sublevavit, et sublimem humiliavit?

Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: et hoc non factum est, donec veniret cuius est iudicium, et tradam ei.

Et tu fili hominis propheta, et dic: Hæc dicit Dominus Cap.22.
Deus ad filios Ammon, et ad opprobrium eorum, et dices: Mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias, et fulgeas.

Et tu fili hominis nonne iudicas, nonne iudicas civitatem sanguinum?

Sanctuaria mea sprevisti, et sabbata mea polluisti.

Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; et non inveni.

Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt. Cap.23.

Et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ.

Nomina earum Oolla maior, et Ooliba soror eius minor: earum nomina Samaria Oolla, et Ierusalem Ooliba.

Fornicata est Oolla, et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes, vestitos hyacintho, iuvenes cupidinis, ascensores equorum.

Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine.

Quod cum vidisset soror eius Ooliba, plusquam illa insanivit libidine: et fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter, ducibus ad se venientibus indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, et adolescentibus forma cunctis egregia.

Hæc dicit Dominus Deus: Pone ollam: et mitte in eam Cap.24.
aquam.

Congere frusta eius in eam, omnem partem bonam, femur et armum, electa et ossibus plena.

Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea: efferbuit coctio eius, et discocta sunt ossa illius in medio eius.

Congere ossa, quæ igne succendam: consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent.

Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile oculorum

tuorum in plaga: et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ.

Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, et calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.

Locutus sum ergo ad populum mane, et mortua est uxor mea vespere: fecique mane sicut præceperat mihi.

Erit Ezechiel vobis in portentum; iuxta quæ fecit, facietis cum venerit istud: et scietis quia ego Dominus Deus.

Cap.25. Et dices filiis Ammon: Pro eo quod plausisti manu, et percussisti pede, et gavisa es ex toto affectu super terram Israel.

Idcirco ecce ego extendam manum meam super te, et tradam te in direptionem Gentium, et interficiam te de populis, et perdam de terris, et conteram: et scies quia ego Dominus.

Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecit Idumæa ultionem ut se vindicaret de filiis Iuda, peccavitque delinquens, et vindictam expetivit de eis.

Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Extendam manum meam super Idumæam, et auferam de ea hominem, et iumentum, et faciam eam desertam ab Austro: et qui sunt in Dedan, gladio cadent.

Cap.26. Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Ierusalem: Euge confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad me, implebor, deserta est.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego super te Tyre, et ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans.

Et dissipabunt muros Tyri, et destruent turres eius: et radam pulverem eius de ea, et dabo eam in limpidissimam petram.

Et descendent de sedibus suis omnes principes maris: et auferent exuvias suas, et vestimenta sua varia abiicient, et induentur stupore: in terra sedebunt, et attoniti super repentino casu tuo admirabuntur.

Et assumentes super te lamentum, dicent tibi: Quomodo peristi, quæ habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi?

Cap.27. O Tyre, tu dixisti: Perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita.

Omnes naves maris, et nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ.

Hæc omnia tecum cadent in corde maris in die ruinæ tuæ.

Cap.28. Fili hominis, dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo, et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei.

Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum a te.

Morte incircumcisorum morieris in manu alienorum: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus.

Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore.

In deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum; sardius, topazius, et iaspis, chrysolithus, et onyx, et berillus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus: aurum opus decoris tui; et foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.

Tu cherub extentus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.

Et elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te: ante faciem regum dedi te ut cernerent te.

Fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, et prophetabis de eo, et de Ægypto universa.

Loquere, et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum.

Et ponam frænum in maxillis tuis: et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis: et extraham te de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui squamis tuis adhærebunt.

Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fe- Cap.29.
cit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est: et merces non est reddita ei, neque exercitui eius, de Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversus eam.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti: et accipiet multitudinem eius, et deprædabitur manubias eius: et diripiet spolia eius, et erit merces exercitui illius.

Fili hominis propheta, et dic: Hæc dicit Dominus Deus, Cap.30.
Ululate, væ, væ diei.

Quia iuxta est dies, et appropinquat dies Domini: dies nubis, tempus Gentium erit.

Et venit gladius in Ægyptum: et erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in Ægypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destructa fundamenta eius.

Fili hominis dic Pharaoni regi Ægypti, et populo eius: Cap.31.
Cui similis factus es in magnitudine tua?

Ecce Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen eius.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod sublimatus est in altitudine, et dedit summitatem suam virentem atque condensam, et elevatum est cor eius in altitudine sua: tradidi eum in manu fortissimi Gentium, faciens faciet ei: iuxta impietatem eius eieci eum.

Et succident eum alieni, et crudelissimi nationum.

Cui assimilatus es o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam: in medio incircumcisorum dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio: ipse est Pharao, et omnis multitudo eius, dicit Dominus Deus.

Fili hominis assume lamentum super Pharaonem regem Cap.32.
Ægypti, et dices ad eum: Leoni Gentium assimilatus es, et draconi qui est in mari: et ventilabas cornu in fluminibus tuis, et conturbabas aquas pedibus tuis, et conculcabas flumina earum.

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, et extraham te in sagena mea.

Ibi Assur, et omnis multitudo eius: in circuitu illius sepulcra eius: omnes interfecti, et qui ceciderunt gladio.

Tu ergo in medio incircumcisorum contereris, et dormies cum interfectis gladio.

Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem Cap.33
impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel?

Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, et sedent coram te populus meus; et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum.

Et es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur: et audiunt verba tua, et non faciunt ea.

Et cum venerit quod prædictum est (ecce enim venit) tunc scient quod prophetes fuerit inter eos.

Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: non- Cap.34.
ne greges a pastoribus pascuntur?

Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia.

Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor: et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt.

Propterea pastores audite verbum Domini:

Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores

requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: et liberabo gregem meum de ore eorum: et non erit ultra eis in escam.

Ego pascam oves meas: et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus.

Quod perierat requiram, et quod abiectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam: et pascam illas in iudicio.

Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem.

Ego autem Dominus ero eis in Deum: et servus meus David princeps in medio eorum: ego Dominus locutus sum.

Cap.35. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te mons Seir, et extendam manum meam super te, et dabo te desolatum atque desertum.

Urbes tuas demoliar, et tu desertus eris: et scies quia ego Dominus.

Eo quod fueris inimicus sempiternus, et concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ.

Idcirco vaticinare super humum Israel, et dices montibus et collibus, iugis et vallibus: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego in zelo meo, et in furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis.

Cap.36. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: ego levavi manum meam ut gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent.

Vos autem montes Israel ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel: prope enim est ut veniat.

Et replebo vos hominibus, et iumentis: et multiplicabuntur, et crescent: et habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo maioribus, quam habuistis ab initio: et scietis quia ego Dominus.

Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos.

Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.

Cap.37. Facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini; et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.

Et dixit ad me: Fili hominis putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti.

Et dixit ad me, Vaticinare de ossibus istis: et dices eis, Ossa arida audite verbum Domini.

Et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam.

Et vidi, et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt: et extenta est in eis cutis desuper, et spiritum non habebant.

Et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.

Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc universa, domus Israel est: ipsi dicunt, Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus.

Propterea vaticinare, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris populus meus: et inducam vos in terram Israel.

Et percutiam illis fœdus pacis pactum sempiternum erit eis: et fundabo eos, et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.

Cap.38. Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch, et Thubal, et vaticinare de eo.

Et dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch, et Thubal.

Et circumagam te, et ponam frænum in maxillis tuis: et educam te, et omnem exercitum tuum, equos et equites vestitos loricis universos multitudinem magnam, hastam et clypeum arripientium et gladium.

Et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus: gladius uniuscuiusque in fratrem suum dirigetur.

Et iudicabo eum peste, et sanguine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis: ignem et sulphur pluam super eum, et super exercitum eius, et super populos multos, qui sunt cum eo.

Super montes Israel cades tu, et omnia agmina tua, et populi tui, qui sunt tecum: feris, avibus, omnique volatili, et bestiis terræ dedi te ad devorandum. Cap.39.

Et immittam ignem in Magog, et in his, qui habitant in insulis confidenter: et scient quia ego Dominus.

Et succendent arma igni septem annis; et sepelient ibi Gog, vocabitur vallis multitudinis Gog.

Nomen autem civitatis Amona, et mundabunt terram.

In visionibus Dei adduxit me in terram Israel: et dimisit me super montem excelsum nimis: super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad Austrum. Cap.40.

Et ecce vir, cuius erat species quasi species æris, et funiculus lineus in manu eius, et calamus mensuræ in manu eius: stabat autem in porta, et mensus est calamo portas, vestibula, fenestras, thalamos, atria et gazophylacia templi.

Et audivi loquentem ad me de domo, et vir qui stabat iuxta me, dixit ad me: Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum: et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi, et reges eorum in fornicationibus suis, et in ruinis regum suorum, et in excelsis. Cap.43.

Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, et ruinas regum suorum a me: et habitabo in medio eorum, semper.

Et convertit me ad viam portæ sanctuarii exterioris quæ respiciebat ad Orientem: et erat clausa. Cap.44.

Cumque cœperitis terram dividere sortito, separate primitias Domino sanctificatum de terra longitudine viginti-quinque millia, et latitudine decem millia: sanctificatum erit in omni termino eius per circuitum. Cap.45.

Hæc dicit Dominus Deus: Si dederit princeps donum alicui de filiis suis: hæreditas eius, filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditarie. Cap.46.

Et convertit me ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem, aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. Cap.47.

Et traduxit me per aquam usque ad talos.

Rursumque mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad genua.

Et mensus est mille, et traduxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.

Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte.

Et hi egressus civitatis: A plaga Septemtrionali quingentos et quatuor millia mensurabis. Cap.48.

Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel, portæ tres a Septemtrione, porta Ruben una, porta Iuda una, porta Levi una.

Per circuitum, decem et octo millia: et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIA

IN

DANIELEM PROPHETAM

PROOEMIUM

Daniel idem est quod iudicium Dei.

Daniel nobilis Propheta, partim vaticinatur de successione quatuor monarchiarum mundi, scilicet Babyloniorum, Persarum, Græcorum et Romanorum: item de septuaginta hebdomadibus, de Christo, de resurrectione, de excidio urbis et orbis, de Antichristo, de iudicio. Unde Daniel apte hebr. significat *iudicium Dei,* aut, ut S. Hieron. vertit, *iudicavit me Deus:* multiplicia enim Dei iudicia, præsertim circa varios reges et regna, hoc opere describit. Partim historiam sui temporis contexit: scribit enim gesta ab anno tertio Ioakim regis Iuda usque ad tertium annum Cyri: quo etiam tempore floruit Ieremias et Ezechiel. Eodem tempore Romanis imperabat Ancus Martius, et Tarquinius Priscus; Medis Astyages et Cyaxares; Babyloniis Nabuchodonosor; Persis Cyrus; Lydis Crœsus; Siculis Phalaris. Eodem tempore floruerunt septem Græciæ sapientes; et nobiles tres poetæ, scilicet Stesichorus, Alcæus et Sappho poetria: tunc etiam cœptum est coli Dodonæum oraculum. Denique tunc tria regna, Assyriorum, Iudæorum et Chaldæorum; tresque eorum metropoles, scilicet Ninive, Ierusalem et Babylon eversæ sunt: ita Perer. Vide dicta præfat. in Ezechiel. qu. 2. in fine.

Daniel coævus fuit Ieremiæ, Astyagi, Cyro et Phalaridi.

Quæst. 1. Quis Daniel? Fuit ex semine regio.

Quæres Primo, quis fuerit Daniel? Respondeo Primo: Daniel ortus est ex tribu Iuda, puta ex stirpe regum Iuda, ut patet c. 1. 3. Patria illi fuit Bethoron superior, inquit Dorotheus et Epiphan. quæ est in sorte Ephraim iuxta Emmaus, distatque novem milliaribus a Hierosolyma.

Secundo, Daniel puer captus est cum Ioakim rege anno tertio regni eiusdem, qui fuit annus primus regni Nabuchodonosoris, atque ab eodem ductus est in Babylonem. Pererius censet eum tunc fuisse decem annorum, Maldon. viginti: idque verius est, et satis colligitur ex cap. 1. v. 3. et seq. Unde sequitur natum esse Danielem sub annum 15. regni Iosiæ regis Iuda, qui fuit annus mundi 3320. ante Christum annus 630.

Natus est anno 15. Iosiæ.

Tertio, Daniel cœpit prophetare iuvenis: iuvenis enim iudicium senum peregit, in quo eos convicit, et Susannam pudicam a morte liberavit, ut patebit cap. 13. v. 45. Quod enim aliqui putant duos fuisse Danieles, unum de tribu Levi, qui Susannam liberavit cap. 13. et draconem occidit, Belumque evertit cap. 14. Alium de tribu Iuda, qui reliqua huius libri gesserit et scripserit, falsum est, uti ostendam cap. 11. 30.

Quarto, interpretatus est Daniel somnium regis Nabuchodonosor, tam primum cap. 2. quam secundum cap. 4. annum agens 55. Visionem cap. 7. habuit anno ætatis 63. Visionem vero cap. 8. vidit annum agens 65. Scripturam manus in pariete scribentis annos natus 96. explanavit. Anno 97. qui primus fuit Darii regis Medorum, tempus Messiæ adventus et mortis, 70. illis hebdomadis cap. 9. comprehensum, divinitus ei patefactum est. Visiones quæ memorantur in 10. et 11. capite, contigerunt anno tertio Cyri, id est anno Danielis 101.

Visiones singulæ qua ætate Danieli contigerint.

Quinto, computat Pererius Danielem mortuum esse

A anno ætatis 138. Natus est enim iuxta ipsum anno Iosiæ 25. qui deinde adhuc regnavit sex annis, scilicet usque ad annum 31. post Iosiam regnavit Ioachaz tribus mensibus; post Ioachaz Ioakim undecim annis; post Ioakim Ioachin tribus mensibus; post Ioachin Sedecias undecim annis; post quem secuta est captivitas Babylonica 70. annorum usque ad Cyrum: post captivitatem regnavit Cyrus 30. annis; post Cyrum Cambyses octo annis; post Cambysem Magi uno anno; post Magos Darius Hystaspis, cuius primo anno (si credimus Isidoro lib. de Vita et obitu Proph.) mortuus est Daniel in Babylone. Iam adde annos hos omnes, invenies 138. tot ergo vixit Daniel: ita Pererius. Verum hæc enormis est ætas hominis, et illo sæculo inaudita. Unde alii censent, Danielem non excessisse annum centesimum. Ipsi enim putant captivitatem Babylonicam 70. annorum inchoandam esse non a captivitate Sedeciæ, sed a captivitate Ioachin, uti ostendi Ierem. 29. 10. et ita hic demendi sunt anni undecim regni Sedeciæ: illi enim B in annis 70. captivitatis involvuntur. Rursum iidem putant, Cyrum post captivitatem non regnasse triginta, sed tantum tribus annis; ita ut eversa Babylone iam factus monarcha, tantum tribus annis regnarit. Unde et Daniel tantum primi et tertii anni Cyri meminit, scilicet ab eversa Babylone. Hanc enim sub finem vitæ evertit, uti docent historici. Demendi ergo sunt ex annis Cyri anni 27. quibus durante captivitate Babylonica regnavit. Iam adde 27. et 11. habebis 38. quos deme ex annis 138. (tot enim Pererius Danieli consignat) remanebunt anni centum vitæ Danielis. Adde, sacram Scripturam post tertium annum Cyri non meminisse Danielis: ex Scriptura ergo tantum elicere possumus, Danielem vixisse 91. annos; tot enim sunt a 25. Iosiæ ad tertium Cyri. An, et quantum ulterius vixerit Daniel, non liquet, nisi quod Isidorus eum vixisse dicat ad initium regni Hystaspis: quod si verum est, sequitur Danielem ad centesimum annum pertigisse. Hæc C iuxta Pererium, qui censet Danielem decennem fuisse, cum ductus fuit in Babylonem: verum verius est eum tum fuisse viginti circiter annorum: unde decem anni vitæ eius addendi sunt; ita ut natus sit anno Iosiæ non 25. sed 15. Id patebit Daniel 13. v. 45. Quare si Daniel mortuus est anno tertio Cyri, mortuus est anno ætatis censesimo primo: sin anno primo Darii Hystaspis, mortuus est anno ætatis centesimo undecimo. Hinc patet errare Chronicum Alexandrinum, sive Fastos Siculos, dum mortem Danielis consignant anno primo Cyri, aiuntque eum quinquaginta annis tantum prophetasse.

Pererius putat Danielem vixisse annis 138.

Verius est Danielem centum annos vixisse.

Quæst. 2. Qualis fuit Daniel?

Quæres Secundo, qualis, et quantus fuerit Daniel? Respondeo Primo, fuit chronologus illius ævi certissimus et celeberrimus. Secundo, fuit vir omnium hominum illius sæculi sapientissimus, et in omni scientia, etiam Chaldæorum, aliorumque Gentilium versatissimus: adeo ut, cum tantum triginta octo esset annorum, Nabuchodonosor et reges omnes eius sapientiam, quasi oraculum, suspicerent; ita ut rex Tyri qui se sapientissimum reputa-

I. Chronologus.

II. Vir omnium sapientissimus.

bat, Danieli tamen se comparare non auderet. Hoc enim est quod irridens per sarcasmum ei obiicit Ezechiel cap. 28. 3. *Ecce sapientior es tu Daniele, omne secretum non est absconditum a te*, uti ibi ostendi. Porro hanc sapientiam meruit Daniel sua abstinentia, ut patet cap. 1. 17.

III. Fuit Propheta. Tertio, fuit Propheta, et somniorum omnium divinorum (id est a Deo immissorum) interpres.

IV. Fuit gubernator imperii Babylonici. Quarto, fuit princeps et rector totius imperii et monarchiæ Babylonicæ, ut patet cap. 2. 48. Plinius lib. 7. cap. 27. Catonem tribus dotibus præcelluisse asserit, quod fuerit *optimus orator*, *optimus imperator*, *optimus senator*: at pluribus præcelluit Daniel.

V. Fuit Virgo. Quinto, fuit cælebs, et illibatam virginitatem ad mortem usque servavit, uti omnes consentiunt: imo Damasc. lib. 4. de Fide cap. 25. ait, propter tantam castitatem tam Danielem a leonum sævitia, quam tres pueros ab igne Babylonio fuisse inviolabiles.

Dices, Ezechiel. 14. 14. et 16. dicitur: *Si fuerint tres viri isti in medio eius* (Ierusalem) *Noe, Daniel et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas* etc. *non filios, nec filias*: ergo Daniel habuit filios; ergo non fuit cœlebs. Respondeo Primo, hanc propositionem esse conditionalem: ait enim, Si Daniel, Noe, et Iob haberent filios, et pro eis orarent, Deus tamen non exaudiret eos, essetque inexorabilis. Respondeo Secundo, τὸ *filios et filias*, respective referendum esse ad Iob et ad Noe, qui habuerunt proles, non ad Danielem, qui nullas habuit; ut sit sillepsis, qualis est apud Matthæum et Marcum, quando aiunt, discipulos effuso unguento murmurasse, cum Ioannes solum Iudam murmurasse testetur: et apud Matth. quando ait, latrones in cruce Christum blasphemasse, cum Lucas unum tantum blasphemasse dicat.

VI. Fuit vir sanctissimus. Hinc Sexto, patet sanctitas Danielis, eo quod a Deo apud Ezechielem comparetur cum Noe et Iob, qui fuerunt sanctissimi. Tres ergo in orbe quasi soles iustitiæ extiterunt, Noe, Iob et Daniel. Ubi Nota. Cum hoc dixit Deus, Daniel vivebat, eratque tantum 34. annorum, ut dixi Ezech. 14.

VII. Fuit vir mire zelosus. Septimo, Daniel non tantum suæ, sed et aliorum salutis et perfectionis fuit amantissimus: inde enim vocatur *vir desideriorum* c. 9. 23. inde orans pro populo, ei reditum e captivitate Babylonica tum a Deo, tum a Cyro, impetravit. Permansit enim Daniel in principatu et præfectura usque ad Cyrum, qui primo anno suæ monarchiæ Iudæos e captivitate dimisit. Inde denique tempus Christi redemptoris, eiusque nativitatis et passionis abbreviari petiit et impetravit c. 9. 24.

VIII. Fuit Martyr. Octavo, fuit Martyr; ob pietatem enim et invocationem Dei Hebræorum, missus fuit in lacum leonum, idque bis: esto Dei ope inde evaserit illæsus. Sic enim et S. Ioannes a Patribus vocatur Martyr, eo quod in dolium ferventis olei sit immissus: esto, inde illæsus Dei gratia exierit. Quin et in vetusto illo codice Basilii Porphyrogeniti Imperat. imaginibus et literis aureis exarato, qui extat in Biblioth. Vaticana, Daniel cum tribus pueris sub Attalo capite plexus depingitur, et subiecta scriptura historice enarratur. Cuius rei fides sit penes ipsum: nam nullus veterum Patrum vel historicorum, quod sciam, hoc memoriæ prodidit.

Mortuus et sepultus est in Babylone. Denique Daniel vixit, et mortuus est in Babylone: noluit enim redire in Iudæam cum Esdra et aliis, quibus reditum a Cyro impetraverat; tum ut Iudæorum salutem et negotia apud Cyrum promoveret; tum ut Iudæorum, qui in Babylone plurimi remanebant, director et protector esset, inquit Theod. in cap. 10. De multis et miris prodigiis, quæ Daniel ante mortem prædixit Babyloniis, stupenda habet Dorothæus in Synopsi, et Epiphan. in vita Danielis, quorum fides sit penes ipsos: sepultus est Daniel in quadam caverna Babylonis regio honore. Relatus est ab Ecclesia in catalogum Sanctorum, eiusque dies natalis in Martyrol. notatur 21. Iulii. Addit Dorotheus: *Edidit et aliis regibus Persarum multa portenta, quæ scripta non sunt: mortuus est in Chaldæa, ac in sepulcro regio solus cum honore sepultus.*

Narrat Iosephus lib. 10. Antiqu. Danielem apud Ecbatana Mediæ turrim eximiam ædificasse, ut in ea sepelirentur reges Medorum, Persarum et Parthorum, eiusque turris custodiam uni de sacerdotibus Iudæorum credi et committi. *Ædificavit*, inquit Ioseph. lib. 10. sub finem, *apud Ecbatana Mediæ turrim, opus pulcherrimum et singulari admiratione dignum, quod in hodiernum usque diem durat, et spectantibus recentissimæ structuræ videtur, perinde ac si ea ipsa die qua spectatur, esset absolutum: tantam novitatis speciem, et tam integram pulchritudinem habet, nihil omnino a longo tempore læsam, præter aliorum ædificiorum consuetudinem. Mos autem durat usque in præsens tempus, ut in ea turri sepeliantur reges Medorum, Persarum et Parthorum, eiusque custodia sacerdoti Iudaici generis hodie concreditur.* Ante Danielem enim regum Persarum sepultura erat Persepoli, teste Strabone lib. 15. et Diodoro Siculo l. 17. Cyrus vero sepultus fuit in Pasargide castello in loculo aureo, ait Arrianus lib. 7. cum hac inscriptione, ait Onesicritus: ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεὺς βασιλέων.

Quæst. 3. Quæ sit huius libri auctoritas? Semper hic liber fuit canonicus. QUÆRES Tertio, quænam sit huius prophetiæ Danielis auctoritas, obscuritas et præstantia. Dico Primo. Semper hic liber apud Hebræos et Catholicos habitus est canonicus, demptis quatuor particulis, scilicet oratione Azariæ, hymno trium puerorum, historia Susannæ, item Belis ac draconis: de quibus suo tempore dubitavit Orig. Euseb. Apollin. qui historias has vocant fabulas, eo quod in Hebræo non extent, teste S. Hieron. in prologo: iam tamen certum est hæc omnia esse canonica, ut patet tum ex Concil. Trident. sess. 4. tum ex S. August. Athan. Cyprian. Chrysost. Greg. et passim aliis Patribus, qui ea sæpe citant, perinde ac alias canonicas Scripturas: olim etiam ea in Hebræo extitisse patet ex versione Septuag. Aquilæ et Theodotionis. Unde enim ipsi ea in Græcum, nisi ex Hebræo textu, qui tunc exstabat, transtulerunt? Perperam ergo Lyran. et Dionys. Carthus. dixerunt has historias esse veras, at non canonicas sacræ Scriptur. sed illis hoc condonandum est, quia fuerunt ante Concil. Trident.

Nota ex S. Hieron. Ecclesia ante S. Hieron. in Bibliis usa est versione Septuag. excepto Daniele: ibi enim usa est versione non Septuag. sed Theodotionis hæretici Ebionitæ. Post S. Hieron. vero usa est Ecclesia eiusdem Hieron. versione ex Hebræo: quæ autem in Hebræo Daniele non reperit Hieron. ea transtulit ex Græco Theodotionis.

Obscuritas Danielis unde? Dico Secundo. Daniel cæteris Prophetis antecellit obscuritate, et præstantia. Obscuritas Primo, patet ex varietate tum chronologiæ, tum historiæ tam antiquæ, et in eius cum historicis Gentilibus (qui sæpe ab his diversa, imo contraria narrant) conciliatione. Unde S. Hieronym. ad intelligentiam Danielis ait necessariam esse omnium historicorum, tam Latinorum, quam Græcorum et Chaldæorum cognitionem. Secundo, ex eo quod in Daniele crebra sit hysterologia, et præposterus ordo. Tertio, quod Deus studio voluerit scripturam Danielis esse obscuram, ait enim c. 12. 4. *Tu autem Daniel claude sermones, et signa librum.*

Liber hic 1. Historicus est. Dico Tertio. Præstantia huius libri patet primo, ex præstantia auctoris, de qua iam dixi; secundo, ex materiæ præstantia, quæ Primo, historica est: narrat enim gesta octoginta annorum, scilicet ab anno tertio Ioakim usque ad tertium Cyri: gesta inquam Chaldæorum, Medorum et Persarum. Unde S. Hieronym. epist. 103. ad Paulinum, Danielem vocat omnium temporum conscium, et totius mundi polyhistorem. Daniel ergo historiam librorum Regum, quæ desinit in captivitate Babylonica, prosequitur, et continuat per totum tempus captivitatis usque ad eius solutionem. Secundo, prophetica est: 2. Propheticus. prædicit enim futura in monarchiis singulis, ac præsertim in regibus Syriæ, Seleucis et Antiochis, eorumque eversiones et successiones: item prædicit ortum, necem (cuius annum solus Daniel definivit, et 70. hebdomadibus determinavit) et regnum Christi: rursum Hierosolymæ

et Iudæorum desolationem: denique resurrectionem universalem omnium.
3. Dogmaticus. Tertio, dogmatica est, itemque moralis: pulcherrima enim documenta et exempla virtutum suggerit, ut castitatis in Susanna, fidei et constantiæ in tribus pueris, abstinentiæ et devotionis in Daniele, humilitatis in Nabuchodonosor transformato in bestiam, temperantiæ in Balthasare ob ebrietatem occiso. Denique iudiciorum et providentiæ Dei clara hic passim elucent testimonia. Hac de causa Hebræi Danielem non inter Prophetas, uti Latini et Græci, sed inter hagiographa referunt.

Partim chaldaice, partim hebraice scriptus est. Nota. Scriptus est hic liber initio, scilicet a c. 2. v. 4. usque ad finem capitis 7. chaldaice: recenset enim Chaldæorum gesta et dicta. Deinceps scriptus est hebraice, idque ab ipso Daniele, ut patet cap. 8. 1. et c. 9. 2. et cap. 10. 2. et Matth. 24. 15. Perperam ergo id negavit non tantum Porphyrius apud S. Hieron. hic, et Anabaptistæ nunc: sed et S. Isidorus, eo argumento, quod Daniel subinde de se loquatur in tertia persona. Verum hoc argumentum frivolum est: nam Hebræis id est familiare, ut patet Isaiæ 1. v. 1. Ierem. 1. v. 1. et alibi.

Quæst. 4. Quæ libri divisio? Quæres Quarto, quis sit scopus huius libri, et quænam eius partitio? Respondeo, Scopus est regnum Christi describere, quod c. 7. facere incipit: nam et historiæ regum Babylonis, Medorum et Persarum, quæ primis sex capitibus præponuntur, et reliqua quæ c. 7. 8. et 11. de quatuor regnorum vicissitudine dicuntur, eo pertinent, ut omnia alia regna peritura, solum Christi regnum perpetuum fore intelligamus.

Tres eius partes. Hinc patet libri partitio. Tres enim sunt eius partes. Prima sex primis capitibus continetur, quibus res gestæ Danielis, et trium puerorum eius sociorum, enarrantur. Secunda sex alia capita comprehendit, quibus de regno Christi et Antichristi agitur, de uno regno Dei, et multis regnis mundi, aliis in alia tranferendis. Tertia est duobus extremis capitibus, ubi Susannæ et Belis historia traditur. Ita Maldon.

Porro alias Danielis, de Babylonis et mundi excidio prophetias recenset Epiphan. in vita Danielis, et ex eo Dorotheus in Synopsi. Audi Epiphan. *Ille Propheta* (Daniel) *in celsis montibus Babylonis monstrum annuntiavit, dicens: Ubi cernetis montem ex parte Boreæ fumo denigratum, pro foribus Babylonis terminus imminebit. Quando vero ipsum flagrantem igne videbitis, aderit totius orbis finis. Sed cum ad Meridiem mons aquas propellet, remeabit populus in patrium solum, et condetur Ierusalem late, campoque potentiore, sicut factum est per Iesum pontificem et per Salathiel. Quod si denique mons iste sanguine cruentus manat, stragem portendit ipsius Beliar in toto orbe.* Beliar videtur esse Antichristus. Verum horum fides sit penes ipsum.

Daniel typus Christi. Allegor. Daniel, uti et cæteri Prophetæ, fuit typus et imago Christi. Nam Primo, Daniel abductus in Babylonem, factusque servus, antitype repræsentavit Christum,
I. qui e cælo in mundum hunc confusione plenum per incarnationem descendit, formam servi accipiens.

II. Secundo, abstinens Daniel figuravit Christum abstinentem, pauperum cibo et modo viventem, ac ieiunantem per 40. dies.

III. Tertio, Daniel Propheta somniorum interpres, et mortalium sapientissimus fuit idea Christi qui est princeps Prophetarum, et Sapientia Patris, tum increata qua Deus, tum creata qua homo, qui arcana quæ hausit in sinu Patris nobis enarravit, et eructavit abscondita a constitutione mundi.

IV. Quarto, lapis abscissus de monte conterens statuam quadriformem, quam vidit Daniel cap. 2. est Christus de virgine natus, et virtute Spiritus sancti quasi abscissus, qui contrivit quatuor regna idololatrarum, suumque regnum cæleste gratiæ et gloriæ induxit, et toto orbe propagavit. Rursum Daniel a rege præfectus toti Babyloniæ figurat Christum, qui a Patre qua homo præpositus est toti mundo. Unde ipse dicit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra;* ideoque in femore scriptum habet, *Rex regum et Dominus dominantium*, Apoc. 19. 16.

Quinto, angelus similis filio hominis, qui tres pueros in fornace Babylonica illæsos servavit, Daniel. 3. figura fuit Christi, qui nos ab igne gehennæ, æque ac concupiscentiæ liberat. V.

Sexto, Daniel c. 4. interpretans somnium arboris succisæ; quod scilicet superbus Nabuchodonosor regno privandus, et ad bestias relegandus esset, significat Christum, qui superbos humiliat, et humiles exaltat, quique superbos Imperatores Romanos, et Reges toto orbe dominantes suæ fidei et cruci cervices submittere compulit. VI.

Septimo, Daniel cap. 5. per *mane, tekel, phares* intentans impio Balthasari vitæ et regni excidium, allegorice est Christus impiis intentans mortem, iudicium et infernum. VII.

Octavo, Daniel cap. 6. quia adorabat Deum ab æmulis satrapis accusatus, et missus in lacum leonum, significat Christum, qui ob Dei Patris obedientiam et cultum, a Iudæis invidis et sævientibus instar leonum, ad crucem et mortem adactus, in lacum sepulcri quoad corpus, et in lacum inferni quoad animam descendit. Sed sicuti Daniel e lacu eductus, et vitæ quasi restitutus est: ita et Christus tertio die a morte, sepulcro et inferno gloriosus resurrexit. VIII.

Nono, Daniel c. 7. vidit antiquum dierum, id est Deum patrem, in solio maiestatis sedentem, filio hominis, id est Christo, venienti in nubibus cæli dare regnum et iudicium, ut proterat Antichristum cum suis asseclis, utque omnes populi, tribus et linguæ ipsi serviant: ac potestas eius sit potestas æterna, quæ non auferetur? regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo (Christiano) sanctorum Altissimi: cuius regnum, regnum sempiternum est. IX.

Decimo, Daniel c. 8 vidit hircum, id est Alexandrum, Antiochum et Antichristum contra arietem, id est contra Darium, et contra Christum Christique fideles, tam Iudæos quam Christianos, mites et mansuetos, cornutantem, eosque ad necem persequentem. X.

Undecimo, Daniel cap. 9. audit annum adventus Christi, scilicet, quod 70. hebdomades abbreviatæ sunt usque ad Christum ducem, ut finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Et post hebdomades 62. occidetur Christus: et non erit populus eius, qui eum negaturus est. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in medio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. XI.

Duodecimo, Daniel vir desideriorum, portendit Christum desideratum a cunctis gentibus, proinde fuit desiderium collium æternorum, quique immenso zelo sitiit et procuravit omnium hominum salutem. XII.

Decimotertio, angelus vestitus lineis, accinctus auro obrizo, facies eius quasi fulguris, oculi ut lampas ardens, etc. quem vidit Daniel cap. 10. repræsentat Christum, ut patet Apocal. 1. 13. vide ea quæ utrobique dixi. Rursum Christus est, qui ibidem Michaelem, Gabrielem, aliosque angelos Ecclesiæ suæ præficit, ac fidelium curam et tutelam eis committit. XIII.

Decimoquarto, bella inter reges Aquilonis et Austri, quæ vidit Daniel cap. 11. notant bella infidelium contra fideles, et Antichristi contra Christum: bellant enim fideles, non occidendo, sed moriendo fortiter pro Deo et Christo. Unde ait v. 31. quod ad breve tempus auferetur ab Antichristo iuge sacrificium, et dabitur abominatio in desolationem. Et docti in populo docebunt plurimos: et ruent in gladio, et in flamma, et in captivitate, et in ruina dierum, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum, scilicet usque ad tres annos cum dimidio; quibus exactis Christus Antichristum cum suis asseclis profligabit in Apadno, et nemo auxiliabitur ei. XIV.

Decimoquinto, Daniel cap. 12. vaticinatur, quod per XV.

Christum omnes de his qui in pulvere terræ dormiunt, evigilabunt, alii ad vitam æternam, alii in opprobrium ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

XVI. Decimosexto, Daniel c. 13. iudicans damnansque senes, ac Susannam a calumnia absolvens, typum gerit Christi iudicis, qui in die iudicii iustos cælo, iniustos gehennæ adiudicabit.

XVII. Decimoseptimo, Daniel c. 14. destruens Bel, et draconem occidens, typus est Christi, qui idola in toto mundo confregit, et diabolo vires ademit, eumque enervavit, et quasi occidit.

Danielis assecla Daniel Stylita. Tropologice, Daniel repræsentat continentes, sapientes, præpositos, Religiosos, Prophetas, contemplativos. Hi enim eius asseclæ sunt, posteri, et quasi filii. Quocirca Danielis, tam in abstinentia, sanctitate, miraculis et spiritu prophetico, quam in nomine et gloria successor et hæres fuit Daniel Stylita, qui Simeoni Magno Stylitæ quasi suppar successit. Natus est enim iuxta Tigrim in Mesopotamia, non longe a Babylone, in qua vitam egit, et prophetavit, traductus eo ex Iudæa, Daniel hic noster Propheta: cumque quinquennis necdum haberet nomen, vir quidam divinus dixit illi a Deo imponendum esse nomen. Iussus ergo ipse ita puer, ex libris qui multi erant super altare, unum afferre, Dei ductu attulit prophetiam Danielis; indeque pariter Daniel nominatus est: ac deinde instar Elisæi, qui pallium Eliæ adeptus, cum eo pariter et duplicem Eliæ spiritum hæreditavit, dum a Simeone Stylita paulo ante mortem eius cucullum, per Sergium discipulum ad Leonem Imperatorem missum, sed ab illo non acceptum, accepisset eodem die quo Simeon mortuus est; factus est spiritus eius, et virtutis in miraculorum editione hæres, ac columnam conscendit, iugiter in ea quasi in cruce stans, uti fecerat Simeon, idque fecit ex Dei vocatione, quam per somnium (uti Daniel hic per somnia prophetavit) intellexit. In exstasi enim vidit excelsam columnam nubis, et in capite columnæ stantem Simeonem Stylitem, sibique dicentem: Huc ad me ascende Daniel. Cumque ille tam alte conscendere se posse diffideret, a duobus adolescentibus fulgidis sublatus, eo ascendit: quem Simeon amplexus, et in cælum tollens, clamavit: Esto fortis Daniel, te strenuum ac robustum præbe, et sta pulchre et generose. Hac visione roboratus conscendit columnam anno Christi 460. ibique incendium urbis Constantinopol. quod contigit anno Christi 465. prædixit, illudque suis precibus restinxit. Porro regibus, æque ac Daniel, ob prophetiam et miracula erat formidabilis: nam Leonem Imperatorem a periculo mortis in equi ruina dum se visitaret, liberavit: serpentem horridum enecavit et disrupit, æque ac Daniel draconem c. 14. Zenoni Imperatori prædixit fore, ut instar Nabuchodonosoris ex imperio expelleretur, et in exilio aleretur, præque cibi inopia herbis vesceretur, ac postea ab iis qui ipsum oderant, revocaretur, et ad imperium reverteretur, in eoque vitæ finem acciperet. Quæ omnia ita ut prædixerat evenerunt. Basiliscum Imp. hæreticum ad pedes suos procumbentem, sed ficte, increpavit, vocans eum novum Diocletianum, eumque imperio privandum prædixit. Obiit octogenarius, cum stetisset in columna viginti novem annos, anno Domini 489. coram multis, e cælo visitantibus eum, Sanctis et angelis. Cyrus præfectus, cuius uxorem et filiam a dæmone liberarat, hoc columnæ eius epigramma insculpsit: *Hic stat vir, qui ventos quibus undique impetitur, non timet: ambrosiæ autem utitur alimento, et sitis est expers humanæ. Altis vero radicibus fundavit ædificium, columna duplici. Est enim radix Simeon, Filium prædicans matris corruptionis expertis.* Simeonis meminit, quia eius imitator, et quasi discipulus et successor fuit Daniel. Uterque ergo orbis fuit miraculum et portentum. Quocirca Danielis Stylitæ sanctitate et miraculis, Lazorum rex ab idololatria ad christianismum est conversus, uti docet Baron. anno Christi 522. Fuit enim ipse plane instar nostri Danielis thaumaturgus, potensque tam opere, quam oratione et sermone. Quapropter super loculum eius dum sepeliretur, tres cruces per stellas efformatæ, cum dies esset, et sol luceret clarissimus; insuper et columbæ candidissimæ apparuerunt. Rursum, illi quoque impositæ fuerunt reliquiæ trium puerorum, qui erant Babylone; cum sic iussisset Sanctus, ne tam illius reliquias, quam eos qui erant ei impositi, adorarent accedentes: fugiebat enim omnem humanam gloriam. Hæc et plura habet eius Vita 11. Decemb.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Daniel puer cum tribus sociis in Babylonem abductus, ibi educatur et eruditur ut regi adstet. Secundo vers. 8. abstinet regio cibo et potu. Inde v. 15. corporis formam, sapientiam et prophetiam a Deo nanciscitur. Denique vers. 18. regibus adstat usque ad Cyrum.

1. Anno tertio regni Ioakim regis Iuda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem, et obsedit eam: 2. Et tradidit Dominus in manu eius Ioakim regem Iuda, et partem vasorum domus Dei: et asportavit ea in terram Sennaar in domum dei sui, et vasa intulit in domum thesauri dei sui. 3. Et ait rex Asphenez præposito eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel, et de semine regio et tyrannorum, 4. Pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma et eruditos omni sapientia, cautos scientia, et doctos disciplina, et qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos litteras, et linguam Chaldæorum. 5. Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis et de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis. 6. Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda, Daniel, Ananias, Misael, et Azarias. 7. Et imposuit eis præpositus eunuchorum, nomina: Danieli, Baltassar: Ananiæ, Sidrach: Misaeli, Misach: et Azariæ, Abdenago. 8. Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius, et rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur. 9. Dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum. 10. Et ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem qui constituit vobis cibum et potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coævis vestris, condemnabitis caput meum regi. 11. Et dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misaelem, et Azariam: 12. Tenta nos obsecro servos tuos diebus decem, et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum: 13. Et contemplare vultus nostros, et vultus puerorum qui vescuntur cibo regio, et sicut videris, facies cum servis tuis. 14. Qui, audito sermone huiuscemodi, tentavit eos diebus decem. 15. Post dies autem decem, apparuerunt vultus eorum meliores, et corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. 16. Porro Malasar tollebat cibaria, et vinum potus eorum; dabatque eis legumina. 17. Pueris autem his

dedit Deus scientiam et disciplinam, in omni libro et sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum. 18. Completis itaque diebus, post quos dixerat rex ut introducerentur: introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor. 19. Cumque eis locutus fuisset rex, non sunt inventi tales de universis: ut Daniel, Ananias, Misael, et Azarias: et steterunt in conspectu regis. 20. Et omne verbum sapientiæ et intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex, invenit in eis decuplum super cunctos ariolos et magos, qui erant in universo regno eius. 21. Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.

Vers. 1. ANNO TERTIO REGNI IOAKIM.) Dices, Ierem. 25. v. 1. et seq. dicitur id factum anno quarto Ioakim, ergo non tertio. Respondeo, primum annum regni Nabuchodonosor inchoatum fuisse anno tertio Ioakim, et finitum anno quarto Ioakim. Unde ea quæ gessit Nabuchodonosor anno primo regni sui, dicuntur gesta esse nunc anno tertio, nunc anno quarto Ioakim: cœpit enim expeditionem contra Iudæos parare anno 3. eamque perfecit anno 4. Nota. Nabuchodonosor ter cœpit et vastavit Ierusalem, scilicet primo hoc anno 3. Ioakim, cum eum cœpit, tuncque pariter captus et abductus est Daniel: sed cum Ioakim Nabuchodonosori se subderet, eique tributum promitteret, ipse cum regno restituit, acceptis obsidibus, scilicet Daniele, et aliis e semine regio: ita Histor. Scholast. cap. 39. in lib. 4. Reg. Verum eum post 8. annos Ioakim tributum abnueret et rebellaret, venit secundo Nabuchodonosor anno 11. regni Ioakim, eumque dolo cœpit, occidit, et extra urbem insepultum avibus et feris devorandum proiici iussit. Hæc est enim sepultura asini, quam ei comminatus fuerat Ierem. cap. 22. 19. Tuncque Nabuchodonosor pro Ioakim, regem creavit filium eius Ioachin, sive Iechoniam: sed cum is pariter post tres menses vellet iugum excutere, eum cœpit, et abduxit, eiusque loco substituit patruum eius Sedeciam; qui cum 11. annos regnasset, rebellavit. Unde tunc tertio rediit Nabuchodonosor, anno regni sui 18. et urbem cœpit, templum succendit, Sedeciam excæcavit, omnesque Iudæos abduxit, et totum Iudæorum regnum evertit.

Aliter respondet R. Saadias, Lyran. Dion. Carthusian. et Maldonat. scilicet annum hunc tertium computandum esse ab anno 8. Ioakim, esseque 11. et ultimum annum regni eiusdem: Ioakim enim octo primis annis fuit tributarius Nabuchodonosori, ideoque non tam rex fuit quam vasallus: anno vero octavo rebellavit, et se absolutum regem constituit: inde ergo annos eius hic numerat Daniel. Favet, quod Ezechiel et Ieremias nusquam captivitatis alicuius sub Ioakim, sed tantum sub Ioachin sive Iechonia meminerint, indeque suas prophetias numerent et consignent: imo, Ieremias c. 52. 28. primos captivos e Iudæa in Babylonem traductos asserit anno 7. Nabuchodonosoris, qui coincidit cum anno 11. et ultimo Ioakim: ergo Nabuchodonosor nullos abduxit anno 1. regni sui, qui fuit 3. vel 4. Ioakim, cum ipse ei esset tributarius. Hæc sententia videtur probabilis: tamen communiter Euseb. et alii veteres primam captivitatem consignant anno 1. Nabuchodonosoris, qui fuit 3. Ioakim; hoc enim simpliciter verba Danielis hic significant; unde tunc aliqua videtur fuisse captivitas, sed paucorum, scilicet, quod Daniel et pauci alii tunc fuerint abducti.

Annus tertius Ioakim an sit undecimus eiusdem? — *Resp. negative.*

Vers. 2. IN TERRAM SENNAAR.) In Babyloniam. Vide dicta Genes. 11. 2.

Vers. 3. *An Daniel fuerit eunuchus?* ET AIT REX ASPHENEZ PRÆPOSITO EUNUCHORUM.) Hinc Iosephus, Origen. hom. 4. super Ezech. Zonaras tom. 1. Annal. et S. Hier. lib. 1. contra Iovinianum, putant Danielem, et tres eius socios fuisse castratos, et factos eunuchos. Hoc enim comminatus erat Deus Ezechiæ, Isaiæ 39. 7. *De filiis tuis*, inquit, *qui exibunt de te, quos genueris tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.* Prisci enim reges Gentiles principum filios adsciscebant sibi ad ministros, eosque intimos; utque suarum uxorum et concubinarum integritati prospicerent, nequid circa eas molirentur, illos castrabant, uti etiamnum faciunt reges Sinarum, Turcarum, et aliorum infidelium. Quocirca illorum præfectus vocabatur præfectus eunuchorum. Eunuchi ergo erant regibus familiares, et principes non tantum gynæcei, sed et aulæ, ac Præsides provinciarum, du-

A cesque exercituum apud Gentiles; quin et apud Constantium, Iustinianum (cuius exercitus dux fuit Narses, eunuchus tot victoriis celebris) aliosque nonnullos Christianos Imperatores. Quapropter tunc esse eunuchum non erat probrum, sed honor et decus, gradusque ad primas aulæ dignitates. Talis itaque videtur fuisse Daniel, et tres eius socii: unde de eorum uxoribus et filiis nihil uspiam legimus. Atque hæc fuit origo plenæ eorum castitatis tam corporis quam animi, ob quam in fornace Babylonia ab igne manserunt illæsi, uti dicam c. 3. Hac etiam de causa Daniel licet fuerit grandævus, passim tamen in vetustissimis imaginibus, qualis est illa Vaticani, quam initio libri expressi, pingitur imberbis quasi iuvenis. Tales enim sunt eunuchi. Hanc picturæ eius causam assignat vetustus Græcus anonymus Auctor libri qui inscribitur *Christianorum liber, expositio Octateuchi*, qui extat in Bi-
B blioth. Vaticana, citaturque a Photio in Bibliotheca, qui asserit eum scriptum sub Iustino Imperat.

Porro ex hac eunuchorum in aulis frequentia et potentia factum est postmodum, ut quilibet aulici vocarentur eunuchi. Atque ita Lyran. Maldon. et alii putant Danielem hic inter eunuchos, id est aulicos, collocari; non autem vere fuisse eunuchum, id est castratum. Idem asserunt S. Epiphan. et Dorotheus in vita Danielis, qui et addunt eum non fuisse eunuchum, sed talem existimatum ob virginalem verecundiam et castimoniam: unde non mirum eum pingi imberbem quasi eunuchum. Hæc sententia verior videtur, et Daniele Propheta dignior. Eunuchi enim apud Iudæos erant infames, et arcebantur Ecclesia, idque ex decreto Dei Deut. 23. 1. Quocirca Script. nusquam Danielem vocat eunuchum, nec eum gynæceo præfuisse, sed tantum regie educatum fuisse ad hoc ut
C regi assisteret, asseverat. Idipsum quoque magis commendat castitatem Danielis, utpote quæ non coacta fuerit et violenta, sed voluntaria plane, et ex electione libera.

DE SEMINE REGIO.) Hinc patet, Danielem et tres pueros ex Davide, Salomone, aliisque regibus Iuda esse prognatos. Iosephus asserit Danielem fuisse ex cognatione Sedeciæ. Perperam ergo Dionys. Carthus. asserit, Danielem ex paterno genere fuisse tribus Levi, ex materno tribus Iuda. Script. enim paternum genus consignare solet, non maternum. Cum ergo hic Danielis genus referat ad reges Iuda, sequitur hoc eius genus paternum fuisse.

ET TYRANNORUM.) Tyranni hic et alibi vocantur principes. Hi enim non a tyrannide, sed a fortitudine et potentia olim vocabantur tyranni. Nam, ut ait Trogus Pompeius apud Iustin. initio histor. primitus quæque civitas et gens, rerumpubl. imperium penes reges habebat, quos *Tyranni vocabantur principes a fortitudine.*
D ad huiusmodi fastigium maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat; qui et tyranni ob fortitudinem dicebantur: unde Virgil. 7. Æneid. *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.* Et Horat. lib. 3. ode 17. *late tyrannus*, id est late dominans, latum habens regnum. At postea *tyranni nomen crescente malitia, cum superbe reges regnare cœpissent, ad illos tantum translatum est, qui non iure et æquis legibus, sed vi, et quadam animi libidine dominabantur*, ait Cicero l. 4. de Finib. Id ita esse patet ex Hebræo, vel potius Chaldæo פרתמים *partemim*, quod principes, præfectos, provinciales significat. R. Ioseph, et ex eo Pagnin. et alii censent eos *parthemim* a Chaldæis vocatos esse a פרת *perat*, id est Euphrate, quasi Perathæos id est Euphratæos, hoc est qui præerant locis et provinciis Euphrati adiacentibus, quomodo nos vocamus Comites Palatinos Rheni. Quocirca Theodotion in sua versione Græca retinuit nomen Hebræum *Parthemim*, vertens *Phortommim*. Audi

S. Hier. *Pro* φορθομμιν *quod Theodotion posuit, Septuag. et Aquila Electos transtulerunt, Symmachus Parthos, pro verbo nomen gentis intelligens: quod nos iuxta editionem Hebræorum, quæ* κατ ακριβειαν *legitur* (sic alibi scribit solitam fuisse appellari ab Hebræis secundam Aquilæ editionem) *in Tyrannos vertimus.* Hallucinantur Theodoret. dum πορθεμιν putat esse παρθενυς, id est virgines.

Vers. 4. Pueri eruditi qui? Resp. I. PUEROS, etc. ERUDITOS OMNI SAPIENTIA.) Pro *eruditos* hebr. est משׂכּילים *maschilim*, quod Hector Pintus vertit, *crudibiles*: erant enim adhuc pueri, ideoque imperiti, sed sapientiæ capaces. Sic et Vatabl. Erant, inquit, hi pueri perspicacis et sagacis ingenii. Sic et noster Pineda de rebus Salomon. l. 3. c. 13. ubi dupliciter hunc locum explicat. Primo, per antepositionem, *et eruditos omni sapientia*, etc. *ut docerent eos litteras, et linguam Chaldæorum*, hoc est, inquit, ut docerent eos literas Chaldæorum, ut sic evaderent eruditi omni sapientia. Secundo, q. d. Requirebat rex in hisce pueris præviam sagacitatem, et perspicacitatem ingenii: tum etiam facundiæ, et scientiarum rationalium eruditionem, ut sic aptiores essent ad suprema aliarum rerum sublimium et arcanarum studia, propria Chaldæis. Chaldæi enim ob astrologiam, et sapientia olim erant celebres.

II. Secundo, *eruditos*, id est facundos et scite loquentes, ac de qualibet materia apposite discurrentes: hæc enim fere est sapientia aulicorum.

III. Et optime. Tertio, et magis genuine idem Pintus, Maldon. et alii censent, hos pueros in omnibus disciplinis fuisse excultos et eruditos. Hoc enim proprie significat Hebr. *maschilim*, et Græcum συνιεντας, et Latinum *eruditos in omni sapientia, cautos scientia, et doctos disciplina.* Aliud enim est doctus, aliud docilis: aliud est eruditus, aliud erudibilis. Nec id mirum: erant enim hi regii iuvenes excellenti ingenio ac simul studiosissimi. Hinc patet, hosce

Hi pueri erant 20. annorum. pueros non fuisse pusiones, uti Danielem vocat Ephiphan. et Isidorus, neque Danielem trium, ut vult vir doctus; aut decem, ut vult Pererius, sed facile viginti annorum fuisse, ut docet Maldonatus. Unde Septuag. eos vocant νεανισκυς, id est iuvenes. Quis enim unquam vidit pueros triennes aut decennes, eruditos omni sapientia, scientia et disciplina?

CAUTOS SCIENTIA.) Pintus per *sapientiam* intelligit Philosophiam rationalem, id est Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam: per *scientiam* accipit Physicam, Metaphysicam, Mathematicam: per *disciplinam* accipit Ethicam, Politicam, Œconomicam. Verum melius per *sapientiam*, cognitionem rerum sublimium et divinarum (sic enim sacra Scriptura, S. August. et passim Doctores accipere solent nomen sapientiæ) accipias; per *scientiam*, cognitionem rerum naturalium; per *disciplinam*, prudentiam. Unde ex Hebræo clare vertunt Sept. συνιεντας εν παση σοφια και γινωσκοντας γνωσιν, και διανυμενυς φρονησιν, hoc est, *intelligentes sapientiam, scientes scientiam, cognoscentes prudentiam.* Pro *cautos* enim hebr. est יודעי *iodoee*, id est, *scientes.* Cauti ergo idem est quod solertes et sagaces in scrutandis abditis naturæ secretis et rerum causis, quales sunt Physici et Philosophi. Porro *disciplina* in Proverbiis, et libris sapientialibus, qui continent Ethicam sacram, passim significat prudentiam rerum agendarum, quæ proprie hebr. vocatur בינה *bina*, quod noster v. 20. et alibi subinde vertit, *intellectus.* Fuerunt ergo hi pueri, id est adolescentes, Theologi, Philosophi, et Politici. Noster Pineda l. 3. de rebus Salom. c. 14. *to cautos scientia*, pro cauta et captiosa Dialectica positum putat, de qua Seneca epist. 82. *Verba*, inquit, *mihi captiosa componis, et interrogatiunculas nectis: sabula leonem excipis.*

Vera nobilitas est virtus et eruditio. Discant hic nostri aulici a rege Gentili, hisce omnibus disciplinis se expolire. Vera enim nobilitas non in genere, non in famulis, non in torquibus, non in pompa, sed in eruditione et virtute consistit, hæcque sunt monilia et decora nobilium.

Exempla et gnomæ. Hinc Philippus Macedo pater Alexandri Magni eum Aristoteli erudiendum tradidit, eique in hæc verba scripsit: *Gratias ago diis, non quia natus est mihi filius, sed quia temporibus vitæ tuæ natus est. Spero enim fore, ut a te edoctus dignus existat, et nobis, et tanto regno.*

Plutarchi discipulus fuit Traianus, indeque tantus Imperator evasit, ut posteris Imper. in exemplum cum Augusto sit propositus, quibus illud acclamari solet: Sit Augusto felicior, Traiano melior.

Scipio Panætium Philosophum ita audiebat, ut eum etiam secum ad castra duceret.

Augustus Cæsar Athenodoro magistro usus est: suosque ex filia nepotes tam litterariis, quam bellicis studiis excoli curavit: filias vero lanificio, cæterisque muliebribus artibus erudiri iussit. Idem fecit Carolus Magnus.

Plato dicebat beatum fore orbem, si aut reges sapere, aut sapientes regere didicerint: testis est Aristot. lib. 2. Rhetor. Hinc olim apud Ægyptios nullus rex nisi sacerdos, nullus sacerdos nisi Philosophus eligebatur.

Neque vero scientia principum tantum, sed et quorumlibet est decus. Aristot. censuit parentes qui liberos erudiendos curant, longe magis honorabiles esse iis qui solum gignunt: hos enim vivendi, illos etiam, bene beateque vivendi auctores esse.

Aristippus naufragio in Rhodum eiectus, et ab incolis ob Geometriam liberaliter habitus, suis renuntiari iussit: Liberis vestris tales opes taliaque viatica parate, quæ ipsos etiam naufragium passos enatando sequantur.

S. August. in Confess. laudat suos parentes, quod se supra vires rei familiaris Carthagine in studiis aluerint: Mater enim mea, inquit, mulier prudentissima doctrinas ipsas ad cognoscendam sustinendamque fidem Catholicam magno adiumento fore existimabat.

Crates Thebanus dicebat, Si liceret, in altissimam urbis partem ascenderem, ac clamarem: Quorsum ruitis homines, qui totum studium in opibus corrogandis ponitis: filiorum vero vestrorum, quibus illas relinquitis, erudiendorum curam non suscipitis?

Apuleius de Deo Socratis: Si, inquit, laudas aliquem, quia generosus est, parentes eius laudas: si laudas aliquem, quia dives est, hoc fortunæ debetur: si quia validus, ægritudine fatigabitur: si quia velox, in senio id abibit: si quia formosus, expecta modicum, et non erit: sed si laudas, quia bonis moribus, et artibus instructus est, tunc ipsum virum laudas: quia hoc bonum nec a patre hæreditarium, nec a casu pendulum, nec ætate mutabile, nec cum corpore caducum est.

ET IMPOSUIT EIS PRÆPOSITUS EUNUCHORUM, NOMINA.) Vers. 7. Chaldaica; tum quia Chaldæi nolebant eos in terra sua nomina retinere Iudæorum; sed quasi iam effectos Babylonis cives et aulicos regis, volebant eos Babylonia habere nomina, inquit S. Hieron. tum ut Hebræi pueri cum Chaldaico nomine Chaldaicum animum et mores induerent. Sic et Pharao Iosephum vocavit Ægyptio nomine *saphanatphane*, id est salvatorem mundi, Genes. 41. 45. Sic et Romani nomen mutabant externo quem urbe donabant. Sic Deus Saræ et Abrahæ, atque Christus Cephæ nomen mutavit, vocans eum Petrum. Unde et Cardinales facti Pontifices nomen mutant. Tradit Platina primum Pontificem qui nomen mutavit, fuisse Sergium Secundum, eo quod prius eius nomen indecorum esset, vocareturque *os porci.* Verius censet Baronius Pontificem primum qui nomen mutavit, fuisse Sergium Tertium, qui prius Petrus dicebatur: idque ad reverentiam primi Pontificis, scilicet S. Petri: unde post eum nullus Pontifex vocatus est Petrus. Ita Gentiles adulti in baptismo gentilitium nomen deponunt, et Christianum assumunt, puta Sancti alicuius, quem invocent et imitentur. Qua de causa Daniel Stylita nostri Danielis nomen accepit, uti dixi in prooemio: et quinque illi Martyres Ægyptii sub Diocletiano, quorum agon et triumphus celebratur in vita S. Pamphili Martyris, quæ exstat apud Eusebium lib. 8. historiæ cap. 21. Qui a gentilismo conversi ad christianismum, abdicatis prioribus gentilitiis nominibus, nostrorum Prophetarum nomina assumpserunt, vocatique sunt Isaias, Ieremias, Samuel, Elias, Daniel; ac simul cælestem eorum mentem, vitam et mortem induerunt. Quocirca Cæsareæ capti pro-

Pontifex qui primus nomen mutavit, fuit Sergius III.

fessique se Christianos, rogati quænam eorum esset patria, respondit primus pro omnibus: *Ierusalem cælestis.* Illam intelligens de qua dixit Paulus Gal. 4. *Quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Et: *Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem.* Instante præside Firmiliano: Quæ et ubinam est illa civitas? respondit: *Ea Christianorum est patria: nulli enim alii præter ipsos eius sunt participes: Sita est autem ad Orientem, et ad ipsam lucem et solem.* Cumque præses aliam vocem ab eo extorquere non posset tormentis acerrimis; utpote quæ Martyr fortiter sustinebat quasi nihil sentiens, imo quasi carnis expers et incorporeus; eum cum sociis securi percussum, in cælestem illam Ierusalem laureatum ad Danielem, cæterosque Prophetas transmisit. Horum diem natalem recolit Ecclesia 16. Februarii. Ita, ut alios taceam, nostri Danielis nomen accepit B. Daniel Ordinis S. Francisci, Minister provinciæ Calabriæ, vir miræ sanctitatis, imo Martyr: qui cum sex Fratribus sui Ordinis, ad Saracenos Septam profectus Evangelii et martyrii causa, ab eis comprehensus et ad mortem damnatus fratres suos ad martyrium exhortans, aiebat: *Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes. Adsunt enim angeli, cæli ianua nobis patet, et hoc ipso die pariter accipiemus martyrii coronam in cælesti paradiso.* Et ad iudicem conversus instar nostri Danielis: *O inveterate*, ait, *dierum malorum convertere a Mahomete ad Christum.* Quocirca eum sociis capite plexus, gloriosum obiit martyrium anno Domini 1221. die 8. Octobris, quinquennio antequam e vita decederet S. Franciscus, quem cum sociis canonizavit Leo X. anno Christi 1516. Ita habet eius vita.

Daniel dicitur Baltassar: unde? DANIELI BALTASSAR.) A filio Nabuchodonosoris Balsasar, Daniel dictus videtur Baltassar, q. d. Baal vel Beli occultus thesaurus, puta Beli sapientia. Ita Maldon. Ubi Nota. Daniel non omnino idem nomen habuit quod filius regis: hic enim dictus est *Balsasar*, ut patet ex Chaldæo et Latinis Plantin. (quare mirum est Septuag. et Romana Latina eum vocare Baltassar) Daniel vero dictus est *Baltassar*, vel, ut Chald. est, *Beltesasar*, addita litera *tet:* de qua re plura cap. 4. 5. Syriaca versio habet, *Biltsciossor*, id est idolum Bil, sive Bel.

Ananias, Misael, Abdenago, quid significent? ANANIÆ SIDRACH.) Hebr. *Ananias*, idem est quod nubes, vel protectio Domini: *Misael*, quis postulans vel quis postulatus, vel abstulit Deus: *Azarias*, adiutor Deus. Chaldaice *Sidrach*, idem est quod mamilla tenera, vel deprædatio delicata, vel missus tuus: *Misach*, prolongans vel attrahens, vel aquas vallans et sepiens: *Abdenago*, servus claritatis, vel servus anxius. Magis apposite et genuine Scholia Syriaca, quæ Romæ exstant in Bibliotheca Vaticana et Medicæa, hæc nomina ex lingua Syrochaldaica sic explicant: *Sidrach*, id est missilis; quia huc illuc ad negotia mittebatur. *Misach*, id est mensor terræ, vel agri. *Abdenago*, id est servus qui ingreditur et egreditur coram rege, id est cubicularius et intimus regi. Aut, ut alii explicant, præpositus modo coquendi, vel ciborum præcipuorum regis. Unde quis colligat, hæc tria officia in aula regis eis data vel destinata, ac inter eos distributa, atque ex eo officio cuique nomen inditum fuisse.

Vers. 8. Tres causæ, cur Daniel recusarit cibos regios. PROPOSUIT (cavere) NE POLLUERETUR DE MENSA REGIS.) Tum quia rex Ethnicus carnem porcinam, et alia lege Mosis vetita comedebat, quæ Danielem et Iudæos polluissent: tum quia deliciæ regiæ, et copia ciborum et vinorum, ad intemperantiam, et gulam ac venerem alliciunt, per eamque mentem et corpus polluunt: tum quia
1. Iudæi religiosiores mensas Gentilium vitabant: tum deni-
2. que, quod sæpe cibi hi regii Belo, et aliis eius idolis iam
3. ante erant oblati, aut eorum nomine benedicti, quod Iudæi execrabantur. Blasphemat ergo hic Calvinus, dum videt Danielis abstinentiam, eiusque metum pollutionis, quasi puerilem, illamque eius superstitioni et zelo indiscreto ascribit.

Vers 10. CONDEMNABITIS CAPUT MEUM REGI.) Vestra petitio, abstinentia et macies occasio erit, ut rex meum caput petat, condemnet et amputet, eo quod contra eius iussum vos abstinere et macrescere permiserim. Unde Scholiastes Græcus, *το condemnetis* explicat per *condemnari facietis.*

DENTUR NOBIS LEGUMINA AD VESCENDUM, ET AQUA AD BIBENDUM.) Duas ob causas legumina, et aquam petunt. Primo, ne Malasar impensas in novis cibis coemendis faciendas prætendere possit. Secundo, ob religionem ieiunii, quo veteres Sancti carne et vino abstinebant, atque leguminibus et oleo utebantur, ut patet cap. 10. 3. Daniel hic suam in Deum fiduciam ostendit: sciebat enim naturaliter fieri non posse, ut ex leguminibus et aqua æque ac ex carnibus et vino, pinguescerent. Vers. 12.

TENTAVIT.) Scholiastes, ἐδοκίμασον, id est probavit. Sic et v. 12. pro *tenta* vertit, δοκίμασον, id est proba. Tentatio enim hæc fuit probatio, sive experimentum. Vers. 14.

APPARUERUNT VULTUS EORUM MELIORES ET CORPULENTIORES.) Hebraice בריאי *berie*, id est *pinguiores*; Septuag. ἰσχυροὶ ταῖς σαρξὶν, id est, *fortes carnibus.* Quare, quod Epiphan. in vita Danielis ait, eum aspectu fuisse aridissimum, ac nativo squalore obsitum, sed gratiæ pulchritudine perquam speciosum, hoc de ætate eius grandiori accipi debet, cum ipse ieiuniis et laboribus nimiis succum corporis exhausit, ut patet Daniel. 9. v. 3. et c. 10. v. 3. Hæc sanitas, pinguedo et decor non tam naturalis, quam supernaturalis fuit: tum quia legumina et aqua saniores quidem facere poterant, sed non pinguiores: tum quia fuit hoc præmium abstinentiæ, cuius uti et castitatis merito, divinitus sapientiam tantam sunt adepti, uti eiusdem merito Iudith. cap. 10. 4. formositatem, et Samson fortitudinem est adeptus, Iudic. 13. v. 5. Naturaliter tamen huc quoque iuvit abstinentia. Unde Nota, sanitatem et longævitatem non tam ciborum copia, quam temperantia procurari. Hæc enim fovet et nutrit humidum radicale, æque ac calorem naturalem, quem intemperantia obruit et suffocat: præsertim, si accedat Primo, moderatum exercitium: hinc *Cyrus nunquam prandebat, nisi sudasset*, ait Xenophon. Idem faciunt nonnulli Indorum reguli, qui proinde ita vegeti et integri ad multam ætatem perdurant, ut cum sunt 70. annorum, tantum videantur esse 30. Secundo, animi tranquillitas et curarum vacuitas. Tertio, mentis lætitia et hilaritas. Audi Scholam Salernitanam: Vers. 15. Sobrietas est longæva, cur?

Si tibi defuerint medici, medici tibi fiant

Mens hilaris, requies (somnus) *facilis, moderata diæta.*

Vide Lessium in erudito, æque ac pio, hac de re libello.

Nota Secundo. Temperantia et abstinentia plurimum prodest. Primo, sanitati: consumit enim noxios humores, spiritusque vitales purificat et exacuit. Secundo, castitati et virtuti: subtrahit enim nimium sanguinem, succum et spiritus, qui venerem, iram aliasque passiones fovent et suscitant. Tertio, sapientiæ, de quo plura. v. 17.

PUERIS AUTEM HIS DEDIT DEUS SCIENTIAM, ET DISCIPLINAM IN OMNI LIBRO.) Symmachus vertit, *dedit eis Deus artem grammaticam:* melius Theod. *dedit eis Deus prudentiam in omni re grammatica*, sive *in omni literatura*, ut scilicet literas et libros (hi enim hebr. vocantur ספר *sepher*, et græce γράμματα) non tantum Hebræos, sed et Chaldæos, et quosvis alios legere, intelligere et explicare possent. Vers. 17.

Nota. Sobrietas naturaliter confert ad scientiam: tum quia sanitatem tuetur, et vitam prolongat: tum quia caput facit serenum, spiritusque animales facit liberos ac puros, aptosque ad speculandum et meditandum: tum quia anima (quæ una est in homine, eademque simul est vegetativa, sensitiva et rationalis) limitatæ est virtutis et 1.
activitatis, ideoque quo minus occupatur cibo, cibique con- 2.
coctione et digestione et egestione, eo magis intendere 3.
potest et solet studio, et contemplationi, in eamque totam vim suam exercere. Hinc Salomon Eccles. 2. *Cogitavi*, inquit, *in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam;* et Isaias c. 28. *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Sobrietas est mater sapientiæ ob tres causas. Exempla fidelium.

Ita homines ante diluvium carne et vino abstinentes, 1.

herbisque et fructibus victitantes, fuerunt longævi et sapientes: vixerunt enim ad 900. annos.

2. Ita Nazaræi et Rechabitæ, a sapientia, æque ac ab abstinentia, commendantur.

3. Ita Moses et Elias ieiunio 40. dierum sapientiam, et visionem Dei meruerunt.

4. Ita Iudith, Esther, Machabæi sapientiam illam et fortitudinem, qua Holofernem, Aman, et Antiochum prostraverunt, ieiunio adepti sunt.

5. Ita Ioannes Baptista abstinentia quasi angelus evasit.

6. Ita Paulus primus eremita, Antonius, Hilarion, et tot Anachoretarum ac monachorum examina, vitam quasi angeli quidam terrestres, in abstinentia, contemplatione et sapientia longævam duxerunt, vixeruntque centum et amplius annos.

7. Ita Cœnobitæ olim, teste S. Hieron. perpetuo ieiunabant aquam bibentes, et solum panem cum leguminibus et oleribus manducantes.

8. Egregie S. Augustin. lib. 10. Confess. cap. 31. *Hoc,* ait, *me docuisti* Domine, *ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.*

9. S. Ambros. Marcellinæ sorori, et sociabus eius virginibus hanc legem figit libr. 3. de Virgin. *Potus* (sit) *ex fonte, fletus in prece, somnus in codice.*

10. S. Bernard. serm. 66. in Cant. *Abstineo,* ait, *a vino, quia in vino luxuria est: aut si infirmus sum, modico utor, iuxta consilium Pauli. Abstineo a carnibus, ne, dum nimis nutriunt carnem, simul et carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre, stare ad orandum tædeat; et ne improperet etiam mihi Propheta, quia panem meum comederim in saturitate; sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distentio ventris usque ad titillationem pertingat libidinis.*

Idem ad Robert. nep. *Prudenter sobrieque conversanti, satis ad omne condimentum sal cum fame.*

Idem in Formul. honest. vitæ: *Sicut ad crucem, sic accedas ad cibum; id est nunquam voluptate, sed necessitate pascaris et fames, non sapor, provocet appetitum.*

Idem de Modo bene vivendi cap. 24. *Non nutrias carnem tuam vermibus: ita manduca ut semper esurias.*

11. S. Catharina Senensis ad alimentum quasi ad tormentum accedebat; ac vocata ad mensam dicebat: *Eamus et sumamus de peccatrice vindictam:* cum ingenti enim dolore cibum sumebat, quem mox cogebatur reiicere.

12. S. Carolus Borromæus dicebat, non tantum fugiendas esse delicias et voluptates, sed et persequendas et enecandas quasi capitales animæ hostes. Quocirca ipse miræ fuit abstinentiæ, ut tandem solo pane et aqua viveret. Sensim enim a parvis ad magna conscendendo pervenit; docebatque hac ratione facile ad summa cuiusvis virtutis pertingi, nimirum practicando hæc duo principia: Primum, ut parvis incipiendo, eaque sensim augendo, semper proficias et crescas. Secundum, ut in eo non langueseas, sed constanter retineas quod semel obtinuisti, et in eo pergas. Ita ipse, primo carne, deinde ovis, postea lacte abstinens, tandem solo pane et aqua contentus fuit. Idem fecit in aliis virtutibus.

Denique Sanctus ille apud Socrat. lib. 4. histor. cap. 18. *Aridior,* inquit, *tenuiorque victus ratio, eaque semper æquabiliter observata, modo cum charitate iungatur, Christianos brevi ad portum* ἀπαθείας, *id est vacuitatis ab omnibus animi perturbationibus, perducet.* Addit S. Hieron. scribens contra Iovinian. ob ieiunii consortium Mosen et Eliam apparuisse cum Christo in monte transfigurato, et ob ieiunium tres pueros in fornace Babylonia mansisse illæsos, et Danieli fuisse revelata mysteria, eumque in lacu leonum mansisse intactum.

Exempla Gentilium. 1. Audi et Gentiles ac Iudæos. Tradit Xenophon, antiquos Persas ad panem nihil nisi nasturtium adhibere solitos: hine apud eos turpe habitum spuere, tamquam crapulæ nota. Mucus siquidem et saliva repletionis indices sunt et signa. Repletio enim est quæ distillationes parit, ait Hippocr. l. 3. de Diæta. Quocirca Persæ sputi materiam exer-

A citio et abstinenti frugalique vita consumi volebant. Hinc et Plato lib. 3. de Republ. docet tempore Homeri catharrum non fuisse cognitum, sed primo ætate sua innotuisse, cum non semel, ut olim, sed bis in die comedere, imo comessari cœperunt homines. Porro tunc Persæ ita frugales sapientia et virtute bellica floruere, orbisque imperium tenuerunt per ducentos annos, scilicet a Cyro ad Darium, qui per delicias et vina imperium cum vita perdidit. Exstat apud Xenoph. l. 1. aurea Cyri sententia. Cum enim Astyages rex Medorum, Cyro nepoti ex filia Mandane, lautum regiumque epulum instruens diceret: *Nonne hæc cœna melior tibi videtur Persica?* respondit Cyrus: *Nequaquam, ave, sed est multo simplicior et directior via apud nos ad cibi satietatem, quam apud vos. Nam ad hanc deducit nos panis et caro. At vos eodem quidem, quo nos, tenditis; per multas vero ambages sursum deorsum vagantes, vix pervenitis eo, quo nos dudum perrexeramus.*

Chæredemus Stoicus tradit, et ex eo Pererius, priscos 2.
B Ægyptios sacerdotes carne, vino, ovis et lacte semper abstinuisse: idque ut purius, intentius et acrius divinis rebus vacarent, ardoremque libidinis restinguerent: atque hi Ægyptii fuerunt sapientes et Astrologi.

Esseni vino et carne sibi interdicebant, totique oratio- 3.
ni et studio sacrarum Literarum vacabant, de quibus mira narrat Iosephus, Philo, et Plinius: quinimo Porphyrius in l. de Abstinentia ab esu animalium, asserit plerosque ex eis divino afflatos spiritu vates extitisse.

Eubulus refert apud Persas tria fuisse Magorum gene- 4.
ra, quorum primum (qui maxime sapientes et eloquentes existimabantur) præter farinam et olera nihil esitabat.

Bardesanes Babylonius tradit, Indorum Gymnosophi- 5.
stas solis arborum pomis, oriza et farina vivere.

Euripides in Creta Iovis vates, carne et coctis omnibus 6.
abstinuit.

Socrates virtutis studiosos hortabatur, ut abstinentiam 7.
colerent, et delicias veluti Sirenes respuerent. Idem rogatus qua re ab aliis hominibus differret, ait: *Alii vivunt*
C *ut edant: ego vero edo ut vivam.* Eiusdem est hæc sententia apud Xenophont. lib. 1. de Dictis et factis Socratis: *Videris, o Antipho, felicitatem deliciis et divitiis metiri: ego autem nullis quidem rebus indigere, divinum; minimis vero illorum esse duco, qui quam proximi superis sint: et divina quidem optima omnibus; qui vero diis appropinquant, proximos optimo existere.*

Isæus Assyrius, teste Philostrato interrogatus, quænam 8.
essent epulæ suavissimæ; respondit: *Ista curare desii.*

Xenocrates tria tantum præcepta in templo Eleusinæ 9.
mansisse dixit, scilicet; primo, venerandos esse deos; secundo, honorandos esse parentes; tertio, abstinendum esse a carnibus. Huic similis est ternarius Plutarchi lib. de Ratione victus: Tria, ait, sunt saluberrima; primo, vesci citra saturitatem; secundo, non refugere laborem; tertio, naturæ semen conservare, puta sobrietas, exercitium et castitas. Aureum hoc est tuendæ sanitatis dogma.

Plinius ait, *vinum esse cicutam hominis:* et Seneca ait, 10.
ebrietatem esse voluntariam insaniam.

D Epicurus, licet voluptatis patronus asserit ad iucunde 11.
et suaviter vivendum, tenuitatem victus conferre plurimum: et in epistolis suis testatur, se aqua tantum et pane vesci solitum.

Seneca epist. 109. scribit se animalibus et esu carnium 12.
abstinere, ob rationes et exemplum Sextii, et Pythagoræ. Rationes Sextii erant: Prima, *quod homini satis alimentorum sit citra sanguinem; et crudelitatis consuetudo fiat, ubi in voluptatem adducitur laceratio.* Secunda, *quod contrahenda sit materia luxuriæ.* Tertia, *quod valetudini contraria sint alimenta varia, et nostris aliena corporibus.* Quarta, *quod carnes sint alimenta leonum et vulturum.* Quinta, Pythagoræ erat, quod censeret animas hominum in alia et alia corpora, etiam animalium transmigrare. *Itaque hominibus parricidiis metum fecit, cum possint in parentis animam inscii incurrere, et ferro morsuve violare, in quo cognatus aliquis spiritus hospitaretur.* Unde Pythagoras de suæ animæ transmigratione ita censuit:

Æthalides fueram qui prisco tempore primum;
Troiano bello postea Panthoides;
Mox Hermotimus; post Pyrrhus; denique magnus
Pythagoras, Samii gloria magna soli.

Pythagoram secutus Empedocles ita de se canit:

Olim namque fui cespesque, puerque, puellaque,
Et volucris cœli, atque alti maris incola piscis.

De abstinentia Pythagoræ, Antistenis, Diogenis, Apollonii Thyanæi mira habet Laertius, Plutarchus et Philostratus. Plura vide apud S. Hieron. lib. 2. contra Iovinian. et Plutar. in duabus orationibus de esu carnium.

Danielis sapientia fuit supernaturalis. DANIELI AUTEM (dedit Deus) INTELLIGENTIAM OMNIUM VISIONUM.) Hinc patet, hanc sapientiam Danielis et sociorum eius, potius supernaturalem quam naturalem fuisse; tum quia Deus dicitur illis eam indidisse quasi speciale præmium temperantiæ; tum quia eis indita fuit scientia in omni libro, id est omni scientia, ut hic dicitur; adeoque c. 2. 30 in Daniele dicitur fuisse sapientia maior, quam in ullo mortalium, eamque triennali non tam studio, quam abstinentia, pietate et oratione adeptus est, ut colligitur ex v. 5. tum quia Danieli a Deo indita fuit prophetia et scientia interpretandi somnia: hæc autem supernaturalis est, neque est habitus permanens, sed illuminatio actu a Deo, certis temporibus quibus Daniel prophetabat, vel somnia explicabat, ei immissa.

Nota. Hoc præmium congruum est: decet enim teste S. Gregor. 30. Moral. 18. ut qui carnalia respuunt, sapiant spiritalia, utque qui ieiunant ventre, pascantur in mente. Vis ergo delectationes haurire mentales et cælestes, despice terrenas et brutales, sentiesque illud S. Bernardi esse verissimum: *Gustato spiritu desipit omnis caro.* Sic vatem Gentilem quasi omniscium et pammantim celebrat Gentilis Propheta, sed superstitiose:

Troiugena interpres divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, et præpetis omina pennæ.

ET SOMNIORUM.) A Deo immissorum. De somniis et divinatione vide dicta Genes. 40. et 41. et Pererium hic.

SUPER CUNCTOS ARIOLOS ET MAGOS.) Quinam hi fuerint dicam c. 2. v. 2. Vers. 20.

FUIT AUTEM DANIEL USQUE AD ANNUM PRIMUM CYRI REGIS.) q. d. Fuit Daniel in magna apud omnes reges Babylonis gloria et auctoritate; vixit in aula regis, Nabuchodonosori, eiusque posteris, ac Balthasari charus et familiaris; idque constanter et semper, donec Balthasar a Cyro et regno et vita spoliatus est. *Daniel*, inquit S. Hieron. *usque ad primum annum Cyri, qui Chaldæorum destruxit imperium, potens fuit in Chaldæa: postea vero a Dario in Medos translatus est.* Ita et Theodor. Perperam ergo Calvinus sic exponit: *fuit*, id est prophetavit, Daniel usque ad primum annum Cyri: nam et tertio anno Cyri prophetavit, ut patet c. 10. v. 1. Vers. 21.

Secundo, τὸ *usque ad annum primum Cyri*, aliud hic latens innuit: nimirum, prædixerat Isaias cap. 44. 28. et c. 45. 1. Iudæos per Cyrum e Babylone liberandos: significat ergo hic Daniel, se tempus illud ab Isaia prædictum vidisse, non quod plus non vixerit, sed quod eo usque vixerit, ut toto captivitatis tempore Iudæos et auctoritate iuvaret, et vaticiniis consolaretur. Ita Maldon.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Nabuchodonosor in somnio statuam portendentem quatuor imperia mundi, quæ a lapide de monte abscisso, id est a Christo, contrita est. Somnium hoc solus enarrare et explicare potuit Daniel v. 19. Unde a rege et Chaldæis honoratur, totique Babyloniæ præficitur v. 46.

1. IN anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, et conterritus est spiritus eius, et somnium eius fugit ab eo. 2. Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli, et magi, et malefici, et Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua: qui cum venissent, steterunt coram rege. 3. Et dixit ad eos rex: Vidi somnium: et mente confusus ignoro quid viderim. 4. Responderuntque Chaldæi regi syriace: Rex in sempiternum vive: dic somnium servis tuis, et interpretationem eius indicabimus. 5. Et respondens rex ait Chaldæis: Sermo recessit a me: nisi indicaveritis mihi somnium, et coniecturam eius, peribitis vos, et domus vestræ publicabuntur. 6. Si autem somnium, et coniecturam eius narraveritis, præmia, et dona, et honorem multum accipietis a me: somnium igitur, et interpretationem eius indicate mihi. 7. Responderunt secundo, atque dixerunt: Rex somnium dicat servis suis, et interpretationem illius indicabimus. 8. Respondit rex, et ait: Certe novi quod tempus redimitis, scientes quod recesserit a me sermo. 9. Si ergo somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem et deceptione plenam composueritis, ut loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quod interpretationem quoque eius veram loquamini. 10. Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt: Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus et potens verbum huiuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, et mago, et Chaldæo. 11. Sermo enim, quem tu quæris, rex, gravis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis: exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio. 12. Quo audito, rex in furore et in ira magna præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis. 13. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel et socii eius, ut perirent. 14. Tunc Daniel requisivit de lege atque sententia ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis. 15. Et interrogavit eum, qui a rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli, 16. Daniel ingressus rogavit regem ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. 17. Et ingressus est domum suam, Ananiæque et Misaeli et Azariæ sociis suis indicavit negotium: 18. Ut quærerent misericordiam a facie Dei cæli super sacramento isto, et non perirent Daniel et socii eius cum cæteris sapientibus Babylonis. 19. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est: et benedixit Daniel Deum cæli, 20. Et locutus ait: Sit nomen Domini benedictum a sæculo et usque in sæculum: quia sapientia et fortitudo eius sunt. 21. Et ipse mutat tempora, et ætates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam: 22. Ipse revelat profunda, et abscondita, et novit in tenebris constituta: et lux cum eo est. 23. Tibi Deus patrum nostrorum confiteor, teque laudo: quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi: et nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis. 24. Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est: Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, et solutionem regi narrabo. 25. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem,

et dixit ei: Inveni hominem de filiis transmigrationis Iuda, qui solutionem regi annuntiet. 26. Respondit rex, et dixit Danieli, cuius nomen erat Baltassar: Putasne vere potes mihi indicare somnium quod vidi, et interpretationem eius? 27. Et respondens Daniel coram rege, ait: Mysterium quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, et aruspices nequeunt indicare regi. 28. Sed est Deus in cælo revelans mysteria, qui indicavit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus. Somnium tuum, et visiones capitis tui in cubili tuo huiuscemodi sunt: 29. Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: et qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. 30. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est: sed ut interpretatio regi manifesta fieret, et cogitationes mentis tuæ scires. 31. Tu rex videbas, et ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te, et intuitus eius erat terribilis. 32. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femora ex ære: 33. Tibiæ autem ferreæ: pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. 34. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: et percussit statuam in pedibus eius ferreis et fictilibus, et comminuit eos. 35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram: 36. Hoc est somnium: interpretationem quoque eius dicemus coram te, rex. 37. Tu rex regum es: et Deus cæli, regnum et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi: 38. Et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit: tu es ergo caput aureum. 39. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. 40. Et regnum quartum erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. 41. Porro quia vidisti pedum, et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream: regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto. 42. Et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum. 43. Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. 44. In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna hæc: et ipsum stabit in æternum. 45. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea: et verum est somnium, et fidelis interpretatio eius. 46. Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, et Danielem adoravit, et hostias et incensum præcepit ut sacrificarent ei. 47. Loquens ergo rex, ait Danieli: Vere Deus vester Deus deorum est, et Dominus regum, et revelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum. 48. Tunc rex Danielem in sublime extulit, et munera multa et magna dedit ei: et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, et præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis. 49. Daniel autem postulavit a rege: et constituit super opera provinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, et Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus regis.

Vers. 1. ANNO SECUNDO.) Dices, c. 1. v. 1. 4. et 5. dicitur quod anno tertio Ioakim, qui fuit primus Nabuchodonosoris, Daniel fuerit puer, indeque tribus annis, scilicet usque ad quartum annum Nabuchodonosoris, fuerit eruditus in literis Chaldæorum: quomodo ergo hic dicitur, quod Daniel anno secundo Nabuchodonosoris prophetarit, eique somnium explicarit? Respondeo, hunc annum secundum Nabuchodonosoris, non esse secundum regni eius sed monarchiæ, qui regni eius fuit trigesimus septimus, transmigrationis vero Ioachin fuit vigesimus nonus: Danielis autem fuit quinquagesimus septimus. Nam Daniel anno primo Nabuchodonosoris, quo ductus est in Babylonem, erat viginti annorum, uti dixi in prœmio. Somnium ergo hoc regis, uti et illud cap. 4. interpretatus est Daniel anno ætatis suæ 57. qui fuit ante Christum annus 573.

Annus secundus monarchiæ Nabuchodonosoris fuit regni eiusdem 37.

Nota. Nabuchodonosor anno regni sui, non 27. ut vult Pererius, sed 35. qui fuit transmigrationis Ioachin 27. vastavit Ægyptum aliasque vicinas gentes, tumque factus est monarcha. Id ita esse patet: nam eo ipso anno prophetavit Ezechiel cap. 29. v. 17. et c. 30. v. 3. quod a Chaldæis mox vastanda esset Ægyptus: hic ergo annus secundus Nabuchodonosoris, est secundus a vastata Ægypto, uti diserte asserit Iosephus lib. 10. Antiqu. 11. ac consequenter est secundus a monarchia eius. Ita S. Hieron. Perer. Maldon. et alii.

Chronologia vitæ Nabuchodonosoris.

Nota. Hæc est chronologia gestorum Nabuchodonosoris: Nabuchodonosor anno primo regni sui venit Hierosolymam, indeque captum et vinctum Ioakim, cum Daniele et aliis duxit Babylonem: sed mox Ioakim promittentem tributum et subiectionem, in regnum remisit.

Anno octavo regni, regem Ioakim rebellantem cepit et occidit, eique substituit filium Ioachin, quem post tres menses amovit, timens, ne Ioachin patrem Ioakim imitaretur, eiusque necem ulcisceretur, pro eoque regem creavit Sedeciam.

Anno 18. regni sui, Ierusalem evertit, templum succendit, omnesque Iudæos abduxit.

Anno 23. vastavit Cœlesyriam, Ammonitas et Moabitas. Ita Iosephus.

Anno eodem cœpit obsidere Tyrum, eamque obsedit per tredecim annos, quibus exactis eam expugnavit anno regni sui 35. uti ostendi Ezech. 29. 17.

Anno eodem 35. expugnavit Ægyptum, et factus est monarcha.

Anno regni 37. qui fuit secundus monarchiæ eius, vidit somnium huius cap. et somnium arboris succisæ c. 4. portendens suam e regno eiectionem, et transformationem in bestiam.

Anno regni 38. regno eiectus est, et mutatus in bestiam, atque per septem annos ut bestia inter bestias vixit.

Anno 45. sibi et regno est restitutus, ac paulo post mortuus.

Quoad nomen, Nota. Nomen prolixum et terrificum Nabuchodonosor, ut et pleraque alia Chaldæorum, compositum est ex tribus, scilicet Nabo, qui fuit Deus Chaldæorum; Chad, et Netsar. Sic Nabopolassar componitur ex Nabo, Phul, et Assar. Rursum, nunc vocatur Nabuchodonosor, nunc Nabuchodretsar, nunc Nabuchodletsar: quia Chaldæi sæpe literas quæ vocantur liquidæ, inter se commutant, ut pro Letsar, dicunt Retsar et Netsar. Sic Nabonitum aliquando vocant Labonitum. Sic pro Belial Græci dicunt Beliar. Ita Scaliger l. 6. de Emend. temp.

VIDIT NABUCHODONOSOR SOMNIUM.) Somnium hoc fuisse divinum, et a Deo immissum ad res futuras regi repræsentandas, patuit tum ex instinctu divino, qui hoc

suggerebat regi, eumque urgebat ad somnii huius declarationem investigandam, tum ex assertione Danielis somnium hoc explicantis. Apte imperia mundi per somnium hic regi repræsentantur: quia quid sunt regna, omnesque res et spes mortalium, nisi somnia vigilantium? ait ex Platone Philo. Hinc et Theodor. notat hanc statuam non in se, sed per imaginem (unde Septuag. pro statua vertunt, *imago*) et phantasma regi esse ostensam, ut Deus doceret superbum regem quanta sit humani supercilii vanitas, quamque variabiles sint res humanæ, et regnum regno succedat, cum Dei regnum sit constans et perenne. Imago, ait Theod. figura rei est, non ipsa res: ostensæ ergo sunt Nabuchodonosori monarchiæ in somnis; quia nihil amplius sunt, quam phantasmata ludicra, nihil rei habentia, præter fictitiam pompam: unde et imago hæc speciem habet giganteam, et prorsus chimericam. Quocirca Philo lib. *Quod Deus sit immutabilis,* hominem vocat *somniorum ludum:* talia sunt et regna, imo magis. Nam, ut ait S. Basil. a veritate ad figuram magnus est delapsus: hic autem monarchiæ sub hac hominis imagine decidunt et delabuntur ab homine eiusque vanitate: vaniores ergo sunt quam ipse homo: sunt enim instar hominis non realis, sed phantastici, et in somnio repræsentati gigantis, eiusque ex variis rerum figuris quasi centonibus conflati et consuti, ut ait Tertul.

Spes mortalium sunt somnia vigilantium.

Denique sicut metalla visa in hac statua hominis, in terræ visceribus a Deo vi Solis efformantur, ita regna omnia terrena sunt, sed a Deo efformata, disposita et ordinata, ut ait Apost. Rom. 13. 1. Deus ergo quasi auriga frænat et regit reges et regna. Mystice in hoc somnium regis scripsit pium et eruditum tract. *de eruditione interioris hominis,* Richard. Victor.

Vers. 2. UT CONVOCARENTUR ARIOLI, ET MAGI, ET MALEFICI, ET CHALDÆI.) Arrias Montan. et alii varie hæc distinguunt. Verum S. Hieronym. *Arioli,* inquit, *dicuntur qui verbis rem peragunt,* aut ex characteribus (hoc enim innuit Hebr. חרטמים *chartummim,* a radice חרט *charat,* unde Græcum χαράττω et χαρακτήρ) divinant, et, ut Sept. vertunt, sunt ἐπαοιδοί, id est incantatores. *Magi sunt, qui philosophantur:* radix enim הגה *haga,* significat meditari et speculari. *Malefici sunt, qui sanguine utuntur et victimis, et sæpe contingunt corpora mortuorum.* Malefici ergo ex extis et cadaveribus futura divinant, et manes animasque mortuorum invocant? Rursum malefici hebr. vocantur מכשפים *mecascephim,* id est præstigiatores qui incantationibus et præstigiis suis oculos hominum perstringunt, ut eis videantur rem unam in aliam mutare, quales fuerunt magi Pharaonis in Exodo. Ita Rabbi Abraham, Maldon. et alii. *Chaldæi, erant astrologi et genethliaci, quos vulgus Mathematicos vocat, qui ex inspectione siderum et diei natalis futura homini prædicebant.*

Arioli qui? Magi. Malefici. Chaldæi.

Quæres, Cur cum his non fuit vocatus Daniel, cuius sapientia tum erat celeberrima? Respondeo, Quia Chaldæi sibi suisque sapientiam arrogabant, atque Danielis famæ invidebant, eique hanc gloriam somnium hoc regis interpretandi præripere volebant. Ita Pererius et Pintus. Adde, rex iam pene oblitus erat Danielis: fluxerant enim iam 34. anni a primo Danielis ad regem adventu.

Aliter respondet Maldonat. scilicet regem existimasse Danielem quidem esse sapientissimum in omni sapientia humana, non autem in divinatione, et arte ariolandi, vel somnia exponendi: sciebat enim Iudæis per Mosen vetitos fuisse magos, ariolos et divinantes per somnia, Levit. 19. v. 31. et Deuter. 18. 10. 11.

Nota, hæc omnia facta esse consilio Dei, ut hac ratione rex agnosceret suorum sapientum et dæmonum vanitatem, atque Danielis et Dei veritatem. Hanc enim eum tandem agnovisse patet cap. 3. v. 96. et 100. ita S. August. tract. 12. in Ioannem, S. Hieron. Rupert. et alii.

Vers. 4. SYRIACE.) Id est chaldaice, quæ ipsorum nativa lingua erat, quæque olim dicta est Syriaca, ad distinctionem linguæ Hebrææ. Erat tamen hæc lingua diversa a moderna Syriaca, et a Syriaca illa qua conscriptum extat novum testamentum; diversa inquam, non tam verbis et vocibus, quam dialecto, uti Græca Attica differt ab Æolica et Dorica.

Sed cur ait Daniel eos syriace esse locutos? Respondeo, Ne quis miraretur si eorum verba recitaret syriace, uti ab eis prolata sunt: quod facit ab hoc versu et deinceps, usque ad initium c. 8. quare nulla est hic paraphrasis Chaldaica, uti est in aliis Prophetis, eo quod ipse textus hic sit Chaldaicus.

REX IN SEMPITERNUM VIVE.) Hinc videtur, quod Chaldæi, id est Gentiles, habuerint cognitionem immortalitatis animæ, et vitæ æternæ. Gentilium hac de re testimonia fuse hic recenset Hector Pintus.

SERMO RECESSIT A ME.) *Sermo,* id est res quam somniavi, q. d. Scio me somniasse ex generali quadam somnii umbra et specie, quæ in me remansit, atque ex phantasiæ et mentis conturbatione; sed in particulari quid somniaverim oblitus sum, illudque a vobis mihi refricari et enarrari volo. Vers. 5.

Exstat pulchrum ænigma somni, estque hoc:

Sponte mea veniens varias ostendo figuras,
Fingo metus varios, nullo discrimine veri.
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

NISI INDICAVERITIS, etc. PERIBITIS.) Chald. est הדמין תעבדון *haddamin teabdun, frusta fictis, in frusta concidemini.* Minantur illis mortem nisi vere rem indicent, tamquam seductoribus: sic enim magos et divinos, tamquam fallax et perniciosum hominum genus, Moses, Constantinus, Theodosius, et alii Imper. morte mulctarunt. Nota. Hoc postulatum et decretum regis a parte rei erat iniustum. Nec enim est homo licet solertissimus et sapientissimus, qui somnia secreta, præsertim iam præterita, multo minus qui eorum significationem revelare possit. Angelis tamen ea nota esse possunt: ipsi enim vident nostra phantasmata, utpote corporea. Ex parte tamen magorum et Chaldæorum non erat iniustum: quia ipsi, utpote astrologi iudiciarii, et Genethliaci, profitebantur se ex siderum inspectione, et ex magia nosse occulta, et futuros rerum eventus, etiam liberos. Non enim iniustus est, qui a Professore exigit idipsum quod profitetur. Ita Anton. Fernand. visione 21. cap. 2.

TEMPUS REDIMITIS.) Hoc est, ut Scholiast. *prorogationem venamini.* Vers. 8.

QUOD INTERPRETATIONEM QUOQUE FALLACEM, etc. COMPOSUERITIS.) q. d. Nisi ipsum somnium meum enarraveritis, dicam ego etiam vos somnii interpretationem (quam de more scio vos daturos, ut opinionem vestræ sapientiæ tueamini) comminisci et fingere, itaque vestris figmentis me fallere, donec tempus vel in somnio præfinitum, vel a vobis interpretatum (aut potius interpretandum, necdum enim somnium, utpote ignotum, interpretati erant; sed illud a rege sciscitantur, ut cum audierint interpretentur) pertranseat, idque eo consilio, ut, si videatis vestra commenta, quæ nunc mente fabricatis, ex eventu redargui, illa novo commento et fallaci interpretatione tueamini. Ita S. Hieron. Vers. 9.

SAPIENTES INTERFICIEBANTUR.) Hinc colligitur aliquos interfectos fuisse. Hanc regis sententiam, utpote generalem, præfecti etiam ad Danielem et socios, utpote eruditos et sapientes, extenderunt, eosque ad necem quæsierunt, esto, forte rex de iis non cogitaret. Vers. 13.

UT QUÆRERENT MISERICORDIAM A FACIE DEI CÆLI SUPER SACRAMENTO ISTO.) *Sacramentum* vocat arcanum somnii regis: idem v. seq. vocat *mysterium: misericordiam* vocat somnii patefactionem; tum quia eam sibi non ex meritis, sed ex Dei gratia dari petebant; tum quia ex hac Dei gratia et misericordia ipsorum vita pendebat, q. d. Orabant Deum ut sibi patefaceret mysterium somnii, itaque ipsorum vitæ misereretur, eamque a certo mortis periculo, imo decreto liberaret. Vers. 18.

TUNC DANIELI MYSTERIUM PER VISIONEM NOCTE REVELATUM EST.) An visio hæc Danieli vigilanti, an dormienti a Deo sit obiecta incertum est. Maldon. putat Danielem somniasse, quod rex vidisset talem statuam qualem postea eum vidisse dicit, simulque quid singulæ eius Vers. 19.

somnii partes significarent, quod nobis etiam somniantibus subinde accidit. Alii idem eum somniasse dicunt, sed postea in vigilia revelatum ei esse, hæc omnia esse vera et certa, non somnia. Verum non necesse est dicere, aliam visionem, vel certificationem Danieli vigilanti oblatam esse, qua certior fieret hoc somnium sibi immissum esse a Deo, esseque idem cum somnio regis. Prophetæ enim sive in somnis, sive in vigilia acciperent oracula a Deo, hoc ipso simul a Deo reddebantur certi hæc esse oracula Dei, non visiones phantasticas, nec somnia. Significationem autem harum visionum, vel symbolorum aliquando simul, aliquando postea, præsertim in vigilia accipiebant. Ita enim contigit Danieli c. 7. v. 16. et c. 8. 15. et c. 10. 11. Et Zachariæ cap. 4. 5. et cap. 6. 5.

Quæres, uter hic fuerit Propheta, an rex somnium futurorum præsagum videns, an Daniel illud ex spiritu Dei refricans, et explicans? Resp. Danielem fuisse proprie dictum Prophetam, eumque perfectum, non regem, nisi inchoate et materialiter. Audi S. August. lib. 12. de Genesi ad liter. cap. 9. *Quibus*, ait, *signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erant Prophetæ; magisque Propheta erat qui interpretabatur quod alius vidisset, quam ipse qui vidisset: itaque magis Ioseph Propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ, et septem boves, Gen.* 41. *quam Pharao qui eas vidit in somnis. Illius enim spiritus informatus est ut videret, huius mens illuminata est ut intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia: quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Minus ergo Propheta, qui rerum quæ significantur sola ipsa signa in spiritu, per rerum corporalium imagines videt; et magis Propheta, qui solo earum intellectu præditus est: sed et maxime Propheta, qui utroque præcellit, ut et videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat; sicut Danielis excellentia tentata et probata, qui regi et somnium quod viderat dixit, et quid significaret aperuit: et ipsæ quippe imagines corporales in spiritu eius expressæ sunt, et earum intellectus revelatus in mente.* Sic et S. Greg. lib. 11. Moral. 12. qui tamen in eo discrepare videtur a S. Augustino, quod in sola visione imaginum in mente, negat esse prophetiam, perfectam intellige; cum S. August. eamdem vocet prophetiam, scilicet inchoatam, materialem et informem; quod non negat S. Gregor. in re ergo consentit cum S. August. licet in phrasi et modo loquendi dissentiat. Symbola ergo visa, sunt quasi materia prophetiæ; forma est eorumdem interpretatio, et per ea futurorum prænotio et prædictio: in hac enim prophetiæ ratio et natura consistit.

Vers. 20. Quia sapientia (qua futura prævidet) et fortitudo (qua tam suaviter quam fortiter eadem disponit, regit et mutat ad libitum) eius (Dei) sunt.) Unde explicans subdit:

Vers. 21. Et ipse mutat tempora et ætates: transfert regna atque constituit.) q. d. Deus singulis monarchiis, regnis et regibus suum tempus, vicissitudinem, terminum et translationem constituit, ut v. g. Assyriorum monarchia tot annis staret, et deinde transferretur ad Babylonios: hæc staret in Nabuchodonosore et Balthasare, inde transferretur ad Medos et Persas: hæc ad Græcos: hæc ad Romanos: hæc ad Christum.

Vers. 22. *Tria genera rerum a solo Deo cognoscuntur.* Ipse revelat profunda, et abscondita, et novit in tenebris constituta.) Tria genera rerum, inquit Perer. soli Deo per se cognoscibilia sunt: Primo, *profunda*, id est supernaturalia, uti sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ. Secundo, *abscondita*, id est arcanæ cordium cogitationes et intentiones. Tertio, *in tenebris constituta*, id est futura contingentia: hæc enim præsentiam et lucem adhuc fugiunt.

Et lux cum eo est.) q. d. Deus est ipsa lux et sapientia increata et immensa, omnia cognoscens et illuminans, estque fons omnis lucis et cognitionis angelicæ et humanæ. Vide S. Dion. de Divin. nom. cap. 4. et 7.

A Sapientiam et fortitudinem dedisti mihi.) *Dedisti*, non realiter, sed mentaliter, hoc est, dedisti ut cognoscerem, sive declarasti. Dare enim hic significat actum mentalem iuxta can. 29. q. d. Revelasti mihi tuam sapientiam et fortitudinem, quam ostendis in dispositione et commutatione regnorum et imperiorum, uti dictum est v. 20. Unde explicans subdit: *Et nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.* Vers. 23.

Cogitare cœpisti, etc. quid esset futurum post hæc.) Quem exitum regnum tuum, puta regnum Chaldæorum, esset habiturum, an, quando, et in quos foret trasferendum. Nota. Daniel hic revelat regi secretas cogitationes cordis eius, item præterita eius somnia, quæ ipse erat oblitus. Actus enim prophetiæ late sumptæ varii sunt, scilicet; primo, absentia, et quæ in locis remotis fiunt revelare; secundo, cordis arcana præsentia pandere; tertio, præterita arcana vel cogitationum, vel somniorum enarrare; quarto, eadem, si divina et symbolica sint, explicare; quinto, futura prædicere; sexto, Dei B consilia, decreta, minas et promissa patefacere; septimo, angelorum cogitata, dicta et acta explicare. Hæc omnia hoc libro præstat Daniel. Vers. 29. *Prophetiæ actus septem.*

Mihi quoque non in sapientia.) Non per sapientiam, q. d. Hoc somnium tuum o rex, per nullum habitum, vel actum scientiæ, aut sapientiæ naturalis, sed per solam Dei revelationem sciri et cognosci potest, et per eam solam ego id scio. Dicit hoc Daniel, tum ut Deo prophetiæ donum acceptum referat, tum ut regem ad unius Dei veri hæc revelantis cognitionem, fidem et cultum pelliciat. Vers. 30.

In sapientia quæ est in me plus quam in cunctis viventibus.) Hoc ævo et sæculo. Non enim Daniel sapientior fuit Adamo in paradiso, aut Salomone; multo minus Christo, B. Virgine, Apostolis, etc. Porro dixit hoc de se Daniel, non ex spiritu vanitatis, nec ex se, sed motus et compulsus a Spiritu sancto, cuius ipse fuit quasi os, æque ac calamus.

Moraliter hic disce, non esse præter vel contra humili-C tatem, agnoscere in se et confiteri dona Dei, sed potius esse actum humilitatis et gratitudinis. Humilitas enim est veritas: ergo vere agnoscit dona quæ habet, sed ita, ut pariter agnoscat se ea non habere ex se, sed a Deo, cuius est omne datum optimum, et omnis sapientia: hæc enim descendit a Patre luminum. Quocirca ea agnoscens in se sanctus, inde non superbit, sed potius fit humilior, magisque gratias agit Deo, ac magis se fundat in timore Dei. Nam, ut ait S. Gregor. hom. 9. in Evangel. *Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.* Sic Paulus de se ait 1. Corin. 15. 10. *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et S. Ioannes sibi dat hunc titulum, *Discipulus ille quem diligebat Iesus.* Et, *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, et scimus, quia verum est testimonium eius,* D Ioan. ult. 24. Ecclesia enim probavit hoc eius testimonium et Evangelium. Sic Moses de se ait: *Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra,* Numer. 12. 3. Sic S. Franciscus agnoscebat in se miram Dei gratiam et sanctitatem; sed simul agnoscebat se ex esse maximum mundi peccatorem. Quocirca hæc eius erat crebra oratio: *Domine quis tu? quis ego? tu abyssus essentiæ, sapientiæ, sanctitatis et bonorum omnium: ego abyssus nihili, ignorantiæ, concupiscentiæ, peccatorum, et malorum omnium.* Unde cum accepisset a Christo crucifixo sacra stigmata, velletque ea occultare, iussus fuit ea pandere. Nam ut ait angelus Tobiæ cap. 12. 7. *Sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est.*

Statura sublimis.) Chald. *splendor eius præstans;* Vers. 31. vel, ut Pagnin. vertit, *gloria eius sublimis*; Leo Hebr. *forma eius eximia,* scilicet propter radians aurum, argentum, æs et ferrum, ex quibus conflata erat statua. Ha-

bebat enim caput aureum, pectus argenteum, ventrem et femora ænea, pedes ferreos et fictiles. Unde Arabicus vertit: *Caput eius aurum: pectus eius et brachia argentum: venter, femora et crura eius ferrum: et pedum quoddam* (quædam pars) *ferrum, et quoddam testa figuli;* et Syrus: *Caput eius auri boni: pectus eius et brachia argenti: venter eius et femora æris: tibiæ eius ferri. Auri*, id est ex auro, argento, etc. Significabat hæc statua vicissitudinem quatuor imperiorum maxime florentium (quæ vulgo monarchias vocamus, sicut Regem Hisp. et Imper. Turcarum vocamus Monarchas, ob amplitudinem regnorum: esto, toti orbi non dominentur) quorum unum alteri immediate successit, prius evertendo, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum, et Romanorum. Præterit ergo hic alia regna humilia, angusta et obscura, sicut fuit regnum Sicyonorum, Atheniensium, Lydorum, etc.

Statua quadriformis est symbolum quatuor monarchiarum.

Cur una est, non quatuor? Nota. Quatuor hæc regna comparantur uni statuæ, non quatuor: quia unum alteri successit, et ex eo quasi natum est, sicut in statua una pars alteri succedit, et inseritur. Rursum, quia respectu orbis terræ, et respectu temporis in quo fuerunt, unum quid fuerunt: quia unus est orbis, et unum continuum tempus: sed maxime respectu summi monarchæ, puta Dei, qui orbem regit; et Christi, in quem desierunt, unum quasi regnum fuerunt: unum inquam, primo, continua successione; secundo, loco; tertio, fine et termino, uti iam explicui.

Cur alia regna præterit Daniel. Causa. Quæres, cur hic aliorum regnorum æque potentium, imo potentiorum, ut Assyriorum, Medorum, Parthorum, Scytharum, Tartarorum, Chinensium, Turcarum non meminit Daniel? Respondeo, Causa prima et præcipua est:
I. quod Nabuchodonosor tantum cogitabat de suo regno, quidque post illud futurum esset, et an, sicut ipse successerat Assyriis, ita Medi, Persæ, Ægyptii, vel aliqui alii ipsi succederent, et imperium ad aliam gentem transferrent: hoc enim eum cogitasse patet v. 29. Huic autem eius cogitationi per hoc somnium, perque hanc statuam respondit Deus, scilicet illi et Babyloniis successuros Persas, Persis Macedones, hisce Romanos, et hosce in Christum, qui est Rex regum, desituros. Itaque de hisce solis agit, reliqua vero regna, ut ad cogitationem Nabucho donosoris, et ad rem propositam impertinentia, præterit et prætermittit. Porro Medi hic sub Persis intelliguntur: utrique enim everterunt imperium Babyloniorum. Rursum sub Babyloniis intelligi possunt Assyrii: Babyloniorum enim monarchia, pars et propago quædam fuit monarchiæ Assyriorum.

II. Secunda causa est, quia volebat Deus regis animum ab omni cupiditate terrenorum regnorum abducere, et ad Christi regnum erigere: quod illa omnia caduca sint et mortalia: hoc sempiternum, ut docet v. 44. Propterea de illis tantum monarchiis similitudinem proposuit, quæ recta et continua serie et successione Christi regnum erant præcessuræ, in eoque terminandæ, q. d. Frustra o rex superbis et gloriaris in tuo regno caduco, et instar somnii evanido: aspira ad Christum, de quo ait Gabriel, *Regni eius non erit finis,* Lucæ 1. v. 33.

III. Tertia, quia Daniel et Iudæi hæc quatuor imperia fere tantum cognoverunt, eorumque potentiam et tyrannidem experti sunt, quando primo a Babyloniis, mox a Persis, deinde a Græcis, puta ab Antiochis, denique a Romanis afflicti, subacti et in captivitatem abducti fuerunt. Horum ergo tantum seriem pertexit hic Daniel, utpote quæ sola ad se, et ad historiam suæ gentis, puta Synagogæ Dei, pertinerent.

Vers. 33. PEDUM QUÆDAM PARS ERAT FERREA, QUÆDAM AUTEM FICTILIS.) Tibiæ huius statuæ totæ erant ex ferro, sed pedes partim ex ferro, partim ex testa. Non quasi unus statuæ pes esset ferreus, alter fictilis: aut una pedis pars esset mere ferrea, altera mere fictilis, sed quod pedes conflati essent ex ferro non puro, sed misto cum terra, ut explicatur v. 43. Quale est rubrica, ex qua conflatur ferrum. Idque probatur Primo, quia diserte ait hic Daniel ferrum testæ in pedibus fuisse permistum. Secundo, quia v. 43. hæc permistio ferri cum testa explicatur per commistionem seminis variorum Romanorum. Tertio, quia si altera pars pedum tota fuisset ferrea, alia tota testea, non diversos imperii status, sed diversa imperia potius significaret: tam enim testa a ferro, quam ferrum ab ære, auro et argento distat. Ita Anton. Fernan. visione 21. sect. 6. Maldon. et alii. Favet et Syrus dum vertit, *pedes eius, ex eis ferri, et ex eis fictilis,* id est partim ferrei, partim fictiles.

REDACTA QUASI IN FAVILLAM ÆSTIVÆ AREÆ.) Chald. *fuerunt quasi paleæ æstivarum arearum quas ventus rapit*, dum scilicet segetes in areis excussæ agitantur et ventilantur, q. d. Omnia hæc quæ tam splendida et solida videbantur, instar paleæ in auras evolarunt, et evanuerunt. Talia sunt regna terræ: sic transit gloria mundi. Vers. 35.

TU ES CAPUT AUREUM.) Nota hic Primo, metonymiam, qua rex ponitur pro regno: *tu*, id est tuum regnum, est caput aureum. Unde sequitur: *Consurget regnum aliud:* ita Theod. Secundo, regnum Chaldæorum metaphorice vocatur *caput*, tum quia primum fuit et antiquissimum, ut patet Genes. 10. 11. tum quia in eo viguit sapientia, ut patet Isaiæ 47. 13. Vers. 38.

Cur imperium Babyloniorum vocatur caput aureum? Resp. Maldon

Quæres, Cur imperium Babylon. vocatur aureum? nam Persarum postea videtur fuisse æque opulentum, vel opulentius. Respondet Maldon. per aurum, argentum, æs et ferrum significari quatuor horum regnorum non opes, potentiam, aliasve qualitates, sed tantum seriem et ordinem temporis, q. d. Sicut inter metalla primum dignitate est aurum, secundum argentum, tertium æs, quartum ferrum: ita inter hæc regna primum tempore erit Babyloniorum, secundum Persarum, tertium Græcorum, quartum Romanorum. Regnum ergo Persarum minus fuit Chaldaico, non magnitudine, non potentia, non divitiis, sed diuturnitate et antiquitate. Fuit enim primum, et ab ortu suo sub primo rege Nino, usque ad eius interitum sub Balthasare, stetit annos 1500. cum Persarum imperium tantum steterit annos 230. Ita et Anton. Fernan. vis. 21. sect. 4. ubi pro eo quod noster vertit, *consurget regnum aliud minus te*, verti posse ait, *consurget regnum aliud post te*, sive *posterum:* Dici tamen *minus*, allusione ad argentum, quod minoris est pretii quam aurum. *Minus* ergo, id est minus antiquum, et minus diuturnum. Aurum enim argento est durabilius, et ipsa longinquitate temporis fit pretiosius, ait Plinius lib. lib. 33. cap. 3. Verum Chaldæum ארע *ara*, non significat posterius, sed minus, humilius, inferius, ut vertunt Septuag. noster Vatab. et alii passim. Unde ab *ara*, Chald. pavimentum vocatur ארעית *arit*, quia in domo est infimum et imum: et terra vocatur ארעא *ara*, quia in mundo est infima, eiusque centrum.

Quocirca hic sensus, si solus sit, Primo, frigidus est et ieiunus. Secundo, in eo non satis apta est similitudo; nam aurum et argentum, non tempore, sed pretio et dignitate sunt priora ære et ferro; imperia vero Chaldæorum et Persarum, auro et argento significata, non dignitate, sed tempore tantum in hoc sensu priora esse dicuntur imperio Græcorum et Romanorum. Tertio, non tantum temporis, sed et qualitatis et præstantiæ ordinem hic spectari, patet ex eo quod de quarto ferreo Roman. ait Daniel v. 40. *Quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuit et conteret omnia hæc.*

Secundo, Alcazar in Apoc. c. 9. v. 5. not. 3. pag. 529. docet sæculum monarchiæ Chaldæorum fuisse aureum, si cum sequentibus comparetur; Persarum argenteum; Græcorum æneum; Romanorum ferreum; quia sensim declinarunt, et in declive abierunt hæc imperia. Nam in prima Chaldæorum monarchia, effloruit sapientiæ pretium et æstimatio, uti liquet tum ex honore amplissimo, et præfectura imperii Danieli delata; tum ex sapientum Magorum frequentia; tum ex astrorum peritia et astrologia iudiciaria, quæ ex ea ad alias gentes dimanavit; unde et Astrologi dicti sunt Chaldæi. In secunda Persarum, viguerunt deliciæ et corporis blandimenta. In tertia Græcorum, excelluerunt opes et divitiæ. In quarta Romanorum, dominata est ambitio, sive honoris, nominis et gloriæ cupido.

Verum sapientiæ studium æque, imo magis floruit apud Græcos et Romanos, quam apud Chaldæos: vice versa opibus tam excelluerunt Romani et Persæ, quam Græci: nec minor fuit ambitio apud Græcos Seleucidas, Alexandri posteros, quam apud Romanos.

Tertio, idem Alcazar tract. de ponder. et mens. pag. 63. censet per hanc metallorum distinctionem Spiritum sanctum significare, non discrimen in divitiis (hoc enim in hac visione minoris est momenti) sed in vi et robore; scilicet significare semper subsequentis monarchiæ violentiam futuram maiorem: et quia res humanæ plerumque in peius ruunt; primam monarchiam, si cum secunda comparetur, auream posse appellari, et blandiorem ac suaviorem visum iri; secundam autem respectu tertiæ argenteam; tertiam æream et magis humano generi adversam; quartam porro minus sibi cohærentem (sicut ferrum et lutum ægre miscentur) sed validiorem cæteris omnibus, et omnia regna violente admodum contrituram. Hæc sententia apposita videtur, expedita et plana; cui tamen quædam addenda sunt.

Resp. vera. I. Dico ergo Babyloniorum imperium vocari aureum, vel, ut ait Ierem. cap. 51. 7. *Calix aureus*, quia non tantum opulentum fuit et splendidum, sed et felicissimum, gloriosissimum, famosissimum et amplissimum. Sic enim explicat hic Daniel dicens: *Tu rex regum es; et Deus cæli regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi*, etc. *Tu es ergo caput aureum:* nam brevissimo tempore subiugatis Syris, Iudæis, Tyriis, Ammonitis, Moabitis et Ægyptiis, qui tunc erant potentissimi, atque a tempore Iosiæ cum Assyriis et Babyloniis de imperio et summa rerum decertarant, amplissimum evasit. Unde Ieremias omnes gentes, scilicet tunc cognitas et celebres, Nabuchodonosori fore subiectas et servituras prædicit c. 27. 7. et Habacuc c. 1. 10. *Ipse*, inquit, *de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi eius erunt*, q. d. Erunt ei risui et contemptui. Et Daniel cap. 4. 19. *Tu Rex*, ait, *magnificatus es, et magnitudo tua pervenit usque ad cælos, et potestas tua ad terminos universæ terræ*. Quocirca Isaias cap. 47. v. 5. Babylonem vocat dominam regnorum, et cap. 14. 19. gloriosam in regnis et inclytam, et a Ieremia cap. 50. v. 21. eadem vocatur terra dominantium, et v. 23. malleus universæ terræ; de quo plura cap. 4 26. Quinimo, tota fere prophetia Ieremiæ et Ezechielis est de Nabuchodonosore, deque eius in Iudæos omnesque gentes dominatu, idque ex voluntate Dei. A Deo ergo ipse videtur quasi creatus monarcha. Hinc et Megasthenes l 4. de rebus Indicis, tradit Nabuchodonosorem præter Orientis provincias, Ægyptum quoque et Africam, atque Hispaniam subiugasse, eumque asserit virtute animi, et rerum gestarum præstantia Herculem superasse: et Tertul. lib. contra Iudæos, ait eum regnasse ab India usque ad Æthiopiam. Sic ergo ipse Persis fuit maior et felicior: unde et Magnus cognominatus est, ac ut talis in Script. et historiis est celeberrimus: quocirca hic a Daniele vocatur *rex regum:* ac Isaiæ 14. 12. comparatur Lucifero, qui fuit summus inter angelos: et Ezech. 17. v. 3. assimilatur aquilæ grandi magnarum alarum: et Ierem. 4. 7. vocatur leo, et prædo Gentium. Hic ergo est caput aureum: quia Cyro, Alexandro Magno (qui brevi tempore fuerunt monarchæ, et misere perierunt) et aliis, si non opibus et fortitudine, certe felicitate, fama, splendore et gloria antecelluit. Adde, aureum dici comparatione tum sequentium regnorum, tum potius eorum quæ illud præcesserunt, vel cum illo fuerunt. Præsens enim Nabuchodonosori et Iudæis erat Babyloniorum imperium, opes, potentia, et gloria, eaque maiorem nec ipsi nec parentes viderant; nec posteriorum, puta Persarum et opes et gloriam visuri erant. Unde ipsis Babylonis gloria videbatur esse aurea. Quæ enim prima sunt in aliquo genere, ob novitatem rapiunt in sui admirationem omnium oculos, ac posteriora, licet præstantiora sint, suo nomine et fama obscurant. Nomen enim et famam, quam semel habuerunt, retinent semper, illamque ad posteros et ad futura sæcula transmittunt. Ita hoc sæculo sunt viri in Mathesi, Theologia, A Philosophia, aliisque artibus et scientiis præstantes, qui veteres superant, et tamen veterum nomen et famam, utpote ab illis iam tanto tempore præscriptam, non obtinent: usu enim et copia res omnis vilescit. Sic ergo Babylon, quia prima aurei regni nomen obtinuit, posterisque quasi exemplar gloriæ mundanæ statuta est: unde et Roma vocatur Babylon, Apocal. 18. 2.

Secundo, vocatur aureum, quia Babylonii auri erant studiosissimi, illudque a gentibus subactis exportabant et coacervabant, uti ex Iudæa abstulerant omnia vasa aurea et argentea etiam templi, eaque plurima et maximi pretii. Hucque respicit hic Daniel, utpote Iudæus, significans Salomonis thesauros, et Iudæorum aurum et opes Babylonem esse translatas. II.

Tertio, quia Babyloniorum potentia et gloria, non tam armis, laboribus et fortitudine bellica, uti Persarum, Græcorum et Romanorum (qui cum gentibus fortioribus et in armis iam exercitatis dimicarunt) quam hostium in bellando inexperientia et ignavia, æque ac opibus et luxu B crevit, fuitque hoc nomine orbi illustris, splendida et inclyta. Unde Ieremias c. 5. 7. de Babyloniis ait: *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram; de vino eius biberunt gentes, et ideo commotæ sunt*. Quo alludit S. Ioan. Apocal. 14. 8. *Calix* enim *aureus* significat opes, luxum, ac consequenter idololatriam, quam Babylonii aliis gentibus triumphantes invexerunt. Quocirca hoc regnum et sæculum vocatur aureum: quia sub eo gentes vivebant quiete et feliciter in magna pace, opibus et rerum omnium abundantia; hæc enim pacem consequi solet. Unde regnum hoc c. 4. 17. ipsi regi a Deo repræsentatum fuit per *arborem sublimem atque robustam, cuius altitudo pertingit ad cælum, et aspectus illius in omnem terram: et rami eius pulcherrimi, et fructus eius nimius, et esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, et in ramis eius commorantes aves cæli*. Vere Ovidius 14. Metamorph. III.

Invia virtuti nulla est via, dixit, et auro.

C Dices, Tempore Babyloniorum etiam dives fuit et inclytum regnum Medorum sub Cyaxare, quem Herodotus Assyriis et toti Asiæ dominatum esse asserit. Respondet Pererius, regnum Medorum hoc tempore angustum et afflictum fuisse: nam Cyaxares cœpit regnare anno 14. Nabuchodonosoris, et regnavit 40. annis: iam primis 28. eius annis Scythæ invaserunt et obtinuerunt Asiam, scilicet usque ad finem pene vitæ et regni Nabuchodonosoris: ipse enim 44. annis regnavit. Cyaxares ergo tantum ultimis duodecim regni sui annis, quibus superstes fuit Nabuchodonosori, dolo interfectis fere omnibus Scythis, imperium proferre et illustrare cœpit, ut ait Herodotus. Cyaxaris imperium quantum, et quando.

Ex hac Danielis visione, Gentiles fabulam acceperunt de primo sæculo aureo, secundo argenteo, tertio æneo, quarto ferreo, quam ita Ovid. l. 1. Metamorph. graphice depingit:

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat.
Non galeæ, non ensis erat; sine militis usu
D *Mollia securæ peragebant otia gentes.*
Ver erat æternum.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Pergit deinde ab aurea ad argenteam:

Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso.
Sub Iove mundus erat, subiitque argentea proles
Auro deterior, fulvo pretiosior ære.
Tum primum siccis aer fervoribus ustus:
Tum primum subiere domus, domus antra fuerunt:
Semina tum primum longis cerealia sulcis
Obruta sunt, pressoque iugo gemuere iuvenci.

Mox transit ad æream et ferream:

Tertia post illam successit ahenea proles
Sævior ingeniis, et ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen: de duro est ultima ferro.
Protinus irrupit venæ peioris in ævum

Omne nefas, fugere pudor, verumque fidesque:
In quorum subiere locum fraudesque dolique,
Insidiæque et vis, et amor sceleratus habendi.
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque.
Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero: fratrum quoque gratia rata est.
Ultima cælestum terras Astrea reliquit.

Vers. 38. VOLUCRES QUOQUE CÆLI DEDIT IN MANU TUA.) Est auxesis: exaggerat enim regis sui potentiam: nam qui terræ dominatur, suo modo etiam bestiis et avibus dominatur: quia eas venari et capere potest.

Vers. 39. REGNUM ALIUD MINUS TE.) Chaldaice, ארע מנך *ara minnach*, id est inferius et humilius te, quod scilicet te regnante iam est inferius, sed paulo post crescet in Cyro, fietque superius, tuumque imperium in Balthasare evertet. Hoc est regnum Persarum et Medorum, quod ideo v. 32. designatur per duo brachia: quia duo quondam regna fuerunt, quæ postea copulata sunt in unum, cuius rex fuit Cyrus, qui matre Meda, et patre Persa natus est; atque, ut Theod. ait, per dexteram paternum genus, per sinistram maternum significatur. Rursum, quia brachiis, id est fortitudine et labore multo, Cyrus tota vita sua regnum hoc sibi suisque Persis peperit.

Cur imperium Persarum comparatur argento? Opes Persarum.

Quæres, Cur v. 32. regnum hoc comparatur argento? Respondeo, quia argento abundavit, fuitque opulentissimum: unde præter thesauros obvios et apertos, Deus promittit Cyro thesauros absconditos Isaiæ 45. 3. Hæ opes patent: nam Primo, Plinius lib. 33. 3. ait Cyrum ex debellata Asia extulisse *quingenta millia talentorum argenti*, id est trecentos milliones.

Secundo, eædem patent ex sumptuosissimo convivio Assueri, mariti Esther, Esther cap. 1.

Tertio, ex innumerabili exercitu Xerxis, quo terram et maria stravit: erant enim in eo plusquam duo milliones hominum.

Quarto, quia rex Persarum in suo conclavi ad caput semper habebat triginta milliones auri quod cervical regis dicebatur; et ad pedes octodecim milliones argenti: testis est Athenæus sub initium lib. 12.

Quinto, quia gaza Persica qua potitus est Alexander, fuit centum octoginta millium talentorum, teste Strabone, id est centum et octo millionum.

Fuit tamen hoc Persarum imperium felicitate et gloria inferius Chaldæorum imperio, sicut argentum inferius est et cedit auro. Hoc est enim quod diserte ait Daniel v. 39. *Post te consurget regnum aliud minus te.* Nabuchodonosor ergo regno et gloria superavit Cyrum et posteros. Nam ut alia taceam, Cyrus illius conditor infelicissime cæsus est a Tomyri regina Scytharum. Xerxes in Græcia a paucis cæsus et fugatus infamem cladem accepit, ita ut solus in scapha fugere debuerit. Darius Codomannus miserrime ab Alexandro sæpius fusus, tandem regno et vita spoliatus est.

ET REGNUM TERTIUM ALIUD ÆREUM, QUOD IMPERABIT UNIVERSÆ TERRÆ.) Hoc est regnum Alexandri et Græcorum. Alexander enim pene universæ terræ nostrati dominatus est, ita ut sub eo ipsa se curvans siluerit, quasi tacite agnoscens eum dominum. Dico nostrati: non enim Alexander adiit et devicit Chinenses, Peruanos, Mexicanos, etc. Ita S. Hieron. et passim alii. Perperam ergo Orosius, et ex eo Prosper lib. de Prædict. et promis. par. 2. cap. 33. per ventrem et femora ærea acceperunt Carthaginense imperium.

Cur Græcorum æri?

Quæres Primo, Cur vocatur æreum? Resp. S. Hieron. quia æs non tantum forte est et durum, sed et vocalissimum est et sonantissimum. Talis fuit Alexandri et Græcorum fama et gloria, non tantum ob potentiam et bella fortiter gesta, sed etiam ob sapientiam et eloquentiam, quæ apud Græcos floruit. Æs ergo Primo, significat æneas tubas, galeas, loricas et arma Alexandri, puta clangorem tubarum, et armorum æneorum strepitum et fragorem, inter quæ assidue ipse versabatur, iisque quasi

A musica suavissima delectabatur: fuit enim ipse pugnacissimus, non nisi arma et Martem spirans. Nam veteres armis æreis pro ferreis utebantur; æris enim usus est antiquior quam ferri. Unde Hesiodus:

Ære laborabant nondum noscentia ferrum
Sæcula.

Sic et Homerus Achillis et Græcorum tela et arma docet fuisse ærea: quæ Combe puella in Eubœa primum invenit, indeque cognominata est Chalcis; χαλκὸς enim græce significat æs. Ita ex Eustathio et aliis docet Cælius Rhodiginus lib. 10. Antiqu. 50. Ubi et addit Comben fuisse Æsopi filiam. Hinc et Gabriel Archangelus Daniel. 10. 6. brachia, femora et tibias habuit instar æris candentis: quia hac specie repræsentabat Machabæorum fortitudinem, et armorum splendorem. Sic et Deus in curru Cherubico pugnaturus contra Iudæos, induit corpus ex electro, id est aurichalco, quod est æs optimum et fulgidissimum, uti dixi Ezech. 1. 27. Secundo, æs resonans significat facundiam et eloquentiam Græcorum. Tertio, æs B sonorum significat famam et gloriam gestorum Alexandri, quæ subito toto orbe insonuit, adeoque omnes perculit, ut certatim cuncti ei se subderent, aut cum eo fœdus inirent. Fuit ergo ipse æs sonans, et cymbalum toto orbe tinniens. Unde et Lysippus eum ex ære sculpsit, uti mox dicam. De fama Curtius: *Tantus*, ait, *nominis eius* (Alexandri) *terror universum orbem invaserat, ut cunctæ gentes velut iam destinato sibi regi adularentur.* Hinc et 1. Machab. 1. 3. dicitur, in conspectu eius siluisse universam terram, ac si audisset fragorem ruentis mundi. Quocirca vere dixit de eo Tertull. l. de Pallio, *sola ipsum fama sua fuisse minorem.* De sapientia et eloquentia solæ Athenæ, quæ ab omnibus epithetum *doctæ* sortitæ sunt, locupletes sunt testes. Cicero orat. pro Flacco: *Adsunt*, ait, *Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur.* Plato in Protagora, Athenas *sapientiæ prytanæum* appellat. Mirum vero est quod scribit Tertull. lib. de A-C nima cap. 20. *Thebis*, ait, *hebetes et brutos nasci relatum est: Athenis sapiendi dicendique acutissimos, ubi penes Colytum pueri mense citius eloquuntur præcoce lingua. Siquidem et Plato in Timæo Minervam affirmat, cum urbem illam moliretur, nihil aliud quam regionis naturam prospexisse, talia ingenia pollicitam.* Hodiernus Platonis interpres sic vertit: *Dea vobis habitationem designavit delecto loco in quo geniti estis, temporum anni temperiem in eo conspicata, quod sapientissimos viros producturus esset.*

Æris vero huius tinnitum, id est Alexandri famam et gloriam, sigillatim audi.

Duodecim dotes Alexandri. 1.

Duodecim fere in Alexandro eluxerunt dotes eximiæ et elogia rara, quæ eius nomen apud omnes gentes celebrarunt. Collegi eas ex Plutarcho in eius vita, Q. Curtio lib. 10. et Iustino. Primum, fuerunt magnitudinis eius præsagia et portenta. Nam primo, Olympiadi matri eius ante noctem qua eum concepit, visus est Iove tonante venter suus de cælo tangi, atque ex ictu largum succendi ignem, qui mox erumpens in flammas passim dispersas dis-D sipabatur. Secundo, Philippus pater vidit in somnis uxorem obsignatam sigillo, habente effigiem leonis, quo Aristander portendi dixit, eam concepisse infantem animosum et leoninum. Tertio, visus est draco ad dormientis Olympiadis corpus exporrectus. Quarto, natus est Alexander eo die quo Dianæ Ephesiæ templum conflagravit: unde magi exclamarunt ingentem pestem et perniciem eo die editam ad Asiæ incendium. Hegesias vero Magnesius edixit: *Merito arsisse templum Dianæ, dum ipsa in Alexandri enixu obstetricando fuit districta.* Quinto, Philippus pater eodem die tres faustissimos nuntios accepit, primum, fusos a Parmenione Illyrios; alterum, Olympiis se equi pernicitate vicisse; tertium, natum Alexandrum. Unde vates affirmarunt, infantem, in cuius nativitate tergemina concurrerat victoria, fore invictum. Hæc omnia Plutarch. Sexto, addit Iustin. lib. 12. *Ea die*, ait, *qua natus est, duæ aquilæ tota die præpetes supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperii, Europæ*

Asixque præferentes. Septimo, cum contra Darium pergeret, aquila supra caput eius volare visa, cursumque dirigere in hostes, ait Plutar. et Curtius. Octavo, dum Tyrum obsideret, Tyriis in somnis visus est Apollo dicere se ad Alexandrum transire: neque enim sibi cordi esse quæ in urbe agerentur. Nono, ibidem visus est Alexandro Satyrus alludens, quem cum corripere vellet, ille se subduxit, sed tandem post longas cursitationes venit in eius manus. Unde vates dissecto nomine *Satyrus* responderunt: *tua Tyrus erit*: nam σα græce significat *tua*.

II. Secundum, fuit eius complexio fervida, et indoles ignea. Ex hoc igneo corporis temperamento non tantum illi animus similis, sed et odoris fragrantia, quam ex ore, cute, totoque corpore efflabat. Hac enim de causa in locis calidis thura, odores et aromata generantur, quod æstus Solis ibi ea percoquat, ut ignescant, et igneos halitus expirent. Hinc etiam corpus eius septimo die a morte, nulla tabe, nullo livore corruptum, sed integrum et vivido vultu repertum est, teste Curtio.

III. Tertium, fuit in Alexandro mira celeritas: cœpit enim ipse anno ætatis vigesimo, et omnia subegit anno ætatis trigesimo tertio, quo mortuus est. Hinc Apelles Alexandrum pingebat quasi fulmen, celerrime omnia pervadens et afflans.

IV. Quartum, fuit in eo constans felicitas. Vix enim habuit quadraginta millia militum, nec nisi septuaginta talenta in eorum stipendium, et commeatum ad triginta dies; et tamen nullam gentem, hostem aut urbem adiit quam non expugnarit, ipsumque tandem Darium, qui habebat decies centena millia militum, prostravit. Unde tantam fiduciam suis militibus fecit, ut illo præsente, nullius hostis arma nec inermes timuerint, ait Iustin. Curtius vero lib. 10. sic de eo scribit: *Fatendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quoties illum a morte revocavit? Quoties temere in pericula vectum perpetua felicitate protexit? vitæ quoque finem eumdem illi, quem gloriæ statuit. Expectavere eum fata, dum Oriente perdomito, aditoque Oceano quidquid mortalitas capiebat, impleret.* Ipse Alexander a vate Apollinis Delphici quærens oraculum, ab eo audivit, *Invictus es fili*.

V. Quintum, fuit in eo amplitudo imperii. Subegit enim totam Asiam, Ægyptum, Syriam, Indiam, et bonam Europæ partem. Hinc Lysippus statuarius ut amplitudinem imperii Alexandri significaret, finxit ex ære Alexandrum supina facie cælum suspicientem, subiectis, hisce versibus:

Æreus in cælum suspectans fare quid aiat.
Iuppiter asserui terram mihi, tu assere cælum.

Quocirca Alexander accepto imperio regem terrarum ac mundi appellari se iussit, ait Iustin. lib. 12. Esto revera multas gentes nec adierit, nec subiugarit: quinimo audiens Democritum de infinitate mundorum differentem, ingemuit, quod ne unum quidem totum sibi subingasset.

VI. Sextum, fuit in eo incredibilis mentis vigor, ingenii solertia, animi fortitudo ad quævis ardua, atque periculorum et mortis contemptus. *Superabat fortunam audacia, et vires virtute, nihilque censebat audentibus inexpugnabile, vel munitum esse animosis*, ait Plutarch. *Periculosissima quæque aggrediebatur, et ubi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper ingerebat, periculaque sua esse non militum volebat*, inquit Iustin. In Mallis Indorum bellicosissimis primus scalis in murum evasit, ubi librato corpore in medios hostes saltu se immisit. Cuius vibrantibus armis iubar aliquod aut spectrum se videre putantes barbari, fugerunt. At ubi eum solum cum duobus armigeris conspexere, in eum irruere, eumque convulnerarunt: ipse ad murum incumbens, et in gyrum pugnans omnium impetum sustinuit, barbarumque gladium sibi intentantem confodit, donec Macedones succurrerent.

VII. Septimum fuit eius temperantia. Missis ei optimis ferculis et cocis respondit: *Nihil sibi his opus esse, meliores*

A *sibi cocos donatos a pædagogo Leonida, scilicet ad prandium iter antelucanum, ad cœnam angustum prandium. Idem ille*, inquit, *stragulorum meorum repositorium solitus erat adire, vestiariumque inspiciens, numquid mihi ad mollitiem mater, vel ad luxum addidisset, ea tollebat.* Notent hoc pædagogi principum. Quocirca otii inimicus, si non bellaret, venabatur: qua in re leonem grandem confecit; quod videns quidam exclamavit: *Macte Alexander, ista cum leone de regno est pugna.* Videns ipse Darii iam victi ampullas, alabastros, lectos, mensas, domusque odorum et unguentorum, oculos ad suos intendens: *Hoc nimirum*, ait, *erat regnare.*

Octavum fuit eius continentia. *Temperare sibi*, ait Plutarch. *magis regium ducebat quam hostes vincere: speciosissimas Darii filias et coniugem nec attigit, nec mulierem ante nuptias cognovit, excepta Barsene.* De aliis fœminis pulchris ioco dicebat: *Quam magni oculorum dolores sunt Persides.* Ad æmulationem vero formæ illarum, ostentans se victorem concupiscentiæ, sicut inanimatas signorum VIII.
B imagines transmittebat eas. Audiens quasdam a suis vitiatas, scripsit Parmenioni, ut eos tanquam belluas natas ad corruptelam hominum puniret et interficeret: *Ego enim*, ait, *non solum non vidi Darii uxorem, aut videre cogitavi; sed nec verba facientes de eius decore sustinui audire.* Dicebat, *Cognosco me mortalem esse ex somno et concubitu; quod ab eadem imbecillitate naturam incessat lassitudo et voluptas;* quodque concubitus videatur esse parva epilepsia, ut aiebat Democritus. Sane hoc in Alexandro præ aliis fuit admirandum.

Nonum fuit magnanimitas: fuit enim ipse *supra humanam potentiam magnitudine animi præditus*, inquit Iustinus. Puer tentatus a ministris, quia pernix erat pedibus, an Olympiis certare curriculo vellet? *Sane*, ait, *si habiturus sim adversarios reges.* Dolebat de Philippi patris victoriis, quasi ipse illarum laudem sibi præriperet. Bucephalum equum ferum et indomitum, qui sessorem non admittebat, insidens perdomuit: tum ei pater: *Quære*, IX.
C aït, *fili par tibi regnum: si quidem non capit te Macedonia.* Gloriam regno et vitæ anteferebat. In summa siti oblatam sibi in galea aquam respuit: *Nam ego*, ait, *si solus bibero, hi* (milites monstrans) *elanguescent.* Dario pacem petenti rescripsit: *Concedo ea lege, si secundus mihi, non par haberi velis. Proinde aut deditionem hac die, aut in crastinum aciem para.* Gaudebat se cum omnibus Darii copiis confligere, veritus longam belli moram, si is exercitum divisisset.

Decimum fuit iustitia, æquitas et liberalitas in suos. X.
Inter iudicia dum diceret accusator, manum admovebat alteri auri, dicens, *eam integram reo servari.* Moriens rogatus quem regni faceret hæredem, respondit, *Dignissimum. Tanta magni illius animi fuit æquitas, ut cum Herculem filium, cum Aridæum fratrem, cum Roxanem uxorem prægnantem relinqueret, oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet hæredem: prorsus quasi nefas esset, viro forti alium quam virum fortem succedere, aut tanti regni opes aliis quam probatis relinqui*, ait Iustin.
D Iturus ad bellum suis prædia distribuit. Cui Perdiccas: *Tibi*, ait, *rex, quid reliquum fecisti?* Respondit ille, *Spes meas.* Tum Perdiccas: *Nos quoque qui tua auspicia sequimur, harum erimus consortes.* Uxor Darii capta cum Hephæstionem putans Alexandrum, quasi regem salutasset, et cognito errore erubesceret, Alexander eam animans: *Non errasti*, ait: *nam et hic Alexander est.* Æs alienum militum creditoribus de suo dissolvit: erat id decem millia talenta demptis 130. Parentum demortuorum stipendia filiis attribuit.

Undecimum, fuit in eo insignis in victos clementia, et XI.
in omnes, etiam hostes, fides. Mazæus Darii præfectus, olim, et pro eo pugnans contra Alexandrum, victo Dario, ampliori ab eo præfectura auctus: *Rex*, ait, *olim unus erat Darius, nunc multos fecisti Alexandros.* Porum Indiæ regem victum et captum rogavit Alexander, *qua ratione tractari vellet? Regaliter*, ait Porus. Adiiciente Alexandro, nihilne aliud vellet? Omnia, inquit, verbum *re-*

galiter complectitur. Igitur regnum ei sub satrapiæ nomine restituit, et novam insuper ei regionem adiecit. Taxiles pariter in India rex timens bellum ab Alexandro cum hæc ad eum diceret: *Quid bellis inter nos opus est: si ego opibus abundantior sum, impertiar tibi libens: sin inferior, non recuso accipere abs te grato animo beneficium.* Delectatus hac oratione eumque complexus Alexander: *An tu*, ait, *pugnam hac comitate evades? Nequaquam; quippe contendam tecum, et depugnabo beneficiis, ne me superes beneficentia:* quare muneribus acceptis, datisque pluribus, denique mille talenta argenti ei clargitus est. Porro Darii matrem, uxorem, filias adeo benigne et magnifice habuit, ut Darius moriens ei gratias egerit, sibique de tali successore gratulatus sit. Unam eius filiam ipse uxorem duxit, alteram Hephæstioni, intimo suo, nuptui dedit. Quocirca Alexandro mortuo omnes eius mortem, æque ac parentis deplorarunt, ipsaque Darii mater inedia se interemit, de quo plura c. 8. v. 8.

XII. Duodecimum, fuit eius eruditio, et in literatos amor ac favor. Præter alios Aristotelem per quinquennium habuit magistrum, ad quem postea scribens: *Ego*, ait, *optimarum rerum scientia mallem me, quam potentia præcellere.* Aristotelem coluit non secus quam parentem, *quod huius beneficio viveret, illius honeste viveret.* Xenocrati misit quinquaginta talenta. Iliadem Homeri semper cum pugione repositam habebat sub pulvino; adeoque inter gazam Darii inveniens scrinium pretiosissimum, illam in eo reposuit. Diogenem veneratus est, de eoque dixit: *Ego nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem.* Insuper coluit Anaxarchum, Dandanum, Calanum Philosophos. Ex quibus Calanus hoc imperii sui speculum ei ob oculos posuit. Coniecit in medium corium siccum et retorridum; cuius oram calcavit. Id uno loco pressum, cæteris extulit se. Idem circulans undique, et pedibus premens in qualibet parte evenire ostendit, donec medium pedibus occupavit: tunc enim omnes partes quieverunt. Eo symbolo significavit, media regni maxime premenda, neque procul ab iis vagandum esse Alexandro. Illustris vero fuit eius dissertatio cum Gymnosophistis decem, quos quasi hostes bello ceperat. Proposuit hisce quæstiones obscuras, necem denuntians ei qui male respondisset: unum natu maximum dedit iudicem. Primum interrogavit, *vivosne plures censeret an mortuos? Vivos*, ait, *neque enim iam esse eos qui mortui sunt.* Secundum interrogavit, *terra an pelagus grandiores gigneret belluas? Terra*, ait, *quippe cuius portio est pelagus.* Tertium, *quod animal callidissimum esset? Quod hactenus*, ait, *homo non cognovit.* Quartum, *cur Sabam ad rebellionem contra me concitasti? Ut honeste*, ait, *viveret, aut male periret.* Quintum, *an diem, an noctem putaret fuisse priorem? Diem*, ait, *uno die.* Rege mirante adiecit, implicatarum quæstionum necesse esse ut implicatæ essent responsiones. Sextum, *qua ratione quis maxime se charum efficiat? Si potentissimus*, ait, *ille nec formidabilis sit.* Septimum, *quomodo ex mortali quis evadat Deus? Si quid fecerit*, ait, *quod denegatum sit homini.* Octavum, *an vita an mors esset valentior? Vita*, ait, *quæ tam multa tolerat mala.* Nonum, *quousque hominem vivere deceat? Quousque*, ait, *censeat satius esse vivere quam mori.* Ita tandem versus ad iudicem, qui decimus erat, pronuntiare eum iussit sententiam, qui cum alium alio segnius dixisset respondisse: Ergo tu, inquit, primus moriere qui ita decernis. Minime vero rex, ait ille, nisi tu mentiaris, qui primum dixisti te interfecturum illum, qui pessime respondisset. Hos ergo muneribus honoratos dimisit. Ita Plutarch.

His adde externa. Nam Primo, fuit in eo ingens nominis terror, indeque ingens omnium erga eum reverentia, admiratio, et subiectio, quæ omnes gentes, etiam remotissimas, compulit, ut ad eum legatos mitterent pacis causa. Secundo, barbarorum mores correxit, eosque humanos et civiles effecit. Tertio, Alexandriam, et alias civitates, usque ad septuaginta condidit. Quarto, formavit, et post se reliquit duces præstantissimos quasi alumnos suos, scilicet Seleucum, Antigonum, Ptolemæum, Aridæum, Cassandrum, etc. atque gestorum suorum scriptores habuit plurimos gravissimos et disertissimos.

Fuit ergo Alexander quasi miraculum et portentum naturæ, videturque Deus in eo ostendere voluisse quousque se porrigere possit natura: hæc enim in Alexandro quasi exeruit extremum potentiæ suæ. Quod si hæc natura pari gratia fuisset decorata, et ab ea directa, quid non fecisset? Verum non hos elegit Dominus, sed infirma mundi, ignobilia, et ea quæ non sunt, ut fortia et gloriosa confundat, ut non glorietur in conspectu eius omnis caro. Nunc ergo sæpe virtus divinæ gratiæ in infirmitate naturæ nostræ perficitur. Altius enim per Christum elevavit nos Deus, voluitque nos uti et niti viribus gratiæ magis quam naturæ, ut ductum spiritus sequamur, non sensus, non animi, non instinctus naturalis. Quocirca videmus in christianismo infirmas et teneras virgines ac pueros per gratiam Christi fuisse fortiores Alexandro, ac superasse non tantum reges et tyrannos, sed et eculeos, gladios, ignes, leones, et quidquid in mundo erat vel specie amabile, vel acerbitate terribile.

Rursum voluit Deus Alexandrum fidelibus statuere in speculum. et cotem virtutis. Si enim Alexander solis naturæ viribus tanta præstitit, quanta nos viribus gratiæ, naturam longe superantis, instructos facere oportet? Si gloriæ vanæ et caducæ cupido Alexandrum ad tam heroica facinora impulit, quam ardua nos capessere et designare decet, quibus cælestis et immortalis regni bravium, atque æternum gloriæ pondus iugiter ob oculos proponitur? Fuit hoc Alexandri axioma, teste Curtio lib. 7. et 8. *Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti.* Quocirca in Sogdiana regione rupem inaccessam, et a triginta armatorum millibus insessam obsidens, irrisus ab Arimaze rupis præfecto, rogatusque, *An Alexander volare possit? Faciam*, ait, *proxima nocte ut credas Macedones volare.* Itaque trecentos iuvenes fortissimos ingentibus promissis excitatos, per prærupta saxa et invia a tergo in rupis verticem clam conscendere fecit; itaque rupem occupavit, Arimazem cruci affixit. Quid iam arduum, quid difficile, quid impossibile censeat generosus Christi miles, cui hoc axioma a Christo proponitur, *Nihil tam alte natura constituit, quo gratia Christi non possit eniti? Confidite, nolite timere: ecce ego vobiscum sum*, etc. eum Alexandrum Christianum, Paulum inquam, intuetur et audit: *Omnia possum in eo qui me confortat:* et, *Quis nos separabit a charitate Christi? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, nec creatura alia*, etc.

Quæres Secundo, Cur regnum hoc v. 33. comparatur ventri et femoribus? Respondeo Primo: quia, sicut venter subiacet pectori et brachiis, sic regnum Alexandri proxime successit regno Persarum. Secundo, sicut venter omnem cibum ad se trahit, sed eum statim per membra dispergit, et dispertit: ita Alexander plurima regna subegit, sed statim moriens eadem suis ducibus divisit. Tertio, notatur in ventre insignis Alexandri intemperantia et ebrietas, de qua Curtius l. 5. quæ ei mortis fuit causa. Cum enim Alexander Protheæ, bibacissimo Macedoni, poculum ingens (duos capiebat congios) propinans exhausisset, Protheas illud accepit, ac vicissim idem Alexandro propinavit: qui rursus illud ebibit; sed perferre non potuit: nam mox poculo e manibus lapso in pulvinar reclinatus, ac morbo correptus succubuit, decubuit, interiit, sui homicida. Testis est Athenæus l. 10. 11. Quarto, in femoribus significatur luxuria non tam Alexandri, quam successorum eius Ptolemæorum in regno Ægypti, qui solemne habebant sorores suas ducere in uxores. Alexander enim luxuriosus adeo non fuit, quia ebriosus: ebriosi enim sicut vino sopiunt sensus, ita et sopiunt hebetantque orexin ad venerem: rursum semen prolificum vino diluunt et dissipant.

[Margin: Cur regnum Græcorum comparatur ventri? Causa. 1. 2. 3. — Alexander potando se occidit. — 4. — Ebriosi non sunt luxuriosi, cur?]

Vers. 40. ET REGNUM QUARTUM ERIT VELUT FERRUM.) Hoc est regnum, ait S. Hieron. et alii passim, Romanorum, armis, et fortitudine inclytum, quod v. 33. assimilatur tibiis: quia ultimum fuit et firmissimum: idque duabus: [Margin: Quarta monarchia Roman.]

compa- ratur ti- biis fer- reis, cur? quia imperium hoc apud plures fuit, scilicet, primo, apud duos Consules; secundo, apud Duumviros; tertio, apud duos Imperatores, unum in Oriente, alterum in Occidente; unum Constantinopoli, alterum Romæ, vel in Germania agentem. Aquila biceps Imp Roman. in signe, cur? Hinc eius insigne est aquila biceps, sive duorum capitum: inde in castris vexillifer dictus est *aquilifer*, et vulgo voce contracta *alfiero*. Recte Poeta:

Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere subiectis, et debellare superbos.

Porro in ferro notatur tum bellica vis, tum duritia Romanorum in continuis laboribus, vel agrorum, vel armorum, quibus sibi invictum robur corporis et animi parabant. Audi quæ de priscorum Latinorum exercitiis canit Virgil. l. 9. Æneid.

Durum a stirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus et undis;

puta gelidis undis.

Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant:
B *Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.*
At patiens operum, parvoque assueta iuventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, versaque iuvencum
Terga fatigamus hasta: nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus; semperque recentes
Convectare iuvat prædas, et vivere capto.

Scipio Africanus, ut habetur Epitome 57. *Duo millia scortorum a castris reiecit: omnia deliciarum instrumenta recidit: militem omni die in opere habuit: triginta dierum frumentum, ac septenos vallos ferre coegit.* Spartianus de Pescennio scribit, eum iussisse, ut in expeditione nemo vinum biberet, sed aceto omnes essent contenti. Idem pistores castra sequi vetuit, buccellato iubens omnes vivere. Quisque ergo miles et arma, et cibum saltem dimidiati mensis portabat. Insuper Romani milites erant fabri lignarii, navicularii, etc. neque minus apte gladios et hastas, quam secures, dolabros falcesque tractabant. C Testes huius rei sunt milites Cæsariani, qui, ut ipse ait Cæsar, materiam cædebant, unde pontes, naves, machinasque urbibus oppugnandis ædificarent. Frumentum ipsi ex agris metebant, et in castra deportabant. Lecti erant e stramine, unde segestria appellata vult Varro lib. 4. Ludos gladiatorios instituebant, ut, cum in arena pugnas et ferrum et vulnera tractassent, imo excepissent, in acie dimicantes, hostes non timerent, neque vulnera et sanguinem perhorrescerent, inquit Capitolinus in vita Maximi. Plura vide apud Lipsium de Militia Rom. et nostrum Valtrinum de Re milit. Roman. lib. 1. cap. 3. et 4.

Comminuet et conteret omnia hæc.) Per exercitus, quos ad continendos in obedientia populos, in singulis provinciis alebant. Unde Tertull. lib. contra Iudæos c. 7. *Quid de Romanis*, ait, *dicam, qui de legionum suarum præsidiis imperium muniunt?* Itaque sparsas per gentes alebant continuo triginta duas legiones, ex quibus octo erant in Germania, aliæ in Hispania, Asia, Africa, etc. uti D docet Cardin. Baron. et alii. Hæ enim gentes apud quas residebant, aliasque vicinas pessumdabant et comminuebant. Has autem legiones alebant tributis, quæ provinciis indicebant; et ad ea colligenda, adque provincias in officio continendas, mittebant in eas Prætores et Proconsules. Unde Cicero Quinto fratri in præfectura Asiana duo commendat, scilicet publicanorum curam ad exigenda tributa, et militum præsidia ad continendos provinciales. Hisce duobus Romani omnia regna contriverunt, sibique subiecerunt, ut magnifice sed vere dixerit Martialis:

Terrarum dea Gentiumque Roma,
Cui par est nihil, et nihil secundum.

Et Livius lib. 1. *Nulla*, ait, *unquam resp. nec maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.* Et Claudianus:

Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit: quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris,
Armorum legumque parens quæ fundit in omnes
Imperium.

Hinc illa vulgata: *Romanos rerum dominos: Romam mundi caput: mundi miraculum: mundi compendium: arcem nationum ac regum: lumen gentium.* Denique Propertius:

Omnia Romanæ cedant miracula terræ.
Natura hic posuit quidquid ubique fuit.

Et Plutar. *Romanum imperium*, ait, *velut anchoram fuisse fluctuanti mundo.*

Regnum divisum erit.) Rabbini putant hic signifi- Vers. 41.
cari quintum imperium, nimirum Turcarum. Sed errant: Daniel enim tantum quatuor hic consignat, et de quarto ait, quod in eo ferrum permiscebitur testæ. Rursum cum de eodem ait, *Regnum divisum erit;* plane significat idem regnum fore, sed in se divisum. Tertio, cum de eodem ait v. 42. *Ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum;* clare indicat, se non aliud novum imperium, sed eiusdem imperii varios status significare. Facessant ergo Iudæi qui divisum Romanum Imperium interpretantur in Romanos et Turcas: nec enim Turcæ sunt pars, sed hostes iurati Imperii Romani. Dico ergo, Imperium Romanorum prædici hic fore *divisum*, id est, differens viribus; item dissidens et discors, ut cum plebs in senatum, Sylla in Marium, Cæsar in Pompeium, Augustus in Antonium, et alii deinceps in alios insurrexerunt: multi etiam Imperium invaserunt. Unde digiti pedum significant inæqualitatem principum, cum plures sunt, dum alii maiores, id est potentiores, opprimunt minores: hi deinde potentioribus invident. Potissimum vero divisum fuit hoc regnum, ideoque enervatum, cum variæ gentes ab eius obedientia se subduxerunt, sibique proprios reges crearunt, uti fecerunt Hispani, Poloni, Angli, Franci, etc. Porro hæc regna fuerunt et sunt inæqualia, alia maiora, alia minora, sicuti digiti pedum inæquales sunt, alii maiores, alii minores. Rursum ex duabus tibiis oriuntur decem digiti pedum, et in eis tota statua desinit: quia Romanum Imperium in fine mundi dividetur in decem reges, quorum nullus erit rex Romanorum, sicut nullus digitus est tibia. Digitorum enim extremitas finem continet Imperii deficientis et quasi exspirantis.

Hinc initio hoc regnum fuit ferreum et validum, deinde fictile et *contritum*, id est facile contritu, scilicet cum Romani bellis civilibus se attriverunt; et cum Gothi, Alani, Wandali illud impetierunt ita valide, ut sæpius Romani ab eis pacem flagitare, imo opem contra alios Imperii hostes poscere coacti fuerint. Ita S. Hieron. Vide Paulum Orosium l. 7. histor. c. 22 Atque in fine mundi a decem regibus plane evertetur.

Nota. Hæc divisio orta est *ex plantario* ferri; Vatabl. vertit, *ex firmitate*, id est ex planta pedis statuæ quæ ferrea erat. Secundo, et melius vertas, *ex plantario*, id est Planta-
ex radice, *pedis ferrei*: ita Græca: ρίζη enim significat ra- ria quid?
dicem: et Chald. נצבת *nitsebet* plantationem significat. Unde Biblia Compl. hic legunt, *de plantatione ferri.* Melius Romana, *de plantario ferri*: sic enim plantaria teste Servio, vocantur ipsæ plantæ, quæ e semine ortæ, cum radicibus et terra propria, transferuntur de uno loco in alium, q. d. Ex fortitudine et divitiis, quæ erant quasi ferrum, id est robur Romanorum, tanquam e radice pullulabit eorum ambitio, indeque discordia, dum nec Cæsar Pompeium superiorem, nec Pompeius Cæsarem parem patietur, et ut Alexander legatis Darii pacem et regni di- Mundus
visionem offerentibus, respondit: Sicut mundus non fert non fert
duos soles, sic nec duos monarchas? Aut Cæsar aut nihil. duos monar-
Sic ergo Romæ ex aristocratia nata est tyrannis. Hoc est chas, uti
quod canit Petronius Arbiter in Satyr. nec duos soles.

Orbem iam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque.

Mox imperii vires lacerasse discordiam docet;

Namque omnis regia cæli
In partes diducta ruit.
Infremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput,

*

iubens factionibus discindi Romam. Ac concludit:

Factum est in terris, quidquid Discordia iussit.

Quocirca Iunoni, quæ regnorum præses habebatur, malum Punicum dedicarunt veteres, quod in eius manu Mycenis spectabatur, cum altera sceptrum gestaret. Sicut enim in malogranato, sub uno exterius cortice multa interius grana uniuntur: sic plurimos cives unitas politiæ continet, quos intus diversitas familiarum distinguit. Malogranatum ergo est symbolum unionis et concordiæ, quæ reip. est basis et fulcrum, imo anima et vita. Hinc et pontifex Mosaicus in tunica ima gestabat tintinnabula mista malogranatis, quæ unitatem Ecclesiæ significabant, teste Eucherio et S. Greg. in Cant. 4. quod scilicet multæ gentes conspirarent in eundem sonum, hoc est in eamdem fidei professionem, Deique laudem quasi tintinnabula; et in eamdem animorum unionem ac charitatem, quam notat malogranatum in mira illa, et, ut S. Hieron. ait in Aggæi 2. quasi geometrica compositione granorum in diversis mansiunculis uno cortice comprehensorum: ita Prado in Ezech. 49. 10.

Vers. 43. Commiscebuntur quidem humano semine.) Notat Daniel democratiam, vel aristocratiam Romanorum, q. d. Romani ad sedandas discordias iungent potentium connubia, facientque eos affines et cognatos; sed hæc coniunctio et affinitas instabilis erit et infirma, uti est mistio ferri cum testa: nam *summa potestas impatiens consortis erit.* Huius rei veritas patuit in connubio Pompeii cum Iulia Cæsaris filia, et Marci Antonii cum Octavia sorore Octavii Augusti, atque aliis: nam hæc connubia ambitiosos fœderare non potuerunt, quin in cædes et bella erumperent. Sic et hodie videmus regum connubia late regnandi aviditatem, indeque orta litigia et bella non tollere: maior enim et potentior est vis ambitionis quam cognationis. Aliqui sic explicant, q. d. Imperium Romanum multas gentes, alias fortiores, alias imbecilliores continebit (semina enim pro gentium et hominum varietate posuit;) sed non cohærebunt sibi, nec sociabuntur, sicut nec testæ ferrum permisceri potest, ideoque totum tandem imperium dissolvetur. Verum hæc divisio provinciarum fuit etiam tunc, cum maxime floreret imperium Romanum: nec hæc fuit causa ruentis imperii, quod in eo ferrum testæ, id est fortiores gentes infirmioribus socia-rentur. Prior ergo expositio verior est.

Hæc est ergo statua una, sed quadrifida, ob quatuor regna: unde Zachar. c. 6. v. 4. eadem quadrigis disparibus comparat.

Imperia omnia quam imbecilla, et quam parvo tempore durarint.

Vide hic rursus regnorum et regum vanitatem et inconstantiam: statua hæc bases, id est pedes habet testaceos: quid testa, quid luto vilius, mollius, fragilius? Primum Babylonis imperium cœpit a Nabuchodonosore, finitum est in Balthasare, eversum a Cyro; stetit annos tantum 70.

Secunda Persarum monarchia cœpit a Cyro, desiit in Dario, eversa est ab Alexandro; stetit annos ducentos.

Tertia Græcorum cœpit ab Alexandro, inde mox divisa fuit in regna Ægypti, Syriæ et Macedoniæ: stetit in Ægypto usque ad Augustum Cæsarem, qui Cleopatram cum Antonio ad spontaneam mortem adegit, regnumque Ægypti evertit; stetit inquam annos 288.

Quarta Romanorum, quæ cœpit a Iulio Cæsare et Augusto, adhuc durat; sed quam divisa et debilitata! Imperium tamen Romanorum et Romani senatus fuit longe antiquius, illudque labescere cœpit sub Cæsare et Augusto ob discordias et bella intestina. Unde horum discordiæ et connubia recte comparantur hic pedibus statuæ mistis ex ferro et testa. Pedes enim sunt extrema statuæ, in quibus ipsa finitur et desinit: ita hoc imperium interire et desinere cœpit sub Augusto, ac per Christum tunc nascentem eversum, uti subdit Daniel.

Moraliter, speculum hoc intuemini, o filii Adæ, ac discite, quia *omnis potentatus vita brevis.* Ubi nunc est Nabuchodonosor ille inclytus? ubi Cyrus? ubi Darius? ubi Pompeius? ubi Augustus? vixit, valedixit, valete et plaudite. Ubi Cæsar? ubi Antiochus? ubi Alexander?

A

Unus Pellæo iuveni non sufficit orbis,
Sarcophago contentus erit: mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.

Alexandrum heri totus orbis capere non potuit, hodie urna sex pedum capitur: heri Alexander orbi, iam lumbrici dominantur, imo depascuntur Alexandrum. An *non in imagine* (instar umbræ et umbratilis imaginis) *pertransit homo, et frustra conturbatur? Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Alexander transiit, mortuus est, et comestus a vermibus: et vos transibitis, moriemini, et a vermibus comedemini. Alexander in inferno sepultus est: cavete ne et vos ibidem sepeliamini.

Ubi iam Babylon? ubi Ninive? ubi Hierosolyma? ubi Roma orbis domina, arx totius mundi, domus fortitudinis, imperii maiestas, terror universi, triumphorum gloria? an non testacea fuit, fragilis, caduca? Vere noster Lipsius lib. 3. de Magnitud. Romana cap. 2. *O spes et res*

B

humanæ, quid estis? quo itis? huc flectite. En potens et superba illa Roma, quæ urbs æterna audiebat, quæ victura cum sæculis, quæ deorum opus et cura, tota periit, condita in ruinis suis iacet, et laboramus eruere et astruere magnitudini eius fidem.

Certe vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid est vita nostra? quid regnum? quid gloria? vapor est, somnium est, folium est. Homerus lib. 6. Iliad. homines comparat cum arborum foliis, quæ modo virescunt, modo arescunt: nunc pulchritudine decorantur, nunc a vento rapiuntur. Euripides huius sæculi felicitatem asseruit tantum durare per unum diem: Demetrius vero Phalereus per unum dumtaxat temporis punctum: Quid ergo est rex? quid monarcha? homo est. Homo quid est? est umbræ somnium, inquit Pindarus. Quid est homo? *est animal quo nullum est debilius et inconstantius,* inquit Menander; nullum enim animal est quod crebrius ac velocius modo surgat, modo cadat, quam homo. Quid est homo? *est fortunæ lusus, inconstantiæ imago, temporis spolium, corruptionis*

Quid regnum? Quid rex? quid homo?

C

exemplum. Quid est homo? *est universa vanitas,* ait Psaltes Ps. 38. 6. *Deum ergo time, et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo.* Cælum cogita, Æterna cogita.

In diebus autem regnorum illorum.) Cum scilicet quatuor regna iam dicta suum tempus, sua spatia regnandi habuerint, eaque evoluta fuerint usque ad ultimum, hoc est, Romanis iam regnantibus. Vers. 44.

Suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur.) Quintum hoc regnum est Christi, quod alia omnia regna evertit, non quoad temporale regimen, sed quoad idololatriam, aliaque vitia, omniaque sibi et suæ fidei ac obedientiæ subiecit. Unde hoc regnum non temporale est, sed spirituale et æternum, quod inchoatur hic per fidem et gratiam, atque in cælo consummabitur per gloriam. Licet enim Christus, qua homo, ob gratiam et dignitatem unionis hypostaticæ cum Verbo, esset etiam temporalis rex orbis, imo rex regum et monarcha mundi; tamen ipse hoc regno et hac potestate regali uti noluit, sed tantum regno et potestate sua spirituali. Unde hoc spirituale eius regnum tantum inculcat Daniel, aliique Prophetæ.

Quintum regnum Christi spirituale est et æternum.

D

Perperam ergo hoc loco abutuntur Rabbini, ut probent Messiam necdum venisse. Obiiciunt enim: Hic lapis dicitur contrivisse aurum, argentum, æs et ferrum statuæ, id est, imperia Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum: atqui imperium Romanorum videmus necdum esse contritum, sed adhuc stare: ergo lapis hic, id est Messias, qui illud conteret, necdum venit. Respondet Primo, Theodor. hic, et Tertull. lib. extremo contra Iudæos, Christum non nunc, sed in fine mundi, puta in die iudicii, destructurum omnia regna mundi, nimirum plane et perfecte. Verum amplius aliquid vult Daniel: scilicet id eum facturum in primo suo adventu, mox a sui ortu. Respondeo ergo, Messiam contrivisse hæc omnia imperia, non quoad temporale et terrenum dominium, quod parvi est momenti; sed quoad mysticum et spirituale, quo per gentilismum et idololatriam dominabantur tam mentibus,

Obiectio Iudæorum.

Resp. regnum Christi esse spirituale, non corporale.

quam corporibus hominum, eosque dæmoni, inferno et pœnis æternis mancipabant: quæ tyrannis erat acerbissima, sub qua duram servitutem serviebant omnes gentes, gementes sub eius iugo. Hanc tyrannidem evertit Christus, hominesque hoc eorum servitutis iugo liberavit, dum eos suæ fidei subiiciens, in Dei gratiam, libertatem, et salutem æternam asseruit. Regnum ergo Christi non est caducum et terrenum, sed stabile et cœleste; regnum enim Christi est Ecclesia. Id ita esse patet Primo,

Probat. I. quia lapis hic quem vidit Daniel, cum esset parvulus, non poterat tantam statuæ molem ex ære, ferro, auro et argento compactam prosternere physice et corporaliter: ergo mystice et spiritualiter, ac symbolice (est enim hæc visio tota symbolica) id accipiendum est, nimirum ut significet, quod Christus humilis et pauper sua humilitate, mundique contemptu deiecturus esset in mentibus fidelium per totum orbem, omnem ambitionem, pompam et fastum humanæ gloriæ et concupiscentiæ, quam ingens hæc statua ostentatione, mole et pretio metallorum repræsentabat.

II. Secundo, quia imperium Romanorum stabit ad finem mundi, scilicet usque ad Antichristum, qui illud destruet, ac mox ipse destruetur a Christo iudice, qui evertens omnia regna terrena, inducet regnum beatum et gloriosum in cælis, uti docet Daniel c. 7. v. 13. Ergo frustra Iudæi expectant Messiam, qui Romanorum imperium destruat, ac pro eo regnum hic terrenum et longævum instar Salomonis inducat: stabit enim, ut ait Daniel, Romanorum regnum usque ad finem mundi. Ergo Messias suum regnum triumphans et gloriosum non habebit in hoc mundo, sed in cælo. Quocirca ait Daniel hic: *In diebus regnorum illorum*, q. d. Stante adhuc regno temporali Romanorum, orietur regnum spiritale Christi.

III. Tertio, spiritale fore regnum Messiæ, non terrenum et corporale, docet diserte Daniel c. 9. ubi definiens tempus Messiæ, nimirum eum venturum post septuaginta hebdomades annorum, id est post 490. annos, ait de eo: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam* (non ut reducatur regnum Salomonicum et Iudaicum, sed) *ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum.* Vides, o Iudæe, regnum Christi non fore in exercitibus, pompis et triumphis, sed in abolitione prævaricationis et peccati, ut pro eo inducatur sanctitas et iustitia, eaque in Christianis toto orbe regnet. Insuper, Daniel et Prophetæ aiunt Christi regnum fore æternum: ergo intelligunt cæleste: nullum enim regnum in terris potest esse æternum. Hoc est, quod Christus Pilato roganti an rex esset, respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Licet ergo Pontifices iam habeant dominium temporale, id tamen non habent qua vicarii Christi, sed quasi accessorium ex donatione Constantini, Caroli Magni, Machtildis et aliorum piorum principum.

IV. Quarto, quia Daniel et Prophetæ docent, Messiam in hac vita adeo non fore potentem et splendidum, ut plane significent eum fore pauperem, abiectum, passurum, moriturum, et crucifigendum, ut sua cruce et morte satisfaciat Deo pro peccatis nostris, eaque in suo corpore luat, et expiet. Audi Danielem cap. 9. v. 26. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit eius populus, qui eum negaturus est,* uti Iudæi eum negarunt coram Pilato, dicentes: *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Audi Isaiam c. 53. 2. *Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor,* etc. *vidimus eum despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem.* Et v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum.* Et v. 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore eius sanati sumus.* Similia habet David Psal. 21. *Foderunt manus meas, et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea,* etc. Et Ieremias c. 11. 19.

A *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi; quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viventium.*

Quinto, quia regnum Christi non fore in carne, sed in spiritu, rebusque spiritualibus docent omnes Prophetæ. V.
Isaias cap. 11. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Iudicabit in iustitia pauperes.* Et c. 42. 1. *Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.* Et v. 6. *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, ut aperires oculos cæcorum,* etc. Et cap. 49. 6. *Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Et cap. 61. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde,* etc. *ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro,* B *et ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, et vocabuntur in ea fortes iustitiæ.* Talia passim habet Isaias. Et Ieremias c. 31. v. 33. *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel,* etc. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me: quia propitiabor iniquitatibus eorum, et peccati eorum non memorabor amplius.* Et c. 33. v. 15. *In diebus illis germinare faciam David germen iustitiæ* (Christum) *et faciet iudicium et iustitiam in terra: et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Et Zachar. c. 9. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinum, et super pullum filium asinæ,* etc.

Quod ergo subinde Prophetæ dicunt, Christi regnum fore potens, et abundans auro, argento, vino, oleo, etc. C id mystice accipiendum est: Gratias enim, et dona spiritualia Christi vocant metaphorice aurum, argentum, vinum et oleum; quia Iudæi carnales hæc tantum bona norant et adamabant: nec spiritualia, nisi per corporalia mystice repræsentata, capiebant.

Denique ita docent S. August. tract. 115. in Ioannem, Tertull. Cyprian. et alii in libr. quos contra Iudæos scripserunt, S. Bernard. serm. 3. super Missus, et alii passim, ac interpretes orthodoxi omnes.

Porro hæc eversio gentilismi, et hoc regnum spirituale Christi cœpit mox a Christo per S. Petrum, Paulum, et alios Apostolos; unde et tunc Claudius Imperator multa sacrificia, multaque deorum festa abrogavit, hoc titulo, quod magni sumptus, multique dies cum damno publico in iis insumerentur; sed altiore Dei consilio dirigebatur ab abolendam sensim idololatriam, et ad viam Christo, Christique regno sternendam. Testis est Dio lib. 6. et ex eo Baron. tom. 1. Annal. Paulatim deinde crevit hoc re- D gnum Christi, adeo ut sub Constantino totum Imperium pervaserit, ipsumque Imperium Romanum eousque gentilitium, cum suis Imperatoribus factum sit Christianum. Nam, ut ait S. Gregorius epistol. 60. *Constantinus piissimus Imperator Rempubl. a perversis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Domino Iesu Christo se subdidit, et cum subiectis populis tota ad Deum mente convertit.* Quocirca Imperatores a Pontifice confirmantur, consecrantur et coronantur. Et S. Hier. ad Lætam: *Deposuit,* inquit, *pharetras Armenius, Hunni discunt psalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei, Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria,* etc. Christus ergo nascens verius fuit Augustus, quam ipse Augustus Cæsar: auxit enim suos augusta gratia, salute, omnique bono: ita Ven. Beda in illud Lucæ 1. *Exiit edictum a Cæsare Augusto;* ubi docet, Augustum quasi egentem et angustum, ab omnibus exegisse censum et tributum; Christum vero quasi divitem et augustum illud ei dedisse, eumque ac multo magis fideles suos ditasse. Quocirca

A Christo nato Augustus noluit amplius vocari imperii dominus, imo, ut multi tradunt, Christum sibi in visione ostensum in Capitolio adoravit: inde enim locus dictus videtur *ara cæli*, qui etiamnum hoc nomine a multis colitur et visitur insigni templo, quod Religiosi S. Francisci obtinent, illustris. Ita ex Suida, Cedreno et Nicephoro Baron. in prolegom. Annal.

Vers. 45. Christi regnum comparatur lapidi, cur?

DE MONTE ABSCISSUS EST LAPIS SINE MANIBUS.) Hoc Christi regnum comparatur lapidi duro; quia Christus est petra supra quam fundata est Ecclesia, quæ est regnum eius æternum: et quia Christus instar Davidis percussit Goliath, id est dæmonem, lapide, id est humilitate et duritie passionis et crucis suæ.

Nota. *Lapis hic abscissus est de monte,* id est de dæmone, aiebat Vigilantius, cui humana natura per peccata et vitia adhæserat; sed hanc eius blasphemiam refutat S. Hieron. epist. 75. *De monte* ergo, id est de populo et Ecclesia Iudaica, quæ inter Gentes quasi mons eminebat, ait S. August. tract. 9. in Ioannem: vel potius *de monte,* id est de B. Virgine, quæ quasi mons habuit omnium virtutum et gratiarum sublimitatem. Ita idem Augustin. in concione ad catechum. et S. Hieronym. Theodor. Lyran. et alii.

Abscissus fuit de monte, id est de B. Virgine.

Nota secundo. Lapis hic *abscissus est sine manibus;* tum quia Christus, qua Deus, a Patre genitus est sine manibus creationis, ait S. Ambros. ser. 70. Tum potius, quia Christus, qua homo, a Spiritu sancto formatus est in utero B. Virginis, sine opera virili. Unde S. Hieron. epist. ad Eustochium de custodia virginit. c. 22. notat hic, uti et Cantic. 6. manus sumi pro opere nuptiali. Sic et Iren. l. 3. 28. Iustin. dial. contra Tryphon. Epiphan. serm. de laudibus Virginis, S. August. tract. 9. in Ioannem, Theodor. Rupert. et passim alii hic. Porro Theod. solerter notat, ortum supra naturam solere lapidis excisionem nominari: petra enim ex se naturaliter aliquid producere aut generare nequit. Hinc Isaiæ 52. 1. dicitur: *Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci de qua præcisi estis;* quod explicat, dum subdit: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos.* Isaac enim et Hebræi ex sterili Sara prognati sunt supra naturam, perinde ac si de petra præcisi essent. Ita S. Hieron. ibidem. Itaque in conceptu et nativitate lapis Christus sponte sua, nullisque intervenientibus manibus in mundum descendit, eodem modo in uterum Virginis illapsus, et ex eodem elapsus, ait Proclus Cicyzenus hom. de Christi nativit. Simile dat ex Dioscoride l. 5. c. 114. et S. Epiphanio lib. de 12. gemmis, Nicolaus Causinus parallel. Histor. lib. 11. cap. 53. *Sicut,* ait, *sapphiri visceribus innascitur lapis sane pretiosus, et ipso qui genuit pretiosior, lucidus et splendens carbunculus; ita ex virginum gemma Maria natus est ille lapis angularis excisus de monte sine manibus, matre nobilior, et matri totius nobilitatis auctor.*

Sine manibus, id est, sine opera virili.

O Virgo insignis, mater pia, nobile semen,
Quam Deus implevit totius orbis ope.
In te habitans mundi lumen statione corusca,
Floruit interius per tua membra Deus.
Nunc vivax fulgor penetrans et ad ima profundi,
Orbem alit, astra regit, tartara luce replet.

Porro Gentiles hæc ad deorum suorum superstitiones transtulisse, docet S. Iustin. contra Tryphon. *Iam,* inquit, *quando Mithragyrtæ suum Mithram aiunt saxo progenitum, et speluncam vocant locum ubi discipulos initiant, nonne hic licet agnoscere saxum illud, quod Daniel dicit excisum sine manibus? nimirum his quoque oracula effingere conantibus.*

COMMINUIT TESTAM, ET FERRUM, ET ÆS, ET ARGENTUM, ET AURUM.) Lapis hic fuit coniectus in statuam, eamque comminuit et confregit, uti lapide solet statua deiiciet confringi. Hoc symbolice significabat, quod regnum Christi spirituale everteret omnia regna mundi, omnesque Gentes subderet Christo et Ecclesiæ.

Christi regnum alia superat.

Nota. Christi regnum alia omnia regna superat octo prærogativis, scilicet Primo, duratione: quia stetit iam 1600. annos, et stabit in æternum.

I. Duratione.

Secundo, amplitudine: quia omnes mundi plagas, etiam Indos et Sinas sibi subiecit, aut subiiciet: hinc dicitur v. 35. *Lapis factus est mons magnus,* id est Ecclesia magna: hæc enim est mons domus Dei, Isaiæ 2. 1. II. Amplitudine.

Tertio, vi et efficacitate, qua non solum corporibus in resurrectione, sed etiam animis mentibusque hominum intime dominatur, atque ex obduratis, superbis, obscœnis, rebellibus, facit molles, humiles, castos, obsequentes. III. Efficacia.

Quarto, fructu: quia eos qui se illi subiiciunt liberat a dæmone, peccatis et inferno, facitque eos filios Dei, et hæredes cæli. IV. Fructu.

Quinto, modo quo partum et acquisitum est: quia scilicet non armis, sed paupertate, humilitate, cruce, domandis cupiditatibus, patientia, martyriis, contemptu honorum, opum et voluptatum, atque amore rerum cælestium, Christus monarcha, eiusque Apostoli et sequaces illud constituerunt et propagarunt. V. Modo.

Sexto, excellentia sanctissimarum legum, quæ omnem castimoniam, innocentiam, sanctitatem, et perfectionem B præscribunt. VI. Sanctis legibus.

Septimo, fine: quia sibi subditos facit et creat reges in cælo. VII. Fine.

Octavo, quia regem habet ipsum Christum Deum ac Dominum omnium: ita Pererius. VIII. Rege Christo.

TUNC REX NABUCHODONOSOR CECIDIT IN FACIEM SUAM.) Vers. 46. Agnovit enim ex somnio Danielem non fingere, sed vere apteque illud interpretari. Cum enim Daniel somnium quod ipse oblitus erat ei refricavit, mox ipse eius recordatus est, sibique dixit: Vere hoc somniavi, vere hoc fuit somnium meum. Unde ex eo prudenter collegit: si Daniel tangit ipsum somnium, tanget et eius significationem: neutrum enim naturaliter, sed sola Dei revelatione sciri potest. Deus ergo qui revelavit Danieli meum somnium, eidem quoque revelabit somnii interpretationem. Ad hoc enim somnium ipsum ei revelavit, ut scilicet per hoc futura quæ significat, cognoscerem: alioqui enim frustra somnium ipsum revelasset.

C DANIELEM ADORAVIT.) Adoratione, id est veneratione quæ viris magnis et sanctis exhibetur, qua Abraham adoravit filios Heth, Genes. 23. 7. Ita Vasquez et alii. Secundo, et verius, adoravit proprie: hoc enim significat Chald. סגיד *seghid:* unde בית סגידתא *bet sigdeta,* vocatur domus orationis, id est templum in quo adoratur Deus. Id mox clarius patebit.

ET HOSTIAS ET INCENSUM PRÆCEPIT UT SACRIFICARENT EI.) Nota. Sacrificium Sanctis, imo Christi humanitati offerre non licet, sed soli Deo: sacrificium enim est protestatio numinis, et divinitatis eius, cui offertur: ita S. August. lib. 10. contra Faustum cap. 21.

Sacrificium soli Deo offertur, non Sanctis, cur?

Quæres, quomodo ergo Nabuchodonosor iussit Danieli offerri sacrificium? Respondet Primo, S. Hieron. regem hoc sacrificio non tam Danielem, quam in Daniele Deum venerari et colere voluisse: unde ait, *Vere Deus vester Deus deorum est.* Sic Alexander adoravit Iaddo pontificem, id est Deum cuius pontifex erat Iaddo. I.

Quomodo rex Danieli sacrificari iussit?

D Secundo, idem Hieron. respondet, regem huius prophetiæ magnitudine perturbatum et attonitum, id ex stupore inconsiderate iussisse. II.

Tertio, Gabriel Vasquez libr. 1. de Ador. disp. 6. c. 3. cui favet Card. Bellarm. respondet pro *hostias* hebr. esse מנחה *mincha,* id est oblationes (ut vertit Syrus et Arabicus) et munera, scilicet odorum et suffituum. Hæc enim etiam Sanctis, imo imaginibus, offerri possunt, uti definit Synodus VII. act. 7. Unde et Sept. pro *mincha*, vertunt μαναα, id est munera, ut vertit Græcus Schol. puta thus, ut explicat Theodor. και ευωδιας, id est, et suaves odores. Non ergo victimas carneas, sed thus et suffitus iussit rex adoleri Danieli, uti eadem Sanctis, imo regibus adolentur. Verum hæc nunquam a principibus usurpata videntur, nisi cum insanientes adversus Numen divinos honores affectarunt, uti recte observavit noster Pineda lib. 5. de Rebus Salom. cap. 9. III.

Quarto, verius videtur, regem proprie adorasse Danielem, et iussisse veras victimas sacrificari illi, tamquam IV. genuine.

Prophetæ divino, habenti in se numen et spiritum Dei. Sic enim Gentiles suos reges, et homines sapientia aut virtute excellentes, quasi deorum filios adorabant, et sacrificiis colebant.

Audi Lycaonios Actor. 14. 10. de Paulo et Barnaba loquentes: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*, etc. *sacerdos quoque Iovis tauros et coronas afferens, cum populis volebat sacrificare.* Quin et Plato præter unum Deum summum posuit alios minores deos pariter adorandos: et sic adorari voluit ipse Nabuchodonosor in statua quam erexit cap. 3. 5. Sic ergo proprie rex adoravit Danielem, quasi hominem, imo Deum aliquem, de cælo lapsum: præsertim, quia ipsimet eius sapientes ei dixerant v. 11. non esse hominem qui somnium hoc regi enarrare posset, *exceptis diis quorum non est cum hominibus conversatio.* Daniel autem illud regi enarravit: ergo ex eorum sententia, quasi unus e diis haberi et coli debebat.

Probat. 1. Hunc sensum exigere videtur primo, vox hostia, quæ victimas proprie dictas significat; secundo, vox *sacrificarent*, et Chald. לנסכה *lenassecha*, id est, *libarent;* tertio, vox *adoravit:* nam Chald. est *seghid*, ut dixi; quarto, vox Chald. ניחוחין *nichochin*, quæ non significat quoslibet odores et suffitus; sed sacros et religiosos, puta incensum et thymiama. Ad verbum enim *nichochin*, significat placamina, scilicet sacrificia et thurificationem, quibus placatur Deus: radix enim Hebr. et Chald. נוח *noach*, in Chald. significat quiescere, et in Hiphil, sedare, placare, propitiare.

Denique licet Hebr. *mincha*, subinde quodlibet donum aut munus significet, tamen quando iungitur cum incenso et sacrificio, uti hic fit, non nisi victimam significat. Nec aliud voluerunt Septuag. ipsi enim retinuerunt Hebræam vocem *mincha*, sed molliendo pro *mincha* posuerunt *manaa.* Sic enim gutturalem *chet* solent emollire, eamque in *e*, vel in *a* convertere, ut pro *pesach* vertunt *phase*, pro *Corach Core*, pro *Tharach Thare*, etc. *manaa*

A ergo est idem quod *mincha*, scilicet hostia et victima. Id ita esse, patet ex Baruch 1. v. 10. ubi dicitur: *Emite holocaustomata, et thus, et facite manna pro peccato ad aram Domini Dei nostri.* Ubi certum est *manna* esse idem quod *mincha*, et significare hostiam proprie dictam, puta sacrificium.

Dices, Ergo idololatriam admisit hic rex, eique consensit Daniel: tacuit enim, et permisit eam sibi impendi. Obiecit hoc olim Danieli Porphyrius, cui respondet hic S. Hieron. Porphyrium sequitur Calvinus dum ait, Danielem aulicis moribus fuisse corruptum. Ita Aristarchus ille philolœdorus. Sed apage blaspheme, qui ex Propheta sanctissimo et sapientissimo facis Luciferum, Dei æmulum, et divini honoris cupidum.

Dico ergo, Danielem nullo modo consensisse, sed omni modo restitisse et impedivisse executionem mandati regii, uti restiterunt Paulus et Barnabas Act. 14. etsi Scriptura idipsum, uti et alia multa, hic taceat: satis tamen illud innuit eo ipso, quo mandatum hoc executioni datum
B esse, et Chaldæos reipsa sacrificasse Danieli, non commemorat: præsertim, cum mox subdat Danielem a rege alio honore fuisse affectum, scilicet toti Babyloniæ fuisse præpositum. Ita Lyrau. Dionys. Carthus. Maldon. et alii.

Super opera.) Super negotia, q. d. Præfecit eos administrationi et regimini Babyloniæ.

Daniel erat in foribus regis.) Græce est, *Daniel erat in atrio regis*, id est Daniel erat in aula princeps, regi proximus et intimus; ita ut nemo sine eius auctoritate ad regem ingrederetur. Ita S. Hieron.

Aliter Vatabl. Daniel, inquit, in porta regis sedit, ut redderet ius, id est fuit index: iudices enim olim sedebant in portis urbium quasi in loco publico et omnibus obvio. Sed prior sensus est verior. In Daniele ergo verum est illud Aristidis tom. 3. orat. 1. Platonica: *Maxima quæque in paucissimos cadunt.* Et *Maximum reip. commodum in proventu virorum bonorum consistit.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nabuchodonosor erigit statuam, in eaque adorari vult: recusant id vers. 8 tres pueri, Sidrach, Misach et Abdenago, unde v. 19. iubet rex eos mitti in fornacem ardentem: ibi v. 24. orant Deum: Deus v. 49. mittit angelum qui eos servat illæsos; hinc v. 51. canunt Deo canticum: unde v. 91. rex celebrat hoc miraculum Dei, eiusque potentiam et in suos providentiam.

1. Nabuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, et statuit eam in campo Dura provinciæ Babylonis. 2. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, et iudices, duces, et tyrannos, et præfectos, omnesque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex. 3. Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, et iudices, duces, et tyranni, et optimates, qui erant in potestatibus constituti, et universi principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex: stabant autem in conspectu statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor rex: 4. Et præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, et linguis: 5. In hora, qua audieritis sonitum tubæ, et fistulæ, et citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, et universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex. 6. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. 7. Post hæc igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, et citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, et omnis generis musicorum: cadentes omnes populi, tribus, et linguæ, adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor rex. 8. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusaverunt Iudæos: 9. Dixeruntque Nabuchodonosor regi: Rex in æternum vive: 10. Tu rex posuisti decretum, ut omnis homo, qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, et citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, et universi generis musicorum, prosternat se, et adoret statuam auream: 11. Si quis autem non procidens adoraverit, mittatur in fornacem ignis ardentis. 12. Sunt ergo viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach, et Abdenago: viri isti contempserunt, rex, decretum tuum: deos tuos non colunt, et statuam auream, quam erexisti, non adorant. 13. Tunc Nabuchodonosor in furore et in ira præcepit ut adducerentur Sidrach, Misach, et Abdenago: qui confestim adducti sunt in conspectu regis. 14. Pronuntiansque Nabuchodonosor rex, ait eis: Verene Sidrach, Misach, et Abdenago, deos meos non colitis, et statuam auream, quam constitui, non adoratis? 15. Nunc ergo si estis parati, quacumque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, omnisque generis musicorum, prosternite vos, et adorate statuam quam feci: quod si non adoraveritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea? 16. Respondentes Sidrach, Misach et

Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosor: Non oportet nos de hac re respondere tibi. 17. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. 18. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus. 19. Tunc Nabuchodonosor repletus est furore: et aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, et Abdenago, et præcepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat. 20. Et viris fortissimis de exercitu suo iussit ut ligatis pedibus Sidrach, Misach et Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis. 21. Et confestim viri illi vincti, cum braccis suis, et tiaris, et calceamentis, et vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis, 22. Nam iussio regis urgebat: fornax autem succensa erat nimis. Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach et Abdenago, interfecit flamma ignis. 23. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach et Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati.

Quæ sequuntur in Hebræis voluminibus non reperi.

24. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, et benedicentes Domino. 25. Stans autem Azarias oravit sic, aperiensque os suum in medio ignis, ait: 26. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, et laudabile et gloriosum nomen tuum in sæcula: 27. Quia iustus es in omnibus quæ fecisti nobis, et universa opera tua vera, et viæ tuæ rectæ, et omnia iudicia tua vera. 28. Iudicia enim vera fecisti, iuxta omnia quæ induxisti super nos, et super civitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem: quia in veritate, et in iudicio, induxisti omnia hæc propter peccata nostra. 29. Peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te: et deliquimus in omnibus: 30. Et præcepta tua non audivimus, nec observavimus, nec fecimus sicut præceperas nobis ut bene nobis esset: 31. Omnia ergo, quæ induxisti super nos, et universa, quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti: 32. Et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, et pessimorum, prævaricatorumque, et regi iniusto et pessimo ultra omnem terram. 33. Et nunc non possumus aperire os: confusio et opprobrium facti sumus servis tuis et his qui colunt te. 34. Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, et ne dissipes testamentum tuum: 35. Neque auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum: 36. Quibus locutus es pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, et sicut arenam quæ est in littore maris: 37. Quia Domine imminuti sumus plus quam omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie, propter peccata nostra. 38. Et non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, 39. Ut possimus invenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur. 40. Sicut in holocausto arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te. 41. Et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam. 42. Ne confundas nos: sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ. 43. Et erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo Domine: 44. Et confundantur omnes, qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in omni potentia tua, et robur eorum conteratur: 45. Et sciant quia tu es Dominus Deus solus, et gloriosus super orbem terrarum. 46. Et non cessabant qui miserant eos, ministri regis succendere fornacem, naphtha, et stuppa, et pice, et malleolis, 47. Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem: 48. Et erupit, et incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. 49. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, et sociis eius in fornacem: et excussit flammam ignis de fornace, 50. Et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. 51. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant, et benedicebant Deum in fornace, dicentes: 52. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum: et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula: et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum: et laudabile, et superexaltatum in omnibus sæculis. 53. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ: et superlaudabilis, et supergloriosus in sæcula. 54. Benedictus es in throno regni tui: et superlaudabilis, et superexaltatus in sæcula. 55. Benedictus es, qui intueris abyssos, et sedes super cherubim: et laudabilis, et superexaltatus in sæcula. 56. Benedictus es in firmamento cæli: et laudabilis et gloriosus in sæcula. 57. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 58. Benedicite angeli Domini Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 59. Benedicite cæli Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 60. Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 61. Benedicite omnes virtutes Domini Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 62. Benedicite sol et luna Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 63. Benedicite stellæ cæli Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 64. Benedicite omnis imber et ros Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 65. Benedicite omnes spiritus Dei Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 66. Benedicite ignis et æstus Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 67. Benedicite frigus et æstus Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 68. Benedicite rores et pruina Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 69. Benedicite gelu et frigus Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 70. Benedicite glacies et nives Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 71. Benedicite noctes et dies Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 72. Benedicite lux et tenebræ Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 73. Benedicite fulgura et nubes Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 74. Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in sæcula. 75. Benedicite montes et colles Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 76. Benedicite universa germinantia in terra Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 77. Benedicite fontes Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 78. Benedicite maria et flumina Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 79. Benedicite cete, et omnia quæ moventur in aquis Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 80. Benedicite omnes volucres cæli Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 81. Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 82. Benedicite filii hominum Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 83. Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in sæcula. 84. Benedicite sacerdotes Domini Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 85. Benedicite servi Domini Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 86. Benedicite spiritus et animæ iustorum Domino: laudate et superexalta-

te eum in sæcula. 87. Benedicite sancti et humiles corde Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula. 88. Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula: Quia eruit nos de inferno, et salvos fecit de manu mortis, et liberavit nos de medio ardentis flammæ et de medio ignis eruit nos. 89. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. 90. Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum: laudate et confitemini ei, quia in omnia sæcula misericordia eius.

Huc usque in Hebræo non habetur: et quæ posuimus, de Theodotionis editione translata sunt.

91. Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, et surrexit propere, et ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes regi, dixerunt: Vere rex. 92. Respondit, et ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis filio Dei. 93. Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, et ait: Sidrach, Misach et Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini, et venite. Statimque egressi sunt Sidrach Misach et Abdenago de medio ignis. 94. Et congregati satrapæ, et magistratus, et iudices, et potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, et capillus capitis eorum non esset adustus, et sarabala eorum non fuissent immutata, et odor ignis non transisset per eos. 95. Et erumpens Nabuchodonosor, ait: Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach et Abdenago, qui misit angelum suum, et eruit servos suos, qui crediderunt in eum: et verbum regis immutaverunt, et tradiderunt corpora sua ne servirent, et ne adorarent omnem deum, excepto Deo suo. 96. A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus et lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago, dispereat, et domus eius vastetur: neque enim est alius Deus, qui possit ita salvare. 97. Tunc rex promovit Sidrach, Misach et Abdenago in provincia Babylonis. 98. NABUCHODONOSOR rex omnibus populis, gentibus, et linguis, qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur. 99. Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare. 100. Signa eius, quia magna sunt: et mirabilia eius, quia fortia: et regnum eius regnum sempiternum, et potestas eius in generationem et generationem.

Vers. 1. Statua a rege erecta fuit anno regni 37.

FECIT STATUAM AUREAM.) Quo anno? Respondeo, Paulo post somnium cap. præcedent. puta anno regni sui 37. qui fuit annus mundi 3379. Id patet ex eo quod iam Sidrach, Misach et Abdenago erant ab eo præfecti Babyloniæ, ut dicitur v. 12. hoc autem factum est post explicationem somnii a Daniele factam, anno eodem 37. ut patet cap. præced. v. 48. Quod vero ulterius in annum regis 38. vel 39. hæc reiici non possint, patet ex eo, quod tunc rex eiectus regno cum bestiis habitabat, ut dicetur cap. sequenti v. 2.

Ubi nota inconstans et volubile superbi regis ingenium. *Velox oblivio est veritatis*, inquit S. Hieron. *ut qui dudum servum Dei quasi Deum adoraverat, nunc statuam sibi fieri iubeat, ut ipse quasi Deus in statua adoretur.*

Non Belis, sed ut ipse in ea adoraretur. Prob.

Hinc patet, statuam hanc non fuisse Belis, vel aliorum deorum Babyloniorum, sed ipsius Nabuchodonosoris. Idem confirmatur Primo, ex v. 14. ubi ait rex: *Deos meos non colitis, et statuam auream quam constitui non adoratis*: ergo dii regis inter quos erat Bel, alii erant ab hac statua.
1 Hæc enim nova fuit et recens, cum statua Belis esset antiquissima. Secundo, ex Isaiæ 14. 13. ubi Isaias describens superbiam regis Babylonis, quasi alterius Luciferi,
2. ait eum se Deum facere voluisse, *Dicebas*, inquit, *In cælum conscendam*, etc. *similis ero Altissimo*. Tertio, quia
3 ob hanc superbiam Nabuchodonosor summe a Deo est humiliatus, ut qui volueral esse Deus, fieret bestia, ut patebit cap. sequenti: ita S. Hieron. hic, licet ipse in cap. 1. Habacuc, contrarium doceat. Verum ibi, ut solet, non suam, sed aliorum refert sententiam: ita et Pererius, Maldon. Pintus et Theodor. qui addit regem hanc statuam sibi erexisse ex eo, quod in statua quam viderat c. 2. Daniel ei dixerat: *Tu es caput aureum*. Inde enim intumuit, ut similem sibi statuam erigeret, in eaque adorari vellet. Simili modo Alexander Magnus, Augustus Cæsar, Caligula, Antiochus Epiphanes, rex Tyri, ut patet Ezech. 28. 2. et alter Nabuchodonosor, qui misit Holofernem Iudith. 6. 2. tamquam dii coli voluerunt, etiam dum adhuc viverent.

Verisimiliter coniicit Maldon. hanc statuam erexisse regem suggestu Chaldæorum, qui invidebant præfecturam Babylonis tribus Iudæis, puta Sidrach, Misach et Abdenago, ideoque ut eos regi invisos facerent, et gradu deiicerent, suggessisse ei hanc statuam, quam scirent eos neutiquam adoraturos; itaque regem in eos exarsurum, uti et contigit. Simili enim modo Medi cap. 6. v. 13. Danieli tetenderunt insidias apud Darium regem. Additque Maldon. eos in odium Danielis, eiusque statuæ cap. 2. hanc ei contrariam statuam regi suasisse, ut per eam,

A illa quæ prædixerat Daniel de Persis Babylonem eversuris refutarent et everterent; ideoque eam non ex quatuor metallis, sed ex puro auro fabricari iussisse, ut significarent regem, cuius hæc erat statua, non tantum esse caput aureum, uti dixerat Daniel; sed et toto corpore esse aureum, solumque fore perennem orbis monarcham. Ad hæc, Chaldæos murmurasse contra regem, quod Danieli Iudæo omnia crederet, ita ut videretur factus esse Iudæus, uti fecerunt cap. 14. 27 Regem ergo levem et mobilem, ut hoc murmur compesceret, utque suspicionem Iudaismi a se amoveret, atque ut Chaldæos sibi conciliaret, hanc statuam sibi erigi iussisse, ut non Deum Iudæorum colere, sed ipse ut Deus coli velle videretur.

Hæc coniectura non caret veri specie, cui favet et Theodor. dum ait regem voluisse facere statuam præstantiorem ea, quam ipse viderat in somno, et magnitudine, et B nobilitate materiæ.

Symbolice, statua est mundana felicitas.

Symbolice, statua hæc est hæresis, quam hæretici auro, id est eloquentia et testimoniis S. Scripturæ exornant, inquit S. Hieron. Rursum est mundana felicitas et pompa, inquit Irenæus lib. 5. in fine: hæc enim habet aurum divitiarum, atque altitudinem honorum et potentiæ, sed fallacem et mendacem.

Denique tres hi pueri fuerunt primitiæ Martyrum, ac typus Martyrum quos Nero flammis in circo, aliique tyranni iisdem, vel aliis tormentis occiderunt. Neronis enim, qui primus persecutionem contra Christianos movit, figura fuit Nabuchodonosor; sicut Romæ Ethnicæ, et sanguine Martyrum cruentæ figura fuit Babylon, ut patet Apocal. 17. et 18. ita Rupert. in Daniel. cap. 7.

AUREAM.) Statua hæc cava erat, non solida, alioqui immensi fuisset pretii; erat enim sexaginta cubitorum.

Proportio partium in corpore humano.

C ALTITUDINE CUBITORUM SEXAGINTA.) Ergo facies huius statuæ longa erat sex cubitos, nasus duos cubitos, pectus decem cubitos, pedes decem cubitos, manus sex cubitos: nam hæc est proportio partium in corpore et statura humana, ut facies sit eius pars decima, nasus trigesima, pectus sexta, pes sexta, manus decima: ita ex Vitruvio et Cardano Pererius. Quamquam ministri regis vel ex ignorantia, vel ex avaritia, vel alia de causa, non videntur in hac statua exactam proportionum symmetriam observasse: iuxta illam enim longitudo sexaginta cubitorum exigebat decem cubitos latitudinis: hæc enim est sexta pars longitudinis; non sex dumtaxat, uti habebat statua. Unde disces tropologice, mundum et mundanos magis spectare celsa, quam solida; ut enim suam pompam ostentent, et alta quærunt, sed iustis fundamentis destituta, quæ proinde cito corruunt et evanescunt.

Vers. 2. AD CONGREGANDOS SATRAPAS.) Suggesserunt hoc regi Chaldæi, tum ut maior esset dedicationis solemnitas, tum ut ad eam venire cogerentur Sidrach, Misach et Abdenago (utpote satrapæ regni) in quos hæc faba cudebatur. Unde et propter eosdem, pœnam ignis statuam adorare recusantibus constitui, et per præconem promulgari, curaverunt: nam Babylonios, utpote in idola proclives, hac pœna cogere non erat opus. Ex hoc tamen facto et mandato Nabuchodonosoris derivatum videtur, quod scribit Philostr. l. 1. de vita Apollonii c. 19. nimirum, in Babylone fuisse morem, ut satrapa portæ urbis præsidens neminem in urbem ingredi permitteret, nisi prius regis statuam adorasset. Porro Satrapa vox est Persica, quæ latine prefectum significat, sicut satrapia præfecturam. Quare ridiculum est, et illatino illi sæculo condonandum, quod ait Lyran. *Satrapa dicitur, quod sat rapiat.* Præfecti enim avari solent esse rapaces.

ET TYRANNOS.) Ærarii præfectos, qui tributa exigebant. Unde Vatabl. Arias et alii vertunt, *quæstores.* Vere S. Hier. *Principes*, ait, *congregantur ad adorandam statuam, ut per principes seducantur et gentes. Qui enim divites sunt et potentes, dum timent carere divitiis et potentia, facilius supplantantur; seductis autem magistratibus, subditi populi maiorum exemplo pereunt.* Quis enim e plebe statuam non adoret, quam a suo principe adorari videt? Quam multi hodie auream opum et honorum statuam, quasi idolum colunt?

Vers. 8. STATIMQUE.) Τo *statim* confirmat suspicionem iam dictam, scilicet hæc omnia conflata esse a Chaldæis in odium trium puerorum, quos rex præfecerat Babyloniæ: hocque ipsi refricant regi v. 12. dum aiunt, *Sunt viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis*, q. d. Iudæos præfecisti Babyloniæ, eosque in hac re nobis popularibus tuis prætulisti: ecce hi ipsi miseri, peregrini, captivi, et Iudæi quos ita evexisti, te spernunt, tibi ingrati et rebelles sunt.

Vers. 12. SIDRACH, MISACH ET ABDENAGO CONTEMPSERUNT.) Cæterorum Iudæorum, utpote plebeiorum, mentionem non faciunt; quia horum trium caput et statum petebant. Danielis non meminerunt: quia Daniel aberat, forte a rege alio ad negotia missus, ut vult Lyran. Vel, si aderat, quasi primus a rege, regi astabat: unde sicut rex suam statuam non adoravit, ita nec Daniel. Porro Nazianz. orat. 17. (si tamen est eius) *Feruntur*, ait, *tres pueri in Babylone in fornacem coniecti, Ezechiæ filii fuisse: filii*, id est nepotes. Erant enim ex semine regio, ut patet cap. 1. v. 3. Proprie enim filii Ezechiæ esse nequiverunt: nam a morte Ezechiæ usque ad hunc annum regni Nabuchodonosoris 37. fluxerunt anni 133.

Nota. Hi tres viri erant hoc tempore circiter 57. annorum: erant enim coævi Danieli, qui hoc tempore erat 57. annorum, ut dixi cap. 2. v. 1. non ergo erant pueri, aut iuvenes: quia præerant toti Babyloniæ; vulgo tamen vocantur tres pueri: quia pueri abducti erant e Iudæa in Babylonem cap. 1. v. 4. Sic enim et hodie multi viri, vulgari lingua vocantur Iohanniculi, quia pueri ita vocati fuerunt.

Vers. 15 Sambuca quid? SONITUM, etc. SAMBUCÆ.) Sambuca, sive sambyx, erat genus instrumenti musici trianguli, quod nervis longitudine et crassitudine inæqualibus constabat: solebat leviori carminum generi adhiberi: unde proverbium, *Sambucam aptare cothurno,* id est levia aptare gravibus.

Symphonia quid? SYMPHONIÆ.) Symphonia græce est consonantia et concentus musicus: hic tamen videtur esse instrumentum musicum (uti et alia hic) quod ferro in orbem traducto agitatur, editque suavem concentum, quale est illud quod hodie cæci mendici circumagendo pulsant.

Vers. 16. NON OPORTET NOS DE HAC RE RESPONDERE TIBI.) Nota. Hi tres pueri interrogati de sua fide et religione a rege, debebant ei respondere, suamque fidem et religionem profiteri, uti de facto hic respondent et profitentur. Aliter ergo hic τo *respondere* accipitur. Itaque sensus est, q. d. *Non oportet*, id est non opus est, *respondere*, id est cogitare et deliberare quid respondeamus. Est metalepsis,

A q. d. Non est opus ad tibi respondendum de hac re, utpote facili et certa, aliqua deliberatione, quam videris o rex nobis offerre, dicens, *Si estis parati:* certum enim fixumque nobis est, unum Deum cæli et terræ colere, nec statuam tuam adorare, uti sequitur: non ergo negant opus esse responso, eum continuo respondeant, sed deliberatione.

Secundo, et planius, q. d. In re tam stolida, impia et indigna, quam nobis proponis, non est opus responso. Clarum enim est, unum tantum esse Deum quem colimus, eumque posse nos a tuis manibus liberare: quod si nolit, cum tamen solum colemus, non tua idola. Unde Septuag. vertunt, *non necesse habemus nos de verbo isto respondere tibi.*

Nota hic intrepidam libertatem, resolutionem, fortitudinem et animos horum trium puerorum, quos graphice depingit S. Chrysost. hom. 4. et 6. ad populum.

Tertio, Vatablus et alii vertunt, *non est nobis curæ*, vel *non sumus solliciti super hac re tibi respondere:* quia Deus B curam gerit nostri, ille potens est nos liberare, si velit; si nolit, et hoc nobis placet: tam enim mors, quam vita nostra illi curæ est; sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus.

Hic sensus non est incommodus, prior tamen est commodior. Nam Chaldæum חשח *chasciach*, significat *esse opus*, vel *esse necesse*, ut vertunt Septuag. non autem, *esse sollicitum:* nisi dicas illud ex hoc consequi: ideo enim aiunt, non esse opus responso, quia de eo non erant solliciti. Pulchre et pie S. Zeno Veron. Episc. et Martyr sub Galieno Imper. serm. 1. de tribus hisce pueris: *Tres*, inquit, *pueri in illo sacro certamine præ oculis Deum sibi proposuere, non flammas: præmium futurum, non pœnam. Sicque inter tetros undantis incendii globos triumphantes, barbarum regem, minas omnes, ipsum quoque supplicium docuerunt, ignes sanctis hominibus non esse fortiores.* Et serm. 6. *Vindicantur de incensoribus suis, Deum vident: mors transit in vitam, metus in gloriam. Sic quis non optet ardere?* Hi ergo Heroes sunt, in quos competit aurea illa C Ptolemæi sententia, quæ habetur in Præfat. Almagesti: *Ille altior est mundo, qui non curat in cuius manu sit mundus.*

Similis fuit resolutio et responsio S. Cypriani, ad similem propositionem Proconsulis: *Aut sacrifica diis, aut peribis.* Respondit enim Cyprian. *Christianus sum, et diis sacrificare non potero: tu vero quod tibi præceptum est, fac. In re enim tam iusta, nulla consultatio est.* Deinde morti adiudicatum se audiens, dixit: *Gratias ago Deo omnipotenti, qui me a vinculis huius corporis dignatur absolvere:* ita Pontius Diacon. in eius vita. Martyrum constantia et gloria.

Ita quoque paulo ante mortem S. Cypriani, ferunt a Præside clibanum calcis accensum, et in ore illius prunas cum thure exhibitas, et Præsidem dixisse Christianis: Eligite e duobus unum, aut thura hic offerre Iovi, aut in calcem demergi. Tunc trecenti viri fide armati, se ictu rapidissimo, Christum Dei filium confitentes, coniecerunt in ignem, et inter vapores calcis pulvereæ sunt demersi, D quos sibi Christus consecravit: testis est Pontius ibidem.

Ita Liberius Pontifex, cum Constantius Imperator mandasset, ut, nisi intra biduum sententiam mutaret, et ad Arrianos inclinaret, relegaretur, respondit: *Mihi, o Imperator, dic ad deliberandum non est opus. Iam enim olim ista et deliberata sunt a me, et decreta. Itaque iam ad hinc discedendum paratus sum.* Testis est Sozom. l. 3. c. 10.

Ista communis olim Martyrum fuit sententia, cuius causam assignat Tertull. Apolog. ult. *Cruciate*, inquit, *torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentiæ nostræ, iniquitas vestra: crudelitas vestra illecebra est sectæ nostræ, plures efficimur quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum. Omnia huic operi delicta donantur: cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur.*

Idem in libr. ad Martyres, Christianos in carcere alloquens: *Bonum*, inquit, *agonem subituræ estis, in quo agonothetes, Deus vivus est: xistarches, Spiritus sanctus: corona, æternitatis bravium: angelicæ substantiæ politia in cælis: gloria in sæcula sæculorum: epistates vester Chri-*

stus Iesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit. Deinde allatis exemplis Gentilium, Lucretiæ, Didonis, uxoris Asdrubalis, meretricis Atheniensis, Mutii, Heracliti, Empedoclis, Reguli, et puerorum Spartanorum: *Si illi,* inquit, *gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contempserunt sub præmio laudis humanæ; quidni modicæ sint istæ passiones ad consecutionem gloriæ cælestis, et divinæ mercedis?*

S. Cyprian. lib. de Laude martyrii: *Martyrium,* inquit, *est delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, iter patientiæ, magister domus vitæ. Si iustus est, et Deo credis, quid pro eo sanguinem fundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis? In Isaia sectus, in Abel occisus, in Isaac immolatus, in Ioseph venumdatus, in homine crucifixus est. Martyrii inæstimabilis est gloria, infinita mensura, immaculata victoria, triumphus immensus, velut socio Christi cruore decoratus.*

Idem epistol. ad Martyres: *Steterunt,* inquit, *torti torquentibus fortiores; inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage B viscerum, torquerentur in servis Dei iam non membra, sed vulnera. Pretiosa est hæc mors, quæ emit immortalitatem pretio sanguinis sui quam lætus illic Christus fuit, quam libens in talibus servis suis et pugnavit, et vicit!* Denique generose dixit ille athleta: *Pœnæ sunt pennæ queis super astra vehor.*

Vers. 17. Ecce enim Deus noster quem colimus.) Alludunt, inquit Maldon. ad verba regis, eiusque in Deum contumeliam contrariis verbis diluunt, atque Deo suum honorem afferunt. Dixerat rex v. 15. *Et quis est Deus qui vos eripiet de manu mea?* Respondent illi: *Ecce Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis, et de manibus tuis, o rex, liberare.*

Vers. 18. Quod si noluerit.) Nota horum puerorum prudentiam et resignationem. *Pulchre,* inquit S. Hier. *Illi iuvenes dixerunt: Sed si noluerit, ut non impossibilitatis Dei, sed voluntatis sit, si perierint:* et Theod. q. d. *Nos pro mercede aliqua Domino nostro non servimus, sed amore eius omnibus rebus cultum ipsius præferimus, ipsi omnem nostram gubernationem et providentiam permittimus; quamlibet iudicii eius sententiam, tamquam meliorem, nobisque utiliorem, libenter accepturi.* Nam, ut de iisdem ait S. Cyprian. epist. 56. ad Thibaritanos: *Hoc est robur virtutis et fidei, credere et scire quod Deus a morte præsente liberare possit; et tamen mortem non timere, nec cedere, ut probari fortius fides possit.* Hæc puerorum resolutio, pietas, fortitudo et resignatio meruit et obtinuit, ut illæsi in igne permanerent. Idem multis virginibus et Martyribus novi testamenti contigit: hosce imitemur, et similia experiemur.

Vers. 21. Tiaris.) Tiara genus est pilei, quo Chaldæi et Persæ utuntur: ita S. Hieron.

Vers. 24. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.) Est hysterologia. Hoc enim posterius contigit, scilicet postquam angelum viderunt se tutantem, et ignes abigentem; ita ut certi essent se in igne fore illæsos. Tunc enim solutis ab angelo vinculis ambularunt laudantes Deum, dicentesque *Benedictus es Domine,* etc. v. 52. Et forte hic versus eo pertinet, et olim in Hebræo eo loco positus erat: in laciniis enim hisce ex Theodotione insertis, non ubique servatus est ordo, qui erat in Hebræo. Idem videre est in laciniis additis ad librum Esther cap. 10. 11. et sequent. Unde Vatabl. hæc verba omittit. Hic ergo fuit ordo rei gestæ: Primo, hi pueri colligati coniecti sunt in fornacem. Descendit cum eis angelus tutans eos ab igne, sed ab eis necdum visus: unde orant Deum ut se ab igne tutetur, v. 26. Mox angelus se eis ostendit ignem abigens: unde solutis vinculis ambularunt cum eo laudantes Deum, v. 52.

Vers. 25. Stans autem Azarias.) Nota. Azarias nomine suo et sociorum hanc orationem protulit in medio flammarum, antequam angelus ei appareret, cum adhuc incertus esset an ex flammis eripiendus esset, necne. Unde ex iis eripi orat, v. 43. dicens: *Erue nos in mirabilibus tuis,* A idque oratione hac impetravit: unde mox v. 49. apparuit angelus liberans eum cum sociis. Ita solet Deus suos initio in tentatione relinquere, ut eum invocent, et invocatus mox succurrit. Quocirca in vitis Martyrum passim legimus eos dum cruciarentur, semper ad Deum se convertisse, ac vires et fortitudinem ab eo postulasse et impetrasse: sciebant enim se suis viribus tam acria et varia tormenta sustinere non posse, sed eas a Deo petendas. Hinc nonnulli in eculeis titubantes, dum orarent, a Deo confortati sunt: alii sibi fidentes a Deo relicti, ceciderunt.

Nota. Hæc oratio, et cætera usque ad v. 91. iam non extant in Hebræo, sed ea ex Theodotione se transtulisse fatetur S. Hieron.

Benedictus es Domine.) Docet hic Azarias, orationem inchoandam esse a laude Dei: laudandus enim est Deus, etiam cum adversa nobis immittit, etiam in morte et martyrio; uti hi tres in igne laudant Deum, Deique iustitiam sua suorumque peccata castigantem. Vide dicta 1. Timoth. 2. 1. Vers. 26.

Universa opera tua vera.) Id est integra sunt, æqua et perfecta. Opera et iudicia Dei tripliciter vera sunt, inquit Perer. Primo, veritate entis: quia sunt conformia suæ regulæ, scilicet sapientiæ Dei. Secundo, veritate iustitiæ: quia per ea iuste Deus punit impios, et præmiat pios. Tertio, veritate fidei: quia respondent Dei promissis et comminationibus. Vers. 27. Opera Dei vera sunt tripliciter.

In veritate et in iudicio.) Hoc est, in veritate iudicii, sive in vero, id est iusto iudicio. Est hendyadis. Sensus est, q. d. Iuste o Domine Ierusalem, Iudæos, et nos tradidisti Chaldæis, quia peccavimus tibi. Nota humilitatem Sanctorum et Martyrum, qui publicas clades, quin et suas in iis mortes et martyria, suis suorumque peccatis adscribunt: quia videlicet ad cumulum peccatorum, ob quem Deus tam graves clades immittit, aliquid cuiusque etiam Sancti et Martyris, peccata addunt et conferunt, licet parvum id sit et exiguum. Pari modo peccatis C suis stragem Antiochi, suamque in ea necem et martyrium adscribunt septem fratres Machabæi, 2. Machab. 7. Alioqui certum est Sanctos sæpe tantas clades suis peccatis non esse promeritos. Sic enim Iob suas afflictiones non esse promeritum, ipsemet toto libro contra amicos suos docet et protestatur, idque approbat Deus cap. 42. 7. Sic David in psalmis sæpe protestatur se esse innocentem, nec meruisse tantas Saulis et hostium persecutiones. Denique articulus hic: *Omnes Sanctorum afflictiones esse pœnas peccatorum ipsorum,* est damnatus a Gregorio XIII. et Pio V. Pari modo hi pueri ignem hunc suis peccatis non erant promeriti, sed totus populus, cuius ipsi erant pars. Vers. 28.

Pessimo ultra omnem terram.) Id est, pessimo supra omnes terræ reges et tyrannos. Ita Iuventius et Maximianus milites Christiani, cum Iulianus Apostata in foro non alios cibos vendi permitteret, quam idolis immolatos, aut eorum aqua lustrali aspersos, dixerunt: *O D Deus tradidisti nos regi iniquo, qui te deseruit supra omnes gentes terræ.* Quare graviter a Iuliano excruciati, enecati sunt. Ita Theodor. lib. 3. hist. cap. 14. Ita Deus Christianos ob peccata tradidit Decio et Valeriano tyrannis, idque visione quadam præmonstravit. Refert eam S. Cyprian. l. 4. epist. 4. *Nec venissent,* inquit, *fratribus hæc mala, si in unum fraternitas fuisset animata. Nam illud ostensum est, quod sederet pater familias sedente sibi ad dexteram iuvene, qui iuvenis anxius et cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens mœsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur quid hoc esset, dictum est ei qui hoc vidit: Iuvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari et dolere quod præcepta sua non observarentur: illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio ut a patrefamilias potestatem sumeret sæviendi.* Vers. 32.

Confusio et opprobrium facti sumus servis tuis.) Puta Iudæis, fidelibus tuis: hisce enim obiectant hostes Vers. 33.

nostri et nominis tui, puta Gentiles idololatræ, calamitates nostras, qui te eadem cum illis fide colimus; dicuntque: Vosne estis socii et gentiles istorum reorum qui vivi in ignem sunt coniecti? vosne Deum illum colitis, qui vestros hosce populares ita affligi et cremari permittit? qui vos non potest, aut non vult e captivitate, et tantis ærumnis liberare?

Vers. 34. **Ne quæsumus tradas nos.**) Gentibus et igni huic devorandos.

Vers. 35. et 36. **Et ne dissipes testamentum** (id est pactum) **tuum propter Abraham dilectum tuum.**) Nota. Abraham vocat *dilectum* Dei: quia ab eo ex Chaldæa et idololatria electus et eductus, factus est pater Christi et credentium. Isaac vocat *servum* Dei propter obedientiam, qua se Deo per manus patris victimam tradidit. Iacob vocat *sanctum*; primo, ob innocentiam; secundo, quia ipse se Deo obtulit, primusque ei vovit decimas; tertio, quia Spiritu sancto plenus Azarias prædixit futura, et respexit in Christum, qui est Sanctus sanctorum, ex Iacob nasciturum.

Abraham dilectus, Isaac servus, Iacob sanctus, cur?

Vers. 38. **Et non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta.**) Quia Daniel potius somniorum regiorum erat interpres, quam Propheta populi: Ezechiel autem Propheta aberat, agebatque in Chobar, aliisque Chaldææ locis, eratque is unus et captivus. Itaque *non est*, id est, vix ullus est.

Neque sacrificium.) Templum enim et altare cum Ierusalem erat eversum; et licet postea Iudæi novum altare erexerint, ut patet Baruch. 1. 1. tamen pauperrime, rarissime et tenuissime in illis urbis ruinis eo utebantur.

Vers. 40. **Sicut in holocausto arietum.**) Multi codices hæc ita dispungunt, ut hic inchoent sententiam, quæ per antapodoton, hoc est similitudinis redditionem expleatur cum subditur: *Sic fiat sacrificium nostrum.* Verum sic dicendum fuisset: *Sicut holocaustum* (non *in holocausto*) *arietum, sic fiat sacrificium nostrum.* Dico ergo hæc verba esse referenda ad id quod præcedit, sicque esse ordinanda et dispungenda cum Septuag. et Rom. *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum*, etc. q. d. Sicut suscipis holocaustum arietum, sic suscipe animum contritum, et spiritum humilem, quos nos tibi ad expianda nostra nostræque gentis peccata, per martyrium offerimus in sacrificium.

Aliter vertit et dispungit Vatablus, nimirum sic: *Instar holocaustorum arietum*, etc. *sit coram te sacrificium nostrum.*

Sic fiat sacrificium nostrum.) Martyrium suum vocant *sacrificium*, non proprie dictum, sed mysticum. Licet enim Christi martyrium in cruce fuerit sacrificium proprie dictum, idque unicum legis novæ, quod in Eucharistia quotidie repræsentamus et iteramus; eo quod ad hoc (puta ut esset sacrificium expiatorium peccatorum hominum) a Deo fuerit institutum et ordinatum, ideoque omnibus Iudæorum victimis figuratum et adumbratum; tamen martyrium fidelium non est sacrificium proprie dictum: quia ad hoc non est a Deo institutum et ordinatum, sed est metaphoricum et mysticum; quod tamen omnibus veterum victimis, utpote irrationalibus, est nobilius, Deoque gratius. Sensus ergo est, q. d. Instar holocaustorum arietum, et multorum agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum holocaustum, et pingue, pinguedine spiritus et devotionis, ut placeat tibi, utque hoc, sicut illa, suscipias, scilicet sacrificium hocce orationis, confessionis, pœnitentiæ, laudis, et martyrii, quod tibi in igne hoc offerimus.

Sacrificia Martyrum. Pari modo Martyres qui sub Diocletiano Nicomediæ, ipso festo nativitatis Christi in templo cincti, cum tyrannus eis incendium intentaret, proponeretque, ut, si quis ex eis sibi consulere vellet, egrederetur, et thus Iovi in ara proxima adoleret; unus pro omnibus libere respondit: *Omnes nos Christiani sumus, unum eumdemque solum Deum et Regem credimus esse Christum: et ipsi, Patrique eius, et Spiritui sancto sacrificare, atque omnes nos una offerre parati sumus.* Vix ille hæc dixerat, cum ignis succenditur, qui quasi in momento templum omne comple-

A xus, illos omnes (erant autem viginti hominum millia) quasi holocausta combussit, et in cinerem redegit, uti refert Niceph. lib. 7. histor. c. 6.

Similiter nobilis illa virago et Martyr, quæ sub Dunaan tyranno, in Nagran Arabiæ civitate tempore Iustini Imper. anno Christi 522. cum duabus filiabus passa est, cum eas ense confodi videret, earumque sanguinem sibi a carnifice propinari; cum accipiens et gustans, ac in cælum suspiciens: *Tibi*, inquit, *Christe Domine, hoc meum offero sacrificium, et tibi Martyres exhibeo virgines castas, quæ egressæ sunt ex utero meo, cum quibus quoque me connumeratam introduc in tuum thalamum, et ut dicit divinus David, Ostende matrem propter filios lætantem.* Quare et ipsa martyrio laureata est. Ita ex Procopio Baron. tom. 7. anno Christi 522. pag. 91.

Ita et S. Barlaam Martyr, cum tortores dexteram eius foco incenso immitterent, thusque ei imponerent, sperantes quod vi ignis expugnata manus illud in aram excuteret, itaque videretur ipse in ara thus idolo adolevisse; B stetit corpore et manu immotus, cineris instar flammam ferens ac superans, dicensque: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.* Testis est S. Basil. oration. in S. Barlaam.

Ita et duo illi nobiles iuvenes Antiocheni sub Diocletiano, de quibus Euseb. lib. 8. hist. c. 12. cum simulacris immolare cogerentur dixerunt: *Ducite nos ad aras: Et cum fuissent adducti, manus suas ardenti igni superponentes: Si subtraxerimus, inquiunt, sacrificasse nos credite. Et quoadusque caro omnis in ignem deflueret, immobiliter perdurarunt.*

Ita S. Getulius Martyr, in tormentis: *Gratias*, ait, *ago Deo et Iesu Christo, eique meipsum sacrificium mundum offero:* eiusque uxor Symphorosa, cum ei diceret Adrianus Imperat. Aut sacrifica diis, aut te cum filiis sacrificari faciam, respondit: *Unde mihi tantum boni ut merear cum filiis offerri hostia Deo?*

Ita S. Vitus puer cum sociis Modesto et Crescentia a C Diocletiano (cuius filiam a dæmone liberarat) ingrato Imper. missus in fornacem ardentem plumbo, resina et pice, cum diceret Diocletianus: Nunc videbo si Deus tuus possit te de manu mea liberare; Vitus facto signo sanctæ crucis fornacem ingressus, instar trium horum puerorum stetit ab igne illæsus, cantans cum duobus sociis hymnos et laudes Deo; atque purior inde exiit, perinde ac si in suavissimo balneo stetisset. Ita habet eius vita 15. Iunii.

Ita et S. Laurentius, quem merito tribus hisce pueris adæquat S. August. serm. 1. de eo: *Si quidem*, inquit, *illi in pœnarum suarum flammis ambulabant; hic et in ipso supplicii sui igne discubuit: illi vestigiis pedum conculcarunt incendia; iste laterum suorum diffusione extinxit*, etc. Et inferius: *Ut impleretur psalmi prophetia, quæ dicit ex persona S. Laurentii, Proba me Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum. Duplici se postulat igne comburi; nam si de solo mundi igne loqueretur, sufficeret renes tantum exurendos incendiis obtulisse. Cor autem nisi* D *flamma Christi non urit.*

Ut placet tibi.) Græce, εκτελεσθω οπισθεν σου, id est *perficiatur post te*, vel, ut Complut. *expleat post te*, hoc est, ut Vatabl. ut plene, et usque ad finem et mortem sequamur te. Est hebraismus. Hebræi enim dicunt למלא אחריך *limlo acharecha*, ut impleamus post te, hoc est, ut plene te sequamur, plene tibi obediamus, plene tibi serviamus.

Qui ostendunt (id est exhibent) **servis tuis mala.**) Vers. 44.
Sic sæpe alibi ostendere ponitur pro facere.

Succendere fornacem naphtha.) Naphtha est fomes Vers. 46.
et pabulum ignis, simile bitumini. Vide Plinium lib. 2. 105. unde græce πυρινη dicitur, a πυρ, id est igne. Alii, inquit S. Hieron. ossa olivarum quæ proiiciuntur cum amurca arefacta, naphthan appellari putant.

Et malleolis.) Malleoli vitium sunt sarmenta ad incendendum ignem, ait Theod. aut potius, ut Nonius Marcellus, malleoli sunt manipuli spartei pice obliti et obducti, qui incensi in muros, aut in testudines hostium ia-

Malleoli quid?

ciuntur ut eas succendant. Hinc patet, non esse verum quod docet Albertus Magnus, et Dion. Carth. scilicet, in medio fornacis huius fuisse ignem tantum quoad substantiam, non quoad actionem, puta ustionem. Nam ignis hic egit in malleolos, eosque combussit.

Vers. 49. Angelus autem Domini descendit.) Iam ante descenderat cum eis angelus, ut primum in fornacem coniecti sunt, tutans eos: alioqui enim mox ab igne combusti fuissent: sed a puerorum oculis se abscondit, ut illi videntes suum in igne periculum orarent Deum: orarunt ergo, mox angelus se eis ostendit, visusque est ad eos descendere, ac ventum inducere, ut hic dicitur. Disce ab angelo, in persecutione et tribulatione unicum remedium esse orationem et refugium ad Deum: qui eo usi sunt, steterunt et vicerunt; qui non sunt usi, defecerunt et ceciderunt. Audi S. Cyprian. (vel quisquis est auctor) tract. de duplici martyrio: *Novi ego ac flevi quosdam magna animi fortitudine præditos, qui iam coronæ proximi defecerunt, et quem diu professi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in causa? Dimoverant oculos suos ab eo, qui solus robur dat infirmis: intermiserant orationem, ac cœperunt ad humana præsidia respicere. Contemplabantur suæ naturæ viriculas, considerabant ungulas, aculeos, candentes laminas, ferrum et ignem, reliquumque carnificinæ apparatum, etiam aspectu horrendum, et cruciatuum atrocitatem tum suis viribus conferebant, et ideo victoriam amiserunt e manibus: ubi quis ita cogitat, Hoc possum, illud perpeti non possum, numquam feliciter peraget martyrium. Sed qui se totum tradit divinæ voluntati, non alio spectans quam ad illius opem, is demum firmus est et invictus. Hoc autem fieri non potest, nisi adsit vera ac vivida fides, nihil hæsitans, nihil disquirens, nec cogitans quanta sit tyranni sævitia, quanta hominis imbecillitas, sed quanta sit Domini virtus, qui certat ac vincit in membris suis.* Et paulo post: *Nec quisquam sibi displiceat, si corpore pariter et animo sentiat gravem ac diutinam molestiam: tantum fidat ei cui certat; is non patietur quemquam tentari supra id quod potest, sed faciet etiam cum tentatione proventum.* Hinc passim Martyres in tormentis assidue orasse legimus. Extat oratio ardens S. Cypriani ante martyrium, in fine operum eius.

Nota Primo. Chaldæi hos tres pueros miserunt in ignem vestitos et colligatos, ut patet v. 23. sed funes et ligamina hæc mox solvit vel ignis fornacis, ut vult S. Hieron. et Chrysost, vel angelus cum eis in fornacem descendens: unde cum eo ibidem ambulare sunt visi v. 92.

Tres pueri in igne illæsi tribus modis. Nota Secundo. Hi pueri ab igne servati sunt, Primo, 1. quia angelus excussit ignem, eumque ab eis abegit et removit ad latera fornacis, et extra fornacem: unde ibi Chaldæos tortores et incensores succendit; tres vero pueros non tetigit. Secundo, 2. quia auram *quasi ventum roris*, id est roridum, *flantem*, vel, ut Vatablus vertit, *quasi roscidum flatum susurrantem*, loco et vice ignis supernaturaliter induxit, tum ad refrigerium eorum, tum ad respirationem: nec enim aliter vim ignis suspendere poterat angelus. Unde S. Ambros. lib. 6. in Lucam cap. 2. *Cantaverunt*, ait, *Hebræi, cum vestigia eorum tactu flammæ rorantis humescerent, et intus extraque ardentibus omnibus, solos tamen innoxius ignis lamberet, nec adureret.* Et S. Zeno Veron. Episc. serm. 8. de tribus pueris: *Mors*, ait, *refugiens mutat officium, incensores cremantur: incensis hymnum canentibus flamma blanditur: Deus a creatura universa benedicitur. In tribus una mens, una virtus, unus triumphus. Melioratur vita supplicio. Rex non inviderat pueris, si non eos præcepisset ardere.* Et S. August. serm. 240. de tempore: *In fornacem*, ait, *missi sunt Sancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expavescunt. Ostendunt iustorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet Sanctis cum igne iocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Accipe hostis a suppliciis exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. Fugiunt ignes iustos, quos iniuste damnasti. Damnant hostes, et absolvunt ignes. Chaldæi adiiciunt, et pœnæ defendunt. Homines sæviunt, et supplicia venerantur, ac persequentes puniunt.* Tertio, Deus huius venti actionem, scilicet refrigerationem, continuavit, valide et continuo cum ea concurrendo, ac consequenter ignis vicini, si quis erat actionem in eam partem, ubi tres pueri erant, vel hebetavit et minuit, vel omnino suspendit, concursum suum ei subtrahendo, sine quo nec ignis ardere, nec sol lucere, nec ulla creatura quidquam agere aut facere potest: et hoc innuitur v. 94. 3.

Simili modo Deus S. Theclam, Agnetem, aliasque plurimas virgines et Martyres in igne et tormentis recreavit et refrigeravit. Simile refrigerium præstitit Deus Theodoro adolescenti Antiocheno, qui propter psalmorum cantum a Iuliani Apostatæ præfecto crudeliter excruciatus, cum a Ruffino Eccles. historiæ scriptore rogaretur, an non in illis cruciatibus maximum sensisset dolorem, respondit: *Non multum acerbitatis et tormenti mihi accidit: astitit enim mihi adolescens, et sudorem qui ex ea conflictatione oriebatur, abstersit, animum confirmavit, fecitque ut tempus quo cruciabar, voluptati potius esset, quam angori.* Unde dolebat se cruciatibus eripi, optabatque iis reddi, ut rediret illa consolatio: ita Socrat. lib. 3. histor. cap. 16. Deus Martyres consolatur.

Ita et S. Victor Martyr sub Maximiano, cum Mediolani bullienti plumbo toto corpore perfunderetur, orabat dicens: *Domine Iesu Christe, propter cuius nomen hæc patior, adiuva me et libera me, sicut liberasti tres pueros immaculatos de camino ignis, et confudisti tyrannum: ita et me quoque nunc libera, ut erubescat Maximianus cum satellitibus suis.* Mox affuit angelus Domini, plumbumque ita refrigeravit, ut esset instar aquæ e fonte manantis, nec ulla in parte corpus Martyris adustum est. Unde Martyr in Dei laudes erupit, ac tandem prædicens Imp. Maximianum eo anno moriturum, capite plexus in cælum evolavit. Ita narrat oculatus testis Maximianus notarius in eius vita 8. Maii. Sic et S. Polycarpus discipulus S. Ioan. in igne mansit illæsus, flamma instar venti eum circumdante, teste Eusebio.

Quin et S. Franciscus, cum ad avertendam oculorum distillationem et cæcitatem, ei inurendum esset ferro candente cauterium, ad illudque caro eius tenera exhorresceret: *Mi frater ignis*, inquit, *esto mihi hac hora propitius. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum calorem mihi temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere.* Mirum dictu: urente ferro, nec ignis ardorem, nec carnis dolorem sensit; quia enim caro eius plene spiritui erat subdita, et spiritus Deo, eo ordinante, fiebat ut creatura suo creatori deserviens, eius voluntati et imperio mirabiliter subiaceret. Quare Fratres carnificinam hanc aspicere non valentes, et fugientes increpans, ait: *Pusillanimes et modicæ fidei, quare fugistis? nonne poterat ille temperare mihi fratris ignis ardorem, qui Babylonis pueros inter ipsas flammas servavit illæsos?*

Mystice S. Gregor. 30. Moral. 13. docet abstinentes non tangi igne libidinis: *Cum*, inquit, *carnem restringimus, ipsi abstinentiæ nostræ ictibus immundos spiritus verberamus: et cum hoc quod est intra nos subiicimus, extra positis adversariis pugnas damus. Hinc est quod cum rex Babylonis succendi fornacem iubet, naphthæ, stuppæ, picis et malleoli ministrari congeriem præcepit; sed tamen abstinentes pueros hoc igne minime consumit: quia antiquus hostis licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni spiritus gratia insibilat, ut a carnalis concupiscentiæ æstibus illæsæ perdurent; ut et si usque ad tentationem cordis flamma ardeat, usque ad consensum tamen tentatio non exurat.*

Et non tetigit eos omnino ignis.) Recte aliqui corpora horum puerorum comparant cum salamandra, quæ sua frigiditate et humiditate prunas (nisi nimiæ sint, et nimis accensæ) restinguit. Secundo, S. Basil. homil. de laud. ieiunii, eadem comparat amianto (de quo dixi Isaiæ 43. 2.) lapidi, qui in igne ardet, sed ex eo integer et purior egreditur. Rursum integritatem eorum in igne tribuit (uti et Bern. de Modo bene vivendi cap. 24.) virtuti ieiunii, quod coluerunt tres pueri, ut patet cap. 1. 16. Vers. 50. Comparantur salamandræ. Et amianto.

Damasc. etiam lib. 4. 25. eamdem ascribit eorumdem puritati et virginitati, et recte. Ita enim virginum multarum corpora ab igne, et a corruptione diu manserunt illæsa: maius enim miraculum est animam in tentatione libidinis, quam corpus in igne manere illæsum. Hinc dæmones S. Dominico non fundatori, sed alteri ex eius Ordine, cum gravem mulierculæ cuiusdam tentationem superasset, acclamarunt: *Vicisti, vicisti; quia in igne fuisti, et non arsisti.*

Illæsi fuerunt quia erant virgines.

Vidi ego Tridenti corpus S. Simonis pueri innocentis et Martyris a Iudæis in parasceve occisi; et Bononiæ corpus S. Catharinæ virginis ante 150. annos defunctæ integrum prorsus et illæsum. Memorabile vero fuit exemplum S. Cunegundis, quæ cum Henrico II. Imperatore in continentia vixit, cumque quadam vice maritus eam suspectam haberet, quasi famulo cuidam esset familiarior, illa ut virginitatem suam probaret, nudis plantis super candens ferrum ambulavit illæsa: quare moriens maritus vocatis parentibus eius: Accipite, inquit, vestram filiam, cam accepi virginem, virginem vobis reddo. Cunegundis deinde purpuram cum cilicio commutavit, habitumque Religionis in monasterio Confugiensi a se extructo induit, ubi mira humilitatis, pietatis et virtutis dedit documenta; ac rursum ignem noctu paleas corripientem, signo crucis facto extinxit. Demum quindecim annis religiose in monasterio transactis, cilicio in quo vixerat immortua est, ac miraculis clara ad virginum sponsum Christum Dominum evolavit in cælum. Ita habet vita eius, quam ex vetusta et fideli auctor edidit noster Gretserus.

Pari modo Theogina, quæ secreto cum marito Anastasio per 40. annos in continentia vixerat, prodita est a S. Basilio, qui iussit in sinum eius carbones ardentes effundi, quos ipsa illæsa gestavit. Ita Amphiloch. in vita S. Basilii, quæ tamen vita mihi æque ac Baronio, et aliis viris doctis suspecta est.

Mirabile vero est quod refert Cassian. collat. 15. c. 10. de Abbate Paphnutio, qui, cum casu flamma eius manum corripiens combussisset, indoluit quod flamma ei non parceret nec cederet, cui dæmones cedebant, quos ille ab obsessis expellebat: quare Angelus ei apparens dixit: *Cur Paphnuti tristis es, quod needum pacatus tibi sit ignis iste terrenus, cum adhuc resideat in membris tuis carnalium motuum needum ad purum excocta commotio? cuius radices donec in tuis vivunt medullis, ignem istum materialem nequaquam tibi pacificum esse permittent. Vade, apprehende virginem pulcherrimam, et si illam tenens, tranquillitatem tui cordis immobilem, æstusque carnales pacificos in te senseris perdurasse, huius quoque visibilis flammæ mitis atque innoxius, in modum illorum trium in Babylonia puerorum, te allambet attactus.*

Anno Domini 530. Toleti sub Amalarico rege Concilium est celebratum, cui præfuit Montanus: qui, ut loquitur D. Isidorus, post Celsum fuit Toletanæ Sedis metropolitanus Episcopus vita et eruditione clarus. Is antiquissima fidelique relatione narratur ad propulsandam coniugalis conversationis infamiam, candentes prunas tamdiu tenuisse veste, dum Sacrum perageret; eoque peracto, nec pruna ignem, nec vestis inventa est amisisse decorem. Ita Ioan. Vazæus in Chron. Hispan. ad an. 530.

Consimile huic scribit Leontius in vita S. Ioann. Eleemosynarii, non longe a calce eius vitæ: Porphyria, inquit, prius fornicaria, cum ab Abbate conversa, ei quasi in quodam salutis asylo cohabitaret, incidit in suspicionem temerariæ plebi, quasi ab Abbate filium genuisset, quem nec ipsa genuerat, sed abiectum collegerat. Coram igitur centum et eo amplius testibus Abbas in suæ ac mulieris castitatis testimonium adferri prunas iussit: evolvit autem eas in proprium vestimentum, quod nulla prorsus parte ambustum est, omnibus id admirantibus.

Insigne aliud narrat Gregorius Turonensis de Gloria Confess. c. 76. *Simplicius*, inquit, *perpetuam cum uxore castitatem servaverat; electus autem in Episcopum, domi virginem adhuc uxorem fovebat uti sororem. Die igitur Natalis Domini commotis civibus adversus virginem, per inanem suspicionem, sic ad illam loculi sunt: Incredibile est, mulierem viro iunctam pollui non posse, sed nec vir poterit artubus mulieris iunctus a coitu abstinere. His commota virgo sanctissima adit Pontificem simili castitate pollentem, arculamque tunc ut fieri solet pro rigore hyemis carbonibus plenam penes se habens, accita famula, expansoque pallio, prunas ardentes suscipit, et fere horæ unius spatio tenens sacerdoti postea sic ait: Accipe et tu mitiorem solito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum: suscipiente vero Pontifice, nihil offensum est velamen eius ab igne. Credidit tunc incredula gens, atque supra mille sacro baptismate sunt initiati.*

Notat Pererius in his tribus pueris octo miracula: Primum, quod ignis eis luxerit, sed eos non usserit: e contrario ignis inferni maxime urit damnatos, minime tamen eis lucet, inquit S. Basil. in Psal. 28. et S. Gregor. lib. 9. Moral. c. 49. 1. Secundum, quod ignis hic parcens pueris, quos intra se habebat, eruperit et invaserit Chaldæos extra et remote consistentes, eosque concremarit. 2. Tertium, quod ignis hic vincula iuvenum dissolvit, inquit S. Hier. et tamen corpora et vestes eorum non attigit. 3. Quartum, quod in igne poterant non tantum respirare, sed et libere loqui, et Dei laudes decantare. 4. Quintum, quod angelus vultu radiantissimo flammas ab eis depulit, et cum eis in fornace ambulavit. 5. Sextum, quod tres pueri ibidem afflati Spiritu sancto divinissimum hymnum (qui est Scriptura Canonica) composuerunt, et uno ore concinuerunt. 6. Septimum, fuit ventus roridus, qui ignis vim restinxit, et pueros refrigeravit, ac mire recreavit. 7. Octavum, quod rex vidit angelum in fornace cum pueris ambulantem, quem alii videre non potuerunt. 8. Itaque in his pueris impletum est illud Isaiæ 43. v. 2. *Cum transieris per aquas, tecum ero*, etc. *cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.* Audi S. Chrysostom. hom. 4. ad populum: *Ignis murus illis factus est, et vestis flamma, et fons fornax, et ligatos capiens solutos reddidit. Mortalia excepit corpora, et tamquam immortalibus abstinuit; non agnovit naturam, sed pietati reverentiam exhibuit; vinxit pedes tyrannus, et ignis vim pedes vinxerunt. O rem mirabilem! vinctos solvit flamma, et ipsa a vinctis vincta est*, etc. *ut et barbari crudelitatem discas, et elementi obedientiam.* Subdit deinde, diabolum non ferro, nec gladio, sed igni eos tradi curasse, ut plane consumerentur, et in cinerem verterentur: sed Deum id in gloriam vertisse, ac fecisse, ut de Babyloniorum deo, puta igne, quasi eius victores triumpharent. Hæc et plura S. Chrysost.

Octo miracula in his pueris.

Simile miraculum de monacho quodam, Benedicto nomine, quem Gothi tempore Totilæ cum cella comburere voluerunt, sed non potuerunt, narrat S. Gregor. 3. Dialog. cap. 18.

Tropolog. fornax succensa a Chaldæis significat libidinum incentiva, quæ dæmones in homine excitant, ut animam urant et perdant, inquit Cassian. l. 6. Instit. c. 17. et Origen. in cap. 7. Levit. et Isychius l. 6. in Levit. sed casti ea superant ope angelorum. Hinc secundo, disce, quam castitatis amatores et tutores sint angeli, utpote qui cum tribus pueris castis in caminum descenderunt, eosque ab igne tutati sunt.

Morale, angeli sunt castitatis amatores et tutores. Exempla.

Ita S. Thomas Aquinas ob castitatem angelis charus extitit, ab eisque cingulo castitatis succinctus est: ac deinceps omni libidinis sensu caruit. Ita habet eius vita.

Fertur Ammon vir pius, qui propter castitatem a coniuge sponte seiunctus, ac deinde monasticam vitam eius consensu amplexus erat, nunquam sese vidisse nudum, eo quod monacho vel suum ipsius corpus nudum videre inconveniens diceret; et cum aliquando fluvius ipsi transeundus esset, ac vestem exuere detrectaret, et ad Deum orasset, ut ita sibi transire daretur, ne propositum infringeret, ab angelo fuit ad alteram fluvii ripam translatus. Ita Socrates histor. Eccles. lib. 4. cap. 23.

Refert Cassianus collat. 1. de Sereno Abbate: *Hic*, inquit, *pro interna cordis atque animæ castitate nocturnis diurnisque precibus, ieiuniis quoque ac vigiliis infatigabiliter insistens, cunctos æstus carnalis concupiscentiæ tan-*

dem per divinam gratiam in se extinxisse percepit. Deinde maiori zelo castitatis succensus, præfatis usus remediis a Deo petiit, ut interioris hominis castitas in corpus redundaret Dei dono. Postremo autem veniens ad eum angelus in visione nocturna, eiusque velut aperiens uterum: quamdam ignitam carnis strumam de eius visceribus evellens ac proiiciens, suisque omnia, ut fuerant, locis intestina restituens: Ecce, inquit, incentiva carnis tuæ abscissa sunt, et obtinuisse te noveris hodierna die perpetuam corporis puritatem, iuxta votum quod poposcisti: et ne ipso quidem naturali motu, qui etiam in parvulis atque lactentibus excitatur, ulterius pulsabatur.

De S. Equitio Abbate narrat S. Gregorius: *Hunc*, inquit, *cum iuventutis suæ tempore acri certamine carnis incentiva fatigarent, ipsæ suæ tentationis angustiæ ad orationis studium solertiorem fecerunt. Cumque hac in re ab omnipotenti Deo remedium continuis precibus quæreret, nocte quadam assistente angelo eunuchari se vidit, eiusque visioni apparuit quod omnem motum ex genitalibus membris eius abscinderet, ac si sexum non haberet in corpore. Qua virtute fretus, ex Dei omnipotentis auxilio, ut viris ante præerat, ita cœpit postmodum etiam fœminis præesse, nec tamen discipulos admonere cessabat, ne sibi eius exemplo in hac re facile crederent, et casuri non tentarent donum quod non accepissent.* Simile de Elia trecentarum monialium Patre narrat Palladius in hist. Lausiac. c. 35. Simile audi de Belgica.

B. Virgo Ermelindis ut sola Deo vacaret, relicta domo paterna in villam concessit: ubi cum eius castitati ab hero pararentur insidiæ, ea nocte qua vadens ad ecclesiam ab eo rapienda erat, meruit angelicam vocem audire se monentem ex nomine: *Recede*, inquiens, *virgo, recede, et virginitatem, quam Deo consecrasti, inviolatam custodi.* Quæ valde perterrita obediens iussioni iter cepit. Cumque Spiritu sancto duceretur, angelus Domini ei secundo apparuit, et viam quam ceperat ne desereret, imperavit. *Venies*, inquit angelus, *in villam, quam Meldricem nuncupabis: ibi namque præparavit tibi Dominus locum ad perficiendum desiderii tui votum.* Pervenit igitur venerabilis virgo in locum quem prædixerat ei angelus: ibique parsimonia miræ abstinentiæ diu vivens, geminæ dilectionis implevit mandatum, inquit auctor vitæ eius apud Surium 29. Octobris.

Illustrius est quod de S. Theophila refert S. Basil. lib. de Virginit. et Baron. anno Christi 301. Quod recensui 1. Corinth. 7. v. 35. in fine.

Vers. 51 et 52. TUNC HI TRES QUASI EX UNO ORE LAUDABANT, etc. DICENTES, BENEDICTUS ES DOMINE, etc.) Hinc patet, hymnum sequentem dictum et compositum fuisse a tribus pueris in fornace ex afflatu Spiritus sancti: unde et ab Ecclesia vocatur hymnus trium puerorum. Quod ergo scribit hic Polychronius: *Sciendum est hunc hymnum non haberi in Hebraicis aut Syriacis libris: fertur autem ex iis, quæ dicta sunt, a quibusdam postea compositum esse;* prius verum est, posterius falsum.

Moraliter vide hic quam verum sit istud Psal. 117. 15. *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum.* Et illud Psal. 96. 11. *Lux orta est iusto, et rectis corde lætitia.* Nam, ut ait S. Bonavent. in Spec. discipl. p. 1. c. 3. *maximum inhabitantis gratiæ signum est spiritualis lætitia: fructus* enim *Spiritus est gaudium*, ait Apostol. Galat. 5. v. 22. Quocirca merito S. Bernard. sermon. 14. in Cant. *Opus meum*, inquit, *vix unius est horæ, et si plus, præ amore non sentio. Lætamini* ergo *in Domino, et exultate iusti, et gloriamini omnes recti corde*: Dominus enim protector vester est, et ex omnibus tribulationibus liberabit vos, uti tres pueros ab igne liberavit.

Vers. 52. BENEDICTUS ES DOMINE, etc.) q. d. Ut clare vertit Vatabl. *Prædicandus es Domine Deus patrum nostrorum, celebrandus et laudandus in perpetuum, prædicandum item nomen tuum gloriosum illud et sanctum, per quam laudabile, et in ævum supra modum extollendum.*

Vers. 53. SUPERLAUDABILIS ET SUPERGLORIOSUS IN SÆCULA.) Vatabl. *sempiternis sæculis percelebrandus*, *et perquam*

A *gloriosus*. Unde v. præcedenti, *superlaudabilis et superexaltatus in sæcula*, aliqui addunt ὑπερένδοξος, id est *supergloriosus*, qui scilicet omnem laudem et gloriam, ac glorificationem omnium hominum, angelorum et creaturarum superas, et in immensum transcendis.

SEDES SUPER CHERUBIM.) Sedes tum super angelos Vers. 55.
Cherubinos, qui sunt in cælo; tum super effigies Cherubim quæ sunt super arcam et propitiatorium. Vide dicta Exodi 25. 23. eo enim alludit. Nam arca ante excidium urbis, a Ieremia ex urbe et templo fuit educta, atque loco incognito recondita, ut patet 2. Machab. 2. v. 4. Unde adhuc tempore captivitatis Deus dicebatur sedere super Cherubim.

BENEDICITE OMNIA OPERA DOMINI DOMINO.) Tres pue- Vers. 57.
ri ob tam illustrem et miraculosam Dei in se beneficentiam, ut intimum cordis sui et iubilationis sensum, atque immensum affectum gratitudinis, congratulationis reverentiæ, et laudis divinæ, quo æstuabant, testentur et ostendant, invitant hic omnes creaturas, etiam inanimes, B ad Dei laudem; præsertim quia ipsæ huius miraculi et beneficentiæ, qua Dei potentia et providentia ita celebrabatur, fuerunt testes, aut etiam cooperatrices, ut angeli, ventus, ignis, etc.

Nota. Inanimes creaturæ benedicunt Deum creatorem suum, non ore, sed opere, ait S. Hier. Primo, quia sua pulchritudine, varietate, magnitudine, situ, motu, utilitate, ministerio, perseverantia, et obedientia erga Deum, creatoris sui potentiam, sapientiam, ac providentiam summa laude, gratiarum actione et veneratione dignissimam ostendunt. *Inanima laudant Deum non ore, sed opere.*

Secundo, quia iisdem spectatores sui in laudem et admirationem factoris movent et excitant: itaque spectatoris lingua ad Dei laudem ipsæ quodammodo utuntur: ita S. Hieron. hic, et Euthym. in psalm. 148.

Est ethopœia ad pathos: tribuitur enim hic sensus, vox et laus rebus inanimis, uti dixi Isaiæ 1. v. 4. q. d. Vos, o angeli, o cæli, o ignes, o venti, o bestiæ, quæ spectastis, C vel spectare potuistis hocce prodigium, naturali sensu, et muta voce obstupescite Dei in nos clementiam, et potentiam: congratulamini nobis, et nobiscum benedicite Deum; quia sine dubio id ipsum faceretis rationali sensu mente et voce, si ea haberetis. Nec enim nos ad gratias agendum, et benedicendum Deum sufficimus; ideoque omnes creaturas ad eius laudem nobiscum provocamus, cuperemusque omnium angelorum, hominum, et creaturarum ore, immensam Dei in nos liberalitatem celebrare. Vos ergo cæli, sidera, ignes, etc. quæ alias semper obedistis creatori, vestraque pulchritudine et obedientia eum laudastis, nunc magis idipsum facitis. Tu enim, o ignis, laudas Deum; dum præter naturam ad nutum Dei, a nobis quasi a servis Dei, te tuamque vim retrahis. Vos, o venti, laudatis Deum, dum in medio ignis nobis, quasi servis Dei, refrigerium præstatis. Vos, o cæli, o sidera, laudatis Deum, dum vestro motu et luce Deo vestro, eiusque prodigio huic cooperamini: pergite ergo, uti cœpistis quamdiu nos in camino hoc vivimus et vigemus, at- D que deinceps semper, vestra specie, actione et obedientia, tum naturali, tum supernaturali, Deum laudare, hominesque omnes et angelos ad Dei laudem provocare.

Hoc ergo illustre est canticum, de quo proinde Conc. Tolet. IV. can. 13. statuit, ut publice decantetur, uti facimus in Laudibus horar. Canon. Pulchre et floride hoc canticum exponit et dilatat Pererius toto l. 4. Porro hoc canticum incipit a summis, puta ab angelis, quos primo ad Dei laudem invitat. Idem ordine gradatim descendit ad cælos, solem, stellas: mox ad aerem, imbrem, rorem: inde ad terram, fontes, maria, pisces, volucres, bestias, pecora: ac tandem v. 82. ad homines, Israelitas, sanctos, ac humiles: denique hi tres pueri v. 88. seipsos excitant ad hanc Dei laudem concludendam, uti eamdem inchoa- Vers. 59.
runt.

BENEDICITE CÆLI DOMINO.) Nota. Cæli enarrant gloriam Dei, quia a Deo acceperunt, primo, naturam incorruptibilem; secundo, immensam magnitudinem; tertio, *Cæli undecim modis laudant Deum.*

rotunditatem perfectissimam et pulcherrimam; quarto, motum celerrimum et perpetuum; quinto, varietatem orbium, eorumque inter se miram concordiam et coaptationem; sexto, eorumdem motus diversissimos, et tamen ordinatissimos; septimo, siderum decorem, multitudinem, efficientiam; octavo, præsides angelos, qui orbes hos regunt et rotant; nono, lucem miram et variam; decimo, generalem vim et potentiam vivificandi, producendi, moderandi, conservandi omnes res terrestres et sublunares; undecimo, quod in cælo empyreo mirus sit ornatus, et rerum varietas: ipsum enim est templum, thronus et regnum Dei, estque domicilium angelorum et hominum beatorum; ubi Deus se eis clarissime cernendum, ardentissime amandum, et iucundissime fruendum in omnem æternitatem præbet. Merito ergo de cælis peculiariter ait Psaltes psal. 8. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*, puta, qui sunt opera sapientiæ, potentiæ et magnificentiæ tuæ: ita Pererius.

Vers. 60. BENEDICITE AQUÆ OMNES, QUÆ SUPER CÆLOS SUNT DOMINO.) Quænam hæ aquæ sint, an elementares, an cælestes, dixi Genes. 1. 6.

Vers. 61. Virtutes quid? BENEDICITE OMNES VIRTUTES DOMINI DOMINO.) Per virtutes accipe Primo, intelligentias, sive angelos cælum
1. moventes; unde virtutes hic inseruntur inter cælos, et
2. solem ac stellas; quia iis omnibus præsident. Secundo,
3. influentias cælorum in hæc inferiora. Tertio, aliqui accipiunt septimum angelorum ordinem, qui dicitur Virtutes; eo quod mira in terris faciant; quasi illis hi tres pueri attribuant miram sui in igne conservationem, quodque angelus in igne eos conservans fuerit ex ordine Virtutum.
4. Quarto, Pererius accipit virtutes operativas lapidum, herbarum, animalium et omnium rerum naturalium, uti est virtus in magnete ad trahendum ferrum; in herbis ad calefaciendum, siccandum, purgandum, etc.

Notat Scholiast. non esse eumdem in omnibus codicibus harum benedictionum ordinem. Sic v. 67. *Benedicite frigus et æstus Domino*, in edit. Septuag. Rom. ponitur posterius, scilicet v. 73.

Vers. 65. OMNES SPIRITUS.) Omnis ventus: quia is nos in igne tutatur, estque Dei, id est a Deo immissus. Alii per *spiritus* accipiunt angelos, sed hos nominavit v. 58. Adde, angelos in Scriptura non solere vocari *spiritus Dei*, sed absolute *spiritus*, uti recte observavit Alcazar in cap. 1. Apoc. pag. 183. in fine.

Ventorum utilitas sextuplex. Nota. Venti laudant Deum: quia magnus est eorum usus et utilitas. Nam Primo, ventilant, et purgant aerem ne putrescat, vel inficiatur. Secundo, nubes et pluvias nunc adducunt, nunc abducunt. Tertio, arbores, plantas et sata fovent et vegetant. Quarto, æstum refrigerant. Quinto, habitum hominis et animalium renovant et reficiunt. Sexto, naves propellunt. Ita Seneca lib. 5. Quæst. natural. 18. Rursum quia solus Deus proprie ventis dat ordinem, locum, motum, tempus, impetum, vicissitudinem, et vires, hinc speciatim venti invitantur ad Dei laudem.

Vers. 66. LAUDATE ET SUPEREXALTATE EUM IN SÆCULA.) Puta in æternum. Hoc enim significat Græcum εἰς τοὺς αἰῶνας, quod Vatabl. vertit, *sempiternis sæculis*. Est hoc hemistichium intercalare, ut, dum prius, v. g. *Benedicite ignis et æstus Domino*, præcinit præcentor, mox communi omnium voce applaudens et conclamans chorus ubique succinat: *Laudate et superexaltate eum in sæcula*. Sic in Litaniis uno præeunte nomina Sanctorum, cæteri respondent: *Ora pro nobis*.

Vers. 67. FRIGUS ET ÆSTAS) Græce est καύσων, id est *æstus*, et ita legunt Romana: hic enim directe opponitur frigori: ita ergo legendum est, non *æstas*. Unde Vatabl. vertit *ardor*; alii *cauma*: *æstas* tamen legunt Biblia Plantin. Parisina, et alia pleraque, item S. Hieronym. Quin et versio Syra, quæ extat in antiqua Biblioth. Medicæa, hoc hemistichium Græcis et Latinis Bibliis addit: *Benedicite æstas et hyems Domino*. Sed eodem fere res redit: æstus enim est in æstate; unde et æstas dicitur ab æstu, ait Varro lib. 4. vel, ut alii, a Græco αἴθεσθαι, id est ure-

A re. Hinc Plinius lib. 12. cap. 19. *Austri*, ait, *ibi tam ardenter flant, ut æstatibus silvas accendant*. Porro quantam laudandi Deum materiam suggerant hominibus æstus et æstas, patet ex frumento, vino, tamque vario et multiplici omnigenorum fructuum genere, quod maturant, et quasi pariunt; ut merito canat Psaltes psal. 73. 17. *Æstatem et ver tu plasmasti ea*. Et Eccles. cap. 50. 8. laudans Simonem pontificem: *Ille*, inquit, *effulsit in templo Dei*, etc. *quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi thus redolens in diebus æstatis*. Rursum æstas monet hominem laboris, ut eo comparet sibi cibum, quo vivat in hyeme. Quocirca Sapiens Proverb. 6. 6. *Vade*, ait, *ad formicam, o piger, et considera vias eius, et disce sapientiam, quæ*, etc. *parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat*, q. d. Sic tu o homo compara tibi bona opera et merita in tempore, quibus vivas et fruaris in æternitate. Quamobrem, ut idem ait c. 10. 5. *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem* B *stertit æstate, filius confusionis*. Et cap. 20. 4. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei*.

PRUINA.) Græce νιφετοί, quod Vatabl. vertit, *pluviæ nivales*; alii passim, *pruinæ*. Vers. 68.

BENEDICITE MONTES ET COLLES DOMINO.) Montes enim, Primo, nives vapores, nebulas, nubesque recipiunt et colligunt, easque in aquas resolvunt; itaque torrentium et fluminum sunt causa et origo, quibus agri rigantur et fœcundantur, quique pisces gignunt plurimos et sanissimos, utpote saxatiles et viscositate carentes. Hoc est quod ait Psaltes psal. 103. 10. *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ*. Montes enim non tantum scaturigines, sed et aggeres sunt fluviorum et maris, illiusque fluctus et tumorem ne exundet, coercent. Secundo, montes subiectas valles et agros a ventis et procellis, æque ac ab æstu tutantur. Tertio, montes continent fossilia et mineralia, uti carbones, ferrum, æs, stannum, aurum, argentum. Quarto, C montes et rupes dant saxa et marmora, quæ ex ipsis etiam Alpibus excidi vidi. Quinto, montes vites alunt, uvasque maturant ob reflexionem radiorum Solis. Sexto, proferunt maximas quercus omnisque generis arbores. Sane nusquam abietes plures, maiores aptioreque ordine dispositas conspexi quam in Alpibus, et iuxta Norimbergam eundo Augustam, ubi ingentem abietum silvam quæ ad plura milliaria extenditur, pertransii. Septimo, montes si excolantur, proferunt triticum, et frumentum omnis generis. Hinc in Alpibus vidi opulentos pagos et oppida plurima, quæ specie et opibus cum campestribus certant. Rursum montes abundant gramine, pratis, oleribus, herbis, floribus pulchris et odoratis etiam in hyeme: unde tunc elegantes florum fasciculos Alpini nobis ex hospitio exeuntibus more suo offerebant. Octavo, montes sunt quasi muri et valla urbium et provinciarum, ne a vicinis aliisque gentibus invadantur. Ita montes Arduennæ sunt muri Galliæ, Alpes Germaniæ, Appennini Italiæ, Pyrenæi D Hispaniæ. Hi enim Gallos ab Hispanis disterminant, et ne in invicem incurrant aditum præcludunt. Ita Helvetii in suis montibus consistunt quasi inexpugnabiles, adeoque Carolum Audacem principem bellicosissimum cum numeroso exercitu conciderunt. Nono, in montibus ob frigus, auramque puram et acrem corpora valent, vigentque homines et sunt robusti, atque tum frigore, tum fame urgentur ad laborem quo victum parent: quo fit ut nec otio, nec luxu, nec libidine et vitiis diffluant; sed modesti sint, laboriosi, probi et pii. Equidem in montoso Tirolensi Comitatu maxima pristinæ probitatis et pietatis in viis et collibus monumenta, uti sacella, cruces, imagines, vota etc. lustravi. Decimo, in montibus aptissimus est locus solitudinis, cælumque et cælestia contemplandi. Unde ibi sunt eremitoria, et Eremitæ sidera liberrime suspicientes, et terram ac terrena omnia despectantes. Hinc Christus in monte orans transfiguratus est, et sermonem illum divinum Matth. 5. 1. habuit in monte, denique in monte Olivarum more suo obsecrans captus et

Vers. 75. Montes decem dant commoda.

vinctus est. Hæc in Alpibus inter, imo supra nubes consistens et contemplans, identidem dixi, *Benedicite montes Domino.* Denique montes Alpium et Apennini cingunt et tutantur Romam, utpote Ecclesiæ et Imperii caput, ut videatur esse inexpugnabilis, quasi supra petram fundata. Qua de re pulchre Rutilius:

Si factum certa mundum ratione fatemur,
Consiliumque Dei machina tanta fuit,
Excubiis Latiis prætexuit Apenninum,
Claustraque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit natura, parumque putavit
Arctois Alpes opposuisse minis.
Sicut vallavit multis vitalia membra,
Nec semel inclusit quæ pretiosa tulit:
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitosque habuit Roma futura deos.

Vers. 87. Benedicite sancti et humiles corde Domino.) Humilitas cum sanctitate iungitur; quia basis est sanctitatis, et quia vera humilitas non debet esse fucata in ostentatione exteriore, sed realis in animo: hinc additur τὸ corde. *Simulata enim humilitas est duplex superbia*, qua nonnulli opinionem sanctitatis apud homines aucupantur: sed hæc diuturna esse nequit: mox enim se prodit latens superbia. His applicari posset dicique illud Nahum c. 3. 14. *Intra in lutum, et calca subigens, tene laterem*, nimirum intra in temetipsum et sentiens te esse abiectum lutum, conculca illud, et animi amplectere humilitatem.

Humiles maxime laudant Deum. Nota. Præ aliis virtutibus humilitas, et humilis, laudat Deum; quia cognoscit suum nihilum, et quidquid boni habet, id se habere a Deo. Hinc ait Sapiens Eccles. 3. 21. *Magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. Nihil est*, inquit S. Hier. ad Celantiam, *quod nos ita hominibus et Deo gratos faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate tamen infimi simus.* Ita S. Franciscus noctes integras non aliud orabat, quam, *Quis tu Domine? quis ego?* Audi et S. August. in sentent. sent. 83. *Vera*, inquit, *fidelium humilitas est in nullo superbire, in nullo murmurare: nec ingratum esse, nec querulum; sed in omnibus Dei iudiciis Deo gratias agere, Deumque laudare, cuius omnia opera aut iusta sunt, aut benigna.*

Vers. 88. Eruit nos de inferno.) Fecit ne moreremur, et iremus ad limbum patrum.

Et salvos fecit de manu (id est potestate et imperio certæ) mortis.

Vers. 90. Omnes religiosi.) Omnes Dei cultores: hi enim sunt σεβόμενοι τὸν κύριον.

Vers. 92. Et species quarti similis filio Dei.) Id est similis Christo, de quo a Daniele rex aliquid inaudisse poterat, inquit Rupert. et Tertull. lib. 4. contra Marc. 10. et S. Augustin. in conc. ad catheccum. Imo multi veteres, ut Tertull. Iustin. Hilar. et alii putant hunc quartum vere non angelum, sed Christum fuisse, qui iam tum ante sumptam humanam naturam, eius similitudinem induerat, et se quodammodo ad futurum redemptoris officium exercebat. Putant enim ipsi, apparitiones quæ in veteri testamento factæ dicuntur per angelos, factas esse per ipsummet filium Dei, qui est magni consilii angelus. De qua re

Filius Dei quis? I. dixi in Genesi cap. 18. Atque ex horum sententia petita videtur Antiphona, quam huic hymno trium puerorum in Officio Ecclesiastico, ad Laudes præmittimus tempore paschali: *Surrexit Christus de sepulcro, qui tres pueros liberavit de camino ignis ardentis, alleluia.*

II. Secundo, Dion. Carthus. *similis filio Dei*, id est similis Apollini, inquit, Herculi, aut cui simili ex Iove, aliove Deo genito: tales enim finxerunt et coluerunt Gentiles. Unde Symmachus vertit, *quartus similis filiorum deorum*; et Syrus, *aspectus quarti assimilatur filio deorum.*

III. Tertio, *similis filio Dei*, id est similis angelo, ut vertunt Septuag. teste S. Hieron. Erat enim revera angelus, ut patet. v. 49. habebatque vultum angelicum: nec dubium est regem de angelis inaudisse. Sic Iob. 38. 7. dicitur: *Ubi eras cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei*, id est omnes angeli? Ita Vatabl. imo S. Hieron. qui et addit: *Hoc iuxta historiam. Cæterum in typo præfigurat iste angelus, sive filius Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui ad fornacem descendit inferni; in quo clausæ, et peccatorum, et iustorum animæ tenebantur, ut absque exustione et noxa sui, eos qui tenebantur inclusi, mortis vinculis liberaret.* Et sic exponi potest Antiphona paulo ante citata, quod Christus, id est angelus, typum gerens Christi, et missus a filio Dei, liberarit tres pueros de camino ignis. Favet Arabicus uterque, Antiochenus scilicet et Alexandrinus, *aspectus* (visio, species) *quarti similis est Filio Dei excelsi.*

Quarto, Perer. *similis filio Dei*, id est similis viro illustri, eximio et augusto supra omnes homines. Sic enim vocantur montes et cedri Dei, id est illustres, eximii: et sic vocantur filii Dei Genes. 6. 2. IV.

Ex hisce sensibus tertius maxime genuinus videtur: nam quem rex hic filium Dei vocat, eumdem ipse v. 95. vocat angelum. Porro misit Deus angelum, qui appareret regi, ne rex putaret pueros in igne servari illæsos per maleficium. Quocirca rex hic tria miratus est, primo, quod quatuor sint; secundo, quod soluti; tertio, quod in igne illæsi.

Exclamat merito hic S. Chrysost. hom. de tribus pueris: *O quibus*, inquit, *triumphis te incorrupta fides extendis! Adest tibi amica maiestas, ut innocentia liberetur: patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari, et potest Dominum videre sacrilegus* (Nabuchodonosor) *sed non permittitur nosse, ut crescat gloria puerorum.*

Disce hic quam angeli Sanctis in tormentis orantibus adsint, eosque tueantur et corroborent. Ita S. Theodoro Martyri astitit angelus, eumque robori et sanitati restituit. Audi de eo rara et mira ex auctore vitæ, quæ graviter scripta exstat apud Surium 7. Februarii. Cum S. Theodorus dux exercitus in nomine Trinitatis draconem infensissimum interfecisset, et Imperatoris Licinii deos ex auro et argento conflatos confregisset, atque pauperibus distribuisset (qua ratione plurimi Christo nomina dabant) Imperator eum accersitum omnibus inimicorum phalangibus ridendum exposuit. Beatus autem Theodorus dixit ei: *Fremis, o Imperator, sed ego rugio: Tu stertis, at ego exilio: Tu cum Deo pugnas, at ego de Deo dissero: Tu blasphemas, ego vero Deum hymnis laudo: Tu colis Deos mortuos, ego verum Deum vivum: Tu Seraphim, ego vero eum qui est super Seraphim: Tu Apollinem, ego vero Deum semper viventem: Tu es carbo Thracius, ego vero princeps Romanus: Tu Licinius ventilator, ego vero Theodorus donum Dei. Quamobrem ne ægre feras, o Imperator, neque calcitres: hæc enim faciens, tuos ostendis cruciatus, asini enim et muli tenes figuram.* Tunc multa ira plenus Licinius iussit boum nervis eum cædi, et plusquam mille plagas ei inferri. Deinde ferreis ungulis lacerari eius carnes, et lampadibus ignis ustulari eius ulcera, et acutis testis radi concretum sanguinem. Post hæc Martyrem ligno affixerunt per manus et pedes. Arbitratus autem impius Licinius eum esse mortuum, reliquit in ligno pendentem. Circa primam vero vigiliam noctis adstans angelus Domini solvit eum, et reddidit eum sanum corpore, sicut prius, eumque salutavit, et dixit: *Gaudeas et corroboreris in sapientia et gratia Domini nostri Iesu Christi: Ecce enim tecum est Dominus Deus: et cur dixisti, Recessisti a me? Consuma ergo cursum tuæ decertationis, et venies ad Dominum nostrum Iesum Christum, accipiens coronam immortalitatis.* Hæc cum Martyri dixisset angelus, ab eo recessit. Sanctus autem Martyr Domino suo agebat gratias, et cœpit psallere: *Exaltabo te Deus meus, rex meus, et benedicam nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi.* Audi et alterum non minus memorabile.

Angeli Sanctos in tormentis corroborent. Exempla.

Cum B. Constantium Perusinæ civitatis Episcopum Danabi in tormentis, a quibusdam Marci Imperatoris militibus ei inflictis, vires iam deficerent, ad Deum toto corde conversus, *Suscipe iam*, orabat, *spiritum meum, Domine, requiescat in te, qui pro te, te ipso iuvante, omni tempore laboravit.* Vix dum pias hasce voces emiserat,

cum ecce præsto est ei angelus Domini, afflictum his verbis confortans: *Noli timere, Constanti, ego sum angelus Dei: misit me Christus, ut plagis tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi adsim in omnibus viis tuis:* et illico omnis plaga curata est. Tunc ille angelico solatio recreatus, *Gratias tibi ago,* ait, *Domine Iesu Christe, qui per angelum tuum me in angustiis positum confortasti, et curasti vulnera mea: nunc vere scio, te quidem nunquam deserere sperantes in te.* Ita habetur in vita eius apud Surium 29. Ianuarii. Audi et tertium in virgine Itala admirabilius.

Sancta Christina in Deum credens deos aureos Urbani patris sui præfecti contrivit, et pauperibus distribuit. Ob hoc iubente patre, alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onusta, in carcerem coniecta est. Post hoc cum diutissime et crudelissime dilaniaretur, decidua carnium frustra patri in faciem proiecit. Cumque alligata rotæ, igni supposito, et fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille Gentiles interfecit. Iterum carceri tradita angelo visitante sanata est, et refecta. Deinde cum magno saxi pondere in lacum Volsenum iactata, angelico præsidio liberata est. Ita Ado Trevir. in Martyrologio 9. Cal. August. Lacus et locus hoc martyrio celebris, non longe a Roma visitur in via Senensi, mihique illac, dum in Urbem contenderem, transeunti ostensus est.

Vers. 94 Et saraballa eorum non fuissent immutata.) *Saraballa* (male aliqui legunt *sarabara*) vox est Chaldaica, significans femoralia. Syrus et Arabicus retinent vocem *Saraballa*, eamque dicunt denotare caligas superiores ex tela vel bysso, laxas et longas, scilicet porrectas ad talos, et crebro esse diversorum colorum. Sic et S. Hieron. Saraballa, inquit, significant tum crura sive femora, tum eorum tegumenta: unde noster braccas vertit v. 21. Hinc Hispani vocant *saraguellas*.

Saraballa sunt braccæ

Quare minus verisimile est quod Rabbini nonnulli, et eos secuti recentiores censent, saraballa fuisse vestem extimam, puta chlamydem aut pallium. Nam præter iam dicta, Symmachus, teste S. Hier. vertit, ἀναξυρίδας, quæ Hesychius et Suidas in Lexicis, Eustath. in 2. Iliad. S. Hieron. ad Fabiolam, interpretantur feminalia, seu braccas, id est crurum, et femorum operimenta: quibus vestitum fuisse Cyrum, aliosque reges et principes Persarum (æque ac Babyloniorum) docet Xenophon l. 8. Pædiæ Cyri. Rursum Hesychius σκελέας interpretatur crurum et femorum tegumenta, eaque a Parthis *Sarabara* (sic enim legendum videtur) vocari tradit. Et Suidas: *Sarabara* (sic enim lego) *vestis est Persica: aliqui vocant braccas.* Unde et *Persicam braccam* vocat Ovidius l. 5. Tristium elegia 11. Insuper Persas omnes braccatos fuisse et crura feminalibus texisse, docet Xenoph. lib. 1. Strabo lib. 15. Pollux lib. 7. Onomast. cap. 13. Herodot. lib. 5. et Div. Chrysost. orat. 72. Hinc et *Medos braccatos* vocat Persius satyra 3. Alexandrum quoque feminalibus usum tradit Plutarch. in eius vita. Denique Semiramidem et mulieres Babylonias crura velamentis texisse docet Curtius lib. 4. et Isidor. lib. 19. Origen. Multo magis ergo iisdem usi sunt viri Babylonii, quibus præerant hi tres Danielis socii, ideoque eorum habitu, puta feminalibus, induebantur. Licet ergo regis furor urgeret, ut statim in fornacem proiicerentur, tamen vestis extima, puta chlamys (si tamen ea induti erant) in momento eis auferri poterat: alioqui enim commode funibus constringi, et in fornacem coniici non potuissent. Denique Pagnin. expresse *saraballa* vertit *femoralia*.

Et odor ignis non transisset per eos.) q. d. Ignis non perstrinxisset, nec ustulasset extima eorum. Nota. Primo, et genuine, *odor* sumitur hic metaphorice pro afflatu incendii, q. d. Quod nec ab igne vel leviter essent afflati, nec pili cutis aut vestium, essent ambusti et rasi. Sicut enim res odorata remote efflat odorem, ita ignis in corpora remota suam vim exserit, eaque afflat, quasi odoraretur ibi esse aliquod obiectum combustibile, sibi debitum. Sic de Samsone dicitur Iudic. 16. 9. *Qui rupit vincula quomodo si rumpat quis filum de stuppæ tortum pulamine, cum odorem ignis acceperit,* id est cum igne fuerit afflatum. Et Sapien. 11. 19. *Aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes. Odor* ergo *ignis*, est vapor et exhalatio vel ab igne emissa, vel ab igne producta et elicita ex materia combustibili, dum illa ignem eminus sentit, eoque afflatur, antequam ardeat et conflagret. Secundo, proprie hic *odor ignis* accipi potest: adustio enim suum habet odorem: unde dicimus, Olfacio adustionem. Tertio, *odor ignis* sumi potest pro iudicio aut vestigio incendii. Sic ait Cicero ad Atticum l. 4. epist. 85. *Res fluit ad interregnum et est nonnullus odor dictaturæ: odor*, id est indicium, inquit Budæus. Sic *lucri bonus est odor ex re qualibet,* ait Iuvenal. satyra 14. Et Cicero pro Cluentio: *Cannutio*, inquit, *perito homini*, *qui quodam odore suspicionis Stalenum corruptum esse sensisset, neque dum rem perfectam arbitraretur*, *placuit*, etc. Hinc *odor* sepe sumitur pro fama, ut cum ait Paulus: *Christi bonus odor sumus*, q. d. De Christo bonam famam ubique spargimus, sanctæ vitæ exemplo, æque ac sanctæ doctrinæ prædicatione, 2. Corinth. 2. 15.

Porro post hæc verba, *Et odor ignis non transisset per eos,* in multis Septuag. codicibus additur, *et adoravit coram eis rex Dominum:* quod tamen Latini codices non legunt, nec a S. Hieronymo, nec a Theodoreto agnoscitur.

Verbum regis immutaverunt.) Id est, contra regis imperium egerunt. Ita Vatabl. Chald. est שניו *scianiv*, quod Secundo, verti potest, *secundaverunt, secundo loco habuerunt*, id est postposuerunt verbum regis legi Dei, scientes oportere Deo magis obedire, quam hominibus. Hinc patet hos tres pueros esse Martyres, imo Martyrum quasi primitias, qui cæteris præluserunt, et fortitudinis exemplar dederunt posteris omnibus, præsertim Christianis, quia ipsi ante Christum, sine exemplo, primi in lege veteri, pro unius Dei cultu libentissime et constantissime ignes tyranni subierunt, seque in certissimam mortem dederunt, eamque violentissimam reipsa omnino obiissent, idque naturaliter necessario, nisi a Deo contra naturæ cursum miraculose fuissent conservati et erepti. Simili de causa Daniel missus in lacum leonum, licet inde a Deo sit ereptus, censendus est Martyr. Nec enim convenit, ut miracula virtuti sint damno, eiusque meritum et præmium minuant, cum ad eam illustrandam adhibeantur: *Hæc enim meritum confessionis* (martyrii) *non minuunt, sed magnalia divinæ protectionis ostendunt,* inquit S. Cypr. epist. 58. quæ est ad Lucium Papam, S. Chrysost. homil. *quod nemo læditur nisi a seipso*, et favet S. Hieron. in 20. Matth. et alii, ac diserte S. Athanas. sermon. 3. contra Arrian. hos tres pueros vocat Martyres: Codex vero Vaticanus Basilii Porphyrogeniti Imp. quem initio libri citavi, eos reipsa tandem martyrium subiisse affirmat. Verum nil tale habent Epiphan. Dorotheus, et alii, nec Martyrolog. Roman. in quo hi tres quasi Sancti consignantur, nulla martyrii mentione, 16. Decemb. sic enim habet: *Trium puerorum, Ananiæ, Azariæ et Misaelis, quorum corpora apud Babylonem sub quodam specu condita sunt:* postea translata Romam, in templo S. Adriani in foro boario sepulta, ut habet ibidem marmorea inscriptio, religiose coluntur. Vers. 95.

Tres pueri in igne illæsi fuerunt Martyres.

Denique quod ad eorum propaginem et posteritatem attinet, sunt hic Romæ Iudæi et Rabbini, qui se ab hisce tribus pueris prognatos esse iactitant, ad eosque suam genealogiam continua et longa avorum serie deducunt: ideoque ab eis nomen Ananiæ, etc. et cognomen *sforno* (ab eorum furno et fornace, in quam coniecti sunt) assumunt. Ita ipsi, fidelium, felicium et nobilium patrum infideles, infelices et ignobiles filii. Addo fabulosi: hi enim tres pueri fuerunt virgines, ideoque ab igne illæsi, uti superius ex Damasc. docui. Dices, Tum fuerunt virgines, at postea duxerunt uxores, et procrearunt liberos. Respondeo hoc gratis dici, et esse improbabile. Quis enim credat eos suam virginitatem tam nobili martyrio et miraculo decoratam coniugio corrupisse, ac tantam maculam dedisse in gloriam suam? Grandævi iam tum erant,

et qui usque ad eam ætatem uxore abstinuerant, in ætate senescente, post tanta castitatis trophæa, eam servare nequiverunt, vel noluerunt?

OMNEM DEUM.) Ullum deum: Hebræis enim *non omnis* idem est quod *nullus*.

Vers. 96. LOCUTA FUERIT BLASPHEMIAM.) Rex hoc prodigio non videtur plane fuisse conversus: nam non vetat coli idola, nec præcipit coli unum Deum Hebræorum, sed tantum vetat, ne quis eum blasphemet.

Vers. 97. PROMOVIT SIDRACH, etc.) q. d. Rex non tantum tres pueros restituit in pristinam dignitatem, et in suas præfecturas; sed insuper status et præfecturas eorum adauxit: ita S. Hieron. Editio Septuag. Rom. addit: *Et amplificavit eos, et dignos habuit ipsos, qui præessent omnibus Judæis, qui erant in regno suo.*

Vide hic quid faciat constantia, virtus et sanctum paucorum exemplum: hoc enim tres pueri hi monarcham Babyloniorum ferocissimum et potentissimum converterunt, ut Deum verum toto regno suo deprædicaret, sicut sequens eius docebit edictum.

Ita S. Pachomius cum adhuc Gentilis militaret in exercitu Constantini, videns Thebis charitatem Christianorum erga milites afflictos, quibus omnia necessaria liberaliter suppeditabant, hoc exemplo ad Christum conversus, tantus evasit quantus in historiis celebratur. Ita Baron. anno Christi 316.

Vis boni exempli quanta. Ven. Beda libr. 1. hist. Angl. cap. 7. refert S. Albanum a paganismo per clerici cuiusdam, quem hospitio receperat, piam et sanctam vitam ad Christum fuisse conversum, ac tandem Martyrem evasisse.

S. Afra, ut habet eius vita apud Surium 5. Augusti, a A meretricia vita cum tribus suis puellis ad Christum est conversa exemplo pietatis, gravitatis et castitatis S. Narcissi Episcopi, quem sæviente persecutione receperat hospitio.

Ruffinus lib. 11. histor. cap. 9. de S. Gregorio Nazianz. ita scribit: Nazianzi in locum patris Episcopus subrogatus, hæreticorum turbinem fideliter tulit. Reddita vero pace, Constantinopolim ad Ecclesiam docendam venire rogatus non abnuit. Ubi brevi tempore tantum ad emendandum populum vetustis hæreticorum infectum venenis profecit, ut tunc primum Christiani sibi fieri viderentur, et novellam lucem aspicere, cum religionis doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis: nec viderent ab eo discipulis aliquid imperari, quod non prius ipse fecisset.

NABUCHODONOSOR REX.) Est hic nova novæ rei narratio: est enim hic titulus epistolæ regis quæ sequitur c. 4. Vers. 98.
qua narrat rex suam superbiam, humiliationem, conversionem in bestiam, et reductionem in regnum. B Unde ex hoc loco Theod. Lyran. et alii inchoant caput quartum: eo enim hæc pertinent. Quocirca in nonnullis Græcis codicibus ante hæc verba inscribitur quasi titulus, ορασις ε, id est visio quinta Danielis.

REGNUM EIUS REGNUM SEMPITERNUM, ET POTESTAS Vers. 100.
EIUS IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM.) Vox *et* idem est quod *idcirco*. Prius enim est ratio, et quasi causa posterioris: quia enim Dei regnum est æternum, idcirco potestas eius se extendit ad omnia sæcula. Nam, ut ait Trismegistus in Asclepio cap. 11. *Immobilis est æternitas, in quam omnium temporum agitatio remeat, uti ex eadem sumit exordium.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput continet epistolam Nabuchodonosoris, qua ipse Primo, narrat secundum suum somnium, de arbore magna ab angelo succisa. Secundo, vers. 16. quod Daniel illud interpretatus sit de Nabuchodonosore e regno expellendo, et in bestiam commutando. Tertio vers. 30. se reipsa quasi bestiam regno expulsum, sed post septem annos sibi et regno restitutum, narrat. Unde v. ultimo Deum agnoscit et glorificat.

1. EGO Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo: 2. Somnium vidi quod perterruit me: et cogitationes meæ in strato meo, et visiones capitis mei conturbaverunt me. 3. Et per me propositum est decretum ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, et ut solutionem somnii indicarent mihi. 4. Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, et aruspices, et somnium narravi in conspectu eorum: et solutionem eius non indicaverunt mihi: 5. Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: et somnium coram ipso locutus sum. 6. Baltassar princeps ariolorum, quoniam ego scio quod spiritum sanctorum deorum habeas in te, et omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quas vidi, et solutionem earum narra. 7. Visio capitis mei in cubili meo: Videbam, et ecce arbor in medio terræ, et altitudo eius nimia. 8. Magna arbor, et fortis: et proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. 9. Folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius: et esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia et bestiæ, et in ramis eius conversabantur volucres cæli: et ex ea vescebatur omnis caro. 10. Videbam in visione capitis mei super stratum meum, et ecce vigil et sanctus de cælo descendit. 11. Clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem, et præcidite ramos eius: excutite folia eius, et dispergite fructus eius: fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, et volucres de ramis eius. 12. Verumtamen germen radicum eius in terra sinite, et alligetur vinculo ferreo et æreo, in herbis quæ foris sunt, et rore cæli tingatur, et cum feris pars eius in herba terræ. 13. Cor eius ab humano commutetur, et cor feræ detur ei: et septem tempora mutentur super eum. 14. In sententia vigilum decretum est, et sermo sanctorum, et petitio: donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum: et cuicumque voluerit dabit illud, et humillimum hominem constituet super eum. 15. Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex: tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus: quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est. 16. Tunc Daniel, cuius nomen Baltassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora: et cogitationes eius conturbabant eum. Respondens autem rex ait: Baltassar, somnium et interpretatio eius non conturbent te. Respondit Baltassar, et dixit: Domine mi, somnium his qui te oderunt, et interpretatio eius hostibus tuis sit. 17. Arborem quam vidisti sublimem, atque robustam, cuius altitudo pertingit ad cælum, et aspectus illius in omnem terram: 18. Et rami eius pulcherrimi, et fructus eius nimius, et esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, et in ramis eius commorantes aves cæli: 19. Tu es rex, qui magnificatus es, et invaluisti: et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad cælum, et potestas tua in terminos universæ terræ. 20. Quod autem vi-

dit rex vigilem et sanctum descendere de cælo, et dicere: Succidite arborem, et dissipate illam, attamen germen radicum eius in terra dimittite, et vinciatur ferro et ære in herbis foris, et rore cæli conspergatur, et cum feris sit pabulum eius, donec septem tempora mutentur super eum: 21. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem: 22. Eiicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fœnum ut bos comedes, et rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud. 23. Quod autem præcepit ut relinqueretur germen radicum eius, id est, arboris: regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cælestem. 24. Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis. 25. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem. 26. Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. 27. Responditque rex, et ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? 28. Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: regnum tuum transibit a te, 29. Et ab hominibus eiicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, det illud. 30. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, et ex hominibus abiectus est, et fœnum ut bos comedit, et rore cæli corpus eius infectum est: donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues eius quasi avium. 31. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, et sensus meus redditus est mihi: et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi: quia potestas eius potestas sempiterna, et regnum eius in generationem et generationem. 32. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli quam in habitatoribus terræ: et non est qui resistat manui eius, et dicat ei: Quare fecisti? 33. In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei, decoremque perveni: et figura mea reversa est ad me: et optimates mei, et magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum: et magnificentia amplior addita est mihi. 34. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico regem cæli: quia omnia opera eius vera, et viæ eius iudicia, et gradientes in superbia potest humiliare.

Vers. 1. FLORENS IN PALATIO MEO.) Theodor. addit, *και πιων εν λαω μȣ, et pinguis in populo meo.* A

Vers. 2. SOMNIUM VIDI.) Quæres, Quo anno hoc somnium habuit Nabuchodonosor? Respondeo, Anno regni sui 37. nam anno 35. regni, debellata Ægypto factus est monarcha, indeque anno secundo, puta anno regni sui 37. qui fuit annus mundi 3379. vidit statuam illam quadrifidam de qua cap. 2. ac mox eodem anno ob monarchiam adeptam superbia intumescens vidit somnium huius cap. et iuxta illud deinde mense duodecimo, anno regni sui 38. regno ut bestia eiectus est; ut patet v. 26. in quo statu septem annos permansit: octavo demum anno menti et regno redditus, paulo post mortuus videtur anno regni sui 45. qui fuit transmigrationis Ioachin 37. illo enim anno successit in regno Nabuchodonosori filius Evilmerodach, ut patet 4. Regum 25. 27. Unde et deinceps nulla alia Nabuchodonosoris gesta narrantur. Qui sane tantæ mutationis et conversionis suæ, multa alioqui monumenta reliquisset, et Iudæos e captivitate liberos dimisisset, utpote quorum Deum iam agnoverat.

Rex anno regni sui 38. mutatus est in bestiam.

Dices, Theodor. et Chrysost. sic legunt: Anno 18. vidit Nabuchodonosor somnium. Resp. annus hic regni eius 37. fuit 18. ab excidio templi et captivitate Iudæorum. Nam anno 18. regni sui ipse urbem Ierusalem cum templo evertit: inde usque ad annum 37. regni eiusdem sunt 18. anni. Alii nonnulli censent hæc contigisse anno regni Nabuchodonosor 27. ita ut regno eiectus, ac post septennium restitutus, vixerit in pristina regni gloria per decem annos, scilicet ad annum regni sui 44. nec enim Deus videtur eum restituisse, ut statim e medio tolleret. Sed prius quod dixi verius est, ut patet ex dictis Ezech. 26. v. 1. et cap. 29. v. 1. et maxime v. 17. Nimirum voluit Deus misericorditer eum ex vitæ huius periculis eripere cum in bono esset statu, et ad meliorem vitam transferre; ne si diutius viveret, rursus in tanta gloria superbiret et periret.

Vers. 5. DONEC COLLEGA.) To *collega* non est in Græcis, ne Caraffæ quidem, sed est in Chaldæo, fuitque in versione Aquilæ, Symmachi et Theodotionis, ut testatur S. Hieron. Perperam apud Theodor. pro εταιρος, id est socius, collega, legitur ετερος, id est alius. Rex Danielem vocat collegam, quia participem eum fecerat imperii, eumque administrationi Babyloniæ præfecerat c. 2. 20. et 48. idque ob explicationem præcedentis somnii, et ob admirabilem sapientiam et spiritum propheticum, quem in eo cernebat.

CUI NOMEN BALTASSAR SECUNDUM NOMEN DEI MEI.) Daniel vocatus est *Baltassar*, vel, ut Chald. est *Beltsasar*, non ex eo quod rex eum Balsassari, filio suo, coheredem vellet facere, ut vult Epiphan. de vita Prophet. non etiam ex eo, quod somnia regis, aliaque arcana interpretatus sit, ut vult Suidas, et Ioseph. nam puer a præfecto eunuchorum ita vocatus est c. 1. 7. Dictus ergo est Beltsasar, a בעל *Baal* sive Bal, sive Bel, sive Belo (hæc enim omnia idem sunt) Deo Babyloniorum; et לטוש *latus* id est acutus; et אצר *otsar*, id est thesaurus, q. d. *Belis acutus thesaurus*, id est Belis acumen et sapientia; eo quod præfectus eum, utpote regio semine ortum, et nobili ingenio præditum, ideoque regi astiturum, sapientissimum fore optaret et portenderet. Hinc nomen Baltassaris, vel Balsasaris, apud Chaldæos regale erat et divinum, ut patet ex historia huius libri: fere enim reges Chaldæorum nomina deorum sibi adaptant: hinc ex Nebo, Bel, Mero, vocati sunt Nabonitas, Baltassar, Merodach, Evilmerodach. Merodach enim idem est, quod Mero דך *dach*, id est tenuis, vel parvus. Evilmerodach idem est, quod princeps Merodach. *Evil* enim significat primum, et principem. Porro sicut Chaldæi a Baal deo, suos reges cognominarunt Balsasar, Baladan, Belochus; ita ab eodem Tyrii suos vocarunt Itobaal, Abibaal, Baleazar, et ab eis descendentes Carthaginenses, ab eodem suos duces nuncuparunt Hannibaal, id est castrorum dominus, sive dux; Muthumbaal, id est mortis aliquorum dominus: Hasdrubaal, etc. ita Scaliger libr. 6. de Emendat. temp. et noster Serarius in c. 2. Iosue quæst. 25. Sic Hebræi suos reges, Prophetas et viros illustres nomine Dei puta, *Iehova*, *Ia*, *El*, insignierunt. *Iehova*, ut Iehosue, Iehoiakim, Iehosaphat, Iehoiada: *Ia*, ut Abia, Isaias, Ieremias, Zacharias: *El*, ut Daniel, Ezechiel, Michael, Gabriel, Raphael. Huc spectat illud S. August. quæst. 16. in lib. Iudic. tom. 4 *Baal*, inquit, *Punici videntur dicere Dominum: unde Baalsamen, quasi Dominum cæli intelliguntur dicere. Samen quippe apud eos cæli appellantur*, utique ab Hebr. שמים *sciamaim.*

Daniel vocatur Baltassar, id est, Belis thesaurus et acumen.

B

Chaldæi et Hebræi nomina deorum sibi indiderunt.

C

QUI HABET SPIRITUM DEORUM SANCTORUM IN SEMETIPSO.) Theodotion teste S. Hieron. et editio Septuag. Roman. habent, *qui spiritum Dei sanctum habet in semetipso.* Hebr. enim *Elohim*, pro quo Chaldæi dicunt *Elahin*, tam Deum quam deos significat, esto sit plurale, uti dixi Genes. 1. 1. Et quia pluralis est numeri, additur ei pariter ephithetum plurale קדישין *kaddiscin*, quod pari mo-

do tam sanctum, quam sanctos, vel sanctorum verti potest. Porro spiritus hic Dei, vel deorum, est spiritus prophetiæ. Divinitatis enim propria est divinatio et prænotio futurorum contingentium, æque ac arcanorum cordis.

Vers. 6. OMNE SACRAMENTUM NON EST IMPOSSIBILE TIBI.) Græce, οὐκ ἀδυνατεῖ σοι, alii legunt, σε, q. d. *Non facit te impotentem*, scilicet ad illud explicandum, q. d. Nihil superat tuam facultatem et intelligentiam. *Sacramentum* vocat sacrum arcanum, puta somnium a Deo sibi immissum, eiusque significationem.

Vers. 8. *Homo est arbor inversa.* MAGNA ARBOR ET FORTIS.) Arbor hæc significabat hominem. Est enim homo arbor inversa, inquit Arist. nam caput, quod est radix sensationis, intelligentiæ et motus, est sursum; rami vero, id est pedes, sunt deorsum. Unde homo a Clemente Alexand. in Adhort. vocatur *planta cælestis*, quia cælum versus radicem habet. Hinc et Christus ait Matth. 3. 10. *Iam securis ad radicem arborum posita est, arborum*, id est hominum. Et Psal. 1. 3. iustus vocatur *lignum* (id est arbor) *quod plantatum est secus decursus aquarum, et folium eius non defluet, et fructum dabit in tempore suo*. Apte arbor radices habet in terra fixas, homo vero sursum; nam arbor ex terra, homo vero sursum, scilicet ex cælo nutritur. Arbor ergo hæc significabat Nabuchodonosoris imperium, et gloria sublime, et amplitudine longe lateque patens, et viribus robustum esse. Sic Ezechiel c. 17. 23. superbum Sedeciam, et c. 31. 3. regem Assyriorum comparat arbori excelsæ; et Psaltes Psal. 36. 35. *Vidi*, ait, *impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; transivi, et ecce non erat.* Nimirum tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.

Simili arboris eversæ schemate præsignificata est eversio Ecclesiæ Africanæ per Hunericum regem Arrianum. Rem narrat Victor Uticens. lib. 2. histor. Wandal. *Vidit*, inquit, *venerabilis Paulus Episcopus arborem usque ad cælos ramis florentibus extensam, quæ etiam dilatatione sua omnem pene Africam opacabat. Et cum universi eius magnitudine et speciositate gauderent: ecce subito venit asinus violentus, qui defricans cervicem suam super robur radicum eius, impulsu suo cum ingenti sonitu illam mirabilem arborem elisit ad terram.* Arbor hæc erat Ecclesia Catholica; asinus eam per radices subruens erat Hunericus, eam vastans per episcoporum et sacerdotum exilia ac martyria.

Adam fuit arbor generis humani. Hæc ergo arbor symbolum est prosperitatis et gloriæ humanæ, quæ mox prosternitur et ruit. Ita Lyran. Simili modo huic arbori nostræ comparari posset Adam, parens generis humani: hic enim in paradiso quasi arbor magna fuit, florens et affluens omnibus bonis, sed per superbiam et peccatum prostrata fuit in brutales concupiscentias et ærumnas, atque excisa usque ad radices, id est usque ad B. Virginem, quæ intacta germen protulit, scilicet Christum, qui arborem hanc suo flori restituit, imo florentiorem reparavit. Similis ergo fuit casus Adæ casui Nabuchodonosoris, sicut eidem similis fuit casus Luciferi: unde eidem illum comparat Isaias cap. 14. 12.

Tropolog. Lyran. per arborem hanc intelligit hominem virtuosum. *Hæc arbor*, inquit, *alta est per iustitiam, fortis per constantiam, frondosa per eloquentiam, magna per prudentiam quæ dirigit omnes virtutes, diffusa per misericordiam, fructifera per devotionis exuberantiam. Omnes pascuntur ex ea, per fraternam ædificationem: subter eam bestiæ, per sensuum exteriorum refrænationem: in ramis eius volucres cæli, per motuum exteriorum moderantiam. Hic homo si in peccatum cadat, contra eum inclamat vigil id est Christus in Evangelio, vel Prælatus prædicando: Succidite arborem, quantum ad desertionem charitatis, quæ est vita animæ: præcidite ramos, quantum ad ablationem voluntatis bonæ: excutite folia, quantum ad defectum bonæ locutionis: dispergite fructus, quantum ad subtractionem bonæ operationis: fugiant animalia quæ subter eam sunt, quantum ad defectum debitæ subiectionis: alligetur vinculo, quantum ad generationem malæ consuetudinis: eoque ferreo, propter duritiem obstinationis: eiiciatur foras, quantum ad inverecundiam in omnibus malis, quia tunc facta est ei frons meretricis: cor eius ab humano commutetur, quantum ad omnem modum crudelitatis: septem tempora commutentur super eum, quantum ad perversam opinionem totius legis. Huius arboris sententias percipiunt in somniis reges, principes, nobiles, divites; quia frequenter in prædicationibus audiunt divinam sententiam, sed non curant, ac si esset tantummodo somnium.* Huc usque Lyranus.

ET PROCERITAS EIUS CONTINGENS CÆLUM.) Est hyperbole, q. d. Altissima erat. Similis est Deut. 1. 28. *Urbes magnæ ad cælum usque munitæ*, vel, ut Græca habent, *muratæ*: et apud Poetam, *Ferit aurea sidera clamor.*

ASPECTUS ILLIUS ERAT USQUE AD TERMINOS UNIVERSÆ TERRÆ.) Chald. *rami eius ad finem totius terræ* protendebantur; Sept. *latitudo eius usque ad terminos terræ. Sic et Theodotion*, inquit S. Hieron. *vertit κύτος, id est latitudo* (vitiose enim in S. Hieron. legitur *altitudo*, pro *latitudo*) *quod explicat κυρεία*, id est *dominatio*, q. d. Latissime dominatur Nabuchodonosor, usque ad fines terræ. Est rursum hyperbole; nam Nabuchodonosor tantum Asiam occupavit, non Europam et Libyam.

ESCA UNIVERSORUM IN EA.) q. d. In hac arbore copiosi erant fructus, ita ut ii omnibus animantibus alendis satis essent: quod præter alia, quæ mox afferam, indicabat potentiam et opes Nabuchodonosoris et Chaldæorum esse tantas, ut iis pene omnes homines ali et vivere possent. Vers. 9.

Nota. Huius arboris, id est Nabuchodonosoris, folia, erant pompa vestium, curruum, militum, aulicorum: fructus, erant opes et tributa, ait Theodoret. *Cibus omnium erat in ea*; quia omnes mercatores et agricolæ sub eo pacifice et laute vivebant; milites vero et aulici splendide ab eo alebantur: subter eam habitabant bestiæ, id est homines barbari; et in ramis eius volucres cæli, id est homines mitiori, acriori et altiori ingenio sub illius regis imperio et favore commode et decenter vivebant, sicque *ex ea vescebatur omnis caro.* *Rex est arbor habens sua folia, fructus, volucres, etc.*

VIDEBAM IN VISIONE CAPITIS MEI SUPER STRATUM MEUM.) Videbar mihi per somnium videre. Vers. 10.

ET ECCE VIGIL, ET SANCTUS DE CÆLO DESCENDIT.) *Vigil* hic est angelus, ut vertunt Sept. qui non obruitur somno ut homo, utpote carens corpore. Angelus hic erat Babyloniæ præses et vindex, ut patet v. 14. Nota. τὸ *vigil* significat. Primo, angelos esse incorporeos, ideoque nunquam dormire, sed semper vigilare, operique Dei intendere. Hoc imitantur Sancti præsertim Religiosi, qui noctu pervigilant in oratione et laudibus Dei: *Unde et nos*, ait S. Hieron. *crebris pernoctationibus imitamur angelorum officia. Et de Domino dicitur psal.* 120. *Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Secundo, eos esse continuos in actione, et infatigabiles. Tertio, eos nostra omnia acerrime considerare. Quarto, eos vigilantissimos esse gubernationis et vindictæ divinæ ministros et executores; perinde ac ipsa iustitia et vindicta divina vigilantissima est: unde ipsa Ieremiæ cap. 1. 11. ostensa est quasi virga vigilans. Hinc notat S. Hier. Chaldæum עִיר *ir*, id est vigil, alludere ad irin, sive iridem, quæ per multicolorem arcum ad terras descendere dicitur, et per eam subinde angeli, uti Apocal. 10. 1. de angelo suo ait Ioannes: *Et iris in capite eius.* Iris enim misericordiæ et vindictæ est symbolum. Unde censet ab *ir* Hebræo, quod hic retinent aliqui interpretes, græce et latine dictam esse irim sive iridem. Utramque ostendunt et ostendent angeli, tum alias, tum præsertim in iudicio et resurrectione, cum ipsi a morte evigilare et resurgere facient homines; alios ad gloriam, alios ad gehennam. *Vita ergo angelorum est vigilia: vita mortalium vigilia sit oportet. Vigilate: nescitis enim quando Dominus veniat*, Marci 13. 35. *Angelus vocatur vigil ob 4. causas.* 1. 2. 3. 4. *Vita angelorum et hominum est vigilia.*

GERMEN, etc. SINITE.) Stirpem ei relinquite, ut possit crescere.

ALLIGETUR, scilicet ille, qui per arborem hanc significatur, puta Nabuchodonosor, VINCULO FERREO ET ÆREO, IN HERBIS QUÆ FORIS SUNT.) Id est, ut ex Chaldæo vertit Pagninus, *alligatus vinculo æreo et ferreo, ponatur in herba agri.* Vers. 12.

Nota. Nabuchodonosor cum primo in amentiam versus est, mox a suis, ne sibi et aliis noceret, vinculis astrictus fuit et inclusus: sed deinde monitu Danielis solutus et dimissus, ivit ad silvas, vixitque cum bestiis per septem annos, ut patet v. 29. ita tamen ut retinuerit vincula aliqua, puta manicas ferreas in manibus, ne illæ coniungi possent, neve iis uteretur ut homo, sed ut iis disiunctis reperet ad herbas agri quasi bestia. Hoc enim est quod hic dicitur: *Alligetur vinculo ferreo*, etc. *in herbis*. Herbas ergo comedens erat ligatus.

Lyran. quem sequitur Fernand. visione 22. comment. 2. sect. 2. per vincula hæc accipit sententiam et decretum Dei infrangibile, de Nabuchodonosoris eiectione e regno. Alii accipiunt durissimam eius pœnam et afflictionem, quæ fregit et domuit eius superbiam. Sed hæc mystica sunt.

COR EIUS AB HUMANO COMMUTETUR.) Syrus, *cor eius ab hominibus transeat;* Arabicus Antiochenus, *cor eius divertatur,* vel amoveatur *ab hominibus;* Arab. Alexandrinus, *cor eius auferatur ab inter homines.* Et pro eo.

COR FERÆ DETUR EI.) Hinc Origenes cum suis docuit hanc non esse historiam, sed parabolam, qua sub nomine regis Nabuchodonosoris symbolice describatur casus Luciferi: sed hæc est hæresis: nam historiam esse patet ex simplici narratione totius capitis, et ex c. seq. v. 20. et sequent. Ita S. Hieron. et alii passim.

An Nabuchodonosor vere in bestiam sit mutatus.

Quæres, An ergo Nabuchodonosor vere mutatus fuit in feram, aut bestiam? Primo, nonnulli censent Iosephum id affirmare, sed falso hoc ei tribuunt.

I. Sententia.

II. Epiphanii, vere id factum.

Secundo, Dorotheus in Synopsi, et Epiphan. in vita Danielis, censent Nabuchodonosorem interius habuisse formam hominis, scilicet animam rationalem, sed exterius mutatum fuisse in figuram bovis anterius, et leonis posterius; ac consequenter videntur ei caput et cornua bovis, caudam vero et iubas leonis dare. Probant ex eo quod hic dicitur *cor*, non bestiæ, sed *feræ detur ei:* bos autem est bestia non fera: leo vero est fera, non bestia: ergo potius in leonis, quam in bovis formam mutatus fuit rex. Rursum, quia v. 30. Septuag. dicunt eius capillos crevisse in similitudinem leonum. Adde, rex hic crudelis et superbus fuit ut leo, unde et leænæ comparatur cap. 7. 4. Verum in explicatione somnii Daniel nullam leonis, sed tantum bovis facit mentionem v. 29. et v. 30. eum bovi similem factum esse narrat. Iam vero boves non tantum cicures sunt et domestici, sed etiam agrestes et feri, uti sunt uri et bisontes. Talis ergo factus videtur Nabuchodonosor. Sic de Gyge et Minotauro fingunt poetæ, eos partim fuisse homines, partim boves. Nam de Gyge canit Ovidius lib. 4. Trist. eleg. 6.

Nabuchodonosor factus est instar uri vel bisontis.

Centimanumque Gygen, semibovemque virum.

De Minotauro vero.

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

III. Medinæ, phantastice id factum. Lycantropi.

Tertio, Michael Medina lib. 2. de Fide c. 7. putat non veram, sed phantasticam fuisse regis transformationem in bestiam: idque aut per prestigias, quomodo nostri lycanthropi, cum sint homines et sagi, ope dæmonis ita perstringunt oculos intuentium, ut videantur esse lupi, gregesque ovium quasi lupi invadere et occidere, ac mox strage peracta in humanam formam videntur reverti. Similis transformationis meminit S. August. lib. 18. Civitat. 18. Aut potius, quia Deus circa corpus regis circumposuit figuram quamdam bestiæ, sub qua cum cerneretur ab aliis, bestia putabatur: sic enim mulier illa, quæ ad S. Hilarionem fuit adducta, per magicas artes apparebat esse iumentum, quæ Hilarioni mulier, uti revera erat, videbatur. Testis est S. Hieron. in eius vita. Verum hæc non sufficiunt, nec explent verba Scripturæ.

IV. S. Thom. id factum ait in regis imaginatione.

Quarto, S. Thom. l. 2. de Regimine principum (viri docti, ut Bellarm. lib. de Script. Eccles. negant hunc librum esse S. Thomæ Aquinatis) cap. ultimo, ait regem transformatum esse in bestiam, non revera, sed quia sua imaginatione vitiata et corrupta sibi transformatus videbatur. Cuius rei multa et mira exempla refert Galenus, et post eum Levinus Lemnius lib. 2. de Complexion sub finem. Quidam, inquit, putabat nasum sibi excrevisse in immensum, ut elephantis proboscidem circumferre videretur. Medicus hunc ei morbum et phanthasiam hac arte exemit: longum farcimen naribus admovit, arreptaque novacula illud sensim abscidit, ac tandem extimam nasi partem perstrinxit, ut sanguis deflueret; itaque imaginarium ei nasum avulsit: atque præscripta ei soporifera potione et salubri diæta eum plene curavit.

Exempla Lemnii et aliorum.

Alius hypochondriacus, hoc est, cui præcordia humore melancholico ac flatibus turgebant, credebat ranas ac bufones interiora sua perterebrare. Medicus dedit ei potionem, ac subdito clystere procuravit, ut aliquot ranæ et bufones in subiectam ei pelvim conicerentur, quibus visis opinio illi hæc adempta est. Tertius censebat se membra posteriorem habere ex vitro, unde semper stabat, metuens ne, si sederet, ea quasi vitri fragmenta dissilirent. Quartus nuper fuit, qui ex nimia capitis fatigatione, se mortuum esse dicebat, nec comedere volebat, utpote mortuum se credens. Iamque instabat septimus dies, qui inedia confectis letalis esse solet. Ut eum morbo et morti eriperent, quidam personati linteis obvoluti quasi mortui, conclave obscurum ingressi mensam instruere, ac liberaliter se reficere cœperunt. Æger autem hæc conspicatus, sciscitatur quid moliantur, et quod sint genus hominum? responsum est, mortuos esse se. Tum ipse, Ergone mortui comedunt? illi, Comedunt utique; veni, vide et gusta. Ille lecto exilit, cum mortuis commentitiis large vescitur, indormit confecto ad id liquamine, experrectus sensim ad se redit et sanatur. Hæc omnia Lemnius.

Vales. id factum putat per melancholiam.

Hinc multi fiunt stulti et deliri ex sola vehementi rei alicuius vel amabilis, vel odibilis, apprehensione: imo narrat Seneca Vibium Gallum Romanum imitando gestus stulti, eos ita phantasiæ impressisse, ut inde stultus factus fuerit. Huc accedit Franc. Valesius de Sacra philos. c. 80. et Hieron. Mercurialis lib. 6. Variar. lection. cap. 20. qui hanc regis metamorphosim non aliud fuisse censent, quam morbum quem medici melancholiam vocant, quo qui laborant insaniunt, et in aliorum subinde animalium formas mutatos se esse imaginantur, faciuntque et patiuntur omnia quasi revera ita esset: alii in canes, et latrant: alii in gallos, et cantant, et concutiunt latera: alii in lupos, et exeunt noctu domo, quæruntque sepulcra, et versantur libenter cum cadaveribus. Hinc enim Latinis vocatur melancholia canina, et lupina. Græcis λυκανθρωπια, Arabibus *cutabut*. Sic Bellerophon, ut animi ægritudines et mentis dolores excuteret, captabat loca avia et solitudines, de quo Homer. Iliade 3.

Nam miser in silvis mœrens errabat opacis,
Per campos solus latos, perque avia rura,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Hinc Rutilius Ethnicus monachos insulæ Caprariæ eodem morbo laborare falso æstimans, sic de eis scribit:

Sic nimiæ bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophontæis sollicitudinibus.

Similis fuit Timon Athen. qui μισανθρωπος est appellatus, quod genus humanum odisse videretur. Unde quadam vice in concionem ascendens, silentio indicto dixit: Est mihi hortus, et in eo ficus, ex qua multi cives se suspenderunt. In eodem nunc ego loco ædificare volo, quare vos publice admoneo, ut, si quis se suspendere velit, maturet antequam arbor exscindatur. Eius epithaphium hoc fuit:

Hic sum post vitam miseramque inopemque sepultus,
Nomen non quæras: dii, lector, te male perdant.

Unde mare quasi perosum hoc monstrum, dicitur exundando eius sepulcrum longe expulisse.

V. Maldonatus putat regem tantum accepisse longiores ungues et

Hic modus verus est, sed non adequatus; nec enim usquequaque verbis Scripturæ ipsique historiæ satisfacit: non enim potest morbus aliquis naturalis figuram hominis mutare, itaque temperamentum eius efferare, ut per septem annos cibo ferino quasi fera cum feris vivat.

Denique Pererius, asserit regem non mutasse figuram, sed tantum phanthasiam, complexionem et gestus: et Maldon. censet in figura corporis nihil mutatum fuisse

capillos. præter ungues et capillos, qui nisi sæpe resecentur, solent turpi ac ferina forma crescere. Verum

Concl. I. Nabuchodonosor mansit homo Probat. 1. 2. 3.

Dico Primo. Nabuchodonosor in hac transformatione vere mansit homo. Id patet, Primo ex tota narratione v. 30. et sequent. Secundo, quia alioqui anima rationalis debuisset ei adimi, et dari anima bovis: et sic non fuisset idem; nec rex qui peccaverat fuisset punitus, sed bos. Tertio, quia anima humana non potest informare corpus bovis; nec anima bovis corpus hominis. Mansit ergo idem omnino Nabuchodonosor, idem corpus, eadem anima; sed humanus tantum sensus quoad exercitium, puta humana sensatio, præsertim in gustu, ac rationis usus ei fuit ad tempus ablatus, et postea redditus.

Conclus. II. Fuit mutatus in bestiam. 1. Quia hoc ipse imaginabatur; 2 Quia complexio eius fuit efferata. 3 Quia fuit amens.

Dico Secundo. Aliqua tamen ratione dici potest eum conversum esse in bestiam, puta in urum, aut bisontem; idque patet primo ut quia, ait D. Thom. secundum vitiatam suam imaginationem in urum sibi conversus esse videbatur. Secundo, quia cordis et corporis eius temperamentum ita immutatum et efferatum est, ut esset simile feræ bestiæ, quantum fieri potuit citra humanitatis, sive naturæ humanæ amissionem. Tertio, quia rationis usu privatus et mente captus, tantum utebatur phantasia, eaque ferina, qualis est uri; et hoc est quod hic dicitur, *Cor feræ detur ei*, q. d. Privetur sensu humano, fiat amens et insanus; videatur sibi non esse homo, sed bestia.

Ubi Nota. Cor in Scriptura et hic tria significat. Primo, mentem: quod enim cor est in corpore, hoc mens est in anima, totoque homine. Iam bestiæ non habent mentem, sed eius vice habent imaginationem: hæc enim regit eas earumque actus, uti mens regit hominis actus: cor ergo feræ est phantasia feræ. Secundo, cor idem est quod appetitus et voluntas: cor ergo feræ est appetitus ferinus. Tertio, cor proprie hic sumitur. Cordis enim, indeque totius corporis complexio in rege mutata fuit, ut ex humana fieret ferina. Crediderim tamen cum Maldon. eum saltem per intervalla aliquem rationis et pristinæ dignitatis sensum habuisse: hoc enim proprie erat regi et homini, qua talis est, pœnale, afflictivum et contristativum. Huic sententiæ favet illud v. 22. *Donec scias quod dominetur Excelsus*, q. d. Donec ex tua pœna agnoscas Deum vindicem, ab eoque veniam poscas.

4. Quia habitu erat ferino.

Quarto, quia habitus eius magis ferinus erat, quam humanus; nam incedebat semper nudus rori, imbri, et aliis cæli iniuriis ut fera obnoxius. Rursum facies eius ab humana erat diversa et accedens ad ferinam. Deinde adeo ei creverant capilli, ut totum fere corpus contegerent; ungues quoque creverant ad similitudinem avium. Denique cute erat non molli, sed dura et ferina, pilosque habebat crassissimos, ut referrent plumas avium, qui a copiosa fuligine crassissimæ melancholiæ oriebantur, inquit Valesius.

5. Quia reptabat ut fera.

Quinto, incessus eius et figura erat ferina; quia non erectus ut homo, et bipes; sed curvus et pronus, manibus et pedibus reptabat ut bestia, et quadrupes: pedes ergo eius, brachia, et manus callosæ et duræ, reliquaque membra cum temperamento ferinam induerant figuram, quantum salva humana natura facere poterat Deus. Unde ipse rex iam sibi restitutus ait v. 33. *Figura mea reversa est ad me:* ergo illa iam ante ei fuerat ablata.

An habuerit cornua, et genua ferina.

Vidi subinde bovina cornua regi nostro appingi, sed hæc pictor ei suo adiecit privilegio: alii caudam ei adiiciunt; sed id minus necessarium est: et licet forte aliqualia cornua homini adnasci possent; nulla certe in natura vis est, quæ talem humano corpori appendicem possit adiicere. Addunt aliqui regis huius genuum vertebras inversas fuisse, ita ut extrorsum quadrupedum more prominerent, idque ut pari cum bobus celeritate curreret, et inæqualia loca transiliret: nam si genua eius introrsum humano modo plicata fuissent, fuisset ipse ad talem motum et saltum ineptus. Hæc opinio videtur congrua et probabilis. Nam hic situs ad incedendum more quadrupedum est naturalis et pene necessarius ad hoc, ut talis incessus continuari, diuque durare possit, ut patet experientia.

6. Quia cum feris herba comedebat.

Sexto, quia cum feris quasi fera versabatur in silvis, earumdemque victu, scilicet herbis et radicibus vescebatur; easque ex imaginatione et

A appetitu ferino (hunc enim significat *cor feræ*) et bovino sibi a Deo indito appetebat. Porro feræ non læserunt eum, quia putabant esse feram, licet novam et monstrosam, et quia Deus eas avertit, illumque per septem annos mirabiliter in hoc statu custodivit et conservavit. Simile narrat Aben Esdra de homine quodam melancholico, qui in montes Sardiniæ secessit, ibique cum cervis diu herbis victitavit. Sic Arcades glandibus, Argæi pyris silvestribus, Æthiopes locustis, milio Sauromatæ, Persæ cardamo, Eremitæ herbis, Ophiophagi serpentibus vescebantur. Mithridatem veneno ita assuevisse, ut eo occidi non posset, testantur historiæ. Fœminam quamdam Coloniæ araneis pasci vidisse se narrat Albertus Magnus: non mirum ergo regem nostrum herbis tamdiu victitasse.

7. Quia mugiebat ut bos.

Septimo, quia cum mentis usu etiam oris et linguæ usum perdiderat, nec articulatas et humanas, sed inconditas et bestiales voces dabat, mugiebatque ut bos. Ratio est, quia locutio sequitur imaginativam: prout enim homo, vel animal imaginatur, sic et loquitur, id est vocem dat: ubi B ergo ferina est imaginatio, uti erat in rege, ibi et ferina est vox. Ita S. Hieron. Theod. Rupert. et Gregor. 5. Moral. 6. ac diserte Lud. Molina. 1. p. q. 111. et Delrio l. 2. de Magia q. 18.

Huius metamorphosis vix meminerunt Gentiles, præsertim quia prisci Chaldæorum annales perierunt: insinuat tamen eam Alphæus apud Euseb. l. 9. de Præpar. Evang. dum narrat regem Nabuchodonosor in furorem raptum prædixisse eversionem Chaldæorum, moxque evanuisse e consortio hominum, dum scilicet quasi bestia fugit ad bestias in silvas.

Iuste rex bestialiter vivens fit bestia.

Moraliter. Nota hic iustam et aptam pœnam ferinæ superbiæ, tyrannidis, gulæ et vitæ: ob hanc enim ex rege factus est quasi fera: *et quia elocutione cogitationis se super homines extulit: ipsum, quem communem cum hominibus habuit, sensum hominis amisit*, inquit S. Gregor. 5. Moral. 6. Ecce quam verum hic est illud psalm. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iu-* C *mentis insipientibus, et similis factus est illis.* Hinc finxit Homerus, quod Circe socios Ulyssis suis illecebris dementarit, et converterit in porcos, boves, asinos; Ulyssem autem eo quod ipse eius cantus et illecebras respuisset, ab ea dementari et converti non potuisse. Hinc rursum nata est illa Pythagoræ sententia de animarum transitu in bestias, quam ipse μετεμψύχωσιν vocabat: quæ si literaliter intelligatur, falsa est, et absurda; sin symbolice capiatur et moraliter, vera est et accommoda. Vere dixit Euripides: *Cum videris in sublime quempiam elatum, splendidis gloriantem opibus, ac genere supercilioque supra sortem suam fastuosum; illius celerem divinitus expecta vindictam.* Et Herodotus lib. 1. *Vides eximia animalia ut fulminet Deus, neque suis opinionibus uti sinat: exigua vero facile fert. Vides etiam ut in ædificia maxima semper, et celsissimas arbores cælestia tela ingruant. Solet enim Deus eminentia quævis castigare; ideoque sæpe magni et superbi exercitus a paucis vincuntur. Non sinit* D *enim Deus alium præter se altum sapere.* Alius: *Ambitio est elementum malorum.* Denique Socrates sapienter monet: *Quamvis rex natus fueris, audi tamen ut mortalis. Quid tum, quod procul expuis? multa abundas pituita. Vestem elegantem fers? at hanc ovicula prius habuit. Aurum geris? hæc fortunæ inconstans potentia. Opibus affluis? hæc vis est iniqua temporis. Superbis? huiusmodi est stultitiæ iactantia, vel hinnitus. At si temperantiam secteris, divinum donum est. Fit autem temperantia si teipsum metiaris.* Denique Sapienter Seneca in Thyest.

Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio,

nimirum *procul a Iove et fulmine.* Humilis ergo qui procul est a Iove, procul est a fulmine.

Septem tempora sunt septem anni.

Et septem tempora mutentur super eum.) Per septem tempora Rabbi Abraham accipit septem hebdoma-

das, alii septem menses, alii septem anni tempora: annus enim in quatuor tempora dividitur, scilicet in ver, æstatem, autumnum et hiemem: sic ergo septem tempora fere biennium efficerent. Alii, quibus favet Theodor. anni, inquiunt, duo tempora sunt æstas et hiems: septem ergo tempora, sunt tres anni cum dimidio. Verum passim Latini, Græci, et Hebræi septem tempora, interpretantur septem annos: annus enim temporum mensura est communissima et vulgatissima; præsertim in Chronicis regum. Sic tempora pro annis capiuntur cap. 12. 7. Unde Arabicus Alexand. vertit, *et septem anni mutentur.*

Vers. 14. In sententia vigilum decretum est, et (hic est) sermo sanctorum et petitio.) q. d. Ita decernunt vigiles, id est angeli, iubente Deo ad sermonem et petitionem sanctorum: ita S. Hieronymus. Arabicus vertit, *hoc est, quod decretum est in mandato angeli sancti;* Chald. est, *et in verbo sanctorum quæstio*, q. d. Inferiores angeli quærent: Quare ita Deus fecit? et respondebitur illis, Ut cognoscant viventes quod dominetur Excelsus.

Vers. 16. Et humillimum hominem constituet super eum.) Puta super Nabuchodonosorem: aut potius *super eum*, id est super ipsum, scilicet regnum, ut habent Chald. Græca, Vatabl. et alii. Porro multorum, quos Deus ex vili conditione ad regnum evexit, exempla recensui Genes. 38. in fine.

Coepit, etc. tacitus cogitare.) Græce ἀπηνεώθη, id est obstupuit, mansit attonitus: ita Vatabl. Alii *hæsitavit;* Polychron. vertit, ἐξεπλάγη, id est *consternatus est super mira novitate rerum ostensarum, et cogitabundus factus est.* Nam ut ait Ptolemæus initio Almagesti: *Meditatio est clavis veritatis.* Quocirca sapientes interrogati de casu, vel re difficili, non statim respondent, sed tempus petunt ad cogitandum.

Cogitationes eius conturbabant eum.) Quia scilicet dolebat Daniel, regi sibi tam amico, per hoc somnium tam dira portendi.

Symbolice, Rupert. in Daniel cap. 8. docet, per Nabuchodonosorem in bestiam conversum significari, Primo, quod Deus stulta mundi eligens, stultam fecit sapientiam huius mundi per Evangelium Christi. Secundo, victoriam regni Dei, cuius potestatem rex recepto sensu confessus est. *Propriam*, inquit, *reprobandæ sapientiæ huius mundi imaginem superbi regis dementatio prætulit, in eo maxime quod fœnum ut bos comedit. Quidnam est fœnum bovis huius pabulum, nisi multitudo carnalium, mane virentium, cito florentium, et cito nihilominus flore perdito arescentium? Omnis enim caro ut fœnum, et omnis gloria eius tamquam flos fœni. Ergo descendente sancto et vigile, ad clamorem eius ex hominibus eiectus est Nabuchodonosor, fœnum ut bos comedit: quia descendente in hunc mundum virtute et sapientia Dei Christo, ad prædicationem eius stulta facta est sapientia huius mundi, et eiecta ex hominibus divinam rationem recipientibus: solummodo fœnum, id est homines superfluos, et super numerum pullulantes ex vitio carnis devorare potuit.*

Vers. 24. Rex consilium meum placeat tibi.) Chaldaice מלכא מלכי *malca milchi*, id est *rex, rex meus*, vel *regnum meum placeat tibi;* ubi *rex* vel *regnum* vocatur consilium; idque eleganter, ait Marinus Brix. in Lexico, quia consilium est instar regis, et deliberationis ac sententiæ est rex; et quia reges regere et regi debent consilio, ut regis rex sit consilium. Unde Pagnin. in Appendice vocum Chaldaici Lexici, *milki*, id est consilium, æque ac *malca*, id est rex, deducit a מלך *malach*, quod יעץ *iaats*, id est, consulere, notat. Idem tradunt et multis exemplis confirmant Lexica Chaldaica et Syriaca. Sic ergo Chaldæi et Hebræi regem vocarunt a consilio, ut idem sit rex qui consultor, et regnare sit idem quod consulere et pollere consilio, iuxta illud Platonis: *Beatæ sunt resp. quas philosophi et sapientes regunt, aut ubi reges philosophantur.* Hinc illud Proverb. 32. 3. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas ad delendos reges;* Sept. iuxta Romanam editionem vertunt, *et vitam tuam in seram consilii mutationem;* Theod. *in pœnitentiam.* Et mox: *Noli regibus o Lamuel, noli regibus dare vinum.* Septuag. pro אל *al*, id est, *non*, legentes אל *el*, id est *ad*, *cum*, vertunt, *cum consilio omnia fac, cum consilio bibe vinum*, quasi idem sit consilium quod reges, aut potius eadem vox *melachim* et reges et consilium significet: Noster enim vertit *reges*, Septuag. *consilium.* Hinc Emmanuelis regis nostri, cuius *principatus super humerum eius*, Isaias c. 9. v. 6. cognomen assignat *consiliarius:* quin et Homerus Agamemnonem regem cognominat βουληφόρον, id est, *consilio pollentem*, puta principem qui multis consulere debeat. Audi eum Iliade ἄνεις δέ τις ἀρχὸς ἀνὴρ βουληφόρος ἔστω, id est, *Unus vero princeps vir consiliarius esto.* Præclare Cicero: Bonum ducem *efficiunt*, inquit, *labor in negotiis, industria in agendo, in providendo consilium, et celeritas in conficiendo.*

Peccata tua eleemosynis redime.) Pro *redime*, Chald. est פרק *peruk*, id est abrumpe, q. d. Resipisce, inchoa novam vitam, mutando crudelitatem in clementiam et misericordiam, inquit Calvin. additque, Ergo male Papistæ ex hoc loco probant actus suos pœnitentiæ et satisfactionis. Verum S. Hieron. Theodor. Vatabl. omnesque alii vertunt, *redime*, et Chald. *peruk* non tantum abrumpere, sed et redimere significat: inde enim פריק *perik*, vocatur redemptor; et פרקן *purkan*, redemptio. Vide Lexicon Regium; idque patet ex serie orationis Danielis. Vult enim ipse non futura, sed præterita regis peccata ab eo ita dirumpi, frangi (*parak* enim et literis et significatione idem est quod *frago* et *frango*) destrui et redimi, ut pro iis ipse Deum placet per pœnitentiam et eleemosynas. Unde Calvinus veritate convictus tandem concedit posse sic verti, *peccata tua eleemosynis redime;* sed excipit, hanc redemptionem apud homines intelligendam esse, non apud Deum, q. d. Redde pauperibus, quæ illis per vim et iniuriam eripuisti, ut illis damnum sarcias et restituas. Verum hic est actus iustitiæ: Daniel autem suadet actum misericordiæ: subdit enim: *Et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Rursum Daniel non vult hominibus, sed Deo a rege satisfieri. Deum enim excelsum illi hanc plagam inflixisse, ideoque ab eo timendum, et placandum esse docuit v. 22. dicens, *Donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum.*

Peccatorum satisfactio per eleemosynam contra Calvin.

Eleemosynis.) Chald. est בצדקה *betsidka*, id est iustitia. Nota. Misericordia et eleemosyna hic et alibi vocantur *iustitia*, quia est causa, pars, et signum illustre iustitiæ et sanctitatis, uti dixi 2. Corinth. 9. 9.

Moraliter, docet hic Daniel consiliarios, confessarios, concionatores principum, quam vere et sincere eorum vitia carpere, et contra ea sana consilia et remedia suggerere debeant. Videmus enim multos iis adulari, crimina excusare, itaque se et ipsos perdere. Præclare Seneca l. 6. de Benefic. cap. 30. *Monstrabo tibi*, inquit, *cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus, desit: scilicet, ille qui verum dicat, et hominem inter mentientes* (adulatores) *stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet a consensu concentuque falsorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est, et unum amicorum omnium officium, una contentio, quibus blandissime fallat?* Et mox: hinc *perpetua credunt, quæ in summum perducta maxime nutant. Ingentia super se casura regna fregerunt, nec intellexerunt in illa scena et vanis et cito diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipsos nihil non adversi expectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt.* Subdit exemplum Xerxis, cui Græcos invasuro omnes assentabantur, quasi mox eos tantis copiis obrueret: solus Demaratus dixit, *Illam ipsam qua sibi placeret multitudinem indigestam et gravem, metuendam esse ducenti: non enim vires, sed pondus habere: immodica numquam regi posse, nec diu durare quidquid regi non potest:* paucos Græcos occupaturos Thermopylarum angustias, et Persis omnibus restituros. Itaque accidit, *Stratusque per totam Græciam passim Xerxes intellexit, quan-*

tum ab exercitu turba distaret, ac pudore quam damno miserior, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, et permisit petere quod vellet: petit ille, ut Sardeis maximam Asiæ civitatem curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens. Et Augusti Cæsaris, qui filiæ suæ Iuliæ stupra indignans publicavit: inde pudore suffusus et gemens, *Horum*, inquit, *nihil mihi accidisset, si aut Agrippa, aut Mæcenas vixisset.* Concludit: *Plenas aures adulationibus aliquando vox vera intret. Da consilium utile. Quæris quid felici præstare possis? Effice, ne felicitati suæ credat, ut sciat illam multis et fidis manibus continendam: mobilia esse quæ dedit casus, et maiore cursu fugere quam veniunt: sæpe inter fortunam maximam et ultimam nihil interesse.*

Redime.) Arabicus Antiochenus vertit, *peccata tua eleemosynis involve*, vel *operi*. Arabica vox proprie dicitur de sindone, qua sepeliendi involvuntur, ut peccata cum cadavere, eleemosynæ cum sindone conferantur. Arabic. Alexandrinus vertit, *remissionem pro peccatis tuis postula eleemosynis, et operi, et miseratione super* (erga) *infirmos, pro iniquitatibus tuis.* Hinc S. August. libr. 21. Civit. 27. ait, quosdam sine eleemosynis non posse salvari; quia peccatis aut cupiditatibus suis ita irretiti sunt, ut nisi pauperum precibus ordinaria gratia maiorem et potentiorem obtineant, ab iis se expedire non possint.

Quidam sine eleemosyna non possunt salvari, cur?

Pari modo Zeno Imper. per eleemosynam punitionem Dei evasit. Audi Ioannem Moschum in Prato spirit. c. 175. *Narravit*, inquit, *nobis quidam Patrum de Zenone Imper. dicens, quod mulierem quamdam in filia ipsius iniuriose tractaverit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ Sanctæ Dei genitricis, orans et deprecans, et cum lacrymis dicens: Vindica me de Zenone Imper. Cum ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei genitrix, dicens: Crede mihi mulier, ultionem tuam sæpe facere volui, sed manus eius prohibet me. Erat enim valde misericors, et eleemosynas faciens.* Merito ergo ait Eccles. c. 3. v. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.* In quem locum scribens S. Ambros. comparat eleemosynam aquæ baptismi: *Eleemosyna*, inquit, *quodammodo est aliud animarum lavacrum, ut, si quis forte post baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei, ut iterum eleemosynis emundetur.* Concionator ergo, quasi alter Daniel, crebro peccatoribus suadeat et inculcet eleemosynam. Nam ut ait S. Aug. hom. 29. inter 50. *Sacrificium Christianorum est eleemosyna in pauperes: hinc enim Deus fit peccatis propitius.* Vide ea quæ de eleemosyna annotavi Deuter. 26. sub finem cap.

Audi testamentum Petri Domini Soræ et Arpini, eiusque coniugis Dodæ anno Domini 1030. apud Baronium: *Cœpimus*, inquit, *cogitare intra nosmetipsos qualiter in peccatis concepti et nati sumus, et qualiter ab infantia nostra, die noctuque, horis et momentis innumerabilia peccata commisimus, et qualiter in illo terribili iudicio de omnibus factis nostris et cogitationibus Deo rationem reddituri sumus; et qualiter ab illo æquissimo iudice unusquisque recipiet secundum opera sua: et rursus dum cogitare cœpimus, qualiter impii et peccatores, qui hic peccata redimere negligunt, in illam pavendam pœnam perpetuo cum diabolo damnabuntur, et qualiter iusti et electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino gloriabuntur; subito respexit nos divina pietas, et compunctum est cor nostrum cum tremore et æstuatione cordis: et cœpimus cogitare et quærere consilium a sacerdotibus, et religiosis viris, qualiter innumerabilia peccata nostra redimere potuissemus, et ab ira æterni iudicis et a pœna æterna evadere. Accepimus consilium ab eis: præterquam renuntiare sæculo, nihil esse melius, quam eleemosynarum virtutem, et de propriis rebus et substantiis monasterium construere, et ibidem cœtus monachorum Deo famulantium coadunare, et ibi secundum regulam et normam beati Benedicti laudem Deo resonare, et vota persolvere, et omni tempore pro animabus nostris incessanter orare. Hoc consilium ab eis lubenter et ardentissimo amore accepimus. Igitur construximus ecclesiam in honorem Domini nostri Iesu Christi, et sanctæ Dei genitricis et Virginis Mariæ, et tradidimus eam in manus viri venerabilis Domini Dominici sacerdotis, et Abbatis, et ibi eum Abbatem constituimus, ubi monasterium construxisset, et cœtus monachorum Deo famulantium eo advocasset,* etc.

Nota sanctum consilium sacerdotum.

Nota. Eleemosyna redimit peccata. Primo, quia peccatorem disponit ad gratiam, et ad peccati remissionem, eamque instar orationis a Deo emeretur et impetrat.

Eleemosyna redimit peccata tripliciter.

Secundo, quia remissa culpa, meretur ex condigno remissionem pœnæ reliquæ.

Tertio, etiamsi non mereatur semper culpæ et pœnæ I.
æternæ, tamen temporalis pœnæ remissionem fere meretur, II.
ut scilicet Deus plagas suas talibus in hac vita non III.
immittat: idque hic etiam appositum est: nam S. Hier. et alii putant Nabuchodonosorem fecisse eleemosynas, ideoque ad duodecim menses dilatam esse Dei contra eum sententiam, donec rursum bonum clementiæ amisit malo superbiæ v. 27. Unde pro eo quod nos habemus, *forsitan ignoscet delictis tuis;* Chald. est *forsitan prolongatio erit paci et prosperitati tuæ.*

Vers. 26. Post finem duodecim mensium.) Distulit Deus sententiæ suæ in regem late executionem ad duodecim menses, ut ei daret spatium pœnitentiæ. Ita Theodor.

Vers. 27. Ait, Nonne hæc est Babylon.) Dixit hæc rex ingenti fastu, cum oblivione et contemptu Dei, unde ait: *Quam ego ædificavi*, non Deus. Videtur ergo somnium, et somnii interpretationem oblitus esse, aut parvi pendisse, ac rediisse ad ingenium, suamque arrogantiam. Nota. Turris Babel, et Babylon urbs condita fuit a Nemrod, sive Belo, qui fuit pater Nini, aucta est a Semiramide, sed postea eversa, restituta est a Nabuchodonosore, et magnificentissimis operibus adornata. Habebat enim Babylon teste Herodoto l. 1. in ambitu murorum stadia 480. muri crassi erant 50. cubitos, alti 200. cubitos: in his erant centum portæ æreæ. Addit Diodorus lib. 3. urbis Babylonis muros adeo latos fuisse, ut per eos sex currus simul procedere possent, et Aristot. l. 3. Politic. 2. tantam ait fuisse Babylonem, ut urbe ab hostibus capta per triduum, incolæ alterius partis urbis eam esse captam non senserint. Babylon ergo habita fuit orbis miraculum, et unum ex septem mirabilibus mundi, de quo Martialis in Amphitheatro Epigram. 1.

Babylonis amplitudo.

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus iactet nec Babylona labor.

Vers. 28. Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit.) Vide hic quam Deus execretur superbiam, quamque subito superbos e cælo sideret et fulminet. Ita Saulus tumens et sæviens in Christianos percussus et perculsus cælesti voce: *Saule Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare;* victas manus dedit Deo, Actor. 9. Sic superbis Iudæis a Deo prosternendis, ait Isaias c. 66. 6. *Vox de templo, vox Domini, reddentis retributionem inimicis suis.* Et de superbo Sennacherib cap. 30. 31. *A voce Domini pavebit Assur virga percussus.* Et cap. 33. 3. *A voce angeli fugerunt populi.* Et Ioel cap. 2. 11. *Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui. Magnus enim dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum?* cum scilicet in die iudicii superbos sua voce, *Ite maledicti in ignem æternum*, adiget in tartara. Nam ut ait David 2. Reg. 22. 14. *Tonabit de cælo Dominus, et Excelsus dabit vocem suam.* Sic Ioan. Apoc. 8. audivit vocem angeli, quasi *aquilæ volantis per medium cæli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra.*

Vers. 30. Ex hominibus abiectus est.) Cum Nabuchodonosor tamquam amens et insanus eiectus fuit, tunc regnum Chaldæorum per septennium administravit Evilmerodach eius filius, vel optimates, qui iuxta vaticinium Danielis per septennium expectarunt, ut Nabuchodonosorem menti restitutum reciperent, ut indicatur v. 33.

Donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent.) Pro *aquilarum* Septuag. habent λεόντων, id est, *leonum;* unde Epiphan. et Doroth. hauserunt suam sententiam de rege in leonem transformato, ut dixi v. 13.

Verum Chald. et Latina habent *aquilarum*, non *leonum*. Quæres, Quomodo capilli eius *in similitudinem*, non bovis, sed aquilarum creverint? Primo, Maldon. censet in rege nihil præter ungues et capillos fuisse immutatum: sed hæc sola ferinum in morem excrevisse. Verum contrarium est verius, ut dixi v. 13.

Secundo, Lyran. To *in similitudinem aquilarum*, exponit, q.d. *In longitudinem alarum aquilæ*. Verum alarum hic nulla est mutatio, nec recte capilli hominis alis, sed capillis aquilæ comparantur.

Tertio, melius Vatabl. explicat et vertit, *ut pilorum copia aquilis, et unguibus similis evaderet volucribus*. Chaldæi enim ad verbum habent, *donec pili eius multiplicarentur instar aquilarum*. Pilis ergo aquilæ potius quam bovis (cui incessu et forma similis erat) comparantur eius pili, Primo, ob copiam et densitatem: aquila enim toto corpore pilis est densa, iisque quasi involuta uti leo suis iubis, præsertim ea quæ dicitur ossifraga: sic erat et rex. Secundo, ob colorem: sicut enim pili aquilæ sunt nigri admodum, ita erant et regis; idque fiebat ex copia melancholiæ, quæ crassissimam fuliginem exhalat, ex qua pili hi generabantur, uti ex Valesio dixi v. 13. Tertio, ob prolixitatem et formam. Sicut enim pili in capite aquilæ, puta cristæ sunt prolixæ, erectæ, crispæ, horridæ et minaces; sic erant et capilli regis semper crescentes, et numquam detonsi.

Porro apte pilos habuit aquilæ rapacis, et ungues avium rapacium: quia hæc fuit pœna et symbolum eius rapacitatis, qua omnes gentes, earumque regna et opes diripuit: unde a Ieremia c. 4. v. 7. vocatur *prædo gentium*, et ab Ezechiele c. 17. 3. *aquila grandis magnarum alarum*, etc. Rapacitas autem hæc notatur in pilis. Nam aquilæ pilos et pennas esse rapaces et voraces, docet Ulysses Aldrovandus l. 1. Ornithologiæ cap. de aquila pag. 24. ubi de aquila sic scribit: *Pennas habet firmitate ac duritie insigni, quæ ut experientia multorum et auctoritate didici, pennas aliarum avium, præsertim anserum et columbarum, permistæ absumunt, idque forsan ob latentem quamdam, qua præditæ sint, vim. Avis enim ipsa dum vivit, reliquis omnibus volucribus infesta est, itaque derivari vim illam animalem in res quoque eius exanimes, per sympathiæ contagionem, non improbandum est: ut rei eventus docuit etiam in interemptis, super quos patrator sceleris vel casu, vel ad testandam conscientiam adductus fuerit:* præsente enim homicida, corpus ab eo occisum cruorem emittit, de quo dixi Deuter. 21. 1. et sequent.

Vers. 31. VIVENTEM IN SEMPITERNUM LAUDAVI.) Chald. *viventem sæculorum*, quem Syri vocant *gigantem sæculorum*, ut dixi Isaiæ 57. 15. Huc alludit S. Ioannes Apoc. c. 10. v. 6. et alibi, ubi Deum vocat viventem in sæcula sæculorum.

Vers. 32. IN VIRTUTIBUS CÆLI.) Chald. בחיל *bechel*, id est in exercitu, vel robore, scilicet stellarum et angelorum cæli.

Vers. 33. IN IPSO TEMPORE SENSUS MEUS REVERSUS EST AD ME.) Dorotheus in Synopsi, et Epiphan. in vita Danielis, tradunt septem annos supplicio regis a Deo præfinitos, per preces Danielis contractos fuisse ad septem menses: ergo septem mensibus cum vixisse ut bestiam, reliquis vero sex annis, et quinque mensibus, cum menti restitutum fuisse, non tamen regno, sed egisse pœnitentiam, eaque meritum fuisse ut restitueretur in regnum. Verum ex hoc versu patet hanc esse fabellam; hic enim dicitur quod eodem tempore rex simul restitutus sit menti, et regno; scilicet postquam septem annos egisset cum bestiis: idem comminatus ei fuit Deus v. 22.

Moraliter Tertull. lib. de Pœnitentia in fine, ex hoc loco hortatur peccatores ad pœnitentiam dicens: *Mutæ animæ medicinas sibi divinitus attributas agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiam Do-* A *mino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus, unguium aquilinum in morem efferatione, et capilli incuria horrorem leoninum præferente. Proh! malæ tractationes! Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat.* Rursum disce hic prospera hominibus, præsertim principibus, eripere mentem, adversa reddere. Hinc Zeno dicebat, *se tum prospere navigasse posteaquam naufragium fecerat.* Lapsus enim casusque docent cautelam et sapientiam. Ita videmus homines opibus et luxu diffluentes, ad frugem redire, si Deus illis opes eripiat, et ad manticam redigat. Sapienter Artabanus, suadens modestiam Xerxi: *Gaudet*, inquit, *Deus eminentissima quæque deprimere; quia neminem alium quam seipsum sinit de se magnifice sentire.* Sic Deus, ait Claudian. in Epigramm.

Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Et Seneca in Agamemn.

Turris pluvio vapulat Austro,
Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.

B Sic aquila in altum levat testudinem, ut eam ex altiori loco saxo illidens, magis frangat et exenteret. In Nabuchodonosore vera extiterunt tria illa aurea Ptolemæi axiomata, quæ in eius vita habentur initio Almagesti. Primo, *Insipiens est qui sui ipsius ignorat quantitatem.* Rex enim hic multo maiorem se æstimabat, quam revera erat. Secundo, *Cum aliquis sibi placet, ad hoc deductus est, ut ira Dei sit super ipsum.* Tertio, *Qui in dignitate sua multum extollitur, in amissione eius multum deprimitur.* Pulchre et vere Auctor ser. ad Fratres in eremo, ser. 12. apud S. August. tom. 10. *O sancta*, ait, *humilitas, quam dissimilis es superbiæ! Ipsa superbia, fratres mei, Luciferum de cælo eiecit; sed humilitas Dei Filium incarnavit. Ipsa superbia Adam de paradiso expulit; sed humilitas latronem in paradisum introduxit. Superbia gigantum linguas divisit, et confudit; sed humilitas cunctas congregavit dispersas. Superbia Nabuchodonosor in bestiam transmutavit; sed humilitas Ioseph principem Ægypti constituit. Superbia Pharaonem submersit; sed humilitas Mosen exaltavit.* Et Sapiens Proverb. 11. 2. *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia.* Et Christus: *Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.* Narratur de S. Francis. in Chron. Ord. Min. p. 1. lib. 7. cap. 5. quod cum S. Ægidius narraret lapsum fratris Eliæ, qui vir doctus, fuerat Minister Generalis Ordinis sui, et iam erat apostata, et excommunicatus; quia adhærebat Friderico II. Imp. hosti Ecclesiæ; proiecerit se in terram, illamque arcte stringens dixerit: *Volo descendere quantum possum, quia Elias cecidit eo quod altius æquo voluit ascendere.*

NUNC IGITUR EGO NABUCHODONOSOR LAUDO etc. REGEM CÆLI.) Hinc probabile est Nabuchodonosorem hac septennali pœna serio ad Deum verum fuisse conversum, totoque corde fuisse contritum, et humiliatum, ac proinde iustificatum esse, et cum paulo post obierit, salvatum videri: ita Ioseph. Dorotheus in Synopsi, Epiph. in vita Danielis, Lyran. Carthus. et favet Theod. et S. August. epist. 122. Audi Doroth. in vita Danielis: *Cum*, inquit, Nabuchodonosor *peccatorum suorum remissionem adeptus esset, dedit Prophetæ regnum suum, et nec panem, nec carnem comedit, nec vinum bibit, Domino confessus. Nam hoc illi Daniel præceperat, ut leguminibus et herba vescens Dominum placaret.* Additque, *Volebat eum* (Danielem) *cohæredem constituere filiorum suorum. Sed vir sanctus dicebat: Propitius sis mihi Domine, ne deseram hæreditatem patrum meorum, et adhæream hæreditati incircumcisorum.* Eadem habet Epiphan. in Daniele, scilicet quod post pœnitentiam, veniam et restitutionem in regnum, carne et vino abstinuerit, ac leguminibus vixerit. Secus fuit de Pharaone, qui per flagella et miracula Dei magis obduruit, et in sua obduratione mortuus est, ac mersus in mari rubro, ideoque damnatus. Hæc sunt disparia iudicia Dei: nam, ut ait S. Paulus, Deus *cuius vult miseretur, et quem vult indurat.* Rursum ecce Nabuchodonosor rex, qui tota vita impiissime vixerat, in fine vitæ conver-

Vers. 34. Nabuchodonosor conversus et salvatus videtur.

titur et salvatur: e contrario Salomon, qui a puero pie et religiose vixerat, in senio a mulieribus depravatus idola coluit, ideoque multi putant eum esse damnatum.

Obiectio. Dices, De rege Babylonis dicitur Isaiæ 14. 11. *Detracta est ad inferos superbia tua:* ergo Nabuchodonosor est damnatus in inferno.

Resp. 1. Respondeo Primo, Isaiam loqui de excidio Babylonis, ac proinde loqui non tam de Nabuchodonosore, quam de Balthasare (sub eo enim et cum eo excisa est Babylon) idque sub specie et typo Luciferi; Lucifero enim qui voluit in cælum conscendere, proprie competit τὸ *detracta est ad inferos superbia tua.*

2. Secundo, Pererius, ista de Nabuchodonosore dici non absolute et prophetice, sed comminatorie: aut si quis absolute ea dici velit, quod verius videtur, symbolice accipienda esse, ac tantum significare summam regis abiectionem et miseriam; sicut per eiusdem ascensum in cælum non proprie ascensus iste, sed symbolice summa eius gloria et fastus significatur.

Obiectio secunda. Dices Secundo, Hic v. 5. Nabuchodonosor iam conversus Belum adhuc vocat suum Deum, ergo non videtur plane abiecisse Belum, nec plane fuisse conversus.

Responsio. Respondeo, Rex ibi narrat tantum quod Danieli puero olim dederit nomen Baltassar, secundum nomen Dei sui; puta quod a Baal, vel Bel, quem tunc colebat, vocarit eum Baltassar: non autem dicit se etiamnum Belum colere. Similiter quod ibidem Danielem spiritum sanctorum deorum habere asserit, tantum commemorat sua verba, quibus ipse compellavit Danielem ante suam conversionem, puta ante somnii interpretationem. Fateor tamen, hæc argumenta dubiam facere conversionem et salutem Nabuchodonosoris, præsertim cum non legatur idola abiecisse, Iudæos e captivitate dimisisse, tyrannice occupata restituisse, aliaque veræ pœnitentiæ signa edidisse: illud tantum legimus, quod Evilmerodach mox ut in regnum successit, exaltavit Ioachin regem Iuda in Babylone captivum, idque forte quia pater moriens, hoc et alia ei commendavit. Denique vis simile somnium? Accipe.

Somnium Constantis Imp. ominosum.

Constans Imper. nepos Heraclii Imper. Monothelita, qui Martinum Rom. Pont. per Calliopam Romæ dolo cepit, et in exilio ærumnis confecit, persequente eum Dei vindicta, anno Christi 654. bello navali cum Mahuvia Saracenorum principe decertaturus, nocte vidit visum: nam cum esset in Lycia, visus est sibi esse Thessalonicæ. Expergefactus narravit somnium coniectori cuidam. Qui ait: O Imperator utinam nec dormisses, nec somnium aspexisses; nam esse Thessalonicæ, Θεσ αλλω νικην, innuit, quod interpretatur, *alteri cede victoriam*, id est ad inimicum tuum victoria vertitur. Ita factum: nam inito prælio Constans succubuit, et vix mutata veste effugit, inquit Theophan. anno 13. Constantis Imper.

Idem Constans sceleribus scelera iungens, fratrem suum Theodosium interfecit: interfectus ipsi Constanti crebro per quietem visus est habitu Diaconi, poculum sanguine plenum porrigens, atque dicens: *Bibe frater:* ac si diceret: Inebriare fraterno sanguine quem fudisti. Quare quasi alter Cain cogitavit Constans in Siciliam fugere: fugit, atque Syracusis in balneo occisus est a quodam Andrea Troili filio, uti ex Anastasio, Paulo Diacono et Theophane narrat Baron. anno Christi 668.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Baltassare temulento, et sacra vasa profananti, apparet manus scribens in pariete. Secundo v. 13. vocatus Daniel scripturam legit, mane, tekel, phares; *docetque per ea exitium regi portendi. Tertio v. 30. occiditur Baltassar, succedit ei Darius.*

Nota. Hoc caput secundum ordinem temporum ponendum erat post cap. 7. et 8. sed Prophetæ, ut dixi canon. 5. sæpe non servant ordinem. Nectit ergo Daniel hoc caput præcedenti, ut historiam, et finem similem regum Babyloniorum, scilicet Nabuchodonosoris patris, et Baltassaris filii, pertexat. Daniel enim hic primo historias omnes simul enarrat usque ad caput septimum: inde usque ad cap. 13. visiones suas et prophetias simul ordine prosequitur.

1. BALTASSAR rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: et unusquisque secundum suam bibebat ætatem. 2. Præcepit ergo iam temulentus, ut afferrentur vasa aurea et argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, ut biberent in eis rex et optimates eius, uxoresque eius, et concubinæ. 3. Tunc allata sunt vasa aurea et argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Ierusalem: et biberunt in eis rex et optimates eius, uxores et concubinæ illius. 4. Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos, et argenteos, æreos, ferreos, ligneosque et lapideos. 5 In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: et rex aspiciebat articulos manus scribentis. 6. Tunc facies regis commutata est, et cogitationes eius conturbabant eum: et compages renum eius solvebantur, et genua eius ad se invicem collidebantur. 7. Exclamavit itaque rex fortiter, ut introducerent magos, Chaldæos et aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis: Quicumque legerit scripturam hanc, et interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, et torquem auream habebit in collo, et tertius in regno meo erit. 8. Tunc ingressi omnes sapientes regis non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare regi. 9. Unde rex Baltassar satis conturbatus est, et vultus illius immutatus est: sed et optimates eius turbabantur. 10. Regina autem, pro re quæ acciderat regi, et optimatibus eius, domum convivii ingressa est, et proloquens ait: Rex in æternum vive: non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur. 11. Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se: et in diebus patris tui scientia et sapientia inventæ sunt in eo: nam et rex Nabuchodonosor pater tuus principem magorum, incantatorum, Chaldæorum et aruspicum constituit eum, pater, inquam, tuus, o rex: 12. Quia spiritus amplior, et prudentia, intelligentiaque et interpretatio somniorum, et ostensio secretorum, ac solutio ligatorum, inventæ sunt in eo, hoc est, in Daniele: cui rex posuit nomen Baltassar: nunc itaque Daniel vocetur, et interpretationem narrabit. 13. Igitur introductus est Daniel coram rege. Ad quem præfatus rex ait: Tu es Daniel de filiis captivitatis Iudæ, quem adduxit pater meus rex de Iudæa? 14. Audivi de te, quoniam spiritum deorum habeas: et scientia intelligentiaque ac sapientia ampliores inventæ sunt in te. 15. Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent, et interpretationem eius indicarent mihi, et nequiverunt sensum huius sermonis edicere. 16. Porro ego audivi de te, quod possis obscura interpretari, et ligata dissolvere: si ergo vales scripturam legere, et

interpretationem eius indicare mihi, purpura vestieris, et torquem auream circa collum tuum habebis, et tertius in regno meo princeps eris. 17. Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege: Munera tua sint tibi, et dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem eius ostendam tibi. 18. O rex, Deus altissimus regnum, et magnificentiam, gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. 19. Et propter magnificentiam quam dederat ei, universi populi, tribus, et linguæ tremebant et metuebant eum: quos volebat, interficiebat: et quos volebat, percutiebat: et quos volebat, exaltabat: et quos volebat, humiliabat. 20. Quando autem elevatum est cor eius, et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, et gloria eius ablata est. 21. Et a filiis hominum eiectus est, sed et cor eius cum bestiis positum est, et cum onagris erat habitatio eius: fœnum quoque ut bos comedebat, et rore cæli corpus eius infectum est, donec cognosceret quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum: et quemcumque voluerit, suscitabit super illud. 22. Tu quoque, filius eius Baltassar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia: 23. Sed adversum dominatorem cæli elevatus es: et vasa domus eius allata sunt coram te: et tu, et optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ, vinum bibistis in eis: deos quoque argenteos, et aureos, et æreos, ferreos, ligneosque et lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti: porro Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti. 24. Idcirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc, quod exaratum est. 25. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares. 26. Et hæc est interpretatio sermonis. Mane: numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. 27. Thecel: appensus es in statera, et inventus es minus habens. 28. Phares: divisum est regnum tuum et datum est Medis et Persis. 29. Tunc iubente rege indutus est Daniel purpura, et circumdata est torques aurea collo eius: et prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo. 30. Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus. 31. Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.

Vers. 1. Balsasar Rex fecit grande convivium.) Anno ultimo regni sui, quo et eversa Babylone, ut monarcha cœpit regnare Cyrus: fuit ergo hic annus primus monarchiæ Cyri, quo etiam ipse Iudæos e Babylone liberos dimisit.

Quis fuit Baltassar? Resp. I. S. Hier. Quæres, Quis fuit hic Balsasar? S. Hieron. ex Beroso apud Iosephum, Eusebio et Megasthene, putat in Babylone post Nabuchodonosorem regnasse filium Evilmerodach, post hunc filium Neglissar, post hunc filium Labosordach; deinde huius filium Balsasar. Verum non potuerunt esse tot generationes tam paucis, puta 34. annis: tot enim tantum interfluxerunt a morte Nabuchodonosoris, usque ad mortem Balsasaris. Falsum ergo est quod scribit Ioseph. 11. Antiq. 12. Nabuchodonosorem, cum post eversam Ierusalem regnasset annos 25. reliquisse regnum filio Evilmerodach, eumque regnasse annis octodecim: post hunc Niglissar filium annis 40. post hunc Labosordach filium novem mensibus: huic successisse Balsasarem, cuius regni anno 17. Cyrus expugnarit Babylonem, Iudæosque inde liberarit. Collige enim horum annos, invenies centum, quibus necesse est dicere durasse captivitatem Babylonicam; cum ex Ieremia cap. 27. et ex Daniele cap. 9. 2. constet eam tantum durasse 70. annis.

II. Pererii. Secundo, Pererius, Maldon. Hugo et alii, censent Balsasarem fuisse filium Evilmerodach, qui fuit filius Nabuchodonosoris, cuius proinde nepos fuerit Balsasar. Probant id primo, quia Nabuchodonosori successit Evilmerodach, ut patet 4. Reg. 25. v. 27. Ergo Balsasar post Evilmerodach regnavit, ac consequenter fuit eius filius. Secundo, quia Ierem. 27. v. 7. dicitur, quod Nabuchodonosori *servient omnes gentes, et filio eius, et filio filii eius.* Quis est filius eius, nisi Evilmerodach? quis filius filii, nisi Balsasar? unde Franciscus Ribera et alii sic computant annos 70. captivitatis Babylonicæ: Nabuchodonosor, inquiunt, regnavit 45. annis, Evilmerodach 22. Balsasar tribus; qui simul iuncti faciunt 70. Verum dici posset ad Ierem. 27. 7. ibi patrem esse Nabuchodonosorem seniorem, filium esse Nabuchodonosorem iuniorem, qui et Magnus est dictus; filium filii esse Balsasarem: nam hæc verba dicta sunt Ieremiæ initio regni Ioakim; quando adhuc regnabat Nabuchodonosor senior, nam iunior regnare cœpit anno quarto Ioakim.

III. Et verior Baltassar fuisse Evilmerodach. Probat. Tertio, alii censent Balsasarem hunc esse filium, non nepotem Nabuchodonosoris, esseque eumdem cum Evilmerodach. Hæc sententia valde conformis est verbis Danielis: Primo, quia Daniel in chronicis hisce regum Babyloniorum, post gesta Nabuchodonosoris, transit statim
1. ad Balsasar; ergo hic ei proxime successit. Secundo, quia
2. semper hic vocat eum filium Nabuchodonosoris, ut patet
3. v. 11. 13. et 18. idem facit Baruch, c. 1. 11. Tertio, quia

A a Ieremia c. 50. 2. Balsasar vocatur Merodach, qui idem esse videtur cum Evilmerodach: idem a Beroso et Iosepho vocatur Labonitus, et Nabonitus: nam literæ L. et N. commutantur, sicut L. et R. utpote affines, et liquidæ. Hinc pro Belial alii dicunt Beliar, pro Nebuchadneser (id est Nabuchodonosor) in Hebræo legitur Nebuchadreser. Iuxta hanc sententiam Balsasari, sive Evilmerodach, dandi sunt anni regni 34. (anni enim quos alii seorsim dant Evilmerodach, adiungendi sunt annis Balsasaris, cum fuerit unus idemque Rex) hos enim si addas ad annos 36. Nabuchodonosoris, explebis annos 70. captivitatis, qui incipiunt ab anno undecimo Ioakim, qui fuit octavus Nabuchodonosoris, et terminantur in ultimo anno Balsasaris, qui fuit primus Cyri. Nabuchodonosor enim universim regnavit annos 44.

Convivium.) Chald. לחם *lechem*, id est *panem*, hoc est epulum. Sic enim panis in Script. per synecdochen significat quoslibet cibos et epulas. Græce δεῖπνον, id est cœ-
B nam. Veteres enim non prandebant, sed cœnabant, ut patet ex Athenæo in Dipnosophistis, sive de cœnis sapientum. Hinc convivium quodlibet vocatum est cœna. Nota hic Balsasaris miram vecordiam, vel præfidentiam, quod hoste vicino, et urbe ab eo circumsessa crapulæ indulgeat, cum omnibus suis, unde iuste in pœnam ebrietatis et sacrilegii, quo sacra vasa mensæ suæ adhibendo profanavit, eadem nocte et regno et vita spoliatus est. Multi censent Balsasarem præfisum suis viribus et copiis, ac urbis munitioni, obsessum a Cyro et Persis indulsisse genio, et agitasse convivia, ut ostenderet se Persas non timere, nec curare: quomodo Epaminondas obsessus ab hostibus sibi insultantibus, iussit milites conviviis et ludis vacare, ut ostenderet se hostium sannas contemnere: testis est Diodorus lib. 12. Idem fecisse Viriatum Lusitanum a Romanis obsessum, narrat Florus.

Unusquisque secundum suam bibebat ætatem.) Quia
C quisque secundum ætatem accumbebat, et cyathum prius vel posterius accipiebat, puta digniores et seniores prius; iuniores posterius. Erant enim ordine per mensas et classes ita distributi, ut rex singulis classibus ordine præbibere et propinare posset. Videntur enim hi satrapæ officio et dignitate fuisse pares; ita ut inter eos dignior tantum esset is, qui erat senior. Simili enim modo Darius regnum divisit in 120. satrapias, et satrapas æquales ut videtur. Nam eis omnibus tres Tristatas præfecit, c. 6. 1. et 2. Sept. Pagnin. Vatabl. et alii vertunt, *coram mille* (magnatibus et ducibus) *bibebat vinum;* erat enim rex solus in una mensa, e regione illorum mille, qui in altera mensa accumbebant. Nam Chald. אלפא *alpha*, et mille significat, et eum qui melior est, dignior, præcipuus, et sic accepit noster; unde sic ad verbum vertas, *bibebat quisque secundum quod erat alpha,* id est senior et dignior. Por-

ro Scholast. explicat q. d. *Cuiusque ipsorum mille erat crater vini, et pincerna proprius. Hoc enim apud Persas solemne est.*

Vers. 2. Præcepit ergo iam temulentus.) *Tradunt Hebræi,* ait S. Hieron. *huiusmodi fabulam: usque ad septuagesimum annum, quo Ieremias captivitatem Iudæorum dixerat esse solvendam, imperio suo timuit Balsasar; sed eo expleto irritam putans Dei pollicitationem, versus in gaudium, fecit grande convivium, insultans quodammodo spei Iudæorum, et vasis templi Dei; sed statim ultio consecuta est,* dum in hoc convivio peremptus est Balsasar, et Babylon capta.

Moral de damnis ebrietatis. Vide hic quonam Balsasarem deduxit temulentia. Audi S. Basilium hom. de ebrietate: Aqua ignem extinguit, vinum extinguit rationem: aqua maris naves, vinum vitis homines submergit. Ebriorum animæ vino submersæ sunt. Vigilantia et sobrietas facit homines, ebrietas ex hominibus facit belluas. Hinc ait Isaias cap. 28. 7. *Absorpti sunt a vino.* Absorbent ebrii vinum, sed absorbentur a vino. Et Sapiens Prover. 23. 34. *Eris quasi sopitus gubernator amisso clavo.* Ebrius enim rationis clavum amittit.

I.

II. Secundo, ebrietas uti rationis usum extinguit; ita pravas animi cupiditates excitat. Isaiæ 5. 11. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam ut vino æstuetis.* Septuag. vertunt, *vinum enim succendet* vel *comburet eos.* Vide ibi dicta. Unde S. Basilius ebrium vocat dæmonem voluntarium. Dæmone ergo peior est ebrius, quia voluntarius est dæmon, cum dæmon involuntarie sit dæmon. A dæmone torquentur dæmoniaci, sed inviti et coacti: at ebrius ebrietate torquetur, quia placet.

III. Tertio, ebrietas, os, oculos, nares, omniaque sensuum organa facit amarissimas et fœdissimas voluptatis cloacas, ita ut ebrii non homines sed sues sint, imo suibus tetriores. S. August. serm. 231. de tempore, ebriosos ait similes esse paludibus sordidis, in quarum aqua sordida serpentes, ranæ, vermesque nascuntur.

IV. Quarto, S. Paulus ad Ephes. 5. 18. *Nolite,* ait, *inebriari vino, in quo est luxuria.* S. Hieron. lib. 2. contra Iovinianum cap. 6. *Esus,* ait, *carnium, et potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est:* nam *sine Cerere et Baccho friget Venus.* Audi exemplum horribile, quod refert auctor serm. ad Fratres in eremo, apud S. Aug. serm. 33. *Ecce,* inquit, *hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, duas sorores vulneravit ad mortem.*

V. Quinto, quo magis repletur venter, eo magis sensus mentis obtunditur, homoque hebescit: nam ex crasso ventre subtilis sensus gigni non potest. Rursum, ut ait S. Chrysost. hom. 1. ad popul. *Non ita terræ natura vexata aquarum superabundantia continue dissolvitur, ut corporis vis mollescit, diffluit, et exilis redditur vini potu continuo ingurgitata.*

VI. Sexto, S. Aug. ut supra: *Considerent,* inquit, *ebriosi, si non peiores animalibus iudicandi sint. Cum enim animalia amplius quam eis opus est, bibere nolint: illi et duplum et triplum quam expedit eis potum accipiunt.*

VII. Septimo, ebrii ex crapula continuo dormitant, capite gravantur, oscitant, oculis caliginem, stomacho nauseam præ se ferunt. Et, ut ait S. Basilius: *Eos videre licet oculis liventibus, cute subpallida, spiritu gravi, lingua balbutiente, voce demissa et confusa, pedibus puerorum more infirmis et titubantibus.* Quare Anacharsis censuit optimum remedium ebrietatis esse, ebriorum indecoros et fœdos mores intueri; qui tales sunt, ut S. Chrysost. hom. 1. ad pop. ebrietatem vocet humani generis opprobrium. Lacedæmones pueris ostendebant servos temulentos, ut viderent quam deforme sit spectaculum homo ebrius, quamque is insanienti sit similis.

VIII. Octavo, Athen. lib. 11. magnum poculum appellat argenteum puteum, in quem scilicet cadit ebrius, animam et rationem suffocans, seque et sua omnia demergens. Et S. Aug. ut supra ebrietatem vocat puteum inferni. Vide plura de ebrietate notata Genes. 19. in fine.

In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis.) Lyran. ex voce *quasi* autumat manum hanc vere non extitisse, sed tantum in phantasia regis, unde ab aliis non esse visam. Verum utrumque falsum est. Nam Script. ait hanc manum scripsisse in pariete *mane, tekel, phares;* ibique hæc scripta legisse Danielem; cum cæteri litteras viderent, sed eas legere et interpretari nequirent. Dicit ergo *quasi manus hominis*, quia vere non erat manus hominis, sed ei similis formata ex aere condensato, et assumpta ab angelo, qui per eam scribebat in pariete. Vers. 5.

Scribentis contra candelabrum.) Ut scilicet ex lumine vicini candelabri legi posset hæc scriptura: in cœna enim nocturna, candelabro et lumine erat opus: ita S. Hieron. Porro manus scribentis apparuit, non ipse scribens, ut rex videret sibi parari insidias, et necem strui; at auctorem omnino ignoraret: et sic articulos tantum videret, manum non agnosceret, ait Pineda in Iob 17. vers. 10.

Aulæ regiæ.) Ut sciret rex, et convivantes hanc scripturam ad se pertinere, inquit S. Hieron. Hic verum fuit illud vulgare proverbium: *Ubi uber ibi tuber, ubi mel ibi fel,* quod Plautus in Amphitryone hisce verbis declarat: *Ita diis placitum est, ut ab eodem culmine voluptas et ei comes mœror sequatur.* Ubi uber ibi tuber.

Non potuerunt nec scripturam legere.) Quæres, cur? Respondent aliqui Hebræi, quia hæc scriptura erat Hebraica, non Chaldaica, unde a Chaldæis legi non poterat: sed ut demus fuisse Hebraicam, quis credat neminem Chaldæorum scivisse Hebraice, præsertim cum Hebraica et Chaldaica tantum dialecto differant, sicuti Attica et Dorica. Secundo, respondet Rabbi Saadias, non potuisse eos legere, quia literæ erant mutatæ, aut transpositæ: sed hoc uti fingitur, ita reiicitur. Tertio, alii respondent, peregrinas hasce fuisse litteras, extraordinarias et insolentes: ita Pineda l. 5. de Rebus Salom. c. 13. Quarto, alii, a Deo fuisse impeditos Chaldæos, ut Danieli hæc gloria servaretur. Quinto, verisimilius Maldonat. et Anton. Fernandes vision. 23. sect. 1. censent tantum literas initiales singulorum verborum fuisse scriptas, scilicet M. T. P. Sic enim typographi Hebræi initio operis versiculum aliquem Psalmi, per literas tantum initiales ascribunt, et sic conflatum est *Machabi*, id est Machabæus, ex initialibus literis Exodi 15. 11. *Mi eamocha baelim iehova,* id est, *quis similis tui in fortibus Domine?* Hoc enim emblema, quasi insigne belli et victoriæ, castris suis prætulerunt Machabæi. Vers. 8. Cur Chaldæi non potuerint scripturam legere. Resp. 1. 2. 3. 4. 5.

Ita et Valens Imper. sciscitatus a necromantico, quis post se regnaturus esset? Respondit magus, fore illum cuius nominis primæ literæ sunt Theod. (indicabat dæmon Theodosium Imper.) Quare Valens omnes qui Theodori, vel Theodosii, vel Theoduli vocabantur, occidi iussit, ait Socrat. lib. 4. cap. 15.

Ita et Mauricio Imp. (eo quod S. Gregorio restitisset, eique et Romæ ab Aistulpho obsessæ non succurrisset) divinitus revelatum est, eum occidendum fore, et privandum imperio ab eo, cuius nomen a Ph. inchoabatur. Qua de causa Philippus sororis Mauricii maritus in suspicionem affectati imperii adductus est. Sed mox in somnis per visionem intellexit Mauricius, se cum uxore et filiis a Phoca occidendum esse. Phocas ergo ex milite creatus Imperator trucidavit Mauricium, sed patientem et gratias agentem Deo, quod se in hac vita potius quam in altera castigaret. Unde ad singulorum filiorum in conspectu suo trucidationem, exclamabat: *Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.* Ita Cedrenus, Nicephorus, et ex iis Baronius anno Christi 602.

Sic urbi cum Gentilis esset, quasi prophetice inditum est nomen Roma, in signum quod avaritia a Christo esset destruenda. Roma enim si per singulas literas explicetur, idem est quod, Radix omnium malorum avaritia, inquit Alexander Angelus Doctor Theol. in Summa, parte 6. cap. 33. Christus enim urbem, et orbem Gentilem, et bonis terræ inhiantem evertens et convertens, docuit et inspiravit contemptum terrenorum, et amorem cæle-

stium, fecitque nos cives cæli, hospites et advenas terræ.

6. Et genuine. Sexto, et genuine, Chaldæi et Hebræi scribebant solas litteras consonantes sine punctis, sine vocalibus. Unde Chaldæi nesciebant quæ puncta hic essent substituenda, scilicet an legendum esset mane, an mina, an meno; an tekel, an tokel, an takal. Rursum licet possent singulis puncta aliqua substituere, itaque ea legere; tamen non poterant ea inter se connectere, ut sensum aliquem commodum et certum elicerent, præsertim quia singula verba per integram sententiam explicanda erant, uti ea explicat Daniel v. 26.

Vers. 10. REGINA, etc. INGRESSA.) Puta mater Balsasaris, sive Laboniti, quæ sapientissima fuit fœmina, inquit Herodotus: ita Origen. Theodor. et alii. Secundo, Iosephus ait, reginam hanc fuisse aviam regis. Tertio, alii censent, reginam hanc fuisse uxorem regis: loquitur enim quasi regina, id est quasi uxor.

Dices, Uxor assidebat regi in convivio v. 2. quomodo ergo hic ingressa dicitur domum convivii? Respond. separata fuisse in hoc convivio de more triclinia fœminarum et virorum. Uxor ergo hæc non assidebat regi, sed ex triclinio fœminarum surrexit, et ingressa est ad triclinium regis et virorum, in quo apparuerat manus scribens in pariete. Prima sententia videtur verior. Loquitur enim de gestis Danielis sub Nabuchodonosore, quasi senior et sapientior Balsasare, et quasi eorum testis et conscia. Nam, ut ait S. Hieron. *Novit præterita quæ rex ignorat. Erubescat ergo Porphyrius, qui eam Balsasaris somniat uxorem, et illudit eam plus scire quam maritum.* Porro matres regum, quæ ante eos fuerunt reginæ, etiam filiis regnantibus vocari solent reginæ.

Vers. 11. EST VIR IN REGNO TUO.) Scilicet Daniel. Dices, Daniel hic quasi incognitus inducitur. Hoc autem non videtur verum; nam erat notissimus ipse ex oraculis et somniis declaratis c. 2. 3. 4. imo a Nabuchodonosore præfectus fuerat toti Babyloniæ. Resp. Iam ab eo tempore elapsi erant 34. anni, quibus oraculorum illorum irrepsit oblivio: præsertim, quia mortuo Nabuchodonosore, Balsasar succedens alios sibi familiares provexit, præfecitque Babyloniæ. Unde Daniel tunc videtur hac præfectura fuisse defunctus. Id colligimus ex v. 16. ubi rex promittit Danieli, quod faciet eum tertium in regno principem, si scripturam legere possit: ergo tum non erat princeps. Fuit tamen Daniel ob sapientiam, et ob statum quem sub Nabuchodonosore habuerat, apud Balsasarem in honore, fuitque eius conviva, et honoratus super omnes amicos eius, ut dicetur c. 14. v. 1. huic tamen ultimo et fatali regis convivio non interfuit: quia se subduxit prævidens hanc manum, et infelicem eius exitum. Itaque disposuit res suas, deditque se orationi, ut cladem quam avertere non poterat, saltem mitigaret: atque ad excidium Babylonis, novorumque regum, scilicet Darii et Cyri, adventum se comparavit. Notus itaque erat Daniel Balsasari, non ut Propheta, sed ut vir prudentissimus, qui sub Nabuchodonosore patre suo rexisset totum imperium. Hic ergo regina eum ut Prophetam regi innotescere facit.

Vers. 12. LIGATORUM.) Secretorum et explicatu difficilium: quæ enim ligata sunt cognosci et perviderí nequeunt, nisi dissolvantur et explicentur. Hinc S. Chrysost. in Ps. 95. Danielem vocat *spiritualem scripturarum librum*, eo quod ad literas et res occultas explicandas non indigeret studio et lectione librorum; sed ipse in se ea contineret, et legeret quasi in libro.

Vers. 17. Sancti munera contempserunt. MUNERA TUA SINT TIBI.) Ita Sancti munera, et omnia terrena contempserunt, ut ostenderent se non nisi Deum et divina spectare. Ita Elisæus noluit accipere munera Naaman, quem a lepra curarat 4. Reg. 5. 16.

Exempla. Ita captiva mulier Christiana inter Iberes, cum Christi virtute Iberum reginam ex morbo curasset, a rege donis remunerari iussa, se divitiis minime indigere respondit, pietatem se habere pro divitiis asserens, regemque munus amplissimum recepturum, si Deum quem illa colebat, vellet agnoscere. Hæc locuta dona remittit: ita Socrat. lib. 1. histor. cap. 16.

Ita fecit S. Hilarion. Orionus enim vir primarius, et ditissimus urbis Aliæ, possessus a legione dæmonum, post aliquot menses a S. Hilarione, non sine miraculo curatus est: non post multum temporis cum uxore et liberis venit ad monasterium, plurimam quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui Sanctus, *Non legisti*, inquit, *quid Giezi, quid Simon passi sint? quorum alter accepit pretium, alter obtulit, ut ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur?* Cumque Orionus flens diceret, Accipe et da pauperibus; respondit: *Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes: ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? multis nomen pauperum occasio avaritiæ est: misericordia vero artem non habet. Nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reservat.* Tristi autem et in terra iacenti: *Noli*, inquit, *contristari fili: quod facio, pro me, et pro te facio. Si enim hæc accepero, et ego offendam Deum, et ad te legio revertetur.* Alius dæmoniacus ab Hilarione curatus, simplicitate rustica decem auri libras offerens, ab eo panem hordeaceum accepit, dicente: *Qui tali cibo aluntur, aurum pro luto ducunt:* ita D. Hieron. in vita S. Hilarionis.

Quum in Sicilia de primoribus quidam, tumens morbo intercutis, eodem die quo ad Hilarionem venerat, sanatus esset, postea ei offerens infinita munera, audivit ab Hilarione dictum Salvatoris ad discipulos: *Gratis accepistis, gratis date.* D. Hieron. ibidem.

Quum Eusebius eunuchus auri summam vim Liberio Pontifici Romano, a Constantio Cæsare exulare iusso, eiusdem Cæsaris mandato, causa commeatus attulisset, recusavit Liberius, addens: *Tu ecclesias orbis terræ expilasti, et iam mihi ut damnato et egenti affers eleemosynam? Abi primum, et Christianus ipse fias:* ita Theodor. Eccles. hist. lib. 2. cap. 16.

Cum Christi virtute domum quamdam a peste liberasset S. Martinus, centum argenti libras pro honorario munere obtulerunt: quas cum recipere detrectaret, discipuli eius id ægre ferentes, suæ dicebant inopiæ ea pecunia succurri potuisse, nec temere tantum munus egenis fuisse abiiciendum. Ad quæ respondit ille: *Ecclesia Christi nos vestit, et pascit. Gratis accepistis, gratis date:* ita Sever. Sulpitius dialog. 3.

Rursum Daniel hic exemplum dedit consiliariis principum, ut munera contemnant. Felices principes qui tales vel habent, vel asciscunt consiliarios. Plato nullum præstantius prædiorum genus principibus esse dicebat, quam familiaritas eorum qui cauponari nescirent.

COR EIUS CUM BESTIIS POSITUM EST.) Habuit cor, id Vers. 21.
est phantasiam, et appetitum non tam humanum, quam bestialem, ideoque fugiebat homines, et appetebat versari cum bestiis, unde de facto ad eas exivit, cum iisque versatus est.

QUI HABET FLATUM (halitum, spiritum vitalem, ipsam- Vers. 23.
que vitam) TUUM IN MANU SUA.) Quis ergo non timeat Deum, in cuius manu est halitus, vita, anima, æternitas, salvatio, et damnatio nostra?

IDCIRCO AB EO MISSUS EST ARTICULUS MANUS.) Hoc Vers. 24.
est, manus cum digitis et articulis se moventibus et scribentibus, ut dicitur v. 5.

Nota. Chald. est פסא די ידא *pasa di ieda*, id est particula, vel, ut Pagnin. vertit, palma manus, scilicet truncata a brachio: ita Vatabl. Alii per articulum manus accipiunt digitum, quasi in pariete non tota manus, sed solus digitus apparuerit scribens. Unde Syrus vertit, *in eadem hora egressi sunt digiti manus hominis, et scribunt contra lucernam.* Et Arabicus Alexandrinus, *in illa hora egressi sunt digiti manuum e pariete, contra lucernam super calice, rege vidente ad palmam hominis scribentem.* Ubi tamen ultimis verbis indicat fuisse integram palmam et manum, idque uti concinnius, ita et verius videtur: idque diserte asserit Arabicus Antiochenus, *in illa hora*, inquit, *exiit palma manus, et digiti hominis e pariete, scribens ex adverso lucernæ.* Idipsum clare dicitur v. 5. *Et rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Nota, quod Syrus et Arabicus dicunt, hos digitos et manum e-

gressos e pariete aulæ et cœnaculi, in quo rex in sacris vasis potabat: inde enim egreditur pœna, ubi committitur culpa. Unde et Arabicus Alex. addit, *super calice*, etc. *scribentem*.

Manus symbolum iustitiæ et vindictæ Dei. Nota. Hæc manus significat iustitiam Dei, quæ vigil cuique peccatori intendit et incumbit, atque Balsasarem vita, viribus et regno truncavit: hæc enim omnium operum hominis est conscia, iudex et vindex, nihilque inultum relinquit, et tarditatem supplicii gravitate compensat. Symbolice, manus est synderesis, per quam Deus in cuiusque conscientia propria peccata et pœnas ita describit, ut velit nolit ea videat. Quam verum fuit in Balsasare et Nabuchodonosore illud: *Fortuna vitrea est, dum splendet frangitur!*

Vers. 25. Quæ digesta est.) Chald. *quæ exarata est*, ac consequenter *ordinata*, ut vertunt Septuag.

Mane, Thecel, Phares.) Syrus vertit, *Mno, tekal, et pharsin. Hæc est interpretatio verbi* (sermonis) *Mno: numeravit Deus ipsum regnum tuum, et tradidit illud. Tekal, appendit: appensus es in statera, et inventus es deficiens. Phras, divisit: divisum est* (scissum est) *regnum tuum, et datum est Mediæ et Persidi.* Posset quoque verti, *phras*, id est expandit, et prædæ hostium exposuit. Vaticanus codex legit, *Mno mne*, id est numeravit numeratum, quod Hebræi dicunt, numerando numeravit, id est plene planeque numeravit regnum tuum, ita ut ipsum omnino sit numeratum, nihilque ex eo numerandum supersit. Sic etiam hæc vox *Mno*, in Arabico textu semper duplicatur et repetitur. Unde Arabicus Antiochenus sic habet, *Computu numeratum est, et pondere appensum est, et divisum est. Et hæc modo est interpretatio: Numerando computatus est numerus; quia Deus comprehendit regnum tuum, et tradidit illud. Et pondere appensus es in statera, et inventus es deficiens. Divisum est: Divisum est regnum tuum, et datum est Mediæ et Persidi.* Arabicus Alexandr. sic habet, *Numeravit, numeravit Deus regnum tuum, Appensum, Numeratum. Et hæc est modo interpretatio. Numeratum equidem iam Deus tulit regnum tuum, et tradidit illud aliis præter te. Appensum vero: quia appensus es in statera, et inventus es minus habere de bono. Divisum est regnum tuum, et datum est Mediæ et Persidi.* Porro ipsa originalis scriptura Chaldaica, sive ipsissima scripturæ verba sic habent: מנא מנא תקל ופרסין *mene mene, tekel, upharsin: numeravit, numeravit* (id est exactissime et certissime numeravit) *appendit et dividentes*, scilicet sunt, id est dividunt regnum tuum Persæ et Medi. Pro *upharsin* v. 28. habetur פרס *peres*, id est divisit, hoc est, iam iam certo dividet Deus regnum tuum, hocque aptius respondet duobus aliis præteritis. Notat Fernand. vis. 23. τὸ *numeravit*, innuere breves fore dies regis: ea enim quorum est copia non solemus numerare, sed ea quorum est paucitas et inopia. Hinc illud, *Pauperis est numerare pecus.*

Secundo, verti potest per imperativum, *numera numera; appende, et dividentes* scilicet sint: hæc enim manus dictat sententiam Dei. Unde imperat dicens: *Numera, appende, divide.* Verum quia sententia Dei est efficax, et mox sua iussa exequitur; hinc numera idem est quod numeravit; appende, id est appendit; divide, id est divisit.

Nota, *upharsin* verti potest primo, *et dividentes;* secundo, *et Persæ: pharsin* enim sunt Persæ, q. d. Persæ instant tibi o Balsasar, qui cum Medis divident regnum tuum. Ita Arias Mont. Sic filius Iudæ, frater gemellus Zaræ, ab obstetrice vocatus est Phares. Dixit enim eo nascente ante Zaram: *Quare divisa est propter te maceria?* Genes. 38. 29.

Vers. 26. Numeravit Deus regnum tuum, annos scilicet regni tui et imperii Chaldæorum, eosque numerando complevit.) Id est Primo, deprehendit esse completos: hic enim est septuagesimus et ultimus annus imperio Chaldæorum præstitutus a Deo, per Ieremiam cap. 29. 10. Secundo, *complevit*, id est suo decreto statuit, ut iam compleantur et finiantur.

Audi similia portenta. Iudex quidam Antiochenus pri- A die quam periret Iulianus Apostata, iuxta prætorium excubans, vidit congeriem stellarum quæ literas in hanc sententiam exprimebant, *Hodie Iulianus in Perside occiditur.* Ita Zonaras.

Super limen Adrianopolitani palatii inter alia signa hieroglyphica, inventus est versiculus, qui significaret quemdam ex Palæologorum familia brevi moriturum. Michael Andronici Imp. filius, paulo post ibidem mortuus est. Ita Gregoras lib. 7.

Rursum, quod huc proprie pertinet, Dario Hystaspis Babylonem obsidenti, cum eam expugnare non posset, Zopyri mula peperit. Unde Zopyrus omen capiendæ urbis accepit: audierat enim a quodam Babylonio urbem expugnandam, cum mula pareret. Mutilavit ergo se fœde, itaque transfugit ad Babylonios, mentiens se a Dario ita mutilatum: quare dux exercitus et murorum custos ab eis creatus, urbem Dario tradidit. Ita Herodot. lib. 3.

Xerxe cum tot copiis Græciam invadente, *equa leporem enixa est, quod facile erat ad coniectandum: fore enim* B *ut Xerxes exercitum adversus Græciam cum maximo strepitu, et ambitiosissime duceret, rursusque pro se ipso sollicitus ad eumdem locum fuga recurreret. Alterum ei quoque prodigium Sardibus exhibitum est: mula enim mulum edidit*, inquit Herodot. lib. 7.

Ita Nero in Œdipode fabula, quam novissimam recitavit, in hoc versu decidit:

Θανεῖν με ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ,
Iussit mori me mater, uxor, et pater.

Nam et Œdipus patrem occiderat insciens, matrem uxorem duxerat; ita Nero sciens Claudium patrem occiderat, matrem constupratam interfecerat, et Octaviam uxorem indignis modis tractaverat. Ita Sveton. in Nerone.

Simile est, sed felicius, quod narrat Plutarch. in Reg. apophth. de Dionysio tyranno, quod cum magistratus per literas sorte crearentur, et ipsi contigisset litera μ dicenti cuidam per iocum μωρολογήσεις, id est *stulta efferes Dionysi;* imo, inquit, μοναρχήσω, monarcha ero, et adeptus C magistratum protinus electus est Imperator a Syracusanis. Magni animi erat, quod illo ioco non offenderetur, contentus omen literæ secus interpretari, hocque viam ei ad imperium stravit.

Simili modo, sed significatione et sorte meliore, S. Henrico Bavariæ Duci, marito S. Cunegundis, apparuit S. Wolfgangus, ac in pariete ei scriptum ostendit, *Post sex.* Visio S. Henrici post sex. Henricus putans post sex dies, deinde post sex hebdomades, deinde post sex menses, demum post sex annos se moriturum, parabat se ad mortem. Verum eventus declaravit felicius aliquid ei portendi, scilicet imperium: nam post sex annos creatus est Imperator: ita habet vita S. Henrici cap. 2. quam edidit noster Gretser. in sanctis Bambergensibus.

Tekel.) Hebræi dicunt *sciakal*, id est appendit, ponderavit: unde dictus est siclus: veteres enim monetam appendebant ad pondus, uti siclus habebat pondus quatuor drachmarum. Chaldæi enim in multis nominibus Hebraicis pro *sein* substituunt *tau*, scilicet pro s. ponunt t. ut pro *seekel* dicunt *tekel*, pro *seelas telas*. Vers. 27. D

Appensus es in statera, et inventus es minus habens.) *Minus* scilicet dierum, quam ætas, naturaque tua postulabat: ante diem enim naturalis mortis, in robore ætatis violenta morte abripieris, inquit S. Hieron. et Maldon. Verum hæc ætas iuvenilis non solet a Deo appendi in statera.

Dico ergo, alludit ad monetam levioris ponderis, quæ reiici solet, q. d. Appensa sunt in statera, et, ut Chald. est, in bilance divinæ iustitiæ et examinis, opera tua, bona et mala, o Balsasar, atque inventus es habere minus probitatis et bonorum operum; plurimum vero habere superbiæ, crapulæ et iniquitatis; ergo non mereris amplius regnare, aut vivere. Unde Arabicus Alexand. vertit, *inventus es minus habere de bono.*

Notat Theodor. nihil esse apud Deum, quod non ponderetur, adeoque Dei misericordiam et lenitatem, certo pondere et mensura hominibus adhiberi: unde dicitur Sa-

pient. 11. 21. *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* Proprie vero Deus in statera iudicii sui, bene et male facta appendit. Unde Iob cap. 62. *Utinam*, ait, *appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera.* Vide et Matth. 23. 32. Sic Virgil. lib. 12. Æneid. Iovem de Æneæ et Turni fatis ac sortibus ita iuste iudicantem inducit:

Iuppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, et fata imponit diversa duorum,
Quem damnet labor, et quo vergat pondere lethum.

In statera Dei sola virtus habet pondus.

Iam in statera hac Dei sola virtus habet pondus. Neque enim Deus ponderat, vel æstimat aurum, argentum, principatus, prælaturas, etc. quæ apud homines sunt in pretio, ab iisque ponderantur; sed solum ponderat iustitiam, id est virtutes et bona opera: hæ enim æternum gloriæ pondus operantur. Unde Proverb. 11. dicitur: *Spiritum ponderator est Dominus.* In hac appendi optabat S. Iob dicens c. 31. 6. *Appendat me in statera iusta*, hebr. iustitiæ, *et sciat simplicitatem meam.* Quocirca Balsasar carens iustitia et virtutibus, in statera Dei cum omni sua pompa et gloria appensus, inventus est minus habens, id est levis et vanus. Hinc regno et vita exclusus audiit: *Divisum est regnum tuum*, quia ipse per impietatem a Deo se diviserat. Unde psalm. 61. 10. dicitur: *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum;* vel, ut alii vertunt, *mendaces filii hominum si ponantur in stateris, ipsi pariter leviores sunt vanitate*, q. d. Illa est mortalium et mundanorum vanitas et fallacia, ut si in altera lance constituantur ipsi, in altera vero ipsissima vanitas et inanitas, ea sine dubio præponderabit.

Æquitatis hieroglyphicum.

Rursum statera hæc symbolum est exactæ æquitatis et iustitiæ: hinc apud veteres Romanos æquitatis imago erat virgo quædam, tenens sinistra hastam, dextera iustam stateram, ut videre est in nummis Galbæ, Vitellii et Vespasiani. Hi enim Imperatores, ut significarent se esse æquitatis studiosos, eam in nummis suis sculpi curarunt. Sic ante Romanos Græci veteres pingebant iustitiam quasi virginem quæ sinistra bilaneem, dextra gladium tenebat, quasi violatæ iustitiæ vindicem. Unde Orpheus in hymnis apud Stobænm sic eam alloquitur: *O iustissima dea mortalibus, beata, optabilis, quæ semper iustis hominibus propter bonitatem gaudes, veneranda, felicissima, gloriosa iustitia, quæ pura semper mente digna cuique distribuis, integra conscientia fruens: semper autem comminuis omnes, quotquot stateram tuam non subeunt, sed ultra ipsam lancibus duris inexplebiliter declinant.* Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 16. 11. *Pondus et statera iudicia Domini sunt.* Et Isaias c. 28. 17. *Ponam in pondere iudicium, et iustitiam in mensura.* Et cap. 27. 8. *In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabis eam.*

Deus ergo iustissimam et fidelissimam habet stateram, in qua Balsasaris vitam et merita ponderavit, atque omnium nostrum ponderabit. Hinc Abbas Georgius apud Sophronium in Prato spirituali: *Væ*, ait, *nobis fratres, quia nullam habemus compunctionem, sed in negligentia vivimus, cum ira Dei comprehendat nos, et in trutinis simus ut iudicemur: ac sequenti die apparuit ignis in cælo*, index et minax huius trutinæ.

Petri Telonarii actus appensi in statera.

Sic Petrus Telonarius æger in somnis vidit omnes actus suos in statera appendi a Mauris et Candidatis; cumque Mauri in unam lancem omnia eius peccata, quæ a inventute commiserat, et quorum erat ille oblitus, imponerent; Candidati nihil invenientes aliud, unum panem, quem ipse indignans pauperi dederat, in alteram lancem imposuerunt; itaque æqualitas facta est; tuncque dixerunt ei: *Vade et auge ad panem hunc; nam vere Æthiopes isti apprehendent te.* Unde evigilans mutavit vitam, et ex avaro factus est summus eleemosynarius, ut etiam proprio corpori non parceret. Ita habetur in vita S. Ioannis Eleemosynarii scripta a Leontio.

S. Henrici merita appensa in statera.

Sic merita S. Henrici Imp. qui fuit maritus S. Cunegundis, cum eaque cœlebs vixit, post mortem appensa sunt in statera inter angelos et dæmones; cumque lances alternatim attollerentur et deprimerentur eius meritis et demeritis, supervenit S. Laurentius, qui litem diremit. Nam domo ab Henrico accepta, et suæ ecclesiæ collata, in lancem alteram meritorum eius imposuit: quo factum est ut illa gravior effecta, alteram in altum efferret, eique præponderaret, atque hoc modo angeli victores evaserunt, animamque Henrici dæmonibus ereptam in suum consortium abduxerunt. Res hæc fuse narratur in vita S. Henrici cap. 28.

Et Caroli Magni.

Sed audi Caroli Magni merita in statera appensa. Rem narrat Ioannes Turpin. Archiepisc. Rhemens. in vita Caroli c. 32. *Cum*, inquit, *apud Viennam in ecclesia ante altare, die quadam raptus in extasi, precibus insisterem, tetrorum agmina innumerabilia militum ante me prætcrire, ac versus Lotharingiam tendere agnovi. Qui cum omnes pertransirent, intuitus sum quemdam illorum Æthiopi consimilem, retro lento gradu alios insequentem. Cui dixi: Quo tenditis? Aquisgranum, inquit, ad Caroli mortem tendimus, ut eius spiritum ad tartara rapiamus. Cui dixi, Adiuro te per nomen Domini Dei nostri Iesu Christi, ut peracto itinere tuæ dispositionis, ad me reverti non renuas. Tunc modicum commorati, vix expleto psalmo, eodem ordine ad me redierunt, et dixi novissimo, cui prius locutus fueram: Quid egistis? et dæmon, Gallicianus, inquit, sine capite, tot ac tantos lapides ac ligna basilicarum suarum in statera suspendit, quod magis appenderunt bona, quam eius mala, et idcirco eius animam a nobis abstulit. Et his dictis dæmon evanuit. Itaque intellexi eadem die Carolum ex hac luce migrasse, et subsidiis B. Iacobi, cuius ecclesias multas ædificaverat, ad superna merito regna subvectum.* Subdit deinde visionis confirmationem. *Transactis post eius mortem diebus quindecim, per nuntium didici, ab ipso tempore, quo ab Hispania recesserat, usque ad diem mortis suæ illum assidue ægrotasse, atque eadem die et hora, qua visionem ego videram, scilicet quinto Kalendas Februarii, anno Domini* 814. *ab hac vita migrasse, et apud Aquisgranum in B. Mariæ basilica rotunda, quam ipse ædificaverat, honorifice sepultum fuisse.* Ita Auctor hic, penes quem sit fides. Nam inscribit se Turpinum Rhemensem Archiepiscopum, utpote quem constat ante Carolum Magnum esse defunctum. Quocirca Papyrius Massonus censet, libellum hunc ab homine otioso esse conscriptum in gratiam iuventutis, paulo post Carolum Calvum: eius tamen versio servatur in Bibliotheca Regia in Gallia. Hinc et Cardin. Baronius anno Christi 814. agens de morte Caroli Magni, Ant. Possevinus in Biblioth. in nomine Turpinus, et alii eum vocant fabulosum, imo mendacii insimulant.

Vers. 28.

Divisum est regnum tuum.) Iam iam, puta hac nocte, regnum tuum a te separatum et ablatum, dividetur inter Medos et Persas. Audite hæc ebrii, audite temulenti, qui assidetis mensis, gaudetis, ridetis, canitis, potatis: omnia vobis læta sunt, omnia iucunda: et non videtis extensam Dei manum super vos. *Mane*, numeravit Deus vitam tuam, et brevi complebit illam, forsan in hac hora, forsan in hac ebrietate tua. Deus ab æterno decrevit tibi diem et horam mortis; dixit, Ista hora, isto momento morieris: forte hæc ipsa est hora tua fatalis. *Tekel*, appensus es in statera, et inventus es habere minus sobrietatis, minus rationis, minus virtutis; multum vero crapulæ, multum amentiæ, multum vitiorum. *Phares*, divisum est regnum tuum, divisus es ipse tu; corpus tuum dabitur vermibus devorandum, anima dæmonibus: bona tua rapient vel hæredes perversi, vel executores cupidi, vel Superiores iniqui. Vide quibus corpus tuum saginasti; vide quibus tanto labore opes per fas et nefas coacervasti.

Tropol. mane est mors, tekel iudicium, phares infernus.

Tropologice; hæc tria, inquit Pererius, sunt peccatoribus horrenda; primo *mane*, scilicet numerus vitæ, id est mors; secundo, *tekel*, id est iudicium; tertio, *phares*, id est infernus, quo a Deo, cælo, Sanctis et vita æterna, in æternum dividimur et separamur.

Hæc tria imminent cervici cuiusque: interim cæci homines comessantur, luxuriantur, saltant, tripudiant; et hunc gladium capiti suo incumbentem non timent, quia

non vident. Narrat Gregor. Turon. lib. 5. histor. Franc. in fine, S. Salvium sibi dixisse: *Videsne super hoc tectum quæ ego suspicio? cui ego: Video super tegulum quod nuper rex poni præcepit. At ille alta trahens suspiria, ait: Video ego evaginatum iræ divinæ gladium super domum hanc dependentem. Nec eum visio fefellit: nam post dies viginti duo filii regis, quos superius mortuos scripsimus, obierunt.*

Gladius Damocli incumbens. Refert Cicero 5. Tuscul. quod Dionysius tyrannus, Damocli assentatori, illius beatam fortunam sæpe commemoranti, declaraverit, quantus terror semper regibus et tyrannis, etiamsi felicissimi esse videantur, impendeat, hac ratione: collocari iussit hominem in aureo lecto et pulcherrimis stragulis, abacosque complures ornavit argento, auroque cælato: tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosque illi ad nutum ministrare: aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores, mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari, seta equina appensum dimitti iussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Tum ille expavescere, et totus in gladium intendere: iam nec pulchros ministros aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam; iam ipsæ coronæ defluebant. Demum exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus esse nollet. Hoc sibi applicent omnes voluptarii, cumque in mediis sunt epulis et luxuriis romphæam divinæ institiæ ac gehennæ sibi impendentem intueantur: itaque discant voluptates noxias aspernari, et frænare.

Denique ex eo quod Daniel *mane, tekel, phares*, sic est interpretatus, ut singula verba per singulas exponeret sententias, videntur Rabbini prisci Cabalisticum interpretandi et scribendi modum adinvenisse, quo non tantum integras S. Script. sententias explanant, sed etiam syllabas, et singulas quasque literas separatim expendunt, quasi in singulis lateat aliquid mysterii; ita ut cabala sensim in superstitionem et odium abierit. Rursum modum scribendi per ראשי תיבות *rasce tebot*, id est per initia dictionum, ut v. g. בבא *bbe*, idem sit, quod *berescit bara elohim*, id est, *in principio creavit Deus.* Hinc ab Hebræis idem accepisse Romanos, scilicet modum scribendi per notas (quibus notarii in tribunalibus scribebant singula dicta iudicum et Martyrum) censet noster Raderus in l. 14. Martial. epigr. 202. et alii: non ergo Cicero, nec Mæcenas, ut aliqui volunt, sed longe ante eos Hebræi huius scriptionis fuere inventores.

Vers. 29. INDUTUS EST DANIEL PURPURA.) Purpura et torques aurea erant olim insignia regum, ut patet ex libris Machab. Honorat adeo Danielem rex, licet mali diei nuntium, vel quia putabat hanc cladem remotam, et diu differendam esse; vel ut per Danielem Deum placaret, cladémque averteret. Ita S. Hieron.

QUOD HABERET POTESTATEM TERTIUS IN REGNO.) Scilicet primus in regno erat rex, secundus regina, tertius Daniel, inquit Maldon. Aliter S. Hieron. q. d. Fecit, ut Daniel esset tristata, sive triumvir, puta ut esset unus e tribus regni principibus: sic enim paulo post Darius Medus tres toti regno præfecit, ut patet cap 6. 2.

Vers. 30. EADEM NOCTE.) Non anni eiusdem, sed sequentis, inquit ex Guevara Alcazar in Apocal. 16. vers. 12. not. 2. Quippe eadem nocte quotannis convivari consueverant Chaldæi, pervigilium agentes cuipiam deorum; quale Livius l. 23. Campanos celebrasse commemorat, cum Gracchus eos invasit simul omnibus portis. Verum contextus ipse innuit, mox eadem nocte eiusdem anni captam esse Babylonem: τὸ enim *eadem nocte* referendum est ad *Mane, Tekel, Phares*, q. d. Eadem nocte eiusdem convivii, qua rex vidit manum vindicem, contra se scribentem sententiam mortis, interfectus est. Nec enim solet sententia, præsertim adeo efficax et miraculosa, ad annum differri: nec verisimile est Cyrum, cum tantis copiis per totum annum, et amplius, obsedisse Babylonem. Nec obstat, quod *prædicatum* sit *de eo*, (Daniele) *quod potestatem haberet tertius in regno suo* (Balsasaris.) Id enim inter magnates, qui mille in convivio aderant, ibidem eadem nocte iussu regis prædicatum et proclamatum est. Solent enim exemplares castigationes Dei, præsertim circa sacrilegos (qualis hæc erat) esse subitæ et repentinæ.

INTERFECTUS EST BALSASAR.) Capta a Cyro Babylone. Falsum ergo est quod ex Beroso scribit Ioseph. l. 1. contra Apion. Cyrum capta Babylone, regem Balsasarem (quem ipse Nabonnedum vocat) benigne accepisse, eique ad habitandum Carmaniam assignasse.

Tradit Xenophon. lib. 7. et Herodot. lib. 1. et ex eis Rupert. hic cap. 18. S. Thom. opusc. de Regim. princip. l. 3. c. 7. Perer. hic, Guevara in Habacuc c. 2. 7. Alcazar Apocal. 16. 12. et passim interpretes, Cyrum obsidentem Babylonem circa eam multas fossas fecisse, et eo die quo sciebat Babylonios festum acturos, et se inebriaturos, subito de nocte, compotantibus et bacchantibus Chaldæis, in eas fossas derivasse Euphratem, qui Babylonem interluit, itaque per siccum iam Euphratis alveum Persas in urbem penetrasse. Non præcaverunt id Babylonii, putantes hoc factu esse impossibile. Nam, ut ait Xenophon: *Euphratis latitudo est plusquam ad duo stadia, et profunditas tanta, ut nec duo viri alter super alterum stantes, super aquam emineant.* Ex alia parte Babylone innumerabilis erat propugnatorum multitudo; muri autem ipsi quinquaginta cubitos in latitudinem, ducentos in altitudinem patebant. Videns ergo Cyrus urbem terra esse inexpugnabilem, per flumen eam aggressus est die festo et convivali. Quocirca potantes Chaldæos prævidens et irridens Isaias cap. 21. 5. ait: *Pone mensam, contemplare in specula comedentes et bibentes, surgite principes, arripite clypeum*, hostis adest, Cyrus urbem ingreditur. Addit Xenophon, duos fuisse transfugas Babylonios apud Cyrum, Gadatam, et Gobriam, quorum ductu Cyri milites in regiam noctu ducti sint, interfectis quicumque occurrebant; iis tantum servatis, qui syriace loquerentur (Iudæis) trucidatisque primum regis custodibus, ipsum deinde regem interemisse. Ita cecidit Babylon illa inclita: fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens gloria Teucrorum.

Cyrus cepit Babylonem divertendo Euphratem.

Capta est Babylon anno primo monarchiæ Cyri, qui fuit annus mundi 3417. illo ergo anno Balsasar fecit hoc convivium, vidit manum scribentem, occisus est, etc. Porro Cyrus ob hanc Danielis de se prophetiam præsentem, et aliam præcedentem ab Isaia cap. 45. 1. ante 200. annos de se editam, inquit Iosephus, Iudæos e Babylonica captivitate liberavit, 1. Esdræ 1. 1.

Cyrus favit Danieli et Iudæis ob eius de se vaticinia.

Nota. In hac urbis clade servatus est Daniel, tum Dei providentia; tum quia eius virtus et sapientia iam ubique erat celebris, ut patet Ezechiel. 28. 3. (Sic enim Marcus Marcellus in Syracusarum expugnatione, Archimedem nobilissimum mathematicum servari præcepit) tum quia illico percrebuit eius vaticinium de nece Balsasaris: nec dubium quin id statim Darius et Cyrus intellexerint: iusserunt ergo eum quasi vatem suum servari, sicut Nabuzardan iussit servari Ieremiam cap. 40. eo quod Iudæorum excidium per Chaldæos prædixisset.

Denique Aristoteles in Politicis lib. 3. cap. 2. sic ait: *Capta cum esset ab hostibus Babylon, ferunt partem aliquam eius civitatis tertia die nondum aliquid sensisse.* Idem accidit Cayro, sive Memphi, sæculo præcedenti, cum a Selymo Turcarum rege expugnata est. Quin et Selymus eam, licet captam, ingredi non est ausus.

Vide hic quantum peccatum sit sacrilegium, quamque Deus puniat profanatores rerum sacrarum, et cultui suo dicatarum: ob hoc enim Balsasarem hic punivit vitæ, urbis, et monarchiæ excidio.

Quocirca pie et sancte S. Stephanus Papa, qui vixit tempore S. Cypriani, et sub Valeriano gloriosum obiit martyrium anno Domini 260. sanxit, ut vasa et vestimenta sacrata non nisi a sacratis hominibus ferantur, idque confirmat hoc Balsasaris exemplo. Sic enim decernit de consecr. dist. 1. cap. *Vestimenta. Vestimenta Ecclesiæ, in quibus Domino ministratur, et sacrata debent esse, et ho-*

nesta : quibus aliis usibus non debent frui, quam Ecclesiasticis et Deo dignis officiis: quæ nec ab aliis debent contingi aut offerri nisi a sacratis hominibus; ne ultio quæ Balsasar regem percussit, super hoc transgredientes veniat, et corruere faciat eos ad ima.

Alleg. Rupert. in Daniel. cap. 9. docet, quod per Babylonis excidium significetur destructio totius civitatis diaboli, futura in die iudicii, de qua dicitur Apocal. 18. *Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum*, etc. *quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illa fornicati sunt.*

Vers. 31. ET DARIUS MEDUS SUCCESSIT IN REGNUM.) *Darius*, scilicet cum Cyro nepote suo: ita omnes Græci historici; Daniel tamen hic et Isaias c. 13. et 17. et Ierem. cap. 51. 11. id tribuunt uni Dario, et Medis; quia Darius erat dignior, eratque avunculus Cyri, tuncque Medi erant potentes; Cyrus autem sub eo Persis præerat, sed ætate, animo et viribus pollens: ita S. Hieron. Perperam Massoretæ, historiarum Gentilium imperiti, pro *Darius* punctarunt *Dariaves*, et pro *Cyrus Cores*. Darius persice idem est, quod ερξειης, id est coercitor, ait Herodotus lib. 6.

Quis Darius Medus? Quæres, quis fuerit hic Darius Medus? Respondet Primo, Theodor. fuisse Nabuchodonosoris ex filia nepotem.
1. Sententia. Secundo, Ioannes Annius, et Ioannes Lucidus post suum Megasthenem, putant fuisse Darium Hystaspis. Tertio, alii dicunt fuisse Cyrum. Quarto, Scaliger lib. 6. Emen.
2. temp. putat fuisse Nabonitum, qui, inquit, ex communi
3. principum consensu suffectus fuit Labosardacho, nepoti
4. Nabuchodonosoris ex filia Nitocride. Hunc enim Labosardach censet fuisse Balsasar, quo interfecto, a populo electum creatumque esse regem Nabonitum, huncque esse Darium Medum, qui 17. annos regnarit, donec Cyrus eum regno Babyloniæ exutum, in Carmaniam relegavit. Verum Darium Medum una cum Cyro expugnasse Babylonem, et occidisse Balsasarem, ac consequenter Medos et Persas non per successionem, nec per electionem, sed per vim simul occupasse imperium Babylonis, docet Daniel hic v. 28. *Divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.* Et v. 30. *Eadem nocte interfectus est Balsasar*, utique a Medis et Persis paulo ante nominatis. Unde mox subdit: *Et Darius Medus successit in regnum.* Idem docet Isaias c. 13. et c. 21. 2. *Ascende*, ait, *Ælam; obside* (Babylonem) *Mede.* Et v. 7. *Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli*, puta Cyrum regem Persarum, et Darium regem Medorum. Et v. 9. *Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum* (puta Cyrus Medo-perses) *et respondit et dixit: Cecidit, cecidit Babylon.* Idem docet Ierem. cap. 51. et communiter interpretes.
5 Quinto, Eusebius putat fuisse Astyagem, avum Cyri: huic
6. sententiæ favet cap. 13. ultim. Verum dico hunc Darium
Et vera fuisse filium Astyagis. Nam Astyagem præter filiam Mandanem, quæ fuit mater Cyri, etiam filium habuisse, licet Herodotus et alii negent (forte quia eum non habuit ex regina, sed ex secundaria uxore; aut quia, ut vult Torniellus, adoptivus eius, non naturalis fuit filius) docet tamen idipsum Xenophon in Cyripædia, qui hunc filium vocat Cyaxarem, aitque eum ultimum fuisse regem Medorum. Hic sane videtur esse Darius Medus, dictus a Xenophonte Cyaxares, a Septuag. Artaxerxes. Ita Torniellus in Chronol. Perer. Maldon. et alii passim, sequentes S. Hieron. et Iosephum lib. 11. Antiqu. cap. 12. Consequenter verius est, quod ait Xenophon, Astyagem naturaliter obiisse, Cyro adhuc existente puero, quam quod Herodotus asserit, eum a Cyro victum, et regno expulsum esse. Ex hoc enim loco patet, Cyrum cum avunculo Dario, ac consequenter cum familia Astyagis valde fuisse coniunctum. Porro Darius, vel, ut Ctesias, Δαριαιος, quod proprius accedit ad nomenclaturam Persicam, idem est quod ερξειης, id est coercitor, qui alios premit et coercet; sicut Xerxes, idem est quod bellator; Artaxerxes, magnus bellator, ait Herodot. lib. 6. et ex eo Scaliger lib. 6.

(Right margin: fuisse filium Astyagis, et Cyri avunculum.)

ANNOS NATUS SEXAGINTA DUOS.) Tradunt Hebræi in Seder olam, id est in chronologia mundi, et ex eis Genebrardus in Chronol. hunc Darium natum esse eodem anno quo Nabuchodonosor vastavit Ierusalem et templum, ut huius sceleris esset ultor et vindex, ac Babylonem cum monarcha everteret. Quod intellige de anno quo Nabuchodonosor cœpit obsidere Ierusalem, qui fuit annus regni eius 16. biennium enim illam obsedit, ac tandem eam expugnavit anno regni sui decimo octavo, ut patet Ierem. 52. v. 4. et 29. Id ita esse patet. Nam annus 62. Darii fuit pariter primus Cyri, quo soluta est captivitas Babylonica, ac proinde idem eiusdem captivitatis fuit septuagesimus et ultimus. Porro hi 70. anni inchoantur ab anno octavo Nabuchodonosoris, quo ipse occidit Ioakim, eique substituit Ioachin filium, quem post tres menses abduxit in Babylonem, uti dixi Ierem. c. 25. et 29. Iam ab anno octavo Nabuchodonosoris usque ad decimum sextum eiusdem, quo natus est Darius, intercedunt anni octo, quos adde ad 62. Darii, et præcise habebis annos 70. captivitatis Babylonicæ. Ubi Nota, quam oculus divinæ providentiæ sit sublimis et pervigil, ut delinquenti illico tortorem erect et destinet. Ita notarunt Chronologi, eodem die quo in Anglia natus est Pelagius hæresiarcha, in Africa natum esse S. Augustinum, qui Pelagio a Deo parabatur antagonista et debellator. Ita eodem anno 1521. quo Lutherus publice hæresin professus est, S. P. Ignatius Pompeiopoli vulneratus nuntium sæculo remisit, sacramque militiam inchoavit, quem Deus ducem Societatis Iesu contra Lutheranos decertaturæ destinabat. Ita Ribaden. in eius vita lib. 2. cap. 18.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Satrapæ invidentes Danieli præfecturam, ei dolum struunt per edictum regis. Unde Daniel vers. 16. quia Deum adorat, in lacum leonum mittitur, sed manet illæsus: hinc rex vers. 24. accusatores Danielis in eumdem lacum coniici iubet, sancitque ut omnes paveant Deum Danielis.

1. PLACUIT Dario, et constituit super regnum satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo. 2. Et super eos principes tres, ex quibus Daniel unus erat: ut satrapæ illis redderent rationem, et rex non sustineret molestiam. 3. Igitur Daniel superabat omnes principes et satrapas: quia spiritus Dei amplior erat in illo. 4. Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum: unde principes et satrapæ quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis: nullamque causam et suspicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo. 5. Dixerunt ergo viri illi: Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui. 6. Tunc principes et satrapæ surripuerunt regi, et sic locuti sunt ei: Dari rex in æternum vive: 7. Consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus, et satrapæ, senatores, et iudices, ut decretum imperatorium exeat, et edictum: Ut omnis qui petierit aliquam petitionem a quocumque deo et homine, usque ad triginta dies, nisi a te rex, mittatur in lacum leonum. 8. Nunc itaque rex confirma sententiam, et scribe decretum: ut non immutetur quod statutum est a Medis et Persis, nec prævari-

cari cuiquam liceat. 9. Porro rex Darius proposuit edictum, et statuit. 10. Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam: et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat. 11. Viri ergo illi curiosius inquirentes, invenerunt Danielem orantem et obsecrantem Deum suum. 12. Et accedentes locuti sunt regi super edicto: Rex, numquid non constituisti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis et hominibus, usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex ait: Verus est sermo iuxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævaricari non licet. 13. Tunc respondentes dixerunt coram rege: Daniel de filiis captivitatis Iuda, non curavit de lege tua, et de edicto quod constituisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. 14. Quod verbum cum audisset rex, satis contristatus est: et pro Daniele posuit cor ut liberaret eum, et usque ad occasum solis laborabat ut erueret illum. 15. Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei: Scito rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum quod constituerit rex, non liceat immutari. 16. Tunc rex præcepit: et adduxerunt Danielem, et miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te. 17. Allatusque est lapis unus, et positus est super os laci: quem obsignavit rex annulo suo, et annulo optimatum suorum, nequid fieret contra Danielem. 18. Et abiit rex in domum suam, et dormivit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper et somnus recessit ab eo. 19. Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit: 20. Appropinquansque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamavit, et affatus est eum: Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper, putasne valuit te liberare a leonibus? 21. Et Daniel regi respondens ait: Rex in æternum vive: 22. Deus meus misit angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi: quia coram eo iustitia inventa est in me: sed et coram te, rex, delictum non feci. 23. Tunc vehementer rex gavisus est super eo, et Danielem præcepit educi de lacu: eductusque est Daniel de lacu, et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. 24. Iubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem: et in lacum leonum missi sunt, ipsi, et filii, et uxores eorum: et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia essa eorum comminuerunt. 25. Tunc Darius rex scripsit universis populis, tribubus, et linguis, habitantibus in universa terra: PAX vobis multiplicetur. 26. A me constitutum est decretum, ut in universo imperio et regno meo, tremiscant et paveant Deum Danielis. Ipse est enim Deus vivens, et æternus in sæcula: et regnum eius non dissipabitur, et potestas eius usque in æternum. 27. Ipse liberator, atque salvator, faciens signa, et mirabilia in cælo et in terra: qui liberavit Danielem de lacu leonum. 28. Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri Persæ.

Vers. 1. UT ESSENT IN TOTO REGNO SUO.) Distributi per suas satrapias et provincias. Notat S. Hieron. ex Iosepho, Darium victa Babylone rediisse in Mediam eum Daniele, ibique hæc quæ sequuntur esse gesta: eodem anno mortuus est Darius; unde Daniel ex Media mox videtur remigrasse Babylonem, et ad Cyrum iam monarcham factum, se contulisse.

Vers. 2. ET SUPER EOS PRINCIPES TRES.) Olim apud Medos et Babylonios, Ægyptios, et alios summi post regem erant שָׁלִישִׁים *scialiscim*, id est tristatæ, sive triumviri, puta tres principes, qui omnibus aliis minoribus principibus præerant; inter hos unus a Dario Medo constitutus fuit Daniel, æque ut a Balsasare coustitutus fuerat cap. 5. 29. ut esset tertius in regno.

Vers. 3. SPIRITUS DEI AMPLIOR ERAT IN ILLO.) *Spiritus*, tum sapientiæ, tum prudentiæ, tum prophetiæ, tum orationis, tum iustitiæ, tum zeli, aliarumque virtutum. Tales quærant reges et principes, quos provinciis præficiant: præses enim et *rector sine sapientia, et spiritu, est quasi sol sine luce,* quasi avis sine pluma, quasi gubernator navis sine gubernaculo. Hinc Sapiens cap. 6. 22. *O reges populi,* inquit, *diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis;* et paulo post: *Rex sapiens populi stabilimentum est.*

Vers. 4. Esse ex latere quid? UT INVENIRENT DANIELI EX LATERE REGIS.) Ita legunt Romana; sed Chald. habent מַלְכוּתָא *malcuta*, id est regni. Iam Primo, Hebræi crasse, latus regis, inquiunt,

I. est regina, quæ ad regis latus recumbit, quasi hi satrapæ Danielem apud regem suspectum de adulterio cum regina efficere conati sint. *Quærebant ergo occasionem, si in sermone, tactu, nutu, internuntio accusare possent Danielem. Sed nullam causam et suspicionem reperire potuerunt, quia eunuchus erat; unde eum in re stupri arguere non potuerunt*, inquit ex mente Hebræorum S. Hieron. Qui et subdit: *Pro suspicionem Theodot. et Aquila* αμβλαχημα *interpretati sunt, quæ Chaldaice dicitur essattha,* aut potius *scetita; cumque ab Hebræo quærerem quid significaret? respondit vim verbi sonare* δελεαρ, *quam nos illecebram, sive* σφαλμα, *hoc est errorem, dicere possumus. Porro Euripides in Medea* αμπλακιας *per* π, *et non per* β, αμαρτιας, *id est peccata, appellat.*

II. Secundo, Hector Pintus sic exponit, q. d. Quæsierunt A occasionem ut Danielem removerent, et eiicerent a latere regis. Unde aliqui codices hic legunt: *quærebant occasionem ut auferrent Danielem ex latere regis.*

Tertio, Vatabl. ex latere, inquit, id est ex parte regni, III.
ut scilicet accusarent Danielem, ut reum læsæ maiestatis, quasi male administrasset regnum, et edicta regia violasset: ita et S. Hieron. aut quod mala fide regiam pecuniam tractasset, inquit Maldonatus.

Verum dico esse hebraismum: nam *esse ex latere*, idem IV.
est quod *insidiari;* ex insidiis, quasi a latere aliquem aggredi et prosternere: qui enim insidiantur alteri, ad latus se collocant, ut alterum non advertentem occulte feriant, capiant, vel supplantent, q. d. Hi satrapæ quærebant occasionem, ut invenirent modos insidiandi Danieli, eumque apud regem calumniandi, et præfectura hac regni deiiciendi. Vide hic quam virtutis comes sit invidia, feriantque summos fulmina montes. Rursum quam verum sit illud: *Omnes qui pie volunt vivere, persecutionem patientur.* Et genuine.

NON INVENIEMUS DANIELI HUIC ALIQUAM OCCASIONEM, Vers. 5.
B NISI FORTE IN LEGE DEI SUI.) Nota hic miram integritatem Danielis, qui ita circumspecte, fideliter et perfecte regni gubernacula tractabat, ut eius æmuli nihil in eo vel in speciem possent calumniari. Quare Abbas Pastor in Vitis Patrum rogatus a quodam, *Quomodo debet homo conversari?* Respondit: *Vidimus Danielem, quia non est inventa accusatio eius, nisi de servitio quod exhibebat Deo suo.* Rursum vide hic in Daniele, quam in aulis regnet æmulatio, præsertim in eos quos princeps evehit. Exempla hoc sæculo multa vidimus, imo hoc anno 1618. apud omnes fere reges, principes summos gratia et gradu suo excidisse cernimus. Quocirca recte Pythagoras hoc suis documentum dedit: *Quæcumque invidiam pariunt, vitanda putato.* Ita habent aurea eius carmina, quæ edidit et explicuit Hierocles eius discipulus. Rursum in Daniele verum est illud Publii: *Fortunam citius reperias quam retineas.* Sapientes sunt, qui præstant illud S. Hieron. ad Heliodorum: *Nepotianus,* ait, *primam curam habuit, ut humilitate superaret invidiam; inter coæquales primus in opere, extremus in ordine.* Aulicus ille rogatus, *Quomodo in aula consenuisset: Omnibus,* ait, *cedendo, et iniurias quaslibet tolerando, imo gratias iniuriantibus agendo.* Præ-

*

clare monet Ausonius Exhort. ad modestiam:

Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Quocirca sapiens ille dicebat, accedendum esse ad reges et principes, sicut accedimus ad ignem, moderate nimirum Si enim propius ad ignem accedas, ab eo adureris: si remotius consistas, non calefies. Hac de causa Ptolemæus Mathematicorum princeps, invitatus a rege ad prandium, excusavit se, dicens: *Regibus contingit fere quod considerantibus picturas, quæ cum videntur eminus, placent; propinque vero non dulcescunt.* Ita refertur in eius vita, quæ habetur initio Almagesti.

Vers. 6. Regas Chald. significat quatuor. SURRIPUERUNT REGI.) רגש *Regas* hebr. significat tremere; chaldaice vero, significat Primo, astare, congregari, unde Septuag. et Vatabl. vertunt, *congregati sunt ad regem:* Syrus et Arabicus, *accesserunt ad regem.* Secundo, tumultuari. Tertio, fremere; unde Ioannes et Iacobus vocantur Boanerges, id est filii fremitus, sive tonitrui, Marci 3. 17. Quarto, persuadere, præsertim dolose et insidiose, quod est surripere. *Surripuerunt* ergo, id est insidiose suggesserunt regi. Perperam ergo Pintus pro *surripuerunt*, corrigendum vult *surrepserunt.*

Morale, de consiliariis. Discant hic reges et principes bene examinare, penetrare et pervidere, tum suorum consiliariorum animos, consilia et intentiones; tum leges et decreta, quæ illi suggerunt, an sint iustæ et utiles bono, non suggerentis, sed publico; nec credant iis, qui ob privata commoda, vel odia, suggerunt ea, quibus regi dedecus, aliis perniciem creant. Discant vicissim consiliarii, malum consilium consultori esse pessimum: ita hi satrapæ in Danielem hanc fabam cudentes in seipsos eamdem cuderunt. Discant viros probos et quietos non impune tangi. *Cave quiete sedentem in aulæis*, inquiebat Sfortia, qui et hoc in insigni gestabat: *Quietum nemo impune lacessit.* Aurea est Plinii vox in Panegyr. Traiani. *Discimus*, inquit, *experimento fidissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum munimento non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit: armis enim arma irritantur.* Denique audiant consiliarii id, quod Alphonsus Aragon. rex dicebat, si sibi contigisset nasci temporibus Romanorum, se constructurum fuisse contra curiam templum *Iovi positori*, in quo priusquam venirent in senatum Patres conscripti, odium, amorem, ac privatos omnes affectus deponerent: hi enim sunt qui urbes, reges et regna evertunt, ac pessumdant: ita Panorm. in Alphonso.

Quietum, nemo impune lacessit.

Vers. 7. UT OMNIS QUI PETIERIT ALIQUAM PETITIONEM A QUOCUMQUE DEO, etc. NISI A TE REX.) Nota adulationem, ut iniustum et impium decretum a rege extorqueant. Suadent enim regi, ut divinitatis nomen et munus sibi arroget, ut Deo omni excluso, ipse quasi Deus solus supplicum vota excipiat, nec patiatur alium Deum adiri vel invocari. Iuris enim naturæ est, ut quisque, præsertim egens vel afflictus, Deum invocare possit, imo debeat, et barbarum, imo diabolicum, esset hoc vetare. Dum ergo alium Deum hic invocari prohibent, ipsum regem pro Deo colendum et invocandum censent. Sic Deus haberi voluit Domitianus Imp. quem irridens Philostratus: *Cum*, ait, *alius propterea se accusatum quæreretur, quod Tarenti, ubi dominabatur, sacrificans, publicis precibus non addidisset, Domitianum Palladis filium esse: At enim, inquit, arbitraris fortasse Palladem non peperisse, cum semper habita sit virgo. Ignorabat autem (ut opinor) deam ipsam draconem quandoque Atheniensibus peperisse.* Nimirum draco erat Domitianus. Idem narrant Quintil. l. 3. c. 9. Sveton. in Domitiano cap. 4. Martialis sæpe, et alii, cum illud eius solitum programma irrident: *Edictum Domini Deique nostri.*

Vers. 10 CONTRA IERUSALEM.) Hoc, ait S. Hieron. est Dei præceptum Deut. 12. 11. et Salomonis consilium 3. Reg. 8. 44. qui contra templum orandum esse admonuit. Sic Ezechias Isaiæ 38. 2. *Convertit faciem suam ad parietem* (qui erat versus templum) *et oravit ad Dominum.* Sic David Ps. 62. 3. *In terra*, ait, *deserta, et invia et inaquosa; sic in sancto* (sicut in sanctuario et templo) *apparui tibi*, q. d. Ego David in deserto profugus, ex eo te Domine in templo habitantem contemplor, et ad templum conversus te in eo præsentem et præsidem adoro. Ergo videtur Salomon fabricans templum in Ierusalem (quæ in medio terræ habitatæ erat sita, ut ait Ezechiel c. 5. 5.) Deum quasi centrum mundialis sphæræ, et omnium animorum constituisse, ut lineæ et orationes ab hominibus ducerentur in templum, ubicumque ipsi existerent; et Deus in templo, tamquam in centro præsentem se exhibens, singulorum precibus intendebat, audiebat, exaudiebat, uti notavit noster Pineda l. 5. de Reb. Salomon. c. 5. n. 35. Templum ergo erat quasi centrum orbis, uti Deus centrum est mundi, hominum et angelorum. Vide hic et imitare constantem pietatem et libertatem Danielis, qui pro ea statum et vitam periculo fidenter exposuit. Merito Aristot. 1. Ethic. 10. hominem constantem vocat quadratum, quia ad omnem fortunæ iactum impulsumque firmus solidusque in sapientia et virtute consistit, cum alii leves rotentur ut globi.

TRIBUS TEMPORIBUS IN DIE FLECTEBAT GENUA.) Tria tempora quibus Deo flectenda sunt genua, tertiam, sextam et nonam, Ecclesiastica traditio intelligit, eaque colliguntur ex Actor. 2. 15. et cap. 3. 1. et c. 10. 9. Tribus horis, inquit Pintus, orabant Iudæi in die, scilicet hora tertia, sexta, et nona. Tertia, quia tunc data est lex in Sina: et eadem hora orat Ecclesia; quia tunc datus est Spiritus sanctus in Pentecoste. Sexta, quia tunc erectus fuit serpens æneus in deserto: eadem orat Ecclesia; quia tunc crucifixus est Christus. Nona, quia tunc petra dedit aquas in Cades; uti et Christi latus in cruce, tunc perforatum sanguinem dedit et aquam. Tertia, sexta et nona orationis, unde?

Addit noster Lorinus in Actor. 3. v. 1. Iudæos orasse hora sexta, quia tunc lapsus est Adam, ut colligitur ex eo, quod Dominus post meridiem venisse dicitur, ut puniret Adam. Addunt Hebræi, quia tunc perambulat dæmonium meridianum, quod hominem ad intemperantiam et choleram fervente sole sollicitat, unde in meridie Iudæi solent contra illud recitare Psal. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, ut ab illo liberentur, scilicet *ab incursu et dæmonio meridiano*, ut dicitur v. 6. illius Psalmi.

Audi et S. Hier. *Daniel regis iussa contemnens, et in Deo habens fiduciam, non erat in humili loco, sed in excelso: et fenestras aperit contra Ierusalem, ubi erat visio pacis. Tria autem sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua: tertiam, sextam et nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum. Nona, Petrus et Ioannes pergebant ad templum.* Verum de his alibi. Audi et S. Augustin. in sententiis numer. 203. *Vigor*, ait, *fidei Christianæ tribus temporibus initiatur, vespere, mane, meridie. Vespere enim Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione: unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam maiestatis, in Patris dextera considentis.* Et S. Cyprian. tract. de orat. Domin. per ternarium horarum putat designari SS. Trinitatem, quam totidem horis colimus et adoramus.

Porro tertia, sexta, nona, computantur ab ortu Solis. Hebræi enim diem, uti Romani noctem, dividebant in quatuor horas, et quasi vigilias. Prima erat ab ortu Solis usque ad tertiam: durabant ergo hæ horæ tres nostras horas. Prima enim incipiebat ab hora quinta vel sexta (sequor hic computum Belgarum et Transalpinorum) et durabat ad horam nostram nonam: hora nostra nona incipiebat earum tertia, et durabat usque ad nostram duodecimam: tunc enim incipiebat eorum sexta, quæ durabat usque ad nostram tertiam pomeridianam; a qua incipiebat nona eorum, et durabat usque ad vesperam. Unde Lyran. per tria tempora, intelligit mane, meridie, et vespere.

INTELLIGENTES REGEM.) Regis voluntatem et intentionem; Chald. est, *congregaverunt se super regem*, id est quasi facta manu omnes simul regem aggressi sunt, ac Vers. 15.

pene tumultuati contra eum: hoc enim est *regas*, de quo dixi v. 6.

Moraliter vide hic in Daniele, quam difficile sit servire aulæ terrestri simul et cælesti; placere principi et aulicis, et non displicere Deo et angelis. *Nemo*, ait Christus, *potest duobus dominis servire. Et non potestis Deo servire et Mammona*, Matth. 6. 24. Scripsit Æneas Sylvius, qui postea creatus Pontifex, vocatus est Pius II. ad quemdam aulicum librum de miseria Curialium, id est aulicorum, in quo ostendit quanta in aulis sit vanitas, ambitio, invidia, hypocrisis, impuritas: quot curæ, distractiones, servitutes, sollicitudines, metus: quanta inconstantia, mutabilitas, casus, ruinæ, pericula corporis et animæ. Ac tandem ita concludit: *Quæ cum ita sint, relinquamus hoc pelagus inquietum, nosque in aliam vitam redigamus. Nam si pacem cupimus, si otium diligimus, si nobis vivere volumus, si salutem animæ quærimus, fugienda nobis sunt atria regum, et aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec virtutis amor aliquis regnat: sed avaritia tantum, libido, crudelitas, crapula, invidia, et ambitio dominantur. Quibus vitiis qui sit deditus, nullo se poterit argumento tueri, quin apud viros doctos malus esse convincatur, et stultus. Vale vir, nisi ex curialibus unus esses, meo iudicio prudens. Anno salutis* 1445. Præclare Polybius l. 5. *Sicut*, ait, *calculi modo æris sunt, modo aurei: sic et aulici ad nutum regis nunc beati sunt, nunc miseri.*

Quocirca Agrippa de duobus admonebat virum, qui in aula salvus vivere cuperet. Primo ut difficultatem rerum ipse susciperet. Secundo, ut gloriam aliis concederet: ita Dion. lib. 49.

Notissima est vox eius, qui rogatus, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset senectutem? *iniurias*, inquit, *accipiendo, et gratias agendo:* ita Seneca lib. 2. de Ira cap. 34.

Diogenes audiens Callisthenem beatum dici, quod esset amicus Alexandri: *Imo*, ait, *infelix est, qui tum prandet ac cœnat, cum Alexandro videtur.*

Constantinus Imper. eunuchos, similesque *aulicos* vocabat *tineas et sorices palatii*, ait Nicephor. lib. 4. cap. 14. Sicut enim muscæ ad mel, ita isti ad opes et delicias aularum advolant.

Quocirca sapienter Horatius lib. 2. Carm. Ode 10.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Et Ovid. lib. 3. Tristium eleg. 4.

Vive tibi, quantumque potes prælustria vita.
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

Seneca in Hippolyto:

Fraus sublimi regnat in aula.

Et in Thyeste:

Stet quicumque volet, potens
Aulæ culmine lubrico;
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.

Martial. Epigramm. lib. 9.

Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsareanus habet.

Prudenter ergo monet Æneas Sylvius lib. 1. de gestis Alphonsi: Illi, ait, aulici plurimum sapiunt, qui accepto aliquo beneficio vel mediocri, aulæ valedicunt. Ostendunt enim animum suum expletum esse, et periculo se subducunt, in quod curiales frequenter incidunt; qui veluti sues, ubi saginati sunt, in cœnam domini mactantur. *Est apud Indos*, inquit Plinius, *herba quædam præcipui odoris, referta minutis serpentibus, quorum ictu protinus moriendum sit. Ita habent principum aulæ quod allectent, sed occultant lethale venenum ni caveas.* Rursum: *Indicæ testudines meridiano tempore blandiente, gaudent toto dorso per tranquilla fluitare, donec oblitis sui, Solis vapore siccetur cortex, ut mergi nequeant, iamque invitæ natent*

A *opportunæ venantium prædæ. Ita quidam spe rerum magnarum allecti, in principum aulas sese coniiciunt, et adeo deliniuntur aulæ deliciis, donec imprudentes eo redigantur, ut non possint etiamsi velint, in suum otium se recipere*: ita Plinius lib. 9. cap. 10.

Extat emblema Alciati numero 86.

Vana palatinos quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

Ita lusus et ludibrium fortunæ fuerunt, in aula Davidis Ioab, Saulis Abner, Artaxerxis Aman, Tiberii Seianus, Constantini Ablavius, Theodosii Ruffinus, Arcadii Eutropius, Honorii Stilico. Denique Antonius in Melissa serm. 59. *Sicut*, ait, *qui valde febricitant, appetitum et robur amittunt: sic qui principum aulas inhabitant, mentem et bonos mores perdere solent, nisi frequenter animo repetant hoc dictum: Nosce teipsum.*

Liberabit te.) Dicit hoc rex Danieli, tum ut eum consoletur, tum ut se excuset: sperabat ergo Deum illi affore, uti affuerat tribus eius sociis in fornace Babylonia. Vers. 16.
B Quocirca Rabbini in Midras Tehillim in illud psalm. 63. *Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam*, de hac Danielis tutela dicunt: *Venit leo, et liberavit leonem de ore leonis.* Leo enim est Deus, de quo Amos 3. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Hic liberavit leonem, id est Danielem, qui descendit ex Iuda, de quo dixit Iacob, Genes. 49. *Catulus leonis Iuda.* Ita refert Galatin. lib. 5. cap. 8.

Quem obsignavit rex annulo suo, et annulo optimatum, ne quid fieret contra Danielem.) Chald. et Septuag. *ne mutaretur rex in Danielem;* Vatabl. *ne mutaretur voluntas in Danielem*, id est, ne rex mutata voluntate Danielem e lacu extraheret. Utrumque videtur verum, scilicet Primo, quod rex obsignarit lapidem annulo suo, ne optimates mutata voluntate Danielem occiderent, præsertim si viderent leones ei parcere, quod futurum timebant: ita S. Hieron. et Theod. Secundo, quod optimates quoque obsignarint lapidem annulo suo, C ne rex Danielem e lacu eriperet. Vers. 17.

Conclusit ora leonum.) Notat ex Aristot. Plinio et Gellio Pererius, leonem naturaliter homini non nocere. Primo, si leoni irruenti caput aut oculos pallio aut veste cooperias. Secundo, si leo sit satur. Tertio, si sit cicur. Quarto, si in eum fueris beneficus. Quinto, si supplex et prostratus iaceas. Adde Sexto, si ei ignem aut flammam ostentes: hisce enim percellitur leo. Causam affert Nicolaus Leonicus quæst. natural. qu. 20. *Leonum*, ait, *vis omnis in oculis esse creditur: quamobrem levi etiam cuiusque panni coniectu operto capite, tanta illa feritas torpescit illico, devinciturque non repugnans. Quo etiam modo a Lysimacho Alexandri iussu simul incluso, strangulatum fuisse leonem ferunt. Ignis autem splendore suo, cum omnium peculiariter perstringit et hebetat oculos, tum eorum maxime qui eos calidiores sicciores que habent, cuiusmodi sunt leones.* Denique leonem *terrent rotarum orbes circumacti, currusque inanes, et gallinaceorum cristæ cantusque*, ait Plinius lib. 8. cap. 16. Perinde ut visa D vipera fugit cervus, audita voce porci fugit elephas, ait Horus hierogl. 82. et 83. lib. 2. Hinc Megarenses porcos pice oblitos, et mox igne flammatos, in Antipatri elephantos immiserunt, ait Ælian. lib. 16. cap. 36. Ita res magnæ a parvis percelluntur, humiliante eas Deo, et ferinam phantasiam edomante. Verum quod Danieli non nocuerint leones, fuit miraculum, quia, ut hic dicitur, *angelus conclusit ora leonum*, et rictum, ait S. Hieron. et ungues; scilicet Primo, vi sua ea continendo et comprimendo, ne Danielem mordere possent. Sicut Raphael ligavit in deserto Ægypti Asmodæum, scilicet vim aliquam detentivam ei imprimendo: sicut enim corpori aut dæmoni imprimi potest vis motiva, quæ eum e loco suo protrudat et expellat; sic et detentiva, quæ eum in loco suo detineat, eique quasi alliget et affigat. Secundo, continuit angelus ora leonum, adimendo eis famem, et cibi Danielisque fastidium in eis concitando. Tertio, mutando leonum phantasiam, ut apprehenderent Danielem qua-

Vers. 22. Leo non nocet homini in sex casibus.

Angelus conclusit ora leonum tripliciter. 1. 2. 3.

si amicum, vel ut quid formidabile: sicut Aristoteles et Plinius docent, leones terreri ad rotas, et sonitum curruum, ad galli cristas, et cantum; et maxime ad fulgentes ignes. Ecce hic in Daniele verum est illud Hebr. 11. 33. *Obturaverunt ora leonum.* Hoc miraculum castitati Danielis ascribunt, et acceptum referunt S. Hieron. contra Iovinian. Epiphan. et Doroth. in vita Danielis, et Damasc. licet S. Basil. illud attribuat eius ieiunio, ut dixi in proœmio. Danielis corpus virginitate ita obduratum est, ut ferarum dentes ei infigi nequiverint, inquit Damasc. lib. 4. de Fide cap. 25.

Ita leæna S. Malcho eius speluncam ingredienti, ob pudicitiam pepercit, imo pro eo dimicavit contra eius herum et servum, eum persequentes, utrumque occidendo. Testis est S. Hieron. in vita S. Malchi, qui ait, eum pudicitiæ tantum conscientia pro muro fuisse septum, ne a leæna læderetur, *ut sciant virgines et casti, inter gladios, et inter deserta, et bestias, pudicitiam nunquam esse captivam; et hominem Christianum posse mori, non posse superari.*

Ita hyæna Pachonem castum servavit et circumlinxit. Testis est Pallad. in Lausiaca cap. 29.

Ita S. Daria uxor S. Chrysanthi in lupanar detrusa, a leone propugnata est, ut habet eius vita 25. Octobris.

Ita S. Thecla tauris, serpentibus, aliisque feris obiecta, ab omnibus illæsa permansit, tutante eam, et feras mansuefaciente eius castitate. Ita plurimæ aliæ virgines leonibus et feris obiectæ, intactæ ab iis evaserunt. Castitas ergo leones, æque ac ignem, domat et cicurat.

Quocirca merito de B. Thecla virgine ignes et leones superante, ita canit S. Greg. Nazianz. in præc. ad virt.

Quis Theclam necis eripuit, flammæque periclo?
Quis validos ungues vinxit rabiemque ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis ævo!
Virginitas fulvos potuit sopire leones.

Et S. Ambros. lib. 2. de Virgin. *Thecla*, inquit, *copulam fugiens nuptialem, et sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum, virginitatis veneratione mutavit. Namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi muto testificantem sono, quod sacrum virginis corpus violare non posset.* Audi maiora. *Adorabat ergo prædam suam bestia: et propriæ oblita naturæ, naturam induerat quam homines amiserant. Videres quadam naturæ transfusione homines feritatem indutos, sævitiam imperare bestiæ: bestiam exosculantem pedes virginis, docere quid homines facere deberent. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Docuerunt religionem, dum adorant martyrem; docuerunt etiam castitatem, dum virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis, tamquam verecundantibus, ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret.*

Denique missus est Daniel in lacum leonum anno primo Darii, ergo Daniel tunc erat annorum 98. Patet ex dictis cap. 1. v. 1. et 4.

Vers. 23. QUIA CORAM EO (Deo) IUSTITIA INVENTA EST IN ME.) Nota hic, in Daniele fuisse iustitiam veram: talis enim est, quæ est coram Deo, sive in oculis Dei, qui lucidissimi sunt; non falsam et imputatam, qualis est Novantium. Respondent illi iustitiam hic non generalem, sed particularem accipiendam esse, q. d. Daniel: Ego nihil defraudavi, sed summa fide pecuniam et negotia regis tractavi. Verum hanc iustitiam non hisce, sed sequentibus verbis statuit Daniel; ait enim, *Sed et coram te rex delictum non feci.* Huc alludit Ezechiel cap. 14. 16. cum ait, quod Noe, Iob, et Daniel in iustitia sua liberabunt animas suas.

QUIA CREDIDIT DEO SUO.) Quia confisus fuit Deo, eiusque providentiæ et omnipotentiæ se totum commisit. Alii, quia fidelis fuit Deo suo. Vere S. Aug. tract. 8. in epist. S. Ioan. tom. 9. *Subdere*, inquit, *ei qui super te est, et infra te erunt illa quibus præpositus es. Quia vero per peccatum homo deseruit eum, sub quo esse debuit, subditus* A *est eis supra quæ esse debuit. Intendite quid dicam, Deus, homo, pecora: supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est, ut agnoscant te quæ infra te sunt: ideoque cum Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt illum supra se leones. Si autem non agnoscis illum qui supra te est, superiorem contemnis, subderis inferiori. Propterea superbia Ægyptiorum unde domata est? de ranis et muscis,* Exodi 8. *Sed Danielem agnoverunt leones, quia ille subditus Deo erat. Agnovit ignis servos Dei, tres viros, quos non ussit, quorum nec vestimenta corrupit,* Daniel. 3.

Ita S. Pontianus Martyr sub Antonino Imp. Spoleti obiectus leonibus rugientibus, orans cum Christo illud psal. 21. *Salva me ex ore leonis, ut enarrem nomen tuum*, eos cicuravit, ut ei blandirentur: ac deinde eculeos, flagra, carceres, longam inediam, ignes illæsus superavit, dicens: *In Domino confido, non timebo quid faciat mihi homo.* Ita habent eius Acta 19. Ianuarii. Hac de causa Gentiles olim contra Christianos iudicibus succlamabant: *Ad lenonem, non leonem* damnetur virgo Christiana; sed illæ B eadem spe et ope Dei qua leones, etiam lenones superarunt, teste Tertull. in Apolog. et testes sunt S. Agnes, Lucia, Dorothea, Susanna, aliæque plurimæ.

IUBENTE REGE.) Rex hic exercet talionis pœnam, quæ Vers. 24.
omni iure æquissima est. Re enim examinata, intellexit rex hostes Danielis sibi imposuisse, et dolose edictum extorsisse, ut Danielem sibi fidissimum et utilissimum e medio tollerent.

UXORES ET FILIOS.) Quia hi parentes et illæ maritos ad scelus excitarant, adiuverant, aut consenserant, inquit Pintus: alias enim barbarum hoc fuisset regis edictum. Solus enim Deus filios innoxios, ob peccata parentum morte punire potest: unde solos barbaros id olim fecisse, et etiamnum facere legimus.

Addit Ioseph. 10 Antiqu. 11. Danielis accusatores regi dixisse leones fuisse saturos, ideoque a Daniele abstinuisse; regem vero, cum plurimum carnis leonibus datum esset, præcepisse ut illi eis obiicerentur, ut non a- C lieno, sed suis corporibus experirentur, an leones saturitate retardati, an divina potentia impediti, a Daniele abstinuissent. Verum nil tale habet Script. Unde videtur Iosephus more suo, suæ gentis historiam narratione, si non vera, verisimili saltem exornare voluisse, inquit Maldon.

DONEC.) Id est, priusquam. Ita Chald. Vatabl. et alii.

LINGUIS.) Nationibus: singulæ enim nationes singulas Vers. 25.
habent linguas.

PAVEANT DEUM DANIELIS.) Hinc videtur Darius vere Vers. 26.
ad Deum fuisse conversus: plus enim præcepit, quam præceperit Nabuchodonosor c. 3. v. 98. Ille enim tantum vetuit, ne quis Deum Hebræorum blasphemaret. Ita Mald.

IN CÆLO, ET IN TERRA.) Qui enim miracula facit in Vers. 27.
terra, potest similia facere in cælo: hoc enim miraculo ostendit se esse Deum, ideoque dominum cæli et terræ.

PERSEVERAVIT USQUE AD REGNUM DARII.) Chald. est Vers. 28.
הצלח *halslac, prospere egit*, id est, in magno honore fuit, D quamdiu Darii et Cyri regnum duravit, quamdiu regnarunt Darius et Cyrus: ita Chald. Septuag. Vatabl. et alii. Dicit hoc Daniel, ut historiæ finem faciat, ordiaturque prophetiam: nam hæc sex prima capita magis historica sunt quam prophetica: quæ vero cap. 7. et deinceps sequuntur, proprie prophetica sunt.

Vide hic quam felices et gloriosos efficiat constantia in fide et cultu Dei. Ita enim felix et gloriosus evasit hic Daniel, et tres pueri cap. 3. Eleazarus et Machabæi, 2. Machab. 6. et 7. *Moral. quam gloriosa sit constantia in Dei cultu.*

Inter Christi athletas eminuit S. Basilius. Cum enim Præfectus quidam Valentis Imperatoris eum hortaretur, ut tempori cederet, neque tot Ecclesias adduceret in discrimen tenui exquisitioni dogmatis, promittens illi amicitiam, et multa beneficia: divinus ille vir *Adolescentulis congruere tales sermones* respondit: *Nam hos et his similes inhiare huiusmodi rebus: qui vero essent innutriti divinis literis, eos nullam syllabam illarum in discrimen venire pati posse, solereque si res poscat, nullum genus mor-* *Exempla S. Basilii.*

tis pro illis subeundum recusare. Imperatoris quidem amicitiam magni se pendere cum pietate: qua remota perniciosam esse. Ferebat hoc ægre Præfectus, aiebatque eum desipere. Tum Magnus Basilius: *Utinam sempiterna,* inquit, *hæc mea sit desipientia!* Post hoc colloquium occurrit Imperatori Præfectus, exponitque regi quid dixisset Basilius, et qua esset virtute, ac animi præstantia. Sed Imperator tacuit, et veniens in urbem comperit divinitus inflictas domui suæ plagas. Ita Theodoretus l. 4. histor. Eccles. cap. 19. Alia vice Præfectus mortem ei minatus est: at Basilius gratiam se illi eo nomine habere dixit, quippe qui discedere ex tali rerum statu non gravate cuperet. Et cum Præfectus amplius eam rem deliberare iuberet: Basilius, *Ego quidem,* inquit, *et hodie et cras idem futurus sum: utinam tu teipsum non mutasses. Creatura enim cum sim, creaturam adorare, Deumque esse profiteri in animum non inducam meum: sed neque religioni vestræ me aggregari sustinebo. Tametsi enim vos regi charissimi, et non minima orbis pars esse existimamini: me tamen minime decet hominibus gratificari, et propterea fidem in Deum parvi pendere, quam ego proditurus non sum, etiamsi mihi bonorum publicationem, et exilium, et aliud quidquam gravium ærumnarum, mortemque adeo ipsam mineris; nihil enim rerum talium mœrorem mihi afferre potest. Quod si facultates meas expetis, pannos hosce et cilicia, atque libros paucos, qui in mundo mihi sunt, si hos inquam adamasti, recipe. Sin ut exilii causa solum vertam, mavis, paratus ad id sum. Exul vero quomodo ero, qui semper terram quasi peregrinus pererro, et ad regionem aliam vehementer aspiro? Corpus porro hoc, vel post primam plagam, sensus omnino expers, et cruciatibus superius prorsus futurum est.* Victus hac Basilii libertate et constantia Imperator quievit. Ita Niceph. lib. 11. histor. cap. 18.

Insignis Basilii adversus Valentem libertas.

Anastasius Imperator. Episcopum Œniandum hortatus est, ut ad suam factionem descisceret, pollicens eum quidquid petiisset, illico accepturum. Cui Episcopus: *Tu,* inquit, *potius ad Orthodoxos transi, ne dum opiniones impiorum hominum Severi, Eutychetis et Dioscori amplecteris, æterno igni addicaris.* Simulque apprehendens Imperatoris chlamydem: *Hæc,* ait, *vestis nequaquam te post mortem sequetur, o Imperator: sed sola comitabitur pietas ac virtutum habitus. Missam fac Ecclesiam, quam Christus suo redemit sanguine. Indoctus es, et ratiocinandi ignarus, neque ullum Ecclesiæ decretum perfecte intelligis, tantum imposturis et scurrilibus calumniis faluos teres. Satis tibi sit dignitatis, quod Imperator es: Antistites Ecclesiæ vexare noli.* Ad hæc Imperator pudore suffusus obmutuit. Pauperrimus autem cum esset ille Episcopus, ne obolum quidem ab Imperatore voluit accipere: adeo liber erat, et solius in Deum fidei ac pietatis rationem habens terrena calcans omnia: ita Cedrenus et Zonaras t. 3. Annal. in Anastasio.

Œniandi Episc. in fide Cathol. constantia.

Iulianus Imperator Cæsarium (ut eiusdem frater Gre- A gorius Nazianzenus scriptis prodidit) iis Reipubl. muneribus præfecit, quibus auctoritas et amplitudo inesset: quem nunc verborum lenociniis ac ingentibus promissis, nunc terroribus et minis, omnique machinarum genere in suum obsequium erroremque trahere conatus est: sed strenuus Christi athleta superior semper e lucta excessit, crucis opprobrio imperii posthabens maiestatem. Cum enim non simulatum Christiani hominis figmentum, sed verus esset Christianus, certo sciebat quam ampli gloriæ laudisque thesauri sub crucis ignominia delitescerent. Ita S. Gregor. Nazianz. orat in funere fratris Cæsarii.

B. Cæsarii libertas coram Iuliano Apostata.

Publia præfecta monialium, transeunte Iuliano Apostata canebat cum suis: *Simulacra Gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.* At postquam versus, qui illa sensus omnis expertia esse pronuntiant, recitaverant, istum adiungebant: *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* His Iulianus cum maxima animi ægritudine auditis, iussit, ut eo progrediente conticescerent. B At Publia eius leges parvi æstimans maiori cum alacritate chorum virginum in unum coegit, et illo prætereunte, denuo cantare mandavit: *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici eius,* etc. Itaque tyrannus graviter commotus iubet eam quasi magistram chori ad se adduci: quam licet anum propter ætatem ingravescentem cum primis venerandam cerneret; tamen satelliti cuidam dat mandatum, ut utramque malam verberet, et genas cruentet manibus. Illa hanc contumeliam pro summo honore ducens domum revertitur, et tyrannum, ut solebat, spiritualibus cantilenis perstringit: ita Theodor. lib. 3. histor. Eccles. cap. 17. et Baronius tom. 4. ano. 362.

Publiæ constantia. Psal. 15. Psal. 67.

Quocirca Alleg. Rupert. in Daniel. cap. 11. docet Danielem hic fuisse typum Christi patientis: sicut enim Danieli insidiati sunt satrapæ; ita Christo Iudæi et Scribæ, idque ex invidia. Secundo, sicut satrapæ Danielem ad necem adigere conati sunt per edictum Darii Medi; C ita Iudæi Christum per sententiam Pilati et Romanorum. Sed sicut Daniele per angelum liberato, gavisus est Darius; ita Christo a mortuis suscitato, et toto orbe prædicato gavisus est orbis Romanus: *mutavit leges, convertit edicta Romani imperii maiestas,* Christumque *prædicari præcepit.* Tertio, sicut Danielis accusatores in lacum missi, mox a leonibus devorati sunt: ita Iudæi Christi hostes a Tito eversi sunt.

Anagog. Daniel e lacu leonum redivivus typus fuit resurrectionis, eiusque quasi prælibatio, ac velut primitiæ. Quocirca mos priscus Christianorum fuit, ut in suis sepulcris inter alia resurrectionis symbola, Danielem in lacu inter leones stantem sculperent. Extant eius rei in veteribus lapidibus complura exempla. Causa fuit; tum quod Daniel cap. 12. resurrectionem omnium clare descripserit; tum quod ipse e lacu leonum liber egrediens, quasi ideam hominis e tumba resurgentis expresserit; ideoque assumptus sit in hieroglyphicum resurrectionis: ita Baron. In Martyrol. Iulii die 21.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hactenus Daniel res suas et gesta ac somnia regum Babyloniorum enarravit: hic vero et deinceps visiones suas enarrat. Itaque hic proprie incipit prophetia Danielis. Hoc ergo capite videt Daniel quatuor bestias, quæ significant quatuor monarchias, et regnum Antichristi. Secundo, vers. 9. videt Deum Patrem, quasi senem, iudicantem de Antichristo, et de Christo, qui Christo causam et regnum adiudicat. Tertio, vers. 21. describit regnum Antichristi. Quarto, vers. 27. describit regnum Christi et Sanctorum, quod omnibus aliis succedet; eritque gloriosum et æternum.

1. ANNO primo Baltassar regis Babylonis, Daniel somnium vidit: visio autem capitis eius in cubili suo: et somnium scribens, brevi sermone comprehendit: summatimque perstringens, ait: 2. Videbam in visione mea nocte, et ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. 3. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. 4. Prima quasi leæna, et alas habebat aquilæ: aspiciebam donec evulsæ sunt alæ eius, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor hominis datum est ei. 5. Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit; et tres ordines erant in ore eius, et in dentibus eius, et sic dicebant ei: Surge,

comede carnes plurimas. 6. Post hæc aspiciebam, et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quasi avis, quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia, et potestas data est ei. 7. Post hæc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam, et habebat cornua decem. 8. Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum: et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie eius: et ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia. 9. Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, et capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus. 10. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie eius: millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, et libri aperti sunt. 11. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: et vidi quoniam interfecta esset bestia, et perisset corpus eius, et traditum esset ad comburendum igni: 12. Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, et tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus et tempus. 13. Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conspectu eius obtulerunt eum. 14. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguæ ipsi servient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: et regnum eius, quod non corrumpetur. 15. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, et visiones capitis mei conturbaverunt me. 16. Accessi ad unum de assistentibus, et veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, et docuit me: 17. Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. 18. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum. 19. Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, et terribilis nimis: dentes et ungues eius ferrei: comedebat, et comminuebat, et reliqua pedibus suis conculcabat: 20. Et de cornibus decem, quæ habebat in capite: et de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua: et de cornu illo, quod habebat oculos, et os loquens grandia, et maius erat cæteris. 21. Aspiciebam, et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et prævalebat eis, 22. Donec venit antiquus dierum, et iudicium dedit sanctis Excelsi, et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti. 23. Et sic ait: Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, et devorabit universam terram, et conculcabit, et comminuet eam. 24. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt: et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit. 25. Et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret: et putabit quod possit mutare tempora, et leges, et tradentur in manu eius usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis. 26. Et iudicium sedebit ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem. 27. Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: cuius regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient. 28. Hucusque finis verbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, et facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conservavi.

Vers. 1. ANNO PRIMO BALSASAR.) Ergo hæc visio Danieli obiecta est in captivitate Babylonica, anno 27. ab eversa Ierusalem, et templo, ut patet ex dictis cap. 5. v. 1.

Vers. 2. *Mare est mundus.* QUATUOR VENTI CÆLI PUGNABANT IN MARI.) Per *mare* accipe mundum, qui agitatur, et salsis amarisque fluctibus abundat ut mare, in quo superbia tumidi tolluntur in altum, ut profundius ruant. Ita S. Hieron. et Rupert. Per quatuor ventos, vel cum S. Hieron. accipe angelos quatuor regnorum, de quibus sequitur, præsides: *Venti sunt tumultus.* sunt enim angeli ut venti, invisibiles et celeres. Unde ait Psaltes: *Qui facit angelos suos spiritus.* Quomodo inter se pro suis regnis pugnent angeli, videbimus cap. 10. 13. Vel potius cum Theodor. accipe tumultus, commotiones et perturbationes, quæ in exordio singulorum horum quatuor regnorum exstiterunt. Porro eæ omnes simul hic in visione Danieli repræsentantur: uti et quatuor monarchiæ, licet reipsa illæ non simul, sed vicissim et successive exstiterint. Venti etiam notant horum regnorum inconstantiam, fugacitatem, et vicissitudinem. Hinc sæpe singulis sæculis, sive centum annis, videmus singula regna, in aliam familiam aut gentem transferri, vel valde immutari. Cum angelis ergo e cælo despice hos ventos.

Denique Orosius lib. 2. histor. cap. 1. et lib. 7. cap. 2. censet quatuor hasce monarchias fuisse sitas in quatuor ventis, id est plagis mundi. Ait enim Romanum imperium esse Occidentale; Babylonicum, Orientale; Macedonicum, Septemtrionale; Carthaginense (hoc enim cum Africano pro Persico substituit, aitque durasse septingentos annos) Meridionale: subditque, Romanum ab Occidente consurgens hæreditate Orientis fuisse nutritum; et Macedonicum ac Carthaginense partes tutoris et curatoris tenuisse. Omnia enim imperia in Romanum desierunt et transierunt. Verum de Cartaginensi nulla hic est mentio.

Vers. 3. QUATUOR BESTIÆ.) Hæ significant quatuor regna, ut A patet v. 17. Notant Durandus, Pighius, Driedo, et ex iis Ludovicus Molina de Iustitia tract. 2. disp. 24. hæc imperia assimilari bestiis, non hominibus, quia magna ex parte fuerunt iniuste et tyrannice acquisita, æque ac gubernata. *Commune* enim *vitium monarchiæ est tyrannis,* ait Elias Cretensis in Apolog. Nazianz. orat. 1. Et S. August. lib. 4. de Civit. c. 4. et 6. talia regna vocat magna latrocinia. Monarchæ ergo olim erant magni latrones. Unde piratæ capti ab Alexandro Magno, et rogati quidnam agerent, responderunt se una navi agere cum paucis in parte maris, quod Alexander eum multis agebat in toto mundo; se esse parvos latrones, Alexandrum esse magnum latronem, uti ibidem refert Augustin. Dicuntur tamen subinde hæc imperia a Deo fuisse data et concessa: Primo, quia Deus ea permisit. Secundo, quia iis usus est ad Iudæorum, et aliarum gentium punitionem. Tertio, B nominatim de Cyro dicitur, quod eum Deus creavit regem; quia cum direxit ad imperium hoc fine ut ille Iudæos e Babylone liberaret.

PRIMA QUASI LEÆNA.) Hæc significat primam monarchiam, scilicet Chaldæorum; et præsertim regnum Nabuchodonosoris, qui mire illud auxit: hic dicitur leæna, ob potentiam et ferociam. Leæna enim leone est ferocior, maxime cum catulos nutrit. Item ob libidinem: leæna enim teste Aristotele et Plinio, semper gestit ad coitum, nec leone contenta, etiam cum hyæna et pardo miscetur: Inde enim nascuntur leopardi. Sic Ieremias eumdem vocat leonem cap. 4. 7. *Ascendit*, inquit, *leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit*: et Isaias cap. 5. 29. *Rugitus*, inquit, *eius ut leonis.* Huc spectat elegans et acutum ænigma, vel potius epigramma Asini: Vers. 4. *Chald. regnum comparatur leænæ.*

Ungue equus, aure lepus, leo voce, lupusque colore
Censetur, toto sed capite est asinus.

ET ALAS HABEBAT AQUILÆ.) Rex hic fuit quasi monstrum: partim enim fuit leo ob sævitiam, partim aquila

ob celeritatem in bellis conficiendis: nam leo fortissimus est, sed aquila velocior: aquila velocissima est, sed leo fortior. Sic Ierem. cap. 4. v. 13. de eodem ait: *Velociores aquilis equi illius;* et c. 48. 40. *Ecce quasi aquila volabit.* Ita Maldon.

EVULSÆ SUNT ALÆ EIUS.) Primo, S. Hieron. et Theodor. hæc tribuunt Balsasari, huic enim evulsæ sunt alæ, cum occisus est, tumque apparuit non esse leo, sed habere cor hominis, id est esse imbecillis ac mortalis. Secundo, genuine et proprie hæc referenda sunt ad Nabuchodonosorem: huic enim evulsæ sunt alæ, cum ipse spoliatus imperio ad bestias missus est; sed sibi restitutus, rursumque factus homo debilis, stetit erectus, qui ante curvabatur ut bestia; habuitque cor hominis, qui suam agnovit infirmitatem; humanamque egit vitam, cum antea instar feræ ageret, et sæviret ut leo. Licet enim Nabuchodonosor iam esset mortuus (hoc enim somnium habuit Daniel anno primo Balsasaris, qui fuit eius filius) tamen sub eius persona vaticinatur de futura regni translatione: eo quod illi primum regni translatio per statuam quadriformem c. 2. et per arborem succisam cap. 4. præsignificata fuerit.

Vers. 5. II. Regnum Persarum comparatur urso, quatuor ob causas. I.

ET ECCE BESTIA ALIA SIMILIS URSO.) Secunda hæc monarchia est Persarum; et ut Syrus ac Arabicus vertunt, *Medorum.* Illa comparatur urso: Primo, quia ursi patientissimi sunt laborum, et tolerantissimi inediæ: nam, ut docet Aristoteles l. 8. hist. anim. c. 17. ursi magnam hyemis partem sine ullo pastu cibatuque transigunt, et solo suctu priorum pedum vivunt. Idem ab ursa fieri, quoties plus nimio pinguescit, tradit Ælianus, quo pinguedine concocta fiat agilior. Unde illa auctore Eustathio, in Athenienses emissa fames ab irata Diana, quod ursam quæ in Munichio eius sacello nata fuerat, occidissent, ut ita per inediam affligerentur, qui animal inediæ patientissimum sustulissent. Tales quoque fuerunt veteres Persæ, teste Xenophonte, et S. Hieron. hic, scilicet laboriosi, et solo pane ac cardamomo victitantes.

II. Secundo, quia ursus est infirmo capite et visu: hinc si urgente vi eum præcipitare se ex rupe contingat, capite pedibus cooperto se deiicit: sæpe autem in arena colapho impacto capiti ursorum, eos exanimatos fuisse tradit Plinius l. 8. cap. 36. Ubi et addit, oculos in ursis sæpe hebetari, ideo eos alvearia expetere, ut convulneratum os ab apibus levet sanguine gravedinem. Insuper eos somno ita gravari interdum, ut ne vulneribus quidem concisi excitentur; mire autem eo veterno pinguescere, uti et glires dormiendo pinguescunt. Ita et Persæ, non tam prudentia, solertia, vigilantia aut robore, quam innumerabili hominum turba, aut ex ignavia hostium eis prævaluerunt.

III. Tertio, ursi fœtus, inquit Plinius, deformis est, videturque tantum esse caro alba et rudis, sine pilis, sine oculis, sine cruribus; sed mater lambendo sensim eum ita conformat, ut perfectum et formosum reddat. Sic Cyrus Persas viles et rudes exercendo, per suam prudentiam et artem militarem, eos sensim ad imperium provexit.

IV. Quarto, ursus sævus est, uti omnes norunt: tales fuerunt et Persæ, utpote barbari. Negat hoc Pererius: sed asserunt S. Hieronym. et Theodor. Idque patet ex eorum suppliciis in reos, et in hostes: nam vel ipsa coria hominibus detrahebant, et membratim corpora secando, lenta et acerba morte necabant. Quam crudeles fuerint Sapores, Isdegerdes, et alii Persarum reges in Christianos, docet Theod. l. 5. c. 18. et Socrates l. 7. c. 18. Denique Tomyris Cyro occiso exprobravit aviditatem sanguinis, uti mox dicam.

IN PARTE STETIT.) Clare Syrus, *ad unum latus stetit,* q. d. Ad latus unum tantum irruit, scilicet in Babylonios: iis enim a Cyro superatis Persæ potiti sunt imperio: ita Vatabl. Iam etiam a pluribus sæculis Persarum regnum in parte stat; quia tantum Persidem, Mediam, Assyriam, et pauca alia imperio suo continet. Aliter Hebræi, q. d. Cyrus stetit, id est benignus fuit in unam gentem, puta Hebræos, cum in alias ferox irrueret. Aliter et Theodor.

A q. d. Regnum Persarum ab Alexandro eversum est, stetit tamen in parte, quia postea sub Romanis caput erexit, stetitque in sola Perside. Verum hæc hoc loco sunt impertinentia. Agitur enim de exordio et incremento regni Persarum.

TRES ORDINES ERANT IN ORE EIUS.) S. Hieron. vertit, *tres versus;* Theodotion, *tria latera;* Theodor. *tres alæ;* alii, *tres costæ in ore inter dentes eius.* Ita Syrus et Arabicus; Vatabl. *tres boli.* Significat enim hunc ursum tres ordines non dentium, ut aliqui putant, quasi per eos significetur maxima potentia; sed carnium, vel escarum habuisse in ore, quas dentibus (unde Chald. Græca et Vatabl. habent, *inter dentes*) manderet. Unde sequitur: *Surge, comede carnes plurimas.* Hebræi putant hic significari tres fore reges Persarum: sed falluntur; multo enim plures fuerunt. Dico ergo, hi tres ordines sunt tria imperia, scilicet Babylonicum, Medicum, Persicum, quæ in secunda monarchia a Cyro coniuncta, et in unum redacta sunt. Ita S. Hieron. Hinc et Theodor. tres mundi plagas

B hic intelligit: Cyrus enim domuit Orientem, Cambyses Austrum, puta Ægyptum et Æthiopiam, Darius Hystaspis Septemtrionem, puta Scythas.

COMEDE CARNES PLURIMAS.) Plurimos interfice. Hinc Tomyris regina Scytharum, cæso Cyro caput eius in saccum sanguine plenum iniiciens, insultansque dixit: *Satia te Cyre sanguine, sitiisti, et cuius insatiabilis fuisti.* Tomyris insultat Cyro.

Symbolice, et quasi Allegor. Optatus Milevitan. lib. 3. contra Parmen. per leonem accipit persecutionem fidelium sub Decio et Valeriano Imperat. per ursum eam quæ fuit sub Diocletiano et Maximiano. *Omnibus*, ait, *notum est quid eorum operata sit artificiosa crudelitas. Omnis locus templum erat ad scelus* (idololatriæ) *inquinabantur prope morientes, ignorans polluebatur infantia, a matribus parvi liberi portabantur ad nefas, parentes incruenta parricidia facere cogebantur, alii cogebantur templa Dei vivi subvertere, alii Christum negare, alii leges divinas incendere, alii thura ponere.*

C Tropolog. ursus, qui mellis est avidus, effigiem habet libidinis, quæ voluptates corporis consectatur. Carnes comedit plurimas, id est carnales homines plurimos. Tres habet dentium ordines: quoniam adolescentes, viros et senes dilaniat, quorum cani sunt, non sensus, sed capilli tantum. Comedit laniatque carnales, molles luxu, non asperos pœnitentia, non castitate et pudicitia armatos. Hi enim dentes eius non metuunt.

Vers. 6. III. Regnum Græcorum comparatur pardo.

ET ECCE ALIA QUASI PARDUS.) Tertia hæc est monarchia Græcorum, et Alexandri, qui pardo comparatur. Nota. Licet Solinus cap. 21. pardum et pantheram censeat esse duas et diversas animalium species, tamen Aristot. Plinius, Dioscor. Gaza, et alii dicunt esse eamdem speciem, idemque animal. Pardus ergo est panthera aut potius πάνθηρ (panthera enim sæpius fœminam, pardus et panther marem significant) id est *plane ferus et sævus.* Unde et aconitum παρδαλιαγχές vocatur, eo quod pantheras enecet. Pardus ergo Primo, est maculosus et varius, ut ait Ierem. cap. 13. v. 23. Secundo, ut ait hic S. Hier.

D est *velocissimus, præcepsque fertur ad sanguinem.* Tertio, est astutus et oculis ac tota pelle distinctus; itaque partim pellis varietate et pulchritudine, partim odore, ut ait Plinius, animalia ad se allicit (occultans interim caput turpe et horridum) ac devorat, præsertim hinnulos, simias, dorcades, et capras sylvestres. Ita Ælian. Aristot. Volater. et Gesnerus in panthera. Quarto, pardales vino delectantur: unde forsitan Poetæ fabulantur, eas olim mulieres Bacchi nutrices fuisse, quocirca vino inebriatæ etiam capiuntur. Ita Oppianus et Gesnerus. Quinto, pardus est superbus, aliasque bestias præ se contemnit. Plutar. in moral. refert apologum de pardo: Cum, inquit, pardus aliquando vulpem præ se contemneret, quod ipse pellem haberet omnigenis colorum maculis variegatam, respondit vulpes, sibi id decoris in animo esse, quod illi esset in cute: neque vero paulo satius esse ingenio præditum esse vafro, quam cute versicolore. Sexto, esto pardi sint sævi et celeres, ac, ut Claudian. ait Panegyr. 8. fulminei,

tamen ubi venatorem aut hostem sentiunt viribus sibi parem, sunt meticulosi. Unde pantheræ cor maximum (qui enim parvum habent cor, sunt animosi; qui magnum, timidi) est proportione, ut et reliquis timidis, propter metum maleficii, inquit Aristot. Plinius et Gesner. Animalia enim furacia et rapacia, esto sint audacia in prædam, tamen in venatores sunt timida, ob maleficii, puta furti et rapinæ, conscientiam.

Talis per omnia fuit Alexander, nimirum pardus, sive pardalis, ut vertit Theodotion; primo, varius et maculosus, vitiis et virtutibus; secundo, sævus et acer in præliis; tertio, sagax et astutus; quarto, vinolentus; quinto, arrogans; sexto, mistum audaciæ habuit pudorem et timorem: mistos quoque habuit fortunæ casus. Nam vivens victoriis fuit felix, moriens vero infelix; utpote qui a suis cum tota sua stirpe sit extinctus.

Alexandri ambitio, virtutes et vitia.

Quatuor alæ significant tum celeritatem victoriarum: nam ipse sex annis totam Asiam, magnamque Africæ et Europæ partem subegit; tum animi magnitudinem, vigorem et ingenium quasi igni volucre, quod Iulio Cæsari dat B Plinius lib. 7. c. 25. tum ambitionem, qua ut Deus quasi filius Iovis Hammonis, coli voluit. Unde et a sacerdote Iovis Hammonii per adulationem, salutatus est, ω παι Διος, id est, *o fili Iovis*, pro eo quod dicere debuisset, ω παιδιον id est, *o filiole*, ait Plutarch. qui et addit, eum, cum sagitta saucius ingenti dolore cruciaretur, exclamasse: *Hic sanguis amici, qui fluit est humanus, non talis Diis ut solitus manare beatis.* Adulabantur ei in hac sua ambitione Hages et Cleo, inquit Curtius libr. 8. qui cælum illi aperiebant, Herculemque et Liberum, et cum Polluce Castorem novo numini cessuros esse iactabant. Obstitit eis Callisthenes dicens: *Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur divinitas. Prius ab oculis mortalium amolienda est natura, quam in cælum fama pervehat. Fac aliquem regem, si Deum potes facere: facilius enim est imperium dare, quam cælum.* Quocirca tandem Callisthenes ab Alexandro occisus est. Quin et moriens Alexander hunc divinitatis fumum ambivit, uti dicam cap. 8. v. 8.

C Porro Alexandri virtutes cum vitiis ita describit et comparat Curtius lib. 10. *Liquet bona naturæ eius fuisse, vitia vel fortunæ vel ætatis: vis incredibilis animi: laboris patientia propemodum nimia: fortitudo non inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quorum hæc sola virtus fuit: liberalitas sæpe maiora tribuentis, quam a diis petuntur: clementia in devictos, tot regna aut reddita quibus ea dempserat bello, aut dono data: mortis, cuius metus cæteros exanimat, perpetua contemptio: gloriæ laudisque ut iusto maior cupido, ita ut iuveni, et in tantis admittenda rebus: iam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreverat, Philippum ultus erat: iam in omnes fere amicos benignitas, erga milites benevolentia: consilium par magnitudini animi, et quantam vix capere poterat eius ætas, solertia: modus immodicarum cupiditatum: veneris intra naturale desiderium usus; nec ulla nisi ex permisso voluptas, ingentes profecto dotes erant.* Vitia eius deinde subnectit: *Vitia fortunæ,* D *diis æquare se, et cælestes honores accersere, et talia suadentibus oraculis credere; et dedignantibus venerari ipsum vehementius quam par esset irasci: in externum habitum mutare corporis cultum: imitari devictarum gentium mores, quas ante victoriam spreverat. Nam iracundiam et cupidinem vini sicuti iuventa irritaverat, ita senectus mitigare potuisset. Fatendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ.* Annon ergo pardus varius et maculosus fuit Alexander? annon Chamæleon? qui colorem, habitum et mores gentium a se victarum induit. Pulchre Tertull. lib. de Pallio: *Vicerat*, ait, *Alexander Medicam gentem* (Persas) *et victus est Medica veste: triumphalem cataphractem amolitus, in captiva sarabara processit: pectus squamarum signaculis desculptum, textu pellucido tegendo nudavit, anhelum adhuc ab opere belli, et ut mollius ventilante serico extinxit. Non erat satis animi tumens Macedo, nisi illum etiam vestis inflatior delectasset.* Hinc purpureum diadema albo distinctum, quale

A Darius gestaverat, capiti circumdedit, et vestem Persicam induit, ait Curtius.

Denique in pardo notatur ingens gloria Alexandri, quam sibi ex tot gentium subiugatione comparavit. Hanc enim figurat variegata, et ocellis quasi interstincta pardi pellis, *quæ facit eas bestias memorabiles*, ait Solinus c. 21. Sicut ergo inter aves pavo ob caudam versicolorem et ocellatam, inanem mundi gloriam mire exprimit; ita inter feras eamdem optime repræsentat pardus ocellis variegatus. Et sicut pavo in pennis superbit, in pedibus se deiicit: ubi enim suos despicit pedes, speciosum plumarum orbem deprimit, expansumque contrahit: sic et pardus in ocellis superbit, at ubi pedes bestiales intuetur, fastum ponit. Ita et Alexander animos et cristas deiecit, cum pedes hominis intuitus, fragilem sese et mortalem in morte agnovit. Ita Alcazar in Apocal. cap. 13. v. 2. pag. 685.

Et quatuor capita.) Hi sunt quatuor præcipui Alexandri duces, quibus et imperium divisit, scilicet Philippus, cui cessit Macedonia; Antigonus, cui cessit Asia Minor; Seleucus, cui Syria; Ptolemæus Lagi, cui Ægyptus: ita S. Hieron. et passim alii.

Et potestas data est ei.) Indicat Alexandrum non tam suis viribus, quam Dei dono suam monarchiam constituturum.

Et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis.) Est hæc quarta Romanorum monarchia. Vidit Daniel certam bestiam, sed nobis incognitam, quia eam non exprimit, idque ut significet incomparabilem potentiam et ferociam Romanorum, cui significandæ nulla species bestiæ nobis cognitæ satis idonea reperiretur. Quare more suo divinant, imo nugantur Rabbini, dum hanc bestiam volunt fuisse aprum illum de quo Psal. 79. 14. *Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam.* Quo loco prædici putant excidium Iudææ per Romanos sub Vespasiano, ut is ipse sit aper; sylva autem sit Roma, quam ante conversionem ad Christum recte S. Leo in serm. de S. Petro, vocat sylvam frementum bestiarum. Verum errant: nec enim aper sævior est leæna, urso et pardo.

Vers. 7. IV. Regnum Romanorum comparatur bestiæ incognitæ.

Porro Daniel quartæ huius bestiæ speciem et nomen non exprimit: quia varia fuit et monstrosa, ut significaret Romanorum regimen fore novum, et varium: primo enim Reges illud administrarunt; secundo, Consules; tertio, Decemviri; quarto, rursus Consules, additusque Dictator; quinto, Imperatores, Consulibus et Tribunis remanentibus. Itaque una monstrosa respublica ex monarchia, aristocratia et democratia conflata est, quæ non unum imperium, sed omnia orbis imperia complexa est, ita ut *Roma esset quasi compendio mundus*, ut ait S. Cyprian. ep. 45. Talis bestia, sed fabulosa est illa apud Lucretium lib. 5.

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.

Et illa apud Virgil. 4. Georg.

Aut ibi fit subito sus horridus, atraque tigris,
Squamosusque draco, et furva cervice leæna.

Talis fuit et sphinx, cuius speciem triformem, æque ac ænigma ab ea propositum ita describit Ausonius in Grypho ternario:

Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes, omnia solus:
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo triformis:
Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Porro hoc sphingis ænigma Œdipus solvit: Homo, ait, significatur, qui primum infans manibus pedibusque repit, ut quadrupes: firmior dein et grandior, incedit bipes: demum senex et imbecillis, tamquam tripes, baculo innixus graditur. Homo ergo mane est quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes.

Septem epitheta Romanorum.

Nota. Daniel hanc bestiam, puta Romanorum monarchiam, vocat primo, terribilem; secundo, mirabilem, id est stupendam, et horribilem; hoc enim est Chald. אימתני emtani, unde et Theodotion vertit, φοβερον και εκθαμβον; tertio, valde fortem; quarto, ait eam habuisse dentes ferreos, et magnos, id est magnos fortesque exercitus; bestiæ enim arma sunt dentes; quinto, vocat bestiam come-

dentem atque comminuentem, id est discerpentem, quod homines quasi devorare videtur; sexto, dicit eam reliqua quæ non comedit et discerpsit, pedibus conculcasse, ut faciunt bestiæ, quæ homines non comedunt, nec occidunt, sed conculcant: quo significat fore ut Romani, quos non occiderint, tributis subigant; septimo, dicit eam decem cornua habuisse, id est decem reges potentes (uti ait angelus v. 24. et S. Ioannes Apocal. 17. 12.) qui erunt sub finem mundi ante iudicium, uti innuit angelus v. 26. et v. 9. ac 13. Vide dicta Apocal. 17. 12.

Vers. 8. Cornu modicum quod? I Sententia, esse Antioch. Epiphanem.

ET ECCE CORNU ALIUD PARVULUM ORTUM EST DE MEDIO EORUM.) Primo, Porphyrius apud S. Hieron. censuit hoc cornu fuisse Antiochum Epiphanem; sed hic in tertia fuit Græcorum monarchia: Daniel vero modo agit de quarta Romanorum.

II. Esse Christum.

Secundo, Iudæi volunt hoc cornu esse Christum, qui tribus annis cum dimidio prædicavit, hic bellum fecit cum sanctis, inquiunt, quia legem Mosis et Iudæorum evertit. Sed hæc blasphemia est stolida æque ac impia. Nam si ita est, cur ergo post mortem Christi non regnant Iudæi? hoc enim de sanctis contra quos cornu illud pugnavit, asserit hic Daniel v. 18 et 27. imo vero cur post necem Christi Iudæi a Tito sunt excisi? cur Christi regnum post eius necem magis floruit, totumque orbem sibi subegit? contrarium enim plane prophetat de cornu hoc Daniel.

III. Esse Papam.

Tertio, Lutherani per hoc cornu accipiunt Romanum Pontificem; sed insulse et absurde, ut fatetur ipse Calvinus: necdum enim decem cornua, et multo minus hoc undecimum nata sunt; sed adhuc nascitura expectantur.

IV. Esse Turcam.

Quarto, per hoc cornu Vatabl. et alii intelligunt Turcam, qui parvis initiis crescens, duo cornua, id est duo regna, puta Constantinopolitanum et Ægypti, superavit: superest tertium cornu ei superandum. Aut tria hæc regna sunt Asiæ, Africæ et Ægypti; quæ ipse iam occupavit. Huc pertinet Ioannis Annii et Hectoris Pinti sententia, cornu hoc esse Mahometem. Verum nec Turca, nec Mahomet decem cornua evertit, nec tantum tribus annis cum dimidio regnavit, sed pluribus; nec adhuc nasciturus, sed iam pridem natus est.

V. Et vera, esse Antichristum.

Ergo dicamus, ait S. Hieronym. *quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt in consummatione mundi quando regnum Romanorum destruendum est, decem futuros reges*, quasi decem cornua, qui orientur quidem ex Romano imperio, sed non erunt Romani Imper. *qui orbem Romanum inter se divident*, tumque *undecimum* cornu parvum, id est, *regem parvulum surrecturum* (scilicet Antichristum) obscuro loco natum, et plebeium, *qui* sensim crescens, *tres reges de* illis *decem superaturus est*, scilicet *regem Ægypti, regem Africæ, et regem Æthiopiæ, quibus interfectis etiam reliqui septem reges illi victori colla submittent,* ut dicitur v. 24. ita S. Hieron. Theodor. Iren. libr. 5. et Lactant. lib. 7. cap. 16. Iosephus Acosta lib. 2. de tempor. novis. cap. 9. Ribera, et passim interpretes tam hic, quam Apocalyp. 13. et 17. Unus dubitat S. August. l. 20. Civit. 23. an decem reges non vocentur omnes reges, ut numerus finitus ponatur pro indefinito; eo quod suo tempore distinctio et divisio Imperii, tantum Orientis et Occidentis a Cæsaribus facta esset: erant enim duo tantum orbis Imperatores, et quasi reges. Unde verebatur Augustin. ne forte in hisce decem regibus eos expectantes falleremur: quia videbatur ei Antichristus non longe abesse, nec videbat quomodo tam cito duplex regnum in decuplex scinderetur. Verum hoc iam vereri non debemus, cum de facto idipsum videamus, atque in orbe facile decem, imo plures reges absolutos, nullique subiectos numeremus. Hinc rursum sequitur errare eos, qui per decem reges accipiunt decem Imperatores Romanos, qui olim persecuti sunt Ecclesiam, scilicet Neronem, Domitianum, Traianum, Antoninum, Severum, Aurelianum, Decium, Maximianum, Valerianum, et Diocletianum. Nam hi decem reges erunt in fine mundi, et tres ex eis occidet Antichristus, mox reliqui septem territi ei se subdent. Explicari enim nequit, quomodo Nero, Decius, Severus aut quis alius illorum decem primorum Imp. ab

A Antichristo conterendus sit. Iam, An Roma a decem regibus evertenda sit ante Antichristum, an sub Antichristo, disserui et resolvi Apocal. 17. 16.

Oculi hominis, quid?

Porro dicitur rex ille habiturus *oculos hominis*, ne diabolum fore putemus, uti aliqui putarunt; sed hominem, in quo totus Satanas habitaturus est corporaliter: ita S. Hieron. Secundo, et melius, oculi hominis significant humanam sapientiam et prudentiam Antichristi, qua multos seducet, inquit Theod. item humanitatis, virtutisque simulationem, qua multos alliciet. Maldon. vero putat per oculos notari superbiam Antichristi: hæc enim in oculis maxime apparet. Habebit etiam *os loquens ingentia*. quia erit homo peccati, filius perditionis, ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum. Mystice vide S. Greg. 32. Moral. 12.

Hinc patet, Antichristum nondum venisse, tum quia hæc decem cornua, quorum tria a cornu parvulo contrita sint, nondum visa sunt, tum quia angelus v. 26. indicat eum venturum in fine mundi, et per Christum occidendum esse, *ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem.* Unde S. Paulus ait, quod Christus eum interficiet spiritu oris sui. Vide dicta 2. Thess. 2. 3. et sequent. B

Vers. 9. V. Regnum Christi gloriosum.

ASPICIEBAM DONEC THRONI POSITI SUNT.) Nota. Post quatuor monarchias Daniel hic, æque ut c. 2. v. 44. describit regnum Christi, quod illis succedet in fine mundi: depingit ergo Daniel hic Dei maiestatem, quasi de Christo et Antichristo iudicantem, causamque Christo adiudicantem, illique regnum tradentem: regnum inquam, non tantum spirituale, uti c. 2. v. 44. sed et corporale, puta gloriosum, quando post quatuor monarchias, et regnum Antichristi eversum, Christus in die iudicii hostibus, puta reprobis, in ignem æternum retrusis, accipiet a Patre regnum stabile, quo in cælo, et in terra in omnem æternitatem regnabit.

Symbolice, thronus significat Dei primo, maiestatem; secundo, regnum et imperium; tertio, potestatem iudiciariam; quarto, immobilitatem et immutabilitatem, uti docet S. Dionys. de Divin. nom. cap. 9. C

Nota. Hi throni ponuntur Deo Patri; ipse enim est hic iudex: plures autem sunt, ut ipse in aliis Christum regem quasi inaugurandum, eiusque Apostolos constituat; aut potius, ut per plures thronos maior sanctiorque maiestas Dei iudicis repræsentetur: hoc enim fit cum iudex multos, quasi consiliarios, aut rex plures principes circumsedentes habet, quam cum ipse solus sedet. Simile est Apoc. 4. et 5. Angeli ergo quasi consiliarii Dei hic in thronis consident, ut regna inter homines distribuant. Sic enim cap. 4. 14. angeli quasi iudices in causa Nabuchodonosoris, de regno ei auferendo inducuntur; *In sententia*, inquit, *vigilum decretum est:* ita Maldon.

ANTIQUUS DIERUM SEDIT.) Non Christus, ut vult S. Hieron. sed Deus Pater. Christus enim hic potius est iudicandus, quam iudex. Sedet ergo hic Deus Pater in tribunali, Filius vero ad eum quasi causam acturus adducitur (simile est Apoc. c. 4. et 5.) Certat enim cum Antichristo de regno, quod Pater illi attribuit. Unde patet, D directe et proprie non agi hic de ultimo iudicio (ut nonnulli censent) quo Christus corporaliter et visibiliter iudicabit vivos et mortuos; sed de alio spirituali et invisibili, quo Deus Pater sub idem tempus Antichristum, omnesque eius asseclas Christi hostes conteret, Christoque subiiciet: sicuti simili iudicio sibi subiecit et prostravit Antiochum, Nabuchodonosorem, aliosque tyrannos. Recte tamen hæc omnia adaptes diei iudicii: eius enim præludium et inchoatio hic describitur. Erit enim hoc Dei iudicium, extremo iudicio Christi simile, vicinum et prævium, ad illudque viam sternet, creando Christum iudicem.

Antiquus dierum est Deus Pater, cur?

Nota. Maiestas Dei Patris hic describitur, dicendo primo, quod sit antiquus dierum; tum quia ipse plenus est dierum; tum quia fuit ante omnes dies et tempora; tum quia conditor est omnis temporis, atque in se, suaque æternitate eminenter continet omnem temporis antiquita-

tem. Unde S. Dionys. c. 10. de Divinis nom. *Dierum,* ait, *antiquus laudatur Deus, propter hoc quod omnium ipse est et ævum, et tempus, et ante dies, et ante ævum, et tempus et diem; sicut existens intransmutabilis et immobilis, et in hoc quod semper movetur manens in seipso; et sicut ævi et temporis et dierum causa.* Tum quia Filio suo antiquior est, id est prior origine, qua Filius est Deus; et etiam prior tempore, qua Filius est homo: tum denique quia immensam habet sapientiam et experientiam: hæc enim in iudice maxime requiritur, estque in senibus: nam, ut dicitur Ecclesiastici 28. 8. *Corona senum multa peritia;* et Iob. 12. 12. *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Aliqui teste Theodoreto pro *antiquus dierum,* vertunt, *antiquans dies;* quod videlicet sua æternitate transcendat omnes dies et tempora, eosque quasi se inferiores antiquet, abroget, aboleat; cum ipse stabilis maneat et vegetus, expers omnis mutabilitatis, successionis et defectus.

Sic veteres, Poetæ præsertim, finxerunt Saturnum, Iovis deorumque patrem, esse senem, annisque saturum, indeque vocari Saturnum. Audi Ciceron. lib. 2. de Natura deorum: *Saturnum eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret: qui Deus Græce idipsum nomen habet: Κρονος enim dicitur, qui est idem χρονος, id est spatium temporis. Saturnus autem est appellatus, quod saturetur annis. Ex se enim natos comesse fingitur solitus; quia consumit ætas temporum spatia, annisque præteritis insaturabiliter expletur.* Alii Saturnum censent dici Cronon, velut a satietate intellectus: Græce enim est κορος satietas, νους mens et intellectus. *Saturnus* ergo, inquiunt, est nomen compositum ex prima parte Latina, posteriore Græca, estque idem quod saturitas mentis, quam solus præstat Deus. Secundo, dicitur sedisse, per catachresin, id est summa tranquillitate, auctoritate et maiestate exercuisse iudicium, quo Filio traderet meritum ab eo regnum. Tertio, capillos habet candidos, id est comas, *quasi lana munda,* id est alba, quæ nullo nisi nativo colore est tincta, quia senum est canities. Rursum, capilli lanæ similes innuunt, in divinis iudiciis, etiam in extremo illo die, multum mollitudinis et clementiæ admistum iri: Deus enim fæcem rigoris sui nunquam exhaurit, ait Anton Fernand. visione 21. comment. 2. sect. 2. Quarto, vestimenta habet candida; quia purissimus est: est enim ipsa æterna et increata lux; unde Psal. 103. 2. dicitur, *Amictus lumine sicut vestimento:* quia enim candor inter omnes colores maxime refert lumen, et plurimum habet lucis; hinc alba vestis semper Deo tribuitur, quæ eius claritatem et gloriam significat.

Capilli eius candidi.

Et vestes.

Ænigma

Extat hac de re priscorum magorum ænigma: *Est res undique lucida; est res undique obscura; est partim lucida, partim obscura:* scilicet in ordine corporum, res undique lucida est stella quælibet supra lunam: obscurus est undique aer: partim lucet, partim obscuratur luna. In ordine vero spirituum, res undique lucida est Deus et mens divina: anima irrationalis est undique obscura: partim lucida, partim obscura est intellectus et ratio. Hinc Apost. 1. Corint. 3. 13. ait quod dies Domini (puta dies extremi iudicii) in igne revelabitur, in igne inquam, tum proprio quo mundus conflagrabit; tum metaphorico, qui erit clarum et exactum, ac quasi igneum examen operum cuiusque. Unde Caiet. ibidem ait: *Erit dies ille claritas omnium operum; quia in igne metaphorico rigorosi examinis revelabitur.*

Thronus flammeus.

THRONUS EIUS FLAMMÆ IGNIS.) Thronus eius est flamma, imo flammæ multæ. Flammeus thronus Dei Patris significat primo, eius gloriam inaccessam et immensam; secundo, sinceritatem, et manifestationem publicam divini eius iudicii; tertio, eiusdem efficaciam, et Antichristi ac reproborum punitionem per ignem gehennæ. Hinc a Paulo Deus vocatur ignis consumens. Ita S. Hieron.

Rotæ igneæ.

ROTÆ EIUS IGNIS ACCENSUS.) Septuagin. *ignis ardens;* Vatabl. *ignis flagrans.* Thronus hic habet rotas, sive quia tales erant olim regum throni; unde Vatabl. Solia, inquit, regum olim erant versatilia, et uti currus triumphales, extruebantur: sive ut significet Dei, tum gloriam, tum providentiam, quæ quasi curru rotisque vecta per omnia discurrit, de qua re dixi in curru Cherubim, Ezech. 1. 15. Significatur ergo hic quod Deus Pater quasi immobilis secundum naturam quidem in throno consideat, secundum tamen rotas suæ potestatis et efficacitatis, per omnia quæ in cælo et in terra sunt, permeet efficacissime et celerrime, ideoque rotæ sunt igneæ. Confirmatur ex hoc loco usus Ecclesiasticus pingendi Deum: cur enim quem Script. verbis pingit, imo qui seipsum imagine hac sui in phantasia Danielis depinxit, nobis simili imagine et coloribus pingere non liceat? non enim per imaginem conamur Dei naturam exprimere, utpote quæ neque coloribus, neque verbis, neque cogitatione pingi potest; sed ut eius effecta et proprietates hac ratione, qua una id possumus, exprimamus, quemadmodum angelos, iustitiam, prudentiam, cæterasque virtutes pingere solemus: ita Maldon. Quod enim describitur, idem et pingitur, cum sit eadem ratio utriusque, styli nimirum et penicilli. Hinc Spiritus sanctus pingitur specie columbæ, quia hac descendit in Christum; et specie linguarum ignearum, quia hac illapsus est in Apostolos die Pentecostes.

Deus hic suam imaginem pinxit in mente Danielis.

Allegorice, Rupert. Thronus, inquit, Dei est Ecclesia, et singuli Sancti; perinde ut inter angelos ordo Thronorum dicitur ex eo, quod ipsi sint quasi throni Dei. Thronus ergo Dei est S. Petrus, S. Paulus, S. Franciscus, etc. Nix et lana munda est gratia et remissio peccatorum. Fluvius igneus est Spiritus sanctus, datus in Pentecoste: tunc Ecclesia habuit rotas igneas, id est prædicatores amore Dei succensos. Hi enim vocantur rotæ igneæ: *Quia cum ex Dei desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent, alios accendunt,* inquit S. Gregor. hom. 5. in Ezech. Unde tunc millia millium hominum, id est innumerabiles, cœperunt ministrare Deo per vitam activam, et alii eidem assistere per vitam contemplativam.

Allegor.

FLUVIUS IGNEUS RAPIDUSQUE.) Quasi ex igneo fonte (instar Ætnæ) Deo, fluvius igneus emanat, qui significat sententiam eius, utpote summi iudicis efficacissimam et celerrimam, inquit S. Hieronym. Hic ergo fluvius est gladius anceps, utrimque acutus et scindens, quem procedere de ore Christi iudicis vidit Ioannes Apocal. 1. 16. de quo et Mosi dixit Deus Deuter. 32. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea.* Idem ergo est fluvius igneus rapidusque, quod gladius fulgurans, ac rapide vibratus in iudicium, qui instar citatissimi fluminis Antichristum, aliosque hostes Christi prosternet, afflabit, et in tartarum præcipitabit. Alii per hunc fluvium igneum accipiunt ignem conflagrationis mundi, de quo dicitur psalmo 96. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius.* Verum hic iudicium, non Christi, sed Dei Patris pro Christo contra Antichristum describitur, ut dixi vers. 9. Prior ergo sensus est genuinus.

Vers. 10. Fluvius igneus.

Symbolice, S. Dionys. de Cælesti hier. cap. ult. has rotas, currus, et flumen adaptat angelis Dei. *Ignea,* inquit, *flumina divinos significant latices, largissimam angelis atque indeficientem inundationis copiam largientes, vitalisque fœcunditatis altores: currus autem coniunctam similium et æqualium societatem signant: rotæ vero quæ altæ quidem sunt, cæterum in anteriora semper absque ulla conversione, in nullam partem declinando, incedunt, vim profecto actionis angelicæ, qua rectam semper viam atque arduam pergunt, insinuant. Quippe omnis illorum cursus, spiritualisque rotatus ad viam illam erectam, atque arduam cælesti intentione dirigitur.* Deinde alium rotarum affert sensum. *Est enim* (inquit) *eis, ut Propheta* (Daniel) *ait, cognomen inditum gagil, quod Hebræorum voce revelationes, ac revolutiones significat: igneæ namque et divinæ rotæ reggrationes quidem habent, quod sempiterno motu circa summum idem versentur bonum; revelationes autem, quod occulta sacramenta revelent, et humiliores quosque promoveant, sublimesque divini fulgoris radios in inferiora descendendo transfundant.*

Symbol.

Millia millium.) Septuag. χίλιαι χιλιάδες, id est millies millia, id est millio, puta decies centena millia. Secundo, et melius, millies millia, id est plurima millia angelorum ministrabant Deo: non enim certum ministrantium numerum designat, sed tantum significat eum esse maximum. Tertull. contra Praxeam legit, *millies centies centena millia assistebant ei, et millies centena millia apparebant ei.* Præclare S. Sophronius Archiepisc. Hierosolymæ tomo 2. Biblioth. SS. Patrum orat. 6. de angelorum excellentia eos ita compellat et invocat: *Vos omnium regis estis administri, vos venti, et spiritus, et aquæ, et principes, et equi, et exercitus, et Diaconi, et Apostoli, et prædicatores, et Prophetæ, et Evangelistæ, et rerum divinarum interpretes, et custodes, et præsides, et conservatores, et abactores et conductores, et viæ duces, et inquisitores, et libripendes, et calculatores, et curatores, et illuminatores, et opum datores, et luminaria, et lampades, et montes, et colles, et nubes, et iudices, et susceptores, et relatores, et defensores, et decertatores, et propugnatores, et divina specula, et simulacra, et imagines, et nautæ, et naves, et gubernatores. Vos ii estis qui cælum cursu expeditissimo transmittitis, qui creatoris voluntatem indefesse perficitis, qui mentes Deique tabernacula appellamini, qui carbones, et turbines, et flammæ nominamini; conservate viam meam inoffensam, spem infractam, dilectionem erga Deum et proximum integram.*

Et decies millies centena millia.) Id est mille milliones. Errant ergo in computu, qui putant esse tantum centies centena millia, id est decem milliones, cum sint mille; Syrus et Arabicus, *myriades myriadum stant coram eo.* Sic et græce est μύριαι μυριάδες, id est decies millies dena millia, id est centum milliones. Verum ut dixi, non significatur hic numerus certus, sed indefinitus, isque maximus. *Myriades* ergo *myriadum*, idem est quod plurimæ myriades. Unde Cyrillus Hierosol. catechesi 15. notat longe plures esse angelorum myriades, Danielem tamen has tantum consignare, quia maiorem numerum, quem homines mente concipere possent, exprimere nequibat. Sensus ergo est, q. d. Plurimi, et quasi innumerabiles angeli assistebant ei. Hinc S. Dionys. et Theologi docent, numerum angelorum proprie quidem non esse infinitum, sed limitatum et finitum; eumdem tamen esse plurimum, et hominibus incomprehensibilem, ac superare numerum rerum corporearum, adeo ut S. Dionys. Cælest. hier. 13. et 14. asserat eum soli Deo esse cognitum. S. Ambros. explicans parabolam ovis centesimæ perditæ et reductæ a Christo, Lucæ 15. innuit omnes homines esse centesimam portionem numeri angelorum. Vide Gab. Vasquez 1. p. q. 53. disput. 180.

Angelorum numerus est maximus.

Rursum ex hoc loco S. Dionys. D. Thom. 1. parte quæst. 112. art. 2. et 3. et eius asseclæ ibidem, distinguunt angelos ministrantes, qui scilicet a Deo in terram, et ad homines mittuntur, ab assistentibus, qui Deo semper assistunt; adduntque quatuor supremos ordines, scilicet Seraphim, Cherubim, Thronos et Dominationes esse assistentium; reliquos quinque inferiores esse ministrantium, illosque his longe esse numerosiores.

An alii angeli sint ministrantes, alii assistentes?

Verum ad Hebr. 1. 14. docui omnes angelos esse ministrantes: nam, ut ait Apostolus, *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi:* esto alii, ut inferiores, crebrius mittantur; alii, ut superiores, rarius, Deoque fere semper assistant: et hac ratione hi assistentes, illi ministrantes dici possunt.

Adde, hoc loco non esse diversa angelorum officia, assistere, et ministrare; sed unum idemque: est enim posterius prioris repetitio, iuxta can. 25. solent enim qui ministrant astare Domino, intentosque in illum oculos habere; nec aliter eos omnes ministrare videre potuit Daniel. Ita Gabriel, qui est ex assistentibus, ut patet Lucæ 1. 19. est etiam ex ministrantibus qui foras mittuntur. Nam missus est ad Danielem cap. 8. 16. et ad B. Virginem Lucæ 1. 26. Ita Michael, qui Angelorum, et consequenter Seraphinorum Deo assistentium est primus, ministrat, et pugnat pro Ecclesia et fidelibus, Daniel 10. v. 13. et cap. 12. 1. Ita septem spiritus, id est principes angeli, qui in conspectu throni Dei sunt Apocal. 1. 4. ideoque sunt ex assistentibus, dicuntur *missi in omnem terram*, cap. 5. 6. Iidem ergo sunt assistentes, qui et ministrantes: quia quocumque mittantur, semper vident faciem Patris, ut ait Christus Matth. 18. 10. Proprie tamen dicuntur assistere, cum Deo astant in cælo empyreo: ministrare vero, cum foras mittuntur. Ita Molina 1. p. quæst. 112.

Quod vero numerus posterior maior sit priore, id tantum confirmationis et auxesis causa fit, ad declarandam angelorum innumerabilitatem. Sic enim cum maximum numerum militum vidimus, dicimus nos vidisse decem millia, moxque resumpto spiritu, cum putamus nos nimis parum dixisse, addimus, dicimusque nos vidisse viginti, imo triginta millia. Ita Maldon. Tropolog. S. Clemens l. 5. Constit. Apost. cap. 14. hunc numerum refert ad homines fideles et electos. Hi enim, inquit, sunt *plenitudo numeri eorum, qui salvi fiunt, Millia millium, et decies millia centena millium.*

Moraliter, dum psallis cogita, *In conspectu angelorum*, imo cum angelis, *psallam tibi:* dum oras, hæc tibi sit compositio loci, ut cogites te coram Deo consistere, cui tot myriades angelorum ministrant: dum doces, dum studes, dum operaris, cogita, Illi, et in eius præsentia doceo, studeo, operor, cui millia millium ministrant, et decies millies centena millia assistunt. *Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet a palude sua procedens et repens ranuncula vilis?* (qualis est omnis homo, etiam reges, ut Alexander et Darius cap. 8. 3.) *quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilis et sollicitus, et toto intentus animo maiestati gloriæ, in præsentia angelorum, in concilio iustorum et congregatione assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipue in oratione,* ait S. Bern. ser. de quatuor modis orandi.

Iudicium sedit.) *Iudicium*, id est iudex, vel iudices, sive tota iudicum corona et ordo, ut ait glossa, scilicet Deus Pater, eiusque assessores angeli visi sunt mihi sedere in thronis. Sic dicimus, magistratus sedit, vel decrevit hoc aut illud, id est ii qui sunt e magistratu, sederunt vel decreverunt. Congruum est ut iudices sedeant, tum ad auctoritatem, tum ad tranquille et sedate iudicandum. Nam, ut ait Aristot. l. 6. Physic. *Sedendo, et quiescendo anima fit prudens;* quia hoc situ anima quiescit, nec distrahitur mens ad alia agenda, aut cogitanda. Porro iudicium hoc est Dei Patris, ut dixi, quod tamen perficiet et complebit Christus in die iudicii, damnando impios.

Et libri aperti sunt.) Per libros accipe non hominum conscientias, *quæ scriptæ sunt non atramento,* sed *flagitiorum inquinamento,* inquit S. Ambros. in psalm. 1. et Theodor. (nec enim Antichristus, eiusque conscientia in hoc Dei Patris iudicio comparuit) neque librum vitæ et mortis, ut S. Hieron. neque vetus et novum testamentum, ut alii; sed accusatorum obiectiones, et defendentium patronorum responsiones. Tria enim librorum genera in Dei iudicio sunt: unus liber est angelorum, aut dæmonum accusantium; alter angelorum defendentium; tertius liber vitæ, ex quo iudex profert quodammodo sententiam. Id colligitur ex Apocal. 20. 12. *Libri,* inquit, *aperti sunt, et alius liber apertus est qui est vitæ.* Vide ibi dicta. Significat ergo hic Daniel in divino iudicio astantibus angelis de quarta bestia, deque eius undecimo cornu, id est de Romano Imperio, et Antichristo disputatum esse, librosque tam accusantium quam defendentium apertos fuisse, id est expositas fuisse in utramque partem rationes, ac præsertim quod iam impleta esset mensura peccatorum Antichristi, omniumque eius asseclarum. Denique examine adhibito pronuntiatam esse sententiam, quartam bestiam de medio tollendam, regnumque æternum Christo tradendum esse. Est catachresis. Ita Mald. Dogmatice libris hisce apertis significatur, iudicis esse di-

Triplex liber in Dei iudicio.

ligenter iura, causæque acta evolvere, ne pati faciat iniuriam. Nam *ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis,* ait S. Aug. l. 10. de Civit. 6.

Moraliter, vide quid hic agas: quiquid enim egeris, in libris hisce scribitur, qui hic clausi sunt, sed pandentur et legentur in die iudicii. Audi S. Basilium lib. de Vera virginit. *Quæ prius corpore, quasi veste contecti, minime habere putabamur, ea nudata se omnium oculis ingerent, nullusque iam vel negationi, vel defensioni erit locus, quando ipsa cernentur opera in suo auctore conspicua. Non enim confuse, sed singula per partes, ut sese habeant, velut in pictura noscentur.* Et S. Ephrem lib. de Vera pœnitent. cap. 4. *Unusquisque cernet ante faciem suam exposita opera sua, sive bona illa, sive mala præmisit. Formidabiles libri aperientur, in quibus scripta sunt opera nostra, et actus, et verba, et quæcumque egimus in hac vita: nec solum actus, sed et cogitationes et intentiones cordis.* Et S. Chrysost. hom. 5. in epist. ad Roman. *Quid,* inquit, *tunc nobis miseris fiet, cum omnia orbi universo palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum partim nobis cognitorum, partim incognitorum oculis subiicientur?* Tunc, ut ait Isaias c. 24. 23. *Erubescet luna, et confundetur sol.* Et S. Ambros. in Apologia David: *Væ,* ait, *mihi, quia latere cupio, et latere non possum: quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum iudicia peccatorum?* Et S. Aug. in psalm. 49. v. 21. ad illa verba: *Arguam te, et statuam contra faciem tuam*: *Ordinabuntur,* ait, *ante infelicem animam peccata sua, ut et eam convincat probatio, et confundat agnitio.* Et S. Bernard. in tract. de convers. ad Clericos cap. 2. *Aperitur,* ait, *conscientiæ liber, revolvitur misera vitæ series, tristis quædam historia replicatur, illuminatur ratio, et evoluta memoria velut quibusdam eius oculis exibetur. Utraque vero non tam ipsius est animæ quam anima ipsa, ut eadem sit et inspiciens et inspecta, contra suam statuta faciem; et a violentis quibusdam apparitoribus immissarum utique cogitationum, iudicanda cogitur assistere tribunali.*

Symbolice, S. Greg. 33. Moral. 6. Christum visum in iudicio vocat librum vitæ. *Liber,* inquit, *vitæ est ipsa visio advenientis iudicis, in quo quasi scriptum est omne mandatum: quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quid non fecit intelliget.* Et S. Anselm. in Elucidario, librum vitæ ait esse vitam Iesu, quæ omnibus est norma vivendi, et quasi lex per quam omnes iudicabuntur.

Vers. 11. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium.) q. d. Spectabam quem exitum habitura essent verba illa, superbiæ et contumeliæ in Deum plena, quæ quartæ bestiæ cornu undecimum, puta Antichristus, loquebatur; ac paulo post vidi bestiam ipsam interimi, et igni tradi, id est vidi Romanum Imperium prorsus aboleri, et quasi in cinerem redigi.

Vers. 12. Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas.) q. d. Vidi etiam tria priora imperia, puta Babyloniorum, Persarum et Græcorum periisse.

Et tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus, et tempus.) Chald. עד זמן ועדן *ad zeman veiddan,* id est usque ad tempus, et definitam periodum a Deo: qua evoluta vidi ea occidere et everti: nec enim positos a Deo terminos excedere potuerunt.

Vers. 13. Cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat.) Nota τὸ *quasi,* q. d. Visus sum mihi videre in somnis aliliquem instar hominis, vel habentem formam et speciem hominis, advenientem ad iudicem, scilicet Deum patrem, qui sedebat in throno: non enim videbat verum hominem, sed tantum hominis speciem, et phantasma a Deo sibi obiectum. Adde, Christus qui notatur, needum factus erat, sed adhuc futurus erat homo: hoc innuit τὸ *quasi.*

Tertio, Maldonatus censet τὸ *quasi,* non significare Christum non fore verum hominem, sed eum fore plusquam hominem; itaque in tempore præstituto demissam fuisse divinitatem in illo, ut cum verus sit Deus, sic tamen appareret quasi tantum esset homo. Unde S. Paulus Philip. 2. 7. ait: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Hic sensus sublimior est, prior vero planior et solidior. Unde Cyril. l. 2. in Ioan. cap. 73. ex hoc loco probat Christum non qua Deus, sed qua homo est, fore iudicem hominum.

Nota Primo. Pro *quasi filius hominis,* Chaldaice est כבר אנש *chebar enos,* id est quasi filius hominis miseri, ærumnosi, mox morituri, obliviosi, et oblivioni tradendi. Hæc enim omnia significat *enos.* Unde Psaltes admirans Dei in homines benignitatem: *Quid est,* inquit, *homo (*Hebr. *enos) quod memor es eius?* Hic ergo titulus, *filius enos,* est titulus summæ dignationis, quem in incarnatione assumpsit Christus, dum noster frater et consanguineus ita arcte fieri voluit, ut simul nostras ærumnas suscipere et sentire voluerit, ut eas in se expiaret, itaque eas in nobis curaret et aboleret. Hæc est philanthropia, id est singularis et mirificus ille in homines amor, quam admirans Apostolus ait ad Titum 3. 4. *Apparuit benignitas et humanitas* (græce φιλανθρωπία) *salvatoris nostri Dei.* Hoc est, *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne,* etc. 1. ad Timoth. 3. v. 16. nimirum, quod *Verbum factum est caro*: Verbum inquam illud æternum, omniscium, omnipotens, Deo consubstantiale, ipseque Deus de quo paulo ante dixerat Ioannes c. 1. 1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Hoc Verbum factum est caro, id est homo carneus, fragilis, vilis et miser. Rursum *filius hominis,* id est homo. Dicitur tamen filius, ut nova significetur dignatio ipsius, qua non a Deo creari, uti creati sunt Adam et Eva, sed ex homine, puta ex virgine, nasci dignatus est, ut idem esset virginis et Dei filius, virgini quasi matri subditus et obediens. Quocirca merito exclamat S. Bernard. serm. 1. super Missus est: *Utrinque stupor, utrinque miraculum; et quod fœminæ Deus obtemperat, humilitas absque exemplo: et quod fœmina principatur Deo, sublimitas sine socio. Erubesce cinis: Deus se humiliat, et tu te exaltas.* Atque ob hanc Christi immensam demissionem Deus in immensum exaltavit illum, fecitque eum qua homo est, regem angelorum, hominum et totius mundi principem, et iudicem omnium, ut ait hic Daniel, et S. Ioan. cap. 5. 27. *Dedit,* ait, *ei iudicium facere, quia filius hominis est.*

Nota Secundo. Loquitur hic Daniel non de Christi ascensu ad cælum, ut volunt aliqui, sed de adventu eius ad iudicium. Veniet enim in nubibus cæli Matth. 24. v. 30. sed antequam descendat ad iudicium, ducitur hic ad Patrem, ut subiiciat illi hostes, puta Antichristum, aliosque infideles et improbos, utque illi omnem potestatem iudicandi tradat. Porro nubes lucida et gloriosa symbolum est et velamentum divinitatis, qua de re dixi Ezech. 1. vers. 4.

Obtulerunt eum.) Chald. est הקרבוהי *hakrebui,* id est adduxerunt eum: hæc verba ergo non vim, sed honorem significant; scilicet quod Christus accinctus ad iudicium, multis angelis comitantibus ac deducentibus, adierit Patrem; indeque accepta potestate cum eis descenderit ad iudicium, ut dicitur Matth. 16. 27. Angeli ergo obtulerunt Christum Patri. Unde Tertull. lib. 3. contra Marc. 7. et S. Iustin. contra Tryphon legunt, *et qui assistebant ei adduxerunt eum;* et S. Cyprian. lib. 2. testim. *et qui assistebant ei obtulerunt eum.*

Et dedit ei potestatem.) Iudicandi et regnandi: licet enim eam habuerit Christus a primo instanti conceptionis suæ in actu primo, tamen in die iudicii eamdem a Patre accipiet in actu secundo, sive quoad exercitium, ut scilicet eamdem actu exerceat, et reipsa iudicium peragat. Vers. 14.

Et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient.) S. Iustin. et Cyprian. loco iam citato legunt, *omnes reges terræ per genus, et omnis claritas* (omnes clarissimi) *servient ei.*

Horruit spiritus meus.) Chald. est, *excisus,* vel *abbreviatus est spiritus meus,* Danielis inquam, *in medio va-* Vers. 15.

ginæ eius. Vagina animæ est corpus, q. d. Deliquium animi passus sum præ turbatione, et animo fui destitutus, ac quasi exanimatus. Quis non horreat hæc omnia, ac præsertim rigidum Dei iudicium considerans, in quo impiis omnia erunt terribilia? A dextris erunt peccata, a sinistris dæmonia, subtus horrens infernus, supra iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens; ubi iustus vix salvabitur, miser impius quid faciet? latere erit impossibile, apparere intolerabile, inquit S. Bernard. tract. de inter. domo cap. 38. *Iudicaturo Domino*, inquit S. Hieronym. ad Heliodorum, *lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt.* Merito ergo monet S. Bernard. serm. 55. in Cant. *Time scrutinium iudicis, time illum qui per Prophetam dicit: Scrutabor Ierusalem in lucernis; acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus eius.* Audi voces iudicatorum et damnatorum, Sapient. 5. *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum; nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Quid hic consilii? audi et fac quod suggerit S. Bern. loco citato: *Unum est, si nosmetipsos diiudicaverimus, non utique diiudicabimur: bonum iudicium, quod me illi districto divinoque iudicio subducit et abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis: volo vultui iræ iudicatus præsentari, non iudicandus: iudicabo proinde mala mea, iudicabo et bona: scrutabor vias meas et studia mea, quo is qui scrutaturus est Ierusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, nihil indiscussum inveniat.* Idem consilium dat S. August. serm. 181. de tempore. Hac de causa Iacobus Patriarcha Hierosolymorum, qui deinde Pontifex, Urbanus IV. est appellatus, symbolum præferebat, cor hominis palpitans in spineto, cum epigraphe, *Recordare novissimorum*, uti refert Sadoletus in symbol. tom. 2. p. 78.

Vers. 17. QUATUOR SUNT REGNA.) Chald. *quatuor sunt reges;* sed reges pro regnis accipit: non enim hic de personis, sed de rebus et regnis agitur.

CONSURGENT.) Tria ultima; nam primum, scilicet Chaldæorum regnum, iam surrexit.

Vers. 18 SUSCIPIENT AUTEM REGNUM SANCTI DEI ALTISSIMI.) Ita vertunt et Septuag. Vatabl. et alii, perperam ergo vertit Calvinus, *suscipient*, scilicet quatuor regna iam dicta, *regnum sanctorum*, id est sanctis debitum, q. d. Hæc quatuor regna in terra regnabunt, et occupabunt regnum, quod occupare deberent sancti: perperam inquam, nam quatuor hæc regna non regnarunt in sæculum, et in sæculum sæculorum: quod tamen hic dicitur. Significatur ergo hic regnum felix et beatum, quod post quatuor regna inibunt sancti in die iudicii, qui tum resurgent, et tam corpore quam animo beabuntur, regnabuntque cum Christo in æternum. Hinc patet, sanctos omnes in cælo fore reges cælestes et æternos, qui cælo, totique orbi dominabuntur. Unde Apoc. 5. 10. canunt, *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram.* Idque meruerunt tum sua humilitate, qua in hac vita fuerunt viles, despecti, et vexati ab impiis et Antichristianis: unde Christus id eis promisit dicens Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum:* tum sua fortitudine, qua sensibus, concupiscentiis, membris, opibus, honoribus, crucibus et morti dominati sunt.

SANCTI DEI ALTISSIMI.) Chald. est, קדישי עליונין *kaddisce elionin*, id est sancti altissimorum, id est sancti Dei altissimi: intelligitur enim *elohim*, quod quia est plurale hinc etiam eius epithetum *elionin*, id est altissimorum, est plurale. Aliter Maldon. censet enim Beatos vocari sanctos altissimorum eo quod locorum et bonorum altissimorum in cælis hæredes sint habitatores et possessores; eo quod hic altiorem in terris vitam egerint, dicentes cum Paulo, *Nostra conversatio in cælis est;* et cum Isaia, *Sustollam te super altitudines terræ.*

Vers. 19. DE BESTIA QUARTA.) Hæc est quarta monarchia Roman. cornua decem sunt decem reges futuri: cornu undecimum erit Antichristus, uti dixi v. 7. hoc prævaluit sanctis donec venit antiquus dierum, eiusque tyrannidem condemnavit, atque regnum tradidit Christo, et sanctis eius, uti in sequent. explicat Daniel.

IUDICIUM DEDIT SANCTIS.) *Iudicium*, id est potestatem et auctoritatem iudicandi, quia Sancti, præsertim Apostoli, eorumque sequaces, iudicabunt cum Christo, 1. Corinth. 6. 3. Matth. 19. 28. Vers. 22.

Aliter Maldon. *iudicium dedit sanctis*, id est, inquit, sententiam protulit secundum sanctos, aut in favorem sanctorum, adiudicavit sanctis regnum cæleste: sicut dicitur psalm. 81. 3. *Iudicare pupillo, et viduæ*, id est in favorem pupilli et viduæ.

ET SANCTOS ALTISSIMI CONTERET.) Chald. est יבלא Vers. 25. *ieballe*, id est veterascere faciet, atteret, consumet, uti vestes vetustate consumuntur. Unde Septuag. vertunt, παλαιώσει, id est veterascere faciet: pro quo alii corrupte legunt πλανήσει, id est seducet; S. Iustin. contra Tryph. καταστρέψει, id est evertet; alii, ταπεινώσει, id est humiliabit.

ET PUTABIT QUOD POSSIT MUTARE TEMPORA ET LEGES.) *Tempora*, Chald. זמנין *zimnin*, quod idem est cum Hebræo מועדים *moadim*, id est statuta tempora, puta stata festa, ut Paschæ, Pentecostes, Dominicæ, etc. *et leges* Chald. ודת *vedat*, id est *et legem*, scilicet Evangelicam, q. d. Antichristus abolebit festa omnia, omnemque legem, tam Christi, quam Mosis, novamque suam sectam et religionem in mundum inducet.

Aliter Maldon. *tempora*, ait, sunt præscripti a Deo singulis regnis termini: *leges* sunt Dei decreta, quibus constitutum est ut hoc regnum tantum, illud tantum temporis duret: quia, inquit, hic agitur de regnis, et de iudiciis divinis. Verum hoc remotius et obscurius est: prior ergo sensus est planior et germanior.

USQUE AD TEMPUS, ET TEMPORA, ET DIMIDIUM TEMPORIS.) Hic non est *zimnin*, vel *zeman*, ut paulo ante, sed עדן *iddan*, quod respondet Hebræo עת *et*, id est tempus. Calvinus vult per hæc non certum, sed incertum tempus, quo regnabit Antichristus, id est Pontifex Romanus, significari. Verum S. Hieron. Theod. Vatabl. hic S. August. lib. 20. Civit. 23. Iren. lib. 5. 30. Cyrill. catech. 25. Hippolyt. de Consum. sæculi, et passim veteres, per *tempus* accipiunt annum, per *tempora*, duos annos, per *dimidium temporis* dimidium annum; indeque communiter docent, Antichristum ut monarcham regnaturum tres annos cum dimidio. Probatur id Primo, quia ita se explicat Daniel cap. 12. cum enim v. 7. dixisset desolationem Antichristi duraturam in tempus, et tempora, et dimidium temporis, mox ea vers. 11. explicat dicens: *A tempore quo ablatum fuerit iuge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*, qui circiter tres annos cum dimidio efficiunt. Secundo, quia ita explicat S. Ioannes Apocal. 12. 6. cum ait mulierem, id est Ecclesiam, tempore Antichristi fugisse in solitudinem per dies 1260. qui faciunt tres annos cum dimidio; et rursum v. 14. ait datas esse mulieri alas, ut volaret in solitudinem usque ad tempus et tempora, et dimidium temporis: et cap. 13. 5. datam esse ait potestatem Antichristo per menses 42. qui pariter tres annos cum dimidio efficiunt. Tertio, quia erit tunc acerrima persecutio: unde Deus illi breve tempus constituit, ne in errorem inducantur electi, qui utique caderent si illa diutius duraret, uti ait Christus Matth. 24. 22. Quarto, quia decet ut Antichristus non permittatur diutius regnare et prædicare, quam Christus, qui tres annos cum dimidio evangelizavit.

Antichristus regnabit monarcha tres annos cum medio. — *Probat. 1.* — *2.* — *3.* — *4.*

Hinc patet, perperam nonnullos hos tres annos cum dimidio, referre ad persecutionem Antiochi; præsertim quia post hos annos mox *iudicium sedebit, ut regnum detur populo sanctorum* in cælis, uti subdit Daniel. Peius alii referunt hos annos ad tempus, quo Nero, aliique Imperatores Romani persecuti sunt Ecclesiam.

Nota. Pro Chald. עדנין *iddanin*, id est tempora, forte legendum est in duali עדנין *iddanain*, id est duo tempora, quanquam *iddanain*, plurale etiam pro duali poni-

tur: quia Chaldæi rarius duali, plerumque vero plurali, etiam pro duali utuntur, uti docet Guido Fabricius in Grammat. Syrochaldæa.

Vers 26. IUDICIUM SEDEBIT.) Iudices sedebunt, puta Deus Pater, eiusque angeli, qui auferent potentiam Antichristi, et dabunt regnum æternum populo sanctorum, uti dixit v. 10. ibi enim figuram, sive symbolum a se visum narravit; hic vero illud explicat.

Vers. 27. *Regnum sanctorum quid?* MAGNITUDO REGNI, QUÆ EST SUBTER OMNE CÆLUM, DETUR POPULO SANCTORUM.) Est hæc quinta monarchia, sive regnum sanctorum. Quæres, quodnam erit hoc regnum? Respondet Porphyrius fuisse regnum Machabæorum: hi enim vocantur sancti; quia pro Deo et lege pugnaverunt. Verum errat: nam illorum regnum non fuit æternum, sed tantum stetit in Iuda, Ionatha, et Simone, per triginta duos annos; deinde in posteris Simonis stetit usque ad Herodem per annos 126.

I. Sententia esse Machabæorum.

II. *Esse sanctorum, qui post resurrectionem in terra regnabunt.* Secundo, alii, ut Papias et Chiliastæ, per regnum hoc accipiunt mille annos, quibus ipsi putant Sanctos post resurrectionem in terra regnaturos cum Christo, ex Apocal. 20. v. 4. Verum hoc regnum est fabulosum; et esto esset verum, non tamen erit æternum.

Dico ergo, certum est hoc regnum fore Christi et Sanctorum, illudque non tantum spirituale, quale fuit in terra, cum ipsi persecutionibus, martyriis et morti essent obnoxii; sed etiam corporale ac gloriosum, quo scilicet Sancti et corpore et anima beati, cum Christo in cælis gloriose regnabunt in sæcula sæculorum. Porro hoc regnum inchoabit Christus et Sancti in terra, mox post necem Antichristi: tunc enim Antichristi regno everso Ecclesia ubique terrarum regnabit, et fiet tam ex Iudæis, quam ex Gentibus unum ovile, et unus pastor: et hoc innuitur hic, cum ait, non, *quæ est super*, sed *quæ est subter omne cælum*, id est quæ est in omni terra, sive in omni plaga cælo subiecta. Deinde paulo post hoc regnum confirmabitur et glorificabitur in cælis per omnem æternitatem.

III. Et vera, esse beatorum in cælo.

HUC USQUE FINIS VERBI.) Scilicet angeli, q. d. Hic finem dicendi fecit angelus, hic finita est visio quam hoc cap. enarravi. Hactenus Daniel scripsit chaldaice, reliqua vero deinceps scripsit hebraice.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Anno 1. Balsasaris vidit Daniel visionem cap. præced. de quatuor monarchiis; hic anno tertio Balsasaris videt ea, quæ in secunda et tertia monarchia futura sunt. Hæc ergo visio, licet sit alia, est tamen reipsa pars superioris prophetiæ: describit enim hircum cum ariete, id est Alexandrum cum Dario, Græcos cum Persis de imperio decertantes. Secundo, v. 9. describit unum cornu hirci, id est unum e successoribus Alexandri, puta Antiochum Epiphanem, eiusque potentiam et impietatem in Iudæos. Tertio, v. 15. Gabriel eo modo quo iam dixi, visionem Danieli interpretatur.

1. ANNO tertio regni Baltassar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel, post id quod videram in principio, 2. Vidi in visione mea, cum essem in Susis castro, quod est in Ælam regione: vidi autem in visione esse me super portam Ulai. 3. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, et unum excelsius altero atque succrescens. Postea 4. Vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem, et contra aquilonem, et contra meridiem, et omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius: fecitque secundum voluntatem suam, et magnificatus est. 5. Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ, et non tangebat terram: porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos. 6. Et venit usque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, et cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. 7. Cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, et percussit arietem: et comminuit duo cornua eius, et non poterat aries resistere ei: cumque eum misisset in terram, conculcavit, et nemo quibat liberare arietem de manu eius. 8. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cumque crevisset, fractum est cornu magnum, et orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cæli. 9. De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum: et factum est grande contra meridiem, et contra orientem, et contra fortitudinem. 10. Et magnificatum est usque ad fortitudinem cæli: et deiecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas. 11. Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est: et ab eo tulit iuge sacrificium, et deiecit locum sanctificationis eius. 12. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata: et prosternetur veritas in terra, et faciet, et prosperabitur. 13. Et audivi unum de sanctis loquentem: et dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti: Usquequo visio, et iuge sacrificium, et peccatum desolationis, quæ facta est: et sanctuarium, et fortitudo conculcabitur? 14. Et dixit ei: Usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti: et mundabitur sanctuarium. 15. Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem, et quærerem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. 16. Et audivi vocem viri inter Ulai, et clamavit, et ait: Gabriel fac intelligere istum visionem. 17. Et venit, et stetit iuxta ubi ego stabam: cumque venisset, pavens corrui in faciem meam, et ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio. 18. Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram: et tetigit me, et statuit me in gradu meo, 19. Dixitque mihi: Ego ostendam tibi quæ futura sunt in novissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem suum. 20. Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum. 21. Porro hircus caprarum, rex Græcorum est, et cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus. 22. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius. 23. Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, et intelligens propositiones: 24. Et roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis: et supra quam credi potest, universa vastabit, et prosperabitur, et faciet. Et interficiet robustos, et populum sanctorum. 25. Secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu eius: et cor suum magnificabit, et in copia rerum omnium occidet plurimos: et contra principem principum consurget, et sine manu conteretur. 26. Et visio vespere et mane, quæ dicta est, vera est: tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. 27. Et ego Daniel langui, et ægrotavi per dies: cumque surrexissem, faciebam opera regis, et stupebam ad visionem, et non erat qui interpretaretur.

Vers. 1. **Ego Daniel post id quod videram in principio.**) q. d. Post primam visionem quatuor bestiarum, de qua cap. præcedenti. Innuit hanc visionem pertinere, et quasi continuare præcedentem, ut dixi.

Vers. 2. **Cum essem in Susis castro.**) Daniel non erat Susis, sed in Babylone apud Balsasarem; sed per visionem videbatur sibi esse Susis: ita Theodor. Unde ex Hebræo ita vertit Vatabl *et in visione circumspiciens, visus sum mihi esse in Susis castro.* Sic Ezechiel cap. 11. 1. in spiritu fuit in Ierusalem, ibique multa vidit. Visus est autem sibi esse Susis: quia inde Cyrus, qui Babylonem caperet, et Balsasarem occideret, erat venturus. Susæ enim fuerunt regia Persarum: ita ex Aben Ezra Maldon.

Nota. Susæ non est vox Græca, uti censuit Aristobulus et Chares, sed Hebræa, Chaldæa et Persica, ita dicta a liliorum fertilitate et copia, ut habet Etymologicum magnum. Susan enim et Susanna hebr. significat lilium a radice שש *sces*, id est sex: lilium enim est sexaphyllon, hoc est sex habet folia. Sic Rhodus, id est rosa, dicta est insula, quia habet speciem rosæ.

Nota secundo. Susæ fuit urbs maxima, hic tamen dicitur castrum; quia undique validissimis mœnibus, et turribus instar castri erat munita. Ita S. Hieron.

In Ælam.) Ælam regio est Persidis: unde Ælamitæ sunt dicti. Planius respondet noster Anton. Fernandus tract. de vision. veter. test. visione 25. tempore Danielis Susan tantum fuisse castrum; sed postea amplificatas adeo esse res Susianorum, ut Susan fuerit metropolis Persiæ. Unde Plinius lib. 6. cap. 27. Susianos ab Ælamitis disterminat intermedio Euleo flumine. Sicut ergo tunc una provincia erat Ælamitica, ita altera erat Susiana.

Super portam Ulai.) Super portam urbis Susarum, quæ dicebatur Ulai. Vatabl. et Pagnin. vertunt *super*, id est iuxta, *flumen Eulcum:* hoc enim Susas præterlabitur; de quo Plinius lib. 6. cap. 27. et forte ab hoc flumine porta urbis dicta est Ulai; unde Symmachus vertit, *super paludem Ulai:* et sic noster interpres vertit v. 3. Utrumque est probabile; nam Daniel super portam, iuxta fluvium pos.tus in spiritu, vidit hircum in campo adiacente cum ariete pugnantem. Septuag. Theodot. et Aquila retinent vocem Hebræam, vertuntque, *super Ubal Ulai*, quasi *Ubal* sit nomen proprium; cum noster vertat, *portam:* alii, *fluvium.* Scholiastes Græcus censet *Ubal* esse nomen montis Persici, ad quem in spiritu raptus fuit Daniel.

Vers. 3. **Ecce aries unus.**) Hic est rex Medorum et Persarum, uti explicat angelus v. 20. Causa est, Primo, quia aries dux ovium, suo ductu et incessu magnifico refert ducem et regem. Unde ait Sapiens Proverb. 30. 29. *Tria sunt quæ bene gradiuntur, et quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, gallus succinctus lumbos, et aries: nec est rex qui resistat ei.*

Secundo, quia aries repræsentat pugnas et prælia Cyri et successorum. Aries enim simul ut cornua creverunt, fit pugnacissimus. Quocirca Romani cuipiam bellum illaturi, arietem per fæcialem præmittebant, quem in hostium fines immitteret, qui eos quasi capite et cornibus impeteret et arietaret. Inde et machina bellica muros olim quatiens, dicta est aries. Trabs enim erat, aduncum in capite habens ferrum, instar cornu arietis, quod vi in muros adigebatur, ac more arietum retrocedebat, ut cum impetu vehementius feriret, inquit Vegetius lib. 4. c. 14. Hac forte de causa, inquit Pierius Hierog. 10. c. 29. cælestis aries Marti est dedicatus; et si qua planetis in humano corpore est vis, fel (quod iræ et bilis est sedes) a Marte regi dicitur. Unde Origen. in Levit. cap. 1. docet Hebræos immolasse Deo arietes, ut per eos significarent nos iracundiam iugulare debere. Hinc Ammianus celebrat Saporis regis gestamen, aureo capitis arietini figmento elaboratum: et Belgæ insigne militaris nobilisque sodalitatis, a Philippo cognomento Bono, Burgund. Duce, habent aureum arietis caput. Unde vocatur vulgo *l'ordre de la toison d'or*, id est ordo aurei velleris, et capitis arietini.

Aries est rex Persarum duplici de causa.

Tertio, et magis apposite ad hunc locum, aries notat Darium Codomannum, eiusque regnum: quia, ut ait Theod. sicut aries et propter lanam et propter carnes neci datur; ita ipse, et cum eo regnum Persarum ob nimiam opum et deliciarum abundantiam quasi prægravatum, tandem corruit, et a Græcis occupatum est. Fassus est id ipsum Darii legatus apud Alexandrum, qui ut ei pacem persuaderet, utque cum Dario imperium divideret: *Periculosum*, ait, *est prægrave imperium, difficile est continere, quod capere non possis. Videsne ut navigia quæ modum excedunt, regi nequeant? Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ iacturæ locum faciunt. Facilius est quædam vincere quam tueri.* Ita Curtius lib. 4.

Porro lana significari opes, docet Plinius lib. 9. cap. 47. veterum enim opes erant in ovibus, earumque lanis et velleribus, ut patet in Absalone 2. Reg. 13. 23. et in Iob cap. 1. 16. et in muliere illa prudente quam describit Sapiens Proverb. 31. 13. *Quæsivit*, inquit, *lanam et linum.* Addit Fernand. visio. 25. sect. 2. arietem significare Medos et Persas, eo quod in illis regionibus insignes gignantur arietes, prægrandibus ac pinguibus caudis; cruribus autem ita præcelsis, et toto corpore sic obeso et forti, ut ephippiis impositis, frænisque adhibitis, pueri iis inequitent.

Stabat ante paludem.) Hebr. stabat ante האבל *haubal*, id est ante portam, aut ante fluvium, ubi Daniel se fuisse dixit v. præcedenti.

Habens cornua excelsa, et unum excelsius altero, atque succrescens.) Hebræa, *et unum excelsius secundo, et excelsius ascendebat in novissimo.* Sic et Septuag. *et quod excelsius ascendebat super novissima.* Aries hic habet duo cornua (ut habent Hebr. et patet ex sequ.) id est duos fundatores, Darium Medum, et Cyrum, qui fuit excelsior, inquit S. Hieron. Aut, ut Theod. duas regales familias, scilicet unam Cyri, quæ duravit usque ad Cambysem; alteram Darii Hystaspis, quæ amplior et excelsior duravit usque ad ultimum Darium, qui victus est ab Alexandro. Aut potius duo cornua sunt Medi et Persæ; Persarum autem cornu, id est imperium, fuit excelsius, et utrumque contrivit Alexander, ut dicitur v. 7. Ita Perer. Fernand. et alii.

Ventilantem contra Occidentem.) Quia Cyrus eiusque successores, in Babylonia, Asia minore, Græcia, aliisque regionibus, quibus Persia Orientalis est, gessit bella: et ad Aquilonem, quia Ponticas gentes: et ad Meridiem, quia Ægyptum, Æthiopiam, et Libyam Cambyses aliique invaserunt. Vers. 4.

Hircus est Alexander et Græci ob decem analogias.

Hircus) Nota primo, cum S. Hieron. et aliis passim, hircus hic est rex Græcorum, ut patet v. 21. maxime Alexander, qui et cornu insigne dicitur: nam post eum plura, sed minora cornua, id est reges Græcorum, regnarunt. Hircus enim quasi dux præit et ducit capras, uti aries ducit oves: nimirum *dux gregis ipse caper*, puta hircus. Vers. 5.

Nota secundo. Vocatur hircus, Primo, quia hircus fortior est ariete; sic Alexander vicit Darium. Equidem hircus barba et villis hirsutus, longis cornibus armatus, capite erectus, fronte torvus, oculis acer, ad vivum repræsentat Alexandrum animosum, acrem, hirsutum, pugnacem et cataphractum. Hircipili, ait Festus, vocantur densorum pilorum homines. Et Plautus in Pseud. *Heus tu*, ait, *qui cum hirquina stas barba, responde quod rogo.* Talis hircipilus fuit Alexander ob fervidam et igneam complexionem: hæc enim non tantum os et barbam, sed et totum corpus facit hirsutum. Addit Hermolaus, Gesnerus in hirco, et alii, hircino sanguine, utpote calidissimo, emolliri duritiem adamantis, utpote frigidi et sicci, ut scalpi et sculpi possit, etsi gemmarii nostri id falsum et ridiculum existiment: ita nil tam forte et durum fuit, quod non fregerit Alexander. Hisce de causis, heroibus hirco, æque ac tauro et ariete olim litabant, ut id ex Homero docet Giraldus et Gesner. in hirco. Hircus ergo notat Alexandrum, qui heroum fuit heros et princeps. I.

Secundo, Alexander vocatur hircus, quia princeps erat II.

Græcorum, qui capris comparantur ob animi mobilitatem et sagacitatem, atque ob acumen ingenii. Nam, ut docet Plinius lib. 8. 50. capræ sagacioris sunt ingenii, acutioris visus, et ad motum agiliores, quam sint oves. Tales fuere Græci præ Persis. Acumen probet vel unus Aristoteles ingeniorum apex, quem Plinius lib. 18. 34. vocat immensæ subtilitatis virum. *Græcis ingenita levitas animorum est, et erudita vanitas*, ait Cicero pro Flacco.

III. Tertio, Alexander vocatur hircus ob fœtorem vinolentiæ suæ, et ob libidinem Græcorum, inquit Rupert. Græcorum dico, successorum Alexandri. Nam Alexander ipse in venerem non adeo fuit proclivis, eo quod esset vinolentus: idque Theophrastum dixisse narrat Athenæus l. 10. Docet enim Arist. immodicam vini potionem facere ineptos ad venerem: eo quod per illam diluatur vis seminalis, ac sensus appetitusque obruantur, et hebescant. Ita Aristot. in Quæst. physic. quæst. 11. et 32. sect. 3.

IV. Quarto, vocatur hircus caprarum, tum quia iuvenis erat, puta annorum viginti, cum cœpit regnare: solent enim Hebræi animalia iuvenilia exprimere per genitivum matris. Sic ergo hircus caprarum vocatur hædus, qui adhuc sequitur et sugit capram matrem suam. Sic vocantur agni ovium, id est agni teneri, et novelli. Tum potius, quia, sicut hircus dux est caprarum, sic Alexander princeps fuit Græcorum. Tum denique quia *hircus caprarum* notat Alexandri natales spurios, scilicet eum ex matre adultera fuisse genitum. Hircum enim olim vocabant, et etiamnum vocant eum, qui coniugem habet adulteram. Hircus ergo fuit Philippus: hircus vero caprarum, sive hædus, fuit Alexander spurius. Unde adagium ferebatur in spurios, ut, si de patre eorum quispiam quæreret, responderent, eum esse filium matris instar capræ; eo quod matrem haberet certam, patrem incertum. Caprarum enim natura instabilis, lubrica, et mobilis admodum est, ac cum variis maribus congrediuntur: quare hædus in caprilibus a matre tantum dignosci potest: ita Pierius hierogl. 10. Quamobrem Alexander, ut patris adulteri nomen et probrum tegeret, imo in decus verteret, finxit se filium Iovis Hammonii.

V. Hinc Quinto, Alexander vocatur hircus, quia voluit haberi et coli ut filius Hammonis, qui hirci specie figurabatur. Hammon enim Ægyptiace hircum significat. Unde et Pyrrhus rex in galea gestabat cornua hirci, uti mox dicam, quia ipse quoque iactabat se filium Iovis Hammonii. Esto enim Diodorus Sic. l. 4. in fine, Servius in 4. Æneid. Herod. Festus, et alii, Hammoni arietis formam et cornua (quibus significabatur, involuta esse eius responsa, ait Servius) attribuant; alii tamen ei dant speciem et cornua hirci, sive quia cornua eius retrorsum erant reflexa (non anterius arcuata, uti sunt bovis) ut eminus aspiciens, an hircina essent, an arietina, distinguere non posset, sive potius quod Ægyptii suum Iovem, id est Hammonem, colebant tam specie hirci, quam arietis: tam enim caprum, quam arietem adorabant. Nam a pastoribus, qui tam capras quam oves pascunt, Hammon in Deum consecratus est, teste Pausania in Messeniacis, adeoque Ægyptii hircum deificarunt, ait Diodor. Sic, qui et addit, Hammonis uxorem fuisse Almatheam, ex qua proverbium, *Amaltheæ cornu*, significans cornucopiam, et rerum abundantiam. Hæc autem Amalthea fuit capra, nutrix Iovis, uti omnes Gentiles asserunt. Si Hammonis uxor fuit capra, ergo ipse fuit caper, vel certe capri speciem assumpsit.

VI. Hinc Sexto, in hirco alluditur ad Panem Deum Ægyptiorum, qui universam mundi machinam repræsentabat, uti docet Girald. in Pane. Pan enim erat specie hirci, teste Suida, Herodoto, et Diodoro. Erat enim capripes, hirsutus et cornutus ut hircus. Unde Proper. in tertio,

Capripedes calamo Panes hiante canent.

Et Ovid. in Fastis:

Sunt oculis Nymphæ semicaperve Deus.

Hircus ergo hic notat Alexandrum, instar Panis fore mundi dominum, ac ut Deum colendum.

VII. Septimo, hircus brevis est ævi: nam ante sex annos consenescit: quia libidine vires exhaurit, ut tradit Columella, Palladius, et ex iis Gesnerus in hirco: significat ergo brevem vitam, et breve regnum Alexandri. Rursum hircorum oculi ob libidinem, in transversum aspiciunt, indeque hircus nomen accepit. Nam hirci vel hirqui teste Svetonio, Isidoro et Gesnero, vocantur oculorum anguli. Unde Virgil. *Transversa tuentibus hircis.* Transverso obtutu fuit quoque Alexander, eo quod capite esset, non directo, sed in humerum sinistrum inclinante, et sursum aspiciente, ut si quem coram se consistentem intueri vellet, limis et transversis oculis eum intueri deberet. Ita Plutarchus, Curtius et alii. Unde priscam Alexandri statuam Romæ in Quirinali, hunc eius situm repræsentare videmus.

VIII. Octavo, hircus notat Alexandri gulam et aviditatem cum bibendi, tum carpendi, et prædandi gentes et regna. Capri enim et capræ omnia depascuntur, indeque caper græce vocatur τραγος a voracitate. Nam τρωγαμι et τραγειν edere significat. Hinc Ovid. 1. Fastor.

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aras,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Quod acute et salse Romani in Domitianum Imper. teste Svetonio in eius vita, transtulerunt: *Vel si me ad radicem comederis, tantum tamen vini producam, quantum immolando Cæsari posset infundi.* Quod enim supra vitis capro minitabatur, hoc eadem nunc minitatur Domitiano tyranno, vites succidi iubenti. Hinc et capri vocantur, quasi carpi, quod omnia carpant. *Capra*, inquit Varro de Lingua Latina, *quasi carpa*: a quo scriptum *omni carpæ capræ*. Hinc Baccho, vini præsidi, litabatur caper, quasi vitis vastator. Unde Virgil. 2. Georg.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur.

IX. Nono, solent hirci cum arietibus cornutare et duellare, uti Alexander cum Dario decertavit. Qui ergo hinc duelli exemplum sumpserit, sciat se hircum esse et hircizare. Nec Alexander cum Dario duellum iniit, sed bellum. Prudenter et magnanime Antigonus rex Macedoniæ, Pyrrho regi Epiri per caduceatorem provocanti ad singulare certamen, ut eo secum de regno decerneret, respondit, *ductum suum non armorum magis, quam temporum esse: Pyrrho, si vitæ pœniteret, multas ad interitum patere vias.* Sic et Fabius Maximus Cunctator provocatus ab Annibale ad pugnam, respondit, *se pugnam initurum cum sibi, non hosti, commodum videretur: se pugnæ tempus dare, non ab hoste accipere.* Et Augustus Cæsar Antonio provocanti ad duellum, respondit: *Si Antonius perire velit, habet sat multos necis modos.* Idem respondeant qui hodie a stultis duellatoribus ad duellum provocantur, hosce imitentur. Hi enim fuerunt prudentes, generosi, magnanimi, et rerum domini, qui hoc suo prudenti responso hostem fregerunt et supplantarunt. Auctor est Plutarch. in eorum vita.

X. Denique Euseb. in Chron. Olymp. 47. anno mundi 4610. Hoc, inquit, tempore *certantibus in agone* τραγος, *id est hircus, in præmio dabatur: unde aiunt Tragœdos nuncupatos:* ita et Alexander certans cum Dario, eumque vincens hirci nomen quasi victoriæ præmium, vel omen accepit.

Porro hircus hic venit ab Occidente; quia Macedonia, unde venit Alexander, Occidentalis est respectu Persiæ et Asiæ, quas sibi subiecit. Rursum, *non tangebat terram*, id est summa utebatur celeritate in conficiendis bellis et victoriis instar fulminis, quod cito penetrat ab Ortu ad Occasum, sed et cito disparet. Nullam, ait Curtius lib. 5. virtutem regis istius magis quam celeritatem laudaverim. Sex enim annis Persas, Medos, Babylonios, Ægyptios, et vicinas gentes debellavit; ut cum Cæsare, imo præ Cæsare, dicere potuerit, *Veni, vidi, vici.* Nota. Sicut bos figens in terra pedem symbolum est tarditatis, ita non tangere terram symbolum est agilitatis. Hinc Virgil. Camillæ celeritatem describens, ita canit:

Cursuque pedum prævertere ventos:
Illa vel intactæ segetis per summa volaret

Non tangere terram est esse velocissimum. Exemplum Camillæ.

Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Eadem phrasi Homer. Iliad. 20. utitur, ut exprimat velocitatem equorum regis Erichthonii, et Ovidius de Atalanta ita canit, l. 10. Metamorph.

Et Atalantæ.

Signa tuba dederant, cum carcere pronus uterque
Emicat, et summam celeri pede libat arenam.

Simile de Lada veloci cursore narrat Solinus cap. 6. adeo ut in arenis nulla indicia relinqueret vestigiorum. Porro in Alexandro verum fuit istud: *Quod cito fit, cito perit.* Et istud Senecæ in Consol. ad Marciam: *Non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas.* Et merito Paulus Orosius Alexandrum vocat magnum miseriarum gurgitem, et totius Orientis atrocissimum turbinem.

PORRO HIRCUS HABEBAT CORNU INSIGNE.) Hircus sunt reges Græcorum in confuso: cornu hoc proprie est Alexander: erat hoc inter oculos, quia animalia unicornia cornu habent inter oculos, idque ut significet Alexandri ingenium, prudentiam, sagacitatem. Ita Theodor.

Cornu est symbolum regni, cur?

Nota. Cornu fuit insigne regum; reges enim gestabant cornua quasi symbolum regni. Hinc Plutarchus de Pyrrho, *Agnitus*, inquit, *fuit ipse eximia crista et cornibus hircinis.* Sic et Virgilius Æneid. 12. Æneæ quasi regi dat

Ensemque, clypeumque et rubræ cornua cristæ.

Sic imago Tryphonis habet galeam, cui infixum est cornu, uti videre est in effigie quam edidit Vilalpando in Appar. templi p. 337. Hinc Ps. 131. 17. de rege David dicitur, *Illuc producam cornu David.* Cornu enim est symbolum roboris, significatque decus et maiestatem regiam. Hinc illud ænigma (cuius meminit Strabo) Demetrii Phalerei ad Philippum patrem huius Alexandri: *Utroque cornu bovem continebis*, hoc est, occupabis duas arces, scilicet Acrocorinthum, et Ithomen: his enim occupatis facile totam Peloponnesum occupabis: duas ergo arces duo cornua, Peloponnesum vero bovem nuncupabat.

Vers. 6. IN IMPETU FORTITUDINIS SUÆ) Impetu fortissimo et vehementissimo: hebr. est בחמת כחו *bechemat cocho, in ira roboris sui*, id est in ira robusta et forti, ira robur augente, aut robore ira accenso.

Vers. 7. ET PERCUSSIT ARIETEM (Alexander occidit Darium regem Persarum) ET COMMINUIT DUO CORNUA, duo regna, scilicet Persarum et Medorum, ET CONCULCAVIT.) Id est subiecit et vectigalia fecit, uti dixi cap. præced. v. 7.

Vers. 8. MAGNUS FACTUS EST.) Et re et nomine: nam a rerum gestarum gloria vocatus est Alexander Magnus.

CUMQUE CREVISSET.) Alexander enim mortuus est cum ad summum ætatis et imperii robur pervenisset, cum nec mori, nec vinci posse videretur. Nam paulo ante mortem pro Deo habitus est: subornarat enim Iovis Hammonis sacerdotes, ut rogati cuius filius esset Alexander (erat enim ex adulterio natus) responderent, Iovis Hammonis: ita Iustinus lib. 11.

Alexandri gloria et casus.

FRACTUM EST CORNU MAGNUM.) Tò *fractum* significat violentam mortem Alexandri, quia Alexander in flore ætatis, scilicet cum vixisset 32. annos, et octo menses; atque duodecim annos, et octo menses regnasset in summa felicitate et gloria, violenta morte, vel crapula, ut vult Athenæus; vel veneno, ut volunt alii, Babylone decessit anno primo Olymp. 114. ut docet Curtius, Iosephus, et alii.

Chronologia vitæ et gestorum Alexandri.

Nota. Natus est Alexander anno primo Olymp. 106. et anno urbis Romæ conditæ 395. die sexto mensis Hecatombæonis, quo die deflagravit Ephesi templum Dianæ, vaticinatique sunt magi magnum eo die natum esse Asiæ incendium: is fuit Alexander.

Alexander annos natus quindecim, a patre in disciplinam Aristoteli traditur, ab eoque per quinquennium in literis et doctrinis rege dignis institutus est. Patre occiso annum agens vigesimum, regnum adiit.

Anno primo regni sui Illyricum, Thraciam et Græciam perdomuit.

Anno secundo, primum prælium cum ducibus Darii ad Granicum flumen inivit, victorque Asiæ rapuit imperium.

Anno tertio, ipsum Darium cum exercitu profligavit.

A Anno quarto, venit in Phœniciam, Ægyptum et Iudæam atque Tyrum expugnavit, et Alexandriam condidit; Ierusalem quoque venit, et pontificem Iaddo adoravit, Deoque sacrificavit, atque vaticinium hoc Danielis ante ducentos annos ab eo de se editum, quod scilicet ipse Persarum imperium everteret, lætus gaudensque audivit, et fidens certusque de victoria perrexit contra Darium. Audi Iosephum lib. 12. c. 8. *Alexander*, ait, *solus ad eum* (Iaddum pontificem) *accedens*, *nomen illud* (tetragrammaton Dei, quod pontifex in lamina tiaræ affixa incisum gestabat) *adoravit, et primus salutavit pontificem. Syriæ reges et reliqui obstupuerunt; solus Parmenio propius accedens rogavit, quid ita, cum ipse adoraretur ab omnibus nunc adoraret pontificem Iudæorum? At ille non hunc se adorasse respondit, sed Deo cuius pontifex esset, honorem eum exhibuisse. Hunc enim, inquit, vidi et antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo, et sine mora exercitum traiicere: nam suo ductu*

B *potiturum me Persarum imperio. Quapropter quia nunc primum talem habitum vidi, agnoscens hunc, et visionis memor, qua me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere, et brevi fore victoriæ compotem. Hæc locutus ad Parmenionem, et comiter complexus pontificem, deducentibus sacerdotibus in urbem pervenit; et cum ascendisset in templum, immolavit Deo ex sacerdotis præscripto, ac pontifici quoque suum honorem exhibuit.* Subdit deinde de hac Danielis prophetia illi exhibita: *Ostensoque sibi Danielis libro, in quo Græcum quemdam Persas debellaturum significabat, hunc ipsum se esse interpretatus, lætus dimisit multitudinem. Sequenti vero die vocatis eis, iussit ut quidquid vellent peterent. Pontifice autem petente, ut patriis legibus vivere sibi liceret, utque septimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, concessit omnia. Et cum fecisset eis potestatem, si qui vellent salvis suis ritibus sequi eius militiam, multi in eam expeditionem dederunt nomina.*

C Anno regni sui sexto, Alexander tertio prælio plane cecidit Darium Calendis Octobris, Darioque a suis occiso, Persarum imperium adeptus, atque Asiæ Imperator salutatus est. Ubi Nota cum Ruperto, exemplum illustre quam instabilis sit status huius sæculi, et infida fiducia mundi: Darius ecce victus, et a suis derelictus, imo sauciatus ad mortem, sitibundus et moribundus, oblatam a milite aquam hausit, eumque misit ad Alexandrum ut hæc ei referret: felicius te hostem, quam cognatos propinquosque meos sortitus sum: matri quippe et liberis meis a te hoste vita data est, mihi a cognatis erepta, quibus, et vitam dedi et regna. Audiens hæc Alexander, visoque corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est, corpusque regio more sepeliri iussit.

Darius moriens ad Alexandrum quid?

Reliquis sex regni vitæque annis Alexander plurimas gentes usque ad Gangem fluvium et Indicum oceanum subiugavit. Ita ex Iustino, Curtio, Diodoro, et aliis Pererius.

D Præsagia mortis Alexandri hæc recenset Plutarchus. Primum, Chaldæi monebant, Babylone ut abstineret. Secundum, cum ad muros Babylonis pervenit, corvorum examen vidit certantium, et se mutuo cædentium, quorum aliquot iuxta ipsum sunt delapsi. Tertium, aruspex in hostia trunca exta deprehendit. Quartum, leonem grandissimum et speciosissimum eorum qui ibi alebantur, domesticus asinus adortus calce interfecit. Quintum, hominem contemplantur tacitum in solio sedentem, diademate et amictu regio ornatum, qui rogatus diu non reddidit vocem. Vix tandem cum ad se redisset, dixit ita sibi iussum a Serapi.

Alexandri mors et præsagia.

Porro mortem eius ita describit Iustinus lib. 12. *In comessatione accepto poculo media potione repente veluti telo confixus ingemuit. Quarto die indubitatam mortem sentiens, agnoscere se fatum domus maiorum ait: nam plerosque Aeacidarum intra trigesimum annum defunctos Tumultuantes deinde milites, insidiis perire regem suspicantes, sedavit, osculandamque dexteram suam flentibus por-*

rexit. Cum lacrymarentur omnes, ipse non sine lacrymis tantum, verum etiam sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes consolaretur. Quibusdam mandata ad parentes eorum dedit: adeo, sicut in hostem, ita et in mortem invictus animus fuit. Dimissis militibus, amicos circumstantes percunctatur, videanturne similem sibi reperturi regem? Tacentibus cunctis, tunc ipse, ut hoc nesciat, ita illud scire vaticinarique se, ac pene videre oculis dixit, quantis cædibus mortuo sibi sit parentatura Macedonia. Ad postremum corpus suum Hammonis templo condi iubet. Cum deficere eum amici viderent, quærunt quem imperii faciat hæredem? respondit: Dignissimum. Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt. Sexto die præclusa voce exemptum annulum digito Perdiccæ tradidit.

Eadem habet Curtius lib. 10. in fine, qui et addit eum mœrentibus militibus dixisse: *Invenietis cum excessero dignum talibus viris regem. Rursus Perdicca interrogante, quando cælestes honores haberi sibi vellet, dixit tum velle cum ipsi felices essent. Suprema hæc vox fuit regis, et paulo post extinguitur. Ac primo ploratu tota regia personabat, quin et indignantium voces audiebantur, tam viridem et in flore ætatis fortunæque invidia Deum ereptum esse rebus humanis.* Subdit deinde ingentia lamenta matris, uxoris et filiarum Darii, imo matrem se inedia confecisse; *magnum profecto indulgentiæ in eam Alexandri documentum, quæ cum sustinuisset post Darium vivere, Alexandro esse superstes erubuit. Septimo demum die in summo æstu, curare corpus exanimum amicis vacavit; nulla tabe, nec livore quidem corruptum videre, qui intraverant. Vigor quoque non deserueral vultum. Itaque Ægyptii iussi corpus curare, primo non sunt ausi admovere velut spiranti manus. Deinde precati, ut ius fasque esset mortalibus attrectare eum, purgavere corpus, repletumque est odoribus. Aureum solium, et capiti adiecta fortunæ eius insignia.*

Vide hic in Alexandro quam sit verum illud Sapientis: *Omnis potentatus vita brevis.* Tantum enim duodecim annis regnavit, in ipso flore ætatis et regni extinctus. *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas omnes gentes?* Habuit hic ipse, uti et Salomon, suas opes, delicias, veneres, victorias, et quidquid mortalis optare potest; sed quam modico tempore! habet nunc suas miserias, inopiam, vermem et ignem gehennæ: sed quanto tempore! Habuit ea iam per duo millia annorum, habebit ea per centum millia, per mille milliones annorum, habebit ea in omnem æternitatem. O quam male, quam misere divisa fuit sors Alexandri! Sors huius vitæ felix fuit ad momentum; sed alterius vitæ est infelicissima in æternum. Vide ergo quisquis hic dives, potens, felix es et deliciaris, ne et tibi tua felicitatis sors hic detur, et in futuro sors altera infelicitatis tibi obveniat, ne audias illud Abrahæ ad Epulonem: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

Et orta sunt (loco insignis illius cornu iam fracti, ut habent Hebr.) quatuor cornua subter illud.) Puta quatuor Alexandri duces; scilicet Antigonus, qui imperavit Asiæ; Philippus, sive Aridæus, qui Macedoniæ; Seleucus, qui Syriæ; Ptolemæus, qui Ægypto: licet enim Arrianus et Curtius numerent decem Alexandri successores, hi tamen quatuor fuerunt omnium principes: ita S. Hieronymus.

Vide hic novam Alexandri miseriam, et mundi fallaciam. Nam ab iis quos ipse aluerat et evexerat, stirps eius funditus excisa est. Curtius enim eum cum veneno necatum ab Antipatro, eiusque filiis Cassandro et Iolla narrasset, subdit: *Hæc utcumque sunt tradita, eorum, quos rumor asperserat, mox potentia extinxit. Regnum enim Macedoniæ Antipater, et Græciam quoque invasit. Soboles deinde excepit, interfectis omnibus quicumque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerant.* Clarius id narrat Iustinus, qui cum lib. 12. narrasset venenum ei datum a Cassandro, lib. 15. tradit ab eodem Cassandro Alexandri matrem Olympiadem, et filium Herculem quatuordecim annorum, item alterum eius infantem cum matre Roxane interemptos esse. Ita libido dominandi cædibus sibi regnum parare putat, sed parat interitum. Pari enim modo Cassander ab aliis regni æmulis interemptus est, nimirum:

Ad generum Cereris (Plutonem) *sine cæde*
et sanguine pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Per quatuor ventos cæli.) Per quatuor mundi plagas.

De uno autem ex eis (de Seleuco) egressum est cornu unum modicum.) Hoc cornu est Antiochus Epiphanes, qui octavo loco descendit a Seleuco. Vers 9.

Nota. Post mortem Alexandri anno duodecimo Seleucus imposuit sibi diadema Syriæ, ac consequenter Iudææ, et victo Antigono, totius Asiæ. Hinc ab hoc anno duodecimo, qui fuit primus Seleuci, numerat auctor libri Machabæorum annos Græcorum, sive Seleucidarum, qui præ aliis in Iudæos imperium usurparunt. Unde eis fortissime restiterunt Iudas, Ionathas, et Simon Machabæi. Anni Græcorum incipiunt ab anno 12. Seleuci.

Porro Antiochus Epiphanes vocatur *cornu modicum;* quia minor natu fuit filius Antiochi Magni, qui cum Hannibale contra Romanos dimicans, sed victus fususque pacem cum Romanis iniit, obsidemque Romanis misit filium hunc Antiochum Epiphanem, qui paulo post mortuo fratre Seleuco Philopatore, qui patri in regno successerat, Roma fugiens, eiecto fratris filio Demetrio, per vim regnum Syriæ invasit, quod contigit post mortem Alexandri anno 150. Itaque hic Antiochus dictus Epiphanes, id est illustris, a rerum gestarum gloria. Primo, ad Orientem Artaxiam regem Armeniæ devicit, mox ad Meridiem profligavit Ptolemæum Philometorem regem Ægypti, atque Alexandriam obsedit, eamque obtinuisset, nisi a Romanis coactus fuisset abscedere. Missus enim ab eis Popilius Lænas, Antiochum virga per circulum circumscripsit, dicens: Non excedes hoc circulo, nisi respondeas: iubet populus Romanus te Ægypto, utpote eis amica, abscedere. Respondit Antiochus, Parebo: unde fremens frendensque discessit, omnemque deinde iram suam in Iudæos vicinos effudit, ut patet ex libris Machab. Porro Antiochus hic regnavit 12. circiter annos, ut patet 1. Machab. 1. 11. collato cum cap. 6. v. 15. Antiochus Epiphanes qui et qualis?

Et factum est grande.) Hebr. *crevit valide,* vel excellenter; Sept. μεγαλυνη περισσως, *magnificatum est valde.*

Et contra fortitudinem.) Hebr. est צבי *tsebi*, quod noster vertit fortitudinem, et v. 12. *robur;* cap. vero 11. v. 16. et 45. vertit, *terram inclytam.* Alii vertunt, *militiam, tsebi* sit idem quod צבא *tsaba*, id est exercitus. Proprie *tsebi*, significat rem tumidam, plenam, turgidam, eminentem, crassam, pinguem, quæ alios in sui amorem et desiderium allicit. Hinc ulterius per catachresin *tsebi* significat id quod est pulchrum, amabile et inclytum, puta decus, gloriam, decorem, iucunditatem, delicias et capreolum, qui homini est in deliciis. Unde *tsebi* vel *tsebia*, et syriace *tabita*, vocatur δορκάς, id est dama, vel caprea; quomodo vocata est pia illa matrona quam S. Petrus a morte suscitavit, Actor. 9. 36. *Tsebi* ergo est epithetum Iudææ et Ierusalem. Sensus ergo est, q. d. Antiochus pugnabit contra *tsebi*, id est contra Iudæam, quæ est terra Deo amabilis, et decora, excellens, fertilis et desiderabilis: et contra Israel, qui est *tsebi*, id est populus præstans et charus cælitibus, eorumque decus et gloria, quique Dei et angelorum vallatur præsidio, ideoque est fortissimus: ita S. Hieron. Tsebi est res tumida, pulchra, amabilis, uti est capreolus: talis fuit Iudæa.

Et magnificatum est usque ad fortitudinem cæli.) Pro *fortitudinem*, hebr. non est *tsebi*, sed *tsaba*, id est exercitus, militia, fortitudo militaris. Ad verbum ergo hebr. est, *et magnificatum est usque ad militiam cæli*, id est usque ad Iudæos: hi vocantur militia, vel fortitudo cæli; quia Deo duce invocato et adiuvante feliciter bella gerebant, ut patet ex libris Machab. ita ut de illis dici potuerit, quod de Theodosio Eugenium ope Dei devincente cecinit Claudianus. Vers 10.

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Significat ergo Daniel, quod Antiochus Iudæos devicerit, idque ob eorum peccata, qui antea erant invincibiles; cum Hierosolyma ob templum esset quasi arx Dei, et cæli cælitumque.

Et deiecit de fortitudine.) Hebr. *de exercitu*, scilicet Iudæorum, multos prostravit. Est hoc loco gradatio hyperbolica, q. d. Antiochus non solum prævalebit contra *tsebi*, id est contra Ierusalem pulcherrimam et potentissimam; sed etiam *tsaba*, id est exercitus non terrestres, sed cælestes, ipsumque cælum et eius militiam lacesset et invadet: deiiciet stellas et sidera, eaque deiecta pedibus proteret. Unde sequitur:

Et de stellis.) Stellas vocat Iudæos illustres nobilitate, doctrina et pietate, quos Antiochus vel minis a patria lege abduxit, vel constantes in ea necavit: ita S. Hieron. Theodor. Vatabl. et S. Gregor. 32. Moral. cap. 12. ubi totum hunc locum explicat. Unde huc alludens S. Ioan.
B Apocal. 12. 4. dicit, quod draco, id est diabolus, per Antichristum (cuius præcursor et typus fuit hic Antiochus) trahet post se in fine mundi tertiam partem stellarum, id est Sanctorum illustrium, quos vel per falsa miracula, vel per promissa opum et honorum, vel per tormenta et minas a Christo ad se apostatare faciet Antichristus. Sic c. 12. 3. audiemus: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et Apocal. 1. 16. de Christo dicitur: *Habebat in dextera sua stellas septem.* Et 1. Cor. 15. 41. ait Paulus: *Stella a stella differt in claritate; sic erit et resurrectio mortuorum.*

Vers. 11. Et usque ad principem fortitudinis.) Ausus est Antiochus pugnare contra Deum ipsum, eumque bello lacessere, et quasi ad duellum provocare: Deum inquam, qui erat princeps militiæ et fortitudinis populi sui Iudaici. Antiochus enim idolum Iovis Olympii in templo Hierosolymitano collocavit, et ab eo illud nominari voluit; itaque Deum quasi de loco suo deiecit, aliumque Deum in
C eius possessionem induxit: imo ipse præ fastu Deum quasi se reputabat. Nam *sibi videbatur fluctibus maris imperare, et montium altitudines in statera appendere, et sidera cæli contingere* (et hac de causa hic stellas deiecisse dicitur) uti habetur 2. Machab. 9. v. 8. et 10.

Et ab eo tulit iuge sacrificium.) Vetuit Deo sacrificari agnum mane et vespere, quod erat iuge sacrificium; sub quo cætera omnia intelligit: omnia enim sustulit Antiochus.

Et deiecit locum sanctificationis eius.) Antiochus non combussit, nec diruit templum, sed illud *deiecit* de suo gradu et honore, ne esset templum Dei, quia illud profanavit, et Iovi dedicavit: unde in altari carnes suillas, in legis et Iudæorum opprobrium immolari iussit: prohibuit circumcisionem: sacros libros combussit: Iudæos ad Græcorum religionem compulit; Eleazarum, septem fratres, aliosque id recusantes occidit. Hinc Nazianzen. orator. 22. de Machabæis, Antiochum vocat dæmonem, eumque comparat dæmoni, qui adolescentes tentat,
D et impellit ad peccata.

Vers. 12. Robur autem datum est ei (Antiocho data est potestas et exercitus, ut habent Hebræa) contra iuge sacrificium (non ob eius merita aut vires, sed) propter peccata.) Iudæorum: Deus enim eligit locum propter gentem, non gentem propter locum. Unde et modo permittit templa ab hæreticis violari, et sanctam Eucharistiam conculcari, idque ob peccata ibidem admissa. Unde Vatablus hic vertit, *exercitus* (scilicet Iudæorum, ut dicitur v. 13.) *traditus est ei* (Antiocho) *cum perenni sacro per scelus;* vel, *exercitus traditus est ei propter sacrificium iuge ob iniquitatem*, id est, propter iniquitates quas admiserant Israelitæ in iuge sacrificium, venerunt in potestatem Antiochi. Et hoc videntur velle Septag. dum vertunt, ἐγενήθη ἐπὶ τὴν θυσίαν ἁμαρτία, *factum est super sacrificium peccatum.* Et paulo ante: *Sacrificium turbatum est.* Theodor. addit παραπτώματι, id est *delicto*, hoc est, propter delicta sacerdotum et populi. Porro noster inter-
A pres in Hebræo videtur legisse *tsebi*: de quo vers. 9. aut *tsaba* accepit pro *tsebi*. Hebræi enim sæpe commutant litteras quiescentes אהוי. Aut certe per *robur* intelligit exercitum: hunc enim significat *tsaba* et hic dat regi robur.

Et prosternetur veritas in terra.) *Veritas*, puta vera Dei fides, lex, cultus, religio: hæc enim sustulit Antiochus. Septuag. pro *veritas* vertunt, *iustitia*: conculcata enim religione, conculcatur et iustitia.

Et faciet et prosperabitur.) Antiochus faciet quidquid volet, idque prospero eventu. Est hendyadis.

Dices, עשתה *aseta*, id est *faciet*, est fœminini generis; ergo non refert Antiochum, sed veritatem, q. d. Veritas in terram, quasi semen deiecta, fructum faciet, magisque multiplicabitur: nam sanguis Martyrum semen est fidelium, ut inquit Tertull. Ita explicat Maldon. et Fernand. Verum Respond. *aseta*, id est *faciet*, respicit קרן *keren*, id est cornu, quod est fœminini generis. Antiochus enim est cornu modicum de quo a v. 9. egit huc usque; quia ergo *keren* est fœmininum, hinc fœmininum verbum ei attribuit hic et v. 9. Verum, quia per *keren* intelligit Antiochum, hinc v. 11. utitur verbis masculinis.

Et audivi unum de sanctis.) Audivi angelum unum superioris ordinis, ex iis qui Deo assistunt, cap. præced. vers. 10. Vers. 13.

Alteri nescio cui loquenti.) Cuidam, cuius nomen ignoro, loquenti: hebr. enim est פלני *peloni*, quem Hispani vocant *fulano*, Galli *un quidam*. Unde Aquila, Theodor. et Sept. retinuerunt Hebræam vocem, verteruntque φελμωνί: quam minus recte Eudoxius transtulit *amicissimo, præsidi præcipuo*. Indicat Daniel se tres ut minimum angelos vidisse, vel potius audisse. Nam vidit unum loquentem cum aliquo alio, et unum alterum ab eo qui loquebatur sic interrogantem: *Usquequo visio?* Ex his patet, vera esse ea quæ de angelorum locutione et illuminatione quam inferiores a superioribus accipiunt, tradit S. Dionys. lib. de Cæl. hierar. Vide dicta 1. Corint. 13. 1. ubi disserui de lingua angelorum. An hi angeli fuerint diversi ab illis v. 15. an vero iidem, non liquet. Potuit enim unus hic eminus loquens, mox v. 15. ad Danielem advolare, eique viri specie spectandum se præbere, ac visionem exponere. Unde noster Fernand. vis. 25. sect. 5. censet eum qui hic loquitur, nec nominatur, esse illum ipsum qui v. 16. vocatur Gabriel.

Quidquid de hac re sit, certum est angelos hos locutos esse inter se de persecutione Antiochi Epiphanis, eiusque terminum optasse, ut ostenderent se esse angelos præsides et tutelares Iudæorum, sive fidelium, et populi Dei, eorumque res curare et cordi habere, ac tantæ eorum calamitati condolere et misereri, eique tempore a Deo præstituto finem imposituros.

Usquequo visio et iuge sacrificium: *et* significat *id est*, q. d. Quamdiu sacrificium iuge, quod Daniel ab Antiocho sublatum vidit, sublatum manebit? et peccatum desolationis, id est desolatio urbis, quæ propter Iudæorum peccatum facta, id est facienda, est, repete *usquequo*, scilicet durabit? et sanctuarium (templum) et fortitudo.) Hebr. צבא *tsaba*, id est exercitus, populusque Dei usquequo conculcabitur?

Et dixit ei: Usque ad vesperam et mane dies duo millia trecenti.) *Usque ad vesperam et mane*, id est a dolore ad lætitiam, inquit Theod. iuxta illud psalm. 29. 6. *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* Sed hoc est mysticum. Vers. 14.

Secundo, Mald. et Vatabl. *usque ad vesperam et mane*, id est secundum noctium dierumque successionem, q. d. Dies naturales (quorum quisque constat vespere et mane, id est nocte et die) huius desolationis erunt 2300.

Tertio, et aptissime Perer. et Pintus: *usque ad vesperam et mane*, id est, usque ad diem illam, qua scilicet finietur desolatio Antiochi, erunt dies 2300. dies enim naturalis per vesperam et mane, quasi per sui finem et principium, describitur Genes. 1. 5. Secundo, alludit ad iuge sacrificium, quod ait hoc die restituendum: illud enim offerebatur tam vespere, quam mane; ideo dicit, *Usque ad*

vesperam et mane potius quam *usque ad diem illum.*

Dies duo millia trecenti.) Id est anni sex, menses quatuor, dies 20. cœpit enim hæc Iudæorum per Antiochum desolatio anno 143. Græcorum, ut habetur 1. Machab. 1. 21. et duravit usque ad annum 149. quo mortuus est Antiochus, 1. Machab. 6. 16. Licet enim anno præcedente 148. Iudas Machabæus mundaverit templum ab Antiocho pollutum, ut patet 1. Machab. 4. 52. tamen quia adhuc vivebat Antiochus, nondum desolatio et persecutio cessabat, nondum libere agere et sacrificare poterant Iudæi; eo vero mortuo anno sequenti 149. omni metu et persecutione soluti, libere sacrificare, suaque festa et sacra publice et intrepide celebrare cœperunt: unde illum annum quasi restitutæ libertatis, sacrificii et religionis notat hic angelus. Perperam apud Septuag. legitur, *dies* 2400. apud alios teste S. Hieron. *dies* 2300. Hebr. enim et Latina constanter habent: *dies duo millia trecenti.*

Vers. 15. Quasi species viri.) Angelus hic fuit specie viri apparens Danieli, quem Hebræi censent fuisse Gabrielem. Ille enim mox iubetur visionem exponere Danieli, angelum vero alterum qui illi acclamavit, iussitque visionem exponere, Michaelem fuisse censent veteres Hebræi, inquit S. Hieron. qui et addit: *Quia visio de præliis erat, regumque certaminibus, imo regnorum successionibus, Gabriel, qui præpositus est præliis, huic officio mancipatur. Gabriel enim in linguam nostram vertitur, fortitudo, vel robustus Dei. Unde et eo tempore, quo erat Dominus nasciturus, et indicturus bellum dæmonibus, et triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam, et ad Mariam, Lucæ* 1. *Et postea in psalmis legimus de Domino triumphante: Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus fortis in prælio, ipse est rex gloriæ. Ubicumque autem medicina et sanatio necessaria est, Raphael mittitur, qui interpretatur curatio, vel medicina Dei: hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit medicina vera. Porro ubi populo prospera promittuntur, et* ἱλασμὸς *(quod nos vel propitiationem, vel expiationem possumus dicere) necessaria est, Michael dirigitur, qui interpretatur: Quis sicut Deus? ut scilicet intelligatur, quia propitiationem, vel expiationem nullus possit afferre nisi Deus.*

Vers 16. Inter Ulai.) Inter portas, vel inter ripas Ulai, ubi in spiritu consistebat Daniel, uti dictum est v. 2.

Vers 17. In tempore finis, id est, tempore definito et constituto a Deo, complebitur visio.) Unde ex Hebr. clare sic vertas, *in tempore* (a Deo definito) *erit finis visionis*, id est complebitur hæc visio. Sic enim se explicat v. 19. dicens: *Ego ostendam tibi quæ futura sunt in novissimo maledictionis*, id est iræ Dei, quando scilicet impleta mensura peccatorum, tum Persarum, tum Iudæorum, Deus ea puniet per Alexandrum, et per Antiochum. Quod enim ibi subdit: *Quoniam habet tempus finem suum*, idem videtur esse cum eo quod hic dicit: *In tempore finis. Tempus* ergo *finis* est *novissimum maledictionis*, id est iræ Dei. Hinc Secundo, per hypallagen sic explicari potest: *In tempore finis*, id est in fine temporis, scilicet a Deo, et Dei ira decreti et destinati. Ita Septuaginta. Tertio, longius abit Vatabl. dum vertit, *visum eveniet post finitam captivitatem* Babylonicam, quasi tempus finis sit illud, quo finientur 70. anni captivitatis Babylonicæ. Verum eius nulla hic præcessit mentio, et hæc diu post captivitatem contigerunt. Quarto, alii sic explicant: *In tempore finis*, quo scilicet Antiochi persecutio finietur, complebitur hæc visio, præsertim ea parte qua dixi v. 14. *Usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti:* quasi eo respiciat angelus. Verum hoc arctius est, neque satis consentit cum v. 19. quo dicit in novissimo maledictionis hæc futura, puta regnante Alexandro, et sæviente Antiocho, uti in sequentibus explicat, ubi clare docet visionem hanc finiendam et implendam esse per utrumque hunc regem, illum Persas, hunc Iudæos invadentem et proterentem. Licet enim Iudæi iam affligerentur et protererentur a Chaldæis, tamen longe gravius affligendi erant ab Antiocho.

A Hic enim non corpora, ut Chaldæi, sed corpora et animas protrivit, cogendo omnes ad idololatriam, et sacra omnia vel abolendo, vel profanando. Quinto, alii, *In tempore finis*, inquiunt, id est in tempore brevi finiendo: excitat enim attentionem Propheta, et simul confirmat prophetiam adeo veram esse, ut brevi tempore complenda sit. Sed obstat v. 26 ibi enim ait eam fore post multos dies: persecutio enim Antiochi contigit pene 400. annis post Danielem. Esto enim hoc tempus breve sit respectu Dei et æternitatis, tamen nobis longum est, et v. 26. longum vocatur: cur ergo hic illud vocaret breve? pariformiter enim et uniformiter loqui solent Prophetæ. Quocirca melius Vatabl. contrarie exponit hoc modo: *in tempore finis*, id est in tempore tandem finiendo, hoc est, post longum tempus complebitur hæc visio.

Collapsus sum.) Hinc videtur quod Daniel bis collapsus sit in terram, primo, ad præsentiam; secundo, ad vocem angeli: ita Maldonatus. Vers. 18.

Quæ futura sunt in novissimo maledictionis.) Vers. 19.
B Hebr. *quæ futura sunt in extremo iræ*, cum scilicet ira Dei quam ipse iam cohibet, peccatis Persarum et Iudæorum irritata, ad summum pervenerit, et in ultionem erumpet.

Quoniam habet tempus finem suum.) Id est suam periodum, suum spatium, suam ætatem sibi a Deo præstitutam et definitam, ut in ea adveniat, adducatque secum omnia quæ in tempore illo futura sunt, quæque hic futura prævidentur et prædicuntur. Vide dicta v. 17.

Hircus.) Hebr. sunt duæ voces הצפיר השעיר *hatsaphir hassair*, q. d. *hircus, hircus;* sed quem v. 5. chaldaice vocavit *hatsaphir*, eundem hic hebraice explicans vocat *hassair*. Hircum enim chaldaice vocari *tsaphir*, hebraice *sair*, idque a pilis et villis quibus abundat, docent Vatabl. Marinus Brixian. in Lexico, et alii. Vers. 21.

Quatuor reges (quos nominavi v. 8.) de gente eius consurgent: erunt enim Græci et Macedones, qualis fuit Alexander, sed non in fortitudine eius.) Id Vers. 22.
C est nequaquam illi viribus pares erunt. Vere Paulus Orosius lib. 3. hist. cap. 23. *Alexander*, inquit, *per duodecim annos trementem sub se orbem ferro pressit: principes vero eius quatuordecim annis dilaniaverunt, et velut opimam prædam a magno leone prostratam avidi discerpsere catuli, seque ipsos invicem in rixam irritatos prædæ æmulatione fregerunt.*

Et post regnum eorum.) Quatuor primorum, qui Alexandro proxime successerunt. Vers. 23.

Cum creverint iniquitates.) Iudæorum, ita ut earum mensura completa Deus permittat sævire Antiochum in Iudæos. De peccatis hisce vide 1. Mac. 1. 12. et seq.

Consurget.) Non proxime, sed remote, sex enim reges medii intercesserunt, regnaruntque per annos centum et sex.

Rex impudens facie.) Puta Antiochus Epiphanes, rex impiissimus, qui nec Deum, nec homines reverebitur: unde in multis erit ipse typus Antichristi. De quo vide S. Gregor. 32. Moral. 12.

D Et intelligens propositiones.) Abstrusas scilicet, et vix ulli hominum cognitas: hebr. חדות *chidot*, id est ænigmata, strophas et versutias, q. d. Antiochus erit acutus et astutus, sagax et callidus. Alii sic exponunt: *Intelligens propositiones*, id est intelligere faciens hanc de se prophetiam; ipse enim suis factis eam adimplebit, itaque eam omnibus conspicuam faciet. Sed hoc remotius et alienius videtur.

Non in viribus suis.) Sed permissu Dei, volentis punire per eum peccata Iudæorum, ut dixit v. 12. Vers. 24.

Et faciet.) Perficiet scelera quæ animo destinat, parem habebit manum ingenio, et opera paria suis strophis.

Et in copia rerum omnium.) Cum omnibus rebus ad male agendum abundaturus sit: erit enim ei copia opum, militum, armorum, principum, etc. Hebr. est, *et in pace multos occidet*, id est, multos innoxios et pacificos occidet: aggredietur enim eos nihil tale suspicantes, utpote in otio degentes: ita Vatablus; aut, ut Maldonat. *in pa-* Vers. 25.

ce, id est impune, sine ullo suo detrimento occidet eos. Verum pax Hebræis non tantum quietem, sed et prosperitatem ac copiam rerum, quæ in pace esse solet, significat. Unde noster plenius vertit, *in copia rerum*, cum scilicet tam Iudæi, quam Græci pace et copia rerum abundabunt: sed Iudæi otio et luxu diffluent, Græci vero eodem ad arma et Bella utentur, tunc ipse Epiphanes Græcus occidet multos.

Et contra principem principum.) Contra Deum, qui est Rex regum, et Dominus dominantium. Vide v. 21.

Et sine manu conteretur.) Antiochus Epiphanes uti pugnavit viribus, non tam suis, quam Dei; ita cadet telo, non hominum sed Dei, ab eo percussus fœtore et vermibus anno regni suo duodecimo, ut moriens intelligat se non viribus hominum, sed divino iudicio puniri. Sic Antichristum Christus occidet spiritu oris sui 2. Thessal. 2. 8. solo enim statu et iussu suo occidet eum sine armorum et militum strepitu. Vide ibi dicta. Mirum est Septuag. vertere, *et quasi ova manu conteret*, scilicet Iudæos Antiochus.

Nota. Licet ad morbum et mortem Antiochi concurrerint variæ causæ naturales, ac præsertim gravis eius mœror et melancholia, concepta tum ex nuntio fusi sui exercitus in Iudæa, tum ex turpi sua fuga e Perside; tamen præcipua causa fuit vindicta Dei, quæ blasphemum et superbum persecuta est, et cladibus iam dictis aliisque gravioribus afflixit. Hoc enim clare dicitur 2. Machab. 9. 5. *Qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili et invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem* (quo dixerat Antiochus, se Hierosolymam congeriem sepulcri Iudæorum facturum) Primo, *apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta: et quidem satis iuste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera.* Secundo, cum superbia et ira furens in Iudæos iuberet celerrime agitari currum, *contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans.* Tertio, membra eius computruerunt; *ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius, et fœtore exercitus gravaretur: et qui paulo ante sidera cæli contingere se arbi-*

A *trabatur, cum nemo poterat propter intollerantiam fœtoris portare.* Hinc Quarto, *cœpit ex gravi superbia deductus ad sui agnitionem venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Et cum nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Hoc Antiochi exemplum ob oculos sibi ponant superbi et blasphemi, præsertim tyranni, et Ecclesiæ ac fidelium persecutores, ac similem Numinis vindictam, cælesti eos iudicio perurgente ni resipiscant, expectent.

Hisce de causis in duello arietis et hirci, quod hoc capite describitur, hic Antiochus notatur per hircum, æque ac Alexander. Conditiones enim hirci quas recensui v. 5. tam illi, quam huic conveniunt. Fuit enim Antiochus versutus,
B arrogans, libidinosus, rapax, pugnax etiam in arietem (id est, in Persas, ut patet 2. Machab. 9. 1.) brevis ævi et regni, ac fœtidus in vita et morte ut hircus. Id magis patebit c. 11. 20. et sequent.

Et visio vespere et mane, id est, vespertini, et ma- Vers. 26.
tutini temporis, sive quæ complebitur in vespera et mane diei 2300. vera est.) Uti dictum est. v. 14.

Tu ergo visionem signa.) Apud te reserva et annota; quia nemo iam plene eam intelliget: eveniet enim post multa tempora, scilicet post 400. pene annos. Hac enim de causa cum remota est prophetia, iubet Deus Prophetis ut eam signent et claudant. Secundo, Origen. hom. 13. in Num. *Signatus*, inquit, *liber dicitur, pro eo quod figuris perplexus est, et ænigmatibus involutus.* Et Pineda lib. 5. de Rebus Salom. cap. 13. *Signa*, inquit, id est scribe prophetiam notis arcanis, sicut Ægyptii scribebant
C per notas et characteres hieroglyphicos; uti etiamnum scribunt Sinenses. Sic signatus fuit liber ostensus S. Ioanni Apocal. 5. *sigillis septem*, quasi septem characteribus arcana quædam mysteria continentibus, quæ cap. 6. referantur et explicantur.

Langui et ægrotavi.) Perculsus et consternatus ad- Vers. 27.
miratione visi, puta angeli loquentis et desolationis tantæ genti meæ imminentis, quam prædicebat angelus.

Non erat qui interpretaretur.) In particulari nomina, tempus aliasque circumstantias visionis meæ, quæ erat de rebus futuris: eam enim in generali tantum angelus interpretatus erat Danieli v. 20.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Daniel orat pro liberatione Iudæorum e captivitate Babylonica, unde v. 21. mittitur ad eum Gabriel, significans non tantum solvendam captivitatem Iudæorum, sed et totius generis humani, per Christum post 70. hebdomades annorum.

1. In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum: 2. Anno
uno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, ut complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni. 3. Et posui faciem meam ad Do-
minum Deum meum rogare et deprecari in ieiuniis, sacco, et cinere. 4. Et oravi Dominum Deum meum, et con-
fessus sum, et dixi: Obsecro Domine Deus magne et terribilis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus
te, et custodientibus mandata tua. 5. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus: et declina-
vimus a mandatis tuis, ac iudiciis. 6. Non obedivimus servis tuis prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo regi-
bus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omnique populo terræ. 7. Tibi Domine iustitia: nobis autem
confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda, et habitatoribus Ierusalem, et omni Israel, his qui prope sunt, et his qui
procul, in universis terris ad quas eiecisti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te. 8. Domine
nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, et patribus nostris qui peccaverunt. 9. Tibi autem Do-
mino Deo nostro misericordia, et propitiatio, quia recessimus a te: 10. Et non audivimus vocem Domini Dei no-
stri, ut ambularemus in lege eius, quam posuit nobis per servos suos prophetas. 11. Et omnis Israel prævaricati
sunt legem tuam, et declinaverunt ne audirent vocem tuam, et stillavit super nos maledictio, et detestatio, quæ
scripta est in libro Mosi servi Dei, quia peccavimus ei. 12. Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos,
et super principes nostros, qui iudicaverunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum, quale nunquam fuit
sub omni cælo, secundum quod factum est in Ierusalem. 13. Sicut scriptum est in lege Mosi, omne malum hoc ve-

nit super nos: et non rogavimus faciem tuam Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, et cogitaremus veritatem tuam. 14. Et vigilavit Dominus super malitiam, et adduxit eam super nos: iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit: non enim audivimus vocem eius. 15. Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti, et fecisti tibi nomen secundum diem hanc: peccavimus, iniquitatem fecimus. 16. Domine in omnem iustitiam tuam: avertatur obsecro ira tua, et furor tuus, a civitate tua Ierusalem, et monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, et iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem et populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. 17. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem servi tui, et preces eius: et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, propter temetipsum. 18. Inclina Deus meus aurem tuam, et audi: aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram, et civitatem, super quam invocatum est nomen tuum: neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. 19. Exaudi Domine, placare Domine: attende et fac: ne moreris propter temetipsum Deus meus: quia nomen tuum invocatum est super civitatem et super populum tuum. 20. Cumque adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel, et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei: 21. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. 22. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres. 23. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. 24. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, ut ungatur sanctus sanctorum. 25. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt: et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. 26. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio. 27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

Vers. 1. In anno primo Darii.) Quo scilicet expugnata Babylone Darius cœpit regnare ut monarcha, qui fuit annus 70. et ultimus captivitatis Babylonicæ, idemque fuit annus mundi 3420. ante christi vero nativitatem fuit annus 529. Hoc ergo anno Daniel cognovit hasce 70. hebdomades usque ad Christum ducem, id est usque ad Christi baptismum, superesse. Darius hic fuit Medus filius *Assueri.* Nota. Assuerus, vel, ut Chald. est, אחשורוש *achasveros*, componitur ex אחש *achas*, id est *magnus*, et וראש *veros*, id est *caput*, q. d. Magnus capitaneus, magnus princeps. Sic suum Imperatorem Turcæ vocant magnum Dominum, et Tartari magnum Cham. Itaque *Assuerus* non tam fuit nomen proprium, quam agnomen commune, quod illustribus aliquibus regibus Medorum et Persarum appropriatum fuit. Unde Primo, maritus Esther vocatur Assuerus. Secundo, Cambyses filius Cyri, vocatur Assuerus, 1. Esdræ 4. 6. Tertio, hic Assuerus pater Darii Medi, fuit Astyages, avus Cyri, ut dixi cap. 5. 31.

Assuerus quid et quis?

Vers 2. Anno uno.) Anno primo: ponitur enim more Hebræo, numerus cardinalis pro ordinali.

Nota. Darius Medus septuagesimo et ultimo anno Babylonicæ captivitatis, cum Cyro, qui erat ei nepos ex sorore, vel potius per Cyrum, expugnavit Babylonem, et in ea unico anno regnavit: nam eodem anno labente successit ei Cyrus solus, qui eodem anno solvit captivitatem Iudæorum, ut patet 1. Esdræ 1. 1. Hoc ergo eodem anno, paulo antequam Cyrus Iudæos liberaret, Daniel videns iam impleri 70. annos captivitatis a Ieremia prædictos, vidensque instare finem et solutionem eiusdem, orat ut Deus promissa compleat, ac hoc ipso anno septuagesimo Iudæos e captivitate liberet. Audiit Deus vota Prophetæ sancti, et viri desideriorum, atque non tantum postulata concedit, sed et insuper novam, et omni spe maiorem ei consolationem et revelationem impertit, scilicet de Christo duce, et liberatore venturo post 70. hebdomadas. Ita enim Deus, qui magnificus est in misericordia, pias suorum preces superat, dum sua gratia et beneficentia merita supplicum excedit et vota.

Intellexi in libris.) Intellexi ex lectione Ieremiæ cap. 25. 11. et cap. 29. 10. non enim tantus Propheta dedignatus est alium legere. Credibile est Iudæos, maxime Danielem, studiose in captivitate legisse Ieremiam, et anhelantes ad liberationem, solitos fuisse singulos annos, imo dies et horas numerare et supputare usque ad 70. an-

A num quo solvenda erat captivitas. Cum ergo Daniel videret iam adesse annum septuagesimum, nec tamen Iudæos adhuc liberari, timuit ne Deus ob nova Iudæorum peccata tempus liberationis prorogaret, ideoque peccata sua et suorum confitetur, atque ex intimis præcordiis obsecrat et implorat Dei misericordiam, ut veniam et libertatem suis impetret.

Septuaginta anni.) De his annis ubi inchoandi, ubi finiendi sint, dixi Ieremiæ 29. 10.

Et posui faciem meam ad Dominum.) Converti faciem ad Ierusalem, et ad templum, in quo habitare solet Dominus. Vers 3.

Rogare et deprecari.) Ut rogarem et deprecarer.

In ieiuniis, sacco et cinere.) Daniel hic pro causa gravi, armatas ieiuniis et ciliciis Deo preces offert. *Hæc vis Deo grata est*, ait Tertull.

B Confessus sum.) Tum peccata mea et populi, tum Dei misericordiam, eamque imploravi. Sic pauperes confitentur suam miseriam, et divitum misericordiam, eamque celebrant, ut stipem impetrent: hæc est enim ars orandi et mendicandi. Vers. 4.

Pactum et misericordiam.) Id est, pactum misericorditer initum; vel misericordiam pactam, id est pacto promissam; est hendyadis.

Peccavimus.) Nota hic affectum pœnitentiæ et humilitatis, quo se Propheta sanctus quasi peccatorem populo peccatori adiungit, suaque et suorum peccata ex intimo animi sensu confitetur. Hinc Conc. Milevitan. canone 7. definit etiam Sanctos habere et confiteri peccata sua, non tantum populi. *Noluit*, inquit, *Daniel sanctus et iustus dicere peccata nostra, sed populi sui dixit, et sua: quia futuros istos* (Pelagianos) *qui tam male intelligunt, tamquam* C *Propheta prævidit.* Rursum S. Augustin. apposite in sententiis n. 161. *Melior*, ait, *est animi æquitas quam corporis sanitas; et convenientius iustus dolet in supplicio, quam lætatus est in delicto.* Vers. 5.

Tibi Domine iustitia, scilicet competit, tu es iustus, et iustissime nos ob peccata punis; nobis autem competit et debetur confusio faciei.) Pudore suffundimur, totaque facie erubescimus, dum intuemur scelera æque ac flagella nostra. Septuag. vertunt, *in te est iustitia nostra, nobis autem confusio faciei.* Vers. 7.

Sicut est hodie.) Sicut hodie res ipsa demonstrat nos captivitate hac scelerum pœnas dare: vide cap. 30.

Moraliter disce hic Ecclesiam et fideles, sæpe persecutiones pati ab infidelibus ob peccata sua: quia scilicet in pace existentes defluxerunt ad luxum, ambitum, avaritiam, quæ Deus per tyrannos castigat et vindicat. Ita sub duobus Philippis Imp. Christianis virtus et vigor fidelium in pace elanguit: hinc Deus immisit Decium et Valerianum, qui sua persecutione eam suscitarent et acuerent. Hanc enim causam huius persecutionis extitisse docet S. Cyprian. sermon. de lapsis: *Quia*, inquit, *traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, et pene dormientem censura cœlestis erexit. Non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina.* Imo idipsum revelatione divina didicit, uti ipse narrat libr. 4. epist. 4. *Illud*, ait, *ostensum est, quod sederet paterfamilias sedente sibi ad dexteram iuvene, qui iuvenis anxius, et cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens mœsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei:* Iuvenem *qui ad dexteram sic sederet, contristari et dolere, quod præcepta sua non observarentur: illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio ut a patrefamilias potestatem sumeret sæviendi. Et videmus impletum quod fuerat ostensum. Et hoc nobis per visionem fratres charissimi exprobratum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus.* Et infra: *Dic illi, securus sit, quia pax ventura est. Sed et de victu parco et sobrio potu divinis dignationibus admonemur, scilicet ne vigore cœlesti sublime iam pectus illecebra sæcularis enervet, vel ne largioribus epulis mens gravata, minus ad preces evigilet.* Simili modo Euseb. lib. 8. hist. 1. causam persecutionis Diocletiani assignat vitiatos Ecclesiasticorum et laicorum mores ex longa pace et libertate; *dum alter alteri*, inquit, *invidemus; dum principes cum principibus, populi cum populis seditiones et certamina concitamus; dum simulatio in vultu, dolus in corde, fallacia profertur in verbis*, etc. *obscuravit Dominus in ira filiam Sion, et deiecit de cœlo gloriam Israel.*

Vers. 9. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia et propitiatio.) Tibi scilicet competit, te decet nostri misereri; quia tu es plenus miserationibus, et nos sumus miserrimi, egentes omni miseratione: quare abyssus miseriæ nostræ invocat abyssum misericordiæ tuæ. Eia, effunde abyssum misericordiæ tuæ in abyssum miseriæ nostræ, ut tua illa abyssus ab omnibus celebretur.

Quia recessimus a te.) Hebr. *quia rebellavimus tibi.* Refert hæc ad superiora v. 5. dat enim causam cur ipsis sit confusio faciei. Vere S. August. sent. 187. *Bene*, ait, *currit ad remissionem peccatorum, qui displicet sibi: apud enim iustum iudicem et misericordem qui se accusat, excusat.*

Vers. 10. Non audivimus.) Non obedivimus voci Domini.

Vers. 11. Declinaverunt (aures suas,) ne audirent vocem tuam.) q. d. Legem tuam noluerunt audire, nec ei auscultare.

Et stillavit (Hebr. תתך *tittach*, id est effusa est) super nos maledictio, quam nobis comminatus es Levit. 26. 16. et detestatio.) Id est execratio, quam violantibus legem imprecatus est Moses Deuter. 27. v. 14. Noster vertit *stillavit*, quia Deus iram suam misericordia temperans, guttatim effudit, iuxta cap. 48.

Vers. 12. Et statuit sermones suos.) *Statuit*, id est confirmavit, implendo et immittendo plagas, quas comminatus est.

Vers. 13. Et cogitaremus veritatem tuam.) Ut studeremus iustitiæ, id est legi tuæ: hæc enim est veritas practica; sive veritas, id est iustitia vitæ.

Vers. 14. Et vigilavit Dominus super malitiam.) Super afflictionem, ut nos affligeret et castigaret. Nota pulchram antithesin; Iudæi in peccatis suis obdormierant, sed Deus vigilat, ut pœnas quas comminatus est acceleret. Sic Ierem. c. 1. 11. vidit virgam vigilantem; et Thren. 1. 14.

A dicitur, *Vigilavit iugum iniquitatum mearum*, id est, cito venit captivitas, quam peccatis meis commerui.

Et nunc Domine.) Est secunda orationis pars, qua Vers. 15.
misericordiam Dei implorat per veterem eius in Iudæos beneficentiam.

Secundum diem hanc.) Sicut hodie videmus te tale habere et retinere nomen, quod gloriose patres nostros ex Ægypto liberaris.

Domine in omnem iustitiam tuam.) Supple peccavi- Vers. 16.
mus, quia omnes tuas iustitias, id est iustas leges, violavimus. Secundo, *in*, id est secundum, *omnem iustitiam tuam*, supple punimur, et patimur iuste hæc mala captivitatis, ut referantur hæc ad præcedentia.

Verum quia incipit hic novus versus, potius ad sequentia hæc referenda sunt, q. d. Secundum misericordiam et fidelitatem tuam nobis pœnitentibus et culpam, et pœnam remitte. *Iustitia* ergo hic idem est quod misericordia. Sic Ps. 142. 1. dicitur, *Exaudi me in tua iustitia*, id est misericordia. Unde Septuag. hic vertunt, *in misericordia tua*
B *avertatur furor tuus.* Rursum *iustitia* idem est quod fidelitas, qua Deus non ob merita, sed ob suam clementiam pœnitentibus veniam promisit. Quarto, Vatabl. sic exponit, sicut iustus es, sic sis et clemens, et averte iram tuam a nobis. Verum tertius sensus est genuinus.

Ostende faciem tuam.) Hebr. est, *illustra faciem* Vers. 17.
tuam, id est lucida, serena, benigna et amica facie respice templum tuum, ut illud restaures.

Propter temetipsum.) Propter tuam immensam bonitatem et clementiam, non propter merita nostra, quia tu optimus es et clementissimus, non quia nos meremur hanc gratiam.

Et civitatem super quam invocatum est nomen Vers. 18.
tuum.) Benigne respice Ierusalem, quæ erat et vocabatur civitas tua, in qua scilicet habebas templum, quasi domum et palatium tuum, in quo colebaris et invocabaris.

Adhuc me loquente.) Nota hic vim orationis: *Ora-* Vers. 21.
tionibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammæ, feræ
C *hebescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur,* inquit S. Chrysost. serm. de Mose tom. 1.

Porro vis ut oratio tua sit efficax, utque Deus faciat voluntatem tuam, tu prior cum Daniele time Deum, et voluntatem Dei perfice. Ipse enim voluntatem timentium se faciet. Oravit multoties Dominum Moses, ut amoveret plagas ab Ægyptiis, et exaudiebatur, licet illi mali essent, Exodi 7. 8. 9. et 10. Quare? quia Moses faciebat voluntatem Dei. Post adorationem vituli, videbatur velle Dominus populum delere, sed Moses per orationis instantiam obtinuit ei veniam, Exod. 32.

Cum in Mosem et Aaron turbæ insurgentes, incendio divinitus excitato disperirent, Mosis monitu Aaron obtulit thymiama, processit in medium, et cum orasset, flamma substitit, internecio cessavit, Num. 11.

Cum filii Israel in deserto in Deum murmurantes passim serpentium ictibus sternerentur, supplicante pro eis Mose, Deus placatus æneum serpentem in ligno suspen-
D di præcepit; quem percussi dum aspicerent, sanabantur, Numer. 21.

Pugnaturi filii Israel contra Philistæos, dixerunt Samueli: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, ut salvet nos de manu Philistinorum.* Qui clamavit ad Dominum, et exauditus est, 1. Reg. 7.

S. Wilfridus Episcopus Eboracensis, teste Beda. l. 5. histor. c. 20. anno Domini 705. suorum precibus a morte liberatus est. Nam cum extremo morbo laboraret, astitit ei S. Michael, dicens: *Ob hoc missus sum, ut te a morte revocem. Donavit enim tibi Dominus vitam per orationes ac lacrymas discipulorum et fratrum tuorum, et per intercessionem suæ beatæ genitricis semperque Virginis Mariæ. Quapropter tibi dico, quia modo quidem ab infirmitate hac servaberis: sed paratus esto, quia post quadriennium revertens visitabo te. In patriam vero perveniens, maximam possessionum tuarum, quæ tibi ablatæ sunt, portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis.*

Decanus quidam Galliæ Romam iter habens B. Domi-

nicum Mutinæ concionantem vidit. A concione cum adit, de salute animæ suæ cum illo confert, inter alia dolenter commemorat, ceu quoddam inevitabile naufragium quod non possit carnis libidinem frænare: quæ res cogat eum, ceu desperatum, ab aliis bonis operibus abstinere. Misertus eius vir Dei, fide, qua plenus erat, eum confirmat, dicens: *Abi, deinceps age viriliter, nihil de Dei immensa misericordia desperans. Ego tibi carnis continentiam impetrabo.* Dixit ille, et ita factum est. Qui enim antea immundus et lubricus fuerat, castus et pudicus effectus est. En quantum potest deprecatio iusti. Ita habetur in vita eius lib. 4. cap. 6.

S. Catharina Senensis suis precibus effecit, ut resipiscerent duo latrones blasphemi, et obstinati. Eadem Palmerinæ calumniatrici suæ veniam et salutem precibus apud Deum impetravit, viditque eius animam miro decore ornatam, ac Christum dicentem: *Quis non omnem merito perferat laborem, ut possit lucrari tantæ pulchritudinis creaturam? si ego tanto animarum amore captus fui, ut pro iis sanguinem fuderim, quanto magis vos curare debetis, ne pereant tam speciosæ creaturæ?* ita habet eius vita.

VIR (habens speciem viri) GABRIEL, QUEM VIDERAM IN VISIONE A PRINCIPIO.) Puta in prima visione qua quatuor bestias vidi, quas ille mihi exposuit c. 7. 15. et 16. licet enim illic eum non nominarit, hic tamen eum nominat.

Nota Primo. Idem est Gabriel qui missus est hic ad Danielem, et qui missus est ad B. Virginem Lucæ 1. 26. quia hæc legatio eius de 70. hebdomadibus, uti et cæteræ eiusdem, ordinabatur ad mysterium adventus et incarnationis Christi, cuius ipse fuit nuntius Lucæ 1. Ita S. Hieron. in Daniel. 8. Iren. l. 5. c. 25. S. Ambros. serm. 63. Andreas Hierosol. serm. de Annunt. Suarez 3. p. q. 22. a. 1. disp. 9. sect. 1.

Secundo, Proclus Cyzicenus in homil. quæ habetur in Conc. Ephesino, *Gabriel* interpretatur *Deus homo;* Theoph. in Lucæ 1. *homo Dei,* vel *vir Dei;* גבר *gheber* enim virum significat, אל *el* Deum. S. Hieron. vero, Bern. et passim alii, *Gabriel* interpretantur, *fortitudo* vel fortis *Dei*: quia fortia Dei bella, et gesta, præsertim incarnationis Dei, cuius nomen est *fortis*, Isaiæ 9. 6. quique fortissime nos e manu diaboli, peccati et inferni liberavit, annuntiavit.

Tertio, licet S. Gregor. homil. 34. in Evangel. S. Bernard. lib. 5. de Consid. Abul. in Matth. 18. quæst. 60. S. Thom. Caiet. et ex iis Suarez loco citato, Barradius et Toletus in Lucæ 1. vers. 26. et Vasquez 1. p. disp. 244. cap. 2. n. 11. censeant Gabrielem non esse Seraphinum, sed infimæ hierarchiæ, esseque caput et principem secundi in ea ordinis, qui dicitur Archangelorum: quorum ratio hæc est, quod ex S. Dionys. cap. 9. et 13. Cælest. hierarch. putent angelos astantes, quales sunt primæ hierarchiæ, nunquam mitti, sed semper assistere Deo; ministrantes vero, quales sunt ultimæ hierarchiæ, mitti: tamen alii censent, Gabrielem esse Seraphinum. Omnes enim angeli *sunt administratorii spiritus in ministerium missi*, ut ait Apost. Hebr. 1. Si Seraphini aliquando mittuntur, sane Gabriel est Seraphinus; tum quia suprema legatio de incarnatione Verbi illi commissa est; tum quia missus est ad instruendam Virginem, quæ dignitate et gratia erat omnibus angelorum ordinibus superior. Unde S. Gregor. homil. 34. *Ad hoc*, ait, *ministerium summum angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat.* Quocirca Hesych. hom. 2. de B. Virgine, Gabrielem vocat principem Angelorum, Andreas Hieros. angelum unum e primis. Expresse vero Seraphinum eum fuisse docent Magister senten. in 2. dist. 10. Scotus ibidem quæst. unica, Durand. quæstion. 1. Molina 1. p. q. quæst. 112. Greg. de Valentia 1. p. de effectu divinæ provid. disp. 8. quæst. 6. puncto 2. Salmeron tom. 3. cap. 3. ubi asserit Gabrielem esse primum a Michaele, et secundum inter Seraphinos: nec mirum esse Seraphinos summos a Deo mitti, cum ipse Dei Filius missus sit ad homines, imo eo-

A rum carnem assumens, cum eis versatus sit 34. annis. Additque *Gabriel* significare primum *fortitudo Dei*, quia fortia Persarum, Medorum et Græcorum prælia et victorias Danieli annuntiat; et quia Zachariæ partum ex sterili Elisabeth, ac B. Virgini conceptum ex Spiritu sancto, nuntiaturus erat. Secundo, *Gabriel* idem esse quod *vir meus Deus,* ut nomine ipso declaret quid veniat nuntiaturus, scilicet partum eius quo virgo pareret, ac pro viro Deum, id est Spiritum sanctum, qui conceptum hunc operaretur, haberet. Accedit Franc. Lucas in Lucæ 1. qui asserit Gabrielem esse ex primis angelis, Deo familiarissimis, eique proxime astantibus, ac idem significare quod גברי *gabri*, id est *vir*, *Dominus*, *princeps meus*, אל *el*, id est *Deus*, vel *fortis meus Deus.* Sic et Maldon. asserit eum esse e primis angelis: quin et Damasc. ser. de dormit. Deiparæ, ait eum esse primum inter angelos; et Cedrenus in compendio, esse principem angelorum, id est esse unum e primis. Hoc ergo verius videtur quam id quod S. Bonaven. et aliqui alii dicunt, Gabrielem esse e media

B hierarchia, puta ex ordine Principatuum, qui regnis præsunt, quia mediatorem Christum annuntiavit.

Porro licet aliqui, ut Toletus in Lucæ cap. 1. censeant Gabrielem esse ex ordine penultimo, qui est Archangelorum, eo quod vocetur Archangelus; verius tamen videtur eum esse ex primo ordine, qui est Seraphim, adeoque esse unum e primis aulæ cælestis principibus: imo non desunt, qui censeant eum inter Seraphinos esse omnium primum. Ita censet Marcus Viguerius Cardinalis in Decachordo Christiano chorda 1. c. 2. idque probat octo rationibus, vel potius congruentiis. Decebat enim, inquit, eum esse primum et summum, qui summum incarnationis Christi mysterium tam B. Virgini, quam Danieli nuntiaret. Primo, ut sicut primus angelus olim, nunc primus diabolus, puta Lucifer, decepit Evam, fuitque causa ruinæ generis humani; ita pariter reparationis et restaurationis eiusdem nuntius esset angelus omnium primus et princeps. Secundo, ut quanto opus hoc incarnationis Filii

Gabrielem esse primum Seraphinorum probant aliqui 8. rationibus.

C Dei minus credibile, magisque impossibile videbatur, tanto magis nuntii supremi auctoritate eius possibilitas et fides roboraretur. Tertio, ut maximam gratiam (talis enim est Verbi incarnatio) gratissimi Deo nuntii ministerio, non tantum genus humanum, sed orbis terrarum universus assequeretur. Quarto, ut maxime inter se distantia extrema, puta Deus et homo, per medium Deo maxime propinquum, puta per Gabrielem legatum copularentur et cogerentur in unum. Quinto, ut summum charitatis Dei affectum et effectum, charissima Deo creatura nuntiaret. Sexto, ut opus hoc annuntiaret legatus ille, qui eius fructum ardentissime desiderabat. Septimo, ut rem tantam, insolitam plane et inauditam, is, qui utrique parti maxime erat familiaris, aptius pertractaret. Octavo, ex nomine: Gabriel enim hebraice idem est quod *virtus mea Deus,* vel *fortitudo Dei*, vel *confortavit me Deus*, vel *homo Deus.* Gabriel ergo est fortissimus, potentissimus ac primus Dei Angelus, ita ut inter eum et Deum nullus sit medius, vel

D mediator. Hæ rationes omnes hæc una concluduntur: Ad opus summum decebat mitti summum angelum: atqui opus summum Dei est Verbi incarnatio: ergo Gabriel ad id nuntiandum missus, est angelorum summus. Verum hæc ratio non omnino convincit. Nam reges sæpe ad summa negotia cum Pontifice vel Imperatore tractanda, mittunt legatum non absolute summum, sed aliquem e maioribus et primis aulæ suæ principibus. Adde, Gabriel missus est non tantum ad summum negotium cum B. Virgine, sed et ad minora negotia, de nativitate S. Ioannis cum Zacharia Lucæ 1. et ad bella Machabæorum cum Daniele cap. 10. pertractanda. Denique communis sententia est, non Gabrielem, sed Michaelem esse primum Angelorum omnium, de quo plura cap. 12.

Dices, Gabriel vocatur *Archangelus* a S. Athanasio in Evangelio de S. Deipara, Irenæo lib. 5. cap. 21. Ambrosio lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. Leone ser. 2. de nativitat. Augustino ser. 18. de tempore, Gregor. hom. 34. in Evangelica: Ergo est ex ordine Archangelorum. Resp.

Vocatur Archangelus, id est angelus primarius et princeps, quia est unus e primis et summis angelis. Unde Gabriel vocatur *angelus princeps* ab Hesychio homil. 2. et Cedreno supra citato. Ita Gabriel Vasquez 1. p. tomo 2. disput. 244. num. 10. ubi et n. 3. probabiliter censet angelum qui confortavit Christum in agonia passionis, fuisse Gabrielem: Gabriel enim uti nomen habet a fortitudine, ita et officium habet confortandi. Additque eum confortasse Christum non corroborando eius infirmitatem, sed eximiam eius fortitudinem collaudando.

Cito volans.) Habebat ergo alas, uti angeli solent; tantum valent preces ferventes, ut angelos advolare cogant.

Tetigit me.) Ut me ad attentionem excitaret.

In tempore sacrificii vespertini.) Vespere, sub illud tempus, quo solebat in templo offerri sacrificium iuge vespertinum. Vide hic quam sacrum tempus respiciat Deus. Sic Iosaphat cum suis in summa exercitus siti per Eliseum aquas miraculose obtinuit, *mane quando sacrificium offerri solet,* 4. Reg. 3. 20. Simile exemplum narrat S. Gregor. homil. 37. in Evang. de quodam captivo cuius vincula solvebantur, quoties uxor pro eo quasi mortuo sacrificium offerri curabat. Aliud prorsus simile habet Ven. Beda l. 4. hist. Anglor. cap. 22. et aliud habet Metaphrastes in vita S. Ioannis Eleemosynarii.

Vers. 23. Egressus est sermo.) Exiit a Deo præceptum, ut ad te venirem, teque docerem tempus adventus Christi.

Daniel fuit vir desideriorum dupliciter.

Quia vir desideriorum es.) Primo, active, q. d. Quia pro tuo desiderio gloriæ Dei, et salutis hominum, ac liberationis populi tui e captivitate, mereris audire de ea secreta Dei decreta. Secundo passive, q. d. Quia amabilis es, et Dei amore dignus: sicut Salomon appellatus est *Idida,* id est dilectus Domino, 2. Reg. 12. 25. res enim desiderii vocat Script. res quæ amantur, et habentur in pretio: hebr. est, *quia tu es* חמודות *chamudot,* id est *desiderium,* vel *desideria,* id est quia tu es multum desiderabilis, et amabilis, tu totus es expetitio et amor: Deus et Sancti te unice expetunt, amant, desiderant. Sic Christus vocatur desiderium collium æternorum, Genes. 49. 26. Unde Symmachus vertit, *ανηρ επιθυμητε, vir amabilis.*

Vers. 24. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt.) Nota Primo. Hebdomas, id est septenarius, aliquando est dierum, aliquando annorum, uti erant septem hebdomades, id est quadraginta novem anni ante iubilæum, Levit. 25. 8. Sic et hic capitur, uti omnes Hebræi, Græci et Latini consentiunt. Septuag. ergo hebdomades, sunt 490. anni; multiplica enim 70. per 7. invenies 490. Errat ergo Origenes tract. 29. in Matth. dum ait, hebdomadem esse non septem, sed decem annorum.

Septuag. hebdomades sunt 490. anni.

Gravius errant nonnulli Rabbini, qui per septimanam accipiunt iubilæum, id est 49. annos. Hi enim, inquiunt, faciunt septem iubilæa parva 7. annorum: septies enim septem faciunt 49. Ergo 70. hebdomades hæ, cum sint iubilæorum, faciunt 3430. annos, quibus expletis veniet Messias. Nam Primo, nusquam in Script. septimana accipitur pro iubilæo, sive pro 49. annis, sed ut summum pro septenario annorum. Secundo, quia Daniel ait abbreviatas, id est breves et modici temporis, esse has hebdomades, uti et ceteri Prophetæ, ac in primis Aggæus c. 2. v. 7. ait, post modicum tempus venturum Messiam. Atqui 3430. non modicum, sed longissimum est tempus. Tertio, quia Daniel v. 26. ait, in fine, harum 70. hebdomadarum destruendum templum cum urbe. Atqui hoc iam factum est a Tito: ergo expletæ sunt iam pridem 70. hebdomades. Rursum ergo hæ hebdomades sunt septem annorum, faciuntque universim, 490 annos. Nam paulo post eos expletos, eversum est templum cum urbe a Tito, manetque et manebit desolatum. Unde et Rabbini constanter docent, secundum hoc templum stetisse tantum 420. annis. Quarto, quia 70. hebdomades conficere 490. annos dumtaxat docet Talmud, cui Iudæi omnes credunt, tract. Sanhedrin, c. Chelech, ex R. Saadia et aliis Rabbinis. Denique ait Daniel v. 27. quod in dimidio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abo-

A minatio desolationis, quæ durabit ad finem mundi.

Symbolice notat Alcazar in Apocal. 11. v. 2. notat. 4. numero 490. Hebræis fuisse celebrem et quasi sacrum, eo quod sit denarius iubilæi, sive decimum iubilæum. Iubilæum enim inchoabatur et promulgabatur quolibet anno 49. (hic enim est septies septimus) multiplica 49. per decem, habebis 490. Significatur ergo hoc numero, quod Christus hoc anno allaturus sit plenum et perfectum iubilæum. Denarius enim symbolum est perfectionis.

Abbreviatæ, id est breves, id est paucæ, decretæ.

Nota Secundo. Hæ 70. hebdomades dicuntur abbreviatæ, et, ut Septuaginta concisæ, id est præcisæ et definitæ (hoc enim significat Hebr. נחתך *nechtach)* non quod ad preces Danielis et Prophetarum decurtatæ sint, et breviores factæ, quam fuerant antea a Deo decretæ, uti aliqui volunt: neque etiam quod hæ hebdomades sint annorum non solarium, sed lunarium (annus enim lunaris brevior est solari undecim diebus) uti volunt Theod. Beda, et Pererius: sed quod breves, id est paucæ, et definitæ sint usque ad Christum, cum Deus longe plures
B statuere potuisset, idque ob preces et suspiria Danielis, et Isaiæ c. 45. 8. et aliorum a Deo prævisa. Sic Matth. 24. 22. dicuntur breviati, id est breves, hoc est pauci decreti a Deo, dies persecutionis Antichristi.

Hinc plerique Doctores, etiam Scholastici docent, Danielem, Isaiam, aliosque Prophetas et Patriarchas meruisse de congruo, non quidem ipsam incarnationem in substantia, sed eius accelerationem, et alias circumstantias, v. g. quod a Davide et posteris eius progigneretur Christus. Ita censent Bonavent. in 3. dist. 4. art. 2. q. 1. Gabriel art. 3. dub. 3. Richard. art. 3. q. 1. Almain. q. 1. dub. 3. Marsil. q. 5. a. 1. conclus. 3. Alens. 3. p. q. 8. memb. 3. art. 2. Huc etiam inclinat D. Thom. Scotus, et ex iis Franc. Suarez 3. p. qu. 2. art. 10. disp. 10. sect. 6. idque colligunt ex hoc loco. Ait enim Gabriel: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es,* etc. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, ut finem accipiat peccatum, et adducatur iustitia sempiterna.*
C Oraverat enim Daniel v. 2. 3. et sequ. in ieiuniis, sacco et cinere non tantum pro reditu Iudæorum e Babylone, sed et pro peccatis populi abolendis: hæc autem non nisi per Christum abolenda sciebat. Ita Rupert. in Daniel. cap. 16.

Alii dicunt hebdomades has abbreviatas fuisse, quia ultima concisa fuit, non plena; nam in medio eius occisus est Christus: in Christi enim nece videntur omnes finiri.

Ut consummetur prævaricatio.) Sensus est Primo, q. d. Donec impietas ad summum crescat, ita ut amplius augeri nequeat, donec scilicet occidatur Christus noster, quod summum fuit peccatum. Unde Tertul. l. contra Iudæos legit, *quoadusque inveteretur delictum.* Ita Theod. Euseb. l. 8. Demonstr. et S. Chrysost. oratione 2. contra Iudæos. Sic medicus expectat crisin morbi, ut is totum se exserat, crescatque ad summum; tumque curationem incipit, cum morbus plane cognitus decrescere incipit.

In Christo finem accepit peccatum quomodo?

D Secundo, simplicior et verior sensus, q. d. Ut veniat Christus, qui quasi agnus in ara crucis omnia peccata hominum consumat, et prorsus deleat. Unde sequitur explicationis causa: *Et finem accipiat peccatum.* Pro *consumetur* Hebr. est להתם *lehatem,* id est, ut finiatur. Aliqui, ut Pagninus, pro ה legentes ח pro *lehatem,* legunt לחתם *lachatom,* id est ut signetur, vel sigilletur, hoc est, inquiunt, ut abscondatur, et quasi sigillo concludatur, ut ultra non appareat, quod ipsum est, finem accipere peccatum. Ita Pineda in Iob 37. 7. Verum Hebr. germana lectio habet *lehatem,* non *lachatom.* Nota. Licet post Christum multa committantur peccata, hic tamen dicitur ea finem accepisse, Primo, quia Christus pro omnibus satisfecit, et sic omnibus nostris debitis quasi finem imposuit, eaque quantum est ex parte sua abolevit. Secundo, quia Christus nobis cælum aperuit, sustulit idololatriam, diabolum superavit, tamque efficacem gratiam et Sacramenta nobis contulit, ut, si velimus, facillime omne peccatum superare possimus, uti viri sancti, omnesque veri

Christiani illud superant. Est enim christianismus *mors* A *criminum, vita virtutum,* ut ait Cyprian. lib. 2. epist. 2. ad Donatum.

Et adducatur iustitia sempiterna.) Hebraice est צדק עולמים *tsedek olamim, iustitia sæculorum,* id est Christus, qui quasi sol, iustitiæ suæ radios in omnium sæculorum, tam ante quam post se, homines diffudit, et Ecclesiam quasi regnum æternum iustitiæ, id est iuste et pie viventium, instituit. Ita interpretes, quin et Talmudistæ ac Rabbini passim, per iustitiam hanc intelligunt Messiam. Vide eos apud Adrian. Finum l. 5. Flagelli c. 5.

Christus iustitiam sæculorum adduxit tripliciter. I.

II. Secundo, *iustitia sæculorum,* id est æterna, est nostra iustificatio et iustitia per Christum accepta: Christus enim factus est nobis iustitia, 1. Corinth. 1. 30. Hæc enim iustitia in genere directe opponitur iniquitati quam delevit: hæc iustitia dicitur æterna, quia hic inchoatur per gratiam, et in cælo perficietur a Christo per gloriam æternam.

III. Hinc Tertio, Pintus, Iustitia æterna, inquit, est Evangelium, quod docet omnem iustitiam; unde ait Isaias c. B 45. 23. *Egredietur de ore meo iustitiæ verbum.* Hic sensus non est directus, sed derivatus ex primo, et secundo.

Et impleatur visio.) Christus enim nascens, et moriens, implevit hanc Danielis et omnium aliorum Prophetarum visiones, id est prophetias. Hebr. est לחתם *lachtom,* id est, *ad signandum visionem.* Ita Septuag. Vatabl. et alii. Sed signare significat implere. Ita S. Chrysost. orat. 2. contra Iudæos: *Sistere,* ait, *oportuit prophetias post Christum: hoc enim est signare, id est sistere visionem. Unde Christus dixit: Lex et Prophetæ usque ad Ioannem.* Ita et Tertul. lib. contra Iudæos, qui et causam addidit dicens: *Ipse* (Christus) *enim fuit signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo Prophetæ nuntiaverant. Post adventum enim Christi et passionem ipsius, iam non visio, neque Propheta est, qui Christum nuntiet venturum,* etc. *Unde verissime dicit, adventum eius firmare visum et prophetiam.* Signare enim hic idem est quod sigillare: res enim dum C completa est et perfecta, solet sigillari: sigillum enim signum est complementi et perfectionis rei. Ita sigillantur diplomata, literæ, testamenta, panni, aliæque res dum sunt perfectæ, ne quid eis a quopiam addatur, vel detrahatur. Hinc per catachresim signare, vel sigillare idem est quod implere, complere, perficere. Quocirca Aquila vertit, και τȣ τελεσαι οραματισμον, και προφητην, *ad consummandam visionem et prophetam.*

Et ungatur Sanctus sanctorum.) Ut scilicet Spiritu sancto consecretur Christus in sanctissimum sacerdotem, regem, prophetam, doctorem, legislatorem et redemptorem orbis. Hebræi, ut mox dicam, vertunt, *et ungatur sanctitas sanctitatum,* vel *Sanctum sanctorum,* vel *sanctuarium sanctuariorum,* qui *non est alius quam ipse Messias sanctificatus de filiis David,* ait R. Barnahaman apud Finum Adrianum lib. 5. Flagelli Iudæor. c. 5. Et R. Moses Gerundensis: *Messias,* ait, *vocatur sanctuarium sanctuariorum, quia futurum erat, ut in eo secundum humanitatem, omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei requiescerent; eratque ipse super omnem creaturam oleo gratiæ, ac beneplaciti Dei ungendus. Unde merito hebr. dictus est Messias,* Græce χριςος, latine unctus. Ita ipse apud Galatin. l. 4. c. 18. Quocirca Aquila vertit, *ad ungendum sanctificatum sanctificatorum;* Syrus, *septuaginta hebdomades requiescent super populum tuum, et ad perficiendum visionem, et Prophetas, et ad Christum Sanctum sanctorum.* Ubi vox *sanctum,* non est adiectiva, sed substantiva, q. d. Qui est sanctum, vel sancta sanctorum. Unde Arabicus uterque vertit, *ad Christum, qui est puritas puritatum,* vel *sanctitas sanctitatum.* Hinc Romanus Pontifex vocatur Sanctissimus Dominus noster, vel Sua sanctitas, tum quia repræsentat Christum, qui est Sanctus sanctorum; tum quia hoc titulo admonetur qualis esse debeat is, qui est pastor et Episcopus tot millionum animarum, ut eas omnes ad sanctitatem et salutem a Christo partam perducat.

Nota. Sanctitatis ratio consistit in adæquatione et conformitate voluntatis et operum cum lege æterna, quæ est in mente Dei: ille enim sanctus, id est iustus et perfectus, est, qui huic legi suos mores conformat. Hinc sanctitas est ab omni labe puritas, ait S. Dionys. cap. 12. de Divin. nom. item amor et coniunctio cum Deo: quo enim quis magis a rebus terrenis et impuris mentem avocat, eamque attollit ad Deum, eo fit sanctior. Iam Christus qua Deus, est ipsa increata, immensa et essentialis sanctitas: qua vero homo, est sanctissimus non tantum per gratiam animæ eius infusam, qua longe omnes angelos et homines sanctos superat et transcendit; sed etiam per gratiam unionis hypostaticæ, per quam in humanitate Christi inhabitat plenitudo, uti divinitatis, ita et sanctitatis corporaliter: quæ admirabilis et incomprehensibilis est sanctificatio, utpote quæ expiationis et sanctificationis humano generi a Deo constitutus est fons. Ab huius plenitudine omnes accepimus, et quod superest, adhuc mille mundorum peccatis abluendis et infinitis animabus sanctificandis sufficit. Hinc ab æterno prædestinati sumus in Christo, ut simus sancti et immaculati in conspectu Dei, Ephes. 1. Christi ergo sanctitas est omnis hominum sanctitatis causa efficiens, meritoria, exemplaris et finalis. Omnis enim sanctitas nostra sanctitati Christi quasi exemplari suo conformari debet, ad eiusque gloriam quasi ad finem suum dirigi, ut scilicet ipse in omnibus a se redemptis et sanctificatis honoretur, laudetur et glorificetur in æternum. Porro hac gratia unionis unctus, id est sanctificatus, et consecratus, est in incarnatione; sed eadem unctus est publice, id est toti mundo declaratus et promulgatus est in baptismo. Hinc omnes Christo debemus summam reverentiam, gratitudinem, amorem, obedientiam, sequelam et obsequium.

Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Ierusalem.) Ab eo tempore quo ab Artaxerxe exibit sermo et edictum, quo permittet, dabitque Nehemiæ et Iudæis veniam reædificandi Ierusalem. Ecce hic tacite innuit angelus exauditam esse orationem Danielis: dum enim ait reædificandam esse Ierusalem, insinuat Iudæos e captivitate in Ierusalem redituros; atque insuper ab hoc anno usque ad Christum (qui erat desiderium desideriorum Danielis et Prophetarum omnium) fore septuaginta hebdomades prædicit. Unde hebr. ad verbum est, *ab exitu sermonis ad reverti faciendum* (vel *ad reducendum) et ædificandum,* id est ad reverti faciendum ædificationem, hoc est, ad faciendum ut redeatur ad ædificationem Ierusalem; quod noster clare vertit, *ut iterum ædificetur Ierusalem;* de qua phrasi plura inferius. Fecit enim Nehemias impetrato diplomate Artaxerxis, ut Iudæi secum e Perside libere et secure redirent in Iudæam ad Hierosolymæ reædificationem et restaurationem. Vers. 25.

Hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt.) Hoc est, hebdomades sexaginta novem: adde unam, de qua in sequent. agit, habebis septuaginta.

Est hic locus illustris de adventu Messiæ, cuius hic ortus, baptismus, passio et mors per annos singulos præcise consignatur. Quocirca ex hoc loco manifeste convincuntur Iudæi; clareque demonstratur Messiam iam pridem venisse, esseque Iesum Christum; quia in eo finiuntur hæ 70. hebdomades. D

Talmudici, R. Salomon, et passim Hebræi, ut hoc telum tam acutum et certum effugiant, afferunt hic expositionem plane contortam et violentam, imo implicantem contradictionem, et seipsam ipsosque Iudæos iugulantem. Censent enim hic non agi de Christo, sed de templo. Nam pro *sanctus sanctorum* in Hebræo est *sanctitas sanctitatum,* id est templum. Dicunt ergo hasce hebdomades dividendas esse in duas partes, iisque significari statum et durationem duplicis templi Hierosolymitani: nimirum priorem earum partem esse decem priores hebdomades quæ conficiunt 70. annos, quos dicunt inchoari ab excidio templi Salomonici, quod peregit Nabuchodonosor, et terminari in reædificatione templi secundi, quæ peracta est per Zorobabel permittente Dario Hystaspis, anno regni *Expositio Rabbinorum.*

eius sexto, ut dicitur 1. Esdræ 6. 15. ab illo enim excidio templi primi usque ad reædificationem templi secundi sub Dario, aiunt fluxisse decem priores hebdomades, id est 70. annos. Posterior earum pars, inquiunt, sunt sexaginta hebdomades reliquæ; quæ conficiunt annos 420. quibus asserunt durasse templum secundum, scilicet sub regno Persarum 34. annis, inde sub regno Græcorum 180. annis, inde sub Machabæis 103. inde sub Herode et posteris eius annis 103. qui omnes simul iuncti faciunt annos 420. id est hebdomades sexaginta iam dictas. Itaque ipsi incipiunt has 70. hebdomades in excidio primi templi, et finiunt illas in excidio secundi templi. Ita ipsis Talmudicorum et R. Salomonis verbis referunt Finus Adrianus l. 5. Flagelli Iudæorum cap. 5. et Petr. Galatin. lib. 4. de Arcanis fidei cap. 11. et sequent.

Refellitur. I. Verum hæc frivola esse, falsa et contradictoria, patet Primo, quia hæ hebdomades ab angelo inducuntur ad dimetiendum, non durationem templi, sed tempus adventus Messiæ; nimirum quod post 70. hebdomades, id est post 490. annos nascetur, morietur, et pro salute mundi immolabitur Christus: hoc enim clare verba eius significant, dum ait: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum*, etc. *et ungatur Sanctus sanctorum*. Et rursum: *Scito ergo et animadverte, ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt*. Occurrit et respondet R. Salomon, pro *ungatur Sanctus sanctorum*, hebr. esse *ungatur* קדש קדשים *kodes kadascim*, id est, *sanctitas sanctitatum*, hoc est templum sanctissimum. Ergo hic agi de templo, non de Christo. Respondeo, id dici non posse, Primo, quia templum in fine 70. hebdomadum non fuit unctum, id est consecratum, sed profanatum et combustum a Romanis, uti ipse R. Salomon fatetur: ergo hæc de templo accipi nequeunt, sed de Christo, qui est sanctitas sanctitatum, id est Sanctus sanctorum, id est sanctissimus, et suprema sanctitas, ut vertit Leo Hebræus. Sic Pontificem vocamus, Sua sanctitas, id est sanctissimus Dominus. Sic principi dicimus, Sua celsitudo; regi, Sua maiestas. Id ita esse patet, quia ita explicat Daniel, dum subdit: *Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ*. Secundo, melius in Hebræo aliis punctis legitur, קדש קדשים *kedos kedoscim*, id est Sanctus sanctorum, uti legit noster, quod soli Christo, non templo convenit. Pari modo si legas *sanctitas sanctitatum;* certum est Christum intelligi, non templum. Christus enim adduxit iustitiam, abolevit peccatum, illudque quasi hostia expiavit. Unde pro *deleatur iniquitas*, hebr. est לכפר עון *lecapper avon*, id est ad propitiandum pro peccato, et ut Aquila vertit, *ad expiandum peccatum*, instar hostiæ pro peccato, quæ peccati est expiatrix, qualis fuit Christus, hæc enim vocatur כופר *copher*. Tertio, nec templum, nec Cyrus, nec Nehemias, nec Zorobabel, nec Agrippa, nec quis alius tunc fuit unctus: quia oleum illud in secundo templo defuit secundum Rabbinos. Unde in lib. Sanedrim Hierosol. cap. אלו הן הגולים *Ellu hen haggolim*, id est, *isti sunt captivi*, ait R. Samuel: *Quinque res defuerunt in secundo templo quæ fuerunt in primo, scilicet ignis, arca, urim et tummim* (id est Rationale iudicii cum ephod) *oleum unctionis, et Spiritus sanctus*. Idem habetur in Midras *sir hassirim*, id est in expositione Cantici Cantic.

Dices, Hebr. קדש *kodes*, significat templum v. 26. ubi dicitur, *Et civitatem, et sanctuarium* (hebr. *kodes*) *dissipabit populus cum duce venturo:* ergo et hic significat templum, non Christum. Resp. Nego consequentiam: hic enim iungitur civitati, diciturque cum ea dissipandum a Tito: quod de templo accipi debere liquet; præsertim, quia ante urbis et templi excidium occidendum esse Christum, iam prædixit angelus: unde clarum est de templo cum loqui, non de Christo: secus est hic, ubi prædicit ungendam sanctitatem sanctitatum, quæ adducat iustitiam sempiternam, et aboleat peccatum, ac impleat visiones Prophetarum: hæc enim fecit Christus, non templum.

A Denique R. Moses Gerundensis, R. Ozia in Seder olam, R. Iosue ibidem, R. Barnahaman, R. Barachias, R. Moyses Tironensis, R. Hioces, R. David, R. Abraham, R. Chaldias, qui fuerunt auctores Talmud, quos citant Finus et Galatinus supra; esto putent hisce 70. hebdomadibus denotari tempus durationis templi; tamen omnes uno ore asserunt, in fine harum hebdomadum 70. venturum Messiam, eumque intelligunt per iustitiam sempiternam.

Secundo, quia angelus hic Danielem afflictum, et obsecrantem pro liberatione populi consolatur, dicens post 70. hebdomades populum ab omni captivitate liberandum per Christum: ergo non definit hic tempus durationis utriusque templi, scilicet quod prioris desolatio durabit 70. annis; posterius vero 420. annos durabit, ac deinde excindetur in perpetuum. Hæc enim tristia sunt, non læta et consolatoria. Constat autem angelum hunc consolari Danielem, eique lætum afferre nuntium, quod exauditæ sint preces eius. Probat. II.

B Tertio, hæ 70. hebdomades inchoandæ sunt ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem, iam a Chaldæis eversa, uti ait angelus: ergo male, imo contrarie verbis angeli, Iudæi eas inchoant ab excidio templi, iam pridem facto a Chaldæis. Non enim dicit angelus, Ab exitu destructionis, sed ædificationis Ierusalem eas inchoandas esse. III.

Quarto, eversio templi quæ hic prædicitur futura, ut Iudæi volunt, in fine 70. hebdomadum, non fuit ablatio peccati, adductio iustitiæ sempiternæ, unctio Sancti sanctorum: quod tamen hic de iisdem asserit angelus; sed potius illa horum omnium, totiusque religionis et gentis Iudæorum fuit eversio. IV.

Quinto, errant Rabbini in supputatione annorum. Nam Talmudici in Meghilla c. 1. docent, ab excidio templi primi usque ad fabricam templi secundi, fluxisse annos 78. Secundum vero templum stetit non tantum annis 420. sed ut minimum annis 583. tot enim sunt ab anno sexto Darii Hystapsis, quo hoc templum perfectum est, ut dicitur 1. Esdræ 6. v. 16. usque ad annum 72. a morte Christi, C quo illud ipsum eversum est a Tito. Rursum, ex Iudæorum sententia 70. hebdomades, id est 490. anni, incipiunt ab excidio templi prioris, quod contigit anno ultimo Sedeciæ, qui fuit annus 18. Nabuchodonosoris, et finiuntur in excidium templi secundi, quod peregerunt Titus et Romani trigesimo octavo anno post necem Christi, a Iudæis occisi. Atqui ex Iosepho, et aliis omnibus historicis constat contrarium, scilicet non tantum 490. sed longe plures annos interfluxisse, puta 663. imo Iosephus plures numerat. Nam l. 7. de Bello Iudaico c. 18. ait: *A rege David usque ad Titum* (a quo eversa est Ierusalem) *anni mille centum septuaginta novem. Ex quo autem condita est* (Ierusalem) *usque ad excidium, annorum duo millia centum septuaginta septem*. Iam a Davide usque ad ultimum annum Sedeciæ, quo a Nabuchodonosor eversa est Ierusalem cum templo, sunt anni 470. ut patet ex annis Davidis, Salomonis, et posterorum, qui consignantur in libris Regum: supersunt ergo anni 709. ad explendum numerum anno- V.

D rum 1179. quos Iosephus ait fluxisse a Davide ad excidium Hierosolymæ. Itaque ex Iosephi sententia, a Sedecia ad Titum non 490. ut volunt Iudæi, sed 709. anni fluxerunt. Et ne dicas errorem esse in numeris Iosephi, eumdem numerum per partes colligit et supputat idem Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 8.

Sexto, consentiunt Iudæi has hebdomades terminari in destructione templi secundi, facta per Titum et Romanos: atqui ex angeli sententia hæ hebdomades terminantur in Christo, eiusque nece: hoc enim clare verba significant: *Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ: et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*. Ergo ex Iudæorum sententia sequitur, quod Messias, puta Christus, iam venerit, vixeritque sub tempus destructionis Ierusalem per Titum, ac proinde fuit Iesus Christus. Nec enim alius fingi potest, nisi quis dicat, Titum in quo desinunt hæ septimanæ, esse Messiam. Sed hunc nec ipsi Iudæi recipient, utpote quem quasi templi et gentis suæ eversorem execrantur.

Christum non esse Cyrum. Prob. Respondet R. Salomon, per Christum hic accipi Cyrum, qui solvit captivitatem Babylonicam. Hunc enim Isaias c. 45. vocat Christum, dicens: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Verum hoc implicat. Primo, quia Cyro non competit quod de Christo ait hic Daniel, nimirum eum fore Sanctum sanctorum, consummaturum prævaricationem, finem daturum peccato, et adducturum iustitiam sempiternam, ideoque fore נָגִיד *naghid,* id est ducem populi fidelis et Christiani; *naghid* enim ab Hebræis vocatur is, qui antestat populo in rebus vel politicis, vel Ecclesiasticis, puta Antistes, Præsul, dux, princeps; sive qui præit et ducit agmen, uti capitaneus et ductor exercitus. Dicitur enim *naghid* a נֶגֶד *neghed,* id est ante, unde *naghid,* idem est quod antecessor, dux, ductor: et hoc significat Græcum ἡγούμενος, uti vertunt hic Septuag. Talis autem in populo fideli fuit Christus, non Cyrus, utpote infidelis. Sic Ierem. 20. 1. Phassur vocatur *naghid,* id est *princeps in domo Domini.* Et Nehemiæ 11. 11. Saraia pontifex vocatur *naghid,* id est *princeps domus Dei,* id est summus *Antistes,* ut vertit Marinus Brix. in Lexico. Et Salomon rex 3. Regum 1. 15. vocatur *naghid,* id est *dux super Israel.* Et Saul 1. Reg. 9. 15. a Samuele ungi iubetur in *naghid,* id est regem et ducem, ut salvet populum de manu Philistinorum.

Secundo, hæ hebdomades incipiunt multis annis post Cyrum, scilicet ab Artaxerxe: hic enim, non Cyrus, Iudæis potestatem urbis reædificandæ fecit, ut patet Nehem. 2. 5. Inde enim eas incipiendas esse docet angelus, dicens, *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem, hebdomades,* etc. Adde, Cyrus iam regnabat cum hanc visionem accepit Daniel, et hoc eodem anno Iudæos e Babylone dimisit. Falsum ergo est, usque ad Cyrum numerandas esse 70. hebdomades, id est 490. annos, quas usque ad Christum numerandas esse asserit hic angelus. Quocirca Aben Ezra fatetur, per Christum hic non accipi Cyrum, sed Nehemiam. Alii accipiunt Zorobabel, alii Herodem Agrippam iuniorem, qui Iudæorum fuit fautor et protector. Sed hæc iisdem argumentis confutantur. Adde, nemo horum fuit occisus, quod de Christo ait hic Daniel.

Alii Rabbini respondent agi hic de Christo, sed hisce 70. hebdomadibus non definiri tempus adventus eius, quasi ipse in septuagesima et ultima sit venturus, sed quod in iis Iudæi merebuntur, ut ipse suo tempore veniat. Verum ut taceam illos tunc potius meruisse excidium, quod eis intulerunt Romani, idipsum ipsa verba angeli excludunt; ait enim: *Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ, et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Ergo hebdomades definiunt tempus adventus Christi. Unde R. Salomon fatetur, quod Iudæi hunc Messiæ adventum non meruerint in tempore 70. hebdomadarum; sed iis finitis tempore huius diuturnæ et interminabilis captivitatis eum mereantur. Sed et hoc absurdius dicitur: nec enim per annos 1500. fructus huius meriti apparuit, ut vel Messias, vel Propheta aliquis Messiæ prænuntius se ostenderet. Adde, Iudæos usuris, fraudibus, sortilegiis addictos nunc tam, vel magis sceleratos esse, quam fuerint olim, ut non Messiæ adventum, sed eius odium, reprobationem et desolationem extremam mereri videantur.

Responsio R. Salomon. Perperam ergo R. Salomon verba angeli sic exponit, *ut consummetur prævaricatio,* id est, ut Iudæi desistant a prævaricationibus suis, et per hoc mereantur apud Deum, ut eorum iniquitas deleatur per captivitatem modernam. Similiter, *ut adducatur iustitia,* id est, inquit, ut veniat Messias, per quem in sempiternum iustificentur Iudæi, et tunc finaliter impleatur visio et prophetia, ut per merita Iudæorum impleantur promissiones per Prophetas factæ de Christo. Perperam inquam: nam Hebræa ad verbum
Refellitur. I. habent, *Præcisum est, determinatum et definitum* (fore scilicet) *super populum tuum, et super urbem sanctuarii tui hebdomades septuaginta ad consummandam prævaricationem, et ad finiendum peccatum, et ad delendam iniquitatem, et ad adducendam iustitiam sæculorum, et ad complendam visionem et prophetiam, et ad ungendum Sanc-

A ctum sanctorum;* ita vertunt Sept. Leo Hebræus, Galat. et alii, quibus verbis clare significatur, decretas esse a Deo præcise 70. hebdomades usque ad consummationem peccati, et adductionem iustitiæ, ita ut iis finitis statim consummetur peccatum, et adducatur iustitia, et ungatur Sanctus sanctorum. Hisce enim omnibus angelus 70. hebdomadarum tempus constituit: ergo illa omnia intra 70. hebdomades necessario implenda sunt: ad hoc enim (ut scilicet, illa omnia fiant) decisæ et definitæ sunt hæ hebdomades, uti habent verba Hebræa. Unde angelus idipsum explicans subdit: *Scito ergo et animadverte, ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta dux,* etc.

Secundo, in medio hebdomadæ 70. ait angelus defecturam hostiam et sacrificium, quæ offerri solebant pro peccato; ergo multo magis merita et satisfactiones privatas Iudæorum defecturas supponit: Hæ enim a publico Dei cultu, sacrificiis et sacramentis pendent. Iam cum constet hostiam et sacrificium defecisse in excidio Titi, sequitur tunc quoque completas fuisse 70. hebdomades, omneque Iudæorum meritum, et omne bonum. Quid enim apud Deum mereantur nunc Iudæi, qui ab eo oblivioni traditi, abiecti, et omnium gentium servituti iam per sexdecim annorum centurias expositi sunt? II.

B

Tertio, angelus ait hic 70. hebdomades præcise a Deo esse decretas et definitas; quæro, ad quid, sive cui rei sunt definitæ? Utique ut iis expletis *ungatur Sanctus sanctorum,* uti ait angelus, puta Messias; ac simul, ut per eum consummetur prævaricatio, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia, et impleatur visio. Hæc enim in Hebræo pari tenore et syntaxi, per copulam et sine articulo ullo (ut patet ex verbis Hebr. iam citatis) ponuntur et coniunguntur, ut ab invicem divelli nequeant. Statuitur hic ergo tempus et terminus, scilicet 70. hebdomadæ, quibus exactis veniat Christus, qui hæc tria præstet; scilicet primo, propitiationem, expiationem et abolitionem peccati; secundo, adductionem iustitiæ sempiternæ; tertio, impletionem omnium visionum et prophetiarum, uti Talmudici et Rabbini alii iam citati fatentur. Unde ait angelus, *Super populum tuum et urbem sanctam tuam;* quia Iudæis proprie, non Gentibus, a Deo, uti per Prophetas promissus, ita et missus est Messias in fine hebdomadarum. III.

C

Obiicit R. Salomon, hebdomades 62. dividi a Daniele ab hebdomadibus septem: ait enim, *Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ,* q. d. Septem hebdomades erunt usque ad Cyrum, qui Iudæis erit favens, et quasi Christus: inde 62. hebdomades erunt, quibus ædificabitur et stabit Ierusalem; sed in angustia, quia a Persis, Græcis et Romanis vexabitur: unde in fine earum occidetur alter Iudæorum Christus a Romanis, scilicet Herodes Agrippa. Verum hoc dici nequit: nam falsum est, *ab exitu sermonis,* id est ab edicto reædificandi Ierusalem, usque ad Christum ducem fuisse tantum septem hebdomades; mox enim angelus numerat 70. Quin et ipse R. Salomon dividens has hebdomades in duas partes, priori parti non septem, sed decem dat hebdomades: tot enim ait fluxisse ab excidio primi templi, usque ad fabricam secundi templi, puta usque ad annum sextum Darii Hystaspis, uti initio dixi. Rursum alibi ipse, et alii Rabbini passim dicunt fluxisse, non 70. sed 78. annos usque ad hunc annum Darii: ergo sibi contradicunt hic, uti et in multis aliis. Obiicitur I. Responsio. I.

D

Secundo, falsum est quod 62. hebdomadibus ædificata sit platea, et muri Ierusalem in angustia temporum. Nam hi muri paucis diebus, puta 52 a Nehemia restaurati sunt, ut dicitur Nehem. 6. 15. Hæc etiam angustia temporum paucis diebus duravit, scilicet usque ad mortem Sanaballat, qui hanc murorum fabricam impediebat, uti ibidem dicitur. II.

Tertio, has 62. hebdomades non spectare fabricam templi, sed Christum, patet ex eo quod statim subdit: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Ubi plane III.

intelligitur Christus, de quo dixit paulo ante, *Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ.* Ut patet tum ex nomine Christi, tum ex eodem numero hebdomadum sexaginta duarum.

R. Salomon fingit duos Christos. Figmentum ergo est et paradoxum, quod R. Salomon duos hic comminiscitur Christos, scilicet primum, de quo dicatur, *Usque ad Christum ducem*, et hunc esse Cyrum: secundum de quo dicatur, *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, et hunc esse Herodem Agrippam, qui vocatur Messias, quia Iudæorum fuit fautor et protector. Nam hunc Herodem non fuisse occisum, ut fingit R. Salomon, sed cum Romanis fuisse confœderatum, et ab iis exaltatum, docet Iosephus l. 3. Belli Iudaici c. 3. 5. et seq. Et Cornel. Tacitus l. 5. ait Agrippam in bello Iudaico secutum esse partes, non Iudæorum, sed Romanorum, ideoque apud Romanos magno in honore et gratia fuisse. Adde, ipsa hebdomadarum et verborum connexio, idemque numerus plane arguunt de una et eadem re, de uno et eodem Christo hic agi.

Itaque cum certum clarumque sit, illud quod sequitur, *Et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum*, non posse iungi cum eo quod immediate præcessit, scilicet, *Et hebdomades sexaginta duæ erunt;* sed paulo anterius debere referri ad *hebdomades septem* priores, quibus Iudæi sub Nehemia ædificaruut Ierusalem magno labore, paupertate, et metu hostium: hinc sequitur, has hebdomades septem et 62. non esse divellendas, nec dividendas, sed coniungendas. Nec est quod quis suspicetur in Hebræo aliter haberi. Sic enim ad verbum habet: *Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ. Revertetur ipsa, et ædificabitur* (non *stabit*, non *durabit*, ut perperam exponit Salomon) *platea, et fossatum*, sive *fossa et murus, idque in angustia temporum.* Ita vertunt Septuag. Leo Hebræus, Galat. et alii passim, et patet intuenti textum. Porro cur seorsim numeret angelus hebdomades septem et 62. dicam inferius.

Itaque ex textu Hebræo liquet, non divellendas esse hebdomades septem a 62. sed iis iungendas: cum iis enim iunguntur per copulam *ve*, id est, *et*, et utræque carent articulo, quo casus mutationem significare solent Hebræi. Si enim diceretur id quod vult R. Salomon, addendus fuisset articulus *lamed*, vel præpositio *bet*, hoc modo לששים *lesecseim*, vel *besciscim*, id est, *in sexaginta duabus hebdomadibus revertetur*, hoc est, rursum ædificabitur platea; et pro *ædificabitur*, dicendum fuisset, *stabit*, vel *durabit*.

Obiicitur II. Obiiciunt Secundo, initio versus huius aliter ex Hebræo vertendum esse, nimirum pro, *ab exitu sermonis*, ipsi vertunt, *de exitu sermonis*, quasi hic non denotetur terminus a quo inchoandæ sint 70. hebdomades, sed tantum denotetur materia, de qua angelus loquebatur. Dixerat enim superius, *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo*, ut sit sensus: Tu Daniel scito et animadverte de exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem, hoc est, adverte, et intellige qualiter sit sermo egressus a Domino de ædificatione Ierusalem sit intelligendus: quia, scilicet ad Christum ducem, id est ad Cyrum, erunt hebdomades septem. Verum id falsum esse clare convincitur. Primo,

Responsio. I. quia angelus hic designat, non materiam, sed initium et finem 70. hebdomadarum, ut sciamus ubi eas inchoare, ubi terminare debeamus. Alioqui enim ridiculum et nugatorium quid diceret, scilicet 70. hebdomades fore, si non indicaret quando eæ futuræ essent, quando nimirum inchoandæ, quando terminandæ. Quocirca nugaces et ridiculi sunt R. Salomon et Iudæi, qui ut hoc telum de adventu Christi effugiant, hasce 70. hebdomades truncant capite et cauda, initio et fine, ut in tenebras illas retrudant, nec sciatur ubi eas ordiri, ubi finire debeamus.

II. Secundo, cum ait angelus, *Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ*, clare designat finem hebdomadum, scilicet eas finiendas in Christo duce. Ergo anterius vertendum est, *ab exitu sermonis*, non, *de exitu*, ut indicet earum caput et exordium: alioqui enim frustra Danieli revelaret Christum venturum in fine 70. hebdomadum. Diceret enim Daniel, O angele, nihil mihi de tempore Christi revelas, æque iam illud mihi obscurum est, ac ante: quid enim scio, an post aliquot millia annorum hæ 70. hebdomades futuræ sint, cum mihi earum initium non indices. Rursum, si vertas *de exitu*, verba non cohærent; cohærent autem si vertas, *ab exitu.* Quis enim sensus est, de exitu sermonis usque ad Christum ducem? Hæc enim verba coniungit angelus, licet Iudæi sua prava interpretatione ea disiungant, sed perperam. Sin vertas, *ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem, ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt*, verba optime cohærent, suntque clarissima: indicant enim ubi 70. hebdomades Daniel ordiri debeat, scilicet ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem, et ubi eædem sint finiendæ, scilicet in Christo duce, ut quisque ab earum exordio eas per annos singulos numerando usque ad 70. et ultimam, habeat et noscat præcise tempus quo veniet Messias, adeo ab omnibus desideratus: quod incognitum erat et occultum ante hanc prophetiam. Id enim angelus hic Danieli, et per eum omnibus pandit, et cognitum facit.

Tertio, ita vertunt Septuag. *απο εξοδου λογου του αποκριθηναι, και του οικοδομειται Ιερουσαλημ εως Χριστου ηγουμενου εβδομαδες επτα και εβδομαδες εξηκοντα δυο*, id est, ab egressu sermonis ut respondeatur, et ut ædificetur Ierusalem usque ad Christum ductorem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ. Sic et Leo Hebræus, Galatin. Pagninus, et alii Hebræi passim. Quin et ipsi Talmudici, ac recentiores Rabbini veritate coacti, tandem fatentur vertendum esse, *ab exitu sermonis*, non *de exitu*, ac hic indicari exordium hebdomadum; quod ipsi dicunt esse annum Sedeciæ vel ultimum, quo eversa est a Chaldæis Ierusalem cum templo, et inde numerant septem hebdomades, quas seorsim nominat angelus, id est annos 49. usque ad Cyrum; vel quartum, quo Ieremias cap. 29. prædixit et ex ore Dei egressus est sermo, quo post 70. annos captivitatis Babylonicæ rursum ædificaretur Ierusalem, et inde usque ad secundi templi fabricam sub Dario, numerant suas priores hebdomades decem, id est annos 70. cum illi ipsi fateantur fuisse 78. Sic dum ad Cyrum numerant annos 49. illi ipsi fatentur fuisse plures, scilicet 52. Nam 49. aiunt fuisse usque ad Balsasarem, qui Cyrum præcessit. Itaque Iudæi hic in angustias redacti, ut hoc Christianorum argumentum effugiant, torquent se in omnem partem, sed non extorquent; ac multis modis sibi ipsis contradicunt, et seipsos iugulant, uti mendaces facere solent. III.

Quocirca vere Lyran. hic in fine capitis: *Non remanet*, inquit, *Iudæis excusatio ex diversitate computationum, cum tempus septuaginta hebdomadarum, de quo hic agitur, qualitercumque computetur, iam per mille* (imo 1600. annos) *transierit in præteritum, et amplius. Sola ergo obstinatio malitiosa tenet eos in perfida expectatione Messiæ.*

Denique, Iudæos fore Christi adversarios, imo occisores, prædicit hic Daniel, dum ait: *Et non erit eius populus qui eum negaturus est* (quæ verba, quomodo ex Hebræo educantur, ostendam inferius) ideoque *in dimidio hebdomadæ* (70. et ultimæ, qua occident Christum) *deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio*, uti vertunt Septuag. Noster. Galat. Leo Hebræus et alii. Quid clarius? frustra ergo templi et gentis suæ restaurationem per suum Messiam expectant Iudæi: ideoque videmus eos graviorem pati captivitatem iam per 1600. annos, quam unquam vel parentes eorum, vel gentes aliæ perpessæ sint. Iugiter enim carent urbe, republica, templo, sacrificiis, Prophetis; ac videntur plane a Deo oblivioni traditi, neglecti, proiecti et reprobati, donec Christum nostrum et suum agnoscant. Refert Hector Pintus in Ezech. cap. 16. v. 27. se Romæ disputasse cum Iudæis, cumque clare illos convinceret, ita mansisse obstinatos ac si fuissent insensibiles, et mente capti: quin imo tam fuisse pertinaces, ut unus eorum illi diceret: Etiamsi luce meridiana clarius ostendas mihi Christum es-

se Messiam, tamen non credam.

Quæstio ubi inchoandæ 70. hebdomades.

Iam difficilis quæstio est apud Interpretes, quomodo hæ 70. hebdomades præcise computandæ sunt. Novi virum nobilem, Catholicum et literatum, qui in hac quæstione perscrutanda plures annos insumpsit, eumque se expedire non posset, magisque in dies intricaret, infelix incidit in amentiam et amentem iudaismum. Potissima difficultas est de harum hebdomadarum exordio, quo scilicet anno præcise eas ordiri debeamus. Variæ admodum hic variorum sunt sententiæ, quas omnes ad pauca capita contraham. Primo, aliqui eas ordiuntur ab anno 13. Iosiæ, quo cœpit Ieremias cap. 1. 2. prophetare de excidio et casibus Hierosolymæ. Secundo, Lyran. Burgens. Vatabl. et Galat. lib. 4. cap. 16. secuti Hebræos, censent eas inchoandas esse ante captivitatem Babylonicam, puta ab anno quarto Sedeciæ, quo exiit verbum et promissio Domini per os Ieremiæ cap. 29. de restauranda Ierusalem. Tertio, alii alios Hebræos secuti, eas inchoant ab anno undecimo Sedeciæ, quo eversa est Ierusalem a Chaldæis. Quarto, S. Hippolytus, teste S. Hieronym. hic, inchoat eas ab anno vigesimo captivitatis Babylonicæ, puta quinquaginta annis ante Cyrum, qui in septuagesimo anno eiusdem illam laxavit. Quinto, Origen. teste S. Hieron. hic, et Tertullian. lib. contra Iudæos, inchoant eas a primo anno Darii Medi, uno anno ante Cyrum. Sexto, Clemens Alexandr. libr. 1. Stromat. et Euseb. lib. 8. Demonstr. inchoant eas ab anno primo Cyri. Septimo, Cyrill. Hierosol. catech. 12. inchoat eas a Dario Hystaspis, sub quo templum est reædificatum. Octavo, Severus Sulpitius lib. 2. historiæ quem sequitur Scaliger. l. 6. de Emend. temp. inchoat eas a Dario Notho, quem ipse vocat Ochum. Hunc enim censet templum restaurasse, non Darium Hystaspis. Vide S. Hieron. et Pererium, qui hæc omnia fuse confutat toto l. 11.

Unde inchoandæ 70 hebdomades.

Verum omissis multiplicibus hisce sententiis, utpote vel manifeste falsis, vel improbabilibus, ex iis quæ iam contra Iudæos disputavi et demonstravi, suppono cum communi omnium interpretum, Patrum et Doctorum orthodoxorum sententia, ex hisce 70. hebdomadibus satis convinci Iudæos, quod Messias, sive Christus iam pridem advenerit, fueritque Iesus, quem Christiani colunt: quia omnium sententia finiuntur et finitæ sunt hæ hebdomades sub illud tempus, quo vixit Christus; licet ob tam priscæ chronologiæ obscuritatem et varietatem, difficile sit primum, et ultimum earum annum præcise consignare, in eoque varient interpretes: nam 70. hebdomades faciunt 490. annos, qui iamdiu expleti sunt, eo tempore quo vixit Iesus. Rursus consecratio, ducatus, prædicatio et occisio Christi, per annos hic a Daniele, distributa et consignata, in alium neminem, quam in Iesum Christum conveniunt. Denique desolatio Ierusalem post cædem Christi, eversio templi, Iudæorum perenne excidium, aliaque quæ hic ultima hebdomade futura prædicit Daniel, sub tempus passionis Iesu Christi, adimpleta sunt; uti ex historiis tam sacris, quam profanis notissimum est. Vide Franc. Suarez 3. p. disp. 1. sect. 2. nunc

Certum est eas impletas esse tempore Christi.

Conclusio. I. Probabile est eas inchoandas esse anno 20. Artaxerxis Longimani. Obiectio.

Dico Primo, Probabile est has 70. hebdomades inchoandas esse ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani. Probatur; nam hoc solo anno legimus ab eodem exisse mandatum, et potestatem Nehemiæ esse factam ad reædificandam Ierusalem, ut patet Nehem. 2. v. 5. et 6.

Dices, Annus hic vigesimus Artaxerxis fuit quartus olympiadis 83. Christus autem passus est anno quarto olympiadis 202. ergo ab hoc anno vigesimo usque ad passionem Christi fluxerunt tantum anni 477. aut excludendo utrinque ultimos annos imperfectos, 475. tot enim invenies si olympiades intermedias multiplices per quatuor; quæque enim olympias quatuor continet annos: septuaginta autem hebdomades efficiunt annos non 475. sed 490. Ergo hæ hebdomades tredecim annis citius, puta non a vigesimo, sed a septimo anno Artaxerxis inchoandæ sunt.

Resp. hos annos esse lunares.

Respondeo, Iudæos usos fuisse annis lunaribus, quorum quisque continet duodecim lunationes, sive menses lunares: mensis autem lunaris constat 29. diebus cum dimidio: tot enim sunt ab uno novilunio ad aliud. Unde sequitur, quod annus lunaris minor sit solari undecim diebus: habet enim dies 354. cum solaris habeat dies 365. quare 475. anni solares, faciunt 490. annos lunares: et de his loquitur Daniel, unde et hebdomades has abbreviatas esse dicit: ita Iulius Africanus l. 5. annalium, Chrysost. Rupert. Pererius, Torniellus, Gordonus, et multi alii.

Refellitur.

Verum, quia Script. passim non lunaribus, sed communibus et solaribus utitur annis; et quia, licet Hebræi uterentur annis lunaribus, tamen tertio quoque anno ex diebus, qui excreverant, mensem addebant, et sic per embolismos annos lunares æquabant solaribus, tum ut chronicis et chronologiæ aliarum gentium se suaque accommodarent, tum propter Pascha et Pentecosten, ut illa congruo tempore a lege statuto, puta post æquinoctium vernum 14. die primi mensis semper celebrarent: alioqui enim, cum annus lunaris minor sit solari, sæpe Pascha celebrare debuissent vel ante æquinoctium vernum, vel alio mense, quam primo. Unde Lyran. qui origine fuit Hebræus, et in Hebræorum rebus versatissimus: *Falluntur*, inquit, *qui putant Hebræos talibus* (lunaribus) *annis usos aliquando; alioquin tota veteris instrumenti series vacillat.* Idem asserit Galatinus lib. 4. cap. 14. qui cap. 15. conatur per annos solares hos annos computare, incipiendo ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani, et prosequendo eos per annos singulorum regum usque ad Christum; hinc

Conclus. II. Verius est 70. hebdomades inchoari anno septimo Longimani.

Dico Secundo, Probabilius est hos 490. annos esse communes, sive solares, et cum a Christo retro computando secundum hos annos, primus incidat in annum septimum Artaxerxis Longimani; dico a posteriori certum videri, ab hoc anno septimo Artaxerxis inchoandas esse has 70. hebdomades; nam si aliunde incipias, non explebis numerum 490. annorum communium sive solarium, uti omnes consentiunt. Itaque cum annus hic septimus Artaxerxis concurrat cum anno quarto olymp. 80. et cum anno Urbis conditæ 297. Christi vero baptismus inciderit in annum 15. Tiberii, qui annus concurrit cum anno quarto olymp. 201. et cum anno Urbis 781. hinc sequitur ab anno hoc septimo Artaxerxis usque ad ducem Christum, id est usque ad tempus hoc baptismi Christi, quo Christus constitutus et declaratus est dux populi Dei, sive ductor et doctor Ecclesiæ (dicente Deo Patre: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*) fluxisse 69. hebdomades, id est annos 483. deinde in medio, ut ait angelus, septuagesimæ et ultimæ hebdomadæ, id est anno 487. qui fuit 18. Tiberii Cæsaris, occisum esse Christum, et tribus annis post Christi mortem finiri hebdomades 70. id est annos 490. Hoc enim verius est, quam id quod censent Africanus, Rupertus, et Beda, scilicet 70. hebdomades præcise finiri ipso anno passionis Christi. Sic enim dicere debuisset Gabriel: In fine (non *in dimidio*) hebdomadæ, occiso Christo, deficiet hostia et sacrificium. Computo per olympiades; quia hæc computatio est certissima, præcisa et expeditissima; cum per reges sæpe sit interrupta et incerta, æque ac varia et prolixa.

Obiectio. Responsio aliquorum annum 7. Artaxerxis esse 20. eiusdem regnantis cum patre.

Dices, Anno septimo Artaxerxis nullus exiit sermo de reædificanda Ierusalem: ab hoc autem sermone hebdomades has inchoandas esse, asserit angelus: ergo illæ ab hoc anno septimo non sunt inchoandæ. Respondent aliqui insignes Chronologi ingeniose et apposite, quod annus ille vigesimus Artaxerxis, quo ipse dedit Nehemiæ facultatem reædificandi Ierusalem, Nehem. 2. 1. non sit vigesimus ab eo tempore, quo ipse solus regnavit post patrem; sed ab eo quo ipse vivente patre Xerxe, simul cum eo regnare cœpit, cum scilicet Xerxes ad bellum contra Græcos proficisceretur: quod videtur fuisse anno Xerxis quinto; tum enim bellum in Græcos exarsisse videtur. Hæc sententia colligitur ex Iosepho; ipse enim asserit anno 25.

Probatur ex Iosepho.

Xerxis, id est anno 25. ab eo tempore quo Xerxes regnare cœpit, missum esse Nehemiam, eumque perfecisse mœnia Ierusalem anno Xerxis 28. id est anno Artaxerxis 23. ex quo scilicet ipse regnare cœpit cum patre Xerxe, qui annus fuit septimus, quo solus post patrem regnavit Ar-

taxerxes: nam pater eius Xerxes non nisi viginti annos regnavit. Itaque licet anno vigesimo Artaxerxis, ut ait Nehemias, exierit sermo, id est mandatum, de ædificanda Ierusalem, tamen anno eius 23. (quem Iosephus vocat 28. Xerxis, id est 28. ab initio regni Xerxis) ex quo scilicet regnare cœpit cum patre Xerxe, qui fuit Artaxerxis solius regnantis annus septimus, exitum, id est effectum, habuit hic eius sermo et mandatum; quia tunc iuxta eius præscriptum mœnia Ierusalem restaurata et perfecta sunt a Nehemia. Unde patet hunc exitum, id est effectum, incidisse in annum septimum Artaxerxis, a quo inchoandas esse 70. hebdomades, in conclusione asserui.

Refellitur. Hæc sententia subtiliter adinventa est, eique favet S. Chrysost. sed difficultate non caret: nam Primo, tota ni-
I. titur Iosepho: Iosephus autem hic, uti et alibi manifeste errat, dum regno Xerxis tribuit annos 28. et dum in fine capitis, hæc omnia gesta esse regnante Xerxe, asseverat. Si regnante, ergo et vivente Xerxe: nam Euseb. Orosius, Diodorus Siculus, Severus Sulpitius, Beda et alii Xerxi tantum tribuunt annos 20. vel 21. Rursum Esdras c. 7. et Nehem. c. 1. asserunt non Xerxem, ut vult Iosephus, sed Artaxerxem, misisse tam Esdram quam Nehemiam in Ierusalem. Causa erroris Iosephi videtur fuisse, quod historici subinde confundant nomina hæc, Xerxes et Artaxerxes, quasi sit unum idemque. Unde Thucydides et Charon apud Plutarchum in vita Themistoclis, Cicero l. 10. epist. ad Attic. Philostrat. lib. 1. de vita Apollonii, et Probus in vita Themistoclis, tradunt Themistoclem capitis damnatum a Græcis fugisse ad Artaxerxem, cum Ephorus, Dimon, Clitarchus, Heraclides apud Plutarch. supra, asserant eum fugisse ad Xerxem. Xerxes enim persice significat bellatorem, Artaxerxes magnum bellatorem. Quocirca idem est nomen hebr. Achasueros; latine Assuerus; persice Ochos oarses, Axurxes, Artaxerxes, græce Ὀξυάρης, id est acer Mars, ut dixi can. 17. in Pentateuc.

II. Secundo, quia hæc sententia videtur nonnihil torquere τὸ *ab exitu sermonis*. Hæc enim phrasis Hebræis significat non finem, nec executionem, sed initium loquendi; puta ipsum loquentis et mandantis imperium, maxime quia sequitur, *Ut ædificetur*, vel, ut hebr. est, *ad ædificandum Ierusalem*. Sic enim passim Prophetæ dicunt, *exiit sermo*, vel *verbum a Domino*, id est Dominus cœpit loqui et mandare. Sic exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur orbis, cum scilicet ipse iussit eum describi.

III. Tertio, quia Script. videtur annos Artaxerxis solius regnantis numerare, atque per eius annum septimum, vigesimum, et trigesimum secundum consignare chronologiam in Esdra, et Nehemia: ergo annus hic vigesimus Artaxerxis, est eius non cum patre, sed solius regnantis, et ita eius annos hosce consignat Eusebius, et alii.

IV. Quarto, quia valde incertum est, an tam cito Artaxerxes regnare cœperit cum patre, scilicet anno Xerxis quinto: tum enim Artaxerxes videtur puer fuisse, et ad regendum ineptus; imo post mortem patris ægre et vix regnum paternum adiit. Artabanus enim præfectus post mortem Xerxis, regnum invasit, illudque septem mensibus tenuit. Adde, Artaxerxes erat minimus natu filiorum Xerxis; senior erat Darius, quem proinde potius quam Artaxerxem regni administratorem in bellum abiens reliquisset Xerxes. Unde et Artabanus primo necavit Darium, deinde Artaxerxi insidiatus est, ut eo sublato invaderet regnum, uti refert Iustin. lib. 3.

V. Denique cum Scriptura velit ab hoc exitu sermonis Artaxerxis inchoari 70. hebdomades, omnino annum hunc exitus alicubi consignare debuit. Unde enim alioqui sciremus initium harum hebdomadarum? voluit ergo exitum hunc non a profano homine, et dubiæ fidei, puta Iosepho, sed a se peti. Quare expeditius et facilius ad argumentum responderi potest; atque

Conclus. III. Artax. dedit Esdræ copiam re- ædificandi Ierusalem, anno regni sui septimi. Dico Tertio, Exiit sermo Artaxerxis de reædificanda Ierusalem anno eius septimo: nam illo anno, ut patet Esdræ 7. v. 6. Artaxerxes misit Esdram in Ierusalem, cum multis Iudæis in Babylone captivis; deditque, ait Scriptura, illi omnem petitionem: non est autem dubium, quin Esdras vel maxime, templo iam ædificato, petierit etiam urbem reædificari, ut a vicinis hostibus Iudæi essent tuti, tum in urbe, tum in cultu Dei in templo. Unde et Esdræ in Ierusalem abeunti ad hanc rem, ut videtur Artaxerxes iussit dari centum talenta argenti, et annonam copiosissimam: permisit enim ea voluntati Esdræ et Iudæorum, ut dicitur vers. 18. Esdras autem et Iudæi non aliud magis optabant, quam urbem restaurari. Probat. I.

Secundo, quia ex edicto Artaxerxis, Esdras ex Babylone omnino reduxit Iudæos cives in Ierusalem: cur, nisi ut civitatem reædificarent? Ubi enim sunt cives, ibi debet esse et civitas. Adde, quod his civibus rex suo edicto immunitatem dederit, et leges civicas ac magistratus et iudices per Esdram constitui iusserit, ut dicitur ibidem v. 25. hæc enim sunt civitatis et civium. II.

Tertio, quia ante Nehemiam, qui perfecit mœnia Ierusalem, cœptam fuisse eius reædificationem, patet ex eo quod Nehemias scribat, se anno vigesimo Artaxerxis audiisse et invenisse murum Ierusalem dissipatum, eiusque portas igni combustas, Nehem. 1. v. 3. et cap. 2. v. 13. non utique a Nabuchodonosor: hoc enim a 70. et amplius annis audierat; sed a Sanaballat, et similibus Iudæorum hostibus sub tempora Esdræ. Et ubi quæso ante Nehemiam per tot annos habitassent in Ierusalem tot Levitarum, sacerdotum, et Iudæorum millia, quæ Nehemias veniens ibi invenit? quomodo Iudæi ibidem, cum hostes haberent vicinos, eosque infensissimos, sine mœnibus ab iis illæsi manere potuissent? III.

Obiectio. Dices, Hæc sententia est nova, nec ullum habet aucto-
Responsio. rem. Respondeo, Hanc sententiam docent diserte multi recentiores chronologi, ut Angelocrator, Funcius, Capellus, Bucholzerus, Helvicus, et alii in suis chronologiis, esto in fide heterodoxi. Eamdem tenet Cedrenus in Artaxerxe pag. 119. ac insinuat Theodor. dum ait Artaxerxem misisse Esdram et Nehemiam, ut muros Ierusalem reædificarent. Eamdem reipsa docent Euseb. et passim alii chronologi, dum præcise 490. annos, id est 70. hebdomades, numerant a septimo anno Artaxerxis, usque ad passionem Christi: ex hoc enim evidenti annorum calculo, necessario sequitur, initium horum 490. annorum sumendum esse ab anno septimo Artaxerxis.

Hæc disputando proposui, lector ex tribus hisce sententiis eligat quam volet; omnes enim probabilibus nituntur vel coniecturis, vel fundamentis. Porro hebdomades hæ incipiunt anno mundi 3497 a diluvio anno 1840. a templo Salomonis 564. a Roma condita 298. a libertate sub Cyro anno 78. Vide tabulam chronol. quam præfixi Genesi. Unde sequitur, eas incipere anno pariter 78. ab hac visione et prophetia Danielis: hanc enim habuit anno 70. et ultimo captivitatis, qui fuit annus libertatis Hebræorum sub Cyro.

Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ.) Id est 69. hebdomades. Est hebraismus: solent enim Hebræi summam alicuius numeri per partes enuntiare, et minores numeros præponere maioribus, uti videre est Ezech. 45. 12. et alibi, præsertim septenarium; eo enim gaudent, tum ob religionem sabbati; tum ob decursum septimanæ et temporis, quod omne septem diebus decurrit, et iugiter recurrit. Hac de causa potius septenarium assumpsit angelus, quam novenarium, vel quem alium numerum. Ita S. Hieron. Nam non legimus aliquod insigne mysterium peractum esse in 62. hebdomade, id est novemdecim annis, ante nativitatem Christi. Torniellus tamen probabiliter coniicit septem primas hebdomades seorsim nominari, et a 62. distingui, eo quod illis septem præter muros (uti mox subdit angelus, ibique dicam) etiam aliæ partes urbis Ierusalem ædificatæ et restauratæ fuerint tempore Nehemiæ. Nam solos muros paucis diebus, puta quinquaginta duobus, perfecit, uti dicitur Nehem. 6. v. 15. Addit Perer. sub finem harum septem hebdomadarum claruisse Reginam Esther et Mardochæum, qui Iudæos exitio destinatos ab Aman liberarunt, quod contigit sub annum 12. Artaxerxis Mnemonis, quem Pererius censet fuis-

se maritum Esther, licet alii censeant fuisse Artaxerxem, alii Xerxem, alii Darium Hystaspis; quod decidendum est in lib. Esther. Addit Scaliger. lib. 6. de Emend. temporum, 62. hebdomades incipere ab anno quinto Artaxerxis Mnemonis: ab eo enim missum esse Esdram et Nehemiam in Ierusalem. Sed errat: nam communis sententia est eos missos esse ab Artaxerxe Longimano, ita cognominato, quod manum unam altera longiorem haberet.

Porro intra 62. hebdomades quatuor res illustres contigerunt. Primo, quod Alexander venerit Ierusalem, ibi sacrificarit Deo vero, et Iaddo pontificem adorarit. Secundo, persecutio Antiochi Epiphanis, ac Machabæorum contra eum bella et victoriæ. Tertio, translatio sceptri et regni Iudaici in Herodem alienigenam. Quarto, nativitas Christi.

Eusebius errat, dum per ducem accipit Ioannem Hyrcanum. Et Iudæi, qui accipiunt Cyrum.

Iam per Christum ducem omnes passim accipiunt Iesum Christum, qui anno ætatis 30. dum baptizaretur constitutus est a Deo dux populi fidelis. Quare mirum est unum Eusebium lib. 8. de Demonstr. cui favet Theodor. hic, per ducem hunc accipere Ioan. Hyrcanum, qui ultimus fuit Iudæorum pontifex legitimus: nec enim Hyrcano conveniunt ea quæ de Christo hic ait Gabriel, scilicet quod per eum finem accipiet peccatum, et adducetur iustitia sempiterna. Rursum Christus constitutus est dux 69. hebdomade, quæ incidit in olympiadem 201. Hyrcanus autem a Pompeio constitutus est pontifex olympiade 179. ergo non est is quem hic designat Daniel. Stolidius errant Iudæi, qui per Christum hunc accipiunt Cyrum, aut Herodem Agrippam iuniorem. Hisce enim longe minus quam Hyrcano competunt ea, quæ hic dicuntur de Christo, uti superius ostendi.

Ex dictis sequitur, Christum natum esse hebdomade 65. ut habet Rom. Martyrol. (perperam ergo Onuphrius eum natum ponit 66. hebdomade) puta anno eiusdem 5. exeunte: inde enim computa duos annos reliquos eiusdem hebdomadis, et 4. sequentes hebdomades usque ad 69. in cuius fine Christus baptizatus est, et constitutus dux doctorque fidelium, habebis annos triginta, quos agebat Christus cum baptizaretur. Quatuor enim hebdomades faciunt annos 28. his adde duos reliquos ex 65. hebdomade, habebis annos triginta ducis Christi. Quare mirum est prisca quædam Martyrol. 25. Decembr. consignare Christi natalem hebdomadi 63. Sic enim Christus baptizatus esset, factusque dux hebdomade 67. et occisus 68. quod falsum est.

Et rursum ædificabitur platea et muri.) Refer hæc non tam ad proxime præcedentia, quam paulo superius ad illud, *Ut iterum ædificetur Ierusalem*, eiusque plateæ et muri: esto iam sint plane diruta et desolata: τὸ enim *et*, est causale, idemque valet quod *quia*. Duo enim hic prophetat Daniel. Primo, tempus quo veniet Messias. Secundo, restaurationem Ierusalem: quæ sui temporis erat, quamque petierat tam instanter Daniel. Sic enim Prophetæ elevati in Deum, volant ab uno tempore in aliud, iuxta can. 4. Hebræa ad verbum habent, *revertetur ipsa, et ædificabitur platea, et fossa*, scilicet circum murum, id est *murus revertetur ipsa*, hoc est revertentur e Babylone cives ipsius, puta Hierosolymæ, scilicet Hierosolymitæ et Iudæi. Verum sic potius dixisset, *Revertentur ipsi*. Melius ergo, *revertetur et ædificabitur*, id est iterum ædificabitur. Est hebraismus frequens in Scriptura, quo verbum ponitur pro adverbio, *revertetur* pro *iterum*, *denuo*. Ita Septuag. Leo Hebr. et alii. Vide nostrum Riberam Osee 5. n. 7. Iterat hoc et confirmat angelus; tum quia Daniel idipsum summis votis expetierat et obsecraverat; tum ut indicet causam, cur septem hebdomades seorsim ante 62. nominarit, videlicet ut indicaret in iis reædificandam esse urbem. Porro *platea*, id est plateæ Ierusalem, licet Galatinus putet ipsam urbem Ierusalem vocari plateam, ob sui latitudinem.

Angustiæ temporum duplex.

In angustia temporum.) Ita vertunt et Sept. Complut. sed Roman. legunt, et *evacuabuntur tempora*; Tertull. *innovabuntur tempora*. Idque Primo, quia Iudæi reæ-
1.
A dificantes Ierusalem tot angustiis ab hostibus sunt pressi, ut una manu gladium ad se tuendum, alia trullam ad ædificandum gestare cogerentur, Nehem. 4. 17. Idem factum fuisse sub Esdra, patet ex eo, quod usque ad Nehemiam impedita fuerit urbis fabrica; et ex eo, quod Nehemias dicat se invenisse murum dissipatum, et portas combustas. Secundo, quia ob hostes lacessentes assidue 2.
Iudæos, Nehemias et Iudæi angustissimo et brevissimo tempore, scilicet 52. diebus mœnia raptim perfecerunt.

Post hebdomades sexaginta duas.) Repete per hebraismum, post hebdomades 7. et hebdomades 62. id est post 69. hebdomades occidetur Christus: alioquin enim hic versus pugnaret cum præcedenti. Fallitur ergo Driedo, qui lib. 3. de S. Script. c. 5. docet Christum occisum esse hebdomade 62. Loquitur enim Daniel de hebdomadibus 62. quas paulo ante cum aliis septem coniunxit, q. d. Post hebdomades 62. iam dictas, quæ septem aliis coniunguntur.

Occidetur Christus.) Insulse Rabbinus quidam apud Vers. 26.
B Finum vertit, abscindetur, id est, a Synagoga reiicietur, separabitur, et quasi excommunicabitur Christus; et R. Levi, abscindetur, id est truncabitur Messias, quia pontifici et pontificatui finis dabitur a Tito. Hebr. enim כרת *carat*, significat exscindere, succidere, occidere, et ita vertunt hic Leo Hebr. et Rabbini cæteri. Unde R. Osea apud Galatin. lib. 4. c. 18. flens dicebat: *Væ illis, væ illis, væ illis iniquis et impiis homicidis Israel, ob quorum amorem, ut peccatum eis dimittat Deus, mittet filium sanctum suum, et carnem humanam induet: væ illis, quia propter pravas suas actiones rebelles erunt huic Messiæ: nec respicient dicta quibus imperabit, ut mundentur aqua mundationis ad expianda peccata sua: nec incedent in viis Deo gratis; nec facient eius voluntatem; sed ingenti iracundia perciti illum occident.* Quare mirum est Septuag. vertere, *destruetur unctio*, id est pontificalis dignitas in Hyrcano pontifice, qui occidetur, ait Theodoretus. Hebr. enim est *Masiach*; id est Christus in concreto, non *mesech*, id est unctio in abstracto; et ita legunt
C ipsimet Talmudistæ et Rabbini. Forte Sept. mysterium occisionis Christi non intellexerunt, aut potius apud Iudæos illud non crediturōs tegere voluerunt.

Et non erit eius populus qui eum negaturus est.) Hebr. ואין לו *veen lo*, id est, *non ei*, quod R. Salomon exponit, q. d. Christus, id est rex Agrippa, occidetur, et non erit ipse, aut alius rex (Iudæorum) donec veniat Messias. Verum sic dicendum erat, *et non ipse*; iam autem dicit, *et non ei*. Adde, falsum esse, quod Agrippa a Romanis sit occisus, cum ab iis toparchiis et opibus sit auctus, uti superius ex Iosepho et Tacito ostendi. Septuag. vertunt, *et non erit ei iudicium*, q. d. Sine iudicio, iniuste et tumultuarie a Scribis et Iudæis occidetur Christus; aut potius, q. d. Cum unctione, id est pontificatu, peribit principatus (huius enim est iudicare) et respubl. Vatabl. *et non erit*, scilicet qui opem ferat ei, ut eum a morte et manibus Iudæorum liberet. Unde Arabicus, *et non est illi defensor*; Syrus, *non est ei*, scilicet in tantis ma-
D lis remedium, vel evasio. Galatin. lib. 4. cap. 18. *et non erit ei*, scilicet id quod Iudæi putant, nimirum ut Christus ab eis crucifixus occumbat, et plane intereat: nam tertio die iis invitis a morte resurget. Melius noster; *et non erit ei, vel eius*, scilicet populus ille Iudaicus qui eum negabit et occidet. Hoc enim est quod de eodem clare ait Osee cap. 1. *Voca nomen eius, Non populus meus, quia vos non populus meus, et ego non vester Deus.* Hinc ipsi coram Pilato volente Christum liberare negarunt eum, et contra eum acclamarunt, *Non habemus regem nisi Cæsarem, crucifige, crucifige.* Hinc Finus Adrianus l. 5. Flagelli c. 5. suspicatur hæc hic excidisse ex textu Hebræo, vel a Iudæis esse expuncta. Non enim, ait, verisimile est nostrum interpretem hæc ex se addidisse. Veteres Hebræi teste S. Hieron. verterunt et explicarunt, q. d. *Non erit illius imperium quod putabat se redempturum*, hoc est, Christus regnum Iudæorum deseret, et plane abiiciet, ad quod tamen spiritualiter reparandum et restaurandum

præcipue venerat, quod in re idem est cum eo, quod vertit noster, *et non erit eius populus, qui eum negaturus est.*

Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.) q. d. *Populus,* id est exercitus Romanus duce Tito et Vespasiano, in ultionem necis Christi civitatem Ierusalem, et sanctum, quod in ea erat, templum destruet, et funditus evertet, ita ut nunquam reædificetur, sed in æternum maneat desolatum: hac enim est plena *vastitas et statuta desolatio,* de qua sequitur.

Nota: eversionem templi angelus tribuit populo et exercitui Romano; quia ipse dux, puta Titus, volebat illud servare, teste Iosepho: ita Vatablus.

Et finis eius vastitas.) Hebr. *succidentur,* scilicet Iudæi *sicut in diluvio;* Tertul. *sicut in cataclysmo,* ut pauci, instar Noe, tantæ cladi supersint: ita Septuag. Vatablus vertit, *finis eius erit per diluvium,* vel cum inundatione, q. d. Romani tota vi et turba irruent in Ierusalem: comparat vim et impetum belli diluvio: ita Theodoretus.

Et post finem belli.) R. Salomon vertit, *usque ad finem belli,* q. d. Licet omnes Iudæorum adversarii tandem sint per Messiam venturum perdendi et vastandi, tamen statuta est a Deo, et determinata suæ civitatis, puta Hierosolymæ, devastatio et desolatio per Titum usque ad finem belli Gog et Magog, de quo Ezech. 38. qui per Messiam devincentur: et restituentur sibi (id est Iudæis) Ierusalem, puta civitas, templum et regnum; utique in fine mundi; tunc enim venient Gog et Magog cum Antichristo, quem Iudæi pro Christo recipient. Verum non agitur hic de bello Gog et Magog, sed ducis venturi paulo post 70. hebdomades, id est Titi. Sept. obscure vertunt, *et usque ad finem belli concisi ordinabit* (Romana legunt *ordine:* Græcum enim ταξει, potest primo, accipi ut nomen, et tunc significat *ordine;* secundo, ut futurum verbi ταττω, et tunc significat, *ordinabit) desolationibus.* Forte est mendum, et pro συντετμημενῃ ταξει αφανισμοις, legendum est, συντετμημεναι ταξεις αφανισμων, id est, decreti sunt ordines, sive series desolationum. Pagnin. vertit, *et usque ad finem belli decisæ sunt desolationes,* q. d. Ierusalem obsessa continuis stragibus et cædibus sensim exhaurietur et desolabitur usque ad finem belli, quo plane exscindetur et desolabitur: quæ desolatio durabit ad finem mundi, ut sequitur. Vatabl. vertit, *ad finem belli consummata vastitudo,* vel *destruetur desolationibus,* sive seditionibus et cædibus, q. d. Toto tamen obsidionis tempore vires eius erunt labefactatæ propter civilia bella, et intestinas seditiones. Nam Ioannes et Simon duces seditionis plurimos in urbe occiderunt.

Ad verbum Hebr. habent, *ad finem belli decretæ sunt desolationes*: *ad finem,* id est sub finem, in fine: unde noster clarissime et optime vertit, *post finem,* tum quia non in bello, sed post finem belli secuta est hæc Hierosolymæ desolatio et solitudo occisis vel abductis ex ea Iudæis: tum quia sequitur, *Et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio,* quam etiamnum patitur Ierusalem; hæc ergo post finem belli contigit, et etiamnum perdurat, et durabit ad finem mundi. Pro *desolatio* hebr. est שממות *sciomemot,* id est desolationes, afflatus, siderationes: cum enim res fulmine afflatur, vel igne, aut halitu serpentis, dicitur *sciomem,* id est afflari, siderari, desolari; radix enim *sciamam* alludit ad נשם *nasciam,* id est spirare, flare, afflare. Significatur ergo hic, quod Ierusalem ob suas abominationes a Deo quasi afflabitur, et e cælo quasi fulmine siderabitur, ut instar Sodomæ in cineres et favillas a Romanis redigatur, et evanescat. Ita Iosephus describens stragem Hierosolymæ, non Tito, sed Deo eam ascribit, uti inferius ex verbis eius patebit.

Excidium Ierusalem contigit non in, sed post 70. hebdomades.

Nota. Hæc vastatio Ierusalem non continetur intra spatium 70. hebdomadum: illæ enim finiuntur tertio anno post mortem Christi, vastatio autem hæc contigit anno 38. post necem Christi: diu ergo post 70. hebdomades contigit hæc vastatio. Quod enim Orig. Euseb. et Hippol. hanc septuagesimam hebdomadem cum aliis non continuant, sed iis 60. aut 70. annis posteriorem faciunt, repugnat earum connexioni et contextui apud Danielem. Vastationis

A ergo Ierusalem meminit hic Daniel, ut ostendat quam gravi ultione Deus in Iudæos vindicarit necem Christi, utpote qui propter eam exciderit plane Ierusalem, totamque Iudæorum gentem et rempublicam.

Desolatio Iudæorum extrema quinque de causis.

Nota Secundo, gravissimam hanc esse Iudæorum vastationem; primo, quia carent templo a 1600. annis; secundo, carent Prophetis; tertio, carent viris doctis; quarto, toto orbe sunt vagi; quinto, perpetua erit hæc eorum desolatio, uti prædicit hic Gabriel, et Isaias, aliique Prophetæ, idque docet ipsa experientia.

Vers. 27.

Confirmabit (ita lege cum Roman. non *confirmavit,* uti legunt nonnulli) autem pactum; Septuag. Διαθήκην, id est *testamentum,* scilicet novum, multis hebdomada una.) Redit Gabriel ad Christum, de quo egit v. 25. et 26. Perperam ergo R. Salomon sic exponit, q. d. Titus, dux populi venturi contra Ierusalem, faciet inducias cum Iudæis, quas Iudæi non servabunt, hinc ab eo excindentur et desolabuntur. Hoc enim eius figmentum, clare redarguitur. B Nam nec Iosephus, nec Iosippus filius Gorionis, nec Hegesippus, nec quis alius enarrans cladem Hierosolymæ, harum induciarum meminit; sed potius ex adverso unanimiter omnes asserunt, Iudæos obstinatissime omnes pacis a Romanis oblatæ conditiones respuisse, usque ad extremum urbis excidium. Adde, Titus Hierosolymam non anno integro, sed dimidio tantum obsedit: cœpit enim obsidionem in Aprili, puta in Paschate, et occupavit urbem Octobri sequenti: non ergo *confirmavit pactum multis hebdomada una,* quæ plures annos complectitur. Certum ergo est ex communi interpretum sententia, hæc de Christo Salvatore dici. Christus enim ultima hebdomade, scilicet, septuagesima, tribus primis eius annis cum dimidio prædicavit, ut habet vetus traditio, teste Eusebio lib. 8. Demonstr. (de qua re tractandum est in Evangeliis. Interim vide Baron. anno Christi 34. Perer hic q. 7. et Suarez 3. p. q. 50. art. 6. disp. 40. sect. 1.) tuncque pactum, et testamentum inter Deum et homines, præsertim in ultima cœna condidit, suaque morte sancivit; ac eius symbolum, C pignusque perpetuum dedit Eucharistiæ sacrificium et Sacramentum.

Christus confirmavit suam doctrinam multis.

Porro Christus hoc testamentum *confirmavit multis,* id est quam plurimis hominibus, cum quibus hoc fœdus iniit. Unde Vatabl. vertit, *ergo multos:* et hoc significat Hebr. לרבים *larabbim,* scilicet *multis* in dativo. Verum melius τὸ *multis* accipias in ablativo, *multis,* scilicet rationibus et argumentis (articulus enim *lamed,* qui est in *larabbim,* sæpe servit ablativo, uti norunt Hebraice periti) nimirum Primo, miraculis, iis præsertim, quæ Prophetæ 1.
cum, ad hoc confirmandum, facturum prædixerant. Unde Christus rogatus a Ioanne nomine discipulorum eius: *Tu es qui venturus es* (Messias) *an alium expectamus?* respondit: *Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis, et vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Hæc enim miracula facturum Christum sigillatim prædixerat Isaias cap. 35. 5. et cap. 61. 1. Itaque ex hisce D convicti fuerunt Iudæi, ut crederent, vel credere deberent ipsum esse Messiam. Unde et dixerunt Ioan. 7. *Numquid Christus cum veniet plura signa faciet, quam quæ hic facit?* Christus enim hæc signa faciebat ad hoc, ut iis probaret et demonstraret Iudæis se esse Messiam a Prophetis promissum. Secundo, prophetiis. Moses enim omnes- 2.
que Prophetæ prædixerunt hoc Christi testamentum, et quæcumque ab eis prædicta sunt, hæc Christus præstitit et adimplevit, uti S. Petrus et Paulus in Actis Apost. crebro ostendunt. Tertio, testimoniis angelorum, qui eum 3.
nascentem pastoribus annuntiarunt, eumdemque Magis per stellam quasi cælorum linguam, ait S. Aug. serm. 2. de Epiphania, indicarunt; qui et eum a morte resurrexisse testati sunt Matth. 28. v. 2. et sequ. Quin et dæmones eiecti a Christo e corporibus hominum, clamabant ipsum esse Christum, Deique filium. Quarto, testimonio S. Ioan- 4.
nis Baptistæ, quem Iudæi ut Prophetam, virumque divinum colebant. Ioannes enim non aliud prædicabat, quam hunc esse Messiam, eumque digito demonstrans: *Ecce,*

5. inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quinto,
testimonio Mosis et Eliæ, qui in transfiguratione coram
Petro, Iacobo et Ioanne testificati sunt ipsum esse Mes-
6. siam. Sexto, vita æque ac doctrina integerrima et sanctis-
sima. Christus enim vitam egit angelicam, imo divinam,
ut eum veracem esse, veraque prædicare, nemo prudens
dubitare posset: prædicavit enim verbo et exemplo con-
temnere terrena, amare cælestia, beatos esse pauperes
7. spiritu, mites, castos, pacificos, patientes, etc. Septimo,
passione, morte et redemptione sua: hac enim implevit
Christus Davidis Ps. 21. Isaiæ cap. 53. Ieremiæ cap. 11.
Danielis hoc loco, cum ait: *Et post sexaginta duas heb-*
domades occidetur Christus, et aliorum prophetias, qui
Christum passurum, crucifigendum, suaque morte homi-
nes redempturum ante 500. et 600. annos prædixerant.
8. Octavo, prodigiis quæ in morte eius acciderunt. Nam sol
obscuratus est, terra contremuit, velum templi scissum
est, mortui resurrexerunt; ut omnia elementa eius, quasi
creatoris sui, mortem sentire, conturbari ac plangere vi-
derentur; unde ea videns Centurio dixit: *Vere filius Dei*
9. *erat iste.* Nono, ex ipsius Christi prædictionibus, quas o-
mnes vere adimpletas videmus. Nam primo, prædixit suam
mortem et crucem, ac deinde resurrectionem et ascensio-
nem; secundo, excidium Hierosolymæ; tertio, prædica-
tionem sui Evangelii per totum orbem, Gentium conver-
sionem, Iudæorum incredulitatem; quarto, miracula quæ
facturi erant ipsius ope Apostoli, item persecutiones quas
erant passuri? quinto, Ecclesiam suam, licet tyrannorum
et hæreticorum armis et machinis undique impetendam,
perstituram tamen et duraturam usque ad finem mundi,
aliaque plura, quæ omnia ad amussim completa cerni-
10. mus. Decimo, sua a morte post triduum gloriosa resurre-
ctione, et quadragesimo die ascensione publica in cælum,
ac 50. die missione Spiritus sancti in suos discipulos. De-
nique Deus ipse, omnes creaturæ, totusque mundus eum
esse Messiam orbis redemptorem, et novi testamenti con-
ditorem proclamavit. Nam in eius baptismo dixit ei Pater
æternus: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*, et Spi-
ritus sanctus in eum specie columbæ descendit. Angeli et
dæmones idem testificati sunt, uti iam ostendi; et cælum,
cum stellam eius indicem Magis dedit; et aer, cum per il-
lum gloriosus in cælum ascendit; et mare, cum ei quasi
Domino calcandum se præbuit, eiusque pedibus se subie-
cit; et terra, cum in eius morte concussa est; et mors,
cum mortuos reddidit, quos Christus ad vitam revocavit;
et infernus, cum animas Patrum restituit; et sol ac luna,
cum in eius morte obscurata luxerunt; et aqua, cum in
nuptiis ab eo in vinum mutata est; et panis, cum ab eo
multiplicatus est, item cum ab eo in corpus suum est con-
versus, uti multis miraculis ipse comprobavit; et lux, cum
in eius transfiguratione eum vestivit, ut facies eius res-
plenderet quasi sol, et vestimenta eius quasi nix; et saxa,
cum in eius morte fissa sunt; et ignis, cum linguas igneas
immisit in Apostolos in Pentecoste; et venti, cum eos in
mari compescuit, ita ut de eo dicerent, *Quis est hic, quia*
venti et mari obediunt ei. Insuper omnis sexus, omnis æ-
tas, omnis status idem protestata sunt. Nam et senex Si-
meon, et Anna vidua, et Nicodemus Pharisæus, et Genti-
les multi, ac ipsi etiam pueri et infantes idem proclama-
runt: infantes, qui in Bethlehem ab Herode occisi sunt
(hi enim propter Christum occisi, et ut inter eos occide-
retur quoque Christus) quid aliud sua cæde et martyrio
professi sunt, quam Christum iam natum esse, a quo re-
gno spoliari timebat Herodes? Pueri, qui ei quasi Messiæ
cum pompa invecto Ierusalem in die Palmarum, commu-
ni voce ex Dei instinctu acclamarunt: *Hosanna filio Da-*
vid, benedictus, qui venit in nomine Domini.

Dices, Christus prædicavit tantum per mediam hebdomadam 70. puta per tres primos eius annos cum dimidio, quibus exactis occisus est a Iudæis; quomodo ergo hic ait angelus, *Confirmabit autem pactum multis hebdomade una*, cum non una integra, sed dimidia dumtaxat illud prædicando confirmarit? Respondet Theod. Christum per se prædicando confirmasse pactum per dimidium hebdomadæ 70. reliquum vero dimidium eiusdem hebdomadæ explendum commisisse Apostolis. Apostoli ergo idcirco manserunt Ierosolymæ per triennium, prædicando Iudæis fidem Christi, ut explerent dimidium hebdomadæ 70. a Christo inchoatæ, quo facto, impleta iam hac Danielis prophetia de confirmatione pacti, puta novi testamenti, apud Iudæos, iussu Christi transtulerunt se ad Gentes, ut illis idem testamentum prædicarent et confirmarent, quibus conformia scribit S. Hieron. hic, et Euseb. lib. 8. de Præparat. Evangel.

Et in dimidio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium.) In huius rei signum, Christo tunc patiente, seque Deo pro hominum salute immolante, itaque typos omnium veterum victimarum et sacrificiorum adimplente, velum templi scissum est, ac sancta eousque clausa patuerunt, uti docet Apostolus Hebr. 9. omniaque quæ in templo erant admiranda, finem acceperunt. Perperam Apollinarius Laodicen. Hilar. can. 25. in Matth. et Hippolytus, hæc referunt ad Antichristum in sensu literali (nam allegorice et typice eum hic figurari non est dubium, et fatentur omnes) ipse enim auferet sacrificium Eucharistiæ, et in templo ponet abominationem desolationis, puta seipsum, suique idolum, ut ibidem adoretur quasi Deus. Apollinarius enim teste S. Hier. hic, censuit esse duplices 70. hebdomades, ac priores compleri in primo adventu Christi; posteriores in secundo, puta in fine mundi et tempore Antichristi. Verum hic exploratus est error: Daniel enim unas tantum 70. hebdomades consignat, easque terminari asserit in morte Christi, unde temere ipse fingit secundas quæ termineutur in Antichristo. In Christi ergo morte omnia sacrificia, et hostiæ legis veteris, cunctaque cæremonialia in totum abrogata et antiquata defecerunt, fueruntque mortua, licet non statim mortifera: quia, ut ait S. Leo hom. 8. de passione, *nunc omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis Christi implet oblatio.* Sic ergo Christus sua morte cessare fecit (hoc enim significat Hebræum ישבית *iasbit*) et abolevit, ut vertit Vatabl. omnes legales victimas et ritus. Ita S. Hieron. et passim Hebræi, Græci et Latini. Quocirca minus recte recens Chronologus putat, Christum in fine 70. hebdomadæ prædicasse; sic tamen ut per suam resurrectionem, ascensum in cælum, et prædicationem Apostolorum, suam legem et pactum confirmarit hebdomade 71 nam sic non 70. sed 71. essent hebdomades, et non in medio, ut hic dicitur, sed in fine 70. hebdomadæ defecisset hostia.

Male aliqui hæc referunt ad tempus Antichristi.

Aliqui numerant 71. hebdomados.

Et erit in templo abominatio desolationis.) Pro *desolationis*, hebr. est משמם *mesciomem*, desolare faciens, desolans, vel etiam obstupescere faciens, q. d. Stupenda abominatio. Refer hæc ad finem v. 26. commiscet enim hic Gabriel necem Christi cum excidio et vastitate Ierusalem, quia illa huius fuit causa. Arabicus Antiochenus vertit, *et super latera abominationis destructio* (desolatio); Arabicus Alex. *cessabunt victimæ et oblationes*, *et superveniet corruptio et profanatio;* Syrus, *et super latera immunditiæ* (inquinamenti, abominationis) *corruptio* (subversio, confusio.)

Abominatio desolationum, quæ.

Nota Primo. Pro *in templo* hebr. est על כנף *al chenaph*, id est, *ad alam.* Per *alam* denotat templum, uti vertunt et Septuag. et Christus Matthæi 24. *Stantem*, inquit, *in loco sancto.* Tum quia templum habebat pinnas quasi pennas: unde Tertul. l. contra Iudæos legit, *et destruet pinnaculum usque ad interitum.* Aliqui enim græce verterunt πτερυγιον, quod alam, indeque pinnaculum Luc. 4. 9. significat; tum quia templum utrinque habebat latas longasque porticus, quasi alas expansas, ita ut videretur esse alatum, vel avis expandens alas: tum denique, quia Zelotæ scelerati et abominabiles, primo insederunt unum latus, et unam porticum quasi unam alam templi, ibique fecerunt abominationem desolationis, de qua agit hic Daniel, ac in suos cives grassati sunt, uti mox dicam. Unde ad verbum sic exponas: *ad alam*, scilicet sanctuarii et civitatis, de quibus paulo ante dixit, *Et civitatem, et sanctuarium, dissipabit populus cum duce venturo.* Eo enim

respicit, eoque hæc pertinent. Aliter vertunt nonnulli, scilicet, *et super alam abominationum stupefaciet;* et Vatabl. *propter alam abominationum destructur*, hoc est, inquit, Ierusalem destruetur propter magnas Iudæorum abominationes, quas committent crucifigendo Christum: alam enim, sive extensionem abominationum, vocat longam seriem abominationum, sive multiplices abominationes.

Nota Secundo. Hebr. ad verbum habent, *et ad alam* (id est, ad templum, in templo) *abominationes desolantes*, vel *desolantis,* id est, desolantium Iudæorum et Romanorum; vel *desolantis*, id est, *desolationis:* ponitur enim participium, vel nomen participiale *mesciomem*, id est desolantis, pro abstracto *sciomem*, id est *desolationis*, uti notant eruditi Hebræi. Unde et Septuag. et Christus Matth. 24. et alii vertunt, *abominatio desolationis*, vel afflatus et siderationis, uti paulo ante explicavi.

Nota Tertio. Est hic duplex hebraismus. Nam Primo, ponitur *abominatio*, pro re fœda, turpi, execrabili et abominabili. Secundo *desolationis*, id est desolans, et extremum exitium templo, urbique et Iudæis afferens; vel per hypallagen, *abominatio desolationis*, est desolatio abominabilis, inquit Vatabl.

Abominatio desolationis quæ? I. Sententia. Gravis hic est quæstio, quænam sit hæc abominatio desolationis? Primo, Iren. l. 5. c. 25. Hilar. et auctor imperfecti apud Chrysost. in Matth. 24. v. 15. putant esse Antichristum, qui in templo adorabitur ut Deus: de illius enim tempore hic agi videtur ex eo quod sequitur, *Et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio:* hoc enim congruit Antichristo. Et ex eo quod scribit S. Marcus cap. 13. cum enim vers. 14. dixisset, *Cum videritis abominationem desolationis* etc. subdit v. 24. *Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum, et stellæ cæli erunt decidentes, et virtutes quæ in cælis sunt, movebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus*, etc. Hæc enim omnia spectant tempora Antichristi, et finem mundi. Verum Daniel agit hic de excidio non orbis, sed urbis, et templi Hierosolymitani, quod fiet mox post finem 70. hebdomadum, et post necem Christi a Iudæis occisi, uti patet ex ipsis eius verbis, et consentiunt cæteri interpretes: ac proinde de eodem agit et Christus Matth. 24. ibi enim alludit, imo citat hunc locum Danielis, dicens: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto.* Perperam ergo id negat Calvinus. Itaque non agitur hic de Antichristo ad litteram; allegorice tamen hæc abominatio, quæ fuit tempore Titi, typus fuit et præludium abominationis quam faciet Antichristus. Unde Christus Matth. 24. et Marci 13. utramque convolvit, cum ab excidio urbis Ierusalem subito transit ad excidium orbis, et hoc cum illo ita commiscet, ut unum idemque esse videatur, sicut typus idem est cum antitypo, non physice, sed typice et repræsentative.

II. Secundo, ali accipiunt hic abominationem templi quam fecit Antiochus Epiphanes, collocando in eo idolum, eique indendo nomen Iovis Olympii, teste Iosepho 12. Antiquit. Sed errant: nam hic Antiochus duobus sæculis Christum antecessit: ergo eius abominatio iam erat facta et præterita. Christus autem de hac abominatione loquitur quasi adhuc futura, dicens: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto; tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes*, etc.

III. Tertio, S. Hieron. et Theodor. in Matth. 24. per abominationem accipiunt idolum positum in templo sub tempora Christi: idolum enim in Scriptura vocatur שִׁקּוּצִים *scikutsim*, id est, abominationes, id est res summe abominabiles: *et additur Desolationis, quod in templo desolato et destructo idolum positum sit*, ait S. Hieron. qui cum Theodor. idolum hoc censet fuisse imaginem Cæsaris, quam Pilatus noctu clam in templum intulit. Verum hoc contigit 40. annis ante excidium, eratque iam factum cum Christus hæc diceret Matth. 24. Adde, Pilatus, repugnantibus Iudæis, mox statuam hanc e templo eduxit. Lege Ioseph. 18. Antiq. c. 4. et sequen. Quocirca S. Chrysost. Theoph. et Euthym. censent hoc idolum fuisse statuam Titi. Verum de ea, quod scilicet posita sit in templo, nihil habet Iosephus, nec veteres historici: et si fuit, fuit post excidium, non ante. Hinc rursum S. Hieron. accipit statuam Hadriani Imper. quæ posita est in Bethlehem, et Adonidis quæ posita est in monte Calvariæ. Verum hæc non fuerunt in monte Sion et templo, atque contigerunt diu post excidium urbis et templi factum a Tito: hæc autem abominatio contigit ante excidium. Nam ea visa monet Christus ut fugiant ad montes, ut imminens excidium evadant.

Quarto, Maldon. in Matth. 24. censet hanc abominationem esse excidium Ierusalem, q. d. Christus, Cum videritis vastatam Ierusalem, scitote et intelligite, Danielis de ea prophetiam esse impletam. Verum obstat, quod Christus hanc abominationem dat signum futuri excidii, ut eo viso fideles fugiant, illudque effugiant: erit ergo prævia excidio. IV.

Quinto, alii per abominationem intelligunt peccata sacerdotum, præsertim in templo commissa. Verum hæc olitana erant, et omnibus sæculis commissa: nisi quis dicat, pontificatus tempore Christi fuisse venales: itaque impios pontifices pecunia ementes pontificatum, et a Romanis præsidibus intrusos, fuisse abominationem hanc, ideoque dici de ea, *Stantem in loco sancto:* in eo enim erat statio pontificis. Verum amplius quid significat abominatio desolationis: potest tamen hoc accipi ut pars istius abominationis. V.

Sexto, Histor. Scholast. hic c. 10. per abominationem accipit sacrificia Aaronica, quæ Christus abolevit, ideoque mox futura erant abominanda, desolanda et abolenda, ac consequenter, ut Carthus. ait, in templo futurus erat, *non verus Dei cultus, sed ludus diaboli.* Hoc est enim quod præcessit: *In dimidio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium.* Verum hæc nec Iudæis, utpote Christo non credentibus, nec Christianis poterant esse signum instantis excidii: tum quia excidium hoc futurum erat post 38. annos: non tum quia Iudæi conversi: ad Christum adhuc servabant legalia, et sacrificia Aaronica usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, idque ad Synagogam cum honore sepeliendam, et ad cavendam offensam Iudæorum: erant enim illa in nece Christi mortua, sed non statim mortifera, nisi post plenam Evangelii divulgationem. VI.

Septimo, S. August. epist. 80. ad Hesychium, et Origen. homil. 27. in Matth. Caiet. et Salmeron in Matth. 24. Perer. hic, et Suarez 3. p. q. 59. a. 6. disp. 54. sect. 5. censent abominationem desolationis esse exercitum Romanum Ierusalem obsidentem, qui mox urbem erat occupaturus et desolaturus. Hic vocatur abominatio: tum quia erat Gentilis: Gentiles enim abominabantur Iudæi: tum quia adorabat et colebat idola abominanda, eaque in vexillis præferebat. Probatur hæc sententia ex eo, quod pro abominatione desolationis quam ponit S. Matthæus c. 24. S. Lucas cap. 21. 20. eumdem Christi sermonem enarrans ait: *Cum videritis ab exercitu circumdari Ierusalem:* ergo hic exercitus est abominatio de qua S. Matth. Responderi posset cum Euthymio, Christum duo assignasse signa instantis excidii; prius abominationem desolationis, et hoc enarrare S. Matthæum; posterius exercitum Romanorum, et hoc enarrare S. Lucam: hæc enim duo eodem tempore contigerunt. VII.

Rursum huic sententiæ obiici posset, quod hic exercitus non fuerit *in templo*, sed circum urbem: Daniel autem ait hanc abominationem fore in templo. Si tamen hæc sententia commode exponatur, atque exercitus hic accipiatur ut partialis, non totalis abominatio a Daniele hic prædicta, est probabilis et admittenda, uti mox declarabo.

Octavo, ergo, valde probabiliter Sebast. Barrad. Abulen. Iansen. et Hesselius in Matth. 24. ac Baronius anno Christi 68. tomo 1. Annal. censent hanc abominationem VIII.

esse profanationem templi, factam a seditiosis homicidis et sceleratis Iudæis, qui ex impio zelo patriæ et legis, se Zelotas nuncupabant: sive abominationem esse ipsosmet Zelotas, qui templum occuparunt et profanarunt, dum illud castrorum more munierunt, indeque in cives suos excurrentes, rapinis et cædibus grassati sunt. Seditiosos inquam et Zelotas, tum tempore Titi, tum potius alios paulo priores sub Cestio præside Iudææ, qui Iudæis rebellare incipientibus primus Hierosolymam obsedit anno Christo 68. Neronis 12. Hoc enim fuit signum et causa excidii: cum enim Cestius a Iudæis fusus fugatusque esset, Nero, ut Iudæos domaret et puniret, statim eius loco misit Vespasianum, qui mox vastavit ac subiugavit totam Galilæam et Iudæam, ac tandem Ierusalem per Titum filium obsedit, eamque cepit et vastavit, ac templum incendit anno Christi 72. qui fuit Vespasiani imperii primus. Probatur hæc sententia: Primo. quia hæc abominatio proprie fuit in templo, uti ait hic Daniel; et in loco sancto, uti ait Christus Matt. 24. ac de templi profanatione et desolatione ac desitione sacrificiorum proprie agit hic Daniel; ergo hæc est abominatio desolationis. Secundo, nisi ad hoc tempus referamus verba hæc Christi, *Cum videritis abominationem* etc. non cohærent cum sequentibus, *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes.* Nam cum Titus Ierusalem obsedit, nec ex Ierusalem fugere quis potuit: fuit enim arctissima eius obsidio, adeo ut Titus spatio tridui totam urbem muro cinxerit, quod erat instar miraculi: nec ex Iudæa, quia illa cum Galilæa iam vastata et subacta erat a Vespasiano. Tertio, quia Iosephus lib. 5. Belli cap. 2. ait, *Vetus sermo erat tunc urbem capiendam, cum in ea seditio fuisset exorta, templumque Dei propriæ Iudæorum manus violassent:* ideoque subdit, mox a clade Cestii et Romanorum, multos instantis Iudæorum cladis coniectores, urbe elapsos in alias regiones migrasse. Ex his autem Christianos fuisse, testis est S. Epiphan. hær. 29. et 30. et Eusebius lib. 3. histor. cap. 5. qui eos divinitus admonitos, in urbem Pellam secessisse ait. Idque patet de S. Simeone Episcopo Hierosolymorum: hic enim S. Iacobo, fratri Domini, qui a Iudæis occisus est anno Christi 63. Neronis septimo, ut recte ex Iosepho probat Baron. successit, mansitque usque ad tempora Traiani, sub quo martyrium obiit, imo et cathedram eius (non dubium quin et cætera Ecclesiæ supellectilia) a Christianis in tuto collocatam esse docet Euseb. lib. 7. histor. 14. ubi eam ad sua usque tempora servatam esse docet. Quæ omnia optime respondent monitis Christi, ut fugiant visa abominatione, quod ea signum, imo causa futura sit instantis desolationis et cladis.

IX. Et plena. Nono, plena et perfecta erit explicatio, si utrumque sensum, scilicet septimum et octavum, coniungas. Abominatio enim desolationis significat profanationem templi, propter quam, et per quam illud desolatum est et eversum, nimirum abominanda scelera Iudæorum, quæ ipsi in templo patrarunt: quibus ipsi abominandam stragem et vastationem Romanorum in se, urbem et templum provocarunt. Non enim concipi potest exercitus oppugnans (uti est Romanorum) nisi concipiatur et propugnans (uti est Iudæorum:) sicuti nominato agente, intelligitur et patiens, et vice versa nominato patiente intelligitur agens; hæc enim sunt correlativa. Quod ergo ait Christus, *Cum videritis abominationem*, etc. sensus est, q. d. Cum, vel mox ut videritis urbem et templum ab hoc abominando exercitu foris obsideri et oppugnari; nec minus ab abominando exercitu intus occupari et defendi; uno ob idola, altero ob scelera palam abominando; utroque nihil nisi desolationem minitante; illo superba sua animositate, hoc suis sceleribus, seditionibus et cædibus, *tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes.* Hinc hebr. vocatur abominatio desolationis, id est desolantium, tam Iudæorum, quam Romanorum: tam enim illi, quam hi urbem æque ac templum vastarunt et desolarunt. Hinc et Daniel v. 26. vocat *sciommemot*, id est desolationes in plurali, et Lucas ὑπὸ στρατοπέδων, id est ab exercitibus, in plurali.

Dices, Exercitus Romanorum non erat in templo, in quo abominationem hanc ponit Daniel. Resp. Primo, Erat in loco sancto, ut ait Christus, id est, circa Ierusalem urbem sanctam et templum. Secundo, proprie erat in templo, vel ad templum: nam Romani oppugnando Iudæos, suffoderunt templum, in quod quasi in arcem se receperant Zelotæ, uti docet Ioseph. Christus dicere maluit, *in loco sancto*, ut cum templo comprehenderet et urbem: quod enim hebr. ait hic Daniel, *super alam*, intelligi potest et de urbis, et de templi ala sive extremitate. Opponitur autem locus sanctus abominationi, quia si ab ullo loco, certe a Sancto procul abesse debet abominatio: ita Franc. Lucas Matth. 24.

Porro hæc abominatio desolationis, puta templi profanatio, cœpit sub Cestio, crevit sub Tito, perfecta est a Romanis, excisa urbe et templo. Tunc enim ipsi in templo Iudæos trucidarunt, ibique collocarunt sua vexilla insignita imaginibus Iovis, Martis, aliorumque suorum deorum et idolorum, quæ in Scriptura vocantur, abominationes, ut docet Ioseph. lib. 7. Belli, cap. 13. Hæc enim fuit summa templi et urbis desolatio, scilicet tanta, quantam et Iudæorum culpa (puta sacrilegia in Christum et templum admissa) et Romanorum ira poscebat. Daniel hæc omnia complectitur per abominationem desolationis: Christus vero tantum primum, puta initium eius respicit: monet enim ut eo viso fugiant, utpote signo instantis cladis, et excidii urbis et templi. Quis enim vir prudens non ominaretur, reiici a Deo locum, eiusque desolationem instare, qui hactenus habitus erat sanctissimus, cum iam eum cædibus et sceleribus hominum execrandorum pollui cerneret? licet enim iam a Christi nece locus ille non amplius a Deo haberetur sanctus; tamen quia talis a multis sæculis habitus erat, et etiamnum talis a Iudæis habebatur, quin et a Christianis: illi enim (ut patet de S. Petro et Ioan. Actor. 3. 1.) oraturi ascendebant in templum, ibique Deus per eos faciebat miracula: hinc etiamnum sanctus vocatur, sic ut hæc scelera illum profanare censeantur, illique desolationem et exitium allatura ominentur, idque a Christo prænuntietur: Iudæi enim suis armis et stragibus, etiam Romanorum, ibidem patratis, provocarunt Romanos in urbis et templi excidium. Christus ergo maxime, ut notat Baron. et Franc. Lucas, loqui videtur de initio rebellionis Iudæorum, cum Cestius Syriæ præses, audiens quod Iudæi præsidiarios milites Romanorum interemissent, coacto exercitu Iudæos cecidit, Ioppen, aliaque oppida cepit, ac Ierusalem obsedit; cumque seditiosi Iudæi in interiorem templi partem refugissent, Cestius illud oppugnavit per milites mœnia suffodientes, et templi portas succendere conantes. Verum cum Cestius temere militem revocaret, ac turpi fuga discederet, Iudæi prudentes, præsertim Christiani, ex Christi monitu fuga sibi consuluerunt. Unde Ioseph. lib. 2. de Bello cap. 25. *Post Cestii*, inquit, *casus adversos nobilium Iudæorum multi, tanquam e navi pessum itura, ex civitate enatabant:* idque consulte. Nam mox Nero Imperator Cestii fugam intelligens, post sex menses submisit Vespasianum, qui primum Galilæam, mox Samariam, et totam Iudæam, excepta urbe Ierusalem, vastavit et cepit: ac Nerone interempto creatus Imperator Romam abiit, relicto Tito filio, qui ex improviso Ierusalem obsedit in Paschate, ac post sex menses occupavit, templo primo omnium expugnato, et a militibus, renitente Tito, incenso, uti docet Iosephus lib. 6. et 7. de Bello. Unde tunc e Ierusalem fugere, et res suas efferre non licuit, præsertim, quia Galilæa occupata a Vespasiano, Zelotæ ita Ierusalem custodiis arctarunt, ut nulli facultas esset effugiendi, nisi qui pecunia custodibus data, eam redemisset. Adde, novæ tum conspirationis et seditionis Iudæorum princeps exortus, Simon Gerasenus, Ierusalem obsedit, ac a civibus spe auxilii contra Zelotas accipiendi intromissus nihilo minus quam Zelotæ grassatus est, civesque afflixit, donec Titus urbem obsideret. Ita Ioseph. lib. 5. cap. 6. et sequent. Quocirca Christus præmonuit, ut visa hac abominatione, statim fugiant: hoc enim significant illæ

Abominatio triplex.

phrases, *Qui in tecto non descendat tollere aliquid de domo sua, et qui in agro non revertatur tollere tunicam.* Hæ enim phrases sunt proverbia, quæ non aliud significant, quam celerrime et ocyssime esse fugiendum, ne fugæ aditus intercludatur, uti hic factum est.

Zelatorum impietas. Porro quam hi Zelotæ fuerint impii, homicidæ, et scelesti templi profanatores, inter se depugnantes, tamque se invicem, quam cives et hostes mactantes, fuse narrat Iosephus tum lib. 6. 1. et sequent. tum lib. 7. 4. *Cadaveribus,* inquit, *non civitas tantum, sed et omne templum repletum est,* etc. Unde ibidem narrat, Titum obsidentem urbem et templum, ob illud violatum Zelotas arguisse, ac dixisse: *Quid in templo etiam mortuos conculcatis o nocentissimi? aut cur templum externi et gentilis sanguinis confusione polluitis? Testor deos patrios, non ego vos violare hæc compellam. Servabo autem vobis etiam templum, si locum acies vestra mutaverit.* Zelotæ enim ex templo, quasi ex arce tela iaciebant in Romanos. Idem l. 6. Belli cap. 1. *Missilia,* ait, *machinarum vi ad aram usque templumque pervenientia, in sacerdotes sacra celebrantes cadebant, ac multi qui ad templum ab ultimis terræ finibus venissent, ante ipsas hostias procubuerunt, aramque sanguine imbuerunt. Indigenis autem mortuis alienigenæ ac sacerdotibus profani miscebantur: perque atria divina stagnum fecerat diversorum cadaverum sanguis. Quid tantum passa es a Romanis o miserrima civitas, qui tua intestina scelera purgaturi flammis introiere? Iam enim Dei locus non eras, neque manere poteras, domesticorum funerum facta sepulcrum, et quæ fanum civili bello tumulum constitueras.* Idem lib. 6. 16. *Puto,* inquit, *quod si Romani contra tam noxios nostræ gentis homines venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum instar Sodomæ incendia passuram. Multo enim magis impiam progeniem tulit, quam ea fuit, quæ illa supplicia pertulerat.* Ecce hæc est abominatio desolationis.

Morale. Moraliter abominatio desolationis est hæresis, præsertim iconoclasmus, ac sacrilegia. Hæresis enim est idolum abominabile Deo, ob quod desolationem regnis et gentibus, ac iugum Turcicum inducit, uti iam Africæ, Greciæ, Syriæ, Asiæ, etc. inductum videmus. Vide Barrad. tomo 3. lib. 9. cap. 8. in morali. Cum enim hæretici, præsertim iconoclastæ, sacra et templa violant, Sanctorum imagines confringunt, et loca sacra profanant, tunc certa, imminet reip. clades et desolatio. Ut omittam Scotiam, Angliam, Germaniam, Galliam, etc. exemplo sit Belgium nostrum, quod post iconoclasmum anni 1566. quinquaginta et amplius annos assiduis bellis ita vastatum est, ut iis plusquam vicies centena millia, sive plusquam duo milliones hominum interempti sint, ac ipsum Belgium, quod olim erat paradisus, et orbis deliciæ, iam non nisi ærumnarum et lacrymarum vallis essa videatur. Ita Deus ulciscitur sacrilegia, et violatam Numinis maiestatem, cultum et religionem.

Et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.) Septuag. *et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem.* Videntur ipsi pro תתך *tittach,* de quo mox, legisse תתן *titten,* id est dabitur: *nun* enim et *caph finale*, eodem pene charactere scribuntur. Hebr. ad verbum habent, *et usque ad finem perseverabit,* vel conflabitur, vel liquefiet (hoc enim significat Hebr. *tittach) ipsa* (Ierusalem, vel desolatio et ira Dei) *super desolationem* Hierosolymæ: ita Galatin. supra, q. d. Sicut in Ætna, et olla Vulcania perpetuo conflatur et bullit ignis, sulphur, saxa, cineres, aliæque res igne Ætnæ afflatæ et exustæ; ita in ira Dei Ierusalem conflabitur, ut quasi iugiter ebulliat, et ostentet cineres suæ desolationis, qua afflata est a Deo per Romanos, et perget afflari usque ad finem mundi, uti fit in Sodoma et Pentapoli.

Perperam ergo R. Salomon vertit et exponit, q. d. Titus ponet desolationem, id est sui idolum, in templo, et usque ad consummationem et consumptionem ipsius desolantis per Messiæ manus faciendam, perseverabit desolatio, q. d. Donec Messias in fine mundi consumat et perdat hostes Iudæorum, qui Iudæam desolarunt, durabit hæc Iudæorum desolatio: nec enim Titus vixit ad finem mundi, nec tunc a Christo perimendus est. Vatabl. vertit et explicat, q. d. Destruet Titus Ierusalem, donec consumptio, et quidem certa descendat super attonitum vel stupentem populum propter desolationem urbis et templi.

Quam vera sit hæc prophetia, docet experientia 1600. annorum, quibus Iudæi sæpius se et templum erigere sunt aggressi, sed irrito conatu et frustra; ut inde certo coniicere liceat, perennem hanc fore eorum desolationem usque ad finem mundi, uti prophetat hic Daniel. Ut alia exempla omittam, Iulian. Apostata volens sacrificia idolorum restituere, hortatus est Iudæos, ut similia sacrificia more maiorum peragerent; responderunt illi, sibi ex lege non licere extra Hierosolymam, eiusque templum sacrificare. Ergo Iulianus iussit templum eis reædificari, deditque ad hoc ex suo ærario sumptus et operas, magna Iudæorum lætitia, et Christianorum luctu et metu. Sed eos animavit S. Cyrillus Hieros. Episc. ostendens ex hoc Danielis oraculo, et ex verbis Christi Matth. 24. Deum non permissurum ut hoc templum restauraretur. Verus fuit vates, imo doctor. Nam Deus eos a fabrica tribus ostentis deterruit. Primo, cum iacerent fundamenta, ingentem terræ motum excitavit, qui fundamenta disturbavit. Secundo, igne de cælo misso omnia fabrorum instrumenta, omnia ligna et lapides, omnemque fabricæ materiam absumpsit: duravit hoc incendium per diem integrum. Tertio, nocte sequenti effigies crucis, radiorum lumine insignitas, illorum vestibus impressit, quas cum dies illucesceret cernentes Iudæi, eluere ac delere cupientes, nullo modo potuerunt. Ita refert Socrates lib. 3. 17. et Ruffin. l. 1. c. 37. et Chrys. orat. 2. contra Iudæos. *Huius,* ait, *rei omnes nos testes sumus: nostra enim ætate ante annos viginti hæc contigerunt: considera ergo insignem victoriam veritatis.* Iuliani fabrica templi cælitus disturbata.

Prædicit ergo hic Daniel perpetuam desolationem, tam templi, quam urbis, faciendam a Tito; ita ut urbs Ierusalem non sit amplius regia Davidis et posterorum ac Iudæorum: sed serva, et quasi mancipium Gentium, puta Romanorum, ac deinde Christianorum, ac postea Turcarum uti iam est, eritque usque ad finem mundi, quando Antichristus rex Iudæorum, Hierosolymæ sedem regni constituet, ut patet Apoc. 11. v. 8. Quocirca Hadrianus Imp. 64. anno post excidium Titi, puta anno Christi 104. Gentium coloniam in Ierusalem deduxit; eamque Æliam Capitolinam nuncupavit, ac in ea templum Iovi ædificari curavit: cumque Iudæi hoc ægre ferentes arma moverent, ita ab eo cæsi sunt, *ut pauci evaserint*, inquit Dionis Epitome in Hadriano, *et quinquaginta eorum arces munitissimæ, vicique celeberrimi et nobilissimi* 985. *funditus eversi sint. Cæsa sunt in excursionibus, præliisque hominum quingenta octoginta millia; eorum autem qui fame, morbo et igni interierunt, infinita fuit multitudo, ita ut omnis pene Iudæa deserta fuerit.* Addit portenta quæ id præsignificarunt: *Namque monumentum Salomonis, quod illi summa religione colunt, sua sponte divisum, corruerat: lupi præterea et hyænæ multæ, in urbes eorum rugientes atque ululantes introierant.* Templum ergo Iudæorum non reparabitur nisi in fine mundi ab Antichristo, qui in illo sedebit et adorabitur, ut dixi 2. Thessal. 2. 4. Unde etiam tunc manebit in templo abominatio et desolatio, puta idolum Antichristi: licet enim Antichristus initio forte apud Iudæos simulaturus sit, se templum hoc velle reparare Deo eorum, tamen revera illud non Deo, sed sibi ædificabit: intendet enim hoc templum facere sedem suam, in qua ut numen sedeat et colatur: ita Franc. Suarez, et passim alii supra citati.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput duorum quæ sequuntur præfatio est: nihil enim aliud Propheta facit, quam in genere proponere visionem, quam illi particulatim cap. 11. et 12. angelus exponit, ita Mald. Daniel ergo lugens et ieiunans ob interruptam templi fabricam, videt angelum mire fulgidum, a quo audit v. 12. exauditas esse preces suas, dicitque vers. 13. pugnam angeli Iudæorum cum angelo Persarum et Græcorum.

1. Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli cognomento Baltassar, et verbum verum, et fortitudo magna: intellexitque sermonem: intelligentia enim est opus in visione. 2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, 3. Panem desiderabilem non comedi, et caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum: donec complerentur trium hebdomadarum dies. 4. Die autem vigesima et quarta mensis primi eram iuxta fluvium magnum, qui est Tigris. 5. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce vir unus vestitus lineis, et renes eius accincti auro obrizo: 6. Et corpus eius quasi chrysolithus, et facies eius velut species fulguris, et oculi eius ut lampas ardens: et brachia eius, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis: et vox sermonum eius ut vox multitudinis. 7. Vidi autem ego Daniel solus visionem: porro viri, qui erant mecum, non viderunt: sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum. 8. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quidquam virium. 9. Et audivi vocem sermonum eius: et audiens iacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ. 10. Et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum. 11. Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens. 12. Et ait ad me: Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: et ego veni propter sermones tuos. 13. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michael unus de principibus primis venit in adiutorium meum, et ego remansi ibi iuxta regem Persarum. 14. Veni autem ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies. 15. Cumque loqueretur mihi huiuscemodi verbis, deieci vultum meum ad terram, et tacui. 16. Et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea: et aperiens os meum locutus sum, et dixi ad eum qui stabat contra me: Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. 17. Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remansit virium, sed et halitus meus intercluditur. 18. Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, et confortavit me, 19. Et dixit: Noli timere vir desideriorum: pax tibi: confortare, et esto robustus. Cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi: Loquere Domine mi, quia confortasti me. 20. Et ait: Numquid scis quare venerim ad te? et nunc revertar ut prælier adversum principem Persarum: cum ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. 21. Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis: et nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.

Vers. 1. Anno tertio Cyri.) Anno primo monarchiæ suæ eversa Babylone, Cyrus ex ea liberaverat Iudæos, eosque in Iudæam dimiserat: anno secundo Cyri, Iudæi post reditum cœperunt templum reædificare; sed statim vicinæ gentes illud impediverunt, Esdræ 4. 4 Intelligens hoc Daniel, luxit et oravit Deum, ut hæc impedimenta tolleret; unde Deus illi hæc visa obiicit, quibus eius votis satisfacit. Tradunt Hebræi, Cyrum tres tantum annos regnasse ut monarcham: unde et Daniel in tertio anno finit regnum Cyri.

Et verbum verum.) Visio quam vidi, fuit vera, non ficta, non illusoria: rursum, visio hæc non fuit somnium, nec in somnis ostensa, uti fuerunt præcedentes cap. 7. et 8. quas vere non vidi, sed in somniis visus sum mihi eas videre: hanc vero vigilans et reipsa vidi, ut patet v. 7. Porro hæc visio, id est visum, sive res visa, fuit species augusta angeli, quam describit v. 5. cum suo exercitu, puta cum angelis ei subditis.

Et fortitudo magna.) Hebr. est צבא *tsaba*, quod alii capiunt pro צבי *tsebi*, id est voluptas, q. d. Ex hac visione magna me incessit lætitia et voluptas. Sed obstat quod v. 8. Daniel se hac visione non delectatum, sed exterritum dicat.

Secundo, Maldon. sic explicat, q. d. Visio hæc mihi visa fuit valde fortis, id est vehemens, terribilis et tremenda.

Tertio, et genuine, *tsaba* est exercitus, q. d. Militia, vel exercitus magnus fuit obiectum visionis meæ: partim enim vidi, partim ab angelo audivi exercitus angelorum cum suis principibus inter se depugnantes. Licet enim unus angelus apparuerit Danieli; tamen non dubium est, eum utpote principem, suos habuisse asseclas, suasque copias, idque satis innuit vox *eorum;* hæc enim erat vox multitudinis, ut dicitur v. 6. Hoc enim cap. narrantur prælia angelorum, sequenti vero prælia hominum.

Lugebam.) Eo quod viderem multos Iudæos servitutem libertati præferentes, malle in Chaldæa manere, quam in patriam redire, inquit Theodor. Secundo et genuine, *lugebam*, eo quod ob peccata populi urbs Ierusalem esset desolata, et templi fabrica a Cyro concessa, per Iudæorum hostes et dolos impediretur, neque possem apud Cyrum hac de re agere, novumque edictum ad continuandam fabricam impetrare: eo quod Cyrus ad bellum Scythicum, in quo et hoc eodem anno periit, profectus erat: et Cambyses eius filius, qui regnum absente Cyro administrabat, Iudæos non amabat, ut patet Esdræ 4. v. 6. et 7. Luget ergo et flet hic Daniel per tres septimanas pro salute populi, quam ut vir desideriorum unice exoptabat. Nam, ut ait S. August. 20. Civit. 17. *Quanto quis est sanctior, et sancti desiderii plenior, tanto est eius in orando fletus uberior.* Dum ergo orat, lacrymatur Daniel, quia cor quasi liquefactum per oculos et lacrymas Deo effundit, Deoque vim quasi affert, eiusque pietatis viscera commovet. Violentæ enim sunt piorum preces lacrymis armatæ et ieiuniis. Est hysterologia, hic enim v. 2. et 3. præponendi sunt versui primo: illa enim visio v. 1. contigit post ieiunium Danielis, explicaturque v. 4. et sequent. Vers. 2.

Panem desiderabilem.) Id est panem delicatum, regium, candidum non comedi, sed cibarium, atrum et siligineum: ita S. Hieronym. Notat S. Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, Danielem per abstinen- Vers. 3.

Daniel ieiunio impetrat visionem angeli.

tiam meruisse celebrem illam visionem, et revelationem angeli, quæ hoc cap. et duobus sequentibus enarratur; cum per ieiunium, inquit, mens eius facta esset levior et spiritualior.

Caro et vinum non introierunt in os meum.) Nota hic Danielem in ieiunio usum fuisse delectu ciborum, et abstinuisse carne et vino: cur ergo Novantes hunc delectum taxant? præsertim cum veteres Christiani eum adhibuerint, usique sint xerophagia, id est cibis aridis, uti testantur Tertullian. Cyprian. Basil. et alii. Idque faciebant triplici de causa: Primo, ad pœnitentiam: sicut enim potus, quia liquidus et subtilis, ac penetrans intima, intimius singulas corporis partes afficit et recreat; ita abstinere a potu, et a liquidis, vescique aridis maior est pœnitentia, quam vesci liquidis, et abstinere aridis. Sic sitis magis affligit hominem quam fames; ac proinde facilius est esurienti abstinere a cibo, quam sitienti abstinere a potu. Secundo, ad castitatem: cibi enim aridi arefaciunt corpus, et humorem venereum consumunt. Tertio, ad sapientiam, studium et orationem: qui enim liquidis abstinet, caret vaporibus et fumis, qui caput, rationem et iudicium offuscant, obscurant et hebetant. Hinc vetus dictum: *Anima sicca est sapientissima.* Huc spectat illud S. Bernard. serm. 4. de Quadragesima: *Ieiunium gratiam promeretur orandi*, qua scilicet grate Deo oretur, ideoque impetretur, in quo consistit tota orationis vis et felicitas. S. Chrysost. orat. 1. cont. Iudæos, putat Danielem hic omni omnino carne et cibo abstinuisse, ac proinde non comedisse phase, quod tamen lege præceptum erat: hæc enim contigerunt mense primo die 14. (ut patet v. 3. et 4.) quando comedendum erat phase. Hæc sententia vera est: quia Iudæi in Babylone non celebrarunt phase: illud enim celebrandum erat Hierosolymæ, iuxta legem Deut. 16. 6.

Sed neque unguento unctus sum.) Orientales utebantur unguentis et balneis, sed ieiunantes et pœnitentes iis, quasi deliciis abstinebant: hinc monet Iudæos Christus, ut, cum ieiunant, ungant caput suum, ne videantur hominibus ieiunare, Matth. 6. 16. Sic Magdalena Christum in convivio unxit, Luc. 7. 46. Huius unctionis originem vide apud Plinium libro 13. 1.

Tigris idem est quod sagitta; ita dicitur a celeritate.

Tigris.) Dictus est Tigris a tigre fera, eo quod eius celeritatem in fluxu imitetur; ita aliqui. Verum Q. Curtius, et Plinius lib. 6. cap. 7. asserunt Tigrim esse vocem Medorum, et significare sagittam; eo quod Tigris fluvius in suo cursu celeritatem sagittæ videatur pene adæquare.

Ecce vir unus.) Angelus unus specie viri. Notant Primo, Theodor. Carthus. et Pererius, angelum hunc fuisse eumdem qui c. 8. et 9. apparuit Danieli, scilicet Gabrielem. S. Gregor. autem lib. 17. Moral. c. 8. et Cassian. collat. 8. cap. 13. suspicantur angelum hunc peculiarem habuisse curam Hebræorum, qui in Babylone erant captivi. Notat Anton. Fernand. visione 26. sect. 1. tres angelos destinatos a Deo ad custodiam Hebræorum: Primum Michaelem, qui illorum erat custos, quatenus ipsi erant populus et Ecclesia Dei: huius enim olim, et etiamnum præses est Michael. Secundum, angelum peculiarem, qui Hebræos, ut gens quædam erat, sicut cæteræ per orbem sparsæ, custodiebat: omnium enim communis opinio est, cuilibet regno unum præesse angelum. Tertium Gabrielem, cui specialem curam Hebræorum captivorum mandarat Deus. Apte autem vocatur Gabriel, id est *virtus Dei*, vel *Deus fortis;* ac specie, non iuvenis alati, uti alias, sed viri fortis apparuit; quia eius visio eo spectabat, ut Daniel agnosceret Dei virtutem ac robur, cuius eximia documenta Deus ipse erat editurus in populi sui liberatione per Machabæos, iuxta illud psalm. 67. *Mirabilis Deus in sanctis suis, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ.* Pro quo Adverte. Angelus hic novam et mire augustam habet formam; quia venit nuntiare Machabæorum victorias, atque gloriam et maiestatem, quam per ea bella populus Dei erat adepturus. Porro bella hæc, et victoriæ Machabæorum typus et figura fuerunt bellorum et victoriarum, quas Christiani adepturi erant de idololatris, aliisque infidelibus, Ecclesiam persequentibus. Unde S. Ioannes Apocalyps. 1. 13. Christum vidit simili specie et ornatu, qualis fuit hic Danielis, qui sua et suorum Christianorum patientiæ bella, et triumphos ei prædixit.

Vers. 5.

Gabriel augusta forma significat victorias Machabæorum, Christi, et Christianorum.

Porro etsi alia fuerit visio Ioannis, alia Danielis, tamen in multis hæc illi fuit persimilis, ut patet ex hisce utriusque parallelis.

Ex Daniele.	*Ex Apocalypsi.*
1. Levat oculos Daniel, et ecce vir unus	1. Convertitur Ioannes, et videt similem filio hominis.
2. Vestitus lineis, seu byssina;	2. Vestitum podere,
3. Renes eius accincti auro obrizo,	3. Præcinctum ad mamillas zona aurea,
4. Oculi ei ut lampas ardens,	4. Oculi eius tamquam flamma ignis,
5. Brachia eius, et quæ deorsum usque ad pedes, quasi species æris candentis,	5. Pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti,
6. Vox sermonum eius ut vox multitudinis,	6. Vox illi tamquam vox aquarum multarum,
7. Facies eius velut species fulguris.	7. Facies eius sicut sol lucet in virtute sua.
8. Consternatur Daniel, et vultus eius hæret in terra;	8. Cadit Ioannes tamquam mortuus;
9. Tangitur manu et erigitur super genua, et super articulos manuum.	9. Imponitur super eum dextera, et mirifice confirmatur.

Plura vide apud Alcazar in Apocal. 1. v. 18. notat. 17. pag. 244. et sequent.

II. Linea vestis significat Machabæorum sacerdotium et labores.

Hinc nota Secundo. Linea vestis significat angelorum puritatem et innocentiam; item sacerdotium et religionem Machabæorum: tertio, labores et ærumnas, quibus ipsi pro ea instar lini carminati et probati fuerunt: hæc enim prædicet angelus cap. 11. ideoque eadem suo habitu repræsentat. Porro hæc linea vestis fuit tenuis admodum et subtilis, uti sunt telæ Cameracenses pretiosæ (quæ veterum fuit byssus) nam Daniel per hanc vestem introspexit ipsum angeli corpus, viditque simile esse Chrysolitho.

III. Zona aurea significat charitatem, bella et regnum Machab.

Nota Tertio. Zona angeli erat ex auro obrizo, hebraice אופז *uphaz*, de quo dixi Ierem. 10. 9. Fuit ergo accinctus, quasi promptus, expeditus, et armatus ad bellum: nuntiat enim cap. sequenti bella, in quibus ipse Machabæos, aliosque fideles adiuturus erat. Ex adverso molles, inermes et desides apud veteres vocabantur discincti. Hinc proverbium: *Ne glorietur accinctus æque ut discinctus*, q. d. Ne canat dux, vel miles epinicium ante victoriam, et, ut clare Chald. vertit, *ne laudet se expeditus, et descendens in prælium* (hic enim est accinctus) *sicut vir qui vincit, et ascendit ex eo:* hic enim bello confecto arma ponit, seque discingit. Quod usurpat rex Israel contra superbum et insolentem Benadad regem Syriæ, 3. Reg. 20. 11. Porro zona aurea symbolum est charitatis: hæc enim est, quæ angelum promptum et expeditum faciebat, impellebatque ad pugnandum pro populo Dei: illum ergo quasi zona militari accinxerat. Mystice, significatur quod charitas cæteras virtutes, sicut zona vestes, stringat et complectatur, eisque emineat quasi omnium corona et complexio. Secundo, zona aurea significat charitatem Dei, quæ renes, id est omnem concupiscentiam, delectationem et amorem, succingit, atque in Deum trahit. Rursum mystice, significat homines, qui hac charitate Dei circumcincti, carnis

mundique amorem et concupiscentiam frænant, dignos esse angelorum consortio, colloquio et consolatione. Tertio, zona est custodia sui et aliorum iugis, stabilis, eademque semper recurrens, inquit S. Dionys. cap. 15. Cæl. hierarch. Quarto, zona aurea significat regale sacerdotium Machabæorum, qui contra Antiochum; et Christianorum, qui contra Antichristum, quasi milites Dei et Christi, fortissime depugnabunt. Baltheus enim aureus olim fuit insigne regum: et Machabæi non tantum sacerdotes fuerunt, sed et principes ac reges: tales quoque mystice sunt omnes Christiani, auro charitatis quasi gladio invicto succincti: hos enim, ut dixi, repræsentat hic angelus. Ita *S. Stephanus charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat. Per charitatem Dei, sævientibus Iudæis non cessit: per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit: charitatis virtute subnixus, vicit Saulum crudeliter sævientem: et quem habebat in terra persecutorem, in cælo meruit habere consortem*, ait S. Fulgent. serm. de S. Stephano.

Quarto, corpus eius erat quasi chrysolithus, id est aureus lapis: gemma enim hæc aureo colore translucet, eoque ita ardente, ut aurum cum eo collatum albicare videatur, ait Plinius lib. 37. 9. Hinc chrysolithi nomine subinde comprehenduntur topazii et hyacinthi, qui et ipsi aureo sunt colore. Anselmus Boetius insignis gemmarius Rodulphi II. Imper. lib. 2. de gemmis cap. 65. *Chrysolithus*, inquit, *est naturæ solaris, cuius speciem aureo suo colore refert.* Hinc chrysolitho in Rationali pontificis insculpta erat Ephraim, utpote aurea, id est regia, tribus regni Israel. Chrysolithus ergo hic significat angelorum naturam præcellentem, cælestem et spiritalem, quæ aliis creaturis eminet, uti sol astris, aurum metallis. Ad hæc, licet Alcazar in Apocal. 21. 20. censeat chrysolithum non alium quam aureum habere colorem; verius tamen est eum habere aureum cum marino permistum: inde enim hebr. vocatur *Tharsis*, id est marinus. Unde Isidorus, *Chrysolithus*, ait, *auro similis est cum marini coloris similitudine*: quia enim in eo aureus color non opacatur, sed pellucet, idcirco quasi vitreus est, et marinus, eoque refert cælestem Ierusalem, de qua ait S. Ioannes Apocal. 21. 18. *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo*: et v. 21. *Platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum pellucidum.* Quocirca opinantur multi chrysolithum esse illum, qui vulgo a gemmariis vocatur chrysolica, cuius color est viridis dilutus, quique multis angulis lævigari ac poliri solet, ut excitatus fulgeat. Verum in chrysolica vix apparet color aureus. Adde, viridis color non est marinus. Quocirca Anselm. Boetius loco citato, *Chrysolithus*, inquit, *aureum habet colorem, et aquam reubarbaro, vel croco tinctam refert. Orientales purissimi auri instar rutilant: Europæi chrystalli instar molles cum aureo colore, vel multum, vel parum nigricant. Inter hos nonnulli parum flavedinis habent, ut, nisi nigredine a crystallis distinguerentur, ab iis secerni non possent.* Chrysolithus ergo translucens et marinus congruit Gabrieli, qui lucem suam transfundere, et illuminare venerat Danielem. Plinius lib. 37. c. 9. asserit chrysolithum esse optimum, *qui in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogit.* Sic Gabriel aurum, id est sapientiam, argento, id est sermone sonoro, puro et sincero, albicantem, Danieli communicat. Quare Hugo Victorin. et ex eo Perer. et Fernand. vis. 26. *Chrysolithus*, inquit, *fulget quasi aurum, et emittit ex se scintillas ardentes: quocirca significantur hoc lapide illi, qui intelligunt divinam Scripturam, et id quod intelligunt, aliis demonstrant opere et sermone, et quasi scintillas boni operis et verbi iactant ex se, quibus alii illuminantur et accenduntur.*

IV. *Chrysolithus est gloria et trium phus Machab.*

Porro Boetius, Rueus, et alii gemmarii chrysolitho has dant virtutes: valet, inquiunt, contra asthma, et pectoris angustias, ac contra pusillanimitatem, melancholiam, molestias et timores nocturnos, uti se expertum scribit Rueus, Cardanus, et ex eo Boet. c. 66. Addit Abulens. in Exod. 28. v. 20. valere eum contra dæmones: quia scilicet valet contra melancholiam, per quam homines vexare et tentare solent dæmones. Chrysolithus ergo hic notat Gabrielem, qui a Machabæis et Christianis depellit metum Antiochi et Antichristi, ac dæmonum, eosque animat et corroborat, ut omnia dura amore Dei fortiter superent. In Machabæis vero et Christianis notat eorum invictam constantiam, et virtutem in tot adversis resplendentem. Chrysolithus enim eius est naturæ, *ut eum lux celet, prodat obscurum. Hæc enim in illo est diversitas, ut nocte igneus sit, die pallidus*, inquit Solinus Polyhist. c. 33. Isidor. et Abulens. Sic de chrysolampi scribit Plinius l. 37. c. 10. *Chrysolampis in Æthiopia nascitur pallidi coloris die, noctu ignei.* Quocirca chrysolithus notat pœnitentes (est enim marini coloris: lacrymas pœnitentium repræsentat) æque ac patientes, qui Christi amore ardentes omnia adversa generose superant, et fulgent quasi aurum in fornace. Hinc Apocal. 21. 20. chrysolithus notat S. Matthæum Apostol. et Evangel. qui sua pœnitentia et Evangelio quasi ignea fax noctem huius sæculi et Ecclesiæ illuminavit. Ita hic in Machabæis et fidelibus in persecutione positis, significat immortale decus et cælestem gloriam, quam sua tolerantia et fortitudine adipiscuntur. Audi Mathathiam 1. Machab. 2. 64. *Vos ergo filii confortamini, et viriliter agite in lege, quia in ipsa gloriosi eritis*: et 1. Machab. 5. 63. *Viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel, et Gentium omnium.* Maldonat. per chrysolithum accipit crystallum, qui cælesti albicantique colore est. Verum Hebræum תרשיש *tharscis*, non crystallum, sed chrysolithum proprie dictum significat.

V. *Facies fulgurans significat zelum violentum in hostes.*

Quinto, erat Gabriel facie fulgurante: hæc significat Primo, gloriam angelorum, quæ divinæ cognitionis fulgore coruscat. Secundo, zelum, terrorem et iram eorum contra impios, hostesque Dei. Idem significat in Machabæis, aliisque fidelibus Dei militibus, qui instar fulguris in tenebris idololatriæ et peccatorum emicuerunt, hostesque fidei, zelo suo afflarunt et prostraverunt. Denique fulgur notat gloriam resurrectionis, quam cap. 12. Gabriel Machabæis et fidelibus viriliter pro Deo certantibus proponit et promittit: corpora enim Christi et Sanctorum in resurrectione coruscabunt ut fulgura. Unde et de angelo qui Christi resurrectionem annuntiavit et repræsentavit, dicitur Matth. 28. 3. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur.* Sic et hic Gabriel facie fulgurabat, id est, inquit Theodor. splendor illuminans et coruscans a facie eius emanabat: sicut enim fulguris est scintillare, ita e vultu Gabrielis ita illustrato, emicabant radii quaquaversum. Hæc tria facie fulgurante repræsentat angelus, sed præsertim secundum. Fulgur enim est symbolum belli acris et celeris, ac bellatorum acrium et ardentium: fulgur enim iungitur cum tonitru, ex eoque quasi flamma erumpit. Audi Plinium libr. 2. c. 43. *Si in nube luctetur flatus, aut vapor, tonitrua edit; si erumpat ardens, fulmina: si longiore tractu nitatur, fulgetra: his findi nubem, illis perrumpi.* Ibidem c. 54. *Fulgetrum prius cerni quam tonitruum audiri (cum simul fiant) certum est. Nec mirum, quoniam lux sonitu velocior.* Rursum, fulmen omnia sternit, et Iupiter, ait Virg. 1. Georg. *disiecit fulmine montes.* Hinc trisulca fulmina, ac fulminantes acies et aquilæ. Sicut ergo dixit Poeta, *Duo fulmina belli Scipiadæ*, puta Cn. et P. Scipiones; ita fuere *duo fulmina belli Mathathiadæ*, puta Iudas et Ionathas, filii Mathathiæ. Ita et Ioannes et Iacobus a Christo vocati fuere Boanerges, id est filii tonitrui, hoc est, tonantes et fulminantes. Hac de causa angeli optime depinguntur quasi fulgura et corpore fulgureo: nil enim eos ita nobis repræsentat ut fulgur.

VI. *Oculi ut lampas ardens significant prudentiam et vigilantiam.*

Sexto, *oculi* Gabrielis erant *ut lampas ardens.* Hebr. et Sept. *ut lampades ignis.* Hi significant claritatem intellectus angelici, tum naturalem, tum beatificam, puta lumen gloriæ, ex quo oritur summus Dei visi amor et fruitio. In Machabæis vero hi oculi significant prudentiam, industriam, vigilantiam, quæ in bellis plurimum valet: dux enim belli callidior, quam fortior sit oportet, inquit Vegetius. Sed utrumque habent et indicant oculi fulgurantes, scilicet et calliditatem et acrimoniam pugnandi, percellendique hostes.

Mira S. Franciscæ cum angelo familiaritas.

Ita legimus in vita S. Franciscæ viduæ Romanæ (c. 4.) quæ mira sanctitate Romæ vixit, et vitam angelicam simili morte conclusit an. Domini 1440. atque a S. D. N. Paulo V. Pontif. in Sanctorum catalogum relata est, quod ipsa continuo cernebat angelum suum, quasi iuvenem elegantissimum, acribus oculis, et vultu in cælum semper suspiciente, ac manibus in formam crucis ad pectus cancellatis (unde et tali figura angelus appingitur eius imagini) facie ita coruscante, ut ipsa vix in eam intendere posset, ita ut in hoc eius lumine, sine candela noctu per domum ambularet, recitaret divinum officium, aliaque exercitia sua perageret. Si ipsa morbo laborabat, aut a dæmonibus verberabatur, vel terribilibus spectris percellebatur, vel quasi ab angelo lucis tentabatur; angelus dabat ei signum movendo crines suos, iisque spargendo magnam lucem, ex qua illa miram accipiebat consolationem, illuminationem, et robur, ita ut dæmones confusi abscederent. Quod si quid ipsa verbo, opere aut cogitatione peccasset, subducebat se, et disparebat angelus: unde ipsa pœnitens culpam indagabat, eamque agnitam lacrymis abluebat, itaque angelus rursum ei suam præsentiam exhibebat. Quocirca hic angelus erat, Primo, quasi eius pædagogus, eam in omnibus actionibus dirigens. Deinde erat ei instar scuti ad repellendas omnes tentationes et scrupulos; quibus quadam vice graviter cruciata inter orandum, aspiciens angelum lætam et serenam frontem exporrigentem, itaque reipsa dicentem, istas diaboli suggestiones esse res leves, et nullius momenti; adeo mox mente serenata fuit, ut nullam deinceps senserit anxietatem. Tertio, erat ei socius orationis, omnisque gustus et consolationis spiritalis: quocirca colloquens cum angelo, tantam ex eius cælesti voce percipiebat dulcedinem, et omnis humana vox et harmonia ei aspera et absona videretur, atque cum sponsa diceret: *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Quarto, hic angelus mirum afflabat ei spiritum: unde meditans de hac angelica specie, loquebatur cum incredibili efficacia de virtutibus omnibus, maxime de innocentia et puritate, qua præ hominibus cernebat pollere angelum. Eadem postea Religionem instituens, superiorem habuit angelum ex quarto ordine, maiori fulgore coruscantem, uti habetur cap. 15. vitæ eiusdem. Hinc S. Basil. virgines exhortatur ut in cubiculis, in lecto, in mensa, etc. decore se gerant, quia habent spectatorem angelum oculatissimum.

VII. Brachia et crura ænea significant fortitudinis et armorum splendorem.

Septimo, brachia significant fortitudinem actionis, quæ est in angelis: crura et pedes significant motus celeritatem. Ita S. Dionys. supra. Porro hæc erant ex *ære candente* sive albicante, id est, ut hebr. *polito et terso*, ideoque *fulgente*, ut vertunt Septuag. ob fortitudinem, quam perpetuo exacuunt angeli, quaque nulli cedunt, sed subito omnia frangere et conterere possunt. In Machabæis vero, et fidelibus hæc significant tum fortitudinis, tum armorum splendorem, quantamque per ea cædem facturi sint. Machabæi enim in hostes irruerunt acerrime, perinde ac si brachia et crura habuissent ænea. Plura de ære candenti dixi Ezech. 1. in fine cap.

VIII. Vox multitudinis, significat exercitum et phalanges tam angelorum quam Machab.

Octavo, vox sermonum eius erat ut vox multitudinis, id est magna et confusa, q. d. Visus tibi esses illum angelum audiens, audire multam hominum inter se colloquentium turbam; talis erat eius vox, qualis esse solet multitudinis, et aquarum murmur: huic enim comparari solet vox Dei et angelorum, ut patet Ezech. 1. 24. Apocal. 1. v. 15. et alibi. Ratio erat Prima, quia angelus hic non erat solus, sed veniebat comitatus multis angelis sui ordinis; erat enim princeps. Secunda, quia hæc magna vox significabat copiam scientiæ, et docendi et illuminandi vim, quam habent angeli. Ita Theodor. in Machabæis hæc vox significabat eorum exercitus et phalanges.

Vers. 7. Terror nimius irruit super eos.) Quia licet angelum non viderent, eius tamen vocem et strepitum, aut certe lumen mirabile, et quasi fulgurans persentiscebant. Simile contigit sociis S. Pauli, cum ipse vidit Christum Actor. 22. 9. Causa, cur solus Daniel viderit angelum, non socii, non fuit ἀορασία, qua socios percusserit angelus, uti percussit Sodomitas, Gen. 19. 11. sed quod angeli in corpore assumpto, æque ac homines beati, species visivas sui corporis gloriosi habeant in potestate, faciantque ut ad libitum corpus sui speciem emittat in oculum unius, v. g. Danielis, non in aliorum ei astantium: quo fit ut unus solus eum videat, non alii astantes. Ita docent Scholiastici in 4. dist. 48. et sequent.

Emarcui.) Elangui: olim enim in lege veteri, quæ erat timoris et terroris, Deus per angelum se hominibus, etiam Sanctis et Prophetis augustum et terribilem exhibebat, uti dixi Deuter. 4. 33. Secus facit in lege nova, quæ est lex amoris. Vers. 8.

Mystice, *emarcui;* quia, ut ait S. Greg. l. 3. Dial. 24. *Caro, ea quæ sunt spiritus capere non valet, et idcirco cum mens humana ultra se ad videndum ducitur, necesse est ut hoc carneum vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.* Rursum mens humana dum in Deum conscendit, eius fortitudinem conspicit, itaque eius quasi desiderio absorbetur et liquatur.

Et super articulos.) Hebr. *super palmas manuum,* q. d. Angelus me collabentem erexit, atque genibus et manibus niti fecit, ut surgerem. Vers. 10.

Nota hic. Angeli boni primo terrent, deinde consolantur suos, eosque corroborant, itaque sensim et gradatim eos a terrenis ad cælestia abducunt. Unde S. Greg. l. 22. Moral. cap. 14. aut iuxta aliam editionem 22. docet quod Daniel hic primo prostratus, secundo erectus, tertio tremens, *in semetipso nobis omnem ordinem nostri profectus innotescit. Verba enim Dei in terra iacentes audimus, cum in peccatis positi, terrenæ pollutioni coniuncti, sanctorum voce spiritalia præcepta cognoscimus. Ad quæ præcepta, quasi super genua et super manuum nostrarum articulos erigimur, quia a terrenis contagiis recedentes, quasi iam ab infimis ventrem levamus. Ad extremum vero voce Dominica erecti quidem, sed trementes assistimus, cum a terrenis desideriis perfecte sublevati, verba Dei quo plenius cognoscimus, plus timemus.* Subdit paulo post: *Ubi apte divina voce subiungitur: Noli metuere: quia cum plus quod timeamus agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur quod amemus,* ut *timor transeat in charitatem.*

Sta in gradu tuo.) Sta rectus, uti stabas ante visionem, in qua perculsus corruisti. Vers. 11.

Posuisti cor tuum, adiecisti animum, ut te affligeres.) Per ieiunia, preces et gemitus. Nam τὸ *affligeres* referendum est ad *posuisti*, q. d. Posuisti cor tuum ut te affligeres, et per istam afflictionem impetrares intelligentiam, qua cognosceres an, et quando ista impedimenta fabricæ templi, et plenæ Iudæorum libertati ab hostibus obiecta, ob quæ luxisti, et te afflixisti v. 2. disiicienda forent. Ecce enim ego a Deo ad te missus sum, ut tibi significem exauditas esse preces tuas; ac proinde brevi uti postulasti, templum reædificandum esse, nimirum post Cambysem, qui septem tantum annis regnabit, sub initium regni Darii Hystaspis, tumque multos Iudæorum e Babylone eo convolaturos. Rursum Artaxerxem anno septimo regni missurum Esdram, et anno vigesimo missurum Nehemiam, qui reliquos in Babylone Iudæos secum abducant in Ierusalem, eiusque muros et domos reædificent et perficiant: id enim reipsa præstabit Nehemias. Verisimile est hæc, vel horum patrem Gabrielem revelasse Danieli, etiamsi id ipse hic non enarret, quia ad alia festinat. Vers. 12.

Nota hic rursum. Ieiunio et maceratione corporis, atque precibus impetrarunt Sancti a Deo intelligentiam, imo prophetiam: ita S. Thomas ieiunio impetrabat explicationem locorum difficilium S. Script. Unde S. Greg. 30. Moral. 9. vel iuxta aliam editionem 18. Daniel, inquit, deliciis abstinuit, ut *tanto avidius gustum sapientiæ intus acciperet, quanto saporem carnis pro eadem sapientia foris robustius repressisset. Si enim a carne hoc quodlibet abscindimus, mox in spiritu quod delectet, invenimus. Intentioni quippe animæ, si exterior evagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quo extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo super se tendere per profectum*

potest: quia et in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur: et cum rivos fontis obstruimus, fluenta surgere ad superiora provocamus. Atque hoc censet a S. Iob vocari ibices, quæ in petris fœtus ponunt, cap. 39. 1.

Propter sermones tuos.) Propter preces tuas iam exauditas a Deo.

Vers. 13. Princeps autem regni Persarum.) Nota τo *autem:* occurrit enim angelus tacitæ obiectioni, q. d. Dices mihi, o Daniel, Si oratio mea die primo fuit exaudita, ut dixisti v. 12. cur ergo illico ad me non advenisti? cur expectasti tres septimanas, ut dicitur v. 2. puta 21. dies, ut dicitur hoc versu? Respondeo, me tot diebus fuisse impeditum, quia restiti principi Persarum, qui contrariis precibus et rationibus tua postulata, si non in totum, certe ex parte evertere conabatur.

Quisnam princeps Persarum? I. Sententia, fuisse Cambysem. Quæres, Quisnam fuit hic princeps Persarum? Respondent Iudæi et hæretici fuisse Cyri filium Cambysem, Iudæis infensum; aut principes eius, qui templi restaurationem apud eum impediebant: hi enim Iudæis, et consequenter angelo protectori Iudæorum resistebant.

II. Fuisse dæmonem. Secundo, Rupert. et Cassian. collat. 8. cap. 13. putant fuisse malum angelum, sive dæmonem: hic enim pugnat cum angelo bono. Idem sentit Prosper in dimidio temp. c. 4. ubi docet hoc prælium idem esse cum prælio draconis contra Michaelem Apocal. 12. v. 7. Sicut enim cuilibet homini a nativitate, assignatur a Deo angelus bonus ad custodiam, ita eidem a Lucifero assignatur angelus malus ad tentationem: et sicut cuilibet regno assignatur a Deo angelus bonus ad tutelam, quasi præses; ita a Lucifero eidem assignatur angelus malus præses, qui regni statum turbet et evertat. Dæmon ergo assignatus præses Iudæis a Lucifero, vocatur hic princeps Persarum, qui ex odio Dei, valde obsistebat ne Iudæi, utpote populus Dei, e captivitate liberarentur. Hoc autem faciebat quatuor modis. Primo, instigando et inducendo Iudæos ad gravia crimina, ut liberatione indignos se redderent. Secundo, suggerendo Iudæis amorem Babyloniæ, ob libertatem et rerum copiam; odium vero Iudææ, quasi sterilis et plane vastatæ. Tertio, persuadendo Cyro et Cambysi, id quod olim suaserat Pharaoni Exodi 1. scilicet Iudæos regno esse utiles, ac proinde retinendos. Quarto, allegando apud Deum scelera Iudæorum, quæ necdum satis captivitate vindicata et expiata erant: ita Rupert. lib. 9. de Victoria verbi Dei cap. 6.

III. Et vera, fuisse angelum præsidem Persidis. Verum dico, hunc angelum fuisse bonum, qui a Deo præfectus fuit, datusque custos regno Persarum. Sic enim Deus cuique genti et regno suum præficit angelum, uti docent S. Basilius lib. 3. contra Eunomium, Clemens Rom. S. Dionys. Gregor. Nazianz. et alii, quos citat Ludovic. Molina 1. p. q. 113. in fine, idque patet hic ex angelo Græcorum, qui nominatur v. 20. Et ita intelligunt Patres illud Deuter. 32. 8. iuxta Septuag. *Constituit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei.* Confirmatur

Probat. 1. Primo ex eo quod statim subdit: *Ecce Michael unus de principibus primis, venit in adiutorium meum*, ubi cum Michaelem unum de principibus vocet, innuit se aliquem alium angelum bonum, principem regni Persarum appellasse.

2. Secundo, ex v. 21. ubi ait: *Nemo adiutor meus est in omnibus his, nisi Michael princeps vester:* hic enim opponit principem Iudæorum principi Persarum, quasi angelum angelo.

3. Hæc est sentent. S. Hieron. (qui tamen etiam contrariam sententiam refert, sed ut alienam, non ut suam, more suo) Theodor. S. Gregor. 17. Moral. cap. 7. S. Thomæ 1. p. q. 113. art. 7. Lyrani, Carthus. Pererii, Fernandii, et aliorum.

Principatus præsunt regnis, Archangeli provinciis, Angeli hominibus. Notat Molina 1. p. qu. 108. angelos infimæ hierarchiæ esse tutelares gentium, ac hominum; scilicet Principatus tutelares esse regum et regnorum; inde enim videtur hic vocari princeps Persarum: Archangelos vero esse tutelares provinciarum: Angelos hominum singulorum.

Restitit mihi.) Dices, ergone inter se pugnant angeli, et quomodo angelus princeps Persarum restitit Gabrieli? Respondet Mald. hos duos angelorum principes apud regem Persarum, puta Cambysem, inter se pugnasse, dum contraria illi pro sua quisque gente et provincia suggerere et persuadere nitebantur. Ideo enim ait: *Ego remansi ibi iuxta regem Persarum.* Angelorum pugna qualis. I.

II. Secundo et potius, hæc pugna angelorum apud Deum peracta est: adierunt enim ipsi ipsum fontem, puta Deum, ex quo tam animum regis Persarum, quam Iudæorum libertatem et captivitatem pendere sciebant, atque coram eo disceptarunt. Licet enim angeli summa charitate se invicem ament, sintque summe concordes (quod enim dicitur Iob 25. 2. *Qui facit concordiam in sublimibus;* et cap. 38. 37. *Concentum cæli quis dormire faciet?* de cælis et stellis; longe verius est in angelis. *Omnium enim una victoria est, sui super se creatoris voluntas summa: quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, numquam volunt,* ait S. Gregor. superius citatus: tamen in quibusdam rebus, in quibus Deus necdum patefecit suam voluntatem, sibi invicem contraria velle possunt, non absolute et efficaciter, sed conditionate, si videlicet Deo placuerit, id, quod ipsi optant et desiderant. Itaque hæc eorum pugna conditionata est, non absoluta: absolute enim utraque pars, licet invicem adversa, resignat se in voluntatem et sententiam Dei: ita Gregor. de Valentia 1. p. disp. 8. de quinto effectu gubern. divinæ, quæst. 6. puncto 4. Sic ergo Gabriel hic pro suis Iudæis orabat Deum, ut omnes e Babylone in patriam reduceret, ne Babyloniorum idololatria et vitiis inficerentur, uti aliquos infici videbat, atque urbem et templum restaurari curaret, iuxta promissa sua, ut ibi pie, secure et quiete Deo servirent; quod tam instanter postulaverat, et assidue postulabat Daniel, cum templi fabricam anno primo Cyro inchoatam, sed anno secundo eiusdem propter hostes interruptam et inhibitam fuisse audisset. Addebat, Iudæos esse populum Dei, et gentem ex omnibus ab eo electam et dilectam, ex qua nasciturus erat Messias. Allegabat merita Abrahæ, Isaac, Iacob, Mosis, etc. preces Ieremiæ, Ezechielis, Nehemiæ, Iesu et aliorum tum viventium, præsertim Danielis. E contrario angelus Persarum orabat, ut Deus aliquos Iudæos in Babylone relinqueret ad Babyloniorum et Persarum conversionem, utque illi a Iudæis unum verum Deum, eiusque cultum discerent; illudque Iudæis esse utile, utpote qui adversis meliores fierent: ita Theod. et S. Greg. supra. Verum est enim illud Senecæ lib. 3. de Ira cap. 8. *Quantum consuetudo possit intelliges, si videris feras quoque convictu nostro mansuescere, nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium passa est.* Tantum valet conversatio, exempla, consuetudo, ut merito angelus Persarum, convictum Iudæorum suis Persis tam acri bello depoposcerit. Qui Patres et aliam causam addunt, scilicet principem Persarum restitisse Gabrieli et Iudæis ex zelo iustitiæ, quod diceret Iudæos, qui tot a Deo beneficia acceperant, iisque male vivendo tam ingrati extiterant, debere adhuc magis puniri et purgari.

III. Nota. Hæc pugna Gabrielis cum angelo Persarum peracta est non digladiando, nec verberando, sed primo contraria volendo; secundo, contra antagonistam disputando; tertio, Michaelem, et alios angelos ad idem contra eum advocando et concitando; quarto, Deum ardenter orando contra vota alterius, eiusque rationes solvendo, et suas perurgendo.

Viginti et uno diebus.) Scilicet toto tempore trium septimanarum, quo ieiunavit Daniel v. 2. Tamdiu duravit hæc pugna, non propter ipsos angelos: eorum enim actus sunt instantanei, et perficiuntur in instanti; sed primo, ut interim acueretur Daniel ad magis orandum pro Iudæorum plena libertate; secundo, ut Iudæi scirent pugnæ huius et liberationis suæ difficultatem.

Moraliter, si inter angelos, imo principes angelorum, sunt dissidia, quid mirum inter homines sanctos subinde oriri dissensiones, vel opinionum, vel voluntatum, salva utrimque charitate? Ita dissensio orta inter Paulum et Barnabam, causa fuit ut pluribus Gentibus prædicaretur Evangelium, Actor. 15. 39. Ita S. Paulus a S. Petro

dissensit, Galat. 2. 11. ita et S. Cyprian. a S. Stephano Pont. S. Chrysostomus a S. Epiphanio, S. Hieron. a S. August. quos tamen charitas una cum Deo, et cum sese invicem nexos vinctosque iungebat.

Et ecce Michael unus (id est primus: sæpe enim Hebræi numerum cardinalem capiunt pro ordinali) de principibus primis.) q. d. Michael primus principum, scilicet Archangelorum: ita S. Hieron. et Theodor. unde a S. Iuda in sua epistola, et ab Ecclesia Michael vocatur Archangelus: videtur ergo quod Michael sit princeps ordinis Archangelorum dumtaxat. Secundo, alii sic exponunt, *unus de principibus*, id est primus in ordine Principatuum, qui regnis præsunt: ex quo sequitur Michaelem esse principem ultimæ hierarchiæ dumtaxat: ita S. Thom. 1. p. q. 113. art. 3. et innuit S. Dionys. c. 9. Cælest. hierarch. Idem sentiunt Ægydius Rom. in 2. dist. 10. dub. 1. Toletus in Lucæ c. 1. v. 26. annot. 45. Gabriel Vasquez 1. p. disp. 244. n. 14. ubi ait S. Michaelem esse ex Principatibus qui toti orbi præsunt. Tertio, multi iam valde probabiliter censent, Michaelem tum naturæ, tum gratiæ et gloriæ dignitate esse absolute primum et principem omnium omnino angelorum. Idque probatur Primo, quia hac de causa Apocal. 12. 1. Michael cum Lucifero, et angelis eius pugnasse dicitur, dum eius superbiæ restitit, dixitque humillime, מִי כָ אֵל *mi ca el, quis ut Deus?* Sicut ergo Lucifer dæmonum, sic Michael angelorum, pro Deo est imperator, estque primus inter Seraphinos. Secundo, quia Ecclesia Michaelem vocat primatem cælestis exercitus, præpositum paradisi, atque eius nomine festum omnium angelorum colit. Tertio, quia Michael, uti olim Synagogæ, ita nunc Ecclesiæ, totius præses et custos a fidelibus colitur. Hinc Ecclesia in Missa pro defunctis vocat eum signiferum Christi. Rursum, Ecclesia vocat eum præpositum animabus suscipiendis. Hac de causa S. Franciscus, licet singulari amore et cultu prosequeretur omnes angelos, adeo ut in honorem eorum *a festo Assumptionis B. Virginis quadraginta diebus ieiunans orationi iugiter insisteret; tamen S. Michaeli Archangelo, eo quod animarum repræsentandarum habet officium, spirituali erat amore devotior, propter fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum,* inquit S. Bonavent. in eius vita cap. 9.

Michael ex quo ordine. S. Hier. ait esse ex Archangelis. 2. S. Thom. esse ex Principatibus. 3. Et verius alii censent eum esse primum inter Seraphinos. Probat. 1. 2. 3.

Ita anno Domini 1087. moriente S. Arnulfo Episcopo Suession. cella eius contremuit, eique apparuit S. Michael cum multis angelicis spiritibus, pollicens se ei fore ducem ad beatam vitam: ita habet Lisiardus in eius vita.

Ita anno Domini 705. ægrotanti S. Wilfrido Archiep. Eboracensi apparuit S. Michael eique sanitatem restituit, addens, se post quadriennium reversurum, tumque eum in pace tranquilla vitam terminaturum: ita Beda lib. 5. histor. Anglic. cap. 20.

Ita anno Domini 922. in morte Sisinandi Episc. Compostel. audita est vox angelorum canentium, *Veni electe Dei, et intra in gaudium Domini tui,* inquit Vasæus in Chronic.

Ita S. Antonio morienti angelos occurrisse, eumque contra diaboli calumnias defendisse, testatur S. Athanasius.

Ita S. Germani Capuani animam in cælum ab Angelis ferri vidit S. Benedictus, teste S. Gregorio lib. 2. Dialog. cap. 35. Idem contigisse animæ S. Radegundis reginæ docet Gregor. Turon. de Gloria Confes. cap. 106. et animæ S. Hildæ Abbatissæ, docet Beda l. 4. histor. Anglic. cap. 23.

4. Denique S. Michaelem esse principem angelorum omnium, ideoque primum inter Seraphinos, sentit S. Basilius hom. de angelis: *Tibi,* inquit, *o Michael, duci supernorum spirituum, qui dignitate et honore prælatus es cæteris omnibus spiritibus supernis, tibi inquam supplico.* Et Pantaleon Diaconus apud Lipom. in hom. de S. Michaele: *Primum,* inquit, *locum obtinet inter mille millia, et decies mille myriades angelorum, et proxime ac citra ullum stuporem* (cum cæteri angeli ad Dei maiestatem obstupescant) *canit ter sanctum et admirabilem hymnum Michael, qui est maxima et clarissima stella angelici ordinis.* Idem censent B. Laurent. Iustin. serm. de S. Michaele, Rupert. in cap. 8. Apocal. Ambros. Cathar. in c. 1. ad Hebræos, Molina 1. p. quæst. 108. et 112. Viegas in cap. 12 Apocal. Salmeron tom. 3. cap. 3. Bellarm. t. 4. controv. 3. cap. 9. et alii. Unde Ioannes Molanus Doctor Lovan. lib. 3. de Pictur. et imagin. cap. 39. *Michael,* ait, dicitur *Archangelus, non quod sit de ordine Archangelorum, sed quia omnium angelorum caput et dux est.* De Michaele plura dicam cap. 12. 1. Porro quod vir doctus scripsit, duos esse Michaeles, unum Seraphinum victorem Luciferi, alterum Archangelum custodem Ecclesiæ, novum est et hactenus inauditum, ac sine auctoritate, æque ac necessitate assertum.

Ex Patribus.

Venit in adiutorium meum.) Michael venit in adiutorium Gabrielis, tum quia ipse præpositus erat Hebræorum, tum quia Gabriel meliorem causa tuebatur: iam enim effluxerant 70. anni captivitatis, quibus elapsis promiserat Deus se Iudæos Babylone liberaturum: ita S. Gregor. supra.

Et ego remansi ibi iuxta regem Persarum.) Ut scilicet Cyrum, et Cyro ad bellum Scythicum abeunte, Cambysem eius filium flecterem, eosque Iudæis benevolos redderem: ita Rupert. Docet hic angelus, se ita causam Iudæorum apud Deum egisse, ut eamdem quoque egerit apud regem Persarum, a quo post Deum Iudæorum liberatio pendebat. Discamus et nos ita Deo niti, ut tamen humana non negligamus media, et auxilia. Hanc prudentiam docuit nos B. P. N. Ignatius, dum monuit in rebus conficiendis ita fidendum esse Deo, ac si ab ipso solo res tota penderet; ac deinde in executione ita sedulo rei incumbendum esse, omniaque humana auxilia accersenda esse, ac si iis solis res conficienda foret. *Prudentiæ dogma.*

Quoniam adhuc visio in dies.) Scilicet plurimos erit, q. d. Post multos annos implenda est visio sequens, quæ cap. proximo enarratur. Vers. 14.

Deieci vultum.) Non ex metu: nam eum iam absterserat angelus; sed ex reverentia, et ex debilitate contracta ex consternatione prioris visionis angeli, utpote terribilis et augustæ. Vers. 15.

Quasi similitudo filii hominis.) Videtur hic idem fuisse angelus quem viderat Daniel, quique cum ipso loquebatur: mox enim illi ait, *Domine in visione tua dissolutæ sunt compages meæ:* et, *Loquere Domine, quia confortasti me.* Angelus ergo hic primo formam et vocem tam augustam et splendidam induit, ut supra hominem esse videretur; ex ea enim perculsus Daniel elanguit, et corruit in terram. Unde angelus aliam formam, puta vulgari homini similiorem, et familiarem induit, itaque comiter Danielem affatus, eum sibi restituit. Adde, hunc angelum fuisse typum Christi hominis, eaque quoque de causa dicitur similis filio hominis. Vers. 16.

Tetigit labia mea, et aperiens os meum.) q. d. Os meum, quod antea præ reverentia obmutuerat, angelus tangendo aperuit, ut libere, fidenter et prompte cum eo loquerer. Sic Seraphim tetigit labia Isaiæ cap. 6. v. 7. Loquitur ergo Daniel, aitque:

Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo.) Daniel vocat se servum, angelum vero Dominum: erat enim augusta et terribili forma, quæ Danielem perculit et plane consternavit. Unde subdit, *Nihil enim in me remansit virium, sed et halitus meus intercluditur,* uti fit in ingenti pavore et consternatione. Unde Vatablus sic explicat, q. d. Actum est de me, vidi angelum. Olim enim putabant Iudæi se morituros, si vidissent angelum, adeo tunc apparebat terribilis. Unde Manue pater Samsonis viso angelo ait ad uxorem: *Moriemur, quia vidimus Dominum,* Iudic. 13. v. 22. Verum sapientior erat Daniel, et iam metum ei absterserat aut temperarat Gabriel. Itaque verius est quod dixi, Gabrielem tam fulgida specie apparuisse, ac verberasse oculos Danielis, ut ille viribus pene deficeret, et animo linqueretur, vixque posset respirare. Quocirca angelus hunc splendorem moderans ait ei: *Pax tibi,* quod licet Vatabl. explicet, q. d. Vers. 17.

Incolumitas est tibi, non morieris, nihil detrimenti tibi accidet: tamen verius est, angelum imprecari pacem, id est animum, vires et robur Danieli. Subdit enim : *Confortare, et esto robustus.*

Vers. 18. Tetigit me quasi visio hominis.) Tetigit me angelus in specie humana apparens, et a me visus ut homo: vide dicta v. 16.

Vers. 20. Numquid scis.) q. d. Non videris nosse cur ad te venerim, sed ego tibi dicam : veni ut dicerem tibi, Primo, preces tuas esse exauditas, quoad plenum Hebræorum reditum in patriam. Secundo, quid sit populo Persico eventurum. Tertio, quid futurum sit in fine mundi; sed revertar cito, ut in conspectu Dei resistam angelo Persarum : nec enim omnino sum securus: gravius enim certamen mihi instare vereor ex angelo Græcorum, de quo v. 20. Nihilominus priusquam abeo, et ad pugnam redeo, breviter tibi futura nuntiabo, quæ expressa sunt in scriptura veritatis, id est in libro præscientiæ et prædestinationis Dei, quæ verissima et certissima est, ac fallere nequit. Scriptura ergo veritatis vocatur hic Dei decretum , eo quod instar scripturæ fixum ac firmum sit, nec oblivione aut tempore mutetur. Porro hæc futura sunt tria illa paulo ante dicta, quæ angelus Danieli enarrat duobus cap. seq. licet S. Hieron. putet ibi narrari alias visiones; sed quod dixi videtur verius.

Et nunc revertar ut prælier, ut disputem, et rationibus decertem adversum principem Persarum.) Sic Grammatici suum habent bellum grammaticale, quo non verberibus, sed verbis inter se confligunt de vocibus, et ad ravim usque decertant. Sic Philosophi sua habent prælia scholastica, dum suam sententiam hic propugnat, alter oppugnat. Sic, quod plane huic loco est simile, Advocati apud iudicem forense agunt bellum, dum unus reum capitis ad necem adigere, alter eripere et defendere conatur. Sic Cicero se oratione et verbis præliatum asserit l. 1. ad Attic. epist. 11. *Ego,* inquit, *quamdiu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter et vehementer præliatus sum, ut clamor concursusque maxima cum laude mea fieret.* Licet enim Gabriel v. 12. dixerit, Deum exaudisse preces Danielis, eisque annuisse; tamen verebatur, ne angelus Persarum eas contrariis rationibus, et precibus, saltem ex parte subverteret. Festinat ergo, ut contra eum disceptet, et a Deo auditis utriusque rationibus, definitivam sententiam pro Daniele et Hebræis impetret. Unde Arabicus vertit, *nunc ergo revertar certare* (ad certandum) *cum rege Persidis.*

Cum ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens.) Cassian. collat. 8. c. 13. putat hosce principes fuisse angelos malos: unde concludit, dæmones non tantum cum angelis bonis, sed et inter se dissidere ac confligere. *Legimus,* ait, *Græcorum quoque principem similiter alium nuncupari, qui utique favens genti sibi subditæ, tam populo Israel, quam nationi Persarum videbatur adversus. Ex quo liquido pervidetur: quod discordias gentium, et conflictus, ac simultates, quas inter se istis instigantibus gerunt, etiam contra se adversæ exerceant potestates, et illarum vel victoria gaudeant, vel diminutione crucientur: et ob hoc non possunt inter se esse concordes, dum unusquisque pro his, quibus præest, contra alterius gentis præsulem inquieta semper æmulatione contendit.* Verum iam ostendi, omnes hosce principes fuisse angelos bonos, non malos; et certe si mali fuissent, non procurassent commoda gentis suæ, uti vult Cassian. sed eius exterminium agitassent. Flagrant enim dæmones ingenti odio hominum omnium. Hunc ergo Græcorum angelum suspectum habuit angelus Danielis, timuitque ne ipse faveret angelo Persarum contra se et Hebræos; aut ne quasi tertius tragulam aliquam iniiceret, qua retardaret aut diverteret liberationem Hebræorum: ideo enim maturat reditum ad prælium. Id confirmatur ex eo quod mox subiicit: *Nemo est adiutor meus, nisi Michael princeps vester:* ergo angelus Græcorum non erat ei adiutor. Unde et Biblia regia, atque alia sic legunt: *Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum.* Ubi τὸ *enim*, dat causam præcedentium, q. d. Illico revertor; ecce enim novum video venire mihi antagonistam, scilicet principem Græcorum: unde et Vatablus vertit, *sed princeps Græciæ advenit me egrediente.*

Cur princeps Græcorum, id est Macedonum, venerit, quidque egerit aut postularit a Deo, incertum est. Non dubium est, eum Græcorum sibi commissorum causam egisse; ac proinde verisimile est eum petiisse, ut aliqui Hebræi in Græciam mitterentur, aut Græcis in Perside et aula regis existentibus miscerentur, ibique detinerentur, ut Græcos sensim unius Dei cognitione et cultu imbuerent; itaque ex parte restitit Gabrieli sollicitanti ut omnes in Iudæam redirent, ne inter Gentes ad idola et Gentium vitia deflecterent. *(Cur venit angelus Græcorum? Resp. I.)*

Secundo, S. Hieron. putat angelum hunc Græcorum restitisse angelo Persarum, eorumque tyrannidem et peccata accusasse, ac petiisse, ut Persis imperio deiectis, regnum Alexandri et Macedonum succederet: quod et factum est, ut patet cap. sequenti. Verum hoc factum est post multa tempora, scilicet post ducentos annos: unde non videtur hoc tempore angelus pro eo orasse et sollicitasse. Sed responderi potest, angelum ignorasse decretum Dei de tot annis dandis regno Persarum; aut si illud scivit, putasse illud non esse absolutum, sed conditionatum: nam et angelus Danielis, ei cap. sequ. v. 2. tres tantum reges Persarum numerat, qui in Perside regnaturi sint. Forte ergo hic angelus ex hisce aliisque argumentis opinatus est, instare finem regno Persarum, petiitque illud ad Græcos transferri, tempusque accelerari, ac proinde Hebræos non dimitti, ut Græcis mox regnaturis prodessent, uti dixi in resp. 1. *(II.)*

Tertio, S. Gregor. 17. Moral. cap. 7. putat angelum Græcorum restitisse Hebræis, eo quod Hebræi contra Græcos aliquid ante commisissent, eosque læsissent. Hæc mera est coniectura: nam nil tale indicat Script. *(III.)*

Quarto, Maldon. censet angelum Græcorum, æque ac alios omnes, excepto Michaele, impedivisse Iudæorum libertatem, eo quod peccata eorum nondum essent expiata: maxime vero post angelum Persarum id fecisse angelum Græcorum, eo quod sciret regnum Persarum transferendum ad Græcos, ideoque nollet Iudæos inde in patriam redire, ut maior esset Græcorum præda, atque hac de causa eum in auxilium angeli Persarum venisse. Verum quis credat hoc de angelo bono, cuius est tueri fideles, nec favere tyrannidi? *(IV. Improbabilis.)*

Nota. Deus voluit hanc angelorum pugnam fieri, ut scirent homines, quantam angelorum quisque suæ gentis providentiam et curam gerat. Vide hic ergo, ut Gabriel et angeli fortiter suos adiuvent, et in præliis dent victoriam. Elesbaan rex Æthiopum cum Dunaan tyranno Homeritarum pugnaturus, cum eius castra et fame laborarent, et ab hoste valde premerentur, supplicatione facta, et sacra communione percepta, cum lacrymis Domini invocavit auxilium. Ipse autem eos audivit: et statim vox quædam fuit de cælo audita, quæ dicebat, *Gabriel, Gabriel, Gabriel.* Confidentes itaque Æthiopes cum descendissent de navibus, et manus conseruissent cum hostibus, eos fuderunt, et omnes interfecerunt, etiam regem ipsum catena vinctum. Vide Baron. anno Christi 523. ex actis Aretæ Mart. *(Angeli suis in bello dant opem et victoriam.)*

Anno Domini 601. qui numeratur quintus regum Francorum Theodeberti atque Theodorici fratrum, conflatum est civile bellum inter eos atque Clotharium filium regis Chilperici, hæredem vero Guntheramni, magnaque facta utrinque cæde, cessit tandem victoria Theodeberto atque Theodorico, fugiente Clothario. In qua pugna, ait Aimoinus de gest. Franc. lib. 3. c. 87. et 88. angelus Domini adstans evaginatum visus est tenuisse gladium.

Tradit Luitprandus lib. 2. hist. cap. 14. Wenceslaum Bohemiæ regem occurrisse in finibus Duci Carinensi, qui fines regni huius vastabat, eique obtulisse singulare certamen, ut multorum cædibus parceret. Ubi ventum est ad manus, angeli apparuere, qui Wenceslaum protegentes arma ministrabant. Quo viso Dux petiit veniam, ea-

que obtenta discessit.

Congense regnum anno Domini 1484. Lusitanorum classibus est exploratum. Cumque Christo rex nomen dedisset una cum multis suorum, victoriam mirabiliter de quibusdam rebellibus, vexillo crucis educto in prælium, reportavit. Ioannes nomen huic regi fuit. Eo defuncto filius natu maior Alfonsus fidem patris sequebatur, minor erat omnino alienus: quocirca in certamen acquirendi regni venerunt. Innumeri qui nondum Christum colebant, natu minorem sequebantur, et maximas copias adversus alterum paucis stipatum militibus conficiebant. Ventum tandem ad pugnam: vix initum prælium, Christi hostes in fugam se protinus subito pavore correpti dederunt. Dux exercitus hostilis captus palam confessus est, se magnam militum copiam in equis insidentem, et crucibus insignitam, tantaque luce splendentem, ut oculos omnium perstringeret, in prælio conspexisse, eius metu perterritum cum suis se fugæ commisisse: ita Hieron. Osor. lib. 3. hist.

Beato Moysi Abbati quodam tempore tam vehementem intulit impugnationem fornicationis dæmon, ut quietus in cella sua nequiret diutius permanere. Contulit se itaque ad S. Abbatem Isidorum, ac violentiam insultus huius acerrimi magna cum animi mœstitudine narravit. Cumque e Scripturis sanctis Abbas Isidorus testimonia

A proferens eum consolaretur, eumque ut in suam cellulam reverteretur rogaret, isque ut id faceret, non posset induci; tunc illum Abbas Isidorus ad suæ mansiunculæ superiora perduxit, eique dixit, *Respice ad occidentem, et vide.* Vidit autem versus illam mundi plagam innumerabilem dæmonum multitudinem vehementer cum furore perturbari, et quasi ad prælium præparatos in conflictum turmatim ruere et pugnare. Dixit ei iterum Abbas Isidorus, *Respice ad Orientem.* Cumque eam in partem attentius oculos coniiceret, vidit innumerabilem sanctorum angelorum frequentiam, splendentemque super lumen solis copiam cælestium virtutum. Ait tum ei Abbas Isidorus: *Ecce quos in Occidente vidisti, illi ipsi sunt, qui etiam Sanctos Dei impugnant. Quos vero versus Orientem conspexisti, hi sunt, quos in adiutorium servis suis mittit Dominus exercituum Deus. Cognosce igitur, quod plures nobiscum sint quam cum illis, sicut dixit Eliseus Propheta, ut et S. Ioannes ait, Quia maior est, qui in nobis est, quam qui in hoc mundo.* His auditis confortatus in Domino Abbas Moyses reversus est ad cellulam suam, gratias agens, et glorificans Domini Iesu Christi potentiam et bonitatem. Ita habet eius vita in Vitis Patr. Plura recenset noster d'Averoult in Catechis. cap. de Angelis.

In scriptura veritatis.) Quænam hæc sit dixi v. 20. initio.

CAPUT DECIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus prædicit Danieli bella posterorum Alexandri Magni, puta Seleucidarum, regum Asiæ, et Ptolemæorum regum Ægypti: ac tandem v. 21. descendit ad Antiochum Epiphanem, in quo Antichristum, eiusque tyrannidem describit.

1. Ego autem ab anno primo Darii Medi stabam ut confortaretur, et roboraretur. 2. Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, et quartus ditabitur opibus nimiis super omnes: et cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversum regnum Græciæ. 3. Surget vero rex fortis, et dominabitur potestate multa, et faciet quod placuerit ei. 4. Et cum steterit, conteretur regnum eius, et dividetur in quatuor ventos cæli: sed non in posteros eius, neque secundum potentiam illius, qua dominatus est: lacerabitur enim regnum eius etiam in externos, exceptis his. 5. Et confortabitur rex austri: et de principibus eius prævalebit super eum, et dominabitur ditione: multa enim dominatio eius. 6. Et post finem annorum fœderabuntur: filiaque regis austri veniet ad regem aquilonis facere amicitiam, et non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen eius: et tradetur ipsa, et qui adduxerunt eam, adolescentes eius, et qui confortabant eam in temporibus. 7. Et stabit de germine radicum eius plantatio: et veniet cum exercitu, et ingredietur provinciam regis aquilonis: et abutetur eis, et obtinebit. 8. Insuper et deos eorum, et sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti et auri, captiva ducet in Ægyptum: ipse prævalebit adversus regem aquilonis. 9. Et intrabit in regnum rex austri, et revertetur ad terram suam. 10. Filii autem eius provocabuntur, et congregabunt multitudinem exercituum plurimorum: et veniet properans, et inundans: et revertetur, et concitabitur, et congredietur cum robore eius. 11. Et provocatus rex austri egredietur, et pugnabit adversus regem aquilonis, et præparabit multitudinem nimiam, et dabitur multitudo in manu eius. 12, Et capiet multitudinem, et exaltabitur cor eius, et deiiciet multa millia, sed non prævalebit. 13. Convertetur enim rex aquilonis, et præparabit multitudinem multo maiorem quam prius: et in fine temporum annorumque veniet properans cum exercitu magno, et opibus nimiis. 14. Et in temporibus illis multi consurgent adversus regem austri: filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur ut impleant visionem, et corruent. 15. Et veniet rex aquilonis, et comportabit aggerem, et capiet urbes munitissimas: et brachia austri non sustinebunt, et consurgent electi eius ad resistendum, et non erit fortitudo. 16. Et faciet veniens super eum iuxta placitum suum, et non erit qui stet contra faciem eius: et stabit in terra inclyta, et consumetur in manu eius. 17. Et ponet faciem suam ut veniat ad tenendum universum regnum eius, et recta faciet cum eo: et filiam fœminarum dabit ei, ut evertat illud: et non stabit, nec illius erit. 18. Et convertet faciem suam ad insulas, et capiet multas: et cessare faciet principem opprobrii sui, et opprobrium eius convertetur in eum. 19. Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ, et impinget, et corruet, et non invenietur. 20. Et stabit in loco eius vilissimus et indignus decore regio: et in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio. 21. Et stabit in loco eius despectus, et non tribuetur ei honor regius: et veniet clam, et obtinebit regnum in fraudulentia. 22. Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie eius, et conterentur: insuper et dux fœderis. 23. Et post amicitias, cum eo faciet dolum: et ascendet, et superabit in modico populo. 24. Et abundantes et uberes urbes ingredietur: et faciet quæ non fecerunt patres eius, et patres patrum eius: rapinas, et prædam, et divitias eorum dissipabit, et contra firmissimas cogitationes inibit: et hoc usque ad tempus. 25. Et concitabitur fortitudo eius, et cor eius adversum regem austri in exercitu magno: et rex austri provocabitur ad bellum multis auxiliis, et fortibus nimis: et non stabunt, quia inibunt adversus eum consilia. 26. Et comedentes panem cum eo, conterent illum, exercitusque eius opprimetur: et cadent interfecti plurimi. 27. Duorum quoque regum cor erit ut malefaciant, et

ad mensam unam mendacium loquentur, et non proficient: quia adhuc finis in aliud tempus. 28. Et revertetur in terram suam cum opibus multis: et cor eius adversum testamentum sanctum, et faciet, et revertetur in terram suam. 29. Statuto tempore revertetur, et veniet ad austrum: et non erit priori simile novissimum. 30. Et venient super eum trieres et Romani: et percutietur, et revertetur, et indignabitur contra testamentum sanctuarii, et faciet: reverteturque, et cogitabit adversum eos, qui dereliquerunt testamentum sanctuarii. 31. Et brachia ex eo stabunt, et polluent sanctuarium fortitudinis, et auferent iuge sacrificium: et dabunt abominationem in desolationem. 32. Et impii in testamentum simulabunt fraudulenter: populus autem sciens Deum suum, obtinebit, et faciet. 33. Et docti in populo docebunt plurimos: et ruent in gladio, et in flamma, et in captivitate, et in rapina dierum. 34. Cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo: et applicabuntur eis plurimi fraudulenter. 35. Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit. 36. Et faciet iuxta voluntatem suam rex, et elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum: et adversus Deum deorum loquetur magnifica, et dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio. 37. Et Deum patrum suorum non reputabit: et erit in concupiscentiis fœminarum, nec quemquam deorum curabit: quia adversum universa consurget. 38. Deum autem Moazim in loco suo venerabitur: et Deum, quem ignoraverunt patres eius, colet auro, et argento, et lapide pretioso, rebusque pretiosis. 39. Et faciet ut muniat Maozim cum deo alieno, quem cognovit, et multiplicabit gloriam, et dabit eis potestatem in multis, et terram dividet gratuito. 40. Et in tempore præfinito præliabitur adversus eum rex austri, et quasi tempestas veniet contra illum rex aquilonis, in curribus, et in equitibus, et in classe magna, et ingredietur terras, et conteret et pertransiet. 41. Et introibit in terram gloriosam, et multæ corruent: hæ autem solæ salvabuntur de manu eius, Edom, et Moab, et principium filiorum Ammon. 42. Et mittet manum suam in terras: et terra Ægypti non effugiet. 43. Et dominabitur thesaurorum auri et argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti: per Libyam quoque et Æthiopiam transibit. 44. Et fama turbabit eum ab oriente et ab aquilone: et veniet in multitudine magna ut conterat et interficiat plurimos. 45. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum et sanctum: et veniet usque ad summitatem eius, et nemo auxiliabitur ei.

Vers. 1. Agitur de bellis inter Seleucidas et Ptolemæos.

Ego autem ab anno primo Darii stabam ut confortaretur.) Non sunt hæc verba Danielis, ut vult S. Hieron, sed angeli cum Daniele loquentis; angelus enim orationem cap. præced. cœptam hic continuat, ut patet ex ipsa serie contextus, maxime ex fine cap. præced. et ex v. 2. hic aliisque seqq. ita Theod. et Hebr. q. d. Ego angelus qui Iudæorum sum custos, ab initio procuravi, ut regnum a Chaldæis et Balsasare ad Medos et Persas, puta ad Darium et Cyrum, transferretur. Sciebam enim eos Iudæis fore benevolos magis, quam Babylonios reges, quodque ipsi Iudæos e Babylone in patriam dimitterent; ideoque ab initio ego Darium adiuvi, ut in regno Babylonis confirmaretur et roboraretur.

Vers. 2. Reges Persarum 14.

Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside.) Imperite Iudæi ex hoc loco numerant tantum quinque reges Persarum; nam, ut docent S. Hieron. Euseb. Ioseph. Thucydides, Diodorus, Herodotus et alii, universim, fuerunt 14. scilicet:

I. Cyrus, qui regnavit annos 30.
II. Cambyses filius Cyri, regnavit annos 7. et menses 6.
III. Smerdes magus, tyrannus regnavit menses 6.
IV. Darius Hystaspis regnavit annos 36.
V. Xerxes Darii filius regnavit annos 20.
VI. Artabanus Præfectus, qui Xerxem occidit, menses 7.
VII. Artaxerxes dictus Longimanus, eo quod altera manus ei esset longior, filius Xerxis regnavit annos 40.
VIII. Xerxes secundus, tyrannus regnavit menses 2.
IX. Sogdianus, tyrannus regnavit menses 7.
X. Darius Nothus, scilicet filius Artaxerxis Longimani, regnavit annos 19.
XI. Artaxerxes dictus Mnemon, a præstantia memoriæ, regnavit annos 43.
XII. Artaxerxes Ochus regnavit annos 23.
XIII. Arses regnavit annos 4.
XIV. Darius Codomannus, qui ab Alexandro victus est, regnavit annos 6.

Stetit ergo regnum Persarum per annos 230. licet monarchia eorum tantum steterit annos 203. Nam Cyrus anno 27. regni sui cœpit Babylonem, et Balsasarem occidit, tumque factus est monarcha, tantumque per tres annos regnavit ut monarcha, uti ostendi 1. Esdræ. 1. v. 1.

Dices, Qui sunt ergo hi quatuor, quos solos post Cyrum hic numerat Daniel? Cyrum enim hic non numerat: quia Cyrus iam regnabat. Nam Cyri anno tertio hanc prophetiam ab angelo accepit Daniel, ut patet cap. 10. v. 1. Respondeo, Sunt primi quatuor qui proxime Cyro suc-

A cesserunt, scilicet Cambyses, Smerdes, Darius, et Xerxes. Nam Xerxes est ultimus horum quatuor, qui, ut ait Daniel, fuit opulentissimus, quique bellum movit Græcis. Præterit ergo hic angelus alios novem reges, quia, ut ait S. Hieron. spiritui prophetico non fuit curæ ordinem historiæ prosequi, sed tantum ea attingere, quæ ad eius scopum pertinent. Scopus autem eius hic est, describere regnum Græcorum, puta, Alexandri, eiusque successorum Seleucidarum et Ptolemæorum. Transit ergo a Xerxe ad Græcos; quia cum ipsi Xerxem tam infami clade ceciderunt, tum cœperunt se erigere, atque Xerxis et Persarum opibus et regno inhiare.

Quartus ditabitur opibus.) Hunc esse Xerxem omnes consentiunt, cuius tantæ fuerunt opes et copiæ, ut flumina ab exercitu eius siccata ferantur, naves quoque decies centum millia numero habuisse dicatur, inquit Iu- Xerxes.
B stin. lib. 2.

Surget vero rex fortis.) Hic est Alexander Macedo, qui in summa fuit gloria, sed brevi: nam post duodecim regni annos Babylone decessit, regnumque eius divisum fuit in quatuor, *non posteros*, id est filios (etsi duos moriens reliquerit; nam hos regno exclusit, doloque occidit Cassander) sed duces eius, scilicet Aridæum fratrem Alexandri, Seleucum, Antigonum et Ptolemæum: atque præter hos partem imperii tenuerunt Perdiccas, Craterus, Lysimachus, insuper et exteri, ut Arsaces apud Parthos; atque Macedones, aliique Græci paulo post alios sibi reges crearunt. Angelus hic agit de Alexandro, tum quia Iudæis cum eo fuit negotium, ut patet ex Iosepho 11. Antiqu. 8. tum ut ex eo quasi capite descendat ad Seleucidas, et Ptolemæos; de quibus ex professo agere intendit, ut per eos descendat ad Antiochum Epiphanem, et ad Antichristum, ut patebit v. 5. Vers. 3.

C **Dividetur in quatuor ventos.**) Ad quatuor mundi plagas, uti ostendi cap. 8. v. 8. Comparantur regna ventis, uti et somnio c. 2. 28. quia transeunt et evanescunt ut venti. Secundo, quia inter se pugnant ut venti. Porro tanta fuit gloria Alexandri, ut multi Imperatores eam affectarint, esto stolide. Antoninus Caracalla, teste Spartiano in eius vita, dicebat Alexandri animum in corpus Augusti Cæsaris, ac deinde in se transmigrasse, ut quoniam illi brevis fuerat vita, in Augusto viveret diutius, ac deinde in se: quocirca ipse se Alexandrum Orientalem Augustum vocabat. Sic et Iulianus Apostata credi voluit Alexandrum in se transmigrasse, ac se non minorem de Persis, quam Alexander, victoriam reportaturum, idque credebat ex persuasione Maximi Philosophi, uti ex priscis Vers. 4.

historicis narrat Baron. anno Christi 636. sed fefellit, et falsus est. Nam Iulianus in Perside victus et occisus est.

Alexander Severus Imper. teste Lampridio in eius vita, Alexandri nomen accepit, eo quod in templo dicato Alexandro Magno apud Arcenam urbem natus esset, cum casu illuc pater eius cum uxore patriæ solemnitatis causa venisset: et quod eadem die natus esset, qua Alexander Magnus excessit e vita. Alter ergo Alexander esse voluit.

Vers. 5. ET CONFORTABITUR REX AUSTRI.) Hic est Ptolemæus, non Philopator, ut vult Theodor. sed Lagi, primus post Alexandrum Ægypti rex, eiusque filius Ptolemæus Philadelphus, secundus Ægypti rex: ita S. Hieron. Ptolemæus enim Lagi vir fortissimus, non tantum Ægyptum, sed et Cyprum, Phœnicem, multasque alias insulas et regiones occupavit; quin et Pyrrhum Epirotarum regem expulsum in regnum restituit. Idem fecit Seleuco Antiochi filio, quem Antigonus Asiæ rex eiecerat: ita S. Hieronymus. *Ptolemæus Lagi filius.*

Nota. Angelus hic omissis duobus aliis Alexandri successoribus, scilicet Aridæo et Antigono, cæterorum duorum tantum gesta hic enarrat, scilicet regum Austri, id est Ptolemæorum, qui regnarunt in Ægypto, quæ Iudææ est ad Austrum; et regum Aquilonis, id est Seleucidarum, id est posterorum Seleuci, qui dominati sunt Asiæ et Syriæ, quæ ad Aquilonem sunt Iudææ, per 270. annos, ait Appianus. Id facit angelus, quia Iudæa inter Syriam et Ægyptum media interiacet, ideoque bellorum inter Seleucidas et Ptolemæos gestorum fuit particeps: perinde ac Isthmus inter duo maria interiacens, utriusque maris fluctibus utrinque tunditur: ita S. Hieron. hoc ergo hic fixum sit, reges Austri esse reges Ægypti, reges Aquilonis esse reges Syriæ. *Reges Austri, id est Ægypti, et Aquilonis, id est Syriæ.*

Recenset ergo hic bella, quæ inter hos reges per 140. annos gesta sunt, scilicet a tertio rege Syriæ, qui dictus est Antiochus Theos, usque ad octavum, scilicet Antiochum Epiphanem; et a secundo rege Ægypti, qui fuit Ptolemæus Philadelphus, usque ad sextum, scilicet Ptolemæum Philometorem. Ponam hic hosce reges ordine.

Seleucidæ.

Reges Aquilonis, sive Seleucidæ. I. Rex Syriæ, qui anno 12. post mortem Alexandri, victo Antigono cœpit regnare, fuit Seleucus Nicanor; hic regnavit annos 30. Dictus Nicanor, vel, ut alii, Nicator, a cæso Nicatore, vel potius a multis et illustribus victoriis, quas habuit. Ita Appian. in Syriaco.

II. Antiochus Soter, filius Seleuci Nicanoris, regnavit annos 19.

III. Antiochus Theos, filius Soteris, regnavit annos 15. hunc describit angelus v. 5.

IV. Seleucus Callinicus regnavit annos 20. hunc describit angelus v. 7.

V. Seleucus Ceraunius, id est fulmineus, quod audaci et veloci ingenio præditus videretur esse quasi fulmen: hic regnavit annos 3. hunc describit angelus v. 10.

VI. Antiochus Magnus regnavit annos 37. hunc describit angelus v. 10.

VII. Seleucus Philopator regnavit annos 12. hunc describit angelus v. 20.

VIII. Antiochus Epiphanes regnavit annos 12. hunc describit angelus v. 21. et sequent. Hic Epiphanes Christi ortum 170. annis antecessit.

Ptolemæi.

I. Post Alexandrum primus rex Ægypti fuit Ptolemæus, Lagi filius, vir prudentissimus et fortissimus: hic regnavit annis 40.

II. Ptolemæus Philadelphus, qui curavit Septuag. interpretes vertere Biblia Hebr. in Græcum idioma: hic regnavit annis 38. hunc describit angelus v. 5.

III. Ptolemæus Evergetes regnavit annis 26. hunc describit angelus v. 7.

IV. Ptolemæus Philopator regnavit annis 17. hunc describit angelus v. 10.

V. Ptolemæus Epiphanes regnavit annis 24. hunc describit angelus v. 13.

VI. Ptolemæus Philopator regnavit annis 35. hunc describit angelus v. 22.

Hinc patet, Danielem horum inter se prælia prædixisse, ducentis sexaginta annis ante eorum inchoationem. Prædixit enim ea sub finem regni Cyri, qui ducentis annis Alexandrum Magnum præcessit. Prælia autem hæc cœperunt sub Antiocho, cognomento Theos, qui Alexandro sexaginta annis fuit posterior. Quæres, Cur reges hos clare non exprimit et nominat Daniel? Resp. Quia prophetiam scribit, non historiam: historia enim clara est; prophetia vero symbolica et obscura. Secundo, id voluit Deus, ne turbaret causarum secundarum, et providentiæ suæ suavem dispositionem, quæ res, præsertim humanas, sinit agi suis motibus, easque permittit suæ libertati. Hic enim ordo, et hæc libertas multum impediretur, si homines præscirent ea quæ a se, vel aliis facienda, aut quæ eis eventura sunt. Sicut, si homo sciret in particulari tribulationes omnes sibi per vitam obventuras, earumque ordinem, numerum et gravitatem unico intuitu conspiceret, deficeret animo, et desperaret: nunc autem cum sensim singulæ prodeunt, unaque tantum præsens est, cæteræ latent, facile quælibet toleratur et capitur. Hoc est quod angelus in fine huius visionis ait Danieli c. 8. 4. *Tu autem Daniel claude sermones, et signa usque ad tempus statutum.*

ET DE PRINCIPIBUS EIUS PRÆVALEBIT SUPER EUM.) Vers. 5.
Theodor. putat hic significari Scopam, Ptolemæi Philopatoris ducem; quasi hic describatur bellum inter Philopatorem et Antiochum Magnum: verum de hoc ait angelus v. 11. Secundo, Maldonat. intelligit Antiochum Epiphanem: verum de hoc agitur v. 21. Tertio, S. Hieron. intelligit Ptolemæum Philadelphum, qui patrem suum Ptolemæum Lagi gloria et opibus superavit: verum quia angelus eum non filium, sed principem vocat, *eius* scilicet regis fortis, puta Alexandri Magni, de quo egit v. 3. et sequent. hinc melius intelligemus Antiochum, qui Theos, id est Deus, cognominatus est a Milesiis, eo quod Limarchum eorum tyrannum expulisset, inquit Appian. Hic Theos *prævalebit super eum*, scilicet regem Austri, id est Ægypti, puta contra Ptolemæum Philadelphum: nam contra eum feliciter et fortiter totis Asiæ et Orientis viribus dimicavit. Causa belli fuit, quod Theos ad illud sollicitatus fuerit a genero suo Magas, qui erat frater Ptolemæi Philadelphi. Hic enim Magas duxerat filiam Antiochi, et oderat fratrem suum Philadelphum, atque contra eum Antiochum concitavit, ait Pausan. in Atticis. Porro Philadelphus videns se inferiorem Antiocho, cum eo fœdus iniit, eique filiam suam Berenicem uxorem dedit, cum maxima dote: sed *non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen eius*, id est Berenice non diu permanebit in regno Syriæ. Nam Laodice prior Antiochi uxor non ferens Berenicem sibi prælatam, dolo Berenicem cum eius filio et fautoribus, quin et Antiochum maritum suum veneno interemit, atque pro eo regem creavit filium suum ex Antiocho, Seleucum Callinicum: ita Iustin. lib. 27. S. Hier. et alii. *Antiochus Theos, quis? Ptolemæus Philadelphum superat. Berenice. Laodice.*

Nota. *Brachium* vocat robur regni Syriæ, quod per hoc connubium a rege Ægypti corroborabatur: per connubium enim, quasi brachium ab uno regno in aliud porrectum fuit, quo dexteræ duorum regum ad firmandam amicitiam dabantur; itaque utrumque regnum quasi iungebatur et corroborabatur. Ita Maldon.

ET STABIT DE GERMINE PLANTATIO.) Hæc *plantatio*, id est planta, fuit Ptolemæus Evergetes successor Ptolemæi Philadelphi, qui fuit ex eodem germine, quia fuit frater eius: hic enim ultus est iniuriam fratri suo Philadelpho illatam, simulque mortem neptis suæ Berenices. Nam ingressus provinciam regis Aquilonis, scilicet regnum Syriæ, in quo regnabat Callinicus, eam occupavit, simulque totam fere Asiam, atque Laodicem Berenices æmulam interfecit. Sed cum audisset in Ægypto seditionem moveri, Vers. 7. *Ptolemæus Evergetes pugnat contra Seleucum Callinicum.*

diripiens regnum Callinici, ex eo quadraginta millia talentorum auri abstulit, simulque vasa pretiosa et simulacra deorum ad duo millia et quingenta, inter quæ erant et illa quæ Cambyses, cum caperet Ægyptum, inde in Persas asportarat. Hæc inquam retulit Evergetes, itaque in regnum suum, et in terram suam, puta in Ægyptum, reversus est, ut ait hic angelus; atque hac de causa (ob deos, scilicet patrios, ab eo relatos in Ægyptum) Ægyptii Ptolemæum hunc Evergetem, id est benefactorem, nuncuparunt: ita S. Hieron.

Abutetur eis.) Hebr. *faciet de illis*, supple pro voluntate sua, q. d. Ad libitum, eos capiet, spoliabit, vexabit, occidet.

Vers. 10. Filii autem eius.) *Eius*, scilicet regis non Austri, sed Seleucus Callinicus. Aquilonis, id est Syriæ, puta Seleuci Callinici, qui cum Ptolemæo Evergete infeliciter dimicaverat, et tandem amisso regno equo præcipitatus interiit, teste Iustin. l. 27. huius enim Callinici filii duo fuerunt, Seleucus Ceraunius, et Antiochus Magnus, qui ut cladem et iniuriam parenti illatam Ptolemæus Philopator quis? ulciscerentur, collegerunt exercitum contra Ptolemæum quartum, qui fuit filius Evergetis, dictusque est Philopator, per antiphrasin, quod patrem, matrem, fratrem, uxorem, et sororem occidisset. Sed cum Seleucus Ceraunius, senior Callinici filius, dolo a suis interfectus esset, solus Antiochus Magnus rem aggressus, totam Syriam, proditione Theodoti, Ptolemæo Philopatori parricidæ, et libidinibus vacanti ademit: ita ex Iustino et Polybio S. Hieron. unde in singulari ait angelus: *Et veniet properans*, scilicet Antiochus, *et inundans*, id est quasi fluvius terram operiens multitudine militum. Eius bellum cum Seleuco Ceraunio.

Vers. 11. Et provocatus rex Austri.) Cum enim Antiochus recuperasset Syriam, et usque ad Raphiam urbem, quæ est in foribus Ægypti, pervenisset; excitatus Philopator, collegit maximas copias, præsertim ex Græcia, atque iuxta Raphiam cum Antiocho conflixit eodem anno, quo Hannibal Romanos apud Trasimenum lacum cecidit: quo in prælio Antiochus succubuit, amisitque exercitum, atque per deserta fugiens pene captus est. Nam, ut narrat l. 3. Machabæorum initio, commisso acri prælio, cum fortius pugnaretur ab Antiocho, Arsinoe Ptolemæi Philopatoris soror, copias obambulans cum lacrymis obsecrabat milites, uti sibi opem fortiter et audacter pugnando ferrent, binas auri minas se singulis, si vincerent, daturam promittens: itaque milites resumptis animis Antiochi copias ceciderunt, multosque ex iis ceperunt. Et cum Antiocho Magno.

Vers. 12. Sed non prævalebit.) Philopator: quia hostem suum Antiochum capere, aut regno exuere non poterit: nam Antiochus fuga elapsus, cum Ptolemæo Philopatore, pacis et voluptatum amante, fœdus iniit, ea conditione, ut tota Syria cederet, eamque Philopatori traderet. Hic enim Philopator, inquit Iustinus, Euridicem sororem pariter, et uxorem suam occidit, atque adhæsit Agathocleæ meretrici, noctes in stupris, dies in conviviis consumens. Agathocles ergo frater Agathocleæ, qui et ipse regis erat concubinus, regem et regnum regebat: qui Philopatore mortuo cum ærarium regium, regnumque invadere vellet, cum Agathoclea sorore, ambo a populo concurrente tenti et suspensi sunt.

Vers. 13. Convertetur enim rex Aquilonis. Quia Antiochus Magnus videns luxuriam et ignaviam Philopatoris, exercitum reparavit; et Philopatore interim mortuo, in fine temporum annorumque.) Id est revoluto aliquot annorum tempore, contra filium eius Ptolemæus Epiphanem, quatuor annorum puerum, castra movit adiutus, a Philippo Macedonum rege, ea conditione, ut inter se dividerent regnum Ægypti, et hoc est quod subdit Angelus, *Multi consurgent adversus regem Austri*, id est Ægypti: ita Iustin. l. 30. et 31. qui et addit, Alexandrinos misisse legatos Romam, ut pupilli pueri, puta Ptolemæi Epiphanis, tutelam susciperent, quod et fecerunt Romani, indeque ortum est bellum inter Romanos et Antiochum, quo victus Antiochus Romanis Asiam cessit, de quo v. 18. Antiochi Magni bellum contra Ptol Epiphanem et Romanos.

Vers. 14. Filii quoque prævaricatorum.) q. d. Multi Iudæi prævaricatores legis Dei, occasione horum bellorum inter vicinos reges desciscent et deficient alii ad Ptolemæum, alii ad Antiochum; ac tandem mortuo Antiocho, contra legem, quæ iubet in solo templo Hierosolymitano Deum coli, extollentur in superbiam, atque ædificabunt templum Heliopoli in Ægypto, quod sua habeat sacrificia et sacerdotes, æque ac Hierosolymitanum, idque ut impleant visionem Isaiæ 19. 19. quæ habet: *Erit altare Domini in medio terræ Ægypti;* impleant, inquam, secundum pravam et perversam suam intelligentiam. Nam Isaias ibi non loquitur de templo Iudaico, quod unicum esse voluit Deus, idque Hierosolymis tantum; sed de templis Christianorum in Ægypto, et passim toto orbe ædificandis. Horum dux fuit Onias, filius Oniæ pontificis, qui fugiens Antiochum Epiphanem Iudæam invadentem, perrexit in Ægyptum ad Ptolemæum Philometorem, templumque hoc Heliopoli ab eo impetravit, quod stetit annos 250. usque ad Vespasianum, qui illud cum urbe et Iudæis funditus evertit. Et hoc est quod ait hic Daniel, dicens, *Et corruent*: ita S. Hieron. Vide Ioseph. lib. 13. Antiq. cap. 6. et lib. 7. Belli cap. 30. Ubi Nota, Iosephum errare in numero annorum: ponit enim annos 333. a Philometore ad Vespasianum, cum tantum fluxerint 250. teste Eusebio. Templum Heliopoli, cuius pontifex fuit Onias.

Et veniet rex Aquilonis.) Antiochus Magnus defuncto Ptolemæo Philopatore, contra filium eius Ptolem. Epiphanem, maximo exercitu venit in Syriam, volens, illam superiori bello amissam, cum Iudæa sibi subiicere, et Scopam ducem Ptolemæi iuxta fontes Iordanis, ubi postea Paneas, id est Cæsarea Philippi, condita est, inito certamine fugavit; eumque cum decem millibus militum obsedit in Sidone, ob quem liberandum misit Ptolemæus duces electos et inclytos, Eropum, Menoclem et Damoxenum; sed obsidionem solvere non potuit: sic tandem fame superatus Scopas, manus dedit Antiocho, et cum sociis dimissus est. Mox et aliæ plurimæ urbes captæ sunt ab Antiocho, et hoc est quod ait hic angelus: *Et faciet* Antiochus *veniens super eum*, id est contra Scopam et Ptolemæum, *iuxta placitum suum*, quin *et stabit in terra inclyta* (hebr. est צבי *tsebi*, de quo dixi cap. 8. 9.) id est in Iudæa, quæ fertilissima est, et Dei cultu ac templo inclyta. Unde Syrus et Arabicus vertunt, *et stabit* (manebit, vel durabit) *in terra Israel.* Vers. 15.

Consumetur in manu eius.) Id est, vastabitur et affligetur ab Antiocho Iudæa, eamque sibi subiiciet, et faciet ibi quidquid volet; nimirum Iudæis ultro se ipsi dedentibus ipsumque honorifice excipientibus, et omni ope ac studio adiuvantibus, maxime in arce Hierosolymorum a Ptolemæo insessa expugnanda: ita ex Iosepho et Polybio S. Hieron. Vers. 16.

Et recta faciet cum eo.) Id est, Antiochus simulabit se bona fide amicitiam velle cum Ptolemæo, sed dolose id faciet, ut eum evertat. Unde sequitur: Vers. 17.

Et filiam fœminarum.) Quia Antiochus volens non tantum Syriam, Ciliciam, Lyciam, et alia; sed et Ægyptum Ptolemæo Ephipani, puero septenni, adimere, Cleopatram suam filiam fœminarum, id est pulcherrimam, ei despondit, et post sex annos tradidit, data ei nomine dotis Cœlesyria et Iudæa; quod speraret fore, ut filia incautum adolescentem aut falleret, aut occideret, itaque regnum eius ad se perveniret. Sed *non stabit*, id est non succedet ei dolus. Nam Ptolem. Epiphanes, eiusque duces advertentes dolum Antiochi, cautius se gesserunt; et Cleopatra magis mariti, quam patris sui partes fovit: ita ex Iosepho et Appiano S. Hieron.

Convertet faciem suam ad insulas.) Antiochus dolum suum in Ægypto discussum videns, alio se vertit, cepitque Rhodum, Samum, Colophonem, Phocæam, et alias multas insulas; sed occurrit ei L. Scipio cum fratre suo P. Scipione Africano, qui Hannibalem vicerat: tandemque victus Antiochus a Lucio Scipione, qui propterea Asiaticus dictus est, annuum tributum mille talentorum Romanis promisit, obsidemque dedit filium iuniorem Antiochum Epiphanem, qui postea Iudæam vastavit: ita Livius libr. 37. Plutarchus in vita Scipionis, Appianus in Syriaco, Iustin. l. 31. et ex iis S. Hieron. Unde sequitur: Vers. 18. L. Scipio vicit Antiochum.

Et cessare faciet principem opprobrii sui.) Pro *principem*, Sept. vertunt, ἄρχοντας, id est *principes*, q. d. Antiochus cessare faciet, id est principatu suo deponet et deiiciet principes opprobrii sui, id est principes hostiles, quos ipse vicit, atque probro et ludibrio exposuit, dum eos in triumphum duxit; sed opprobrium eius in ipsummet conversum recidit, cum ipse pari modo ad Thermopylas a Romanis victus annuum eis tributum mille talentorum pendere coactus orbi ludibrio fuit. Verum quia hebr. est קָצִין *katsin*, id est principem, in singulari; et quia Syrus et Arabicus vertunt, *cessare faciet principem, qui eum opprobrio afficiebat* vel *conviciabatur;* hinc melius per *principem opprobrii* accipias Scipionem Africanum: hic enim sua ope et consilio dirigens L. Scipionem, fratrem suum, belli ducem, vicit Antiochum, spernentem prudentissimum Hannibalis consilium, eumque probrose fugere compulit. Hannibal enim prudenter suadebat Antiocho, ut vicinis relictis, Italiam invaderet, se auxilia Carthagine eo mittenda curaturum. Scipio et Romani ut Hannibalis sana consilia disturbarent, crebro et familiariter agebant cum eo, ut eum Antiocho facerent suspectum, quasi ambientem amicitiam Scipionis et Roman. Unde inter alia, quæsivit Scipio ab Hannibale, quem censeret inter belli duces fuisse vel esse primum; respondit Hannibal, Alexandrum Magnum. Intulit Scipio, Quem secundum? respondit, Pyrrhum Epiri regem, ob animos et audaciam. Rursum Scipio, Quem tertium. Cui Hannibal: Meipsum. Sensit id Scipio, ægre ferens se postpositum, addiditque, Quid ergo si me vicisses? Hannibal sentiens Scipionem tactum, ut eum titillaret, et celebraret: Anteferrem, inquit, me Alexandro, tacite significans Scipionem extra comparationem esse et maiorem Alexandro. Intellexit hæc Antiochus, et Hannibalem quasi Scipioni adulantem, suspectum habuit: simul, ne gloria victoriæ Hannibali tribueretur, non sibi, eius sana consilia aspernatus est: ideoque a Romanis cæsus et superatus est. Ita Plutarch. in vita Scipionis, Appianus in Syriaco, et Iustin. l. 31. qui et addit, Hannibalem hanc sui consilii de Italia invadenda rationem, Antiocho evidentem dedisse: *Cum Romano*, inquit, *seu occupaveris prior aliqua extera seu viceris, tum etiam cum victo et iacente luctandum erit. Quamobrem si quis eos in Italia lacessierit, suis eos opibus, suis viribus, suis armis posse vinci, sicut ipse fecerit. Sin vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit, perinde falli ac si quis amnes non ab ipsis fontium primordiis derivare, sed concretis iam aquarum molibus avertere, vel exiccare velit.* Antiochus ergo victus Scipionem placare et conciliare studuit, ut ab ulteriori bello cessaret; τὸ enim *cessare faciet*, idem est quod conabitur et studebit, ut eum cessare faciat: significatur enim actus inchoatus, non perfectus.

Et opprobrium eius convertetur in eum.) Victus enim Antiochus, ut opprobrium sum tegeret opprobrio hostis victoris; filium Scipionis Africani, quem captivum tenebat, ad patrem remisit, pacemque petiit; sed hoc opprobrium in eum recidit. Nam Africanus reipublicæ commoda suis præposuit, dixitque, ait Iustin. lib. 31. *Alia esse patris officia, alia patriæ iura, quæ non liberis tantum, verum etiam vitæ ipsi præponantur.* Denique *ut maiestate eius dignum erat, armis se recepturum filium* asseruit. Et Livius lib. 37. Cum, inquit, Antiochi legatus Scipioni ingens auri pondus esset pollicitus, et nomine tantum excepto, societatem omnis regni, si per eum pacem impetrasset; respondit Scipio: Pro filio privatam gratiam rependam: publice nec habebo quidquam ab Antiocho, nec dabo. Has ergo Antiocho pacis leges dixit, ut Asia Romanis cederet, ipse vero contentus regno Syriæ esset, naves universas, captivos et transfugas, ac Hannibalem belli incentorem Romanis traderet, sumptumque omnem belli Romanis restitueret, ac tributum penderet. Quæ cum nuntiata essent Antiocho, nondum ita victum se esse respondit, ut spoliari se regno pateretur. Itaque reparato iterum bello, iterum vincitur, cæsis ex eius exercitu quinquaginta millibus, captis undecim millibus: tunc coactus est pacem iis conditionibus, quas ante recusave-

P. Scipio Africanus leges pacis dat Antiocho Magno.

A rat, postulare: nihilque ad eas propter novam victoriam a Romanis est additum, Africano prædicante, *Neque Romanos si vincantur, animis minui; nec si vincant secundis rebus insolescere*, inquit Iustin. lib. 31. et Livius lib. 37. Peperit tamen hæc res calumniam Scipioni. Nam ipse Romam rediens, ab æmulis accusatus est, quod largitionibus corruptus publicam utilitatem vendidisset: cumque dictus ei esset dies, comparuit non ut reus, sed quasi festum acturus; ac accusatione dissimulata et contempta, magna conscientiæ confidentia, *Hoc die*, ait, *Quirites, ego olim Carthaginenses vici: æquum ergo est ut diis gratias agamus.* Ergo acclamantibus universis, sacrificaturus, festumque acturus Capitolium magna pompa ascendit, itaque accusatores confudit. Ita Appianus in Syriaco, et Plutar. in Scipione, qui et addit, Antiochum non tantum filium remisisse Scipioni, sed et Scipioni regnum suum, titulo eius tantum sibi reservato obtulisse, si eius partes tutari vellet; sed Scipionem gratiis regi actis, in fide Roman. perstitisse, inde tamen æmulos eum accusandi occasionem sumpsisse, diemque ei dixisse; sed Africanum

B accusationem elusisse, eo modo quo recensui: verum post eum diem urbe excessisse, ut rure vitam ageret procul ambitione et foro. Itaque Linternum se contulisse, ibique defunctum esse anno ætatis 54. Eius epitaphium Caietæ in marmoreo sepulcro hoc extat:

Devicto Hannibale, capta Carthagine, et aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam,
(Respice res hominum) quam brevis urna premit.

Hic nimirum est, cui paulo ante acclamatum, *Neque Roma cadet Scipione stante, neque Scipio vivet urbe cadente.*

Tertio, sic apposite ex Hebræo cum Vatablo vertas, *princeps cessare faciet*, sive *compescet eius probra, retorquens in eum sine omni sui dedecore;* id est Scipio Africanus coget Antiochum desistere a probro quo afficiebat populum Romanum, invadendo socias insulas, imo in ipsummet eius probra retorquebit, dum eum bello subiget, pa-

C cisque leges ei præscribet, qua ratione omne dedecus absterget, quod ei ex captivitate et remissione filii afflare potuerat Antiochus. In Antiocho ergo verum fuit istud: *Ipsum se lædit, alium qui lædere quærit.* Et illud elegans Italorum, *Ben venuto, vien per battere, fu battuto.*

Quarto, Lyran. vertit, *et reducet princeps*, vel *dominus, opprobrium eius super eum:* ac per principem, vel dominum intelligit Deum, q. d. Deus cessare faciet blasphemias et probra contra se iactata ab Antiocho, easque absque suo opprobrio et dedecore, retorquebit in eum. Unde et Pagnin. vertit, *et cessare faciet princeps probris afficientem Deum, ne quispiam probrum suum inferat ei.* Verum vox *Deum* non est in Hebræo, nec legimus hunc Antiochum blasphemasse Deum.

Quinto, Glossa, et ex ea Pererius explicant, q. d. Antiochus convertens se ab Ægypto ad Asiam, et insulas, quiescere fecit principem, id est Ptolem. Epiphanem, a quo probro est affectus, ademptis sibi per Scopam ducem

D eius multis urbibus: maxime vero a patre eius, Ptolem. Philopatore, a quo iuxta Raphiam victus est cum dedecore. Sed *opprobrium eius convertetur in eum*, q. d Probra et damna quibus gentes a se victas afficiebat, vertentur in eum: similibus enim malis ipse victus a Romanis afficietur. Verum hæc probra Ptolemæorum iam deleverat Antiochus Scopam capiendo, uti dixi v. 15. et filiam suam dando coniugem Epiphani, uti dixit v. 17. Adde, hæc non fuisse probra eius, id est quæ ipse gentibus victis imposuit.

Convertet faciem suam ad imperium terræ suæ.) Vers. 19.
Antiochus victus a Romanis, ab iis intra Taurum montem regnare iussus est, et inde fugit ad Apamiam, Susam, aliasque ultimas regni sui urbes, cumque adversus Elymæos pugnaret, ab eis cum omni suo deletus est exercitu: ita S. Hieron. Licet alii aliter eum mortuum narrent, scilicet oppressum fuisse ab accolis, cum Beli, ut Strabo; vel Iovis Dodonæi, ut Iustinus, templum spoliare vellet. Antiochus occiditur.
Porro Antiochus, inquit Plutarc. in Scipione, regno spo-

liatus Asiæ a Romanis, *benigne sibi a populo Rom. factum dixit, quod magna cura liberatus, modicis regni terminis uteretur. Ampla enim imperia et nimiæ quæ expetuntur opes, tot tamque varias, et undique circumfusas molestias habent, ut vere dixerit Theocritus:*

Non mihi sint nec opes Pelopis, nec multa talenta:
At vacuo curis liceat cantare sub antro,
Et procul e specula mare prospectare profundum.

Vers. 20. Et stabit in loco eius vilissimus.) Non Antiochus Epiphanes, ut vult Theod. de eo enim agitur v. seq. non etiam Ptolemæus Epiphanes, ut vult Porphyrius apud S. Hieron. hic enim non successit Antiocho Magno. Non etiam Tryphon, qui fuit tutor Antiochi, filii Alexandri Velis, eoque occiso invasit regnum, ut volunt Hebræi. Tryphon enim diu post, scilicet post Seleucum, Epiphanem, Eupatorem, Demetrium, Alexandrum, et filium eius Antiochum, sexto ordine occupavit regnum: sed Seleucus Philopator, senior Antiochi Magni filius, qui patri in regno successit, regnavitque per duodecim annos, sed absque ullis præliis inglorius, inquit S. Hieron. avarus et sacrilegus: unde hebr. est, *stabit in loco eius transire faciens exactorem decoris regni*, id est, qui toto regno exactores discursare faciet, ut eius opes decoremque deprædentur. Hic enim Seleucus, ut alia taceam, licet initio sumptus suppeditaret sacrificiis templi Iudæorum, uti dicitur 2. Machab. 3. 3. tamen postea misit Heliodorum in Ierusalem, ut ærarium templi expilaret. Verum Heliodorus ab angelo flagellatus, vix Oniæ precibus servatus est, uti narrat 2. Machab. 3. 33. Quare iusto Dei iudicio Seleucus iam sacrilegus, ideoque *indignus decore regio, in paucis diebus* ab eodem Heliodoro occisus est; cumque eo mortuo Heliodorus regnum invadere conaretur, Eumenes et Attalus reges eum pepulerunt, atque Antiochum Epiphanem iuniorem Antiochi Magni filium, fratri defuncto in regnum substituerunt. Ita Appianus in Syriaco.

Seleucus Philopator Antiochi filius.

Per Heliodorum expilat templum.

Ab Heliodoro occiditur.

Vers. 21. Et stabit in loco eius despectus.) Hic est Antiochus Epiphanes, filius iunior Antiochi Magni, et Seleuci Philopatoris frater; qui cum sine spe regni obses Romæ teneretur, inde furtim, vel, ut alii volunt, conscio senatu, elapsus, regnum Syriæ invasit, excluso legitimo hærede Demetrio, qui erat ei ex fratre nepos. Erat enim Demetrius filius Seleuci Philopatoris: atque hinc inter posteros huius Demetrii et Antiochi perpetua fuerunt bella pro regno, per ducentos annos, alio alium vicissim obtruncante, et pro eo regnante. De hoc Antiocho maximo Iudæorum persecutore, deinceps usque ad finem capitis ait angelus, ac sub eius nomine partim Allegorice, partim Symbolice agit de Antichristo. Hic enim Antiochus fuit typus et præcursor Antichristi. Sicut enim Antiochus persecutus est Ecclesiam Iudaicam, sic Antichristus persequetur Christianam. Unde angelus hic sub finem capitis multa dicit, quæ magis competunt Antichristo, quam Antiocho. Vide cap. 4. Hinc etiam veteres teste S. Hieron. hæc omnia interpretati sunt de Antichristo, non de Antiocho.

Antiochus Epiphanes fuit typus Antichristi.

Et non tribuetur ei honor regius.) Quia Antiochus Epiphanes initio non fuit acceptus ut rex: quippe ab iis, qui in Syria favebant Ptolemæo, non ei dabatur honor regius. Porro Antiochus hic a rerum magnarum molitione potius quam effectione, dictus est Epiphanes, id est illustris. Fuit enim ingenio inquieto, versatili, turbido, vago et vario: unde multa machinatus est, pauca ad felicem exitum perduxit. Ut indolem huius Antiochi, de quo multa hic Daniel, et plura libri Machab. magis perspicias, audi quæ de eo scribit Leonicus lib. 3. variæ Histor. cap. 91. *Profusissimum regum omnium, et genio voluptatibusque incontinenter et immodice deditum fuisse Antiochum cognomento Epiphanem, Polybius in historiis suis refert: quem cognomine paululum immutato, aliquando Epimanem pro Epiphane, id est furibundum et mente captum appellat. Hunc namque scribit immensos pecuniarum thesauros in comessationibus et symposiis prodegisse, et brevi profudisse, solitumque esse ludibundum interdum et ebrium grandiusculos nummorum sacculos in viis publicis abiicere, et subinde dictitare: Isthæc accipiant ii, quos sors fortunave huic commodo iam pridem destinavit. Nonnunquam etiam rosis coronatum, aureaque indutum chlamyde vagari solitum dicit, lapides sinu gestantem, quibus obvios quosque impeteret. Publicis quin etiam (ut ait) balneis iste cum populo promiscue lavari consueverat, pretiosissimisque unguentis inungi. Unde cum quidam aliquando illi e populo dixisset: Beatus es o rex, qui adeo bene oles. Ast ego, inquit, hac tibi in re continuo satisfaciam, et perquam saturum reddam: quo dicto bicongium vas, pretiosissimi plenum unguenti, super illius effundi caput iussit: ex quo vehemens adeo odoris fragrantia est exorta, ut plerosque a foro ipso et longinquis etiam urbis partibus excitos ad eum statim locum contraxerit, ut impellentium sese studio hinc inde et crassi lubricitate unguenti et plurimi balneatorum humi caderent, et rex ipse profusissimo pene enectus cachinno pronus corruerit, et ut in turba solet, non belle etiam acceptus et conflictatus fuerit. Hunc aliquando ferunt in certaminibus quæ Antiochiæ celebravit, omnes qui aderant Græcos invitasse, pretiosissimisque unguentis ex aureis guttis perunctos omnes, amaracino videlicet, et telino, et cinnamomino, crocinoque insuper et nardino, celeberrimo mille et quingentorum tricliniorum convivio suscepisse, in quo ipse invicem discubuisse, et discumbentibus ministrasse dicitur: cum mimis, quin etiam et histrionibus licenter adeo et impudenter saltasse, ut omnes convivas præ pudore oculos a se avertere cogeret. Is est Antiochus qui Romæ aliquando pro obside fuerat, et inde ad regni evectus apicem, ad has insaniæ notas regali licentia sine respectu turpiter declinavit.* Huc usque Leonicus. Porro de Antiochi huius superbia, avaritia, crudelitate, impietate et sacrilegiis, vide 1. Mach. 1. 11. et seq. ac lib. 2. cap. 5. v. 11. et seq. cap. 6. cap. 7. cap. 9

Et veniet clam.) Clanculum fugiens Roma venit in Syriam.

Et obtinebit regnum in fraudulentia.) Hebraice בחלקלקות *bachalaklakot*, id est blandimentis, puta simulatione benevolentiæ et clementiæ: simulans enim se velle agere tutorem pupilli nepotis sui Demetrii, cum regno exclusit, regnumque occupavit, adiuvantibus eum Attalo et Eumene Asiæ regibus, ut dixi. Talis erit et Antichristus, scilicet maximus hypocrita. Audi Hippolytum tract. de consummatione sæculi: *Antichristus*, inquit, *in primordiis suis clemens erit, quietus, religiosus, odio habens iniustitiam, detestans munera, idololatriam non admittens, amans Scripturas, observans sacerdotes, honorans senes, scortationes et adulteria repudians, non dans aures obtrectatoribus, hospitalis, studiosus pauperum, pupillos et viduas defendens, dissidentes inter se pacificans, nullum divitiarum studium præseferens: atque hæc omnia faciet consilio simulato ac fraudulento, quo circumveniet omnes, ut se regem creent.*

Antichristus erit hypocrita.

Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie eius.) *Brachia* vocat vires et copias eorum, qui contra Antiochum pro Demetrio regni hærede pugnaverunt: sed ab Antiocho oppressi sunt. Unde hebr. est, *et brachia inundationis inundabuntur*, id est auxilia Demetrii, quæ tamquam rivuli undique confluent, ab Antiocho, tamquam maiore quodam flumine, obruentur: ita Maldon. Vers. 22.

Insuper et dux fœderis.) *Dux fœderis*, inquit Theodor. fuit Onias pontifex, qui veteris testamenti dux erat: hic enim ab Antiocho pontificatu privatus est, procurante id Iasone fratre Oniæ, qui pontificatum ambiebat, ut patet 2. Machab. 4. 9. Secundo, S. Hieron. *dux fœderis*, inquit, fuit Iudas Machabæus, qui fuit dux populi Iudaici, Deo per fœdus adstricti, quem Antiochus fraudibus superavit. Tertio, et optime, Ptolemæus Philometor vocatur hic *dux fœderis*, tum quia cum Antiocho Epiphane avunculo suo fœdus iniit, tum quia filius fuit Cleopatræ sororis Antiochi Epiphanis, quam Antiochus Magnus Antiochi Epiphanis pater, Ptolemæo Epiphani, Philometoris patri iungendi fœderis causa desponderat. Itaque Ptolemæus Philometor ex eo fœdere natus, velut vinculum et

Ptolemæus Philo-

metor superatur ab Antiocho Epiphane.

dux fœderis erat: ita S. Hieron. Hic ergo Philometor ab Antiocho Epiphane contritus est; quia duces Philometoris ab Antiocho Epiphane, inter Pelusium et montem Casium prælio victi sunt.

Vers. 23. Et post amicitias cum eo faciet dolum.) Quia Antiochus post victoriam parcens Philometori puero, et amicitiam simulans, ascendit Memphim, et ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus se providere dicens, cum modico populo omnes uberes et mercatorias Ægypti urbes (quod nemo patrum suorum fecerat) otio, pace et opibus abundantes, ut habent Hebr. ideoque securas subegit, earumque divitias occupavit et dissipavit; atque tam callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum, qui duces erant regis pueri, sua fraude subverteret. Deinde, ut ait angelus, *contra* munitas et *firmissimas*, scilicet urbes Ægypti, *cogitationes inibit, et hoc usque ad tempus*, id est, observato idoneo eas capiendi tempore: aut potius, ut Maldon. q. d. Cogitationes et consilia sua animo premet, quoad opportunum tempus advenerit: tunc enim aperto marte regnum Ægypti invadet, et hoc est quod sequitur:

Vers. 25. Et concitabitur fortitudo eius, scilicet Antiochi Epiphanis, adversum regem Austri.) Contra Ptolemæum Philometorem, regem Ægypti; ut iam non fraudibus, sed aperto bello eum invadat: bellum hoc describitur lib. 1. Machab. 1. v. 19.

Et non stabunt.) Scilicet copiæ et auxilia regis Austri, puta Philometoris; quia Antiochus suis fraudulentis consiliis omnia subvertit, et Ægyptios quosdam regis Philometoris aulicos, qui comedebant cum ipso panem, magnis promissis ad defectionem, et regis sui perniciem induxit, ut sequitur.

Vers. 27. Duorum quoque regum cor erit.) q. d. Antiochus et Philometor, vel potius Philometoris pueri principes, sancient fœdus, sed utrinque fictum: uterque enim cogitabit de alterius exitio; sed neuter poterit alterum pœnitus delere, quia *adhuc finis in aliud tempus*, id est quia nondum venit tempus fini utriusque regis et regni a Deo præstitutum. Hæc omnia de Antichristo ad literam accipit S. Hieron. Verum ex antecedentibus et sequentibus patet, hæc omnia primarie dici de Antiocho.

Vers. 28. Et revertetur in terram suam cum opibus.) Cum prætextu tutelæ pueri regis Ægyptum expilaverit, ut dictum est v. 21. et 24.

Et cor eius adversum testamentum sanctum.) Cogitabit Antiochus vastare quoque Iudæam, Ierusalem et templum; ubi divina lex, quæ sanctum Dei testamentum dicitur, servabatur.

Et faciet, et revertetur.) q. d. Compos factus voti, scilicet expilata Iudæa, Ierusalem et templo, *revertetur* in Syriam.

Vers. 29. Statuto tempore revertetur.) Significat angelus quod historici et S. Hieron. docent, Antiochum Epiphanem bis intrasse in Ægyptum; cum enim prima vice doli non omnino ei ex voto cessissent, secundo reversus maximis copiis Alexandriæ Philometorem regem obsedit. Hoc est enim quod sequitur: *Et veniet ad Austrum*, id est Ægyptum; sed *novissimum*, id est secunda hæc eius expeditio, *non erit simile priori*. Nam

Vers. 30. Venient super eum trieres et Romani.) q. d. Venient contra eum legati Romanorum vecti triremibus. Publius enim Popilius Lenas legatus Rom. qui Romæ Antiocho Epiphani familiaris fuerat, navibus appulsus Alexandriam, Antiochum virga circumscribens circulo in arena, illi dixit: *Senatus populusque Romanus præcipiunt ut Ægypto recedas, nec pugnes in Ptolemæos: et isto in loco respondeas quid consilii geras; an pacem, an bellum cupias.* Quibus ille perterritus ait: *Si hoc placet Romanis, recedendum est:* itaque statim movit exercitum. Ita Iosephus lib. 12. Antiq. c. 6. Livius lib. 5. dec. 5. Appian. in Syriaco, Iustinus, et alii. Vide hic in Antiocho quam verum sit istud: *Omne sub regno graviore regnum est.*

Popilius Ant. Epiphani virga circumscripsit, iussitque eum Ægypto excedere.

Nota. Pro *Romani* hebr. est כתים *chittim;* Sept. vertunt, *Citii*. Citium urbs est in Cypro; et Vatabl. vertit, *naves Cypri*. Unde Theod. putat hic significari, quod Antiocho pugnanti contra Ptolemeo Philometorem auxilia missa sint ex Cypro, et Græcia. Verum hoc non consonat historicis, et repugnat nostro interpreti. *Chittim* ergo Cyprum significat, indeque quasvis insulas, et transmarinas gentes, quales erant Romani et Itali: sic etiam accipitur Numer. 24. v. 24. et Ezech. 27. 6. Hinc et Syrus ac Arabicus vertunt, *venient super eum turma e Macedonia*, vel *de insulis Italiæ*.

Percutietur.) Antiochus, non ferro, sed metu Romanorum: unde hebr. est נכאה *nicha*, id est *infirmabitur*, et, ut Vatabl. vertit, *consternabitur*, dolore et ira afficietur, quam mox evomet in Iudæos. Unde sequitur:

Et indignabitur contra testamentum sanctuarii.) q. d. Iram quam non potuerat in Ægyptios effundere, effundet Antiochus in Iudæos, templumque eorum, quod hic vocatur *testamentum sanctuarii*, id est sanctuarium testamenti, seu sanctum templum, in quo servabatur testamentum, id est lex et tabulæ legis. Est hypallage.

Moraliter disce hic in Antiochis et Ptolemæis, quam regna sint varia et mutabilia. Ita Fortuna principum est aurea, sed vitrea: Hinc Fortuna aurea olim servabatur in Imperatorum cubiculis, quasi regni fatum. Hanc Severus Imperat. moriens in duos filios ita dividi iussit, ut alternis esset apud utrumque: ita Spartian. in Severo. Ita Antoninus Pius moriens, ait Capitolinus, *M. Antonino remp. et filiam præsentibus præfectis commendavit, Fortunamque auream quæ in principum cubiculo poni solebat, transferri ad eum iussit.* Merito Tacitus l. 13. *Nihil*, ait, *rerum mortalium tam instabile et fluxum est, quam potentia non sua vi nixa.* Nam *Fortunam citius reperias quam retineas.* Quocirca Romani coluerunt Fortunam Viscatam, ut visco glutinove eam illigarent, sibique firmam et constantem efficerent. Sed frustra vagam alliges. Nam, ut ait Philo lib. *Quod Deus sit immutabilis: Umbra, aut aura est, antequam subsistat prætercurrens. Accedit et recedit, Euripis et æstibus maris similis.* Fortunæ obsequentis pullus fuit Servius Tullius, ex servo factus rex Rom. qui prædicabat sibi familiarem esse deam Fortunam, eamque per fenestram in cubiculum ad se delabi, ideoque in Capitolio Fortunam Primigeniam et obsequentem dedicavit, ait Plutarch. in Fortun. Rom. sed *Fortuna nimium quem fovet stultum facit*, ait Epictetus.

Et cogitabit adversum eos, qui dereliquerunt testamentum sanctuarii.) Nota. Iudæi nonnulli proditores Antiochum contra cives, et patriam ac legem suam accersiverunt; sed illos postea fœdifragos fœdifrage pariter in exilium egit, vel sustulit Antiochus: tales fuerunt Simon, Iason, Menelaus, de quibus 2. Machab. 4. et sequent.

Et brachia ex eo stabunt.) *Brachia* hæc sunt duces et principes, quos Antiochus post biennium ingressus sui in Ierusalem, misit in Iudæam, ut tributa exigerent, qui magis afflixerunt Iudæos quam Antiochus afflixerat, 1. Machab. 1. 30. et 53. hi profanarunt *sanctuarium fortitudinis*, id est templum Dei omnipotentis et fortissimi. Vide c. 8. v. 10. et 11. Secundo, *fortitudinis*, quia templum munitissimum erat instar arcis; et quia contra hostes invisibiles orantibus in eo, Deumque invocantibus firmissimum erat asylum, pariter et præsidium. Vers. 31.

Et dabunt, id est ponent, abominationem, id est simulacrum Iovis Olympii, in desolationem.) Id est in templo desolato et profanato, ad omnimodam eius desolationem. Vide 2. Machab. 6. v. 1. et 2. Hebr. est, *dabunt abominationem desolationis*, id est ponent in templo idolum Iovis, quod desolati, suisque sacris destituti templi erit signum pariter et causa. Vatabl. vertit, *dabunt abominationem vastatoris*, id est Antiochi, vel, *stupefacientem*, hoc est quæ reddet homines stupentes et attonitos.

Nota. Hebræi idolum vocant *abominationem*, id est rem summe abominabilem.

Et impii in testamentum simulabunt fraudulen- Vers. 32.

TER.) q. d. Nonnulli ex perfidis Iudæis simulantes se divini cultus et testamenti, id est legis, amore flagrare, populum, patriam et religionem Antiocho prodent, uti paulo ante dixi. Vide 1. Machab. 1. 12.

POPULUS SCIENS DEUM OBTINEBIT, ET FACIET.) Hebr. est, *populus sciens Deum roborabit*, scilicet cor suum; *et faciet*, id est viriliter aget, atque constanter ad ultimum vitæ halitum avitam religionem retinebit, vincetque tyrannum, non pugnando, sed moriendo: ita enim Antiochus se a septem illis fratribus, cum iam morerentur, irrisum esse indoluit, 2. Machab. 7. v. 24. et 39.

Vers. 33. ET DOCTI IN POPULO.) Quos versu præcedenti vocavit populum scientem Deum suum, nunc doctos appellat; qui enim Deum bene novit, sancteque colis, is doctissimus est: callet enim scientiam sanctorum. q. d. Pii Iudæi, quales præ cæteris fuerunt Mathathias, Eleazarus, aliique, præsertim sacerdotes et Scribæ, hi resistent Antiocho, suosque docebunt tum verbo, tum potius exemplo, fortiter stare in lege patria, ideoque extrema quæque ab eo patientur, adeo ut solo triduo occisa sint ab Antiocho Iudæorum 80. millia, 40. millia vincta, totidem venumdata, ut dicitur 2. Machab. 5. 14. unde sequitur:

ET RUENT IN GLADIO, ET IN FLAMMA, ET IN CAPTIVITATE, ET IN RAPINA DIERUM.) *Rapinam dierum* vocat deprædationem bonorum, quam per aliquot dies, id est annos, ab Antiocho passi sunt Iudæi. Audi Ioseph. 12. Antiq. Quotidie, ait, necabantur crudelissimis torti cruciatibus. Nam flagris vehementer cæsi, et corpore lacerati, vivi etiamnum spirantesque suffigebantur crucibus; uxores item, et circumcisos liberos strangulabant, et suspendebant a crucifixorum parentum cervicibus.

Vers. 34. CUMQUE CORRUERINT (Iudæi) SUBLEVABUNTUR AUXILIO PARVULO.) Parvula manu, parvis copiis Iudæ Machabæi, et fratrum eius, qui maximos Antiochi exercitus Dei ope sæpe prostraverunt, cui tamen multi fraudulenter se iunxerunt: hoc est enim quod sequitur, *Et applicabuntur eis* (Iudæis) *plurimi fraudulenter*: multi enim Iudæi Machabæis liberatoribus suis invidentes gloriam, eis insidias tetenderunt. Hinc patet perperam aliquos Hebræorum apud S. Hieron. hæc referre ad Iulianum Apostatam, qui Iudæos ficte adiuvit, ut per eos deprimeret Christianos. Sed auxilium hoc fuit parvulum et parvi temporis: nam ex contextu totius orationis liquet hæc pertinere ad Antiochum et Machabæos, non ad Iulianum.

Vers. 35. ET DE ERUDITIS (scientibus Deum, ut dixit vers. 32.) RUENT.) In Heb. pulchra est paronomasia inter מַשְׂכִּילִים *maschilim*, id est doctos, et יִכָּשְׁלוּ *icasceln*, id est corruent: doctorum enim est cadere, non animo, sed corpore; non peccando, sed fortiter pro lege Dei moriendo. Quare minus recte vertit Arabicus, *et de sapientibus subvertentur cum perquisierint eos.*

UT CONFLENTUR, id est tamquam aurum in igne coquantur, ut probentur et purgentur. Hoc enim est Hebr. צָרַף *tsaraph*: ET ELIGANTUR.) Hebr. לְבָרֵר *lebarer*, apte vertas, *et purgentur;* sequitur enim, *et dealbentur.* Noster vertit, *eligantur:* quia quæ purgata sunt, ab impuris seligi et eligi solent; uti aurum in fornace eligitur a scoria. Unde Hebr. *barer*, et purgare et purgatum seligere, significat. Sicut ergo aurum in fornace vi ignis primo, conflatur et coquitur; secundo, purgatur et seligitur; tertio, nitescit et splendescit: sic iustus in tribulatione per eam primo, agitatur et coquitur; secundo, probatur, purgatur et seligitur; tertio, albescit et splendescit. Itaque

ET ELIGANTUR.) Scilicet ad martyrium, et insignem gratiam ac gloriam, q. d. Deus permittet tantam Antiochi persecutionem et stragem, ut electi eius in divinis rebus eruditi, in ea, quasi fornace bulliant, purgentur, enitescant et glorificentur. *Quod enim est ignis auro, lima ferro, ventilabrum tritico, lixivium panno, sal carni; hoc viris iustis est tribulatio.* Videtur cauterium esse vulnus, sed est remedium vulneris: ita vexatio malum esse videtur, sed revera malorum est remedium. Hoc est quod ait Malach. cap. 3. 3. *Deus*, inquit, *quasi ignis conflans,* (Tribulatio est animæ dealbatio, purgatio et electio)

A *et quasi herba fullonum, et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum; et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Tradunt Alchymistæ mira de suo lapide philosophico, scilicet eius ac ignis virtute argentum vivum et metalla in aurum converti. Malim id credere speculative, quam practice experiri: scio enim alchymiam multos divites olim, ad pauperiem redegisse. Verum mystice id verissimum est: lapis enim philosophicus est patientia, quæ tribulationes omnes convertit in aurum, id est in consolationes, opes, et gloriam præsentem et æternam. Rursum tribulatio in iusto consumit omnes affectiones carnales, et quidquid in eo terrenum est et fæculentum; ut fiat purus, subtilis, spiritalis, cælestis et divinus. *Ad hoc excoquuntur homines tribulationibus, ut vasa electionis evacuentur nequitia, et impleantur gratia*, ait S. August. in sententiis num. 204. Ita *pauperem Lazarum provexit ad Philosophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam*, inquit Chrysol. sermon. 124. (Morale, de constantia fidelium in persecutione.)

B *Tria*, inquit Ausonius, *commendatione non indigent, ut probentur vel improbentur: sapiens oratio, cum profertur: bonum vinum, cum bibitur: vir bonus in calamitatibus.* Pulchre S. August. in psalm. 52. *Quo pungeris*, inquit, *inde nascitur rosa, qua coroneris.* Sicut ergo e spinis rosa, sic e tribulationibus oritur consolatio. Quocirca idem August. in sentent. num. 23. *Iusto*, ait, *Dei iudicio datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritu Dei aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.* De tribulationum utilitate multa dixi Gen. 33. in fine.

Allegorice, hæc Antiochi persecutio, et Machabæorum patientia et constantia, typus fuit persecutionum decem Imperatorum, Persarum, Gothorum, et hæreticorum; ac Christianorum in eis constantiæ et triumphorum.

Prima fuit Neronis circa annum Domini 68. quo Roma incensa est et exusta: cuius occasionem Nero Imperator in peregrinos, Christianos et Iudæos reiecit, et repente C quæstione habita eius iussu crudeliter in eos sævitum est. Addebantur pereuntibus ludibria, ut ferarum tergis tecti canum laniatu interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis iis uterentur. Persecutio hæc prima in Christianos fuit Romæ; deinde per omnes provincias pari sævitia grassata est: ita Baronius tom. 1. an. 68. ex Severo l. 2. histor. (Exempla. Persecutio Prima Neronis.)

Domitianus Imp. in sceleratam Neroniani in Deum odii et impietatis hæreditatem successit. Secundus namque fuit, qui contra Christianos persecutionis incendium excitavit. Ipse enim Ioannem Evangelistam de Epheso adduci iussit in Urbem, et in dolium ferventis olei mitti præcepit ante portam Latinam: ex quo cum illæsus exiret, eum in Pathmos insulam relegavit: ita Eusebius Cæsar. lib. 3. Eccles. hist. cap. 13. Ioan. Naucl. vol. 2. gener. 3. Baron. an. Christi 93. tom. 1. (Domitiani.)

Anno Christi 300. Diocletianus in Oriente, Maximianus vero Herculeus in Occidente, persecutionem decimam post D Neronem exercuerunt in Christianos, quæ ceteris omnibus severior per decem annos et amplius Ecclesiam afflixit incessanter: et quamvis antea semper Christianos persequerentur, tamen 19. anno imperii Diocletiani tam crudelis, tam sæva persecutio flagravit, ut intra unum mensem 17. millia martyrum inveniantur perpessa. Exiit enim edictum, ut cunctæ quæ erant in orbe ecclesiæ ad solum diruerentur, et sacræ Scripturæ ubique igni comburerentur, omnesque qui Ecclesiis præessent, in vinculis ponerentur, ac deinde exquisitis suppliciis immolare diis cogerentur. Rapiebant itaque, ut ait Eusebius, omnes Ecclesiarum principes, et sanctos Clericos, nobiles et ignobiles, viros ac mulieres una cum pueris; et variis, inauditis ac crudelioribus, ut excogitare poterant, suppliciis excruciabant: ex quibus nonnulli fatigati cedebant, alii usque ad finem patientiam servabant: ita Ioan. Naucler. vol. 2. chronograph. gener. 11. ex Eusebio. Ex hisce tribus persecutionibus disce quales fuerint cæteræ septem. (Diocletiani.)

Isdegerdis. Anno Christi Domini 420. Isdegerdes Persarum rex persecutionem contra Ecclesiam concitavit occasione ex re gesta, quam sum narraturus, arrepta. Audas Episcopus, vir multis virtutis generibus ornatus, zelo non opportuno ille quidem accensus, Pyreum demolitus est. Templa enim, in quibus πῦρ, id est ignis eorum deus, colitur, Pyrea vocant Persæ. De quo rex per magos certior factus, Audam accersit: ac primum placide eum coarguit, ac Pyreum denuo ædificare iubet. Qui cum ei contradiceret, negaretque se illud facturum; rex omnes ecclesias Christianorum se diruturum minatur, atque reipsa perfecit. Nam ut primum Audam divinum illum virum trucidari mandaverat, ecclesias deturbari iussit. Quæ procella triginta annos continuos, a magis velut a quibusdam turbinibus agitata, duravit.

Gororanis. Porro Gororanes filius Isdegerdis, ut regni paterni, sic belli contra pietatem a patre commoti successor extitit: quippe pater moriens hæc duo coniuncta filio reliquit. Tormentorum autem genera, et nova cruciamenta piis hominibus ab illis inflicta, vix enarrari possunt. Nam quorumdam manibus, aliorum autem tergis corium detrahunt: aliorum capita a fronte exorsi ad barbam usque cute exuunt: deinde robustis vinculis a capite usque ad pedes circumligant, et singulos calamis vi arcte constringunt, ut partem cutis, ad quam motæ erant arundines, eo pacto graviter lacerantes, acrioris doloris morsus efficerent. Quin etiam lacus effodiunt, eos summa cum diligentia iungunt, deinde ingentem soricum numerum in eos concludunt: postremo pietatis athletas, eorum manibus pedibusque constrictis, ne bestias abigant, soricibus velut alimentum obiiciunt: sorices autem fame oppressi sensim carnes Sanctorum absumunt, sicque diuturnum et acerbum cruciatum illis afferunt. Sed tamen ne eo quidem modo athletarum fortitudinem et constantiam retundere potuerunt. Nam sua sponte accurrebant magno desiderio mortis oppetendæ, per quam aditus ad vitam immortalem patefit, inflammati: ita Theodor. l. 5. Eccles. hist. c. 39.

Arrianorum. B. Fulgentius Episcopus Ruspensis, cuius opera doctissima extant, cum prius Mauros fugisset persequentes, incidit in Arrianos: quorum crudelitatem immanem expertus ad vicina provinciæ suæ loca regreditur, eligens Mauros potius Paganos habere vicinos, quam molestissimos Arrianos: ita habet auctor vitæ eius.

Constantini Copronymi. Circa annum Domini 770. sub Constantino Copronymo Iconomacho, monachi quadragiata duo truncatis naribus, barbisque illitis pice combustis, in balnei fornice clausi, ibique fame consumpti martyrio coronati sunt, ut habet Chronic. Sigeberti anno Domini 770. et Martyrol. Romanum 12. Ianuarii.

Macedonii. Macedonius hæresiarcha sub Constantio Imperatore Catholicos inaudito tormentorum genere cruciatos occidit. Inter cætera fidelium mulierum ubera inter labra arcarum compressa dissecuit, et candenti ferro combussit: ita Martyrol. Roman. 30. Martii.

Eutychian. Eutychistæ Alexandrini statim post mortem Marciani Imperatoris Catholici, Proterium Episcopum et Patriarcham suum Catholicum cum aliis Clericis tanta crudelitate occiderunt, ut viscera eius gustarent, et crudas carnes comederent, reliquum corpus per plateas urbis trahentes: ita Evagr. l. 2. histor. Eccles. cap. 9. Plura vide apud nostrum d'Aurout in Catech. cap. de fid. persecut.

Calvinistarum. Hæc veteres, quibus non cessere nostri hoc ævo vel in crudelitate carnifices, vel in constantia Martyres Angliæ, Galliæ et Belgii, ut patet ex Theatro hæreticæ crudelitatis. Audi unum illustre e multis.

Delphis Bataviæ urbe Cornelius Musius captus est, et iussu Guilielmi Principis Auriaci sic varie est excruciatus: altissimæ scalæ manibus vinctis est appensus, et ad pedes intolerabile pondus alligatum, ut compages omnes laxarentur: inde ardentibus tædis ambustæ axillæ. Mox resupinus constringitur, aqua fervens ori infunditur, eaque totus venter oppletur, quem sic fustibus deinde tundunt, ut ex omnibus corporis foraminibus illa tota efflueret. Postea capite deorsum verso ex duobus pedum maioribus digitis appenditur: inde truncatis manuum pedumque digitis, per nivem sanguine proprio cruentatam in urbem Lugdunum Batavorum raptatur, atque ita demum post tot supplicia laqueo suspenditur: ita annales Belgici, et ex iis Thomas Bozius tom. 1. de Signis Eccles. lib. 11. cap. 1.

Usque ad tempus præfinitum donec transeat hæc tempestas, cessetque tempore a Deo præfinito: quia adhuc aliud tempus erit.) Scilicet quietis et gaudii post tot luctus et funera, q. d. Agite, sperate, post nubila phœbus. Hebr. est, *usque in finem temporis, quia adhuc in tempus constitutum* (persecutio durabit) q. d. Hæc persecutio non prius cessabit, quam tempus puniendis, probandis et purgandis Iudæis a Deo præscriptum præterierit.

Moraliter hic multa docemur. Primo, hasce afflictiones Iudæis, aliisque fidelibus non temere, sed Dei iudicio et consilio evenire. Secundo, Deum non sine modo et fine homines in hac vita punire, sed certum iræ suæ terminum ponere. Tertio, homines cum a Deo iudicantur, ut ait S. Paulus, a Domino corripi, ne cum hoc mundo damnentur. Quarto, homines non solum in altera, sed etiam in hac vita purgari. Ita Maldon.

Præclare S. Basilius hom. 11. de Patientia: *Sicut*, ait, *gubernatorem navis tempestas, athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas, sic Christianum hominem tentatio probat. Et sicut athletas certaminum, labores coronis ad se alliciunt; ita etiam homines Christianos probatio quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si cum decenti tolerantia, ac omni gratiarum actione, ea quæ a Domino ordinantur, susceperimus. Pauper es? ne animum abiicias, sed omnem spem tuam in Domino ponito. Non enim ille non cernit angustiam, est illi cibus in manibus; sed tamen exhibitionem producit, ut constantiam tuam probet.* Et paulo inferius. *In morbo es? læte ferto: quia quem Dominus in oculis fert, eum castigat. Pauper es? exulta: quoniam ea bona in te conferentur, quæ quondam in Lazarum. Ignominia afficeris ob nomen Christi? o beatum te! quia ignominia tua in angeli gloriam commutabitur. Servus es? gratias tamen et sic agito: habes enim longe te inferiorem: gratias, inquam, agito, quod unum prætereas, quodque in pistrinum coniectus non sis, denique quod flagris non cæderis. Iniuste tibi compedes inditæ sunt? spe rerum futurarum te substenta. Iuste condemnatus es? etiam sic gratias habeto.* Subiicit exempla Periclis, qui verberantem se domum cum lumine deduxit: Socratis, qui cædentis se nomen fronti suæ inscripsit: Euclidis, qui minanti sibi mortem, iuravit se eum placaturum, et ex hoste amicum effecturum.

Et faciet.) Hæc et quæ deinceps sequuntur usque ad finem capitis, Illyricus accipit de Papa Romano, utpote quem ipse asserit esse Antichristum; sed hoc ita insulsum est, ut etiam Calvino displicuerit. Secundo, Calvinus accipit hæc de rege, id est de regno Romanorum, quod fuit ante et usque ad Christum: Romani enim Gentiles in imperio illo suo amplo et superbo deos et idola non nisi ad speciem, revera autem tantum unum Deum Maozim, id est virtutem suam, prudentiam et fortunam bellicam coluerunt; uti etiamnum faciunt reges et principes infideles et politici, qui dicunt: Vers. 36.

Dextera mihi Deus est, et telum quod missile libro.

Vide dicta Ezech. 29. 3. Mars ergo, et arma fuerunt eis Deus Maozim: sensim enim ab imperiis et regibus ad Christum regem regum, de quo cap. sequenti, suo more descendit Daniel. Verum hoc quoque tortum et violentum est, ut patet: non enim agit hic angelus de Romanis, sed de Antiocho, et Antichristo. Tertio, ergo Catholici, et iam, et olim teste S. Hieron. et Theodoret. docent hic agi non de Antiocho, sed de Antichristo, Antiochi antitypo: ad Antichristum enim more prophetico avolare hic angelum: nam de eo agit diserte cap. sequenti v. 1. et 2.

Verum dico cum S. Chrysost. et Mald. angelus hic uti cœpit, ita et pergit in gestis Antiochi recensendis, ut patet ex ipsa horum versuum connexione et contextu; sed ita, ut ea tantum obiter et leviter perstringat, potiusque ad ea quasi ad typum parabolice alludat, quam ea exacte

describat: revera autem sub specie Antiochi describit Antichristum, eiusque mores. Sic Christus Matth. 24. 25. ab excidio Ierusalem per Titum, transit et avolat ad excidium orbis. Sic Isaias c. 14. agit de rege Babylonis, quasi de Lucifero: unde quædam affert quæ magis regi, quædam quæ magis ipsi Lucifero conveniunt. Vide can. 4. Id ita esse patebit in sequent.

Et dirigetur.) Hebr. ויצליח *vaiatsliach*, id est, *et prosperabitur*, q. d. Deum ipsum quodam modo vincet Antiochus, et post eum Antichristus, non suis viribus, sed quia Deus se, propter peccata populi, vinci patietur, ut dictum est c. 8. v. 10. Vide et 2. Machab. 6. v. 12.

Donec compleatur iracundia, donec ira Dei, populi sui peccatis offensi, satietur, donec Deus compleat indignationem et vindictam suam; quo facto incipiet vicissim sævire in tam immania tum Antiochi, tum magis Antichristi, cuius is fuit typus, scelera. Nam perpetrata, id est facta et decreta, est apud Deum hæc definitio.) Id est hæc certa temporis præscriptio, q. d. Hoc tempus in præscientia et prædestinatione Dei, eius punitioni præfinitum est.

Vers. 37. Et Deum patrum suorum non reputabit.) Non quod Antiochus deos patrios non coluerit: ad eos enim colendum compulit Iudæos; sed quod Iudæorum Deum spreverit et persecutus sit, quem tamen maiores eius Syriæ reges ita venerati fuerant, ut, quamvis adhuc idola retinerent, tamen Hierosolymitanum templum multis donis ornarent, et sumptus ad sacrificia suppeditarent, ut patet 2. Machab. 3. v. 2. ita ex Polychronio et Hugone Cardin. Maldon.

Secundo, et proprie Antiochus, utpote superbissimus, parvi fecit deos patrum suorum, ut mox dicam. Verius hoc erit in Antichristo, qui in templo sedebit, voletque coli ut Deus. De Antichristo, eiusque doctrina, moribus, imperio, miraculis, etc. multa dixi 2. Thessal. 2. Ea ergo hic non repetam.

Antiochus mulierosus. Et erit in concupiscentiis foeminarum.) Antiochus enim publice mimis et scortis miscebatur, inquit S. Hieron. adeoque uni concubinæ suæ dono dedit Mallotas et Tarsenses populos, ut patet 2. Machab. 4. 30. ita Theod.

Nota. In Hebræo hæc sequentibus iungi possunt, itaque contrarie verti cum Septuag. *et in concupiscentiam fœminarum, et super omnem Deum non intelliget* (Syrus, *non considerabit) quia super omnes magnificabitur.* Possunt etiam præcedentibus iungi, itaque verti cum Vatablo, *non curabit etiam deos patrum suorum, nec mulierum concupiscentiam.* Quod Primo, sic S. Hieron. et alii exponunt, q. d. Antichristus licet occulte spurcissimus sit futurus; exterius tamen magnam præ se feret castitatem, et simulabit se abominari concupiscentiam fœminarum, scietque illud: Si non caste, saltem caute. *Antichristus mulierosus simulabit tamen se castum.*

Secundo, et aptius, q. d. Antiochus et Antichristus, etsi mulierosi erunt, tamen ambitio eorum et crudelitas superabit luxuriam, adeo ut nec mulieres nec deos sint curaturi, quando agetur de honore et imperio dilatando, uti dixi de Pompeio, Cæsare et Antonio cap. 2. 43. Quinimo adeo crudeles erunt, ut ne fœminarum quidem, quibus in bello parci solet, rationem habeant: ita enim mulieres Iudæas, æque ac viros necavit Antiochus, ut patet 2. Machab. 5. 13. ita Maldon.

Verum noster interpres aptius et verius hæc disiungit et dispungit, vertitque affirmative, *et erit in concupiscentiis fœminarum:* quia certum est Antiochum fuisse mulierosum, etiam publice; et magis mulierosum fore Antichristum. Unde et Iudæi inter alia terræ bona, etiam multitudinem uxorum ab hoc suo Messia expectant. Hinc et Arabicus uterque vertit, *et faciet secundum voluntatem suam cum mulieribus.*

Quare insulse, vel ipso Calvino assertore, Illyricus hæc refert ad cœlibatum Clericis ab Ecclesia indictum, quasi hoc sit dogma et sanctio Antichristi, id est Papæ, ut ipse fingit.

Nec quemquam deorum curabit.) Hæc verba tenuiter conveniunt Antiocho, tum quia ipse Deum Iudæorum, qui solus vere est Deus, non curavit; sed hostiliter persecutus est: ita Maldon. quasi angelus hic opponat omnes falsos deos Deo vero, ut qui eum non curat, nullum Deum curare dicendus sit: tum potius, quia ipse superbia tumens parvi deos suos fecit, plusque sibi, suisque viribus, quam diis ipsis attribuit, putans se a nemine pendere, atque instar Dei posse ad libitum dominari, non tantum hominibus, sed etiam mari et montibus, uti dicitur 2. Machab. 9. 8. sic enim politici et athei nullum Deum curant, imo negant omne numen. Quod ergo Antiochus in templo Iudæorum poni iussit statuam Iovis Olympii, id non tam religione et studio Iovis, quam ad profanandum Iudæorum templum, Deique cultum evertendum fecit.

Verum plene et perfecte hæc competunt Antichristo, uti mox dicam.

Deum autem Maozim in loco suo venerabitur.) Vers. 38. Imperite Porphyrius, ait S. Hieronym. *Maozim* putavit esse Modin, quæ fuit patria Mathathiæ et Machabæorum. Nota. *Maozim* hebr. significat fortitudines, arces, præsidia, uti vertit Theodotion, Aquila, Syrus, Arabicus, Vatabl. et alii: itaque accipit noster v. sequenti; Symmachus vertit, *confugia.* Antiochus ergo in Ierusalem extruxit arcem, in eaque et aliis civitatibus valida posuit præsidia, quæ hebr. vocata sunt *Maozim:* indeque Iovem Olympium, illorum tutelarem, vocavit Deum Maozim, q. d. Deum munitionum, quem ab omnibus Iudæis coli voluit: Iupiter enim apud Gentiles erat deorum princeps et potentissimus. *Maozim quid?*

Clarius hoc et verius erit in Antichristo: ille enim licet cæteros deos contemnet, tamen unum diabolum sibi familiarem privatim venerabitur, nomine Moazim, quasi fortem et potentem Deum qui omnia sibi subiiciat, huic ipse imperium suum acceptum referet. Unde Theodotion vertit *glorificabit Maozim*, id est nominabit et celebrabit Deum Maozim, quasi fortem et potentem suum in bellis ducem, victorem et triumphatorem. Antichristus ergo colet Maozim, uti Romani Martem; imo Marinus in Lexico censet Maozim esse Martem. Dæmon ergo nomine et titulo Maozim vel Martis volet coli ab Antichristo, idque ut hoc nomen quod in Script. Deo tribuitur, sibi arroget Deoque adimat. Deus enim in Script. a Sanctis vocatur et invocatur *Maoz*, id est robur, fortitudo, vis, ut psalmo 42. 2. *Quia tu es Deus fortitudo mea*, hebr. *Maozi.* 2. Reg. 22. 33. *Deus qui accinxit me fortitudine*, hebr. *maoz.* Proverb. 10. 29. *Fortitudo* (hebr. *maoz*) *simplici via Domini.* Et cap. 18. 10. *Turris fortissima* (hebr. *oz*, idem quod *maoz*) *nomen Domini: ad ipsum currit iustus, et exaltabitur.* Psalm. 26. 1. *Dominus protector* (hebr. *maoz*) *vitæ meæ a quo trepidabo?* Psal. 36. 29. *Salus autem iustorum a Domino: et protector* (hebr. *maoz*, id est fortitudo, fortis defensor) *eorum in tempore tribulationis.* Porro honoris causa Antichristus suum dæmonem, non in singulari *Maoz*, sed in plurali *Maozim*, vocabit: quia ab eo plurimum roboris, plurimas vires, imo omnes opes, omnem sapientiam, omnes dolos, omnem blandiloquentiam, omnem pompam, omne suum bonum accipiet. Hæc enim omnia hebr. vocantur *Maoz*, vel *Maozim*, quia ea possidentem faciunt fortem et potentem. Sic Deum ob excellentiam, Hebræi in plurali vocant *Elohim*, et *Adonai*, et *El sabaoth*, id est Deus virtutum, vel exercituum. *Antichristus colet diabolum suum Maozim.*

Aliter Theodor. Deum enim Maozim putat vocari Antichristum, qui se ut fortem et potentem (hoc enim est Maozim) ab omnibus adorari faciet.

Ex hoc ergo versu, et ex v. præced. colligitur Primo, Antichristum fore atheum, eumque cum pleno potietur imperio, non tantum Christum et idola, sed et Dei veri nomen et cultum ablaturum. Secundo, quod ipse solus publice coli volet ut Deus, idem patet 2. Thessal. 2. 4. ut ibi dixi. Tertio, quod tamen occulte dæmonem suum colet, nomine Maozim. Unde patet quam insulse Novantes calumniantur, dum asserunt Papam Rom. esse Antichristum; nil enim horum fecerunt, aut faciunt Papæ. *Antichristus atheus ut Deus coli volet.*

Tradit Hippolytus lib. de Consum. sæculi, quod Antichristus suos legatos, tum homines, tum dæmones toto

orbe mittet, qui dicent: *Magnus rex natus est super terram, venite omnes ad eum adorandum: properate omnes ad spectandas vires potentiæ eius. En vobis ille præstabit frumentum, vinum largietur, opes pretiosas, et sublimes dignitates præstabit. Eius namque imperio omnis terra mareque obtemperat, ad illum omnes accedite.* Quibus venientibus eadem confirmabit Antichristus sua blandiloquentia. *Assistent,* inquit, *præterea ipsi dæmones, splendentium angelorum speciem referentes, cumque divinis laudibus et honoribus celebrantes, et aliquando in cælum evehentes, deinde ingenti pompa, et spectantium stupore, de cælo in terras deducentes.* Hæc singula ex Antichristi fastu, et familiaritate cum dæmonibus probabiliter suspicari et coniicere licet: at certo asserere non possumus. Nihil enim de his expressum et revelatum habemus.

Ex dictis patet minus recte Arabicum vertere contrarie, repetendo *nec,* quod præcessit, hoc modo, *nec Deum fortem in habitaculo suo honorabit.*

Et Deum quem ignoraverunt patres eius (Deum Maozim iam dictum) colet auro.) Licet enim patres eius coluerint Iovem Olympium, tamen non coluerunt eum hoc nomine *Maozim,* quo eum colet Antiochus. *Maozim* enim loco Dei veri substituet quasi proprium Iudææ templique Deum.

Aliter ex Hebræo vertunt, explicantque de Iudæis S. Hieron. et Maldon. sic, q. d. *Deum quem non cognoverunt patres eius* (Iudæi scilicet prisci, et patriarchæ) *unumquemque colere faciet,* hoc est, coget Antiochus omnes Iudæos adorare novum Deum, et patribus incognitum, scilicet Iovem Olympium.

Vers 39. Et faciet ut muniat Maozim.) Ut muniat arces et præsidia sua. *Maozim* enim hic est appellativum nomen, non proprium, quamquam et proprium esse possit. Verisimile enim est Antichristum habiturum occultum aliquem locum idoli sui, quem ab idolo, et a munitione vocabit Maozim.

Cum Deo alieno.) Primo, sensus est, q. d. Ope Dei alieni, puta diaboli *Maozim,* id est fortitudinem. Secundo, et aptius, q. d. Antiochus, ut præsidia Iudææ magis firmet, sibique assecuret; ponet in singulis urbibus deos alienos, puta idola; ut scilicet hac ratione Iudæi cum religione legem et regem mutent, fiantque Gentiles, et Gentilem Antiochum ament et colant: id enim eum fecisse patet 1. Machab. 1. 57. Sic in templo Hierosolymitano posuit statuam Iovis Olympii, quo voluit urbem caput regni, perinde ac Romam Iove Capitolino muniri. Ita Mald. Ita Ieroboam timens ne populus ad templum et ad Roboam rediret, vitulos aureos constituit in Dan, et Bethel. Ita qui primi tumultus hos Belgicos suscitarunt, hæresin induxerunt; ne populus religione et conscientia motus, ad suum principem rediret. Huic sensui favet versio Arabica Alexandrina: *Et incumbens in imagine forti super deos fortes,* vel *gloriosos;* aliter Syrus: *Et transibit in oppida fortia super deos alienos, ut videat, et dominetur in multos.*

Et multiplicabit gloriam.) Iudæis scilicet, qui eum sequi, ac Iovem Olympium a se erectum colere volent: unde clare vertit Vatabl. *Quem* (Deum Maozim) *qui agnoverit, eum honoribus augebit, et dominum multorum faciet,* tam Antiochus, quam Antichristus.

Et terram dividet gratuito.) Hebr. est, *terram dividet pretio,* id est, in mercedem iniquitatis et idololatriæ, dividet eam suis asseclis.

Vers. 40. Et in tempore præfinito præliabitur adversus eum rex Austri.) Pro *præliabitur* hebr. est יתנגח *itnaggach,* id est *cornutabit,* cornu petet, uti cornutant arietes, q. d. Irritabit Antiochum Ptol. Philometor rex Ægypti. Redit hic angelus ad bellum Antiochi cum Ptol. Philometore, quando scilicet secundam expeditionem in Ægyptum Antiochus suscepit, eamque invasit magno exercitu, uti dictum est v. 29. eo enim redit, ibique dicta refricat et confirmat: ita ex Polychronio et Hugone Maldon.

Antichristi regia erit Ierusalem. Verum S. Hieron. et veteres passim, hæc plenius et verius accipiunt de Antichristo: ipse enim erit rex Aquilonis, id est Iudææ, et Syriæ tyrannus: regia enim eius erit Ierusalem; quare in eodem loco regnabit, in quo regnavit eius præcursor Antiochus: unde per eum, quasi in eodem regno successorem, hic continuat et terminat angelus historiam Antiochi et Seleucidarum. Porro Antichristus regem Austri, id est regem Ægypti, Ætiopiæ et Lybiæ (sic enim se explicat angelus, et hosce nominat v. 42. et 43) primum debellabit: qua strage territi reliqui reges septem et decem tunc futuri, Antichristo se subdent, uti dixi cap. 7. v. 8. et 20. Cur Aquilo notet Antichristum et impios, dixi Ierem. 1. v. 13. et 14. Antichristus tres reges debellabit, mox reliqui se ei subdent.

Et introibit in terram gloriosam.) Puta in Iudæam, quæ hebr. dicitur צבי *tsebi,* id est terra gloriosa et inclyta. Causam dedi capite 8. 9. Vers 41.

Hæ autem solæ salvabuntur.) Perperam Arabicus habet, *non salvabuntur;* quia ut ait S. Hieronym. *Antiochus festinans contra Ptolemæum regem Austri, Idumæos, Moabitas et Ammonitas, qui ex latere Iudææ erant, non tetigit; ne occupatus alio prælio Ptolemæum redderet fortiorem. Antichristus quoque Idumæam, et Moabitas, et filios Ammon, id est Arabiam relinquet intactam; quia illic sancti ad deserta confugient,* et ad montes, et ad speluncas.

Principium filiorum Ammon.) Pro *principium* Græce est ἀρχή, id est principatus, q. d. Principes, vel præcipui, sive potior et optima pars (Syrus, *reliquum,* vel *reliquiæ*) Ammonitarum, etiam effugiet et salvabitur. Similis catachresis est psalm. 109. 3. *Tecum principium* (id est, principatus) *in die virtutis tuæ.* Sic et Hebr. ראשית *resit,* non tantum principium, sed et primitiva, præcipua et electa significat, ut patet 1. Reg. 15. 21. et Amos cap. 6. v. 6. Theodoret. putat Antichristum hasce gentes præteriturum, eo quod sint futuræ sceleratissimæ, et Antichristo addictissimæ: ac mystice, Edom, inquit, significat *rufum,* Moab *de patre,* Ammon *populum eius.* Ergo significari hic, quod sæviente Antichristo stabunt in fide constantes, ideoque salvabuntur illi, qui virtute sanguinis Christi purpurati, et in populum eius cooptati, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati fuerint. Verum hic mysticus sensus eius literali sensui contrariatur. Prior ergo S. Hieron. explicatio verior est.

Et mittet manum suam in terras.) Antiochus enim non tantum Syriam, sed et multas alias regiones occupavit. Vers. 42.

Et dominabitur thesaurorum.) Antiochus enim Ægyptum spoliavit, ut dixit angelus v. 24. et patet 1. Machab. 20. Vers. 43.

Per Libyam quoque et Æthiopiam transibit.) Quasi victor et triumphator eas calcando. Unde Hebr. habent, *Libyes et Æthiopes in gressibus eius,* id est gradietur super illos, illos gressibus suis premet et percalcabit. Sic Habacuc. 3. 12. dicitur: *In fremitu conculcabis terram.* Et Iob c. 18. v. 14. *Calcet super eum, quasi rex, interitus.* Ubi alii vertunt, *calcet super eum quasi rex mortis,* vel *rex terrorum.* Hinc videtur quod Antiochus spoliata Ægypto, in Libyam quoque et Æthiopiam Ægypto vicinas, prædandi causa excurrerit. Hæc veriora erunt in Antichristo. Unde S. Hieron. Theodor. et alii ex hoc loco colligunt, tres reges ex decem, ab Antichristo superandos, et occidendos fore regem Libyæ, regem Ægypti, et regem Æthiopiæ.

Et fama turbabit eum ab Oriente.) *Fama,* puta rumor de Iudæorum defectione et rebellione, turbabit Antiochum. Iudæa enim est quasi ad Orientem Ægypti. Audi 2. Machab. 5. 11. *Suspicatus est rex* (Antiochus) *societatem deserturos Iudæos, et ob hoc profectus est ex Ægypto efferatis animis: civitatem quidem armis cepit: iussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus, et per domos ascendentes trucidare.* Ita ex Polychronio Maldon. Vers. 44.

Verius hoc erit in Antichristo, qui cum Ægyptios, Libies et Æthiopes expugnaverit, audiens in Oriente et Aquilone contra se bella consurgere, eo se convertet, inquit S. Hieron. Esto fama hæc, ut solet, vero maior, et viribus eius minor sit futura. Nam, ut ait Ovid. 9. Metamorph. Fama est,

quæ veris addere falsa

Gaudet, et e minimo sua per mendacia crescit,
præsertim in belli et hostium rumoribus, ubi verum est istud,

Peior est bello timor ipse belli.

Vers. 45. ET FIGET TABERNACULUM SUUM APADNO.) Porphyrius censuit Apadno fuisse in monte Elymæo, qui situs est in Elymaide inter duo maria, id est flumina magna, puta inter Tigrim et Euphratem: ibi ergo posuisse tabernaculum suum Antiochum, cumque templum Dianæ ibidem spoliare vellet, ab incolis fugatum, mœrore interiisse. Verum merito hoc reiicit S. Hieron. Hic enim mons non est sanctus, nec in Iudæa, nec inter duo maria: flumina enim non sunt maria. Iisdem rationibus refellitur quod alii quidam suspicantur, Apadno esse פדן *padan*, id est Mesopotamiam, ita dictam, quod sit in medio duorum fluminum, Tigris et Euphratis: *padan* enim hebr. idem est quod par, vel geminum. Aut certe esse Babylonem, quæ vicina est Mesopotamiæ, ubi confluunt Tigris et Euphrates. Censent enim Antichristum Babylone vel nasciturum, vel regnaturum. Melius S. Hieron. Apadno, inquit, non est nomen proprium, sed appellativum, significans palatium suum, vel solium aut thronum suum, uti vertit Chald. Ierem. 43. 10. Unde Vatabl. vertit, *et plantabit tabernacula palatii sui inter duo maria;* Symmachus vero et Septuag. τὸ *Apadno*, omittunt. Significat ergo angelus, non quod Antiochus in Ierusalem aut Iudæa palatium ædificaturus sit; sed quod eam bello sit capturus: ponere enim tabernaculum suum in aliqua urbe, est bello eam capere; nomen enim tabernaculi castrense est. Ita Maldon. Huc accedunt Syrus et Arabicus, qui pariter *Apadno* accipiunt ut nomen appellativum, deductum a Syro פדן *paddan*, id est duo, par. Inde enim Mesopotamia hebr. vocatur *Padan Aram*, q. d. Syria quæ inter duo flumina, scilicet Tigrim et Euphratem interiacet. Unde posset quis suspicari Apadno esse in Mesopotamia. Porro Syrus et Arabicus sic hunc locum vertunt, *et figet tabernaculum suum in loco plano* (pari, æquali) *inter mare et montem, et custodiet sanctitatem suam, et veniet tempus finis eius, et non erit illi adiutor.*

Apadno erit locus solii Antichristi. Secundo, et potius, Apadno videtur esse proprium nomen loci in Iudæa, a solio Antichristi, quod ibi ipse collocabit, sic appellandi; unde non tantum S. Hieron. sed et Theodotion et Aquila vertunt, *in Apadno;* omnesque scribunt Apadno per maiusculum A, quasi proprium sit loci. Marinus Brix. in Lexico putat Apadno alludere ad Ephod (ab eadem enim radice utrumque derivatur) q. d. Ad instar Ephod pretiosum, ephodinum: fiet enim ex purpura, bysso, hyacintho, cocco et gemmis, uti factum erat Ephod pontificis: quod Itali simili voce vocant, *Padiglione di seta et d'oro.* S. Hieron. Apadno ponit iuxta Nicopolim, quæ prius Emaus dicebatur, ubi incipiunt montana Iudææ, et tibi Apadno consignat Adrichomius in suis tabulis geographicis.

Nomen Apadno necdum est inditum loco, sed indetur tempore Antichristi. Verum ipsi videntur non ex veterum historia, aut chorographia; sed ex eo quod Daniel hic Apadno ponit inter duo maria, ibidem Apadno consignare: quare si cum iis qui de solo Antichristo hæc intelligunt, Apadno accipias ut nomen proprium; aptius veriusque dicas, hæc nomina Maozim et Apadno, necdum esse indita suis locis, sed indenda fore tempore Antichristi ab eventu, quo ibi ipse collocabit, vel solium suum, vel idolum dæmonis sui Maozim. Pari modo locus ubi cedetur Antichristus cum suis, necdum vocatur; sed tum vocabitur ab eventu, puta a clade Antichristi, Armageddon, id est excidium excidii, hoc est plenum excidium, horma, sive anathema, Apocal. 16. v. 16.

INTER MARIA.) Ita Hebr. Septuag. Aquila, Symmach. Theodor. et Biblia Lat. Roman. licet Complut. legant, *inter duo Maria,* videlicet in Iudæa, et forte in Ierusalem, quæ sita est inter duo maria, scilicet inter mare Mortuum, et mare Mediterraneum: ita S. Hieron. et Theodor. Significat Angelus Antiochum, et multo magis Antichristum, toti Iudææ, ab uno mari ad alterum dominaturum.

SUPER MONTEM INCLYTUM ET SANCTUM.) Hic enim A mons vel est templi, puta Sion et Moria; vel Oliveti, inquit S. Hieron. ex quo putatur conscensurus in cælum Antichristus; sed ab angelo deturbabitur et occidetur, nemoque ei auxiliari poterit. Hinc videtur quod Apadno, et tabernaculum Antichristi non erit iuxta Nicopolim, ut vult S. Hieron. sed potius in Sion, vel monte Oliveti. Apadno erit iuxta Sion.

ET VENIET USQUE AD SUMMITATEM EIUS (montis Sion et templi) ET NEMO AUXILIABITUR EI.) Scilicet monti et templo, inquit Maldon. q. d. Antiochus, et multo magis Antichristus, capiet Ierusalem et montem Sion; neque eum Deus vel homines defendent; uti fecisse Antiochum patet ex libris Machab. Verum alii passim τὸ *ei* exponunt Antiochus enim capta et profanata Sion, a Deo ultore lethali morbo percussus est, nec ullus ei auxiliari potuit: multo magis Antichristus capiet Ierusalem et Sion; ibique regiam et solium suum constituet, ut patet Apoc. 11. 8. atque iuxta eam cædetur, nec aliquis ei auxiliari poterit: ut paulo ante dixi. Prophetæ enim concise loquuntur quasi in raptu, ideoque multa subticent: sic hic tacetur B clades et cædes Antichristi. Unde Vatabl. vertit, *cum venerit finis eius,* scilicet regni et vitæ Antichristi, *nemo ei auxiliabitur.*

Nota. Apocalyp. 19. v. 11. et sequent. vidit S. Ioannes Christum equo albo insidentem, et ore vibrantem gladium, ac in capite habentem diademata multa, et vestem aspersam sanguine, cælo egredi cum turmis cælestibus, ac Antichristum cum suo pseudopropheta apprehensum vivum deturbare in tartara; Gog vero et Magog, omnesque Antichristi milites occidere gladio qui procedebat de ore eius. Lactantius lib. 7. cap. 17. et 18. hunc Christi descensum, gladium, pugnam, etc. plane ad literam, ut sonant, eventura asserere videtur. Audi eum: *Cum hæc,* ait, *ita gerentur, iusti et sectatores veritatis segregabunt se a malis, et fugient in solitudines. Huc impius rex inflammatus ita veniet cum exercitu magno, et admotis omnibus copiis circumdabit montem in quo iusti morabuntur, ut eos comprehendat. Illi vero ubi se clausos undique* C *atque obsessos viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, et auxilium cæleste implorabunt. Quorum ancipiti periculo, et miseranda comploratione commotus Deus mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur cælum medium intempesta nocte et tenebrosa, ut in orbe toto lumen descendentis Dei tanquam fulgur appareat. Qui priusquam descendat, hoc signum dabit; cadet repente gladius de cælo, ut sciant iusti ducem sanctæ militiæ descensurum: et descendet ille comitantibus angelis in medium terræ. Virtus autem angelorum tradet in manus iustorum multitudinem illam quæ montem circumsederat, et concidetur ab hora tertia usque ad vesperum, et fluet sanguis more torrentis, deletisque omnibus copiis impius solus effugiet, et peribit ab eo virtus sua. Hic est autem qui appellatur Antichristus: sed se ipse Christum mentietur, et contra verum dimicabit, et victus effugiet: et bellum sæpe renovabit, et sæpe vincetur donec quarto prælio confectis omnibus impiis, debellatus et captus tandem scelerum suorum luet pœnas.* Quæst. an gladio, an fulmine occidetur Antichristus?

D Verum verius videtur hæc symbolice ostensa Ioanni, tantum significare imperium, dominium et mandatum Christi, quo ipse manens in cælo per Michaelem, quasi ducem suum, comitatum aliis angelis, ingenti luce quasi fulmine siderabit et afflabit Antichristum, itaque eum omni vi, robore et vita privabit, ac deturbabit in tartara. Id ita esse patet Primo, quia certum est quod ea quæ ibi dicuntur de cælo aperto, de albis equis, de Christi diadematibus et veste aspersa sanguine, de titulo in femore scripto, *Rex regum, et Dominus dominantium,* non realiter evenient, sed tantum symbolice per visionem ostensa sint Ioanni ad repræsentanda mysteria Christi, quæ explicui Apocal. 19. ergo et cætera, cum sint his similia, symbolice accipienda sunt, non ut realiter eventura. Simili schemate Psaltes psal. 17. symbolice et poetice describit Deum nubibus vectum, armatum grandine, tonitru, fulmine, etc. descendere ad proterendum impios, hostes suos. Respond. fulmine. Probat. I.

II. Secundo, quia Apostolus ait 2. Thess. 2. 8. quod Christus occidet Antichristum, non gladio, sed spiritu, id est, imperio, oris sui, et *illustratione*, id est, fulgore prævio et prænuntio, *adventus sui*. Hoc enim fulgore quasi fulmine e cælo emisso, sive per se, sive potius per Michaelem, siderabit et consumet Antichristum.

III. Tertio, quia Daniel cap. 12. 1. ait, quod tunc consurget Michael in prælium, pro Christo et Christianis. Sicut ergo rex per ducem bellum gerit, et conficit hostem: ita Christus per Michaelem conficiet Antichristum: hic enim est Præses Ecclesiæ, ideoque dux Christi. Unde et Apocalyps. 12. ponitur dux belli Christiani, quo scilicet in fine mundi cum Lucifero et Antichristo confliget pro Christo et Christianis, ac Antichristum profligabit.

IV. Quarto, quia S. Petrus Actor. 3. 21. docet Christum post ascensum in cælum, ibi mansurum, nec visibiliter ex eo descensurum, nisi in die iudicii quo restituet omnia: ergo non descendet ut occidat Antichristum. Hic enim occidetur multis diebus, et forte septimanis ac mensibus, ante diem iudicii, uti ostendam cap. seq. v. 11. et 12.

V. Quinto, subordinatio recta divinæ providentiæ id exigit. Solet enim Deus sua iudicia exercere per angelos: hi enim sunt administratorii eius spiritus, Hebr. 1. 14. Contrarium enim nec deceret Christum, nec Antichristum; ut quid enim Christus Deus et Dominus omnium, cum tot legionibus angelorum et Sanctorum cælo descenderet ad conficiendum Antichristum, qui miser et vilis erit homuncio, quem solo afflatu, imo nutu, potest occidere, imo annihilare? Ut quid tot legiones angelorum, quasi militum ei adstant paratæ ad omnem eius nutum, et ex A quibus unus sufficit ad delenda plurima hominum millia?

VI. Sexto, quia Sibylla libr. 3. igne cælesti, puta fulgure, afflandum Antichristum prædicit, cum ait, *Cum potestas ardens* (puta ignis et fulmen validum) *inundans in terram veniet: et Beliar incendet et superbos homines, omnes quicumque ei fidem præstiterint. Beliar* enim (id est Belial: subinde enim litera l. in r. convertitur) hoc est homo impiissimus, sine iugo, sine Deo et lege, est Antichristus.

Nota secundo. Antichristus ut probet se esse Christum, quasi simia Christi finget se mori, et post mortem ad vitam resurgere, ut patet Apoc. 13. 12. Audi S. Gregor. l. 11. epist. 3. *Veniens in mundum Antichristus, diem sabbati et diem Dominicum ab omni iubebit opere custodiri. Nam quia simulaturus est mori se ac resurgere, ideo diem Dominicum in veneratione haberi præcipiet: quia vero iudaizare populum compellet* (ut videatur esse Messias Iudæis promissus) *ut ritus Mosaicæ legis revocet, et Iu-* B *dæorum sibi subdat perfidiam, diem sabbati observari coget.* Post fictam hanc et hypocriticam resurrectionem, coram toto populo ascendet in montem Oliveti (uti hic significat Daniel) voletque instar Christi in cælum ascendere, ex quo primitus se descendisse mentietur: et tollent eum in aera dæmones, sumentes speciem angelorum, cunctis admirantibus et divinitati eius acclamantibus, inquit Perer. Sed mox a Christo per Michaelem deturbabitur in tartara. Unde Haymo in Isaiæ 11. *Occidetur*, ait, *Antichristus, sicut doctores tradunt, in monte Oliveti, in papilione ac solio suo, in loco illo contra quem Dominus* (Christus) *cælos ascendit.*

CAPUT DECIMUMSECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite aperte transit angelus ad tempora novissima (in iisque finit pariter suum oraculum) Antichristi, de quo cap. præced. v. 36. et seq. tecte sub nomine Antiochi loqui cœperat. Duo ergo tempora distinctissima, puta tempus Antiochi, et tempus Antichristi, in unum propter similitudinem coniungit; sicut Christus coniungit excidium urbis cum excidio orbis, Matth. 24. 23. vide can. 4. Primo ergo prænuntiat angelus Michaelem fideles adiuturum contra Antichristum: mox edocet resurrectionem piorum et impiorum, denique gloriam doctorum. Secundo v. 7. docet Antichristi monarchiam, et persecutionem duraturam tres annos cum dimidio, sive dies 1290.

1. In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. 2. Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper. 3. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. 4. Tu autem Daniel claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia. 5. Et vidi ego Daniel, et ecce quasi duo alii stabant: unus hinc super ripam fluminis, et alius inde ex altera ripa fluminis. 6. Et dixi viro, qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis: Usquequo finis horum mirabilium? 7. Et audivi virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dexteram et sinistram suam in cælum, et iurasset per viventem in æternum, quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis. Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur universa hæc. 8. Et ego audivi, et non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc? 9. Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones, usque ad præfinitum tempus. 10. Eligentur, et dealbabuntur, et quasi ignis probabuntur multi: et impii agent impie, neque intelligent omnes impii, porro docti intelligent. 11. Et a tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. 12. Beatus, qui expectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. 13. Tu autem vade ad præfinitum: et requiesces, et stabis in sorte tua in finem dierum.

Vers. 1. IN TEMPORE AUTEM ILLO.) In tempore Antichristi, de quo paulo ante egi.

CONSURGET MICHAEL.) Id est Michael exurget in prælium contra regem Aquilonis, id est contra Antichristum, ut tueatur fideles et sanctos in tantis persecutionibus contra eum et contra Luciferum. Vide de hoc prælio Michaelis et draconis, id est Luciferi, Apocal. 12. 1. et sequent. ibi enim ad hunc locum Danielis alludit S. Ioannes. Unde C S. Thomas et alii docent, in hoc prælio occidendum esse Antichristum a Michaele. Sic enim explicat illud 2. Thessal. 2. 8. *Quem* (Antichristum) *Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*, id est mandato suo; *quia*, inquit, *Michael interfecturus est eum in monte Oliveti, unde Christus in cælum ascendit.* Christo ergo executionem suæ sententiæ contra Antichristum committet Michaeli, qui post Christum supremus est iudex, et præses divinæ iustitiæ. Michael occidet Antichristum.

*

Hæretici, ut Sanctorum et angelorum patrocinia elidant, per Michaelem accipiunt Christum; sed insulse, ut patet: certum enim est, quod angelus eumdem Michaelem hic intelligat, quem intellexit cap. 10. v. 13. et 21. ibi autem intellexit Michaelem archangelum: vocat enim eum Principem Iudæorum. Simili modo nuncupat eum hic, dicens: *Qui stat pro filiis populi tui*, qui scilicet præest tueturque Iudæos tamquam fideles, populumque Dei, ac filios patriarcharum; ideoque curabit ut Iudæi in fine mundi ad Christum convertantur et salventur.

Aliqui per Michaelem intelligunt Mathathiam.

Alcazar in c. 12. Apocal. pag. 645. Polychron. hic, et R. Iosue apud Aben Ezra, putant hic adhuc agi de Antiocho Epiphane, contra quem surrexit Michael, id est, inquit, Mathathias, cum filiis stans pro populo suo. Verum obstant sequentia: *Et multi de iis, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, et alii in opprobrium:* quod ad literam de resurrectione non morali ad patrum et avorum virtutem et constantiam, ut ipse intelligit: sed naturali ad vitam æternam, accipi debere clarum est, uti accipiunt S. Hieron. Theodor. et passim veteres ac recentiores: ac S. Hieron. acriter perstringit hic Porphyrium, quod hæc acceperit de Antiocho. Sic et Theodoret. Nam Machabæi, inquit, etiam post victoriam occisi, vitam præsentem perdiderunt: et quia omnes pii fuerunt, ad vitam omnes resurrexerunt, non ad opprobrium.

S. Michaelis elogia ex Pantaleone.

Hunc locum multis illustrat Pantaleon diaconus et Chartophylax Ecclesiæ magnæ, in suis de S. Michaele homiliis, quæ extant apud Aloys. Lipoman. in festo S. Michaelis. In iis enim ipse illustrissimas quasque angelorum apparitiones, quæ olim patribus acciderunt, Michaeli at-
I. tribuit: ac Primo, de Michaele accipit illud Psal. 33. 8. *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos*, *immittet*, scilicet præsidium: hebr. enim est חונה *chone*, id est *castrametabitur*, et, ut S. Hieronym. vertit, *circumdabit in gyro*, ut opponatur Michael dæmoni, qui etiam dicitur tamquam leo rugiens circuire. Itaque significat Psaltes quod Michael angelos in morem castrorum instruat et ordinet ad fidelium defensionem: quod enim instar militum in acie angeli nos tueantur, patet Genes. 32. 2. ubi cum Iacob angelos vidisset, dixit, *Castra Dei sunt hæc*; et 4. Reg. 6. 17. *Erat mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Et Christus Matthæi 26. v. 53. *An putas quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?* Nam quod etiam dæmones in morem castrorum et aciei ordinentur contra homines, probat Tertull. l. 4. contra Marc. 20. ex Lucæ 8. 30. ubi dæmon rogatus a Christo quod sibi esset nomen? respondit, *Legio.*

Angelorum et dæmonis acies.

II. Secundo, Michael fuit qui Adam paradiso eiectum direxit, et terram ligone docuit colere, seminare, metere, omnemque agriculturam.

III. Tertio, Michael fuit qui Abrahæ gladium continuit, ne filium occideret, et in eo benedixit omnes gentes, Gen. 22.

IV. Quarto, Michael legislatori Mosi pascenti oves apparuit totus igneus in medio rubi, eumque iussit, sed non combussit; itaque B. Virginis partum, generationemque Dei hominis adumbravit, Exodi 3.

V. Quinto, Michael fuit qui apparuit Balaam in via, eumque pergentem ad maledicendum Israeli corripuit, et benedicere compulit, Numer. 22.

VI. Sexto, Michael vice Dei dedit legem Hebræis in Sina, Exodi 20. Quocirca Turcæ venerantur S. Michaelem. Nam in libro, cui titulus, *Doctrina Mahumet*, pag. 190. sic habetur: *Michael, Gabriel, Saraphiel* (ist est *sar*, hoc est princeps, *Raphael*) *Archangeli, secretarii deitatis.* Et Rabanus lib. I. de Cruce cap. 7. sic de eo canit:

At Michael princeps habitantum dux et in alto,
Te memorat virtute Dei simul æthera cuncta
Et regere et tegere.

Et Ecclesia in festo S. Michaelis, ita eum invocat: *Princeps gloriosissime Michael Archangele, esto memor nostri; hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei.*

VII. Septimo, Michael apparuit stricto gladio Iosue, cum is aciem contra hostes dirigeret, eumque animavit ad prælium, Iosue 5. Michael est *angelicarum copiarum dux*, ait S. Basil. hom. de angelis. Quocirca quod Gentilibus fuit Mars, scilicet dux et præses bellorum, Christianis est S. Michael. Qua de causa templa et oratoria, quæ olim Gentiles Marti dedicaverant Antuerpiæ, Leodii, Luneburgi, Bonnæ, Coloniæ, et alibi, Christiani exploso Marte in honorem S. Michaelis dedicarunt et cognominarunt, uti annotavit D. Braunius tom. 5. urbium, et ex eo noster Serarius in Iosue c. 5. quæst. 24. in fine. Hinc S. Michael a Græcis vocatur Archistrategus: quin et exstat Imperatorum vexillum S. Michaelis imagine insignitum, ab eoque cognominatum, apud Curopalatam pag. 93.

Octavo, Michael Gedeoni apparuit, ab ipsoque fuit adoratus, et extensa virga quam manu tenebat tangens carnes, quasi sibi Gedeon obtulerat, igne excitato consumpsit, et in flamma ignis ascendit ad cælum. Idem eum adiuvit ut cum trecentis militibus innumeros Madianitas profligaret, Iudic. 6. et 7. VIII.

Nono, Michael fuit qui 185. millia Assyriorum in castris Sennacherib una nocte occidit, 4. Reg. 19. IX.

Decimo, Michael cum Azaria et sociis descendit in fornacem, flammam instar roris effecit, tresque pueros illæsos conservavit, Dan. 3. X.

Undecimo, Michael Danielem in lacu leonum servavit, oraque leonum frænavit, Daniel. 6. et 14. Similiter S. Ephrem orat. de 40. Martyr. tomo 3. *Ne conturbaret*, inquit, *Martyres Christi inimicus, angeli spatium stagni custodiebant: hinc quidem Gabriel, illinc vero Michael, et ab alto Christus universorum inspector.* Exstat in S. Procopii, qui olim Nicias dicebatur, historia, insigne miraculum, quo ille ad christianismum impulsus est. Nam cum Scythopoli auream crucem dux illustris fabricari curaret, in ea divinitus absque aurifabri opera et scitu, tria insculpta sunt nomina, *Emmanuel*, *Michael*, *Gabriel*; sed ita ut summum locum teneret *Emmanuel*; inferiorem instar brachiorum, *Michael* et *Gabriel*. Vide Gretserum libr. 2. de Cruce cap. 13. XI.

Duodecimo, Michael apprehendit Habacuc cincinno capitis, eumque cum prandio ex Iudæa in Babylonem subito transtulit ut pasceret Danielem, atque eumdem rursus repente in Iudæam reposuit, Dan. 14. XII.

Decimotertio, Michael fuit qui Probaticæ piscinæ aquas commovebat, et sanctificabat in figuram baptismi: ita ut qui primus in eam descenderet, ab omni ægritudine curaretur, Ioannis 5. XIII.

Rursum S. Michael Constantino Magno apparuit, indicans se olim Argonautas ad vellus aureum direxisse, eique dixit: *Ego sum Michael archidux Domini sabaoth, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fideli et germano illius ministro, auxiliaria arma contuli.* Unde Constantinus fanum ab Argonautis erectum Numini quod ipsis salutem attulerat, indeque Sosthenium dictum, in Michaelium, id est S. Michaelis templum, convertit, in quo S. Michael sæpius deinde apparuit: ita Nicephor. l. 7. c. 50.

Decimoquarto, Michael canet tuba novissima, eaque excitabit mortuos ut veniant ad iudicium, 1. Thessal. 4. v. 16. Et de animabus mortuorum canit Ecclesia: *Signifer tuus S. Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, et semini eius.* Quocirca S. Michael pingi solet cum statera, quasi librans animas, earumque opera bona et mala. Nam ut ait Viegas in Apocalyp. 12. *Creditur Michael animarum e corpore discedentium particulare iudicium exercere: indeque est, quod cum gladio et statera depingitur, ut summa eius potestas, iustitiæque æqualitas declaretur in nostris, sive meritis sive demeritis ponderandis.* Reprehendit hanc picturam Ioan. Molanus in libr. de Picturis, sed eam defendit Serarius in cap. 5. Iosue quæst. 45. pag. 551. Addit Viegas, Michaelem vocari signiferum, quia signum sive vexillum crucis præferet Christo venienti ad iudicium extremum. Idem docet Eckius homil. 8. de S. Michaele. XIV.

Michael canet tuba novissima.

Denique Michael est, inquit Pantaleon, *qui fidelium po-* XV.

pulorum Ecclesias exhilarat, Romanorum custodit rempublicam, Imperatorem armat adversus barbaros, Christianos reddit victores, ab ingentibus maris fluctibus eos qui invocant eum liberat, fertilitates fructuum terræ suppeditat, consolatur pusillanimes, ægrotos visitat, fideiubet pro peccatoribus, dæmonum impetum propulsat, vitiorum flammam restinguit. Rursum: *Per hos duos*, inquit, *Michaelem et Gabrielem, descendit omnis datio bona, et omne donum perfectum, quod desuper mittitur in terram a Deo omnipotente. Hæ enim sunt duæ maximæ, et paris momenti lucernæ divinitatis, quæ est una et trina.* Hæc sunt præconia, quæ iuxta Pantaleonis sententiam de Michaele in Script. memorantur: Scriptura enim ea expresse Michaeli non appropriat; quamquam et ea quæ alii angeli gesserunt, recte Michaeli attribuuntur. Sic enim gesta militum duci tribuimus. Addit Pantaleon, quod S. Ioannes Apostolus, magnus fuerit S. Michaelis in Asia prædicator, quodque in eius honorem templum exædificari curarit: *uti et Iustinianus Imp. militiæ cælestis summo principi Michaeli pluribus in locis erexit ecclesias; probe sciens, se, si talem tantumque ducem sibi conciliaret, qui rebelles angelos eientes in cælo prælium superasset, certam securamque de vincendis Wandalis posse habere fiduciam*, inquit Procop. de bello Wandal. lib. 1.

S. Ioannes celebravit in Asia Michaelem, et Iustinianus.

Et Constantinus.

Refert Nicephorus l. 7. c. 50. Constantinum Magnum in loco qui Sosthenium dicitur, duas Ecclesias construxisse in honorem S. Michaelis, ibique S. Michaelem illi apparuisse, ac dixisse: *Ego sum Michael archidux Domini sabaoth, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fideli et germano illius ministro auxiliaria arma contuli.* Itaque e somno excitatus Constantinus regionem eam pulcherrime excoluit, et ara imperiali, magnificaque manu et liberalitate in parte Orientali constructa, celeberrimum id templum civibus simul et advenis reddidit. Porro mire sacram eam ædem apparitionibus suis illustravit Archangelus. Nullus enim gravi quopiam casu, aut ineluctabili periculo, aut ægritudine incognita, morbo denique incurabili circumventus, qui ibi Deum orans imploraverit, non facile opem et auxilium invenit. Et certo satis creditur, divum Michaelem Archangelum apparere ibi solitum, salutiferum eum efficere locum: cuius rei gratia ab antiquis etiam Michaelium est vocatus: huc usque Nicephor.

Narrat Cromerus l. 10. hist. Lescum Polonorum principem cum parva manu insecutum multa Lituanorum millia, qui Poloniam divexabant; cumque ex labore itineris paululum requievisset, Michael Archangelus illi adstitit, et suum illi auxilium promisit, ac de victoria certum reddidit: qui victor rediens eidem angelo Lublini templum extruxit.

Nota est dedicatio ecclesiæ S. Michaelis, eiusque apparitio in monte Gargano sub Gelasio Pont. quam recolimus die 8. Maii. Paulo post Bonifacius Pontif. ecclesiam nomine S. Michaelis constructa dedicavit die 29. Septemb. in summitate circi, quæ ab altitudine, inter nubes vocatur: ita Ado et Baron. anno Domini 531. Celebre quoque fuit templum S. Michaelis Conis sive Colossis, quod quia violare ausus est Alexius iconoclasta, hinc post largiorem compotationem a sacerdote quodam suo gladio iugulatus est, inquit Nicetas Choniata lib. 3. annal. Isacii Imper.

ET VENIET TEMPUS.) Hebr. עֵת צָרָה *et tsara*, id est tempus afflictionis, erit enim tunc *tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi*, ut ait Christus Matth. 24. 21. Quam atrox et varia futura sit persecutio Antichristi, explicui 2. Thessal. 2. v. 10. quæst. 5. et Apocal. 13.

SALVABITUR POPULUS TUUS.) *Tuus* o Daniel, puta Iudæi in fine mundi salvabuntur, præsertim cum viderint Antichristum, in quem crediderant, a Christo profligari, et detrudi in tartara. Iudæos vocat populum Danielis, quia Daniel vir desideriorum eorum salutis erat studiosissimus, ac si eorum fuisset mater. Sic enim Galatis cap. 3. v. 19. ait Apostolus: *Filioli mei quos iterum parturio.*

Plerique Iudæi occiso Antichristo.

OMNIS QUI INVENTUS FUERIT SCRIPTUS IN LIBRO.) Plerique enim Iudæi occiso Antichristo convertentur ad Christum, itaque salvi fient; quia brevi tempore quod restabit ad diem iudicii, in fide et gratia Christi persistent, ideoque scripti sunt in libro præscientiæ Dei et prædestinationis ad gloriam. Novit enim Dominus qui sunt eius. De hoc libro multa dixi Exodi 32. 32. et Philip. 4. v. 3.

Christo convertentur ad Christum.

Non omnes.

Nota. Τὸ *omnis qui inventus fuerit*, significat non omnes Iudæos, qui erunt in fine mundi, scriptos esse in libro vitæ, ac proinde non omnes convertendos esse et salvandos; sed aliquos mansuros in sua infidelitate et damnandos: quamplurimi tamen convertentur et salvabuntur: hoc est enim quod ait Apostolus Rom. 11. v. 26. *Et sic omnis Israel salvus fieret: omnis*, id est plerique, et pene omnes: ita Theodor. et S. Gregor. hom. 12. in Ezech.

Vers. 2.

ET MULTI DE HIS QUI DORMIUNT, etc. EVIGILABUNT.) Hoc est, multi dormientium, ut vertunt Septuag. Hebræi enim ablativum cum præpositione ponunt pro regimine genitivi. Iam multi dormientium, hoc est, multi dormientes, puta omnes dormientes. Dicit tamen multi, ut notet hos omnes non fore paucos, sed multos, q. d. Omnes dormientes, qui erunt multi, et pene innumeri, resurgent, sive tota multitudo dormientium, quæ plurima est, resurget. Sensus est, omnes qui mortui sunt resurgent. Sic τὸ *multi* capitur pro omnes Rom. 5. 19. *Unius delicto multi mortui sunt;* et Matth. 26. 28. *Qui pro vobis et pro multis effundetur:* ita S. August. 20. Civit. 21. Theodor. et alii. Licet ergo quidam opinati sint non omnes homines morituros, ac consequenter nec omnes a morte resurrecturos, nimirum eos qui vivent sub diem iudicii: hos enim sine morte immutandos, et vivos transferendos ad vitam immortalem, cum obviam rapientur Christo Iudici in aera, uti videtur dicere Apost. 1. Thess. 4. 16. ibidem docent S. Chrysost. Theophyl. Oecum. Theodor. S. Epiphan. hær. 64. S. Hieron. epist. 148. quæst. 3. Tertull. de Resurrect. cap. 41. et 42. Orig. lib. 5. contra Celsum: tamen hi, omnesque alii Patres et Doctores consentiunt, omnes qui mortui sunt, a morte resurrecturos in die iudicii: ita S. Hieron. ad Pammac. epist. 61. S. August. Enchir. 84. S. Gregor. 14. Moral. 31. et alii passim. Ergo mortuos omnes homines esse resurrecturos est de fide. Id enim diserte asserit Christus alludens ad hunc Danielis locum, Ioan. 5. *Venit*, inquit, *hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii*, id est damnationis et gehennæ, ad quam iusto iudicio Dei damnabuntur. Et S. Paulus 1. Corinth. 15. *Sicut*, ait, *in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Ex mox: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Denique si aliqui resurgent, ergo omnes. Non est ratio cur hic resurgat, non ille, cum omnium eadem sit conditio. Cum ergo angelus hic ait, *Multi evigilabunt*, non negat omnes, sed potius omnes comprehendit.

Nota. Dicit hic *multi* potius quam omnes, tum ad sermonis copiam, ne vocem *omnis* iteret: dixit enim, *Omnis qui inventus fuerit scriptus in libro:* tum propter sequentem distributionem, q. d. Multi ex mortuis resurgent ad gloriam, multi ad opprobrium æternum: ita Maldon. Secundo, dicit *multi*, quia opponit hos multos paucis Iudæis, qui tunc vivent et salvabuntur, uti dixit v. præcedenti, q. d. In fine mundi omnis fere populus tuus, o Daniel, id est plerique omnes Iudæi tunc victuri convertentur ad Christum, salvabuntur, et resurgent ad gloriam: at hi omnes erunt pauci: multi vero, imo plurimi erunt, qui ab omni sæculo in toto mundo mortui, tunc resurgent, alii ad gloriam, alii ad gehennam. Quocirca huc alludit S. Ioan. Apocal. 7. Ubi cum dixisset ex Iudæis in fine mundi convertendos, et salvandos fore 144. millia, puta duodecim millia ex qualibet tribu, subdit v. 9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantes ante thronum, et in conspectu agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.* Quod enim ibi dicit Ioannes ex Iudæis salvandos fore 144. millia; hoc Daniel hic dicit, *In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus*

in libro. Rursum, quod Ioan. ibi dicit, *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*: hoc Daniel hic dicit, *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, alii in opprobrium.* Alludit dico, non citat: nam Ioannes de solis salvandis in die iudicii loquitur: Daniel vero tam de reprobandis, quam de salvandis. Rursum, Ioannes Iudæis paucis in fine mundi salvandis, opponit multas gentes tum pariter victuras et salvandas: Daniel vero paucis Iudæis tum victuris et salvandis, opponit innumeram multitudinem hominum omnium prius mortuorum, qui tunc resurgent.

Hinc patet Iudæis a Deo et angelis revelatam fuisse resurrectionem mortuorum: quod enim Rabbini aliqui putant Iudæos ab Antiocho oppressos hic vocari mortuos, eorumque liberationem vocari resurrectionem, insulsum est; nec enim Iudæi tunc resurrexerunt ad vitam æternam, quod tamen de mortuis hisce dicitur. Sic et animæ immortalitatem, ac ex ea consequentem resurrectionem corporum per umbram cognoverunt Gentiles. Demosthenes cum fugeret Antipatrum, Architæ blande ei pollicenti vitam, si rediret, respondit: *Absit, ut vivere turpiter malim, quam honeste mori, postquam Xenocratem et Platonem audivi de animi immortalitate disserentes.* Ita refert Cardin. Bessarion in apologia Platonis.

Trismegistus in primo dialogo Pimandri, ex animantibus ait solum hominem esse duplicis naturæ, mortalis propter corpus, immortalis propter animam; additque, *animum iusti harmoniæ motione exutum ad cælum ascendere, ubi una cum cœtu mentium beatarum laudat Deum, quo omnes illic fruuntur.* Eadem fuit sententia Ciceronis in Somnio Scipionis. Hinc fluxit opinio Elysiorum camporum quos canit Virgil. 6. Æneidos. Didymus ille inter Brachmanes princeps ita scribit ad Alexandrum Magnum: *Non sumus huius mundi incolæ, sed advenæ, nec ita in orbem terrarum venimus, ut in eo libeat consistere, sed transire: properamus enim ad larem patrium.* Plures citavi Genes. 37. v. 35.

Mors æterna vocatur opprobrium, cur?

In opprobrium.) In mortem æternam: opponitur enim vitæ æternæ. Mors hæc vocatur opprobrium, quia ignominiosissima erit æque ac molestissima. *Gravissima pœnarum pudor est; impii enim resurgent ad pudorem et opprobrium æternum,* ait S. Chrysost. hom. 6. in epist. ad Ephes. Si enim ingens pœna est, cum dux coram rege proditionis convincitur; cum latro reus publice in furcam agitur; cum regia coniux publice ut adultera capite plectitur: quis erit pudor, cum reprobi coram toto mundo, quasi læsæ maiestatis divinæ rei, infames, incesti, proditores damnabuntur ad æternas pœnas, ut cum teterrimis dæmonibus in gehennæ carcere, pice, fumo et flamma vitam perennem agant? qualis erit illa exprobratio Christi in die iudicii ad reprobos? Ego vos pavi, lavi, vestivi, redemi meo sanguine: vos me esurientem, sitientem, nudum, afflictum non pavistis, non potastis, non vestistis, nulla re iuvistis; ego pro vobis flagellatus, concisus, occisus sum: vos iterum vestris sceleribus me flagellastis, concidistis, occidistis: ite ergo maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.

Exprobratio Christi iudicis ad reprobos.

Audi Christum iudicem exprobrantem apud S. August. sermon. 67. de tempore: *Ego te o homo de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum, ego tibi imaginem meam conferre dignatus sum; tu vitalia mandata contemnens deceptorem sequi, quam Deum maluisti. Cum expulsus de paradiso mortis vinculo propter peccatum tenereris, carnem assumpsi, in præsepio expositus, et pannis involutus iacui, infantiæ contumelias, humanosque dolores pertuli, irridentium palmas et sputa suscepi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Cur quod pro te pertuli, perdidisti? cur ingrate, redemptionis tuæ munera renuisti? cur habitaculum, quod mihi in te sacraveram, luxuriæ sordibus polluisti? cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa in qua quondam pependeram, afflixisti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quam* A *illa in quam tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Et quia post omnia mala ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari: despexisti enim in iudice veniam.*

Tunc dicent impii præ pudore et timore montibus, Cadite super nos; et collibus, Operite nos. Vide et exprobrationem Christi iudicis ad Elpidophorum, quam ei intentat Muritta diaconus apud Victorem Uticen. lib. 3. persecut. Wandal. recitavi eam Rom. 6. v. 4. Errat ergo R. Saadias qui solos iustos et sanctos resurrecturos putat: et Iudæi, qui solos Iudæos a Messia resuscitandos putant.

Diron quid?

Ut videant semper.) Hebr. est לדראון עולם *lediron olam*: quod Septuag. Vatabl. et Pagnin. vertunt, *in contemptum æternum;* Marinus in Lexico, *in reprobationem et abominationem æternam,* ut Deus, angeli et Sancti eos execrentur et abominentur perpetuo. Syrus et Arabicus vertunt, *in perditionem et ignominiam sociorum suorum in sæculum*: forte pro ראון *reon*, legerunt רעים B *reim*, id est sociorum, amicorum. Secundo, alii vertunt, *in durationem doloris æternam,* quasi *diron* conflatum sit ex דור *dor*, id est duratio; et און *on*, id est dolor. Tertio, alii vertunt, *in durationem concupiscentiæ,* vel *peccati, æternam*: *on* enim non tantum dolorem, sed et concupiscentiam, et peccatum (quod omnis doloris est causa) significat. Quarto, noster hic et Isaiæ ult. v. ult. cum Chaldæo *diron*, vertit, *satietas visionis,* quasi *diron* conflatum sit ex די *de*, id est sufficientia, satietas, et ראון *raon*, id est visio: visionem tam activam quam passivam intellige, hoc est, ut videant et videantur. Activam hic accipit interpres noster, q. d. Resurgent alii in mortem et opprobrium, ut videant, id est, ut sentiant et experiantur semper supplicia, opprobria et dolores mortis æternæ, ut semper moriantur, semper agonizent, et nunquam sint mortui. Passivam accipit Isa. cap. ult. 24. quia ibi additur, *omni carni.* Ait enim: *Erunt* (damnati) *usque ad satietatem visionis omni carni,* q. d. Videbuntur, eruntque probro et C ludibrio omnibus hominibus; aut, ut Forer. R. David, et alii, q. d. Erunt nauseæ et detestationi omnibus videntibus, ne videlicet velint eos videre ob multitudinem vermium quibus scatebunt. Putat enim R. David *diron* deduci a דרא *dara*, quod ipse interpretatur *vermem.* Unde hic *diron olam* vertit, *vermem sempiternum. Vermis enim eorum non moritur, et ignis non extinguitur,* Isaiæ 66. 24. Hæc ruminans B. Isaias Abbas, tom. 2. Bibliot. SS. Patrum orat. 29. ita lamentatur: *Væ nobis, qui hic sine timore nos peccatis obstringimus: quoniam illic nos ignis æternus excipiet, et tenebræ exteriores, et vermis qui non dormit, et luctus, et stridor dentium, et coram angelis et creaturis omnibus dedecus sempiternum.*

Væ nobis quorum animæ confusæ, et a pœnitentiæ alienæ in resurrectione et horrendo illo gentium omnium iudicio, assumptis corporibus suis, cum fletu et stridore dentium in gemitus, et luctus, et cruciatus coniicientur acerbissimos ac sempiternos. D

Væ nobis, qui in isto peregrinationis exilio detestandas oblectationes consectamur, et paradisi deliciarum obliti, contemnimus regnum cælorum.

Væ illis, qui aliis laborant, et sibi ipsis non prosunt.

Væ nobis, qui cum assiduos conscientiæ nos reprehendentis stimulos sentiamus, non erubescimus, nec rationem actionum omnium nostrarum reddituri Dei iudicium formidamus.

Corpora Beatorum tota erunt lucida, et tamen colorata.

Ex hoc loco docent Doctores corpora Beatorum tota fore lucida exterius et interius, ut tota luce penetrentur, sintque transparentia. Sic enim lux penetrat firmamentum et stellas, facitque eas totas et omnino lucidas: hocque erit ingens Beatorum gaudium, quod seipsos suique partes intimas, æque ac sociorum, perspicere poterunt, ita ut nihil lateat quod non videant. Ita docet D. Thom. Richard. Paludan. Sotus Maior, et alii quos citant et sequuntur Franc. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 48. sect. 2. et Ioan. Salas 1. 2. quæst. 5. art. 5. tract. 2. disp. 14. sect. 15. Neque lux hæc colori corporum officiet. Sic enim vi-

trum varios colores suscipit, et tamen lumine intime penetratur: quin et alia corpora crassa colorata sunt et lucida; ac ratione coloris videntur in die, et ratione lucis in nocte ut patet de noctiluca, nitedula, cicindela, lampyride, qui est vermiculus noctu lucens ut margarita; quo exemplo ad rem hanc confirmandam utitur Cyrill. Hierosolym. catech. 18. dum ait: *Iusti splendebunt ut sol, et tamquam luna, sicut et splendor firmamenti: et prævidens istam hominum incredulitatem Deus, vermibus parvulis lucidum dedit corpus, ut eo splenderent; ut ex apparentibus crederetur id quod expectamus: qui enim partem potuit præstare, poterit et totum; et qui fecit ut vermis lumine splenderet, multo magis hominem iustum splendidum efficiet.*

An doctores præ aliis iustis lucebunt? Quæres, an alii hic sint iusti, et alii docti? an alius splendor firmamenti, alius stellarum?

I. Sententia. Primo, Dionys. Carthus. Docti, inquit, sunt omnes iusti. Hi enim sunt scientes Deum, ut dixit cap. præced. v. 32. hique docti sunt a Spiritu sancto pie et sancte vivere; sæpe tamen non sufficiunt ut alios doceant: unde his in sequenti hemistichio præponit doctores. Huc facit illud S. Leonis serm. 3. de Epiphania: *Quicumque*, ait, *in Ecclesia pie vivit et caste; qui ea quæ sursum sunt sapit, non quæ super terram, et cælestis quodammodo instar est luminis. Et dum ipse sanctæ vitæ nitorem servat, multis viam ad Dominum quasi stella demonstrat.*

Verum obstat vox *autem*, cum ait: *Qui autem docti fuerint*, qua distinguit doctos ab aliis iustis et sanctis, qui omnes, uti præcessit, evigilabunt in vitam æternam. Unde S. Hieron. ad Paulinum: *Vides*, inquit, *quantum inter se distent iusta rusticitas, et docta iustitia; alii stellis, alii cælo comparantur.* Hinc et Averroes dixit, hominem doctum et hominem indoctum ita differre, ut de iis homo, sive natura hominis, non prædicetur æqualiter.

II. Sancti indocti lucent ut cælum, docti ut splendor firmamenti, doctores ut stellæ. Secundo, alii melius putant hic distingui doctos tam a iustis, quam a doctoribus. Hos enim esse tres gradus Sanctorum, uti sapientia et merito, ita et præmio dispares. Sancti ergo simplices et indocti sunt quasi cælum cæruleum, purum et pellucidum; docti vero sunt quasi splendor firmamenti, id est sicut candor, vel nubes candida quæ resplendet in cælo cæruleo: doctores autem aliorum sunt lucentque quasi stellæ. Hi enim sunt tres uti lucis, ita et Sanctorum gradus. Audi et Rabbinos in *Midras tehillim*, in exposit. Psal. 11. ad versic. *Quoniam iustus Dominus, et iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius. Hi*, inquiunt, *iusti sunt, de quibus dictum est Danielis* 12. *Et intelligentes splendebunt sicut splendor cæli. Futurum siquidem est, ut facies iustorum fulgeant tamquam sol, tamquam luna, tamquam cælum, tamquam stellæ, tamquam fulgura, tamquam lilia, tamquam lampades. Primo, tamquam sol, sicut dictum est Iudic.* 5. *Sicut egressus Solis in fortitudine sua. Secundo, tamquam luna, sicut dictum est Psal.* 85. *Sicut luna præparata in æternum. Tertio, sicut cælum, uti dictum est Daniel.* 12. *Velut splendor cæli. Quarto, tamquam stellæ, sicut dictum est Dan.* 12. *Splendescent ut stellæ. Quinto, tamquam fulgura, sicut dictum est Nahum* 2. *Ut fulgura discurrent. Sexto, tamquam lilia, sicut dictum est in Ps.* 68. *Super liliis. Septimo, tamquam lampades, sicut dictum est Nahum* 2. *Visio eorum tamquam lampadarum.* Deinde totidem classes iustorum hisce assignans subdit: *Prima diversitas*, vel classis *est eorum qui ante faciem regis habitant, et intuentur regem et faciem eius, sicut dictum est; Habitabunt recti coram facie tua. Secunda est eorum, de quibus dicitur: Beati qui habitant in domo tua. Tertia eorum, de quibus aiunt: Quis ascendet in montem Dei? Quarta, de quibus dicitur: Beatus quem elegisti, et appropinquasti. Quinta, de quibus dicitur: Deus quis hospitabitur in tabernaculo tuo? Sexta, de quibus dicitur: Quis habitabit in monte sancto tuo? Septima, de quibus dicitur: Et quis surget in loco sancto eius? Quælibet autem harum diversitatum habet mansionem per se paratam in paradiso deliciarum.* Hisce totidem impiorum classes opponens, subdit: *Et e contra septem quoque habentur mansiones in gehenna pro impiis. Et sunt istæ: Seol, id est infernus; Abadon, id est perditio: Ghe, id est vallis, vel profundum: Duma, id est taciturnitas: Zalmaveth, id est umbra mortis: Erets tachtich, id est terra inferior; et Erets tzia, id est terra sitiens. Hæ sunt septem mansiones impiorum, et septem iustorum. Cuilibet autem iuxta opera eorum, domus mansionum ipsorum.* Ita Rabbini rabbinice.

III. Et genuina. Tertio, et genuine, S. Hieron. Maldon. Perer. et alii, per doctos intelligunt doctores, ut idem dicatur sequenti hemistichio quod dictum est priori, more Hebræo. Probatur Primo, quia Hebr. משכלים *maschilim*, non tantum doctos, sed et docentes significat: non enim doctis, sed docentibus præmia dari convenit, ait Maldon. Secundo, quia plane alludit Daniel ad doctos tempore Antiochi et Antichristi; de quibus dixit c. 11. 33. *Et docti in populo docebunt plurimos:* in tanta enim persecutione doctorum omnium officium erat, docere et confirmare alios in vera fide; tunc ergo omnes docti erant et aliorum doctores, partim verbo, partim exemplo. Tertio, quia proprie non est alius splendor firmamenti, quam stellarum et a stellis: nubes enim candida non est splendor firmamenti, sed lux et candor. Unde Sept. vertunt, *et intelligentes fulgebunt sicut splendor firmamenti, et a iustis multis quasi stellæ in sæcula.* Id magis patebit in sequent. Quamquam probabiliter censet Scholiast. in editione Septuag. per Caraffam, Sept. τὸ δικαίων, id est *iustis*, posuisse pro δικαιαζόντων id est *iustificantibus*, hoc est, ad iustitiam erudientibus, ut habent Hebræa et noster.

Nota Primo. Docti sive intelligentes, puta qui veritatem intelligunt, sacrumque Dei nomen, ut ait S. Clem. lib. 5. Constit. Apost. c. 6. puta Deum, Deique legem, ut explicat Turrianus; hic intelliguntur non speculative tantum, sed et practice, quæ est scientia Sanctorum, Sap. 10. 10. et sapientia ac prudentia iustorum, Lucæ 1. 17. cuius passim meminit Sapiens in Proverbiis. Hi ergo docti sunt ii, qui eruditi sunt in lege Dei, ea ratione, ut eam in praxin deducant et observent, ita ut quo sunt doctiores, eo sint et sanctiores. Hi fulgebunt præ aliis iustis, uti splendor firmamenti fulget præ ipso firmamento. Rursum iidem, qui actu non unico, sed crebro et continuo ad iustitiam erudiunt multos, sive ut hebr. est מצדיקי *matsdike*, id est *qui iustificant multos*, id est qui sua doctrina et exhortatione, æque ac exemplo peccatores convertunt, eosque faciunt iustos, vel iustiores; ac nominatim qui in tentatione ac persecutione alios in fide et iustitia confirmant; sive publice in scholis, uti faciunt doctores; sive in templis, uti faciunt concionatores, et catechistæ; sive privatim in confessione, colloquio, mensa, domo, etc. hi fulgebunt quasi stellæ aliis præfulgentes, aliosque illuminantes, in perpetuas æternitates.

Doctores hic practici intelliguntur, non speculativi. Angelus ergo hic proprie non loquitur de iis qui docent profana, aut humana iura, Philosophiam, aut Theologiam modo tantum speculativo et scientifico; sed de iis qui ea ad praxin dirigunt, iisque quasi escis et setis, in discipulorum animis inducunt et inserunt Dei timorem et pietatem, uti faciunt viri religiosi, qui sæculares scientias hoc fine docent. Hi enim sæcularibus miscendo pia monita, documenta et exhortationes, auditores suos erudiunt et efformant ad iustitiam, eosque iustos et sanctos, æque ac doctos efficiunt. Nam, ut ait S. Dion. *Divinarum omnium perfectionum divinissima est, Dei cooperatorem esse in reductione animarum ad creatorem:* estque angelicum opus alios purgare, illuminare, perficere. *Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, et quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam, tantum nocet si destruentibus non resistat*, inquit S. Hieron. ad Paulinum. Hi ergo sunt Cherubini simul et Seraphini. Talis fuit S. Bonavent. doctor Seraphicus: tales decet esse omnes doctores Theologos, præsertim Religiosos. Porro Syrus vertit: *Factores bonorum, et intelligentes lucescent ut lumen firmamenti; et qui iustificant multos, erunt fulgentes, et stantes sicut stellæ in sæculum, et in sæculum sæculorum;* Arabicus Antiochenus: *Qui habent sensum* (rationem) *lucebunt ut lux cæli; et sicut iustificant multos, erunt nitentes velut sidera, et*

Angelicum est alios purgare, illuminare, perficere.

perdurabunt in sæculum sæculorum; Arabicus Alexandrinus: *Sensati et factores boni lucebunt ut lumen cæli; et qui iustificati sunt plurimum, habebunt hoc* (lumen) *velut sidera, et perdurabunt in sæculum.* Sanctorum ergo Doctorum gloria et claritas erit instar stellarum, in quibus lux est densior, et ad res alias illuminandas efficacior: sic enim et hi, uti in omnium quos erudiunt ad iustitiam, meritis quodammodo merentur; ita eorum omnium coronis et ipsi coronabuntur, ait Dion. Carthus. Et sicut in terris, cæteris quasi stellæ illustres præluxerunt per sapientiam et gratiam, ita in cælo, iisdem pariter quasi stellæ radiantes prælucebunt, per illustrem coronam et gloriam.

Doctores maxime hiuc sunt qui alios excitant ad constantiam et martyrium.

Nota Secundo. Loquitur hic angelus de iis qui tum verbo, tum exemplo, præsertim constantiæ, in virtute, iustitia, sanctitate, et lege Dei usque ad mortem et martyrium alios docent et corroborant. Hi enim verbis et factis docent et ostendunt quam breves, viles et exiles sint omnes opes, deliciæ et pompæ terrenæ, nimirum eas esse meros fumos et bullas puerorum, quæ exterius turgidæ et magnæ videntur, cum interius sint inanes et vacuæ, nec nisi aerem et ventum contineant: pari enim modo mundanæ opes et honores, pompa sua externa quid magni ostentant, sed intus carent substantia, veritate et soliditate. Hi docent vera, solida et æterna bona esse in cælis, quæ Deus promisit contemnentibus terrena. Hi verbis et factis S. Script. docent quantum bonum sit virtus, Deique timor et amor, ac quantum malum sit peccatum, Deique immensi offensa et ira. Denique hi in persecutionibus reipsa docent, tormenta omnia esse brevia, exilia præ magnitudine æternæ gloriæ, quam certo expectant, illudque Apostoli classicum tam fortiter patiendo omnia tristia et dura, quam exhortando cunctis insonant: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Momentaneum enim et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ita fecerunt S. Sebastianus, Vincentius, Laurentius, primique Pontifices Romani: hæc enim est vera doctrina et sapientia sanctorum. Alludit enim angelus ad Levitas Machabæos, aliosque doctores et Martyres, qui fuerunt tempore Antiochi, eruntque tempore Antichristi, de quibus dixit cap. præcedenti v. 33. *Et docti in populo docebunt plurimos, et ruent in gladio et in flamma;* et vers. 35. (utrobique enim est in Hebræo eadem vox quæ hic, puta *maschilim*) *Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur.* Hi enim sunt doctores divini, ideoque fulgebunt ut stellæ in æternum. Imo aliqui, ut Alcazar supra citatus, vult de iis solis, puta de Mathathia et Machabæis, hic agi: et Maldonatus per doctos et doctores hos accipit eos, qui alios docent suo exemplo, præsertim Martyres. Hoc est quod de iis sancit aitque Christus Matth. 5. 19. *Qui fecerit et docuerit* (legem et mandata Dei) *hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Nam de aliis, qui verbo docent, vita dedocent, ait ibidem: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.*

Nota Tertio. Maiorem gloriam habebunt hi docti et doctores quam plebeii, rudes et indocti, non tantum accidentalem, sed et essentialem. Ratio est, quia hæc eorum doctrina, cum sit practica et affectuosa, maiorem involvit charitatem, gratiam et spiritum: hoc enim impulsi alios docent, eosque eodem, puta Dei et cælestium cognitione et amore, imbuunt: maiori autem gratiæ et charitati maior a Deo promissa est, quasi merces, beatitudo et gloria essentialis. Alioqui si quis plebeius et rudis, v. g. rusticus, maiori præditus sit gratia et charitate, quam doctor et concionator (quod non raro fit in iis qui toti speculationi aridæ, aut verborum concinnitati et flosculis student) maiorem pariter quam doctor consequetur gloriam essentialem; etsi accidentalem doctoris lauream non sit obtenturus. Hi ergo Danielis docti et doctores fulgebunt primo, maiori lumine gloriæ in anima; secundo, maiori gloria corporis; tertio, propria aureola. Tres enim sunt aureolæ, scilicet doctorum, virginum et Martyrum, uti docent Doctores. Porro aureola hæc erit peculiaris gloria

A

Aureola Doctorum, Virginum, Martyrum quæ?

animæ et corporis, decor et corona instar stellæ: atque probabile est in Martyribus fore, ut ait S. Aug. serm. 1. de omnibus Sanctis, coronam in capite, et ut Domin. Soto docet in 4. dist. 49. in fine, in Martyribus claritate toto corpore fore subrubeam et purpuream instar rosarum; in virginibus claritatem fore candidam instar liliorum; in doctoribus claritatem fore stellatam, et viridem instar lauri. Erit enim, ait D. Soto, in corporibus Sanctorum color lucidus et lux colorata. Dos ergo claritatis virginum erit albicans, Martyrum rubea, doctorum viridis. Idem docet Ioseph. Angles qu. de Beatit. art. 6. in fine. Similia de aureolis hisce docent Paludan. in 4. dist. 49. q. 8. art. 4. S. Antonin. 3. p. tit. 30. c. 8. Henriquez tract. de fine hominis c. 27. §. 8. Bonav. in Breviloquio cap. ult. Maior in 4. dist. 49. qu. 23. in fine. Addit Soto: Et forte virgines gestabunt lilia, Martyres palmas, doctores laureas aut virides ramos. Nam, ut ait S. August. serm. 1. de omnibus Sanctis: *Floribus cæli nec rosæ, nec lilia desunt. Certent singuli ad utrosque honores amplissimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas: in cælestibus castris pax et acies habent suos flores,* sed nostris præstantiores, nobisque incognitos, *quibus milites Christi coronantur.* Et S. Ambros. in cap. 12. S. Lucæ: *Ubi,* ait, *integritas, ubi castitas, ubi religio, ubi fida sacrorum silentia, ubi claritas angelorum est, illic Confessorum violæ, lilia Virginum, rosæ Martyrum sunt: sunt enim spinæ rosarum, quia tormenta sunt Martyrum.*

Claritas Martyrum erit rubea. Virginum candida. Doctorum viridis.

B

B. Virgines cum liliis, Martyres cum rosis apparuerunt.

Hac de causa virgines beatæ cum liliis, Martyres cum rosis sæpe apparuerunt. Ita apparuit S. Agatha S. Dignæ, eique porrigendo rosam et lilium, eam ad Martyrium et virginitatis bravium invitavit. Audi Eulogium, et ex eo Baron. anno Domini 853. Cum Saraceni sævirent in Ecclesiam Cordubensem, inter cæteros Martyres virgo quædam adolescentula, merito et nomine Digna, Deo revelante et confortante ad palmam processit. Paulo namque ante martyrium suum assistere sibi per somnium videt puellam, habitu et specie percomptam angelica, rosas et lilia manu gestantem. Quam cum de nomine causaque sui exploraret adventus: *Ego sum,* inquit, *Agatha olim propter Christum diris attrita suppliciis, et nunc veni partem tibi purpurei muneris huius conferre: accipe libens donarium, et viriliter age in Domino. Nam reliquias rosarum et liliorum, quas in manu servo, post te ex hoc loco datura sum migraturis.* Tali virgo sacra visu ac munere illustrata, cum e dextera colloquentis rosam susciperet, magis humiliabat sese, dicebatque cum lacrymis: *Nolite me Dignam vocare, sed magis Indignam, quia cuius meriti sum, etiam nomine debeo insigniri.* Et cum a die revelationis suæ amore compuncta martyrii, tacito cogitamine quibus ad id posset indiciis adspirare, sæpius ruminaret; apertis silenter cœnobii claustris, cum iam beatos pendere comperisset Martyres, concito gradu iudicem petens: cur fratres suos, præcones iustitiæ trucidaverit, assertione intrepida percontatur. *An quia,* inquit, *Dei cultores existimus, sanctamque fideliter colimus Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum et verum Deum fatentes; et omne quod ab hac credulitate dissentit, non solum negamus, verum etiam detestamur, maledicimus et confundimus, idcirco confodimur?* Hæc et his similia sancto et immaculato ore disserente puella, nihil cunctatus arbiter lictoribus decollandam committit, qui mox delicatis inferunt iugulum collis. Nec mora, consternatis corruens membris eculeo deorsum versa suspenditur, cæterisque trans flumen adsciscitur. Hoc namque ordine hi tres advocati, Anastasius scilicet presbyter, Felix monachus, et Digna virgo beata eodem die dispariter ceciderunt. Huc usque Eulogius.

C

D

Sub annum Domini 304. passa est Cesareæ in Cappadocia S. Dorothea virgo et Martyr, cui, cum duceretur ad supplicium Theophilus advocatus Præsidis irridens dixit: *Eia tu sponsa Christi mitte de paradiso sponsi tui rosas;* et Dorothea respondit: *Plane ita faciam.* Cum venisset ad ictum percussoris, rogavit carnificem, ut permitteretur

breviter precari: absolutaque oratione ecce puer ante eam apparuit ferens in orario tres rosas elegantissimas (erat autem hiems: passa est enim 6. Februarii) Cui illa ait: *Obsecro te ut feras ea Theophilo, et dicas ei: Ecce quod a me petiisti, ut tibi de sponsi mei paradiso transmitterem.* Ipsa autem percussa gladio perrexit ad Christum. Interim puer rosas ad Theophilum defert dicens: *Ecce sicut promisit virgo Dorothea, ita transmittit tibi hæc de paradiso sponsi sui.* Eas excipiens Theophilus exclamavit: *Vere Deus Christus est, et non est simulatio in eo.* Unde captus eculeo tortus, et gladio cæsus Martyr ad Dorotheam in paradisum evolavit. Ita habet vita S. Dorotheæ.

Similiter angelus offerens S. Cæciliæ et Valeriano eius sponso duas coronas e rosis et liliis contextas, eos invitavit ad virginitatem, et ad martyrium, uti habent acta S. Cæciliæ.

Doctorum stellatorum exempla. Vis harum stellarum exempla? accipe. Primo, Christus doctor doctorum, iam gloriosus de seipso ait Apocalyp. 22. 16. *Ego sum stella splendida, et matutina.* Secundo, Ecclesia, quæ est columna et firmamentum veritatis, apparuit S. Ioanni Apocal. 12. 1. quasi mulier habens in capite *coronam stellarum duodecim,* puta duodecim Apostolorum, qui Ecclesiæ doctores, ei quasi stellæ præfulserunt, et præfulgebunt in æternum. Audi S. Chrysost. hom. 1. de Pentecoste, sub finem tomi 3. *Quæ,* ait, sunt *tales stellæ sicut Apostoli? Stellæ in cælo, Apostoli super cælos. Quæ sursum sunt, inquit Apostolus, sapite, ubi Christus est in dextra Patris sedens. Stellæ de igne* (ex sententia Platonicorum, iuxta quam Poeta: *Vos æterni ignes) insensibili, Apostoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obscurantur: Apostoli in die et in nocte suis radiis, hoc est virtutibus, effulgent. Stellæ orto sole obscurantur: Apostoli sole iustitiæ resplendente sua claritate lucescunt. Stellæ in resurrectione cadent sicut folia: Apostoli in resurrectione rapientur in aera nubibus. Et in illis quidem sideribus alius Antifer, alius Lucifer appellatur: in Apostolis autem nullus Antifer est, omnes Luciferi. Et ideo stellis maiores Apostoli: et quicumque eos luminaria vocaverit mundi, non peccabit, non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc quando de vita migrarunt.*

1. Christi. 2. Apostolorum duodecim.

3. Mosis. Tertio, Moses legislator et doctor veteris testamenti præfulsit ut stella dum facies eius a Deo radios et quasi cornua lucis accepit, Exodi 34. v. 29. Quarto de Simone Oniæ filio, insigni doctore et pontifice ait Eccles. cap. 50. v. 6. *Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.* Quinto, Apocal. 1. v. 20. *Septem stellæ septem angeli* (hoc est doctores et Episcopi) *sunt septem Ecclesiarum Asiæ.* Sexto, S. Dominicus nobili cuidam matronæ in visu apparuit luculentam stellam in fronte gerens, cuius immodico splendore totus orbis irradiabatur, ut habet eius vita lib. 1. cap. 1. et cap. ult. in fine. Septimo, S. Nicolaus Tolentinas, qui verbo et sancta austeraque sua vita multos erudivit ad salutem, in cella sua dormiens vidit sidus radiantissimum: vigilans vero vidit stellam, quæ quotidie motu recto ipsum antecedebat usque ad altare, deinde stella hæc post mortem eius, ipso die obitus quotannis ad tumulum eius visa est. Idem sex mensibus ante mortem, qualibet nocte ante preces nocturnas audivit angelos suavissime canentes, ipsumque invitantes ad suum in cælis consortium; ita ut ipse ad eos aspirans diceret: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Nimirum angeli amant doctores, utpote qui angelorum apud homines officio perfunguntur. Octavo, Abbas Polychron. in Prato spirit. cap. 6. narrat de sancto quodam monacho, super cuius defuncti caput stella, quasi comes itineris apparere non destitit, donec ipsum sepulturæ traderent. Et cap. 104. narrat Abbas Theodotius se vidisse stellam lucidissimam super caput Noni presbyteri. Alius ibidem vidit eumdem Nonum extensis in cælum manibus orantem: *Lucebant autem manus eius quasi lampades ignis.* Nono, in morte S. Thomæ Aquinatis, visa est viro cuidam religioso stella incumbens monasterio, quæ eo animam exhalante in cælum ascendebat: unde ipse, licet absens, S. Thomæ obitum æque ac gloriam cognovit. Ita refert Ferdin. Castiglius in histor. Ordin. S. Dominici p. 1. lib. 3. c. 33. Vide dicta Numer. 24. 16. *Orietur stella ex Iacob.* Decimo, B. Virgo Maria, id est domina, doctrix et stella maris, imo orbis, Allegor. est mulier amicta sole, et coronata stellis duodecim Apocal. 12. ac toto corpore, totaque anima innumeris dotibus tam gloriæ quam gratiæ, quasi stellis lucidissimis coruscat, ut de ea vere cecinerit poeta:

4. Simonis Oniæ. 5 Episcoporum Asiæ septem. 6. S. Dominici. 7. S. Nicolai Tolentinatis. 8 9. S Thomæ Aquinatis. 10. B. Mariæ Virginis.

Tot tibi sunt dotes Virgo, quot sidera cælo.

Denique stellæ significant doctores et pastores esse oculos Ecclesiæ, sicut dux est oculus exercitus, et stella est oculus cæli. Hinc Demas insignis orator, mortuo Alexandro Magno, Macedonum doctore et ductore, eorum exercitum comparavit cum Cyclope, cui effossus est oculus. Rursum stella cælestis significat eos e cælo a Deo doceri, duci, regi, eiusque instinctu et spiritu agi, ut auditorum corda illustrent, convertant, iustificent. Ad hoc enim vis humana non sufficit, sed divina requiritur.

In perpetuas æternitates.) Hebr. est, *in æternum et ultra,* id est, in omnem æternitatem, et ultra eam si quid esse aut fingi posset; vide dicta Exodi 15. 18. Ecce quam modicus labor, quam modica passio, quantum parit gloriæ pondus. Quia doctores sunt *satores æternitatis* beatæ, ut ait S. Hilar. hinc et eiusdem erunt messores. Maxima enim cæcitas et ignorantia quam homines trahunt ex Adamo, est, quod bona præsentia vilia, fluida et brevia præferunt veris, solidis et æternis: tantum enim intuentur pompam et speciem externam rerum, non res ipsas, instar puerorum, qui ex sapone et aqua bullas inflant, easque sectantur, quæ vento turgidæ mox tenues vanescunt in auras: ac instar canis Æsopici, qui carnem ore tenens videnseque eius umbram maiorem, carnem dimisit ut umbram caperet: ita et homines bullas et umbras rerum sectantur, non res ipsas ac proinde utrasque amittunt. Præclare S. August. serm. 39. de temp. *Tota,* ait, *series Scripturarum nos a terrenis ad cælestia erigi adhortatur, ubi vera et sempiterna est beatitudo, ad quam nisi per fidem Catholicæ pacis, cooperante charitate Dei et proximi, neminem pervenire certissimum est.* O quam gloriosum est regnum in quo cum Christo doctore doctorum regnant omnes Sancti, fulgent omnes doctores ut stellæ, ut soles in perpetuas æternitates! o Israel quam magna, quam diuturna est domus Dei, quam ingens locus possessionis eius! qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. O æterna sapientia, Iesu amor noster doce nos, da ut et alios doceamus ad iustitiam; ac tandem duc nos in Sancta sanctorum, ut ibi fulgeamus quasi stellæ in sæcula sæculorum.

Claude sermones, et signa librum.) Hæc clausura et signatio significat, Primo, longinquitatem prophetiæ, quod scilicet ea quæ in illa prædicuntur, post multa tempora sint eventura: ideo enim iussit eam signari angelus cap. 8. 26. Sic apud veteres liber obsignatus erat hieroglyphicum antiquitatis, ait ex Horo Pierius hierogl. 47. cap. 36. eo quod in eo vel veteres sapientum disciplinæ, vel res gestæ, longæ posteritatis memoriæ commendentur, atque ita liber, ut ait Horat. *longum scriptori proroget ævum.* Secundo, eiusdem obscuritatem: quæ enim clausa sunt, obscura et impervia sunt. Hac de causa hæc eadem vidit S. Ioannes in libro signato septem sigillis, Apocal. 5. 1. Tertio, eiusdem certitudinem: certa enim habentur quæ obsignata sunt, ut patet cap. 8. 26. q. d. O Daniel hæc omnia quæ a capite decimo huc usque tibi revelavi, æque obscura sunt, ac longinqua et certa: quare sub figuris ea signa et claude, id est conscribe ænigmatice, ut legentes non intelligant, q. d. Hæc non bene cognoscentur ante *tempus statutum,* scilicet legis novæ, ait Theodor. in quo mysteria sacræ Scripturæ Christus aperiet: nec plene ante *tempus statutum,* quo ea quæ hic prophetata sunt, reipsa complebuntur, præsertim ea quæ de resurrectione bonorum et malorum, deque Doctorum gloria hic prædicuntur futura in fine mundi. Unde Pagu.

Vers. 4. Signatio libri significat primo, eius longinquitatem; secundo obscuritatem; tertio, certitudinem.

vertit, *usque ad tempus finis;* Septuag. *usque ad tempus consummationis.* Quocirca prius plurimi pertransibunt et perlegent hasce prophetias, earumque multiplicem scientiam, id est interpretationem, afferent. Ita nimirum cum hæc scriberet Daniel, nemo ea intelligebat: post Antiochi tempus intelligi cœpta sunt quæ ad eum eiusque antecessores pertinent: ea autem quæ de Antichristo dicta sunt, necdum intelliguntur; intelligentur autem tempore Antichristi: ita Maldon. Nam, ut ait S. Iren. *Omnis prophetia priusquam compleatur ænigma est: cum autem completa est, manifestam habet expositionem et intelligentiam.*

Sphinx ænigma silentii rerum sacrarum. Ita veteres Ægyptii in foribus templorum pingebant sphinges, ut significarent divina dogmata, oracula et mysteria abstrusa et abdita esse; atque in arcanis dumtaxat inter sapientes religionis cultores tractanda: et quia Augustus Cæsar erat silentii rerum sacrarum amantissimus, hinc sphingem ferebat sculptam in annulo, quo literas signabat. Erat enim sphinx monstrum, capite et manibus simile puellæ, corpore cani, alis avi, unguibus leoni, cauda draconi, voce homini; quod homines prætereuntes difficilibus et inextricabilibus quæstionibus remorari ferebatur; ita Pierius hierog. 1. et 7. Moraliter, docet hic Deus illud dogma Ptolemæi initio Almagesti: *Tuum consilium non committas nisi ei, qui ipsum celaverit,* puta sapientibus et iustis: *Iustorum enim corda secretorum monumenta,* ut ibidem ait Ptolemæus.

Vers. 5. Et ecce quasi duo alii stabant.) Censet S. Hieron. duos hosce viros stantes adversim in utraque fluvii ripa fuisse duos angelos, scilicet principem regni Græcorum, et principem regni Persarum; qui Iudæorum liberationi adversabantur, uti dixit angelus cap. 10. 13. et 20. tertium vero eis in ripa astantem fuisse angelum Hebræorum, qui a cap. 10. huc usque cum Daniele locutus est, quem verisimile est fuisse Gabrielem, ut colligitur ex c. 8. v. 16.

Aliter Alcazar in Apoc. 10. v. 1. notat. 2. censet enim ipse hos duos viros in ripa stantes significare reges Austri et Aquilonis, hoc est Ægypti et Syriæ, qui bellorum tumultu Dei populum utrinque captum in maxima pericula, calamitates et ærumnas coniecturi erant, uti audivimus c. præcedenti. Hi duo obsistunt angelo stanti super aquas ne ad alterutram ripam evadat, hoc est obsistunt Iudæis (hos enim repræsentat ipse eorum angelus) ne ex hoc bellorum bivio manus alterutrius evadant. Verum hæc spectant ad tempora Antichristi, uti patet ex prophetiæ decursu.

Vers. 6. Et dixi, scilicet ego Daniel: ita et Septuag. sed Hebræa iam habent ויאמר *vaiomer, et dixit,* scilicet alter duorum angelorum stantium in ripa, viro qui erat indutus lineis, hoc est angelo Hebræorum, qui cum Daniele loquebatur, ut patet cap. 10. 9. qui stabat super aquas fluminis.) Puta Tigris, ut patet cap. 10. v. 4. ibi enim degebat Daniel; idque ut designaret: Primo, omnia imperia celerrime decurrere, uti velocissime decurrit Tigris. Secundo, Iudæos gentem suam, fluctibus aquarum, id est ærumnis tribulationum et persecutionum, iactari.

Usquequo finis horum mirabilium?) Quando hæ res mirabiles, quas prædixisti, evenient? Secundo, et potius, q. d. Quamdiu durabit, et quando finietur atrox illa persecutio Antichristi, quam tam operose et horride descripsisti? Huic enim quæstioni respondet mox angelus dicens: *In tempus, et tempora, et dimidium temporis.* Brevitas enim tribulationis, si præsciatur, valde eam alleviat: unde propter electos breviabit Deus diem persecutionis Antichristi, ne illi succumbant, Matth. 24.

Vers. 7. Cum elevasset dexteram et sinistram.) Cum elevata manu dextra et sinistra iurasset. Dextra elevata solemus iurare: hic vero angelus etiam sinistram levat tum ob rei gravitatem, tum ad iuramenti confirmationem. Iuramentum ergo hoc significat Dei decretum de hisce oraculis, rebusque futuris immutabile esse et irrevocabile.

Quia in tempus.) Refer hæc ad *audivi,* q. d. Audivi angelum cum iurasset dicentem: *Quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis,* id est per annum, et duos annos, et dimidium anni, hoc est, per tres annos cum medio durabit persecutio Antichristi de qua quæris.

Alcazar in Apocal. 11. v. 2. not. 2. censet hic agi ad literam de persecutione Antiochi: licet enim profanatio templi ab eo facta duraverit tantum tribus annis, uti dicitur 1. Machab. 4. 52. et testatur Ioseph. lib. 12. Antiq. cap. 10. alias 11. tamen profanatio urbis Hierosolymæ duravit tres annos cum dimidio. Tamdiu enim ipse urbem et arcem Sion occupavit, et divinum cultum inhibuit, uti diserte docet Ioseph. in prologo lib. de Bello, et cap. 1. Consequenter quod dicitur hoc cap. v. 13. *Beatus qui expectat, et pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque;* refert ipse ad arcis Sionis instaurationem, quæ ad maius templi præsidium et propugnationem fuit facta, mox ut templum fuit expiatum, uti liquet 1. Machab. 4. 60. et apud Ioseph. l. 12. cap. 10. alias 11. Verum passim Catholici, tam moderni quam veteres, hæc referunt ad persecutionem Antichristi, idque pluribus demonstravi cap. 7. 25.

Et cum completa fuerit dispersio manus populi.) *Manus,* id est multitudinis: quia enim de bello agebat, militari usus est vocabulo, q. d. Cum plurimi Christiani dispergentur in solitudines et speluncas, ut cedant furori Antichristi, Apoc. 12. 6. tunc ea quæ hic prædico, complebuntur tumque Dei electi in tribulatione dealbabuntur et purgabuntur quasi in igne, ut dixit cap. 11. 35. et rursum hic dicit v. 10. Theodor. legit, *cum perfecta fuerit dissipatio populi sanctificati, cognoscent sanctum,* scilicet Eliam Prophetam, inquit, qui fideles fugientes Antichristum confortabit.

Et ego audivi, et non intellexi; præsertim id quod Vers. 8.
rogavi vers. 6. et quod iterum hic rogo: Quid erit post hæc?) Id est, *quis erit finis horum mirabilium?* ita Hebræa, et Theodotion. Unde sequitur:

Clausi sunt signatique sermones usque ad præ- Vers. 9.
finitum tempus.) q. d. Nemo hæc plene intelliget, donec adveniat tempus a Deo præfinitum, quo ea reipsa evenient. Vide dicta v. 4.

Neque intelligent omnes impii.) Impii et Antichri- Vers. 10.
stiani non intelligent hanc prophetiam, etiam cum viderint ea quæ hic dicuntur, evenire; quia prospera referent in Antichristi potentiam, et in hominum consilia; adversa in casum et fortunam, aliasque causas naturales.

Porro docti intelligent.) q. d. Pii et sapientes Christiani intelligent mysteria huius prophetiæ, cum ea viderint impleri; quia tunc agnoscentes Dei providentiam levabunt capita sua, et cognoscent redemptionem suam appropinquare, Danielisque prophetiam impleri, uti in simili a Christo moniti fuerunt Matth. 24. 15.

A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, Vers. 11.
etc. Syrus vertit: *A tempore quo transibit oblatio* (sacrificium) *dabitur profanatio* (abominatio) *in corruptionem* (desolationem) *dies mille ducenti nonaginta;* Arabicus Antiochenus: *Et a tempore in quo mutatur sacrificium, dabitur in immunditiam in desolationem dies mille ducenti nonaginta;* Arabicus Alexandr. *Considerabunt in tempore quo transibit oblatio, et faciet malitiosus immunditiam et corruptionem, dies mille ducenti nonaginta.*

A tempore.) Porphyrius, et aliqui Catholici hæc intellexerunt de tempore Antiochi, qui sacra Iudaica sustulit. Alius quidam putat hic designari tempus, quo Romanorum contra Iudæos bellum duravit: si enim a 13. Neronis anno quo cœpit bellum hoc, usque ad secundum Vespasiani, quo debellata captaque est urbs, totaque Iudæa, tempus numeres, tres annos cum medio reperies. Verum ex v. 2. patet hic agi de fine mundi. Sicut ergo c. 9. 27. prædicit Daniel fore abominationem desolationis in templo, in excidio per Titum; et rursum c. 11. 13. in excidio per Antiochum Epiphanem; ita hic ait eamdem tertio fore in excidio per Antichristum, cuius illa duo priora fuerunt typus et præludium. Triplex ergo, sive ter repetita est hæc abominatio desolationis apud Danielem; primo sub Antiocho; secundo sub Tito; tertio sub Antichristo.

Dico ergo, per *iuge sacrificium,* hic intelligi sacrificium

Antichristus tollet sacrificium Missæ.

Eucharistiæ. Hoc enim est iuge, quia in Missa quotidie per totum orbem in Ecclesia Christus offertur, sicuti olim quotidie offerebatur iuge sacrificium agni, Exodi 29. 38. Unde Græca habent ἐντελεχισμός, id est continuitas, sive continuus Dei cultus. Significat ergo, quod Antichristus cum plenus erit monarcha, auferet sacrificium Eucharistiæ, ita ut nullus publice hoc facere audeat: ac consequenter tollet omnem publicum Dei cultum: ita S. Hier. Theodor. Irenæus lib. 5. Primas. in cap. 11. Apocal. et Hippolytus tract. de Consummatione sæculi. Unde patet, cuius prodromi sint nostri hæretici Sacramentarii, qui non tantum sacrificii Missæ usum, sed et substantiam ac veritatem abolere et evertere moliuntur. Porro faciat id Antichristus: Primo, quia solus coli volet sacrificiis, precibus, etc. Secundo, ut aboleat locupletissimum passionis et redemptionis Christi monumentum: hoc enim est Eucharistia. Tertio, ut fideles cibo hoc spirituali, qui fideles in tentatione et persecutione mire corroborat, privet; itaque eos deiiciat, sibique subdat: Quare fideles tunc privatim in speluncis et locis abditis Eucharistiam celebrabunt, eaque se contra Antichristum communient, dicentque illud psal. 22. 5. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me*, uti olim fecerunt sub Decio et Diocletiano.

Cur? Resp. 1. 2. 3.

Desolatio Antichristi durabit tres annos cum medio.

Et posita fuerit abominatio in desolationem.) *Abominatio*, id est idolum, puta Antichristus ipse, qui vice Christi coli volet ut Deus, idque *in*, id est *ad desolationem*, ut scilicet omnia bona perdat et desolet. Ab hoc ergo tempore, et initio, usque ad finem persecutionis Antichristi, erunt dies mille ducenti nonaginta, id est tres anni cum dimidio (uti dixit c. 7. v. 25.) hi enim præcise faciunt dies 1278. sed ulterius excrescet persecutio per dies duodecim, scilicet usque ad dies 1290. Unde et S. Ioannes Apocal. 11. 2. docet Antichristum regnaturum per 42. menses, qui faciunt tres annos cum medio: ita Theodor. et Hieron. item Primasius, Beda, Anselm. Aretas, Richardus, Rupert. et alii in Apocal. 11. de quo ibidem plura dixi.

Porro S. Ambros. l. 10. in Lucam, Nazianz. in scholiis super quædam Script. loca, Damascen. lib. 4. 27. et alii asserunt, quod olim Iulianus Apostata in odium Christi aggressus est, id Antichristum perfecturum, scilicet, ut templum Salomonis rursum ædificet, et in eo sibi deitatis solium constituat, ibique ab omnibus adoretur quasi rex orbis, quasi Christus salvator hominum, quasi Deus denique omnium. Sed sive in hoc, sive in alio templo id faciat, clarum est et certum id eum facturum. Nam de eo ait Apost. 2. Thessal. 2. 4. *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Vide ibi dicta.

Nota. Breve tempus statuit Deus huic persecutioni, ne sineret suos fideles tanta tentatione nimis diu premi et opprimi: erit enim immanis, et tanta, *ut in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi*, Matth. 24. 24.

Aliqui censent, totum tempus legis Evangelicæ vocari dies 1290. sive tres annos cum dimidio, id est dimidiam hebdomadam, quia ut ait S. Ioannes, nunc est novissima hora, cum iam venerit plenitudo temporum, nec sit iam nobis alia lex, alia Ecclesia, alius Christus expectandus, q. d. Ab abominatione desolationis, id est ab eversione templi per Titum, usque ad finem mundi, erunt dies 1290. id est explebitur ultima dimidia hebdomada ex illis 70. de quibus dixi cap. 9. 24. Verum hæc expositio nova, peregrina et hiulca videtur: tum quia angelus hic agit de tempore Antichristi, et fine mundi; tum quia hæc sententia dimidiam hebdomadam ab aliis 70. divellit, iisque omnibus longe maiorem efficit; tum quia iuxta eam angelus non 1290. dies, sed dimidiam hebdomadam dicere debuisset.

Vers. 12.

Dies 1335. qui?

I. Sententia.

Usque ad dies mille trecentos triginta quinque.) Iudæi aliqui diem pro anno accipiunt, sicque exponunt, q. d. A tempore quo vel ab Antiocho, vel ab Adriano Imperatore, idolum positum fuit in templo, fluent anni 1335. quibus expletis veniet Messias. Sed hoc figmentum redarguit chronologia; nam ab Antiocho usque nunc fluxerunt anni 1770. et amplius: ab Adriano vero anni 1480. et amplius: et tamen eorum Messias needum comparet.

Secundo, aliqui Catholici censent angelum per tres numeros indicare tria tempora, scilicet per 1300. dies indicare totum tempus a Christo usque ad Antichristum; per triginta indicare totum tempus, quo regnaturus est Antichristus; per quinque ultimos indicare vitæ beatæ possessionem, et quidquid post finem temporis futurum est. Verum hæc nova expositio vel mystica, vel commentitia videtur. II.

Tertio, Theodor. opinatur per hosce dies, interempto iam Antichristo, Eliam prædicaturum, et conversurum eos qui lapsi fuerunt sub Antichristo. Sed fallitur: nam Elias occidetur ab Antichristo, ut patet Apocal. 11. 7. III.

Huc accedit Thomas Malvenda lib. 11. de Antichristo c. 19. qui censet tot dies, puta 1335. post mortem Antichristi superfuturos usque ad diem iudicii; sicque exponit, q. d. Beatus erit qui post mortem Antichristi, et post elapsos 1290. dies tyrannidis Antichristi, supervixerit alios 1335. dies: nam videbit Dominum in maiestate venturum ad iudicium, ut angelus hic Danieli revelet et significet, quod a morte Antichristi et restitutione iugis sacrificii usque ad diem iudicii, præcise fluent 1335. dies, hoc est tres anni, et septem menses cum dimidio. Hic sensus non est improbabilis; sed novus, nec satis hosce dies cum 1290. immediate præcedentibus colligat et combinat; quod tamen videtur facere angelus.

IV. Et vera.

Dico ergo, angelum respicere ad dies 1290. v. 11. quibus regnabit, et fideles persequetur Antichristus, atque fini persecutionis, puta morti Antichristi, superaddere 45. dies, q. d. Beati et felices erunt, qui post mortem Antichristi vixerint: iis enim dabitur requies aliqua, et aliquod tempus quo possint commode animæ suæ salutem quærere, et si sub Antichristo lapsi sint pœnitere; atque ad Deum gloriamque cælestem adspirare: ita Lyran. Carthus. Perer. et alii. Hinc ergo non constat, an a morte Antichristi usque ad diem iudicii, finemque mundi præcise futuri sint 45. dies tantum: nam, ut ait S. Hieron. Daniel dicit post mortem Antichristi 45. diebus fore silentium, et pacem; sed non negat plures fore dies, præsertim cum Ezechiel. cap. 39. 9. post cædem Gog et Magog, qui cum Antichristo cædentur, ponat septem annos. Unde Sibylla lib. 3. oracul. prædixit post Antichristum fœminam viduam regnaturam, quæ aurum, argentum, æs et ferrum in mare proiiciet, tumque secuturum finem mundi, et diem iudicii. Vide dicta Ezech. 39. Quocirca aliqui per 45. dies accipiunt 45. annos, quos dandos censent post Antichristum usque ad diem iudicii, ut lapsi sub eo resipiscant. Si enim post occisum Christum a Iudæis, dati sunt iis quadraginta anni ad resipiscendum, puta usque ad Titum et Vespasianum; cur non totidem et plures dentur toti orbi in fine mundi? Ita illi. Verum cum v. 11. dies 1290. proprie capiantur pro diebus, non pro annis: ergo et hic, dum iidem extenduntur ad dies 1335. Porro 45. dies non sufficient ad convertendum lapsos, ad erudiendum infideles, ad restaurandas vel fundandas Ecclesias toto orbe. *Beatus* ergo erit qui pervenerit ad dies 1290. non quod præcise die 1290. sit futurum extremum iudicium, quo Christus sanctos et electos suos beabit, uti videtur dicere S. Hieron. Sic enim certo et determinate præsciri posset dies iudicii, idque statim ab exordio regni et persecutionis Antichristi; nimirum exinde computando iudicium præcise fore die 1290. Hoc autem repugnat illi sententiæ Christi: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus pater*, Matth. 24. Sed *beatus* erit, eo quod tunc sacerdotes et concionatores e latebris suis prodeuntes colligent fideles, et publice concionabuntur, lapsosque sub Antichristo per pœnitentiam Ecclesiæ restituent; infideles vero incitabunt ad fidem Christi capessendam, utpote qui tum videbunt se ab Antichristo fuisse delusos. Circa diem ergo 1290. reflorescet Ecclesia, publicusque Dei cultus:

Post mortem Antichristi dabuntur 45. dies ad pœnitendum.

*

quare *beatus* erit qui tunc vixerit, quia absque timore poterit Deum colere, eique se reconciliare. Nam paulo ante, puta statim a morte Antichristi, ante diem 1290. magnus erit ubique timor et pavor retardans homines a fide et religione Christi profitenda; idque vel ob tot hominum plagas, strages et clades recentes, quæ superstites ita percellent, ut attoniti et emotæ mentis videantur: vel quia metuent ne supersint Antichristi principes et asseclæ, qui eius persecutionem promoveant et instaurent: vel quia omnium animi erunt suspensi: non enim scient quænam futura sit religionis, Ecclesiæ et reipubl. conditio vel mutatio: qui, qualesque futuri sint reip. gubernatores et principes; quonam rerum status inclinabit. Unde non audebunt se, suamque fidem vel animum pandere aut profiteri: sed cum videbunt impios plane capita demittere, Episcopos et Doctores cervices erigere, ac publice et intrepide veram fidem concionari, ab eisque publicum Christianæ fidei exercitium restitui (quod fiat sub diem 45. a morte Antichristi) tunc ponentes pavorem et timorem, incipient de Deo deque salute sua cogitare, eamque facile per concionatores et sacerdotes zelosos, quos Deus tunc submittet, consequentur. Vide dicta Ezech. 39. 9.

Si quis malit sequi expositionem S. Hieronymi, ac dicere a nece Antichristi usque ad diem iudicii et resurrectionis præcise fore 45. dies, sane apte exponet τo *beatus*, quia die 45. peracto postero die qui erit Paschatis, Christus electos suos qui in persecutione constantes steterint, vel lapsi pœnitentiam egerint, beabit et glorificabit. Atque ex ea deduces aliquid arcani et miri, nimirum Antichristum occidendum esse peractis Bacchanalibus

A primo die Quadragesimæ, ac deinde reliquos dies Quadragesimæ (ii enim præcise sunt 45.) dandos lapsis ut pœniteant, ac se præparent ad ultimum pascha quo resurgent, iudicabuntur et beabuntur. Nam die eodem quo Christus resurrexit, puta Paschatis, nos pariter resurrecturos, docet Lactantius l. 7. c. 19. Anselmus in Elucidario, et alii quos citabo Apocal. 19. in fine.

Tu autem Daniel vade ad præfinitum.) Vade ad Vers. 13.
mortem omnibus constitutam, q. d. Morieris, o Daniel, antequam hæc eveniant, sed suo tempore resurges, et stabis in sorte electorum et prædestinatorum. Secundo, *in sorte*, id est in ordine et gradu tuo, puta in gradu gloriæ, qui tibi dabitur pro mensura meritorum tuorum; quod Paulus ait, *Unusquisque in suo ordine*. Sicut enim alia claritas est Solis, alia Lunæ, alia stellarum; sic erit et Beatorum 1. Corinth. 15.23. et 41. idque *in finem*, id est
B sub finem, vel, ut Vatabl. vertit, *in finem dierum*, puta in fine mundi, in generali resurrectione, et die iudicii: ita Theod. Vatabl. et alii. Aliqui sic exponunt, q. d. Vade o Daniel, et usque ad præfinitum tempus æquo patientique animo feras tuam ignorationem huius prophetiæ: cum enim tempus finitum erit, tu unus eris ex iis qui ad dies 1335. pervenient, id est qui erunt beati. Sed hic sensus, æque ut alii superius vers. 11. et 12. allati, alienior videtur. Porro Syrus et Arabicus vertunt: *Et tu o Daniel vade ad finem, et quiesce, et surges in tempore tuo ad finem dierum.*

Nota. Angelus cælestem patriam vocat sortem, quia alludit ad eius typum, puta ad terram Chanaan Iudæis promissam, quæ eis sorte distributa est.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Susanna casta falso adulterii a duobus senibus accusata a Daniele puero liberatur et vindicatur.

1. Et erat vir habitans in Babylone, et nomen eius Ioakim: 2. Et accepit uxorem nomine Susannam, filiam Helciæ, pulchram nimis et timentem Deum: 3. Parentes enim illius cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Mosi. 4. Erat autem Ioakim dives valde, et erat ei pomarium vicinum domui suæ: et ad ipsum confluebant Iudæi, eo quod esset honorabilior omnium. 5. Et constituti sunt de populo duo senes iudices in illo anno: de quibus locutus est Dominus: quia egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. 6. Isti frequentabant domum Ioakim, et veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia. 7. Cum autem populus revertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, et deambulabat in pomario viri sui. 8. Et videbant eam senes quotidie ingredientem, et deambulantem: et exarserunt in concupiscentiam eius: 9. Et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. 10. Erant ergo ambo vulnerati amore eius, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum: 11. Erubescebant enim indicare sibi concupiscentiam suam, volentes concumbere cum ea: 12. Et observabant quotidie sollicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum: 13. Eamus domum quia hora prandii est. Et egressi recesserunt a se. 14. Cumque revertissent, venerunt in unum: et sciscitantes ab invicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam: et tunc in communi statuerunt tempus, quando eam possent invenire solam. 15. Factum est autem, cum observarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri et nudiustertius, cum duabus solis puellis, voluitque lavari in pomario: æstus quippe erat: 16. Et non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, et contemplantes eam. 17. Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, et smigmata, et ostia pomarii claudite, ut laver. 18. Et fecerunt sicut præceperat: clauseruntque ostia pomarii, et egressæ sunt per posticum, ut afferrent quæ iusserat: nesciebantque senes intus esse absconditos. 19. Cum autem egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, et accurrerunt ad eam, et dixerunt: 20. Ecce ostia pomarii clausa sunt, et nemo nos videt, et nos in concupiscentia tui sumus: quam ob rem assentire nobis, et commiscere nobiscum. 21. Quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum iuvenis, et ob hanc causam emiseris puellas a te. 22. Ingemuit Susanna, et ait: Angustiæ sunt mihi undique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. 23. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. 24. Et exclamavit voce magna Susanna: exclamaverunt autem et senes adversus eam. 25. Et cucurrit unus ad ostia pomarii, et aperuit. 26. Cum ergo audissent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per posticum, ut viderent quidnam esset. 27. Postquam autem senes locuti sunt, erubuerunt servi vehementer: quia nunquam dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susanna. Et facta est dies crastina. 28. Cumque venisset populus ad Ioakim virum eius, venerunt et duo presbyteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam, ut interficerent eam. 29. Et dixerunt coram populo: Mittite ad Susannam filiam Helciæ uxorem Ioakim. Et statim miserunt. 30. Et venit cum parentibus, et filiis, et universis cognatis suis. 31. Porro Susanna erat delicata nimis, et pulchra specie. 32. At iniqui illi iusserunt ut discooperiretur (erat enim cooperta) ut vel sic satiarentur decore eius. 33. Flebant igitur sui, et omnes qui noverant eam. 34. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius.

35. Quare flens súspexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. 36 Et dixerunt presbyteri: Cum deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cum duabus pueliis: et clausit ostia pomarii, et dimisit a se puellas. 37. Venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, et concubuit cum ea. 38. Porro nos cum essemus in angulo pomarii, videntes iniquitatem, cucurrimus ad eos, et vidimus eos pariter commisceri. 39. Et illum quidem non quivimus comprehendere, quia fortior nobis erat, et apertis ostiis exilivit: 40. Hanc autem cum apprehendissemus, interrogavimus quisnam esset adolescens, et noluit indicare nobis: huius rei testes sumus. 41. Credidit eis multitudo, quasi senibus et iudicibus populi, et condemnaverunt eam ad mortem. 42. Exclamavit autem voce magna Susanna, et dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, 43. Tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: et ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt adversum me. 44. Exaudivit autem Dominus vocem eius. 45. Cumque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel: 46. Et exclamavit voce magna: Mundus ego sum a sanguine huius. 47. Et conversus omnis populus ad eum, dixit: Quis est íste sermo, quem tu locutus es? 48. Qui cum staret in medio eorum, ait: Sic fatui filii Israel, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel? 49. Revertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam. 50. Reversus est ergo populus cum festinatione, et dixerunt ei senes: Veni, et sede in medio nostrum, et indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis. 51. Et dixit ad eos Daniel: Separate illos ab invicem procul, et diiudicabo eos. 52. Cum ergo divisi essent alter ab altero, vocavit unum de eis, et dixit ad eum: Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius: 53. Iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens, et dimittens noxios, dicente Domino: Innocentem et iustum non interficies. 54. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait: sub schino. 55. Dixit autem Daniel: Recte mentibus es in caput tuum: ecce enim angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium. 56. Et, amoto eo, iussit venire alium, et dixit ei: Semen Chanaan, et non Iuda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum: 57. Sic faciebatis filiabus Israel, et illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram. 58. Nunc ergo dic mihi sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub prino. 59. Dixit autem ei Daniel: Recte mentitus es et tu in caput tuum: manet enim angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium, et interficiat vos. 60. Exclamavit itaque omnis cœtus voce magna: et benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se. 61. Et consurrexerunt adversus duos presbyteros (convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium), feceruntque eis sicut male egerant adversus proximum. 62. Ut facerent secundum legem Mosi: et interfecerunt eos, et salvatus est sanguis innoxius in die illa. 63. Helcias autem et uxor eius laudaverunt Deum pro filia sua Susanna cum Ioakim marito eius, et cognatis omnibus, quia non esset inventa in ea res turpis. 64. Daniel autem factus est magnus in conspectu populi a die illa, et deinceps. 65. Et rex Astyages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus Perses regnum eius.

Vers. 1. Historia Susannæ est Scrip. canonica.

ET ERAT VIR.) Nota, hoc caput, et sequens non haberi iam in Hebræo, sed illa ex Theodotione se transtulisse affirmat S. Hieron. Olim ea extitisse in Hebræo patet ex Theodotione, et Sept. qui historiam Susannæ et Belis in sua translatione posuerunt trecentis annis ante Christum. Idem facit interpres Syrus, et Arabicus uterque, Antiochenus et Alexandrinus. Perperam ergo hanc historiam impugnavit Africanus (eum sequuntur nostri Novantes) cuius octo argumenta vel potius coniecturas bene refellit Origenes epistola ad eum scripta; utriusque epistolam e græco conversam latine edidit, et suis in Isaiam commentariis præfixit Leo Castrius. Quare hæc historia non tantum est vera, sed et canonica Scriptura uti ostendi in proœmio.

Hæc fuit prima prophetia Danielis.

Nota secundo. Hæc historia cæteris Danielis historiis et capitibus est præponenda, ponendaque statim post caput primum; imo in Græcis codicibus, et apud S. Athanas. in Synopsi, et in versione Arabica ipsa est caput primum Danielis, atque in multis inscribitur *Daniel*, in quibusdam *Susanna*, in aliquo διακρισις Δανιηλ, iudicium Danielis: quia id quod narrat accidit in Babylone, Daniele existente puero v. 45. Unde hæc videtur fuisse prima prophetia Danielis, nam ex ea Daniel a populo magnifieri cœpit v. 64.

Nota tertio. Hæc historia non videtur ab ipso Daniele, saltem in hoc eius opere, fuisse conscripta; sed a quopiam Hebræo, qui in captivitate Babylonica, vel potius paulo post eam scripsit chronica sive diaria regum Medorum et Persarum, et maxime Cyri, qui Iudæos Babylone liberavit, simulque conscripsit res memorabiles, quæ eo tempore suæ genti, puta Hebræis, contigerunt. Id patet ex v. 66. ubi indicatur, quod historia vel Susannæ, vel Belis contigerit ante Cyrum, sub Astyage rege Medorum, qui fuit avus Cyri. Ex illis ergo diariis translata est in hunc librum Danielis, eique addita quasi appendix, quia a Daniele gesta et peracta est: atque hæc est causa, cur ad calcem Danielis sit reiecta: quinimo historiam Belis Septuag. ascripserunt Habacuc Prophetæ uti dicam c. 14. 32.

Transcripta est ex chronicis illius ævi.

A

Vers. 5.

ET CONSTITUTI SUNT DUO SENES.) Ex hoc loco Africanus hanc historiam impugnabat. Quomodo enim, inquit, in Babylone Iudæi habuissent suos iudices, cum captivi essent, et omnino Babyloniis subditi? Respondeo, id factum fuisse indulgentia Chaldæorum: permiserunt enim ipsi Iudæis ut eas causas, quæ ad ipsorum legem pertinerent, ipsi iudicarent. Idem permiserunt eis Romani, ut patet Ioannis 18. 31. Sic videmus Antuerpiæ Lusitanos et Italos mercatores suos suæque gentis habere magistratus et iudices.

Tradunt Hebræi, et ex eis Origenes et S. Hier. hos duos senes fuisse Sedeciam et Achab adulteros, ideoque occisos, de quibus agit Ieremias cap. 29. 22. Pererius tamen, Mald. et alii id ipsum negant, qua de re dixi Ieremiæ 29.

Vide hic quam luxuria sit glutinosa, et usque ad senium et mortem homini adhærescat. *Luxuria*, inquit D. Thom. 1. 2. q. 75. art. 5. *est maximæ adhærentiæ, et difficile ab ea potest homo eripi: insatiabilis est enim delectabilis appetitus:* qui ergo lapsi sunt statim resurgant, ne, si iterum

B

iterumque relabantur, ab hoc glutine se expedire non possint. Sane hic verum est illud S. Ambros. *facilius reperi qui servaverint innocentiam, quam qui veram egerint pœnitentiam.* Rursum vere dixit poeta:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Quocirca tales senes leviculi et petulantes, merito comparantur pappo carduorum, de quo extat hoc Eubuli ænigma:

Novi ego qui gravis est iuvenis, cum vero senex est,
Evolat implumis leviter, terramque lacessit.

Apposite horum duorum senum crimen adaptat Petrus Damiani epistol. ad Cadaloum Antipapam, Placentino et Vercellino Episcopis, qui Cadaloum Antipapam crearunt, eique Ecclesiam Romanam, quasi Susannam, invadendam et violandam tradiderunt. Sed Daniel, id est iudicium et vindicta Dei eos persecuta damnavit.

LOCUTUS EST DOMINUS, QUIA, etc.) Ubi, et quomodo, an scripto, an viva voce Prophetæ alicuius hæc locutus sit Dominus, non liquet.

Qui videbantur.) Qui erant in existimatione, in auctoritate regendi populum. Hoc enim inter alia significat δοκειν: unde δοκουντες vocantur viri honorati et illustres, Galat. 2. v. 2. et 6.

Vers 6. Qui habebant iudicia.) Οι κρινομενοι, qui iudicabantur, puta litigantes.

Oculi sunt in amore duces. Et videbant eam.) Aspectus fuit causa concupiscentiæ: oculi enim sunt in amore duces. Et, *ubi oculus, ibi amor; ubi manus, ibi dolor.* Hinc sapienter Iob cap. 31. v. 1. *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine.* Audivi matronam gravem et castam monentem confessarios, ut caverent ab aspectu et colloquiis longis fœminarum: Ego enim, ait, certa sum non esse virum tam sanctum, tam constantem, quem non flectam quo velim, si cum eo ad quadrantem horæ colloquar, isque oculos meos intueatur. Serpentini ergo sunt oculi, facies, corpora et colloquia fœminarum. Præclare S. Hieron. ad Nepotianum epist. 2. *Hospitiolum tuum*, inquit, *aut raro aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas et virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige: ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier deiecit.*

Apud eumdem tom. 9. in Regula Monacharum, quæ inscribitur Eustochio ficto Hieron. nomine, cap. 18. *Nihil periculosius viro quam mulier, nec mulieri quam vir: uterque palea, uterque ignis.*

S. Bernard. serm. 6. in Cant. *Cum fœmina*, ait, *semper esse et non cognoscere fœminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes; et quod maius est, vis credam tibi?* Vide dicta Gen. 34. 2. et Numer. 25. in fine.

Audi ergo sanum consilium poetæ Christiani qui prudenter æque ac eleganter ita ludit:

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?
Ne sedeas, sed eas; ne pereas per eas.

Nam, ut canit Ovid. 13. Metamorph.

Proh. quanta potentia regni
Est Venus alma tui!
Perque oculos perit ipse tuos, et suos.

Vers. 9. Everterunt sensum.) Amor enim cæcus est et rationem excæcat. Dixit Gentilis: *Amare et sapere vix Deo conceditur.*

Ut non viderent cælum.) Syrus, *ut non intuerentur cælum;* Arabicus, *ne suspicerent cælum;* ac consequenter ut non revererentur Deum cæli præsidem. Imo Mald. per cælum accipit Deum ipsum. Sic enim videtur accipi Matthæi 21. 25. *Baptismus Ioannis unde erat? e cælo?* id est a Deo? Unde Augelus Caninius in nom. Hebr. docet Deum vocari שמים *sciamiam*, id est cælum: est enim uti mundus, ita et cælum increatum. Hinc Atlantides Africæ populi, primum apud se regnasse Deum ουρανον, id est cælum, gloriabantur. Sic Lucæ 15. 21. ait Prodigus: *Pater peccavi in cælum.* Sic Poeta: *Cælo gratissimus amnis: cælo*, id est diis, qui cælo continentur. 1. Machab. 3. 18. *Non est differentia in conspectu Dei cæli* (græce εναντιον ου ουρανου, id est *coram cælo*, id est Deo cæli rege) *liberare in multis, et in paucis.* Et cap. 4. 10. *Et nunc clamemus in cælum, et miserebitur nostri:* vox enim *Dominus*, quæ subditur in Latinis, non est in Græcis. Sic Rabbini sæpe dicunt, *omnia esse in manu cæli*, id est Dei: item, *sit timor cæli super vos;* et, *nomen cæli frequens in ore vestro.* Sic, *timor hominum excludit timorem cæli.* Sic Ierem. 17. 12. dicitur: *Solium gloriæ altitudinis a principio*, q. d. Est Deus residens in solio cælesti, qui puniet Sedeciam, aliosque impios. Quinimo Plinius ita opus suum inchoat: *Mundum, et hoc quod nomine alio cælum appellare libuit, cuius circumflexu teguntur cuncta, Numen esse credi par est.* Et Ovid. 8. Metamorph.

Immensa est, finemque potentia cæli Non habet.

Est metonymia. Similis est, cum domus ponitur pro sobole domum incolente: ut,

Cum domus Assaraci victis dominabitur Argis.

Deus vocatur cælum increatum.

A Sic domus Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Iosiæ, etc. vocatur ipsa eorum stirps et familia regia. Sic rursum de Susanna dicitur v. 35. *Quæ flens suspexit in cælum*, scilicet ad Deum. Unde et sequitur hic:

Neque recordarentur iudiciorum iustorum.) Quibus Deus e cælo occulta adulteria et scelera ulcisci solet. Hoc est quod ait Sapiens Eccli. 23. 27. *Non intelligit* (cæcus adulter) *quod omnia videt oculus* (Dei) *quoniam expellit a se timorem Dei.* Et v. 26. adulter ait: *Quis me videt? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Quærit insipiens, *Quis me videt? quem vereor:* Respondet ei S. Bernard. serm. ad Clericos cap. 16. *Esto nemo te videat, non tamen nullus. Videt te angelus malus, videt te angelus bonus, videt te et bonis et malis angelis maior Deus, videt accusator, videt testium multitudo, videt et ipse iudex, cuius te oportet assistere tribunali; sub cuius sane oculis velle delinquere tam*

B *insanum est, quam horrendum incidere in manus Dei viventis.*

Impii ergo dicunt illud Psal. 93. 7. *Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob.* Et illud Iob 22. 13. *Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, nec nostra considerat, et circa cardines cæli perambulat.* Et illud Psal. 72. 11. *Quomodo scit Deus? et si est scientia in Excelso?* Et illud Isaiæ 29 15. *Quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos? et quis novit nos?* Nam, ut ait Psaltes Psal. 9. 26. *Non est Deus in conspectu eius:* hinc, quia caret Dei timore et pudore, *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

Pii vero dicunt illud Eccli. 23. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.* Ita Moses *invisibilem* (Deum) *tamquam videns sustinuit*, Hebr. 11. 27. Ita David Psal. 118. 168. *Servavi*, inquit, *mandata tua, et testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Ita Elias: *Vivit*, ait,

C *Dominus, in cuius conspectu sto*, 3. Reg. 17. 1. *Beatus vir*, ait Ecclesiasticus c. 14. 22. *quia in sapientia morabitur, et qui in iustitia sua meditabitur, et in sensu* (εν συνεσει, id est in intellectu) *cogitabit circumspectionem Dei.* Vide o homo quid agas, Deus te circumspicit a capite ad talos, Deus introspicit mentem tuam, et fundum cordis tui, Deus iudicabit et damnabit te si pecces.

Vulnerati amore.) Septuag. κατανενυγμενοι περι αυτης, *compuncti pro ea;* Scholiastes, κεκεντημενοι τη επιθυμια σφοδρως, *puncti concupiscentia vehementer.* Vers. 10.

Et egressi.) Cum finxissent se domum ire, ut occultum vulnus concupiscentiæ invicem celarent, essentque digressi, alia iterum via in eumdem locum redierunt, ut Susannæ tenderent insidias: tumque videntes se idem cogitare, eodemque counitі, invicem suam concupiscentiam confessi sunt. Ita sæpe adulter adulterum, fur furem deprehendit, et, ut vulgo dicitur, *laqueus laqueum capit.* Vers. 13.

Voluitque lavari in pomario.) Discant hic castitatis amantes, quanta sint balneorum pericula, quamque Vers. 15.

D parce et caute adeunda. In iis enim insidiatur ipsis caro, mundus et dæmon. Ecce tibi Susanna, dum balneum adit, simul castitatis, famæ et vitæ periculum adit. Legimus in veterum historiis, sæpius virgines, dum balnea adeunt, a dæmone fuisse correptas et possessas. Ut alia taceam, memorabilis fuit illa, quæ ad balneum vadens, correpta a dæmone, Romæ ad Aquas Salvias, invocatione S. Anastasii Martyriis ibidem sepulti, liberata et curata est, uti habent acta publica, quæ recenset Cardin. Baron. tom. 8. anno Domini 713. Quocirca S. Hieronymus ad Lætam epist. 7. *Mihi*, ait, *omnino in adulta virgine lavacra displicent, quæ seipsam debet erubescere, et nudam videre non posse.* Et ad Rusticum epistol. 4. *Balnearum fomenta non quærat, qui calorem corporis ieiuniorum frigore cupit extinguere.* Hinc ipse laudat S. Paulam in Epitaph. quod cum aliis monialibus degens, balneis nunquam sit usa, nisi periclitans, ac necessitate coacta. Sicut enim theatra (ut ait Tertull. lib. de Spectaculis) loca esse solebant, in

quibus pravus dæmon regnabat, ita et balnea. In Synodo Pictaviensi anno Domini 593. Chrodeldis monacha e regio sanguine, fugæ suæ e monasterio causam prætexuit, balnea in monasterio permissa. Cui Abbatissa respondit: se nec probare quod diceret, et se nescire an factum sit: quod si ipsa vidisset, cur Abbatissæ non prodidisset? S. Theodorus Siccota sub annum Domini 608. reprehendit eorum morem qui post S. Synaxin ad lavacra se conferebant dicens: *Scitote Deum mihi indicasse, eos valde peccare qui post sanctam communionem ad balnea se conferunt, ut corpus lavent et curent. Quis enim unguento delibutus et aromatibus, eorum abstergit suavitatem? Quis simul ac cum Imperatore pransus est, ad balneum currit?* Ita refert Eleusius in eius vita. Scribit Palladius in Lausiaca c. 8. in vita Ammonis discipuli S. Antonii, eum ita fuisse pudicum, ut Lycum fluvium transiturus, se exuere noluerit, ne se nudum videret, ideoque subito ab angelo in adversam ripam fuisse translatum.

Vers. 22. SI ENIM HOC EGERO, MORS MIHI EST.) Rea ero mortis corporalis: adulteræ enim ex lege lapidabantur: ita S. Hieron. et alii. Secundo, et melius, mortem animæ hic accipias, q. d. Augustior undique, quia necesse est me in mortem vel corporis vel animæ incidere: vos eam mihi minamini mortem corporis, si non fecero; Deus vero mortem animæ, si fecero; si videlicet vestræ cupiditati consentiam, vobisque sponte et volens commiscear, uti postulatis. Nam alioqui in hac vi, et metu infamiæ mortisque poterat Susanna dicere, Non consentio actui, sed patiar et tacebo, ne me infametis et adigatis ad mortem, uti dicam v. 23. Quamquam forte Susanna id vel non sciebat, vel non cogitabat. Sic enim honestæ castæque virgines putant se esse reas, seque consensisse lenonibus, si non clamore, manibus, totisque viribus eis reluctentur et resistant. Omne enim suum decus ponunt in virginitate, quam gemmam incomparabilem æstimant.

Vers. 23. SED MELIUS EST MIHI ABSQUE OPERE INCIDERE IN MANUS VESTRAS, QUAM PECCARE IN CONSPECTU DOMINI.) q. d. Melius est mihi mori corpore quam animo: satius est Dei, quam hominum præsentiam et offensam revereri. Nam, ut ait Christus, et ex eo S. Bern. ser. 3. de Annuntiat. *Homines cum occiderint corpus, animæ non habent ultra quid faciant: ille autem timendus est, qui potestatem habet et corpus et animam mittere in gehennam.* Audiant hoc virgines, audiant Christiani atque imitentur, dum a sociis ad obscœna, ad illicita sollicitantur. Recte S. Chrysost. hom de Susanna: *Susanna*, inquit, *aspernabatur quod audiebat, quia timebat eum, quem nihil latebat: falsi enim testes possunt lædere famam, non occidere conscientiam.* Deus autem utrumque potest. Adverte hic, quam Dei omnia, etiam occultissima, cernentis, lucidissimos oculos revereri debeamus. Qua de re dixi Genes. 5. 24. et Genes. 17. 1.

Susanna significat hebr. lilium. Hinc apte vocata est Susanna Hebr. id est lilium (lilium enim Hebr. dicitur שושן *scioscian*, a שש *sces*, id est sex, quod sit hexaphyllon: sex enim habet folia) ob castitatem; uti et Daniel, id est iudex Dei: quia hosce duos senes diaboli iudices convicit, et morte mulctavit.

In hæc Susannæ verba ita scribit Dion. Carthus. *Peccatum est infinitæ fugibilitatis: quia Deus est infinitæ honorabilitatis*, q. d. Homo peccatum fugere debet infinito conatu et infinita fuga: quia Deus, quem peccatum offendit, infinite est honorandus: omnis pœna, ut culpa vitetur, est subeunda: infinita fuga, ne nos peccatum comprehendat, est capessenda.

Huic Susannæ, in castitate et virtute similis fuit S. Susanna virgo, neptis Caii Pontificis, æque ac Diocletiani Imperat. quæ maluit mori quam violari. Dum enim matrimonium cum Maximiano Imperat. cui eam despondere volebat Diocletianus, recusaret, eique virginitatem Deo voto promissam anteferret, ab eo occisa, nobile in fidei et virginitatis agone martyrium obiit anno Domini 295. cuius memoriam annua celebritate recolit Ecclesia die 11. Augusti. Hinc et Allegor. Susanna typum gerit Ecclesiæ, ait S. Hieron. in c. 2. Sophon. cuius castitatem corrumpere conantur hæretici; sed Daniel, id est Pontifex, eos convincit et condemnat.

Maior fuit castitas Susannæ, quam Lucretiæ, ob tres causas. Nota. Longe purior, fortior et excellentior fuit castitas Susannæ, quam Lucretiæ Romanæ. Hæc enim in tribus defecit, parumque ostendit animum. Primo, quod libidinem Tarquinii admisit, ne macularetur infamia, quam ei Tarquinius minabatur: consensit enim in adulterium, quod postea morte voluntaria luit: necem enim sibi conscivit, ut ea ratione facinus quasi expiaret: disce Lucretia: *Ante scelus castæ mors subeunda fuit.* Secundo, quod pluris fecit famam, quam pudicitiam, et conscientiæ testimonium. Tertio, quod se occidit: hac enim ratione scelus non expiavit, sed scelus sceleri addidit. Ita S. Aug. l. 1. Civit. cap. 18. et 19. *Quod Lucretia*, inquit, *seipsam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adultera occidit; non est pudicitiæ charitas, sed pudoris infirmitas. Unde ad oculos hominum quibus conscientiam demonstrare non poterat, illam pœnam quasi mentis suæ testem adhibendam putavit: sociam quippe facti se credi erubuit; si quod alius in ea fecerat turpiter, ferret ipsa patienter. Non hoc feminæ Christianæ fecerunt quæ passæ similia vivunt: nec in se ultæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua; si quoniam hostes in eis concupiscendo stupra commiserant, illæ in seipsis homicidia erubescendo committerent. Habent quippe intus gloriam castitatis, testimonium conscientiæ: habent autem coram oculis Dei; nec requirunt amplius: ne devient ab auctoritate legis divinæ, cum male devitant offensionem suspicionis humanæ.* Subdit deinde, docetque sanctitatem animi non amitti si corpus per vim violetur; sicut amittitur corporis totiusque hominis sanctitas, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto. Sanctitatis enim propria sedes est anima, non corpus. Unde idem ep. 122. docet hanc *violentiam non pro corruptionis turpitudine, sed passionis vulnere deputari.*

Exempla virginum malentium mori, quam violari. Lucretia castiores et sapientiores fuerunt virgines, tam Ethnicæ, quam Christianæ, quæ non post vitium, uti Lucretia, sed ne vitiarentur, seipsas necarunt, cum aliud non viderent effugium, aut neci obtulerunt. Ita Lacæna dum venderetur, præconi quid nosset quærenti, Libera, inquit, esse novi. Cumque emptor quædam ei iniungeret non decentia liberam, dixit: Flebis qui talem possessionem tibi invideris, atque mortem sibi ipsa conscivit. Ita virgines Romanæ traditæ Porsenæ regi, duce Clælia fluvium vastum, atque vorticibus profundis periculosum, magno cum labore tranarunt, invicem sese tenentes, ac tandem ad suos in alteram ripam evaserunt, manifestum mortis periculum ob castitatem ultro subeuntes. Ita Micca Philodemi filia a Leucio duce ad stuprum appetita, dixit malle se iugulari quam violari; ac tandem renitens a Leucio verberata, et in sinu patris iugulata est: testis est Plutarch. de Virtut. mulier.

Inter Christianas Pithomena Alexandrina Romani civis serva, cum frustra ab eo sollicitaretur ad nefas, accusata ab eo quod Christiana esset, ferventi pici immersa, vitam amittere quam pudicitiam violare maluit.

S. Dympna a patre, Hiberniæ rege (quod illi nubere nollet, ut esset ei uxor, æque ac filia) obtruncata est in Geella, oppido Brabantiæ, ubi eius reliquias olim veneratus sum. Natalis eius dies Martyr. Romano ascriptus quotannis recolitur die 15. Maii. Sic apud Græcos S. Thomais, a socero pariter eius nuptias ambiente dissecta, quod Martyr esse mallet, quam adultera et incesta, de qua noster Raderus in Viridar. Sanct. die 14. Aprilis.

Maxelendis virgo Cameracensis cum propter votum virginitatis, Harduini sponsi sui recusaret nuptias, interficitur: at illi excæcato post triennium visum restituit anno Domini 670. Ita Sigebertus, Platina in Dono, et alii.

Memorabilis vero fuit S. Euphrasia Antiochena, quæ a milite amasio deprehensa, cum non posset evadere, dixit se docturam eum artem qua in bellis lædi non posset, si sibi parceret, utque eius experimentum in se sumeret. Collum ergo suum inunxit, quod feriens ille statim amputavit: ita dolo pio castitatem redemit sua morte. Ita Cedrenus, et Nicephor. lib. 7. c. 13.

Insignis quoque fuit Sophronia matrona Romana, quæ a Maxentio Imperat. appetita per nuntios, cubiculum ingressa, mucrone sibi ipsi mortem conscivit, per nuntios significans tyranno: *Tales*, inquit, *magis placeant Christianæ fœminæ tyranno.* Ita Euseb. l. 8. hist. cap. 17.

Æque illustris fuit Digna, quæ capta Aquileia ab Attila, a barbaro ad stuprum rapta, quasi secreti cupida, in tabulatum fluvio Natisoni imminens conscendit. Inde ad Hunnum sequentem conversa, Sequere me, inquit, si vis me potiri, ac mox in flumen se præcipitavit. Ita Olaus in vita Attilæ, et alii. S. Ambr. lib. de Virg. scribit S. Pelagiam cum matre et sororibus præcipitem se dedisse in flumen, ne a persequente milite violaretur; eamque ut Martyrem ab Ecclesia coli.

Huic plane conforme est quod Nicephorus Callist. lib. 13. hist. Eccles. c. 35. scribit: In prima direptione urbis Romæ ab Alarico Gothorum rege facta anno Christi 412. mulier quædam maximum exhibuit pudicitiæ specimen. Quod namque et ætatis flore et formæ venustate præstaret, ex Alarici militibus iuvenis quidam pulchritudine eius, cum eam vidisset, captus ad concubitum eam sollicitavit. Cum autem illa piaculum id aversaretur, miles ense stricto mortem ei minatus, velut cum amore concertans, per misericordiam summum tantum collum vulneravit: illa vero cruore diffluens, iugulum ferro subdidit, melius sibi esse rata, ut cum pudica mente mortem oppeteret, quam cum alio viro concumberet. Et postquam ferocius barbarus illam agressus est, plurimumque eam oppugnando nihil egit, ad castitatem eius consternatus in Apostolicum D. Petri templum eam duxit, ecclesiæque custodibus eam commendavit, sex illis aureis nummis datis, ut puellam viro suo conservarent.

Bernard. Scardeonius lib. 3. histor. Patavinæ scribit, quod Blanca Rubea Patavina uxor Baptistæ a Porta, in præsidium Bassiani municipii Patavini cum viro profecta, anno Christi 1233. cum Acciolinus tyrannus Patavio amisso, omnem belli vim in Bassianum convertisset, et proditione etiam cepisset, atque in ipsis portis Baptistam obtruncasset; Blanca quoque armis induta fortiter pugnans a militibus circumventa, captiva ad tyrannum ducitur: is forma eius (quam augebant arma) motus, primo blanditiis, mox etiam vi adortus eam corrumpere tentavit: illa cum alia ratione effugere non posset, per fenestram se dedit præcipitem. Semianimis ex casu vix tandem curatur. Curatam tyrannus denuo aggreditur, et quia consentire nolebat, servorum opera ligatam constupravit. Illa dolorem dissimulans, impetravit ab amicis, ut ad levandum mœrorem et desiderium, aperto sepulchro mariti fœtidum cadaver semel tantum aspicere posset. Morem illi gerunt. Aperto itaque sepulchro, ubi iacebat, illa magno emisso eiulatu, in sepulchrum sese præcipitavit, simulque tanta violentia lapidem impulit, ut una rueret, et Blancæ cervicem frangeret. Sic pudicitiam suam ulta ex voto suo commune cum marito sepulcrum obtinuit.

Narrat Sophron. in Prato spir. cap. 183. mirum quid de muliere, quæ tentata ab adultero fidem servavit marito, ideoque ab adultero ditata est.

Quam peccare.) Peccasset enim Susanna consentiendo et cooperando, puta commiscendo se senibus, quod ipsi petebant v. 20. potuisset tamen in tanto periculo infamiæ et mortis negative se habere, ac permittere in se eorum libidinem, modo interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata et execrata fuisset, quia maius bonum est fama et vita, quam pudicitia: unde hanc pro illa exponere licet. Itaque non tenebatur ipsa exclamare, uti docet Dom. Soto l. 5. de Iust. 9. q. 1. a. 5. et Navar. Manual. cap. 16. n. 1. Quod ergo exclamarit, nulloque modo libidinem eorum in se permiserit, actus fuit insignis et heroicæ castitatis: talis enim est malle mori, quam pollui. Proprie dicit *peccare:* nam *peccare* primitus dictum est *quasi pellicare*, id est pellicem agere, aut cum pellice congredi.

Vers. 24. Exclamavit, opem implorans contra lascivos senes: exclamaverunt.) Et ipsi, utpote Susannæ clamore iam proditi, ut eam accusarent; ne rei, sed vindices sceleris esse viderentur. A Susanna discant virgines, cum a lascivis tentantur generose iis se opponere, clamare, manibus et pedibus obluctari: quæ enim hoc faciunt, raro vim patiuntur: difficile enim est plane obluctantem violare. Docet hoc Amb. ad Virginem lapsam cap. 4. *Sed dices*, inquit, *Nolui hoc malum, violentiam passa sum. Respondebit tibi fortissima illa Susanna, cuius tu nomen fallaciter baiulas: Ego etenim inter duos presbyteros posita, inter duos utique iudices populi, sola inter silvas paradisi constituta vinci non potui, quia nec volui. Tu ab uno ineptissimo adolescentulo, et in media civitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia ultro voluisti violari? quis denique voces tuas audivit? quis obluctationes sensit?*

Et cucurrit unus ad ostia pomarii.) Ut illac ingressi fuisse viderentur; aut ea iuvenem, quem ibi fuisse mentituri erant, evasisse dicerent, uti dicunt ipsi v. 39. ita Maldon. Vers. 25.

Senes locuti sunt.) Ειπον τους λογους αυτων id est rationes suas exposuerunt, puta accusationem Susannæ cum suis indiciis et probationibus. Vers. 27.

Et facta est dies crastina: cumque venisset, etc.) q. d. Cum postero die populus ad virum illius Ioakim convenisset: ita ex Græco Vatabl. et alii. Vers. 28.

Posuerunt manus suas super caput eius.) Hebræorum ritus erat, ut accusator et testes capiti rei manus imponerent, ut significarent se hoc caput accusare, et ad necem deposcere; vide dicta Levit. 24. 14. Ecce senes qui antea pudicitiæ, nunc vitæ fiunt latrones: e contrario Susanna bis victrix, et libidinem evasit et mortem: quin et inimicorum vidit vindictam, inquit Cyprian. lib. de Bono pudicitiæ. Vers. 34. *Testes reo manus imponebant cur?*

Quæ flens suspexit ad cælum.) Præclare S. Ambros. lib. de Ioseph cap. 5. *Susanna*, inquit, *dum tacet in iudicio, melius locuta est oraculo: et ideo Prophetæ meruit defensionem, quæ propriæ vocis non quæsivit auxilium.* In silentio enim et spe erat fortitudo eius. *Suspexit* ergo *ad cælum*, vultu et oculis loquens, dicensque: *Ecce in cælo testis meus, et conscius meus in excelsis*, Iob. 16. 20. Et, *Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, ps. 24. Non legimus Susannam unquam tam ardentes ad Deum preces emisisse, nec tam vehementer ad cælum suspexisse, quam cum se vidit in extremis hisce angustiis. Ita tribulatio docet orare efficaciter: oratio efficax impetrat Dei opem, etiam per miraculum. Rursum Nota hic, quod Deus sinat suos in arcta redigi, ut discant in eum sperare, eumque invocare: in arctis enim suis maxime adest Deus, eisque vicinissimus est, ut succurrat. Vers. 35. *Deus in arctis invocatus adest.*

Condemnaverunt eam.) Tum populus, tum iudices: scilicet ut lapidaretur. Lapidationis enim pœna adulteris apud Iudæos statuta fuit, uti ostendi Levit. 20. 10. Vers. 41. *Pœna mortis in adulteros.*

Nota hic priscam legem de pœna mortis statuta adulteris. Aurelianus Imperat. militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum ramos inflecteret, quas ad pedes militis ligaret, easdemque subito dimitteret, ut scissus ille utrinque penderet. Ita Nauclerus et alii anno 276.

Constantinus Imperator ad Catullinum rescribens hanc contra adulteros legem statuit: *Oportuerat te, publici instituti respectu, confessione detectos legum severitate punire; nec frustra vitam differentium moratorias provocationes admittere: sed delatum adulterii crimen, et quæstionibus adhibitis approbatum, pari sceleris immanitate damnare. Quod deinceps in huiusmodi criminibus convenit observari, ut manifestis probationibus adulterio probato, frustratoria provocatio minime admittatur: cum pari similique ratione sacrilegos nuptiarum tanquam manifestos parricidas insuere culeo vivos, vel exurere iudicantem oporteat.* Ita habetur l. 4. Quorum appel. C. Theod.

In Alemannia Otto Comes impudentissimus adulter, et pro adulterio a Constantiensi Episcopo excommunicatus, Dei iudicio turpissime decollatur a militibus Ludovici Co-

mitis, cuius uxorem publicis nuptiis, eo vivente, sibi nefandissime copulavit. Qui apud monasterium in prædio ipsius constructum a suis sepultus, iussu Constantiensis Episcopi eiicitur, et (ut scriptum est) ad sepulturam asini deputatur anno Domini 1089. ait Baron.

Sub annum Domini 995. Imperatrix Maria nomine, regis Aragonum filia, Othonis III. uxor, ob adulterium publice igne crematur, inquit Crantzius lib. 4. Histor. Saxon. cap. 26. Plura recensui Genes. 38. 24. et Num. 5. in fine cap.

Vers. 42. ANTEQUAM FIANT.) Quanto magis hoc, postquam factum est.

Vers. 44. EXAUDIVIT AUTEM DOMINUS VOCEM EIUS.) Disce hic, quam efficaces sint preces reorum damnatorum ad mortem, præsertim iniustam, quamque Deus orphanorum et afflictorum pater iis compatiatur et succurrat. Hac de causa rei morientes iniuste, non raro suos iudices citarunt ad tribunal Dei, illique intra tempus a morientibus condictum e vita sublati, illi se sistere debuerunt. Exempla plura protuli Ierem. 17. v. 12.

Vers. 45 SUSCITAVIT DOMINUS SPIRITUM SANCTUM.) Puta Primo, spiritum prophetiæ, quo illustratus Daniel cognovit senes falso accusare Susannam. Secundo, spiritum audaciæ et industriæ, ad revincendos hosce senes, et ad Susannam liberandam. Spiritus enim hic suggessit Danieli modum falsæ accusationis detegendæ, scilicet separandi senes, eosque seorsim examinandi, ut sibi invicem contraria dicerent, itaque ipsi seipsos refutarent. Syrus vertit: *Misit Deus subito spiritum suum sanctum super puerum parvum, cuius nomen Daniel;* Arabicus: *Commovit Deus spiritum sanctum in iuvene nominato Daniel.* Ex verbo *suscitavit* colligit Origenes apud S. Hieron. iam ante Spiritum sanctum Danielis animum occupasse, hic vero tantum excitasse eum ad heroicum hoc opus aggrediendum: hoc enim innuit vox *suscitavit*. Ex hac Susannæ liberatione et similibus, Nyssen. lib. 8. de Provident. c. 1. docet esse Numen, Deique providentiam, quæ gubernat mundum, pios tutetur, impios detegit et punit.

PUERI IUNIORIS.) Παιδαριȣ νεωτερȣ, id est pueruli iunioris. Sed certum est Danielem hoc tempore non fuisse puerulum: παιδαριον ergo diminutivum sumitur pro simplici παις, id est puer, hoc est iuvenis. Hebræi enim carent diminutivis. Unde Daniel cap. 1. 3. vocatur ילד *ieled*, id est, ut Septuag. vertunt, νεανισκος, id est iuvenis. Erat enim iam eruditus in omni sapientia; facile ergo erat 24. annorum: hæc enim non primo, sed quarto vel quinto anno ex quo Daniel venit in Babylonem, contigisse videntur, puta sub annum regni Ioakim septimum, qui fuit Nabuchodonosoris annus quartus. Confirmatur: nam post annos decem Daniel fuit sapientia et sanctitate celeberrimus, ita ut a Deo comparetur cum Noe et Iob, ut patebit Ezech. 14. 14. Ergo erat tunc facile 34. annorum, non autem 24. uti volunt alii. Quis enim iuvenis 24. annorum sanctitate cum Noe et Iob comparetur?

Daniel erat 24. annorum cum Susannam liberavit.

Mirum ergo est, S. Ignatius epist. ad Magnesianos, et ex eo Theod. in c. 1. Ezech. ac Torniellum dicere Danielem hoc tempore fuisse duodennem: nec enim decebat puerum duodennem esse iudicem, nec populus puero duodenni reclamanti, senesque ad iudicium suum revocanti auscultasset. Tale est et illud quod ibidem ait S. Ignatius, Salomonem fuisse duodennnem cum iudicium duarum meretricum puerperarum peregit. Constat enim Salomonem tum fuisse regem, ac proinde facile viginti annorum fuisse: iam enim genuerat Roboam, ut patet ex eo, quod moriente Salomone anno regni quadrag. successerat ei Roboam filius annum agens 41. ut patet 3. Reg. 11. 42. et cap. 14. v. 21.

S. Ignatius putat Danielem fuisse duodennem.

Vis mira per pueros, imo infantes veritatis indicia, et innocentiæ iudicia ac testimonia exhibita? Accipe. Greg. Turon. lib. 2. histor. Franc. c. 1. narrat S. Brixium Episcopum Turonens. cum falso insimularetur fornicationis, quasi pater esset infantis, quem pepererat lotrix vestium eius, dixisse: *Afferte infantem ad me.* Cumque allatus fuisset (erat autem infans triginta dierum) ait ad eum Episcopus: *Adiuro te per Iesum Christum filium Dei omnipotentis, ut si ego te generavi, coram cunctis edicas.* Et ille: *Non es,* inquit, *tu pater meus.* Populo autem rogante, ut quis esset pater, interrogaret, ait sacerdos: *Non est hoc meum: quod ad me pertinuit, sollicitus fui · vobis si aliquid suppetit, per vos quærite.*

Infantes iudices innocentiæ.

Sophron. in Prato spirit. c. 114. narrat Danielem Abbatem, qui rogante marito orans super uxore eius, ei prolem impetraverat, cum impii ei detraherent, quasi ipse prolis esset pater, puerulum interrogasse: *Quis est pater tuus, infans?* cui infans: *Hic:* ostendens digito suo verum patrem. Erat autem infans 25. dierum.

Simile est in vita S. Brigidæ virginis Scoticæ, quæ obiit anno tertio Iustini Imper. senioris, hoc est anno a Christo nato 521. Fœmina quædam non minus impie, quam impudenter, se filium ex Episcopo Broone, qui S. Patricii discipulus fuit, suscepisse mentiebatur. Hanc S. Brigida cum accersiri iussisset, et ori eius salutare sanctæ crucis signum impressisset, illico caput cum lingua procacis mulieris magno tumore inflatum est. Deinde simili modo infantis consignans linguam: *Dic nobis,* ait *infantule, quis tuus pater est?* Stupenda res, aperit os infantis, qui quondam Balaam asinæ loquendi præstitit facultatem; aitque parvulus: *Nequaquam Episcopus Broon, sed deformis et vilis ille homuncio, qui in populo extremo sedet loco, parens meus est.* Itaque omnes Deum laudarunt, et mulier egit pœnitentiam.

Tropolog. et Symbol. S. August. serm. 118. de Tempore: *In sancta,* inquit, *fœmina* (Susanna) *tacente lingua pro ea castitas loquitur. Castitas enim Susannæ affuit in iudicio, quæ Evæ defuit in paradiso. Ibi enim pudori eius consuluit, hic saluti. Ibi ne macularetur pudicitia, hic ne innocentia damnaretur. Castitas enim Susannæ et presbyteros impudicos convicit in paradiso, et in iudicio falsos accusatores obtinuit: bisque victrix reos facit testimonii, quos reos facit adulterii. Atque tandem iudicem meretur castitas Danielem puerum iuniorem, necdum pubescentis ætatis: multum igitur de Deo pudicitia consequitur, cum iudicem virginem promeretur. Secura enim est de victoria castitas, cui est iudicatura virginitas.*

MUNDUS EGO SUM.) Ego non consentio in iniustam ne- Vers. 46.
cem Susannæ.

NEQUE QUOD VERUM EST COGNOSCENTES.) Ουδε το σα- Vers. 48.
φες επιστωντες, id est, non satis cognita, discussa et explorata causa.

VENI ET SEDE.) Dicunt hæc senes Danieli, vel per sar- Vers. 50.
casmum, vel per adulationem, ut eum sibi concilient, ne scelus eorum prodat.

HONOREM SENECTUTIS.) Senile munus et dignitatem iudicandi: senum enim est iudicare. In eis enim est prudentia, experientia, et apathia, quæ tria ad sincerum iudicium requiruntur. Hinc Eccli. 32. 4. *Loquere,* ait, *maior natu* (senex) *decet enim te.*

Tria iudici necessaria.

DIIUDICABO EOS.) Ανακρινω, examinabo. Vers. 51.

INVETERATE DIERUM MALORUM.) Plene dierum malo- Vers. 52.
rum, qui dies tuos a pueritia usque ad senium, in luxuria et sceleribus transegisti, q. d. Inveteratæ ætatis, æque ac malitiæ senex.

NUNC VENERUNT PECCATA TUA.) Ad cumulum et maturitatem, ut in hocce facinore prodantur et puniantur.

SUB SCHINO.) Schinus, sive lentiscus est arbor magni- Vers. 54.
tudine roboris, odore terebinthi, acinis dum maturescunt rufis, ubi maturuerint nigris, sudat resinam, quam in Chio insula mastichen vocant. Indeque dicta est lentiscus, quod liquore hoc sive resina lentescat. Est trifera: ter enim quotannis profert fructus. Unde Cicero de Divin. ex vetusto poeta:

Iam vero semper viridis, semperque gravata
Lentiscus, triplici solita grandescere fœtu:
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Porro Hippocrates lentisci fructum vocat schinida, et arborem schinon: ita Ruellius libr. 1. cap. 20.

Aliqui codices legunt, *sub cyno*, itaque legendum contendit Iacobus Constantius, qui ait cynum esse speciem

lauri. Verum legendum esse *sub schino*, non *sub cyno*, docent S. Hieron. African. Origen. Romana Biblia, et alia passim. Cynus enim fictitia est arbor, et Theophrasto, Plinio, Columellæ, aliisque priscis incognita. Loca enim Plinii et Ovidii, quæ pro cyno citat Constantius, corrupta esse docet Auton. Nebriss. in Quinquagena cap. 11.

Vers 55. SCINDET TE MEDIUM.) Græcum *χιςειν*, pulchre alludit ad *χινος*, q. d. Imminet tibi angelus, et minatur te scindere, actuque scindet, ni Deus impediat, aut populus te lapidando præveniat, uti de facto prævenit: angelum enim intentasse eis mortem patet v. 59.

Vers. 56. SEMEN CHANAAN.) O homo Chananææ potius quam Hebrææ, si mores et vitia spectes. Sic ait Ezech. c. 16. 45. *Mater vestra Cethæa, et pater vester Ammorrhæus.*

Vers. 57. SIC FACIEBATIS FILIABUS ISRAEL.) Opponit Daniel filias Israel filiabus Iuda, qualis erat Susanna, quasi timidiores et faciliores ad consensum, fortioribus et constantioribus: Israelitæ enim relicto Deo ad idololatriam declinantes, proniores in venerem, aliaque scelera effecti sunt. Nota. Non sola tribus Iuda, sed et multi ex aliis tribubus cum ea abducti sunt in Babylonem, ibique servarunt tribuum discrimen, uti hinc liquet.

Vers. 58. SUB PRINO.) Prinus non est prunus, uti censuit S. August. serm. 242. de Temp. sed genus ilicis: ilicis enim variæ sunt species, et una ex qua nascitur coccus, de quibus Plinius lib. 16. cap. 6. et 8.

Vers. 59. RECTE MENTITUS ES ET TU IN CAPUT TUUM.) Vide hic ut mendacium mendacem, dolus dolosum iusto Dei iudicio perimat. Hoc est quod ait Christo: *Ex ore tuo iudico te serve nequam.* Quocirca iustum æque ac sapiens fuit iudicium Alexandri Medicei primi Ducis Florentiæ. Cum enim quidam perdidisset bursam in qua erant sexaginta aurei, idque per præconem proclamari iussisset, promittens inventori eam referenti decem aureos: inventor vero pauper quidam eam referens posceret decem aureos; ille habita re sua cœpit tergiversari, dixitque in bursa fuisse septuaginta aureos, inventorem decem exemisse, sibique solvisse. Dux sententiam tulit: bursa hæc sexaginta aureorum non est eius, qui se dicit bursam perdidisse septuaginta aureorum: ergo inventor eam retineat, donec verus eius dominus reperiatur. Ita iuste sua bursa privatus est qui malitiose per mendacium inventorem calumniabatur, et furti arguebat.

Vide hic rursum quam apposite sententia crimini, et pœna culpæ respondeat. Senex calumniam et necem struebat Susannæ in prino, quæ græce sectionem significat; hinc congrue a Daniele audit: *Manet angelus Domini gladium habens, ut secet te medium.* Sic Deus per ranas loquaces punivit murmur et blasphemias Pharaonis; per ciniphes eiusdem fastum; per sanguinem Nili sanguinem infantium Hebræorum ab eo effusum, uti dixi Exodi 7. et sequent. Nimirum, per quod quis peccat, per hoc et punitur, ait Sapiens.

Denique in duobus hisce perversis senibus veræ sunt duæ istæ gnomæ Ptolemæi initio Almagesti. Prima, *Qui male operando vult celari, satis discoopertus est.* Secunda, *Qui confidit in mendacio, cito deficiet: illud enim destituet eum.* Ac vetus Hebræorum dictum: *Mendacium debiles, veritas solidos habet pedes.* Et Arabum: *Mendacium est infirmitas, veritas est stabilitas*

Allusio est in Græco, non in Hebræo, unde? UT SECET TE MEDIUM.) In Græco rursum elegans est paronomasia; nam a *πρινος*, dicitus *πρισαι*, id est secare: perinde enim est ac si dicas alteri, Vidi te sub malo; et ille respondeat: Eas ergo in malam crucem: vel, Vidi te sub cedro; et ille respondeat: Cædat ergo te carnifex. Atque hæc causa fuit Africano et aliis suspicandi hæc esse conficta; quia Hebræi, vel Chaldæi in sua lingua non potuerunt uti his allusionibus.

I. Responsio. Verum Africano respondet Origenes et alii, in Hebræo alias a schino et prino fuisse arbores, in quibus Daniel hebraice per annominationem alludere potuerit ad vocem scindendi et secandi. Sed hoc simplici veritati et narrationi historiæ, atque integritati et fidelitati interpretis derogare videtur, ideoque liberius dicitur quam par sit: alioqui enim et noster interpres melius in iisdem arboribus lusisset, hoc modo: Vidi te sub lentisco; non lente ergo, sed subito peribis: Vidi te sub ilice, illico ergo occideris. Hac tamen libertate in vertendo usi videntur Syrus et Arabicus. Nam pro *sub schino* Arabicus vertit, *sub arbore terebinthi;* Syrus, *sub pistacio.* Pistacium est nucis genus instar avellanæ, de quo Plinius lib. 13. c. 5. *In nucum genere pistacia nota:* vulgus pharmacopolarum vocat *phisticorum.* Rursum, pro *sub prino,* Syrus vertit, *sub malogranato;* Arabicus Antiochenus, *sub arbore mali;* Arabicus Alexandrinus, *sub arbore amygdali.*

II. Et vera. Dico ergo, in Hebræo tunc temporis potuisse esse similem paronomasiam in iisdem arboribus qualis iam est in Græco. Tunc enim plures erant voces Hebrææ, quam iam sint. Iam enim non habemus alias præter illas quæ in Bibliis extant. Secundo, esto non fuerint in Hebræo hæ allusiones, uti nec sunt in interprete Latino; potuit tamen Græcus interpres fideliter et ad verbum vertens, talem paronomasiam in Græco invenire, qualis non erat in Hebr. Idem sæpe fieri videmus in aliis translationibus, dum historia vel res ex una lingua in aliam transfertur. Quod enim subdit Daniel: *Recte mentitus es in caput tuum,* τὸ *recte*, idem est quod *vere*, non autem idem est quod *apposite*, vel *allusive*.

Vers. 61. FECERUNT EIS SICUT MALE EGERANT.) Talionis pœna senes mulctarunt, iuxta legem Deuter. 19. 16.

Vers. 62. INTERFECERUNT EOS.) Lapidibus. Adultera enim lege veteri lapidabatur, ut patet Ezech. 16. 40. Vide dicta Levit. 20. 10. et 27.

Moraliter Deus castitatis est index et vindex. Exempla. Disce hic, quam Deus, ut rhinoceros, castitatis et innocentiæ sit index et vindex. Ita Iosephi castitatem ab hera tentatam, et falso infamatam declaravit, evexit, atque per Mosen toto orbe omnibusque sæculis celebravit, Genes. 49. et sequent. Ita mulier falso adulterii accusata, et damnata, a carnifice occidi non potuit, Deo ictum retundente, ideoque ab eo frustra sæpius, adeoque septies fuit icta: testis est S. Hieron. epist. ad Innocentium. Ita S. Agnes, Lucia, Theophila, et aliæ quam plurimæ virgines inique ad leones, vel ad lenones damnatæ, ab iis illæsæ angelo tutante permanserunt. Ita S. Cunegundis Henrici Imperat. uxor falso adulterii insimulata, nudis plantis per candens ferrum illæsa ambulavit. Ita Narcissum Hierosolymorum Episcopum turpis et infamis criminis falso insimularunt tres periuri testes: ac cum primus sibi incendium, secundus morbum regium, tertius cæcitatem imprecatus esset ni verum diceret, hæc singula singulis uti optarant, Deo puniente obvenerunt, uti refert Eusebius l. 6. histor. c. 7. Ita S. Marina, cum mutato habitu quasi vir inter monachos degeret, falso accusata a filia hospitis, quasi ei stuprum intulisset, monasterio eiecta, et ad pœnitentiam perpetuam usque ad mortem damnata; cum post mortem sepelienda appareret non esse vir, sed fœmina, ac proinde stuprum non potuisse inferre; puella quæ eam accusarat, a dæmone correpta accurrit, crimenque falsi confessa, non nisi septimo die ad eius tumulum liberata est, omnibus sanctæ Marinæ castitatem æque ac patientiam celebrantibus, uti habet eius vita in vitis Patrum. Ita Fausta Constantini Magni uxor, Crispi privigni amore capta cum ad libidinem eum sæpius provocasset, renuentem detulit ad maritum, illum sibi vim inferre voluisse. Credidit Constantinus, Crispumque necari iussit. Verum post aliquot annos comperta veritate, Faustam capite mulctavit, filioque nomen et famam, licet sero, restituit: testis est Eutropius, Niceph. et alii.

Verum his omnibus illustrius magisque appositum est, quod legimus in vita S. Elisabethæ reginæ Lusitaniæ, quæ cum falso esset accusata apud regem Dionysium, quod pedissequum quemdam adamaret; rex credulus pedissequum neci, puta incendio, destinavit, ut in fornacem calce ardentem proiiceretur. Secreto ergo iussit præfectis fornacis, ut pedissequum quem postridie mane eo missurus erat, rogaturum an perfecissent id quod rex iusserat, illico in fornacem coniicerent. Itaque mane eo pedisse-

quum mittit: ille in via audit pulsari ad Sacrum in Ecclesia vicina: eo divertit, audit Sacrum unum, alterum et tertium. Interim rex putans eum iam in fornacem coniectum, mittit alterum pedissequum prioris æmulum, qui eum æque ac reginam falso accusarat. Venit ille, rogat num peracta sint quæ rex iusserat. Præfecti ex indicio a rege dato putantes hunc esse, quem rex fornaci destinarat, subito eum arripiunt et in fornacem intrudunt. Supervenit deinde finitis Missæ sacrificiis pedissequus prior, quem rex neci designarat, rogat fornacis custodes, an regis iussa compleverint. Affirmant illi: redit pedissequus ad regem, idque renuntiat. Obstupescit rex, remque investigans reperit alium quem submiserat concrematum. Rogat ergo nuntium, ubi tam longas moras traxerit. Respondet ille, se audito pulsu rei sacræ interfuisse, eo quod pater moriens hoc ei monitum dedisset, ut sacrificiis omnibus quæ inchoari vidisset assisteret, donec illa finirentur. Intellexit inde rex innocentiam reginæ et pedissequi, ac calumniam æmuli, iustumque Dei iudicium, qui necem quam ille insonti struxerat, in ipsiusmet sontis caput retorserit. Adhuc fornax illa calcaria in rei memoriam conservatur, ut a nostris Lusitanis oculatis testibus audivi. Idem refertur in Chron. S. Franc. p. 2. lib. 8. cap. 28.

Vers. 65. Et rex Astyages.) Pererius putat hæc verba transponenda esse, et referenda ad finem cap. 9. Theodoretus vero ad finem cap. 12. hoc enim caput in Græco hic immediate præcedit. Verum hæc transpositio violenta est, et confusionem parit, atque Latino textui repugnat.

Sub Astyage contigit historia Susannæ. Secundo, alii putant historiam Susannæ contigisse tempore captivitatis Babylonicæ, puta tempore Astyagis et Cyri. Verum obstat, quod Daniel erat puer cum Susannam liberavit; ergo paulo post annum tertium Ioakim (illo enim Daniel puer abductus est in Babylonem) hæc historia contigit, ergo ante captivitatem Babylonicam, quæ 70. annos duravit, et soluta est per Cyrum sub finem vitæ et regni eius, puta anno regni eius 27. quo cepit Babylonem, et ex rege Persidis fecit se monarcham (Minus ergo probabiliter Pererius censet, Cyrum expugnasse Babylonem anno primo regni sui. Inde enim inter alia sequeretur, Danielem vixisse 138. annos, uti ostendi in procemio.) Nam Astyages regnavit ante Cyrum annis 38. His adde 27. annos Cyri, tantum habebis 65. ita ut adhuc quinque anni desint ad explendos annos 70. captivitatis. Unde sequitur, quod anno quinto aut sexto captivitatis Babylonicæ, sive transmigrationis Iechoniæ, cœperit regnare Astyages, cum iam Daniel esset 34. annorum, ac proinde vir esset, non puer, ut hic dicitur; præsertim cum hæc non initio, sed in fine regni Astyagis contigisse dicendum sit, si hanc expositionem sequamur. Sequitur enim: *Et suscepit Cyrus Perses regnum eius.*

Sed sequens Danielis et Bel. Dico ergo cum Lyrano, Hugone, Dionys. Carth. Torniello, et aliis, hæc verba referenda esse ad initium sequentis historiæ de Belo et dracone. Id ita esse clarissime docent Græca etiam correctissima Caraffæ, quæ ab hisce verbis ordiuntur caput 14. Idem facit versio Arabica utraque, scilicet Antiochena, et Ægyptia sive Alexandrina. Est ergo hic quasi titulus chronologicus historiæ sequentis, ut sciamus quo tempore ea contigerit, scilicet post mortem Astyagis sub Cyro. Similis titulus capiti 4. præfigitur cap. 3. v. 98. ut ibi dixi. Porro videtur hic titulus ex diariis regum Persarum esse desumptus, et huc translatus, æque ac tota sequens historia. Tὸ enim *Et rex Astyages,* quasi ex abrupto hic inseritur, nec ullam cum præcedentibus habet connexionem. Videtur enim Iudæus aliquis, Cyro et Persis eversa Babylone iam plane dominantibus, in gratiam Cyri Iudæis ita benevoli, et Persarum, eorum chronica sive diaria conscripsisse, atque sub eorum era gesta tam in Perside, quam in Babylone et alibi consignasse. Titulus ergo hic non est connectendus cum primis verbis cap. sequentis, uti patebit ibidem, sed eis quasi titulus præfigendus est. Translatus enim est huc ex diariis iam dictis, in quibus claudebat præcedentes ibi historias, et simul sequentis, quæ hic ponitur, erat initium.

Astyages hic fuit avus Cyri. Nota. Astyages hic non est Darius Medus, filius Astyagis, et avunculus Cyri, ut volunt aliqui: huic enim Cyrus non successit nisi eversa Babylone: hæc autem gesta sunt stante regno et rege Babylonis, ut patebit cap. sequenti v. 1. Astyages ergo hic fuit avus Cyri, cui in regno Medorum successit Darius filius, in regno vero Persarum successit Cyrus, nepos eius ex filia. Licet enim Darius, utpote filius, in utrumque regnum, scilicet tam Persarum quam Medorum, iure gentium succedere debuisset; tamen cessit ille Cyro Persarum regnum, vel quia ipse adoptivus tantum erat Astyagis filius, ut vult Torniellus; vel quia ex pellice eius erat natus, ut volunt alii; vel quia quietis amans Cyro nepoti suo animoso et bellicoso Persidem concessit, concessurus et Mediam post mortem.

Porro Astyagis mors, et Cyri in Perside regnum, ac Darii in Media, multis annis contigit ante excidium Babylonis. Illud enim peractum est per Cyrum in Perside, et Darium in Media iam regnantes. Ita Hebræi in Seder olam, Lyran. in cap. 9. Daniel. Vatabl. in c. 1. Daniel. Torniellus et alii. Imo idipsum diserte asserit liber 3. Esdræ cap. 5. ult. et Ioseph. 11. Antiq. 2. ubi ait Cyrum post captam Babylonem, et laxatam Iudæorum captivitatem, mox Massagetico bello periisse. Idipsum pluribus probavi Esdræ 1. 1.

Naturali morte defunctus. Nota, secundo. Tὸ *appositus est ad patres suos*, etc. significat Astyagem a Cyro non fuisse victum et cæsum, uti narrant Herodotus et Iustinus, sed naturali morte fuisse defunctum; ita ut Cyrus quasi nepos ei iure hæreditario, non bellico, successerit. Rursum hinc patet, hanc phrasim, *appositus est ad patres suos*, non de solis salvatis et beatis dici: nec enim verisimile est Astyagem fuisse fidelem, esseque salvatum. Sic Genes. 25. vers. 17. Ismael dicitur *appositus ad populum suum:* Ismaelis tamen dubia est salus.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Daniel detegit dolum sacerdotum Belis, Belemque evertit. Secundo, v. 22. draconem occidit, ideoque in lacum leonum mittitur, sed a Deo liberatur.

1. Erat autem Daniel conviva regis, et honoratus super omnes amicos eius. 2. Erat quoque idolum apud Ba-
bylonios nomine Bel: et impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, et oves qua-
draginta, vinique amphoræ sex. 3. Rex quoque colebat eum, et ibat per singulos dies adorare eum: por-
ro Daniel adorabat Deum suum. Dixitque ei rex: Quare non adoras Bel? 4. Qui respondens ait ei: Quia non co-
lo idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit cælum et terram, et habet potestatem omnis carnis. 5. Et
dixit rex ad eum: Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? An non vides quanta comedat et bibat quotidie? 6. Et
ait Daniel arridens: Ne erres rex: iste enim intrinsecus luteus est, et forinsecus æreus, neque comedit aliquando.
7. Et iratus rex vocavit sacerdotes eius, et ait eis: Nisi dixeritis mihi, quis est qui comedat impensas has, mo-
riemini. 8. Si autem ostenderitis, quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemavit in Bel. Et di-

xit Daniel regi: Fiat iuxta verbum tuum. 9. Erant autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus et parvulis, et filiis. Et venit rex cum Daniele in templum Bel. 10. Et dixerunt sacerdotes Bel: Ecce nos egredimur foras: et tu rex pone escas, et vinum misce, et claude ostium, et signa annulo tuo: 11. Et cum ingressus fueris mane, nisi inveneris omnia comesta a Bel, morte moriemur, vel Daniel qui mentitus est adversum nos. 12. Contemnebant autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum, et per illum ingrediebantur semper, et devorabant ea. 13. Factum est igitur postquam egressi sunt illi, rex posuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris suis, et attulerunt cinerem, et cribravit per totum templum coram rege: et egressi clauserunt ostium: et signantes annulo regis abierunt. 14. Sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam, et uxores, et filii eorum, et comederunt omnia, et biberunt. 15. Surrexit autem rex primo diluculo, et Daniel cum eo. 16. Et ait rex: Salvane sunt signacula, Daniel? Qui respondit: Salva, rex. 17. Statimque cum aperuisset ostium, intuitus rex mensam, exclamavit voce magna: Magnus es Bel, et non est apud te dolus quisquam. 18. Et risit Daniel, et tenuit regem ne ingrederetur intro, et dixit: Ecce pavimentum, animadverte cuius vestigia sint hæc. 19. Et dixit rex: Video vestigia virorum, et mulierum, et infantium. Et iratus est rex. 20. Tunc apprehendit sacerdotes, et uxores, et filios eorum: et ostenderunt ei abscondita ostiola, per quæ ingrediebantur, et consumebant quæ erant super mensam. 21. Occidit ergo illos rex, et tradidit Bel in potestatem Danielis: qui subvertit eum, et templum eius. 22. Et erat draco magnus in loco illo, et colebant eum Babylonii. 23. Et dixit rex Danieli: Ecce nunc non potes dicere quia iste non sit Deus vivens: adora ergo eum. 24. Dixitque Daniel: Dominum Deum meum adoro: quia ipse est Deus vivens: iste autem non est Deus vivens. 25. Tu autem rex da mihi potestatem, et interficiam draconem absque gladio et fuste. Et ait rex: Do tibi: 26. Tulit ergo Daniel picem et adipem, et pilos, et coxit pariter: fecitque massas, et dedit in os draconis, et diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis. 27. Quod cum audissent Babylonii, indignati sunt vehementer: et congregati adversum regem, dixerunt; Iudæus factus est rex: Bel destruxit, draconem interfecit, et sacerdotes occidit. 28. Et dixerunt cum venissent ad regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, et domum tuam. 29. Vidit ergo rex quod irruerent in eum vehementer: et necessitate compulsus tradidit eis Danielem. 30. Qui miserunt eum in lacum leonum, et erat ibi diebus sex. 31 Porro in lacu erant leones septem, et dabantur eis duo corpora quotidie, et duæ oves: et tunc non data sunt eis, ut devorarent Danielem. 32. Erat autem Habacuc propheta in Iudæa, et ipse coxerat pulmentum, et intriverat panes in alveolo: et ibat in campum ut ferret messoribus. 33. Dixitque angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. 34. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, et lacum nescio. 35. Et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. 36. Et clamavit Habacuc, dicens: Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. 37. Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, et non dereliquisti diligentes te. 38. Surgensque Daniel comedit. Porro angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. 39. Venit ergo rex die septimo ut lugeret Danielem: et venit ad lacum, et introspexit, et ecce Daniel sedens in medio leonum. 40. Et exclamavit voce magna rex, dicens: Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum. 41. Porro illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, et devorati sunt in momento coram eo. 42. Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis: quia ipse est salvator, faciens signa et mirabilia in terra: qui liberavit Danielem de lacu leonum.

Vers. 1. Historia Beli contigit sub Balsasar. Probat. 1. 2. 3.

ERAT AUTEM DANIEL CONVIVA REGIS.) Hic rex non fuit Cyrus, uti vult Theodor. et Iren. lib. 4. c. 11. nec Astyages, ut videtur velle S. Athanas. ser. 4. contra Arrianos, sed Evilmerodach, sive Balsasar. Probatur Primo, quia hic fuit rex Babylonis adhuc stantis et florentis. Secundo, quia hic, utpote Babylonius, coluit Bel; Cyrus vero et Persæ non coluerunt Bel, sed solem: imo Xerxes sepulcrum Beli destruxit, teste Strabone l. 16. Tertio, quia Babylonii voluerunt regem hunc occidere, v. 28. nisi eis traderet Danielem: hoc autem non ausi fuissent, minari Cyro, utpote iam ab eo subacti; nec etiam Nabuchodonosori, utpote potenti et terribili: ita Tornieltus, Pererius et alii.

Daniel erat tunc 72 annorum Probat. 1. 2.

Hinc patet, quod Daniel cum Belum evertit, et cum missus est in lacum leonum, non fuerit duodennis, ut vult S. Chrysostomus homil. 2. in Psal. 30. fuit enim tunc ut minimum 72. annorum. Id patet Primo, ex eo, quod historia hæc contigerit sub Balsasar, qui cœpit regnare anno regni Nabuchodonosor 45. illo enim anno Balsasar morienti patri successit; Daniel autem viginti erat annorum, antequam regnare inciperet Nabuchodonosor. Secundo, quia historia hæc contigit post regnum Astyagis, regnante iam Cyro, ut patet ex titulo, sive ex ultimis verbis cap. præcedentis; Astyages autem, ut ibi dixi, cœpit regnare anno captivitatis Babylonicæ sexto, quo Daniel erat 34. annorum; regnavit vero 38. annis: iam adde 34. et 38. habebis annos 72. vitæ Danielis. Erat ergo Daniel 72. annorum cum mortuus est Astyages, et regnare cœpit Cyrus, sub quo hæc historia contigit.

Vers 2 Bel fuit Nemrod.

BEL.) Bel, sive Beel, Baal, Bal, et Belus fuit Nemrod, fundator et primus rex Babylonis, pater Nini, uti dixi Genes. 10. 10. De templo et idolo hoc Beli mira scribunt Herod. l. 1. qui Daniele vix centum annis fuit posterior, Diodor. lib. 3. cap. 4. Strabo l. 16. ubi inter alia docent, statuam Iovis Beli auream fuisse longam pedes 40. ponderantem mille talenta Babylonica: cui dicatus erat crater ex auro talentorum 1200. Videtur hæc statua ex ære fuisse, sed tecta auro: aut certe ex aurichalco, id est ære aureo. Daniel enim eam vocat æream.

Tropol. Belum et idola imitantur, primo, qui vestibus sericis et aureis exterius se ornant, interius terream habent vel mentem, vel conscientiam, puta in luto et sordibus gulæ, libidinis, etc. versantur; secundo, hypocritæ, qui foris aurei videntur, intus sunt lutei. Audi Billium in Antholog.

Bel erat externe pulcherrimus, undique et ære
Tectus: at intus erat nil, nisi vile lutum.
Qui Curium simulat, cum sit nequissimus, illum
Cur ego non Belem iure vocare queam?
Bel erit, exterius tumuli qui candidus instar,
Interius tantum vile cadaver habet.

ARTABÆ.) Artaba continet 72. sextarios, inquit Epiphan. lib. de Ponderib. et mens. et Isidor. l. 16. Etymol. magna ergo copia similæ huic Belis idolo quotidie impendebatur. Triplex fuit artaba, scilicet Persica, capiens medimnum, et tres chœnices: Medica, capiens medimnum: Artaba triplex.
Ægyptia, capiens quinque modios: ita Pererius.

AMPHORÆ.) Amphora continebat 48. sextarios, sive scyphos maiores, quorum quisque continebat viginti uncias aquæ aut vini, uti dixi in appendice Pentateuchi.

CONFIDEBANT.) Corrige *contemnebant:* græce enim est κατεφρονουν, id est *despiciebant*, scilicet periculum suæ fraudis et mortis. Vers. 12.

ET CRIBRAVIT.) Id est, cribrando sparsit per totum tem- Vers. 13.

plum, ne, si lapilli cineri immisti spargerentur, in eos pedibus impingentes venturi noctu sacerdotes, fraudem persentiscerent, ciueremque everterent. Cribrando ergo fecit, ut solus purus tenuisque cinis per cribrum dilaberetur in pavimentum, quem sentire pedibus non poterant. Hinc Septuag. vertunt, κατέςρωσαν, id est *straverunt* cinere pavimentum: ita Complut. Obscure ergo legit editio Caraffæ, *decusserunt totum templum*, q. d. Ex cribro cribrando decusserunt pulverem per totum templum, ita ut cribrum solum pulverem transmitteret; carbones vero, lapillos, et alia crassiora retineret, quod Plinius lib. 18. c. 11. et Columella lib. 5. cap. 6. vocant *cribro incernere*, vel *succernere*, hoc est cribrare. Itaque in hoc cinere nescientes vestigia pedum noctu impresserunt sacerdotes, ex iisque deprehensi sunt, quod scilicet ipsi comederent escas idolo oblatas, non Bel: ideoque rex eos occidit, et idolum Beli per Danielem evertit.

Vers. 22. Diabolus utitur forma serpentum, cur? Causa. 1. **Erat draco.**) Ita Romani in peste Romam advexerunt et coluerunt serpentem Epidaurium, quasi urbis Æsculapium, de quo vide Valerian. Max. l. 1. c. 8. Notat S. August. l. 11. de Gen. ad lit. 28. diabolum uti solere forma serpentum ad decipiendos homines permittente Deo *ad primi facti memoriam commendandam, quod sit ei quædam cum hoc genere animantium familiaritas*: quia scilicet in serpente decepit Adamum et Evam, ibique vidit hanc fraudem sibi bene succedere. Hinc Pherecydes Syrus dixit dæmones e cælo a Iove fuisse deturbatos, quorum princeps dictus sit Ophioneus, id est serpentinus.
2. Adde, quod draco natura est cum monstrosa et horribili, tum forti et robusta, tum pervigili et acerrima oculorum acie (unde draco dicitur ἀπὸ τοῦ δέρκειν, a videndo) quare quid divinum præ se fert. Ea de causa a priscis draconi assignata est custodia ædium, adytorum, oraculorum, thesaurorum, heroum infantiæ, uti de Hercule, imo et de Nerone
3. fabulati sunt Poetæ. Hinc etiam draco priscis fuit symbolum prudentiæ, sapientiæ, imo et vaticinii, uti docet Carolus Paschalius lib. 9. de Coronis cap. 15. sub finem. Quocirca ab Ovid. lib. 9. Metamor. draco vocatur *insomnis*, et lib. 7. *insopitus*: et a Valerio lib. 2. Argonaut. *vigil*: talis enim erat ille Colchicus custodiens vellus aureum, quod tamen rapuerunt Argonautæ. Hinc et Cicero Philipp. 13. *An*, inquit, *is non reddet, qui domini patrocinium circumplexus, quasi thesaurum draco?* Denique dracones aliqui immanes sunt, adeo ut boves glutire soleant, unde et boas vocant; qualis fuit ille qui armenta et pastores, tractos ad se vi spiritus absorbebat, quem pyram conscendere iubens, exussit S. Hilarion, teste S. Hieron. in eius vita.

Maximus Tyrius, et ex eo Pierius hierogl. 16. tradunt tempore Alexandri draconem fuisse quinque iugerum magnitudine. Hinc et draco in somnis visus matri portendit Alexandro Magno, uti et Scipioni, Augusto, Aureliano, Severo, aliisque imperium amplum et illustre: uti refert Pier. hierogl. 15. Rursum Plinius asserit, apud Indos et Æthiopes esse dracones viginti cubitorum. Audi cum l. 8. cap. 11. *Elephantes fert Africa*, etc. *sed maximos India, bellantesque cum iis perpetua discordia dracones, tantæ magnitudinis, ut et ipsos circumflexu facili ambiant, nexuque nodi perstringant. Commoritur ea dimicatio, victusque corruens, complexum elidit pondere.* Causam pugnæ subdit cap. 12. *Elephantis frigidissimum esse sanguinem, ob id æstu torrente præcipue a draconibus expeti. Quamobrem in amnem mersos insidiari bibentibus, arctatisque illigata manu in aurem morsum defigere.* Non mirum ergo si Gentiles et Babylonii, præ cæteris animalibus draconi inesse Numen putarint. Magis mira sunt quæ de draconibus scribit Plinius lib. 29. cap. 4. scilicet: *Draco non habet venena. Caput eius limini ianuarum subditum, propitiatis adoratione diis, fortunatam domum facere promittunt. Oculis eius inveteratis, et cum melle tritis inunctos, non pavescere ad nocturnas imagines etiam pavidos. Cordis pingue in pelle dorcadum nervis cervinis adalligatum in lacerto, conferre iudiciorum victoriæ. Primum spondylum aditus potestatem mulcere. Dentes eius illigatos pel-*

A *libus caprearum cervinis nervis, mites præstare dominos potestatesque exorabiles.* Verum hæc fabulosa videntur, aut magica potius quam physica. Unde mox subdit Plinius: *Sed super omnia est compositio, qua invictos faciunt magorum mendacia*; etc. Hisce de causis, diabolus in specie draconis vel serpentis apparere, pingi et coli voluit.

Scribit Dio in Adriano, eumdem Imperatorem in templo Iovis Olympii, quod Athenis sumptuosissime erexerat, posuisse pro numine draconem ex India deportatum.

Alexandrum impostorem, discipulum Apollonii Thyanæi, serpentem palam adorandum exposuisse, eumque oracula dare finxisse; ideoque ad novum hoc oraculum vocale confluxisse Iones, Galatas, Cilices, quin et Romanos, uti Rutilianum qui præerat Romano exercitui, narrat Lucianus in Pseudomante.

Draco pingitur ad pedes S. Silvestri, quia ipse converso Constantino, dæmoni, quasi draconi, cultum in idolis ademit, eumque Christi cruce debellavit et calcavit. Quin et in actis S. Silvestri mira narrantur, de dracone im-
B mani ab eo constricto et concluso, cuius memoria exstat Romæ ad radices Capitolii, in templo quod vocatur, *S. Maria libera nos de pœnis inferni*; de quo multa Baron. tom. 3. anno Christi 324. pag. 238.

Nec tantum ab Ethnicis, sed et ab hæreticis voluit dæmon coli draconis vel serpentis specie. Ophitæ inde nomen acceperunt, quod serpentem alerent et colerent quasi Christum, qui eorum Eucharistiam lambebat, itaque sanctificabat, uti refert Epiphan. hær. 37. Theodor. lib. 1. hæret. fabul. S. August. de Hæresib. ubi et addit, Ophitas dixisse Christum illum fuisse serpentem, qui decepit Evam.

Porro S. Scriptura diabolum vocat et pingit quasi draconem ob malitiam eius et sævitiam, Apocal. 12. 3. 9. 13. Isaiæ 27. 1. Iob 40. 20. psalm. 90. 13. psalm. 103. 26. Ita refert S. Gregor. hom. 19. in Evang. in suo monasterio dæmonem in forma draconis apparuisse iuveni cuidam sæculari morienti qui licentius vixerat, sed pre-
C cibus Monachorum fugatum abiisse. Et lib. 4. Dialog. c. 37. idem recensens, ait iuvenem vocatum fuisse Theodorum, qui hac visione totus fuerit ad Deum conversus; eumque post longæ ægritudinis purgationem et pœnitentiam, hac vita esse defunctum. Denique ob causas iam dictas prisci censebant serpentes esse naturæ immortalis et divinæ, ait Philo Biblius. Hinc Tautus Ægyptiorum Deus, ait Philo, hoc *spiritualissimum est omnium animal, et maxime igneum, longævum præterea, et senectam cum pelle deponens revirescit, et vix naturali nece conficitur.* Hinc et Lamprid. de Heliogabalo ita scribit: *Ægyptios dracunculos Romæ habuit, quos illi Agathodæmonas appellant.* Phœnices quoque *serpentem felicem* appellabant, ait Euseb. lib. 1. Præp. Evang. 7. Quin et serpentibus tantum cultum tribuit gentilitas, ut *draconia* templa nominaret, teste Strabone l. 14. quod prima circa serpentes extiterint idololatriæ semina, et quod diabolus hanc speciem haberet in deliciis. Unde Horus Apollo Hierogliph. 1. Ægyptii, inquit, *basiliscum ex auro conflatum*
D *diis circumponunt.*

Ecce nunc non potes dicere.) Græca habent, *numquid et hunc dices esse æneum? vivit ecce et bibit.* Vers. 25.

Diruptus est draco.) Non quod pix aut pili venenati sint, vimque naturalem dirumpendi habeant, sed quod boli ex ea massa dati hæserint firmiter angustissimæ gutturis et ventris viæ, eaque penitus obturata, nulloque exitu dato, neque devoratis, neque flatui, diruptus sit draco. Vers. 26. Massa picea diruptus est draco, unde? Pix enim et adeps cum sint glutinosa, et emplastrica obturant viam cibi; implicata vero pilis multo tenacius hærent: sic ergo impedito anhelitu et respiratione, cibo hoc oppletus draco, crepuit: ita Valesius de Sacra Philos. cap. 81. Scribit enim Solinus cap. 43. veris draconibus ora esse parva, et ad morsus non dehiscentia, sed arctas fistulas per quas trahunt spiritum, et linguam exserunt: facile ergo hac massa picea illæ a Daniele oppleri potuerunt, itaque suffocari et crepare draco. Simili modo eversum et combustum est Marnæum, id est celebre

illud Marnæ delubrum et idolum, anno Domini 401. sub Arcadio Imp. a S. Porphyrio Gazæ Episcopo iussu Dei, qui per os pueri Syri septennis Græca lingua, quam nunquam didicerat, loquentis edixit: *Urite templum quod est intus usque ad solum: multa enim gravia in eo facta sunt et maxime hominum sacrificia. Hoc autem modo id adurite: Afferte picem humidam, et sulphur, et sevum suillum, et miscite hæc tria, et ungite portas æneas, et ignem eis immittite, et sic templum comburetur: alias enim non potest fieri: et postquam fuerit combustum, expurgato loco statuite illic sanctam Ecclesiam. Testificor enim coram Deo, non posse aliter fieri: non enim sum ego qui loquor, sed qui est in me Christus.* Cui Christi edicto obsequens S. Porphyrius, delubrum famosissimum combussit. Ita ex actis S. Porphyrii, quæ conscripsit Marcus Diaconus Gazensis, narrat Bar. anno Christi 401.

Allegor. Allegorice, S. Chrysost. homil. 38. in 1. ad Corinth. Sicuti, inquit, cibo hoc Danielis gustato crepuit draco, ita corpore Christi sorpto tartarus est diffissus, corpore hoc ventrem eius rumpente, indeque remeante gloriose cum tot Sanctorum millibus.

ECCE QUEM COLEBATIS.) Ιδετε σεβασματα υμων, *ecce numina vestra*, puta Bel et draco quæ colebatis, quam infirma quam fallacia sunt?

Vers. 30. MISERUNT EUM IN LACUM LEONUM.) Hinc patet Danielem bis missum fuisse in lacum leonum, scilicet Primo sub Evilmerodach per sex dies, hic. Secundo, sub Dario Medo per unam noctem, eo quod contra eius præceptum Deum invocasset, uti dictum cap. 6. 16. licet nonnulli olim teste S. Hieron. præfatione in Danielem, putarint alium esse Danielem qui Susannam liberavit, et Bel destruxit, ab eo de quo primis duodecim capitibus actum est: hic enim fuit de tribu Iuda, ut patet cap. 1. 3. ille vero Belis destructor videtur fuisse de tribu Levi. Hoc enim indicant Septuag. in quorum versione olim initio c. 14. ita legebatur: *Vir quidam erat sacerdos nomine Daniel filius Abdæ, conviva regis*, uti testis est S. Hieron. præfatione in Danielem. Verum ad hoc respondet Primo, Dionys. Carth. ex Isidoro, Danielem fuisse ortum ex Levi quoad genus paternum, ex Iuda quoad maternum. Secundo, et melius respondet Pererius, corruptam fuisse illam editionem Græcam: nam iam id in ea non invenitur. Unde Ecclesia unum tantum agnoscit Danielem, eumque ex semine regum Iuda prognatum. Vere Cypriau. serm. de lapsis: *Quid gloriosius Daniele? quid illo ad facienda martyria in fidei firmitate robustius? in Dei dignatione felicius? qui toties et cum confligeret vicit, et cum vinceret supervixit.* Et Ambros. l. 1. Officior. c. 35. *Quam*, ait, *insuperabilis Daniel, qui circa latera sua rugientes non expavit leones? Fremebant bestiæ, et ille epulabatur.* Et S. Basil. homil. de laudibus ieiunii: *Daniel*, ait, *vir desideriorum, cum tres hebdomadas non edisset, nec vinum bibisset, demissus in lacum, etiam leones ieiunare docuit. Neque enim leones dentes in illum impingere valuerunt, perinde quasi e lapide aut ferro concretus fuisset. Adeo sicut tinctura ferrum indurescit, ita ieiunium pii viri corpus duraverat, ac leonibus insuperabile reddiderat.* Rursum in Daniele verum fuit illud S. August. sententia 249. *Nulla infelicitas frangit, quem nulla felicitas corrumpit.*

Daniel bis missus fuit in lacum leonum.

An duo fuerint Danieles?

Resp. unum fuisse.

Vers. 31. DUO CORPORA ET DUÆ OVES.) Duo integra corpora duarum ovium. Est hendyadis; vel *et* ponitur pro *id est*. Secundo, simplicius et planius: *duo corpora*, puta vel animalium occisorum vel hominum ad mortem damnatorum, aut alias interemptorum: *et duæ oves*, vivæ. Prædam enim vivam pro esca ambit leo, ut eam unguibus suis discerpat. Nam duæ oves quotidie ad escam non suffecissent septem leonibus, ita feris et voracibus. Præter binas oves ergo data sunt eis alia duo corpora, vel cadavera. Unde Syrus vertit, *duo corpora in die* (quotidie) *et duo arietes;* et Arabicus Antiochenus, *et erat cibus eorum singulis diebus tauri duo e bobus, et de ovibus duo arietes.* Sic et Arabicus Alexandrinus.

ERAT AUTEM HABACUC PROPHETA IN IUDÆA.) Nota, licet tempore excidii Hierosolymæ per Chaldæos, multi Iudæi abducti fuerint in Babylonem, alii fugerint in Ægyptum, vel in alias regiones; tamen nonnullos remansisse, vel rediisse in Iudæam, inter quos fuit hic Habacuc. Vers. 32.

Quæres, Fuitne hic idem cum Habacuc uno e 12. minoribus Prophetis? Affirmare videtur S. Hier. præfatione in Habacuc, Epiphan. et Doroth. in Synopsi, Perer. et Pintus hic. Verum Torniellus et alii id negant, idque verius videtur. Nam noster hic Habacuc illo fuit posterior. Ille enim fuit ante captivitatem Babylonicam; nam eam prædixit: hic vero post eam vixit sub Evilmerodach, nisi dicas eum ad multam ætatem vixisse. Si enim eum ponas hoc tempore fuisse 75. vel 80. annorum, potuit esse unus idemque; unde tam hic quam ille vocatur Propheta. Hunc Habacuc historiam hanc scripsisse nonnulli autumant, eo quod olim Belis historia iuxta Septuag. hoc titulo prænotaretur: *Prophetia Habacuc filii Iesu de tribu Levi*, uti testatur S. Hieron. prolog in Danielem.

An Habacuc hic fuerit Propheta minor? Resp. non.

PULMENTUM.) Pultes.

IN ALVEOLO.) In cacabo, similive cavo vasculo. Arabicus vocat pilam, id est vas concavum ex ligno.

DIXITQUE ANGELUS DOMINI AD HABACUC: FER PRANDIUM QUOD HABES, IN BABYLONEM DANIELI.) Historiam Habacuc ita narrant Epiphan. et Doroth. in vita Danielis: *Cum Nabuchodonosor postremo venit Ierusalem cum exercitu oppugnaturus, Habacuc fugit in terram Ismaelitarum; postea vero reversus est in terram suam. Et cum aliquando messoribus suis pulmentum præparasset, apud suos prophetavit, dicens: Proficiscor in terram longinquam, ac cito revertar; si autem tardavero, ferte messoribus escam. Cum autem Babylone fuisset, et prandium dedisset Danieli, astitit messoribus vescentibus, nec quidquam dixit eorum quæ ipsi contigerant. Sciebat autem, brevi reversurum populum Babylone: et biennio priusquam populus reverteretur, mortuus est, ac sepultus in agro suo.* Horum fides sit penes Auctores. Vers. 33.

ET APPREHENDIT EUM ANGELUS, etc. POSUITQUE EUM IN BABYLONE.) Angelus subito, et quasi in ictu oculi potuit transferre Habacuc ex Iudæa in Babylonem, et eadem celeritate reducere: quia angelus qui movet solem facit ut sol qualibet hora tantum spatii conficiat, quantum quis conficeret si una hora quinquagies totum terræ globum circumcurreret. Angelus vero movens firmamentum, facit ut quævis stella in Æquinoctiali una hora conficiat 42. milliones milliarium, et amplius: hoc est tantumdem ac si globum terræ circumvolaret bis millies, et amplius. Vide dicta Genes. 1. v. 14. Vers. 35.

TOLLE PRANDIUM QUOD MISIT TIBI DEUS.) Vere S. Cyprian. tract. de Oratione Dominica: *Cum Dei*, inquit, *sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu iussu regis incluso prandium divinitus procuratur, et inter feras esurientes et parcentes homo Dei pascitur. Quid ergo*, inquit idem tract. de Opere et eleemosyn. *metuis ne operanti tibi, et Dominum promerenti desit alimentum?* Vers. 36.

RECORDATUS ES MEI DEUS.) Ita Græca et Rom. male ergo Plantin. legunt, *recordatus est enim mei Deus.* Vers. 37.

DILIGENTES TE.) Εκζητουντας σε, quærentes te.

MAGNUS ES DOMINE DEUS DANIELIS.) Quem Daniel colit, quique Danielem a leonibus liberasti. Græca addunt, *Et non est alius præter te.* Vers. 40.

PERDO ILLOS.) Talionem eis irrogat, uti fecit et Darius c. 6. 24. lex enim talionis iustitiæ et æquitati naturali maxime est consentanea. Unde eam non soli Iudæi, sed et Babylonii, Persæ, aliique Gentiles usurparunt. Vers. 41.

CONCLUSIO ET VOTUM

AUCTORIS AD SS. PROPHETAS.

PROPHETAS docentes et tonantes audivimus; eos vestigando et explicando pari passu secuti sumus. Ad metam Deo duce pervenimus: Isaiam consolantem et exultantem, Ieremiam quærentem et gementem, Ezechielem terrentem et minitantem, Danielem sua symbola, et monarchiarum ac regnorum ænigmata proponentem spectavimus, excussimus (quantum Dominus dedit) intelleximus, exposuimus. Patientiam Prophetarum cognovimus, finem Domini vidimus. Prophetias ipsi suas proprio sanguine obsignarunt, et Martyres evaserunt. Propheta enim et in vita et in morte Martyr, id est testis, imo præco veritatis usque ad martyrium sit oportet. Hoc est quod asserit princeps Prophetarum Christus Dominus: [Luc 13. 33.] *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem*: et, [Matth. 23. 29.] *Væ vobis Scribæ*, etc. *qui ædificatis sepulcra Prophetarum*, etc. *et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum*, etc. *et vos implete mensuram patrum vestrorum*, me scilicet Christum occidite. *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et scribas, et ex iis occidetis et crucifigetis*, etc. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.* Idem est ergo Propheta quod martyr.

Vos itaque, o Isaia, o Ieremia, o Ezechiel, o Daniel, Domini Prophetæ fuistis, pariter et Martyres; tuque o Daniel in lacu leonum bis Martyr extitisti. O quam fortiter bonam confessionem confessi estis, fidem servastis, cursum consummastis! o quam feliciter coronam vobis repositam, tam doctoralem quam agonalem accepistis! Prophetiæ vestræ congrue a Deo ab æterno decreta fuit hæc laurea, ut martyrium per doctoratum mereremini, illoque hunc confirmaretis et ornaretis. Purpurea enim laurea viridantem interpungens et vermiculans condecorat et illustrat. Merces vestræ doctrinæ et concionis fuit purpura, non regum, sed Martyrum. Merces sane magna nimis, præmium ingens et invidendum.

Fecistis me prophetiæ vestræ et doctoralis laureæ participem, facite quæso et martyrii, ut ego veritatem quam a vobis hausi, aliosque docui et conscripsi, sanguine meo obsignem. Nec enim ante perfectus et consummatus erit doctoratus hic meus, nisi hoc sigillo pariter claudatur et sanciatur. A triginta pene annis vobiscum, et pro vobis lubens volensque continuum sub eo martyrium Religiosæ vitæ, martyrium ægritudinum, martyrium studiorum et scriptionis; impetrate obsecro mihi pro coronide et quartum martyrium sanguinis. Exhausi pro vobis spiritus vitales et animales, exhauriam et sanguinem. Omnis laboris mei per tot annos exantlati, quo vos Dei gratia explicui, illustravi, et novo sermone loquentes et prophetantes effeci, ac vobiscum quasi prophetavi, vestrum mihi quasi Prophetæ stipendium, martyrium dico, a Patre luminum, æque ac misericordiarum obtinete.

Tuque o sanctissima Dei Genitrix, a benedicto filio tuo idem posce, idem mihi impetra. Habui illud pene in manibus Lovanii, sæpius urbe undique circumsessa ab hæreticis, eam, utpote præsidio omni humano nudatam, tantum non invadentibus et occupantibus; ac præsertim apud tuam ædem Aspericollensem, tot miraculis illustrem, cum in ea degens, ut peregrinos turmatim devotionis causa adventantes per confessiones, conciones, aliaque sacra officia pro modulo meo adiuvarem, anno 1604. ipso festo Nativitatis tuæ, ab Hollandico equitatu ex improviso in eam incurrente, cunctaque ferro et flamma vastante, circumseptus tantum non captus sum et trucidatus. Verum sacrosanctæ Eucharistiæ, quam ex tua æde (ne ab hæreticis violaretur) mecum efferebam, atque tua ope, quam voto tibi nuncupato implorabam, mira providentia servatus sum; cum periculum omne quasi per miraculum a me discussisti. Credo ad maiores labores, quibus hæc laurea promerenda erat, me liberasti et distulisti. Si ita est, labores auge, duplica, protende, etiam usque ad cursus Biblici consummationem, ut eo peracto coronam hanc adipiscar: verumtamen eadem, quam mihi ad tempus abstulisti, ne me oro defraudes; sed eam integram, maioribusque meritis cumulatam suo tempore redde et restitue. Tibi enim, utpote matri æternæ Sapientiæ, matrique meæ desudat omnis hic labor meus.

O Pater æterne, qui ante sæcula nos prædestinasti conformes fieri imaginis filii tui; qui in tempore a te præordinato me in sanctam eius Societatem vocasti et adoptasti, tribue, obsecro, ut ipsi æque in cruce passionis, ac in luce doctrinæ et sanctæ actionis iugiter conformer et configurer. Ipse enim est testis fidelis, doctorum, Prophetarum et Martyrum princeps. Exprime in me eius exemplar, quod mihi in monte Calvariæ monstrasti.

O Domine Iesu, amor noster, per merita SS. Matris tuæ et Prophetarum, mihi largire idipsum, quod tam enixe postulo: fac ut tuas, eorumque coronas participem, quorum labores et munus participo. Dixisti et promisisti: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet.* Recepi Prophetas, non Prophetam, imo cum eis cucurri et prophetavi: recepi te principem Prophetarum in magistrum et sponsum animæ meæ: concede ergo et martyrii lauream, prophetiæ a te decretam, quam tot annis, tot votis assidue efflagitavi et efflagito. Mille modis, quos in tuæ providentiæ thesauris reconditos habes, facillime eam mihi, etiam medios inter Christianos, exhibere potes uti pluribus exhibuisti. Theodosiana erant tempora, quando S. Ioannes Chrysost. ab Eudoxia, et æmulis Episcopis in exilium necemque actus, aurei sui oris, liberæque increpationis præmium tulit martyrium; atque assiduis itineribus noctu diuque, fame, siti, Solis ardore, febri, aliisque ærumnis lenta, sed acri morte occumbere coactus, non semel, sed decies Martyr, gloriose de hostibus suis, ipsaque morte triumphavit. Heracliana erant Sæcula, quando S. Martinus Pontifex Paulum Constant. Patriarcham Monothelitam excommunicans, iussu Constantis Imp. a Calliopa Exarcha in Lateranensi ecclesia perfide captus, et ad Constantem missus, ei in faciem fortissime restitit: quocirca ab eo in Chersonam relegatus, fame et ærumnis confectus, nobile pro Christo et orthodoxa fide martyrium lætabundus et glorians obiit anno Christo 654. vere suorum infelicium temporum constans et gloriosa felicitas. Iustinianæa erant tempora, non Neroniana, non Diocletianæa, cum Silverius Papa in urbe Christiana, inter Christianos, a Christianis tulit palmam martyrii. Similia fuere, cum Ioannes et Felix Pontifices eamdem obtinuerunt, te utique dante, te procurante. Romam ecce me vocasti, ut Romæ inter medios Prophetas et Martyres degerem. Calco assidue terram rubricatam, et pene adhuc stillantem sanguine S. Pauli, et trecentorum millium martyrum; hos quotidie oculis, auribus, animo specto; hi mihi martyrii sui sitim acuunt, hi ardoris sui flammas iniiciunt; ut turpe æstimem, inter tot domesticos doctores Martyres, externum doctorem non Martyrem versari. Imple ergo hoc meum votum qui imples in bonis desiderium servorum tuorum. Da Domine non inertem vitam, da nec inertem in lecto mortem: da potius, cum Christo ut moriar ligno aut ferro, pulchramque petam per vulnera mortem. Scriptionis huius et doctrinæ meæ unum hoc tantum sigillum restat; concede quæso illud, si non meis meritis, certe veritati tuæ quam conscripsi. Indidisti mihi hoc desiderium iam olim ab ipso ingressu in hanc Sanctam Religionem: reipsa ergo præsta et perfice in egressu vitæ meæ, quod me tam cupide desiderare fecisti, ad tuam perennem laudem, et Ecclesiæ tuæ decus; ut verbo et exemplo sanciam tua oracula, doceamque etiam post mortem, et cum sanguine Abel posteris per omnia sæcula futura inclamem: VIVITE DEO, VIVITE CÆLO, VIVITE ÆTERNITATI. Hoc est enim omnis homo.

DOXOLOGIA
SAPIENTIÆ ÆTERNÆ
EX EPITOME GESTORUM ET VISIONUM
DANIELIS.

Cap. 1. Danielis abstinentia et sapientia.

MULTIFARIAM multisque modis locutus es Domine Prophetis: sed novissime per somnia et ænigmata locutus es Danieli, sapientissimo in filiis hominum.

Daniel cum tribus pueris in Babylone carne et vino abstinuit: ideo dedisti eis sapientiam, et Danieli prophetiam.

Confiteor tibi Pater, Domine cæli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus, et ventri deditis: ac revelasti ea parvulis, et abstinentibus.

Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te, sic decuit ut mater sapientiæ sit humilitas et abstinentia, ut qui ieiunant ventre, pascantur in mente.

Cap. 2. Visio statuæ quadriformis, id est, quatuor monarchiarum.

Vidit rex statuam ex auro, argento, ære et ferro: sed lapis de monte abscissus ea comminuit.

Daniel quatuor regna hic portendi videt, iisque eversis quintum regnum regnorum: quod in æternum non dissipabitur.

Hinc rex Danielem adoravit, et in sublime extulit: eumque constituit principem super omnes provincias Babylonis.

Cap. 3. Aurea statua regis, quam respuentes tres pueri in igne manent illæsi.

Rex auream statuam erexit, eamque coli iussit ut numen: tres pueri idolum abominati sunt.

Pereant simulachra Gentium: quæ sunt argentum et aurum, opera manuum hominum.

Ecce enim Deus noster in cælo, qui fecit cælum et terram: ipse nos potest eripere de camino ignis ardentis.

Rex furens coniicit eos in fornacem succensam: orant martyres stantes in flammis.

Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie: o Domine victima fiamus viva, placensque tibi.

Mox adfuit eis angelus, flammam ignis excussit: fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.

Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit; nec quidquam molestiæ intulit.

Benedicite ergo omnia opera Domini Domino: benedicite angeli Domini Domino.

Benedicite cæli Domino: benedicite omnis spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite servi Domini Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

Cap. 4. Nabuch. in bovem commutatur.

Rex superbus vidit arborem proceram et audit, Succidite eam: cor eius ab humano commutetur, cor feræ detur ei.

In sententia vigilum decretum est: donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum.

Daniel ait, Hæc est interpretatio, Eiicient te o rex ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua.

Fœnum ut bos comedes, et rore cæli infunderis: septem tempora mutabuntur super te, donec cognoscas regnum Excelsi.

Mox sermo completus est, rex eiectus per septem annos fœnum ut bos comedit: inde ad se reversus prædicavit magnalia Dei.

Quia potestas eius potestas sempiterna: et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt.

Non est qui resistat manui eius: qui gradientes in superbia potest humiliare.

Cap. 5. Balsasar videt, Mane, Tekel, Phares.

Balsasar temulentus laudavit deos aureos et argenteos: mox videt manum scribentem in pariete, *Mane*, *Tekel*, *Phares.*

Cui Daniel: Deum qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti: adversus dominatorem cæli elevatus es.

Ideo *Mane*, numeravit Deus regnum tuum: et complevit illud.

Tekel, appensus es in statera, et inventus es minus habens.

Phares, divisum est regnum tuum: et datum est Medis et Persis.

Cap. 6. Daniel illæsus manet in lacu leonum.

Daniel adorat Deum: ideo ab æmulis, frustra renitente Dario, coniicitur in lacum leonum.

Deus misit angelum suum, et conclusit ora leonum: quia coram Deo iustitia inventa est in eo.

Cap. 7. Regnum Dei, Christi et Sanctorum.

Daniel videt quatuor monarchias, quasi bestias: leænam, ursum, pardum, et monstrum habens decem cornua.

Antiquus dierum sedit: thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accensus.

Vestimentum eius candidum quasi nix: fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius.

Millia millium ministrabant ei: et decies millies centena millia assistebant ei.

Hæ sunt myriades Seraphim et Cherubim: iudicium sedit et libri aperti sunt.

Ecce cum nubibus cæli venit quasi filius hominis: et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: omnes populi, tribus et linguæ servient ei.

Suscipient regnum sancti Dei altissimi: et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum.

Regnum, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, dabitur populo sanctorum Altissimi: cuius regnum sempiternum est, omnes reges et creaturæ obedient ei.

Cap. 8. Regnum Alexandri: Antiochi desolatio.

Daniel sub specie hirci sternentis arietem, videt Alexandrum sternentem Darium.

Ab Alexandro descendit Antiochus Epiphanes: qui deiecit locum sanctificationis, abstulit iuge sacrificium.

Usquequo Domine iuge sacrificium, et sanctuarium, et fortitudo conculcabitur?

Usque ad vesperam et mane dies 2300. et mundabitur sanctuarium.

Cap. 9. 70. hebdomades.

Ecquando dominator Domine, complebuntur desolationis Ierusalem 70. anni?

Peccavimus, inique egimus: tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei.

Gabriel ad Danielem advolat: Audi, ait, vir desideriorum: septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt.

Ut ungatur sanctus sanctorum, ut occidatur Christus: ut finem accipiat peccatum, ut adducatur iustitia sempiterna

Cap. 10. Pugna angeli Iudæorum cum angelo Persarum.

Ecce vir vestitus lineis, accinctus zona aurea, facies eius ut fulgur, oculi ut lampas ardens, brachia et crura ut æs candens: intellige, ait, vir desideriorum.

Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut affligeres te in conspectu Dei: exaudita sunt verba tua.

Hoc anno Darii et Cyri primo, Iudæi Babylone liberabuntur.

Princeps autem Persarum restitit mihi: et ecce Michael venit in adiutorium meum.

Cap. 11. Bella inter Seleucidas et Ptolemæos. Audi bella inter reges Aquilonis et Austri, inter Seleucidas et Ptolemæos.

Ex Seleucidis prodibit Antiochus: qui dabit abominationem in desolationem.

Populus autem sciens Deum suum obtinebit, et faciet: ac docti in populo docebunt plurimos.

Ex eis multi ruent in gladio, et in flamma, et in captivitate, et in rapina dierum: ut conflentur, et eligantur, et dealbentur.

Antiochus, et eius antitypus Antichristus, in altum elevabitur: adversus Deum deorum loquetur magnifica.

Persecutio Antiochi et Antichristi. Erit in concupiscentiis fœminarum: Deum Maozim in loco suo venerabitur.

Dominabitur thesaurorum auri et argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti: per Lybiam quoque et Æthiopiam transibit.

Figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum et sanctum: ibi cædetur, et nemo auxiliabitur ei.

Cap. 12. Gloria sanctorum et doctorum. In tempore illo consurget Michael, qui stat pro filiis populi Dei.

Tunc salvabitur omnis fidelis et patiens: qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ.

Omnes enim qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium æternum.

Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Audite hæc doctores, audite Martyres: hanc gloriam, has coronas ambite, docendo orbem verbo et exemplo.

Stupet Daniel et orat, usquequo Domine finis horum mirabilium?

Elevavit angelus manus in cælum, et iuravit per viventem in æternum: quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis.

Beatus qui expectat, et perveniet ad dies 1335.

Tu autem vade ad præfinitum: et requiesces, et stabis in sorte tua in finem dierum.

Susanna a senibus adulteris in arcto deprehensa ingemuit: angustiæ mihi sunt undique. Cap. 13. Susannam Daniel liberat, et senes condemnat.

Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras.

Sed melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.

Flens suspexit ad cælum: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, tu scis quod falsum testimonium tulerunt contra me: et ecce morior, cum nihil horum fecerim.

Exaudivit Deus vocem innocentis: suscitavit spiritum Danielis pueri, qui iudicavit eos.

Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua: angelus Dei scindet te medium.

Semen Chanaan, et non Iuda, species decepit te: angelus Domini stat, ut secet et interficiat te.

Unus sub schino, alter sub prino, se eam vidisse peccantem mentitus est.

Lapidavit ergo eos populus, et Susannam innocentem liberavit.

Daniel evertit Bel, et draconem occidit: idcirco Chaldæi coniiciunt eum in lacum leonum. Cap. 14. Daniel evertens Bel et draconem, in lacu leonum ab Habacuc pascitur.

Cum leonibus lusit quasi cum agnis: dederunt confessionem sancto.

Angelus transfert Habacuc cum cophino ex Iudæa in Babylonem: Daniel, ait, serve Dei tolle prandium, quod tibi misit Deus.

Confiteantur Domino misericordiæ eius: et mirabilia eius filiis hominum.

Qui habet potestatem omnis carnis, qui occidit et vivificat; qui deducit ad portas mortis, et reducit.

Sperate in eum omnes qui timetis eum: protector est omnium sperantium in se.

Custodit eos quasi pupillam oculi sui: illæsos per ignem et aquam deducet eos.

Dominus pars hæreditatis meæ, portio mea in terra viventium.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ

IN HOC OPERE EXPLICANTUR, VEL ELUCIDANTUR

Prior numerus paginam, secundus columnam designat: literæ additæ eas, quæ columnis interiecta sunt, denotant.

EX NOVO TESTAMENTO.

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM

QUÆ IN HOC COMMENTARIO CONTINENTUR.

B

C

D

Dei optimi maximi nomina, epitheta et attributa.

Gesta eius et facta in veteri testamento circa Iudæos et Prophetas.

Illius Providentia ac cura de salute hominum, prædestinatio et ordinatio prævia.

E

G

H

Hebraismi et Hebræorum phrases.

Hebræorum mores, et ritus.

HEBRAICARUM ET CHALDAICARUM VOCUM SYLLABUS.

I

Eius regia dignitas, merita, tituli, divinitas, gloria.

Eius victoria, triumphus ascendentis, potestas iudiciaria, Gentium vocatio.

Eius sapientia, gratia, iustitia, sanctitas, opitulatio.

Illius cura pro Ecclesia et fidelibus.

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

X

Z

INDEX

MATERIARUM PRO CONCIONIBUS

Evangeliorum Dominicarum totius anni, et Festivitatum aliquot, quæ in hoc Commentario proponuntur.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

FERIA IV. CINERUM.

FERIA VI. POST CINERES.

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

FERIA II.

DOMINICA PALMARUM.

IN FESTO PASCHATIS.

FERIA II. POST PASCHA.

DOMINICA IN ALBIS.

DOMINICA II. POST PASCHA.

DOMINICA III. POST PASCHA.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

IN LITANIIS MAIORIBUS.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

IN DIE ASCENSIONIS.

DOMINICA INFRA OCTAV. ASCENSIONIS.

DOMINICA PENTECOSTES.

FERIA II.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

160

FINIS TOMI SEXTI.